Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
F
24
NAPOLI

XXX
F
24

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OPERA

IOHANNIS ARGENTERII

Castellonouensis Pedemontij,

PHILOSOPHI AC MEDICI ACVTISSIMI SIMVL ET GRAVISSIMI,

IN FLORENTISSIMIS ITALIÆ ACADEMIIS, NEAPOLITANA SCILICET, PISANA, TAVRINENSI, &c. Medicinæ quondam cùm Theoricæ, tum Practicæ Professoris primarii ac celeberrimi.

QVORVM NONNVLLA IAM ANTE EXCVSA, PLVRIMA VERO A NEMINE HVCusque visa, auidissime tamen desiderata, tandemque ab hæredibus ipsius reperta & in lucem prolata sunt.

OMNIA NVNC PRIDEM EX EXEMPLARI VENETO DILIgentius reuisa, ex diuisis quatuor partibus in vnum volumen collecta, ac ab innumeris, quibus hinc inde scatebant, mendis emaculata.

In quibus præcipuæ difficilesque materiæ, tam Medicæ, quam philosophicæ, & præsertim hac tempestate adhuc controuersæ, non doctè minus, quam subtiliter & enucleate elucidantur, ipsiusq; habitæ sanitatis tuendæ & amissæ pariter recuperandæ ratio plenissime traditur.

ACCESSIT AD HÆC FABII PAVLINI VTINENSIS PHILOSOPHI AC Medici non vulgaris in libros artis Medicinalis Galeni per tabulas œconomia.

Quo vero in loco quoq; ordine operum contentorum vnumquodque inquirendum sit, pagina orationem Herculis Argenterii autoris filii ad Lectores subsequens sua serie demonstrabit.

HANOVIÆ,
Typis Wechelianis apud hæredes Claudii Marnii.
M. DC. X.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI SCHWICHARDO ARCHIEPISCOPO MOGVNTINENSI; SACRI ROMANI

Imperii per Germaniam Archicancellario & Electori, &c. Principi ac Domino suo clementissimo.

TRiennium iam ferè præterlapsum est, princeps Elector Illustrissime, Domine Clementissime, ex quo opera JOANNIS ARGENTERII à multiplici spurcitie emaculanda, eorundemque adimplendos defectus suscepi. Qui sane labor licet non fuerit adeò leuis & exiguus (cum integræ sæpe eæque binæ ternæq; lineę in exemplari Veneto fuerint omissæ, in hac vero correctiori editione ex codicibus vetustioribus à me restitutæ,) mihi tamen extitit gratissimus; idque cùm ob insignem delectationem, qua quotiescunque eadem ad manus resumo relegoque, perfundor, tum propter incredibilem pene vtilitatem, quam omnes inde mecum percepturi sunt. Obmurmuret itaque Zoilorum quicumque volet, ego dulcedine scriptorum autoris captus nec illorum grunnitus subaudio, nec obtuitus etiã atrocissimos quicquã curo, sed potius mihi.

Digitized by Google

ipsi gratulor, quod tanti viri scripta videndi, reuidẽdi, inque lucem emittendi ansam quamcunque nactus sum, vtpote cuius copiam in dicendo, facilitatem in declarando, subtilitatemque in arguendo, nemo non admirari potest. Plura in ipsius laudẽ proferre velle, non solum me ipsum inferiorem agnosco, verum etiam superfluum omnino arbitror, cum ab Hercule eiusdem Filio, Medico itidem celeberrimo id satis superque factum sit.

Quod vero Illustrissimæ T. Celsitudini aurea huius nostri Argenterii opera dedicare offerreque ausus fuerim, singularis illa & ab omnibus mirũ in modum mihi commendata Clementia, qua literatos in vniuersum omnes, imprimis vero Medicinæ cultores semper huc vsq; respexit, in causa fuit. Cui Illust. T. Celsitudini tandem meipsum, eãdem vero Deo ter Optimo Maximo debita submissione commendo. Francofurti ad Mœnum Cal. Sept. Anno post partum virgineum M. DC. X.

Celsitudini Tuæ Illustrissimæ

Omni submissione deditissimus

Petrus Offenbach ibidem ordinarius.

Digitized by Google

IOANNES ARGENTERIVS
AD LECTORES.

CORRVPTAM esse docendi rationem, quam multis iam seculis ferè omnes profitemur: hi quidem non agnoscunt, qui aliorum iudicio viuunt: alii verò, qui sectis sunt addicti, ne videantur hactenus errasse, id dissimulant; eosque omnibus modis insectantur, qui huic corruptioni mederi student. Temerarium etenim esse aiunt, profiteri, se ea scire, quæ alij omnes hactenus ignorauerunt: odiosum verò etiam esse ea immutare velle hac nostra ætate, quæ longa consuetudine, veluti legibus quibusdam sancita, & ab omnibus optima sunt iudicata: inter quos tamen qui paulo melius sunt affecti, quædam fortasse à nobis melius inueniri posse cōcedunt, quam sint hactenus à maioribus nostris tradita; sed pauca hæc esse: excusandosque interim censent, & non accusandos antiquos scriptores, qui hæc omiserint: præsertim quòd hæc omnia illorum vi, quæ prodita sunt, contineri vnusquisque (si laboret) inuenire possit: itaque superfluum esse nouos authores constituere, & originem disciplinarum repetere, sed potius adnectendos nostros labores maiorum libris, quibus obscuras illorum sententias explanemus, & quæ latent in positis principiis, non autem, vt nos arbitramur, prætermissa sunt, eruamus: quodsi forte aliquid sit, in quo antiquos merito reprehendere, & meliora excogitare valeamus, mitius id esse faciundum putant, nec à quouis tentandum, sed ab his duntaxat, qui vel parem illis, aut certè iam magnam authoritatem apud omnes sunt consequuti: alioqui moueri homines non posse, credunt, vt ea deserant, quæ alii omnes, quorũ nomen est celebratissimum, sequantur: interim vero eos, qui inæquali sunt conditione, & viribus, iudicant illa fugere debe-

re, quæ non solum omnibus sunt odiosa, sed sibi quoque perniciosa; quorumque vtilitatem, si quæ tandem proueniat, is, qui huius mutationis est author, dum viuit, non sentiet: Improuidi autem, & sibi malè consulentis hominis esse, ea consectari velle, quæ illi in tota vita sint noxia, & aliis duntaxat fortè futura vtilia: ac denique hæc, & similia adferunt, vt vel eos deterreant, qui parati sunt huic rei opem ferre, vel etiam fortasse vt illorum vitæ & tranquillitati bene consulant. Contra quos omnes, priusquam doceam, quam putêm esse veram docendi rationem; vt consilii mei ratio omnibus constet, dicendum breuiter existimo.

Igitur qui temerarium id factum esse putant, nulla ratione, nulliusque egregii viri imitatione, id faciunt. Cur enim, quæso, Platonem, Aristotelem, Galenum, aliosque scriptores temerarios non iudicamus, quod ea immutarint, quæ iam ab aliis alio modo tradita fuerant? Disputabant mutuo Peripatetici aduersus Academicos, & Stoicos: Scripsit Galenus aduersus omnes: hunc reprehendit Auicenna & Auerrhoes: Hos alii & denique semper apud maiores nostros liberum fuit pronunciare, quod quilibet de ea arte sentiret, quam profitebatur: ingeniosique & non temerarii hominis officium illi esse putabant; si ea, quæ vnusquisque inuenisset, vtiliaque censeret, literarum beneficio posteris mandaret.

Odiosam verò esse hanc prouinciam, in qua multos accusamus, paucos autem excipimus, scio equidem, & omnes, qui hactenus id tentarunt, sunt experti. Quid enim Montano Veronensi viro doctissimo Patauii contigerit, dum docendi, methodum primus in Scholas duceret, omnes nouerunt. Cum paucos haberet tunc sectatores, multos autem aduersarios: qui vel hoc potissimum nomine eum damnabant, quod methodi nomine vteretur. At tandem vicit, veraque esse agnouerunt ingenui medicinæ studiosi quæ ille in tantis odiis, suo quoque malo profiteri cœperat.

An non etiam Vesalius à Cæsaris aula & familia ob id propemodum exclusus est, quod aduersus Galenum scripsisset? Quid non moliuntur adhuc in illum Galeni sectatores? Quem profectò amare, non odio prosequi oporteret, si modo sensibus nostris magis, quam hominum præiudicatæ opinioni addicti essemus; spectaremusque, quantam vtilitatem ex diuino eo opere, quod de Anatome conscripsit, non solum arti nostræ sed etiam mortalibus omnibus attulerit.

Quid verò ego pertulerim, dum hic, docendo liberè, quod sentiebam,

tiebam, proferrem, non est, quod dicam: sunt enim hæc notissima, cum id omnium malum leuissimum mihi fuerit, quod Quæstionarii Medici coniuncta opera, eos à me alienare ac omnibus modis infestos reddere conati sunt, qui vtilitate propria commoti, mea studia, meamque docendi rationem auidissimè sequebantur.

Verum etsi illis facile est iuuentutē decipere,& superfluis obsequiis potius, quam docendi officio ad se allicere; nobis vero difficillimum tot, tantisque repugnantibus male receptas opiniones ab animis hominum euellere: tamen quantum in hac re consecuti sumus, & amplius sperare liceat, alios iudicare volo, qui, quo modo hæc gesta fuerint, & ex quàm paruo initio, ad mediocritatem quandam nunquam, vt spero, abolendam, iam peruenerint, nouerunt.

Optima autem esse, quæ damnamus, etsi illi putant, nos tamen aliter existimamus, & quilibet, quod ipse sibi persuadet verum, & non quod alii sentiunt, memoriæ prodere debet: An non putamus ea, quæ Aristoteles reprehendit, à multis optima fuisse habita; quæ tamen ille refellit quòd crederet falsa esse, aut certè à re proposita aliena. Multa verò & non pauca extare, apud scriptores de nostra facultate, vt alios omittam, quæ meritò reprehendi possunt, & longè meliora fieri nobis ipsis persuademus;& iam dudum profiteri cœpimus. Cum enim Galenus (hunc enim nomino, in quo si ars desit, in alio frustra quærimus) infinita propemodum volumina conscripserit, multa illi inconsiderate excidisse oportet.

Neque enim multa & bene omnia scribi possunt: id quod satis apparet, cum nunquam fere de eadem re diuersis in locis idem scribat, sed perpetuo, diuersis definitionibus, diuisionibus, probandique rationibus, vtatur, cum principia ponit, quorum statim obliuiscitur:cum in omnibus Asiatica facundia, ne dicam loquacitate redundat, ac à nullo certo initio auspicari solet, nec vbi desinendum sit præuidet; sed quærit potius, vt ad quandam magnitudinem singuli libri perueniant, quàm vt expendat, quid, quatenusque de vnaquaque re scribere expediat. Omitto, quod rarò suo loco res tractet, sed sparsim omnia: & quod dum nunc vni sectæ,nunc alteri patrocinari cupit: & nunc hos, nunc alios insectatur, nec sui interim recordatur; nec vniformem doctrinam facit: ac etiam cum nunquam libros, quos semel confecerat, rescripserit: multaque ad sui exercitationem, alia amicorum gratia potius, quam ad editionem conscripserit, & multos ex suis libris imperfectos, & haud quaquam elaboratos esse, ipse fateatur: Hinc profectò agnoscere possumus, & putare multa esse,

quæ melius inueniri ab eo posint, qui diligentius ad eadem considerãda, illius præsertim & aliorum beneficio adiutus, se contulerit: Quo magis credulitas nostra, vel stupiditas potius damnanda est, qui omnes illius libros tanquam absolutissimos recepimus, & parem authoritaté, repugnãte ipso authore, singulis tribuimus. Ad reprehendendos & non excusandos antiquorum errores equidem putauerim, tum quod ratio id exigat, tum quod illi iubeant id esse faciendum, idemque ab omnibus optimis scriptoribus obseruatum videamus. Qui enim imperiti sunt, & inscii, dum excusari scriptores vident, errorem non agnoscunt, nec mouentur ad ea auidius consequenda, quæ veriora putantur. Hac quidem honesta contentione bonæ artes, & disciplinæ crescunt, eiusmodi verò excusatione pereunt; aut certe in eo statu sepultæ, superstitioneque tectæ permanent, in quo inueniuntur. An, quæso, Aristoteles Platonem præceptorem, cui multo plura, quam nos aliis, quos reprehendimus, debebat, excusat? dum illum nunc absurda, nunc aliena à ratione, nunc verò etiam minus probabilia, quàm alii, quos ineptisimos iudicauit, tradidisse commemorat. Accedit, quòd superstitiosam, & ingenuis molestam phrasim reddit huiusmodi excusatio. Quid enim ineptius, quam cum aliquem reprehendere volumus, & significare eum errare, semper addere, quod recentiores faciunt, *salua pace tanti viri: ignoscant mihi manes doctißimi scriptoris*, & cætera huiusmodi rationis filo inserere? Quæ nec ab antiquis obseruata videmus, nec aliunde, quàm ab inueterata, & iam dudum recepta superstitione, quæ omnes disciplinas inuasit, sunt inuecta. Nam qui Aristotelem, aut Galenum errare scribit, & in aliquo refellit, non propterea indoctos eos censet authores, aut aliter de illis malè sentit, quos ob admirabilem rerum cognitionem & amat, & veneratur; sed quod aliter commodè significare nequeat, quod in illis non placet. Nemo (credo) melius de Galeno, quàm ego sentit; in cuius libris legendis, colligendisque adhibita omni diligentia ætatem ferè meam consumpsi, cuiusque ingenium vehementer admiror, & laborem studiumque probo: cui omnia, aut certè plurima me debere puto. Id tamen liberum mihi relinqui volo, vt quid confundat, in quo redundet, vel deficiat, & denique in quo non placeat, dicere possim. Sic ille profectò Aristotelem summum philosophum vocat, & admiratur; interim tamen, vbi se melius aliquid inuenisse putat, non dubitat eum refellere, faterique eundem errare, sibique repugnare, atque etiam in illo logicam, cuius principem alibi constituit, nonnunquam desiderare. Oportet enim de scriptoribus ita sentire, vt eos homines agnoscamus, & non tanquam Deos veneremur, nobisque antiquam libertatem relinquamus: ac qui ita sentit, moderatè quidem id facit, sed difficile est in tanta superstitione,

tantisq;

tantisque rerum asperitatibus temperantiam quandam inuenire, quæ omnibus satisfaciat, maleuolorum animos coerceat, calumniasque reprimat. Cæterum cõtineri omnia in his, quæ hactenus sunt ab aliis prodita, nec existimo, nec adduci vnquam potero, vt credam; quin potius sæpe in principiis erratum esse, constituendosque alios rerum fontes, à quibus omnia hauriantur, quæ diligenter excussis aliorum opinionibus, adhuc omninò deficere videntur. Iam verò aliorum libris annectat suos labores qui velit; seque consumat toto vitæ tempore in aliorum sententiis explicandis, nouisque sensibus, nunquam etiam ab authore excogitatis, eruendis: quamquam id omninò non vitupero, si in digno authore moderatè fiat: nos tamen satius esse putamus, vt vnusquisque quid, quantumque præstare valeat in vnaquaque re, consultis ipsis fontibus, & rerum natura experiatur. Multa enim occurrunt, dum in alieno opere versamur, quæ non placent, quæque possunt meliora fieri; & sæpius interpretatio authoris opus dignitate & vtilitate exuperat: quoniam tamen alienis fundamentis nititur, propriam gratiam & authoritatem amittit. Cur Aristoteles ad Platonem interpretandum, & Theophrastus ad Aristotelis libros enarrandos sua studia non contulerunt? nimirum quod quilibet illorum author esse mallet, quam imitator; ac longè meliora scribi posse censeret, cum de rebus nondum inuentis, certa ratione, suoque modo tradendis cogitat, quam, cum in aliorum sensibus exprimendis perpetuò laborat. Num Philosophia maiores progressus fecisset, si Alexander, Themistius, Simplicius, & tot alii doctissimi viri, qui se conterunt in Aristotele interpretando, & singulis verbis curiosius explicandis, aliquam ex philosophia partem negligentius à maioribus nostris traditam elaborandam, illustrandamque suscepissent? Interim enim cum de vacuo, infinito, & tribus principiis, atque antiquorum opinionibus superfluo labore digladiamur, metallorum, lapidumque, naturam ignoramus: nec satis herbarum, plantarumque historiam, effigies, propriam vim tenemus, vt multa omittam, quæ de animalibus & omni alia Philosophiæ parte, Aristoteli antiquisque aliis philosophis addi possunt? Interim cum logici anxiosè contendunt, & disputant, an Prædicamenta ad Logicum, vel Metaphysicum pertineant, & quodnam medium in Demonstratione Aristotelis opinione sit constituendum: Ac cum in singulis illius verbis perpendendis & omnium interpretum opinionibus examinandis perpetuò versantur, & vsque ad nauseam de subiectis & connexione librorum digladiantur omnes; non vident adhuc postea, quæ scribit Aristoteles de Logica facultate, deesse diuidendi, resoluendi, componendi, docendi, scribendique rationem, sine quibus nemo poterit vnquam pro dignitate disciplinas excolere. Non vident dialecticos locos ab Aristotele melius tractari potuisse, quippe cum à nullo certo initio exordiatur, nec aliqua ratione ostendat perfectum esse eorum numerum, à quibus argumenta petenda esse scribit: nec illud adhuc constat,

quot quibusque instrumentis ad aliquid inueniendum vel probādum vti possimus. Ad hæc statuit ille in Ethicis quasdam virtutes. quibus felicitas comparari debeat: At certum numerum non docet eum esse, quem ponit: Quo fit, vt perpetuo dubitare liceat, an aliquę adhuc supersint vel omnes eo numero sint comprehensæ: id quod etiam in causarum tractatione (vt alibi ostendemus) & in multis aliis, quæ ab eo docentur, deesse video. Sic in Meteorologicis à nullo certo initio auspicatus innumeras quasdam, secundas, tertiasq; vt vocat, qualitates recenset. At interim probare oportebat eū, plures esse non posse, cum multæ adhuc reperiātur, de quibus cum nullam mentionē fecerit, illius tractationem absolutam non esse ostendunt. Quod si etiam plura inuenire nequeant, quam de vnaquaque re ab eo tradantur: tamen nisi hoc probatum fuerit, nec plura, aut pauciora extare posse: nihil egregium nouimus, nihil certum habemus, in quo animus quiescere valeat: perpetuò enim nos vereri necesse est, aliqua relicta fuisse: quæ omninò addere oportebat. Quinetiam in Metaphysicis profitetur se esse explicaturum necessariis probationibus, quæ omnibus artibus sunt communia, quæque difficultate & dignitate, ea exuperant, quæ in singulis artibus docentur: cum interim pauca huiusmodi attingat; & integros libros in nominum explicatione (quæ res vel ad Grammaticum vel Logicum potius spectat, quam conueniat tanto negotio, operisque inscriptioni) consumit. Ac ne singula prosequi, & Philosophorum principem in iudicium vocare velle videamur, cui omnia debemus: sunt meo quidem iudicio permulta in omni alia philosophiæ parte (nam de Medicina nostra superfluum esse duco aliquid hoc loco scribere, cum vniuersum nostrum opus id abunde testetur) in quibus vnusquisque laborare posset; multo, vt arbitror, felicius, maioreque laude: quam si in aliorum sensis eliciendis, vel potius nonnunquam diuinandis asiduo laboremus. Illud verò, quod aiunt, neminem alios reprehendere debere; qui iam magnam authoritatem & famam sibi non comparauerit, omninò absurdum est; & ita plane ridiculum, vt confutationem vix mereatur. Nam paucis id contingit, dum viuunt; ac non nisi post aliquot secula, mutatis hominum opinionibus; huiusmodi accedere solet authoritas. Quantam, quæso, putamus fuisse Aristotelis inter philosophos (dum viueret) authoritatem? cum vix post sexcentos annos, vigente interim Platone, illius opera in aliquo precio esse ceperint? Quantam verò Galeni, quando aduersus Methodicos scribebat? cum passim conqueratur, eos ab omnibus aduocari maxima præmia & honores illorum esse: doctos autem Medicos nec accersiri, nedū cognosci: quod profecto non scripsisset, si illi, quos reprehendebat, in maiore existimatione, quam tunc esset ipse, non fuissent. Roma discedere coactus fuit, vt illorum authoritati & fauori immenso cederet: ab Asclepiadeo & alio quodam Sophista, vt refert, nisi alius prohibuisset, cæsus fuisset; dum pro veritate fortè vehementius certaret. Attamen interim scribebat, eosque refellebat, quos falli existimabat; desinant

ergo

ergo illi hanc suam authoritatem in scriptore desiderare; permittantque omnes, quæ vera putant, & vt sentiunt liberè proferre. Eos vero qui amicè admonent, vt nostræ vtilitati & tranquillitati studeamus, agnosco amicos; eorum admonitiones non sperno; calumniosas tamē aliorum reprehensiones cōtemno; quantumq; mihi temporis concedet vita & aliarum rerū occupatio tribuet otii, ad scribēdum potissimum conferam, nec vnquam desinam iuuentutē veritatisque studiosos admonere, vt perspiciant, quid ego dicam, quid illi reprehendant; qui vel eos decipiant, aut melius illorū vtilitati consulant. Non proderunt peruicacibus hominib. & seruis antiquorū scriptorū studia nostra, & pauci fortè hoc seculo in tanta superstitione laborem hunc qualemcunq; probabunt. At posteri qui nullis (vt spero) erunt addicti, omnium sententias expendent, & eos à calumniis vindicabunt, quos alii nunc temerarios, nunc arrogantes, dum libere de rebus, vt sentiunt, antiquorum more, & omnium bonorum scriptorum exemplo pronunciant, iudicant. Sint nobis hæc inutilia, turbent vitæ commoda, & tranquillitatem nostram. (Hæc enim esse solent virtutis præmia) dummodo posteris, & his etiam, qui nunc viuunt, bene affecti, aliqua ex parte prosint: Illorum siquidem, & haudquaquam nostram vtilitatem in hâc re quærimus. At qui non agnoscunt docendi hanc, quam sequimur, orationem esse corruptam, cupiuntque admoniti meliora sequi, iā à nobis docendi sunt. Ac primum quidem repetenda, & ante oculos ponenda est illa vsitata doctrina, sic enim postea quid damnemus, quidque in ea desideremus, quilibet commodius intelligere poterit: Nos nihil affirmamus, nihil negamus, nisi antiquorum verbis, & authoritate præmuniti, omnem probationem, confutationem, & vt breuiter dicam, omnem docendi rationem ab illis ducimus, & ad eos reuocamus. Si quid verò prætermissum ab antiquis scriptoribus fuerit, inuenire nos studemus: quin potius omnia perfecta ab authoribus, quibus semel nos addiximus, tradita esse contendimus. Vnum Aristotelem nunquam errasse, volunt philosophi. Pro Galeno certant Medici, & vnusquisque pro suo authore, exuto omni pudore acerrimè pugnat: Nunquam in dubium vocamus, quę scribit ille, sed tanquam verissima omnia sumimus. Quod si aliquando tentamus, leuiter admodum id facimus & eo sane consilio, vt maior illius diligentia, & ingenium appareat, non vt tandem rationum momentis conuincamus, eum hallucinari, & meliora his, quæ ab eo docentur, excogitanda esse putemus; & demum antiqui semper victores euadant; nosque illis triumphum canimus. Alios verò, qui eum authorem, quem suscepimus enarrandum, explicant, aut ab eo dissentiunt, si qui fortè sint, veluti perpetua quadam contracta cum illis inimicitia, insectamur, refellimus, contra illos continuò disputamus: Ad hæc venamur quæstiones, & quæ maximè dubia, aut etiam à ratione aliena videntur, notamus, vt alios fallere, & scriptorum verbis cogere possimus; putamusque eos indoctos, qui non viderunt eas sententias, quas ad probationem citamus, aut interpretari, vel aliqua alia ratione illorum vim effugere nequeunt: denique in authorum dissidiis componendis anxiosa quadam sollicitudine, inanique labore nos ipsos conficimus, nec vnquam quid rei natura, de qua agimus, postulet, in nugis occupati expendimus: Quæ profecto nulla ratione, vel digni alicuius authoris imitatione facimus. Cum enim docendi ratio postulet, vt notius aliquid quam id, quod docere volumus, ad probationem assumamus, ducantur au-

tem omnia, quæ obscuris rebus fidem facere possunt, vel à nostris sensibus, vel ab ingenio, & ratione, temere ob id ex aliorum verbis argumenta colligimus. Quod si quis eos, quorum authoritate nitimur, plurimũ sensibus & ingenio valuisse contendat, vt perinde sit illorum inuentionibus vti, ac studere, eadem magno labore ex insitis nobis instrumentis inuenire, plurimum fallitur. Nam fatebor quidẽ illos, quibus omnia tribuimus, ingeniosissimos extitisse: homines tamen agnosco, qui scilicet errare posint. Defuit enim aliquibus in scribendo diligentia: quidam nimio sui amore, & aliorum odio commoti percipere nequiuerunt, quod rei ipsius veritas dictat. Diuersæ sunt hominum mentes, & quot homines, tot sententiæ, falli ergo posumus. Est præterea veritatis cognitio perinde difficilis, & multis obscuritatibus implicata, quemadmodum illi etiam testantur, vt nemo solus omnia probè inuenire, & inuenta tradere queat: Plus vnus in excogitandis rebus valet, alius in inuentis iudicandis & docendis alios superat: & vt in aliis artibus plurima indies hominum industria addi conspicimus; quæ maioribus ignota fuerunt, sic profectò in disciplinis nostris multa superesse credendum est, quæ nullo modo vel sunt comperta, aut nondum satis rectè explicata: nec vnus vnquam omnia inueniet, sed multorum studio, & labore, si semel ea deesse, & nos ad ea excolenda cogitationes nostras contulerimus, fortè perfici poterunt. Sperat Aristoteles, aliquos post se venturos, qui Logicam, quam ipse se omninò non absoluisse, ingenuè profitetur, absoluat. Credit Galenus, fore, vt aliqui nascantur, qui Hippocratem, Æsculapium, quos antiqui in Medicorum Deos retulerunt, doctrina artisque peritia superent: quorum profectò spes concidit, si omnia inuenta, omniaque perfecta putemus, statuamusque paucos omnia melius, quam nos inuenire potuisse: quasi non idem nunc sit quod olim, cęlum, eadem terra, idem generandi modus, eadẽ denique, & facilior etiam, quam illis fuerit, discendi inueniendique ratio. Quòd si quis rationem quærat, cur disciplinæ nullum incrementum iam multis seculis acceperint, cum præclarissima semper extiterint ingenia, quæ se ad earum cultũ dederunt: nullam aliam inueniet; nisi quod falsa quadam opinione paucos cõstituimus omnia nouisse, illis credendum esse, tãquam alterius generis homines, quam nos, fuerint, & alia instrumenta ad veri inuestigationem aptiora, quam reliqui omnes à iustisimâ natura acceperint. Nam quot sæpe videmus ab illis tradita absque aliqua probatione? quot etiã falso ab illis prodita sunt? quot vix aliquo probabili argumento confirmata, quæ nos tamen tanquã necessaria recipimus? in quibus longe meliora inuenire posemus, si semel absq; tanta credulitate ea expenderemus, & meliora inuenire honesta quadam & planè humana cõtentione niteremur. Hinc illud factum est, vt Galeni authoritate persuasi, dum negligentius quid sensus iudicarẽt, spectaremus: hactenus crediderimus simias, & canes pro hominibus dissectos, & descriptos homines esse; nimirum quod alterius verbis magis, quàm propriis sensibus peruerso errore seducti credere maluerimus. Quòd si etiam donemus, perfecta omnia ab his esse tradita, quorum verbis potisimum nitimur, non tamen propterea rectè docemus. Nã qui authoritate vtitur, non persuadet, sed præiudicatæ hominum opinioni asentiri nos cogit: cum tamen docendi ratio postulet, vt ea, quæ in nobis sunt veritatis cognoscendæ principia, excitemus; & ab illis probationes ducamus: Nec alicui credamus; sed quid res, de qua agimus, dictet, expendamus. Nam quid alioqui prodest sensus & rationem à natura obtinuisse, si omnes maiorum

sensibus

sensibus, & ingenio viuimus? & assentimur non nobis ipsis, sed his, quæ putamus ab aliis cognita fuisse? Adde, quod nunquã animus quiescere potest, dũ aliorum opinione ducimur. An propterea tria rerum principia putare debemus esse, quod Aristoteles id dicat in Physicis? Non id profectò, cum vulgaris omninò & inutilis sit hæc scientia: sed qui rerum naturam consuluit, & sensibus vel firma aliqua ratione ita esse cognouit, tum demum huius rei certã habet scientiam, quam antea omninò ignorabat, vel psittacorum more pronunciatis aliorum verbis tenebat. Ac profecto, si quis diligẽtius hæc perpendat, inueniet, docendi hanc rationem (si melius corruptionem non appello) nihil à fide, quã Diis adhibemus, differre: & eos, qui scientias, liberalioresque disciplinas profitẽtur, deterius omnino his esse affectos, qui vilissimas quasq; artes exercent. Nullus est enim calcearius, aut ædificator, qui dicat se calceum construere, & domũ ædificare eo modo quo facit, antiquorum suorum artificũ authoritate, & verbis persuasus: sed vnusquisq; sui operis, & eorum, quæ facere aggreditur, rationem paratus est reddere. Nam quid prodest alioqui rerũ causas, effectus, genera, differẽtias, proprietates, accidẽtia, diuisiones, varias argumẽtandi rationes, locos innumeros, à quibus probationes eliciuntur, obseruasse & didicisse; si nunquam, aut certè rarissimè, ad docendũ illis vtimur, sed toti versamur in colligẽdis aliorũ sententiis aliorũq; verbis perpetuo nitimur. Quod si rarius id faceremus, & solũ vbi res ob difficultatẽ ingenio, aut sensibus à nobis percipi nequit, tolerabilior sanè esset hic error. Sed cũ in rebus notissimis, & quotidiana experientia cõprobatis, cumulatis accersitisq; vndiquaq; testibus id faciamus; ostendimus profecto nos sensibus, ingenio, rationeq; magis etiã, quàm bruta animalia, quæ suis sensibus, & ingenio mouentur, destitutos. Si n. fortè cum Medicis agamus, videbimus, eos vereri affirmare, panẽ corpus probè nutrire (quod docet cõmunis vsus) nisi statim aliquẽ adferant qui ita esse scripserit. Philosophus non statuet, hominẽ præcellere reliqua animantia, nisi Aristoteles, aut aliquis illius interpres id prodiderit. Nunquid ad maiorẽ imitationem id facimus, quos alienissimos ab hac corruptione fuisse conspicimus? minimi momenti censet esse Aristoteles argumenta, quæ ab aliorũ authoritate petũtur; at nos maximi ea facimus, & illis solũ ferè vtimur. Cũ ille aliquid probare nititur, principia quærit, quibus fidẽ faciat: At nos cũ de aliqua re disserimus, statim inuestigamus, quid ille de ea prodiderit, cuius authoritatẽ receptam agnoscimus. Ac mihi profecto nihil aliud videtur esse nostri tẽporis philosophus, aut Medicus (liceat mihi semel dicere, quod sentio) quã qui ex Aristotele, & Galeno sententias quasdam collegit, quas in omni re proposita citare nouit; interim, si quis alicuius rei effectus, genera, causas, requirat, si nihil scriptum apud alium inuenerimus obmutescimus: nimirum quod philosophandi antiquum morem & rationem iam dudum contempsimus. Nam qua in re quæso, qui philosophiam aliásve disciplinas profitentur, reliquos præcellunt; præterquam quòd illi Aristotelẽ legerunt, illius verba referre nouerunt, suntque veluti indices librorum; alii verò minime? legendos quidẽ cẽseo authores, sed nõ eo consilio, vt singula illorũ verba, & sententias colligamus, sed vt artem veri inueniendi & iudicandi de rebus nobis comparemus, eosque refellamus, si non placent: atque adeò illorum more res ipsas expendere discamus: sic mehercle Aristotelem fecisse videmus, qui principia in singulis rebus ponit, quibus postea ad rerũ inuestigationẽ, & traditionem vtitur: nec mouetur ex eo, quod alius quiuis scripserit, sed perpetuò

spectat, quid rei natura dictet. Nonne etiam Galenus eos vbiq; reprehendit, qui sectis sunt addicti? Nonne in opere, quod inscripsit, *de propriis libris*, seruos eos vocat, qui scriptoribus assentiuntur, & Aristoteli, aut Platoni, vel aliis demum authoribus fidem adhibent? An non longa oratione *secundo libro Methodi medendi* in eos inuehitur, qui prætermissis logicis demonstrationibus credi sibi volunt? quod testimonio Herophili, Hippocratis, aut alterius cuiuscunq; scriptoris vtantur: Nonne huiusmodi doctrinã meras nugas vocat, & contentionum procreatricem? An *in libro secundo de difficili respiratione* non admonet lectorem, moueri non debere Hippocratis fama, & authoritate, sed rerũ demonstrationes, & probationes quærẽdas esse, iubetq; ne sibi citra rationem, aut experiẽtiam credamus. Eò etiam pertinet, quod scribit *in libro de Morbis vulgaribus* in explicatione illius sententiæ Hippocratis, vbi scribitur, *nihil negligenter, nihil temere*; se non solum in Hippocratis scriptis, sed in omnibus antiquorũ libris obseruare, vt non temere quæ quisq; ipsorũ dixerit, approbet, sed experientia & ratione, verumne, an falsum sit, quod scripserunt, examinet: quippe cũ seruorũ aut libertinorum vt ait, sit incõsideratè, & temerè credere his, quæ sunt ab aliis scripta. Plena sunt apud eum de his omnia, ne singula consectari velle videamur. Quid prætcrea differimus à Pythagoricis: qui cũ interrogabantur de aliqua re, respondere solebant αὐτὸς ἔφα. Eos quidem verbis omnes damnamus: nec est, qui se Pythagoricum appellari ferret: Interim tamen illos sequimur omnes. Qua in re Philosophi, & Medici, à Legum professoribus, & Theologis discrepabunt? Si authoritate scriptorum res decernendæ sunt, & spectandũ non est, quod res ipsa dictat, sed quod alii de ea statuerunt. Ac quantum profectò à vera docendi ratione omnes aberremus, ex hoc constat, quod Theologi, qui sola authoritate niti deberẽt, rationem quærant ex philosophia: legum professores ex communi quadam opinione, quæ leges quocunq; trahit. Philosophi verò contemptis rationibus sola maiorum nostrorum authoritate, mancipiorum more flectuntur: Quamobrem optarem equidem, eos, qui se Aristotelicos, Galenicosq; esse profitentur, ostendere, in quo eos imitentur. Si enim se eo nomine Galenicos vocant, quòd Galeno credãt, recipiantq; tanquã vera, quæ ab eo traduntur, planè hallucinantur: quippe cum nihil ille vnà cum Aristotele magis, quàm id detestetur: & quanto plus id faciunt, tanto magis ab eo dissentiunt: si verò Galenicus est appellãdus, qui illius præcepta & voluntatẽ sequitur, ad illiusq; imitationem sua studia instituit; sciant illi, se longè ab eo, quod profitentur, abesse. Nam quonam modo Galenici dici possunt, si iubet is author, non esse ex aliorum testimonio petendas probationes, neminiq; credendum, & interim ipsi nihil aliud moliuntur? Cæterum dubitationes, & (vt aiunt) quæstiones in singulis rebus agitare, superfluum omnino esse duco: si enim via aliqua est veri inueniendi, cur statim eam nõ inimus? Sed nos ipsos inani labore in omnium opinionibus excutiendis, & excogitandis controuersiis emaciamus. Nam, vt optimè Aristoteles quoq; scribit, *rectum index sui est & obliqui*, & qui semel intellexit verũ, nõ amplius opus habet inquisitione falsi. Galen. *in libris de Dignoscendis pulsibus* sui temporis cõditionem deplorat, quod recepto quodam errore, scriptores Doctoresq; non solum quod verum esset, explicare, sed etiam aliorum errores cõfutare, & singulorum opiniones expendere cogerentur. At quanto magis deplorare nostros mores, nostraq; studia oportet; si, quod illi aliquando & parcius, nos continuò in omnibus nulloq; fine facimus; putamusq; quod in re proposita verum est, tunc demum inuentum, & stabilitũ,

postea

postea quam aliorum opiniones abundè confutauimus: cum interim nihil sit effectum, & frustrà laboratū, nisi ex propriis rei principiis, & rationibus, quod quæritur, sit inuentum: quod quidem qui statim facit, quid amplius opus habet huiusmodi tam accurata disquisitione, & agitatione opinionum illorum, qui aliter de iisdē rebus senserunt? quanquā tamē id omnino nō vitupero, si, vbi expedit, moderatè fiat; Nam cum id in singulis etiam antiquorum sententiis, & verbis, quæ interpretanda suscepimus, præstemus; hinc profectò fieri videmus, vt vix scientiarum principia egrediamur; & nihil vnquam suo loco doceamus. Siquidem qui logica docet, quæstionibus metaphysicis iuuenum teneros animos confundit. Qui metaphysica, aut physica profitentur, ex scholastica Theologia materiā mutuantur. Qui verò medicinæ docēdæ præsunt, dū quæstionib. philosophicis auditores implicant, Medici institutionē omittunt; & interim cū omnes docti, omniaq; legisse videri volumus, & omnia ex omnib. in singulis rebus inculcamus, nō solum minimos progressus in docēdis artibus facimus, sed etiam auditores confundimus, ac malè iactis fundamentis ineptos ad grauiora studia reddimus: *Acuunt* (dices) *quæstiones ingenium*: Id non negauerim: sed idem licet in re vtiliore facere: iacent n. propemodum contemptæ mathematicæ disciplinæ, quibus maiores nostri ad ingenium excolendū & exacuendum nihil melius esse iudicarunt; & in propria quidem professione rei, de qua agitur, contemplatio vt difficillima, sic sæpe strenuè ingenium exercet: sentio equidē nonnunquam in me omnes sensus cōmoueri, & omnes ingenii vires intendi, dum aliquid definire, vel diuidere, aut illius causas vel effectus inuestigare aggredior; & in eo opere perficiendo laboro. Noui etiā quosdam, qui se quæstiones ea ratione probare dicerent, quod nisi essent illis instructi, facilè respondere & propriam sententiam tueri nequirent. Quod profectò contingit; quia cum desint meliora præsidia, putamus illud maximū esse, quod ex quæstionaria exercitatione in qualecumq; subsidium, ne dicam potius subterfugiū, nobis cōparamus: si n. quis singula definire, diuidere, resoluere, componereq; nouerit, si antecedētia, consequentiaq;, & coniuncta, alienaq; à rebus perspiciat: si rerum causas, & effectus teneat, nō solū nō habebit amplius, in quo dubitet; sed etiā facile suā opinionē tueri, & aliorū captiosas rationes euitare poterit: In his ergo nos exerceri oportet, quæ suapte natura ad veri inuestigationē & patrocinium sunt optima: Nec cōmittendum est, vt cum interim omnia nostra studia ad disputationem referimus, rei ipsius explicationē, & artis, quam discere, docereq; volumus, veram institutionē contemnamus: Quòd si cōtra aliquos disputandū est; illorum potissimum excutiendæ opiniones, quarum authoritas maxima est, vt eorū erroribus explosis, additisq; rebus melioribus, posteris testari possimus; nos non omnia, quæ à maioribus nostris tradita fuerant, temere recepisse, & interim agnoscant, nos homines esse, qui non aliorū opinione, sed ratione, & sensibus à natura insitis niti debemus. Disputet ergo Philosophus cōtra Aristotelem & Platonem. Agat Medicus contra Hippocratē, & Galenum, quorum quidē authoritas obesse potest; reliquos verò contemnat; quos vincere nulla laus est, nec vtilitas; Iam verò qui in conciliandis authorib. laborant omnium maximè damnandi sunt: Primum q superfluus sit huiusmodi labor & studiū. Quid n. quæso, prodest ad artes, disciplinasq; docendas, intelligere Aristotelem, Platonē, aut alios quoscunq; scriptores in eo inter se consentire, in quo plurimi eos discrepare putant; aut etiam eundem authorem docere sibi perpetuò cōstare, qui à se ipso dissentire videtur: siquidem Medici, Philosophiq; institutionem quærimus,

non authorum conciliationem: ars docendiq; ratio id facit, nó huiusmodi concordia: deinde præter inutilem rem eam moliuntur, quæ vel fieri nequit, aut certe ab eo alienam, qui à priore dissentit: Nam qui refugium inuenit ei, qui accusatur, & reprehenditur, alium calumniatorem facit aut indoctum, quod illud non viderit, vel dissimularit, quod nos ad defensionem & excusationem excogitauimus. Postremo quid ineptius, quam velle eos in concordiam, & amicitiam reuocare, qui prorsus inter se dissentire volunt. Hinc est quod in hac re monstra fieri conspicimus, dum alienos sensus contra verborum vim fingimus, & præceptorum vim frangimus, ac in nobis ipsis inimicitias concitamus, vt eos quibus nos mancipauimus tueri, & in mutua concordia conseruare valeamus. O misera secula, ô deprauata ingenia; quanto certe satius esset, dum nos ipsos in his nugis discruciamus, in veri naturæque contemplatione versari, & interim permittere, vt alii inter se, & à seipsis etiam quantum velint, dissentiant. Ac quantum quidem absint hi à vera docendi ratione, ex hoc potissimum constat; quod si semel constituamus, demusque Galenum, vel alium, quem sequimur, authorem, nunquam errasse, sed sibi perpetuo constare; deinde ab illis egregiis doctoribus, vel Medici, vel Philosophi institutionem quæramus, inueniemus profecto, eos obmutescere, vel à nullo certo principio inchoare posse: nimirum quod nihil vnquam aliud cogitauerint, quam authoritate aliorum vti; quæstiunculas proponere, diluere, & in conciliandis authoribus perpetuo laborare. Quod si ad antiquorum imitationem, & exemplum id reuocare placet; quis, quæso illorum (de antiquioribus loquor, Platone, Aristotele, Theophrasto, & aliis bonis scriptoribus) laborauit vnquam in aliis conciliandis? Galenus autem temere eos docere scribit, qui sine methodo docent. At in methodi ratione, quæstionaria, conciliatoriaque hæc doctrina minime continetur. Est enim methodus eo authore vniuersalis quædam via, & ratio singulis communis, ex qua omnia recte inueniuntur, & inuenta, & facta approbantur: quæ vero perperam habent, redarguuntur: Nam qui methodo vtitur, nomina inprimis explicat obscuriora, quibus vti debet, res definit, diuidit à summis generibus vsque ad infimas species: vbi oportet, resoluit, componit, rei proprietates & causas inquirit, argumenta, rationes probationesque colligit ex natura, causis & effectibus rerum: ex his denique, quæ vel sensibus, aut rationi patent: nec vnquam quiescit, donec id, de quo agitur, ad sua principia perduxerit. Hæc est illa Methodus, quam tantopere Galenus noster commendat, cum dicit, se nihil tractandum, explicandumque suscipere, cuius methodum antea non didicerit, & in ea aliquandiu se exercuerit, neminemque excellere posse, in disciplinis, qui methodo non vtatur; temere autem, & fortuito eos docere, quæ sine ea docent, esseque huiusmodi doctrinam tum compendiariam, tum ad recordationem facilem, & neminem absque illa etiamsi infinita habeat præcepta, idoneum artificem fieri posse: Eum vero, qui illam tenet, non amplius præceptis aliorum egere, nimirum quod sibiipsi omnia inuenire valeat, & perspicere, quid deficiat, vel redundet, quid rectum, quidve corruptum sit; & merito quidem. Quid enim amplius in rebus inueniendis, & tradendis desiderare poterimus, si ea præstabimus, quæ ipsa methodus pollicetur? Quod si quis absque aliorum exemplo hac docendi, discendique ratione vti dubitat, inueniet, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, & sæpius etiam Galenum eam sibi proposuisse, & diligenter excoluisse. Quo magis mirari licet, Doctores in scholis vsque ad hæc nostra tempora nec nominis

quidem

quidem methodi vnquam mentionem fecisse, aut solum inani nomine contẽtos, nunquam spectasse, quod res ipsa promittit. Desinant ergo illi maledicere, & eos insectari, qui antiquum, & optimum docendi genus sequuntur; quod forte assequi nequeunt: sinant alios facere, qui sentiunt, id se præstare posse; permittant, omnes libere quod sentiunt pronunciare, ab aliis dissentire, laborent ipsi quantum velint in agitandis controuersiis, & conciliandis scriptoribus: probationes omnes ducãt a verbis, & aliorum authoritate, sint veluti librorum indices; ac vndiquaque authorum sententias aceruent: nos autem putemus eos, quos illi tanquam Deos venerantur, homines fuisse, qui non omnia nouerint, nobisque reliquerint multa excogitanda, agnoscamus nos pariter homines esse, ingeniumque & sensus ad veri inuestigationem & rerum dignotionem à natura accepisse; recordemur idem cœlum esse, eundem rerum ordinem, eadem elementa, eandem naturam, quæ eosdem homines, vt olim, pariant & alant: credamusque corruptam esse docendi rationem, & adulteratas à barbarie & quæstionaria doctrina omnes disciplinas; ac ob male conceptas de nobis opiniones antiquos scriptores, & duos vel tres Græcos homines pro Diis esse habitos, alios autem nec homines quidem putatos. Antiquum philosophandi morem sequamur, probationes ex nostris sensibus nostroque ingenio ducamus: Nemini credamus, sed libere contra omnes, quod putamus verum, proferamus: Eorum opiniones refellamus, qui in magno sunt precio, quorumque authoritas infirmis ingeniis obesse potest: Denique eam diuinam methodum fœdatam à sophistica corruptione excolamus, & è tenebris eruamus: qua quidem duce omnes bonas artes, & disciplinas ad pristinum nitorem reuocari posse speramus & confidimus. Ego autem hæc quæ sequuntur opuscula, de Re medica in tantis difficultatibus, & aliis meis occupationibus, ea, qua potui diligentia, elaboraui; Quæ si studiosis placuisse sensero, in maiore otio non solum perficere conabor, sed etiam meliora, maioraque scribere aggrediar; quibus & ars nostra augeatur, & alii huius nostri instituti æmuli, ad eadem, vel etiam alia longe præstantiora excogitanda me præeunte inuitentur.

ORATIO

IOANNIS ARGENTERII

NEAPOLI HABITA IN INITIO SVArum lectionum anno 1555. quarta Nouemb.

SI quis vestrum Viri ornatissimi aliorum consuetudine, & instituto adductus, vel opinione, quã de meis studiis forte conceperit commotus, aut alia ratione persuasus, in hoc ampliss. loco, & frequentiss. Auditorio, elegãtem & elaboratam orationem hodie à me expectat, illi imprimis eo animo, quo omnibus placere cupio, rationes meas exponere institui, quibus (vt arbitror) intelliget, haud temere hoc à me prætermissum, aut certe faciliorem veniam mihi concedendam esse.

Nam etsi mihi verba deesse non possunt in omni pulcherrima regione, & nobilissima ciuitate, in tanta vestra erga me beneuolentia, & Illustriss. virorum fauore, nec oratorias exercitationes, politioresque literas vnquam contempsi, tamen in tot tantisque meis negotiis, quæ necessario accidunt nouo homini in re domestica erigenda, & componenda, in tot amicis visendis, & suscipiendis nostrarum Artium studiosis, in aliis denique propemodum infinitis officiis obeundis minimũ certe ocii, sine quo nequeũt hæc recte fieri, mihi est concessum, posteaquã huc appuli, cogitareq; potui, de qua re potissimum esset dicendum.

Addo quod cum ad medicinam docendam, in eaque formãdos vestros animos sim accersitus; & ob viæ longitudinem, & alias plurimas difficultates diutius retardatus, satis esse putem, ea quæ nostri muneris sunt ad vestram vtilitatem protinus aggredi, & decursi iam temporis damna resarcire, quam alia attingere, quæ sentio me hoc tempore nequaquam pro dignitate explicare posse.

Dabis ergo mihi hanc veniam Prorex Illustrissime, si de tua summa eruditione, prudentia, magnanimitate, & reliquis rarissimis virtutibus, deque tuis maximis gestis, ad quorum enarrationem, & laudes, tua qua in me veteris, summa humanitas, & fauor, quo me iuuare, & mea illustriora reddere studes, inuitant, nihil nunc dico, alio enim tempore immortali (vt spero) opere illa posteris testabor, & grati hominis officium præstabo.

Nec est quod tu Reuerendissime Antistes huius præclarissimæ Academiæ Moderator, laudes tuarum virtutum à me expectes, quãdoquidem nunc vix commemorare possem, tot tantosque tuos labores, tantam operam, & diligentiam, qua non solum in me, Nicolaoque Beltramino, viro ob excellentem eruditionem & optimos mores omni laude digno adducendo, sed etiam in omni alia re vteris, vt hoc Gymnasium reflorescat, & antiquum suum cultum fere contemptum recipiat.

Possem multa dicere de præclarissimis Viris, Marcello Beringucio, ætatis nostræ præstantissimo Iurisconsulto, ac de Marino Spinello, & aliis plurimis præstantissimis Medicis, necnon de Bernardino Longo, ac Antonio Solisio Philosophis doctissimis, quorum beneficia, & egregia officia sum expertus, perpetuoq; illa in animo habebo, sed quoniam vestram dumtaxat vtilitatẽ studiosissimi iuuenes nunc quæro, ea prætermittenda esse duco.

Aggredior itaque vestra bona gratia Medicinam ab initio, ex meo munere docere, & quoniam duas passim video vigere docendi rationes, ne temere, aut vobis inconsultis, ad quos spectant omnia mea studia, labores, & cogitationes aliquid fiat, pauca primum de hac re dicam.

Quidam enim sunt, qui in antiquorum Medicorum libris nihil superfluum aut diminutum, aut confusum aut re vera falsum, aut alia ratione perperam dictum esse putãt. Itaque medicinam censent illi docendam esse authoritate maiorum, ita vt nihil immutare, aut nostro labore addere nobis liceat: omnia enim rata esse debere, quæ ab illis sunt

tradi-

tradita, in hocque dumtaxat laborandum, vt eorum sensa aperiamus, & inter se dissidentes Authores conciliemus.

Alii vero sunt qui Antiquorum libros legi quidem & enarrari volunt, fatenturque eorum Authores doctissimos viros, quibus similes forte nunquam erunt alii, extitisse, eos tamen humano more errare potuisse, & propterea singula diligenter excutienda esse, nõ omnia recipienda, sed ea duntaxat quæ sunt optima. Alia vero mutanda, & nostro labore ac ingenio, elaboranda perficiendaque.

Vtrumque docendi genus, ego quidem (ni fallor) assequi possum præstantissimi iuuenes, vobisque concedo vt à me requiratis, quod maxime placet, si tamen meum iudicium expectatis, vt æquum est, Præceptorem eligere, quæ sunt præstantiss. & suis auditoribus accommodatiss. Illud sequemur quod postremo loco proposuimus.

Primum quidem quod antiquiss. est illud sit: nam si Platonem, Aristotelem, Hippocratem, Galenum, Auicennam, Auerroem, & alios antiquiores philosophos, & medicos, legamus, inueniemus profecto eos libere contra alios disputasse, nec spectasse quid alii se priores dixissent, sed quid ratio & experientia suaderent.

Nam Aristoteles aduersus Platonem præceptorem suum sæpe disputat, vtrumque sæpe refellit Galenus; Hunc contendunt errasse Auicenna, Auerroes, & multi alii qui hos sunt sequuti, & denique semper liberum fuit, in Philosophia, & Medicina apud maiores nostros dissentire ab aliis, & in medium adferre quod quilibet suo studio, & labore inuenisset.

Quod nobis vt illis cur non liceat facerẽ, nulla lex vnquam vetuit, sed introduxit Barbaries paulo ante nostra tempora, quando nemo vel Latine aut Græce loqui nouerat, ac propemodum extinctæ erant omnes disciplinæ, tantum abest vt intelligi posset, in quo ab aliis esset erratum.

Præterea hæc docendi ratio excitat nostra ingenia, vt quæ ad veri inuestigationem, non autem ad assentiendum singulis rebus sunt comparata; hæc quam diu durauit, tam diu bonæ Artes, & disciplinæ sunt auctæ, desierit autem tunc perfici, quando illa mutata fuit.

Ad hanc quoque nos hortantur maiores nostri, cum fateantur Artes ab vno inchoari, & absolui non posse, sed multorũ labore tandem perfici, hac ratione constant, & indies crescunt aliæ vniuersæ facultates.

Quod si Pictores, statuarii, & alii Artifices non solum spectant, quod à suis Authoribus sit factum, sed quo pacto singula recte fieri debeant, & in hac honesta æmulatione virtute sua enituntur antiquitatem omnem superare, cur nobis non licebit in nostra Medicina cum maioribus nostris de gloria contendere? Præsertim quod in illa nullos authores habeamus, qualis in philosophia extitit Aristoteles.

Nam Hippocrates dumtaxat exigua quædam, & illa quidem rudia & inculta Medicinæ semina nobis reliquit, Galenus dum infinitam librorum multitudinem conscripsit, quorum minimam partem, in tot tantisque voluminibus quæ adhuc extant habemus, & illi vix intra multos annos legi possunt, fatetur que se non omnia diligenter scripsisse, sed quædam in Adolescentia, ad sui exercitationem, alia aduersus suos æmulos, ad contentionem & victoriam potius quam ad veri inuestigationem, alia amicorum quorundam gratia, nullum vnquam opus, vt facile ostendere possem, rescripserit, omnia sparsim, & in locis incertis tradat, ac in singulis vbertate illa Asiatica redundet, nobis profecto nisi omnia ociosi, & plus æquo aliis addicti esse velimus, multa reliquit excogitanda.

Auicenna (vt optime nouistis) morte præuentus opus suum expolire absoluereque nõ potuit, Oribasius vero, Paulus, Aetius, Trallianus, & alii vniuersi Græci, qui Galenum sunt sequuti, si audeo dicere quod sentio, aut Medici non fuerunt, quippe cum integra capita, & etiam libros integros, ex aliis trãscribant, aut certe tales non sunt authores, vt ab illis Medicinam discere possimus, quandoquidem nulla ponunt principia, nullas adhibent probationes, & multas Medicinæ partes intactas prætermittunt.

Ergo in his difficultatibus, laudabimus ne Medicinæ professores? qui solum ea velint docere, & eo modo quo ab aliis hactenus sunt memoriæ prodita.

Ego certe aliter sentiẽdum esse puto, multa enim esse mutanda, multa addenda, plurima resecanda.

Hæc qui dicet nos præstare non posse, Naturam sane accusat, quod paucos dumtaxat homines, olim ediderit omnium bonarum rerum authores, & perfectores, reliquis vero ademerit eum vsum, & vim, quam in aliis vniuersis facultatibus, in nostris sensibus & ingenio, adhuc residere videmus.

Nostro hoc seculo Anatome est aucta, & perfecta, & aliis ignorata, dum nimia credulitate, & superstitione, credebamus Galenũ omnia nouisse.

Sunt & multa alia quæ ego non despero me posse, quod iam forte nõ infeliciter sunt

aggressus, addere illis quæ à maioribus nostris sunt prætermissa, alia lucidiora facere quæ adhuc sunt apud eos obscura, & perplexa, alia resecare, tamquã superuacanea, alia deniq; negligentius explicata, continuo studio expolire, elaborare, melioraque reddere.

Tantoque facilius me id consequuturum sperabo, quod vos felicissimo ingenio natos veritatisque assequẽdæ cupidissimos, & mei studiosissimos, quæ vestra humanitas est, agnosco, ac plurimos audio in hac nobilissima Ciuitate esse, & Professores, & Medicos, qui me ad sui imitationem, ad hãc optimam docendi rationem incitabunt, aut me præeuntem, ea humanitate qua solent vniuersos bonarum artium studiosos amare, aut eo studio, quo veritatem, & virtutem amplectuntur, sequentur.

Quod si forte ea vobis grata nõ erit (quod nulla ratione adduci possum vt credam) eam mihi ipsi reseruabo, & illam sequar, quam à vobis expeti agnoscam.

Vestra enim causa huc sum perductus, vt vestram quæram vtilitatem, & quantum mihi licebit, placere studeam.

Quod si vos studiosi iuuenes me duce, & præceptore Medicinam discere optatis, legemus quidem inprimis Hippocr. & Galenum tanquam præcipuos in hac facultate authores, nec interim contemnemus Auicennam, & alios recentiores Medicos, qui multa etiam vtilia nobis reliquerunt, eos amabimus, & laudabimus omnes qui suo labore, & industria nobis profuerunt, eos tamen agnoscemus fuisse homines, qui errare potuerunt, & nos quoque homines esse, qui nostro ingenio, & studio, possimus agnoscere, quid in illis redũdet, aut deficiat, quid confusum, quid non recte probatum, quid denique ab illis non sit elaboratum, & perfectum.

Iuris interpretes imitabimur, qui docti non putantur, nisi docendo dicant aduersus communem, & receptam iam ab aliis opinionem, alios artifices sequemur, qui de inuentione, & arte, cum antiquitate contendere nituntur.

Hanc amplectemur docendi rationem, quæ in se continet aliorum præcepta, interpretationesque, ac multa alia de suo pollicetur, noua, vera, & maxime vtilia.

Quod si in ea opinione estis, nihil aliud superesse video, nisi vt vobis omnibus, qui honoris mei causa huc venistis, quas nũc possum referam gratias, & rem ipsam crastina die aggrediamur, quod & vobis, & mihi, diu fœlix, faustumque sit.

HERC.

HERCVLES ARGENTERIVS IOHANNIS FILIVS

Ad Lectorem.

Quam male cum iis agatur liberis, qui post iniectam parētibus glebam in lucem prodeunt, norunt omnes: neque quisquam est tam humanitatis expers, qui vicem eorū non doleat, cum quibus subiiciantur periculis animaduertit. An vero meliore conditione sint ii ingeniorum fœtus qui post authorum suorum funera eduntur, eis relinquo iudicandum, qui veterum iuxta ac recentium in quocunque artium & literarum genere posthuma illustrium scriptorum opera cum iis quæ viuentes ipsi peruulgarunt, aliquando contulere. Siue enim absoluta relinquantur ac elimata, siue inchoata tantum, necdum satis expolita: siue in doctas, siue in rudes incidant manus: siue ad suos hæredes, siue ad extraneos iure aut iniuria perueniant, tot vndique emissitiis oculis obsidentur, tot subdolis vnguibus appetuntur, tot circumsistuntur insidiis, vt, nec ipsa si cupiat Salus, ea ex omni parte tueri, ac præstare possit incolumia. Habent suos fucos, atque vtinam non haberent, Musarum aluearia: homines ignauos, qui, cum per se nihil conficere possint egregii, alienos labores conficiunt ipsi ac depascuntur. Habent & cirū... atque intra suas corniculas, suosque gryphes. Hi quales sint, quamque infesti quibusq; paulo cultiorib. scriptis, quid attinet dicere? Verior est quam vulgatior, etsi vulgatissimus, Flaccianus apologus in eos, qui ex alienis pennis sibi alas ad gloriam concinnare nituntur. Ridiculi illi quidem cum furtiuis nudantur coloribus: sed ideo tamen perniciosiores, quod dum ex aliena industria famam sibi colligere callidius moliuntur, integra plerunque nondum edita volumina, vna atque altera detracta splendidiore lacinia, incomparabili Reip. literariæ damno interuertunt ac supprimunt. Taceo plagiariorum fraudem, atque impudentiam, qui genuinos aliorum partus pro suis venditare non erubescunt; magisque his succenseo, qui Arimaspearum volucrium inanem solertiam, peruersamque cupiditatem imitati, omnia derepēte inuolant quæcunque vspiam nitere scripta conspicantur, eaque in abditissimis scriniorum latebris, quasi cuniculis ac specubus tanta improbitate congerunt, & occultant, vt nec sibi, nec aliis vsui esse possint. His porro incommodis si quis domestica furta, bellicas direptiones, ruinas, incendia, cæterosque dominantes rebus in humanis casus adiungat, is certe nihilo posthumis æquiorem libris, quam liberis esse fortunam comperiet. Ac ne longius abeam, ecce tibi, Beneuolentissime Lector, οἴκοθεν μάρτυς, qui rem ita se habere Φιλιάτροις omnibus liquido testatum faciet, simulq; meipsum, quod imprimis nunc ago atque cupio, ab imminutæ pietatis, segniorisq; negligentiæ, quæ dolo proxima iure creditur, suspicione liberabit. Hæ sunt IOANNIS ARGENTERII *immortalis memoriæ parentis mei: Argenterii, inquam illius toto orbe celebratissimi reliquæ de Medicina, in qua suo æuo familiam duxit, commentationes, tandiu ac tantopere à studiosis omnibus, professoribusq; ipsis, irritis perpetuo votis, expetita & expectata; quas tandem aliquando, atque adeo nunc primum in apertum proferimus ac euulgamus. Quis enim Genius tanti viri tam docta, tamque frugifera ac fructuosa monumenta totos triginta tres, ac eo plus annos publicæ vtilitati inuiderit, vix quisquam conicere, ac ne quidem comminisci queat. Illud vero quis credat, ea tanto tempore in cuiusquam musæo abdita sine fraude delitescere potuisse? Delituerunt tamen, ac quod magis mirere, nec mea nec aliena culpa. Quomodo autem id acciderit, quoniam publice interest sciri, meique officii videtur in hoc ipso edēdorum Operum quasi vestibulo palam facere, defungar breuiter, nec multis te morabor. Neque enim hic ad pompam scribimus, aut verbosis præfationibus, quod plerique hodie nedum in nouis editionibus, sed instauratitiis etiam facere solent, muneris nostri, vel paterni laboris commendationem aucupamur. Quantum nanque pater ingenio, quantum mentis acumine ac iudicio valuerit, quantum politioribus literis, quantum Philosophiæ omnis cognitione præstiterit, quantum Medicinæ scientia, quam priuatim & publice professus est, excelluerit, quæ inter manus hominum versantur emissa ab eo iampridem varia, eruditissimaque volumina, me tacente, satis superque declarant. Quibus autem amicitiis floruerit: quo in loco, quoque in honore apud maximos aut sui principes, ac clarissimos quosque tam suæ gentis, quam exterarum nationum viros, habitus fuerit, proœmia, & inscriptiones, seu, quas dedicatorias vocant literæ singulis propemodum tractatibus ac commentariis præfixæ, ita omnium oculis subiiciunt, vt nemini, qui quidem eas inspexerit, vitæ suæ, studiorumque ac actionum rationem obscuram esse patiantur. Annum vix agens vigesimumquintum Bartolomæi fratris videndi desiderio Lugdunum profectus, eiusmodi in vrbe amplissima, eruditionis suæ specimen dedit, tantaque cum dignitate, tamque felici successu medicinam fecit, vt incolis atque aduenis pariter admirationi fuerit, nec, nisi Magni Medici nomine, ab omnibus vsurparetur. Ibi, inter cæteros, artis atque exercitationis collegam habuisse Ioannem Iobertum, doctissimum, quod eius scripta testantur, virū,*

complures ab eo scriptæ epistolæ demonstrant. Sed, cum exacto quinquennio Antuerpiam celeberrimum atque opulentissimum tunc temporis orbis terrarum Emporium se contulisset, ea in ciuitate summam cum Vincentio Lauro, qui postea in Episcopum Montis Regalis ac Romanum Cardinalem euasit, amicitiam cōtraxit, coluitque quamdiu vixit, maxima apud populos omnes, qui eo vndique confluebant doctrinæ fama ac authoritate comparata. Ab illo tempore & amicorum continuis precibus, & amplissimis quæ proponebantur præmiis in Italiam reuocatus, laboriosissimum publice docendæ Medicinæ curriculum ingressus, non modo feruidis, quibus ad omne gloriæ fastigium ferebatur, ingenii rotis inuidiæ remoras ac obices omnes facile superauit sed longe post se spectatissimos quosque qui in eodē puluere nō tam currere, quam præcurrere videbantur summa de sua docendi, atque dicendi subtilitate & facundia, Neapoli primum, deinde Pisis admiratione concitata, reliquit. Qua fama permotus Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ Serenissimus, tunc primum patrio solo atque solio restitutus, cum doctissimos viros vndique conquireret ad eā quam sibi renouandum proposuerat in Monte Regali Academiam, Argenterium imprimis duxit quibuscunque conditionibus aduocandum. Itaque, relicto Hetruriæ Duce, is nihil cunctatus, ac ingenita magis propensione animi, quam spe amplificandæ fortunæ, ad suum se Principem libentissime recepit. Tandem vero translata, ac constituta Augustæ Taurinorum Academia, huc cum reliquis commilitonibus demigrauit: auctaque potius, quam, quod maximis plerunque viris accidere solet, imminuta præsentia fama, ita omniū ordinum, vixdum de facie cognitus, humanitate sua, ac quotidianis officiis promeruit beneuolentiam, vt ei suam ipsi ciues ciuitatem vltro atq; gratuito ob honorem impertierint. Et sane hanc sibi suarum longarum peregrinationum metam cælitus destinatam facile animo prospiciens, vxorem duxit Margaritam ex nobilissima Brolliæ Chariensi familia, eius Caroli Brolliæ sororem, qui nunc sedet huiusce ciuitatis Archiepiscopus, ob singularem morum suauitatem minimeque fucatam vitæ sanctimoniam Principi, Proceribus, ac toti populo mixta gratissimus, vtpote quem omnino omnes talem esse norint, qualem se quisque ea dignitate haberi velit. Ex hoc coniugio, quinque susceptis liberis, me vnicum marem, atque adeo, proh dolor, impuberem tum maxime cum ex nostro, & studiosorum Medicinæ omnium bono superesse debuit, reliquit. Reliquit autem hæredem ex asse: ac tutore tabulis vna cum matre Georgio Argenterio suo ex fratre, nepote adscripto, eidem aduersaria sua omnia, regestasque in chartaceos codices scholas, deniq; schedas suas omnes tradi iussit: atque ex iis velle se typis mandari, eos duntaxat declarauit, quibus summam imposuerat manum, nempe hos ipsos, quos nunc demum exhibemus Commentarios in Aphorismos Hippocratis, & in librum primum ad Glauconem: vtrosque sane genuinos, nec cuiusquā literatoris mangonio interpolatos. Reliquos porro Tractatus De Febribus, & De calore natiuo, quandoquidem diligenter exaratos, & ad colophonem perductos inuenimus, tametsi de iis nihil supremo cauit elogio; tantumque nostro permisit arbitrio, eos nos itidem tuo permittimus libentissime. Commentariorum autem in Aphorismos quatuor fuere cum obiit Sectiones, accuratissime omnes, diuersis licet manibus, exaratæ: sed, heu damnū! Tertia Sectio, omnibus rimis atque vestigiis post patruelis decessum, domi suæ, ac quorundam familiarium, quibus aliquando totum opus dederat vtendum & perlegendum, indagata nusquam inueniri potuit. Vt vel hoc vno exemplo constet, quod initio proponebamus, esse verissimum. Siquidem fideliori custodiæ committi non potuisse certum est: nec cuiquam hominum, nedum mihi, fas sit de eius fide ac probitate dubitare, quem pater vt filium dilexit, colui ego vt patrem, ac ipse Princeps ob perspectissimam fidem atque integritatem honoribus atque beneficiis cumulauit. Quid ergo? Iam vides fati peruersitatem, cernis infortunium; vel potius eorum gryphum perfidiam, qui tantum Thesaurum, sibi profecto futurum inutilem, publicæ vtilitati auerterunt. Sed quando querimoniis parum proficitur, neque hic cuiusquam animum offendere cogitamus, precibus vtemur: eumque quisquis est, & vbicunque gentium, qui hanc Tertiam Sectionem penes se habet, per omnes Musas, perque ipsam ΥΓΙΕΙ'ΑΝ, cuius res agitur, vt eam vel nobis quam primum restituat, vel publicæ vtilitati concedat, rogamus. Tu vero in ea expectatione, Lector humanissime, his Argenterii laboribus eo æquiore animo vtere & fruere, quod nihil in iis additum, detractum, vllave parte immutatum est: quin optima fide expressa tibi dantur omnia; nec si qua longior fortassis mora in his edendis contracta est, tam ad id, quod recessit, quam quod nunc accedit lucrum respicias: neve minus Argenteriis eorumque nomini faueas, quam studiis ipsi tuis ac commodis semper fauere cupierunt.

Elen-

ELENCHVS SINGVLORVM TRACTATVVM, HOC IN opere contentorum.

AVthoris in artem Medicinalem Gal. Comment. I. de Corporibus col. 1.
Eiusdem in artem medicinal. Comment. II. de Signis 167
Eiusdem in artem medicin. Commentar. III. de causis salubribus, &c. 499
Eiusdem in librum I. Aphorismorum Hippocratis commentar. 761.
Eiusdem in librum II. Aphorismorum Hippocratis Commentar. 199
Eiusdem in lib. IV. Aphorismorum Hippocratis Commentar. 1301
Eiusdem de Morbi generibus liber vnus 1411.
Eiusdem de Morborum differentiis lib. vnus. 1461.
Eiusdem de causis morborum liber primus 1487.
Eiusdem de causis vniuscuiusque generis morborum liber secundus 1511.
Eiusdem de causis differentiarum morborum, liber tertius 1549
Eiusdem de generibus & differentiis symptomatum liber 1577
Eiusdem de causis symptomatum liber 599
Eiusdem de temporibus Morborum liber 1655.
Eiusdem de Signis medicis lib. I. 1675.
Eiusdem de Signis demonstratiuis, liber II. 17·3.
Eiusdem de Signis memoratiuis, liber III. 1755.
Eiusdem de Signis Prognosticis, liber IV. 1769.
Eiusdem de Vrinis lib. vnus 1831.
Eiusdem de Officiis Medici, lib. I. 1871
Eiusdem de officiis Medici. lib II. 1899
Eiusdem de somno & vigilia. lib. I. 1955
Eiusdem de somno & vigilia lib. II. 2053
Eiusdem de Consultandi ratione lib. vnus 2099.
Eiusdem de febribus liber vnus 2171.
Eiusdem in lib. Galeni de febrib. ad Glauconem 2321.
Eiusdem, de vi purgantium medicamentorum tractat o 2569.
Eiusdem de Calidi significationibus & calido natiuo. 2573

IOANNIS ARGENTERII IN CLAVDII GALENI PERGAMENI, ARTEM MEDICINALEM COMMENTARII

PRÆFATIO.

IN omni officio duo potissimum spectāda esse arbitror: Primum quid agere expediat; Secundum qua ratione, quę agenda sunt, tractare oporteat. Itaque cum nostrum officium sit docere, videndū, quæ & quot sint à nobis docenda; quaque ratione illa rectè explicare poterimus.

Porrò docendorum numerū intelligemus ex notione finis nobis nunc propositi. Nam cum finis omnia, quæ in eum referuntur, potestate contineat; sit vtiq;, vt ex eius consideratione, & resolutione certus rerum numerus eliciatur, ita vt nihil superfluum, aut diminutum tradi possit. Sic enim Galenus docet, non solum vniuersas medicinæ partes, sed etiam aliarum rerum numerum inuestigandū esse, constituiq; quod ex illis constat.

Igitur cum artem medicinalem Galeni susceperim explanandam: illa autem ex sua inscriptione polliceatur (quod & ipse auctor testatur) vniuersæ medicinæ tractationem, & aliorum omniū librorum, quos ille scripsit, compendiū: cogimur vtiq, in operis huius enarratione omnia attingere, quæ ad medicinam docendam pertinent. Sunt autem hæc in duplici differentia, quædam enim de vniuersa medicina dicuntur: alia verò ad singulas eius partes sunt referenda. Prioris generis hæc sunt, *quodnam fuerit nomen artis medicæ, qui illius inuentores, ex laudandi potissimum autores, quid vnusquisque addiderit, immutauerit, aut aliud quod scire sit necessarium, vel laudabile, præstiterit; quid præterea, & qualis facultas sit, quæ in medicina, quodnam illius subiectum, quis finis eius & quot partes;* Hæc enim vt de vniuersa arte dicuntur, ita si ignorantur, frustra alia, quæ in ea continentur, docere tentabimus.

Artis medicæ vniuersalia.

Cæterum cum operis cuiuscunque explicatio habeat quædam etiam communia: alia vero propria singulis tractationibus, & rebus, quæ in eo docentur, cogimur eadem ratione prius quam ad hæc perueniamus, illa inuenire & exponere. Sunt porrò communia vniuerso operi, quæ προλεγόμενα à Græcis dicuntur: à nobis verò prælectiones haud ineptè vocari possunt: atque hæc quidem plura, aut pauciora poni solent, prout dubia quædam sunt & obscura in quibusdam operibus, in alijs verò nota & perspicua. Sunt tamē decem hæc in vniuersum: *libri author, inscriptio, intentio siue scopus, vtilitas, diuisio, difficultas & facilitas, subiectum operis, dignitas, proportio & comparatio libri propositi cum alijs authoris operibus, ordo, quo vtitur auctor, quemq; sequi vult doctor.* Iam verò docendi ratio fit methodo, cuius vim & vsum nos explicare oportet, ne temerè aliquid docere tentemus. & quoniam etiam de doctrinis Galenus initio huius operis agit. Igitur cum inuenerimus agendū esse de his, quæ ad totam artem, & singulas illius partes pertinent, necnon de illis, quę communia sunt vniuerso operi, & propria his, quę in eo docentur: Ac præterea quærendam esse docendi rationem, & viam, qua illa omnia explicari possint: nunc videndum de quonam ex propositis tractare prius oporteat. Postulat quidem docendi ratio, vt is, qui artem suscipit explicandam, absque operis alicuius enarratione primo loco explicet, quæ communia sunt ceteris, quæ in ipsa arte docentur, ipsi vero medicinę propria. Sed quoniam secundo capite Galenus medicinam definit, & commodè eo loco alia quæ commemorauimus de ea esse enarranda, doceri poterunt, sequemur operis ordinē, cui ex nostro instituto sumus addicti, & primum prælectiones expediemus: deinde de doctrina docendique ratione (quoniam ea de re primo capite agit auctor) disseremus. Postea verò quæ communia sunt arti nostræ, diligentius pertractabimus. Postremò illius & operis partes explanare aggrediemur: habent enim illa eandem tractationem, quoniam in opere docentur, quæ propria sunt arti. Porrò vniuersa προλεγόμενα nonnulli ex interpretibus huius operis (vt Akachias) prætermittūt, idq; temerè, quandoquidem non solum videmus ab omnibus Græcis & Latinis Philosophis, qui aliorum libros enarrāt, ea proponi, & maximo studio ac diligentia doceri: sed etiam rei natura postulat, vt præcedant communia, sequantur vero propria; Addo, quod horum explicatio luculen-

Ordo tractationum.

tiorem & ornatiorē interpretationē reddit, ac lectorē, auditoremq; excitat totq; rebus pręcognitis alacriorē facit ad ea, quę opere continētur, perdiscēda. Alii verò (vt Manardus, & Montanus) pauca duntaxat ex illis attingunt, nec ea quidem suo loco. Nam illi statim ab initio quærunt quodnam sit medicinæ subiectum, & an rectè illa in Theoricen & Practicen diuidatur: quæ nemo cōmodè intelligere potest, qui prius perspectum non habuerit, quid ipsa sit medicina, & quis illius finis. Sed cur hæc passim inculcat & vsq; ad nauseā de illis disputat Mōtanus, reliqua vero longè difficiliora, & vtiliora contemnit? De Galeno mallem (vt Salustius inquit de Carthagine) tacere, quàm pauca dicere; sed quoniā ad id me cogit tractatio, breuiter perstringam, quæ meo instituto sufficere posse arbitror. Duo putātur fuisse Galeni insignes Medici & Philosophi, alter Menodoti filius, qui Introductorium medicinæ, & librum de renum affectibus, & forte etiam multa ex aliis operibus, quę inter Galeni libros spurii censētur esse, cōscripsit. Alter fuit Galenus in Pergamo ciuitate Asiæ minoris natus, patre Nicone, optimo viro, diuite, summo Geometra, Astrologo, Logico, Architecto, & super omnes philosophos admirabili, vt ipsemet Galenus testatur *octauo Methodi, & in lib. de cibis boni & mali succi*, ac in *lib. inscripto de remedio affectuū*: vbi ingenti felicitati sibi ducit, quòd patrē ab omni iracūdia alienū, iustissimū, frugalissimū, humanissimūq; haberet, Matrē verò vsq; adeo iracūdam, vt iam morderet interdum ancillas, & semper clamaret, contenderetq; cum patre, & longè quidem asperius, quam Xantippe illa cum Socrate. Refert idem *in lib. de praecognitione, & nono Methodi*, cū ad philosophiā deduceretur, per euidens somniū patri iniunctū esse vt in medicina quoq; filiū institueret, tāquam Deus aliquis præuideret maximè illius laudē, quā in ea facultate ex tot tātisq; libris sibi cōparauit. Vixit sub Cæsaribus Adriano, Antonino, Marco, & Commodo. Præceptores habuit, vt refert *tertio de locis affectis*, in omni secta doctissimos: Inter quos maximè laudat Satyrū & Pelopē. Puer patris diligēti custodia vixit sanus: etsi interim cū ille in agrū recessisset, inuitatus a suis cōmilitonibus liberalius horæis fructibus sese repleuerit, ita, vt postea adueniēte autumno in tā acutum morbū inciderit, vt sanguinis missione opus habuerit. Agebat tūc 18. annū. Post obitū patris vnà cum æqualib. suis etiā huiusmodi fructib. usus, similiq; morbo conflictatus, rursus eodē remedio adhibito cōualuit: postea singulis ānis, interim vno interposito, vsq; ad vigesimū octauum, morbo corripiebatur: ac cum periculum esset ne abscessus in ea parte decumberet, qua iecur septo transuerso cōmittitur, ab vniuersis fructibus abstinere decreuit, præterquàm ab exactè maturis vuis, & ficubus mediocriter sūptis: *Atque ita*, inquit ille *in libro de cibis boni & mali succi, concoctionis & exercitationis ratione habita, multis iā annis ad hunc vsq; diē nullo morbo obnoxius transegi*, tametsi alibi scribit se ob nimiū litterarum studiū aliquādo in diariā incidisse. Habet etiam *in lib. de locis affectis* se laborasse colico dolore, & deceptū ab initio, an esset in intestinis vel renibus affectus. Propterea fallitur Cornucopia qui illū scribit vsq; ad extremam senectutē sine morbo vixisse. Pedestri itinere sæpè incedebat, vt nono de simplicib. cōmemorat. Corinthum nauigauit, vt Numesianum Quinti discipulū conueniret, petiit quoq; Alexandriā, vt alios Quinti discipulos audiret. Profectus est & in Lemnū, ipsius terrę Lemniæ visendæ causa: idq; bis fecit, cum prima nauigatione nō Lemnū illā, quę terrā à nobis Lemniā dictā profert, appulisset: sed aliā; Romā bis venit, vbi scribit se charū fuisse magnis viris, ob egregiam, quam habebat de Anatome, cognitionem, vt ait *in lib.* quem inscripsit *de propriis libris*: tametsi nostro hoc sæculo extāt qui ostendunt eum humani cadaueris nullam aut exiguam habuisse cognitionem: sed de simiis, suibus, [illegible]ibus, scripta esse, quæ de Anatome extant illius opera. Vix etiam adducor vt credā, eum in magno pretio Romæ fuisse: quippe cum *in lib. de praecognitione, & in Methodo medēdi, alibiq; passim* scribat, doctos Medicos Romæ nō cognosci, nec accersiri, eosq; nō cœnare cū diuitibus, nec multos habere assectas, latronesq; esse Medicos Romæ degētes, tāto deteriores aliis latronibus, quòd hi in mōtibus, illi vero in maxima ciuitate insidiētur, eosq; inter se cōuenire, vt alios exteros nouosq; in ciuitate Medicos, omni ratione turbent, & extrudāt: præsertim quos doctos agnoscūt, quorūq; virtutē formidant. Quod vitiū nūquam deseruit Medicos Romanos, eosdē omnes bonas horas in salutandis & comitandis nobilibus consumere: At cū scribat *in libro de curatione per sanguinis missionem*, se bis in die, ad famulū cuiusdā nobilis, qui in agro laborabat ophthalmia, solitum accedere, & vnicum famulum Romæ habuisse cum pauca supellectile: Ac à quodam Philosopho se persuasum, vt Roma discederet, quod per somnum etiam admonitus, vt refert in *libro de motu musculorum*, nemine salutato protinus fecit: clarum est eum Romæ nōn fuisse in magno pretio. Fuit Galenus vir libero ingenio præditus, vt ostendūt illius opera, in quibus apertè sępè cōtradicit Platoni, Aristoteli, Crysippo, & vniuersis aliis Philosophis, & Medicis: Nec ipsi Hippocrati, quem maximè veneratur, aliquando parcit. Scribit enim *in lib. 2. de simplicib.* se liberum esse, & in tota vita, veritatem omnibus rebus prætulisse. Ac in *libro sexto de morbis vulgaribus commenta. 2.* ita ad verbum habet, *Ego nō solum in Hippocratis scriptis, sed etiam in omnibus antiquorum libris obseruo, vt non temerè, quæ quisque ipsorum dixerit, probem, sed experientia ac ratione, verumne, an falsum sit, quod scripserint, examino.* Seruos verò ac libertinos vocat, qui se alicui scriptori ita addixerunt, vt inconsideratè ac temerè credā, quæ quisque illorum tradidit. Est de hac re eadem sententia *in libro*, quē inscripsit *de propriis libris*, vbi ait, seruos se vocare illos, qui se ūque vel Hippocraticos, vel Praxagoreos, vel ex alio quocūque tandem viro se nominant; eligēda autem esse ex singulis, quæ sunt præstantissima. Inuehitur quoque acerrimè in *lib. 2. Methodi*, contra eos, qui credi sibi volūt, quod aliorum dictis, & authoritate nitantur, Tyrannicam enim esse huiusmodi doctrinam, & contentionis confusionisq; plenam, dum contempta rerū inuestigatione nunc hos, nunc alios testes afferimus ad omnia probanda. Pleni sunt his eius libri ex quib. quilibet facile agnoscere potest a Galeni instituto eos recedere, qui vel Galenicos, vel Hippocraticos

Spurii libri Galenici te inserti eius asseribantur.

Galeni parentes quales fuerunt.

Galeni vita.

Galeni peregrinationes.

Mores Medicorum Romanorum tempore Galeni.

Galeni liberū ingenium.

Serui à Galeno vocati qui.

ticos Medicos se vulgo venditant, & in omni re, A de qua agunt, probationes ex illorum verbis ducunt. *Galenum nõ fuisse laudis gloriæque cupidum.* vt autem cum libero ingenio fuisse agnoscimus, ita scribit *septimo Methodi, & alibi* se laudem & gloriam contempsisse, nec vnquam libris quos scribebat, nomẽ apposuisset: tametsi passim citat nunc hoc, nũc aliud opus, & libros integros scripserit, vbi vniuersos libros, quos edidit, passim enumerat, & ordinem in illis constituit. Scribit præterea *in tertio de locis affectis*, neminem posse se melius quamcunque sectam tueri, Romæque primariis illius vrbis ciuibus, & Imperatoribus ob artis opera clarissimum extitisse, ac medicinam ita vsq; ad senectutem professum, vt neq; curando, neque prætagiendo calumniam vnquam subierit, quam alii celeberrimi Medici effugere nequaquã B potuerunt: *Galeni felicitas.* Addit *in lib.* quem inscripsit *de ordine librorum suorum*, se felicissimũ fuisse, quod sub patre docto Arithmeticam, Logicam, & Grãmaticam didicisset, & postea claris insomniis patris Philosophiam cum medicina coniunxisset, taleq; felicitatem ipse maiorem reddidisse, quod citius meliusque cæteris omnia disceret. Est eadem de hac re *8. Meth.* sententia vbi habet plurimos ex suis condiscipulis sæpe audisse, eum esse excellenti natura, & singulari propter patris liberalitatem eruditione, & ætate ad discendum idonea, cui etiã suppeterent facultates, vnde disciplinis commodè vacare posset. Extant sparsim multi alii loci, quib. ipse multa de se suoque ingenio & fortuna prædicat, & singula egregia sua opera recenset, ac præ- C mia, quæ à Boethio ob curationem vxoris acceperat, narrat: nec omittit, si qui sibi aliquam laudẽ, & gloriam attribuerint, ita vt eum hominem non plane Stoicum fuisse existimare debeamus: Fuit in aliis reicilendis sæpe acrior, videturque voluisse antiquiorum Medicorum memoriã extinguere vno excepto Hippocr. quem forte suæ gloriæ eo quod pauca scripsisset, minimũ obesse posse crederet, cum aliorum dicta, vndequaque arrepta occasione contentiosius persequatur & reprobet vocabulorũ vsum, definitiones, causas, remedia, *Galeni vita.* plurimaque alia ab illis vsurpata, quibus postea vtitur. Quod si vt maximè ingeniosus erat, ac in omni disciplinarum genere exercitatus, sic eam D methodum, quam toties laudat, in scribendo obseruasset, non tot tantosque libros scripsisset, nec idem passim repeteret, nec varia semper de eadẽ re doceret, maiorem profectò gloriam sibi apud præclarissima ingenia peperisset, sed cũ multa negligentius scripserit, pauca elaborauerit, aut ad editionem parauerit, vt ipsemet testatur *in opere de propriis libris*, plurima nobis reliquit excogitanda, perficiendaque. Plus tamen illi debemus, quam reliquis omnibus, qui hactenus de re medica scripserunt. Quo vero ætatis suæ anno, & vbi mortuus sit, asserere nequeo.

Cæterum esse huius autoris opus hoc, constat E ex variis libris ipsius vbi huius aperte meminit, vt *septimo Methodi, & quinto de sanitate tuenda*, vt alios prætermittam: nec mouere nos debet stylus, quo in hoc vtitur: quandoquidem res sibi proposita contractum scribendi genus postulabat. Non- *Operis inscriptio.* nulli ex interpretibus huius operis (vt Menardus & Montanus,) tradunt, duas esse illius inscriptiones; inscribi enim vel artẽ paruam, vel artẽ medicinalẽ; sed nescio qua ratione id asserere possint: nã si codices Græcos consulamus, inueniemus pro-

A fectò omnes vnam, & eandem inscriptionẽ habere, quæ est ἰατρικὴ τέχνη. i. medicinalis ars. Quod si forte recẽtiores Græci aliã fecerunt inscriptionẽ, aut potius in suis operibus μικροτέχνην vocant, quod quidẽ non memini me legisse: aut si nostri interpretes ex versione Arabica artẽ paruã sunt interpretati, hæc nihil faciunt ad verã libri inscriptionẽ, quæ ex libris huius autoris est sumenda. Habet aũt non solum liber hic semper eũdem titulũ, sed cum Gal. illius mentionẽ facit in aliis suis operibus, non alio nomine, quã artis medicæ vtitur. At si quis μικροτέχνην pariter nũcupare velit, non ineptè id facere poterit: Artẽ verò paruã nemo rectè dicet esse: vna enim & eadẽ est ars me- dica, quæ nequit esse aliquando parua, aliquando B magna; Præterea ars parua nõ exprimit vocabulũ Græcũ μικροτέχνην, quod explicari nequit, nisi per circumlocutionem ad hunc modũ, quod in paruo volumine, & paucis verbis vniuersa ars doceatur, quomodo hominẽ μικρόκοσμον dicimus, non quod paruus sit mũdus, sed quod in paruo eius corpore omnia bona, quæ mundus in se continet, cõplecti videatur, ac veluti in parua tabula illa descripta appareant, vel potius, quod verã figurã mundi, vt Solinus scribit, referat, μικροτέχνην vocari potest: At ars parua nequaquã: Vera tamen inscriptio est ars medicinalis, quoniã, vt dixi, ita inscribitur à Gal. & passim in aliis libris, vbi mentio de hoc fit, non alio nomine vtitur. Quapropter halucinatur Montanus, qui docet hanc inscriptionẽ nequaquam C conuenire huic operi: aut certe nimis generalem esse: quippe cum aliis libris (vt ait) conueniat, qui medicinales, & introductorii dicuntur, nã vt omittamus quod hæc repugnent authori, qui huic soli operi hunc titulũ fecit, non sequitur, alios libros dici introductorios, & medicinales: & proinde inscribi posse artes medicinales: nõ enim eo quod sint introductorii, & medicinales, id est, de medicina tractantes, ideo artis medicæ nomẽ illis conuenit, cum artẽ ipsam non doceant, sed partẽ duntaxat artis, cuiusmodi est liber introductorius de pulsibus. Ac si quis dicat, huiusmodi inscriptionẽ conuenire saltem posse libro de constitutione artis, in quo de vniuersa medicina agitur, respondere possum, in eo artem non doceri; sed D modũ, quo ars ipsa constitui possit, vel quod magis proprium titulum acceperit de constitutione artis, vt alio postea opus nequaquam habuerit. Quod si quis magnopere contendere velit; non admodũ inuitus concedam autorẽ potuisse etiam illud opus, artem medicam inscribere, sed quid opus est in ea re laborare, si placuit Gal. illud de cõstitutione artis, hoc vero artẽ medicam inscribere aptissimo vtriq; operi titulo? In vtroque. n. artis nomine vtitur, quoniã de vniuersa arte agitur, & nõ solum de aliqua artis parte, vt in aliis libris. Ab eo vero, quod sibi proposuit faciendũ in vno ad- E didit de constitutione: in alio vero nihil addidit, quod forte vna dictione explicari nõ posset, quod in eo præstat id quod iam docere aggredior.

Curtius, & Montanus putant Gal. in hoc opere vniuersam medicinã perfectissimè, & absolutè velle docere; quod quidem auctori repugnat, qui dicit se solũ capita tradere. Ad hæc docendi ratio, quæ est absoluta, non solum manet in generalissimis capitibus, sed etiã descẽdit ad infimas species, vt Plato, Hippoc. atque adeo ipse Gal. sæpe dicere solent. Præterea, hic non tractat, nec aliquã men- *Intentio fuit semper autoris in hoc opere...*

tionem fecit de medicamentis simplicibus, & compositis, de Anatome, & vix meminit elementorum, humorum, generationis, differentiarũ, & causarum morbi: quorũ absoluta explicatio, magna, & integra volumina postulat. Monachus verò, qui dicit Gal. hic docere velle artẽ confusè, sive (vt aiunt) confusam, longè magis aberrat: nã doctrina, qua hic vtitur autor, est per capita, & conclusiones. Præterea, pcedit à definitionis dissolutione & explicatione, ita vt nihil distinctius reperiatur. Addo, quod ille sibi in hac re repugnet: nam si confusa hic traditur medicina, quomodo potest habere se hic liber ad alios, vt puer ad virum? puer n. ad virũ non se habet vt confusum ad distinctum. At nec probo illorũ sententiam qui arbitrantur Gal. velle hic docere medicinã per capita. Cũ n. autor in hoc opere faciat cũ doctrina definitiua, quod in *lib. de Constitutione artis* cũ resolutiua, vt ex proœmio colligitur, vbi non ex diuersa materia, sed ex diuersa docẽdi ratione illas duas doctrinas inter se distinguit, cõstat profectò, hic eum velle ostẽdere, quo pacto possit medicina per doctrinam definitiuam doceri: quoniam *in lib. de Constitutione*, ait se non medicinam, sed quo modo illa per doctrinam resolutiuã constitui possit, demõstrare velle. Idem licet probare ex tribus locis Gal. qui habẽtur in proœmio, quorũ primus ita habet: *Tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus.* In secundo sic: *Hoc vero loco eã, quæ ex definitionis dissolutione fit, instituimus.* In tertio ita legitur: *Sigillatim totam medicinæ tractationem in multis aliis operibus diligenter conscripsimus, quibus ad tres doctrinas vti licet: verũ eam, quæ definitionis dissolutione fit, nunc aggrediemur: si hic tamẽ etiã addiderimus, nos solum capita, & veluti conclusiones eorũ quæ alibi fusè sunt demõstrata, esse tradituros.* Ex quibus quidẽ patet, Gal. non proponere se primo, & per se medicinã docere velle per capita: sed quo pacto medicina doceri possit per doctrinam definitiuam: quæ plurimum certè inter se differunt, vt multũ refert dicere artem constituere, vel constitutam docere, ab eo, quod est modum ostendere, quo ars constitui potest. Quæ vero de medicina docentur, non ex prima intentione proponit autor, sed tanquam exempla, & materia contenta in definitione, ex cuius explicatione ostendit medicinã posse doceri per doctrinam definitiuam. Eadem profectò ratione, qua *in lib. de Constitutione artis* quæ de medicina docet, affert, vt mõstret vim doctrinæ resolutiuæ. Ergo Gal. in hoc opere primò, & per se instituit docere quod medicina per doctrinam definitiuam tradi possit: per accidens vero proponit se solũ velle capita attingere, quæ quidẽ non sufficerent ad artem ipsam docendã, sed sufficiunt ad docendum vim, & vsum huius doctrinæ. An vero solum capita attingat, (vt ille scribit) suo loco expendemus.

Differentia & proportio huius operis ad alios libros Galeni.

Librum hunc credunt nõnulli ita se habere ad alios libros Galeni, vt vniuersale se habet ad particulare. In hoc enim omnia comprehẽdi, quæ ad medicinam pertinẽt. In aliis vero tractari duntaxat, quæ ad vnam partẽ illius pertinent. Alii verò tradũt eam esse proportionem, quæ est inter imperfectũ, & perfectum, & puerum & virum. Alii verò, vt confusum ad distinctum. Verum omnes istas opiniones primũ generali & communi, deinde propria cõfutatione ita refello: scribit enim

A Galenus, vt antea ostendimus, se velle hic doctrinam definitiuam facere, & cum ea conclusiones quasdã duntaxat tradere: quo fit, vt hic differat ab omnibus aliis eo, quod in hoc doceat modũ, quo medicina tractari potest per doctrinã definitiuã, quod in nullo ex aliis facit, & quod conclusiones & capita rerum hic ponat: alibi vero prolixius de rebus disserat. Et hoc patet in omnibus & singulis ferè Galeni operibus, eo excepto, in quo agit de constitutione artis. in eo. n. conclusiones etiam & capita rerum ferè omniũ, quę hic etiam docentur, explicat. Ergo ab eo libro differet hic docẽdi ratione: quandoquidem in hoc definitiuã doctrinam, in illo resolutiuam sequitur. Materia autẽ in
B vtroq; operẽ eadem statuatur. Qui vero volunt opus id se habere vt vniuersale ad particulare, ratione etiã non carent, si intelligant vniuersas ferè medicinæ partes in eo explicari, quod in aliis non fit, eo tamen etiam excepto, qui agit de constitutione artis. Quòd si intelligant in hoc libro vniuersalia omnia doceri magis, quàm in aliis, falluntur. Nam easdem curandi indicationes hic & in methodo cõmemorat, eosdẽ signorũ fontes hic statuit in cognoscendis partibus affectis, quos in libris de locis affectis, proposuit, eadem genera morborum & symptomatum, easdẽ causas hic & passim alibi recenset, adeo vt hac ratione æquè vniuersalis sit hæc, vt aliorum librorum tractatio.
C Qui vero vt imperfectum ad perfectũ se habere hoc opus volunt, videntur in eam opinionem venisse, quod ignorata illius inscriptione, hic liber esset (vt illi arbitrantur) ars parua: in aliis vero magna contineretur: nisi fortasse hac ratione imperfectum vocare velint, quod illius tractatio singula nequaquam prosequatur, nec probationes adhibeat necessarias: sed solũ capita proponat, quorũ vi reliqua omnia comprehenduntur. Cæterũ non esse eam proportionem, & rationem huius operis ad alia, quæ est confusi ad distinctũ, patet: quandoquidem doctrina, quæ fit per explicationem definitionis, omnia distinguit, & nihil confusum relinquit; nisi vocare velimus, nescio quo
D modo, doctrinam eam cõfusam, quæ in certis capitib. consistens, omnia particularia nequaquam psequitur. Igitur vt rem cõcludamus, hic liber ad omnes Galeni libros simul consideratos ita se habet, vt conclusio ad præmissas, & vt id, quod continet capita, ad ea quæ prolixiorẽ doctrinã continẽt. Ad singulos vero libros Gal. cõparatus differt, quod hic doctrinã definitiuã faciat, quod in nullo ex aliis facit, & quod capita totius ferè medicinæ doceat, quod in nullo alio præterquã *in lib. de Constitutione artis* pręstat. & cum singulis libris comparatus reperietur habere aliquando rationẽ vniuersalis, aliquando imperfecti, aliquãdo perfecti, aliquãdo distincti, aliquãdo elaborati, aliquando negligẽter scripti. Curationẽ. n. morborum vniuersaliter
E psequitur: signa vero, quib. dignoscere possimus tẽperaturas, non solũ generaliter, sed magis particulariter docet, quã in *lib. de temperamentis*, & id etiam perfectius facit. Imperfectè autem & confusè enarrat salubris, & insalubris, & neutri significationes, & latitudines, quod perfectius & distinctius præstat *in lib. sanit. tuenda.* & *in Thrasybulo.* Et hæc quidem de hac re sufficiant.

Triplicẽ ordinẽ explicandũ esse cẽseo. Primũ est, quẽ habet hic inter alios libros Gal. Secundũ, quo vtitur authos: Tertius est ordo rerũ, q tractantur.

In quo ordine hic liber inter Galenicos sit habendus.

Quod ad primum ordinẽ attinet, sunt qui putẽt librum hunc vltimo loco esse legendum: idq; rationibus partim à Galeno assumptis, partim etiã ex aliis rebus: scribit. n. Gal. in proœmio, librum hunc, & doctrinam, quæ hic tractatur, facere ad memoriam. discenda enim sunt prius ea quæ memoriæ mandari debent: idque per tractationem prolixiorẽ, postea in ea capita contrahenda sunt, & memoriæ mandanda. Vt ergo imaginatio, & cogitatio præcedunt memoriam, sic alios libros hunc præcedere debere. Præterea, idem author scribit hunc librum esse aliorum omnium compendium. At nemo ex compendio poterit artem aliquã rectè discere; præcedant n. oportet illi libri, in quib. continetur doctrina amplior, & plena probationib. & demonstrationibus ex illis n. gignitur scientia conclusionum. Postremo aiũt illi Galenũ in omni ferè tractatione se remittere ad alios libros. Ex quo patet, alios, qui lucẽ præbent huic, præponendos, & prius legendos esse.

Alii vero sunt, qui contrarium tenent, vt Mõtanus, Curtius, & Manardus: sed illi inter se differunt. Nã Curtius & Manardus volunt hunc librũ inter introductorios collocari, si modo doctor eum interpretetur, non autem si discipulus præceptoris opera destitutus Galeni libros percurrere velit. Propterea illos errare censent, qui aiunt hunc librũ vltimo editũ, & primo legendũ. Quod enim est compendiũ, & ad memoriam facit, postponendũ esse. Montanus vero absolutè pronunciat librũ istum esse inter introductorios collocandũ: quoniam agit de tota arte. Idem probat Galeni testimonio *in fine huius operis*, vbi recensens Gal. libros, quos composuit, scribit librũ de constitutione, & hunc seorsum esse ab aliis libris, in quibus plenior doctrina explicatur. Ac vt melius possit suã opinionem astruere, distinguit Gal. libros hoc modo, quod quidam nihil ad artẽ pertineant, tractent tamen de rebus, quæ possũt nonnihil conducere ad artẽ. Cuius generis dicit esse *libros de placitis, de demonstratione, de remediis perturbationũ animi, & eum, qui titulũ habet quod animi mores sequãtur tẽperamentum corporis, & eũ, qui inscribitur, quod optimus Medicus sit etiã philosophus, & alios præterea multos*, quorũ pars periit, pars autẽ superest. Alios vero dicit esse, qui artis partes explicant: cuiusmodi sunt *libri de elemẽtis, temperamentis, morbis, & alii plurimi*, sine quibus ars constare nequit: quippe cum sint veluti artis membra. Inter quos ponit etiã quosdã esse introductorios: vt est *liber de pulsib. ad Tyrones* ad vniuersum opus de pulsibus. Alios demum dicit esse libros, qui de tota arte agunt, vt *librum de sectis, de constitutione artis, & hunc* ipsum, de quo agimus, & hos inter introductorios collocandos.

Verum ego vtramq; opinionẽ recipio & coniungendã esse arbitror: esse inquã opus hoc primo, & vltimo legendũ. Nec obstãt rationes eorũ, qui vnã ex partib. Nam ad eos, qui dicunt postremo legendũ, eo quod compẽdiũ sit, adfero, quod eadem rationę introductorius liber de pulsibus, qui cõpendiũ est totius tractationis de pulsibus, quam facit Gal. postponẽdus esset sedecim libris de pulsibus. Nec ignoro quidẽ, cõpendia difficilius intelligi, quã ea volumina, in quib. res eadem prolixius explicatur, & vbi res iam memoriæ est mandanda, tunc cõpendia maxime quæri. Sed vt nihil est, quod possit habere omnes vsus, ita aliã ratione cõpendia ad hæc, quæ cõtinent totius artis capita, sunt inter primos libros legẽda: quoniã subiiciũt omnia, ad quę referre postea debet, quę in aliis libris legit illius facultatis studiosus. Si n. medicinæ studiosus nõ legeret ab initio hunc librũ, forte desperaret se posse vnquã medicinam discere, multitudine librorũ Galeni, & aliorũ Medicorũ deterritus: sed si prius nouerit totã medicinã versari in corporibus, signis, & causis salubrib⁹, insalubrib⁹, & neutris, tũc benè sperabit, & agnoscet legẽdo Galenũ, & alios scriptores, quãdo illi vtilia, vel inutilia tradant. Ergo nihil obstat, quo minus liber iste à rudioribus legatur, etiãsi pręceptore destituantur. Nam præter rationes prædictas facit ad hoc contra Curtiũ, & Manardũ Galeni authoritas, qui cũ ordinat libros suos, legentiũ rationẽ habet, non eorũ, qui à præceptore ea, quæ ipse tradit, sunt percepturi. Nec mouetur, si in libris suis introductoriis multa sint scripta difficilè, quę nequeãt intelligi ab illis, qui adhuc sunt rudiores. Nã (vt diximus) nõ potest res vna omnia habere commoda. Cæterũ inter postremos legẽdus est iste liber, quia veluti cõclusio est, & capitã continet omnia, quæ prolixius alibi à Galeno sũt demõstrata. Ideo quia facit ad memoriam, & cõpendium, prouectiorib. cõuenit. Quia verò vniuersæ medicinæ capita proponit, & exponit summam totius medicinæ ad quã omnia, quæ postea discenda sunt, referri debent, rudioribus confert. Ab omnibus igitur legendus & audiendus.

Ordo & diuisio huius libri.

Cæterũ ordo doctrinæ quo vtitur author, est definitorius, de quo postea suo loco agemus. Tractat aũt primo de corporibus salubrib⁹, insalubribus, & neutris. Secundo de signis eorum. Tertio de causis salubribus, insalubribus, & neutris, quibus omnibus præponit proœmiũ, in quo doctrinam quę: it qua vult vti in opere. Ex quo quidem patet operis diuisio in proœmium, & tractatum, qui tres partes continet, & in eas diuiditur, nẽpe corpora, signa, & causas.

Multiplex operis vtilitas.

Porrò vtilitatẽ huius operis hãc proponit esse Galenus, quod ad compendiũ, & memoriã faciat, ob rationẽ tractationis, & doctrinę, quã in eo vtitur. Ego vero nõ solũ hunc, sed & alios vsus in eo reperio. Non. n. solum ad compendium facit, & memoriam; sed etiam ad reminiscentiã. Est præterea vtilis liber hic, ob rationẽ tractationis, quæ vniuersis medicinæ studiosis accomodatur. Nã rudiorib. ea ratione (vt diximus) vtilis est, quod illis artis capita proponat, ad quę postea referre debẽt, quę in aliis vniuersis libris passim leguntur. Doctioribus aũt ob rationes, quas Galenus affert: quod s. compendium sit totius illius multitudinis librorum, quos ille de arte Medica nobis reliquit, ita vt in eo videre possint medicinæ studiosi vno intuitu, quæ in aliis libris latiùs explicata legerũt. Vnde ad memoriã (vt ille rectè censet) facit. Nam si memoria est (vt inquit Arist.) habitus conseruatiuus imaginum, & phantasmatum, quatenus ad res exteriores referuntur, optima ratione fit, vt quanto pauciores imaginationes fuerint, melius conseruẽtur. At pauciora sunt, quę breuiora sunt, & compendio scripta. Ad hæc si memoria maximè cum meditatione conseruatur (vt Arist. etiam testatur) meditatio aũt nihil aliud sit, q̃ crebra repetitio imaginũ, accidit vtiq; vt faciliùs illorum memoria conseruetur, quæ pauciora sunt: illa n. faciliùs meditari licet. Porrò quod de memoria

Memoria quid.

Memoria quomodo seruetur.

Meditatio quid.

Reminiscentia quomodo fiat.

dictum est, idem de reminiscentia dicendum. Si A
quid. n. è memoria exciderit, propiùs in eam re-
uocabitur, si illud compendiosum sit, & pauca in
se cõtineat, quandoquidem reminiscentia fit pro-
pter affinitatẽ cum imaginatione. Nã si quis Pla-
tonem legentem viderit, excideritque is è memo-
ria, videritq; alium gestantem librum, propter affi-
nitatem promptè libri Platonis, & legentis ipsius
recordabit. Sic sanè hoc opus reminisci faciet eo-
rum, quę in sylua librorum Galeni tanquam in va-
sto, & profundo pelago continẽtur. Ac quemad-
modum optimi Nautæ, intuẽtes tabellam, in qua
depictum orbem habent, suum iter peragunt, ad
illudque redeunt, si quando tempestatibus iactati
à recto cursu aberrauerint: Sic multi confusi pro- B
lixitate, & varietate Galeni; Archetypum in hoc
opere habebunt, ad quod respiciẽtes se ipsos colli-
gent, & quæ inutilia sunt, resecabunt. Addo aliam
4 vtilitatẽ ex scribendi modo. In hoc enim non sunt
digressiones, aut inuectiuæ, aut prolixæ explicati-
ones rerum ad medicinam nequaquam pertinen-
tes, vt fit in aliis Galeni libris: sed omnia vtilia ad fi-
nem medicinæ consequendum pertinentia. Tot
5 enim sunt in eo sententiæ, quot verbã. Est præte-
rea vtilis liber hic ratione eorum, quæ tractantur.
Non enim in eo quædam duntaxat, vt in aliis ope-
ribus; sed vniuersam ferè medicinã complectitur,
docetq;. At simul explicat docendi rationes, qui-
bus non ipsa duntaxat medicina, sed & aliæ facul- C
tates tradi possunt.

Operis difficultas.

Ex quibus quidem innotescit difficultas huius
operis. Est enim difficilè vniuersam medicinã, aut
saltem omnia illius capita, in tam exiguo opere
complecti. Præterea, doctrina, quæ solum capita
attingit, nihilq. probat, sed solum rem proponit,
& narrat, necessariò secum magnas difficultates
trahit. Quod quidem patere potest ex interpreti-
bus, qui plurimũ laborant, & inter se maximè di-
screpant in rationibus reddendis earũ rerum, quæ
ab authore hic proponuntur. Cæterum de operis
subiecto tractabimus postea, cum de medicinæ
subiecto agemus. Nam multa de ea re dicenda
sunt, quæ, ne eadem repetere cogamur, consultò D
ad eum locum, differenda statuo.

De docendi ratione in opere explicãdo necessaria.

Quoniam de doctrina, docendiq; ratione, agit
author in primo capite huius operis, nec omnia
attingit, quæ in hac re sunt necessaria; operęprę-
tium esse duco alia afferre, quæ ab ipso Galeno a-
libi dicũtur. Sic. n. plena, & perfecta redderetur illi-
us tractatio: & nos quod ab initio proposuimus,
præstabimus.

Quinque modi docendi.

Methodus docendi.

Sunt porrò docendi modi & rationes, quibus
maiores nostri, aut nos ipsi vtimur ferè quinque.
Quidam. n. in vtranq; partem de re qualibet di-
1 sputant, nec præterea definiunt vtra vera sit. Qua
quidẽ ratione vsi sunt Academici, sicut Galenus
in lib. de optimo docendi genere memoriæ prodidit. E
2 Alii verò, veluti Historiographi, narrant aliorum
sententias nulla adhibita probatione, cuius gene-
ris nostro tempore sunt Siluius, Axachias, & alii
multi, qui ex aliorum libris numeratis verbis, su-
os conficiunt, vnde quidam ex nostris interroga-
tus, qualesnam professores in Academia totius
orbis (vt vulgus credit) præstantissima inuenisset,
lepidè sanè respondit, se nullos alios potuisse au-
dire doctores, quam grammaticos, omnes. n. grã-
maticam docere: cum Latini, & Græci sermonis
solum rationem habeant, vt qui scilicet ex gram-

A maticorum scholis in artem medicã prosilierint,
& fœdissimè eam conspurcauerint. Alii omnia in 3
quæstiones vertunt, vt Galenus vocat, Logicas.
id est, nihil ad artem discendam conferẽtes, quas
non ex rei natura diluũt, sed scriptorum authori-
tate. Alii verò sunt, qui non solum hac quæstio- 4
naria doctrina vtuntur; sed etiam maximè labo-
rant in scriptoribus inter se conciliandis: quo ge-
nere docendi, proximis seculis ferè omnes do-
ctores sunt vsi, & nunc plurimi in Italia vtuntur: 5
quorũ inane studium alibi dãnauimus. Sunt de-
mum, qui methodo docent: quod quidẽ docen-
di genus, aliis omnibus reiectis, Galenus probat:
vt ex multis locis facilè ostendere possum. Nam
B *in libro*, cui titulum fecit, *an ars tuendæ sanitatis per-
tineat ad medicũ*, ita habet: *Ego de eisdẽ rebus sem-
per assero, nec quicquam tractandum explicandum-
ve suscipio, cum methodum antea non didicerim, &
in ea aliquandiu me exercuerim.* Habet *in primo
Methodi*, quippiam methodo inquirere, & expli-
care, ex aduerso opponi ei, quod est fortuitò te-
mereque idem facere. Scribit etiam *libro sexto de
sanitate tuenda*, doctrinam, quæ methodo vtitur,
tum ad recordationem facilem, tum cõpendia-
riam reddi. Idem *in libro de cura epileptici* inquit:
*Si quis methodo ignara & inexperta, etiã innume-
ra perscripserit documenta; nunquam tamen idoneũ
artificem reddet.* Quam sententiam *in Thrasibulo*
C his verbis luculentiorem reddit. *Qui methodum*
(inquit) *rectè tenet, non amplius infinitis eget, sibi
ipsi omnia inuenire valens. Qui vero eam ignorat,
non agnoscit, an ea infinita perperam dicta sint, &
multorum adhuc propositorum, quæ non audiuit,
inops redditur.* Præterea, *in lib. de constitutione ar-
tis medicæ*, in quo conditiones refert necessarias
ei, qui in aliqua facultate excellere velit, hæc ha-
bet: *Qui in disciplinis excellere vult, methodũ quan-
dam perdiscere debet, qua, quod in ea quærit, inue-
nire possit: & non solum methodum habere, sed illam
exercere debet.* Sunt alii propemodum infiniti loci
apud Galenum, quibus methodum docendi ex-
tollit, ita vt sine ea nihil rectè inueniri, doceri,
D & constitui possit. Quapropter videndum est,
quid sit huiusmodi methodus, & quibus constet
& perficiatur. Scribit autem Quintilianus,
methodum esse *breue compendium*. Cicero verò
viam, artem, rationemque interpretatur. Galenus
autem *textu vigesimo, tertii Commentarii in sextum
librum de morbis vulgaribus, Id*, inquit, *quod poste-
riores Hippocrate methodum appellauerunt, alii
ante illum viam rectam vocarunt.* Definit autem
methodum esse, ex qua rectè inuentorum, & fa-
ctorum in artibus approbatio est; non rectè au-
tem se habentium redargutio. At *quarto metho-
di medendi* inquit: *Methodus via est quædam v-
tilis, omnibus particularibus communis.* Eustratius
E *in primum caput primi Ethicorum* ait: *Methodus
viaque docendi, est habitus, qui cum ratione progre-
ditur.* At si quis vocabuli etymologiam spectet,
clarius fortasse definiet vt Cicero. Nihil n. aliud
est methodus, quàm *via, ars, & ratio agendi quid-
piam*, eo quod μεθ' ὁδὸν, id est, cum via fiat, ex hac. n.
generali interpretatione supradictæ definitiones
eliciuntur. Qui n enim viam rectam seruat, & ra-
tionem in rebus tractandis, breuiter assequitur,
quod vult, ideo *breue compendium* dicitur. Sic qui
rectè incedit in rebus tractandis, rectè inuenta
probare, & redarguere, quæ rectè non se habent,
potest.

Methodũ in omnibus artibus & scientiis esse necessariam.

Methodus quid.

potest. Rursus, quoniam qui docet, rectè ab vniuersalibus ad particularia procedit: ideò via vtilis omnibus particularibus communis, *methodus*, dicta est. Ex hac ergo generali interpretatione, varias methodi definitiones rei propositæ cōuenientes elicere licebit. Qui n. rei inuentioni studet, methodum definiet esse viam, siue rationem inueniendi. Qui docet, docendi rationem; Qui discit, discendi. Ergo cū nos methodū quæramus ad docendum, definiemus eā esse docēdi rationē, seu viam, vel artē docēdi. Sed iam videamus quibus constet, aut comparari possit huiusmodi recta via & methodus, de qua re colligere etiam oportet, quæ Galenus sparsim de hac re tradit. Scribit ergo *in primo methodi*, eos methodo tradere aliquid, qui cum via quadam, & ordine res ita explicant, vt aliquid primū constituatur: deinde aliquid secundū: atq. ita deinceps, donec ad id, quod ab initio est propositū, sit peruentū. *Eodē* etiā *loco* hoc scribit, *Qui vult aliquid methodo tradere, necesse est eū ab initio, quid quoq. nomine, quo vsurus est, significetur, demonstrare: Postea verò definiendū est id, cuius naturam quærimus, deinde diuidendum, si multas habeat partes: Postremo vniuscuiusq. partis proprietates explicandæ.* Eadem etiam scribit *in initio Commētary in lib. de natura humana*, vbi Platonē hanc methodū in docendis rebus mutuasse ab Hippocrate refert. Methodo igitur docet, qui nomina primò obscuriora explicat, deinde definitione circūscribit, posteà diuidit vsque ad infimas species, postremò vniuscuiusque rei proprietates explicat. Hęc est illa methodus tātopere à Galeno laudata: quę si omnia cōprehēderet necessaria ad bene docendū, multo maiorē laudem mereretur. Verū cum multa relinquat longe vtiliora illis, quę cōprehendit, est quod per se quærat eius laudes, cum iam perfecta erit & absoluta. Non enim sufficit nomina exponere, res definire, diuidere, & illius proprietates explicare; sed etiā causas illarū, & effectus sępè docere conuenit. Ad hęc, non docet hęc methodus, quo genere probationū sit vtendū in singulis rebus docendis. Pręterea, potest solum cōuenire methodus singularibus rebus explicādis, nō autē accommodari artibus vniuersis inueniēdis, constituēdis, & docēdis: quemadmodum ex proœmio huius operis patebit. Ac vt vno verbo dicā, huiusmodi methodus, tam exilia continet præcepta, tot, & tāta relinquit: vt ea tantam vim habere nequeat, quam Galenus ei tribuit; Quod ea (inquā) sufficiat ad omnia docēda, temerè sine ea, & cum ea omnia rectè doceri. Quapropter videndū est, num quid melius in hac re tradi possit, sumpto hic exordio. Cum omnis docēdi ratio pręcepta requirat in illis rebus, in quibus contingit errare: necesse est, vt ea expendamus, quę cū obseruātur, perfectā rerum doctrinā reddūt. Itaq; re proposita, quā docere volumus, cōstat primum
1. vidēdum quid sit probandū quid verò non. Neque n. omnia probāda sunt: & quæ probationē postulant, si illa omittatur, docēdi ratio inepta redditur. Quo pacto videmus nostro hoc seculo plurimos in docēdo hallucinari, dum ea, quę notissima sunt, demōstrare studēt, nullāq; adhibēt probationem atq; lucē rebus suapte natura obscuris. Sunt autē ea probāda, quę in ea tractatione vel sunt ignota: aut ex alia nō ponūtur, tanquā nota. Quod quidē Aristoteles planè ostēdit, cum ait, omnē doctrinā

Methodus quibus constet.

Docendi ratio quid postulet.

Quæ in qualibet tractatione sint probāda & quæ non.

A

B

fieri ex præcedente cognitione: tanquam non sint omnia probāda: sed quædā, vel suaptè natura, vel ex aliis facultatibus ponēda tanquam nota. Secun- 2.
dum verò, quod postulat docēdi ratio, est, vt intelligamus quib. instrumētis singula docere possim⁹. In quo quidem nihil hoc nostro seculo est sanum, omnia enim sunt cōtaminata, omnesq; recedimus ab antiqua, & vera docēdi ratione, quippe cum omnes probationes ab antiquorū verbis & sentētiis ducamus, Pythagoricos ab omnibus damnatos imitātes: spectamus n. in rebus probādis non quid ratio, & sensus nostri, quos natura nobis ad rerum cognitionē dedit, docere possint; sed quid Aristoteles, Galenus, & (q. deterius est) quilibet alius de ea re scripserit, illorū sētentias colligimus, & libros nostros cōsarcim⁹, & detestāda temeritate edim⁹, laboramus præter modū in authoribus conciliandis, quod nullus vnquā ex præstātissimis authorib. fecit. Et dū aliorū iudicio viuimus, ostēdimus nos non homines, sed bestias esse. Ac cum aliis leuiter credimus, ridiculos nos præbemus: naturam nostram non agnoscimus, torpescunt naturæ instrumenta, & artes facultatesque vniuersæ (dum putamus stulta quadam, & superstitiosa opinione, omnia ab antiquis inuenta & bene tradita) sepultæ manent, nullumque incrementum suscipiunt. Ac vtinam cum in his tempus conterimus, agnosceremus, instrumenta necessaria ad facultates tractandas, nequaquam esse explicata à maioribus nostris. Atque posteà honesto labore & laudabili contentione aggrederemur illorum numerum, & vim docere. Tradunt enim Aristotelis interpretes vniuersa instrumenta, quibus ad docendum vtimur, quatuor esse, nempe methodum siue viam diuisiuam, resolutiuam, definitiuam, & demonstratiuam. His plures esse non posse Eustratius *in proœmio secundi posteriorum* ad hunc modum probare nititur: *Aut enim* (inquit) *substantias scire volumus, aut quæ substantias sequuntur: Ad substantias definitiua vtimur: Ex significatiuis verò rationibus ipsius quid est esse, notitiam sequentium inuenientes, demonstratiuam in talium probationem accipimus. Quoniam autem opus est materia in definitiua ad effectiuum perfectionem, eam subministrant diuisio, & resolutio. cum enim definitiones fiāt aut eorum, quæ specialissima sunt, aut subalterna, vel à superioribus, vel ab inferioribus has venamur, id est, vel à posterioribus, vel à prioribus: A prioribus quidem diuisione vtimur, à posterioribus resolutione.* Hactenus Eustratius, quibus verbis confusè prolatis, non efficit, quod quidem credunt Manardus, & Montanus. Non enim hic de omnibus instrumentis, quibus ad docendum vtimur, ipse agit, sed, vt in dictione eius apparet, de communibus seruientibus scientiæ. Particularia enim instrumenta plura sunt. Nam & qui syllogismo dialectico aliquid probat, aut inductione, aut exemplo, & denique per aliam probationem à sensibus vel intellectu ductam, docet quidem: at non id per vnum ex illis quatuor instrumentis. Quare malè illi instrumenta inuestigantes, quibus ad docendum vtimur, ea solum enumerant, quibus scientiæ vtuntur. nec aliquis hactenus ex illis conatus est explicare perfectum horum instrumentorum numerum: nec facilè quidem est id facere: Nos autem vtrumque conabimur id præstare, vt viam saltem in-

Docendi instrumenta quot.

C

D

E

dicemus logicis, quorũ officiũ est hæc enarrare, aut aliis, qui hæc tractare velint, in maiore otio, quam nobis suppetat, sumpto ex rei natura principio ad hunc modũ. *Omne, quod docere volumus, vel sensibile omnino est, vel intelligibile; vel partim sensibile, partim intelligibile. Porrò si sensibile sit, solo sensu, tãquam instrumento ad docendum, discendũq́, vtemur.* Si quis enim docere velit, cuius coloris sit lac, nõ melius docere poterit, quam si illud oculis spectandum subijciat. *Si verò intelligibile sit id, cuius cognitionem quærimus, aut ex illis est, quæ intellectui statim sunt nota*, vt dignitates; *vel ex his, quæ non talia sunt. Si primi generis fuerint, solo intellectu vtimur*, nisi qui rudior est, & parum ingenio valet, sensus etiam requirat: veluti si quis fortè non percipiat totum esse maius sua parte, aut lineas omnes ductas à centro ad circumferentiá æquales esse, inductione facta per singularia docendus est. *At si primi illius generis res non sit, requiratque lucem aliquam: vt diuersa sunt, quæ docere volumus: ita & diuersa instrumenta sunt necessaria.* Nam si artis constitutionem docere velimus, resolutiua methodo vtendum; si componere, compositiua; si per capita docere, definitiua, vel diuisiua; si autem rei essentiam scire velimus, definitio adhibenda est. Si quod multiplex, diuidere constituimus, diuisione vtendũ. Si quod particulare est, ad vniuersale reuocare placet, aut finem in sua principia, aut aliud denique, quod ab alio ducitur, ad suam originem deducere, resolutio commodè id facit. At si aliquid alicui inesse docendum est, si quidem illud particulare fuerit, ducto argumento ab vniuersali, per exemplum, vel syllogismũ assequemur quod quærimus. Si verò vniuersale extiterit, vt cùm proprietates de rebus probare volumus, si per necessaria fiat probatio, demõstratio vocabitur. Si per probabilia, dialecticus syllogismus; si per apparentia, sophisticus. Cæterum si probare velimus aliquid esse in ipso vniuersali, non solum quidem per syllogismum, vel exemplum, sed etiam per inductionem & enthymema id faciemus. Particulare quoque ex particulari colligimus per epilogismum. At si neque sensu, nec ratione id, cuius cognitionem quærimus, adhuc percipere liceat, experientia aliorum vtendum, credendumque his, qui earum rerum naturam, & vim se perspectam habere referunt. Vnde cõstat, plura esse instrumenta docendi, quàm quatuor; sunt enim sensus, intellectus, resolutiua, cõpositiua, definitiua, diuisiua doctrina, resolutio, compositio, diuisio, syllogismus demõstratiuus, dialecticus, sophisticus, enthymema, inductio, exemplum, epilogismus. Quibus addi possunt analogismus, & (vt diximus) experientia, authoritas, testimoniumque illorum, quos vera tradidisse arbitramur.

Probandi modi quot.

Est quoque materia multiplex, ex qua argumenta, & probationes petũtur. Nam ab his, quæ sunt de essẽtia rei, aut causæ, aut effectus rerũ aut proportionem aliquam habẽt cum rebus, de quibus agimus, & à locis dialecticis argumenta petenda. Igitur qui rectè docet, debet propria adhibere instrumẽta, nec vnum pro alio sumere, vt diuisionem pro definitione, & prætereà ab idoneis rebus argumẽta petere, ad id probandum, quod volumus. Vbi enim ratione, aut sensib. aliquid probãdum est, temerè ab aliorũ authoritate argumẽta sumemus, quàm requirat id, de quo agimus. Quædã enim sufficit probare sensu, alia ratione, alia authoritate, alia vero hęc omnia desiderant.

Materia, ex qua sumuntur argumenta & probationes.

Est quoq; obseruãda in docendo qualitas doctrinæ. Quædã n. exactè docere oportet, qualia sunt, quæ proprii sũt instituti: alia sufficit leuiter attingere, vt ea, quæ sunt alterius tractationis.

Qualitas doctrinæ.

Requirit etiã methodus modũ docendi. Nam quædã prolixè, alia breuiter, alia simul, alia diuisim sunt explicanda. Plurimũ etiã refert scire, quo loco singula sint docẽda. neq; enim omnia passĩ, quod à nõnullis fieri videmus, sunt tractanda.

Modus docendi.

Postremò postulat Methodus ordinẽ in docendo, quando quidẽ plurimũ refert de qua re primũ, aut deinceps agere incipiat, qui docet. Hæc omnia requiri ad bonã docendi rationẽ ostendit rei natura, & tractatio Arist. Theophrasti & Euclidis, quos ferè solũ bene docuisse puto: nec non errores eorũ qui, malè docẽt, eò q̃ in aliquo ex prædictis aberrẽt: inter quos, si quis alius, est Galenus, qui cum omnes damnet, quòd methodo non vtantur, ille solo nomine methodi contẽtus esse videtur.

Ordo in docendo.

Aristotelis, Theophrasti & Euclidis laus in docendo.

Galenum methodicè nõ docuisse.

CAP. I.

Τρεῖς εἰσὶν αἱ πᾶσαι διδασκαλίαι.

Tres sunt omnes doctrinæ.

Hic liber duas partes continet, vt antea annotauimus, fatenturque omnes interpretes, præfationem, & tractationem. Est autem hoc primum caput præfatio, cum in eo præfationis conditiones ab omnibus facilè dignosci possint. Nã auditorem attẽtum, docilem, & beneuolum reddit, id quod facit, dum proponit finem, quæq; vtilia sunt & digna tractatione. Proponit enim se tradere velle medicinam per doctrinam definitiuam: quod quidem vtilissimum & dignum docet ex proprietatibus, quas huic doctrinæ tribuit. Sed quoniam alię sunt doctrinę, quę etiam medicinam, & alias facultates ordine explicare possũt; antequam institutum proponat, quot sint in vniuersum omnes huiusmodi doctrinæ recenset. Et docet quæ, & quales sint, ex quibus postea elicit eam, de qua agere instituit: ac eius vim, & dotes, quas præ cæteris habet, ostendit: vt illius vi, dignitate & vtilitate perspecta, accẽdamur ad huius operis cognitionem. Porro procœmio vtitur ob rei difficultatem & nouitatem, quam aggreditur, in quibus casibus Arist. *lib. 3. cap. 24. Rhetor. ad Theodecten* procœmio vtendum esse scribit. Itaque cum difficile esset vniuersam medicinam vno breuissimo opere comprehendere, & simul docere modum, quo illa vno, & certo ordine explicari posset, q̃ nemo antea pro dignitate præstitit: meritò prœmio vtendum sibi fuit. Nunc videndum, quid doctrina, quotq́; modis illius nomen vsurpetur, quot genera doctrinæ, quid per doctrinas ordini inhærentes intelligat, quæ, & quot sint istæ doctrinæ, an tres duntaxat, vt author censet, an plures: postremò quid proprium vnaquæque illarum habeat, & quid cum alijs cõmune. Igitur doctrinæ nomen aliquando intelligitur pro actu ipsius doctoris, siue pro doctione, & emanatione habitus intellectus in discipulum, qui quidẽ significatus maximè proprius est, & in eo Arist. *1. posteriorũ* (teste Iohanne Gram. & Themistio) ait, omnẽ doctrinã fieri ex aliqua præcedẽte cognitione. 1. Significat & doctrina habitũ ipsius 2.

Procœmiis quando & in quibus casibus vtendum.

Doctrinæ nomen quid significet.

ſum animæ, qui actum ipſum profert: cum dici- A
mus, aliquẽ doctrina excellere, inſigniq. doctri-
na præditum, doctorẽ, & doctũ, qui ſcilicet habi-
tũ habet, quo docere poteſt. Doctrina etiã me-
3. thodum ſignificat: Quo modo Peripatetici qua-
tuor doctrinas eſſe dixerũt, definitiuam, diuiſiuã,
4. reſolutiuam. & demõſtratiuã. Capitur doctrina
aliquando pro docẽdi modo, quẽ tenemus in ſcri
benda, tradẽdaq; aliqua arte: vt cum dicimus, ali-
quẽ ſeruare optimã doctrinam, id eſt, optimũ do-
5. cendi modum. Sumitur & doctrina pro docendi
ordine: vt cum optimam doctrinam laudamus, &
eſſe dicimus, eo, quod ordinẽ in docendo ſeruet,
etſi interim in aliis aberret. Hactenus recentiores
interpretes, vt Manardus, Curtius (vt alios paulò
antiquiores & parum doctos omittam) putaue- B
runt per doctrinam authorem hic intelligere do-
cẽdi modum, & ordinẽ, quo vtimur in arte aliqua
ſcribẽda, aut viua voce docenda. Tres. n. eſſe mo-
dos, ſiue vias, per quas id facere certo ordine poſ-
ſimus. Qua quidem in re errare vidẽtur: ſi. n. pro
actu docẽtis doctrina hic aptè intelligi poteſt, cur
accidentarias illius ſignificationes, propria & ma-
ximè genuina relicta, ſumemus? Nã docere eſt a-
gere: quare actio docẽtis eſt ipſa re vera doctrina,
optimèq. ſentiet, qui dicet, tres eſſe oẽs actùs do-
centis, ſiue tres eſſe traditiones, & explicationes,
quæ ordine certo id, quod quærimus docere poſ-
ſunt. Prætereà nõ explicant illi, qui .l. per modum,
& viã intelligant. Igitur cũ propria ſignificatio do-
ctrinæ hic retineri poſſit, dicemus doctrinã eſſe i- C
pſum actũ docentis, qui fit voce vel ſcripto. His n.
modis conceptũ animi exprimere poſſumus: non
quod ipſa locutio, aut ſcriptura doctrina ſit: vt q-
dam perperam exiſtimant. Sic. n. qui nos peregri-
na, & ignota lingua alloquũtur, docerẽt: ſed quod
(vt diximus) per notas, voces, & ſcripturas com-
municent conceptus, & res. Nihil. n. aliud eſt do-
ctrina, quã conceptuũ, & rerũ cõmunicatio: quas
doctor intelligit, & aliis impartiri vult. Quæ qui-
dem communicatio etſi voce, ſcriptura, nutu, &
animi paſſionibus exprimitur, tamẽ ad artes do-
cendas, ſcriptura, aut loquela vtimur. Porrò hu-
iuſmodi actus & doctrina requirit (vt antea di-
ximus) alias omnes doctrinæ ſignificationes. Nã D
eũ, qui docet, oportet habere habitũ docẽdi, mo-
dũ, ordinẽ, inſtrumẽta, & alia vniuerſa, quæ ſupe-
rius commemorauimus, cũ de docendi methodo
ageremꝰ. Iam vero ſi doctrina eſt actus docentis,
tot erunt doctrinarũ, quot erunt genera actuũ.
Sunt. n. actus quidã vniuerſales q ad vniuerſã artẽ
docendã pertinent, alii particulares, alii confuſi,
alii diſtincti, alii faciles, alii difficiles, alii ordinati,
alii inordinati, alii demonſtratiui, alii probabiles,
alii dũtaxat apparẽtes. alii aliter ſe habent: ſic do-
ctrinæ quędã vniuerſales ſunt, aliæ ad proportio-
nem actuũ aliter ſe habent. Sumẽtur aũt omnes
differẽtiæ, partim à differẽtia ipſorum actuũ, par-
tim à differentia rerũ, quæ docẽtur, partim à dif- E
ferẽtia inſtrumẽtorũ quibus ad docendũ vtimur.
Hic autẽ de doctrina vniuerſali agit, vt quę cõue-
niat inſtituto: nam de vniuerſa arte, & doctri-
na apta ad illius traditionem agit Galenus. Quare
de demonſtratione, diuiſione, aut definitione in-
telligi non poteſt, quod ſcribit author, vt Mona-
chus, & alii multi interpretes memoriæ prodide-
rũt. Agit prætereà de doctrina ordinata, nõ de in-
ordinata, quemadmodum verba indicãt. Nec ve-

Doctrina quid & quibus modis fiat.

Doctrinæ genera.

De qua doctrina agat author.

rò hic agit de doctrina, quę fit per cauſas, vt Montanus credit. Nam doctrina definitiua non incipit à definitione, tamquã à cauſa, nec reſolutiua à fine, tanquam à finali cauſa, nec cõpoſitiua à principijs, vt à cauſa. Deinde ſibi in hac re Montanus contradicit: quippe cum dicat hic doctrinam ſumi pro illa, quæ facit ad vniuerſam artem docendam. At illa, quæ fit per cauſam, eſt particularis. An verò tres ſint duntaxat hæ doctrinæ, poſtea expendemus cum ſingulas enumerauerimus.

Montanus refellitur.

Τάξεως ἐχόμεναι.

Ordinis inhærentes.

Quid ſit ordo, & quotuplex, & de quo hic intelligat, quid prætereà ſit doctrinas inhærere ordini, iam ſequitur explicandũ. Porrò ordo eſt *proportio, & ratio in rebus*, vt Ariſt. *8. Phyſ.* ſcribit, verum nõ omnis proportio, & ratio, ſed ea ſolum, quæ prioris, & poſterioris eſt, ordo dici debet. ꝓpterea rectè Gal. *in lib. de diff. pulſuum* ordinẽ dicit eſſe ad aliquid: nimirum cũ ordo nihil aliud ſit, quàm *prioris ad poſterius, vel huius ad illud relatio, & ratio.* Ac quantum ordo poſſit in rebus, oſtendit Plato *in Gorgia*, cum dicit ordinem eſſe rerum eſſentiam, nimirũ cum ſine ordine nec mundus, nec ea, quæ in eo ſunt, cõſtare poſſint. Igitur vt in rebus natura cõſtantib. ordo apparet: ſic in omni artificio, & proinde in docendo ordinem aptum obſeruare debemus. Eſt autẽ ordo duplex, quidã .n. accidentalis eſt, alius eſſentialis. Eſt autẽ accidẽtalis ordo, qui fit temerè, .i. quando nõ habetur certa ratio prioris, & poſterioris: ſed caſu aliquid ſequitur aliud: quo ordine ſũt ſcripti Aphoriſmi. Infiniti ſũt ordines accidẽtales in docẽdo: quippe cũ intellectus noſter vario, & infinito modo ſuas cogitationes ordinare poſſit. Qua quidẽ in re malè Montanus cenſet leges, & hiſtorias ſcriptas eſſe ordinẽ accidentali, cum illi certã rationẽ habeant prioris, & poſterioris. At ordo eſſẽtialis eſt, qui in ea doctrina primo proponit, quę ſunt proponẽda ꝓ ratione ſuę tractationis, & facultatis, vt Hiſtoriographi primo cõſilia aperiũt: & poſtea res geſtas, ex quo ordinem capit hiſtoria. Ac Iuriſperiti à iure & iuſtitia, tractationẽ auſpicantur; & ab illis caſus, qui in rebus humanis contingunt, deducũt tanquam à certis ſuis principiis. Cæterum ſciẽtiæ ordinem naturæ reuera ſequi debent: quoniam illam enarrant, id quod rectè non facerent, ſi naturæ ordinem non exprimerent. Aliud enim eſt ſuaptè natura ſimplex, quod ad compoſitum ordinatur: aliud cauſa, quod ad effectũ: aliud principium, quod ad ea, quæ ex principiis oriũtur: cogimur tamẽ naturę ordinẽ inuertere, propter debilitatem noſtri intellectus, qui nequit ea, quę ſuaptè natura ſunt nota, & pręponenda, intelligere: vnde cogimur ſenſus ſequi, & ab illorum cognitione exordiri: vt à compoſitis ad ſimplicia; ab effectis ad cauſas; à principiatis ad principia. Qui ordo eſſentialis quidem eſt, quia per illum fit optima & certa doctrina, tametſi non eſt naturæ ordo. Ac ſcientię quidem nunc vno, nunc alio ordine vtuntur pro intelligentia eorum, quæ docentur; proponunt enim authores, quæ facilius intelligi, & ſequentibus lucem afferre poſſunt.

Ordo quid.

Ordinis vis.

Ordinis differentia.

Montani opinio confutatur.

Inhærentes doctrinas ordini, qui Græcè neſciunt, malè interpretantur: nam Curtius intelligit doctrinas, inter ſe continentes ordinem, ita vt talis ſit ſenſus. Tres ſunt omnes doctrinæ, quæ talem inter ſe habent ordinem, vt vna ſit prima,

Curtii opinio de inhærentia doctrinarum.

alia secunda, alia tertia, cuius quidem opinio facile refelli potest. Nam si ordinem inter doctrinas intelligere voluisset Galenus, necessario addidisset, πρὸς ἀλλήλας, i. *mutuo, & inter se*: vt enim Latinè nemo intelligeret ordinem inter illas esse, si quis diceret, tres esse doctrinas ordinem habentes, nisi adderet *inter se*, vel aliquid simile: ita nec Græce intelligi potest huiusmodi ordo, nisi addatur aliquid, quod eum exprimat. Deinde vt Galenus scribit *in Commentario primi Aphorismi lib. primi*, procemium libri oportet consentire, & cohærere cum his, quæ in lib. traduntur. At quorsum quæso hic, vbi definitiuam doctrinã tradere vult, de hac habitudine doctrinarũ egisset? Quid enim vtilitatis & conuenientię fuisset cum suo instituto opere, si dixisset tres doctrinas esse ordinẽ quendam inter se obtinentes? cũ ipse hic quærat ordinem, quem sequi possimus in arte aliqua docenda? præterea si ordo hic doctrinarum essentialis esset, ita vt illæ separari nequeant: nec aliqua ars tradi, nisi primo per resolutionem modus inuentionis artis doceatur, artisque ipsius partes inueniantur, deinde per compositiuam prolixe explicentur, postremò per definitiuam, veluti per capita ad memoriam iuuandam omnia colligenda sint: sequeretur Aristotelem nec Logicam, nec Philosophiã bene docuisse, vtpote qui doctrinas, quæ sibi connexæ sunt, separasset, & sola compositiua vsus esset. Neque vero illud, quo Curtius tueri vult suam interpretationẽ, locum habet, quod s. Galenus, cũ ordinat libros suos ad doctrinam cõpositiuã faciendam, quosdã, ex illis lectoris arbitrio relinquat: tanquã ordo non intelligatur necessarius in his, quę tractãtur in singulis doctrinis.

Galenus qua ratione ordinet suos libros.

Nam Gal. non ordinat libros suos ad doctrinam compositiuam instituendam, sed ad faciliorẽ doctrinã, ita vt priores aliis lucem afferant. Id quod satis ostendit ipse in hoc procemio, cum ait, nos vti posse ad tres istas doctrinas omnibus suis libris, quasi in illis vna nõ sit doctrina, vt ille arbitratur, compositiua. Quod verò idem dicit Paulum, Aetium, Auerrhoem, & Auicennam, qui per doctrinam compositiuam medicinam tradiderunt, diuerso ordine processisse, nos Paulum, & Aetium, medicinã scripsisse ordine compositiuo negamus; vt qui medicinæ vnam duntaxat partem, quæ agit de morbis, & illorũ remediis; aut certe nõ vniuersam artem scripserint: Auerrhoes autẽ, & Auicenna, secuti quidem sunt ordinem, & doctrinã compositiuam: etsi in particularibus quibusdam differant. Nam in re tam ampla & varia, qualis est medicina, particulæ quædã variare possunt: ordo tamẽ compositorius seruatur, si in præcipuis capitib. & partibus authores cõueniãt. Ergo explodẽda est Curtii opinio de ordine doctrinarum *inter se*: nam sola compositiua necessaria est doctrina ad artes tradendas: Resolutiuam autem satis est, si author in se habeat: definitiua vero necessaria non est ei, qui diligenter compositiuã fecerit; nec ita prolixitati indulserit, vt compendio postea, & (vt ita dicam) recapitulatione ac per doctrinam definitiuam egeat. Nam quis non videt in Aristotele, Theophrasto, Euclide, Ptolemæo, optimis scriptoribus, superfluam fore doctrinam definitiuã? *Igitur intelligere oportet ordinẽ, quem habẽt res, quæ per singulas ex his doctrinis tractãtur. Ita vt talis sit sensus. Tres sunt doctrinæ, quæ optimo ordine omnia, quæ in arte aliqua tractantur, explicare possũt.* Conuenit enim hæc interpretatio authoris instituto.

Monachus refellitur.

Cæterum Monachus malè interpretatur *ordini inhærẽtes* additum esse, vt vertebras dorsi, cum omnis doctrina, inquit, sit ordinata, sicut & vertebræ solum in dorso reperiuntur. Nam non solũ in dorso, sed & in collo, & lumbis vertebræ reperiũtur: nec omnis doctrina seruat ordinẽ essentialem, de quo hic agimus. Nam, vt rectè Montanus scribit, verbũ τάξιν ἐχόμεναι, significat aliquid intrinsecum. Etenim verbũ ἔχω constructũ cum genitiuo, significat rem, quæ etsi extrinseca sit, nequeat tamen ab eo, in quo est, separari: veluti si dicas ἔχω ἐπιστήμης, id est, scientiam habeo. Cum accusatiuo verò constructum, significat habere apud se quidem; extra se tamen, vt si dicas ἔχω βιβλίον, id est, librum habeo: qui autem librum habet, apud se habet, non in se. Ita ergo Galenus hoc loco dixit doctrinas τάξιν ἐχόμεναι, quæ verba Leonicenus optimè expressit, cum vertit *ordini inhærentes*: quasi diceret; Quæ doctrinæ ita inhęrẽt ordini, vt nequeãt ab eo separari. Sed enim videamus, qualis sit huiusmodi ordo, an ita scilicet essentialis sit, vt perpetuus sit, & inuariabilis in singulis rebus, quæ tractantur. Nam Galenus in hoc procemio ordinem in doctrina definitiua sibi cõstituit, cum inquit, primò de corporibus secundò de signis, tertiò de causis agendum esse: tanquam ex ipsa doctrina certus ordo non appareat. In resolutiua verò doctrina (vt postea ostendemus) licet sumere quæ propinquiora sunt fini primum, deinde remotiora: vel primum quæ remotissima sunt, & posteà propinquiora. Eodem pacto in cõpositiua sæpe occurrunt multa, in quibus certus ordo seruari nõ potest. Nam in explicatione formationis, figuræ, magnitudinis, numeri, & coniunctionis partiũ, nulla ratio docet, quid primò tractari debeat: propterea nec certus ordo in illis est, siue per doctrinam compositiuam, siue resolutiuam, aut definitiuã ea tractes. *Intelligo igitur has doctrinas ordinem habere in maioribus, & præcipuis artis partibus tradendis.* In illis enim certus, & inuariabilis est ordo. In singulis verò rebus explicãdis in vnaquaq; tractatione aliquid præponi potest, quod ab alio sine vitio postponitur: aut doctrinas has inhærẽtes ordini intelligimus, nõ quòd immutabilem ordinem habeant, sed quòd quantum fieri potest & rei natura patitur, eum seruent, maxime si eæ cõparentur cum aliis, quæ vel nullum, aut certè non adeò certum ordinem obseruant. Nec illud verò omittendum est, quod Curtius in verbo, *omnes*, perperam docet. Ait enim omnes intelligi, ac si diceret author perfectas & integras, siue, vt ille ait totales. Ita vt talis sit sẽsus. *Tres sunt perfectæ & completæ doctrinæ.* Nam etsi verbum πᾶσαι significare potest omnes & totæ: nulla tamẽ necessitas cogit, vt interpretis versionem mutemus, satis enim per se constat. Galenum de completis, & perfectis doctrinis, quibus ad aliquam vniuersam artem explicandã vtimur, agere. Præterea si, *omnes*, non legatur, dubiũ manet, an Galenus velit tres esse, an plures. Qui enim tres dicit esse doctrinas perfectas, non necessario significat tres *solum* esse. Verbum autem, *omnes*, certam authoris sententiã facit de numero harum doctrinarum. Ergo intelligendum est doctrinas, quæ certo ordine, & perpetuo quodam filo artem aliquam & vniuersas illius partes explicare possunt. Omnes tres esse.

Signa

Πρώτη μὲν, ἡ ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας.

Prima quidem ex notione finis.

Cum proposuisset Galenus, tres omnes esse doctrinas, quæ ad artem aliquam docendam certo ordine aptę esse possunt, nunc incipit eas enumerare, & primum resolutiuã, vtpote quæ aliis duab. originem præbere videtur, & methodo (vt inquit Galenus) cæteris præstat. Ait autem hanc doctrinam fieri ex notione finis, aut potius ex notione finis incipere, & per resolutionem eiusdem finis fieri, perfici, & absolui. Hanc primã doctrinam simplici nomine non appellat Galenus, sed dicit, illam ex notione finis per resolutionem fieri: aptè tamen sicut secundam compositiuam, eo quod fiat per compositionem, vocat, ita hanc primam resolutiuam, eo quod fiat (vt postea docebimus) per resolutionem, merito nuncupabimus. Finem capere oportet non pro finali causa sed artis finem, de cuius cõstitutione agitur. Porro notionẽ finis dicit intelligi Leonicenus finem mẽte conceptũ, siue desideratum vel notum. Verum vocabulum Græcũ ἔννοια quo vtitur hic Galenus, non admittit omnes istas significationes; significat enim, Cicerone teste, intelligentiam, siue notitiam. Addo, quod ex desiderato fine, per resolutionem artes nequaquam cònstituuntur, quod proprium est huius doctrinæ: sed ex ipso fine intellecto. Posset enim quilibet medicinæ finem desiderare, qui tamen nõ poterit doctrinam per resolutionem facere, nisi finem illius intelligat. At si quis finem alicuius artis consequi non desideret, cum tamen intelligat, poterit artem commodè constituere. Quare ita dicendum est, *desiderio finis, illius notitiã quæri. Ex notitia vero eiusdem per resolutionem artẽ constitui.* Porro notitia finis non qualiscunq; sufficit: non enim satis est scire quid sit talis finis; sed etiam in quibus sit, & à quibus fiat, & quot genera, differentias, & opposita habeat, intelligere expedit; vt non sufficit scire in medicina constituenda, quid sit sanitas, sed in quo sit, à quo fiat; quot, & quæ sanitatis, & morborum genera, & differentiæ, quæ, & quot genera præsidiorum, quibus illa conseruari, & mutari valeat: Ex his enim artis partes eliciuntur, atque ipsa ex suis partibus constituitur.

Κατὰ ἀνάλυσιν γιγνομένη.

Quæ per resolutionem fit.

Hic docendũ est, quid sit resolutio, quotuplex, quęnam, & quot à resolutione nomẽ acceperint, & quomodo illa inter se differant; quomodo doctrina ista fiat per resolutionem, quid resoluatur: quid tandem docere possit doctrina resolutiua, de qua agimus, quãq; vim, & dignitatẽ obtineat.

Quod à Græcis ἀνάλυσις dicitur, & à nostris parum feliciter resolutio (quippe cum hoc nomen non exprimat vim, & vsum vocabuli Græci) propriè Eustratio *in secundum Posteriorum ab initio lib.* teste, & omnibus Græcis Aristotelis interpretibus, *reditus est eorum, qui peregrè profecti sunt in patriam.* Per translationem autem dicitur ascensus ab inferioribus ad superiora. Sic cum à compositis ad simplicia tendimus, resoluere dicimur: & cum (vt ita dicam) à principiatis ad principia, & & cũ à particularibus ad vniuersalia, & cũ ab effectibus ad causas, & cũ à conclusione ad pręmissas, & cum ab imperfectis ad perfecta redimus, fieri

A dicitur resolutio, analysis. Sic libri priorum resolutoriorum inscribuntur ab ea parte, quæ imperfectos syllogismos ad perfectos reducere docet. Eadem ratione cum totum in partes, & corpora naturalia in sua principia reuocamus, cũque à fine ad principia vel potius ad partes tendimus, Alexandro teste in *Cõmentario Priorum* resoluere dicimur, nimirũ in omnibus ratione eadem, quod s. ad prima redeamus, & ascensus quidã in omnibus fiat. Itaq; cum tot sint resolutionis modi, nos de ea hic agimus, quæ à fine ad principia tendit: cuius etiam meminit Aristot. *lib. 7. Metaphys.* proposito exemplo quodam medico: *si sanum,* inquit, *futurum est, necesse est, vt hoc adsit,* id est, *æ-*

B *qualitas, et si hoc, caliditas.*

Cæterum à resolutione hæc nomen acceperũt, Methodus, siue via resolutiua, ordo resolutiuus, doctrina resolutiua. Atque hæc quidem differre Montanus tradit, hoc modo, quod via resolutiua non habeat necessario notionem, & fiat, vbicunque in natura est multiplicitas, quæ non potest cognosci, nisi per resolutionem, & quod via resolutiua sit eadem omnino cum ipsa compositiua, atque etiam simplex resolutio, ordo verò solutiuus multiplex. Quomodo vero differant hæc à doctrina resolutiua, nõ docet. At nec illa, quæ affert de discrimine inter methodum, & ordinem resolutiuũ probat aut ratione, aut autoritate, imò absurda videtur. Nam quomodo potest quispiam

C resoluere aliquid per viam resolutiuam, si illius, quod resoluitur, notionem non habet? Quandoquidem ipse Montanus in exemplo, quod affert de homine, vbi considerat quid sit, & illum vult resoluere, notitiam hominis quærit, antequã resoluat. Præterea falsum est, fieri resolutionẽ vbicunque est multiplicitas. Nã sic diuisio locũ non haberet, aut eadem esset cum resolutione. Est & illud falsum quod scribit, aliquid esse cõpositiuũ, & resolutiuũ. Nã siue via sit, aut ordo, aut aliud, quod resolutiuum dicatur, euidenter illud hanc opinionem arguit, cum resoluere sit separare, vt separamus à fine medicinæ per resolutiuam doctrinam partes medicinę, componere vero, vnire.

D Nec hoc quidem dicit Galenus *in lib. de placitis*, ex quo loco Montanus erradi occasionem sumpsit. Sed quod compositio à particularibus ad vniuersalia, diuisio verò contra ab vniuersalibus ad particularia procedat. Postremò absurdũ est dicere, ordinem resolutiuum constare ex aliis ordinibus, quando quidem id non ostendit, aut certe idem commune est viæ resolutiuæ. Denique Montanus multa de hac re vsque ad nauseam disputans, nihil certum, aut consonum rationi, vel autoribus antiquis dicit, vt quilibet videre potest. Differunt autem meo quidem iudicio methodus, siue via resolutiua ab ordine resolutiuo, quod illa sit, quæ vel resoluit, aut resoluere docet, aut reso-

E lutionibus vtitur: Hæc enim omnia sub nomine methodi resolutiuæ aptissime comprehendi possunt: Ordo vero resolutiuus hæc non præstat: sed est talis ordo, in quo fit progressus ab vno ad aliud resoluendo. Quomodo verò differat ab aliis doctrina resolutiua postea docebimus, cum ostenderimus quid illa sit. Nam in hoc controuersia est inter interpretes. Quidam enim doctrinam resolutiuam intellexerunt, quæ resoluere docet; alii eam, quæ resolutionibus frequenter vtitur, alii, vt Leonicenus,

Doctrina resolutiua.

Finis notio quid significet.

Resolutio quid.

Resolutio quotuplex.

Quæ & quot à resolutione nomen acceperint & quomodo inter sese differant.

Methodus resolutiua quomodo ab ordine resolutiuo differat.

ita vocatam esse dicunt, quia ordinem resolutionis à notione finis inchoantē sequitur: siue quod in docendo scientiam aliquam, seruat ordinem illorum, quæ per resolutionem à notione finis incipientem inueniuntur. Non dici autem resolutiuam eò, quòd resoluere doceat, ex hoc constat, quòd eadē ratione diceretur definitiua, quod definire doceret, id quod manifestè falsum apparet, cum ex *libro hoc*, vbi Galenus doctrinam definitiuam faciens, definiendi modum non docet: tum etiam quod idē autor *in lib. de constitutio. artis medica*, vbi resolutiuam doctrinam facit, resoluere non doceat: At verò nec resolutiua dicenda est, quòd resolutionibus frequēter vtatur. Etsi enim id fortè fiat, non tamen ex hoc resolutiua dicitur, sic enim definitiua diceretur, quod definitionib. sæpè vteretur; cum id (vt apparet) non faciat. Quod verò Leonicenus dicit, resolutiuam ideo vocari, quod sequatur ordinem resolutionis à notione finis inchoantem, non satis intelligitur. Si enim ordo proportio est prioris, & posterioris; profectò si ordo hic seruaretur, oporteret semper, quæ fini proximiora sunt, accipi. Ita prius de medicamentis consideratio occurreret, quam de elementis, & corporibus. Sanitatis autem conseruatio, aut recuperatio post sanitatis notionem occurrit: hæc verò præstamus per medicamenta, & alimenta: ergo pars, quæ de materia medica tractat, primo constituenda esset. At Galenus eum ordinem non seruat in *lib. de constitutione art. medica*, sed omnium primam partem constituit, quæ de corporibus agit: etsi à fine hæc longissimè recedat. Non ergo resolutiua dicenda est, quod sequatur ordinem aliorum, quæ per resolutionem inueniuntur. In illis enim semper, quæ compositiora sunt, & propinquiora ei, quod resoluere volumus, ad manum veniunt. In hac autem Galeni doctrina (vt diximus) simpliciora, & à fine remotiora præponuntur. Ergo resolutiuam doctrinam vocabimus, quæ à resolutione finis noti incipit. Quam definitionem innuunt & Galeni verba, si quis consideret, & omnia sibi consentiunt. Sic enim definitiuam eodem modo vocabimus, quæ ab artis definitione incipit: sic compositiuam, quę à compositione. An vero finis ipse sit, qui resoluatur, vel ex notione finis resolutio incipiat, dubitare aliquis posset. Vtrumq; enim mihi videtur intelligi posse. Nam ea, quæ quasi latebant in ipso fine, extrahuntur. Finis enim artis potentia vniuersa ars esse dicitur, quod scilicet in fine artis vniuersa ars potētia contineatur, fitq; vt illius omnes partes per resolutionem actu appareant. Aliud enim est resoluere, aliud diuidere: quippe cum vnicam partem à fine extrahendo resoluamus, nō tamen diuidimus. Resoluit enim, qui dicit, si sanitas conseruari debet, opus est materia conseruante, non tamen is diuidit: Nam ad diuisionem duo ad minus requiruntur opposita: Galeno tamen placet, quod ex notione finis resolutio incipiat. Supposito enim fine, cum ea inquirimus, quæ ad finē consequendum necessaria sunt, resolutionem fieri dicimus: si quis tamen (vt diximus) diligentius perpendat, finis etiam ipse est, qui in ea resoluitur, quæ in finem tendunt, & ex quibus ille constat. Quis verò sit vsus huius doctrinæ, paulo postea commodiore loco docebimus. Patet ergo quid resolutio, quotuplex, quidque methodus, & doctrina resolutiua sint.

Doctrina resolutiua quid, & quid resoluatur.

Finem artis esse potentia vniuersam artem.

Resolutionē non esse eādem cum diuisione.

Δευτέρα δ' ἡ ἐκ συνθέσεως τῶν κατὰ τὴν ἀνάλυσιν εὑρεθέντων.

Secunda ex compositione constat eorum, quæ ex resolutione fuerint inuenta.

De compositiua doctrina meritò agit secundo loco Galenus, quia rei natura id postulat. Nam sequitur, vt per compositiuam doctrinam explicemus; quæ per resolutiuam sunt inuenta. Est enim vna, & eadem via resolutionis, & compositionis: ratione tantum differens, sicut via, quæ est ab Athenis ad Thebas, eadem est cum ea, quæ est à Thebis Athenas: Post quam doctrinam succedit definitiua, veluti per capita colligens. quæ prolixius in compositiua fuerāt explicata. Ex quo quidem constat, post resolutiuam doctrinam commodum dari locum compositiuæ: definitiuæ vero nullum esse locum aptiorem, quam post compositiuam. In explicatione igitur huius sententię primum videndum est, quid sit compositiua doctrina: deinde quænam sit illius vis, & vsus. Quid autem sit compositiua doctrina, vel ex ipso Galeno licet colligere. Ait enim illam esse, quæ à compositione illorum incipit, quę per resolutionem sunt inuenta: non quod semper componat, aut componere doceat, vt quidam putant, vel medicinam constituat, id enim præstat resolutiua. Verum, quod ille scribit, eam doctrinam componere, quę per resolutionem sunt inuenta, dubitationem habet. Nam Arist. vt satis constat, logicam, & philosophiam per compositiuam doctrinam tradidit. At ea per resolutionem, siue resolutiuam doctrinam non inuenit: non enim doctrinam aliquam fecit Arist. resolutiuam, qua docuerit, ex quibus logica, & philosophia ex notione finis per resolutionem constituuntur: Immo nullus ante Galenum per doctrinam resolutiuam artem aliquam tractare potuit: quoniam (vt ille ait) nemo ante ipsum resolutiuam doctrinam fecit. Huic dubitationi nonnulli manus dederunt, cui tamen facilis est responsio: concedendum enim est compositiuam tractare quidem, quæ per resolutionem sunt inuenta: nemo enim componere poterit totum, nisi prius intellexerit ex quibus, & quot partibus illud ipsum constituatur per resolutionem autem partes extrahuntur, non tamen necesse est, vt resolutiua doctrina scripto constet, sicut compositiua. Sed satis est, vt in mente authoris adsit. Addo, quod ex compositiua cognoscatur: quippe cū (vt diximus) eadem via sit, & eadem tractentur, sed diuerso ordine & progressu.

Viam resolutionis & compositionis esse eandem.

Compositiua doctrina quid.

Dubium.

Responsio.

Quis vero ordo requiratur in doctrina compositiua, nunc expendendum. In qua quidem reputat Curtius satis esse, si compositiua ea explicet, quæ per resolutionem sunt inuenta: neque opus esse certo ordine: sed ad placitum, inquit, fieri potest, sumitque argumentum, quod Galenus medicinam ordine compositorio in omnibus suis libris, hoc excepto, & eo de constitutione artis, tradiderit: Eos autem nunc vno, nunc alio modo ordinet: tamquam (inquit) ad placitum compositiua doctrina fieri possit. Sed hæc planè sunt falsa. Nam si ex Galeni sententia tres istæ doctrinæ (vt antea ostendimus) ordini inhærent, id est, ordine certo res, quas explicant, tractant, necessarius vtique est ordo. Deinde si doctrina compositiua doctrina est, omnis autem doctrina, teste Aristot.

Ordo doctrinæ compositiuæ quis.

Doctrina ex quibus fiat.

Doctrina ex quibus fiat.

Aristot. ex præcedente fit cognitione, à notioribusq; incipit, necesse est in cõpositiua doctrina ea præcedere, quæ aliis sequentibus lucem præbent. Ad hæc alia sumi potest ratio à compositionis ratione, à qua compositiua doctrina dicta est. Qui enim componere vult aliquid, à simplicioribus semper incipit, & ita progreditur componendo, vt sẽper, quæ simpliciora sunt, assumat, donec totum id quod componere studebat, absoluerit. Arist. *in Logicis* decem prædicamenta, quæ res simplices cõtinent, vniuersę tractationi pręponit: deinde agit de enunciatione, quæ ex duobus cõstat, nomine, & verbo. Postea de syllogismo, qui ex enunciationib. plurib. cõponitur, & sic de reliquis. Quod in philosophia etiam apparet, Animalia enim, & plantę sunt maximè cõposita corpora, & de illis vltimo loco tractat. Quę autẽ simpliciora sunt corpora, anteponit, vt libros de cælo, & mũdo. Quæ vero omnibus cõmunia sunt, & simplicissima, in physicis enarrat, tanquam (vt diximus) cõpositiua doctrina ab vniuersalioribus ad magis particularia, & à simplicibus ad cõpositiora semper progrediatur. Quod autem affert Galenum vario modo libros suos digerere, verum est: alio enim modo id facit *in fine huius libri*: alio modo *in libro inscripto de ordine librorum suorum*: at negatur, illum medicinam scripsisse ordine compositorio, & libros suos digerere tanquam doctrinam compositiuam instituat. Quid enim ad medicinam ordine compositorio docendã pertinet *liber de optima secta, & de sectis, & de demonstratione*, quos primo statuit legendos *in lib. de ordine librorum suorum*, cũ hæc volumina medicinæ nullam peculiarem partẽ explicent? Qui autem cõponit aliquid, id facit ex propriis totius partibus, absurdum enim esset dicere aliquid componi aliter. Ac Galenus (vt antea etiam quodam loco annotauimus) *in lib. de ordine librorum suorum*, omnium librorum, quos edidit, ordinem quendam statuit: non autem ea ratione, vt se putet medicinam ordine cõpositorio tradere. Quod etiam ex eo patet, quia eadem in diuersis libris docet: id, quod rationi, & naturæ compositionis repugnat, quę rem vnam semel duntaxat assumit, non enim ædificator bis repetit fundamenta aut tectum. Sed hæc clariora sunt, vt mirari subeat, tantum virum in re tam puerili aberrasse. Dictum ergo Galeni, quod compositiua ea tractet, quæ per resolutiuam sunt inuenta, intelligi debet; vel quod sequamur eum ordinem, quem Aristoteles tradidit, sumendo semper, quæ fini sunt propinquiora; vel quod ea tractet, quæ per resolutionẽ sunt inuenta, hoc statuto ordine, vt semper à simplicioribus progrediatur, quem ordinem Galenus in *lib. de constitutione artis* obseruauit.

Τρίτη δὲ ἡ ἐξ ὅρου διαλύσεως, ἣν νῦν ἐνιστάμεθα.

Tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus.

Doctrina definitiua quid.

Tertio, & vltimo loco de definitiua doctrina agit, vel quòd soleamus vltimo loco enumerare id, cuius tractationẽ suscipimus, vel quòd rei natura (vt antea annotauimus) hanc doctrinã in vltimum locum reiiciat. Cum enim doctrina definitiua ad artem cõpendio quodam docendam vtilis esse dicatur, nõ alium, quàm postremum locum sibi vendicare potest. Nam quæ ad memoriã

A tractantur, prolixiorem doctrinã præcessisse supponunt, qualis per compositiuam fieri solet: non quòd definitiua, vt postea demonstrabimus, non possit etiam prolixè artem docere, sed quod ea, quã Galenus hoc loco instituit, solum artis capita complectatur. Porro definitiuam doctrinã Manardus vocari scribit, non quia definit, vel definitionibus vtatur, vel à definitione initium sumat: sed quia artis, quam doctura est, generalem definitionẽ proponat, quibusdam veluti capitib. omnes artis partes continentem. At dicat ille, si definitiua doctrina dicitur, quod generalem definitionem artis proponat, nonne definit definitiua, & definitione vtitur, atq; à definitione initium sumit? Aptius ergo definitiua doctrina dicetur esse,

B quæ initium sumit ab artis definitione, continente omnia artis capita, ex quorũ explicatione omnia, quæ ad artẽ pertinent, docentur. Galenus autem non tam definit doctrinam definitiuam, quã quod docet modum, quo illa procedit; cum ait ex definitionis dissolutione eam fieri. Nam non solũ intelligere debemus modum, quo illa progreditur, sed quid etiam assumat, nempe definitionem artis, & eam quidem non accidẽtalem, sed essentialem, id est, quæ vniuersa artis capita continet. Proponit & hoc loco suum institutum, cum ait se incumbere nunc huic doctrinæ, quam dicit fieri ex definitionis dissolutione, & ob id definitiuam postea vocat.

C *Καλοῦσι δὲ ἔξεστι τὴν τοιαύτην διδασκαλίαν οὐ μόνον ὅρου διάλυσιν, ἀλλὰ καὶ διάπτυξιν ὥς τινὲς ὀνόμασαν, ἢ ἀνάλυσιν, ἢ διαίρεσιν, ἢ ὡς ἕτεροί τινες ἐξάπλωσιν, ἢ ἐξήγησιν ὡς ἄλλοι.*

Licet autem huiusmodi doctrinam appellare non tantũ definitionis dissolutionem, sed & explicationem, vt nonnulli vocarunt, vel resolutionẽ, vel diuisionem, vel, vt nonnulli alii, explanationẽ, vel expositionem, vt alii.

Doctrina definitiua quibus nominibus appellatur.

Cum dixisset, doctrinam definitiuam fieri ex definitionis dissolutione, ostendit nunc multis aliis modis illius progressum significari posse. Non enim solum dicere possumus, illam per dissoluti-

D onem definitionis procedere: sed etiã per explicationem, resolutionem, diuisionẽ, explanationem, vel expositionẽ: Tangit autem varias has significationes, quod varii eam tractauerint, vt ipse Galenus inquit, qui variè quoque eam nuncupauerunt, vt singulorũ appellatio à nobis intelligatur. Sed alii aptius nomen huic doctrinæ imposuerũt, melius enim dicimus definitionẽ explicari, explanari, exponi, quam resolui, aut diuidi, aut fortè etiam dissolui: tamen parum refert, hoc vel illo modo hæc exprimere. Nam dissolutio dici potest, etsi propriè quæ crassa sunt, & concreta, cũ tenuia, & liquidiora fiunt, dissolui dicantur. Dicitur autem

E ad horum similitudinem definitio dissolui, quando illa, quę in definitione erãt veluti vnita, & concreta, in plura membra dissoluũtur. Sic explicatio etiam dicitur, quoniã ea, quæ in definitione quodammodo implicata erant, explicantur: vt vndiquaque conspici possint. Resolutio quoq; dicitur, non eo modo, quo prima doctrina, sed intelligendo definitionis: Resoluit enim ipsam definitionẽ velut totum quoddam in suas partes. Qua ratione etiam diuisio definitionis dicitur: nimirũ quòd

ipsam in partes veluti totum quoddam diuidat. Sic demum explanatio nuncupatur, quod ea, quę difficiliora erant in definitione procedẽdo plana fiāt.

Ἐπεχείρησαν μὲν οὖν ἔνιοι τῶν Ἡροφιλείων ποιῆσαι ταύτην τὴν διδασκαλίαν, ὡς καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ἐρυθραῖος.

Conati sunt & Herophiliorum quidam talẽ facere doctrinam, quemadmodũ & Heraclides Erythraeus.

Quinam doctrinam definitiuam tentauerint.

Posteaquam Galenus sigillatim numerauit tres propositas doctrinas, & quibus nominibus definitiua appelletur, docet iam, quinam has doctrinas fecerint, dicitq; quosdam Herophili sectatores definitiuam doctrinam tentasse: quasi illos reprehendere velit, quòd exactè eam non fecerint. Ita enim intelligimus, cum antiquos aliquid tentasse, aut aggressos, vel conatos fuisse dicimus. Igitur eos, qui has doctrinas fecerunt, eas tẽtasse dicit, vt ostẽdat, ineptos fuisse antiquiores de medicina scriptores, vt qui vnam ex illis praetermiserint, nempe resolutiuam: alias autem duas tentauerint. Se autem ipsum laudat, vt qui tres illas fecerit, aut saltẽ (vt postea dicet) ea scripserit quibus quis ad tres istas doctrinas explicandas vti possit. Herophilus hic insignis fuit philosophus, patria Chalcedonius, inter Rationales Medicos non infimus, vt *primo Methodi* scribit Galenus, Erasistrati aemulator, tempore Aristotelis, & Cratippi, viguit, in Anatome clarus, de quo scribit Galenus, eum non solum in animalibus brutis anatomen exercuisse, sed etiam in hominibus. Quo dicto Galenus satis ostendit, se homines non secuisse. Viguerunt maximè Herophili sectatores, quos loquaces *in lib. de dignotione pulsuum* Galenus vocat. Heraclides Erythraeus, Herophili sectator fuit. Duo fuerunt Heraclides, Erythraeus hic, Tarentinus alius, ex secta Empiricorum, vt Galenus Celsusq; testantur, qui cum prius Dogmaticus esset, ad Empiricos postea se transtulit, in qua secta plurimum ualuit. De hoc Galenus 2. *de medicamentis secundum locos*, & 6. *de simplicibus* meminit. Hic autem Erythraeus, Erasistrati & Chrysippi fuit auditor: ab Herophilo autem definitionem medicinę, quà *in hoc libro* vtitur, sumpsit Galenus, vt author Introductorii scribit.

Herophilus.

Heraclides.

Ἐπεχείρησαν δὲ καὶ τὴν κατὰ σύνθεσιν, αὐτοί τε οἱ Ἡροφίλειοι καὶ τινὲς τῶν Ἐρασιστρατείων, καὶ Ἀθήναιος ὁ Ἀτταλεύς.

Aggressi & eam sunt, quae per compositionem, & ipsi Herophilii, & quidam Erasistrati sectatores, & Athenaeus Attaleus.

Quod de definitiua antea dixit, nunc de compositiua idem dicit: nonnullos siquidem ex antiquis doctrinam etiam compositiuam tentasse, vt ipsi Herophilii, & Erasistratii. Fuit autẽ Erasistratus, Aristotelis gener, Chrysippi auditor & Stoicę sectae, contra quem saepè Galenus inuehitur: fuit patria Chius, Antiocho & Ptolemaeo regibus gratissimus. Athenaeus Attaleus numeratur ab authore Introductorii inter rationales, princeps eorum sectae, qui Pneumatici vocantur Galeno authore 4. *de diff. puls.* contra cuius sectatores idem sępe inuehitur, vt videre est *primo de elementis*, & *primo de diff. feb.* Attaleus autem dicitur à ciuitate Cappadociae.

Erasistratus.

Athenaeus Attaleus.

A *Οὐδεὶς μέντοι γε τῶν πρὸ ἡμῶν ἔγραψε τὴν ἐκ τῆς τοῦ τέλους ἐννοίας ἀρχομένην διδασκαλίαν.*

Nullus autem eorum, qui ante nos fuere, scripsit eam, quae oritur à notione finis.

Docuit antea Galenus, alios antiquos scriptores de medicina definitiuam, & compositiuam doctrinam tentasse: nunc autem docet illos resolutiuã non scripsisse, optimè autẽ dixit, eos non scripsisse. Nã, vt antea per resolutiuã intellexerimus, ex quibus partibus ars, quã tradere volumus, constituatur, non tamen necesse est, eam scribere, sed satis est illam in ipso autore esse. Dixit autem nullum eorũ, qui ante ipsum fuerũt, vt intelligamus,
B non solum Medicos; sed etiam omnes alios scriptores eam doctrinã non scripsisse. vestigia enim quaedam in Aristotele apparent, quibus intelligere possumus, eum huiusmodi doctrinam non ignorasse, vt in *procemio physicorum*, vbi per resolutionem colligit, de principiis rerum naturaliũ esse agendum: & 7. *Metaph.* clarius adhuc, vt in exẽplo de medicina supra citato ostendit. Galenus autem duos libros de hac doctrina scripsit: vt meminit *in lib. inscripto de propriis libris*, & *in lib. de constit. art.* in quorum *primo* docet, omnes artes per hãc doctrinam constitui, in altero autem id peculiariter de medicina demonstrat, propterea inscribitur de constitutione Artis Medicinalis, non extat primus,
C etsi apud aliquos, vt audio, habeatur, qui inuident alios his bonis frui.

Ἐξ ἧς αἱ τέχναι πᾶσαι συνίστανται κατὰ μέθοδον· ἀλλ' ἐκείνην μὲν ἑτέρωθεν διήλθομεν.

Ex qua omnes artes via quadam atque ordine constituuntur, sed illam quidem alio pertractauimus loco.

Cum dixisset, se ipsum solum doctrinam resolutiuam conscripsisse, obiter illius vim, & vsum explicat, quasi reddens rationẽ, cur ipse huiusmodi doctrinam scripserit, & damnandi sint alii omnes, qui eam literis non tradiderũt. Nã si ex ea omnes artes, id est, facultates Methodo constituuntur, hoc argumentum esse debet, non esse contemnẽ-
D dam illius tractationem. Verum quoniam de vi, & vsu huius doctrinae pauca solũ attingit, & controuersię non paruę inter doctores de hac re sunt excitatae, operae pretium fuerit haec paulò diligẽtius pertractare: Quaeremus ergo, quid praestare possit haec doctrina, & quomodo fiat, & progrediatur. Qua quidem in re putat Curtius illam solum docere posse, quomodo artes constituantur. Non autem posse ex ea artem cõstitui, vel doceri. Ait enim Galenũ *in libro de Constitutione Artis Medicae*, vbi doctrinam resolutiuam facit, vniuersam artem nequaquã constituere, vt quae iam constituta esset, sed modum docere, quo constitui posset, si
E lateret ipsius cõstitutio. Deinde inquit, *si per resolutionem tradi potest ars, quid opus est aliam moliri tractationem per doctrinam compositiuam?* Praeterea inquit, *si per resolutiuam doctrinam ars medica doceri posset, sequeretur illud absurdum, quod Aristot. in procemio libri de partibus animalium adeo reprehendit, nempe vt prius composita, quàm simplicia tractentur.* Nam resoluendo semper composita prius ad manum veniunt, quàm simplicia, & particularia prius quàm vniuersalia. Quae quidem docendi ratio nequaquam admittit: posse tamen, inquit, vno & eodem libro, in quo reso-

Vis & progressus doctrinae resolutiuae.

resolutiua doctrina tradatur, medicinam etiam doceri, si primo per resolutionem medicinæ partes inueniamus, deinde sigillatim eas per compositiuam explicemus, ita vt duo sint processus: Primus, quo ars inueniatur; secundus, quo doceatur: quod & Galenum fecisse *in libro de Constitutione artis* arbitratur. Primum enim illum resoluere, & postea, quæ per resolutionem inuenta sunt, tradere: esse tamen inscriptum librum de constitutione artis, non de arte: quoniam ab eo quod primo loco facit, inscriptioné sumit, & quoniam secundam partem non absoluit, vt quæ iam in compositiua Methodo esset explicata. Ex quibus efficere vult, non esse tres istas doctrinas completas, nimirum cum resolutiua sola artem tradere nequeat, nisi compositiuã simul asciscat. Et propterea Galeni dictum *in hoc proœmio*, quod resolutiua præstantior sit, quã definitiua, ita explicat, præstãtiorem esse, si completa fuerit, id est, resolutioné, & compositionem simul complectatur. Cuius quidem opinionem multa refellunt. Nam Galen⁹ *circa principium libri de constitutione artis* ad hunc modum scribit: *Transfer Methodum, quam didicisti, ad artem, quam constituere studes.* Et paulo post idem ad hunc modum: *Necesse quoque est & nobis artem constituentibus, vt non partes, & compositionem duntaxat; sed earum quoque actiones teneamus.* Ex quibus constat, se non solum docere modum, quo ars constitui posset; sed etiam de ipsius artis constitutione agere. Nec propterea sequitur per resolutiuam doctrinam non posse constitui, & doceri artem: quoniam Galenus *in eo libro* hæc perfectè nõ præstat. Sic enim liceret dicere, eandem per definitiuam doctrinam tradi nõ posse. Quippe cum *in hoc libro* vniuersam artem non tradat, sed solum illius capita. Igitur sit commune huic operi, & illi, capita, & summas partes autorem attigisse; vel per definitiuam doctrinam negabimus posse tradi artem, aut si id concedemus, pariter intelligemus idem per resolutiuam præstari posse. At vero si dicamus, non fuisse necessarium Galeno, vniuersam artem constituere, eo, quod iam cõstituta esset, pari ratione dicemus nõ fuisse necessarium, vt idem doctrinam definitiuam faceret, quam scilicet Herophilus, & alii multò antea tradidissent. Si ergo eo, quòd malè fortasse ab illis scripta esset medicina per doctrinã definitiuam, necessarium fuit Galeno rursus eandem docere: Ita licebit dicere, malè ab antiquis medicinam constitutam fuisse, & ob id nouã constitutionem Galenum aggressum. Atq; in hoc etiam Curtius aberrat, quod nunc de constituenda, nunc vero de tradenda arte agat, confundatque magno errore hæc nomina. Constituere enim est partes enumerare, ex quibus totum componitur: Tradere autem artem, est ipsas partes explicare, & enarrare. Illud vero, quod addit, superfluum fore Galeno, moliri doctrinam per compositionem, si per resolutionem doceri posset: certè si illam tradidisset perfectè, superflua alia fuisset: sed (vt antea diximus) solum capita tetigit. Ac profectò debile est huiusmodi argumentum, Galenus medicinam non tradidit per doctrinam resolutiuam, igitur tradi non potest. Spectandum enim est, quid possit ipsa doctrina, non quid Galenus in ea præstiterit. Cum enim per resolutiuam doctrinam possimus docere modum quo ars ipsa constituitur (nisi id potius Methodo resolutiuæ

Constituere quid. Tradere quid.

Doctrinam resolutiuam quid præstare posse.

quam doctrinæ tribuamus) & eandé constituere, & tradere, placuit Galeno duo priora facere, aut primum duntaxat ex proprio instituto. Non tamé propterea fit, quo minus alia per eã præstari valeãt. Nec illud quidem prohibet, quod affert, sequi absurdũ, quod prius cõposita, quàm simplicia in hac docẽdi ratione tractẽtur. Neq; n. resolutiua doctrina vnicũ habet progressum, sed duplicé. Vnũ quidem, quo assumimus primũ quę propinquissima sunt fini, & alia deinde paulò remotiora. Alium, in quo extrahimus primũ à fine, quæ ab illo sunt remotissima: qué quidem progressum Galen. *in lib. de cõstitutione artis* seruat. Nã primo partẽ de corporibus, elemẽtis, & temperamentis ab ipso fine elicit, eamq; explicat, quæ quidẽ omniũ simplicissima & prima est medicinæ pars. Hũc progressum qui seruat, potest artẽ cõmodissimè docere, quia à simplicissimis, & primis partib. tractationẽ auspicatur. In alio vero processu sequuntur ea absurda, quæ ille ex Arist. affert. Nec illud etiã obstat, quod ait, per resolutionẽ solã, artem explicari docerique nõ posse; sed requiri alia instrumẽta. Eadẽ n. ratione nec per compositiuã, aut definitiuã artẽ doceri posse dicem⁹, q. diuisionib. definitionib. & aliis instrumẽtis illę egeant. Absurdũ n. est arbitrari resolutiuã doctrinã semper vti resolutione. Nã (vt antea ostendimus) resolutiua dicitur eo, quod à finis notione exordiatur, & primũ resoluere incipiat, etsi nihil obstet, quo minus posteà aliis omnibus instrumẽtis vtatur in explicãdis exactè & prolixè singulis rebus, quę per resolutionẽ semel à fine extractę fuerunt. Quod quidẽ Galenus *præcitato loco in fine libri de cõstitutione* apertè testatur, se (inquã) nõ velle oẽs medicinæ partes eo loco explicare, in quo resolutiuam doctrinam facit, innuens euidẽter, ipsam doctrinam id quidem admittere; sed tũc id ei fuisse præter institutum. At nec illud verum est, Galenum in *libro de constitutione medicinæ* doctrinas duas facere, nempe resolutiuam & cõpositiuam: cum ipse *in hoc textu* dicat, se eam alio loco tractasse, solius resolutiuę mentionem faciens. Est & locus *in fine libri de constitutione*, qui ita habet; *Institutum nobis est, non fusa explicatione de omnibus medicinæ partibus differere, sed quo pacto à finis notione, vt alia quæuis artium, sic & huius constitutio fiat, ostendere.* Institutum (inquit) esse resolutiua doctrina vti, non alia. Atq; hæc quidem apertè illius opinionem refellũt, nec desunt etiam alia argumenta, quibus probare possimus, doctrinam hanc docere posse artem quamlibet. Primũ enim sumi potest argumentum ab ipso doctrinæ nomine. *Si enim doctrina est, quæ docet, aut qua docemus, vel resolutiuæ non conuenit doctrinæ nomen, aut si conuenit, etiam cum illa medicinam docere possumus.* Secundo, *si Galenus dicit, tres esse doctrinas perfectas, sequeretur resolutiuam inter doctrinas non esse ponendam: vt quæ ex eorum opinione sola artem docere nequeat, nisi compositiuam simul adsciscat. At hoc modo duæ essent, & non tres doctrinæ simplices.* Præterea, *male Galenus diceret definitiuam in hoc præstare resolutiuæ, quod compendiosior sit.* Si enim non docet resolutiua, sed solum constituendæ artis modum, erit profectò ipsa breuior, quàm definitiua. Nam si omnia exempla *à libro de constitutione artis* auferas, multo breuior erit liber ille in quo resolutiua traditur, quam hic, in quo definitiua docetur. Imò vt nunc scripti sunt isti duo libri, duplo ferè maior est ars medicinalis, quàm

Duplex progressus in doctrina resolutiua.

Doctrinam resolutiuam artem quamlibet posse docere.

alius. Adhæc, *si per resolutiuam ars nequaquam constituitur; sed modus duntaxat constitutionis docetur, quatuor erunt doctrinæ. Oportet enim vnam esse, qua ars constituatur, differentem ab ea, quæ modum constituendi docet, vt illi fatentur etiam diuersam esse. At illa (vt satis constat) nec definitiua, nec compositiua est, nec, vt illi volunt, resolutiua: quarta ergo alia doctrina.* Ex quibus quidem patere puto, per doctrinam resolutiuam modum constituendarum artiũ, & ipsas artes constitui, & doceri posse. Nam vt de modo constituẽdi apud illum dubiũ non est: ita per illam omnia, quæ in fine potentia continebantur, extrahuntur, id quod est artẽ constituere. Nec impedit, quo minus postea singulas partes sigillatim, & prolixè explicemus. Sed quoniam duobus modis doctrinam resolutiuam fieri posse cõmemorauimus, & vnum progressum solũ aptum ad artem docendam esse, dicimus; nempè eum, qui scilicet resoluit primum à fine, quæ remotiora sunt; docendi ratio postulat, vt hunc indicemus: præsertim quòd eo solus Galenus vtatur.

Exemplum doctrinæ resolutiuæ quam facit Galenus.

Si quis igitur medicinam constituere velit eo modo, ita progredietur. Quoniam medicinæ finis est sanitas, & ea *affectus corporis secundum naturam,* qui actionem bonam primò efficit, corpus autem ex similaribus dissimilaribusq; partibus cõstat, & *duplex* proinde est sanitas, similarium vna, alia dissimilarium, fit profectò vt nec sanitatem tueri, nec amissam recuperare possimus: nisi intellexerimus ea, ex quibus sanitas illarum consistit.

Sanitas quid & quotuplex.

Porrò similarium partium sanitas cum *affectus sit naturalis, aptus ad actionem secundum naturam edendam,* affectus autem naturalis *commoderatio quadam* sit, hęc autem ex his fiat, quę partes illas componũt; componuntur vero partes similares ex quatuor humoribus, hi autem ex quatuor elementis; necesse vtiq; erit, de humoribus, & elemẽtis agere.

Affectus naturalis quid.

Ex qua quidem tractatione compositionem propriam partium similarium intelligemus. Eodem pacto, cum partis organicæ sanitas *ex commoderatione eorum, ex quibus illa componuntur,* constet; componantur autem ex debita conformatione, magnitudine, numero, coniunctione, & vnione similarium; necesse est Medicum Anatomen scire: quoniam ex ea organicarum partium structura potissimũ dignoscitur.

Partis organica sanitas è quibus constet.

Et quoniam in omni parte organica vna est, quæ actionis præcipuus est autor, aliæ autem vtilitatem siue vsum illi præbent, oportet Medicum vtilitatem singularum partiũ diligenter perdiscere. Porrò quoniam compositio partium per se nequaquam expetitur, sed actionum causa; tenere oportet quæ & quot sint in corpore actiones: quænã ex illis communes omnibus sint partibus, quæ propriæ, quæ insitæ, vel ab alijs tanquam à certis principijs emanantes, cui facultati subijciantur, quæ facultatum ipsarum origo, quæ materia, quis vsus, quæ dignitas: denique omnia, quæ ad facultatum, & actionum scientiam pertinent, ignoranda non sunt. Ex quibus quidem pars vna medicinæ ponitur, quæ corporis humani fabricã docet. At quoniam corpus ita constitutum varijs affectionibus subijcitur (etenim valet, ægrotat, periclitatur, in morbos ruit, vel à morbis conualescit) pars alia statuenda est, quæ omnia genera, omnesque differentias affectuum, quibus nostra corpora sunt obnoxia, enarret. Ad hæc quia multæ & variæ sunt causæ, quæ hos affectus pariunt, genitosq; fouent, & etiam intendunt, ac inter has quædam propinquæ, aliæ remotæ, aliæ internæ, aliæ externæ, aliæ ex nostris principijs, aliæ ex alijs rebus ductæ, medicina partem vnam requirit, quę has omnes causas inuestiget, & doceat. Sed quoniam sæpè latent prædicti affectus, & causæ, notas habere oportet, quibus præcesserit, pręsens sit, aut futurum, intelligatur. Et quoniam rursus sanitatẽ præsentem per similia conseruamus absentem vero per contraria recuperamus, & medios affectus per propria auxilia corrigimus, necessarium est, vt Medicus materiam omnis generis ad manum habeat, illiusque vim & naturam cognoscat: vnde alia necessaria est tractatio, quæ de medica materia agat. At quia non satis est, materiam habere in promptu, sed rectus illius vsus est addẽdus, expedit pręcepta tradere, quibus idoneus reddatur Medicus ad sanitatem conseruandam, morbos profligandos, & alia propria munia exercenda. Atque hoc modo obiter quantum locus ipse exigit, artem ipsam medicam constituimus ordine scientifico, sumendo & resoluendo ab ipso fine artis partes simpliciores, donec ad eas perueniamus, quæ fini sunt propinquissimæ, quas postea adhibitis proprijs instrumentis & probationibus sigillatim docere possumus.

Licet etiam, vt diximus, primo extrahere à fine propinquissimas partes, & alias postea: donec ad eas sit peruentũ, quę ab ipso fine sunt remotissimę. Quod breuiter hoc exemplo, rudiorum causa doceo.

Exemplum progressus à fine ad principia procedentis.

Sanitas cum finis sit medicinæ, à Medico procurari debet: procuratur autem cum præsens est, dum seruatur: cum vero absens est, dum recuperatur. In vtroque officio opus est materiã habere, & commodum illius vsum. Non potest autem Medicus vti, nisi cognoscat sanitatem, morbũ, & illorum causas, quare signis est opus. At quoniã signa ad signata referũtur, necesse est sanitatis, morborum, & causarum, quæ ad sanitatem aut morbum pertinent, naturã, genera, differentias, & vim omnem perspicere. At quia hæc intelligi non possunt, nisi perspectam habuerimus corporis naturam & compositionem, idcirco de partibus tractandum: quæ cum intelligi nequeant, absque cognitione actionum, facultatum, temperamentorum, humorũ, elementorũ, propterea hæc omnia nota esse oportet. Ex quo quidem patet alius progressus, in quo a fine ad principia procedimus, sed hæc doctrina hoc modo facta ad artem docẽdam non est apta (nimirum quòd à compositis ad simpliciora progrediatur) sed solum ad artem constituendam: atque huiusmodi resolutione vtuntur Arist. & eius interpretes. Primus autem doctrinæ modus, & ad constituendam, & docendam artem pariter est aptissimus, quem (vt antea diximus) Galenus *in lib. de constitutione artis* est secutus. Verum quocunque modo fiat doctrina resolutiua, rectè scribitur à Galeno *hoc loco*, artes omnes per illam componi & constitui methodo, siquidem methodus via est, & ratio, in qua aliquid primum, aliud secundum, & sic deinceps statuitur, donec omnia, quæ inuestigamus, inuenerimus.

Methodus quid.

Constat præterea ex prædictis exemplis, non qualemcumque finis notionem, sed perfectam intelligentiam requiri: cum alioqui omnes artis partes à fine extrahi nequeant: nisi quid sit huiusmodi finis, in quo consistat, ex quibus fiat, à quibus parari, & profligari, quod illi est contrarium, valeat: Hanc doctrinã dicit se alio loco pertractasse.

Finis perfectam notionem requiri in doctrina resolutiua.

Est

Est autem locus *liber de Constitutione artium*, & *de Constit. Art. Med.* A

Ἐνταῦθα δὲ τὴν ὁρικὴν ποιησόμεθα διδασκαλίαν ὅσον γὰρ ἀπολείπεται τῆς κατ᾽ ἀνάλυσιν, ἀξιώματί τε καὶ μεθόδῳ.

Hic vero faciemus definitiuam doctrinam, quæ quantū ab ea, quæ ex resolutione cōsistit, dignitate, & ipso docendi ordine linquitur.

Posteaquam enumerauit doctrinas omnes, & docuit quomodo antiqui circa eas se gesserint, quidq; ille præstiterit, quod scilicet resolutiuam solus fecerit, suū proponit institutū, quod est velle doctrinam definitiuā facere, id est, docere, quomodo B per doctrinam definitiuam medicina tradi possit, non autem ipsam medicinam docere per hanc doctrinam, vt hactenus ferè omnes interpretes sunt arbitrati. Nam verba, *facere doctrinam*, eorum opinionem refellunt, ostenduntque primum & præcipuum auchoris institutum esse, vim ipsius doctrinæ ostendere: non autem medicinam ipsam docere: sed ea quæ de medicina ipsa afferunt, esse tanquam exempla, & materiam necessariam ad explicandam vim huius doctrinæ. Verum antequam vltra progrediatur, huius doctrinæ proprietates, & priuilegia ostendit ex comparatione cum resolutiua, videturque obiectioni tacitæ occurrere. Posset enim quis dicere, cum alibi medicinā C per doctrinam resolutiuam tradideris, quid opus erat idem facere per aliam doctrinam, quæ illa inferior est dignitate, & methodo? Huic obiectioni ita respondet, verum quidem esse, quod resolutiua dignitate, & methodo definitiuam superet, non tamen propterea inutilem fore doctrinam definitiuā, quoniam suas habet prærogatiuas nequaquam contemnendas, quibus resolutiuam vincit, vt ab ea in aliis vincitur. Quæ autem sint illa, quibus mutuo se vincunt, nunc docere oportet. *A quibus vincitur doctrina definitiua à resolutiua, duo sunt*, inquit Galenus, *dignitas & methodus*, quod cum non probet, occasionem dedit interpretibus inter se dissentiendi. Sunt ergo, qui dicant, D resolutiuam dignitate præcellere definitiuā, quoniam inde incipit, vnde omnes artes habent constitutionem. Tribuitque Manardus Leoniceno hanc rationem, quam tamen ego in Leoniceni commentariis non inuenio, nec dignā puto esse tanto viro, bene tamen à Manardo reprehenditur, quisquis fuerit eius autor: ab eodem enim loco, inquit ille, antambulones Reges, lixæ, Imperatores, plerumque recedunt: ita vt locus, & terminus, qui communis omnibus esse potest, dignitatis causa esse nequeat. Ipse autem Manardus resolutiuam digniorem esse scribit, quoniam à notione finis, vtpote causę diuinæ, & nobilissimæ exordium capit. tum quia non solum docet, sed inuenit & constituit artes & omnes alias facultates. E Hanc vltimam causam dignitatis illius doctrinæ à Leoniceno sumpsisse videtur, qui hanc solam rationem illius doctrinæ dignitati adscribit. Cum ergo hæc doctrina à fine exordiatur causa præstantissima & artem inueniat constituatque: Definitiua autem (vt alii aiunt) solum artis capita compendio tractet: resolutiua dignitate merito præstat. Methodo autem, id est, via & ratione docendi resolutiuam definitiua præstare hac ratione idem Manardus scribit: Quod scilicet resolutiua certiorem viam, & ordinem sequatur, cum finis omnibus, quæ in finem referuntur, necessitatem quandam imponat, ita vt media, quæ ad artem cōsequendam sunt opportuna, vnum post aliud certa quadam serie inuestiget: In definitione vero tā certum, & tam stabilem ordinem reperiri non posse, cum nec hęc ipsa definitio vna & firma semper sit (variās enim definitiones huic doctrinæ inseruire posse, modo artis partes vniuersas comprehendat:) cum liceat medicinam per hanc definitionem tradere, quæ victu, medicamētis, & manu sanitatē in humano corpore vel reficit, vel cōseruat. & Galenus eā, qua hic vtitur, alibi non probet: deniq; per alias definitiones definitiuam doctrinam institui posse. Quo patet, nec certum esse, nec stabile id, à quo doctrina incipit, nec etiam ordinem tam bonū inter artis partes in hac doctrina reperiri, vt in resolutiua.

Curtius resolutiuam dignitate præstare scribit: quoniā in artibus dignitas inuentori datur & laus. Est autem resolutiua (vt diximus) quæ artis partes inuenit, artemque ex illis constituit: verbo autem *methodo*, pro *via*, vtitur, dicitque excellere via, quia docet, qua via constituitur medicina, & in ea sit procedendum: *Definitiua autem*, inquit, *resolutione præstat ad compendium, & memoriam*: quoniam ipsa continet compendiosè totam medicinam, & per ipsam facillimè possunt omnia memoriæ mandari.

Montanus autem interpretationem Latinam non recipit: neque enim resolutiuam dignitate, & ordine docendi præstare definitiua, sed contra potius, si vtriusque propriam naturam consideremus. Quod enim dignitate prius est ab alio, aliquo modorum prioritatis prius esse deberet, quo dignitatem rerū metimur. Illud autem esse quod primo magis appropinquat. Bonum autem in scientiis actiuis esse primum, & principium: in scientiis autem esse verum. Definitio autem in scientiis vero, in actiuis bono magis appropinquat, quā resolutio. *Etenim definitio immediate circumscribit nobis*, inquit, *substantiam, à qua omnes passiones, quæ considerantur in ea scientia, fluunt.* De actiuis nihil probat, quomodo bono magis appropinquet definitio: sed solum concludit definitiuū ordinē resolutiuo dignitate præstare. Docendi etiā ordine non esse inferiorem definitiuū resolutiuo. *Æquè enim ordinata est doctrina*, inquit, *quæ à partibus definitionis finit, vti ea, quæ per resolutionem finis fit, cum exquisitus ordo ex partium connexus consideratione fiat.* Atque hoc modo concludit, nec dignitate, nec docendi ordine resolutiuam doctrinam definitiua præstare, cum nec Græcè etiam, vt ait, verba ita sonent. Legi enim ἀξιώματι & μεθόδῳ, id est, existimatione & methodo. In existimatione autem id esse, quod vulgo dicitur esse in credito. Vnde axiomata vocari propositiones, quę in omnium sunt existimatione, & fidem apud omnes inueniunt, verumque esse, quod resolutiua existimatione pręcederet definitiuam, cum apud Platonem doctrina resolutiua & diuisiua præ cæteris in maxima existimatione sint, idemque fuisse apud antiquos omnes. Methodo præterea, non docēdi ordine, resolutiuam superare definitiuā. Nam per methodū artificiosum progressum intelligit: longè autem artificiosiorem esse progressum, qui fit per resolutiuā, quam qui per definitiuam. Omnes enim nouerunt

Obiectio.

Responsio.

Comparatio doctrinæ definitiuæ & resolutiuæ.

Leoniceni opinio de dignitate, & methodo doctrinæ resolutiuæ.

Manardi de eadem ratio.

Curtij.

Montani.

Axiomata quid.

definitionis partes enumeratas diuidere, potius quam finē resoluere. Verum vt à Montano incipiamus, ἀξίωμα dignitatē proprie significat, existimationē autem non ita, & ea differentia, quā inter ἀξίαν, & ἀξίωμα ponit, quod illa significat dignitatē, hoc existimationē, apud nullum ex probatis autorib. Græcis reperitur: cum etiā (vt ipsemet dicit) apud Arist. 5. *Metaphy. cap. de Priuatione*, hoc pro alio sumatur. Prætereà falsum est, resolutiuā doctrinā ita laudari à Platone, & fuisse in maximo pretio apud antiquos, cum Galenus antea dixerit neminē hanc doctrinam scripsisse ante ipsum. Ergo nec Plato illā tantopere laudare potest. Quod si resolutionē commendat, nō propterea doctrinam resolutiuā laudat, cuius autor Galenus fuit: cū Montano etiam teste resolutiua via à doctrina resolutiua differat. Quod autē methodus, sit artificiosus progressus, autorem huius rei non habet. Nam vt antea nos, cum de methodo ageremus, diximus, methodus nihil aliud est quam *via docendi, in qua aliquid primum, aliud secundum, & sic deinceps ordine accommodato ad docendum statuitur*. In quo opere artificiosus quidem fit progressus, sed methodus hic ipse non est. Postremò quod primo loco dicebat, definitionem digniorem esse, quòd vero, & bono propinquior esset, etsi id concedamus, (neque enim omnia exactè expendere volumus) non propterea fit, vt resolutiua doctrina indignior sit definitiua. Non enim hic definitione nos vtimur ad verum, aut ad bonum probandū, vt in particularibus ratiocinationibus fit: nam idem præstat hic nobis definitio, quod finis, cum ab vtroque doctrina vna exordiatur: nec ad probandum aliquid assumatur. Quod si id etiā quod bono & vero propinquius est, illud præstantius esse dicamus, erit profectò & hac ratione prestantior resolutiua definitiua. Quod enim finis est in scientiis speculatiuis, verū est, & quod verum, finis; & in actiuis quod bonum, finis, & contrà. Propinquior autem est resolutiua ipsi bono, & vero, quam definitiua, incipit enim illa à fine statim, hæc ad finem tendit. Quare Mōtani rationes, & interpretationes ad rem nostram non faciunt.

Montanus confutatur.

Methodus quid.

Quòd autem Manardus dicit, resolutiuam eo digniorem esse, quòd à notione finis nempè causę diuinæ, & nobilissimæ exordium sumat, nequaquam recipiendum est. Primum id ad doctrinæ præstantiam non facit, quòd initium capiat à re nobilissima: si enim vna sit doctrina, quæ à re nobiliore incipiat, in docendo tamen deterior sit alia, profectò non iudicabimus præstantiorē eam esse, quæ nobilius habet principium, alioqui non erat quod reprehenderet Leoniceni opinionem, qui ab eo, quod incipit, resolutiuam præferendā definitiuæ docet. Deinde cum ait, finē causam esse nobilissimam, concedimus quidem inter causas finalem præstantissimam esse; sed nos hoc loco non comparamus causas inter se, sed finem artis definitione: nec finem vt finalem causam cōsideramus, sed vt id, à quo resolutio incipit. Addo quod definitio finē, & alias causas in se continere potest. Quare & præstantior solo fine iudicabitur. Non ergo hoc modo doctrinarum præstantiam expendere oportet, sed ex eo, quod est ipsis doctrinis proprium. Est autem doctrinæ proprium, vt doceat: quare ea præstantior erit, quæ ad plura eademq; melius docēda est accommodata. At resolutiua (vt antea diximus) idonea est ad artis constitutionis modum ostendendum, ad artem ipsā constituendam, & tradendam: definitiua autē ad docendam solum artem vtilis. Est quoque certior, & artificiosior (vt postea ostendemus) resolutiuæ progressus. Quare merito hæc definitiua pręstantior est censenda. Quod si dignitatē illius augere velis ex inuentione, nempè quod illa artis inuentioni, & constitutioni seruiat, vt laus, & dignitas rerum inuentoribus datur; hoc quoque argumentum erit, omnibus modis præferendam esse resolutiuam definitiuæ. Docendi methodo resolutiuam doctrinam etiam præstare definitiuæ pronunciat Galenus. siue autem per methodū intelligamus certā docendi viam, in qua aliquid necessario primum, aliud secundum, & sic deinceps ex rei natura constituatur; siue artificiosum progressum in docēdo; siue difficilem, in quo virtus, & dignitas quoque consistit; vel quocunq; modo methodus sumatur, melior ea, & exactior in resolutiua, quam in definitiua apparet. Cuius quidē rationem Curtius non bene reddit. Dicit n. eo id fieri, quoniam docet, qua via medicina sit constituēda. Non n. de particulari vno effectu, quem resolutiua præstat, certitudinem, & præstantiam methodi colligere debemus: quippe cum liceat aliud ex definitiua assumere, quod illi æquiualeat: veluti si dicamus definitiua docet, qua via medicina per compendium explicanda sit, ita vt par hac ratione sit commodum, quod ab vtraque pręstatur. Videtur autem Curtius methodi vim non intellexisse, cum illius mentionē nō faciat: sed illius loco dicat viā excellere resolutiuā, quia docet, qua via constituatur medicina. licet enim (vt diximus) idē de definitiua dicere: præstat definitiua resolutiuæ via, quoniam viam docet tradendę artis per compendium. Ab eo ergo, quod ipsi doctrinæ est proprium in docendo, vt dignitatem: sic methodi præstantiam colligemus, dicemusque certiorem artificiosioremque methodum in resolutiua esse, quàm in definitiua: quoniam id, vnde incipit, certius est. Est enim vnus medicinæ finis: definitiones autem plures esse possunt: ad certitudinē autem doctrinę plurimum confert id, vnde doctrina auspicatur: etsi ad illius præstantiam nihil id (vt antea diximus) faciat. Vt autem certum est initium, ita certus ordo instituitur: nec etiam si vnam definitionem semper assumas, tam certum ordinem seruare potes in definitiua doctrina, ex ipsius doctrinæ natura, vt in ipsa resolutiua: hæc enim siquidē natura exigit, vt à fine primo extrahātur quæ vel illi propinquiora sunt, vel quæ primo ad artē consequendam sunt necessaria, vt antea ostendimus: definitiua autem hunc ordinē his, quæ tractantur, necessariū non imponit. Cur n. in definitione corpora prius assumamus, quam signa, aut causas, ex definitiua doctrina nequaquā patet. Idcirco Galenus post definitionē medicinæ sibi ordinem statuit, quē in hac doctrina vult obseruare: tanquam ex ipsa doctrina nulla necessitas prioritatis, & posterioritatis nobis imponatur. Ergo cū resolutiua meliorē ordinē, id est, necessarium secū contineat, & à certiore initio exordiatur, merito methodo præstat. Est quoq; methodi præstātiæ argumentū, quod artificiosior sit illius progressus. Nā resoluere semper difficillimū existimauerūt Peripatetici. explicare aūt definitionis propositæ partes, nouerūt etiā rudiores. Virtus autē cuiuscunque rei (vt diximus) circa difficile versatur.

Manardus confutatur.

Doctrinæ proprium quid, & cur resolutiua sit præstantior definitiua.

Virtus cuiuscunque rei circa quid versetur.

Et

Et hæc quidem satis de præstantia, & methodo duarum doctrinarum.

Τοσοῦτον ἂν ὠφελοῦσαν εὑρήσεις, εἰς σύνοψιν τοῦ ὅλου καὶ μνήμην τῶν κατὰ μέρος. ἱκανῶς μνημονεύεται γὰρ ῥᾳδίως ἐκ τῆς τοῦ ὅρου διαλύσεως ἅπαντα, διὰ τὸ περιέχειν ὅλης τῆς τέχνης ἐν ἑαυτῷ τὰ κεφάλαια τὸν ἄριστον ὅρον.

Tantum & ad totius compendiũ, & ad singulorũ memoriã præstare inuenietur: sufficienter enim ac facillime memoriæ commendãtur ex definitionis dissolutione vniuersa: quoniam totius artis capita, in se optima definitio complectitur.

In quibus definitiua doctrina vincat resolutiuam.

Cum antea docuerit Galenus, quæ in re resolutiua doctrina superet definitiuam: nunc docet, in quibus vincat definitiua resolutiuam. Vincit autem ad totius compendium, & singulorum memoriam. Hanc autem præstantiam probat, quoniam, inquit, sufficienter, ac facillimè memoriæ commendantur ex definitionis dissolutione vniuersa; quoniam totius artis capita in se optima definitio complectitur. Quæ verba probant quidem, ad memoriam, & compendium facere hanc doctrinam: sed non eo modo, vt alii expositores tradunt. Nam illi hæc omnia verba ad vtrumque referunt nempè ad compendium, & memoriam. Quod quidem fieri nequaquã debet. Nam quod totius artis capita in se optima definitio complectatur, non probat ad memoriam præstare huiusmodi doctrinam. non mirum, cum ex illius dissolutione multa resultare possint membra, quæ facilè memoriæ mandari nequeunt. Præterea tota hæc dictio, in qua dicitur: *sufficienter enim ac facillime memoriæ commendantur, ex definitionis dissolutione vniuersa*: solum probat ad memoriam præstare eam doctrinam, non autem ad compendium. Quare cum duo proposuerit, vtriusque separatim rationem reddit. Prima enim verba probant illam facere ad memoriam: alia vero probant facere ad compendium. Si enim facilè commendantur memoriæ ex definitionis dissolutione vniuersa, merito ea doctrina, quæ hoc facit ad memoriam, apta iudicabitur; eadem si ex definitione fit complectente in se totius artis capita, ad compendium erit idonea. Hæ quidem sunt Galeni rationes, quæ (vt diximus) separatim sunt accommodandæ rebus propositis; sed meo quidem iudicio non probant, quod ille instituit: probant vtique talem doctrinam facere ad compendium, & memoriam; sed non magis, quam resolutiuam. Præterea eodem argumento licet probare resolutiuam idem præstare posse, quod definitiua efficit. Nam sicut dicit definitiuam facere ad memoriam, quia in se definitio continet omnia artis capita, & vniuersa, quæ nascuntur ex *dissolutione* definitionis, facilè memoriæ mandari possunt: sic finis medicinæ, qui breuioribus verbis, quam definitio ipsa exprimitur, & capita, quæ ex finis resolutione nascuntur, quæ plura non sunt, quàm illa, quæ ex definitione emergunt, possunt memoriæ facile mandari. Addo, quòd liber de constitutione artis, in quo resolutiuam doctrinam Galenus facit, multo breuior est hoc ipso in quo definitiuã tractat. Nec dicendum est, autorem illic solum capita tradere voluisse, hic vero omnia prosequi velle: quandoquidem paulò postea scribit, se hic etiam solũ capita prosequi.

Cum ergo idem sit institutum, diuersa autem doctrina, prolixitas vero maior in tractatione illius operis, quam in alio, quo pacto (quæso) credemus, quod ille scribit, hanc doctrinam ad memoriam, & compendium alia aptiorem esse? Mihi certè videtur efficacior ratio excogitanda, quam ea sit, quæ à Galeno affertur. Nam quòd vtraque doctrina possit fieri æquè prolixa, aut plus etiam, vel minus pro arbitrio doctoris prosequentis eodem modo omnia, aut addentis in vna, quod in alia detrahit; certum omnibus esse puto: verum quod suaptè natura definitiua aptior sit ad compendium & memoriam, sic doceo: *Breuior est illa doctrina, quæ vnum duntaxat præstat, alia, quæ plura debet facere; at definitiua supponit artis, & partium illius inuentionem, easque inuentas solum explicat & docet: Resolutiua vero primum extrahit partes argumentatione ab ipso fine, & ostendit necessitatem singularum partium: atque ita artem ex suis partibus constituit, postea vero eas enarrat, & exponit. Igitur cum tria faciat necessario resolutiua, partes inquam artis eruat à fine, artem ex partibus suis constituat, easdemque explicet, merito longior est, quàm definitiua, quæ solum docet artem.*

Definitiuã doctrinam resolutiua breuiorem esse sua natura.

Constat ergo per vtramque doctrinam non solum artis capita, sed etiam omnia particularia doceri posse, adhibitis demonstrationibus, diuisionibus, & aliis instrumentis logicis, necessariis in singularum explicatione. Doctrinam tamen definitiuam suaptè natura aptiorem esse ad compendium totius, vel, vt significantius Græcè dicam, πρὸς σύνοψιν, id est, ad totius intuitum, simul factum. Est autem ad id aptior aliis hæc doctrina, non quòd vno intuitu vniuersam artem explicet, & proponatur definitio & diuidatur, atque ita collocentur illius partes, vt in breuissima tabella omnes possint simul intueri, vt Montanus arbitratur. Nam hæc probant quidem idoneam esse huiusmodi doctrinam ad compendium: sed non magis quam resolutiuam, in qua potest etiam huiusmodi breuissima tabella constitui, & in ea conspici omnes artis particulæ, quæ à fine eliciuntur: sed (vt diximus) huius rei ratio est, quòd vnũ duntaxat præstet doctrina definitiua, & illud quidem appositè, & suaptè natura breuiter. Porrò ad memoriam, & reminiscentiam quoque particularium eadẽ in doctrina resolutiuam superat (inquit Galenus) sed quomodo id dicere potest, cum particularia se nolle tradere, sed solum capita artis idem autor proponat? Ratio autem est, quòd particularia in vniuersalibus illis capitibus potentia cõtineantur. Itaquè cum vnicum habeat caput doctrina, nempè definitionem ipsam, à qua omnia alia pendent, cum ipsam definitionem memoria tenemus, recordabimur simul omnium eorum, quæ à definitione ipsa emanant. At cum ex illius dissolutione pauca capita statim resultent, illa facilius, quã in doctrina resolutiua memoriæ mandari possunt, & in eam redire, si fortasse exciderint. Nam etsi ea vnum etiam habet caput, quo omnia ad artem pertinentia potentia continet, nempe finem artis; tamen quia illa non statim exponi possunt, & enumerari, sed argumentatione varia est opus, tum ad inueniendas (vt diximus) tum ad exponendas eas partes, necessariò longiorem tractationem facit. Quare ad memoriam & reminiscentiam est ineptior.

Est quidẽ hæc ratio eorum, quæ pertinent ad

dignitatem, & vim doctrinæ resolutiuæ & definitiuæ. Sed quoniam Galenus omittit comparationem doctrinæ compositiuæ cum prædictis, operæ pretiũ esse duco (ne quid in hac tractatione desit) pauca prius, quàm alia prosequamur, de hac re subijcere. Qua quidem in re Leonicenus tradit resolutiuam præstantiorem esse compositiua: nẽpe in hoc, quod inueniat, & artem constituat: in hoc vero superari, quatenus inuenit ad hunc finem, vt compositiua postea ea componat, & copiosius doceat. In quo quidem meritò à Manardo refellitur, quòd petat principium. Non enim ex hoc patet, quænam dignior ex illis sit: nimirum, cum vna aliam mutuo vincat. Secundò quod male sentiat resolutiuã sibi finem statuere compositiuam, quod scilicet inueniat artis partes ea ratione, vt à cõpositiua postea prolixè explicentur: quandoquidem per resolutiuam potest non solum inueniri; & per capita doceri ars; sed etiam copiosissimè explicari: Imò quicquid boni habet compositiua, illud à resolutiua capit; tolle enim resolutiuam, nihil habebis quod componas. Ego verò puto iisdem argumentis resolutiuam superare compositiuam, quibus eandem præstare definitiuæ ostendimus: nempe quod artis partes inueniat, artem constituat, doceat, & quod omnium prima sit, atque artificiosior: compositiua autem solum artem docere possit, minusque artificioso progressu. *Qui enim resoluere nouit*, inquit Philoponus, *nouit & componere, non è contra*. Porro compositiua definitiuam præcedit dignitate, & methodo: quoniam à simplicioribus progreditur, & certior est: quippe cum ea cogatur explicare contrario ordine, quę resolutiua inuenit. Quare illa ad artes docendas omniũ est aptissima, vt quę ab elemẽtis, & principiis rerũ, quæ tractantur, exordiatur, ex quibus facilis, vera, & demonstrationibus plena doctrina euadit. Vnde videmus eos, qui aliis præstiterunt in scribendo, tradendoque aliqua arte, hoc maximè nomine præferri, quod compositiuam doctrinam obseruauerint. Quod si Galenus, vt Arist. in philosophia, sic in medicina compositiuam doctrinã fecisset, non toties repetitæ de eadem re sententiæ inuenirentur, nec tot controuersiæ, nec tanta loquacitas, & Asiatica redundantia in illius libris extarent.

Doctrina compositiuæ cũ aliis comparatio, & Leoniceni de hac re opinio.

ὥσπερ τινὲς καὶ οὐσιώδη ὀνομάζουσιν, ἀντιδιαιρούμενοι τῆς ἐννοηματικῆς προσαγορευομένης. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων οἷς ὁρίζονται πράγμασιν, αὕτη δὲ ἀπὸ τῆς οὐσίας αὐτῆς συνίσταται.

Quam quidem substantialem vocãt ex aduerso distinguentes ab aliis, quæ notionales vocantur. illæ siquidẽ ab his, quæ accidunt, rebus definitis, hæc verò ab ipsa essẽtia constituuntur.

Ne quis putaret omnem definitionem eas prærogatiuas habere, quas superius doctrinæ definitiuæ orienti ex definitione tribuit, nunc docet, quam definitionẽ intelligat. Illamq; dicit esse essẽtialem, nõ autem nominalẽ: sic.n. loco notionalis legi debet. Non probat autem substantialẽ definitionẽ omnia artis capita in se continere, sed id facile est ostendere. Si.n. vt *septimo Metaph. & secundo Posteriorum* scribit Arist. ea est optima definitio, quę per omnes causas assignatur, profectò substantiã rei perfectè declarabit. Si præterea definitio essentialis ex genere & differẽtia constituitur, differẽtiæ autẽ sumantur ab ipsa essentia rei, & ex eodẽ genere, ex quo est res, quę definitur, cõstat vtiq; rem totã, quæ definitur, definitione cõprehendi. Sed quoniã differentias illas ignoramus & proprias cuiuscunque rei formas, cogimur ex primaria actione, ad quã aliæ omnes cõspirant, illas assumere. Item à substantiarũ partib. essentiales differentias sumimus: sunt.n. partes teste Arist. de substantia totius, & hæ quidẽ sunt verè essentiales definitiones, quæ vel à primaria actione, vel à partibus rei, quę definitur, differentias capiunt. Sequũtur deinde definitiones, quę sumitur à proprietate rei, à causis, ab officiis, effectis. Cęterũ accidentales definitiones quę & descriptiones dicũtur, ab accidentibus rei, quæ definitur, & nominis significatione differentias assumũt. Est autem substantialis definitio quæ infra traditur à Galeno, vt postea probabimus, quoniam à partibus artis sumit differẽtias. Quia ergo huiusmodi definitio capita & artis partes, nẽpe corpora, causas, & signa cõprehendit: ideo essentialis est, doctrinãq; reddit ad compendiũ, & memoriã aptã; sed (vt diximus) hæc non probant illam aptiorem esse resolutiua.

Differentiæ à quibus sumantur.

Definitiones quotuplices.

Ἡ δὲ κατὰ μέρος ἐξεργασία συμπάσης τῆς ἰατρικῆς θεωρίας ἐν πολλαῖς ἡμῖν ἑτέραις γέγραπται πραγματείαις, αἷς ἔξεστι χρῆσθαι πρὸς τὰς τρεῖς διδασκαλίας.

Elaborata autẽ est à nobis particulatim, & in pluribus conscripta tractatibus totius medicinæ contemplatio, qua vti quis possit ad triplicem doctrinam.

Respondet Galenus tacitæ dubitationi. Cum enim antea dixisset, definitiuam doctrinam, quam tradere instituit, solum artis capita continere; posses aliquis dicere, se non posse medicinam scire, & discere ex hoc libro. Respondet Galenus, verum id esse: facilè tamen suppleri posse ex aliis omnibus libris, quæ ad plenam doctrinam hic faciendam, & capita explicanda desiderantur. Dicit autem; nos illis libris vti posse ad tres doctrinas. Ex quo manifestè Curtii, & Leoniceni opinio refellitur; qui tradunt in aliis libris, hoc excepto, & eo, qui inscribitur de constitutione artis, medicinam per compositiuam doctrinam à Galeno doceri. Quomodo enim ad supplenda, quæ desunt in compositiua doctrina, aut ad ipsam doctrinam compositiuam faciendam vti possumus illis libris, si illi met doctrinam compositiuã faciunt: nisi eundem librũ ad sui supplementũ facere dicamus, quod est absurdum. Vti autem quis potest ad tres doctrinas, ex illis, sumendo, quæ ad vnam quamq; faciendã sunt accõmodata, materiãq; suppeditant necessariè in singulis doctrinis tradẽdis.

Curtii & Leoniceni opinio refellitur.

Ἀλλὰ νῦν γε τῆς ὁριστικῆς ὑφεξόμεθα, τοῦτο ὅτι προσθέντες ὡς μόνα τὰ κεφάλαια.

Nunc verò definitiuam aggrediemur, hoc solum apponentes, quòd solum capita.

Repetit quod supra dixit, proponitque iterum suum institutum, quod antea plenè non fecit. Nã antea proposuit, se velle facere doctrinam definitiuam, sed modum non docuit quem tenere instituit. Id quod nunc faciet, quod scilicet hic velit

velit solum capita & veluti cōclusiones eorū, quæ alibi prolixè sunt demōstrata, in hac doctrina tradere, ita, vt si quis medicinæ compendium tenere velit, in hoc opere inuenire possit; quod quærit. Si quis vero tractationem, quæ per diexodon fit, requirat, illum accedere oporteat ad alia volumina. Quid autem sit doctrina, quæ per diexodon fit, Manardus explicare conatur, quod scilicet ea sit, quæ cuncta explicat latè, & profusè: nullo tamen testimonio ad hanc rem confirmandam vtitur, cum tamen locus sit apertus *lib. 1. de alimentis cap.* de phaselo, vbi doctrinam, quæ per diexodon fit, opponit ei, quæ succinctè & breuiter omnia complectitur.

Doctrina per diexodon sit, quid.

Καὶ εἶον συμπεράσματα τῶν κατὰ διέξοδον ἀποδεδειγμένων ἑρμηνεῦσαι.

Veluti conclusiones eorū, quæ alibi latiùs sunt demonstrata, nunc à nobis dicentur.

Non enim propriè sunt cōclusiones, sed per similitudinem quandam, quòd paucis verbis concludant & contineant, quæ in vniuersis aliis libris sunt demonstrata. Verum contra id dubitare licet; multa enim, inquit Curtius, hic diffusius explicat Galenus, quàm in aliis libris, vt ea, quæ pertinent ad signa salubria, insalubria, & neutra, generatim, & particulatim ad dignoscendam temperiem cerebri, cordis, hepatis, ventriculi, & aliarum partium. Quare dictum hoc per capita & veluti conclusiones ita ille explicat, quod scilicet velit per capita ea tradere, quæ alibi sunt diffusius pertractata, alia vero minimè. Cuius quidem opinio refellenda est. Nam hoc reddit doctrinam difformē. Præterea id est præter institutū autoris. Non enim ipsam medicinam in hoc opere docere proponit, sed quo pacto per doctrinā definitiuam medicina explicari valeat: ad quod sufficiūt capita, superfluumque esset, si vniuersas artis partes prosequeretur. Dicendum ergo, non sequi, *De quibusdam prolixius tractat hic, quàm alibi: ergo alicuiusm compendium non est liber*: à maiore enim parte denominatio fieri debet. Nam hac ratione negaremus artem curatiuam ad Glauc. esse compendium method. med. quippe cum multa illic prolixius doceat, & multa attingat, quorum mentio nulla facta est in methodo. Negandum quoque illud est, de signis hic vberius tractari, quàm in omnibus aliis libris. Summa enim capita hic exactius docentur, plura tamen de illis in aliis operibus continentur. Possumus & aliter respondere, non sequi, prolixius quædam hic tractari, quam alibi. Ergo per compendium non tradi, quæ hic docentur: quippe cum dicantur illa compendio tradi, quæ absque demonstratione, & probatione procedunt, & solum rei summam continent.

An solum hic conclusiones explicet autor. Curtii opinio, quæ damnatur.

Ars curatiua ad Glauconem esse compendium meth. med.

Quænam sit natura & vis vniuscuiusque doctrinæ à Galeno propositę, satis ostensum esse puto. At non perinde illud constat, an tres solum sint huiusmodi doctrinæ. Nam tres eas esse, proponit quidem autor: sed nec ille, nec eius interpretes aliquam rationem adhibent, qua hunc ternarium numerum perfectum esse cōcludant. Nam etsi diuisionem, demonstrationem, & alia docendi instrumenta recte aliquis item excludunt: tanquam particularia instrumenta non apta ad vniuersam aliquam facultatem explicandam; nunquam tamen efficient, quin diuisiua doctrina idē præstare possit, quod vna ex illis tribus facit. Sicut enim per resolutionem finis medicinæ, aut compositionem illorum, quę per resolutionem sunt inuēta, ac per definitiuam doctrinam proposita medicinę definitione, eademque postea explicata, medicinæ omnes partes enumerare, tradereque possumus: sic per diuisiuam doctrinam quid idem fieri prohibet? Nam si quis à diuisione medicinę exordiatur, diuisasque partes sigillatim explicet, & prosequatur, hic profectò docebit, seruato optimo ordine, ita, vt nihil omittatur, quod ad artem faciat, si quidem diuidendo vniuersaliores partes, semper primæ ad manum veniant, particulariores deinde, vsque ad infimas. Quæ quidem doctrina, vt antea ostendimus, perfecta, & optima est: siquidem alias tres supradictas doctrinas perfectas, & optimas esse censemus hoc nomine, quod vniuersam artem certo ordine à principio vsque ad finem tradere sint aptæ. Nec arbitror quidem aliorum argumenta, & subterfugia, qui ternarium hunc numerum doctrinarum tuentur, diuisiuam doctrinam excludere. Curtius enim ad definitiuam diuisiuam redigi scribit, immo eandem esse cum definitiua, quod falsum esse patet. Nam si definitiua ab ipso etiam dicitur esse, quæ artis definitionem proponit, ab eaque exorditur: profectò nos qui à diuisione tractationem auspicamur, definitiuam doctrinam non facimus. Leonicenus autem ad aliam reduci scribit, nempe ad resolutiuam: quoniam, inquit, eodem ferè ordine partes artis per ordinem resolutiuum, vt per diuisiuum inueniuntur. Cuius argumentis respondet Manardus, meritoque illius rationes, vtpote nullius momenti, refellit. Et sanè aliud est resolutiua doctrina, aliud diuisiua. Nā resolutiua à finis notione incipit. Diuisiua autem à generalissimis, & maximè à fine distantibus. Item qui resolutiuam doctrinam facit, à fine inuēnto ad ea, quæ in fine postea continebantur, progreditur. Contra qui diuidit, finem ipsum quærit, & ea explicat, quæ ad finem consequendum sunt necessaria. Ad hæc qui resoluit, vnam solum partem à fine extrahit per singulas resolutiones. Qui autem diuidit, duas ad minus semper assumit. Præterea qui diuidit, descendit: qui resoluit, ascendit. Vnde resolutionem antea definiuimus ex opinione Peripateticorū, ascensum & reditum in principia: diuisio autem, vt satis constat, à supremis generibus incipiens, in vltimis speciebus desinit; vbi Plato quiescendum esse iubet, denique multis aliis modis resolutio à diuisione, & resolutiua à diuisiua doctrina discrepat, ita, vt vna sub alia intelligi non possit. Manardus autem ita respondet, diuidere nos non posse, nisi adsit, quod diuidamus. Diuisionem autem ipsam aliis tribus doctrinis ancillari, cum in qualibet illarum, diuisione sæpe vtamur: vnde non esse quartam doctrinam statuendam ipsam diuisiuam: sed aliarum ministram. Quod autem scribit, non posse nos diuidere, nisi adsit, quod diuidamus, certum est, sed quorsum id scribat, non video. Si enim id fortè ea ratione dicit, quod diuidere non possimus artem, nisi sciamus quid ars sit, & ob id definitionem artis proponendā esse in arte ipsa per diuisiuam doctrinam tradenda, neque ob id nos posse à diuisione artis incipere, sed à definitione: respondebimus, eadem ratione nos non posse resolutiuam doctrinam facere in medicina, nisi adsit

An tres solū sint doctrinæ positæ à Galeno. Diuisiuam doctrinam quartam esse doctrinam.

Curtii opinio de diuisiua doctrina.

Leoniceni de eadem opinio.

Resolutiua doctrina quomodo à diuisiua differat.

Manardi opinio.

definitio ſanitatis, quam reſoluere volumus. Sic nec compoſitiuam inſtitui poſſe, cum medicina etiam componi nó poſſit, ſi quid ſanitas ſit, ignoremus: oporteret ergo hac ratione in reſolutiua & compoſitiua definitiones præmitti. & reſolutiuam, compoſitiuamque à definitione ſanitatis ordiri. Quæ cum non fiant, ſed ſupponantur, quæ ad definitionem pertinent, in vtraque harum doctrinarum, concedemus etiam medicinæ definitionem ſupponendam, cum diuiſiuam inſtituimus doctrinam. Erit ergo quod diuidamus, medicina. ſ. ipſa. Illud autem, quod ſcribit, diuiſionem ſubſeruire reliquis tribus doctrinis, nos nequaquam negamus: ſolent enim docendi inſtrumenta ſibi mutuo famulari. Sed propterea id non facit, quin aliquádo dominari poſſit diuiſio. & quartum ſibi locum vna cum aliis tribus doctrinis aſſumere. Nam & definitio & reſolutio & compoſitio propria quædam ſunt inſtrumenta, quorú vſus eſt in ſingulis doctrinis. ex illis tamen doctrina fit huius generis, de quá agimus: quoniá ab illis alicuius facultatis integram tractationem auſpicamur. Addo quod ille temerè ad diuiſionem referat, quod ad doctrinam diuiſiuam pertinet. Eſt quidem diuiſio peculiare quoddam inſtrumentum ſubſeruiens vniuerſalioribus his doctrinis. At nos de diuiſione nequaquam agimus: ſed de doctrina diuiſiua, ſicut nec de definitione, quæ (vt diximus) inſtrumentum quoque eſt, quo opus habent tres doctrinæ à Galeno propoſitæ, ſed de definitiua doctrina, quæ aliud eſt, quam ipſa definitio. Par ergo eſt in his ratio, probandumque erat, non per diuiſionem, ſed per diuiſiuam doctrinam, quam fieri dicimus propoſita artis diuiſione, & adhibita ſingularum partium explicatione, medicinam & alias artes certo quodam ordine doceri non poſſe. Nec quæro, an doctrina diuiſiua ab ordine diuiſiuo, vel methodo diuiſiua differat. In quo ille nulla ratione maximam vim facit; tametſi nos antea horú diſcrimen oſtendimus: de re, non de nomine litigamus, diſputamusq́; an per diuiſiuám doctrinam, id eſt, incipiendo à diuiſione, tradi poſſit certo ordine ars aliqua, vt à cópoſitione, reſolutione, & definitione inchoando, idem fieri dicimus: cætera vero, quæ Manardus affert ad numerum trium doctrinarum confutandú, nullius ſunt momenti. Nam quod ait Celſum medicinam, Priſcianum grammaticen, Ciceronem rethoricam certo ordine ſcripſiſſe, nullam tamen ex his tribus doctrinis obſeruaſſe, facilè reſelli poteſt. Nam Celſus medicinam vniuerſam nequaquam ſcripſit, & ea, quæ attingit, nullo certo, & (vt dicimus) eſſentiali ordine proſequitur. Cicero autem & Priſcianus, etſi exactè ordinem, quem quærimus, nequaquam obſeruarút: vt qui docédi rationem parum in logica, & philoſophia veriati licentiorem ſectantur: ordinem tamen competitorium æmulantur. Quod verò idem dicit, ordinem ſcribendi, & docendi aptiſſimum fore, quem in mundi fabrica ſummus rerú opifex obſeruauit; nos negamus ex tali ſcribendi ordine doctrinam eam fieri, quam quærimus, conſtantem ex ordine quodam ſcientifico, in quo priora, ſequentibus lucem afferunt; ſed potius hiſtoriam quandam eſſe, quæ res eo modo exponit, quo geſtę ſunt. Nec in Aphoriſmis huiuſmodi aliqua doctrina reperitur. Græci etiam expoſitores, cum demonſtratiuam doctrinam addunt,

Celſum nec vniuerſam ſcripſiſſe medicinam, nec vllum certum ordinem in ſcriptis ſuis obſeruaſſe.

nostras doctrinas non tractant: ſed particularem quandam, nequaquam accommodatam ad vniuerſam aliquam facultatem explicandam.

Tres ſolum eſſe doctrinas quomodo alii probent.

Qui autem ternariú hunc doctrinarú numerú tueri volunt, non ſolum conátur reſpondere obiectionibus, quod (vt diximus) infeliciter faciút in doctrina diuiſiua; ſed etiam quibuſdam rationib. concludere, & firmare hunc numerum ſtudent.

Leoniceni opinio.

Nam Leonicenus ita argumentatur: aut ſcientia explicatur eo ordine, quo inuenitur, & eſt reſolutiua: aut contrario, & eſt compoſitiua; aut definitur ſcientia, & in docendo ſeruatur ordo partium definitionis, & eſt definitiua: probant hæc quidé, tres iſtas doctrinas aptas eſſe ad artem aliquam ordine docendam; non tamen efficiunt, quod tres ſolum ſint. Licet enim dicere: aut diuiditur ſcientia, & ſeruatur ordo partium in diuiſione ſumptarum, ergo & diuiſiua eſt doctrina.

Manardi opinio.

Manardus auté ad hanc rem confirmandam ita agit. *Doctrina ordinata, de qua Galenus hic loquitur, eſt, quæ exordio a certo initio ſumpto, ad ſecundum & tertium, & deinceps progreditur, donec vniuerſa theoremata certo ordine enarrauerit. At à tribus ſolum ordinata doctrina initium ſumere poteſt, quod verè initium ſit, & vt quadam concludat omnia ad artem attinentia, terminique rationem habeat. Hæc autem duo ſcilicet verum initium & terminus in tribus tantum rebus inueniútur, nempe in principiis, fine, & definitione, quæ & terminus dicitur. Tres ergo tantum ordinata doctrinæ.* At hæc ratio vel nullius momenti eſt; aut ſi recipitur, non tamen excludit diuiſiuam doctrinam. Cum enim principium neceſſario ſumat pro eo, à quo ordiri commodè poteſt doctrina, ita vt priora ſequétibus lucem afferant; Diuiſio huiuſmodi principium ſtatui meritò debet. Non enim principium ſumere poteſt. quod ad alia probanda in argumentatione ſumitur, plura enim talia ſunt principia, quam tria: ſed pro eo (vt diximus) à quo doctrina ita exorditur, vt perpetuum quoddá filum ſeruare poſſit, inter quæ diuiſio cum aliis locum ſuum habet.

Montani opinio.

Montanus autem alia ratione hunc ternarium numerum aſtruere, concludereque conatur, ad hunc modum. *Coordinatio*, inquit, *rerum, & entium ex Ariſtotele 10. cap. 11. Metaphyſices, in ſcientia ſe habet, ſecundum ſub, & ſupra: ita vt vnum habeat rationem prioris, aliud poſterioris, fitque hæc ordinatio duobus modis: vt ſi ab inferioribus ad ſuperiora, vel è contra progreſſus fit. Alia coordinatio eſt*, inquit, *quando habemus aliquid primum, & ſupremum, ad quod alia omnia referuntur, quæ inferiora ſunt. Qualis coordinatio in principatu & regnis apparet, vbi omnia ad vnum principium & regem referuntur. Sic igitur in rerum natura tres ſunt iſtæ ordinationes, cauſa ſcilicet ad cauſatum, & huius ad cauſam, & vnius principis ad ſubiectos, ſic*, inquit, *in ſciétia tres iſtæ habitudines reperiuntur. Si enim habitudo principati ad principia ſeruatur, tunc ordo reſolutiuus fit: Si vero principiorú ad principiata, compoſitiuus: Quando autem ita ordinamus, vt nó ſit habitudo prioris ad poſteriora, vel è contra, ſed ad principem vnú, tunc ordine definitiuo vtimur, qui & in hoc libro eſt princeps. Eſt igitur ordo definitionis, qui eſt ratione alicuius prioris, ad quem omnia referuntur. Cum igitur nec plures coordinationes, ſiue habitudines ſint rerú inter ſe; nec plures vtique erunt ordines: Ac in qualibet doctrina, quæ per eſſentiam ſuam ſiue per eſſentialia ſua docetur, alterum horum*

trium

triũ semper inerit. Hæc sunt, quæ Montanus ad verbum, & doctè quidem tradit: sed tamen diuisiuam doctrinam non excludunt. Si enim illi etiam concedamus, tres solũ hos ordines in rei natura reperiri: tamen oportebit illud ostendere principis, & regis vicem solam definitiuam habere posse. Hoc enim modo quod vult, fecisset. Verum cur mihi non liceat dicere: vt ad vnam definitionẽ medicinæ omnia referuntur, ita ad vnã diuisionẽ. Cum duo ergo sint in doctrinis, quæ Principis rationem habere possunt, definitio, & diuisio; erunt ergo & duæ doctrinæ, quæ hunc ordinẽ obseruabunt, qualem inter Principem, & subditos esse videmus.

Akachia opinio.

Akachias idem etiã, quod alii, efficere nititur: sed frustra, nulloque necessario argumento. Argumẽtatur enim ad hunc modũ: *Aut artem eo ordine quo inuenitur docemus; idquod ex finis notione per resolutiuam doctrinam fit: aut à contrario ordine ad finem redimus, idquod fit per compositiuam: aut definitionem artis in suas partes dissoluimus; & tunc definitiua doctrina est. Quare tres erunt omnino ordinatæ doctrinæ.* Quis non videt consequentiam huius argumentationis nullius esse momenti? oportebat enim antea probare, non posse reperiri alium docendi ordinem: id quod non facit. Probat siquidem tres istas esse: non tamen id, quod plures nõ sint. Quare frustra postea colligit, tres istas duntaxat doctrinas esse. Cum ergo nullis rationibus stabiliri possit ternarius hic numerus doctrinarum, neque excludere possim' diuisiuam doctrinam; relinquitur quatuor esse doctrinas ordini inhærẽtes, id est, per quas seruato perpetuo quodam ordine & filo, à principio vsq; ad finem, artem aliquam docere possumus. Non posse autem plures esse, nullis argumentis concludere possum: nisi quod cogitare aliũ nõ possumus.

Cur Galenus tres solum posuerit doctrinas.

Cur autem Galenus tres solũ enumerauit, nulla ratio à nobis afferri potest, nisi quod fortè ita putauerit, vel *quod definitiuam parum à diuisiua abesse crediderit*: si enim definitionem medicinæ non ascribas, in reliquis omnibus similes illę sunt, quippe cum vtraque diuisione omnia explicet ordine quodam, quæ ad totam artem pertinẽt. Vel ita intelligendum est, tres solum esse doctrinas *necessarias, & quæ separatum vsum habent. Nam resolutiua inuentioni, & constitutioni seruit: compositiua explicationi scientiæ: definitiua ad compendium.* In arte autem tradenda nihil quartum requiri potest necessarium, cum sit id, ex quo ars inueniri, constitui, rectè doceri, & colligi in compendium potest. Quare etsi per diuisiuam doctrinam tradi valet ars: tamen quoniam receptis illis tribus, quæ omnes vsus explent, superfluo alia quæritur; ideo locus quartus illi negatur. Est hæc quidem nostra opinio de triplici doctrina: non tamen impedio, quin alii meliora excogitent. Quare ad reliqua properemus.

CAP. II. QVID SIT MEDICINA.

Textus.

Medicina.

Tractationis diuisio.

Diximus antea hunc librum diuidi in proœmium, & tractationem. Quare absoluto proœmio tractationem aggreditur.

Porrò tractatio ipsa in tres partes præcipuas secatur, & à recentioribus etiam in tres libros. A nobis vero in tres Commentarios ad Gal. imitationem, dum Hippocratis libros de morbis vulg. enarrat, quia tria sunt, quæ præcipuè in hoc opere tractantur, *corpora, signa, & causæ*: quorum singula propriam tractationis partem merito sibi vendicant. Incipit autem tractationem ipsam à definitione medicinæ: quoniam antea præfatus est, se docere velle, quo pacto medicina per definitiuã doctrinam tradi possit: quæ doctrina cum ab artis essentiali definitione incipiat, merito tractationem ipsam à definitione auspicatur: sed quoniam nos (vt antea commemorauimus) in hoc opere nullam occasionem prætermittere debemus interpretandi alios libros Galeni, quorum hic est compendium, & exponendi vniuersa, quæ ad Medici institutionem pertinent: idcirco paulò altius rem exordiemur, afferemusque in medium ea, quæ de medicina enarranda esse proposuimus.

Quæ & quot in hoc opere tractentur.

Medicinæ nomen vnde deriuetur.

Qua quidem in re primum occurrit medicinæ nomen, de quo quidem Galenus scribit, *in lib.* cui titulũ fecit, *an ars tuendæ sanitatis pertineat ad Medicum:* Illic enim annotat Medicinæ nomen à *medendo* dictum esse, & propriè solum eam partem complecti, quæ medetur, id est, curatoriam partem. Hæc enim sola diu, & primum viguit, nomenque propterea sibi assumpsit conueniens Medici officio. Postea vero conseruatrix pars & gymnastica accesserunt, easque etiam Medici sunt complexi: nomen tamen aliud quæsitum non est, quod totam hanc artem, quæ morbos profligat, & sanitatem tuetur, significet. Propriè igitur Medicina est, *quæ morbis mederi docet*, & Medicus, *qui medetur.* Hæc tamen prædicta etiam officia, vt Galenus putat, sub se comprehendit, quod quidẽ aliis artibus vsu venisse pariter idem testatur *eodem loco*, vt Geometriæ: cuius nomen non omnia officia, quæ à Geometra obeuntur, comprehendit. A prima enim parte, quæ exerceri cœpit, facultates nomen suum sumere consueuerũt: sub quo, quæ postea accesserunt, sunt comprehensæ. Atque hæc quidem de medicinæ nomine hoc loco sufficiãt, quę & ad varias medicinę definitiones & diuisiones (*vt* postea patebit) faciunt. Nunc sequitur, vt de illius origine pauca subiiciamus.

Medicina & Medicus quid.

Origo medicinæ.

Qua quidẽ in re autor Introductorii refert medicinam inuentã esse à Deorum filiis, vel quibusdam eorum propinquis, quib. Dii illam communicarunt, nempe Aesculapio ab Apolline patre edocto. Et non solum quidem medicinam, sed & alias vniuersas facultates à diis inuentas Græcos vel le scribit. Cuius opinionem nequaquam probo. Nam Arist. *in primo Metaph. & vltimo c. 2. Poster.* ex sensibus memoriam, obseruationem, experientiamque fieri scribit. Ex hac autem artes, disciplinasque omnes inchoare. Sic Galenus *lib. 1. method.* apertè testatur, medicinam *ab experientia* cœpisse. Experiendi autem occasionem *necessitas* prębuit. Cum enim homines quotidie vulnerarentur aut à serpentibus morderentur, aut aliis morbis affligerentur, coacti sunt experiri varia, quæ mundi opifex ad hominis vsus fecisse videbatur. Atque ex illis aliquos adiutos, aliquos læsos verisimile est. Qui enim in commodum remedium incidissent, non mirum si adiuti fuerint; alii autem offensi. *Necessitas* ergo primum occasionem medicinæ dedit: deinde *casus* etiam nonnihil contulit. Nam clysteris vsum ab *Ibi aue* profectum esse scribunt: hæc enim colli cute, tanquam clysteris vtre Nili aqua impleta, rostro eam sibi ipsi

Quid experientiæ occasionem dederit.

Quid Medicina.

Clysteris vsus vnde.

per anum indit, qua posteà reiecta vna cum ex- A crementis, dolore & inquietudine, qua antea laborare videbatur, liberata, occasionem dedit hominibus, vt clysteribus vterentur. Sic suffusionũ curam docuit *capra*, quæ ea laborans iunco aculeato in oculum immisso, visum recepit. Auxit deinde rem, quod scribit Herodotus, antiquos tunc solitos fuisse ægros per compita exponere, qui à prætereuntibus rogabant, an aliquando morbis, quibus ipsi affligebantur, laborassent, quibusve remediis liberati fuissent. Plinius etiam tradit ægros ad Deos, suos morbos referre consueuisse, quod & nunc facimus religiosa opinione adducti, ac liberatos scribere in templo eius Dei lapides, qui auxiliatus fuisset, quibusq; remediis auxilium cepisset. Superuenit postea Aesculapius, B qui, vt ait Celsus, inter Deorũ numerũ receptus est: quod medicinam adhuc rudem, & vulgarem paulo subtilius excoluisset: cuius duo filii, Podalirius & Machaon, bello Troiano Agamemnonẽ sequuti Chirurgiam diligentissimè excoluerunt, & præcipuè illam partem, quæ vulneribus medetur. Ea (vt inquit Plinius) *postea vsque ad bellum Peloponnense quasi densissima in nube latuit.* Quo tempore Hippocrates eam in lucem reuocauit ex scriptis, quæ in templo Aesculapio dicato in Coo insula extabant: quo cremato, instituisse dicitur medicinam, quæ Clinice vocatur, id est, *quæ medicamentis curat ægrotos in lectis decumbentes.* Post C ea Prodicus Selimbriæ natus, eius discipulus, Iatralipticem, id est, rem vnctoriã instituit. Celsus tamen aliter sentit, fuisse quidem Chirurgiam vetustissimam partem à Podalirio, & Machaone bello Troiano excultam, in eoque idem cum Plinio sentit: multiplicem tamen istam medicinam non ab Hippocrate additam; sed studio literarum fuisse, vt sapientiæ pars etiam medicinæ esset: multosque refert sapientiæ professores eius peritos fuisse, vt Pythagoram, Empedoclem Democritũ. Itaque Celso authore non sepulta iacuit Chirurgia post Podalirium tanto tempore: nec etiam eã partem addidit; Imo, si ei credimus, à studio sapientiæ medicinam separauit Hippocrates: in quo D Celsus pariter errare videtur. Nam Hippocrates philosophicè medicinam docet, & explicat. Post quem Diocles Carystius, Praxagoras & Chrysippus artem hanc exercuerunt, ita, vt in diuersas curandi vias processerint, diuisaque est medicina in Diæteticen, Pharmaceuticen, & Chirurgicẽ. Diæteticæ porro autores altius quædam agitare conati (inquit Celsus) rerum quoque naturæ cognitionem sibi vendicarunt: tanquam sine ea trunca, & debilis medicina esset. Alii postea nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professi, in vsu, & experimentis eam posuerunt. Vnde duplex secta, siue factio medicorum orta, Rationalis, & Empirica: quæ, Celso teste, à Serapione omnium primo cœpit; Plinio autem, à Creonte Agrigentino in Sicilia: sed de hoc postea. Il- E lud autem nunc non est prætereundum ex Celso, sectas has, & factiones non fuisse in omni parte medicinæ, sed solum in Diætetica. Item falsum esse, quod scribit author introductorii, Hippocratem rationalis sectæ autorem, & principem fuisse, cum post Hippocratem ortæ sint sectæ. Igitur necessitas ex imbecillitate naturæ nostræ nata, homines, quæ salutaria essent, experiri coegit. *Experiẽtia* autem arti initium dedit. Illam verò auxit humana industria: & vt ait Aristot. ex diuinatione, casu, insomnio, vaticinio, dæmonũ inuocatione, & omni alia ratione, ex qua præsidia quæri possunt, creuit. Hæc qui diligentius excoluerunt, eo, quod diuinam naturam, & vim æmulari videretur (*est enim diuinum quoddam præsentes morbos profligare, & semimortuos homines ad salutem reuocare posse*) in deorum numerum à Poetis, & alijs, qui medicinæ laudes, & ornamentũ paulo liberius & studiosius sunt prosequuti, relati. Eo pertinent, quæ Ouidius in transformationibus suis scribit, cum Apollinem se ipsum ita laudantem narrat:

Inuentum medicina meum est, opiferq; per orbẽ
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Sunt eius generis carmina, quæ extant apud Propertium de Æsculapio, quem fingunt Poetæ mortuum Hyppolitum, & Androgeum filium Minois interfectum ab Atheniensibus reuocasse in vitam, cuius factum his versibus Propertius expressit:

Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis,
Restituit patrijs Androgeona focis.

De eodẽ ita Quintus Serenus Samonicus cecinit:

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atq; in cœlum Manes reuocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quiq; Epidaurũ.

Nec solum quidem Apollo, & Æsculapius, ob medicinæ excellẽtiam inter Deos numerati sunt; sed etiam alii egregiam de se memoriam eandem ob causam nobis reliquerunt. Nam iisdem temporibus clarus habitus est Chiron Centaurus Thessalus, Saturni & Phylliræ filius, Achillis præceptor: quod quidem testatur Centaurium herba, quæ autoris nomen adhuc retinet. Hunc Plinius medicinam inuenisse tradit: fortè quod materiam medicam, & præsertim herbarum cognitionẽ primus, aut certè diligentius, quàm alij antiquiores, excoluisse videtur. Sunt qui credãt Cẽtaurum Æsculapii præceptorem fuisse. Huius duo filii Podalirius & Machaon clarissimi pariter sunt habiti, quod in bello Troiano, (vt diximus) Agamemnonem sequuti, non mediocrem opem cõmilitonibus suis attulerint: propterea ab Homero ita sunt laudati.

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
Ἰητῆρ' ἀγαθὼ Ποδαλείριος, ἠδὲ Μαχάων.

Inter illos tamen, quorum labores extant, primus Hippocrates censendus est. Hic enim quæ rudia adhuc erant, & in sola experientia versabantur, in artem redigere cœpit, collectis ex obseruatione vniuersalibus præceptis, quibus ars constat. sed in tanta rerum varietate, & difficultate multa nobis reliquit excogitãda: quę postea Herophil⁹, Archigenes, Asclepiades, & alii multi excoluerũt: quorum laboribus adiutus Galenus politiore adhibita dicendi ratione, & fortè meliore arte, nostram hanc facultatem plurimum ornauit: sed & ipse alios deterrere nequaquam debet, quo minus meliora adhuc tentare aggrediantur. Sic enim sperandum est multorum labore tandem fieri, quod paucorũ industria assequi nequit. Hęc quidem dicta sint de origine, inuẽtoribus, & cultoribus medicinę.

Qui de re medica diligẽter scripserunt, omnes de sectis Medicorum mentionem fecerunt. Nam Celsus statim ab initio sui operis, & Plinius in libris

Suffusionum curam quis docuerit.
Aesculapius eiusq; duo filii.
Medicina Clinice quid.
Iatraliptice quid & quis eius author.
Qui post Hippocratem medicinam exercuerint.
Medicina diuisio.
Secta Medicorum vnde orta, & in qua parte medicina.
Hippocratẽ non fuisse alicuius secta autorem.
Artis initium quid dederit.
Qui post Apollinem & Aesculapiũ fuerint clari.
Chiron Centaurus Centaurij herba autor.
Hippocrates.
De Medicorum sectis.

bris, in quibus de medicina agit, de hac re multa nobis memoriæ reliquerunt. Galenus scripsit librum de sectis: alium de optima secta, alium de subfiguratione Empirica. In quibus libris nihil aliud fere docet, quam quæ ad sectas Medicorum pertinent. In aliis autem operibus sæpius nunc in vnam, nunc in aliam sectam inuehitur, nunc vnã probat, aliam damnat, vel docet, quid vni sectæ sit proprium, aut cum aliis commune. Quæ nemo vnquã intelligere poterit, nisi qui semel de hac re plenè egerit. Est præterea hæc tractatio alio modo necessaria: cum enim plures fuerint sectę Medicorum, nullus poterit meliorẽ eligere, aut sequi, nisi prius illarum historiam perceperit. Postremo ad rerum cognitionem, & decorũ necessaria est hæc consideratio, vt scilicet eas recẽsere possimus, quæ in arte nostra contigerunt mutationes, quamque variæ opiniones de tradenda docendaq; medicina fuerint. Quę profecto tot fuerunt, vt teste Plinio, nulla vnquam ars instabilior fuerit. Agendum ergo est de sectis ab eo, qui suæ facultatis historiam quęrit, & Galeni libros in hoc opere explicare studet. Reprehẽdendique sunt (meo quidem iudicio) qui in huius operis enarratione nullam de hac re mentionem faciunt. Nam si in hoc medicinæ rudimenta, & alia postea suis locis, quæ docet Galenus, se explanaturos pollicentur: certe hoc loco de sectis pertractandum est. Igitur proponemus in primis exequendum, quot fuerint Medicorum sectæ: Deinde quid proprium vnaquæq; habeat, vel commune cum aliis: Tertio quinam fuerint illarum autores, & fautores: Postremo quænam illarum præstantissima existat, & cur talis sit, quam nos sequendam proponemus.

Quot Medicorum sectæ. Sectas siue factiones Medicorum plurimas fuisse ex diuersis autoribus credere licet. Nã Celsus duas extitisse tradit, Empiricam & Rationalẽ. Plinius autem longe plures. Galenus etiam *primo simpl.* Pneumaticam vnam, Asclepiadeam aliam, aliam verò Herophileam sectam fuisse refert. Meminit & in *1. method.* Medicorum analogisticorũ, & logicorũ. Verum tres præcipuæ fuerunt, Empirica, Rationalis, & Methodica. Hæc quidẽ recentior: illę vero, antiquissimæ. Aliæ autẽ, quæ aliquãdo recensentur, continentur sub vna ex prædictis, aliqua facta deflexione, vt satis ex Plinio, & Celso videre licet, de quibus sigillatim dicendum. Habent, vt dixi, singulæ sectæ aliquid propriũ, quod hoc modo diuidetur: vt alia ad inuentionem artis, alia, ad traditionẽ, alia vero ad exercitationẽ pertineant: sic enim confusio, quæ apud Galenum legitur in his scribendis, tolletur: & primum quidem de Empirica agemus.

Secta Empirica. Porro Empirica (vt de nomine obiter etiã aliquid dicamus) ab Empiria, id est, experientia, ita dicta est, vt etiam Tiritice, id est, obseruatrix, & Mnimoneutice, id est, memoratrix. Artem autem experientia inuentam, & constitutam Empirici esse volunt, vt in *lib. de sectis* testatur Galenus, tametsi idem in *tertio de locis affectis* scribit, illos non inquirere quomodo ars, aut artis remedia sint inuenta, satis solum id esse putantes, si remediis inuentis commodè vti possint. *Quemadmodum enim*, inquiunt, *fabri non quærunt, quomodo ars eorũ fuerit inuenta, sed ea probant & confirmant vsu, quæ a præceptoribus edocti fuerunt: sic Medicos nequaquã oportere esse curiosos de medicina inuentione.* Cęterum artem suam constare αὐτοψίᾳ, id est, propria inspectione, historia, & congruo de re simili ad similẽ transitu. Historiam autẽ quidam ex illis definiunt, quicquid libris mandatũ est. Eum enim qui didicerit, quæ à maioribus sunt scripta, quæque ipse medendo viderit, notauerit, quique sciat à simili ad simile transire, Medicum esse asserunt. Atque his quidem vtuntur ad curationem. Morbos autem cognosci volunt ex syndrome, siue concursu, & enumeratione symptomatum: quod genus cognitionis Rhases etiam obseruauit, & rationales Medici eo quoque vtuntur, sed non solo: si enim adsit dolor punctorius in latere, tussis, febris continua, difficilis respiratio, pleuritidem hæc indicant esse. Verum Empiricus non quærit, quẽ morbum huiusmodi symptomata ostendant, sed solum an adsint ea accidentia, quæ exigant expertum remediũ, aut alii experto simile: à causis vero, & morbo nulla signa sumunt. Cęterũ remedia, quibus vtuntur ad curationem, in triplici ponunt esse differentia. *Remedia Empiricorũ triplicia.* Quoddã enim dicunt esse fortuitum, aliquod consulto factũ, & aliud imitatoriũ. Fortuitũ vocant, quod aliquis, vt cupiditati obsequeretur, nouit prodesse: cõsulto factũ remedium dicitur, quod aut insomniis hortãtibus, aut aliũde expertũ fuerit: imitatoriũ autẽ definiunt, cũ rursus in iisdẽ affectibus ad ea experienda ducuntur Medici, quæ aut natura, aut fortuna, consultove profuerunt, aut obfuerunt. In morbis vero, quos non ante curauerunt, nec nouerunt adhuc, & ob id experimento obseruata nõ erat medicamentorũ facultas, vtũtur ad auxilia inueniẽda transitu à simili ad simile, vt ab effectu ad effectum similem: à loco affecto ad affectũ similem locũ: ab auxilio cognito ad simile auxilium, vocantq; id experimentum exercitatorium, quod exercitatũ in arte esse oporteat, à quo quidpiam hoc modo inueniendũ est. *Experimentum exercitatorium.* At vero in docendo Empirici epilogismo vtũtur, id est, (vt Galenus explicat) euidenti ratione, alias vero argumentationes contemnunt. His tantum credunt, quæ vel sensui patent, vel memoria per sensum mandata sunt. Hæc ergo amplectũtur, & præterea euidentes causas (vt inquit Celsus) quod Galenus negare videtur: non enim tanquã causas eos recipere scribit. Obscurarũ vero causarum quęstionem superuacuã ideo esse contendũt, quoniã incomprehensibilis sit. Id quod patere aiũt ex eorũ, qui de his disputarũt, discordia. Agricolas enim non disputatione, sed vsu fieri contendunt, sic & Medicum. Præterea nihil has cogitationes ad medicinã pertinere. Idq; eo comprobari, quod diuerso modo Medici de eadem re sentientes, ad eandem tamen sanitatem homines perduxerint. Item ab expertis, non ab istis quæstionibus deductam esse medicinam: repertis inde medicinæ, iam remediis, homines de rationibus eorum disserere cœpisse. Nec post rationẽ medicinam esse inuentam, sed post inuentam medicinam, rationem esse quæsitam. Ad hæc inquiunt: vel ratio idem docet, quod experientia, vel aliud: si idẽ, superuacua est: si aliud, contraria est. Ergo rationem causasque rerum his argumentis & similibus inutiles Medico putant. Affectuum etiam naturæ inquisitionem contemnendam censent. Non enim quærendum quid sit, quomodoque fiat difficilis spiratio: sed quid grauem tardumque spiritum expediat. Anatomen viuorum damnant, tanquam crudele sit viuos homines incidere, ad quorum salutem ars hæc comparata est. Mortuorũ etiam Anatomen

respuunt: quæ etsi non crudelis est, fœda tamẽ sit: Et præterea aliter pleraque in mortuis se habeant: etenim colorem, mollitiem, duritiem, calorem non eadem esse inciso corpore, qualia integro fuerãt. Quod si quid de humano corpore cognoscẽdum est, in viuis vulneratis ipsa curatio sine crudelitate, & feritate ostendit. Et hæc de Empirica secta.

Methodica secta.

Ex Methodica secta Methodici Medici sunt nũcupati. Tales autem se appellãt, quod soli artẽ medicam methodo (vt ipsi credunt) profiteantur. Gloriantur enim se multa inutilia, & gloriæ gratia apud priores Medicos inuecta resecasse: damnãtque Hippocratem, quod artẽ longam, vitam autem breuem dicat esse: quandoquidẽ illa breuissima sit, vt quæ sex mensium tempore comparari possit, si bona methodo tractetur. Hanc autẽ methodũ seipsos excogitasse: & propterea vere methodicos esse. Porro methodum definiunt esse notitiam eorum, quæ communia, & euidentia sunt, medicinæq; fini consentanea: communitatem dicunt esse, rem in pluribus eandem: totam deniq; suam sectam statuunt esse cognitionem eorum, quæ communia, euidentia, proxima & necessaria artis fini existunt. Duo duntaxat morborum genera simplicia ponit hæc secta. Astrictum nempe, & fluens, tertiumq; ex his mistum. Astrictum vocant, si naturales excretiones sunt suppressæ. Fluentem autem morbũ, si illæ magis ferantur, quàm oportet. Mistum vero, si partim ferantur, partim supprimantur: veluti si oculus phlegmone, & fluxione laboret. Ad quos quidẽ morbos alios omnes redigunt, quos ex affectionib. circa corpus obortis in vtroq; euidenter conspicuis cognoscunt. Præter hæc duo genera morbi Gal. non meminit alia ab illis poni: Autor tamen Introductorii scribit aliud addi, ad quod exitialia omnia & venena referuntur. Causas illorum contemnunt, non vt Empirici, quod cõprehendi non possint; sed quod inutiles sint. Curationem ab indicationibus sumptis à morbo duplicẽ instituunt: Astrictum enim indicare laxationem: hanc vero astrictionẽ: si mistum vitium sit, vehementiori malo occurrendũ. Communiũ autem horũ consideratione, communitates vocant. & euidentes omnes esse dicunt. Illarumq; alias esse passiuas, vt astrictũ, & fluẽs: alias curatiuas, vt sistere, & vacuare: alias temporales, initium, incrementum, vigorem, & declinationẽ. Porro medicinæ, quæ manu medetur, communitates, in eius ablatione, quod est alienũ, consistũt. Alienum aũt duplex, vel extrinsecus, vel in corpore. Extrinsecus simplex. Quod in corpore est, tres habet species. Aliud enim loco est alienũ, aliud magnitudine, aliud defectu. Præseruatoriã etiã partẽ medicinæ addunt, cõmunitatum aliã speciẽ. Causas morborum, locum affectum, ætatem, tempus anni, regionẽ, virtutem ægroti, consuetudinẽ, inutilia ad curationẽ putant. A solis. n. affectib. neq; ab his quidẽ per species, sed communiter & generatim indicationes sumunt. Prædicta inutilia esse, & gloriæ gratia apud priores Medicos obseruata. Quæ si ita se habent, merito ergo Galenus in illos inuehitur, quod ea, quæ vsus, & ratio summopere necessaria ostendunt esse in medicina, damnẽt. In eo tamen excusationem forte inuenire possunt, quod medicinam dicant esse artem non longam, & vitam non breuem. Nam quod Galenus *primo Methodi* aduersus Thessalum, & methodicos de hac re scribit, parui momenti esse videtur: etenim inquit ille logicam, Astrologiam, Geometriam, Arithmeticam, Philosophiam, & alias disciplinas à Medico perdiscendas esse, quæ non nisi longiore tempore comparari possunt. Ad hæc illi responderent, se solum de medicina agere quæ scilicet re vera medicina est, & medendi artem docet, alias omnes facultates supponendas esse iam comparatas ab eo, qui medendi rationem quærit. Sed hæc sufficiant de secta methodica.

Ars methodicorum medicorũ quid.

Morbi genera apud methodicos quot.

Curatio qualis.

Alienum quid & quotuplex.

Secta rationalis siue methodica analogistica.

Rationalis secta, quod ratione vtatur, & Dogmatica, & Analogistica dicitur. Ab experimento medicinam quidem cœpisse, sed non perfectam fuisse credit. Eam enim ratione simul, & experientia constare vult. Corporis naturæ cognitionem necessariam putat, & causarum omniũ vim, à quibus corpus mutari potest. Necnon ex signis corporis affectus omnes dignoscendos statuit. Curationem autem per indicationes instituit. Quas non quemadmodum methodici à solo morbo, sed etiam à causis morborum sumit. Neq; eas à sensu manifestis vt methodici, sed etiam ab occultis rationales sumunt. Hæc omnia qui obseruauerit, ratiocinari possẽ (aiunt) quid vnicuique conueniat affectui. Quod autem Galenus *lib. de sectis* scribit, rationales indicationes ab illis sumere, à quibus Empirici obseruationes, nisi rectè intelligatur, multa alibi rectè dicta peruertet. Nam à causis, & à morbis rationales indicationes sumunt, quæ rejiciunt Empirici: qui rursus à symptomatis obseruationes ducunt, à quibus rationales indicationes nõ sumunt: vt in *Methodo medendi passim* Galen. ostendit. Sed ita locus ille intelligendus est, quod ex symptomatis, à quibus Empirici obseruationes ducunt, morbos cognoscunt. Ex illis postea curatorias indicationes sumunt. Hæc fere sunt, quæ de rationali secta à Galeno variis locis traduntur: nec tamen probat, cur illa, quæ statuit huiusmodi secta, necessaria Medico sint. Id quod ex Celso breuiter docebimus. Corporis ergo cognitionem per Anatomen, & actionum consideratione, primorumq; principiorum necessariã putant, quoniã ex his quid naturale sit, primo cognoscemus. ex quo postea facile, quod præter naturã est, naturaliq. dissimile, deprehẽdere licet, & ad id, quod naturale est, reuocare. Docet etiã hæc cognitio, quo loco vnaquæq; pars posita sit, & cum aliis colligata, quãq. figurã, magnitudinẽ, & numerũ habeat. Quæ omnia ad remediorũ commodũ vsum plurimũ faciunt. Sed hæc diligẽtius aliquãdo tractabimus. Signa autẽ considerari debere ex hoc constat, quod latẽtes in corpore affectus nõ aliter, quàm per signa, & externarũ nonnunquã causarũ cõsideratione deprehẽdimus: sine quibus affectus dignosci non possunt, nec proinde contrariũ remediũ adhiberi. Causarum vero mutantium corpus consideratione necessariã esse, ex hoc cõstat: quod affectus cõseruari nõ possunt, nisi per similes causas nec tolli, nisi per cõtrarias nec submoueri possunt ea, quæ causam præsentẽ habent, nisi prius ea ablata sit. Curationẽ autẽ per indicationes melius institui, quã alio modo, ostendemus, cũ de curatione agemus. Hæc enim difficiliora sunt, quã vt à rudioribus intelligi possint. Ratio, qua vtũtur in docendo Dogmatici, Analogismus vocatur, vt inquit Galenus: nihil obstat tamen, quo minus omni alia argumentandi ratione eos vti dicamus. Superest, vt quid

Signa cur consideranda.

Sectæ quid habeant inter se commune.

vt quid cômune habeant inter se hæ sectæ ostendamus. In his tres illæ sectę consentiunt, quod euidentia præcepta vtilia sint. Analogismus, obseruatio, historia, ad simile transitus, conceditur. Quod historia sine iudicio admittenda non sit. Eadē instrumenta applicandorū remediorum, eundemque modum conuenire. Quod ex aliis alia deprehenduntur. Quod eisdem præsentibus malis eadē sunt facienda. Quod adiectionibus, & subtractionibus sanitas seruatur, & morbi fugātur. Quod ad sanitatem retinendā & morbos profligandos nocentium vsus fugiendus sit. Quod ad materiæ adhibendæ notitiam experientia potens, & vtilis est. Quod quæ nutriunt, & non nutriunt, purgantia, & venena experientia comperta sint: hęc Galenus *lib. de optima secta.*

Authores vniuscuiusque sectæ qui. Empiricæ sectæ autores.

De Autoribus sectarum, inter se scriptores discrepant. Nam Empiricæ sectæ autor, qui eam à rationali displina separauit, atque in vsu & experimētis medicinam posuit, Celso teste, *Serapio* fuit. Plinius vero Empiricā factionē in Sicilia à *Creonte Agrigentino* cœpisse commemorat. Qui vero scripsit Introductorium medicum, refert *Philinum Coum* à rationali eam separasse, occasione ab Herophilo suo pręceptore accepta, & quod Celsus de Serapione, ille de Philino tradit. Videtur etiā error esse, vel in Plinio, vel in autore Introductorii. Nam q̃ Plinius de Creonte, ille de Acrone tradit, corrupto in alterutro nomine: facit tamen Galeni autoritas *in libro de subfiguratione Empirica*, vt Acronē potius, quā Creontē legere debeamus. Ait enim eo loco *Acronem* fuisse primum Empiricæ disciplinæ scriptorem. *post Philinum, Serapio Alexandrinus in ea secta floruit*, inquit autor Introductorii. Galenus autē ita scribit. *Crito, Philistio, & Serapio Acrone sunt iuniores: cæteris autē Empiricis vetustiores.* Vnde nō solū Serapionē, sed etiā Critonē, & Philistionē floruisse post Acronē tradit. Potest autem res ita intelligi, & ea conciliari inter se, quæ dicuntur de autoribus huius sectæ. Nā autorē intelligere possumus, vel inuentorem, vel primū in ea facultate scriptorem, vel qui insigne nomen ei dedit. Philinus ergo autor huius sectæ fortè dicitur, quod ille primus eā separauerit à rationali: Acron vero, quod primus eam scriptis mandauerit: Serapio, quod maximè in ea floruerit. Extiterūt & alii in ea secta celebres duo Apollonii, pater, & filius, Antiocheni. Hos secuti Menodotus, & Sextus eam corroborarunt. Addit Celsus Glauciū quendam, & Heracliden Tarentinum.

Methodicæ sectæ autores.

At methodicæ sectæ autor fuit Themison Laodiceus Syrius, qui ab Asclepiade rationali occasiones nactus, ad eā se cōtulit, vt autor Introductorii memoriæ prodidit, de quo Iuuenalis ita scribit:

Dic mihi quot ægros æstate occiderit vna
Themison.

Eam sectam Thessalus Trallianus absoluit, qui eloquentia (teste Plinio) plurimum valuit, ingentemq; pecuniā tēpore Neronis, quo vixit, cumulauit. In illius monumēto in via Appia inscripserūt *ἰατρονίκης*, id est, Medicorum victor. Quæ quidem certo testantur, eū non tam indoctum, ineptumq; fuisse, vt Galenus ostendit, quandoquidem in ciuitate omnium opulentissima, & refertissima clarissimis viris, nullus his artibus tantas opes, tantáque famam sibi comparare potest. Ac si quis Sorani, qui Methodic' fuit, libros de acutis, & tardis passionibus perlegat, inueniet profecto metho-

A dicos tam ineptos, tā barbaros, & ignaros, quales Galenus cōmemorat, nequaquā fuisse: sed vt ille, qui immortalem gloriam aliis extinctis parare studebat, nec Aristoteli, nec Platoni, nec aliis Medicis, aut Philosophis, nec ipsi aliquando Hippocrati pepercit.

Rationalis sectæ autores, siue dogmatica.

Cæterum rationalis sectæ principem autor Introductorii scribit fuisse Hippocratē Coum, post eum Dioclem Carystium, Praxagoram Coum, Herophilum Chalcedonium, Erasistratum Chium, Mnesitheum Atheniensem, Asclepiadē Bithynium, Cienum, qui & Prusia dictus est. Verum, vt antea diximus ex Celso, si Hippocrates à studio sapientiæ medicinā separauit, quomodo rationalis B sectæ autor esse potuit? Deinde si, Celso, & Plinio autore, post Hippocratem sectæ istæ ortæ sunt, necesse est in hac re falli autorē illius Introductorii. Postremo Galenus nusquam, quod sciam, id de Hippocrate tradit, nec etiam refert, quis rationalis sectæ autor fuerit. Nam etsi Hippocrates ratione medicinam tradidisse videtur, & ea spectasse, quæ rationales Medici postea notarunt: non tamen propterea eum alicuius sectæ autorem fuisse asserere possumus. Quinetiam si scribendi modū spectemus, quo ille vtitur, haud facile ad aliquam peculiarem sectam eum traxeris. Vnde Empirici eum Empiricum esse contendunt, quod solū tradat, quod experientia comprobauerat, nulla præ- C terquā euidenti probatione, qua ipsi vtuntur, adhibita. Sic methodici eum suæ sectæ autorē faciunt: nimirum quod communitates quasdam in Aphorismis, & in aliis libris tradere videatur.

Hippocratē nullius sectæ fuisse autorē.

Sectā rationalem inter omnes esse optimam.

Porro inter omnes sectas rationalem præstantissimam esse, & ab omnibus medicinæ studiosis sequēdam, ex supradictis rationibus ita patere arbitror, vt noua confirmatione, & probatione nequaquam sit opus. Hanc ergo sequemur nos, ac ex vniuersis Medicis potissimum Hippocratem, & Galenum: aliis tamē non contemptis Latinis, Gręcis, & Arabibus scriptoribus. Non enim perfectum Medicum vno autore contentum esse debere putamus: sed ex omnibus eum discere opor- D tet, à quibus perfectus euadere possit. Sed iam ad alia properemus.

Ἔστιν ἐπιστήμη.
Est scientia.

In quo genere facultatis medicina ponenda sit, magna semper fuit & adhuc est cōtrouersia. Quidam enim eam volunt esse scientiam, alii artem: alii artem & scientiam: alii vero partem illius artem, partem vero scientiam.

Medicinam quinam posuerunt esse artem.

E Artem esse fatetur Galenus *in libro de constitutione artis, & passim alibi*: nec non Hippocrates statim *in primo Aphorismorum*, vbi scribit *vita breuis, ars vero longa*. Idem tradit Aristot. *in sexto Ethicorum.*

Qui scientiā.

Scientiam Galenus *in libro de sectis*, ab antiquis dictam esse refert. *In libro etiam suasorio ad bonas artes* non solum scientiam; sed etiam præstantissimam scientiarum esse scribit. Idem in arte hac medicinali facit Aristot. item *in sexto Metaphysic.* ait scientias alias esse actiuas, contemplatiuas alias, alias factiuas, vnde cum medicina contineatur sub factiuis habitibus; certum est, eam etiam sub sciētiis contineri. Plutarchus item grauissimus philosophus in vita Homeri, vbi probare vult Homerum medicinam calluisse, definit eam per sci-

entiam. Sic Auicenna, Methodicique Medici in hac fuerunt opinione, vt autor Introductorii scribit.

Medicinam quinam posuerunt esse artem & scientiam.

Ex antiquis autem non inuenio quenquã, qui statuerit eam esse, & scientiam, & artem. Ex nostris Montanus id asserit: scientiam enim esse, si referatur ad eum, qui habet habitum; artem autem, si ad opus. In eadem opinione est Monachus, & (vt Manardus centet) Alexander *in proœmio problematum:* etsi ego id apud eum autorem non reperio. *Si quis enim* (aiunt illi) *medicinam non exercet, exercere tamen potest, eo, quod habeat habitum scientificum, tunc medicina scientia est, eo, quod huiusmodi habitus scientia est. Cum vero Medicus agit, exercetque medicinam, tunc ipsa ars est.*

Qui partem eius scientiã, partem vero artem.

Cæterum partem medicinæ scientiam, partem vero illius artem putauit esse Erasistratus sectæ rationalis Medicus, vt scribit autor Introductorii. Eam enim partem, quæ causarum notitiam, & naturæ inspectionem considerat, scientiam esse: artem vero, & coniecturam, quæ curationem, & signa docet. Idem videtur sensisse Auicenna cum partem illius Theoricam, partem verò Practicam esse pronuntiat.

Verum præstat sigillatim expendere, & videre, quænam opinio ex his verisimilior existat.

Scientia quid & quæ eius conditiones ac proprietates.

Qui ergo scientiam esse contendunt, in primis videant quænam requirantur ad scientiæ constitutionem, & demum intelligetur, an vera sit eorũ opinio. Qua quidem in re consulere oportet Aristotelem huius rei magistrum. Scribit ergo ille *in libro de demonstratione*, scientiam esse *demonstratiuum habitum ex primis, veris, immediatis, causisque conclusionis:* vel potius illa est *demonstratiuus habitus.* Demonstratio autem ex primis, veris. Præterea *scientia est de his*, vt scribit Aristoteles *in sexto Ethicorum, quæ aliter se habere nequeunt*, id est, quæ necessaria sunt simpliciter, æterna, ingenita, & incorruptibilia: *in libro* autem *sexto Metaphysices capit. 2.* paulo latiùs sumit nomen eius, quod scientia comprehenditur, cum ait scientiam esse *de eo, quod est semper aut plurimum*, veluti quod melicratum vtile sit febricitanti. Ad hæc *in primo de demonstratione* numerans, quæ ad scientiam requiruntur, dicit illa tria esse, nempe *certas dignitates, certas passiones, & vnum genus subiectum*, de quo passiones probantur, & per quod scientiæ vnitatẽ suam assumunt, & perfectionem, atque ab aliis distinguuntur. Finis præterea scientiæ est scire, nõ agere, aut facere: quemadmodum Galenus *in lib. de constitutione artis*, de artibus contemplatiuis, quas pro scientiis accipit, agens scribit: necnon *in Thrasybulo*, & nomen etiam ipsum solum absque autoritate id satis ostendit. Addo, quod scribit Aristoteles *in 6. Ethicorum.* artis principium in nobis esse, scientiæ autem in re ipsa.

Scientia requisita.

Finis.

Medicinam non esse scientiam.

Ad hæc igitur respicientes negamus medicinam posse esse scientiam, & nequaquam obstare putamus eorũ rationes, qui contra sentiunt. Nam quod aiunt scientiam esse demonstratiuum habitum, & in medicina fieri demonstrationes; propterea eam esse scientiam: ita refellere nituntur quidam, negantes in medicina fieri demonstrationes; eo quod in ea facultate minor propositio particularis assumatur: sed perperam illi vim argumenti efficiunt. Nam ars vniuersaliter concludit, nimirum cum vniuersalium sit, vt Aristot. docet *in*

A *sexto Ethicorũ.* Particularia autem, vt scribit Galenus *ad Glaucõ.* nec doceri, nec scribi possũt. Quod si artifex, dum arte vti vult, singularibus artis præcepta accõmodat, hoc nihil ad ipsam artem. Addo quod Aristot. *in primo de demonstratione* vult etiam particularium aliquando esse demonstrationem. Nos autẽ concedimus in medicina fieri demonstrationes: negamus tamen eam esse scientiam, *quia non est demonstratiuus habitus.* Nam si talis esset, semper demonstraret: quoniam ex habitu demonstratiuo necesse est semper nasci demõstrationes; si modo tales necesse est esse actus, quales sunt ipsi habitus. Quod quidẽ apparet in veris scientiis, vt in Geometria. Non enim Euclides

Medicinam demonstrare, nõ tamẽ esse scientiam.

B quædam probat per demonstrationem, alia aliter: sed omnia per demõstrationẽ. Propterea nec Philosophia, nec Metaphysica perfectæ & veræ scientiæ sunt, quia nequeũt omnia per demonstrationẽ asserere: quippe cũ ex coniecturis multa assumant principia, nequaquam certa, qualia demonstratio exigit, multaque probẽt leuibus argumentis. Refellenda quoq; illorum est opinio, qui negant medicinã esse scientiã eò, quod ex effectis probationes colligat, ex quibus demonstrationes nõ fiunt. Nam sæpe ex causis argumenta ducit Medicus. Quemadmodũ Hippocrates probat plurimo esse opus alimento his, qui crescunt: quoniã plurimũ habet calidi innati. Est enim causa, quòd plurimo

Philosophiã & Metaphysicam non esse veras scientias.

Aph. 14.

C sit opus cibo calor plurimus. Addo quod Aristot. *in primo Metaph.* dicat, artem propter quid scire, & *in lib. de demonstratione* recipit etiam inter demonstrationes, probationes, quæ ab effectis ducuntur. Eo pertinet, quod scripsit Plato *in Gorgia*, coquinã etiam esse peritiam, & non artem, cũ non possit reddere rationẽ, & causam eorũ, quæ facit. Artem enim nõ posse esse eã facultatẽ, quæ careat ratione. Concedamus ergo (vt diximus) demõstrationes fieri in medicina: eam tamen non esse sciẽtiam: quoniã nõ est habitus demonstratiuus. Illud vero quod dicunt *medicinã dignitates habere, qualis est illa contrariorũ contraria sunt remedia, suppositiones & definitiones: propterea eam esse scientiam*, qui-

Medicinam nõ habere principia vt scientia.

D dam, vt Curtius, ita refellere nituntur, vt concedant quidem eam habere dignitates, & principia: non tamen ex illis probari passiones de subiecto: sed fieri inquisitionẽ ad finem consequendum. Sed illi perperam ita respondent. Nam in medicina probationes fiunt, & passiones probantur. Dicendum ergo, *medicinam habere dignitates, postulata, & definitiones: non tamen eo modo, vt requirit scientia.* Hæc enim sua principia certo numero comprehensa obtinet, sicut videre est in Eu-

E clide, qui in Geometria ponit suas dignitates, definitiones, postulata, & suppositiones, certo numero, ita vt nec plures, nec pauciores reperiri possint ad ea probãda, quę in ea facultate sunt necessaria. Id autẽ in medicina nemo vnquã ostẽdere poterit: nimirũ, cum principiũ habeat aliquando in subiecto, aliquãdo in artifice, vt postea ostendemus, ex quo infinitæ tractationes, & præcepta nascuntur. Cæterum quod aiunt medicinã habere passiones, sanitatem, & morbum, easq; de subiecto probari: & propterea medicinã esse scientiam, nonnulli ita effugere cupiunt: concedentes passiones eas esse, quales scientia postulat, non tamẽ eas de subiecto probari. Sed in hoc errant. Nam Medicus sanitatem, & morbum aliquando probat de corpore humano. Verum hoc non facit medicinam esse

Medicinã principia cur non possint certo numero comprehẽdi, vt principia geometria.

scien-

scientiā, quia certas non habet passiones, vt Geometria, æquale, & inæquale. & Arithmetica par, & impar, & eæ quidem, quas habet, non sunt subiecti passiones: quoniam nullum habet subiectum medicina, quale scientia requirit, vt iā docebimus.

Medicinam non habere passiones, quas requirit scientia.

Medicinam non habere subiectū, vt scientia vera.

Quarta est ratio eorū, qui contendunt medicinam esse scientiam. *Omnis scientia*, inquiunt, *habet subiectum, de quo demonstrantur passiones. At medicina habet tale subiectum, nempe corpus humanum.* Quæ quidem ratio nullius momenti est. Nam scientia vnicū habet genus subiectum, de quo omnes passiones probantur, vt Geometria magnitudinē, Arithmetica numerum. Corpus autē humanū non est huius generis subiectū: quoniā omnia, quæ in medicina probantur, nō demonstrātur de humano corpore: sed quędam de alimentis, alia de medicamentis, alia de aliis rebus. Nec valet, quod dicit Monachus, alimenta & medicamenta cōsiderari, vt causas facientes sanitatē & morbum, quoniā etsi ita est; tamen illorū passiones non sunt passiones corporis sani, vel ægri. Ita.n. omnia dicerētur esse passiones Dei, & primi motoris, quia omnia ad illū referūtur. Quare subiectū nō habet vnū medicina, de quo probētur omnes passiones. Ergo concedimus medicinā habere quasdā dignitates, quasdā passiones, quædā subiecta, & demōstrare: nō tamē esse scientiā, quoniā nō habet certas dignitates, nec certas passiones, nec vnicū subiectū, quod omnes passiones recipiat, nec omnia potest per demonstrationem docere.

An medicina sit Ars.

Qui verò credunt, medicinā esse artem, duplici genere argumentorum vtuntur, vno, quo probant, nō esse scientiam: alio, quo se ostendere putant, quod sit ars. Afferunt enim præter illa, quæ ante adduximus, *scientia principium esse in re: artis vero in artifice*, quemadmodū Aristoteles scribit 6. *Ethicorum*. *At principium sanitatis est in Medico: quod patet, cum ille sanguinem mittit, aut luxata membra restituit, atque ita sanitatem ægrotis comparat.* Verum hoc argumentum non probat, medicinam magis artem esse, quàm scientiam, quia in aliquibus morbis principiū sanationis est in Medico: in aliis vero in ægroto, vt in his, qui sanantur per alteratione, concoctionē, aut alias naturæ actiones, quæ in nobis sunt, & à nobis ipsis principiū sui motus sumūt. Propterea rectè scribit Galenus, quædā fieri à sola natura, alia à solo Medico, alia vero ab vtroque. Errat igitur Monachus, qui putat sanitatis principiū sēper esse in Medico.

Secunda eorum ratio hæc est, admodū quidem efficax, nimirum à fine sumpta. *Scientia enim finis est scire, vel potius veritas*, vt Arist. 1. *cap.* 1. *Metaph.* asserit. *Artis autem finis est opus, siquidem opus post se relinquat. Si vero opus non habeat, vt Rhetorica, finis est factio, aut actio, vt in moralibus facultatibus. Igitur medicina scientia esse nequit, cum diversum finem à scientiis sibi statuat.* Atq; hoc solo argumento Galenus in *Thrasybulo* probat non solum scientias ab artibus, sed etiā artes ipsas inter se differre. Quarum enim diuersus est finis, etsi alia omnia eadē sint, illæ tamē diuersæ inter se sunt facultates.

Aliud præterea sumunt argumentum à rebus, quę tractantur. *Si enim, aiunt, scientia est de necessariis, ingenitis, & incorruptibilibus, nequit vtique medicina scientia esse: vt quæ versetur circa illa, quæ aliter se habere possunt, & in dies corrumpuntur.* Verum si quis hanc rationem recipiat, cogetur profectò pariter negare philosophiam naturalem

A scientiam esse: quippe cum maior illius pars circa generabilia, & corruptibilia versetur. Nec in hoc discrimen sanè facit, quod quidam afferunt, à physico tractari vniuersalia, quæ incorruptibilia sunt: Medicinam autem circa particularia versari. Nam Arist. dictū quod scientia de ingenerabilibus & æternis sit, puto intelligendum de his, quæ suaptè natura talia sunt: nō autem secundum speciem æterna. Sic enim de omnibus, quę in artibus, & aliis facultatibus tractantur, esset scientia: nimirum quod solum vniuersalia doceantur. Ergo si Philosophia naturalis circa corruptibilia versatur, aut non erit scientia, aut certè non magis, quā ea facultas, de qua agim[us]. Quod si quis dicat, in hac facul-

Scientiam esse de ingenerabilibus & incorruptibilibus, quomodo intelligendum.

Philosophiam non habere subiectū proprium in scientiis.

Philosophiam non habere principia scientia.

Medicinā perinde, vt philosophiā scientiā esse.

B tate nullū subiectum esse, de quo passiones ostendantur: idē liceat & de physica dicerē. Neq; enim si mobile corpus, aut rem naturalē, quæ principiū motus in se habet, aut quidpiam aliud, subiectum physicæ statuamus, de eo omnia demonstrat naturalis. Nāq; quæ de anima, de generatione, & corruptione, tempore, & aliis rebus in philosophia demonstrationes fiūnt, de illis rebus proprietates suas; non autem de corpore mobili, aut principiū motus in se habente concludūt. Non ergo in philosophia vnum aliquid reperitur, de quo passiones omnes ostendantur: vt in Arithmetica est numerus, in Geometria magnitudo; nec etiam philosophia certas habet dignitates & principia certa, id

C est, numero quodā definita, ad quæ probationes omnes redigātur eorū, quæ in ea facultate demōstrātur. Quare aut Philosophia scientia nō est: aut si est (paulo latius scientię nomine accepto) vt etiā Aristot. aliquando sumere videtur in *primo Posteriorū*, & *sexto Metaphysicor.* non solū de æternis: sed etiam de his, quæ vt plurimum fiunt, scientiam haberi pronunciat: profectò scientia quoque erit medicina. Aut si medicina scientia esse non potest: propterea, quod medicinæ Medicique nomen opus spectet: non autem veritatem, aut scientiam quærat primo & per se: sed quatenus ex scientia ad opus dirigitur, saltem fatendum est scientiam esse posse eam facultatē, quæ ea doceret, quæ medicina explicat, si modo ea, quæ tractātur, nō me-

D dendi, sed faciendi causa ab aliquo perdiscerentur. Tractāt.n. & philosophi, & Medici pariter de rebus naturalibus. Quare eodē posito fine eiusdē generis erit facultas. At verò si scientia est huiusmodi facultas, in quo genere scientiarū reponi poterit? Nam cum omnis scientia dicatur esse diuina, vel mathematica, vel naturalis; constat nec diuinā, nec mathematicam esse: Non esse autem naturalem philosophiam: imò medicinam nō egere philosophia, nisi ad ornamentū quoddam, putat Manardus, quod postea falsum esse ostendemus: sed & alia id magis vrgent, primum, quod Aristot *in lib. de sensu & sensibili*, à naturali philosophia medicinam

Artes quas tuplices.

Tractatio rerum, quas explicant Medici, vtrum sit medicina, ad quam facultatē pertineat.

E separauerit, cum ait ad naturalem pertinere tractare de causis sanitatis, & morbi: non autē de aliis omnibus quæ Medicina docet. Quo loco etiā ait Medicos exordiri ab eo, in quo naturalis desinit, tanquam separatæ sint harum facultatum tractationes. Adde quod naturalis philosophia considerret sanitatem in genere, non hominis sanitatē. At medicina nostra hominis sanitatem solū considerat. Ergo à Philosophia Medicorum tractatio excludi videtur. Verum alia sunt, quæ aliter suadent. Nam Galenus scribit *in lib. secundo de anatom. institut. cap. secundo*, Philosophū & Medicū agere de

Anatome hominis. Et Aristot. de eá agit *in libris de animalibus* tanquã eadẽ sit materia, quæ à Medico & philosopho tractari potest. Quod etiam alia ostendunt. Nam vterque agit de respiratione, de causis vitæ & mortis, de sensibus, de motu corporis. Tractat & Aristot. *in problematis*: nõ vt Medicus, sed vt philosophus, quæ verè ad medicinam pertinent, veluti sunt ista, quæ pertinẽt ad sudores, excrementa, cibum, potũ, & alia multa. Ex quibus patet medicinam esse partẽ Philosophię, aut certè communẽ esse illis multarum rerum tractationẽ. Quod si ita est, illud quoque falsum esse agnoscitur; nempè quod incipiat Medicus, vbi desinit philosophus. Nam si de eisdem rebus vterq; agit: certi non sunt positi fines, qui vnum ab alio seiungant.

Medicum incipere, vbi desinit philosophia, quomodo intelligendum.

B Quod etiam vtriusque tractatio docet. Nam Medici ab elementis, temperamentis, & mistionibus elementorum, quæ docentur *in libris de generatione* ab Aristot. initium sumunt: non autem post animalium, & plantarum tractationem, in qua philosophia desinit. *Quapropter non ex rebus, quæ tractantur, sed ex diuerso fine, vt testatur Galenus primo Metaph. & secundo de anatomicis institutionibus, tractationes philosophi & Medici distinguendæ esse videntur.* Philosophus enim agit de anatome, humoribus, temperamentis, de animalium & plantarũ natura, & viribus, nõ vt medeatur, sed vt sciat historiã, causas, & effectus rerum naturaliũ. Medicus autem de eisdem agit, non veritatis & scientiæ causa, primo & per se; sed vt ex eorum scientia, & cognitione finem suum assequatur, nempe sanitatem.

Vbi desinat philosophia. Tractationes philosophorum quomodo distinguenda.

C Ergo hæc conuincunt, ea, quæ traduntur à Medicis nõ proposito fine medicinæ, aut ab alio, qui Medicus nõ sit, contineri omnino sub philosophia naturali, & scientiam naturalẽ facere: quippe cũ idem sit finis, nempe rerum naturalium cognitio, eadẽ demonstrãdi ratio, eędẽ dignitates, & passiones. Aut certè absurdum erit relinquere illa aliis, qui non profitentur cognitionẽ rerum naturalium: aut philosophum naturalẽ nõ cognoscere, quæ pertinẽt ad hominis salutẽ, quãdo quidẽ Aristot. *in lib. de animalib.* nõ solũ hęc, sed etiã morbos & illorũ remedia in multis speciebus animaliũ prosequitur.

D At si ita res habet, cur est, quod dicit Aristoteles, philosophũ cessare in principiis sanitatis: aut cur non comprehendit Medicorum tractationẽ in philosophia? Porrò Aristoteles limites philosophię statuit, sese accommodans consuetudini. Quoniam enim qui philosophiam sectabantur, & nunc etiam profitentur, de Medicorum tractatione solum attingunt, quæ ad sanitatis, morbi, & aliorum quorundam naturam pertinent; Ideo nõ vltra progressus est. Quoniam vero omnes, ea, quæ traduntur à Medicis, discebant non propter se, & veritatem, qui finis est scientiæ; sed propter opus, vt scilicet mederi possent, ideo Medicis suam quandam rerum tractationẽ reliquit: præsertim,

Philosophiæ limites quomodo ponat Arist.

E quod videret, illa à Medicis optimè explicata, ita vt mutato fine à Philosophis disci possẽt, & in Philosophiã assumi: adeo vt nõ esset opus philosophis de eisdem rebus pertractare: tametsi multa, quasi viam indicans, attigerit. Quod vero altius sumant principiũ Medici, quã à loco, in quo dicit Aristot. philosophũ cessare, nempè *a tractatione de elementis*, ratio est, quod cum velint Medici probare, quę sunt suæ tractationis, nõ minus quàm philosophi sua capiant ex Philosophia principia: sed illa contrahunt ad propriam tractationem. Philosophus

A qua parte philosophiæ Medici initium sumãt.

A enim probat omnia animalia constare ex quatuor elementis, ex communibus quibusdam argumentis: vt ex mutatione, alteratione, quibus animalia sunt obnoxia. Hippocrates vero Medicus, hominẽ probat, ex eisdem elementis compositum, ex dolore, excretionibus humorum, ex diuersis morbis, & aliis rebus, quæ propriè ad medicinam pertinẽt. Quo fit, vt medicina à philosophia differat *fine, materia quæ tractatur, tractationis modo*. Nam etsi alia forte omnia, de quibus tractat Medicus, cõmunia habet cum philosopho: tamen partem illã, in qua tractat de sanitate conseruanda, & morbis curandis, & præcauendis, & de restauratione conualescentium, sibi propriam habet.

Medicina quid propriũ & commune cum philosophia, quidue diuersum.

B Reliqua vero, quæ communia sunt, diuersis argumentis docet, & diuersa de illis explicat. Finis autem, vt diximus, in omni tractatione diuersus est à fine philosophi: si quis autẽ nõ vt Medicus, sed vt philosophus eorum tractationẽ, quæ à Medico docentur, aggrediatur, in nulla re à philosopho discrepabit, nisi forte ex sanatione, & aliis, quæ à solo Medico tractãtur in propria sibi materia, argumẽta sumat. Ex quibus quidẽ patet Manardum errare, qui putat Medicos ex philosophia miscere multa, quia primi Medici, & postea alii fuerunt philosophi: nõ quod illa meliores (vt ait) reddãt Medicos, quos potius à proprio fine diuertunt: sed solum venustiores & elegantiores.

Philosophia Medico omnino necessaria contra Manardum.

C Nã cogitur Medicus rationibus physicis agere, quoniã agit in subiecto naturali viuẽte, cuius passiones nequit corrigere, nisi intelligat naturæ subiectæ compositionem, effectus, actiones, motus. Quomodo enim sciet concoquere humores, si nesciat quid sit cõcoctio, & quomodo fiat, & à quibus: quomodo vigiliam reprimere, aut excitare: si causas ignoret illius? *Igitur in facultatibus, quæ non capiunt aliquid ex natura, quod iuuet ad opus conficiendum, sed ab ipso artifice pendet vniuersum opus, non est opus philosophia, & si quid ex illa affertur, ad ornamentum facit. In medicina vero confert ad necessitatem: quoniam absque naturæ auxilio, pauca potest præstare Medicus in corpore humano, a quo sæpe principium motus & quietis oritur.*

D *Erat ergo scribenda medicina rationibus sumptis ex philosophia: nec potest rectè disci nisi à Philosophis.*

At vero, cum medicina nunquã possit esse sciẽtia; nisi *impropriè*, ita vt habitus omnes, quib. anima verũ dicit affirmãdo, aut negando, eo nomine comprehendamus, vt Arist. *secundo, c. 1. Metaph.* scientiam diuidit *in actiuam, factiuam, & speculatiuam*, explicandum est, sub qua alia facultate, tanquã sub proprio genere contineatur. Cõstat autẽ eam comprehẽdi non posse sub prudentia, vel sapientia, vel intellectu, vt satis patet ex his, quæ 6. *Ethic.* docet Aristot. Quare relinquitur ex ea diuisione habituum, quos eo loco idem recenset, eã artem esse. Atque in ea opinione hactenus fere omnes, qui bene de hac re sensisse videntur, fuerũt.

Medicina quomodo sit scientia. Scientia quotuplex.

E Nã (vt diximus) Aristoteles, Galenus, & alii boni authores; sæpè pronunciant medicinam esse artẽ: videnturque ei cõuenire proprietates, & definitio artis. Definit enim Aristot. *sexto Ethicorum artem esse habitum cum ratione factiuum, circa ea, quæ aliter se habere possunt*, & talem habitum ex frequenti operatione parari: cuius generis medicina nostra esse videtur, non Empiricorum medicina, quoniam (vt inquit Aristot. *eodem loco*) eorum medicina cum vera ratione nequaquam consistit. Nam Empirici nullam rationem admittunt.

Medicinam omnes sapientiores posuisse artem esse.

Medicinam Empiricorũ non artẽ esse. Artis definitio.

Metho-

Methodici autem etsi vtuntur ratione, non tamē vera. Vnde autem ars hunc habitum faciendi cum ratione sibi comparet, videndum est. Nam Quintilianus, & alii nonnulli, artem definiunt esse *collectionem quorundam præceptorum ad vnum finem tēdentium.* Vnde artifici nullas probandi rationes relinquunt: sed solum certa præcepta: quæ etsi ratione confirmata sunt; tamen ars ipsa hanc cōprobationem non amplius exigit: vt quæ solis præceptis constet. Ita videmus fieri in artibus mechanicis: ædificator enim præcepta habet, verbi gratia, si paries altitudinis viginti cubitorum esse debet, fūdamentum debet esse duorum cubitorum: cuius præcepti, & similium nullam rationem reddit; sed de vnaquaque parte domus, theoremata quædam habet, quibus intelligit idoneam illarum inter se proportionem, & totius constructionem. Sic de aliis artibus censendum est, perfectę n. sunt, *cum certa præcepta de omni re agenda habēt; etsi nulla probationes adiiciantur.* Quod si aliquę sunt artes, quę ab autoribus ita sint scriptæ, vt ratione aliqua omnia confirmētur præcepta, vt architectura a Vitruuio: non tamen propterea fit, quin aliæ, quæ scriptores non sunt nactę, aut non admodum versatos in probationibus, perfectæ artes non sint: si modo (vt diximus) sua pręcepta habeāt; imò veriores artes forte has existimabimus, quam alias, vt quæ nec dialectica, nec Philosophia, vel alia facultate sint contaminatæ, & illis immistę. Possimus ergo hoc modo dicere artes alias esse, quæ solum ex his constant, quæ propria sunt arti; alias autē, q̄ multa admista habent ex aliis facultatibus. Primi generis mechanicæ omnes esse apparent, excepta (vt diximus) architectura: secundi generis, & hæc, & medicina nostra, & veterinaria, quę etiam apud Græcos doctos logicæ, & Philosophiæ non ignaros scriptores nacta est. Arist. autem cum dixit, artes ipsum propter quid scire, de his vltimo enumeratis intellexisse videtur. Quintilianus vero & Eustratius *in primum caput primi Ethicorum*, cū præceptorum collectionem artem definiunt, de aliis artibus intellexerunt, omnes tamen habitum habent faciendi cum ratione, etsi alteri duntaxat rationem factorum reddere possint. Perinde n. ædificator, qui domū seruata singularū partium proportione per sua præcepta construit, cum ratione facit, atque Medicus, qui morbis medetur. Hic tamen rationē reddere potest suæ medicationis: ille autem minime. Ad hæc vero si quis respiciat, inueniet profecto medicinā non esse artē. Non. n. est habitus faciendi cum ratione. Nā medicina rationalis, quam nos profitemur, non ex frequenti operatione solum, vt alii habitus artificiosi, comparatur: sed potissimū ex libris, & doctoribus qui vniuersalia explicant; vocamusq; vt vult Auicēna, eos medicinæ scientiā tenere, & Medicos esse, qui nunq̄ medicinā factitarunt: si modo medicinæ p̄cepta & rationes didicerint. Verę aūt artes, quales sunt mechanicæ (vt oēs nouerunt) ex operationib. frequentibus comparātur, ex illisq; habitū sibi faciunt, qui se exercet in particularibus. Eo spectat, quod scribit Plato *in Gorgia.* *Peritiā facere, vt vita nostra per artē incedat: imperitiā vero, vt per fortunā temere circumuagetur.* Prætorea, qui habent habitum, possunt expeditè, & cum voluptate, vt inquit Arist. operari in particularibus. Qui vero medicinam didicit ex libris, dicitur facultatem medicam habere, non potest expedite mederi & operari. Sed

Artes quando perfectæ.

Veræ artes.

Artes quænam propter quid sciunt.

Medicinā nō posse esse artem.

A legit postea experientia in particularibus: tanq̄ ea cognitio, quam habet Medicus, cum vniuersalia considerat, nō sit habitus eius generis, qui facit facultatem aliquam esse artē. Est autem (vt diximus) hæc ratio, cur medicina nequeat ex frequenti operatione comparari, vt veræ artes; quoniā ex natura sumit sua principia & maximam sui partē, ad quorum cognitionem doctrina & naturæ explicatio, non operatio facit. Nec opus quidem est dicere, quod inexpertus Medicus nō sit Medicus, cū vniuersalium cognitio faciat artem, sciētiam, & omnem aliam facultatem. Non ergo medicina est habitus, aut certe non eius generis, cuius sunt veræ artes. Nec ea quidē fuerit ars, si dixerimus artem esse collectionem præceptorū. B Veræ n. artes certa habent præcepta, quib. vtuntur in operibus suis faciendis, veluti (vt diximus) ædificator habet quædā præcepta in fundamentis, parietibus, cubiculis, tectis, & aliis partibus domus construendis, & ex illorum collectione constat ædificatorū ars. *At medicina cum magna ex parte pendeat ex naturæ consideratione, non potest colligere omnia præcepta; quia infinitæ considerationes ex natura ęmergūt, & vnus potest plures inuenire quam alius,* sicut apparet ex diuersitate sectarum Medicorum, qui oēs dicebant, se veram habere medicinā: & tamen nō conueniebant inter se de numero & vi præceptorum. Quis vero etiam in eadem secta potest asserere, C se tenere omnia pręcepta, quę singulis medicinæ partibus excogitari possunt. Si enim hoc fieri posset, nulla vnquā esset inter Medicos dissensio, nimirum cum omnium rerum inter illos eadē essent & æque certa præcepta. Ergo *quæ reuera sunt artes, constant certo numero præceptorum,* quia principium illorū semper est in artifice, qui potest stabilire, quid sit faciendum. In medicina vero nequit hoc fieri, quia principium faciendi sæpe est in natura, quæ infinitos, & complicatos motus facere potest, ita vt semper noua præcepta sint constituēda, ob nouos morbos, nouasq; mutationes, quæ à natura emergant, quos vnus vno modo, alius alio interpretatur. Alioqui si certa essent & cōstituta, D quodamq. numero definita præcepta medicinæ, essent pariter Philosophiæ præcepta considerationes certo numero conclusæ, quod nemo asserere potest. *Naturæ n. arcana nequeūt perfecte explicari.* Recte propterea Plato & Arist. asserunt, minimā partem nos tenere eorum, quę in naturę penetralibus, & arcanis sunt recōdita. *Ergo vt Philosophia, sic medicina non constat præceptis: sed ratione, quæ potest præcepta construere pro cuiusq; ingenii acumine.* Quo fit vt alii aliis sint præstantiores, & Philosophi & Medici, quia potest vnus plura & meliora, q̄ alius excogitare & inuenire. Igitur artis definitiones medicinæ nequaquam competūt, nec omnes artis proprietates. Nam Arist. (vt antea annotauimus) E circa generabilia & corruptibilia versari scribit artes. At hoc eodem modo conuenit medicinæ & Philosophiæ naturali: si enim generabilia & corruptibilia intelligamus in particularib. vtique in multis partibus Philosophia non minus considerat corruptibilia & generabilia, quam medicina. Quod si ingenerabilia & incorruptibilia intelligamus secundum speciem, non minus artes, quā scientiæ dicentur versari circa ingenerabilia, & incorruptibilia: nimirum quod tam artes, quam scientiæ sint vniuersalium. Ex quibus quidem (quod antea diximus) conuincimus, Arist. dictum, quod

Cur medicina non possit ex solis operationibus, vt aliæ artes, comparari.

Cur medicinæ præcepta non possint certo numero comprehendi.

Sectæ medicorum vnde reuera sint ortæ.

Discordia medicorum vnde nascatur.

Nec Philosophiam nec medicinam constare posse præceptis.

Inter Philosophos & Medicos cur alii aliis præstantiores.

Et quomodo.

Cur medicina non sit ars.

ſcientia ſit de æternis, intelligendum eſſe de indiuiduis: alioqui inter artem & ſcientiam nullum in hoc poneret diſcrimen. Statuit præterea Ariſto. artis principium eſſe in artifice, vt ædificandi principiũ eſt & emergit ab ædificatore. At ſanãdi principiũ ſemper nõ eſt in Medico: ſed ſæpe in eo, qui ſanatur. Nã (vt antea ex Galeno oſtẽdimus) in curatione morborũ, & ſanitatis cõſeruatione quædam ſola præſtat Natura, quędã ſolus Medicus, alia Medicus & Natura ſimul. Ad hoc etiam pertinet, quod ſcribit Ariſt. *in Ethicis*, artes non eſſe de his, quæ ſunt ſecundum naturam. Hęc enim principiũ motus in ſe habere, artificialia vero nequaquam. Cum enim medicina verſetur circa humanũ corpus viuens; quod ſuæ ſalutis ſæpe principium eſt, nequit profecto eſſe ars, quę circa ea verſatur, quę quidem nunquã habent in ſe ipſis motus & formæ, quam ab arte acquirunt, initium aliquod. Eſt quidem medicinæ finis opus, vt artium multarũ. At hoc illam à ſcientia ſeparat: non tamen artẽ eſſe oſtendit, quoniam ex vna re, in qua conuenit cum arte, cenſendum non eſt, illam inter artes reponendam eſſe. Ergo nec ſcientia, nec ars reuera medicina dici poteſt.

Medicinam non eſſe partim ſcientiã & partim artem. Finis ſcientiæ.

Nec vero recipienda eſt illorum opinio, qui illius partem vnam volunt eſſe artem, aliã vero partem ſcientiam. Etenim omnis medicinæ pars eundem habet finem, nempe ſanitatem, quæ quidẽ eſt opus diuerſum à fine ſciẽtiæ, qui eſt *veritas*. Addo quod illa pars, quæ ſcientia dicitur, non magis certa habet principia, certum ſubiectum, certas paſſiones, quam alia, nec magis agit de incorruptis & æternis vna, quam aliã. Et denique par eſt in vtraque ratio.

An medicina tota ſit ſcientia, & tota ars. Montaniq; opinio reprobatur.

Montanus vero & alii, qui totam ipſam medicinã ſcientiam, & artem eſſe aſſerunt, ſi modo diuerſis rationibus conſideretur, omnium maximè aberrant. Nam cum aiunt illam eſſe ſcientiã, ſi cõparetur ad habitum ſcientificum eorũ, qui nõ exercent artem; eam tamẽ exercere poſſunt: Artem vero, ſi cõparetur ad artificiũ extrinſecus, vt ſunt Empiriciq; non ex habitu ſciẽtifico, & ratione; ſed ex præceptis medentur; fallũtur. Nam illud primũ non ſatis explicant, quid per artificiũ & habitũ ſcientificũ intelligant. An volunt artificiũ ipſam operationem medendi; vel potius rudem quandã cognitionem ſignificare? An ſcientificum habitũ intelligunt demonſtratiuum habitũ, an qualemcũq; rationem? Præterea, hoc modo omnes aliæ artes conſideratæ in habitu ſuo, ſcientiæ dici poſſent: & Philoſophi cum particularium naturã ſcrutantur, vt ex illis vniuerſalia colligãt, tunc artifices eſſent. Non n. ex relationibus huiuſmodi, vel quod otioſus, & iners quis iacet ſuo habitu tumidus, aut laboriosè perpetuo in ea facultate, quam nouit, ſeſe exerceat, ſit artifex, aut ſcientificus: ſed cum ea habet, & in illis verſatur, quibus artes, & ſcientiæ à maioribus noſtris conſtare dicuntur. Nam ſcientiam, & artẽ non facit hæc relatio, cum eadem ſit cognitio eius, qui aliqua intelligit, & non operatur, quæ eſt cum eandem ad opus ducit, nec magis hoc, q̃ illo modo dignitates habet, aut ſubiectum, vel paſſiones, vel cætera ad ſcientiã requiſita: Omitto, quod vtroq; modo ſẽper habet finẽ diuerſũ à ſcientia, ſi conſideratur vt Medicus. Nã qui Medicũ dicit, dicit eũ, qui non ſciendi, ſed medẽdi cauſa habet vel habitum medendi, vel medetur, vel aliud facit, quod ad Medicum pertinet. Illud quoq;

A falſum eſt, medicinã tunc eſſe artem, cũ operatur. Non n. ars, quæ eſt vniuerſaliũ, venit ad operationẽ, quæ eſt particulariũ, ſed ipſe artifex arte inſtructus. *Ergo ars ſemper* manet *in habitu*, & Montani diſtinctio vana eſt. Monachi aũt opinio, quã dicit medicinam eſſe ſcientiã, ipſam vero medicatiuam, (vt vocat) artem, prorſus eſt inepta, vt quæ vocabulis inuſitatis utatur, & res diſtinguat, quæ ſeiũgendæ non ſunt. Vna enim eſt facultas, quæ vnum ſibi finem proponit, inſtruitq. artificem ad agendum, medicinaq; ſemper vocatur. Nec minus quidem refellenda eſt Aphrodiſei opinio, qui dicit medicinam eſſe ſcientiam, ſi in ſe conſideretur; artem vero materiæ ratione. Eam enim refellũt eadem

Artem ſemper manere in habitu. Druſianus confutatur. Aphrodiſeus refellitur.

B argumenta; quod non magis cum in ſe conſideratur, quam cum ad agendũ venit, aut in ſubiecto ponitur, habeat ſuas dignitates, paſſiones, ſubiecta, & finem, qualem ſcientię requirunt. Cõſtat ergo medicinam non eſſe proprie ſcientiam, *cum finem habeat artis, & ſæpe principium in artifice, nec habeat principia, paſſiones, & ſubiectum, nec ſit de æternis, vt ſunt veræ ſcientiæ.* Nec eandem poſſe reuera eſſe artem: quippe *cum principium actionis non ſit ſemper in artifice, nec ſit habitus cum ratione factiuus, acquiſitus ex operationibus, nec collectionẽ certorum præceptorum habeat, & non minus tractet de æternis, quam Philoſophia naturalis*, ſitq; de his, quæ ſunt ſecundum naturam.

Cur Medicina proprie non ſit ſcientia, neq; reuera ars.

C Quid ergo erit medicina? nõ aliud reuera (meo quidem iudicio) eſſe poteſt, quam *facultas cõpoſita ex arte, & ſcientia*, quæ quidem non habet ſimplex apud alios, aut Ariſtotelem, qui non conſiderauit has difficultates in medicina, cum diſtinguit habitus in ſcientiam, artem, prudẽtiam, intellectum, & cætera, & medicinam inter artes ponit. Artes n. ex artifice principium ſumunt ſolum: Hæc vero nũc à natura, nunc ab artifice, & alia quædam, vt oſtẽdimus, cõmunia habet cum ſcientiis, alia cum artibus. Sed cum nomen non ſit impoſitũ miſtæ huic facultati, nos nunc artem, docendi cauſa vocabimus, & non ſcientiam, quando quidẽ plura ſumis ab arte, quam à ſcientia, vt quilibet ex prædictis

Quid ergo ſit.

D intelligere poteſt.

Sed iã videamus, in quo genere artiũ reponi debeat. Facultates ſiue (vt vocat Galenus) artes, aut vt Ariſt. ſcientiæ lato modo ſumptæ, quædã contemplatiuæ, aliæ actiuæ, aliæ factiuæ. Porro contemplatiuæ vocantur, quæ in contemplatione verſantur, finemq; habent ipſam contemplationẽ; Actiuæ, quę actionẽ; Factiuæ q̃ opus. Contẽplatiuæ quædã contẽplantur formas extra materiam, aliæ in materia: Contemplatiuæ extra materiam, quædam contemplantur formas reuerã & ſuapte natura extra materiam, vt metaphyſica, Theologia; aliæ extra materiam ſolum per abſtractionem, vt mathematica. Contemplatiuę in materia, phyſica.

Medicina in quo artium genere conſiſtat. Artes quot- triplices. Medicinam eſſe partim artem. Contemplatiuarum facultatum differentia. Actiuarum differentia.

E Actiuæ quædã in actione, quæ pertinet ad mores, vt Philoſophia moralis, & religio: aliæ in actione publica cũ tota ciuitate, q̃ politica: aliæ in actione domeſtica, vt œconomica: aliæ in ſibi propria, aut cũ aliis, q̃ in eadem actione ſimul ſe exercẽt, communi, vt ſaltatoria, muſica, comœdia, tragœdia. An logica, grammatica, & rethorica, inter cõtemplatiuas eo, quod contemplentur, quæ ad orationem & ſermonem pertinent; an inter actiuas, quod agant & ratiocinẽtur; an potius peritiæ quædã ſint, quam ſcientiæ vel artes, aliis cõſiderandum relinquo. Factiuæ quædam faciunt opus, alię vero circa

Factiuarum differentia.

opus

opus factum aliquid moliuntur. Quę faciũt opus, quædam faciunt opus, quod antea non erat factũ, veluti sunt qui nouam domũ construunt: aliæ vero ante factum opus, sed amissum, rursus construunt, & hoc dicitur facere, & renouare. Restituit n. quod antea factum erat. Verum etsi vna & eadem est ars, quæ non factum antea opus efficit, & iam factum, & postea amissum, restituit, quoniã tamẽ hæc diuisio ad intelligẽdum Galenũ confert, inter se distinguantur istæ artes. Cæterum quæ non faciunt opus, quædam illud acquirunt, vt piscatoria, & venatoria, aliæ custodiunt, vt militia q̃ arces factas tuetur, & custodit. Quæ reuera facultates inter artes ponendæ sunt: & non solum in diligentia quadam vt vult Galenus: quod ostẽdit illarum difficultas. Non enim sola sufficit diligentia in arcibus, & castris tuendis: sed necessaria est maior quædam scientia, & virtus: vnde & scientia militaris dicitur, quæ his rebus præest. Huius generis facultatis, quæ in custodia & diligentia rerum versatur, poni debent Hebræi, qui vestes, & libros scholarium custodiunt. Aliæ vero sunt, quę opus resarciunt, cuiusmodi est, quæ pannos laceros, & calceos reficit. Aliæ p̃terea sunt, quę vtrumq; pręstant, nempe opus de nouo faciunt, aut factum & amissum rursus constituunt & simul corrigunt, vt ædificatoria. Hæc sane diuisio facultatum perfecta esse videtur, & melior illis, quæ apud Galenum reperiuntur. Ille enim *in libro de constitutione artis* diuidit artes in contemplatiuas, vt arithmeticam, & actiuas, vt est saltatoria; in factiuas, vt est medicina; in acquisitiuas, vt est venatoria, piscatoria. Nã acquisitiua facultas sub factiua comprehenditur, cum sibi finem proponat opus. Propterea Aristo. rectè *1. ca 6. Metaph.* vt nos, scientias diuidit primũ in contẽplatiuas, actiuas, & factiuas, nulla facta acquisitiuæ mentione. Male præterea Galenus factiuas vocare solet quæ opus faciunt, rectius n. Aristoteles *trigesimo quinto cap. magnorum moralium*, illas definit esse, quæ post facturam opus ostendere possunt, siue illud ipsę fecerint, siue iam factum acquisierint, aut circa illud aliud molitæ fuerint. Perperam quoque nonnulli Arist. interpretantur, qui sub actiuis facultatibus eas solum comprehendere volunt, quas nos virtutes morales vocamus: sic .n. istorum opinione saltatoria, & pulsatoria ars, cum non sit actiua, factiua esset. Quod quidẽ Arist. repugnat, qui actiuas oẽs illas esse vult, quarum præter actionem nullus est alius finis: meminitq. pulsatoriæ artis inter actiuas facultates. Factiuas præterea artes Galenus *in lib de constitutione artis* diuidit in illas, quæ noua opera efficiunt, vel confecta resarciunt, & restaurant, cũ vitiata sunt, vel vtrumque præstant. Nos vero plures facultates sub factiuis sumus complexi. Verũ Aristoteles, qui inter peritias, facultates quasdã reponit, melius forte dixisset inter facultates quasdã esse sciẽtias, alias artes, alias peritias. Sic n. forte daretur loc⁹ logicæ, rethoricæ, grammaticæ, de quibus magna controuersia est, cum inter artes & scientias ex illius opinione illæ non recipiantur.

Logica, rhetorica, grãmatica, in quo genere facultatum reponi possint.

Cæterum omnes fere medicinam ponunt inter eas, quę solũ opus resarciũt, & dicunt hãc esse Gal. passim sententiam: quod quidem falsum videtur, nam ille aliquando eã ponit inter eas, quæ faciunt antea factum, sed amissum, & illud simul restaurant. Etenim *c. 5. de constitutione artis*, scribit medicinam facere sanitatem. Ergo opus facit. Ait & *eodem loco* eandem restituere, quod iam fuit, nempe sanitatẽ amissam. At restituere quod nõ est, opus est condere: nimirum cum illud corrigamus, quod est, sed vitiatum aliqua ex parte. Est & locus alius *in lib. de optima secta capite quinto*, vbi scribit artes quasdam facere, conseruare, & corrigere opus. In quo quidem genere ponit ædificatoriã, & medicinã. Præterea, id patere potest ex duabus medicinæ partibus. Vna .n. medicinæ pars sanitatem restituit, cum morbos curat, tunc enim nõ reficit; quippe cũ reficiatur id, quod est, vt antea diximus; fiat autem id, quod non est. Igitur cum sanitas non sit præsente morbo; sed postea veniat ex opera Medici; necessarium vtiq; est vt illa fiat. Alia autẽ pars medicinæ sanitatẽ præsentem conseruat, auferendo, quæ possunt obesse, & reponẽdo aliquid, quod est corrigere, & reficere, vt ars, quæ vestes laceras reficit. Tanquam medicina ex duabus partibus constet, ex ea inquam, quæ nouum opus facit, & alia, quæ factum reficit. Verum non desunt ex eodẽ authore alii loci, ex quibus probare licet, medicinã solum corrigere: nec eam opus aliquod facere. Nam *in Thrasybulo c. 8. & 10.* probat medicinam tam in parte, quæ sanitatem conseruat præsentem, quam in ea, quæ amissam recuperat, semper corrigere: Idque ostendit ex arte, quæ reficit vestes, & ex eo, qui implet dolia. Nam ei, qui fila multa & frustula ablata à veste restituit, aut dolium fere vacuum replet, comparat Medicum, qui morbos curat, sanitatẽq; recuperat. Ei vero, qui nõ patitur vestem multũ lacerari, & dolium inaniri: sed adest, & orientes corruptiones ex minimis filis in veste, aut paruã quamcunque consumptionem dolii statim corrigit, emendatq;, comparat partem medicinę, q̃ sanitatem tuetur. Vnde colligit, medicinam vnam vnum solũ facere, & vno modo, nẽpe restaurare, & emendare, quod deficit, *ita vt in quanto, non in quali emendationis differentia cõsistat.* Quæ quidem opinio verior cẽsenda est: falsum n. est, medicinam sanitatẽ facere, quoniã *nullus artifex facit finẽ suæ facultatis; sed finis sequitur ad ea, quæ artifex facit*: diciturq; aliquis assequi finẽ, sed eum non facere, vt Imperator non facit victoriã, sed pugnat: ad pugnam aũt victoria sequitur. Ita Philosophus non facit veritatem; sed scit: ad scientiã vero sequitur veritas. Sic Medicus calefacit, refrigerat, aut aliarum rerum excessus emendat: ad quod sequitur sanitas. Ita cũ errat in sanitate conseruanda, nõ facit morbũ; sed vel calefacit, aũt vacuat, aut replet, ad quod sequitur, cũ illa excedũt, morbus. Licet idẽ alia ratione probare, quod, inq̃, Medicus, siue seruet sanitatẽ, siue morbos curet, sanitatem non faciat. Nihil n. aliud vnq̃ præstare potest, quam operari: at sanitas est res diuersa ab ipsa operatione, vt Gal. *cap. 27. in Thrasyb* scribit. Addo, quod finis tunc venit & apparet, cũ artifex nihil amplius facit. Ergo finem non facit artifex; sed ad illius actionem sequitur. Quinetiam Gal. *c. 15. & 16. eiusdem operis* probat actionem, & bonũ habitum non esse finem sanitatis: quoniã illa spõtè tanquam vmbra corpus sanitatem sequuntur. Sic igitur quod sequitur sponte operationem ipsius Medici, sanitas, inquam, a Medico non fit, quia illud dicitur proprie; & per se fieri; *quod primo fit*: non autem id, quod ad illud sequitur. Illa enim vt inquit Arist. *in Metaphysicis*, quæ per accidens fiunt, sunt infinita. Ergo medicina tota corrigit, & resarcit vitia corporis, ad q̃ sequitur sanitatis præ-

An medicina sit solum resarcitoria & opus non faciat nouũ.

Medicum vnum semper facere, & nullum artificem facere suum finem.

Aliquid fieri quid propriè dicatur.

Quomodo medicina pars aliqua conseruatrix dici possit.

ſentis conſeruatio, aut amiſſæ recuperatio, & reliqua omnia, quę ſanitatem ſequuntur. Verũ ſi quis rem, vt oportet, non intelligat, nulla vtiq; videbitur medicinæ pars conſeruatę. Nã ſi medicina ſẽper corrigit, & emendat, quomodo dicetur ſanitatẽ conſeruare? Nã conſeruare eſt nihil auferre, aut minuere: qui aũt corrigit, aut refarcit, aliquid addit, vel adimit: vnde dicta quoq; eſt medicina ab Hippoc. adiectio & ablatio. Re vera ita res habet, quod omnis correctio fiat cũ mutatione; tamẽ qa correctiones quædam paruæ ſunt, adeo vt ſenſum fugiãt, an fiat aliqua mutatio, an ſem. er maneat corpus in eodem ſtatu, diſcerni non poteſt; ideo correctionẽ, quæ fit in ſanis, conſeruationẽ. & nõ mutationẽ dicimus. vt recte Gal. ſcribit *in Thraſyb.c.20.* & re uera non cuſtodit, ſicut aliæ facultates, quæ ſine mutatione conſeruant. Patet ergo in quo genere facultatũ medicina ſit ponenda, ſũpta differẽtia ab actione. Nã vt partẽ ſui capit ab arte, factiua eſt, non practica i. actiua: Vt autẽ partẽ capit à philoſophia & ſciẽtia, contẽplatiua. & ex his, q̃ formas contẽplantur in materia. At cũ aliæ ſint differentiæ: quaſdã n. artes dicimus eſſe honeſtas, alias ſordidas, alias dignas, alias indignas, quaſdam vtiles, alias inutiles, quaſdã liberales, alias mechanicas, quęrendum in quo genere ex prędictis medicina ponenda ſit.

Correctiones quomodo fiant.

Facultatis medicæ dignitas.

Non deſunt profecto, qui eã calumnientur, eſſe ſordidã argumento, quod dicatur eſſe ars refarcitoria, & à Gal. *in li. de conſtitut. artis* comparetur ei, qui calceos laceros reparat, ac q; ars mechanica ab Auerroe *in primo Colliget, c.1.* dicatur eſſe, q; & illi⁹ opera oſtendũt. Nam Medicum vid. mus lotia, & alui, aliorumq; omnium partiũ excrementa inſpicere: putridas partes manibus pertractare, naribus trahere ex rebus ſordidiſſimis odorem: propterea Ariſtophanes Medicos, σκατοφάγους vocat. Verum ſi quis vltra vulgarium opinionẽ proſpiciat, videbit aliter ſentiendum eſſe. Si enim Reges, & Dii, qui honeſtati maxime inter omnes ſtudent, illius ſtudioſi fuerunt, oportet profecto eam honeſtam eſſe. Medicina etſi refarcit, tamẽ digna eſt & honeſta, quia præſtantius eſt hominẽ refarcire, q̃ aliud nouum opus facere. Iubet Deus optimus maximus Medicos eſſe venerandos, & leges maxima præmia, & honores Medicis conſtituerunt, tanquam digniſſimæ & honeſtiſſimę facultati. Quod ſi ratione ſubiecti, vt Ariſtot. *lib 1. de Anima* ſcribit, artes, & ſcientiæ dignitatem ſuam aſſumunt, profecto nulla eſt, quæ medicinæ præferri poſſit. Mechanicam artem (vt poſtea oſtendemus) medicinam multi falſo exiſtimant eſſe. Nec curandum quidem eſt, quid Ariſtophanes, aut alii poetæ, qui ad maledicendum ſunt nati & facti, nobis obiiciãt. Primum quod cõtendere quis poſſit, neceſſariam non eſſe hanc excrementorũ inſpectionem: quãdo quidem ex aliis ſignis peccantes humores dignoſcere poſſumus, deinde quod Medicus tanquã Architectonicus cõſtituere poteſt ſuos miniſtros, qui referant ipſi, quę viderũt. At ſi etiã donemus, ad Medicũ pertinere huiuſmodi curam: non tamẽ fit propterea, quòd ars honeſta non ſit. Si enim finis conſequẽdi gratia id fit, oportet profecto illud honeſtum eſſe. A fine enim media talẽ prærogatiuam capiunt, qualis ipſe finis eſt. Negemus ergo hac ratione Philoſophiã honeſtã eſſe facultatem, quod nonnunq̃ graueolentia ſcrutetur, vt cũ ſulphuris venas, bituminis, & aliarũ huiuſmodi rerũ

Eccleſiaſt. cap.38.

A naturam inquirit & ortũ. Negabimus pariter Iuriſperitos, qui ſua profeſſione maxime tumẽt, honeſtam facultatem profiteri, *quod in diuiſionibus ædium cogantur introſpicere latrinas & cloacas*: vt iudicare poſſint, an illæ propriæ vnius ædis ſint, an communes aliis vicinis. Ego tanto honeſtiorem puto eſſe eam facultatem, quanto magis ab huiuſmodi hominibus, qui omnia calumniantur, vituperatur.

Medicinæ vtilitas.

Vtilitatem medicinæ partim ex illius dignitate, partim ex aliis agnoſcere poſſumus. Nam ſi medicina humanum corpus reſtaurat, elementa, & humores temperat, quorũ vitia in animum deriuãt, tot ac tãtarum rerum cognitionem docet, nequit B non eſſe vtiliſſima. Quod ſi ex artificis vtilitate artis vtilitatẽ metiri velimus, conſtat eam vtiliſſimã eſſe. Nam vt Plinius ſcribit *29.lib.* nullis vnquam maiora ſtipendia data fuerunt, quam Medicis. Priuatuſque quæſtus vberrimus olim Medicis fuit. Nam, vt idem author refert, Stertinus Romanus Medicus ſexcenta ſeſtertia annis ſingulis ſe lucrari, numeratis domibus, à quibus quæſtum huiuſmodi accipiebat, oſtendebat. Crinas item Maſſilienſis (vt ille inquit) cẽties ſeſtertia reliquit, muris patrię, mœnibus quoq; aliis, pene nõ minori ſum̃a extructis. Galenus etiã *in lib. de præſagitione*, à Boetho quingentos aureos, quod illius vxorem curaſſet, ſe accepiſſe refert. Sunt & alia plura exempla, cum C etiam paulo ante noſtra tempora, Petrus Aponenſis quinquaginta coronatos ꝓ mercede vnius diei expoſceret. Quod ſi noſtro ſæculo hominum auaritia, Medicis diminuta merces eſt, tanta tamẽ adhuc eſt, vt omnibus abunde ſuppetat. Ac inter alias artes id optimum habet medicina, quod vbique gentium in omni tempore ſuos alat artifices: cum nulla ſit profeſſio, quæ locorum, & temporum diuerſitate vtilis eſſe non deſinat.

An mechanica ſit, vel liberalis ars.

Chirurgiã eſſe Medicinæ partem omnium antiquiſſimã.

De arte mechanica diſſenſio.

Ex ſuperius dictis: tum ex aliis argumentis conſtare videtur, medicinam inter artes Mechanicas ponendam eſſe: Si enim refarcit opus factum, mechanica erit. Idem Auer. *c.1. primi lib. Colliget*, necnon *31.7. Colliget, & primo de anima* teſtatur. Qui-D bus aliqui reſpondent de chirurgia id dictum eſſe, ſed male. Si enim chirurgia Mechanica: hæc autem medicinæ pars eſt (ſiquidẽ ſub curatoria continetur) omniumque antiquiſſima à diis ipſis celebrata, oportet & medicinam ipſam Mechanicam eſſe. Ac profecto non facile eſt in hac re ſtatuere, quid ſit verum, nimirum quod nondũ ſtabilitũ ſit, quid per artem Mechanicã intelligere oporteat. Quidam enim ſtatuunt, illam eſſe huius generis, quæ aliquid faciat, alii vero eam definiunt, cuius actio ſit perfectio, non artificis, ſed alterius. Alii volunt, eã eſſe, quę corporis inſtrumento vtitur. Alii, quę ob neceſſitatem aliis ſeruire cogitur. Plato *in 1. de legibus*, appellat illam artem mechanicã, illiberalẽ & diſciplinæ appellatione indignã, quę ad colligẽ-E dam pecuniam, vel ad corporis robur augendum, vel ad peritiam quandam abſque mente, & iuſtitia conquirendã, tendit. Galenus *in lib. ſuaſorio ad bonas artes*, duo prima artium genera facit. Quaſdam enim dicit eſſe nobiles, quæ in munere animi ſunt poſitæ, quas liberales vocat. Alias vero ignobiles, quæ labore corporis tractantur, quas Mechanicas appellat. primi generis ponit eſſe medicinam. Sed quomodo illius erit generis, ſi Chirurgiã exercet, vt exercere debet, tanquã antiquiſſimã, & præſtãtiſſimam huius facultatis partem, & pharmaciam.

Hæ

Digitized by Google

Hæ enim, & animi, & corporis labore exercentur.
Solet Galenus aliquando difficultatē hāc hoc
modo effugere: quod scilicet medicina Archite-
ctonica sit, quæ aliis imperat, qui manibus operā-
tur, & ministros habet, p quos opera sua exequi-
tur. Illā n. solum artificē instruere, qui aliis impe-
rare valeat, & docere, quid sit faciendum. Quod
quidem nostro hoc tempore apparet. Quosdā n.
videmus, qui medicamenta omnium generum ad
omnes vsus præparant, seruāt, & ægrotis iussu Me-
dicorum ministrant. Alios, qui chirurgiā manibus
exercent, instrumentaq; ad id apta parata habent,
qualia Medicus necessaria, & commoda iudicauit.
Alios rursus, qui alimenta ægrotis conficiūt. Alios
deniq, qui adstāt ipsis, & notant omnia, & referūt
Medicis, q̄ ab ægrotis fiūt. Ipsi aūt Medici nihil hu-
iusmodi agunt, sed aliis præsunt rationem & artē
tenētes, qua oēs regere & instruere possint. Verū
hoc Medicis, qui ante Galenum, & eodē tempore
vixerunt, conuenire nequit. Illi enim, & artē tene-
bant, & factitabant in omni opere ægrotis neces-
sario, ad omnes morbos persanandos. Nam quos-
dam victu, alios medicamētis, alios manu propria
pollicetur eorum medicina sanare. Fuerunt tamē
eo tempore alicubi distincta hæc opera: quando-
quidem Galenus ipse refert, *in Methodo medendi*,
se in Græcia Chirurgiam administrare solitū Ro-
mæ vero eius administrationem reliquisse illis, qui
huic officio peculiariter se dabant. Vel ergo Chi-
rurgia & pharmacia à Medicina separādæ sunt, vt
nunc fit, & ex tribus illius partibus duę relinquen-
dę aliis: aut certe ipsa Medicina Mechanica est. Sed
qd est quæso, quod nos cogat à nomine artis Me-
chanicæ tantopere abhorrere? Si enim eo nomine
aliquid sordidum & vile intelligere velimus, ne-
cesse est, vt plurimas facultates, quas nobilissimas
censemus, inter vilissimas reponamus. Nam miles
& Imperator etiā ipse dum pugnat pro patria, im-
perio, & victoria, aliquid facit, & alterius, propriū-
que etiam commodum quærit, vtiturq, corporis
instrumento. *Nec artificis aut artis opprobrium est,*
si ob tenuitatem rei familiaris aliis inseruire cogatur.
Hoc enim fortunæ iniuria est, non vitium aliquod fa-
cultatem suam exercentis. Fateamur ergo, si placet,
illam esse Mechanicā: si mechanicæ facultatis de-
finitiones sunt, quas antea adduximus: & nihilo-
minus tueamur, esse nobilissimā, liberoq; homine
dignam. Nimirum q̄ Dii ipsi, Reges, & alii præstā-
tissimi quiq; homines exercere in magno honore
sibi esse putarunt, ante q̄ otiosi Philosophi, vt ma-
iorem (si Diis placet) dignitatē sibi fingerent, eas
censerēt esse nobilissimas & omnium præstātissi-
mas facultates, q̄ in sola contēplatione versarētur,
& contēplantis duntaxat ingeniū acuerent & per-
ficerent. Alias aūt mechanicas, & insignes artes, q̄
otium fugientes, non solum animi virtute, sed etiā
partium corporis adminiculo vniuersis hominib.
auxilio, & ornamēto esse studēt. An forte rectius
illas mechanicas vocabimus, quæ potissimum corporis
adminiculo exercentur, animi vero studium non ma-
gnoperē requirunt, quibus fæx hominum incūbit.
Liberales vero, quæ primo & per se ingenio opus ha-
bent: corporis autem auxilio non nisi per accidens: vt
animi egregia studia & nobiles cogitationes, cum
opus est, probantur. Hoc modo medicina, vt Im-
peratoria, nobilis est.
Multos torsit quæstio, an medicina sit coniectu-
ralis, & id etiā est, quod Medicis obiici solet, illorū

Medicos nostri temporis esse tamquā Architectonicos.

Medicos Galeni tempore nostris viliores fuisse.

Medici vti à Chirurgis essent distincti tempore Galeni.

Ars mechanica & liberalis quid vtraque sint.

A facultatem non esse certam; sed coniecturalem. A
qua quidem quęstione cū Medici multi sese expli-
care nitūtur, maiorib. labyrinthis inuoluuntur: nō
alia quidē, vt puto, ratione, q̄ quod ex Galeno, qui
in hac re varius, & perplexus est, huiusmodi cōtro-
uersiam terminare voluerint. Ille n. fatetur nunc
illā esse certā, nunc vero coniecturalem. Idq; nunc
ob vnam, nunc ob aliam causam. Porro, quoniam
à coniectura coniecturalis ars dicitur, videndū est
quid coniectura sit. Definit autē ille *in lib. de locis*
affectis, coniecturā *mediam quandam esse cognitionē*
inter perfectam ignorantiā, & exactam notitiā. Scri-
bit aūt *in lib. nono de placitis*, medicinā melius pos-
se probare, quæ sunt suæ facultatis, quam Philoso-
B phiam, nimirum quod à sensibus, & ratione argu-
menta ducere possit. Philosophus vero de illis a-
gat sæpè, quæ à sensibus sunt remota, adeo, vt ex
illis nulla probatio sumi valeat. Deinde si medici-
na est ars, aut ex scientia, & arte constat, vt nos vo-
lumus, est vniuersaliū. At *vniuersalium cognitio est*
æterna, firma & certa, vt Galenus *in principio lib. de*
optima secta testatur, omnia, inquam, præcepta sūt
æquè vera & certa. Cæterum coniecturalem ean-
dem esse testatur Galen. *ca. 12. lib. de curandi ratio-*
ne per sanguinis missionem, necnon *in opere de medi-*
camentis secundum locos lib. 1. Iam vero coniectura-
lem eam vult esse, *in lib. de venæ sectione*, ob quanti-
tatem remedii. scribit. n. *eo loco* ad hunc modum:
C *nihil æquè artem medicam coniecturalem efficit, vt*
cuiusq, remedii quantitas. *in lib.* vero *1. ad Glauconē*,
non solum quantitatem remediorum, sed etiam
occasionem agendi coniecturalem esse scribit. At
vero *in lib. 1. de medicamentis secundum locos*, habet
curatiuam partem certam esse: affectuum vero
cognitionem coniecturalem: curatiua autem pars
quantitate, occasione, qualitate remediorum, &
vtendi modo, vt ille tradit *ad Glauconem*, con-
stat. Quare si curatoria pars certa est, pariter quā-
titatem, & occasionem remediorum certam esse
oportet: imo *in alio loco* scribit, se superare posse
Æsculapium, & Apollinem medendo; si modo
affectuum quantitatem exacte dignosceret. Est
alius locus *in lib. de optima secta cap. 4.* vbi conie-
D cturalem dicit esse artem, non ex præceptis, quæ,
vt inquit, certa sunt; sed ex medentium opera.
Quoniam enim, inquit, *incertum habet finem & e-*
uentum, ideo coniecturalis est. Vult ergo *vno loco*
medicinam esse coniecturalem ob cognitionē af-
fectuum, *alio* ob quātitatem remediorum, *alio* ob
finem & incertum euentum, & non ob præcepta;
alio quantitatem certam esse, & denique, dū pro-
bare vult, medicinam esse coniecturalem, conie-
cturam & incertitudinem in nobis parit. Qua-
propter diligētius hæc sunt explicāda. In qua qui-
dem re illud primum considerandum esse iudico,
quomodo intelligat cognitionem affectuū cō-
iecturalem reddere medicinam. Nam si medicina
E certa habet præcepta omnia, non minus erit certa
illius pars, quæ in cognitione affectuum versatur,
quam alię partes. Quod si in ea cognitione artifex
dubitat, coniecturaq; vtitur, hoc nihil ad ipsam fa-
cultatē. Vitium. n. hoc est artificis operantis, non
artis, quæ ad opus non descendit: deinde *illud puto*
esse falsum. medicinam habere de omni re certa præ-
cepta. Nihil enim certum (vt ipse etiam testatur)
pcipere potest in cognitione, & distinctione co-
lici doloris, & nephritidis: nec in curatione mor-
borum in tota substantia: nec in signis, quæ

An medicina sit coniecturalis.

Quid coniectura.

Medicinam non habere de omni re certa præcepta.

docent crisin fore per alui excretionem: aut morborum transmutationem, & in multis salutem & mortem. Quod Hippocr. *in eo Aphor.* significauit, vbi scribit, *acutorum morborum non omnino esse certas prædictiones salutis, aut mortis*. Nec vero ob quantitatem remediorum potest illa coniecturalis esse. Nam præter supradicta argumēta hoc idē probari potest: certi enim sunt gradus remediorū, & cognita quantitate affectuum, concludimus certa scientia tantum debere esse remedium, quātum est id, quod exuperat. At nec ob finem medicina coniecturalis esse potest. Si enim certa essent, quæ in finem referuntur, esset vtique & ipse finis certus. Quod si ipse finis incertus est, nō sua ratione id sit: sed quod illa, ex quibus finē assequimur, incerta sint. Adde quod *medicinæ finis vniuersalis est, vt sanitas, non aūt hæc sanitas: quippe cū ipsa medicina versetur circa vniuersalia. Finis vero vniuersalis, vt alia vniuersalia, est æternus, aliterq; se habere nequit. Quare certus ille, & certus artis euētus.* Cum ergo non artis finis, sed artificis in vsum veniat, nō debemus artem coniecturalem existimare, quod finem non consequatur suum. Gal. præterea veram huius rei reddit rationem *in li. de opt. ma secta,* vbi coniecturalem dici scribit *ab actione, & Medicorum opera.* Hi enim incertum euentum habētes, coniecturalem (inquit) artem reddūt. Ex quo constat medicinā *non ex his, quæ propriè ad se pertinent, sed per accidens, artificum & medentium. s. vitio, vel potius officio,* coniecturalem dici. Illius enim vitia vel officia, quæ in particularibus versantur, in artem redundare vult Gal. quod absurdum est. Ego vero aliter sentiendum esse puto. Artem enim ipsam *ob structionem in quibusdam coīecturalē esse, vt in signis, & aliis quibusdam,* de quibus antea egimus. Quod si in aliis ipsa certa est, in artifice tamen pariat coniecturam, & non in omni quidē re; sed solum, aut maximè *in quantitate & temporibus morborum, ex quibus fit, vt quantitas, & occasio remediorum dicantur coniecturalia, non quod ipsa suapte natura sint talia; sed quoniam pendent ex quātitate affectuum, & præsentia postulantium, & absentia impedientium. Cognoscere autem quantitatem affectus, & alia præsentia, & absentia, nemo exactè potest.* Ideo non potest certam quantitatem in remediis constituere. *Non ergo quantitas remediorum incerta est, & coniecturalis; sed quantitas affectuum, sine qua non potest illa inueniri.* Et propterea rectè dicebat Gal. curationem, & quantitatem remediorum esse scientificam, si sciretur quantitas affectuum. Rectè vero illud dicebatur certum esse artis euentum, sed non artificis, qui in singularibus agit, in quibus decipitur, cum non possit cognoscere quantitatem affectuum, & naturæ roboris. Vnde sanitas aliquando, vbi mortem ille expectat, & contrarium sequitur. Patet ergo in quibus medicina coniecturalis sit, & quibus, quaque ratione in aliis coniecturam pariat.

Coniecturalem non esse medicinam ob quantitatem remediorum.

Nec ob finē artis.

Medicinæ finem esse vniuersale.

Vnde medicina potissimum sit coniecturalis.

Quantitatē affectus & aliorum præsentium & absentium exactè cognosci à nemine posse.

Subalternatas vocamus illas facultates, *quæ cum partes non sint alterius, ab ea tamen suas probationes, & principia sumunt.* Ad quam quidem rationem si quis spectet, inueniet profecto medicinam non esse subalternatam Philosophiæ: quippe cum Philosophiæ sit pars remoto fine, & in omni sua parte egeat principiis, & rationibus sumptis ex Philosophia: quia in omni parte res naturales considerat. Quod si medicinam à Philosophia separemus ex proprio fine, tunc subalternata est, nec forte proprie; cum eadem sit tractatio; eadem principia, & breuiter, differant potissimum quod vniuersalior vna, alia contractior sit facultas. Diuidit autem *primo Politicorum* disciplinas Arist. *in cap. 5.* ad hunc modum, vt vna sit pars alterius, aut alteri ministret. certe medicina non ministra, sed pars potius fuerit ipsius Philosophiæ, si, vt diximus, agit de rebus naturalibus. Constat ergo qualis facultas sit medicina.

Subalternatæ facultates quæ.

Medicina an & quomodo subalternata philosophia.

Medicina & Philosophia quomodo differant.

Cum abunde ostenderimus, quid medicina sit, & cuius generis facultas: meritò occurrit consideratio de eo, circa quod versatur, id est, de illius subiecto. Quæ vsque ad hæc nostra tempora maximas habuit difficultates: cum duo fere non reperiantur, qui idem de hac re sentiant. Quidam enim negant, medicinam aliquod habere subiectum, nec etiam alias artes. Alii istud quidem concedunt, sed in eo assignando discrepant: nam quidam corpus humanum, alii quod sanari ęgrotareque potest, alii corpus humanum quatenus sanari ægrotareque est aptum, alii sanitatem, alii sanum, alii sanitatem & corpus sanabile, alii multa, alii omnia, quæ in Medicina tractantur. Inter quos placet in primis Montani opinionem excutere. Scribit autem ille, subiectum id esse, quod alteri subiicitur (vt quidem ipsum nomē ostēdit.) Ac cū quatuor sint in quibus reperitur aliquid esse, quod alteri subiicitur: hinc quatuor subiecti significationes elici. Sumi enim vno modo subiectum pro subiecto prædicationis: quemadmodum Aristoteles in Postprædicamentis scribit, quædam dici de subiecto, alia esse in subiecto. Alio modo sumitur subiectum pro subiecto denominationis, quod & demonstrationis dicitur. Tertio modo est subiectum naturæ, siue inhærentiæ, & passionis. Quarto dicitur pro eo, circa quod versatur scientia, vt anima dicitur esse subiectum librorum de anima: quod æquiuoce, inquit, subiectum dicitur: proprie vero obiectum vocari debet. Dicitur & subiectum considerationis. De hoc non loquitur Arist. sed Themistius. Potest etiam vocari propositum, siue intentio, vel scopus, ratione cuius mouetur artifex ad agendum. Est etiam finis, & hoc est verum subiectum in omni arte. Ac in Philosophia subiectum est corpus mobile: in medicina vero corpus humanum sanabile. Ad illud enim omnia in medicina referuntur. Et quia omnia cōsiderat Medicus propter sanitatem: ideo subiectū medicinæ est sanitas, quia non potest stare sine subiecto. Hæc Montanus *in Commentariis suis in artem medicinalem.* In quibus multis modis errat. Primum, quod male distinguat subiectum, circa quod versantur scientiæ, à subiecto, de quo probantur passiones, siue subiecto demonstrationis, vt patet in Arithmetica, & Geometria. Versatur enim illa circa numerum. Hæc vero circa magnitudinem, & de illis probantur omnes passiones, quæ sunt in illis scientiis. Secundo errat, cum subiectum, quod in scientiis, aut artibus consideratur, improprie ait vocari subiectum. Nam Arist. *ca. 2. primi Rhetoricorum ad Alexandrum,* medicinæ subiectum dicit esse corpus humanum sanabile, & animam subiectum *in lib. de Anima* docet esse. Quare proprie & ab Arist. subiectum dicitur. Præterea falsum est, subiectum, esse obiectum siue scopum, aut finem. Nam finis & scopus medicinæ est *sanitas,* adeo vt finis, scopus, propositum

De subiecto medicinæ.

Montani opinio de subiecto Medicinæ.

Medicinæ finis quis.

positum, intentio, idem: subiectum autem est *corpus humanũ*. sic *in lib. de anima* ipsa anima est subiectum: finis vero, & scopus Arist. in illis libris est veritas, & cognitio de anima. At hæc plurimũ differunt. Ac ille sibi manifestè repugnat, cum nunc subiectum in medicina dicit esse corpus humanũ sanabile, nunc ipsam sanitatem: quæ subiectum esse non potest, cum sit ipsa in subiecto, differatque natura, & ratione à corpore sanabili, & ægrotabili. Ita vt si vnum sit subiectum, alterum esse non possit, quippe cum vnum sit Arist. teste in omni scientia & arte subiectum. Ac etiã Galeno semper distinguitur finis medicinæ à subiecto, circa quod illa versatur. Nec illa quidẽ est ratio subiecti, quod ratione illius moueatur artifex ad agendũ. Id enim est finis. Ratio vero subiecti vera est, *quod circa illud versentur scientia, de illo demonstrentur passiones, in illo artes aliquid faciant*: & malè quidẽ concludit, sanitatem esse subiectum, quod nõ possit stare sine subiecto. Hoc enim facit, vt subiectum esse non possit, si subiectũ semper desiderat. Illud pariter falsum est, principaliter considerari subiectũ in scientiis, & artibus. Nam *finis est, quod primò & per se consideratur, & intenditur*. Sed quoniã non potest haberi, nisi in subiecto, ideo de subiecto cogimur cõsiderare. Ergo Mõtanus ex talus rationibus, & fundamentis quærit subiectum in artibus, & scientiis, & Aristoteli, Galenoque repugnat.

Alii vero sunt, vt Curtius, qui sanũ volunt esse subiectũ in Medicina, idq; dicunt se elicere ex Aristot. *c. 2. quarti libri Metaphysices*. Scribit enim eo loco ens dici multipliciter: sed omnia ad illud referri, tanquam ad vnum principium, & vnam naturam non æquiuocam: quemadmodũ omne sanum ad sanitatẽ refertur, & medicabile ad medicinam. Ex hoc loco quemadmodum ens dicitur subiectum in Metaph. ita sanũ volunt esse subiectũ in medicina. Quorum quidem opinionem facilè est refellere. Nam si ex eo textu esset constituendum subiectum in medicina, non esset illud sanũ, sed sanitas. Sic enim se habet sanum ad sanitatem, vt entia omnia ad ens, vt scribit *eo loco* Aristoteles. Siquidem vt singula entia ad vnum ens referuntur, sic omnia sana ad sanitatem. Ergo vt ex hoc colligunt, ens, & non entia omnia esse subiectum in Metaph. sic colligendũ sanitatem, & nõ sanum esse subiectum in medicina. Præterea, cum ens non solum ad sanum: sed ad medicatiuum comparet Aristo. licebit idem dicere de medicatiuo, quod illic de sano dicebat Arist. Igitur medicatiuũ esset subiectũ in medicina, quod esset absurdum: aut si hoc est, sanum non potest esse, cum solum vnum subiectum sit ponendum. Adde quod si sanum est subiectum in medicina & cõtinet omnia, quæ in medicina tractantur, nihil erit in medicina præter subiectum. Ad hæc vel omne sanũ est subiectum, vel aliquod solum. Si omne, ergo vrina & signa & passiones sanæ, erunt subiectum in medicina: & ita omne ens erit subiectum in Metaph. At si non omne, sed solum, quod secundum primam significationem sanũ dicitur: illud autem sit, quod suscipit sanitatem, erit corpus humanum subiectum quatenus sanitatem recipit. Ex eo quidem exemplo, solum colligit Arist. pertinere ad vnam scientiam de omni ente disputare: siquidẽ ad medicinã pertinet de omni sano agere. Addo: Si subiectũ cõsiderationis illud est, quod primo & principaliter consideratur, erit sanitas, & non sanum subiectũ, & finis, & subiectũ idẽ sanum & sanitas: quæ omnia ab Arist. & Gal. distinguuntur. Quód autẽ finis principaliter consideretur, patet ex illius natura. Ille enim est, cuius gratia, alia vero propter illum. Ergo patet, illud non esse ponendũ subiectũ in aliqua arte, aut scientia, quod est finis aut obiectũ: sed *in scientiis illud, de quo probantur passiones*: quippe cum in eo omnes sint. *In artibus vero id, circa quod, & in quo agit ars*. Patet quoque, nullum aliud esse subiectum considerationis, præter finem: & quæstionem esse de fine, cum de tali subiecto agitur, impropriè illud vocari subiectum, & recentiorum esse commentum. Item subiectum in scientiis esse subiectũ demonstrationis, & ipsius scientiæ. In artibus vero non quæritur subiectum, vt probentur passiones; sed vt in eo ars formam suam introducat: quod potest de illo probare passiones; tamẽ non scientiæ causa hoc facit, sed vt ad opus melius dirigatur. In facultatibus vero, quæ aliquid sumunt à scientia, aliquid ab arte, qualis est medicina, pro diuerso fine, sit subiectum demonstrationis & operis, etsi, vt antea diximus, *quà scientia subiectum non habet medicina*. Errant ergo illi, qui hanc opinionem tuentur.

Non minus quoq; fallitur Manardus, qui tradit sanitatẽ esse subiectũ. Nã sanitas finis est, non autẽ subiectũ medicinæ. Ac mirũ profecto, quomodo ii tantopere in re leuissima hallucinẽtur, cũ sententia clara sit de hac re apud Arist. harũ rerum magistrum. Scribit enim ille *cap. 2. Rhet. ad Alex.* subiectũ medicinæ esse corpus, quod sanari ægrotareq; potest. Facit enim quandam vniuersalẽ medicinã, cui subiicit plantas, & animalia. Gal. quoq: *in Thrasybulo*, 8. duplex facit subiectum, in quo, & ex quo, vt corpus sanabile, in quo fit sanitas, aut ex quo educitur, dicit esse subiectum, vt cibus à quo fit sanitas, & illud est etiam medica materia. Adde & de quo, vt in lib. cum quæritur, de qua materia agat liber ille. Ac profecto videntur subiecti, & materiæ significationes ferè eædem esse. Nam materia dicitur, in qua forma recipitur, & ex qua aliquid fit, vt ex ære statua, & à qua, quæ etiam, & ex qua aliquando dicitur, vt *cap. 9. secundi de Crisibus*. Quo pacto dicitur Dioscorides de materia medica agere: ex qua scilicet, & à qua proueniunt mutationes in corporibus nostris, quæ Medicorum opera fiunt.

Sed vt ad subiectum redeamus, & tandẽ colligamus quid de ea re statuendũ sit; video subiectũ considerari potissimum quinq; modis. Nam subiectũ in scientiis intelligitur id, de quo probantur passiones, de quo Aristot. *in Poster.* In Logica autem pro subiecto prædicationis capitur subiecti nomẽ: subiectum vero in artibus id est, in quo artifex operatur. At subiectum in libris est materia, de qua tractatur, quæ differt à scopo. Nam librorũ de *anima subiecta materia est ipsa anima*. Scopus vero est *docere, quæ ad animæ cognitionem pertinent*. Huius vero operis subiectum sunt *corpora, causæ, & signa*, scopus vero *ostendere, quod medicina per doctrinam definitiuã tradi possit*. Non omitto quintam significationem, in qua subiectũ sumitur pro subiecto naturæ: vt cum dicimus, aliquid esse in alio, tanquam in subiecto.

Triuerius quærens verũ subiectum medicinæ, incidit in scopũ operis. Nã argumentũ quod dicit esse subiectũ, nihil aliud est, quam scopus, & intentio.

In eundem errorē incidit Gandauensis quidā, qui statuit esse subiectū in artibus materiam, quā explicandam suscepimus, & res infinitas in hoc opere dicit esse subiectum. Sed ille parum in his rebus exercitatus, materia operis pro subiecto artis abutitur. Cur vero Aristot. *in Rhetoricis* non corpus humanū, vt Medici: sed id, quod sanari, ægrotareque potest, subiectum ponat, ratio est (vt diximus) quod medicina quædam vniuersalis sit, quæ vniuersale suum subiectū habet, id, inquam, quod sanari, ægrotareque potest. Particulares autem aliæ sunt medicinæ, quæ & particulare subiectum ex eo vniuersali sibi determinant. Veterinaria enim, siue mulomedicina, sibi determinat quædam animalia, vt equū, mulum, asinum, bouem. Sic nostra ars solum corpus humanū, à cuius præstantia totius vniuersalis artis nomē sibi vendicauit. Medicinam enim cum dicimus, nō eam iam intelligimus, quæ circa omnē id, quod sanari, ægrotareque potest, sed solū circa humanū corpus versatur. cum autem Arist. dicat *præallegato cap. Rhetoricorum*, aliquas artes, vt Rhetoricam, certū genus subiectū non habere; alias autē habere, vt medicinam, consideratione dignū videtur. Quomodo enim certū habet Medicina, si tam varia corpora sunt, quæ ægrotare sanariq; possunt? Respondendum est, per certum subiectum Aristot. intelligere non vnicā solum speciē: sed quæ certo assignari quodam numero possit. Sola. n. animalia, & plantæ huiusmodi sunt. At quod probabile est, in omnes res spargitur: ita vt merito dictū sit, certū nullū esse Rhetorices subiectum. Quod item *eo loco* scribit artes singulas circa id, q eis subiectum est, doctrinales, persuadentesq; esse; eos arguit, qui dicunt medicinam de suo subiecto nihil ostendere; sed solum in eo operari. Nam dicit expresse *in eo loco* Geometriam circa magnitudines versari, Arithmeticam circa numerū, similiter reliquas artes, & scientias. Verum artes à scientiis in hoc differre videntur, quod illæ non omnia ostendunt de subiecto vno, nec illud per se; sed ad aliquid; quatenus s. ad opus consequendū pertinet, vt *1. cap. 2 Metaph.* Aristot. scribit, scientes propter veritatē speculari: factiuas vero propter opus. In hoc etiā differunt, q scientiæ de suo subiecto passiones demonstrent: Artes vero persuadāt potius, & ostendant, vt satis innuit Arist. cū scribit *in Rhetoricis*, artes circa eorū subiectū doctrinales, persuadentesq; esse, non autem demonstrare aliquid dixit. Sed hæc satis de subiecto. Ex quibus quidē constat, subiecti nomē æquiuocum esse, aliud esse subiectum, aliud scopū, & quænam artes subiectum habeant, & quæ non. & quot subiecta habeant: & quæ non solū in illis operentur, sed etiam aliquid de illis ostendant: & quod id non faciant per se, sed operis consequendi gratia: & quodnam sit illud in medicina vniuersali, & in nostra arte.

Medicina vniuersalis & particularis.

Medicinæ nomen, de qua facultate propriè intelligatur.

Subiectum certum quid apud Arist.

Artes quomodo versentur circa suū subiectum.

Subiecti nomen esse æquiuocum.

Cum subiectum medicinæ, vt aliarum artium, considerari à Medico dixerimus, vt in eo finē artis consequatur; merito sequitur cōsideratio de Medicinæ, & Medici fine. Qua quidem in re non solum recentiores, sed etiam antiqui scriptores inter se discrepant. Nam Arist. qui semper sibi consentire videtur, in hac re varius etiam esse creditur. Cū enim scribit *c. 1. pr. li. Rhetoricorum ad Theodecten*, Medicinæ esse, non sanitatem inducere, sed ad hoc perducere, ad quod possibile est, possibile vero esse, vt eos, qui nullo pacto possunt sanari, bene

Medicinæ finis.

Arist. opin. de fine medicinæ.

Medicorum antiquiorum de fine medicinæ diuersæ opin.

A curemus; dissentire videtur ab eo, quod tradit *cap. 1. pr. Ethic.* s. medicinæ finem sanitatem esse. Gal. vero *in Thrasibulo & 1. Meth ca. 7.* varias opiniones de fine medicinæ refert. Quod quidem indicio est, rem hanc fuisse apud Medicos dubiam. Quosdam enim refert voluisse medicinæ finē, sanare, alios, sanitatē inducere, alios, plerumque sanare, alios, facere quę conueniunt ad sanitatē; alios, morborum causas adimere, alios deniq; peragere, prout vnicuique succurrit; Ipse vero *in lib. de sectis* scribit medicinæ scopum esse sanitatem, finē vero sanitatem parare. Alibi vero passim non id; sed sanitatem ipsam statuit esse medicinæ finem. Omitto quod de Medici fine quædam ab eo docentur, B quæ à fine ipsius medicinę nequaquam ducuntur. Habet enim *in 9. lib. de placitis*, aliquos voluisse Medici finem esse gloriam, alios vtilitatem. Itaque videndum est, quid de hac re statuere tandē oporteat. Sumetur autē certum ad hæc probanda principium ex finis definitione. Quoniam enim alii aliter finē in artibus sumebant, & nonnulli rectè quidem, & alii perperā, variæ sunt natę hę opiniones: nec omnes veræ esse possunt. Nam Quintilianus finem in artib. credit eū ponendum esse, quē artifex sēper assequitur. Propterea nō persuadere; sed bene dicere, & facere omnia, quæ sunt apta ad persuadendū, contendit esse finē Rhetorices. Hoc enim Rhetorem semper assequi. Rectius vero A-C rist. & Galenus de fine sentiūt Nā Arist. *in 1. Metaphysices* finem definit, cuius gratia actiones, & motus fiunt. Ait & *in primo de partibus animalium cap. primo*, finē esse id, in quo motus, si nihil impediat, terminatur. Addo, quod scribit *primo cap. primi Ethicorum*, finem artium, quæ post actionem opus relinquunt, esse opus. Qui etiam *in secundo Physicorum* pronunciat finem esse id, cuius gratia alia fiunt. Idē Galenus sentit mutatis verbis *in lib. ad Thrasibulū*, vbi habet: finem illud esse statuendū, quo acquisito cessat artifex. Et ita quidē sentiendū est. Nam ex ipso nomine ostenditur finis esse vltimū, & in eo terminari motū, si nihil impediat: quiescereque artificē eo parto. Absurdū namque est artificē semper debere suum finem, vt Quinti-D lianus vult, assequi. Ita enim nihil frustra fieret. Ignorauit enim ille differentiam, quæ ponenda est inter officium, & finem. Est enim officiū oratoris bene dicere: At non bene dicit per se; sed propter aliud; nēpè, vt persuadeat obtineatque quod vult. Quapropter si in aliud refertur *bene dicere*, cōstat, non esse finē ipsius oratoris; sed id cuius gratia bene dicere studet. Sic sane Medicum, qui nihil curādo errauerit, & quantum in se est, ægri sanitatem procurauerit, suo officio functū esse dicimus: minimè tamen suum finē assecutum, nisi sanitatem parauerit. At si natura semper suum finem non assequitur, profecto non debemus in artib. id requirere. Malè ergo Quintilianus sic de fine artiū sen-E tit. Rectius autem Aristot. & Gal. statuunt, finem id, quo parto cessat artifex operari. Ac cum artes nonnullæ sint, quæ post actionem nullum opus quærunt, vt musica, saltandiq; ars, merito fit, vt in ipsa actione quiescat animus artificis, finemque suum ponat. In aliis vero, in quibus quæritur post actionem opus aliquod, nō ipsa operatio artificis, sed quod ex illa quæritur. finis statuendum est. Nā ædificatoriæ artis finis esse agnoscitur, nō ædificatio, sed domus ipsa, nimirum cum artifex in ipsa ædificatione nequaquam quiescat, sed cum do-

mus

De medicinæ fine Galeni opin.

Opinio Quintiliani.

Aristoteles.

Finis quid, & vnde sit.

Galenus.

Finis & officii differentia.

Non idem finis est in omnibus in artibus.

mus facta est. Illius enim gratia actiones & motus fiunt, & illud est, in quo motus, si nihil impediat, terminatur. Ergo si ita est, medicinæ finis *sanitas* erit, non sanitatem inducere, non morborū causas adimere, non commode omnia facere, quæ ad sanitatem conferunt: quoniam in illis, non quiescit Medicus: sed perpetuo agit, donec sanitatem partā sentiat: tunc enim à medendo desistit. Sunt enim hæc officia, sed non finis; At nec hæc integra sunt officia: quoniam non solum in morbis, & illorum causis abigendis; sed etiam in sanitate cōseruanda versatur Medicus. Nec prędictæ quidem opinioni refragatur Arist. *in lib. Rhetoricorū ad Theodecten.* Non enim *eo loco* de fine medicinæ agit; sed de officio Medici. Est enim illius munus benè tractare omnes, eos etiam, qui nequaquam sanari possunt. Gal. vero *in lib. de sectis*, non quod verum est; sed quod rudiorib[9], ad quos scribebat, apti[9] videri poterat, tradit: cum scribit Medicinæ scopum esse sanitatem; finem vero parare sanitatem: illic enim scopum, & finem re distinguit: cum tamen nō nisi ratione inter se differant: *Finis enim illud est, quod & scopus, sed scopus dicitur, quod eo semper spectemus, & dirigamus actiones nostras; finis autem, quod eo parto cesset actio.* Medicus vero, qui honorem, aut vtilitatem propriam, vel aliorum commoda sibi proponit in factitanda medicina, non vt Medicus sibi hos fines proponit; sed vt homo, qui cum medicina alium quærat finem, qui quidem per accidens est, nempe personę medicinam exercentis. Est ergo (si vera sunt, quæ diximus) medicinæ finis sanitas.

Medicinæ proprius finis quis.

Finis & scopus quomodo differant.

Finis Medicinæ, & personę medicinam exercentis diuersus.

Sed nonnulla sunt, quæ hanc opinionē turbare videntur. Si enim id statuendum est finis, in quo cessat Medici actio, non videbitur sanitas semper esse finis medicinæ. Nā sępè cessat actio Medici in alio, quam in sanitate, veluti in morbis, qui nullo modo sanari possunt, qualis est hectica tertiæ speciei, & cancer exulceratus. In his enim malis non quærit Medicus sanitatē, sed vitæ productionē in qua quiescit, tanquam in fine. Huic obiectioni respondent nōnulli, vt Curtius, sanitatem finē quidē esse medicinæ, sed veluti appendicem addi vitæ productionē. Quæ responsio nullius momēti mihi esse videtur. Aliter respondendū, nempè, quod cū Medicus propriū finem assequi non potest, aliū sibi cōstituat meliorem, quē potest. Propterea cū nequit sanitatem inducere, vitam saltē prolongare cum morbo nititur, ad naturæ imitationē, quæ cū perfectos suos partus edere, finemq; propriū consequi non valeat, aliū proximum ei, & optimum, quantum licet, attingit, mutilumq; animal, & imperfectū procreat. Hoc enim opus præstat facere, quam nullum. Fatemur igitur Medicum quiescere aliquando in alio, quàm in sanitate: sed id fieri non sponte, nec tanquam in proprio fine, quem prohibetur assequi; sed in alio, quod pro vero fine substituere potest. Vnde rectè dicebat Arist. finē esse, in quo, *si nihil impedit*, cessat motus. In hoc autem casu impeditur motus peruenisse ad suum finem. Non ergo (vt rem concludamus) verum assequitur finem Medicus, cum sanitatem nō assequitur: Sed morbos lenit, aut eos cum vita producit.

Obiectio.

An præter sanitatem alius finis in medicina constitui debeat.

Cæterum occurrit hoc loco leuis quædam dubitatio: Nā in desperatis morbis tētāda esse remedia ad vitā producendā dicebamus, quod Gal. 10. *Meth.* asserit. cōtra vero *Aphor.* 29. 2. desperatos solis præsagiis tractandos memoriæ prodidit. Ad hoc respondet Curtius, Galeni locū 10. *Meth.* quò dicit *aliquid esse agendū*, intelligendū esse, quod admittat autor leuiora remedia, non generosa & valida, cuius quidem opinio damnāda est. Nam *eo loco* in hectica febre tertiæ speciei tentat balnea, remediū vtiq; generosum, & magnis morbis abigendis accommodatū. Sed ita intelligere nos oportet, quod aliqui sint morbi ita desperati, in quib. nihil omnino, aut parum admodum vitæ prodesse possis: cuiusmodi sunt acutissimi & exitiales, iamq; penitus desperati, viciniq; morti: alii autem, quos lenire & prolongare licet. De primis agit *eo Aphorismo*, in quo scribit solis præsagiis vtendū esse in desperatis morbis. De secundo genere agit 10. *Meth.* vbi etiam si sanitas desperata est, vita tamen produci potest: Vt manifeste in hecticis apparet, qui annos integros viuunt. Ergo ex his, quæ in sua sanitatem medicinæ finem constituere videntur, nihil impedit, quo minus sanitas verus finis statuatur. At alia sunt, quæ vltra sanitatē, medicinæ finem innuere videntur, vt est bonus habitus, & pulchritudo. Nam posteaquam Medicus sanitatē peperit, bonū habitum adhuc quærere debet, pulchritudinemq; inducere ad naturæ imitationem, quæ non solum bona & sana; sed etiam bono habitu prædita, & pulchra opera sua efformat. Eo pertinet, quod Medici remedia doceant, quibus comparatur, & pulchritudo inducitur. Respondemus id contra finē prius positum non facere. Nam si pulchritudo natiua sit, sanitatem sequitur: quo fit, vt non per se, sed per accidens à Medico procuretur. Vnde optime Arist. 6. c. 6. *Metaph.* scribit: *Qui facit domum, non simul facit, quæ accidunt domui factæ: sunt enim hæc infinita.* Si vero fucata sit pulchritudo, Medici non est officii eam efficere. Quòd si aliquando remedia exhibet Gal. *in lib. de medicamentis secundū locos*, ad nigros pilos dealbandos, vel in alium colorem mutandos, & ad rugas in vetulis tegendas, id non facit quatenus Medicus; sed vt fucatoriæ artis non ignarus: qui quæstum & existimationem ex hac etiam re apud mulieres, & viros, quibus hæc sunt voluptati, aucupetur. De bono habitu ita scribit Gal. *in Thrasibulo*, non esse eum statuendū medicinæ finem: quoniam Medicus in sanitate parta primum quiescit, eidemq; pręsidiis, quibus sanitas, bonus habitus comparatur. Quòd si quis etiam peculiarem curam & facultatē adhibere velit ad bonum habitum post sanitatem conciliandum, eam gymnasticis relinquemus, quibus olim demandata fuit. Ergo cum Medicus sibi primo proponat sanitatem consequendam, nec quiescat priusquam eam acquisierit, si modo nihil impediat, & ea parta agere desinat, constat vtiq; sanitatem medicinæ proprium, & verum finem ponēdum esse. At si quis iterum dicat, sanitatē nō per se expeti, sed bonarū actionū gratia, vt 1. *lib. Metho. & de differentiis morborum* docet Gal. (Nemo enim sanitatem quærit, nisi vt ea præditus, aptus reddatur ad vitæ munia rectè obeunda) non tamē propterea bona actio medicinæ finis erit, tū quod ad sanitatem ea sequatur, tum quod alius sit medicinæ, alius sanitatis finis. Est enim finem consecutus Medicus, quando sanitatem ægris restituit, aut sanos defendit à necessariis iniuriis. Æger vero, & qui sanus est, sanitatem per se nō expetit; sed vt illius beneficio, & animi & corporis functionibus rectè fungi possit. Quare Medicus in suo fine, non alieno quiescere debet.

De morbis desperatis quid agendum: & Curtii opinio improbatur.

Bonum habitum, & pulchritudinem ... an debeat Medicus procurare.

Obiectio.

Bonam actionem non esse finem medicinæ, sed ægri.

De medicinæ partibus.

Finem medicinæ nemo consequi poterit, qui ea, ex quibus medicina constat, non assequetur. Constat autē ex suis partibus. Quare merito nūc de medicinæ partibus est agendum. In qua quidē tractatione ex interpretibus huius libri, aut aliorū qui in scholis legi solent, nonnulli prorsus silēt, à rei difficultate (vt arbitror) deterriti: Alii autem quædā attingunt, sed non docent, quomodo constare possint tam variæ diuisiones, quæ apud scriptores de medicina legūtur. Sequitur. n. vnusquisque suam quandā diuidendę medicinæ rationem: sed nulla adhibita probatione, qua intelligere possimus, perfectum esse partium numerum, qui traditur. Apud Galenū variæ extāt medicinæ diuisiones, quas omnes perfectas esse, nemo credere debet: quandoquidem ex sola ipsa tractatione, & rei varietate, id patere potest. Illas igitur proponem', & quid de singulis sentiendum sit (vt nostra fert opinio) indicabimus. Interim tamen non omittemus, quod alii celebres Medici de eadē re tradiderunt. Ergo inter diuisiones medicinæ maximè viguit Plutarchi diuisio, quę habetur *in vita Homeri*, & ab ipso Auicenna *initio sui operis* vsurpata est. Ea autē est, quæ diuidit medicinam in Theoricam, & Practicam.

Diuisio medicinæ in Theoricam & Practicam.

Quæ quidē diuisio malè intellecta ab expositoribus, causa fuit vt quæstiones variæ, & nihil ad medicinam pertinentes, in scholis Medicorum hactenus agitatæ fuerint ab iis, qui Theoricam (vt aiunt) profitentur: tanquam. n. vna esset pars speculatiua, studebant illi Doctores quædam discipulis explicare, quæ cum in sola speculatione esse apposita, nullius erant in medicina vsus. Qualia sunt (vt ex multis pauca recenseamus) vtrū terra in medio mundi omnino quiescat: vtrum locus aquæ sit superficies terræ: vtrū aqua moueatur ad replendum vacuū: an Medicus credere debeat incantationibus, & huiusmodi alia multa, quæ Galenus Logicas quæstiones vocare solet, & propterea Medico inutiles, nimirum quòd ad artis finē consequendum nequaquā pertineant, aut certè ab aliis, quàm medicinæ professoribus docendæ erāt. Qui vero Practicam medicinę partem docent, discipulos a Theoricis eruditos in his Logicis quæstionibus excipiunt, præceptorum artis ignaros, eosque nihil aliud docent, quàm ineptas quasdam (vt vocant) receptas. Ita fit vt pauci boni Medici à multis seculis reperti sint, propterea quòd à præceptoribus medicinam nequaquā didicerent.

Auicennæ diuisio medicinæ, à reprehensione Montani vindicatur.

Porrò hāc diuisionē multis argumentis Montanus refellere nititur, primo quòd nullus author Græc' ea diuisione sit vsus. Deinde quod Aristot. Plato, Auerrhoes, Galenus, & alii vniuersi Philosophi, & Medici, totā medicinā practicam posuerint. Præterea vnum esse medicinę finem, quod est opus, nempè sanitas: quam quidem factione & operatione: non autem speculatione consequimur. Postremo non valere similitudinē Auicennæ, quod scilicet quēadmodum Philosophia quædam est speculatiua, alia actiua: ita in medicina ponenda sit vna pars speculatiua, alia practica. Philosophiam enim non vnicum habere finem, quippe cum actiua, actionem: contemplatiua, veritatem sincerē sibi proponat. Nec idem quoque esse de Medicina, vt de Astronomia, Musica, & Arithmetica. Illæ enim speculatiuæ cum sint, habēt sub se alias subalternatas practicas: quæ sibi particularem quendam finem, in quo operantur, constituūt, vt Astronomia quæ Theorica est, & vera Mathematica, circa motus astrorum, & cōiunctiones, oppositiones, & aspectus versatur: sub se autem iudicialem habet, quæ hæc ad euentus rerum diiudicandos trahit, & ob id practica est. Ita deniq; omnes scientię speculatiuę practicas efficiunt, quandoquidē hę particularē quendam finem in re, quæ simpliciter consideratur, à vera scientia, determinant; vnde optimè à Metaphysica alię omnes sciētiæ & artes oriuntur.

Omnes artes & scientiæ à metaphysica oriri.

Ens enim *simpliciter* considerat Metaphysicus. Ab hac oritur physica, cum ens *hoc* sibi determinat, *quatenus motus principium in se habet*. Ab hac autē Medicina, cū ens *quoddā mobile, quatenus sanabile, & ægrotabile* est, dependit. Igitur de medicina parē non esse rationem: quoniam artes ab artibus nequaquam nascuntur, vt hæ à speculatiuis. Quod si artes speculantur (non enim definire, diuidere, & docere posse artificē, nisi speculetur) nō tamē propterea fieri, vt speculatrix dici debeat, si finem alium habeat. Vnde optime Arist. *secundo Metaphysicus* scribit artes speculari non per se, sed vt opus consequantur. Hæc affert Montanus aduersus Auicennam tanquam hic velit vnam esse medicinæ partem, quæ Theorica dicatur, quando eam consideramus non vt operemur: practicam vero fieri, quando eandem ad operationem dirigimus. Quam quidem opinionē Auicēnas statim *in principio sui operis* refellit: ostenditq; quomodo intelligat vnā medicinæ partem esse theoricam. Inquit enim, *Theoricā dicimus, non quod illius sit scire, alterius vero operari: sed quod medicinæ principia doceat.* Practicam autem vocat, quæ alia docet magis particularia, operationiq; propinquiora. Quam quidē interpretationem si recipiamus, corruit omnino Montani confutatio. Ille enim contra Auicennam ita agit, quasi proprio nomine Theoricam vocet, id scilicet, quod theoriam, id est, contemplationem finem sibi statuit. Quo casu verum est huiusmodi nullā esse medicinæ partē: cum vniuersa medicina ad opus faciendum tendat. Siquis tamen medicinæ partem vnā esse dicat, quæ circa principia versetur, quibus humanū corpus cōstat: aliā autem, quę medendi modum & vsum doceat, illamque Theoricam, hanc vero Practicā vocet, in re sane non errabit, sed de nomine contentio erit.

Auicennas & Montanus refelluntur.

At vero in hoc Montanus non minus, quàm Auicennas est reprehēdendus. Vult enim Montanus totam medicinam esse practicam: nam reuera *est tota factiua: nulla autē illius pars actiua*. Distinguūtur autem ab Arist. & Galeno practicæ, id est, actiuæ, à poeticis, id est, factiuis. Præterea ex duplici consideratione statuit ille *in arte medicinali*, & *in prima Fen* Auicēnas, medicinā nunc esse scientiā, nūc vero artem. Scientiā enim fieri, quando cōsideratur, vt est in mente artificis. Artem vero, quādo versatur circa subiectum operationis. At cur non licebit etiam nobis duplicem huiusmodi cōsiderationē in medicinæ partibus excogitare; vocareq; eam Theoricā, quæ enarrat, quæ quidem à Philosophis non minus, quā à Medicis doceri solent, qualia sunt elemēta, temperamenta, humores, Anatome partium similarium, atq; organicarū? Malè præterea censet Montanus, solum Auicennam in hac opinione fuisse. Nam nec ipse Auicennas author est huius diuisionis, nec solus eā vsurpauit.

Diuisio medicinæ ex Plutarcho.

Etenim (vt diximus) Plutarchus *in vita Homeri* eadē vtitur diuisione, appellatq; Theoricā partē, quæ per vniuersales sermones, & methodū ad particularium cognitionē perducit; Practicam

cam autem, quę per actionem ipsam graditur, idē, vt apparet, quod Auicenna sentiens. Rursus vero Theoricæ partes σημειωτικὴν, id est, quæ de signis agit, & αἰτιολογικὴν, quæ causas cōsiderat, facit: practicæ vero partes, Chirurgiam dictam, & Pharmaciā constituit. Philotheus præterea *initio suorum commentariorum in Aphorismos Hippocr.* eadem diuisione vtitur. Idem sentit Auerroes *primo Colliget ca. 1.* Quod quidem miror Montanum nequaquā vidisse: aut si non videt, saltem non debebat asserere, eū ab Auic. dissentire. Cæterum ad alia Montani argumēta superfluum esse puto respondere, quoniam ille, verbi proprietate Auicennam premit; nō autē re ipsa, quæ, vt ostendemus, ad interpretationē & mentem autoris intellecta, nihil absurdum continet, omniaque tela reiicit, aliosque autores sui fautores ostendit.

Ex Philotheo.

Ex Auerrhoe.

Porrò sumitur hæc diuisio Auicēnæ à materia, quæ tractatur in medicina. Nā dicere partē vnam esse, quæ de principiis medicinæ agat, aliam vero, quæ medendi modū doceat; nihil aliud est profecto, quā diuisionē facere ex varia materia, quę tractatur. Nō tamē vera est diuisio, quoniā ex ea non possumus omnes medicinę partes intelligere. Dubiū enim est, sub qua parte contineatur signorum tractatio, medicamētorū cognitio, nec in hac cōprehenditur sanitatis cōseruandæ ratio. Sumitur etiā ab eadē materia ea, qua vtitur autor Introductorii, cū diuidit medicinā in physiologiā, ætiologiā, simioticen, therapeuticē, & salubrē, vt autor de partibus artis etiā testatur. Cęterū in hac quoq; diuisione deest pars ea medicinæ quæ conualescētes restaurare, & senes cōmode viuere docet: nec non quæ de alimentis agit, & morbos præcauet. Iā vero à materia, qua vtitur Medicus medendo, sumitur ea diuisio, quā habet Gal. *tex. 6. primi acutorū*, & Celsus *in proœmio*, cū dicit, medicinā diuidi in Chirurgicen, pharmaceuticē, & diæteticen. Etsi videtur primo aspectu ex operationū differentiis diuisio hæc sumi. Pharmaceutice. n. pars, nihil aliud significat, quā quæ morbis per pharmaca medetur: sic & reliquæ duæ materiā ostēdūt, qua Medicus vtitur, non operationū differentiam: potest enim eandem operationē, vt calefactionē Medicus moliri per diætā, pharmaca, & chirurgiā. Vnde nō à diuersa actione, sed à diuersa materia sumpta apparet hæc diuisio. A materia item, quæ tractatur in medicina, videtur sumpsisse Galenus diuisionē quā facit *in lib. de constitutione artis*: etsi cōfuse medicinæ partes eo loco explicet. Decem tamen partes, cum decem tractationes diuersas necessarias Medico faciat, constituere videtur.

Diuisio in theoricam, & practicam quid in medicina exprimat.

Diuisio medicinæ ex autore Introductorii.

Diuisio medicinæ ex Celso.

Diuisio medicinæ quæ habetur in libro de constit. art.

Primam, quæ corporis cognitionē ex elementis, & anatome, actiones, & vsus docet, constituitque.

Secundam, quæ cognitionem affectuum naturalium, & non naturalium, & præter naturam explicat.

Tertiam, quæ naturales conseruare, alios permutare docet.

Quartam, quæ materiæ medicæ facultatem & vsum explicat.

Quintam, quæ signa docet, quibus affectus, illorumque causæ, partesque ipsæ affectæ dignoscuntur.

Sextam, quæ præsagiendi rationem continet.

Septimam, quæ docet, quomodo morbi curentur. [illegible]

Octauam, quæ impetum causarum prohibet, quam prophylacticen, id est, præseruatoriam vocat.

Nonam sanitatis conseruandæ rationem tradere pollicetur, salubremque vocat.

Decimam, quæ ęgros reficit, vocatq; hanc analepticē, id est, refectricē: vnde satis constat Gal. *eo loco* non tam sibi proposuisse distinctā enumerationē, & verā diuisionem medicinæ partiū, quam vt doceret ex notione finis, quæ necessaria essent ad medicinam cōstituendam. Sumitur à materia, quæ tractatur, & illa, quæ *lib. de victu acut. textu. 3.* habetur, in dignotionem, prædictionem, & curationem. Alia porrò sumitur à necessariis ad medēdum: qualis est illa, quam habet Hippocr. *2. Com. 1. Epid. tex. 1.* cū ait: *Ars tribus cōstat, Medico, Morbo, & Ægroto*: vbi artē pro artis exercitatione, vt apparet, vsurpat. Est & alia, cuius meminit *in libro de subfiguratione empirica*, cuius autorē Theutam Medicū fuisse scribit. s. in indicatoriam, curatoriā, & salubrem. Indicatoriam præterea in futurorum prænotionē, & præsentium dignotionē. Curatricem rursus in pharmaciam, chirurgiā & diætam, vt alii, diuidit. Salubrem vero in boni habitus cōseruationem, salubrem nomine generis vocatā, præseruatiuā, Analepticē, & Gerocomicen. Hæ ferè sunt diuisiones medicinæ, quæ reperiūtur sparsim enumeratæ à Gal. *in suis libris*. Verum accidentarię potius sunt, quas hactenus recēsuimus: & reliquæ sunt quæ totam medicinā non cōprehendunt: sed solum vetustissimā illius partē curatoriā. s. vt Gal. *in Thrasybulo*, vbi de his abundè disserit, ostendit.

Diuisiones aliæ medicinæ sparsim traditæ.

Essentialis autē, & omniū optima diuisio putatur ab eodem autore, quæ ab vniuersalibus actionib. sumitur. Nam cum medicinam dixerimus esse artem, quæ corrigit vitia nostri corporis, sitque vniuersalis, & vnica illius actio, nempe correctio, per maiorem, & minorem correctionē, certæ medicinæ partes constituentur. Prima ergo ponitur, quæ magna vitia corrigit, qualis ea est, quę morbo affecta corpora curat, diciturq; hæc pars ab actione ἰατρικὴ, id est, medicatoria, & θεραπευτικὴ, i. curatoria: potestq; in multas differentias per magis, & minus diuidi. Nā vt varia est morborū differentia, per magis, & minus sumpta, ita & pars hęc, totidē differētias, quot morbi, suscipere potest: hactenus tamē innominatas. A materia vero, quæ illi subiicitur (corpore s. morboso) νοσερά, id est, morbosa. A materia qua vtitur, φαρμακευτικὴ, id est, medicamentaria. Ab actione vero generali diuiditur in φαρμακευτικὴν, διαιτητικὴν, & χειρουργικὴν. Quarum prima rursus diuidi potest in herbariam, metallicā, plantarum, lapidum, & aliarum materierum medicinalium scientiā. Secunda in ea, quæ sumuntur, bibuntur, vacuantur, & foris incidunt, diuiditur. quam diuisionem rursus prosequemur, cum secundā partem explicabimus. Tertia ab actione in vulnerariā, luxatoriā, & in cæteras actiones, quas Medici manuarii obeunt. A partibus verò, in quib. actiones illæ obeuntur, auricularia, ocularia, & sic de reliquis dicetur.

Diuisio medicinæ quæ opt. à Gal. putatur.

ἰατρικὴ. θεραπευτικὴ. νοσερά. φαρμακευτικὴ. διαιτητικὴ. χειρουργικὴ.

Porro sunt, qui medicinam quoq; diuidant nō solum ab actione generali per magis & minus, sed etiam particulari: qualis ea est: Medicinæ pars alia veratro purgat, alia venam soluit, alia os excindit, alia inediam iniungit, alia cibum exhibet, &c.

Sunt etiam qui à membris eam diuidant, vt qui dicunt medicinā vnā esse oculariā, aliā auriculariā,

& sic de aliis, à partibus sumpto nomine. Gal. tamē ex omnibus illis diuisionibus (vt dixi) eam præfert aliis, quæ ab actione per magis & minus diuisa sumitur. Illud quoq; sciendum est partem hanc medicinæ antiquissimam esse, & præcipuam, ac ob necessitatē primo constitutā, totiq; arti nomen dedisse. Nam à medendo medicina dicta est.

Medicinæ pars antiquissima.

φυλακτική.

Iam vero posteaquam primam partē explicauimus, quæ magna vitia corrigit, aliā constituemus, quæ parua emendat, ob idq; φυλακτική, i. conseruatiua pars dicta est ab vniuersali. f. sua actione: quod paruas noxas tollens, præ exiguitate sensum subterfugiat, an corrigat, vel nihil omnino in corpore mutet. A materia autem illi subiecta, corpore. f. salubri, à Græcis nouo vocabulo ὑγιεινή, id est, salubris dicitur. accidit. n. eodē nomine quo corpora, artis partes vocari. A materia, qua illa vtitur, huic rei propria, & curationi non cōmuni, gymnastica, Platoni placet, vt dicatur: huius partes per magis & minus etiā sumuntur. Nam aut parua admodū vitia corrigit, vt quæ perfectè valentes, & habitū simpliciter bonum (εὐεξίαν Græci vocant) conseruat, & ob id εὐεκτική ea pars dicitur, i. boni habitus conseruatrix: cuius duæ sunt partes, à materia, qua vtitur, diæta scilicet, & gymnastica vera, quæ à Platone παιδοτριβική frequentius dicitur, denominatæ. Nam gymnastica & diæta communes sunt partes etiam sequentibus, & inferius tractabuntur. Alia est pars in hoc genere, quæ non simpliciter bonū habitum (qualis athletarum est habitus) conseruat, quę pars Galeni tempore gymnastica vocabatur: cum vera tamen gymnastica non esset, sed Athletica vocari debeat. Hancque partem inter sequentes potius, quę paulo maiora vitia corrigunt, quàm inter primam istam, quæ vitia admodū exigua emendat, reponere oportet. Deinde secunda succedit, quæ paulo maiora vitia, quàm prima corrigit; vt quæ corpora καθ' ἕξιν, id est, secundū habitum sana conseruat, vocaturq; hæc pars communi vocabulo φυλακτικὴ ἅμα, καὶ ὑγιεινή, id est, conseruatiua simul & salubris: proprio autem à materia illi subiecta, scilicet corpore salubri, ὑγιεινή, id est, salubris. Tertia est pars, quæ maiora adhuc vitia, vt ea quæ κατὰ σχέσιν, id est, secundum habitudinē corpora tractat, quales sunt, qui à morbo conualescunt, in quibus nec causa præter naturam, nec dispositio vlla, sed sola cum infirmis viribus vt plurimum gracilitas inest, sicque affectorum ad naturalem statum reductio, corrobatio est, quę per cōmodas commotiones, & renutritiones fit. Vnde hæc pars à materia, qua vtitur, renutritione scilicet, ἀναθρεπτικὴ τῶν νοσησάντων, id est, renutritoria conualescentium dicitur. A recentioribus vero Græcis ἀναληπτική vocatur. Ad hoc genus pertinet & ea pars, quæ paratos incidere in morbos tractat, quæ quoniam morborum imminentium causas tollendo nos à morbis preseruat, preuisoria, præcautoria à nostris interpretibus; à Græcis verò προφυλακτική, id est, præseruatoria dicitur, oppositam facultatem habens analeptice: quanquam etiam prophylactice ista locum habet, non in iis solum qui parati sunt incidere in morbos: sed in iis etiam, qui in morbum iam inciderunt: cum scilicet causæ remotiori morbi attendimus, studemusque illius impetum compescere, aut funditus tollere, vt Galenus in *de methodo* scribit. Porrò huius generis, quæ corpora secundum habitudinem tractat, pars tertia, & vltima numeratur, quę senū corpora

ὑγιεινή.

εὐεκτική.

παιδοτριβική.

Gymnastica.

Athletica.

φυλακτικὴ ἅμα, & ὑγιεινή.

ἀναθρεπτικὴ τῶν νοσησάντων.

ἀναληπτική.

προφυλακτική.

A tractat, ob id γηροκομική, dicta. Tres hę partes à corpore neutro, quod illis subiicitur, communi omnibus his partibus vocabulo, neutræ dictæ sunt: quòd inter conseruatiuam, & curatoriam mediæ sunt. Nam si ad salubrem & euecticem comparentur, magnæ: si ad curatoriam, parua vitia corrigere videntur. Hinc quoque neutræ merito appellari possunt. Ex superioribus autem partib. euectice corpus in eo statu, quo accepit, exactè seruat. Aliæ ad melius ducere contendunt. Et quemadmodum pars, quæ corpora secundum habitudinē tractat, media est inter eam, quæ bonum habitum conseruat, & aliam, quæ curat morbos; ita salubris pars media est inter partem, quæ bonum habitū, B & aliam, quę corpora secundum habitudinem tractat.

γηροκομική.

Hæc quidē Galen. de diuisione medicinę tradit: sed meo quidē iudicio ex tot, tantisq; diuisionibus nulla est, quæ perfecta dici possit. Nam vt alias omittamus, quas ille reprobat, postrema, quā tantopere laudat, & reliquis præferendam censet, multa in se vitia continet. Primum enim in ea non cōtinentur omnes medicinæ partes: quandoquidem nulla mentio hic fit de illis partibus, quæ de elementis, temperamentis, facultatibus, actionibus, vtilitate totius, & partium agunt, & multo minus de illa, quæ affectus corporis, morborū inquā naturā, genera, differentias, causas, & symptomata C enarrat: signa quoq; prætermittuntur, sicut & alimētorū, medicamētorū natura, vis, & cognitio omnis. Ac, vt breuiter dicā, solū diuidit officia Medici, quæ comparatis omnib. medicinæ partibus ille in factiuā̄ medicina exercet. At si quis rē diligenter examinare velit, inueniet profecto, nec ipsa officia rectè esse diuisa. Opponit. n. parti cōseruatrici, curatricē, quod est absurdū. Nam genus generi, & differentia vniuersalis, vniuersali; non species generi, aut differētia particulari vniuersali ex aduerso in diuisione opponēda est. Scribit enim ille *passim in method. medendi* curationem deberi morbis. Quare relinquitur id, quod debetur causis morborū iam facientib. & augentibus morbū, & sympto- D matis, quæ Medici operā requirunt. Ac cū hæc omnia præter naturā sint, & aliquid cōmune habeant, sub quo comprehendi possunt; illud primū ponendū est in diuisione. Est autē illud, quod cōseruationi opponitur, quæ cōmunis est illis, quæ secundū naturā habent. Porro conseruationi opponitur mutatio. Qua quidem posita, apta fit hoc modo diuisio: *Medicinæ pars vna est, quæ corporis statum conseruat, & tuetur; alia, quæ mutat; alia vero quæ partim conseruat, partim mutat.* Conseruatrix rectè ab eo diuiditur in salubrem & euecticem. Quæ vero mutat, nō penes corpora quæ subiiciūtur: sed penes res, quæ in corporibus ægrotantibus mutationem & remotionem postulant, diuisionem capit. Vel. n. morbos ipsos tollit, remo- E tis immediatis, aut remotioribus causis (si modo actu causæ sint) & curatrix huiusmodi pars vocatur; aut causas tollit, quæ in ægrotantib. augere possunt morbos, & hæc præseruatrix siue prophylactice dicitur. Quod si causas tollat ex genere symptomatū sumptas, vt dolorem, sitim, qui morbum iam intendit, mitigatoria pars merito nuncupatur. Aptè enim & ille dicere solet mitigari & leniri symptomata, quando Medicus aduersus illa pugnat. Cæterum media pars, quæ & neutra nuncupari potest, à subiecto sibi corpore (vt antea diximus)

Contra diuisiones praedictas medicinæ disputatio.

Diuisio medicinæ ex actionib. sumpta à Gal. emendata.

Curatrix.

Prophylactice aut præseruatrix.

Mitigatoria.

diximus) in tres partes diuiditur, propriis nominibus donatas, quoniã triplex corpus ei subijcitur, conualescens inq̃, senile, & iam in morbos cadere paratum. Vnde tres partes, analeptice, gerocomice, & prophylactice constituuntur. Verum etsi hæc diuisio aptior iam reddita est, quam sit factum à Galeno; tamen manent adhuc primæ angustiæ, & difficultates, quod scilicet omnes medicinę partes in ea nequaquam comprehendamus. Ac vt facile omnes medicinæ diuisiones hactenus traditas refellere, ita *difficile, aut potius impossibile est, verã inuenire diuisionem, quoniam hactenus medicina à Philosophia certis terminis non est seiuncta*: propterea ignoramus, an omnia, quæ à Medicis tractãtur, medicinæ sint facultatis, an multa ex Philosophia assumantur. Nam causas morborum, & sanitatis explicare ad Philosophiam pertinere scribit Arist. Quod si ita est, multo magis ad Philosophum pertinebit tractare de elementis, temperamentis, facultatibus, & actionibus corporis, de anatome, de natura, cognitione & virib. plantarũ, metallorum, lapidum, aliarumque omnium rerũ, quarum in medicina est vsus. Quod quidem docẽt Philosophorum tractationes, qui hæc vniuersa complectuntur. Quod si ita est, quam quæso tractationem, & quas proprias partes medicinæ relinquemus? Hæc satis sit attigisse, & notasse, vt aliis inueniendi meliora occasio detur.

Analeptice, gerocomice & prophylactice.

Medicinam recte diuidi non posse, & cur.

Τ' ὑγιεινῶν καὶ νοσωδῶν, καὶ οὐδετέρων. (οὐ διαφέρει δ' οὐδ' εἰ νοσερῶν τις εἴπῃ.)

Salubrium, insalubrium, & neutrorũ. (nihil vero refert neq; si ægrorum quis dicat.)

Cum vniuersum hoc opus solum contineat salubrium, insalubrium, & neutrorum explicationẽ, necessarium profecto est, omnia, quæ in eo docẽtur, ignorari, nisi prius recte definitum sit, quid illis nominibus intelligere oporteat. Qua quidem de re multi hactenus scripserunt: sed ita, vt nullus idem cum alio senserit, aut suam opinionem clarè ostenderit. Adeo n. omnia sunt adhuc perplexa, confusa, & obscura, vt posteaq̃ omnia legeris, quę de hac re scripta extant, nihil nisi meras chimeras, & somnia percipere possis; nec facile quidẽ est intelligere, an illi Gal. vel Aristot. interpretantur, an potius sua obtrudere velint, idque ex nullis principiis, sed leuissimis duntaxat quibusdam cõiecturis in eam, quam sequuntur, interpretationẽ adducti. Dedit forte illis errãdi occasionẽ Gal. quod varie hæc doceat, sed boni interpretis officiũ est, hæc animaduertere, & in primis expẽdere principia, q̃ ponit autor, quid postulet illius tractatio, & institutũ, quid alibi de eadẽ re tradiderit, vnde hęc emanarunt, quid demũ dictet veritas, & ad hęc sẽper respicere, nec interim curare, si quod verbũ negligentius autori exciderit, aut ille ex aliis aliquid falsũ vel inusitatũ assumpserit. Quod quidẽ Gal. in hoc opere fecit: vt nullic medicinæ, sic horũ corporũ, causarũ, signorumq; definitiones ab Herophilo est mutuatus, vt ostendunt verba, *vt nunc*, in illis posita, Aristo. & aliis Philosophis, & Medicis, qui puriorem sermonẽ Græcũ sunt secuti, nequaquam consueta. Ac cum interim nõnulla fortasse de suo addit, inæqualem, & confusam reddit doctrinam, quæ aliis, qui hęc non animaduertunt, errandi occasionem præbet. Quod ego breuiter nũc docere institui, vt mihi quoque liceat in re, in qua nullus adhuc mihi satisfacit, meam interponere sententiam. Ac ne quis putet, me meam opinionẽ erigere velle, vigentibus aliis celeberrimis nostro hoc sæculo viris, qui de hac re scripserunt; operæ pretium esse duco, primum afferre, quid quilibet illorum senserit, à Manardo initium sumens, quẽ multi alii probant, & sequuntur, tanquam veræ huius (vt illi arbitrantur) interpretationis autorem.

De salubribus, insalubribus & neutris nihil ab aliis interpretib. hactenus recte scriptum.

Tradit ergo ille salubre à sano differre in hoc, quod ęgrotus salubre dici potest; sanus vero minime. Non n. quod actu sani sint, sed quod sani esse diutius possint, salubres vocari quandoquidẽ salubritas, teste Aristo. & Boetio *in prædicamentis*, naturalis quædam est potentia, quæ nunq̃ amitti potest, sed quicquid agatur, non solum ad senectutẽ, sed etiam (vt illius verbo vtamur) ad Stygiam vsq; paludem hominem associat: Imo in faucibus orci iã demersum hominem, salubrem adhuc esse fatetur. Propterea hanc salubritatem nec arte conseruari, nec recuperari, aut aliquid aliud pati posse: cũ illa eadem sit per morbos, per sanitatem in omni corpore, in omni ætate, in omni denique natura & corporis statu. Est hæc quidem Manardi opinio de salubri, ex qua aliorum omnium argumenta se diluisse putat, dum illos de sano, se vero de salubri agere ait. Verum tanto facilius me refellere posse confido eius opinionem, quod ille nulla ratione illam firmet, nec illorum authoritate nitatur, quos in hac re sequi oportet. Affert enim ille (vt diximus) ex Boetio & Arist. salubre indicare naturalẽ potentiam. At non ab illis, sed à Gal. petenda est interpretatio. Hunc enim sequimur hac in re autorem: estque videndum, quomodo ille salubre sumi velit, nõ quid alii in diuersa facultate de ea re dixerint. Quod si ab eo autore argumenta petere velimus, non desunt, & illa adeo quidẽ certa & clara, vt nemo dubitare possit, salubria corpora necessario sana esse: nec posse talia vocari, si sanitatem per morbos amiserint. Nam si nullus alius esset locus, ille solus sufficeret, qui habetur in hoc libro paulo inferius, vbi ait de signis optimæ constitutionis, & ad verbũ ita scribit: *Quo fit, vt tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singula latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum: secunda neutrorum, & tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur, quæ iam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur.* Quæ sententia quid (quæso) potest clarius esse? distinguit enim quæ ægrotant à salubribus, insalubribus, & neutris, tanquam non possint illa esse salubria, insalubria, & neutra, cum ægrotant: si quidem vult illa omnia esse in latitudine sanitatis, & sana propterea esse, tanquam non sufficiat potentia illa ad sanitatem, vt salubre dicatur corpus; sed requiritur ipsa sanitas actu: à qua distinguũtur salubria, insalubria, & neutra ab eo, quod actu ęgrotat. Est alius locus *in eodem c.* vbi ita habet: *Et quidẽ signa sanorum corporum, sed quæ aut insalubria, aut salubria, aut neutra existunt, quantitate & distantia differunt, duobus inuicem contrariis terminis a nobis statutis, optima videlicet constitutione corporis, & nuper facta ægritudine: ac deinceps considerantibus viri eorum viciniora sunt, ea, quæ ad examẽ corpora veniunt. Quæ enim proximiora sunt optimæ constitutioni, salubria; quæ vero ab hac longius distant,*

Manardi opinio de salubri, insalubri & neutro.

Salubre.

Insalubre.

by Google

Neutrum. *atque adea, quæ iam ægrotant, magis accedunt, insalubria. Quæ autem intermedia, atque æqualiter ab vtriq; distare videntur, neutra erunt.* Ex quib. quidem verbis satis patet, inter sana corpora numerari salubria, insalubria, & neutra, & necessario illa omnia esse sana, distinguiq; prorsus ab his, quæ iam ægrotant. Nam hæc habent quidem aptitudinem ad sanitatem, cũ morbo salutari laborant, nõ tamen salubria, aut insalubria, vel neutra, tunc dici possunt, eo quod actu non habeant sanitatẽ. Itaq, cum omnia corpora, quæ inter optimam cõstitutionem & morbũ concluduntur, appellet Gal. sana, nemo vtiq; dubitare potest ex illius opinione, non requiri solũ eam potentiã, sed ipsam sanitatẽ actu. Quod quidẽ docent & illorum definitiones.

Salubre simpliciter quid. Salubre semper. Salubre vt multum, vt nunc. Nam simpliciter salubre definitur, *quod habet bonã temperiem & commoderationem*: semper vero salubre, *quod est temperatissimũ, & commensuratissimũ*: salubre vero vt multum, *quod parum deficit ab optima constitutione*, salubre autem vt nunc, *quod sibi propriam habet sanitatem*. Atqui non potest habere corpus quod ægrotat, bonam aut optimam constitutionem & sanitatem. Nam vt Galenus *in initio lib. de differentiis morborum*, & *ca. 10. & 12. de constitutione artis* scribit, sanitas est moderatio, morbus immoderatio. Quare si per ea, quibus cõstet sanitas, definiuntur corpora salubria, certum est, illa actu esse sana. Addo & aliud argumentum, quod à signis & causis salubribus sumitur. Nam Galenus 8. *cap. huius libri* docet signa quæ ostendunt sanitatem, cum tradit signa corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum.

Signa salubrium. Nam signa salubrium esse dicit *moderatam temperiem in primis quatuor qualitatibus, mediocremque qualitatem in duritie, mollitie, asperitate, lævitate, optimas actiones, pulchritudinem*: quæ omnia sunt signa sanorum corporum, vt illa etiam, quæ dicit esse salubrium corporũ recedentiũ ab illo optimo gradu. Nam qui ægrotant, non habent bonas operationes: nec alia accidentia, quæ cõmemorauimus. ita etiam, si signa insalubrium, & neutrorum corporũ distinguuntur à signis ægrotantium, constat profecto, corpora salubria, insalubria, & neutra necessario esse sana: nec sufficere illis potentiam aliquã, vt talia dicantur. Docent idem causæ salubres, quę sanitatem conseruant, non autẽ potentiam ad sanitatem. Nihil enim agit in id, quod est potentia, sed quod actu est, quoniam actio fit inter cõtraria, quorum vtrumque adesse oportet. Quis enim sanitatem conseruabit in corpore salubri, dum (vt illi volunt) ægrotat? Addo, quod Manardus sponte fatetur Galenum *in li. de sanitate tuenda* auxilia nõ docere, quibus potentia illa seruetur, sed sanitas ipsa. Potentiam enim illam suã, nescio quid intrinsecum esse, quod nihil pati potest ab arte: cum nec morbos, nec etiam mortem ipsam vereri possit. Itaque si causæ salubres salubritatem conseruare debent, & ad corpora salubria referuntur, vt Galenus testatur, seruant autem sanitatem, non ipsam potentiam, quæ sequitur (vt ille putat) naturæ nostræ principia; constat profecto corpora salubria necessario esse sana. At vero si huiusmodi potentia non intenditur, nec remittitur; sed eadem est, vt ille putat, in omnibus, per morbos & sanitatem in omnique vitæ statu, in ipsa denique morte, & de ea loquitur Galenus; quo pacto dicere posset, salubre semper corpus, absolutissimam temperiem & commoderationem indicare? Salubre vero multũ

A ab ea deficere, hoc enim intendi & remitti salubritatem docet. Itaque si potentia naturalis intensiones istas, & remissiones nequaquam admittit, constat, Galenum neutiquam de ea loqui; sed de sanitate ipsa, quæ melior in vno est, in alio deterior. Etenim idem author *in libro primo de sanitate tuenda*, multos gradus in eo, quod est magis, & minus, non secus atque consonantias fidium recipere, longa oratione probat. Cur etiam salubre in causis & signis, naturalem non dicet potentiam vt in corporibus? Nam cum salubre (vt Galenus testatur) de corporibus, causis, & signis dicatur, & conueniat pariter illis, ꝙ simpliciter, & vt nũc talia sint, & in nullo alio discrepent, nisi quod corpora

B suscipiunt; signa indicant; causæ vero faciunt: oportebit vtique suam potentiam singulis tribuere. Itaque si corpora dicuntur esse salubria à natiua quadam potentia, signa, & causę, quod salubria dicantur, habebunt eadem ratione ab huiusmodi potentia. At qualem (quæso) naturalẽ potentiam in illis ponemus? vult enim Manardus naturalem illam potentiam ex ipso ortu duci, nec ascititiam esse vim, sed plane natiuam: quod causis & signis nequaquam conuenire potest. Nam causæ salubres, sunt alimenta, medicamenta, quorum quædam nullum habent eorum aut certe nõ eum, qualem habent nostra corpora. Causæ salubres. Aliæ vero non minus acquisititia vi ex arte comparata, quam na-

C turali, prosunt, veluti aqua sua natura frigida excalefacta, vim sumit ab externo calore, qua prodest corporibus tum sanis, tum ægris, & salubris propterea est & dicitur. In signis vero quis dicet naturalem ortum, & natiuam vim expectari? cum momento temporis emergant, & euanescant ob corporum mutationes, à quibus ea emanant. Addo quod cum liber hic (vt inquit Galenus) sit veluti compendium, & capita contineat eorum, quæ in aliis operibus sunt prolixius demonstrata, nullum scit inuenire librum, nullum locum, in quo autor hic loquatur de salubri, insalubri, & neutro, quatenus hæc naturalem huiusmodi potentiã indicant, quod ipsemet Manardus testatur, dum o-

D mnia argumenta hoc prætextu euitat, quod alibi Galenus de sanitate & morbo, hic vero de potentia ad sanitatem, & morbum agat. Id enim maximo indicio est, falsam esse illius opinionem, vt qui fateatur aduersus autoris propositum, hæc capita non esse ex aliis libris desumpta. Quod euidẽtissime refellit inscriptio libri περὶ τῶν ὑγιεινῶν: quo nomine hic vtitur Galenus & à nostis vertitur, de salubribus, ab aliis de sanitate tuenda. Agit ergo in eo opere de corporibus, & causis salubribus, vt in hoc ipso quod interpretamur, adeo, vt perperam Manardus in hoc de salubribus, in illo vero de sanitate tractari credat. Sed alia ratione conuellamus hanc opinionem, quod scilicet ad medicinam

E nihil faciat huiusmodi salubrium consideratio. Quęrit enim Medicus cuiuscunque sanitatem cõseruare in eo statu, in quo eam inuenit, aut ad meliorem reuocare, vel amissam recuperare: & propterea expendit omnem diuersitatem, quæ in ipsa sanitate reperitur, quibus, inquam, corporibus ea insit bona, vel perfecta, aut etiã perfectissima, quibus mala, & in eo statu deterior, vel pessima; quib. vero inter hos gradus media sit concessa, vt singulis possit propria accommodare præsidia, quæ etiã gradus in eo quod magis, aut minus est, admittũt, temperatissima temperatissimis, temperata tempera-

peratis, intemperatã intemperatis, denique singulis adhibet, quod illis certa mensura ad conseruationem, & mutationem conuenit. De hac re passim agit Galenus & præsertim *in lib. de salubribus* inscripto, & *in eo, quem scripsit ad Thrasybulum*, vnde hæc sunt desumpta, expenditque hanc in sanitate latitudinem, hos gradus in corporibus sanis. Ita vt nemo dubitare possit, tot, tantisq. vrgentibus rationibus, per salubre hic non intelligi à Galeno potẽtiam aliquam ad sanitatem, sed quod sanitatem habet corpus, aut illam indicat signum, aut inducere vel tueri potest causa. sed postea hæc diligentius tractabimus, cum Galeni sententiam paulo inferius aperiemus. Quam quidem opinionem etiam Manardus ipse veritate victus, in ipsa tractatione nõ semel approbat, dum concedit nõ solum salubria corpora, sed etiam de quibus rectius dubitari posset, insalubria sana esse. Ait enim hæc ex pessima sua sanitate habere, vt minus, quam reliqua corpora morbosis causis resistere valeant. Quinetiam cum distinguit salubre vt nunc, à salubri simpliciter, quod illud sanitatem acquisititiã, hoc vero ab ortu insitam habeat, plane fatetur salubria omnia sana esse. Sed hæc sufficiant de Manardi opinione.

Montani opinio de salubri & neutro.

Nunc vero placet Montani expendere sententiam. Quam quidem nemo negare potest illius esse, etsi non ab eo, sed à suis auditoribus est edità. Nam toties eadem ab eo repetuntur, vt verisimum sit eos excepisse autoris mentem, & tandem consecutos, quod alio loco forte prætermissum fuerat. Addo, quod sententiæ sint integræ & collatis multis exemplaribus editæ. Ipsiusque Montani, quem nos de his disserentem aliquando audiuimus phrasin, & docendi rationem exprimant. Quod si contendere quis velit, illa Montani non esse: quod eo homine, qui admirabilem autoritatem docendo sibi comparauerat, nequaquam sint digna: profecto tanto magis sunt refellẽda, quãto magis obesse possunt his, qui falso titulo præiudicatam eius autoritatem, & opinionem sequũtur. Ac quoniam sparsim *in toto primo lib.* de significatione salubris, insalubris, & neutri, ille disputat, nec vnquam dicendi finem facit, nec facile deprehendi possunt qualia ea sint, quæ tradit, quod partim eloquẽtia (ne dicã verborum volubilitate) tegantur, vel potius inuoluantur, partim quod diuisa ob interiectam aliam tractationem, memoriã & iudicium fallant, operæpretium esse duco, vniuersos de eadem re locos colligere. Scribit ergo ille in vno loco, *salubre illud dici, nõ quod actu habet sanitatem, sed quod est adherens valde sanitati. Esse autem illud huiusmodi, quod habet principia intrinsecus, & dispositionem, quæ facile potest sanitatem recipere.* Illud n. habere humores bene dispositos, & compositionem atque temperaturam bonã. Porro eam dispositionem naturalem, non tãtum potentiam passiuam esse, sed etiam actiuam, cum interna sit naturalis hæc dispositio sanitati valde proxima, vt sanitatem facile sumat. Ait & eo loco *salubre dupliciter dici, vel quia sit actu salubre, vel quia sit facillime dispositum ad sanitatem.* Alio vero loco habet. *sanum, & salubre eo inter se differre, quod sanum sit, quod actu habet sanitatem: salubre autem dicat aliquid aliud vltra actum ipsius sanitatis. Nam salubre est actu sanum, & præterea dispositionem naturalem a principio generationis insitam ad futuram sanitatem semper obtinet.* Est alius locus,

A vbi scribit *sanum non posse esse sine salubritate, cum ipsa sanitas à salubritate dependeat. Vnde corpus salubre dici, quod actu habet sanitatem: sumi verò salubritatem pro quadam potentia iam receptiuã sanitatis: quomodo corpus ægrotans, quod vel à Medico, vel a natura iamiam est futurum sanum, salubre dicitur, quoniam scilicet dispositione vltimã habet cum sanitate.* Scribit & in alio loco ad hunc modum: *Salubritates in corpore effectiuo, & indicatiuo non sunt, vt forma: sed vt quadam proprietates, & habent quandã potentiam sanitatis. Quando vero dicimus corpus susceptiuum salubritatis, intelligimus de salubritate actu, & propriè: non in potentia.* Habet alio loco, *salubre, insalubre, neutrum, in causis, & signis, quod actu est, dici non posse, sed quod est in dispo-*
B *sitione, vel, inquam, quod actu sit salubre, vel quod habeat dispositionem ad futuram sanitatem.* Scribit alibi *salubritatem & insalubritatem non posse distingui nisi sensu: quoniam, inquit, non possumus aliter scire, an aliquis sit sanus, vel æger.* Hæc quidem Montanus de salubri docet. Quæ quidem facile est refellere: nimirum quod à nullo probato authore sint ducta: nec rationi consentanea tradantur: ac quod magis est, sese mutuo explodãt. Primum enim damnandum est, quod salubre nũc pro sano, nunc sanum pro salubri sumat, tractationemque suam (vt videre est) hac varietate sæpe confundat. Deinde euidenter sibi in definitione
C salubris repugnat. Ait enim in vno loco, *illud salubre dici, non quod actu habet sanitatem; sed quod est adherens valde sanitati:* cum alibi dicat *salubre dici actum sanitatis, esseque ipsum actu sanum.* Præterea, illud, quod scribit, *salubre esse, quod est adhærens valde sanitati,* nõ est à Galeno, vel ab alio bono autore sumptum: nec rectè dicitur. Quid enim est, quod apte dicatur sanitati adhærere? Quod si diceret, illud habere dispositionem ad sanitatem, aptius profecto loqueretur, quam si illud dicat sanitati adhærere. Ita enim ille loquitur tanquam essent contigui parietes. Cæterum quod ait *salubre corpus principia habere intrinsecus, & humores bene dispositos ad sanitatem facile recipiendam,* quo pacto
D intelligere possumus? Nam si salubritas (vt ille ait) dispositio quædam naturalis, & potentia nõ solum passiua, sed etiam actiua ad sanitatem facile suscipiendam, distinguit iam salubritatem à sanitate, faceturque necessario non esse sanum, quod est salubre. Nã quod potentiam habet ad aliquid, illud actum nõ habet: quod & ipse *in locis præcitatis* sponte fatetur, cum tradit, *corpus ægrotum, quod iamiam est futurum sanum, salubre dici.* Quod si ita est, quo pacto potest corpus salubre necessario bonos habere humores, bonam temperiem, bonã structurã, vt ille censet? Quod n. ægrotat, in aliquo istorum vitium habet, atque in hoc male salubria à neutris & insalubrib. distingueret, quod illa bonam habent temperiem, & structurã: hæc
E vero deteriorem. Cum enim fateatur (vt postea ostendemus) *insalubria, & neutra non necessario ægrotare,* concedat quoque oportet, *illa melius affici, quam salubria, dum hæc ægrotant.* Nam mala sanitas, maleque sanum corpus humores, aut temperiem, aut structuram laudabiliorẽ habent, eo quod in illis morbum habent. At vero qua ratione probat potentiam illam, quã dicit esse salubritatẽ, non solum esse passiuã sed actiuã? Nã si in ea nihil aliud agnoscit, quam quod sanitatem facile sumat, indicatur quod tota sit passiua: aut dicat quæso, quid

agat, quænam opera efficiat huiuſmodi potentia: A oſtẽdi quidẽ poſſunt actiones & opera, quæ à ſanitate proueniunt. Verum ab ea ſua ſalubritate, ſiue actiua ea potentia, nihil vnquã Galenus, aut alij medici emanare dixerũt. Quid vero illud eſt quod ſcribit ſalubre dici, vel quod ſit actu ſalubre, vel q̃ diſpoſitionem ad ſanitatem habet? Si n. ſalubritas eſt potẽtia quędam, vtiq; opus eſt, illud actu eſſe, à quo nomen & naturam ſuam ſumit, vt tale dicatur. Itaq, ſi illud eſt ei inſitum, fruſtra dicitur eſſe actu, quippe cum neceſſario id intelligatur. Nam dicere corpus ſalubre, habere ſalubritatem actu, ridiculum eſt, non aliter profecto quam ſi quis dicat ſanum corpus eſſe, quod habet ſanitatem, aut ægrum, quod habet ægritudinẽ actu: id enim intelligitur. Quod vero ſcribit *ſanũ & ſalubre inter ſe differre, quod ſalubre illud ſit, quod non ſolum habet ſanitatem ſed etiam naturalem diſpoſitionem ad eandem; ſanum vero ſolum habeat ipſam ſanitatem*, oſtendere in primis oportebat ex ipſo Galeno huiuſmodi potentiam nomine ſalubris ſignificari. Deinde cum etiam inſalubria, & neutra ab eo dicantur eſſe ſana, explicandum erat, qualem ſanitatem habeãt ſalubria, an omnem, & qualemcunq;, aut certam ſolũ. Nec illud quoque verum eſt, ſalubre omne naturalem habere diſpoſitionẽ à principiis generationis inſitam, ad futuram ſanitatem. Nam neutrum, quod in primis ætatibus eſt inſalubre, in aliis vero poſtea ſalubre euadit, eam poten- C tiam nequaquam habet inſitam à generatione. Siquidem ab initio incœpit inſalubritas: Ipſa autem ſalubritas poſt multos annos acceſſit. Illud etiam rectius diceret, *ſalubria habere diſpoſitionem ad bonam, & perfectam ſanitatem, quam ad validam*. Nam validum dicitur corpus, & robuſtum, *quod optimam obtinet ſanitatem*: ipſa autem ſanitas admodum impropriè robuſta dicitur. Quis vero ferat, quod ille docet, ſanum non poſſe eſſe ſine ſalubritate? etenim inſalubre corpus (eo etiam authore) ſanum eſt: id quod certe non habet à ſalubritate. Cæterum corpus, quod ægrotat, proximam tamen habet ſanitatem, quo authore dicet ille ſalubre eſſe? nonne poteſt hu- D iuſmodi corpus ad malam ſanitatem habere potentiam? Quod ſi ſit, ſalubre non erit, quandoquidem poſtea ex Galeno definiemus ſalubre corpus eſſe, *quod bonam habet temperiem, & ſtructurã*. Ac nec illud quidem recipio, quod docet, *ſalubre, inſalubre, & neutrum, quod actu eſt, in cauſis, & ſignis nequaquam reperiri*. Nam vt cauſa, quæ iam agit, actu eſt cauſa, ita quæ agit in corpore ſalubri, merito actu ſalubris cauſa cenſenda eſt. Eadem eſt ratio de ſignis, quæ iam actu ſanitatis ſunt ſigna. Præterea cum ſcribit *corpus eſſe vel actu ſalubre, vel quod diſpoſitionem habeat ad futuram ſanitatem*, oſtendit malam eſſe hanc diuiſionem: quoniam relinquitur tertia ſignificatio, quod habet potentiam ad futuram ſalubritatem. Nam cum ſalubre fieri poſſit, quod prius erat inſalubre, neceſſe profecto eſt aliquam potentiam in priore fuiſſe, ex qua illud redditur aptum ad aliud, quod ſequitur aſſequendum. Quid autem illud eſt, quod ait, *ſalubritatem, inſalubritatemque non poſſe diſtingui niſi ſenſu*. Si enim illæ ſunt naturales, & congenitæ quædam potentiæ, & qualitates internæ, quo pacto ſenſus poteſt illas agnoſcere; & inter ſe diſtinguere? Quis enim potentias animæ, aut aliarum rerum vnquam vidit, aut aliis ſenſibus apprehendit? ait autem ipſe adeo eas ſenſu diſtingui, quoniam non poſſumus aliter ſcire, an aliquis ſit ſanus & æger. Sed quid hoc ad ſalubre, & inſalubre? nam hæc à ſano, & ægro differre docuit. Hæc quidem de ſalubribus aduerſus Montanum ſint dicta.

Corpus validum & robuſtum.

Corpus ſalubre.

Axachiæ autem opinionem refellere ſuperfluum eſſe duco: quoniam aut ille grammaticorum more verba authoris explicat, abſque aliquo diſcurſu, aut Manardum ſequitur. Cæterum de inſalubribus & neutris nullus illorum generatim aliquid ſcribit: ſed vniuerſam tractationẽ ad corpora inſalubria, & neutra omnes contrahunt. Quare præſtat diſputationem differre, vbi huiuſ- B modi corpora Galenus definit, ne cogamur ſæpius eadem repetere.

Quid vero Gal. per *ſalubre, inſalubre, neutrum*, intelligat, operæpretium eſſe puto ho. loco exponere. Ita enim omnia poſtea lucidiora euadent. Ac cum paulo diligentius rem hanc expendo, video hunc authorem non vno modo hæc nomina in hoc opere vſurpare. Quod cum non ſit ab aliis expoſitoribus animaduerſum, & diu à me ignoratum, inextricabiles difficultates omnibus peperit. Sumit profecto Gal. trifariam hæc nomina, & nũc in vno ſignificatu, nunc in alio, & ita lectorem miſere confundit, & illudit. Nam ſalubre capit aliquando pro ſano, aliquando pro bene ſano, aliquando pro eo, quod potentiam habet ad ſanitatem, vel relationem: inſalubre vero nonnunquam pro ægroto, alias vero pro male ſano, aliquando pro eo, quod potentiam habet ad morbum, vel ad eandem relationem. Ita neutrum vſurpat in hac tractatione pro eo, quod eſt medium inter ſanum & ægrum: aliquando vero pro medio, inter bene, & male ſanum: aliquando pro eo, quod nunc ad vnum, nunc ad aliud, vel ad neutrũ ex illis relationẽ & potentiã habet. Ac quod hæc omnia primum in latitudine ſanitatis ponãtur, ſolũ per magis & minus diſcrepantia, facile ex his, quæ paulo ante cõtra Manardũ attulimus, nuncq; repetem⁹, & aliis nonnullis argumẽtis probare poſſumus. Et primum ad hoc facit, quod habet *in capite de ſignis optimæ conſtitutionis*, vbi ita ad verbum ſcribit: *Quo fit, vt tota ſanitatis latitudo in tres partes, quarũ ſingula latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit aũt prima quidem ſalubrium corporum, ſecunda, neutrorum, tertia, inſalubrium. Poſt quæ deinceps ſequũtur, quæ iam ægrotant corpora, ſenſibilibus operationũ læſionib. diſtinguũtur.* Ex quo quidẽ loco apparet, omnia ſalubria, inſalubria, & neutra, eſſe ſana, ſeparariq; ab ægrotis, atq; inter ſe differre, quod ſalubria ſint in prima claſſe & gradu ſanitatis, inſalubria in infimo, neutra in medio. Idem probant definitiones corporũ ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum à Gal. traditæ, in quibus ſanitatẽ ſignificat differentem duntaxat per bonum, aut malũ, E aut medium ſtatum. Eſt præterea locus *in c. 82. huius operis*, vbi ita habet: *Quæcũq; vero in his, quæ integra ſanitate fruuntur, inter ſalubria tantummodo computantur*. Vocat n. corpora ſalubria, quæ integra ſanitate fruuntur, ſiue (vt ille Græce ait) *ἀμέμπτως*, id eſt, inculpate degunt, ſanaq. ſunt. Addo, quod ſcribit *in ca. 87*. Inquit n. *inſtrumentariarum partium vitia, ſi parua fuerint, ſalubrium corporum eſſe, ſi vero amplius, inſalubrium. Quod ſi tanta fuerint, vt operationi afferant detrimentum, iam ægrotare dicentur. Docent idem, corporum differentia.*

Gal. ſent. contra de ſalubri, inſalubri, & neutro declaratur.

Salubris, inſalubris & neutrius triplex ſignificatio.

Quoſ-

Quosdam enim videmus inter sanos, bene affectos, alios male, alios vero, quos in medio inter hos recte constituas. Nos statim notare, & inter se distinguere oportet, & his nominibus apte significantur. Est & alius locus *in cap. de signis optimæ constitutionis*, vbi ita ad verbum Gal. scribit: *Et quidem signa sanorũ corporum, sed quæ aut insalubria, aut salubria, aut neutra existunt, quantitate, & distantia differunt, duobus inuicem contrariis terminis à nobis statutis, optima videlicet constitutione corporis, & nuper facta ægritudine. Ac deinceps considerantibus vtri eorum viciniora sunt ea, quæ ad examen corpora veniunt. Quæ enim proximiora sunt optimæ constitutioni, salubria: quæ vero ab hac longius distant, atque adeo, quasiam ægrotant, magis accedunt, insalubria: quæ autem intermedia, atque æqualiter ab vtrisque distare videntur, neutra erunt.* Postremò *ex fine eiusdem capitis* idem probare licet, vbi ita habet: *Cum autem in tres latitudines diuisa sint corpora, insalubris simpliciter indicia trademus. Ex his enim & reliqua duo innotescent.* Ex quibus quidem verbis, & prædictis argumentis, vniuersis patere puto, Galen. aliquando agere de salubri pro bene sano, de insalubri pro male sano, de neutro tanquam de eo, quod est mediũ inter hæc duo. Quod vero sumat aliquando salubre pro omni sano, siue bene, siue male sanum sit, & insalubre pro ægro, & non amplius male sano, neutrum vero pro medio inter sanum, & ægrum, iam docere aggredior. Et primum, quod ad salubre attinet, docet *titulus libri περὶ τῶν ὑγιεινῶν*, quod vertunt interpretes *de sanitate tuenda*, siue *de salubribus*: quo nomine vtitur hic in definitione medicinæ. Itaque cum in opere de sanitate tuenda, de omnibus, & bene, & male sanis agat, constat hunc authorem eo nomine significare aliquãdo omnia sana. Dein idẽ probare licet, non solũ, quod ad salubres, sed etiam insalubres pertinere diximus, ex hoc ipso opere Gal. Nã cũ signa referantur ad signata, ex ratione eorũ, quæ comparatè, siue ad aliquid dicuntur, necesse est, vt signum sumatur in eo significatu, in quo sumitur res significata. At Gal. definit *in c. 7.* salubria signa, quæ indicant sanitatem præsentem, præteritam, & futuram: insalubria vero, quę præsentem, præteritum, & futurum morbũ monstrãt. Quod si ita est, salubre signum pro sano, insalubre pro ęgro capitur. Est enim sanum, quod sanitatem; ægrum, quod ægritudinem indicat. Non n. salubre potest significare omnem sanitatem, si salubre corpus à salubri signo doceri debet, & illud significat solũ, & in se includit non omnem sanitatem, sed solum bonã sanitatẽ; & si insalubre corpus sumeretur eo loco, pro eo, quod habet malã sanitatem, nõ posset dicere Gal. insalubre signum esse, quod significat morbum. Dixisset n. illud esse quod significat malam sanitatem. Tertio docent verba, quibus explicat medicinę definitionẽ. Ait n. nihil referre, si pro νοσῶδες quis dicat νοσερὸν, explicat autem *c. 82.* νοσερὰ corpora illa esse, quæ præsentem habent ægritudinem, & signa νοσερὰ, quæ illam ostendunt, & nõ semel eodem loco, ægrum, pro insalubri, & insalubre pro ęgro, & dispositionem insalubrem pro morbo vsurpat: sicut etiam *in capite sequenti*, vbi agit de signis corporum ægrotantium. Illic enim scribit inter signa quædam sanitatem, & illa salubria; alia vero mortem, & illa genere insalubria, & specie perniciosa dici. Nec non illa salubria vocari, quæ naturam superare in morbis, qualia sunt co-

A ctionis signa. Insalubria vero, quæ naturam vinci, vt quæ cruditatem monstrant. Idem quoque probare licet ex his, quæ ille scribit de causis salubribus, & insalubribus. Primum *c. 84.* vbi ita ad verbũ scribit: *Causas salubres esse, quæ vel conseruant, aut efficiunt sanitatem. Itaque cum non vnum*, inquit, *tantum sit ὑγιεινὸν corpus, sed plura* (vt supra definiuimus) *in eorum singulis propria erit causa cõseruatrix, siquidẽ omnis causa in eo, quod ad aliquid, existit.* Hic igitur denuo sumẽdum initium ab optima corporis constitutione ac quæ ei salubria sint, considerandum. At hic Gal. ὑγιεινὸν quod salubre superius in definitione vocabat, nõ vnũ esse, sed plura: tanquam intelligat salubre pro sano, quod cõtinet omnia in sanitate contenta corpora. At causas salu- B bres esse, quæ sanitatẽ, & proinde sana corpora cõseruant, aut sana efficiunt. Inquit etiã, *cuicunque corpori salubri conueniens suam causam salubrẽ, tanquã salubre*, tum in causis, tũ in corporibus non aliter capiat, quam pro sano. Quod verba etiã illa ostendunt: *omnis causa in eo, quod ad aliquid, existit.* At nõ potest esse ad aliquid causa, si in vno sumatur salubre pro bene sano, in alio vero pro sano generatim. Nã bene sanum ad bene sanum, & sanum ad sanũ referuntur. Igitur si causæ salubres ad corpora salubria referuntur, vt referri debent, necesse est salubria corpora pro sanis intelligi, quoniam causæ salubres dicuntur, quod vniuersam sanitatem, nõ autem bonam duntaxat conseruent, aut faciãt. Ad C idem quoque facit, quod habet *cap. 85.* vbi quærit salubres causas primum in optima corporis cõstitutione, deinde in omni alio sanitatis statu, ita vt salubrem causam non aliam intelligat, quam quæ potest sanum corpus vel conseruare, vel facere. Quanquam tamen *c. 86.* vbi de venereis agit, salubres vocat causas etiã, quæ adhibentur, vt meliorẽ reddant corporis statũ: Insalubres vero, quæ deteriorẽ eum efficiũt: adeo vt ea, quæ meliorem sanitatẽ faciunt, salubria: quæ vero deteriorẽ, insalubria dicantur. Cæterũ cũ scribit *c. 90.* partis substantiam salubrẽ, per ea, quæ mediocriter excitantur, cõseruari, ostendit, se per salubrẽ partẽ, vel substantiam salubrem, non aliud intelligere, quam sanam. Item D cum in *c. 94.* scribit, obstructiones tolli per causas salubres abstergentes, & incidentes, declarat causas salubres se intelligere, quæ sanitatem restituũt. Est & locus alius *99. ca.* vbi salubres causas vocat, quæ morbos curant, sanitatemque restituunt: Insalubres vero, quæ morbosas dispositiones augent: Neutras, quæ neque obsunt, neque iuuant. Ex quibus omnibus patet, signa salubria sumi pro his quæ sanitatem ostendunt præsentem, præteritam, vel futuram: Insalubria, quæ morbũ præsentem, præteritum, & futurum declarant. Causas vero salubres, quæ vel sanitatem præsentem in eo statu conseruant, aut meliorem faciunt, aut amissam restituũt: Insalubres vero, quæ vel morbum E faciũt, vel conseruant, vel augent, aut sanitatem deteriorem reddunt: ita vt salubres semper sanitatem spectent: insalubres vero morbum. Ita corpus salubre, ad quod referuntur signa, & causæ, erit, quod vel sanitatem habet quamcunque optimam, aut quod ad optimam contendit. Atque ex his patere puto salubre aliquando pro sano, aliquando pro bene sano: Insalubre vero aliquando pro ægroto, aliquando vero pro male sano vsurpari. Quod vero neutrũ sumatur pro eo, quod medium est inter bene sanum & male sanũ, antea

ostendimus: Nunc vero sequitur, vt doceamus, illud accipi, & sæpe pro eo, quod est medium inter sanum & ęgrum. Ad hoc primum facit, quod scribit *cap. de signis optimæ constitutionis.* vbi ita ad verbum habet: *Quæ igitur dolore infestantur, & quorũ motus sunt deprauati, aut omnino interierunt, manifestas habent determinationes. Quæ vero imbecillas edunt operationes, in magnis quidem distantiis facile discernuntur; in paruis vero ambigua sunt. Atque idcirco in eo genere collocatur dispositio, quæ neutrius contrariorum est particeps: quam & ipsam neutram dicimus appellari.* Quæ verba non possunt de alio neutro intelligi, quam de eo, quod est medium inter sanum, & ęgrum. Nam cum egerit de signis, quæ ægrotantia corpora ostendunt, & postea de signis sanorum corporum, necesse est, vt per neutram dispositionem, cuius signa illic quærit, intelligat eam, quæ media est inter sanum, & ægrum. Quod & verba ipsa ostendunt. Nam comparando magnas distantias cum paruis, & ambiguis, non potest intelligere per magnas distantias, & imbecillitates, alia symptomata, quam quæ ægrotis accidunt: per ambigua vero aliud, quam ipsa neutra: non illa quidem, quæ sunt media inter bene & male sanum vtpote q̃ nullã imbecillitatem habere possint: vix in salubribus, quod sana adhuc hæc sint, concessim. Sed hæc ex aliis locis clarius patebunt, & præsertim ex *cap* 81. vbi signa indicantia dispositiones eorum, quibus imminent morbi, neutra vocat, & ipsam dispositionem mediam inter sanitatem, & ægritudinem pariter neutrum dicit esse. Non sunt autem parata cadere in morbos, quæ neutra sunt inter bonam & malam sanitatem. Et quid clarius, cum illic autor testetur neutrũ se intelligere, quod est inter sanum & ægrum: item cum eodem loco corpora conualescentia neutra dicit esse? Constat, ipsum de neutro agere, quod medium est inter sanum & ęgrum: quoniam illi non egent sola conseruatione, vt sani: sicut *in fine huius operis* scribit, nec sola mutatione, vt ægri. Idem etiam docet *eo cap.* ex symptomatis, quæ morbum prænunciant. Illa enim dicit esse neutra, prout referuntur ad præsentem dispositionem, ægra vero, quatenus futuram ægritudinem præsagiunt. Itaque cum illic neutram dispositionem a sana, & ægra separet, dicatque illam mediam esse inter sanitatem, & morbum, siue sanam & ægram, quis dubitare potest, eum sumere neutrum pro eo, quod est medium inter sanum & ægrum, non autem inter bene & male sanum? Quin etiam cum 99. *cap.* præseruatiuam medicinæ partem dicat conuenire illis, qui non integre valent, constat per eos, qui ita afficiuntur, intelligere neutrum, inter sanum, & ęgrum. Nam qui in sanitatis latitudine continentur neutri, aut salubres, vel insalubres, nequaquam egent præseruatione, quia in suo genere sani sunt: nec pullulantes habent morborum causas. Quod etiã patet ex *li. ad Thrasyb.* vbi neutra corpora inter sanum & ęgrum præseruationi subiici docet. Ergo neutrum *in hoc libro* sumitur à Galeno, aliquando pro neutro, inter salubre, & insalubre, quando salubre significat bonam sanitatem, insalubre vero malam: aliquando vero pro neutro inter sanum, & ægrum.

Cæterum quod salubre sumatur pro eo, quod habet potentiam, vel relationem ad sanitatem, & insalubre ad morbum, iam ostendo. Id enim

A primum docet loquendi vsus. Nam vocamus salubres morbos, qui ad sanitatem; insalubres, qui ad malum & mortem terminantur, tanquam illi potentiam habeant ad sanitatem, hi vero ad mortem. Deinde causas salubres definit postea Galenus, quæ conseruant, vel faciunt sanitatem. At quæ faciunt sanitatem, potentiam habent, vel certam relationem ad futuram sanitatem. Scribit etiam Galenus in *cap. 82. huius operis,* eadem signa neutra, & insalubria dici ob diuersã habitudinẽ & relationẽ. Insalubria quidem, quod morbum futurum portendant, neutra vero, quod præsentem dispositionem mediam inter sanam & ægram declarent. Et cum *cap. 7. huius operis* dicit, signa salubria esse, quæ sanitatem præsentem, præteritam, & futuram declarant; insalubria, quæ eodem modo morbum præsentem, præteritum, & futurum significant; profecto ostendit, se salubria & insalubria vsurpare pro his, quæ habent relationem ad sanitatem, & morbum. Porro ex neutrorum definitionibus & significationibus paulo inferius patebit, neutrum etiam sumi vno modo pro eo, quod habet relationem ad sanitatẽ & morbum. Hæc de varia significatione harum dictionum, quam notare quidem oportet, & animaduertere quomodo in singulis locis illis vtatur. Hic autem in definitione medicinæ non potest aliter eas vsurpare, quam pro sano, ægro, & neutro, quod medium est inter sanum & ægrum. Nam cum medicina polliceatur non solum sanorum tractationem: sed etiam ægrotantium, & eorum qui inter hos sunt medii: ratio vtique exigit, vt hæc in definitione illius contineantur. Docet præterea ipsius autoris in hoc opere tractatio, quæ de sanis, ægris, & neutris agit, tanquam hæc in definitione sint comprehensa. Ostendunt idem verba, quæ statim sequuntur, *salubria,* inquit, *vocamus corpora, quæ sanitatem habent: signa salubria, quæ eadem ostendunt: causas salubres, quæ illam efficiunt, aut conseruant: sic insalubria corpora intelligimus, quæ ægrotant: signa insalubria, quæ morbum monstrant; causas vero insalubres, quæ morbum efficiunt, vel conseruant.* Idem D probat, quod dicit, nihil referre, si loco νοσώδη, νοσερὰ quis dicat: interpretatur autem, vt antea diximus, in sequentibus νοσερὰ corpora ægrotantia. Quare non aliter potest salubria intelligere, quam sana. Ex opposito enim oppositum colligitur.

Τοῦ μὲν οὖν τῆς ἐπιστήμης ὀνόματος κοινῶς τε καὶ οὐκ ἰδίως ἀκούειν χρή.

Nomen vero scientiæ communius, non autem proprie accipere oportet.

Antea dixit Gal. definitiuam doctrinam, quam in hoc opere instituit, fieri explicatione definitio- E nis medicinæ. Quare cum in ipsa definitione contineatur scientiæ nomen, & illud bifariam intelligi possit, communiter & proprie, explicat, quo modo hic intelligi velit, communiter, inquam, & non proprie. Antea vero nos docuimus scientiam proprie sumi, quando veras scientias solum significat: communiter vero, quando artes etiam comprehẽdit. Perinde ergo est, cum dicit, medicinam hic esse scientiam, ac si diceret esse artem, vel mixtam, vt nos ostendimus, facultatem. Quomodo autem communiter dici possit medi-

cina

cina esse scientia, & cur non artis, sed scientiæ nomine potius, operæ pretiū est vt doceamus. Porrò scientiæ nomē artibus accommodari antea ex Aristo. ostendimus, qui *in 1. Metaphys. lib.* scientiā in speculatiuam, factiuam, & actiuam diuidit: sed nec ille docet, cur scientiæ nomen omnibus illis habitibus cōmune faciat. Est autē (meo quidē iudicio) communitatis nominis ratio, quòd quemadmodum scientia habitus est, & rerum vniuersaliū, ita & ars. Et quoniam theoremata habet ars, quibus vtitur ad ea probanda, quæ in ea sunt necessaria: sicut scientia principia obtinet, quibus cōclusiones suas demonstrat. Quia ergo hæc, & nonnulla alia cōmunia habet ars cū scientia, meritò scientiæ nomine aliquo modo artes comprehendi possunt. Addo, quod definitionem hanc ab alijs mutauit, & nihil immutare voluit: sed solum illam interpretari, & explicare. Fallitur autem Montanus qui hic etiam credit medicinam rectè scientiam appellari posse, & propriè, si ad artificē referatur: artem vero si ad opus. Nam antea ostendimus, hanc relationem scientiam non facere: alioqui etiam sordidissimæ artes veræ scientiæ censeri possent. Addo, quod Aristot. *passim* scribat, artem cōsistere in vniuersalium cognitione, nec vnquàm ad opus descendere, quod facit sensus, memoria & experientia, vt 1. *Metaph.* aperte testatur. Tradit idem autor Medicū duo habere crura, quibus nititur: dextrum crus appellat habitum scientificum; sinistrum & experientiam & artificium. Galenum autem *hoc lib.* nos docere velle, non quo modo operari; sed quo pacto habitum scientificum nobis comparemus, & postea opera aggredi possimus circa particularia. *Merito ergo*, inquit ille, *cum habitum scientificum hic doceat, medicinam per scientiam definit.* Sed hæc ratio nullius est momenti, quod ex ipso, & Montano postea intelligere licet, qui dicit, medicinam, vt ad operandum refertur, primo de corporibus agere, secundo de signis, tertio de causis, contrarium vero sequi ordinem, quando scientiam in nobis gignit. Atqui in hoc opere primū ordinem sequitur Galenus. igitur operandi modū docet, nec aliud quidem docere potest, si medicinam explicare instituit: illa enim opus sibi proponit nempe sanitatē, non veritatem, scientiæ obiectum. Postremo oporteret semper medicinā per scientiam definiri: quoniā qui docet, vniuersalia solū docet, vt Galenus *1. ad Glauconē* ostendit, & Arist. *Metaphysices.*

Medici duo crura.

Salubre, insalubre, & neutrum vnum quodque tripliciter dicitur. Hoc quidem, vt corpus; hoc autē, vt causa, hoc vero, vt signū. Etenim corpus, quod sanitatē natura suscipere aptū est; & causā, quæ candē efficere, vel cōseruare: & signū, quod potest indicare, hæc omnia Græci salubria appellare cōsueuerūt: eadē ratione susceptiua corpora morborū, & eosdē efficiētes conseruantesq. causas, & signa indicātia, insalubria vocant, nec aliter corpora neutra, causas, signave dixerunt.

Τὸ δὲ ὑγιεινὸν, καὶ τὸ νοσῶδες, καὶ τὸ οὐδέτερον τριχῶς ἕκαστον λέγεται. τὸ μὲν, ὡς σῶμα· τὸ δὲ, ὡς αἴτιον· τὸ δὲ, ὡς σημεῖον. καὶ γὰρ τὸ δεκτικὸν σῶμα τῆς ὑγείας, καὶ τὸ ποιητικὸν, καὶ φυλακτικὸν αὐτῆς αἴτιον, καὶ τὸ δηλωτικὸν σημεῖον, ἅπαντα ταῦτα καλοῦσιν οἱ Ἕλληνες ὑγιεινά. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ νοσώδη, τά τε δεκτικὰ νόσων σώματα, καὶ τὰ ποιητικά τε, καὶ φυλακτικὰ νόσων αἴτια, καὶ τὰ δηλωτικὰ σημεῖα, καὶ δὴ καὶ τὰ οὐδέτερα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον σώματά τε καὶ αἴτια, καὶ σημεῖα.

Pergit Galenus explicare ipsam definitionem, assumpsit autem in ea nomen salubris, & neutri. Quorum vsum, & significationem nunc docet vno, & eodem negotio, quoniam hæc nomina vnam, & candem rationem subeunt. Perinde enim dicuntur multipliciter salubre, & neutrum. Vtitur autem hac distinctione prius, quam definitione, quoniam quod multiplex est, & non vna ratione de omnibus dicitur, definiri non potest. Porrò hanc distinctionem alii putant esse diuisionem accidentis in subiecta, alii homonymi in significata. Refellitque Acachias priores: sed nulla ratione, sine qua etiam posteriores laudāt. Diuisio enim homonymi in sua significata repetit in significatis homonymi nomen, vt cum dicimus, homo ad hominē viuum, & hominē pictū, homonymum est, vbi homo æquiuocum in homine viuo, & homine picto repetitur: nec valet, *diuersis rationib. dicitur, ergò homonymū est*: nam analoga diuersis quidē rationibus secundū prius & posterius dicuntur, sed non æquiuoca; verū ad vnum aliquod relata, vt Arist. *4. Metaphysico* docet. Etenim corpus, causa, & signū, salubria, sanitatē respiciūt, & in se includūt. Nihil obstat ergo, quo minus sit diuisio accidentis in subiecta, vel potius analogi in analogata. Sed quomodocunq. dicatur, satis est quod de tribus, & de singulis diuersis ab alijs rationib' dicatur. Aliter.n. de corpore, aliter de causis, aliter de signis dicuntur hæc. *Corpus salubre dicitur, quod est sanitatis susceptiuū*, inquit Gal. Explicāt autē hanc dictionē alii *suscipere sua natura aptū*, vt Leonicenus. item Manard', ita, vt talis sit sēsus: *Corpus salubre dicitur, quod sanitatē suscipere natū, aptumq; est.* Alii per actū *ipsum*, vt Acachias. vt talis sit sensus. *Corpus salubre est, quod sanitatē continet*: & melius. Nā Gal. postea quā salubre simpliciter corp' definit. & nō simpliciter & neutrū, & insalubre, per actū definit: vt cū dicit, corp' simpliciter salubre esse, *quod ab ipso natura ortu bonā habet temperaturā in similaribus, & bonā structurā in dissimilaribus.* Male prætereà addūt *natura aptū suscipere*. Nā siue à natura, vel naturæ principijs; siue ab arte, aut alia ratione sanū sit, salubre est. & dicitur. Nam cū id corporibus, signis, & causis cōmune esse dicat, quomodo intelligemus signū, & causā natura sua ostendere, aut facere aliquid. Nunc.n. per se, nūc per accidēs id faciūt. Frustra ergo id corporibus addetur quod causis, & signis nō cōuenit. Addo, quod si id verbū esset repetēdū in corporib' insalubrib', & neutris, q temerè fieret. Nā corpus insalubre est & dicitur, *quod morbū habet siue ex natura sua, siue casu, vel ob alias causas in illū inciderit.* Et neutrū corpus, q tale dicitur, *quia in vno tēpore salubre, in alio est insalubre*, ab ortu neutrū vocari non potest. Corpus tamen salubre solū dicitur q suscipiat. Causa autē salubris

Diuisio in salubre, insalubre, & neutrū, qualis.

Corpus ὑγιεινὸν quomodo intelligendum.

Corpus salubre simpliciter.

Corpus insalubre.

Neutrum.

...tot modis, & quod efficiat, & quod cōseruet sanitatem. Possumus addere, & quod præseruet. Nam ea, quæ morbos propellūt præsentes, & imminentes, præcauent, ne sanitatem labefaciant. Et quæ præsentem sanitatē conseruant, salubres causas vocamus. quod scilicet omnia ad sanitatem cōferāt, & eam tanquam scopum, & finem sibi proponant. Galenus aūt hic præcauentes, & *in lib. de sanitate tuenda* conseruantes non numerat: sed solum efficientes: nimirum, quod ad has duę aliæ reducantur, vt ipsemet *in li. inscripto ad Thrasybulū, an ars tuendę sanitatis &c.* docet. Nam qui conseruat paulatim efficit, qui curat, confestim. Id quod docet pulcherrimo exemplo antea etiam à nobis posito, ex duob. doliis plenis aliquo liquore, à quibus aliquid effluat: quorū vni adstet, qui reponat assidue quantū effluit: alteri aūt minime: sed superueniat post magnum effluxum, qui affatim reponat, quantum est deperditum. Vterque, vt patet, tum is, scilicet, qui continuo adstat; tum is, qui superuenit, idem faciunt. Replent enim, quod vacuatum est, sed modo & quantitate differūt: quoniam vnus paulatim, alius affatim id facit. Idē contingit in sanis & ægrotis corporibus. Vtrumque enim restauratione eget, & correctione eius, quod est vitiatum. Sed qui sanis præest, quia antequam vitia magna sint & sensibilia, illa emendat, nihil de nouo facere videtur, sed solum conseruare statū præsentem. Qui autem morbis medetur, statum mutat, ob magnum lapsum, qui apparet. Ergo qui conseruat, & curat, idem facit, emendat scilicet vitia corporis: sed vnus minora, alius maiora: sic & qui præseruat: nec plane parua, vt is, qui conseruat; nec plane magna, vt is, qui curat: sed media vitia corrigit, & medium opus facit. Ad præseruantes rursus, restaurantes, & senes fouentes causas referemus. Sunt enim & hæc media vitia, senū scilicet, & eorū, qui à morbo resurgunt, inter perfecte sanos, & morbo affectos. Itaq. *omnes causæ salubres ad efficientes, si quis exacte rem tractauerit, reducuntur.* Galenus autem nunc id facit, nunc, cū Medici officia separat, plures causas salubres ponit. Signum autem salubre definit esse *quod sanitatem demonstrat.* Quæ definitio patitur eandem instantiam, quam & definitio causarum salubrium. Galenus enim *lib. primo de crisibus, & in Commentario Aphorismi 12. sect. 1. & alibi* sæpe, signa quædam dicit esse, quæ sanitatem præsentem indicant, & ista appellat indicatiua: alia, quæ præteritam memoriæ subiiciunt: alia demum, quæ futuram prænunciāt. Et merito hæc omnia signa salubria dicuntur: cum ad sanitatem referuntur. Atqui hic solum indicatiua ponit, nulla aliorum facta mentione. Respondemus, *omnia signa vere indicatiua & demonstratiua esse.* Omnia enim ostendunt aliquid præsens, quod cum ad aliud non refertur, indicatiuum solum est signum. quod illud ostendit. Cum vero refertur ad aliquid, quod futurum est, aut præcessit, tunc prognosticum, & memoratiuum signum nuncupatur.

Signum salubre quid.

Omnia signa esse indicatiua.

Prognostica & memoratiua.

Porro quod de causis, signis, & de corporibus salubribus diximus, idē de insalubribus & neutris dicendum; tot enim modis dicitur causa, signum, & corpus insalubre, & neutrum, quot modis hæc salubria dicta sunt esse, & significare. Cæterū multiplicem hanc significationem, siue diuisionē, vel explicationem (ne de nomine contendamus salubris, insalubris, neutri;) probat ex communi lo-

A quendi vsu. Nam cum de nominibus agatur, non aliter, quam ex communi vsu illorum significatio ostendi potest: loquendum enim, vt multi, sapiendum, vt pauci. Verum mirari licet Leoniceni, & Manardi interpretationes, qui cum Græcorum consuetudinem in loquendo adferant, Latino vocabulo vtuntur. Aiunt enim Græcos salubria hæc omnia vocare. At Latini sunt, qui ita vocant, non Græci. Oportet ergo vocabulum Græcum illic relinquere, si Græcos ita loqui dicere velimus: aut, quod Galenus de Græcis scribit, nos de Latinis dicemus. nulla Græcorum facta mentione, sicque primo modo lectio talis, omnia hæc Græci ὑγιεινὰ vocant. Secundo modo talis erit lectio, omnia hęc

B salubria vocamus.

Καὶ ἔστι κατὰ τὸν πρῶτον μὲν λόγον ἐπιστήμη τῶν ὑγιεινῶν αἰτίων ἰατρική· δι᾽ ἐκεῖνα δ᾽ εἰσὶ, καὶ τῶν ἄλλων· δεύτερον μὲν τῶν νοσωδῶν· τρίτον δὲ τῶν οὐδετέρων. Καὶ δὴ καὶ μετὰ ταῦτα τῶν σωμάτων, πρῶτον μὲν κἀνταῦθα τῶν ὑγιεινῶν. ἐφεξῆς δὲ τῶν νοσερῶν, εἶτα τῶν οὐδετέρων. καὶ περὶ τῶν σημείων δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον.

Et secundum primam quidem rationem, atq; præcipuam, medicina est scientia salubrium causarum; propter eas autem & aliarum; secundo quidem loco insa-

C lubrium; & tertio neutrarum; & post has eodem modo corporum; primo quidem & hic salubrium, secundo loco insalubrium, tertio neutrorum, itidem de signis dicendum.

Locum hunc nullus ex interpretibus huius operis est assecutus, nec constat inter illos, quid dicat author, & quorsum hæc scribat. Manardus solus connexionem huius contextus cum superioribus agnouit hac ratione: *cum, inquit, Galenus ordinatā doctrinam in proœmio fuerit pollicitus se in hoc libro tradere velle, ordinata autem doctrina illa sit, in qua ea, quæ docentur, talem ordinem seruant, vt aliquid*

Explicatur Manardi.

D *illorum certa ratione primum ponatur explicandum, aliquid deinde secundum, & sic deinceps, sequitur, vt ordinem constituat, intra illa, atque vniuersam tractationem tanquam in præcipua capita referendam esse proposuit. Dicit ergo duplicem constitui posse ordinem. Vnum, in quo causæ primum locum obtinent, & secundum signa: & postremum corpora obtinent. Alterum autem è contrario; nempe, in quo corpora primum: signa secundum, & causæ tertium locum tenent.* Ego vero non solum hac, sed & alia ratione id factum fuisse à Galeno existimo. Cum enim antea inter ea, de quibus salubre, insalubre, & neutrū dicitur, prius enumerasset corpora, potuisset aliquis dubitare corporib. primo ea nomina cōuenire: & propterea medicinā primo scientiam esse cor-

E porū. Vt ergo ostēderet se optima ratione id fecisse, & hunc ordinē sequēdum esse in sequentibus, docet duplicem ordinē inter hæc esse, & sequendum esse eū, in quo corpora primum locum obtinent. Vt ergo doctrinæ ordinē imponat, & tacitæ obiectioni occurrat, differit de duplici hoc ordine. Porro quod dicit, tale est, *medicinam prima ratione scientiam esse causarum, secunda corporum, postrema signorum.* In operibus vero ipsis, de corporibus primo agēdum, postea de signis, postremo de causis. Subdiuidit rursus inter causas primo scien-

tiam

tiam esse salubrium causarum, secundo insalubriũ, tertio neutrarũ: sic de corporibus & signis, quod inquam primo corporum salubrium, secundo insalubrium, tertio neutrorum consideratio facienda, & ordo constituendus. Quare autẽ prima ratione medicina sit causarum scientia; in ipsis vero operibus corpora primo consideranda sint, variæ sunt opiniones, & omnes quidem à Galeni sententia alienæ. Manardus enim inquit, *si natura ordinẽ spectemus, causæ priores sunt corporibus. Salubres n. causæ corporibus salubribus, & morbosis, & neutris, & insalubres causæ insalubribus, & neutræ neutris tũ corporibus, tum signis priores sunt: si quidem causa, vt causa, prior semper est effectu. sic corpora signis comparata priora sunt, cum corpora respectu signorum prioris rationem obtineant. Secundum ergo primam rationem, hoc est* (vt ipse ait) *secundum quod ratio ipsam rei naturam sequens postulat, medicina causarum primo scientia est, secundo corporum, tertio signorum. Salubria autem insalubribus, & neutris praeponuntur, quia tum primo in Medici considerationem veniunt, tum etiam rationem positiui, & perfecti salubritas includit, si ad reliqua duo comparetur. Insalubre praeterea, neutrum merito praecedit: vtpote sine quo neutrum intelligi nequeat. In operibus autem praeposterum naturali esse ordinem. Priora enim quodammodo esse signa, quoniam per ea corpora eorumque affectiones cognoscimus: vltimas esse causas, vt quas per signa & corporum affectiones inuestigamus.* Hæc Manardus. Cuius ego interpretationem recipere non possum. Nam scientiæ non dicuntur esse scientiæ causarum; sed signorum & effectuum. Ad scientiam enim assequendam causas assumimus, & ex illis passiones de subiecto demõstramus. Habemus ergo scientiam de effectis, quæ in reb. nascuntur, non de causis: & propterea non causarum, sed effectuum, & conclusionum, quæ ex causis eliciuntur, dicitur esse scientia. Igitur cum Galenus dicat medicinam esse scientiam causarum, nequit intelligere eas causas, ex quibus scientia comparatur. Deinde cum ait, naturæ ordine causas suis effectibus priores esse, rectè quidẽ sentit: si de causis agamus, ex quib. effectus eliciũtur, & res componuntur. Sed hoc nihil ad rem nostram. Non enim hic corporum causas quærimus: nec salubrium causarum corpora sunt effectus; sed sanitas: & corpus hic nos non constituimus ex suis causis, cum de salubribus causis agimus; sed in eo iam constituto sanitatem tanquam effectum illarum causarum producere volumus. Quis enim aerem, panem, vinum, corporis causas esse dicet? cum tamen ista causæ salubres sint, vt ex *cap. 85. huius operis* patet. Scribit enim eo loco, tot esse auxiliorũ, id est causarum conseruatricum genera, quot sunt modi, per quos corpus alterari potest. Ex quibus agnoscitur, quod *per causas salubres, intelligit materiã medicã, nõ autem causas corporis.* Postremo falsum est, nos causas salubres inuestigare per signa. Nam remedia per indicationes inuestiganda tradit Galenus. Nullius ergo momenti est illius ratio, quòd attinet ad explicationem illius dicti Galeni, scilicet quòd medicina primò scientia causarum sit: reliqua autem bene dicere videtur, & diligentius postea nos cum sigillatim reliquas contextus partes explicabimus, expendemus.

Reiiciendam primam rationem medicinam esse scientiam causarum quomodo intelligendã ex Manardo.

Scientias nõ dici scientias causarum, sed signorum & effectuum.

Causa salubres quid hoc loco ex Galeno.

Montanus aliter locum istum explicat: sed non

A etiam rectè. Nam neq; continuitatis huius contextus vllam rationem reddit: quasi temere à Galeno scribatur: neq; autoris sententiam assequitur. Ait n. *proponit Galenus vnum, quod medicina dupliciter possit considerari. vno modo, prout est habitus scientificus: altero, vt ad artificium, & ad ipsum opus refertur. Si primo modo, tunc est scientia. At si vt scientia consideratur, primo habet, vt circa causas versetur, secundo circa corpora, tertio circa signa. Si vero consideretur vt ad artificium refertur consideratio, primo est de corpore, secundo de signis, tertio de causis. Sed quia egritudo habet causas, quæ quandoque latent, ideo primo de signis agendum, vltimo de causis. Tractatio ob id Galeni in causis desinit. Qui vero habitum*

Montani explicatio.

B *habet, primo à causis incipit.* Hæc sunt, quæ ad verbum ex Montani lectionibus transcripta sunt, non digna profecto tanto viro. Quis enim intelligere potest ex Galeni contextu, quod medicina hic ab eo proponatur dupliciter considerari, & ita considerari, vt habitus scientificus & vt ad opus refertur? Quandoquidem Galenus (vt antea ostendimus cum tractabamus, an medicina esset scientia vel ars) semper medicinã considerauerit, vt ars est, vt nos ad agendũ, & medendũ instruit. Deinde si id etiam concedamus, medicinam pro habitu scientifico aliquando sumi; tamen nihil ad propositum facit, quod de causarum consideratione hic tractat autor. Non enim hic de

C causis agit, ex quibus scientia gignitur, & effectus probantur; sed de causis salubribus, quatenus agũt in nostrum corpus, & faciunt ad sanitatem iuuandam. Praeterea cur scientia primo de causis, postea de corporibus, & demum de signis tractabit? Prius enim de subiecto suo, quam de causis considerat. Signa autem non tam vt signa, quam vt effectus expendunt. Sed hæc sufficiant de illius opinione. Fundamento enim eius euulso, facile erit reliquas dictionis, & sententiæ particulas, quæ nullo ordine, nullaque ratione inter se cohærent, refellere. Nunc enim de corporibus, nunc de signis primo loco agendum statuit. Et tandem cõcludit, quod de signis primo; cũ tamen autor, q

D doctrinam hanc facit, primo de corporibus, deinde de signis, postremo de causis agat. Quorsum præterea scribit causas morborum aliquando latere, & propterea de signis primum agendum? Quid enim ad salubres causas constituendas primo, vel secundo loco facit morborum cognitio, & quid faciunt signa ad salubriũ causarum vsum, de quo autor agit, nõ de causarum cognitione? Ita vt hæc explicatio, nec rationi, nec tractationi autoris consentiat.

Curtius alio modo hanc sententiã explicat: ita tamen, vt partim veritatẽ attingat, partim nõ, partim etiam, quod dicit, confundat. Itaque, secundũ primam rationem explicat, secundum primam intentionem, siue considerationem: primo enim causas cõsiderari à Medico, secundo corpora, tertio signa. Aliter adhuc verbum, secundum rationem, explicat, id est, secundum definitionem datam ab antiquis: quod medicina esset scientia sanorum, ægrorum, & neutrorum: vel per primam doctrinam, id est, resolutiuam *medicina*, inquit, *primo considerat de causis, secundo de corpore, tertio de signis: quoniam qui vult curare morbum, ei primo occurrunt, quæ sunt immediata ipsi morbo. Sunt autem ista causæ salubres, quæ mor-*

Curtii de eadem re opinio.

bum remouent : *sed quoniam istud non potest fieri nisi morbus cognoscatur, & corporis natura, ideo corporis cognitio, & signa necessaria, vbi per resolutiuam doctrinam*, inquit, *causæ primo considerantur, deinde corpora, & signa.* Contrario autem modo fieri, in opere ipso alio loco paulo infra hæc verba Galen. ita exponit, *quia potuisset aliquis dubitare de quo primo est medicina, respondet quod intentione, seu consideratione, primo considerat causas, secundo corpora, tertio signa. Et iste est primus ordo. Secundus vero ordo est contrarius, qui in opere scilicet conspiciuntur: quoniam primo est cognitio corporis humani ex signis, postea vero cognitio causarum. Quod enim est primum in intentione, vltimum esse in executione.* Hæc sunt quæ ex confusis lectionibus Curtii collegimus. Ex quibus illud falsum primo est, quod secundum rationem, explicari possit, secundum definitionem antiquiorum. Non enim definitio per se ostendit medicinam causarum primo esse scientiam: alioqui frustra id explicare conaretur Galenus, quod per ipsam definitionem intelligitur. Illud etiam falsum, secundum primam rationem, intelligi posse, secundum primam doctrinam: λόγος enim vocabulum Græcum, à quo egregias istas significationes sumit, nunquam doctrinam significat. Præterea falsum est doctrinã resolutiuã à causis salubribus incipere prius quam à corporibus. Vt enim antea ostendimus à fine, nempe sanitate ea incipit, à quo Gal. *in lib. de constitutione artis* statim corpora extrahit, postremo omnium causas salubres. Deinde non video, quomodo ante executionem operis, causæ primo considerentur. Non n. causas salubres inuenire possumus, & de his quicquam statuere, prius quam corporis dispositio præcognita ex signis sit. In executione itaque etiam causæ salubres vltimo loco veniunt enarrãdæ. Quod autem bene dixit, assumemus; cum nostram sententiam aperiemus. Nunc examinemus Akachiæ opinionem, & postea nostram breuiter subiungemus.

Akachia. Akachias enim duplicem hunc ordinem Galeni ex prioris, & posterioris variis significationibus explicare nititur. Prius enim aliquid altero dici natura, sensu, tempore, & dignitate. Ac natura quidem causas corporibus priores esse, & corpora signis; ordine vero sensus signa causis priora; dignitate & tempore sanitatẽ morbo, & salubres proinde causas insalubribus & neutris: morbosas vero neutris, non dignitate, sed natura priores, siquidem neutrum ad salubre, & morbosum refertur. Et hoc modo concludit causas natura priores esse, & corporibus, & signis: Hæc vero ipsa sensu priora esse. Atqui Gal. cum dicit secundum primã rationem medicinam esse scientiam causarum salubrium, non potest intelligere de eo, quod natura prius est. Nam, vt antea diximus, id locum habet in causis, quæ ad suos effectus referuntur, non in causis salubribus relatis ad corpora, & signa. Non enim causæ salubres, signorum & corporum causæ sunt, sed sanitatis, ad quam referuntur, vt antea quoquẽ diximus. Quod si docendum proposuisset, an prius de causis salubribus, quam de sanitate agẽdum esset, vel de salubribus, quam de morbo, poterat ratio sumi à causis & effectis, quæ quidem in corporibus, & causis nulla agnoscitur esse ratio, & comparatio, quæ sumitur à causis, & effectis. Præterea in alio ordine, & se ipsum confundit, & Gal. contradicit. In artis enim operibus, ait, primo sese offerre corpus, postea vero signa. Paulo vero inferius concludit eo ordine primo de signis cognoscenda. Quare cum nulla ex supra dictis opinionibus, Gal. litteræ & sensui quadret; breuiter quid sentiẽdum sit explicabo, & ex artis principiis veram (ni fallor) interpretationem eliciam,

Sunt autem duo potissimum, ex quibus id facile probare licet. *Autoris sententia.* Primum ex definitionibus medicinæ, & actione Medici sumetur. Si enim medicina definitur esse ars, quæ corrigit corporis vitia; nihil autem aliud sit corrigere, quam *salubres causas corpori admouere, prout vitia corporis exigunt*; *Corrigere quid.* profecto constat, medicinam causarum salubriũ primo scientiam esse: primum enim illud est vnicũ officiũ, quod medicina docet, & Medicus præstat. *A medendo* enim Medicus dicitur; non eo, quod corpora vel signa consideret, Mederi autem, vt diximus, nihil aliud est, quam *vsum & vim salubrium causarum tenere.* *Medicus unde habeat nomen. Mederi quid.* Secundum argumentum sumitur sumitur ex Gal. *lib. 1 de victu acut. tex. 3.* vbi scribit, curationem per se à Medico exerceri. *Curare quid.* Prædictionem autem, & dignotionem propter curationẽ. Curare autem nihil aliud est, vt diximus, quam *salubrium causarum cognitionem habere, illarumque vsum, & vim cognoscere*, & quod de curatione dixit, idem de conseruatione dicendum, & præseruatione. Fiunt enim hæc omnia vsu salubrium causarum per magis, & minus discrepantium. Quod autem primo & per se considerat, illud & secundum primam rationem cõsideratur. Quare merito dixit Gal. causas salubres secundum primã rationẽ à Medico considerari. Alia enim, corporũ, inquam, cognitio, & signorum, non prima, sed secũda ratione, vt Gal. *eo loco* scribit à Medico considerantur, quatenus scilicet ad rectum causarum vsum cõferunt. Quia enim illis vtimur in corpore humano, & in diuersis illis affectibus, necesse est, vt corporis, & signorum naturam, & differentiam teneamus. Et quid clarius est hac explicatione, quæ & naturæ rei, & Gal. dictis quadrat, à quibus recta interpretatio eorum, quæ hic dicuntur, petenda erat? Siquidem hic liber compendiũ aliorum est, & ab illis huius explicatio sumenda. Ac miror profecto, quod nullus ex interpretibus Gal. autoritate vtatur ad hanc particulam explicãdam. Iam si quis ad nostram interpretationem rem reuocare velit, quomodo melius potest explicari dictum, quod medicina prima ratione causarum salubrium scientia sit, quam quod primo & per se Medicus salubres causas consideret: & (vt dici solet) *primo habeat in intentione & vltimo in executione*, reliqua autem per accidens, quatenus scilicet ad causas salubres & illarum rectum vsum vel referuntur, vel conferunt? Quo fundamento iacto, licebit iam reliqua explicare, & ordinis inter illa constituti rationem reddere. Si enim salubres causæ corpora præcedunt, & signa præcedent, & insalubres illa: contrariorum enim eadem ratio. Non enim possumus salubres causas cognoscere, illarumque vsum, & vim, nisi & insalubrium naturam eodem negotio cognoscamus. Salubres ergo causæ insalubres statim trahunt. Salubres autẽ & insalubres neutras. Post causas omnes, salubres, inquam, insalubres, & neutras, corpora secundum locũ sibi vendicant. Agunt enim causæ in corpore ipso, & salubres dicuntur, quod ad corporis sanitatem

tatem conferant. Merito ergo superius dictis rationibus corpora causis cedunt; signa autem praecedunt: quoniam cum causis maiorem connexũ habent quam signa: causas enim, vt diximus, primo quidem consideramus, vt scilicet sanitatem corporis inuare possimus: Quoniam autem id facere non licet nisi varii affectus corporis cognoscantur, ideo signa considerantur: vt ex illis varios corporis affectus discernamus. Porro eadem ratione corpora salubria, insalubria, & haec neutra praecedunt, & eodem modo signa salubria, insalubria, & haec neutra, quomodo causas salubres, insalubres, & has neutras praecedere diximus. Quod salubria insalubribus praestantiora & natura, & tempore; priora insalubria vero, etsi imperfectiora neutris: tamen quia haec sine illis constare non possunt, ideo vltimo loco merito collocantur.

Cur neutra praecedant insalubria.

Ἐν μὲν τοι ταῖς πράξεσι, πρότερον μὲν ἡ τοῦ σώματος ἡ διάγνωσις ἐκ τῶν σημείων δηλονότι, μετὰ ταῦτα δὲ, ἡ τῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς αἰτίων εὕρεσις.

At in operibus prima quidem est corporis cognitio, quæ habetur ex signis; post hæc earum, quæ in ipsis inuentio causarum.

Loquendi modus Gal. fecit, vt Curtius dubitaverit de hac interpretatione: *cum enim*, inquit, *duos ordines ponat Galen. vnum, in quo causæ primo loco, corpora secundo, signa tertio constituantur: alterum autem, in quo signa primum locum, corpora secundum, causæ tertium obtinent, neutrum ex iis postea seruat, primo enim de corporibus, deinde de signis, postremo de causis agit. Igitur frustra de duplici hoc ordine egit Galen. si neutrum ex illis postea seruat.* In hanc dubitationem etiam Manardus incidit, nunc corpora primo statuens, nunc signa. Sic Acachias signa nunc ante corpora, nũc post corpora considerari scribit: cum tamen Galen. ex ipsa dictione litem dirimat, corporum enim dignotionem in ipsis actionibus siue artis operibus, nec nõ etiam, in arte discenda primo sese offerre scribit: corpora enim primo proponit: deinde illorum ex signis dignotionem, constatque ex illum per verba *corporum dignotionem ex signis*, duo ponere, corpora, & signa; atque ex eo, quod corpora dignotioni proponit, corporibus primum locum dare. Ac ratio, & vsus etiam id docet. Nemo enim signa affectionum corporis alicuius sibi proponet inuestiganda, nisi primo corpus ipsum ob oculos proponat. Vsus pariter id docet. Nam cum ad ægrotum accedimus, primo illius corpus contemplamur: deinde ex illius contemplatione signa colligimus ad effectus dignoscẽdos: tantam tamẽ habent connexionem, & corpora, & signa, vt itatim simul fere occurrant, vt substantia & accidẽs. Sunt enim *signa corporis accidentia*; vel ab illis ratione solum differunt, vt postea ostendemus cum de signis agemus. Vt igitur substantia & accidentia coniuncta, simul quodammodo sese offerunt, tamen prius substantia nobis occurrit consideráda: Sic & corpora prius veniunt consideranda & speculanda: Postea autem signa, ex quibus scilicet corporis affectuum varietatem, & magnitudinem agnoscimus. Postremo autem causæ salubres considerantur ex quibus quidem cognita corporis vitia emendamus. Miror autem, quod Manardus nõ agnouerit contradictionẽ, quæ est in dictis suis,

Signa quid.

A cum inquit, *Medico prius sese offert corpus ægrotũ, sed quia ille cognoscere aliter, quam per signa ægritudinem non potest, ideo ad hæc se conuertit, & sic quodammodo signa præcedunt.* Quomodo enim signa præcedunt, si corpus primo sese offert? Nec valet: *corporum cognitio non potest haberi nisi ex signis: ergo signa præcedunt.* Imo potius contra sit: oportet enim si signum alicuius rei debet esse, rem præesse, quæ significatur. Et quod dicit de causis, quod scilicet sine illis curatio fieri non possit, non ostendit causas tertium locum obtinere debere.

B Ἀλλ᾽ ἐπεὶ τὸ ποιητικὸν, καὶ τὸ δηλωτικὸν, καὶ τὸ ἐπιδεκτικὸν, διχῶς ἕκαστον λέγεται, τὸ μὲν ἁπλῶς, τὸ δὲ ὡς νῦν, ἴσμεν ἀμφοῖν ἐστι ἐπιστήμην τὴν ἰατρικήν.

Sed quoniam effectiuum, indicatiuum, & susceptiuum dupliciter vnumquodque dicitur, hoc quidem simpliciter, hoc vero vt nunc, nosse oportet, amborum esse medicinam scientiam.

CAP. III. QVOT MODIS DICATVR EFFECTIVVM, INDICATIVVM ET SVSCEPTIVVM.

C Cum dixerit, medicinã scientiam esse salubriũ insalubrium, & neutrorum: Hæc autem dici de his, quæ sanitatem efficiunt, quæ vocantur causæ salubres, & de iis, quæ indicant, scilicet signis: ostẽditq; præterea duplicem in illis reperiri posse ordinẽ, & quẽ ex illis in hoc opere sequi velit: Rursus ea subdiuidit, sumpta diuisione ex duplici significatione susceptiui, indicatiui, & effectiui. Idq; facit, vt paulatim ad id descendat, quod multiplex non est; cuius tractationem postea aggredi possit: tum, ne oritur obiectioni respondeat, quæ ex definitione oritur. cum enim dixisset, medicinã salubrium, insalubrium, & neutrorum scientiam esse: hæc aũt dupliciter dici, vel quod simpliciter talia sint: vel vt nunc talia: nimirum cum susceptiui indicatiuum, & effectiuum, ita dicantur: potuisset quis existimare, medicinam non esse scientiam eorum, quæ vt nunc talia dicuntur. Admonet ergo amborum esse medicinæ scientiam, sed rationem huius rei nõ

D reddit. Est autem hæc ratio, quod Medicus corporis vitia corrigere debeat, quorumquot reperiuntur, quæ correctionem admittunt. Quapropter, si solum quæ simpliciter talia sunt, consideraret, sine præsidio relinquerentur, qui in alio statu viuere reperiuntur. Esset quoque inutilis materia medica, quæ apta est duntaxat succurrere illis, quæ vt nunc talia sunt. Vt igitur aliæ facultates vtrumque oppositum considerant (sicut apparet ex Arist. qui *in Logicis* non solum de bonis, sed etiam de malis syllogismis, & aliis argumentationibus agit:) Ita Medicus non solum salubria, insalubria, & neutra simpliciter, sed etiam vt nunc talia considerare debet. Et quemadmodum aliæ facultates, quod simpliciter tale est, primo & per se considerant: sic Me-

E dicus in sua arte idem facit. Nũc vero videndũ est, quid intelligat Galen. hoc loco per *simpliciter*, & *vt nunc*. Qua quidem in re putant vniuersi interpretes, illum intelligere per *vt nunc*, idem, quod Arist. per secundũ quid: & simpliciter eodem modo cum illo vsurpare. Definiri autem ab Arist. *c. vltimo secundi Top. & in Elenchis* simpliciter illud dici, quod absolute, id est, sine additamento enunciari potest: quomodo dicimus niuem esse albam, eo quod reuera, & sua natura talis sit, nec aliquo additamento eget, quo intelligamus eam esse albam.

Ratio [illegible]

De verbis simpliciter, & vt nunc.

At ſecundum quid tale eſt, quod non ſimpliciter tale: illud autem eſt, quod ſua natura tale non eſt, & ob id ſimpliciter tale enunciari non poteſt; ſed cũ additione illius, quo intelligimus tale nominari: veluti cum dicimus Æthiopem eſſe ſecundum dẽtes album: vbi ſi album dicimus non ſimpliciter dicimus, ſed cum adiunctione illius, cuius ratione albus enunciatur. Eſt ergo, vt breuiter dicam, apud Ariſt. ſimpliciter tale, quod ſine aliqua adiunctione pronunciatur; ſecundum quid tale, quod aſſumit aliquid, cuius ratione tale dicitur. Iſtud autem, quod Ariſtot. ſecundum quid tale dicitur eſſe, fieri poteſt multis modis: vel adiunctione partis, vel temporis, vel finis, vel alterius rei, prout de diuerſis rebus conſideratio, & enunciatio fit. Adiunctione quidem partis, vt Æthiopem dicimus albũ ſecundum dentes. Adiunctione vero temporis, vt ſi quis dicat aliquem nunciuſtum eſſe. Adiunctione finis, veluti ſi quis dicat aliquem bonum eſſe ad furandum. Verum ſi quis diligenter vtriuſque autoris tractationẽ expendat, inueniet diuerſo modo hæc nomina ab illis vſurpari. Nam Gale. quod ſimpliciter tale eſt, non pronunciat abſolutè ſed cum adiunctione huius nominis *ſimpliciter*. Ariſtot. vero quod ſimpliciter eſt tale, non intelligit pronunciari debere cum ipſa dictione *ſimpliciter*. Non enim dicet niuem *ſimpliciter* eſſe albam, vt illam ſignificet ſimpliciter albam eſſe; ſed illam dicet albam. Galenus vero quod ſimpliciter tale eſt, ita intelligit eſſe, quod cum dictione ipſa *ſimpliciter* aſſumitur: Id quod facile probare poſſum. Nam corpus ſalubre diuidit in illud, quod eſt *ſimpliciter*, & *vt nunc* ſalubre. Eſſet autem apud Ariſtot. corpus ſalubre, ſimpliciter ſalubre: quia abſque adiunctione aliqua pronunciatur. Apud Galenum vero tale non eſt, ſed quod *ſimpliciter* aſſumit. Idem patet ex definitionibus, quas tradit *inferius* de corporibus neutris. Inquit enim iuxta primum ſignificatum, neutrum eſſe corpus, quod *exquiſite* medium eſt inſaluberrimi, & ſaluberrimi corporis. Et huius hoc quidem *ſimpliciter* tale, quod ab ipſo ortu naturæ ita eſt conſtitutum. Ex quo quidem loco patet, neutrum, quod ſine adiunctione dicitur, & propterea *ſimpliciter* neutrum eſt, apud Ariſtot. diſtingui à neutro, quod *ſimpliciter* à Galeno neutrum dicitur, propterea quod *ſimpliciter* eſt tale, non indicat perfectionem in ſuo genere. Nam ſi quis dicat Socratem eſſe iuſtum, *ſimpliciter* ex Ariſtotele enunciat, at propterea nemo intelligit Socratem perfectè eſſe iuſtum. *ſimpliciter* vero apud Galenum perfectionem oſtendit, vt poſtea docebimus.

Simpliciter & ſecundum quid apud Ariſt.

Simpliciter Gal. aliter quam Ariſt. vſurpat.

Cæterum differre *vt nunc tale*, ab eo, quod eſt *ſecundum quid tale*, apud Ariſtot. facile quoque intelligere poſſumus. Nam quod vt nunc tale eſt, imperfectionem quandam duntaxat in ſuo genere, & receſſum quendam ab eo, quod exactè tale eſt, ſignificat, non autem id, quod ſua natura tale non eſt, aut certe non ſecundum totum, aut plurimas ſuas partes tale exiſtit, quippe cum ſalubre diuidatur in *ſimpliciter*, & *vt nunc*, tanquam in ſuas ſpecies: id vero, quod ſecundum quid tale eſt apud Ariſtotelem, non facit ſpeciem aduerſam ei, quod eſt ſimpliciter tale. Nam corpus ſalubre *vt nunc*, ſalubre quidem eſt, & dicitur, non quod ſecundum vnam partem ſit ſalubre: ſed quod totum ipſum, & reuera ſalubre ſit, & illud habeat, à quo omnia corpora ſalubria dicuntur, nempe ſanitatem,

Secundum quid, & vt nunc, non idem.

A differtque à corpore ſimpliciter ſalubri, ſolum ponens ſanitatem meliorem, & deteriorem. *Quod enim ſimpliciter ſalubre eſt, optimam ſortitum eſt ſanitatem. Quod vero vt nunc ſalubre dicitur corpus, ſanum quidem eſt, ſed non optima ſanitate præditum*: vt poſtea docebimus. Quinetiam Manardus in eo fallitur, quod ſimpliciter ſalubre dicat eſſe, quod à generatione eſt bene temperatum & conſtructum: nam ſi ſalubre ſimpliciter ex generatione definitur eſſe, communis non fit definitio cauſis, ſignis, & corporibus, quod tamen ratio poſtulat: nimirum quod omnia ſimpliciter dicãtur tum ſalubria, tum inſalubria, & neutra. Neque n. cauſæ, aut ſigna ſimpliciter talia nũcupari poſſunt, quod in ſuo ortu talem naturam acceperint: temere n. B (vt antea annotauimus) dicemus alimenta, & medicamenta, quæ ſunt cauſæ ſalubres, & inſalubres, & neutræ, ſimpliciter talia eſſe, eo quod à ſuo ortu huiuſmodi ſint. Perperam quoq; bona excremẽta, bonum colorem, & alias qualitates dicemus ſigna eſſe ſimpliciter ſalubria, quia ex ſuis principiis talem naturã & vim acceperint: quippe cũ nullus ortus, nulla origo à primis principiis in illis requiratur, vt ſimpliciter talia dicantur. Montanus quoque cum deberet definire, quod ſimpliciter aut vt nunc tale eſt, communi definitione corporibus, cauſis, & ſignis, tranſlationem contrahit ſolum ad corpora: ac quæ antea de ſalubri & inſalubri dixerat, nunc ad ſanum, & ægrum transfert, vocatq; ſimpliciter ſanũ, quod ſemper ſanũ eſt, & ſine morbo C moritur per reſolutionẽ caloris: ſimpliciter vero ęgrum, quod eſt penitus ægrum, & inſalubre: ſemper vero ęgrum, quod ſemper ægrotat. Cuius quidem opinio ita abſurda eſt, vt confutationem non poſtulet, & à nobis eorum gratia, qui id nõ agnoſcunt, vbi de corporibus agemus, cõuelletur. Nũc vero præſtat docere, quid Galenus de hac re ſentiat, ex ipſius verbis, & tractatione mutuatis argumentis. Qua quidem in re illud probare aggredior, quod à nemine hactenus animaduerſum video, & totius rei ſummam continet: nempe non vno modo hæc nomina ab eo vſurpari. Nam ſemper tale in definitione corporum ſalubrium, & inſalubrium vocat, non quod ſemper duret, quale dicitur; ſed quod in ſuo genere eſt ſummum. In neutris vero definiendis mutata definiendi ratione, D non amplius vocat ſemper neutrum, quod eſt in ſuo genere exactiſſimum: ſed quod ſemper durat. Ex quo errore, vt poſtea docebimus, factũ eſt, vt non potuerit definire omnia neutra tertii ſignificati. ſic etiam in definiendo corpore ſalubri, & inſalubri, vocat corpus vt multum ſalubre, & inſalubre, quod parũ deficit ab eo, quod eſt ſummum in ſuo genere. Neutra vero vt multũ vocat, quæ per omne vitæ tempus talia perſeuerant; ſed aliquas mutationes capiunt. Sumit etiam verbum *vt nũc*, dupliciter. Nam ſalubre *vt nunc*, corpus, nõ videtur aliter intelligere, quã quod inter ſalubria plurimum recedit ab eo, quod eſt ſaluberrimũ. Quod ſatis oſtendit, cum dicit ſalubre *vt nunc* corpus eſt, quod bonam quidem, ſed non optimam habet ſa- E nitatem. In neutris autem, præſens quoddam tempus breue ſignificare tradit. Ex qua etiam varietate ſe, lectoreſque confundit, & docet, quæ in medicina nullius ſunt momenti. Nam quid attinet ad Medicum ſcire, quædã corpora eſſe in breui quodam tempore ſalubria, inſalubria, & neutra: aut ſi id voluit, cur ſigna poſtea non docet, quæ

huiuſ-

Salubre ſimpliciter. Salubre vt nunc.

Manardi opinio de eo, quod eſt ſimpliciter ſalubre.

Montani opinio de ſimpliciter ſalubri.

Salubre ſimpliciter, ſemper, vt multum quomodo ſumantur à Gal.

Vt nunc, dupliciter ſumi à Gal.

huiusmodi affectiones ostendunt? Sed quænam A possunt esse signa harum affectionum? Nam si *semper* indicat tempus vniuersum, quo viuimus, oportebit mortem expectare, antequam cognoscere possimus, an aliquis semper sit salubris, insalubris, vel neuter. Et cur etiã causas salubres postea non affert, quæ hanc affectionẽ respiciant? De eo vero, quod simpliciter tale est, nihil docet, quod sit cõmune corporibus, causis, & signis, & quod scribit de corporibus, postea ostendemus, nõ rectè ab eo dictum. Nunc vero solum explicare volo, quo pacto hæc nomina ex ipsa verborum etymologia, & vt postulat rei natura, atque adeo ipsa authoris tractatio, sint intelligenda.

Simpliciter quot modis sumatur.

Verbum *simpliciter*, quod Græci vocant ἁπλῶς, vario modo sumi à Galeno *ex lib. de temperamentis* B potissimũ intelligere licet: sumit enim simpliciter siue absolutè pro eo, quod est ex ꝓpria natura tale, quo modo scribit *primo de temperamentis* animalia à veterib. non esse dicta calida & humida, propriæ tẽperaturæ gratia, & simpliciter, sed collata ad stirpes, & mortua. Sumit *simpliciter* pro eo quod est extremè, quemadmodũ ignẽ absolute, & simpliciter calidũ pro eo, quod est summe calidũ. Item *simpliciter* idẽ est, quod sine additione illius, cuius res est, pronunciatur: vt si quæratur, cuius tẽperamenti sit os, nõ adiecto leonis, aut alterius animãtis, id simpliciter quæri dicitur. Alio modò *simpliciter* idẽ est, quod exactè & perfectè, vt temperies animalis simpliciter optima non dicitur, nec media simpliciter, id est, non exactè media, & penitus C optima. Præterea, *simpliciter* vsurpat pro eo, quod est sine distinctione, vt simpliciter non esse respondendum ait, vbi quæritur, an aliquid sit frigidum, an calidum. Sumit & *simpliciter* pro eo, quod est comparatum ad medium sui generis: quo pacto vermem absolutè loquendo siccum, vel humidum intelligi scribit, id est, quod talis statuatur ad medium, quod inter vermes cõstituitur comparatum. Quomodo magnum etiam & maius *in libris de pulsibus* differre tradit: nẽpè quod magnum simpliciter dicatur; maius autem minime. Nam magnum sine collatione non dicitur, non minus profecto, quam maius: sed id, ad quod magnum dicitur, non additur: quoniam ad medium sui generis collatione dicitur. Additur D autem id, ad quod maius dicitur, quoniam ad multa collatio fieri potest, & nihil ob id firmum est, ad quod respicientes respondere possimus. Tot ferè, aut pluribus etiam modis *simpliciter* siue *absolute* aliquid dici intelliget vnusquisque, qui diligentius eum autorem perlegere non grauabitur. Verum in hoc opere, non aliter sumere potest *simpliciter*, quam pro eo, quod exactè & perfectè est tale. Docet enim eius oppositum *vt nunc*, quod imperfectionem quandam ostendit, nec non definitiones corporum simpliciter salubrium, insalubrium, & neutrorum, in quibus perfectam quãdam in suo genere naturam ex hoc nomine se in- E telligere declarat. Idem ostendit latitudo sanitatis, quam explicat *octauo capite huius*, vbi simpliciter salubria ostendit esse, quæ perfectam obtinent sanitatẽ. Idem requirit tractatio huius authoris, & artis nostræ, quæ pollicetur cognitionem omniũ corporum, signorum, & causarum. Hæc autem non omnia sunt æqualiter affecta, sed quædã perfectè, & exactè in suo genere; alia vero ab eo declinant. Quos quidem gradus, & recessus notare

Simpliciter in hoc opere quo modo sumendum.

oportet, vt singulis propria præsidia accommodari valeant.

Vt nunc quid.

Cæterum verbum *vt nunc*, quod Græce Galen. dicit ὡς νῦν, Acachias vertit *in præsentia*; sed perperam. Nam *in præsentia* verbum non opponitur ei, quod *simpliciter* hic intelligit Galenus. Vt enim *simpliciter non* est nomen temporis, sed perfectionis: Ita verbum *vt nunc*, imperfectionis, non autem temporis nota est. Dixisset enim *nunc*, si tempus significare voluisset: non autem *vt nunc*. Est autem meo quidem iudicio hæc loquendi forma sumpta ab Herophilo, qui fortè purioris sermonis Græci rationẽ nequaquam tenebat, sed Chalcedonio, vt patrio idiomate vtebatur. Verum diligentius adhuc cum de corporibus *vt nunc* salubribus agemus, huius viri, & aliorum, qui malè de ea re senserunt, refellemus opinionem.

Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ ἁπλῶς διχῶς λέγεται, τό, τε διὰ παντός, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. [καὶ ἔστιν ἀμφοτέρων τούτων ἐπιστήμη ἡ ἰατρική.]

Ipsum vero simpliciter duobus dicitur modis, & quod semper, & quod vt plurimũ, [& est vtriusq; horũ Medicina scientia.]

Subdiuidit rursus Gal. alterum ex duobus prædictis. cum enim dixerit vnumquodq; illorum vel *simpliciter* tale esse, vel *vt nunc* tale: rursus id, quod *simpliciter* tale est, duobus modis dici refert, & vtriusq; pariter medicinã esse scientiã. Dicitur enim aliquid *simpliciter* tale, vel quod διὰ παντός, inquit, tale sit, vel ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. significat autem διὰ παντός *prorsus, penitus, semper*: ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, *magna ex parte, fere, vt plurimum*. Vertunt autem interpretes hoc loco cum magno errore illud *semper*, hoc vero, *vt plurimum*, siue *magna ex parte*, sed perperã: hæc enim nomina nihil aliud debent significare, quam gradus quosdam maioris, aut minoris in suo genere perfectionis. Nam docent id in primis verba Galeni, cum definit species corporum simpliciter salubrium. Ait enim corpus διὰ παντὸς esse salubre, *quod est optima temperie præditum & maxime commensuratum*: ea autem quæ talia sunt, vt Galenus scribit *in primo de sanitate tuenda*, diu durare non possunt, cum mutationem capiant: ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, salubre, *quod a constitutione optima non valde admodum deficit*, nulla vt apparet in vtroque facta temporis mentione. Debet præterea definiendi ratio & significatio communis esse causis salubribus, insalubribus & neutris. At quo pacto dicemus causam illam simpliciter esse salubrem, quæ semper, aut vt plurimum sit salubris. Quid enim in tota materia medica reperiri potest, quod semper salubre, aut insalubre, vel neutrum sit: quippe cum res eadem nunc salubris sit, nunc insalubris, aliàs vero neutra, pro diuersitate corporum, quibus adhibetur, & ex diuerso vsu vt Gal. *in 3. lib. huius, & alibi passim* docet. At prorsus & exactissimè salubres, insalubres, & neutræ causæ, & minimum ab exactissimis recedentes dicuntur, firma quadam ratione: quoniam cum simpliciter tales dicuntur, ad certum medium referuntur, vt alia omnia, quæ in medicina bona, mala, tẽperata, intẽperata, aut alia vi prædita dicuntur. Quod ergo illi *semper* tale intelligũt, nos *prorsus & summe* tale intelligamus. Quod rursus illi *vt plurimum* vertunt, vno verbo exprimere nõ possumus, quia non habemus, quod minimum eum recessum ab eo, quod exactissimum, significet; Dicemus ergo

per circumlocutionem *ferme* exactissimũ, & perfectissimũ. Atq; ita seruabimus tũ in corporibus, tũ signis, & causis vnã & eandẽ docendi rationẽ, vniuerso operi & arti nostræ accõmodatam, nimirum in qua gradus & recessus in iis annotauimus. Cogitur & Galen. ita perpetuo hæc nomina vsurpare: tametsi, vt *paulo antea* diximus, in illis euariat, & suam tractationẽ in neutris corporibus vitiat.

Manardus quoque in eo hallucinatur, cum ait, quod deficit ei, quod salubre *vt nunc* dicitur, sensu dignosci nõ posse: nam signa, quibus Gal. salubria inter se distinguit, sẽsu percipiũtur: alioqui causę salubres cõuenientes adhiberi non possent, si incerta essent indicia. Adde quod Gal. *paulo post*, vbi sanitatis latitudinem distinguit, dicat, sensum debere esse omnium illorum iudicem. Quomodo autẽ & id, quod exactissimũ est, & id quod ab exactissimo aliquantulum recedit, simpliciter tale dici possit, nullus ex interpretibus docet. Ratio hæc est, quod Medicus non solum iis, qui exactam obtinent naturã, sed aliis etiam, qui quandocunque ab ea deflectunt, artem suam pollicetur.

Curtii autem ratio explodenda est, ait enim ille Gal. hac vti diuisione, quoniam duplex est sanitas, vna, quæ est in indiuisibili, nẽpe in exacta omnino & vera qualitate posita, quam Medicus non considerat: quippe cum Medicus non quærat inducere sanitatem, aut conseruare, quæ vel non datur, vel si datur, propter mutationes continuas, quas nostrum corpus subit, vix puncto, & momento temporis durat: aliam dicit esse, quæ latitudinẽ habet, & esse reperitur, de qua Medicus agit. *Vt ergo*, inquit, *excluderet eã, quæ plane exacta est, & absoluta, a consideratione Medici, diuisione vsum fuisse Gal. vtrinsque tamen medicinam esse scientiam.* In quibus quidem verbis manifesta apparet contradictio; Nam quo pacto potest esse medicina scientia illius, quod à Medici consideratione excluditur? Nos quidem concedimus, sanitatem, quæ in exacta æquabilitate ponitur, in rei natura nequaquam reperiri, eam tamen subiici considerationi medici asserimus. Nam etsi illam non conseruat, aut non restituit, vt quæ non existat, tamen eam sibi proponit tãquam regulã & normã perfectissimã, ad quã alias vniuersas imperfectiores, quæ in rei natura sunt, reuocat: Sic.n. Galenus in *lib. 1. de sanitate tuenda*, sanitatem quandam perfectissimam aliarum regulam fingit & statuit. In *lib. de temperamentis* temperaturam vnam ponit plane exactam, & æquali mistione qualitatũ confectam: ad quam reliquas postea bonas, & malas in rei natura apparentes tanquam ad Polycleti regulã, vt ipse ait, redigit. Eodem pacto Arist. ideam demonstrationis definit, & Cicero perfectũ oratorẽ, *qualis*, inquit ipse, *nemo hactenus fuit*. Ac vt breuiter dicã, in omni genere rerum scriptores & artifices ideam quandam, & perfectã formam fingunt: quã tantũ abest, vt contemnant, vt omnium primam proponant, nimirum sine qua reliqua considerari, & tractari nequeunt. Ergo vtriusque sanitatis medicinã esse scientiam cum Galeno dicimus; illius quidem perfectæ, tanquam regulæ & normæ aliarũ; alterius autẽ ea ratione, quod in illa versetur artifex, & facultatẽ suam exerceat. Sed alia ratione Curtii opinio refellitur, quod Gal. non solũ de salubritate absoluta, & ea, quæ ab illa aliquantulum recedit, agat; sed etiam de insalubritate, & neutralitate, quæ in suo genere pariter obtinent, quod exa-A ctissimum est, & quod ab eodem recedit: Non ergo Galen. diuidit quod simpliciter est, in id, quod prorsus tale est, & illud, quod ferè est, exactissimum, vt perfectas sanitates recipiat, vel excludat; sed vt admoneat, medicinam ipsę recipere salubria, insalubria, & neutra, tum exactissima in suo genere, tum alia, quæ ab exactissimo deflectunt.

Τὸ δὲ οὐδέτερον αἴτιόν τε, καὶ σημεῖον, καὶ σῶμα, τό, τε ἁπλῶς λεγόμενον, καὶ τὸ ὡς νῦν, τριχῶς ἕκαστον λέγεται. τὸ μὲν τῷ μηδ᾽ ἑτέρου τῶν ἐναντίων μετέχειν, τὸ δὲ τῷ ἀμφοτέρων, τὸ δὲ τῷ ποτὲ μὲν τοῦδε, ποτὲ δὲ τοῦδε. τούτων δὲ αὐτῶν τὸ δεύτερον, κατὰ δύο τρόπους λέγεται· B ποτὲ μὲν τῷ μετέχειν ἑκατέρου τῶν ἐναντίων ἐξ ἴσου, ποτὲ δὲ τῷ πλεῖον θατέρου.

Neutra vero & causa, & corpus, & signum, & quod simpliciter dicitur, & quod vt nunc, tripliciter vnumquodque appellatur. Hoc quidem, quia neutrius contrariorum est particeps, hoc vero, quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipsorum secundum, rursus duobus dicitur modis, aut quia vtrumque contrariorum ex æquo participat, aut quia plus alterum.

C Dictiones, quibus hactenus vsus est, ex æquo salubribus, insalubribus, & neutris conueniebant. Nam quod simpliciter, & prorsus, sed minimũ ab eo recedens, & vt nunc tale est, omnibus aliis conuenit. Nunc autẽ cum salubris, & insalubris nullæ supersint amplius distinctiones, dictæque omnes sint, quæ illis & neutris sint cõmunes, peculiares quasdã significationes de neutro tradit: vt postea distinctione hac facta, commodius vnumquodq; definire possit. Qua quidem in re primum, quid neutrum sit definiemus. Ex illius enim definitione variæ significationes intelligentur: secundo, quot sint illæ significationes, ex Galeno ostendemus, & an omnes ab illo sint enumeratæ, perpenD demus: tertio, quæ significationes sint maximè propriæ.

Porro neutrum quidam dicunt esse, *quod nullũ est ex duobus, eiusdem tamen generis est cũ illis.* Quæ enim diuersi generis sint, nequaquam neutra vocari debere putant: absurdum siquidem esse, si quis qualitatem, neutrum esse diceret inter substantiam, & quantitatem, cum diuersa hæc sint genera, vel colorem diceret neutrũ esse inter corpus animatum, & animal: sunt enim hæc diuersi generis. E Verum huiusmodi definitionem vna significatio neutri, quã quidẽ ex Galeno postea ostendemus, refellit. Quare præstat neutrum definire, *quod nullum sit ex duobus.* Itaque cum hic agamus de salubri, & insalubri, neutrum dicemus esse, quod nec salubre est, nec insalubre. Porro cũ intellexerimus quot modis fieri possit, vt aliquid nec salubre, nec insalubre sit, simul intelligemus, quot sint neutralitatis modi. *Fit autem id* (inquit Gal.) *tribus modis: vno, quod nullo ex duobus extremis participet, vel quod vtrinsque, vel quod nunc hoc, nunc illo:* constat enim illud, quod ex iis tribus modis tale est, nec salubre nec insalubre esse: quare nullum illorum, sed relinquitur neutrum esse. Nam quod nihil salubritatis & insalubritatis participat, non potest salubre, aut insalubre dici: sicut nec illud, quod

Neutrum quomodo a- liis definiatur.

Neutrum quid nam sit.

Neutrum, quot modis dicatur secundũ Galenum.

quod vtroque participat. Non enim salubre dici potest: quippe cum habeat ex insalubri: nec insalubre, cum ex salubri etiã constet: nec magis, quod nunc vno, nunc alio participat, dici potest salubre, vel insalubre. Ita quidem Galenus hic diuidit neutrũ in tres modos. Sed artificiosior esset diuidendi ratio, si duos duntaxat primum proponamus, quod etiam Manardus animaduertit ad hunc modum. *Neutrum est, vel quia neutro extremorum participat, vel quia vtroque, & hoc dupliciter: vel enim vtroque participat in aduersis temporibus, & est tertius modus Galeni: vel in eodem tempore, & hoc dupliciter: vel enim aequaliter participat, & est primus modus secundi, vel inaequaliter, & est secundus modus secundi.* Verum in hac diuisione desideratur alia diuisio eius neutri, quod diuersis temporibus nunc vno, nunc alio extremo participat, ita participare potest vt tam saepe vno, vt altero particeps fiat, vel vno rarius, altero saepius, & ad huc vno aequaliter vt altero, vel plus vno, quàm altero. Veluti si quis aliquãdo intemperie insalubri: aliàs vero salubri participet, potest saepius salubri, quàm insalubri participare: vel toties vna vt altera: & potest iterum de salubri temperie plus habere, quàm de insalubri, vel aequali mensura. Haec omnia sub neutris continere ex Gal. opinione certissimum esse puto, fallique in hoc Manardum & Acachiam, qui tradunt id, quod saepe, aut raro participat de salubri & insalubri, neutrum non esse: sed id solum cuius est anceps euentus. Nam quod rarius fit, salubre vt multum: quod vero saepius, insalubre vt multum esse statuunt. Verum quomodo salubre vt multũ esse potest, quod aliquãdo insalubre est; aut insalubre, vt multũ, quod saepius vtriusque e fit particeps? Quod enim salubre est vt multũ, parum deficientem ab optima temperiem & structuram habet, quam quidem obtinere non potest, quando est insalubre. Ita quod saepius vtriusque est particeps, non potest insalubre esse vt multũ, id est, paulo minus, quàm pessimam naturam obtinere: quippe cũ saepius salubritatẽ habeat, quae in bona temperie & structura est posita: sed haec postea clarius innotescent, cum definiemus corpora salubria & insalubria. Nunc vero praestat docere non solum tribus modis; sed quatuor neutrum apud Gale. sumi: id quod patet *ex capite de signis salubribus.* Appellat enim neutrum signũm, quod nihil omnino de dispositionibus indicat, vel non magis salubrem, quàm insalubrem, vel partim salubrem, partim insalubrem: vel aliquando salubrem: aliquando insalubrem dispositionem ostendit. Ita ergo corpus neutrum erit, quod dispositionem habet, quae nullam relationem obtinet ad corpus salubre & insalubre, vt corpus albũ dicitur neutrum inter salubre & insalubre, quod nihil habeat, quod referatur ad illa; vel quod mediam habeat dispositionẽ inter salubrem & insalubrem absque participatione illorum; quod participet eodem tempore, vel diuerso de vtroque. Ex quo quidem significato patet, quod antea diximus, neutrum non semper esse debere eiusdem naturae, & generis cum illis ad quae neutrum dicitur.

Artificiosior neutrius diuisio.

Manardi, & Acachiae opinio reprobatur.

Neutrũ quatuor modis apud Gal. sumi.

Sequitur vt tertium ex propositis explicemus, quaenam, inquã, significationes neutri magis sint propriae. Videtur autem illa esse, quae cum alterius generis sit, nullum extremorum participat: deinde illa, quae cum eiusdem generis sit, particeps etiam non est extremorum. Quod enim nihil habet ab aliquo extremo, merito neutrum extremorũ dici potest. Sequitur deinde modus, qui vtroq. simul participat: in hoc enim etsi neutrum nullum est ex duobus, aliquid tamen habet ex illis, & vtrumq; potius, quam neutrum dici debet. Quartus modus omnium minime proprius est, cum à tempore suam naturã capiat, & modo sit salubre; modo insalubre, & quo tempore salubre est, non neutrum, sed salubre. Sic insalubre, quo tempore insalubre est, non neutrum dicatur, nec neutrum sit, nisi vt vicissitudo illa ex duobus inter se coniunctis consideratur. Atque haec quidem de neutri significationib. dicta sufficiãt, quãdoquidẽ postea diligentius adhuc nõnulla ex iis erunt explicanda.

Neutri significationes quae magis propria.

Ἔστι δὲ καὶ καθ' ὅλου τοῦ ὅρου κατὰ τὴν λέξιν ἀμφιβολία τις, ἣν καὶ αὐτὴν χρὴ διαλύεσθαι. ἐν γὰρ τῷ λέγειν τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην ὑπάρχειν ὑγιεινῶν, καὶ νοσερῶν, καὶ οὐδετέρων, σημαίνεται μὲν καὶ τὸ πάντων τῶν κατὰ μέρος, σημαίνεται δὲ καὶ τὸ ὁποίων, σημαίνεται δὲ καὶ τὸ τινῶν. ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων ἀπεριόριστόν τι, καὶ ἀδύνατον, τὸ δὲ τινῶν ἐλλιπές τι, καὶ οὐ τεχνικόν. τὸ δ' ὁποίων, τεχνικόν τε ἅμα καὶ διαρκὲς εἰς ἅπαντα τῆς τέχνης τὰ κατὰ μέρος, ὅπερ περιέχεσθαί φαμεν ἐν τῷ τῆς ἰατρικῆς ὅρῳ.

Est vero & in tota definitione, si verba animaduertimus, ambiguitas quaedam, quam & ipsam dissoluere oportet. cum enim dicitur medicinam esse scientiam salubrium, & insalubrium, & neutrorũ, significatur, & quod omniũ particularium, & quod quorundã, & quod qualiũ: sed omnium quidẽ indefinitũ quoddã est, atq. impossibile, quorundã diminutũ atque artificio carens; qualium vero artificiosum pariter atq. sufficiẽs ad omnia artis particularia, quod etiam dicimus in medicina definitione comprehendi.

Explicat Galen. dubitationẽ quandam, quae ex definitionis verbis oriri posset. Dixit enim in definitione medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum: quae propositio cum indefinita sit, tripliciter intelligi potest: nẽpè quòd *omnium* illorum medicina sciẽtia sit, & quòd *quorundam*, & quòd *qualium*. Dicit autem intelligendum esse definitionem non omniũ, non quorundam, sed qualium. Quid per omnia, & quaedã, intelligat, omnes norunt interpretes, & cur nõ illorũ medicina scientia sit, docet ipse autor: omnia enim intelligere videtur particularia. quae cum infinita sunt, non potest illorum esse ars vel scientia: quare nec explicari, nec mente concipi, nec tradi possunt, vt vniuersi philosophi, & ipse Gale. *1. ad Glauconẽ* docent. Nec quorũdã solũ medicina scientia est: imperfectũ. n. id, inquit Gal. esset, & ab arte alienũ. Est. n. id imperfectũ, quod omnia nõ cõprehendit: ab arte itẽ alienũ. quoniã ars de omnib. praecipere debet. Et in hoc omnes consentiunt, vt dixi, interpretes, ex Galeni rationib. persuasi. Cõsentiũt etiã in hoc, quòd medicina qualiũ sit scientia. Verum quoniã Galenus non explicat, quid per qualia intelligat, nec ita consueta dictio

Infiniti nullã esse sciẽtiã, statuit Aristot. poster. analyt. cap. 18. text. 30. lib. 1. cap. 6. text. 10. lib. 4. min. metaphys. cap. 4. text. 11.

est ad id significandū, quod autor intelligere vult, ideo diuersæ interpretationes extant, quas leuiter attingemus, vt meliorem elicere possimus. Manardus ergo non dictionem ipsam interpretatur: non enim medicinam qualium scientiam esse dicit, sed ad artem pertinere cognoscere, quæ in medicinæ definitione continentur: Ad quod ostendendū, necessarium esse definitionem eorum adferre, dubitationemque hanc esse motam à Galeno, vt ostenderet, quare corporum definitiones necessario essent assignandæ. Verum multipliciter in hoc mihi errare videtur: primo, quòd Galeni dicto non quadret interpretatio: dicit enim Galenus ad omnia artis particularia sufficere, si dicatur qualium medicina esse scientia. Ad id nō sufficiet, si solum definiamus, quid illa sint, sed diuidenda ea & aliter explicanda sunt. Secūdo, artificiale esse, & artem non esse imperfectam, si qualium dicatur medicina esse scientia, eam enim perfectam non facient illorum definitiones. Tertio dicit Galenus qualiū medicinam esse scientiam, non autē quod cognoscere oporteat qualia sint, quæ in medicinæ definitione continentur. Nam & ipse postea ea definit, nihil tamen ad quæstionem propositam pertinet, quod cognoscere oporteat qualia sint: Ac clarius quidē apparet distorta hæc interpretatio, si quęstio proponatur, & loco qualiū interpretatio ponatur. Si quis enim proponat, vel quærat, quorumnam medicina scientia sit, salubriū, insalubrium, & neutrorum; & respondeat, non omnium, nec quorundam scientiam esse, sed definiendum esse, & docendum qualia illa sint; quis nō videt ineptam responsionem? Non enim quærimus an definiri illa debeant: sed quorum, vel omnium, inquam, vel quorundam, vel alio modo medicina scientia sit. Sed satis ad Manardi interpretationem hæc dicta sint.

Manardus quod intelligat per qualia, qui & refellitur.

Medicinam scientiā esse qualium.

Axachias autem idem fere, quod ille sentit, sed alia ratione. Quod enim alii vertunt *qualium*, ille *qualitate affectorū* interpretatur: vt talis sit sensus. Non omniū humanorū corporum, nec quorundam solum, sed omnium in vniuersum affectorū qualitate, nempè sanitate, morbo, aut neutro affectu, medicina scientia est. Sic de causis, & signis eadem tradit, nempè quòd non omnium illorum, nec quorundam scientia sit, sed vt qualitate salubri, insalubri, & neutra prædita sunt secundum omnes prædictas significationes, id est, vt simpliciter, & nunc talia sunt. At hic etiā dubitationi non respondet, multoque magis, quàm Manardus ab ea recedit. Nā ille hæc scribit, quasi ignoret quod iam in ipsa definitione continetur: etenim definitio ipsa iam explicauit medicinam non humanorum corporum, nec omnium causarū, aut signorum scientiam esse, sed salubrium, insalubrium, & neutrorum. Quòd si in definitione dixisset, medicinam scientiam esse corporum, causarum, & signorum, locum fortasse haberet talis solutio: quod scilicet illorum solum scientia sit, quatenus qualitate salubri, insalubri, & neutra sunt prædita. Verum cum iam (vt dixi) id definitio ipsa in se contineat, & apertè exprimat, salubrium, inquam, insalubrium, & neutrorum medicinam scientiam esse, frustra postea id quispiam ostendere conabitur, aut de eo dubitabit. Supponit enim Galenus in quæstione, medicinam salubrium, insalubrium, & neutrorum corporum, causarum, & signorum scientiam esse, quæritque an omnium salubrium, insalubrium, & neutrorum, an quorundā scientia sit: & concludit non omnium, nec quorundam, sed qualium scientiam esse: quod quilibet ineptè interpretatur, salubri, insalubri, & neutra qualitate affectorum: quoniam, vt dixi, hæc in quæstione supponuntur. Quare opinio Axachiæ tanquam inepta reiicienda est.

Axachiæ interpretatio improbatur.

Curtius autem locum istū melius interpretatur ad hunc modum. Medicina scientia est salubrium, insalubrium, & neutrorum, non omnium, non quorundam, sed qualium, id est, *regularum vniuersalium; quæ seruiunt ad cognoscenda illa omnia secundum speciem, & indiuidua*: citatque in hac re Galenum cum de causis salubribus, id est, de materia medica agit *in libro de Simplicibus*; vbi artis non esse dicit, particulares omnes effectus medicinarum nouisse, sed satis esse generalem quandam regulam inuenisse, per quam nondū expertorum remediorum vim, & expertorum iam particulares facultates liceat inuenire. *Eas autem*, inquit, *generales regulas tradit in quatuor prioribus libris Galenus noster, quibus scilicet & non exploratas facultates inuenire, & particulares copiā satis commodè possimus.* Satis enim est Medico, & artis studioso, de medicamentis exhibendis nouisse, cum de manifestis operationibus agit, quod certo gradu calida, frigida, humida, sicca, vel etiam dulcia, amara, aut alio sapore, vel odore sint prædita. Qui in generale id cognouit, regulā habet iam, quod idem rarefaciat, attrahat, digerat, repellat, cōcoquat, vel quoduis aliud faciat, quod sequitur primas qualitates. Nam qui methodum hanc vniuersalem tenet, non solum de notis medicamētis, sed etiam de ignotis speciebus iudicare poterit, an scilicet amica vel inimica sint; an cibi, vel medicamenta, & quid tandem sint, vel præstare valeant. Ex qua quidem regula refert Gale. se nouisse ex solo odore tetro herbam ignotam, quam centurio quidam attulerat, noxiā esse hominibus. Eodē pacto, qui in morbis nouit generationē, & causas, & signa illorum generatim, de aliis nunquam visis iudicare poterit: quemadmodum iudicamus morbum Gallicum nunquam ab antiquis cognitum à pituitoso, & melancholico humore fieri: propterea quod naturam sequatur morborum, qui ex tali materia concitantur. Eadem docendi ratione Aristot. *in lib. de Animalibus* est vsus. Tradit enim vniuersalem quandam methodū omnibus animalibus communem, qua species inter se distinguere, & nondum cognita sub certo genere possimus. Concludit igitur Curtius iis rationibus & exemplis, medicinam esse qualium scientiam, id est, omnium contentorum sub regula vniuersali. Est sane bona hæc interpretatio, non tamen omnino exacta, & ad mentem autoris excogitata. Primum enim non exprimit quid per *ὁποίων*, id est, qualiū, Gal. simpliciter significet. Nam vna est simplex dictio apud Græcos, quæ nunquam reperitur tot significare, quot ille fingit: nempè contenta sub regula vniuersali; Nec apud Latinos possumus qualia, nisi violenta interpretatione ita explicare. Præterea, quæ particularia sunt, & continentur sub regula vniuersali, sequuntur regulam ipsam, & vniuersale, cuius quidem est scientia, non autē contentorū sub illo. Non enim dicemus nos Medicinam esse scientiam contentorū sub vniuersali, sed ipsius vniuersalis. Particulariū autē non primo & per se, sed quatenus sub vniuersali continentur.

Curtii interpretatio laudatur.

Opinionis Curtii imperfectio.

Cum

Cum ergo dicat Galen. sub qualibus particularia contineri, nō possumus per qualia intelligere particularia, hæc enim continentur sub vniuersalibus regulis, non autē continent. Multum autē refert dicere medicinam esse scientiam contentorū, vel continentium; contenta enim particularia sunt, & non esset artificiosum medicinā illorum esse scientiam. Quare cū hæc interpretatio non placeat, alia quærenda est melior, quam quoq; lumenius ex Aristot. *lib. de prædicamentis, in cap. de substantia*: vbi de significatione indiuiduæ, & secūdæ substantiæ agit. Illic enim primam substantiam *hoc aliquid* significare scribit. Secundas autem substantias, genera inquam & species, *quale quid*: vbi *hoc*, indiuiduū significare ostendit; *aliquid* vero, substantiam; & *quale*, vniuersale. Ex quo loco manifestè intelligitur, non aliud significari per *quale*, quam *vniuersale*. Quæ quidem interpretatio quadrat dictioni autoris, & veritati. Non enim omnium particularium, nec quorundam, sed vniuersalium medicina est scientia. Quadrat huic interpretationi, quod Gal. scribit artificiosum esse, si *qualium* dicamus scientiam esse: nam *ars vniuersalium est*: necnon illud, quod inquit, ad omnia artis particularia sufficere. Cum enim particularia sub vniuersalibus contineantur: qui nouit vniuersale, nouit potentia particularia. Atque hæc quidem satis de explicatione dictionis qualium.

Vera dictionis interpretatio ex Arist.

Quid per Qualium Galenus intelligat.

Teste Aristotel. lib. 1. poster. analyt. cap. 7. & lib. 1. metaphys. in initio.

Verum quoniam Galen. scribit *hoc in loco* medicinam particularium nō esse scientiam, multa autem videntur contrarium asserere, ita breuiter quæstionem tractabo, *An medicina particularium non sit*: præsertim quod hi, qui eandem attigerunt, non rectè soluere videantur. Qua quidē in re primum quid per *particularia* intelligere velim in quæstione, & quid hic intelligat Gal. explicabo; secundo rationes vtrinque adferam; postremò quid verè sentiendum sit aperiam.

An medicina non sit particularium.

Per Particularia nonnulli ex interpretibus hic intelligunt indiuidua, superfluamq; ob id quæstionē hanc esse putant, cum nemo videatur ponere artes indiuidua tractare. Ego autē puto Galen. per particularia hic intelligere species atomas & infimas, in quæ genera diuidantur. Non enim omnes species salubrium causarū medicina comprehendit, quandoquidē nihil impedit herbas, lapides, & mineralia indies inueniri ignota ei, qui artem constituit, & docet. Quare cum species illæ non reuera quidem infinitæ (vt nec etiam indiuidua) sint, incerto tamen numero contineantur, certū est medicinam non esse dicendam scientiā illarum: esset enim hoc modo impossibile; *ergo per particularia non indiuidua, sed species specialissimas intelligit Gal.* eas autē ars ipsa considerat, & ob id non inepta est quæstio, *an medicina sit scientia omnium specierum salubrium, insalubrium, & neutrorum*. Nos autē in nostra quæstione id non quærimus: scimus enim quod indiuiduas species medicina considerat: cōsiderat. n. naturā rhabarbari, centaurii, & alias species medicamentorum, tum causarum, tum corporum & signorum salubrium; sed quærimus, an indiuiduorum consideratio ad artem pertineat: quę etsi videtur quęstio talis, vt statim solui possit; tamē quia variæ videntur extare de hac re opiniones; ideo hanc tractare nō denegabimus. Aristot. enim quidam, vt Curtius, citant variis in locis, in quibus aiūt illū velle artē singularia considerare; in aliis autem solum vniuersalia. Nam *1. Ethic. 7.*

Per particularia quid intelligendi.

An indiuiduorum consideratio ad artem pertineat.

A ait Medicum non considerare sanitatem in vniuersali, & communi, sed huius, & huius particulares. Item *6. eiusdem operis lib. 8. cap. 9.* & ait Arist. dicere artem & prudentiam esse singularium, eo, quod non sufficit scire, quod leues carnes citius concoquantur, sed necessario etiam sciendum, quæ sint leues carnes, & dicit leues carnes esse, vt carnes auium. Galenus item *tertio Metho.* dicit, quod homo in vniuersali non curetur, sed particularis: quod etiam repetit *primo ad Glauconem*. Ex quibus rationibus putant illi, ita esse ostendere, quod ars particularia consideret. In contrarium vero adferunt artem esse habitum intellectus practici: in intellectu autem singularia non recipi, vt *tertio de* B *anima*. Item in *proœmio Metaph.* Arist. ait artem solum versari circa vniuersalia, & *secundo Ethic. cap. 2.* singularia excludit a ratione artis, vt quæ non possint arte comprehendi: omnium cum numero incerto contineantur. In iis autem dubitationibus diluendis maximè laborat Curtius: nec tamen quod vult, assequi potest. Nam quod ait Arist. scribere in Ethicis, artem considerare singularia, falsum est: & nunquam ab eo autore est cogitatum. Nam credere Arist. velle medicinam considerare singularia, eo quod dicat non solum cognoscendum esse, quod leues carnes facilè concoquantur, sed etiam quænam sint huiusmodi carnes, & quarum rerum, absurdum. Possum enim scire quęnam sint leues carnes, etiamsi singu- C larium mentionem non fecero; sed duntaxat ipsarum specierum, quemadmodum ipsemet Arist. facit cum dicit, leues carnes esse quales sunt carnes auium. Illud etiam quod adfert ex Arist. & Gal. Medicum non vniuersalem hominem curare, sed Socratem & Platonem, verum quidem dicit, sed nihil ad quæstionem propositam: Aliud enim est quærere, quid ars consideret; aliud vero, quod artifex facit. Ars enim ipsa de vniuersalibus solum agit, cum habitus sit & præceptis constet, quæ solum de vniuersalibus tradi possunt. *Artifex autem ipse cum artem discit, vniuersalia quidem discit; sed cum illam exercet, in singularibus exercet*: propterea rectè Gal. *tertio lib. ad Glauconem* dicit, D *scripta contrario modo se habere operibus*. scribi enim vniuersalia, exercere autem Medicum in particularibus. Aliud ergo est de arte loqui, & de illius præceptis; aliud de artifice, & eius officio. Illud vero, quod Curt. scribit singularia ad artē constituendā necessaria esse, quoniā ex illis vniuersale cōsurgit, de quo ars postea tractat; verum quidem dicit, sed in eo fallitur cum quæstionem ita soluit, vt putet. Arist. dum scribit, artem particularia considerare, intelligere, particularia ad artem constituendam facere, non quod artis sint partes: nunquam enim (vt diximus) Arist. memoriæ prodidit artes singularia considerare; *Aliud enim est docere ea, ex* E *quibus vniuersale & ars ipsa inueniuntur, & constituuntur, aliud vero de quibus ars ipsa iam inuenta & constituta tractet*. Nam vt ars non est, dum vniuersalia ex particularibus colliguntur; ita cum inuenta illa sunt, tunc illorum est ars, & ab illis arte instructus artifex ad singularia rursus descendit, & in illis, quę ex arte cōparauit, exercet. Verū igitur est, ex singularibus vniuersalia colligi: verū falsum est, artes ipsas circa singularia versari: sed hoc facit artifex. & de eo intelligēdus est Arist. & Gal. cū dicūt Medicū nō hominē, sed Socratē curare: tūc n. q; artificis est pprių operātis, nō artis inuētionis docet.

Lib. 1. poster. anal. ultimo cap. 7.

Scripta contrario modo se habere operibus.

A Ἀρξώμεθα οὖν ἀπὸ τῶν σωμάτων πρῶτον ὁποῖά τινα τά θ' ὑγιεινὰ καὶ τὰ νοσώδη καὶ τὰ οὐδέτερα τυγχάνει ὄντα, μετὰ δὲ ταῦτα τὸν περὶ τῶν σημείων τε καὶ αἰτίων διεξελθεῖν λόγον.

Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualia nam sint & salubria, insalubria, & neutra, post hæc de signis & causis disseremus.

Posteaquam Gal. explicauit, quomodo medicinæ definitio intelligenda sit, & quæ in definitione continéatur, ordinemque in illis statuit duplicem, vnũ, in quo causæ primo cõsiderantur, deinde signa, postremo corpora; alterũ huic contrariũ, tractationem de singulis aggressurus, quorũ medicina scientia dicta est, ordinem sibiipsi statuit, quem in hoc opere seruandum esse iudicat. Est autem secũdus ordo ex duobus propositis, in quo primum corpora salubria, insalubria, & neutra cõsiderantur, deinde signa, postea causæ. Considerationem autem corporum auspicatur à definitione, quoniam non satis constabat, quidnam vnũquodque illorum esset, propter varias significationes, quas antea docuit. Verum cum inter illas significationes quod simpliciter est salubre, dignitate & natura primas partes obtineat, sitque tanquam regula omnium, merito primo quid salubre simpliciter corpus sit, definit. Sed antequam definitionẽ examinemus, explodenda est illorum opinio, qui ex vno verbo, quod in hac sententia Gal. continetur, occasionem sumpserunt, vt dictionem *qualiũ* explicarent ita, vt rationem redderet quare definiendæ essent prædictæ corporum differentiæ. Deinde docendum est, cur à corporibus tractationem inceperit: In hoc enim etiam interpretes dissentiunt. Aiunt igitur illi, per *qualium*, non aliud intelligere Galenum, quam quod necessarium sit definire corpora, causas, & signa salubria, insalubria, & neutra: quoniam scilicet reperit hic dictionem *qualia*, cum ait: *De corporibus dicere aggrediemur, qualia nam sint.* Quod certe non probat, quod illi volunt, sed potius; quod nos antea docuimus. Nam cum antea dixisset, medicinã considerare illa, vt qualia sunt, id est, vt *vniuersalia*, nũc dicit huiusmodi naturam, *vniuersalem*, & *qualem* esse explicandam: *Aggrediamur*, inquit, *docere, qualia sint salubria, insalubria, & neutra*, id est, *vniuersalem illorum naturã declaremus, quam diximus esse considerandam*, non particularem, quæ in quibusdam aut omnibus salubribus insalubribus, & neutris reperitur: Dixisset autem Gale. si eorum opinionem astrueret, ad hunc modum: *Definiamus igitur corpora salubria, insalubria, & neutra.* Sed inquit, *dicere aggrediamur qualia nam sint*, id est, *eam naturam communem, quam diximus tractandam esse, exponamus.*

Per qualium quid Galenus intelligat.

Cæterum de ordine proposito hic à Gal. inter se discrepant interpretes: nã quidam sentiunt, illum exorditũ à corporibus, quod ea nobis sint notiora notione confusa: quos quidẽ refellere pudet. quid n. confusum magis in hoc, quam in illo ordine statuas? Curtius verò hanc reddit rationẽ, quod s. in quacunque arte docemus aliqua, vt ait, ex speculatis, speculata aũt debent semper præcedere ea, quę ex ipsis docentur, ordine naturæ. Cum ergo, inquit, in medicina notitiam corporum speculemur, ideo primo de illis pertractandum: quoniam corpus speculatum omnia præcedit, quæ ex speculatis de corpore docentur. Et hæc ille ad verbum: quæ plane sophistica videntur, aut certe aliena ab eo, quod scribit autor. Dixit enim Gal. primo corpora occurrere, deinde signa, postremo causas: & hunc esse ordinem, qui in operationem occurrit, proponit ergo prius corpora, quoniam ordinem operis sequitur: & *ea quidem vult prius explicare, quæ in opere prius occurrunt.* In quo quidem ordine etiam ordinem doctrinæ seruat: nam *absque tractatione de corporibus, signa intelligi nequeũt: Ac absque corporibus, & signis, causarum salubrium vsum ignorare necesse est.*

Cur Galenus à corporibus incipiat.

B Ὑγιεινὸν ἐστιν ἁπλῶς σῶμα, τὸ ἐκ γενετῆς εὔκρατον μὲν ὑπάρχον, τοῖς ἁπλοῖς, καὶ πρώτοις μορίοις· σύμμετρον δὲ τοῖς ἐκ τούτων συγκειμένοις ὀργάνοις.

CAP. IV. DE CORPORE SALUBRI.

Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu bonam habet temperaturã in simplicibus, & primis particulis, atque in iis, quæ ex illis componuntur, instrumentis est commensuratum.

Circa definitionem hanc errat manifestè Manardus, qui *corpus*, quod hic ponitur, genus esse dicit. Id enim totum definitur, salubre simpliciter corpus, & intelligitur loco generis, corpus, ita vt C talis sit sensus: *Corpus simpliciter salubre, est corpus, quod ab ipso naturæ ortu, &c.* At magis adhuc errãt, qui *temperatum*, genus esse in hac definitione arbitrentur. Id enim differentiam facit, vna cum aliis omnibus definitionis particulis. Diximus quidem superius multa, quid, inquam, sit salubre, & quid simpliciter significet, refellimusque aliorum opiniones, qui male (vt credimus) de iis rebus senserunt: sed disputatio nostra cõmunis fuit non solum corporibus, sed etiam causis & signis salubribus. nunc postulat tractio de corporibus salubribus, vt ea ex communi illa disputatione ad hunc locũ ducamus, quę propria sũt huic instituto, & alia etiã adferam* necessaria & ꝓpria superius* prætermis- D sa. Manardus, vt antea diximus, salubre simpliciter corpus scribit necessario nõ includere sanitatem, quia sic ægrotare non posset; sed quod salubre sit, id habere à naturali potentia, quæ qualitas est à generationis principiis ducta: propterea hanc salubritatem nunquam in vita, aut morte amitti, nec conseruari, aut recuperari, aut aliud denique posse pati. Nos vero ex infinitis Gal. locis ostendimus, salubre corpus necessario esse sanum: quandoquidem è Gal. potissimum, vt diximus duobus modis sumitur, vel pro sano, vel bene sano. Commentum quoque illud est, salubritatem hanc statuere natiuam quandam potentiam: quippe cum nihil aliud sit, quam *sanitas*, aut *bona sanitas*, quæ pro- E pterea conseruari, recuperari, & amitti potest in omni tempore, si causæ adsint, quę illam corrumpere possunt. Id enim probari ex Gal. vniuersa tractatione: in qua ne verbum quidem de huiusmodi potentia fit, sed de sanitate ipsa, quæ intensionem, & remissionem admittit. Præterea omnia corpora salubria, communi definitione esse comprehensa superius à Gale. vbi per sanitatem illa definit, non autem per aliquam potentiam. Idem docere peculiares definitiones specierum corporis salubris: in quibus bonam temperiem, & commoderationẽ, in quibus sanitas residet, assumit, quod illis nequit con-

Manardi opinio, de corpore simpliciter salubri, quæ confutatur.

conuenire, qui ægrotãt, & simul habẽt, vt ille credit) huiusmodi potentiam. Ad hæc, non respondere tractationem de signis & causis huic opinioni: non enim doceri signa, & causas salubres à Gal. quę potentiã aliquam respiciant, sed ipsam sanitatẽ. Docere præterea definitiones exactissimi, & non exactissimi, & nunc salubris, salubritatem recipere intensiones & remissiones, cum in illis detur, quod deterius & melius est affectum. Nec illud pretermissum est, quod cõsideratio huius potentiæ inutilis omnino sit Medicis, qui ea non considerant, quæ a sua arte nihil pati possunt, sed sanitatem ipsam, quæ diuersam curam & tractationem requirit, prout ea diuersa in corporibus nostris reperitur. Ad idem facit, quod ille opinionem suam euertat, dum fatetur insalubria corpora, & non solum salubria à sanitate sua habere, vt certo modo resistant causis morbosis: Ac etiã cum fatetur salubre simpliciter, sanitatem habere ab ortu, & non acquisititiam, vt salubria vt nunc, idem confirmat. Illud etiam sequi hanc opinionem, quòd huiusmodi corpora simpliciter salubria, nunquam ægrotare possint: quoniã perennem habent eam naturalem vim ad sanitatẽ, quæ perpetua esse debet, vt ipsa facultas, à qua nascitur. habent quidem salubria corpora hanc prærogatiuam, quod apta sint diu sana esse; at hoc non habent ab insita aliqua potentia, sed à bonitate sanitatis, qua fit, vt diu, & facile morbosis causis resistant: quod quidem aliis non contingit, qui intemperatum habent corpus, aut malè conformatũ. Hęc enim prõpte à morbosis causis vincuntur. Quod si corpus salubre ægrotat, tunc certe salubre non est, quia bonam temperiem, bonamque structuram amisit. Quare cũ Manardus dicit, corpus salubre nõ posse ægrotare, si sanitatem necessario includit, id negamus: cur enim sanæ non potest in morbos incidere? Illud vero sequitur, tunc amplius salubre non esse, cum morbo laborat: docet item neutrũ tertiæ significationis, quod in primis ætatibus salubritatẽ habet, postea vero insalubritatem, eam salubritatem, quæ ab ortu incepit, amitti. Nec vero in eo bene sẽtit Manardus, quod scribit corpus simpliciter salubre id habere, quod simpliciter salubre sit ab ipsis generationis principiis. Non enim scribit Galenus salubritatem hanc esse ab ortu, sed huiusmodi corpora simpliciter salubria, à primis principiis habere bonam temperiem, & structuram commoderatam: vt in hoc quoq; apparet Manardi error, qui quod de tẽperie, & structura partium dicitur, ad naturalem suam potentiã, de qua ne verbum quidẽ à Galeno fit, violenta interpretatione trahat. Sed demus salubritatem huiusmodi esse naturalem potentiã, nonne illa amittetur amisso temperamento, à qua naturam suam sumit? Nam si salubre simpliciter corpus est, & dicitur eo, quod habeat bonum temperamentum, bonamque structuram à suis principiis, necesse profectò est, vt corrupta per morbos tẽperie, aut structura, desinat esse simpliciter salubre, nimirũ, quia amplius non habet, id quod in ortu accepit, à quo consecutum erat, vt simpliciter salubre esset. An id etiã non docent morbi, qui sanitatem corrumpunt? Quidam enim ita leues sunt, aut in natura adeo robusta fiũt, vt postea quam liberatus æger fuerit, facilis fiat reditus ad pristinam sanitatem: Alii vero vsque adeo magni, vel maligni, vt vel occidant, aut certè ita afficiant

A corpora, vt illa nunquam possint, quam prius habuerant sanitatem, recuperare: cuius generis est morbus Gallicus, qui sæpe ita inficit corpora optimè alioqui suaptè natura affecta, vt illa in tota vita postea morbosa euadãt. An dicemus illa adhuc esse simpliciter salubria, eo quòd bonã temperiẽ, & structuram à suis principiis acceperũt? minimè quidem: quippe cum omnia sint mutata in malũ, nec vlla amplius supersit potentia ad sanitatẽ, sed à leuissimis quibusque causis in morbos ruant. Ergo amittitur & amissa aliquando nequaquam huiusmodi salubritas recuperatur pro natura & magnitudine morborũ, qui corpus vitiarũt. Nec quidẽ ab ortu inseritur potẽtia illa sua, quę semper duret; sed bona sanitas ex bonis principiis resultat,
B quæ apta est diu durare, eo quòd valida sint corpora, quę ea sunt prædita: ita vt morbosas causas facilè nõ admittãt, aut receptas, illas vincere sint apta: quod tamẽ, vt dixi, semper non accidit. Pręterea ille sua principia nõ retinet: nã anteà simpliciter salubre definiuit esse, quod absolutè, & absq; alio additamẽto dici potest, nulla ortus, aut principiorũ facta mentione. Cur ergo hic idem definit, vt præcipuam definitionis partem & vim dicat in eo cõsistere, quòd à primis principiis tale sit. At si in corporibus definiendis id requiratur, nõ erit idem omittendum in definitione causarum, & signorũ simpliciter salubriũ. Dicemus ne ergo causas simpliciter salubres esse quæ à suo ortu suisque principiis habent naturalem quandam potentiã,
C qua corpora simpliciter salubria conseruare possint, aut sanitatem tueri, aut restituere? At quæso, quis ortus erit lapidum, aquæ, aeris, quibus vt causis salubribus vtimur, ad ea præstanda aut quid refert hac distinctione vti in causis, quòd quædã ab ortu habeant, aliæ verò post ortũ capiant vim suã, & dicantur simpliciter salubres? Non enim quod ab ortu tales sint, simpliciter salubres dicuntur: sed quòd bonam habeant temperiem, qua possunt corpora simpliciter salubria, quæ huiusmodi etiã temperiem habent, conseruare. Nec profectò signa dicuntur simpliciter salubria, quod à suo ortu suisque principiis hoc habeant, sed quod apta sint bonam sanitatem, & salubritatem simpliciter ostendere. Cæterum dicet fortasse quispiam, Gale-
D num in corporibus, quæ simpliciter dicuntur, definiẽdis *ortus* mentionem fecisse, quod & nos fatemur. Sed particulam illam asserimus additã esse, non vt ostendat, quid res sit; sed vt causã apponat, ex qua fit, vt talis sit. Nam simpliciter salubre corpus est, quod optimam habet temperiem, & structuram: qualis esse non potest, nisi ex *bonis principiis* ortum duxerit. Nam quod optimum est, deficiente natura in principiis, nulla arte fieri potest: sic & quæ pessimam habent sanitatem, raro eã habere possunt, nisi ex malis suis principiis. Cõtinet ergo Galenus non solum definitionem corporis simpliciter salubris, sed etiam causas reddit
E bonæ istius sanitatis, quasi diceret; *corpus simpliciter salubre est, quod optimam habet temperiem, qualia sunt corpora, quæ ex bonis, vel optimis principiis sunt orta.* Nam vt Gal. in definitione corporis semper salubris, non explicat verbũ *semper*, quod indicet *tempus*, sed quod est optimum in genere salubrium: ita si aliquando in vno *tempus* addatur, intelligimus non addi tanquam necessariũ ad definitionem, sed vt causam reddens, & ostendens vnde fiat, vt illa vel optima, vel pessima, vel

exactè media esse possint. Ex his ergo falsa agnoscitur Manardi opinio.

Montani opinio de corpore simpliciter salubri.

Quid vero Montanus sentiat de corpore salubri simpliciter, operæ pretium est vt paucis subiiciam. Ait autem in vno loco illud esse, quod est absolutum, & in propria sua essentia, & hoc cõuenire corpori optimè sano. Itaq; cum dicit Galenus *simpliciter sanum*, intelligendũ esse, quod sit *optime sanũ*: quemadmodũ simpliciter ęgrum, quod est penitus ægrũ. Corpus ergo simpliciter tale, capi pro absolute, siue in bonam partem, siue in malam sumatur. At in hoc primum illud reprehendi potest, quod dicit simpliciter salubre, *absolutum & in propria sua essentia*: nam superfluo additur *in propria sua essentia*: deinde probare non possum, quod dicat *simpliciter salubre, absolutũ*, conuenire corpori *optime sano*. Nam si eo autore salubre aliquando est, quod ægrotat, propinquam tamen habet sanitatem, non semper conueniet corpori optimè sano, quod simpliciter est salubre. Cõfundit pręterea *salubre* cum *sano*, & *insalubre* cum *ægro*: cum dicit simpliciter sanum esse intelligendum, quod sit optimè sanũ, simpliciter verò ægrum, quod est penitus ægrũ vel insalubre: cum tamen ille hæc inter se distinguat: deinde, quid intelligat per *penitus ægrũ*, cum dicit *simpliciter ægrũ esse penitus ægrũ*, non satis patere potest, videtur tamen significare velle, *illud esse penitus ægrũ, quod habet pessimã ægritudinẽ*. hoc n. sequitur, si simpliciter sanũ intelligendũ est, quod habet optimã sanitatẽ. At Galen. simpliciter insalubre non vult esse, quod penitus ægrotat, vt postea ostendemus. An nõ etiã in hoc sibi manifeste repugnat, cum paulo postea simpliciter salubre dicat esse, quòd vel est semper sanũ, aut vt plurimũ: nõ n. iam à perfectione maiore aut minore, sed ex duratione & tempore hæc definit, & inter se distinguit. Nec credendum quidem est, illud, quod est absolutissimum, semper tale esse: quandoquidem eo autore idem non nisi momento tẽporis, si aliquando inueniatur, durare potest. Igitur cum istorum doctorum interpretatio nequaquam probari possit, & alii, qui extant, meliora nõ tradant, tempestiuũ est, vt paucis nostrã sententiã apponamus.

Opinio autoris de corpore simpliciter salubri.

Ac cum tres sint differentiæ corporũ, quæ sanitatis latitudinem amplectuntur, constat illa non posse melius distingui, quàm per bonum, malum, & medium inter bonum & malum. Dicemus ergo illa esse corpora salubria, quæ bonam obtinent sanitatem, insalubria, quę malam, neutra, quę mediam tenent. At in bono, malo, & medio dantur gradus. Nam in bono vnum est, quod solum est bonum; aliud vero, quod est optimum in extremo: aliud, quod optimum quidem est, sed non in extremo, parũ tamen ab extremo recedẽs. Quib. positis gradib. vt ponit Gal. *li. 1. de san. tuen. & in Thras.* apte definiemus corpus simpliciter salubre *quod est optima sanitate præditum*. Illud enim sic cõprehendet, quod prorsus salubre est, & quod ab illo parum recedit. Est hæc definitio simpliciter salubris, siue explicatio perfecta, vt ex multis locis in ipsa tractatione innotescet, vbi Gal. huiusmodi corpora ita definit: Nec non & causas, & signa, ad horum proportionem: causam, inquam, salubrẽ simpliciter vocandam esse, *quæ optimam temperiẽ est nacta, & ob id optimam sanitatem conseruare, aut inducere est apta*; & signum simpliciter salubre intelligens, *quod huiusmodi corpus, sanitatemque ab*

Gradus in bono, malo & medio.

Corpus simpliciter sanum.

Causa simpliciter salubris.

Signum simpliciter salubre.

A *eo positam ostendere potest.* hic autem alias particulas in definitione ponit, nempe quod ab ipso naturæ ortu in simplicibus & primis particulis sit tẽperatum, & in compositis, siue instrumentariis commoderatum: id quod facit dupliciratione: vna, quod causas voluerit ponere, quibus fit, vt optime sanum sit tale corpus: *Non enim, vt ante etiam diximus, corpus optime sanũ esse potest, nisi in ipsa generatione habuerit optima principia, & in similaribus & organicis partibus optimam constitutionem obtinuerit.* Sunt ergo hæc causæ, quibus fit, vt corpus sit simpliciter salubre. Alia est ratio, quod cum hoc opus sit compendium omnium librorum Galeni, ille occasionẽ dare B voluit explicandi ea, quæ in illis libris continentur. Mentionem ergo fecit temperaturæ simplicium, & instrumentariarum partium, naturæ, generationis, temperaturæ, & compositionis corporis, vt occasionem det nobis exponendi, quæ ad hominis constitutionem pertinent. Quod & nos hoc loco præstaremus: sed quoniam prolixa satis euadit interpretatio in significationibus salubrium, & insalubrium, & neutrorum, propter aliorum errores, qui in hac re sunt commissi; ideo in commodiorem locum prædictarum rerum tractationem differemus.

Corpus vt optime sit sanum quid requiratur.

Ὑγιεινὸν δὲ νῦν ἐστι σῶμα τὸ κατὰ τὸ παρὸν ὑγιαῖνον. C ἔστι δὲ δήπου καὶ τοῦτο καθ' ὃν ὑγιαίνει χρόνον εὔκρατόν τε καὶ σύμμετρον, οὐ τὴν ἀρίστην εὐκρασίαν τε καὶ συμμετρίαν, ἀλλὰ τὴν οἰκείαν.

Salubre vero vt nunc corpus est, quod in præsenti est sanũ. Est vero & hoc eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam; & commensurationem, non tamen optimam, at sibi propriam.

Corpora salubria, insalubria & neutra diuisit in ea, quæ *simpliciter*, & *vt nunc* talia sunt: quamobrem posteaquam definiuit, quid sit corpus *simpliciter* salubre, nunc aggreditur definitionem corD poris *vt nunc* salubris. quæ cum variã interpretationem admittat, necessariũ est, vt referamus, quid alii de hac re senserint, prius quam nostrã opinionem subiiciamus. Scribit ergo Manardus, salubre *vt nunc* corpus, non re vera salubre esse; sed *aliquatenus* salubre dici posse, quoniam eo tempore, quo bene valet, bene temperatum, commoderatumque aliquo modo sit. Habere autem authore Gal. non optimam, id est, non veram temperiem; sed solum sibi propriam: quam tantum abesse à vera putat, quantum insalubre simpliciter corpus distat à salubri & propterea insalubre simpliciter, pro eo tempore, quo sanum existit, salubre *vt nunc* dici posse, quoniam sanitatem (vt ait) non proprio iure, sed precario possidet, ac tempeE riem, & commoderationem sibi propriã obtinet. Præterea non esse huiusmodi salubre tale *a generatione*, quia in illius definitione Gal. *generationem* nequaquam prætermisisset: sed *vt nunc*, ei, quod est *a generatione*, quodammodo opponi. Addit quosdam fuisse, qui salubria, insalubria, & neutra corpora omnia, quæ à Galeno *in hoc lib.* enumerantur, putent adeo inter se diuersa esse, vt de se inuicem nullo pacto prædicentur: se tamen modum non vidisse, quo illi suam probent sententiam. Ait tamen, se aliquando cogitasse, quosdam dari gra-

Manardi opinio de corpore salubri vt nunc.

gradus in sanitate ita, vt in primo, & supremo ponatur corpus semper salubre, in secundo salubre vt plurimum; in tertio salubre vt nunc; post quod sequatur neutrũ; demũ insalubria, inter quæ infimũ tandem locum insalubre, vt semper, corpus obtineat. Verum ab hac opinione se remotum fide antiqui codicis Græci Venetiis reperti in ædibus diui Ioannis, & Pauli: in quo istorum corporum ordo ita depingitur, vt nullum corpus, quod sit simpliciter tale, intra sanitatis habitudinem computetur. Salubre vero vt nunc, extra tabulam ita statuitur, vt præter salubria simpliciter reliqua vniuersa complectatur: & meritò inquit: Nam cum salubre vt nunc, non sit absolutè salubre, sed solum cum adiectione, sequi, vt non sit eiusdem naturæ cum salubri simpliciter: propterea illud esse vel simpliciter neutrum, vel simpliciter insalubre: quemadmodum id, quod nunc, & secundum quid voluntarium est, simpliciter inuoluntarium, & è contra ab Aristot. dicitur. Igitur salubre *vt nunc*, rem diuersam à salubri indicare, nec minorem imperfectionem ostendere à salubri *vt multum*, nec potentiam ostendere ad sanitatem, sed possessionem ipsius sanitatis. Præterea salubre *vt nunc* à salubri *simpliciter* ita seiungi, vt cum eo nullo pacto esse possit: cum neutro vero, & insalubri ita coniungi, vt etsi ratione ab eis euariet; tamen illud esse sine altero illorum non posse: non vsque adeo tamen cum illis coniungi, vt vicissim sine eo consistere illa nequeant. Ait & corpus vt nunc salubre, posse toto vitę tempore salubre, & sanum durare; sed ad hoc esse ineptissimum: quippe cum sit insalubre, & neutrum simpliciter. Ex quo fit, vt sit aptum ægrotare, non autem sanum longo tempore permanere. Hæc Manardus de salubri *vt nunc*: ex quibus omnia, quæ sequuntur, corrupit, & Gal. tractationem in labyrinthos inextricabiles coniecit. Nã quod ait, corpus salubre *vt nunc*, nõ re vera esse salubre, id sibi fabricat ex violenta interpretatione verborũ Galeni. Ait n. hic autor huiusmodi corpus bonam habere temperiem, nõ tamen optimam, at sibi propriam. Manardus verò non optimam, id est, non veram interpretatur. At quo pacto non erit re uera salubre, si corpus salubre diuiditur in simpliciter, & vt nunc salubre? Ita enim dicemus insalubre, & neutrum vt nunc, non re vera esse insalubria, & neutra, quod fortè Manardus cõcederet. Verum videat ipse, quid sequatur: nam in quo genere erunt illa reuera talia? Ideo enim probat ille salubre vt nunc, vel simpliciter neutrum, vel simpliciter insalubre esse, quoniam re vera & simpliciter non sit salubre: sic sane retorquetur in illum argumentum, vt nunc insalubria, vel neutra fore simpliciter salubria: quoniam non sunt simpliciter insalubria, vel neutra, quod omnibus, & ei etiam esset absurdum. Est autem deceptus in hac re falsa similitudine. Ait enim, eadem ratione salubre vt nunc, esse simpliciter neutrum, vel insalubre, qua dicitur esse secundum quid voluntarium, simpliciter inuolũtarium: quasi ita opponantur salubre, insalubre, neutrum, vt voluntarium & inuoluntarium: & simpliciter & secundum quid apud Aristotelem idem sint cum eo, quod simpliciter & vt nunc hic dicitur à Gal. aut si vult eandem rationem & oppositionem esse cur non fiet, vt secundũ quid inuoluntarium, simpliciter sit voluntarium? Adde quòd si *simpliciter* talia indicant solam potentiã, vt

Manardi opinio de corpore salubri vt nunc improbatur.

A

nunc vero solum actum, quo pacto poterit salubre vt nunc, esse insalubre & neutrum simpliciter: At Galenus *cap. 7. huius* non scribit corpora salubria vt nunc, bene valentia esse, & sana, absque aliqua adiectione, vel diminutione à vera sanitate? Et quid, quæso, eo est absurdius, quam credere, salubre vt nunc, tantum abesse à vera salubritate, quãtum insalubre & neutrũ simpliciter salubri. quòd, vt inquit, tum neutrum, tũ insalubre simpliciter, tum salubre vt nunc habeant sibi propriam sanitatem, quo tempore sunt sana? Nam teste Gal. (vt diximus) *cap. 7.* bene valent corpora vt nunc salubria, & ex sua definitione dicuntur bonam, sed nõ optimam temperiem habere. Insalubre verò simpliciter tandem habet malam, vel potius pessimã: tantum ergo hoc ab illo differre est necessè quantum bonum à malo & pessimo distat. Eum autem decepit verbum *propria*: putat enim *propriam* temperiem, & sanitatem intelligi, quam quilibet habet, siue bonam, siue malam: quod falsum est. Nã *propriam* intelligere oportet, quæ idonea est, & sufficit ad proprios hominis vsus, vt ex *cap. 5. lib. 1. de sanitate tuenda* patet, vbi Gal. damnatis illis, qui sanitatem ponebãt sine latitudine in optimo quodam statu, qui nullis, vel paucis certè conceditur, dicit hominem contentũ esse debere sanitate ea, quæ sufficiat ad suos proprios vsus, & omnia vitæ officia rectè obeunda: tanquã propria sit dicenda sanitas, quæ ad propria munera exercenda sit idonea: cuius generis est salubritas *vt nunc*, quæ bona est quidem, etsi non optima: cuius quidem naturę esse non potest insalubritas *simpliciter*, quę mala est sanitas: & propterea omnes illam damnant agnoscuntque, talem non esse, quæ apta sit ad humanos vsus. Nonne etiam Gal. *cap. 8.* (vt antea ostendimus, & iam iam repetemus) salubria omnia ponit in prima latitudine sanitatis, neutra in secunda, insalubria in tertia? Quod satis ostendit, non posse insalubre, aut neutrum esse aliquod salubre, vtpotè quæ gradu, & suis classibus ab autore inter se sint distincta. At quo pacto dicit insalubre, & neutrum *simpliciter* esse salubre *vt nunc*, eo, quod etiam illa sibi propriam sanitatem obtineant? Nam si ea, quæ simpliciter sunt in suo genere, non includunt sanitatem, aut morbum actu, hoc solũ illis conueniet, quod sint *vt nunc* salubria, quãdo sanitatem habebunt actu. Sed qualia (quæso) erunt, quando actu habebunt morbum? erunt ergo illa aliquãdo salubria *vt nũc*, aliquando non. Ita enim salubre *vt nunc*, non poterit esse insalubre, vel neutrum *simpliciter*, quo tempore illa ægrotant: in quo ergo genere erit tũc salubre vt nunc simpliciter tale sunt hæc profectò maxima absurda. Ac cum ego originem horum errorum memoria repeto, agnosco Manardũ deceptum fuisse tabula illa, quam se Venetiis apud eos monachos inuenisse scribit; in qua ait salubre vt nunc poni extra habitudinẽ sanitatis, & genus esse, continereq; omnia corpora præterquã simpliciter salubria. Cum enim crederet Galenum salubritatem, & insalubritatem sumere pro quadam potentia, & hanc solum conuenire illis, quæ in suo genere simpliciter sunt talia, cœpit chimęram construere de iis, quæ vt nunc talia dicũtur, quòd hæc solũ actum significent: Ac ex Gal. verbis de salubri vt nunc malè intellectis, illud alia genera amplecti cogitauit: vnde postea omnia inter se confundit. Quod si legisset octauũ caput, vbi de signis o-

Propria sanitas quæ.

B

C

D

E

F 2

primæ constitutionis agit Gal. intellexisset, profectò eam tabulã ab indocto medico fuisse conscriptam. Eos verò rectè sẽtire, qui vniuersa hæc corpora aiunt adeo diuersa, vt nullo pacto de se prædicari possint: nec huic opinioni deesse fundamẽtũ, quoniã id aperte scribit Galenus præcitato capite, vniuersam, inquã, sanitatis latitudinẽ in tres latitudines distingui. Ita vt in prima sint salubria omnia, quę bonã habent sanitatem, quã nemo ad humanos vsus damnare possit: in vltima sint, insalubria, quę mala sanitate sunt prędita. In media vero collocari neutra, quę mediam obtinent sanitatem, inter bonam, & malam. Vt ergo repugnat aliquid esse ex prima classe, & simul ex secunda & tertia & idem esse bonum simul & malum: ita absurdum est aliquid ex genere salubrium, neutrum aut insalubre esse, aut hæc ad illius genus transire. quorum enim illa inter se nominibus, definitionibus, certis classibus, causis, & signis distingueret Gal. si vellet postea mille modis; vt Manardus sentit; inter se confundi? Sed alia persequamur, vt funditus hanc opinionem à Scholis, & animis rudioribus extirpemus. Nam in eo sibi euidentissime repugnat Manardus, quod hic velit salubre vt nunc, non esse à generatione; sed ei opponi, quod à generatione est salubre: postea vero cum agit de insalubri, dicat absolutè concedi posse omnẽ affectionem vt nunc vocatam, posse à generatione contingere; quod si ita est, non magis ea, quæ sunt vt nunc talia tempus præsens, quam illa: nec etiam magis hæc, quam alia significabunt potentiam ab ortu contractam, nec vt ille tradit, salubria vt nunc, actum sanitatis, & non potentiam ad illam indicabunt, quoniam ab ortu talia non sunt. Nam si ab ortu etiam esse possunt quando erunt, potentiam habebunt non minus, quam illa, quæ simpliciter sunt talia. In hoc præterea destruit, quod antea posuit, cum dicit salubre vt nunc habere sanitatem, non ab ortu, sed acquisititiam, & in hoc distingui à salubri simpliciter. Sic enim concedit salubre simpliciter esse sanum ab ortu, & nõ solum potẽtiam habere. At vero si salubre [illegible] nũc, sanitatem habet acquisititiam, [illegible] omnes qui aliquando laborarunt [illegible] bres esse vt nunc: habent nulli post morbu[illegible] sanitatem. Quid vero est quod ait salubre v[illegible], perpetuo sanum degere posse: non tam[illegible] potentiam habere? An potest actus repug[illegible] sua potentia, tamdiu durare? & cur non habe[illegible] tentiam, vt diu sanus viuat is, cui bona sanit[illegible] concessa? Atqui si salubria vt nunc, sanitatem habent acquisititiam, id est post natiuitatem partam, erat necessario in natiuitate morbus, qui impediebat ne illa incipere posset. Quod si negamus illã ex prioris principiis duci posse: erit ergo relicta à Gal. salubritatis illa species, quæ ex vtero est contracta bona, sed non optima hæc enim simpliciter salubritas non est, cum Gal. dicat *vt nunc* salubre habere bonam, sed non optimam temperiem: tanquam velit eam, quæ *simpliciter* est salubritas, non solum bonam, sed optimam esse. Verum, ne in nomine *boni, aut optimi* hæreamus, cum Manardus velit, salubritatem *vt nũc* imperfectiorem esse ea, quæ est *simpliciter*, dicat in quo genere ponetur, quæ in genere salubriũ imperfecta est, & simul incipit ab ortu. Addo q ex hac Manardi opinione idẽ esset cum salubri *vt nunc*, aliquando non solũ insalubre simpliciter,

Salubre vt nunc quo modo à salubri simpliciter differat.

A sed etiã neutrũ, quod in diuersis tẽporibus sit particeps extremorũ. Nam si quis ab ortu pessimam temperiẽ, aut malam (ne de nomine *mali aut pessimi* disputemus) quod conuenit simpliciter insalubri, acceperit: postea vero salubris euadat, insalubris simpliciter dicetur: quoniã ab vtero insalubritatem contraxit. Idem & neuter erit, quod salubritatis quoq; fiet particeps. Erit pariter insalubre *vt nunc*, quoniam acquisititiã sanitatem obtinet. At hæc sunt monstra. Sed quid clarius hanc de natiua & ascititia sanitate sententiã refellit, quã tractatio ipsius Galeni? vbi.n. Gal. *in hoc opere*, vel *alibi* docet natiuę, vel acquisititię sanitatis signa aut causas salubres? Ergo salubre *vt nunc*, male putat Manardus B differre à salubri *simpliciter*, quod hoc potentiam solum ad sanitatem habeat, eamque ab ortu: illud vero non potentiam huiusmodi sed solum actu ipsam sanitatem, & illam acquisititiam, quippe cũ in eo differant, quod *simpliciter* salubria optimam: *vt nunc* vero salubria, bonam, sed non optima sanitatem possideant.

Montanus salubre *vt nunc*, *vno loco* ait, dicere diminutionem ab ipso *simpliciter*, *quoniam est*, inquit, *cum adiectione, dicique nunc pro eo tempore tantum, quod sic se habet, vt corpus sanum sit*: habere autem illud sanitatem, sed non optimam, verum fluentem & labilem, atque Galenum hoc scribere *lib. secundo de sanitate tuenda*. Habet *alio loco* C ita ferè ad verbum, *vt nunc salubre stare potest pro differentia temporis*: sed Gal. capit pro diminutione tantum, quia talis sanitas est culpata, fallax, labilis, receditque a simplicitate nunc temporis, estque cum diminutione ab alio simplici, imminetque periculum de maiori malo breui, & ad oppositam dispositionem, quoniam est valde lubricũ. Ait præterea *vt nunc*, non esse oppositũ ipsi *simpliciter* nec temporis differentiã dicere, sed tantum diminutionẽ, diuidiq; à Gal. *lib. de san. tuen. & in eo, quem inscripsit Thrasibulus*, in id, quod est in habitu, & in id, quod est in habitudine sanũ: Hanc tamen diuisionem Galenum *in hoc lib.* nõ rectè prætermisisse. Est & alius locus, vbi ita legitur: D *Salubritas vt nunc, habet magnam diminutionem à primo gradu, vt faciat magnum detrimentum, & hæc fixa, sed non vt alia eius salubritatis: quia non habet sua principia permanẽtia & fixa: quo fit, vt ex quacunque leui, & minima occasione decedant ab illo vltimo gradu sanitatis, quę alio loco scribit facile accedere ad morbum.* Hæc quidem Montanus de salubri *vt nunc*, tradit, quæ quoniam ab[illegible] sunt, & inter se repugnantia, facile refellem⁹. [illegible] rectè quidem illud docet, salubre *vt nũc* signi[illegible] diminutionem ab eo, quod est *simpliciter*, [illegible] protinus ab illo, quod rectè posuit, recedit cũ ait, illud dici pro eo tempore, in quo sanum est: quanquã postea nunc vnum, nunc aliud asserit: tãquam nihil certum in hac re tradere potuerit: vnde E quæso sumit, salubre *vt nunc*, habere quidem sanitatem, sed fluentem, labilem, culpatam, fallacẽ, & ei breui imminere periculũ de maiori malo ad oppositam dispositionem: Vtitur ille Galeni testimonio ex *secundo lib. de sanit. tuend.* & ex *Thrasybulo*, sed id falso facit, quãdoquidẽ non solũ non in *illis libris*, sed nec in aliis vnquã Gal. vsus est iis vocabulis, quib. hic vtitur ex Herophili tractatione. At si ex seipso hanc interpretationem excogitauit, videant alii, quam rectè id fecerit. Nam Gal. salubre *vt nunc*, definit illud esse, quod bonam, sed nõ optimam

Montani opinio de salubri vt nunc.

Confutatio Montani.

Quid salubre vt nunc.

A optimam temperiem, & structuram, id est, similarium & dissimilarium partium sanitatem obtinet bonam: At id, quod habet bonam sanitatem & sibi, suisq; operationibus propriam & accommodatam, non habet eam fallacem, culpatam, & lubricam, iamiamque ruentẽ, præsertim quòd Mõtanus dicat, istorum sanitatem etiam esse in habitu: quod si ita est, oportet illã esse firmam, & stabilẽ. Dicat præterea, qua ratione insalubre, & neutrum *vt nunc*, dicant hanc lubricitatem & instabilitatem in suo genere. Oportet enim hoc necessario fieri: quoniam id commune omnibus illis est, quòd nunc talia dicantur, & communem proinde definitionem, & explicationẽ continere debent. B At quam, quæso, lubricitatem & promptitudinem transeundi ad opposita poterimus in eiusmodi neutro & insalubri ostendere? An dicemus insalubre *vt nunc*, habere morbum lubricum, & instabilem, ac fallacem, vel culpatum, vel aliud simile, quo salubre ipsum *vt nunc*, damnare, euertere & excludere à bona sanitate nititur.

Non minor est absurditas, si hanc interpretationẽ causis & signis accommodare velimus. Nam statim apparet absurditas, si quis dicat causam salubrem, insalubrẽ, & neutrã *vt nunc*, esse lubricã, & facilè posse transire ad oppositã dispositionẽ. Eadem est ratio de signis.

Cæterum illud refellendum est, quod ait salubre *vt nunc*, non opponi salubri *simpliciter*, sed C solum dicere diminutionẽ. Nam etsi non ita opponitur, vt insalubre, eo quòd bonã habeat sanitatẽ, insalubre malam: tamen in genere salubrium oppositionem facit; quoniam inter salubria corpora quædam sunt, quæ optimã; alia verò, quæ bonam solum habent sanitatẽ: *nec differunt quidem insalubria à salubribus, nisi ratione maioris, & minoris.* Omnia enim illa sunt sana, sed magis salubria, minus vero insalubria. Quare si illa inter se opponuntur, negandum non est *simpliciter*, & *vt nunc* tale, in suo genere opponi. Id verò non possum nõ mirari quod ille tradat, salubre *vt nunc* à Galeno diuidi in sanum habitu, & in sanum habitudine, reprehendatque quòd in hoc libro eam diuisionem præter- D miserit. Nam, vt omittam, quòd (vt iam dixi) Galenus nullam in aliis libris de salubribus *vt nunc* mẽtionem facit, hæc, quæ ponit Montanus, non diuidunt salubre *vt nunc*: sed sanũ ipsũ & vniuersam sanitatis latitudinẽ, vt ex *lib. ad Thrasybulũ* quilibet intelligere potest. Diuidit enim illic Gal. sanitatem in eam, quæ est in habitu, & in illam, quę est in habitudine: & illam rursus in eam, quæ est in bono habitu, in optimo habitu, in extremo, & nõ in extremo. Eã vero, quę est in habitudine, cõtinere sanitatem sanorum & eorum, qui parati iam sunt cadere in morbos, aut à morbis cõualescũt. Quod si ita est, quo pacto salubre *vt nunc*, recipit has diuisiones: cum illud duntaxat contineat (Mõtano au- E thore) culpatam quandam, & lubricam sanitatem? Non enim potest comprehendere bonum & optimum sanitatis habitum, qui debetur salubribus simpliciter, nec sanitatem in habitu, vtpote, quę firma sit non labilis, & fluxa: & quod magis est, sanum in habitudine non potest contineri sub salubri vt nunc: nã hoc habet, Gal. teste, bonã, sed nõ optimam sanitatem: quandoquidem non habent conualescentes, decrepiti, & qui iam cum morbis conflictantur. Itaq; Montanus perperam sanitatis diuisionẽ in eam, quæ est in habitu, & habitudine,

Salubria & insalubria quomodo differant.

A trahit ad salubre *vt nunc*, quod nullam diuisionem recipere potest: sic enim occuparet aliquid de latitudine, quæ sequitur. Nam cum salubre *vt nunc*, sequantur statim neutra, quæ parum à bonã sanitate recedũt, si salubre *vt nunc*, diuideretur per magis & minus bonũ, quod minus esset bonum, esset neutrum, & ita à salubritate recederet. Eodem pacto neutrum *vt nunc*, si diuideretur, inuaderet latitudinem salubritatis. Sic sane insalubre *vt nunc*, quod recedit à malitia insalubritatis simpliciter, occuparet aliquid de neutro. Est ergo hæc ratio, quare Galenus non diuiserit, quæ *vt nunc* sunt talia: diuisit autem, quæ *simpliciter* talia sunt: quoniam huiusmodi incommodum non sequitur. Il- B lud quoq. probare non possum, quod scribit, salubritatem *vt nunc*, esse quidem firmam: sed non, vt aliæ duæ salubritates, quia illud non habet sua principia permanentia. Nam antea dixerat, illam nõ esse salubritatẽ: & quã ineptè dicitur sanitas fixa, aut non fixa ab eo, qui optimam docendi rationẽ sibi vindicat? Cur præterea salubre *vt nunc*, nõ habebit sua principia permanẽtia? An recedunt principia, materia, forma, elementa, humores, partes similares, ex quibus corpora nostra constant, ab his corporibus magis, quam ab aliis? Quis item ferre potest salubria *vt nũc*, parata esse, vt ex minima quaque occasione decidant ab vltimo gradu sanitatis. Nam cum post illa sint omnia neutra, & in- C salubria, sintque in prima latitudine sanitatis salubria omnia, vt Gal. 8. *cap. huius operis* docet, necesse profectò est, plurimũ distare salubria *vt nunc*, ab vltimo sanitatis gradu. Possem alia multa in hac re dicere, sed hæc sufficere puto, vt veritatis studiosi intelligant, qualis, id est, quã absurda fuerit de hac re Montani opinio.

Placet Auerrhoæ sententiam hic breuiter quoq; dicere: scribit ille, salubre *in præsentia*, quod alii, *vt nunc* interpretantur, differre à salubri *simpliciter*, quod hoc ex ipsa generatione bonam temperiem, & compositionem obtineat, talisq. perseueret per omnem ætatem, & natum aptumque sit in perpetua sanitate degere, etiamsi aliquando ægrotat: Sa- D lubre verò *in præsentia* habere quidem bonam tẽperiem, & compositionem, & in hoc conuenire cum salubri *simpliciter*, cæterum non à natiuitate huiusmodi esse, nec aptum & natum, vt sanè degat, fateturque corpus *simpliciter* salubre *vt nunc* salubre dici posse, quandoquidem non re, sed ratione hæc inter se differre putat. Quæ quidem sũt penitus absurda & iis, quæ ille tradit, repugnãtia. Non enim ratione tantum differunt, sed & reipsa: nam salubre *vt nunc* habet quidem sanitatem bonam, sed non perinde, vt salubre simpliciter: hoc enim meliorem obtinet, quod satis Gal. innuit definitione salubris *vt nunc*, & ex verbo ipso *simpliciter*. *Nam salubre vt nunc*, inquit Gal. *habet* E *bonam, & sibi propriam temperiem, & compositionem, verum non optimam, qualis debetur corporibus simpliciter salubribus.* Etenim verbum *simpliciter* perfectionem in suo genere declarat. Esset quoque eadem ratio de insalubri, & neutro *simpliciter & vt nunc.* At illa ex suis definitionibus distinguuntur euidentissimè non solum ratione, sed etiam reipsa. Quod vero Gal. in definitione salubris *vt nunc*, non addiderit ab ortu obtinere eam, quam habet temperiem & compositionem, non ostendit eũ autorem voluisse huiusmodi corpus non nisi acquisititiam habere sanitatem, & in

Auerrhoæ opinio de corpore salubri vt nunc, quæ etiam refellitur.

Simpliciter quid significat.

hoc etiam differre à salubri *simpliciter*: Nam & acquisititiã. & à principiis insitã habere potest. quòd illi conuenit: sed quemadmodũ quod *simpliciter* tale est, non potest esse huiusmodi, nisi à natiuitate suam naturam duxerit. sic quod *vt nunc* tale est, minus perfectũ in suo genere, non necessario requirit huiusmodi originem. Apposuit ergo Gal. in definitione eorũ, quę *simpliciter* talia dicuntur, principia & originẽ: in illis vero, quę *vt nunc* dicuntur, has particulas omisit: quoniam *& ab ortu, & post ortum, quod minus perfectum est in suo genere, fieri potest.* At cum ille, quod simpliciter salubre est, dicat tantam habere latitudinem, vt vsq. ad neutra extendatur, nonne videt, se à Gal. dissentire, qui salubre *vt nunc*, medium inter hæc ponit? Galeni B igitur hæc est sententia, *quod salubre vt nunc sit quod bonam solum, & propriam, atque conuenientem pro actionibus, & officiis propriis exercendis obtineat sanitatem, non autem eam optimam, qualem habent simpliciter salubria.* Qui ita dicit, docet quæ vtilia sunt arti & consentanea sequenti tractationi, & aliis vniuersis Galeni libris, in quibus sanitatem per gradus quosdã distinguere studet: aliorum verò opinio, non solum est inutilis, sed etiã sophismatis & absurditatibus plena, planeque aliena ab autoris instituto & tractatione.

Αὐτοῦ δὲ τοῦ ἁπλῶς ὑγιεινοῦ σώματος διὰ παντὸς μὲν τὸ τοιοῦτόν ἐστι τὸ εὐκρατότατόν τε καὶ συμμετρότατον· ὡς τὸ πολὺ δὲ, τὸ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς ἀπολειπόμενον οὐ πολλῷ. C

Ipsius vero salubris simpliciter corporis, tale quidem est semper id, quod est optima temperantia præditum ac maxime est cõmensuratum, vt multum autem, quod à constitutione optima nõ valde admodum deficit.

Montani opinio de corpore salubri semper, & vt multum.

Posteaquam Galenus definiuit corpus simpliciter, & vt nunc salubre, iam definit species corporis simpliciter salubris. Itaque Montanus de corpore salubri semper & vt multum, ita scribit: *Simpliciter salubre aliud est ita absolute, vt nihil addi, aut minui ab eo possit: & illud est exquisitissimum in suo genere: quomodo simpliciter sanum intelligitur, quod est exquisitissimum. & hoc non inuenitur nisi raro, vel nunquam, aut in puncto temporis: in conceptu tamen reperitur, & simpliciter tale est, semper futurũ tale, & sine morbo moritur per resolutionem c. a. u.* Ait alio loco huiusmodi salubritatem fieri ab ipsa natura, esseque perfectam in suis principiis, & nũquam recuperari posse, si aliquando deperditur. At salubre *vt plurimum*, docet non esse semper salubre: hoc enim non variari, cum ei adueniat diminutio aliqua: ideo sanum *vt plurimum*, ferè sẽper esse sanum: quoniam habet paruam diminutionem à perfectissimo. In qua quidem re multis E modis aberrat. Nam si simpliciter indicat perfectionem, non habet illud in se, quod perpetuò debeat in ea natura persistere: vt ipse postea scribit illud semper tale esse, & semper tale futurum, morique sine morbo. quod enim exactissimam habet temperiẽ & structurã, non potest in eo statu diu persistere: quoniã fieri non potest, vt sẽper aere temperatissimo, & aliis causis salubrib. tẽperatissimis vtatur. Quare rectè Galenus, & Montanus ipse statuunt, huiusmodi corpus aut non inueniri,

A aut minimo momento perdurare. At si momento tẽporis vix potest durare, nonne in hoc sibi euidẽter repugnat Montanus, qui statuit illud semper tale esse, & futurum in vniuersa vita? Cæterum illud quoque repugnat aliis, quæ antea sunt dicta; salubritatem, inquam, fieri à sola natura: nã si salubritas sana est, salubreq; corpus est, quod actu habet sanitatem, non solũ naturę opus erit salubritas sed etiam ipsius Medici, qui sanitatem in multis ægrotis restituit, nihil conferente natura. Fieri ergo potest *& à natura, & à Medico.* Item falsum est eãdem nunquã amitti posse, nec recuperari, si semel amissa fuerit. Nam perfectam sanitatem amittunt multi, & eandem recuperant, si leuiores fuerint morbi, qui eam labefactarũt, corpusque validum, & florentis ætatis extiterit. Contemnit enim huiusmodi natura non solum leues, sed etiam graues morbos: à quibus cum rectè conualuit, nulla re se deterius affectam sentit, quam esset, anteaquam laboraret. Facit ad hoc, quod diximus prius, Galenum *in cap. de ventro*, asserere quosdam ab ineunte ætate salubres esse, & postea insalubres fieri aut cõtra. Dissentit pariter ille à Galeno in definitione semper salubris. Non enim semper salubre dicit esse Gal. quod semper sanum perseueret, sed *quod sit prorsus optima sanitate praeditum:* Ita etiam *vt plurimum* salubre est, non quod minimum recedit ab eo, quod est perfectissimè sanum. Nam verbum *διὰ παντὸς* diximus duo significare, & prorsus, & semper. Hic autem non potest aliter intelligi, quam *prorsus.* Nam verba in definitione posita, *quod est optima temperantia præditum, ac maxime commensuratum*, non definiunt *quod semper*: sed *quod prorsus* est tale. sic verba hæc *quod à constitutione optima non valde admodum deficit* non explicant, quod ferè durat per totam vitã tale. sed quod ferè absolutissimum est.

Salubritas vnde fiat.

Semper sanum.

Vt plurimum sanum.

Montanus sequitur definitionem Galeni, sed in eo errat, cum ait salubre, vt ille vocat, vt multũ, esse idem, cui aliquid quidem re vera deest, ad sensum verò nihil deesse videtur. Nam signa, quibus Gal. salubria inter se distinguit, sensu D percipiuntur. Alioqui causæ salubres conuenientes adhiberi nõ possent, si incerta essent indicia: addo, quod scribit Gal. sensum oportere esse omnium harum affectionum iudicem.

Monardi opinio de corpore salubri semp. & vt multũ. eiusq. confutatur.

Akachias, ponit corpus esse perpetuò salubre, & fatetur postea morbo laborare posse: & tunc tamen simpliciter salubre esse. Quod quo pacto fieri potest: si antea definiuit semper salubre illud esse, quod optimam temperaturam & perfectam compositionem obtinet? Id enim, quod ægrotat, necessario malam habet vel temperiem, vel compositionem. Non ergo aliter definire debemus corpora prorsus salubria, quam *quæ perfectissimam habent sanitatem:* ferè autem saluberrima quidem sed non prorsus, *quæ parum à perfectissimo recedũt:* nõ autem debemus vt diximus, legere *semper*, aut *vt multum*, loco *prorsus & non prorsus*, quibus quidem commune est *simpliciter* salubre, quod perfectam habet sanitatem. Hoc n. rectè diuiditur in perfectissimũ, & parum à perfectissimo recedẽs. Quibus additur, quod bonã solũ habet sanitatem, sed non perfectã, quod est *vt nunc* salubre. Quibus omnib. cõmune est salubre corp'. Illud n. est. quod bonam habet sanitatem. Hoc n. aut bonum est solum, vel perfectũ: hoc rursus aut perfectissimum, aut fere perfectissimũ, siue parum à perfectissimo

Akachiæ de eadem re opinio, quæ etiã improbatur.

Prorsus salubria & ferè saluberrima.

reco-

recedens. Nam si species salubris simpliciter per temporis differentiam definiuntur, oportet & ipsum genus, nempe salubre simpliciter, per tēpus aliquod definiri. At hoc non facit Gal. nec fieri aliqua ratione potest. Quod enim tēpus illi concedimus, & quid commodi arti nostræ accedit, ex hac salubrium distinctione, quæ semper, & non sępe notat corpora fore sana, ægra, aut aliter affecta quæ erunt, quæso, talia, aut quibus indiciis illa dignoscemus: oporteret & causas prorsus salubres, & signa, quæ prorsus salubria existunt, etiam per tempus definire, quod est ridiculum. Gradus vero maioris aut minoris in sanitate perfectionis duce cogimur: & id passim facit Galenus, vt quid cōueniat singulis, tradere possimus. Horum scripta sunt indicia, horum causæ salubres notatæ, & his respondent vniuersi Galeni libri. Quibus ita intellectis, omnis confusio tollitur, quæ alioqui maxima oritur in vniuerso Galeni opere, & tota ea nascitur, quod loco *prorsus*, *semper*, & pro eo, *quod parum recedit*, ab eo, *quod prorsus tale est*, *vt multum tale* omnes interpretes verterint, & intellexerint, & ita tempus explicauerint pro gradu maioris, aut minoris recessus ab eo, quod est in suo genere perfectum. Definit autem, vt satis constat, hic corpus salubre, non pro sano, vt sumpsit in definitione, quod antea definiuit illud esse, quod habet sanitatē, sed pro *bene* sano. Sed hæc sufficiant de salubri corpore.

Νοσῶδες δέ ἐστι ἁπλῶς σῶμα, τὸ ἐκ γενετῆς, ἤτοι δύσκρατον τοῖς ὁμοιομερέσιν, ἢ ἀσύμμετρον τοῖς ὀργανικοῖς, ἢ ἀμφότερα· νοσῶδες δὲ νῦν ἐστι σῶμα τὸ νοσοῦν, ἐν ᾧ λέγεται χρόνῳ τοῦτο ὑπάρχειν. εὔδηλον δὲ, ὡς καὶ τοῦτο καθ' ὃν λέγεται χρόνον εἶναι νοσῶδες, ἤτοι δύσκρατόν ἐστι ἐν τοῖς ὁμοιομερέσιν, ἢ ἀσύμμετρον ἐν τοῖς ὀργανικοῖς, ἢ ἀμφότερον.

CAP. V. DE CORPORE INSALVBRI.

Insalubre vero simpliciter, est corpus, quod ab ipso ortu naturæ, vel in cōsimilib. partibus malam habet temperaturam vel in instrumentariis incommensurationē vel vtrumq; vitium. Insalubre vero vt nunc corpus est, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat. Neque obscurum est, quod & hoc ipsum eo, quo dicitur tempore ægrotans, vel in consimilibus malam habet tēperaturā, vel in instrumentariis incommensurationem, vel vtrumque.

Insalubre secundum Manardū quid. Manardus insalubre, siue (vt ille vocat) ęgrotabile, vel ęgrotatiuū dicit esse corpus, nō quod actu ęgrotat, sed *quod a naturali quadam infirmitate, ac imbecillitate paratum est ægrotare, ægritudinem vero neque includit, neque excludit.* Potest enim esse ægrum, imò nihil obstat, quo minus aliquando sit & dicatur sanum, quandiu videlicet causis ægrotantibus non succumbit: pro quo etiam tempore quando iam ab iisdem causis est victum, ægrum dici potest. *Quid insalubre vt nūc secundum eundem.* Insalubre vero vt nunc est, *quod pro eo tempore, quo ægrotabile dicitur, actu à morbo molestatur.* Galen. vero ostensurus in quonam ægrotabili simpliciter, conueniat, manifestum esse subdit, quod pro eo tempore, quo eius nomē suscipit, rationis quoque aliquo modo idem particeps sit, adeo pro tunc, vel distemperatum in similaribus, vel incommoderatum in instrumētalibus sit, vel vtrumque simul habeat. Hoc solum corpus inter ea, quæ sunt in definitione medicinæ conclusa, à sanitatis limitibus penitus excidit, quod iam actu sit ægrum, & sano ex aduerso opponatur: quod nulli aliorum contingit, nisi quatenus aliquo modo huius rationem subeunt: quam quidem salubre vt nunc, nullo modo subire potest, vtpote quod repugnantem huic rationem & naturam sit sortitum. Igitur illud non erit ægrum, nec ægrotabile vt nunc, aliquando erit, nisi priorem rationem amiserit, qua salubre nunc reddebatur. Fieri enim non potest, vt id, quod sanū degit, simul etiam ægrotet, nisi secundum modum in neutro inferius declarādum. Salubre autem simpliciter, dum à morbosis causis superatur, propriissime inter omnia ægrotabile vt nunc vocatur: quoniam cum sit absolutè salubre, pro eo tamen tempore insalubritatem subit. Neutrū simpliciter propriè quidē id patitur, quatenus scilicet salubritati absolutè aliquo modo propinquat, magis tamen propriè, quam insalubre simpliciter, quod impropriissimè inter omnia, vt nunc ægrotabile dicitur: sicuti impropriè dicimus, aliquem nunc pauperē, qui absolutè est pauper. Nec obstat, quod dicamus, insalubre simpliciter, dici insalubre vt nunc, cum non admiserimus salubre simpliciter, salubre nunc dici; quia nota *nunc* salubri addita, minuit perfectionem, addita insalubri auget: immo addit nouam malignitatem, extra sanitatis latitudinem ad contrariū agens, in qua omnia collocanda sunt corpora, quæ verè sūt ægra. Hæc Manardus docet quæ quidē facilè refelli possunt. *Manardi confutatio. Ægrotabile quid.* Primū videtur mihi parum aptè ægrotabile, & ægrotatiuum pro insalubri vsurpare. Nam vt mobile illud dicitur esse, quod moueri potest, ita ægrotabile non aliud significare potest, quam *quod ægrotare est aptum*: in quo genere sunt, nō solū insalubria, sed etiā eo autore salubria, & neutra. *Ægrotatiuū.* Ac quemadmodū motiuū illud dicitur, quod mouere potest, ita ægrotatiuum non potest corpus vocari insalubre. Hoc n. nō dicitur ab illo, quod possit ægritudinem inferre, sed quod illam pati sit aptū & natū. *Insalubre, ægrotabile & ægrotatiuum non significare idem.* Quare insalubre, ægrotabile, & ægrotatiuū, idem nō significant, sed insalubre, morbosum, & valetudinarium. Deinde, quod scribit *insalubre corpus nec includere, nec excludere ægritudinem, aut sanitatem*, illis rationibus refelli potest, quibus antea vsi sumus, cum de salubri ageremus. Nam si salubria, insalubria, & neutra ponit Galenus *in 8. cap.* in latitudine sanitatis, insalubria includūt necessario sanitatem, & morbum necessario excludunt. Prçterea ostendere non potest ex Galeno, insalubritatem esse naturalem quandam infirmitatem, ac imbecillitatem, quandoquidem ille tradit signa insalubritatem significantia, quæ naturalis impotentiæ non sunt signa. Tradit & causas emendantes insalubritatē, quæ quidē aduersus infirmitatem & imbecillitatē non pugnant, quam Manardus ipse negat pati, aut mutari posse. nimirum quod sit à natura insita, sicut ipsa salubritas: & Gal. *septimo methodi* ait, eā nequaquam remediis egere. Nam imbecillitates, & infirmitates corporis tolli ille docet adhibitis auxiliis intēperaturæ & malæ structuræ corporis: quibus ablatis, imbecillitas pariter euanescit, tanquam symptoma, quod suam causam sequitur. Cæterum si insalubre ex naturali imbecillitate, non ex sanitate &

morbo, qui actu sit, definitur, cur insalubre *vt nũc*, necessario ęgrotare dicit? aut cur saltẽ non docet causam, qua Galenus scribit *in hoc cap.* insalubre vt nunc, ægrotare? In *eo vero cap. in quo docet signa optimæ constitutionis*, omnia insalubria distinguit ab iis, quæ actu ægrotant. *Sequuntur enim*, inquit ille, *salubria, insalubria, & neutra corpora, quæ ægrotant.* Et *paulo superius* inquit: *In iis autem generibus sunt corporum insalubrium vitia, secundum vtrumque insalubritatis modum.* Oportet autem intelligere vtrumque modum *simpliciter*, *& vt nunc insalubre*: quoniam antea *cap. tertio* duos hos modos dixit esse, quibus effectiuum, susceptiuum, & indicatiuum dicitur. An non etiam ipse Manardus inquit, insalubre semper ex pessima sanitate habere, vt minus, quam reliqua corpora, resistat causis morbosis: ex quibus verbis fatetur, insalubre semper, & ob id simpliciter insalubre sanitatẽ habere actu. Conatur quidem Manardus reddere rationem, qua fiat vt insalubre *vt nunc*, conueniat cum *insalubri simpliciter*, & insalubris nomen sumat: sed ita facit, vt suum euertat fundamentum. Nam ideo dicit *insalubre vt nunc*, nomen insalubris sumere, quod pro eo tempore, quo tale dicitur, rationes insalubris aliquo modo assumat. Adeo vt tunc vel intemperatum, vel incommoderatum existat. Nam si ratio insalubris est, vt actu nõ includat sanitatem aut morbum; sed solum naturalem quandam imbecillitatem; si insalubre, vt nunc, sicut nomen, ita rationem insalubris assumit, naturalem solum includet imbecillitatem, nõ autem necessario excludet sanitatem, & includet morbum. Addo quod fiet particeps rationis insalubris, & ob intemperiem & incommoderationẽ: quoniam eam non habet intemperiem & incommoderationem, quam habet insalubre simpliciter. Hoc enim non eam, quæ iam inter morbos ponenda sit, intemperiem, sed quæ solum sit apta ad morbos suscipiendos (vt ille tradit) obtinet: insalubre vero vt nũc, intemperiem habet aut incõmoderationem, quæ iam morbus est, diuersam natura, & ratione ab ea, quæ adhuc in sanitatis latitudine continẽtur. *Ergo rationes insalubris, & naturam non suscipit insalubre vt nunc, cum hoc actu morbum, illud potentiam ad morbum, hoc præterea intemperiem, & incommoderationem contentam in sanitate, illud in morbo iam positam contineat.* Nec satis quidem est, quod vtrumque intemperiem habeat. Quoniam inter salubria, & neutra sunt quędam intemperata, quę tamen inter se distinguuntur. Quod si insalubre *vt nũc*, rationem insalubris *simpliciter* accipit, cur etiam salubre *vt nunc*, rationem salubris *simpliciter* non capiet? Vtrumque ergo ex naturali potentia definietur, quod à Manardo non conceditur. Sed illud iudicamus, quod scribit, alia corpora in medicinæ definitione conclusa non excedere à limitibus sanitatis, nisi quatenus aliquo modo huius rationem subit. Nam falsæ huius opinionis indicium est hoc, quod non audeat pronunciare suam sententiam, sed hic & antea vtatur hoc verbo *aliquo modo*. At quo pacto (quæso) insalubre *simpliciter* rationem insalubris *vt nunc, aliquo modo* subibit si hoc ipsum paulo antea illius rationem *aliquo modo* sumere dixit, à qua nomen insalubris vt nunc, mereri docuit? Si enim hoc nomen & rationem ab illo accepit, nõ potest eidem rationem & nomen dare. Et quam (quæso) rationem subibunt alia insalubria vt nunc? Nam

A salubria omnia (vt ille docet) naturalem habent potentiam ad sanitatem; insalubria vero simpliciter imbecillitatem, & potentiam ad morbum, & in sanitatis limitibus continentur: insalubre vero *vt nunc*, nihil aliud habet, nisi quod actu ægrotet. Ergo illa quam diu retinẽt suam naturam & rationem, nequeunt & istius rationem & naturam sumere omni modo diuersam. Quis vero non agnoscit, Manardum in eo sibi euidentissimè pugnare, in quo scribit, *salubre simpliciter dum à morbosis causis superatur, propriissime inter alia omnia insalubre vt nunc vocari, & insalubritatem subire.* Nam antea docuit salubritatem hanc, vt quæ natiua sit, nunquam amitti posse: nunc vero in insalubritatem

B mutari pronũciat. Et quo pacto (quæso) salubria, quæ in bona sanitate collocãtur, & in prima latitudine sanitatis, & à Galeno distinguuntur passim in toto opere ab insalubribus, poterunt vnquam suam naturam retinere, & insalubrium naturam assumere, vt simul salubria & insalubria dicantur? Sunt hæ chimæræ, quas nemo vel leuiter in Logica versatus ferre posset. Nam quorsum Galenus salubria, insalubria & neutra definitione, diuisione, latitudine, & gradu sanitatis, signis, causis, & vniuersa tractatione inter se distingueret, si vellet illa ita confundi, vt vnum retenta adhuc sua natura, simul alterius naturam sumere valeat? Quid vero & illud est, quod habet, *neutrum simpliciter insalubritati simpliciter aliquo modo propinquum*

C *fieri, & magis propriè quam insalubre simpliciter, vt nunc insalubre dici?* Nam illud aliquo modo propinquum esse insalubri simpliciter, quis ferat, aut intelliget verum esse? Sunt enim hæc in diuersa latitudine: & neutra huiusmodi non magis insalubribus, quam salubribus sint viciniora. Nec minus quidem absurdum est, quod scribit *insalubre simpliciter impropriissimè vt nunc insalubre dici, sicut impropriè dicitur, qui absolute est pauper, secundum quid pauper.* Nam magis impropriè insalubre, & neutrum, quæ sunt ex diuersis classibus, dicuntur insalubria esse, quam dicatur esse insalubre simpliciter, insalubre vt nunc: vt pote quæ genere, & latitudine communicent. Ac mirum

D profecto est, quod in sequentibus dictionem *vt nunc*, dicat non esse coniungendam cum verbo, ita vt non fiat talis sensus, *nunc est, nunc sit*, sed *est vt nunc*: hic vero in exemplo de paupere aliter sumat. Nam nunc pauperem intelligit, quod nunc sit pauper. Quod si intelligat, *absolute* pauperem, esse pauperem *vt nunc*, non erit magis improprium, quam si dicamus salubre *simpliciter*, salubre *vt nũc* dici. Quod cum Manardus effugere vellet, in alium errorem longè grauiorem incidit. Nam *nunc* additum *salubri*, minuere perfectionem: additum vero *insalubri* augere malum, & nouam addere malignitatem, tradit, contra omnium Logicorum rationes. Etenim vt salubre *vt nunc*, ad sa-

E lubre *simpliciter*, ita insalubre *vt nunc*, ad insalubre *simpliciter* se habere omnes Logici certè fatebuntur. Itaque si in vno modo sumitur, & diminutionem dicit, necesse est, vt in alio idem faciat. Sed dicat (quæso) quid neutra vt nunc indicabunt? an diminutionem boni, aut mali, aut medii status, aut actionẽ alicuius ex istis rebus? Certè cum hæc non respondeant in tota tractatione, nec cõsentiant principiis inuiolabilib. Logicorũ, ꝙ oppositorum eadem sit ratio, euidenter ostendunt, vanam esse Manardi interpretationem. Sed vno dato incon-

ueniẽti,

genienti, hæc omnia sequuntur, quia si salubre, vt nunc non est recte interpretatus: ita cum illud faciat, cõmune multis, cogitur idem facere in insalubri vt nunc, & vniuersam tractationẽ confundere aliasque facultates violare, vt se, suamque opinionem minutis cauillamentis tueatur. Oporteret profecto non legumlatorum more, sed vel autoritate Gal. aut ratione statuere verbũ *vt nũc*, quod ipse antea *secundum quid* esse dixit, in vno vnũ significare, in alio aliud. At vero, si ille fatetur, nõ solum insalubre *vt nunc*, sed omnem aliam affectionem, quæ *vt nunc*, dicitur, posse à generatione cõtingere: quo pacto cum hoc fit, separabit quæ *simpliciter* talia sunt ab aliis, quę *vt nunc* dicuntur. Nã hactenus tribuit omnibus, quæ simpliciter dicuntur, solam quandam potentiam, quam nunquam amitti posse dicebat: aliis vero eandem negabat conuenire, sed solum actum cõcedebat, & possessionem quandam pro eo tempore quo talia dicũtur, quod scilicet illa ab ortu talia essent, & potentiam illam insitam à primis principiis acciperent: hæc vero minimè. Nunc vero si concedimus, tum hæc, tum illa pariter ab ortu posse esse id, quod sunt, vana apparebit ea distinctio, quę vnum est ex præcipuis fundamentis suæ tractationis. Nã quo pacto poterit illa inter se seiungere, eo communi facto, à quo illa separari dicebat? Dicet fortè, salubria simpliciter, perfectiori modo habere sanitatẽ, quã quæ vt nunc salubria dicuntur: in quo verum quidẽ dicet, sed in hoc violat sua principia. Nõ enim cum salubritatis naturam & vim quærit, spectat sanitatem, sine qua dicit posse salubritatem consistere. Quare necesse est, vt differentiam eã inueniat, quæ inter ipsas salubritates reperitur: quam, cum dicat eandem esse in omni morbo, in omni ætate, & denique in omni statu corporis, neq; illam intendi, neque remitti, si modo ab ortu inciperet, cogitur profecto concedere ea, quæ *vt nunc* talia dicuntur, *simpliciter* talia esse, si modo in ortu suo, & à principiis talia euaserint. Dicit ille quidem, non esse addenda in definitione eorum, quæ vt nũc talia sunt, verba *in generatione*, quia cõtingit aliquando illa nõ esse talia generatione; sed hoc concesso erat docendum, qualia illa sint cum à generatione incipiunt, an simpliciter vel alio modo. Porrò insalubre fortè subterfugiũ inueniet, quod simpliciter salubre habeat perfectiori modo sanitatem, quam salubre vt nunc: quòd illud scilicet optimam, hoc verò vtrumque bonam sanitatẽ habeat. Sed in insalubri, & neutro, quid dicet ille? Forte insalubre simpliciter habere morbum perfectiori modo: insalubre verò vt nunc, imperfectiori, aut alio modo. Et quomodo ex morbo insalubre simpliciter definietur, quod nec sanitatem, nec morbũ, eo authore, includit? Ergo ex potentia ad morbum hęc erũt distinguenda. Et qualis (quæso) erit distinctio, si nolit potentias illas mutationem capere, nec remitti: nec vnquam in sua tractatione mentionem fecit de hac distinctione, quæ ex diuersa potentia in his sumitur, sed solum per actum & potentiam ad sanitatem & morbum, salubribus vt nunc seiunxit. Quin etiam in neutris apparet non posse fieri hanc distinctionẽ, quod perfectiori modo habeant id, à quo dicũtur talia, quæ simpliciter sunt, quam illa, quæ vt nunc. Nã neutrũ primi significati definit Galenus, quod sit medium exacte inter saluberrimum, & insaluberrimum: idem dicit de neutro vt nunc, illius significati, quare eadẽ perfectio. Quod si vtrumq; à generatione sit, in nullo poterit poni differentia. Nam si simpliciter talia, ab illis, quæ secundũ quid, siue vt nunc talia sunt, distinxisset, nõ alia ratione, quam quod illa in suo genere absolutionem quãdam, hæc vero diminutionẽ ostenderent, omnes has difficultates facile euitasset: sed cũ illa finxerit, potentiã quandam indicare, & ab ortu talia esse, quæ sunt, & propterea potentiam illam pariter habere (vt quam dicat à principiis inesse) quæ quoniam communia omnibus sunt, sequitur vtique vt illã vim singulis inferat. Nugamenta ergo sunt inter se repugnantia à nullisque principiis ducta, quæ docet Manardus.

Neutrum simpliciter.

Montani opinio de corpore insalubri.

Quid vero Montanus de hac re senserit, operæ pretiũ est paucis subiicere. Scribit autem ille insalubre ab ęgro ita differre, quod ægrũ habeat tantũ actu ægritudinẽ: insalubre vero habeat & ægritudinem actu, & pręterea dispositiones omnes à natiuitate ad ægritudinem, ita vt nunquam possit esse sanum: *quare insalubre*, (vt ille ait) *semper erit habiturum ægritudinem*. Scribit *alio loco* insalubre esse vel actu, vel potentia ægrũ, & aliter dici de signis & causis, quam de corporibus. Nam in illis insalubrib. non est, vt forma, sed duntaxat quædã proprietas, & potentia proxima ad insalubritatem: in corpore vero susceptiuo dicit formam & actum. De insalubri vero simpliciter, ita *vno loco* scribit, *insalubre simpliciter, etsi est sanum, tamẽ habet causas dispositas ad morbum:* vbi vero agit de signis, *ægrũ* pro *insalubri* sumit, & sano opponit. Alius est locus, vbi ita habet: *insalubre simpliciter, vel semper habet ita malam dispositionem, vt in eo non sit sanitas, nec esse possit.* Item dicit, insalubre simpliciter habere dispositionem præparatam, & valde aptam ad morbum suscipiendum: & hoc, quoniã causæ sũt promptæ ad morbũ, adhuc tamẽ morbũ non habent. Cęterũ insalubre *vt nũc* illud dicit esse, quod actu ęgrotat: de eo autem ex comparatione cum insalubri simpliciter ita loquitur: *Insalubre simpliciter habet plurimã malã dispositionẽ, non tamen ita malam, vt insalubre vt nunc: propterea insalubre vt nunc dicitur illud, cui opponitur salubre vt nunc. Est autem insalubre vt nunc, quod corpus habet dispositũ ad morbum, non tamen ita, vt duo prima insalubria: hoc nam insalubre nõ habet fixum morbum, vt nõ possit tolli, & ab arte fieri sanum.* Habet 4. *cap. sui operis* duo esse extrema ex Gal. vnum bonum, quod est salubre simpliciter: aliud verò malũ, quod est insalubre *vt nunc*. Et hanc dicit fuisse Gal. sententiã in *cap. de signis optimæ constitutionis*. Addit tamen errasse Gal. qui insalubre *vt nunc*, non diuiserit in suos gradus: ponendos enim esse gradus in morbis sicut in sanitate, & propterea insalubre *vt nũc*, tot habere in se gradus, quot habet salubre. Reprehendit etiam Gal. quod diuisionem faciat, in qua membra coincidunt. Nam salubre vt nunc ait accedere ad morbum, & idem facere insalubre simpliciter: illud enim esse sanum, sed dispositum ad morbum. Ait præterea, eũdem autorem confundere insalubre *vt nunc*, cum salubri *in habitu*, & errorem esse, cum dicit Gal. salubre simpliciter esse summum bonum, insalubre vero vt nunc, esse summum malum. Hæc & similia tradit Montanus de insalubri & simpliciter insalubri, & vt nunc insalubri. Cuius opinionem veram non esse, ostendunt in primis contrariæ de eadem re quæ ex eo

Opinionis Montani confutatio.

collectę sunt, sententiæ. Nam cum ab initio statuerit insalubre ægritudinem habere actu, & simul dispositiones omnes natiuitate ad morbum, ita vt nunquam possit esse sanum: postea in multis locis contrarium docet. cum dicit, insalubre simpliciter esse sanum, & solũ habere causas dispositas ad morbum: ex quo quidem errore vniuersa illius tractatio confunditur. Ac tanto quidem facilius est errorem deprehendere, quod ille nulla ratione, nec Galeni, quẽ interpretatur, autoritate in hac re vtatur. Dicit enim insalubre esse ægrum, esse sanũ, dispositiones habere a natiuitate ad morbum, nũquam posse esse sanum, sed nihil horum probat. Dicit in signis & caussis salubritatem nõ esse actũ, & formam, sed duntaxat quandam proprietatẽ & potentiam proximam ad insalubritatem: sed non recte. Nam quomodo insalubre habet potentiam ad insalubritatem? Habet ne illa impotentiam ad id, quod iam actu obtinet? ex quo apparet, illum insalubritatem cum morbo, & sanitate confundere. Nam vt salubre ad sanitatẽ, ita insalubre ad morbum referendum. Quare si dicit insalubre habere potentiam ad insalubritatem, necesse est, vt hanc pro morbo sumat, quod & spõte fatetur. Cũ vero dicit, salubre esse sanum, contrariam priori sentẽtiam astruit. Illud quoq; pro errore addendum est, quod insalubre simpliciter, & insalubre semp, sub eadẽ definitione comprehendat: quòd scil. vtrũq; semper ægrotet, nec possit in illis esse sanitas. At si insalubre vt nũc est, quod actu ægrotat, quomodo differt ab insalubri semper? hoc n. quoq; ægrotat. Quod si insalubre simpliciter semper ægrotat, nec vnquã potest esse sanũ: quomodo cõcipere potest, illius dispositionẽ nõ adeo malã esse, vt ea est, quã habet insalubre vt nũc. In hoc etiã sibi euidẽter repugnat, cũ postea scribit, insalubre vt nũc, minorẽ habere dispositionẽ ipso insalubri ad morbũ. Ait n. Insalubre vt nunc, nõ habere fixã insalubritatẽ, ita, vt tolli non possit, Sed quid intelligit per insalubritatem *fixã*, an morbũ, an potentiã ad morbũ? sunt hæc vocabula *insalubre fixũ & non fixum* inusitata in hac potissimum tractatione à Gal. Cæterũ duo poni extrema ab hoc autore *in capite de signis optima constitutionis* verissimũ est: sed verũ non est illa esse, quę statuit Montanus. scil. salubre simpliciter, & insalubre vt nunc: sed salubre semper. Illud n. est quod optimã habet constitutionem: hoc n. vnum est extremum: Aliud vero id, quod ægrotat, à quo *in eo loco* omnino separat oĩa salubria, insalubria, & neutra. Porro gradus dari in morbis quemadmodum in ipsa sanitate Gal. facilè concederet: sed in hoc loco illius non erat instituti morborũ gradus ostendere, & differẽtias, quæ per magis & minus sumuntur, sed sanitatis latitudinem, qua cognita, pariter intelliguntur recessus, qui in morbis sunt. Nam quantum quilibet recedit à sanitate, tãtum patitur morbum. Nec in eo quidẽ errat Gal. quod scribit Montanus, cum asserit, salubre vt nũc & insalubre simpliciter, eodem modo accedere ad morbum: hoc n. nunquam somniauit Gal. quippe cum salubre vt nũc, sit in genere eorum, qui bonã habent sanitatem: Insalubre vero simpliciter inter eos ponatur, qui pessimam habent sanitatem, aut vt Montanus inquit, actu & potentia habent morbum. Non video pręterea, quomodo dicat, insalubre vt nunc, cum salubri in habitu à Gal. confundi. Quandoquidẽ de hoc ne verbũ quidem ille facit. Quemadmodum etiam non est reperire apud illum, insalubre vt nunc, summum esse malum. Sed hæc sufficiant ad ea refellenda, quæ mutuo sese extrudunt, vt quæ nec ex certis principiis sint ducta, nec ad autoris mentem excogitata, aut ab aliis illius operibus desumpta, vel arti medicæ vlla in re vtilia.

Akachia opinio de insalubribus, quæ etiam reprobatur.

Akachię autem interpretationem hoc solo refellere volo, quòd ille contra Gale. sententiam salubria, insalubria, & neutra inter se confundat, velitque illa se inuicem compati: quæ ab ipso autore, & natura ipsa sunt separata. Sed hæc fortassè postea adhuc attingemus cum summam huius tractationis colligemus. Nunc vero paucis nostram interpretationem subiiciamus.

Interpretatio auctoris de insalubribus.

Ac primum dicimus, *insalubre simpliciter corpus non esse definiendum, quod malam temperaturam sed quod pessimam habet.* Nam vt salubre illud est, quod bonam habet temperiem, & structuram, & ex diuisione boni nascitur, quod simpliciter & vt nunc tale est: ita insalubre illud est, quod malam habet temperiem, & structuram, ex cuius diuisione, quod simpliciter, & vt nunc insalubre est, locum habet. *Nam quod malum est, vel solum est malum, & illud est, vt nunc insalubre, vel pessimum, & illud est simpliciter insalubre.* quod & rursus diuiditur. Nam *quod est pessimum, vel est in extremo, & illud est prorsus insalubre, siue insaluberrimum: vel parum ab eo recedit, & illud est ferè insaluberrimum.* Præterea, oppositorum debẽt esse oppositæ definitiones. Quare simpliciter salubre definitum est, quod ab ipso ortu in similaribus partibus est bene temperatum, & simul commoderatum in organicis: non autem sufficit, vt in solis similaribus, aut in organicis solis vitium obtineat. Quod enim simpliciter tale est, omni modo tale esse debet. Sic enim commodius licebit postea definire, quod non prorsus est insalubre: quod scil. in solis similaribus, vel solis organicis, vel principalib. partib. vitiatum sit. Addit aũt in definitione *ab ipso ortu natura tale illud esse*, quod scilicet causam simul declarare velit, qua fit, vt corpus simpliciter insalubre esse possit. Insalubre vero vt nunc corpus definiendum non est, vt ille facit, q̃ eo tempore, quo tale dicitur, ægrotet. Sic n. se habet insalubre vt nunc, ad insalubre simpliciter vt salubre vt nunc, ad salubre simpliciter: vt ergo vtrumque salubre per sanitatem definiebatur, quod scil salubre simpliciter esset, quod habet sanitatẽ perfectã; vt nunc vero salubre, quod bonã, sed non optimã sanitatem obtinet: sic sanè in definitione insalubris simpliciter, eã, quam ponemus malam temperaturã, & in instrumentariis incommoderationem, eandem oportebit ponere & intelligere in definitione insalubris vt nunc. Quare cum intemperies & incommoderatio, quę insalubre simpliciter definit, morbus nondum sit, sed in latitudine sanitatis cõtineatur, necesse est & morbum non esse, quo ille insalubre vt nunc definit. Præterea, vt tres gradus ponebantur in latitudine salubritatis, ac salubre vt nunc, bonitatem imminuebat, ita insalubre vt nunc, malitiam imminuere debet, id n. postulat Logica, docendiq; ratio. Quod quidem fieri non potest, si insalubre simpliciter intemperiem habet intra sanitatis limites contentam, insalubre vero vt nunc, eam, qua iam ægrotat corpus. Quod n. morbo laborat, eo, quod sanũ est, deterius affici, nemo negare potest. Asserit autẽ Manardus contra oẽm docendi rationem, salu-

Simpliciter insalubre.

Galenus notatur in definitione insalubris vt nunc.

salubre vt nūc minuere bonitatem, quæ est in salubri simpliciter: insalubre vero vt nunc, malitiam augere, quæ est in insalubri simpliciter. Ad hæc si Gale. in 8. *cap.* corpora ægrotantia dicit sequi post salubria, insalubria, & neutra, quo pacto potest insalubre vt nunc corpus, idē ponere cum eo, quòd iam ægrotat? Nec est, quòd quispiā dicat, per insalubria, quæ separat ab ægrotātibus Gal. solū intelligere simpliciter insalubria. sic n. ex docendi ratione fieret, vt cum salubria & neutra pariter separat ab ægrotantibus, solum intelligeret simpliciter salubria, & simpliciter neutra: quod quidē est absurdū. Nam vt nunc salubria, & vt nunc neutra, nemo ægrotare dicet, vt quæ præcedant simpliciter insalubria, quæ nondum sanitatis limites excesserunt. Ita profectò definire debemus corpus, vt nunc insalubre, *quod malam quidem, sed non pessimam habet intemperiem, vel structuram*: sic enim definimus vt nunc salubre, quod habet bonam, sed non optimam temperiem & structuram. Addo quod scribit 8. *cap.* *In his autem generibus* (inquit) *sunt corporum insalubrium vitia secundum vtrunque insalubritatis modum*. Oportet autem intelligere *vtrumque insalubritatis modum, simpliciter & vt nunc*: quoniā antea hos modos dixit esse, quibus susceptiuum, indicatiuum, & effectiuum dicitur. Quare si in eodem genere vitii ponit omnia insalubria, necesse est, salubre vt nunc, in vitiis consistentib. in latitudine sanitatis collocari, quoniam in illis ponūtur insalubria simpliciter. Postremo scribit *eodem cap.* 8. totam sanitatis latitudinē in tres partes diuidi, quarū singulæ latitudinē habent magnam. Ac in prima poni salubria, in secūda neutra, in tertia insalubria. At insalubria simpliciter non faciunt magnam latitudinē: nam vt multum insalubre parum distat à semper insalubri. Quare vt nunc insalubre, necessario addendum est, contineri in latitudine sanitatis: sic enim ea, quam dicit esse in insalubribus, magna latitudo, euidens erit, quæ alioqui tollitur. Qua in re si quis aliter sentit vt Gal. defēdere velit, tergiuersari quidem ille poterit & sophistica aliqua excogitare, sed nihil profectò inueniet, in quo animus quiescat. Ego autem puto, aut locū esse apud Gal. corruptum, aut ab Herophilo inconsideratè hęc sumpta, & nobis tradita. Omnibus tamen relinquo liberum, vt aliter, si velint, sentiant.

Insalubre vt nunc.

Καὶ ἔτι γε διὰ παντὸς νοσῶδές ἐστιν, ὅπερ ἂν ἐκ γενετῆς ἤτοι δυσκρατότατον ὑπάρχῃ ἐν ἁπλοῖς, καὶ πρώτοις μορίοις ἅπασιν, ἢ τισιν, ἢ τοῖς κυριωτάτοις, ἢ καὶ τοῖς ὀργανικοῖς ἀσυμμετρότατον, ὁμοίως καὶ ἐν τούτοις ἢ πᾶσιν, ἢ τισιν, ἢ τοῖς κυριωτάτοις, ὡς τὸ πολὺ δὲ νοσῶδές ἐστι σῶμα, τὸ τοῦ τοιούτου τῆς κακίας ἀπολειπόμενον, οὔπω δὲ ἐν τῷ μέσῳ καθεστηκός.

Est vero & semper insalubre, quod ex ipso naturæ ortu vel pessimam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel iis, quæ obtinēt principatū: vel instrumentariis incommensuratū existit. Similiter in iis, vel omnib⁹, vel aliquibus, vel illis, quæ obtinēt principatū, vt multū vero insalubre est corpus, quod ab huius quidē vitio recedit, nondū tamē mediocritatem attingit.

A Definit nunc Gal. species insalubris simpliciter, nēpe *prorsus insalubre*: de qua re Manardus inquit, insalubre *semper* non dici, quia semper potentiam habeat ad ægrotandū, quippe cū ab hac quoque corp⁹ salubre simpliciter nō sit immunē: nec quod aptitudinē semper habeat, vt ægrotet; cū & hanc habeat insalubre *multū*: sed dicitur insalubre *semper*, ex naturali quadā imbecillitate, pessimaq; sanitate, ex qua ad functiones exequēdas, & ad repugnandū causis morbos inducere valētibus, minus reliquis sit idoneum. Ait præterea, insalubria quæcumq; corpora, quæ verè & absolutè sunt talia, insalubritatē, quā à natura sunt consecuta, nūquam amittere posse, non omnia tamē ęq. insalubria semper, aliqua vero parū post summū, quæ vt multū insalubria semper, aliqua magis, aliqua minus insalubria adhuc dici posse: id vero, quod vsquequaq; est insaluberrimū, raro inueniri posse, vixque fieri, quin semper ægrotet. Postremo tradit, sanū non posse diuidi vt salubre & insalubre in simpliciter, & vt nunc: quoniā omnis, qui potest suas operationes exercere, etiā si natura vel casu imbecillis sit, tamē simpliciter sanus dici debet. Quod si cōsuetas exercere functiones non possit, etiā si leuiter: absolutè tamē & simpliciter ægrotare dicēdus est: vnde sequitur, omne corpus vel sanū, vel ægrū simpliciter, & absolutè esse & dici, nimirū cū vel valeat, aut nō valeat cōsuetas operationes exercere. Ita etiam quod sanū est vt nunc, idem simpliciter sanū, & quod nunc ægrū, simpliciter & absolutè ægrū esse dicendū. Hęc quidem docet Manardus de insalubri semper, & vt multū. In quibus etiā est, quod reprehensionē meretur. Nam, quod dicit, insalubre semper, non vocari, quia semper potentiā habeat ad ægrotandū, eo quod hoc sit commune salubri simpliciter, suis principiis repugnat. Nam potentia, quā salubri tribuit, est ad sanitatē, non autē morbū. Statuit enim salubre nunquā amittere suam potentiā, etiam si ęgrotet, quoniam ad morbū potentiam non habet, sed ad sanitatem, & si interim repugnante sua potentia à violētissimis causis in morbos devoluitur. At nec illud admitto, quod dicit, insalubre vt multū aptitudinem semper habere, vt ægrotet, sicut insalubre semper. Nā vt vitia inæqualia sunt, ex quibus potentia nascitur: ita illorum potentias inæquales esse, est necesse: Quod & ipse fatetur, cū scribit, summè talia esse quę semp sunt talia: ab eo vero, quod summū est in suo genere, recedere, quę vt multū talia sunt. Iam vero cum dicit, insalubria semper ex pessima sanitate habere, vt minus reliquis corporibus, causis morbosis reluctari valeāt, fatetur profectò insalubria simpliciter corpora sana esse actu, & falsū esse, quod antea dixit, illa nec sanitatē, nec morbū includere, aut excludere. Illud autē, quod dicit inter salubria corpora quædā magis, alia esse minus insalubria, est repugnare aliis, quæ antea dixit, eādem scilicet esse insalubritatē & salubritatē in omni ætate, in omniq; statu corporis, nec illam mutari, nec intendi, nec remitti aliquo modo posse. Quod si magis aut min⁹ aliquis insalubris fieri potest, poterit quoq; penitus tolli insalubritas, adueniēte causa, quę magnos ad contrariū excessus patiat. Cæterū insaluberrimū corpus non raro vt ille sentit, sed sæpissimè inueniri docent, qui Gallicū morbū acerrimè sunt passi: aliiq; multi, qui ex minima quaq. occasione vel in artritidē, vel colicū dolorē vel alias huiusmodi passiones sępissimè incidunt.

Opinio Manardi, de insalubri semper.

Quod autem ſcribit, ſanum non poſſe diuidi ſimpliciter, & vt nunc, cum omnis ſit ſimpliciter ſanus, eſt id quidem à ratione alienũ. Nam ſi ſimpliciter in genere ſalubrium & inſalubrium indicat perfectionem maiorem, vt nunc vero tale, minorem, cur in ſanitate hos gradus & inęqualitates non conſtituemus, docente id experientia? Nam quidam ſunt bene ſani, & perfectam habent ſanitatem: alii vero malẽ, quos & male ſanos, & proinde ſanos ſimpliciter, vt alios non vocamus. Quod Gal. *in lib. ad Thraſyb.* apertè docet, vbi ſanitatem diuidit in illam, quæ eſt in habitu, & aliam, quæ eſt in habitudine: & in hac collocat conualeſcentes, paratos cadere in morbos, & valdè ſenes. Hi enim ſani quidem ſunt: ſed non eam habent ſanitatẽ, quę ſimpliciter ſanitas dici poſſit. Vnde in *lib. de ſan. tuen* ſenum ſanitatem querimoniis, & moleſtiis plenam, non bonam, quam quilibet expetit, vocat. Cuius generis etiã eſt conualeſcentiũ ſanitas, & eorũ, qui ſentiunt iam in ſe cauſas morborum pullulare: vt cibi faſtidiũ, capitis, & aliarum partium grauitates, aliaq; patiũtur ſymptomata, de quibus Gal. poſtea *in hoc opere* tractat, docetque illa eſſe imminentis morbi indicia, & propterea idem autor has vitioſas ſanitates aliquando à ſanitate excludit: quoniã ſcil. ſanitatis nomine perfectam quandam formam ſolũ intelligi vult: ponitq; illa in medio neutroq; quodam ſtatu. Ex quo etiam patet, Manardũ errare, qui ſimpliciter ęgrotare eos dicit, qui cõſuetas exercere functiones nõ poſſunt, & ſi leuiter afficiantur. Nã cõualeſcentes nullus dicet morbo adhuc laborare, nec tamen illi poſſunt ſolitas ſuas operationes exercere. Ergo ſanum diuidi poteſt in ſimpliciter, & vt nunc, nec omne corpus eſt ſanum vel ægrũ ſimpliciter. Sed de hoc poſtea fortè, cum de neutro agemus, plura dicemus.

Senum ſanitas qualis, quæ etiam conualeſcentium.

Montani de corpore ſemper inſalubri opinio.

Cæterũ Montanus tradit corpus ſemper inſalubre eſſe, quod actu, & potentia eſt tale, vt in eo non poſſit ſtare ſanitas: & propterea actu eſſe ægrum, & potentia ægrum, & eſſe ſemper ægrum, cum nullam habeat diſpoſitionem ad ſanitatem: hæc etiam ſcribit de inſalubri ſimpliciter. *Nam* inquit *inſalubrè ſimpliciter, vel ſemper, habet ita malã diſpoſitionem, vt in eo non ſit ſanitas, nec eſſe poſſit.* Scribit *eodem cap. 9.* Inſalubre ſimpliciter habere diſpoſitionem præparatã, & valdè aptam ad morbũ ſuſcipiendũ: & hoc quoniã cauſę ſunt pronę ad morbũ, & tamen adhuc morbũ non habent. Secũdũ gradũ inſalubritatis eſſe dicit, non ita inſalubre, vt primum, ſed declinare aliquo modo à ſalubritate, & hoc vocari inſalubre vt multum. Tertium vero eſſe gradum, in quo eſt inſalubre vt nunc, & ille eſt, in quo aliquis ægrotat. Hæc, vt alia, facilè euerti poſſunt, quoniam ex malis principiis ſunt ducta. Nam quis non videt, illum non ſolum à Galeni opinione, ſed etiam à propriis principiis recedere, cum ſtatuit inſalubre ſemper eſſe ſemper ægrum, nec in eo poſſe ſanitatem eſſe? Nam (vt antea diximus) Gal. 8. *cap. huius operis* vniuerſa inſalubria in latitudine ſanitatis ponit: deinde Gal. *ſemper* inſalubre definit, quod peſſimam habet temperaturã, non quod ſemper ægrotet, vel aliud ſemper faciat, quoniã dictio *ſemper*, vel potius *prorſus*, non eſt nomen *temporis*, ſed *ſummi gradus* in ſuo genere. Ac in hoc etiam Montanus ſibi reluctatur. In eo quoque errat, quod inſalubre ſimpliciter, & inſalubre ſemper, ſub eadem definitione comprehẽdat: nempè quod vtrumq; ſit, quod ſemp ægrotat. Quid, quod dicit ſecundũ gradũ inſalubritatis aliquo modo declinare à ſalubritate, & hoc eſſe inſalubre *vt multum?* Nam ſi inſalubre ſimpliciter, eo autore, ſemper morbo laborat, nonne inſalubre vt multum, quod ſpecięs illius eſt, perpetuo morbo tenebitur? Quod ſi ita eſt, tantum illud recedere oportet à ſalubri, quantum diſtat perennis morbus à bona ſanitate. Ac mirari profectò licet, quod in re tã facili, & rectè ab ipſo authore explicata tãtopere illi aberrẽt. Et eos, qui in latitudine ſanitatis conſtituũtur, velit perpetuis morbis torqueri: nec potentiã habere, vt vnquã ſanari poſſint. At vbi quęſo iſtorũ ſigna poſtea & cauſas decebit Galenus? Quid enim clarius eo, quod ſcribit Autor, *prorſus inſalubre corpus eſt, quod peſſimã habet temperaturam in ſimplicibus & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel his, quæ obtinent principatum, vel in inſtrumentariis incommenſuratũ exiſtit.* Verum notandum eſt, in hoc non eſſe (meo quidem iudicio) prorſus inſalubre, quod in aliquibus ſolum partibus ſimilaribus, vel inſtrumentariis vitium habet. Nam totum ex illis partibus, denominari non poteſt affectum, ex affectione quarundam partium, quæ principatum non tenent. Eſſet fortaſſe quidem inſalubre, quod podagræ eſt obnoxiũ: ſed prorſus inſalubre nequaquam. Quare hoc dixerim tale eſſe, quod vel in omnib. partibus, vel in his, quę obtinent principatũ, inſigne habet vitiũ ſanitatis latitudine conterum. Nam vt de omnibus partibus ita vitiatis nulla dubitatio eſt, ita affectis principiis, præſertim hepate, corde, cerebro, & etiam ventriculo, & pulmone vniuerſum corpus compati neceſſe eſt. Teſtiũ autem læſiones nequeũt profectò inſaluberrimũ reddere corpus. Quod autem ſcribit, vt multum inſalubre corpus eſſe quod à vitio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit, non putandum eſt, eum velle huiuſmodi corpus non longè abeſſe à mediocritate; eo quod dicat, *nondum tamen mediocritatẽ attingit.* Nã antequã ad bonã ſanitatẽ, quæ ſalubrib. debetur, inſalubria perueniãt intercedit neutrorũ ſtatus.

Num detur neutrum corpus.

Antequã vltra progrediatur noſtra tractatio in neutris explicãdis, quærendũ eſt, an detur neutrũ corpus. De hoc.n. dubitatur, & variæ quæſtiones ſunt excitatę non ſolũ inter Philoſophos & Medicos: ſed ẽt Medici ipſi in eo diſcrepãt. Poteſt aũt intelligi quęſtio trib. mods: vno, *an detur neutrũ inter ſalubre & inſalubre:* & de hoc nemo dubitare debet, quia Gal. expreſsè nullo cõtradicente id aſſerit *in hoc libro.* Nam inter benè & malè ſanũ, vt inter bonum & malũ reperitur, quod eſt mediũ. Alio modo intelligitur, *an detur neutrũ inter ſanum & ægrũ per participationẽ;* ita vt vna pars, vel plures ſint ægræ, aliæ vero ſanæ: vel in vno tempore ſanum ſit corpus, in alio vero ægrum, de quo etiam dubitatio non eſt: id enim ſæpius fieri agnoſcimus. Tertius eſt modus, *an præter ſanitatem & morbum alia tertia ſit diſpoſitio diuerſa.* De hac quæſtio eſt inter Ariſtot. & Galen. nec ita conciliari illi poſſũt, ſicut putat Manardus, qui dicit Gal. loqui de medio & neutro, quod eſt inter ſalubre & inſalubre, non autẽ de eo, quod eſt neutrũ inter ſanũ & ægrũ quod quidẽ negat eſſe Ariſt. Verũ in hoc fallitur Manardus. Nam Gal. de hoc etiam agit, quod eſt inter ſanum & ægrũ, & modo ponit, modo negat illud eſſe: imo etiam inter ſalubre & inſalu-

insalubre, neutrum aliquando non ponit: vt in *cap. de causis salubribus partium instrumentariarum* pater, vbi ad hunc modũ scribit: *Si paruũ vitiũ habeat corpus in formatione, salubrium corporum retinet appellationem: si maius autem insalubrium: quod si tantus fuerit recessus, vt operationi afferat detrimentum, iam ægrotare dicetur.* Neutrum autẽ inter sanum & ægrum ex Herophili opinione ponit *lib. 5. de san. tuen.* cum de senibus agit. Ait enim inter sanum & ægrum dari medium, vt Herophilo placuit: in quo statu ponit senes, vt qui (inquit) debiles operationes habeant. Item *in lib. de constitutione artis medicæ* scribit, quædam esse symptomata media inter ea, quæ in sanis sunt, & illa, quæ contingunt morbo laborantibus. *Quæ enim*, inquit, *in sanis sunt, inculpabilia sunt secundum naturã: quæ in ægrotis, præter naturam, nec crimine vacant: quæ vero his interiacent, media sunt ex eorum genere, quæ morbis eueniunt: sed exigua admodum magnitudinibus, ac viribus imbecilla, vt ab ipsis nondum solitæ actiones prohibeantur. Cuiusmodi sunt dolor alicuius partis adeo paruus, vt non cogat hominem decumbere: item macies pallor, pigrities ad motum, somnolentia, & huiusmodi alia, quæ delabentibus in morbum, aut a morbo resurgentibus contingunt.* Hic nõ dubiũ est medium dari inter sanitatem & morbum. Si enim accidentia omnia sequuntur affectũ corporis, in quo sanitas & morbus ponuntur, tẽperiem. s. similarium partiũ & commoderationẽ dissimiliũ: sint autem quædam accidentia, vt superius enumerata, quæ nec ad sanitatem, nec ad morbum ab eo referuntur, constat medium constituendũ esse statum inter sanitatem & morbum, ad quem media hæc accidentia referantur. Item *ad Thrasybulum* manifeste eũ ponit. Cũ enim distinguit sanitatis latitudinẽ à morbo, ita scribit: *Qui firmas actiones habent, bonum habitum sanitatis habere dicuntur: qui nõ firmas, non tamen debiles, sanitatem in habitu: qui debiles, & propter imbecillitatem inutiles, sanitatẽ in habitudine: qui vitiatas, morbum.* Neutros autẽ vocat eos, qui sanitatẽ in habitudine habent, quo etiã constat, ex imbecillitate actionis (vt postea ostendemus) eos ab aliis differre. Item *tex. 35. comment. 6. Epidemion* idem, quod de cõstitutione artis scribit: quosdã esse. s. affectus cõmunes sanis & ægris, vt sternutamẽtum, narium humiditates, incipiẽtes morbosos affectus, à quib. homo nondũ ægrotat. Hos affectus inter neutros ponendos nemo dubitauerit, cum morbosos incipiẽtes affectus inter morbos nondũ reputet: nec (vt satis cõstat) in sanitate poni debeant. Præterea *in lib. de partibus artis*, manifeste statum neutrũ ponit, ad hunc modum scribens. *Qui mala temperie præditi manifeste sunt, nondum tamen ægrotant, sed adhuc agere possunt consuetas actiones, vel nullum habent in se sensibile malum, sed insensibile, vt in morsis a cane rabido, vel in his, qui deleterium sumpserunt, quod ad tempus interficit, neutram dispositionem habere dicuntur. Item qui a morbo resurgunt, & debiles adhuc ita sunt, vt consueta agere non possint, & propterea neutrã habent affectionem.* Addo, quod scribit *8. cap. huius libri*, neutra esse, quæ habent ambiguas læsiones & imbecillitates. Qui locus nequit intelligi de aliis neutris, quam de illis, qui sunt inter sanũ & ægrũ, nec participes sunt sani & ægri. Nã qui neutri sunt inter salubre & insalubre, imbecillas non habent operationes. Quin etiã scribit *85. cap. eiusdem operis*, corpora, quibus imminet

Neutri in salubre & insalubre.

A periculum de morbo, mediam formam habere inter sana & ægra, & neutra esse. Idem habet *99. cap.* vbi agit de causis præseruatiuis. Cæterum negat neutrum esse *cap. 8. huius libri*: vbi, posteaquam totam latitudinem sanitatis in tres partes diuisit, optimã mediam, & remissam, subiungit post hanc sanitatẽ ægra corpora sequi. Item *initio lib. de differentiis morborum*, solũ ponit sanitatem & morbũ, cum ait: *Qui operationes solitas exercere potest, sanus est: cum autem eas non amplius exercere potest, morbo laborat*, neutri nulla facta mentione. Item *primo de Crisibus cap. 1. Trãsitus*, inquit *à sanitate in morbum fit in puncto imperceptibili.* Item *primo de symptomatis*, ait, *sanitas est temperies, morbus autem* B *peries.* Item *primo de locis affectis*, *Cũ corpus egreditur sanitatem, ingreditur morbum.* Sunt & infiniti alii loci, in quibus neutri nullam mentionem facit, vt *initio de differentiis morborum*, vbi à perfectissima actione vsque ad sensibilem læsionẽ, extenditur sanitatis latitudo: à sensibiliter autẽ læsa incipit morbus. Idem sentit Arist. *in Postprædicamentis*: vbi sanum & ægrum dicit esse contraria immediata. Idem probare nituntur ratione, qui pro hac re contendunt. Aiunt enim sanitatẽ mediocritatem quandam esse: morbum verò immoderantiam, vt Gal. *in primo de differentiis morborũ* scribit. Illam præterea esse æqualitatem, hunc vero inæqualitatẽ: medium autẽ non dari inter moderatum C & immoderatum, æquale & inæquale. Postremo sanitatem affectum esse, qui actionem bonam edit, & non sensibiliter læsam: morbũ autem actionem edere sensibiliter læsam. At inter id, quod est sensibiliter & non sensibiliter læsum, nõ dari medium. Soluere conantur alii aliter hanc quæstionem. Nam quidam dicunt Gal. neutrum ponere in illis locis, vbi curationem morborum docet, alibi autẽ minimè. Aliter enim tractari debere corpora sana, aliter ægra, aliter neutra. Quã opinionem reprobant, quę superius ex variis libris Gal. adduximus: vbi passim nulla facta curationis mentione, huiusmodi ponit neutrum.

Curtius vero inquit, Gal. nunc negare neutrũ, D nunc affirmare, nunc in dubium ponere; quoniã de variis significationibus neutri agit. Concedere enim neutrum Gal. quod est mediũ inter optimè sanum, & remissè sanum. Item quod est medium inter sanum, & ægrum ex participatione, nempè cum habet corpus aliquas partes sanas, alias ægras simul, vel in vno tempore sanum & in alio ægrum est. Negat autem illud solum dari, qui nullius extremi sit particeps, id est, qui mediam habet dispositionem inter sanum & ægrum sine participatione sanitatis, & ægritudinis. Omnẽ enim motũ vel esse sensibilem, vel nõ sensibilem. Ad hæc refellit quosdam, qui morbum sub sensibili læsione, neutralitatem sub insensibili, sanitatem autem extra E læsionem ponunt. Insensibiles enim læsiones à Medico non considerari. Cum autem morbum per sensibilem læsionem definiri contendit, & alii adferũt ex *85. cap. huius operis* sensibiles læsiones, vt appetitum diminutũ, dolorẽ capitis inter neutras dispositiones poni. Respondet Curtius partẽ ipsam, quæ ita afficitur, esse ægram, corpus autem ipsũ neutrũ in eo significatu, in quo dicimus corpus esse neutrum ex partib. sanis & ægris. Ac cum diu Curtius negasset, dari mediam istam dispositionem inter sanitatem & morbũ, tandem fatetur senes & conualescentes talẽ habere dispositionẽ.

Curtii opinio de neutro inter sanum & ægrum.

Senes enim nõ edere actiones validas, quales edebant cum essent iuuenes: & conualescentes non edere tales, quales edebãt cũ essent sani. Gal. tamẽ dubitare quo modo nominanda sit huiusmodi dispositio. At de nomine hic non litigamus, cũ mediam quærimus dispositionẽ. Si enim conceditur esse, nominet postea quilibet, vt velit. Cæterũ non bene respondet Curtius argumentis, quæ contra seipsum adfert. Ait n. Gal ponere eos esse in statu neutro, qui morsi sunt à cane rabido: qui tamẽ nõ statim edunt operationes sensibiliter læsas. Ad id respõdet, Medicũ huiusmodi corpus iudicare sanũ esse, si ignoret à cane morsum, ægrotũ autẽ si sciat: propterea quod per sensum cognoscebat causam esse in corpore morbosã: quasi ignorãtia Medici, vel scientia aliud faciat in re esse, quã sit. Habeat aliquis vlcus, vel abscessum in aliqua parte interna quem Medicus per sensum, aut etiam alia ratione non dignoscat: an propterea ille in ea parte morbo nõ laborat, & in eo casu nõ errat Medicus, qui cõseruatione vtitur pro curatione? Præterea recedit ab eo, in quo totam vim ponebat: dicebat n. morbum non esse nisi sensibilis sit læsio. Nunc vero ex ea sola morbosa causa, existente adhuc in actione læsione, morbũ statuit esse. Ita ergo morbo dicemus laborare illos, qui malis humoribus abundãt in corpore, nondũ tamen euidentem aliquã læsionem in actionibus obtinent. His ergo conueniret curatio, atq; ita præseruationi nullus relinqueretur locus: quod Gal. aduersatur. Addo falsum esse ex Gal. omnes actiones vel esse sensibiliter, vel insensibiliter læsas. Nam *8. cap. huius*, quasdam ponit læsiones ambiguas: & in aliis locis scribit concoctionis signa quædam esse manifesta, & sensibilia, alia obscura, quæ certè insensibilia non sunt. Postremo qui à morbo conualescunt, & in vniuerso corpore pallorem, macilentiã, & debilitatem ostendunt, læsiones habent, quas sensus deprehendit: quos tamen Galenus ægrotare negat. Hæc ad Curtium sufficiant: alia enim communi quadam cum aliis ratione refellemus.

Montani sententia de neutro, inter sanum & ægrum.

Tractat Montanus eandem quæstionẽ, sed ita variè, vt toties à seipso dissentiat, quoties de eadẽ re scribit. Ita enim in vno loco habet: *quoties corpus ita se habet, vt sensus iudicet operationes suas non esse læsas, sed sanas, tunc non datur neutrum; quoties vero ita se habet corpus, vt non possimus iudicare sensu, an sit sanum, vel ægrum, tunc dicitur neutrum: & tripliciter dicitur, per abnegationem sani & ægri: vel per participatione sani & ægri, veluti si temperies sit bona, compositio vero mala: & tale neutrum est sanum vno modo, alio non: in vna enim parte sanum, in alia non:* alibi dicit esse ægrum, ac neutrum corpus ponit in latitudine ægritudinis: tertio modo dicitur neutrum per alternam successionem. Scribit etiam de hac re *alio loco*, vbi Arist. cum Gal. conciliare vult, ad hunc modum: *Inter sanum & ægrum*, inquit, *nõ datur medium: quando intelligitur sanitas & ægritudo vt formæ.* Nam formæ indiuisibiles nec magis, nec minus, nec medium admittunt: sed si medium dabitur, hoc erit ratione subiectorũ: quoniã subiecta sunt, quæ varias recipiunt diuisiones, & magis & minus: vt corpus luminosum, quod idẽ semper est secundũ suam formam, tamẽ vario modo recipit suum lumen. Sic corpus susceptibile sanitatis, secundum suam formã idem est, & tamen vario modo suscipit sanitatem. Quia ergo Gal. considerat sanitatẽ secundũ sensũ, & variatur in subiectis sensibiliter, ideo neutrum dicit dari. Arist. vero, qui considerat sanitatem & ægritudinẽ secundum formam, merito dicit non dari neutrum, & medium inter illa. Alibi docet Montanus neutrũ corpus subiici præseruationi, aut restaurationi. Vbi vero de caussis salubribus agit, neutrum corpus meram esse chimeram, & meras nugas docet: *quia nullum est*, inquit, *quod non declinet aut ad salubre, aut ad insalubre: quemadmodum nullus est color qui non sit albus, aut niger*: cũ medii non differant specie, sed solum per magis & minus. Sic nullum esse corpus medium, distinctum à salubri aut insalubri, & propterea Herophilum primum, deinde cum eo Gal. hoc commentũ inuexisse. Cuius quidẽ opinio facilè refelli potest & primũ illud cõtra eũ facit, quod cũ Gal. de neutro agat inter salubre & insalubre, & inter sanum & ægrum ille tractationẽ confundat, & nunc de vno loquatur, nũc de alio: cum putet, se solum de eo agere, quod est medium inter sanũ & ægrum. De hoc enim quæstionem proponit: & suam profert sententiam, aliis contemptis neutris, de quibus hoc loco agit Galenus. Nec vero ea ratione datur neutrum, quod sensus iudicare non possit, an corpus sit sanum, vel ægrum. Nam vt Galenus *cap. 8. huius operis* scribit, *sensus* debet esse iudex sani, ægri, & neutrius. nec vnquam contingit, illum non posse de illis dispositionibus iudicare.

Iudex sani, ægri & neutrius quis.

Quod vero scribit, Galenum ideo neutrum ponere, quia sanitatem & morbũ in subiectis considerat: Arist. vero id negare, quia sanitatem & morbum secundum formam, quæ non intenditur, nec remittitur, expendit, refellendum est. Etenim Arist. sanitatem & morbum non potest considerare, nisi in subiecto, cum de illis tractet, vt naturalis philosophus. Deinde explicare debebat, quomodo intelligat sanitatem & morbũ esse formas, & cuius. Sunt enim *accedentia corporis viuentis, non formæ, aut potius perfectiones, & vitia formæ.* Et si formæ sunt, non considerantur vt formę abstractę à materia: sed in corpore, cuius sunt formæ.

Sanitas & morbus quid.

Qua ratione, eadem Galeni erit & Aristotelis tractatio. Præterea, probare nemo potest, quod scribit sanitatem & morbũ ratione subiecti, eo, quod illud varias recipiat diuisiones, diuidi. Non enim ad diuisionẽ subiecti diuiditur sanitas, aut morbus, quoniam (vt diximus) formæ nõ sunt extensæ per corpus, sed vitium & perfectio, quæ ex proportione bona, aut mala componentium corpus resultant, nec corpus quidẽ vario modo diuersam, meliorem, aut deteriorem. Quemadmodum corpus luminosum recipit nunc maius, nunc minus lumen. Quare hæc non est ratio, cur à Galeno ponatur neutrum inter sanum & ægrum, ab Arist. nequaquã.

Cur Galen. ponat neutrum, Aristoteles vero non.

Nec verò illa est, quod ex sensu iudicentur operationes nõ esse læsæ, aut læsæ: ita vt neutrum detur, quando sensus iudicare nõ potest, an sit sanũ, vel ægrum: quoniam neutrum etiam sensu dignosci debet: nec decipi sensus potest, cum dignoscere vult, an corpus sit sanum, vel ægrum, vel neutrum: quippe cum ille omnium istorum sit iudex. At si neutrum est mera chimæra, & meræ nugæ, quorsum ille tot paginas scripsit *in suis commentariis* de eo? Si illud commentum est, cur tantopere laborat in Arist. & Galeno conciliandis, & vtrumque verum dicere asserit? si sanitas & morbus diuerso modo sumantur, vel vt forma, vel quatenus sũt in subiecto: cur statim ab initio non ostendit, hæc esse nugas, & superfluum,

vanum-

vanumque esse in ea re laborare? Sed hæ vanitates ei vitio dari non possunt, qui de eadē re nunquam in diuersis locis idem docet. Nequit ille concipere, quo pacto dari possit medium inter sanum & ægrum absque participatione extremorū, quod quidem facile doceri posset. Nam si sanum est; quod bonam habet constitutionem: ægrum vero, quod malam, quid prohibet dari medium statum, qui nec bonam habeat, nec malam? Nam etsi medius huiusmodi status fiat ab iisdem principiis, nempe ex temperie elementorum, à quibus fit sanitas & morbus, & illorum mixtura fiunt hæ intensiones, remissiones, & mediocritates: tamen dicitur fieri hoc medium citra participationē extremorum: quoniam nihil licet in eo ostendere, quod sumatur ex ea dispositione, quæ est in sanis, vel ægris. Nihil enim est in eo statu ostendere cōmoderatū, vt in sanis: nec immoderatū vt in ægris: vt illis contingit, quos ex participatione extremorum neutros fieri scribit. Illi enim habent aliquid, quod est sanū, aliud vero, quod est ægrū. Participant ergo sanū, ægrū, & neutrū de eisdem elemētis, & pro illorū mixtione fit status nunc excedens admodum, qui præter naturā dicitur, & morbus, alius secundum naturā, & sanitas, alius medius, & neuter, qui non æquè excedens est, vt ille, qui præter naturam est, nec ita moderatus, vt ille, qui est secundum naturam. Ac vt liberius etiam aliquid dicam, concedo eum fieri ex excessu naturalis, & diminutione eius, qui est præter naturam: non tamen propterea ponitur, cōstare ex participatione extremorum: non eo modo sumit, sed quod capiat partem ab ipsa sanitate, partem vero ab ipso morbo, ita, vt aliquid, quod reuera sanum, aliud vero, quod reuera ægrū sit, & dici possit, assumatur, ad compositionem huius neutri: quod quidem nō fit. Neq; enim conualescentium, senum, & eorū, qui parati sunt cadere in morbos, quos ita neutros vocat Galenus, dispositio ex sanitate & morbo fit, vt medii colores assumptis albo & nigro: sed amissa sanitate propria, ex intensione qualitatum & causarum, quæ sanitatem faciunt, nascitur status eorū, quibus iā morbi imminent, remoto vero morbo, in transitu ad sanitatem fit dispositio conualescentium. Ergo *non ex sanitate & morbo simul sumptis, & mixtis, vt medii colores ex extremis, fit neuter status: sed ex remotione vnius in transitu ad alterum.* Perperam ergo negat Montanus, dari neutrū inter sanum & ægrum, quòd nō fiat ex sano & ægro, sicut dari non possunt medii colores, qui non sint confecti ex duobus extremis. Nō enim est eadem ratio, nec conficiendi modus.

Neuter sanus vnde fiat.

Manardi de eodem re opinio.

Manardus vero (vt obiter iam diximus) hanc controuersiam eadē ratione composuisse se putat, quod. s. Galenus dicat neutrum dari inter salubre & insalubre, non autem inter sanum & ægrum: & in hoc non discrepare ab Aristotele, qui non de medio inter salubre & insalubre, sed inter sanum & ægrum disputat, cum negat illud dari. Sed Manardus debebat in hoc, non solum liberare Aristotelem a Galeno, sed hunc ipsum à seipso. Nam ex *locis præcitatis* constat euidentissime, Galenum neutrum ponere non solum inter salubre & insalubre, sed etiam inter sanum & ægrum. Deinde illis rationibus, quibus ille probat, non esse absurdū dari neutrum inter salubre, & insalubre, conuincitur neutrum etiam ponere inter sanum & ægrū. Ait enim salubre corpus esse, quod naturalem quandam habet potentiā, vt sanitate fruatur: Insalubre vero, quod impotentiam naturalem habet, vt facile à morbis molestetur. Itaque nihil impedire, quominus mediocria quædam corpora inueniantur inter hæc, quæ neutra censeantur esse. Qua quidem in re primum illud dicam, quod ille male salubre & insalubre definiat: quia iā ostēdimus abunde superius, ex naturali aliqua potentia illa non esse definienda, præsertim quod hic intelligendum sit de medio inter omnia salubria & insalubria; ille autem definiat solum salubria simpliciter, (hæc enim ex potentia, alia autem ex actu circumscribit.) An vult ergo ille neutrum ponere inter salubre simpliciter, & salubre vt nūc? Id enim postulat illius definitio: an potius inter omnia salubria & insalubria: Id quidē vult ratio. At id ex illius opinione sequi non potest. deinde dicā, quod ille sua principia violet. Nam eam suā potentiā nec in morbo, nec in cōualescentia, nec in ætate aliqua amitti aut remitti posse contendit. Addo si Galenus conualescentes & senes neutros vocat, inter sanos & ægros, necesse est, vt si ex potentia & impotentia naturalitas ex Manardo constat, vt illa mutentur. Nā qui iuuenis erat, & postea fit senex, aut qui à morbo conualescit, necessario mutabit potentiam, quoniam medium, & neutrum statum assequitur. Hunc enim prius non habebat. Prætetea malè definit insalubre. Nā insalubre nō est, quod habet impotentiā ad morbū, sed ad sanitatē: si quidē potentia est ad id, quod facile assequi potest, impotentia vero ad id, quod difficile. Quamobrē si salubre habet potentiam ad sanitatē & impotentiam ad morbū, insalubre erit, quod ad morbum potentiā habet, ad sanitatem vero impotentiam. Igitur si negabat, dari mediū inter sanitatē & morbum, quòd illa æqualitas moderatioq;, hic vero inæqualitas & immoderatio sit, eadem ratione non dabitur inter salubre & insalubre: quoniam vnus potentiam dicit, alius impotentiam ad sanitatem & morbū. Quod si par est in vtroque ratio, alius vtique quærendus est modus, quo Galeni sententiā de neutro inter sanum & ægrū conciliemus. Id autē facile erit efficere, si tractationē Galeni de sanitate in memoriā reuocare velimus. Sumit enim sanitatē aliquando latius, aliquando strictius suos limites contrahit: vt videre est *in Thrasybulo*. In eo enim opere dicit, sanitatem quandam esse in habitu, quæ firma est & stabilis, actionésq; edit secundum cuiusque naturalem constitutionē bonas, & vtiles ad propria officia exercenda: aliā vero esse sanitatem in habitudine, siue in dispositione, & affectione positam, quæ stabilis non est, sed mendosa, & exposita, vt propte violetur ab iniuriis: quæq; actiones edit inutiles, aut certè, quæ non sufficiunt ad vitæ munia obeunda: sunt enim debiliores, quam conueniat. Quo loco etiam ita scribit: *Primum est actionis noxa, quod in morbo fit: alterum extra noxam quidem positum, sed propter imbecillitatem inutile, quod in sanitate secundum affectionem consistit: tertium imbecillitate liberatum, non tamen adhuc robustū, quod sanitas in habitu possidet: quartum veluti quædam actionum virtus, bonus habitus, & summitas, ipsarumq; perfectio, exquisite bonus habitus.* Ac cum sanitatem vocasset eam, quæ in habitu est & in habitudine, & partem medicinæ conseruatricem, & salubrē, quę huiusmodi dispositiones tractat, postea sanitatem, quæ est in habitudine, dicit non reuera conseruatione e-

Neutrū inter sanum & ægrum quib. Gal. statuit aliquando dari, aliquando non.

Sanitas in habitu.

Sanitas in habitudine.

gere, nec sola mutatione, vt dispositio morbosa exigit: & propterea recte illos sensisse, qui talé sanitaté separant à sanitate vera, cui debetur sola conseruatio, & à morbo, cui conuenit solú mutatio: propterea neutrá dispositioné vocant, in qua conualescétes, & parati cadere in morbos, eo quod causas morború iam pullulare sentiant, ab eo ponuntur. Ac conualescentibus nó conseruatricem, & salubrem parté, sed analepticen, id est, refectricé: aliis vero, qui cú morbis imminentibus conflictantur, prophylacticen conuenire scribit. Ergo ex eo loco patet, Galenum aliquando sanitatis limites extendere, ita vt sanitaté non solú in habitu, sed etiam in habitudine, & in ea conualescétes, & iá expositos morbis, ac etiá senes, vt in *tertio huius operis libro*, comprehendit: aliquando vero sanos eos solú vocat, qui sanitatem habent in habitu, & excludit à sanitatis limitibus sanitatem in habitudine, & corpora in eo cóprehensa. Ad hunc modú passim dicere solet, sanis conuenire conseruationé. Hæc enim nó conueniunt cóualescentibus, & illis, qui sentiunt iá pullulare morbos, quos tribuit prophylacticæ & analepticæ. Quibus quidem ita positis, iam patere arbitror, cur neutrú inter sanú & ægrú aliquádo ponat Gal. aliquando vero neget esse. Ná cú sanos statuit esse, qui nondum coguntur intermittere solita officia & decúbere, siue bene, siue debiliter illa exerceant, tunc cóualescentes, decrepitos, paratos ruere in morbos, sub sanitate complectitur, & neutrú statum intra sanitatis limites assumit. Cú vero tres eos status excludit, eo quod firmi non sint, & actiones edant non sufficientes ad humana officia obeunda, túc datur neuter status, qui sanus nó est, eo quod illi nó cóueniat sola conseruatio: siquidem maiores habet lapsus, quam quę sana sunt secundum habitum corpora: nec actiones edunt sine imbecillitate, nondum tamen morbo laborant, quia nondú desierunt sua officia obire, etsi illa imbecilliter exercét. Quibus ita demonstratis, licebit facile respondere argumentis superius adductis, & Aristotelem cú Galeno cóciliare. Conciliantur auté eo modo, quo Galeni loca sumus interpretati: quod scilicet Arist. sanitatis nomine comprehendat sanitatem, & in habitu, & in habitudine, postquá sequitur morbus. Illud vero, quod dicunt sanitatem esse moderantiam, morbum veró immoderantiam, inter hæc autem non dari medium distinctione eget: nam moderatum sumere possumus, vel pro bene moderato, ita vt comprehendat solum sanitaté, quæ est in habitu, vel pro quacunq; moderatione, qua comprehenditur etiam sanitas in habitudine. Ita sane immoderatum intelligi potest, quod incipit statim post moderationem, quæ debetur sanitati in habitu, vel quæ comprehendit sanitatem in habitudine. At moderatú, quod est bene moderatú, & immoderatum, in quo incipit morbus esse, admittunt mediú, nempe malè moderatú, in quo ponuntur neutra. Ita immoderatú, in quo ponitur morbus, admittit medium inter se, & bene moderatum, non autem inter se, & moderatum vtcunq;. Eodem pacto soluitur argumentum, quo dicunt morbum sensibiliter lædere actiones, sanitatem vero easdem edere nó sensibiliter læsas. Nam sensibiliter læsas actiones, quæ morbú sequuntur, & ostenduntur, intelligere non oportet, quod tales sint, vt sensus iudicet eas esse læsas. Nam *qui sanitatem habent in habitudine*, inquit Galenus, *habent actiones imbecillas, quas sensus esse læsas indicat*: imó & insalubria corpora, & omnia vitia, quæ consistunt in corporibus sanis, ex actionibus illorum sensu iudicari scribit Galenus: sed sensibilem intelligere debemus, quæ inutilis est ad officia propria exercenda. His opponuntur non sensibiles læsiones, quę quocunq; modo sufficere possunt ad munia vitæ exercenda, & inter hæc non datur mediú. Verum si sensibiliter læsam intelligimus, qualem profert corpus ægrotans, non sensibiliter vero læsam, & bonam nulloq; vitio præditam, qualem edunt corpora sana in habitu, nó est in hoc oppositio: quia relinquitur vitium in actione, mediú inter actiones, quas edunt morbo laborantes, & sani in habitu. Nó ergo valet argumentum, quia nó eodem modo sumitur sensibiliter læsum, & non sensibiliter. Nam sensibiliter læsum idé est, quod valde læsum, non sensibiliter vero, læsum idem, quod nullo modo læsum. Tales enim, vt inquit Galenus, facit actiones corpus sanum in habitu: imbecillas vero, sed non prorsus inutiles, corpora sana in habitudine: imbecillas auté ita vt inutiles sint, corpora ægrotantia. Præterea absurdum est, hos status velle per actionum vitia distinguere. Nam qui morsi sunt à cane rabido, nó nisi post lóngum tempus actiones edunt aliqua in re vitiatas: quos tamé neutros vocat Gal. *in lib. de partibus artis*, & tales iudicat esse ratio: quippe cúm his cóueniat præseruatio: recteq; proinde dicebat Drusianus, qué malè reprehédit Curtius, sanorú actiones integras esse, & nullo pacto læsas: ægrotantium vero actiones sensibiliter læsas: quod idé est, ac si dicas, ita offensas, vt persisteré nó possint in suo officio: neutros vero actiones facere nó læsas sensibiliter, id est, non tales, quales edunt ægrotantes: quas etiam Gal. obscuras vocat læsiones. Ergo neutrum corpus inter sanum & ægrú præstat definire, *quod sanitatem habet in habitudine, siue mediam dispositionem inter veram sanitatem & morbum*. Omnes enim qui ita neutri sunt, affectionem non habent firmam, sed iam in via, vel ad sanitatem, vt conualescentes, vel ad morbú, vt qui iam patiuntur à causis morbosis: vel eas adhuc in corpore latentes obtinét, sed nó multo postea emergent, vt his cótingit, qui à cane rabido sunt morsi. *In aliquibus igitur neutris, actiones manifeste sunt offensæ, in aliis obscure, in aliis nullo modo.* Quod vero citant ex Galeno, in puncto fieri transitú à sanitate in morbum, & propterea neutrum non dari medium eadem ratione soluitur, quod scilicet sanorú nomine cóprehendat tunc neutros decidentiæ, qui scilicet parati sunt cadere in morbos. Hi enim in eos ruút nulla alia intercedente dispositione. Qui vero resurgút à morbo, & neutri sunt, transeunt ad sanitaté per neutrú. Omnia igitur veritati cósentiunt, & quæstiones omnes euanescunt, si hoc modo res tractetur: nó autem vt sophistæ faciunt, qui solum in hoc dant operam, vt proposita argumenta quocumque modo fugiant.

Neutrú duplex inter sanum & ægrum.

CAP. VI. De corpore neutro.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ οὐδέτερον σῶμα τριχῶς ἐλέγετο, τὸ μὲν τῷ μηδ' ἑτέρας τῶν ἄκρων διαθέσεων μετέχειν, τὸ δὲ τῷ ἀμφοτέρων, τὸ δὲ τῷ, ποτὲ μὲν τῆσδε, ποτὲ δὲ τῆσδε· κατὰ μὲν τὸ πρῶτον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα, τὸ μέσον ἀκριβῶς ὑπάρχον, τοῦ τε ὑγιεινοτάτου σώματος, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου, καὶ τούτου τὸ μὲν ἁπλῶς τουτὶ

ἐν

ἐστὶ, ὅτι περ ἐκ γενετῆς τοιοῦτον κατέστησεν. εἰ δὲ καὶ ὅπερ κατὰ ἀκριβὲς τὸ μέσον ὑπάρχει τοῦ τε ὑγιεινοτάτου, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου. αὐτοῦ δὲ τοῦ ἁπλῶς, τὸ μὲν διὰ παντὸς τοιοῦτον, ὅτι περ αὖ ἐν ἁπάσαις ταῖς ἡλικίαις διαμένει τοιοῦτον, τὸ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ καὶ μεταβολάς τινας λαμβάνον.

Quoniam vero & neutrum corpus tripliciter dicebatur vnum quidem, quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps: aliud autem, quoniam vtriusque: aliud, quoniam aliquando huius, aliquando vero illius; iuxta primum significatum neutrum erit corpus, quod exquisite medium est saluberrimi, & insaluberrimi corporis, & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturæ ita est constitutum, hoc vero vt nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit saluberrimi, atque insaluberrimi corporis, ipsius autem simpliciter, semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat, vt multū autem, quod nonnullas recipit mutationes.

Galeni definitio primi neutri notatur.

Volens Gal. definire neutra corpora, repetit primum illius significationes, vt singulas suo ordine tractare possit. Ac definit in primis, quod nō est particeps extremorum, dicitq. illud esse, quod exquisitè est mediū saluberrimi & insaluberrimi corporis. Quam quidē definiendi rationē nequaquam probare possum, repugnante & ratione & tractatione ipsius authoris. Scribit .n. ille *in 8 cap.* totam sanitatis latitudinem in tres partes diuidi: quarum singulæ latitudinem habent non paruam: & primam salubrium corporum, secundam neutrorum, tertiam insalubrium. At si neutra omnia primi huius significatus dicimus esse exquisitè media inter saluberrimum & insaluberrimū, quænam erit quæso inter illa magna ea latitudo? Quæ enim exquisitè sunt media, omnia in eodem gradu ponuntur. Constat præterea, hanc definitionē esse malam: quoniam ea posita, fit, vt in speciebus suis definiēdis, iis inquā, quę simpliciter, & vt nūc neutra sunt, cogatur definiēdi rationē, qua antea vsus est in salubribus & insalubribus definiendis, mutare, contra omnem docendi rationem. Nā oppositorū debet idem esse definiendi modus per opposita. Vt ergo seruetur latitudo & definiēdi ratio, dicemus, neutrū primi modi esse, quod est

Neutrū primi modi.

mediū inter salubre & insalubre sine participatione illorū: sic enim licebit gradus ponere per magis & minus, & omnia neutra huius significationis in illis comprehendere: sed hæc postea diligentius docebimus. Nunc quid alii sentiant, videamus.

Manardi opinio de neutro primi modi.

Manardus neutrū vt nūc primi modi dicit esse, si quis à generatione salubris simpliciter procreatus, in præsentia vero ex accidente quodam vere mediū existit inter saluberrimū, & insaluberrimū, ita vt à natura & generatione illud verè neutrum non sit, sed tamen in præsentia: quia, inquit, casu aliquo iā tantum proprios exiuit limites, vt mediū iā id attigerit, in quo neutrum simpliciter naturaliter collocatur. In qua quidē re multifariā errare

A videtur. Nam antea salubritatem & insalubritatem, quę simpliciter esset, nunquam amitti posse, omni ratione contendebat: nūc vero fatetur aliquē nasci salubrē, vel insalubrē simpliciter, & cū accidenti aliquo amittere suā salubritatē, vel insalubritatem, mediumq; hūc siue neutrū statū acquirere. Deinde dicit, huiusmodi neutrū non esse à natura verè neutrū, quod scilicet ab ortu suā affectionē nō acceperit. Quod cur necessario fieri debeat, nō video: quando ipse *paulo antea*, cū ageret de insalubri vt nunc, dixerit, omnia, quę *vt nunc* dicūtur, posse ab ortu talia esse, etsi id semper nō fit. Sed demus eos reperiri, quos cōcedit ab ortu sumere hāc neutralitatē: quales (quæso) erunt illi? erunt profecto

B simpliciter neutri, quoniam non casu aliquo, sed à natura hanc affectionē sunt consecuti. Malè ergo hoc neutrum primi modi, quod simpliciter est, ab eo separat, quod vt nūc neutrum dicitur. Grauior vero ille error adhuc est, quod dicat neutrum vt nunc, mediū id attingere casu, in quo neutrū simpliciter naturaliter collocatur. Nā ex hoc fatetur, eundē esse gradū affectionis in illis, quæ simpliciter dicuntur, vt in aliis, quæ vt nunc talia nuncupantur. Idem enim mediū cum hoc, tum illud attingere dicit, & solū differre, quod vt talē natura, aliud vero casu. Quod si ita est, ergo salubre simpliciter à salubri vt nunc, nō alia ratione differret, quā quod illud à natiuitate, hoc vero casu sit. Ergo

C vtrunq; pari modo sanū; quod Galenus negat, cū dicit, illud habere optimā, hoc vero solum bonam sanitatē obtinere. Erit eadē ratione insalubre simpliciter, & insalubre vt nunc, in eodem gradu affectionis, in eodemq; statu. Vtrunq; ergo vel pessimā sanitatē, aut morbū actu habebit. Quod si hæc non placent Manardo, vt qui antea salubre simpliciter sanitatē perfectiori modo habere tradiderit, debebat quoq; videre, idē medium nō posse attingere neutrū vt nunc, debebatq; aliquid dicere, cū videt, Galenū mutata definiendi ratione, in eodē gradu, qui medius est exactè inter saluberrimū, & insaluberrimum neutra omnia primi modi collocare. Sed in hos errores necesse est eos incidere,

Galenus in neutris semper, & vt multū definiēdis repugnat suo principio.

D qui mala ponunt principia, nec agnoscunt autores variè & negligenter multa tradere. Quæ quidem dissimulanda nō sunt ab his, qui rectè docere, aut aliorū opera doctè interpretari volūt. Galenus in neutris prorsus, & nō prorsus, siue, vt alii vertunt, semper, & vt multū, definiendis, rationē definiendi mutat. Nam antea salubre semper & vt multum distinguebat per longuam distantiam, à perfectissima temperie, & commoderatione: & salubre vt nunc, ab eo, quod est simpliciter, per bonum & optimum. Neutra vero hæc ponit omnia exactè media inter saluberrimum & insaluberrimū sine aliqua distantia, & latitudine. Huius rei causam reddere volens Manardus, ita inquit: *Cum de-*

E *finiuisset Galenus vtrunq; neutrum, scilicet semper, & vt multum, communi definitione, quod si medium exactè existat saluberrimi & insaluberrimi, aliquid addendū erat in definitione singulorū, quo continentur sub simpliciter neutris, quo illa inter se differant. Itaque cū duo essent in ratione neutri semper, vnum, quod neutrum sit, aliud per quod semper dicatur, primo iam occupato à cōmuni definitione, necessariū fuit ad alterum recurrere, nempe ad particulā semper: quæ nihil aliud hoc l: co significat, quam omnes ætates: eodemque modo neutrum vt multum definitū esse rectè, quod mutationes quasdam suscipiat, quibus scilicet*

Manardi opinio de neutris semper, & multum, primi modi.

A *differt à neutro semper, quod per omnes ætates tale perseuerat.* Ait præterea, salubre & insalubre sēper, id etiam habere, quod per omnes ætates similia perseuerent: tamē adeo plenè per hoc eorū naturā explicari, sicut per optimū & pessimū fuit explicata. Cæterum cum dixerit simpliciter neutrū, tale esse à generatione, & hoc nunquā posse amitti quærit, cur neutrū vt multū, dicatur per omnes ætates nō perseuerare; cū sit vna species eius, quod est simpliciter? Quam quidem dubitationē verbis inuoluit dicens sēper talia esse verè, & reipsa talia: vt multum vero apparenter tantū, exiguo tamē adeo interuallo à sēper talibus recedere, vt vix discernātur: vnde merito neutrū semper per omnes ætates simile perseuerare, quod non facit neutrum vt mul- B tum. Quippe cum processu ætatis contingat, vt quod præ exiguitate latebat, aliquādo mutatione ætatis, vel alia ex causa auctum, detegatur. Oportet. n. inquit, huiusmodi neutrū, quod verè & exactissimè non est, à mediocritate exactissima quæ in neutro semper est, versus aliquam partem declinare: quæ accedente ea ætate, quæ excessum potest intendere, iam hoc corpus, quod antea verè indifferens ad sanitatē & morbū videbatur, aptius ad hanc, quam ad illā esse cognoscatur. Et hoc est, inquit, quod Gal. dixit, *nonnullas recipit mutationes.* Ex quo ait sequi, vt neutrum vt multum duplex sit: quoniam à neutro semper bifariam declinare potest iuxta duo C extrema, inter quæ concluditur. Erit ergo neutrum vnum vt multum, ad saluberrimum, alterum ad insaluberrimum declinans. Quin etiam docet neutralitatem esse partem latitudinis sanitatis, & propterea latitudinem quoque satis amplam habere, ita, vt tota ipsa neutralitas in medio verè existat, non tamen quælibet ipsius pars. Hæc Manardus de his neutris: in quibus multa quoq; sunt, quę à scholis sunt explodenda. Ac primum quidem illud non rectè dicitur, quod scribit de mutata definiendi ratione. Nam verba *semper, vt multum,* & *vt nunc,* non alia ratione sumi debent in corporibus salubrib. & insalubribus, quā in neutris: cum hæc communia à Gal. sint proposita vniuersis corporibus, causis, & signis: & propterea vana & prin- D cipiis repugnā agnoscatur esse tractatio, si in quibusdam absolutionem & declinationem ab eo, quod est in suo genere summū, in aliis vero tempus & durationem indicet. Antea enim dicebat, pronunciandum esse *vt nunc,* & non *nunc:* quoniā *vt nunc,* non est nota tēporis, sed imperfectionis. Ac mihi quidē videntur nugæ esse, cū scribit, salubre & insalubre semper, plenius explicari per optimum, & pessimum, quam per temporis differentias: contra vero neutrum melius hoc modo declarari, nec posse, vt illa, doceri. Nam primum docere non potest, illa vno modo, alia alio melius explicari posse. Quid enim quæso confert Medico E scire, quædam corpora fere semper neutra, aut nō semper: & quomodo potest hoc polliceri, aut dignoscere? Præterea falsum est, non posse vnam rationē omnibus accommodari. Nam vt salubria in genere boni posita, singulis speciebus, quæ in eo genere nascuntur, locū præbēt, distincto quod bonum est, per magis & minus: sic neutra hæc, optime definiuntur, si certa latitudo in eo, quod mediū est inter salubre & insalubre, ponatur, ita vt neutrum primo dicatur, quod est medium inter salubre & insalubre: simpliciter vero neutrum, quod est inter illa *exactè medium;* vt nunc neutrum,

Manardi cōfutatio.

Neutrum simpliciter, vt nunc, prorsus, vt multum.

A dicatur *medium quidem, sed nō exactè:* prorsus vero neutrum, quod est *exactissime medium:* vt multum vero, siue ferè prorsus neutrum, *quod aliquantulū ab exactissimo medio recedit.* Sic sane seruatur primum posita definiendi ratio in salubribus, & insalubribus, & latitudo magna, quam dicit in singulis esse, in his neutris pariter retinetur. Verum cum omne neutrum primi significati definitum sit, quod est exactissimè mediū, tollitur latitudo, qua sublata, illius species postea definiri nequeunt, vnde definiendi ratio mutatur, ac violantur, quæ in aliis posita sunt, optima principia. Quod vero dubitat, cur neutrum vt multum dicatur per omnes ætates non posse durare, cum sit species vna eius, B quod est simpliciter, quod quidē nunquā posse amitti ille credit, nō solum, quando dicit id, quod est vt multum, non esse vere & reipsa tale, sed solum apparenter. Nam si vt multum tale, simpliciter est tale, vtique reuera & absolute (vt ille antea etiam dixit) tale erit, nec opus est mutationem ætatum expectare, vt dignoscatur & distinguatur ab eo, quod est semper, siue prorsus tale. Est enim eadem ratio de neutro semper, & vt multum, quæ est de salubri & insalubri semper, & vt multum. At hæc Gal. *in cap. de signis optimæ constitutionis* docet, statim per sua signa dignosci, & inter se distingui. Idem ergo de neutris sentiendum. Addo, quod si per omnes ætates nō perseueret neutrum vt mul- C tum, sed in vna ad salubritatē, in alia ad insalubritatem accedat, nulla vel minima re differt à neutro tertii modi, quod inquam in vna ætate salubre, in alia insalubre euadit. Male etiam interpretatur Manardus Gal. nam hic scribit neutra semper per omnes ætates perdurare: neutrum vero vt multum esse, quod aliquā mutationem capit. Ex quibus verbis satis constat, eum intelligere, quod illud semper duret, hoc vero non sēper. Manardus vero censet idem neutrum vt multum, ab initio esse, idq; postea detegit tempore, cū prius lateret. Superflua præterea est neutrius vt multum, Manardi distinctio, eo quod duo sint extrema, inter quæ illud concluditur. Nam siue ad saluberrimū, D siue ad insaluberrimū declinet, semper idem neutrum fit: quod scilicet parum ab eo, quod semper neutrum est, declinat, quoniam extremorum cōsideratio non facit, vt dicatur vt multum, sed paruus recessus, qui fit ab eo, quod est prorsus tale. Quod si extrema exprimenda sunt, illorum additione id faciendum: non tamen propterea duplex neutrum vt multum constituendum est. Cæterū si neutralitas est pars latitudinis sanitatis, (vt Manardus scribit) necessario simpliciter neutrum includit sanitatem, nec contentum esse potest illa potentia, quā in salubri & insalubri posse esse sine sanitate & morbo idem autor contendit: quæ enim simpliciter talia sunt, ex sola potentia ab E eo sunt definita. Quare perperam hic neutralitatē diceret sanitatis esse partem. Præterea, si neutralitas amplitudinem amplam habet, ita, vt tota ipsa in medio verè sit inter saluberrimum & insaluberrimum, non tamen quælibet ipsius pars. Quid vero ad Galen. dicet, qui neutra omnia huius significationis ponit esse exactè in medio? Illud vero quod scribit, neutrū vt multum, ætatis progressu detegi, & ad sanitatem, vel morbum magis accedere, cū ad vtrumlibet iam antea esset indifferens, repugnat propriæ opinioni. Nam negat ille neutrum dari inter sanum & ægrum, hic vero illud

mani-

manifeste concedit contra Galen. opinionem, qui *hoc loco* non de neutro inter sanum & ægrum, sed inter salubre & insalubre, id est, inter bene & male sanum agit. Iam vero videndum est, quid Montanus de iis neutris sentiat.

Montani opinio de neutro primo modo.

Ait ille omnia neutra referri ad tempus. Esse enim neutrum simpliciter, quod à natiuitate est tale: neutrum vt multum, quod ad maiorem partem temporis refertur; vt nunc vero neutrum, ad præsens tantum dici, *& tale corpus*, inquit, *erat prius sanum, sed ob aliquam causam decidit in neutralitatem*: vt si quis per potum aquæ frigidæ hepar habeat frigidum & imbecillum: non enim, inquit, ægrotat, sed est imbecillum pro tempore hoc, & non in maiore parte corporis, quia tunc esset neutrum vt multum. Cæterum neutrum semper tale, per abnegationem esse, quod in omni ætate tale perseuerat citra sanitatem aut morbum: neutrum vero per abnegationem vt nunc, longe distare, & differre tãtum secundũ gradum imperceptibilẽ, esseque neutrum in habitu, vt corpora senũ: neutra vero in habitudine ea esse, quæ dicuntur neutra decidentię, aut conualescentiæ. Verum contra Montanum hoc primum dicere oportet, quod sibi non constet.

Montanus reprobatur.

Nam si omnia neutra ex tempore definiuntur, vt ille censet, quo pacto asserere potest neutrum vt multum esse, quod secundum plurimas partes corporis est imbecillum. Nam & hoc alibi dicit esse, quod maiore parte temporis suæ vitæ perdurat. Deinde ponere corpora senum neutra in habitu, non est ad Galeni mentem. Dicit enim *hic* & *in Thrasybulo*, senum sanitatem esse in habitudine, non autem neutra in habitu. Ad hæc videre debebat Montanus, cum scribit semper neutrum per abnegationem esse, quod in omni ætate est citra sanitatem aut morbum, & omnes alias significationes huius neutri ex sanitate & morbo definit, Galen. *hic* non agere de neutro inter sanum & ægrum, sed inter salubre & insalubre, id est, inter bene & male sanum. Postremo perperam ait, neutrũ vt multum, huius significationis non semper, vt neutra simpliciter, sed maiore parte suæ vitæ sic se habere. Nam neutra vt multum, non distinguuntur à neutro simpliciter, cum species illius sint, sed à neutro prorsus. Hæc enim neutrum simpliciter diuidunt. Nonne & illud absurdum est, quod ait, neutrum vt nunc huius significationis differre tantum secundum gradum imperceptibilem? Nam vt nũc salubria à simpliciter salubribus differunt per magnum recessum, ita idem de neutris sentiendum. Possem aduersus Montanum plura dicere: sed hoc solum volo dicere, quod de hac re ne verbum quidem intellexit: quod ostendit varia & vana illius tractatio, nullis principiis constans, nec aliquid, quod vtile sit in nostra facultate, aut consentaneum tractationi ipsius autoris docens. Qui enim has interpretationes somniant, coguntur ostendere harum affectionum signa & causas salubres Galen. in sequentibus explicare: quod nunquam præstare poterunt.

Κατὰ δὲ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα. τὸ δ' ἐναντίων ἅμα διαθέσεων μετέχον ἐκ γενετῆς, ἤτοι καθ' ἓν μόριον, ἢ κατὰ δύο διαφέροντα. καθ' ἓν μὲν εἰ κατὰ τὴν ἑτέραν ἀντίθεσιν τύχοι τὴν τῶν δραστικῶν ποιοτήτων, ἢ κατ' ἀμφοτέρας μὲν, ἀλλὰ περὶ τὴν διάπλασιν, ἢ τὸ μέγεθος, ἢ τὸν ἀριθμὸν τῶν μορίων, ἢ τὴν θέσιν ἐσφαλμένον, ἢ ἔμπαλιν ἐν ταύταις μὲν κατωρθωμένον ἁπάσαις, ἢ τισίν, ἐν δὲ τῇ κράσει διημαρτημένον. ἐν διαφέρουσι δὲ μορίοις καὶ κατὰ πάσας τὰς ἀντιθέσεις δύναταί τι τῶν ἐναντίων ἅμα μετέχειν, καὶ διὰ παντὸς μὲν τοιοῦτον εἶναι κατὰ πάσας τὰς ἡλικίας μένον ὅμοιον. ὡς τὸ πολὺ δ' ἐστὶ τὸ καὶ μεταβάλλον κατά τι. οὕτως δὲ καὶ τῷ νῦν οὐδέτερον ἔσται σῶμα, κατὰ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, ἢ τῷ περὶ ἓν μόριον τὰ μὲν ἔχειν ὑγιεινὰ, τὰ δὲ νοσερὰ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ, ἢ τῷ περὶ διαφέροντα μέρη.

Iuxta vero secundum significatum neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu natura contrariarũ simul est particeps dispositionum, aut scilicet in vna parte, aut in duabus differentibus. In vna quidem, si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundum vtramque, sed in formatione, vel magnitudine, vel numero partium, vel situ delinquat, aut contra in his quidem rectè se habeat, vel omnibus, vel quibusdam, peccat autem in temperatura. In differentibus vero partibus iuxta omnes oppositiones potest quidquam simul particeps esse contrariorum, & semper quidem tale, quod per omnes ætates in eodem perseuerat, vt multum vero, quod aliqua ex parte enariat. Ita vt nunc neutrum erit corpus, iuxta secundum significatum, quia vel parte in vna hæc quidem sibi salubria existunt, illa vero insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus.

Absolutis definitionibus neutri primæ significationis, aggreditur definitiones neutri, quod simul est particeps salubritatis & insalubritatis: docetque primum quomodo ista participatio fieri possit. *Fit*, inquit, *in vna parte, vel in duabus, idq; vel in sola temperatura, vel in sola structura partium organicarum, vel in vtrisq;*. In vna quidem parte, & in sola temperatura, si in calido & frigido sit salubre, in humido vero & sicco insalubre. In structustura vero partium organicarum, si in magnitudine, & conformatione sit salubre: in numero & compositione, sit insalubre: vel è contra, potest in vna parte tota temperies esse salubris, vel insalubris: in structura vero instrumenti contrarium fieri. In diuersis vero partibus contingit vnã partem salubrem esse in ipsa temperatura, & structura, aliam vero in his omnibus insalubrẽ. Quomodo vero definiat hæc neutra, iam videndum est.

Manardus confutatur.

Scribit autem Manardus Gal. ab initio definire simpliciter neutrũ, eo quod definit neutrũ, quod sine adiunctione dicitur. At cur idem non dicet de

neutro primi significatu? definit enim primo neutrum, quod sine aliqua adiunctione pronunciatur postea definit neutrum addito verbo *simpliciter*, quod neutrum simpliciter vocat. In neutro autem *vt nunc*, secundi huius significati, vtitur violenta & sibi repugnante interpretatione. Nam cum Gale. non ponat aliquam differentiam temporis, ille eam de suo addit, & cum ille *paulo antea* cum ageret de insalubribus dixerit, ea, quę vt núc talia sunt, posse etiam à generatione incipere, cur hoc loco differentiam inter hæc ponit: quod illa, quæ simpliciter neutra sunt, sint ab ortu, alia vero post ortum incipiunt? Quod si quibusdam id contingit, certè non omnibus. Quare relinquitur docendum id, ex quo differũt simpliciter neutra, à neutris vt nunc quę pariter, vt illa, ex primis corporis principiis suam originem trahunt. Quid vero & illud est, quod scribit ægritudinem vt núc, toto vitæ tempore durare posse? Quid enim ad rem præsentem pertinet, agere de ægritudine vt nunc: aut vbi mentio sit à Gale. de hac ægritudine? præsertim quod Manardus *in hoc libro*, in quo de his, quę vt nunc talia dicuntur sit mentio, dicat, nó de sanitate, & ęgritudine, sed de salubritate tractari, quæ longe inter se differre contendit. Quin etiam arbitratur Manardus affectionem neutram vt nunc, posse toto vitæ tẽpore durare: quod verbum, *vt nunc*, si sequatur vim illius, vt contendit esse faciendum *in vniuerso hoc libro*, non admittit. Nam vt postea Gale. ostendit, *nunc*, duo significat, vel *indiuisibile quoddam tempus*, vel *secundum aliquam latitudinem*: tanquam nunquam possit significare perpetuum quoddã vitæ tempus. Itaq; Manardus sibi non consentit: cum dicit, affectiones vt nunc, differre ab his, quæ sunt simpliciter, quod hæ à primo ortu incipiant: illæ vero sint acquisititiæ. Alibi vero concedit tum hanc, tum aliã affectionem ex primis principiis suam originem ducere posse: vult præterea simpliciter talia semper durare. De his vero, quæ vt nunc dicuntur, nó potest statuere durationis tempus: sed cum cogitur aliqua ratione, nunc vnum, nunc aliud asserit. Gal. vero in hoc etiam non seruat bonam definiẽdi rationẽ, nec omnes neutri huius species definit. Nam definitio, quam primo tradit, non conuenit neutro, quod est communo ei quod simpliciter & vt nunc est neutrum: sed ei, quod simpliciter est neutrum, quod ostendunt verba *ab ipso ortu naturæ*, quibus antea non est vsus, nisi in his, quæ simpliciter talia sunt, definiendis: postulat autem docẽdi ratio, vt primum neutrum huius significationis, postea simpliciter neutrum definiat. Præterea male definit semper neutrum, quod per omnes ętates in eodem statu perseuerat: vt multum vero neutrum, quod aliqua ex parte variat. Nam vt antea diximus, vna & eadem debet esse ratio definiẽdi opposita: & hæc, quo vtitur hic, non respondet signis & causis, nec seruari potest in neutris tertię significationis. Nec probari quidem potest definitio neutri vt nunc, huius significationis: quandoquidẽ nullam ponit hic differentiam inter hoc, & prędicta neutra huius significatus. Illa enim habent quædam salubria, alia vero insalubria: quod idem dicit de neutris vt nunc. Definientur autem commode hæc neutra ad hunc modum: *Neutrum secundæ significationis est, quod simul participat in vna, vel diuersis partibus de salubri & insalubri. Simpliciter vero neutrum est, quod æqualiter illa participat: vt nunc vero neutrum est, quod participat quidem sed non æqualiter: prorsus vero neutrum est, quod æqualissime sit illorum particeps: vt multum vero, sine non prorsus neutrum est, quod paululum recedit ab eo, quod æqualissime participat.* Ita n. seruatur definiẽdi ratio, & magna ponitur latitudo, in qua omnes species huius neutri locum suum habent.

Nunc duo significare.

Galenus notatur.

Quid neutrum secundæ significationis.

Montani autem opinio de his neutris plane est absurda. Ait enim neutrum per participationem extremorum esse, quando quis est sanus in vna parte, in alia neuter: non autem (inquit) vt alii volunt, æger. Veluti si quis habeat cerebrum optimè sanum, hepar vero imbecillum. Hæc & similia docet de corporibus neutris Montanus, quæ sunt à ratione aliena: nam neutrum ex neutro, fieri, absurdum est, & repugnans Gal. qui ex sano, & ęgro, aut ex salubri & insalubri, omne neutrum constare semper asserit. Præterea non de neutro hic agitur, quod fit ex sano, sed de eo, quod fit ex salubri & insalubri.

Montani opinio de neutris absurda.

Κατὰ δὲ τὸ τρίτον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα τὸ ποτὲ μὲν ὑγιεινόν, ποτὲ δὲ νοσερὸν ἐν μέρει γινόμενον, ὥσπερ ἐνίοις ὑπῆρξε. παῖδες μὲν οὖσιν, ὑγιεινοῖς γενέσθαι, νεανίσκοις δὲ γινομένοις, νοσεροῖς, ἢ ἔμπαλιν. ἐν ἑνὶ δὲ χρόνῳ τὸ οὕτως οὐδέτερον, ἀκριβῶς μὲν οὐκ ἐγχωρεῖ συστῆναι, κατὰ πλάτος δ' ἐγχωρεῖ. ἴσμεν δὲ ὅτι τὸ νῦν διχῶς λέγεται. τὸ μὲν οὖν ὑγιεινὸν καὶ νοσῶδες καὶ οὐδέτερον σῶμα ποσαχῶς λέγεται, καὶ ὁποῖον ἕκαστόν ἐστι, αὐτάρκως διώρισται.

Iuxta vero tertium significatum neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando vero insalubre existit, vt nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis vigent; cum vero ad iuuentutem peruenerint, insalubres euadunt, aut contra. In vno autem tempore quod ita est neutrum, consistere nequit, latius vero si accipiatur, contingit. Nouimus autem quod NVNC dupliciter dicitur. Salubre igitur & insalubre & neutrum corpus quotmodis dicatur, & quale vnumquodque sit, sufficienter explicauimus.

Quę à Gal. dicuntur de neutro tertii significati, euidenter vniuersa Manardi fundamenta euertũt. Contendit enim hic salubritatem & insalubritatẽ, aut neutralitatem simpliciter dictam nunquam posse amitti: cum aperte ipse cum Gale. *hoc loco* testetur, quosdam in pueritia salubres, & postea in aliis ętatibus insalubres, aut è contra reddi, fuisque maxima salubritate, aut insalubritate vexati maxima. Quos quidem simpliciter tales dicit esse, ad differentiam eorum, quæ vt nunc dicũtur: quæ in suo genere non sunt maximæ sed à maximo declinant: præsertim salubritas ipsa vt nunc, quã imperfectionem esse antea statuit. Sed n. commentũ hoc, quod ea quæ simpliciter alia dicuntur, debeat necessario hoc habere ab ortu, ostendit neutrum simpliciter tertiæ huius significationis. Non n. hoc incipit, sed salubre, vel insalubre primum, postea cũ

Manardi fundamenta euertuntur.

mutatio

mutatio fit ab vno ad aliud, mutatione ætatis aut ob alias causas, tunc neutrum incipit vocari: quia vtrunque simul sumitur, salubre inquã & insalubre. Ex quorũ cõsideratione, sumẽdo s. quod præcessit, & q; præsens est, neutrum euadit. Et illud quidẽ in suo genere, vt & alia omnia necesse est, vt simpliciter sunt. Vidit absurda Manardus q̃ hanc sequuntur opinionem de innata affectione simpliciter dicta, quamque nunc amitti posse contendit, sed parum feliciter argumentis respondet, quærens quomodo ea, quæ nascuntur salubria vel insalubria, simpliciter neutra dici possint. Respondet enim non posse reperiri corpus verè salubre, aut insalubre à generatione, quod in alia ætate mutet suam naturam. In quo euidenter Gale. repugnat, B qui dicit, salubres quosdam nasci, & in pueritia tales perseuerare, in aliis vero ætatibus insalubres fieri, nulla additione posita, quæ innuat, quod simpliciter est. Nam quod simpliciter pronunciatur salubre, aut insalubre, reuera tale est. Ait præterea fugiens argumentum, aliqua esse corpora, quę videntur in vna ætate salubria, in alia morbosa: quæ si à generatione hoc habeant, neutra simpliciter, alioqui vt nunc esse neutra. Atqui omnia hęc neutra necessario vnum habent à generatione vel salubre inquam, vel insalubre: quare distinctio vana. Fugit etiam alia ratione argumentum, dicens, neutrũ simpliciter tertii huius modi non secundũ veritatem, sed secundum ostensionem & apparẽtiam tantum reperiri. An nõ dixit antea, q̃ simpliciter talia sunt, reuera esse talia? adeo vt repugnet concedere neutrum esse simpliciter tale, & solum esse secundum apparentiam & ex nostra imaginatione. Construit & in hoc aliam chimeram, cum dicit, posse quempiam nasci non cum salubritate, aut insalubritate, sed cum alia qualitate, quæ corpus reddat in vna ætate aptũ, in alia ineptum ad ægritudinẽ, & hoc esse neutrũ tertiæ huius significationis. In hoc n. manifestè à Gal recedit, qui vult in hoc neutro corpus ab initio esse vel salubre, vel insalubre. Sed quo pacto nõ erit absolute salubris, qui ad sanitatem bonam est dispositus? Sunt & alia multa, quæ Manardus in expositione eius loci Gal. (in vno autem tempore) quæ facile refelli possunt. Sed hoc solum addam, illum sibi aduersari, cum ait verbum *nunc* significare vel inst ans & momentaneum tempus, vel certam partem exiguam, aliquid tamen amplitudinis habentem. Nã cum Gal. de eo *nunc* hic agat, de quo antea egit, & quærit, quomodo neutrum nunc in hoc significatu dari possit, nõ videt Manardus, se hoc loco dicere affectionem non dictam vel momentaneam solum esse, aut certe exiguã temporis amplitudinem habere: cum antea toto vitæ tempore eam durare posse tradiderit: sed vt dicere solet Aristot. *paruus error in principio, maximus est in fine*. Nam ista posita potentia pro salubritate, insalubritate, & neutralitate, cogitur Manardus multa audire absurda; à quibus cum vult se liberare, in grauiora incidit. Itaque cum hæc non placeant, videndũ est, quo pacto hæc neutra definiri possint. Gale. vt videre est, nequaquam potest omnes illius species definire. Id quod factum est, quia in aliis neutris definiendis rationem mutauit, quam in salubribus & insalubribus vsurpauerat. Nam *διὰ παντὸς* sumebat in his pro eo, quod est prorsus, in neutris vero pro eo, quod est semper: dictionem vero *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* pro eo, quod parũ recedit ab illo, quod

Galenum definiendi ratione neutra in neutris, tractationem suã vitiasse.

A est prorsus tale, sumebat in salubribus, & insalubribus: in neutris vero pro eo, quod non semper durat. Ita dictionẽ *vt nunc*, vsurpabat pro eo, quod vltimum gradum facit in latitudine salubrium, & imperfectionem denotat, in neutris vero tempus significare ostendit. Preterea in omnib. prædictis, quæ simpliciter sunt talia, præter rationem addebat, illa esse talia ab ortu. Ex quibus quidem fit, vt nequeat neutra definite, quę sunt tertiæ significationis, simpliciter, prorsus, & non prorsus, & nunc talia: vt satis patet ex illius tractatione, quæ omnia hæc intacta relinquit, id quod factum est, quia definiendi rationem, quam prius posuit, violauit, & eam, quam in neutris temere intexit, non potest in omnibus obseruare: quod quidẽ in his neutris quilibet dignoscere potest. *Nullum praterea est neutrum, quod vt nunc sit neutrum, quia omne neutrum huius significationis in præsenti tempore, est vel salubre vel insalubre*: quare Gal. in his euidẽtissimè errauit, nec potuit principia ab initio tractationis posita seruare, nec tractationem mutata definiẽdi ratione absoluere, nec quæ consona sint sequentibus signis inquam & causis, docere; & tradit, quæ nullius sunt vsus in arte nostra, quæ quidem mortem non expectat, aut quod per mutationes omnium ætatum contingit, sed statim omnibus suam operam pollicetur. Redeundum itaq; est ad primam definiendi rationem & significationem C hatum dictionum. Dicimus ergo, his positis, *neutrum esse in tertia hac significatione, quod aliquando est salubre, aliquando insalubre: simpliciter vero neutrum erit, quod toties participat de salubri, vt de insalubri: vt nunc vero neutrum, quod participat quidẽ, sed non toties de vno, quoties de alio: toties vero participare, habet breuem quandam latitudinem*. Nam vel omnino toties de vno, quoties de alio fit participatio, aut leuis aliqua differentia est: *illud erit prorsus, quod scilicet parum ab eo declinat*. Nam vt in neutro primæ significationis, quod erat mediũ sine aliqua participatione, ex eo, quod esset exactè, nõ exactè, exactissime, & parũ ab exactissimo recedẽs, ponebantur omnia neutra, q̃ sub ea significatione continebantur, & in secunda significatione D ex æquali, inæquali, æqualissima, & non prorsus æqualissima participatione satis commodus, & amplus dabatur locus omnibus speciebus illius neutri: sic in tertia significatione, quæ fit ex successione & participatione salubris & insalubris, non potest aliter fieri latitudo, in qua ponantur hæc omnia neutra, quam eo modo, quem diximus. Quibus quidem ita positis, retinentur principia, vna & eadem seruatur docendi ratio, explicaturque latitudo magna, quam dicit esse Galen. in corporibus salubribus, insalubribus, & neutris, fitque tractatio, quæ respondet signis & causis. Nec opus quidem est vanas falsasque tabulas & E figuras Acachiæ & Manardi, in quibus illi salubria, insalubria, & neutra mille modis confundũt, magno labore exquirere: cũ omnia hæc sint re, & ratione distincta, adeo, vt mutuo inter se confundi nequeant: vt nequit esse idẽ bene, & male & medio modo sanũ. Quare superest, vt huic libro finẽ imponamus: hoc solum addentes, quod nonnullos torquet: quo pacto, inquam, fiat, vt corpora salubria, insalubria, & neutra cadant in morbum, aut ab eo ad sanitatem redeant: Credunt enim illi, corpora bene sana, & salubria primo fieri neutra, deinde salubria, postea vero in morbum ruere.

Neutrum tertia significationis.

Eodem pacto transitum fieri à morbo ad insalu- A
britatem, neutralitatem & salubritatem, si vsque ad eam sit perueniendum: media enim esse inter illa neutram & pessimam sanitatẽ, cum itur à bona sanitate ad morbum vel ab hoc ad illam: Verũ non ita res habet, sed cum quispiam à sanitate sua recedit, ad morbum vadit per neutrum, quod est medium inter sanum & ægrum. Pullulant enim in illis statim causæ morborum, in quo statu non est neutra illa dispositio, de qua modo egimus, nec insalubritas, sed neutrum, quod vocant decidentiæ. Habent quidem insalubria & neutra corpora, quæ media sunt inter salubria, & insalubria, deteriorem sanitatem, quam salubria: verum illa non sentiunt capitis grauedinem, nauseam, corporis grauitatem, aut alia accidentia, quæ præcedere solent instantem morbum: hæc autem patiuntur teste Gal. neutra inter sanum & ægrum. Eadem ratione qui à morbo conualescunt, non acquirunt primum insalubritatem & neutralitatem mediam inter salubritatem, & insalubritatem, quæ sunt sanitates in habitu, sed neutralitatem, quam vocant conualescentiæ: per hanc enim quilibet à morbo ad sanitatem redit, & in ea sistitur.

IOAN-

IOANNIS ARGENTERII IN CLAVDII GALENI PERGAMENI ARTEM MEDICINALEM COMMENT. II.

DE SIGNIS.

Cap. VII. De Signis Salubribus.

Περὶ δὲ τῶν σημείων ἐφεξῆς ἂν εἴη ῥητέον. ἔστι δὲ καὶ τούτων ὑγιεινὰ μὲν ὅσα τῆς τε παρούσης ὑγιείας ἐστὶ διαγνωστικά, καὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι προγνωστικά, καὶ τῆς προγεγενημένης ἀναμνηστικά· νοσώδη δὲ τά τε τῆς παρούσης νόσου διαγνωστικά, καὶ τῆς προγεγενημένης ἀναμνηστικά, καὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι προγνωστικά. κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ τὰ οὐδέτερα, τά τε τῆς οὐδετέρας διαθέσεως διαγνωστικά, καὶ προγνωστικά, καὶ ἀναμνηστικά· καὶ τὰ μηδὲν ὅλως δηλοῦντα περὶ διαθέσεων, ἢ τὰ μηδὲν μᾶλλον ὑγιεινὴν, ἢ νοσερὰν δηλοῦντα διάθεσιν· καὶ τὰ κατά τι μὲν ὑγιεινὴν, κατά τι δὲ νοσερὰν δηλοῦντα διάθεσιν· καὶ τὰ ποτὲ μὲν ὑγιεινὴν, ποτὲ δὲ νοσώδη. καὶ ταῦτα δὲ κατὰ τοὺς τρεῖς χρόνους ὁμοίως τοῖς ὑγιεινοῖς, καὶ νοσώδεσι.

De Signis vero deinceps agendum. Sunt autem & ex his salubria quidem, quæcunque præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subiiciunt. Insalubria vero, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subiiciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant & memoriæ subiiciunt, & quæ nihilomnino de dispositionibus indicāt, vel nihilo magis salubrem, quam insalubrem dispositionem ostendunt, & partim quidem salubrem, partim vero insalubrem indicant dispositionem, & quæ aliquando quidem salubrem, aliquando vero insalubrem, & hæc quoq; secundum tria tempora veluti salubria & insalubria appellantur.

CVM Tria potissimum sint A capita, quæ in hoc Opere explicantur, corpora scil. signa, & causæ, quatenus hæc sunt salubria, insalubria, & neutra, posteaquā Gal. tractationem de corporibus absoluit, docuitq; quot sint differentiæ corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum, & singulas differentias definiuit, (his enim duobus solum tractationem de corporibus est complexus) ad secundum caput nunc transit, quod est de signis; siquidem post corpora, de signis agendum esse antea proposuit. In qua quidem tractatione hanc docendi methodū & ordinem seruat, vt primo definiat, quæ sint signa salubria, insalubria, & neutra: secundo inter se comparat, quæ præsentem statum indicant, cum his, quæ præteritum memoriæ subiiciunt, aut futurum prænunciant: tertio docet à quibus signa sumantur, & illa primum accommodat corporibus prorsus salubribus, deinde aliis salubribus, & postea neutris & insalubribus, idque generatim. Postea autem relicta tractatione de signis totius, ad partium principalium signa transit, docetque, quonam modo temperaturas & constructionem illarum cognoscere possimus. Quo facto & iam habito ex quo liceat totius corporis temperiem dignoscere, redit ad totius corporis temperiem, & propria cuiusque temperaturæ indicia tradit. Quo peracto, quarundam partium non quidem principum & principiorum aliarum, sed quæ tamen magni sint momenti, nempe ventriculi & pulmonis temperaturam docet, & ex propriis signis, quales illæ sint, explicat. Deinde rara quædā vitia enarrat, quæ ex prima conformatione in nonnullis partibus, nempe in vesica & homine pituitoso vomente bilem fieri vidit. Postea ad signa insalubria transit, docetque primo signa corporis ægrotantis, deinde partium principalium, de quibus antea egit, exceptis testibus: & sic consumit genus insalubrium signorum, quæ præsentem morbum ostendunt. Posthæc ad alterum genus accedit, nempe ad insalubria, quæ futuram ægritudinem portendunt. Postremo de signis, quæ in morbis sanitatem prænunciant, id est, de signis salubribus agit, quæ post morbum futuram sanitatem nunciant. Neutra vero signa, quæ lapsuros in morbos significant, complectitur, cum signa insalubria tradit indicantia futuram ægritudinem. Præsentem enim dispositionem ostendunt neutram, & futurum morbum monstrant, & illa ratione neutra, hac vero insalubria nuncupantur. Omittit autem neutri corporis, & neutrarum partium inter salubria &

Ordo verò quæ in hoc secundo commentario docentur.

insalubria, id est, benè & malè sana proprias notas, quoniā fortè ex extremis intelligi ea posse putaret. Quinetiam prætermittit signa neutrius conualescentiæ, & senilis affectionis: quos status, vt eum, qui paratus est cadere in morbum, inter sanum & ægrum neutros postea ponet & antea posuit in medicinæ definitione. Omittit & multa alia, quæ fortè non sunt huius tractationis, sed certè talia sunt, vt à Medico ignorari non debeant: quæ quidem nos (vt qui accepta ex hoc opere occasione vniuersam tractationem traditam in aliis operibus explicare instituimus) nequaquam dissimulabimus. Verum illa non prosequemur ad vnguem, quod in opere nostro de signis edito fecimus, sed potius ex illo capita solum assumemus. B Primum ergo de vtilitate & difficultate tractationis de signis agemus: secundo quid signum sit definiemus: tertio, quænam oporteat per signa cognoscere, indicabimus: quartò genera & differentias signorum trademus: quinto signorum fontes aperiemus: sexto vim signorum ostendemus: septimo monstrabimus, quot possint esse in vnaquaque re signa: octauò, qua ratione oporteat Medicum signa inquirere insinuabimus: postremo, quæ signa sint in vnaquaque re numeranda, & à quibus incipiendum exponemus.

Ordo autoris.

1 Porrò signorum tractatio dignissima est & vtilissima. Videtur enim diuinum quidpiam præstare Medicus, dum latentes affectus præsentes per signa dignoscit, aut commemorat, quæ C præcesserunt, aut prænunciat, quæ futura sunt. Est vero vtilis hæc tractatio per se, ad res abstrusas dignoscendas, tum vero necessaria ad omnia Medici officia obeunda. Neque enim curare, aut præseruare, aut aliud facere potest Medicus, nisi per signa ea cognoscat, circa quæ versatur illius officium. Confert huiusmodi cognitio Medico ad gloriam & famam comparandam. Item ad reddendos obedientes & constantes ægrotos, eo quod illi admirentur professores Medicinæ, quos vident in hac parte excellere. Facit etiam hæc ad vulgi insaniam & calumnias euitandas cum euentum prædicimus: necnon ad autoritatem remeD diorum retinendam; quandoquidem in illis vtetur tantummodo Medicus, quibus ea profutura præuidet. Cæterum siue signum, siue indicium vel notam appelles, nihil refert.

De vtilitate ac necessitate tractationis de signis.

Sumimus autem hoc loco signum latius, quam faciat Aristot. ille enim signum vult solum sumi ab effectis, vt cum dicit fumum esse signum ignis: capit & aliquando signum pro propositione demonstratiua, necessaria, vel probabili, vt *in fine primi libri priorū Analyt.* quomodo etiam nos hic signum non sumimus. Nec intelligimus signum, quod sensui est prius notum, vt Drusianus sentit. Nam à causis Galenus passim signa sumit, & à rei essentia, quæ quidem solo intellectu comprehenduntur. Sed signum dicimus esse in arte nostra id, E *quod potest aliquid significare eorum, quæ fiunt in nostro corpore.* Est autem significare, *tacitè admonere vnum ex alio:* fit vero tacita hæc admonitio ex comparatione rei significantis cum significata. Simul enim atque facta est huiusmodi comparatio, deprehendit intellectus, quod quærebat: qua ratione ex fumo significari ignem dicimus. Nam cum notum sit, effectus à suis causis nasci, non mirum est, si vno cognito, aliud protinus animus concipit, id, quod est significare.

2 Signum quid. Significare quid sit.

A Porrò per signa cognoscere oportet quæcunque eueniunt nostro corpori: quorum quædam sunt secundum naturam, alia præter naturam, alia media: & in singulis aliud est, vt causa constitutionis, aliud vt constitutio, aliud vt effectus constitutionis. Item in omni statu aliquid est, quod in suo genere est summum, aliud, quod ab illo recedit: veluti in statu secundum naturam constitutio talis est sanitas, illius causæ sunt causæ constitutionis & sanitatis. Accidentia vero sunt, quæ sequuntur sanitatem: in ipsa vero sanitate est bona quædam sanitas, quæ salubritas dicitur, alia mala, quæ vocatur insalubritas, alia inter hæc media, & neutra nuncupatur. Iam vero in statu præter naturam cognoscere oportet morbum, causas morbi, & effectus, siue symptomata. De morbo vero necessarium est cognoscere illius naturā, genera, differentias, partes, locum, in quo residet, generationis rationem, finem, modum, tempus, quo ad finem perueniet, solutionis qualitatem, locum solutionis. De causa vero morbi cognoscere oportet, qualis illius natura, quod illius genus, quæ differentia, quo loco contineatur, quomodo morbum gignere, augere, fouere, & expelli ipsa valeat. At de symptomatis scire necesse est, quod sit symptoma, cuius generis, & differentiæ sit, quo loco contineatur, quas partes affligat, à quo proueniat, quomodo gigni abigique possit. Hæc omnia oportet cognoscere, cum sunt præsentia, præterita & futura.

3 Quæ per signa cognoscere oporteat.

In morbo quid inquirendum.

Quid in causis. Quid in symptomatibus.

Signa Gal. diuidit hic in salubria, insalubria, & neutra: quæ diuisio fortè operi est accommodata, sed in medicina non satis generalis, quippe cum non possint omnia, quæ in ea tractantur, ex signis his dignosci. Præterea ex certo principio & certa methodo non procedit diuisio, ita vt intelligere possimus, non plura, nec pauciora signa esse. Sumentur autem genera & differentiæ signorum ex rebus, quæ significantur, ex rebus significantibus, & ex significandi modo. Significantur porro res secundum naturā, aliæ præter naturam aliæ, neutræ: vnde signa quædam dicuntur esse secundum naturam, alia præter naturam, alia neutra, quæ scilicet illa significant. In statu porro secundum naturam, quæ significant sanitatem, sana dicuntur, quæ bonam sanitatem, salubria, quæ malam, insalubria quæ vero mediam inter bonam & malam ostendunt, dicuntur neutra. At in statu præter naturam, quæ morbi naturam patefaciunt, Pathognomonica, id est, passionem significantia vocantur signa, quę autem morbi magnitudinem & mortem indicant, Assidētia nuncupantur: quæ autem declarant tempora morbi ex materiæ concoctione, signa cruditatis & concoctionis appellantur. Signa subitam mutationem ostendentia in morbis, critica, id est, indicatoria appellantur. Signa quæ ostendunt corpus ægrotare, ægra: sicut neutra dicuntur, quæ ostendunt statum medium inter sanum & ægrum. Quæ vero salutem, aut mortem prænunciant, salutaria & lethalia dicuntur. Signa, quæ causas sanitatis & illius effectus, morbique causas, genera, & differentias locum, in quo residet morbus, & per quē soluitur, & generationis rationem, & resolutionis qualitatem, quæ subito non fit, monstrant, & omnia, quæ sunt in neutro statu, nomine simplici carent.

Signorum diuisio.

4 Signorum genera & differentiæ.

Signa Pathognomonica. Assidentia. Cruditatis & concoctionis.

carent, ac exprimuntur additione eius, quid significatur, vt cum dicimus, signa hæc sunt, quæ ostendunt causam sanitatis, aut causam morbi. Quæ autem monstrant, quæ præsentia sunt, demonstratiua, quæ prænunciant futura, prognostica, prædictiones, & præsagia nuncupantur. Iam vero significandi modo differentiæ sumuntur, vt cum dicimus, quædam esse, quæ semper idem significant, vt bonum, sicut concoctionis signa; vel malum, vt signa malignitatis morbi. Alia vero sunt, quę vno tempore bonum, alio malum ostendunt, vt decretoria signa; alia quæ indifferens significãt, vt cubare per febres in latere dextro, vel sinistro. Alia præterea significant vt communia signa; alia vt propria, alia vt mediata, alia vt immediata, alia sua natura, alia aliorum ratione, alia magnam vim in significando habent, alia paruam, alia certam, alia incertã. Sumuntur enim omnes istæ differentiæ à modo significandi. Cæterum à rebus significantibus differentia signorum hæc sumitur, cum dicimus, quædam signa esse, quæ ab essentia rei, alia, quæ à causis, alia, quæ ab effectis rerũ ducuntur. Atque hęc quidem sufficiant de generibus & differentiis signorum.

Demonstratiua. Prognostica. Decretoria.

6 Fontes vero signorum *sequenti cap.* cum Galen. docebimus.

Signorũ vis. Cæterum vim signorum cognoscet is, qui imprimis separabit ea, quæ significare nequeunt ab his, quæ id facere possunt, & in his quidẽ notabit, quid vnumquodq; significare, & quid à quo significari, & quo modo possit: quæ omnia *primo libro de signis* sumus latius prosecuti.

7 *Quot in vnaquaque re signa esse possint.* Iam vero tot possunt esse in vnaquaq; re signa, quot sunt effectus & causę rei, de qua agimus: necnon colligi possunt ab ipsa rei natura indicia, & rerum similitudine & proportione.

8 *Qua ratione medicus debeat signa inquirere.* Medicus signa inquiret, quæ potest ex seipso: alia vero partim ab ægroto, partim ab astantibus.

9 Enumerabit autem in vnaquaque re signa solũ, quæ sunt propria, si illa adsint, aut sufficiant, alioqui adiunget communia, quæ cum propriis iuncta, fidem facere possunt de eo, quod quærimus. His quidẽ ita præmissis, facilius licebit intelligere, quæ scribit in textu Galenus.

Signa salubria, insalubria, & neutra aliter dici à Gal. quã corpora salubria. Atq; illud in primis patere arbitror, cum signa salubria, insalubria, & neutra non sumere eo modo, quo sumpsit corpora. Nã corpora salubria dicebat esse, quę bonam habent sanitatẽ, insalubria, quæ malam, neutra quę mediã obtinent. Hic vero signa salubria definiuntur, quæ *ostendunt* sanitatẽ, & non solum *bonam* declarant: insalubria vocãt, non, quæ insalubritatẽ id est, malã sanitatem, sed morbũ ostendunt. Capit ergo salubre, insalubre, & neutrum in signis, vt accepit in definitione medicinæ pro sano, ægro, & neutro inter sanum & ægrum. Licet præterea hic videre quatuor, & non solũ tres neutri significationes, quod antea quoque annotauimus. Definit rursus signa salubria, insalubria, & neutra, quoniam nõ satis antea illorũ naturã expresserat. Signũ enim salubre eo loco definiebatur, quod sanitatẽ indicat: verum cũ possit indicare præsentem, præteritã, & futuram, non satis constabat in ea definitione, an signũ salubre esset, quod vel presentẽ solũ, vel preteritã, & futurã ostẽderet. Eadẽ est ratio de insalubrib. & neutris. Ambiguitatẽ ergo illam hoc loco ex clariore definitione tollit, cũ dicit, huiusmodi signa intelligi ita, vt ostendãt, quod presens, præteritũ, & futurum.

A Sunt ergo signa salubria vno modo quæ *indicant sanitatẽ*: cuius generis sunt quæcumq; naturalẽ dispositionẽ sequũtur, vt actiones corporis & animi secũdũ naturã, & quæ ex bonis actionib. sequũtur, vt corporis habitus bonus, color bonus, excremẽta qualitate & quantitate bona & suis tẽporibus exeuntia. Signa futurã sanitatẽm demonstrantia dicuntur, quæ, cum ea præsens non sit, aduenturam tamen prænunciant. Sunt autẽ ea, quęcunque naturam supra morbosas causas dominari ostendunt, vt cõcoctionis signa in vrina & excrẽmentis, partis affectę virtus robusta. Hæc autem à particularibus multis sumuntur, cum signa omnia prognostica salutis ab Hippocrate *in prædictionib.* tradita, & à Gal. *variis in locis*, ad hoc genus pertineant.

Quæ sint signa indicantia sanitatẽ.

Signa futuram indicãtia sanitatẽ.

B Signa vero præteritam sanitatem memoriæ subiicientia sunt, quæ per morbos adhuc tanquã præteritæ sanitatis affectus apparẽt, vt solida corporis moles, robur virium, color secundum naturam, & denique quæ solum à sanitate fiunt.

Signa præteritã sanitatẽ commemorantia.

Iam signa insalubria, quæ præsentem indicant morbũ, generatim, sunt læsæ præter naturã actiones, speciatim, propria cuiusq; morbi signa; vt febrẽ, calor mordax totius corporis, pulsus celeriores ostendũnt, & vt semel dicam, quæ morbum sequuntur, vt illis positis, & ablatis alia ponantur, & auferantur.

Signa præsentis morbi.

Signa, quæ futurũ morbum prænunciant, sunt, inquit, Galenus, *quæcunque neutrum statum præsentẽ ostendunt.* Intelligere autem oportet neutrũ statũ, C non eum, qui est inter salubrem & insalubrem, sed inter sanitatem & morbũ, vt ex eo capite patet, vbi dicit, neutrum ea ostendere, quæ media sunt inter sanitatem & morbum. Nec omne quidem neutrũ inter sanum & ægrum potest morbum prænunciare. Nã conualescentes & senes ponuntur in eo statu, quorum tamen indicia nullum imminentẽ morbũ præsagiũt: sed neutrũ intelligere debemus, quod recentiores vocant neutrum decidentiæ. Est autem, vt *eodẽ loco* tradit, duplex eorũ, quæ neutris corporibus insunt, natura. Alia. n. ex illorũ genere sunt, quę sunt secundũ naturã, sed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel tẽporibus mutata. Alia vero ex his, quę preter naturã, sed minora his, quę morbis accidunt. Ex priore genere sunt ciborũ appeti- D tus auctus vel diminutus, aut non seruans tempus suũ consuetũ. Sic excrementorũ qualitas, quantitas, aliquo modo à naturali statu mutata, & tẽpus illorum mutatũ: & sic de aliis actionibus, vt de somno, & vigilia, & corporis accidentibus secundũ naturã mutatis aliquantulũ à naturali statu, res intelligatur. Secundi generis sunt morsus ventris, dolor vel capitis, vel alterius partis qualitates sensibiles, vt amaror in lingua, asperitas in tactu, sonitus in auribus & alia huiusmodi, de quibus abunde Galen. *capite 82. huius* agit.

Signa futuri morbi.

Signa quæ præteritũ morbum memoriæ subiiciunt, quænam sint, nemo generali aliqua ratione E conatur ostendere, vt hi, qui dicunt, vires imbecilles conualescentium id ostendere. Non enim solæ vires imbecilles, sed & alia multa id significãt, vt corporis habitus, mutatio in colore, & aliis qualitatibus. Nec certè facilè est generale aliquid tradere: videtur tamen mihi ita dici posse, quod sint morbi effectus, qui ab ipso morbo separari possunt: sunt autem isti secundarii effectus morbi, vt, verbi gratia, febris ipsa primo calefacit corpus, ad calefactionẽ hanc præter naturã sequuntur eorum

Signa commemorantia morbũ præteritum.

poris extenuatio, humorũ consumptio, natiui coloris mutatio, virium imbecillitas. Calor ergo pręsentẽ morbum indicat, non præteritũ. Quæ autẽ à calore facta relinquuntur, ablato ipso calore & febre, pręterisse febrem ostendunt. *Primarii ergo morbi effectus præsentẽ morbum indicant. Secundarii autem, aut etiam nonnulli ex primis diminuti præcessisse commemorant*, vt viriũ imbecillitas totius corporis, quæ febrem sequitur, morbum totius corporis indicat, cum tanta imbecillitas est, quantum præsens morbus requirit. Præcessisse autem eum ostendit, cum tanta nõ est imbecillitas, vt omnino cessare cogatur homo à solitis officiis. Verũ cum par imbecillitas in his, qui lapsuri sunt in morbũ, reperiri possit, vt in illis, qui à morbo conualescũt, nõ ex sola imbecillitate diuinare poteris hũc magis morbo laborasse, quã laboraturũ: Id quod fiet signis propriis additis. Sunt enim quædã signa, quæ sequũtur eos, qui conualescũt, vt gracilitas corporis, coloris mutatio magna, quæ etsi aliquando etiam sunt in his, qui in morbum lapsuri sunt: insigniora tamen sunt in his, qui conualescunt. Signa etiã addi possunt, quæ non solum præteritũ morbum, sed morbi causam præteritã memoriæ subiiciunt, veluti cum Gal. ex signis in corpore apparentibus in diariis febribus colligit, à quibus causis vnaquæque illarum excitata fuerit. Siccitas enim maior, quam pro ratione febris, tristitiam febris causam fuisse ostendit: calor vehementior, irã: faciei tumor & decoloratio vigiliã. Postulat quoque ratio, vt signa tradantur, quæ neutrũ inter salubre & insalubre ostendunt præsens, præteritum, & futurum: secundũ omnes neutralitatis modos, quod à Gal. prætermissum esse miror. Tradit enim ille *in sequenti capite* signa neutralitatis, sed non eius, quæ est inter salubre, & insalubre, aut certe non secũdum omnes significationes & tempora. Nos fortè hæc inferius prosequemur.

Καλεῖται δὲ ἐνίοτε πρὸς τῶν παλαιῶν ἰατρῶν ἅπαντα ταῦτα τὰ σημεῖα, προγνωστικά, καίτοι [illegible] ὄντα, ἢ [illegible] ἢ δηλωτικά.

Vocantur autem nonnunquam à vetustioribus Medicis hæc omnia signa prænuntiatiua, quamuis præsentium ac præteritorum indicatiua.

A veteribus Medicis omnia hæc signa, quibus scilicet præsentes status agnoscimus, & præteritos memoriæ subiicimus, & futura prenũtiamus, prognostica siue prædictiones & præsagia vocari scribit, quod apud Hippocr. statim *initio primi libri prognosticorũ* intelligere licet. *Si enim* (inquit) *Medici præsentia, præterita, & futura prognosticare siue præsagire poterunt, admirabiles existimabuntur*: Illic enim (vt patet) præsentia & futura prædici ait. Et sanè ita commodè appellari possunt omnia signa, quoniã prædicere nihil aliud est, quàm *rẽ aperire, & verbis declarare, antequam alius quicquam dicat & detegat quod est occultum.* Vnde Medicus dicitur prædicere morbum præteritum, cum dicit, qualis morbus præcesserit, nõ expectata relatione ipsius ægri, aut astantium. Sic præsentem cum detegit affectum, aut futurum euentum morbi, aut morbũ ipsum prænuntiat venturũ, prædicere dicitur. Recentiores tamẽ Græci, vt Gal. prædictiones & pręsagia ad futura solum accõmodant, & certè aptior videtur esse significatio. Dicitur enim verè prædicere, qui antequam res fiat, fore nunciat: qui autẽ pręteritum dicit, ille non prędicit, sed potius commemorat. Sic qui præsentia agnoscit, cognoscere dicitur, non commemorare, aut prædicere.

Prædicere quid. | Commemorare quid.

Καὶ ἡ χρεία μεγάλη μέν τῶν διαγνωστικῶν τε καὶ προγνωστικῶν, ἐλάττων δὲ τῶν ἀναμνηστικῶν.

Vsus vero non paruus, ex prænunciatiuis atque indicatiuis, minor autem ex his, quæ memoriæ subiiciunt.

Posteaquam Galen. definiuit singula genera signorũ, nunc illa inter se comparat, dicitque vtiliora esse indicatiua & prognostica memoratiuis. Sed rationẽ hic non docet huius rei, quod facit *libro 1. prædictionum*, quo loco scribit memoratiua solum esse vtilia Medico ad honorẽ & famam cõparandã: alia vero vtilia esse & Medico & ægrotanti. Verũ nec eo loco causam reddit, qua fiat, vt quædã Medico duntaxat, alia vero etiam ægrotis vtilia sint. Mihi certe non videtur in his aliqua esse diuersitatis ratio. Nam si ea ægrotis vtilia censemus esse, quæ ad eorum sanitatem recuperandam faciunt, merito dicemus esse illis vtilia signa memoratiua, quoniam ex illis cognoscimus causas & effectus, qui præcesserũt, ex quib. dignoscitur natura dispositionis in corpore ab illis derelictæ, quib. cognitis, postea curatio rectè instituitur. Medico vero hæc omnia æquali modo ad honorem & famam cõparandam conferunt. Ita eum admiramur, cum præterita commemorat ac si præsentia agnoscat, vel futura prænunciet. Nec solum quidem in ægrotis, vt Galenus facit, sed in omni alio corporis statu signorum vtilitatem metiri oportet. Nam cum Medicus debeat prçsentem sanitatem conseruare, absentẽ restituere, & præcauere ne in morbos ruat, necesse est, vt qui illa rectè præstare possit, cognoscat, quæ præsentia sunt in corpore, futura & præterita. Sed hæc *in libro secundo*, de signis diligentius ostendimus. Quærit hoc loco Curtius, cur Galenus signa, vt corpora, non diuiserit in simpliciter, & vt nunc talia, dicitque non parem esse rationem: quoniam corpora simpliciter talia dicuntur esse, quæ sunt à natiuitate, signa autẽ ægritudinis à generatione talia non esse. Verum eum fefellit definiendi ratio in corporibus, quod generationẽ spectaret in his, quæ sunt simpliciter talia: per acquisititiam vero sanitatẽ definit et vt nũc talia. Nã vt nos antea ostendimus, & Galenus statim testatur, differunt hæc solum per magis & minus, docetque regula oppositorum, eandem esse rationem in signis & signatis. Erunt ergo signa simpliciter salubria, insalubria, & neutra, quæ corpora simpliciter talia ostendunt: vt nunc vero salubria, insalubria, & neutra signa, quæ vt nunc dispositionem declarant. Eadem est ratio de signis prorsus, & non prorsus salubribus. Nam signa vt diximus ad signata referenda sunt: quod & Hippocrates ipse *in prædictionibus* ostendit dum notat, quædam esse signa bona, alia optima, alia semper bona, alia non nisi in certis temporibus: alia rursus esse mala, & inter hæc quædã pessima, alia lethalia, alia, quæ etiam propinquam mortem ostendunt: quæ omnia docẽt dari gradus in signis, sicut in affectionibus corporum. Eadem est ratio de causis salubribus, insalubribus, & neutris.

Signa simpliciter salubria, insalubria, & neutra. Vt nunc.

Omnes

Ὄντων δὲ σωμάτων ὑγιεινῶν τῶν μὲν ἁπλῶς, τῶν δὲ ἐν τῷ νῦν ἅπερ δὴ, καὶ ὑγιαίνοντα λέγεται· τῶν ἁπλῶς ὑγιεινῶν σωμάτων, διττὴν ἔφαμεν εἶναι τὴν διαφοράν. τῶν τὰ μὲν διὰ παντὸς ὑπάρχειν τοιαῦτα, τὰ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. διὰ παντὸς μὲν ὅσα τὴν ἀρίστην ἔχει κατασκευήν· ὡς τὸ πολὺ δὲ ὅσα μὴ πολὺ ταύτης ἀπολείπεται.

Cum vero sint salubria corpora hæc quidem simpliciter, hæc vero vt nunc, quæ & bene valentia dicuntur, salubrium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam, quoniam nonnulla quidem semper, nonnulla vero vt multum essent talia: & semper quidem, quæ optimam constitutionẽ sunt sortita; vt multũ vero, quæ non magnopere ab illa recedunt.

Repetit Galenus salubrium corporum differẽtias, vt illorum notas tradat. Qua in re notare illud oportet, quod antea diximus, vt nunc salubria non habere malam sanitatem, quæ insalubribus conuenit, aut acquisititiam, vt Manardus & alii sentiunt: quippe cum Galen. huiusmodi corpora non alia ratione exprimat, quã quod bene valentia sint. Item quod scribit semper & vt multũ salubria corpora, legere oportet prorsꝰ. & nõ prorsus, vt euidenter ostendunt illorum definitiones: nam quod optimã habet constitutionẽ, semper tale nõ est: quippe cum optima cõstitutio teste Gal. in *lib. 1. de sanitate tuenda*, vel non detur, aut si aliquando reperitur, minimo temporis spatio duret. Quod autem prorsus salubre est, optimam habet constitutionẽ, & ita hic definitur nulla temporis & durationis facta mentione. Quinetiam illud patet, quod antea admonuimus, simpliciter talia nõ dici, quod ab ortu necessario dici debeant esse, q̃ sunt, sed quod in suo genere perfectionem obtineant. Nam quæ prorsus, & non prorsus salubria sunt, & simpliciter salubria, nulla ortus facta mẽtione hic apertè definit ex solo perfectionis gradu maiore & minore: qui locus diligenter notandus est, vt qui principia ponat totius huius tractationis, & aliorum chimęras refellat.

Optimam constitutionẽ vel non dari vel breui durare.

CAP. VIII. De signis optimæ constitutionis.

Τὰς διαγνώσεις δὲ αὐτῶν ἀπό τε τῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὸν τῆς οὐσίας αὐτῶν λόγον χρὴ ποιεῖσθαι, καὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης τούτοις ἑπομένων ἐνεργειῶν τε καὶ συμπτωμάτων, ἃ δὴ καὶ συμβεβηκότα καλοῦμεν ἰδίως.

Horum autem dignotiones sumendæ sunt ab his, quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, casibusque, qui & propriè accidentia vocantur.

Posteaquam definiuit & diuisit signa, nunc docet, à quibus fontibus illa ducantur, & postea illa accommodat corporibus primũ salubribus, vt quę regula sint aliorum. Et quoniam inter salubria, quod saluberrimum est, ad alia eandem rationem obtinet, ideo omnium primum docet, ex quibus signis possit dignosci corpus saluberrimum. Ac nõ solum quidem hi fontes signorum accommodantur corporibus sanis, sed etiam ægris, & neutris, in-A ter sanos & ægros, & si nonnulli contra oppositorum rationem aliter sentiunt. Dicit ergo, signa sumi ab his, quæ secundum essentiæ rationem corporibus insunt, id est, ab his, quæ sunt de essẽtia & substantia ipsorum corporum, & hic vnus est fons signorum: alius, inquit, sumitur ab his, quæ ex necessitate consequuntur essentiam corporũ. Sunt autem hæc, operationes & symptomata, quæ & propriè accidentia vocari scribit; addit autem accidentia necessario consequentia, signa esse: quoniam accidentia, quæ ab extrinseco corpori adueniunt, vt nigredo à sole, ostendere nequeũt, qualis sit corporum essentia: actiones verò structurã necessario sequuntur: quare nõ propter actiones addidit B *necessario consequentia*: quanquam & illę (vt postea ostendemus) præsertim quæ in nostra sunt potestate, educatione immutari possunt. Quare nec illæ semper sequuntur essentiam corporis, & partium, à quibus eduntur. Errat autẽ Monachus, qui dicit illa esse secundum essentiæ rationem, quę ingrediuntur definitionem substantiæ corporum, prout sunt sana. nam in definitione corporis sani & ægri, ingreditur actio, quam Gal. separat hic ab his, quæ sunt secundum essentiam. Præterea incerta esset ratio signorum: quippe cum vario modo definiri possit sanitas & morbus, nempe à priori & posteriori. Quæ autem vocat [illegible] symptomata, interpretatur Celsus casus: & nos vocamus accidentia, quæ illi συμβεβηκότα nuncupant. C Quæ duæ dictiones Græcè si illarum etymologiam spectemus, idem significant: & hic pro eodem vsurpantur: vt plurimum tamen *accidentia dicuntur de sanis: symptomata vero de ægrotis*. vt videre est apud Gal. *in primo Method*. Refellenda autem est Curtii opinio, qui casus dicit esse dictos, quod casu fiant, quoniam præter naturam sunt. Nam Galenus non dixit *casus*, sed *symptomata*. Præterea si casus dant signa corporum salubrium, præter naturam non sunt. Ad hæc falsum est, morbos, & illorum causas, & effectus, quæ omnia dicimus esse præter naturam, casu fieri: quoniam excessu & defectu solũ differunt ab his, quæ secundum naturã D sunt. Monstra verò dicuntur quidem casu fieri, & nõ à determinatis causis: sed hoc nihil ad morbos, qui alio, vt diximus, modo pręter naturã dicuntur, vt *inferius* docebimus. Separat hic Gal. operationes à symptomatis, cum tamen *in libris de symptomatis* comprehendat sub symptomate actiones, qualitates corporis, & excrementa: de quibus etiã *hic* mentionem non facit, cum tamen ab illis optima & plurima signa sumantur ad corporis statum dignoscendũ, vt postea ostendemus, cũ examinabimus, an omnes fontes signorũ hic complectatur autor. Nunc vero prosequamur, quæ idem cõprehendit sub his fontibus. Prius tamẽ & hic quoque explodenda est Curtii opinio, qui quadrimẽbrem facit diuisionẽ eorum, à quibus scribit Gal. E hic signa sumi. Ait enim quædam sumi signa à propria substantia membri, alia ex necessario consequentibus, alia à necessario accidentibus, alia ab operationibus. Primi generis dicit esse, quæ sumuntur à primis qualitatibus, secundi quæ à mollitie, duritię, colore, & aliis secundis qualitatibus ducuntur. Accidentia vero necessario consequentia scribit esse quantitatem, magnitudinem, numerum, & figuram: & in hanc quidem opinionem ducitur ob locum, qui legitur *in primo lib. de vsu partium*: vbi Gal. agit de his, quę sunt in manu.

Primus fons signorum.

Diuisio Monachi de eo, quod est secundum essentiæ rationem, confutatur.

Accidentia & symptomata quo modo differant.

Curtii opinio de casibus improbatur.

Morbi quo modo fiant.

Quomodo monstra.

Curtii opinio de diuisione horum signorum ægrotur.

Verum ille *eo loco* aliud agit, quam *hic*. Nam hic tria solum ponit membra ad summum, & signa sumpta à magnitudine, numero, & figura, ait capi à substantia partium organicarum, non autem ab accidentibus, vt eo loco, in quo etiam non quadrimembrē, vt Curtius vult, facit diuisionem. Praeterea illic corpus non vt compositū ex partibus multis considerat, sed vt substantia est, de cuius essentia est temperies: nam partes similares (quas nomine corporis *eo loco* intelligit) essentiam habent ex temperie; color autē, magnitudo, figura, accidentia sunt similaribus partibus. Hic autem, cum scribit, magnitudinem, numerum, esse de essentia, intelligit de essentia non partis similaris aut substantiæ, sed partis organicæ.

Ἀπὸ μὲν τ̃ οὐσίας αὐτῆς, τ̃ ἐν ἀρίςῃ κατασκευῇ, συμμετρία τ̃ ὁμοιομερῶν ἐν θερμότητι, ἐ ψυχρότητι, καὶ ξηρότητι, καὶ ὑγρότητι.

Ab essentia quidem ipsa eorum, quæ optimā habent constitutionem, commensuratione consimilium quidē in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate.

Postquam dixit, signa quædā sumi ab his, quę insunt corporibus secundū essentiæ siue substātiæ ratione, docet nūc, quænā sint illa, quæ insunt corporib. secundū essentiā, & supponit corpus nostrū constare ex organicis & similaribus partibus, atq; similares partes corporis optimè cōstituti constare ex commensuratione siue tēperie, quæ fit ex calido, frigido, humido, & sicco, siue ex quatuor elementis: & signa, quæ ab his sumuntur, sumi ab essentia partium similarium: esse enim bonam temperiem ex quatuor illis qualitatibus, si pars similaris sana; alioqui intemperiem, si eadem pars malè habet. Tradunt præterea Medici, ex elementis inter se temperatis primum fieri partes similares, ex similarib⁹ organicas, ex organicis minoribus maiores, ex maximis tandem vniuersum corpus constitui. Quæ quidē nemo rectè intelligere poterit, qui prius nō nouerit, quid partis nomine sit intelligendum, quid sit pars similaris, quid organica, & ea, quę Medicū scire oportet de elementis & temperamentis. Porro partis nomen aliquando sumit Gal. solum pro parte instrumentaria, veluti cum scribit *in 1. lib. de locis affectis* partem & locum affectum idem esse. Nam cum locū affectum explicat, potissimū docet mala, quæ instrumentariis partib. contingunt. In eadem significatione videtur partē vsurpare *in initio operis de vsu partium*, cum definit partem esse, quæ non habet vndiquaq; propriam circumscriptionē, nec omnino aliis est coniuncta: hoc n. solis partibus instrumētariis accidit, dū partes sunt corporis. Nam cum à corpore sunt separatæ, quoniā propriā habēt circumscriptionē, ita totum quoddam sunt, & non amplius partes. Similares vero ita inter se coniunguntur, vt nullam circumscriptionem obtineāt. Definit vero *cap. 5. methodi* partem generaliore definitione ad hunc modum: *quicquid totum complet, atque integrat, id totius, quod completur, corporis, particula siue pars nominatur*: & ita reuera videtur esse sentiendum. Nam cum pars, totius sit pars, & de essentia totius, merito fit, vt id partem esse credamus, ex qua totum compositionem suam & naturā sumit. Verum nonnullæ oriuntur in hac re difficultates. Nō

Denomine partis.

Pars quid.

Obiectiones.

A enim hæc definitio diuisioni partium, quæ solet à Philosophis & Medicis tradi, in similares & dissimilares conuenit: comprehendit enim materiam & formam definitio, quoniam ex illis totum perficitur, quæ tamen nec similares aut dissimilares dici possunt. Nam materia prima cum sit in pura potentia, non habet, à quo dicatur similis aut dissimilis: forma autē est, per quam res similes aut dissimiles fiunt, ipsa vero similis aut dissimilis non recte dicitur. Preterea cū illi recensent partes similares & dissimilares, mentionē nō faciunt de materia & forma, nec de ipsis elementis. In aliis vero discrepantia quædam esse videtur. Nam Arist. *cap. secundo tertii de Hist. animalium* inter partes simi-

B lares enumerat sanguinem, semen, seuum, excrementa, stercus, pituitam, & vtramq; bilem; contra vero *in cap. 2. primi de Historia*, inter partes cōmunes animalis non ponit humores. Quinetiam *in secundo lib. de partibus, cap. sexto*, scribit omnem partem constare ex sanguine, tanquam sanguis nō sit pars: id quod *cap. 1. eiusdem libri* apertè testatur. Quid erunt ergo hæc, si partes non sunt, accidentia ne? at nequeunt substantiæ esse accidētia. Vidit hanc difficultatem Fernelius, nec potuit se ab ea lab orare, cum videret Arist. nunc quædam inter partes ponere, nunc vero eadem à partibus excludere, atq; ita integra relicta difficultate, & otiosis illis rebus in corpore, quas Aristot. partes aliquando esse dicit, nouā partis definitionē aggredi-

C tur, quam accuratiorem, & ad medendi vsum vtiliorem esse scribit. Definit enim *partem esse corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, ad functionem vel vsum comparatum*. Atque hoc modo humores, spiritum, adipem, medullam, pilos, vngues totum corporum quibus naturaliter hæc insunt, partes esse negat. Sed quid, quæso, hæc aliud esse possunt? Nonne etiam hæc medendi rationē mutant pro illorum natura & affectione? & quid refert spectare curationem, cum videndum est, quid pars sit, aut non sit? Hoc enim philosophi & nō Medici est munus, definire. Est porro ratio cur Arist. & Galenus quædam inter partes aliquando

D numerent, aliquādo vero partes esse negent, quod nō de eodē toto semper loquātur: nā aliæ sūt partes substantiæ, aliæ corporis, alię corporis animati, aliæ animalis, aliæ hominis. Etenim *partem oportet esse eiusdem rationis cum toto, vt si totū est substantia, partes oportet esse substantias: si totum est accidens, & partes accidentia: si totum quantum, & partes quantæ erunt*. Vnde rectè dicitur linea ex punctis non cōstare, quia linea quantitatem habet, punctum vero minimè; si totum corpus est, & partes corporeæ; si totum viuens, & partes viuens; si totū animal est, partes eam vim & naturam oportet habere, qua totum animal constat. Si vero homo est totum, partes eius esse oportet proprias homini, ita, vt

E hominem distinguant à cæteris animātibus. Quia ergo totum considerant illi diuerso modo, non easdem partes semper ponunt esse. Nam quando substantiæ partes considerant, materiam & formā illius partes esse dicunt: quādo vero de homine vel animali agūt, vt sunt corpora omnes substantiæ corporeæ, quæ in eo naturaliter insunt, dicūtur partes esse. Quare malè Ferneli⁹ (vt dixim⁹) quærens partes corporis, negat sanguinē, adipem, vngues esse illius partes, nā viuentis corporis partes illa certè non sunt: at corporis partes, cum ipsa sint corpora, quæ naturaliter insunt, reuera sunt.

Fernelii sententia de partis definitione expenditur & confutatur.

Arist. & Gal. sententia de partibus declaratur.

Totum multipliciter sumi.

An sanguis adeps, vngues &c. sint partes corporis & quomodo sint.

Quando

Quando vero totum consideratur, vt viuens, partes totius erunt illæ, quæ viuunt. si vero animal consideretur secundū speciem, omnia, quæ in eo sunt secundum naturam ad illius constitutionem necessaria, partes censentur esse, vnde pili, vngues, cornua, humores oculorū, etiam si non viuunt, inter partes tamen poni debent in illis animalibus, quibus à natura sunt data ad illorum structurā & vsum necessaria. Non enim vt viuunt illa, partes sunt hæc, sed vt certam & propriam quandā constructionem habere debent. Quare non aliter, quàm cōmuni ea definitione prius tradita, partes definiri possunt, quod scilicet illud pars sit, quod ad totius constitutionem assumitur. Vt autem totum nunc vno modo, nunc alio consideratur, sic eadem res dicitur nunc esse, aut non esse pars.

De parte similari disputatio. Cur dicatur simpliciter. Cur prima. Cur vltima. Cur elementa sensibilia.

Cæterū partes similares solet vocare Gal. simplices, primogeneas, primas, vltimas, vt *ex primo de elementis* constat: vocat & elementa sensibilia *cap. 6. primi de naturalibus facultatib.* dicuntur autē simplices: quoniā tales ad sensū apparent, & quoniā ex aliis partibus non cōponuntur, *vt cap. 8. primi de elementis* scribit Gal. vocātur & primogeneæ & primæ, quoniam illæ inter omnes partes primū fiunt & gignuntur ex elementis, vltimę autē, quoniam in illas tanquā in vltimas partes totū corpus resoluitur: nam resolutio, quę fit in materiā & formam, fit non solū in partes, sed etiam in principia. dicit quoq; esse elementa sensibilia, quoniā sensus partes similares iudicat esse simplices, vt elementa simplicia re vera sunt.

De definitione partis similaris.

Est autem ab omnibus receptum, definiendam esse partem similarem, quæ in similes partes diuidi est apta, ita vt quælibet illius particula idem nomen cū toto obtineat. Quā quidem definitionē explicandā esse arbitror. Scribit enim Arist. *c. 1. & 2. lib. 2. de partib. animaliū*, partes similares quasdā seruare nomē commune toti, vt venæ pars rectè inquit vena dicitur: alia vero non seruare, vt in viscerib. patet. Nam cor, inquit, est similare, & tamē quælibet illius pars non seruat nomen cordis, quia figura diuersa est partis & totius.

Arist. notatur.

Rectè quidē in eo sentit, quod dicat, partes similares non seruare semper nomen: sed in eo falli videtur quod dicat quamlibet venæ partem, venam esse.

Vena quid.

Nā si vena definienda est, dicemus eam esse corpus concauum, ex simplici tunica constans, ad sanguinē deducēdū per vniuersū corpus à natura cōparatū: quod quidē nequit præstare quodlibet venæ fragmentū. Ita quælibet pars nerui, aut mēbranæ, vel cartilaginis, ac ligamenti, non potest nomen totius assumere, quoniam nequit vsum & actionem totius præstare.

Gal. definitio de parte similari laudatur.

Definit autem Gal. *cap. 9. primi de elementis & 3. de placitis*, partem similarē esse, quę sibi & toti similis est, ac vniformis. Quę quidem definitio optima est. Definitur enim materia partis similaris, & non forma, & ratio, cum definitur pars similaris, vt similaris est. Materia enim propinqua, ex qua res aliqua constat, dicitur similis, vniformis, dissimilis & difformis. Ad hunc modum rectè dicimus, neruum esse similarem, quia materia similari & vniformi constat, ac quælibet eius particula similem cum toto obtinet substantiam, & materiam albam, fibrosam & exanguem.

Partis similaris quæstionęq; particulas, eandē substantiam cum toto, non autem nomen retinēt.

Ergo dicendum est, partem similarem esse, quæ tota habet eandem substantiam & materiam cum partibus suis, non autem nomen. Nam ligamenti aut membranæ minima pars, vt frustulum ipsius, ligamentum aut membrana non est, nec dici potest, cum nequeat illorum vsum præstare: substantia autem eadem est similaris & vniformis in particulis & tota parte.

Quæ inter partes similares numeranda.

Cæterum inter partes similares enumerat Gal. *cap. 8. primi de elementis*, fibram, membranam, adipem, os, cartilaginem, ligamentum, neruum, cerebrum. Addit *in cap. 3. de differentiis morborum*, venam & arteriam, quas *eodem lib. cap. 4.* inter instrumentarias ponit. At *in lib. 7. de placitis*, neruum compositam partem esse docet ex duabus membranis & substantia quadam medullari. *In proœmio* vero *comment. libri de natura humana*, inter partes similares addit vnguem & pilum. Arist. quoque in his recensendis discrepare videtur. Nā *c. 2. 3. de historia animaliū* inter similares partes sāguinē, saniē, seuū, excremēta, stercus, pituitam, & vtramq; bilem enumerāt: verum *in c. 2. 1. de hist. animaliū* inter partes cōmunes animalis non ponit humores. Præterea *c. 6 secundi de partibus* scribit, partem omnē constare ex sanguine, tāquā sanguis, vt apertè fatetur *cap. 1. secūdi de partibus*, non sit pars similaris animalis, si nullo modo pars illius est: & merito quidem. Nam Gal. omnē partem similarem scribit esse præditam quatuor facultatibus naturalibus, attractrice, retentrice, concoctrice, & expultrice. Verum quod hi autores numerent aliquando quasdam partes inter similares, quas alibi negant esse partes, vt humores, adipem, pinguedinem, vngues, & pilos, ratio est, quod corporis partes intelligant, cū illas dicāt esse similares: animalis autē partes enumerent cū eadē dicunt nō esse partes.

Cur quadā dicūtur partes esse similares & dissimilares.

Quod vero easdē partes nūc dicant esse similares, nūc vero dissimilares, plurib. rationibus id faciunt: vel .n. capiunt aliquid, quod in parte est, pro tota parte, quomodo *6. c. lib. primi de naturalib. facultatibus* interpretatur cerebrum, cor, hepar, & lienē esse partes similares, id est, carnem illorum viscerum, quæ tamen re ipsa sunt organica: si illorum compositio consideretur: vel sumunt materiam partis (vt diximus) pro parte, quomodo dicunt neruum & ligamentum partem esse similarem, i. nerui substantiam & materiam: cum autem & neruum & arteriam & venam dicunt esse partes instrumentarias, partis nomine intelligunt formam partis, per quam partes illæ certam actionem & vsum animali præstant. In quo significatu nerui, aut ligamenti pars, neruus aut ligamentum dici non potest, quia formam & vsum non habet totius. Aliquando vero (vt colligitur *ex lib. de differentiis morborum*) similares vocant, quæ etsi reuera similares non sunt, si quis exactè inspiciat, similares tamē apparent primo aspectu: quo pacto neruus dicitur similaris, etsi ex duplici substantia constat, quoniam ex primo genere dissimilarium est, quorū substantia, nisi diligenter quis inspiciat, vniformis & similaris creditur esse. Atque ea, quæ sunt in hoc genere, ob ancipitem naturā, nunc similaria, nūc dissimilaria Gal. vocare solet. Ex quib. quidem patet, quid sit pars, & similaris pars, & cur vna & eadem res nunc dicatur esse pars, nunc vero non, & nunc similaris, nunc dissimilaris, nunc inter similares, nunc inter dissimilares, nunc inter organicas ponatur.

Tractatio de elementis & quibus illa constat.

At quoniam, vt diximus, ex elementis similares partes fieri tradit Gal. nec tamē hoc loco explicat, quomodo id fiat, operæpretiū esse duco, hoc loco disputationē instituere de elemētis paulo diligentiorē, vt Philosophis non satis bene institutis, aut Medicis etiam rudioribus, qui hæc nostra legere

gere. nec sola mutatione, vt dispositio morbosa exigit: & propterea recte illos sensile, qui talē sanitatē separant à sanitate vera, cui debetur sola conseruatio, & à morbo, cui conuenit solū mutatio: propterea neutrā dispositionē vocant, in qua conualescētes, & parati cadere in morbos, eo quod causas morborū iam pullulare sentiant, ab eo ponuntur. Ac conualescentibus nō conseruatricem, & salubrem partē, sed analepticen, id est, refectricē: aliis vero, qui cū morbis imminentibus conflictantur, prophylacticen conuenire scribit. Ergo, ex eo loco patet, Galenum aliquando sanitatis limites extendere, ita vt sanitatē non solū in habitu, sed etiam in habitudine, & in ea conualescētes, & iā expulsos morbis, ac etiā senes, vt in *tertio huius operis libro*, comprehendit: aliquando vero sanos eos solū vocat, qui sanitatem habent in habitu, & excludit à sanitatis limitibus sanitatem in habitudine, & corpora in eo cōprehensa. Ad hunc modū passim dicere solet, sanis conuenire conseruationē. Hæc enim nō conuenit cōualescentibus, & illis, qui sentiunt iā pullulare morbos, quos sibi competunt prophylacticæ & analepticæ. Quibus quidem ita positis, iam patere arbitror, cur neutrū inter sanū & ægrū aliquādo ponat Gal. aliquando vero neget esse. Nā cū sanos statuit esse, qui nondum coguntur intermittere solita officia & decūbere, siue bene, siue debiliter illa exerceant, tunc cōualescentes, decrepitos, paratos ruere in morbos, sub sanitate complectitur; & neutrū statum intra sanitatis limites assumit. Cū vero tres eos status excludit, eo quod firmi non sint, & actiones edant non sufficientes ad humana officia obeunda, tūc datur neuter status, qui sanus nō est, eo quod illi nō cōueniat sola conseruatio: siquidem maiores habet lapsus, quam quę sana sunt secundum habitum corpora: nec actiones edunt sine imbecillitate, nondum tamen morbo laborant, quia nondū deserunt sua officia obire, etsi illa imbecilliter exercēt. Quibus ita demonstratis, licebit facile respondere argumentis superius adductis, & Aristotelem cū Galeno cōciliare. Conciliantur autē eo modo, quo Galeni loca sumus interpretati: quod scilicet Arist. sanitatis nomine comprehendat sanitatem, & in habitu, & in habitudine, postquā sequitur morbus. Illud vero, quod dicunt sanitatem esse moderantiam, morbum vero immoderantiam, inter hæc autem non dari medium distinctione eget: nam moderatum sumere possumus, vel pro bene moderato, ita vt comprehendat solum sanitatē, quæ est in habitu, vel pro quacunq; moderatione, qua comprehenditur etiam sanitas in habitudine. Ita sane immoderatum intelligi potest, quod incipit statim post moderationem, quæ debetur sanitati in habitu, vel quæ comprehendit sanitatem in habitudine. At moderatū, quod est bene moderatū, & immoderatum, in quo incipit morbus esse, admittunt mediū, nempe malè moderatū, in quo ponuntur neutra. Ita immoderatū, in quo ponitur morbus, admittit medium inter se, & bene moderatum, non autem inter se, & moderatum vtcunq;. Eodem pacto soluitur argumentum, quo dicunt morbum sensibiliter lædere actiones, sanitatem vero easdem edere nō sensibiliter læsas. Nam sensibiliter læsas actiones, quæ morbū sequuntur, & ostendunt, intelligere non oportet, quod tales sint, vt sensus indicet eas esse læsas. Nam *qui sanitatem habent in habitudine*, inquit Galenus, *habent*

A *actiones imbecillas, quas sensus esse læsas indicat*: imo & insalubria corpora, & omnia vitia, quæ consistunt in corporibus sanis, ex actionibus illorum sensu iudicari scribit Galenus: sed sensibilem intelligere debemus, quæ inutilis est ad officia propria exercenda. His opponuntur non sensibiles læsiones, quę quocunq; modo sufficere possunt ad munia vitæ exercenda, & inter hæc non datur mediū. Verum si sensibiliter læsam intelligamus, qualem profert corpus ægrotans, non sensibiliter vero læsam, & bonam nulloq; vitio præditam, qualem edunt corpora sana in habitu, nō est in hoc oppositio: quia relinquitur vitium in actione, mediū inter actiones, quas edunt morbo laborantes, & sani in habitu. Nō ergo valet argumentum, quia nō B eodem modo sumitur sensibiliter læsum, & non sensibiliter. Nam sensibiliter læsum idē est, quod valde læsum, non sensibiliter vero, læsum idem, quod nullo modo læsum. Tales enim, vt inquit Galenus, facit actiones corpus sanum in habitu: imbecillas vero, sed non prorsus inutiles, corpora sana in habitudine: imbecillas autē ita vt inutiles sint, corpora ægrotantia. Præterea absurdum est, hos status velle per actionum vitia distinguere. Nam qui morsi sunt à cane rabido, nō nisi post lōgum tempus actiones edunt aliqua in re vitiatas: quos tamē neutros vocat Gal. *in lib. de partibus artis*, & tales iudicat esse ratio: quippe cū illis cōueniat præseruatio: recteq; proinde dicebat Drusianus, C quē malè reprehēdit Curtius, sanorū actiones integras esse, & nullo pacto læsas: ægrotantium vero actiones sensibiliter læsas: quod idē est, ac si dicas, ita offensas, vt persistere nō possint in suo officio: neutros vero actiones facere nō læsas sensibiliter, id est, non tales, quales edunt ægrotantes: quas etiam Gal. obscuras vocat læsiones. Ergo neutrum corpus inter sanum & ægrū præstat definire, *quod sanitatem habet in habitudine, siue mediam dispositionem inter veram sanitatem & morbum*. Omnes enim qui ita neutri sunt, affectionem non habent firmam, sed iam in via, vel ad sanitatem, vt conualescentes, vel ad morbū, vt qui iam patiuntur à causis morbosis: vel eas adhuc in corpore latentes D obtinēt, sed nō multo postea emergent, vt his cōtingit, qui à cane rabido sunt morsi. *In aliquibus igitur neutris, actiones manifeste sunt offensæ, in aliis obscure, in aliis nullo modo.* Quod vero citant ex Galeno, in puncto fieri transitū à sanitate in morbum, & propterea neutrum non dari medium, eadem ratione soluitur, quod scilicet sanorū nomine cōprehendat tunc neutros decidentiæ, qui scilicet parati sunt cadere in morbos. Hi enim in eos ruūt nulla alia intercedente dispositione. Qui vero resurgūt à morbo & neutri sunt, transeunt ad sanitatē per neutrū. Omnia igitur veritati cōsentiunt, & quæstiones omnes euanescunt, si hoc modo res E tractetur: nō autem vt sophistæ faciunt, qui solum in hoc dant operam, vt proposita argumenta quocumque modo fugiant.

Neutrū quod sit inter sanum & ægrum.

CAP. VI. De corpore neutro.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ οὐδέτερον σῶμα τριχῶς ἐλέγετο, τὸ μηδετέρας τῶν ἄκρων διαθέσεων μετέχον, τὸ δὲ τῶν ἀμφοτέρων, τὸ δὲ τῶν, ποτὲ μὲν τῆσδε, ποτὲ δὲ τῆσδε· κατὰ μὲν τὸ πρῶτον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα, τὸ μέσον ἀκριβῶς ὑπάρχον, τοῦ τε ὑγιεινοτάτου σώματος, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου· καὶ τούτου τὸ μὲν ἁπλῶς τοιοῦτον

ὄν

ἐστὶ, ὅτι περ ἐκ γενετῆς τοιοῦτον κατεσκεύασται. τὸ δὲ νῦν ὅπερ κατὰ παρὸν τὸ μέσον ὑπάρχει τοῦ τε ὑγιεινοτάτου, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου. αὐτοῦ δὲ τοῦ ἁπλῶς, τὸ μὲν διὰ παντὸς τοιοῦτον, ὅπερ αἰεὶ ἐν ἁπάσαις ταῖς ἡλικίαις διαμένει τοιοῦτον, τὸ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ καὶ μεταβολάς τινας λαμβάνον.

Quoniam vero & neutrum corpus tripliciter dicebatur vnum quidem, quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps: aliud autem, quoniam vtriusque: aliud, quoniam aliquando huius, aliquando vero illius; iuxta primum significatum neutrum erit corpus, quod exquisite medium est saluberrimi, & insaluberrimi corporis, & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu naturæ ita est constitutum, hoc vero vt nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit saluberrimi, atque insaluberrimi corporis, ipsius autem simpliciter, semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat, vt multũ autem, quod nonnullas recipit mutationes.

Galeni definitio primi neutri notatur.

Volens Gal. definire neutra corpora, repetit primum illius significationes, vt singulas suo ordine tractare possit. Ac definit in primis, quod nõ est particeps extremorum, dicitq; illud esse, quod exquisitè est mediũ saluberrimi & insaluberrimi corporis. Quam quidẽ definiendi rationẽ nequaquam probare possum, repugnante & ratione & tractatione ipsius authoris. Scribit.n. ille *in 5 cap.* totam sanitatis latitudinem in tres partes diuidi: quarum singulæ latitudinem habent non paruam: & primam salubrium corporum, secundam neutrorum, tertiam insalubrium. At si neutra omnia primi huius significatus dicimus esse exquisite media inter saluberrimum & insaluberrimũ, quænam erit quæso inter illa magna ea latitudo? Quæ enim exquisitè sunt media, omnia in eodem gradu ponuntur. Constat præterea, hanc definitionẽ esse malam: quoniam ea posita, fit, vt in speciebus suis definiẽdis, iis inquã, quę simpliciter, & vt nũc neutra sunt, cogatur definiẽdi rationẽ, qua antea vsus est in salubribus & insalubribus definiendis, mutare, contra omnem docendi rationem. Nã oppositorũ debet idem esse definiendi modus per opposita. Vt ergo seruetur latitudo & definiẽdi ratio, dicemus, neutrũ primi modi esse, quod est *mediũ inter salubre & insalubre sine participatione illorũ*: sic enim licebit gradus ponere per magis & minus, & omnia neutra huius significationis in illis comprehendere: sed hæc postea diligentius docebimus. Nunc quid alii sentiant, videamus.

Neutrũ primi modi.

Manardi opinio de neutro primi modi.

Manardus neutrũ vt nũc primi modi dicit esse, si quis à generatione salubris simpliciter procreatus, in præsentia vero ex accidente quodam vere mediũ existit inter saluberrimũ, & insaluberrimũ, ita vt à natura & generatione illud verè neutrum non sit, sed tamen in præsentia: quia, inquit, casu aliquo in tantum proprios exiuit limites, vt mediũ iam id attigerit, in quo neutrum simpliciter naturaliter collocatur. In quo quidẽ re multa tamẽ errare videtur. Nam antea salubritatem & insalubritatẽ, quę simpliciter esset, nunquam amitti posse, omni ratione contendebat: nũc vero fatetur aliquẽ nasci salubrẽ, vel insalubrẽ simpliciter, & cũ accidenti aliquo amittere suã salubritatẽ, vel insalubritatem, mediumq; hũc siue neutrũ statũ acquirere. Deinde dicit, huiusmodi neutrũ non esse à natura verè neutrũ, quod scilicet ab ortu suã affectionẽ nõ acceperit. Quod cur necessario fieri debeat, nõ video: quando ipse *paulo antea*, cũ ageret de insalubri vt nunc, dixerit, omnia, quę *vt nunc* dicũtur, posse ab ortu talia esse, etsi id semper nõ fit. Sed demus, eos reperiri, quos cõcedit ab ortu sumere hãc neutralitatẽ: quales (quęso) erunt illi? erunt profecto simpliciter neutri, quoniam non casu aliquo, sed à natura hanc affectionẽ sunt consecuti. Malè ergo hoc neutrum primi modi, quod simpliciter est, ab eo separat, quod vt nũc neutrum dicitur. Grauior vero ille error adhuc est, quod dicat neutrum vt nunc, mediũ id attingere casu, in quo neutrũ simpliciter naturaliter collocatur. Nã ex hoc fatetur, eundẽ esse gradũ affectionis in illis, quæ simpliciter dicuntur, vt in aliis, quæ vt nunc talia nuncupantur. Idem enim mediũ cum hoc, tum illud attingere dicit, & solũ differre, quod vt talẽ natura, aliud vero casu. Quod si ita est, ergo salubre simpliciter à salubri vt nunc, nõ alia ratione differret, quã quod illud à natiuitate, hoc vero casu sit. Ergo vtrunq; pari modo sanũ; quod Galenus negat, cũ dicit, illud habere optimã, hoc vero solum bonam sanitatẽ obtinere. Erit eadẽ ratione insalubre simpliciter, & insalubre vt nunc, in eodem gradu affectionis, in eodemq; statu. Vtrunq; ergo vel pessimã sanitatẽ, aut morbũ actu habebit. Quod si hæc non placent Manardo, vt qui antea salubre simpliciter sanitatẽ perfectiori modo habere tradiderit, debebat quoq; videre, idẽ medium nõ posse attingere neutrũ vt nunc, debebatq; aliquid dicere, cũ videt, Galenũ mutata definiendi ratione, in eodẽ gradu, qui medius est exactè inter saluberrimũ, & insaluberrimum neutra omnia primi modi collocare. Sed in hos errores necesse est eos incidere, qui mala ponunt principia, nec agnoscunt autores variè & negligenter multa tradere. Quæ quidem dissimulanda nõ sunt ab his, qui rectè docere, aut aliorũ opera doctè interpretari volũt. Galenus in neutris prorsus, & nõ prorsus, siue, vt alii vertunt, semper, & vt multũ, definiendis, rationẽ definiendi mutat. Nam antea salubre semper & vt multum distinguebat per aliquam distantiam, à perfectissima temperie, & commoderatione: & salubre vt nunc, ab eo, quod est simpliciter, per bonum & optimum. Neutra vero hæc ponit omnia exactè media inter saluberrimum & insaluberrimũ sine aliqua distantia, & latitudine. Huius rei causam reddere volens Manardus, ita inquit: *Cum definiisset Galenus vtrumq; neutrum, scilicet semper, & vt multum, communi definitione, quod sit medium exactè existat saluberrimi & insaluberrimi, aliquid addendũ erat in definitione singulorũ, quo continentur sub simpliciter neutro, quo illa inter se differant. Itaque cũ duo essent in ratione neutri semper, vnum, quod neutrum sit, aliud per quod semper dicatur, primo iam occupato à cõmuni definitione, necesse ei fuit ad alterum recurrere, nempe ad particulã semper, quæ nihil aliud hoc loco significat, quam omnes ætates: eodemque modo neutrum vt multum definitũ esse rectè, quod mutationes quasdam suscipiat, quibus scilicet*

Galenus in neutris semper, & vt multũ definiendis repugnat sibi ipsi.

Manardi opinio de neutris semper, & multum, primi modi.

differt à neutro semper, quod per omnes ætates tale perseuerat. Ait præterea, salubre & insalubre sẽper, id etiam habere, quod per omnes ætates similia perseuerent: tamẽ adeo plenè per hoc eorũ naturã explicari, sicut per optimũ & pessimũ fuit explicata. Cæterum cum dixerit simpliciter neutrũ, tale esse à generatione, & hoc nunquã posse amitti, quęrit, cur neutrũ vt multũ, dicatur per omnes ætates nõ perseuerare, cũ sit vna species eius, quod est simpliciter? Quam quidem dubitationẽ verbis inuoluit: dicens sẽper talia esse verè, & reipsa talia: vt multum vero apparenter tantũ, exiguo tamẽ adeo interuallo à sẽper talibus recedere, vt vix discernãtur: vnde merito neutrũ semper per omnes ætates simile perseuerare, quod non facit neutrum vt multum. Quippe cum processu ætatis contingat, vt quod præ exiguitate latebat, aliquãdo mutatione ætatis, vel alia ex causa auctum, detegatur. Oportet.n. inquit, huiusmodi neutrũ, quod verè & exactissimè non est, à mediocritate exactissima, quæ in neutro semper est, versus aliquam partem declinare: quæ accedente ea ætate, quæ excessum potest intendere, iam hoc corpus, quod antea vere indifferens ad sanitatẽ & morbũ videbatur, aptius ad hanc, quam ad illã esse cognoscatur. Et hoc est, inquit, quod Gal. dixit, *nonnullas recipit mutationes.* Ex quo ait sequi, vt neutrum vt multum duplex sit: quoniam à neutro semper bifariam declinare potest iuxta duo extrema, inter quæ concluditur. Erit ergo neutrum vnum vt multum, ad saluberrimum, alterum ad insaluberrimum declinans. Quin etiam docet neutralitatem esse partem latitudinis sanitatis, & propterea latitudinem quoque satis amplam habere, ita, vt tota ipsa neutralitas in medio verè existat, non tamen quælibet ipsius pars. Hæc Manardus de his neutris: in quibus multa quoq; sunt, quę à scholis sunt explodenda. Ac primum quidem illud non recte dicitur, quod scribit de mutata definiendi ratione. Nam verba *semper, vt multum, & vt nunc*, non alia ratione sumi debent in corporibus salubrib. & insalubribus, quã in neutris: cum hæc communia à Gal. sint proposita vniuersis corporibus, causis, & signis: & propterea vana & principiis repugnã agnoscatur esse tractatio, si in quibusdam absolutionem & declinationem ab eo, quod est in suo genere summũ, in aliis vero tempus & durationem indicet. Antea enim dicebat, pronunciandum esse *vt nunc*, & non *nunc*: quoniã *vt nunc*, non est nota tẽporis, sed imperfectionis. Ac mihi quidẽ videntur nugæ esse, cũ scribit, salubre & insalubre semper, plenius explicari per optimum, & pessimum, quam per temporis differentias: contra vero neutrum melius hoc modo declarari, nec posse, vt illa, doceri. Nam primum docere non potest, illa vno modo, alia alio melius explicari posse. Quid enim quęso confert Medico scire, quædam corpora fere semper neutra, aut nõ semper: & quomodo potest hoc polliceri, aut dignoscere? Præterea falsum est, non posse vnam rationẽ omnibus accommodari. Nam vt salubria in genere boni posita, singulis speciebus, quæ in eo genere nascuntur, locũ prębẽt, distincto, quod bonum est, per magis & minus: sic neutra hæc, optime definiẽtur, si certa latitudo in eo, quod mediũ est inter salubre & insalubre, ponatur, ita vt neutrum primo dicatur, quod est medium inter salubre & insalubre: simpliciter vero neutrum, quod est inter illa *exacte medium*; vt nunc neutrum,

Manardi confutatio.

Neutrum simpliciter, vt nunc, prorsus, vt multum.

A dicatur *medium quidem, sed nõ exacte:* prorsus vero neutrum, quod est *exactissime medium*: vt multum vero, siue ferè prorsus neutrum, *quod aliquantulũ ab exactissimo medio recedit.* Sic sane seruatur primum posita definiendi ratio in salubribus, & insalubribus, & latitudo magna, quam dicit in singulis esse, in his neutris pariter retinetur. Verum cum omne neutrum primi significati definitum sit, quod est exactissimè mediũ, tollitur latitudo, qua sublata, illius species postea definiri nequeunt, vnde definiendi ratio mutatur, ac violantur, quæ in aliis posita sunt, optima principia. Quod vero dubitat, cur neutrum vt multum dicatur per omnes ætates non posse durare, cum sit species vna eius,
B quod est simpliciter, quod quidẽ nunquã posse amitti ille credit, nõ solum, quando dicit id, quod est vt multum, non esse verè & reipsa tale, sed solum apparenter. Nam si vt multum tale, simpliciter est tale, vtique reuera & absolute (vt ille antea etiam dixit) tale erit, nec opus est mutationem ætatum expectare, vt dignoscatur & distinguatur ab eo, quod est semper, siue prorsus tale. Est enim eadem ratio de neutro semper, & vt multum, quæ est de salubri & insalubri semper, & vt multum. At hæc Gal. *in cap. de signis optimæ constitutionis* docet, statim per sua signa dignosci, & inter se distingui. Idem ergo de neutris sentiendum. Addo, quod si per omnes ætates nõ perseueret neutrum vt multum, sed in vna ad salubritatẽ, in alia ad insalubri-
C tatem accedat, nulla vel minima re differt à neutro tertii modi, quod inquam in vna ætate salubre, in alia insalubre euadit. Male etiam interpretatur Manardus Gal. nam hic scribit neutra semper per omnes ætates perdurare: neutrum vero vt multum esse, quod aliquã mutationem capit. Ex quibus verbis satis constat, eum intelligere, quod illud semper duret, hoc vero non sẽper. Manardus vero censet idem neutrum vt multum, ab initio esse, idq; postea detegi tempore, cũ prius lateret. Superflua præterea est neutrius vt multum, Manardi distinctio, eo quod duo sint extrema, inter quæ illud concluditur. Nam siue ad saluberrimũ,
D siue ad insaluberrimũ declinet, semper idem neutrum fit: quod scilicet parum ab eo, quod semper neutrum est, declinat, quoniam extremorum cõsideratio non facit, vt dicatur vt multum, sed paruus recessus, qui fit ab eo, quod est prorsus tale. Quod si extrema exprimenda sunt, illorum additione id faciendum: non tamen propterea duplex neutrum vt multum constituendum est. Cæterũ si neutralitas est pars latitudinis sanitatis, (vt Manardus scribit) necessario simpliciter neutrum includit sanitatem, nec contentum esse potest illa potentia, quã in salubri & insalubri posse esse sine sanitate & morbo idem autor contendit: quæ enim simpliciter talia sunt, ex sola potentia ab
E eo sunt definita. Quare perperam hic neutralitatẽ diceret sanitatis esse partem. Præterea, si neutralitas amplitudinem amplam habet, ita, vt tota ipsa in medio verè sit inter saluberrimum & insaluberrimum, non tamen quælibet ipsius pars. Quid vero ad Galen. dicet, qui neutra omnia huius significationis ponit esse exactè in medio? Illud vero quod scribit, neutrũ vt multum, ætatis progressu detegi, & ad sanitatem, vel morbum magis accedere, cũ ad vtrumlibet iam antea esset indifferens, repugnat propriæ opinioni. Nam negat ille neutrum dari inter sanum & ægrum, hic vero illud

mani-

manifeste concedit contra Galen. opinionem, qui hoc loco non de neutro inter sanum & ægrum, sed inter salubre & insalubre, id est, inter bene & male sanum agit. Iam vero videndum est, quid Montanus de iis neutris sentiat. A

Ait ille omnia neutra referri ad tempus. Esse enim neutrum simpliciter, quod à natiuitate est tale neutrum vt multum, quod ad maiorem partem temporis refertur; vt nunc vero neutrum, ad præsens tantum dici, *& tale corpus*, inquit, *erat prius sanum, sed ob aliquam causam decidit in neutralitatem*: vt si quis per potum aquæ frigidæ hepar habeat frigidum & imbecillum: non enim, inquit, ægrotat, sed est imbecillum pro tempore hoc, & non in maiore parte corporis, quia tunc esset neutrum vt multum. Cæterum neutrum semper tale, per abnegationem esse, quod in omni ætate tale perseuerat citra sanitatem aut morbum: neutrum vero p abnegationem vt nunc, longe distare, & differre tãtum secundũ gradum imperceptibilẽ, esseque neutrum in habitu, vt corpora senũ: neutra vero in habitudine ea esse, quæ dicuntur neutra decidentię, aut conualescentiæ. Verum contra Montanum hoc primum dicere oportet, quod sibi non constet. Nam si omnia neutra ex tempore definiuntur, vt ille censet, quo pacto asserere potest neutrum vt multum esse, quod secundum plurimas partes corporis est imbecillum. Nam & hoc alibi dicit esse, quod maiore parte temporis suæ vitæ perdurat. Deinde ponere corpora senum neutra in habitu, non est ad Galeni mentem. Dicit enim *hic* & *in Thrasybulo*, senum sanitatem esse in habitudine, non autem neutra in habitu. Ad hæc videre debebat Montanus, cum scribit semper neutrum per abnegationem esse, quod in omni ætate est citra sanitatem aut morbum, & omnes alias significationes huius neutri ex sanitate & morbo definit. Galen. *hic* non agere de neutro inter sanum & ægrum, sed inter salubre & insalubre, id est, inter bene & male sanum. Postremo perperam ait, neutrũm vt multum, huius significationis non semper, vt neutra simpliciter, sed maiore parte suæ vitæ sic se habere. Nam neutra vt multum, non distinguuntur à neutro simpliciter, cum species illius sint, sed à neutro prorsus. Hæc enim neutrum simpliciter diuidunt. Nonne & illud absurdum est, quod ait, neutrum vt nunc huius significationis differre tantum secundum gradum imperceptibilem? Nam vt nũc salubria à simpliciter salubribus differunt per magnum recessum, ita idem de neutris sentiendum. Possem aduersus Montanum plura dicere: sed hoc solum volo dicere, quod de hac re ne verbum quidem intellexit: quod ostendit varia & vana illius tractatio, nullis principiis constans, nec aliquid, quod vtile sit in nostra facultate, aut consentaneum tractationi ipsius autoris docens. Qui enim has interpretationes somniant, coguntur ostendere harum affectionum signa & causas salubres Galen. in sequentibus explicare: quod nunquam præstare potuerunt.

Montani opinio de neutro primo modo.

B

Montanus reprehenditur.

C

D

E

Κατὰ δὲ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα. τὸ δὲ ἐναντίων ἅμα διαθέσεων μετέχον ἐκ γενετῆς, ἤτοι καθ' ἓν μόριον, ἢ κατὰ δύο διαφέροντα. καθ' ἓν μὲν εἰ κατὰ τὴν ἑτέραν ἀντίθεσιν εὔκρατον εἴη τῶν δραστικῶν ποιοτήτων, ἢ κατ' ἀμφοτέρας μὲν, ἀλλὰ περὶ τὴν διάπλασιν, ἢ τὸ μέγεθος, ἢ τὸν ἀριθμὸν τῶν μορίων, ἢ τὴν θέσιν ἐσφαλμένον, ἢ ἔμπαλιν ἐν τούτοις μὲν κατωρθωμένον ἅπασιν, ἢ τισὶν, ἐν δὲ τῇ κράσει διημαρτημένον. ἐν διαφέρουσι δὲ μορίοις καὶ κατὰ πάσας τὰς ἀντιθέσεις δύναται τι τῶν ἐναντίων ἅμα μετέχειν, καὶ διὰ παντὸς μὲν τοιοῦτον εἶναι κατὰ πάσας τὰς ἡλικίας μένον ὅμοιον. ὡς τὸ πολὺ δ' ἐστὶ τὸ καὶ μεταβάλλον κατά τι. οὕτως δὲ καὶ τῷ νῦν οὐδέτερον ἔσται σῶμα, κατὰ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, ἢ τῷ περὶ ἓν μόριον τὰ μὲν ἔχειν ὑγιεινὰ, τὰ δὲ νοσερὰ τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ, ἢ τῷ περὶ διαφέροντα μέρη.

Iuxta vero secundum significatum neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu naturæ contrariarũ simul est particeps dispositionum, aut scilicet in vna parte, aut in duabus differentibus. In vna quidem, si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundum vtramque, sed in formatione, vel magnitudine, vel numero partium, vel situ delinquat, aut contra in his quidem rectè se habeat, vel omnibus, vel quibusdam, peccat autem in temperatura. In differentibus vero partibus iuxta omnes oppositiones potest quidquam simul particeps esse contrariorum, & semper quidem tale, quod per omnes ætates in eodem perseuerat, vt multum vero, quod aliqua ex parte euariat. Ita vt nunc neutrum erit corpus, iuxta secundum significatum, quia vel parte in vna hæc quidem sibi salubria existunt, illa vero insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus.

Absolutis definitionibus neutri primæ significationis, aggreditur definitiones neutri, quod simul est particeps salubritatis & insalubritatis: docetque primum quomodo ista participatio fieri possit. *Fit, inquit, in vna parte, vel in duabus, idq; vel in sola temperatura; vel in sola structura partium organicarum, vel in vtrisq;*. In vna quidem parte, & in sola temperatura, si in calido & frigido sit salubre, in humido vero & sicco insalubre. In structura vero partium organicarum, si in magnitudine, & conformatione sit salubre: in numero & compositione, sit insalubre: vel è contra, potest in vna parte tota temperies esse salubris, vel insalubris: in structura vero instrumenti contrarium fieri. In diuersis vero partibus contingit vnã partem salubrem esse in ipsa temperatura, & structura, aliam vero in his omnibus insalubrẽ. Quomodo vero definiat hæc neutra, iam videndum est.

Scribit autem Manardus Gal. ab initio definire simpliciter neutrũ, eo quod definit neutrũ, quod sine adiunctione dicitur. At cur idem non dicet de

Manardus confutatur.

neutro primi significati? definit enim primo neutrum, quod sine aliqua adiunctione pronunciatur: postea definit neutrum addito verbo *simpliciter*, quod neutrum simpliciter vocat. In neutro autem *vt nunc*, secundi huius significati, vtitur violenta & sibi repugnante interpretatione. Nam cum Gale. non ponat aliquam differentiam temporis, ille eam de suo addit, & cum ille *paulo ante* cum ageret de insalubribus dixerit, ea, quę vt nūc talia sunt, posse etiam à generatione incipere, cur hoc loco differentiam inter hæc ponit: quod illa, quæ simpliciter neutra sunt, sint ab ortu, alia vero post ortum incipiunt? Quod si quibusdam id contingit, certè non omnibus. Quare relinquitur docendum id, ex quo differūt simpliciter neutra, à neutris vt nunc quę pariter, vt alia, ex primis corporis principiis suam originem trahunt. Quid vero & illud est, quod scribit ægritudinem vt nūc, toto vitæ tempore durare posse? Quid enim ad rem præsentem pertinet, agere de ægritudine vt nunc aut vbi mentio sit à Gale. de hac ægritudine? præsertim quod Manardus *in hoc libro*, in quo de his, quę vt nunc talia dicuntur sit mentio, dicat, nō de sanitate, & ęgritudine, sed de salubritate tractari, quæ longe inter se differre contendit. Quinetiam arbitratur Manardus affectionem neutram vt nunc, posse toto vitæ tēpore durare: quod verbum, *vt nunc*, si sequatur vim illius, vt contendit esse faciendum *in vniuerso hoc libro*, non admittit. Nam (vt postea Gale. ostendit) *nunc*, duo significat, vel *indiuisibile quoddam tempus*, vel *secundum aliquam latitudinem*: tanquam nunquam possit significare perpetuum quoddā vitæ tempus. Itaq; Manardus sibi non consentit: cum dicit, affectiones vt nunc, differre ab his, quæ sunt simpliciter, quod hæ à primo ortu incipiant: illæ vero sint acquisititiæ. Alib. vero concedit tum hanc, tum aliā affectionem ex primis principiis suam originem ducere posse; vult præterea simpliciter talia semper durare. De his vero, quæ vt nunc dicuntur, nō potest statuere durationis tempus: sed cum cogitur aliqua ratione, nunc vnum, nunc aliud asserit. Gal. vero in hoc etiam non seruat bonam definiēdi rationē, neç omnes neutri huius species definit. Nam definitio, quam primo tradit, non conuenit neutro, quod est commune ei quod simpliciter & vt nunc est neutrum: sed ei, quod simpliciter est neutrum, quod ostendunt verba *ab ipso ortu naturæ*, quibus antea non est vsus, nisi in his, quæ simpliciter talia sunt, definiendis: postulat autem docēdi ratio, vt primum neutrum huius significationis, postea simpliciter neutrum definiat. Præterea male definit semper neutrum, quod per omnes ętates in eodem statu perseuerat: vt multum vero neutrum, quod aliqua ex parte variat. Nam vt antea diximus, vna & eadem debet esse ratio definiēdi opposita: & hæc, qua vtitur hic, non respondet signis & caussis, nec seruari potest in neutris tertię significationis. Nec probari quidem potest definitio neutri vt nunc, huius significationis: quandoquidē nullam ponit hic differentiam inter hoc, & prędicta neutra huius significatus. Illa enim habent quædam salubria, alia vero insalubria: quod idem dicit de neutris vt nunc. Definientur autem commode hæc neutra ad hunc modum: *Neutrum secundæ significationis est, quod simul participat in vna, vel diuersis partibus de salubri & insalubri. Simpliciter vero neutrum est, quod æqualiter illa participat: vt nunc vero neutrum est, quod participat quidem sed non æqualiter: prorsus vero neutrum est quod æqualissime sit illorum particeps: vt multum vero quod non prorsus neutrum est, quod parum recedit ab eo, quod æqualissime participat.* Ita n. seruatur definiēdi ratio, & magna ponitur latitudo, in qua omnes species huius neutri locum suum habent.

Nunc duo significare.

Galenus notatur.

Quid neutrum secundæ significationis.

Montani autem opinio de his neutris plane est absurda. Ait enim neutrum per participationem extremorum esse, quando quis est sanus in vna parte, in alia neuter: non autem (inquit) vt alii volunt, æger. Veluti si quis habeat cerebrum optimè sanum, hepar vero imbecillum. Hæc & similia docet de corporibus neutris Montanus, quæ sunt à ratione aliena: nam neutrum ex neutro, fieri, absurdum est, & repugnans Gal. qui ex sano, & ęgro, aut ex salubri & insalubri, omne neutrum cōstare semper asserit. Præterea non de neutro hic agitur, quod fit ex sano, sed de eo, quod fit ex salubri & insalubri.

Montani opinio de neutris absurda.

Κατὰ δὲ τὸ τρίτον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα τὸ ποτὲ μὲν ὑγιεινόν, ποτὲ δὲ νοσερὸν ἐν μέρει γινόμενον, ὥσπερ ἐνίοις ὑπάρχει. παισὶ μὲν οὖσιν, ὑγιεινοῖς γενέσθαι, νεανίσκοις δὲ γινομένοις, νοσεροῖς, ἢ ἔμπαλιν. ἐν ἑνὶ δὲ χρόνῳ τὸ οὕτως οὐδέτερον, ἀκριβῶς μὲν οὐκ ἐγχωρεῖ συστῆναι, κατὰ πλάτος δ' ἐγχωρεῖ. ἴσμεν δὲ ὅτι τὸ νῦν διχῶς λέγεται. τὸ μὲν οὖν ὑγιεινὸν καὶ νοσῶδες καὶ οὐδέτερον σῶμα ποσαχῶς λέγεται, καὶ ὁποῖον ἕκαστόν ἐστι, αὐτάρκως διώρισται.

Iuxta vero tertium significatum neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando vero insalubre existit, vt nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis vigent; cum vero ad iuuentutem peruenerint, insalubres euadunt, aut contra. In vno autem tempore quod ita est neutrum, consistere nequit, latius vero si accipiatur, contingit. Nouimus autem quod NVNC dupliciter dicitur. Salubre igitur & insalubre & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale vnumquodque sit, sufficienter explicauimus.

Quę à Gal. dicuntur de neutro tertii significati, euidenter vniuersa Manardi fundamenta euertit. Contendit enim hic salubritatem & insalubritatē, aut neutralitatem simpliciter dictam nunquam posse amitti: cum aperte ipse cum Gale. *hoc loco* testetur, quosdam in pueritia salubres, & postea in aliis ętatibus insalubres, aut è contra reddi, fruique maxima salubritate, aut insalubritate vexari maxima. Quos quidem simpliciter tales dicit esse, ad differentiam eorum, quæ vt nunc dicūtur: quæ in suo genere non sunt maximæ sed à maximo declinant: præsertim salubritas ipsa vt nunc, quā imperfectionem esse antea statuit. Sed n. commentū hoc, quod ea quæ simpliciter alia dicuntur, debeāt necessario hoc habere ab ortu, ostendit neutrum simpliciter tertiæ huius significationis. Non n. hoc incipit, sed salubre, vel insalubre primum, postea cū

Manardi fundamenta euertuntur.

initatio

mutatio fit ab vno ad aliud, mutatione ætatis aut ob alias causas, tunc neutrum incipit vocari: quia vtrūque simul sumitur, salubre inquã & insalubre. Ex quorũ cõsideratione, sumẽdo I. quod præcessit, & q̃ præsens est, neutrum euadit. Et illud quidẽ in suo genere, vt & alia omnia necesse est, vt simpliciter sunt. Vidit absurda Manardus q̃ hanc sequuntur opinionem de innata affectione simpliciter dicta, quamque nunc amitti posse contendit, sed parum feliciter argumentis respondet, quærens quomodo ea, quæ nascuntur salubria vel insalubria, simpliciter neutra dici possint. Respondet enim non posse reperiri corpus verè salubre, aut insalubre à generatione, quod in alia ætate mutet suam naturam. In quo euidenter Gale. repugnat, qui dicit, salubres quosdam nasci, & in pueritia tales perseuerare, in aliis vero ætatibus insalubres fieri, nulla additione posita, quæ innuat, quod simpliciter est. Nam quod simpliciter pronunciatur salubre, aut insalubre, reuera tale est. Ait præterea fugiens argumentum, aliqua esse corpora, quę videntur in vna ætate salubria, in alia morbosa: quæ si à generatione hoc habeant, neutra simpliciter, alioqui vt nunc esse neutra. Atqui omnia hęc neutra necessario vnum habent à generatione vel salubre inquam, vel insalubre: quare distinctio vana. Fugit etiam alia ratione argumentum, dicens, neutrũ simpliciter tertii huius modi non secundũ veritatem, sed secundum ostensionem & apparẽtiam tantum reperiri. An nõ dixit antea, q̃ simpliciter talia sunt, reuera esse talia? adeo vt repugnet concedere neutrum esse simpliciter tale, & solum esse secundum apparentiam & ex nostra imaginatione. Construit & in hoc aliam chimeram, cum dicit, posse quempiam nasci non cum salubritate, aut insalubritate, sed cum alia qualitate, quæ corpus reddat in vna ætate aptũ, in alia ineptum ad ægritudinẽ, & hoc esse neutrũ tertiæ huius significationis. In hoc n. manifestè à Gal. recedit, qui vult in hoc neutro corpus ab initio esse vel salubre vel insalubre. Sed quo pacto nõ erit absolute salubris, qui ad sanitatem bonam est dispositus? Sunt & alia multa, quæ Manardus in expositione eius loci Gal. (in vno autem tempore) quæ facile refelli possunt. Sed hoc solum addam, illum sibi aduersari, cum ait verbum *nunc* significare vel instans & momentaneum tempus, vel certam partem exiguam, aliquid tamen amplitudinis habentem. Nã cum Gal. de eo *nunc* hic agat, de quo antea egit, & quærit, quomodo neutrum nunc in hoc significatu dari possit, nõ videt Manardus, se hoc loco dicere affectionem, non dictam vel momentaneam solum esse, aut certe exiguã temporis amplitudinem habere: cum antea toto vitæ tempore eam durare posse tradiderit: sed vt dicere solet Aristot. *paruus error in principio, maximus est in fine.* Nam ista posita potentia pro salubritate, insalubritate, & neutralitate, cogitur Manardus multa audire absurda; à quibus cum vult se liberare, in grauiora incidit. Itaque cum hæc non placeant, videndũ est, quo pacto hæc neutra definiri possint. Gale. vt videre est, nequaquam potest omnes illius species definire. Id quod factum est, quia in aliis neutris definiendis rationem mutauit, quam in salubribus & insalubribus vsurpauerat. Nam *διὰ παντὸς* sumebat in his pro eo, quod est prorsus, in neutris vero pro eo, quod est semper: dictionem vero *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*, pro eo, quod parũ recedit ab illo, quod

Galenum definiendi ratione mutata in neutris, tractationem suam vitiasse.

A est prorsus tale, sumebat in salubribus, & insalubribus: in neutris vero pro eo, quod non semper durat. Ita dictionẽ *vt nunc*, vsurpabat pro eo, quod vltimum gradum facit in latitudine saluorium, & imperfectionem denotat, in neutris vero tempus significare ostendit. Præterea in omnib. prædictis, quæ simpliciter sunt talia, præter rationem addebat, illa esse talia ab ortu. Ex quibus quidem fit, vt nequeat neutra definire, quę sunt tertiæ significationis, simpliciter, prorsus, & non prorsus, & nunc talia: vt satis patet ex illius tractatione, quæ omnia hæc intacta relinquit, id quod factum est, quia definiendi rationem, quam prius posuit, violauit, & eam, quam in neutris temere inuexit, non potest B in omnibus obseruare: quod quidẽ in his neutris quilibet dignoscere potest. *Nullum præterea est neutrum, quod vt nunc sit neutrum, quia omne neutrum huius significationis in præsenti tempore est vel salubre vel insalubre:* quare Gal. in his euidẽtissimè errauit: nec potuit principia ab initio tractationis posita seruare, nec tractationem mutata definiẽdi ratione absoluere, nec quæ consona sint sequentibus signis inquam & caussis, docere; & tradit, quæ nullius sunt vsus in arte nostra, quæ quidem mortem non expectat, aut quod per mutationes omnium ætatum contingit, sed statum omnibus suam operam pollicetur. Redeundum itaq; est ad primam definiendi rationem & significationem C harum dictionum. Dicimus ergo, his positis, *neutrum esse in tertia hac significatione, quod aliquando est salubre, aliquando insalubre: simpliciter vero neutrum erit, quod toties participat de salubri, vt de insalubri: vt nunc vero neutrum, quod participat quidẽ, sed non toties de vno, quoties de alio: toties vero participare, habet breuem quandam latitudinem.* Nam vel omnino toties de vno, quoties de alio fit participatio, aut leuis aliqua differentia est: *illud erit prorsus, quod scilicet parum ab eo declinat.* Nam vt in neutro primæ significationis, quod erat mediũ sine aliqua participatione, ex eo, quod esset exactẽ, nõ exactè, exactissime, & parũ ab exactissimo recedẽs, ponebantur omnia neutra, q̃ sub ea significatione D continebantur, & in secunda significatione ex æquali, inæquali, æqualissima, & non prorsus æqualissima participatione satis commodus, & amplus dabatur locus omnibus speciebus illius neutri; sic in tertia significatione, quæ fit ex successione & participatione salubris & insalubris, non potest aliter fieri latitudo, in qua ponantur hæc omnia neutra, quam eo modo, quem diximus. Quibus quidem ita positis, retinentur principia, vna & eadem seruatur docendi ratio, explicaturque latitudo magna, quam dicit esse Galen. in corporibus salubribus, insalubribus, & neutris, fitque tractatio, quæ respondet signis & caussis. Nec opus quidem est vanas falsasque tabulas & E figuras Avenzoar & Manardi, in quibus illi salubria, insalubria, & neutra mille modis confundũt, magno labore exquirere: cũ omnia hæc sint re, & ratione distincta, adeo, vt mutuo inter se confundi nequeant: vt nequit esse idẽ bene, & male & medio modo sanũ. Quare superest, vt huic libro finẽ imponamus: hoc solum addentes, quod nonnullos torquet: quo pacto, inquam, fiat, vt corpora salubria, insalubria, & neutra cadant in morbum, aut ab eo ad sanitatem redeant: Credunt enim illi, corpora bene sana, & salubria primo fieri neutra, deinde salubria, postea vero in morbum ruere.

Neutrum tertiæ significationis.

Eodem pacto transitum fieri à morbo ad insalu- A britatem, neutralitatem & salubritatem, si vsque ad eam sit perueniendum: media enim esse inter illa neutram & pessimam sanitatẽ, cum itur à bona sanitate ad morbum vel ab hoc ad illam: Verũ non ita res habet, sed cum quispiam à sanitate sua recedit, ad morbum vadit per neutrum, quod est medium inter sanum & ægrum. Pullulant enim in illis statim causæ morborum, in quo statu non est neutra illa dispositio, de qua modo egimus, nec insalubritas, sed neutrum, quod vocant decidentiæ. Habent quidem insalubria & neutra corpora, quæ media sunt inter salubria, & insalubria, deteriorem sanitatem, quam salubria: verum illa non sentiunt capitis grauedinem, nauseam, corporis grauitatem, aut alia accidentia, quæ præcedere solent instantem morbum: hæc autem patiuntur teste Gal. neutra inter sanum & ægrum. Eadem ratione qui à morbo conualescunt, non acquirunt primum insalubritatem & neutralitatem mediam inter salubritatem, & insalubritatem, quæ sunt sanitates in habitu, sed neutralitatem, quam vocant conualescentiæ: per hanc enim quilibet à morbo ad sanitatem redit, & in ea sistitur.

IOAN-

IOANNIS ARGENTERII IN CLAVDII GALENI PERGAMENI ARTEM MEDICINALEM COMMENT. II.

DE SIGNIS.

CAP. VII. DE SIGNIS SALVBRIBVS.

ΠΕΡΙ δὲ τῶν σημείων ἐφεξῆς ἂν εἴη ῥητέον. ἔστι δὲ καὶ τούτων ὑγιεινὰ μὲν ὅσα τῆς τε παρούσης ὑγιείας ἐστὶ διαγνωστικά, καὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι προγνωστικά, καὶ τῆς προγεγενημένης ἀναμνηστικά. νοσώδη δὲ τά τε τῆς παρούσης νόσου διαγνωστικά, καὶ τῆς προγεγενημένης ἀναμνηστικά, καὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι προγνωστικά. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ τὰ οὐδέτερα, τά τε τῆς οὐδετέρας διαθέσεως διαγνωστικά, καὶ προγνωστικά, καὶ ἀναμνηστικά. καὶ τὰ μηδὲν ὅλως δηλοῦντα περὶ διαθέσεως, ἢ τὰ μηδὲν μᾶλλον ὑγιεινήν, ἢ νοσερὰν δηλοῦντα διάθεσιν· καὶ τὰ κατά τι μὲν ὑγιεινήν, κατά τι δὲ νοσερὰν δηλοῦντα διάθεσιν· καὶ τὰ ποτὲ μὲν ὑγιεινήν, ποτὲ δὲ νοσώδη. καὶ ταῦτα δὲ κατὰ τοὺς τρεῖς χρόνους ὁμοίως τοῖς ὑγιεινοῖς, καὶ νοσώδεσι.

DE Signis vero deinceps agendum. Sunt autem & ex his salubria quidem, quæcunque præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subiiciunt. Insalubria vero, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subiiciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant & memoriæ subiiciunt, & quæ nihilominus de dispositionibus indicãt, vel nihilo magis salubrem, quam insalubrem dispositionem ostendunt, & partim quidem salubrem, partim vero insalubrem indicant dispositionem, & quæ aliquando quidem salubrem, aliquando vero insalubrem, & hæc quoque secundum tria tempora veluti salubria & insalubria appellantur.

CVM Tria potissimum sint A capita, quæ in hoc Opere explicantur, corpora scil. signa, & causæ, quatenus hæc sunt salubria, insalubria, & neutra, posteaquã Gal. tractationem de corporibus absoluit, docuitque, quot sint differentiæ corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum, & singulas differentias definiuit, (his enim duobus solum tractationem de corporibus est complexus) ad secundum caput nunc transit, quod est de signis; siquidem post corpora, de signis agendum esse antea proposuit. In qua quidem tractatione hanc docendi methodũ & ordinem seruat, vt primo definiat, quæ sint signa salubria, insalubria, & neutra: secundo inter se comparat, quæ præsentem statum indicant, cum his, quæ præteritum memoriæ subiiciunt, aut futurum prænunciant: tertio docet à quibus signa sumantur, & illa primum accommodat corporibus prorsus salubribus, deinde aliis salubribus, & postea neutris & insalubribus, idque generatim. Postea autem relicta tractatione de signis totius, ad partium principalium signa transit, docetque, quonam modo temperaturas & constructionem illarum cognoscere possimus. Quo facto & iam habito ex quo liceat totius corporis temperiem dignoscere, redit ad totius corporis temperiem, & propria cuiusque temperaturæ indicia tradit. Quo peracto, quarundam partium non quidem principum & principiorum aliarum, sed quæ tamen magni sint momenti, nempe ventriculi & pulmonis temperaturam docet, & ex propriis signis, quales illæ sint, explicat. Deinde rara quædã vitia enarrat, quæ ex prima conformatione in nonnullis partibus, nempe in vesica & homine pituitoso vomente bilem fieri vidit. Postea ad signa insalubria transit, docetque primo signa corporis ægrotantis, deinde partium principalium, de quibus antea egit, exceptis testibus: & sic consumit genus insalubrium signorum, quæ præsentem morbum ostendunt. Posthæc ad alterum genus accedit, nempe ad insalubria, quæ futuram ægritudinem portendunt. Postremo de signis, quæ in morbis sanitatem prænunciant, id est, de signis salubribus agit, quæ post morbum futuram sanitatem nunciant. Neutra vero signa, quæ lapsuros in morbos significant, complectitur, cum signa insalubria tradit indicantia futuram ægritudinem. Præsentem enim dispositionem ostendunt neutram, & futurum morbum monstrant, & illa ratione neutra, hac vero insalubria nuncupantur. Omittit autem neutri corporis, & neutrarum partium inter salubria &

Ordo verò quo in hoc secundo commento decernitur.

insalubria, id est, benè & malè sana proprias notas, quoniã forte ex extremis intelligi ea posse putaret. Quinetiam prætermittit signa neutrius conualescentiæ, & senilis affectionis: quos status, vt eum, qui paratus est cadere in morbum, inter sanum & ægrum neutros postea ponet & antea posuit in medicinæ definitione. Omittit & multa alia, quæ forte non sunt huius tractationis, sed certe talia sunt, vt à Medico ignorari non debeant: quæ quidem nos (vt qui a cepta ex hoc opere occasione vniuersam tractationem traditam in aliis operibus explicare instituimus) nequaquam dissimulabimus. Verum illa non prosequemur ad vnguem, quod in opere nostro de signis edito fecimus, sed potius ex illo capita solum assumemus.

B

Ordo autoris.

Primum ergo de vtilitate & difficultate tractationis de signis agemus: secundo quid signum sit definiemus: tertio, quænam oporteat per signa cognoscere, indicabimus quarto genera & differentias signorum trademus: quinto signorum fontes aperiemus: sexto vim signorum ostendemus: septimo monstrabimus, quot possint esse in vnaquaque re signa: octauo, qua ratione oporteat Medicum signa inquirere insinuabimus: postremo, quæ signa sint in vnaquaque re numeranda, & à quibus incipiendum exponemus.

1 *De vtilitate ac necessitate tractationis de signis.*

Porrò signorum tractatio dignissima est & vtilissima. Videtur enim diuinum quidpiam præstare Medicus, dum latentes affectus præsentes per signa dignoscit, aut commemorat, quæ præcesserunt, aut prænunciat, quæ futura sunt.

C

Est vero vtilis hæc tractatio per se, ad res abstrusas dignoscendas, tum vero necessaria ad omnia Medici officia obeunda. Neque enim curare, aut præseruare, aut aliud facere potest Medicus, nisi per signa ea cognoscat, circa quæ versatur illius officium. Confert huiusmodi cognitio Medico ad gloriam & famam comparandam. Item ad reddendos obedientes & constantes ægrotos, eo quod illi admirentur professores Medicinæ, quos vident in hac parte excellere. Facit etiam hæc ad vulgi infamiam & calumnias euitandas cum euẽtum prædicimus: necnon ad autoritatem remediorum retinendam; quandoquidem in illis vtetur tantum modo Medicus, quibus ea profutura præuidet. Cæterum siue signum, siue indicium vel notam appelles, nihil refert.

D

Sumimus autem hoc loco signum latius, quam faciat Aristot. ille enim signum vult solum sumi ab effectis, vt cum dicit fumum esse signum ignis: capit & aliquando signum pro propositione demonstratiua, necessaria, vel probabili, vt *in fine primi libri priorũ Analyt.* quomodo etiam nos hic signum non sumimus. Nec intelligimus signum, quod sensui est prius notum, vt Drusianus sentit. Nam à causis Galenus passim signa sumit, & à rei essentia, quæ quidem solo intellectu comprehenduntur.

2 *Signum quid. Significare quid sit.*

Sed signum dicimus esse in arte nostra id, *quod potest aliquid significare eorum, quæ sunt in nostro corpore.* Est autem significare, *tacitè admonere vnum ex alio:* fit vero tacita hæc admonitio ex comparatione rei significantis cum significata. Simul enim atque facta est huiusmodi comparatio, deprehendit intellectus, quod quærebat: qua ratione ex fumo significari ignem dicimus. Nam cum notum sit, effectus à suis causis nasci, non mirum est, si vno cognito, aliud protinus animus concipit, id, quod est significare.

A

3 *Quæ per signa cognoscere oporteat.*

Porrò per signa cognoscere oportet quæcunque eueniunt nostro corpori: quorum quædam sunt secundum naturam, alia preter naturam, alia media: & in singulis aliud est, vt causa constitutionis, aliud vt constitutio, aliud vt effectus constitutionis. Item in omni statu aliquid est, quod in suo genere est summum, aliud, quod ab illo recedit: veluti in statu secundum naturam constitutio talis est sanitas, illius causæ sunt causæ constitutionis & sanitatis. Accidentia vero sunt, quæ sequuntur sanitatem: in ipsa vero sanitate est bona quædam sanitas, quæ salubritas dicitur, alia mala, quæ vocatur insalubritas, alia inter hæc media, & neutra nuncupatur. Iam vero in statu præter naturam cognoscere oportet morbum, causas morbi, & effectus, siue symptomata.

In morbo quid inquirendum.

De morbo vero necessarium est cognoscere illius naturã, genera, differentias, partes, locum, in quo residet, generationis rationem, finem, modum, tempus, quo ad finem perueniet, solutionis qualitatem, locum solutionis. De causa vero morbi cognoscere oportet, qualis illius natura, quod illius genus, quæ differentia, quo loco contineatur, quomodo morbum gignere, augere, fouere, & expelli ipsa valeat.

Quid in causis. Quid in symptomatibus.

At de symptomatis scire necesse est, quod sit symptoma, cuius generis, & differentiæ sit, quo loco contineatur, quas partes affligat, à quo proueniat, quomodo gigni abigique possit. Hæc omnia oportet cognoscere, cum sunt præsentia, præterita & futura.

Signorum diuisio.

Signa Gal. diuidit hic in salubria, insalubria, & neutra: quæ diuisio forte operi est accommodata, sed in medicina non satis generalis, quippe cum non possint omnia, quæ in ea tractantur, ex signis his dignosci. Præterea ex certo principio & certa methodo non procedit diuisio, ita vt intelligere possimus, non plura, nec pauciora signa esse.

4 *Signorum genera & differentiæ.*

Sumentur autem genera & differentiæ signorum ex rebus, quæ significantur, ex rebus significantibus, & ex significandi modo. Significantur porro res secundum naturã, aliæ præter naturam aliæ, neutræ: vnde signa quædam dicuntur esse secundum naturam, alia præter naturam, alia neutra, quæ scilicet illa significant. In statu porro secundum naturam, quæ significant sanitatem, sana dicuntur, quæ bonam sanitatem, salubria. quæ malam, insalubria quæ vero mediam inter bonam & malam ostendunt, dicuntur neutra.

Signa Pathognomonica. Assidentia. Cruditatis & concoctionis.

At in statu præter naturam, quæ morbi naturam patefaciunt, Pathognomonica, id est, passionem significantia vocantur signa, quę autem morbi magnitudinem & mortem indicant, Assidẽtia nuncupantur: quæ autem declarant tempora morbi ex materiæ concoctione, signa cruditatis & concoctionis appellantur. Signa subitam mutationem ostendentia in morbis, critica, id est, iudicatoria appellantur.

E

Signa quæ ostendunt corpus ægrotare, ægra: sicut neutra dicuntur, quæ ostendunt statum medium inter sanum & ægrum, Quæ vero salutem, aut mortem prænunciant, salutaria & lethalia dicuntur. Signa, quæ causas sanitatis & illius effectus, morbique causas, genera, & differentias locum, in quo residet morbus, & per quę soluitur, & generationis rationem, & resolutionis qualitatem, quæ subito non fit, monstrant, & omnia, quæ sunt in neutro statu, nomine simplici carent,

carent, ac exprimuntur additione eius, quid significatur. vt cum dicimus, signa hæc sunt, quæ ostendunt caussam sanitatis, aut caussam morbi. Quæ autem monstrant, quæ præsentia sunt, demonstratiua, quæ prænunciant futura, prognostica, prædictiones & præsagia nuncupantur. Iam vero significandi modo differentiæ sumuntur, vt cum dicimus, quædam esse, quæ semper idem significant, vt bonum, sicut concoctionis signa; vel malum, vt signa malignitatis morbi. Alia vero sunt, quę vno tempore bonum, alio malum ostendunt, vt decretoria signa; alia quæ indifferens significãt, vt cubare per febres in latere dextro, vel sinistro. Alia præterea significant vt communia signa; alia vt propria, alia vt mediata, aliæ vt immediata, alia sua natura, alia aliorum ratione, alia magnam vim in significando habent, alia paruam, alia certam, alia incertã. Sumuntur enim omnes istæ differentiæ à modo significandi. Cæterum à rebus significantibus differentia signorum hæc sumitur, cum dicimus, quædam signa esse, quæ ab essentia rei, alia, quæ à caussis, alia, quæ ab effectis rerũ ducuntur. Atque hęc quidem sufficiant de generibus & differentiis signorum.

Demonstratiua. Prognostica. Decretoria.

6 Fontes vero signorum *sequenti cap.* cum Galen. docebimus.

Signorũ vis.

Cæterum vim signorum cognoscet is, qui imprimis separabit ea, quæ significare nequeunt ab his, quæ id facere possunt, & in his quidẽ notabit, quid vnumquodq; significare, & quid à quo significari, & quo modo possit: quæ omnia *primo libro de signis* sumus latius prosecuti.

Quot in vnaquaque re signa esse possint.

7 Iam vero tot possunt esse in vnaquaq; re signa, quot sunt effectus & causę rei, de qua agimus necnon colligi possunt ab ipsa rei natura iudicia, & rerum similitudine & proportione.

Qua ratione medicus debeat signa inquirere.

8 Medicus signa inquiret, quæ potest ex seipso: alia vero partim ab ægroto, partim ab astantibus.

9 Enumerabit autem in vnaquaque re signa solũ, quæ sunt propria, si illa adsint, aut sufficiant, alioqui adiunget communia, quæ cum propriis iuncta fidem facere possunt de eo, quod quærimus. His quidẽ ita præmissis, facilius licebit intelligere, quæ scribit in textu Galenus.

Signa salubria, insalubria, & neutra aliter dici à Gal. quã corpora salubria.

Atq; illud in primis patere arbitror, eum signa salubria, insalubria, & neutra non sumere eo modo, quo sumpsit corpora. Nã corpora salubria dicebat esse, quę bonam habent sanitatẽ, insalubria, quæ malam, neutra quę mediã obtinent. Hic vero signa salubria definiuntur, quæ *omnem* sanitatẽ, & non solum *bonam* declarant: insalubria vocat, non, quæ insalubritatẽ id est, malã sanitatem, sed morbũ ostendunt. Capit ergo salubre, insalubre, & neutrum in signis, vt accepit in definitione medicinæ pro sano, ægro, & neutro inter sanum & ægrum. Licet præterea hic videre quatuor, & non solũ tres neutri significationes, quod antea quoque annotauimus. Definit rursus signa salubria, insalubria, & neutra, quoniam nõ satis antea illorũ naturã expresserat. Signũ enim salubre eo loco definiebatur, quod sanitatẽ indicat: verum cũ possit indicare præsentem, præteritã, & futuram, non satis constabat in ea definitione, an signũ salubre esset, quod vel pręsentẽ solũ, vel pręteritã, & futurã ostẽderet. Eadẽ est ratio de insalubrib. & neutris. Ambiguitatẽ ergo illam hoc loco ex clariore definitione tollit, cũ dicit, huiusmodi signa intelligi ita, vt ostendãt, quod pręsens, præteritũ, & futurum. Sunt ergo signa salubria vno modo quæ *indicant sanitatẽ*: cuius generis sunt quæcumq; naturalẽ dispositionẽ sequũtur, vt actiones corporis & animi secũdũ naturã, & quæ ex bonis actionib. sequũtur, vt corporis habitus bonus, color bonus, excremẽta qualitate & quantitate bona & suis tẽporibus exeuntia. Signa futurã sanitatẽm demonstrantia dicuntur, quæ, cum ea præsens non sit, aduenturam tamen prænunciant. Sunt autẽ ea, quęcunque naturam supra morbosas caussas dominari ostendunt, vt cõcoctionis signa in vrina & excrementis, partis affectę virtus robusta. Hæc autem à particularibus multis sumuntur, cum signa omnia prognostica salutis ab Hippocrate *in prædictionib.* tradita, & à Gal. *variis in locis*, ad hoc genus pertineant. Signa vero præteritam sanitatem memoriæ subiicientia sunt, quæ per morbos adhuc tanquã præteritæ sanitatis affectus apparẽt, vt solida corporis moles, robur virium, color secundum naturam, & denique quæ solum à sanitate fiunt.

Quæ sint signa indicantia sanitatẽ. Signa futuram indicantia sanitatẽ. Signa præteritæ sanitatis commemorantia.

Signa præsentis morbi.

Iam signa insalubria, quæ præsentem indicant morbũ, generatim, sunt læsæ præter naturã actiones, speciatim, propria cuiusq, morbi signa; vt febrẽ, calor mordax totius corporis, pulsus celeriores ostendũnt, & vt semel dicam, quæ morbum sequuntur, vt illis positis, & ablatis alia ponantur, & auferantur.

Signa futuri morbi.

Signa, quæ futurũ morbum prænunciant, sunt, inquit. Galenus, *quæcunque neutrum statum præsentẽ ostendunt.* Intelligere autem oportet neutrũ statũ, non eum, qui est inter salubrem & insalubrem, sed inter sanitatem & morbũ, vt ex eo capite patet, vbi dicit, neutrum ea ostendere, quæ media sunt inter sanitatem & morbum. Nec omne quidem neutrũ inter sanum & ægrum potest morbum prænunciare. Nã conualescentes & senes ponuntur in eo statu, quorum tamen indicia nullum imminentẽ morbũ pręsagiũt: sed neutrũ intelligere debemus, quod recentiores vocant neutrum decidentiæ. Est autem, vt *eodẽ loco* tradit, duplex eorũ, quæ neutris corporibus insunt, natura. Alia. n. ex illorũ genere sunt, quę sunt secundũ naturã, sed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel tẽporibus mutata. Alia vero ex his, quę pręter naturã, sed minora his, quę morbis accidunt. Ex priore genere sunt ciborũ appetitus auctus vel diminutus, aut non seruans tempus suũ consuetũ. Sic excrementorũ qualitas, quantitas, aliquo modo à naturali statu mutata, & tẽpus illorum mutatũ: & sic de aliis actionibus, vt de somno, & vigilia, & corporis accidentibus secundũ naturã mutatis aliquantulũ à naturali statu, res intelligatur. Secundi generis sunt motus ventris, dolor vel capitis, vel alterius partis qualitates sensibiles, vt amaror in lingua, asperitas in tactu, sonitus in auribus & alia huiuscemodi, de quibus abunde Galen. *capite 82. huius* agit.

Signa commemorantia morbi præteritum.

Signa quæ præteritũ morbum memoriæ subiiciunt, quænam sint, nemo generali aliqua ratione conatur ostendere, vt hi, qui dicunt, vires imbecilles conualescentium id ostendere. Non enim solæ vires imbecilles, sed & alia multa id significãt, vt corporis habitus, mutatio in colore, & aliis qualitatibus. Nec certè facilè est generale aliquid tradere: videtur tamen mihi ita dici posse, quod sint morbi effectus, qui ab ipso morbo separari possunt: sunt autem isti secundarii effectus morbi, vt, verbi gratia, febris ipsa primo calefacit corpus, ad calefactionẽ hanc præter naturã sequuntur ca-

poris extenuatio, humorũ consumptio, natiui coloris mutatio, virium imbecillitas. Calor ergo pręsenté morbum indicat, non præteritũ. Quæ autẽ à calore facta relinquuntur, ablato ipso calore & febre, pręteriisse febrem ostendunt. *Primarii ergo morbi effectus præsentẽ morbum indicant. Secundarii autem, aut etiam nonnulli ex primis diminuti præcessisse commemorant*, vt viriũ imbecillitas totius corporis, quæ febrem sequitur, morbum totius corporis indicat, cũ tanta imbecillitas est, quantum præsens morbus requirit. Præcessisse autem eum ostendit, cum tanta nõ est imbecillitas, vt omnino cessare cogatur homo à solitis officiis. Verũ cum par imbecillitas in his, qui lapsuri sunt in morbũ, reperiri possit, vt in illis, qui à morbo conualescũt, nõ ex sola imbecillitate diuinare poteris hũc magis morbo laborasse, quã laboraturũ: Id quod fiet signis propriis additis. Sunt enim quędã signa, quæ sequũtur eos, qui conualescũt, vt gracilitas corporis, coloris mutatio magna, quæ etsi aliquando etiam sunt in his, qui in morbum lapsuri sunt: insigniora tamen sunt in his, qui conualescunt. Signa etiã addi possunt, quæ non solum præteritũ morbum, sed morbi causam præteritã memoriæ subiiciunt, vehiti cum Gal. ex signis in corpore apparentibus in diariis febribus colligit, à quibus causis vnaquęq; illarum excitata fuerit. Siccitas enim maior, quàm pro ratione febris, tristitiam febris causam fuisse ostendit: calor vehementior, irã; faciei tumor & decoloratio vigiliã. Postulat quoq; ratio, vt signa tradantur, quæ neutrũ inter salubre & insalubre ostendunt præsens, præteritum, & futurum: secundũ omnes neutralitatis modos, quod à Gal. prætermissum esse miror. Tradit enim illic *in sequẽti capite* signa neutralitatis, sed non eius, quæ est inter salubre, & insalubre, aut certe non secũdum omnes significationes & tempora. Nos fortè hæc inferius prosequemur.

Καλεῖται δὲ ἐνίοτε πρὸς τῶν παλαιῶν ἰατρῶν ἅπαντα ταῦτα τὰ σημεῖα, προγνωστικά, καίτοι ἐνεστώτων, ἢ προγεγονότων ᾖ δηλωτικά.

Vocantur autem nonnunquam à vetustioribus Medicis hæc omnia signa prænuntiatiua, quamuis præsentium ac præteritorum indicatiua.

A veteribus Medicis omnia hæc signa, quibus scilicet præsentes status agnoscimus, & præteritos memorię subiicimus, & futura pręnũtiamus, prognostica siue prædictiones & præsagia vocari scribit, quod apud Hippocr. statim *initio primi libri prognosticorũ* intelligere licet. *Si enim* (inquit) *Medici præsentia, præterita, & futura prognosticare siue præsagire poterunt, admirabiles existimabuntur:* Illic enim (vt patet) præsentia & futura prædici ait. Et sanè ita commode appellari possunt omnia signa, quoniã prædicere nihil aliud est, quàm *rẽ aperire, & verbis declarare, antequam alius quicquam dicat & detegat quod est occultum.* Vnde Medicus dicitur prædicere morbum præteritum, cum dicit, qualis morbus præcesserit, nõ expectata relatione ipsius ægri, aut astantium. Sic præsentem cum detegit affectum, aut futurum euentum morbi, aut morbũ ipsum prænuntiat venturũ, prædicere dicitur. Recentiores tamẽ Græci, vt Gal. prædictiones & pręsagia ad futura solum accõmodant, & certè aptior

Prædicere quid.

videtur esse significatio. Dicitur enim verè prædicere, qui antequam res fiat, fore nunciat: qui autẽ pręteritum dicit, ille non prędicit, sed potius commemorat. Sic qui præsentia agnoscit, cognoscere dicitur, non commemorare, aut prædicere.

Commemorare quid.

Καὶ ἡ χρεία μεγάλη μὲν τῶν διαγνωστικῶν τε καὶ προγνωστικῶν, ἐλάττων δὲ τῶν ἀναμνηστικῶν.

Vsus vero non paruus, ex prænunciatiuis atque indicatiuis, minor autem ex his, quæ memoriæ subiiciunt.

Posteaquam Galen. definiuit singula genera signorũ, nunc illa inter se comparat, dicitq; vtiliora esse indicatiua & prognostica memoratiuis. Sed rationẽ hic non docet huius rei, quod facit *libro 1. prædictionum*, quo loco scribit memoratiua solum esse vtilia Medico ad honorẽ & famam cõparandã: alia vero vtilia esse & Medico & ægrotanti. Verũ nec eo loco causam reddit, qua fiat, vt quædã Medico duntaxat, alia vero etiam ægrotis vtilia sint. Mihi certe non videtur in his aliqua esse diuersitatis ratio. Nam si ea ægrotis vtilia censemus esse, quæ ad eorum sanitatem recuperandam faciunt, merito dicemus esse illis vtilia signa memoratiua, quoniam ex illis cognoscimus causas & effectus, qui præcesserũt, ex quib. dignoscitur natura dispositionis in corpore ab illis derelicta, quib. cognitis, postea curatio rectè instituitur. Medico vero hæc omnia ęquali modo ad honorem & famam cõparandam conferunt. Ita eum admiramur, cum pręterita commemorat ac si præsentia agnoscat, vel futura prænunciet. Nec solum quidem in ægrotis, vt Galenus facit, sed in omni alio corporis statu signorum vtilitatem metiri oportet. Nam cum Medicus debeat pręsentem sanitatem conseruare, absentẽ restituere, & præcauere ne in morbos ruat, necesse est, vt qui illa rectè præstare possit, cognoscat, quæ præsentia sunt in corpore, futura & præterita. Sed hæc *in libro secundo*, de signis diligentius ostendimus. Quærit hoc loco Curtius, cur Galenus signa, vt corpora, non diuiserit in simpliciter, & vt nunc talia, dicitque non parem esse rationem: quoniam corpora simpliciter talia dicuntur esse, quæ sunt à natiuitate, signa autẽ ægritudinis à generatione talia non esse. Verum eum fefellit definiendi ratio in corporibus, quod generationẽ spectaret in his, quæ sunt simpliciter talia: per acquisititiam vero sanitatẽ definiret vt nũc talia. Nã vt nos antea ostendimus, & Galenus statim testatur, differunt hæc solum per magis & minus, docetque regula oppositorum, eandem esse rationem in signis & signatis. Erunt ergo signa simpliciter salubria, insalubria, & neutra, quæ corpora simpliciter talia ostendunt: vt nunc vero salubria, insalubria, & neutra signa, quæ vt nunc dispositionem declarant. Eadem est ratio de signis prorsus, & non prorsus salubribus. Nam signa vt diximus ad signata referenda sunt: quod & Hippocrates ipse *in prædictionibus* ostendit dum notat, quædam esse signa bona, alia optima, alia semper bona, alia non nisi in certis temporibus: alia rursus esse mala, & inter hæc quædã pessima, alia lethalia, alia, quæ etiam propinquam mortem ostendunt: quæ omnia docẽt dari gradus in signis, sicut in affectionibus corporum. Eadem est ratio de causis salubribus, insalubribus, & neutris.

Signa simpliciter salubria, insalubria & neutra. Vt nunc.

Ὄντων οὖν σωμάτων ὑγιεινῶν τῶν μὲν ἁπλῶς, τῶν δὲ ἐν τῷ νῦν ἤτοι δὴ, καὶ ὑγιαίνοντα λέγεται· τῶν ἁπλῶς ὑγιεινῶν σωμάτων, διττὴν ἔφαμεν εἶναι τὴν διαφοράν· τῷ τὰ μὲν διὰ παντὸς ὑπάρχειν τοιαῦτα, τὰ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. διὰ παντὸς μὲν ὅσα τὴν ἀρίστην ἔχει κατασκευήν· ὡς τὸ πολὺ δὲ ὅσα μὴ πολλῷ ταύτης ἀπολείπεται.

Cum vero sint salubria corpora hæc quidem simpliciter, hæc vero vt nunc, quæ & bene valentia dicuntur, salubrium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam, quoniam nonnulla quidem semper, nonnulla vero vt multum essent talia: & semper quidem, quæ optimam constitutionē sunt sortita; vt multū vero, quæ non magnopere ab illa recedunt.

Repetit Galenus salubrium corporum differētias, vt illorum notas tradat. Qua in re notare illud oportet, quod antea diximus, vt nunc salubria non habere malam sanitatem, quæ insalubribus conuenit, aut acquisititiam, vt Manardus & alii sentiunt: quippe cum Galen. huiusmodi corpora non alia ratione exprimat, quā quod bene valentia sint. Item quod scribit semper & vt multū salubria corpora, legere oportet prorsꝰ, & nō prorsus, vt euidenter ostendunt illorum definitiones: nam quod optimā habet constitutionē, semper tale nō est: quippe cum optima cōstitutio teste Gal. in *lib. 1. de sanitate tuenda*, vel non detur, aut si aliquando reperitur, minimo temporis spatio duret. Quod autem prorsus salubre est, optimam habet constitutionē, & ita hic definitur nulla temporis & durationis facta mentione. Quinetiam illud patet, quod antea admonuimus, simpliciter talia nō dici, quod ab ortu necessario dici debeant esse, ꝙ sunt, sed quod in suo genere perfectionem obtineant. Nam quæ prorsus, & non prorsus salubria sunt, & simpliciter salubria, nulla ortus facta mētione hic apertè definit ex solo perfectionis gradu maiore & minore: qui locus diligenter notandus est, vt qui principia ponat totius huius tractationis, & aliorum chimęras refellat.

Optimam constitutionē vel non dari vel breui durare.

CAP. VIII. De signis optimæ constitutionis.

Τὰς διαγνώσεις δὲ αὐτῶν ἀπό τε τῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὸν τῆς οὐσίας αὐτῶν λόγον χρὴ ποιεῖσθαι, καὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης τούτοις ἑπομένων ἐνεργειῶν τε καὶ συμπτωμάτων, ἃ δὴ καὶ συμβεβηκότα καλοῦμεν ἰδίως.

Horum autem dignotiones sumendæ sunt ab his, quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, casibusque, qui & propriè accidentia vocantur.

Posteaquam definiuit & diuisit signa, nunc docet, à quibus fontibus illa ducantur, & postea illa accommodat corporibus primū salubribus, vt quę regula sint aliorum. Et quoniam inter salubria, quod saluberrimum est, ad alia eandem rationem obtinet, ideo omnium primum docet, ex quibus signis possit dignosci corpus saluberrimum. Ac nō solum quidem hi fontes signorum accommodantur corporibus sanis, sed etiam ægris, & neutris, in-

A ter sanos & ægros, & si nonnulli contra oppositorum rationem aliter sentiunt. Dicit ergo, signa sumi ab his, quæ secundum essentiæ rationem corporibus insunt, id est, ab his, quæ sunt de essētia & substantia ipsorum corporum, & hic vnus est fons signorum: alius, inquit, sumitur ab his, quæ ex necessitate consequuntur essentiam corporū. Sunt autem hæc, operationes & symptomata, quæ & propriè accidentia vocari scribit; addit autem accidentia necessario consequentia, signa esse: quoniam accidentia, quæ ab extrinseco corpori adueniunt, vt nigredo à sole, ostendere nequeūt, qualis sit corporum essentia: actiones verò structurā necessario sequuntur: quare nō propter actiones ad-

Primus fons signorum.

B didit *necessario consequentia*; quanquam & illę (vt postea ostendemus) præsertim quæ in nostra sunt potestate, educatione immutari possunt. Quare nec illæ semper sequuntur essentiam corporis, & partium, à quibus eduntur. Errat autē Monachus, qui dicit illa esse secundum essentiæ rationem, quę ingrediuntur definitionem substantiæ corporum, prout sunt sana. nam in definitione corporis sani & ægri, ingreditur actio, quam Gal. separat hic ab his, quæ sunt secundum essentiam. Præterea incerta esset ratio signorum: quippe cum vario modo definiri possit sanitas & morbus, nempe à priori & posteriori. Quæ autem verò Græci symptomata, interpretatur Celsus casus: & nos vocamus accidentia, quæ illi συμβεβηκότα nuncupant.

Dissentit a Monacho de eo, quod est secundum essentiæ rationem, consistens.

C Quæ duæ dictiones Græcè si illarum etymologiam spectemus, idem significant, & hic pro eodem vsurpantur: vt plurimum tamen *accidentia dicuntur de sanis: symptomata vero de ægrotis.* vt videre est apud Gal. *in primo Methodi.* Refellenda autem est Curtii opinio, qui casus dicit esse dictos, quod casu fiant, quoniam præter naturam sunt. Nam Galenus non dixit *casus*, sed *symptomata*. Præterea si casus dant signa corporum salubrium, præter naturam non sunt. Ad hæc falsum est, morbos, & illorum causas, & effectus, quæ omnia dicimus esse præter naturam, casu fieri: quoniam excessu & defectu solū differunt ab his, quæ secundum naturā sunt. Monstra verò dicuntur quidem casu fieri, &

Accidentia & symptomata quomodo differant.

Curtii opinio de casibus improbatur.

Morbi quomodo fiant.

Quomodo monstra.

D nō à determinatis causis: sed hoc nihil ad morbos, qui alio, vt diximus, modo pręter naturā dicuntur, vt *inferius* docebimus. Separat hic Gal. operationes à symptomatis, cum tamen *in libris de symptomatis* comprehendat sub symptomate actiones, qualitates corporis, & excrementa: de quibus etiā *hic* mentionem non facit, cum tamen ab illis optima & plurima signa sumantur ad corporis statum dignoscendū, vt postea ostendemus, cū examinabimus, an omnes fontes signorū hic complectatur autor. Nunc vero prosequamur, quæ idem cōprehendit sub his fontibus. Prius tamē & hic quoque explodenda est Curtii opinio, qui quadrimē-

E brem facit diuisionē eorum, à quibus scribit Gal. hic signa sumi. Ait enim quædam sumi signa à propria substantia membri, alia ex necessario consequentibus, alia à necessario accidentibus, alia ab operationibus. Primi generis dicit esse, quæ sumuntur à primis qualitatibus, secundi quæ à mollitie, duritię, colore, & aliis secundis qualitatibus ducuntur. Accidentia vero necessario consequentia scribit esse quantitatem, magnitudinem, numerum, & figuram: & in hanc quidem opinionem ducitur ob locum, qui legitur *in primo lib. de vsu partium*: vbi Gal. agit de his, quę sunt in manu.

Curtii opinio de diuisione horum signorum improbatur.

Verum ille *eo loco* aliud agit, quam *hic*. Nam hic tria solum ponit membra ad summum, & signa sumpta à magnitudine, numero, & figura, ait capi à substantia partium organicarum, non autem ab accidentibus, vt eo loco, in quo etiam non quadrimembrē, vt Curtius vult, facit diuisionem. Præterea illic corpus non vt compositū ex partibus multis considerat, sed vt substantia est, de cuius essentia est temperies: nam partes similares (quas nomine corporis *eo loco* intelligit) essentiam habent ex temperie; color autē, magnitudo, figura, accidentia sunt similaribus partibus. Hic autem, cum scribit, magnitudinem, numerum, esse de essentia, intelligit de essentia non partis similaris aut substantiæ, sed partis organicæ.

Ἀπὸ μὲν τῆς οὐσίας αὐτῆς, τῆς ἐν ἀρίστῃ κατασκευῇ, συμμετρίᾳ τῶν ὁμοιομερῶν ἐν θερμότητι, καὶ ψυχρότητι, καὶ ξηρότητι, καὶ ὑγρότητι.

Ab essentia quidem ipsa eorum, quæ optimā habent constitutionem, commensuratione consimilium quidē in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate.

Posteaquam dixit, signa quædā sumi ab his, quę insunt corporibus secundū essentiæ siue substātiæ rationē, docet nūc, quænā sint illa, quæ insunt corporib. secundū essentiā, & supponit corpus nostrū constare ex organicis & similaribus partibus, atq; similares partes corporis optime cōstituti constare ex commensuratione siue tēperie, quæ fit ex calido, frigido, humido, & sicco, siue ex quatuor elementis: & signa, quæ ab his sumuntur, sumi ab essentia partium similarium: esse enim bonam temperiem ex quatuor illis qualitatibus, si pars similaris sana; alioqui intemperiem, si eadem pars malè habet. Tradunt præterea Medici, ex elementis inter se temperatis primum fieri partes similares, ex similarib⁹ organicas, ex organicis minoribus maiores, ex maximis tandem vniuersum corpus constitui. Quæ quidē nemo rectè intelligere poterit, qui prius nō nouerit, quid partis nomine sit intelligendum, quid sit pars similaris, quid organica, & ea, quę Medicū scire oportet de elementis & temperamentis. Porro partis nomen aliquando sumit Gal. solum pro parte instrumentaria, veluti cum scribit *in 1. lib. de locis affectis* partem & locum affectum idem esse. Nam cum locū affectum explicat, potissimū docet mala, quæ instrumentariis partib. contingunt. In eadem significatione videtur partē vsurpare *in initio operis de vsu partium*, cum definit partem esse, quæ non habet vndiquaq; propriam circumscriptionē, nec omnino aliis est coniuncta: hoc.n. solis partibus instrumētariis accidit, dū partes sunt corporis. Nam cum à corpore sunt separatæ, quoniā propriā habēt circumscriptionē, ita totum quoddam sunt, & non amplius partes. Similares vero ita inter se coniunguntur, vt nullam circumscriptionem obtineāt. Definit vero *cap. 5. methodi* partem generaliore definitionē ad hunc modum: *quicquid totum complet, atque integrat, id totius, quod completur, corporis, particula siue pars nominatur*: & ita reuera videtur esse sentiendum. Nam cum pars, totius sit pars, & de essentia totius, merito fit, vt id partem esse credamus, ex qua totum compositionem suam & naturā sumit. Verum nonnullæ oriuntur in hac re difficultates. Nō

A enim hæc definitio diuisioni partium, quæ solet à Philosophis & Medicis tradi, in similares & dissimilares conuenit: comprehendit enim materiam & formam definitio, quoniam ex illis totum perficitur, quæ tamen nec similares aut dissimilares dici possunt. Nam materia prima cum sit in pura potentia, non habet, à quo dicatur similis aut dissimilis: forma autē est, per quam res similes aut dissimiles fiunt, ipsa vero similis aut dissimilis non rectè dicitur. Pręterea cū illi recensent partes similares & dissimilares, mentionē non faciunt de materia & forma, nec de ipsis elementis. In aliis vero discrepantia quædam esse videtur. Nam Arist. *cap. secundo tertii de Hist. animalium* inter partes simi-

B lares enumerat sanguinem, saniem, seuum, excrementa, stercus, pituitam, & vtramq; bilem; contra vero *in cap. 2. primi de Historia*, inter partes cōmunes animalis non ponit humores. Quinetiam *in secundo lib. de partibus, cap. sexto*, scribit omnem partem constare ex sanguine, tanquam sanguis nō sit pars: id quod *cap. 1. eiusdem libri* apertè testatur. Quid erunt ergo hæc, si partes non sunt, accidentia ne? at nequeunt substantiæ esse accidētia. Vidit hanc difficultatem Fernelius, nec potuit se ab illa liberare, cum videret Arist. nunc quædam inter partes ponere, nunc vero eadem à partibus excludere, atq; ita integra relicta difficultate, & otiosis illis rebus in corpore, quas Aristot. partes ali-

C quando esse dicit, nouā partis definitionē aggreditur, quam accuratiorem, & ad medendi vsum vtiliorem esse scribit. Definit enim *partem esse corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, ad functionem vel vsum comparatum.* Atque hoc modo humores, spiritum, adipem, medullam, pilos, vngues totum corporum, quibus naturaliter hæc insunt, partes esse negat. Sed quid, quæso, hæc aliud esse possunt? Nonne etiam hæc medendi rationē mutant pro illorum natura & affectione? & quid refert spectare curationem, cum videndum est, quid pars sit, aut non sit? Hoc enim philosophi & nō Medici est munus, definire. Est porro ratio cur Arist. & Galenus quædam inter partes aliquando

D numerent, aliquādo vero partes esse negent, quod nō de eodē toto semper loquātur: nā aliæ sūt partes substantiæ, aliæ corporis, alię corporis animati, aliæ animalis, aliæ hominis. Etenim *partem oportet esse eiusdem rationis cum toto, vt si totū est substantia, partes oportet esse substantias: si totum est accidens, & partes accidentia: si totum quantum, & partes quantæ erunt.* Vnde rectè dicitur linea ex punctis non cōstare, quia linea quantitatem habet, punctum vero minime; si totum corpus est, & partes corporeæ; si totum viuens, & partes viuens; si totū animal est, partes eam vim & naturam oportet habere, qua totum animal constat. Si vero homo est totum, partes eius esse oportet proprias homini, ita, vt hominem distinguant à cæteris animātibus. Quia

E ergo totum considerant illi diuerso modo, non easdem partes semper ponunt esse. Nam quando substantiæ partes considerant, materiam & formā illius partes esse dicunt: quādo vero de homine vel animali agūt, vt sunt corpora omnes substantiæ corporeæ, quæ in eo naturaliter insunt, dicūtur partes esse. Quare malè Ferneli⁹ (vt diximus) quærens partes corporis, negat sanguinē, adipem, vngues esse illius partes. nā viuentis corporis partes illa certè non sunt: at corporis partes, cum ipsa sint corpora, quæ naturaliter insunt, reuera sunt.

Quando

Marginal notes:

Dupliciter pars.

Pars quid.

Obiectiones.

Fernelii sententia de partis definitione expenditur & confutatur.

Arist. & Gal. sententia de partibus declaratur.

Totum multipliciter sumitur.

An sanguis adeps, vngues &c. sint partes corporis & quomodo sint.

Quando vero totum consideratur, vt viuens, partes solum erunt illæ, quæ viuunt. si vero animal consideretur secundũ speciem, omnia, quæ in eo sunt secundum naturam ad illius constitutionem necessaria, partes censentur esse, vnde pili, vngues, cornua, humores oculorũ, etiam si non viuunt, inter partes tamen poni debent in illis animalibus, quibus à natura sunt data ad illorum structurã & vsum necessaria. Non enim vt viuunt illa, partes sunt hæc, sed vt certam & propriam quandã constructionem habere debent. Quare non aliter, quàm cõmuni ea definitione prius tradita, partes definiri possunt, quod scilicet illud pars sit, quod ad totius constitutionem assumitur. Vt autem totum nunc vno modo, nunc alio consideratur, sic eadem res dicitur nunc esse, aut non esse pars.

De parte similari disputatio. Cur dicãtur simplices. Cur primæ. Cur vltimæ. Cur elementa sensibilia.

Cæterũ partes similares solet vocare Gal. simplices, primogeneas, primas, vltimas, vt *ex primo de elementis* constat: vocat & elementa sensibilia *cap. 6. primi de naturalibus facultatib.* dicuntur autẽ simplices: quoniã tales ad sensũ apparent, & quoniã ex aliis partibus non cõponuntur, *vt cap. 8. primi de elementis* scribit Gal. vocãtur & primogeneæ & primæ, quoniam illæ inter omnes partes primũ fiunt & gignuntur ex elementis; vltimę autẽ, quoniam in illas tanquã in vltimas partes totũ corpus resoluitur: nam resolutio, quę fit in materiã & formam, fit non solũ in partes, sed etiam in principia. dicit quoq; esse elementa sensibilia, quoniã sensus partes similares iudicat esse simplices, vt elementa simplicia re vera sunt. Est autem ab omnibus receptum, definiendam esse partem similarem, quæ in similes partes diuidi est apta, ita vt quælibet illius particula idem nomen cũ toto obtineat. Quã quidem definitionẽ explicandã esse arbitror.

De definitione partis similaris.

Scribit enim Arist. *c. 1. & 2. lib. 2. de partib. animaliũ*, partes similares quasdã seruare nomẽ commune toti, vt venæ pars rectè inquit vena dicitur: alia vero non seruare, vt in viscerib. patet. Nam cor, inquit, est similare, & tamẽ quælibet illius pars non seruat nomen cordis, quia figura diuersa est partis & totius. Recte quidẽ in eo sentit, quod dicat, partes similares non seruare semper nomen: sed in eo falli videtur quod dicat quamlibet venæ partem, venam esse.

Arist. notatur.

Vena quid.

Nã si vena definienda est, dicemus eam esse corpus concauum, ex simplici tunica constans, ad sanguinẽ deducẽdũ per vniuersũ corpus à natura cõparatũ: quod quidẽ nequit præstare quodlibet venæ fragmentũ. Ita quælibet pars nerui, aut mẽbranæ, vel cartilaginis, ac ligamenti, non potest nomen totius assumere, quoniam nequit vsum & actionem totius præstare.

Gal. definitio de parte similari laudatur.

Definit autem Gal. *cap. 9. primi de elementis & 8. de placitis*, partem similarẽ esse, quę sibi & toti similis est, ac vniformis. Quę quidem definitio optima est. Definitur enim materia partis similaris, & non forma, & ratio, cum definitur pars similaris, vt similaris est. Materia enim propinqua, ex qua res aliqua constat, dicitur similis, vniformis, dissimilis & difformis. Ad hunc modum rectè dicimus, neruum esse similarem, quia materia similari & vniformi constat, ac quælibet eius particula similem cum toto obtinet substantiam, & materiam albam, fibrosam & exanguem.

Partis similaris quaslibet particulas, eandẽ substantiam cum toto, non autem nomen obtinere.

Ergo dicendum est, partem similarem esse, quæ tota habet eandem substantiam & materiam cum partibus suis, non autem nomen. Nam ligamenti aut membranæ minima pars, vt frustulum ipsius, ligamentum aut membrana non est, nec dici

A potest, cum nequeat illorum vsum præstare: substantia autem eadem est similaris & vniformis in particulis & tota parte.

Quæ inter partes similares numeranda.

Cæterum inter partes similares enumerat Gal. *cap. 8. primi de elementis*, fibram, membranam, adipem, os, cartilaginem, ligamentum, neruum, cerebrum. Addit *in cap. 3. de differentiis morborum*, venam & arteriam, quas *eodem lib. cap. 4.* inter instrumentarias ponit. At *in lib. 7. de placitis*, neruum compositam partem esse docet ex duabus membranis & substantia quadam medullari. *In proœmio* vero *comment. libri de natura humana*, inter partes similares addit vnguem & pilum. Arist. quoque in his recensendis discrepare videtur. Nãc. *2. 3. de historia animaliũ* inter similares partes sãguinẽ, saniẽ, seuũ, excremẽta, stercus,

B pituitam, & vtramq; bilem enumerãt: verum *in c. 2. 1 de hist. animaliũ* inter partes cõmunes animalis non ponit humores. Præterea *c. 6 secundi de partibus* scribit, partem omnẽ constare ex sanguine, tãquã sanguis, vt apertè fatetur *cap. 1. secũdi de partibus*, non sit pars similaris animalis, si nullo modo pars illius est: & merito quidem. Nam Gal. omnẽ partem similarem scribit esse præditam quatuor facultatibus naturalibus, attractrice, retentrice, concoctrice, & expultrice. Verum quod hi autores numerent aliquando quasdam partes inter similares, quas alibi negant esse partes, vt humores, adipem, pinguedinem, vngues, & pilos, ratio est, quod corporis partes intelligant, cũ illas dicãt esse similares: animalis autẽ partes enumerent cũ eadẽ

Cur quædã dicũtur partes esse similares & dissimilares.

C dicunt nõ esse partes. Quod vero easdẽ partes nũc dicant esse similares, nũc vero dissimilares, plurib. rationibus id faciunt: vel. n. capiunt aliquid, quod in parte est, pro tota parte, quomodo *6. c. lib. primi de naturalib. facultatibus* interpretatur cerebrum, cor, hepar, & lienẽ esse partes similares, id est, carnem illorum viscerum, quæ re vera sunt organica, si illorum compositio consideretur: vel sumunt materiam partis (vt diximus) pro parte, quomodo dicunt neruum & ligamentum partem esse similarem, i. nerui substantiam & materiam; cum autem & neruum & arteriam & venam dicunt esse partes instrumentarias, partis nomine intelligunt formam partis per quam partes illæ certam actionem & vsum animali præstant. In quo significatu

D nerui, aut ligamenti pars, neruus aut ligamentum dici non potest, quia formam & vsum non habet totius. Aliquando vero (vt colligitur *ex lib. de differentiis morborum*) similares vocant, quæ etsi reuera similares non sunt, si quis exactè inspiciat, similares tamẽ apparent primo aspectu: quo pacto neruus dicitur similaris, etsi ex duplici substantia constat, quoniam ex primo genere dissimilarium est, quorũ substantia, nisi diligenter quis inspiciat, vniformis & similaris creditur esse. Atque ea, quæ sunt in hoc genere, ob ancipitem naturã, nunc similaria, nũc dissimilaria Gal. vocare solet. Ex quib. quidem patet, quid sit pars, & similaris pars, & cur

E vna & eadem res nunc dicatur esse pars, nunc vero non, & nunc similaris, nunc dissimilaris, nunc inter similares, nunc inter dissimilares, nunc inter organicas ponatur.

Tractatio de elementis & quibus illa constant.

At quoniam, vt diximus, ex elementis similares partes fieri tradit Gal. nec tamẽ hoc loco explicat, quomodo id fiat, operæpretiũ esse duco, hoc loco disputationẽ instituere de elemẽtis paulo diligentiorẽ, vt Philosophis non satis bene institutis, aut Medicis etiam rudioribus, qui hæc nostra legere

gere. nec sola mutatione, vt dispositio morbosa egit: & propterea rectè illos sensisse, qui talẽ sanitatẽ separant à sanitate vera, cui debetur sola conseruatio, & à morbo, cui conuenit solũ mutatio: propterea neutrã dispositionẽ vocant, in qua conualescẽtes, & parati cadere in morbos, eo quòd causas morborũ iam pullulare sentiant, ab eo ponuntur. Ac conualescentibus nõ conseruatricem, & salubrem partẽ, sed analeptiken, id est, refectricẽ: aliis vero, qui cũ morbis imminentibus conflictantur, prophylacticen conuenire scribit. Ergo ex eo loco patet, Galenum aliquando sanitatis limites extendere, ita vt sanitatẽ non solũ in habitu, sed etiam in habitudine, & in ea conualescẽtes, & iã expositos morbis, ac etiã senes, vt in *tertio huius operis libro*, comprehendit: aliquando vero sanos eos solũ vocat, qui sanitatem habent in habitu, & excludit à sanitatis limitibus sanitatem in habitudine, & corpora in eo cõprehensa. Ad hunc modũ passim dicere solet, sanis conuenire conseruationẽ. Hæc enim nõ conueniunt cõualescentibus, & illis, qui sentiunt iã pullulare morbos, quos subiicit prophylacticæ & analepticæ. Quibus quidem ita positis, iam patere arbitror, cur neutrũ inter sanũ & ægrũ aliquãdo ponat Gal. aliquando vero neget esse. Nã cũ sanos statuit esse, qui nondum coguntur intermittere solita officia & decũbere, siue bene, siue debiliter illa exerceant, tunc cõualescentes, decrepitos, paratos ruere in morbos, sub sanitate complectitur; & neutrũ statum intra sanitatis limites assumit. Cũ vero tres eos status excludit, eo quod firmi non sint, & actiones edant non sufficientes ad humana officia obeunda, tũc datur neuter status, qui sanus nõ est, eo quod illi nõ cõueniat sola conseruatio: siquidem maiores habet lapsus, quam quę sana sunt secundum habitum corpora: nec actiones edunt sine imbecillitate, nondum tamen morbo laborant, quia nondũ deserunt sua officia obire, etsi illa imbeciliter exercẽt. Quibus ita demonstratis, licebit facile respondere argumentis superius adductis, & Aristotelem cũ Galeno cõciliare. Conciliantur autẽ eo modo, quo Galeni loca sumus interpretati: quòd scilicet Arist. sanitatis nomine comprehendat sanitatem, & in habitu, & in habitudine, postquã sequitur morbus. Illud vero, quod dicunt sanitatem esse moderantiam, morbum verò immoderantiam, inter hæc autem non dari medium distinctione eget: nam moderatum sumere possumus, vel pro bene moderato, ita vt comprehendat solum sanitatẽ, quæ est in habitu, vel pro quacunq; moderatione, qua comprehenditur etiam sanitas in habitudine. Ita sane immoderatum intelligi potest, quod incipit statim post moderationem, quæ debetur sanitati in habitu, vel quæ comprehendit sanitatem in habitudine. At moderatũ, quod est bene moderatũ, & immoderatum, in quo incipit morbus esse, admittunt mediũ, nempe male moderatũ, in quo ponuntur neutra. Ita immoderatũ, in quo ponitur morbus, admittit medium inter se, & bene moderatum, non autem inter se, & moderatum vtcunq;. Eodem pacto soluitur argumentum, quo dicunt morbum sensibiliter lædere actiones, sanitatem vero easdem edere nõ sensibiliter læsas. Nam sensibiliter læsas actiones, quæ morbũ sequuntur, & ostendunt, intelligere non oportet, quod tales sint, vt sensus indicet eas esse læsas. Nam *qui sanitatem habent in habitudine*, inquit Galenus, *habent actiones imbecillas, quas sensus esse læsas indicat*: imo & insalubria corpora, & omnia vitia, quæ consistunt in corporibus sanis, ex actionibus illorum sensu iudicari scribit Galenus: sed sensibilem intelligere debemus, quæ inutilis est ad officia propria exercenda. His opponuntur non sensibiles læsiones, quę quocunq. modo sufficere possunt ad munia vitæ exercenda, & inter hæc non datur mediũ. Verum si sensibiliter læsam intelligimus, qualem profert corpus ægrotans, non sensibiliter vero læsam, & bonam nulloq; vitio præditam, qualem edunt corpora sana in habitu, nõ est in hoc oppositio: quia relinquitur vitium in actione, mediũ inter actiones, quas edunt morbo laborantes, & sani in habitu. Nõ ergo valet argumentum, quia nõ eodem modo sumitur sensibiliter læsum, & non sensibiliter. Nam sensibiliter læsum idẽ est, quod valde læsum, non sensibiliter vero, læsum idem, quod nullo modo læsum. Tales enim, vt inquit Galenus, facit actiones corpus sanum in habitu: imbecillas vero, sed non prorsus inutiles, corpora sana in habitudine: imbecillas autẽ ita vt inutiles sint, corpora ægrotantia. Præterea absurdum est, hos status velle per actionum vitia distinguere. Nam qui morsi sunt à cane rabido, nõ nisi post lõgum tempus actiones edunt aliqua in re vitiatas: quos tamẽ neutros vocat Gal. *in lib. de partibus artis*, & tales iudicat esse ratio: quippe cũ illis cõueniat pręseruatio: recteq; proinde dicebat Drusianus, quẽ malè reprehẽdit Curtius, sanorũ actiones integras esse, & nullo pacto læsas: ægrotantium vero actiones sensibiliter læsas: quod idẽ est, ac si dicas, ita offensas, vt persistere nõ possint in suo officio: neutros vero actiones facere nõ læsas sensibiliter, id est, non tales, quales edunt ægrotantes: quas etiam Gal. obscuras vocat læsiones. Ergo neutrum corpus inter sanum & ægrũ præstat definire, *quod sanitatem habet in habitudine, siue mediam dispositionem inter veram sanitatem & morbum.* Omnes enim qui ita neutri sunt, affectionem non habent firmam, sed iam in via, vel ad sanitatem, vt conualescentes, vel ad morbũ, vt qui iam patiuntur à causis morbosis: vel eas adhuc in corpore latentes obtinẽt, sed nõ multo postea emergent, vt his cõtingit, qui à cane rabido sunt morsi. *In aliquibus igitur neutris, actiones manifeste sunt offensæ, in aliis obscure, in aliis nullo modo.* Quod vero citant ex Galeno, in puncto fieri transitũ à sanitate in morbum, & propterea neutrum non dari medium eadem ratione soluitur, quod scilicet sanorũ nomine cõprehendat tunc neutros decidentiæ, qui scilicet parati sunt cadere in morbos. Hi enim in eos ruũt nulla alia intercedente dispositione. Qui vero resurgũt à morbo & neutri sunt, transeunt ad sanitatẽ per neutrũ. Omnia igitur veritati cõsentiunt, & quæstiones omnes euanescunt, si hoc modo res tractetur: nõ autem vt sophistæ faciunt, qui solum in hoc dant operam, vt proposita argumenta quocumque modo fugiant.

Neutrũ quod ponitur inter sanum & ægrum.

CAP. VI. De corpore neutro.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ οὐδέτερον σῶμα τριχῶς ἐλέγετο, τὸ μὲν τῷ μηδ' ἑτέρας τῶν ἄκρων διαθέσεων μετέχειν, τὸ δὲ τῷ ἀμφοτέρων, τὸ δὲ τῷ, ποτὲ μὲν ταύτης, ποτὲ δὲ ταύτης· κατὰ μὲν τὸ πρῶτον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα, τὸ μέσον ἀκριβῶς ὑπάρχον, τοῦ τε ὑγιεινοτάτου σώματος, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου, καὶ τούτου τὸ μὲν ἁπλῶς πάντη

ἐστὶ, ὅτι περ ἐκ γενετῆς τοιοῦτον κατεσκεύαστο. τὸ δὲ νῦν ὅπερ κατὰ καιρὸν τὸ μέσον ὑπάρχει τοῦ τε ὑγιεινοτάτου, καὶ τοῦ νοσωδεστάτου. αὐτοῦ δὲ τοῦ ἁπλῶς, τὸ μὲν διὰ παντὸς τοιοῦτον, ὅπερ αὖ ἐν ἁπάσαις ταῖς ἡλικίαις διαμένει τοιοῦτον, τὸ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὸ καὶ μεταβολάς τινας λαμβάνον.

Quoniam vero & neutrum corpus tripliciter dicebatur vnum quidem, quod neutrius erat extremæ dispositionis particeps: aliud autem, quoniam vtriusque: aliud, quoniam aliquando huius, aliquando vero illius; iuxta primum significatum neutrum erit corpus, quod exquisite medium est saluberrimi, & insaluberrimi corporis, & huius hoc quidem simpliciter tale, quod ab ipso ortu natura ita est constitutum, hoc vero vt nunc, quod in præsenti tempore medium exquisitè existit saluberrimi, atque insaluberrimi corporis, ipsius autem simpliciter, semper quidem tale est id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat, vt multũ autem, quod nonnullas recipit mutationes.

Galeni definitio primi neutri notatur.

Volens Gal. definire neutra corpora, repetit primum illius significationes, vt singulas suo ordine tractare possit. Ac definit in primis, quod nõ est particeps extremorum, dicitq; illud esse, quod exquisitè est mediũ saluberrimi & insaluberrimi corporis. Quam quidẽ definiendi rationẽ nequaquam probare possum, repugnante & ratione & tractatione ipsius authoris. Scribit .n. ille *in 8 cap.* totam sanitatis latitudinem in tres partes diuidi: quarum singulæ latitudinem habent non paruam: & primam salubrium corporum, secundam neutrorum, tertiam insalubrium. At si neutra omnia primi huius significatus dicimus esse exquisitè media inter saluberrimum & insaluberrimũ, quænam erit quæso inter illa magna ea latitudo? Quæ enim exquisitè sunt media, omnia in eodem gradu ponuntur. Constat præterea, hanc definitionẽ esse malam: quoniam ea posita, fit, vt in speciebus suis definiẽdis, iis inquã, quę simpliciter, & vt nũc neutra sunt, cogatur definiẽdi rationẽ, qua antea vsus est in salubribus & insalubribus definiendis, mutare, contra omnem docendi rationem. Nã oppositorũ debet idem esse definiendi modus per opposita. Vt ergo seruetur latitudo & definiẽdi ratio, dicemus, neutrũ primi modi esse, quod est *mediũ inter salubre & insalubre sine participatione illorũ*: sic enim licebit gradus ponere per magis & minus, & omnia neutra huius significationis in illis comprehendere: sed hæc postea diligentius docebimus. Nunc quid alii sentiant, videamus.

Neutrũ primi modi.

Manardi opinio de neutro primi modi.

Manardus neutrũ vt nũc primi modi dicit esse, si quis à generatione salubris simpliciter procreatus, in præsentia vero ex accidente quodam vere mediũ existit inter saluberrimũ, & insaluberrimũ, ita vt à natura & generatione illud verè neutrum non sit, sed tamen in præsentia: quia, inquit, casu aliquo in tantum proprios exiuit limites, vt mediũ iã id attigerit, in quo neutrum simpliciter naturaliter collocatur. In qua quidẽ re multifariã errare

A videtur. Nam antea salubritatem & insalubritatẽ, quę simpliciter esset, nunquam amitti posse, omni ratione contendebat: nũc vero fatetur aliquẽ nasci salubrẽ, vel insalubrẽ simpliciter, & cũ accidenti aliquo amittere suã salubritatẽ, vel insalubritatem, mediumq; hũc siue neutrũ statũ acquirere. Deinde dicit, huiusmodi neutrũ non esse à natura verè neutrũ, quod scilicet ab ortu suã affectionẽ nõ acceperit. Quod cur necessario fieri debeat, nõ video, quando ipse *paulo antea*, cũ ageret de insalubri vt nunc, dixerit, omnia, quę *vt nunc* dicũtur, posse ab ortu talia esse, etsi id semper nõ fit. Sed demus eos reperiri, quos cõcedit ab ortu sumere hãc neutralitatẽ: quales (quæso) erunt illi? erunt profecto B simpliciter neutri, quoniam non casu aliquo, sed à natura hanc affectionẽ sunt consecuti. Male ergo hoc neutrum primi modi, quod simpliciter est, ab eo separat, quod vt nũc neutrum dicitur. Grauior vero ille error adhuc est, quod dicat neutrum vt nunc, mediũ id attingere casu, in quo neutrũ simpliciter naturaliter collocatur. Nã ex hoc fatetur, eundẽ esse gradũ affectionis in illis, quæ simpliciter dicuntur, vt in aliis, quæ vt nunc talia nuncupantur. Idem enim mediũ tum hoc, tum illud attingere dicit, & solũ differre, quod vt talẽ natura, aliud vero casu. Quod si ita est, ergo salubre simpliciter à salubri vt nunc, nõ alia ratione differret, quã quod illud à natiuitate, hoc vero casu sit. Ergo C vtrunq; pari modo sanũ; quod Galenus negat, cũ dicit, illud habere optimã, hoc vero solum bonam sanitatẽ obtinere. Erit eadẽ ratione insalubre simpliciter, & insalubre vt nunc, in eodem gradu affectionis, in eodemq; statu. Vtrunq; ergo vel pessimã sanitatẽ, aut morbũ actu habebit. Quod si hæc non placent Manardo, vt qui antea salubre simpliciter sanitatẽ perfectiori modo habere tradiderit, debebat quoq; videre, idẽ medium nõ posse attingere neutrũ vt nunc, debebatq; aliquid dicere, cũ videt, Galenũ mutata definiendi ratione, in eodẽ gradu, qui medius est exactè inter saluberrimũ, & insaluberrimum neutra omnia primi modi collocare. Sed in hos errores necesse est eos incidere, D qui mala ponunt principia, nec agnoscunt autores variè & negligenter multa tradere. Quæ quidem dissimulanda nõ sunt ab his, qui rectè docere, aut aliorũ opera doctè interpretari volũt. Galenus in neutris prorsus, & nõ prorsus, siue, vt alii vertunt, semper, & vt multũ, definiendis, rationẽ definiendi mutat. Nam antea salubre semper & vt multum distinguebat per exiguam distantiam à perfectissima temperie, & commoderatione: & salubre vt nunc, ab eo, quod est simpliciter, per bonum & optimum. Neutra vero hæc ponit omnia exactè media inter saluberrimum & insaluberrimũ sine aliqua distantia, & latitudine. Huius rei causam reddere volens Manardus, ita inquit: *Cum definiuisset Galenus vtrumq; neutrum, scilicet semper,* E *& vt multum, communi definitione, quod s. medium exactè existat saluberrimi & insaluberrimi, aliquid addendũ erat in definitione singulorũ, quæ continentur sub simpliciter neutris, quo illa inter se differant. Itaque cũ duo essent in ratione neutri semper, vnum, quod neutrum sit, aliud per quod semper dicatur, primo iam occupato à cõmuni definitione, necessariũ fuit ad alterum recurrere, nempe ad particulã semper, quæ nihil aliud hoc loco significat, quam omnes ætates: eodemque modo neutrum vt multum definitũ esse rectè, quod mutationes quasdam suscipiat, quibus scilicet*

Galenus in neutris semper, & vt multũ definiendis rationem [illegible] recipit.

Manardi opinio de neutris semper, & multum, primi modi.

differt à neutro semper, quod per omnes ætates tale perseuerat. Ait præterea, salubre & insalubre sẽper, id etiam habere, quod per omnes ætates similia perseuerent: tamẽ adeo plenè per hoc eorũ naturã explicari, sicut per optimũ & pessimũ fuit explicata. Cæterum cum dixerit simpliciter neutrũ, tale esse à generatione, & hoc nunquã posse amitti quęrit, cur neutrũ vt multũ, dicatur per omnes ætates nõ perseuerare; cũ sit vna species eius, quod est simpliciter? Quam quidem dubitationẽ verbis inuoluit: dicens sẽper talia esse verè, & reipsa talia: vt multum vero apparenter tantũ, exiguo tamẽ adeo interuallo à sẽper talibus recedere, vt vix discernãtur: vnde merito neutrũ semper per omnes ætates simile perseuerare, quod non facit neutrum vt multum. Quippe cum processu ætatis contingat, vt ꝙ præ exiguitate latebat, aliquãdo mutatione ætatis, vel alia ex causa auctum, detegatur. Oportet. n. inquit, huiusmodi neutrũ, quod verè & exactissimè non est, à mediocritate exactissima quæ in neutro semper est, versus aliquam partem declinare: quæ accedente ea ætate, quæ excessum potest intendere, iam hoc corpus, quod antea verè indifferens ad sanitatẽ & morbũ videbatur, aptius ad hanc, quam ad illã esse cognoscatur. Et hoc est, inquit, ꝙ Gal. dixit, *nonnullas recipit mutationes*. Ex quo ait sequi, vt neutrum vt multum duplex sit: quoniam à neutro semper bifariam declinare potest iuxta duo extrema, inter quæ concluditur. Erit ergo neutrum vnum vt multum, ad saluberrimum, alterum ad insaluberrimum declinans. Quin etiam docet neutralitatem esse partem latitudinis sanitatis, & propterea latitudinem quoque satis amplam habere, ita, vt tota ipsa neutralitas in medio verè existat, non tamen quælibet ipsius pars. Hæc Manardus de his neutris: in quibus multa quoq; sunt, quę à scholis sunt explodenda. Ac primum quidem illud non rectè dicitur, quod scribit de mutata definiendi ratione. Nam verba *semper, vt multum*, & *vt nunc*, non alia ratione sumi debent in corporibus salubrib. & insalubribus, quã in neutris: cum hæc communia à Gal. sint proposita vniuersis corporibus, causis, & signis & propterea vana & principiis repugnã agnoscatur esse tractatio, si in quibusdam absolutionem & declinationem ab eo, quod est in suo genere summũ, in aliis vero tempus & durationem indicet. Antea enim dicebat, pronunciandum esse *vt nunc*, & non *nunc*: quoniã *vt nunc*, non est nota tẽporis, sed imperfectionis. Ac mihi quidẽ videntur nugæ esse, cũ scribit, salubre & insalubre semper, plenius explicari per optimum, & pessimum, quam per temporis differentias: contra vero neutrum melius hoc modo declarari, nec posse, vt illa, doceri. Nam primum docere non potest, illa vno modo, alia alio melius explicari posse. Quid enim quęso confert Medico scire, quædam corpora fere semper neutra, aut nõ semper: & quomodo potest hoc polliceri, aut dignoscere? Præterea falsum est, non posse vnam rationẽ omnibus accommodari. Nam vt salubria in genere boni posita, singulis speciebus, quæ in eo genere nascuntur, locũ præbẽt, distincto quod bonum est, per magis & minus: sic neutra hæc, optime definiẽtur, si certa latitudo in eo, quod mediũ est inter salubre & insalubre, ponatur, ita vt neutrum primo dicatur, quod est medium inter salubre & insalubre: simpliciter vero neutrum, quod est inter illa *exacte medium*; vt nunc neutrum,

Manardi cõfutatio.

Neutrum simpliciter, vt nunc, prorsus, vt multum.

A dicatur *medium quidem, sed nõ exacte*: prorsus vero neutrum, quod est *exactissime medium*: vt multum vero, siue ferè prorsus neutrum, *quod aliquantulũ ab exactissimo medio recedit*. Sic sane seruatur primum posita definiendi ratio in salubribus, & insalubribus, & latitudo magna, quam dicit in singulis esse, in his neutris pariter retinetur. Verum cum omne neutrum primi significati definitum sit, quod est exactissimè mediũ, tollitur latitudo, qua sublata, illius species postea definiri nequeunt, vnde definiendi ratio mutatur, ac violantur, quæ in aliis posita sunt, optima principia. Quod vero dubitat, cur neutrum vt multum dicatur per omnes ætates non posse durare, cum sit species vna eius,
B quod est simpliciter, quod quidẽ nunquã posse amitti ille credit, nõ solum, quando dicit id, quod est vt multum, non esse verè & reipsa tale, sed solum apparenter. Nam si vt multum tale, simpliciter est tale, vtique reuera & absolute (vt ille antea etiam dixit) tale erit, nec opus est mutationem ætatum expectare, vt dignoscatur & distinguatur ab eo, quod est semper, siue prorsus tale. Est enim eadem ratio de neutro semper, & vt multum, quæ est de salubri & insalubri semper, & vt multum. At hæc Gal. *in cap. de signis optimæ constitutionis* docet, statim per sua signa dignosci, & inter se distingui. Idem ergo de neutris sentiendum. Addo, quod si per omnes ætates nõ perseueret neutrum vt mul-
C tum, sed in vna ad salubritatẽ, in alia ad insalubritatem accedat, nulla vel minima re differt à neutro tertii modi, quod inquam in vna ætate salubre, in alia insalubre euadit. Male etiam interpretatur Manardus Gal. nam hic scribit neutra semper per omnes ætates perdurare: neutrum vero vt multum esse, quod aliquã mutationem capit. Ex quibus verbis satis constat, eum intelligere, quod illud semper duret, hoc vero non sẽper. Manardus vero censet idem neutrum vt multum, ab initio esse, idq; postea detegit tempore, cũ prius lateret. Superflua præterea est neutrius vt multum, Manardi distinctio, eo quod duo sint extrema, inter quæ illud concluditur. Nam siue ad saluberrimũ,
D siue ad insaluberrimũ declinet, semper idem neutrum fit: quod scilicet parum ab eo, quod semper neutrum est, declinat, quoniam extremorum cõsideratio non facit, vt dicatur vt multum, sed paruus recessus, qui fit ab eo, quod est prorsus tale. Quod si extrema exprimenda sunt, illorum additione id faciendum: non tamen propterea duplex neutrum vt multum constituendum est. Cæterũ si neutralitas est pars latitudinis sanitatis, (vt Manardus scribit) necessario simpliciter neutrum includit sanitatem, nec contentum esse potest illa potentia, quã in salubri & insalubri posse esse sine sanitate & morbo idem autor contendit: quæ enim simpliciter talia sunt, ex sola potentia ab
E eo sunt definita. Quare perperam hic neutralitatẽ diceret sanitatis esse partem. Præterea, si neutralitas amplitudinem amplam habet, ita, vt tota ipsa in medio verè sit inter saluberrimum & insaluberrimum, non tamen quælibet ipsius pars. Quid vero ad Galen. dicet, qui neutra omnia huius significationis ponit esse exactè in medio? Illud vero quod scribit, neutrũ vt multum, ætatis progressu detegi, & ad sanitatem, vel morbum magis accedere, cũ ad vtrumlibet iam antea esset indifferens, repugnat propriæ opinioni. Nam negat ille neutrum dari inter sanum & ægrum, hic vero illud mani-

manifeste concedit contra Galen. opinionem, qui *hoc loco* non de neutro inter sanum & ægrum, sed inter salubre & insalubre, id est, inter bene & male sanum agit. Iam vero videndum est, quid Montanus de iis neutris sentiat.

Montani opinio de neutro primi modi.

At ille omnia neutra referri ad tempus. Esse enim neutrum simpliciter, quod à natiuitate est tale: neutrum vt multum, quod ad maiorem partem temporis refertur; vt nunc vero neutrum, ad præsens tantum dici, *& tale corpus*, inquit, *erat primo sanum, sed ob aliquam causam decidit in neutralitatem*: vt si quis per potum aquæ frigidæ hepar habeat frigidum & imbecillum: non enim, inquit, ægrotat, sed est imbecillum pro tempore hoc, & non in maiore parte corporis, quia tunc esset neutrum vt multum. Cæterum neutrum semper tale, per abnegationem esse, quod in omni ætate tale perseuerat citra sanitatem aut morbum: neutrum vero p abnegationem vt nunc, longe distare, & differre tantum secundũ gradum imperceptibilẽ, esseque neutrum in habitu, vt corpora senũ: neutra vero in habitudine ea esse, quæ dicuntur neutra decidentię, aut conualescentiæ. Verum contra Montanum hoc primum dicere oportet, quod sibi non constet.

Montanus reprobatur.

Nam si omnia neutra ex tempore definiuntur, vt ille censet, quo pacto asserere potest neutrum vt multum esse, quod secundum plurimas partes corporis est imbecillum. Nam & hoc alibi dicit esse, quod maiore parte temporis suæ vitæ perdurat. Deinde ponere corpora senum neutra in habitu, non est ad Galeni mentem. Dicit enim *hic* & *in Thrasybulo*, senum sanitatem esse in habitudine, non autem neutra in habitu. Ad hæc videre debebat Montanus, cum scribit semper neutrum per abnegationem esse, quod in omni ætate est citra sanitatem aut morbum, & omnes alias significationes huius neutri ex sanitate & morbo deriuat, Galen. *hic* non agere de neutro inter sanum & ægrum, sed inter salubre & insalubre, id est, inter bene & male sanum. Postremo perperam ait, neutrum vt multum, huius significationis non semper, vt neutra simpliciter, sed maiore parte suæ vitæ sic se habere. Nam neutra vt multum, non distinguuntur à neutro simpliciter, cum species illius sint, sed à neutro prorsus. Hæc enim neutrum simpliciter diuidunt. Nonne & illud absurdum est, quod ait, neutrum vt nunc huius significationis differre tantum secundum gradum imperceptibilem? Nam vt nũc salubria à simpliciter salubribus differunt per magnum recessum, ita idem de neutris sentiendum. Possem aduersus Montanum plura dicere: sed hoc solum volo dicere, quod de hac re ne verbum quidem intellexit: quod ostendit varia & vana illius tractatio, nullis principiis constans, nec aliquid, quod vtile sit in nostra facultate, aut consentaneum tractationi ipsius autoris docens. Qui enim has interpretationes somniant, coguntur ostendere harum affectionum signa & causas salubres Galen. in sequentibus explicare: quod nunquam præstare poterunt.

Κατὰ δὲ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα, τὸ δ' ἐναντίων ἅμα διαθέσεων μετέχον ἐκ γενετῆς, ἤτοι καθ' ἓν μόριον, ἢ κατὰ δύο διαφέροντα. καθ' ἓν μὲν εἰ κατὰ τὴν ἑτέραν ἀντίθεσιν εὔκρατον εἴη τῶν δραστικῶν ποιοτήτων, ἢ κατ' ἀμφοτέρας μὲν, ἀλλὰ περὶ τὴν διάπλασιν, ἢ τὸ μέγεθος, ἢ τὸν ἀριθμὸν τῶν μορίων, ἢ τὴν θέσιν ἐσφαλμένον, ἢ ἔμπαλιν ἐν ταύταις μὲν κατωρθωμένον ἅπασιν, ἢ τισίν, ἐν δὲ τῇ κράσει διημαρτημένον. ἐν διαφέρουσι δὲ μορίοις καὶ κατὰ πάσας τὰς ἀντιθέσεις δύναταί τι τῶν ἐναντίων ἅμα μετέχειν. καὶ διὰ παντὸς μὲν τοιοῦτον κατὰ πάσας τὰς ἡλικίας μένον ὁμοίως. ὡς τὸ πολὺ δ' ἐστὶ τὸ καὶ μεταβάλλον κατά τι. οὕτως δὲ καὶ τῷ νῦν οὐδέτερον ἔσται σῶμα, κατὰ τὸ δεύτερον σημαινόμενον, ἢ τῷ περὶ ἓν μόριον τὰ μὲν ἔχειν ὑγιεινὰ, τὰ δὲ νοσερὰ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ, ἢ τῷ περὶ διαφέροντα μέρη.

Iuxta vero secundum significatum neutrum erit corpus, quod ab ipso ortu naturæ contrariarũ simul est particeps dispositionum, aut scilicet in vna parte, aut in duabus differentibus. In vna quidem, si secundum alteram oppositionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam, vel etiam secundum vtramque, sed in formatione, vel magnitudine, vel numero partium, vel situ delinquat, aut contra in his quidem rectè se habeat, vel omnibus, vel quibusdam, peccat autem in temperatura. In differentibus vero partibus iuxta omnes oppositiones potest quidquam simul particeps esse contrariorum, & semper quidem tale, quod per omnes ætates in eodem perseuerat, vt multum vero, quod aliqua ex parte euariat. Ita vt nunc neutrum erit corpus, iuxta secundum significatum, quia vel parte in vna hæc quidem sibi salubria existunt, illis vero insalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus.

Absolutis definitionibus neutri primæ significationis, aggreditur definitiones neutri, quod simul est particeps salubritatis & insalubritatis: docetque primum quomodo ista participatio fieri possit. *Fit*, inquit, *in vna parte, vel in duabus, idque vel in sola temperatura, vel in sola structura partium organicarum, vel in vtrisque.* In vna quidem parte, & in sola temperatura, si in calido & frigido sit salubre, in humido vero & sicco insalubre. In structura vero partium organicarum, si in magnitudine, & conformatione sit salubre: in numero & compositione, sit insalubre: vel è contra, potest in vna parte tota temperies esse salubris, vel insalubris: in structura vero instrumenti contrarium fieri. In diuersis vero partibus contingit vnã partem salubrem esse in ipsa temperatura, & structura, aliam vero in his omnibus insalubrẽ. Quomodo vero definiat hæc neutra, iam videndum est.

Manardus confutatur.

Scribit autem Manardus Gal. ab initio definire simpliciter neutrũ, eo quod definit neutrũ, quod sine adiunctione dicitur. At cur idem non dicet de

neutro primi significati? definit enim primo neutrum, quod sine aliqua adiunctione pronunciatur: postea definit neutrum addito verbo *simpliciter*, quod neutrum simpliciter vocat. In neutro autem *vt nunc*, secundi huius significati, vtitur violenta & sibi repugnante interpretatione. Nam cum Gale. non ponat aliquam differentiam temporis, ille eam de suo addit, & cum ille *paulo antea* cum ageret de insalubribus dixerit, ea, quę vt nūc talia sunt, posse etiam à generatione incipere, cur hoc loco differentiam inter hæc ponit: quod illa, quæ simpliciter neutra sunt, sint ab ortu, alia vero post ortum incipiunt? Quod si quibusdam id contingit, certè non omnibus. Quare relinquitur docendum id, ex quo discernūt simpliciter neutra, à neutris vt nunc quę pariter, vt illa, ex primis corporis principijs suam originem trahunt. Quid vero & illud est, quod scribit ægritudinem vt nūc, toto vitæ tempore durare posse? Quid enim ad rem præsentem pertinet, agere de ægritudine vt nunc aut vbi mentio fit à Gale. de hac ægritudine? præsertim quod Manardus *in hoc libro*, in quo de his, quę vt nunc talia dicuntur fit mentio, dicat, nō de sanitate, & ęgritudine, sed de salubritate tractari, quæ longe inter se differre contendit. Quin etiam arbitratur Manardus affectionem neutram vt nunc, posse toto vitæ tēpore durare: quod verbum, *vt nunc*, si sequatur vim illius, vt contendit esse faciendum *in vniuerso hoc libro*, non admittit. Nam (vt postea Gale. ostendit) *nunc*, duo significat, vel *indiuisibile quoddam tempus*, vel *secundum aliquam latitudinem*: tanquam nunquam possit significare perpetuum quoddā vitæ tempus. Itaq; Manardus sibi non constat: cum dicit, affectiones vt nunc, differre ab his, quæ sunt simpliciter, quod hæ à primo ortu incipiant: illæ vero sint acquisititiæ. Alibi vero concedit tum hanc, tum aliā affectionem ex primis principijs suam originem ducere posse: vult præterea simpliciter talia semper durare. De his vero, quæ vt nunc dicuntur, nō potest statuere durationis tempus: sed cum cogitur aliqua ratione, nunc vnum, nunc aliud asserit. Gal. vero in hoc etiam non seruat bonam definiēdi rationē, nec omnes neutri huius species definit. Nam definitio, quam primo tradit, non conuenit neutro, quod est communo ei quod simpliciter & vt nunc est neutrum: sed ei, quod simpliciter est neutrum, quod ostendunt verba *ab ipso ortu naturæ*, quibus antea non est vsus, nisi in his, quæ simpliciter talia sunt, definiendis: postulat autem docēdi ratio, vt primum neutrum huius significationis, postea simpliciter neutrum definiat. Præterea male definit semper neutrum, quod per omnes ętates in eodem statu perseuerat: vt multum vero neutrum, quod aliqua ex parte variat. Nam vt antea diximus, vna & eadem debet esse ratio definiēdi opposita: & hæc, qua vtitur hic, non respondet signis & causis, nec seruari potest in neutris tertię significationis. Nec probari quidem potest definitio neutri vt nunc, huius significationis: quandoquidē nullam ponit hic differentiam inter hoc, & prędicta neutra huius significatus. Illa enim habent quædam salubria, alia vero insalubria: quod idem dicit de neutris vt nunc. Definientur autem commode hæc neutra ad hunc modum: *Neutrum secundæ significationis est, quod simul participat in vna, vel diuersis partibus de salubri & insalubri. Simpliciter vero neutrum est, quod æqualiter illa participat: vt nunc vero neutrum est, quod participat quidem sed non æqualiter: prorsus vero neutrum est quod æqualissime fit illorum particeps: vt multum vero, sive non prorsus neutrum est, quod paulum recedit ab eo quod æqualissime participat.* Ita n. seruatur definiēdi ratio, & magna potest latitudo, in qua omnes species huius neutri locum suum habent.

Nunc duo significare.

Galenus notatur.

Quid neutrum secundæ significationis.

Montani autem opinio de his neutris plane est absurda. Ait enim neutrum per participationem extremorum esse, quando quis est sanus in vna parte, in alia neuter: non autem (inquit, vt alij volunt) æger. Veluti si quis habeat cerebrum optimè sanum, hepar vero imbecillum. Hæc & similia docet de corporibus neutris Montanus, quæ sunt à ratione aliena: nam neutrum ex neutro, fieri, absurdum est, & repugnans Gal. qui ex sano, & ęgro, aut ex salubri & insalubri, omnē neutrum constare semper asserit. Præterea non de neutro hic agitur, quod fit ex sano, sed de eo, quod fit ex salubri & insalubri.

Montani opinio de neutro absurda.

Κατὰ δὲ τὸ τρίτον σημαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται σῶμα τὸ ποτὲ μὲν ὑγιεινόν, ποτὲ δὲ νοσερὸν ἐν μέρει γινόμενον, ὥσπερ ἐνίοις ὑπάρχει. παισὶ μὲν οὖσιν, ὑγιεινοῖς γενέσθαι, νεανίσκοις δὲ γινομένοις, νοσεροῖς, ἢ ἔμπαλιν. ἐν ἑνὶ δὲ χρόνῳ τὸ οὕτως οὐδέτερον, ἀκριβῶς μὲν οὐκ ἐγχωρεῖ συστῆναι, κατὰ πλάτος δὲ ἐγχωρεῖ. ἴσμεν δὲ ὅτι τὸ νῦν διχῶς λέγεται. τὸ μὲν οὖν ὑγιεινὸν καὶ νοσῶδες καὶ οὐδέτερον σῶμα ποσαχῶς λέγεται, καὶ ὁποῖον ἕκαστόν ἐστι, αὐτάρκως διώρισται.

Iuxta vero tertium significatum neutrum erit corpus, quod aliquando quidem salubre, aliquando vero insalubre existit, vt nonnullis accidit, qui in pueritia salubritate corporis vigent; cum vero ad iuuentutem peruenerint, insalubres euadunt, aut contra. In vno autem tempore quod ita est neutrum, consistere nequit, latius vero si accipiatur, contingit. Nouimus autem quod NVNC dupliciter dicitur. Salubre igitur & insalubre & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale vnumquodque sit, sufficienter explicauimus.

Quę à Gal. dicuntur de neutro tertij significati, euidenter vniuersa Manardi fundamenta euertit. Contendit enim hic salubritatem & insalubritatē, aut neutralitatem simpliciter dictam nunquam posse amitti: cum aperte ipse cum Gale. hoc loco testetur, quosdam in pueritia salubres, & postea in alijs ętatibus insalubres, aut è contra reddi, frui que maxima salubritate, aut insalubritate vexari maxima. Quos quidem simpliciter tales dicit esse, ad differentiam eorum, quæ vt nunc dicūtur: quæ in suo genere non sunt maximæ sed à maximo declinant: præsertim salubritas ipsa vt nunc, quā imperfectionem esse antea statuit. Sed n. commentū hoc, quod ea quæ simpliciter alia dicuntur, debeāt necessario hoc habere ab ortu, ostendit neutrum simpliciter tertiæ huius significationis. Non n. hoc incipit, sed salubre, vel insalubre primum, postea cū mutatio

Manardi fundamenta euertuntur.

mutatio fit ab vno ad aliud, mutatione ætatis aut ob alias causas, tunc neutrum incipit vocari: quia vtrũque simul sumitur, salubre inquã & insalubre. Ex quorũ cõsideratione, sumẽdo f. quod præcessit, & q; præsens est, neutrum euadit. Et illud quidẽ in suo genere, vt & alia omnia necesse est, vt simpliciter sunt. Vidit absurda Manardus q̃ hanc sequuntur opinionem de innata affectione simpliciter dicta, quamque nunc amitti posse contendit, sed parum feliciter argumentis respondet, quærens quomodo ea, quæ nascuntur salubria vel insalubria, simpliciter neutra dici possint. Respondet enim non posse reperiri corpus vere salubre, aut insalubre à generatione, quod in alia ætate mutet suam naturam. In quo euidenter Gale. repugnat, B qui dicit, salubres quosdam nasci, & in pueritia tales perseuerare, in aliis vero ætatibus insalubres fieri, nulla additione posita, quæ mutuat, quod simpliciter est. Nam quod simpliciter pronunciatur salubre, aut insalubre, reuera tale est. Ait præterea fugiens argumentum, aliqua esse corpora, quę videntur in vna ætate salubria, in alia morbosa: quæ si à generatione hoc habeant, neutra simpliciter, alioqui vt nunc esse neutra. Atqui omnia hęc neutra necessario vnum habent à generatione vel salubre inquam, vel insalubre: quare distinctio vana. Fugit etiam alia ratione argumentum, dicens, neutrũ simpliciter tertii huius modi non secundũ veritatem, sed secundum ostensionem & apparẽtiam tantum reperiri. An nõ dixit antea, q̃ simpliciter talia sunt, reuera esse talia? adeo vt repugnet concedere neutrum esse simpliciter tale, & solum esse secundum apparentiam & ex nostra imaginatione. Construit & in hoc aliam chimeram, cum dicit, posse quempiam nasci non cum salubritate, aut insalubritate, sed cum alia qualitate, quæ corpus reddat in vna ætate aptũ, in alia ineptum ad ægritudinẽ, & hoc esse neutrũ tertiæ huius significationis. In hoc n. manifestè à Gal recedit, qui vult in hoc neutro corpus ab initio esse vel salubre, vel insalubre. Sed quo pacto nõ erit absolute salubris, qui ad sanitatem bonam est dispositus? Sunt & alia multa, quæ Manardus in expositione eius loci Gal. (in vno autem tempore) quæ facile refelli possunt. Sed hoc solum addam, illum sibi aduersari, cum ait verbum *nunc* significare vel instans & momentaneum tempus; vel certam partem exiguam, aliquid tamen amplitudinis habentem. Nã cum Gal. de eo *nunc* hic agat, de quo antea egit, & quærit, quomodo neutrum nunc in hoc significatu dari possit, nõ videt Manardus se hoc loco dicere affectionem non dictam vel momentaneam solum esse, aut certe exiguã temporis amplitudinem habere: eum antea toto vitæ tempore eam durare posse tradiderit: sed vt dicere solet Aristot. *paruus error in principio, maximus est in fine.* Nam ista posita potentia pro salubritate, insalubritate, & neutralitate, cogitur Manardus multa audire absurda; à quibus cum vult se liberare, in grauiora incidit. Itaque cum hæc non placeant, videndũ est, quo pacto hæc neutra definiri possint. Gale. vt videre est, nequaquam potest omnes illius species definire. Id quod factum est, quia in aliis neutris definiendis rationem mutauit, quam in salubribus & insalubribus vsurpauerat. Nam *διὰ παντὸς* sumebat in his pro eo, quod est prorsus, in neutris vero pro eo, quod est semper: dictionem vero *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*, pro eo, quod parũ recedit ab illo, quod

Galenum definiendi ratione mutata in neutris, tractationem suã ...

A est prorsus tale, sumebat in salubribus, & insalubribus: in neutris vero pro eo, quod non semper durat. Ita dictionẽ *vt nunc*, vsurpabat pro eo, quod vltimum gradum facit in latitudine salubrium, & imperfectionem denotat, in neutris vero tempus significare ostendit. Præterea in omnib. prædictis, quæ simpliciter sunt talia, præter rationem addebat, illa esse talia ab ortu. Ex quibus quidem fit, vt nequeat neutra definire, quę sunt tertiæ significationis, simpliciter, prorsus, & non prorsus, & nunc talia: vt satis patet ex illius tractatione, quæ omnia hæc intacta relinquit, id quod factum est, quia definiendi rationem, quam prius posuit, violauit, & eam, quam in neutris temere inuexit, non potest B in omnibus obseruare: quod quidẽ in his neutris quilibet dignoscere potest. *Nullum præterea est neutrum, quod vt nunc sit neutrum, quia omne neutrum huius significationis in præsenti tempore, est vel salubre vel insalubre:* quare Gal. in his euidẽtissimè errauit: nec potuit principia ab initio tractationis posita seruare, nec tractationem mutata definiẽdi ratione absoluere, nec quæ consona sint sequentibus signis inquam & causis, docere; & tradit, quæ nullius sunt vsus in arte nostra, quæ quidem mortem non expectat, aut quod per mutationes omnium ætatum contingit, sed statim omnibus suam operam pollicetur. Redeundum itaq; est ad primam definiendi rationem & significationem harum dictionum. Dicimus ergo, his positis, C *neutrum esse in tertia hac significatione, quod aliquando est salubre, aliquando insalubre: simpliciter vero neutrum erit, quod toties participat de salubri, vt de insalubri: vt nunc vero neutrum, quod participat quidẽ, sed non toties de vno, quoties de alio: toties vero participare, habet breuem quandam latitudinem.* Nam vel omnino toties de vno, quoties de alio fit participatio, aut leuis aliqua differentia est: *illud erit prorsus, quod scilicet parum ab eo declinet.* Nam vt in neutro primæ significationis, quod erat mediũ sine aliqua participatione, ex eo, quod esset exactè, nõ exactè, exactissime, & parũ ab exactissimo recedẽs, ponebantur omnia neutra, q̃ sub ea significatione continebantur, & in secunda significatione D ex æquali, inæquali, æqualissima, & non prorsus æqualissima participatione satis commodus, & amplus dabatur locus omnibus speciebus illius neutri: sic in tertia significatione, quæ fit ex successione & participatione salubris & insalubris, non potest aliter fieri latitudo, in qua ponantur hæc omnia neutra, quam eo modo, quem diximus. Quibus quidem ita positis, retinentur principia, vna & eadem seruatur docendi ratio, explicaturque latitudo magna, quam dicit esse Galen. in corporibus salubribus, insalubribus, & neutris, fitque tractatio, quæ respondet signis & causis. Nec opus quidem est vanas falsasque tabulas & E figuras Anachiæ & Manardi, in quibus illi salubria, insalubria, & neutra mille modis confundũt, magno labore exquirere: cũ omnia hæc sint re, & ratione distincta, adeo, vt mutuo inter se confundi nequeant: vt nequit esse idẽ bene, & male & medio modo sanũ. Quare superest, vt huic libro finẽ imponamus: hoc solum addentes, quod nonnullos torquet: quo pacto, inquam, fiat, vt corpora salubria, insalubria, & neutra cadant in morbum, aut ab eo ad sanitatem redeant: Credunt enim illi, corpora bene sana, & salubria primo fieri neutra, deinde salubria, postea vero in morbum ruere.

Neutrum tertiæ significationis.

IOANNIS ARGENTERII IN CLAVDII GALENI PERGAMENI ARTEM MEDICINALEM COMMENT. II.

DE SIGNIS.

Cap. VII. De Signis Salubribus.

ΠΕΡΙ' δὲ τῶν σημείων ἐφεξῆς ἂν εἴη ῥητέον. ἔστι δὲ καὶ τούτων ὑγιεινὰ μὲν ὅσα τῆς τε παρούσης ὑγιείας ἐστὶ διαγνωστικά, καὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι προγνωστικά, καὶ τῆς προγεγενημένης ἀναμνηστικά. νοσώδη δὲ τά τε τῆς παρούσης νόσου διαγνωστικά, καὶ τῆς προγεγενημένης ἀναμνηστικά, καὶ τῆς μελλούσης ἔσεσθαι προγνωστικά. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ τὰ οὐδέτερα, τά τε τῶν οὐδετέρων διαθέσεων διαγνωστικά, καὶ προγνωστικά, καὶ ἀναμνηστικά· καὶ τὰ μηδὲν ὅλως δηλοῦντα περὶ διαθέσεων, ἢ τὰ μηδὲν μᾶλλον ὑγιεινὴν, ἢ νοσερὰν δηλοῦντα διάθεσιν· καὶ τὰ κατά τι μὲν ὑγιεινὴν, κατά τι δὲ νοσερὰν δηλοῦντα διάθεσιν· καὶ τὰ ποτὲ μὲν ὑγιεινὴν, ποτὲ δὲ νοσώδη. καὶ ταῦτα δὲ κατὰ τοὺς τρεῖς χρόνους ὁμοίως τοῖς ὑγιεινοῖς, καὶ νοσώδεσι.

DE Signis vero deinceps agendum. Sunt autem & ex his salubria quidem, quæcunque præsentem indicant sanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoriæ subiiciunt. Insalubria vero, quæ & præsentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atque præteritam memoriæ subiiciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram dispositionem ostendunt, prænunciant & memoriæ subiiciunt, & quæ nihil omnino de dispositionibus indicãt, vel nihilo magis salubrem, quam insalubrem dispositionem ostendunt, & partim quidem salubrem, partim vero insalubrem indicant dispositionem, & quæ aliquando quidem salubrem, aliquando vero insalubrem, & hæc quoq; secundum tria tempora veluti salubria & insalubria appellantur.

CVM Tria potissimum sint capita, quæ in hoc Opere explicantur, corpora scil. signa, & causæ, quatenus hæc sunt salubria, insalubria, & neutra, posteaquã Gal. tractationem de corporibus absoluit, docuitq; quot sint differentiæ corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum, & singulas differentias definiuit, (his enim duobus solum tractationem de corporibus est complexus) ad secundum caput nunc transit, quod est de signis; siquidem post corpora, de signis agendum esse antea proposuit. In qua quidem tractatione hanc docendi methodũ & ordinem seruat, vt primo definiat, quæ sint signa salubria, insalubria, & neutra: secundo inter se comparat, quæ præsentem statum indicant, cum his, quæ præteritum memoriæ subiiciunt, aut futurum prænunciant: tertio docet à quibus signa sumantur, & illa primum accommodat corporibus prorsus salubribus, deinde aliis salubribus, & postea neutris & insalubribus, idque generatim. Postea autem relicta tractatione de signis totius, ad partium principalium signa transit, docetque, quonam modo temperaturas & constructionem illarum cognoscere possimus. Quo facto & iam habito ex quo liceat totius corporis temperiem dignoscere, redit ad totius corporis temperiem, & propria cuiusque temperaturæ indicia tradit. Quo peracto, quarundam partium non quidem principum & principiorum aliarum, sed quæ tamen magni sint momenti, nempe ventriculi & pulmonis temperaturam docet, & ex propriis signis, quales illæ sint, explicat. Deinde rara quædã vitia enarrat, quæ ex prima conformatione in nonnullis partibus, nempe in vesica & homine pituitoso vomente bilem fieri vidit. Postea ad signa insalubria transit, docetque primo signa corporis ægrotantis, deinde partium principalium, de quibus antea egit, exceptis testibus: & sic consumit genus insalubrium signorum, quæ præsentem morbum ostendunt. Posthæc ad alterum genus accedit, nempe ad insalubria, quæ futuram ægritudinem portendunt. Postremo de signis, quæ in morbis sanitatem prænunciant, id est, de signis salubribus agit, quæ post morbum futuram sanitatem nunciant. Neutra vero signa, quæ lapsuros in morbos significant, complectitur, cum signa insalubria tradit indicantia futuram ægritudinem. Præsentem enim dispositionem ostendunt neutram, & futurum morbum monstrant, & illa ratione neutra, hac vero insalubria nuncupantur. Omittit autem neutri corporis, & neutrarum partium inter salubria &

Ordo vero quæ in hoc secundo commentario decentur.

insalubria, id est, benè & malè sana proprias notas, quoniã forte ex extremis intelligi ea posse putaret. Quinetiam prætermittit signa neutrius conualescentiæ, & senilis affectionis: quos status, vt eum, qui paratus est cadere in morbum, inter sanum & ægrum neutros postea ponet & antea posuit in medicinæ definitione. Omittit & multa alia, quæ forte non sunt huius tractationis, sed certe talia sunt, vt à Medico ignorari non debeant: quæ quidem nos (vt qui accepta ex hoc opere occasione vniuersam tractationem traditam in aliis operibus explicare instituimus) nequaquam dissimulabimus. Verum illa non prosequemur ad vnguem, quod in opere nostro de signis edito fecimus, sed potius ex illo capita solum assumemus. B

Ordo auctoris.

Primum ergo de vtilitate & difficultate tractationis de signis agemus: secundo quid signum sit definiemus: tertio, quænam oporteat per signa cognoscere, indicabimus: quarto genera & differentias signorum trademus: quinto signorum fontes aperiemus: sexto vim signorum ostendemus: septimo monstrabimus, quot possint esse in vnaquaque re signa: octauo, qua ratione oporteat Medicum signa inquirere insinuabimus: postremo, quæ signa sint in vnaquaque re numeranda, & à quibus incipiendum exponemus.

2 *De vtilitate ac necessitate tractationis de signis.*

Porrò signorum tractatio dignissima est & vtilissima. Videtur enim diuinum quidpiam præstare Medicus, dum latentes affectus præsentes per signa dignoscit, aut commemorat, quæ præcesserunt, aut prænunciat, quæ futura sunt. C Est vero vtilis hæc tractatio per se, ad res abstrusas dignóscendas, tum vero necessaria ad omnia Medici officia obeunda. Neque enim curare, aut præseruare, aut aliud facere potest Medicus, nisi per signa ea cognoscat, circa quæ versatur illius officium. Confert huiusmodi cognitio Medico ad gloriam & famam comparandam. Item ad reddendos obedientes & constantes ægrotos, eo quod illi admirentur professores Medicinæ, quos vident in hac parte excellere. Facit etiam hæc ad vulgi infamiam & calumnias euitandas cum euẽtum prædicimus: necnon ad autoritatem remediorum retinendam; quandoquidem in illis vtetur tantummodo Medicus, quibus ea profutura præuidet. D Cæterum siue signum, siue indicium vel notam appelles, nihil refert.

Sumimus autem hoc loco signum latius, quam faciat Aristot. ille enim signum vult solum sumi ab effectis, vt cum dicit fumum esse signum ignis: capit & aliquando signum pro propositione demonstratiua, necessaria, vel probabili, vt *in fine primi libri priorũ Analyt.* quomodo etiam nos hic signum non sumimus. Nec intelligimus signum, quod sensui est prius notum, vt Drusianus sentit. Nam à causis Galenus passim signa sumit, & à rei essentia, quæ quidem solo intellectu comprehenduntur. E

Signum quid. Significare quid sit.

Sed signum dicimus esse in arte nostra id, *quod potest aliquid significare eorum, quæ sunt in nostro corpore.* Est autem significare, *tacitè admonere vnum ex alio:* fit vero tacita hæc admonitio ex comparatione rei significantis cum significata. Simul enim atque facta est huiusmodi comparatio, deprehendit intellectus, quod quærebat: qua ratione ex fumo significari ignem dicimus. Nam cum notum sit, effectus à suis causis nasci, non mirum est, si vno cognito, aliud protinus animus concipit, id, quod est significare. A

3 *Quæ per signa cognoscere oporteat.*

Porrò per signa cognoscere oportet quæcunque eueniunt nostro corpori: quorum quædam sunt secundum naturam, alia præter naturam, alia media: & in singulis aliud est, vt causa constitutionis, aliud vt constitutio, aliud vt effectus constitutionis. Item in omni statu aliquid est, quod in suo genere est summum, aliud, quod ab illo recedit: veluti in statu secundum naturam constitutio talis est sanitas, illius causæ sunt causæ constitutionis & sanitatis. Accidentia vero sunt, quæ sequuntur sanitatem: in ipsa vero sanitate est bona quædam sanitas, quæ salubritas dicitur, alia mala, quæ vocatur insalubritas, alia inter hæc media, & neutra nuncupatur. B Iam vero in statu præter naturam cognoscere oportet morbum, causas morbi, & effectus, siue symptomata.

In morbo quid inquirendum.

De morbo vero necessarium est cognoscere illius naturã, genera, differentias, partes, locum, in quo residet, generationis rationem, finem, modum, tempus, quo ad finem perueniet, solutionis qualitatem, locum solutionis.

Quid in causis. Quid in symptomatibus.

De causa vero morbi cognoscere oportet, qualis illius natura, quod illius genus, quæ differentia, quo loco contineatur, quomodo morbum gignere, augere, fouere, & expelli ipsa valeat. At de symptomatis scire necesse est, quod sit symptoma, cuius generis, & differentiæ sit, quo loco contineatur, quas partes affligat, à quo C proueniat, quomodo gigni abigique possit. Hæc omnia oportet cognoscere, cum sunt præsentia, præterita & futura.

Signorum diuisio.

Signa Gal. diuidit hic in salubria, insalubria, & neutra: quæ diuisio forte operi est accommodata, sed in medicina non satis generalis, quippe cum non possint omnia, quæ in ea tractantur, ex signis his dignosci. Præterea ex certo principio & certa methodo non procedit diuisio, ita vt intelligere possimus, non plura, nec pauciora signa esse.

4 *Signorum genera & differentiæ.*

Sumentur autem genera & differentiæ signorum ex rebus, quæ significantur, ex rebus significantibus, & ex significandi modo. Significantur porro res secundum naturã, aliæ præter naturam aliæ, neutræ: vnde signa quædam dicuntur esse secundum D naturam, alia præter naturam, alia neutra, quæ scilicet illa significant. In statu porro secundum naturam, quæ significant sanitatem, sana dicuntur, quæ bonam sanitatem, salubria, quæ malam, insalubria quæ vero mediam inter bonam & malam ostendunt, dicuntur neutra.

Signum Pathognomonica. Assidentia. Cruditatis & concoctionis.

At in statu præter naturam, quæ morbi naturam patefaciunt, Pathognomonica, id est, passionem significantia vocantur signa, quę autem morbi magnitudinem & mortem indicant, Assidẽtia nuncupantur: quæ autem declarant tempora morbi ex materiæ concoctione, signa cruditatis & concoctionis appellantur. Signa subitam mutationem ostendentia in morbis, critica, id est, indicatoria appellantur. E Signa quæ ostendunt corpus ægrotare, ægra: sicut neutra dicuntur, quæ ostendunt statum medium inter sanum & ægrum. Quæ vero salutem, aut mortem prænunciant, salutaria & lethalia dicuntur. Signa, quæ causas sanitatis & illius effectus, morbique causas, genera, & differentias locum, in quo residet morbus, & per quẽ soluitur, & generationis rationem, & resolutionis qualitatem, quæ subito non fit, monstrant, & omnia, quæ sunt in neutro statu, nomine simplici carent,

carent, ac exprimuntur additione eius, quid significatur, vt cum dicimus, signa hæc sunt, quæ ostendunt causam sanitatis, aut causam morbi. Quæ autem monstrant, quæ præsentia sunt, demonstratiua, quæ prænunciant futura, prognostica, prædictiones & præsagia nuncupantur. Iam vero significandi modo differentiæ sumuntur, vt cum dicimus, quædam esse, quæ semper idem significant, vt bonum, sicut concoctionis signa; vel malum, vt signa malignitatis morbi. Alia vero sunt, quę vno tempore bonum, alio malum ostendunt, vt decretoria signa; alia quæ indifferens significãt, vt cubare per febres in latere dextro, vel sinistro. Alia præterea significant vt communia signa; alia vt propria, alia vt mediata, alia vt immediata, alia sua natura, alia aliorum ratione, alia magnam vim in significando habent, alia paruam, alia certam, alia incertã. Sumuntur enim omnes istæ differentiæ à modo significandi. Cæterum à rebus significantibus differentia signorum hæc sumitur, cum dicimus, quædam signa esse, quæ ab essentia rei, alia, quæ à causis, alia, quæ ab effectis rerũ ducuntur. Atque hęc quidem sufficiant de generibus & differentiis signorum.

Demonstratiua. *Prognostica.* *Decretoria.*

6 Fontes vero signorum *sequenti cap.* cum Galen. docebimus.

Signorũ vis. Cæterum vim signorum cognoscet is, qui imprimis separabit ea, quæ significare nequeunt ab his, quæ id facere possunt, & in his quidẽ notabit, quid vnumquodq; significare, & quid à quo significari, & quo modo possit: quæ omnia *primo libro de signis* sumus latius prosecuti.

7 *Quot in vnaquaque re signa esse possint.* Iam vero tot possunt esse in vnaquaq; re signa, quot sunt effectus & causę rei, de qua agimus: necnon colligi possunt ab ipsa rei natura indicia, & rerum similitudine & proportione.

8 *Qua ratione medicus debeat signa inquirere.* Medicus signa inquiret, quæ potest ex seipso: alia vero partim ab ægroto, partim ab astantibus.

Enumerabit autem in vnaquaque re signa solũ, quæ sunt propria, si illa adsint, aut sufficiant, alioqui adiunget communia, quæ cum propriis iuncta fidem facere possunt de eo, quod quærimus. His quidẽ ita præmissis, facilius licebit intelligere, quæ scribit in textu Galenus.

9 *Signa salubria, insalubria, & neutra aliter dici à Gal. quã corpora salubria.* Atq; illud in primis patere arbitror, cum signa salubria, insalubria, & neutra non sumere eo modo, quo sumpsit corpora. Nã corpora salubria dicebat esse, quę bonam habent sanitatẽ, insalubria, quæ malam, neutra quę mediã obtinent. Hic vero signa salubria definiuntur, quæ *omnino* sanitatẽ, & non solum *bonam* declarant: insalubria vocãt, non, quæ insalubritatẽ id est, malã sanitatem, sed morbũ ostendunt. Capit ergo salubre, insalubre, & neutrum in signis, vt accepit in definitione medicinæ pro sano, ægro, & neutro inter sanum & ægrum. Licet præterea hic videre quatuor, & non solũ tres neutri significationes, quod antea quoque annotauimus. Definit rursus signa salubria, insalubria, & neutra, quoniam nõ satis antea illorũ naturã expresserat. Signũ enim salubre eo loco definiebatur, quod sanitatẽ indicat: verum cũ posset indicare præsentem, præteritã, & futuram, non satis constabat in ea definitione, an signũ salubre esset, quod vel pręsentẽ solũ, vel pręteritã, & futurã ostẽderet. Eadẽ est ratio de insalubrib. & neutris. Ambiguitatẽ ergo illam hoc loco ex clariore definitione tollit, cũ dicit, huiusmodi signa intelligi ita, vt ostendãt, quod pręsens, præteritũ, & fu-

A turum. Sunt ergo signa salubria vno modo quæ *indicant sanitatẽ*: cuius generis sunt quæcumq; naturalẽ dispositionẽ sequuntur, vt actiones corporis & animi secũdũ naturã, & quæ ex bonis actionib. sequũtur, vt corporis habitus bonus, color bonus, excremẽta qualitate & quantitate bona & suis temporibus exeuntia. Signa futurã sanitatem demonstrantia dicuntur, quæ, cum ea præsens non sit, aduenturam tamen prænunciant. Sunt autẽ ea, quęcunque naturam supra morbosas causas dominari ostendunt, vt cõcoctionis signa in vrina & excrementis, partis affectę virtus robusta. Hæc autem à particularibus multis sumuntur, cum signa omnia prognostica salutis ab Hippocrate *in prædictionib.* tradita, & à Gal. *variis in locis*, ad hoc genus pertineant. Signa vero præteritam sanitatem memoriæ subiicientia sunt, quæ per morbos adhuc tanquã præteritæ sanitatis affectus apparẽt, vt solida corporis moles, robur virium, color secundum naturam, & denique quæ solum à sanitate fiunt.

Quæ sint signa indicantia sanitatẽ. *Signa futuram indicãtia sanitatẽ.*

B *Signa præterita sanitatẽ commemorantia.*

Signa præsentis morbi. Iam signa insalubria, quæ præsentem indicant morbũ, generatim, sunt læsæ præter naturã actiones, speciatim, propria cuiusq; morbi signa; vt febrẽ, calor mordax totius corporis, pulsus celeriores ostendũnt, & vt semel dicam, quæ morbum sequuntur, vt illis positis, & ablatis alia ponantur, & auferantur.

Signa futuri morbi. *Signa, quæ futurũ morbum prænunciant, sunt*, inquit Galenus, *quæcunque neutrum statum præsentẽ ostendunt.* Intelligere autem oportet neutrũ statũ, non eum, qui est inter salubrem & insalubrem, sed

C inter sanitatem & morbũ, vt ex eo capite patet, vbi dicit, neutrum ea ostendere, quæ media sunt inter sanitatem & morbum. Nec omne quidem neutrũ inter sanum & ægrum potest morbum prænunciare. Nã conualescentes & senes ponuntur in eo statu, quorum tamen indicia nullum imminentẽ morbũ præsagiũt: sed neutrã intelligere debemus, quod recentiores vocant neutrum decidentiæ. Est autem, vt *eodẽ loco* tradit, duplex eorũ, quæ neutris corporibus insunt, natura. Alia.n. ex illorũ genere sunt, quę sunt secundũ naturã, sed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel tẽporibus mutata. Alia vero ex his, quę pręter naturã, sed minora his, quę morbis accidunt. Ex priore genere sunt ciborũ appeti-

D tus auctus vel diminutus, aut non seruans tempus suũ consuetũ. Sic excrementorũ qualitas, quantitas, aliquo modo à naturali statu mutata, & tẽpus illorum mutatũ: & sic de aliis actionibus, vt de somno, & vigilia, & corporis accidentibus secundũ naturã mutatis aliquantulũ à naturali statu, res intelligatur. Secundi generis sunt torsus ventris, dolor vel capitis, vel alterius partis qualitates sensibiles, vt amaror in lingua, asperitas in tactu, sonitus in auribus & alia huiuscemodi, de quibus abunde Galen. *capite 82. huius* agit.

Signa commemorantia morbũ præteritum. Signa quæ præteritũ morbum memoriæ subiiciunt, quænam sint, nemo generali aliqua ratione

E conatur ostendere, vt hi, qui dicunt, vires imbecilles conualescentium id ostendere. Non enim solæ vires imbecilles, sed & alia multa id significãt, vt corporis habitus, mutatio in colore, & aliis qualitatibus. Nec certẽ facilẽ est generale aliquid tradere: videtur tamen mihi ita dici posse, quod sint morbi effectus, qui ab ipso morbo separari possunt: sunt autem isti secundarii effectus morbi, vt, verbi gratia, febris ipsa primo calefacit corpus, ad calefactionẽ hanc præter naturã sequuntur ea-

poris extenuatio, humorũ consumptio, natiui coloris mutatio, virium imbecillitas. Calor ergo præsenté morbum indicat, non præteritũ. Quæ auté à calore facta relinquuntur, ablato ipso calore & febre, præteriisse febrem ostendunt. *Primarii ergo morbi effectus præsentē morbum indicant. Secundarii autem, aut etiam nonnulli ex primis diminuti præcessisse commemorant*, vt virũ imbecillitas totius corporis, quæ febrem sequitur, morbum totius corporis indicat, cum tanta imbecillitas est, quantum præsens morbus requirit. Præcessisse autem eum ostendit, cum tanta nõ est imbecillitas, vt omnino cessare cogatur homo à solitis officiis. Verũ cum par imbecillitas in his, qui lapsuri sunt in morbũ, reperiri possit, vt in illis, qui à morbo conualescũt, nõ ex sola imbecillitate diuinare poteris hũc magis morbo laborasse, quã laboraturũ: Id quod fiet signis propriis additis. Sunt enim quædã signa, quæ sequũtur eos, qui conualescũt, vt gracilitas corporis, coloris mutatio magna, quæ etsi aliquando etiam sunt in his, qui in morbum lapsuri sunt: insigniora tamen sunt in his, qui conualescunt. Signa etiã addi possunt, quæ non solum præteritũ morbum, sed morbi causam præteritã memoriæ subiiciunt, veluti cum Gal. ex signis in corpore apparentibus in diariis febribus colligit, à quibus causis vnaquæq; illarum excitata fuerit. Siccitas enim maior, quàm pro ratione febris, tristitiam febris causam fuisse ostendit: calor vehementior, irã; faciei tumor & decoloratio vigiliã. Postulat quoq; ratio, vt signa tradantur, quæ neutrũ inter salubre & insalubre ostendunt præsens, præteritum, & futurum; secundũ omnes neutralitatis modos, quod à Gal. prætermissum esse miror. Tradit enim illic *in sequẽti capite* signa neutralitatis, sed non eius, quæ est inter salubre, & insalubre, aut certe non secũdum omnes significationes & tempora. Nos fortè hæc inferius prosequemur.

Καλεῖται δὲ ἐνίοτε πρὸς τῶν παλαιῶν ἰατρῶν ἅπαντα ταῦτα τὰ σημεῖα, προγνωστικά, καίτοι ὑπαρχόντων, ἢ προγεγονότων ἢ δηλωτικά.

Vocantur autem nonnunquam à vetustioribus Medicis hæc omnia signa prænuntiatiua, quamuis præsentium ac præteritorum indicatiua.

A veteribus Medicis omnia hæc signa, quibus scilicet præsentes status agnoscimus, & præteritos memoriæ subiicimus, & futura prænũtiamus, prognostica siue prædictiones & præsagia vocari scribit, quod apud Hippocr. statim *initio primi libri prognosticorũ* intelligere licet. *Si enim* (inquit) *Medici præsentia, præterita, & futura prognosticare siue præsagire poterunt, admirabiles existimabuntur*: Illic enim (vt patet) præsentia & futura prædici ait. Et sanè ita commode appellari possunt omnia signa, quoniã prædicere nihil aliud est, quàm *rẽ aperire, & verbis declarare; antequam alius quicquam dicat & detegat quod est occultum*. Vnde Medicus dicitur prædicere morbum præteritum, cum dicit, qualis morbus præcesserit, nõ expectata relatione ipsius ægri, aut astantium. Sic præsentem cum detegit affectum, aut futurum euentum morbi, aut morbũ ipsum prænuntiat venturũ, prædicere dicitur. Recentiores tamẽ Græci, vt Gal. prædictiones & præsagia ad futura solum accõmodant, & certè aptior

Prædicere quid.

videtur esse significatio. Dicitur enim verè prædicere, qui antequam res fiat, fore nunciat: qui autẽ præterita dicit, ille non prædicit, sed potius commemorat. Sic qui præsentia agnoscit, cognoscere dicitur, non commemorare, aut prædicere.

Commemorare quid.

Καὶ ἡ χρεία μεγάλη μὲν τῶν διαγνωστικῶν τε καὶ προγνωστικῶν, ἐλάττων δὲ τῶν ἀναμνηστικῶν.

Vsus vero non paruus, ex prænunciatiuis atque indicatiuis, minor autem ex his, quæ memoriæ subiiciunt.

Posteaquam Galen. definiuit singula genera signorũ, nunc illa inter se comparat, dicitq; vtiliora esse indicatiua & prognostica memoratiuis. Sed rationẽ hic non docet huius rei, quod facit *libro 1. prædictionum*, quo loco scribit memoratiua solum esse vtilia Medico ad honorẽ & famam cõparandã: alia vero vtilia esse & Medico & ægrotanti. Verũ nec eo loco causam reddit, qua fiat, vt quædã Medico duntaxat, alia vero etiam ægrotis vtilia sint. Mihi certe non videtur in his aliqua esse diuersitatis ratio. Nam si ea ægrotis vtilia censemus esse, quæ ad eorum sanitatem recuperandam faciunt, merito dicemus esse illis vtilia signa memoratiua, quoniam ex illis cognoscimus causas & effectus, qui præcesserũt, ex quib. dignoscitur natura dispositionis in corpore ab illis derelicta, quib. cognitis, postea curatio rectè instituitur. Medico vero hæc omnia æquali modo ad honorem & famam cõparandam conferunt. Ita eum admiramur, cum præterita commemorat ac si præsentia agnoscat, vel futura prænunciet. Nec solum quidem in ægrotis, vt Galenus facit, sed in omni alio corporis statu signorum vtilitatem metiri oportet. Nam cum Medicus debeat præsentem sanitatem conseruare, absenté restituere, & præcauere ne in morbos ruat, necesse est, vt qui illa rectè præstare possit, cognoscat, quæ præsentia sunt in corpore, futura & præterita. Sed hæc *in libro secundo*, de signis diligentius ostendimus. Quærit hoc loco Curtius, cur Galenus signa, vt corpora, non diuiserit in simpliciter, & vt nunc talia, dicitque non parem esse rationem: quoniam corpora simpliciter talia dicuntur esse, quæ sunt à natiuitate, signa auté ægritudinis à generatione talia non esse. Verum eum fefellit definiendi ratio in corporibus, quod generationẽ spectaret in his, quæ sunt simpliciter talia: per acquisititiam vero sanitaté definit et vt nũc talia. Nã vt nos antea ostendimus, & Galenus statim testatur, differunt hæc solum per magis & minus, docetque regula oppositorum, eandem esse rationem in signis & signatis. Erunt ergo signa simpliciter salubria, insalubria, & neutra, quæ corpora simpliciter talia ostendunt: vt nunc vero salubria, insalubria, & neutra signa, quæ vt nunc dispositionem declarant. Eadem est ratio de signis prorsus, & non prorsus salubribus. Nam signa vt diximus ad signata referenda sunt: quod & Hippocrates ipse *in prædictionibus* ostendit dum notat, quædam esse signa bona, alia optima, alia semper bona, alia non nisi in certis temporibus: alia rursus esse mala, & inter hæc quædã pessima, alia lethalia, alia, quæ etiam propinquam mortem ostendunt: quæ omnia docẽt dari gradus in signis, sicut in affectionibus corporum. Eadem est ratio de causis salubribus, insalubribus, & neutris.

Signa simpliciter salubria, insalubria & neutra. Vt nunc.

Omnia

Ὄντων δ᾽ ὑγιεινῶν σωμάτων τῶν μὲν ἁπλῶς, τῶν δὲ ἐν τῷ νῦν ὥσπερ δὴ, καὶ ὑγιαίνοντα λέγεται· τῶν ἁπλῶς ὑγιεινῶν σωμάτων, διττὴν ἔφαμεν εἶναι τὴν διαφοράν. τῶν μὲν διὰ παντὸς ὑπάρχειν τοιαῦτα, τὰ δὲ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. διὰ παντὸς μὲν ὅσα τὴν ἀρίστην ἔχει κατασκευήν· εἰς τὸ πολὺ δὲ ὅσα μὴ πολλῷ ταύτης ἀπολείπεται.

Cum vero sint salubria corpora hæc quidem simpliciter, hæc vero vt nunc, quæ & bene valentia dicuntur, salubrium simpliciter corporum duplicem diximus esse differentiam, quoniam nonnulla quidem semper, nonnulla vero vt multum essent talia: & semper quidem, quæ optimam constitutionẽ sunt sortita; vt multũ vero, quæ non magnopere ab illa recedant.

Repetit Galenus salubrium corporum differẽtias, vt illorum notas tradat. Qua in re notare illud oportet, quod antea diximus, vt nunc salubria non habere malam sanitatem, quæ insalubribus conuenit, aut acquisititiam, vt Manardus & alii sentiunt: quippe cum Galen. huiusmodi corpora non alia ratione exprimat, quã quod bene valentia sint. Item quod scribit semper & vt multũ salubria corpora, legere oportet prorsꝰ, & nõ prorsus, vt euidenter ostendunt illorum definitiones: nam quod optimã habet constitutionẽ, semper tale nõ est: quippe cum optima cõstitutio teste Gal. in *lib. 1. de sanitate tuenda*, vel non detur, aut si aliquando repeteritur, minimo temporis spatio duret. Quod autem prorsus salubre est, optimam habet constitutionẽ, & ita hic definitur nulla temporis & durationis facta mentione. Quinetiam illud patet, quod antea admonuimus, simpliciter talia nõ dici, quod ab ortu necessario dici debeant esse, ꝙ sunt, sed quod in suo genere perfectionem obtineant. Nam quæ prorsus, & non prorsus salubria sunt, & simpliciter salubria, nulla ortus facta mẽtione hic apertè definit ex solo perfectionis gradu maiore & minore: qui locus diligenter notandus est, vt qui principia ponat totius huius tractationis, & aliorum chimæras refellat.

Optimam constitutionẽ vel non dari vel breui durare.

CAP. VIII. DE SIGNIS OPTIMÆ CONSTITVTIONIS.

Τὰς διαγνώσεις δὲ αὐτῶν ἀπό τε τῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὸν τῆς οὐσίας αὐτῶν λόγον χρὴ ποιεῖσθαι, καὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης τούτοις ἑπομένων ἐνεργειῶν τε καὶ συμπτωμάτων, ἃ δὴ καὶ συμβεβηκότα καλοῦμεν ἰδίως.

Horum autem dignotiones sumendæ sunt ab his, quæ secundum essentiæ rationem ipsis insunt, & ab his, quæ ex necessitate consequuntur, operationibus, casibusque, qui & propriè accidentia vocantur.

Posteaquam definiuit & diuisit signa, nunc docet, à quibus fontibus illa ducantur, & postea illa accommodat corporibus primũ salubribus, vt quę regula sint aliorum. Et quoniam inter salubria, quod saluberrimum est, ad alia eandem rationem obtinet, ideo omnium primum docet, ex quibus signis possit dignosci corpus saluberrimum. Ac nõ solum quidem hi fontes signorum accommodantur corporibus sanis, sed etiam ægris, & neutris, inter sanos & ægros, & si nonnulli contra oppositorum rationem aliter sentiunt. Dicit ergo, signa sumi ab his, quæ secundum essentiæ rationem corporibus insunt, id est, ab his, quæ sunt de essẽtia & substantia ipsorum corporum, & hic vnus est fons signorum: alius, inquit, sumitur ab his, quæ ex necessitate consequuntur essentiam corporũ. Sunt autem hæc, operationes & symptomata, quæ & propriè accidentia vocari scribit; addit autem accidentia necessario consequentia, signa esse: quoniam accidentia, quæ ab extrinseco corpori adueniunt, vt nigredo à sole, ostendere nequeũt, qualis sit corporum essentia: actiones verò structurã necessario sequuntur: quare nõ propter actiones addidit *necessario consequentia*, quanquam & illę (vt postea ostendemus) præsertim quæ in nostra sunt potestate, educatione immutari possunt. Quare nec illæ semper sequuntur essentiam corporis, & partium, à quibus eduntur. Errat autẽ Monachus, qui dicit illa esse secundum essentiæ rationem, quę ingrediuntur definitionem substantiæ corporum, prout sunt sana. nam in definitione corporis sani & ægri, ingreditur actio, quam Gal. separat hic ab his, quæ sunt secundum essentiam. Præterea incerta esset ratio signorum: quippe cum vario modo definiri possit sanitas & morbus, nempè à priori & posteriori. Quæ autem Galenus hic symptomata, interpretatur Cornarius casus. & nos vocamus accidentia, quæ illi συμβεβηκότα nuncupant. Quæ duæ dictiones Græcè si illarum etymologiam spectemus, idem significant, & hic pro eodem vsurpantur: vt plurimum tamen *accidentia dicuntur de sanis: symptomata vero de ægrotis*. vt videre est apud Gal. *in primo Methodi*. Refellenda autem est Curtii opinio, qui casus dicit esse dictos, quod casu fiant, quoniam præter naturam sunt. Nam Galenus non dixit *casus*, sed *symptomata*. Præterea si casus dant signa corporum salubrium, præter naturam non sunt. Ad hæc falsum est, morbos, & illorum causas, & effectus, quæ omnia dicimus esse præter naturam, casu fieri: quoniam excessu & defectu solũ differunt ab his, quæ secundum naturã sunt. Monstra verò dicuntur quidem casu fieri, & nõ à determinatis causis: sed hoc nihil ad morbos, qui alio, vt diximus, modo pręter naturã dicuntur, vt *inferius* docebimus. Separat hic Gal. operationes à symptomatis, cum tamen *in libris de symptomatis* comprehendat sub symptomate actiones, qualitates corporis, & excrementa: de quibus etiã *hic* mentionem non facit, cum tamen ab illis optima & plurima signa sumantur ad corporis statum dignoscendũ, vt postea ostendemus, cũ examinabimus, an omnes fontes signorũ hic complectatur autor. Nunc vero prosequamur, quæ idem cõprehendit sub his fontibus. Prius tamẽ & hic quoque explodenda est Curtii opinio, qui quadrimẽbrem facit diuisionẽ eorum, à quibus scribit Gal. hic signa sumi. Ait enim quædam sumi signa à propria substantia membri, alia ex necessario consequentibus, alia à necessario accidentibus, alia ab operationibus. Primi generis dicit esse, quæ sumuntur à primis qualitatibus, secundi quæ à mollitie, duritię, colore, & aliis secundis qualitatibus ducuntur. Accidentia vero necessario consequentia scribit esse quantitatem, magnitudinem, numerum, & figuram: & in hanc quidem opinionem ducitur ob locum, qui legitur *in primo lib. de vsu partium*: vbi Gal. agit de his, quę sunt in manu

Primus fons signorum.

Dissentit à principio de eo, quod est secundum essentiæ rationem, consistat.

Accidentia & symptomata quomodo differant.

Curtii opinio de casibus improbatur.

Morbi quomodo fiant. Quomodo monstra.

Curtii opinio de diuisione horum signorum improbatur.

Verum ille *eo loco* aliud agit, quam *hic*. Nam hic tria solum ponit membra ad summum, & signa sumpta à magnitudine, numero, & figura, ait capi à substantia partium organicarum, non autem ab accidentibus, vt eo loco, in quo etiam non quadrimembrē, vt Curtius vult, facit diuisionem. Præterea illic corpus non vt compositū ex partibus multis considerat, sed vt substantia est, de cuius essentia est temperies: nam partes similares (quas nomine corporis *eo loco* intelligit) essentiam habent ex temperie; color autē, magnitudo, figura, accidentia sunt similaribus partibus. Hic autem, cum scribit, magnitudinem, numerum, esse de essentia, intelligit de essentia non partis similaris aut substantiæ, sed partis organicæ.

Ἀπὸ μὲν τῆς οὐσίας αὐτῆς, τῆς ἐν ἀρίστῃ κατασκευῇ, συμμετρία τῶν ὁμοιομερῶν ἐν θερμότητι, καὶ ψυχρότητι, καὶ ξηρότητι, καὶ ὑγρότητι.

Ab essentia quidem ipsa eorum, quæ optimā habent constitutionem, commensuratione consimilium quidē in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate.

Posteaquam dixit, signa quædā sumi ab his, quę insunt corporibus secundū essentiæ siue substātiæ rationē, docet nūc, quænā sint illa, quæ insunt corporib. secundū essentiā, & supponit corpus nostrū constare ex organicis & similaribus partibus, atq; similares partes corporis optimè cōstituti constare ex commensuratione siue tēperie, quæ fit ex calido, frigido, humido, & sicco, siue ex quatuor elementis: & signa, quæ ab his sumuntur, sumi ab essentia partium similarium: esse enim bonam temperiem ex quatuor illis qualitatibus, si pars similaris sana; alioqui intemperiem, si eadem pars malè habet. Tradunt præterea Medici, ex elementis inter se temperatis primum fieri partes similares, ex similarib⁹ organicas, ex organicis minoribus maiores, ex maximis tandem vniuersum corpus constitui. Quæ quidē nemo rectè intelligere poterit, qui prius nō nouerit, quid partis nomine sit intelligendum, quid sit pars similaris, quid organica, & ea, quę Medicū scire oportet de elementis & temperamentis. Porro partis nomen aliquando sumit Gal. solum pro parte instrumentaria, veluti cum scribit *in 1. lib. de locis affectis* partem & locum affectum idem esse. Nam cum locū affectum explicat, potissimū docet mala, quæ instrumentariis partib. contingunt. In eadem significatione videtur partē vsurpare *in initio operis de vsu partium*, cum definit partem esse, quæ non habet vndiquaq; propriam circumscriptionē, nec omnino aliis est coniuncta: hoc n. solis partibus instrumētariis accidit, dū partes sunt corporis. Nam cum à corpore sunt separatæ, quoniā propriā habēt circumscriptionē, ita totum quoddam sunt, & non amplius partes. Similares vero ita inter se coniunguntur, vt nullam circumscriptionem obtineāt. Definit vero *cap. 5. methodi* partem generaliore definitione ad hunc modum: *quicquid totum complet, atque integrat, id totius, quod completur, corporis, particula siue pars nominatur*: & ita reuera videtur esse sentiendum. Nam cum pars, totius sit pars, & de essentia totius, merito fit, vt id partem esse credamus, ex qua totum compositionem suam & naturā sumit. Verum nonnullæ oriuntur in hac re difficultates. Nō

Denominatio partis.

Pars quid.

Obiectiones.

A enim hæc definitio diuisioni partium, quæ solet à Philosophis & Medicis tradi, in similares & dissimilares conuenit: comprehendit enim materiam & formam definitio, quoniam ex illis totum perficitur, quæ tamen nec similares aut dissimilares dici possunt. Nam materia prima cum sit in pura potentia, non habet, à quo dicatur similis aut dissimilis: forma autē est, per quam res similes aut dissimiles fiunt, ipsa vero similis aut dissimilis non rectè dicitur. Prętereа cū illi recensent partes similares & dissimilares, mentionē non faciunt de materia & forma, nec de ipsis elementis. In aliis vero discrepantia quædam esse videtur. Nam Arist. *cap. secundo tertii de Hist. animalium* inter partes simi-

B lares enumerat sanguinem, saniem, seuum, excrementa, stercus, pituitam, & vtramq; bilem; contra vero *in cap. 2. primi de Historia*, inter partes cōmunes animalis non ponit humores. Quinetiam *in secundo lib. de partibus, cap. sexto*, scribit omnem partem constare ex sanguine, tanquam sanguis nō sit pars: id quod *cap. 1. eiusdem libri* apertè testatur. Quid erunt ergo hæc, si partes non sunt, accidentia ne? at nequeunt substantiæ esse accidētia. Vidit hanc difficultatem Fernelius, nec potuit se ab illa liberare, cum videret Arist. nunc quædam inter partes ponere, nunc vero eadem à partibus excludere, atq; ita integra relicta difficultate, & otiosis illis rebus in corpore, quas Aristot. partes ali-

C quando esse dicit, nouā partis definitionē aggreditur, quam accuratiorem, & ad medendi vsum vtiliorem esse scribit. Definit enim *partem esse corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, ad functionem vel vsum comparatum.* Atque hoc modo humores, spiritum, adipem, medullam, pilos, vngues eorum corporum quibus naturaliter hæc insunt, partes esse negat. Sed quid, quæso, hæc aliud esse possunt? Nonne etiam hæc medendi rationē mutant pro illorum natura & affectione? & quid refert spectare curationem, cum videndum est, quid pars sit, aut non sit? Hoc enim philosophi & nō Medici est munus, definire. Est porro ratio cur Arist. & Galenus quædam inter partes aliquando

D numerent, aliquādo vero partes esse negent, quod nō de eodē toto semper loquātur: nā aliæ sūt partes substantiæ, aliæ corporis, alię corporis animati, aliæ animalis, aliæ hominis. Etenim *partem oportet esse eiusdem rationis cum toto, vt si totū est substantia, partes oportet esse substantias: si totum est accidens, & partes accidentia: si totum quantum, & partes quantæ erunt.* Vnde rectè dicitur linea ex punctis non cōstare, quia linea quantitatem habet, punctum vero minime; si totum corpus est, & partes corporeæ; si totum viuens, & partes viuens; si totū animal est, partes eam vim & naturam oportet habere, qua totum animal constat. Si vero homo est totum, partes eius esse oportet proprias homini, ita, vt hominem distinguant à cæteris animātibus. Quia

E ergo totum considerant illi diuerso modo, non easdem partes semper ponunt esse. Nam quando substantiæ partes considerant, materiam & formā illius partes esse dicunt: quādo vero de homine vel animali agūt, vt sunt corpora omnes substantiæ corporeæ, quæ in eo naturaliter insunt, dicūtur partes esse. Quare malè Ferneli⁹ (vt dixim⁹) quærens partes corporis, negat sanguinē, adipem, vngues esse illius partes, nā viuentis corporis partes illa certè non sunt: at corporis partes, cum ipsa sint corpora, quæ naturaliter insunt, reuera sunt.

Fernelii sententia de partis definitione expenditur & confutatur.

Arist. & Gal. sententia de partibus declaratur.

Totum multipliciter sumi.

An sanguis, adeps, vngues &c. sint partes corporis & quomodo sint.

Quando

Quando vero totum consideratur, vt viuens, partes solum erunt illæ, quæ viuunt. si vero animal consideretur secundū speciem, omnia, quæ in eo sunt secundum naturam ad illius constitutionem necessaria, partes censentur esse, vnde pili, vngues, cornua, humores oculorū, etiam si non viuunt, inter partes tamen poni debent in illis animalibus, quibus à natura sunt data ad illorum structurā & vsum necessaria. Non enim vt viuunt illa, partes sunt hæc, sed vt certam & propriam quandā constructionem habere debent. Quare non aliter, quàm cōmuni ea definitione prius tradita, partes definiri possunt, quod scilicet illud pars sit, quod ad totius constitutionem assumitur. Vt autem totum nunc vno modo, nunc alio consideratur, sic eadem res dicitur nunc esse, aut non esse pars.

De parte similari disputatio.

Cur dicatur simpliciter.

Cur prima.

Cur vltima.

Cur elementa sensibilia.

Cæterū partes similares solet vocare Gal. simplices, primogeneas, primas, vltimas, vt *ex p…imo de elementis* constat: vocat & elementa sensibilia *cap. 6. primi de naturalibus facultatib.* dicuntur autē simplices: quoniā tales ad sensū apparent, & quoniā ex aliis partibus non cōponuntur, *vt cap. 8. primi de elementis* scribit Gal. vocātur & primogeneæ & primæ, quoniam illæ inter omnes partes primū fiunt & gignuntur ex elementis; vltimę autē, quoniam in illas tanquā in vltimas partes totū corpus resoluitur: nam resolutio, quę fit in materiā & formam, fit non solū in partes, sed etiam in principia. dicit quoq; esse elementa sensibilia, quoniā sensus partes similares iudicat esse simplices, vt elementa simplicia re vera sunt.

De definitione partis similaris.

Est autem ab omnibus receptum, definiendam esse partem similarem, quæ in similes partes diuidi est apta, ita vt quælibet illius particula idem nomen cū toto obtineat. Quā quidem definitionē explicandā esse arbitror. Scribit enim Arist. *c. 1. & 2. lib. 2. de partib. animaliū*, partes similares quasdā seruare nomē commune toti, vt venæ pars rectè inquit vena dicitur: alia vero non seruare, vt in viscerib. patet. Nam cor, inquit, est similare, & tamē quælibet illius pars non seruat nomen cordis. quia figura diuersa est partis & totius.

Arist. notatur.

Rectè quidē in eo sentit, quod dicat, partes similares non seruare semper nomen: sed in eo falli videtur quod dicat quamlibet venæ partem, venam esse.

Vena quid.

Nā si vena definienda est, dicemus eam esse corpus concauum, ex simplici tunica constans, ad sanguinē deducēdū per vniuersū corpus à natura cōparatū: quod quidē nequit præstare quodlibet venæ fragmentū. Ita quælibet pars nerui, aut mēbranæ, vel cartilaginis, ac ligamenti, non potest nomen totius assumere, quoniam nequit vsum & actionem totius præstare.

Gal. definitio de parte similari laudatur.

Definit autem Gal. *cap. 9. primi de elementis & 8. de placitis*, partem similarē esse, quę sibi & toti similis est, ac vniformis. Quę quidem definitio optima est. Definitur enim materia partis similaris, & non forma, & ratio, cum definitur pars similaris, vt similaris est. Materia enim propinqua, ex qua res aliqua constat, dicitur similis, vniformis, dissimilis & difformis. Ad hunc modum rectè dicimus, neruum esse similarem, quia materia similari & vniformi constat, ac quælibet eius particula similem cum toto obtinet substantiam, & materiam albam, fibrosam & exanguem.

Partis similaris quascunq; particulas, eandē substantiam cum toto, non autē idem nomen obtinere.

Ergo dicendum est, partem similarem esse, quæ tota habet eandem substantiam & materiam cum partibus suis, non autem nomen. Nam ligamenti aut membranæ minima pars, vt frustulum ipsius, ligamentum aut membrana non est, nec dici potest, cum nequeat illorum vsum præstare: substantia autem eadem est similaris & vniformis in particulis & tota parte.

Quæ inter partes similares numeranda.

Cæterum inter partes similares enumerat Gal. *cap. 8. primi de elementis*, fibram, membranam, adipem, os, cartilaginem, ligamentum, neruum, cerebrum. Addit *in cap. 3. de differentiis morborum*, venam & arteriam, quas *eodem lib. cap. 4.* inter instrumentarias ponit. At *in lib. 7. de placitis*, neruum compositam partem esse docet ex duabus membranis & substantia quadam medullari. *In procemio vero comment. libri de natura humana*, inter partes similares addit vnguem & pilum. Arist. quoque in his recensendis discrepare videtur. Nā *c. 2. 3. de historia animaliū* inter similares partes sāguinē, saniē, seuū, excremēta, stercus, pituitam, & vtramq; bilem enumerāt: verum *in c. 2. 1 de hist. animaliū* inter partes cōmunes animalis non ponit humores. Præterea *c. 6 secundi de partibus* scribit, partem omnē constare ex sanguine, tāquā sanguis, vt apertè fatetur *cap. 1. secūdi de partibus*, nōn sit pars similaris animalis, si nullo modo pars illius est: & merito quidem. Nam Gal. omnē partem similarem scribit esse præditam quatuor facultatibus naturalibus, attractrice, retentrice, concoctrice, & expultrice. Verum quod hi autores numerent aliquando quasdam partes inter similares, quas alibi negant esse partes, vt humores, adipem, pinguedinem, vngues, & pilos, ratio est, quod corporis partes intelligant, cū illas dicāt esse similares: animalis autē partes enumerent cū eadē dicunt nō esse partes.

Cur quædā dicātur partes esse similares & dissimilares.

Quod vero eadē partes nūc dicant esse similares, nūc vero dissimilares, plurib. rationibus id faciunt: vel .n. capiunt aliquid, quod in parte est, pro tota parte, quomodo *6. c. lib. primi de naturalib. facultatibus* interpretatur cerebrum, cor, hepar, & lienē esse partes similares, id est, carnem illorum viscerum, quæ re vera sunt organicæ si illorum compositio consideretur: vel sumunt materiam partis (vt diximus) pro parte, quomodo dicunt neruum & ligamentum partem esse similarem, i. nerui substantiam & materiam; cum autem & neruum & arteriam & venam dicunt esse partes instrumentarias, partis nomine intelligunt formam partis per quam partes illæ certam actionem & vsum animali præstant. In quo significatu nerui, aut ligamenti pars, neruus aut ligamentum dici non potest, quia formam & vsum non habet totius. Aliquando vero (vt colligitur *ex lib. de differentiis morborum*) similares vocant, quæ etsi reuera similares non sunt, si quis exactè inspiciat, similares tamē apparent primo aspectu: quo pacto neruus dicitur similaris, etsi ex duplici substantia constat, quoniam ex primo genere dissimilarium est, quorū substantia, nisi diligenter quis inspiciat, vniformis & similaris creditur esse. Atque ea, quæ sunt in hoc genere, ob ancipitem naturā, nunc similaria, nūc dissimilaria Gal. vocare solet. Ex quib. quidem patet, quid sit pars, & similaris pars, & cur vna & eadem res nunc dicatur esse pars, nunc vero non, & nunc similaris, nunc dissimilaris, nunc inter similares, nunc inter dissimilares, nunc inter organicas ponatur.

Tractatio de elementis & quibus illa constant.

At quoniam, vt diximus, ex elementis similares partes fieri tradit Gal. nec tamē hoc loco explicat, quomodo id fiat, operæpretiū esse duco, hoc loco disputationē instituere de elemētis paulo diligentiorē, vt Philosophis non satis bene institutis, aut Medicis etiam rudioribus, qui hæc nostra legere

cupient, consulamus. Dicemus ergo, quid sit elementũ, quot sint genera elemẽtorũ, quid sint elementa in vnoquoq; genere, ex quib. constent singula elementa, quæ sint proprietates ipsorum elementorũ, quæ vis; quid in ipsis & ex ipsis elemẽtis fiat, & quomodo: his enim tractatio de elementis à nobis concludetur.

Elementum quid. Porrò elementum definit Gal. *lib. 8. de placitis*, & *initio primi de elementis*, dicens illud esse elemẽtum, *quod est minima pars eius, cuius est elementum* est enim in prædicamento ad aliquid, sicut pars. Intelligere, inquit, oportet minimum, quod non amplius diuisionem recipere potest *secundum speciem: nã secundũ magnitudinẽ nullũ datur eiusmodi minimũ*, tanquã minimũ idem sit, quod simplicissimũ. Clarius tamen & diligentius Aristot. *5. Metaph.* elementum definit, cum dicit, *illud esse elementum, ex quo fit aliquid, cum insit, & est indiuisibile secundũ speciem.* Omne enim elementum (vt ille docet) materiæ rationẽ obtinet. Quare ex eo aliquid fit: *inest autem rei, quæ fit*, ex quo differt à priuatione, ex qua aliquid quidẽ fit, sed non manet in re, quæ fit. Additur *indiuisibile secundum speciem*, ad differentiam primæ materiæ, & aliarum materiarum. *Primã materiam reuera non esse elementum & quomodo ab elementis differat.* Nam prima materia cũ speciẽ non habeat, dici nõ potest indiuisibilis secundũ illam; quare elementũ reuera non est, etsi ex ea aliquid fit & illa manet in re, quæ fit: Aliæ autem materiæ posteriores post prima corpora diuiduntur secundũ speciem in alias species: Proinde reuera elemẽta esse nequeũt. Breuius ego elementum definirem *esse corpus indiuisibile secundum speciem.*

Elementorũ genera. Cæterum ex eo, quod elementum dicitur esse minimũ & simplicissimũ, Gal. duo genera elementorũ elicit esse: nã quod minimũ & simplicissimũ est, vel est re vera & suapte natura tale, qualia sunt elementa mundi: vel minimum & simplicissimũ reuera non est, sed sensib. eiusmodi esse apparet, & huius generis dicuntur esse quatuor humores, & ea, quæ quatuor humorib. respondent, necnõ partes similares: nã sensus singulos humores, & partes similares in alias formas diuidere nequit: alia vero omnia, quæ in corpore sunt, sensus iudicat esse difformia & composita. Ac primum quidem de elementis, quæ re vera sunt elementa agemus, postea de aliis, Hippocr. & Galen. imitati.

Elementa mundi. Sunt quidẽ, vt philosophi omnes Peripatetici, qui asserunt, elementa hæc quinque esse, vt pote Cœlum, Ignem, Aerem, Aquam, Terrã: sunt enim hæc omnia corpora simplicia ex illis fit mũdus: ex quatuor vero inferioribus elementis non solum mundus, sed etiam alia omnia, quæ in eo sunt, fieri dicuntur, vt postea etiam nos ostendemus. *Elementorũ compositio.* Cõstat autem omne huiusmodi elementũ ex materia & forma substãtiali: omne. n. quod est actu, vel est actus per se existens, vel habet actum, per quẽ existit: nõ est autẽ elementũ actus per se existens, quia esset forma sola abstracta & separata à materia. Quicquid autẽ habet actum, materiã habet, in qua est actus: ergo ex materia & forma constant elemẽta. *Materia elementorum.* Qualis sit materia cœli, furor est inquirere: aliorũ vero elementorum materia est *illa, quam primã & simplicissimam vocamus*, vt quæ primam formam elementi suscipiat: aliorum enim corporum materia cum ex ipsis elementis sumatur, cõposita iam est. *De formis elementorũ.* Cęterum formam cœli perfectissimam esse, vt quæ perfectissimo corpori cõueniat, quod alia inferiora procreare, conseruareq; debet, credendum

A est: Aliorum vero elementorũ formas, necesse est omnium formarum imperfectissimas esse, & propinquissimas naturæ materiæ; & accidentium: nimirum cum elementa sint materia omnium mixtorũ corporum. Veruntamen non constat, quidnam sit forma horum elementorum. Quidã enim volũt esse grauitatẽ, & leuitatem, quod crederent has qualitates esse principium motus ipsorum elementorum. *Graue & leue non esse formas elementorum.* Verum hanc opinionem facile est refellere. Nam vt Arist. scribit *in 2. lib. de Anima, nulla substantia est per se sensibilis*, grauitatem autem & leuitatẽ sensus percipit. Addo quod Arist. *in 2. de partibus Animalium* recenseat inter accidentia elemẽtorum, caliditatem, frigiditatem, grauitatem & leuitatem.

B Verum quoniam formæ rerum dignosci & exprimi nequeunt, cogimur per accidentia, quę proximè formam sequuntur, eas exprimere. Propterea Alexander, Auerroes, & alii qui ita sensisse videntur, grauitatem & leuitatem dixerunt esse formas elementorum, non quod veræ formę sint, sed quod per illas qualitates melius, quam per alias veræ formæ significarentur. In eodem errore versantur Galen. Curtius, & alii Medici, qui putarunt, primas qualitates veras esse formas elemẽtorum. *Gal. opinio de formis elementorũ.* Scribit enim Galen. *in lib. 1. de elementis, si caliditas summa, & siccitas materia ignis coniungantur, ignis fit*: id quod etiam habet *lib. 1. de natura humana tex. 14.* vbi habet summam caliditatem cum materia ignem facere, summam vero humiditatem aquam.

C Curtius vero eandem opinionem ex Arist. confirmare nititur: ait enim Arist. *2. de gene.* vbi quærit, quid sit in elementis, solum materiam primam, & qualitates primas ponere: eundemque authorem *c. 1. 2. de partibus animalium* scribere, mistionẽ fieri secundum qualitates elementorum, nulla alterius formæ facta mentione. *Curtii opinio de eisdẽ formis.* Nititur præterea Curtius respondere argumentis, quæ contra afferuntur. Aiunt enim qui contrarium sentiunt, substantias ex substantiis componi, qualitates autem primas substantias nõ esse, quare nec formas. Deinde prædicamenta ex Arist. esse impermixta: quod verum non esset, si qualitates substantiæ essent. Præterea qualitates habere contrarium, intendique & remitti: quod substantiis nequaquam

D accidit. Ad hæc esse motum ad qualitates, ad substantiam vero minime. Postremo duas esse in vnoquoque elemento qualitates, & vtramque non posse esse formã elementi, quoniam vnius rei vnica est forma. Nec ex illis quidẽ duabus vna fieri potest composita: quoniã forma simplex est corporis simplicis. Nec dici potest vnam earum esse formam substantialẽ: aliam accidentalẽ. Par. n. est de vtraque ratio. Hæc & similia asserunt illi. Quæ quidem hoc modo se dissoluisse putat Curtius. Ait enim formas posse esse qualitates: quandoquidem Arist. *7. c. 5. Metaph.* diuidens species qualitatis, primam significationem dicit esse substantialem

E differentiã. Prædicamenta esse impermixta, dicit, esse intelligendũ de iis, quæ in recta linea prædicamentorum sunt: nec incõueniens esse, si principia substantiæ sint in prędicamento qualitatis siquidẽ vt Gal scribit *primo de elemẽtis*, nõ necesse est principia esse in eo genere, in quo sunt ea, quæ ex illis constant: Elementum autẽ in eo est genere cũ eo, cuius est elementũ, vtrumque .n. substãtia, & corpus est, & hoc nomine principium ab elemento distinguit. *Principiũ & elementum quomodo differant.* Quamquam tamen sunt, vt Fernelius, qui alio modo principium ab elemento separant.

Princi-

A Principia enim dicant esse, quę separatim minime subsistunt, suo vero implexu corpus efficiunt, nec corrumpuntur, cum res fit, aut corrumpitur: ideo sanguinem menstruũ & semen principia corporis esse, non elementa, quippe cũ illa nequaq̃ maneãt & seruẽtur facto corpore. Elementa vero dissoluto corpore, vt Hippocrates *li. de natura humana* testatur, & experientia docet, ad suam naturã redeãt. Nec materiam & formam elementa esse, cum per se non consistant: verum hęc distinctio, vt fortasse separat elementa mundi à principiis nostri corporis, ita conuenire nequit elementis, quæ Gal. ponit ad sensum elemẽta esse, & dici, illa n. corrũpuntur, cum totum corrumpitur, sed de hac alibi tractabimus diligentius. Substantias nihil habere contrarium, nec magis aut minus suscipere, intelligendũ B esse aiũt de primis & secundis, id est, de indiuiduis speciebus & generibus, non autem de differentiis substantiarũ, q̃ non ponuntur in recta linea prędicamenti substantiæ. Ad qualitatem esse motũ, pariter intelligunt de qualitate, quę enti actu accidit, non ad qualitatem, quæ est forma elementorũ: ad hanc n. esse generationem & non motũ. Formam ex duabus qualitatibus elementorum mixtam resultare concedunt, eamque esse elemẽtorum formam, nihilominus elementa esse simplicia, cũ ita dicantur, quia ex aliis corporibus non constant. Aiunt ergo illi ex materia prima & quatuor primis qualitatibus fieri elementa mundi.

C Probabilis certe est horum & aliorum opinio, qui contra tendunt: verum Philosophi, qui melius de iis rebus sentire solent, quam Medici, sequẽtes Gal. qui nullam formam in rebus ponere solet, pręter suum tẽperamentum, sequendos esse arbitror. Mirum n. est, si à solo calore & siccitate fieri possit corpus leuissimũ, tenuissimũ, rarissimũ, & tãtæ in agẽdo efficaciæ, qualis est ignis: Cũ videam⁹ multa medicamẽta, vt pyrethrũ, inter reliqua calidissima & siccissima, crassissima tamen esse, & ad actionem tarda: mirum si sola frigiditas & siccitas cum eadem materia terram constituant grauissimam & densissimam. Quod si ita est, cur plumbũ grauius terra potius elementum non est, quã ipsa terra? Præterea cum ipsæ qualitates primæ sensib. statim occurrant, & eos afficiant, erunt profecto accidentia & nullo pacto substantia: sed aliam subesse oportet formam nobis ignotam, quę has qualitates & alias omnes, quæ sunt in elemẽtis, pariat. D Absurdum quoque est, duas qualitates esse formã vnius elemẽti, cũ simplex sit cuiuslibet rei forma: nec ex duobus inter se mixtis illa vnq̃ fieri possit: alioqui corporũ mistorum formę ex magna multitudine rerum, q̃ inter se cõponuntur, resultabunt. Absurdum n. esset, simpliciũ corporum formas ex rebus duabus fieri: Cõpositarum vero formas ex simplici aliquo constare. At ex quibus, quæso, forma plantæ, animalis, & in vnoquoque eorum genere, specierum singularum propriæ formæ constabunt? Ponamus ergò elementa ex materia prima & ex forma constare, quæ nec raritas est, nec densitas, nec leuitas, nec grauitas, nec calidum, humidum, frigidum & siccum, nec inclinatio ad motum, sed *aliquid magis intrinsecum, nobis occultum,* E *quod est prædictarum qualitatum principium & causa.* A quo vero indãtur elementis hæ formæ, nunc videndum.

Forma elementorum quid sit. A quo sint indita formæ elementorum. & Montani opinio explodit.

Ridenda quidem in hoc est Montani Veronẽsis opinio, qui scribit, vniuersum spatium, quod est à concauo lunæ, vsq; ad centrum, plenum esse materia ingenerabili, informi, apta tamen ad omnes formas recipiẽdas, & id esse, quod poetę chaos vocant: formas autem in ea induci ex motu & lumine primi mobilis, q̃ cum potentissima sint in eo, fieri, vt maximum calorem inducant in portione materiæ, quæ cælo maxime est vicina: propterea esse factum ignẽ summe calidum: ex calore n. maximo consumptã esse omnem humiditatẽ, & ideo hoc corpus esse vocatum ignem, summe calidum, summeque siccum: quas qualitates sequitur summa raritas, puritas, & leuitas: *tenuitatem* esse illius formam, à quo fit, vt moueatur, & quiescat in suo loco. Aerem vero esse calidum & humidum, rarũ, purum, & leuẽ, quia calor & lumen ob maiorem distantiam primi mobilis non potuerunt totã humiditatẽ absumere. Aquam vero remansisse frigidã & humidã, quia plus aberat à primo mobili, eã tamen non esse frigidam in summo, quia ita constringeret materiam, & faceret illam sicut est terra crassam & solidam: esse tamen summe humidam. Terrã vero ipsam summe esse frigidã, quia lõgissime abest à calore, & propterea materiam in ea cõstipari, constringi & congelari. Verũ ad Montanũ hoc primum dicere oportet, an velit Theologice, an physice rẽ hanc tractari: non potest certe Theologice ita sentire, theologi n. non ex chao, vel materia aliqua confectum mundũ, sed ex nihilo creatum, ex infinita Dei potentia censent, & credunt, nec has qualitates primũ accepisse ex cælo, sed ab ipso opifice illis esse inditas, conseruari tamẽ, vt alia inferiora, virtute cœlesti. Si vero Peripateticos sequitur, nõ dicet elemẽta fieri, aut facta esse motu cœli, sed perpetuò fuisse. Mundum n. ingenitũ, & incorruptibilẽ Aristoteles, quem ille sequitur, asserit. Præterea, quo pacto statuere potest, totam illam materiam esse informem, si eam plus vel minus vi cœlesti spoliari humiditate tradit? præerat ergo in ea humiditas. Deinde si ignis ex calore sibi indito leuitatem, raritatem, & alias suas qualitates recepit, erunt calor & siccitas forma ignis, à forma n. proueniũt, quæ sequuntur, accidẽtia: nec rationi est consonum, primas qualitates esse in elemẽtis accidentia, alias vero qualitates à primis natas, esse substantiales formas. Magnam profecto oportet in materia aeris extitisse ab initio humiditatem, si ex motu cæli, & ignis vicinitate consumi non potuit. Illud profecto absurdum est, credere, terram crassam, & densam esse, eo quod frigus humorem intus constringat, & congelet. Nullus n. in terra apparet cõgelatus humor, vt in glacie: aut cur glacies ipsa congelata (vt sensus docet) maxima vi frigoris, crassior, dẽsior & grauior nõ est terra: Quod si terra facta est ex humore congelato, quomodo erit siccissima? aut cur humorem nõ remittit, cum ab igne calesit & accenditur? Quæ n. à frigido cõgelata sunt, ignea vi liquescunt, vt Aristo. & sensus docent. Tribuit præterea igni summam caliditatẽ & siccitatem, aeri vero caliditatem & humiditatẽ concedit, non tamen docet, an vna ex illis qualitatibus aliam excedat. Aquam dicit esse non summè frigidam contra omnium opinionem. Postremò si aqua ideò est summè humida, quia longe abest à calore cæli, tanto erit terra humidior, quanto maior est illius, quam aquæ, recessus à cælo. Sunt hæc nugæ, quæ longiorem confutationem nequaquam admittunt. Dicamus ergo vel inditas & creatas esse cum suis formis has qualitates, vt nos

An vtraque qualitas in elementis sit summa.

credere debemus, aut nunquam esse factas, vt Peripatetici censent. Illud vero sequitur explicandũ, *an vtraque qualitas summa sit in vnoquoque elemento, an vna sit summa, alia vero remissa.* Hanc opinionem sequi videntur Peripatetici: illam vero Gale. nam *in li. de natura humana 14. textu*, summam caliditatem & summam siccitatem igni tribuit, & sũmam humiditatem aquæ. At 16. *textu eiusdem* summam humiditatem aeri, & summam frigiditatem terræ inesse scribit. Sunt & alii loci *in lib. de elemen.* vbi videre est, hunc autorem vtramq; qualitatem parẽ ponere in singulis elementis, cui & ego assentior. Nam & Arist. *in lib. Meteorologicorũ* summam humiditatem aquę concedit, q̃ *in libro de generatione* aeri dederat: scribit & idem autor *in physicis*, id, quod minus tale est, ob mixtionem cõtrarii minus tale esse. Itaque si singulis elementis vna qualitas summa, alia remissa est, necesse est, eã, quæ est remissa, id pati ob excessum contrariæ qualitatis. Vnde tres primæ qualitates in singulis elementis ponere oporteret, vt in igne summam caliditatẽ, siccitatem, humiditatem non obscurã, vt q̃ siccitatem sibi contrarjã remittat. Pares ergo ponuntur qualitates, etsi quædam ob diuersam materiam, & coniunctionem alterius qualitatis remissiores apparent: nam in igne caliditas efficacior, q̃ in aere conspicitur, quoniam cum sicco caliditas efficacissima est, qua ratione etiam iuuenes putantur habere plus caloris, quam pueri, quoniã in pueris, vt in aere, calor hebetatur ab humore. In aqua par videtur esse frigidi vis & humidi: mutuo enim sibi fauẽt hæ qualitates. In terra siccitas prę ualere videtur, quia in crasso & solido corpore siccandi vis est validissima: frigoris vero remissa.

De numero elementorũ.

Hactenus quid sit elementum, & quomodo à principio differat, & quæ sit materia & forma elementi, & vnde illis forma adueniat, & quales quãtæque sint in elemento qualitates generatim docuimus: Sequitur vt de numero elementorũ agamus. Nã etsi receptum est ex Philosophorum doctrina, quatuor esse sub cælo elementa, & nos in superiore tractatione tot esse supposuimus, tamen non desunt, qui huic opinioni reluctẽtur, vt Cardanus, qui *in lib. de subtilitatibus*, primũ negat, sub cælo Lunæ esse ignem.

Opinio Cardani qua elementum ignis omnino negat.

Absurdum enim esse sub re purissima & omnis qualitatis experte rem ardẽtissimam collocare, præsertim absq; medio, quod natura semper inter duo extrema interponere solet. Præterea cometas calorem accendere intolerabilem: quid autem, inquit, fieret, si tanta regio, & vniuersus orbis igne ambiretur? Ad hæc, quid prohibere potest, quo minus aerem ipsum, & vniuersa postea accendat? Quid etiam prohibet, ne luceat, & cur, si ignis illic est, omnia frigidiora apparent, quando altius ascendimus? Ait præterea superfluo ibi ignem poni, quandoquidem absque illo, ex solo calore cœlesti, teste Arist. generatio fit: nec ad hoc quidem facere, ait, quod noster ignis sursum ascendat: quippe cum hic vrat, splendeat, corrumpat, quorum nullum igni elementari inesse Philosophi volunt. Addit ignem eum, vt qui leuissimus sit, ad nos descendere non posse, vt generatio fiat: Quinetiam absurdum esse inter duo extrema duo ponere media. Nec faces aut cometas conuincere, talem illic esse ignem, quippe cũ sub igni & iuxta terrã hæc dicat gigni Arist. Nec etiã in mixtis ignem apparere, & sublimationes docere tres tantũ substantias a rebus elici, aquã, p aqua, oleum pro aere, terram, quæ subsidet. Esse quidem aliquid calidum & siccum, sed hoc non arguere elementum igneũ, quod omnia absumeret, sed cœlestem calorem, ex quo omnia generantur. Ignis ergo ille, inquit, fit, sed elemẽtum nequaquã.

Eiusdem opinio de aere.

De aere ita sentit: Illius regionem esse frigidissimam, motu enim velocissimo quæ propinqua sunt, frigida reddi, vt in aquis velocissimè currentib. apparet, eam tamẽ temperari propinquitate syderum, & maxime Lunæ: eundem esse purissimum, limpidissimum ac totum syncerum, & propterea æthera ab antiquis vocatum: temperatum ergo aerem esse, non quod æqualiter commixtus sit ex calido & frigido, sed quod vtriusque qualitatis sit expers, nec siccum esse, quod fluat, nec humidum, quia nõ madefacit: sponte quidem temperatum, motu autem frigidum euadere: calidissimum nulla ratione, aut experientia doceri, quandoquidem nemo citra solis vim de aeris calore conqueritur, de frigore vero omnes.

De terra. De aqua.

Siccam vero terram, & multũ frigidam. Aquam frigidam & humidam, & hęc omnia calore solis & syderum bene tẽperari. Hæc Cardanus de numero elemẽtorum: quę etsi ingeniose dicuntur, tamen doctissime à Iulio Scaligero sunt confutata. Nam absurdum est, existimare, cœlum ab igne subiecto corrumpi posse, cũ diuersa sit materia cœli, & elemẽtorum, diuersa forma, qualitates & affectiones diuersæ genere, ita, vt nulla trãsmutatio inter illa fieri possit.

Naturam non semper requirere media in coniunctione extremorũ.

Falsum & illud est, naturam semper media requirere in extremorum coniunctione, vel compositione. Nam sub terra ignis perpetuo ardet, aer terram contingit, aqua scopulos. Cęterum aerem quomodo accẽdet, si non vrit ignis elementaris, & ipse aer, quẽ ponit frigidum, resistet? nec occupabit aeris locum, sua sede naturaliter contentus.

Ignis elementaris cur non vrat, nec luceat.

Cometæ quidem calefaciunt, quia ignis in crassiore materia est accẽsus: *nõ comburit autem ipse ignis rarefactus, nec lucet*, ob eandem rationem. Apparent cuncta frigidiora, nõ quanto altius ascendimus, sistitur n. in aeris media regione frigus. *cœlestis calor efficientis rationem habet, elementaris vero, vt & ipsa elementa omnia, materia potius in rerum compositione rationem obtinẽt, aut certe secundæ causæ efficientis:* cæterum si accensus materia crassiore infimus noster ignis sursum ascendit, ostẽdit profecto, locum supremum, quo ipse contendit, plenum esse puriore, calidiore, & leuiore substantia. Neget ne quispiam cœlestẽ vim demitti in loca hæc inferiora eo, quod illam sensibus nequaquam comprehendamus?

Ignis superioris portio quomodo descendat.

Descendit autem ignis portio ad mistionem & generationem inferiorum, *ab aeris portione sibi vicina grauior reddita, & motu cœli depulsa.* Sublimationes igneam quoque substantiam eliciunt, sed illa ob tenuitatem expirat, nec vt aliæ seruari, aut ostendi potest. Absurdum non est, inter duo extrema, duo media ponere; imo, vt postea ostendemus, vnum medium elementum duorum extremorum vinculum esse nequit. Aeris regionẽ esse frigidissimã ob motum velocissimum cœli, nemo concedet, nã motu aqua qualitatem non mutat, sed aerẽ concipit, qui si calidus fuerit, calefacit, si minus, frigidam aquam reddit: sic enim cum frigida erumpit æstate ab aere insolato calescit, & cum erumpit tepida per hyemem, frigus accipit ab aere: ex motu autem id solum consequitur, vt attenuetur, diuidatur, atque ita facilius aerem admittat. falliturque Cardanus, cum ventos omnes validos, frigidos esse

Ventos unde fiant & quo modo frigidi.

esse tradit. nã Auster, & Vulturnus multis in prouinciis calidi sunt: fiunt enim venti ex calida exhalatione. neque frigidi fiunt motu, sed aeris conceptione, qui niuium, aut pruinarum halitu fit talis. sed hæc satis ad Cardanum.

Nos certe Arist. & aliorum Philosophorum opinionem de numero elementorũ sequimur, tanquam rationi & sensibus maxime consonã. cum enim vnũ sit corpus circulare, quod mouetur, necesse est, vt habeat centrũ & circunferentiam: & elementum vnum sit, quod ad centrũ, aliud, quod ad circunferentiam moueatur. Ignis ergo & terra necessaria fuerunt: quæ cum vniri & colligari debebant, vt vnum mundum efficiant, duo postularunt vincula, vnicum n. non potest sufficere: nam illud tenderet ad mediũ, & simul recederet à medio: duo ergo aer & aqua: quorum vtrumque & leue & graue est, & à medio ad medium mouetur. Præterea cũ elementa sint cõtraria, necesse est seruari proportionem, alioqui quod maius est, non seruata proportione, alia absumeret. Quamobrẽ præter aquam & terram non oportet vnũ ponere solum elementum, quod totam eam regionẽ, quæ est ab aqua ad cœlum, occupet. Præterea quatuor motus rectĩ idẽ ostendunt, & complicatio quatuor qualitatum: quatuor ergo elementa: quem numerum etiam Gal. *in lib. 1. de elementis* ex rerum compositione confirmat: non n. ex paucioribus, quam ex quatuor elementis, demonstrat, posse fieri corpora mollia, dura, viuentia, sensu prædita, & aliis affectionibus, quas in nostris corporibus inesse agnoscimus. docet & idem corporis corruptio & dissolutio in quatuor elementa. Quintum vero elementum inter hęc esse non potest, quia nullus ei motus posset accõmodari: neq; n. simpliciter, aut secundum quid, leue, aut graue esse posset, nec cõtrarium proprium haberet, à quo, & in quod mutaretur. Quatuor igitur solum sunt elementa mũdi inter se contraria, & propterea corruptibilia. nã alioqui corruptibilia corpora ex illis fieri non possent. Ostenditur & contrarietas illorũ ex suis motibus, mouentur n. motu recto, recti autem motus contrarii: tum etiã quod ex se generentur, & corrumpantur: contingit n. hæc solum inter contraria fieri. Non tamen propterea dicimus, substantiæ aliquid esse contrarium: quoniã hæc elementorum contrarietas est in qualitatibus eorum propriis, sine quibus esse nequeunt. Quod vicissim generari & corrumpi possint, id habent ex materia cõmuni & contrariis qualitatibus, quæ mutuo se expellere possunt. formas autem, vt diximus, habẽt *imperfectissimas & propinquas naturæ materiæ & accidentis*: quoniam elementa aliorũ corporum materia futura erant, & ob imperfectam eorum naturã omni mutationi & inordinationi sũt obnoxia: quo fit, vt multa contingant in elementis & ex elementis, vt monstra, & imperfecta à casu, & præter ordinem naturalium agentium, quæ nõ possunt referri ad aliam causam, quã ad priuationem. Nõ n. in corpora cœlestia inordinationis causa ponenda est, vt quæ certas habeant agẽdi leges ex motu suo lumine & tempore. Ergo in materiam causa hæc referenda est. Porro elementa mundũ componũt *non mistione, sed compositione*: nam mundum efficiunt, quia in suis locis quiescunt & ad illa mouentur, alia vero corpora mistione efficiunt.

Quatuor esse elementa & cur.

Contrarietas elementorũ in quo consistat.

Elementa qualem habeant formam.

Multa fieri in elementis & ex elementis casu.

Elementa quomodo mundum componant.

De motu et quiete elementorum.

Quod vero ad motum, & quietem elementorum pertinet, ita sentiendum est, vt primũ intelligamus, duos esse motus simplices, circularem &

A rectum: ille cælo, hic inferioribus elementis cõuenit. Rectus duplex, à medio & ad medium. Dubiũ vero est, à quonam moueantur elementa: nam ex se non videntur moueri, cũ Arist. dicat omnia grauia & leuia ab alio moueri. Præterea sola animalia ex se moueri putantur. Addo, quod ea, quæ per se mouentur, diuiduntur in partem per se mouentẽ, & partem per se motam, quod elementis nequit conuenire, vt quę constent ex forma imperfectissima, & materia tantũ prima, nec quiescere possũt, cũ libuerit: mouentur enim continuo motu, nisi quid obstiterit, donec ad suum locũ peruenerint. Verũ si formam habent simplicem, nonne habebunt simplicis sui motus causam? Porro elementa B mouentur à principio intrinseco, non tamen ex se, vt animalia, sed ab alio mouentur. quoniã proprium principiũ motus est *inclinatio ad locũ propriũ*: inclinatio vero in elementis est propria grauitas & leuitas. In animalibus inclinatio est appetitus rationalis & sensitiuus. & quia inclinatio hæc à generante elementis tribuitur, sunt (vt diximus) duo extrema elementa ita affecta, vt vnum simpliciter sit leue, aliud simpliciter graue: media vero elementa in loco ignis grauia, in loco terræ leuia sunt, in propriis vero locis aliquando grauia, aliquando leuia, vtrumq; tamen magis graue q̃ leue: nã extra proprios locos violenter quiescunt, & ab eis recedere ad propriosq; locos redire nituntur. At in locis pro-C priis quiescunt secundum naturam: verum si impellantur, suo nixu mouentur quoquo versum in latus, sursum, deorsum *facilius tamen deorsum, quã sursum feruntur*. Sic n. natura instituit, vt rerum generatio facilius fiat. Et propterea *media elementa humida sunt facta: humiditas vero grauitatis est causa*. Requirunt elementa ad suum motum resistentiam, & propterea in vacuo moueri non possunt: fieret n. in vacuo motus in instanti, eo q̃ non seruaretur proportio mouentis ad spatiũ, quod autẽ momento fit, indiuisibile, motus autẽ continuus. Cęterũ mouentur elementa semper celerius, quãto magis appropinquant ad sua loca: *quoniam ele-D menti, per quod feruntur, partes, à re, quæ mouetur, diuisæ, concurrunt vt vniantur, atq; ita à tergo illud pellunt: fitq; vt quanto plures fuerint partes diuisæ, tanto citius & vehementius pellant id, quod per ea fertur, acciditque quod elementum, per quod fit motus, aer inquam, & aqua minus resistunt corpori, quod mouetur, quam cum quiescit.* Hæc generatim de elementis sint dicta: nunc vero pauca sunt addenda, quæ pertinent ad vnumquodque elementum.

A quonam moueantur.

Proprium principium motus.

Elementa quæ & vbi leuia & grauia sint.

Motum non posse fieri in vacuo.

Elementa cur quanto magis suis locis appropinquant, tanto moueantur velocius.

De ignis qualitatibus & materia.

Ignis (vt ab eo exordiamur) calidissimus & siccissimus, rarissimus, & propterea minimum habet materiæ, & plurimũ formę, licet *suapte natura*, nõ tamen corporib. propinquis valet lumen impartiri, si in propria raritate maneat: in materia vero dẽ-E siore statim lumẽ emittit, maximãq; vim habet in agendo, & propterea natura eo vtitur, tanq̃ pręcipuo instrumento in generatione & cõseruatione mistorum, pręcipue animatorum. Et quemadmodum vniuersa elementorum massa se habet tanquã materia, quã effingit & format corpus cœleste, ita ignis respectu aliorũ forma est, & figulus, q ex aliorum massa mista omnia efficit. Ignis igitur lumine, raritate, paucitate materiæ, formæ præstantia, actionis vi ad generationem mistorũ maxime æmulatur præstãtiam corporis cœlestis: id q; etiã facit sua magnitudine. Est n. ignis Sphæra ingentis magnitudinis: nam eam portionem habet

Ignis elementum quomodo luceat.

Ignis vis.

Ignis Sphæra magnitudo & puritas.

vniuersus ignis ad vniuersam terram, quam habet portio ignis ad terræ portionem: videmus autē ex minima parte ligni, quod terra lōge est rarius, maximam ignis copiā gigni.

Ignis motus.

Est porro ignis iuxta cælū purissimus, quoniā ibi contrarium non habet, quo inficiatur: mouetur que duplici motu, vt recto sibi proprio, & alio circulari à cælo, ex pulsu & tractu composito: & eo quidē non vniformiter, nec pari velocitate oēs ignis partes mouentur: eodē motu deorsum pelluntur ignis partes cōglobatæ & fluctuantes. Est autē hic motus à cælo ignis non violentus, quia non esset perpetuus, nec contra, sed præter naturam ei contingere dicere possumus. Mouetur quidem à corpore cælesti, ex coniūctione, quæ est naturaliter loco cū locato & formæ cū materia: necnon mouetur à qualitate cælesti, qua elementa fouentur, & mixta corpora generantur. Mouetur autē ignis (vt diximus) circulari hoc motu difformiter & inæqualiter: vnde aliquādo partes eius conglobantur, & tunc splendorem statim emittunt, acquisita s. densitate: q̄ cum amittit, resoluēte proprio calore & cæli motu, splendor & flāma euanescunt. Ascendit tamen aliquando exhalatio sicca à terra resoluta ad ignis regionē, vbi Sphæræ motu inflāmatur, & ignis ab exhalationis extremo ad finem vsq; confestim percurrit, & fiūt tunc Stellæ currentes: quod si exhalatio ea arida, accensa à cōstipatione superioris aeris seu vaporis frigidi, terram versus propellitur, tunc fiunt Stellę cadentes.

Stellæ currentes vbi & quomodo fiant. Cur cadentes.

Quod si in Sphæra ignis facta fuerit ea constipatio, quæ ob magnitudinem & multitudinem non facile dissoluatur, & interim exhalatio à terra resoluta, fomentū illi pręstet, tūc fit Cometa. Via aūt lactea non ab aliqua exhalatione fit, quoniam non esset perpetua & immutabilis, sed fit ob multitudinem innumeram stellarum in ea cæli parte existentium, quæ adeo sunt minutæ, vt earū corpora à nobis sigillatim perspici nequeāt, simul tamen perspiciantur confusa omnia earum lumina, q̄ nobis referunt candorem illum: forte etiā ibi sunt cæli partes densiores, quæ suapte natura splēdidiores sunt, aut lumen earum stellarum refractū fulget. Atque hæc quidem de igne, & iis, quę in eo gignuntur, sufficiant.

Cometa. Via lactea.

De aere eius que situ & qualitatibus.

Sequitur vt de Aere aliquid dicamus, qui situm habet inter ignem, aquam, & terram, nulla sui parte purus, & simplex: nam portio eius ab igne semper afficitur, vicissimque ignē afficit: quare siccior iusto redditur, à cæli vero motu disgregatur rarior que fit. At portio eius, quę aquā & terrā attingit, à solis radiis reflexis calefit: media vero regio, vbi solis radii diffunduntur, nec reflectuntur, frigida euadit. Item ab exhalationibus eleuatis à terra, & aqua, & iis, quę per ipsum aerem descendunt, vt grādines, pluuiæ, pruinæ, ros, ventorum impetus, nubes, tonitrua, fulmina, currentes stellæ, necnon ab iis, quę in aere apparent, vt iris, area, virga, aer inficitur, & infectus agnoscitur.

Aeris actiones passiones, veræ.

Quod simplex aer ratione concipitur, corpus erit calidum & humidū, igne densius, aqua longe rarius. In agendo minus efficax, q̄ ignis, & ad patiendum magis contumax: nam ob humiditatem obtunditur calor, actionis autor: ob crassitiem vero difficile patitur.

Quæ in aere fiant.

Porro ex iis, quæ in aere apparent, quædam apparent solū, quæ non consistunt, alia vero in eo consistunt. & hūt: prioris generis sunt iris, area, soles gemini, aut terni, Virgæ, quorum omnium vna generalis est causa reflexio radiorum solis, aliquando Lunę, in- A terdū siderum insigniorum.

Area quomodo fiat.

Area enim fit cū circa *Lunam aliquando aut circa solem consisterit caliginosus aer exhalationi vaporiq; mixtus, adeo ex minutis corporibus impactus, vt eorum singula efficiantur veluti specula, quæ colorem tātum syderis referāt, circa quod sunt, figuram vero nequeant referre, ob paruitatem:* tunc circa id sydus area conspicitur. Quod si ita fuerit compactus aer exhalatione, vt interius valde illa opaca sit, exterius vero diaphana & leuis, adeoque simul coacta, vt nō plura specula efficiantur, sed vnum tantum, tunc speculum illud colorem, & figuram syderis refert.

Iris quomodo fiat. Virga quid & quomodo fiat.

Nubes vero plena rore post imbrem plerumq; soli obiecta, irim facit in speciem semicirculi. *Virgæ vero sunt veluti* B *imperfectæ irides.* Porrò inter ea, quæ nobis apparēt, & in aere ipso sunt, numerantur Stellæ currētes, quæ tunc fiunt, cum exhalatio sicca vstioni apta, eo peruenit, & à cœli motu incenditur: fiunt interdum etiam hæ Stellæ currentes in parte aeris inferiore, cum exhalatio arida inclusa vapori frigido, exprimitur in locum inferiorē, ob id, quod vapor in superiori parte constringitur: atq; ita intra se exprimit exhalationem, quam continet: expressa hæc, si vehementiori motu feratur, ignem concipit, & Stellę cadentis speciem refert.

Stellæ currentes. Stellæ cadentes.

Nubes vero densa, valdeque opaca, posita iuxta lucidiorē nubē lumini penuriam, imaginē quandā nobis refert hiatus & specus.

Hiatus & specus. Quæ vere in aere existunt.

Verius aūt iis consistunt in aere, neq; C oculos deludunt, nubes, pluuiæ, grando, ros, nix, pruina, fulgura, & venti: quorum omniū causa est duplex, exhalatio vna sicca, altera humida: Illa à terra, hęc ab aqua, & aquosis locis vi solis & syderū resoluitur. Quæ etsi semper mixtæ sunt, tamen absolute trahuntur ad genus illud, quod magis exuberat, itaque cū vapor in superiorem aeris partem peruenerit, interdū destituitur ab eo calore, à quo sursum tractus & vi fuerat rarefactus: interdū sensim concreuit descenditque minutissimis guttulis coactus in rorem: interdum vero ab aeris frigiditate cogitur primum in nubem, deinde in aquam, coactisq; inuicem minimis guttulis iam maiores factæ deferuntur in terram, pluuiamq; efficiunt.

Ros & eius causa. Pluuia.

D Quod si fuerit adeo magna frigiditas in vnum coacta ex calore aeris circumsistente, vt anteq̄ aqua deorsum cadat, in glaciem concrescat, grādo fit. Si vero ex nimia aeris frigiditate, non coacta tātum in vnum locum, sed vbique per aerem sparsa siccitateq; frigori coniuncta, vapor antequam cogatur in aquam inspissetur & concrescat, fiunt niues, & pruinæ.

Grando. Nix & pruina.

Exhalatio vero ea à terra resoluta, cū occurrerit vaporibus, exhalationibusque frigefactis, qui deorsum ad terrā, sensimq; ferantur, eis immixta, cum neq; ab illis deprimi queat deorsum, neq; attollere sursum eos possit, vi percita ex insito sibi contrario nixu in transuersum fertur, & ventus fit. At leues auræ fiunt, cū minor huius generis rerum vis, copiaq; in aere.

Ventus vnde fiat. Aura leuis.

E Quod si nubibus vaporibusq; inclusa fuerit exhalatio calida, & vi coactis superne nubibus, detrusa fuerit versus terram, fiunt ecnephiæ, i. procellæ siue venti flantes. Quod si non satis in vnum coacta, sed dispersa per nubes erupe rit, accendit atque efficit fulgura & tonitrua. Sufficiant & hæc de iis, quæ in in aere apparent, fiunt, manent aut detruduntur.

Fulgura. Tonitrua.

De aqua & qualitatibus aquæ.

Aqua elementum infra aerem positum versus centrum, etsi nonnullam habeat leuitatem, qua terræ superstat, absolute tamen est grauis & magis grauis est, quā leuis: *nusquam pura est aqua:* inficitur

citur enim à terra aerem & iis, quæ in aere sunt genita, & in aquam ipsam descendunt. Aquæ elementum, propterea que eius locus non est tartarū Platonis intra viscera terræ situm: neq; abyssus Moysis, sed maria vt Arist. rectius sensit.

Aquæ elementi locus vbi.

De terra & eius qualitatibus. Terræ situs. Terræ & aquæ magnitudo.

Terra in centro sita, est grauissima, sic & frigida, constipata & densa, opaca, ad omnemque motum inepta, vnde semper immobilis manet pura in centro suo, vt ignis iuxta cælum, vt quæ longe sit remota à suis contrariis. Est quoque ibi maxime cōstipata, ita vt difficile aliquid eo penetrare possit. Reliquæ vero terræ partes aqua & aere immixtæ, impuræ sunt: eminet autem terræ portio aquæ etsi grauior est omnis terra aquâ, naturæ prouidentiâ, vt multa animalia, quæ sine spiratione viuere non possunt, locum habeant aptum ad generationem, & conseruationem. Terram, quam colimus esse eminentiorem mari, ex hoc constat, quod flumina & omnes aquæ, quæ è terra effluunt in flumina, tandem in mare descendant. Quod si ita est, quomodo aqua post aerē collocatur, & terra infimū & cētrum occupare dicitur. Sunt, qui sentiant, id ea ratione fieri, quod aer, quem colimus, multis vaporibus semper sit plenus, vapor autem sit aqua disgregata & rarior effecta. Verū eorum opinio non placet: nā etsi vapores ex aqua fiunt, tamē illi aqua non sunt actu, aut certe non sunt elementum aqueum, de quo quæstio est. An potius dicendum est, aqueum ipsum elementum nempe mare, eminere terræ, vt quæ mari subiicitur, nec habendum esse rationem illius portionis terræ, quæ non tegitur aqua ob naturæ prouidentiā? Aquam terra lōge maiorem esse ratio suadet, quæ docet elemēta æqualia esse debere secundum materiam. Verū si Oceanum mare vndiquaque terra ambitur, vt ex nouis nauigationibus est compertum, terra videbitur esse longe maior ipsa aqua. Soluunt nonnulli hanc dubitationem, dicentes in mari non contineri omnem aquarum copiam, sed etiam in terræ cuniculis maximam aquæ copiam reclusam esse, nec non ipsam terram, quam colimus, multis fluminibus & fontibus abundare, & veluti spongiam quampiam plenam esse aqua. An forte etiam dicendum est, maria, quæ tam longe lateque patent, multum excedere terræ magnitudinem, & si terra ipsa maria forte ambit, breui terræ spatio? Terra, quam colimus, mater est omnium mixtorum: nam dulci aquâ est plena, vt animal sanguine: aquâ per fontes, flumina, terræq; meatus, terra ipsa rigatur & alitur. Cōtinet etiam plurimū aeris & igneæ exhalationis, quibus mista generatis & nutrimētum omnibus præstare potest. Hinc fontes calidi scaturiunt ex terra, quoniā *aqua iter facit per loca ignita, aut quia ex subiecto bitumine petrarum ignis accenditur.* Habet etiam terra habitabilis sua ossa instar animalis, montes scilicet, quibus sustentata, & formata, non facile dehiscit: habent tamen montes alium vsum, vt ex illis profluāt flumina ad terram irrigandam, & alios animalium vsus. Fiunt autem montes ex terra, quæ vi sydetū, & caloris intus concepti inæqualiter attollitur. Non n. omnium sydersum radii & vniuersi cæli lumina in hoc mundi centro in vnum coguntur, vbi terram aqua tangit, & eorum vi necesse est fieri quandam terræ & aquæ mistionē & fermentationem, ex qua terra ipsa rarescit & intumescit inæqualiter ob subiectum ipsum, quod multū habet priuationis & multitudinis. Non mirum ergo, si in superficie inæquali nonnullæ partes depressiores, aliæ eminentiores manent: & quæ eminentiores prodiere, vbi calore concretæ, tandem actione ac vi frigidi aeris in lapidem & saxa vertantur, quæ appositione materiæ aptæ in saxa cōuertī, augentur. Verum sicut vi caloris terra sic montatur, montesque & insulæ oriuntur impulsu eiusdem impetus: sic contra, aliquibus in locis terra concussa dirumpitur, & terræ motus fiunt, vnde insulæ quædam statim è mari prodeunt: aliæ vero in eo submerguntur. Plura de iis, quæ pertinent ad singula elementa hoc loco dicenda non sunt, ne videamur limites nostri instituti excedere velle. Quare properandum est ad ea perfecta mista, quæ ex elementis ipsis fiunt.

Cur aqua post aerem collocatur & terra centrum occupare dicatur, cum tamen pars eius aquæ emineat.

An aqua sit maior terra.

Terra mater omnium mixtorum.

Vnde fontes calidi.

Montes esse terræ ossa.

Montium vsus. Et origo.

Lapidum generatio. Terræ motus & insularum generatio.

Quatuor esse elementa in mundo, superius docuimus. An vero nostra corpora (de quibus potissimum agere instituimus) fiant ex illis omnibus, vel sufficiant quædam duntaxat ex elementis ad eorum compositionem, primum expēdere oportet. Non posse autem constare nostra corpora ex vno elemento, vt nonnulli voluerunt, facile probare licet. Nam si tantum vnum esset elementum, nullum haberet extra se contrarium, nec in se ipso, cum simplex sit & vniforme corpus: quare nec alterari, nec aliqua in parte mutari posset: aut fieri compositum corpus, quod alteratur & mutatur, ob id nec dolere aut ægrotare posset: nam ob dolorem requiritur diuisio, siue solutio continui, & partis sensus. Quod si diuidi forte posset corpus, quod ex vno elemento constaret, non tamen sentiret, & propterea in eo nullus fieret dolor: tollit præterea hæc opinio vniuersam medicinam. Nam si dicimus hominem ex vno elemento constare, & ægrotare, tollitur morborum & remediorum multitudo, & proinde ipsa medicina: quoniam quod ex vna re simplici constet, nec contrarium habet, non nisi vno morbo & simplici affici potest. in eo vero sanando nulla ars, neque scientia requiritur, cum idem semper sit & vniformis affectus. Quid aliud præterea esset homo, quam ipsum elementum, si ex eo solo cōstaret? sensus autem docet nostrum corpus esse particeps caloris humidi, & si ci docet & resolutio, quæ fit mortuo animali, in ignem, aquam, aerem & terram, nostra corpora ex illis quatuor constare.

De compositione nostri corporis ex elementis quatuor.

Corpora nostra non constare ex elemento vno.

Quomodo vero hæc prima elementa corpora nostra ingrediantur, assumanturque ad compositionem, docet Gal. *lib. 8. de placitis & primo libro de elementis, Non n. inquit, eo modo fiunt corpora ex elementis ac lucas ex terra, aqua conspersa, soleque excalefacta continuo animal generari, sed multis interuenientibus mutationibus generatio ex illis fit, solet enim natura ex elementis rudia quædam opera primum procreare, alia deinde ex illis perfectiora, donec perfectissima opera attingat, & absoluat* sic igitur ad generationem nostrorum corporum primum herbas, fructus, & semina plantarum gignit ex elementis, quibus postea vescuntur animalia, quæ fructibus & herbis viuunt. Ex illis postea cibum capimus, ex cibo autem sanguis, pituita, bilis vtraque in nobis gignuntur, quæ iam nostræ generationis sunt materia: quibus etiam augemur, nutrimur, & quamdiu natura nostra patitur, viuimus. Sic ergo elementa corpus nostrū ingrediuntur. Quod pulchre iis versibus expressit Lucretius:

Quomodo elementa ingrediantur nostram compositionem.

Sic tempestiuis ex imbribus humida tellus
Vertit se primum in frondes, & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora nostra
Naturam, & nostro de corpore, sæpe ferarum
Augescunt vires, & corpora pennipotentum.

Quomodo elementa componant nostra corpora.

Componunt verò ipsa elementa nostrum corpus, non, quod illa inter se transmutentur, & alia ex aliis fiant, sed quod inter se misceantur, & ex mistione materia fiat apta ad formam misti recipiendam. Nam etsi ex primis elementis sanguis, & alii humores in nobis fiunt, ex quibus singulæ partes gignuntur, corrupta ipsorum humorum forma, & substantia, manet tamen semper ipsa materia ex elementis ducta, quæ in ipsa resolutione, & corruptione conspicitur. Moriente enim

B hominе, aerem expirare videmus, & plane eo dissoluto terram & humorem relinqui. An vero sicut materia, ita formæ & qualitates elementorum remaneant in misto, vel corrumpantur potius, dubium semper fuit & controuersum. Putauit enim Auicennas elementa in misto corpore esse in actu perfecto, nec in formis fieri mistionem elementorum, sed ob primas qualitates, quæ cum reductæ sunt ex mutua actione temperaturam, quæ corporis misti temperaturæ conuenit, tunc mistum illud corpus generari. Verum hanc opinionem refellit ratio: Nam si in actu perfecto formæ substantiales elementorum remanent in

An formæ elementorũ maneant in misto. Opinio Auicennæ refutatur.

C misto corpore; fieri non posset vt in eo misto alia esset forma substantialis, præter formas elementorum. *Quicquid enim aduenit substantiam actu per se existenti, accidens est, non substantia.* Beatus Thomas & Latini Philosophi tradunt, in mistis corporibus nullius elementi formam esse actu, sed potentia solum: omnem enim formam misti continere nullius elementi formam esse actu, sed potentia solum, omnem enim formam misti continere vim & perfectionem omnium elementorum. Quod si ita esset, tolleretur ratio mistionis, & definitio elementi. Elementum enim est, *ex quo aliquid fit, cum, insit:* Quomodo autem inerit, si formam suam amisit: mistum autem omne dissolui potest in elementa, ex quibus est mistum: quomodo vero dissolui in ea poterit, si in ipso non sint elementa? Quod si ea mutatio fiat, dissolutio non poterit appellari, sed misti corruptio, & elementorum generatio. Quapropter putatur

B. Thomæ opinio itidem reiicitur.

Elementum quid.

Opinio Auerrhois pro veriore habetur.

D Auerrhois opinio verior, q ait, *formas elementorũ imperfectissimas esse inter oẽs substantiales formas: ideoque plurimum recedere à natura substantiæ, & accedere ad naturam accidentium:* ex quo fiat, vt more accidentium, frangi, minui, remittique valeant: & rursus si contingat intendi, & fieri perfectiores: quemadmodum videmus, calidum & frigidum intendi, & remitti. Itaque cum more accidentium possint formæ elementorum frangi, & minui, & si destituantur per certam immutationem qualitatum ab esse substantiali, remaneant tamen formæ illæ in aliquo actu, nempe in actu refracto: *franguntur enim inuicem elementa ex mutua actione & passione*, ita, vt nullum eorum possit

E conseruare propriam suam essentiam; ac tunc vi caloris proprii, conflatur forma media misti corporis, generaturque mistum, in quo sunt elementa in actu non perfecto, nec corrupto, sed refracto: Addo quod illæ formæ vicem potius habeant accidentium, quam substantiarum. Hoc ergo mo-

A do manere creduntur formę elementorum in misto. Manent & qualitates ipsæ elementorumconflata temperie ex mistione ipsarum primarũ qualitatum. Nam cum corpus mistũ ex quatuor qualitatibus calefaciat, frigefaciat, humectet, & exsiccet pro cuiusque natura, constat, eas qualitates nõ intercidere, nec solum potentia conseruari: sed remanent refractæ. Quod si qualitates, quæ formã elementi sequuntur, non intereunt, nec profecto intereunt ipsæ formæ: & si refractæ sunt qualitates, & diminutæ, erunt & ipsæ formæ refractæ & diminutæ. Talem enim oportet esse causam, quales sunt proprii & inseparabiles effectus. Hanc Auerrhois opinionem interim cum Fernelius refellere nititur, dicit inter se pugnantia. Nam formas elementorum asserit esse integras & simul

B potentia inesse Nam si integræ sunt, actu sunt, & summas suas vires exercebunt. At si potentia insunt, mistionis ratio, vt diximus, tollitur. Ac quod magis mirum est, cum illas formas implicitas & vinctas fatetur, quid diuersum ab Auerr. dicit: hoc est refractas esse elementorum formas. Nunc sequitur explicandum, quid & quantum conferat vnaquæque elementorum qualitas in generatione compositi.

Caloris elementaris vis in generatione compositi.

Calor, vt ab eo incipiamus, est præstantissima, maxime actiua, & propterea primũ & proximum instrumentorum cælestis virtutis & qualitatis, omniumque mistorum generatrix, quæ & dissoluit.

C *Vt autem caliditas ad agendum est efficacissima & potentissima, ita ad resistendum omnium maxime est imbecilla & infirma.* Nam *actio pendet à forma prout est a materia absoluta: resistentia vero à forma, quatenus est in materia.* merito ergo caliditas ignis, vt quæ parum habeat materiæ, in agendo est efficacissima, in resistendo vero infirma. Quod etiam experientia docet. Res enim excalefacta citius refrigeratur, quam frigida calefiat: propterea videmus ignem facillime à multis causis extingui & generari. Porro cum talis sit ignis, necesse est, vt se habeat vt agens, & forma, cætera vero elementa, vt materia & patiens: quoniam vero calidissimus, vim habet componendi & congregandi homogenea, & heterogenea separandi, quę aliena sunt à natura misti.

Actio & resistentia unde proueniant. Cur caliditas ad agendum sit efficacissima, ad resistendum vero maxime infirma.

Frigidum quid conferat ad generationem.

At vero frigidum cum actiua sit qualitas, habet pariter suam vim in agendo minorem, quam calidum, sed in patiendo illud magis efficax est. Atque

D natura istarum qualitatum cõtrariarum vim moderatur, frigidum habet in agendo vim priuatiuã: congregat enim tam homogenea, quam heterogenea, & vnumquodque constipat & immobile reddit: & propterea *per se interitus est causa, per accidens vero facit ad naturæ opera*, nimirum quod calorem ignis temperet, sine qua temperie & mediocritate nequit summus ille calor naturæ esse instrumentum. Item facta mistione, massa tota vi frigoris constipatur & cogitur, perficitur, & diutius perseuerat. Confert etiam, dum extrinsecus calorem cogit in vnum, & roborat: quemadmodum videmus hyeme concoctionem in nostris visceribus optime perfici, & frugum radices

Frigidum quomodo faciat ad naturæ opera.

E augeri, roborarique. Arcet præterea frigus extraneum calorem, à quo fit corruptio & putrefactio mistorum omnium.

Humidum quid præstet.

Cæterum humiditas vim habet longe debiliorem caliditate & frigiditate in agendo, in resistendo vero vtriusque vim superat. Obtundit humiditas

miditas calorem, & est ipsius pabulum, frigiditatē A vero crassiorē reddit, & propterea ineptam ad penetrationem: at siccitatem formabilem & terminabilem reddit humiditas.

Quid siccitas. Cæterum siccitas minimam vim omniū habet in agendo, maximam omnium in retinendo, propterea proprio termino facilè, alieno verò difficilè terminatur. Constipat corpus in quo excepto qui rarissimus est, & propterea terminari facile potest. Siccitas humiditati admixta, est quoque pabulum ignei caloris: frigiditatē autem siccitas non obtundit, humiditatem autem continet, & in vnum cogit. Hunc ergo vsum præstant qualitates elementorum in mistis corporibus.

Aeris vires. Habent & ipsa elementa tota suos vsus: nā antea vsum ipsius ignis docuimus. B 1. Aer aūt (quod etiā ante cōmemorauimus) sibi insita humiditate temperat ignis calorē & siccitatem, & ita ad formā confert. 2. Facit etiā ad materiam: nam facit, vt terra & aqua, quæ igni sūt contraria, fiant pabulū ipsius ignis. 3. Tenuitate ēt aeris massa terræ & aquę compacta, fermentatur adeo, vt vis ignis totam queat permeare & concoquere.

Aqua & terra vis & vsus. Aqua vero & terra sunt materia mixtorum omniū perfectorū, nam sine magna terræ copia nullū corpus constans esse potest. At terrę partes sine aqua hærere minimè possunt: nec aer terræ per se potest immisceri, nisi aqua, quasi medio quodam conueniret & cōiungeretur cum terra. Et sicut caliditate aeris tēperatur aquæ & terræ frigiditas, ita C siccitate terræ tēperatur aquæ & aeris humiditas, atq; ita paratur fomentū igni, quo ali possit & sustentari. Nec reiiciēdi quidē sunt particulares vsus elementorū, quos tradit Auicennas. scribit n. ille, terram facere ad retentionē, fixionē, & conseruationem figurarum. impressiones n. primo recipiūtur, secundo imprimūtur, tertio retinētur, quarto figurantur, quinto cōseruantur. Receptio fit ratione humiditatis, alia non fiunt sine crassitie, vnde in aere fit quidem receptio, sed alia minimè. In aqua, quoniā crassa est eius humiditas, suscipiūtur & imprimūtur impressiones, sed nō retinētur. Ad hoc n. necessaria terra. In butyro fit quidē retentio D quia habet aliquid terrenū, sed non fit fixio, quia ad hoc plus terrę requiritur, sicut ēt ad conseruationē impressionū. Nā in plumbo fit quidē retentio imaginū & fixio, sed nō cōseruatio, i. defensio, imaginis fixæ ab iniuriis extrinsecis. In ferro aūt fit retentio, fixio, & cōseruatio, quia prorsus terrena est materia.

Terra quid & cur in medio posita. Terra ergo est tanquā subiectū fixionis, retentionis, & cōseruationis impressionum omnium, & propterea in medio posita est, vt subiectū vndequaq; esse possit harum omniū impressionum. *At aqua*, inquit Auicenna, *cum sit humida humiditate corpulenta, facilè spargitur cum terra, & ad retentionem facit: confert & ad diuisionē, delineationē, figurationem, mistionē, temperiē, & generationem.*

Aqua ad quid conferat. Quę n. optimè misceri debent, necesse est E ad minima diuidi: ad mistionē vero sequitur generatio.

Linea quid. Ad delineationē vero confert, quia per suā fluxionem continuat siccum: linea. n. est *fluxus prouenien: ab vno extremo ad aliud*, ex quo fit continuatio: cuius causa est humidum; siccū enim cū dissoluitur, friabile redditur. Ad figurationem cōfert aqua, quia sine humido nō potest fieri impressio. Ad temperiē vero facit, quoniam *calor aqueo humore temperatur, aereo vero vtitur ad pabulum.*

Ad quid aer conferat. Cæterum aer (vt ait Auicenna) confert in mistione ad leuitatem, raritatem, subtilitatem, & erectionem. Nam etsi ignis eadem præstet per se in mistione, tamen aptius hæc facit aer. Ostendūt autem corpora, in quibus aer præpollet, hos aeris vsus, vt oleum, & alia pinguia, in quibus aerea & aquea substantia præpollet: nec non illa, in quibus aerea & terrea substantia vincit, cuiusmodi est agaricum, pumex & spongia; hæc enim omnia rara, leuia, subtilia, & superminentia sunt: quibus quidem rebus subtiliat, maturat, penetrat, miscet, temperat frigiditatē aqua terræ: hoc enim in fructibus apparet, qui ab initio acerbissimi & crassissimi sunt, postea vero tenuiores & dulciores redduntur permisso humore aereo & aqueo cum terrena materia. Præstant ergo hos vsus elementa in mistione & generatione corporum.

Quantum vero assumatur de vnoquoq; elemēto in ipsa generatione & mistione, nūc docere est operæpretium. Non enim parem esse oportet in singulis mistis omnium elementorum portionē, si temperata inter se ad mistionem veniunt. Nam cum maxima sit ignis vis, nequit esse illius portio æqualis aliis elementis. Quare minimum assumitur ex igne, paulo plus aeris. Nam si aer & ignis, terram & aquam superarēt, aut paria essent in mistione, constare non possent corpora, parum scilicet solida & firma. *Proportio elementorum in compositione mistorum.* Terra autem in omnibus mistis, quæ fluida non sunt, mole sua superat aquam: in his vero, quæ sunt fluida, aquæ plus, quam terrę inesse videtur, vt in lacte, sāguine, fibris destituto. Non est tamen in omnibus mixtis eadē proportio & portio elementorum, sed in singulis corporib. imo in singulis partibus hæc variant. Quo fit, vt formæ elementorum corrumpi possint, nō vno tantum modo alterationis, vt necesse sit, vnum tantum modum mixtorum fieri, sed longè diuersis, vt pro alterationū diuersitate, temperie & nexu elementorum, nec non mole & modo substātiæ, fiant mixtorum diuersa genera.

Porro elementa corpus nostrum constituunt, nō eo modo, (vt diximus) quo mundus ex illis cōstat in suis locis, compositione scilicet: nec quod illa inter se misceantur. Verum quod ex elementis misceatur, & quomodo fiat mixtio, dubiū est. *Quid ex elementis misceatur, & quomodo fiat mistio.* Refert. n. Gal. *in proœmio commentaris de natura humana*, inter philosophos, quosdā fuisse, qui tradiderant, elemēta partes similares efficere quātitate sua; alios qualitate. At 13. *textu eiusdem operis* scribit Empedoclem censuisse, elementa frustulatim cōpacta, & sese attingentia, corpus nostrū componere, perinde ac si ęrugine, chalcitim, lithargyrum & mysi contrita, in puluerem que redacta commisceas, ita vt nullum ex illis nisi vna cum aliis cōtrectare valeas. Item *tertio text. eiusdem libri* scribit, quosdam voluisse, hominem ex quatuor qualitatibus solum inter se per totum confusis constare, alios autem nō solum ex qualitatib. hoc modo mixtis & confusis, sed etiam ex substantiis ipsis mistionem fieri. In *libro autem primo de elementis* Aristotelem huius opinionis authorem facit, quæ ex solis qualitatibus mistis, corpus componi autumat, & clara quidem est Aristotelis authoritas in *lib. secundo, capite primo de part. animalium*, vbi inquit, *Melius est dicere, ex virtutibus elementorū quam ex tota substātia mixtionē fieri.* At *secundo Method. meden.* alterius opinionis Stoicos authores facit: superfluumque illic & primo de e-

lementis Medico esse dicit, id debuare velle: cum satis sit ei intelligere elementa per se tota misceri. Id quod Hippocratem fecisse omnium primum scribit: & non id solum, sed etiam omnium primum rerum naturæ elementum inuenisse & demonstrasse: atque ita nunc in vnam, nunc in aliam opinionem inclinat Galenus. Nam aliquando Stoicos secutus, non solum secundum qualitates, sed etiam secundum substantiam elementa tota per tota misceri scribit. Quam quidem opinionem Alexander *in lib. de mistione* merito refellit: daretur enim sic corporum penetratio, si substantia vnius elementi aliam vndiquaque peruaderet. Aliquando tamen, vt *in libro primo de elementis*, Aristotelis opinionem approbare videtur, & velle, quod substantia ipsa in minimas partes diuidatur: atque hoc modo qualitatum eorum, quæ miscentur, participationem fieri, mutuamque actionem & passionem promptam, & facilem ob tantam substantiæ ex omni parte vicinitatem cōtingere. Ex qua quidem mutua actione, & passione totum quoddam efficitur, quod est sibi vndiquaque consimile. Id quod maxime contingit, quoniam ea, quæ commista sunt, longiore tempore simul commorantur, & efficacissimæ sunt elementorum qualitates ad agendum & patiendum: atque ita necesse est exactam fieri mistionem, quam ars æmulari quidem, sed assequi nequit: in qua tamen non est credendum, qualitates alio modo misceri, quam substantias ipsas, vt aliqui tradunt, scilicet *substantias per minima partes diuisas misceri, qualitates vero totas per totam mistionem facere*: Neque enim qualitates a substantiis separari possunt, etsi mistionis in illis exactior apparet ratio & modus. Et sanè hic modus mistionis & compositionis omnium optimus est & absurda vniuersa euitat, in quæ aliæ opiniones incidunt. Nam si ex elementis se solum tangentibus corpus nostrum constaret, non confusis inter se qualitatibus, nō possent fieri similares partes, temperie, duritie, mollitie, sensu, actionibus, & aliis affectionibus inter se discrepantes. Ex solo enim contactu elementorum, nihil diuersum ab illis effici potest. At si illa diuiduntur in minimas partes sese contingentes, & agentes, inuicemque patientes ob suas qualitates, fugimus incommodum de corporum penetratione: & corpora vario modo affecta gigni possunt: quod Galenus *libro primo de elementis* optimè docet. Superest, vt doceamus id, à quo fit mistio, & à quo forma rebus mistis inditur.

Mistionis causa.

Si in generatione rerum perfectarum omnia non sunt assumenda, sed separanda quæ aliena sunt à natura misti, alia vero in vnum cogēda; constat profecto solum calorem esse causam mistionis: is enim solus vim habet separandi heterogenea, & vniendi, quæ homogenea sunt. *Calor ergo primo & per se mistionis, & generationis est causa, separando aliena & propria*, & idonea ad generationem cuiuscunque rei pro natura ipsius materiæ fundendo, liquefaciendo, concoquendo, & ad soliditatem quandam perducendo: frigus vero ad generationem & mistionem confert, quatenus calorem summum per se ineptum ad corporum nostrorū mistionem & generationem temperat, moderatumque reddit. *Ergo generatio mistorum igni & aeri tanquam efficientibus: terra vero & aqua, vt materia tribuenda est.* Nec solū quidē calor generationis, sed & corruptionis est author, cū scilicet ille resoluit, & separat corpora, quæ ad generationē & compositionē coierant. Id quod facit, cum ipse calor immoderatè augetur, & humorē exugit, aut paulatim depascitur: quo cōsumpto, ipse expirare cogitur suo pabulo destitutus. At *forma ipsa in animalib. quæ ex semine gignuntur, à generante deriuat ipsum semen, quod postea eam in materiam immittit: alia vero mista, à corpore cœlesti formam suam capiunt.* Putatur autem forma primo recipi in calido proprio, ab eo vero, deriuare ad alia elementa. Sed hæc nobis Medicis sufficere possunt de primis elementis mundi. Sequitur vt pauca subiiciamus de elementis, quæ ad sensum simplicissima & minima dicuntur.

Calorem & generationis & corruptionis esse authorem.

Formam vnde animalia & alia mista nanciscantur.

De elementis sensibilibus.

Sunt autem (vt inquit Galenus) hæc, quatuor humores in his, quæ quatuor humorib. constant, sanguine inquam, bile flaua, atra, & pituita: in his vero, quæ sanguine non sunt prædita, ponuntur esse elementa, quæ quatuor humoribus proportione respondent. Ponuntur etiam à Galeno partes similares inter elementa: quoniam nequit sensus in vnoquoque humore, aut in partibus similaribus agnoscere compositionem aliquam. Porro Galenus in propriis elementis hominis assignandis sæpè discrepat. Nam *in libro primo de elementis* docet, illa esse quatuor humores: *in libro secundo eiusdem operis*, propria hominis elementa & proxima esse dicit similares partes; & *eodem loco*, non solum propria hominibus, sed & quibusdam etiam animalibus sanguine præditis communia, vt Equo, Boui, Cani, & similibus esse scribit. Hæc enim, inquit, arterias, venas, neruos, membranas habent. Sunt ergo hæc communia homini & aliis elementa. Ita nunc humores propria hominis elementa esse dicit, nunc communia animantibus omnibus, sanguine præditis, nunc partes similares propria homini, nunc communia etiam quibusdam aliis: tam varius & sui immemor fuit author, vt raro idem de eadem re omnino pronunciauerit, præsertim in his locis, in quibus exactam explicationem de aliqua re nequaquam instituit. Quare consulendi sunt illi loci, in quibus diligentius rem tractat. Id quod facit *in secundo libro de elementis*, vbi scribit, *omnium rerum communia elementa esse quatuor elementa mundi: elementa autem communia animalibus sanguine præditis esse quatuor humores: elementa vero communia animalibus sanguine non præditis, sunt*, inquit, *ea, quæ quatuor humoribus proportione respondent: propria autem singulis animantibus elementa, sunt propria cuiuscunque partes similares: etsi quædam sunt, quæ in multis communicant, vt equus, bos, capra, leo: omnia enim hæc neruos habent, membranas, ossa, cartilagines, ligamenta, quæ partes etiam communia illis elementa statui possunt.* Quod si aliquando Galenus similares partes dicit esse proxima hominis elementa, id, meo iudicio, facit, *quod inter omnia animalia homo partes similares maximè vniformes & simplices obtineat.* De quatuor humoribus alio loco plenius agemus, nunc vero de illis solum tractabimus, quatenus fiunt ex aliis elementis, & nostra corpora ex illis tanquam ex elementis constant.

De elementis propriis hominis.

Similares partes cur dicantur elementa hominis.

Quatuor humores quomodo elementa.

Pituita

Pituita frigida est & humida, humore aqueo; bilis calida & sicca, calido & sicco igneo: humor melancholicus frigidus & siccus siccitate terrena, de aereo autem humore & elemento ita scribit Galenus *in octauo de placitis: Solum aereum elementum in corporibus animalium iuxta naturam suam in respirationibus, pulsibus, palpitationibus, inflationibus, ædematis, & flatibus apparet*: quo loco post aliorum humorum enarrationem sanguinis non meminit. Constat autem eum esse aereum, id est, calidum & humidum: quod si aliquando eum temperatum esse scribit Galenus, non de quarto humore, sed de tota massa, quæ etiam nomine sanguinis vocatur, eo, quod sanguis in eo abundet, intelligendum. Tradit idem author *in octauo de placitis* elementa esse in nobis non actu, sed potentia, quod de veris & primis elementis intelligendum videtur. Nam statim postea subiungit, ex ipsis procreata alimentorum interuentu elementa, actu esse, nempe sanguinem, pituitam, bilem vtramque. Nos autem ostendimus, prima elementa *non esse potentia in corpore, sed actu inesse refracta*.

Sanguis quomodo sit calidus & humidus, & quomodo temperatus.

Elementa quomodo in nobis sunt.

Auerrhoes autem negat, bilem, & pituitam esse elementa, & actu esse, sed solum sanguinem, reliquos autem tres humores potentia in sanguine contineri. non enim, inquit, dicitur corpus ex pluribus generari, nisi illa, antequam generatio fieret, per se actu essent. At in vtero quando generatio fit, non est bilis, & melancholia actu, sed mixta cum sanguine: pituita vero remota est materia, cum ex ea nihil gigni possit, nisi prius in sanguinem mutetur: vtramque vero bilem, nec propinquam, nec remotam esse generationis materiam, cum neutra possit in sanguinem verti, sed in eo potentia sit: quoniam cum sanguis corrumpitur, sæpè in eas conuertitur. Quod si, inquit, elementum non nisi potentia est in composito, non contra fit, vt res, quæ in alia est potentia, sit eius elementum. Quemadmodum enim fæx, & spuma, non sunt elementa vini, sed eius excrementa, quæ ab eo, dum concoquitur, separantur: vtraque bilis excrementum est sanguinis. Quibus quidē efficere vult Auerrhoes *primo capite secundi colliget*, corpus ex solo sanguine constare. Porro antiqua videtur hæc fuisse quæstio, non ab ipso Auerroe orta, vt videre est apud Galenum *in libro secundo de elementis*, vbi scribit, quosdam voluisse, hominem constare ex solo sanguine: melius tamen eos sentire, qui ex quatuor humoribus eum componi asserunt: nec alia quidem vtitur ratione, quàm quòd sanguis in se reliquos potentia contineat. Id quod ostendunt diuersarum partium generatio, & purgatio corporis, quæ eos humores à sanguine separat. Nec dubitat quidem dicere, corpus ex illis constare, etsi potentia in eo contineantur. Verum nos id antea refellimus. In mixto enim elementa sunt actu: verum non est par ratio de ipsa humorum massa, quæ est de ipsis primis elementis. Nam in generatione corporum manent, vt ostendimus, materia & forma elementorum: humorum vero forma corrumpitur, cum partes ex illis generantur. Præterea, non vt elementa

An ex solo sanguine, vel etiam ex aliis humoribus corpora fieri dicatur.

sed nostrum corpus efficiunt, vt principium materiale. Proxima enim materia nostræ generationis (vt postea docebimus) sunt quatuor humores: qui suis qualitatibus & forma corruptis, ex eo, quod ipsis subiicitur, fiunt partes nostri corporis: *quapropter illi nō sunt elementa: quandoquidem non per mistionem, sed per corruptionem, & nouam generationem, compositionem nostram faciunt.* Appellantur autem hac solum ratione elementa, *quia simplicia sunt ad sensum*, vt vera elemẽta sua natura, & absolutè sint simplicia. Nec agnoscit quidem Auerrhoes, eandem esse rationem de sanguine, quæ est de aliis tribus humoribus. Nam sanguis eodem modo, quo alii humores, in tota massa continetur. Non enim id, quod in vtero Auerrhoes contineri dicit, ex quo partes formantur, sanguis solus est, sed ex eo, & reliquis tribus humoribus commixtum, aliquid est: sanguis tamen appellatur eò, quod plus sanguinis, quàm reliquorum in eo sit. Nec par quidem est ratio de vino & sanguine. Fęx enim & flos vini ab eo omnino secernuntur, vt id postea, quod verè vinum est, post separationem illorum, vinum & similare sit: in sanguine autem, id est, in massa illa, quæ in venis reperitur, etiam quantum fieri potest depuratissima, aliquid tamen semper omnium aliorum humorum est. Præterea quod dicit ex pituita non posse aliquid gigni, aut nutriri, antequam in sanguinem mutetur, expendendum est. Non enim pituita, qui quantus est humor, nunquam in sanguinem mutari (vt alibi docuimus) potest: quandoquidem in generatione sanguinis simul necesse est vtramque bilem gigni, imò & ipsam pituitam: ex hac autem frigidissima & humidissima nequit per aliquam concoctionem procreari multiplex ea substantia contrariis qualitatibus prædita. Sed quid obstat, quo minus dicamus, hominem constare ex quatuor humoribus, sicut diximus constare ex quatuor elementis? Illa enim etsi sola per se subsistunt, tamen cum ad mistionem incipiunt venire, & imperfectiora corpora ex illis gignuntur, ex quibus postea alia fiunt, non alio modo in mixtis continentur; quam quatuor humores in tota massa. Nam in herbis, ex quibus gignuntur quatuor humores, & in ipsis humoribus elementa, non alio modo sunt, quàm sint humores in tota ipsa massa. Quare si ex quatuor elementis fatemur corpora constare, concedemus pariter non ex vno, sed ex quatuor humoribus idem fieri. Nunc illud sequitur docendum, quid ex elementis his fiat in corpore nostro, & cuius principii ea rationem obtineant.

Humores non esse elementa & cur. Cur appellentur elementa.

Pituitam nunquam in sanguinem mutari.

Quatuor humores cuius principii rationem habeant in generatione nostra.

At ipse, fieri ex calido, frigido, humido, & sicco consimiles partes, non quomodocunque inter se mixtis qualitatibus, sed redactis ad certam temperiem, & hanc esse essentiam earum partium. Ex quibus quidem patet, cum authorem velle elementa formæ rationem in iis habere. Est enim forma essentia, & id, per quod res quælibet est, quod est: fortè prima elementa possunt materiam & formam præbere rebus, cum materiam habeant, ex qua partes nostræ fieri possunt, & qualitates, quæ formam certam rebus indere sunt aptæ. Sed

vt de materia illa non est dubium, ita de forma postea disputabimus. Et quemadmodum certa est materia, quæ ex primis elementis sumitur, ita controuersum semper fuit inter Philosophos & Medicos, ex qua propinqua materia similares partes gignantur.

An omnes partes fiant ex sanguine, vel quædam ex semine.

Nam Aristoteles putat, omnes corporis partes animalium sanguine præditorum ex vna, & eadem materia fieri, nempe ex sanguine: semen vero non materiam, sed solum formam exhibere: contra quem Galenus *in libro de semine* insurgit, nititurque probare semen & sanguinem menstruum præbere vim vtriusque principii, sed in semine effectiuum principium validissimum esse, materiale paucissimum: in sanguine vero materiale plurimum, efficiens vero imbecillum.

Rationes Galeni quod quædam ex semine.

Ac quod ex semine fiant aliquæ partes, ita Galenus probare nititur.
1 *Semen maris vel in vtero manet, aut exit; at non exit, vt testantur mulieres, quæ aiunt semen maris non exire, quando concipiunt, & quod Hippocrates in libro de natura fœtus idem dicat: nullam præterea inueniri causam, quæ illud expellat: non quidem vterum, qui ad se semen allicit: non sanguinem menstruum in cauitate vteri contentum; neque enim eum illic contineri posse, quia fieret grumus. Manet ergo intus: & ex eo vel flatus gignitur, aut partes corporis. Atqui non potest semen dissolui in vaporem, quoniam in prima conceptione vterus non esset minor, sed tumidus ex copia flatus: atque ita etiam doleret ex distensione, propterea quod in eodem tempore ex dissectione appareat vterus circumiectus fœtui, nullo existente spacio intermedio pleno flatu.* Addit, *non apparere, quod flatus exeat per pudendum mulieris, quemadmodum inflatus venter ructu & crepitu sese a flatu tumoreque liberat. Fiunt ergo ex semine partes aliquæ.*
2 Quod etiam aliis rationibus probat; *non enim posse venas, arterias, neruos, ossa, cerebrum, & alias partes albas fieri ex alia materia, quam ex semine*: quippe cum illæ sint exangues, & in longitudinem ductæ, ita vt lentam materiam exigant, quæ
3 distendi & perforari potest. Præterea *naturam temere agere, si materiam albam, crassam, & lentam euertat, propriam ad generationem illarum partium, vt sanguinem postea mutet in eandem substantiam, in quam necessario sanguinem mutari oportet, si ad illarum partium generationem futurus est aptus.*
4 Addit, *naturam ex eadem re duo potius, quam vnum si potest, assumere. Igitur conuenientius naturæ prouidentia esse, si dicamus, ex semine illam & materiam & vim sumere, quam vim solam.*
5 Ait quoque, *seminis partem, quantacunque ea sit, quæ vuluam attingit, membranam fieri: reliquum vero seminis, ex vi sibi insita trahere, & immutare materiam, & ex ea cibum sibi præparare, altera vero vi expellere noxia.*
6 Scribit pariter, *mulierem per cornua vteri in medium vuluæ semen eiaculari, & illud humectare vias, peruenireque ad semen viri, & cum eo misceri, copularique membranis, quas fœmineum semen propria sua progressione efficit, & illud simul alere virile: esse enim fœmineum semen, eo quod frigidius & tenuius sit, accommodatum alimentum masculino.*
7 Subiungit, *semen in plantis dare materiam & formam, & propterea reprehendendam esse Aristotelem, qui oblitus suorum principiorum, in plantis & animalibus naturæ opera diuerso modo explicet.*
8 Idem probat ex regeneratione partium. *Nam quod carnosæ partes regigni possint, membranosæ vero & neruosæ nequaquam, non aliam putat esse rationem, nisi quod illis suppetit materia ex sanguine ad regenerationem, his vero amplius non adsit ex semine: quod nunquam, vel raro regigni solet: quanquam efficiens seminis ipsius causa perfectis animalibus insit, vt quæ nunquam animal deserat.* Postremo ex nutritione idem probari: *oportere enim solidas partes ex semine fieri & nutriri, sicut carnosæ ex sanguine fiunt & nutriuntur: nimirum cum iisdem nutriamur, quibus constamus.*

Gal. opinio negatur & Arist. probatur.

Hæc & similia affert Galenus, vt probet, ex semine quasdam partes in corpore nostro fieri. Quæ etsi ab omnibus Medicis tanquam verissima sunt recepta, tamen arbitror, ea nihil concludere, & Aristotelis opinionem longe probabiliorem esse.

Refutatio rationis primæ.

Nam Aristoteles non vult, dissolui semen in vaporem, qui in vtero maneat, aut ab eo exeat, sed ait illud in minimas partes diuidi, & vna cum sanguine misceri, & ab eo animalis partes procreari. Quod si quis concedat, semen in spiritum dissolui, non tamen propterea sequitur, quod scribit Galenus, oportere vterum distendi, ex distensione que dolere. Nam ex tam exigua substantia, quale est semen maris, nequit tantus flatus procreari, qui vteri magnam cauitatem ita distendere possit, vt dolorem quoque pariat. Nec illud quoque sequitur, vt flatus sentiantur exire ab vtero eo modo, quo inflato ventre ructus & crepitus emittuntur. Concedimus, si velit ex semine flatum excitari, & eum per mulieris pudendum exire, non tamen propterea sequetur, quod ille vult. Nam gulæ & intestinorum angusta est concauitas, per quam insensibiliter nequit exire flatus à ventre: vteri vero ceruix, & ipsius mulieris pudendum, facile admittere possunt exiguum vaporem absque sensu. At vero illud mirum est, quod scribit, in primo conceptionis tempore, ex dissectione inueniri vterum circumiectum & astrictum fœtui. Nam quo pacto fœmina mortua, & extincta proinde retentrice vi, & omni alia facultate, potest vterus tantopere constringi, & circa fœtum contrahi? Illud vero, quod scribit, semen non posse expelli à sanguine menstruo in cauitate vteri contento, quia illic contineri non potest, quin fiat grumus, non recipio: quia sanguis menstruus per vteri cauitatem decurrit, & trumbus non fit: & quid obstat, quo minus hic vterum abluat, & illic inuentum semen secum rapiat fluentis aquæ modo, quæ terram, lapides, & quicquid inuenit in illis locis, per quæ defluit, vna secum trahit. Vnde ille quoque testatur, optimum ad conceptionem esse tempus, quando menses fluere incipiunt, aut sistuntur: non autem quando abundantius profluunt, tunc enim semen extrudi & exolui: alio vero tempore sufficientem materiam ei suppeditari. Sed quid opus est, vt laboraret in eo refellendo, quod sponte Aristoteles fatetur, semen, inquam, non in flatum mutari, nec exire, intus manere, sed tamen ex illo nihil fieri? Nam Galeni opinionem id maxime arguit, quod non solum in semine, sed etiam in sanguine, materiale & efficiens principium esse velit.

In sanguine nullam esse vim efficiendi.

Nam vt hoc forte verum esse posset in semine, ita *in sanguine absurdum est, vim aliquam efficiendi ponere*: tam enim

non solum in generatione, sed etiam in nutritione, actione, & aliis actionibus corporis aliquando ostenderet, quod non facit, sed ille solum, vt materia, attrahitur, retinetur, concoquitur, & expellitur, easque impressiones recipit, quas partes corporis præbere sunt aptæ.

7 Nec valet quidem Galeni ratio de plantis, quod scilicet illarum semen materiam & formam præbeat, quia alia est natura animalis & generandi ratio, quàm sit in plantis. Nam *multæ plantæ sine semine sponte ex terra nascuntur.* Nec in ipsis quidem animalibus eadem est generandi ratio: fiunt enim quædam sine semine, & illud ostendit, idem non præbere efficientis & materiæ vim, si quædam animalia mascula sine semine solam vim in fœminas immittant. Addo quod ex eodem semine diuersæ partes in plantis, vt vena, arteria, neruus, radix, caulis, ramus, folia, & fructus fiant: adeo vt ex generatione plantarum conuincatur ipse vnicam materiam ponere etiam in animalibus, ex qua omnes partes fiant. At & illud negandum est, semen in plantis materiæ & efficientis vim præbere: nam materiam illæ ex terra sumunt, semen autem posteaquam vim & formam præbuit, contabescit, vt in tritico, & fabis nascentibus conspicitur.

Plantæ multæ & absque semine nascuntur.

Animalia aliqua etiam absque semine fiunt.

8 Cæterum in regeneratione partium à seipso discrepat Galenus, cum dicit, seminales partes regigni non posse, & postea fatetur, venas & arterias paruas regigni posse, maiorem vero arteriam non posse. *Est enim eadem ratio de parua arteria, quæ est de maiuscula vena*, quam dicit posse regigni. Erat præterea reddenda ratio de dentibus, quare illi soli inter ossa regignantur, etiam post vigesimum annum. Quod si non regignuntur albæ partes, tamen ratio non est ex defectu materiæ seminalis: quippe cum ea (vt ille non rectè dicit) gignatur in venis & arteriis, & non magis debeat suppetere dentibus, quàm ad generationem arteriæ. Sed cum antea dixisset non regigni defectu materiæ, postea dicit id fieri defectu efficientis. Mirum certè est, si in maxillis viginti annos portio seminis inditi à parentibus seruatur ad dentium regenerationem: putrescat enim, aut concoquatur, aut assimiletur, vel digeratur & absumatur breui temporis spatio necesse est humor, qui in cauitate aliqua corporis continetur: ex semine vero quod gignitur in nobis, non dicit (credo) dentes & venas regigni. Quod vero amissæ partes nõnullæ regignantur, aliæ vero minimè, *non ratione materiæ spermaticæ deficientis fit, sed alia ratione.* Nam si semen fit in arteriis & venis, vt ille vult *in libro de semine*, & in hoc sibi repugnat, quippe cum alibi solis testibus & vasis spermaticis hanc vim tribuat, cur non poterunt illæ ex sanguine tantum semen conficere, quantum requiritur ad dentis & vasorum regenerationem? Vt enim semen viri & mulieris dicit non sufficere, nisi augeatur, cur semen, quod fatetur esse in illis partibus, ex sanguine non ita augebitur, vt satis sit ad regenerationem? præsertim quod maior sit quantitas illius ad proportionem partis regignendæ, quam esset illud in prima conformatione, quando tot partium materia erat. Addo, si sufficit ad augmentum, cur non sufficiet ad regenerationem? Videmus enim augeri partes spermaticas, & caua vulnera etiam in decrepitis repleri: cum tamen partium incrementum iam dudum cessauerit: tantum A quidem de regeneratione natura est sollicita. Quod si dentibus regignẽdis materia suppetit, cur etiam pro ossibus aliis, venis, & arteriis non suppetet? Non ergo nequeunt regigni hæ partes, quod desit illis materia ex semine. Nec hoc quidem fit, ob natam debilitatem, ob partis mutilationem, cum videmus, callum gigni in ossibus, partibus frigidissimis. *Petitur autem* (meo quidem indicio) *ratio partim ex efficiente, partim ex impedimento, quod vicinæ partes præbent, aliquando vero ex materiæ defectu. Nam arteriæ, nerui, & venæ postulant certam figuram & formam, quam solum semen inditum à parentibus in prima conformatione, vt opifex, præbere potest. Non mirum ergo, si illæ non regignuntur, cum desit, à quo formari &* B *figurari possint. Nec valet hoc argumentum in generatione carnis, quia illa cauitatem, & certam figuram non postulat, sed simplicem generationem, quam carnosæ partes circumstantes sua vi, qua natæ sunt sibi simile reddere, quod mutant, alterantque, præbere possunt. Impediunt præterea partes carnosæ circumuicinæ, & ambientes venas, arterias, & ossa, ne vena, arteria, & os regignantur. Nam caro, vt quæ calida humidaque sit, concoctrice facultate præualet: quo fit, vt spatium vacuum carne prius repleatur, quam possint exangues illæ partes frigidæ & siccæ ex sanguine eam portionem, quæ sibi deest, regignere.* Vnde videmus dentibus regenerationem fieri, *quia non sunt vicinæ partes carnosæ, quæ anticipent carnis generationem*: conceditur ergo C tempus in eo loco ad dentis regenerationem, à quo alius decidit. Sic etiam cuticula regignitur, cutis autem non: *quoniam illa sæpe aufertur non læsis partibus carnosis subiectis, cutis vero non.* Quod si contingat solam cutem auferri, & ea quoque regignetur. Desinunt quoque regigni partes *deficiente materia*, vt tandem dentes non regignuntur: *quia ad ea loca ætatis cursu desinit ferri sanguis, qui sufficiat ad regenerationem & simul nutritionem: accedente etiam frigiditate & imbecillitate partis, quæ nequit alterare & indurare materiam ad ossis duritiem.* Ita arbitror sentiendum esse de partium regeneratione.

Cur partes amissæ quædam regignantur, quædam vero non.

Cur amissi dentes regenerentur.

Cur cuticula regignatur, cutis autem non.

Dentes & partes aliæ cur aliquando non regignantur.

9 Atque hoc auulso Galeni fundamento, quod præcipuum putatur in hac re, facile erit alia refellere. Nam D quod dicit spermaticas (vt vocat) partes ex semine nutriri, quia ex semine constant, falsum est. Non enim fit nutritio ex eadem materia actu, sed potentia, qualis est sanguis ad semen. alioqui concedendũ quoq; esset ventriculum, & alias partes spermaticas ex semine nutriri. Quod quam absurdum sit, non solum Aristoteles, sed ipse etiam passim fatetur. *Sunt*, vt inquit Aristoteles, *mulieres, quæ aiunt se non emisso semine concipere.* Quod si non concipit absque emissione proprii seminis, vt ego arbitror, & filiorum similitudo ad matres ostendit, tamen semen illius non requiritur ad generationem, quod materi- E am aliquam præbeat. Nam quæ tradit de vsu huius seminis Galenus, mente concipi non possunt. Ait enim mulierem per cornua vteri in medium vuluæ semen eiaculari, & illud humectare vias, & vsque ad semen viri peruenire, ac cum eo misceri, & membranis copulari, quas fœmineum semen propria sua progressione facit, & simul alere semen virile. Primum enim docet anatome, non esse communem hanc seminis emissionem omnibus fœminis: quoniam mu-

Nutritio non fit ex eadem materia actu ex qua constamus, sed potentia.

Semen muliebre ad generationem non requiri.

Vterum muliebrem non habere cornua, qualia Galenus fingit.

liebris vterus nulla eiusmodi habet cornua, quæ in vtero vaccino sunt conspicua. Quod fœmineum semen humectet vias, hoc est rationi consonum, sed non ea ratione arbitror ad generationem esse necessarium: nimirum cum vterus mulieris, ex suo semine non requirat humectationem, qua vel superflue etiam abundat: vnde steriles mulieres potissimum exsiccatione sanantur. Quid vero est, quod muliebre semen ducat vsque ad semen viri & cum eo misceat: locus enim vteri adeo amplus est, vt difficile sit, vtrumque semen in vno & eodem exiguo spacio conuenire: & si hoc fit, alia ratione accidit, quod scilicet vterus viri semen ad se alliciat, & cum alio misceat. Mirum quoque est vtrumque statim membranis copulari, & eas fieri à progressione 9 seminis fœminini. Mirum enim est, si semen, quod confertim mouetur, membranam aliquam efficiat: aut si aliquando id facit, cur semper idem non facit? nam idem semper est progressus, idem impetus, eadem via & materia. Nutriri semen maris à semine fœminino, non concedit nutritionis ratio: *nihil enim quod non viuit* (eo etiam authore) *nutritur*. Quod si hoc semen alterius sit alimentum, male statim ille ex vtroque semine superari materiam & formam. Quod enim in nutrimentum iam cessit, nequit aliquod alterum præstare.

Semen virile à muliebri non nutriri. Nihil quod nõ viuit, nutriri.

Si vero semen mulieris ad generationẽ est necessarium, non illis rationibus, quas tradit Galenus, hoc fit, sed *quod vterum ad [illegible] masculinum attrahendum & [illegible] aptum reddat. Nam [illegible] turget, grauata quodammodo [illegible] expetit, in occulto [illegible] quo vero semine exclu[illegible] vacuum, iam habet, [illegible] expetat & illud recipiat, & admittat, con[illegible]*. Quo pacto videmus masculos post coitum, seipsis leniores fieri, & cibi appetentiores: fœminas vero, & alia officia auersari, cum suo semine turgent, grauanturq;. Quod quidem in ipsis mulieribus quæ non coeunt, euidentius adhuc apparet. Nam illæ tormina in vẽtre, stomachi dolorem, cibi & potionis inappetẽtiam, vertiginẽ, animi defectum, cõpulsiones, & propemodum alia infinita & horrẽda mala experiũtur, vt Galenus *lib. 6. de locis affectis* testatur, nẽpe ex semine retento accidentia similia his, quæ venena parere solent, gigni. Nõ mirũ ergo, si ad conceptũ, *naturæ tamẽ [illegible] opus*, sit necessariũ semen excerni, ex quo vterus & vniuersum fœminæ corpus habilius redditur ad omnia munia obeunda. Huic ergo præstat vsum fœminæ semen: aut si rationi consonũ est illud, cum virili misceri: & principii rationẽ habere (quando alioqui, vt diximus, similitudo filiorum ad matres defendi nõ potest) certè efficienti, non autẽ materiæ rationem subiicit.

Semen muliebre quid ad generationem præstet.

Symptomata mulierũ, quæ non coeunt.

Conceptus quid.

Hoc etiam docet, ex semine maris & fœminæ partes, quas ille spermaticas vocat, gigni nõ posse. 2 Nam quo pacto ex tam pauca materia, ventriculus, intestina, vesica, vterus, ossa omnia, cartilagines, ligamenta, tunicæ, membranæ, cerebrũ, cutis, spinalis medulla, venæ, nerui, arteriæ, tot tantæq; partes fieri possint. Ac si cum sanguine misceatur semen, ad seminis nutritionem, actionem, & partium ipsarum generationem (vt ille vult) minus probabilis redditur illius opinio. Nam si semen est, quod in sanguinem agere, & ex eo commoda capere debet, necessarium est, vt cum eo vn-

A diquaque misceatur: nimirum quod actio nõ nisi per contactum fiat. Ergo nõ poterunt discretæ hæ substantiæ manere, vt ex vna certæ partes, ex aliæ vero aliæ fiant. Addo quod cõmunis generationis ratio in aliis animalibus Gal. opinione refellat: nã docet experientia euidẽtissime, pullos gallinaceos, & cætera omnia animalia, quæ ex ouis nascuntur, ex vna & eadẽ materia, nẽpè ex solo albumine procreari: nutriri autem ex vitello ita: vt ex eadẽ materia *diuerso modo ab agente alterata*, possint omnes partes generari. Id quidem illud refellit, quod scribit ille venas, arterias, neruos, & alias partes albas non ex alia materia fieri posse, quam ex semine, cũ sint exangues & continuitatem postulant, & propterea lentam materiam: nam natura hæc omnia incõmoda facile curat: & quæ nos putamus fieri non posse, nullo illa negocio perficit. Si enim ex sanguine partes exangues, continuæ, viscidæ, duræ, molles, raræ, densæ, aptè nutriuntur, cur ex eadem materia, quã natura ex quatuor diuersis humoribus confecit, vt ad omnia sua opera esset apta, non poterunt fieri partes illæ? Non ergo semen eiicit natura, vt sanguinem postea mutet in ipsum semen, ex quo postea partes albæ fiant, (ita enim, vt inquit ipse, temere faceret) sed natura ex eo, quod melius est, sua absoluit munera: nec tentat quod fieri nequit. igitur *semine vtitur ad solam formam, quia ad materiam non poterat sufficere*, & ea abunde ex sanguine menstruo suppeditatur, in eoq; prouidentia vtitur, cum non tentat ex vna re duo, quæ fieri non possunt. Sed quid opus est quæso vt Galenus tantopere *in libro de semine* laboret in Arist. hac opinione refellenda, cum *in cap. 3. secundi de natu. facultatibus* scribat, os, cartilagineũ, arteriam, venam, neruum, & cæteras exangues partes ex sanguine fieri, semẽ autẽ formam illis dare: & merito quidem. *Est enim ea ratio seminis in generatione, quæ est coaguli in confectione casei.* Vt ergo ex coagulo non materiam, quæ capitur ex lacte, sed vim solam suppeditari dicimus: *sic ex semine nullam partem gigni, manere tamen illud in vtero vt sanguinem mutet, & formam det, credere debemus.* Id enim fieri nihil prohibet: & quæ prædicta sunt, conuincunt quantum assequi possumus in re tantopere incerta & in naturæ penetralibus arcanisque recondita. Sufficiant ergo hæc de materia partium similariũ.

Pulli gallinacei & aliarum auium ex qua parte oui procreentur, & ex qua nutriantur.

3

Naturã semine tantũ vti ad formã & cur.

Semẽ esse vt coagulum.

Ex semine nullam partem fieri.

Cæterum cum res quælibet ex sua materia & propria forma constet, posteaquã de materia partis similaris egimus, sequitur, vt inuestigemus, quænam sit illius forma. Est autem forma (vt omnes philosophi definiunt) *quæ dat esse rei*. Scribit autem Galenus *in hoc alio loco*, essentiam similarium esse commensurationem calidi, frigidi, humidi & sicci, quod *alio loco* bonam temperiem esse diceret. Nam vt corpus vtcumque constitutum, similares partes habet ex temperie quacumque constantes: ita quod est optimè constitutum (de quo hic agitur) easdem habeat oportet optime temperatas. *Est ergo*, vt tradit Galenus, *temperamentũ essentia similarium*. Quod quidem an verum sit, an non, tunc demum intelligemus, cum nouerimus, quid temperamentum sit. Est autem illud, si verbi Etymologiam spectemus, *mixtio*: nam κρᾶσις, quod nostri temperamentum vertunt, proprie mixtionem significat. Verum in hoc significatu temperamentum capere non possumus: cum dicimus illud esse essentiam

De forma similarium partium.

Forma quid.

De temperamento.

essentiam & formã partium similarium: possunt enim elementa aliquid facere, quod forma illarũ sit: verum mixtio illorum hoc esse nõ potest: quoniam mixtio formam præcedit & parit, ipsa autem mistio, quo pacto forma esse potest? Præterea, tẽperamentum dicitur esse calidum, frigidum, humidum, siccum, quæ de mixtione dici nõ possunt: nec signa quidem, quæ temperamẽtum ostendũt, mixtionem ostendunt. Quare Fernelius temperamentum definit esse non ipsam mistionem, sed *mixtionis rationem, vel primarum qualitatum harmoniam & concentum.* Sed ille in eundem errorem incidit: Nam vt mixtio, sic proportio eorum, quæ miscentur, ad temperamentum requiritur, non tamen hæc temperamentum fuerit. Addo q̃ videtur etiam in mixtione contineri proportio. Nam vt Arist. tradit, nisi seruetur proportio eorũ quæ ad mixtionem veniunt, mixtio non fiet: non enim dicitur misceri guttula aquæ cum vase vini. Addit Fernelius, *mixtionem & proportionem subiecto idem esse: ratione autem differre.* Sed nescio, quo pacto mixtionem & proportionem velit esse in subiectis, quæ miscentur. Mens enim est, quæ proportionem in rebus notat & agnoscit, & natura ipsa, quæ seruata proportione eorum, quæ ad mistionem veniunt, mistionem & tempertẽ facit. Sed in eo error grauior est, quod temperamẽtum velit esse proportionem & harmoniam. Si enim est essentia similarium partium, & forma, quomodo erit harmonia? Perinde enim est, ac si diceret, animam (quam Galenus temperamentum aliquando esse statuit) harmoniam esse. Quod ab Arist. *libro primo de anima* est confutatum. Dicimus, temperamentum esse calidum, frigidum, humidum, siccum, proportionem vero & harmoniã nequaquam tales esse dicimus. Præterea temperamentum parere secundas qualitates, & causam esse actionis & diuersorum operum: q̃ quidẽ harmoniæ & proportioni conuenire non possunt. *Oportet enim* (vt el... tius dicam) aliquid *esse reale, quod rem aliam: pariat:* quod si illud non potest hoc facere absque certa ratione & proportione, tamen ratio & proportio non est id, quod agit. Et hæc ita clara sunt, vt superfluum ducam diutius in illis immorari velle. Definit Auicenna recte temperamẽtum, etsi Fernelius subabsurdam asperius vocat esse illius definitionem. Ait enim Auicenna, *temperamentum esse qualitatem, quæ ex mutua actione & passione primarum qualitatum prouenit.* Docet autem, quomodo fiat actio & passio in elementorũ mixtione: quod scil. elementa in minimas partes diuidãtur, ita, vt vndiquaq; se contingant. Eam definitionem, nescio, quo pacto, Fernelius refellere nititur. Ait enim Auicennam velle eam qualitatẽ, quæ ex mutua actione & passione elementorum in mixtione fit, esse simplicem, & eam superesse reliquis pereuntibus, à quibus est facta: quod nec somniauit quidem Auicenna. Tradit quidem ille ex quatuor qualitatibus elementorum aliã resultare: sed illam esse simplicẽ, & perire in ea elemẽtorum qualitates, & ipsa elementa, non docet. *Esse vero qualitatem ipsum temperamentum, cum ex qualitatibus fiat, & sequentes pariat qualitates, & actu dignoscatur, calidumque, frigidum, humidum, & siccum dicatur, plus quam rationi est consonum.* Quare non melior definitio inueniri potest, quam quæ est ab Auicẽna tradita. An vero temperamentum sit forma partiũ similarium, nũc tempestiuum est, vt examinemus. Scribit de hac re *Gal. multis in locis, nam in li. 1. de vsu partiũ ca. 9.* ait, per tẽperamẽtum carnẽ esse carnẽ, neruũ esse neruum, & denique singulas partes id esse quod sunt per temperamentum. Itẽ *primo Methodi* idẽ hoc modo scribit: *Ostensum est vnãquamque rem talem esse, qualis est, propter calidi, frigidi, humidi, & sicci temperamentum.* Præterea *in libro de Constitutione artis, & septimo Methodi, & tertio capite primi de naturalibus facultatibus,* habetur: *siue corpus similare, quod pro temperatura qualitate, aut sensu pollet, aut vacat, aut neruus est, aut os, & actionem edat rationem diuersam ab aliarum actionibus, quam item ipsa particula ab aliis, quæ illius edunt, est diuersa: differt autem vna ab alia temperamento. Quare qui vult actionem illarum seruare, temperamentum,* inquit, *seruet.* Quinetiam *in cap. nono primi de elementis* dicit, *ex calido, frigido, humido, & sicco, non hominis solum, sed aliorum omnium naturam constare.* Est & alius locus *in textu primo secundi de natura humana,* vbi ita legitur: *Formas voco corporis naturas, quarum essentiam demonstrauimus in quatuor elementorum temperatione consistere.* Montanus *in primam primi Auicennæ* alias addit rationes, quas Hipp. & Galeno adscribit. Et hæc prima est, *quicquid introducitur in materia ab agente, tanquam finis & perfectio mixti, in quo etiam quiescit agens, illud est forma substantialis: At hoc est temperatura:* nam in quacunque re, quæ generatur, semper suus motus est in qualitatibus primis: qui tamdiu durat, quamdiu illa est adepta temperaturam. Secundo inquit, *omnis forma substantialis, est actus primus, & illius perfectio, cuius est,* vt tradit Aristot. *in lib. de anima: temperamentum vero esse talem actum ostendit Galen. cum dicit omnes actiones lædi & perfici a temperamento.* Atque ita ex his & aliis nonnullis parum validis rationibus cõcludit temperamentum esse formam substantialem. Sed facile illius opinio refelli potest. Nam quod dicit, *motum eius, quod gignitur, tamdiu durare, donec acquisita sit temperies, & nihil præter illam sensus iudicio acquiri,* concedi quidem potest, sensum non aliud agnoscere, quam temperamentum. Sed ratio iudicat in quibus aliud requiritur ad rerum essentiam, illud esse addendum: est autem id ipsum *anima,* quæ *viuentium est forma & omnium actionum, quæ viuentibus sunt propriæ, autor: tanto quidem à temperamento differens, quantum viuentia corpora a vita priuatis discrepant.* Temperamentum vero esse formam omnium rerum, eo quod ad illius mutationem lædantur, aut perficiantur actiones, absurdum est credere. Nam ad actiones multa requiruntur, ex quibus vno læso, illas lædi necesse est. An dicemus calidum influens à corde, aut partes instrumentarias, corporis esse formam, eo quod illis labefactatis, corporis actiones vitientur?

Qui vero temperaturam negant esse formam, habent suas rationes. Primum enim dicunt, ex quatuor qualitatibus fieri solum posse qualitatẽ: quæ cum accidens sit, non potest esse forma substantiæ perfectorum corporum. Præterea actiones animaliũ & maxime hominis, à diuiniore quodam principio necessario prouenire. Mõtanus hęc opera fatetur fieri à virtute formatiua, & calore cœlesti, & hæc differre a temperamento: quibus concessis, nescio quo pacto concludere possit,

Fernelii de temperamento definitio confutatur.

Temperamentum nõ esse proportionem & harmoniã.

Auicennæ definitio de temperamento probatur.

An temperamentum sit forma similarium.

Montani opinio, quomodo temperamentum sit forma partium.

Opinionis huius ratio prima.

2

Opinio Montani refutatur.

Animã esse viuentium formam & omnium actionum autorem.

Temperamentum non esse formam omnium rerum.

Rationes negantium temperamentũ esse formam.

1

2

temperamentum esse formam corporis viuentis. A
3 Adducit illi Gal. *in lib. 2. de semine, c. 5.* idem sentire. Illum n. *eo loco*, causam similitudinis generis animalibus, ex *substantia* sumere: formę vero ex seminis mixtione: maris vel fœminæ, ex vtrorumque principiorum *temperatura*. Ex quo patet illũ præter temperaturam, aliam substantiam & formam ponere causam eorum, quę fiunt. Idẽ probare licet
4 ex medicamẽtis purgantib. alimentis, & venenis, quæ agunt à tota substantiã: quæ quidem semper distinguit Gale. ab his, quæ agunt à qualitatibus & temperamento. Et merito quidem. Nam alioqui infinita absurda sequerentur. Si enim actiones & qualitates, quæ in corporibus reperiuntur, non ex alia causa, q̃ ex temperamento proueniunt, erunt B profecto mores & actiones porcorum simillimæ moribus & actionibus hominum: nimirum cũ caro suilla similis saporis & temperamenti cũ carne humana à Gal. esse dicatur, *septimo Methodi & alibi*. Erunt quoque herbæ, quas ad hominem temperatas esse scribit Gale. ita factæ & comparatæ à natura, vt idem præstare possint, quod homo, aut hominis partes similares: propterea quod idem temperamentum, aut certe simile obtinent. Oportet quoque in tunica oculorum, quę vuea dicitur, & in floribus, & in corio equorum, boum & aliorum denique animaliũ, in quibus varii & multiplices sunt colores, ponere varia & discrepantia temperamenta: quod vicinitas ipsorum colorũ, & C ratio ipsa non admittit. An dicemus, equũ ea parte esse pituitosum, siue frigidum & humidum, qua est albus: melãcholicum vero vel calidum & siccũ, vbi est colore nigro? Miror profecto hactenus in scholis non esse animaduersam Aristotelis de hac re sententiam: qui aperte docet, quarum rerũ forma temperies sit: & in quibus præter temperiem, aliam formam ponere oporteat. Est autem locus de hac re *in primo cap. secundi libri de generatione animalium*, vbi dicit *dura, mollia, lẽta, rigida & quæcunque alii affectus partibus insunt animatis, a caliditate & frigiditate fiunt*. At ratio qua iam caro, aut os est, non potest à qualitatibus proficisci, sed ab eo, quod genuit, quodque est id actu, quod potẽ- D tia est illud, ex quo gignitur. Ex quibus quidẽ patet, similares partes, quod similares sint, id est, ex simili & vniformi substantia constent, id habere ex temperie quatuor primarum qualitatum. Videmus enim tum in viuentibus, tum in aliis quæ vita carent, similarem esse eiusmodi substantiã: in quibus tamen nullam aliam formam prętet quam mistionem & temperiẽ ex elementis imaginari possis. At quod res viuat, aut non viuat, & plãta sit, vel animal, & animal diuersum specie ab alio, vel plãta ab alia specie diuersa, hoc à propria cuiuscunq; rei forma prouenit. Et qui hæc non agnoscit, dignus non est, vt ad rerum naturam explicandam studia E sua conferat. *Porro vt temperies causa est, vt aliquid sit similare: ita causa est secũdarum qualitatum, quas elementorum qualitates, & ex illis temperies pariunt: eius generis sunt durum, molle, lentum, rigidum, viscidum, friabile, & cætera huius generis.* Sic profecto forma alias quoque infert qualitates. Nam colores (vt diximus) varii in tunica oculi, & qui statim apparent in ipso ortu in partibus animaliũ, & plãtarum, non ex alia causa, quam *ex forma* prouenire possunt. Quantum vero attinet ad actiones, in rebus quidem, quæ nulla sunt vita præditæ, causam referre oportet in ipsam temperiem in certa materia positam, ob eam enim & terrestrem materiam pyrethrum vim habet mordẽdi & exurendi: in aliis vero, quæ viuunt, facultates & actiones, quæ fiunt à partibus, vt illæ similares sunt, ad temperiem sunt referendæ: aliæ vero ad formam & animam tanquam ad præcipuam causam. Nam temperies necessaria quoque est, tanquam instrumentum: cibum enim concoquit corpus vi cõcoctricis facultatis, quæ ex forma prouenit. At sine calore nequit illa concoquere. Et calor causa est, quare illa, quæ concoquuntur, crassa viscidaque reddantur. Quod homo irascatur, rationeque vtatur, id habet à sua forma, quod vero plus vel minus, melius, & deterius vnus, quam alius his B passionibus subiiciatur, ad ipsam temperiem, & materiam etiam similarium partium, vt *suo loco* ostendemus, est referendum: nam de his rebus ex altioribus principiis postea erit agendum. Atq; ita puto de forma similarium partium esse sentiẽdum. Verum cum multa sint alia in partibus similaribus præter temperiem, vt magnitudo, figura, raritas, densitas, mollities, durities, & alia huiusmodi, cur est, quod solam dicat temperiem & formam esse de essentia rerum? ratio est, quod pars, vt scribit Arist. *cap. 1. primi de partibus animalium*, facta sit propter actionem: vnde essentiam habet ab illis, quæ ad actionem faciunt. At actiones partiũ similarium solum pendent à temperie, & forma, C tanquam ab agente: ab aliis autem, quæ diximus, nulla in re mutãtur, sed postea diligentius de temperamentis agemus.

Quarum rerum forma sit temperies & in quibus præter temperiem aliam genere formam oporteat.

Temperies quarum qualitatum secundariarum causa sit, & quarum forma ipsa.

Temperies quarum actionum sit causa.

Τῶν δὲ ὀργανικῶν ἐν ποσότητι, καὶ πηλικότητι τῶν συντιθέντων αὐτὰ, καὶ προσέτι διαπλάσει τε καὶ θέσει τῶν μορίων ἑκάστου, καὶ ὅλου τοῦ ὀργάνου.

Instrumentorum vero quantitate ac numero eorum, ex quibus componuntur, ac præterea formatione, situ partium singularum, ac totius instrumenti.

Posteaquam docuimus, quid sit pars similaris, quæ nam illius materia & essentia, sequitur, vt idẽ D doceamus de instrumẽtis corporis, ex quibus etiã sumuntur signa cognoscendi corpus bene vel male constitutum. Porro siue dissimilarem siue compositam, siue organicam, siue membrum, aut secundario genitam partẽ voces, nihil referre multi putant. Partem enim organicam esse definiunt *ex libro primo de elementis*, quæ ex similaribus composita, ad vnam operationem, id est, propriam edendam à natura est facta. Præterea Aristoteles *cap. 1. primi de historia animalium*, partes compositas dicit esse instrumenta. Item *cap. primo secũdi de partibus* inquit ille, *instrumentaria omnia* (vt dictum est) *dissimilares sunt*: verum quod instru- E mentum non semper sit compositum ex similaribus, facile probare possum. Et primum quod Galenus *libro tertio, cap. vndecimo* de naturalibus facultatibus scribat, quædam esse instrumenta vt vterum, vesicam, quæ ex vnica constant tunica. Secundo Aristoteles *cap. 1. secundi de partibus* dicit, cor constare ex similari substantia, & tamen instrumentariam partem esse propter formam suæ figuræ. Ex quo patet, instrumentarias partes non semper esse compositas & dissimilares, & secundo loco genitas: sed solum, quæ compositæ sunt, inter organicas recipiunt illa nomina.

De parte organica.

Partem organicam non semper esse compositam.

Potest

A *Potest autem instrumentaria esse, & simplex, & composita: & cum simplex est, sola figura instrumentū facit. Quanquam tamen vix reperiri potest aliquod instrumentum, quod ex pluribus non constet partibus.* Nam vterus & vesica præter suam tunicam, neruos, & venas recipiunt. Quare non addita similari aut dissimilari substantia definit Gal. 1. *Metho.c.6.* instrumentum esse partem, quæ potest edere perfectam actionem, vt oculus visioné. Verū hæc definitio non comprehēdit omnia instrumēta. Nam Gal. *c.4 de differ. morborum* ponit inter instrumenta, quæ non possunt edere perfectam actionem, vt musculum & digitum. Quare definitio hæc solum comprehendit perfectā instrumētum. Erit aūt communis omnibus definitio hæc: B *instrumentum est pars, quæ sibi propriam, & vniuerso corpori communem edit actionem*: vt oculus edit actionem, quam nulla alia pars facit, & eam cōmunem vniuerso corpori: sic musculus motum volūtarium facit, solus inter omnes partes, qui cōmunis est vniuerso corpori. Sunt autē inter instrumenta quædam primi, alia secundi, alia tertii, alia ancipitis ordinis, vt Gal. *eodem ca.* dicit, etsi generali aliqua ratione non definit in quo consistat singulorū natura: potest aūt sumi ratio ex imperfectiore & perfectiore, siue cōpleta actione inter partes instrumentarias. At Arist. *in primo capit. de hist. animal.* dicit quædam vocari μέλη, i. membra: quę cū totius integritate describantur, habent tamen intra se C partes diuersas sui generis opificia, vt caput: sunt ergo membra instrumenta maxime composita.

Pars organica quid ratione sit.

Varii ordines instrumentorum.

Est porro materia instrumentorū similaris pars vna, vel plures, prout instrumentū est simplex vel compositum: fiunt n. instrumentariæ partes ex similaribus, quatenus similares sunt, non aūt vt cōformationem, aut magnitudinem in se habēt, aut plures conueniunt ad illud componendum atque inter se coniunguntur: hæc n. pertinent ad formā instrumēti: spiritus vero & sāguis cū aliis humoribus elementa sunt, & materia similarium partium propinqua, & propria: instrumentorū vero nō nisi materia remota. Propterea non hæc, sed *partes similares instrumētorum propria materia sunt, & dicuntur.* D forma enim instrumenti fit ex conformatione & magnitudine partis similaris, si instrumētū simplex fuerit, i. ex vna similari parte fiat, alioqui etiā ex numero, præterea ex coniunctione, & cōtinuitate partium similarium: tunc n. dicitur pars instrumentaria bene cōstituta, & esse id, quod esse debet, quādo partes similares, ex quibus fit, habet bene figuratas, asperas, vel leues, solidas, vel cōcauas, & præterea iustā magnitudinē, & numerū, & situm, & connexionē inter se obtinentes, prout vsus instrumenti requirit: ex his n. omnibus fit instrumētum bene affectum. Quod si in aliquo istorum error fit, ad erroris proportionem labefactatur instrumenti forma. Sed cur est, quod hæc, quæ E in partibus similarib. sunt, dicuntur essentiā partis instrumentariæ & formā præbere? Ratio est quoniam essentia & forma partis sumitur ab his, quæ faciunt ad actionem partis, partem n. non dicimus instrumentariā, quæ nequit esse instrumentū animæ: requirit enim illa instrumēta ad suas actiones obeundas. *Merito igitur fit, vt ea dicantur esse de essentia instrumenti, quæ ad actionem illius faciunt: faciunt autē* (vt videre est in manu & in reliquis instrumentariis partibus) *cōformatio, magnitudo, numerus, coniunctio & continuitas partium*: ex illis n. aptum redditur instrumētum ad propria munera obeunda. At si ita est, videbuntur plura esse ponēda de essentia instrumentariarū partium, quoniā plura sunt, quæ illius actionem perficiunt & lędūt. Nam requirunt partes instrumentariæ calidū natiuum, quod influit à corde bene affectum, & pręsens: quandoquidem eo læso, aut absente, læduntur actiones instrumētorum, vt in syncope, horrore, timore, & rigore apparet. Præterea, si instrumentū aliquod, vt manus, constet ex solis ossibus & ligamentis, habentibus propriam conformationem, magnitudinem, coniunctionem, continuitatē, & numerum, æqualem partibus, ex quibus manus cōponitur, læderetur actio instrumenti. Ad hæc ob qualitates similarium, vt duritiem, mollitiem, crassitiem, tenuitatem, laxitatem, astrictionē, raritatē, densitatem, calorem, & alias secundas qualitates, quæ in similaribus partibus sunt, lædi actiones instrumētorum facile est ostendere. Nam cutis durities, & mollities nimia in manu, lædit sensus & apprehensionem. Obtuso ingenio eos esse scribit Galen. *in capite duodecimo breuis operis*, qui cerebri substantiam crassam habent. Ob raritatem & tenuitatem vasorum cōtingunt superfluæ expulsiones, veluti sanguinis profluuia, vt *tertio de causis symptomatum, capite secundo*, docet Galenus. Quinetiam ob laxitatem ventriculus sæpe nequit concoquere: nec non ob colorem in cornea tunica visio læditur. A febre quoque offenditur actio instrumentorum, vt motus, sensus. Erit ne ergo intemperies morbus instrumenti? Sunt qui his dubitationibus manus dederint. Alii verò absurda dixerunt, vt illis respondere possent. Etenim Curtius secundas qualitates, & non solum temperiem pertinere ad essentiam similarium dicebat, & illis sanitatem & morbum ponendos esse: quod prorsus Gal. & veritati repugnat. Nam qualitatum illarum vitia symptomata sunt, & nō morbi: quādoquidem illis non debetur curatio. Quid vero Grammaticus Tubingensis, & Fernelius sentiant, paulo postea docebimus, cum de morbis agemus. Nunc satis est hæc ita attingere, vt faciunt ad formam partis instrumentariæ intelligendam. Dicēdum ergo *à constitutione partis primo separanda esse communia instrumenta, vt calorem, spiritum, sanguinem*: quia illa non sunt firma in parte, nec propria, sed communia instrumenta omnibus actionibus & partibus similaribus & organicis. Deinde absurdum est credere vitia similarium partium, quę illis contingunt, vt similares sunt, facere morbos in partibus instrumentariis, etiamsi lędant illarum actiones: quoniā similares sūt materia organicarū. *Morbi aūt vitia non sunt materiæ, sed ipsius formæ, quæ in materia est, & cum illa constituit partes. Sic essentia rerū, non à materia sumitur, sed à forma, quæ est in materia*: vt domus non sunt lapides, & ligna, quę non facit artifex, qui domum construit, sed forma, quā ille in lapidibus & lignis inducit. Igitur quæ sequuntur vel materiam similarium, crassitiē, tenuitatē, raritatem, densitatem substantię, ex qua similares componuntur, aut q̄ sunt in forma similarium, nēpe temperie, & tota ipsarum substantia, q̄ sequūtur temperiē & formā similariū vitia secūdæ s. qualitates: hæc inquā omnia nō faciūt morbos in ipsius instrumētis, quoniā vitia sūt materię, ex qua instrumēta constant. Supponitur enim in omni re

Instrumentorum materia.

De forma partis organicæ.

Quæ sint de essentia & forma partis.

Ex quibus actiones partium instrumentariarū læduntur.

Vitia qualitatum non esse morbos sed symptomata.

Instrumenta communia.

Morbos non esse vitia materiæ sed formæ partis.

materia, cuius formam quærimus. Igitur detractis læsionib. actionũ, quæ vitio cõmunis instrumẽti, vel materiæ contingunt, inueniemus actiones lædi & perfici, à cõformatione, magnitudine, numero, coniũctione, & vnione similarium partium: id enim patet ex similitudine aliarum rerum dissimilarium. Dicimus enim, domum bene fabricatam, quoniã illa in materia subiecta debitã conformationem, magnitudinem, numerũ, coniũctionem, & vnionem obtinet. Ex quibus etiã illud patet, *nõ omnia vitia, quæ in partibus sunt, lædentia actiones, emendari: nam materia vitia, quæ nascuntur ex substantia subiecta, vt ex copia, inopia, crassitie, tenuitate, sanguinis & seminis, ex quibus conformantur partes, emendari nequeunt.* Ab essẽntia ergo partium similarium & instrumentorum sumuntur signa, quibus cognoscimus, primum corpus esse optimè constitutum: postea vero alia corpora, quæ ab optima constitutione recedũt. Montanus signa ab essentia distinguit in signa sumpta ab operationibus, & accidentibus: & nescio quomodo inquit, superfluum esse fontem signorũ ab essentia, eo quod continetur & reperatur in operationibus & accidentibus. Cum tamen longè diuersa sint hæc: nec ostendere possit, idem re peti & signorum fontes cõfundi. Nã essentia partis parit operationes: tantum ergo differũt *quantum causæ à suis effectis.* Drusianus vero alia ratione de his dubitabat: idem enim putat esse suiipsius signum, quoniam credit essentiam per eãdẽ essentiam cognosci: quod quidem falsum est. Nã ex calido non cognoscimus calidum, nec ex tẽperie tẽperiem, sed ex his perfectam sanitatem, siue optimam constitutionem in partibus similaribus. Eadem ratio est de structura partium organicarum, & de his, quæ sunt de essentia ipsius structuræ.

Vitia materiæ nostræ emendari non posse.

Partis essentia quomodo ab operationibus differat.

Ἀπὸ δὲ τῶν ἐξ ἀνάγκης ἑπομένων ταῖς ὁμοιομερέσι.

Ex his vero, quæ de necessitate consequũtur consimilia.

Cum dixerit, signa sumi ab his, quæ sunt secundum essentiam in corporibus, & ab illis, quæ consequuntur essentiam: docuerit q; quænam sint de essentia, & quomodo ab illis signa sumãtur: nunc docet, quæ sint illa, quæ essentiam sequũtur, primum similarium partium: deinde organicarũ. Et dicit sequi essentiam similarium, qualitates tactiles, visiles, & operationes.

Ὡς μὲν πρὸς τὴν ἁφὴν ἐν σκληρότητι, καὶ μαλακότητι συμμετρία.

Quantum quidem ad tactum, à mediocritate, quæ in mollitie ac duritie cõsistit.

Recenset, quæ sint qualitates tactiles, & quomodo ab illis signa sumãtur: omittit primas quatuor qualitates, quæ etsi tactiles sunt, tamen ad essentiam pertinent. Sunt tamen aliæ addendæ qualitates tactiles, à quibus signa sumimus, vt crassũ, tenue, asperũ, læue, solidũ, densum, flaccidũ, rugosũ, longũ, breue, magnum, paruũ, pingue, macilentũ, à quib. quidẽ signa sumit *in libro de tẽperamẽtis, & passim alibi,* ad dignoscendũ corpus optimè temperatum, & constitutum. In quibus illud maximè considerandum esse arbitror, an hæc om-

A nia proueniant à temperamento solum, vt vulgus Medicorum sibi persuasit, repugnante etiã ipso Galeno, vt videre est *in fine lib. secundi de temperamẽtis.* Nam durum potest fieri ab occursu duri, vt callus contrahitur conculcatione lapidis, vel ligni, nõ solum à prima qualitate, nempe siccitate: non enim, quod durum est, habet vim exsiccandi, nimirum *cum agendi vis, solis primis qualitatibus, & non secundis sit concessa.* Sic Gal. *in secundo libro de sanitate tuenda* dicebat, frictionem asperam indurare, non quod siccam qualitatem corpori inducat. Ait idem *in primo libro de temperamentis*, pilum esse siccissimum, non tamen durissimum. Præterea, crassum & tenue fit ex copia, vel paucitate materiæ

B qualiscunque sit in ea qualitas. Ex plurimo enim sanguine matris in prima conformatione, partes similares crassas fieri necesse est, contra vero tenues: quod etiam Galenus *in libro de symptomatum causis* memoriæ prodidit. Asperum fit à plurima terrena substantia, etiam si corpus non dicatur sicci esse temperamenti: cum id non sequatur tunc temperamentum, sed substantiã ipsam. Tensum pariter redditur, ob subiectam substantiã plurimam: flaccidum vero & rugosum ex eiusdẽ paucitate, vnde flaccida sunt membra & laxa, quæ nõ multam habent carnem, & tenuia essætẽ nia vero & solida sunt, contrario modo se habẽtia. Longũ, breue, magnum, paruum, fiũt etiam ratione ma-

C teriæ. Nam ex multa materia & aerea lõgæ partes fiunt: ex pauca & terrena breues: ex multa magnæ: ex pauca paruæ, præsertim si aerea & aquea in magnitudinem faciens materia. Item ex forma hoc prouenit: nam magni magnos procreant, graciles, graciles, & obesi, obesos. Ergo vt huiusmodi affectus fieri possunt à qualitatibus primis alterantibus materiam: ita ipsa materia qualicunq; qualitate prædita, causa istorum est: & nonnulla ex illis à secũdis qualitatibus fieri possunt, alia formã agentis sequuntur, quæ omnia vel temperiem corporis ostendunt, vel constitutionem: nam etsi gracilitas partis intemperiem necessario non ostendit, vitium tamen in ea indicat. Ete-

D nim iniuriis externis maximè exposita est pars, quæ gracilis est.

An secundæ qualitates à sola proueniant semper à primis.

A quo fiant durum, crassum, tenue.

Vis agendi quib. qualitatibus sit concessa.

Asperum. Tensum. Flaccidum. Rugosum.

Longum & Breue. Magnum, Paruum.

Πρὸς δὲ τὴν ὄψιν, εὐχροία τε καὶ ἡ κατὰ λειότητα, καὶ δασύτητα συμμετρία.

Quantum ad aspectum, à colore optimo, & leuitatis atq; hispiditatis mediocritate.

Dixit antea, sumi signa ab his quæ sequuntur de necessitate essentiam similarium partium, & hæc esse qualitates tactiles, visiles, & actiones. Posteaquam egit de qualitatib. tactilibus, transit nunc

E ad visiles qualitates: & docet quænam illæ sint, & quomodo ab illis signa sumantur corporis optimè constituti. Sunt autem, inquit, duo, nempe color, & quæ circa asperitatem & læuitatẽ apparent. Addi possunt signa quæ sumuntur à raritate, densitate, puritate, & nitore, quæ apparent in substantia. Hæc enim visu potissimum dignoscuntur, & sua signa præbent. Inquit autem, colorem optimum esse debere, qui ostendat corpus in partibus similaribus optimè esse constitutum. Verũ non docet qualem oporteat esse optimũ huiusm. colorem, quem quidem *in li. de temperamentis, & alibi mediũ esse dicit inter album & nigrum:* nunc vero ex albo & ru-

Color optimè constituti corporis qualis esse debeat.

& crebro compositum. At docendi ratio postulat, vt compositionis rationem & modum explicet, nec illud satis apparet, cur talē esse sit necesse, qualem statuit esse oportere: id quod nos ex ipsa rei natura hoc modo ostendemus. Cum enim color efflorescat ex humoribus subiectis, talem oportet fieri colorem, qualem requirit proportio humorum à quibus fit. Debet autē (vt ille tradit in *libro de constitutione artis*) inter omnes humores plurimum esse sanguinis: deinde plus pituitæ, quam bilis pallidæ: huius, plus quam humoris melancholici. Quare color resultabit mixtus ex plurima rubedine, deinde ex albedine non parca, & ex flauitie parciore, & minima nigredine.

Color vnde in corpore oriatur.

Statuit præterea corpus optime constitutum, medium esse inter asperū & læue, quas qualitates nos forte rectius inter qualitates tactiles antea posuimus.

Porro intelligit per leue, quod pilos nō habet, & per hispidū, quod nimis est pilosum: ab istis n. in *libro de temperamentis*, & *de optima constitutione* signa capit. Verum non solū hanc differentiā in pilis notare oportet, sed etiā illas quę in colore, figura, consistentia, ortu & incremento sunt. Omnia n. inter hæc moderata habeat necesse est corp⁹ optimè constitutū: alioqui iudicabitur excessus, vel defectus in materia, aut vitiū in ipsa tēperie, vt Galen. *cap. 3. 2. de tēperamentis* & nos postea cōmodiore loco docebimus. Cæterū illud nunc explicandum venit, an color solū sequatur tēperamentū: q̃ quidē mihi videtur non verū esse, vt iā antea diximus. Nā colores in tunica oculi, quę vuea dicitur, sūt varii, & inter se diuersi, nēpe viridis, ceruleus, niger: cum tamē totā ipsam tunicā eiusdem tēperamenti esse, negare nemo possit. Multæ præterea sunt herbæ quæ eiusdem sunt temperamenti (vt Gal. statuit) colore tamen longè diuerso. Sunt & flores minimi, veluti per puncta distincti, coloribus variis præditi, quorum temperamentū toties mutari, quoties variant colores in tam exiguo spacio, nemo quidem (meo iudicio) sibi persuadere poterit. Idem docent colores, qui apparent in plumis, & corio animalium. An quæso niger color in coruo, indicabit temperiem igneam & adustam? albus vero in alio, temperiē pituitosam? Sūt hæc nugæ: quippe cū sus niger & pinguis humidus sit, aut certe habeat temperiem simillimam homi minis tēperamento (vt ille statuit.) *Penaent ergo colores natiui, vel à tēperamento, vel à forma:* qui autem acquisititii, omnes à tēperamēto, quod materiam mutauit, ex qua colores sunt mutati. Raritas præterea & densitas sequuntur aliquādo temperiem, aliquando materiam. Nam cum pauca est materia, ex qua debet fieri aliqua pars lata, vt est cutis frontis, necessarium est, eam tenuem fieri & ita tendi, vt multa foramina in ea sint: vnde rara euadet, præsertim si aerea sit substantia: contra vero densa reddetur, ex multa & terrena substantia. Ad hæc puritas & impuritas, nitor & viuacitas in colore, non tam qualitates, quam materiæ puritatem sequuntur. An credimus gemmas, & lapides (vt vocant) pretiosos, vt adamantem, carbunculos, saphiros, & reliquos huius generis, eum splendorem, quem obtinent, habere ob temperiem, & mixtionem elementorū? minimè profectò. Non enim illorum temperamentum tantū differt, quantum colore, splendore & nitore ipsi inter se discrepant. Ergo hæc illis contingunt ob

An color sequatur semper temperamentum.

Colores vnde pendeant. Raritatem & densitatē non semper sequi temperamentum.

Puritatem, nitorem & viuacitatē in colore, nō sequi temperamentum.

purissimam, & maximè defecatam materiam. Ad hæc crassities & tenuitas corporis, materiæ copiā, & inopiā, & ce. nam potius, quam temperiē comitantur, magni enim & crassi homines sibi similes gignunt ex multa materia, quacunq; temperie prædita: quippe cum inter magnos, & crassos reperire liceat aliquos esse biliosos, alios sanguineos, alios vero alio temperamento præditos: *quadam ergo ex secundis & tertiis qualitatibus formam, alia temperiem, alia vero materiam sequuntur.*

Corporis crassities & magnitudo temperamentū nō sequitur.

Κατὰ δὲ τὰς ἐνεργείας ἡ τελειότης, ἣν δὴ καὶ ἀρετὴν αὐτῶν ὀνομάζομεν.

In operationibus à perfectione, quam & ipsarum virtutem appellamus.

Nunc prosequitur signa corporis optime constituti, sumpta ex actionibus similarium partiū: & dicit illarum actionum perfectionem prodere huiusmodi constitutionem: explicatq; quid per operationum perfectionē sit intelligendum, nempe *ipsarum virtutem.* Qui locus hic subobscurus, clarus redditur ex *15. cap. lib. qui inscribitur Thrasybulus:* vbi scribit eadē ratione robur actioni, qua bonū habitum sanitati comparari: quod enim est in sanitate bonus habitus, id est in actione robur: & idem esse virtutē & perfectionem ipsius actionis, sicut bonus habitus, virtus & perfectio est sanitatis. *Idem namque* (inquit) *est virtus, perfectio & cuiusque rei bonū.* Sententia ergo est, optime constituta corpora, edere actiones similarium partium perfectas, & sua virtute præditas: tales autem esse robustas. Qua quidem in re videndum est, quæ sint actiones similarium partium: deinde an illę omnes necessario sint robustiores in huiusmodi corporibus, quam in aliis temperaturis.

Virtus & perfectio idē.

Tradit Curtius, omnes operationes esse similarium partium: nam sensum, vt visionem, dicit fieri ab humore crystallino, & motum volūtarium à musculo: & hæc propriè esse instrumenta harum actionum, & partes esse similares. Præterea ad id faciens scribit, quod habet Gal. 7. *Meth. cap. 2.* in omni parte instrumentaria, esse vnam similarem, quæ præ cæteris præcipuam vim habet ad agendū. Verum ille euidentissimè errat. Nam primum adfero, quod in *hoc loco* habet Gal. similariū, inq̃, proprias esse quasdam actiones, alias vero esse partium organicarū, & à virtute vtriusque generis actionum, signa sumi ad optimam constitutionem dignoscendam. Deinde adduco quod habet *cap. 4. in lib. de constitutione artis:* vbi ad verbum scribit: *Actionum partium duplices esse, quasdam simplicium ac similarium: alias organicarum & compositarum. Actio enim cruris vniuersi,* inquit, *ambulatio est.* fit autē ipsis articulaturis alternatim se inuicem extendētib. incuruantibusq;. In hac vero administranda musculorū genus inter cruris partes principatū sibi vēdicat. Addit multa *eodē loco*, ex quib. ostendit, duo esse genera actionum: vnum, quod solū ad similares partes, alterū, quod ad organicas propriè & re vera pertinet. Et meritò quidē. Nam similares partes, vt similares sunt, nihil debēt habere diuersum in actionibus. *Vt enim vna est illarum essentia, quæ fit per temperiē, ita est vnū genus actionū quod proficiscitur ab ipsa tēperie.* Sunt aūt istę actiones naturales, *attractrix, retētrix, cōcoctrix, expultrix.*

De actionibus similarium partium Curtii opin. improbatur.

Actiones partium duplices.

Omnes partes similares easdem habere actiones, & quæ illæ sint.

Motus & sensus vnde fiant. Has n. edunt omnes similares partes, vt similares sunt, & præter has nullas. Motus autē, & sensus fiunt nō a similarib. partib. sed *necessario a dissimilarib.* quę tantū natura & cōpositione inter se differunt, quātū sensus & motus ipsi inter se discrepare agnoscūt. *Musculi vnde constent.* musculus n. motū voluntariū simpliciter efficit: at ille pars est instrumētaria & cōposita: nō quidē ex venis & arterijs, quæ nō sunt de natura & essentia musculi: sed *ex simplici carne & fibris neruosis*, sine quib. nequit musculus esse motus instrumētū. Atq. hāc cōpositionē visus facilè agnoscit, qui iudicat illius compositionē simplicē non esse, vt Curtius credit: *Species motus vnde fiant.* species vero motus, vt ambulatio, apprehensio, & singularū partiū proprius motus, *non a solis musculis, sed ab omnib. partib. necessariis in vnaquaq; instrumētis structura obeūtur.* Atq. vt, ppriī singularū partiū motus cōpositi magis sunt, quā motus ipsius musculi: ita illarū cōpositio euidentior est, quā sit ea, quę ad musculos ptinet. *Neruorum esse suum & compositio.* Neruus quoq; *cū sit propriū instrumētū sensus tactus, suā etiam habet compositionē ex sua carne fibrosa & membranaqualā*, vt Gal. *in lib. de placitis* ostendit. Porrò in alijs partib. sensu tactus præditis, vt in cute, carne, maior quoq. compositio apparet: quoniā differt etiā sensus in singulis partib. eo, quod in quibusdam sit insignis, exquisitusq;, in alijs vero obtusior. *Sensum non esse actionē partis similaris vt Aristot. scribit.* Qua quidem in re arbitror Aristotelem errare, qui 2. *lib. cap.* 1. *de partib. animalium*, dicit, sensū esse actionem partis similaris, nempe carnis. Nam si esset actio similaris partis, cur omnes similares non sentirent? Fallitur etiā cū tradit, carnem esse instrumentū tactus. Nam sine carne in cute & neruis sensus fit. *Neruus quomodo sit instrumentum tactus.* *Neruus igitur est sensus tactus instrumentū: non quidē vt similaris pars est, sed vt neruus est*, i. pars nata & facta à natura ad officium hoc in corpore exercendum. postremo, vt dictum est, neruus similaris pars non est. Cæterum in alijs sensib. propria est sensoriorum compositio pro natura cuiuscunque sensus. Quod si vna est pars in singulis sensibus quæ præcipuam vim habet ad actionem edendam, tamen actio non est illius partis, sed totius sensorii. Nam etsi humor crystallinus inter omnes oculi partes præcipui est momenti in visione facienda: *Visionem nō esse actionem humoris crystallini.* tamen non ipsius, sed totius oculi actio dicitur esse visio. Est enim oculus sensorium ipsum, & sensorii sunt sensus, nō partis vnius, quod in sensorio reperitur. Hæc n. si nec perfectam, nec simpliciter actionem partis instrumentariæ edere possunt, vtiq; actio illius non erit sensus aliquis. Hoc ergo posito principio, quod actiones similarium partium sint solū quatuor, dictæ naturales: sequitur explicandū an in corpore constituto illæ sint perfectiores, quā *Obiectio. an in corpore bene constituto alteriores naturales sint perfectiores, quā in aliis aliter affectis.* in alijs aliter affectis. Certū aūt est calidos & humidos, plura & ea pfectius concoquere, quam tēperatos: & biliosos (vt scribit Gal *in principio libri de alim.*) omniū optimè concoquere crassa & dura alimenta. Sunt etiā calidi & sicci ad retentionē omniū aptissimi, & attractionē, excernendaq; excrementa. clara n. est de his sententia apud Gal. *in lib. de causis symptom. atū natur. alium facultatū.* Huic obiectioni varie respōdent recētiores: *Responsio.* sed illud est verius ex doctiorum opinione, quod dicitur, corpora optimè cōstituta vniuersas actiones *simul sumptas* perfectiores habere, quā habeant alia. Nam etsi calidi & humidi felicius cōcoquunt, tēperatis tamē deterius attrahūt, retinent, & expellūt. Sed his melius respondere possumus, *perfectionē actio-*

A *onum esse positam in eo, quod mediocritatem excedit in certa materia.* Etsi n. biliosi, quæ duriora sunt, facilius mutant, & probè concoquunt: reliqua tamen non solum mutant, sed & assant, & plusquā conueniat, alterant. Temperati vero, *materiā, quæ illis debetur, nempe temperatum, & mediocre in alijs qualitatibus alimentum*, omnium optime concoquunt, & melius etiam fortè quā calidi & humidi: Itaq; cum temperatis, vt præcipit, medicinę ad cōseruationem conueniant: nec alia sint adhibenda: vt *in 3. com.* ostendemus, merito scribit Gal illos pfectas edere actiones, & omnes & singulas: quoniam nulla est alia temperies, quæ *mediocrem* materiam melius attrahere, retinere, cōcoquere & illius excrementa expellere possit.

B Quod si perfectum est, perfectè agat, necesse est. Eo autē, quod perfectè agit, nullū perfectius excogitari potest. Ergo dictum Gal. intelligatur vel de omnibus actionibus *simul collectis*, (vt sentiunt, doctiores interpretes) *vel etiam de singulis*, vt nos ex artis principiis excogitauimus, *temperata solū temperatis, & mediocria mediocribus constitutionibus adhibendo*. Nam circa hæc optimè constituta corpora omnium optime agunt. Illud vero prętereundum non est, an actiones prædictæ, quas diximus esse similarium partium, proueniant solum à temperamēto, vt Gal. hic tradit, an etiam ab alia causa? *Actiones similarium an veniant solum à temperamento.* Non dubium est, illas fieri ab anima: quandoquidē *nul-*

C *la res, quæ anima sit destituta, donata est illis functionibus*. nam ob solā temperiē res calefacere, refrigerare, humectare & exsiccare possunt. attrahere vero, retinere, cōcoquere & expellere, minimè: hæc n. animæ residētis in corpore sunt officia: *Anima in corpore residentis officia.* temperamentū vero animæ, & illorum instrumentū est. Itaq. *partes quod similares sint, id habent à temperamento, quod vero agāt, habent ab anima: non vt similares, sed vt similaris viuentes*, has exercent actiones. Ex quo fit, vt anima præcipua sit illarū causa, efficiens scil. temperamentum vero instrumentū, sine quo actiones illæ fieri non possunt, & cū quo melius, deteriusq; perficiuntur.

D

> Τῶν δὲ τοῖς ὀργανικοῖς ἑπομένων, ἐν συμμετρίᾳ τε, καὶ κάλλει τῶν τοῦ παντὸς σώματος ὀργάνων.
>
> *Ab his vero, quæ instrumētarias partes cōsequuntur, à cōmensuratione & pulchritudine omnium totius corporis instrumētorum.*

Posteaquam Gal. docuit, quænā sequantur essentiā similarium partiū in corporib. optimè constitutis, & quomodo signa ab illis sumantur ad eā constitutionem dignoscendam, nunc idem docet de his quæ sequuntur essentiam partium organicarum: & duo primum dicit esse, *commensurationē & pulchritudinem*: deinde *perfectionem operationū*, quæ eduntur à partib. instrumentariis. Qua in re

E illud primum videndū est: An commoderatio illa siue proportio, idem sint cum pulchritudine vel nō; deinde quid sit re vera pulchritudo, & ex quib. constet; postremò an idē sint formosus & pulcher. Porrò Gal. *in lib.* 1. *de vsu partium* scribit, pulchritudinem nihil aliud esse, quam *optimam constitutionem*: sed nō rectè. Nam rectius hic ait, *pulchritudinem sequi constitutionem ipsam*: *Pulchritudo quid.* quam sententiā etiam confirmat *in* 8. *de placitis*, vbi scribit, *pulchritudinem positam esse in mutua commoderatione partium*. Nō enim ipsa structura optima, vel proportio

tio etiam, quæ agnoſcitur eſſe in corpore, ſed *qualitas, effectus, ſiue diſpoſitio ex illis nata, ab oculis & iudicio probata, tanquã res aſpectus iocunda, pulchritudo corporis cenſeri debet.* Cæterũ *hoc loco* Gal. pulchritudinẽ ſolum poni in partib. organicis: tanquã tota ſequatur illarum conſtitutionẽ: quod etiã aſſerere videtur *in locis præcitatis ex lib. de vſu partiũ, & de placitis Platonis & Hippocr.* Verum mihi magis placet locus, qui habetur *in Thraſybulo c. 10.* vbi ait, duplicem eſſe pulchritudinẽ, *fucatam & adulterinam vnam aliam legitimam, & veram,* quæ in vegeto colore, carnis moderata copia, membrorumque congrua compage conſiſtit, quæ naturalem bonum habitum ſequuntur. Quis enim eos vocabit pulchros, qui vel malo colore ſunt prædi-ti, aut graciles, vel craſſi præter modum? etſi interim proportio ſeruatur inter partes graciles, & craſſas: Præterea Ariſt. *cap. 3. 4. Ethi.* docet: *pulchritudinem nõ poſſe eſſe ſine magnitudine, formoſos autẽ eſſe poſſe, qui etiã minimi ſint, ſi modo ſeruetur partiũ proportio:* ſic enim pygmæos inter homines & puſilla animalia in ſua ſpecie formoſa agnoſcimus, & dicimus eſſe; pulchra vero nequaquam, niſi magna fuerint: *& quanto maiora fuerint, tanto pulchriora cenſemus eſſe, ſi modo prædicta accedant qualitates, debita inquam proportio, carnis abundantia, & laudatus in ſingulis animalibus color.* Ex quibus patet Gal. *in hoc loco* potius formoſitatem, quã pulchritudinem exprimere: hanc vero *alibi* depingit. Sed ex Ariſt. addere debebat *magnitudinem.* Igitur corpus optime conſtitutum neceſſario debet eſſe pulchrum, & formoſum. Hæc autem ſolam ſequitur compoſitionem partium organicarum: illa vero vtramq; compoſitionem, & materiam etiam conuenientem atque formam. Nam proportio, quæ in toto corpore conſpicitur, ſequitur conſtructionem organicarum partium: optimus vero color optimam temperiem qualitatum, & humorum: carnis autem abundantia multitudinem optimorum humorum: magnitudo autem formam inditam à parentibus teſtatur: nam magni magnos procreant.

Pulchritudinem non ſolum ſequi ſtructuram partium organicarum.

Pulchritudo duplex. Vera pulchritudo in quibus conſiſtat.

Pulchri & formoſi quomodo differunt.

Ἔτι τε τῇ τῶν ὑπαρχουσῶν αὐτοῖς ἐνεργειῶν ἀρετῇ.

Ac præterea earum, quæ ipſis inſunt virtute operationum.

Quemadmodum ex perfectione actionum ſimilarium partium optimã temperiem, quæ neceſſario requiritur in corpore optimè cõſtituto, docuit cognoſci: Ita nunc idem oſtendit, ex actionibus partiũ organicarũ: perfectæ enim illarũ operationes, perfectã ſtructurã, quã requirunt optime cõſtituta corpora, ſequuntur & teſtantur. Ac in illis eadẽ oritur dubitatio quod ſ. quædã deterius conſtituta corpora perfectiores edant actiones aliis, quæ optime ſunt affecta. Nã ad curſum graciliora ſunt velociora: & craſſiora ad functiones & victorias athleticas aptiora, & validiora. Verum eadem reſponſio etiam conuenit, quod *ſ. optime cõſtituta corpora moderatos ſolũ motus ad ſui conſeruationem tentare debent, & eos omnium perfectiſſime obeunt, ita, vt nihil in illis deſiderari poſſit. Exceſſus vero in illis fugiendi ſunt: nec laudandi, niſi in corporibus à mediocritate recedentibus, quibus ſcilicet ſunt moderati.* Non enim (vt recte ſcribit Galen.) hominem male videre ideo dicere debemus, quod cũ lynce & aquila de viſu contendere nõ poſſit. Satis enim eſſe, ſi illa diſcernere queat, quæ apta ſibi prodeſſe, aut obeſſe poſſunt: ita quoque ſi optime affectum corpus, quæ illi ſunt propria obiecta aptiſſimè tractare poteſt, nihil in eo iure reprehendere licet: Id autem, cui nihil deeſt, perfectum eſt. Recte ergo Gal. ſcribit *hoc loco* optimam ſtructuram corporis optimas edere actiones: nec quærit *in hoc loco,* an alii quaſdam actiones perfectius exercere valeant. Non enim ad alios comparatio ſit, ſed ad propria obiecta: quæ cum perfectiſſime tractentur à propoſitis corporibus, merito perfectio & virtus in his actionibus eſſe agnoſcitur.

Deterius cõſtituta corpora cur perfectiores nonnunquã ędant actiones.

Τῆς μὲν οὖν ἀρίστης κατασκευῆς τοῦ σώματος, τὰ διαγνωστικὰ σημεῖα ταῦτ᾽ ἐστι.

Optimæ igitur conſtitutionis corporum ſigna indicatiua ſunt hæc.

Colligit Gal. & veluti concludit ſigna corporis optimè conſtituti eſſe illa, de quib. hactenus egit. Verum ſi optima cõſtitutio, vt & *hoc libro, & ex eo, quem ſcripſit de optima conſtitutione,* idem cum ſaluberrima, quam paſſim tot conditionibus exornat, vt inſtar normæ Polycleti eſſe velit, merito videbuntur multæ illius notæ prætermiſſę. Ergo ſi quę deſint, adiiciendæ; deinde illud expendendum eſt, quęnam ex tota multitudine ſignorũ meliora certioraque ſint; poſtremo in ſingulo genere notandum eſt, quod cognitionem noſtrã decipere poteſt. Porro deeſſe aliqua ſigna *ex lib. de optima conſtitutione, & 1. de temperamentis,* & ex *hoc etiã capite* intelligere licet; *In hoc* enim *capite* cum diſtinguit optimam conſtitutionem ab ea, quæ parum ab optima declinat, hoc ſigno vtitur, quod cauſis morboſis nõ æque reſiſtat, vt optima, quæ optima non eſt. Id quod etiã tradit *in lib. de optima conſtitutione: Difficile* (inquit) *optima conſtitutio in morbos cadit, ſed omnibus cauſis morboſis facile reſiſtit, tũ externis.* Id autẽ, dicit, *facillime,* poſtea dicit *multum diuque:* quaſi nõ ita intelligendũ ſit, vt facillime ſẽper reſiſtat: ſic. n. immortale fieret corpus *ſed quod quantum humana cõditio patitur multũ, & diu repugnet.* Addit præterea eam cõſtitutionẽ optimos habere humores. *In lib.* vero *de Euchymia & caco. chymia, bona,* inquit, *corporis conſtitutio quæ temperatiſſima eſt, & latos meatus vaſorũ ad humores diſtribuendos habet, perpetua frui ſanitate poterit:* modo ſufficiens cibum præcedat exercitatio. Sumit & ſigna in ſequentibus à iuuantibus & lædentibus cauſis: nam temperatis iuuantur, læduntur autem intẽperatis. Qui vero intemperati ſunt à ſimilibus læduntur, à contrariis benè habent. Prætermiſit & ſigna, quæ ab excrementis ſumuntur: nam etſi excrementa bona proueniunt à bonis actionibus; tamẽ illa ſua ſeparatim præbẽt ſigna & in hoc, & in aliis corporis ſtatib. Nõne etiã à cauſis quæ huiuſmodi procrearunt conſtitutionẽ, alia ſumemus indicia? Nã bene conſtitutum ſanumque eſſe, & forte iudicabimus corpus, quod ex ſanis parentibus eſt procreatũ, in aere tẽperato, aſtris bene fauentibus; & poſtea bene educatũ. Sumit & aliud genus ſignorum, *in lib. ad Glauconẽ* ex aliorum ſimilitudine & proportione. Etenim filios iudicabimus optimè conſtitutos, qui ſimiles ſunt parẽtib. bene affectis. Addo, quod etſi ſigna, quæ ab eſſentia ſumuntur, forte hic bene explicat, tamẽ plura alia ſub eſſentia continẽtur, à quib. ſigna ducuntur ad ea dignoſcẽda, quæ in noſtro corpore ſunt, plura quoq; ſunt cauſarum genera, quæ pariter ſuas præbẽnt notas:

Quæ ſigna hic omittat Gal.

A facili & difficili repugnantia contra morboſas cauſas.

Ab humoribus.

A cauſis iuuantib. & lædentib.

Ab excrementis.

A cauſis efficient. conſtitutionis.

Ex ſimilitudine.

quę omnia ab eo, qui capita totius artis tradere velit, sunt vno capite comprehendenda; vt ex eisdem fontibus non solũ corporis optimè constituti, sed & aliarũ omnium rerũ, quæ per signa sunt in medicina dignoscenda, indicia ducamus. Ergo docuimus in opere nostro de signis, signa omnia duci ab essentia rei, à causis rei, ab eiusdem effectis & similitudine. Porro essentiæ nomine, rei formã, genera, differẽtias, partes, & proprietatẽ cõprehendimus. Causarũ autem appellatione gignẽtes, fouentes, augentes, iuuantes, lædentes, & quicquid aliud efficere potest, in primis intelligemus. Deinde quicquid materiã vel propinquã, vel remotam præbere potest, aut instrumẽti vicẽ subit, aut subiectũ est, aut causa sine qua non, aut vt finis. Ab omnibus. n. istis tanquã à causis sumi solent indicia: vt exemplis alibi docuimus. Effectus variãt pro rei natura, de qua agimus; hic tamẽ ostendimus corporis constitutionẽ sequi qualitates secundas, pulchritudinem, actiones, excrementa, & alia, quæ in nostro corpore fiunt, opera. Nunc videndum est, quid in vnoquoq; genere signorũ obseruandũ sit, vt rectũ fiat iudiciũ, & simul à quib. certiora sumãtur indicia. In signis sumptis ab essentia similariũ, cũ tactu illa explorentur, animaduertendũ, ne inęquale temperamentũ sit, ob anni tempora, animi affectus, somnum, vigiliã, quietem, motũ, morbũ, & alias causas, quæ calidũm innatũ intendunt, aut euocant, vel intro compellunt. Nam hyeme calor externas partes deserit, impulsus ad internas circũstantias frigiditatis vi: quo tẽpore iudicabis tactu frigidum esse corpus, quod longe etiã calidius temperato esse potest. *Quo constat, nos non posse in regione intemperata exactè iudicare de temperamento optimæ constitutionis ex tactu.* Debet & is, qui iudicat, tactum habere exquisitum; & cutẽ bene affectam in mollitie, duritię, & aliis qualitatibus, quę exactum sensum corrumpere possunt, si in aliquo vitiatæ sunt. *Quod vero sumitur signum ab essentia partium organicarum, verissimum est, & certissimũ in partibus quarum structura sensu deprehẽdi potest.* optima enim & cõmoderata partium organicarũ structura quæ visu iudicatur, nunquã fallere potest: quippe cum stabilem essentiã habeat in magnitudine, numero, cõformatione, & cõiunctione partiũ. Cæterum signa, quæ sumuntur ab his, quę sequuntur essentiã organicarũ partiũ, certissimã quoq; præbent cognitionẽ. Pulchritudo enim quæ ex debita proportione partiũ resultat, variari non potest stante perfecta structura. Sic & actiones bonæ esse dignoscuntur ex bonis operibus. *In his autem quæ sequuntur essentiam temperamenti, quemadmodũ & in ipsa essentia, falli possumus.* Non enim omnes Aethiopes calido sunt temperamẽto & sicco, eo quod colore sunt nigro: nã illorũ color ex Solis ardore prouenit. *Vt ergo in regione tẽperata de colore cutis iudicandum est, ita nullam aliã oportet esse causam, quæ humores secundum naturam habetes mutauerit;* nam in iracundia vniuersus sanguis cõcitatur ad cutem: nõ tamen propterea sanguineus est, qui ita afficitur. In timore liuidum fit corpus deserente sanguine externas partes. Consumpto per morbos humore, aut corrupto, colorem cutis mutari necesse est. *In duro etiam & molli aduertere oportet, ne durum cum tenso aut concreto aut molle cũ flaccido confundamus.* Qui. n. multa carne abũdãt, vt tensã habent cutem, ita duri ab imperitis vocari possent; & pinde sicci: sic q ex nimio frigore veluti

Fontes signorum quos ex corpore.

Essentia quæ comprehendat.

Quid obseruandum, vt ex signis fiat certa cognitio.

A concretũ habent mẽbrũ aliquod, durũ nõnulli idẽ existimarẽt. Eadẽ ratione, quib. deest carnis copia, cutis flaccida redditur, & a nõnullis molle iudicatur esse corpus. *Eodẽ pacto in pilis perpẽdendũ est, an præsẽs, vel præteritũ tẽperamẽtũ indicetur, an humorũ quantitas & defectus pro tẽperamẽto;* nã potest nunc bilis abũdare, cũ tamẽ pili sint nigri, prioris tẽperamenti indicia; multi pili multitudinẽ excremẽti, & humoris ostẽdunt, nõ tẽperamenti alicui⁹ naturã. Sed hęc *alio loco* cõmodi⁹ persequemur. Cęterũ *signũ ab operationib. patitur queq; suas instãtias.* Fieri enim potest, vt aliquis iracũd⁹ sit, & ad alias animi passiones expositus: tamẽ vel religionis, vel pœnæ metu, eas mitigauerit; nõ mutato tamẽ tẽperamẽto. *Sic quod à resistẽtia sumitur indiciũ, violari potest, vel metu, vel alia vi cogẽte.* sępe. n. debiles fortiorib. melius resistunt, collectis ex ira viribus, & mortis metu. Id. n. tam structurã corporis validã quã rationẽ, quæ periculũ admonet: & irã, quæ vires excitat, sequitur. *Iã vero & in iuuantibus lędentibusq; causis est pariter adhibenda quædã animaduersio: ne scilicet quod materiæ ratione fit, id vitio temperamẽti tribuamus.* Non enim frigidi tẽperamenti iudicare debemus esse ventriculũ, si ob crapulã, aut pituitæ iã genitæ copiã ex alia causa, piperis vsu, aut alia re calida iuuatur. *Ergo cũ nullum ferè genus signorũ inuiolabile sit, ex omnibus simul collectis, & his sublatis, quæ rectũ iudicium impedire possint, de hominis optima constitutione nos iudicare oportet.*

C

> Τῶν δ' ἀπολειπομένων μὲν αὐτῆς, ὑγιεινῶν δ' ἔτι, τὰ μὲν ἐν τῇ τ ὁμοιομερῶν ἔσφαλται κράσει μικρόν τι σφάλμα· τὰ δὲ ἐν τῇ τ ὀργανικῶν, μικρόν τι κἀνταῦθα, καὶ ἤτοι πάντων, ἢ τινῶν, ἢ καθ' ἑκάτερον.

Eorum autem, quæ ab ipsa deficiunt, & adhuc tamen salubria existunt, nõnulla quidem in consimilium temperatura vitiũ aliquod paruum habent, nõnulla vero in instrumentariorũ commensuratione, & hoc quidẽ perexiguũ. Accidit autẽ hoc vel in omnibus, vel in aliquib. aut in vtrisq;.

D Proposuerat Gal. se notas tradere velle corporum omniũ salubrium, insalubrium, & neutrorũ. Qua in re primum fontes signorũ aperuit: deindè eos accõmodauit corporib. prorsus salubribus, i. optimè cõstitutis: quod. n. optimũ in omni genere est, aliorũ regula esse debet. Nũc vero, quo modo ex eisdẽ fontib. liceat alias corporũ differẽtias dignoscere, explicat: Estq; totius hui⁹ rei sũma hęc, q eã, quę declinant ab optima cõstitutione, talia esse deprehẽdũtur ex maiore aut minore distãtia eorũ, quę notata sũt esse in corporib. optime cõstitutis. Ita quę corpora nõ *prorsᵘ* sũt salubria, sed tamẽ *simpliciter* salubria adhuc sũt, exiguũ aliquod vitiũ habebũt in tẽperatura similariũ partiũ, vel in structu-

E ra dissimilariũ: quę vero salubria *vt nunc* dicuntur, vitium habebunt in illis tanto maius, quanto magis recedunt à corporib. prorsus salubribus: & hæc quidẽ rectè sunt dicta. verũ addere debebat, eam quoque declinationem fieri in his, quę essentiam sequuntur, nempe in actionibus & accidentibus sequentibus essentiam, necnon in causis gignentibus, iuuantibus, & lędentibus: ac in excrementis, & resistentia subiecti, & aliis omnibus à nobis antea enumeratis. Reliqua vero, quæ habet, in contextu patent.

Τὰ δὲ γένη τῶν σφαλμάτων τὰ αὐτὰ τοῖς τὴν ἀρετὴν αὐτῶν συμπληροῦσι, κρᾶσις μὲν ἐν τοῖς ὁμοιομερέσιν, ἀριθμὸς δὲ καὶ διάπλασις, καὶ μέγεθος, καὶ θέσις ἐν τοῖς ὀργανικοῖς, ἀμφοῖν δὲ κοινὸν ἡ ἕνωσις ἣν δὴ καὶ συνέχειαν αὐτῶν ὀνομάζομεν.

Vitiorum vero genera eadem sunt his, quæ virtutem perficiunt, temperatura quidẽ in consimilibus: numerus autem & formatio & magnitudo & situs in instrumentariis, vtrisque vero communis vnitas, quam ipsarum continuitatem appellamus.

Cum dixisset, corpora salubria, quæ ab optima constitutione recedunt, cognosci ex eo, quod vitiũ aliquod habẽt vel in temperatura, vel in structura organicarum, vel in vtroque, reddit nunc rationẽ, quare hoc fiat. Est autẽ ea ratio, quod vitia sint reponenda in illis rebus, in quib. virtus & perfectio fuerunt posita. Et quoniã antea de vnitate & cõtinuitate mentionẽ nõ fecerat, cum ageret de essentia similariũ & organicarũ partiũ: nec etiã postea, cũ enumeraret vitia, quæ reperiũtur in corporib. salubribus ab optima constitutione recedentibus, nunc reperit supradicta vitia, vt illis adiunctis, quæ in continuitate requiruntur, integrum numerum habeamus. Scribit ergo, quædam esse propria vitia similaribus partibus, qualia sunt, quæ pertinent ad temperiem: alia vero esse propria organicis, ea inquã, quæ nascuntur ex conformatione, magnitudine, numero, & coniunctione partium similariũ componentiũ organicas. *Quod vero vitium nascitur ex vnione & continuitate partium, illud cõmune similaribus, & organicis hic esse statuit*: & in *lib. de differentiis morborũ* id hac ratione se probare putat, quod vnitas, & cõtinuitas cõmunis sit affectio partib. similarib. & organicis, & propterea in eo, q cõmune est, cõmunem fieri morbũ. De qua quidẽ re antiqua est controuersia. Nam Auer. continuitatẽ, & verã vnionem solũ pertinere ad similares partes tradit: eas. n. vere esse vnum, & sibi cõtinuas: ac per illas instrumentarias partes fieri quidem cõtiguas, at non continuas. Ex quibus cõcludit morbũ, & vitia, quæ fiunt in continuitate partium, solum pertinere ad similares partes. Scripsimus nos quidẽ de hac re diligenter in *lib. de generibus morborum*: in quo quidem dissentimus à Gal. sed aliis rationib. Nam cõtinuũ nõ ita proprie & strictè sumit Gal. vt Philos. Quæ. n. sunt firmo nexu coniũcta, vt ossa ossibus, & singulæ partes singulis, illa continua dicit. Auer. etiã ratio facit, vt ea, quę sunt ꝑpria organicis, ad solas similares partes pertinere debeant. *Nam magnitudo, & figura, primo, & per se insunt similaribus, & postea per illas organicis: nõ tamẽ propterea essentia similarium sumitur à figura & earum magnitudine: quoniam illud solum de essentia partis esse dicitur*, (vt in eodem opere ostendimus) *quod facit ad actionem partis*: Atqui pars similaris sub quacunque magnitudine & figura suas actiones probe exercet. Nos vero ostẽdimus, *vnionem, & continuitatem, solum pertinere ad partes organicas*: idque eodem argumento, *quod scilicet similares partes ob diuisiones, quæ in illis fiunt, nõ impediantur exercere sua officia, modo constet temperies, & ipsis idoneum præbeatur alimentum*: quod vulneratæ quidem partes maximè ostendunt, quæ non so-

An morbus in solutione continui sit cõmunis similaribus & organicis.

Auerrois opinio.

Quid sit de essentia partis.

Autoris opinio.

A lum rectè nutriuntur, sed etiam regignunt carnẽ, cuius interuentu rursus vniuntur. Nec Gal. quidẽ ratio, qua vtitur ad communẽ hunc morbũ inuehendũ, aliquid cõcludit. *Siquidenim*, inquit, *secundũ naturam reperitur cõmune similaribus & organicis partibus, quod animantis functionẽ, aut vsum aliquem præstet, in eo vitiato cõmunis morbus ponendus est. At vnitas cõmunis est his partibus: quippe cũ vnaquaq; illarũ dicatur vna esse & vnam edere functionem, vnumque præbere vsum: in eo ergo ponendus est communis morbus.* Nam primum quod de vsu partium scribit, recipiendum non est, cum ex sola læsione actionum, & nõ ex vsu morbos definiamus: & ipse ea vitia, quæ vsum impediunt, nõ morbos,
B sed morborũ causas esse dicat. Præterea ostendere illũ oportebat, quem vsum præstet vnio similarib. partib. vel alio modo conferat, aut illis obsit. Præterea ex simili argumento efficeremus figuram, & magnitudinem pertinere ad vtramque partem: quoniã communes hæ sunt illis affectiones, à quibus figuratæ & magnæ dicuntur. Sed hoc falsum esse agnoscitur, quoniam similaris partis constitutio ab illis nihil patitur. Igitur *vnio & cõtinuitas solũ pertinet ad instrumentarias partes*. Stupidique propterea censendi sunt, qui noua excogitata interpretatione Gal. decretum eo se tueri putant, quod elementorum vnio per morbos similariũ vitietur. Nam non de vitio, quod contingit in mixtione &
C vnione elementorũ, quod solum pertinet ad temperiem, agit Gal. sed de eo, in quo fiunt diuisiones à vulnerantib. contundentib. & his similib. à quibus passim scribit autor ille continuitatẽ & vnionem partium corrumpi. Nam si de ea vnione elementorum intelligeret autor, non posset eandem vocare continuitatẽ, & communẽ ponere partib. organicis: quippe cum *vitia omnia, quæ contingunt ex elementorum mixtione, ad solas duntaxat partes similares pertineant.* Stat ergo firma nostra sententia, quod nullus in solutione continui affectus sit salubris, vel morbosus, communis similaribus & organicis partibus: & ea quidẽ in nostro opere pluribus rationibus confirmata.

D

Ἐν δὲ τοῖς αὐτοῖς τούτοις γένεσι, καὶ ἡ τῶν νοσωδῶν σωμάτων ἐστὶ κακία, καθ' ἑκάτερον τοῦ νοσώδους τὸ σημαινόμενον.

In his autem ipsis generibus sunt corporum insalubrium vitia, secundum vtrumque insalubritatis modum.

Docuit, quonã modo omnia salubria corpora dignoscere possimus. s. ex his, quæ sunt secundum essentiam, & ex illis, quæ ipsam essentiam sequuntur. Cum enim illa sunt perfecta, optimam constitutionem esse significant: cum vero aliquantulum
E ab ea perfectione recedunt, non optimè quidem constituta sunt huiusmodi corpora, sed tamen salubria. Nunc docet, eadẽ ratione cognosci insalubria corpora secundũ vtrumq; insalubritatis modum. Quia enim hæc corpora plurimũ recedunt à corporibus optimè constitutis, non parum, vt salubria, sed magnũ vitium ostendent, vel in essentia partium, vel in his, quæ essentiam sequuntur. Porro vtrumq; vocat insalubritatis modum, insalubre simpliciter, & insalubre vt nunc. Sic enim antea cum de diuisione corporum ageret, duos hos modos posuit.

ὅρος δὲ ἐστὶ διαχωριστικὸς ἡ τῆς ἐνεργείας αἰσθητὴ βλάβη.

Terminus autem, qui vtrumque distinguit, est operationum læsio sensibilis.

Dubiũ est, à quo velit distinguere vtrumq; insalubre. Nam si distinguat ab optima constitutione, vt institutũ videtur exigere, quod s. vtrumq; insalubre operationes habeat sensibiliter læsas: salubria vero nullam habeant, aut certe insensibilẽ læsionẽ: quo modo distinguet insalubria ab ægrotantibus? Nam hæc postea dicet cognosci ex sensibili læsione operationum: tanquã omnia, quæ sunt in latitudine sanitatis, & proinde etiam insalubria, non habeant sensibilem læsionẽ. Sunt autem, qui velint, hic distingui insalubre simpliciter, ab insalubri vt nunc: nec aliter videtur res intelligi posse. Nam insalubria vt nunc, etsi malè, (vt antea ostendimus) tamen illa dicit actu ægrotare. Qui autem ægrotant, sensibiliter læsas edunt operationes. Verum in hoc reprehendendus erit Galenus, quod institutum suum non prosequatur, in quo proposuit, se velle distinguere inter se primum optimè cõstituta corpora, ab aliis omnibus per maiorem, vel minorẽ recessum, in his, quæ sunt de essentia optimæ constitutionis, & essentiam ipsam sequuntur: quo fit, vt *in hoc loco* non debeat quærere distinctionem inter duos modos insalubritatis: nimirum cum id nõ fecerit in salubribus. Porro sententia esset clara, si (vt rei natura postulat,) vtrumque insalubritatis modum posuisset in latitudine sanitatis, & omnia insalubria distingueret à propinquo statu ægrotantium: hi enim à sanis omnib. differunt, quod sensibiles edant actiones. Sed hoc postea erat faciendum, posteaquam notas tradidisset, quib. salubria ab insalubribus & neutris distingui possint. Ego vero non solũ hæc, sed aliqua adhuc ex eis, quæ sequuntur, negligenter scripta animaduerto. Veriorem tamen puto esse sententiam, si intelligamus vtrumque insalubre distingui à salubrib. recedentibus ab optima constitutione. Habent enim insalubria constitutionem suam, & actiones sensibiliter vitiatas: salubria vero vt multum, & vt nunc, nequaquam. Nec obstat, quod dixerim Gale. per sensibilem actionum læsionem, sana omnia ab ægrotis distinguere. Nam illius tractatio cogit nos sensibilem læsionem duobus modis sumere: *vno modo, quod sensu deprehendatur: alio vero, quod insigniter sit vitiata.* Atque illo modo vitia corporum *salubrium* dicũtur insensibilia, quod sensu vix possint deprehendi: insalubrium vero & neutrorum mala, dicuntur *sensibilia: quod sensu facile dignoscantur, non tamen insignem & inutilem actionibus humanis habeant læsionem.* Nam si sensibilem læsionem intelligamus solum, quæ potest sensu dignosci, erunt vtique sanorum & ægrotantium vitia pariter sensibilia. Nam postea *in fine huius capitis* scribit, sensum debere esse iudicem omnium, quæ sanis & ægris contingunt.

Sensibilem læsionem actionis dupliciter sumi.

Τὰ δὲ τῆς ἀρίστης ἀπολειπόμενα κατασκευῆς σώματα βραχύ τι, βέβλαπται μὲν δὴ καὶ αὐτὰ κατά γε τὴν ἀλήθειαν, οὐ μὴν αἰσθητόν γε τοῦτο διορίζει. τῷ γὰρ ἐν αὐτὰ τὸ μᾶλλόν τε, καὶ ἧττον, ἔν τε ταῖς ἐνεργείαις, καὶ τῷ ταῖς νοσώδεσιν αἰτίαις ἀντιμάχεσθαι. τὰ δέ γε ἁπλῶς νοσώδη σώματα διώρισται τῷ τε ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν νοσωδῶν αἰτιῶν νικᾶσθαι, καὶ τῷ πολύ τι κατὰ τὴν ἀρετὴν τῶν ἐνεργειῶν ἀπολείπεσθαι. γίνεται γοῦν ἀμφοῖν ἐν μέσῳ τὰ οὐδέτερά τε ἁπλῶς λεγόμενα, καὶ τὰ σὺν τινὶ πλάτει.

Quæ vero ab optima corporum constitutione breue aliquid deficiunt, re vera quidem & ipsa in aliquo sunt offensa: non tamen id sensu comprehenditur. Distinguuntur vero ex eo, quod magis, minusue in operationib. existit, ac quia causis, quæ ægritudinem pariunt, non æque resistunt. Quæ autem simpliciter insalubria sunt corpora, distinguũtur ob id, quod facile à causis, quæ morbos committẽdi vim habent, superantur, & quoniã in vigore operationum plurimum deficiunt. In medio autẽ amborũ collocãtur ea, quæ neutra exquisitè appellantur, & cum latitudine quadã.

Hęc verba satis videntur ostendere ipsum *hic*, & *in proximo contextu* ostendere velle distinctionem corporum, quæ in latitudine sanitatis sunt inter se, & ab his postea, quæ ægrotant. Nam corpora salubria, cognoscuntur esse non optime constituta, quod re vera sint in aliquo offensa. Quod, inquit, (*in aliquo*) intelligendum est in his, quæ pertinent ad essentiam. Nam cum dicat, hæc vitia latere sensum, & postea ex operationibus distinctionem fieri, si pariter intelligeret, offensã actionũ sensu nõ percipi, quomodo distinctio fieri posset? Sententia ergo est, quod optimè constituta corpora, nullum penitus habeãt vitiũ; salubria vero corpora vt multũ & vt nunc, vitiũ quidẽ aliquod habeant. Verum huiusmodi lapsus exiguus neq. ab accidentibus sequentib. essentiã dignosci potest. Sed solũ ex operationib. imperfectiorib. & minore resistentia aduersus causas morborũ. Verum sophisticã doctrinam instituit. Nam affectiones corporis *in lib. de san. tuen. & hic post aliquot lineas*, non nisi sensu iudicari vult. Quapropter qui nouit optimam constitutionẽ, qualis sit, sensu facilè poterit diiudicare, quid illi desit, siue multum illud sit, ac in ipsa essentia, vel his, quę essentiam sequuntur, positum. Nec magis licebit sensu deprehendere vnum, quam aliud. Cæterũ quod scribit de corporib. insalubrib. ita intelligendũ est, quod ea nõ solũ facilius superentur quã salubria à causis morborũ, & in vigore siue virtute operationum plurimum deficiant ab optima cõstitutione: sed quod etiam in ipsa tẽperie vel structura organicarũ, atq. in secũdis qualitatib. euidentior appareat noxa. Quod vero scribit de sensibili læsione, & de eo, quod sensus iudicat, postea interpretabimur, cum hæc verba repetet in notis corporum ægrotantium. Illud autem solum addere volo, iam patere, malè fuisse positum numerum fontium signorum. Nam quod scribit *hic* de resistentia maiore vel minore aduersus causas morborum, à nullo ex positis ab eo fontib. dicitur. Nec etiã constat, in quo velit positam esse hanc resistentiã, & quas ob causas illa fiat. Credere enim quis posset, corpora optimè constituta, rarius non solũ ægrotare, sed etiã læuiorib. morbis corripi: quod verum non esse agnoscitur. *Nam etsi sæpe morbis nõ laborant, tamen non nisi grauissimis affici solent: propterea quod temperata, & optimè constituta eorũ natura, & quod eis subest robur, non nisi à magnis causis corrumpi potest: leuiorib. n. resistit, nec ab illis promptè mutari*

Corpora optime constituta raro quidem, sed grauissimis tamen afficiuntur morbis.

mutari valet. Porro causa, cur eadē corpora rarius quam alia, quę sunt male constituta, in morbos incidant, petitur partim ab agentib. partim vero ab eo, quod patitur. Nam cum efficientes morborum causæ sumantur vel ab his, quæ extrinsecus, vel in nobis aguut, necesse est, vt quæ in nobis sunt, minorem nocendi vim habeant, si corpus est optimè constitutum, quam si aliter est affectum. Etenim in illo somnus, vigilia, cibi & potus appetitus, excreta, & retenta, corporis & animi motus, & denique quicquid ex nobis oritur, moderatum est, & propterea raro, vel nunquam fieri potest morbi causa. Iam vero moderata, quæ ex his principiis oritur; appetentia, facit, vt minus lædi possint optimæ constitutiones: qui enim non nisi moderata appetunt, paucioribus externis iniuriis obiiciuntur. Nam labori, calori, frigori, nauigationibus, præliis, minus sese offerunt, qui sibiipsis leges imponere possunt, quib. libidines corporis, atq; ambitiones, diuitias, & alia cupiditatis studia effugiāt. Quia ergo internas non habēt illi morbi causas, & externas pauciores, & leuiores, à morbis merito tutiores sunt. Qua quidem ratione contingere videtur, vt bruta animalia rarius, quam homines ægrotent: *desunt enim illis animi cogitationes, quæ nos emaciant, & diuersorum ciborum, & potionum, atq; multarum rerum, quæ animū & corpus nostrum deseruiant, appetitus.* Porro ex subiecti ratione idem etiam contingit. Nam qui optimam habent temperiem & structuram, vt mediocriter habent in calido, frigido, humido, sicco, raro, denso, molli, duro, crasso, & gracili: ita ex propria sua compositione satis resistunt omnibus morbosis causis. Quia præterea cum ea compositione vires adsunt validæ, (vt antea ostendimus,) ideo minus pati possunt, & recipere illatas ab aliis iniurias nā vt inquit Gal. *virtus fortis omnia contemnit.* His igitur rationib. optima constitutio inter alias omnes raro ægrotat, & omnibus ac singulis morbosis causis ita resistit, vt nihil in ea damnari possit, etsi interim à quibusdam causis facilius vincitur, quam aliæ, quæ deterius sunt affectæ. Etenim externas causas difficilius admittit densum & durum corpus, quam temperatum, & per rarum promptius transpirant noxii vapores, & humores. Tamen præferenda ea constitutio est, quæ ad omnes iniurias *simul sumptas*, melius est affecta, & *ad singulas repellēdas moderatè est comparata. Quod enim in suo genere satis & perfectè etiā agit, in omni re illud perfectū censendum est, & præferendum ei, quod in parte solum præualet.* Qua quidem in re suspectæ falsitatis mihi videtur esse *problema 22. quinta sectionis*, non solum, quod interpres ad morbos trahat, quod pertinet solum ad laborem & lassitudinē, vt ex Græca dictione apparet: sed etiam quod autor putet, temperata corpora facilius incidere in laborē & lassitudinē, eo quod sint moderata & æquabilia, & ex eo fieri dicat, vt si vna pars laboret, totū protinus ei compatiatur. Nā etsi partes, quæ sunt eiusdem temperamenti, facile admittunt easdem affectiones: tamē causæ, quę afficiunt, non semper aptæ sunt omnes partes afficere. Nam per morbos sæpe læditur ventriculus, hepate & aliis partibus nequaquam affectis: sic per immoderatos motus soli articuli affici solent. Quod item *eodem loco* Arist. scribit, temperata & moderata corpor. facilitis aliis curari à laboribus eo quod malum in illis commune sit, & propterea debilius, quo se in pluras sparserit, experientiæ repugnat. Nam *facilius sanamus vnius partis, affectus, quam totius corporis æqualia mala.*

Bruta cur rarius quam nos ægrotent.

> Καὶ τμηθήσεται τὸ τῆς ὅλης ὑγείας πλάτος εἰς τρία μόρια πλάτος ἔχοντα καὶ αὐτὰ συχνόν. ἐν τὸ μὲν πρῶτον, ἐστὶ τῶν ὑγιαινόντων σωμάτων, τὸ δὲ δεύτερον, τῶν οὐδετέρων. τὸ δὲ τρίτον τῶν νοσωδῶν, οἷς ἐφεξῆς ἐστι τὰ ἤδη νοσοῦντα σώματα, βλάβαις αἰσθηταῖς ἐνεργειῶν ἀφωρισμένα.
>
> *Quo fit, vt tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubriū, post quæ deinceps sequuntur, quæ iam ægrotant, corpora, quæ sensibilibus operationū læsionibus distinguuntur.*

Ex præcedenti tractatione tandem colligit rei propositæ summā, nempe distinctionem corporū, quæ sunt comprehensa in latitudine sanitatis, & postea quomodo illa omnia differāt à corporibus ægrotātibus. Dicit igitur *totā sanitatis latitudinē in quatuor classes diuidi, & in prima cōprehēdi salubria, in secunda neutra, in tertia insalubria.* Deinde ait, *in singulis partibus dari latitudinem.* Ex quibus quidem verbis patere omnib. puto, quod antea dixi, *salubria, insalubria, & neutra corpora necessario esse sana actu,* & non solum potentiam quandā habere ad sanitatem, vt alii interpretes hactenus crediderunt. Deinde cum dicat salubria corpora & neutra contineri in latitudine sanitatis & *latitudinem in singulo genere dari*, non dubium est, quin intelligat omnia salubria & neutra, & non solum illa, quæ simpliciter sunt talia. Hæc enim latitudinem non faciunt: siquidem, quod prorsus non est tale, minimū recedit ab eo, quod prorsus tale est. Addo quod absurdum esset salubre vt nunc, à sanitate per quā definitur, excludere. Quod si salubria omnia & neutra in latitudine sanitatis posita intelliguntur, idem quoq; de insalubrib. intelligendum. Ex quo quidē sequitur, Gal. antea malè definiuisse insalubre vt nunc, illud esse, quod ægrotat. Nam vbi erit latitudo insalubriū magna, quā dicit esse in sanitate, si excludas à sanitate insalubria vt nunc? Rectius ergo hic scribit, *post insalubria, omnia*, inquam, *sequi corpora ægrotantia.* Sed quod scribit *illa cognosci, & distingui à sanis, per sensibilem læsionem operationum*, eget animaduersione. Nam cum *paulo antea* dixisset, optimè constituta corpora omnia optima & perfecta habere: alia vero, quæ ab illis recedunt, plus vel minus vitiata in aliquo esse, & postea scribat, sensū debere esse iudicē perfectionis, & imperfectionis, virtutis, & vitii, quæ in omnib. propositis corporib. reperiūtur: quo pacto quæso solū læsiones ægrotantiū hic sensibiles esse statuit? Dicā de hac re, quod sentio, Gal. inquā hoc vocabulo (*sensibilis*) hanc tractationem non solum hic, sed *vbique alibi* obscuriorem reddidisse. Nam si *sensibile* intelligit vitium, quod *sensu* deprehendit, vniuersi lapsus ab optima constitutione erunt morbosi. Nimirum quod non nisi sensum velit illorū esse iudicē. Alio ergo vocabulo debebat morbos, & quæ ad eos pertinent, exprimere, quod scilicet ægrotantia corpora edant *inutiles actiones* ad vitæ officia obeunda. alii vero, qui insalubres sunt.

Locus, quo expressè docet Gal. malè definiuisse insalubre vt nunc.

Dubium.

Dubii solutio.

Verbum sensibiliter latum, confundere hanc tractationem.

vel alio modo ab optima constitutione recedẽtes, edant quidẽ actiones *deteriores*, quas tamen nemo it damnare debeat, vt medicina quærẽda sit, quæ illis succurrat, tanquã morbo laborantib. Vel ergo verba mutanda sunt, cũ res mutatur, aut quod *sensibile* dicit, non eodem modo ab eo autore vsurpari intelligendum est.

Sensibilis læsionis duplex intellectus.

Nam (vt ante diximus) sensibilis læsio aliquando capi debet pro ea, quæ quocunq; modo sensu deprehẽdi potest recedere ab eo, quod est perfectum: Aliquando vero idem est facta inutilis, quales sunt illæ, quæ insignẽ habent læsionem; & quoniam illæ maximè sunt sensibiles ob insignem ipsarum exuperantiam, ideo fortè à Gal. sensibiles nomine vniuersali sunt nũcupatæ. Hanc nostrã interpretationem videntur confirmare, quæ statim sequuntur.

Actiones à morbis profectæ quomodo ab iis, quæ à mala sanitate fiunt, differãt.

Nam actiones, quæ fiunt cum dolore, vel cum motib. deprauatis, scribit Gal. manifestam habere determinationem, id est, euidentes notas, quod à morbis proficiscantur. Debiles vero functiones, aut dubias esse, an nascantur à morbo, vel mala sanitate, vel alio statu, nisi magna sit debilitas: tunc.n. iam euidenter dignosci huiusmodi imbecillitatem, non nisi à morbis nasci posse, tanquam idem sit sensibilis & insignis noxa. At vero quoniã non solum in hoc verbo, sed in tota morbi definitione obscuritas est à paucis hactenus intellecta, & quæ nos de ea re memoriæ mandauimus, à nonnullis sunt reprehensa, operæpretiũ esse puto hic Morbi definitionem examinare, vt non solum me ipsum defendã, sed magis vt sequentibus lucem præbeamus: quæ nequaquam intelligi possunt, nisi res hæc plane sit nota.

Quid morbis, symptomatibus, causis & effectis sit commune.

Et quoniã non est facile morbos à symptomatis, sine à suis effectis & causis separare, ideo de illis quoq; erit agendum, ac ab eo, quod illis omnibus cõmune est, auspicandum. Est autem id, *quod præter naturam* esse omnia hæc dicitur: de quo verbo controuersia est inter interpretes, quemadmodũ etiã de suo contrario quod est *secundum naturam*.

De eo, quod est secundũ, præter, & cõtra naturã, disputatio.

Nam cũ Aristot. *in 2. Phys.* docuisset, *naturam esse materiam vel formam, & magis hanc, quam illam* vocandam naturam esse, & illa habere naturã, quę huiusmodi habent principiũ; subiungit illa esse secundũ naturã, quæcunq; habent huiusmodi principiũ, quæcunq, his insunt secundũ se, vt igni ferri sursum. *Hoc enim*, inquit, *natura non est, neq; habet naturam, sed à natura & secũdum naturam est.* Quib. quidem verbis, cũ potius exempla quædam ponat eorũ, quæ sunt secundũ naturã, quam ipsũ definiat, quod secundũ naturã dicitur, reliquit nobis multa, in quib. merito dubitare possumus. Nã cum quædã dicantur etiã esse præter naturam, alia à quibusdã contra naturã & illa in eo loco non definiat, nec etiã exemplis patefaciat, necesse est in tota ipsius tractatione, atq; etiã in nostra facultate, quæ ab illa nascitur, controuersias oriri. Dubiũ enim esse potest, an morbi sint secundum, vel præter, aut contra naturam. Idem etiam contingit de morte, de motu elementorum, quo illa in contrarium feruntur: veluti cum ignis deorsum pellitur, aut terra sursum attollitur, vel cum motu cœli elementa rapiuntur, & circumuoluuntur. Gal. prætere a dicit, putredinẽ esse præter naturã. Arist. vero secundũ naturã corruptionẽ. Est etiam, cũ scribit Gal. quædam fieri solum præter naturam, alia vero hoc addito, quod *toto genere* præter naturam sint. Præterea est locus in *lib. 4. de Gener. Anim. cap. 4.* vbi Arist. scribit, aliquid esse monstruosum, esse

A non præter naturam, sed præter eam, inquit, quæ magna ex parte fit: nam præter eã, quæ semper, & necessario est: nihil fit. Verũ in rebus his, quæ magna quidẽ ex parte ita fiunt, sed aliter etiã possunt fieri, euenit, quod præter naturam consistit: nam & inter eas ipsas, quibus accidit quidẽ præter hunc ordinẽ, sed nunquã quolibet modo, minus monstruosum esse videtur: quoniã *quod præter naturam fit idem etiã secundũ naturã quodammodo est, cũ naturã materiæ, natura formæ non superat.* Quamobrẽ nec ea monstri nomine appellantur: neq; vbi fieri aliquid solet, vt in fructib. veluti si vitis quoddam genus, quod capneam vocant, nigram vuam ferat, quæ albam ferre solebat, monstrũ id esse nõ

B putant: quoniã sæpissime id facere ea soleat, caussa est, quod sua natura inter albam & nigrã est. Itaque non longè discedit, nec præter naturam ferè, non enim in aliam naturam transitur. Quo loco etiam gradus quosdam ponit inter illa, quæ sunt pręter naturã. Nam si vitiũ accidit in partibus principalib. maximè illud monstruosum est, & præter naturam, nec viuere possunt animalia, quæ ita sunt affecta. si in aliis vero hoc fiat, veluti si quis nascatur vno accrescente, vel deficiente digito, minus monstruosum est: sed magis adhuc, si hepar, & lien suum situm inuicem commutant. Monstruosum vero & præter naturam magis est, si absque liene nascatur quispiã. Hæc ergo & similia dicũtur,

C & inueniuntur scripta de eo, quod est secundum & præter naturam. Quæ quidem sunt obscura & incerta, quia definitiones, & principia eorum non sunt posita. Quod si Arist. interpretes semina, quę ipse de hac re posuit *in 2. Phys.* excoluissent, clariora nobis omnia essent: sed cum illi obscuriores suas interpretationes, quã sit authoris dictio reliquerint, an eã, quæ ipsi tradunt, complectantur particularia omnia, quæ alibi Arist. de hac re docet, difficultatem nequaquam minuerunt.

Simplicius sententia de eo, quod est secundum naturam & præter naturam.

Ac ne longius abeas, Simplicius illud appellat esse secundum naturam, quod fit secundum rationem naturæ, & quæ habent propriam perfectionem. Qua ratione cæcitatem ab ortu, & omnia,

D quæ in priuatione consistunt, non esse secundum naturam asserit, quia illa non sunt perfectiones rei.

Simplicius reprobatur.

Addit etiam, morbos non esse secundũ naturam: quoniam quod secundum naturam est, dicitur de solo, quod accidit consulto, & ex proposito naturæ. Idcirco secundũ naturam dicimus sanari quempiã, inquit ille, sed *ægrotare, naturæ accidere, cũ sit præter naturã, esse tamen id naturæ, cum perinde fiat, ac si fieret per actionem naturæ.* Cuius quidem interpretatio authori suo non conuenit.

Authoris opinio.

Nam Arist. *in lib. 4. meteor.* Putrefactionem, quæ corruptio est, naturalem vocat, & ea quidem est secundum naturam, si ex naturæ principiis, & à natura ipsa fit. Præterea *vt vita, ita & mors naturalis secũdum naturam est, & dici debet, quippe cum vtraque*

E *fiat à natura ipsa, & ex principiis, quibus constamus.* Addo, quod Arist. *in loco præcitato in lib. de generatione animalium* dicat monstra quodammodo esse secundum naturam: cum tamen in illis nulla sit perfectio, nec electio naturæ nec propositum. Postremo debebat Simplicius aliquid scribere de his, quæ sunt præter naturam. Ego vero (vt dicam, quod de hac re sentio) arbitror, nõ aliter posse hæc explicari, quam ex cõsideratione ipsius naturæ. Nam si natura est forma & materia, sequitur *illa esse secundum naturam, quæ fiunt & procedunt*

Quæ sint secundum naturam.

ab ipsa

ab ipsa natura: vnde sequitur, vt illa maxime dicantur esse secundum naturam, quę proueniunt ab vtroque principio. Secundi ordinis sunt, quæ solum ab vna natura fiunt. Et quoniam forma est magis natura, q̃ materia, ideo in quib. forma seruatur, & formę vis, illa magis secundum naturam sunt, quã alia, in quibus forma, vel obscura residet, propria tamen materia remanet. *Ea vero in quibus nec forma, nec materia similis seruatur, nullo pacto secundũ naturam vocari possunt.* *Vt ergo illa prima, in quibus forma & materia vis dominatur, planè secundũ naturam sunt: ita hæc vltima, toto genere præter naturam censenda sunt esse: quoniam tota natura in his deficit. media vero inter hæc extrema, re vera, & perfecte non sunt secundum naturam, nec prorsus præter naturam, sed mixta: propterea secundum, & præter naturam rectè vocari possunt.* Itaque animalia, & proprias ipsorum partes, optime dixit Aristot. esse secundum naturam, quia constant ex perfecta vtraque natura, propria inquam forma & propria materia. Ita motus, actiones, qualitates, & aliæ, si quæ sunt, accidentia rebus, dicuntur esse secũdum naturam; quoniam formam & materiam sequuntur. Generatio vero lapidis in renibus & vesica, & lumbricorũ in intestinis, toto genere sunt præter naturam Galeno etiã autore: quoniã nec illorum materia, nec forma talis est, qualis est materia & forma nostri corporis, & partiũ, in quib. ea gignũtur. Cæterum monstra, vt rectè scribit Arist. præter naturam quidem sunt, sed etiam quodammodo secundum naturam. *Nam in illis materia seruari solet, sed naturalis forma mutari:* veluti si homo nascatur pedibus, vel capite, aut alia parte nulla: quatenus enim materia subest illi apta ad hominis proprias partes effingendas, secundum naturam: quatenus vero forma partiũ hominis mutata est eatenus, quod præter naturam est, locum habet. Quod si nec caput, nec alia pars animalis figurata est, sed aliquid deforme pro hominis membris est, effectum, monstruosa præter naturam magis apparet huiusmodi compositio. In quo genere vidẽtur reponendæ molæ mulierum, quæ sunt carnes informes, exiguis motibus præditæ, mediam quãdam inter viuentia, & non viuentia æmulãtes naturam. *Tantum ergo recedunt res ab eo, quod est secundum naturam, quantũ absunt a propria materia & forma.* Et quoniam gradus plurimi (vt diximus) dantur, ideo merito quædam plus vel minus secundum, & præter naturam esse dicuntur. De extremis vero dubium non est: quoniam quæ perfectam habent in se vtramque naturam, illa secundum naturam: quæ vero neutram habent in se naturam propriam, prorsus sunt præter naturã. Ac vt ad ista principia referamus particularia, mors dicitur aliquando esse secundum, aliquando vero præter naturam. Nam *quæ ab internis principiis fit, nullo extrinseco accedente, merito naturalis, & secundum naturam, dicenda est. Quæ vero ex erroribus, vel violentia aliqua accidit immatura, violenta, non naturalis, nec secundum, sed præter naturam iudicatur esse:* quoniam etsi forte adiuuant illam etiam principia, quæ in nobis sunt, vt calor, frigus, tamen principium motus non incœpit à natura. Iam vero morbi omnes præter naturam censentur esse ea ratione, quod nullo accidente errore, à natura non fiant. Nam *naturalis mors,* (vt rectè etiam scribit Aristot.) *sine morbo & sensu doloris accedit.* Cæterum quoniam illa, quæ sunt à

Quæ sint toto genere secundum vel præter naturam, & quæ media.

Quæ secundum & præter naturam dici possint.

Monstra esse quodammodo secundum naturam.

Mola mulierum quomodo præter naturam.

Mors quæ sit secundum & quæ præter naturam.

Morbi omnes quomodo præter naturam. Mors quomodo ...

propria natura, moderata & singulis rebus conuenientia sunt, ideo q̃ talia sunt, secundũ naturam: *quæ vero sunt immoderata, & excedentia in rebus,* præter naturam dici solent. Quomodo Galen. morbum vocat præter, & sanitatem secundum naturam: vt apertè testatur in *libro 14. Methodi medendi cap. 14.* vbi ita scribit: *Dixi hoc loco conuenientem: quod si conferentem vel conducentem vel secundum naturam, vel vt item alibi vsurpauero, eadẽ sermonis vis erit.* Differunt ergo sanitas & morbus *non specie & forma, non vera contrarietate, vt album & nigrum, in quibus forma est diuersa, sed solum gradu per magis & minus:* nam sanitas, in mediocritate quadam est posita, propterea à natura & secundum naturam, & eadem ratione conueniens & vtilis animalibus. Morbus vero in excessu, & immoderantia collocatus præter naturã, inutilis, & noxius est rebus viuentibus. Sic putredo ab Aristot. rectè *secundum naturam dicitur esse, quia ex quatuor qualitatibus primis, ex quibus constans illa, quæ ex solis fiunt elementis, nascitur, nullo extrinseco accedente.* A Galeno vero *præter naturam* esse dicitur, *quoniam res non est vtilis & conueniens viuenti homini,* cuius moderantiam quærit Medicus.

Quæ præter naturam. Sanitas & morbus quomodo differant.

Putredo quomodo secundum & præter naturam dicatur esse.

Porro elementorum motus, qui fit circumuolutione cœli, non est illis secundum naturam, quia non fit à propria eorum forma, sed præter naturã, non tamen toto genere, cum illorum forma & materia patiantur eam circumuolutionem absque magna violentia. Rectè illud quoq; scribit Arist. non esse præter naturã, & monstrum vocandum quod fieri solet, veluti si vitis aliquando nigras, aliquando albas vuas ferat. Nam hoc à natura fit apta ad vtramque generationem. Rectè quoque Simp. sentit etsi ex principiis hoc non ducit cæcitatem esse præter naturam, *quoniam non sequitur naturam videntis, & generantis, & res est inutilis: non autẽ ita dicitur, quod non fiat ex intentione naturæ:* non n. natura consulto agit: esset aũt secundum naturã si cæcus à cæco generaretur, quia formam generantis sequitur. Hæc ergo de eo, quod est secundũ & præter naturam dicta sufficiant.

Motus elementorum qui fit motu cœli qualis sit.

Cæcitas cur præter naturam, & quomodo naturalis.

De eo vero, quod est contra naturam, non solent Græci, præsertim Aristoteles mentionem facere, etsi noster interpres, quod ille scribit παρὰ φύσιν, vertit *præter,* aliquando vero *contra naturam.* Mihi tamen videtur esse huius verbi necessarius vsus: nam si quis dicat, se vidisse ex lapidibus factos esse homines, & negaret hoc alius, rationemque huius rei addere vellet, diceret hoc fieri non posse, eo quod sit contra naturam. Rectius enim contra, quam præter naturam hoc fieri dicet. *Sit ergo illud contra naturam quod nullo modo fieri potest ob naturæ repugnantiam, differens ab eo, quod est præter naturam: quippe cum hoc fieri possit, & si non à propria sua natura, vel non vtraque.* Hæc si vera sunt, quæ tradidimus, vt putamus esse, quoniam ex ipsa rerum natura sunt ducta, refellunt, quæ recentiores perperam de eadem re excogitarunt. Nam Fernelius illa dicit esse præter naturam, quæ naturæ nullam vim inferunt, cuiusmodi est fœdus ictericorum color, & qui solis ardore contrahitur, & faciei lentigo, & omnis leuior affectus, qui ob paruitatem, nec nostris, nec laborantium sensibus animaduerti potest. Illud vero contra naturam esse, quod non solum naturæ limites excedit, sed etiam illi vim

Contra naturam quid.

Contra naturam existens quomodo à præternaturali differat.

Fernelii & Græc. Tub. opinio de eo quod est contra & præter naturam.

infert, eiusque vires & functiones manifestè interturbat. Sed dicat mihi ille, quo autore, quave ratione de his nominibus ita statuat. Nā Gal. morbos, causas morborum, & symptomata omnia, *præter naturam* esse dicit, & non solum leuiores affectus, aut qualitates solum, quę morbos sequūtur. Male quoque Gram. Tubin. definit, illud esse præter naturam, quod naturam nostram corrumpit. Nam symptomata multa sunt, quæ nullam vim habent agendi in corpus nostrū. Sed ne singulos locos excutiam, ex quibus argumenta contra illos afferre possum, hoc solum sufficere puto: quod cū ipsi Medici sint & Gal. sectatores, debebāt non ex suo arbitrio vocabulorum significationes effingere: nec ex alio autore, sed ex solo Gal. eas trāscribere. Atqui vt antea ostendimus Gal. *ea præter, & contra naturam vocat esse, quæ excedunt conuenientem, & vtilem sanis corporibus conditionem.* Erit ergo morbus omnis & causa morbi, & effectus morbi, siue symptoma præter naturam, quia hæc longe recedunt ab eo, quod est in nobis secundum naturam, & nobis vtile & conueniens. Cæterum scribit Gale. morbum esse præter naturam affectum siue dispositionem, quam Græci διάθεσιν vocant. Quod nomen, inquit Fernelius, non eo modo sumitur à Gale. vt ab Arist. Gal. enim omnē corporis constitutionem hoc nomine significare, siue ea in substantia vel qualitate, aut in temperamento, aut in cōformatione, vel in figura, vel magnitudine, vel numero consistat. Affectum enim omnem nasci ex motione, quæ respectu eius, qui mouet, actio, siue (vt ille vocat) affectio à Græcis ἐνέργεια dicitur: respectu vero corporis, in quod agitur, πάθος, i. passio, & vt ille vocat) affectio nuncupatur. Ex affectione autem tandem nasci affectū. Itaque actionem & passionem sublata causa protinus cessare. Affectum vero ipsum interdum remanere, cuiusmodi est vulnus gladio inflictū: aliquando vero minimum subsistere: causa n. ablata, vel vna, aut statim postea deleri, sicut est febris putrida, quę vacuato humore putrido euanescit. Addit, nonnunquam fieri, vt ex affectione nullus emergat affectus, veluti si leuis, aut breuis est affectio, sicut contingit in leui punctura acus, aut cū dolor, & delirium accidit cerebro læso à vapore ascendente à ventriculo. Vult n. dolorem & deliriū esse affectiones capitis, non tamen affectus; & propterea in huiusmodi dolore & delirio nullum esse morbum in capite. Itaque *morbum & sanitatē non esse affectiones, sed affectus.* Affectiones n. symptomata esse. Hæc quidem Fernelius *in vltima editione suæ medicinæ* tradit, postea quam nos opus nostrum de morbis edidimus, & illi materiam dedimus scribendi de his rebus, & à nobis dissentiendi, *interimque transferendi ex nostris multa.* Cum eo libenter congrediar, quē non addictum scriptoribus, nec superstitiosum interpretem agnosco, sed libero ingenio præditum, qui ferret, si viueret, sua refelli, vt ille aduersus alios modeste scribit. Illud ergo primum, quod scribit Gal. aliter dispositionis affectionisque nomen sumere, quam faciat Arist. non probat, imo ex eo quod scribit, cogitur fateri, vtrumque autorem eodem modo hoc nomen vsurpare. Nam Arist. dispositionem solum in genere qualitatis contineri vult: idem fatentur Gale. & Fernelius, cum dicunt esse constitutionem: quid enim, aliud quæso, est constitutio corporis, quam qualitas quædam corporis? Verum in eo aberrat, cum scribit, ipsam constitutionem esse affectum. Nam *affectus constitutionem sequitur.* Cum enim constituitur res aliqua, necesse est, illam affici bene vel male: hinc bene vel male illa affecta dicitur. Porro substantia constituitur & afficitur: & ex qualitatibus, magnitudine, conformatione, & cæteris rebus, quibus constant res singulę, eædem afficiuntur: in ipsa autem conformatione, & rerum magnitudine, non est affectus, vt Fernelius credit, & multo magis aberrat, si intelligat, ipsā substantiā, conformationem, figuram, & magnitudinem cōstitutiones esse. Ita enim intelligat oportet, cum dicit, affectum esse id, quod per motum & passionem acquiritur. Nam substantia motu patitur, & actione agentis. At absurdum est, substantiam esse constitutionem siue dispositionem. Habet illa quidem suam constitutionem, & dispositionē, verum ipsa dispositio esse non potest, nec constitutio, nec affectus. Præstaret, vt ille quoque pro affectionis nomine actionem vsurparet, & loco affectionis passionem. Sunt enim hæc vocabula à Philosophis & Medicis longo vsu recepta, & ideo clariora. Cæterum cum affectum dicat aliquando non manere sublata efficiente causa, & idem dicat de affectione, quo pacto potest tunc inter affectū eum, & affectionem discrimen aliquod ponere? Illud vero quis ferat, cerebrū morbo non laborare, cum dolore torquetur, aut homo delirat ex vapore, & causa in cerebro contēta? Nā si dolor huiusmodi nascitur à continui solutione, quis negabit, illic esse morbum? Male illud quoque scribit, affectiones esse symptomata, & non morbos: Nā Gal. passim distinguit pathos à symptomate. Et in quo, quæso, genere symptomatum poneretur: nō quidem in qualitatibus mutatis: hęc tamen sequūtur morbum; passio vero *via & motus est ad morbum.* Et in quo, quæso, alio symptomate locum inueniet, non erit actio læsa, non excrementum. Iam vero illud expendamus, quod non solum Fer. sed Alexan. & Grammat. Tubingensem aduersus nos concitat. Putamus nos *sanitatem & morbum non semper esse affectus,* id est, essentiam nōn habere in facto esse, siue in permanentia: dicitur autem illud esse huiusmodi, *quod per aliquod tempus permanere est aptum, remota causa, quæ tunc agebat:* vt dolor capitis, qui nascitur à stomacho, dicitur esse in fieri: quoniam sanato stomacho, simul tollitur dolor capitis. Quod si dolor adhuc manet, dicitur tunc caput affici, & habere malum in facto esse, & tunc morbo laborare. Hanc opinionem tenuit Gal. *cap. 2. de differentiis sympto. & secundo primi de locis affectis:* quam alibi euidentissime refellit. Nā *in fine primi capit. & in 2. lib. primi de locis affectis,* ita ad verbum scribit: *Qui vero partem quampiam tunc solum arbitrantur esse affectam, cum in essentia ipsius permanens fuerit dispositio, legislatoris munere fungi videtur. Nam quis, inquit, negabit intestinum esse affectum, quando dolet, & si excreto humore, finitur etiam momento temporis dolor, ita vt non possit remanere remota causa fiunt, etiam tunc actiones sensibiliter læsæ.* Subiungit; *sic affici aliquem dicimus, etiam si nulla maneat dispositio, remoto eo, quod nocebat.* Addit res similares, vt morbum, intemperiem, inflammationem, dysenteriam, esse, dum fiunt. Accedit, quod *primo & secundo Methodi* ex professo hanc opinionē longa oratione euertere studet. *Nam, inquit, quod paruum aut nullum perdurat morbus, non consistentis morbi*

Margin notes: Fernelius opinio ... — Fernelius confutatur. — Constitutio corporis quid. — Passio quid. — Sanitatem & morbum non semper esse affectum. Affectus quid.

morbi essentiam, sed differentiam ponit inter morbum longum & breuem. Addit, illos, qui hanc opinionem sequuntur, non posse constituere certum tempus, per quod durare velint eã suam affectionem sublata causa ipsius. An non etiam id refellũt remedia, quæ adhibentur parti, dum causa morbosa in ea continetur? Nam repercutiẽtia & resoluentia capiti admouemus, quando illud vitio stomachi dolet. Postremo sequeretur, inter febres solum hecticam morbum esse: quippe cum in aliis similares partes, quarum febris est morbus, dicantur esse in calefieri, non autem in calefacto. Quod & Fernelius sponte videtur fateri, cum putridam febrem remoto humore putrido, nihil aut minimum persistere tradat. Mirum profecto, si putrida febris morbus non est: multo enim minus erit diaria, synocha, quæ cum sanguinis extractione euanescit. Paucos ergo habebimus morbos. Solet Galenus aliquando aliter vsurpare id, quod est in fieri, quod scilicet tamdiu est, quamdiu fit, & nullam positionem habet. Quomodo actiones dicit habere essentiam suam in fieri? quomodo etiam *in lib. de Constitutione artis* scribit, Artes quasdam esse actiones, vt saltatoriam, musicam, & reliquas, quæ nullum opus post actionem relinquunt? Hoc modo profecto nullus morbus est in fieri, quia qualitas est à causa morbosa corpori inducta. Verum si quis huiusmodi qualitatem nolit morbum esse, nisi cum ita impressa est, vt corpori tenacissime hæreat, permanereque possit ex vitio duntaxat eorum, quæ partes nostri corporis constituunt, vt caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis, ex quibus temperies similariũ partium cõficitur, remotis vel humoribus, vel aliis causis, quę huiusmodi qualitates auxerunt, ille profecto, vt inquit Galenus, legislatoris munere fungitur, & maximam morborum multitudinem tollit: hæc satis ad Fernelium.

Febres qualium partiũ morbi sint.

Aliquid esse in fieri, quomodo vsurpet Gal.

Gram. Tubin. opinio de Affectu.

Grammaticus Tubingensis, affectum multis modis sumi tradit: vno enim modo sumi pro eo, à quo corpus nostrum quomodolibet afficitur. At affectus non est id, à quo afficitur corpus, sed id, quod ab agente in alio fit, vt ille etiã postea tradit. Errat & cum causatum, harmoniam, & orationẽ affectum esse dicit. Pariunt quidem hæc in nobis affectum, sed ipsa affectus non sunt. Alio modo dicit sumi affectum, pro mutatione, quæ fit ad id, quod est præter naturam, nempe causam morbi, morbum, & symptoma. In quo pariter hallucinatur. Non enim causæ morborum sunt mutationes præter naturam, sed mutationem faciunt, & affectũ gignunt: imo nec morbi, aut symptomata omnia mutationes sunt, sed illorum plurima motu acquiruntur: vt color præter naturam mutatio non est: & morbus, qui manet ablata causa, eo etiã autore, non amplius est in motu. An quæso plenitudo, quam ipse dicit esse causam morbi, est mutatio? Tertio modo affectũ dicit accipi pro eo, quod est factum, ac permanet in reliqua, quæ patitur, postquam alterans quieuit: & tunc idem esse affectum, & constitutionem. Hoc modo substantiã, qualitatem, & quicquid manet, postquam alterãs iam quieuit, affectum esse. Hoc modo morbum & internas causas morbi, & sanitatem affectus esse, causas vero externas, vt gladium vulnerantem, non esse proprie affectus, quoniam in fieri suam habent essentiam, & post morbi generationem à corpore rursus separantur: nihilque referre putat, si vulnerationem, vel gladium vulnerantem dicas. Itaque sanitatem & morbũ esse affectus hoc modo, id est, res permanentes, & stabiles. Phlegmonem enim morbum esse & manere etiã si sanguis ad partem affectam amplius non confluit: eodem pacto obstructionem esse affectum, & morbum, quia manet, etiam si plenitudo, aut crassi, aut viscidi humores affluentes sint sublati. Fatetur tamen, & colligit tandem affectum esse alterationem stabilem, & idem esse ex Gal. opinione affectum, alterationem stabilem & habitum apud Arist. Quod verò permanere dicunt affectum ablata causa, interpretatur Grammaticus Tubingensis *in c. de rebus præter naturam*, quod aliquantulum adhuc duret sublata causa. Sic enim colorem, qui aliquantulum adhuc duret sublata causa sua, affectum vocari. Hæc Grammaticus Tubingensis de affectus nomine tertiæ suæ significationis: quæ quidẽ facile est refellere, nimirum cum ipsius sententia aliã explodat.

Non omnes morbos & symptomata esse mutationes.

Gram. Tubingen. refellitur.

Primum enim ab eo quærendum, quo autore didicerit affectum tot significare: deinde quomodo statuere possit affectum esse quicquid permanens & stabile est, siue illud substantia sit, siue qualitas, aut aliud: & postea asserere affectum idẽ esse cum constitutione, habitu, & stabili alteratione? An quæso substantia potest esse, aut dici ab his, qui Logica, & Philosophica attigerunt, constitutio, alteratio stabilis, & habitus? An substantia, & corpus, possunt esse qualitates? an genera diuersa hæc non sunt? an species diuersorum generum inter se non discrepãt? Pudet profecto me cõtra hęc disputare. Nam contra eum, qui ignoret scientiarũ rudimẽta frustra instituitur omnis disputatio. Sed posteaquam ille lites huiusmodi sibi libẽter comparat, consulamus hoc modo suæ immortalitati. Si affectus non est quod non est permanens, causa interna non semper erit affectus. Nam plenitudo, quam ipse dicit esse affectum, non minori promptitudine tolli potest, quam inhærentes corpori sagittę & globuli scloppetorum: quę causę sunt externæ, & propterea (vt ille censet) affectus esse nõ possunt. Rideo, cum lego, illum docere gladiũ vulnerantem habere essentiam in fieri. Nam gladius factus est, & vulnus facit; ex vulnere vero morbũ: & hæc recte dicuntur fieri à gladio vulnerante: sed quid hoc ad ipsum gladium? Nihil putat differre ipse, siue dicat gladium vulnerantẽ, siue ipsam vulnerationem: recte sane; perinde enim est, ac si dicas non differre ædificatorem, qui ædificet, ab ipsa ædificatione. Est vulneratio actio vulnerantis gladii, tanquam instrumenti, & hominis gladiũ mouentis, tantum ergo differt, quantum actio ab ipso agente. Phlegmonẽ, & lapidem in vesica perperã asserit esse morbum. Non enim ipsa constitutio est vitiata corporis, aut vitiũ in ipsa constitutione. Sed constitutionem vitiat: intemperiem enim facit, aut partes plus æquo auget. Scribit aliquando Galenus, phlegmonem esse morbum, sed vbi proprie loquitur, dicit ex ea morbum fieri. Nam si omnis morbus vitium est, vt sanitas corporis dicitur esse perfectio ab omnibus Philosophis & Medicis, quomodo lapis, tumor aliquis, aut aliud quippiam, quod non sit in genere qualitatis, poterit dici morbus esse? Illud vero animo concipere nequeo, quomodo obstructio manere possit, si auferantur crassi humores, à quibus fieri ponitur. Sublatis n. humoribus illis, quid est, quod relinquatur

extenuandum & abstergendum? Illud vero, quod scribit, affectum esse rem permanentem, quæ aliquandiu durare possit, euertit postea Grammaticum Tubingensem, cum *in suo capite de definitione morbi* Galenum à nostris argumentis defendere nititur. Nam eo loco nescio quid aliud se intelligere ait nomine permanentiæ, quam quod aliquo tempore manere potest post ablationem suæ causæ. Ego certe non possum animo concipere, aliud esse permanere, quam aliquandiu persistere posse. Nam manere, perdurare, persistere non aliud significant, q̃ tempus. Et quid quæso aliud intelligere possunt, cũ dicunt, affectum esse id, quod non simul abit cum causa sua efficiẽte, sed post illã perseuerat: nisi quod affectus in alio tẽpore seruatur post causæ ablationem. Nam si simul abeant hæc, non erunt (vt illi credunt) affectus. Ait & Grammaticus Tubingẽsis, Galenum nunquã somniasse permanentiam hanc temporis, cum affectum, & morbum definit. Quod si legisset *primum caput libri de differentiis symptomatum,* vidisset vtique Galenum sine insomniis hæc ad verbum scribere, cũ dicit: *Itaq; id, quod adhuc fit, nec est, nisi dum fit, actionem; aut pathos nominamus: Id vero, q̃ per tempus aliquod permanere potest, sanitatẽ aut morbum.* Quid ad hæc respondebit ille? Credit & Grammaticus Tubingensis, colorem in eo, qui laborat morbo regio, manere, ablata omni causa, atque ita anxiè torquetur, vt causam coniunctam à morbis auferat. Tolle humorem iam sparsum per cutem & membra, simul colorem natiuum restitues: hæc enim est proxima illius causa. Grammaticus Tubingensis putat, se omnem causam sustulisse, postea quam bilem à venis purgauit, aut obstructionẽ ademit, ex qua factum est, vt bilis suo cursu per intestina priuata, per vniuersumque corpus delata, natiuum colorem corrumpat. *Sit ergo affectus ex Galeno, non habitus, quia ex frequenti operatione nõ patitur: non substantia, quia qualitas est: non alteratio, quia non est motus: sed qualitas per alterationẽ acquisita agente substãtia, aut qualitate, & si quid aliud nostrum afficere corpus potest.* Constat ergo, morbũ non esse semper affectum, si affectum intelligimus, quod est in facto esse, i. quod ablata causa, ipsum peperit, quæ remanere potest. Sed si morbũ intelligamus esse ex genere eorum, quæ positionẽ habent, & corpori hærent, non autem abeunt dũ fiunt, non magnopere laborabo, vt hæc concedã: tametsi Galenus (vt antea ostendimus) non hoc, sed illo modo statuat morbum esse affectum. *Erit igitur morbus aliquando affectus, aliquando passio.* Nam in passione aliquid iam est receptum in parte, etsi leuis facta est impressio: *cum tamen tanta est, vt actiones præter naturam corrumpat, tunc morbus est, & esse, & censeri debet.* Sed iam reliquas definitionis partes excutiamus. Definiunt autem Galenus, & alii maiores nostri morbum esse affectum præter naturam primo actionem lædentem. Porro varias affectus significationes, quas Grammaticus Tubingensis de suo fingit, vt Galeni licentiam excuset, iam refellimus, & quid in ea re sentiendum sit, docuimus. Cæterum præter naturam, id est, adeo insigne malum, vt actiones inutiles reddere possit; ab omnibus receptum est: tamen Galen. in hoc etiam variat: quandoquidem *in lib. de locis affectis* morbum ponit esse, quando primum corpus à naturali statu vel minimum egreditur, adeo, vt ob paruitatem nec

Permanere quid apud Galenum.

Affectus quid reuera sit

Morbum no semper esse affectum.

Morbum aliquando esse affectũ, aliquando passionem.

An morbus omnis præter naturam sit.

à Medico cognosci, nec ægrotantium sensu percipi possit. Grammaticus Tubingensis egregio prætextu Galenum excusare nititur: quod scilicet non de morbo, sed de pathemate in eo loco agat: quod quam falsum sit, quilibet videre poterit ex exemplis, quibus Gale. vtitur. Assumit enim morbum calidum, frigidum, humidum, & siccum, & inflãmationem, & dicit esse morbos, & propriam speciem morbi habet: etiamsi ob paruitatem (vt diximus) nec cognosci à nobis, nec ab ægrotis sensu percipi possint. Quo loco apertissime etiã scribit, *affectus esse & vocari, etsi adeo sunt exigui, vt separatis suis causis efficientibus illico finiantur.* Sunt ergo huiusmodi mala eo autore affectus, & morbi: insensibilia tamen, aut certe nondum præter naturam. Morbum non primo lædere actionem, ex eo cõstat, quod inter morbum, & actionẽ media sit potentia, vt Gal. *li. 1. de naturalibus facultatibus, & simplicibus* aperte testatur, nempe ex temperie nasci facultatem: ex hac vero actionem; ex actione opus. Grammaticus Tubingensis, grammaticus verius, quam Medicus, intelligere nõ potest, quod dico *intemperiem esse causam facultatis agendi:* intemperiem enim ait causam esse, ne facultas agere possit. Sed ille ignorat, facultatem esse bene vel male agendi. *Intemperies causa est, vt facultas male agat.* Ac vt melius Galenum excusare possit Grammaticus Tubingensis, locos adducit ex Galeno, quod natura & facultas nihil aliud sint, q̃ temperamentũ. In qua re hominis stupiditatem non possum non admirari. Est ne quæso facultas vitalis, animalis, & naturalis (vt ille ait) reuera temperies? Quod si ita est, erunt ergo facultates illæ, & dicentur temperatæ, calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ? Hæc enim de temperie dicuntur. Deinde si facultas est natura, dicetur quoque natura animalis, vitalis, & naturalis. Solet Galenus aliquando ita loqui, facultatem & naturam esse temperiem breuitatis causa: quod ipse passim interpretatur, scilicet facultatem & naturam in ipsa tẽperie suam essentiam obtinere: quod & ipse Grãmaticus Tubingensis, imprudenter quoque scribit, elementorum, inquam, commoderatione naturam consistere. Ille autem bonus vir nihil putat referre, si quis dicat naturam esse temperiem. Cõcedat ergo (vt arbitror) nihil referre si dicamus, qualitatem esse corpus, vel esse in corpore. Addo, quod si facultas idem esset cum temperamento, non diceret Gal. *c. 4. 1. de naturalibus facult.* nos appellare facultatem, siue potentiam, quando agẽtis causæ substantiam ignoramus. Temperamentum enim & illius differentiæ nequaquam ignorantur. Sed ad alia transeamus, ne nauseam doctis moueamus. Interdum cogimur insanire, (vt Gal. prouerbio vtar) cum insanis.

Doceo præterea, morbum non separari ex ea definitione à causis, & symptomatis: læsæ n. cõcoctionis alimentum posse esse causam. Ad hoc respondet Grammaticus Tubingensis, alimentũ nõ posse esse causam concoctionis, quia facultas est ipsa causa efficiens, ex quo sequitur eo autore, nihil esse causam, q̃ non sit efficiẽs. Est, bone vir, alimẽtum, materialis causa, in quam facultas agit: nec illud nouũ est, aut à Galeno prætermissum *in libris de symptomatũ causis.* naturæ actiones & cõcoctiones materiæ & alimẽti vitio corrũpi. Conducit nõ ad cõcoctionẽ bonã, sed facit ad malã exuperãs alimentũ. Grãmaticus Tubingẽsis ignorare se di-

An morbum primo lædat actionem.

Tubing. Gramm. tanquam Grammaticus commouetur.

Hanc definitionem morbi non separare morbum à causis morbori.

Grammatici Tubingensis error.

A se dicit, quomodo causa possit suam labefactare actionem. Hoc dicit quilibet, vel etiam puer, si causa sit male affecta. An temperamentum vitiatum non vitiat actiones corporis? Laborat idem, vt ostendat, ab alimento exuperante facultatem non lædi: id quod nos sponte concedimus. At non pariter concedemus, non lædi ipsam concoctionem: fit enim cruditas ex alimento superante. At cruditas (Gale. autore) species est actionis & concoctionis læsæ. Fatetur igitur ille, quod nos, nullum in eo casu esse morbum, & tamen primo & per se fieri cruditatem, & lædi actionem ab alimento. In eo quoque aduersus Gal. errat Grammaticus Tubingensis, cum dicit cruditatem, quæ fit per exuperans alimentum, non symptomatis, sed causæ B rationem habere. Nam Gal. *lib. vlt. de causis symptomatum* ita ad verbum scribit: *Neque enim solum nosse conuenit, num ventriculus nihilomnino concoxerit, sed quam ob rem ita euenіat, sciendum est an ob vehementem coctricis potentiæ imbecillitatem, an ob immodicam multitudinem, an ob prauam aliquam ciborum qualitatem: quippe si ciborum causa symptoma acciderit, facile corrigitur.* Qui Iclarius vult Grammaticus Tubingensis, vt intelligat actiones symptomaticas fieri materiæ ratione, & non solum à morbis, aut facultatibus viriatis? Absoluamus, quæso, reliqua, postquam incepimus. Doceo *in Opere nostro* hanc definitionem non separare morbum à symptomatis, à materiæ C subiectæ vitiis, necnon à vitiis communis instrumenti. Est enim corneæ tunicæ præter naturam color affectus, vt Gale. testatur *in lib. de differentiis symptomatum*, læditque primo actionem. Quinetiam ob duritiem, mollitiem, raritatem, densitatem, crassitiem, tenuitatem & impuritatem materiæ, aut instrumenti communis, nempe spiritus, lædi actiones contingit, vt Galenus docet *in libro de differentiis & causis symptomatum*, & tamen vitia hæc nemo dicet morbosa esse. Respondet Grammaticus Tubingensis, colorem corneæ actionem non lædere, sed humorem, qui præter naturam ad corneam affluit. Illum enim morbum esse, & colorem illum ipsius esse symptoma. Cuius D opinio quantum sit absurda vnicuique patere arbitror. Primum enim licet eam refellere ex Galeno: scribit enim ille *in cap. 2. primi de symp. causis* ad hunc modum: *Si color humoris, qui inter crystalloidem & rhagoidem habetur, immutatus sit, siquidem ad fuscum inclinet, veluti per nebulam & fumum hominem videre faciet.* Antea eiusdem humoris alia vitia docuit: & hoc loco, quid solum ab ipso colore proueniat, ostendit. *Paulo post* de corneæ tunicæ malis loquendo, ita scribit; *si colorē suum mutauit, obscuritatem adfert.* Ex quibus locis ostēdit Galenus, non ab humore aliquo primo & per se lædi actionem, sed à colore ipso. Hic enim proximam reddit causam, cur flaua, aut alio E modo colorata appareant, quæ videntur. Nam si humor id per se faceret, ex quocunque humore, qui eandem haberet crassitiem, substantiam & copiam, idem contingeret. At cum hoc non fiat, sed quibusdam flaua, aliis rubra, aliis nigra appareant, diuersus color huius diuersitatis causa est. Eo vero quid est absurdius, quam existimare, humorem influentem ad oculum, esse morbum? Nam cuius quæso generis morbus erit? Erit ne intemperies? Sed quid intemperiem faciet, & illius erit causa.

A Rectius forte sentit Alexandrinus, qui nō ipsū humorem, sed *obstructionem factam ab ipso humore* in cornea tunica morbum esse scribit. Sed ille etiā turpiter aberrat, quod putet corneam tunicam pati obstructionem; quippe cum obstructio solum pertineat ad partem organicam: & quod credat propter talem obstructionem fieri, vt flaua appareat omnia in morbo regio. Nam obstructio si aliqua illic esset, visum minueret, aut penitus auferret. Erroris vero, qui fit circa visionem colorum, quomodo possit esse causa: alioqui ex omni humore pariter obstruente tunicam illam, fieret idem malum in visione. Illud ergo nostram opinionē defendit, quod aduersarii absurda dicant, & B inter se discrepent. Pergit Grammaticus Tubingensis, vt probet, non solum humores, sed & lapidem in vesica & alias substantias quæ gignuntur in nostro corpore, morbos esse. Sed quomodo potest lapis esse morbus, si antea statuit morbum esse alterationem stabilem: Ad hæc si lapis ipse est morbus, quid erit morbus in numero partium? dicet profecto ille, vtrumque morbum esse. At Galenus vult solum vnum morbum fieri ex partium numero aucto & diminuto. Non enim ex substātia similarium fieri morbos organicarum partium; sed ex similarium conformatione, magnitudine, numero, & coniunctione. Ergo lapis, vt lapis est, morbus non est, sed *quatenus numerum partiū cor-* C *rūpit.* At si morbus est, & dicitur esse in numero, lapis erit causa morbi, nimirum, quod numerum corrumpat. Nequit Grammaticus Tubingensis discrimen ponere inter temperiem & calorem exuperantem in febribus: in quo plane ostendit, se rudimenta medicinæ nequaquā intelligere. Scribit enim Galenus *initio libri de temperamentis*, constare animalium corpora ex calidi, frigidi, sicci, humidiq; mistura, nec esse horum omnium parē in temperatura portionem. Audi Grāmatice Tubingensis, quatuor qualitatibus fit tēperatura: ipsę aūt qualitates tēperatura nō sunt, & multo minus calor solus exuperās, intēperies erit. Quid n. essent aliæ qualitates? Sed sicut ex debita proportione omnium qualitatum temperies bona fit: ita mala, D quando vna vel duæ simul iunctæ qualitates exuperant. Nam si solius caloris, aut alterius qualitatis excessus intemperies est, erit profecto eiusdē mediocritas bona temperies. At caloris mediocritas fit à solo frigore. Igitur temperies bona erunt duæ qualitates, aut vna à cōtrariis remissa. Postremo si lapis est morbus, quid erit sanitas, lapidis ne carentia, & absentia? Erit igitur sanitas priuatio, vt quæ ex priuatione lapidis nascatur. Est morbus corporis vitium, an lapis recte dici potest esse vitium? Sunt hæc tria apud Galenum, & alios, qui Philosophari norunt, nempe componentia ab ipsa compositione, & compositis prorsus discrepare, E adeo vt putem, me oleum & operam perdere, cū grammaticum Tubingensem hęc docere volo. Nā illum, vt qui nunquam (vt arbitror) Philosophiam, ac Logicam attigit, frustra docere tentarē, quæ ab illis facultatibus ducuntur. Alii vero melius instituti hac mea doctrina non egēt: & si qui plura volunt, legant, quæ scripsimus *in lib. de generibus morborum.* Agnouit Fernelius, quod nos de hac re scripsimus, fateturque *calculos, lumbricos, & alios, quæ gignuntur in nostro corpore præter naturam, causas esse morborum:* non autem morbos ipsos. Ille tamen reprehensione dignus est,

Iulius Alexandrinus taxatur.

Obstructionem tantū pertinere ad partes organicas.

Lapis quomodo sit morbus.

quod male de natura morbi statuat. Ait enim, A morbum esse vitium: partem vero esse, quæ ex solida substantia & carniformi, & innato spiritu cōstat, morbumque esse vitium alicuius istorum, necnon in omni instrumento vnam esse partem præcipuam actionis autorem vt crystallinum visionis in oculo: ac illius partis vitium, non solum ipsius, sed totius membri morbum esse. Verum *vitia, quæ in ipsa substantia & materia sunt, morbi censeri non debent*: vt ille statuit, morbum esse in parte similari, si illius materia plus iusto est mollis, aut dura, laxa aut astricta, tenuis aut crassa, rara aut densa. Nam *sanitas & morbus vitia sunt compositionis: non autem materiæ ipsius partis*: alioqui non solum vitia, quæ sunt in similari parte ex magnitudine, conformatione, numero, coniunctione & vnione, morbum facient in parte organica, sed alia omnia, quæ in parte similari sunt, ex quibus contingit actiones organicarum partium corrumpi. Nam *similares partes materia sunt dissimilarium*: quare si vitia materiæ partis similaris morbi illius sunt, eadem pariter erunt morbi dissimilarium. Erit ergo febris morbus instrumenti, quod alibi absurdum esse ostendimus. Illud quoque alienum est à ratione, fateri, partis cuiuscumque existentis in aliquo membro vitium quodcūque, ex quo contingit lædi actionem instrumenti, ipsius instrumenti morbum esse: sic enim non essent solum morbi illius in magnitudine & aliis dictis à Gale. Quinetiam euertit Fernelius hanc suam opinionem, vbi prima & summa morbi genera explicat. Docet enim illic morbum organicum esse, qui organi constitutionem vitiat. At intemperies humoris crystallini, aut alterius partis lædentis actionem oculi, vel alterius instrumenti, nequaquam corrumpit instrumenti constitutionem, sed ipsius partis similaris. Cæterum in eo pariter reprehendendus est Fernelius, quod cum partem similarem ex materia, tēperamento, & forma constare statuisset, & vitia cuiuscumque istorum morbos esse, ac formam, totamq; substātiam esse idem: necnon totius substantiæ nomine insitum spiritum & calorem diuinum se intelligere, morbos ex intemperie nō ponat afficere spiritum, & calorem. Cur enim spiritus suam non patietur intemperiem? Ponit quoque innati spiritus dissolutiones per vigilias, labores, inedias, dolores, & natiui caloris extinctiones in strangulatu, vel extremo frigore, morbos esse, & eos quidem in tota substantia. Atqui spiritus ille aut calor, qui ab huiusmodi malis patitur, non est is, qui substantiam partis constituit sed qui à corde influit in vniuersum corpus, cuius affectiones recte ipse antea statuit non esse morbos, quoniam scilicet in parte non continetur. Quod si morbi forte essent non essent morbi in tota substantia: tales enim vocare solet Galenus, *qui maligni sunt, & occulti*, nec ob id ad temperiem redigi possunt. Et qualis quæso sit morbus in spiritu ex ipsius dissolutione, aut ex caloris extinctione? nullus profecto: aut si sit, non alius profecto, quam qui ad intemperiem pertinet. Nec minus illud quidem reprehendendum est, quod scribit, partem, quæ aliunde vitiosos humores, aut corruptos vapores recipit, ita, vt lædantur partis actiones orta distensione & solutione continui, nequaquam ægrotare: quoniā,

Sanitatem & morbum esse vitia compositionis.

Similares partes esse dissimilarium materias.

Morbi à tota substantia qui à Galeno vocentur.

inquit, malum parti non insidet. Nam si sit solutio continui, & læditur partis actio præter naturā, cur morbus non erit? aut dicat, quod nam aliud possit esse malum illud? non quidem symptoma, non causa morbi. Iam vero illam suam inhærentiam in parte, nescio quomodo metiri velit. Si enim non volt adhuc hærere affectum, qui fit in parte, quoniam eo sublato, quod afficit, cessat eius, quod patitur malum: profecto cogimur omnes febres præter hecticam (vt antea quoque diximus) ex numero morborum auferre: quippe enim & illæ abeant vacuato sanguine, aut purgato humore, qui in vasis corporis continetur. Idem enim accidit eo humore euacuato, quod euenit B vacuato illo, qui à ventriculo ad caput mittitur. Sed longius, quam putaremus, progressi sumus. Quare tādem colligamus quid sit sanitas, & morbus. *Est porrò sanitas aliquid eorum, quæ corpori nostro accidunt, itidem & morbus. Quicquid autem est in corpore nostro, vel illius est constitutio, siue compositio, siue forma, vel causa constitutionis, vel eiusdem effectus. Est autem forma similarium partium temperies, & tota (vt vocant) substantia, calidum vero, frigidum, humidum, siccum, materia, quæ constitutioni siue temperatura & animæ ipsi subiicitur; publicaque instrumenta sunt compositionis causa. Inter effectus vero reperiantur potentia, actio, & opus, quod ab actione nascitur.* At nemo C in causis compositionis & effectis sanitatem, aut morbum inueniet. Nam *sanitas mediocritas quædam est, morbus immoderantia; causæ autem ipsa moderantiam & immoderantiam efficiunt, nulla autem illarum moderantia aut immoderantia sunt.* Nec materiæ quidem vitia, sanitas & morbus esse possunt: nam *sanitas & morbus forma quædam sunt*, quæ materiæ propinquæ suis qualitatibus iam præditæ accedunt. Nec vero communis instrumenti mala morbi erunt: q: i. *morbus passio est viuentis, non eorum, quæ in nobis sunt non viuentia.* Nemo etiam ea, quæ accidunt effectis compositionis, sanitatem aut morbum vocabit: sequuntur enim excrementi, alimenti, actionis, D potentiæ, & secundarum qualitatum vitia, morbum. *Quare in ipsa constitutione, & forma partis vel totius sanitatem & morbum ponemus: sic enim appellamus eos sanos, qui integram partium constitutionem & formam habent: ægrotos vero, qui illam præter naturam corruptam obtinent. Erit ergo sanitas non quidem ipsa constitutio, sed perfectio, quæ est in ipsa cōstitutione morbus vero eiusdem præter naturam, vitium:* quare nec sanitas recte dici potest esse æqualitas, & morbus inæqualitas. Nam *perfectio & vitium rei, non sunt æqualitates, vel inæqualitates, sed ex illis fiunt, & ad illa sequuntur.* Dicitur autem ab Aristotele sanitas esse corporis perfectio: quod idem est, ac si dicas, affectus secundū E naturam. Afficimur enim ab his quæ in nos agunt pro sua natura moderate vel immoderatè, & affectus ob id in nobis gignuntur, quales fiunt ab agentibus in nobis passiones, moderati inq; vel immoderati: & qui moderati sunt, secundum naturā alii præter naturam, & rursus qui ex compositione nostra mutata accidit, sanitas & morbus dicitur esse. Alii alia sortiuntur nomina. Hæc definitio perfecta esse agnoscitur, quoniam omnibus morbis conuenit, non aliis, quæ sunt præter naturam: ac omnia, quæ dicuntur de morbo, illi competunt

Definitio sanitatis, & morbi ex suis principiis constituta. Forma corporis quid. Quid materia.

Morbum esse passionem viuentis.

Sani & ægri qui.

De ſymptomatis diſputatio.

petunt. Quod quoniã diligenter *in lib. de generibus morborũ* oſtendimus, nõ eſt, quod hoc loco proſequamur. Genera, ſpecies, & differentias morborũ ſuo etiã loco tradem. Nunc paucis quid de ſymptomatis ſentiendum ſit aperiam, vt ſequentibus commentationibus fundamenta ponamus.

Grammaticus Tubingenſis in hoc quoque noſtras cogitationes refellere nititur. Ait enim ſymptoma propriè ſumptum affectũ eſſe præter naturã, qui morbos veluti vmbra corpus neceſſario ſequitur, conceditq; omnia ſymptomata præter naturam eſſe, dicitque, non eſſe tamen neceſſariũ, vt plurimum à naturali ſtatu recedant: ſed ſatis eſſe, ſi vel parũ admodũ corpus ab iis lędatur. Præterea ſcribit, Galenum non ex ſua, ſed methodicorum opinione *in lib. de optima ſecta* dicere, ſymptomata quædam eſſe ſecundum naturã, & noſtras hac in re annotationes, cauillationes eſſe ait. Quin etiam in eo noſtrã refellit interpretationẽ, qua dicimus à Galeno *ſymptomaticè* aliquid fieri, vſurpari pro eo, quod eſt fieri *ſine commodo & vtilitate*. Quæ quidem grammatici Tubingenſis dicta ita refello.

Grammatici Tubingenſis opinio de ſymptomatis confutatur.

Primum ſi ſymptoma propriè ſumptum, de quo hic agit, non comprehendit cauſas morborum, quomodo reuera affectus eſſe poteſt? An actiones læſæ, quę in fieri ſuam obtinent eſſentiã, & excrementa præter naturam, quę ſymptomata ſunt, & dicuntur, *affectus* erunt, id eſt, (vt ille ait) *alterationes ſtabiles*? Mirum enim, ſi ſubſtantia alteratio ſit aliqua. Iam vero ſi ſymptoma morbum neceſſario ſequitur, tanquam illius effectus, nonne oportet illud eſſe quidpiam, quod plurimum à naturali ſtatu recedit? Nã inſenſibiles & leues læſiones inter morboſos effectus nõ reponit Galenus, ſed inter vitia ſanorum, aut corporum neutrorum inter ſana & ægra. Ego certè eos, qui morbo laborant iam, & curatione egent, plurimum à ſuo ſtatu recedere agnoſco. Nam ſi contraria ſunt, quæ plurimum à ſe inuicem diſtant, ſtatum eum, in quo contrariorum vſus requiritur, longè abeſſe ab eo, in quo ſimilia requiruntur, arbitror. Legat, qui velit, Galeni *librum de optima ſecta*, inueniet profecto eum autorẽ ex propria ſententia aſſerere, *naturalia quædam eſſe ſymptomata, alia vero præter naturam*. Cæterũ cum Galenus ſcribit in morbis quaſdam eſſe excretiones ſymptomaticas, alias vero non, & has cõcocto humore in ſtatu, vel declinatione, illas vero fieri cũ humores ſunt adhuc crudi, vt in principio morbi, quid aliud, inquã, poſſumus intelligere per ſymptomaticas excretiones, quam malas & noxias? *Sunt enim omnes excretiones ſanguinis in morbis præter naturam*, quia non ſequuntur naturam noſtram rectè affectam: verum quæ morbum non iudicant, ſed potius intendunt, ſymptomaticę, aliæ vero iudicatorię, & ſymptomaticis oppoſitæ nuncupãtur: tanquam nihil aliud intelligatur ſymptomaticum, quam malum & noxium. Si vero ſymptoma omne ſequitur morbũ, & ſemper à morbo naſcitur; dicat Grammaticus Tubingenſis, cur Galenus enumerans cauſas læſionum, quæ fiunt in cõcoctione, & aliis naturalib. facultatibus, non ſolũ ponat intemperiẽ, aut alios morbos parere huiuſmodi mala & ſymptomata, ſed etiam ſine morbo aliquo alimẽti exuberantiam, & vitiatas qualitates? Eadẽ eſt de hac re ſententia apud Galenũ *in lib. de optima ſecta c. 18.* vbi ſcribit, *inter ſymptomata quædam cauſas, alia locos affectus, alia facultates ægrotantes, id eſt, morbos ſequi*.

Symptomata quædam eſſe naturalia, quædam præter naturam.

Concedit & Gram. Tubingenſis, tuſſim, pandiculationem, ſternutamentum, eſſe ſemper ſymptomata, id eſt à morbis prouenire: ſanguinis vero, aut alterius rei excretiones, quæ tempeſtiuè fiunt, & iuuant, nõ eſſe ſymptomata. Verum mirũ eſt, ſi homo iam tenetur morbo, cũ leuiter tuſſit, aut ſternutamentum emittit, conuerſa facie ad ſolem, aut ſubeunte puluere nares, vel fauces, vbi quæſo eſt illa in ſubitis his motionibus alteratio, quæ morbum facit? & quibus remediis pugnare debemus contra hos morbos? aut in quo genere morbi ponemus illas leues commotiones pituitę, aut alterius materiæ, ex qua ſternutamentum, & tuſſis excitantur? Nõne natura per tuſſim, & ſternutamentum, quod noxium eſt, ſicut in aliis excretionibus emittit? itaq. ſi motus, quibus natura vtitur in excretionib. conferentibus ſaluti animalis, ſymptomata non ſunt, cur tuſſis & ſternutamentum nunquam recipi poterunt inter naturæ opera? Dicet fortè hos motus fieri, cum natura irritatur. At hoc commune eſt omnibus excretionibus, Galeno etiam autore, qui docet facultatem expultricem nunquam moueri ad agendum, niſi ab aliqua re irritetur. Verum cũ irritatur *tempeſtiuè*, id eſt, victo humore, & concocto, tunc enim expulſionis tempus eſt idoneũ, dicitur huiuſmodi excretio à natura fieri, & prodeſſe, & ſymptomatica non eſſe: quia naturæ legibus perficitur. Cum vero cogitur natura inſurgere ad expulſionẽ, antequã concoxerit humores, ſymptomaticæ, id eſt, inutiles, & noxiæ dicuntur fieri excretiones. Igitur in omni excretione excitatur facultas expultrix, moleſtaturque, ſed leuiter, & ferè ſine ſenſu, aut etiã cum voluptate in excretionibus, quæ fiunt in ſanis: in his vero, quę fiunt in ægrotis, agentibus & irritantibus violentius cauſis morbificis, fiũt ſemper præter naturã excretiones, & propterea ſymptomaticæ, in ea ſymptomatis ſignificatione, in qua intelligimus, non fieri niſi in morbis & ſequi morbos, violentaſq; cauſas. Alio vero modo non ſymptomaticas vocat Gal. quãdo natura tẽpeſtiuè eas tentat, & corpus expurgat à noxiis ſed iã coctis & victis excrementis: eo enim, quod viles tunc ſint tales excretiones, eorũ more, quæ fiunt à natura rectè habente, ideo non ſymptomaticæ dicũtur: illas tamen non vocat Gal. ſecundum naturã, ſed *à natura fieri*: quia cum mediocritatẽ non ſunt, agente tamen & vincente natura peragũtur. Hæc credo nunquam cogitauit Grammaticus Tubingenſis. Verum in eo, quod cogitauit & putat ſe optimè ſentire, videat ipſe, qua ratione poſſit tuſſim & ſternutamentum ponere ſemper inter ſymptomata, & morbi effectus: alias vero excretiones nunc dicat eſſe ſymptomaticas, alias vero non. Nã ſi ſymptomatici, tunc non ſunt naturæ motus, & excretiones, quando natura tempeſtiuè eas tentat, erit ne tuſſis huius generis, quando concocto in pleuritide humore, per tuſſim cum natura extrudit? Hæc contra Grammaticum Tubingenſem ſufficiant.

Excretio naturalis.

Symptomatica.

Symptomaticè aliquid fieri, quomodo intelligendũ.

Fernelius duplicem ſymptomatis ſignificationem inuehit, & in vnaquaque noua dogmata fingit. Vno enim modo ſymptoma eſſe affectũ præter naturam vbiuis conſiſtentem: intelligendum vero eſſe affectum latius, quam in morbi definitione, ita, vt omnem affectionem contineat: differt autem ſymptoma à morbo, & cauſa morbi, quod morbus per ſe, cauſa per accidens, ſympto-

Contra Fernelium de ſymptomate.

ma neutro modo lædat actiones: *quia*, inquit, *nondum contra, sed duntaxat præter naturam est.* Quapropter statuit nigritiem ex Solis ardore contractam, & leues quomodocunque partium affectus, symptomata esse. Alio modo symptoma intelligit non solum affectum præter naturam, ex morbo profectum, in qua significatione dicit *fieri non posse, vt idem sit morbus & symptoma. quoniam*, inquit, *nullo modo fieri potest, vt vnum & idē actionem lædat & non lædat*: excluditque à natura symptomatis vitia humorum: quoniam etsi a morbis proueniunt, tamen quia in contentis vitium consistit, ad morbi causam, non ad symptomata illud pertinet. Solet Fernelius leges in omnibus & rebus condere, quas nec ipse postea obseruat. Nā si symptoma generali quadam significatione diceret comprehendere omnia vitia præter naturam; nempè morbum, causas morbi, actiones per morbos læsas, excrementa corporis, qualitatesque mutatas, Galenum autorem habet: qui vt Græcus homo de Græco vocabulo significationes docere poterat. Sed cum ille symptoma dicit esse affectum præter naturam vbiuis consistentem, nec docet, cur referat ponere locum, in quo consistat, confusionem non solū sibi, sed etiam legentibus parit. Ponit discrimen inter id, quod est præter naturā, & contra naturā, inter affectum & affectionem: nec interim testimonio alicuius autoris Latini in vsu Latinorum nominū vtitur. Illud vero à quo didicit, symptoma nullo modo actiones lædere, quia nondum sit contra naturam, sed solum præter illam? Nam si Galenus symptomatis nomine generali, omnia mala, quæ in ęgrotantib. sunt, contineri vult, comprehēdentur quoque in eo actiones lęsæ. Forte eo est adductus, vt ita de symptomate sentiret, quod leues alterationes nostri corporis à suo naturali statu nesciret in aliquo rerum genere reponere: credēs omnes eiusmodi euersiones, vel morborum causas, vel effectus. Verū ille debebat inter sanitatem, & morbū, & sanos & ægros ponere neutrā dispositionem, & neutra corpora: quæ (vt superius ostendimus) sunt conualescentia, vel parata cadere in morbos, aut quæ senectute premuntur, quorū omniū vitia nondū symptomata dici possunt, quia hæc solum exprimunt mala leuiora. Et quod absurdius est, si quis colorem corporis ex Solis ardore contractum, dicet esse præter naturā, aut symptoma quippe *cum Gal. nomine symptomatis intelligat aliquid morbosum.* Dicit Fernelius huiusmodi colorem, aut similes affectiones actionibus nō semper obesse, quia solum præter, & nondum contra naturam sunt. Sed quando, quæso, contra naturam erunt? Et quomodo cum ita erit color, actiones lędet potius, quam alio modo? in eo vero recte sentit, quod dicat, fieri non posse vt idem sit morbus & symptoma: sed non est ea ratio, quā ille tradit, quod scilicet fieri non possit, vt idem lædat, & non lædat actiones. Nam quis non agnoscit, ex symptomate lædi actiones, sicut & à morbis. Nā color ictericorum, qui oculos inficit, visionem labefactat: retentio læsā concoctionē vitiat: excretio intempestiua prohibet distribui alimentū. Ac ne infinita exempla proponam, notum est, & ab omnibus receptum, ex symptomatis vt alia multa mala, ita actiones animi & corporis lædi. Ratio vero quæ sit, vt symptoma nō possit esse morbus, vitium sit ipsius constitutionis partiū & corporis,

Idem nō posse esse morbum & symptoma.

Symptomata etiam lædere actiones corporis & animi.

A hoc .n. ab illis vitiis nascitur, symptomā vero minimè. An illud etiam explodendum non est, quod scribit, in contentis symptoma esse non posse? Nā cum excrementa retinentur, aut præter naturam exeunt, symptomata esse dicit Galenus. Cæterum non posse idem esse symptoma, & morbi causam, verum est, *si proximam & immediatam morbi causam intelligimus*, nam calor partis intemperiem faciens symptoma non est: At dolor, qui calorem intendit, & morbi est causa remota, symptoma quoque fuerit. In eo quoq; aberrat, quod contenta non nisi morbi interuentu credat actionibus obesse. Vt enim nos *alibi* ostendimus, in rigore, horrore, syncope, timore, sine morbo proximè B læduntur actiones ab humorum & spirituum motu, copia, & inopia, & corruptela.

Symptoma esse etiā posse in contentis.

Symptoma quomodo nō possit esse morbi causa. Cōtenta etiā sine morbo actionibus obesse.

Nunc vero tempestiuum esse puto vt nostrā de hac re sententiam aperiamus. Ac primum quidem docendū est, symptoma multis modis à Galeno vsurpari. Nam aliquando, vt *primo de symptomatum differentiis*, & *tertio cap. secundi methodi* scribit ille; *quicquid est præter naturam, symptoma vocatur.* At *cap. 2. lib. de differentiis symptomatum* ait, *propriè symptoma esse, quicquid sequitur morbum.* In *lib.* vero *2 c. 2. & c. 9. primo methodi*, symptoma vocat id, quod sequitur morbum, *excepta actione*: distinguit enim actionū vitia à symptomatis. Cæterum *in libro de optima secta* (quod etiam antea an- C notauimus) tradit symptomata quædam esse naturalia, alia præter naturam: quod etiam *octauo c. primi methodi* repetit, dicens symptoma esse, quod sequitur alterationem secundum, vel præter naturam. Vsurpat aliquādo symptoma pro eo, quod nocet: quēadmodū excretiones symptomaticas dicit esse *octauo cap. artis medicinalis.* Scribit hic symptomata etiam vocari propria accidentia: cum tamen *alibi* tradat, *accidentia sequi sana corpora, symptomata vero ægra.* Aliquando, vt *in libro de constitutione artis*, morbos, qui ex aliis nascuntur, vocat symptomata, quomodo febrē dicit esse symptoma pleuritidis.

De symptomatis Autoris opinio.

Symptoma multis modis sumi secundū Galenum.

Ego vero, vt certum aliquid tradatur in hac no- D stra commentatione, symptoma propriè sumptum definio, *quicquid præter naturam est in corpore, ad illius constitutionem, vel causas constitutionis non pertinens*: morbi enim, qui sunt vitia compositionis, & qualitates, ac humores, ad constitutionem pertinentes, symptomata nequaquam dici possunt. Vigilia autem, sopor, dolor, symptomata etiam sunt, tametsi constitutionis sunt causæ: quippe qui lædant quidem constitutionem, sed tamen non sunt causæ: quippe compositionem efficientes, siue vt dici solet, non sunt de essentia compositionis: breuius ergo dicere possumus, *symptoma esse malum omne, quod non pertinet ad compositionem partium, aut ad causas, quæ sunt de essentia compositionis.* Porro symptomatum duo prima E sunt genera, vel enim sunt actiones læsę pręter naturam, vel opera, quæ actiones læsas sequuntur. Quod sint actionum vitiata genera, *paulo postea* cum de dolore agemus, docebimus. Fiunt vero ab actionibus læsis non solum, quæ excernuntur & retinentur pręter naturā, & corporis qualitates vitiatæ: sed etiā alia opera, vt cibus male concoctus, & si quid aliud à morbo fit, vt caro spongiosa in vlceribus superexcrescens: huius generis etiā est dolor, & præter naturam voluptas. Atque horum omnium differentias & causas, *in opere nostro de*

Symptoma propriè quid.

Symptomatum genera.

sympto-

symptomatum conscripto abundè docuimus. Et quæ *hic* difficiliora forte videntur, ex illis locis clariora euadunt.

Τὰ μὲν ἰδεαναίδη τι, καὶ ὧν αἱ κινήσεις πλημμελεῖς εἰσιν, ἢ ὅλως ἀπολώλασιν, ἐναργεῖς ἔχοντας ὅρους. ὅσοι δὲ ἀτόνους κέκτηνται τὰς ἐνεργείας, ἐν μὲν ταῖς μεγίσταις ἀποστάσεσιν εὐδιάκριτοι, κατὰ δὲ τὰς μικροτέρας ἀμφίβολοι, καὶ διὰ τοῦτο κατὰ τὸ γένος τοῦτο τῆς βλάβης ἡ μηδετέρου τῶν ἐναντίων ἐνεργειῶν μετέχουσα συνίσταται διάθεσις, ἣν καὶ αὐτὴν ἔφαμεν οὐδετέραν ὀνομάζεσθαι.

Quæ igitur dolore infestantur, & quorū motus sunt vitiosi, aut omnino interierunt, manifestam habent determinationē, quæ vero imbecilles edunt operationes, in magnis quidem distantiis, facilè discernuntur, in paruis vero ambigua sunt. Atq; idcirco in eo genere noxæ collocantur, quæ neutrius contrariorum participat dispositio, quam & ipsam neutram diximus appellari.

Cum dixerit, ægra corpora distingui ab iis, quæ sunt in latitudine sanitatis, ex sensibilib. operationum læsionibus, nunc docet, quęnam sint sensibiles læsiones, diuiditq; actiones in deprauatas, abolitas, & debiles: *inter quas deprauatæ & abolitæ manifestam* (inquit) *habent determinationē*, id est, manifestè & sensibiliter ostendunt morbū: imbecilles vero, si valde imbecilles sint, idem etiam ostendunt: si vero parū imbecilles fuerint, sensibile non est illarum vitium: quare huiusmodi actiones non morbum, sed neutrum statum ostendunt. Intelligere autem oportet, neutrum non inter salubre & insalubre id est, inter benè & malè sanū: sed neutrum inter sanum & ægrum. Hoc enim edit huiusmodi actiones ex quibus etiam patet, hic sensibilē læsionem intelligi, quę sensibus euidentissima est, & nō vtcunq; sensibus manifesta. Nam imbecillitates omnes sensus dignoscit, sed, quæ non fiunt in morbis, minus perspicuæ sensibus sunt, & propterea sensibiles non vocantur, nimirum quod non sint euidentissimæ. Verum *etiam dolor* (inquit) *corpus ægrotare ostendit*. Quare perperam Fernelius & Grammaticus Tubingensis sentiunt, in dolore capitis, qui fit per consensum, non esse morbum.

In dolore corpus per consensum etiā ægrotat.

Hoc loco venit explicandū, an omnes vitiatas actiones cōprehendat Galenus sub debili, deprauata, & abolita: & an solum istæ & non aliæ actiones ostēdant corpus ægrotare: Postremo sub quo genere symptomatum dolor reponi debeat. Ostēdimus *in opere de sympto. differentiis* præter istas actiones addendas esse auctam, tristē, & voluptuosam præter naturam. Nam deprauata continet sub se actionem, quæ ignorat, an agendum sit. Item quæ rem vnam pro alia facit, vel corruptam in re qualitatem inducit, vel inęqualis est, vel inordinata, vel per ineptas partes obitur: vt sanguinis excretio, quæ fit laborante parte dextra per sinistrā, vel quæ fit parte non seruante naturalem figurā, vt in rigore, palpitatione. Actio vero quæ non fit, vel intelligitur impedita, vt ligatio manuū, prohibet fieri apprehēsionē, vel quæ finito opere, cessat, aut non habet quod agat, & istæ non dicuntur abolitæ: sed quæ non fit, nec potentiam habet, vt amplius fiat, vt cæcitas: vel quæ non fit, sed adhuc habet potentiam vt fiat, vt in neutrorum resolutione. Diminutam intelligimus, quæ est minor, imbecillior, obtusa, cōfusa, tardans, segnius agens, rarior, intermittens ob debilitatem, paulatim, & non confertim agens: quæ item longiore tempore opus habet, vt opus perficiat, aut nunquā illud potest absoluere. At istis actionibus non comprehendimus maiorem, vehementiorem, fortiorem, auctiorem, anticipantem, velociorem, crebriorē, longiorem, continuam, vel quæ cōfertim obitur: quę omnia nos comprehendimus sub aucta actione. Tristē vero actionē intelligimus, in qua dolor sentitur, vel alia molestia, qualia sunt tristia insomnia, & cogitationes tristes. Voluptuosa vero est præter naturam, in qua voluptas sentitur à causa morbosa, vt in pruritu, excrementorū excretione, vbi vlcus adest. Porro doloris nomē duo significat, nempè *dispositionem ipsam doloris* [illegible] *& id, quod omnes dolorem vocant, cum aiunt se dolorem pati*. Hunc dolorem quidem dicunt esse actionem læsam, nempè sensationem tristem, & esse actionem deprauatam, eo, quod per dolorem sentiri dicant, quod nequaquam sentiri debet. Quorum opinio facilè refelli potest. Nam si dolor est actio, aliquod ederet opus, vt aliæ faciunt actiones. Præterea si dolor est sēsatio, habebit aliquod peculiare obiectum, circa quod versatur, erit deinde alicuius sensorii actio & sensatio: non est autem, quia in omni sensatione dolor fit. Adhæc *sentire est cognoscere, & sensatio est cognitio quædam*. At dolere non est cognoscere, nec dolor cognitio. Adde, quod dolere & sentire, est pati. Quare si dolor est sensatio, erit passio, & nō actio. Quod vero nō sit actio deprauata, patet, eo quod [illegible] in dolore, [illegible] esset quidē deprauata actio, si [illegible] res [illegible] perciperet tales esse, quales sunt. Refellit Gal. etiā hanc opinionem [illegible] de signis corporū ægrotantium. Distinguit enim signa sumpta à dolore, à signis sumptis ab actionibus [illegible]: vt etiam in *libro de diff. sympt.* separat dolorem & voluptatem à symptomatis sensuum. Quin etiam Arist. *lib. 10. Ethicorum* refellit hanc opinionē: dicitque, eos ita credere, qui nequeunt actionem ab eo distinguere, quod in ipsa actione fit. Sed ne singula prosequamur, quę *in lib. de diff. symptomatum* diligenter explicauimus, dicamus cum Arist. *lib. 6. Topicorum, nihil aliud* esse dolorem, *quam molestiam & passionem, quæ agendo percipitur, ex solutione continui natam*. Differentias & causas doloris *suo loco* docebimus; & iam *in lib. de symp.* abundè explicauimus.

Πάντων τούτων αἰσθήσει διακρινομένων, οὐκ αὐτῇ τῇ τῶν πραγμάτων φύσει κατ' ἴσως γε εἰς τὸ τῶν ἀκινήτων ἐπιτυχεῖν δόγμα.

Ita tamen, vt horum omnium sensus sit iudex, non ipsa natura rerū iudicatur, ne periculum, in id dogma perpetuæ passibilitatis incidere.

Cū de latitudine sanitatis egerit, collocaueritq; alios in maiore, alios in minore perfectione, & sanos ab ægris & neutris, signis quibusdā separauerit: docet nūc, quomodo omniū conditiones sint æstimandæ, [illegible]

Diminutæ actionis differentiæ.

Actionem auctæ differentia.

Tristis actio.

Actio voluptuosa.

Dolor quid.

A sensu. Si enim rationem consuleremus, neminé, inquit, inueniremus sine noxa. Atque ita fieret, vt corpus nostrum perpetuis noxiis & passionib' afficeretur: quemadmodum nonnulli voluerunt, qui statuebant sanitatem esse exactam quandam moderationem, quam ratio concipere quidem possit, sensus vero minime: ex quo quidem dogmate sortitur, nullum esse sanum, sed omnes ægrotare. Hunc locum diligentius explicat Galen. *lib. primo de sanitate tuenda*, vbi de sanitatis latitudine agit: ex quo loco etiam patet, Galenum *hic sensibile* sumere aliter, quam fecerit *paulo antea*: nã *illic* non omnes imbecillitates, sed solum, quæ fiunt in morbis, sensibiles dicebat esse; hic vero de B omnibus imbecillitatibus, & aliis omnibus, quæ in omni statu nostri corporis fiunt, sensum vult esse iudicem. Cæterum ex eo, quod *hic* scribit, *non ratione, sed sensu esse iudicandum*, nata est vulgaris opinio, Medicum esse sensitiuum, & non rationalem artificem: & propterea excludendam medicinam à scientiis nobilioribusque facultatibus. Sed cum illi varia tradant de hac re, nec intelligant, cur sensitiuus dicatur artifex, vana dicunt. Nam sunt, qui intelligant Medicum ideo sensitiuum esse, quia ex sensu multa probat. At hoc illi est commune cum philosophis, qui sua principia non aliter probant: & (vt inquit Arist.) *stultum est sensum propter rationem relinquere*. Alii sensitiuum putant esse, quia solum circa particularia versatur. Verũ etsi Medicus *medendo* id facit, *discendo* tamen versatur circa vniuersalia. *Est enim ars vniuersalium*, nec audiendi sunt, qui dicunt medicinam semper ex posterioribus sua probare dogmata. Nam etiam à causis, vt philosophi, suas ducit probationes. Iudicat quidẽ Medicus de rebus, prout sensui apparent, & nõ vt in re ipsa se habent. Et in hoc nullum est in eo vitium. *Aequale enim ad pondus, & re vera temperatum corpus nullum est. Medicus autem dicit esse, eo quod sensus tale appareat*: & hoc illi sufficit, vt omnes possit conseruare in sua mediocritate; nec falsa propterea est medicina, quod pronunciet res esse aliter, quam ratio concipiat. Nam sensus alias est optimus docẽdi magister, & circa sua obiecta non decipitur, quantum necessarium est ad multos vsus.

Medicum artificem sensitiuum quomodo intelligatur esse.

Corpus aequale ad pondus, & reuera temperatum nullum esse.

Καὶ τοίνυν καὶ τὰ σημεῖα τῶν ὑγιαινόντων μὲν σωμάτων. ἀλλ' ἤτοι νοσωδῶν ἢ οὐδετέρων ὑπαρχόντων τῷ ποσῷ τῆς ἀποστάσεως διοίσει, δύο μὲν ἡμῶν ἄκρους μὲν ὅρους, ἐναντίους ἀλλήλοις, τήν τε ἀρίστην κατασκευὴν, καὶ τὴν ἄρτι γενομένην νόσον· ἐπισκεπτομένων δὲ ὁπότερω τούτων ἐστὶν ἐγγυτέρω τὰ δοκιμαζόμενα σώματα. τὸ μὲν γὰρ ἐγγυτέρω τῆς ἀρίστης κατασκευῆς, ὑγιεινόν· τὸ δὲ ταύτης μὲν πορρωτέρω, τοῦ δ' ἤδη νοσοῦντος ἐγγυτέρω, νοσῶδες· τὸ δὲ ἀμφοῖν μεταξὺ, καὶ ἴσον ἑκατέρων ἀπέχειν φαινόμενον, οὐδέτερον ἔσται τοῦτο.

Hac igitur sunt sanorum corporum signa: sed qua insalubria salubriaque & neutra existunt, quantitate distantia differunt, duobus inuicem contrariis terminis statutis, optima videlicet constitutione corporis, & nuper facta agritudine, ac deinceps considerantibus, vtri eorum vicini ora sunt ea, qua ad examen corpora veniũt, qua enim proximiora sunt optima constitutioni, salubria, qua vero ab hac lõgius distant atq; ad ea, qua iam agrotant, magis accedunt, insalubria, qua autem intermedia, atque aqualiter ab vtrisque distare videntur, neutra.

Antea docuit, quomodo cognosci possint & inter se discerni corpora sana, ægra, & neutra. Nũc vero docet, quo pacto distingui inter se possint corpora salubria, & insalubria, & neutra. Nã cũ hæc omnia contineantur in latitudine sanitatis per magis & minus discrepantia; non erat facile, B hęc inter se separare: quare methodũ docet, qua id commodè fieri potest. Est autem methodus hæc, quod duo debeãt extrema poni, inter quæ corpora illa ita collocantur, vt facilè postea sit, iudicare, an salubria, vel insalubria, vel neutra existãt. Sunt porro extrema morbus & optima constitutio: nõ quidẽ ea, quę subsistit, sed quę potius imaginari potest. Si enim subsisteret, cõprehẽderetur in genere salubriũ, & ita non esset extremũ: quandoquidem idẽ nequit sibiipsi extremũ esse. Est ergo ea optima cõstitutio, de qua hic agitur, quæ est veluti Polycleti regula, de qua Gal. *primo de temperamentis* scribit, imaginatione potius cõprehendi, quã quod vnquã reperiatur. Salubria ergo dicũtur, quæ vicina C sunt optimæ cõstitutioni; insalubria, quæ morbo; neutra, quę media sunt: & in vnaquaq; illarum latitudo ponitur, in qua recipiũtur, quę prorsus, & non prorsus, & vt nũc, talia sunt. Ex quo etiã loco patet, salubria, insalubria, & neutra omniaq; in latitudine sanitatis cõtineri. Nã si de his, quæ vel simpliciter, vel vt nũc talia sunt, solũ ageret, desideraretur Galeni methodus dignoscendi alia. Quare Acachiæ interpretatio, in qua fingit, Galenum *hic* agere de salubribus *vt nunc*; in aliis vero libris de salubribus & insalubribus *simpliciter*, in aliis vero de salubri & insalubri vt nunc, ridenda est & refellenda tanquã inepta. Dispeream si is sciat, quid *hoc loco* dicat, vt omnibus constare puto. Nam vt D alia omittam, ait, salubre simpliciter, nisi sit in presentia tale, & vt nunc salubre, non posse facile cognosci. Sed quis cũ hæc docuit? Nam quæ simpliciter salubria sunt, cognosci ex eo scribit Galenus, *quod optima cõstitutioni omnium maximè sint vicina*: *ea vero nunc, vt qua deteriorem habeant sanitatem, magis ab eo extremo recedant*. Sed eum necesse est in errores incidere, qui mala ab initio posuit de hac re principia. Nam quoniam quædam ex his per potentiam, alia vero per actum sanitatis & morbi definiuit, & quæ simpliciter talia sunt, vt nunc talia esse nescio quo iure statuit: ideo in progressu tractationis cogitur monstra parere, vt Galeni dicta trahat ad suam sententiam.

Locus, qui docet omnia salubria, insalubria, & neutra, poni in latitudine sanitatis.

Acachias [illegible].

Simpliciter salubria quomodo cognoscantur, quomodo salubria [illegible].

E Τῆς μὲν οὖν ἀρίστης κατασκευῆς τοῦ σώματος εἴρηται τὰ γνωρίσματα· τῶν δὲ ἀπολειπομένων αὐτῆς ἰσάριθμα μὲν τὰ γένη, ἐν τῷ μᾶλλον δὲ καὶ ἧττον ἀπειράκις διαιρεῖσθαι δυναμένων. ἀφωρισμένων δὲ ὡς τεσσάρων, τὰ σημεῖα τοῦ νοσώδους σώματος ἁπλῶς ἐροῦμεν. ἐξ αὐτῶν γὰρ ἔσται δῆλα καὶ τὰ λοιπὰ δύο πλάτη. κατὰ γένος μὲν οὖν εἴρηται πρόσθεν ἐν τῷ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς λόγῳ· κατὰ εἶδος δὲ νῦν εἰρήσεται, διελομένων ἡμῶν πρότερον τὰ μόρια.

Optima

Optimae igitur constitutionis corporis indicia explicauimus. Eorum vero, quae ab ipsa deficiunt, totidem sunt numero genera, quae per magis & minus secari possũt. Cũ autem in tres latitudines diuisa sint, corporis insalubris simpliciter indicia tradimus. Ex his enim & reliquae duae latitudines innotescent. Generaliter igitur prius à nobis in eo, quem de optima constitutione sermonem habuimus, specialiter autem nũc dicemus, si prius partes diuiserimus.

Quid hic scribat Gal. & quorsum, non est facilè docere. Ait enim, se velle tradere signa corporis simpliciter insalubris, ex quibus duae aliae latitudines innotescent. Ait, se velle docere signa optimae constitutionis specialiter, posteaquã de partib. egerit. Nam post partium diuisionẽ, non aggreditur optimae constitutionis signa, sed partiũ ipsarũ duntaxat. Deinde dubium est, an cum tradit signa cerebri, cordis, hepatis & testium, & aliarum partium calidarum, humidarũ, frigidarum, & siccarũ, prosequatur solum intemperiem insalubrem, & non etiam salubrem & neutram. Ita autem puto connecti hunc textum cum praecedentibus. Cum *dixisset cognosci corpora salubria, insalubria & neutra, ex eo, quod plus, vel minus appropinquant optimae constitutioni, aut morbo, ratio exigit vt signa extremorum doceantur, ex quibus dignoscuntur, quae inter illa ponuntur per magis & minus differentiae.* Ratio igitur postularet, vt loco simpliciter insalubris, diceret aegri, & ita quadraret interpretatio methodo docendi, & tractationi, in qua agit postea de signis corporum aegrotantiũ: insalubrium vero simpliciter signa, dicere nõ possum, vbi in hoc opere doceat. Nam cum dicat, se paruos excessus docere, quando calidae, frigidae, humidae, & siccae temperaturae notas explicat, certũ est eum non prosequi insalubrium corporũ conditionem, quae in maximo recessu in latitudine sanitatis posita est. Absurdum praeterea est, ex insalubrium cognitione, cognosci debere alias duas latitudines. Quod enim imperfectum est, nequaquam debet esse regula perfectiorum: sed quia ille scribit, se docere velle corporis simpliciter insalubris signa, ita dicemus, quod omnia sana corpora sint vel salubria, vel insalubria, vel neutra; quod ad ea, quae intermedia sunt, oporteat extremorum cognitionẽ habere, sunt autem extrema simpliciter salubre, & simpliciter insalubre, *ex quibus reliquae duae latitudines* (inquit) *fient manifestae*: quae autem sint aliae duae latitudines, non docet, intelligunt interpretes neutra, & vt multum salubria. At vbi relinquẽtur salubria & insalubria vt nunc? Praeterea, illa non faciunt latitudinem magnã, quam dixit esse in salubribus, insalubribus, & neutris. Ratio autẽ vellet, vt sicut vnum extremum ponit optimam constitutionem, quod non est *simpliciter* salubre, sed *prorsus* salubre: ita non *simpliciter* insalubre, sed *prorsus* insalubre ponat pariter vt alterum extremum: inter haec autem extrema relinquuntur salubria, & insalubria vt multum, & vt nunc, & omnia neutra. Sed Galeni negligentia, qua vsus est in scribendo hoc opere, nos confundit. Quare aliis relinquo haec excutienda, praesertim, quod parui aut nullius sint nostra in arte momenti. Verum si verba Autoris diligentius expendemus, intelligemus, locum esse corruptũ, ex eo, quod scribit: *generaliter igitur prius à nobis &c.* dicit enim, se postea velle *particulariter* tradere signa optimę cõstitutionis, quod *generaliter* alibi fecit: tanquam illa debeat esse aliorum corporum regula. legendum ergo loco *insalubris, salubris*. ita n. rectè dicet, *ex cognitione corporis simpliciter salubris, reliquas duas latitudines, nempe neutrorum & insalubrium innotescere*: & quadrat haec lectio sequenti tractationi, in qua signa solum docet corporum salubrium: tanquam ex illis reliqua pateant per declinationem, & recessum ab illis.

Galenus arguitur negligentiae.

CAP. IX. QVOT SINT DIFFERENTIAE PARTIVM.

Τέσσαρες δ' αὐτῶν εἰσιν αἱ πᾶσαι διαφοραί. τὰ μὲν γὰρ ἀρχαί τινες εἰσί, τὰ δ' ἀπ' ἐκείνων ἐκπέφυκε. τὰ δ' οὔτ' ἄλλων ἄρχει τῆς διοικήσεως, οὔθ' ὑπ' ἄλλων ἄρχεται, σύμφυτος ἔχοντα τὰς διοικούσας αὐτὰ δυνάμεις, ἔνια δὲ σύμφυτος τε ἅμα, καὶ ἐπίρρυτος ἔχει. [ἀρχαὶ μὲν οὖν εἰσιν ἐγκέφαλος, καρδία, ἧπαρ, καὶ ὄρχεις. ἀπὸ ἐκείνων δ' ἐκπέφυκε κἀκείνοις ὑπηρετεῖ, νεῦρα μὲν, νωτιαῖος μυελὸς ἐγκεφάλῳ, τῇ καρδίᾳ δ' ἀρτηρίαι, φλέβες δ' ἥπατι, τὰ σπερματικὰ δ' ἀγγεῖα τοῖς ὄρχεσιν. αὐτὰ δ' αὑτὰ διοικεῖ χόνδρος, ὀστοῦν, σύνδεσμος, ὑμὴν, ἀδὴν, πιμελὴ, σὰρξ ἁπλῆ. τὰ δ' ἄλλα πάντα μόρια κοινὴν ταύτης ἔχοντα τὴν ἐξ ἑαυτῶν διοίκησιν, ἀρτηριῶν τε καὶ φλεβῶν τε νεύρων προσδεῖται.]

Sunt vero earum quatuor vniuersae differentiae, quoniam nonnullae earum principia quaedam existunt. Aliquae vero ab ipsis originem habent. Aliquae nec aliarum gubernationi praesunt, nec aliunde gubernantur, cum insitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur; quaedam vero sunt, quae insitas simul, & aliunde emanantes habent. Principia quidem sunt cerebrum cor, hepar, & testes; Ab illis originem habent & illis seruiunt, nerui quidem, et spinalis medulla cerebro, cordi arteriae, venae hepati, seminaria vasa testib. ipsae vero se ipsas regunt, cartilago, os, ligamentum, membrana, adeps, pinguedo, caro simplex. aliae vero omnes partes commune cum his habentes ex ipsis regimẽ, arteriis, venis, & neruis insuper indigẽt.

Quod de partibus illarumq; temperaturis in sequentib. agat, antequã absoluat disputationem de toto, ratio haec est: quoniam totius corporis status, & maximè temperies mutatur ad mutationem partium, quae corpus ipsum regunt & gubernant. Quare hactenus id solum docere potuit, quod optimam constitutionẽ nobis describeret, & generaliter alias omnes quae ab optima declinãt: speciatim aũt non licuit. Neq; n. de salubri constitutione, in qua calor aliquantulum exuperet, vel frigidũ, vel humidum, vel siccũ, aut de insalubri, vel neutra, in quib. excessus hi maiores sunt, cognoscere possumus, nisi cognita natura illarũ partium, quae horum excessuũ causae sunt. Sic nec operationum vitia, & perfectio in corpore dignosci possunt, nisi prius eo intellecto, quęnam sint partes operationum illarum causae. De partiũ ergo situ-

ctura bona, & mala agendũ fuit, & quibus signis illę dignoscãtur. At quoniã non de omnib. partib. agendũ erat, quippe cum non omnes mutãdi corpus vim habeãt, ideo ab initio partes diuidit, vt eas sumat tractandas, quarũ in hac re est vsus: estq; hoc caput difficillimũ, tum quod partium diuisionem faciat & obscuram, & minime diuisionibus alibi factis consentientẽ: tũ quod de facultatibus agendum sit, quibus nostrum corpus regitur: qua tractatione nulla difficilior est. Nam res ipsa per se difficilis est, & autores, qui duces esse solent ad veritatem inuestigandã, Peripatetici, Academici, & Stoici, in hac re maximè dissentiunt. Pręterea Gal. noster tam sparsim, tamq; confusè hęc tractauit, vt maximo labore opus sit ad omnes locos colligendos, & inter se distinguendos & cõponendos. Conabimur tamen (vt solemus) Methodũ aliquã statuere, quæ, quantum licebit, rem aperiat. Primum ergo partiũ diuisionem, quam hic tradit, ostendemus bonam non esse, nisi aliter intelligatur quã verba sonent: Deinde ostendemus hanc diuisionẽ differre ab aliis, quę ab eodem autore in aliis libris fiunt: Tertio ex omnib. diuisionib. conabimur vnã efficere, quæ ambiguitates tollat, locosq; omnes conciliet, aut saltẽ rem, vt est, explicet: postea de facultatibus agemus.

Pars corporis quot modis princ. ipium dici possit.

Porro diuisionẽ partium nec bonam, nec malã asserere possumus, nisi terminos intelligam⁹, quibus in ea vtimur. Ergo primũ videndum est, quid per principia intelligat, cum dicit *partium alias esse principes*. Possem. aliquis intelligere, eas principia vocari, à quibus aliæ quędã partes oriũtur, in quo sensu non quattuor solũ principia, sed multo plura essent. Nam nulla ferè pars est, à qua aliæ non oriantur: à pulmone n. arteria aspera, à vẽtriculo intestina & gula, ab ossibus cartilagines, & ligamẽta nascuntur. Nec sumi quidẽ potest principium pro parte, quæ ad vitã ipsam confert: quomodo sumit Gal. *lib. 6. cap. 7 de vsu partium*, vbi ita scribit: *quæ ad vitam ipsã conferunt partes, hæ sunt principia*: sic enim testes principia non essent, quia ad vitã non conferunt. *vt cap 1. lib. 4. de vsu partiũ*. Nec principiũ hic sumitur pro parte, quæ sit necessaria ad vitam, vel publicam habeat actionem, vel sit magni momenti in corpore, vt sumere videtur *7. Methodi cap. vltimo*: quia sic ventriculus, pulmo, lien, renes, vesica essent partes principes. Principium aliquando intelligit solũ cor & hepar, vt *in fin. 7. libri primi de simptomatis*. Nec vero principiũ capi potest pro parte, quæ aliquam facultatẽ solum mittit in alias partes, quia hepar non esset principiũ: quippe cum nullam facultatẽ in alias partes mittat. Monachus principiũ definit, à quo prosiliunt virtutes in membra, & alia cum eis. vt sanguis & spiritus: sed malè. Nam ab hepate (vt postea ostendemus) non influit aliqua virtus, & à cerebro nihil, præter virtutem deriuat.

Principii significatio huic loco conueniens.

Gal. autẽ *lib. 3 de placitis Platonis & Hippoc. partem illam principium esse definit, quæ his, quæ ab ea nascũtur, aut virtutem siue facultatem, aut omnino materiã suppeditat.* Quæ definitio optimè huic loco quadrat. Nam partes quæ hic principia dicuntur (vt postea patebit) aut solam virtutem, aut solam materiam, aut vtramq. suppeditant illis quæ nascuntur ab ipsis, ceu principiis: inter quæ nonnulla sunt, quæ non solum natis ab ipsis, sed aliis etiam hæc tribuunt. Etenim cerebrum non solum neruis, sed etiam aliis partibus per neruos sentiendi vim præbet: cor verò solum arteriis pulsandi vim exhibet.

Secundum genus partium.

Secũdum genus partium est, quod à principiis originem habet, addendum ex sequentibus *& principiis ministrat*. Nõ enim omnis pars, quæ à principiis originem habet, secundi huius generis est. A corde n. aliæ partes, quam arteriæ, quas solas numerat hic inter eas, quæ ab illis originem ducunt, enascuntur, vt auriculæ cordis, membranulæ, quas valuulas vocant: quare definiendum esse secundum hoc genus hoc modo. *Aliæ sunt partes, quæ a principiis originem habent, & illis seruiunt*, quod ipse *paulo postea* docet. Quomodo autem ab illis originem habere dicantur, & illis seruire, videndum est. Porro ita dicuntur, vel quia ex principiorum substantia prodiere, vt nerui, & spinalis medulla à cerebro: sunt enim eiusdem substãtię cum cerebro: vel quod in principiis suas veluti radices habẽt, vt venæ, & arteriæ, meatus spermatici: Arteriæ enim diuersam habent substantiam à corde, vtrumque siquidem viscus rubrum: arteriæ autem, & venæ candidæ ex semine, vt Galenus credit, confectæ, antequam hepar, & cor sint formata, vt docet *in lib. de formatione fœtus*: de qua re nos postea diligentius agemus: maior tamen est connexus venarum & arteriarum cum hepate & corde, quam seminariorũ vasorum cum testibus: quippe cum venæ, & arterię cõtinuę cum suis principiis sint, nec ab illis separari possint: seminaria autem vasa in propriam testium substantiam non perueniant, sed solum in tunicas testes inuoluentes. Vnde venas ab hepate, & arterias à corde oriri omnes fatentur, de qua re postea agemus. Seminaria autẽ vasa à venis, & arteriis emulgentib. enasci, docent anatomici, & ipse Gale. vnde fortè aptè non dicemus, secundũ hoc genus partium esse quod à principiis oritur, cum seminariis vasis non conueniat definitio, nisi quamcunque implantationem per ortum hic intelligas: quod absurdũ esse videtur. Sic enim tendines ab osse oriri diceres, in quod inseruntur, & in hoc genere partium contineri. Præstaret ergo ita definire, *quod scilicet hoc genus partium sit, quod principiis ministrat, nulla ortus facta mentione.*

Ministrantes partes nõ vno modo omnes ministrare.

Cæterum ministrare principiis non vno modo omnes videntur. Nam venæ meseraicæ ministrant, & seruiunt hepati, eo quod chylum à ventriculo ad hepar deducant: venæ autem aliæ, quod sanguinem in hepate genitum in corpus distribuant. Arteriæ autem cordi ministrant, non quod illi aliquid largiantur, sed quod ab eo sẽper aliquid recipiant. Sic cerebrum a neruis nihil capit, sed illis largitur sentiendi, & mouendi vim. Testes à vasis spermaticis seminis materiam capiunt: vasa autem vocata deferentia, semen iam confectum à testibus recipiunt. An vero vim aliquam sumant vasa, hoc non satis adhuc patet.

Tertium genus partiũ.

Sequitur tertium genus partium, quod duobus superiorib. opponi videtur: primum enim erat, quod alios regebat; secũdum vero, quod ab aliis regebatur: tertium hoc est, quod nec regit nec regitur, sed à seipso gubernatur. Quartũ genus ex tertio constat, & præterea capit aliquid à prioribus. Dicuntur autẽ ab aliis regi siue gubernari, quæ insitas eas non habent facultates, sed ab aliis capiunt. Ingenitas vero habere, quę non ab aliis sumunt. Sic partes illæ dicuntur ingenitas & aduentitias habere facultates quæ diuersas facultates habent, quarũ aliæ ex propria natura illis, aliæ vero aliunde veniunt. Sed hæc postea melius intelligentur, cum de facultatibus egerimus. Nunc vero sequitur examinandum,

dum, an bona non sit hæc diuisio, & quomodo cõueniat cum reliquis in quib. partes eodem modo Gale. diuidere conatur. Quod vero bona non sit hæc diuisio, patet primum, quod membrum primum cum quarto coincidat. Nam principia & natiuas suas & aduentitias alias facultates habent: velut cor pulsandi insitam vim habet, & præterea sentiendi vim à cerebro recipit. Deinde terminos mutat in secunda diuisione. Oportebat enim ita dicere: *aliæ sunt, quæ nec principia sunt, nec à principiis oriuntur.* Tertio vngues, & pili non continentur in aliquo ex quatuor membris, vt ille *in fine huius capitis* docet. Nec dicere oportet, omissum fuisse illud membrum, eo quod solũ partes tractare voluerit, quæ ad totius temperamentum cognoscendum faciunt: quoniam ossa inter superiora membra continentur, quę tamen ad totius temperamentum dignoscendum non conferunt. Et hac ratione illa essent in vno ex quatuor membris comprehendenda, quoniam ex illis totius & partium temperamẽti notas sumit. Nec etiam, quod Curtius scribit, rem explicat, quod scilicet vngues non sint de his partibus, quæ corpus constituunt, propterea, quod non semper eędem permanent, sed atteruntur, decidũt, regignunturque. Non enim manus aut pedes sine vnguib. cõstare possunt, & bene habere: dicendumque, illud, quod atteritur & regignitur, atque excrescit, non esse de substantia & compositione partis: quoniã oportet vngues æquales esse carni digitorum. Mala præterea ostenditur hæc esse diuisio, eo, quod *in lib. 2. de arte curatiua ad Glauconem*, vbi de indicationibus sumptis à partibus egit, aliam faciat diuisionem, sumptam ab iisdem rebus, ita vt necesse sit, vel hanc, vel illam malam esse: talis autem est, quæ eo loco habetur: *Ex partibus corporis, nonnullæ ab influentibus virtutibus gubernantur, quædam etiam a propriis & natiuis: & ex his quædã etiam aliis fons & origo sunt quarundam virtutum: & harum aliæ opus habent peculiare, aliæ autem commune.* In hac enim diuisione nullum genus partium ponit, quod seipso solũ regatur, & multis aliis modis differt hæc ab alia, vt videre licet. Nec dicere quidẽ possumus, quod illic faciat diuisionem conuenientem curationi, quia hæc etiam ad idem facit. Nam principiorum habenda est ratio. Est & alia diuisio *in lib. de totius morbi temporibus cap. 7.* vbi dicit: *Inter partes nostri corporis quædam sunt principia, vt cerebrum, cor, hepar; alia orta ex principiis, nerui, vena, arteria: alia, quæ propriam naturam habent, sed ab omnibus principiis reguntur, quædam æqualiter, alia magis, alia minus.* Quare videtur diuisio hoc modo esse facienda, vt comprehendat omnes partes corporis ex oppositione primũ proposita. *Partes quædam sunt principia, aliæ vero non: Principiorum quædam ad vitam sunt necessaria, alia non: Porro earum, quæ non sunt principia, quædam à principiis oriuntur, quædam non: At eorum, quæ à principiis oriuntur, quædam solis ipsis principiis, aut maximè seruiunt, vt auricula cordis ipsi cordi, & vena mesaraica hepati: alia vero aliis, vel toti corpori, vt vena, nerui, arteria, quæ per vniuersum corpus diuiduntur: vel vni duntaxat parti ministrãt, vt arteria venosa pulmoni: Rursus quædam a principio facultatem tantum recipiunt, vt neruus: alia solam materiam, vt vena sanguinem: alia vtrumque, vt arteria, spiritum & vim pulsandi. Quæ vero facultatem recipiunt, quædam sola eam habent, vt arteria pulsandi vim, aliæ reliquis etiam impertiuntur, vt nerui sentiendi & mouendi facultatem habent à principio, & eam aliis largiuntur. Cæterum inter partes, quæ non oriuntur ex principio, quædam nullas habent facultates, vt pili, vngues, pinguedo: aliæ habent, & eas quidem, vel solum sibi insitas, vt ossa, cartilago, ligamentum, membrana: aliæ insitas & influentes plures vel pauciores: & hæ vel communes vniuerso corpori, vt ventriculus, lien, renes, pulmo: aliæ sibi duntaxat proprias, vt caro, vterus.*

Partium diuisio alia melior.

Verum etsi in hoc loco ita principii nomen capere oportet, tamen in tota facultate nostra latius patere debet principii significatio. Nam vt Galenus docet *in lib. de formatione fœtus*, quædam sunt principia originis, alia dispensationis: & illa intelligi debent talia esse, à quibus enascuntur aliæ partes: hæc vero, quę vim aut communẽ materiã, vel instrumentũ à se emittunt. Porro principia, quæ origines sunt aliarum partium, sunt in varia differentia. Nam quędã ita sunt principia, vt ex eadem substãtia procreent, quod à se ipsis exit: quomodo cerebrũ neruorum origo dicitur: alia vero non eãdem prorsus substantiã proferunt, sed sibi satis similem, quemadmodũ ossa dicuntur esse principia cartilaginum: alia vero principia dicuntur, quę sũt veluti annexa & firmamentũ eorum, quę longius produci debent: quo modo testes vasorum spermaticorum initia diximus esse. Alia rursus principia originis esse creduntur, quod à seipsis aut ex eo loco, in quo ipsa sunt, maximè fiant diuisiones earum partium, quæ per corpus sparguntur: quomodo hepar venarum principiũ, & cor arteriarũ intelligere oportet. Nam *omnis vena & arteria*, vt Galenus tradit *in libro de formatione fœtus*, *factæ sunt ex semine ante alias omnes partes.* Sed quoniã oportebat hepar fieri, vt esset officina sanguinis, & cor, vt esset spiritus fons, *natura hepatis substantiam posuit, vbi maxima erant venarum diuisiones*, quæ possent vniuersum sanguinem in hepate genitum statim suscipere, & postea per minores venas eum spargere: nec alia quidem ratione hepar venarum principium statuere oportet. Nam quomodo alioqui principiũ ipsum hepar esse potest, quod post ipsas venas progenitũ esse dicitur, ex diuersa planè materia, & forma? Idem de corde dicendum, quia enim maximę arteriæ illic fiunt, vbi ipsũ est positũ, & naturali mirabiliq; nexu illis adnascitur, vulg' crederet, ab eo viscere arterias enasci: at qui principiũ intelligũt esse reuera non posse, quod post alia habet generationẽ, aliter statuunt. Sed hęc adhuc postea fortè attingemus aptiore loco. Verum cũ dictum sit, principia esse in nostro corpore partes quæ vel facultatem, vel materiam aliquam aliis suppeditant, cogimur, vt hęc intelligantur, & alia, quę passim docet Galenus, de facultatibus, diligenter agere.

Ac quam difficilis sit & obscura tractatio de facultatib. omnib. constare puto, qui Gal. *multis in locis* de hac re variè differentẽ legerint, aut secũ ipsi cogitauerint, quid de illis sentiendum sit, aut perspexerint quantum recentiores inter se discrepẽt, cum hęc tractant. atq; vt disputatio nostra methodo procedat, primũ docere oportet, quid sit facultas; secũdo, quę facultatũ essentia; tertio quot sint facultates; quarto, quęnã sit singularum substãtia, eadem ne, vel diuersa in singulis; quinto, à quo loco oriantur, an ab vno principio, vel à multis; sexto, quomodo influant & spargantur à principio

in corpus: septimo, quænam sint officia singularũ facultatum: postremo, quam inter se communionem habeant, & quem vsum sibi inuicem præstẽt, enarrare conueniet.

Quid facultas.

Porrò siue facultatem, siue potẽtiam, siue vim, siue speciem dicas, nihil referre, quilibet intelligere potest, qui Galenum legit. Definit autem facultatem *lib. 1. de nat. facult. cap. 4.* quod scilicet id sit, *quod est primo actionis causa.* Verum non docet, quænam sit huiusmodi causa, efficiens ne, vel materialis, vel formalis, vel finalis, vel instrumẽtaria. At in *lib. 1. de simp. c.* . dicit facultatem esse quandã causam *effectricem.* Verum hæc definitio non docet, qualis sit effectrix, an propinqua, vel remota. Præterea, non docet proprium genus, & propriã facultatis essentiam. Oportet enim dicere, an sit substantia aliqua, vel aliquod accidens, & illud est in definitione assumendum. Solet etiam dicere facultatem esse *causam ignotam.*

Fernelii opinio de definitione facultatis, quæ & confutatur.

Fernelius facultatem definit esse *vim & potestatem, quam anima tanquam de sinu suo promit, & ad munerum functiones profert. Id autem perinde est,* inquit, *ac si dixeris, insitam & vernaculam animæ proprietatem, quæ accidens quidem est, sed animæ intimũ & intestinum.* Differre autem illam ab animæ parte, quod facultas possit ab animę substantia seiungi, pars vero nequeat. Etenim vim & facultatẽ augendi, post vigorem aboleri, tametsi eadẽ superest animæ substantia. Scribit quoq; animam propriis facultatibus vti, tanquam causis adiuuantibus, ad omnia, quæcunq; obit. Porro esse tria animæ genera, naturalem, sentientem, & intelligentem: facultates vero nihil istorum esse. Verum Fernelii opinionem multa refellunt: nam nõ solum in his, quę animam habent, facultates inesse dicimus, sed in aliis, vt alimentis, & medicamentis: quare generali definitione per animæ proprietatem facultas definiri nequit. Præterea si facultas est proprietas intima, & (vt ait ille) intestina animæ, quomodo ab anima separari potest?

Proprietates à rebus non posse seiungi.

Nouimus enim *proprietates rerum à rebus seiungi non posse*, vt risibilitatem ab homine. Et quomodo erit accidens, si est proprietas? & quomodo erit proprietas, si cuiusq; rei vna est proprietas: facultates vero infinitæ? At si facultas causa est adiuuans (vt ille vult) animæ erit instrumentum, non *proprietas,* quę *nullius causa rationẽ subit.* Cæterum facultates animæ distinguere ab animæ partibus non potest Fernelius ex Galeno. Nã Gal. *passim in lib. de placitis:* nihil differre putat, siue facultates, siue partes, siue species dicas. Est locus de hac re *in lib. 5 illius operis*, vbi ita scribit: *Tres animæ particulæ secundum animæ impetum nos mouentes, habentur: non enim plures sunt, siue partes, siue particulæ, siue facultates, quibus vita nostra gubernatur. In vna ratiocinamur, in altera irascimur, in tertia concupiscimus.* Est alius locus *in lib. 6.* vbi ita legitur: *Anima nostra tres species habet. Item in tres partes diuiditur. Etenim & species & partes animæ recte aliquis nominauerit, ratiocinatricẽ, irascibilem, & appetitricem.* Addit Aristotelem, & Posidonium, species aut animæ partes non dicere, sed facultates. Ex quibus quidem, & aliis plurimis locis constat, ex authorib. antiquis quosdam vocasse facultates animæ, quas alii partes, species, & particulas nominarunt. Nec vero ad id facit, quod scribit Fernelius, auctricem facultatem transacto vigore aboleri: animam vero totam integram perstare. *Nam non abolетur animæ aliqua facultas: sed illa perpetuo exerceri nequit materiæ, vel subiecti, vel instrumẽti vitio.* Eodem pacto magnes perunctus allio, non amittit facultatem trahendi ferrum, sed illam exerceri nequit: des seni corpus pueri, videbis in eo rursus fieri auctionem: non ergo abierat ab anima facultas auctrix.

Nullam facultatem aboleri & tum non perpetuo exerceantur.

Tubingensis Grãmaticus vt qui solum nouerit aliorum dicta transcribere, non videt, se contraria de facultatibus tradere, cum scribit, Galenũ nihil aliud intelligere per facultatem, quam cuiuscunq; rei quantumcunque efficientem causam. Erunt ergo ex eius opinione, Deus, elementa, & quidquid nostrum corpus mutat, facultas. Quod si ita est, quomodo potest alia ratione definire facultatẽ esse, non nisi natiuam rerũ temperiem? Est ne qualiscũq; rei causa, temperies? An ẽt tẽperies acquisititia causa nõ est? Et si tẽperies est, quomodo *in initio primi de naturalib. facultatib.* dicere potest Galen. se causas rerum ignotas, facultates vocare. An temperies rerum ignoratur, cuius signa, vim, & conseruationem docet per omnes differentias?

Facultas duobus modis sumitur à Galeno.

Ego, vt dicam, quod sentio, video Galenum facultatis nomine duobus modis vti. Vsurpat enim facultatem aliquando *pro relatione, quam habet causa efficiens ad suum opus:* vt cum dicit, vnam & eandem rem diuersas habere facultates, vt aloem purgandi, roborandi, glutinandi, siccandi, astringendi: dicitur enim tot habere potentias, quot potest opera pręstare. Tunc enim facultatis nomine non intelligimus aliquid, quod re vera sit causa efficiens. Nam quod efficiens est, subsistit, & est res aliqua, quæ agendi habet vim: nec solum constat ex ea ratione & relatione. Hæc significatio nullius est vsus & momenti in medicina, aut alia arte. Nam nec ad curationem, nec ad dignotionem affectuum, nec aliam medicinæ partem confert. Philosophos vero videmus alias causas, & ipsam efficientem, sub qua potentias has contineri volunt huius rei authores, ducere ad suos effectus absque istarum potentiarum mentione: quæ scilicet sint specie, & natura diuersæ, tanquam animæ inter se discrepantes. Nam si ex eo, quod aliquid facere potest, introducendæ sunt istæ potentiæ, infinitas profecto illas esse oportet: quoniam infinita sunt particularia, quæ ab eodẽ fieri possunt. Sed quid opus est de his libros implere: quippe cũ vno verbo quicquid in illis continetur, expediri possit: nempè rem vnamquamque posse præstare multa, & propterea multas habere potentias. Sic enim Aristoteles docet, vnam & indiuisibilem secundum speciem esse animam, quæ plures potentias habet, id est multa præstare valeat ob subiecti diuersitatem. Sed in hoc non est laborandũ, vt quæramus qualis sit illarum essentia, cum vna & eadem sit. Nam hæc & alia similia temerè de his quæruntur, quæ in sola relatione sunt posita. Alio modo sumit facultatem *pro eo, quod est proxima & præcipua causa actionum, quas res ipsæ edunt.* Eo modo sumit facultatem, cum dicit tres solum esse animæ facultates, naturalem, vitalem, & animalem. Ad idem pertinet, cum scribit, calidum natiuum esse instrumentum, vel essentiam facultatum. Hæc enim conueniunt rebus, non relationi. Quin etiam ad id facit, quod scribit *textu quinquagesimo commentarii 5. sexti Epidemion,* cum ait: *Tertia anima siue facultas, siue alio nomine vocare velis.* At anima non est relatio, sed forma & actionis causa. Quod si facultas, & pars animæ, idem

sunt

sunt (vt antea ostendimus) cōstat profecto, facultatem hoc modo sumptam, non esse relationem illam, quæ est ad opus. Nam animæ partes nullæ sunt, cū ipsa sit indiuisibilis: facultates vero, quoniā particularia opera sunt propemodum infinita, infinitæ quoque sunt. Et re vera, si quis diligēter expendat, inueniet Gal. nihil aliud per facultatem significare posse, quam *formam cuiuscunq; rei.* Est n. hæc, per q̄ res est, & agere potest, & efficiens causa: & in his, quæ animam habent, anima ipsa. Scribit se facultatum essentiam ignorare: quod pariter tradunt Philosophi de formis: relationes autem illas nemo ignorat. Est & natura. Merito quoque de forma quæri potest, an aliquis sit illius fons & principium, aut eadem in omnibus partibus essentię: quodnam illius instrumentum, quid præstare possit: an sit proxima causa actionis, & idem esse facultatem & animæ partem. Est enim animę pars, forma, vel formæ pars: & denique omnia, quæ de facultatibus tradit Gale. non possunt conuenire, nisi formis rerum. Sed, quoniam ille potissimum Stoicos in hac re est secutus, non Arist. & Peripateticos, contra quos libenter pugnabat, maluit facultatem, quam formam vocare. Aristot. videtur (vt dixi) intellexisse per potentias, siue facultates animæ, relationem, quam anima habet ad opus, aut aliquid simile radiis solis, q̄ quod anima efficere potest per corpus spargunt: aliquando videtur partes animæ vocare. In qua varietate, oportebat profecto illius interpretes definire, quid essent huiusmodi potentiæ, & quomodo idem, vel diuersum essent ab ipsa anima, & an diuersitas facultatum à diuersitate animarum, vel corporum proueniat. Ego vero, vt dicam, quod sentio, in rebus tractandis iudicarem, esse ponendam propriā cuiuscunque rei formam: quæ suapte natura, nata & apta est dare esse composito, & pro illius, & diuersorum suorum instrumentorum conditione, diuersa opera: facultates vero ponere alias, nihil aliud est, quam aptitudines illas exprimere, de quibus temere tot separatæ tractationes instituuntur: tanquam res essent diuersæ, prouenientes ab ipsa forma & anima: cum tamen tota differentia actionum in eodem indiuiduo, vel etiam in eadem specie proueniat *à diuersitate instrumentorum.* Nam (vt hoc exemplo vtar) si omnes corporis partes essent oculi, omnes vtique viderent, & nulla alia in nobis fieret actio, præterquam visio.

Quantum vero Gale. sit dubius in tradenda essentia facultatum, omnibus constare puto. Nam *in c. 1. primi de Simplicibus*, ex calido, frigido, humido, & sicco, tum corpora nostra, tum essentiam facultatum constare scribit: *in li.* vero *2. c. 2. ad Glauconem*, tradit natiuum calorem esse, vel substantiā facultatum, vel saltem primum & maxime necessarium ipsarum instrumentum. Ad id pertinet, q̄ scribit *c. 3. primi de natu. facult.* singulas partes ob certam quandam temperiem hoc, vel illo modo agere, & diuersas habere facultates. Accedit, quod scribit *in li. de facultatū substantia*, quosdam incorporeas quasdam facultates corporibus inesse, affirmare: alios vero corpora ipsa operari pro sua cuiusq; natura, quæ ex quatuor elementorū temperamento cōflata sit. At *in libro de causis pulsuum primo*, agens de causa pulsationis arteriarū, ita scribit: *Non est facile causam ipsius inuenire. Quidam commensuratum calorem esse censet, alius naturæ eius*

alius temperamenti quādam proprietatem, alius totā corporis constitutionem: alius solum spiritum: alius horum quædā: alius omnia simul. Jam vero (inquit) sunt, qui facultatem inducerunt, vnde patet eam, quæ accōmodatis ad mouendum his, quæ diximus instrumentis, vtatur, aut omnibus, aut quibusdam, aut certe vno loco. Scribit *alibi passim*, se animæ essentiā ignorare: alibi vero, nihil aliud esse animā, q̄ temperamentum: eo, quod temperamento dissoluto, anima expiret. Ex quibus quidē locis patet, quā incertus sit Gal. de substantia facultatum. Grammaticus Tubingensis cum statuisset facultatē esse rerum natiuam temperiem, postea non veretur dicere, idem esse naturam & facultatem: & eam cōsistere in singularum partium commodo tēperamento. Quod si ille Philosophiā didicisset, intellexisset vtiq; Philosophos per naturam intelligere materiam vel formā, & potius ipsam formam, quā materiā: ille vero nihil putat differre, si quis dicat facultatē esse temperamentū, vel illā in temperamento positam esse: quasi nihil referat dicere, albedinē esse corpus, aut in corpore cōsistere. Præterea, si facultas est quælibet causa efficiens actionis, non solum temperies, sed structura partiū organicarū, erit quoq; facultas: Nā actiōnes instrumentorum non à temperie, sed à structura sua siūt. At si facultas nihil aliud est, quam temperamentū, quomodo colligere potest, tres solum esse inter se genere, & sensibus disclusas facultates in nostro corpore? plures n. sunt in corpore partes, quā tres, quæ temperamentum habent inter se diuersum. Adde, quod si facultas est temperamentū, diceremus ergo facultatem quandam esse calidam, aliā frigidam, aliam æqualem, aliam inæqualem, vt temperamentum his nominibus distinguimus. Tradit idem bonus vir, vnamquamque temperamenti proprietatē suam sequi facultatem, & vnamquāq; facultatem suam actionem, & interim sui oblitus, docet facultatem nihil aliud esse, quam temperamentū. Et recte quidem, si id, quod sequitur aliud, idem est cum eo, quod præcedit. Ponit hæc tria inter se distincta, & se inuicē consequentia, temperamentum, facultatem, & actionem: vbi vero definitionem morbi à Galeno traditam tueri aduersus me vult, contēdit nihil aliud esse facultatem, q̄ temperamentum, & hoc esse proximam actionis causam: sed hunc mittamus, quem potius (vt dixi) Grammaticum, q̄ Medicum aut Philosophū agnosco: & ad Galenum redeamus, qui laudandus quidem est, quando essentiam formarū & facultatum se ignorare scribit: nam quis animæ essentiam exprimere possit? Potuit Arist. eousq; progredi, vt animam agnosceret esse causam mouētem, & præcipuam actionum, quæ fiunt à rebus animatis: & quod ea sit actus & forma corporis: sed quænā sit propria illius formę essentia, & quo pacto differat ab aliis formis, nequit docere, nisi ex diuersis operibus, & (vt Philosophi aiunt) à posteriori. Animā vero existimare esse temperamentum, vel in temperamento essentiam habere, eo quod illa deserat corpus vitiata corporis temperie, perinde est, ac si quis dicat animā esse caput, eo quod capite sublato, cogatur illa corpus deserere: aut si q̄s dicat hominem esse domū, quod ea flagrante, aut ruente, homo vel obruatur, aut abire cogatur. Requirit anima temperatum corpus, si in eo debet consistere, & propria munia exercere: requirit & calidā

innatum; tanquam instrumentum aptum ad eadem munia obeunda, nihil tamen horum propterea est anima. Absurdum quoque est, animam tradere esse temperamentum, eo quod animi mores mutentur mutato temperamento. Nam temperamentum vim quidem habet alterandi, & immutandi mores animi, non tamen edendi nouas actiones natura diuersas. Debilius que agit anima ob temperamentum corporis: sed non fiet, vt homo sit bestia, & simile sit nonnunquam temperamentum: alioqui porci qui simillimum à Galeno dicuntur homini habere temperamentum, simillimos haberent cum homine animi mores. Demus ergo animæ, quod suum est, temperamento diuersum, & eam essentiam, quam Deus optimus mundi opifex singulis formis est largitus. Demus & temperamento, & calido natiuo suam vim, nec omnia confundamus. In quo quidem Gale. recte quoque sentit, cum præter temperamentum agnoscit in medicamentis, & alimentis, totam (vt vocat) substantiam: quam aptius, si voluisset, formam nuncupasset, vt vniformis fieret Philosophorum & Medicorum tractatio. Igitur cum facultas, vt sumit Galenus, nihil aliud re vera sit, quam forma, non erit vna & eadem substantia facultatum omnium: quia duplices sunt formæ, vna essentialis, alia accidentalis. Huius enim substantia ex accidentibus, nempe quatuor qualitatibus prouenit, & nihil aliud est, quam temperies: non calor natiuus, qui instrumentum est temperaturæ & essentialis formæ. *Essentialis vero forma in viuentibus est anima*: in aliis vero simplex nomen non habet: sed propria cuiusque natura agnoscitur ex actionibus, quas edunt diuersas ab iis, quas à temperamento prouenire percipimus. Quapropter non recte Galenus Dioscoridem reprehendit, cum ait, illum empiricè cuiuscunque medicamenti singulares proprietates docere. Rationalem enim Medicum solum docere debere, quomodo res vnaquæque temperata sit: ex hoc enim elici particulares illos effectus. Nam si temperamentum solum esset causa actionum, quo pacto possent rhabarbarum & cassia eosdem purgare humores? aut hæc, quæ temperamento longe sunt diuersa, purgandi vi esse prædita: alia vero, quæ idem, vel certe simillimum cum alterutro temperamentum obtinent, [illegible]? Possem in hac re plura dicere, [illegible], Gale. etiam nouisse [illegible], cum ponit totam illam substantiam, & temperiem. Est enim tota substantia, ipsa propria forma, ex qua res est, id, quod est, & reuera ab aliis differt: temperies vero forma est, per quam res sunt similes, & constant ex communi [illegible] communibus. Hæc qui non retinebit distincta, monstra pariet, cum omnia ad temperiem redigere studebit.

Essentialis forma viuentium.

Temperamentum non esse solam actionum causam.

[illegible] qua & quomodo sit forma.

Cæterum aliarum rerum formas, siue facultates, non est nostri instituti hoc loco prosequi, sed duntaxat nostri corporis. Tradit autem Fernelius animam esse formam viuentium, & illius tanquam propriam & inseparabilem actionem esse vitam. Animam enim esse, per quam res animatę fiunt & viuunt. Porro ex vitæ differentiis, animæ tria genera constituit, naturale, sentiens, & intelligens: quoniam scilicet, quædam solius naturæ beneficio viuunt, alia sentiunt, alia vero simul etiam ratione sunt prædita. Prioris generis esse stirpes, secundi bruta, tertii homines. Esse autem ita distinctas tres istas animas, vt nequeant naturalis esse sentiens, & hæc rationalis: imo negat in eodem posse consistere intelligentem & sentientem animam, aut sentientem & naturalem: quoniam inquit, plures nequeunt esse eiusdem materiæ substantiarum formæ. Propterea non posse idem hominem esse & beluam, aut plantam & beluam. Vocari autem tres illas animas, partes totius animæ, quando coniunctæ considerantur: animæ vero genera dici, quando sedibus sunt distinctæ. Verum in homine, intelligentem animam simplicem inesse, cuius partes sint sentiens & naturalis, non quidem actu, sed potentia duntaxat in ea consistentes. Cæterum sentientis animæ, non genera nec partes, sed facultates esse appetitricem, cogitatricē, & motricē. In qua quidem re illud primum non probo, quod scribit vitā esse propriam actionem animæ. Nam (vt postea ostendemus) vita nulla est actio: tametsi ex actionibus deprehenduntur res viuere, & quænam actio quæso vita est? Deinde ex vitæ differentiis, animæ genera constituere, quid nos cogit? An dicere non possumus, animas rerum animatarum esse inter se diuersas, nec posse omnes idem præstare? Itaque quandam esse animam, quæ possit solum esse causa nutritionis, auctionis propriæ, & alterius sibi similis generationis: vel quod vna, & eadem anima ob diuersitatem subiecti, diuersas actiones & vsus præstet. Cæterū naturalem animam vocare est impropriè loqui. Nā sentiens & intelligens anima rebus à natura, & omnium opifice sunt inditæ. Ait ideo Fernelius, animam istam naturalem vocari, quod ea corpora, quæ illa sunt prædita, solius *naturæ* beneficio viuant: sed quid quæso intelligit *naturæ* nomine, & *naturæ* beneficio? Nam quæ sentiunt, sentiunt etiam naturæ beneficio, nempe *anima*, quæ est illorum forma & natura. Gale. *[illegible] lib. de naturalibus facultatibus* [illegible], i. plantatiuam (vt verbum verbo reddam) dicit vocari eam facultatem, quæ [illegible], i. plantas gubernat & alio loco naturam à Stoicis: Arist. vero interpretes vegetatiuam vocant. Hæc est ratio, cur naturalis vocari debeat hæc pars, siue facultas animæ: non quod ea potius, quam aliæ à natura rebus sit data. Iam vero si vna, & eadem pars simul sentit & nutritur, quomodo non potest in eodem loco sentiens, & naturalis anima simul consistere? præsertim cum *alibi* ille statuat, non esse absurdū, rebus iam forma præditis, aliam accedere formā: quemadmodum os aut caro accedente anima simul euadunt animata. Illud vero nō video cur debeant animæ genera vocari, quæ sedibus sunt seiuncta: partes vero, quando coniunctæ considerantur. Nam genera rerum non hac separatione, aut coniunctione fiunt: sed ex diuersa natura, quę sub eadem essentia comprehendi nequit. Ac tunc maxime, vt partes considerantur, quando sunt diuisæ, siquidem partis ratio in eo potissimum consistit, *quod totū diuidat*. Atq si sentiens, naturalis, & intelligens sunt locis, & natura distinctę animę, quo pacto possunt omnes sub intelligente potētia contineri? Facultates vero animę ab animę partib. distinguere nos prohibet Gal. autoritas: qui idem dicit esse animæ partem, speciem, & facultatem: ad quod licebit adhuc intelligere, excussa de hac re Galeni & Philosophorum aliorū opinione, quorum ipse mentionem facit. Scribit ergo ille *li. [illegible] Placitis*, Stoicos vnam ponere facultatem, vnamque substantiam, quæ omnes actiones præstet & effectus,

Vitā [illegible] esse [illegible].

Fernelius reprobatur.

Facultas plantatiua siue vegetatiua.

Partis ratio in quo potissimum consistat.

& eam ab illis rationalem vocari. *Septimo* autem *lib. eiusdem operis* scribit, Aristotelem vnam etiam constituere facultatem quæ plura nomina, prout diuersa respicit, consequitur. Idem *lib. 5.* ita habet, *Arist. & Posidonius species aut partes animæ non nominatic, sed facultates esse quæ illas vnius substantiæ.* Aliter tamen de Aristot. scribit *lib. 4.* cum ait, eum plures in anima facultates, q genere inter se discrepēt, ponere: non tamen concedere, vt in diuersis partibus sint collocatæ: quippe cum statuat cor omnium principium. Hic enim plures & diuersas genere, illic vero vnam quę nominibus solum differat ob relationē ad plura, poni ab eo, tradit. Ait & Platonem tres ponere facultates, quas & species & partes vocare solet, irascibilem, concupiscibilem & rationalem: quam diuisionem facit & (inquit) Hippocrates. Ex quibus quidē patet, Platonē & Stoicos, quos Galenus in hac re sequitur, nō ponere discrimen inter facultates, & partes, & species animæ. An etiam monstrum non est tria genera animæ in nobis ponere. Nam si anima forma est corporis, & cuiuscunq; corporis vna est forma *propria*, nequeunt profecto tot animæ in nobis consistere aliqua in re inter se discrepantes, tātum abest, vt genere inter se differant. Addo, quod aperte a Gale. dissentit, & ab ipsa ratione, cum sub intelligente anima, sentiētem & naturalem comprehendit. Nam intelligens sub animali facultate continetur principe a qua quidem seiuncta est naturalis genere, & sentiens specie: quippe cum Gal. facta diuisione facultatum in animalem, vitalem, & naturalem, tanquam in generales differentias, postea sub animali sentientem comprehendat. Et quomodo, quęso, sentiens, & naturalis animę potentiæ, sunt partes intelligentis? sic enim sua opera separatim sine intelligentia exercere non possent. oportet hæc Fernelium probare, non pro arbitrio sua statuere legislatorum more.

Quot autem Gale. facultates ponat, ambigere quis posset, ob variam illius de hac re sententiam. Nam *in lib. 5. de placitis* contendit, non plures esse, quam tres: *in vna*, inquit, *ratiocinamur, in altera irascimur, in alia concupiscimus.* Sunt alii loci, in quibus perpetuo asserit, tres esse facultates nostrum corpus gubernantes, animalem, vitalem, & naturalem. Animalem diuidit in principem, sensitiuam, & motiuam: & hanc indiuisibilem relinquit: sensitiuam diuidit in sensum communem, de quo *c. 10. tertii de causis pulsuum:* cuius affectionem dicit esse somnum, & vigiliam. Principem vero in cogitatiuam, ratiocinatiuam, & memoratiuam. Verum cum *lib. primo de locis affectis*, *& 4. de vsu partium*, & *in libris de placitis*, dicat, animalem esse autorem mentis, intellectus, considerationis, opinionis, iudicii, sapientiæ, necesse est, vt has facultates comprehendamus sub ratiocinatrice, vt ille aliquando vnam pro alia ex his vsurpat. *Appellat autem generaliter eam facultatem, quæ omnes istas comprehendit, animalem, quod animalibus sit propria, & non etiam plantis communis.* Porro vitalem nuncupat, quod vitæ ex illius opinione sit principium: vocat illam aliquando irascibilem, quod ex ea irascamur: nonnunquam etiam virilē, eo, quod opera admodum valida proferat; alias vero irrationalem, quod nobis cum belluis sit communis, & illarum more nos ad iram, & crudelia perpetranda inducat. Hanc facultatem autorem esse dicit animositatis, timiditatis, pusillanimitatis, timoris, mœroris, anxietatis, excandescentiæ, doloris, fortitudinis, constantiæ, pulsationis cordis, & arteriarum, itē caloris, qui in singula membra mittitur, generationisq; spiritus vitalis. Quæ quidē videre licet *textu tertio primi comentarii sexti Epidemiorum & quinto textu secundi libri de natura humana*, & *ex libris de Placitis.* Cæterū naturalē vocat, eo, quod omnib. viuētibus, tanq̃ natura quędā, omnib. sit cōmunis, ab Arist. altrix siue vegetabilis: à Platone ob cupiditatum multitudinem, quas parit, concupiscibilis: à Stoicis, quos Gale. est sequutus, vocatur natura siue naturalis, φύσις, i. plantatiua, vt *initio primi libri de naturalibus facultatibus*. Hanc diuidit *eodem libro* in generatricem, auctricē, & nutricem. Generatricem rursus in alteratricem, & formatricem. *Alteratrix*, inquit, *eo loco diuiditur in tot species, quot sunt partes corporis simplices: vnde ossificam, neruificam, membraneam, carnificam, ligamentificam facultatem dicit, quod materiam alteret, & aptam faciat, ad os, neruum, membranam, carnem, & alias partes similares generandas.* Porro formatricem figuræ, concauitatis, asperitatis, æquitatis, proprii situs, connexionis, numeri, magnitudinis autorem esse scribit. Iratum tamen fuisset consonū sub formatrice comprehendere ossificam, & alias prædictas. Huius enim muneris est, non alteratricis, formam dare singulis partibus. Auctrix simplex ab eo ponitur, cuius officium esse dicit genitum animal in omnes partes, quantum fieri potest, augere. Nutrix vnica, inquit, est facultas, sed habet plures famulas, appositricem, adhæstricē, agglutinatricem, attractricem, retentricem, cōcoctricem, & expultricem. Concoctricē diuersa nomina capere dicit a materia, quæ concoquitur, vnde sanguificam, & chylificam facultatē vocat. Hāc naturalem facultatem, cupiditatum, & voluptatū autorem esse, & ea, quæ diximus, sub se continere, tradit *in libris de placitis*, & *in libro de naturalibus facultatibus, passimq; aliis.* Conatur autem *in libris de placitis* ostendere, tres istas esse distinctas facultates, substantia, & locis, nec vnam solum esse posse, quæ omnium istorū operum sit author. Esse n. animalem in cerebro, vitalem in corde, naturalem in hepate. Porro esse tres facultates natura distinctas, ex his probari dicit, quod diuersa opera efficiantur, & ob id etiam necessario diuersas esse facultates. Antecedens probat, quod sępe trahamur ad desideria illicita, & q ab eisdem retrahamur: q sentiamus, ratiocinemur. Consequentiam probat, eo, quod ab eodem secundum idem diuersa fieri non possint. Secundo, inquit, ostendunt pueri, qui ratione minime vtuntur, cupiditatibus autem vehementissimis ducuntur: adulti vero rationem maxime sequuntur. De loco facultatum postea agemus. Nunc autem diuisionem in tres facultates, & illarum substantiam expendamus.

Si Galenus quatuor ponit in hoc opere principia, inter se distincta. quatuor erunt necessario facultates, non soli tres, alioqui frustra ponūtur tot principia; licet id non probare ex argumento, quo ipse ternarium suum numerum concludit, nempe ex diuersis operibus. Videmus n. masculos, & fœminas diuersos habere mores, diuersas actiones, & affectiones in corpore, quando testes habent, aut illis carent. Nec possumus facultatem huiusmodi, quæ agnoscitur esse in testibus, redigere vel ad naturalem, vel vitalem, aut animalem, vt illæ

A constat ex his, quæ sunt comprehensa sub illis facultatibus. Quare addenda est quarta facultas, quam melioris vocabuli penuria, *proprii sexus causam vocabimus*. Ex ea enim masculus est masculus, & masculinitatis officia exercet : & fœmina est fœmina. Vnde videmus, gallinas castratas pinguiores reddi, vocem & habitum mutare. Deinde contra eum numerum hoc facit, quod *multæ ponantur esse facultates, quæ reuera non sunt*, vt auctrix, nutrix, agglutinatrix, assimilatrix, appositrix, vitalis, naturalis, animalis, sanguifica, chylifica, & multæ aliæ. Nam sic facultas est pars, siue species animæ, quæ proprium habeat officium assimilandi, agglutinandi, augendi, nutriendi. Quod etiam ex eo, quod dicunt facultatem esse causam efficientem, probare possumus. Nullã enim inueniemus facultatem ex prædictis, quoniam nulla est causa efficiens prædicta opera, sed illa nascuntur per accidens, & ex consequenti ex aliis actionibus. B Quando enim nutritur corpus, & plus reponitur, quam sit dissipatum, tunc sequitur augmentatio. Sic quando fit concoctio, quia ea fit per assimilationem, sequitur assimilatio, ad hanc nutritio, ad retentionem vero & concoctionem sequitur appositio, agglutinatio, assimulatio, & nutritio. Porro animæ pars nulla est naturalis, animalis, & vitalis, quia nulla est facultas, quæ exerceat communia aliqua officia, vt communes ponimus, & vniuersales illas facultates. Absurdum præterea est genere, & substantia diuersas C ponere facultates, quoniam diuersa fiunt opera. Nam *cum diuersitas operum fiat, non solum ob diuersitatem causarum efficientium, sed etiam ob diuersitatem subiectæ materiæ, & instrumentorũ*, oportebat vtique Galenum probare, non fieri ob diuersitatẽ aliarum causarũ diuersa ea opera, & tunc optimè ostendisset animæ partes, & facultates inter se subiecto, & natura diuersas. Quid enim prohibet, quo minus dicamus cum Aristotele, vnam & eandem esse animam, indiuisibilem, secundum speciem, quæ in diuersis partibus, ob illarum discrepans temperamentum, & structuram, diuersa efficiat opera. Idem est sol, qui ceram liquat, & lutum indurat, ex vna & eadem vi & facultate, nec D ex eo, quod diuersa ab eo fiunt, statuere debemus diuersas natura in eo esse partes, aut species, ita vt vna indurandi, alia liquefaciendi vim obtineat. Calefacit ille duntaxat: sed quoniam calor recipitur in materia, quæ est apta, vt liquefiat, ea quidem liquescit, alia vero induratur, quæ hoc pati est apta, nataque. Eadem est in corpore vis mouendi, sed ob diuersam pedis, & manus structuram fit, vt ille ad gressum, hæc vero ad apprehensionem sit apta. An dicemus duas esse facultates motorias substantia diuersas; & vnam esse ambulatoriã, aliam apprehensoriam, quoniam apprehendere, & ambulare diuersa sunt opera? Ridiculum sane E est, ex diuersis operibus diuersas natura in anima ponere facultates, & ex infinito operum numero, infinitas imaginari facultates. Possumus quidem tot ponere relationes causæ efficientis ad opera, quot sunt ipsa opera, sed hoc nihil ad animæ partes. Hæc enim ex eo, quod in ea est, vnitatem, aut diuisionem recipere debet, non ex eo, quod ab ea fit. Ergo dicamus, *vnam esse naturam, & formam animæ indiuisibilem in plures species, vel partes, quæ vnicam ob id sua natura habet facultatem, operantẽ tamen diuersa ob partium diuersitatem*. Nam in ca- A pite sensus, motus, imaginationis, cogitationis, & memoriæ est autor, & non in aliis partibus : quia cerebrum solum inter alias omnes partes aptum est exercere, & aliis largiri has facultates. Eadem anima in hepate sanguificationis est autor, & in corde pulsationis, & generationis spirituum : *quia peculiarem habent illæ partes ad ea officia obeunda constitutionem*. Hanc opinionem nullum absurdum refellit: nam quod dicit Gale. nos trahi & retrahi à voluptatibus : fatemur quidem, & ab eodẽ sui ratione non posse diuersa fieri: sed hoc non ostendit, diuersas esse facultates & species animæ: quoniam non in eodem, sed in diuersis partibus hæc fiunt. Pueri enim cupiditatibus, adulti ratione magis ducuntur, quod ratio in humido cere- B bro imbecilla sit: vnde sicci senes, & melancholici, prudentes, rationique obtemperantes dicuntur esse. Ea vero pars, quæ obtemperat affectibus, in pueritia est ita affecta, vt sola dominetur, nondum potẽte ratione, quæ vsu etiam rerum inualescit, illius vim coercere. *Det* (inquit Arist.) *senis oculũ iuuenis, videbit vtique tunc ille, vt iste enis*: tanquã diuersæ actiones non proueniant à diuersitate formæ, sed instrumentorum. Sed si quis quærat, quot reuera officia in corpore exerceat anima, siue quot potentias habeat, vt Aristot. potentias sumit: tunc licebit intelligere, quando egerimus de fontibus vnde dicuntur nasci huiusmodi facultates. Quare rem hanc expediamus.

C Si vna est indiuisibilis & eiusdẽ substãtię anima, cur tota in vniuerso corpore nõ est sensitiua, motiua, imaginatiua, cogitatiua & memoratiua, & deniq; non habet omnes facultates? An ipsa quidẽ anima suapte natura in omnibus membris omnia præstare potest, sed singula instrumenta ad id non sunt idonea? Quia enim cerebrum temperiem & structuram habet aptam ad certas actiones exercendas, & ad alias transmittendas in alias partes, ideo illarum fons & subiectum dicitur esse, quod quidem cor nequit esse: quia aliam temperiem & structuram habet. At si anima perpetuo hæret corpori & insita est singulis membris, quomodo potest à certis partibus in alias spargi? An non i- D psa anima, sed ipsius facultates & vires sunt, quæ immittuntur? idem enim contingit, quod in sole euenit. Nam etsi ipse sol perpetuo fixus est cœlo, suam tamen vim, lumenque per radios immittit in alia subiecta corpora: ob animæ enim coniunctionem cum corpore fit, vt anima ob certam quarundam partium structuram possit non solum in illis partibus diuersa præstare, sed ab illis in alias peculiares quasdam virtutes immittere, quæ propterea non ostendunt diuersas esse in ipsa anima aut partes, aut facultates: quod enim ratione subiecti fit, ad ipsam animam pertinere absurdum est dicere. Igitur ab aliquo peculiari loco facultates oriri necesse est, si inter corporis partes E quædam regunt, aliæ reguntur. Quare videndum est, à quo loco, an scilicet ab vno omnes, vel à diuersis, in alias partes deriuẽt huiusmodi facultates. De qua quidem re maxima semper fuit tum inter Philosophos ipsos, tum etiam inter Medicos & Philosophos controuersia.

Nam Plato & Galenus, vt tres ponunt animæ facultates inter se substantia & natura diuersas, sic locis eas separant. Animalem enim in cerebro esse, & ab eo in reliquas partes emanare: vitalem vero à corde oriri: naturalem ab hepate. Contra A

Arist.

Multæ poni facultates, quæ reuera non sunt.

Diuersitas operum unde fiat.

Vnam esse naturam, unica tantum facultate.

Obiectio.

Cur pueri voluptatibus, adulti vero ratione magis ducantur.

1. De anima 65.

De locis, in quibus resident, & à quibus prodeunt facultates.

Anima quomodo in partes spargatur.

Arist. & qui eum sunt secuti, vt Auerrhoes, cor omnium facultatū principium statuunt: in diuersis tamen partibus eas exerceri, erraroque illos tradunt, qui dicunt cerebrum sensus, & motus, & propterea partem principem in capite esse. Et hæc quidem scribit in *lib. 2. de partibus cap. 7. & 10.* item *lib. 3. c. 3. eiusde.* Ac primum quidē rationes adferemus, quibus ille refellere se putat illorum opinionem, qui cerebrum sensus, & motus principiū esse asserunt.

Opinio Aristotelis cor esse omnium facultatum principium.

Primum enim, inquit, cerebrum nullam habet continuitatem cum partibus sentientibus, vt patet intuitu: sed in eo fallitur. Nam ex Anatome apparet, illud coniungi cum neruis, & per illos cum omnibus partibus sentientibus. Deinde ait, cerebrum nullū efficere sensum, cum tangitur, sed B prorsus esse sensus expers, non aliter, quam quoduis excrementum. Respondet Galenus, cerebrum non esse factum, vt sentiat, sed vt sentiendi vim aliis det. Non sentit autem, *quia nerui per illud non sparguntur*, sed ab illo in alias partes, vim autem illud dare sentiendi probat Galen. ex interceptione neruorum.

Cerebrū cur non sentiat, & tamen aliis partib. vim sentiendi largiatur.

Tertio, inquit Arist. capitis partem posteriorem sentire, in qua tamen non est cerebrum. Respondetur, falsum esse, posteriorē capitis partem non habere cerebrum. Et quid hoc ad rem? Ita enim agit Arist. quasi necessarium sit, solas eas partes sentire, in quibus est cerebrum. Addit C Arist. cerebrum non posse sentire, quia sanguinea non est pars. At nerui non sunt sanguinei, & tamē illi primo, & per se sentiunt. Sequeretur præterea ventriculum, & intestina non sentire. In eo autem est deceptus, quod putat carnem esse primum instrumentum tactus. Ait etiam, non sequi; cerebrum esse sentuum originem, quia aliqui sensus sint in capite, vt auditus, visus. Nam, inquit, tactus & gustus ex corde aperte dependent: olfactus vero medium tenet: auditus & visus in capite sunt positi propter sensoriorum naturam. Visum enim esse aqueum, qualis est temperies cerebri: auditum aereum, vt est pars in capite aere plena. Ad hoc respondendū est, quod gustus semper sit D in capite, & falsum sit illum, & tactum à corde dependere: & quod sensus, qui in capite sunt, ostendant manifesto, cerebrum esse sentiendi & neruorum principium: *quia sensoria illa postulant molles neruos, qui non possunt à partibus remotis duci.* Præterea, quod non probet tactum & gustum dependere à corde: quippe cum lingua semper sit in capite; tactus autem per totum corpus sparsus.

Cerebrū esse sentiendi & neruorum principium.

Quinetiam illos errare dicit, qui arbitrantur, cerebrum esse sensus & neruorum principium, quod spinalis medullæ sit origo, cerebrum enim omnium partium corporis frigidissimum esse; ideo non posse esse principium medullæ, quæ calida res est: id tamen facere, vt cerebro continuari possit: quo- E niam natura solet excessum rerum per cōiunctionē contrarii temperare. Sed ille non intellexit spinalem medullam, non esse reuera medullam: quia non liquefit, sed per concoctionem indurescit, (vt ipse dicit cerebrum durescere) tanquam eiusdem hæc sint naturæ. Dicitur autem spinalis medulla, esse medulla: *quod in cauitatibus ossium, vt vera medulla contineatur.* Præterea cum dicat vnam partem esse factā ad temperandū excessum alterius, si cerebrum temperat caliditatem medullæ, nō posset temperare excessum cordis, vt ille vult.

Spinalem medullā non esse veram medullam, & cur medulla dicatur.

Pugnat adhuc alio argumento: nam, inquit, *cerebrum factū est ad temperandum calorem cordis, non ergo sensus* A *est principium.* Antecedens probat, quod constet ex aquea & terrea substantia, non ex carne: quod frequentes & tenues venas habeat continentes sanguinem tenuem & syncerum: quod sanguine careat, quod tactu frigidū sentiatur, quod fluxiones ex capite oriantur, quod animalia, quæ calidissimum habent cor, plurimum habeant cerebrum, ideo hominē inter omnia animalia pro portione sui corporis; & marem plus cerebri, & plures suturas, quam fœminam habere, quod præterea homo, ob caliditatem cordis & pulmonis, solus inter animalia rectus incedat. Ex quib. concludit, cerebrum, nec inter partes continuas enumerandum, nec alium habere vsum, quam quod cor ipsum refrigeret.

Cor à cerebro nō refrigerari.

B Respondetur Aristoteli à Galeno, quod pedes potius quam cerebrum qui maiorem habent vim refrigerandi (vt experientia docet, totum corpus compati ex frigiditate pedū) haberent hanc vim. Deinde quod non possit docere modum, quo cor refrigeretur à cerebro. Nec valet, quod dicit Auerrhoes, ideo refrigerari cor, quod spiritum vitalē cerebrum refrigeret: nam hoc etiā concesso, quod spiritus vitalis à cerebro refrigeretur; non tamen ex eo cor refrigerari potest: nam spiritus ille refrigeratus, vel manet in cerebro, aut dissoluitur, nec amplius descēdit ad cor, repugnāte natura spiritus, qui superiora petere est natus.

Auerrhoes quo modo intelligat cor à cerebro refrigerari.

Nec refrigerare C quidem potest cerebrū ipsum cor, quod pituitosum humorē gignat, qui postea descendendo cor refrigeret: quoniam per antiperistasim cor calefit, & non refrigeratur. Quod vero carne nō sit onustum caput, hoc non est factum, vt cerebrum frigidius reddatur: sed ne grauatum caput, impediatur erigi & circumuolui. Venas autem habet cerebrum, non solum tenues, sed etiam magnas: nec sāguine tenui & syncero alitur, sed frigido & crasso, qualis est ipsius substantia. Frigidum tactu illud sentiri, falsum est: quandoquidem in aere æstiuo cogimur vulnerato cerebro ignem accendere: tāquam non sufficiat æstiuus aer cerebrum conseruare in suo calore:

Cerebrū non esse tactu frigidum.

Præterea taurus & leo plurimū D haberent cerebri, nō homo: quippe cū illa habeāt cor & pulmones longe calidiores, vt ostēdunt tactus, & illorū actiones. Fœminam minus habere cerebri, & pauciores suturas, refellit anatome. Habet quidem minores, sed non pauciores suturas fœmina: & mas ex latiorib. suturis habet, vt facile possit sua excrementa vacuare. Quod si excremētorum quantitas plures exigit suturas, cur etiam duas vesicas, ad bilem recipiendam, mari non dedit natura.

Fœminam non habere pauciores, sed minores suturas.

Hominem ideo erectum incedere, quia calidissimus sit, est absurdum. Primo quod leoni & tauro contingeret erectus habitus potius, quā homini, secundo masculo magis quam fœminæ. Oportebat. n. sicut in suturis, ita in erectione fieri E differentiā inter masculum & fœminam. Tertio si calor causa est erectionis: cur etiā non erit causa motus, atq; ita non dicimus volucres volare, quia calidi sint. Non. n. sequitur erectus incessus calorem, sed corporis structuram, quam ossa potissimum efficiunt: vnde ex varia structura corporis, quędā erecta, alia humi serpētia incedunt.

Incessus erectus vnde fiat.

Postremo si cerebrum nullam habet coniunctionē cum partib. sentientibus, quomodo poterit temperare calorē cordis: siquidē ille dicit, naturam temperiē hanc facere per coniunctionem partiū? Hæc sunt, quæ Arist. adfert contra eos, qui cerebrū sensus & motus principium esse ponunt. Hæ sunt etiam

solutiones argumentorũ ipsius. Nunc videamus, quib. rationib. efficere velit, vt cor sit principium omniũ facultatum: nec non neruorũ, & venarũ.

Primo, inquit, *vnum, nisi quid impediat, ponendũ principium, & illud in loco medio, qui omnium est aptissimus, vt omnes partes illud aequaliter participare possint. Cor ergo, quod in medio est collocatum, erit principium*: à quo omnia oriuntur, quæ in alia membra sparguntur, & in quo omnia fiunt, ad quodque omnia referuntur: hepar autem (inquit) non posse esse principium, quia non est in medio. Sed contra hæc, facile est disputare. Impediunt enim multa, ne possit fieri vnum principium in corpore hominis. Ac natura primum & ortus instrumentorum diuersorum, venarum inquam, arteriarum, & neruorum, quæ non possunt ex vna substantia membri oriri. Deinde quod magnitudo vnius visceris, non sufficiat ad exortum, & locum præbendum tot instrumentis. Præterea oportet neruos quosdam esse molles, alios duros, quosdam veluti à muco concretum, vt sunt nerui olfactus. At nõ possunt ab vno membro tot partes oriri tantopere discrepantes. Tertio cũ facultates animæ postulẽt diuersam temperiẽ, non potest vna pars habere omnes illas tẽperies, quas diuersæ facultates postulãt. Quarto pulmo potius, quam cor, vt qui dextras, sinistras, & medias partes occupet, principiũ esset, & cor ipsum oporteret esse in vmbilico, illic est medius locus totius corporis. Quinto ponere vnum principiũ, cui aliæ omnes partes seruiant, corrumpit vsum multarũ partium corporis; veluti cum dicit, testes non esse necessarios ad generationem: sed factos, vt fiat reuolutio in seminalibus vasis, ne prompta ad crebram venerem reddantur animalia, quæ casta esse oportet. Pendere autem illos, ne meatus retrahãtur: & propterea taurum inuentũ esse, qui statim à castratione generauerit. Tendi etiã cor ex pondere testiũ: propterea castrata animalia esse debilia, quia cor tensionem amisit, sine qua non potest esse robur. At contra id facit, primo, quod negat, animalia omnia habere testes, & propterea nõ esse illos necessarios ad generationem. Ac satis est, si illa aliquid proportione testibus habeant: deinde & si non necessarii sunt in omnibus, non sequitur, quod non sint necessarii in illis, quibus sunt dati, & concessi. Sic enim diceremus pulmonem non esse necessarium hominibus ad vitam, quia pisces sine illo viuunt. Tertio in Anatome testes apparent sæpe tumidi, & semine pleni. Quarto ridiculũ est, quod scribit de tauro, quippe cũ dolor ex castratione illatus coeundi desiderium tollat. Præterea si hoc etiam conceditur, tamen hoc factũ est, quia vasa deferentia dicta erant repleta semine: ex quo facta fuit generatio. Quinto si natura dedit testes castitatis causa, frustra videbitur dedisse volucribus & multis aliis animalibus: piscib' autẽ & serpentibus, aut aliis non: cũ nõ referat illa esse castiora aliis. Addo quod multa sunt testibus prædita, vt passeres, salaciora aliis, quæ non habẽt testes. Sexto si testes faciũt ad põdus, & tensionẽ, quib. testes sunt solũ contusi, erit idẽ robur: quia tensio nõ multũ minuitur ex cõtusione. Præterea q appenso æquali pondere ex ferro, aut ligno ipsis meatib. maneret eadẽ tensio cordis, & idẽ robur. Quin etiam plurimæ reuolutiones venarũ & arteriarũ, & leue pondus ipsorum testium, impossibilẽ ostendunt hanc tensionẽ cordis. Sequeretur etiam illos semper esse animosiores, qui maiores haberẽt testes: quod experientia non docet. Ac cũ testes nõ semper pendeant, sed intus in multis recondantur, non possunt esse facti ad tensionẽ. Igitur testes non sunt facti ad vsum cordis, sed vt semen gignant, & vim immittant in corpus, quibus quidem ablatis, pereunt illæ actiones, quæ à testibus prodibant. At vero hæc etiam principatũ huiusmodi refellunt, quod non possunt docere vsum hepatis, lienis, renum, cerebri, & multarum aliarum partiũ. Postremo si anima tota est in toto, & in qualibet parte, quomodo potest vnũ principiũ constituere illius & partium? Instat alio argumẽto Arist. vt probet cor omnium esse principium. Ait enim nõ aliam partem sanguineam, nec sanguinẽ ipsum habere vim sentiendi: sed quod primũ sanguinem habet, & ita habet, vt vas: id enim inquit, est, quod sentit. At cor huiusmodi est: quippe cum nullum animal sanguine præditum corde careat, & ipsum sanguinem contineat, vt vas: & quod in prima partium generatione statim cor palpitare cernatur, tanquã id, quod est naturæ eorum, quæ sanguinem habent. At hoc argumentum plurima refellunt. Primum. n. falsum est, nec probatum ab eo, illud esse principium sensus, quod est principium sanguinis, imo sensus est primum in neruis, non autẽ in parte sanguinea. Deinde ex motu cordis, non probat illud esse principium motus corporis, quia alterius naturæ est motus cordis, à motu aliarum partium. Tertio falsum est, cor prius formari hepate: nam prius postulat conceptus materiam, quæ suppeditatur per venã vmbilicalem hepati. Postremo si ex eo, quod cor in omni animali sanguine prædito reperitur, illud principium ponitur, hepar quoq; erit principium: quippe cũ nullũ animal sãguineũ hepate careat. Addit Arist. eam partem esse sensus & motus principiũ, à qua nerui nascuntur. Illud autem esse cor, ostendit, inquit, anatome, quippe cum multi sint nerui in corde. Atqui anatome contrariũ ostendit. Non enim sunt nerui, qui in corde apparẽt, sed ligamẽtosa quędam substantia: deinde non videmus neruos à corde in alias partes ferri: aut certe nullus est in eo neruus, qui possit esse aliorum principium. Qui. n. in eo est, exiguus est, & in tunicã illius solũ inseritur. Hæc vt puto, satis refellunt Aristotelis argumenta. Videamus nunc, quibus rationibus idem probare nitatur Auerrhoes, nempe cor esse principium sensus, & motus, & omnium facultatum.

Cor non esse omnium facultatum principium.

Testes ad quid facti.

At ille, *ibi primam esse virtutem animæ, quæ est sensitiua & motiua, vbi est primum animæ instrumentum, nempe calidum natiuum. At in corde, primum esse animæ instrumentum.* Respõdent nõnulli, virtutes animæ plures esse, & vnamquamque habere suum instrumentum, nempe animalẽ virtutem habere spiritum animalem. Nos dicimus hanc responsionem non esse bonã: quia naturalis non habet propriũ instrumentũ: sed negãda est maior. Non enim necessarium est, ab eodẽ fonte primam facultatem, & primum pariter instrumentum prouenire. Deinde negari etiam potest, sensitiuam & motiuam virtutem esse primã. Nam dignitate ratiocinatiua: vt vegetatiua vero tempore præcedit. Postremo calor natiuus nõ est primũ, sed commune instrumentum. Secundum

Auerrhois de principatu animæ opinio.

Calorem natiuum non esse primum, sed commune instrumentum.

Auerr.

Auerr. argumentum hoc est: *Vt vniuersa animæ facultates, ad vnam animam rediguntur, ita oportet vniuersa organa, ad vnum organum redigi.* Respondemus, omnem calorem redigi ad vnum fontem, à quo omnia instrumenta calorem suum sumunt. Negatur autem necessarium esse, omnia organa ab vno principio nasci: præsertim cùm dicat Arist. *cap. 10. secundi de partibus*, sanguinis calidioris agitationem, officium sentiendi impedire, tanquã nequeat caloris & sensus idem esse principium. Tertio inquit Auerrhoes: *In timore sensus & motus debilitantur: At id non contingit alia ratione, quam quod animæ facultas motiua & sensitiua versus cor, tanquam ad fontem confugiant.* Respondetur, sensum & motũ lædi, nõ læsa facultate, sed deficiente calore, sine quo nõ potest aliqua actio fieri. Quarto: *Si animalis spiritus autor est sensus & motus*, (vt Medici volunt,) *ostendit* (inquit) *id cor esse principium facultatũ: quandoquidẽ cerebrum, eo quod frigidum sit nequeat naturæ opera perficere, & spiritum aliquem gignere.* Respondetur, nullum esse spiritum animalem, & si ponatur, tamen potest fieri à cerebro, quoniam non est frigidum actu, sed *frigidũ dicitur, quod sit frigidius tẽperata parte.* Quod autem tale est, potest substantiam aliquam conficere: ex calida autem frigidiorem, vt testes semen conficiunt, & mammæ lac, quod est sanguine frigidius. Auerrhoes igitur concludere se putat, cor esse sensus, motus, & aliarum facultatum principium, eo quod caloris sit principiũ: quod ostendit, cũ agit de somno. Dicit enim somnũ fieri in corde, quoniam est affectus communis sensus, qui in corde apparet esse, nimirũ quod per recessum natiui caloris versus cor, somnus fiat. At contra facit: primo, quod Aristoteles sumat argumenta ab origine neruorũ, & sãguinea substãtia: quod esset superfluũ, si putaret, cor esse sensuum originẽ, quia sit principium caloris. Secundo facultates animæ distinctæ sunt à calore. Nam hic instrumentum illarum est, & corporis, vt Arist. etiam testatur. Cæterũ de vsu cerebri Auerrhoes hęc scribit: *Cerebrũ esse factum, vt temperet spiritus cordis: sine qua temperatione nequeant sensus & motus fieri. Ideo in cerebro sensum exerceri, à corde tamen prodire.* Verum contra id plurima pugnant. Primo quod argumenta Auerrhois & Arist. nihil aliud probent, quam cor esse principium caloris, non autem sensus & motus. Secundo dissentit Auerrhoes ab Arist. Nam hic dicit, cerebrum factum esse, ad refrigerium cordis, ob suam temperiem contrariam, & hunc vsum dari cordi, per connexionem, quam habet cum cerebro: non autem refrigerium fieri spiritus alicuius. Tertio falsum supponit, nempe sensum & motum non posse fieri à spiritu non refrigerato in cerebro; quia per febres ardentes spiritus omnes feruent, & tamen sensus fit. Quarto, vt calor cordis nõ requirit mutationẽ in alijs partibus, & actionibus, sed dicitur esse sua natura aptus: sic ad sensum & motum, nõ debemus requirere peculiarem aliquam alterationem spiritus in cerebro. Ergo Arist. & Auerrhois argumenta (vt optime scribit Galenus *in lib. de placitis*) solum cõcludunt, calorem emanare à corde.

Cerebrum quomodo sit frigidum.

Facultates animæ esse à calore distinctas.

Opinio Drusiani de principatu animæ.

Pugnat in eadem re Drusianus his argumentis. Primo, *vt anima per se est impatibilis, & vnam habet essentiam, vniuersam habente potestatem: ita corpus vnum est, cuius organa ab vno principali organo originem habent. Hoc autem ex Anatomis &* A *experientiis probatur esse cor.* Negatur similitudo. Nã plura cognoscuntur esse organa distincta natura & principiis: nec anatome, & experientia docent, quod ille dicit. Secundum illius argumentum hoc est: *Cor primum viuit, & vltimum moritur, ergo vitæ principium*: cui respondere non possumus, nisi intelligamus quid vita sit. Dicam ego, quid de hac re sentiam. Viuere *nihil aliud* est in rebus animatis, *quam esse*: dicuntur enim illa esse, & viuere, quæ animam habent, & quandiu habent: mortua vero tunc sunt, & dicuntur, quando amplius non sunt animata: ac tunc mori quando anima à corpore recedit. Quia igitur animata aliter sunt, quam alia, quæ anima carent, ideo illo- B rum essentia, & subsistentia, peculiari nomine vitę significatur: quod perinde est, ac si dicas, animata certo suo modo sunt: quem modum, vitam maiorib. nostris appellare placuit. Est ergo animæ pręsentia vitæ causa, & absentia, mortis: quod idẽ est, ac si dicas, animam esse causam, vt res sit, aut non sit. Signum autem illius præsentiæ, sunt operationes, quas illa edit cum corpore. Agnoscimus.n. res viuere, quamdiu operãtur; & mortuas esse, quãdo amplius operari nequeunt. Porro agnoscitur animal viuere, vt animal, ex sensu & motu: vt corpus animatum, ex nutritione: vt homo ex ratiocinatione. Quare nutriri, augeri, sentire, moueri, ratiocinari non est viuere, vt Arist. *in libris de anima* C scribit: sed ex istis, plãtæ, animalia, & homo viuere id est esse cognoscuntur. Cęterum vt operationes fiant, requiritur non solũ anima, sed instrumentã corporis, & calor natiuus: ac vno deficiente ex his, desinũt fieri operationes, & perit totum aut pars. Nã ad argumentũ respõdetur, q cor non det vitã, nec omnia necessaria ad vitã. Nõ enim dat animã, quæ tota est in toto, non dat instrumenta, vt caput, pulmonẽ, ventriculum, hepar, & alias partes in nobis necessarias ad vitam: sed solum dat calorem. At dare calorem, non est dare vitam, sed vnã ex causis vitæ. Sicut vẽtriculus, intestina, & hepar aliam dant, nempe materiam nutritionis, sine qua nequit vita persistere. *Viuit autem non primum* D *cor, sed hepar.* Primũ enim formari oportet partẽ, quæ materiã præbeat. Superius enim ostendimus ex connexione venæ vmbilicalis, primum formari hepar. Quod autẽ cor vltimo moriatur, ratio est, non quod illud sit vitæ principium; sed *quod calor deserat prius alia omnia membra, quam ipsum cor, mors autem prius non accidit, quam recedat calor.* Negari ergo potest etiã consequentia. Non enim sequitur illud esse vitæ principium, quod primum viuit, & vltimum moritur, quia solum sequitur, illud esse caloris principium. Tertium argumentũ Drusiani hoc est. *A calore*, inquit, *anima potissimũ pendet, propterea membrum, quod dat calorem, erit principalissimum.* Respondetur, illud esse princi- E palissimum membrum, *quod principalissimam animæ facultatem continet, siue à quo illa emanat*, & non illud, quod dat id, sine quo nequit anima ipsa stare. Sic enim ventriculus esset pars principalissima, quia dat cibum, sine quo nequeunt calor, & anima persistere, & sic inter famulos Regum, cocus, pistor, lanius, lixa essent principales, quia sine illis Reges non possunt viuere. Quarto pugnat Drusianus; *In corde* (inquit) *est principium spiritus, qui est vehiculum omnium facultatum: Ergo facultates omnes in corde, alioqui si spiritus sine facultate recederet à corde, esset otiosus.* Respon-

Opinio Auerrois.

Viuere quid.

Quid mori.

Vita & mortis causa.

Vitæ & mortis signa.

Cor non dare vitam nec omnia vitæ necessaria, sed solum calorem.

Hepar primũ viuere.

Cor cur vltimo moriatur, cum tamen primo non viuat.

Principalissimum membrum quod.

Spiritus quomodo facultatibus seruiant.

demus, spiritum non vehere facultates, sed solum suo calore illas excitare, & eis seruire. Falsum quoque est, quod dicit, *virtutem esse vnam, sed diuersos facere effectus ob diuersitatẽ spiritus factam* (vt ille ait) *à partibus, in quas incidit.* Nam potius dicendum est, vnum esse spiritum: facultates vero ipsas diuersas, vt in cerebro apparet: vbi cũ vnus sit spiritus, diuersissimæ tamen fiunt actiones, sensus inquam plures, imaginatio, cogitatio, memoria. Postremo, etiam si concedamus spiritum vehere facultates, non tamen erit frustra, qui exit à corde: quia erit comes facultatũ à corde prodeuntium. Quinto, ex similitudine idem nititur probare. *Sicut* (inquit) *sol est fons luminis, vitæ, generationis, & corruptionis in vniuerso per motum, & lumen: ita cor in animali est principium vitæ, & omnium facultatum per motum, & emissionem spiritus viuificantis totum. Et quemadmodum non sufficit lux solis, sed opus est illam recipi in aliis planetis: ita spiritus cordis, in certis partibus inducit nouam complexionem, conuenientem vni generi operationum. Quare spiritus exiens à corde, confusè habet omnem virtutem quã non potest exercere in singulis operationibus, nisi capiat peculiarem complexionem. Ac partes, quæ inducunt huiusmodi complexionem, dicuntur principia, vt cerebrum, quod quidẽ aptat spiritum pro sensu cõmuni, imaginatione, cogitatione, & memoria, sensu, & motu: & propterea post cor, principium esse istarum facultatum dicitur. Sic de hepate, & testibus sentiendum.* Respondetur primo, quod ad mentẽ Arist. non dicatur cor esse principium omnium facultatum, *propter spiritum*: quia non caperet argumentum ab origine neruorum, & venarũ. Deinde quod non posset dicere, cor esse principium, eo quod omnia instrumenta facultatum ab eo nascãtur: si solum putaret illud esse principiũ, quia spiritum det & calorem. Præterea vult principium esse, non solum, quod omnia nascantur ab illo: sed etiam, quod omnia in illo fiant, & ad illud referãtur. At quomodo ad cor redeunt; & referũtur alii spiritus, qui à secundariis principiis (vt illi volunt) ferũtur per vniuersum corpus: nec amplius ad cor redeunt. Omitto, quod pronunciat ille multa de spiritibus & nihil probat. Sexto dicit, *animã & illius potentias per essentiam non tantum esse in corde, sed in omnibus membris: dicitur autem principaliter esse in corde, sicut in loco, vnde exhauriat principale omnium suarum facultatum instrumentum: ex cuius fluxu accidit opinari, quamma potestates ab eo spargantur.* Sic Aristot. ergo non docuisset, quod verum est, sed solum quod opinatur vulgus. Verum quoniam ista, & etiam, quæ sequuntur, non possunt intelligi, nisi intellecta tractatione de spiritibus: ideo de illis hoc loco agendum: docendumq; an sit spiritus aliquis in corpore, & si sit, quid sit, quotuplex: in quo loco gignatur; quomodo sit instrumentum animæ & corporis.

An sit spiritus aliquis in corpore.

Galenus *Aphorismo decimoquinto primi libri* dicit, tria esse, quæ complent substantiam nostri corporis, spiritum, sanguinem, & semen. Secũdo, *libro quinto de Simplicibus, cap. de suppurantibus* scribit, spiritum contineri in omni parte corporis, præsertim in spatiis vacuis. Dicit præterea *in libro primo de differentiis febrium cap. primo*, corpus constare ex contentis, continentibus, & impetum facientibus, id est, spiritu. Sunt & alii loci apud illum de hac re, in quibus statuit esse spiritus: sed id non probat. Fernelius vero dicit, hoc probari ex eo, quod animaliũ corpora accendi & comburi possint: sed hoc solum ostendit in nobis aeream contineri substantiã, quæ diuersa est à spiritu. Esse autem spiritus, docet mors, quæ contigit solo expirãte spiritu per vulnera, vbi nec calor, nec frigus externum nocent: constamus autem illis, ex quibus fit dissolutio. Secundo docet respiratio, quæ immittit aerem ad congenerem substantiam fouendam: & emittit spirituosam substãtiam, genitam ex quatuor elementis, cum sit aere crassior. Tertio ostẽdit semen, principiũ generationis, multo spiritu plenum. Quarto vbi humor & calor est, necesse est fieri exhalationes, & spirit⁹ generationes. Quinto id docet calor, qui exiens à fonte in vniuersas partes, non potest sine subiecto ferri. At nullum potest esse subiectum, quod respondeat momentaneis motionib. caloris, præter quam spiritus. Postremo docent subitę passiones, vt syncope, timor, erubescentia, restauratio per odores. Hæc enim omnia ostendunt esse tenuem quandam substantiam, quæ potest facile consumi, restitui, & moueri.

Spirit⁹ quid secundum Fernelium.

Spiritum Fernelius definit esse corpus æthereum, caloris sedem, animę, & corporis vinculum, primum actionis instrumentum, non ex elementis, nec ex alio, quod habet hic inferior mũdus, natum. Idque probari dicit: primo quod Academici dicant animum cælestem, & diuinum non posse coniungi cum mortali, & terreno corpore, nisi intercedente medio alio vinculo. Propterea animũ duplici veste indui. Vna ex corpore cœlesti, puro, & astro simili, inseparabili ab ipsa anima. Alia vero genita ex puriore parte elementorũ. Secundo id ostendere cauitates arteriarum, quæ continent pertenuem auram. Tertio aerem inspiratum, non solum ad refrigerium, sed ad nutrimentum huius substantiæ idem monstrare. Quarto id ostendi ex triplici humore, oleoso, alimẽtoso, & aqueo, & ex oleoso spiritum ali. Quinto Arist. dicere *in lib. de Gener.* in semine spiritum, in hoc naturam respondentem elemento stellarum contineri. Montanus vero dicit esse substantiam perspicuã, & lucidam.

Quid sit spiritus ex Montano.

Verũ contra hos multa faciunt. Nam si spiritus est ex cælesti, & ætherea substãtia, immortalis erit, quare nutriri, augeri, & minui nõ posset, vt illi volunt. Secundo repugnant sibiipsis, cum dicunt eam substantiam cælestẽ, & ardere posse, ac refrigerari. Tertio testes, quos afferũt ex Academicis, non habent auctorẽ, & figmenta sunt. Rectè quidem dixit Aristoteles, naturã contineri in semine, & spiritu, nempe vim formatricem, quæ diuersa res est, neque ex elementis natura: sed hoc nihil ad spiritum, & illius substantiam. Quinto quod ipsi tractationem suam damnent, cum primos duos ponant spiritus: postea vero ea, quæ dicunt, solũ conueniant spiritui facto ex elementis. Sexto non docent, quemnã ex spiritib. velint esse animæ instrumentũ; an solum illum æthereum, an alium elementalẽ; an eum, qui ex semine partibus inditur, an qui influit à corde, vt reuera hic dicitur esse à Galeno. At hic ex humoribus gignitur quotidie in nobis, & æthereus non est, nec cœlestis. Septimo, qui spiritum dicunt esse substantiam lucidam, videntur hoc ex vulgi opinione tradere: qua credũtur Angeli splendidi esse. Quapropter quærenda est alia probabilior definitio: quæ talis esse potest.

Secundum autorẽ Spiritus quid.

Spiritus est exhalatio quædam ex benigno sanguine & humore iuuentibus proprio assurgens. & hæc

& hæc probatur vera esse definitio, primo quod sit Galeni *sexto de vsu partiũ*: secundo, quod conueniat talis substantia compositioni nostri corporis ex elemẽtis, & ex primis principiis, semine & sanguine: tertio, talis substantia est, quę expirat & per inspirationem trahitur. Verum hæc definitio solum continet spiritum influentem, & hominis bene sani. Quare ita spiritus definitur communi definitione melius: *Spiritus est vaporosa substantia, qua nostrum corpus constat, vel vtitur ad vniuersas actiones obeundas.*

Melior definitio.

De generib. spirituũ, & Gal. opin.

De generibus spirituũ agendum: de quibus agens Gal. *duodecimo Methodi cap. quinto*, ponit duos spiritus, vnum vitalem, alium animalem, dubitat autem de naturali. Item *libro quinto de Simpl. cap. de pus mouentibus*, ponit spiritum quendam innatum in omnibus animalis partibus: qui cum nec vitalis sit, nec animalis, merito erit naturalis. At *in libris de placitis*, præter vitalem, & animalem, alium addit spiritum, quem materialem vocat. Cæterum, quæ dicit in *aphorismo decimoquinto*, s. singulas partes constare ex spiritu, non possunt intelligi de vitali & animali, qui non manent fixi in partibus, & propterea non potest pars aliqua ex illis constare. Contra hunc numerũ spirituum, plurima faciunt. Et primo, quod Gal. non probet tres esse, sed dubitet de naturali, de vitali dicat nullam esse euidentem demonstrationem, verũ solum rationi esse consonũ, vt recipiatur: de animali autẽ esse euidentem demonstrationẽ. At ex quib. quæso, ea sumitur. Nam excussis omnib. eius libris nulla reperitur alia, nisi ex plexu retiformi. At ille non est in hominibus, aut certe non ita euidens, vt in brutis: cum tamen homines postulent puriorem spiritum, & propterea euidentiorẽ plexum, & magis artificiosum. Deinde etiamsi ponatur, non tamen sequitur, illic fieri aliquem spiritum, sicut non sequitur, fieri in reuolutione vasorum spermaticorum. Præterea si retia huiusmodi sint necessaria ad generationem spirituum, cur etiam illa non fiunt in corde, ad generationẽ vitalis? Secundo falsam ostendit hanc esse opinionem, eo quod dicat animalem spiritum nunc ex vitali spiritu, nunc ex aere ambiente inspirato, nũc ex sanguine gigni, dicatque esse igneæ substantiæ. Tertio, quod nõ possit assignare locũ, vbi gignatur. Nã aliquando eum in plexu, aliquando in vẽtriculis cerebri: & nunc in duob. anterioribus, nũc in medio, nunc in postremo, nunc in venis, quę ad ventriculos pertinẽt, illos gigni scribat. Quarto, si spiritus animalis cõtineretur sẽper in cerebro, sẽper fierent actiones, vt cogitationes, sensationes: nihil. n. deesse potest tũc cerebro ad actiones obeũdas. Quinto, nõ est necessarius spiritus animalis ad actiones animales exercendas, cũ dicat *vltimo c. 1. de locis affectis*, talẽ facultatem, sine aliqua substantia, vt radios solis in terram ferri. Sexto, si necessarius est spiritus ad animalem facultatem vehendam, descendet vsq; ad pedes minimo momẽto spiritus hic, quẽ igneæ, aereæ & leuissimæ substantiæ esse dicit. Septimo, non docet, talem spiritũ esse dilatatio pupillæ, quæ fit altero clauso oculo: quoniam per arterias, & non per neruos influit ille spiritus, & propterea nõ est animalis. Octauo, si plures sunt spiritus proprii singulis actionibus, non vtiq; possent fieri actiones corporis: quoniã per somnum, vigiliam, iram, tristitiam, gaudiũ perpetuo miscentur, & confunduntur minimo mo-

Plexum retiformẽ esse in hominib. aut plane nullum aut non euidentem.

A mento hi spiritus: nec possunt subito separari aut regigni, præsertim animalis, qui tantã elaborationem postulat. Nono, si actiones natura diuersæ postulant suum proprium spiritum, cur manifeste non ponit naturalem? Nec dicendum est, vitalem posse illis seruire, quia etiam sufficeret animalibus facultatibus, cum par sit distantia, & differentia ab vno, vt ab alio. Quare *vnum, & non plures spiritus influentes ponendum esse censeo*, idque multis rationibus. Nam si innatum calidum est spiritus (vt Galenus dicere solet) vnus erit spiritus, quia calidum innatum vnũ est: nec dicitur esse naturale vnum calidum, aliud vitale. Secundo, actiones nostri corporis diuersæ commune volunt instrumen-
B tum: nam plura se impediunt. Tertio, vt vnum est nutrimentum ex tota massa humorum, quæ vnam habet formam conuenientem omnibus: sic vnus est spiritus, qui ex tota massa cõsurgit. Quod si spiritus aliquando crassior, tenuior, calidior, frigidior, & humidior est in corpore nostro humano, nõ tamen propterea speciem mutat: sicut nec humores speciẽ mutant ob istas qualitates. Quarto, spiritus insitus singulis membris, vnius est naturæ: ergo & influens, qui insitum conseruat & auget. Quinto, tot partes, & facultates diuersę, aliquid commune postulant, quo coniungantur, & mutuo communicent suam vim. Postremo idem
C sentit Arist. *c. vltimo lib. 5. de generatione animaliũ*, vbi scribit, sic se habere spiritum in rebus à natura constitutis, vt malleum in arte fabrili. Vnum scilicet esse instrumentum, quod ad plures actiones est vtile. Idẽ scribit *in fine libri de communi animalium motu*. *Vnus ergo spiritus: quem nec vitalem, nec naturalem, nec animalem vocare debemus*, si intelligamus his nominibus diuersam esse illius formam & naturam: sed ita vocare possumus, vt Aristot. animam vnam dicit esse, quæ ob diuersam relationem nunc sensitiua, nunc motiua, nunc vegetatiua dicitur. Sic igitur naturalem spiritum dicemus esse, quando naturalibus, animalem, quando animalibus, vitalem, quando vitalibus seruit
D functionibus. Porro spiritus non seruiant corpori, eo, quod ferantur per instrumenta, & per illa ducant facultates (vt nonnulli sentiunt.) Nemo enim cõcipere potest per neruos solidos, & duros, spiritum minimo momẽto posse subire, accedere, recedere. Quod si cõstrictis, aut obstructis neruis, non fit sensus, & motus: id tamen non ostendit spiritum per eos immitti: nam facultas postulat sua instrumenta, & media expedita, etiam si non moueatur cum aliqua substantia. Idem enim contingit, vt in solis lumine, quod non potest per nebulam fieri. Præterea, si nerui postulant ad motũ & sensum spiritum, qui feratur per certum substãtiam, cur etiam nõ dicemus per substantiam arte-
E riarum, & venarum, ac non solum per earum cauitates spiritum ferri? Ad hæc, cur non fierent in neruis frequẽtes cõuulsiones, vbi spiritus est crassior. Dicemus ergo, spiritũ seruire singulis facultatibus *non alteratione, quam quod suo calore excitet insitum calidum*. Sic enim *calidum influens à corde, instrumentum totius corporis, & alterum illius* esse dicimus. Hæc ergo, quę dicuntur de spiritibus, non probant cor esse omnium facultatum principium. Quare verior est Galeni opinio, qui plura statuit principia omniũ facultatũ. Verum videndũ est, an cerebrũ, hepar, cor, testes, sint principia omnia facultatum, quas recensent ipse, vel in illis

Spiritum vnum influentem, & non plures esse ponendos.

Spiritus quo modo singulis facultatib. seruiat. Plures esse fateor, & principia facultatum, quarum à singulis principia prodeunt.

exerceri aut ab ipsis in alias partes prodire. Porro cerebrũ esse sensitiuæ & motiuæ facultatis principiũ multis rationib. probat Gal. primo *quod cellis si ventriculis cerebri, animal sensum, & motum amittat, permanente tamen cordis, & arteriarum motu, ac nutritione incolumi*: quod signum est, non omnes facultates exire à corde, sed diuersos esse illarum fontes. Secundo, *quod neruis laqueo interceptis pars, quæ post ligaturam est, insensibilis, & immobilis maneat, & vna cum ea omnes partes, quæ ab illa neruos capiunt: quæ vero versus cerebrum est, sensum & motum retinet.* Oporteret autem contrarium fieri, si à corde sensus, & motus emanarent. Nec dicere oportet, quod hoc fiat, quia spiritus non descendat à cerebro, & sine eo non possit fieri sensus, & motus, etiam si virtus à corde immittitur. Nam antea ostendimus, *nullum spiritum in cerebro gigni*, & si quis mittitur ab eo, non mittitur per neruos, sed arterias & venas: quæ cum vicinæ sint neruis, spiritum spargere in eos possunt. Ergo nõ fiunt sensus, & mot⁹, quia facultas non immittitur à cerebro. Tertio *docent remedia, quæ læso sensu & motu, prosunt, cum cerebro admouentur, ausi [illegible] vitio caliditatis [illegible], cerebrum esse originem harũ facultatum.* Quarto *idem probant cerebri affectus, qui nunc sensum, nunc motum labefactant.* Hæc ergo manifestè ostendunt, à cerebro prodire facultatem sentiendi & mouendi. An vero in cerebro fiat imaginatio, cogitatio, & memoria: & quot sint illæ facultates istarum actionum, probare licet ex prædictis argumentis: quod scilicet illæ solo corde, & hepate, & solo affecto cerebro, nunc vna, nunc duæ, nunc omnes illæ actiones lædantur. Docent iterum remedia, quæ cerebro admouentur per huius [illegible] affectus. Nam in lethargo & inflammationibus cerebri vulneribusque, deliria oriri conspicimus: in apoplexia vero & epilepsia, etiam aboleri eas actiones præstantissimasq; e[illegible] remedia, quæ cerebro admouentur. Sumit aliud argumentum Gale. *primo de locis affectis.* Ait enim *indicio esse, quod facultas [illegible] sit in cerebro, quia fatuos dicimus cerebrum non habere:* mirum tamen est, quod ipse hoc argumento vtatur eo loco, quod *in libro de Placitis* reijcit tanquam rhetoricum, & ineptum ad probandum originem facultatum. Addit quartum argumentum ex Platone, *quod partem, quæ dominari debet, & diuina est, in loco eminentissimo collocare oporteat, vt prospicere possit tanquam ex arce; quid in aliis partibus rectè, aut malè fiat: ac vt à terra maximè recedat, quod diuinitatis est particeps vt nos ad cœlestem cogitationem ducat.* Sed hoc etiam est probabile argumentũ. An vero distinctę sint locis in cerebro hæ facultates, in sequenti capite expendemus, nè prolixior euadat hæc tractatio. Quod si imaginationis, cogitationis, & memoriæ cerebrum sedes est, erit quoque sedes considerationis, opinionis, iudicii, ingenii, sapientiæ: quæ facultates, & actiones, sub animali facultate à Gal. comprehenduntur. Porro multas facultates sub vitali comprehendi à Galeno antea ostendimus, qui etiam tradit, in corde eã esse, & ab eo per arterias in vniuersum corpus trãsmitti, passim commemorat: nec tamen interim aliqua ratione probat, vim aliquam vitalem in corde esse, aut ab eo prodire. Si enim viuere est *vegetari, sentire, & moueri, vt in lib. secundo de anima* tradit Aristot. aut rectius, si vitam ostendit vegetatio, sensus, & motus, vt nos antea ostẽdimus: vel si viuere est *gubernari à tribus facultatibus*, vt Gal. scribit *vndecimo Methodi*: Cor neutiquam erit vitalis alicuius facultatis principium. Nam nec nutritionis, nec sensus, nec motus voluntarii principiũ est cor: nec tres istæ facultates à corde procedunt solo, sed à tribus fontibus, singulæ à singulis. Quod si quis diligenter expẽdat, quid à corde extra mittatur, nullã agnoscet ab eo exire facultatẽ, quę vitalis dici possit. Nam cor in arterias immittit vim, qua illæ dilatantur & comprimuntur: & præterea sanguinem spirituosum. At ex motu arteriarum, & sanguinis spiritusq; influxu, fit cõseruatio caloris natiui in singulis partibus: & nihil præterea à corde emanare nouimus. Ex quo sequitur, corpus à corde sumere *calidum influens vitæ, & omnium actionum instrumentum*, arteriasq; comparatas esse ad illud calidum spargendum, & conseruandum in singulis membris. At hoc non ostendit vitalem aliquam facultatem à corde proficisci. Agnouit Fernelius hanc dubitationem, sed parum fœliciter tueri vult vitalem huiusmodi facultatem. Nam eousque rectè quidem progreditur, vt pulsandi vim in arteriis ostendat à corde oriri, & diuersam esse à facultatibus animalibus, & naturalibus: sed propterea non ostendit, vitalem eam esse facultatem. Nam statuit vitalem facultatem esse totius animę summam quandam facultatẽ: quæ partes animæ perficit, tuetur, & quasi nexu cõiungit (ita enim ille loquitur.) Sed nihil istorum probat: ac in eo etiam sibi repugnat, quod *totius animæ* dicat *esse facultatem.* Nam cum animam diuidit in tres partes, substantia & locis distinctas: asseratque, vitalem à solo corde emanare: quo pacto potest esse totius animæ facultas? Nec est, quod quispiam dicat, pulsandi vim, quæ est in arteriis à corde insita, eam esse quam vitalem vocare debemus. Etenim vitalẽ in vniuersum corpus, quod viuit, immitti à corde tradit Galenus: arteriarum autẽ motus, non aliis datur partib. pręterquam cordi, & ipsis arteriis. Ergo nulla facultas vitalis à corde. Pulsandi autẽ vim arterias sumere à corde, hoc argumẽto est, quod iniecto aliquo vinculo, & eo constrictis arteriis, pars illarũ, quæ vergit ad cor, pulset, alia vero minime. Esse autem cor *caloris, & spiritus influentis* principium, intelligere possumus ex eo, quod cordis sinus, & quæ in illis sunt, feruere, aut certè vehementer calere sentiamus: ac quod per iram expandi calorem & in tristitia eundem contrahi ad cor deprehendamus. Cæterum motus arteriarum, & ipsius cordis ostẽdũt eas partes ad caloris conseruationẽ esse cõparatas. Nã in dilatatione, attrahitur aer frigidior: in compressione vero emittũtur fuliginosi vapores: ex quibus fit caloris natiui conseruatio. Porro in timore, tristitia, ira, gaudio, risu, cor euidenter pati agnoscitur. Nam in tristitia & timore contrahitur: in gaudio dilatatur: in ira ebullitionem quandam in seipso excitat. An vero constãtia, fortitudo, magnanimitas, aut pusillanimitas pariter in corde fiant, probare nequeo. Est enim vulgare illud argumentum, quo vtitur Gal. quod s. dicamus, timidos nõ habere cor, animosos vero cordatos. Ex hoc n. ostenditur, quod vulgus dicere solet: non autẽ, quod ratio suadet. Iam vero superius ostendimus, facultatem naturalem multas sub se continere, ex Galeni opinione, facultates. Nunc videndũ est, quisnam sit fons, & principium harum facultatum.

Cerebrum quarum facultatum sit principium.

Nullum spiritum in cerebro gigni.

An à corde vitalis aliqua facultas prodeat.

Viuere quid.

Cor quid corpori impertiatur.

Fernelius taxatur.

Pulsandi vim arteriis dari à corde.

Cor cuius sit principium.

Quæ passiones fiant in corde.

Passim

Nullam facultatem prodire ab hepate.

Passim scribit idem autor, & ab aliis omnibus Medicis receptum est hepar esse huiusmodi principium. Verum cum paulo diligentius rem hanc expendo, inuenio nullam facultatem ab hepate prodire in alias corporis partes. Nam vt à generatrice exordiamur, gignitur formaturque animal in vtero agente semine, ex insita sibi facultate generante: At hæc forma, à toto corpore, non ab aliqua parte semini inditur: aut certe, si ab aliqua parte, à testibus, vbi semen fit, non aũt ab hepate emanat. Agente igitur semine, & patiente sanguine menstruo, nulla intercedente facultate, quæ ab hepate procedat, generatio nostra fit: non autẽ ab hepate emanat, quod ipsum etiã ab eadem facultate gignitur.

Quæ sint naturales facultates, & an aliqua sit illarum fons.

A Auctrix aũt, & nutrix facultas nulla est, vt antea ostendimus. Sicut etiam nulla est facultas, quæ apponat, vel adhærere faciat: aut agglutinet, aut assimilet nutrimentũ; nam positis quatuor facultatibus quas Gale. naturales vocare solet veritate victus, quarum illæ solæ naturales sint facultates, non est opus alias ponere, quæ hæc opera perficiant. Sequũtur enim opera hæc per accidens actionẽ quatuor prædictarum. Nã cum attrahitur nutrimentũ, retinetur, & cõcoquitur, apponitur, adhæret, agglutinatur, assimilatur & nutritio fit. Cum vero plus assimilatur, quam fit dissolutum, tunc sequitur augmẽtum. Nec vero quatuor istæ facultates, ab hepate in alias partes mittũtur, quandoquidẽ passim Gal. alibi & in hoc capite scribit, insitas eas esse ex proprio temperamẽto: nos veriùs dicemus ab anima. Nec putare quidẽ debemus, facultatem aliquã ab hepate immitti, quod venæ dicitur à Gal. 3 *de naturalib. facul.* & *4. de vsu par.* inesse vim sanguificandi habere, & illã ab hepate sumere. Falsum n. est, venas huiusmodi vim obtinere; quandoquidem quælibet pars, in sibi similem substantiã mutat id, quod alterat; vnicã aũt substantiã habent venæ, & illã albã, ex qua non possunt aliquid gignere rubrũ. Nam cum per contactũ fiat actio, necesse est, vt qualitates corporum, quæ agunt, & patiuntur, ita afficiantur, vt id quod patitur, mutetur in qualitates agentis. Præterea si ex chylo sanguis fit, id est substantiã rubram gignunt venæ, cur ex sanguine rubro putrescente pus in illis gignitur album? Deinde cur hypostasim, & alia contenta in venis, alba reddunt venæ, chylum aũt rubrum? Nec ad rẽ facit, quod dicunt quidam: ideo ex sanguine rubro pus fieri album, quod inter membranas contineatur materia hæc & ex contactu albescat; chylus vero continetur in cauitatibus. Nam locus differentias ad rẽ nõ facit, cum eadem sit materia, idem efficiens, idemque per contactum agendi modus. Sed quid de hypostasi dicemus, cuius materia pari modo, vt chylus in ventriculi sinu, & sanguis in venarũ cauitatibus, continetur? Præterea si venis sanguinis gignendi, cur etiã arteriis non concedetur aliqua vis generandi aliquid? Ipse tamen nunquã aliquam tribuit facultatem arteriis præterquam pulsandi, recipiendique, & ducendi per vniuersum corpus sanguinẽ spirituosum, in corde genitum. Postremo si putat, ideo concedendam esse talem vim venis, ne otiosæ maneant, dum chylum ad hepar vehunt, cur etiam non dicemus venas, quæ sunt post hepar, vim habere gignendi carnem, neruum, os, cartilaginem, membranam, cerebrum, pulmonem, & denique substantiam omnem, quæ ab hepate nutrimentum capit? Ita enim præparant materiam hæ venæ his partibus, vt venæ mesaraicæ chylum hepati.

Venas non habere vim sanguificandi.

Quare si chylus rudem formam sanguinis à venis mesaraicis, quæ postea in hepate absoluitur, accipit, profecto censere debemus, venas, quæ sunt post hepar, vim habere inducendi rudem formam eius, quod postea perfecte sanguinem mutat in sui substantiam. Nam absurdum est dicere, venas omnes, quæ eandem habent substantiam, & idem principium, non obtinere eandem vim. Absurdius quoque est, venis, quæ sunt post hepar, concedere vim gignendi sanguinem, quia iam perfectam generationem & formam habuit in hepate. Absurdissimum & illud est, venis mesaraicis vim aliquam impartiri, aliis vero nullã largiri. At si aliquam illis cõcedimus ad proportionẽ, nõ aliã inueniemus dari posse, quam vt rudẽ formã immittant earũ partiũ, in quas postea materia ea perfecte conuertitur: sed hoc omnem absurditatem vincit. *Ergo dicamus venas nullam habere facultatem sanguificãdi.* Nam qui in venis mesaraicis est sanguis, ab ipsis venis nõ est factus, sed transmissus ab hepate ad intestina, & alias partes nutriendas, in quas venæ ipsæ inseruntur. Quod & Galenus ipse *in libris de naturalibus facultatibus* testatur, cum docet, *easdem vias à natura accommodari, natura transmittenda diuersas materias, aliter sic prim ipsis venientes.* Quod si ita est, nulla facultas ab hepate prodit. Cur igitur passim Galenus scribere solet, hepar naturalium facultatum esse principium. Audite quid scribat in *libro de p. artis. Cum sit (inquit) ad nutriendum corpus procreatus, sic natura ne in hepate merito sit, vt hepar nutritoriæ facultatis sit principium. Quod enim alendo toti corpori prospicit, hoc nutritoriæ facultati est initium.* Ex quibus verbis satis constat, quod dicat, & velit hepar nutritoriæ facultatis esse principium: non quod facultas aliqua ab eo emanet in corpus, sed *quod materia ad nutritionem necessaria in eo gignatur, transmutaturque in totum corpus.* Ex quo constat, quam parum diligens sit scriptor Gale. & inconstans: qui facultatem (vt ostendimus antea) causam quandam efficientem actionis esse dicit: nunc autem dicat, illud facultatis esse originem, quod materiam ipsam suppeditat. Ad eundem modum, auctricis & generatricis facultatis principium esse dicetur, quod materiam, nempe sanguinem quo corpus gignitur, & augetur procreet. Nec alia quidem ratione, attractricis, retentricis, concoctricis & expultricis facultatis principium esse potest. Nam hæ facultates (vt antea diximus) insitæ sunt singulis membris ex proprio temperamento, vel potius ab anima: exercent autem sua officia in sanguine, quem hepar conficit, & mittit per corpus. In qua quidem re, refellenda est Arachiæ opinio, qui putat has facultates immitti ab hepate, argumento, quod Galenus scribat *in lib. de placitis,* hoc viscus esse materiæ, qua alitur corpus, & virtutis principium: verum ille fallitur. Non enim Gale. *eo loco* ita habet; sed (vt antea ostendimus) quia inquit *materia, qua alitur corpus, est principium,* ideo virtutis nutritoriæ principium esse dicitur. Tribuit autem Arachias singulis partibus facultates quasdam influentes ab hepate; nempe quatuor dictas naturales, alias vero insitas vires, quibus gignunt sibi propriam, ex qua constant, substantiam, nempe carnem habere vim gignendi carnem, os gignendi os, ventriculũ gignendi chylum. Hanc opinionem passim refellit Galenus, qui statuit omnes similares partes, ex

Venas mesaraicas nullam vim habere sanguificandi.

Hepar quomodo nutritoriæ facultatis sit principium.

Arachiæ negligentia arguitur.

proprio temperamento habere insitam vim attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi; quarum quidem, & nō aliarum facultatum beneficio, carnem, os, & reliquas proprias substantias regignunt, alunt, & augent. Nam ad concoctionē, quæ assimilatio est, vel per assimilationem fit, hęc sequūtur. Sed dicat, quęso, ille, quid fiat à quatuor illis facultatib⁹, & quid attrahatur, retineatur, cōcoquatur, expellatur, si aliæ quædam sunt facultates, quæ sanguinē attrahunt, retinent, concoquūt, ex quo pars sibi similem substantiam gignit, & excrementa post concoctionem derelicta extrudit? Mirum enim est, si in vna materia versari oporteat octo facultates, duas attractrices, totidem retentrices, concoctrices, & expultrices. Sunt ergo hæc somnia; nec possumus statuere, hepar esse principium alterius rei, quæ in alias partes mittatur, quā sanguinis. Sanguificam enim facultatem habet quidem hepar, quod ostendit illius substantia, sanguini simillima, & venarum exortus; solet enim natura instrumenta producere ab ea parte, quæ materiam aut vim dat, quam instrumenta deferre sunt apta; sed eam facultatem in seipso exercet, quatuor facultatum naturalium beneficio. Non enim præter illas, sanguifica aliqua addenda est facultas; sed quia concoctio per contactum fit, sequitur sanguinem ab hepate rubro gigni. An vero concupiscentia & incontinentia in eo etiam posita sit, certo indicio asserere nequeo. Nam fabulosum est argumentum, quo vtitur Gal. *primo de locis affectis, & in lib. de placitis*; ideo in iecore eam esse collocatam, quod poetæ dicant, Tytio iecur ab aquilis erodi. Voraces quidem & edaces esse, quibus magnum est hepar, experientia docet. At testibus tribuit Gale. facultatē gignendi semen, & merito; quandoquidē illi sæpe appareant in dissectionibus semine pleni. Non est tamen separata hæc quædam facultas, sed ex concoctione insita testibus fit seminis generatio. Hāc facultatem *hoc loco, & alibi*, Gal. vult à testibus immitti in vasa seminaria. Verū suspecta mihi est hæc opinio. Nam scribit ille *c. 15. primi de semine* seminaria vasa non nasci à testibus, idq; ex anatome cōstat. Duplicia n. vasa cū testib. coniunguntur: quędam, quæ seminis præparatoria dicuntur, quæ à venis emulgentibus enascuntur: & in membranas testes inuoluentes inseruntur. Alia autem, quæ à testibus enata, in pudendum terminantur: quæ seminis delatoria dicuntur. Certum est, nullum genus horum vasorum, talem facultatem à testib. capere: quippe cum præparantia à testibus non oriantur: delatoriis autem natura solum vtatur, ad semen eiaculandum, quod perfecte in testibus iam confectum est. Quod si quis dicat, in præparantibus semen conspici non perfecte elaboratum, concedemus id nos quidem: sed negabimus, eam vim à testibus influere: cum insitā eā habeant ex proprio temperamento & substantia. Sunt enim corpora illa diuersa à venis: vnde venæ rubrā substantiam continere conspiciuntur, cum ad sanguinis per vniuersum corpus distributionem, à natura institutæ sint: vasa autem illa, semen conficiunt non quidem perfectum (hoc enim postea fit in testibus) eam tamen, quam habent vim, nulla ratio ostendit à testibus influere. Cæterum virilitatis, fœminilitatisque vim in testibus insitam, esse & ab illis immitti in vniuersū corpus, argumēto est, quod masculus exectis testibus, masculinum robur amittat, & in fœmineam mollitiem & habitum degeneret: & fœmina, pariter aliam naturam assumat: vt in gallinis castratis apparet. Quomodo autem hoc fiat, non satis patet. An fortè id fit, quod vis aliqua ab illis per meatus spermaticos, vel per aliam viam, in vniuersum corpus transfūdatur? An potius calor quidem solus, vel etiam cū vi ipsa mittitur? Ego vero crediderim, *& calorem & vim immitti à testibus.* Nam caloris argumentum est, quod frigidiora reddantur castrata animalia. Habitus vero, vocisque mutatio, ostendunt vim etiam ipsam esse deperditam: quandoquidem diminuto solo calore, nequit tam magna fieri permutatio.

Hepar non esse alterius rei principiū quam sanguinis.

De passionibus consistentibus in hepate autoris opinio.

Voraces esse, quibus magnum est hepar.

Testes quarum facultatum sint principium.

Cur animalia castrata aliam naturam assumant.

Duplices esse facultates, quasdam insitas partibus, alias influentes, antea ex Galeno ostendimus. Nec obstant, quæ aliquando scribit Galenus. Nā *in lib. de constitutione artis* scribit, partes habere diuersas facultates & proprietates: ita vt alia sensibilis sit, alia insensibilis, vel alia facultate prædita ob diuersum temperamentum. Ad idem facit, quod habet *7. methodi*, actiones s. diuersas fieri ob diuersum temperamentum. Ergo neruus sentiendi, & mouendi vim habebit ob suum temperamentum. Eadem ratione arteriæ, pulsandi facultate erunt præditæ ob suum temperamentum. Quod si ita est, innatæ erunt omnes facultates, nec aliqua influens dicetur: nec præter temperamentum, ponenda erit anima actionum causa. De hac re (vt antea quoque annotauimus) varius est Gal. & plane anceps: vt etiam ostendit *text. 5. 2. commen. 6. Epid.* vbi ita scribit: *An fiant actiones in nostro corpore, ob singularum partium temperiem, an ob vim illis à creatore inditam, quæ nobis morientibus abeat, nec ego nec alius affirmare potest.* Nos autē ostendimus, id affirmari posse ex actionib. genere & natura diuersis: quas ad temperamentū diuersum, nullo pacto referre possumus. Non enim tantum differt temperamentum hominis, & suis, quantum actiones & mores illorū inter se discrepāt. Quod vero omnes insitæ non sint facultates, ex eo patet, quod ligato neruo, sentiendi vis in ea parte amittatur, quæ est post ligaturam; seruetur vero in alia. *Facit quidem partis temperies & natura, vt pars reddatur apta, vel inepta ad facultatem influentem recipiendam, & exercendam, sed nequit temperies esse anima, aut causa actionum, quæ ab ipsa anima procedunt.* Iam si influentes aliquæ sunt facultates, videndum est quomodo illæ influant, & an vna & eadem ratio sit in singulis facultatibus, nempe animali, vitali, & naturali dicta. Nec facile quidem est verum in hac re inuenire. Nam vt primum incipiamus à sensitiua & motiua, quæ putantur habere sui influxus clariora indicia, dubium est, an *cū* spiritu, vel *sine* spiritu facultates illæ à cerebro ad neruos, & à neruis in partes, quæ sentiunt & mouentur, ferantur. Nam si Gal. in hac re sequamur, vt qui solus aggressus sit modum docere huius influxus, inuenimus profecto, nō esse facile intelligere ob illius varietatem, quid sentiendum sit. Etenim in *primo lib. de loc. aff. & in li. de plac.* scribit eā vim recipi in neruis à cerebro, quēadmodum aer recipit lumen Solis, hoc enim absque aliqua substantia ab ipso Sole in hæc inferiora demittitur. Deinde si cum spiritu transmitteretur facultas, ligato neruo statim sensus & motus non perderentur, nec eo soluto restituerentur. Neq; n. spiritus momento temporis à cerebro in extremas partes per-

Facultates non esse omnes insitas.

Facultates influentes quomodo influant.

perueniret posset, nec statim etiam euanescere. Idem scribit *circa finem primi de semine*, nempe non solum animalem, sed etiam vitalem, & genitalem facultatem sine substantia aliqua immitti in corpus. *Nam*, inquit, *vna minima veneni impressio, vt in scorpionis morsu apparet, totum corpus alterat, nonq. illa gutta, sed quod virtus eius per totum corpus extendatur.* Cæterum *in lib. 1. de causis simp.* scribit, facultatem animalem ad neruos diuerso modo labi. Ad eos enim, qui meatum habent, veluti p viã: Ad alios vero, veluti solis radii, qui per aquam & aerem transeunt. Nerui autem, qui cauitatem habent, sunt (vt ille tradit passim) visorii. Verum anatome docet hoc falsum esse. *Sunt illi quidem molles, sed absq. vlla cauitate*; Nec contra facit, quod vno clauso oculo, alterius pupilla dilatetur. Nam hoc docet quidem spiritum aliquem ad oculi pupillam ferri, sed via ei patet per arterias, nequaquã vero per neruos. Iam vero *in septimo lib. de placitis* ait, omnes neruos iuxta spinalem medullam ita sẽsibilem meatum habere, vt optici nerui; idque, vt spiritus animalis, qui motui plurimum seruit, vnà cum violentia & ictu incidens, facultatem augeat facilioremque ad distributionem reddat. Ex quibus patet, eum velle, si non per totum meatum, saltem per aliquod spatium, spiritum, facultatemque animalem simul descendere: id enim ostẽdit, cum dicit, *spiritum cum ictu, & violentia in neruum incidere, vt facultatem augeat.* De vitalis & genitiuæ facult. influxu idem, quod de animali ex superioribus sentiendum est. Illud autem communiter omnibus conuenit, quod sine instrumento in pximas particulas quadantenus facultas distribuatur, vt *quarto de vsu partium* scribit Gal. Non enim necesse est, partem, quæ sentiat, neruum in omni sua particula habere: sed satis est, si p partem nerui dispergantur, à quibus postea facultas excidit in minimas particulas. Ita quidem de influxu facultatum ex Gal. opinione sentiendum est.

Nerui visorii non esse caui.

Quid ferat spiritus ad pupillam.

Qui vero arbitrantur, animã totã esse eiusdẽ naturæ in toto, & qualibet parte, suaque natura indiuisibilem, coguntur fateri, nullũ fieri huiusmodi influxũ, sed ipsam animam semper præsentem esse in omnibus partibus, quę tamen non idem efficiat in singulis membris, quoniã illa differunt, vel quia propria instrumẽta sunt male affecta, qua ratione sensus perditur in neruorum resolutione, non potente instrumẽto sensus & motus recipere animæ vim. Aliquando vero etiamsi illa recepta est, tamẽ exerceri non potest, quoniam deest calidum influens, sine quo anima nequit sua officia in corpore exercere: quomodo sensus otiantur per somnũ, non quod sensoriis desit anima, vel sentiendi vis: sed *quia* (*vt alibi ostendimus*) *abest à sensoriis influẽs à corde calor.* At si quis dicat, cur ergo ligato neruo, qui à cerebro ad cor fertur, pars, quæ cordi cõiungitur, non sentit, alia vero sentit. Vtraq. enim nerui pars animam & vim sentiendi obtinet, & calor deest potius ei, quæ vicinior est cerebro, q̃ alteri, quæ propinquum habet caloris fontẽ? An id fit, quod facultas sensitiua & motiua non est apta recipi per finẽ nerui, sed per principium. Hoc vero est in cerebro, & nõ in corde. Cæterum facultates oẽs vel vitæ causa, vel ad generationis cõseruationem, vel cõmodiorem vitã homini sunt datæ. Vitæ quidẽ causa, sensitiua, motiua, pulsatoria in corde & arteriis, attractiua, retentiua, concoctrix, & expultrix. Ad propagationẽ vero facit, quæ in testib.

Nullum fieri influxum facultatum.

Quare sensus in somno otientur.

De vsu facultatum.

A est collocata. Ad cõmodiorẽ autem vitã, vel potius ad humanã vitam necessariæ, imaginatrix, memoratrix, & ratiocinatrix, sine his enim humana vita à brutis nõ differret. Sic irascibilis melioris vitę causa hominib. data est. Nam irascibilis ad rationalis subsidiũ aduersus cupiditatẽ creata est, tanq̃ canis quidã contra agrestẽ & multorum capitũ feram, vt in 6. *lib. de plac.* scribit Gal. Cur aũt cupiditas nobis sit indita, nõ docet Gal. est aũt hæc ratio, *vt sine voluptatibus nõ viueret animal.* Cæterũ rationalis nũc iracundię, nunc cupiditati auxiliatur. Iracũdia vero nunq̃ cupiditati, nullus enim vnq̃ seipsum increpauit, q ab intempestiuis cupiditatibus non sit captus. Irascibilis aũt (vt diximus) rationi aduersus cõcupiscibilẽ, cum ab hac ratio vincitur, & ad vindictam sumendã ratio iudicat vindicta opus esse, opitulatur. Nonnunq̃ tamen irascibilis aduersatur
B rationi, quãdo ĩ male est affecta. Hinc fit, vt rationalis sola possit consistere, vt in diis, sicut etiã concupiscibilis in plantis, irascibilis aũt nequaq̃: quippe cum ad subsidiũ rationalis hæc sit creata. Propterea tria ista principia inter se sunt colligata per venas, arterias, & neruos, vt sibi inuicem seruire possint. Porro, quæ doloris, tristitiæ, mæstitiæque est causa facultas, videtur data ad contrarios excessus mitigãdos. Nimia n. voluptate & lætitia homo nonnũquam dissolueretur, nisi ex contrariis affectibus medicina esset parata. Videtur etiã eadẽ fa-
C cultas eum habere vsum, vt naturam nostrã fragilẽ & caducam deleamus. Iã vero rationalis in primis annis nostræ ætatis inquit Gal. *in lib. de placitis* est imbecilla: euadit tamen robusta circa decimum & quartum annum, irrationalis autẽ in primis annis valida est. Hæc quidẽ tradit Gal. sed exactius ita res explicari potest. Concupiscibiles & naturales aliæ facultates in primis ætatibus vigent: vitalis, sensitiua, & motiua in adolescentia & iuuentute. Inter rationales ingenium in adolescentia: apprehensio in pueritia & adolescentia: iudicium in consistentia, & prima senectute: in iuuentute memoria vigere videtur. In illis enim temporibus anima habet instrumentum aptum ad certas eas actiones feliciter obeundas. Atq; hæc quidem sufficiant de
D facultatibus. Nunc verba, quæ *in textu* continentur, exponamus.

Cupiditatis.

Rationalis. Iracundia.

Quando in nobis vigeant aut imbecilles sint hæ facultates.

Dicuntur ergo illa esse principia, quæ vel facultatem, vel materiã aliis partibus primo exhibent. Originẽ vero habere dicuntur à principiis, q̃ vel ex substantiis principii originem ducunt, aut ab alia substantia, quæ in principio apparet. Subministrare aũt principiis intelliguntur, quæ vel aliquid capiunt à principiis, vel ipsis principiis largiũtur. Illæ aũt dicuntur nec gubernare nec gubernari, quæ solum obtinent quatuor facultates naturales. Has enim solas nonnunquã pronunciat Gal. gubernare, vt patet in 1. *tex. quinti comment. 6. Epid.* vbi ita scribit, *omnes animæ facultates, quib. animal regitur,*
E *quatuor sunt, Attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix.* Insitas & aliunde emanantes habere dicuntur, quæ quatuor illas habent, & prętcrea sensum & motum recipiunt. Nerui & spinalis medulla à cerebro oriuntur, & subministrant, sed diuerso modo, nam seruit spinalis medulla cerebro, eo q ab illa nerui oriuntur, qui in corpus postea spargũtur, & sentiendi mouendiq. vim à cerebro in medulla primo influentem in corpus deferunt. Neruũ autẽ, non quod ex illis aliquid oriatur, sed q ipsam facultatem deferant à cerebro sumptam, si sensi-

Partes quæ dicantur esse principia.

Quæ dicantur ab aliis originem habere.

Quæ ministrare principibus.

Quæ nec gubernantur, neq. gubernant.

Quæ insitas & aliunde emanantes habeant.

Nerui & spinalis medulla quomodo cerebro seruiant.

in corpus: septimo, quænam sint officia singularũ facultatum: postremo, quam inter se communionem habeant, & quem vsum sibi inuicem præstẽt, enarrare conueniet.

Quid facultas.

Porrò siue facultatem, siue potẽtiam, siue vim, siue speciem dicas, nihil referre, quilibet intelligere potest, qui Galenum legit. Definit autem facultatem *lib. 1. de nat. facult. cap. 4.* quod scilicet id sit, *quod est primo actionis causa.* Verum non docet, quænam sit huiusmodi causa, efficiens ne, vel materialis, vel formalis, vel finalis, vel instrumẽtaria. At in *lib. 1. de simp. c.* . dicit facultatem esse quandã causam *effectricem.* Verum hæc definitio non docet, qualis sit effectrix, an propinqua, vel remota. Præterea, non docet proprium genus, & propriã facultatis essentiam. Oportet enim dicere, an sit substantia aliqua, vel aliquod accidens, & illud est in definitione assumendum. Solet etiam dicere facultatem esse *causam ignotam.*

Fernelii opinio de definitione facultatis, quæ & confutatur.

Fernelius facultatem definit esse *vim & potestatem, quam anima tanquam de sinu suo promit, & ad munerum functiones profert. Id autem perinde est,* inquit, *ac si dixeris, insitam & vernaculam animæ proprietatem, quæ accidens quidem est, sed animæ intimũ & intestinum.* Differre autem illam ab animæ parte, quod facultas possit ab animę substantia seiungi, pars vero nequeat. Etenim vim & facultatẽ augendi, post vigorem aboleri, tametsi eadẽ superest animæ substantia. Scribit quoq; animam propriis facultatibus vti, tanquam causis adiuuantibus, ad omnia, quæcunq; obit. Porro esse tria animæ genera, naturalem, sentientem, & intelligentem: facultates vero nihil illorum esse. Verum Fernelii opinionem multa refellunt: nam nõ solum in his, quę animam habent, facultates inesse dicimus, sed in aliis, vt alimentis, & medicamentis: quare generali definitione per animæ proprietatem facultas definiri nequit. Præterea si facultas est proprietas intima, & (vt ait ille) intestina animæ, quomodo ab anima separari potest? Nouimus enim *proprietates rerum a rebus seiungi non posse*, vt risibilitatem ab homine.

Proprietates à rebus non posse seiungi.

Et quomodo erit accidens, si est proprietas? & quomodo erit proprietas, si cuiusq; rei vna est proprietas? facultates vero infinitæ? At si facultas causa est adiuuans (vt ille vult) animæ erit instrumentum, non *proprietas*, quę *nullius causationẽ subit.* Cæterum facultates animæ distinguere ab animæ partibus non potest Fernelius ex Galeno. Nã Gal. *passim in lib. de placitis* nihil differre putat, siue facultates, siue partes, siue species dicas. Est locus de hac re *in lib. 5 illius operis*, vbi ita scribit: *Tres animæ particulæ secundum animæ impetum nos mouentes, habentur: non enim plures sunt, siue partes, siue particulæ, siue facultates, quibus vita nostra gubernatur. In vna ratiocinamur, in altera irascimur, in tertia concupiscimus.* Est alius locus *in lib. 6.* vbi ita legitur: *Anima nostra tres species habet. Item in tres partes diuiditur. Etenim & species & partes animæ rectè aliquis nominauerit, ratiocinatricẽ, irascibilem, & appetitricem.* Addit Aristotelem, & Posidonium, species aut animæ partes non dicere, sed facultates. Ex quibus quidem, & aliis plurimis locis constat, ex authorib. antiquis quosdam vocasse facultates animæ, quas alii partes, species, & particulas nominarunt. Nec vero ad id facit, quod scribit Fernelius, auctricem facultatem transacto vigore aboleri: animam vero totam integram perstare. *Nam non aboletur animæ aliqua facultas: sed illa perpetuo exerceri nequit materiæ, vel subiecti, vel instrumẽti vitio.* Eodem pacto magnes perunctus allio, non amittit facultatem trahendi ferrum, sed illam exerceri nequit: des seni corpus pueri, videbis in eo rursus fieri auctionem: non ergo abierat ab anima facultas auctrix.

Nullam facultatem aboleri & tamen non perpetuo exerceantur.

Tubingensis Grãmaticus vt qui solum nouerit aliorum dicta transcribere, non videt, se contraria de facultatibus tradere, cum scribit, Galenũ nihil aliud intelligere per facultatem, quam cuiuscunq; rei quantumcunque efficientem causam. Erunt ergo ex eius opinione, Deus, elementa, & quidquid nostrum corpus mutat, facultas. Quod si ita est, quomodo potest alia ratione definire facultatẽ esse, non nisi natiuam rerũ temperiem? Est ne qualiscũq; rei causa, temperies? An ẽt tẽperies acquisititia causa nõ est? Et si tẽperies est, quomodo *in initio primi de naturalib. facultatib.* dicere potest Galen. se causas rerum ignotas, facultates vocare. An temperies rerum ignoratur, cuius signa, vim, & conseruationem docet per omnes differentias? Ego, vt dicam, quod sentio, video Galenum facultatis nomine duobus modis vti.

Facultas duobus modis sumitur à Galeno.

Vsurpat enim facultatem aliquando *pro relatione, quam habet causa efficiens ad suum opus:* vt cum dicit, vnam & eandem rem diuersas habere facultates, vt aloem purgandi, roborandi, glutinandi, siccandi, astringendi: dicitur enim tot habere potentias, quot potest opera prestare. Tunc enim facultatis nomine non intelligimus aliquid, quod re vera sit causa efficiens. Nam quod efficiens est, subsistit, & est res aliqua, quæ agendi habet vim: nec solum constat ex ea ratione & relatione. Hæc significatio nullius est vsus & momenti in medicina, aut alia arte. Nam nec ad curationem, nec ad dignotionem affectuum, nec aliam medicinæ partem confert. Philosophos vero videmus alias causas, & ipsam efficientem, sub qua potentias has contineri volunt huius rei authores, ducere ad suos effectus absque istarum potentiarum mentione: quæ scilicet sint specie, & natura diuersæ, tanquam animæ inter se discrepantes. Nam si ex eo, quod aliquid facere potest, introducendæ sunt istæ potentiæ, infinitas profecto illas esse oportet: quoniam infinita sunt particularia, quæ ab eodẽ fieri possunt. Sed quid opus est de his libros implere: quippe cũ vno verbo quicquid in illis continetur, expediri possit: nempè rem vnamquamque posse præstare multa, & propterea multas habere potentias. Sic enim Aristoteles docet, vnam & indiuisibilem secundum speciem esse animam, quæ plures potentias habet, id est multa præstare valeat ob subiecti diuersitatem. Sed in hoc non est laborandũ, vt quæramus qualis sit illarum essentia, cum vna & eadem sit. Nam hæc & alia similia temerè de his quæruntur, quæ in sola relatione sunt posita. Alio modo sumit facultatem *pro eo, quod est proxima & præcipua causa actionum, quas res ipsa edunt.* Eo modo sumit facultatem, cum dicit tres solum esse animæ facultates, naturalem, vitalem, & animalem. Ad idem pertinet, cum scribit, calidum natiuum esse instrumentum, vel essentiam facultatum. Hæc enim conueniunt rebus, non relationi. Quin etiam ad id facit, quod scribit *textu quinquagesimo commentarii 5. sexti Epidemiorum*, cum ait: *Tertia anima siue facultas, siue alio nomine vocare velis.* At anima non est relatio, sed forma & actionis causa. Quod si facultas, & pars animæ, idem sunt

sint (vt antea ostendimus) cõstat profecto, facultatem hoc modo sumptam, non esse relationem illam, quæ est ad opus. Nam animæ partes nullæ sunt, cũ ipsa sit indiuisibilis: facultates vero, quoniã particularia opera sunt propemodum infinita, infinitæ quoque sunt. Et re vera, si quis diligẽter expendat, inueniet Gal. nihil aliud per facultatem significare posse, quam *formam cuiuscunq; rei*. Est n. hæc, per q̃ res est, & agere potest, & efficiens causa: & in his, quæ animam habent, anima ipsa. Scribit se facultatum essentiam ignorare: quod pariter tradunt Philosophi de formis: relationes autem illas nemo ignorat. Est & natura. Merito quoque de forma quæri potest, an aliquis sit illius fons & principium, aut eadem in omnibus partibus essentia: quodnam illius instrumentum, quid præstare possit: an sit proxima causa actionis, & idem esse facultatem & animæ partem. Est enim animę pars, forma, vel formæ pars: & denique omnia, quæ de facultatibus tradit Gale. non possunt conuenire, nisi formis rerum. Sed, quoniam ille potissimum Stoicos in hac re est secutus, non Arist. & Peripateticos, contra quos libenter pugnabat, maluit facultatem, quam formam vocare. Aristot. videtur (vt dixi) intellexisse per potentias, siue facultates animæ, relationem, quam anima habet ad opus, aut aliquid simile radiis solis, q̃ quod anima efficere potest per corpus spargunt: aliquando videtur partes animæ vocare: in qua varietate, oportebat profecto illius interpretes definire, quid essent huiusmodi potentiæ, & quomodo idem, vel diuersum essent ab ipsa anima, & an diuersitas facultatum à diuersitate animarum, vel corporum proueniat. Ego vero, vt dicam, quod sentio, in rebus tractandis iudicarem, esse ponendam propriã cuiuscunque rei formam: quæ suapte natura, nata & apta est dare esse composito, & pro illius, & diuersorum suorum instrumentorum conditione, diuersa opera: facultates vero ponere alias, nihil aliud est, quam aptitudines illas exprimere, de quibus temere tot separatæ tractationes instituuntur: tanquam res essent diuersæ, prouenientes ab ipsa forma & anima: cum tamen tota differentia actionum in eodem indiuiduo, vel etiam in eadem specie proueniat *a diuersitate instrumentorum*. Nam (vt hoc exemplo vtar) si omnes corporis partes essent oculi, omnes vtique viderent, & nulla alia in nobis fieret actio, præterquam visio.

Quantum vero Gale. sit dubius in tradenda essentia facultatum, omnibus constare puto. Nam *in c. 1. primi de Simplicibus*, ex calido, frigido, humido, & sicco, tum corpora nostra, tum essentiam facultatum constare scribit: *in li.* vero *2. c. 2. ad Glauconem*, tradit natiuum calorem esse, vel substantiã facultatum, vel saltem primum & maxime necessarium ipsarum instrumentum. Ad id pertinet, q̃ scribit *c. 5. primi de natu. facult.* singulas partes ob certam quandam temperiem hoc, vel illo modo agere, & diuersas habere facultates. Accedit, quod scribit *in li. de facultatũ substantia*, quosdam incorporeas quasdam facultates corporibus inesse, affirmare: alios vero corpora ipsa operari pro sua cuiusq; natura, quæ ex quatuor elementorũ temperamento cõflata sit. At *in libro de causis pulsuum* primo, agens de causa pulsationis arteriarũ, ita scribit: *Non est facile causam ipsius inuenire. Quidam* [illegible] *calorem esse censent, alius naturæ tribuit,* *alius temperamenti quãdam proprietatem, alius totã corporis constructionem: alius solum spiritum: alius horum quæda: alius omnia simul. Iam vero, (inquit) sunt, qui facultatem introduxerunt, cuius operatio, quæ accõmodatis ad motionem his, quæ diximus instrumentis, vtatur, aut omnibus, aut quibusdam, aut certe vno loco.* Scribit *alibi passim*, se animæ essentiã ignorare: alibi vero, nihil aliud esse animã, q̃ temperamentum: eo, quod temperamento dissoluto, anima expiret. Ex quibus quidẽ locis patet, quã incertus sit Gal. de substantia facultatum. Grammaticus Tubingensis cum statuisset facultatẽ esse rerum natiuam temperiem, postea non veretur dicere, idem esse naturam & facultatem: & eam cõsistere in singularum partium commodo tẽperamento. Quod si ille Philosophiã didicisset, intellexisset vtiq; Philosophos per naturam intelligere materiam vel formã, & potius ipsam formam, quã materiã: ille vero nihil putat differre, si quis dicat facultatẽ esse temperamentũ, vel illã in temperamento positam esse: quasi nihil referat dicere, albedinẽ esse corpus, aut in corpore cõsistere. Præterea, si facultas est quælibet causa efficiens actionis, non solum temperies, sed structura partiũ organicarũ, erit quoq. facultas: Nã actiones instrumentorum non à temperie, sed à structura sua fiũt. At si facultas nihil aliud est, quam temperamentũ, quomodo colligere potest, tres solum esse inter se genere, & sedibus disclusas facultates in nostro corpore? plures n. sunt in corpore partes, quã tres, quæ temperamentum habent inter se diuersum. Adde, quod si facultas est temperamentũ, diceremus ergo facultatem quandam esse calidam, aliã frigidam, aliam æqualem, aliam inæqualem, vt temperamentum his nominibus distinguimus. Tradit idem bonus vir, vnamquamque temperamenti proprietatẽ suam sequi facultatem, & vnamquãq; facultatem suam actionem, & interim sui oblitus, docet facultatem nihil aliud esse, quam temperamentũ. Et recte quidem, si id, quod sequitur aliud, idem est cum eo, quod præcedit. Ponit hæc tria inter se distincta, & se inuicẽ consequentia, temperamentum, facultatem, & actionem: vbi vero definitionem morbi à Galeno traditam tueri aduersus me vult, concẽdit nihil aliud esse facultatem, q̃ temperamentum, & hoc esse proximam actionis causam: sed hunc mittamus, quem potius (vt dixi) Grammaticum, q̃ Medicum aut Philosophũ agnosco: & ad Galenum redeamus, qui laudandus quidem est, quando essentiam formarũ & facultatum se ignorare scribit: nam quis animæ essentiam exprimere possit? Potuit Arist. eousq; progredi, vt animam agnosceret esse causam mouẽtem, & præcipuam actionum, quæ fiunt à rebus animatis: & quod ea sit actus & forma corporis: sed quænã sit propria illius formę essentia, & quo pacto differat ab aliis formis, nequit docere, nisi ex diuersis operibus, & (vt Philosophi aiunt) à posteriori. Animã vero existimare esse temperamentum, vel in temperamento essentiam habere, eo quod illa deserat corpus vitiata corporis temperie, perinde est, ac si quis dicat animã esse caput, eo quod capite sublato, cogatur illa corpus deserere: aut si qs dicat hominem esse domũ, quod ea flagrante, aut ruente, homo vel obruatur, aut abire cogatur. Requirit anima temperatum corpus, si in eo debet consistere, & propria munia exercere: requirit & calidã

innatum; tanquam instrumentum aptum ad eadem munia obeunda, nihil tamen horum propterea est anima. Absurdum quoque est, animam tradere esse temperamentum, eo quod animi mores mutentur mutato temperamento. Nam temperamentum vim quidem habet alterandi, & immutandi mores animi, non tamen edendi nouas actiones natura diuersas. Debiliusque agit anima ob temperamentum corporis: sed non fiet, vt homo sit bestia, & simile sit nonunquam temperamentum: alioqui porci qui simillimum à Galeno dicuntur homini habere temperamentum, simillimos haberent cum homine animi mores. Demus ergo animæ, quod suum est, temperamēto diuersum, & eam essentiam, quam Deus optimus mundi opifex singulis formis est largitus. Demus & temperamento, & calido natiuo suam vim, nec omnia confundamus. In quo quidem Gale. rectè quoque sentit, cum præter temperamentum agnoscit in medicamentis, & alimentis, totam (vt vocat) substantiam: quam aptius, si voluisset, formam nuncupasset, vt vniformis fieret Philosophorum & Medicorum tractatio. Igitur cū facultas, vt sumit Galenus, nihil aliud re vera sit, q̄ forma, non erit vna & eadem substantia facultatū omnium: quia duplices sunt formæ, vna essentialis, alia accidentalis. Huius enim substantia ex accidētibus, nempè quatuor qualitatibus prouenit, & nihil aliud est, quam temperies: non calor natiuus, qui instrumentum est temperaturæ & essentialis formæ. *Essentialis vero forma in viuentibus est anima*: in aliis vero simplex nomen non habet: sed propria cuiusque natura agnoscitur ex actionibus, quas edunt diuersas ab iis, quas à temperamento prouenire percipimus. Quapropter non rectè Galenus Dioscoridem reprehendit, cum ait, illum empiricè cuiuscunque medicamenti singulares proprietates docere. Rationalem enim Medicum solum docere debere, quomodo res vnaquæque temperata sit: ex hoc enim elici particulares illos effectus. Nam si temperamentum solum esset causa actionum, quo pacto possent rhabarbarum & cassia eosdem purgare humores? aut hæc, quæ temperamentō longe sunt diuersa, purgandi vi esse prædita: alia vero, quæ idem, vel certe simillimum cum alterutro temperamentū obtinent, eadem vi destituta? Possē in hac re plura dicere, sed satis fuit ostendisse, Gale. etiam nouisse hanc essentialem formam, cum ponit totam illam substantiam, & temperiem. Est enim tota substantia, ipsa propria forma, ex qua res est, id quod est, & genera ab aliis differt: temperies vero forma est, per quam res sunt similes, & constant ex communi materia & principiis communibus. Hæc qui non retinebit distincta, monstra pariet, cum omnia ad temperiem redigere studebit.

Essentialis forma viuentium.

Temperamentum non esse solum actionum causam.

Temperies qua & quomodo sit forma.

Cæterum aliarum rerum formas, siue facultates, non est nostri instituti hoc loco prosequi, sed duntaxat nostri corporis. Tradit aūt Fernelius animam esse formam viuentium, & illius tanquam propriam & inseparabilem actionem esse vitam. Animam enim esse, per quam res animatæ fiunt & viuunt. Porrò ex vitæ differentiis, animæ tria genera constituit, naturale, sentiens, & intelligens: quoniam scilicet, quædam solius naturæ beneficio viuunt, alia sentiunt, alia vero simul etiam ratione sunt prædita. Prioris generis esse stirpes, secundi bruta, tertii homines. Esse autem ita distinctas tres istas animas, vt nequeant naturalis esse sentiens, & hæc rationalis: imo negat in eodem posse consistere intelligentem & sentientem animam, aut sentientem & naturalem: quoniam inquit, plures nequeunt esse eiusdem materiæ substantiarum formæ. Propterea non posse eidem hominem esse & beluam, aut plantam & beluam. Vocari autem tres illas animas, partes totius animæ, quando cōnexæ considerātur: animæ vero genera dici, quādo sedibus sunt distinctæ. Verum in homine, intelligentem animam simplicem inesse, cuius partes sint sentiens & naturalis, non quidem actu, sed potentia duntaxat in ea consistentes. Cæterum sentientis animæ, non genera nec partes, sed facultates esse appetitricem, cogitatricē, & motricē. In qua quidem re illud primum non probo, quod scribit vitā esse propriā actionem animæ. Nam (vt postea ostendemus) vita nulla est actio: tametsi ex actionibus deprehenduntur res viuere, & qualisnam actio quæso vita est? Deinde ex vitæ differentiis, animæ genera constituere, quid nos cogit? An dicere non possumus, animas rerum animatarum esse inter se diuersas, nec posse omnes idem præstare? itaque quandam esse animam, quæ possit solum esse causa nutritionis, auctionis, propriæ, & alterius sibi similis generationis: vel quod vna, & eadem anima ob diuersitatem subiecti, diuersas actiones & vsus præstet. Cæterū naturalem animam vocare est impropriè loqui. Nā sentiens & intelligens anima rebus à natura & omnium opifice sunt inditæ. At id to Fernelius, animam illam naturalem vocari, quod ea corpora, quæ illa sunt prædita, solius *naturæ* beneficio viuant: sed quid quæso intelligit *naturæ* nomine, & *naturæ* beneficio? Nam quæ sentiunt, sentiunt etiam naturæ beneficio, nempe *animæ*, quæ est illorum forma & natura. Gale. *primo lib. de naturalibus facultatibus* φύσιν, i. plantarum (vt verbum vero reddam) dicit vocari eam facultatem, quæ φυτὰ, i. plantas gubernat & alio loco naturam a Stoicis: Arist. vero interpretes vegetatiuam vocant. Hæc est ratio, cur naturalis vocari debeat hæc pars, siue facultas animæ: non quod ea potius, quam aliæ à natura rebus sit data. Iam vero si vna, & eadem pars simul sentit & nutritur, quomodo non potest in eodem loco sentiens & naturalis anima simul consistere? præsertim cum *alibi* ille statuat, non esse absurdū, rebus iam forma præditis, aliam accedere formā: quemadmodum os aut caro accedente anima simul euadunt animata. Illud vero nō video cur debeant animæ genera vocari, quæ sedibus sunt seiuncta: partes vero, quando coniunctæ considerantur. Nam genera rerum non hac separatione, aut coniunctione fiunt: sed ex diuersa natura, quæ sub eadem essentia comprehendi nequit. Ac tunc maxime, vt partes considerantur, quando sunt diuisæ, siquidem partis ratio in eo potissimum consistit, *quod totū diuidat*. Atq; si sentiens, naturalis, & intelligens sunt locis, & natura distinctæ animæ, quo pacto possunt omnes sub intelligente potētia contineri? Facultates verò animæ ab animæ partib. distinguere nos prohibet Gal. autoritas: qui idem dicit esse animæ partem, speciem, & facultatem: id quod licebit adhuc intelligere, excussa de hac re Galeni & Philosophorum aliorū opinione, quorum ipse mentionem facit. Scribit ergo ille *li. 4. de Placitis*, Stoicos vnam ponere facultatem, vnamque substantiam, quæ omnes actiones præstet & effectus,

Vitā non esse actionem.

Fernelius reprobatur.

Facultas plantarum seu vegetatiua.

Partis ratio in quo potissimum consistat.

[illegible] vocari. *Septimo* autem *lib.* [illegible] scribit, Aristotelem vnam etiam constituere facultatem, quæ plura nomina, prout diuersa [illegible], consequitur. Idem *lib. 5.* ita habet. *Arist. & Posidonius species, aut partes animæ non nominabat, sed facultates esse quasdam vnius substantiæ.* Aliter tamen de Aristot. scribit *lib. 4.* cum ait, enim plures ita animæ facultates, quæ genere inter se discrepent, poneret, non tamen concedere, vt in diuersis partibus sint collocatæ: quippe cum statuat cor [illegible] principium. Hic enim plures & diuersas genere, illic vero vnam, quæ nominibus solum differat ob relationem ad plura, poni ab eo, tradit. At Platonem tres ponere facultates, quas & species & partes vocare solet, irascibilem, concupiscibilem & rationalem: quam diuisionem facit & (inquit) Hippocrates. Ex quibus quidem patet, Platonem & Stoicos, quos Galenus in hac re sequitur, [illegible] ponere discrimen inter facultates, & partes, & species animæ. An etiam monstrum non est etiam genera animæ in nobis ponere. Nam si anima forma est corporis, & cuiuscunque corporis vna est forma *propria*, nequeunt profecto tot animæ in nobis consistere aliqua in re inter se discrepantes, tantum abest, vt genere inter se differant. Addo, quod aperte à Gale. dissentit, & ab ipsa ratione, cum sub intelligente anima, sentientem & naturalem comprehendit. Nam intelligens sub animali facultate continetur principe à qua quidem seiuncta est naturalis genere, & sentiens specie: quippe cum Gal. facta diuisione facultatum in animalem, vitalem, & naturalem, tanquam in generales differentias, postea sub animali sentientem comprehendat. Et quomodo, quæso, sentiens, & naturalis animæ potentiæ, sunt partes intelligentis? sic enim sua opera separatim sine intelligentia exercere non possent. oportet hæc Fernelium probare, non pro arbitrio [illegible] statuere legislatorum more.

Quot autem Gale. facultates ponat, ambigere [illegible] posset, ob variam illius de hac re sententiam. Nam *in lib. 5. de placitis* contendit, non plures esse, quam [illegible], inquit, *ratiocinamur, in altera irascimur, in alia concupiscimus.* Sunt alii loci, in quibus [illegible] asserit, tres esse facultates nostrum corpus gubernantes, animalem, vitalem, & naturalem. Animalem diuidit in principem, sensitiuam, & motiuam: & hanc indiuisibilem relinquit: sensitiuam diuidit in sensuum communem, de quo *c. 10. tertii de causis pulsuum*: cuius affectionem dicit esse somnum, & vigiliam. Principem vero in cogitatiuam, ratiocinatiuam, & memoratiuam. Verum cum *lib. primo de locis affectis, & [illegible] de vsu partium, & in libris de placitis*, dicat, animalem esse autorem mentis, intellectus, considerationis, opinionis, iudicii, sapientiæ, necesse est, vt has facultates comprehendamus sub ratiocinatrice: [illegible] ille aliquando vnam pro alia ex his vsurpat. *Appellat autem generalem eam facultatem, quæ omnes istas comprehendit, animalem, quod animalibus sit propria, & non etiam plantis communis.* Porro vitalem nuncupat, quod vitæ ex illius opinione sit principium: vocat illam aliquando irascibilem, quod ex ea irascamur: nonnunquam etiam virilem, eo quod opera admodum valida proferat; alias vero irrationalem, quod nobis cum belluis sit [illegible], & illarum more nos ad iram, & [illegible] [illegible]

A [illegible] timoris, [illegible], [illegible], [illegible]tiæ, doloris, fortitudinis, constantiæ, pulsationis cordis, & arteriarum, item caloris, qui in singula membra mittitur, generationisque spiritus vitalis. Quæ quidem videre licet *textu tertio primi commentarii sexti Epidemiorum & quinto textu secundi libri de natura humana, & ex libro de Marasmo.* Cæterum naturalem vocat, eo, quod omnib. viuentibus, tanquam natura quædam omnib. sit communis, ab Aristotele [illegible] siue vegetabilis, à Platone ob cupiditatum multitudinem, quas parit, concupiscibilis: à Stoicis, quos Gale. est sequutus, vocatur natura siue naturalis, [illegible], i. plantatiua, vt *initio primi libri de naturalibus facultatibus*. Hanc diuidit *eodem libro* in generatricem, auctricem & nutricem. Generatricem rursus in alteratricem, B & formatricem. *Alteratrix*, inquit, *eo loco diuiditur in tot species, quot sunt partes per se simplices: vnde ossificam, neruificam, membranificam, tendificam, ligamentificam facultatem dicit, quod materiam alteret, & aptam faciat, ad os, neruum, membranam, carnem, & alias partes similares gignendas.* Porro formatricem figuræ, concauitatis, asperitatis, leuitatis, propriique situs, connexionis, numeri, magnitudinis autorem esse scribit. Erat tamen rationi consonum sub formatrice comprehendere ossificam, & alias prædictas. Huius enim muneris est, non alteratricis, formam dare singulis partibus. Auctrix simplex ab eo ponitur, cuius officium esse dicit genitum animal in omnes partes, quantum fieri potest, augere. Nutrix vnica, inquit, est facultas, sed C habet plures famulas, appositricem, adhæsitricem, agglutinatricem, attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem. Concoctricem diuersa nomina capere dicit à materia, quæ concoquitur, vnde sanguificam, & chylificam facultatem vocat. Hanc naturalem facultatem, cupiditatum, & voluptatum autorem esse, & ea, quæ diximus, sub se continere, tradit *in libris de placitis, & in libris de naturalibus facultatibus, passimque alibi.* Conatur autem *in libris de placitis* ostendere, tres istas esse distinctas facultates, substantia, & locis, nec vnam solum esse posse, quæ omnium istorum operum sit author. Esse enim animalem in cerebro, vitalem in corde, naturalem D in hepate. Porro esse tres facultates natura distinctas, ex his probari dicit, quod diuersa opera efficiantur, & ob id etiam necessario diuersas esse facultates. Antecedens probat, quod sæpe trahamur ad desideria illicita, & quod ab eisdem retrahamur: quod sentiamus, ratiocinemur. Consequentiam probat, eo, quod ab eodem secundum idem diuersa fieri non possint. Secundo, inquit, ostendunt pueri, qui ratione minime vtuntur, cupiditatibus autem vehementissimis ducuntur: adulti vero rationem maxime sequuntur. De loco facultatum postea agemus. Nunc autem diuisionem in tres facultates, & illarum substantiam expendamus.

E Si Galenus quatuor ponit in hoc opere principia, inter se distincta, quatuor erunt necessario facultates, non solum tres, alioqui frustra ponuntur tot principia; licet idem probare ex argumento, quo ipse ternarium suum numerum concludit, nempe ex diuersis operibus. Videmus n. masculos, & fœminas diuersos habere mores, diuersas actiones, & affectiones in corpore, quando testes habent, [illegible] carent. Nec possumus facultatem [illegible] [illegible], quæ agit [illegible] esse in testibus, redigere vel [illegible] [illegible] animalem, vel [illegible]

[illegible] facultas vitalis dicta, & quas alias [illegible] continet.

Vegetabilis. Concupiscibilis. Plantatiua.

[illegible] quas [illegible]

Nutricis famulæ facultates.

[illegible] Galeno est, tres [illegible] facultates natura distinctas.

[illegible] facultas quas sub se continens ex [illegible]

[illegible] facultas vitalis dicta, & quas sub se continet.

constat ex his, quæ sunt comprehensa sub illis facultatibus. Quare addenda est quarta facultas, quam melioris vocabuli penuria, *propriu sexus causam vocabimus*. Ex ea enim masculus est masculus, & masculinitatis officia exercet: & fœmina est fœmina. Vnde videmus, gallinas castratas pinguiores reddi, vocem & habitum mutare. Deinde contra eum numerum hoc facit, quod *multæ ponantur esse facultates, quæ reuera non sunt*, vt auctrix, nutrix, agglutinatrix, assimilatrix, appositrix, vitalis, naturalis, animalis, sanguifica, chylifica, & multæ aliæ. Nam sic facultas est pars, siue species animæ, quæ proprium habeat officium assimilandi, agglutinandi, augendi, nutriendi. Quod etiam ex eo, quod dicunt facultatem esse causam efficientem, probare possumus. Nullá enim inueniemus facultatem ex prædictis, quoniam nulla est causa efficiens prædicta opera, sed illa nascuntur per accidens, & ex consequenti ex aliis actionibus. Quando enim nutritur corpus, & plus reponitur, quam sit dissipatum, tunc sequitur augmentatio. Sic quando fit concoctio, quia ea fit per assimilationem, sequitur assimilatio, ad hanc nutritio, ad retentionem vero & concoctionem sequitur appositio, agglutinatio, assimilatio, & nutritio. Porro animæ pars nulla est naturalis, animalis, & vitalis, quia nulla est facultas, quę exerceat communia aliqua officia, vt communes ponimus, & vniuersales illas facultates. Absurdum præterea est genere, & substantia diuersas ponere facultates, quoniam diuersa fiunt opera. Nam *cum diuersitas operum fiat, non solum ob diuersitatem causarum efficientium, sed etiam ob diuersitatem subiectæ materiæ, & instrumentorũ* oportebat vtique Galenum probare, non fieri ob diuersitaté aliarum causarũ diuersa ea opera, & tunc optimè ostendisset animæ partes, & facultates inter se subiecto, & natura diuersas. Quid enim prohibet, quo minus dicamus cum Aristotele, vnam & eandem esse animam, indiuisibilem, secundum speciem, quæ in diuersis partibus, ob illarum discrepans temperamentum, & structuram, diuersa efficiat opera. Idem est sol, qui ceram liquat, & lutum indurat, ex vna & eadem vi & facultate, nec ex eo, quod diuersa ab eo fiunt, statuere debemus diuersas natura in eo esse partes, aut species, ita vt vna indurandi, alia liquefaciendi vim obtineat. Calefacit ille duntaxat: sed quoniam calor recipitur in materia, quę est apta, vt liquefiat, ea quidem liquefit, alia vero induratur, quæ hoc pati est apta, nataque. Eadem est in corpore vis mouendi, sed ob diuersam pedis, & manus structuram fit, vt ille ad gressum, hæc vero ad apprehensionem sit apta. An dicemus duas esse facultates motorias substantia diuersas; & vnam esse ambulatoriã, aliam apprehensoriam, quoniam apprehendere, & ambulare diuersa sunt opera? Ridiculum sane est, ex diuersis operibus diuersas natura in anima ponere facultates, & ex infinito operum numero, infinitas imaginari facultates. Possumus quidem tot ponere relationes causæ efficientis ad opera, quot sunt ipsa opera, sed hoc nihil ad animæ partes. Hæc enim ex eo, quod in ea est, vnitatem, aut diuisionem recipere debet, non ex eo, quod ab ea fit. Ergo dicamus, *vnam esse naturam, & formam animæ indiuisibilem in plures species, vel partes, quæ vnicam ob id sua natura habet facultatem, operantẽ tamen diuersa, ob partium diuersitatem*. Nam in capite sensus, motus, imaginationis, cogitationis, & memoriæ est autor, & non in aliis partibus: quia cerebrum solum inter alias omnes partes aptum est exercere, & aliis largiri has facultates. Eadem anima in hepate sanguificationis est autor, & in corde pulsationis, & generationis spirituum: *quia peculiarem habent illæ partes ad ea officia obeunda constitutionem*. Hanc opinionem nullum absurdum refellit: nam quod dicit Gale. nos trahi & retrahi à voluptatibus: fatemur quidem, & ab eodẽ sui ratione non posse diuersa fieri: sed hoc non ostendit, diuersas esse facultates & species animæ: quoniam non in eodem, sed in diuersis partibus hæc fiunt. Pueri enim cupiditatibus, adulti ratione magis ducuntur, quod ratio in humido cerebro imbecilla sit: vnde sicci senes, & melancholici, prudentes, rationique obtemperantes dicuntur esse. Ea vero pars, quæ obtemperat affectibus, in pueritia est ita affecta, vt sola dominetur, nondum potẽte ratione, quæ vsu etiam rerum inualescit, illius vim coercere. *Det* (inquit Arist.) *seni oculũ iuuenis, videbit vtique tunc ille, vt iuuenis*: tanquã diuersæ actiones non proueniant à diuersitate formæ, sed instrumentorũ. Sed si quis quærat, quot reuera officia in corpore exerceat anima, siue quot potentias habeat, vt Aristot. potentias sumit: tunc licebit intelligere, quando egerimus de fontibus vnde dicuntur nasci huiusmodi facultates. Quare rem hanc expediamus.

Si vna est indiuisibilis & eiusdẽ substãtię anima, cur tota in vniuerso corpore nõ est sensitiua, motiua, imaginatiua, cogitatiua & memoratiua, & deniq; non habet omnes facultates? An ipsa quidẽ anima suapte natura in omnibus membris omnia præstare potest, sed singula instrumenta ad id non sunt idonea? Quia enim cerebrum temperiem & structuram habet aptam ad certas actiones exercendas, & ad alias transmittendas in alias partes, ideo illarum fons & subiectum dicitur esse, quod quidem cor nequit esse: quia aliam temperiem & structuram habet. At si anima perpetuo hæret corpori & insita est singulis membris, quomodo potest à certis partibus in alias spargi? An non ipsa anima, sed ipsius facultates & vires sunt, quæ immittuntur? idem enim contingit, quod in sole euenit. Nam etsi ipse sol perpetuo fixus est cœlo, suam tamen vim, lumenque per radios immittit in alia subiecta corpora: ob animæ enim coniunctionem cum corpore fit, vt anima ob certam quarundam partium structuram possit non solum in illis partibus diuersa præstare, sed ab illis in alias peculiares quasdam virtutes immittere, quæ propterea non ostendunt diuersas esse in ipsa anima aut partes, aut facultates: quod enim ratione subiecti fit, ad ipsam animam pertinere absurdum est dicere. Igitur ab aliquo peculiari loco facultates oriri necesse est, si inter corporis partes quædam regunt, aliæ reguntur. Quare videndum est, à quo loco, an scilicet ab vno omnes, vel à diuersis, in alias partes deriuẽt huiusmodi facultates. De qua quidem re maxima semper fuit tum inter Philosophos ipsos, tum etiam inter Medicos & Philosophos controuersia.

Nam Plato & Galenus, vt tres ponunt animæ facultates inter se substantia & natura diuersas, sic locis eas separant. Animalem enim in cerebro esse, & ab eo in reliquas partes emanare: vitalem vero à corde oriri: naturalem ab hepate. Contra

Arist.

Multæ poni facultates, quæ reuera non sunt.

Diuersitas operum vnde fiat.

Vnam esse naturam, animæ vnicã ... facultatem.

Cur pueri voluptatib., adulti vero ratione magis ducantur.

1. De anima 65.

De locis, in quibus resideant, & à quibus prodeant facultates.

Anima quomodo in partes spargatur.

Arist. & qui eum sunt secuti, vt Auerrhoes, cor omnium facultatū principium statuunt: in diuersis tamen partibus eas exerceri, erraroque illos tradunt, qui dicunt cerebrum sensus, & motus, & propterea partem principem in capite esse. Et hæc quidem scribit in *lib. 2. de partibus cap. 7. & 10.* item *lib. 3. c. 3. eiusde.* Ac primum quidē rationes afferemus, quibus ille refellere se putat illorum opinionem, qui cerebrum sensus, & motus principiū esse asserunt. Primum enim, inquit, cerebrum nullam habet continuitatem cum partibus sentientibus, vt patet intuitu: sed in eo fallitur. Nam ex Anatome apparet, illud coniungi cum neruis, & per illos cum omnibus partibus sentientibus. Deinde ait, cerebrum nullū efficere sensum, cum tangitur, sed prorsus esse sensus expers, non aliter, quam quoduis excrementum. Respondet Galenus, cerebrum non esse factum, vt sentiat, sed vt sentiendi vim aliis det. Non sentit autem, *quia nerui per illud non sparguntur*, sed ab illo in alias partes, vim autem illud dare sentiendi probat Galen. ex interceptione neruorum. Tertio, inquit Arist. capitis partem posteriorem sentire, in qua tamen non est cerebrum. Respondetur, falsum esse, posteriorē capitis partem non habere cerebrum. Et quid hoc ad rem? Ita enim agit Arist. quasi necessarium sit, solas eas partes sentire, in quibus est cerebrum. Addit Arist. cerebrum non posse sentire, quia sanguinea non est pars. At nerui non sunt sanguinei, & tamē illi primo, & per se sentiunt. Sequeretur præterea ventriculum, & intestina non sentire. In eo autem est deceptus, quod putat carnem esse primum instrumentum tactus. Ait etiam, non sequi, cerebrum esse sensuum originem, quia aliqui sensus sint in capite, vt auditus, visus. Nam, inquit, tactus & gustus ex corde aperte dependent: olfactus vero medium tenet: auditus & visus in capite sunt positi propter sensoriorum naturam. Visum enim esse aqueum, qualis est temperies cerebri: auditum aereum, vt est pars in capite aere plena. Ad hoc respondendū est, quod gustus semper sit in capite, & falsum sit illum, & tactum à corde dependere: & quod sensus, qui in capite sunt, ostendant manifesto, cerebrum esse sentiendi & neruorum principium: *quia sensoria illa postulant molles neruos, qui non possunt à partibus remotis duci.* Præterea, quod non probet tactum & gustum dependere à corde: quippe cum lingua semper sit in capite; tactus autem per totum corpus sparsus. Quinetiam illos errare dicit, qui arbitrantur, cerebrum esse sensus & neruorum principium, quod spinalis medullæ sit origo, cerebrum enim omnium partium corporis frigidissimum esse, ideo non posse esse principium medullæ, quæ calida res est: id tamen facere, vt cerebro continuari possit: quoniam natura solet excessum rerum per coniunctionē contrarii temperare. Sed ille non intellexit spinalem medullam, non esse reuera medullam: quia non liquefit, sed per concoctionem indurescit, (vt ipse dicit cerebrum durescere) tanquam eiusdem hæc sint naturæ. Dicitur autem spinalis medulla, esse medulla: *quod in cauitatibus ossium, vt vera medulla continetur.* Præterea cum dicat vnam partem esse factā ad temperandū excessum alterius, si cerebrum temperat caliditatem medullæ, nō posset temperare excessum cordis, vt ille vult. Pugnat adhuc alio argumento: nam, inquit, *cerebrum factū est ad temperandum calorem cordis, non ergo sensus* A *est principium.* Antecedens probat, quod constet ex aquea & terrea substantia, non ex carne: quod frequentes & tenues venas habeat continentes sanguinem tenuem & syncerum: quod sanguine careat, quod tactu frigidū sentiatur, quod fluxiones ex capite oriantur, quod animalia, quæ calidissimum habent cor, plurimum habeant cerebrum, ideo hominē inter omnia animalia pro portione sui corporis, & marem plus cerebri, & plures suturas, quam fœminam habere; quod præterea homo, ob caliditatem cordis & pulmonis, solus inter animalia rectus incedat. Ex quib. concludit, cerebrum, nec inter partes continuas enumerandum, nec alium habere vsum, quam quod cor ipsum refrigeret. B Respondetur Aristoteli à Galeno, quod pedes potius quam cerebrum qui maiorem habent vim refrigerandi (vt experientia docet, totum corpus compati ex frigiditate pedū) haberent hanc vim. Deinde quod non possit docere modum, quo cor refrigeretur à cerebro. Nec valet, quod dicit Auerrhoes, ideo refrigerari cor, quod spiritum vitalē cerebrum refrigeret: nam hoc etiā concesso, quod spiritus vitalis à cerebro refrigeretur; non tamen ex eo cor refrigerari potest: nam spiritus ille refrigeratus, vel manet in cerebro, aut dissoluitur, nec amplius descēdit ad cor, repugnāte natura spiritus, qui superiora petere est natus. Nec refrigerare C quidem potest cerebrū ipsum cor, quod pituitosum humorē gignat, qui postea descendendo cor refrigeret: quoniam per antiperistasim cor calefit, & non refrigeratur. Quod vero carne nō sit onustum caput, hoc non est factum, vt cerebrum frigidius reddatur: sed ne grauatum caput, impediatur erigi & circumuolui. Venas autem habet cerebrum, non solum tenues, sed etiam magnas: nec sāguine tenui & syncero alitur, sed frigido & crasso, qualis est ipsius substantia. Frigidum tactu illud sentiri, falsum est: quandoquidem in aere æstiuo cogimur vulnerato cerebro ignem accendere: tāquam non sufficiat æstiuus aer cerebrum conseruare in suo calore: Præterea taurus & leo plurimū D haberent cerebri, nō homo: quippe cū illa habeāt cor & pulmones longe calidiores, vt ostēdunt tactus, & illorū actiones. Fœminam minus habere cerebri, & pauciores suturas, refellit anatome. Habet quidem minores, sed non pauciores suturas fœmina: & mas ex latiorib. suturis habet, vt facile possit sua excrementa vacuare. Quod si excremētorum quantitas plures exigit suturas, cur etiam duas vesicas, ad bilem recipiendam, mari non dedit natura. Hominem ideo erectum incedere, quia calidissimus sit, est absurdum. Primo quod leoni & tauro contingeret erectus habitus potius, quā homini, secundo masculo magis quam fœminæ. Oportebat. n. sicut in suturis, ita in erectione fieri E differentiā inter masculum & fœminam. Tertio si calor causa est erectionis: cur etiā non erit causa motus, atq; ita non dicimus volucres volare, quia calidi sint. Non. n. sequitur erectus incessus calorem, sed corporis structuram, quam ossa potissimum efficiunt: vnde ex varia structura corporis, quędā erecta, alia humi serpētia incedunt. Postremo si cerebrum nullam habet coniunctionē cum partib. sentientibus, quomodo poterit temperare calorē cordis: siquidē ille dicit, naturam temperiē hanc facere per coniunctionem partiū? Hæc sunt, quæ Arist. adfert contra eos, qui cerebrū sensus & motus principium esse ponunt. Hæ sunt etiam

Opinio Aristotelis cor esse omnium facultatum principium.

Cerebrū cur non sentiat, & tamen aliis partib. vim sentiendi largiatur.

Cerebrū esse sentiendi & neruorum principium.

Spinalem medullā non esse reuera medullam, & cur medulla nominetur.

Cor à cerebro nō refrigerari.

Auerrhoes quomodo intelligat cor à cerebro refrigerari.

Cerebrū non esse tactu frigidum.

Fœminam non habere pauciores, sed minores suturas.

Incessus erectus vnde fiat.

solutiones argumentorũ ipsius. Nunc videamus, quib. rationib. efficere velit, vt cor sit principium omniũ facultatum: nec non neruorũ, & venarũ.

Cor non esse omnium facultatum principium.

Primo, inquit. *vnum, nisi quid impediat, ponendũ principium, & illud in loco medio, qui omnium est aptissimus, vt omnes partes illud aequaliter participare possint. Cor ergo, quod in medio est collocatum, erit principium*: à quo omnia oriuntur, quæ in alia membra sparguntur, & in quo omnia fiunt, ad quodque omnia referuntur: hepar autem (inquit) non posse esse principium, quia non est in medio. Sed contra hæc, facile est disputare. Impediunt enim multa, ne possit fieri vnum principium in corpore hominis. Ac natura primum & ortus instrumentorum diuersorum, venarum B inquam, arteriarum, & neruorum, quæ non possunt ex vna substantia membri oriri. Deinde quod magnitudo vnius visceris, non sufficiat ad exortum, & locum præbendum tot instrumentis. Præterea oportet neruos quosdam esse molles, alios duros, quosdam veluti à muco concretum, vt sunt nerui olfactus. At nõ possunt ab vno membro tot partes oriri tantopere discrepantes. Tertio cũ facultates animæ postulẽt diuersam temperiẽ, non potest vna pars habere omnes illas tẽperies, quas diuersę facultates postulãt. Quarto pulmo potius, quam cor, vt qui dextras, sinistras, & medias partes, occupet, principiũ esset, & cor ipsum oporteret esse in vmbilico, illic est medius locus totius C corporis. Quinto ponere vnum principiũ, cui aliæ omnes partes seruiant, corrumpit vsum multarũ partium corporis; veluti cum dicit, testes non esse necessarios ad generationem: sed factos, vt fiat reuolutio in seminalibus vasis, ne prompta ad crebram venerem reddantur animalia, quæ casta esse oportet. Pendere autem illos, ne meatus retrahãtur: & propterea taurum inuentũ esse, qui statim à castratione generauerit. Tendi etiã cor ex pondere testium: propterea castrata animalia esse debilia, quia cor tensionem amisit, sine qua non potest esse robur. At contra id facit, primo, quod negat, animalia omnia habere testes, & propterea nõ esse illos necessarios ad generationem. Ac satis est, D si illa aliquid proportione testibus habeant: deinde & si non necessarii sunt in omnibus, non sequitur, quod non sint necessarii in illis, quibus sunt dati, & concessi. Sic enim diceremus pulmonem non esse necessarium hominibus ad vitam, quia pisces sine illo viuunt. Tertio in Anatome testes apparent sæpe tumidi, & semine pleni. Quarto ridiculũ est, quod scribit de tauro, quippe cũ dolor ex castratione illatus coeundi desiderium tollat. Præterea si hoc etiam conceditur, tamen hoc factũ est, quia vasa deferentia dicta erant repleta semine: ex quo facta fuit generatio. Quinto si natura dedit testes castitatis causa, frustra videbitur dedisse volucribus & multis aliis animalibus: piscib' autẽ & serpentibus, aut aliis non: cũ nõ roferat illa E esse castiora aliis. Addo quod multa sunt testibus prædita, vt passeres, salaciora aliis, quæ non habẽt testes. Sexto si testes faciũt ad põdus, & tensionẽ, quib. testes sunt solũ contusi, erit idẽ robur: quia tensio nõ multũ minuitur ex cõtusione. Præterea q appenso æquali pondere ex ferro, aut ligno ipsis meatib. maneret eadẽ tensio cordis, & idẽ robur. Quin etiam plurimæ reuolutiones venarũ & arteriarũ, & leue pondus ipsorum testium, impossibilẽ ostendunt hanc tensionẽ cordis. Sequeretur

A etiam illos semper esse animosiores, qui maiores haberẽt testes: quod experientia non docet. Ac cũ testes nõ semper pendeant, sed intus in multis condantur, non possunt esse facti ad tensionẽ. Igitur testes non sunt facti ad vsum cordis, sed vt semen gignant, & vim immittant in corpus, quibus quidem ablatis, pereunt illæ actiones, quæ à testibus prodibant. At vero hæc etiam principatũ huiusmodi refellunt, quod non possunt docere vsum hepatis, lienis, renum, cerebri, & multarum aliarum partiũ. Postremo si anima tota est in toto, & in qualibet parte, quomodo potest vnũ principiũ constituere illius & partium? Instat alio argumẽto

Testes

B Arist. vt probet cor omnium esse principium. Ait enim nõ aliam partem sanguineam, nec sanguinẽ ipsum habere vim sentiendi: sed quod primũ sanguinem habet, & ita habet, vt vas: id enim inquit, est, quod sentit. At cor huiusmodi est: quippe cum nullum animal sanguine præditum corde careat, & ipsum sanguinem contineat, vt vas: & quod in prima partium generatione statim cor palpitare cernatur, tanquã id, quod est naturæ eorum, quæ sanguinem habent. At hoc argumentum plurima refellunt. Primum.n. falsum est, nec probatum ab eo, illud esse principium sensus, quod est principium sanguinis, imo sensus est primum in neruis, non autẽ in parte sanguinea. Deinde ex motu C cordis, non probat illud esse principium motus corporis, quia alterius naturæ est motus cordis, à motu aliarum partium. Tertio falsum est, cor prius formari hepate: nam prius postulat conceptus materiam, quæ suppeditatur per venã vmbilicalem hepati. Postremo si ex eo, quod cor in omni animali sanguine prædito reperitur, illud principium ponitur, hepar quoq; erit principium: quippe cũ nullũ animal sãguineũ hepate careat. Addit Arist. eam partem esse sensus & motus principiũ, à qua nerui nascuntur. Illud autem esse cor, ostendit, inquit, anatome, quippe cum multi sint nerui in corde. Atqui anatome contrariũ ostendit. Non enim sunt nerui, qui in corde apparẽt, sed ligamẽtosa quędam substantia: deinde non videmus ner- D uos à corde in alias partes fieri: aut certe nullus est in eo neruus, qui possit esse aliorum principium. Qui.n. in eo est, exiguus est, & in tunicã illius solũ inseritur. Hæc vt puto, satis refellunt Aristotelis argumenta. Videamus nunc, quibus rationibus idem probare nitatur Auerrhoes, nempe cor esse principium sensus, & motus, & omnium facultatum.

Auerrhois de principatu animæ opinio.

Ait ille, *ibi primam esse virtutem animæ, quæ est sensitiua & motiua, vbi est primum animæ instrumentum, nempe calidum natiuum. At in corde, primum esse animæ instrumentum.* Respõdent nõnulli, virtutes animæ plures esse, & vnamquamque habere suum instrumentum, nempe animalẽ E virtutem habere spiritum animalem. Nos dicimus hanc responsionem non esse bonã: quia naturalis non habet propriũ instrumentũ: sed negãda est maior. Non enim necessarium est, ab eodẽ fonte primam facultatem, & primum pariter instrumentum prouenire. Deinde negari etiam potest, sensitiuam & motiuam virtutem esse primã. Nam dignitate ratiocinatiua: vt vegetatiua vero tempore præcedit. Postremo calor natiuus nõ est primũ, sed commune instrumentum. Secundum

Calorem natiuum non esse primum, sed commune instrumentum.

Auerr.

Auerr. argumentum hoc est: *Vt vniuersa anima facultates, ad vnam animam rediguntur, ita oportet vniuersa organa, ad vnum organum redigi.* Respondemus, omnem calorem redigi ad vnum fontem, à quo omnia instrumenta calorem suum sumunt. Negatur autem necessarium esse, omnia organa ab vno principio nasci: præsertim cum dicat Arist. *cap. 10. secundi de partibus*, sanguinis calidioris agitationem, officium sentiendi impedire, tanquã nequeat caloris & sensus idem esse principium. Tertio inquit Auerrhoes: *In timore sensus & motus debilitantur: At id non contingit alia ratione, quam quod animæ facultas motiua & sensitiua versus cor, tanquam ad fontem confugiant.* Respondetur, sensum & motũ lædi, nõ læsa facultate, sed deficiente calore, sine quo nõ potest aliqua actio fieri. Quarto: *Si animalis spiritus autor est sensus & motus,* (vt Medici volunt,) *ostendit* (inquit) *id cor esse principium facultatũ: quandoquidẽ cerebrum, eo quod frigidum sit nequeat natura opera perficere, & spiritum aliquem gignere.* Respondetur, nullum esse spiritum animalem, & si ponatur, tamen potest fieri à cerebro, quoniam non est frigidum actu, sed *frigidũ dicitur, quod sit frigidus tẽperata parte.* Quod autem tale est, potest substantiam aliquam conficere: ex calida autem frigidiorem, vt testes semen conficiunt, & mammæ lac, quod est sanguine frigidius. Auerrhoes igitur concludere se putat, cor esse sensus, motus, & aliarum facultatum principium, eo quod caloris sit principiũ: quod ostendit, cũ agit de somno. Dicit enim somnũ fieri in corde, quoniam est affectus communis sensus, qui in corde apparet esse, nimirũ quod per recessum natiui caloris versus cor, somnus fiat. At contra facit: primo, quod Aristoteles sumat argumenta ab origine neruorũ, & sãguinea substãtia: quod esset superfluũ, si putaret, cor esse sensuum originẽ, quia sit principium caloris. Secundo facultates animæ distinctæ sunt à calore. Nam hic instrumentum illarum est, & corporis, vt Arist. etiam testatur. Cæterũ de vsu cerebri Auerrhoes hęc scribit: *Cerebrũ esse factum, vt temperet spiritus cordis: sine qua temperatione nequeant sensus & motus fieri. Ideo in cerebro sensum exerceri, à corde tamen prodire.* Verum contra id plurima pugnant. Primo quod argumenta Auerrhois & Arist. nihil aliud probent, quam cor esse principium caloris, non autem sensus & motus. Secundo dissentit Auerrhoes ab Arist. Nam hic dicit, cerebrum factum esse, ad refrigerium cordis, ob suam temperiem contrariam, & hunc vsum dari cordi, per connexionem, quam habet cum cerebro: non autem refrigerium fieri spiritus alicuius. Tertio falsum supponit, nempe sensum & motum non posse fieri à spiritu non refrigerato in cerebro; quia per febres ardentes spiritus omnes feruent, & tamen sensus fit. Quarto, vt calor cordis nõ requirit mutationẽ in aliis partibus, & actionibus, sed dicitur esse sua natura aptus: sic ad sensum & motum, nõ debemus requirere peculiarem aliquam alterationem spiritus in cerebro. Ergo Arist. & Auerrhois argumenta (vt optime scribit Galenus *in lib. de placitis*) solum cõcludunt, calorem emanare à corde.

Cerebrum quomodo sit frigidum.

Facultates animæ esse à calore distinctas.

Pugnat in eadem re Drusianus his argumentis. Primo, *vt anima per se est impartibilis, & vnam habet essentiam, vniuersam habente potestatem: ita corpus vnum est, cuius organa ab vno principali organo originem habent.* Hec autem ex Anatomis & A experientiis probatur esse cor. Negatur similitudo. Nã plura cognoscuntur esse organa distincta natura & principiis: nec anatome, & experientia docent, quod ille dicit. Secundum illius argumentum hoc est: *Cor primum viuit, & vltimum moritur, ergo vita principium*: cui respondere non possumus, nisi intelligamus quid vita sit. Dicam ego, quid de hac re sentiam. Viuere *nihil aliud* est in rebus animatis, *quam esse*: dicuntur enim illa esse, & viuere, quæ animam habent, & quandiu habent: mortua vero tunc sunt, & dicuntur, quando amplius non sunt animata: ac tunc mori quando anima à corpore recedit. Quia igitur animata aliter sunt, quam alia, quæ anima carent, ideo illorum essentia, & subsistentia, peculiari nomine vitę B significatur: quod perinde est, ac si dicas, animata certo suo modo sunt: quem modum, vitam maiorib. nostris appellare placuit. Est ergo animæ præsentia vitæ causa, & absentia, mortis: quod idẽ est, ac si dicas, animam esse causam, vt res sit, aut non sit. Signum autem illius præsentiæ, sunt operationes, quas illa edit cum corpore. Agnoscimus.n. res viuere quamdiu operãtur; & mortuas esse, quãdo amplius operari nequeunt. Porro agnoscitur animal viuere, vt animal, ex sensu & motu: vt corpus animatum, ex nutritione: vt homo ex ratiocinatione. Quare nutriri, augeri, sentire, moueri, ratiocinari: non est viuere, vt Arist *in libris de anima* C scribit: sed ex istis, plãtæ, animalia, & homo viuere id est esse cognoscuntur. Cęterum vt operationes fiant, requiritur non solũ anima, sed instrumenta corporis, & calor natiuus: ac vno deficiente ex his, desinũt fieri operationes, & perit totum aut pars. Nã ad argumentũ respõdetur, φ cor non det vitã, nec omnia necessaria ad vitã. Nõ enim dat animã, quæ tota est in toto, non dat instrumenta, vt caput, pulmonẽ, ventriculum, hepar, & alias partes in nobis necessarias ad vitam: sed solum dat calorem. At dare calorem, non est dare vitam, sed vnã ex causis vitæ. Sicut vẽtriculus, intestina, & hepar aliam dant, nempe materiam nutritionis, sine qua nequit vita persistere. *Viuit autem non primum* D *cor, sed hepar.* Primũ enim formari oportet partẽ, quæ materiã præbeat. Superius enim ostendimus ex connexione venæ vmbilicalis, primum formari hepar. Quod autẽ cor vltimo moriatur, ratio est, non quod illud sit vitæ principium: sed *quod calor deserat prius alia omnia membra, quam ipsum cor, mors autem prius non accidit, quam recedat calor.* Negari ergo potest etiã consequentia. Non enim sequitur, illud esse vitæ principium, quod primum viuit, & vltimum moritur, quia solum sequitur, illud esse caloris principium. Tertium argumentũ Drusiani hoc est. *A calore*, inquit, *anima potissimũ pendet, propterea membrum, quod dat calorem, erit principalissimum.* Respondetur, illud esse princi- E palissimum membrum, *quod principalissimam animæ facultatem continet, siue à quo illa emanat*, & non illud, quod dat id, sine quo nequit anima ipsa stare. Sic enim ventriculus esset pars principalissima, quia dat cibum, sine quo nequeunt calor, & anima persistere, & sic inter famulos Regum, cocus, pistor, lanius, lixa essent principales, quia sine illis Reges non possunt viuere. Quarto pugnat Drusianus: *In corde* (inquit) *est principium spiritus, qui est vehiculum omnium facultatum: Ergo facultates omnes in corde, alioqui si spiritus sine facultate recederet à corde, esset otiosus.* Respon-

Opinio Drusiani de principio animi.

Opinio auctoris.

Viuere quid.

Quid mori.

Vita & mortis causa.

Vita & mortis signa.

Cor non dare vitam nec omnia vitæ necessaria, sed tantum calorem.

Hepar primũ viuere.

Cor cur vltimo moriatur, cum tamen primo non viuat.

Principalissimum membrum quod.

Spiritus quomodo facultatibus serviant.

demus, spiritum non vehere facultates, sed solum suo calore illas excitare, & eis seruire. Falsum quoque est, quod dicit, *virtutem esse vnam, sed diuersos facere effectus ob diuersitatē spiritus factam* (vt ille ait) *à partibus, in quas incidit.* Nam potius dicendum est, vnum esse spiritum: facultates vero ipsas diuersas, vt in cerebro apparet: vbi cū vnus sit spiritus, diuersissimæ tamen fiunt actiones, sensus inquam plures, imaginatio, cogitatio, memoria. Postremo, etiam si concedamus spiritum vehere facultates, non tamen erit frustra, qui exit à corde: quia erit comes facultatū à corde prodeuntium. Quinto, ex similitudine idem nititur probare. *Sicut* (inquit) *sol est fons luminis, vitæ, generationis, & corruptionis in vniuerso per motum, & lumen: ita cor in animali est principium vitæ, & omnium facultatum per motum, & emissionem spiritus viuificantis totum. Et quemadmodum non sufficit lux solis, sed opus est illam recipi in aliis planetis: ita spiritus cordis, in certis partibus inducit nouam complexionem, conuenientem vni generi operationum. Quare spiritus exiens à corde, confusè habet omnem virtutem, quā non potest exercere in singulis operationibus, nisi capiat peculiarem complexionem. Ac partes, quæ inducunt huiusmodi complexionem, dicuntur principia, vt cerebrum, quod quidē aptat spiritum pro sensu cōmuni, imaginatione, cogitatione, & memoria, sensu, & motu: & propterea post cor, principium esse istarum facultatum dicitur. Sic de hepate, & testibus sentiendum.* Respondetur primo, quod ad mentē Arist. non dicatur cor esse principium omnium facultatum, *propter spiritum*: quia non caperet argumentum ab origine neruorum, & venarū. Deinde quod non posset dicere, cor esse principium, eo quod omnia instrumenta facultatum ab eo nascātur: si solum putaret illud esse principiū, quia spiritum det & calorem. Præterea vult principium esse, non solum, quod omnia nascantur ab illo: sed etiam, quod omnia in illo fiant, & ad illud referātur. At quomodo ad cor redeunt, & referūtur aliī spiritus, qui à secundariis principiis (vt illi volunt) ferūtur per vniuersum corpus: nec amplius ad cor redeunt. Omitto, quod pronunciat ille multa de spiritibus & nihil probat. Sexto dicit, *animā & illius potentias per essentiam non tantum esse in corde, sed in omnibus membris: dicitur autem principaliter esse in corde, sicut in loco, vnde exhauriat principale omnium suarum facultatum instrumentum: ex cuius fluxu accidit opinari, quod animæ potestates ab eo spargantur.* Sic Aristot. ergo non docuisset, quod verum est, sed solum quod opinatur vulgus. Verum quoniam ista, & etiam, quæ sequuntur, non possunt intelligi, nisi intellecta tractatione de spiritibus: ideo de illis hoc loco agendum: docendumq; an sit spiritus aliquis in corpore, & si sit, quid sit, quotuplex, in quo loco gignatur, quomodo sit instrumentum animæ & corporis.

An sit spiritus aliquis in corpore.

Galenus *Aphorismo decimoquinto primi libri* dicit, tria esse, quæ complent substantiam nostri corporis, spiritum, sanguinem, & semen. Secūdo, *libro quinto de Simplicibus, cap. de suppurantibus* scribit, spiritum contineri in omni parte corporis, præsertim in spatiis vacuis. Dicit præterea *in libro primo de differentiis febrium cap. primo,* corpus constare ex contentis, continentibus, & impetum facientibus, id est, spiritu. Sunt & alii loci apud illum de hac re, in quibus statuit esse spiritus: sed id non probat. Fernelius vero dicit, hoc probari ex eo, quod animaliū corpora accendi & comburi possint: sed hoc solum ostendit in nobis aeream contineri substantiā, quæ diuersa est à spiritu. Esse autem spiritus, docet mors, quæ contigit solo expirāte spiritu per vulnera, vbi nec calor, nec frigus externum nocent: constamus autem illis, ex quibus fit dissolutio. Secundo docet respiratio, quæ immittit aerem ad congenerem substantiam fouendam: & emittit spirituosam substātiam, genitam ex quatuor elementis, cum sit aere crassior. Tertio ostēdit semen, principiū generationis, multo spiritu plenum. Quarto vbi humor & calor est, necesse est fieri exhalationes, & spiritus generationes. Quinto id docet calor, qui exiens à fonte in vniuersas partes, non potest sine subiecto ferri. Ac nullum potest esse subiectum, quod respondeat momentaneis motionib. caloris, præter quam spiritus. Postremo docent subitę passiones, vt syncope, timor, erubescentia, restauratio per odores. Hæc enim omnia ostendunt esse tenuem quandam substantiam, quæ potest facile consumi, restitui, & moueri.

Spiritus quid secundum Fernelium.

Spiritum Fernelius definit esse corpus æthereum, caloris sedem, animę, & corporis vinculum, primum actionis instrumentum, non ex elementis, nec ex alio, quod habet hic inferior mūdus, natum. Idque probari dicit: primo quod Academici dicant animum cælestem, & diuinum non posse coniungi cum mortali, & terreno corpore, nisi intercedente medio alio vinculo. Propterea animū duplici veste indui. Vna ex corpore cœlesti, puro, & astro simili, inseparabili ab ipsa anima. Alia vero genita ex puriore parte elementorū. Secundo id ostendere cauitates arteriarum, quæ continent pertenuem auram. Tertio aerem inspiratum, non solum ad refrigerium, sed ad nutrimentum huius substantiæ idem monstrare. Quarto id ostendi ex triplici humore, oleoso, alimētoso, & aqueo, & ex oleoso spiritum ali. Quinto Arist. dicere *in lib. de Gener.* in semine spiritum, in hoc naturam respondentem elemento stellarum contineri.

Quid sit spiritus ex Montano.

Montanus vero dicit esse substantiam perspicuā, & lucidam. Verū contra hos multa faciunt. Nam si spiritus est ex cælesti, & æthera substātia, immortalis erit, quare nutriri, augeri, & minui nō posset, vt illi volunt. Secundo repugnant sibiipsis, cum dicunt eam substantiam cælestē, & ardere posse, ac refrigerari. Tertio testes, quos afferūt ex Academicis, non habent auctorē, & figmenta sunt. Recte quidem dixit Aristoteles, naturā contineri in semine, & spiritu, nempe vim formatricem, quæ diuersa res est, neque ex elementis natura: sed hoc nihil ad spiritum, & illius substantiam.

Naturam contineri in semine & spiritu.

Quinto quod ipsi tractationem suam damnent, cum primos duos ponant spiritus: postea vero ea, quæ dicunt, solū conueniant spiritui facto ex elementis. Sexto non docent, quemnā ex spiritib. velint esse animæ instrumentū; an solum illum æthereum, an alium elementalē; an eum, qui ex semine partibus inditur, an qui influit à corde, vt reuera hic dicitur esse à Galeno. At hic ex humoribus gignitur quotidie in nobis, & æthereus non est, nec cœlestis. Septimo, qui spiritum dicunt esse substantiam lucidam, videntur hoc ex vulgi opinione tradere: quia credūtur Angeli splendidi esse. Quapropter quærenda est alia probabilior definitio: quæ talis esse potest.

Secundum autorē Spiritus quid.

Spiritus est exhalatio quædam ex benigno sanguine & humore insurgentibus proprio assurgens.

& hæc

& hęc probatur vera eſſe definitio, primo quod ſit Galeni *ſexto de vſu partiũ*: ſecundo, quod cõueniat talis ſubſtantia compoſitioni noſtri corporis ex elemẽtis, & ex primis principiis, ſemine & ſanguine: tertio, talis ſubſtantia eſt, quę expirat & per inſpirationem trahitur. Verum hæc definitio ſolum continet ſpiritum influentem, & hominis bene ſani. Quare ita ſpiritus definitur communi definitione melius: *Spiritus eſt vaporoſa ſubſtantia, qua noſtrum corpus conſtat, vel vtitur ad vniuerſas actiones obeundas.*

Melior definitio.

De generib. ſpirituũ, & Gal. opin.

De generibus ſpirituũ agendum: de quibus agens Gal. *duodecimo Method. cap. quinto*, ponit duos ſpiritus, vnum vitalem, alium animalem, dubitat autem de naturali. Item *libro quinto de Simpl. cap. de pus mouentibus*, ponit ſpiritum quendam innatum in omnibus animalis partibus: qui cum nec vitalis ſit, nec animalis, merito erit naturalis. At *in libris de placitis*, præter vitalem, & animalem, alium addit ſpiritum, quem materialem vocat. Cæterum, quæ dicit in *Aphoriſmo decimoquinto*, ſ. ſingulas partes conſtare ex ſpiritu, non poſſunt intelligi de vitali & animali, qui non manent fixi in partibus, & propterea non poteſt pars aliqua ex illis conſtare. Contra hunc numerũ ſpirituum, plurima faciunt. Et primo, quod Gal. non probet tres eſſe, ſed dubitet de naturali, de vitali dicat nullam eſſe euidentem demonſtrationem, C verũ ſolum rationi eſſe conſonũ, vt recipiatur: de animali autẽ eſſe euidentem demonſtrationẽ. At ex quib. quæſo, ea ſumitur. Nam excuſſis omnib. ei⁹ libris nulla reperitur alia, niſi ex plexu retiformi. At ille non eſt in hominibus, aut certe non ita euidens, vt in brutis: cum tamen homines poſtulent puriorem ſpiritum, & propterea euidentiorẽ plexum, & magis artificioſum. Deinde etiamſi ponatur, non tamen ſequitur, illic fieri aliquem ſpiritum, ſicut non ſequitur, fieri in reuolutione vaſorum ſpermaticorum. Præterea ſi retia huiuſmodi ſint neceſſaria ad generationem ſpirituum, cur etiam illa non ſiunt in corde, ad generationẽ vitalis? Secundo falſam oſtendit hanc eſſe opinionem, eo quod dicat animalem ſpiritum nunc ex vitali ſpiritu, nunc ex aere ambiente inſpirato, nũc ex ſanguine gigni, dicatque eſſe igneæ ſubſtantiæ. Tertio, quod nõ poſſit aſſignare locũ, vbi gignatur. Nã aliquando eum in plexu, aliquando in vẽtriculis cerebri: & nunc in duob. anterioribus, nũc in medio, nunc in poſtremo, nunc in venis, quę ad ventriculos pertinẽt, illos gigni ſcribat. Quarto, ſi ſpiritus animalis cõtineretur ſẽper in cerebro, ſẽper fierent actiones, vt cogitationes, ſenſationes: nihil. n. deeſſe poteſt tũc cerebro ad actiones obeũdas. Quinto, nõ eſt neceſſarius ſpiritus animalis ad actiones animales exercendas, cũ dicat *vltimo c. 1. de locis affectis*, talẽ facultatem, ſine aliqua ſubſtantia, vt radios ſolis in terram ferri. Sexto, ſi neceſſarius eſt ſpiritus ad animalem facultatem vehendam, deſcendet vſq; ad pedes minimo momẽto ſpiritus hic, quẽ igneæ, aereæ & leuiſſimæ ſubſtantiæ eſſe dicit. Septimo, non docet, talem ſpiritũ eſſe dilatatio pupillæ, quæ ſit altero clauſo oculo: quoniam per arterias, & non per neruos influit ille ſpiritus, & propterea nõ eſt animalis. Octauo, ſi plures ſunt ſpiritus proprii ſingulis actionibus, non vtiq; poſſent fieri actiones corporis: quoniã per ſomnum, vigiliam, iram, triſtitiam, gaudiũ perpetuo miſcentur, & confunduntur minimo mo-

Plexum retiformẽ eſſe in hominib. aut plane nullum aut non euidentem.

A mento hi ſpiritus: nec poſſunt ſubito ſeparari aut regigni, præſertim animalis, qui tantã elaborationem poſtulat. Nono, ſi actiones natura diuerſæ poſtulant ſuum proprium ſpiritum, cur manifeſte non ponit naturalem? Nec dicendum eſt, vitalem poſſe illis ſeruire, quia etiam ſufficeret animalibus facultatibus, cum par ſit diſtantia, & differentia ab vno, vt ab alio. Quare *vnum, & non plures ſpiritus influentes ponendum eſſe cenſeo*. idque multis rationibus. Nam ſi innatum calidum eſt ſpiritus (vt Galenus dicere ſolet) vnus erit ſpiritus, quia calidum innatum vnũ eſt: nec dicitur eſſe naturale vnum calidum, aliud vitale. Secundo actiones noſtri corporis diuerſæ commune volunt inſtrumentum: nam plura ſe impediunt. B Tertio, vt vnum eſt nutrimentum ex tota maſſa humorum, quæ vnam habet formam conuenientem omnibus: ſic vnus eſt ſpiritus, qui ex tota maſſa cõſurgit. Quod ſi ſpiritus aliquando craſſior, tenuior, calidior, frigidior, & humidior eſt in corpore noſtro humano, nõ tamen propterea ſpeciem mutat: ſicut nec humores ſpeciẽ mutant ob iſtas qualitates. Quarto, ſpiritus inſitus ſingulis membris, vnius eſt naturæ: ergo & influens, qui inſitum conſeruat & auget. Quinto, tot partes, & facultates diuerſę, aliquid commune poſtulant, quo coniungantur, & mutuo communicent ſuam vim. Poſtremo idem ſentit Ariſt. *c. vltimo lib. 5. de generatione animalium*: vbi ſcribit, ſic ſe habere ſpiritum in rebus à natura conſtitutis, vt malleum in arte fabrili. Vnum ſcilicet eſſe inſtrumentum, quod ad plures actiones eſt vtile. Idẽ ſcribit *in fine libri de commun. animalium motu*. *Vnus ergo ſpiritus: quem nec vitalem, nec naturalem, nec animalem vocare debemus*, ſi intelligamus his nominibus diuerſam eſſe illius formam & naturam: ſed ita vocare poſſumus, vt Ariſtot. animam vnam dicit eſſe, quæ ob diuerſam relationem nunc ſenſitiua, nunc motiua, nunc vegetatiua dicitur. Sic igitur naturalem ſpiritum dicemus eſſe, quando naturalibus, animalem, quando animalibus, vitalem, quando vitalibus ſeruit D functionibus. Porro ſpiritus non ſeruiant corpori, eo, quod ferantur per inſtrumenta, & per illa ducant facultates (vt nonnulli ſentiunt.) Nemo enim cõcipere poteſt per neruos ſolidos, & duros, ſpiritum minimo momẽto poſſe ſubire, accedere, recedere. Quod ſi cõſtrictis, aut obſtructis neruis, non fit ſenſus, & motus: id tamen non oſtendit ſpiritum per eos immitti: nam facultas poſtulat ſua inſtrumenta, & media expedita, etiam ſi non moueatur cum aliqua ſubſtantia. Idem enim contingit, vt in ſolis lumine, quod non poteſt per nebulam ferri. Præterea, ſi nerui poſtulant ad motũ & ſenſum ſpiritum, qui feratur per eorum ſubſtãtiam, cur etiam nõ dicemus per ſubſtantiam arte- E riarum, & venarum, ac non ſolum per earum cauitates ſpiritum ferri? Ad hæc, cur non fierent in neruis frequẽtes cõuulſiones, vbi ſpiritus eſt craſſior. Dicemus ergo, ſpiritũ ſeruire ſingulis facultatibus *non alia ratione, quam quod ſuo calore excitet inſitum calidum. Sic enim calidum influens a corde, inſtrumentum totius corporis, & actiones illius* eſſe dicimus. Hæc ergo, quę dicuntur de ſpiritibus, non probant eos eſſe omnium facultatum principium. Quare verior eſt Galeni opinio, qui plura ſtatuit principia omniũ facultatũ. Verum videndũ eſt, an cerebrũ, hepar, cor, teſtes, ſint principia omnia facultatum, quas recenſet ipſe, vel in illis

Spiritum vnum influentem, & non plures eſſe ponendos.

Spiritus quomodo ſingulis facultatibus ſeruiat. Plures eſſe fontes, & principia facultatum, & quanam à ſingulis principiis proueniant.

exerceri aut ab ipsis in alias partes prodire. Porro cerebrũ esse sensitiuæ & motiuæ facultatis principiũ multis rationib. probat Gal. primo *quod collisis ventriculis cerebri, animal sensum, & motum amittat, permanente tamen cordis, & arteriarum motu, ac nutritione incolumi*: quod signum est, non omnes facultates exire à corde, sed diuersos esse illarum fontes. Secundo, *quod neruis laqueo interceptis pars, quæ post ligaturam est, insensibilis, & immobilis maneat, & vna cum ea omnes partes, quæ ab illa neruos capiunt: quæ vero versus cerebrum est, sensum & motum retinet.* Oporteret autem contrarium fieri, si à corde sensus, & motus emanarent. Nec dicere oportet, quod hoc fiat, quia spiritus non descendat à cerebro, & sine eo non possit fieri sensus, & motus, etiam si virtus à corde immittitur. Nam antea ostendimus, *nullum spiritum in cerebro gigni*, & si quis mittitur ab eo, non mittitur per neruos, sed arterias & venas: quæ cum vicinæ sint neruis, spiritum spargere in eos possunt. Ergo nõ fiunt sensus, & mot⁹, quia facultas non immittitur à cerebro. Tertio *docent remedia, quæ læso sensu & motu, prosunt, cum cerebro admouentur, si læsio contingat vitio caloris innati, cerebrum esse originem harũ facultatum.* Quarto *idem probant cerebri affectus, qui nunc sensum, nunc motum labefactant.* Hæc ergo manifestè ostendunt, à cerebro prodire facultatem sentiendi & mouendi. An vero in cerebro fiat imaginatio, cogitatio, & memoria: & quot sint illæ facultates istarum actionum, probare licet ex prædictis argumentis: quod scilicet illæsο corde, & hepate, & solo affecto cerebro, nunc vna, nunc duæ, nunc omnes illæ actiones læduntur. Docent itidem remedia, quæ cerebro admouentur per huius modi affectus. Nam in lethargo & inflammationibus cerebri vulneribusque, deliria oriri conspicimus: in apoplexia vero & epilepsia, etiam aboleri eas actiones: præstantissimaq; esse remedia, quæ cerebro admouentur. Sumit aliud argumentum Gale. *primo de locis affectis. Ait enim audiuisse, quod facultas ratiocinatrix sit in cerebro, quia fatuos dicimus cerebrum non habere*: mirum tamen est, quod ipse hoc argumento vtatur eo loco, quod *in libro de Placitis* reiicit tanquam rhetoricum, & ineptum ad probandum originem facultatum. Addit quartum argumentum ex Platone, *quod partem, quæ dominari debet, & diuina est, in loco eminentissimo collocari oporteat, vt prospicere possit tanquam ex arce; quid in aliis partibus rectè, aut male fiat: ac vt à terra maximè recedat, quod diuinitatis est particeps vt nos ad cœlestem cognitionem ducat.* Sed hoc etiam est probabile argumentũ. An vero distinctę sint locis in cerebro hæ facultates, in sequenti capite expendemus, ne prolixior euadat hæc tractatio. Quod si imaginationis, cogitationis, & memoriæ cerebrum sedes est, erit quoque sedes considerationis, opinionis, iudicii, ingenii, sapientiæ: quæ facultates, & actiones, sub animali facultate à Gal. comprehenduntur. Porro multas facultates sub vitali comprehendi à Galeno antea ostendimus, qui etiam tradit, in corde eã esse, & ab eo per arterias in vniuersum corpus trãsmitti, passim commemorat: nec tamen interim aliqua ratione probat, vim aliquam vitalem in corde esse, aut ab eo prodire. Si enim viuere est *vegetari, sentire, & moueri*, vt *in lib. secundo de Anima* tradit Aristot. aut rectius, si vitam ostendit vege-

Cerebrum quarum facultatum sit principium.

Nullum spiritum in cerebro gigni.

An à corde vitalis aliqua facultas prodeat.

Viuere quid.

A tatio, sensus, & motus, vt nos antea ostẽdimus: vel si viuere est *gubernari à tribus facultatibus*, vt Gal. scribit *vndecimo Methodi*: Cor neutiquam erit vitalis alicuius facultatis principium. Nam nec nutritionis, nec sensus, nec motus voluntarii principiũ est cor: nec tres istæ facultates à corde procedunt solo, sed à tribus fontibus, singulæ à singulis. Quod si quis diligenter expẽdat, quid à corde extra mittatur, nullã agnoscet ab eo exire facultatẽ, quę vitalis dici possit. Nam cor in arterias immittit vim, qua illæ dilatantur & comprimuntur: & præterea sanguinem spirituosum. At ex motu arteriarum, & sanguinis spiritusq; influxu, fit cõseruatio caloris natiui in singulis partibus: & nihil præterea à corde emanare nouimus. B Ex quo sequitur, corpus à corde sumere *calidum insitum vitæ, & omnium actionum instrumentum*, arteriasq; comparatas esse ad illud calidum spargendum, & conseruandum in singulis membris. At hoc non ostendit vitalem aliquam facultatem à corde proficisci. Agnouit Fernelius hanc dubitationem, sed parum fœliciter tueri vult vitalem huiusmodi facultatem. Nam eousque rectè quidem progreditur, vt pulsandi vim in arteriis ostendat à corde oriri, & diuersam esse à facultatibus animalibus, & naturalibus: sed propterea non ostendit, vitalem eam esse facultatem. Nam statuit vitalem facultatem C esse totius animę summam quandam facultatẽ, quæ partes animæ perficit, tuetur, & quasi nexu cõiungit (ita enim ille loquitur,) Sed nihil istorum probat: ac in eo etiam sibi repugnat, quod *totius animæ dicat esse facultatem.* Nam cum animam diuidit in tres partes, substantia & locis distinctas: asseratque, vitalem à solo corde emanare: quo pacto potest esse totius animæ facultas? Nec est, quod quispiam dicat, pulsandi vim, quæ est in arteriis à corde insita, eam esse, quam vitalem vocare debemus. Etenim vitalẽ in vniuersum corpus, quod viuit, immitti à corde tradit Galenus: arteriarum autẽ motus, non aliis datur partib. pręterquam cordi, & ipsis arteriis. Ergo nulla facultas D vitalis à corde. Pulsandi autẽ vim arterias sumere à corde, hoc argumẽto est, quod iniecto aliquo vinculo, & eo constrictis arteriis, pars illarũ, quæ vergit ad cor, pulset, alia vero minime. Esse autem cor *caloris & spiritus insitentis* principium, intelligere possumus ex eo, quod cordis sinus, & quæ in illis sunt, feruere, aut certè vehementer calere sentiamus: ac quod per iram expandi calorem & in tristitia eundem contrahi ad cor deprehendamus. Cæterum motus arteriarum, & ipsius cordis ostẽdũt eas partes ad caloris conseruationẽ esse cõparatas. Nã in dilatatione, attrahitur aer frigidior: in compressione vero emittũtur fuliginosi vapores: ex quibus fit caloris natiui conseruatio. Porro in E timore, tristitia, ira, gaudio, risu, cor euidenter pati agnoscitur. Nam in tristitia & timore contrahitur: in gaudio dilatatur: in ira ebullitionem quandam in seipso excitat. An vero constãtia, fortitudo, magnanimitas, aut pusillanimitas pariter in corde fiant, probare nequeo. Est enim vulgare illud argumentum, quo vtitur Gal. quod s. dicamus, timidos nõ habere cor, animosos vero cordatos. Ex hoc. n. ostenditur, quod vulgus dicere solet: non autẽ, quod ratio suadet. Iam vero superius ostendimus, facultatem naturalem multas sub se continere, ex Galeni opinione, facultates. Nunc videndũ est, quisnam sit fons, & principium harum facultatum.

Cor quid corpori impertiatur.

Fernelius taxatur.

Pulsandi vim arteriis dari à corde.

Cor caloris sit principium.

Quæ passiones fiant in corde.

Passim

Nullam facultatem prodire ab hepate.

A Passim scribit idem autor, & ab aliis omnibus Medicis receptum est hepar esse huiusmodi principium. Verum cum paulo diligentius rem hanc expendo, inuenio, nullam facultatem ab hepate prodire in alias corporis partes. Nam vt à generatrice exordiamur, gignitur formaturque animal in vtero agente semine, ex insita sibi facultate generante: At hæc forma, à toto corpore, non ab aliqua parte semini inditur: aut certe, si ab aliqua parte, à testibus, vbi semen fit, non aût ab hepate emanat. Agête igitur semine, & patiente sanguine menstruo, nulla intercedente facultate, quæ ab hepate procedat, generatio nostra fit. non autê ab hepate emanat, quippe ipsum etiâ ab eadem facultate gignitur.

Quæ sint veræ facultates, & unde aliquæ sit illarum fons.

B Auctrix aût, & nutrix facultas nulla est, vt antea ostendimus. Sicut etiam nulla est facultas, quæ apponat, vel adhærere faciat aut agglutinet, aut assimilet nutrimentû; nam positis quatuor facultatibus quas Gale. naturales vocare solet veritate victus, quam illæ solæ naturales sint facultates, non est opus alias ponere, quę hæc opera perficiant. Sequûtur enim opera hæc per accidens actionê quatuor prædictarum. Nâ cum attrahitur nutrimentû, retinetur, & côcoquitur, apponitur, adhæret, agglutinatur, assimilatur & nutritio fit. Cum vero plus assimilatur, quàm sit dissolutum, tunc sequitur augmêtum. Nec vero quatuor illæ facultates, ab hepate in alias partes mittûtur, quando quidê paßim Gal. [illegible] & in hoc capite scribit, insitas eas esse ex proprio temperamêto: nos verius dicemus ab anima.

C Nec putare quidê debemus facultatem aliquâ ab hepate immitti, quod venæ dicitur à Gal. 8. *de natur. lib. facul. & 4. de vsu partiû* vim sanguificandi habere, & illâ ab hepate sumere. Falsum n. est, venas huiusmodi vim obtinere; quâdoquidem quælibet pars, in sibi similem substantiâm mutat id, quod alterat; vnicâ aût substantiâ habent venę, & illâ albâ, ex qua non possunt aliquid gignere rubrû. Nam cum per contactû fiat actio, necesse est, vt qualitates corporum, quæ agunt & patiuntur, ita afficiantur, vt id quod patitur, mutetur in qualitates agentis.

Venas non habere vim sanguificandi.

Præterea si ex chylo sanguinêâ est substantiâ rubram gignunt venæ, cur ex sanguine rubro putrescente pus in illis gignitur album? Deinde cur hypostasim, & alia contenta in vrinis, alba reddunt venæ, chylum aût rubrum? Nec ad id facit, quod dicunt quidam: ideo ex sanguine rubro pus fieri album, quod inter membranas continetur materia hæc & ex contactu albescat; chylus vero continetur in cauitatibus. Nam locus differentiam id nô facit, cum eadem sit materia, idem efficiens, idemque per contactum agendi modus. Sed quid de hypostasi dicemus, cuius materia pituitæ modo, vt chylus in vêtriculi sinu, & sanguis in venarû cauitatibus,

D continetur? Præterea si venis sanguinis gignendi, cur etiâ arteriis non conceditur aliqua vis generãdi aliquid? Ipse tamen nusquâ aliquam tribuit facultatem arteriis præterquam pulsandi, recipiendique, & ducendi per vniuersum corpus sanguinê spirituosum, in corde genitum. Postremo si putat, ideo concedendam esse talem vim venis, ne otiosę maneant, dum chylum ad hepar vehunt, cur etiam non dicemus venas, quæ sunt post hepar, vim habere gignendi carnem, neruum, os, cartilaginem, membranam, cerebrum, pulmonem & denique substantiam omnem, quæ ab hepate nutrimentum capit? Ita enim præparant materiam hæ venæ his partibus, vt venæ mesaraicæ chylum hepati.

E Quare si chylus rudem formam sanguinis à venis mesaraicis, quæ postea in hepate absoluitur, accipit, profecto censere debemus, venas, quæ sunt post hepar, vim habere inducendi eandem formam eius, quod postea perfecte sanguinem mutat in sui substantiam. Nam absurdum est dicere, venas omnes, quæ eandem habent substantiam, & idem principium, non obtinere eandem vim. Absurdius quoque est, venis, quæ sunt post hepar, concedere vim gignendi sanguinem, quia iam perfectam generationem & formam habuit in hepate. Absurdissimum & illud est, venis mesaraicis vim aliquam impartiri, aliis vero nullâ largiri. At si aliquam illis côcedimus ad proportionê, nô aliâ inueniemus dari posse, quàm vt rudê formâ immittant earû partiû, in quas postea materia ea perfecte conuertitur: sed hoc omnem absurditatem vincit. *Ergo dicamus venas nullam habere facultatem sanguificãdi.* Nam qui in venis mesaraicis est sanguis, ab ipsis venis nô est factus, sed transmissus ab hepate ad intestina, & alias partes nutriendas, in quas venæ ipsæ inseruntur. Quod & Galenus ipse *in libris de naturalibus facultatibus* testatur, cum docet, *easdem venas à natura accommodatas, ad transmittenda diuersis materias, & alternis [illegible] vicibus utentes.* Quod si ita est, nulla facultas ab hepate prodit. Cur igitur passim Galenus scribere solet, hepar naturalium facultatum esse principium. Audite quid scribat in *libro de [illegible]. Cum sanguis (inquit) ad nutriendum corpus [illegible] in hepate [illegible] fit, [illegible] nutritoriæ facultatis sit principium. Quod enim [illegible] toti corpori [illegible], hoc [illegible] facultatis est [illegible].* Ex quibus verbis satis constat, quod dicat, & velit hepar nutritoriæ facultatis esse principium: non quod facultas aliqua ab eo emanet in corpus, sed *quod materia ad nutritionem necessaria in eo gignatur, transmittaturque in totum corpus.* Ex quo constat, quam parum diligens sit Scriptor Gale. & inconstans: qui facultatem (vt ostendimus antea) causam quandam efficientem actionis esse dicit: nunc autem dicat, illud facultatis esse originem, quod materiam ipsam suppeditat. Ad eundem modum, auctricis & generatricis facultatis principium esse dicetur, quod materiam, nempe sanguinem quo corpus gignitur, & augetur procreet. Nec alia quidem ratione, attractricis, retentricis, concoctricis & expultricis facultatis principium esse potest. Nam hæ facultates (vt antea diximus) insitæ sunt singulis membris ex proprio temperamento, vel potius ab anima: exercent autem sua officia in sanguine, quem hepar côficit, & mittit per corpus. In qua quidem re, refellenda est Arachiæ opinio, qui putat has facultates immitti ab hepate, argumento, quod Galenus scribat *in lib. de placitis,* hoc viscus esse materiæ, qua alitur corpus, & virtutis principium: verum ille fallitur. Non enim Gale. *eo loco* ita habet; sed (vt antea ostendimus) quia inquit *materia, qua alitur corpus, est principium*, ideo virtutis nutritoriæ principium esse dicitur. Tribuit autem Arachias singulis partibus facultates quasdam influentes ab hepate; nempe quatuor dictas naturales, alias vero insitas vires, quibus gignunt sibi propriam, ex qua constant, substantiam, nempe carnem, habere vim gignendi carnem, os gignendi os, ventriculû gignendi chylum. Hanc opinionem passim refellit Galenus, qui statuit omnes similares partes, ex

Venas [illegible] sanguificandi [illegible]

Hepar quo modo nutritricis facultatis sit principium.

Arachiæ negligentia arguitur.

Digitized by Google

peruenire posset, nec statim etiam euanescere. Idem scribit *circa finem primi de semine*, nempe non solum animalem, sed etiam vitalem, & genitalem facultatem sine substantia aliqua immitti in corpus. *Nam*, inquit, *vna minima veneni impressio, vt in scorpionis morsu apparet, totum corpus alterat, nonq. illa gutta, sed quod virtus eius per totum corpus extendatur*. Cæterum *in lib. 1. de causis symp.* scribit, facultatem animalem ad neruos diuerso modo labi. Ad eos enim, qui meatum habent, veluti p viã: Ad alios vero, veluti solis radii, qui per aquam & aerem transeunt. Nerui autem, qui cauitatem habent, sunt (vt ille tradit passim) visorii. Verum anatome docet hoc falsum esse. *Sunt illi quidem molles, sed absq; vlla cauitate.* Nec contra facit, quod vno clauso oculo, alterius pupilla dilatetur. Nam hoc docet quidem spiritum aliquem ad oculi pupillam ferri, sed via ei patet per arterias, nequaquã vero per neruos. Iam vero *in septimo lib. de placitis* ait, omnes neruos iuxta spinalem medullam ita sẽsibilem meatum habere, vt optici nerui; idque, vt spiritus animalis, qui motui plurimum seruit, vnà cum violentia & ictu incidens, facultatem augeat facilioremque ad distributionem reddat. Ex quibus patet, eum velle, si non per totum meatum, saltem per aliquod spatium, spiritum, facultatemque animalem simul descendere: id enim ostẽdit, cum dicit, *spiritum cum ictu, & violentia in neruum incidere, vt facultatem augeat*. De vitalis & genitiuæ facult. influxu idem, quod de animali ex superioribus sentiendum est. Illud autem communiter omnibus conuenit, quod sine instrumento in ꝓximas particulas quadantenus facultas distribuatur, vt *quarto de vsu partium* scribit Gal. Non enim necesse est, partem, quæ sentiat, neruum in omni sua particula habere: sed satis est, si p partem nerui dispergantur, à quibus postea facultas excidit in minimas particulas. Ita quidem de influxu facultatum ex Gal. opinione sentiendum est.

Nerui visorii non esse caui.

Quid ferat spiritus ad pupillam.

Qui vero arbitrantur, animã totã esse eiusdẽ naturæ in toto, & qualibet parte, suaque natura indiuisibilem, coguntur fateri, nullũ fieri huiusmodi influxũ. sed ipsam animam semper præsentem esse in omnibus partibus, quę tamen non idem efficiat in singulis membris, quoniã illa differunt, vel quia propria instrumẽta sunt male affecta, qua ratione sensus perditur in neruorum resolutione, non potente instrumẽto sensus & motus recipere animæ vim. Aliquando vero etiamsi illa recepta est, tamẽ exerceri non potest, quoniam deest calidum influens, sine quo anima nequit sua officia in corpore exercere: quomodo sensus otiantur per somnũ, non quod sensoriis desit anima, vel sentiendi vis: sed *quia* (vt alibi ostendimus) *abest à sensoriis influens à corde calor*. At si quis dicat, cur ergo ligato neruo, qui à cerebro ad cor fertur, pars, quæ cordi cõiungitur, non sentit, alia vero sentit. Vtraq; enim nerui pars animam & vim sentiendi obtinet, & calor deest potius ei, quæ vicinior est cerebro, q̃ alteri, quæ propinquum habet caloris fontẽ? An id fit, quod facultas sensitiua & motiua non est apta recipi per finẽ nerui, sed per principium. Hoc vero est in cerebro, & nõ in corde. Cæterum facultates oẽs vel vitæ causa, vel ad generationis cõseruationem, vel cõmodiorem vitã homini sunt datæ. Vitæ quidẽ causa, sensitiua, motiua, pulsatoria in corde & arteriis, attractiua, retentiua, concoctrix, & expultrix. Ad propagationẽ vero facit, quæ in testib.

Nullum fieri influxum facultatum.

Quare sensus in somno otiantur.

De vsu facultatum.

A est collocata. Ad cõmodiorẽ autem vitã, vel potius ad humanã vitam necessariæ, imaginatrix, memoratrix, & ratiocinatrix, sine his enim humana vita à brutis nõ differret. Sic irascibilis melioris vitę causa hominib. data est. Nam irascibilis ad rationalis subsidiũ aduersus cupiditatẽ creata est, tanq̃ canis quidã contra agrestẽ & multorum capitũ feram, vt *in 6. lib. de plac.* scribit Gal. Cur aũt cupiditas nobis sit indita, nõ docet Gal. est aũt hæc ratio, *vt sine voluptatibus nõ viueret animal.* Cæterũ rationalis nũc iracundię, nunc cupiditati auxiliatur. Iracũdia vero nunq̃ cupiditati, nullus enim vnq̃ seipsum increpauit, ꝙ ab intempestiuis cupiditatibus non sit captus. Irascibilis aũt (vt diximus) rationi aduersus cõcupiscibilẽ, cum ab hac ratio vincitur, & ad vindi- B ctam sumendã ratio iudicat vindicta opus esse, opitulatur. Nonnunq̃ tamen irascibilis aduersatur rationi, quãdo s. male est affecta. Hinc fit, vt rationalis sola possit consistere, vt in diis, sicut etiã concupiscibilis in plantis, irascibilis aũt nequaq̃: quippe cum ad subsidiũ rationalis hæc sit creata. Propterea tria ista principia inter se sunt colligata per venas, arterias, & neruos, vt sibi inuicem seruire possint. Porro, quæ doloris, tristitiæ, mæstitiæque est causa facultas, videtur data ad contrarios excessus mitigãdos. Nimia n. voluptate & lætitia homo nonnũquam dissolueretur, nisi ex contrariis affectibus medicina esset parata. Videtur etiã eadẽ facultas eum habere vsum, vt naturam nostrã fragilẽ C & caducam deleamus. Iã vero rationalis in primis annis nostræ ætatis inquit Gal. *in lib. de placitis* est imbecilla: euadit tamen robusta circa decimum & quartum annum, irrationalis autẽ in primis annis valida est. Hæc quidẽ tradit Gal. sed exactius ita res explicari potest. Concupiscibiles & naturales aliæ facultates in primis ætatibus vigent: vitalis, sensitiua, & motiua in adolescentia & iuuentute. Inter rationales ingenium in adolescentia: apprehensio in pueritia & adolescentia: iudicium in consistentia, & prima senectute: in iuuentute memoria vigere videtur. In illis enim temporibus anima habet instrumentum aptum ad certas eas actiones feliciter obeundas. Atq; hæc quidem sufficiant de D facultatibus. Nunc verba, quæ *in textu* continentur, exponamus.

Cupiditatis.

Rationalis. Iracundæ.

Quando à nobis vigeant aut imbecilles sint hę facultates.

Dicuntur ergo illa esse principia, quæ vel facultatem, vel materiã aliis partibus primo exhibent. Originẽ vero habere dicuntur à principiis, q̃ vel ex substantiis principii originem ducunt, aut ab alia substantia, quæ in principio apparet. Subministrare aũt principiis intelliguntur, quæ vel aliquid capiunt à principiis, vel ipsis principiis largiũtur. Illæ aũt dicuntur nec gubernare nec gubernari, quæ solum obtinent quatuor facultates naturales. Has enim solas nonnunquã pronunciat Gal. gubernare, vt patet in 1. *tex. quinti comment. 6. Epid.* vbi ita scribit, *omnes animæ facultates, quib. animal regitur, quatuor sunt, Attractrix, retentrix, concoctrix, &* E *expultrix*. Insitas & aliunde emanantes habere dicuntur, quæ quatuor illas habent, & pręterea sensum & motum recipiunt. Nerui & spinalis medulla à cerebro oriuntur, & subministrant, sed diuerso modo, nam seruit spinalis medulla cerebro, eo ꝙ ab illa nerui oriuntur, qui in corpus postea spargũtur, & sentiendi mouendiq. vim à cerebro in medulla primo influentem in corpus deferunt. Neru. autẽ, non quod ex illis aliquid oriatur, sed ꝙ ipsam facultatem deferant à cerebro sumptam, si sensi-

Partes quæ dicantur esse principia.

Quæ dicãtur ab aliis originem habere.

Quæ ministrare principibus.

Quæ nec gubernentur, neq; gubernent.

Quæ insitas & aliunde emanantes habeant.

Nerui & spinalis medulla quomodo cerebro seruiant.

tiui sint: à spinali medulla, si & sensitiui & motiui A fuerint. *Quomodo arteria cordi.* Arteriæ à corde oriuntur, & illi seruiunt, quoniam motu suo calorem totius corporis contemperant: pulsandi autem vim à corde capiunt, quam non reliquis partibus communicant, vt nerui sensitiuam & motiuam, sed solæ ipsæ exercent totius tum corporis (vt diximus) gratia, tum vt illius & cordis etiam calor conseruetur. *Quomodo vena hepati.* Venæ ab hepate ortum habent, & ei seruiunt, quædam vt diximus, ad illud deducendo alimentum, vt mesaraicæ: aliæ vero distribuendo sanguinem ad nutritionem per totum corpus. *Quomodo vasa seminaria testib.* Vasa autem seminaria, quæ seminis dilatoria dicũtur, à membranis testes inuoluentib. nascuntur, præparatoria aũt à venis emulgentib⁹. Seruiunt aũt illę testibus eo quod sanguinẽ à venis B ad testes deducant, hæc aut quia semen elaboratũ à testibus ad penem transmittunt. *Cartilago, ligamentum, membrana, ossa.* Cartilaginem vocant Medici, quod ab osse oritur, & ipsa ambit. Ligamentum vero, quod ab osse oritur, & ossa inter se connectit. Membranã, si vt solet Gale. hic sumamus, falsum erit, quod à seipsa gubernetur. Nam cerebri & fœtus inuolucra membranas vocant: illa autẽ venas, arterias & neruos habent. Intelligere itaque debemus membranarum nomine peritoneum: vix n. alium reperio in corpore huius generis. *Dentes quomodo sentiant.* Ex ossibus dẽtes excipere oportet: illi n. sentiunt, non ex sua natura, vt aliquando Gal. sentire videtur, sed *quia neruos recipiunt.* Quod si in radices solum nerui inseruntur, tamen in reliquã partem sentiendi facultas sine neruo spargitur, vt antea ostendimus. *Adenes.* Adenes in duplici sunt differentia C alii enim sunt, qui solum vsum habẽt, quales sunt, quæ ad venarum diuisiones replendas securitatis venarum gratia, ne in diuisione rumpantur, positę sunt, vt sunt glãdulæ inguinum, ceruicis, & axillarum. Aliæ sunt, quæ habent actionem etiam sibi propriam, vt glandulæ mammarum, quæ lac gignunt: & testes etiam, quæ semen efficiunt. *Caro simplex viscerũ.* Caro simplex, viscerum (quam affusionem, quod scilicet circa vasa affusa sit, vocant) aut non sentit, aut non omni sui parte, quemadmodum etiam caro hepatis & cerebri. Cæterum per reliquas partes intelligit musculos, tunicas & membranas, & denique quicquid sensu præditum est. Hæc de facultatibus D sufficiant, quæ aliis materiam præbere possunt meliora excogitandi.

> Τριχῶν δὲ καὶ ὀνύχων, οὐδὲ διοίκησις τίς ἐστιν, ἀλλὰ γένεσις μόνη. [αὗται μὲν οὖν αἱ τῶν μορίων διαφοραί.]
>
> *Capillorum autem atque vnguium neque regimen vllum est, sed generatio tantummodo. [& hæ quidem sunt partium differentia.]*

Quæ hic de capillis & vnguib. tradit, satis (vt antea obiter docuimus) ostendũt, diuisionem partiũ in quatuor differentias, non comprehendere oẽs E partes corporis: nam capilli & vngues excipiuntur ab illis. *Vngues & pilos partes esse constituentes corpus.* Nec credere quidem oportet, Gal. partium constituentium corpus diuisionẽ fecisse, vngues autem & pilos partes re vera non esse. Nam vt sine ossibus & cute, manus & pedes recte constitui nequeunt: ita profecto nec sine vnguibus. Nam si ad partium dissimilarium structuram eas similares iudicamus esse necessarias, sine quibus instrumẽti actio commode exerceri nequit, nemo est, qui vngues excludere possit à cõpositione earum partiũ, quibus illi à natura sunt dati. Eadem est ratio de pilis, qui circa oculos sunt positi; nequit enim visio absque illis fieri. Postulat aut hic locus, vt de pilis agamus diligenter, quoniam ab illis Gal. multarum partium signa capit: ac multa obscurè sunt de hac re scripta à Gal. *li. 2. de temperament. c. 5.* & *11. de vsu partium c. 14. & primo de compositione medicamẽtorum:* necnon ab Arist. *lib. 3. de historia animaliũ ca. 11.* & *12.* & *lib. 5. de generatione animalium ca. 3.* & *5.* *Tractatio de pilis quibus constet.* Porro exigit hæc tractatio, vt doceamus, quid pilus sit, quæ illius causa materialis, efficiens, finalis, sine qua non: quis modus generationis, quis vsus, quæ & quot differentiæ, quæ causæ singularum differentiarum, quid demum ostendere possint in nostro corpore. At hæc omnia hoc loco nequaquam prosequemur, sed ea solũ, sine quibus illius generatio intelligi nequit: reliqua vero postea suo loco docebimus.

Gale. *in fine 1. de temperamentis* scribit, pilum omnium quæ sunt in corpore, frigidissimum & siccissimũ esse. Explicat aũt *2. lib. eiusdem operis* non simpliciter omnium partium, sed earũ solũ quæ in cute extãt, pilum esse siccissimum: quippe cũ ossa, quæ durissima sunt, & nequaquam flecti possunt, videantur pilis sicciora. Verum ex his verbis non tã definit Gal. quid sit pilus, quam qualis sit illius tẽperies. *Pilus quid, & eius temperies.* Potest aũt apte hoc modo definiri. Pilus est *corpus tenue, longum, rotundum, fragile, flexile, siccissimum extans in cute corporis.* *De materia pilorum, & Arist. opin.* Materiam pilorũ tradit Arist. in *lib. 5. de generat. c. 3.* esse *humorem exhalantẽ à cute.* Cui quidem opinioni primũ repugnat Gal. *11. de vsu partium,* & *2. de temperamentis,* dicẽs esse vaporem. Deinde humor non ita potest ascẽdere ad caput, & transire per suturas capitis, præsertim quod oporteat talem humorem esse pituitosum: nam alii non sunt viscosi, & propterea non possunt trahi in longũ vt sunt pili. At color pilorũ ostendit non esse semper pituitam causam, cum pili sæpe nigri, rufi, & flaui appareant. Postremo nõ docet Arist. an huiusmodi humor, quem dicit exhalare à cute, velit in ipsa cute gigni, & ab ea sola exhalare, vel à subiectis partibus prodire, nec quẽ, qualemve velit esse, an vnum ex quatuor humoribus vel plures, aut aliam quampiam humoralem substantiam ab illis diuersam: & eam quidem vel crassam vel tenuem aut viscidam, aut friabilem, vel alterius qualitatis. *Gal. opinio de materia pilorum.* Gal. vero in *li. 2. de temperamẽt.* & *9. de vsu partium* vult, materiam pilorum esse vaporem fuliginosum, crassum, & terreum. *Opinio Auerrhoeis.* Quã quidem opinionem Auerrhoes improbat hoc argumento, quod ex tali vapore fuliginoso, fragili, friabili, terreo, nequeat corpus continuum & lõgum fieri. Adde quod ex tali vapore nunquã posset pilus albus fieri. Scribit præterea in *li. 14. Meth.* pilos fieri ex parte limosa humorum, qui per cutẽ transpirant: sed quid, & cuius naturæ sit hoc ipsũ, quod in humoribus limosum vocat, non docet, an scilicet velit esse quicquid ex singulis humoribus, vel ex omnibus simul iunctis crassius reperitur. At in omni opinione dubitationes nascuntur, nec facile est verum inuenire. Mihi autem videtur materia pilorum constare ex duplici substantia, nempe ex vapore crasso & fuliginoso, vel materia crassiore ipso vapore & præterea viscoso quodam humore. Nam pili generatio maxime in superioribus partibus & externis ostendit esse opus vaporis: illius vero siccitas & durities docent vaporem non esse halituosum, is enim exhalat, sed esse siccũ & ter-

restrem, fragilemque qualis est ipsius pili natura. Requiri autem humorem viscosum cum tali vapore, pili continuitas ostendit: ac superante nunc vapore, nunc tali humore, aut gignuntur, aut non gignuntur pili, aut differentias mutant in colore, consistentia, & in aliis differentiis. A qua vero re vapor ille eleuetur, expendere oportet: quod quidem miror, à Gal. prætermissum, cum tamen absq; huius rei consideratione nequeat quis dicere, cuius rei temperiem illi ostendant. Montanus tradit, talem vaporem fuliginosum ab omni humore eleuari, sed in eo errat: nequit enim ab humore humido, & halituoso, qualis est pituita, sanguis, & solus humor attolli vapor, qui sit fuliginosus, siccus & terreus. Præterea si ex massa humorum, aut ab vnico duntaxat humore vapor ille eleuatur, quomodo potest partium corporis naturalem temperiem indicare? Mihi aũt videtur vapor ille crassus & fuliginosus nihil aliud esse, quam excrementũ crassum resultans ex concoctione, quæ in singulis partibus ad propriam nutritionem obitur: de quo quidem Gal. 3. *lib. de natur facul* & 3. *meth.* & 5 *de vsu part.* meminit: vbi docet ex omni concoctione resultare duo genera excrementorum, vnum tenue, aliud crassum: tresq; concoctiones fieri, vnam in ventriculo, cuius excrementum tenue est vrina, crassum vero stercus: aliam in hepate, & huius excrementum tenue esse bilem flauam, crassum, humorem melancholicum: tertiam vero concoctionem obiri in singulis partibus, cuius excremẽtum tenue sit vapor qui exhalat insensibiliter, crassum autem, sordes quam nos agnoscimus cuti adhærere, & camisias tingere, inficereque. Hoc ipsum est pilorum materia vna. Nam vbi alioqui relinquitur tale excrementum, quid ex eo fit? Igitur sordes illa crassa cum perniciosa sit, si maneat peracta concoctione, ideo vi caloris & vaporis, qui perpetuo exhalat à corpore, natura ita prouidente attollitur ad supernas & externas corporis partes: vbi cum illius pars nequeat libere expirare, hęret, ac cum humore viscoso & pituitoso, naturaliter cuti subiecto, miscetur, fitque materia pilorum. Quod autẽ non ex humoribus qui in venis continẽtur, sed ex ipsis partibus corporis materia pilorum educatur, id etiam argumento est, quod etiam mortuis, in quib. humorũ nulla est amplius generatio in venis, pili proueniant & augeãtur. Quod quidem nõ potest aliter fieri, q̃ quod ex putredine fuliginosa excrementa in dissolutione corporis gignantur, quæ eo viuente in cõcoctione proueniebant: & q̃ otiosis, melancholicis, & his, qui in profundis carceribus detinentur, barba & capilli plurimum crescant. Ab his enim causis plurimum talis excrementi gignitur, & minimum libere expirare potest, quare totum fit pilorum materia. Accedit, quod mulieres pituitosæ pilos etiam procreent, hoc enim ostendit non ex humoribus ipsis in venis contentis, qui in tali natura inepti sunt ad huiusmodi fuliginosam materiam emittendam, sed ex excremento illo nato ex crassiore parte alimenti, quod fit excrementum in tertia concoctione, quo nullum humanum corpus caret, materiam pilorum sumi. Nonne etiam oporteret pilos perpetuo esse rufos aut rubros? Nam cum necesse sit, vaporem illum, quem materiam esse pilorum illi dicunt, attolli ab humorum tota massa, refert vtique ille sanguinis magis, quam aliorum humorum naturam, quoniam semper plus est sanguinis, quam alterius cuiuscunque humoris.

Montani opinio de materia pilorũ confutatur.

Pili etiam in mortuis gignuntur.

Cur plurimũ in melãcholicis, otiosis & captiuis.

A Cæterum causam efficientem pilorum videtur ponere Gal. caliditatem & siccitatem. Ait enim illos ab his qualitatibus fieri. Verum huiusmodi qualitates causæ potius sunt, quod materiã gignãt pilorum: nam exuperantibus illis qualitatib. plurimum illius terrestris materiæ ex alimẽto gignitur: aut certe non nisi causæ efficientis remotæ rationem habent, propinqua autem efficiens, motus est ipsius excrementi: ex illius n. motu per cutẽ (vt postea ostẽdemus) fit pilus: calor autem & vapor materiam illam mouent & sublevant. An forte etiam illa extruditur ab expultrice vi partium internarum, in quibus gignitur? At causa sine qua non possunt pili gigni, & cum qua apte gignũtur, à cu-
B tis natura sumitur: Oportet enim illam non esse nimis siccam vel duram, vel humidam: vel cui subiecti non sint tẽdines multi & crassi. Duram enim & siccam cutem ægre peruadit huiusmodi vapor & excrementum. In humida concidunt meatus qui sunt in cute. Vbi autem tẽdines multi subsũt, ut in vola manus & pedis, aut pauca gignitur materia pilorum, aut ad cutem nequit peruenire, aut per illam nequit transire.

Quis sit finis & vsus generationis pilorum, docet quidem Gale. sed non semper eosdem scopus tradit. Nam in 2. *temperament.* scribit, vel ad ornatum, vel operimentum illos esse factos. *Vndecimo* vero *de vsu partium*, vbi de capitis pilis agit scri-
C bit, eos ob duplicem utilitatem factos ad operiendum scilicet caput, & ad crassiora excrementa cõsumenda, quæ caput ipsum alioqui offenderent. In hos ergo tres fines pilos omnes reuocare possumus, vel ad *ornatum*, vel ad *operimentum*, vel ad *temperamentum*: quod contingit ex compositione excrementi. Adde, si vis, quartum scopum, ob necessitatem materiæ, & quintum ob naturę prouidentiam, vt membra quædam ex illis componantur. Ac nonnunquam ob vnum ex his solum, aliquando ob plures scopos facti pili agnoscũtur. Porro ornatus gratia videntur facti pili in naribus pudendis, axillis. Nam pudenda tanquam obscenæ partes, tegenda sunt. Axillarum vero & nariũ
D cauitates tanquam deformes, pilis replentur. Cæterum ad vtilitatem in nulla parte videntur facti pili, quinetiam coniunctum simul habeant ornatum. Capitis enim & barbæ pili, non solum vtiles sunt, sed etiam partes subiectas ornant: ita vtilitas ab ornatu separari non videtur: ornatus autem ab vtilitate separatur, vt in exemplis prædictis. Iam vero ob materiæ necessitatem, nec vtilitatis, nec ornatus gratia pili tibiarum & brachiorum videntur facti. Neque enim partes illæ munimento ex pilis aduersus frigus, vt caput & facies egent: nec magis ornatas, quando pilos habent, quam cum illis carent esse agnoscimus: fiunt autem quoniam aliter fieri non poterat. Oportebat enim excre-
E menta illarum partium vacuari, nec aliter quidem vacuari poterant, quã conuersa aliqua sui portione, quæ scilicet pertinacius hæret, in pilos. At pili oculorum facti sunt quoniam sine illis oculorum compositio & visio constare non poterat.

Cæterum generationis pilorũ modos optimè docetur à Gal *in lib. 2. de temperamentis. Cum enim* (inquit) *vapor fuliginosus crassus & terreus meatib. cutis impingitur, ita vt nec facile intro redire, nec extra propelli possit, quem alius rursus ex profundo subiens ferit, prorsumq; impellit, & alius alium deinceps, donec multi coniuncti, & simul complicati fuerint,*

qui ob transitus angustiam stipati in angustam prorsus formam rediguntur, propelluntur que à similibus vaporibus, quibus exitus est negatus, quia meatus iam est occupatus, cogitur ergo exire à cute iam lori formam adeptus pilus, assimilarique potest, quod in meatu est impactum, stirpis radici: quod vero extat ex cute, ipsi velut stirpi.

De differentiis pilorum

Differentias pilorum sumit Arist. 5. *de generatione animalium cap.* 3. à duritie, mollitie, longitudine, breuitate, crispitudine, multitudine, paucitate, coloribus. Verum non omnes differentias complectitur: omittit enim eam, quæ à crassitie est, & tenuitate, ortusque & decidentiæ tempore. Quare præstat differentias sumere à figura, consistentia, quantitate, incrementi modo, colore, ortus & B casus tempore, à causis & vsu. A figura enim sumuntur hæ differentiæ, quod quidam recti, alii crispi, alii inter rectos & crispos medii, alii vniti, alii diuisi. A consistentia, quod quidam crassi, alii tenues, alii medii, alii itē duri, alii molles, alii asperi, lenes, medii. A quantitate cōtinua, quod alii longi, alii breues, alii medii. A discreta, quod aliis pauci, aliis nulli, aliis multi, aliis inter has differentias medii pili dati sunt. A colore, quod alii sint albi, alii nigri, alii pallidi, alii rufi, alii subflaui, & sic de aliis coloribus qui in pilis reperiuntur. Non enim omnes colores pili recipiunt: cum nec virides, nec rubri in hominibus reperiantur: in volucribus aūt pennæ tali colore præditæ apparent. Ab incrementi & decrementi modo sumuntur differentiæ: nam alii augentur, alii non, vt palpebrarum pili: Alii cum ordine, alii sine ordine crescunt: cum ordine, vt superciliorum & capitis etiam pili, sine ordine aūt, reliqui ferè omnes. Ab ortus tempore, nascuntur quoque differentiæ: quoniam aliis citius oriuntur, aliis tardius, aliis iusto tempore: Ita aliis cito cadunt, aliis tardius, aliis iusto tempore. Porro ab vsu sumitur etiam differentia, alii enim ad operimentum, (vt ferè omnes, qui in corpore sunt) alii ad ornatum, vt superciliorum, alii ad vtrumque simul, vt barba: causas vero prædictarū differentiarum postea docebimus, vbi mentio illarum fiet.

D Gal. in eodem genere partium cum pilis ponit vngues; qui reuera & ipsi nullas habent facultates, sed solum per additionem crescunt, posteaquam geniti fuerint, non docet autem Galenus, ex qua materia gignantur, & crescant. Scribit autem Achias, vngues gigni ex crassis terrenisque neruorum excrementis: quod rationi non est consonum. Nam si ex tali materia gignerentur vngues, cur in aliis partibus corporis, vbi nerui multo maiores sunt, quam in digitis, non appareret vnguiū generatio? quid enim aliud potest fieri ex eodem excremento? Præterea, cur nerui potius, quam ossa & ligamenta facerent alia excrementa? Quod si ratio conuincit, vt etiam illæ partes similia excrementa procreent, necessarium vtique est, vt vel E vngues, aut aliquid simile ex illis gignatur. Accedit, quod oporteret maximos esse in digitis neruos, qui tot excrementa gignant. Addo, quod vngues partes sint corporis ex naturæ prouidentia in prima generatione comparatæ, quæ ex excrementis fieri nequeunt. Postremo cum molles sint vngues, aut certe flexiles, non possunt ex crassa & terrena materia gigni. Ait & ille, nutriri vngues: quod si ita est, erunt præditi quatuor facultatibus, attractrice s. retentrice, concoctrice, & expultrice

De materia vnguium, & Achias refellitur.

A (sunt n. hæ facultates partium, quæ nutriuntur, & nihil nutritur, quod præditū non sit illis facultatibus) non ergo nutriuntur, aut reuera augentur. Vel si ita sit, non cōstant excrementis. Verū, vt diximus, solum crescunt *per additionē*. Prior n. pars à posteriore pellitur. Generātur etiā *impropriè* sicut pili & excrementa. Non ignoro equidem, Gal. in *fine lib.* 2. *de instit. anatomic.* simile quid habere: cū illarum sententiam probare videtur, qui vngues ex ossis, neruis cutis, & carnis etiam concretione procreatos tradunt, putantq; arterias, & neruos vnguibus iungi sensus vitæ, & alimenti gratia. Tamē, vt diximus, non sentiunt, non viuunt, nec vere nutriuntur vngues, vt ille *eodē loco* fateatur oportet, cū scribit, vngues pilorū modo à radice exire, & augeri. Verū cum docet modum, quo constant vngues ex multiplici illa substantia, concretionē nescio quā imaginatur, quæ nō facile intelligi potest. Nam ex osse quid produci potest, quod perpetuo pullulat, & atteritur? Et cur in extremis partib. concretio illa fit, in aliis verò minimè? Arist. *in quodā Problemate* docet, vngues ex cute prouenire, sed, vt satis cōstat ex illorū duritie, non rectè. Itaq; placet magis eorū opinio, qui volunt, vngues prouenire ex *cartilaginosa substantia extremæ partis digitorum indurata*. Nā vnguiū durities media est inter ossa & cartilaginē: tanquā ex cartilagine exsiccata & tendēte ad ossis naturā consistant. Videntur aūt crescere naturæ quadā prouidentia, quæ huiusmodi cartilagines tales ab initio fecit, vt perpetuo pullulare & excrescere valeant, ne desit, quod in locū attriti & consumpti reponi possit. At si pili, & vngues nō viuūt, vnde illis illud incrementū accedit? Nam sine nutritione nihil augeri videtur: Quod vero nutritur, vita esse præditum, nemo negat. Quod planè etiā fatētur, qui pilum dicunt nil aliud esse, quā plantā. Ego vero ita puto sentiendum, pilos inquā & vngueis mediam naturā habere inter viuentia, & nō viuentia, cuius generis corallus, fungus, spongiæ marinæ, & alia quædam esse agnoscuntur.

Vngues quomodo crescant & gignantur.

Vngues non nutriri nec sentire.

Vngues ex qua materia proueniant.

Mediam naturam habentia inter viuentia & non viuentia.

CAP. X. DE SIGNIS CEREBRI.

Σημεῖα δ᾽ ἑκάστου τῆς κράσεως ἐφεξῆς εἰρήσεται, τὴν ἀρχὴν ἀπ᾽ ἐγκεφάλου ποιησαμένων ἡμῶν. Ἔστι δὲ πέντε τὰ σύμφυτα γένη τῶν γνωρισμάτων αὐτοῦ. ἓν μέν, ἡ τῆς συμπάσης κεφαλῆς διάθεσις· δεύτερον δὲ ἡ τῶν αἰσθητικῶν ἐνεργειῶν ἀρετή τε καὶ κακία· καὶ τρίτον ἡ τῶν πρακτικῶν· καὶ τέταρτον ἡ τῶν ἡγεμονικῶν· καὶ πέμπτον ἡ τῶν φυσικῶν. ἄλλο δὲ γένος ἐπὶ τούτοις ἅπασιν, ἡ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν αὐτὸ προσπιπτόντων ἀλλοίωσις.

Indicia autem cuiusq; temperaturæ, sumpto à cerebro initio, deinceps dicemus. Sunt verò quinque vniuersa genera, quæ ipsius naturā ostendunt. Primum quidem totius capitis dispositio: secundum vero sensibilium operationum virtus & vitium: tertium actiuarum: quartum earum, quæ tenent principatum: & quintum naturalium. Aliud vero genus præter hæc omnia ea, quæ extrinsecus venit alteratio.

Enumeratis, & diuisis partibus corporis, proponit suum deinceps institutum, *quod est*, inquit, *explicare velle singularum partium omniū temperaturarū indicia*, & simul proponit à cerebro esse incipiendū, & à quibus rebus signa sint sumenda, ad

cerebri

cerebri temperies cognoſcendas. Verũ illud intelligendum non eſt, Galen. omniũ partium enumeratarum temperaturas & illarum indicia tradere velle: nam id non facit *in hoc opere*, ſed ſolum illarum partium temperaturas manifeſtat ex ſuis ſignis, quæ quidem habent vim mutandi temperiẽ corporis, vel tanti ſunt momenti in corpore, vt illarum natura prænoſcenda ſit a Medico, tanquam neceſſaria ad illius propria officia exercenda. Sunt autem prioris generis cerebrum, cor, hepar, & teſtes: ſecundi vero pulmo & ventriculus. Porro à cerebro initium ſumit tanquam à digniore parte: tum etiam quod in eo poſſit facilius methodus exerceri, quæ inſtituitur de ſignis cognoſcendi temperamenta partium. Non enim ex omnibus fontibus ſigna ſumuntur ad omniũ partium temperies ſignificandas. Nam ad cerebri temperies dignoſcendas ſcribit, ex figura & magnitudine capitis indicia capi: in corde vero, hepate, & aliis partibus quarum figura & magnitudo ſenſum fugiunt, non licet ex illis ſigna ducere. Ergo ex omnibus fontibus ſigna ſumenda ſunt, quæ poſſunt ſingulis partibus accommodari, nec mutandi quidem ſunt fontes illi ſignorum, quos antea poſuimus communes eſſe rebus omnibus dignoſcendis, nempe ab eſſentia, ab illis quæ eſſentiam ſequuntur, à cauſis & ſimilitudine rerũ, ſemper enim inueniemus in illis, quod ad rem propoſitam ſignificandã conferat. Verũ quoniã pollicetur Gal. ſe velle docere omnium temperaturam, quæ in prædictis partibus, & in toto etiam corpore reperiuntur, ſigna, poſtulat vtique noſtrum officium, vt hic explicemus, quæ & quot ſint temperaturæ, & quæ in illis reperiantur differẽtiæ: ita enim occaſionem ſumemus explicandi in hoc opere, quæ alibi Galen. docet, ſequentique tractationi lucem adhibebimus, & ſi quid deſit in ea, intelligemus, an recte, vel perperam id ab autore ſit prætermiſſum. Ac ex ſuperioribus quidem patet, quid ſit temperies: illud tamen non conſtat, an vna ſit temperies in homine, an plures ſpecie diuerſæ. Nam Hippocrates primum, & poſt illum Gal. aliiq; Medici, non niſi vnam videntur aſſerere, cum tradunt, corpora noſtra conſtare ex quatuor elemẽtis, ac ex illorum mixtione temperari, temperiemque in illis fieri. Ad idem pertinet, quod illi ſcribunt, cum homo moritur, ſingula elementa à ſe inuicem ſeparari, & ad ſuam naturam, id eſt, ad elementa mundi diſcedere. Aiunt etiam non eſſe parem in animalibus ſingulis elementorum portionem, ſed in aliquibus plus eſſe ignis, in aliis plus terræ, vel aeris, & aquæ: & proinde plus vel calidi, vel frigidi, vel humidi, vel ſicci, quę quidem & alia huiuſmodi ſententiæ oſtendunt, nos vnicam habere materiam ex ſubſtantia elementorum confectam, vnamque temperiem, ex elementorum qualitatibus inter ſe agentibus & patientibus reſultantem. Verum ſi diligentius, quàm illi fecerint, hæc perpendemus, inueniemus profecto, ſpecie & natura diuerſas in nobis eſſe temperies, & ſubſtantias, quæ diuerſam tractationem requirunt. Nam alia eſt materia partiũ noſtri corporis, quatenus illæ corpora ſunt, alia vero quatenus viuunt: alia quoq; eſt tẽperies materiæ, quæ corpus conſtituit, ab ea, quæ propria eſt materia viuentib. Quod ſic oſtendo. Nã mortuo homine ætatis curſu in extrema ſenectute, vel in alio quocunq; tẽpore per febres hecticas, & tabẽ, manet corpus illius,

Antiquos nõ cognouiſſe plures tẽperies ſpecie & natura diuerſas.

Materiã & temperiem vnam eſſe viuentibus propriam, aliam propriã cadaueri.

A cadauer, inquã, integrũ ex elementis compoſitũ, & pro cadaueris natura temperatum. Ea vero materia, quæ eſt caloris & temperaturæ viuentis ſubiectũ, ac coniunctionis animæ cũ corpore, vitæq; cauſa, conſumpta eſt. Nã ſi illa non deeſſet, nunquã naturaliter. i. ab internis principiis periret homo. Quinetiã diuerſas has eſſe cõpoſitiones, docẽt diuerſi modi corruptionis hominis, & cadaueris: Nã homo moritur naturali morte, & per tabẽ diſſoluto vi caloris corporis viuentis eo humore, qui eſt pabulum & ſubiectũ illius caloris, qui & ipſe ſimul euaneſcit ad humoris conſumptionem, vt ignis marceſcit, conſumpto humore ligni: cadauer vero ipſum (vt recte tradit Ariſt. in *lib. 4. meteorũ.*) nõ niſi per putredinẽ naturaliter. i. ex ſuis principiis diſſolui poteſt: ac poſt diſſolutionẽ, quę conſpici poſſũt elemẽta, per putredinẽ ſeparata reperiũtur, cinis, aqua, & vapor. Deinde ſi vna & eadẽ eſſet materia viuentis & cadaueris, eademq; tẽperies, cur tabidæ febres pariter vtramq; non conſumunt? At nullus reperitur morbus, modo ille ſit ſine putredine partiũ, qui cũ hominẽ occidit, cadauer nõ relinquat integrũ. Idem probant principia propria viuentibus. Nam ſanguis & ſemẽ propriã habent materiã maximè recedentẽ à nudis & puris elementis, ex quibus res omnes, quatenus ſunt corpora compoſita, cõſtant. Etenim viuentia pro ratione perfectionis formæ, materiã requirũt *maxime compoſitam, & proinde maxime recedentem à* C *prima elementorum mixtione & temperie.* Addo, quod hominis corruptionem appellamus mortẽ: corruptionem vero cadaueris, putredinem: tanquam generatio & compoſitio illorũ natura inter ſe differant, quorum nomina tantopere diſcrepent. Itaque ex his patere omnib. puto, vnam eſſe materiam hominis, quatenus ille habet corpus ex elementis compoſitum: Aliam vero, quatenus habet corpus animæ calorisq; propriũ viuentib. ſubiectum. De quibus ſigillatim nunc eſt agendũ vt propria cuiuſq; natura, tẽperies, & vis innoteſcat. Porro compoſitio, ex qua fit cadauer, quod viuẽtibus etiam ſubiicitur, conſtat ex primis mundi, & D proximis cuiuſcunque rei elementis, qualia ſunt in nobis quatuor humores inter ſe confuſi & commixti: & hæc compoſitio reuera efficit molem ipſius corporis; multa enim eſt materia, quæ aſſumitur ex elementis & principiis. Nam elemẽtorum omnis ſubſtantia, & materiæ quędam portio, quæ eſt in noſtris principiis, aſſumitur ad hanc compoſitionem. *Compoſitio vero, quæ eſt viuentibus propria, habet quidem materiam ex elementis, ſed propria quadam viuentibus ratione elaboratam.* Nã etſi ſemen & ſanguis, reliquique humores, quibus homo conſtat, ex elementis materiam habent, & reuera conſtant: tamen ab his, in quibus gignuntur, recipiunt propriam quandam formam, & tẽ- E periem, quæ conuenit ſolis viuentibus. *Pinguis enim & oleoſa eſt propria viuentibus materia.* Sed de hac poſtea. Prior vero compoſitio de qua agimus, conſtat quidem ex vna & eadem maſſa elementorum, & humorum: quę tamen ex diuerſis natura rebus & diuerſo modo temperatis, conficitur. Ac in generatione partium diuerſarum, quales ſunt in noſtro corpore, etſi ex omni ſubſtantia aliquid ſumitur, vt corpus fiat compoſitum ex quatuor elementis & quatuor humoribus: tamen pro diuerſitate partium, plus aliquando terræ, vel aquæ, vel aeris, vel ignis, aut pituitæ, bilis

Viuẽtia qualem requirãt materiam.

Materia cadaueris ex quibus ſumatur.

Materia viuentium.

flauæ, vel atræ, & sanguinis ipsius assumitur: vnde partes inter se differunt calore, frigore, humiditate, siccitate, duritie, mollitie, colore, sapore, & aliis qualitatibus: fitque vt quædam melius, aliæ deterius, & quædam etiam quantum sensus iudicare potest, exactè temperatæ sint, & dicantur esse. Cæterum hæc compositio vt propriam habet materiam, propriamque temperiem ex elementorum substantia & qualitatibus confectam: ita corruptionē & insignes alterationes, à nullo alio pati potest, quàm à suis principiis; excepto ab igne, cuius, inquit Aristo. omnia sunt materia.) Nā si os, carnem, neruos, ligamēta, & viscera, vel in aqua feruenti decoquas, nō corrumpes eam compositionem, quam habent ex elementis: nec etiam euidēter alterabis illarum temperiē. Quod euidentissimè docet temperies ossis, quæ nihil humidior fit ex aquæ contactu, vel longa in ea mora. Caro vero & aliæ partes molliores, rarioresque, etsi humore imbuuntur, eum tamen tanquam spongia admittunt, non mutata propria temperie ipsius substantiæ. Quod si ab aqua feruenti nec corruptionem, nec insignem alterationem patitur huiusmodi cōpositio, minus certè à morbis & morborum causis, quæ sunt propria viuentib. & à principiis viuentium proficiscuntur, affici poterunt: quod docet euidentissime experientia. Nam ossa eorū, qui tabe moriuntur, nihil videntur à calore, qui mortis fuit causa, plus exsiccata, quàm in aliis, qui ex aliis morbis moriuntur. Quod euidentissimū est argumentū, longè diuersam esse compositionē, quæ fit elementis, ab ea, quæ viuentibus est propria. Quod & huius proprietates ostēdunt. Nam (vt diximus) viuentia materiam propriam habent, qua illorum calor fouetur & accenditur: quæ quidem, (vt iam diximus) ex Aristotele vnctuosa est & pinguis: quod multis indiciis probare possumus. Primum enim omnes partes nostri corporis, cum manibus contrectantur, vnctuosum aliquod relinquunt: & tanto plus, quanto animalia sunt iuniora: in quibus plurimum illius humoris est adhuc in corporibus: seniora vero animalia minus habent huius materiæ. Docent præterea idem nostra principia, semē & reliqui humores, qui pinguem talem substantiam in se continent: nec non destillationes, quæ vi ignis nō solum ab animalium, sed etiam plantarū partibus, oleum eliciunt: & illud quidem tanto copiosius, quanto iuniora sunt viuentia & illorum partes. Est porro ea pinguis substantia eius quidem generis cum ea, ex qua obæsa redduntur animalia, sed ex puriore substantia confecta, & magis elaborata. Id quod docet semen is nostri purissima, aerea, & quodāmodo æterea substātia. Præterea natiua hæc pinguis & oleosa materia, diligēter est cū elementari commixta. Nulla n. est vel minima in nobis particula quę illius non sit particeps. id. n. postulant nostra principia, ex quib. partes singulæ viuentis fiunt. Pinguedo vero, quæ ex otio, & delicatiore victu in animalibus succrescit, circa membranas, vel tota, vel certè maxima sui parte colligitur: in ossibus vero, neruis, ligamentis, & aliis partibus solidis & duris, aut in cerebro & in viscerum substantia non recipitur. Quare vitalis hæc non est, nec vitalis caloris subiectum & pabulum: quin potius, vbi abunde creuit, onus fit corpori & animæ, mortemque accelerat. Contra vero natiuus ille humor, oleosus & pinguis, quanto magis abundat, tanto magis vtilis est ad omnia vitæ munia, & ad vitam producendam. Eo enim pertinet, quod scribit Hippocr. *Quæ crescunt corpora, plurimum habet calidi innati, & plurimo propterea egent nutrimento.* Scribit etiā Arist. *in lib. de long. & breu. vita*, ea animalia longissimæ vitæ esse, quæ pinguis huius substantiæ plurimum ex suis principiis receperunt. Est porrò hic humor (vt diximus) confusus & commixtus cum alio, qui in partibus est ex elementis insitus, naturali mixtione, sed caloris externi, & maximè interni vi, ab alio separatur per euaporationem solam, si calor intra naturæ suæ limites contineatur. Quod ostendit mors, quæ sine morbo, cursu ętatis dissoluto hoc humore, contingit: alioqui etiam per colliquationem, vt accidit in febribus obliquantibus. Nam non solū in vrinis, sed etiam aliquando in alui excrementis conspicitur oleosa hæc materia. Cæterū vt hæc in omnib. viuentib. pinguis est & oleosa, ita non solū multitudine, sed etiā crassitie, tenuitate, visciditate, & aliis qualitatib. differt. Id. n. postulant diuersa viuentium natura, diuersaque illorum principia, & inæquale viuendi tempus; nam & hæc etiam Arist. *in lib. de longit. vitæ* memoriæ prodidit: népe ea diutius viuere, quæ crassiorē, & tenaciorē eiusmodi humorem obtinent. Verum in vno & eodē indiuiduo animali, & in singulis illius partib⁹, necessarium est eum humorem eandē habere quantitatē, easdem prorsus qualitates. Nam si in aliquo ex his vel minima esset differentia, fieri nō posset, vt eodē tempore partes omnes viuerent, & morerentur, aut etiam generarentur, nutrirentur, & augerentur. Quicquid enim differentiæ in eo posueris, celerioris, aut tardioris actionis & passionis causa erit. Iam vero tēperies huius humoris, calida, & humida est in omnibus. propterea maiores nostri viuentia omnia dixerūt esse calida & humida: nō quidem comparatione facta ad se ipsa mortua, vt ridicule interpretatur Galenus, sed ex hoc ipso humore, quo animalia viuunt, & quamdiu eū in se continent, calida & humida rectè dici possunt: magis tamen, qui plus illius habent, integer ferè adhuc est, vel etiā plurimum augetur. Hanc temperiem docet etiam pinguedinis natura, maximè aerea, & proinde calida & humida. Ac vt communis hæc est huius humoris temperies, ita in singulis hominib. paulo plus intenditur & remittitur, vt in aliis qualitatibus & in quantitate mutationē (vt antea diximus) accipit. Id enim, vt fiat, necesse est, cum eadem non sit temperies corpum, qui materiam hanc procrearunt: Augeri vero, & minui hanc substantiam (quod multi negant fieri posse, qui eam perpetuo minui contendunt) ostendunt morbi qui nos consumunt nō alia ratione, quàm dissoluta ea substātia: & nutritio, quæ illā restituit. Verū tandē minus gignitur in nobis, quàm dissipetur, & ea semper deterior, quàm quę ex nostris principiis nobis in generatione est indita: propterea quod calor, qui illam restituit, agendo teritur, & tandem ineptus redditur ad illius restitutionem, & ob alias causas, quas alibi prosecuti sumus. Ac propter hanc inæqualem dissolutionis restitutionem, coguntur omnia viuentia mori. Duplicē ergo iam inuenimus esse substantiam natura longè diuersam. Nam vna est, ex qua corpus & illius moles primum fit ex ipsis elementis, quæ cadaueri est propria, & viuentibus substrata: non vt ex ea illa viuant, sed vt subiectum sit alterius, quæ propria vi-

Materia & temperies cadaueris quid & à quibus pati possit.

Materia propria viuentibus qualis.

1. *Aphor. 14.*

Temperies materiæ viuentis qualis.

Materiam viuentibus propriam vicissim augeri & minui.

Materia cadaueris ex elementis quem vsum præbeat viuentibus.

pria viuentib. est, nec etiam cadaueri cõmunis: quę quidē substantiæ copia, qualitatib. actione, & vi, longè etiam inter se differunt. Quæ n. corpus cõstituit ex elementis, variat & copia & qualitatib. in omni parte, vt & ipsæ partes, quæ ob diuersam proportionem elementorũ factæ sunt duræ, molles: & aliæ ex ipsis calidiores, & frigidiores, humidiores, sicciores. Alia vero, quæ viuentib. est propria, in omnib. partib. eiusdem corporis, pro magnitudine partium, eiusdem est quantitatis, & in omnibus eiusdem temperaturæ, calida nempe & humida, pinguis, oleosa, viscida. Hæc ob euaporationem ab alia separatur, & dissoluitur caloris vi & per seminis excretionem, facillimeq; patitur dissolutionem: vnde breuissimo tẽporis spacio corpora nostra graciliora, crassiora, rugosa, & tensa euadunt. Nam etsi pręcipuam partem molis suppeditat alia substantia, hæc tamen suã quoq; in hoc vim habet.

Senes cur fiant rugosi et extenuati.

Quod maximè ostendit senectus rugosa, & extenuata ob defectum huius substantiæ. Alia vero per solam putredinem corrũpitur, nec ipsius temperies à principiis viuentium mutationem accipit. Differunt quoq; vi, & actione. Nam elementaris substantia, vt nihil in nobis pati potest, ita meo iudicio nihil potest agere.

Temperiem ex elementis nihil pati nec agere posse in nobis.

Quomodo n. aget, si elementa, quæ eam conficiunt, sunt vel potentia in ipsa, vel in actu refracto? Præterea cur non ageret etiã in mortuis, in quib. eadem cõpositio seruatur? Quod si augetur in viuentibus, hoc tamen non fit ex illius actione, sed ex tẽperie substantiæ viuentis. Huius n. est concoquere materiam aptam ad nutritionẽ & auctionem. Et quoniã in nutrimento cõtinetur materia constans ex elementis, & apta etiam ad restituendam substantiã propriã viuentib. ideo contingit vtramq; augeri.

Quomodo materia ex elementis augeatur in viuentibus.

Verum nec substantia quidem viuentib. propria per se agere potest: sed apta solũ est vt sit subiectũ caloris vitalis, & cum eo animæ. Nam & illa quoq; qualitates habet vel potentia, aut certè refractas, vnde illæ actu calidæ non sẽtiuntur ex propria sua compositione. Quare, vt agere in nobis possint, postulant alium calorẽ efficaciorem, qui actu sit, & actus insiti caloris substantiæ huius propriæ viuentib.

Materia viuentibus propria insita singulis partibus vsus.

Caloris influentis vis & vsus.

Quæ quidem ita ostendo. Cum moritur animal in primis ætatib. in quib. plurimũ est substantiæ illius pinguis & oleosæ in singulis partib. nulla eo extincto amplius fit actio: cum tamen tẽperies adsit cum sua substantia. Et quid commemoro mortua corpora, quando etiam per somnũ externæ partes desinunt fungi suis munerib. ac in animi defectu omnes partes excepto corde intermittunt sua officia. Id quod fit, non quod desit insita tẽperies substantiæ propriæ viuentib. sed quia deest calor influens à corde. Atq; in aliis animalib. & plantis, quæ cor non habent, deest pars, quæ cordi proportione respondet. *Cor ergo in nobis fons est huius caloris, qui ex substantia illa oleosa consurgit quidem & gignitur, & ob peculiarem cordis constructionem in eo retinetur, in spiritumque vertitur feruentem: qui postea per vasa propria, arterias inquã, spargitur per vniuersum corpus, singulasque partes calefacit, excitatque insitum in materia oleosa calorem: atque ita partes singulæ vtroque calore perfusæ, iam aptæ redduntur ad agendum: & huiusmodi calor iam aptum est animæ instrumentum.* Porro vt fundamentum & materiam huius spiritus, & flammæ suppeditat insita oleosa illa & pinguis substantia: ita spirituosa hæc, quæ partim etiam suppeditatur à sanguine mutuo aliam fouet. Quo fit, vt ætatis progressu deficiẽte in membris oleosa substantia, minuatur quoq; spiritus, & flamma quæ à corde consurgit, & per membra spargitur. Contrà vero deficiente ipso spiritu & sanguine, qui cum spiritu fertur per corpus, minuitur insita ea substantia. Id enim necessario accidat oportet, vbi flãma hæc eam dissipat, & nihil accedit, quod sit aptum ad eam restituendam: propterea natura venas, & arterias vicinitate coniunxit, vt simul substantiam aptam ad nutritionem & augmentum, & actualem calorem per omnes partes spargere possit. Est ergo præter duas prædictas tertia substantia: & eadem quidem solis viuentibus, & maximè animalibus perfectis propria temperie prædita.

Tertia substantia animalib. propria influens à fontibus caloris.

Est autem ea substantia spiritus cum sanguine spirituoso mixtus: talis n. substantia apta est, vt promptè accendatur & calorẽ per vniuersum corpus spargat: quare natura instituit, vt illa semper serueat: & propterea rectè quoq; Gal. in *lib. de rigore* scribit, cor, quod est fons huiusmodi substãtię & caloris, perpetuo feruere debere: satis autem esse, si alię partes non frigeant. Verum vt influens hæc substantia feruens, & quæ insita est, oleosa ad certum tempus mutuo sibi fauent, & communi concordia augentur: sic postea, quæ insita est, nõ seruata proportione minui incipit, agente calore, qui perpetuo illam agitat, & absumit. Atq; ita ipse suo pabulo destitutus simul etiam deficit, & expirat.

Quomodo temperies etiam tertia propria mutetur.

Interim vero cum hæc fiunt ætatis cursu, & per morbos & alias alterationes corporis, magnæ mutationes contingunt in calore, & sibi subiecto spiritu: necnon in humore oleoso insito singulis mẽbris: & quæ in vno ex illis primum nascitur mutatio, statim ad alterum pertinet. Nam id accidit inter agentia & patientia: vt scilicet agentia mutent materiam ob affectiones, quas illud habet: & materia contra mutet vim agentis ob varias suas conditiones. Sic calor, qui cum humore multo ab initio erat coniunctus, agente ipso calore, minuitur humor, atq. ita mediocris temperies reb. comparatur. Posteà vero perseuerãte actione caloris, & diminuto magis humido, calor acrior redditur calidiusq; corpus reddit. Tandẽ etiã maiore defectu humidi, calor iam elanguescit, & tandẽ illo consumpto hic expirat. Sic cum humor primum ab aliis causis absumitur, vt ab exsiccantibus, vel alimenti defectu, ad sui proportionem mutatur calor.

Temperies calida substantia influentis tertia in animalib.

Temperiem propriam viuentibus mutari ab mutationes calidi influentis.

Est igitur tertia quædam temperies in nobis à duabus priorib. distincta, ex qua calidũ hoc vitæ & actionum instrumentum constat. Quo quidem expirante calore, vel alio quocumq; modo violenter læso, mors necessario sequitur, vt per febres apparet, obstructiones, & suffocationes, aliasq. passiones, quas hoc calidum corpus patitur, de quibus *in libro de Somno* egimus. Per mortem verò naturalem aut per tabem recedit, eo quod in suis fontibus calor & humor insitus, viuentibus proprius, non amplius illi præbet fomentum, id est, gignere non potest spiritum, & sanguinem spirituosum, quo ille nititur, mouetur que per vniuersum corpus. Hic porro calor pro varia qualitate & conditione, vario modo singulas partes temperat. Si enim vehementer inflammatur, vt per febres accidit, omnes partes sui ardoris participes reddit. Sic vniuersum corpus refrigeratur, quando cor fons istius caloris, refrigeratũ fuerit: tunc n. frigidior spiritus, & sanguis gignuntur. Iam vero his positis pri-

Magna confuſio apud maiores noſtros de temperamentis.

cipiis excutiamus, quæ de temperamentis à maioribus noſtris ſunt tradita. Nã cum dicunt illi, corpus noſtrum, noſtraſq; partes temperatas eſſe, vel calidas, frigidas, humidas, vel ſiccas, dubiũ ſtatim oritur, de quo calore, frigore, humido, ſicco, & de qua temperie intelligere nos oporteat: an ſcil. de temperie ſubſtantiæ, quę viuis cũ cadauere eſt cõmunis, vel de temperie ſubſtãtię oleoſę vel ſpirituoſæ, quæ ſolis viuentib. ſunt propriæ. Cum n. Gal. *in libro de natura humana* explicat dictum Hippocratis quod nos conſtamus ex illis, in quæ fit reſolutio, & elementa, ex quib. conſtamus, redire ad elementa mundi, cũ fit corruptio: non aliam temperiem, & compoſitionẽ intelligere poteſt, vt antea notauimus, quam quæ cadauer componit. Nã B compoſitio viuentiũ, non diſſoluitur per ſeparationẽ elementorum, ſed per ſolam diſſolutionẽ humidæ & ſpirituoſæ ſubſtantiæ viuentib. propriæ. Siquidem (vt antea diximus) intacta manent elementa, & compoſitio corporis, pereuntib. principiis propriis viuentib. Deinde eo pertinet, quod ſcribit *paſſim in lib. de natura humana*, nihil referre, ſi dicas, corpora noſtra cõſtare ex calido, & frigido, humido, & ſicco, vel ex igne, aere, aqua, & terra: quibus verbis compoſitionem & temperiem non docet viuentiũ, ſed duntaxat eam, quæ fit ex elementis. Deniq; vbiq; Gal. vnicã tradit in nobis compoſitionẽ & ex ipſis elementis & quatuor humorib. quatenus ſunt calidi, frigidi, humidi, & ſicci; non quatenus aliquid habent in ſe oleoſum, & C ſpirituoſũ, ex quib. conſtant materia & temperies viuentium; prætereа cum temperiem oſſis, carnis, cutis, & omnium aliarum partium metitur ad põdus, & quod ab eo recedit, non poteſt aliam materiam intelligere, quam quę ex ſolis elementis fit.

Temperamentum ad pondus, quã compoſitionem proprie reſpiciat.

Nam ſiue viuat, aut mortuum ſit os, certum eſt, illud ſemper eſſe frigidæ, & ſiccę temperaturæ: ſiccum n. agnoſcitur eſſe quoniam durum: ſiue cute durius intelligamus, ſiue compoſitionem ſpectes, quæ tactui non cedit. Frigidum autem neceſſario eſt, ſi terrenum eſt. & ex frigidiorib. humorib. cõfectum. Ita ſanè caro calida eſt, & humida, ſi compoſitionem ſuã ſpectes ex elementis. Eſt n. veluti ſanguis concretus, qui calidus eſt, & humidus: & D mollis etiam apparet. Cutis quoque mortua tẽperata eſt in humido, & ſicco: cum nec mollis ſit, neque dura immoderate. In calore vero, & frigore tẽperata, Gal. *in lib. de temperamentis* ideo dicit talẽ eſſe ꝙ illius ſubſtantia videatur miſta ex neruo, & carne inter ſe confuſis. Hæc ergo oſtendũt, Galenum agere aliquando de tẽperie partium, prout illæ conſtant & temperantur ex ipſis elementis. Cæterũ cum ſcribit *in ſequentibus*, temperiem ſingularũ partium ſequi temperiẽ cordis, & hepatis, hoc non poteſt intelligi de eadem temperie, ſed ſolũ de ea, quæ propria eſt viuentib in humore oleoſo inſito ſingulis membris. Nam (vt antea oſtẽdimus,) quę facta eſt cõpoſitio ex elementis, non E mutatur ob ſanguinem, & ſpiritum influentem ab hepate & corde: non. n. ſi cor, & hepar habuerint temperaturam calidam, & humidam; os, caro, neruus, ligamentũ, & reliquæ partes ſimilares fient calidę. & humidæ. At ſubſtantia viuentib. propria neceſſario ſequitur illorum viſcerum temperiem, vt antea diximus, cum vim & actiones ſpiritus influentis à corde oſtenderemus. Sic etiam refrigerato hepate & ſanguine, ſtatim videmus eiuſdem mali participes fieri omnes partes ſimilares, vt in

A hydrope leucophlematia apparet. Iam vero, cum dicit temperiem eſſe animæ eſſentiam, & authorem omnium actionum, quæ fiunt in viuentibus, hoc intelligi non poteſt de temperie illa prima, quæ mortuis etiam eſt inſita. Illa enim (vt oſtendimus) nullam vim habet agendi in nobis: nec patiendi à viuentium principiis. Nec ſanè hoc idem intelligi poteſt de temperie, quæ eſt in ſubſtantia oleoſa: illa enim per ſe etiam non agit, & proinde non poteſt eſſe animæ inſtrumentum. Nec etiam idem videtur conuenire ſoli ſpiritui, & ſanguini influenti. Nam vt hæc rectè dicuntur eſſe commune inſtrumentum eo, quod omnibus partibus ſeruiant: ſic quod permanens non eſt, B ſed cõtinuo influit, & refluit, rectè nõ dicitur eſſe animæ eſſentia. Quare hoc potius pertinet ad *inſitum temperamentum proprium oleoſæ ſubſtantiæ*, Eſt enim illa, & eius temperamentum, materia & fundamentum, quo influens calor, & ipſa anima nititur: quod vero dicitur temperamentum eſſe animæ inſtrumentum, pertinet ad influentis ſubſtantiæ temperiem.

Fundamentum animæ quod.

Cæterum cum dicit, temperiem noſtri corporis, & ſingularũ partium iudicandam eſſe tactu, non paruum dubium eſt, quam hic temperiem intelligere oporteat Nã nec temperies, quæ fit ex elementis, & communis eſt cadaueri, nec quæ propria eſt ſubſtantiæ oleoſæ, tactu diiudicari poteſt calida eſſe vel frigida. Nã extincto in primis annis animali, quo tempore viuentium materia, & quæ in illa ſunt qualitates, C integræ adhuc ſunt, tactus nullum ponet diſcrimen inter carnem, oſſa, viſcera, cutem, adipem, & alias partes, quas plurimum temperamento differre ſcribit. & tactum eſſe illarum differentiarum iudicem. ſupereſt ergo, vt temperiem intelligat Gal. in nobis viuentib. & eam quidem, quæ partim ſit ex inſita & in principiis viuentium, & influente à fontib. caloris.

Quomodo quæ temperies iudicanda ſit tactu.

Quæ enim talis eſt, autor eſt omnium actionũ, & tactu dignoſci poteſt eſſe plus vel minus calida. Ad idem pertinet, quod ſcribit, temperiem noſtri corporis mutari ætatũ viciſſitudine. Non n. p ętates mutatur ex elemẽtis tẽperies, D ſed quę propria eſt viuentib. in humore inſito ſingulis partib. & in ſpirituoſa, ſanguineaq; ſubſtantia influente.

Quæ temperies mutetur viciſſitudine ætatum.

Sic etiam, cum cutem dicit eſſe regulam temperaturæ aliarum partium, nõ poteſt alio modo cutem intelligere, quam quæ influente calore moderatè affecto fruitur. Nã vrgente extremo frigore, aut inflãmato calore per febres, nequit cutis temperata eſſe & regula aliorũ.

Cutis quomodo ſit regula temperaturæ.

Ad id etiã pertinet, quod poſtea ſcribit, temperiem ſingularũ partium ſequi temperaturã cordis, & hepatis: quaſi quæ inſita eſt non ſit perfecta temperies, niſi aliunde alia accedat. Verum ſi hanc opinionem recipim⁹, fortè in maiores difficultates incidem⁹. Nam temperiem conſtituere propriam rebus, ex eo, quod influit, & nunc adeſt, nunc abeſt, auge- E turq; & minuitur momento temporis, abſurdum eſſe videtur. Sic n. alia erit temperies dormientis, alia vigilantis, alia quieſcẽtis, alia laborantis, alia ieiuni, alia ſaturi: ac (vt breuiter dicã) nulla erit temperies quæ temporis momento conſiſtere poſſit. Quo modo ergo erit illa animæ, quæ perpetuo hæret & inſita eſt corpori, eſſentia, aut certè ſubiectum? An partim hæc vera ſunt, nec vllum abſurdum ſequitur, ſi concedantur talia eſſe; partim vero falſa? Nam cum multiplex ſit temperies in nobis, illa, quę eſt ex elemẽtis, ſtabilis eſt & firma.

Quomodo temperies ſingularũ partiũ ſequatur temperaturã cordis & hepatis.

nec

Temperies qua firma, qua vero mutatur singulis hominibus.

...mutatur ob aliquam causam, vt antea docuimus. Quæ vero propria est in humore pingui viuentibus proprio, est quidē & illa suapte natura eadem, nempe calida & humida in omnib. & stabilis hoc modo, quod illa nunquā deserat corpus, donec illi deficit per ætatem & vehementiores longioresq; morbos subiectus humor: sed absurdū nō est, cōcedere, illam continuo mutationes accipere ob diuersam conditionē influentis caloris: quandoquidē mutuo patiuntur, & sese afficiunt hę duę substantiæ. Iam vero quoniam Medici temperiem vnam dicunt esse ad pondus, quæ ex æqualitate elementorum, quantum sensus iudicare potest, efficitur: aliam vero, quæ dicitur esse ad iustitiam, quæ conuenit singulis corporibus, & singulis partibus propria, ad proprias totius & singularum partium actiones exercendas, in qua quidem temperie spectamus elementorum proportionem aptam ad ea officia obeunda, sequitur, vt expendamus, quam compositionem hoc vel illo modo metiri oporteat, & quo modo singula dignosci possint. Porrò temperiem quæ est ad pondus Gal. videtur cōponere ex duplici cōpositione & tēperie nempe ex ea, quā diximus esse elementarē, & ea, quę est in spirituosa substātia, ab eaq; in omnes partes spargitur. Ad id n. pertinet, quod ille scribit, cutē (quam dicit esse temperatissimā) ad pondus tactu sentiri mediā inter omnes excessus caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis. Verum (meo quidē iudicio) ita sentiendū non est. Nam vt in cute hęc ratio fortè respondet, sic in aliis partib. locum non habet. Vbi enim carnem, ligamentū, membranam, cordis, hepatis, & aliarum denique partium substantiam, & in quibus tangere vult, vt singulas partes iudicet esse vel calidiores vel frigidiores cute? Nam in mortuis hoc faciendum non est: quippè cum omnia in illis pariter frigeant. In viuis autē tangi non possunt, nisi violata corporis structura, & tēperie. ratio tamē conuincit, omnes partes, quæ sub cute continētur tactu sentiri longè calidiores cute: quandoquidē & cerebrum ipsum, (quod frigidissimū esse ille scribit) denudatū, quouis aere feruentissimo calidius sentitur. Ergo tēperies, quę est ad pondus, pertinet solum ad cōpositionem primā ex elementis, & ea tactu dignosci nō potest, quod Gal. *in lib. de teperamentis*, quasi seipsū retractans satis ostendit. Cum enim dixisset, calidam temperiem omnium partium, vt & alia omnia quæ calida & frigida dicuntur, solo sensu esse dignoscēda: postea cū carnis & cutis huiusmodi temperiē diiudicare vult, nec docere potest, quomodo tactus iudex esse possit, sumit indicia ab his, quę ingrediūtur earum partiū compositionem: ac ideo dicit carnem esse calidā, & humidam, quoniam ex sanguine est confecta: cutē vero tēperatam, quia compositā habet naturam ex carne & neruo: neruum vero, & alias partes exangues, frigidas esse, quoniā non ex semine sunt factæ: pituitæ vero aliorumq; humorū, & singularū partium temperiem statuit esse frigidam & calidā legumlatorum more, non quod tactu ostendere possit illa esse talia. Sic itaq; sentiendum esse puto de temperie ad pōdus, quod scil. illa propria compositioni, quę fit ex elemētis, & quod tactu illa dignosci non possit. Nā etsi per se verū est, sensum solū esse verum iudicē calidi & frigidi: tamen vbi res tangi non possunt, aut non tales, quales sua natura sunt, [illegible] iudicium sumi nequit. Iam vero

Temperies ad pondus tactu dignosci non potest.

Temperies ad pondus quomodo sit propria.

Tactum non esse semper verum iudicem calidi & frigidi.

A videndum est, qualis sit temperies, quę dicitur ad iustitiam & ex qua materia, & qualitatib. constet. Præterea quo iudice dignosci possit conueniētes esse in singulis partib. Porro appellat Gal. temperiē ad iustitiam, (vt diximus) quæ conuenit viuentib. ad propria officia obeunda: quam propterea diuersam inesse in singulis speciebus animaliū, & in singulis partibus necesse est. Quiā n. longe diuersæ sunt actiones, quas homo edit ab his, quas efficiunt leo, bos, ceruus, plantæ, ideo aliam oportet esse in singulis specieb. rerū temperiem. Eadem quoq; diuersa est temperies ossis, à tēperie carnis, ligamēti, nerui, cerebri, cordis, hepatis: quoniam officia & vsus istarum partiū longè inter se differre oportet. B Sed qualē quæso, & in quibus differentiā ponemus? An in compositione ipsa quæ fit ex elementis: vel in ea, quæ est propria viuentibus? Est quidem aliqua in ea, quæ fit ex elementis, differētia: quandoquidē partes, quæ eiusdem sunt generis, vt ossa, caro, diuersam compositionem ex elementis habent. Sunt n. leonum ossa duriora nostris, & caro durior quoq; & siccior & plus proinde terrenæ substantiæ habet. Sed præcipua differentia sumi debet à compositione, quę illis conuenit vt viuentia sunt, & suo modo viuunt. Quia enim leo actiones debet edere validissimas, & crudelissimas, ferocissimasq;, ideo suum humorē crassiorem, & tēperiem, quæ in eo residet, calidiorem, C sicciorenq; esse necesse est. Talis n. temperies ad officia obeunda est aptissima. Quia vero homo sapientissimus & humanissimus est inter omnia animalia: propterea suum humorem, suamq; temperiem calidam quidem & humidam esse conuenit. Talem n. esse oportere ostendimus viuentis tēperiem, sed in eo excessu, quod temperatius est, homo est consecutus. Et hęc nullam difficultatē habent (vt arbitror) in diuersis specieb. & in diuersis indiuiduis vnius speciei. Tēperies n. tantū varia in singulis, quantū differunt inter se actiones. Verū in eodem indiuiduo quid potest temperiem debitā singulis partibus mutare? Si n. æqualis est, & eiusdem qualitatis, ac temperaturę humor oleosus, & à corde hepateq; recipiunt illæ eundē spiritum, D eosdemq; humores, cur os, cerebrū, & partes neruosæ dictę, dicuntur debilius concoquere sanguinem: & cur quibus iam cerebrum male, ventriculus benè temperatus esse dicitur? Nam si verum est, quod diximus, temperiem, quæ fit ex elementis, non esse autorem cōcoctionis, vel aliarū actionum, quæ in viuentibus fiunt, sed eas solum fieri à temperie, quæ est propria viuentibus facta ex duplici substātia, nempe insita singulis membris, & influente à corde & hepate, ratio conuincere videtur, vt partes omnes idem robur obtineāt: quoniā eandem temperiē sortiuntur. Verū aliter sentiendū est. Nam etsi eadem substantia, quæ insita est singulis membris ex principiis viuentium, E & eadem quoq; quæ influit à suis fontibus: tamen non omnes partes æqualiter, & eodem modo participes sunt influentis humoris, & substantiæ. Nam quæ longè distant à fontibus caloris, etsi eiusdem naturæ sunt; tamen minus calefiunt, & minus abundant substantia ea influēte: propterea nerui, qui sunt in thorace, & in visceribus reconditi, non sentiunt vnquā eam frigiditatem, quā experimur in pedibus, manib. & reliquis partibus externis, & distantibus. Sic fere cerebrum ob eandē distantiam frigidæ & humidæ est temperaturæ.

Temperies ad iustitiam.

Temperies propria viuentib. quomodo inæqualis sit in singulis partibus.

Cur longè distantia à fontibus caloris sint frigidiora.

& ad procreandam pituitam aptum. Nam si vnus pulmo esset in cerebro, & alius in thorace situs, ille, qui in capite esset collocatus, frigidior alio appareret, qui est in thorace: quoniam hic fruitur multo, & feruẽtissimo calore ob vicinitatẽ cordis, alio vero minore, nempe iam in via longiore dissoluto. Partes præterea, quæ densiores sunt, facilè

Cur etiidem densa.

non admittunt influentem eum calorem, & ob id frigidiores redduntur. Ac ob hanc causam membranæ, tunicæ, nerui, vterus, stomachus, & aliæ omnes partes neruosæ dictę, frigidiores carne semper reperiuntur esse, etiamsi iuxta fontes caloris sint collocatæ.

Cur crassa.

Crassities quoq; partis nimia prohibet, ne idem calor facile possit per substantiam membri æqualiter spargi: propterea crassa & pinguia animalia, & cerebrũ etiam ipsum ob suã crassitiem, frigidiora conspiciuntur.

Cur gracilia.

Gracilitas vero partium immoderata, frigiditatis causa est, eo quod concipere, & sistere non possit in se caloris vim in spiritibus positam. Ac propter has caussas, cutis omnium partium temperatissimum obtinere calorem censetur: quonia influens calor cũ ad eam peruenit, iam feruorem, quem habebat in suis fontibus, amisit, & ad temperiem est redactus: eundemq; ipsa cutis ob raritatem admittit vndequaque, & ob subiectam sibi membranam, & propriã corpulentiam admissum retinet & fouet. Ad hæc etsi substantia ex elementis, & quæ in ea tẽperies, non edit actiones viuentis: tamen confert ad maiorem vel minorem calorem concipiendũ. Nam cum influens calor incidit in partes aquosas vel terrenas, magis obtunditur quam cum in alias incidit, quę calidiorem compositionẽ, ex elementis receperunt.

Cur par non sit robur in omnib. partibus viuentibus.

Quamobrẽ ne, vt aliquibus ventriculus debilis sit, aliis vero cerebrũ: tametsi quæ propria est temperies & substantia viuentibus, eadem est. Nam inæqualitas, quæ facta est ex elementorum qualitatib. & substantiæ copia vel inopia in vna parte potius, quam in alia, facit, vt influens calor, & substantia viuẽtibus propria, minus aut magis apta sint ad agendum. Hæc ergo sufficiant de substantiis & temperaturis specie diuersis, quæ in nostris corporibus reperiũtur, quæ vt noua & paradoxa sũt, ita (vt arbitror) vera, & maximè necessaria & vtilia, non solum ad tractationem de temperamentis, quæ alioqui magnam confusionẽ patitur, sed etiam ad alia multa intelligenda pertinẽt. Nunc vero de differentiis, quæ in his generibus temperaturæ reperiuntur, tempestiuum est vt agamus.

De differentiis temperamentorum.

Porro si tẽperies fit ex mixtione quatuor primarum qualitatũ, quot modis inter se illæ misceri & tẽperari poterunt, tot erunt profectò temperamentorũ differentiæ. Misceri autem possunt nouẽ modis; vnus fit, quando par est omniũ qualitatum mensura: quatuor sunt simplices modi, in quib. vna sola qualitas superat, calida inquam, vel frigida, vel humida, vel sicca: quatuor deniq; compositæ, in quibus duæ qualitates quæ sese compatiuntur, cõiungũtur, scil. caliditas & humiditas: caliditas & siccitas: frigiditas & humiditas: frigiditas & siccitas. Cum n. quatuor vndecim solũ modis inter se cõponi possint, duę autẽ complicationes, in rei natura subsistere nequeant, in quib. scil. duo contraria simul exuperant, caliditas inquam & frigiditas, humiditas, & siccitas: relinquitur nouem superesse complicationes, & totidem quidem à Gal. traduntur *in lib. 1. de temperamẽtis*, vbi etiam quatuor simplices tẽperies peculiari quadam ratione probat esse. *Nam* (inquit) *si calida non est necessario humida, licet eam siccam esse, sed licebit & illam mediam esse: vicinior n. est media humida, quam sicca:* mediam autẽ (vt satis constat) appellat, quæ sola est. Eadem ratione in aliis trib. qualitatib. vtitur. At hæc quidem (dicet aliquis) probant in rei natura has nouem qualitatum complicationes consistere posse: in hominis tamen temperamento (de quo potissimum agimus) eas non reperiri. Ac antiqua sanè fuit hæc quorundam opinio, vt Gal. *principio libri de temperamentis* meminit.

An calida & humida, & frigida cum sicca temperie consistere possit.

Putant enim quidam, calidam, cum humida, & frigidam cum sicca temperie consistere non posse: propterea quod calor humorem depascatur, cui necessario succedit siccitas: frigiditas autẽ superfluos humores in corpore congerit, & humidam proinde sibi associat qualitatem; addit Auerrhoes humidum & siccum, materiam esse calidi & frigidi, & propterea impossibile esse formam sine materia consistere: necessario ergo cum calore & frigore excedere humidum & siccum. Verum hæc argumenta efficiunt fortè, quod semper non possint simul consistere duæ illæ complicationes, id quod in nobis apparet. Infantes n. humidissimi cõspiciũtur, sed humor vi caloris paulatim absumitur: & ita in iuuentute corpus, quod antea calidũ & humidũ, iam calidum & siccũ conspicitur: quod postea defectu nutrimẽti tabescit, frigiditasq; succedit, quæ ob coctionem debilẽ humida excremẽta pituitosa plurima congerit: nõ tamen illa faciũt, quo minus aliquando hæ duæ temperaturæ conspiciantur in corpore vigere. Quid etiã obest, quo minus in toto vitæ cursu plus sit humoris & caloris in partibus corporis, quã temperies exigat moderata in singulis ætatib? Ita n. dicimus quosdã senes temperiem habere calidam & humidam, non quod reuera ita sit: sed quod plus caloris & humoris habeant, quam tribuamus homini temperato, cum ille ad senectutẽ peruenerit. Auerrhois autẽ ratio efficax est, si referatur ad gradũ & vim actionis caliditatis & frigiditatis: verũ si referatur ad gradum caliditatis seu frigiditatis, vt Gal. intelligit excessũ in cõplexionib. inęqualib', est prorsus inefficax. Nihil ergo obest, quin medici ponere debeãt nouas temperies in corpore humano.

Verum in eo, quod temperatum diximus esse, coeuntib. inter se ad quandã ęqualitatẽ qualitatib. non minor est difficultas: nam hanc æqualitatem duplicem ponit esse Galenus (vt *paulo antea* docuimus) vnam, in qua elementa, & qualitates sumuntur in æquali portione & pondere, quod tẽperamentũ propterea vocat ille ad pondus: aliam autem vocat æqualitatem ad proportionẽ ad iustitiam: quã qui habent, temperati ad iustitiã vocantur.

Temperati ad iustitiã.

Nam cum temperies requiratur idonea in singulis animalib. & plantis, ac in partib. illorum ad actiones edẽdas pro cuiusq; natura: aliam profecto oportet esse proportionem elementorum in animalib. quã in plantis: aliã in homine, quam in leone & cane: aliam in corde, quam in hepate, vel cerebro, quoniam diuersæ sunt propriæ actiones totius corporis & singularũ partium, quæ æqualitatẽ quidem & certã proportionem exigũt sed non eandem. Dari igitur temperatũ ad iustitiã geometricam & proportionem, certum est. Verũ an dari possit & reperiri corpus aliquod, vel aliqua in eo pars temperata ad pondus, non ita est facilè

indicare

Temperatū ad pondus, an dari possit.

indicare posse. Nam ex vna parte mouet Galeni authoritas, qui nonnunquam hominem, & sæpe cutem internam manus hominis, huiusmodi temperiem obtinere scribit, & id etiam probare nititur, *in lib. 1. de temperamentis*. Hominem enim quadratum totius substantiæ medium illic esse statuit: quod medium ex æquali portione elementorum constare *eodem loco* docet: talem enim debere esse hominem, qui & totius substantiæ, & omnium animalium & plantarum regula sit futurus. Talem quoque esse & rationi consonum, vt sit cutis internæ partis manus: illam enim esse cōpositam veluti ex sanguine prædito neruo, & ob id caro. Necessarium præterea esse, vt instrumentum, quod omnes differentias tactus dignoscere & distinguere debebat, omnis excessus sit expers. Id, quod maximè videtur, cum nec in calore, frigore, humore, & siccitate, vel in duritie, aut mollitie, nec in aliis qualitatibus excessus aliquis appareat. Quæ quidem argumento sunt, illam constare ex æquali prorsus elementorum portione: est hæc quidem Galeni opinio, quam alii refellere conantur. Nam Auerrhoes duabus rationibus ex Arist. principiis ductis contra illam pugnat, quarum prima sumitur *ex 1. lib. de cœlo*, vbi scribit Arist. omne mixtum moueri ad motum elementi prędominantis, quod si mixtum temperamentum ex æqualibus ad pondus daretur, vel non moueretur, vel quiesceret in medio aeris & aquæ. Nulla n. ratio esset, quare magis ad vnum locū; quàm ad alterum ferri deberet ex ęquis elementorū portionib. constans: quare suspensū inter aerem & aquā staret. Atq; hoc modo nec motum proprium, nec locū, nec quietem naturalē haberet: quælibet enim res in loco proprio quiescit: quem autem illi locum propriū dabimus inter aquam & aerem in tanto spacio? Secunda illius ratio sumitur ex *quadragesimo quinto tex. secundi de generatione*, vbi agit de mixtionis ratione, & mixti generatione. Oportet enim in mixtione vnū esse, quod sit potētia, aliud, quod sit actus, si modo actio & mixtio fieri debet. At inter æqualia cessat actio, cessabit ergo & mixtio & generatio. Igitur inæquales oportet esse elementorum portiones. Adde si caliditas frigiditatem longè superat in agendo, in resistendo vero magnopere superatur (vt superius ostendimus) nequeunt vtiq; ęqualitates inter se coęquari & librari, vt altetutra in alterā agat. Quod si huiusmodi ęqualitas attendatur penes quantitatem & molem elementorū, nequit etiam hoc modo temperatum fieri pondus. Cum enim elementa actiua, ignis videlicet & aer, vim maiorem habeant, quam passiua: necesse est, vt mole passiua superēt actiua, ideo materia mixtorū corporū sunt aqua & terra, & in omnibus, vel in plurimis plus terræ est, quam aquæ. Igitur terra & aqua mole longe superant ignem & aerem. Postremo cum omnia mixta constantiam quādam obtineant, ratio conuincit, terram & aquam superare in illis aerem & ignem. Itaque in rerum natura nequit reperiri temperatū hoc modo ad pondus, quod prorsus æqualem elemētorum portionem recipit. Nec quidem respōdent superioribus argumentis Curtii rationes, qui concedit cutem manus in medio aeris & aquę cōsistere suapte natura, sed obstare alias partes, quibus cutis ipsa est coniuncta: illas n. quæ plus terræ habent deorsum ferri, & cutem secum trahere. Quod si cutis auellatur, & separatur ab aliis par-

Auer. argumenta quod cutis non sit temperata ad pondus.

Gal. quomodo à Curtio defendatur.

A tibus, tunc non amplius esse temperatam, vt quæ mortua sit. Non mirum igitur, si hæc labitur, illa vero, quæ viuebat, alium locū suaptè natura appetit. Verum vt ille non potest redargui ex motu cutis coniunctæ cum aliis partibus (& si quilibet agnoscit viuentem illam cutem, si forte separata reperietur, ferri deorsum, vt quæ plus terrenæ substantiæ habet) ita argumenta alia, quæ ex constantia & mixtione sumpta sunt, facilè illius euertunt opinionem. Nec facit quod idem etiam adfert ad rationem de mixtione. Ait n. necessarium quidem esse, vt cum fit mixtio, vnum debere obtinere rationem actus, alterum potentiæ, & ita vnum validius esse altero, sed facta mixtione, æqualia illa remanere: nam quomodo ęqualia remanere possunt, si calor perpetuo depascitur postea humidū, & cutis senescit, & moritur, sicut alię partes? Præterea quid esse potest, quod redegerit ad mediocritatē post mixtionem factā id, quod superabat cū fieret mixtio? Non n. potuerunt id facere passiuæ qualitates, quæ ab actiuis sunt victæ. Nec à se ipso aliquid remittitur. Nōne etiā Gal. *in libr. de sanit. tuen.* in ipsis principiis nostrę generationis, sanguine inquā & semine, plus caloris dicit esse, quā frigoris, & in omnib. etiam animalib. sanguine prędit̃s. Nam concoctio, nutritio, incrementū, decrementum, senectus, vita, mors, & omnia naturæ opera, calorē exuberantē testantur. *Galeni igitur opinio de temperato ad pondus intelligenda est, non secundum exactam rei veritatem, quam ratio agnoscit: sed quod temperie, hac virtute & gradu maximè accedat ad eā exactam temperiem, quantum sensus ipse diiudicare potest, is n. inęqualitatem nullam deprehendere potest. Datur ergo ad sensum temperatū ad pondus*, & ita intelligere videtur Gal. quandoquidē ex sensu illius qualitates & conditiones explorat & diiudicat: & inter omnia viuentia homo, & in homine cutis interna manus, in ea præsertim parte, quæ summitatē digitorū vestit, vbi est exquisitior tactus, ad eam ęqualissimam elementorū mixtionem & paritatē maximè accedit. Ex quibus quidem constat, quot sint differentię temperaturarum, & quomodo dicantur dari & esse.

Quomodo ab autore defendatur.

D Sunt vero differentiæ quædam in prædictis tēperaturis, in quibus excessus est qualitatum. Nam vt diximus, quod æquale est ad pondus, differentiā non recipit, cum sit positū in quodā indiuisibili. Quod vero ad proportionē & iustitiam est temperatū, in diuersis speciebus rerum magnā habet differentiā, vt magna est differentia inter actiones & officia illorū. Hominem n. sapientissimū & prudētissimum esse oportet: canē erga domesticos mansuetissimū & fidelissimum, cōtra vero inimicos audacissimū: Leonem autē ferocissimū esse oportet: timidissimū Leporem: astutissimā Vulpem: voracissimū Lupum & crudelissimū. Vt ergo singulis animalib. plantis, & aliis reb. actiones & virtutes proprias natura concessit, sic etiā formas, tēperies, & instrumēta, quæ illarum sunt causę, diuersa esse oportet. Tamē in singulis specieb. exigua quoq. ponitur in optima ea tēperie latitudo. Nā inter homines & leones bene tēperatos oportet proportionē eām elementorū & propriorum principiorum seruari, quæ ad perfectionem statū functionū est conueniens: à qua si recedant, sanitatem quidem suā in quadam latitudine retinere adhuc possunt, sed perfectā suam naturā nequaquā. Illa n. vt perfecta est, ita perfectā proportionē exigit.

Digitized by Google

quod si maior fiat excessus, sanitas illorum & perfectio non violatur, & neuter, morbosusq; status fit.

Inæqualis temperamenti quot modis fiat.

Est quoq; differentia in tēperamentis qua dicitur temperamentū quoddam esse æquale, aliud inæquale, vt ostendit Gal. *lib. de inæquali intemperie* scriptis, etsi ille non satis explicat *eo loco* omnes significationes inæqualis tēperamenti. Etenim *in eo lib.* vocat inæqualem intemperiem, quę in omnib. partibus corporis quod alteratur, æqualiter: non est insita; quo modo febres pútridas inæquales morbos appellamus, quod per eas partes solidæ nōdū plane sint excalefactę sicuti humores, quos calor penitus occupauit, & insigniter affecit: & vt clarius dicā, consuetis philosophis & medicis nominib. quod humores sint excalefacti, partes vero solidę adhuc in ipso calefieri & mutari. Cæterum in *lib. de causis morborum*, inæqualē intemperiem intelligi scribit, in qua corpus à causis contrariis pari modo agentibus simul alteratur, mutaturq;, vt cum eodem tempore calidius, frigidiusque vel humidius, siccius; redditur, quod ostendunt lipyrias vocatę febres: in quib. calor & frigus simul sentiūtur: qui modus ab alio profecto differt, vt satis omnib. constare puto. Nā in alia intēperie excessus vnius est qualitatis, illa omnino est remissa: in hac vero cōtrariæ simul, seu diuersis locis, vt in illa [illegible] vigent. Appellat & *in lib. de differ. febriū* accessiones inæquales, quę diuerso modo contrariisq; motib. [illegible] affligunt, qualis est tertianæ accessio, & omnium [illegible] harum febrium, quæ cum frigore inuadunt, cui postea calor [illegible] æqualem vero, qui solum calefaciendo vel [illegible] molestat. Sic igitur & morbum æqualem, [illegible] aho modo capere oportet. [illegible] *intemperat. tuen.* æqualem [illegible] esse, quo omnes corporis partes afficiuntur: inæqualem vero, quando in diuersis partib. [illegible] sunt intemperaturę. Qua ratione corpus illud intemperatū [illegible], cui, si velis, hepar vel caput frigidum [illegible] aliæ quædam partes calidæ. Posit [illegible] modo [illegible] morbi [illegible] æqua [illegible] vero [illegible] differentiæ temperaturæ ab eo, quod est actu & potentia [illegible] sunt actu temperata, alia potentia. [illegible] medicamenta dicuntur esse tēperata vel intemperata, non quod actu talia sint, sed potentia, & quod admota corpori nostro talia [illegible] reddāt: partes vero corporis, & totū ipsū corpus tēperata benè aut malè dicuntur, quod actu talia sint, cum receperunt influens calidum, aliqui, vt antea ostendimus, suā etiam habent temperiem potentia. Quod autem intemperatum est siue actu, siue potentia sit, recipiat differentias secundum quatuor simplices qualitates, vel inter se compositas, vnde simplex & composita temperies dicitur. Ac pro excessus quantitate dicuntur quædam intemperies magnę, aliæ paruæ, & proinde quædam sanæ, aliæ ægræ, aliæ neutræ: & inter sanas quædam salubres, aliæ insalubres, aliæ neutræ: in quibus (vt etiam diximus) latitudo quædam ponitur in eo, quod est magis vel minus salubre, insalubre, & neutrum, & magis sanum & ęgrum: & in ea intemperie, quæ est ægra, sunt etiam quædam differentiæ. Nam quędam est salutaris, alia lethalis intemperies. Sumuntur & aliæ differentiæ ex more: quædam enim benignæ, aliæ malignæ intemperies sunt. Nec non aliæ capi possunt nō inutiles differentiæ à causis, quæ faciunt: quædam enim fiunt intemperaturæ ab his, quæ assumuntur, aliæ ab his, quæ admouentur corpori, aliæ ab his, quæ fiunt à nobis, aliæ ab his, quæ excernuntur vel retinentur. Alias vero dat differentias subiectum, in quo fiūt intemperaturæ: quædam enim vniuersales, quæ vniuersum corpus occupent, alię particulares, quę vnam vel plures partes afficiunt. Licet & alias ducere differentias à causis sine quibus non, vt è tempore, quo incipiunt: aliæ enim sunt natiuę temperaturæ, quæ ex primis generationis principiis, aliæ acquisititiæ, quæ postea ex aliis causis sunt comparatę. Nec absurdum quidē est ab effectis temperaturarū differentias capere: aliæ enim dicuntur tēperaturæ excrementosæ, quæ excrementa multa pariunt, aliæ ad bonos mores, aliæ ad malos, aliæ ad aliud efficiendum aptæ. Ab his fontibus licebit alias differentias, si quæ reperiuntur in nostris authoribus ducere. Satis enim nobis est methodum docuisse, ex qua inueniri possint differentiæ huiusmodi: quæ quidem prætereundæ non sunt à Medicis, q[illegible] rationem prædicendi, curandi, & alia officia obeundi, & dignoscendi corporis affectiones illæ mutant. Agnoscimus enim leue esse malum & [illegible] spem afferre, & facile curari posse intemperiem morbosam, quæ benigna est, parua, particularis, & recenter facta. Sic differentiæ singulæ præbent suos vsus. At vero cum tot sint temperaturæ, non omnium notas hic tradit Gal. sed illarū duntaxat, quæ [illegible] in latitudine sanitatis, vt satis patebit ex ipsa tractatione.

Fontes signorum, quos hic ponit Gal. notantur.

Cæterum diuisio eorum, à quibus signa sumit Gal. ad cerebri temperiem dignoscendam, ita fieri debet: ex his, quæ cerebri temperiem ostendunt, quædam sunt extrinseca, alia intrinseca: extrinseca continent ea, quę extrinsecus afficiunt, caput alterando, à quibus tueatur, aut offenditur facilè. Intrinseca vero duo esse dicit, totius capitis dispositionem, quæ ex magnitudine, figura, & pilis sumitur: secundum continet actiones sensitiuas, motiuas, principes, & naturales. Verum in hoc primū reprehendendus videtur Gal. quod proponat se velle docere signa temperaturarū cerebri, & quædam signa sumat ab his, quæ nullam habent in hoc vim: cuius generis sunt magnitudo, paruitas, & figura capitis, nec non ea, quæ ab ipso capite oriuntur. Hæc enim vt bonam & malam capitis & cerebri structuram, quatenus instrumentariæ partes sunt, ostendunt, sic (vt ille etiam satis docet) temperiem non monstrant cerebri. Deinde nec omnia ponit capita signorū, à quibus indicia postea sumit ad dignoscendam structuram, aut intemperiem cerebri. Nam vt diximus, ex ceruicis robore, & imbecillitate, & neruosa substantia indicia sumit, quæ nullo in fonte ex prædictis continentur, præterea ex venis oculorū & excrementis & qualitatibus, quæ in capite, & in partibus in eo positis apparent, indicia sumit, quę quidem non sunt cōprehensa in prædictis fontibus. Addo quod nonnulla ex signis, quæ ponit ostendunt aliud, quam cerebrum bene vel male affici in sua temperie. Nam sensus, motus, imaginatio, cogitatio, ratio, & memoria, alias habent causas præter cerebri temperiem, nempe illius structuram, & particularia instrumenta, destinata singulis functionibus, & præterea calidum influens à corde: quibus affectis vno vel alio modo, necessarium est, immutari actiones illas non minus, quam ex diuersa cerebri tempe-

Digitized by Google

Quid per dispositionem capitis intelligendum. Operationes sensitiuæ quæ.

temperatura, id quod in progressu nostræ commentationis suis locis docebimus. Quid per dispositionem totius capitis intelligat, nunc explicandum est. Aiunt quidam per dispositionem intelligi constitutionem, sed illi vtuntur interpretatione eodem modo obscura. Explicat autem Gale. *paulo postea*, se nihil aliud intelligere, quam *magnitudinem, figuram, & capillos capitis*: adderem tamen ego *colorem cutis, duritiem, & mollitiem*, quoniam ex his postea signa sumit. Per sensibiles operationes intelligit eas, quæ quinque particularib. sensibus fiunt: tametsi meum esset etiam comprehendere sensum omnem, quoniam à somno & vigilia indicia postea etiam capit. Cæterum actiones vocat actiuas, quæ propriè motiuæ dicuntur: *motus n. actione partium, sensus vero illarum passione potius fieri dicitur*, non quod in sensatione non fiat etiam actio animæ & sensoriorum apprehendentium obiecta, sed quoniam apprehensio hæc fieri non potest, nisi obiecta primo sensoria afficiant. Quia ergo in sensatione primo fit passio, ideo dicitur sensus fieri patiendo: in motu autem voluntario, etsi appetitus mouetur ab obiectis, tamen partes ad motum destinatæ nihil patiuntur ab illis, sed motus incipit agente & mouente primum anima ipsa motus instrumenta. Per actiones obtinentes principatum quid intelligat, docet author *paulo inferius*, cum dicit, illas esse, quæ à solo principio proueniant. Sunt autem *imaginatio, cogitatio, & memoria*, quæ in ipso cerebro exercentur, & propterea ab ipso solo prouenire dicuntur. In sensu vero & motu exercendo præter eam vim, quam cerebrum præbet, requiruntur propria instrumenta illarum actionum, & ideo non in ipso cerebro, sed extra, & non ab ipso solo tales functiones exercentur. Naturales actiones intelligit Axachias appetentiam veneris, cibi, potus, & alias omnes naturales, quas ipse ante posuit, quod est absurdum. Nam Gal. hoc loco non potest intelligere alias actiones, quam quæ possunt cerebri affectiones ostendere, quoniam de solius capitis & cerebri signis agit: at veneris, cibi, & potus appetentia, ab hepate & ventriculo prouenit. Intelligit ergo naturales actiones *attractricem, retentricem, concoctricem & expultricem*, quas passim solet vocare naturales: hæ enim vt communes sunt omnibus partibus, ita ostendere possunt cerebri constitutionem.

Actiones actiuæ.

Sensatio quo modo fiat.

Actiones obtinentes principatum.

Naturales actiones quæ.

B

In vltimo fonte signorum comprehendit, *quæ foris* (inquit) *cerebrum possunt afficere*, sed latius sumit foris incidentium nomen. Nam *in lib. de sanit. tuen.* intelligit eo nomine, quæ solum extrinsecus agunt, vt aerem ambientem vulnerantia, contundentia & reliqua huiusmodi: hic vero necesse est, vt etiam intelligat ea, quæ in corpus absumpta cerebrum afficiunt, vt patet *in capite de signis caloris cerebri*. Nunc sequitur, vt doceamus, an signa, quæ à prædictis fontibus sumuntur, necessario ostendant cerebri constitutionem.

Foris incidentia quæ dicantur.

Certum autem est in sensatione requiri bonam constitutionem sensoriorum, & ipsius calidi natiui influentis à corde mediocrem copiam, bonam temperiem, & aptos motus, præter ipsius cerebri constitutionem. Nam oculus inflammatus perperam videt: senes autem malè sentiunt, deficiente ipsorum calido natiuo, quo etiam exhalante absque alia cerebri affectione mors sequitur. Sic absque cerebri bona affectione, principes cerebri facultates, & naturales rectè obiri nequeunt. Quin

A etiam ob alimenti copiam, inopiam, & diuersas qualitates necessarium est naturales actiones immutari. Nam si plus alimenti, quam possit concoquere, ad illud feratur, læditur quidem cerebri concoctio, sed id illius vitium non ostendit. Ergo *actionum virtus non potest esse absque cerebri constitutione recta*: vitium vero cum ex vna sola causa prouenire possit, non ostendit necessario originem actionis labefactatam, sed alias potest causas significare.

Addi hic etiam possunt signa, quæ ab excrementis sumuntur. Nam hæc solet Galenus ab actionibus distinguere: ostendunt autem non ipsius cerebri temperiem duntaxat, sed etiam suorum meatuum bonam vel malam structuram & materiæ, ex qua gignuntur, copiam, inopiam, qualitates. Sed hæc omnia in explicatione singulorum capitum magis patebunt.

CAP. XI. DE PARVITATE ET MAGNITVDINE CAPITIS.

Ἡ μὲν δὴ τῆς συμπάσης κεφαλῆς διάθεσις, ἐν μεγέθει τε καὶ σχήματος αὐτῆς λαμβάνεται καὶ τριχῶν.

Ἡ μὲν οὖν μικρὰ κεφαλὴ μοχθηρᾶς ἐγκεφάλου κατασκευῆς ἴδιον σημεῖον. ἡ μεγάλη δ' οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἀγαθῆς κατασκευῆς σημεῖον. ἀλλ' εἰ μὲν διὰ ῥώμην ἐγένετο τῆς ἐγχωρίου δυνάμεως ὕλην χρηστήν τε καὶ πολλὴν δημιουργούσης, ἀγαθὸν σημεῖον· εἰ δὲ διὰ τὸ μόνης τῆς ὕλης τὸ πλῆθος, οὐκ ἀγαθόν.

C

Et quidem totius capitis dispositio ex magnitudine & figura sumitur, atque capillis.

Paruum igitur caput vitiosæ constitutionis cerebri proprium est indicium. Magnum vero non necessario indicat bonam cerebri composituram, sed si quidem ob insitæ virtutis robur, quæ multam, atque optimam materiam formauerit, eueniat, optimum est signum: At si ob materiæ tantum multitudinem, haudquaquam bonum.

D

Cum dixerit signa, quæ ostendunt temperiem cerebri, sumi vel ex capitis dispositione, vel ex actionib. ipsius, vel ex his, quæ ipsum afficiunt, nunc sigillatim illa percurrit: & primum docet, quid per capitis dispositionem intelligat, & quomodo singula quæ in dispositionis nomine continentur, signa sua præbere possint. Dicit ergo capitis dispositionem continere magnitudinem ipsius, paruitatem, & figuram & præterea capillos: & paruum caput necessario ostendere vitiatam cerebri constitutionem, magnum vero idem ostendere, si magnitudo facta sit ob *solam* materiæ *multitudinem*. Si vero magnitudo fiat ob facultatis propriæ robur, tunc optimum esse signum: ostendi autem hæc ex figura ipsius capitis, & ab his, quæ à cerebro oriuntur. Quæ quidem in re illud primum explicandum est, quid per paruum & magnum caput intelligat. Hoc enim negligenter explicato, non possumus ad alia progredi. Putat Axachias, caput mediocre intelligendum esse, quod proportionem cum reliquo corpore seruat: paruum aut magnum esse, quod minus, aut maius est, quam exigat proportio aliarum partium. In eadem est opinione Bietius ille Gandauensis, qui recentes, sed fœtidos edidit in hoc

E

Caput magnum & paruum quomodo alii intellexerint. Axachia opinio.

opus commentarios. Verum illi aberrant. Nam A Arist. 3. *problemate trigesime sectionis* quęrit cur homo omnium animantium sit prudentissimus, & inquit, *quia capite minimo est ad sui corporis proportionem.* Ergo omne caput hominis paruum esset, si quidē omnis homo inter reliqua animalia est prudentissimus. At Galenus hic dicit, quosdam homines habere caput magnum, alios paruum. Praeterea idem Gal. ostendit, illos errare, cum dicit, caput magnum esse, bonum, cum ea, quae à cerebro oriuntur, sunt robusta, crassa, & boni habitus, tanquam tunc seruetur proportio magnitudinis capitis cum illis partib. Quod si magnum caput potest esse cū proportione aliarum partium, poterit & paruū: semper tamen malum erit paruū caput, B vt postea ostendemus. Posset quispiam intelligere caput paruū, ꝗ minus est, quā conueniat homini temperato: sed id etiam perperam. Nā magnitudo & paruitas corporis & singularū partium temperiem nullam sequitur: potest inquit Gale. *in lib. de constitutione artis,* bona constitutio consistere cum paruitate & magnitudine corporis. Nec vero intelligere possumus caput mediocre, quod cōgruit cū mediocri statura corporis: & magnū illud esse, quod homini conuenit mediocrē staturam excedenti: paruū vero quod minus est, quam postulet mediocris natura. Nā magnitudo & paruitas capitis, certā sibi non determinat corporis staturā. Intelligere etiam quis posset caput paruū, cōparatione habita ad capita aliorum animalium: At in hoc significatu nullus homo haberet caput magnum: quādoquidem scribit Arist. hominem inter reliqua animalia ꝓ portione sui corporis paruū caput, sed plurimū cerebri habere. Ego vero non alia ratione puto intelligendum esse caput paruum & magnū, quam quod consuetam humanae conditionis naturam excedit, aut ab ea deficit. Nam cum videamus, in omni corporis habitu eandem esse capitis molē, aut certe minimū esse discrimen in magnitudine & paruitate: vitium oportet esse, quando naturae limites nequaquā seruantur, & huiusmodi capita statim quilibet agnoscit. Cur vero caput paruum semper sit malum, ratio peti potest ab Arist. D qui scribit hominem talem esse debere, vt inter reliqua animalia plurimū cerebri obtineat ad proportionem sui corporis. Atqui non potest paruū caput plurimum cerebri continere. Explicat Gal. *textu 3. primi commentarij sexti Epidemion* particularius huius rei causam. *Paruum* n. (inquit) *caput ideo malū est, quod paruum cerebrū, & proinde paruos ventriculos cerebri & si maiorem nec vllum exiguum ostendat:* vnde actiones, quę à cerebro pendent, lęduntur, & cogitatio etiam ipsa: & non solum orta à cerebro, sed etiam saepè alia duo principia hepar & cor imbecilla sunt: vt quę nec materiam, nec vitalem potentiam sufficiētem ad illud efformandum suppeditare potuerint: nō autem malum est, quod ob suam paruitatem nequeat plurimos spiritus (vt inquit Montanus) continere. Nam ad hos E suos spiritus continendos (si qui tamen sunt) satis sufficit quantulumcunq; caput, si modo arteriae sufficiunt, quae à corde ad cerebrum feruntur, & vitalem (vt vocant) spiritum, ex quo animalis fieri creditur, ad cerebrum deferunt. Ridendum & illud est, quod scribit, periculum esse, ne spiritus in capite paruo cerebrum comburāt. Quis n. vnquā calorem aliquem in suo capite sensit ex praesentia suorum spirituum? aut cur spiritus vitales, qui omnium sunt calidissimi, arterias angustissimas iam dudum non redegerunt in cineres? Hic certè eloquens fuit vir, & ad persuadendum (vt aiunt Itali) plusquam circulator. Paruum ergo caput malum est, tanquam causa & signum, quod malam cerebri structuram, nempe ventriculos paruos habet & ostendit: sed hoc nihil ad Galeni institutum, qui pollicetur, se tradere velle signa temperaturae singularum partium, & primum ipsius cerebri. An forte etiam imbecillitatem formatricis facultatis ostendit caput paruum? Nam cum natura maximè solicita sit, vt rectè conformentur principes corporis partes, imbecillitatem, quae ex intemperie nascitur, subesse oportet, si tantum attrahi & elaborari materiae non potuit, quantum necessarium est ad caput iustae magnitudinis efformandū. Verum si caput paruum hoc loco à Gal. damnatur, cur est, quod ab Aristotele laudetur *citato problemate*, cum hominem eo prudentissimum esse dicat, quod capite sit paruo? Est porro ratio huius rei, quod Galenus intelligat paruum, *praeter naturae ordinem:* Arist. vero paruum sumat *inter reliqua animalia pro portione sui corporis.* Non n. si homo inter reliqua animalia prudentissimus est, eo quod paruum caput obtinet, sequitur inter homines eū prudentiorē fore, qui minore sit capite. Sed quęnam est ratio, cur homo ob sui capitis paruitatem debeat esse inter alia animalia prudentissimus? An C quod homo rectā staturam sortitus, grauaretur à magno capite? an fortè meliore ratione id accidit? Cum enim ex partium principalium diuersa temperatura, temperatum corpus constituatur, si magnum esset caput, plus cerebri haberet, & propterea plus humidi & frigidi: *prudentia autem temperie sicca gaudet,* vnde senes prudētes censentur esse, quia sicci: corpora vero frigidiora & humidiora sunt obtusiora, & ad motum animi & corporis ineptiora: haec enim frigiditatem & humiditatem corporis sequuntur. Praestat sanè ita Aristotelem interpretari, quam damnare, vt Montanus facit, qui dicit, ei non esse in hac re credendū, sed Galen. quasi magna sit inter eos de hac re discrepantia. Paruum ergo caput necessario malam indicat cerebri & partium, quae à cerebro oriuntur, structuram, quamcunque figuram habuerit. Quod si praeter paruitatem obtineat quoque figuram malam, ostenderet aut materiam ipsam fuisse intemperatam, vt quae naturalem figuram recipere nō potuerit, aut formatricē admodum imbecillam, nimirū, ꝗ paucā materiā formare nequiuerit. *Magnū autē caput* (inquit) *bonū, si propter facultatis robur magnū fiat, q̄ materiam probā & multam finxit. Si vero ob solam materiae copiam magnum sit factum, malum:* verum intelligere nequaquam debemus magnum fieri ob solam materiae copiam non agēte virtute formatrice. Non enim materia ex se ipsa fit caput, vt nihil sine agēte fit aliud, sed quod materię copia in ea abundauerit parte, quae formatricem quodammodo oppresserit debiliorem ad tantum opus conficiendum. Qua quidem ratione dicimus, excretiones quasdam esse symptomaticas, non quod fiant non agente natura, sed quod fiant illa intempestiuè, & praeter modum irritata à materia non euicta à natura. Est ergo caput huiusmodi malum, non quia magnum, sed *quia cum tali magnitudine, figura capitis & orta à capite rectè habere nō possunt.* Quod si materia, ex qua magnū caput est confectum, cū copia, quā habet, fuerit etiam

Alia interpretat. quae etiam confutatur.

Alia quae etiam mala.

Alia interpretat. quae etiam improbatur.

Authoris interpretatio.

Caput paruū cur malū.

Montani rationes confutantur.

Caput paruum quomodo malum.

Arist. & Galen. de capite paruo conciliantur.

Cur paruum caput ab Ar. st. laudetur.

Cur homo inter reliqua animalia debeat esse capite paruo.

Senes cur prudentiores.

Arist. à Montano defenditur.

Magna capita cur mala nonnūquam.

etiam intemperata, malum erit alia quoque ratione: quia scilicet intemperatum. Cæterum caput, *quod magnum est factum dominante plane formatrice facultate*, bonum est, quia ostendit in materia nullum fuisse vitium, quod naturam vicerit, & huiusmodi caput cerebrum habet magnum: hoc autem propter rationes prædictas bonum.

Quodnam caput magnum, bonũ.

Διοριστέον δὲ ἐστὶν αὐτὰ, τῷ τε σχήματι, καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ πεφυκόσι.

Distinguenda vero sunt hæc & ex figura ipsa, & ex his, quæ ab eo habent ortum.

An caput fiat magnũ vincente naturæ robore, an ob materiæ multitudinẽ, distingui ait ex ipsius capitis figura, & ab illis, quæ ortum habent à capite. B Etenim cum figura solum fiat à formatrice facultate, merito si illa recte habebit, ostẽdit ipsius robur: si vero mala est figura, natura non vicit, idque ob suã infirmitatẽ, vel nimiũ excessum materiæ. Nam etsi mediocriter est affecta virtus, tamen magnos materiæ excessus nequaquam potest regere. Non ergo mala figura capitis virtutis infirmitatem ostendit, sed *multitudinem materiæ cum imbecillitate, vel mediocritate virtutis.* At si præter malam figuram in capite aliud vitium adsit, quod ad temperiem, vel structuram ipsius pertineat, maius adhuc indicium est vitiatæ materię & in copia & inæqualitatibus. Orta vero à cerebro dicit esse *2. tex. primi comment. 6. lib. Epid. spinalem medullam, neruos, & cum ipsis ossium musculorumque materiã, quæ*, inquit, *necessario cum capite augentur & roborantur.* C At quod spinalis medulla & nerui sequantur bonam & malam constitutionem cerebri, rationi est consonum: quippe cum cerebrum illorũ omnium sit origo, non quod ex peculiari suo affectu postea lædi nequeant, sed quod in ipso ortu ita fiat. Verum de ossib. vniuersis quis dubitare posset, tamen cogetur id etiã concedere. Nã si spinalis medulla magna est, & bene figurata, eodẽ modo oportet ipsa ossa spinę esse affecta, vt quę sint facta ad medullã ipsã continẽdam: ossa aũt spinæ reliqua omnia sequuntur: illa enim est veluti radix omniũ ossium. Cæterum materia musculorum ex neruis & carne constat: huius autem generatio sequitur D hepatis constitutionem. Quare multos conspicimus crassis ossibus prę ditos, non tamen carnosos: ergo non tota musculorum materia, sed quod in illis neruosum est, & præcipua materia musculorũ sequitur capitis & spinæ conditionem.

Mala figura capitis quid ostendat.

Orta à cerebro quæ sint.

Spinam dorsi esse omnium ossiũ veluti radicem.

Τῷ σχήματι μὲν εἰ εὔρυθμος. αἰεὶ γὰρ ἀγαθὸν τοῦτο σημεῖον.

A figura quidem ipsa, si concinna: semper enim hoc bonum est signum.

An caput magnum sit bonum vel malum, dixit distingui ex ipsius figura, & ex illis, quę à capite ortum habent. E Nunc docet qualis debeat esse capitis figura, & ea, quæ à capite oriuntur. *Figura*, inquit, debet esse εὔρυθμος, id est, *concinna*, numerose facta, ita, vt nulla inæqualitas appareat. *Hoc enim* (inquit) *semper est bonum signum*: æqualitas enim operis, agentis dominium, & materiæ, quæ figuratur, iustam mensuram, & probam temperiem monstrat. Postea vero particularius docebit, qualem oporteat esse capitis figuram.

A Τοῖς δ' αὐτοῦ πεφυκόσιν, εἰ ὁ κατὰ τὸν τράχηλον τένων ἰσχυρὸς, καὶ τοῖς ἄλλοις ὀστέοις ἄριστα ἠρμόσθαι, καὶ εἰ τὸ νευρῶδες αὐτοῦ σύμπαν εὐτραφές τε ἐστι καὶ εὔτονον.

Ex his aũt, quæ ab eo ortum habent, si valida est ceruix, & si aliis ossibus optime constet, atque omnis præterea neruosa substantia boni sit habitus, ac robur habeat intentum.

Vno & eodem negotio docet, quænam sint illa, quæ oriuntur à cerebro, & qualia oporteat esse: facit autem mentionem interea, quæ oriuntur à cerebro, ceruicis, & neruosæ substantiæ: etsi *loco præcitato ex lib. 6. Epid.* plura comprehendit inter illa, quæ à cerebro oriũtur. Præterea quod noster interpres vertit, *et si aliis ossibus optime constet*, legendum est, *& aliis ossibus optime compactum siue compositum*. Item quod dicit *boni sit habitus ac robur habeat intentum*, vertendum est, *bene nutrita & valida.* Ita enim verba Græca sonant εὐτραφὲς & εὔτονον. Intelligimus autem ceruicem validam, quæ crassa est & robusta in suis actionibus. Per alia vero ossa non potest intelligere ceruicis ossa, vt quæ iam sint comprehensa, sed reliquas partes spinæ & forte etiam totius corporis. Antea enim diximus, omnia ossa tandẽ oriri à capite, aut certe sequi capitis constitutionem. C Dicuntur aũt alia ossa recte habere, cum magnum & bonum est caput, quando magna sunt & ad sua officia valida. Eodem pacto neruosa substantia dicitur bene nutrita, quæ pariter dicitur boni habitus: huiusmodi autem est, quod est crassum & solidum. Nam ad bonam nutritionem hæc sequuntur, sicut & ipse bonus habitus ex actionum robore dignoscitur. Si ergo talia hæc omnia fuerint, intelligemus caput magnũ bonum esse.

Οἰκεῖον δὲ σχῆμα κεφαλῆς, ὥσπερ ἂν εἰ νοήσαις σφαῖραν ἀκριβῶς κηρίνην, ἑκατέρωθεν ἀτρέμα πεπιλημένην. ἀνάγκη γὰρ τῆς τοιαύτης κυρτότερα μὲν ἢ κατὰ σφαῖραν γενέσθαι, τά τε ὄπισθεν, καὶ τὰ ἔμπροσθεν, εὐθύτερα δὲ τὰ D ἑκατέρωθεν.

Propria autem capitis figura est, veluti si excogitares sphæram exquisite rotundam ex cera constructam, paulatim vtrinque depressam. In hac enim necesse est vt priores posterioresque partes plus gibbæ fiant, quam sphæræ conueniat, quæ vero vtrinq. consistunt, magis rectæ.

Cũ docuerit, qualia esse debeãt illa, q̃ à cerebro oriũtur, nũc describit propriã capitis figurã, & deinde vitia, quę in ipsa figura capitis contingunt. De qua re *li. 9. de vsu part.* abundanter disseruit: & nõ- *cap. 17.*
E nulla etiam habet in *lib. Epid.* q̃ ad locũ paulo postea explicandum plurimum facient. Scribit aũt *li. 9. de vsu partium* quinq; statui posse varias capitis figuras, quarum quatuor subsistere possunt, quinta autẽ minime: vna, in qua tres suturæ adsunt, coronalis, recta siue sagittalis, tertia lãbdoides: q̃ figura 1
duas eminentias facit, vnã in anteriore parte; aliã in posteriore, & latera leuiter compressa: & hæc propria est & optima capitis figura. Secunda est,
quando deficit eminentia anterior, & amittitur 2

Capitis figuræ quot & quæ.

3 coronalis futura. Alia est quando posterior eminentia amittitur, & in duabus figuris coronalis futura cum illa, quæ seruatur, coniuncta T. literæ
4 Græcæ similitudinem repræsentat. Quarta figura, quando vtraq; eminentia, anterior scilicet & posterior, deficit: in qua duæ fiunt commissuræ se inuicem intersecantes ad modum X. literæ Græcæ, & hæ tres sunt non naturales, cum quibus tamen vita consistere potest. & hi vocantur ab Hippoc.
5 φοξοὶ, id est, acuminati capitis. Quinta est præter naturam omnino, cum qua vita nullo modo potest stare, quę fit cum magis latum, quam longum caput est: ita, vt eminentiæ, quæ ante, & retro ponuntur, in lateribus constituantur. Oportere autẽ talem esse figuram propriam & optimam capitis, qualem hic describit Gale. nempe rotundam, & leuiter vtrinque depressam, facile probare licet. Rotundam enim oportuit esse, quoniam hæc figura omnium est capacissima, & iniuriis externis minimum exposita: capacissimam autem oportuit esse illius figuram, quoniam cerebrum continere debet, quod homo pro magnitudine sui maximum habet, in capite paruo: ac vt varii exortus neruorũ spinalis medullæ, & cauitates fieri possint: tutissimam etiam oportebat esse figuram, vt nobilissima totius corporis pars difficillime pateretur: leuiter aũt vtrinq; depressam conuenit esse, vt ad partes, q̃ in anteriore & posteriore cerebri parte constitutæ sunt, commodi exortus fieri possent: ad spinalem inquam medullam producendam, & oculorum nariumque neruos, quos molles admodum esse oportebat: quod fieri non poterat, nisi cerebrum illis partibus admodum vicinum esset, depressio tamen leuis esse debet, ne angustiores prominentiæ vtrinque fierent, anteriores inquam & posteriores, & cauitates ipsius angustiores. Quæ vero vtrinque sunt partes debent rectę, planę, & æquales esse: & hoc erat, quod dicebat, concinnam oportere esse illius figuram. Et hæc de propria bonaque capitis figura.

Capitis optima figura qua. & cur talis.

Εἰ δὲ κατ' ἰνίον ἐξοχὴ μειωθείη τινὶ, συνεπισκέπτεσθαι χρὴ νεῦρα, καὶ τὸν αὐχένα σὺν τοῖς ἄλλοις ὀστοῖς. κατὰ φύσιν μὲν γὰρ ἐχόντων, ἔνδεια τῆς ὕλης, οὐ δυνάμεως ἀρρωστία τοῖς τοιούτοις γίνεται. φαυλοτέρων δὲ ὑπαρχόντων, ἀσθενὴς ἡ ἀρχή. τὰ πολλὰ γε μὴν ταῖς κατ' ἰνίον ἐνδείαις ἀσθένειαι τῶν εἰρημένων ἕπονται, καὶ σπάνιον πάνυ τὸ μὴ τοιοῦτον.

Quod si ea, quæ secundum occiput, eminentia minuatur, simul intueri oportet neruos, atq; ceruicem vna cum ossibus aliis. Nam si secundum naturam constiterint, materiæ defectu, non virtutis imbecillitate contingit. Illis vero non recte se habentibus, principium est debile: sed magna ex parte defectus, qui occipiti eueniunt, consequitur eorum, vt ante diximus, imbecillitas, rarissimeq; aliter euenire consueuit.

Posteaquam Gal. docuit, qualem oporteat esse bonam capitis figuram, docet nunc vitia, quæ in eadem contingunt. Porro in figura naturali capitis, ex depressione, quæ fit in lateribus duæ fiunt eminentiæ, vna in occipite, alia in sincipite: quibus quidem diminutis, auctis, & male figuratis, necesse est capitis constitutionem vitiari. Et primum agit de diminuta eminentia posterioris partis: quã quidem per se non damnat, sed prius considerat, qualis sit constitutio eorum, quæ ab ea parte nascuntur. *Si enim*, inquit, *nerui, ceruix, & alia ossa secundum naturam constiterint, materiæ defectus indicatur, non virtutis imbecillitas: quod si illa non recte habuerint, signum est, principium esse debile: vt plurimum tamen occipitis defectum sequitur prædictorum imbecillitas, & raro aliter euenire solet.* Hunc contextum omnes interpretes exponunt, tanquam in eo nullum sit vitium, cum tamen euidens sit. Nam quemadmodum caput ipsum paruum antea absolutè pronunciauit esse malũ, nulla habita ratione earum partium, quæ ab eo oriũtur: sic malum est, si pars vna minuatur, cuius ratione fit, vt caput totum paruum, & male figuratum redditur. Præterea si principia, & quæ ex principiis oriuntur (vt paulo postea scribit) mutuo se produnt, quo pacto, quæso, rectè & secundum naturam habere possunt, quæ oriũtur à principio, hoc ipso vitiato? Confirmat meam interpretationem locus Gale. qui habetur 3. *tex. primi comment. in sextum lib. de morbis vulgaribus*, vbi scribit, acuta capita fieri aut ob frontis, vel occipitii eminentiã diminutã aut alterutra, aut vtraque producta: & malum perpetuo esse caput, quod ex comminuta eminentia acutum est, : nec addit, esse consideranda, quæ oriuntur à capite, sed simpliciter malum pronunciat. In eo verò, quod ob productas eminentias acutum est, figuram considerandam esse, & ceruicem, & magnitudinem eminentiæ. *Si enim* (inquit) *eminentia neque indecora fuerit, nec vltra modum grandis, validamque ceruicem habeat, huiusmodi capitis acumen probato: quoniam huiusmodi homines aliorum membrorum precipue ossium viribus pollent.* vbi etiã probat, magis occipitii, q̃ sincipitis auctã eminẽtiã: quoniã illic nobilissimus est ventriculus, & dorsi medullæ exortus. Dicendum ergo ita erat: *at si occipitii eminentia imminuta sit, hoc semper malum.* quibus vero modis sit malũ, sequentibus verbis ostendit, nẽpe quod vel defectũ materię vel naturæ imbecillitatẽ ostendat. Quod si cum paruitate occipitii, nerui, ceruix, & alia ossa naturalem figuram habuerint, materiæ ostenditur defectus: si autem non seruatur illarum partium figura, indicatur principii imbecillitas. id aũt intelligit per ea, quæ dicit, *si secundum naturam constiterint*, nam parte illa capitis existente parua, orta ab ea nequeũt iustam magnitudinem obtinere, at figuram possunt. Axachiæ aũt interpretatio refellenda est, qui scribit, non esse protinus pronunciandum bonam & malam esse capitis constitutionem, si posterior eminentia est maior, quam exigat naturalis conditio. Nam si ex eo vitio vniuersum caput minus redditur, profecto hoc malam capitis constitutionem ostendit, quomodocunque sint affecta, quæ à capite oriuntur: alioqui caput paruum de necessitate non est malum: paruum autem esse oportet diminuta posteriore parte, seruante suam anteriorẽ naturalem magnitudinem, & figuram, vt hic supponitur. Hęc solent absurda eos comitari, qui scriptores antiquos nulla habita veri ratione interpretari solent. Præstat ergo sequi Gale. sent. quæ habetur *in textu præcitato ex libris Epidemion*, & ad sequentem contextum,

Locum hunc probat esse corruptum.

Locus restitutus ex 6. lib. Epid.

textum accedere, de quo scribi debeant, quæ de eminentia diminuta hoc loco tradit.

Καὶ τὴν φοξοτέραν δὲ κατ' ἰνίον ἐπισκέπτου κεφαλήν, ὡσαύτως τοῖς ἐφ' ὅλης αὐτῆς μεγάλης γεγραμμένοις διορισμοῖς. ὡς τὰ πολλὰ δὲ κἀνταῦθα σὺν εὐρύθμῳ τῷ σχήματι γινομένης τῆς παρεγκεφαλίδος, ἀγαθὸν σημεῖον, ἣν ἔνιοι τῶν ἰατρῶν ὀπίσθιον ἐγκέφαλον ὀνομάζουσιν. ὥσπερ οὖν καὶ ἔστιν ὀπίσθιος, ὁριζόμενος τῇ λαμβδοειδεῖ ῥαφῇ.

Caput item quod secundum occiput in aciem tendit, animaduertere oportet iisdem adhibitis distinguendi rationibus, quibus antea in capite grandiori facto vtebamur: vt plurimum vero & hic optimum est signum figura concinna eius partis, quæ cerebro adhæret, quam nonnulli Medici posterius cerebrum appellare consueuerunt, quemadmodum & posterius existit ea futura, quæ Græcè litera Λ *formam habet præfinitam.*

C Quid ostendat aucta præter solitum occipitis eminentia, nunc explicat, dicitque esse adhibendas eas distinctiones, quas notauit in capite magno: dicemus ergo eam malam esse, si corruptam obtinet figuram, & ea, quæ nascuntur ab ea parte, fuerint debilia & mali habitus: contra verò probanda est ea eminentia, cuius figura est concinna & robusta, ac boni habitus existunt orta ab ea capitis parte. Quænam sit, & quo nomine vocetur ea pars, obiter etiam docet, aitque nominari posterius cerebrum & cerebellum, eo quod paruum sit cerebrum, aut cerebri minor pars & postrema: & id propterea, quod post lambdoidem existat. Ex quibus quidem apparet, quod antea diximus, scilicet considerationem ortorum à capite locum habere, vbi magnum totum est caput, aut pars illa, à qua alia oriuntur: non autem in diminutis partibus capitis. Nam hic admonet idem esse obseruandum, quod antea in capite magno expressit, quoniam in vtroque affectu est magnitudo. Ergo nihil erit obseruandum in diminuta eminentia, quia in capite paruo nihil dicit esse considerandũ, sed absolutè damnauit huiusmodi paruitatẽ. Hunc enim sensum postulat docendi ratio.

Cerebellum.

Τοῦ νωτιαίου δέ ἐστιν ἀρχὴ τὸ μόριον τοῦτο, καὶ δι' ἐκείνου ἁπάντων τῶν καθ' ὅλον τὸ ζῷον νεύρων προαιρετικῶν. αὐτὸ δὲ τὸ ὄπισθεν μέρος καθ' αὑτὸ παντάπασιν ὀλίγων αἰσθητικῶν μετέχει, παμπόλλων δὲ τῶν προαιρετικῶν. ὥσπερ γε καὶ θάτερον τὸ πρόσθιον, αἰσθητικῶν μὲν παμπόλλων, ὀλίγων δὲ τῶν προαιρετικῶν. ὥστε καὶ καλῶς διακειμένων ῥωμαλέας ἕξει τὰς ἀποφύσεις ἑκάτερον τὰς ἰδίας.

Est vero huiusmodi pars spinalis medullæ principium, & eius ratione & neruorum omnium, qui actionibus obseruiant. Ipsa vero pars posterior per seipsam paucos admodũ sensitiuos obtinet neruos, plurimos vero actiuos, sicut anterior sensitiuos quidem plurimos, paucos admodum actiuos. Quare vbi bene fuerit affecta vtraque pars, robustas habebunt eas, quæ ab eis fiunt deriuationes.

Cum dixerit, ex his, quæ oriuntur à posteriore parte cerebri, considerandum esse, an bona, vel mala sit posterior eminentia capitis, nunc exponit, quæ sint illa, quæ ab ea parte nascuntur, & ait esse spinalem medullam; & propterea omnes neruos motiuos, quos actiuos vocant: quoniam vt *in libro de locis affectis* ostendit, motus voluntarius agendo potius fit, sensus autem patiendo: non quod in vtraque operatione anima non agat, & instrumenta ipsa non impellat: sed quod in motu instrumenta nihil patiuntur ab his, quæ extrinsecus sunt posita: sensus autem fieri nequeant, nisi prius obiecta in sensoria agant. Scribit *hic* & *passim* alibi, à cerebello spinalẽ medullã oriri: sed periti anatomicæ artis ortum illius docent esse à cerebro. Rectè autẽ illud scribit, *à spinali medulla plurimos neruos motiuos, sensitiuos autẽ paucos. Contra vero ab anteriori parte cerebri sensitiuos plurimos, motiuos vero paucos oriri.* Nam spinalis medulla est dura, anterior vero pars cerebri mollitie instrumentorum consistere nequit. Hanc vero requirunt sensus, qui cum passione fiunt. Propterea Gal. *de vsu part.* scribit ad hunc modum; *nerui duri ad motum optime comparati sunt, ad sensum ineptissimi: molles autem omnino nullo pacto motorii, sed sensitiui solum sunt: qui vero non ita molles, ad sensum satis apti, imbecilli vero ad robur motionis: ac molles quidem ex anteriore cerebri parte oriuntur: Duri autem planè ex spinali medulla: quoniam tanto duriores sunt, quanto ex inferioribus medullæ partibus enascuntur: Medii autem inter molles & duros ex cerebri illis locis oriuntur, quibus spinalis medulla cum cerebro coniungitur*: fierique, addit, molliorem neruum, motorium, cum ex viæ progressu duritiem acquisiuerit. Scribit item in *libro octauo*, neruum mollem nullum ex posteriore cerebro oriri. Quare constat, & sensorium nullum neruum à posteriore parte nasci, id est, qui solum sensum adferat; ex anterioribus autem duri & motorii oriuntur hi, qui oculos mouent: at non ex profundi cerebri partibus vt visorii, sed ex duris & superficiariis. Quare pars illa contextus vera conspicitur, qua scribit, anteriorem partem cerebri *sensitiuos plurimos, motiuos autem paucos* emittere. cum eos solum, qui mouent oculos, ex actiuis edat: sensitiuos autem & eos, qui visionis, odoratus, auditus, & gustus authores sunt; atque hi planè & solum sensitiui sunt. Hi autem, qui à posteriore parte enascuntur, nulli planè sensitiui sunt, cum omnes duri sint, & ad mouendum potius destinati. Ex illis tamen propagines etiam quædam in cutẽ & vicinas cuti partes deferuntur, qui obtusum sensum, quo præditi sunt, illis partibus impertiantur. Igitur si nerui sensitiui ab anteriore cerebri parte oriuntur, motiui verò à posteriore, meritò fit, vt ex illis neruis iudicare possimus, qualis sit prioris & posterioris partis cerebri constitutio: & contra ex constitutione illarum partium cerebri, licebit cognoscere, qualia sint orta ab illis. Hæc enim mutuo sese produnt, vt postea melius docebimus.

Motus quomodo intelligatur fiere agendo, & sensus patiendo.

Spinalis medulla exortus vnde.

Nerui sensorii vnde sint motorii.

Vnde oriantur nerui sensorii, & vnde itidem motorii.

O

Οἱ αὐτοὶ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς τῶν κατὰ τὸ μέτωπον διορισμοὶ τοῖς ὄπισθεν, εἰς σμικρότητά τε, καὶ μέγεθος αὐτῶν βλεπόντων, καὶ σχῆμα, καὶ τὰς ἐντεῦθεν αἰσθήσεις ὄψιν τε, καὶ γεῦσιν, καὶ ὄσφρησιν. ἀλλήλων γάρ ἐστι γνωρίσματα, καὶ ἀλλήλοις μαρτυρεῖ, τά τε ἀπὸ τῆς ἀρχῆς πεφυκότα τῇ τῆς ἀρχῆς ἀρετῇ τε, καὶ κακίᾳ, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῖς ἀπ᾽ αὐτῆς.

Eadem quoq; distinctiones adhibendæ sunt ad partes capitis anteriores ad frontem attinentes, quæ etiam ad posteriores, earundemque & paruitatem & magnitudinem inspicere oportet, atque itidem figuram, & sensus ibi collocatos, visum, gustum, atque odoratum. Hæc enim se inuicem indicant, & attestantur, & quæ à principiis oriuntur, principii virtutem vel vitium, & principium eorum, quæ ab ipso nascuntur.

Cum de posterioris capitis incremento & diminutione egerit, nunc de eminentia & decremento anterioris partis agit, scribitque eadem esse obseruanda, quæ in posteriore capitis parte annotauit, nempe *magnitudinem, paruitatem, & figuram ipsius partis capitis.* Esse autem paruitatem malam: magnitudinem vero bonam, si figuram decentem habuerit. Ostendent & bonitatem illius partis cerebri auctæ, sensus, qui neruos ab ea recipiunt, visus sc. gustus, & odoratus. Nam auditus à media cerebri parte neruos capit. Ac quemadmodum sensus virtutem & vitium produnt, sic ipsum principium affectiones ostendunt eorum, quæ nascuntur ab illo. Ac cum variæ sint aliæ differentiæ in sensu & motu, postulabat vtique docendi ratio, vt illas enumeraret, & qualem affectionem ostenderent, indicaret. Quidam enim infirmos habent, alii validos motus: alii promptos & expeditos, alii segnes, & pigros, alii celeres, alii tardos, alii vehementes, alii veloces, alii languidos, alii denique, aliter circa motus se habent. Eadem ratione quidam exquisitè, alii obtusè sentiunt, alii non nisi propinqua obiecta, alii etiam remota sentire possunt: alii nequeunt ferre obiecta vehementiora sine molestia: alii innoxiè illa sustinent. Docent quidem hæ differentiæ, quæ in sensu & motu sunt, cerebri affectiones: verum non solius cerebri, sed aliarum etiam causarum, quæ ad has actiones edendas sunt necessariæ, passiones indicant. Nam sensoria lædi possunt ex propria sibi affectione, à causis extrinsecis, vel etiam internis, nihil interim patiente cerebro, vt in refrigeratione, contusione neruorum, in fluxionibus & in aliis plurimis malis fieri agnoscimus. Nonne etiam ob calidi natiui influentis à corde debilitatem, contractionem, ardorem, immoderatam refrigerationem, impeditum motum & suffocationem, videmus sensum, & motum labefactari? At hæc vitia cerebri vitium non ostendunt. Ergo dictum Galeni *quod sensus, & motus ostendant cerebri virtutem & vitium,* intelligendum est, quando vitium accidit in illis actionibus ob facultatem sensitiuam, & motiuam, cuius principium est cerebrum. Ac vero cum Gal. polliceatur se velle docere signa temperaturarum cerebri, oportebat illum explicare, qualem temperiem ostendant affectiones, quæ in sensu & motu accidunt, & an solam temperiem sequantur, an etiam bonam, aut malam cerebri structuram, & illius crassitiem, & tenuitatem, puritatem, vel impuritatem, aut aliud, quod in ipsius substantia sit positum. Nam vt ingenium & alias cerebri operationes ad alias causas refert, sic motus & sensus affectiones aliud requirunt in cerebro, quam ipsius temperiem. Quorsum enim natura tot cauitates fabricasset in cerebro, & certam figuram ac magnitudinem illi dedisset, aut illius substantiam diuisisset in multas partes, nisi voluisset illud esse instrumentariam partem, & edere actiones suas, & sibi proprias, vt pars est instrumentaria? Quorsum quæso Galen. duplicem compositionem in corpore ostendit esse, vnam similarium partium, aliam organicarum, & diuersas esse actiones similarium, ab actionibus organicarum, si postea omnia vitia, quæ in omnibus actionibus reperiuntur, ad solam temperiem redigimus? An rationabilius non est dicere cerebrum sentiendi, mouendique facultate m insitam habere, quod nulla alia pars habet, ob peculiarem suam structuram potius, quam ob temperiem? Hæc enim vt communis est in omnibus aliis partibus, sic *communium actionum, nempe attractionis, retentionis, concoctionis, & expulsionis* est causa. Ita propria quoque structura causa est, vt aliæ partes instrumentariæ nequeant præstare, quod cerebrum efficit, quia eandem non habent structuram cum cerebro. Quod si à temperie prouenirent sentiendi & mouendi facultas, cur aliæ partes eisdem facultatibus non sunt præditæ? Dices, credo, non eandem prorsus esse temperiem cerebri, & aliarum partium: Id quod ego libenter concedo: Sed cum ea, quæ est in ipsa temperie, differentia, non faciat differre cerebrum ab aliis membris in attractione, retentione, concoctione, & expulsione, cur quæso in aliis differentiam aliquam faciet? Non enim tantum inter se differunt temperies organorum, quantum discrepant peculiares facultates, & actiones, quas singula instrumenta edunt. Credimus ne cerebrum sensus & motus authorem fore, si suam amitteret formam, & structuram, sola seruata temperie? Ego certè id mihi non persuadeo fieri posse, & libenter concedam aliis, vt ita credam, qui omnes causas eorum, quæ fiunt in nostro corpore, ad solam partium temperiem reducere nouerunt, quasi anima nihil sit & frustra animæ instrumenta sint condita, & nihil ratione materiæ fiat, nihil conferat partium habitus, nihil calor influens, spiritu osaque substantia. Quæ omnia qui subtilius philosophantur, & meliore subtilioreque ingenio sunt præditi, agnoscunt longe differre à temperie, & propriam vim, & vsum in corporibus habere.

Auditus vnde suos capiat neruos.

Sensuum & motionũ differentias non solius cerebri affectiones ostendere.

Hæc vtilia quæ in textu ... gini fuit ... fuit.

Temperamentum quarum actionum sit causa, & quarum eadem structura.

Actionũ nostri corporis præter temperiem causæ.

CAP. XII. DE OPERATIONIBUS OBTINENTIB. PRINCIPATUM.

Ἡ μέν τοι τῶν ἡγεμονικῶν ἐνεργειῶν ἀρετή τε, καὶ κακία τῆς ἀρχῆς μόνης ἐστὶν αὐτῆς καθ᾽ ἑαυτὴν γνώρισμα. καλῶ δὲ ἡγεμονικὰς ἐνεργείας τὰς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μόνης γινομένας, ἀγχίνοια μὲν οὖν λεπτομεροῦς οὐσίας ἐγκεφάλου γνώρισμα, βραδύτης δὲ διανοίας παχυμεροῦς.

Earum autẽ operationum, quæ obtinẽt principatũ, virtus, & vitium sunt ipsius principii

cipii seorsum tantummodo indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes, quæ à solo principio proueniunt. Ingenium quidem igitur subtilem cerebri substantiam indicat. Tarditas vero intellectus; crassam.

Prosequitur Galenus explicare signa, ex quibus antea dixit, cerebri constitutionem dignosci. Posuit autem, ex actionibus, quæ tenent principatum, indicia quædam sumi. Quod quomodo fiat, nunc docere instituit: primumque docet differentiam, quæ est inter has actiones, & sensitiuas atque motiuas, de quibus modo egit: sed satis leuiter id facit, cum scribit, principes actiones solum ostendere virtutem, & vitium ipsius principii: sensum vero, & motum non solum ipsius principii, sed aliorum quoque dispositionem declarare. Id autem docet ex definitione actionum, quæ principes nuncupantur: *illæ n. tales* (inquit) *dicuntur, quæ à solo principio proueniunt.* Verum hęc nō probat ita se habere. Nam requiri ad sensum, & motū præter ea, quæ à cerebro emanant, instrumenta sensus & motus, quilibet agnoscit: At principes actiones à solo cerebro prouenire, & proinde illius dispositionem ostendere, mihi persuadere non possum: Nam si omnes actiones nostri corporis, vt ille *pessime* scribit, egent calore influente à corde, continget profecto lædi actiones ipsius cerebri, non ipso quidem læso cerebro, sed vitiato calido influente: Sic enim videmus per timorem, imaginationem, rationem, & memoriam perperam exerceri: *quoniam in ea passione cor afficitur, caloris illius sedes:* contrahitur enim in corde tunc calor, deseritq; externa membra, atque ita illa necessario calore destituta, suis muneribus fungi nequeunt, præterea videmus in decrepitis omnes principes facultates debilitari, non vitiato cerebro, sed *deficiente calido innato*, quod hepar, & cor suppeditant. Contingunt etiam per febres, & vteri, atque aliarum partium inferiorum vitia, in principibus actionibus mala, inflammato, vel corrupto, aut suffocato, aut impedito propter obstructiones eo calore. Videndum igitur an ipsius cerebri, vel caloris vitio labefactentur actiones principes. Iam vero videndum est, quot & quænam sint principes facultates, quæ, scil. à principe omnium parte, nempe cerebro exercentur. Nam inter quatuor principia corporis, cerebrum principatum ob suarum actionum præstantiam, obtinere vult Galen. Hic meminit *ingenii, imaginationis, & memoriæ*, nec alio loco solet præter tres, enumerare principes actiones. Verum quis ex varia Galeni, & aliorum tractatione plures fortasse putabit esse facultates principes? Nam apud illum legitur *σύνεσις*, id est, *intellectus*; *γνώμη*, quæ *voluntas, iudicium*; *διάνοια*, quæ *discursiua virtus, siue ratiocinatrix* dicitur: *νοῦς* & *φρὴν*, quæ & *mens* nuncupatur: *δόξα*, quæ *opinio*. Quomodocunque autem appellentur, constat, aliud esse *intelligere*, aliud *opinari*, aliud *discurrere*, siue *ratiocinari*, aliud *imaginari*. Quid ergo dicemus? prætermissa esse multa ex istis? Minimè: Nam omnia illa, nempe *intellectus, iudicium, ratiocinatio, mens*, idem apud Galenum significant, vt ex *quarto textu primi comment. Prorrheticorum*, &

An principes actiones proueniant à solo principio.

Timor cur deprauat rationem, imaginationem & memoriā.

Cur in decrepitis principes facultates debilitentur.

Quæ & quot sint principes facultates.

A multis aliis locis intelligere licet. Nam etsi diuersæ sunt illæ actiones, ab vna tamen facultate, & vno loco cerebri proueniunt, quæ particularia nomina ex particularibus actionibus sortitur. Cum enim intelligit, intellectus; cum discurrit, *διάνοια*: cum considerat, *νοῦς*: cum consultat, consilium, & forte etiam cum opinatur, opinio: etsi non inuenio, an hæc sub imaginatrice mágis, quam sub ratiocinatrice poni debeat, tamen ratio vult, vt sub ratiocinatrice ponatur. Nascitur enim opinio, cum intellectus rerum externarum imagines receptas in imaginatrice facultate colligit, & expendit, an veræ sint, an falsæ, & cum quadam ratione veras, aut falsas esse sibi persuaserit, deinde huic persuasioni assentitur: B Sic, inquam, nascitur opinio, quæ dicitur vera & falsa esse posse, & mutari, quoniam ratiocinatio vera, & falsa potest esse, melioriq; inuenta à priore recedimus. De qua vero actione principe hic agat autor, nunc expendendum venit. Agit autem de Anchinia, quam Leonicenus ingenium interpretatur, Akachias vero mentis celeritatem: quam exponit esse *promptam intelligentiam*: eos enim, qui promptè res mente concipiunt, ac intelligunt, cerebrum habere præditum partium tenuitate. Verum magis probo Leoniceni versionem: opponit enim Anchiniæ Aristot. tarditatem Dioneæ i. discursiuæ: tanquam Anchinia nil aliud sit, C quam *facilitas, & promptitudo discursiua*, de quo agit Aristoteles, *vltimo cap. primi posteriorum*, & ab eodem definitur *solertia, vel perspicacitas*, vel, vt alii vertunt, *subtilitas statim inueniendi medium*: veluti si quis quempiam videat cum diuite differentem, & putet propterea id fieri, quia mutuum ab eo accipere vult: Et denique qui causam statim inuenire potest, ille Anchinia pollere dicitur. Nos vero talem vocamus non mente celerem, sed ingenio præditum & ingeniosum. Igitur ingenium intelligimus *perfectionem discursiuæ virtutis*; Sic enim ingeniosos vulgo vocamus, qui cito, & bene intelligunt, discurrunt, & ratiocinantur. Vnde Akachias, D & Montanus errant, qui dicunt ingenium nihil aliud esse, quam virtutem, quæ recipit species rerum. Hoc enim munus est imaginatricis, non ingenii, quod medium i. causas rerum inueniendi habet potestatem. Stultitia vero, & fatuitas, amentia, dementia, delirium, grauiora sunt vitia, quam vt satis conuenire possint, sunt enim symptomata, morborumque effectus.

Opinionis ortus.

Anchinia quid.

Ingeniosi qui dicantur, & Montani atque Akachiæ lapsus à Gal. notatur.

Cerebrū tenuium partiū quomodo intelligi possit.

Cæterum scribit Gal. *ingenium ostendere cerebri substantiam esse tenuium partium*: Nec id quomodo fiat, ostendit: Nec si ostenderet, ad rem sibi propositam pertinet, nec interim sua seruat principia. Ac vt res facilius intelligatur, quid per *cerebrum tenuium partium* intelligere possit, ex aliis locis iam doceo. E Definit *in lib. de simplicib.* medicamenta, & alimenta crassarum partium esse, quæ ad nos relata, in tenues. i. exiguas. & crassas, id est, maiores partes diuiduntur, & in omni temperie ostendit reperiri tenuitatem, & crassitiem istam substantiæ. Docet & medicamenta promptius, aut ægrius se in corpus nostrum insinuare ob eiusmodi tenuitatem, & crassitiem, & rectè quidem: Quippe cum nostrum corpus cauitatibus & meatibus sit plenum, per quos facilius penetrant tenuia, quam crassa. At nusquam docuit

actiones noſtri corporis fieri ab huiuſmodi tenuitate, & craſſitie partium, ſiue ſubſtantiæ, quę in eo eſt. Cur enim magis ab his, quam à viſciditate, & friabilitate, flexibilitate, & inflexibilitate, denſitate, & raritate, & aliis ſimilibus quæ in partibus ſunt, fierent actiones noſtræ? Quod ſi ipſe alibi paſſim vult, ſolam temperiem inter illa, quæ in partibus noſtris ſunt, eſſe cauſam actionum, quo pacto nunc præter temperiem, aliam cauſam affert in cerebro ingenii noſtri? cur non dicit, indicari aliquam temperiem, præſertim cum ex ſuo inſtituto polliceatur temperaturarum indicia? Quod ſi actiones cerebri ad craſſitudinem, & tenuitatem ſuæ ſubſtantiæ refert acceptas, cur quæſo idem non facit in actionibus cordis, hepatis, teſtium, & denique omnium corporis partium, & ita eandem, & vniformem non facit doctrinam? Sed qualem, quæſo tenuitatem ſubſtantiæ excogitare poſſumus in cerebro, quod inter omnes partes corporis eſt viſcidum, craſſum, terrenum, frigidum, graue, & craſſiſſimi, cum editur, alimenti? Has anguſtias, & difficultates cum viderent Montanus, & Akachias, interpretati ſunt cerebri tenuitatem, *ſpirituum tenuitatem*: ex tenui enim materia aiunt ſynceros, & claros ſpiritus naſci, ex craſſa turbulentos, & caliginoſos: Sed illi animaduertere debebant, Gal. hic cerebri naturam proſequi, non alicuius ſpiritus. Deinde ex ſubſtantia cerebri non fiunt ſpiritus aliqui: nec à cerebro craſſarum partium fiunt magis craſſi, quam tenues ſpiritus: quandoquidem craſſities & tenuitas nullam habet vim gignendi, quod eſt tenue, vel craſſum, ſed calor, frigus, potiſſimum, humidum, & ſiccum. Sic enim ſolet dicere Galenus, tenuem aerem fieri in maximo frigore, vel ęſtu, vel ſpirante Borea. Sunt vero, qui intelligant ſubſtantiam cerebri tenuium partium, claram, & lucidam. Sed qualis, quæſo, claritas, & luciditas in denſo, & opaco corpore eſſe poteſt? Addo, quod hæc interpretatio vim facit dictioni Autoris. Probabilior quidem eſt aliorum interpretatio, qui cerebrum interpretantur ſyncerum, & ex puriori materia confectum. Quæ ſane opinio vera forte eſſe poteſt, ſed nequaquam quadrat dictioni, & ſententiæ Autoris. At vero illud mirum eſt, quod ſcribit Galenus, ingenii perſpicacitatem, & tarditatem, ſolius cerebri conſtitutionem docere, & illius ſolam ſubſtantiæ tenuitatem, & craſſitiem: Nam 8. *de vſu partium* ſcribit, intellectum non compoſitionis varietatem, ſed corporis, quod intelligit, & cogitat, quodcunque illud ſit, bonam temperiem ſequi. *Neque enim*, inquit, *bonitas, & perfectio intellectus, multitudini ſpiritus animalis, potius videtur attribuenda, quam qualitati.* Ex quo quidem loco conſtat, ex temperie primarum qualitatum ipſius cerebri, & ſpirituum, intellectum variari. Item *tex. 3. primi comment. 6. Epid.* ſcribit, *eos eſſe mente læſa, qui aut nimis magno capite, aut paruo ſunt.* Hic magnitudinem, & paruitatem cerebri, & mediocritatem, cauſas eſſe ait bonæ, & malæ intellectionis. Idem 24. *text. 4. Comment. 6. Epid.* ſcribit, *tardiores ad intelligendum, & agendum homines reddi, quibus os ventriculi eſt frigidum*: compatitur enim illi anima parti. Denique ſi alios omnes locos conſulamus, in quibus hic autor de hac re tractat, nuſquam inueniemus, eum id ſcribere, quod hoc loco docet. Igitur vt in aliis actionibus, ita in his requiri certam tempe-

Cerebrū tenuium partium quam male Montanus & Akachias interpretentur.

A riem cerebri, & calidum natiuum bene affectum, fateor equidem: Sed quod ab iſtis ſumitur, nec totum eſt, nec præcipuum: quandoquidem, vt Ariſtoteles docet in *primo problemate* 30 *ſectionis*, videmus melancholicos eſſe plurimos ingenioſos, quibus cerebrū eſt craſſarum partium, & frigidæ ſiccæque temperaturæ. Sunt & bilioſi, & pituitoſi multi pariter ingenioſi. Verum *quod maximum eſt in hac re, ſumitur ex ſtructura ipſius cerebri*, quatenus ipſum organica pars eſt: & id eſt, quod Ariſtoteles *lib. 1. de hiſtoria animal. & in libro de phyſiognomia* euidenter expreſſit, cum ex frontis, temporum, naſi, ſuperciliorum, oculorum, palpebrarum, & aliarum partium, quæ in capite ſunt, varia conſtitutione, animi mores diiudicandos eſſe docet. B Nam, vt *ſuperius* oſtendimus, has actiones non edit cerebrum, vt eſt pars ſimilaris, ſed vt organica. Quare ſpectandum eſt quid in eo fiat ob variam ipſius ſtructuram: & id quidem ex continentibus, & vicinis partibus proditur: diſcendumque ab autoribus, quid oſtendat ſingula, quæ in illis apparent. Qui tamen hæc noſtra non probabunt, meliora, ſi poſſint, inueniant.

Ingenium & ſolertiam potius ſtructuram, quam temperiē cerebri ſequi.

Εὐμάθεια δὲ εὐτυπωσία.

Diſcendi vero facilitas formarum facile ſuſceptiuam.

C

Poſteaquam Galenus de ratiocinatrice facultate egit, nunc ad imaginatiuam, ſiue apprehenſiuam tranſit, quæ etſi ordine aliam præcedit, tamen dignitate ſequitur. Inquit ergo, quod diſcendi facilitas ſiue facilis apprehenſio rerum, indicet cerebrum facile ſuſceptiuum formarum: diſcimus enim cum ſuſcipimus. Qua in re docet quidem Galenus quod ſit facilis huiuſmodi ſuſceptio in cerebro, cum diſcimus facile. Verum non docet, quam ob cauſam fiat in cerebro facilis aut difficilis ea receptio, & an alia in actione exercēda cauſa requiratur, quę non à cerebro oriatur, ſed aliunde proficiſcatur. D Recipit. n. facile corpus, quod rarum eſt, vt ſpongia, vel molle, vt pulmo, & glandulæ, vel quod magnas habet cauitates, vel eſt debile, vel in eo ſitu poſitum, quo ſponte fertur, quod mouetur. Et in aliquibus quod multam habet ſubſtantiam: & in nonnullis, quod ex materia diaphana conſtat. Ac cum ignoremus, quonam modo res diſcamus, difficile eſt iudicare, quomodo cerebrum facilè rerum imagines ſuſcipiat. Si enim per contactum fieret hæc actio, fieret fortè id ob illius mollitiem, quæ impreſſionibus cedit facile. Verum cum videatur cerebrum non aliter ſuſcipere, quam oculus colores, ſpecula rerum imagines, videretur cauſa ſumenda eſſe E ex illius ſubſtantia pura & diaphana. Verum ab hac opinione cogimur recedere, quod cerebri ſubſtantia ſit opaca, denſa, nihil habens perſpicuum. Quare nec etiam ob raritatem recipere poteſt. Quod vero in pueris apparet, & ſenioribus, cogit nos imaginari cerebri mollitiem, quæ ex natiua humiditate naſcitur, cauſam eſſe poſſe huius rei: prompti enim & faciles ſunt pueri ad diſcendum: Inepti vero & difficiles ſenes. Quod non videtur alia ratione fieri, quam quod in illis mollia ſint adhuc membra, quæ facile, in his vero ſicca, dura, & ſolida, quæ difficile omneis

Facilis ſuſceptio in intelli.

Quomodo cerebrum ſuſcipiat rerum imagines nō poſſe explicari.

Cur pueri ſint faciles, ſenes vero inepti ad diſcendum.

mneis impressiones recipiunt. Propterea recte scribit Aristoteles, *molles carne ad discendum aptissimos esse.* Verum vt natiua humiditas, quæ mediocrem mollitiem parit, causa est, vt quispiam facile discat, ita *humor excrementosus* stupiditatis est causa. Quare recte quoque Galenus stupidos & stolidos tales esse scribit, imo etiam sanguineos. Nam nimia humiditas, & mollities cerebri faciunt, vt impressiones hærere non possint, & imprimi. Confert igitur quidpiam temperies cerebri ad facilitatem, & difficultatem discendi. Sed quod præcipuum in hoc est, (meo quidem iudicio) sumi debet ex structura ipsius cerebri, vt pars est organica. Nam vt cerebrum qualicunque temperie præditum, has actiones sibi proprias non ederet, *ita ad propriam illius structuram confugiendum est, cum præcipuam illarum causam quærimus.* Id quod pariter Aristoteles & Physiognomici satis ostendunt, cum ex figura & magnitudine frontis, & aliarum partium, quæ circumstant priorem partem cerebri, docent, quinam sint tardi, aut prompti ad discendum. Cæterum vt aliæ omnes corporis actiones requirunt calidi natiui influentis, & spirituosæ substantiæ rectum statum, & conuenientem, ita in hoc quoque opere huic causæ dabimus vim. Scribit enim Aristoteles 4. *lib.* 2. *de partib. animalium*, ea animalia prudentiora, sapientiora, & sensibus nobiliora esse, *quæ sanguine tenuiori, & sinceriore constant*: id quod & experientia docet; ex alimento enim, & aere puriore tenuioreque homines redduntur ad discendum habiliores. Nonne & somnus superfluus, & immoderata vigilia nos hebetes, & segnes ad discendum faciunt? Non quidem mutata cerebri temperie, vel structura, sed solum affecto natiuo calido, & spirituosa substantia. Mirum enim, si spiritus animales, quibus Galenus tantum tribuit, non conferant, aut non obsint, ob variam illorum conditionem, huic actioni cerebri, si absque illis nulla alia ipsius functio, vt ille credit, exerceri potest. Vna ergo causa, cur facile, aut difficile discamus, sumetur à mollitie, & humiditate cerebri: Alia & præcipua, ex certa ipsius structura: Alia vero ab humoribus & spiritibus: Alia forte etiam exercitationi tribuenda est. Nam vsus optimus discendi docendique magister,

Stupiditatis causa.

Animalia prudentiora, & sensibus nobiliora qua.

Causa cur dociles simus aut stupidi.

Καὶ μνήμην μονίμην. ὥσπερ γε καὶ ἡ τοῦ δυσμαθοῦς δυσκινησία, ἡ δ' ἀλλοιωτικὴ διαρροίας.

Memoria autem stabilem ac firmam: sicut & discendi difficultas formarum non facile susceptiuam, & obliuio fluidam.

Quid memoria sit, ostendit Aristoteles *lib. de memoria*, eam scil. esse *habitum phantasmatis, vel imaginis eius rei quæ imaginationi subiicitur*: vel, vt vulgarius dicam, sed facilius, est *thesaurus receptarum per imaginationem imaginum rerum.* Quanto ergo pertinacius retinere poterit eas imagines cerebrum, tanto ad memoriam aptius erit: ineptum autem, quod eas retinere non potest: est autem illud, inquit Galenus, *quod manentem, & stabilem substantiam habet*: obliuiosum vero, *quod effluentem & effluxibilem obtinebit.* Quid autem per permanentem & stabilem sub-

Memoria quid.

Cerebrũ ad memoriã aptum quod, quod obliuiosum.

A stantiam intelligat & fluxilem, interpretes nonnulli docent, cum dicunt stabilem esse substantiam, quæ in eodem statu permanet: fluxilem autem, quæ non permanet: ob id pueros, & senes memoria non valere: quoniam pueris cerebrum augetur: senibus vero minuitur. Quam quidem interpretationem ex Aristot. *libr. de memoria* sumpsisse videntur. Verum cerebrum non adeo decrescit senibus, aut augetur pueris, vt necesse sit deperdi factas in ipsius substantia impressiones. Quid enim est, quod eas semel infixas tollat? Vt enim aliæ qualitates, vt color, sapor, odor, ad incrementum & decrementum corporis non mutantur, sic nec huiusmodi impressiones mutari suadet ratio: præsertim quod in senibus paruum aut nullum fiat decrementum. Vt enim incrementi, sic decrementi finem quendam esse oportet, vltra quem naturalis cursus progredi nequit. Nam & Galenus partes solidas posteaquam ad summum incrementum peruenerint, in eadem magnitudine permanere, postea scribet. Præterea si aliquot fit decrementum in senibus, illud certè sensim admodum fit: obliuio autem subita senes occupat, adeo vt videamus, sæpe decrepitos oblitos eorum, quæ proximis horis viderunt, aut egerunt. Itaque effectus celeritas non respondet tarditati causarum. Ad hæc si huiusmodi mutatio, quæ incrementi decrementique ratione fit, obliuionis esset causa, oporteret eos obliuiosos magis esse, in quibus maior fit mutatio; at pueris magis crescit cerebrum, quam decrescat. Oportet enim singulas partes ad totius proportionem augeri, videmusque sæpe exiguum puerum duorum annorum interuallo in grandem adolescentem euadere: decrepitos vero nihil minui, quod sensus agnoscat. At senes magis obliuiosi, quam pueri, vnde & obliuiosa dicitur senectus. Stabilem ergo substantiam cerebri intelligere oportet, non quæ incremento aut decremento variatur, sed quæ ita suapte natura affecta est, qualis est, quæ duriore & proinde sicciore temperamento constat: fluidam autem, quæ mollior est, & nimio humore diluta: vnde pueri non valere memoria dicuntur, eo quod *in cerebro illorum molliore impressiones debiliores fiunt, etsi facilius fiunt.* Quod enim facile fit, facile quoque corrumpitur. Senes autem ob id memoria non valent, etsi cerebro duriore sunt, *quia nimia pituita cerebrum illorum irrigatur, quod impressiones fieri prohibet, & factas eluit.* Verum etsi ratio ita persuadet, vt quæ veras harum rerum causas agnoscat, tamen quod de pueris dicitur, quotidiana experientia, & quod etiam singuli in se experiuntur, falsum esse ostendit. Omnes enim, quæ in primis annis egimus, quam diutissimè memoria retinemus. Vnde illud etiam Horatianum, *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Est quidem obliuionis vna causa humiditas, sed non sola.* Nam Galenus in *libro primo de locis affectis* scribit, memoriam lædi ab intemperie frigida absque humore: necnon à labore, vigilia: quæ, si obest humiditas, prodesse deberet. Etenim siccitas & frigiditas ad stabilitatem faciunt. Nam siccitas difficile quidem admittit impressiones, sed semel receptas pertinacissime retinet: frigiditatem autem paulo post tradit conferre ad stabilitatem opinionis: cur ergo ad memoriam pariter non faciet? An dicendum

Cerebri stabile quid ex authoris opinione.

Obliuionis multa causa.

est, omnes insignes intemperies non solum memoriam, sed omnes actiones partium lædere? læsiones tamen mediocres, ab vna magis quam ab alia intemperie committi? Igitur memoriæ læsiones, quæ intra latitudinem sanitatis continentur, recte dicemus ab humido fieri, non frigido, aut sicco: graues vero & morbosas illius læsiones potissimum à frigido. Senes vero obliuiosos esse dicerem, *non tam ob siccitatem, aut frigiditatem, vel humiditatem ipsius cerebri, quam quod illis desit calidum natiuum influens*. Vt enim illius vitio concoctio, motus, & aliæ animi & corporis actiones, sic & memoria malè exercetur: pueri vero etsi humidiore sunt cerebro, *quia* tamen *calido natiuo abundant*, memoria valent; quandoquidem integra poemata memoriter recitare solent. Verum in hac quoque actione *præcipua causa sumenda est ex structura ipsius cerebri*: valent enim plurimum memoria, *qui posteriorem capitis eminentiam habent insignem, & cauitatem occipitis satis amplam*: & id experientia docet. Nam ego qui nullam intemperiẽ in meo cerebro agnosco, minimum in omni ætate memoria valui, nimirũ quod caream eminentia occipitis. Sunt hæc, fortè causæ memoriæ & obliuionis. Reminiscentia vero cum fiat cum quadam ratiocinatione, & discursu, ad ingenium refertur.

Quæ memoriæ læsiones veniant ab humido, quæ itidem à frigido aut sicco.

Senes cur obliuiosi.

Pueri cur memoria valeant.

Memoria quinam plurimum valeant.

Auctorẽ suis se obliuiosũ.

Καὶ τὸ μὲν εὐμετάβολον ἐν δόξαις, θερμῆς, τὸ δὲ μόνιμον, ψυχρᾶς.

Mobilitas quoque in opinionibus calidam; stabilitas vero frigidam.

Posteaquam ex operationibus imaginatiuæ, memoratiuæ, & ingenio (quæ est vna operatio intellectus) signa sumpsit, ad cerebri naturam dignoscendam: nunc ex alia intellectus actione, nempe opinione, signa capit. Nam vt intellectui tribuimus, quod intelligat, ratiocinetur, cogitet, sic ad illum pertinet opinari. Etenim (vt diximus) vnam & eandem facultatem statuit Gal. quæ hæc omnia præstat. Porro mutationem opinionis intelligere debemus, non solum circa verum & falsum, sed etiam circa id, quod volumus, aut nolumus, appetimus, aut non appetimus. Mutare enim eos opinionem dicimus, nõ solum qui ex vero ad verius, vel ad falsum, aut ex falso ad verum mutantur, sed eos etiam, qui rem vnam nunc volunt, nunc nolunt, aut appetunt, & respuunt. Merito autem mutatio opinionis caliditatem cerebri arguit, *calidi enim est agitare, & mouere*. Habent fortè calidum innatum & spiritus influẽtes à corde, suam quoque in hac re vim. Nam ex agitatione & calore spirituum, vt varii motus corporis, sic & animi mutantur operationes. Humiditas cerebri ad opinionem non facit, quoniam qualitas est passiua; quæ mouere nequit: opinio autem ab eo, quod habet vim mouendi, prouenit. Verum quidem & illud esse videtur, quod frigiditas stabiles opiniones reddat: *frigidum enim immobilitatis est causa*. Verũ in eo quoq; siccitas suam videtur vim habere. Nam ad retentionem eorum, quæ semel concepimus, confert siccitas. An etiam crassitudo spirituum, & ipsius cerebri non possunt esse huius rei causa? Eos enim qui pertinaces sunt in suis opinionibus, tales esse fere agnoscimus.

Mutationis opinionis plures causæ.

Opinionis mutatio cur arguat caliditatem.

Frigiditas cur reddat opiniones stabiles.

A Cæterum non ab re hoc loco erit quærere, in quo loco prædictæ facultates resideant, & suas actiones exerceant. Nam vt dubium non est, cerebrum esse illarum sedem, ita nequaquam facile est iudicare, an omnes pariter in omni parte cerebri sint collocatæ, an singulæ peculiarem locum sibi vendicent. Etenim ferè omnes neoterici volunt imaginatiuam facultatem in primis ventriculis cerebri residere, cogitatiuam in medio, memoratiuam in postremo. Verum nullis necessariis argumentis probant suam opinionem. Quod enim primo dicunt, *vnam actionem aliquando lædi aliis non læsis*, verum quidem est, *sed id fieri non posse* (vt illi volunt) *si in eodem loco omnes consistant*, verum

B non est. Nam cum vnaquæque pars prædita sit attractrice, retentrice, coctrice, & expultrice vi, videmus per intemperies vnam aliquando lædi, alias vero non, vt concoctio læditur, non retentrix, per intemperies siccas. Præterea quod dicunt, *læsa parte anteriore cerebri, lædi imaginationem, non autem cogitationem, quæ vitiatur læso medio ventriculo, nec memoriam labefactari, quando integer est postremus ventriculus*, id refellit experientia: quippe cum per vulnera & contusiones cerebri, quacunque parte ipsis affecta, omnes læduntur, vt sæpe medendo didici. *Tertio* (inquiunt) *sensus in priore parte cerebri positos esse: & propterea imaginationem, quæ imagines rerum apprehendit, in anteriore parte ponendam esse.*

C *Postea vero merito cogitationem secundum locum sibi vindicare, vt quæ rerum imagines inter se distinguat, & discretas memoriæ commendat: & ob id memoriam in postremo loco contineri. Itaque rationi esse consonum, vt detur ordo in locis ipsarum facultatum, vt datur in ipsis operationibus facultatum. Ad hæc naturam cerebri partes distinxisse in anteriores, posteriores, & medias, non alia, vt videtur, ratione, quam quod singulis facultatibus proprium, separatum locum daret.* Hæc argumenta sunt quidem probabilia, sed nihil necessarium concludunt. Nam de his forrè, quæ per odoratum, visum, & gustum admoniti imaginamur, aliquid possemus concedere: de auditu autem, qui

D media parte cerebri positus est, & de tactu, qui per neruos ad partes anteriores & posteriores per spinalem medullam qualitates suas ad cerebrum defert, non item. Nam cerebri posterior pars primo apprehendit sensationes delatas per neruos ortos à medulla: aliæ autem secundo loco, & tertio. Quare si ordo aliquis statuendus esset in primo casu, imaginatio in posteriore parte, memoria in priore poneretur. Natura distinxit quidem cerebri partes, sed non in ea ratione, vt singulis singulas facultates concederet. Nam plures cauitates, plures distinctiones ex inuolutionibus membranarum in cerebro apparent, quam sit numerus ipsarum facultatum, quas in ce-

E rebro residere agnoscimus, sed aliis rationibus, quas Galenus in *libro de vsu partium* explicat, Galenus vero nihil de hac re aperte docet: etsi aliquando inclinare videtur in eam locorum distinctionem. Nam *tertio de locis affectis, læsa anteriore parte cerebri*, ait *non lædi cogitatiuam, nisi medius ventriculus lædatur*. *Eodem libro* voluntatem in cerebro iuxta neruorum originem ponit. Alibi tamen non videtur aliquam separationem ponere, vt *tertio libro de placitis*, cum inquit, *cerebro colliso, vel aliquo ex illius ventriculis*

Quem locum in cerebro obtineant principes facultates.

Gal. sententia de facultatibus principibus locis distinctis.

culis compresso, mutum, & sine respiratione & sensibus motibusque voluntariis priuatum collabitur animal. Non enim differentiam ponit in locis sensitiuæ, & motiuæ facultatis: tametsi neruos motiuos à posteriore parte oriri scribat: sensitiuos vero à priore. Vt ergo sensitiua facultas per totum cerebrum est sparsa, & motiua quoque ita habere agnoscitur, cur idem non continget in aliis facultatibus? Illud quoque perpendendum est, quod scribit Gal. *in septimo lib. de placitis, non lædi inquam, sensum & motum læso cerebro, nisi læsio attingat aliquem ex ventriculis*: forte quidem id in sensu & motu verum est: quandoquidem nerui, vnde prouenit sensus & motus, nequaquam læ- B duntur, nisi affectis ventriculis: alias vero facultates inflammatis solis membranis, nequaquam affectis ventriculis cerebri, labefactari, experientia sæpe docuit. Verum etsi prædictæ rationes efficere videntur, vt principes facultates sedes non habeant in cerebro distinctas: tamen non desunt aliæ, quæ contrarium persuadere videntur. Nam eos, qui latum habēt occiput, & amplam eam cauitatem, quæ ceruici coniungitur, memoria plurimum valere agnoscimus: contra vero affici, qui contrario modo in eo loco habent. Eadem ratione quibus frons & sinciput est amplum, tribuimus fœlicem imaginationem & apprehensionem: illos vero iudicio pollere videmus, qui mediam & supremam capitis partem obtinent amplā, & optime figuratam. Nonne & totum ipsum caput damnamus, cum minimum est aut ma- C ximum, & perperàm figuratum? Ac fatuos, stolidos, amentes, aut aliter male affectos eos agnoscimus, qui vitiatam habent structuram capitis. Docet & id Arist. cum ex figura & magnitudine frontis, & aliarum partium capitis, indicia sumit ad animi mores dignoscendos. Nam mirum profecto, si cerebrum tot cauitates, & diuersam ab aliis partibus structuram obtinuit, quæ nihil conferant ad eas actiones, quarum est proprius & vnicus fons & sepes.

Ἔτι δέ μοι δοκῶ λείπεσθαι δύο γένη γνωρισμάτων, ὧν ἐξ ἀρχῆς ὑπεσχόμην ἐρεῖν μὲν τὸ τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν, ἕτερον δὲ τὸ τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων, ἔσται δὲ κοινὸς ὑπὲρ ἀμφοῖν ὁ λόγος. D

Adhuc autem duo indiciorum genera mihi videor prætermisisse, de quibus sum ab initio me dicturum pollicitus. Quorum, alterū ad operationes attinet naturales, alterum vero ad ea, quæ extrinsecus occurrunt. Erit autem in vtrisque sermo communis.

Antea proposuit Gal. fontes signorum omnium temperaturarum totius corporis & partium singularum: & hactenus docuit, quomodo signa sumātur à capitis dispositione, à sensibilibus operationibus, necnon à motiuis, & principibus actionibus: tametsi sensitiuas & motiuas actiones E leuiter admodū attigit. Nūc vero prosequitur signa quę sumūtur a naturalib. actionibus, & ab his, quę extrinsecus afficiūt: ex illis enim indicia quoq; sumimus ad cerebri dispositionem & temperiē dignoscendam. Nam qui cerebrum habent infir- A mum vel intemperatum, vel rarum & molle, facile læduntur à vaporibus assurgentibus à ventriculo & aliis internis partibus. Quinetiam eos, quibus calidū est cerebrum, prompte accendūnt & offendunt ira, labor, cibi, potionesque calidæ, & omnia denique, quæ calefaciendi vim in corpore obtinent. Sic sane alias intemperaturas & dispositiones cerebri aliæ causæ intrinsecæ iuuant, aut lædunt. Non docet autem generali aliqua ratione, quomodo naturales actiones sua præbeant in temperaturis cerebri & aliarum partium dignoscendis indicia. Sed statim ad particularia transit & accommodat tractationem temperato cerebro: B Methodus tamen docendi postulat, vt aliquid generale tradatur. Qua quidē in re Montanus & alii interpretes dicunt, naturales actiones non nisi per excrementa indicari, quod falsum quidem est. Nam quis non dicet, concoctionē ventriculi, quæ male peragitur, iudicari ex grauitate, pondere, dolore ventris, ex ructibus, flatibus, & fluctuatione, ex sapore & odore, qui percipitur in ore, dum coctio fit? nonne & color, qui in cute apparet, ostendit, qualis facta sit non solum excrementorum, sed etiam ipsorum humorum generatio. Habent attractio, retentio, & expulsio suas notas ex eo sensu, qui percipitur in ipsa operatione, & ex his, quæ operationem ipsam sequuntur qualitates, & alia opera præter ipsa excrementa. Cæterū per operationes naturales nō alias in- C telligit Gal. *hoc loco*, quam *attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem*: tametsi alibi scribit, hepar naturalium facultatum esse principium, & in eo fieri concupiscentiam, & voluptatem, & generationem & auctionem, à quibus indicia quoque capiuntur ad hepatis dispositiones dignoscendas. Sed quoniam, quæ propria sunt, non veniunt in methodum communem, ideo naturales actiones eas solum intelligit, quæ communes sunt omnibus corporis partibus, quatenus sunt similares. Verum cum ad actiones naturales obeundas requiratur non solum ipsa temperies partis, sed etiam materia, quæ attrahitur, retinetur, concoquitur & expetitur: & præterea D in certis partibus recta instrumentariæ partis structura: merito fit, vt semper culpare non debeamus temperiem partis, vbi illarum actionum opus male peragitur, sed nunc materiam ipsam, alias vero malam structuram ipsius instrumenti. Si quis enim cibos ingerat, qui inimicam substantiam habent, vel qualitates, vel in mensura excedunt, aut deficiunt, aut iusto modo, vel tempore, aut ordine non assumuntur, nequaquam bona fiet concoctio, nec excrementa secundum naturam habebunt: cum tamen nullum sit in ipsa temperie partis, & in actionibus naturalibus vitium. Eadem ratione si venæ, aut intestina, vel cutis, aut alii meatus, per quos excrementa expurgari solent, sint obstructi, aut præter modum aperti, excrementa corporis rectè non excernentur, sed id sine vitio ipsarum facultatum naturalium. Hæc E ergo animaduertenda sunt, antequam temperiem ipsam & facultates damnemus. At vero & in his quoque, quæ extrinsecus vel intrinsecus afficiunt, animaduersiones quædam sunt adhibendę. Nam si ob raritatem, aut densitatem, vel mollitiem, & spongiositatem, vel situm partis, aut vitium partium vicinarum, aut circumstantium, aut agentis imbecillitatem, vel ob aliam similem cau-

Naturales actiones quomodo dignoscantur affecta.

Montanus reprehenditur.

Quid per naturales operationes Galenus hic intelligat.

Naturales actiones à quibus lædi possint.

Extrinsecus agentia quomodo signa certa præbere possint.

Digitized by Google

ſam, pars, cuius temperamentum quærimus, facile aut difficile patiatur, perperam ad ipſam temperiem referemus, quod ad alia pertinet. An dicemus, quæſo, eos, qui rariore ſunt cute & oſſibus capitis, frigido eſſe cerebro, eo, quod ab aere frigido promptè lædantur? an dicemus, cum frigida temperie ventriculi conſtare, qui ob carnis circumpoſitæ ex muſculorum ventris ſubſtantiæ defectu, male bonos cibos concoquit: pulmo ob ſitum, mollitiem, & ſpongioſam ſubſtantiam facile recipit tranſmiſſos aliunde humores: ſed id non oſtendit aliquam in eo, præter ipſius naturalem conſtitutionem, intemperiem. Qui frigido & imbecillo eſt ventriculo, ſi bene concoquat exiguam cibi boni portionem, propterea non eſt bene temperatus. circumſpiciamus igitur omnes cauſas quæ in vno opere perficiendo concurrunt & ſingulis tribuamus, quod ab illis naſcitur, ne demus aliis, quod ad eas nequaquam pertinet.

Εἰ μὲν εὔκρατος ὁ ἐγκέφαλος ὑπάρχει κατὰ τὰς τέσσαρας ποιότητας.

Siquidem cerebrum ſortiatur bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam.

CAP. XIII. DE SIGNIS BONÆ TEMPERATVRÆ CEREBRI.

Methodum, quam propoſuit de ſignis, nunc primum temperaturis cerebri accommodat: poſtea vero aliis partibus, quorum ſigna ſe tradere velle propoſuit: poſtremo vero vniuerſo corpori. Et quoniam temperati, intemperati, calidi, frigidi, humidi & ſicci mentio fit paſſim in hac tractatione, & in vniuerſa medicina, nec vno, & eodem modo res temperatæ, intemperatæ, calidæ, frigidæ, humidæ dicuntur, ideo vt principia ponamus his quæ ſequuntur in hoc opere, & lucē præbeamus aliis tractationibus, operæpretiū eſſe duco hoc loco ea diligenter exponere. Ariſt. calidum, frigidum, & ſiccum tradit, *in Logicis* ſolam ipſam qualitatem, nempe caliditatem, frigiditatem, & humiditatem, ſiccitatem ſignificare: at Medicis non ſolum id, ſed etiam ſubſtantiam ſiue corpus, quod ea qualitate eſt præditum, ſignificat, & optime quidem. Nam percunctanti quid ſit caliditas, corpuſue, quod eam habet, apte reſpondemus aliquid eſſe calidum, vt albedo eſt quidpiam album: nec non etiam corpus, quod dealbatum eſt, album eſt. Calor vero ipſe ſolam caliditatem ſignificat: propterea cum Medici quærunt an pueri plus habeant calidi innati, quam iuuenes, vel minus, de calore ipſo & qualitate non eſt quæſtio, ſed de ſubſtantia ipſa innata, quæ calida eſt. Porro corpus calidum dicitur, quod caliditatem habet. Vſurpatur & calidum pro eo, quod eſt calidius: veluti cum cerebrum, vel cor, vel aliam partem, aut totum etiam ipſum, calidum dicimus: non aliud intelligimus, quam quod calidius eſt eo, ad quod dicitur. Dicitur autem multis modis aliquid calidius Ariſt. teſte *lib. 2. de partibus animalium.*

Calidum quid ſignificet.

Calidius quot modis dicatur.

1 Nam calidius primo dicitur, quod vehementius tactum calefacit: Item quod magis liquefacere
2 poteſt liquabilia, & cremari poſſunt: Præterea
3 quod plus caloris in ſe continet, calidius vocatur
4 eo, quod minus habet: Item quod lente frigeſit, calidius alio eſt, quod cito idem patitur: & quod
5 calefit citius, eo quod lentius, calidius cenſetur. Hæc quidem Ariſt. Verum non ſolum his modis, ſed aliis duobus præterea aliquid alio calidius dicitur. Nam calidius eſt, quod plus habet ſubſtantiæ calidæ, vbi par ineſt, caliditas: itē calidius vocamus, quod alteri collatum, huiuſmodi apparet, etſi exiguum in ſe habet calorem. Cæterum calidi, frigidi, humidi, ſiccique nomina in medicina dicuntur fere ſolum de elementis, humoribus, partibus corporis, & toto ipſo corpore, de medicamentis, alimentis, ætatibus, ſexu, vt maſculo, fœmina, de aere ambiente, proinde de regione, cœli ſtatu, & anni temporibus. Sed vt calor, & aliæ qualitates primæ non eodem modo in illis ſunt, ideo diuerſo modo illa calida ſunt, & dicuntur, diuerſæque ſignificationes ſunt excogitatæ, ne longa percunctatione & dictione quæreremus, quod intellecta propria vniuſcuiuſque ſignificatione, ſtatim innoteſcit. Propterea enim quod alio modo calidum ineſt primis elementis, quam in humoribus, & aliis rebus, ideo (vt diximus) varium calidi nominis vſum excogitarunt maiores noſtri, qui artes conſcripſerunt, vt ſimplici calidi appellatione perciperent lectores, quonam modo ſingula corpora, quæ calorem in ſe continent, calida intelligantur. Ac ne longius abeas, cum calidum in elementis ſit in ſummo gradu, cum dicimus ignem eſſe calidum, intelligimus ita, ac ſi diceremus ignem ſumme eſſe calidum. Igitur calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, cum de corpore dicitur, vel abſolutè vel non abſolutè intelligitur (inquit Gal.) verum cum tractationem confundat vario vſu nominis abſoluti, vtile in primis eſſe duco, vt æquiuocationem hanc oſtendamus, quod *in primo commentario* vtcumque fecimus. Igitur verbum ἁπλῶς, quod nos *abſolutè* dicimus, ſumitur apud Gal. vno modo pro eo, quod eſt *prorſus*, quomodo ignem abſolute calidum pro eo, quod eſt prorſus, & extreme calidum dici ſcribit: ſumit item abſolutè pro eo, quod eſt ſine collatione ad aliquam rem priuatam, ſed propriæ temperaturæ ratione, in qua calidum hoc ſuperat: quo pacto ſanguinem calidum eſſe ſtatuit abſolute, id eſt, temperaturæ ſuæ ratione, in qua calor, frigus exuperat: item abſolute idem eſt, quod *ſine additione illius, cuius res eſt*, dicitur: vt ſi quæratur cuius temperamenti ſit os, non adiecto leonis, aut alterius animantis, id abſolute quæri dicitur. Alio modo abſolutè idem eſt, quod *exacte*, vt temperies animalis *abſolutè* optima non dicitur, cum æqualem mixtionem ex contrariis exquiſitè non habeat: præterea abſolutè vſurpat pro eo, quod eſt *ſine diſtinctione*, vt abſolutè non eſſe reſpondendum ait, vbi quæritur an aliquid ſit frigidum, vel calidum: Capitur & abſolutè calidum pro eo, quod eſt *cum collatione ad ſui generis medium*, quo pacto vermis abſolutè loquendo ſiccus vel humidus intelligitur, id eſt, quod talis ſtatuatur ad medium comparatum, quod inter vermes ponitur: quomodo etiam magnum & maius *in libris de pulſibus* differre ſcribit, quod magnum abſolutè dicatur, maius autem minime: nam magnum non minus, quam maius dicitur ſine collatione: ſed id ad quod magnum dicitur, non additur, cum reſpectu ad medium ſui generis dici intelligatur: additur autem id, ad quod dicitur maius. Tot ferè aut pluribus etiam modis abſolutè aliquid dici apud Gal. ex aliis locis, tum *ex primo illius libro de temperamentis* intelliget vnuſquiſque, qui diligentius eum authorem perleget.

Qua qui-

Quæ quidem varietate nusquam expressa, dum videtur eodem modo absoluti nomen vsurpare, tractationem obscuram reddit. Nos autem ne rudiores confundamus, vbi incidet mentio huius vocabuli, *absolute*, sumemus pro eo, quod est *sine collatione*, sed *suapte natura* ab exuperante qualitate calidum, frigidū, humidum, siccum, euadit & dicitur. His ita positis iam ostendamus, quonam modo res prædictæ, quarum diximus in medicina mentionem fieri, calida, frigida, humida, sicca, & temperata dicantur. Elementa, vt ab his incipiamus, temperata nequaquam dici possunt, cum temperies non fiat, nisi ex quatuor qualitatibus, sed calida, frigida, humida & sicca dicuntur & intelliguntur, quod summas habeant eas qualitates, à quibus denominantur, & in his calidum, siccum dicitur, quod summam caliditatem & summam siccitatem obtineat. Humores vero calidi, frigidi, humidi, & sicci dicuntur, quod illę qualitates contrarias suas exuperent, vt sanguis calidus & humidus, quia in eo calor frigus, & siccitatem vincit humiditas: temperati autem dicuntur humores, in quibus æqualis est qualitatum mensura & gradus; aer ambiens, regio, cæli status, & anni tempora eodem modo ab excessu vel æqualitate qualitatum calida, frigida, humida, sicca, & temperata dicuntur esse. Porro alimenta & medicamenta cum ad vsum animalium referamus, merito fit, vt collatione facta ad ea, quorum sunt medicamenta vel alimenta, calida vel temperata dicantur. Sic sane illud iudicamus homini medicamentum, quod eum mutandi vim habet: alimentum vero, quod nutrire potest: eaque calida, frigida, humida, & sicca nuncupamus, quæ hominem calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & siccandi vim habent. Temperata vero, quæ illius temperiem in eodem statu conseruant. Cæterum ætates scribit Gal. calidas, frigidas, humidas, & siccas intelligi collatione facta ad eam ætatē, quę omniū optima temperatissimaque censetur. Est autem ea *adolescentia*, quam ideo temperatissimam statuimus, quod ad corporis, animique actiones edendas omnium sit aptissima, ad quam sane spectantes, pueritiam calidam & humidam: iuuentutem calidam, & siccam, consistentem, siue declinantem ætatem remittente iam se omnium actionum robore, quæ caloris vigore perficitur, frigidam & siccam, sed non magno excessu iudicamus. Senes vero omnes pariter frigidos & siccos, sed maiore qualitatū excessu statuimus, inter quos eos, qui in vltimis senectutis partibus cōsistunt, tū frigidos, & humidos reputamus, quod frigiditatis vehementi excessu male cibus elaboretur, plurimaque ob id in illis pituita redundet, quæ superfluo humore, & frigore, solidas partes irrigat, corporisque omnes actiones labefactat, ita vt iam non minus in humiditate, quam siccitate emendanda versari Medicum oporteat. Qua ratione commotus Gal. *lib. octauo de placitis Platonis*, cum *alibi* vel frigidos & siccos, vel frigidos & humidos simul senes pronunciasset, decrepitos, similem hyemi temperiem obtinere scribit, quod scilicet desperata iam correctione siccitatis solidarum partium, satis assequi putetur Medicus, si pituitosa, mucosaque excrementa, quę non minus, quam ipsarum partium solidarum vitia obsunt, emendare valeat. Iam vero masculos calidos & siccos, fœminas frigidas & humidas dicimus esse, quod plus caloris

Elementa quomodo dicantur calida, frigida, humida, & sicca.

Humores quomodo ita dicantur.

Aer, regio anni tempora, quomodo.

Quomodo alimenta, & medicamenta.

Temperies ætatum.

Senum temperies.

A ille habeat, quam fœmina, hæc vero minus: non quod in fœmina frigiditas calorem superet. Cæterum vt facile est docere, quomodo calida, frigida, humida, & sicca, & temperata prædicta dicantur, ita difficilius est explicare, quomodo tales dicantur partes corporis, & totum ipsum corpus. Nam Gal. scribit quidem, hæc per collationem aliquando dici, aliquando vero ab excessum, vel æqualitatem mixtionis. Verum quænam, & quot sunt, quæ aliis conferri possunt, & quæ & quot sint, ad quæ fit collatio, ex sua tractatione nemo colligere potest: toto enim perlecto *lib. 1. de temperamentis*, in quo hæc proponit se velle docere, nihil profecto inueniemus, nisi variam earundem rerum repetitionem, sine aliqua certa sen-
B tentia & conclusione. Nos vero ita rem hanc explicare aggrediemur. Totum & partem, de cuius temperamento agimus, vel vt genus, vel vt species, vel indiuiduum, vel medium generis, aut speciei, consideratur. Licet enim de Socrate petere, cuius temperamenti sit: cuius item animal, cuius medium, quod in suo genere, vel in sua specie ponitur. At cum genus omne temperatum non sit, sed solum, quod in substantia continetur: ideo nihil, quod in quantitate, vel qualitate, vel in cæteris prædicamentis ponitur, temperatum vel intemperatum dicetur: nisi quatenus substantiam significat. Sed nec etiam substantia, nec corpus ip-
C sum: non enim omne corpus, nec omnis substantia ex quatuor qualitatibus conflatur. Quare nec quærere possumus, cuius temperamenti sit substantia, aut corpus; quippe cum nullam temperiem hæc actu habeant. Prima ergo, de quibus quærere possumus, sunt corpus compositum, & simul animatum: vel compositum, & non animatum: vel simplex, & elementale. Apte enim sciscitabimur, cuius temperamenti sint corpora animata, inanimata, & elementa. Deinde de omnibus speciebus illorum & indiuiduis quærere possumus, vt de animali, plantis, lapidibus, aere: & sic de omnibus speciebus, & indiuiduis illorum. De medio autem, quod in genere substantiæ cor-
D poreæ ex elementis compositæ statuitur, quærere possumus facta collatione ad omnia genera inferiora, species, & indiuidua: Est autem medium illud temperatum ex æquali portione omnium elementorum, iudicaturque illa temperies optima inter omnia corpora temperata, quæ omnino, quantum natura nostra admittit, & sensus nostri iudicare possunt, exactam & æqualem elementorum portionem recipit. Petere ergo possumus, cuius temperamenti sit huiusmodi compositum *absolute*, id est, solum expendendo propriam ipsius temperiem: inueniemusque illud temperatissimum esse. Sic etiam ad omnia genera, species, & indiuidua collatum, tale iudicatur.
E Semper enim temperatum dicetur: nimirum quod exactissimam temperiem obtineat. Ergo genus, quod temperatum esse incipit, ad reliqua conferri nequit, quia nullam temperiem actu habet: medium autem illis omnibus aptissime confertur. Nam vt inepte quis peteret, qualem temperiem habeat corpus, quod ex elementis conflatur: ita aptissime quæret, cuius temperamenti sit corpus, quod parem ex elementis mixtionem accepit. Est autem illud optimi temperamenti. Genus autem primo, & illius medio, & oppositis speciebus, & medio, quod inter eas po-

Masculus calidus.
Fœmina frigida, quomodo dicatur.

Totum & partes quomodo calida dicantur difficile esse intueri, ex Gal.
Autoris de ea re methodus.
Quæ non possint dici calida vel temperata.
De quibus quærere possumus qualis sit illorum temperies.

Medium generis quibus comparari possit.
Generis proximi collatio ad quæ fieri possit.

nitur, & oppositis indiuiduis cōferri potest. Petere enim possumus, cuius tēperamenti sit animal, vt est corpus animatum, & cuius temperamenti sit respectu corporis æqualiter temperati, & respectu inanimatorum, & medii, quod inter inanimata ponitur: & collatione facta ad lapidem, & illius species & indiuidua. Ad suas vero species & indiuidua nequaquam potest conferri: perperam enim quis quæret, cuius temperamenti sit animal respectu hominis, & indiuiduorum hominum. Ad medium autem animatorum corporum animal confertur quidem, sed cum ipsum medium sit, contingit, vt idem ad semetipsum conferatur, inter animata enim animal optimi temperamenti censetur. Cæterum opposita genera, summo generi, & medio illius, & opposito generi, quod medium quidem est, & eius speciebus, indiuiduis optime confertur: vt brutum animal genus quoddam est animalis: de cuius quidem temperie quærere possumus, quatenus est compositum ex elementis, quatenus animatum, vel hominis vel Socratis respectu. Eodem modo species cum generibus suis, & mediis generum, speciebus oppositis & illarum mediis, & indiuiduis conferuntur: cum suis vero indiuiduis non item. Porro indiuidua omnia omnium specierum ad omnia conferri possunt, nempe ad omnia genera, ad omnes species & omnia media, & ad omnia indiuidua. Optime enim quæremus, cuius temperamenti sit Socrates, vt corpus est compositum ex elementis, vt animatum, vt animal, vt homo. Item respectu medii, quod in genere corporum compositorum ex elementis, animati, inanimati, animalis, plantæ, hominis, bruti, Platonis vel alterius indiuidui collatione. Nec illud quidem ignorandum est, omnia prædicta sibiipsis mutatis conferri posse, vt animal viuum cum mortuo, sanum cum ægroto, & sic de reliquis. Ex quibus quidem patet, quæ possint, & quot modis singula aliis conferri.

Oppositorum generum collatio ad quæ fieri possit.

Indiuiduorū collatio ad quæ fieri possit.

Omnia cum seipsis mutatis comparari posse.

Iam vero cum omnia prædicta dicantur temperata, calida, frigida, humida & sicca, vel propriæ temperaturæ ratione, vel ex collatione, multis autem modis singula, vt ostendimus, conferri possint, illud explicandum occurrit, quot modis temperies fieri dicatur, & cuius respectu de singulorum temperie pronunciemus. Egimus ex nostra opinione superius de hac re. Nunc vero cum nihil referat ad præsentem tractationem quærere, quod exactum, Galenum sequentes dicemus, temperata quædam esse ad pondus, alia ad iustitiam, alia ex collatione: intelligimus autem illud temperatum esse ad pondus, quod æqualem omnium elementorum portionem in se habet, cuius generis in corpore nostro creditur esse, quantum sensus iudicare potest, cutis volæ manus, & ipsorum digitorum. Porro medium illud statuimus temperamentum tanquam regulam, ad quam respicimus, cum expendere volumus, quanta sit portio singulorum elementorum in singulis partibus: hac enim ratione dicimus ossa, ligamenta, cartilagines, neruos, frigida & sicca temperie constare, quod scilicet plus frigidi & sicci & terrenæ substantiæ obtineant, quam ea cutis manus. Sic partes, quæ ea molliores sunt, humidiores: quæ calidiores sunt, calidiores: & vt vno verbo dicam, omnes excessus, partium cum mixtionem elementorum expendi-

Temperata quot modis dicatur.

Temperies ad pondus.

A mus ad cutem facta collatione pronunciamus.

Est alia temperies, quæ ad iustitiam dicitur, quæ recta & iusta est, prout, conuenit singulis partibus recte affectis. Partes autem singulæ debent habere temperiem, quæ sit apta ad proprias actiones edendas. Quare cum singulæ partes actionibus differant, eadem non potest esse omnium temperies, sed necesse est in aliquibus plus inesse calidi, aut frigidi, aut humidi, vel sicci, propterea ad pondus temperatæ illæ esse nequeunt, sed habebunt optimam & iustam temperiem, quando eam obtinebunt, quæ omnium sit conuenientissima ad proprias functiones exercendas: à qua cum deflectunt, in-B temperatæ censentur.

Temperies ad iustitiam.

Eadem est ratio de toto, quæ de partibus. Nam vt diuersæ sunt hominis actiones ab actionibus aliorum animalium, ita & illius forma & temperies diuersa est. Atque hæc commemoranda fuerunt, vt sequens disputatio cum præcedentibus cohærere possit.

De his vero, ad quæ collatio fieri debet, ita scribit Gal. *lib. 1. de temperamentis. Si quis* inquit, *interrogetur, quomodo calidum aliquid dicatur, si apte respondere velis & non decipi, necesse est eum omnia calidi significata, & ea, ad quæ collatio fieri potest, enumerare, & postea sciscitari, quomodo, & ad quid collatione facta, calidum illud vocare* C *velit.* Verum hæc regula mihi parum artificiosa, & laboriosa multum esse videtur; nihil enim hoc modo in arte nostra certo affirmare poterimus: Nunquam enim temperamenti calidi signa, causas, aut curationem, vel conseruationem, scribere poterimus, nisi semper repetita hac multiplici & varia significatione, & collatione: id quod cum non faciamus, constat iam positum esse id, ad quod referimus, quod calidum vel temperatum pronunciemus. Quid autem illud sit, iam expendamus. Porro ex modo interrogationis intelligimus sæpe, ad quid sit respiciendum. Age enim si quis de Socrate ad hunc modum petat, cuius temperaturæ est hoc corpus, quis non videt re-D spiciendum esse ad medium, quod inter corpora statuitur: quod cum ex pari portione elementorum conflatum ponatur, calidum & humidum pronunciandum est, de quo agitur: quoniam in eo hæ qualitates præualent. Si quis autem de eodem petat, cuius temperaturæ sit hoc corpus animatum, eadem ratione ad medium, quod inter corpora animata ponitur, respiciens, qui respondet, pronunciabit. At cum sit perfecta species, inter alias oppositas, (vt postea ostendemus, cum de hoc medio agemus) erit animal inter corpora animata optimæ temperaturæ, quoniam ipsum est medium. Sic sane si quæratur cuius tempera-E turæ sit hoc animal, loquendo de Socrate, cum inter animalia homo sit medium, Socrates autem homo, etiam optime temperatum dicitur. At vero si quis interroget, cuius temperamenti sit hic homo, protinus ad medium, quod in humana specie constituitur, spectandum est, temperatusque iudicabitur, si idem sit cum medio: intemperatus autem, si diuersus, & calidus vel frigidus, ab excessu scilicet illius qualitatis, quæ exuperare agnoscitur, appellabitur. Quod si ille petat, cuius temperamenti sit Socrates, vt Socrates est, cum Socrates nullam habeat temperiem, nisi quatenus est homo, idem quæret cum alio, qui petebat

Regula Galeni, qua docet, quomodo respondendum sit de temperamentorū, notatur.

Methodus respondendi de temperamento cuiusque rei, & primo de temperamento totius.

petebat cuius temperamenti esset, quatenus Socrates homo erat, idem quoque respiciendum & respondendum. At vero, si quis quærat, quale habeat temperamentum respectu contrarii generis, contrariarum specierum, & indiuiduorum, vt inanimati corporis, bruti, leonis, & huius, vel alterius leonis, optimi temperamenti semper censebitur, quoniam semper medium est. Respectu vero alterius indiuidui eiusdem speciei, vt Platonis, vel suimet mutati, talem pronunciabimus esse, qualem excessus, varietasque naturæ ostendet: vt iuuenem Socratem calidiorem seipso puero, quod sensus & alia signa id ostendant. De aliquo vero leone si quis petat, cuius temperamenti sit, vt corpus est compositum ex elementis, calidum & humidum eodem modo dicetur: Si vero postulet cuius temperamenti sit hoc corpus animatum, admonemur, esse respondendum quod sit temperatum: quoniam hoc animal est. Si vero interrogemus de eo, cuius temperamenti sit hoc animal, calidum & siccum pronunciabimus, quoniam homine calidior & siccior est leo. At si postulemus, qualem temperiem habeat hic leo, calidus, vel frigidus, aut temperatus dicetur, prout cum temperie leonis temperati, medii in sua specie consentit, vel discrepat. Si quis præterea quærat, cuius temperaturæ sit hic leo respectu alterius leonis, vel suipsius mutati, talis dicetur esse, qualem excessus ostendit. Quod si cum alio animante conferatur, si quidem cum specie, quæ media est totius generis, nempe homine, idem respondendum, vt diximus esse faciendum, cum quærebatur, qualis esset illius temperies, vt animal. Nam eadem est diuersis nominibus explicata interrogatio, cum in vtraque quæratur, qualis sit respectu medii, quod statuitur in genere animalium, sitque illud homo; inuenietur male temperaturæ esse & calidioris sicciorisque, quoniam ita habet ad hominem collatus. Si vero cum aliis animalibus collatio fiat, aut melioris temperaturæ, aut deterioris, vel calidioris, vel frigidioris inuenietur: siquidem animal alio animali perfectiorem habet, aut deteriorem temperiem: id quod ex medio, quod statuitur in vnaquaque specie intelligitur. Nam quæ medium habent perfectius, ea quoque perfectiore temperie donata censentur. Sumitur autem medium, vt postea ostendemus, in vnaquaque specie ex propriis actionibus, vnde meliorem temperiem ea species habere dicitur, quam alia, quæ meliores edit actiones. Cæterum quod de animali dictum est, & idem de plantis dicendum, & partibus illarum. Ac ne eadem sæpius repetere cogamur, cum eadem plane sit ratio in plantis, quæ est in animalibus, sufficiet in partibus docuisse eandem etiam esse rationem. Igitur si quis os, & tibiæ Socratis statuat, & quærat cuius temperamenti sit hoc corpus, frigidi & sicci dicetur esse, quod plus frigidi, & sicci habeat, quam calidi & humidi, vel vt medium, quod in genere corporum temperatorum ex æquali elementorum portione mixtum statuitur. At si quis petat cuius sit temperamenti hoc corpus animatum, vel pars animalis, optimi dicet. Vt enim totum animal medium erat, sic & illius partes cum aliorum partibus collatæ. Eodem modo, vt hominis pars est, optimi temperamenti fuerit. Vt vero os, & tibiæ os, & hominis tibiæ, ad medium,

Species quæ dicatur melioris esse temperamenti. Methodus respondendi de temperamento singularum partium.

Studiosi modus respondendi & statuendi de temperamento.

A quod etiam statuitur inter ossa & tibiæ, & hominis tibiæ ossa, collatio facienda est. Vt pars vero cuiusdam hominis facta interrogatione, respondendū est facta collatione ad medium, quod inter hominis partes ponitur. Est autem, (vt postea ostendemus) in hac re non cutis, sed alia pars. At vero cum simpliciter, & non indicato interrogationis eo modo, quid spectare debemus, vt si quis petat cuius temperamenti sit Socrates aut animal, aut si etiam sine interrogatione pronunciet de temperie alicuius rei, quemadmodum describimus signa animalis, vel hominis, vel Socratis temperati, non ita constat, ad quid respiciendum sit, cum nihil de hac re Gal. tradat, quod B omnib. sit commune. Mihi autem videtur, cum de genere aliquo agitur, spectari medium summi generis, quod ex æquali mixtione elementorum temperatum ponitur, cum de specie, medium proximi generis, cum de contentis sub specie, medium speciei, sic enim animal omne scribimus esse calidum, quod in eo calor exuperet, qui pari portione in medio summi generis compositi cum aliis qualitatibus temperatur. Leonem vero calidum & siccum, hominis siue medii generis animalium collatione, biliosos homines, calidos; pituitosos, frigidos. Sic Socratem & Platonem, quod bene temperato homine calidiores frigidioresque sint. Eadem ratione in partibus genus C aliquod partis, vt os frigidum, & siccum appellamus, quod æqualem mixtionem non habeat, vt medium summi generis, sed in eo frigiditas, siccitasque præpolleat: os vero leonis calidum & siccum, quod in eo humanum os vincat, huius vel alterius leonis os frigidum, vel calidum, si frigidius vel calidius sit, quam conueniat ossi temperato leonis. Atque hæc satis quidem de his, ad quæ collatio fieri potest, & quæ cum aliis conferuntur.

Hactenus probauimus ex Galeno, duo esse media, siue duas temperies moderatas, ad quas totum ipsum corpus, & singulas corporis partes collatas pronunciamus, temperatas, vel intempe- D ratas, calidas, frigidas, humidas, & siccas, & vnum ex illis mediis diximus esse temperatum ad pondus, id est, ex pari elementorum portione, & nihil esse in rerum natura, quantum sensus deprehendere potest, quod magis eam temperiem ostendat, quam cutis, quæ intrinsecus digitis superducitur. Itaque ad illam esse respiciendum, cum temperiem rerum expendimus, quatenus sunt corpora ex elementis temperata; alterum vero esse medium ad iustitiam temperatum, in quo non æqualem elementorum portionem ponimus, sed eam quæ iusta sit, pro cuiusque partis conditione, in qua consideramus temperiem, qualem res postulat aptam ad sua officia exercen- E da, hoc medium in omni genere rerum, quæ actiones edunt, Galenus statuit hominem esse, eum enim omnium perfectissimas actiones edere, & propterea eum merito optimam temperiem sortitum à natura. Igitur duo dumtaxat esse media, ad quæ alia omnia conferri debeant, ex Galeno patet, cutem nempe internam manus hominis, & ipsum totum hominem. Verum ratio docet, alia adhuc esse addenda media. Nam vt homo inter animata corpora & animalia medium reuera est, cum de aliorum temperie iudicare volumus, quatenus animata sunt & animalia, ita

Omnia quā maxime ad pondus esse temperata.

Hominē quā maxime esse temperatum ad iustitiam.

A cum inter bruta animalia, aut inter plantas expendere volumus, quæ nam meliore aut deteriore, aut calidiore, vel frigidiore, vel humidiore, vel ficciore temperie sint prædita, ad hominem non potest fieri collatio, quia temperiem non habent inter bruta & plantas ad actiones illorum edendas aptissimam. Quod nam igitur erit medium in diuersis speciebus? non aliud (meo quidem iudicio) spectamus, quam eam speciem, *quæ respectu aliarum oppositarum omnium est perfectissima*: nam vt in genere animalium homo optimam temperiem censetur habere, quia perfectissimas edit actiones, ita in genere brutorum, species vna aliarum regula est, quæ præstantiores actiones edit, sitque (si placet) *leo*, ad hunc ergo respicientes, dicemus alia bruta esse calida, frigida, humida, sicca, quæ s. excedunt aut deficiunt in suis qualitatibus alio modo, quam temperies leonis habet. Ita in plantis vna ponenda est aliorum regula, ad quam reliquarum temperiem conferamus. Vt autem inter species semper medium est illa, quæ præstat aliis, sic in vna specie, indiuiduum quod perfectissimas actiones edit, temperatissimum & regula aliorum est censendum, & prædictorum partes, aliorum partium erunt regula. Aliud præterea medium inter partes corporis statuendum est, ad quod respicientes, meliorem aut deteriorem ad iustitiam iudicamus esse aliarum partium temperiem. Etenim cutis medium quidem est ad pondus, non tamen ad iustitiam: nam si eas partes iudicamus meliore & iustiore temperie donatas, quæ perfectiores edunt actiones: nemo sane dicet cutem esse huiusmodi partem & regulam: nam cerebrum, cor, hepar, longe maiorem dignitatem in corpore, quam ipsa cutis obtinent. Ergo pars vna ponenda est in corpore, quæ ob suas actiones agnoscitur dignitate, & temperie reliquis præferenda, sitque illud, si placet, cerebrum. Ad id ergo respicientes dicemus, alias partes meliore, aut deteriore temperie præditas, quæ similem, aut dissimilem ei temperiem obtinent. Ex his iam patere puto, quænam, & quot sint, quæ temperata, intemperata, calida, frigida, humida, & sicca dicantur, quot modis præterea, & ad quid respicientes res dicantur, temperatæ, intemperatæ, calidæ, frigidæ, humidæ & siccæ: bonum igitur cerebrum habebit temperiem ex quatuor qualitatibus talem, qualem postulant bonæ actiones cerebri.

Leonem inter bruta esse ad iustitiam temperatissimum.

In vna specie quod medium sit ponendum ad iustitiam.

Cerebrum inter partes ad iustitiam esse quam maxime temperatum.

Ἁπάντων εἰρημένων ἕξει μετρίως.

Omnia, quæ diximus, habebit moderata.

Ex dictionis serie per *omnia* necesse est, vt intelligat capitis figuram, magnitudinem, orta à capite, nec non sensitiuas, motiuas, & principes facultates: hæc n. *omnia* dicta sunt. Verum ratio aliter suadet, nam vt figura forte fieri non potest apte secundum naturam absque bona temperie: ita magnitudo excedere potest, etiam si temperata est materia, ex qua caput est confectum: quod & ipse Gal. *antea* docuit. Eodem pacto, quæ oriuntur à capite, illius magnitudinem aliquando sequuntur. Ergo magnitudo & paruitas capitis moderatam temperiem semper non comitantur. Præterea sensitiuæ & motiuæ operationes cum non pendeant à solo principio, sed partim etiam à suis instrumentis, si bene habent, non solū temperiem cerebri, sed etiam suorum instrumentorum rectam constitutionem ostendunt. Illorum vero vitia, in solis instrumentis non vitiato cerebro consistere valent. Requirunt etiam (vt diximus) principes facultates præter temperiem cerebri, eiusdem quoque structuram moderatam, & natiuum calidum influens bene affectum. Quod si ingenium (vt ille tradit) sequitur tenuitatem & crassitiem substantiæ cerebri, erunt & illa quoque præter temperiem addenda. Illudendum tamen semper erit, bonam necessario subesse temperiem, si illæ actiones recte peraguntur: non tamen contra fit, vt temperiem necessario damnare oporteat, vbi huiusmodi

B functiones sunt vitiatæ. Nam vt bona actio nequit fieri absque concursu omnium causarum, quæ necessariæ in eo opere agnoscuntur: ita vna ex causis labefactata, actionem ipsam vitiari constat, valet ergo argumentum de temperie affirmatiue, non autem negatiue.

Καὶ τῶν περιττωμάτων ὅσα διὰ ὑπερῴας, ἢ ὤτων, ἢ μυκτήρων ἐκκαθαίρεται, καὶ τούτων ἕξει μετρίως.

Et excrementa, quæ per palatum, vel aures, vel nares, vel oculos expurgantur, hæc quoque moderate se habent.

C Præter signa prædicta alia addit excrementis, ex quibus bona cerebri temperies, indicari potest. In qua quidem re illud primum expendere oportet, quænam sint excrementa cerebri: deinde per quos meatus excerni debeant excrementa cerebri temperati: præterea quomodo moderata intelligat huiusmodi excrementa: postremo an ad huiusmodi excrementorum moderatum affluxum requiratur solum bona cerebri temperies.

Porro sunt, qui putent præcipuum cerebri excrementum esse *pituitam, quam expuimus, & emungimus*: illam enim illic gigni, & cerebrum esse illius sedem. Verum aliter res habet. Nam scribit

D Galenus *lib. 3. Methodi*, in omni concoctione corporis duo fieri genera excrementorum. Vnum tenuius, alterum crassius, & in perfecta concoctione, sua excrementa separari ab eo, quod vtile debet manere in corpore, & foras tandem excerni, vnde & excrementi nomen natum est. Quod si ita est, pituita, quæ per venas fertur commixta cum aliis humoribus excrementum non est; propterea quod cum aliis humoribus mixta est tanquam necessaria ad temperiem humorum faciendam, & nutriendas singulas corporis partes, quæ vt constant ex quatuor humoribus, ita eosdem postulant simul mixtos ad propriam nutri-

E tionem. Ergo pituita non est excrementum concoctionis, quæ in cerebro perficitur, nimirum cum humor sit, qui per venas cum aliis ad cerebrum fertur, genitus in hepate, vna cum aliis ex alimenti portione frigidiore, & humidiore: quænam ergo propria habebit cerebrum concoctionis, quæ in eo fit, excrementa: non alia quidem potest habere, quam aliæ partes, quæ ad publicam concoctionem à natura non sunt destinatæ: cuius generis sunt, solus *ventriculus, & hepar*. Hæ enim partes, cum plus concoquant, quam illis sit necessarium, plura quoque, & alterius generis procreant excre-

Præcipuum cerebri excrementum non esse pituitam.

Partes ad publicam concoctionem destinatæ.

creant excrementa: Ventriculus quidem stercus & vrinam: hepar biliosum humorem, & melancholicum. Reliquæ vero omnes corporis partes cum ex eadem massa humorum nutriantur, nempe ex eo, quod ab hepate per venas mittitur, & à singulis membris trahitur, eiusdem generis habent excrementa, vnum crassius, quod veluti sordes quædam est: Alterum est halituosus quidam vapor. Sordem suam partes viciniæ cuti, ad eam extrudunt, & ea est, quæ camisias tingit, & ex cute capitis depectitur, tanquam furfur quidam. Aliæ vero partes, quæ situm habent in corpore profundiorem, per interiores corporis meatus (vt mea fert opinio) hoc genus excrementorum extrudunt. Verum (vt antea ostendimus) pars huius excrementi, quæ viscolior est, materia fit pilorum. Vaporosum vero aliud excrementum per cutem videtur ab omnibus partibus prodire ex propria ipsius inclinatione. Porro huius excrementi exeuntis à nostro corpore, & mixti cum aere, odore commoti canes, dominos suos agnoscunt, sequuntur, & amissos inueniunt: inimicos vero, & feras venantur, & persequuntur. Itaque cerebrum non alia debet habere excrementa propria magis, quam pulmo, cor, caro, & etiam ipsum iecur, & ventriculus, quatenus postea nutriuntur, rursus elaborata adhuc portione illius massæ humoris, appositæ singulis suis particulis, quam in concoctione necessaria pro toto corpore primo elaborarunt. At si ita res habet, pituita, quæ per oculos, nares, & os emittitur, aut per neruos ad alias partes descendit, aut alio modo subiecta membra afficit, cerebri non est excrementum. Quod & ex eo etiam intelligere possumus; quia nemo vel temperatissimus, aut siccissimus caret vnquam propriis suis excrementis, vt quæ necessario ex parte dissimili, quæ est in alimento post concoctionem resultant. Pituitam vero à cerebro multi sunt, qui nunquam emungunt, vel expuunt, aut certè non pari, sed longè diuersa mensura, & qualitate, quod non contingeret (vt dixi) si esset naturale, & proprium ipsius cerebri excrementum. Multo magis illi aberrant, qui persuasi ex vulgari Medicorum opinione, credunt huiusmodi pituitam ex vaporibus ascendentibus à ventriculo, & aliis partibus subiectis, & postea concretis in cerebro, pluuiæ modo gigni. Nam ex vapore res crassa, & viscida, cuiusmodi est sæpe pituita, fieri nequit, præsertim in cerebro actu calente. Ad hæc cur, cum omnes concoquant in ventriculo, & hepate alimenta, eodem modo pituitam non emittunt à cerebro? Igitur nec in cerebro gignitur pituita, tanquam proprium eius partis excrementum, nec ex vaporibus concrescit; Sed quæ iam erat genita, & mixta cum aliis humoribus, & delata per vniuersum corpus, si forte inciderit in partes frigidiores, planè, & æqualiter assimilari nequit: verum accepta illius portione tenuiori, & calidiori, quod reliquum est, relinquitur, atque ita excernitur, & excrementum redditur: non vt id, quod absoluta concoctione, & assimilatione relinquitur, vt inimicum ad illius partis nutritionem, sed vt quidpiam iam genitum: quod ob suum vitium absumi cum aliis æqualiter non potuit. Quapropter videmus, pituitam in illis potissimum redundare, qui refrigerato sunt cerebro, aut plus alimenti frigidioris, aut etiam boni assumpserunt. Nam vbi calor plane vincere, & assimilare non potuit alimentum, illud frigidius remanere, & propterea pituitam in eo superare necesse est. Vapor autem, & calor, & frigus, etiam externa pituitam commouent à capite, non autem eam gignunt. Ita ergo de pituita, quæ emittitur à cerebro, censendum esse puto. Est aliud excrementi genus, quod per aures excernitur, sordes inquam illa flaua, & crassa, quæ naturaliter ab omnibus excernitur: eam non puto aliud esse, quam portionem illius excrementi crassi, quod in singularum partium concoctione prouenire diximus. Excernitur autem per cutis meatus ab aliis partibus. A cerebro autem, quod ossibus duris, & crassis vndequaque ambitur, nequit expirare: & propterea vtrinque colligitur, & per meatus ad id à natura in auribus comparatos, expurgatur. Est igitur hoc excrementum ipsius cerebri, quia ex concoctione, quæ in cerebro fit, gignitur. Amarum autem dicit esse Arist. *lib. 3. de part. animal. quia* inquit, *vapor, dum detentus, putrescit, & assatur.* Mihi autem non videtur naturale excrementum ex putredine fieri, quæ præter naturam est. Nec ex vapore gigni, quippe cum excrementi crassities, corpulentiorem, quam sit vapor, materiam, ex qua fiat, requirat. Quare mihi probabilius videtur, si dicamus, huiusmodi excrementum procreari ex terrena portione alimenti, quæ priores concoctiones effugit, & caloris vi tandem assata est. Ex assatione autem res amaras fieri, & tandem salsas, docet mellis coctio, & bilis generatio: cui cum simillimum sit hoc excrementum, nequaquam dissimilem habebit generationem. Alterum ipsius cerebri proprium excrementum est *vapor, qui insensibiliter ab eo, vt ab aliis partibus expirat.* Pituita autem (sicut diximus) vt non est excrementum ipsius cerebri, ita non nisi in male affectis, aut qui largiore, frigidioreque cibo, & potu vtuntur, vel alia ratione pituitam procreant, gignitur.

Sed quæcunque sint excrementa, quæ à cerebro exeunt, moderatè se habere intelligentur, *cum moderatas qualitates iustamque mensuram obtinebunt, & præterea eo modo, & tempore excernentur, quo moderata natura postulat.* Non erunt ergo calidiora, frigidiora, humidiora, & licciora, quam exigat temperies ipsius excrementi. Eadem ratione, nec in odore, colore, sapore, crassitie, tenacitate, aliquod erit vitium, quod mediocritatem corrumpat. Nullus erit in iis excessus, nullus defectus. Hæc enim intemperiem necessario ostendunt in cerebro, nisi alimenti vitium sequantur. Quod si tardius per suos meatus exeunt, aut citius, quam oportet, nisi in meatibus aliquot vitium sit, culpandæ sunt facultates naturales, & cum iis intemperies.

Cæterum cerebri propria excrementa, non nisi per aures, & insensibiliter per cutim (vt diximus) exeunt. Pituita vero ipsi vias habet paratas à natura, per os; & id est, quod expuimus: Per nares, & illud est mucus, quem emungimus: Per oculos vero, in sanis, & bene affectis corporibus nihil excernitur, imo nec per nares aliquid emittunt temperata corpora. Solam enim expurgationem, quæ per os fit, sanis corporibus sufficere scribit Galenus *libro octauo de vsu partium. capite sexto.* Quod si ita est, temere hic dici putarem eos, qui temperato sunt cerebro, & proinde omnium optime affectos, excrementa emittere moderata

Colliguntur cuiuslibet primariæ partis excrementa quot.

1 *Sordes.*

2 *Vapor halituosus.*

Pituitā per nares & oculos emissam nō esse cerebri proprium excrementum.

Pituitam quæ emungitur non fieri ex vapore refrigerato in cerebro.

Sordes biliosa quæ per aures extrahitur, quid sit.

Arist. opinio de excremento aurium improbatur.

Excrementū proprium cerebri quodnam crassū, & vnde gignatur, & cur amarū.

Quodnam tenue.

Cerebri excrementa quando sese habeant moderate.

Cerebri propria excrementa per quas vias purgari debeant.

Corporibus sanorum cerebrum tantum purgari per os.

Gal. taxatur.

per nares, & oculos. Nam si nulla debent per eas partes emittere, nec moderata, aut immoderata illa erunt: modus enim, & mensura in illis quæritur, quæ sunt. Vnde damnandi sunt Medici, qui, cum vident, non excerni excrementa per nares, iudicant aut cerebrum esse siccius, aut viam esse obstructam. Quod si contingat, ob victum grauari cerebrum, ita vt pituitam quoque per nares excerni sit necesse, nec in eo quoque casu moderata habebit excrementa cerebrum temperatum. Nam vt mediocrem vim habet agendi, ita excessus nequit plane corrigere, & mediocritatem assequi. Hæc nobis placet interpretatio. Aliam alii, si velint, sequantur.

Ἥκιστά τε βλαβήσεται πρὸς ἁπάντων τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων ὅσα θερμαίνει, καὶ ψύχει, καὶ ξηραίνει, καὶ ὑγραίνει.

Atque ab his, quæ extrinsecus occursãt, minime lædetur, Quæ sc. vel calefaciunt, vel refrigerãt, vel humectãt, vel exsiccant.

Sumit alia indicia ad dignoscendam moderatam cerebri temperiem, ab his, quæ extrinsecus lædere possunt: *& inquit, sunt, quæ extrinsecus calefaciunt, refrigerant, humectant, vel siccant*: cerebrum enim, quod temperatum est, ab illis minimum læditur. Verbum enim ἥκιστα duo significat, vt Gal. *quodam in loco in Epid.* admonet, *minime* inquam, & *minimum*. Falsum autem est, temperiem mediocrem *nequaquam* lædi posse à prædictis causis: Verum autem est, *minimum* eam lædi: quoniam ad omnes causas magis habet rationem contrarii, quam vna ex aliis temperaturis. Nam calida à frigido minus quidem læderur, à calido vero ipso magis, quã moderata tẽperies: quippe cum aduersus frigus ex repugnante contrarietate munimentum habeat. A calore vero facile trahitur ob similitudinem in morbosam temperiem. Ergo aliæ intemperaturæ contrariis suis causis facilius resistunt, quam temperata natura. Hæc vero omnibus causis *moderate*. Cæterum afficiunt cerebrum non solum, quæ alterant per primas qualitates, sed etiam quæ agunt *à tota* (vt inquit Gal.) *substantia*, vel vt philosophi aptius loquuntur, agunt *per suam formam*, cuiusmodi sunt *venena*: quæ ob suam contrariam formam vniuerso corpori, aut aliquibus partibus obsunt. An etiam magis resistet bona temperies his causis? Mihi non videtur, quoniam nec ex robore, nec ex temperie repugnantia hæc sumitur, sed ex ἀντιπαθείᾳ & συμπαθείᾳ maiore, & minore. Id quod pestes ostendunt. Illæ enim temperatiores aliquando inuadunt, & perimunt. Senes vero debiles, & intemperatiores nequaquam attingunt. Aliquando tamen aliter fit pro natura, & forma ipsius pestis, quæ maiorem, aut minorem habet analogiam cum quibusdam temperaturis. Prætermisit ergo Galen. ea, quæ agunt à tota substantia, quia nihil perpetuum habet magis, quam alia, mediocris temperies. Eadem ratione quæ vulnerant, contundunt, aut alio modo violento agunt, non minus lædunt temperatum cerebrum, quam intemperatum. Poterat tamen Gal. illa etiam comprehendere, quæ intrinsecus ascendunt ad caput, & cerebrum lædunt: Cuius generis sunt vapores frigidi, calidi, humidi, & sicci multi, &

An temperies bona magis resistat venenis quam alia.

A crassi. Eos enim ægrius forte admittit temperatum cerebrum, & ad missos facilius vincit, & concoquit, nisi in concoctione plus possit calida & humida temperies. Videndum præterea est, ne temperatum cerebrum damnemus, eo quod ob cutis, & ossium capitis raritatem, & tenuitatem facile læditur ab extrinsecus alterantibus. Sunt ergo animaduertenda illa, quæ annotauimus superius, vbi generatim notas tradidimus sumptas ab his, quæ extrinsecus agunt.

Τοῖς τοιούτοις αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς βρέφεσι μὲν οὖσιν, ὑπόπυρροι, παισὶ δὲ ὑπόξανθοι, τελειωμένοις δὲ γίνονται ξανθαί.

B *Talibus igitur capilli, cum adhuc sunt infantes, subrufi. Cum vero pueri, subflaui. Cum iam adoleuerint, flaui fiunt.*

Prosequitur signa temperati cerebri ex colore pilorum. De qua operæ pretium est hoc loco communem tractationem instituere, vt ea, quæ postea dicentur, de coloribus pilorum in singulis partium temperaturis, ex hoc loco sua principia sumere possint. De qua quidem rescribit Arist. *lib. 5. de generatione animalium*, vbi tradit, cæteris animalibus, cutis naturam causam esse, vt illa vnicolora sint, & varia: in hominibus vero cutem nihil conferre, nisi ad canitiem, quæ ex morbo accidit, vt in vitiligine apparere dicit. Naturalem C enim caniciem fieri ex putredine humoris facta à calore aeris ambientis. Reliquos vero colores, qui in pilis conspiciuntur, non aperte docet, ex qua causa fiant. Nam aliquando pilos, pennas, & cutes gigni, scribit, & variari ob varios motus, & excrementa alimenti. Aliquando vero in externas causas reiicit rationem pilorum cum scribit, aquas calidas pilum facere album, frigidas verò nigrum. Arist. opinionem alii comprobant, qui putant, agricolarum & pastorum pilos albescere, quod à calore externo afficiantur. Sicca enim à calore albescere, humida vero nigredinem contrahere, pinguia autem magna ex parte fulua, aut flaua, D aut alba reddi, cum multum contineant aeris, vt gummi, resinæ, adipes, camphora. Galenus vero *lib. 2. de temperamentis*, causam omnium colorum, qui in nostris pilis apparent, refert, vel ad vaporem, vel ad humorem. Album enim fieri ex pituita: alios vero colores fieri ex vapore fuliginoso, plus, vel minus adusto. Verum Arist. opinio mihi probabilior videtur. Nam Æthiopes cuiuscunque ætatis, & temperaturæ fuerint, pilos habent nigros non ab interno humore, vel vapore, sed ob vehementissimum solis ardorem, qui illos torret. Quinetiam mulieres nouerunt aquas diuersorum locorum, diuersos facere in capillis colores. At vero si vnicam materiam pilorum, ponit vapore fuliginoso: quo pacto E postea Galenus album colorem in illis tradit fieri ex pituitoso humore? Non enim pituita potest id facere nisi pilorum materia suppeditet. Quare recte (vt puto) nos superius ostendimus pilos fieri, *partim ex terrestri excremento, quod in tertia concoctione prouenit, internarum & externarum partium, quod vapor attollit, & natura etiam expellit ad supernas, externasque partes: partim vero ex pituitoso, mucosoque humore; cuti naturaliter subiecto, & pro huius, vel illius exuperantia, color in pilis variatur.*

Aristotelis opinio de coloribus pilorum.

Autoris opinio de materia & colore pilorum.

Verum

A Verum antequam vltra progrediatur nostra tractatio, vt intelligamus, quantum conferre possint signa, quæ sumuntur ex pilis, ad partium temperiem dignoscendam, operæprecium esse puto, hoc loco tractare, an ex pilis possimus totius corporis, partiumque singularum, & præsertim cerebri temperiem dignoscere. Scio omnes Medicos Galeni, & aliorum Medicorum autoritate commotos, id habere tanquam firmum, & ratum. Verum qui rationum momenta sequentur, aliter fieri agnoscent. Nam si naturam pilorum, & omnium differentiarum, quæ in illis notantur, causas excutiamus, inueniemus profecto capitis pilos cerebri temperies, & mutationes nequaquam sequi. Docet enim Galenus pilorum materiam esse vaporem fuliginosum, qui in cute hæret, tandemque illam perforat, & in transitus difficultate eam, quam videmus in illis esse, formam recipit: quæ quidem mutatur pro excrementi illius, & cutis varia conditione. Atqui nec excrementum illud nascitur à cerebro, à quo tam numerosa copia capillorum, & barba fiunt, nec per cerebrum transit. Nec vero cutis ipsa capitis commune quidpiam habet cum temperatura cerebri. Mirum profecto esset, si cerebrum frigida pars, & humida tantum procrearet excrementum, quantum requirunt pilorum multitudo, & incrementum: sic enim oporteret reliquas partes corporis, quæ calidiores sicciores que sunt, & maiorem substantię molem obtinent, quam cerebrum, in cute sibi obiecta, & supertensa, comam gignere & alere multo maiorem, quam videamus in capite & barba. Cur ergo hepar, cor, nates, plures & longiores, & crassiores non habent pilos, quam caput? Addo quod Galenus *in lib. 10. de vsu partium* scribit, materiam pilorum capitis, magna sui parte à toto corpore consurgere, tanquam siccæ exhalationes, quæ suapte natura superiora loca petunt, mirum enim & perpetuum oporteret esse in cerebro ardorem, & ignem, qui tantam fuliginem à se ipso excuteret. Quod si hæc fuligo transiret per cerebrum crassum, viscidum, densum, cur in eo non fiunt tumores præter naturam? vel perpetua deliria? aut saltem non sentitur ardor? vel non consumitur, quæ in eo est pituita? aut in dissectionibus non apparet cerebrum infectum, & maculatum ex ea fuligine? Sed per quam, quæso, viam ei pateret aditus? nullus certe alius est idoneus nisi per suturas. Nam ossa alibi solida, dura, & densa, imperuia sunt crassæ materiæ: quandoquidem nec etiam probabile est, vapori tenui & halituoso viam dari posse. At si solum per suturas transeunt ea excrementa, pili solum in cute, quæ suturas tegit, aut certe in ea parte maxime abundarent, nec vnquam caluities illis fieri posset. At in occipite, & circa tempora plurimi pili fiunt, qui nunquam decidunt. Vbi autem sunt, recta, & coronalis suturæ, raræ, & latæ, pauciores sunt pili: vnde calui ea parte potissimum fiunt homines. Non ergo per internas partes ossium, nec per cerebrum ipsum transit materia pilorum, quæ ab internis partibus attollitur: sed *per venas, & arterias, quæ extrinsecus sub cute feruntur*. Quid ergo possunt pili ostendere de temperie cerebri, si illorum materia in cerebro non fit, nec illud attingit? At nec cutis natura cerebri temperiem sequitur: fit enim illa dura, mollis, crassa, tenuis, pro natura sanguinis,

An ex pilis possimus totius corporis partiumque singularum, & præsertim cerebri temperiem dignoscere.

Materia capillorum per quas venas ad cutem capitis perueniat.

quo nutritur, & propria sua temperie. Rara autem & densa ob qualitates externarum causarum, vel ipsius quoque sanguinis ex quo nutritur. At sanguinis mutationes, *hepatis & cordis temperiem sequuntur*. Sed aliis argumentis hanc opinionem conuellamus. Nam si capilli, & barba sequuntur temperies cerebri, cur fere omnes homines ætate declinante, vel etiam florente, nigros illic habent pilos: cum tamen plurimi ex illis cerebri temperie differant? cur præterea rufi, qui ob hepar & humores in eo genitos, tales sunt, capillos quoque & barbam per omnes ætates vsque ad senectutem habent rufos, vt in B Scotis apparet, qui omnes fere tales habent pilos, non eandem tamen temperiem cerebri? Ego certè, quicquid dixerit vnquam de hac re Galenus, nunquam potui, nec alium puto agnoscere posse temperiem cerebri ex pilis. Nunc vero reddendæ sunt causæ colorum, de quibus mentionem facit *in hoc textu*.

Sanguinis mutationes unde.

Scribit igitur eos, qui temperatum habent cerebrum, in infantia capillos *capitis* habere subrufos: & recte quidem dixit, *capitis*: quoniam infantes pilos solum habent in capite. De his coloribus scribit Galenus in *lib. 1. de Cris.* vbi dicit, rufum colorem à flauo & pallido ita differre, quod C pallidus sit magis albus rufo, & rufus flauo: & quod rufus magis ad album, & flauus ad splendidum magis vergat. Subrufum autem & subflauum colorem, ait repræsentari, si sanguinis partem subtiliorem, & serosam, & bilem rufam aquæ permisceat. Subpallidum ostendit color paleæ tritici. Hos colores, vt paulo antea notauimus, Galenus non ex eadem materia gignit. Nam album ex pituitoso humore: rufum vero, vt qui scilicet sit medius inter album & flauum, ait fieri ex limo pituitosæ biliosæque materiæ, nigrum vero ex vapore conuerso in exactam fuliginem: flauum ex vapore minus tosto: verum si vnica materia est pilorum, vt ille docet, *vapor*, quomodo D pituita erit materia albi pili? & qualem, quæso, fæcem imaginatur ex bile, & pituita fieri? & quomodo niger & flauus pilus fient ex solo vapore, rufus vero ex solidiore materia? cur etiam ex fæce sanguinis, aut ex ipso sanguine, aut eius vapore non dicit fieri colorem aliquem in pilis? Nam si ex pituita abundante in corpore sumitur materia aliquorum pilorum, & colores, qui in illis apparent, cur eadem non dicemus fieri à sanguine? Addo quod si ab humoribus ipsis sumitur pilorum materia, & color, nequaquam licebit de temperie solidarum partium ex pilis iudicare. Postremo non est necesse, vapores esse nigros, qui ex nigra materia, nec flauos, qui ex flaua consurgunt, E vt ostendunt destillationes, quæ fiunt ex herbis, & aliis rebus vi ignis in vasis vitreis, aut plumbeis. Quis enim vidit vnquam virides vapores ex viridibus herbis attolli, aut ex pice nigros? & in quo, quæso, loco, in corpore, & quando torrentur illi vapores? An in ipso transitu momentaneo, dum ab internis partibus ad externas euolant? & quam ob rem nos sensibiliter non calefaciunt, si ita sunt torridi & adusti? Hæc quidem absurda sequuntur Galeni opinionem, cum nunc ex vna re, nunc ex alia pilos, & omnia, quæ in pilis apparent, fieri scribit.

Colorum distinctio.

Causæ colorum pilorum ex Gal. expenduntur.

Aristoteles *ex humore* rectius sentit pilos gigni: sed cum non explicet, ex quibus humoribus

gigni possint, cogimur ab illius opinione recedere, cur enim ex sanguine non fient pili, sicut ex pituita, & humore melancholico?

A

Quare persisto in ea opinione, vt credam, *pilos fieri ex terreno illo excremento, quod in tertia concoctione in singulis partibus gignitur, & postea misceatur cum eo pituitoso humore cuti subiecto.* Ita enim seruatur natura fragilis, & continua ipsius pili, & colores, & aliæ differentiæ, quæ in illis apparent. Nam vt bilis, & aliorum humorum qualitates, & consistentia mutantur ob materiam, quæ assumitur, & diuersas temperies corporis: ita absurdum non est, illud excrementum terrenum mutari ita, vt in quibusdam ætatibus & temperaturis nigrum sit, in aliis vero alio colore, aliisque qualitatibus præditum: Quod quidem postea cum exacte misceatur cum pituitoso illo humore subiecto cuti, differentias illas facit, quæ in coloribus apparent, superante plus, vel minus: nunc vna, nunc alia materia, Non mirum ergo, si in infantia temperati, pilos habent subrufos: quomodo *tunc recenter ex sanguine concretum est corpus, & proinde excrementum, quod in tertia concoctione gignitur, sanguinis ichorem quendam refert.* Ex tali enim materia cum exigua bilis portione mixta, et aquoso, vel pituitoso humore, talem colorem gigni, ex Gal. antea ostendimus. Cum vero talis temperies fuerit in pueritia, subflauos reddet capillos, quomodo siccescente corpore, calor iam acrior redditur, & propterea plus bilis gignitur, & excrementum etiam illud, ex quo pili fiunt, biliosius quoque fit. Cum vero adoleuerit, hæc temperies, flauos, inquit Gal. reddit capillos: quod mihi admodum probabile non verum, primum quod non videamus aliquos in aliqua ætate flauos habere capillos, nisi temperiem plane biliosam habuerint. Deinde quod Gal. *lib. 1. de Cris.* scribat, flauum colorem fieri ex puro, & splendente vi ignei caloris ipsa bile, At si temperati, cum adoleuerint, talem procreant bilem, qualem, quæso, procreabunt, qui ab initio calidi, & sicci esse censentur? Nam vltra flauum colorem, nullus alius est, qui purioris, & calidioris bilis certius sit indicium. Cæterum omittit Galenus colorem pilorum, qui in iuuentute, & declinante ætate, in tali temperie esse debet. De qua quidem re videtur agere *in 2. lib. de temperamentis, cap. 5.* vbi dicit, capillorum nigrorum multitudinem indicare æqualem, siue temperatam cerebri temperiem. At si illi nigros habent pilos, quales nam habebunt qui natura biliosi sunt, aut melancholici? At si temperati in ea ætate ita adurunt humores, vt ex adustione nigri reddantur, quid facient alii, qui ab initio igneum habent calorem? Nos vero eæ angustiæ non premunt, qui non per adustionem vnius humoris, qui primo subpallidus, deinde pallidus subrufus, rufus, subflauus, flauus, & tandem niger euadat: sed ex naturali excremento, quod quotidie in nobis gignitur ex eo, quod relinquitur terrenum, in nutritione singularum partium, pilos gigni dicimus. Nam vt videmus pro varietate temperaturæ, & nutrimenti, sordem quæ tingit nostras camisias, nunc flauescere, nunc nigrescere, vel aliis coloribus prædictis præditam; ita mirum non est, si pili, qui ex portione eiusdem materiæ nascuntur, progrediente ætate mutantur: & in eadem ætate ob diuersas temperaturas, & viuendi rationes, colorem mutant. Igitur *quia*

Pilorum materia & causa colorum.

Pili cur in infantia fiant subrufi.

Quinam habeant pilos flauos.

Autoris sententia diuersa à Galeno.

A *declinante ætate plurimum humoris melancholici in omnibus gignitur ex ipso alimento*, non ex adustione alicuius humoris, sed *vi ipsius temperaturæ*, quæ tunc viget frigida, & sicca, non mirum, si illud quoque excrementum, ex quo pili fiunt, tunc atrum quoque euadit, vt in superioribus ætatibus eos colores referebat, quales erant alii humores, & temperaturæ propriæ singulis ætatibus.

Capilli cur in ætate declinante fiant atri.

Μεταξύ πως ὅσοι μέν τι ἀκριβῶς οὔλων καὶ ἁπλῶν.

Mediique sunt inter eos, qui omnino sunt crispi, simplices.

B

Nunc Galenus signa prosequitur eiusdem temperaturæ, sumpta à pilorum figura. De qua quidem re agit. Arist. *in lib. 5. de generat. animalium, cap. 3* etsi non satis aperte hanc rem tractat. Ait enim crispos fieri pilos ob fumosam exhalationem, quæ sua caliditate sursum, & ob terream substantiam deorsum fertur. Composita namque exhalatio ex ignea, & terrea substantia, diuersos motus habet: ob igneam enim portionem, sursum, ob terream deorsum mouetur. Ex contrariis autem illis motibus, necesse est figuram pilorum intorqueri. Ergo ob naturam exhalationis, Arist. teste figura pilorum variatur. quibus enim C ex diuersis naturis confecta est, crispos illi pilos habent, quibus autem ex vna, vnicum motum affectante, simplices erunt. Ergo quibus calida solum, aut terrea solum, simplices erunt pili. Ab aeris ambientis temperie mutari figuram pilorum, *eodem loco* testatur, *siccus enim aer*, inquit, *euaporata humidiori portione, pilos contrahit, vt videmus fieri, cum iuxta ignem admouentur.* Ad humoris abundantiam, & paucitatem, & pilorum figuram referri acceptam *eodem loco* clara est sententia. Scribit enim, *simplici sunt pilo, qui humoribus abundant*: vnde Scythæ, quoniam humidi sunt, tali pilo sunt præditi: Æthiopes vero crispo, quoniam sicco sunt cerebro. Galenus autem *lib. 2. de temperam.* propter siccitatem temperamenti, vel propter meatuum, in quibus radicantur, obliquitatem crispos fieri pilos scribit, cum tamen postea in tres causas crispitudinem pilorum referat, nimirum in temperamenti siccitatem, meatus obliquitatem, exhalationisque imbecillitatem. Verum ad Arist. opinionem illud dici potest, quomodo intelligere possimus, quorundam pilorum materiam constare solum ex calida exhalatione? An non omnis pilus necessario habet terrenam materiam & quid, quæso, conferre potest ad figuram hanc pilorum mixta hæc materia? Nam vbi ad cutim iam peruenit, quæ caput tegit, cogitur terrena, & ignea portio eundem motum sequi. Præterea quod de humoris abundantia scribit, dubium est, an scilicet intelligat humorem, ex quo pili ipsi fiunt, an illum potius, quo cutis constat. Mihi videtur, vtrumque intelligi posse. Nã vbi materia pilorum copiosa est, ea sibi faciliorem molitur viam per cutim: & hæc vbi mollis est, promptiorem transitũ præstat. Gal. vero si siccitatẽ nostri tẽperamenti intelligit, & ipsius cutis, omittit causã crispor ũ capillorũ, quę ducitur ab aeris siccitate, & ardore: & posita siccitate cutis, frustra videtur ponere aliã causã ex obliquitate meatuũ. Hæc enim non aliter videtur fieri, quam ex siccitate inæqualiter

Gal. sententia de figura pilorum.

Aristot. & Gal. opinio expenditur.

Autoris opinio de figura pilorum & primo de crispis.

qualiter constringente. Quare vt colligam immediatas causas, & inter se natura distinctas, dico pilos fieri crispos, *vel ob aeris caliditatem & siccitatem, vel arte*, quo modo mulieres suos capillos intorquent calamistris, *vel ob meatus cutis obliquitatem, vel ob exhalationis imbecillitatem*. Nam ab aere calido, & sicco pili intorquentur ebibito eorum humore, posteaquam ex cute illi prodierunt. Eo sanè modo, quo ignis eosdem conuellit & contrahit. Et hac de causa Æthiopes crispo sunt pilo. Cum vero meatus ob nimiam siccitatem sunt constricti, obliqui, & exsiccati redditi, exhalatio nequit per illos rectam viam sibi moliri, sed cogitur per anfractus ferri. Atque ita in radice pili contorquentur: Id quod etiam fit, cum exhalatio est imbecilla: Vt enim debilis flamma sursum agi prohibita, in obliquum fertur; sic cum paucum est excrementum, vel debiliter mouetur ab eo, quod illud extrudit, vel attollit, viam rectam sibi parare nequit, sed in latus flectitur, & per obliquas, sed faciliores vias sibi exitum parat. Qualem vero figuram intus sumunt, talem foris retinent: *dura enim & sicca corpora, obliquaq; facta, in rectum fingi nequeunt* (inquit Galenus) *nisi molliantur.* Quod si hæ causæ veræ sunt, sequitur parum crispos fieri pilos, quibus aut hæ tres causæ parum admodum à mediocritate recedunt, nempe paulo siccior cutis est, & simul paulo imbecillior exhalatio, & aer paulo siccior, vel quibus vna ex illis plusculum exuperat. vehementer autem crispi accidunt illis, quibus aut tres causæ coeunt paulo validiores, aut duæ adhuc, quæ maiorem vim habent, aut vna etiam validissima, vt in Æthiopibus apparet. Nam etsi inter illos dubium non est, aliquos reperiri, qui cute sint humidiore, & abundent valida exhalatione, multoque excremento, ex quo pili fiunt, omnes tamen admodum sunt crispi, ob solum aeris ardorē. Cæterum ex contrariis causis fiunt plani & recti pili, nempe ex valida exhalatione, cutis mollitie, & aeris temperie, quæ non sit admodum calida, vel sicca. Porro videmus quosdam habere pilos in fine diuisos, vel etiam in aliis suis partibus. Alios vero habere vnitos. Cuius rei causam nullus scripsit. Videtur autem mihi ea sumenda ex modo implicationis materiæ, quæ pilos gignit: fuliginosa enim illa excrementa, vel potius sordes illæ, quas diximus esse materiam pilorum, sese implicant, aliquando arctius, aliquando leuius cum humore glutinoso: atq; ita pili, qui leuius glutinantur, absumpto humore, quo coniungebantur, diuiduntur ea parte, qua erāt perperam glutinati. Alii vero indiuisi manent, qui tenacius sunt coniuncti.

Pili plani & recti à quib. causis fiunt. Cur pili sint diuisi in fine vel vniti.

Οὐ μὴν γε δὲ φαλακροῦνται ῥᾳδίως.

Non tamen facile caluitium patiuntur.

Quid caluities sit, & quæ illius causa, cur præterea aliqui caluescant, alii vero non, & quamobrem in certis partibus caluities contingat, in aliis vero nequaquam, & quæ demum causa sit, cur senilis caluities corrigi nequeat, hoc loco à nobis docendum est. Porro caluitiem non vocamus esse, quando pili decidunt per morbos cutis, erosis radicib. pilorum à vitiosis humoribus, quos natura in ipsa cute gignit, aut ad illam eosdem extrudit, vt nobiliores partes expurget, vt in alopecia, & in vulgo dicta Pelarella ex lue Venerea nata

Caluities quid.

A contingit, sed quæ ob senectutem fit, aut ob eas causas, quæ in aliis ætatibus idem efficiunt, quod illæ præstant, quæ in senectute caluitiem afferunt. Cæterum Aristoteles in *libro 5. de generatione animalium, cap. 3. caluitiem fieri* scribit *inopia calidi humoris, qualis præcipuè est humor pinguis. Unde nemo*, inquit, *caluescit antequam coire incipiat*: & propterea addit, mulieres non caluescere, quoniam earum natura similis est naturæ puerorum, quæ sterilis est seminalis excrementi. Qua quidem in re illud compertum non habeo, an non caluescant, qui ad extremam senectutem perueniunt casti. Deinde etiam si hoc fit, tamen hoc non accidit ob penuriam humoris

Caluities quomodo fiat ex Aristot.

B pinguis: sed quia Veneris vsus aliquid facit, ad quod sequitur caluities, vt postea ostendemus. Præterea falsum est, mulieres caluitiem non pati, sæpe enim vetulas videmus pilis nudatum habere caput, & hoc vitium alieno crine tegere. Quod si forte mulieribus id accideret, non tamen ea ratione puto contingere, quod semen illæ non emittant, vt Aristoteles putauit: nam id antea cum de generatione nostri corporis ageremus, abunde refellimus. Quid præterea confert humor pinguis ad pilorum generationem & conseruationem, dum in corpore est? aut ad caluitiem, cum excernitur? Quod si aliquis est pinguis humor ad pilorum tutelam necessarius, non

C tamen ille ex semine petitur: nec excreto semine ille simul erit: alioqui caluescerent homines in omni capitis parte: nimirum cum vnam potius, quam aliam non afficiat excretum semen in temporibus non solet fieri caluities, nec in occipite, sed in sincipite. Sed re vera *nullus est humor pinguis necessarius ad pili constitutionem: sed sufficit viscidus & pituitosus, qui cutis naturaliter semper subest, & maxime in senibus abundat.* Aut si absque humore pingui pili non constant, vt apparet in tabidis, qui *consumpto humore viuentibus proprio, calui redduntur: tamen hic non est vt materia pilorum, sed vt caloris subiectum, qui materiam pilorum procreat.* At vero Galenus *in 2. de tempera-*

Cur tabidi reddantur calui.

D *mentis* aliter statuit de caluitie, illam enim fieri scribit *ob siccitatem cutis. Quemadmodum* (inquit) *cum terra exsiccatur, herba decidunt: ita & pili in cute arida & sicca consistere nequeunt.* Verum non eadem est ratio de ortu, & casu herbarum & pilorum: nam Solis ardor, aut vehemens frigiditas, quidquid extat in terræ superficie, absumit. Cutis vero nostra, etsi rugosa est, cum peruenimus ad senectutem, tamen adhuc est mollis, & multo humore perfusa. Præterea videmus senibus decidere pilos in cruribus, brachiis, & vniuersis partibus corporis, in quibus tamen nemo cutis tantam ariditatem agnoscit, quæ pilos abigere possit. Caluescunt Eunuchi, in quib. humor abundat: nec nō *iuuenes*, in quibus siccitatis non potest esse tantus excessus, vt cutis illorum ob ariditatem inepta fiat ad pilorum generationem & conseruationem. *Non ergo siccitas per se causa est caluitiei.* Quod cum videret Montanus dicit, ob id senes caluitium pati, quoniam eorum cutis ob siccitatem latiores meatus assequitur, in quibus pili firmari non possunt. In qua quidem re non solum rationi, sed etiam experientiæ repugnat. Nam siccitas sine humore raritati repugnat: raritas enim non fit sine distensione & dilatatione quadam, cui siccitas refragatur: quod

Gal. sententia de causis caluitiei.

E

Montanus confutatur.

ostendit terra, quæ quoniam est siccissima, est densissima. Præterea siccitatis non est rarefacere, sed caloris, vt Galenus ostendit *in libris de simplicibus.* Corpus autem, quod rarefit, nec siccum, nec humidum nimis esse debet. Illud enim dilatari, & rarefieri nequit: in hoc vero concidunt meatus, nec multi & ampli seruantur, vt rari corporis natura postulat. Addo, quod cutis senum rugosa tangitur, & videtur. Id quod aduersus raritatem facit: nam ex rugis meatus occluduntur. Igitur cutis siccitas & durities aliquid quidem confert in senibus ad caluitiem, sed præcipua huius rei causa, tam in illis, quam in aliis omnibus sumitur ex penuria excrementi terreni, & sordidi, ex quo diximus pilos procreari, vt Galenus *in 14. Meth. cap.* 18. apertè ostendit, vbi ita scribit: *siquidem ostensum in his est, quod ex succis, qui per cutem transpirant, quod limosum est, id pilos tum à principio gignit, tum de cætero veluti succrescendo auget. Hoc igitur quoties vel prorsus perit: vel redditum vitiosum, toties pilos corrumpi est necesse. Ac prorsus quidem perdito eo, qui pilos alit, succo, caluities oritur. Eodem vitiato, ophiasis, & alopeciæ proueniunt.* Hæc igitur est vera & præcipua causa caluitiei, *penuria excrementi terreni*, quod per cutem exhalat. Sed forte quis dicet, quo modo deficere illud possit; quippe cum illud ipsum, excrementum esse posuerimus tertiæ concoctionis: Vt enim concoctio nunquam deficit, interim cum viuit animal: ita semper oportet excrementa gigni, quæ ex concoctione necessario resultant. Equidem non ignoro, quædam fieri excrementa ex omni concoctione: Sed vt ob temperiem diuersam corporis nunc bilis, nunc pituita, nunc humor melancholicus augentur, & minuuntur; Ita sentiendum est de illo sordido excremento. Vbi enim admodum refrigeratum est corpus, minimum illius gignitur: nimirum cum illius generatio non fiat sine aliqua adustione, sicut flaua bilis & atra. Vt ergo in senibus illi, ita hic humor, deficiunt, & viget pituita refrigerato ætatis cursu, vel ex morbosis causis corpore. Accedit quod ad pilorum generationem in partibus, quæ minimum concoquunt, & propterea exiguum illius excrementi procreant, necesse est è partibus subiectis eam materiam attolli: quod ægrè, & tandem nullo modo fit, deficiente calore, qui exhalationum est causa. Igitur non mirum si sinciput, & capitis vertex promptissimè caluescunt: Tempora vero, & occiput difficillimè: Nam illæ partes cum sola cute absque carne teguntur, exigua egent nutritione, & propterea minimum ex ea prouenit terreni excrementi: Atque ita nequit ex concoctione, quæ fit in ipsa cute, materiam moliri, quæ sufficiat ad augendos, & conseruandos pilos. Ac cum deficiant etiam exhalationes eiusdem excrementi, deficiente calore, nulla relinquitur materia ad retinendos pilos apta: Aliæ vero capitis partes cum carnem ex musculis habeant subiectam, aptæ sunt in se gignere tale excremētum ex abundante nutrimento, quo carnosæ partes egent: propterea pili in illis optimè nutriuntur & conseruantur. Eadem quidem ratione ob frequentem Veneris vsum cadunt pili, refrigeratur enim corpus semine, & spiritu multo cum illo excreto. Pari ratione Eunuchi amittunt barbam, & alios corporis pilos: *quoniam exsectis testibus vniuersum corpus refrigeratur & humectatur*, atque ita minimum illius inexcrementi prouenit. In pudendis rursus & axillis seruantur pili vsque ad vitæ extremum, *quia illic calor abundat felicissimæ concoctionis, & plurimi excrementi autor.* Ex tibiis vero progrediente ætate effluunt pili, nequeente calore sese spargere in partes illas distantiores, & natura frigidiores. Tabidis pariter decidunt pili, cum iam morti sunt propinqui: quoniam consumpto iam fere omni humore, calor languescit, & marcescit, ita vt nequeat amplius illius vi elici torridum ex nutrimento excrementum. Qui vero ex longioribus morbis caluescunt, rursus pilosi fiunt, victa tandem, & mutata morbosa temperie. In senibus vero nullum remedium caluitiem emendare potest: *quia indies illorum calor necessario minuitur.* Atque hæc de caluitie sufficiant.

Autoris opinio de causis caluitiei.

Obiectio. Quo modo materia pilorū possit deficere.

Cur sinciput prompte tempora difficile caluescant.

Venerei cur fiant calui.

Cur itidem Eunuchi.

Pudenda & axillæ cur nunquam amittant pilos.

Caluities cur in senibus sit incurabilis.

Ἀκούειν δὲ χρὴ τῶν εἰρημένων τε καὶ ῥηθησομένων γνωρισμάτων, ὡς ἐπὶ εὐκράτων οἰκούντων.

Quæ vero dicuntur, ac posterius dicenda indicia sunt, accipere oportet, vt in bonam habentibus temperiem habitationibus.

Quoniam inquit Galenus signa, quæ dicuntur ostendere optimam corporis constitutionem, & quæ postea tradentur indicia, ex quibus non solum cerebri, sed etiam aliarum partium temperiem dignosci ostendet, variari possunt ob intemperiem regionis, admonet, eas notas, quas scribit solum veras deprehendi in regione temperata; regiones vero intemperatas illa immutare: Ne igitur tribuamus temperaturæ, quod regioni ascribendum est, rectè admonet, non nisi in regione temperata sua signa esse examinanda. At forte videbitur hac ratione inutilia Medicis præcepta tradere: quippe cum pauci sint, qui inhabitēt regiones temperatas. Verum aliter res habet. Nam temperatam regionem non intelligimus, quæ prorsus, & exactè est media in omni excessu qualitatum: sed quæ magnos excessus non habet. Sic enim Galenus *tertio Aphorismorum* 14. *Aph.* regiones omnes temperatas vocat, illis exceptis, quæ sunt vel in climate frigidissimo, vel calidissimo, & remotæ à mari. Quæ enim prope mare sunt, etiamsi in climate frigidissimo, temperatæ tamen dicuntur: quoniam frigiditatem remittunt ex ventis calidis, sicut ex frigidis caliditas regionis temperatur. *Sic cap.* 85. postea aerem intra mediocritatis terminos contentum vocat, qui propter frigus vehemens horrorem non excitat: neque propter æstum, sudorem. Reliquos autem mediocres excessus caloris, vel frigoris, humoris, vel siccitatis, sub temperato aere comprehendens. Temperatissima vero illa est, quæ omnino media est inter omnes excessus. An vero talis sit, quæ est sub æquinoctiali, vt Auicennæ placuit, & nauigationes nouæ ostenderunt: An potius quæ sub quarto est climate, vt voluit Gal. An potius, quæ sub quinto climate, vt sensit Auer. vel sub sexto, vt Manardus, non est hoc loco discutiendum. Nec illud etiam quærendum, quæ sint causæ caloris, & frigoris in aere: An scilicet possint esse stellæ aliquæ vel calidæ, vel frigidæ, vt videmus vna die calorem vehementiorem esse præterita, vel sequente: vel potius motus Solis in Zodiaco, qui facit Solem ad nos magis appropinquare,

Regio temperata quomodo intelligatur.

Sub quo climate sit regio temperatissima.

Causæ caloris & frigoris in aere.

pinquare, vel distare, vel tardior, aut velocior motus ipsius solis. An potius diuturna mora solis super terram, vel omnes simul istæ causæ concurrant, & quæ similia sunt, à nobis sunt omittenda Philosophis, ne omnium tractationem amplecti velle videamur. Illud vero videamus, an omnia signa prædicta, quibus partium constitutionem, & potissimum temperamenta dignoscimus, solum locum habeant in regionibus temperatis. Certè fons signorum, qui sumitur ab essentia, ita habere agnoscitur. Qui enim in frigidis regionibus degunt, etiamsi natura nati, & facti sunt temperati, exterius tamen frigidiores apparent, calore scilicet externarum partium ad internas à frigido aere repulso: vnde inæquale illorum temperamentum redditur, cum internæ partes caleant, externæ frigeant. Contra vero in regionibus calidioribus ob aeris ambientis æstum, ab internis partibus calor euocatur, vnde externæ calidiores, internæ frigidiores apparent, plusquã natiua illarũ tẽperies postulet. Variatur quoq; ob aeris ambientis conditionẽ, figura & magnitudo partium. Nam Æthiopes omnes propemodum labris crassis, naso simo. Hispani vero adunco potius naso, & oblonga facie: rotundiore vero Angli, & Flandri præditi apparent. *Ex sola enim vultus figura nationes hominum distinguimus.* Variatur quoque ob eandem causam signorum fons, qui à secundis qualitatibus sumitur, Candidiores enim sunt Galli & Germani; Fului & rufsi sunt Scoti. Rossi Angli. Bene colorati, qui proximas Galliæ partes incolunt, Itali, vt Pedemontani, Longobardi, Hetrusci. At Romani, Neapolitani, & maxime Siculi liuidiores apparent. Atri & nigri iam sunt Æthiopes. Sic durior & asperior cutis in calidioribus regionibus tangitur. Mollis, & lenis in frigidis. Quinetiam actiones ob regionum temperiem mutantur. Hinc Gal. in 2. *de temperam.* Gallos scribit esse furibundos, consilii præcipites: propterea quod sanguis vna cum spiritu ad internas partes propulsus, & illic veluti coarctatus, cor vehementius agitat. Contrario modo affecti sunt qui calidas regiones incolũt, Illi enim timidiores, & imbecilliores dissipatis spiritibus & natiuo calore euadunt. Redduntur quoque homines. ob aerem, in quo degunt, alii perspicaciores, acutiores, ad motus, & denique ad omnes animi & corporis actiones peragendas, aptiores. Variantur pariter & somni, vigiliæ, concoctiones, vniuersa nutriendi ratio, & quæ ex ea resultant excrementa, ob easdem causas. Ergo signa omnia, quæ dicta sunt, & etiam dicenda: & non solum quædam, vt Montanus perperam interpretatur, variantur in regionibus intemperatis, nec ostendere possunt natiuam constitutionem & temperiem: quandoquidem etiam adulti, qui transeunt in alienas regiones, & ibi diutius habitant, paulatim degenerant à sua natura, ac non solum mores, sed etiam corporis habitum induunt peregrinum: tanta quidem est vis aeris, in quo viuimus, & aquarum, quibus vtimur.

Figuram corporis variari ob regiones.

Secundas qualitates variari ob regiones.

Actiones mutari ob regiones diuersas.

Ὅσαι δὲ κατὰ τὰς τρίχας, οὐκ ἐπὶ χωρίων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς τῶν χυμῶν κράσεως, ἀνάλογον ἐχούσης τῇ κράσει τοῦ κατὰ τὸν ἐγκέφαλον.

Quæ autem ad capillos attinent, non ad locorum tantum, sed ad humorum quoque temperaturam, cerebri temperaturæ proportione respondent, sunt referenda.

Quid obseruandum sit, cum ex aliis signis diiudicare volumus corporis & partium constitutionem & temperiem, docuit: nempe quod in regione temperaturam & vim signorum perpendere debeamus, nescilicet impressiones ab aere intemperato factas, naturali constitutioni tribuamus. Nunc cum ex pilis volumus dignoscere temperiem corporis, docet, aliud præterea esse animaduertendum, vt scilicet videamus, an humores, qui sunt in corpore, proportione respondeant temperaturæ cerebri. Si enim ita fiat, tunc pili vera erunt indicia temperaturæ cerebri alioqui nequaquam. Quid vero hoc ipsum sit, quod scribit, *humores respondere proportione temperatura cerebri*, non rectè (vt puto) interpretes explicant. Nam Montanus non humores, sed aerem ipsum proportione respondere temperaturæ cerebri, aliquando scribit: aliquando vero de ipsis humoribus idem interpretatur. Sed in quo constat hæc proportio, an in consensu, vel repugnantia temperaturæ inter humores, & cerebrũ, non satis explicat. Alii vero hanc proportionem intelligunt, si talis fuerit temperatura cerebri, qualis est temperies humorum: Tunc enim nobis licere ex pilis indicare de cerebri temperie. Si vero hæc inter se temperie differant, fallax esse iudicium. Ego vero aliter sentio. Si enim forte humores corporis fuerint adusti, & copiosi, & cerebrum pariter calidum & siccum, non vtique licebit dicere, quod ex nigris & multis capillis calidum & siccum temperamentum cerebri sit. Nam ex solis humoribus id fieri potest, nihil ad hoc conferente cerebro. Oportet ergo humorem, ex quo pili gignuntur in capite, talem esse, vt ei ascribere non possimus id, quod pilis fit: sed solum ipsius cerebri temperamento. Quod fiet, si humor vel mediocritatem inter omnes excessus habeat, vel cerebri temperamento contrarietur. Tunc enim licebit colligere, qualis sit temperies cerebri: veluti si excrementum fuliginosum, quod à profundis partibus consurgit, quantitate, & qualitate mediocre sit, aut parcius & non adustum, gignuntur autem pili in capite multi, & nigri, signum est, non ex ipsis humoribus eos esse genitos, sed cerebrum esse calidum & siccum: vtpote quod plurimum excrementum in seipso gignat, & adustum, ex quo multi & nigri pili nascuntur. Sic & in aliis differentiis res intelligatur: vt dicamus proportione respondere excrementum cerebri temperaturæ, quod ei repugnat: quale esset, quod vehementer est contrarium naturæ cerebri, vt illi omnis effectus tribuendus sit. Nec ita consentit, vt quid à cerebro nascatur, intelligi non possit, sed quod tale est, vt actionem cerebri sequatur. Illud autem (vt diximus) est quod nec multum contrariatur, nec in consensu superat, quod à temperie cerebri potest prouenire. Hæc quidem est Gal. sententia: sed quidquid sentiat, nunquam efficiet, vt certa aliqua indicia sumi possint ex capillis ad cerebri, vel aliarum partium internarum temperiem dignoscendam, vt antea ostendimus.

Quid sit humores respondere proportione temperatura cerebri.

Montani interpretatio reprehenditur.

Autoris interpretatio.

Εἰ δὲ θερμότερος εἴη τοῦ συμμέτρου, κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ἀντίθεσιν ὑγρότερος, οἱ μὲν ἐπὶ ταύτῃ

A εἴη θερμότερος, ἰσχυρὰ πάντα τὰ ῥηθησόμενα γνωρίσματα· βραχείας δὲ τῆς ὑπερβολῆς ὑπαρχούσης, ἀμυδρά. κοινὸς δὲ οὗτος ὁ λόγος ἐπὶ πάντων εἰρήσθω μοι τῶν μορίων, τῶν ἐν πάσαις ταῖς κράσεσι μελλόντων λέγεσθαι γνωρισμάτων.

Si vero calidius sit, quam oporteat, in altera vero oppositione bonam habeat temperaturam: siquidem in calitate excesserit, omnia, quæ dicentur, validiora erunt indicia, sed si paruus fuerit excessus, imbecilla. Communis autem hæc ratio statuatur in omnibus partibus, quarum in temperaturis vniuersis indicia sumus tradituri. B

Docendi ratio postulat, vt posteaquam docuit signa temperati cerebri, prosequatur indicia spectantia ad intemperaturam: quippe cum medicina non solum temperatis, sed etiam aliis omnibus suam operam polliceatur. Ac quoniam inter intemperaturas quædam sunt simplices, aliæ compositæ postulat pariter docendi methodus, vt à simplicibus exordiatur, & à calida potius quam ab aliis: quoniam illa maioris est dignitatis, & efficaciæ. Quia præter ea dantur in excessu harum qualitatum differentiæ per magis & minus, admonet has differentias esse notandas. Nam quædam signa sequuntur solum magnos rerum excessus: alia vero non nisi exiguos, vt ipse postea exemplis docet. Porro hanc differentiam, quæ est inter magis, & minus, sunt nonnulli, vt Akachias & Curtius, qui quatuor gradibus distinguunt, adeo vt in primo constituantur, qui obscure: in secundo, qui manifeste; in tertio, qui vehementer; in quarto, qui summe calefaciunt, refrigerant, humectant, & siccant, & vltra hos non consistere sanitatem, tradunt iidem egregii autores, qui profecto adhuc sunt ferula digni. Nam tradit quidem Gal. *in lib. de simplicibus* hos gradus in medicamentis, quæ possunt omnes alterationes nostri corporis emendare. Sed quid hoc, quæso, pertinet ad excessus, qui fiunt in latitudine sanitatis? An forte putabimus, corpora nostra saná adhuc esse, quæ calorem habeant; qui adurere possit, qualia sunt medicamenta in quarto gradu calida? quandoquidem nec acutissimarum febrium calor ad eam vehementiam peruenire potest. Stuporem pariter inducat oportet frigus, immo mortem, quod in quarto gradu excedit. Item non erit corpus compositum, & humanum, sed terra ipsa, & aqua quod in quarto gradu siccum est, vel humidum. Igitur quatuor illi gradus, quos statuit Gal. in medicamentis, omnes excessus, qui reperiri possunt in materia medica, recte circumscribunt. At in nostra temperie præsertim sana, tanti excessus fieri non possunt, nec potest excedi primus gradus. Nam secundus, qui manifeste alterat, morbosus iam est, quod ostendunt medicamenta, quæ in eo gradu alterant. Si enim illa sensibiliter agunt, medentur profecto affectionibus quæ sensibiliter nos lædere possunt. Eæ autem sunt morbi ipsi, non declinationes leues à perfecta sanitate. Ergo in primo eo gradu, si quæ est latitudo inter salubria corpora, ponenda est.

Gradus quot possint esse in sanorum temperie, cum excedunt qualitates, in quo Curtii & Akachiæ opinio damnatur.

Excessus sanorum non excedere primum gradū.

C D E

Cap. XIV De Signis Calidi Cerebri.

Ἑξῆς δ' ἂν σημεῖα τῆς ἐν ἐγκεφάλῳ θερμότητος ἐπὶ τοῖς ἔμπροσθεν εἰρημένοις, [illegible]θρότερα, καὶ θερμότερα τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν σύμπαντα, καὶ αἱ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς φλέβες αἰσθηταί. αἱ τρίχες τούτοις γεννηθεῖσιν, ταχέως ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φύονται· μὴ πολλῷ μὲν οὖσι θερμοτέροις τοῦ εὐκράτου, μέλαιναι, καὶ ἰσχυραί, καὶ οὖλαι γίνονται· μὴ πολλῷ δέ, ὑπόξανθοι μὲν τὸ πρῶτον, εἶτα μελαίνονται, προϊόντων δὲ τῇ ἡλικίᾳ φαλακροῦνται, καὶ μᾶλλόν γε οἱ ἐπὶ πλέον θερμοί. περιττώματα δὲ καθ' ὑπερῴαν, καὶ μυκτῆρας, ὀφθαλμούς τε, καὶ ὦτα, βραχέα, καὶ πέπονα τούτοις ἐστί. πιμπλησμένης δὲ τῆς κεφαλῆς ἐνίοτε, συνεχῶς, καὶ μάλιστα αὐτοῖς ὅταν ἀφυλάκτως διαιτῶνται, τὸ τοιοῦτον συμβαίνει, πλείω μὲν, ἀλλ' οὐκ ἄπεπτα τὰ περιττώματα γίνεται. πληροῦνται δὲ καὶ βαρύνονται τὴν κεφαλὴν ὑπὸ θερμαινόντων ἐδεσμάτων τε καὶ πομάτων, καὶ ὀσμῶν, καὶ τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων ἁπάντων, ἐν οἷς ἐστὶ καὶ ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀήρ. ἔτι τε μᾶλλον, εἰ μὴ μόνον εἴη θερμὰ τὰ τοιαῦτα τὴν φύσιν, ἀλλὰ καὶ ὑγρά. βραχέσιν ὕπνοις αἱ τοιαῦται κράσεις ἀρκοῦνται, πρὸς τῷ μηδὲ βαθεῖς αὐτοῖς γίνεσθαι.

C *Deinceps igitur signa caliditatis cerebri præter ea, quæ nuper diximus, sunt, quod ea, quæ circa caput rubicunda & calida magis, & quæ in oculis venæ magis sensui patent. Capilli quoque in his statim in lucem editis habent in capite ortum, & cum plurimum in caliditate à mediocri temperatura recesserint, nigri, & robusti, & crispi fiunt: Cum vero non multum, subflaui quidem ab initio fiunt, deinde nigricant: ac progredientibus ætatibus, caluitium patiuntur: atque eo* D *magis, qui plus modico sunt calidiores. Excrementa vero, quæ per palatum & nares, & oculos, & aures, pauca & concocta ipsis existunt, cū integrā habuerint sanitatem. Cum vero eis caput repletur, (continuo enim ac tum præsertim, cum nullam victus seruauerint rationem, tale quid eis accidit) plura quidem in ipsis excrementa, sed non incocta generantur, implenturque, atque aggrauantur eorū capita à calidis cibis, & potibus, odoribus atque hisce omnibus, quæ extrinsecus oc-* E *cursant: in quorum numero est, & qui nobis circumfunditur aer. Sed præterea magis, si non solum natura calida, sed etiam humida corpora extiterint. Breuibus autem somnis huiusmodi temperatura contentæ sunt, neque admodum profundis.*

Prosequitur Gal. signa cerebri calidi. Nam antea mobilitate opinionis eam temperiem indicari

dixit

A dixit, sed non addidit reliqnas notas, quia aliud tractabat. Eas igitur nunc adiicit. Ac in hoc quidem illud primo notandum est, quod iam obiter diximus, & confirmatur *c. 15. tertii lib. de causis pulsuum*, cum partem aliam dicimus calidiorem aut frigidiorem, paruos excessus intelligi. Ita enim ille de languidiore pulsu intelligendum esse scribit, cerebrum item calidum, aut aliam partem intelligimus, quod sit cerebro temperato, aut alia parte sui generis calidius. Prima ergo nota, quam dicit esse cerebri calidioris, *est* (inquit) *quod ea, quæ circa caput sunt, sint omnia rubicunda, & calida magis.* Intelligendum est magis, quod in cerebro temperato, non simpliciter, vt Mont. & alii interpretes, qui huiusmodi cerebrum fingunt, attrahere ad nutritionem plurimum sanguinis, & spiritus, ex quibus rubor & calor in omnibus partibus circa caput apparent. Nam cerebrum per exteriores venas, quæ sunt in cute, vbi fit color & rubor, suum non trahit alimentum nec alias quidem partes, vt cutem, videmus rubere aut calere insigniter plus solito, cum nutriuntur, aut si quid huiusmodi in ea fit, non ex attractione nutrimenti hoc contingit, sed quia ex partibus inferioribus cibo & potu refectis, spirituosa consurgit substantia cum sanguine tenuiore: ex quibus externæ partes leui rubore, & calore suffunduntur. Nam oporteret vtique morbosum esse calorem, si per attractionem hæc fierent. Quæ enim in primo vel secundo gradu calida sunt (Galen. Autore) rarefaciendi, dolorem mitigandi, & non attrahendi ad partem vim aliquam habent, Quod si liberius aliquid dicere ausim, nullius esse momenti hæc indicia arbitror. Nam quid quæso salubris calor cerebri vndiquaque septi ossibus conferre potest ad ruborem, & calorem faciei, & aliarum externarum capitis partium? Quid item in hoc efficere potest, ad amplitudinem venarum, quæ sunt in oculis? Opinionem pariter de generatione capillorum ob cerebri temperiem antea refellimus. Apparent quidem aliquando in nuper natis capilli iam nigriores, robusti, & crispi. Sed *id ex hepatis temperamento calidiore, ex quo plurimum elicitur terreni, & adusti illius excrementi, ex concoctione humorum accidit*, non ex cerebro: quod veluti ex sulphuris ardentis cauerna vapores aut humores fuliginosos euomat. Cæterum crassos pilos & robustos, de quibus hic agit autor scribit Arist. fieri ob cutis crassitiem, vel raritatem, & humorem pinguem, atque multum. Verum ratio exigit, vt crassi à crasso, & multi à multo fiant & raritas cutis ad id conferat. A pingui vero excremento sequaces, & constantes, non crassi fiunt, si quid pinguedo ad pilorum generationem confert. Sed quid est, quæso, quod caluitiem in his adferat, qui non multum ab initio sunt calidi progrediente ætate? Siccitas enim ob leuem cum calorem cum nullus sit ab initio in humido & sicco defectus, induci non potest, vt ob ariditatem cutis pili cogantur cadere: & hanc causam, quæ ex cutis siccitate petitur, minimi momenti esse antea ostendimus. At vero quænam imaginatur excrementa in his, præsertim cum recte valent, per palatum, nares & maxime per oculos? Vbi enim humor & siccitas moderate inter se temperantur, & calor exuperat, non debent fieri per nares, & oculos aliqua excrementa. Et qualem quæso, concoctionem in his, quæ

Cur in nuper natis capilli nonnunquã appareant nigriores, robusti & crispi.

Crassi & robusti pili vnde.

per palatum excernuntur, inuenit, quæ cerebri concoctionem declaret? Præterea excrementa aurium necesse est in his abundare ea ratione, qua dixit pilos in his fieri nigros & robustos. Hæc enim pariter sequuntur calorem, & generationem copiosæ bilis. Quod vero scribit, illorum capita grauari à copioso, & inordinato victu, forte est rationi consonum. Ad partem enim calidiorem liberius ascendunt vapores: nec alienum quidem est, vbi calor prædominetur, salubres tamen concoctiones fœliciter obiri. Grauari vero & offendi huiusmodi temperiem à calidis potionibus, odoribus, cibis, & aliis calefacientibus, notum est: siquidem intemperies similibus læduntur: con-

B trariis vero temperantur. Quod vero hic addit de temperie humida, non est huius instituti, vbi solum simplicem temperiem calidam prosequitur, Cæterum cur somni in hac temperie fiant breues & leues, non possunt alii interpretes docere, qui somni naturalis omnem causam referunt in vaporis benigni, assurgentis à concoctione inferiorum partium copiam. Nam ad horum vaporum generationem nihil confert cerebri temperies aliqua ex se vigiliam vel somnum parere. Nos vero *in libro de somno, & vigilia* (Galeno autore) docuimus *somnum fieri, cum calor non fertur ad sensoria, & in illis versari non potest. Vigiliam vero contra accidere ex caloris motu ad cerebrum.* Porro

Somni causa ex autoris opinione, item & vigiliarum.

C non vna est causa, cur calidum innatum influens nequeat assurgere à suis fontibus ad sensoria, & in illis versari. Vel enim id fit, quod illius substantia sit veluti congelata: quomodo frigida alimenta & medicamenta intus assumpta, & exterius admota somnum pariunt. Vel quod ea substantia non gignatur: quo modo ex inedia, & parciore cibo tandem somnus etiam oritur. Vel quod genita dissoluatur: qua ratione cogitationes, corporis labores, vigilia ipsa, & quicquid euacuat, digeritque nostrum corpus, somnum conciliat. Alio modo genita substantia spirituosa somnum parit, cum rectos suos motus ad cerebrum non sequitur: quo modo nauigationes, & ambulationes

D circulares somnum adferunt. Cum vero multi vapores à concoctione alimenti attolluntur ad caput, oboritur somnus, quia *ab illis via calori occluditur.* Quæ vero extrinsecus admouentur ceruici & capiti, somni sunt causæ, *quia calorem repellunt à sensuum fonte*: quemadmodum etiam per soporosos affectus contundentia caput, aut graues abscessus morbosum somnum pariunt, occlusis cerebri ventriculis, per quos patere debet liber aditus calido influenti. Cæterum cum ad concoctionem distrahitur calor, aut allicitur ad inferiores partes per leues frictiones, & lotiones, somnus nascitur, *quia à primo sensorio retrahitur idem calor.* Porro nox, tenebræ, oculorumque conniuẽtia somnos alliciunt; *quia obiecta, quæ sensus mouent, & calorem naturæ instrumentum ad se commouent, tollunt.* Idem facit animi securitas, & cessatio cogitationum, strepitusque aquarum ex alto, cadentium, atque suauis cantus, & alia, quæ veluti in quiete animum, & sensus collocant: In quibus cum calor nihil habeat, quod agat ne sit otiosus, refugit ad interna viscera, vbi semper aliquid habet, quod concoquat. Hæ sunt, inquam, somni causæ, quas (vt diximus) diligentius enarrauimus, & hic breuiter repetere sumus coacti, vt ex communi tractatione, quod singulis erit pro-

Cur vapores multi à concoctione alimenti adferant somnũ.

Cur extrinsecus admota.

Cur extremorũ frictiones.

Cur nox & oculorum conniuentia.

Cur calidi cerebro breues & leuem habeant somnum.

prium, trahere poſſimus. Fiunt igitur breues in A his ſomni, & leues, *quia cerebri calor allicit à ſuis fontibus influentem calorem*, nec cum diutius in viſceribus ſinit conſiſtere: ac vbi ad cerebrum peruenerit, nihil inuenit humoris, aut vaporis, quod illius curſum, & motum impedire poſſit. Fit autem (vt diximus) vigilia, *cum calor adeſt ipſi cerebro ſenſuum fonti, & in eo libere verſari, & in ſenſoria omnia abſque impedimento ſpargi poteſt.* Quæ vero adfert Akachias de reſolutione facultatis animalis, & aliis cauſis ſomni, nihil faciunt ad Galeni inſtitutum. Hæc quidem ſunt indicia, quæ adfert Galenus indicare cerebri caliditatem: ſed ille ſui inſtituti immemor omittit ſigna, quæ ſumuntur ex ſenſibus, motibus, operationib. prin- B cipibus. Eſt enim rationi conſonum, vt hæc temperies circa imaginationem, intelligentiam, memoriam, ſenſus, & motus peculiariter aliquid agat, quod aliis intēperaturis non conuenit, promptiores enim edat omnes ſuas actiones, neceſſe eſt: id enim caloris exceſſum ſequitur.

Vigilia quando fiat.

Quæ ſigna hic Gal. omiſerit.

CAP. XV. DE SIGNIS FRIGIDI CEREBRI.

Ψυχροτέρου δὲ ἢ προσῆκε ἐγκεφάλου γνωρίσματα, περιττώματα πλείω κατὰ τὰς οἰκείας ἐκροάς, καὶ αἱ τρίχες εὐθεῖαί τε καὶ πυῤῥαί, καὶ μόνιμοι, καὶ μετὰ πολὺν χρόνον τοῦ γεννηθῆναι φυόμεναι, λεπταί, καὶ ἄτροφοι τὸ πρῶτον, καὶ ῥαδίως ὑπὸ τῶν ψυχρῶν αἰτίων βλάπτονται, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν χρόνον τῆς βλάβης κατάῤῥοις τε, καὶ κορύζαις ἁλίσκονται, οὐ μὴν οὐδ' ἁπτομένοις θερμὰ τὰ περὶ τὴν κεφαλήν, οὐδ' ὁρῶσιν ἐρυθρά, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν αἱ φλέβες ἀόρατοι, καὶ ὑπνωδέστεροί πως εἰσί.

Frigidioris vero, quam oporteat cerebri indicia, ſunt plura in propriis meatibus excrementa, & capilli recti & ruſi, & ſtabiles, & qui longo poſt natiuitatem tempore naſcuntur, tenues, atque ab initio male nutriti, & facile à cauſis frigidis offenduntur, atq; hoc ipſo offenſionis tempore deſtillationibus & grauedinibus capiuntur, neque ſi tetigeris partes ad caput attinentes, admodū calidæ ſentiuntur, neque ſi inſpexeris rubicundæ apparent, & oculorum venæ omnino viſum effugiunt, & ſomnolenti quodammodo ſunt.

C

D

Excrementa non ſolum plura, ſed etiam cruda & aquoſa reſultant, vbi calor eſt imbecillior. Hoc enim debilem concoctionem ſequitur. Nec mirum eſt, cur cum hic ſimplicis intemperaturæ notas quærat, dicat, excrementa gigni, quæ cum E duas habeant qualitates, vt omnes humores exuperantes, non videntur fieri poſſe ab vnica qualitate vincente. Nec dici poteſt, quod vna qualitas aliam inducat. Nam caliditas ſiccitatem tandem inuehit. Id enim forte in calore verum apparet: frigiditas autem de ſe nec humiditatem, nec ſiccitatem ſibi adiungit. Præſtat vero (vt arbitror) dicere, cum agamus de excremētis pituitoſis, quod materia humiditatum ſuppeditetur ex alimento: ſola vero frigiditas requiratur ad formam inducendam. Nam *materia omnis, quæ non vincitur à* A *calore ob imbecillitatem, pituita fit*: vel quod verius eſt, dicatur pituitam non gigni à tali temperie, ſed quæ genita eſt cum aliis humoribus in hepate, & fertur per venas ad nutritionem ſingularum partium; cum inciderit in partes frigidiores, cuiuſmodi nunc cerebrum ponitur eſſe, magna ſui parte relinquitur poſt nutritionem, & excrementum fit; quod quidem poſtea per nares & os emittitur. Sunt enim hæc proprii meatus, non oculi, vel aures. Porro capillos rectos ſequi hanc temperiem, tradit quidem Gal. ſecutus cutis conditionem, in qua cum nulla ſiccitas, aut quæ poſſit exſiccare, cauſa, faciles habent meatus, per quos excrementa libere permeare poſſunt. Verum cum ille do- B ceat etiam *in lib. de temperamentis*, ob imbecillitatem exhalationis, criſpos fieri capillos, nequeunt vtiq; illi omnino recti eſſe repugnante ſc. ipſa exhalatione: Ruſi vero in his fiunt pili: quoniam excrementum, ex quo fiunt, non eſt torridum, ſed quodammodo in pituitam degenerans. Stabiles vocat, qui non facile decidunt, eo quod nō fit ſiccitas cutis, quæ illius opinione caluitiem parit: ſed quoniam pauca in his fiunt excrementa, ex quibus pili naſcuntur, alia accedit illis difficultas ex paucitate materiæ. Porro naſcuntur in his pili tardè, & ab initio graciles & male nutriti: quoniam huiuſmodi temperies paucum excrementum elicit à nutrimento. Merito vero à cauſis frigidis of- C fenduntur, quoniam proprium hoc eſt ſingulis intemperamentis, vt à ſuis ſimilibus cauſis offendantur. Ac in ipſo offenſionis tempore oriuntur deſtillationes & grauedines, deſcendente pituita ad nares, guttur, & ſubiectas alias partes. Nec partes ad caput attinentes calidæ ſentiri poſſunt in frigidiore temperie: nec rubicundæ apparere. Venæ etiam oculorum ob eam rationem viſum effugiunt. Porro ſomnolēti quodammodo ſunt, propterea quod deeſt cauſa, quæ calorem à fontibus ſuis alliciat ad fontem ſenſuum, & diſcutiat, ſi quid illic eſt craſſioris vaporis, aut humoris frigidioris, quod motum calidi innati per cerebrum impediat. Akachias vero ideo hos eſſe ſomnicu- D loſiores aliquanto ſcribit, quoniam, inquit, vnam habent tantum ſomni cauſam, nempe frigiditatem, quæ ad procreandum ſomnum minorem, quam humiditas vim habet. Sed ille ignorauit, quod Gal. ſcribit *cap. 5. tertii de locis affectis*, calidam, inquam, & frigidam intemperiem primam facultatem ad vigiliam & ſopores inducendos habere. Sunt etiam in iſtis ſenſus quodammodo turbulentiores, & tardiores, imbecilliores q; omnes corporis motus: & quæ ad imaginationem, ingenium, & memoriam pertinent, obtuſiora.

Pituita quomodo exuperare poſſit in ſola frigiditate cerebri.

Cur frigida intemperie præditi ſint ſomnolenti quodammodo.

CAP. XVI. DE SIGNIS SICCI CEREBRI.

Ξηροτέρου δ' ἐγκεφάλου γνωρίσματα τὸ ἀπέριττον ἐν ταῖς ἐκροαῖς, καὶ τὸ τῶν αἰσθήσεων ἀκριβές, ἀγρυπνητικοὶ δέ εἰσι, καὶ τρίχας ἰσχυροτάτας μὲν, καὶ τάχιστα φύουσι γεννηθέντες, οὔλας μᾶλλον, ἢ εὐθείας, φαλακροῦνται δ' ἐν τάχει.

Siccioris autem cerebri indicia ſunt pauca ſuperfluitates effluentes, & ſenſuum perſpicacitas, ſunt autem ad vigilias prompti, & capillos habent robuſtos, & qui celerrime ei genitis innaſcuntur, criſpi autem potius ſunt, quam recti, cito autem calui fiunt.

Super-

Biliosas per nares cerebrum vt plurimum expurgari.

A Superfluitates intelligit *pituitosas*: nam biliosis, quæ per nares excernuntur, potius abundant. Porro *pituitosæ* non solum *pauca*, sed etiam crassæ in his sunt: hoc enim humoris defectum sequitur & calorem mediocrem. *Sensus* merito sunt *perspicaces*: nam vbi organa illorum sunt expurgata ab excrementis, vis sentiendi vegetior exercetur: vnde venatores suffitu canum nares exiccant. Ac non solum quidem sensus, sed etiam ingenium & memoria felicissime exercentur in cerebro sicciore: vnde melancholici ingeniosi, & senes prudentes & sapientes iudicantur esse. Eadem ratione *vigiles hi sunt*: quoniam in sensuum fonte nullus superfluus humor, vel crassus vapor, qui caloris influentis motum & actiones impediat.

Melancholici cur ingeniosi.

B Sequitur vero suam de caluitie opinionem, ob siccitatem cutis, cum illos cito canescere & crispos habere capillos scribit, recte tamen sentit, cum illorum *capillos* scribit esse *robustos*, & *celerrime gigni*. Nam huiusmodi temperies terreni illius excrementi plurimum gignit, ex quo pili fiunt, idque statim ab ortu. Addere debebat lædi à siccis, & quæ apparent circa faciem & caput, sicca apparere.

CAP. XVII. DE SIGNIS CEREBRI HVMIDI.

Ὑγροτέρου δὲ τρίχες ἁπλαῖ, καὶ οὐδ᾽ ὅλως φαλακροῦνται, καὶ αἱ αἰσθήσεις ἀχλυώδεις εἰσί, καὶ περιττωμάτων πλῆθος, ὕπνοι τε πολλοὶ, καὶ βαθεῖς. αὗται μὲν αἱ ἁπλαῖ δυσκρασίαι.

C *Humidioris vero cerebri indicia, capilli plani & nequaquam calui fiunt, sensus autem turbulenti, & excrementorum multitudo, somni multi atque profundi, & hæ quidē simplices sunt intemperaturæ.*

Capilli plani, quoniam per cutem facile transit exhalatio: *calui non fiunt, aut omnium difficillime*, quoniam nec nutrimentum deest capillis, nec cutis ipsa sicciot redditur. *Sensus turbulenti sunt*, quoniam & organa multo humore imbuta, sensibilia corrumpunt: & quoniam spiritus ipsi sensifici, humidiores crassioresq; sunt, D *Somni multi & profundi*, quoniam calor natiuus multum grauatur ab humore. Omittit signa quæ sumuntur à lædentibus & iuuantibus, quæ à calore, & primis qualitatibus, à motu & principibus actionibus sumuntur.

CA. XVIII. DE SIGNIS CEREBRI CALIDI AC SICCI.

Σύνθετοι δὲ, θερμὴ μὲν καὶ ξηρὰ πρώτη, καθ᾽ ἣν ἀπέριττοί τε εἰσί, καὶ ἀκριβεῖς τὰς αἰσθήσεις, καὶ ἀγρυπνητικώτατοι, καὶ φαλακροῦνται ταχέως. ἡ πρώτη μέν τοι γένεσις τῶν τριχῶν ταχίστη τε ἐστὶ καὶ εὐτραφεστάτη, μελανότριχές τε, καὶ οὐλότριχές εἰσι, καὶ θερμοὶ ψαυόντων τῆς κεφαλῆς, ἐρυθροί τε μέχρι τῆς ἀκμῆς χρόνου.

Composita autem primum calida & sicca, secundum quam & superfluitatibus carent, & sensib. vigent, & plurimum vigilant, & cito calui fiunt. Et prima quidem capillorum generatio celerrima est, ac plurimo abundant alimento. Capillos vero habent nigros & crispos, & tangentibus caput calidi sentiuntur, & sunt rubicundi vsque ad ætatem consistentiæ.

A Si calida sola aut sicca, pauca gignit *excrementa*, vtraque simul *nulla gignet*. *Vigent sensibus*, promptique sunt ad sentiendum, & ad *bene* sentiendum: quoniam *spiritus calidi* & sicci ad motum prompti, & puri, sensoriaque etiam ipsa pura sunt: mobiles tamen habent sensus plusquam oporteat, *plurimum vigilant*, quoniam caloris est mouere, & nullus humor est, qui obruat & impediat illius motiones. *Rubicundi sunt ad ætatem consistentiæ*, attrahente calore ex partibus subiectis ad caput & partes vicinas, sanguinem. Declinante autem ætate, in qua sanguis deficit, color amittitur. A iuuantibus & lædentibus signa omittit, & quæ aliis actionib. signa sumuntur, B quæque à partibus annexis, vt ab oculorum venis & colore ducuntur. Methodum præterea, quam *sequenti capite* tradit *hoc loco* describere debebat. Quod enim omnibus commune, illud præponendum. Talis autem methodus est, vbi plura inter se pari mensura excedere statuamus. Deinde inæquali mensura & parem excessum ponamus, paruum primo, deinde mediocrē, postremo maximum, quantum in ea latitudine esse potest. Cum autem inæqualiter exuperant, ita expendamus, vt alterum parum, vel mediocriter, vel multum excedere statuamus, & cum illis differentiis, alterius differentias coniungamus. Ita enim methodus optima fit.

CAP. XIX. DE SIGNIS CEREBRI CALIDI ET HVMIDI.

C Εἰ δ᾽ ὑγρότης προσείη τῇ θερμότητι, βραχὺ μὲν καὶ ὑπερβαλλουσῶν ἀμφοτέρων τὸ σύμμετρον, εὔχροιά τε, καὶ αἱ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς φλέβες μεγάλαι, καὶ περιττώματα πλείω, μετρίως πέπονα, καὶ αἱ τρίχες εὐθεῖαι, καὶ ὑπόξανθοι, καὶ οὐ φαλακροῦνται ῥᾳδίως. πληροῦνται δὲ, καὶ βαρύνονται τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τῶν θερμαινόντων. εἰ δὲ καὶ ὑγραίνοιντο, πολὺ δή που μᾶλλον τηνικαῦτα, καὶ πλῆθος ἔχουσι περιττωμάτων. ἐὰν δὲ ἐπὶ πλεῖστον ὑγρότητός τε, καὶ θερμότητος ἥκωσι, νοσώδης τούτοις ἡ κεφαλὴ, καὶ περιττωματικὴ, καὶ ῥᾳδίως ὑπὸ D τῶν ὑγραινόντων τε, καὶ θερμαινόντων βλαπτομένη. νότος δ᾽ αὐτοῖς πολέμιος ἀεὶ, ἄριστα δ᾽ ἐν τοῖς βορείοις διάγουσιν. οὐ μὴν οὐδ᾽ ἐγρηγορέναι δύνανται μέχρι πλείονος, ὑπνωτικοὶ ἐπιτρέψαντες ἑαυτοὺς, ἅμα τε καὶ κωματώδεις εἰσὶ, καὶ ἄγρυπνοι, καὶ φαντασιώδεις τοῖς ὀνείρασι, καὶ αἱ ὄψεις ἀχλυώδεις, καὶ αἱ αἰσθήσεις οὐκ ἀκριβεῖς. εἰ δὲ πολλῷ μὲν εἴη τοῦ συμμέτρου θερμότερος ὁ ἐγκέφαλος, ὀλίγῳ δ᾽ ὑγρότερος, μενοῦσι τὰ τῆς θερμῆς κράσεως γνωρίσματα, μιχθήσεται δ᾽ αὐτοῖς ἀμυδρῶς τὰ τῆς ὑγρότητος· ὥσπερ καὶ εἰ πολλῷ μὲν ὑγρότερος, ὀλίγῳ δ᾽ εἴη θερμότερος, ἐναργῆ μὲν ἔσται, καὶ σφοδρὰ τὰ τῆς ὑγρότητος, ἀμυδρὰ δὲ τῆς θερμότητος γνωρίσματα. κοινὸς δ᾽ οὗτος ὁ λόγος ἐπὶ πασῶν ἐστι τῶν κατὰ συζυγίαν δυσκρασιῶν.

Si vero humiditas adiūgatur caliditati, parum vtriusq; qualitatibus superantibus mediocritatem, color bonus, & quæ circa oculos calidiora, venæ magnæ pluria excrementa, & mediocriter cocta, & capilli

pilli recti, subflaui, & non facile calui fiunt. Implentur vero atque aggrauantur eorum capita à calidis. At si humectentur, tunc multo magis excrementorum habent multitudinem. Et si plurimum caliditas atque humiditas creuerit, his caput ægritudinibus est obnoxium, atque excrementis abundans, & quod facile à calefacientibus, atque humectantibus offendatur. Auster vero semper eis aduersatur, atque optime in Aquilone se habent, non tamen diu vigilare possunt, & cum se ad somnum conuerterint, simul graui somno tentantur, & vigilant, & somnia habent imaginationibus plena, visus eis turbulenti, neque satis sensibus vigent. Quod si plurimum in caliditate cerebrum à mediocritate recesserit, paululum autem humidius extiterit, calidæ temperaturæ indicia quidem superabunt, cum quibus leuia quædam humiditatis signa coniungentur, veluti si longe quidem humidius, paululum vero calidius, vehementia quidem erunt ac manifesta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis vero hæc ratio in omnibus compositis intemperaturis existit.

Sunt, quæ dicuntur de signis temperaturæ compositæ fere nota ex superioribus: Quare deinceps minimo labore erit opus. Vt antea admonui, ita nunc cerebri temperies nullam mihi videtur habere vim ad colorem & alia, quæ in facie, & cute capitis sunt mutanda. Nam qualiscumque sit cerebri temperies, hæc sequuntur hepatis & cordis naturam. Sed quoniam interpretes sumus, sequamur autoris errores, & illis fucum aliquem inducamus. Erit ergo *color bonus*, qui mixtus est ex rubro & albo: quoniam huiusmodi temperies, sanguinem multum ad se allicit, qui effunditur in partes vicinas. Eadem ratione humidiores & calidiores apparent eædem partes. *Venæ* autem oculorum illis sunt *insignes* ob eandem attracti sanguinis copiam, quo pars eget ad nutritionem. Porro etsi calor & humor autores sunt fœlicissimæ concoctionis: post eam tamen solent *plura excrementa* relinqui. Nam vbi plurimum concoquitur vtilis materiæ, plurimum quoque prouenit excrementi, sed bene concocti, præualente scilicet concoctione. Intelligimus autem *mediocriter* ea esse *cocta* ex mediocri crassitie & visciditate: *capilli recti*, inquit, in his fiunt: quoniam siccitas cutis nulla adest, quæ impediat liberum transitum materiæ pilorum: & quoniam etiam copia excrementi viam sibi munit promptam, *Subflauos* vult esse istorum capillos: rectius forte si *subrufos* dixisset: hi enim à minore ardore fiunt, qualis est necessario, cum calor humori iungitur. Cæterum hi *non facile caluescunt*: quia excrementum plurimum suppeditatur, & ob siccitatem non coguntur decidere pili. Non mirum autem, si huiusmodi *capita* facile *replentur, & grauantur*. Nam difficile est humorem calori ad pro-

Cutis color bonus quis.

A portionem suppeditari. Quare quoties internæ, vel externæ causæ, vel solum quæ humectant, aut calefaciunt, aut vtrumque præstant: vel etiam geniti in capite humores frigidis ventis exprimuntur: sequitur grauitas, & maxime inquit, si humiditas præualet calori. Nam tum dominatur, quod parere est natum. *At si plurimum calor & humiditas excesserint*, tunc *huiusmodi cerebrum non iam salubre, sed insalubre*, iudicandum est. *Prompte enim ab omnibus causis offendetur: maxime vero ab Austro, & aliis calefacientibus & humectantibus. Aquilo vero & cætera refrigerantia & exsiccantia illis prosunt, nisi* vehementius concutiant cerebrũ. B Tunc enim etiam laborant, & subiectas partes fluxionibus replent. Iam vero *nequeunt isti diu vigilare*: cum calor vigiliæ autor perpetuum fere in cerebro sensuum fonte habeat impedimentum sui motus. Quod vero scribit noster interpres, *eos graui somno tentari, & simul vigilare*, falsum est, & perperam ex Græco interpretatum. Nam huiusmodi affectus, in quo est somnus grauis, & simul vigilia, non cadit in sanos, sed in illos, qui pessimis laborant morbis soporosis, vt Galenus *in libro de locis affectis*, & *passim alibi* ostendit. Est autem relinquendum verbum Græcum, *Coma*, quod significat *inclinationem & delationem ad somnum*. Hi ergo ob humorem eam habent delationem: ob calorem vero minuitur ea inclinatio, & irritan- C tur sensus. Quare vtramque habent inclinationem nempe ad somnum, & ad vigiliam. Cæterum quod scribit *de insomniis*, difficilem habent rationem, & non solum in re præsenti, sed etiam in tota tractatione de insomniis. Nam Arist. vbi multus, vel humor, & vapor circa cerebrum abundant, tunc insomnia non fieri scribit: quod experientia pariter docet. Nam qui cibo, & potu liberaliter sunt vsi, circa primas somni horas non somniant: nec pueri eadem forte ratione, non somniare dicuntur, *quod scilicet superfluo humore abundant, quo imaginatio & sensifica vis veluti obruta, nequeat eam vim exercere, quæ ad insomnia requiritur*. Quæ quidem si vera sunt, qui calido & D humido sunt cerebro, ob humorem forte videbuntur inepti esse ad somniandum. Ac humor quidem solus obest, sed à calore agitatus nequaquam. Nam calor, cuius officium est mouere, non sinit sensoriam facultatem quiescere. Quare non mirum si cum ille intus se recepit, nec circa externa obiecta versatur, aliquid interius agat, vnde insomnia fiunt: quorum tres perhibentur esse differentiæ. Quædam enim ex humoribus, & internis causis originem ducunt: qua ratione Medici colligunt, eos pituita abundare, qui somniant se versari in aquis: Biliosos vero eos esse, qui vel ignem, vel lites, & rixas insomniant: Illos vero melancholicos, qui vel mortem, vel mortu- E os, aut aliquid aliud triste imaginantur: Sanguinei vero creduntur esse, qui se per somnum credunt esse sanguine conspersos, vel profluuio sanguinis laborare, vel rubra quædam sibi obiici. Seminis vero abundantis indicia sunt, si quis per insomnia putet se venere vti, aut pollutiones venereas patiatur, vel quidpiam aliud de venere cogitet. Iam vero, si quis imaginetur se volare, aut aliquid leue, hoc nota est abundantiæ humoris aerei, vt grauitas testatur humorem terrenum vigere. Qui vero sordida somniant, putridis & fœtidis humoribus abundant. Qui pura, bene olentia se

Interpretis lapsus.

De insomniis.

Pueri & qui liberaliter cibo & potu sunt vsi circa primas somni horas non somniant.

Somnia quo triplicia.

A tia se videre putant, puris humoribus sunt referti. Pendent ergo huiusmodi insomnia ex nobis, internisq; causis. Alia vero ex animi cogitationibus. Quę enim vigilando cupimus, illa sępe per insomnia repræsentamus. Vnde apud Catonē scriptū est.

Somnia ne cures; nam mens humana quod optat
Dum vigilat sperans, per somnum cernit idipsum.

Alia autem diuinitus immitti creduntur, vt rerum euentus præcauere possimus, tamquam à Deo admoniti. Ac sacræ literæ, & antiquorum historiæ multa de huiusmodi insomniis memoriæ prodiderunt. Cæterum ad quā animæ partem pertineant insomnia, & quomodo illa fiant, & reliqua, quæ sunt philosophicæ tractationis, ex Aristotele quilibet discere potest. Quod vero addit, eos, qui calido, & humido sunt cerebro, *visum habere turbulentum, & aliis sensibus parum valere*, euidentem
B habet causam; Nam humiditas sensoria vel obstruit, vel certe minus expedita reddit. Quare nō mirum, si cum sensoria veluti caligine quadā sunt obducta, perperam fiant sensationes. Quod vero sequitur *de excessu vnius qualitatis magis, quam alterius, cum qua complicatur*, ita per se patet, vt nullam interpretationem requirat.

Cap. XX.

Αἱ ψυχραὶ δ' ἅμα καὶ ξηραὶ κράσεις ἐγκεφάλου, ψυχρὰν, καὶ ἄχροον ἀποτελοῦσι τὴν κεφαλὴν, ὅσον ἐφ' ἑαυταῖς, ἀεὶ γὰρ χρὴ μεμνῆσθαι τοῦ κατ' ἀρχὴν διορισμοῦ, προσεπιλογιζομένους, ὅσον ἐκ τῆς τῶν χυμῶν κράσεως ἀλλοιοῦνται κατ' αὐτόν. εὐθὺς δ' αἱ
C τοιαῦται κράσεις ἄφλεβοί τε τὰ κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰσὶ, καὶ πρὸς τῶν ψυχρῶν αἰτιῶν ἑτοίμως βλάπτονται. διὸ καὶ ἀνωμάλως ὑγιαίνουσι, ποτὲ μὲν κουφοτάτας τὰς κεφαλὰς, ἀπερίττους τε τὰς ἐκροὰς, ἐνίοτε δὲ κατάρροις, καὶ κορύζαις ἐπὶ σμικραῖς αἰτίαις ἑτοίμως ἁλισκόμενοι.

Αἱ δ' αἰσθήσεις αὐτῶν ἐν νεότητι μὲν ἀκριβεῖς τε εἰσὶ, καὶ ἄμεμπτοι τὰ πάντα, συνεχῶς δὲ ὑπομαραίνονται ταχέως. καὶ συλλήβδην φάναι, ταχύγηροί τε τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἅπαντες
D εἰσὶ, διὸ καὶ πολιοῦνται ταχέως. αἱ τρίχες δ' αὐτοῖς γεννηθεῖσι μὲν ἀνέχονται, μόγις ἄτροφοι, καὶ πυρραί. προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου κρατούσης μὲν ἐπὶ πλέον τῆς ψυχρότητος, ἤπερ τῆς ξηρότητος, οὐ φαλακροῦνται, τοὔμπαλιν δὲ, εἰ συμβαίη τὴν ξηρότητα μὲν πλεῖστον κρατῆσαι τῆς ὑγρότητος, τὴν ψυχρότητα δὲ τῆς θερμότητος, ὀλίγον οἱ τοιοῦτοι φαλακροῦνται.

E *Frigida vero & sicca cerebri intemperatura frigidum, & minime coloratum sui ratione caput reddunt, semper enim memoria repetenda, quæ à nobis ab initio est distinctio posita, vt præterea aduertamus quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipsum consistunt. Protinus autem huiuscemodi temperatura venis carentes habent oculos, & à causis frigidis facile læduntur. Quare & inæquali sanitate fruuntur, quoniam nonnunquam leuissima habent capita & excrementorum moderatos effluxus, nonnunquam vero grauedinibus & destillationibus minima ex causa capiuntur.*

Cap. XXI. De aliis eiusdem signis.

Sensus autem eorum in iuuentute quidem omnes vigent, atque omni vitio carent, sed progrediente ætate cito marcescunt. Et vt summatim dicatur, omnes celerrimam, circa caput senectutem ostendunt. Quare & cito cani fiunt, capilli vero ipsis quidem genitis vix exeunt, & male nutriuntur, & rufi sunt. In progressu autem ætatis, superante magis frigiditate caliditatem, quam siccitate humiditatem, multum non caluescunt, contra vero si contigerit, siccitatem quidem plurimum dominari humiditati, frigiditatem vero caliditati, parum calui fiunt hi.

Prosequitur signa cerebri intemperati ob frigiditatem, & siccitatem præualentem intemperiem: & primum indicium sumit ab essentia partium circumstantium, nempe à frigiditate ipsius capitis, & secundum ex decoloratione. *Est* enim inquit, *caput frigidū, & decoloratum* in his, qui frigido & sicco sunt cerebro, ex temperamenti ipsius cerebri ratione: quasi diceret, quod ex ratione humorum, spirituum & caloris, quæ ab hepate, & corde mittuntur ad caput possit, & calor, & color bonus induci ipsi capiti. Quo quidem sophismate tegit errorem, qui nascitur ex temperie ipsius cerebri. Nam si facies & caput calida & colorata appareant, vbi euidentissima sunt alia cerebri frigidi & sicci indicia, semper habebit, quod adferat, id fieri ob temperiem humorum, & spirituum abūdantiam. Reuera autem, (vt iam ante admonuimus) exigui hi excessus qualitatum, qui in sanorum temperie reperiuntur, præsertim in cerebro, parte suapte natura frigida, & ossibus vndique circumuallata, vim nullam habent mutandi calorem, & colorem partium circunstantium. In eodem etiam errore versatur, quod scribit *de venis non apparentibus in oculis*. Nam hoc etiam sequitur venarum & arteriarū atque humorum, & spirituum conditionem, non autem cerebri temperiem. Certius vero est indicium, quod sumit *à causis frigidis lædentibus*. Nam frigidum à frigido facile læditur, præsertim si causæ refrigerantes præualent temperaturæ: alioqui nec lædunt, nec iuuant. Cæterum, quod scribit *huiusmodi temperiem inæquali sanitate frui*, probat ex eo, *quod* nonnunquam *leuissima habeant capita, & excrementorum moderatos effluxus; nonnunquam vero grauedine & destillatione ex qualibet leui occasione capiantur*, & merito quidem: nam debilis illorum calor, si non accedunt externæ causæ, quæ humorem copiosum addunt, ob subiectam siccitatem, potens est cerebrum vacuum excrementis reddere. Si vero multitudo humoris subministretur à venis, tunc cruditates nascuntur, & generatio pituitæ, ex cuius descensu distillationes, & grauedines oriuntur. Porro qui frigida, & sicca temperie cerebri sunt affecti, merito

lenis vel profundus, vel etiam vigilia, & loci adducti sunt legendi. Igitur hi inclinationem habent ad somnum, & præterea somniculosi sunt, id est, multum & profunde etiam dormiunt. Ita enim verbum *somniculosi* interpretor: nam frigida, & humida temperies ob frigidatem non allicit calorem, & ob humiditatem illius motum impedit, quare sensoria vis diu prohibetur exercere sua officia, atque ita longior & profundior fit somnus, & sæpe dormire appetunt. Cæterum ob eandem rationem hi habent *sensus obtusos*, non autem deprauatos, vt vertit Akachias. Nam deprauatio actionum grauissimus est affectus & solum maximis morbis proprius: Sed ille verbum *ϲαύλουϲ* arctius interpretatur, quam huic loco conueniat: nihil enim aliud vult autor intelligere, quã quod *sensus non probe exerceantur, sed obtusiores sint*. Propterea Leonicenus melius vertit *minime vigentes*. Porro recte illud dictum est, huiusmodi temperiem *excrementis redundare*: quod intelligendum est de excrementis *pituitosis*, quæ frigida sunt & humida: nam excrementa aurium, quæ sunt biliosa, in his pauca sunt. Quinetiam hæc temperies meritò à frigidis, & humectantibus prompte læditur, tanquam à similibus. At *facile* quoque *destillationibus & grauedinibus tentatur*, redundante scilicet pituita, quæ harum affectionum est causa. Addit *hos non fieri caluos*, secutus suam rationem, quod caluities solum sequatur siccitatem cutis. Omittit signa sumpta ab essentia temperamenti, quod hi circa cutem capitis, & faciei, frigidi & humidi appareant: necnon, quæ ducuntur à colore. Ratio enim, qua hactenus vsus est in aliis, conuincit eos, qui ita sunt intemperati, male coloratos esse. Erant etiam signa addenda ex multitudine, crassitie, & colore pilorum, quæ nos quidem libenter silentio inuoluimus, quoniam persuasum habemus, ea nihil conferre ad cerebri temperiem ostendendam. Cæterum quod scribit *hanc Methodum, qua vsus est in cerebri temperatura dignoscenda, transferri facile posse ad sensoria singula*, apud me dubium est. Nam in instrumento odoratus, auditus gustus, & tactus, magnitudinem, figurã, colorem, nec primas quidem qualitates deprehẽdere possumus: quippe cum hæc in illis sensum fugiãt. Quare ex solis operationibus, & iuuantibus, lædentibusque causis signa sumere possumus.

Akachiæ versio damnatur.

A B C

Ἀρκέσει δ᾽ ἔτι ἐφ᾽ ὀφθαλμῶν μόνων εἰπεῖν, ὅσοι μὲν ἁπτομένοις ἐναργῶς εἰσὶ θερμοὶ, καὶ κινοῦνται ῥᾳδίως τε, καὶ πολλάκις, καὶ φλέβας εὐρείας ἔχουσι, θερμοὶ σύμπαντές εἰσι· ψυχροὶ δὲ οἱ τούτοις ἐναντίοι· καὶ ὑγροὶ μὲν, οἱ μαλακοί τε ἅμα, καὶ πλήρεις ὑγρότητος· ξηροὶ δὲ, οἱ αὐχμηροί τε ἅμα καὶ σκληροί. καὶ βλάπτονται μὲν ὑπὸ τῶν ὁμοίων αἰτίων τῇ κράσει ῥᾳδίως, ὠφελοῦνται δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων τῇ συμμέτρῳ χρήσει. ἀλλὰ τοῦτό γε κοινὸν ἐπὶ πάσῃ διαγνώσει κράσεως ἅπαντος μορίου. D E

Ca. XXIII. Disocu. Lin.

Sed sufficiet de oculis facere mentionem: quicunque tangentibus quidem manifeste calidi existunt, & facili ac crebro motu cientur, & venas latas habent, hi calidi omnes sunt: frigidi vero his contrarii. Et humidi quidem molles simul, & multa humiditate pleni: sicci vero duri simul & aridi: A similib. autem sua temperatura causis facile offenditur. Iuuantur à modico contrariorum vsu, sed hoc quidem commune in omni cuiuscunque partis temperatura dignotione oportet meminisse, A

Dixit, præscriptam methodum, & fontes signorum à quibus indicia temperaturarum ducimus, accommodari posse omnibus sensoriis: quod an verum sit, paulo antea docuimus. Nunc ait, se solum in oculis *velle* eam methodum exercere. At melius quidem forte dixisset, se solum *posse* eam ostendere in oculis: atque vtinam etiam id posset præstare. Nam primum signum, quod ab essentia temperamenti ducit, in quo dicit *oculos calidi esse temperamenti, si calidi tactu iudicentur*, nullius est momenti. Neque enim puto illum velle digitum mittere in oculos, vt illorum calorem exploret: quod si palpebram tangat, cutemque tegentem oculos, non propterea oculum iudicabimus temperatura sua calidiorem, si forte cutis illa calidior fuerit: quippe cum ipsius temperies sequatur temperiem habitus corporis, & proinde hepatis & cordis, nihil ad hoc conferente oculi temperatura: quod ostendunt febres, in quib. ardet cutis, aucto in corde calore, nihil vel minimũ certe mutato oculi ipsius calore. Eadem ratione *ex facili, & crebro motu oculorum*, caliditatem illorum arguere nequaquam debemus, sed cerebri & cordis potius: nam oculi in seipsis vim mouendi non habent, sed *à cerebro* eam mutuantur per neruos & musculos: præterea instrumenta corporis sequuntur animę motus & imperium. Perinde enim est, ac si dicas, tibias his esse calidas, qui ad cursum & alios motus sunt prompti & veloces. Facit quidem ad promptitudinem motionum instrumenti, bona habitudo, gracilitas, quæ oneri non est facultati, & calori mouenti: sed ipsius temperies nihil ad hoc confert, & merito quidem: nam motus voluntarius actio est *instrumentorum corporis*, non autem partium similariũ. Itaque structura apta ad motum confert quidem, eo quod facile obediat: sed præcipua causa sumitur *ex calore natiuo*, qui aërea substantia abundat: propterea dicebat Hippocrates, pueros eos, qui sunt viuaciores, & mobiliores, pluri cibo egere: nam *mobilitas & viuacitas, spirituosæ substantiæ abundantis est iudicium*. Igitur cum oculi ab alio moueantur, & in seipsis non habeant motus principium, differentiæ, quæ in ipsorum motibus apparebunt, differentiam motoris ostendent, ad hoc solum conferente oculo, quod grauior aut leuior existat, & recte aut perperam sit cum vicinis partibus connexus. Hæc enim ad liberiorem motum faciunt. Quinetiam signum, quod sumit *à duritie & mollitie*, nullius momenti esse puto: quod si admittatur, contrarium potius ostendet. Cum enim durum & molle passiones sint *similaris corporis*, eo quod sequantur temperiem: oculus autem pars sit ex multis composita, nimirum cum sit organum visus quomodo ex duritie, & mollitie, illius temperamentum dignoscemus? At si etiam donemus, duri nomen pro tenso, vel concreto sumi, & non solum pro eo, quod à siccitate & vere durum dicitur, quomodo quæso, molle & durum hic sumi velit

B C D E

An methodus proposita possit accommodari sensoriis omnibus aut saltem oculis.

Oculi vnde habeant vim mouendi.

Motus voluntarius actio sit instrumentorum corporis.

Durum & molle cur non sint passiones.

 non

non video. Nec enim excogitare possumus, oculum sani hominis durum esse à siccitate, cum multis humoribus abundet. Quod si vt in senibus siccitas vehementer exuperet, minuentur quidem aliquo modo humores, vnde rugosa cornea tunica, vt ipse ostendit *in lib. de symp.* & totus etiam oculus minus plenus euadit, ex quo fit, vt prementi digito magis cedat: quod autem cedit, molle, non durũ, est. Ergo cum ad siccũ sequatur humorũ cõsumptio in oculo, ad hanc rugositas & laxitas tunicarũ: quod a. laxũ est, facile cedat tactui, quod aũt tensũ, minime, sequitur mollẽ fore oculũ, siccitas abũdet, durũ, si humiditas ergo nec durũ à siccitate fieri potest, nec molle ab humiditate. Si autẽ *durũ* capiat pro *tenso*, idem fiet: nam tensio in oculo fit, quando tunicæ ab humoribus subiectis vehementer distenduntur. Quare durum hoc modo humoris copiam indicat, non siccitatem, molle autem paucitatem, durum vero à concretione in oculo fieri non posse, certius est, quam vt demonstrari debeat: nam concretio effectus est *insignis, externi frigoris*, quod in parte viuente contingere non potest. Iam, vero, quod scribit *oculos facile lædi à similibus sua temperatura* si de extrinsecis causis intelligat vt intelligendum videtur, hoc potius sequitur conditionem cutis regentis oculos, quam ipsius oculi temperiem: nam qui tenuiore, molliore, & delicatiore ea sunt cute, facile admittunt frigus, calorem, fumum, & quicquid extrinsecus oculos infestare potest. Quinetiam oculi fluxionib. & internis malis facile, aut difficile sunt obnoxii, *nõ tam ob suam temperaturam, quam ob mollitiem, raritatem, vasorum amplitudinem, & alia, quæ ad structuram partis organicæ pertinent.* Cæterum à similibus lædi singulas partes intelligendum est, *si similia excedant partis temperiem*: nam in pari gradu non fit læsio aut iuuamentum. Recte vero scribit, *iuuari intemperiem moderato contrariorum vsu*: nam immoderatus vsus, qui scilicet excedit gradum vitii, quod est in intemperie, aliam inducit malam temperiem.

Concretio cuius sit effectus.

Oculi cur etiam internis malis sint facile obnoxii.

partes singulæ quomodo à similibus lædantur.

CA. XXIV. DE MAGNITVDINE OCVLORVM.

Μέγεθος δ' ὀφθαλμῶν ἅμα μὲν εὐρυθμίᾳ τε καὶ τῇ τῶν ἐνεργειῶν ἀρετῇ, πλῆθος οὐσίας εὐκράτου, ἐξ ἧς διεπλάσθησαν, ἐνδείκνυται. τὸ δ' αὖ τοῦτον, πολλὴν μὲν τὴν οὐσίαν, οὐκ εὔκρατον δ' δηλοῖ.

Magnitudo oculorum quidem, vbi concinnitas adsit, & operationum virtus, multitudinem bene temperatæ substantiæ ostendit, ex qua sunt conformati: quæ si desint, multam quidem substantiam, non bene temperatam ostendunt.

Quæ hic de magnitudine oculorum scribit, causas suas per se ostendunt. Nec res magna fieri potest sine copiosa materia. Verum quod addit *de concinnitate, quod ea scilic. bonam temperiem substantiæ ostendat*, non recte dictum est: nam concinnitas, quæ potissimum figuram spectat, & alia quæ sunt propria naturæ instrumenti, non sequuntur temperiem, sed formatricẽ facultatẽ, vt ipse *in secundo de temperamentis, cap. 8.* aperte docet: vbi eorum opinionem refellit, qui ad temperiem hæc referebant. *Dimensionis enim* (inquit) *vt ait Aristoteles, originis est, atque a calido, frigido, humido, & sicco res diuersa, causa, quæ particulas nostri corporis effingit.* Ea enim, cum nata sit similia sibi efformare, non ob debilitatem ipsius, natam ex intemperie, vel ex alia causa efficit variam conditionem quæ instrumentis apparet, sed solum ob insitam à forma vim, qua alia generare potest sibi similia. Sic parẽtes, qui simo, vel adunco sunt naso, aut oculis: magnis, vel paruis, vel prominentibus, vel occultis: aut tibiis rectis, vel obliquis: aut fronte lata, vel angusta, similes filios vt plurimum procreare solent, ex materia quidem apta, sed non, quæ ostendat vnam potius, quam aliam in ea temperiẽ. Et quanta sit autoris huius instabilitas, ex collatione *huius loci*, cũ eo, quem adduximus *ex secundo de temper.* quilibet iudicare potest.

Loci Gal. repugnantes.

Μικρότης δ' ὀφθαλμῶν ἅμα μὲν εὐρυθμίᾳ τε, καὶ τῇ τῶν ἐνεργειῶν ἀρετῇ, ὀλίγην μὲν, ἀλλ' εὔκρατον ἐνδείκνυται τὴν οὐσίαν, ἐξ ἧς διεπλάσθησαν, ἅμα δ' ἀρρυθμίᾳ τινὶ, καὶ κακίᾳ τῶν ἐνεργειῶν, ὀλίγην τε ἅμα, καὶ φαύλην εἶναι σημαίνει τὴν οὐσίαν αὐτῶν.

CAP. XXV. DE OCVLORVM PARVITATE.

Paruitas vero oculorum adiuncta quidem cõcinnitate, ac virtutũ operatione, paucam quidem, sed bene temperatam substantiam ostendit, ex qua sunt, conformati. Si vero sociam habuerint inconcinnitatem quandam, atque operationum vitium, tunc paucam, simul ac vitiosam materiam ostendit.

Quod de magnitudine oculorum antea dixit, idem nunc repetit de paruitate. Paruitas enim paucam materiam necessario ostendit: verum *si cum paruitate coniuncta sit concinnitas, ac perfectio operationis*, id est visionis, *tunc* (inquit) *pauca ea materia, ex qua oculi sunt conformati, temperata agnoscitur esse. At si oculi fuerint parui, & inconcinni*, id est, male figurati, quales sunt omnino rotundi, vel nimis oblongi aut plus iusto prominentes, vel concaui, vel male connexi, aut in alio vitiosi, ex quo visio, vel illius motus impediantur, *tunc agnoscimus, paucam simul & vitiosam subesse.* Verum (vt antea diximus) vitia, quæ in illis contingunt, à quibus inconcinni redduntur, & perperam sua officia exercent, tribuenda potius sunt erroribus formatricis, quam temperaturæ materiæ: nam illius officium est figurare, & formare partes: & raro, aut forte nunquam contingit materiam in ipsa conformatione vitiosam esse: aut si mala est, non ob intemperiem, sed ob copiam, quæ formatricem bene agentem impedit, errores accidunt. Verum, vt diximus, non tam materia damnanda est, quam natura agentis & formãtis: nam luscus luscos, & strabo strabones procreare solet. At cur cerebrum & caput paruum omnino damnauit: oculum vero paruum & concinnum non minus laudat, quam magnum? An quod in paruo capite, & cerebro, non potest dari locus omnibus cauitatibus, & ortui neruorum omnium, & aliarum partium, quæ necessarium habent a cerebro ortum? oculus vero vnius actionis est autor, visionis inquam: cui vel minimum in suo genere instrumentum sufficit: tametsi (vt Arist. scribit *in libro 1. de historia animalium*) optimi illi censendi sunt oculi, qui nec grandiores, nec parui sunt, sed qui moderati.

Oculi inconcinni.

Oculus paruus & concinnus cur non æque, vt caput paruum vituperandus.

Oculi optimi qui.

Τάδε κατὰ χρόας ὧδε χρὴ διορίζεσθαι, γλαυκοὶ μὲν ὀφθαλμοὶ λάμποντες ὑγρότητι καθαρᾷ τε

καὶ

A καὶ ἐ πολλῇ, φωτὸς λαμπροῦ γίνονται ταῖς ἐναντίαις μέλανες δι' ἔλλειψιν· οἱ δ' αὖ μεταξὺ, κατὰ τὰς ἀναμέσον αἰτίας.

Γλαυκὸς μὲν οὖν ὀφθαλμὸς ἤτοι διὰ μέγεθος, ἢ λαμπρότητα τοῦ κρυσταλλοειδοῦς, ἢ προπετῆ θέσιν, ἢ διὰ τὴν τοῦ λεπτοῦ καὶ ὑδατώδους ὑγροῦ τοῦ κατὰ τὴν κόρην ὀλιγότητά τε καὶ καθαρότητα γίνεται. πάντων μὲν ἅμα συνελθόντων, ὁ γλαυκότατος· εἰ δὲ τὰ μὲν αὐτῶν παρείη, τὰ δὲ μή, τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἐν γλαυκότητι συνίσταται. μέλας δ' ὀφθαλμὸς, ἢ διὰ τὴν σμικρότητα τοῦ κρυσταλλοειδοῦς, ἢ διὰ τὸ ἐν B βάθει θέσει, ἢ ὅτι λαμπρόν τε καὶ αὐγοειδὲς ἀκριβῶς οὐκ ἔστιν, ἢ ὅτι τὸ λεπτὸν ὑγρὸν, ἢ πλέον, ἢ οὐ καθαρόν ἐστιν, ἢ διά τινα τούτων, ἢ διὰ πάντα πέφυκε γίνεσθαι. τὸ μᾶλλον δὲ καὶ ἧττον ἐν αὐτοῖς, ὡς ἔμπροσθεν εἴρηται. τὸ μὲν οὖν λεπτὸν ὑγρὸν, ὑδατωδέστερόν τε, καὶ πλέον γινόμενον, ὑγρότερον ἀποφαίνει τὸν ὀφθαλμὸν, ὥσπερ γε καὶ εἰ παχύτερον, ἢ ἔλαττον γένοιτο, ξηρότερον. τὸ δὲ κρυσταλλοειδὲς, εἰ μὲν σκληρότερον εἴη, ξηρότερον, εἰ δὲ μαλακώτερον, ὑγρότερον. οὕτως δὲ καὶ εἰ μὲν ὑπερβάλλει C τῆς συμμετρίας τοῦ λεπτοῦ ξηρότερον, εἰ δ' ἀπολείποιτο, τοὐναντίον.

Ca. XXVI. De coloribus oculorum.

Quæ vero ad colores attinent, ita distinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam. Contra vero nigri, & qui intermedıam naturam seruāt, causas quoque intermedias habent.

Ca. XXVII. De glaucedine et nigredine oculorum.

Glaucus igitur oculus fit, vel propter magnitudinem, vel propter splendorem humoris, qui à Græcis crystalloides nominatur: D *vel propter situm prominentem, aut propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla existit, paucitatem & puritatem: atq; omnibus quidem in vnum conuenientibus fit glaucissimus oculus. Quod si aliqua adsint, aliqua vero non, tunc maior, minorve glaucedo contrahitur. Niger vero oculus fit aut ob paruitatem crystalloidis, aut propter profundum situm, vel quoniam splendidus ac fulgidus exquisite non est, vel quoniam tenuis humor, vel superabundat,* E *vel purus non existit, vel propter vnam aliquam ex his quas ante diximus, causas, aut propter omnes fieri consueuit. In ipsis autem magis & minus (ut ante diximus) reperitur. Tenuis igitur humor, quo magis ad aquæ naturam accedit & superabundat, humidiorē oculum ostendit: quemadmodū si crassior, ac minor fiat, sicciorem: crystalloides autem, siquidem durior existat, sicciorem efficit oculum: Si vero mollior, humidiorē. Sic & si plus modico tenuem humorem excesserit, sicciorem: si autem defecit, contrarium.*

Quæ hic dicuntur de colore oculorū, oculi compositionem & partes prænotas supponunt. Habet igitur oculus tres in se humores crystallinum, vitreum, & aqueum, quem recentiores vocāt albuginem. *Crystallinus* primum & præcipuum est visionis instrumentum, estq; albus, clarus, splendidus, & purus vt crystallus, à quo nomen sumpsit, est mediocriter durus, non exacte rotundus, sed oblongus, & depressus. Alius est humor, qui vitreus dicitur, quod vitro fuso sit similis fact᷑, vt sit sedes, & nutrimentū crystallini. In eo enim natat, & media parte sui submergitur crystallinus: is non est exacte albus, sed ita, vt si intelligas, pauco nigro multum album temperatum, vitiata per totū perfectione albedinis. Aqueus humor tenuissimus est, & multo spiritu perfusus, factus à natura, vt locum inter corneam, & crystallinum medium repleat, ne crystallinum exsiccari patiatur.

Oculi compositio. Humores. 1 Crystallinus humor præcipuum visionis instrumentum. 2 Vitreus. 3 Aqueus.

Porro inter tunicas oculū componentes prima & extrinseca est, quæ *annata*, siue *coniunctiua* vocatur, nata à pericranio, oculum firmans in cauitate sua, quæ facta est in ossib. capitis, eaq; album oculi constituit, in quo fit ophthalmia. Alia est tunica, quæ vocatur *cornea*, eo, quod sit solida, dura, densa, lucidissima, sicut albissimum lanternę nouæ cornu, & talis est solum in ea parte, qua extrinsecus respicit humorem crystallinū. Nam alibi postea densa quidem & solida est, sed non perspicua & perlucida; quippe cum perspicuitatem, ea solum parte requirat, qua extrinsecus colores transmittit ad humorem crystallinum, hæc tunica nascitur à dura meninge. Tertia est tunica à tenui meninge nata: cerulea, & rhagoydes dicta, & coroydes: vuea quidem vocatur, quod eius externa leuitas, & interna asperitas acino vuæ comparetur. Coroydes vero, quod multis venis, & arteriis, vt corion fœtus membrana, sit intertexta. Triplici colore ea est prædita, fusco, nigro & ceruleo, vt crystallini, & vitrei humoris splendorē diligentissime seruet, contineat, ac constringat, ac vt laborantem visum interno spectaculo, medicamentoso reficiat: indicio, quod cum in splendore lucis offendimur, statim palpebras claudimus, ad natiuum remedium properantes. Hæc tunica, qua parte crystallinum humorem tangit, humida est, & vt spongia mollis, ne contactu humorē offendat: exterius densa, vbi versatur cum cornea, ne scil. à cornea lædatur. Et eadem tunica, qua humorem vitreum ambit, parte, intus aspera est, foris leuis: habet quoq; tunica circa pupillam, foramen: & qua parte foramen est, nulla alia inter crystallinum humorē & corneam tunica est, sed veluti per cornu tenue admodū, & album splendor internus cum externo communicatur, & commiscetur. Illius foramen spiritu aereo repletum, & distentū efficit, quod pupilla dicitur. Alia est tunica, quæ Amphiyustroides, eo quod reti sit similis, & propterea retiformis à nostris vocatur, facta ex neruo optico dilatato, à natura ita comparata, vt crystallini humoris alterationes sentiat, & vt vitreo humori alimentum adferat. Demum alia est tunica telis araneorum simillima, vnde Arachnoides vocatur, ex tenuibus filamentis coroydes tunicæ orta, & ad humorem crystallinum extensa, & ipsum ambiens, illumque ligans, & nutrimentum ad eum ferens.

Tunica. 1 Coniunctiua. 2 Cornea. 3 Vuea.

Neruos duplices habent oculi, opticum mollē,

Nerui oculorum.

& crassum, qui falso creditur à Galeno perforatus, argumento, quod vno clauso oculo, alterius pupilla dilatetur. Nam hoc quidem fit transmisso spiritu ad oculum apertum, qui ad vtrumque antea ferebatur: At non per nerui cauitatem, sed per arterias descendentes in tunicas oculorum cum venis hic spiritus immittitur. Falso quoque creditur, hic spiritus esse lucidus, splendidus, veluti solis radii. Nam in nostro corpore nullus talis spiritus gigni potest. Fertur ergo vis visiua per neruum quidem opticum, id est, visorium, sed absq; spiritu aliquo, vt vis sensitiua, & motiua, per alios neruos immittitur in alias partes, vt radii Solis, qui ad nos descendunt absque aliqua substantia, vt optime Gal. *in lib. de locis affectis* antea à nobis præcitato ostendit. Habet oculus etiam neruos motorios, qui in musculos inseruntur, quorum vi oculus attollitur, deprimitur, circumagitur, ad suos angulos mouetur, & intus firmatur. Quibus quidē ita explicatis, sequitur vt doceamus, à quibus causis fiant colores, qui in oculis hominum apparent.

Spiritum visiuum nō esse lucidum.

De coloribus oculorum Aristotelis sententia.

Nam vt Aristoteles scribit *in lib. 1. de historia animalium*, candidum oculi magna ex parte simile in omnibus est: at quod nigrum dicitur, variat præsertim in homine: quippe cum cæteris animantibus in singulo genere idem sit color, equis exceptis, qui interdum oculis proueniunt cæsiis. Inter homines vero nigram oculi partem alii habent atram, alii cæsiam, siue claucam, alii fuluam, alii caprinam, quæ morum optimorum est indicium, & ad cernendi claritatem, vt idem est autor primatum obtinet. Cur vero aliquibus sint oculi cæsii, aliis vero nigri, idem rationem reddit *in libro 5. de generatione animalium, cap. 1.* vbi posteaquam refellit illorum opinionē, qui putabant cæsios oculos fieri ob ignis abundantiam: nigros vero ob aquæ copiam, ait, nigros oculos fieri illis, qui multum humoris continēt, quoniam humoris copia transpici satis non potest. Cæsios vero reddi ex paucitate humoris, quod ostendit ex his, quæ in mari cernuntur. Etenim quantum eius satis transpicitur, cæsium apparet, quantum minus, aquinum, quantum præ gurgite alto non præfinitur, id opacat, & nigrum, aut ceruleum sentitur. Qui autem inter eos sunt, eo iam differunt, quod magis, minusve ita constiterint. Eandem causam esse (inquit) putandum est, vt cæsii acute interdiu cernere nequeant, nigri noctu. Cæsii enim præ sui humoris exiguitate mouentur magis a luce, & rebus visibilibus, scilicet qua humidi, quaq; perlucidi sunt: quanquam motio eius partis visio est, qua perlucida, non qua humida. Nigri vero ob humoris copiam minus mouentur. Lux enim nocturna ex illis est, & simul quiuis humor per noctem moueri difficilius potest. Subiungit vero postea, pueros paucitate humoris cæsios fieri. Addit cæsietatem cruditatē quandam esse, eo, quod ex cruditate humoris etiam nascatur, vt canities. Hæc quidem Aristot. de causis horum colorum: quæ suo more difficilius tradit: nam debebat in primis docere, quos humores intelligere velit paucos, vel multos, coctos, vel crudos: an omnes qui sunt in oculo, an quosdam duntaxat. non enim id ad omnes pertinet: deinde quam cruditatem agnoscere potest in pueris, aut paucitatem humoris, magis, quam in aliis ætatibus? Vt enim illi plurimum habent calidi innati, ita omnium fe-

Color optimus oculorū quis.

Cæsietas secundum Aristot. quid.

Arist. opinio expenditur.

A licissime concoquunt, & pluribus humoribus abundant: quod ostendit felicissima nutritio, magnum incrementum, & singularum partium tensio, bonusque habitus. Auerrhoes quoq; parum doctus in medicina, *albedinem oculi* dicit *fieri ab humiditate, nigredinem a caliditate: quia*, inquit, *albedo fit per indigestionem*: quasi omnia alba fiant ex pituita, & cerebrum, ossa, & aliæ partes nostri corporis albæ, & duræ, perfectam non ostendant concoctionem. Quare melius hoc loco Gal. hæc explicat: nam cum in oculo sit humor crystallinus candidissimus, splendidissimus, diaphanus, rationi est consonum, vt *tanto splendidiores, & candidiores oculi appareant, quanto vis illius corporis* B *splendidi, & luminati, conspicua magis fit.* Id quod necesse est contingat, quoties ipse humor maior est in aliquibus, quam in aliis, vel splendidior, aut magis prominet, ad superficiem oculi vergens, & minus immersus est in humore vitreo, tunc enim ipse humor splendoris, & albedinis causa est. Aliquando vero ob corpora, quæ illi obiiciuntur, idem contingit: nam (vt ille inquit) *si aqueus humor tenuis, paucus, & purus fuerit, splendor & albedo ipsius crystallini perspicua magis redditur, vnde oculi fiunt glauci.* Ita nigri tunc euadunt, cum idem humor multus est, crassus, & impurus. Quanto enim plura impedimenta obiiciuntur candidis rebus, tanto nigriores illæ apparent: vn- C de in profundiore mari, si quid album resideat, minus album conspicitur, quam si illud attollatur, & per minorem aquæ copiam. Verum quod ille scribit solum de humore tenui, idem mihi videtur dicendum de spiritu, quo repletur pupilla, & cornea tunica. Nam qui spiritum illum habent maxime tenuem & elaboratum, cæsios habent oculos: qui vero crassum, ac veluti nebulosum, nigros. Atq; hac quidem ratione crediderim, pueros cæsios habere oculos: nam ob felicem concoctionem, aqueum humorem, & spiritus ipsos tenues, puros, & maxime elaboratos obtinent. Contraria ergo penitus ratione Aristoteli, contingit pueris esse cæsios. Ille enim ob cruditatem: D nos vero ob perfectam concoctionem hoc contingere putamus: propterea tanto progrediente ætate redduntur oculi nigriores, quanto diminuto calido natiuo concoctio deterior euadit. Nonne etiam rationi cōsonum est, quibusdam factam esse corneam tunicam lucidiorem, & ob hanc rationem cæsios fieri oculos: aliis vero nigros ob contrarias eiusdem tunicæ conditiones? Qui vero adferunt, etiam cæsios oculos fieri, eo quod visorii spiritus quibusdam lucidiores sint, nugas adferunt: nam tenuitas, puritas, in illis agnoscitur esse: splendor vero, vt illi imaginantur, qualis est in radiis solaribus, nullus in illis esse potest. Hæc quidem sufficiant de extremis coloribus oculorū. E Explodenda vero est Montani opinio, qui glaucos oculos fieri dicit, quando tunica vuea est alba: & ideo pueros glaucos habere oculos: alios vero postea nigros, quoniam ea tunica ab initio alba, ætatis progressu nigra redditur. Nam quis vnquam vidit, eam tunicam albam esse, aut colores, qui in omnibus iidem semper sunt & natiui, ætatis cursu mutari. Quod si dixisset, illius foramen ob angustiam & amplitudinem aliquid ad id conferre, non esset forte reiicienda illius sententia. Nam angustia tegit partē humoris crystallini, amplitudo autem detegit: ex hoc niger, ex illo glaucus reddi-

Opinio Auerrhois itidem refutatur.

Oculi glauci vnde.

Vnde nigri.

Pueri cur oculis sint cæsiis, progressi vero nigris.

redditur oculus: ex quib. medii facile elici possunt. Nunc vero, quæ scribit Gal. de temperie oculi ex humoribus suis, expendamus. Vult enim ille, oculum temperamentũ mutare ob abundantiam, crassitiem, tenuitatem, duritiem, & mollitiem: Sed (meo quidem iudicio) hoc perperam statuit, Nam oculi humores, etsi actu humidi sunt, vt aqueus & vitreus; alius vero durus & siccus, vt crystallinus: tamen nullus illorum vim habet humectandi, vel exsiccandi, vt faciunt humores corporis. Quis enim quæso, sensit vnquam ex suis humoribus quibus proprie oculi constant, calorem vel frigus, vel humorem, aut siccitatem? Patitur quidem oculus, & afficitur his qualitatibus. At non ab illis humoribus, sed à fluxionibus aliorum, & aliis internis externisque causis. Itaque si illi nullam vim habent alterandi, nec quoque facultatem habebunt mutandi temperamentum, quod non aliter, quam per alteratione͂ inducitur. Quo magis etiam illorum temeritas damnanda est, qui ex colore oculorum, illorũ temperiem diiudicare volunt. Nam causæ, quas adduximus, quib. contingit fieri oculos cæsios, vel nigros, ad tẽperamentũ non pertinent; sed vel ad situm, vel abundantiã, vel paucitatẽ, aut crassitiem, vel tenuitatẽ humorum, & spirituum, vel splendorem crystallini, & corneæ tunicæ, & huius etiam tenuitatem, & tensionem, quæ omnia nihil ad temperamentum ipsius organi pertinent. Illud vero hoc loco prætereundum non est. An, s. oculi humores viuant, & animati sint: An aliter habeant, vt quatuor humores corporis, qui solum materia sunt generationis, nutritionis, & incrementi nostri corporis, sanitatis morbique causæ. Curtius concedit, crystallinum humorem animatum esse, cum sit instrumentum visionis: Animæ autem propria instrumenta animata esse oporteat: de humore autem vitreo & aqueo statuit diuersam esse rationem. Eos enim eo, quod nutrimentum præbeant humori crystallino, non esse animatos, non magis quam sanguinem. Verum ego aliter sentio: nam cum oculus pars instrumentaria & composita constet ex suis similaribus partibus, & geniti illi sint ex primis nostris principiis, & prętcrea augeantur, vt aliæ similares partes: merito illos inter viuentia, & partes similares recipiemus: etsi interim vnus alteri seruiat ad nutritionem, vt Galenus credit: quod forte etiam verum non est, cum venulæ, & arteriæ, quæ in illos vel loca vicina sanguinem spargunt, eandem ostendant fieri in illis, vt in aliis similaribus partibus nutritionem. In hoc etiam loco Medici quæstionem tractant, quo modo visio fiat, An intro, vt Arist. vel extra, vt Gal. probare nititur *in lib. 7. de placitis*: sed quoniam hæc longiorem postulant tractationem inutilem Medicis, & argumenta, quæ vtrinque adferuntur, probabilia quidem sunt, sed minime necessaria: ideo hæc silentio pertransire decreui. Dicam tamen breuiter quod sentio, veriorem meo iudicio esse opinionem, si quis statuat visionem fieri *partim intro, partim extra mittendo*: quod & commune in omni sensatione esse puto: nam vt sensus fiat, necesse est, vt species obiecti in sensorio recipiatur, & anima eam cognoscat: nam (vt inquit Gal.) sentire est cognoscere, hoc ipsũ autem est agere: nam anima in omni operatione, in qua vtitur instrumentis corporeis, cum aliquid agendum est, prodit, & veluti recedere à corpore

Humores oculorum non posse mutare temperamentum oculorum.

Oculorum colorem non prodere eorundem temperamentũ.

Oculorum humores an viuant & animati sint.

Curtii opinio quæ damnatur.

Autoris sententia.

Visio num intro vel extra fiat.

A videtur, vt occurrat obiectis, & illa apprehendat & diiudicet: in quo opere calorem & spiritum, sine quo nihil agere potest, secum profert, & educit, atque ita veluti complexu quodam agendo ipsa, & recipiendo passiones factas in sensoriis, fit sensus & cognitio: nam si solum fieret visio intromittendo, & recipiendo, quænam esset animæ vis, cuius natura est agere, & alia mouere: non autem pati, nisi per accidens. Sed hæc, vt dixi, sunt logicæ (vt inquit Gal.) quæstiones, nihil ad nostram facultatem conferentes.

B Περὶ δὲ τῶν τῆς καρδίας κράσεων ἑξῆς λεγέσθω. πρότερόν γε ἔτι ἀναμνησάντων ἡμῶν, ὡς ἕκαστον μέρος ἤτοι θερμότερον ἢ ψυχρότερον, ἢ ξηρότερον, ἢ ὑγρότερον ἑαυτοῦ γεγονέναι φαμὲν, οὐ πρὸς ἕτερόν τι παραβάλλοντες. ὅπως γὰρ ἂν ἡ καρδία γένηται τινὶ φύσει ψυχροτάτη, πολὺ θερμότερον τὴν κρᾶσιν ἕξει ἐγκεφάλου τοῦ θερμοτάτου.

C. XXVIII. DE TEMPERATVRIS CORDIS.

De cordis autem temperaturis deinceps dicendum est, si prius hæc in memoriam reuocauerimus, quod vnamquamque partem seipsa vel calidiorem, vel frigidiorẽ, vel sicciorem, vel humidiorem dicimus C *factam, non alicui rei alteri comparantes, sed ad seipsam. Sic enim vtcumque extiterit cor natura frigidissimum, multo sane calidiorem temperaturam possidebit calidissimo cerebro.*

Quatuor posuit ab initio huius tractationis nostri corporis principia, cerebrum, cor, hepar, testes. Ac cum de cerebro hactenus egerit, nunc aggreditur signa temperaturarum cordis, quod & situ, & dignitate cerebro propinquius est aliis principiis: sed non eadem plane vtitur docendi ratione: nam cerebri temperati notas prius docuit, deinde notas tradidit singularum illius intemperaturarum, & merito quidem: nam quod D perfectum est, aliorum regula esse debet. Hic vero statim aggreditur signa temperaturæ cordis calidi, forte quod vno & eodem negotio, extrema, & media temperatura facile intelligi posset. Neque enim ad cerebri temperies dignoscendas, indicia sumere possumus ab his, quæ ipsi insunt secundum essentiam: quippe cum illius figuram, formam, magnitudinem, calorem, & quæ ab eo sunt orta, sensibus deprehendere non possimus. Causæ etiam iuuantes, aut lædentes minimam in hac re vim habent: cum per multas partes intermedias vim suam immittant in cor. Quare solum fere ex ipsius actionibus & passionibus signa du-E cere possumus. At facile est dicere, cor esse temperatum, quod actiones mediocres edit, & moderatis passionibus est obnoxium. Non ergo arte & præceptis fuit opus ad hæc dignoscenda. At non ita patet, à quibus causis excessus & defectus actionum & passionum fiant. Igitur de eo, quod difficilius est, præcepta tradit: ac ab initio admonet, quonam modo calidum, frigidum, humidum & siccum cor intelligendum sit: est enim de his omnibus eadem ratio, quod s. calidum intelligatur, non quod calidius sit ea parte, quæ ad pondus temperata esse statuitur, nempe cute, vel quod ca-

lidius sit alia quacunque parte. Sed in hoc solum esse spectandum cor ipsum hominis temperati: quod enim eo est calidius, calidum dicitur, sic de aliis qualitatibus intelligendum. Sed nos hæc antea explicauimus, vt docendi methodus postulabat: nam eodem modo cerebrum etiam calidum, frigidum, humidum, & siccum dicitur, & propterea quod commune multis est, inter initia docendum erat. Oportebat præterea hic quædam commemorare de vsu, actionibus, & passionibus cordis, sine quibus signa, quæ tradentur, intelligi non possunt. Quod nos breuiter faciemus. Igitur cor (vt ab illius vsu exordiamur) factum est à natura vt sit fons & officina caloris, quo singulæ partes corporis egent ad suas actiones obeundas: propterea ipsum semper feruere oportet, vt perpetua fiat caloris generatio, vt continuus debeat esse illius vsus. Gignitur autem hic calor cum substantia spirituosa, quæ ex sanguinis feruore in sinistro cordis ventriculo elicitur. Et quomodo in omni ebullitione rerum, necesse est fuliginosa quædam excrementa gigni, quæ ignem & calorem ipsum extinguunt, si retineantur: ideo illa continuo expurgari oportet: & præterea necesse est, vt immittatur frigida aliqua substantia, quæ temperet acrem eum calorẽ: propterea quod duplici motu vtitur, vno quo dilatatur, alio quo comprimitur, & subsidet: & hoc ipso quidem fuliginosa excrementa à se expellit, illo vero externum aerem ad se allicit, & in se recipit. Et quoniam aeris qualitates sæpe sunt corruptæ, ne talis perueniat ad partem maxime nobilem, qui puri spiritus, & caloris vitalis autor esse debet, ideo natura pulmones circundedit cordi, vt in eum cor fuliginosa sua excrementa expellat, & ab eodem frigidiorem aerem suscipiat. Et quia pulmo fuliginosum eum vaporem extrudere debet, id quod sine compressione fieri non potest: & externum aerem per nares, os, & asperam arteriam in se recipere, & id absque dilatatione præstare nequit, nec habet in se harum motionum principium: ideo natura eum alligauit pectori & dorso, & has partes voluntarie moueri instituit, vt quoties vrget necessitas caloris, motus variari possint. Atque eo modo, quo fabri ferrarii follibus dilatatis & compressis aerem intromittunt frigidiorem, & expellunt fuliginosa ignis excrementa, fouentque, atque temperant ignem subiectum, quo vtuntur: ita dilatatione pulmonis & cordis, tẽperatur cordis calor. At vero, quoniam oportebat calorem & spiritum genitum in corde, communicari singulis partibus corporis: ideo natura arterias à corde eduxit, & in omnes corporis partes diduxit, quæ cum spiritum contineant etiam feruentem, qui iisdem auxiliis eget ad suum contemperamentum: ideo arteriæ eo modo, quo cor, dilatantur, & comprimuntur, attrahuntque per cutis & aliarum partium meatus externum, qui nos ambit, aerem, atque in eundem emittunt fuliginosa, quæ ipsæ gignunt, excrementa. Appellatur autẽ arteriarum compositus hic motus ex dilatatione & compressione, *pulsus*: quo nomine etiam cordis motus, recte nuncupatur. Motus vero pulmonis, quo ille pariter dilatatur, & constringitur, dicitur *respiratio*: cuius dilatatio, per quam intromittitur aer, inspiratio: constrictio vero, per quam emittitur fuligo in corde genita, expiratio vocatur. Non mirum ergo, si pulsus respirationi, inspiratio dilatationi arteriarũ, & expiratio compressioni illarum respondet: quippe cum idem sit vsus, eadem necessitas in diuersis organis. Atque eæ sunt actiones & motus ipsius cordis, & partium, quæ æmulantur illius motus, ipsique seruiunt.

Cordis vsus quis. — *Quid pulmo conferat cordi.* — *Vsus arteriarum.* — *Pulsus.* — *Respiratio.*

Affectiones vero & passiones cordis multæ traduntur esse à Galeno *in hac tractatione*: nempe *audacia, promptitudo ad actiones, iracundia, temeritas, segnitia, impudentia, furor, timor, mœstitia*: quibus addi possunt *mansuetudo, confidentia, verecundia, commiseratio, indignatio, inuidia, æmulatio, superbia, ambitio, odiũ, lætitia, misericordia, conturbatio, desperatio*. Hæc enim & eorum contraria à corde, & in ipso corde, fieri creduntur solo affecto corde, vel etiam simul concurrente ratiocinatrice facultate. Nam ratiocinandi facultas rerum imagines æstimat, quæ cum præsentes sunt, oritur lætitia, maleuolentia, odium, ira, inimicitia, prout res bonæ, vel malæ iudicantur esse. Ex futuris vero rebus oritur cupiditas, ambitio, metus, timor, terror, pauor, conturbatio, desperatio, exanimatio, pudor, spes, & illis contraria: quæ quidem quo modo in corde gignantur, aut ab eo excitentur, non facile est intelligere, & explicare posse. Nam Fernelius iram, odium, inimicitiam & alias huiusmodi perturbationes, ex sanguinis ebullitione, aut alia alteratione circa cor oriri, & excitari, & postea appetitum moueri, & rationem affici putat: sed meo quidem iudicio perperam. Nam ratio, vel mens, aut quæcunque alia facultas, cuius officium est res agnoscere, & æstimare, quales, quantæque sint, primum mouetur, & postea quam iudicauit illas esse appetendas, vel fugiendas, excitantur illæ facultates, vel potius passiones, quæ aptæ sunt seruire imperanti facultati, vt manifeste apparet in ira: nam ratio primum iudicat se, vel suos esse contemptos: ex hoc oritur appetitus vltionis, & quoniam hæc fieri non potest, absque roboris intensione: hæc vero ebullitionem sanguinis & spiritus in corde requirit, merito excitatur ea vis, quæ apta est mouere cor, eo modo, in quo ebullitio ea nascitur: ac pro diuersitate temperamenti earum partium, in quibus hæ passiones resident, accidit, vt prompte aut difficile quis, vel magis, aut minus, quam ratio ipsa postulet, irascatur. Eadem est ratio de timore, mœstitia, desperatione, & aliis passionibus. Modos enim illis imponit bene instituta ratio, & moderatur temperamentum illarum partium, in quibus passiones huiusmodi resident. Igitur in his passionibus excitandis duæ concurrunt causæ; ratio, quæ in cerebro resider, & animosa ea facultas, quæ sedem habet in corde, & nunc vnius, nunc alterius, aut vtriusque vitio passiones istæ potentes sunt, vel imbecilles: nam illi, *quibus ratio corrupta est*, aut infirma, facile irascuntur, quoniam res vel minimas iudicant vindicta esse dignas. Qua ratione *mulieres* facile irascuntur, non quidẽ ex cordis calidiori tẽperamento, sed ratiocinatricis facultatis vitio. *Qui vero corde sunt calidiore, rationem non permittunt libere dominari*, sed eam cogunt res æstimare sæpe, quales non sunt, & eam commouent, atque perturbant; quomodo *iuuenes* ad iram, audaciam, & temeritatem sunt procliues, feruente nimirum in illis sanguine circa cor: atque idem illis accidit, quod equis furiosis, qui insidentes ipsis sæpe rapiunt & præcipitãt; quod si cordis temperies, & ratio simul fauent perturba-

Affectiones & passiones cordis. — *Affectiones & passiones quomodo in corde gignantur.* — *Fernelii opinio.* — *Opinio auctoris.* — *Quinam facile irascantur.*

perturbationibus, tunc illæ maximæ sunt, nec facilè sedari possunt. Videndum ergo rationis ne, vel cordis vitio huiusmodi passiones fiant.

Τῆς μὲν οὖν θερμοτέρας ὡς πρὸς τὴν οἰκείαν συμμετρίαν καρδίας σημεῖα. τὰ μὲν ἀχώριστά τε καὶ οἰκεῖα, μέγεθος ἀναπνοῆς, καὶ σφυγμοῦ τάχος, καὶ πυκνότης ἐστὶν, εὐτολμία τε καὶ τὸ πρὸς τὰς πράξεις ἄοκνον. εἰ δὲ ἐπιπλεῖστον ἥκοι θερμότητος, ὀξυθυμία, τε μανιώδης καὶ θρασύτης. ἔστι δὲ καὶ λάσιος αὐτοῖς ὁ θώραξ, καὶ μάλιστα τὰ στέρνα, καὶ τὰ καθ' ὑποχόνδριον ὅσα τούτοις πλησίον.

CAP. XXIX DE SIGNIS CORDIS CALIDI.

Calidioris igitur cordis vt ad modum, qui ei proprius est atq; conueniens indicia quadam sunt inseparabilia, & propria, magnitudo respirationis, & pulsus velocitas, & frequentia, & audacia, & ad actiones natura prompta. Quòd si multũ in caliditate excesserit, tunc furibunda quadam iracundia, & temeritas adsunt. Est autem thorax hispidus, & præsertim pectus, & quæcunque hypochondriis partes proxiores.

Posteaquam docuit, quonam modo velit cor intelligi calidum in hac tractatione (quod idem etiam intelligendum est de frigido, humido, & sicco) iam aggreditur tradere signa cordis calidioris, explicatque rursus, quo modo *calidius* illud intelligat, quod scilicet calidius sit, quàm cõueniat modo, & mediocritati, quæ debetur cordi hominis *temperati*: qualis verò & quantus sit huiusmodi calor, hic non docet, quasi notum putet experientia ex actionibus, & passionibus, & aliis indiciis, quæ ratione cordis apparent in hominibus temperatis. Porro appellat inseparabilia illa esse signa, quæ omni conueniunt: & propria, quæ soli. Id enim ex *lib. primo de diff. febrium* facilè patet. Quæ sint autem huiusmodi signa, explicat. *Primum*, inquit, *est respiratio & pulsus*: certè respiratio mutari multis modis potest, sed in magnitudinem, velocitatẽ, & frequentiam nunquam, nisi cor calidius fuerit redditum. Difficilis autẽ, (vt dico) fieri potest ex solius thoracis morbis, vt inflammationibus, vlceribus, vulneribus quæ impediunt liberum ipsius motum. Pulsus verò in parte aliqua excalefacta, vel inflammata, maiores, velociores & frequentiores fieri possunt: non affecto corde: At in omnibus partibus (vt hic intelligendum est) nequaquam. Illud verò hic prænoscendum est, magnam respirationẽ, & pulsum magnum, tres habere easdem causas immediatas, & vt Galen. scribit in *lib. de diff. pulsuum*, coniunctas, nempe *caloris incrementum in corde, obedientiam instrumentorum, thoracis inquam & arteriarum, & robur virtutis mouentis thoracem, & ipsas arterias.* Aliqua enim ex his causis deficiente, nec magni pulsus, nec magna respiratio fieri possunt. Illud quoque ignorandum non est, quod in *lib. de pulsibus* demonstratur, naturam, vbi sola magnitudo respirationis & pulsus non sufficiunt, adiungere sibi primo velocitatem, deinde frequentiam. Meritò ergo his scribit, *vbi cor est calidius, fieri magnam respirationem*, quoniam vsus, & refrigeratio caloris id postulat: nec virtus in homine sano, de quo hic agimus, nec instrumentũ etiam repugnat. Verum ex mala versione Leoniceni orta est controuersia inter interpretes. Nam Montanus magnitudinem ad solam respirationem refert, velocitatem & frequentiam ad solos pulsus. Akachias verò, & melius, magnitudinem, velocitatem, & frequentiam refert pariter ad respirationem & pulsus. Ridiculum verò est, quod in hac re scribit Montanus, magnitudinem pulsus non posse cognosci in hominibus sanis, eo, quod sit in musculosis hominibus & à velocitate & frequentia sepulta & ignota manet: ideo Gal. solum posuisse velocitatem & frequentiam in pulsu. Nam huius opinionis falsitatem detegit Gal. passim *in lib. de causis pulsuum*, vbi sanorum pulsus referens, sæpè has omnes differentias cõiungit: quod etiam facit *inferius* cum cordis calidi & sicci, & calidi & humidi pulsus explicat. Præterea clara est de eadem re sententia apud Galenum *cap. 3. primi de causis pulsuum*, vbi cordis calidi pulsus explicans, magnitudinem, velocitatem, & frequentiam coniungit, & hoc clarius nihil esse potest. Est autem magnus pulsus, qui in omnes dimenosines dilatatur. Velox, qui multum spatium breui tempore conficit. Frequens, qui parum quiescit, & sæpe tactum ferit: quare potius de eo dubitandum est, an magna, velox, & frequens respiratio, & magni, veloces, & frequẽtes etiam pulsus fieri debeant, vbi cor quocunque modo paulo calidius est, quàm conueniat cordi temperato. Nam si magnos excessus describeret, quod *paulo post ea* facit, cum dicit, *quod si multum in caliditate excesserit*, fortè illius opinio tolerari posset: sed cum in omni excessu caloris has ponat differentias, minus profectò probabilis, aut etiam falsa apparet illius sententia. Quos enim videmus sanos ita cum magna, veloci, & frequenti respiratione anhelantes? Hæc enim in malis habitibus, crassis, & pinguibus, in quibus libera non fit respiratio, aut in sanis cursu, aut alio labore agitatis, vel in ægris febre correptis fieri videmus: ob solam verò naturalem temperiem cordis calidiorem, nequaquam. Nam si thorax ad proportionem cordis caloris latus est, & amplus, mediocris respiratio sufficit: alioqui sola magnitudo respirationis, absque velocitate, & frequentia naturalẽ vsum perficit. Sic magnus pulsus satis calorem singularum partium temperat sine velocitate, & frequẽtia. Addit, cordis calidioris indicia esse *audaciam, & ad actiones obeundas promptitudinem.* Audaciam interpretatur Akachias confidentiã, & eam fieri scribit cum animus mouetur ad adipiscendum magnum aliquod bonum, aut ad expellendum magnum aliquod malum. Quæ si cum ratione & iudicio fiat, fiduciam vocari scribit, alioqui confidentiam, quæ si exuperet, temeritas vocatur, cuius etiam excessus furor, & furiosa temeritas appellatur: ex fiducia verò ait nasci promptitudinem, & impigritatem ad labores, & res agendas, cum ratione susceptas. Ex cõfidentia verò, & audacia nasci quoque eandem promptitudinem ad res gerendas, susceptas tamen temere. Cuius quidem opinio non displicet: tametsi rectius fortasse audaciam non ad quascunque res, sed ad eas, quæ cum periculo suscipiuntur, extenderet. Nam illa fortitudini oppo-

Signa inseparabilia & propria quæ. Respiratio quomodo mutari possit.

Respiratio magna & pulsus causa immediata.

Montani ridicula opinio.

Pulsus magnus. Velox. Frequens.

Audacia.

dispositionem ostendit: nimirum cum continēs pro ratione contenti fieri oporteat, ita nunc ex forma, figura, cauitate thoracis, cordis temperiem significari scribit. Rationi enim putat esse consonum, vt thorax latius fiat, vbi cor calidius fuerit. Verum mihi hæc opinio non placet. Nam cor non est, quod partes format & figurat, sed formatrix vis, quæ in semine est: quæ vis agentis parentis naturam sequitur. Magni enim parentes magnos generant, parui paruos, & monstrū est, aut adulterina proles, si ex vtroq; parente magno paruus gignatur fœtus. Confert ad hoc etiam materia, quam mater suppeditat sua copia, vel inopia. Quare quid, quæso, potest cor conferre ad amplitudinem thoracis? Non enim in ipsa generatione, in qua ipsum, vel nondum est factum, aut exiguam omnino habet magnitudinem, & nondū caloris fons dici potest totius corporis, quod nondum est conformatum, pōt est thoracem, vel aliam partem dilatare. Nec post generationem hoc efficit: nam his, qui frequenter febribus laborant, thorax cresceret ob vehementissimum calorem. Præterea cur eandem vim non tribuit cerebro, & hepati calidiori? nam si propriū ex natiua temperie calorem sequitur circumstantium partium amplitudo, communis debet esse in omnibus ratio, vt in aliis omnib. signis communis est. At ridiculum est dicere, eos esse capite maiore, qui cerebro sunt calidiore, & illos ventre inferiore latiore, quibus hepar calidius subiicitur. nam (vt diximus) generatio nostrarum partium, & totius corporis, nō à nostris partibus fit: sed *à nostris principiis, quæ extrinsecus à nostris parentibus accedunt.* Illa enim omnia efficiunt, ex quibus, tum similares, tum organicæ partes, & vniuersum corpus ex illis constat. *Est autem vt forma, figura, numerus, connexio; sic magnitudo partium formatricis facultatis opus.* Itaq; si à cordis calore hæc immutari possent, cur non dicemus, illos plures habere costas, aut pluribus vinculis connexas cum aliis partibus, aut singulas costas latiores, quibus cor intus conclusum calidius est, quàm si temperatis, aut reliquis hominibus? cur ergo non dicemus, thoracem illis fieri longiorem, & suprema sui parte ascendere vsq. ad caput, infima verò vsque ad vmbilicum descendere? nam caloris officium est, non magis secundum latitudinem, quam secundum alias differentias res maiores reddere. Quod si arterias, & ipsum cor diceret crescere ex eo calore, probabilior esset illius opinio. Sed quod etiā illius vis extendatur ad ossa thoracis, nulla ratione id persuaderi potest. quippe cum, nec tempus, nec modus, quo id fiat, ostendi possit: nam antequam hepar sit factum, cor non potest spiritus generare, quos facit ex sanguine: hepate verò iam conformato, & corde iam generante spiritum, ossa iam facta & iam duriora, quàm vt vi caloris distendi queant. Prætera cor, non quod ex se emittat calorem veluti fumum, calefacit, sed *quod spiritum calidum per arterias spargat in omnes partes,* fons dicetur esse caloris: at spiritus, qui in arteriis delatis ad thoracem continetur, non potest tantam habere vim, aut si habet, hoc ipsis, & non cordi calidiori est adscribendum, vt Gal. contendit fieri. Sumamus ergo aliam, quam hic adfert causam, & illam perpetuam esse putemus, *quod scapro magnitudine cerebri, & spinalis medullæ tum caput, tum spina, & costæ ipsæ, quæ thoracē constituunt, sint conformata:* nam quod scribit, *thoracem fieri magnum aliquando, cum caput paruum est,* experientiæ repugnat. quomodo enim vbi materia deest in principiis, in aliis potest abundare? aut ex sola vi caloris, sine multa materia, res potest fieri ampla? nam antea cum ageret de paruitate, & magnitudine capitis, dixit principia, & quæ à principiis oriuntur, se mutuo indicare, & attestari. Quare quæ hic tradit, illi sententiæ, quæ verissima est, repugnant.

An thoracis magnitudo sequatur temperiem cordis.

Generatio nostra unde fiat.

Cor quomodo calefaciat.

Ἐπὶ δὲ ψυχροτέρας καρδίας, σφυγμοὶ μικρότεροι τοῦ συμμέτρου, οὐ μὴν βραδύτεροί γε ἐξ ἀνάγκης ἢ ἀραιότεροι. ἡ ἀναπνοὴ δὲ, εἰ μὲν τοσοῦτον μικρότερος ὁ θώραξ εἴη, ὅσον ἡ καρδία ψυχροτέρα, τοῖς σφυγμοῖς ἀνάλογον· εἰ δὲ μείζων ἢ κατὰ τὸ ποσὸν τῆς ψύξεως, οὐ μικροτέρα μόνον, ἀλλὰ καὶ βραδυτέρα, καὶ ἀραιοτέρα. δειλοὶ τὴν φύσιν οἱ τοιοῦτοι, καὶ ἄτολμοι εἰσὶ δὲ ληθαργοι, καὶ ἀμελητοὶ, καὶ ψιλὸν αὐτοῖς τὸ στέρνον τριχῶν ἐστι. περὶ δὲ σμικρότητος αὐτῆς διοριστέον ὡς ἔμπροσθεν εἴρηται. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ περὶ τοῦ ὅλου τοῦ σώματος θερμότητος.

CAP. XXX. DE SIGNIS CORDIS FRIGIDI.

In frigidiore vero corde pulsus minores existunt, quam modo naturæ conueniat, nō tamen necessario tardiores vel rariores. Respiratio a. si quidem tanto thorax minor extiterit, quāto cor frigidius, pulsib. erit proportionalis. Si vero maior fuerit, quam pro frigiditatis vehementia, non minor est tantum, sed & tardior & rarior, tales autem timidi natura sunt, & sine audacia, & segnes, & nudum pilis habent pectus. De eius verò paruitate distinguendum, vt diximus prius. Eodem modo & de totius corporis caliditate.

Quæ hic & postea dicentur de temp. cordis ex positis principiis, & his, quæ dicta sunt de corde calido, facilè intelligentur. Quare breuior in his ero. Quod ergo scribit, pulsus fieri minores, quā conueniat modo naturæ, id est, mediocritati, quę est in corde temperato, rectè dictum est: sed non fiunt tales pulsus ob virium imbecillitatem, vt quidam credunt, cum hic naturales intemperaturas explicemus, in quibus nulla potest esse imbecillitas, aut instrumenti vitium, quæ impedire possint magnitudinem pulsus. Causa ergo est sola necessitas diminuta. Vbi enim calor infra mediocritatem consistit, nō possunt magni fieri pulsus. Nam magna actio fieri non debet, nec potest, vbi magna non est agendi necessitas. *Non tamen*, inquit, *pulsus necessario erunt tardiores vel rariores, quam sint pulsus temperati cordis.* Magna enim est latitudo cordis frigidioris: quandoquidem potest à mediocri temperie tam paruus fieri recessus, vt necessitas expleri non possit, si parui, rari, & simul tardi fiant. Quare tunc pulsus parui erunt, veloces, & frequentes Quod si maior fuerit recessus in frigiditate, fient pulsus parui, & mediocres inter raros & crebros, veloces, & tardos. In maximo vero, qui fieri potest, recessu, erunt parui simul rari, & tardi, & hæc est Gal.

opinio *in lib. de causis puls.* vbi explicat frigiditatis causas. Cæterum hoc loco explicandű est, quod Montanum valde torquet. Nam Galenus scribit *in lib. de causis puls.* vbi necessitas diminuitur, primam differentiam, quæ tollitur, esse crebritatē, postea velocitatem, vltimo magnitudinem, vt patet in his, qui vrgentur aliqua necessitate magna mouendi corpus. Hi enim magnis, velocibus, & frequentibus passibus incedunt: vbi verò necessitas minuitur, remittunt illi frequentiam, postea velocitatem, & vltimo magnitudinem. Idem ergo esse dicendum in hoc casu. rariores enim & tardiores pulsus sequi, & seruare magnitudinem, aut certè mediocritatem, vbi calor in corde est diminutus. Verum Montanus non animaduertit non eandem esse rationem de pulsibus sequentibus naturalem temperiem, & illis, qui ex causis non naturalibus & præter naturam fiunt. Nam natura pro ratione caloris pulsus edit, nunc magnos, nunc veloces, nunc frequentes, nec potest vna & eadem differentia omnibus conuenire. *Cum vero natiuus calor ab aliis causis augetur, illæ differentiæ, quæ primum mutantur in pulsu, vltimo loco desinunt, & quæ postremæ sunt assumptæ, primo deficiunt.* Et merito quidem. Nam quæ nunquam assumuntur, nisi cum necessitas maximè vrget, ratio vtique suadet, vt diminuto eo gradu necessitatis, pereat ea differentia, quæ illius causa fuerat assumpta. Hoc apparet manifestè in febribus: *nam pulsus primum fiunt maiores, quam naturalis conditio postulet, postea crescente necessitate, velociores, & eadem magis aucta, accedit frequentia. In maxima vero necessitate, fiunt maximi, velocissimi, & frequentissimi pulsus, & vltra illos natura nihil præstare potest, quod remedio sit vehementiæ caloris. Quod si tales pulsus non sufficiunt ad calorem temperandum, mors sequitur. In his vero, qui liberantur, & declinante febre minuitur calor, primum remittitur frequentia, postea velocitas, postremo magnitudo, & ita reditus fit ad naturalem statum.* Dictum ergo Gal. quod magnitudo seruatur amissa frequentia & velocitate, non repugnat huic loco, in quo scribit, amitti magnitudinem. & seruari velocitatem & frequentiam: quoniam hic caloris temperies naturales: illic vero acquisititias prosequitur: quarum longe diuersa est ratio: quippe cum in naturali statu, à natura constituantur differentiæ, quæ sunt firmæ & stabiles, & non perduntur in eo statu: in alio verò assumit alienas differentias secundum gradus caloris, qui accrescunt corpori. Et illi contrario ordine abeunt. Quod verò de respiratione hic tradit, est pariter rationi consentaneum. Nam *si thoracis amplitudo proportione respondeat frigiditati cordis, pulsibus erit proportionalis*, id est, parua: nō tamen necessario tarda & rara. *Si vero ob spinæ magnitudinem maior sit thorax, quàm cordis frigiditas postulet, non minor solum, sed etiam tardior, & rarior necessario erit respiratio.* Nam vbi thorax amplus admodum est, etsi paruam respirationem faciat, maior tamen adhuc est illa ob thoracis amplitudinem, vt explere necessitatem exigui caloris ipsius cordis possit. Quare tardiorem & rariorem illam esse necesse est. Quod enim in magnitudine superest, in aliis differentiis minuitur. Illud vero etiam non absque ratione fit, vt huiusmodi temperies reddat homines *timidos, & minimè audaces*: fortè etiam reddit *parum speran-*

De differentiis pulsum quæ diminuta necessitate prius perduntur.

Montani opinio damnatur.

Pulsus febrium & eorum mutationes.

A *tes, & minimum confidentes, & contemptores gloriæ & honoris, atque misericordes.* Nam hæ passiones sequi videntur frigiditatem huius visceris. quod ostendunt mulieres, quæ propterea quod in humano genere corde sunt frigidiore, his passionibus maximè sunt obnoxiæ. Gal. verò *timoris, audaciæ, iræ*, solum mentionem facit, cum cordis temperies prosequitur: cum tamen ratio exigat, vt de aliis perturbationibus mentionem faciat. *Segnes* vero vocat, *ad animales actiones pigros.* Nam calor natiuus qui à corde nascitur, instrumentum est omnium actionum: quare cum ipse deficit, mirum non est, actiones aliarű partium imbecilliter exerceri. Porro *huiusmodi naturæ pectus habent pilis nudum*, Galen. authore, *eo*
B *quod imbecillis calor nec gignit fuliginosa excrementa, nec ea attollit & emittit ad corporis superficiem*, quæ respondet regioni cordis, nempe ad pectus: Addit etiam *in pectoris & thoracis paruitate adhibendam esse prædictam distinctionem*, id est, quod in his thorax erit exiguus, nisi cerebri & spinalis medullæ magnitudo impediat. Corporis etiam totius temperies frigidior erit, nisi hepatis caliditas obstiterit.

Segnes.

Cur frigidi cordis pectus nudum.

Ἡ δὲ ξηροτέρα καρδία τοὺς σφυγμοὺς ἐργάζεται σκληροτέρους, καὶ τὸν θυμὸν οὐχ ἕτοιμον μὲν, ἄγριον δὲ καὶ δυσπαυστον· ὡς τὰ πολλὰ δὲ καὶ ὅλον τὸ σῶμα ξηρότερον, εἰ μὴ καθ' ἧπαρ ἀντιπράττοι.

C *Cor autem siccius pulsus efficit duriores, & iram non promptam quidem, sed feram, & quæ non facilè sedari queat: magnaq́ ex parte vniuersum corpus siccius existit, nisi hepar obstiterit.*

CA. XI. DE SICCO CORDE SICCO.

Ratio multa fingit, quæ experientia ipsa & iudicium eludunt: nam etsi arteriæ implantantur cordi, vt arbores terræ, & cordis ipsius caro eas firmat, vel etiam à corde ipso, vt hic autor putat, nascuntur, repugnante ratione, quæ non admittit spermaticam partem à sanguinea enasci posse: tamen nunquam efficiet, vt ob leuem siccitatem,
D qualem hic describit in temperie hominis sani, vt pulsus fiant duriores. Nam si (eo autore, vt videre est in *lib. 1. de differentiis febrium*) pulsus non fiunt duri in omni hectica febre, quomodo tales fieri poterunt in casu proposito? & quis vnquam tetigit tales pulsus in hominibus sanis, nisi fortè qui male distinguit tensum à duro? Præterea in nostris corporibus durum non potest fieri, nisi calor siccitatem pariat in rebus, quæ ab aliis nascuntur. Nam hoc sequitur potius materiam, ex qua partes sunt conformatæ, cum naturaliter homo habet. Sic enim venæ tunica solida & densa ab hepate, quod longe diuersæ est naturæ, nasci dicitur. Quod si affecto ipso hepate durities na-
E scitur in venis, non potest à visceris siccitate, quæ nullam agendi vim habet, ea proficisci, sed à caliditate, quæ humorem depascitur, & ita siccitatem inducit. Igitur quod scribit de duritie arteriarum ex siccitate cordis, præsertim in sanis hominibus, inter nugas reponendum est. Vehementes enim oportet esse causas exiccantes, quæ durum pulsum efficiant, vt ille docet *in lib. 1. de different. febr. c. 7.* quales esse non possunt in statu, de quo agimus.

Pulsum siccitas non fit a sicca parte.

mus. Cæterum quod scribit *de ira, quæ difficile accenditur, & accensa difficilè sedatur*, hoc potius signū est temperaturæ calidæ, & siccæ cordis, quam siccæ solum. Nam etsi siccum difficilè suscipit impressiones, & eas pertinacius postea retinet: tamē nisi adsit, quod passiones infert, non fiet susceptio nec retentio. *At sine calore ira fieri non potest, & calore cessante, non potest perseuerare ira, vt quæ nascatur ex ebullitione sanguinis in corde.* Illud etiam, quod adfert *de vniuersi corporis siccitate*, eget animaduersione. Nam sicca intemperies in corpore inducitur ex contactu humorū, qui siccandi vim habent, ex vtraque inquam bile, cum quibus nihil habet commune siccitas cordis: quippe cum hepar sit fons & officina omnium humorum. Cor verò solum potest in hoc vim aliquam habere, si fortè calidiores spiritus gignat, qui per vicinitatē arteriarum, & venarum humores calidiores, siccioresque ob id reddat. Quæ quidem fieri non possunt à sola cordis siccitate.

Iram nō posse fieri sine calore, nec cessante calore posse perseuerare. Vnde nascatur ira. Sicca intemperies corporis vnde.

A B

Cap. XXXI. De signis cordis humidi.

Ὑγροτέρας δὲ καρδίας σημεῖα σφυγμοὶ μαλακοί, καὶ ἦθος εὐκίνητον μὲν πρὸς ὀργήν, εὐκατάπαυστον δέ, καὶ τὸ σύμπαν σῶμα ὑγρότερον, πλὴν εἰ μὴ τὸ καθ' ἧπαρ ἀντιπράττοι. κατὰ δὲ συζυγίαν τῶν πρώτων ποιοτήτων αἱ δυσκρασίαι τῆς καρδίας ὧδε ἔχουσιν.

Cordis vero humidioris signa, pulsus molles, & mores ad iram quidem procliues, sed talem, quæ facilè sedari possit, & vniuersum corpus humidius existit, nisi hepar obstiterit. Secundum verò coniugationem qualitatum primarum vitiosæ cordis temperaturæ ita se habent.

Quæ hic dicuntur de temperie humida, patent ex eo, quod diximus de temperie sicca. Nam vt in vehementioribꝰ affectibus præter naturā pulsus duriores, & molliores fieri possunt: sic in paruo excessu qualitatū, nec durities nec mollities aliqua fit, quæ temperiē cordis significare possit. Sic etiam nō videri, quomodo ex humiditate cordis promptè quis irasci possit, si à solo corde, & ab illius calore solo, hanc passionem oriri author hic & philosophi tradunt. Quod si turbata ratio est, quæ excitat huiusmodi passiones, & cor eas suscipit & adiuuat, fortè aliquid conferet mollities & humiditas cordis ad earū susceptionem. Sed cum à corde solo illas oriri, & in eo fieri authores nostræ facultatis scribant, difficilius redditu ratio potest, quo modo temperies, quæ sine calore est, ad iram aliquid conferat incitandam, vel remouendam. Quæ verò de corpore humidiore addit, ex superiore commentatione patent. Nam contrariorum eadem est disciplina, & eorundem errorum eadem confutatio.

An molles pulsus & ira fieri possit in hac temperie.

Cap. XXXII. De signis cordis calidi et sicci.

Θερμῆς καὶ ξηρᾶς καρδίας οἱ σφυγμοὶ σκληροί, καὶ μεγάλοι, καὶ ταχεῖς, καὶ πυκνοί, καὶ αἱ ἀναπνοαὶ μεγάλαι τε, καὶ ταχεῖαι, καὶ πυκναί, καὶ πολὺ δὴ μᾶλλον εἰς τάχος ἐπιδιδόασιν, καὶ πυκνότητα, εἰ μὴ συναυξηθέντες ἀνάλογον τῇ καρδίᾳ ὁ θώραξ. πάντων δὲ οὗτοι λασιώτατοι τὰ κατὰ τὸ στέρνον εἰσί, καὶ τὸ ὑποχόνδριον. εἰς δὲ τὰς πράξεις ἕτοιμοι, καὶ θυμικοί, καὶ ταχεῖς, καὶ τυραννικοὶ τοῖς ἤθεσι· καὶ γὰρ ὀξύθυμοι, δὲ δυσπαυστοι. περὶ δὲ τῆς ἁπάσης τοῦ σώματος κράσεως, ἔτι τε τοῦ θώρακος εὐρυχωρίας, ἀνάλογον τοῖς ἔμπροσθεν εἰρημένοις διοριστέον.

Calidi, & sicci, cordis pulsus duri sunt & magni & veloces, frequentes, & respirationes magnæ, veloces, & frequentes, & multo magis ad velocitatem ac frequentiam vergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter. Hi verò præ cunctis pectus habent maximè hirsutum, & hypochondria, ad actiones autē prompti sunt, & iracundi, & impudentes & mores tyrannicos habent. Etenim ad furorem faciles, non facilè verò placabiles. De totius autem corporis temperatura & thoracis amplitudine his, quæ ante diximus proportionaliter est distinguendum.

Explicatis indiciis simplicium intemperaturarum cordis, aggreditur signa compositarū intemperaturarum: & primum enarrat signa, quæ sumuntur ab actionibus ipsius cordis, vt ipse credit, nempe motu ipsarum arteriarum. Ait igitur *pulsus fieri duros, simul & magnos & veloces.* Quod quidem temerè credere non oportet. Nam si arteriæ, vt ille docet *in lib. de formatione fœtus* prius sunt factæ, quàm cor, vt rationi est consonum, si modo illæ ex semine, quod primo inditur ex parentibus, illud verò ex sanguine menstruo, qui postea (vt ille scribit) per arterias & venas assumitur, separatam & diuersam vtiq; naturam habebunt & substantiam arteriæ à corde, vt certè habent, & *eodem lib. c. 5*, testatur. Quare nec cor illarum erit principium: quomodo enim principiū esse potest, quod secundo loco gignitur, & diuersa constat substantia, quæ quidem agnoscitur tanquam stebe & firmamentum ipsis arteriis? Implantantur igitur arteriæ cordi, aut potius cordis substantia accedit iam arteriis factis, adeo *vt nullus verus ortus arteriarum a corde trahi possit, qualis est ortus neruorum à cerebro*, qui eiusdem sunt cum ipso cerebro substantiæ: quod ipse apertè testatur *in lib. de formatione fœtus, c. 4.* dicens, arterias & venas omnium primas ex semine generari, & eos errare, qui cor vel iecur in generatione principiū illorum statuunt. Igitur arteriæ non necessario referunt temperiem cordis. Præterea leues excessus caloris & siccitatis, quales hic significare vult, vim non habent indurandi cor, aut arterias: vt ante quoque annotauimus, huiusmodi affectiones nō sequi nisi morbosos, & eos maximos affectus: deinde si duri fiunt pulsus, quomodo possunt esse magni? Nam si instrumentum non est aptum ad liberos motus, non potest, inquit ille, fieri pulsus magnus: At cum duritie est renitentia, cum qua ipse *alibi* passim docet, nō posse fieri magnos pulsus; postremo si pulsus magni, veloces, & frequentes, fiunt in hoc leui excessu caloris, & siccitatis, quid fiet per febres? Alias enim oportebit differentias assumere, quæ necessitati maiori satisfacere possint: at præter illas nullæ aliæ reperiri possunt. Quod vero de pectore hirsuto scribit, nascitur ex suis principiis, pilos inquam in illis locis maximè abundare, quibus subest calor & siccitas, quæ vix tamen ad hypochondria pertinere potest pilorum generatio, ob calorem cordis.

Cor non esse principium arteriarum.

C D E

R

Actiones quas simpliciter intelligere soleat.

Nam illud postea dicit fieri ob temperiem hepatis, quod hypochondriis subiicitur. *Tales*, inquit, *sunt prompti ad actiones.* Intelligendum est ad actiones animalis facultatis, motus, sensus: has enim solet vocare actiones. Nam quod non solum intelligat passiones cordis, ex eo constat, quod de his statim postea scribat, & quod *in lib. de temper.* idem sentiat. Nam calor cordis omnibus functionibus promptitudinem addit & celeritatem: & iracundos atque impudentes homines reddit, cum siccitatem addiderit. Et *mores*, inquit, *huiusmodi temperies tyrannicos reddit*: explicat autem quales sint tales mores, qui scilicet faciles sunt ad furorem, *non facilè verò placabiles.* Nam calor promptitudinem efficit, siccitas verò conceptum furorem diu retinet. Oportebat autem illum addere alias passiones, quæ fiunt in ipso corde, & non semper immorari in sola ira, audacia, & timiditate. An etiam nõ reddit huiusmodi temperamentum homines audaces, confidentes, immisericordes, temerarios, crudeles, inuidos, contemptores, & aliis huiusmodi passionibus agitatos? Quæ verò postremo loco addit, ex superioribus patent. Nam totius corporis temperatura calida & sicca redditur: calido, & sicco existente corde, nisi hepar obstiterit. *Thoracis quoque amplitudo sequi solet* (eo autore) *cordis caliditatem*, nisi impediat capitis & spinalis medullæ paruitas & angustia. Quod si fortè contingat, caput & spinam ipsam exiguam habere materiam, & thorax latus sit, tunc certum indicium est, de caliditate cordis, vt ipse sentit. Ego vero hæc fieri non posse superius ostendi. Nam si ossa, quæ aliorum sunt principia, exigua sunt, reliqua, quæ ab illis nascuntur, nequeunt esse magna, quicquid calor efficere possit.

Mores tyrannicos quales.

CAP. XXXIIII. DE SIGNIS CORDIS CALIDI ET HVMIDI.

Εἰ δ' ὑγρότης ἐπικρατήσειεν ἅμα θερμότητι, λάσιοι μὲν ἧττον οἱ τοιοῦτοι τῶν προειρημένων, ἕτοιμοι δ' εἰς τὰς πράξεις οὐδὲν ἧττον· οὐ μὴν ἄγριός γε ὁ θυμός, ἀλλ' εἰς ὀργὴν μόνον ἕτοιμοι. οἱ σφυγμοὶ δὲ μαλακοί τε, καὶ μεγάλοι, καὶ ταχεῖς, καὶ πυκνοί. καὶ ἀναπνοὴ ἡ μὲν θώρακος ἀνάλογον ἔχοντος τῇ καρδίᾳ κατὰ τὴν αὐτὴν ἰδέαν τοῖς σφυγμοῖς. μικροτέρου δὲ γενομένου τοσοῦτον θᾶττόν τε καὶ πυκνοτέρα τῶν προειρημένων, ὅσον καὶ ὁ θώραξ μικρότερός ἐστιν. πολλῆς δὲ τῆς κατὰ τὴν κρᾶσιν ἐκτροπῆς γενομένης, καὶ μάλιστα εἰ κατὰ τὴν ὑγρότητα συμπίσῃ τοῦτο, πρὸς τοῖς εἰρημένοις ἔτι καὶ τὰ σηπεδονώδη νοσήματα, διαφθειρομένων τε, καὶ σηπομένων αὐτοῖς τῶν χυμῶν, συμπεσεῖται, καὶ αἱ ἐκπνοαὶ μείζους τε, καὶ θάττους τῶν εἰσπνοῶν, καὶ τοῖς σφυγμοῖς ἡ συστολὴ ταχεῖα.

Si vero caliditas vna cum humiditate dominabitur, minus quidem his, quos antea diximus, hi sunt hirsuti, ad actiones vero nihilominus prompti, non tamen ferior est animus, sed ad iram procliuis tantummodo, pulsus vero magni ac molles, veloces & frequentes existunt, & respiratio, cum thorax cordi fuerit proportionalis, eandem pulsibus formam seruabit. Si vero minor extiterit, tanto illis velocior erit, & frequentior, quanto & thorax minor extiterit, si autem multa facta fuerit euersio in temperatura, ac si hoc præsertim in humiditate contigerit, præter ea, quæ diximus, contingent, etiam ex putredine morbi his, qui in ipsis fuerint humoribus corruptis, ac putrefactis; expirationes autem maiores sunt, ac velociores inspirationibus, & summissio arteriæ in pluribus velox.

Merito huiusmodi temperies minus est hirsuta, & quæ propter humorem coniunctum cum calore, pauciora gignat excrementa fuliginosa. Sed fortè illud non est rectè dictum, *hos non minus esse promptos calidis & siccis ad actiones obeundas.* Nam calor cum siccitate coniunctus, maioris est efficaciæ & promptioris virtutis, quam sit calor coniunctus cum humore: nam alioqui sanguinei non essent minus prompti, quàm biliosi, & sanguineæ febres essent æque ardentes, vt biliosæ, & aer perinde leuis & eiusdem promptitudinis in agendo vt ignis: quæ omnia rationi & experientiæ repugnant. *Animus in his non est quidem ferus, sed mitis, nec ad iram admodum procliuis*, quoniam hoc calidis & siccis maximè est proprium, aut calidis vbi non repugnat humor. Nam vbi hic abundat, caloris feruorem temperat, *sunt hi potius pii, mites, misericordes, humani*: nam hoc humiditatem sequi solet & reliquæ passiones, quæ mollitiem animi referunt: quod si aliquando irascuntur ita affecti, cito exoluitur in illis ira. Cæterum quod scribit de pulsus magnitudine, rationi est consonum, nam auctionem caloris magnitudo sequitur, molliries vero, velocitas, & frequentia superfluo adduntur. Nam vt durities, ita nec mollities in leui humoris excessu, qualem hic depingimus, in pulsibus fieri potest, præsertim cum arteriæ, vt ostendimus, à corde originem non habeant. Præterea si veloces & frequentes vnà cum magnis pulsibus fiunt, in naturali temperie cordis calida, & humida, quid fit in calida & sicca, & in febribus ipsis? Oportet enim non omnes differentias pulsus assumere in omni gradu & differentia caloris. Idem sentiendum est de respiratione: neque enim in his debet esse magna, velox, & frequens: nam non solum ratio, sed etiam experientia hanc complicationem ex tot differentiis refellit. Quod vero scribit *accidere, vt respiratio, quæ non potest magna esse ob paruitatem thoracis, tanto velocior & frequentior edatur*, rationi est consonum: nam vbi deest magnitudo, natura in subsidium intendit velocitatem & frequentiam. Cæterum quod addit de morbis ex putredine, & humorum corruptione, ac putrefactione, non possum hic ex suis principiis comprobare aut refellere; postulat enim id tractationem exquisitam de putredine, quam *in 3. commentario* instituimus, hoc solum hic dicere volo, non esse mentionem hic faciendam de putredine humorum: nam cordis salubres intemperies vim non habent corrumpendi & putrefaciendi humores in ipso corde: in quo (si Galeno ipsi credimus) putredines non fiunt, nisi in pesti-

Locus hic de putredine expenditur.

lenti-

lentibus febrib. Quod si non possunt fieri in viscere, in quo primum ponitur intemperies, de qua agimus, quid fiet in aliis partibus, in quibus vitium hoc exoluitur ob mixtionē sanguinis, quem gignit, & mittit hepar? ad quod profectò vitia, quæ in humoribus fiunt, potius sunt referenda, quàm ad cordis temperies: id enim solum spiritum cum exiguo sanguine spirituoso spargit per corpus, nec ad putredinem aliquid conferre potest, si spiritus ille plus fortè, quàm proportio exigat, aliquid humidæ & aereæ qualitatis in se contineat: siquidem naturalis illius cōditio id postulare videtur: nam spiritus & calidi natiui substantiam igneam & maximè aeream esse oportere hic autor passim commemorat. Iam verò quod scribit *de expirationibus, inspirationibus, & systole arteriarum*, eget pariter cōsideratione: nam *in lib. de pulsib.* docet, pulsum constare duplici motu, dilatationis sc. & cōpressionis quem Græci diastolem & systolem vocant, & illam comparatam esse ad attrahendum externum aerem frigidiorem, quo temperetur feruor spiritus ebullientis in corde: Hac verò expelli fuliginosa excrementa, quæ ex ea ebullitione necessario resultant: hincq. fieri, vt cum maior est necessitas refrigerationis, quàm expulsionis eorum excremētorum, magis intendatur diastole, quàm systole. Contrarium verò fiat, vbi maior est necessitas expulsionis excremētorum, quàm attractionis aeris frigidi: quæ si vera sunt, vt certè vera esse ostendit ratio, falsum videtur esse, quod in hoc loco scribit. Nam vbi calida & humida est temperies, ob calorem exuperantem, vsus dilatationis maximè necessarius est, cōpressionis verò necessitas minuitur. Nam fuliginosa excrementa requirunt calorem & siccitatē: cum humore vero & calore illa non gignitur, aut certè pauciora: quod ipse *lib. 2. de temp.* cum agit de calore pueri & iuuenis & de generatione pilorum, apertissimè ostendit. Nam & ipsa fuligo & [illegible] idem docent. Erat ergo hoc scribendum potius de intemperie calida, & sicca cordis, vbi cum mitiore calore plurimum exuperat siccitas: nam vbi pari modo vtraq. qualitas vincit, æqualitas quoq; seruatur inter diastolen & systolen, & inter inspirationem & expirationem. sed cur de hac proportione inter duos hos motus in aliis intemperaturis cordis antea non egit?

Pulsus quid & quib. constet, & quotuplex sit motus.

Τῶν ὑγροτέρας δὲ καὶ ψυχροτέρας καρδίας, οἱ μὲν σφυγμοὶ μαλακοί, τὸ δ' ἦθος, ἄτολμόν τε καὶ δειλόν, καὶ ὀκνηρόν. εἰσὶ δὲ καὶ ψιλοὶ τριχῶν οἱ τοιοῦτοι τὰ στέρνα, καὶ ἥκιστα μηνιῶσιν, ὥσπερ καὶ εἰς ὀργὴν οὐχ ἕτοιμοι. τὰ δὲ κατὰ τὸν θώρακα, καὶ τὸ σύμπαν σῶμα, τοῖς ἔμπροσθεν ὡσαύτως διοριστέον.

Cap. XXXV. De signis cordis frigidi et humidi.

Humidioris vero & frigidioris cordis pulsus quidem molles, moribus autem nequaquam audaces, sed timidi & segnes existunt. Tales etiam glabrum pectus habent, minimeque iram retinent, sicuti & ad iram non admodum sunt prompti: quæ vero ad thoracem & vniuersum attinent corpus distinguere oportet, sicuti ea, quæ antea diximus.

Antea docuimus, ex mollitie & duritie pulsum nulla euidentia signa sumi posse, ad hos leues excessus qualitatum declarandos: Quandoquidem non quicquid in corde fit, arteriis communicari potest, vt quæ priorem separatamq; habent generationem & materiam. Præterea ex eo, quod scribit ipse, duros pulsus non fieri in omni hectica febre, ostēdit nec duritiem, nec mollitiem fieri posse in arteriis, nisi à causis validissimis cor alterantibus. Quare rectius addere debebat eas differentias, quæ necessario sequuntur frigiditatem & humiditatem. Fiunt n. necessario in his pulsus parui, tardi, & rari, & similis quoq; respiratio. Porro illud rationi consonum est, eos, qui corde sunt humidiore, & frigidiore *minimum retinere iram, & ad illam concipiendam non solum non admodum esse promptos, sed etiam difficiles.* Sed cur, quæso, *solius audaciæ, timiditatis, & iræ* mentionem facit in omnib. intemperaturis, reliquas verò omnes cordis passiones semper omittit? An etiam rationi non est consonum, eos, qui hoc modo afficiuntur, esse *pios, clementes, humanos, verecundos, desperantes in aduersis fortunis,* & vt semel dicam, *muliebri animo & mollitie* præditos? Quæ verò *de glabro pectore & thorace* scribit, ex superiorib. patent. Nam exuperante humido, & frigido, docet ille *in lib. de tempor.* corpus glabrum reddi, & nisi magnitudo spinæ obstiterit, thoracem angustum fieri oportere. Est quoque inspiratio expirationi, & dilatatio arteriarum compressioni æqualis: quippe cum pariter necessitas refrigerationis & expulsionis excrementorum minuatur. Quod si aliqua statui potest in ea re differentia, videtur rationi consonum, vt expiratio & systole magis intendantur inspiratione & compressione. Nam humoris abundantia excrementosum reddit corpus. Quæ excrementa, etsi non postulent parem compressionem & expulsionem, vt ea, quæ fuliginosa sunt, tamen aliquam intensionem actionis requirunt. frigiditas verò vsum minuit inspirationis & dilatationis.

Ἡ ψυχροτέρα δὲ καὶ ξηροτέρα καρδία, τοὺς μὲν σφυγμοὺς σκληροὺς ἐργάζεται καὶ μικρούς· τὴν δ' ἀναπνοήν, εἰ μὲν ἀνάλογον τῇ ψυχρότητι μικρὸς ὁ θώραξ γένοιτο, σύμμετρον· εἰ δὲ μείζων, ἀραιὰν καὶ βραδεῖαν. ἀοργητότατοι πάντων οὗτοι. διαθέντες μέντοι ἐισὶν ὀργισθῆναι, φυλάττουσι τὴν μῆνιν. εἰσὶ δὲ καὶ ἄτριχοι τὰ στέρνα πάντων μάλιστα. περὶ δὲ σμικρότητος τοῦ θώρακος, ἔτι τε τῆς τοῦ ὅλου σώματος ψυχρότητος ὁμοίως διοριστέον, ἐν κοινῷ ἐπὶ πᾶσι τοῖς εἰρημένοις ἐκεῖνο μεμνημένους, ὡς οὐ περὶ ἠθῶν, ἢ νῦν, ἢ κατ' ἄλλον ἕνα γέγραπται λόγον, εἰς διάγνωσιν κράσεως, οὐχ ὑπὲρ τῆς ἐκ φιλοσοφίας, ἢ χρηστῶν, ἢ μοχθηρῶν ἠθῶν ἐγγεγραμμένων, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἐμφύτου ἑκάστῳ λέλεκται.

Cap. XXXVI. De signis cordis frigidi et sicci.

Frigidius vero cor & siccius pulsus quidem duriores reddit & paruos: respirationem autē, si quidem thorax paruitatem cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam; si vero maior extiterit,

raram, ac tardam. Hi vero præ omnibus maximè ad irascendum prompti : cum autem coacti fuerint irasci quibusdam, retinent iram. Habent autem maximè omnium nudum pilis pectus. De paruitate autem thoracis, ac præterea totius corporis frigiditate, similiter distinguẽdum. Vnum illud commune in hisce omnibus memoria repetentibus, quod quæcunque de moribus, siue nunc, siue quouis alio sermone explicata sunt ad temperaturæ cognitionem, non de optimis moribus, aut vitiosis, qui ex philosophia hominibus adueniunt, sed de insitis vnicuique ac naturalibus nos exposuisse.

Pergit in ea opinione de duritie pulsus in siccitate leui & secundum naturam, quam opinionem nos iam sæpius refellimus. Meritò autẽ fiunt pulsus parui, non quod siccitas impediat liberam dilatationẽ, sed quia ob frigiditatem necessitas est diminuta: fortè etiam fiunt tardi & rari, siquidem vsus minor adhuc fuerit. Possunt esse parui, veloces, & frequentes, si necessitas maior postulat. Id enim ex superioribus patet. Seruatur etiam proportio inter diastolen & systolen, in hac complicatione qualitatum. Porro respirationem *moderatam* intelligere debemus, non quæ simpliciter mediocris est: nam diminuta necessitate vltra mediocritatem, necesse est pariter minui vltra mediocritatem actionem: sed *moderatam* intelligimus proportione respondentem pulsibus, vt de corde frigido ostendimus. Præterea si calidi, & humidi, perinde prompti sunt ad iram & actiones, vt calidi & sicci (vt antea ostendit) sequitur vt frigidi & sicci, perinde prompti sint, vt frigidi, & humidi; cum enim caliditas communis ponebatur siccitati, & humiditati, paria fiebant (eo autore) ab humido & sicco. Sic igitur posita confrigiditate, cur æqualis non debeat fieri promptitudo ab humido & sicco, nulla ratio suadere potest; non ergo hi præ omnibus difficilius irascuntur, sed eo modo, vt frigidi & humidi, aut etiam promptius illi, quàm hi, id patiuntur: quippe cum humor imbecillo calori sit impedimento, siccitas verò faciliores reddat illius motiones. Quinetiam illud omnino à veritate alienum esse videtur, quod hic scribitur, *frigidam, & siccam temperiem aliarum omnium maximè pilis nudam esse.* Si enim calida magis, quàm frigida, & sicca, magis, quàm humida aptior est ad pilos gignendos (vt antea ostendit) cum de humido, & sicco cerebro ageret, omnium maximè glabram oportet esse, quæ frigida & humida est, non quæ frigida & sicca: & frustra quidem interpretes conantur locum istum interpretari: cum ipsemet Gal. *2. temper.* idem, quod nos, apertè scribat, frigidam sc. & humidam maximè omnium pilis nudam esse, minus autem hanc frigidam & siccam. Vel ergo omnes codices deprauatos oportet existimare, vel inconsideratè hæc autorem scripsisse. Addere etiam debebat signa, quæ sumuntur ex aliis passionibus cordis: quas fortè ea ratione prætermittit, quod difficile sit, earum causas tenere, nam præter temperiem, magnitudo & conformatio ipsius cordis, maximam videntur vim obtinere ad passiones excitandas: quam quidem ob causam ille *in lib. de Placitis Plat. & Hipp.* scribit, eos esse animosos & audaces, qui cor habent exiguum. Id enim rationi consonum est: propterea quod spiritus seruantur in viscere angusto vniti & veluti contracti, quod fortitudinis & vigoris est causa. Rectè verò illud etiam admonet esse iudicandum de moribus & passionibus cordis in homine, qui nec studio philosophiæ, nec cultu regionis, passiones suas temperat, aut nullo metu legum, pro libidine omnia tentat & audet.

Expendit quæ dicit Gal. de ira.

Quæ temperies sit omnium maximè pilis nuda.

Passiones cordis alias habere causas præter temperiem.

CAP. XXXVII. DE SIGNIS CALIDI HEPATIS.

Ἥπατος θερμοτέρου γνωρίσματα, φλεβῶν εὐρύτης, ἡ ξανθὴ χολὴ πλείων, ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τῆς ἀκμῆς, καὶ ἡ μέλαινα. θερμότερον αὐτοῖς τὸ αἷμα, καὶ διὰ τοῦτο, καὶ τὸ σύμπαν σῶμα, πλὴν εἰ μὴ τὰ κατὰ τὴν καρδίαν ἀντικρατοίη, δασύτης τε καθ᾽ ὑποχόνδρια καὶ γαστέρα.

Hepatis calidioris indicia, venarum latitudo, flaua bilis abundantia, in consistente vero ætate etiam atra: calidior ipse sanguis, atq; eadem ratione corpus vniuersum, nisi obstiterit cor: his venter & hypochondria hirsuta.

Postea quam cerebri & cordis temperies indicauit, aggreditur signa temperaturarũ tertii principii ex propositis, nempe hepatis, ex ordine seruato, quo antea est vsus. A simplicibus enim & perfectioribus temperaturis orditur, deinde ad compositas transit. Temperatum verò hepar nõ describit, eo quod ex extremis fortè putaret medium facile deprehendi posse. Primum autem hepatis calidi indicium ponit esse *venarum latitudinem*; quod ego nullius momenti esse puto: Nam supponit hoc indicium, *hepar esse principium venarum*, & propterea rationi esse consonum, vt ea, quæ nascuntur à principiis, originem suam prodant. Propterea sequi, vt exuperante in hepate calore, cuius officium est dilatare, venæ corporis latiores reddantur. Verum si venæ fiunt ex semine parentum, antequam hepar sit factum, & illis postea affunditur hepatis substantia, & propterea parenchyma venarum dicitur esse, vt ille *in libro de formatione fœtus*, & *2. de temperamentis* apertè scribit, non erit hepar venarũ principium, quod posteriorem habet generationem diuersamque substantiam & materiam. Quod si venæ prius sunt factæ, quàm hepar, profectò magnitudinem ex materia multa, ex qua sunt factæ, non ab aliquo calore sumunt: aut si calor aliquis in ea re aliquid potest, id calori, qui est in semine, & vtero tribuendum est, non ei, qui in carne hepatis est insitus. Absurdum præterea est, venarum latitudinem tribuere alicui calori: nam partium magnitudo, vt idem author docet in *2. de temper. c. 8.* sequitur virtutem formatricem, multitudinemq; materiæ: quod etiam ante ostendit, cum de magnitudine & paruitate capitis tractaret: aut cur alioqui non dicit, cerebri, cordis, & hepatis caliditatem, eorum viscerum magnitudinem sequi? imò vniuersum ipsum corpus maius illis fieri, qui calidiore sunt temperamento, quod est planè ridiculũ. Cur etiam non dicebat, arterias & neruos fieri maiores, ob cerebri & cordis temperiem calidiorem? Præterea venæ in nobis non apparent magnæ, nisi cum sunt plenæ sanguine & spiritu. Quamobrem nisi cum hepate calido

1. signum.

Hepar non esse principium venarum.

Magnitudo partiũ vnde.

adsit humorum & spirituum copia, nobis non licebit perspicere venarum latitudinem. At verò cum illa adsunt, ignoramus, an latitudo sequatur magnam consionẽ, potius quàm temperiem hepatis.

II. Expendit quæ scribit de generatione bilis.

Secundum indicium sumitur ex generatione & abundantia flauæ bilis: quod mihi etiam est suspectum: nam bilis flaua, quæ calida est & sicca, postulat non solum calidam, sed etiam siccam temperiem: alioqui confunduntur signa calidæ, & calidæ atque siccæ temperaturæ: nam in vtraque idem ponit signum. Præterea si per febres diarias, & synochas non putridas, bilis necessario non gignitur, sed solum spirituosa substantia & massa humorum calidior redditur, quomodo gignetur bilis ex leui & simplici calore secundum naturã? At verò in eo maior dubitatio est, quod scribit, *in consistenti ætate ob hanc temperiem abundare atram bilem*: nam ille passim scribit, atram bilem ex adustione sanguinis, vel flauæ bilis, vel humoris melancholici procreari. Dubium autẽ hic est, ex qua materia velit hanc bilem atram gigni. Præterea scribit ille, atram bilem fermentare terram, & malignum esse humorem: & *in fine lib. de atra bile* addit, huiusmodi humorem nõ nisi in ægris & præter naturam affectis corporib. procreari. Quapropter illud quoque sequeretur, omnes morbos, præsertim scabiem, & vlcera, quæ à nigro humore procedunt in consistentibus ætate, cancerosa esse & insanabilia. Ratio tamen cõuincit, ex adustione in sanis fieri mutationem humorum. An dicendũ, dari latitudinem in generatione atræ bilis? vnam enim ex leui & naturali adustione procreari: aliam verò ex calida & maligna quadam intemperie; & hanc esse, de qua pessima omnia scribuntur: in qua etiam dantur gradus malignitatis. Illam verò esse secundum naturã, vt quæ secundum ætatis cursum, & mediocres causas fiat. Illud etiam notandũ est, quod scribit Gal. sine distinctione, *atram bilem esse acidam*: quæ enim vel ex sanguine adusto, vel ex flauæ bilis adustione gignitur, acida esse nequit. Nam dulcia per adustionẽ primum fiunt amara, postea salsa, acida verò nunquam, acerba verò & austera in acidum saporem sæpe verti docet Gal. *in lib. 4. de simp.* Quare solum ea atra bilis erit acida, *quæ ex humore melancholico est facta.*

Quid de abundantia atræ bilis sit sentiendum.

An bilis omnis atra sit acida.

III. Bilis atra quæ sit acida.

Cæterum indicium, quod sumitur ex sanguine calidiore, est maximè rationi consonũ, cum hepar officina sit sanguinis, & pro sua temperie qualitates diuersas inducat in sanguinẽ. Porro ex sanguinis affluẽtis calore ratio intelligit vniuersum corpus calidius reddi, nec in hoc cor multũ repugnare potest. Nam multos videmus, quibus adsunt omnia signa frigiditatis cordis, biliosos & calidos ob hepatis caliditatem, tantum enim virtus habet in mutanda temperie partium cõtinua ex sanguine nutritio. Quod si cor eandem habuerit cum hepate temperiem, euidentiora erunt caloris in vniuerso corpore indicia.

IV.

Quod verò scribit de hypochondriis & ventre hirsuto, hoc fit, quoniam hepar illis partib. subiicitur, & excrementa fuliginosa ad illas emittit. sed quod magis mirandũ est, silentio transit indicia, quæ sumuntur à passionib. ipsius hepatis, nempe à concupiscentia voluptatũ, cibi & potus, omnes enim brutorũ passiones in nobis esse docet ille *in libris de placitis Plat. & Hipp.* eo quòd hepar sit il-

De signis sumptis à cupiditatib.

A latum sedes & principium. An igitur rationi non est consonũ, eos qui hepate sunt calidiore, variis cupiditatib. agitari? cibos & potiones multas appetere & consumere sordidis voluptatibus esse obnoxios? Docuit etiam experientia, illos maximè esse edaces & voraces, quibus magnũ est hepar. Quod illis etiam fortè contingit, qui eodem viscere sunt calidiore. Cur etiam à iuuantibus & lædentib. signa non sumit? sentiunt enim, qui ita sunt affecti, volas manus calidiores, & frigidis iuuantur cibis, potionibus, aere, & calidis morbis sunt obnoxii, sunt pariter siticulosi, nisi ventriculi frigiditas & humiditas multum obstiterint.

Qui maximè sint edaces.

Cap. XXXVIII. De signis frigidi hepatis.

Ψυχροτέρου δὲ στενότης φλεβῶν, φλέγμα πλεῖον, B αἷμα ψυχρότερον, καὶ ἡ σύμπασα τοῦ σώματος ἕξις ψυχροτέρα, εἰ μὴ πρὸς τῆς καρδίας θερμαίνοιτο, ψιλὰ τριχῶν ὑποχόνδριά τε καὶ γαστήρ.

Frigidioris verò angustia venarum, pituita abundantior, sanguis frigidior, & totius corporis habitus nisi à corde calefiat. Venter illis glaber est, atq; hypochondria.

Patent omnia ex sup. capite, quæ in hoc scribuntur, nam contrariorum eadem est disciplina, vno tamen excepto, quod de generatione pituitæ tradit. Quomodo n. alibi scribat, pituitam gigni in ventriculo, quid cõmune nunc habet cum hepate? Præterea cum pituita frigida, & humida sit, C hepar autẽ frigidum solũ ponatur, quomodo pituitam gignet? Hæc interpretes sicco pede transeunt: quæ tamẽ maioris sunt momẽti, quàm quæ hoc loco præter institutum tractant. Nos verò ita dicimus, pituitæ nomen à Gal. dupliciter vsurpari. Sumitur n. nũc pro quarto humore, verumq; est eã gigni in ventriculo ex cibis: sumitur & pro sanguinis massa tota diminutè concocta; fit a. hæc in hepate, & vbi hepar frigidius est, nutrimentũ planè vincere non potest. Sed pituitosus sanguis frigidior & humidior, quàm par sit, fit: vel aliter dicendum, quòd sc. pituitam quartũ humorem gignat ex frigidiore portione & humidiore ipsius chyli. Cogimur ergo fateri, in hepate gigni pituitam: alioqui quid ex humidiore & frigidiore ea alimenti D parte illic gigneretur? In ipso quoq; ventriculo eadem procreatur ex frigidiore & humidiore portione assumpti alimenti. Ac vniuersus ipse chylus, cum perfectam concoctionẽ non assequitur, crudus & ob id pituita dicitur esse. In venis autẽ, cerebro & aliis partibus corporis nequaquam gignitur; sed quæ genita est, vbi calor illarũ partium debilis est, assimilari nequit vniuersa: quare relinquitur ex ea pars, quæ crassior & frigidior est: quæ postea tanquam excrementum per nares, & alios corporis meatus excernitur, aut retenta morbum facit. Est porro ea pituita, quæ in hepate gignitur, vera, vt quæ in officina humorũ gignatur, ac cum sanguine commixta, & vtraq; bile, propterea ea humoris nomen meretur, cum E materia sit apta ad generationem, actionem, & nutritionem: quæ verò in ventriculo procreatur, re vera humor vocari non potest, sed potius excrementum. Nam in eo consistit excrementi ratio, quod sit à sanguine separatum & secretũ. Vt enim bilis in vesica sua recepta, & humor melancholicus attractus à liene, amplius humor vocari non potest, sed excrementum biliosum, & me-

Quomodo frigiditas hepatis conferre possit ad generationẽ pituitæ.

Pituita nomen dupliciter sumi.

Pituitam gigni in hepate, & simul etiã in ventriculo.

Pituitam nõ gigni in venis & in cerebro.

Pituita, quæ vera & humor vocari possit.

lancholicum, idem de pituita censendum: nec existimandum quidem est, vnquam talem pituitam fieri posse sanguinem: quandoquidem in generatione sanguinis quatuor humores simul fiũt: facta autem pituita rursus fieri nequit. Sed hæc alibi diligentius demonstrauimus. Illud autem, quod secundo loco dicebamus, pituitam à frigido & humido fieri, concedimus: At vtrumque adest in frigidiore hepate: Nam humorem ex cibo capit, quem cum ob frigiditatem suam planè vincere non potest, plurima sui parte hepar frigidum in pituitam degenerare facit: sicut etiam fortè calor ex alimenti portione potentia biliosa, elicit bilem, & non solum ex ea, sed etiam ex parte, quæ in temperamentis alioqui fieret sanguis quartus humor. Clarum vero illud est, sanguinem, vniuersique corporis habitum, frigidiorem reddi, vbi hepar frigidius extiterit, nam omnes partes, quæ in habitu sunt, ab eo viscere nutrimẽtum capiunt: ex nutrimento autem temperies illis accedit. Rectè autem dixit *vniuersi corporis habitum*, non autem vniuersas partes: nam ventriculus & intestina non sequuntur hepatis temperiem, quia *ex chylo nutriuntur*. Quod si, vt aliæ partes, quæ sunt in habitu, ex sanguine alerẽtur, dixisset vtiq; Gal. omnes partes sequi frigiditatem hepatis. Nam si cõmmune esset nutrimẽtum, communis quoque esset temperies. An etiam cor, pulmo, lien non sequuntur temperiem hepatis & sanguinis? De hepate & liene non esse dubium, cum nullam in se repugnantiam habeãt. *Cor vero cum sit principium caloris, & spiritus feruentis, non patitur se vinci a frigiditate hepatis & sanguinis: Retunditur tamen illius caliditas ob continuum affluxum sanguinis, ex quo etiam ipsum nutritur.* Quod si in eandem temperiem conspirent hepar & cor, sine controuersia vniuersus corporis habitus recipit eam temperiem, quam ea viscera immittunt: si vero inter ea repugnantia est, sequuntur aliæ partes vincentis principii temperiem, & magis hepatis, quàm cordis. Quæ vero *de hypochondriis & ventre glabris* scribit, patẽt, hoc solum addendum, non prorsus glabras illas esse partes ob simplicẽ frigiditatem: hoc n. sequuntur frigiditatem cõiunctam cum humiditate. Omittit hic etiam indicia sumpta à iuuantib. & lædentibus causis, & à differentiis concupiscentiæ, quibus parum videntur esse obnoxii, qui frigidiores sunt hepate: aut certè ignoramus, quas passiones huiusmodi frigiditas inferre possit.

Extrementi ratio in quo consistat.

Quæ partes dicantur sequi hepatis temperiem.

In corporis temperie mutanda plus conferre hepar, quàm cor.

CAP. XXXIX. DE SIGNIS HEPATIS SICCI.

Ξηροτέρου δὲ, τὸ μὲν αἷμα παχύτερον, καὶ ὀλιγώτερον, αἱ φλέβες δὲ σκληρότεραι, καὶ ἡ σύμπασα τοῦ σώματος ἕξις ξηροτέρα.

Siccioris autem sanguis quidem crassior, & minime abundans, venæ duriores, & totius corporis habitus siccior.

Perinde agit Gal. de siccitate hepatis, ac si agẽdum esset de siccitate terræ. Nam crassus sanguis, id est, spissus in nobis non fit, ob mixtionem terrenæ substantiæ à siccitate hepatis, vt aqua crassescit mixtione terræ: nec ob congelationem, vt glacies ex aqua, sed ob adustionem & actionem qualitatum: At in nobis, & aliis viuentibus siccum non agit, nec humor, nec etiam frigiditas, sed solus *calor moderatus, vel imbecillus, aut excedens.* Ille enim ab initio suum humorem depasci incipit, & in eo malo perseuerat, donec nos perimat: interim vero pro ratione patientis humoris nos temperat, calefacit, refrigerat: semper autem siccat solidiores partes: humores autem tunc crassiores reddit, cum vim habet euaporandi humorem, qui in ipsis est: postea verò cum ipse calor iam elanguescit, pituitosos, & aquosos humores aceruat. Non ergo dicere possumus, siccitatem, quæ est in hepate, reddere sanguinẽ crassiorem, aut aliquid aliud facere posse, cum nullam vim agendi habeat: alioqui qui scyrrho hepatis laborant, huiusmodi sanguine abundarẽt: At illi aquosos humores & pituitam aceruant, vnde nascitur aqua inter cutem, si etiam senes sanguinem crassum efficerent, & non mucosum, & aquosum: si igitur in nobis fit sanguis crassus, hoc accidit, *vel ex crassis alimentis, vel à calore hepatis violentius humorem consumente.* Abundantia quoque sanguinis sequitur copiam alimenti, & optimam concoctionem. Defectus vero non sequitur siccitatem hepatis, nisi fortè ea ratione, quod cum siccitate calor nequit bene concoquere. At hoc per accidens fit à sicco, caloris vero imbecillitas præcipua & per se est causa. Cæterum ridiculum esse puto indicium hepatis siccioris, quod sumit à duritie venarum & totius corporis habitu, sicciore: quis enim sub cute occultas venas dignoscere potest esse duras, vel molles, nisi tensas fortè putet esse duras? Et quo modo, quæso, hepatis siccitas vim habet indurandi, cum nullam habeat agendi vim. Ego nunquam ex scyrrho hepatis vidi mutationem aliquam fieri in venarum duritie, & mollitie. Vbi vero adsunt febres ardentes, fit quidẽ à calore siccitas, & ex siccitate durities. At hoc non fit agente ipsa qualitate sicca, cuius hic notas quærimus. Eadem est ratio de corporis habitu sicciore: qui talis quidem fit, consumpto humore vi caloris, & non sicci. Sed cur hic etiam à iuuantibus, & lædentibus, & passionibus hepatis indicia aliqua non ducit? Essent enim hæc præcipua, vt quæ in solo eo viscere fiant, nec ab aliis obscurari possunt. Sed Galenus quæ difficilia sunt, omittit: quæ verò nullius sunt momenti tradit. Quorsum enim oportebat illũ tantum laborare in distinguendis animæ facultatibus, & singulis collocandis in certis & distinctis locis, si postea illatum vsum & vim docere non potest?

An crassities sanguinis sequatur siccitatem hepatis.

Calorem solum in nobis agere.

Sanguis crassus vnde.

Signum hepatis sicci in duritie venarum ridiculum.

Galenus reprehenditur.

CAP. XL. DE SIGNIS HVMIDI HEPATIS.

Ὑγροτέρου δὲ, τὸ μὲν αἷμα πλεῖόν τι, καὶ ὑγρότερον, αἱ φλέβες δὲ μαλακώτεραι, οὕτως δὲ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα, πλὴν εἰ μὴ κατὰ τὴν καρδίαν ἀντιπράττοι.

Humidioris autem sanguis quidem abundantior atque humidior, venæ autem molliores, ita vero & vniuersum corpus, nisi partes ad cor attinentes, obstiterint.

Quæ hic scribit de humidiore hepate, patent ex his, quæ dicta sunt de sicciore: & si illa parui, hæc magni momenti esse non possunt, vt certè non sunt: neque enim sanguinis abundantia fieri potest ab humido, sed à calido & humido: talis enim est sanguinis quarti humoris natura. Sanguis verò, qui suo nomine vniuersos humores cõprehendit, exigit mediocrẽ temperiem: vbi vero me-

Signa hepatis humidi [illegible]

ro mediocris est calor (vt hic statuitur) & exuperat humidũ, crudiores fieri humores necesse ẽ: In A quo casu sanguis abundare non potest. Verũ autẽ illud est, cũ, qui gignitur, sanguinem, humidiorem & aquosum esse. Sed illud inutile est hic quoque, ex mollitie venarum velle significare humiditatem hepatis. Cur etiam non dixit, huiusmodi temperiem obnoxiam esse morbis ex putredine, & qui nascuntur ex aquosis fluxionibus, & ad cupiditates suscipiendas, & deponendas faciles esse, & alia huiusmodi? quæ ratio quidem fingit ab humido nasci, nihil tamen certum statuere potest.

CAP. XLI. DE SIGNIS HEPATIS CALIDI ET SICCI.

Θερμοτέρου δὲ ἅμα καὶ ξηροτέρου ἥπατος γνωρίσματα, λασιώτατον ὑποχόνδριον, αἷμα παχύτερόν τε ἅμα καὶ ξηρότερον, ἡ ξανθὴ χολὴ B πλείστη κατὰ δὲ τὴν ἀκμὴν καὶ ἡ μέλαινα, φλεβῶν εὐρύτης τε καὶ σκληρότης οὕτως δὲ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα. θερμότης μὲν γὰρ ἡ ἐκ καρδίας ὁρμωμένη, νικῆσαι δύναται τὴν ἐξ ἥπατος ὁρμωμένην ψυχρότητα, καθάπερ καὶ ἡ ψυχρότης τὴν θερμότητα. τὴν ξηρότητα δὲ, οὐχ οἷόν τε πρὸς τοὐναντίον ὑπὸ τῆς καρδίας ὑγροτέρας γενομένης ἀχθῆναι. μεταξὺ δέ ἐστιν ἡ ἀφ᾽ ἥπατος ὑγρότης τῶν εἰρημένων. μᾶλλον μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς ἐν καρδίᾳ νικᾶται ξηρότητος, ἤπερ ἡ ξηρότης ὑπὸ τῆς ὑγρότητος, ἧττον δὲ τῆς θερμότητος, ἔτι δὲ μᾶλ- C λον ἧττον τῆς ψυχρότητος εὐνικητοτάτη γὰρ αὕτη τῶν ἐξ ἥπατος ὁρμωμένων ποιοτήτων. εὔδηλον οὖν ὡς ἐπειδὰν εἰς ταὐτὸ συνδράμωσιν αἱ τῶν ἀρχῶν ἀμφοτέρων κράσεις, ὅλον ἀκριβῶς τὸ σῶμα κατ᾽ ἐκείνας διατίθεται. λεχθήσεται δὲ ὀλίγον ὕστερον αὐτοῦ τὰ γνωρίσματα.

Calidioris vero simul ac siccioris hepatis indicia, hypochondria plurimum hispida sanguis crassior simul ac siccior, flaua bilis plurima est, consistente autem ætate, & D *atra, venarum autem latitudo, & durities, sic vero & vniuersum corpus se habet. Nam, quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur frigiditatem, sicuti & frigiditas caliditatem, siccitatem vero non potest humidius cor ad contrarium habitum transferre. Media vero inter* E *has, quæ dictæ sunt, ea, quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à cordis siccitate superatur, quam siccitas ab humiditate, minus autem à caliditate, adhuc vero multo minus frigidate. Hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate eueniunt, facillime vincitur, liquet autem, quod cum in vnum conuenerint vtrinque principii temperatura, totum exquisite secundum illas afficitur corpus, paulo vero inferius ipsius dicẽtur indicia.*

A Quæ hic dicuntur de signis hepatis calidi, & sicci, patent ex superiorib. Nam coeuntibus duabus his qualitatibus *hypochondria valde hispida fieri necesse est, & sanguinem crassiorem, & sicciorem gigni*, ob euaporationem quam facit calor, & repugnantia siccitatis aduersus humorem. Fit igitur bilis flaua hac ratione ob adustionem calidioris partis sanguinis: & quomodo ex plurima alimenti portione bilem elicit, & procreat huiusmodi temperies. Porro *in ætate consistente atra bilis in* his exuperat, nõ ex adustione flauæ, vt alii credũt. Nam per tam longam ætatem non potest durare eiusdem humoris adustio, ac facta bilis purgatione, sublata esset materia apta ad generationem atræ bilis: sed temperies, quæ est calida: & *admodum* sicca, ex ipsomet alimento plurimum humoris crassi, & melancholici elicit: sicut aliæ tempe- B ries natæ, & aptæ sunt sibi similem gignere humorem. *Nam ex eodem cibo plus pituitæ gignet frigida & humida temperies, quam alia: & calida & humida plus sanguinis: calida & sicca plus bilis. Eadem temperies, vbi iam remittitur calor & humor, quod fit in declinante ætate, plurimum humoris melancholici, aut etiam atræ bilis* i. cum aliqua adustione procreabit. Quod vero legitur *de sanguine crassiore simul & sicciore*, meliorẽ habet in alio codice Græco dictionem. Legitur enim *sicciorem & parciorem*, sequitur. enim sanguinem fore siccum, si crassus est: repugnat autem rationi, si in hac temperie multus sanguis gignatur. Hic enim à calida, & humida tẽperie plurimus fit: nec quidẽ pôt. C sanguis exuperare vigẽtibus causis, quæ bilẽ flauã & atram abundare faciunt. Ac in hac quidẽ re ridenda est Akachiæ interpretatio, qui putat, ideo sanguinem abundare debere, quia subiungit Gal. venas in hoc statu esse latas, quasi necessarium sit loca vacua, & ampla necessario repleri solidiore materia. Videndum enim est, an id, quod replendi vim habet, adsit: adesse autem non potest sanguis in venis, nisi gignatur in hepate, gigni vero non potest, vt diximus, à temperie, quæ repugnantes habet qualitates cum natura sanguinis.

Bilis flaua quomodo in his gignatur.

Atra bilis quomodo abundet in ætate declinante.

Akachiæ sententia reiicienda.

Cæterum quod scribit *de venarum latitudine,* D *& duritie*, iam sæpe refellimus. Si quitur enim venarum latitudo copiam materiæ, ex qua sunt factæ, & formã agentis. Nã parẽtes magni, sibi similes filios gignunt, & si quid illi magnũ habẽt, illud idẽ magnũ efficiũt in suæ prole, *si interim materia illis non defuit in ipsa generatione.* Durities vero in venis non sequitur, nec calorẽ, nec siccitatẽ hepatis, si quidem illæ factæ sunt, antequam hepar esse conformatum: deinde si venæ sunt duræ: & siccitas calori coniungitur, quomodo latæ esse pos- E sunt? Repugnat enim dilatationi durities, & siccitas.

Venarum latitudo unde.

Vnde itidem durities.

Cæterum cum sæpius de repugnantia hepatis & cordis egerit absque distinctione, *in hoc capite* docet, quid possit cor aduersus hepar, & quam temperiem hepatis emendare possit. Illud autem notandum in primis est, quod scribit illis verbis *(nam, quæ ex corde caliditas,* non enim omnis caliditas, quæ in corpore est, à corde proficiscitur. Nam (vt superius diximus) vna est caliditas ex ipsis elementis: alia ex proximis principiis viuentium singulis partibus cũ proprio humore indita. Sunt præterea tres fontes caloris, *cor, hepar. & testes* vt antea *ex primo de semine, & sexto de morbis*

Caloris fontes tres.

A *vulgaribus ostendimus*. Ergo caliditas cordis potest frigiditatem hepatis emendare, id est, temperiem, quæ à frigido hepate in corpus spargitur: quoniam cor suapte natura admodum calidũ est, & feruentes spiritus in singulas partes spargit. Quod si calidius adhuc fuerit, quam illius mediocritas postulet non mirum, si duplici caliditate immissam ab hepate frigiditaté emendet: & econtra frigiditas cordis, caliditatem hepatis temperet. Nã si calidissimũ suapte natura viscus frigidius sit, quã ratio postulat, minus calefiet corpus ab eo, & ita frigidius euadet. *At vero non potest* (inquit) *siccitatem hepatis humidum cor emendare: quoniam suapte natura cor admodum est siccum, vt tãtam humiditatem acquirere nequeat, quæ sufficiat ad siccitatem hepatis corrigendam.* De quo ego dubito. B Si enim cor humidius fuerit, sanguinem arteriosum, & vitales spiritus humidiores efficiet, ex quibus siccitas, quæ ex sicciore sanguine ab hepate profecto in singulas partes resultat, temperabitur. *Humiditas autem hepatis*, inquit, *à cordis siccitate emendari potest, sed minus facile, quam caliditas, aut frigiditas*: quoniam cor siccum suapte natura est, & sicciores spiritus, & sanguiné efficit, quæ superfluum ab hepate humorem retundere possunt, nõ tamen ita facile, vt in actiuis qualitatibus, & quia cor plus potest in calefaciẽdo, quã in exsiccando. Ergo cor in calefaciendo, primã vim habet: in refrigerando secundã: tertiam vero in siccãdo. *Hepatis autem siccitatem cor in contrarium habitum transferre nõ potest*: quasi diceret, *retũdere, & aliquo modo temperare* potest: *vincere* autem *omnino, & in sui naturam transferre* nequaquam. C Cæterum vt cor suapte natura siccũ, nunquã potest ita humidum esse, vt siccitatem hepatis emendet: ita hepar humoris fons, nunquam ita siccum esse poterit, vt humiditatem cordis in contrarium habitum transferat. Humiditas autem hepatis facillime siccitatem à corde proficiscentem vincet: caliditas autem hepatis postea frigiditatem à corde emendare statuatur. Postremo loco frigiditas caliditatem: vtrumque enim cum calidum sit, minus poterit alterius frigiditatem emendare. In vniuersum tamen, vt semel dicam, *plus potest hepar ad mutandam totius corporis temperiem, quam cor,* D *quoniam ab illo nutrimentum mittitur, quo substantia partium mutatur, tum etiam quod solidior sit sanguis, quã spiritus, & propterea validiores impressiones facit*: vnde videmus, frustrata sanguificatione, vniuersum corpus pituitoso, & frigido humore abundare, frigidisque morbis corripi. In affectibus vero præter naturam calidis creandis cor potissimam, & maximam vim habet. Quod vero scribit *vniuersum corpus exquisite sequi temperiem* E *eandem cordis, & hepatis*, verum quidem est: sed etiam testes non minimam habent in hac re vim: quandoquidem *illis præsentibus corpus calidius, & siccius euadit: Illis vero excisis, degenerant mares à sua natura, & temperiem atque mollitiem mulierum induunt*, vt *superius* docuimus, viuentium temperiem vel momento mutari ob illorum viscerum alterationes. Vnde pinguiora redduntur castrata animalia, & pilos alere nequeunt.

Quid præstare possit in corpore cordis temperies & hepatis in mutua repugnãtia.

Hepar cur plus possit ad mutandam totius corporis temperiem, quam cor.

Affectus calidi, vnde potissimum habeant originem.

Testium quãtus in mutando temperie totius corporis.

Addere quoque hic debebat signa, quæ sumuntur à passionibus hepatis. Oportet enim hos cupiditatibus maxime obnoxios esse, cum calor siccitati coniunctus, maximæ sit efficaciæ. Dant etiam sua indicia causæ iuuantes, & lædentes: nam à similibus læduntur, à contrariis vero iuuantur. Eandem etiam temperiem produnt morbi calidi, & sicci, qui frequentes in hoc statu gignuntur.

CA. XLII. DE SIGNIS HEPATIS CALIDI ET HVMIDI.

Τὸ δὲ ὑγρότερον ἅμα καὶ θερμότερον ἧπαρ, ἧττον μὲν τοῦ θερμοτέρου καὶ ξηροτέρου τὰ καθ᾽ ὑποχόνδριον ἐργάζεται λάσια· πλεῖστον δ᾽ αἷμα καὶ φλέβ... μεγάλας, καὶ τὴν ἕξιν ὑγροτέραν, καὶ θερμο..., εἰ μή τι κατὰ τὴν καρδίαν ἀντιπράττει. εἰ δὲ ἐπὶ πλέον ἀμφοτέραις ταῖς ποιότησιν ἐκτραπείη τοῦ κατὰ φύσιν, ἑτοίμως ἁλίσκεται τοῖς σηπεδονώδεσι καὶ κακοχύμοις νοσήμασιν, ἔτι μᾶλλον εἰ ἐπὶ πλεῖστον μὲν αὐξηθείη τὸ ὑγρὸν, ἐπ᾽ ὀλίγον δὲ τὸ θερμόν· εἰ δ᾽ ἔμπαλιν ἐπ᾽ ὀλίγον μὲν αὐξηθείη τὸ ὑγρὸν, ἐπὶ πλεῖστον δὲ τὸ θερμὸν, ἥκιστα κακόχυμοι γίγνονται.

Humidius autem, ac simul calidius hepar, minus quidem, quam calidius & siccius hypochondria reddit hispida. Plurimum vero sanguinis & venas amplas, habitumq́; calidiorem, atque humidiorem facit, nisi obstiterit cor. Si vero amplius in ambabus qualitatibus à naturæ modo recedat, à morbis, qui ex putredine, ac vitiosis humoribus fiunt, facillime capitur. Adhuc autem magis, si plurimum augeatur humiditas, caliditas vero non ita. Si autem contra, parum quidem humiditas crescat plurimum vero caliditas, minime vitiosis humoribus laborãt.

Quæ *de pilis* hic scribit, frustra in omnibus intẽperaturis repetuntur: aut certe nos nõ cogimur pilorum semper reddere rationem, quoniam ex contrariis contraria patent. Merito autem in hac temperie sanguis plurimus gignitur, quoniam hic calidus, & humidus, qui à simili temperie abundat. Quæ vero scribit *de venarum magnitudine*, iam sæpe inter nugas reposuimus. Quæ vero *de temperatura habitus corporis* adfert, verissima antea quoque ostendimus. Rectè quoque scribit, *huiusmodi temperiem obnoxiã esse putredini humorum, & morbis, qui ex illis nascuntur*: quoniam difficile retineri potest in hac conplicatione dominium caloris supra humoré: sed sæpe ex nostris errorib. accidit, homoré dominari, ex quo (vt postea ostenderous) incipit putredo. Non autem ea fit, (vt Akachias scribit *in suis comment.*) quod natiuus calor in humido dissipetur, & alienus immittatur, & hoc sit, vt inquit, putrescere. Nam vnus & idem est calor, solum differens per magis, & minus, nec vnus rem deserit, vt alteri cedat: nec putredo est immissio caloris, sed *corruptio rei*: atque ea quidem fit, vt scribit Aristoteles *in quarto meteo. quando passiuæ qualitates dominantur actiuis* hic autem nullum ostendit dominium humoris supra calorem: Quare nescit etiam, quid sit putredo, & quomodo fiat, sed, vt diximus, hæc postea diligentius forte quam alii omnes fecerint, tractabo. Sunt etiam huiusmodi corpora dedita maxime gulæ, & edacia, voluptatibusque omnibus obnoxia. Nam ex humore suppeditatur materia, quæ sufficit ad volupta-

Akachias error.

Putredo quid, & quomodo fiat.

voluptates, & ex calore vis agendi incitatur. Læduntur pariter à calidis & humidis; frigidis & siccis iuuantur.

Ca. XLIII. DE SIGNIS HEPATIS HVMIDI ET FRIGIDI.

Τὸ δ' αὖ ὑγρότερον καὶ ψυχρότερον ἧπαρ, ἄτριχον μὲν ἔχει τὸ ὑποχόνδριον· αἷμα δ' ἐργάζεται φλεγματικώτερον, ἅμα φλεβῶν στενότητι καὶ τὸ σύμπαν σῶμα παραπλησίως ἔχον, εἰ μὴ πρὸς τῆς καρδίας ἐς τἀναντία μετάγοιτο.

Humidius autem & frigidius hepar habet hypochondria glabra; sanguinem vero ad pituitæ naturam accedentem generat, cum venarum angustia. Sic & reliquum afficit corpus, nisi à corde ad contrariam naturam transferatur. B

Vt patent ex superioribus quæ scribit de hypochondriis glabris, & agnoscuntur esse nugæ, quę semper repetit de venarum angustia: ita quod scribit *de sanguine pituitoso*, confirmat meam opinionem, quod pituita vera gignatur in hepate. Nam si sanguinem pituitosum gignit, pituitã quoque gignit. Est huiusmodi tēperies cupiditatibus minimum subiecta, & facilè offenditur à frigidis, & humidis: nec siticulosos, aut voraces reddit homines: quando quidem ipsum hepar ita affectum non potest multum concoquere, nec humorem à ventriculo sugere, ex cuius defectu fames, & sitis nascuntur. C

Pituitam vera gigni in hepate.

Ca. XLIV. DE SIGNIS HEPATIS FRIGIDI ET SICCI.

Τὸ δὲ ψυχρότερον καὶ ξηρότερον ἧπαρ, ὀλιγαιμόν τε καὶ στενόφλεβον ἐργάζεται τὸ σῶμα καὶ ψυχρότερον· ὑποχόνδριον τε ψιλόν, εἰ μὴ κἀνταῦθα νικήσειεν ἡ καρδία.

Frigidius autem & siccius hepar cum pauco sanguine, & venarum angustia, efficit corpus atque frigidius, & hypochondria glabra, nisi & hic cor dominetur.

Quæ *de pauco sanguine* hic scribit, videntur rationi consona: & forte etiam addendum est, sanguinem illum pituitosiorem esse. Nam huiusmodi temperies similis est ei, quæ in senibus conspicitur. Quid vero *de venarum angustia* sentiendum ob hepatis temperies, sæpius iam ostendimus. *Frigidius corpus* necessario sequitur, ob sanguinis frigiditatem, nec cor multum in ea re potest, vt ostendit species ea hydropis, in qua multa pituita aceruatur ob hepatis frigiditatem, & frustratam in eo sanguificationem, quam cordis nulla intemperies emendare potest. Porro si pili sequuntur caliditatem & siccitatem, frigida, & sicca temperies non erit glabra, sed frigida, & humida. Omittit etiam hic signa, quæ sumuntur à iuuantibus, & lædentibus causis, & ab aliis iam sæpius repetitus. D E

DE TEMPERATVRIS TESTIVM.

Ex quatuor partibus nostri corporis, quas Gal. posuit principia in eo esse, superest, vt de testium temperatura agamus. Quę res cum attingat seminis generationem, maris & fœminæ procreationē, prōptitudinem, vel segnitiē ad venerē, & eiusdem noxium, innoxiumque vsum, hæc enim omnia pro diuersitate temperaturarum testium ille fieri scribit) cogimur profecto altius rem exordiri, ne ex incertis principiis disputatio instituatur. A

Supponit enim hic Galenus, testes esse, qui semen gignunt, quod Arist. negat esse verū. Quod si testes ipsi semen conficiunt, nō tamen propterea constat, ex qua materia illud efficiant, nec patet adhuc, quid ipsum sit semen, & ex quibus partibus decidatur, & vbi gignatur, quamque habeat illud vim ad generationem: Item qua ratione nunc mares, nunc fœminæ, & illi similes & dissimiles patri procreentur & mari.

Ac inter hæc quidem ab eo aptissime exordiemur, an. s. à natura testes facti sint vt semen gignant. Negat id (vt diximus) Arist. *in lib. de partibus, & gen. animal.* vbi, cum statuisset, cor principium esse, à quo omnia nascuntur, & ad quod aliæ omnes partes referuntur, nititur probare, testes non esse ad generationem necessarios, & ea quidem ratione, quod non adsint, omnib. animalibus, quæ generant, vt serpentibus, & piscib. sed ideo factos esse, vt reuolutionum & anfractuum in seminalibus meatibus sint causæ, ne prompta ad crebram venerem sint animalia, quæ castiora esse oportet: pendere autem illos, ne meatus retrahantur. Quo fit, vt illis excĕtis, nequeat animal generare: quoniam scilicet meatus, retrahuntur, huncq; esse vsum illorum, ex eo doceri, quod iuuentus sit taurus, qui statim à castratione nondum retractis seminalibus vasis coiuerit, ac generarit. Alium tradit eorum vsum: quod veluti pondera, quæ telis adnectuntur ad tensionem, cor tendant: hoc enim roboris principium: sine tensione autem robur esse non posse: & propterea castrata animalia infirma debiliaq; reddi, quia desit tensio cordi, quam testes antea præstabant. Verum, Aristot. argumenta facile refelli possunt. Primum enim illud non sequitur, testes non esse necessarios ad generationem, eo quod eos non habeant omnia, quæ generant. Nam ita respondere possumus. *Omnia, quæ generant, vel testes, habere, vel aliquid, quod proportione testibus respondet:* quod Aristot. sufficere videtur, cum in singulis animalibus satis esse putet, si aliquid huiusmodi reperiatur. Deinde etiam si concedamus, nec testes, nec aliquid, quod illorum vicem gerat, in multis reperiri: tamen & hoc etiam non sequitur, nō esse illos necessarios ad generationem, quibus dati sunt. Hac enim ratione diceremus, pulmones nō esse necessarios ad vitam homini, eo quod pisces sine illis viuant. Non enim eo, quod aliqua pars in vniuerso genere animalium non reperitur, ideo quibus illa adest, non est necessaria. Ostendere debebat Aristoteles, testes non esse necessarios ad generationem in homine, equo, & aliis animalibus, quibus eos natura largita est. Et quomodo, quæso, id posset facere: quippe cum testes reperiantur in dissectionibus sæpe vel semine pleni, & tumidi, aut certe nunquam prorsus sine semine. In meatibus autem, qui præcedunt testes, aut sanguis solus, aut nondum confectum semen inuenitur: in aliis autem, qui à testibus enascuntur, quæ ab Anatomicis *deferentia vasa* nomi-

Disputatio an testes facti sint vt semen gignant. Aristot. opinio.

Confutatur Aristot. opinio

nominantur, iam elaboratum semen cōtineatur: A tanquam testes sint à natura facti ad semen ipsum formandum, perficiendumq; : quod & ipse Arist. nescit, quomodo *in primo de gen. animal. c.* 12. testatur, testes, inquam, semen genitale perficere. Illud vero ridiculum esse puto, quod scribit, inuētum esse taurum, qui statim à castratione coiuerit, & generauerit: quasi dolor, qui affligit ob testes recenter auulsos, non adimat coeundi desideriū. Quod si id concedimus: ob aliam tamen rationē, quam quod nondum sint retracti meatus, factum credemus. Nam dicimus à testibus iam elaborati seminis tantum esse transmissum in vasa deferentia, vt ex eo gignere possit animal: sed hoc non ostendit, testes non esse necessarios ad generationē illis, quibus à natura adsunt: quandoquidem repleri non poterant meatus semine genitali, nisi te- B stes illud prius elaborassent. Quod si natura dedit testes castitatis cā, videbitur vtique, in multis animalib. huius rei rationē frustra habuisse. Cur enim volucres & terrestria plurima animalia castiora esse oportet, quam serpentes, & pisces: præsertim quod passeres, & multa alia animalia testib. prædita, multo salaciora conspiciantur esse illis, quæ testib. sunt priuata? Ac si testes facti sunt ad tensionem seminalium meatuum nequaquā vero ad necessitatem generationis, nisi quatenus eos meatus tendunt: fiet, vtique, vt, si quod meatibus appēdatur pondus æquale testibus, gignere possit animal, non minus cui testes sunt exempti, quam cui adhuc adsunt: At vero nec illud docere potest, quo pacto testes motum excrementi genitalis C stabiliorem (vt ille ait) faciant, & castitati hac ratione conferant. Nam si quemadmodum ea animalia, quæ intestina habent recta, voraciora, sic propensiora ad venerem sunt, *quib. meatus seminales recti sunt dati.* Testes potius frequentē venerem excitabunt, vtpote quos dicat in plurimis aninimalibus ad tensionem meatuum comparatos. Cæterū testes esse factos ad cordis tensionē, & corporis, animique robur, eadem refellit ratio: quod si appenso aliquo pondere æquali testibus, idem robur in castratis, & integris animalib. resideret. Sed dicat, quæso, Arist. an arteriarum, venarum, & neruorum, (si velit) plurimæ reuolutiones, quæ fiunt in spatio intercedente inter cor, & testes, non impediant eam fieri tensionem, quā ipse finxit? Oporteret enim grauissimum esse D pondus, quod tensionem facere aptum esset in partibus tam laxis, si ex illarum pondere tandem cor etiam ipsum tendi necesse sit. Essent præterea animosiores semper, quibus testes sunt maiores: sequitur enim maior tensio ex pondere & magnitudine tendentium partium. At nihil huiusmodi docet experientia. Sed cur non seruatur generandi vis & robur illis, quibus testes duntaxat sunt contusi & collisi? Castrantur etiam, & inepta redduntur ad veneris vsus multa animalia, vt boues & arietes eo modo, & non detractis testibus. In qua re cum seruetur tensio meatuum, cordis- E que & tamen pereat robur, generandique facultas, necesse est profecto, alium esse ipsorum vsum. Adde quod hæc tensio nequit in omnibus reperiri, veluti in iis, quibus testes intus conclusi sunt, & alicui parti annexi, vt in porcis fit. Quomodo enim in illis fiet tensio, cum tamen in omnibus amittatur robur ablatis testibus? Non est quidem hæc ratio infinitatis in castratis animalibus, quod remittatur tensio cordis: Sed quia vis calorifica, & propriæ naturæ causa quædam, vt ille etiam testatur, in vniuersum corpus immittatur, quæ detractis testibus euanescit, degenerantque mares & fœminæ ob id à sua naturali conditione. Atque hæc sequuntur incommoda eam opinionem de vno principio in corpore: quam etiam refellunt vsus, quos hepati, lieni & multis aliis partibus adscribit. Igitur testes semen conficiunt, & ad generationem sunt necessarii.

Animalia salaciora quæ.

Testes contusos amittere vim generandi.

Cur castrata animalia amittant naturam suam.

An vasa spermatica vim habeant generandi.

Testes semen conficere & ad generationem esse necessarios.

An vero solis testibus concessa sit hæc vis, nunc videndum. Putant enim aliqui, etiam in vasis dictis spermaticis semen gigni, & communem hanc esse illis cum testibus facultatem, vt venis, & hepati, communem volunt esse sanguificationem. Alii vero volunt, illud gigni in omnibus partibus corporis, & ab illis decidi in coitu. Alii autem non in toto quidem corpore, nec in singulis partibus, sed in illis solum, quæ solidæ & spermaticæ à Medicis dicuntur, illud generare contendunt. Nec desunt harum opinionum authoribus probabiles rationes: etsi Aristoteli aliquæ non placent, de cuius etiam sententia postea agemus. Igitur, qui putant, semen gigni in vasis seminalibus, aberrant: Nam argumento, quo vtuntur ex sanguificatione communi hepati & venis refelluntur. Soli enim hepati sanguificandi vis est concessa: non autem venis aliquibus vt superius ostendimus. Eodem pacto soli testes semen conficiunt: vasa vero seminalia alterant quidem materiam, ex qua postea fit semen: tamen ea alteratio formam seminis non inducit: nec semen vocari debet, quod in testibus nondum est receptum, & in illis postea concoctum & elaboratum. Alias vero propositas opiones, nec probare, nec improbare possumus: nisi prius intellexerimus, quid ipsum sit semen, & ex qua materia fiat & quomodo. Quare de his nunc agendum.

Testes soli semen, conficiunt.

Porro Aristot. *in libro primo de generat. animalium*, quærens, quid sit semen, diuidit omnia, quæ sunt in corpore, in partes corporis, alimentum, colliquamentum & excrementum alimenti: docetque semen non esse partem corporis secundum naturam: quoniam ex eo, quamuis similari, nihil construitur, vt ex neruo aut carne: & quia ipsum separatum non est, vt partes omnes sunt separatæ. Nec illud quidem esse partem præter na- D turam, cum in omnibus insit, & natura ex ipso oriatur. Cæterum alimentum non esse: quoniam alimentum res est aduentitia. Et multo minus colliquamentum esse, quoniam semen secundum naturam est: colliquamentum vero præter naturam, quod ex toto secedit propter motum caloris. Itaque *semen esse excrementum, verum non inutile*: hoc enim naturæ nihil confert, sed plus obesse, quo plus assumitur, & idem in his, qui male habent, plurimum esse: semen vero minimum. Quare esse *vtilis excrementi partem aliquam*, sed non esse prius excrementum vtile, vt E pituita: quæ cum cibo mixta, potest alere, laboreque absumitur: sed *posterius esse, & multum excrementum*. Illud enim esse, ex quo vnumquodque gignitur membrum. Concludit ergo *semen excrementum alimenti sanguinei, quod vltimum in membra digeritur*. Verum Aristot. opinionem diligenter expendere oportet. Primum enim dum vult quærere, quid sit semen ex enumeratione eorum, quæ sunt in nostro corpore, omittit multa

Quid sit semen, ex qua materia & quomodo fiat.

Aristotelis opinio.

Arist. opinio expenditur.

multa, vt humores, spiritus, spirituosamq; substantiam, quæ vel semen est, vel proxima seminis materia. Præterea omittit pinguedinē nec facile quidem est docere, quomodo hæc à semine differat: nimirū cum videamus in illis deficere alterutrum, cum aliud abundat. Præterea cū menstrua etiā sint excrementa, vt semen, (quemadmodū ille scribit) non satis docet, quomodo illa inter se differant: cum dicit, *menstrua semen esse non purum, sed indigens confectionis.* Non enim sanguis menstruus fieri potest semen: quippe cum natura soleat per menstrua euacuare non solum sanguinem, qui copia grauat, sed etiā quod qualitate & substantia est noxium & malignum: Semen vero ex eo, quod est in sanguine aereum, oleosum, pingue, & perfectum, gignatur. Quo fit, vt semine excreto, etsi pauca est materia, corpus debilitet: quia ipsa materia est purissima & maxime cognata nobis: sanguis vero menstruus excretus, etsi plurimus est, naturam tamen alleuiat, tanquam inutile excrementum. Adde quod rectius vocasset semen esse, *vt conceptum quantitate quam vltimum & vtile.* Nam fere repugnat, aliquid esse excrementū & vtile. Nam *ideo excrementum dicitur, quod excernendum sit quia inutile.* Quæ enim sunt vtilia, ea natura retinet: quæ vero naturaliter expelluntur, ideo expelluntur, quia molesta sunt, & propterea inutilia. At *quantitate* quædam agnoscuntur esse excrementa, quales sunt optimi humores, qui adeo sunt aucti, vt vasa sua distendant, & naturam grauent: quibus natura remedium inuenit per euacuationem, vt in pueris, & adolescentibus accidunt sanguinis profluuia ex naribus, eo, quod in illis plus humoris gignatur, quam exigat corporis [illegible]. Hoc sane modo semen excrementum esse agnoscitur: quippe cum in pueris, dum in alimentum humores consumuntur, & in senibus, vbi illi deficiunt, semen non gignitur. Nec illud quidem omittere possum, quod scribit Aristoteles, *semen esse sanguinis & alimenti excrementum.* Nam corporis & concoctionis, quæ in corpore fit, non omnia dicuntur esse excrementa, quomodo stercus vrina, & bilis vtràque dicuntur esse excrementa, eo quod post concoctionem relinquantur inutilia. Semen vero ex sanguine ipso fit. *Non ergo excrementum est.* Nam partes similares non dicuntur esse excrementa humorum, ex quibus fiunt: nec sanguis ipse dicitur esse excrementum chyli, ex quo conficitur. Ex quibus patere, puto, genus, quod assumendum est in definitione seminis. *Est enim semen excrementum, non qualitate, sed quantitate eius partis, cuius est excrementum.*

Quænam materia sit proxima portio sanguinis. Excrementi ratio in quo sit posita.

Semen quomodo sit excrementum.

Semen quid, & an fiat in singulis partibus antiquorum opinio.

Verum in eo dubium maximum est, vbi nam fiat, & ex qua materia. Nam, vt diximus, quidam, nulla facta mentione testium, (in quo euidenter errant) contendunt semen fieri in singulis partibus, & ab illis in coitu secerni. Et antiqua fuit hæc opinio, quatuor potissimum, vt inquit Aristoteles, argumentis innixa. Quorum primum sumunt ex similitudine natorum, & parentum; *similes enim gignuntur filii parentibus toto corpore, &*
1 *singulis partibus: quod aiunt* huius opinionis authores *fieri non posse, nisi ex toto, & singulis partibus parentum aliquid veneris: id autem nihil aliud esse*
2 *posse, quam semen.* Secundum argumentum sumunt, *quod ex mutilatis procreentur mutilata.* Semē enim ab ea, quæ deest, parte proficisci negant: accidere autem vt id non procreetur, vnde semen non decesserit. Tertium ducunt argumentum à 3
vehementia voluptatis, quæ in seminis excretione fit: quæ cum vniuersum corpus afficiat, ab vniuerso corpore id proficisci ostendit. Vltimo rationi esse con- 4
sonum, vt *quemadmodum totius aliquid est, ex quo primum generetur, sic partis quoque cuiusque sit semē aliquod proprium.* Verum his argumentis respondet Aristoteles. Et primum ait, similitudinem nullum adferre indicium: quandoquidem voce, 1
vnguibus, pilis, & motu similes procreantur, ex quibus nihil prouenit. Nonnulla etiam ex illis nondum habent, cum generarit, vt canos aut barbam. Maioribus item suis plerumque sunt similes, ex quibus nihil secessit: vt accidit in Helide, quæ cum Aethiope concubuerat, non filium forma Aethiopis peperit, sed natus ex filia erat Aethiops. Præterea, inquit, oporteret in plantis ab omnibus partibus semen proficisci. Cum tamen illę, plerasque partes non habeant, aut quisq; abscindere potest. Quinetiam ex fructibus nihil secedere, & tamen eos eadem forma prouenire. Ad hæc similitudinem maxime esse cum parentibus in partibus organicis, non tamen ex illis: sed ex similaribus quæ alterandi vim habeant, & conficiendi semen ipsum, proficisci. Alias addit confutationes huius argumenti eo loco, sed pręcipue hę 2
sunt. Ad argumentum ex mutilatis desumptū respondet: nō mutilatis ex mutilatos etiam gigni, ac filii quoq; dissimiles suis parētib. procreātur. Cę- 3
terum voluptatem, quæ fit in coitu, non propter recessum seminis à toto contingere, sed *quia prurigo vehemens accidit.* Quamobrem accidere, vt minus voluptate afficiantur, qui frequenti venere vtuntur. Item *voluptatem hanc in fine coitus potissimum esse.* At si ex toto secerneretur, non simul, 4
sed singulis partibus, aliis priùs, aliis post exultaret. Ad id verò, quod illi dicunt, rationi esse consonum, vt partis cuiusque sit semen aliquod proprium, vt totius aliquid est, ex quo primum gignitur, respondere videtur, *ex semine nihil fieri vt ex materia, sed vt ab agente, in eo autem esse, quod vim habet totum & partes formandi, non tamen propterea esse necessarium, vt vis, quæ singulas partes format, in semine sit, quod à singulis partibus sit, decisum.* Sunt quidem Aristotel. confutationes probabiles, sed quæ contra illum adferri possunt, non minus vero sunt proxima. Nam à voce, motu, & colore, aliisq; accidentibus corporis, quibus filii parentibus sunt similes semen proficisci non debet, quoniam hæc sequuntur partiū constitutionem, tanquam vmbra corpus, propterea à partibus ipsius rectè sentiunt illi, semen secerni, & similitudinem fieri in partibus natorum, ad quas sponte sequitur accidentium similitudo, scilicet pilorum, excrementorum, & si quid aliud est simile. Quod vero filii non parētibus, sed cognatis & maioribus nonnunquam sint similes, dicere possent huius opinionis authores, hanc similitudinem non ex semine fieri, sed ex imaginatione, vt mulieri accidit, quæ filiū peperit nigrum, eo, quod picturam Aethiopis intueretur, dum coiret. Id quod etiam docent maculæ, quas prægnātes mulieres filiis imprimunt ex rerum, quas appetunt, similitudine. Adferre possent & in plantis rudiorem esse generandi rationem, quam in animalibus, quæ ex semine procreantur. Hæc enim ex solo semine in vtero recepto generari posse, plan-

Argumenta, quod semen fiat in singulis partibus.

Argumentorum refutatio.

Venere frequenti vtentes cur minore voluptate afficiantur.

Filii cur sæpe non parentibus sed maioribus & cognatis sint similes.

A plantas vero non solum ex semine, sed etiam ex plantatione, insitione & aliis modis passim prouenire. Cæterum concedunt illi, eos, qui mutilati sunt post natiuitatem, integros filios gignere: eos vero, qui vitiati sunt in generatione, tales semper liberos generare, quales ipsi sunt. *Quod si aliquando aliter contingit, id fieri, quia alterius parentis sani & integri semen, vitium alterius emendauit.* Illud vero negare non potest Aristot. voluptatem, quæ fit in coitu, *magna sui parte contingere ob excretionem, quæ fit à toto corpore.* Id enim docent *totius corporis macies, decoloratio, debilitas, oculorum cauitas, & alia multa accidentia*, quæ eos sequuntur, qui immoderata vtuntur venere. Sed vt hæc indicant, vniuersum corpus cómoueri, & aliquid B ab illo secedere: ita propterea nollem affirmare, semen esse id, quod à toto proficiscitur. Sed de hac re postea. Qui vero putant, semen non à toto secerni, sed solum à partibus solidis, & albis, iis vtuntur argumentis, quod illæ partes à semine sint factæ, & propterea ex semine nutriantur. Igitur in illis fieri illud. Verum illi aberrant: nam *nulla pars ex semine fit, sed omnes pariter ex sanguine*, ex quo etiam nutriuntur. Præterea, si semen gignitur in illis partibus cur eunuchi non possent generare? Addo quod similitudo filiorum non solum est in partibus illis, sed in figura, & forma totius corporis, in qua constituenda omnes partes, & nō solum spermaticæ ab illis dictæ assumuntur. Iam C vero Arist. opinionem aggredior, quæ mihi tanto erit difficilior ad confutandum, quanto difficilius est ab ipso authore conscripta. Cum enim statuisset, semen esse excrementum alimenti sanguinei, infert, ideo filios similes esse parentibus, quia simile est, quod ad partes accessit. Itaque semen manus aut faciei esse manum indefinitam, aut faciem, & potentia semen tale esse, quale quodque illorum est actu. At suam opinionem ait differre ab alia, quod illa dicat, semen à toto secedere: sua vero ad totum facere, vltimumque accedere, & reliquas esse similes ei, quod est consumptum. Contra quam opinionem multa dici possunt. Nam præter ea, quæ diximus antea de seminis natura, si illud excrementum est, vt ipse definit *in fine* D *quarti capitis secundi libri de generatione animalium*, quod inconcoctum remanet, & terrenum simul est in corporibus, quomodo semen excrementum vocari potest? Est enim illud spumosum, pingue, & propterea aereum & aqueum, (vt ille etiam *alibi* tradit). Et siue, (vt ille vult) vltimum in membra digeretur, siue (vt Anatome docet) in testibus, & vasis spermaticis angustis, & per multas reuolutiones implicatis continetur, necesse est, non esse in eo cruditatem aliquam, sed perfectam concoctionem: & merito quidem, si in illo forma iam residet, quæ quidem perfectissima res est, & non nisi in perfecto, elaboratoque subiecto apta est esse: in excremento vero aliquo maxime E crudiore, minime. Præterea similitudo filiorum ad parentes, non potest sumi eo modo, quo ille scribit: Nam si demus, semen accedere ad partes, tanquam excrementum vltimi alimenti; non propterea ex eo accessu similitudo oriri potest. Cur enim hoc primum non contingit sanguini, quod maxime accedit, & transit in naturam singularum partium, quas nutrit? Nam excrementa, vt quæ ex dissimili materia fiant, ex contractu & accessu, quem habere possunt cum partibus, nunquam penitus similia his fieri possunt, vt apparet in generatione sanguinis: id enim, quod in eo est, ex quo bilis vtraq. fit, dissimile est, & inutile, ideo postea excernitur. *Est ergo excrementi natura hæc, quod sit dissimile.* Quare non potest proles similis fieri parentibus, si semen est excrementum. Addo, quod si ex accessu nutrimenti ad partes, nutrimentum ipsum, vel excrementum quod ex eo fit, formam partium recipiunt, cur chylus, qui concoquitur & assimilatur à ventriculo, vel excreméta, quæ relinquuntur ex illius concoctione, formam ventriculi non recipiunt, & ventriculum alium generare possunt? Deinde cum similitudo filiorum ad suos parentes, sit in omnibus similaribus partibus, semen autem ipsum sit album, non posset esse similitudo, nisi in partibus exanguibus, quas Medici spermaticas vocant. Carnosæ enim, quæ rubent, non possunt excrementum seminale gignere. Adhæc cogitur Aristoteles fateri, semen ab omnibus membris rescindi post suum ad illa accessum. Nam in primis id docet, quod per coitum membra omnibus exteriora appareant fieri graciliora, & pallidiora: quod sine euacuatione fieri non potest. Et quomodo, quæso, semen manus, (vt ille ait) potest esse potentia manus, si semen semper accidit partibus, & à manu non recedit, vt in eo, qui gignitur, similem manū procreet? Ne hoc quidem prætermittendum est, quod si semen est alimenti vltimi excrementum, necesse est, illud esse omnium partium excrementum, & ita ab *omnibus* partibus secedet, vt alii volunt: differet ergo Aristotelis opinio ab aliorum opinione, quod illi solum recedere à *singulis* partibus semen putent: Aristoteles vero *primum accedere ad illas, deinde recedere ab eis* statuat. At si semen fit per alterationem & concoctionem sanguinis, vel est illius excrementum, non poterit habere similitudinem cum partibus organicis: quippe cum concoctiones, & excrementa fiant per alterationem & concoctionem, quæ actiones proueniunt à temperie partium similarium, non à structura partium organicarum. Accedit quod Aristoteles non possit docere, vbi semen hoc fiat. Nam si in testibus non fit, (vt ille vult) & accedit in omnes partes, in illis quoq; fiet: & cum excernetur, ab illis recedet, quod negat fieri posse: habet ille *in fine cap. 5. lib. 2. de generatione*, purgationes seminales à septo venire: principium enim naturæ illic esse: & propterea motus à genitali ad pectus deuenire: quæ verba ostendunt, eum autorem dissectionis nostrorum corporum plane ignarum fuisse. Quis enim vnquam vidit in Anatomis, vel in septo contineri semen, aut ab illo meatus aliquos ferri ad pudenda, per quos semen ferri possit? cū nihil euidentius, quā ipsum semen in ipsis testibus procreari, in illis contineri, & ab illis per coitum emitti. At si semen est potentia manus indefinita, aut alia pars, quomodo habebit rationem artificis, & formam dare singulis partibus poterit? actu enim sit oportet, quod aliquid facere, & hæc præstare potest. Postremo quomodo filii possunt esse similes matri, si fœmina semen nullum procreat, vel emittit? sed solum materiam præbet? Nam opificis est, & non materiæ, formam, quam habet, præbere aliis. Hæc contra Aristot. sufficiant.

Ego vero, quid sentiam in re tam dubia, nunc subiicio. Et dico, semen gigni in testibus; qui vt instru-

Vitiatos in generatione semper generare vitiatos.

Voluptas in coitu vnde.

Accidentia immodicæ veneris.

An semen à partib. solidis decidatur.

Partes omnes fieri ex sanguine.

Arist. opinio de loco vbi fiat semen & à quibus locis decidatur.

Semen non esse vltimæ concoctionis excrementū.

Excrementi natura q...

Autoris opinio.

Semen fit in testibus. Semen ex sanguine fit, & non esse excrementum sanguinis.

instrumenta generationis facta sint, & comparata à natura, ita insitã vim habent, vt præstare possint, quicquid ad seminis generationem pertinet. Nam *semen ex sanguine fit: non autem ex excremento sanguinis*, vt ostendunt vasa spermatica à vena & arteria magna orta, & in testes implantata. Illa enim non excremento aliquo, sed sanguine puro plena apparent in dissectionibus, & qui continetur sanguis, tanto magis albescit, & ad rudem seminis naturam accedit, quanto propinquior est testibus: in quibus semen iam perfectum residet copiosum in illis, qui rara vtuntur venere. Porro talem sanguinem pinguem, oleosum & puriorem testes ipsi primo trahunt à vena, & arteria magna, & consequenter ab omnibus alijs venulis, & B à singulis etiam partibus, per quas est sparsus totis modo, & nondum planè assimilatus, & factus nutrimentum partibus.

Testes vt sua attrahere vndequaque materiam aptã ad generationem seminis.

Nam vt vesica, quę recipit vrinam, aquosum humorem elicit, à singulis partibus, tanquam sibi familiarem: sic testes, quod est in massa sanguinea pingue, & oleosum, vndequaq; trahunt, & cum exit semen in illis elaboratum, naturali appetitu simul cupiunt repleri: atque ita commouent à toto corpore eam materiam & ea deciditur à singulis membris, ad testesq; descendit.

Cur post coitũ animalia vegeta debilia & mœsta fiant.

Voluptas in coitu vnde nascatur.

Vnde videmus post coitum, & seminis emissionem corpus reddi flaccidius, & rugosum, quod vacuationis factæ à singulis partibus est indicium. Et quia *materia illa est multo spiritu plena, & purissima substantia, pariter fit, vt post coitum animalia* C *reddantur debiliora, & mœsta*. Maxima autem ea voluptas oritur *ex confricatione quidem pudendi, verum non per se: sed quatenus ex ea testes, & vniuersum corpus commouentur, ab illisque materia, ex qua fit semen, & ipsum semen à testibus agitatur, & tandem exit. In excretione autem voluptas contingit, si naturales illæ fuerint, vt patet in excretione alui, vesicæ & vteri, & tanto maior voluptas fit, quanto angustiores sunt viæ, per quas fit, & excretio, quanto validior fit expulsio, & a pluribus partibus, tanto plus intenditur voluptas*. Sic enim Plato & Galenus, docent, voluptatem, & dolorem fieri, quando mutationes confertim fiunt. Cæterum, testes ipsi semen efficiunt, ob talem vim, quam habent à natura, D vt solus fructus, veluti poma pira, suum semen in se efficiunt, in quo forma est singularum partium, & totius: eaque forma in semine est *actu*: vt in semine hominis anima hominis est *actu*: alioqui quomodo semen agentis, opificis, & artificis rationem habere potest? si in eo forma est solum potentia: id enim nullam agendi vim habere potest.

In semine formam esse actu & illam à testibus trahi. Semen hominis esse iam hominem.

Est ergo semen hominis iam homo, quia formam hominis habet: desunt solum membra expressa, & delineata, ac figurata, & in eo dicit Aristot. semen esse potentia manum, caput, & alias partes. Sicut ergo non quærimus in plantis, an semen, quod in fructu gignitur & continetur, decidatur ab omnibus partibus ipsius plantis: cum certissimum sit E ipsum in solo fructu gigni: & tamen ex eo semine fiunt & nascuntur plantæ eiusdem naturæ & similitudinis, qualis erat planta, quæ semen illud procreauit: sic non est quærendum, quomodo filii similes parentibus euadere possint, si semen à singulis partibus non deciditur. Nam testes eam vim habent in corpore nostro, qualem poma, & pira gignendi, inquam, in se semen, quod formam totius habet: & in hoc solo differentia est, quod in animalibus proxima materia seminis à toto corpore veniat, vt ipsa animalia allicerentur ad coitum, & generationem ob eam, quæ fit illius materiæ commotionem, & excretionem à toto.

Autor quo modo similitudinem seruat inter parentes, & filios etiam.

Non ergo mirum est, cur toto corpore, & singulis partibus nati similes sint patri. Nam cum pater in se partem habeat, nempe testes, aut quod testibus proportione respondet, quæ nata & apta est generare semen simile toti & singulis partibus: & ipsum postea semen generatum, formã & vim habeat eius, à quo genitum est, cum materiam est nactum idoneam, ideo eam, quam habet in se formam, indit materiæ, & aliud sibi simile efficit, eo planè modo, quo fit in plantis. Nam fructus (vt diximus) in se gignit semen, in quo est forma totius plantæ: semen vero ipsum postea terra idonea obrutum, ex proprio humore, materiaque, quam in ipsa terra habet, aliam gignit plantam sibi similem.

Hominem gignere in se hominem, cum semen in se gignit.

Ergo homo cum semen gignit in testibus, hominem gignit, quia in semine hominis forma continetur; deest solum materia, & organa expressa. Cum vero mas semen in vterũ fœminæ eiaculatur, & illic sanguinem optimum in qualitate ad membra procreanda inuenit, perfectum iam hominem procreat. Hæc opinio, & generãdi hic modus omnia absurda euitat, in quæ alii omnes inciderunt, qui aliter senserunt: & ea, quæ in hac re sequuntur explicanda, ex his principiis facile trahi possunt. Nam cur claudi, & mutilati aliquando sibi similes, aliquãdo vero dissimiles generent, primum distinctione opus est de parentibus, qui natura vel casu male sunt affecti.

Cur claudi aliquando similes, aliquando dissimiles filios generent.

Qui enim natura sunt claudi, tales solent procreare, quoniam testes habent, in quibus vis residet, quæ naturam singularum partium refert. Qui ergo ab ortu ita sunt vitiati, vt plurimum & diu similes natos gignent, nisi muliebre semen certo suo modo præualeat, & malum emendet, aut masculi semen corrigat vitia insita in semine fœminino. In claudis vero & mutilatis casu, aliter contingit: non enim claudus claudum generat: quippe cum testes facti sint in prima cõformatione cum integris aliis omnibus partibus, quarum vim & formam integram & perfectam illi referunt. Nec eam quidem amittere possunt ob mutilationem membrorum: sicut cor, & hepar, & cerebrũ insitas sibi à natura facultates perpetuo retinent. Qui vero semen secedere ab omnibus partibus, vel ad omnes partes accedere, tãquam vltimum & vtile alimenti excrementum, dicunt, reddere non possunt rationem, cur mutilati casu non etiam gignant sibi similes, vt alii, qui à natura sunt corrupti.

Cur filii similes patrib.

Nam nõ minus in his, quã in aliis accedit ad omnes, aut recedit ab omnibus partib. semen. Patere igitur puto, Cur filii patri similes esse debeant. Dat enim pater semen, in quo illius est forma, & omnium partium figura, magnitudo, numerus, situs, cõnexio: semẽ vero ipsum formam, quam in se habet, vt generationis opifex, & artifex in idoneam materiam immittit.

De similitudine filiorũ ad matrem disputatio.

Cur vero etiam matri proles similis esse soleat, Aristo. qui negat fœminas semen emittere, ostendere nõ potest. Sed excutiamus, quæso, illius de hac re opinionem. Ait enim ille in *lib. 1. de gener. animal. c. 19. & 20.* fœminas menstrua emittere: & propterea etiam semẽ nec gignere, nec emittere posse. *Si enim inquit, semen esset, menstrua non essent: nunc idest illud non est, quia hæc sunt*. Sunt autem menstrua excrementum, vt semen: quare duæ simul secretiones seminales in illis fieri non possunt.

sunt. Præterea addit illos errare, qui putant fœminam ideo semen conferre ad generationem, quod illa interdum in coitu simili voluptate afficiatur, vt mas, similisque aliquid humoris secernat. *Nam* (inquit) *id, quod ab illis secernitur, non est humor seminalis, sed loci proprius.* Vteri enim excretio est, quæ aliis euenit, aliis non euenit, (quod plurimum dixerim) his, quæ nitidæ fœminaresque sunt: non euenit his, quæ fuscæ atque viragines. Copia vero, quibus euenit, non pro seminis emissione interdum est, sed multo excedit: tum etiam ciborum diuersa ratio plurimum facit, vt plus minusve huius humoris excernatur. Voluptas autem, quæ per coitum sentitur, non solum semine exeunte accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur. Quod patet, tum in adolescentibus, qui nondum emittere queunt: tum in viris genituræ expertibus; voluptas enim his omnibus scalpendo excitatur. *Adhac*, inquit, *mulierem, & adolescentulum forma similem esse, & mulierem quasi marem sine semine.* Impotentia enim quadam fœminam esse, eo quod semen ex vltimo alimento concoquere nequeat. Scribit etiam, *menstrua semen esse non purum, sed indigens confectionis.* Ex quibus quidem concludit, marem ad generationem conferre semen solum: mulierem vero sanguinem menstruum, & hunc solam materiam, illud vero solam formam gignendis rebus largiri. *Ita enim se habent* (inquit) *menstrua & semen, vt lac & coagulum.* Coagulum siquidẽ solum dat formam caseo: materiam vero minime. Porro lac materia est casei, ad formam vero nihil confert. Quibus quidem positis, videamus, quomodo ille probet, cur matri aliquando similis gignatur fœtus. Agit de hac re *in lib. 4. de gener. animal. cap.* 3. vbi vniuersam huius rei rationem ex tribus principiis sumit. Quorum primum est, *omne agens excepto primo agendo repati*: alterum quod *agens aliquando magis patiatur, quam agat*: veluti cum aliquid calefacit, & illud magis refrigeratur, à patiente, quam illud ipsum calefaciat: tertium principium est, *degenerare in oppositum, quod superatur*, quomodo frigidum redditur, quod calefieri non potuit. *Itaque* (inquit) *cum semen viri plane vincere non potuit materiam mulieris, tunc fœtus similes redduntur matri*: nec videtur aliud concludere posse Aristot. ex longa ea tractatione, quam in eo loco de hac re instituit. Sed (bona ipsius venia) cogor hanc opinionem multis modis refellere. Atque illud primum aggredior, quod scribit, fœminas semen non emittere posse, cuius contrarium ostendit experientia: Quis enim est rei venereæ tã ignarus, qui nõ sentiat, in ipso coitu semen emitti à mulieribus? Agnoscit enim hoc ipsum vir, cum sibi pudendum affatim aspergi, & calefieri seminis illius affusione sentit itidem sentiunt mulieres antequam illud excernant, & cum ipsum iam eiaculãtur. Nec existimare oportet id, quod ipsæ reiiciunt, esse excrementum vteri, vt ille putat, aut menstrui portionem, vel aliud quidpiam, quam ipsum semẽ. *Nam aliarum rerum excretionem, quæ ab vtero prodeunt, nec tardare nec accelerare fœmina potest: seminis autem potest maxime.* Ac generationis quidem periti viri, mulierem hortantur, vt studeat eodem temporis momento semen emittere, vt simul vtrumque semen permisceatur, & ex eorum mixtione generatio fiat. Deinde *aliorum humorum excretio in mulieribus aut est cum dolore, aut certe sine voluptate: Id vero quod nos dicimus semen esse, non sine maxima voluptate eiicitur*, Nec existimare quidem oportet (vt ille credit) voluptatem, quã sentiunt fœminæ in coitu, contingere solum ex pudẽdorum confricatione, ex qua oritur pruritus, & titillatio quædam. Nã idem accidit illis quod viris, qui ex ea confricatione sentiunt quidẽ magnã voluptatem: sed omniũ maximã, cum semen iam excernitur, Id quod accidit, non solũ in coitu, sed etiam per insomnia. Ex quo pruritum, & confricationem, sed maxime ipsius seminis excretionem quandocumq; factã voluptatẽ patere. *Idem docent accidentia, quæ proprie viduas offendunt, quæ semine excreto quiescunt.* Quid? quod fœminæ castratæ venerem non appetunt, etsi illis mẽstrua non desunt: ostendit enim id, semen in mulieribus gigni. Quod cum etiã ostendant ea, quæ in dissectionib. apparent (vt antea ostendimus) nemo amplius de eo dubitare debet. Præterea *eum humorem, quo vterus semper abundat, mulieres continuo emittunt in coitu, ex quo superfluo madent illorum pudenda, semen autem raro emittunt mulieres: sed tunc solum cum eo abundant:* atque inter mulieres, quæ boni sunt habitus, exercitatæ & viragines, vt aliis plus gignunt; ita etiam frequentius, cum venerem exercent, illud eiaculantur. Excrementis vero vtero propriis quæ male affectæ sunt fœminæ, magis abundant. Ex quo quidẽ apparet, Arist. male intellexisse excrementum vteri pro semine: cum huiusmodi mulieres eo maxime redundare; viragines vero minime, scribit, Addo, non esse absurdũ, si fœmina semẽ & menstrua gignat: quippe cũ pura sit seminis materia: menstrua vero *ex cruditate* fœminis accidãt. Cur. n. ex vniuersa sanguinis massa sæpe expurgata à menstruis purgationibus, non habebunt aliquid purioris humoris, ex quo semẽ in se gignere possint? Sed quid opus est, rẽ, quæ se oculis offert, negare? Possunt enim mulieres semẽ suum ostendere album, viscidum, spumosum, eiusdem deniq; naturæ, cuius est masculi semen: etsi *illud imperfectius est? hoc vero perfectius concoctum & elaboratum.* Postremo, quomodo negare potest Arist. mulieres semen generare, & emittere, cum in *c. 1. lib. 4. de gener. anim.* scribat hæc verba; *Maris autem semen differt, quod principium in se continet tale, quo moueat, & alimentum in animali vltimum concoquat: fœminæ vero semen materiam tantum præbet?* Ex quibus fatetur, fœminas semen emittere: quod multis rationibus fieri non posse *in eodem* opere acerrime contendit, Non curans interim si illud solius materiæ, vel etiam formæ vim in generatione haberet. Itaque cum iam constet, fœminam semẽ emittere, sequitur, vt expendamus, cuiusnam principii vim obtineat: *materiæ* (inquit hic Arist.) quod suis principiis repugnat. Nam *passim alibi* nullam aliam materiam conferri ad generationẽ tradit, præterquã menstruum sanguinem. Deinde si muliebre semẽ materiam præbet, cur etiam masculinum idem nõ faciet? & si hoc formã dat his, quæ gignuntur, cur idem non faciet fœmininũ semen? *Erit ergo in vtroque semine vtrumque principium*, vt vult Galenus: cui opinioni prorsus repugnat ipse Arist. qui in nostra generatione marem efficientis, fœminam materiæ rationem obtinere scribit, eo quod hæc materiam solam, nempe sanguinem menstruum: ille vero semen, in quo solum continetur agendi

Aristotelis opinio confutatur.

An fœmina possit semen & menstrua facere.

Menstrua unde fœminis accidant.

Seminis masculi & fœminæ differentia quæ.

An semen muliebre materiæ, vel efficientis rationem habeat.

agendi generandique vis, conferat. Atque ita A profecto melius est sentire. Ex quo sequitur *omne semen agendi vim obtinere: & propterea in semine fœminino eandem quoque esse vim.* Qua posita, facile est reddere rationem, cur fœtus similis sit matri aliquando non minus, aut aliquando etiam plus quam patri. Si enim agendi vim habet, cum omne agens sibi assimilãdo agat, mirum non est, si in hoc opere fœmina etiam suam vim obtinet exerceatque. Nec sequuntur quidem propterea, quæ scribit Aristoteles, fœminam in se gignere posse, si semen gignat. Haberet enim tunc illa in seipsa agendi & patiendi principium. Nã muliebre semen, etsi actum in se habet, tamen perfectiorem alium adhuc ex masculi semine requirit. *Est enim actus, qui in semine fœminino insidet, veluti potentia, si ad semen viri conferatur*, eo modo profecto, quo est B calor insitus singulis nostris partibus, ex elementis, & propriis viuentium principiis, qui impotens est ad agendum, nisi influat calor alius à corde; qui cum eo coniunctus efficit, vt perfectæ omnes reddantur operationes. Atque tanto quidem probabilior videtur hæc esse opinio, quanto magis ratio, similitudinis ad matrem quam tradit Aristoteles nec philosophiæ, nec his operibus naturæ respondet. Nam quod omne agens agendo repatiatur, hoc conceditur. Id enim docet ratio, & experientia. Verum agentia fieri similia patientibus, cum illa non vincuntur, & hæc non vincuntur, penitus negandum est: quia nihil ostendit id verum esse: Obtunditur quidem & irrita fit agentis facultas: sed propterea illa non degenerat C in naturam patientis. Hoc enim fieri non potest sine agente alio: quippe cum in omni actione, & generatione rerum, necessarium sit esse id, quod agat. Quare, si id, quod antea agebat, ei, quod pati debebat, assimilatur, necesse est, vt id, cui fit assimilatio, agendi naturam assumat: nam assimilare est agere & agentis vis maxime in hoc casu requiritur, vbi non solum simplicem generationẽ qualitatum quærimus, sed generationem figuræ, conformationis, numeri, situs, connexionis partium. Hæc enim opificem desiderant maioris dignitatis, & præstantiæ. Redditur quidem calidum corpus, cum frigiditati admouetur, aliquomodo frigidum: & frigidum, calidum, cum calido applicatur, sed non propterea substantia calida frigida redditur, D cum calefacere non potuit. Perinde enim esset, ac si quis diceret, ignem degenerare in ligna cum ille ob crassitiem, & humiditatem ligna accendere non potest: aut si dicamus, securim fieri lignum, cũ lignum à securi non scinditur. Ratio ergo Arist. quæ sumitur ex reactione & passione, ostendere nõ pot. cur filii similes aliquãdo matri reddantur.

Quod vero Gal. noster de hac re sentiat, operæ pretium est vt expendamus. Agit de ea re *in secundo libro de semine*, vbi primum ponit quædam principia: Deinde ex illis nititur efficere, quod vult. Principia autem hæc sunt. *Semen & menstruum pariter præbere in generatione efficientem & E materiam, sed inæqualiter.* Agendi enim principium in semine potẽtissimũ esse: materiale vero exiguum: Contra vero in menstruo materiale esse validissimum, efficiens vero imbecillum. Præterea *in semine masculo potentiorem esse agendi vim, quam in semine fœminino, & propterea ex solo fœminino semine nihil generari posse. Eam tamen vim, quæ in eo semine est roborari, & augeri ex menstruo sanguine, qui per noctem mensis illi* (inquit) *assidet* probabiliusque esse, vt potius semini fœminino, quam masculino faueat, roburque addat, adeo, vt mirum non sit, fœmineum semen, quod in primo congressu imbecillius erat, tempore accessionis menstrui validius aliquando reddi. Aliud principium ponit, *triplicem esse similitudinem, vnam quidem totius substantiæ, veluti cum homo hominem, & equus equum generat, & hanc sequi materiam: quam mater præbet. Alteram esse similitudinem & differentiam eorum, quæ sunt in eadem specie, vt homine, quæ* (inquit) *nascitur ex prædominio seminis. Alia est similitudo & diuersitas, cum nunc mas, nũc fœmina generatur, quæ res causam sumit ex causis calidioribus aut frigidioribus.* & potissimũ ex semine vtriusque calidiore vel frigidiore. *Tũc.n. marẽ generari, cum semẽ est calidius & melius concoctũ: fœminam vero, cum illud frigidius est, maleque elaboratum.* Sed omissa generatione maris & fœminæ, de qua postea agemus, infert ex prædictis Gal. rationem in promptu esse, cur aliquæ partes similes potius sint matri, quam patri. *Nam in quibus partibus* (inquit) *semen fœminæ prævalet, in illis sit similitudo.* Non.n. propterea sequi, omnes partes similes patri euadere debere, quia virile semẽ suapte natura prævalet muliebri. Nam præter eam vim, quam dixit semini fœminino accedere ex menstruo, aliam addit ex diuersis partibus ipsius seminis, quę in coitu in diuersis temporibus excernuntur. *Illa enim seminis pars, quæ primo excidit, crassior, spirituosior, meliusque concocta, & elaborata est alias, quæ in secunda, vel tertia eiaculatione emittitur. Quo fit, vt commistione vtriusque seminis, in quibusdã partibus maris, in quibusdam fœminæ semen prævaleat, & in qua prævaluerit ea pars fœtus, ei, cuius semẽ prævaluit similis euadit.* Hæc sunt Gal. verba, hæc est sententia qua nulla quidem probalior mihi videtur inueniri posse, sed principia, ex quibus illam ducit, egent animaduersione. Nam in vtroque principio, nempe in semine & menstruo ponere materiam, & id, quod agendi vim habet, absurdum est. Etenim antea validissimis rationibus probatũ est, semen solius opificis rationem obtinere, cum nihil in seipsum agere possit, ita vt ex se ipso aliud efficiat, sed separatã materiam requirat. Longe absurdior est opinio, quod in menstruo sanguine agendi aliqua vis sit insita; *Quod est parum excrementũ, & frequentem habet excretionem ac post generationem facit ad nutritionem, & incrementum corporis, nullam debet in se habere generandi facultatem,* alioqui frustra sæpe illa in eo esset: nã absoluta generatione vbi sola nutritione opus ẽẽt, otiosa illa esset. Deinde vbi, quæso, illam caperet, an ab omnibus venis, à quibus confluit? an ipso vtero? quæ sane vt absurda statim patet. Oporteret enim partem aliquam esse, quæ esset destinata à natura ad hanc vim & formam inducendam, quo modo videmus testes natos, & factos esse, vt semen conficiant. Igitur cum Gal. ostendere non possit locum, in quo menstruum sumat hanc vim: nec aliqua ratione, aut ex eo, quod euidens est sensibus, confirmare possit suam sententiam, dicamus cum Aristotele ex sanguine menstruo solam materiam conferri ad generationem. Ridendum vero & illud quidem est, quod scribit, menstruum sanguinem augere solum vim, quæ est in semine fœminino. Quomodo enim nõ augebit etiam eã facultatem, quæ est in masculino: quandoquidem

Cur fœtus matri aliquando sit similis, secundum rationem Aristotelis.

Semen fœminæ respectu viri veluti in se quasi potentiam.

Aristotelis ratio non satisfacit cur filii similes matri reddantur.

Galeni opinio de similitudine filiorum ad parentes.

Quando generetur mas, & quando fœmina.

Cur aliquæ partes sint potius similes matri, quam patri.

Gal. sententia expenditur, & principia, quæ ponit notantur.

Semen solius opificis rationem habere, vt sanguis menstruus solum materiam.

raram, ac tardam. Hi vero præ omnibus maximè ad irascendum prompti: cum autem coacti fuerint irasci quibusdam, retinent iram. Habent autem maxime omnium nudum pilis pectus. De paruitate autem thoracis, ac præterea totius corporis frigiditate, similiter distinguendum. Vnum illud commune in hisce omnibus memoria repetentibus, quod quæcunque de moribus, siue nunc, siue quouis alio sermone explicata sunt ad temperaturæ cognitionem, non de optimis moribus, aut vitiosis, qui ex philosophia hominibus adueniunt, sed de insitis vnicuique ac naturalibus nos exposuisse.

Pergit in ea opinione de duritie pulsus in siccitate leui & secundum naturam, quam opinionem nos iam sæpius refellimus. Merito autē fiunt pulsus parui, non quod siccitas impediat liberam dilatationē sed quia ob frigiditatem necessitas est diminuta: fortè etiam fiunt tardi & rari, siquidem vsus minor adhuc fuerit. Possunt esse parui, veloces, & frequentes, si necessitas maior postulat. Id enim ex superioribus patet. Seruatur etiam proportio inter diastolen & systolen, in hac complicatione qualitatum. Porro respirationem *moderatam* intelligere debemus, non quæ simpliciter mediocris est: nam diminuta necessitate vltra mediocritatem, necesse est pariter minui vltra mediocritatem actionem: sed *moderatam* intelligimus proportione respondentem pulsibus, vt de corde frigido ostendimus. Præterea si calidi, & humidi, perinde prompti sunt ad iram & actiones, vt calidi & sicci (vt antea ostendit) sequitur vt frigidi & sicci, perinde prompti sint, vt frigidi, & humidi; cum enim caliditas communis ponebatur siccitati, & humiditati, paria fiebant (eo autore) ab humido & sicco. Sic igitur posita confrigiditate, cur æqualis non debeat fieri promptitudo ab humido & sicco, nulla ratio suadere potest; non ergo hi præ omnibus difficilius irascuntur, sed eo modo, vt frigidi & humidi, aut etiam promptius illi, quàm hi, id patiuntur: quippe cum humor imbecillo calori sit impedimento, siccitas verò faciliores reddat illius motiones. Quinetiam illud omnino à veritate alienum esse videtur, quod hic scribitur, *frigidam, & siccam temperiem aliarum omnium maximè pilis nudam esse.* Si enim calida magis, quàm frigida, & sicca, magis, quàm humida aptior est ad pilos gignendos (vt antea ostendit) cum de humido, & sicco cerebro ageret, omnium maximè glabram oportet esse, quæ frigida & humida est, non quæ frigida & sicca: & frustra quidem interpretes conantur locum istum interpretari: cum ipsemet Gal. *2. temper.* idem, quod nos, apertè scribat, frigidam sc. & humidam maximè omnium pilis nudam esse, minus autem hac frigidam & siccam. Vel ergo omnes codices deprauatos oportet existimare, vel inconsideratè hæc autorem scripsisse. Addere etiam debebat signa, quæ sumuntur ex aliis passionibus cordis: quas fortè ea ratione prætermittit, quod difficile sit, earum causas tenere, nam præter temperiem, magnitudo & conformatio ipsius cordis, maximam videntur vim obti-

Extendit quæ dicit Gal. de ira.

Quæ tem-peries sit omnium maximè pilis nuda.

Passiones cordis alias habere causas præter temperiem.

A nere ad passiones excitandas: quam quidem ob causam ille *in lib. de Placitis Plat. & Hipp.* scribit, eos esse animosos & audaces, qui cor habent exiguum. Id enim canoni consonum est: propterea quod spiritus seruantur in viscere angusto vniti & veluti contracti, quod fortitudinis & vigoris est causa. Rectè verò illud etiam admonet esse iudicandum de moribus & passionibus cordis in homine, qui nec studio philosophiæ, nec cultu religionis, passiones suas temperat, aut nullo metu legum, pro libidine omnia tentat & audet.

Cap. XXXVII. De signis calidi hepatis.

Ἥπατος θερμοτέρου γνωρίσματα, φλεβῶν εὐρύτης, ἡ ξανθὴ χολὴ πλείων, ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τῆς ἀκμῆς, καὶ ἡ μέλαινα. θερμότερον αὐτοῖς τὸ αἷμα, καὶ διὰ τοῦτο, καὶ τὸ σύμπαν σῶμα, πλὴν
B εἰ μή τι κατὰ τὴν καρδίαν ἀντιπράττει, δασύτης τῶν καθ᾽ ὑποχόνδρια καὶ γαστέρα.

Hepatis calidioris indicia, venarum latitudo, flauæ bilis abundantia, in consistente vero ætate etiam atra: calidior ipse sanguis, atque eadem ratione corpus vniuersum, nisi obstiterit cor: his venter & hypochondria hirsuta.

Posteaquam cerebri & cordis temperies indicauit, aggreditur signa temperaturarū tertii principii ex propositis, nempe hepatis, ex ordine seruato, quo antea est vsus. A simplicibus enim & perfectioribus temperaturis orditur, deinde ad
C compositas transit. Temperatum verò hepar nō describit, eo quod ex extremis fortè putaret medium facile deprehendi posse. Primum autem hepatis calidi indicium ponit esse *venarum latitudinem*, quod ego nullius momenti esse puto: *1. signum.* Nam supponit hoc indicium, *hepar esse principium venarum*, & propterea rationi esse consonum, vt ea, quæ nascuntur à principiis, originem suam prodant. Propterea sequi, vt exuperante in hepate calore, cuius officium est dilatare, venæ corporis latiores reddantur. Verum si venæ fiunt ex semine parentum, antequam hepar sit factum, & illis postea affunditur hepatis substantia, & propterea parenchyma venarum dicitur esse, vt ille *in libro de formatione fœtus*, & *2. de tempera-* *Hepar non esse principium venarum.*
D *mentis* apertè scribit, non erit hepar venarū principium, quod posteriorem habet generationem diuersamque substantiam & materiam. Quod si venæ prius sunt factæ, quàm hepar, profectò magnitudinem ex materia multa, ex qua sunt factæ, non ab aliquo calore sumunt: aut si calor aliquis in ea re aliquid potest, id calori, qui est in semine, & vtero tribuendum est, non ei, qui in carne hepatis est insitus. Absurdum præterea est, venarum latitudinem tribuere alicui calori: nam partium magnitudo, vt idem author docet in *2. de temper. c. 8.* sequitur virtutem formatricem, multitudinemq; materiæ: quod etiam ante ostendit, cum de magnitudine & paruitate capitis tractaret: aut cur alioqui non dicit, cerebri, cordis, & *Magnitudo partiū vnde.*
E hepatis caliditatem, eorum viscerum magnitudinem sequi? imò vniuersum ipsum corpus maius illis fieri, qui calidiore sunt temperamento, quod est planè ridiculū. Cur etiam non dicebat, arterias & neruos fieri maiores, ob cerebri & cordis temperiem calidiorem? Præterea venæ in nobis non apparent magnæ, nisi cum sunt plenæ sanguine & spiritu. Quamobrem nisi cum hepate calido adsit

adsit humorum & spirituum copia, nobis non licebit perspicere venarum latitudinem. At verò cum illa adsunt, ignoramus, an latitudo sequatur magnam tensionē, potius quàm temperiem hepatis.

II. *Expendit quæ scribit de generatione bilis.*

Secundum indicium sumitur ex generatione & abundantia flauæ bilis: quod mihi etiam est suspectum: nam bilis flaua, quæ calida est & sicca, postulat non solum calidam, sed etiam siccam temperiem: alioqui confunduntur signa calidæ, & calidæ atque siccæ temperaturæ: nam in vtraque idem ponit signum. Præterea si per febres diarias, & synochas non putridas, bilis necessario non gignitur, sed solum spirituosa substantia & massa humorum calidior redditur, quomodo gignetur bilis ex leui & simplici calore secundum naturā? At verò in eo maior dubitatio est, quod scribit, *in consistenti ætate ob hanc temperiem abundare atram bilem*: nam ille passim scribit, atram bilem ex adustione sanguinis, vel flauæ bilis, vel humoris melancholici procreari. Dubium autē hic est, ex qua materia velit hanc bilem atram gigni.

Quid de abundantia atræ bilis sit sentiendum.

Præterea scribit ille, atram bilem fermentare terram, & malignum esse humorem: & *in fine lib. de atra bile* addit, huiusmodi humorem nō nisi in ægris & præter naturam affectis corporib. procreari. Quapropter illud quoque sequeretur, omnes morbos, præsertim scabiem, & vlcera, quæ à nigro humore procedunt in consistentibus ætate, cancerosa esse & insanabilia. Ratio tamen cōuincit, ex adustione in sanis fieri mutationem humorum. An dicendū, dari latitudinem in generatione atræ bilis? vnam enim ex leui & naturali adustione procreari: aliam verò ex calida & maligna quadam intemperie; & hanc esse, de qua pessima omnia scribuntur: in qua etiam dantur gradus malignitatis. Illam verò esse secundum naturā, vt quæ secundum ætatis cursum, & mediocres causas fiat. Illud etiam notandū est, quod scribit Gal. sine distinctione, *atram bilem esse acidam*: quæ enim vel ex sanguine adusto, vel ex flauæ bilis adustione gignitur, acida esse nequit. Nam dulcia per adustionē primum fiunt amara postea salsa, acida verò nunquam, acerba verò & austera in acidum saporem sæpe verti docet Gal. *in lib. 4. de simp.* Quare solum ea atra bilis erit acida, *quæ ex humore melancholico est facta.*

An bilis omnis atra sit acida.

III. *Bilis atra quæ sit acida.*

Cæterum indicium, quod sumitur ex sanguine calidiore, est maximè rationi consonū, cum hepar officina sit sanguinis, & pro sua temperie qualitates diuersas inducat in sanguinē. Porro ex sanguinis affluētis calore ratio intelligit vniuersum corpus calidius reddi, nec in hoc cor multū repugnare potest. Nam multos videmus, quibus adsunt omnia signa frigiditatis cordis, biliosos & calidos ob hepatis caliditatem, tantum enim virtus habet in mutanda temperie partium cōtinua ex sanguine nutritio. Quod si cor eandem habuerit cum hepate temperiem, euidentiora erunt caloris in vniuerso corpore indicia.

IV. Quod verò scribit de hypochondriis & ventre hirsuto, hoc fit, quoniam hepar illis partib. subiicitur, & excrementa fuliginosa ad illas emittit. sed quod magis mirandū est, silentio transit indicia, quæ sumuntur à passionib. ipsius hepatis, nempe à concupiscentia voluptatū, cibi & potus, omnes enim brutorū passiones in nobis esse docet ille *in libris de placitis Plat. & Hipp.* eo quòd hepar sit illarum sedes & principium. An igitur rationi non est consonū, eos qui hepate sunt calidiore, variis cupiditatib. agitari? cibos & potiones multas appetere & consumere sordidis voluptatibus esse obnoxios? Docuit etiam experientia, illos maximè esse edaces & voraces, quibus magnū est hepar. Quod illis etiam fortè contingit, qui eodem viscere sunt calidiore. Cur etiam à iuuantibus & lædentib. signa non sumit? sentiunt enim, qui ita sunt affecti, volas manus calidiores, & frigidis iuuantur cibis, potionibus, aere, & calidis morbis sunt obnoxii, sunt pariter siticulosi, nisi ventriculi frigiditas & humiditas multum obstiterint.

De signis sumptis à cupiditatib.

Qui maximè sunt edaces.

CAP. XXXVIII. DE SIGNIS FRIGIDI HEPATIS.

Ψυχροτέρου δὲ στενότης φλεβῶν, φλέγμα πλεῖον, αἷμα ψυχρότερον, καὶ ἡ σύμπασα τοῦ σώματος ἕξις ψυχροτέρα, εἰ μὴ πρὸς τῆς καρδίας θερμαίνοιτο, ψιλὰ τριχῶν ὑποχόνδριά τε καὶ γαστήρ.

Frigidioris verò angustia venarum, pituita abundantior, sanguis frigidior, & totius corporis habitus nisi à corde calefiat. Venter illis glaber est, atq. hypochondria.

Patent omnia ex sup. capite, quæ in hoc scribuntur, nam contrariorum eadem est disciplina, vno tamen excepto, quod de generatione pituitæ tradit. Quomodo n. alibi scribat, pituitam gigni in ventriculo, quid cōmune nunc habet cum hepate? Præterea cum pituita frigida, & humida sit, hepar autē frigidum solū ponatur, quomodo pituitam gignet? Hæc interpretes sicco pede transeunt: quæ tamē maioris sunt momēti, quàm quæ hoc loco præter institutum tractant. Nos verò ita dicimus, pituitæ nomen à Gal. dupliciter vsurpari. Sumitur n. nūc pro quarto humore, verumq; est eā gigni in ventriculo ex cibis: sumitur & pro sanguinis massa tota diminutè concocta; fit a. hæc in hepate, & vbi hepar frigidius est, nutrimentū planè vincere non potest. Sed pituitosus sanguis frigidior & humidior, quàm par sit, fit: vel aliter dicendum, quòd sc. pituitam quartū humorem gignat ex frigidiore portione & humidiore ipsius chyli. Cogimur ergo fateri, in hepate gigni pituitam: alioqui quid ex humidiore & frigidiore ea alimenti parte illic gigneretur? In ipso quoq; ventriculo eadem procreatur ex frigidiore & humidiore portione assumpti alimenti. Ac vniuersus ipse chylus, cum perfectam concoctionē non assequitur, crudus & ob id pituita dicitur esse. In venis autē, cerebro & aliis partibus corporis nequaquam gignitur; sed quæ genita est, vbi calor illarū partium debilis est, assimilari nequit vniuersa: quare relinquitur ex ea pars, quæ crassior & frigidior est: quæ póstea tanquam excrementum per nares, & alios corporis meatus excernitur, aut retenta morbum facit. Est porro ea pituita, quæ in hepate gignitur, vera, vt quæ in officina humorū gignatur, ac cum sanguine commixta, & vtraq; bile, propterea ea humoris nomen meretur, cum materia sit apta ad generationem, actionem, & nutritionem: quæ verò in ventriculo procreatur, re vera humor vocari non potest, sed potius excrementum. Nam in eo consistit excrementi ratio, quod sit à sanguine separatum & secretū. Vt enim bilis in vesica sua recepta, & humor melancholicus attractus à liene, amplius humor vocari non potest, sed excrementum biliosum, & me-

Quomodo frigiditas hepatis conferre possit ad generationē pituitæ.

Pituita nomen dupliciter sumi.

Pituitam gigni in hepate, & similiter etiā in ventriculo.

Pituitam nō gigni in venis & in cerebro.

Pituita, quæ vera & humor vocari possit.

lancholicum, idem de pituita censendum: nec existimandum quidem est, vnquam talem pituitam fieri posse sanguinem: quandoquidem in generatione sanguinis quatuor humores simul fiūt: facta autem pituita rursus fieri nequit. Sed hæc alibi diligentius demonstrauimus. Illud autem, quod secundo loco dicebamus, pituitam à frigido & humido fieri, concedimus: At vtrumque adest in frigidiore hepate: Nam humorem ex cibo capit, quem cum ob frigiditatem suam planè vincere non potest, plurima sui parte hepar frigidum in pituitam degenerare facit: sicut etiam fortè calor ex alimenti portione potentia biliosa, elicit bilem, & non solum ex ea, sed etiam ex parte, quæ in temperamentis alioqui fieret sanguis quartus humor. Clarum vero illud est, sanguinem, vniuersique corporis habitum, frigidiorem reddi, vbi hepar frigidius extiterit, nam omnes partes, quæ in habitu sunt, ab eo viscere nutrimētum capiunt: ex nutrimento autem temperies illis accedit. Rectè autem dixit *vniuersi corporis habitum*, non autem vniuersas partes: nam ventriculus & intestina non sequuntur hepatis temperiem, quia *ex chylo nutriuntur*. Quod si, vt aliæ partes, quæ sunt in habitu, ex sanguine alerētur, dixisset vtiq; Gal. omnes partes sequi frigiditatem hepatis. Nam si cōmmune esset nutrimētum, communis quoque esset temperies. An etiam cor, pulmo, lien non sequuntur temperiem hepatis & sanguinis? De hepate & liene non esse dubium, cum nullam in se repugnantiam habeāt. *Cor vero cum sit principium caloris, & spiritus fermentis, non patitur se vinci à frigiditate hepatis & sanguinis: Retunditur tamen illius caliditas ob continuum affluxum sanguinis, ex quo etiam ipsum nutritur.* Quod si in eandem temperiem conspirent hepar & cor, sine controuersia vniuersus corporis habitus recipit eam temperiem, quam ea viscera immittunt: si vero inter ea repugnantia est, sequuntur aliæ partes vincentis principii temperiem, & magis hepatis, quàm cordis. Quæ vero *de hypochondriis & ventre glabris* scribit, patēt, hoc solum addendum, non prorsus glabras illas esse partes ob simplicē frigiditatem: hoc n. sequuntur frigiditatem cōiunctam cum humiditate. Omittit hic etiam indicia sumpta à iuuantib. & lædentibus causis, & à differentiis concupiscentiæ, quibus parum videntur esse obnoxii, qui frigidiores sunt hepate: aut certè ighoramus, quas passiones huiusmodi frigiditas inferre possit.

Excrementi ratio in quo consistat.

Quæ partes dicantur sequi hepatis temperiem.

In corporis temperie mutanda plus conferre hepar, quàm cor.

CAP. XXXIX. DE SIGNIS HEPATIS SICCI.

Ξηροτέρου δὲ, τὸ μὲν αἷμα παχύτερον, καὶ ὀλιγώτερον, αἱ φλέβες δὲ σκληρότεραι, καὶ ἡ σύμπασα τοῦ σώματος ἕξις ξηροτέρα.

Siccioris autem sanguis quidem crassior, & minime abundans, venæ duriores, & totius corporis habitus siccior.

Perinde agit Gal. de siccitate hepatis, ac si agēdum esset de siccitate terræ. Nam crassus sanguis, id est, spissus in nobis non fit, ob mixtionem terrenæ substantiæ à siccitate hepatis, vt aqua crassescit mixtione terræ: nec ob congelationem, vt glacies ex aqua, sed ob adustionem & actionem qualitatum: At in nobis, & aliis viuentibus siccum non agit, nec humor, nec etiam frigiditas, sed solus *calor moderatus, vel imbecillus, aut exce-*

An crassities sanguinis sequatur siccitatem hepatis.
Calorem solum in nobis agere.

A *dens.* Ille enim ab initio suum humorem depasci incipit, & in eo malo perseuerat, donec nos perimat: Interim vero pro ratione patientis humoris nos temperat, calefacit, refrigerat: semper autem siccat solidiores partes: humores autem tunc crassiores reddit, cum vim habet euaporandi humorem, qui in ipsis est: postea verò cum ipse calor iam elanguescit, pituitosos, & aquosos humores aceruat. Non ergo dicere possumus, siccitatem, quæ est in hepate, reddere sanguinē crassiorem, aut aliquid aliud facere posse, cum nullam vim agendi habeat: alioqui qui scyrrho hepatis laborant, huiusmodi sanguine abundarēt: At illi aquosos humores & pituitam aceruant, vnde nascitur aqua inter cutem, si etiam senes sangui-
B nem crassum efficerent, & non mucosum, & aquosum: si igitur in nobis fit sanguis crassus, hoc accidit, *vel ex crassis alimentis, vel à calore hepatis violentius humorem consumente.* Abundantia quoque sanguinis sequitur copiam alimenti, & optimam concoctionem. Defectus vero non sequitur siccitatem hepatis, nisi fortè ea ratione, quod cum siccitate calor nequit bene concoquere. At hoc per accidens fit à sicco, caloris vero imbecillitas præcipua & per se est causa. Cæterum ridiculum esse puto indicium hepatis sicciotis, quod sumit à duritie venarum & totius corporis habitu sicciore: quis enim sub cute occultas venas dignoscere potest esse duras, vel molles, nisi tensas fortè putet esse duras? Et quo modo,
C quæso, hepatis siccitas vim habet indurandi, cum nullam habeat agendi vim. Ego nunquam ex scyrrho hepatis vidi mutationem aliquam fieri in venarum duritie, & mollitie. Vbi vero adsunt febres ardentes, fit quidē à calore siccitas, & ex siccitate durities. At hoc non fit agente ipsa qualitate sicca, cuius hic notas quærimus. Eadem est ratio de corporis habitu sicciore: qui talis quidem fit, consumpto humore vi caloris, & non sicci. Sed cur hic etiam à iuuantibus, & lædentibus, & passionibus hepatis indicia aliqua non ducit? Essent enim hæc præcipua, vt quæ in solo eo viscere fiant, nec ab aliis obscurari possunt. Sed Galenus quæ difficilia sunt, omittit: quæ verò nullius sunt momenti tradit. Quorsum enim o-
D portebat illū tantum laborare in distinguendis animæ facultatibus, & singulis collocandis in certis & distinctis locis, si postea illarum vsum & vim docere non potest?

Sanguis crassus vnde.

Signum hepatis sicci ex duritie venarum ridiculum.

Galenus reprehenditur.

CAP. XL. DE SIGNIS HVMIDI HEPATIS.

Ὑγροτέρου δὲ, τὸ μὲν αἷμα πλεῖόν τε, καὶ ὑγρότερον, αἱ φλέβες δὲ μαλακώτεραι, οὕτως δὲ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα, πλὴν εἰ μὴ κατὰ τὴν καρδίαν ἀντιπράττοι.

Humidioris autem sanguis quidem abundantior atque humidior, venæ autem molliores, ita vero & vniuersum corpus, nisi partes ad cor attinentes, obstiterint.

E Quæ hic scribit de humidiore hepate, patent ex his, quæ dicta sunt de sicciore: & si illa parui, hæc magni momenti esse non possunt, vt certè non sunt: neque enim sanguinis abundantia fieri potest ab humido, sed à calido & humido: talis enim est sanguinis quarti humoris natura. Sanguis verò, qui suo nomine vniuersos humores cōprehendit, exigit mediocrē temperiem: vbi vero me-

Signa hæc contemnit.

ro mediocris est calor (vt hic statuitur) & exuperat humidũ, crudiores fieri humores necesse ẽ: In A quo casu sanguis abundare non potest. Verũ autẽ illud est, eũ, qui gignitur, sanguinem, humidiorem & aquosum esse. Sed illud inutile est hic quoque, ex mollitie venarum velle significare humiditatem hepatis. Cur etiam non dixit, huiusmodi temperiem obnoxiam esse morbis ex putredine, & qui nascuntur ex aquosis fluxionibus, & ad cupiditates suscipiendas, & deponendas faciles esse, & alia huiusmodi? quæ ratio quidem fingit ab humido nasci, nihil tamen certum statuere potest.

CAP. XLI. DE SIGNIS HEPATIS CALIDI ET SICCI.

Θερμοτέρου δὲ ἅμα καὶ ξηροτέρου ἥπατος γνωρίσματα, λασιώτατον ὑποχόνδριον, αἷμα παχύτερόν τι ἅμα καὶ ξηρότερον, ἡ ξανθὴ χολὴ B *πλείστη· κατὰ δὲ τὴν ἀκμὴν καὶ ἡ μέλαινα, φλεβῶν εὐρύτης τε καὶ σκληρότης· οὕτως δὲ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα. θερμότης μὲν γὰρ ἡ ἐκ καρδίας ὁρμωμένη, νικῆσαι δύναται τὴν ἐξ ἥπατος ὁρμωμένην ψυχρότητα, καθάπερ καὶ ἡ ψυχρότης τὴν θερμότητα. τὴν ξηρότητα δὲ, οὐχ οἷόν τε πρὸς τοὐναντίον ὑπὸ τῆς καρδίας ὑγροτέρας γενομένης ἀχθῆναι. μεταξὺ δέ ἐστιν ἡ ἀφ᾽ ἥπατος ὑγρότης τῶν εἰρημένων. μᾶλλον μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς ἐν καρδίᾳ νικᾶται ξηρότητος, ἤπερ ἡ ξηρότης ὑπὸ τῆς ὑγρότητος, ἧττον δὲ τῆς θερμότητος, ἔτι δὲ μᾶλ-* C *λον ἧττον τῆς ψυχρότητος· εὐνικητοτάτη γὰρ αὕτη τῶν ἐξ ἥπατος ὁρμωμένων ποιοτήτων. εὔδηλον οὖν ὡς ἐπειδὰν εἰς ταὐτὸ συνδράμωσιν αἱ τῶν ἀρχῶν ἀμφοτέρων κράσεις, ὅλον ἀκριβῶς τὸ σῶμα κατ᾽ ἐκείνας διατίθεται. λεχθήσεται δὲ ὀλίγον ὕστερον αὐτοῦ τὰ γνωρίσματα.*

Calidioris vero simul ac siccioris hepatis indicia, hypochondria plurimum hispida sanguis crassior simul ac siccior, flaua bilis plurima est, consistente autem ætate, & D *atra, venarum autem latitudo, & durities, sic vero & vniuersum corpus se habet. Nam, quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur frigiditatem, sicuti & frigiditas caliditatem, siccitatem vero non potest humidius cor ad contrarium habitum transferre. Media vero inter* E *has, quæ dicta sunt, ea, quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à cordis siccitate superatur, quam siccitas ab humiditate, minus autem à caliditate, adhuc vero multo minus frigidate. Hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate eueniunt, facillime vincitur, liquet autem, quod cum in vnum conuenerint vtrinque principii temperatura, totum exquisite secundum illas afficitur corpus, paulo vero inferius ipsius dicetur indicia.*

Quæ hic dicuntur de signis hepatis calidi, & sicci, patent ex superiorib. Nam coeuntibus duabus his qualitatibus *hypochondria valde hispida fieri necesse est, & sanguinem crassiorem, & sicciorem gigni*, ob euaporationem quam facit calor, & repugnantia siccitatis aduersus humorem. Fit igitur bilis flaua hac ratione ob adustionem calidioris partis sanguinis: & quomodo ex plurima alimenti portione bilem elicit, & procreat huiusmodi temperies. Porro *in ætate consistente atra bilis in his exuperat*, nõ ex adustione flauæ, vt alii credũt. Nam per tam longam ætatem non potest durare eiusdem humoris adustio, ac facta bilis purgatione, sublata esset materia apta ad generationem atræ bilis: sed temperies, quæ est calida: & *admodum* sicca, ex ipsomet alimento plurimum humoris crassi, & melancholici elicit: sicut aliæ temperies natæ, & aptæ sunt sibi similem gignere humorem. *Nam ex eodem cibo plus pituitæ gignet frigida & humida temperies, quam alia: & calida & humida plus sanguinis: calida & sicca plus bilis. Eadem temperies, vbi iam remittitur calor & humor, quod fit in declinante ætate, plurimum humoris melancholici, aut etiam atræ bilis* i. cum aliqua adustione procreabit. Quod vero legitur *de sanguine crassiore simul & sicciore*, meliorẽ habet in alio codice Græco dictionem. Legitur enim *sicciorem &* *parciorem*, sequitur enim sanguinem fore siccum, si crassus est: repugnat autem rationi, si in hac temperie multus sanguis gignatur. Hic enim à calida, & humida tẽperie plurimus fit: nec quidẽ põt. sanguis exuperare vigẽtibus causis, quæ bilẽ flauã & atram abundare faciunt. Ac in hac quidẽ re ridenda est Akachiæ interpretatio, qui putat, ideo sanguinem abundare debere, quia subiungit Gal. venas in hoc statu esse latas, quasi necessarium sit loca vacua, & ampla necessario repleri solidiore materia. Videndum enim est, an id, quod replendi vim habet, adsit: adesse autem non potest sanguis in venis, nisi gignatur in hepate, gigni vero non potest, vt diximus, à temperie, quæ repugnantes habet qualitates cum natura sanguinis.

Bilis flaua quomodo in his gignatur.

Atra bilis quomodo ab vndis in ætate declinante.

Akachiæ sententia ridenda.

Cæterum quod scribit *de venarum latitudine, & duritie*, iam sæpe refellimus. Siquitur enim venarum latitudo copiam materiæ, ex qua sunt factæ, & formã agentis. Nã parẽtes magni, sibi similes filios gignunt, & si quid illi magnũ habẽt, illud idẽ magnũ efficiũt in suæ prole, *si interim materia illis non defuit in ipsa generatione*. Durities vero in venis non sequitur, nec calorẽ, nec siccitatẽ hepatis, si quidem illæ factæ sunt, antequam hepar esse conformatum: deinde si venæ sunt duræ: & siccitas calori coniungitur, quomodo latæ esse possunt? Repugnat enim dilatationi durities, & siccitas.

Venarum latitudo vnde.

Vnde itidem durities.

Cæterum cum sæpius de repugnantia hepatis & cordis egerit absque distinctione, *in hoc capite* docet, quid possit cor aduersus hepar, & quam temperiem hepatis emendare possit. Illud autem notandum in primis est, quod scribit illis verbis (*nam, quæ ex corde caliditas*, non enim omnis caliditas, quæ in corpore est, à corde proficiscitur. Nam (vt superius diximus) vna est caliditas ex ipsis elementis: alia ex proximis principiis viuentium singulis partibus cũ proprio humore indita. Sunt præterea tres fontes caloris, *cor, hepar, & testes* vt antea *ex primo de semine, & sexto de morbis*

Caloris fontes tres.

vulgaribus ostendimus. Ergo caliditas cordis potest frigiditatem hepatis emendare, id est, temperiem, quæ à frigido hepate in corpus spargitur: quoniam cor suapte natura admodum calidũ est, & feruentes spiritus in singulas partes spargit. Quod si calidius adhuc fuerit, quam illius mediocritas postulet non mirum, si duplici caliditate immissam ab hepate frigiditaté emendet: & econtra frigiditas cordis, caliditatem hepatis temperet. Nã si calidissimũ suapte natura viscus frigidius sit, quã ratio postulat, minus calefiet corpus ab eo, & ita frigidius euadet. *At vero non potest* (inquit) *siccitatem hepatis humidum cor emendare: quoniam suapte natura cor admodum est siccum, vt tãtam humiditatem acquirere nequeat, quæ sufficiat ad siccitatem hepatis corrigendam.* Dequo ego dubito. Si enim cor humidius fuerit, sanguinem arteriosum, & vitales spiritus humidiores efficiet, ex quibus siccitas, quæ ex sicciore sanguine ab hepate profecto in singulas partes resultat, temperabitur. *Humiditas autem hepatis*, inquit, *à cordis siccitate emendari potest, sed minus facile, quam caliditas, aut frigiditas:* quoniam cor siccum suapte natura est, & sicciores spiritus, & sanguiné efficit, quæ superfluum ab hepate humorem retundere possunt, nõ tamen ita facile, vt in actiuis qualitatibus, & quia cor plus potest in calefaciẽdo, quã in exsiccando. Ergo cor in calefaciendo primã vim habet: in refrigerando secundã: tertiam vero in siccãdo. *Hepatis autem siccitatem cor in contrarium habitum transferre nõ potest:* quasi diceret, *retũdere, & aliquo modo temperare* potest: *vincere* autem *omnino, & in sui naturam transferre* nequaquam. Cæterum vt cor suapte natura siccũ, nunquã potest ita humidum esse, vt siccitatem hepatis emendet: ita hepar humoris fons, nunquam ita siccum esse poterit, vt humiditatem cordis in contrarium habitum transferat. Humiditas autem hepatis facillime siccitatem à corde proficiscentem vincet: caliditas autem hepatis postea frigiditatem à corde emendare statuatur. Postremo loco frigiditas caliditatem: vtrumque enim cum calidum sit, minus poterit alterius frigiditatem emendare. In vniuersum tamen, vt semel dicam, *plus potest hepar ad mutandam totius corporis temperiem, quam cor, quoniam ab illo nutrimentum mittitur, quo substantia partium mutatur, tum etiam quod solidior sit sanguis, quã spiritus, & propterea validiores impressiones facit:* vnde videmus, frustrata sanguificatione, vniuersum corpus pituitoso, & frigido humore abundare, frigidisque morbis corripi. In affectibus vero præter naturam calidis creandis cor potissimam, & maximam vim habet. Quod vero scribit *vniuersum corpus exquisite sequi temperiem eandem cordis, & hepatis*, verum quidem est: sed etiam testes non minimam habent in hac re vim: quandoquidem *illis præsentibus corpus calidius, & siccius euadit: Illis vero excisis, degenerant mares à sua natura, & temperiem atque mollitiem mulierum induunt,* vt *superius* docuimus, viuentium temperiem vel momento mutari ob illorum viscerum alterationes. Vnde pinguiora redduntur castrata animalia, & pilos alere nequeunt.

Quid præstare possit in corpore cordis temperies & hepatis in mutua repugnãtia.

Hepar tur plus possit ad mutandam totius corporis temperiem, quam cor.

Affectus calidi, vnde potissimum habeant originem.

Testium quãta vis in mutãda temperie totius corporis.

Addere quoque hic debebat signa, quæ sumuntur à passionibus hepatis. Oportet enim hos cupiditatibus maxime obnoxios esse, cum calor siccitati coniunctus, maximæ sit efficaciæ. Dant etiam sua indicia causæ iuuantes, & lædentes: nam à similibus læduntur, à contrariis vero iuuantur. Eandem etiam temperiem produnt morbi calidi, & sicci, qui frequentes in hoc statu gignuntur.

Ca. XLIII. De signis hepatis calidi et humidi.

τὸ δὲ ὑγρότερον ἅμα καὶ θερμότερον ἧπαρ, ἧττον μὲν τοῦ θερμοτέρου καὶ ξηροτέρου τὰ καθ' ὑποχόνδριον ἐργάζεται λάσια· πλεῖστον δ' αἷμα καὶ φλέβ[illegible] μεγάλας, καὶ τὴν ἕξιν ὑγροτέραν, καὶ θερμο[illegible], εἰ μὴ τὸ κατὰ τὴν καρδίαν ἀντιπράττει. εἰ δὲ ἐπὶ πλέον ἀμφοτέραις ταῖς ποιότησιν ἐκτραπείη τοῦ κατὰ φύσιν, ἑτοίμως ἁλίσκεται τοῖς σηπεδονώδεσι καὶ κακοχύμοις νοσήμασιν, ἔτι μᾶλλον εἰ ἐπὶ πλεῖστον μὲν αὐξηθείη τὸ ὑγρὸν, ἐπ' ὀλίγον δὲ τὸ θερμόν. εἰ δ' ἔμπαλιν ἐπ' ὀλίγον μὲν αὐξηθείη τὸ ὑγρὸν, ἐπὶ πλεῖστον δὲ τὸ θερμὸν, ἥκιστα κακόχυμοι γίγνονται.

Humidius autem, ac simul calidius hepar, minus quidem, quam calidius & siccius hypochondria reddit hispida. Plurimum vero sanguinis & venas amplas, habitumq́; calidiorem, atque humidiorem facit, nisi obstiterit cor. Si vero amplius in ambabus qualitatibus à natura modo recedat, à morbis, qui ex putredine, ac vitiosis humoribus fiunt, facillime capitur. Adhuc autem magis, si plurimum augeatur humiditas, caliditas vero non ita. Si autem contra, parum quidem humiditas crescat plurimum vero caliditas, minime vitiosis humoribus laborãt.

Quæ *de pilis* hic scribit, frustra in omnibus intẽperaturis repetuntur: aut certe nos nõ cogimur pilorum semper reddere rationem, quoniam ex contrariis contraria patent. Merito autem in hac temperie sanguis plurimus gignitur, quoniam hic calidus, & humidus, qui à simili temperie abundat. Quæ vero scribit *de venarum magnitudine*, iam sæpe inter nugas reposuimus. Quæ vero *de temperatura habitus corporis* adfert, verissima antea quoque ostendimus. Rectè quoque scribit, *huiusmodi temperiem obnoxiã esse putredini humorum, & morbis, qui ex illis nascuntur:* quoniam difficile retineri potest in hac complicatione dominium caloris supra humoré: sed sæpe ex nostris errorib. accidit, humoré dominari, ex quo (vt postea ostendemus) incipit putredo. Non autem ea fit, (vt Akachias scribit *in suis comment.*) quod natiuus calor in humido dissipetur, & alienus immittatur, & hoc fit, vt inquit, putrescere. Nam vnus & idem est calor, solum differens per magis, & minus, nec vnus rem deserit, vt alteri cedat: nec putredo est immissio caloris, sed *corruptio rei:* atque ea quidem fit, vt scribit Aristoteles *in quarto meteo. quando passiuæ qualitates dominantur actiuis* hic autem nullum ostendit dominium humoris supra calorem: Quare nescit etiam, quid sit putredo, & quomodo fiat, sed, vt diximus, hæc postea diligentius forte quam alii omnes fecerint, tractabo. Sunt etiam huiusmodi corpora dedita maxime gulæ, & edacia, voluptatibusque omnibus obnoxia. Nam ex humore suppeditatur materia, quæ sufficit ad volupta-

Akachiæ error.

Putredo quid, & quo modo fiat.

voluptates, & ex calore vis agendi incitatur. Læduntur pariter à calidis & humidis; frigidis & siccis iuuantur.

CAP. XLIII. DE SIGNIS HEPATIS HVMIDI ET FRIGIDI.

Τὸ δ' αὖ ὑγρότερον καὶ ψυχρότερον ἧπαρ, ἄτριχον μὲν ἔχει τὸ ὑποχόνδριον· αἷμα δ' ἐργάζεται φλεγματικώτερον, ἅμα φλεβῶν στενότητι καὶ τὸ σύμπαν σῶμα παραπλησίως ἔχον, εἰ μὴ πρὸς τῆς καρδίας εἰς τἀναντία μετάγοιτο.

Humidius autem & frigidius hepar habet hypochondria glabra; sanguinem vero ad pituitæ naturam accedentem generat, cum venarum angustia. Sic & reliquum afficit corpus, nisi à corde ad contrariam naturam transferatur. B

Vt patent ex superioribus quæ scribit de hypochondriis glabris, & agnoscuntur esse nugæ, quę semper repetit de venarum angustia: ita quod scribit *de sanguine pituitoso*, confirmat meam opinionem, quod pituita vera gignatur in hepate. Nam si sanguinem pituitosum gignit, pituitã quoque gignit. Est huiusmodi tēperies cupiditatibus minimum subiecta, & facilè offenditur à frigidis, & humidis: nec siticulosos, aut voraces reddit homines: quando quidem ipsum hepar ita affectum non potest multum concoquere, nec humorem à ventriculo sugere, ex cuius defectu fames, & sitis nascuntur. C

Pituitam vere gigni in hepate.

CAP. XLIV. DE SIGNIS HEPATIS FRIGIDI ET SICCI.

Τὸ δὲ ψυχρότερον καὶ ξηρότερον ἧπαρ, ὀλιγαιμόν τε καὶ στενόφλεβον ἐργάζεται τὸ σῶμα καὶ ψυχρότερον· ὑποχόνδριόν τε ψιλόν, εἰ μὴ κἀνταῦθα νικήσειεν ἡ καρδία.

Frigidius autem & siccius hepar cum pauco sanguine, & venarum angustia, efficit corpus atque frigidius, & hypochondria glabra, nisi & hic cor dominetur.

Quę *de pauco sanguine* hic scribit, videntur rationi consona: & forte etiam addendum est, sanguinem illum pituitosiorem esse. Nam huiusmodi temperies similis est ei, quæ in senibus conspicitur. Quid vero *de venarum angustia* sentiendum ob hepatis temperies, sæpius iam ostendimus. *Frigidius corpus* necessario sequitur, ob sanguinis frigiditatem, nec cor multum in ea re potest. vt ostendit species ea hydropis, in qua multa pituita aceruatur ob hepatis frigiditatem, & frustratam in eo sanguificationem, quam cordis nulla intemperies emendare potest. Porro si pili sequuntur caliditatem & siccitatem, frigida, & sicca temperies non erit glabra, sed frigida, & humida. Omittit etiam hic signa, quæ sumuntur à iuuantibus, & lædentibus causis, & ab aliis iam sæpius repetitus. D E

DE TEMPERATVRIS TESTIVM.

Ex quatuor partibus nostri corporis, quas Gal. posuit principia in eo esse, superest, vt de A testium temperatura agamus. Quę res cum attingat seminis generationem, maris & fœminæ procreationẽ, promptitudinem, vel segnitiẽ ad venerẽ, & eiusdem noxium, innoxiumque vsum, hæc enim omnia pro diuersitate temperaturarum testium ille fieri scribit) cogimur profectò altius rem exordiri, ne ex incertis principiis disputatio instituatur.

Supponit enim hic Galenus, testes esse, qui semen gignunt, quod Arist. negat esse verũ. Quod si testes ipsi semen conficiunt, nõ tamen propterea constat, ex qua materia illud efficiant, nec patet adhuc, quid ipsum sit semen, & ex quibus partibus decidatur, & vbi gignatur, quamque habeat illud vim ad generationem: Item qua ratione nunc mares, nunc fœminæ, & illi similes & dissimiles patri procreentur & mari. B

At inter hæc quidem ab eo aptissime exordiemur, an. s. à natura testes facti sint vt semen gignant. Negat id (vt diximus) Arist. *in lib. de partibus, & gen. animal.* vbi, cum statuisset, cor principium esse, à quo omnia nascuntur, & ad quod aliæ omnes partes referuntur, nititur probare, testes non esse ad generationem necessarios, & ea quidem ratione, quod non adsint, omnib. animalibus, quæ generant, vt serpentibus, & piscib. sed ideo factos esse, vt reuolutionum & anfractuum in seminalibus meatibus sint causæ, ne prompta ad crebram venerem sint animalia, quæ castiora esse oportet: pendere autem illos, ne meatus retrahantur. Quo fit, vt illis exectis, nequeat animal generare: quoniam scilicet meatus, retrahuntur, huncq; esse vsum illorum, ex eo doceri, quod iuuentus sit taurus, qui statim à castratione nondum retractis seminalibus vasis coiuerit, ac generarit. Alium tradit eorum vsum: quod veluti pondera, quæ telis adnectuntur ad tensionem, cor tendant: hoc enim roboris principium: sine tensione autem robur esse non posse: & propterea castrata animalia infirma debiliaq; reddi, quia desit tensio cordi, quam testes antea præstabant. Verum, Aristot. argumenta facile refelli possunt. Primum enim illud non sequitur, testes non esse necessarios ad generationem, eo quod eos non habeant omnia, quæ generant. Nam ita respondere possumus. *Omnia, quæ generant, vel testes, habere, vel aliquid, quod proportione testibus respondet*: quod Aristot. sufficere videtur, cum in singulis animalibus satis esse putet, si aliquid huiusmodi reperiatur. Deinde etiam si concedamus, nec testes, nec aliquid, quod illorum vicem gerat, in multis reperiri: tamen & hoc etiam non sequitur, nõ esse illos necessarios ad generationem, quibus dati sunt. Hac enim ratione diceremus, pulmones nõ esse necessarios ad vitam homini, eo quod pisces sine illis viuant. Non enim eo, quod aliqua pars in vniuerso genere animalium non reperitur, ideo quibus illa adest, non est necessaria. Ostendere debebat Aristoteles, testes non esse necessarios ad generationem in homine, equo, & aliis animalibus, quibus eos natura largita est. Et quomodo, quæso, id posset facere: quippe cum testes reperiantur in dissectionibus sæpe vel semine pleni, & tumidi, aut certe nunquam prorsus sine semine. In meatibus autem, qui præcedunt testes, aut sanguis solus, aut nondum confectum semen inueniatur: in aliis autem, qui à testibus enascuntur, quæ ab Anatomicis *deferentia vasa* nomi-

Disputatio an testes facti sint vt semen gignant. Aristot. opinio.

Confutatur Aristot. opinio.

nominantur, iam elaboratum semen cōtineatur: A tanquam testes sint à natura facti ad semen ipsum formandum, perficiendumq; : quod & ipse Arist. nescit, quomodo *in primo de gen. animal. c. 12.* testatur, testes, inquam, semen genitale perficere. Illud vero ridiculum esse puto, quod scribit, inuētum esse taurum, qui statim à castratione coiuerit, & generauerit: quasi dolor, qui affligit ob testes recenter auulsos, non adimat coeundi desideriū. Quod si id concedimus: ob aliam tamen rationē, quam quod nondum sint retracti meatus, factum credemus. Nam dicimus à testibus iam elaborati seminis tantum esse transmissum in vasa deferentia, vt ex eo gignere posset animal: sed hoc non ostendit, testes non esse necessarios ad generationē illis, quibus à natura adsunt: quandoquidem repleri non poterant meatus semine genitali, nisi te- B stes illud prius elaborassent. Quod si natura dedit testes castitatis cā, videbitur vtique, in multis animalib. huius rei rationē frustra habuisse. Cur enim volucres & terrestria plurima animalia castiora esse oportet, quam serpentes, & pisces: præsertim quod passeres, & multa alia animalia testib. prædita, multo salaciora conspiciantur esse illis, quæ testib. sunt priuata? Ac si testes facti sunt ad tensionem seminalium meatuum nequaquā vero ad necessitatem generationis, nisi quatenus eos meatus tendunt: fiet, vtique, vt, si quod meatibus appēdatur pondus æquale testibus, gignere possit animal, non minus cui testes sunt exempti, quam cui adhuc adsunt: At vero nec illud docere potest, quo pacto testes motum excrementi genitalis C stabiliorem (vt ille ait) faciant, & castitati hac ratione conferant. Nam si quemadmodum ea animalia, quæ intestina habent recta, voraciora, sic propensiora ad venerem sunt, *quib. meatus seminales recti sunt d. ti.* Testes potius frequentē venerem excitabunt, vtpote quos dicat in plurimis animalibus ad tensionem meatuum comparatos. Cæterū testes esse factos ad cordis tensionē, & corporis, animique robur, eadem refellit ratio: quod si appenso aliquo pondere æquali testibus, idem robur in castratis, & integris animalib. resideret. Sed dicat, quæso, Arist. an arteriarum, venarum, & neruorum, (si velit) plurimæ reuolutiones, quæ fiunt in spatio intercedente inter cor & testes, non impediant eam fieri tensionem, quā ipse finxit? Oporteret enim grauissimum esse D pondus, quod tensionem facere aptum esset in partibus tam laxis, si ex illarum pondere tandem cor etiam ipsum tendi necesse sit. Essent præterea animosiores semper, quibus testes sunt maiores: sequitur enim maior tensio ex pondere & magnitudine tendentium partium. At nihil huiusmodi docet experientia. Sed cur non seruatur generandi vis & robur illis, quibus testes duntaxat sunt contusi & collisi? Castrantur etiam, & inepta redduntur ad veneris vsus multa animalia, vt boues & arietes eo modo, & non detractis testibus. In qua re cum seruetur tensio meatuum, cordis- E que & tamen pereat robur, generandique facultas, necesse est profecto, alium esse ipsorum vsum. Adde quod hæc tensio nequit in omnibus reperiri, veluti in iis, quibus testes intus conclusi sunt, & alicui parti annexi, vt in porcis fit. Quomodo enim in illis fiet tensio, cum tamen in omnibus amittatur robur ablatis testibus? Non est quidem hæc ratio infinitatis in castratis animali-

Animalia salaciora qua.

Testes contusos amittere vim generandi.

bus, quod remittatur tensio cordis: Sed quia vis calorifica, & propriæ naturæ causa quædam, vt ille etiam testatur, in vniuersum corpus immittatur, quæ detractis testibus euanescit, degenerantque mares & fœminæ ob id à sua naturali conditione. Atque hæc sequuntur incommoda eam opinionem de vno principio in corpore: quam etiam refellunt vsus, quos hepati, lieni & multis aliis partibus adscribit. Igitur testes semen conficiunt, & ad generationem sunt necessarii.

Cur castrata animalia amittant naturam suam.

An vasa spermatica vim habeant generandi.

Testes semen conficere & ad generationem esse necessarios.

An vero solis testibus concessa sit hæc vis, nunc videndum. Putant enim aliqui, etiam in vasis dictis spermaticis semen gigni, & communem hanc esse illis cum testibus facultatem, vt venis, & hepati, communem volunt esse sanguificationem. Alii vero volunt, illud gigni in omnibus partibus corporis, & ab illis decidi in coitu. Alii autem non in toto quidem corpore, nec in singulis partibus, sed in illis solum, quæ solidæ & spermaticæ à Medicis dicuntur, illud generare contendunt. Nec desunt harum opinionum authoribus probabiles rationes: etsi Aristoteli aliquæ non placent, de cuius etiam sententia postea agemus. Igitur, qui putant, semen gigni in vasis seminalibus, aberrant: Nam argumento, quo vtuntur ex sanguificatione communi hepati & venis refelluntur. Soli enim hepati sanguificandi vis est concessa: non autem venis aliquibus vt superius ostendimus. Eodem pacto soli testes semen conficiunt: vasa vero seminalia alterant quidem materiam, ex qua postea fit semen: tamen ea alteratio formam seminis non inducit: nec semen vocari debet, quod in testibus nondum est receptum, & in illis postea concoctum & elaboratum. Alias vero propositas opiones, nec probare, nec improbare possumus: nisi prius intellexerimus, quid ipsum sit semen, & ex qua materia fiat & quomodo. Quare de his nunc agendum.

Testes solos semen conficere.

Porro Aristot. *in libro primo de generat. animalium*, quærens, quid sit semen, diuidit omnia, quæ sunt in corpore, in partes corporis, alimentum, colliquamentum & excrementum alimenti: docetque semen non esse partem corporis secundum naturam: quoniam ex eo, quamuis similari, nihil construitur, vt ex neruo aut carne: & quia ipsum separatum non est, vt partes omnes sunt separatæ. Nec illud quidem esse partem præter naturam, cum in omnibus insit, & natura ex ipso oriatur. Cæterum alimentum non esse: quoniam alimentum res est aduentitia. Et multo minus colliquamentum esse, quoniam semen secundum naturam est: colliquamentum vero præter naturam, quod ex toto secedit propter motum caloris. Itaque *semen esse excrementum, verum non inutile*: hoc enim naturæ nihil conferre, sed plus obesse, quo plus assumitur, & idem in his, qui male habent, plurimum esse: semen vero minimum. Quare esse *vtilis excrementi partem aliquam*, sed non esse prius excrementum vtile, vt pituita: quæ cum cibo mixta, potest alere, laboreque absumitur: sed *posterius esse, & multum excrementum.* Illud enim esse, ex quo vnumquodque gignitur membrum. Concludit ergo *semen excrementum alimenti sanguinei, quod vltimum in membra digeritur.* Verum Aristot. opinionem diligenter expendere oportet. Primum enim dum vult quærere, quid sit semen ex enumeratione eorum, quæ sunt in nostro corpore, omittit multa

Quid sit semen, ex qua materia & quomodo fiat.

Aristotelis opinio.

Arist. opinio expenditur.

multa, vt humores, spiritus, spirituosamq; substantiam, quæ vel semen est, vel proxima seminis materia. Præterea omittit pinguedinē nec facile quidem est docere, quomodo hæc à semine differat: nimirū cum videamus in illis deficere alterutrum, cum aliud abundat. Præterea cū menstrua etiā sint excrementa, vt semen, (quemadmodū ille scribit) non satis docet, quomodo illa inter se differant: cum dicit, *menstrua semen esse non purum, sed indigens confectionis.* Non enim sanguis menstruus fieri potest semen: quippe cum natura soleat per menstrua euacuare non solum sanguinem, qui copia grauat, sed etiam quod qualitate & substantia est noxium & malignum: Semen vero ex eo, quod est in sanguine aereum, oleosum, pingue, & perfectum, gignatur. Quo fit, vt semine excreto, etsi pauca est materia, corpus debilitet: quia ipsa materia est purissima & maxime cognata nobis: sanguis vero menstruus excretus, etsi plurimus est, naturam tamen alleuiat, tanquam inutile excrementum. Adde quod rectius vocasset semen esse *excrementum quantitate, quam vtilissimum & vtile.* Nam fere repugnat, aliquid esse excrementū & vtile. Nam *ideo excrementum dicitur, quod excernendum sit, quia inutile.* Quæ enim sunt vtilia, ea natura retinet: quæ vero naturaliter expelluntur, ideo expelluntur, quia molesta sunt, & propterea inutilia. At *quantitate* quædam agnoscuntur esse excrementa, quales sunt optimi humores, qui adeo sunt aucti, vt vasa sua distendant, & naturam grauent: quibus natura remedium inuenit per euacuationem, vt in pueris, & adolescentibus accidunt sanguinis profluuia ex naribus, eo, quod in illis plus humoris gignatur, quam exigat corporis [illegible]. Hoc sane modo semen excrementum esse agnoscitur: quippe cum in pueris, dum in alimentum humores consumuntur, & in senibus, vbi illi deficiunt, semen non gignitur. Nec illud quidem omittere possum, quod scribit Aristoteles, *semen esse sanguinis & alimenti excrementum.* Nam corporis & concoctionis, quæ in corpore fit, non omnino dicuntur esse excrementa, quomodo stercus vrina, & bilis vtrāque dicuntur esse excrementa, eo quod post concoctionem relinquantur inutilia. Semen vero ex sanguine ipso fit. *Non ergo excrementum est.* Nam partes similares non dicuntur esse excrementa humorum, ex quibus fiunt: nec sanguis ipse dicitur esse excrementum chyli, ex quo conficitur. Ex quibus patere, puto, genus, quod assumendum est in definitione seminis. *Est enim semen excrementum, non qualitate, sed quantitate eius partis, cuius est excrementum.*

Seminis materia ex purissima parte sanguinis. Excrementi ratio in quo sit posita.

Semen quomodo sit excrementum.

Semen quid, & an fiat in singulis partibus antiqua opinio.

Verum in eo dubium maximum est, vbi nam fiat, & ex qua materia. Nam, vt diximus, quidam, nulla facta mentione testium, (in quo euidenter errant) contendunt semen fieri in singulis partibus, & ab illis in coitu secerni. Et antiqua fuit hæc opinio, quatuor potissimum, vt inquit Aristoteles, argumentis innixa. Quorum primum sumunt ex similitudine natorum, & parentum; *similes enim gignuntur filii parentibus toto corpore, & singulis partibus: quod aiunt* huius opinionis
1 authores *fieri non posse, nisi ex toto, & singulis partibus parentum aliquid venerit: id autem nihil aliud esse*
2 *posse, quam semen.* Secundum argumentum sumunt, *quod ex mutilatis procreentur mutilata.* Semē enim ab ea, quæ deest, parte proficisci negant:

Argumenta, quod semen fiat in singulis partibus.

A accidere autem vt id non procreetur, vnde semen non decesserit. Tertium ducunt argumentum à 3
vehementia voluptatis, quæ in seminis excretione fit: quæ cum vniuersum corpus afficiat, ab vniuerso corpore id proficisci ostendit. Vltimo rationi esse con- 4
sonum, vt *quemadmodum totius aliquid est, ex quo primum generetur, sic partis quoque cuiusque sit semē aliquod proprium.* Verum his argumentis respondet Aristoteles. Et primum ait, similitudinem
nullum adferre indicium: quandoquidem voce, 1
vnguibus, pilis, & motu similes procreantur, ex quibus nihil prouenit. Nonnulla etiam ex illis nondum habent, cum generarit, vt canos aut barbam. Maioribus item suis plerumque sunt similes, ex quibus nihil secessit: vt accidit in Helide,
B quæ cum Aethiope concubuerat, non filium forma Aethiopis peperit, sed natus ex filia erat Aethiops. Præterea, inquit, oporteret in plantis ab omnibus partibus semen proficisci. Cum tamen illę, plerasque partes non habeant, aut quisq; abscindere potest. Quinetiam ex fructibus nihil secedere, & tamen eos eadem forma prouenire. Ad hæc similitudinem maxime esse cum parentibus in partibus organicis, non tamen ex illis: sed ex similaribus quæ alterandi vim habeant, & conficiendi semen ipsum, proficisci. Alias addit confu-
tationes huius argumenti eo loco, sed præcipue hę 2
sunt. Ad argumentum ex mutilatis desumptū respondet: nō mutilatis ex mutilatos etiam gigni, ac
C filii quoq; dissimiles suis parētib. procreātur. Ce- 3
terum voluptatem, quæ fit in coitu, non propter recessum seminis à toto contingere, sed *quia prurigo vehemens accidit.* Quamobrem accidere, vt minus voluptate afficiantur, qui frequenti venere vtuntur. Item *voluptatem hanc in fine coitus potissimum esse.* At si ex toto secerneretur, non simul,
sed singulis partibus, aliis prius, aliis post exultaret. 4
Ad id verò, quod illi dicunt, rationi esse consonum, vt partis cuiusque sit semen aliquod proprium, vt totius aliquid est, ex quo primum gignitur, respondere videtur, *ex semine nihil fieri vt ex materia, sed vt ab agente, in eo autem esse, quod vim*
D *habet totum & partes formandi, non tamen propterea esse necessarium, vt vis, quæ singulas partes format, in semine sit, quod à singulis partibus sit, decisum.* Sunt quidem Aristotel. confutationes probabiles, sed quæ contra illum adferri possunt, non minus vero sunt proxima. Nam à voce, motu, & colore, aliisq; accidentibus corporis, quibus filii parentibus sunt similes semen proficisci non debet, quoniam hæc sequuntur partiū constitutionem, tanquam vmbra corpus, propterea à partibus ipsius recte sentiunt illi, semen secerni, & similitudinem fieri in partibus natorum, ad quas sponte sequitur accidentium similitudo, scilicet pilorum, excrementorum, & si quid aliud est simile. Quod vero filii non parētibus, sed cogna-
E tis & maioribus nonnunquam sint similes, dicere possent huius opinionis authores, hanc similitudinem non ex semine fieri, sed ex imaginatione, vt mulieri accidit, quæ filiū peperit nigrum, eo, quod picturam Aethiopis intueretur, dum coiret. Id quod etiam docent maculæ, quas prægnātes mulieres filiis imprimunt ex rerum, quas appetunt, similitudine. Adferre possent & in plantis rudiorem esse generandi rationem, quam in animalibus, quæ ex semine procreantur. Hæc enim ex solo semine in vtero recepto generari posse, plan-

Argumentorum refutatio.

Venere frequenti vtentes cur minore voluptate afficiantur.

Filii cur sæpe non parentibus sed maioribus & cognatis sint similes.

plantas vero non solum ex semine, sed etiam ex A plantatione, insitione & aliis modis passim prouenire. Cæterum concedunt illi, eos, qui mutilati sunt post natiuitatem, integros filios gignere: eos vero, qui vitiati sunt in generatione, tales semper liberos generare, quales ipsi sunt. *Quod si aliquando aliter contingit, id fieri, quia alterius parentis sani & integri semen, vitium alterius emendauit.* Illud vero negare non potest Aristot. voluptatem, quæ fit in coitu, *magna sui parte contingere ob excretionem, quæ fit à toto corpore.* Id enim docent *totius corporis macies, decoloratio, debilitas, oculorum cauitas, & alia multa accidentia*, quæ eos sequuntur, qui immoderata vtuntur venere. Sed vt hæc indicant, vniuersum corpus cõmoueri, & aliquid B ab illo secedere: ita propterea nollem affirmare, semen esse id, quod à toto proficiscitur. Sed de hac re postea. Qui vero putant, semen non à toto secerni, sed solum à partibus solidis, & albis, iis vtuntur argumentis, quod illæ partes à semine sint factæ, & propterea ex semine nutriantur. Igitur in illis fieri illud. Verum illi aberrant: nam *nulla pars ex semine fit, sed omnes pariter ex sanguine*, ex quo etiam nutriuntur. Præterea, si semen gignitur in illis partibus cur eunuchi non possent generare? Addo quod similitudo filiorum non solum est in partibus illis, sed in figura, & forma totius corporis, in qua constituenda omnes partes, & nõ solum spermaticæ ab illis dictæ assumuntur. Iam vero Arist. opinionem aggredior, quæ mihi tanto C erit difficilior ad confutandum, quanto difficilius est ab ipso authore conscripta. Cum enim statuisset, semen esse excrementum alimenti sanguinei, infert, ideo filios similes esse parentibus, quia simile est, quod ad partes accessit. Itaque semen manus aut faciei esse manum indefinitam, aut faciem, & potentia semen tale esse, quale quodque illorum est actu. At suam opinionem ait differre ab alia, quod illa dicat, semen à toto secedere: sua vero ad totum facere, vltimumque accedere, & reliquas esse similes ei, quod est consumptum. Contra quam opinionem multa dici possunt. Nam præter ea, quæ diximus antea de seminis natura, si illud excrementum est, vt ipse definit *in fine* D *quarti capitis secundi libri de generatione animalium*, quod inconcoctum remanet, & terrenum simul est in corporibus, quomodo semen excrementum vocari potest? Est enim illud spumosum, pingue, & propterea aereum & aqueum, (vt ille etiam *alibi* tradit). Et siue, (vt ille vult) vltimum in membra digeretur, siue (vt Anatome docet) in testibus, & vasis spermaticis angustis, & per multas reuolutiones implicatis continetur, necesse est, non esse in eo cruditatem aliquam, sed perfectam concoctionem: & merito quidem, si in illo forma iam residet, quæ quidem perfectissima res est, & non nisi in perfecto, elaboratoque subiecto apta est esse: in excremento vero aliquo maxime E crudiore, minime. Præterea similitudo filiorum ad parentes, non potest sumi eo modo, quo ille scribit: Nam si demus, semen accedere ad partes, tanquam excrementum vltimi alimenti; non propterea ex eo accessu similitudo oriri potest. Cur enim hoc primum non contingit sanguini, quod maxime accedit, & transit in naturam singularum partium, quas nutrit? Nam excrementa, vt quæ ex dissimili materia fiant, ex contractu & accessu, quem habere possunt cum partibus, nunquam penitus similia his fieri possunt, vt apparet in generatione sanguinis: id enim, quod in eo est, ex quo bilis vtraq; fit, dissimile est, & inutile, ideo postea excernitur. *Est ergo excrementi natura hæc, quod sit dissimile.* Quare non potest proles similis fieri parentibus, si semen est excrementum. Addo, quod si ex accessu nutrimenti ad partes, nutrimentum ipsum, vel excrementum quod ex eo fit, formam partium recipiunt, cur chylus, qui concoquitur & assimilatur à ventriculo, vel excremẽta, quæ relinquuntur ex illius concoctione, formam ventriculi non recipiunt, & ventriculum alium generare possunt? Deinde cum similitudo filiorum ad suos parentes, sit in omnibus similaribus partibus, semen autem ipsum sit album, non posset esse similitudo, nisi in partibus exanguibus, quas Medici spermaticas vocant. Carnosæ enim, quæ rubent, non possunt excrementum seminale gignere. Adhæc cogitur Aristoteles fateri, semen ab omnibus membris rescindi post suum ad illa accessum. Nam in primis id docet, quod per coitum membra omnibus exteriora appareant fieri graciliora, & pallidiora: quod sine euacuatione fieri non potest. Et quomodo, quæso, semen manus, (vt ille ait) potest esse potentia manus, si semen semper accidit partibus, & à manu non recedit, vt in eo, qui gignitur, similem manũ procreet? Ne hoc quidem prætermittendum est, quod si semen est alimenti vltimi excrementum, necesse est, illud esse omnium partium excrementum, & ita ab *omnibus* partibus secedet, vt alii volunt: differet ergo Aristotelis opinio ab aliorum opinione, quod illi solum recedere à *singulis* partibus semen putent: Aristoteles vero *primum accedere ad illas*, *deinde recedere ab eis* statuat. At si semen fit per alterationem & concoctionem sanguinis, vel est illius excrementum, non poterit habere similitudinem cum partibus organicis: quippe cum concoctiones, & excrementa fiant per alterationem & concoctionem, quæ actiones prouemiunt à temperie partium similarium, non à structura partium organicarum. Accedit quod Aristoteles non possit docere, vbi semen hoc fiat. Nam si in testibus non fit, (vt ille vult) & accedit in omnes partes, in illis quoq; fiet: & cum excernetur, ab illis recedet, quod negat fieri posse: habet ille *in fine cap. 5. lib. 2. de generatione*, purgationes seminales à septo venire: principium enim naturæ illic esse: & propterea motus à genitali ad pectus deuenire: quæ verba ostendunt, eum autorem dissectionis nostrorum corporum plane ignarum fuisse. Quis enim vnquam vidit in Anatomis, vel in septo contineri semen, aut ab illo meatus aliquos ferri ad pudenda, per quos semen ferri possit? cũ nihil euidentius, quã ipsum semen in ipsis testibus procreari, in illis contineri, & ab illis per coitum emitti. At si semen est potentia manus indefinita, aut alia pars, quomodo habebit rationem artificis, & formam dare singulis partibus poterit? actu enim sit oportet, quod aliquid facere, & hæc præstare potest. Postremo quomodo filii possunt esse similes matri, si fœmina semen nullum procreat, vel emittit? sed solum materiam præbet? Nam opificis est, & non materiæ, formam, quam habet, præbere aliis. Hæc contra Aristot. sufficiant.

Ego vero, quid sentiam in re tam dubia, nunc subiicio. Et dico, semen gigni in testibus; qui vt instru-

Vitiatos in generatione semper generare vitiatos.

Voluptas in coitu vnde.

Accidentia immodicæ veneris.

An semen à partib. solidis decidatur.

Partes omnes fieri ex sanguine.

Arist. opinio de loco vbi fiat semen & à quibus locis decidatur.

Semen non esse vltima concoctionis excrementũ.

Excrementi natura quæ.

Autoris sententia.

Semen gigni in testibus. Semen ex sanguine fit, vt probat, & non esse excrementum sanguinis.

instrumenta generationis facta sint, & comparata à natura, ita insitã vim habent, vt præstare possint, quicquid ad seminis generationem pertinet. Nam *semen ex sanguine fit: non autem ex excremento sanguinis*, vt ostendunt vasa spermatica à vena & arteria magna orta, & in testes implantata. Illa enim non excremento aliquo, sed sanguine puro plena apparent in dissectionibus, & qui continetur sanguis, tanto magis albescit, & ad rudem seminis naturam accedit, quanto propinquior est testibus: in quibus semen iam perfectum residet copiosum in illis, qui rara vtuntur venere. Porro talem sanguinem pinguem, oleosum & puriorem testes ipsi primo trahunt à vena, & arteria magna, & consequenter ab omnibus alijs venulis, & à singulis etiam partibus, per quas est sparsus totis modo, & nondum planè assimilatus, & factus nutrimentum partibus. Nam vt vesica, quę recipit vrinam, aquosum humorem elicit, à singulis partibus, tanquam sibi familiarem: sic testes, quod est in massa sanguinea pingue, & oleosum, vndequaq; trahunt, & cum exit semen in illis elaboratum, naturali appetitu simul cupiunt repleri: atque ita commouent à toto corpore eam materiam & ea deciditur à singulis membris, ad testesq; descendit. Vnde videmus post coitum, & seminis emissionem corpus reddi flaccidius, & rugosum, quod vacuationis factæ à singulis partibus est indicium. Et *quia materia illa est multo spiritu plena, & purissima substantia, pariter fit, vt post coitum animalia reddantur debiliora, & mœsta.* Maxima autem ea voluptas oritur *ex confricatione quidem pudendi, verum non per se: sed quatenus ex ea testes, & vniuersum corpus commouentur, ab illisque materia, ex qua fit semen, & ipsum semen à testibus agitatur, & tandem exit. In excretione autem voluptas contingit, si naturales illæ fuerint, vt patet in excretione alui, vesicæ & vteri, & tãto maior voluptas fit, quãto angustiores sunt viæ, per quas fit, & excretio, quãto validior fit expulsio, & à pluribus partibus, tanto plus intenditur voluptas.* Sic enim Plato & Galenus, docent, voluptatem, & dolorem fieri, quando mutationes confertim fiunt. Cæterum, testes ipsi semen efficiunt, ob talem vim, quam habent à natura, vt solus fructus, veluti poma pira, suum semen in se efficiunt, in quo forma est singularum partium, & totius: eaque forma in semine est *actu*: vt in semine hominis anima hominis est *actu*: alioqui quomodo semen agentis, opificis, & artificis rationem habere potest? si in eo forma est solum potentia: id enim nullam agendi vim habere potest. *Est ergo semen hominis iam homo, quia formam hominis habet: desunt solum membra expressa, & delineata, ac figurata*, & in eo dicit Aristot. semen esse potentia manum, caput, & alias partes. Sicut ergo non quærimus in plantis, an semen, quod in fructu gignitur & continetur, decidatur ab omnibus partibus ipsius plantis: cum certissimum sit ipsum in solo fructu gigni: & tamen ex eo semine fiunt & nascuntur plantæ eiusdem naturæ & similitudinis, qualis erat planta, quæ semen illud procreauit: sic non est quærendum, quomodo filii similes parentibus euadere possint, si semen à singulis partibus non deciditur. Nam testes eam vim habent in corpore nostro, qualem poma, & pira gignendi, inquam, in se semen, quod formam totius habet: & in hoc solo differentia est, quod in animalibus proxima materia seminis à toto corpore veniat, vt ipsa animalia allicerentur ad coitum, & generationem ob eam, quæ fit illius materiæ commotionem, & excretionem à toto. Non ergo mirum est, cur toto corpore, & singulis partibus nati similes sint patri. Nam cum pater in se partem habeat, nempe testes, aut quod testibus proportione respondet, quæ nata & apta est generare semen simile toti & singulis partibus: & ipsum postea semen generatum, formã & vim habeat eius, à quo genitum est, cum materiam est nactum idoneam, ideo eam, quam habet in se formam, indit materiæ, & aliud sibi simile efficit, eo planè modo, quo fit in plantis. Nam fructus (vt diximus) in se gignit semen, in quo est forma totius plantæ: semen vero ipsum postea terra idonea obrutum, ex proprio humore, materiaque, quam in ipsa terra habet, aliam gignit plantam sibi similem. Ergo homo cum semen gignit in testibus, hominem gignit, quia in semine hominis forma continetur; deest solum materia, & organa expressa. Cum vero mas semen in vterũ fœminæ eiaculatur, & illic sanguinem optimum in qualitate ad membra procreanda inuenit, perfectum iam hominem procreat. Hæc opinio, & generãdi hic modus omnia absurda euitat in quæ alii omnes inciderunt, qui aliter senserunt: & ea, quæ in hac re sequuntur explicanda, ex his principiis facile trahi possunt. Nam cur claudi, & mutilati aliquando sibi similes, aliquãdo vero dissimiles generent, primum distinctione opus est de parentibus, qui natura vel casu male sunt affecti. *Qui enim natura sunt claudi, tales solent procreare, quoniam testes habent, in quibus vis residet, quæ naturam singularum partium refert. Qui ergo ab ortu ita sunt vitiati, vt plurimum & diu similes natos gignent, nisi muliebre semen certo suo modo præualeat, & malum emendet, aut masculi semen corrigat vitia insita in semine fœminino. In claudis vero & mutilatis casu, aliter contingit*: non enim claudus claudum generat: quippe cum testes facti sint in prima cõformatione cum integris aliis omnibus partibus; quarum vim & formam integram & perfectam illi referunt. Nec eam quidem amittere possunt ob mutilationem membrorum: sicut cor, & hepar, & cerebrũ insitas sibi à natura facultates perpetuo retinent. Qui vero semen secedere ab omnibus partibus, vel ad omnes partes accedere, tãquam vltimum & vtile alimenti excrementum, dicunt, reddere non possunt rationem, cur mutilati casu non etiam gignant sibi similes, vt alii, qui à natura sunt corrupti. Nam nõ minus in his, quã in aliis accedit ad omnes, aut recedit ab omnibus partib. semen. Patere igitur puto, Cur filii patri similes esse debeant. Dat enim pater semen, in quo illius est forma, & omnium partium figura, magnitudo, numerus, situs, cõnexio: semẽ vero ipsum formam, quam in se habet, vt generationis opifex, & artifex in idoneam materiam immittit. Cur vero etiam matri proles similis esse soleat, Aristo. qui negat fœminas semen emittere, ostendere nõ potest. Sed excutiamus, quæso, illius de hac re opinionem. Ait enim ille in *lib. 1. de gener. animal. c. 19. & 20.* fœminas menstrua emittere: & propterea etiam semẽ nec gignere, nec emittere posse. *Si enim* inquit, *semen esset, menstrua non essent: nunc ideo illud non est, quia hæc sunt.* Sunt autem menstrua excrementum, vt semen: quare duæ simul secretiones seminales in illis fieri non pos-

Testes vi sua attrahere vndequaque materiam aptam ad generationem seminis.

Cur post coitum animalia rugosa debilia & mœsta fiant.

Voluptas in coitu vnde nascatur.

In semine formam esse actu & illam à testibus indi, semen hominis esse iam hominem.

Autor quo modo similitudinem seruet inter parentes, & filios etiam.

Hominem gignere in se hominem, cum semen in se gignit.

Cur claudi aliquando similes, aliquando dissimiles filios generent.

Cur filii fiant similes patrib.

De similitudine filiorũ ad matrem disputatio.

S sunt.

agendi generandique vis, conferat. Atque ita A profecto melius est sentire. Ex quo sequitur *omne semen agendi vim obtinere: & propterea in semine fœminino eandem quoque esse vim.* Qua petita, facile est reddere rationem, cur fœtus similis sit matri aliquando non minus, aut aliquando etiam plus quam patri. Si enim agendi vim habet, cum omne agens sibi assimilãdo agat, mirum non est, si in hoc opere fœmina etiam suam vim obtinet exerceatq;. Nec sequuntur quidem propterea, quæ scribit Aristoteles, fœminam in se gignere posse, si semen gignat. Haberet enim tunc illa in seipsa agendi & patiendi principium. Nã muliebre semen, etsi actum in se habet, tamen perfectiorem alium adhuc ex masculi semine requirit. *Est enim actus, qui in semine fœminino insidet, veluti potentia, si ad* B *semen virile relatum*, eo modo profecto, quo est calor insitus singulis nostris partibus, ex elementis, & propriis viuentium principiis, qui impotens est ad agendum, nisi influat calor alius à corde; qui cum eo coniunctus efficit, vt perfectæ omnes reddantur operationes. Atque tanto quidem probabilior videtur hæc esse opinio, quanto magis ratio, similitudinis ad matrem quam tradit Aristoteles nec philosophiæ, nec his operibus naturæ respondet. Nam quod omne agens agendo repatiatur, hoc conceditur. Id enim docet ratio, & experientia. Verum agentia fieri similia patientibus, cum illa non vincuntur, & hæc non vincuntur, penitus negandum est: quia nihil ostendit id verum esse: Obtunditur quidem & irrita fit agentis facultas: sed propterea illa non degenerat C in naturam patientis. Hoc enim fieri non potest sine agente alio: quippe cum in omni actione, & generatione rerum, necessarium sit esse id, quod agat. Quare, si id, quod antea agebat, ei, quod pati debebat, assimilatur, necesse est, vt id, cui fit assimilatio, agendi naturam assumat: nam assimilare est agere & agentis vis maxime in hoc casu requiritur, vbi non solum simplicem generationẽ qualitatum quærimus, sed generationem figuræ, conformationis, numeri, situs, connexionis partium. Hæc enim opificem desiderant maioris dignitatis, & præstantioris. Redditur quidem calidum corpus, cum frigidiori admouetur, aliquomodo frigidum: & frigidum, calidum, cum calido applicatur, sed non propterea substantia calida frigida redditur, cum calefacere non potuit. Perinde enim esset, D ac si quis diceret, ignem degenerare in ligna cum illic ob crassitiem, & humiditatem ligna accendere non potest: aut si dicamus, securim fieri lignum, cũ lignum à securi non scinditur. Ratio ergo Arist. quæ sumitur ex reactione & passione, ostendere nõ pot. cur filii similes aliquãdo matri reddantur.

Cur fœtus matri aliquando sit similis, facilis ratio ex antece.

Semen fœmineum esse ... actu virtus et se quasi potentiam.

Arist. rationes cur filii sint similes matri improbantur.

Quod vero Gal. noster de hac re sentiat, operæ pretium est vt expendamus. Agit de ea re *in secundo libro de semine*, vbi primum ponit quædam principia: Deinde ex illis nititur efficere, quod vult. Principia autem hæc sunt. *Semen & menstruum pariter præbere in generatione efficiens &* E *materiam, sed inæqualiter.* Agendi enim principium in semine potẽtissimũ esse: materiale vero exiguum: Contra vero in menstruo materiale esse validissimum, efficiens vero imbecillum. Præterea *in semine masculo potentiorem esse agendi vim, quam in semine fœmineo, & propterea ex solo fœmineo semine nihil generari posse. Eam tamen vim, quæ in eo semine est roborari, & augere ex menstruo*

Gal. opinio de similitudine filiorum ad parentes.

A *sanguine, qui per nouem menses illi* (inquit) *assidet* probabiliusque esse, vt potius semini fœminino, quam masculino faueat, roburque addat, adeo, vt mirum non sit, fœmineum semen, quod in primo congressu imbecillius erat, tempore accessionis menstrui validius aliquando reddi. Aliud principium ponit, *triplicem esse similitudinem, vnam quidem totius substantiæ, veluti cum homo hominem, & equus equum generat, & hanc sequi materiam: quam mater præbet. Alteram esse similitudinem & differentiam eorum, quæ sunt in eadem specie, vt homine, quæ* (inquit) *nascitur ex prædominio seminis. Alia est similitudo & diuersitas, cum nunc mas, nũc fœmina generatur, quæ res causam sumit ex causis calidioribus aut frigidioribus:* & potissimũ ex B semine vtriusq; calidiore vel frigidiore. *Tũc .n. marẽ generari, cum semẽ est calidius & melius concoctũ: fœminam vero, cum illud frigidius est, maleq; elaboratum.* Sed omissa generatione maris & fœminæ, de qua postea agemus, infert ex prædictis Gal. rationem in promptu esse, cur aliquæ partes similes potius sint matri, quam patri. *Nam in quibus partibus* (inquit) *semen fœmina præualet, in illis fit similitudo.* Non .n. propterea sequi, omnes partes similes patri euadere debere, q; virile semẽ suapte natura præualet muliebri. Nam præter eam vim, quam dixit semini fœminino accedere ex menstruo, aliam addit ex diuersis partibus ipsius seminis, quę in coitu in diuersis temporibus excernuntur. *Illa enim seminis pars, quæ primo excidit, crassior, spirituosior, meliusq; concocta, & elaborata est alius, quam secunda, vel tertia eiaculatione emittitur.* C *Quo fit, vt commistione vtriusq; seminis in quibusdã partibus maris, in quibusdam fœminæ semen præualeat, & in qua præualuerit ea pars fœtus, ei, cuius semẽ præualet, similis euadit.* Hæc sunt Gal. verba, hæc est sententia, qua nulla quidem probalior mihi videtur inueniri posse, sed principia, ex quibus illam ducit, egent animaduersione. Nam in vtroq; principio, nempe in semine & menstruo ponere materiam, & id, quod agendi vim habet, absurdum est. Etenim antea validissimis rationibus probatũ est, semen solius opificis rationem obtinere, cum nihil in seipsum agere possit, ita vt ex se ipso aliud efficiat, sed separatã materiam requirat. Longe absurdior est opinio, quod in menstruo sanguine agendi aliqua vis sit insita; *Quod est purum excremẽ-* D *tum, & frequentem habet excretionem ac post generationem facit ad nutritionem, & incrementum corporis, nullam debet in se habere generandi facultatẽ,* alioqui frustra sæpe illa in eo esset: nã absoluta generatione vbi sola nutritione opꝰ eẽt, otiosa illa esset. Deinde vbi, quæso, illam caperet, an ab omnibus venis, à quibus confluit? an ipso vtero? quæ sane vt absurda statim patẽt. Oporteret enim partem aliquam esse, quæ esset destinata à natura ad hanc vim & formam inducendam, quo modo videmus testes natos, & factos esse, vt semen conficiant. Igitur cum Gal. ostendere non possit E locum, in quo menstruum sumat hanc vim: nec aliqua ratione, aut ex eo, quod euidens est sensibus, confirmare possit suam sententiam, dicamus cum Aristotele ex sanguine menstruo solam materiam conferri ad generationem. Ridendum vero & illud quidem est, quod scribit, menstruum sanguinem augere solum vim, quæ est in semine fœminino. Quomodo enim nõ augebit etiam eã facultatem, quæ est in masculino: quandoquidem

Quando generetur mas, & quando fœmina.

Cur aliquæ partes sint potius similes matri, quam patri.

Gal. sententia expenditur, & principia, quæ ponit notantur.

Semen solum opificis rationem habere, vt sanguis menstruus solum materiam.

vtrumque semen statim in primo congressu vbi generatio fieri debet, ex illius opinione simul exacte misceatur adeo, vt impossibile sit vnū affici, alio intacto? Praeterea, si semen ipsum attrahit ad se sanguinem mēstruum, vt materiam habeat generationis plus sane attrahet masculinū semen, quā fœmininum, vtpote quod calidius, & validius sit. Postremo cum semen desinat esse semē in primis dieb. in quibus delineantur, & conformantur partes, cur fingit, toto eo spacio, quo fœtus in vtero continetur, huiusmodi seminis vim ab alio semine augeri? Hæc ergo reiiciantur ex hac tractatione: vt illud etiam, quod scribit, similitudinem substantiæ sumi à matre & materia. Nam quod homo gignatur ab homine, causa est hominis semē, quod gignendi sibi simile vim habet; Maneat vero, quod bene dictum est, ex parte seminis, quæ præualet in generatione, fieri partes similes ei, cuius est semen. Iam vero, cū pateat, cur nati nūc patri, nunc matri toto corpore, vel aliquibus partibus similores sint, videamus iam quare contingat, vt maioribus similiores aliquando sint, quam propriis parentib. De hac re nihil scribit Galenus, agit autem Aristot *in libro, quarto cap. tertio de generatione animalium.* & dicit hoc fieri; *quoniam in semine generantis sunt facultates non solum propinqui agentis, sed etiam maiorum.* Atque ex his facultatibus quasdā esse *actu*, alias vero potētia. *Actu enim insunt* (inquit) *motus eius, qui generat, & vniuersalium vt hominis, animalis; Potentia insunt motus fœminæ, & maiorum tam in patre, quam in matre.* Aliud sumit principium, de quo antea egimus, scilicet id, quod in generatione non superatur, transire in oppositum pro ea facultate, quod non superarit, quod generat. Itaque accidere, vt cum exoluitur motus eius, qui generat, ob minimam differentiam, vt primum in motum patris maneat, mox in aui, atque deinceps ad hunc modū in cæteros similes. *In feminis quoq; transitus,* inquit, fit. Motus enim concipientis, in motum soluitur matris: si non in eam, in auiæ, eodemque modo in superiores. Quod si motus & facultas, quæ à mare est, superarit: quæ vero à Socrate est non superatur, tunc ita euenit, vt mares similes patri generentur. Quod si motus patris vt mas est, & Socrates est, superauerint, fiunt mares similes patri, & fere ita accidit, vt mares patri, fœminę matri similes fiant. Item si motus, qua mas est, seruetur, Socratis aūt soluatur, mas erit auo similis, aut alicui cæterorū superiorū maiorum, prout solutio tetenderit: sed si quatenus est mas, superetur, fœmina erit similis potissimum matri, si autem & hic seruatur motus matri assimilabitur matris, aut alicui superiorum pari ratione. Idem modus partium quoque est. Sępe n. alię patri similes, aliæ matri, aliæ maiorum alicui similes fiunt: quoniam & partium & motus alii actu alii potentia. Deinque totam huius rei rationem ex his sumi inquit, quod motus & facultates quidam sint potentia, alii actu, & quod degeneret in oppositum, & quod superatur, & quod transeat in motum proximum id quod soluitur: & si minus, soluitur in propinquum, si magis in remotiorem discedere, demumq; ita confundi, vt nemini suorum similes prodeant, sed commune tantum relinquatur, vt homo sit. Cuius rei causa est, quod commune particularia consequitur omnia. *Porro causa, vt motus exoluatur, est* (inquit) *quod omne agens patitur etiam a patiente, & euā fiat, & q̄ agit, magis patiatur, quā agat.* Hæc quidē est Arist. sententia, quæ eget consideratione. Nam *rationi esse consonum constat, vt in semine plures motus & virtutes, & facultates ponatur,* vt ostēdit generatio corporis organici, in quo diuersæ naturæ partes continentur. Quod quidē à semine habente vim vnicam & simplicem fieri non potest: sed ponere in eo non debemus motus quosdam esse actu, alios vero potentia. Nam si omnibus tribuimus vim agendi, & assimilandi, non possunt vtique aliqui ex illis esse potentia: nimirū quod vim agendi non habeat, quod non est actu. Deinde (quod iam etiam ostendimus) mutatio fieri non potest in oppositum ex sola repugnantia materię, & passione eius, quod agit. Nam *similitudo requirit omnino, vt agat id, cui aliud sit simile.* Præterea non patet quod ait, *in propinquum potius, quam in remotum fieri transitum.* Nam cum id, quod est maxime remotum, sit quodammodo vt vniuersale: id autem maxime seruari dicat, videtur rationi esse consonum, vt potius antiquorum, quam propinquorum, affinium, cognatorumque similitudo seruetur. Postremo si materia est, quæ exoluit motus seminis agentis, cur potius vna facultas, quam alia ex his, quæ sunt in semine, aut omnes simul nō exoluuntur? Cur enim facultas, exempli causa, quæ in semine est gignēdi marem, potius exoluitur, quam illa, quæ est gignendi similem patri? aut hæc exoluitur, seruatur vero illa, quæ potest generare similes auis, *Quæ enim propinquioris est agentis, validior,* (vt ille inquit) *est.* Quare ab eadem causa non videtur similiter exolui posse. Debebat etiam Arist. reddere rationem, cur similitudo transeat aliquando ad extraneos qui nulla cognatione cum parentibus sunt coniūcti. in illis enim semen, & qui in semine sunt motus nihil efficere possunt: quippe cum alienum sit ab eo genere semen à quo proles nascitur. Ego, vt vere dicam, quod sentio, puto *hac tractatione nihil esse in vniuersa philosophia difficilius.* Si quid tamen dici potest, illud probabilius esse puto, quod vtrumque semen maris, inquam, & fœminæ, simul habeat agendi & patiendi vim: & vtrumq; habeat in se actu diuersas facultates, quas integras vnum quodq; seruat, *quantum alterum semen permittit.* Nam *si masculinum semen secundum omnes suas facultates vinceret, perpetuo fierent filii similes patri & suis maioribus,* quoniam similitudo seruatur in semine, & veluti per manus descendit ad posteros. Itaque nunquam apparet aliqua dissimilitudo inter cognatos, qui ab vno parente originem duxissent: sed quoniam fœmininum semē suas quoque habet facultates, & proprias motus, fit dissimilitudo ex mutua victoria, superante nunc magis vno semine, nunc alio: nunc vero non toto ipso semine vincente, sed vna sola: vel pluribus particulis. Quod quomodo fieri possit, antea ex Gal. ostendimus, cum docebamus vniuersum semen, quod in vno coitu excernitur, non æqualiter esse concoctum, & elaboratum: propterea contingere vt quod elaboratum est, efficacius sit & vincat. Quibus quidem positis, iam forte patebit, cur similitudo transeat aliquando ad maiores. [illegible] accidere putabimus, quoniam [illegible], quæ membrum aliquod efformat, [illegible] viribus reseruata est in commixtione cum semine fœmineo, ita vt referre possit [illegible] quibus propagatio facta est. similitu-

Margin notes: Cur nati maioribus suis sint similes. — Arist. opin. — Summa rationis Arist. — Aristotelis opinio examinatur. — Potentia existentia non habere vim agendi. — Autoris opinio de similitudine maiorum.

similitudinem. Sic enim videmus, aliquando omnes, qui sunt ex eadem familia, per multas successiones nasum habere, vel simum, vel aduncum etiã, vel os latũ, vel angustum, aut aliã partem referentem maiorũ suorũ imaginem. Sed maior adhuc difficultas manet in similitudine ad alienos, qui nullam in semine: vel in materia societatem habent? nihil enim habemus in his, quod ex principijs naturæ duci possit. Sunt, qui velint, id tribuendum esse *imaginationi*, & eam dicunt oportere esse vehementem. Ideo enim accidere, vt spurij marito similes etiam fiant: *quoniam uxor in coitu cum adultero, fixam habet coniugis imaginem, eo quod vereatur, ne ab eo deprehendatur.* Quinetiam ob eandem imaginationem fieri, vt grauidæ mulieres diuersis, atque etiam fœdissimis maculis fœtus suos inficiant: factumque illud aliquando fuisse, vt mulier similem filium pepererit, cuius imaginem in coitu intueretur. Hæc quidem, vt forte nullam aliam habent causam quam imaginationem, ita vehementiam ab imaginatione excludunt: quandoquidem grauidæ mulieres, quæ maculas ex rebus externis contrahunt in suos fœtus, aiunt se vix animaduertisse, cum ex earum rerum aspectu vel leuissime fuerunt affectæ. Cur vero non iam seruetur similitudo indiuiduorum generantium, nec speciei, sed gignatur monstrum, in quo magnæ differentiæ repetiuntur, cum minus aut magis à natura generantium receditur, causa rectè ab Aristot. traditur *ex materia, quæ facultates, & motus generantis plus vehementius impedit.* Ac vbi materia est idonea: non tamen superatur, fit quod est maxime vniuersale, cum fieri non possit particulare, quod perfectam proximi agentis formam requirit. *Fit enim animal aliquod ex sanguine menstruo, cum homo fieri non potest.* Tendit enim natura ad id, quod melius est semper. Quod si magis impediatur seminis agentis facultas, ita, vt animal gigni non possit, tunc aliquid fit, quod inter viuentia & nõ viuẽtia mediã naturã obtinet: Cuius generis sunt molæ mulierum: quæ etsi obscuros, habent tamẽ quosdam motus, quibus animalis naturam æmulantur. Quod si materia penitus inepta est, vt mutari possit à natura agentis, & hoc ipsum inde affectum, fit id, quod toto genere præter naturam à Gal. dicitur esse: cuiusmodi est in nobis generatio calculorum. In eo vero superest dubitatio, cur, scilicet accidat, cum gignitur monstrum, vt vnius potius, quam alterius animalis forma repræsentetur. Nam repertæ sunt mulieres, quædam, quæ filios pepererunt ore leporino, aliæ pedibus ouillis. An in hoc etiam aliquid confert imaginatio? cum forte huiusmodi animalia vidissent prægnantes, & eas partes appetiuissent? Hæc, vt dixi, ita obscura sunt, vt videantur adhuc in arcanis naturæ esse recondita. Sed fortasse multorum labore tandem peruia reddentur, quare ad reliqua pergamus.

De similitudine ad maiores.

Spurii cur ut similes fiant marito.

Τῆς δὲ τῶν ὄρχεων κράσεως, θερμῆς μὲν, ἀφροδισιαστική τι ἐστι, καὶ ἀρρενογόνος, καὶ γόνιμος, καὶ ταχέως δασύνει τὰ γεννητικὰ μόρια. συνεφάπτεται δὲ καὶ τῶν πέριξ. ἡ ψυχροτέρα δὲ, τἀναντία, καὶ ἡ μὲν ὑγρὰ, πλειόσπερμός τι ἐστι καὶ ὑγρόσπερμος. ἡ ξηρὰ δὲ, ὀλιγόσπερμός τι ἐστι καὶ μετρίως παχύσπερμος.

Temperatura vero testiculorum calida quidẽ ad venerẽ procliuis, & masculorũ generatrix, & fœcũda, celerrime que genitales partes obsepit pilis, simul aũt circumiacentes attingit partes: frigidior vero contraria efficit: Et humida quidem multo & humido semine abundat: Sicca paucum & modice crassum generat semen.

Inter indicia calidæ temperaturæ testium, primum ponit Galenus promptitudinem ad venerem: merito quidem id sequitur huiusmodi temperiem: Nam coeundi appetitus insitus est animalibus à natura, vt *semen, quo grauantur & turgent, excernant*, tanquam noxiã materiam, quod ostendunt vidui & alij, qui coire consueuerant atque intermissa venere plurimis malis afficiantur: quæ nullo alio remedio, quam seminis excretione tolli, nec etiam mitescere sæpe possunt. Stimulat autem animalia ad venerem semen quidem solũ: sed in hoc maiorem vim habet, quod est copiosũ, & *acre*. Quę enim huiusmodi sunt, expultricem facultatem in cęteris etiam excretionib. maximè cõmouent. Igitur calida solum temperies acrimoniam semini addit. Ac cum modus seruetur in siccitate, & humiditate, materia suppetit ad copiosum semen generandum. Ac non solum quidem, qui ita sunt affecti, salaces sunt, sed etiam veneris vsum moderatè ferunt, nisi corporis temperies siccior obstiterit. Nam vbi sanguinis copia in venis continetur, testes calidi materiam habent, ex qua possunt semen suppeditare, & venerem repetere. Sũt vero etiam ad venerem prompti, qui *acre spiritu & flatu* sunt pleni: Ab huiusmodi. n. materia *spongiosus neruus*, qui distensionis pudẽdi in masculis est causa, inflatur, & natura ab illius acrimonia irritatur, sed ad inanes conatus: Frequentes enim illi sunt in venere, sed raro aliquid emittunt: nimirum cum semen desit, quod emittitur, quo illi non abundant. Quinetiam illi, qui *serosa semine* abundant, venerei maximè sunt: quo modo mulieres plurimæ frequenti gaudent coitu: serosũ enim in illis est semen. Idem contingit in his, qui *biliosum* semen aceruãt. Ergo quidã ob seminis copiã, alij ob acrimoniã, alij ob flatus salaces fiunt. Alijs vero id contingit *ratione obiecti*: omnes enim promptiores ad venerẽ redduntur, si coeant cum muliere formosa, & sibi amica, quã si cum deformi, & ingrata. Nam cum veneris vsus non expleatur nisi per partes, quæ voluntati obediunt, accidit vt cum cupiditas, & voluntas maximè cõmouentur, partes etiã promptæ reddantur ad sua officia exercenda. Natura enim corporis instrumẽta creauit, vt animæ facultatib. pareant. Igitur musculi & nerui pudendũ mouẽtes, atq; erigentes, & pudẽda etiã ipsa viri & mulieris, quæ volũtati etiam nostræ obediũt, adsunt, cum venerẽ appetimus. Atq; etiã docet experiẽtia, testes ipsos sequi volũtatis imperiũ: alioqui reddi ratio non potest, cur illi in primo concubitu euacuati rursus sanguinem attrahant à venis, & ferè temporis momento nouum semen procre-

Signa calidæ.

Cur, quia salaces homines reddunt.

Pudendi virilium distensionis causa.

Mulieres cur venereæ.

Testes sequi voluntatis imperium.

Signum temperatura calidæ.

De generatione maris & fœminæ disputatio.

procreent, quod per sequentes concubitus excernitur. Secundum iudiciam huius temperaturæ est (inquit Gal.) *quod mares procreentur potius, quam fœminæ.* De qua re apud Arist. *in primo cap. lib. 4. de generat. animal.* Quidam enim protinus in seminibus hanc esse contrarietatem aiunt, semen enim, quod à parte dextra excernitur, marem gignere, si præualet ei, quod à sinistra reiicitur: Contrarium vero accidere, si fœmina gigni debet: propterea sunt, qui ligant testem sinistrum, cũ gignẽdis masculis inumbere volunt. Alii vero dicunt accidere ex prædominio seminis masculi vel fœminæ: tunc enim marem prouenire, si masculinũ semen euincit fœmininum: fœminam vero, si fœmineum præpollet. Alii vero non simpliciter in semen maris aut fœminæ causam reiiciunt: sed si superauerit semen illud, quod ab ea prodit parte qua mas & fœmina inter se differunt. Sunt vero, vt Gal. qui solum in seminis caliditatem vel frigiditatem causam sexus reiiciant. Ait enim ille *in lib. de vsu. part. & de semine*, partes genitales in viro non differre à partibus genitalibus fœminę, quam *situ & magnitudine*: hæc autẽ ratione caloris fieri. *Nam* (inquit) *mulier intus conditas habet genitales partes, quoniam illæ caloris defectu extra protrudi nequaquam potuerunt: quod in masculis fit propter caloris abundantiam.* Alii vero sunt, qui non in ipsum semen, sed in vterum, causam hanc referunt. Sed hi non eodem modo sentiunt. Nam quidam ex ipsis id ascribunt simpliciter temperaturæ ipsius vteri. Masculos enim fieri, si semen incidit in vterum calidum: fœminam vero si nanciscatur vterum frigidum. Alii vero sunt, inter quos videtur etiam fuisse Hipp. qui in latere dextro marem contineri: fœminam vero in sinistro arbitrantur. Jam vero Aristot. *in eodem loco* causam huius rei sumit ex actione & passione. Cum enim, inquit, principium non superat neque concoquere potest propter caloris inopiam, neque ducit in suam formam, sed tantisper superatur, mutari in contrarium necesse est. Contrarium autem mari fœmina est, videlicet quo alterum fœmina est. Hæc fere sunt, quæ extant apud celebres autores de generatione maris & fœminæ: quæ facilius est refellere, quam veriores causas inuenire. Nam, qui aiunt, masculum gigni ex semine emisso à dextro teste, refelluntur ex eo, quod nonnulli auulso teste dextro, ex semine sinistri testis mares & fœminas gignant. Qui vero aiunt, fœminam gigni exuperante semine fœmineo, ostendere deberent fœminas semper similiores esse matri, quam patri. Nam vincente matris semine, cur in omnibus non similitudo ad matrem, sed sexus seruatur, figura vero partium mutatur? Eorum vero opinio, qui dicunt, id fieri ob partes seminis venientes à pudendis, & vincente nunc parte, quæ à pudendis masculi, alias vero superante: quæ à pudendis fœminæ deciditur, ex eo refutata est, quod semen ab omnibus partibus non secernatur. Gal. vero, qui tradit, ob seminis caliditatem & frigiditatem diuersitatem hanc contingere, recte forte sentiret, si modum verum doceret, quo caliditas vegeta, aut debilis hæc efficere possit. Nam ridiculum est credere, intus esse conditos vteros mulierum ob debilitatem caloris, cur enim vesica, intestina, & aliæ multæ partes pariter in viris, vt pudenda non extra prominent? Nam vnam partem potius, quam aliam calor non debet propellere. Deinde frigoris officium est potius, quam caloris comprimere, exprimere, & propellere: huius vero est attollere, dilatare. *Erunt ergo mulieres calidiores, quarum scilicet genitales partes maiores, profundiores.* Addo quod male distinguit maris genitalia ab his, quæ sunt in fœmina, maxime ob situm & magnitudinem. Nam conformatio præcipuam ostendit differentiam. Sunt enim concauæ partes mulierum, solidæ vero virorum: conformatio vero, in qua spectamus figuram, concauitatem, asperitatem & lenitatem partium, vt etiam numerus, magnitudo, & connexio, opera sunt formatricis facultatis, non ipsius caloris. Jam vero, qui aiunt, marem fieri ob solius vteri caliditatem, non vident se recedere à principiis naturæ. Nam cum hoc pertineat ad conformationem partium, necesse est, vt causam sumat à generante, à quo motus omne principium. Ex quo etiam refellitur Hipp. & aliorum opinio, qui sexum mutari dicebant ob dextram, vel sinistram vteri partem. Nam si in ipso semine non fuerit hæc vis, ab vtero ea sumi non poterit. Præterea putabant illi, muliebrem vterum diuisum esse in dextram, & sinistram partem, & in vtraque distinctos esse locos, in quibus si contingeret, plures fœtus concipi possent. Quod quidem experientia plane falsum ostendit. In canibus vero & aliis multis animalibus loci distincti apparent; muliebris autem vterus formatus est instar cucurbitæ, quæ ceruicem habet oblongam, fundum vero latius, in quo nulla penitus est locorum distinctio. Propterea mulieres sunt, quæ mares gerunt in latere dextro, aliæ in sinistro: aliæ, quæ vterum gestant altius, vbi comprimitur septum transuersum, aliæ depressius, ita vt nihil ex gestatione, loci ipsius vteri, & fœtus situ in hac re certum colligere possimus.

Partes genitales in viro quomodo à genitalibus fœminæ secundum Arist. differant.

Arist. opin.

Quod mares non fiant ex semine dextri testis. Vel exuperante semine viri.

Vel ex semine deciso à pudendis masculi.

Ridiculum esse, credere vterum ob frigiditatem intus latere viri pudenda extare ob caliditatem.

Marem non fieri ob vteri caliditatem. Hippo opinio non recipitur quod ob diuersos locos in vtero mas aut fœmina signatur.

Mulieres calidiores quæ.

Vterum mulieribus non esse in certos locos distinctum.

Cæterum Arist. opinionem, quæ nititur actione & passione, iam antea refellimus. Nam conformatio diuersa partiũ, diuersi situs, differentes connexiones fieri non possunt ex eo, quod materia resistat agenti, & se plane vinci non patiatur: requirunt enim aliquam alicuius agentis vim, quæ possit sibi assimilare & formare in suam naturam id, quod patitur. Præterea nisi semen vinceret, & dominaretur pro suo arbitrio, non posset vtiq; cum tanto artificio muliebria fingere & figurare. Quid ergo in hac re dicendum? Dicam post tantos viros, bona omnium venia, differentiam sexuum fieri *potissimum & maxime ob caliditatem & concoctionem perfectiorem, aut deteriorem.* Vtrumque enim semen pariter habet in se vim gignendi hominem, quoniam in semine est solum forma hominis, cuius mas & fœmina æqualiter sunt participes: non est autem in semine forma fœminæ potius, quam maris, quoniam mas & fœmina forma non differunt, sed solum sexu, in quo cognoscitur perfectio maior & minor: mas enim fœmina perfectior est, & propterea à perfectioribus principiis ille debet gigni. At cum perfectio hæc non possit sumi à substantiali forma: necesse est, vt sumatur ab accidentali, nempe à primis qualitatibus, quibus illa vtitur, tanquam instrumentis ad naturæ opera formãda, & exercenda. Ac mirum quidem videri non debet, si natura, quæ eadem est in semine, ob diuersa proxima sua instrumenta, seruata eadem forma totius, diuersum sexum efficit: quandoquidem id etiam docent artes, quæ ob diuer-

Arist. opin. confutatur.

Autoris opinio cur mares & fœminæ gignantur.

diuersitatem instrumentorum contundunt, secant cæsim, punctim perforant, aut aliud quidpiam diuersum efficiunt. Igitur, vt hæc colligam, *semen calidius, optimeque concoctum mares gignit: quod verò frigidius est, & malè elaboratum, vel generare non potest, aut fœminam procreat.* Illius enim generatio perfectiora instrumenta, hæc verò imperfectiora desiderat: quod etiam docent, quæ in generatione contingunt. *Qui enim frequenter coeunt, aut vespere, aut vino & crapulæ sunt deditι, aut studiis animi incumbunt, aut seniores, aut iuniores existũt, vel alio modo ita sunt affecti, vt semen bene non concoquant, illi fœminas procreare solent; masculos verò, qui concoctionem perficiunt & coitum expectant, donec abundat semen optimè elaboratum.*

Qui frequenter gignant fœminas, & qui itidem masculos.

B Propterea non temerè etiam creditur, conferre semen, quod emittitur à teste dextro. Est enim ille alio, vt dextræ partes sinistris, calidior, & propterea ad concoctiones fœliciores obeundas aptior. *Confert fortè etiam aliquid menstruus sanguis, & vteri caliditas.* facilius enim caliditas, quæ in semine est, potest suum munus exercere, vbi materiam sibi similem, & locum accommodatum, in quo fit generatio, inuenerit. Hæc habui, quæ de generatione maris & fœminæ excogitare potui. *fœcundam huiusmodi temperiem esse* dicit, eo quod plurimum & bene concocti seminis hæc gignat; nam fœcunda ea natura esse non potest, quę coire potest, vel semen procreat male concoctum. *Duæ ergo conditiones requiruntur ad fœcunditatem*, quas merito obtinet temperies calida.

Conditiones fœcunditatis.

C Nam ob calorem dominantem optimè ab ea cõcoquitur semen. Quoniam verò in humido & sicco seruatur mediocritas, materia suppetit satis copiosa ad seminis generationem: *Eadem temperies genitales partes, & circumiacentes, quales sunt peritonæum, inguina, & infimus venter, celerrimè,* id est, *in primis annis adolescentiæ pilis obsepit.* Nam hæc temperies terrenum excrementũ suapte natura generat, cutemque exsiccat, in qua postea fiunt constante perforationes, in quibus pili firmas radices figunt.

III. signum.

Cæterum *frigidior temperies testium contraria* (inquit) *efficit*, id est, ad venerem non est procliuis, & fœminarum generatrix, & infœcunda, eo quod, aquosum & paucũ semen generet, ex quo nihil, aut fœmina generatur, paucos etiam edit pilos huiusmodi natura.

Signa temperaturæ frigidioris.

Iam verò *humida temperies multo, & humido semine abundat*; multos quidem ex sua opinione, quia humor testium materiam suppeditat copiosam; humido verò, quia moderatus calor, qui hic ponitur esse, exuperante sola humiditate, nó potest humoris hunc excessum absumere. verum cum seminis materiam suppeditent venæ & partes corporis, vt generetur copiosum semen, non testium humiditas, sed sanguinis benigni & oleosi abundantia in corpore, causa erit. Quod vero humidius gignatur, hoc certè facit testiũ intemperies humidior.

Humida.

Porrò quod scribit de sicca temperie, minus quidem probabile est; Nam siccum in nobis nó agit; quare nec paucũ, nec crassum generare potest semen. Caloris enim est, quæ in nobis crassiora fiunt, incrassare, resoluendo partes tenuiores, & alias cogendo. hic non ponit alia indicia temperaturæ humidæ & siccæ. An etiam non est rationi consonum, humidam ad venerem satis esse procliuem, si multo semine abundat, & fœminarum generatricem, & procreatricem paucorũ pilorum: siccam verò non esse quidem ad venerẽ procliuem, nec fœcundam; nimirũ, quod semine non abundet: sed tamé esse masculorum generatricem? Nam *vt calor, sic siccitas facit ad masculorũ generationem:* quippe cum mas nõ solum calidior, sed etiam siccior sit fœmina.

Sicca.

Addere etiam debebat signa, quæ sumuntur ab incremento testium. Nam calida temperies statim attollit testes, & illos maiores reddit: frigida verò tardi & exigui est incrementi: humida vero calidam sequitur: sicca verò omnium fortè minimè cõfert ad incrementum.

Siccitatem etiam facere ad generationem masculorum.

CA. XLVI. DE SIGNIS CALIDÆ ET SICCÆ TEMPERATVRÆ TESTIVM.

B Ἡ θερμοτέρα δὲ καὶ ξηροτέρα, πάνυ σπερματικωτάτη τέ ἐστι καὶ γονιμωτάτη, καὶ τάχιστα πρὸς συνουσίαν ἐπεγείρει τὸ ζῶον εὐθέως ἐξ ἀρχῆς. ἀτὰρ οὖν οἱ τοιοῦτοι δασύνονται τάχιστα τὰ γεννητικὰ μόρια, καὶ σύμπαντα τὰ πέριξ, ἄνω μὲν, ἄχρι τοῦ κατὰ τὸν ὀμφαλὸν χωρίου, κάτω δὲ, μέχρι μέσων μηρῶν. ὁρμητικὴ μὲν οὖν ἡ τοιαύτη κρᾶσις ἱκανῶς ἐπ' ἀφροδίσια, ταχίστη δὲ ἐμπιπλαμένη, καὶ εἰ βιάσαιτο, βλαπτομένη.

Calidior vero ac siccior crassissimum semen habet, & fœcundissima est, ac celeriter ab initio protinus ad coitum excitat animal. Sed & his genitales partes citissimè

C *hispidæ fiunt; atq; omnes, quæ circumstant, supra quidem vsque ad vmbilicũ: infra vero vsque ad media fœmora. petulca igitur est, & ad libidinem prona huiuscemodi temperatura, statim vero satiatur, & si cogatur, offenditur.*

Tradit nunc indicia compositarum temperaturarum testium, & (vt solet) primum incipit à calida & sicca, quam meritò dicit, inter alias omnes crassissimum semen generare. Nam siccitas copiosum humoré dominari non patitur, & cum digerit calor, ex resolutione verò tenuioris portionis, quod superest, crassius euadit. Porro *fœ-*

D *cundissimam huiusmodi temperiem vocare non potest, quod plurimum seminis efficiat.* Nam absque humore copioso hoc fieri non potest. *Sed quod semen genitum maximè sit elaboratum & perfectum* adeo vt minima illius portio apta sit formare corpus. Non enim ea ratione dixit huiusmodi semen fœcundum esse, vt Akachias putat, eo quod ex illa facilè formari partes possint: habet enim semen efficientis, & nõ materiæ rationem. Quod si ob Galeni authoritatem credit, semen etiam conferre materiam, tamen eam hoc loco nõ spectat, id quod ostendit, cum dicit *ob diuersitatem seminis mares vel fœminas generari.* Cæterum, *qui hac temperie sunt præditi, celeriter, id est, in ipsa etiam pueritia ad venerem excitantur*: id, quod acci-

Cur tales celeriter ad venerem excitentur.

E dit *ob seminis acrimoniam, & ob promptam seminis generationem.* Quæ vero *de pilis* hic dicuntur, ex prædictis satis patere puto. *Multitudo enim pilorum maximè sequitur caliditatem & siccitatem.* Illud vero, quod scribit, huiusmodi temperiem promptam quidem esse ad venerem, *sed ea celerrimè satiari, & offendi, si cogatur venerem frequenter repetere, pertinet potius ad totius corporis, quàm*

Cur cito venere satientur.

ad testium temperiem, vt idem author docet *in lib. 6. de sanit. tuend.* Et merito quidem. *Nam si humores in corpore abundant, venus prodest: oberit vero, si corpus calidius, & siccius fuerit*, quacumque temperie effectis testibus. Demus (si placet) hepar calidum & humidum esse, ex quo sequatur plurima boni sanguinis generatio: testes vero esse calidos & siccos, quid incommodi sentiet corpus ex frequenti venere? minimum profecto. At multo maius sequetur, si testes fuerint calidi & humidi: hepar vero & vniuersum corpus frigidiora, sicciora extiterint. Igitur *promptitudo quidem ad venerem sequitur temperiem testium, qui calidius & acrius semen procreant. Iuuamentū verò & læsio sequuntur temperiem corporis, in quo illa etiam sentiuntur. Exoluitur enim, & elanguescit corpus ob superfluam venerem: in testibus verò nulla læsio sentitur.* Quod verò Akachias credit, huiusmodi temperiem ideo lædi ob frequentem coitum, quia maiore voluptate ea afficitur, quàm aliæ temperaturæ, est refellendum. Nam nocumentum, quod accidit, putat Gal. sequi, quoniam paucum semen in hac temperie gignitur: deficiente vero semine, vis inferatur vniuerso corpori, à quo propria seminis materia elicitur.

Promptitudo ad venerem, & iuuamentū & læsio à venere vnde proueniant.

Akachias confutatur.

CAP. XLVII. DE CALIDÆ ET HVMIDÆ TEMPERATVRÆ TESTICVLORVM SIGNIS.

Συνελθούσης δὲ ὑγρότητος τῇ θερμότητι, λάσιοι μὲν ἧττον οἱ τοιοῦτοι, πολύσπερμοι δὲ μᾶλλον, οὐ μὴν ὀργῶντές γε μᾶλλον τῶν ἑτέρων, ἐξαρκοῦσι δ' ἀβλαβέστερον ἀφροδισίοις πλείοσιν. εἰ δ' ἱκανῶς ἄμφω πλεονεκτήσειεν τό θ' ὑγρὸν καὶ θερμόν, οὐδ' ἀβλαβῶς ἀπέχονται τῶν ἀφροδισίων.

Si autem caliditas humiditati coniungatur, hirsuti quidem tales minus, plus vero semine abundant, non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimento præter modum venereis indulgent. Quod si satis excreuerint & caliditas & humiditas, non sine detrimento à venereis abstinent.

Quæ de *pilis* hic scribit, probabiliora sunt, quàm illa, quæ tradit *de seminis abundantia.* Nam hæc sequitur potissimum copiam sanguinis contenti in venis: Quæ si suppetit, plurimum seminis facilè gignitur in testibus calidis & humidis. Viget enim maximè cum hac temperie cōcoctio. deficiente vero in venis sanguine, nulla temperies testium semen abundare facit. Rectè verò docet, hanc temperiem non esse admodum procliuem ad venerem, si cum calida & sicca comparetur. Nam ea promptitudo potius sequitur acrimoniā, quàm abundantiam seminis. Indulgēt autem calidæ & humidæ corporis temperaturæ veneri sine noxa, quoniam in illis est copiosa seminis materia; quæ nisi excernatur, obest: *nō quòd semen corrumpatur, & veneni naturam sumat, etiamsi venenosa accidentia inferat, corruptio enim illi accidere nō potest in suis locis, vbi melius semper concoquitur, sed ob suffocationem spiritus, & calidi innati*, qui cum semine excernitur. sed de hac re agemus *in 3. comment.* diligentius, vbi veneris commoda & incommoda enarrabimus.

CAP. XLVIII.

Εἰ δ' ὑγρότεροι καὶ ψυχρότεροι τῆς μετρίας οἱ ὄρχεις ὦσιν, ἄτριχα μὲν τὰ πέριξ τούτων, καὶ βραδέως ἀφροδισίων ἄρχονται, καὶ οὐδ' ὀργῶσι

A λοιπὸν πρὸς τὴν ἐνέργειαν τοιοῦτοι. ὑδατῶδες δὲ καὶ λεπτὸν αὐτοῖς τὸ σπέρμα, καὶ ἄγονον καὶ θηλύγονον.

Si vero frigidiorem & humidiorem temperaturā testiculi habuerint, partes circumposita glabræ sunt, & tardè rem veneream exercere incipiunt: neq; proni ad actum huiusmodi sunt. Aquosum verò & tenue ipsis semen est, & infœcundum, & fœminarum generatiuum, vel omnino non generans.

DE TEMPERATVRÆ FRIGIDÆ ET HVMIDÆ TESTICVLORVM.

Hæc satis patent ex superioribus. Nam sæpius iam ostendimus, inter omnes temperies frigidam

B & humidam ineptam esse ad pilorum generationem: ad venerem quoq; serius accedunt hi, nec prompti in eam ruunt, quoniam semen gignunt aquosum & obtusum, quod etiam vel ineptum est ad generationem, aut certè solum aptum ad fœminas procreandas.

CAP. XLIX. DE FRIGIDÆ ET SICCÆ TEMPERATVRÆ TESTICVLORVM.

Ἡ ψυχροτέρα δὲ καὶ ξηροτέρα κρᾶσις, ὁμοία μὲν τὰ ἄλλα τῆς προειρημένης, παχύτερον δ' αὐτοῖς τὸ σπέρμα καὶ παντάπασιν ὀλίγον.

Frigidior vero & siccior temperatura similis quidem in reliquis est antedictæ: crassius verò semen in ipsa existit, atq; omnium paucum.

Intelligere non debemus frigidam & siccam

C temperiem prorsus similem esse frigidæ & humidæ *in omnibus*, præterquam in semine, vt Akachias putat. Nam quam differentiam facit in semine, eam quoque parit in aliis: vbi enim exuperat siccitas, corpus non est prorsus sine pilis. siccitas quoq; magis, quàm humiditas nos ad venerē stimulat: quoniam à sicco acrimonia etiam nascitur: offenduntur etiam hi magis à coitu, quàm frigidi & humidi: Nam in his suppetit seminis copia, etsi illud malè est elaboratum: vbi verò siccitas adest, ex Galeni opinione semen deficit. Verum illud paucum, quod gignitur, si crassius, fœcundius etiam est, sed ratio non agnoscit, ob hanc temperiem semen procreari crassum. Nam crassum idem est, quod spissum: quod in nobis fit, vel

D statim ob mixtionem terrenæ substantiæ, vel ob resolutionem humidæ & aereæ substantiæ mixtæ cum terrena: illa enim cōsumpta, quod reliquum est, crassius euadit. At partes nostri corporis nihil miscent cum semine terrenæ materiæ, ex qua semen fieri possit crassum: nec siccitas habet vim euaporandi humorem: id enim solius caloris vi efficitur. Quod si frigida & sicca temperies crassum semen vel aliam materiā in corpore procrearet, senes huiusmodi semine vtique abundarent: quod experientia falsum esse docet. Nam illi, vt aquosum sanguinem, ita aquosum semen efficiūt; vt omnia aquosa redduntur, vbi debilior fit cōcoctio. Hæc sufficiant de temperaturis testium, quibus addi possunt alia indicia, ex aliis fontib. sum-

E pta, quæ, quoniam iam sæpius à nobis in aliis partibus sunt cōmemorata, cōsultò hic prætermitto.

CAP. L. DE NATVRA TOTIVS CORPORIS.

Αἱ δὲ ὅλου τοῦ σώματος ἕξεις, ἀρισται μὲν αἱ κατ' ἰσότητα ταῖς ὁμοιότητι καρδίας καὶ ἥπατος. κρατοῦσι δὲ ἡ θερμότης τῶν σφοδροτέραν ἐχόντων ἐπιπολαιοῦ τῶν πρώτων μορίων, ὡς ἄν καὶ δεσποτικῶς ἀναπέμπουσιν. ἄλλα δὲ τοῦ σώματος

ἡ ἕξις, ἐπ' ἐκείνων λέγεται μάλιστα τῶν μο- A
ρίων, ὅσα θεωμένοις ὑποπίπτει πρῶτα. μύες δέ εἰσιν οὗτοι πᾶσι τοῖς ὀστοῖς περιβεβλημένα, σύνθετοί τινες σάρκες, ἔκ τε τῆς ἁπλῆς καὶ πρώτης σαρκὸς, ἔτι τε τῶν ἰνῶν αἷς αὐτῇ περιφύονται. ἡ γὰρ οἰκεία τῶν μυῶν οὐσία, ταῦτ' ἐστὶν ἄμφω. τὰ δ' εἰς αὐτοὺς ἥκοντα τῶν ἀγγείων, οἷον ὀχετοί τινές εἰσιν, οὐ συμπληροῦντες αὐτῶν τὴν οὐσίαν, ἀλλ' ὑπηρετοῦντες εἰς διαμονήν. εἰρήσεται δ' ἡμῖν καὶ τὰ τῆς τούτων κράσεως γνωρίσματα, κατὰ τὴν εὔκρατον οἴκησιν. ἐξαλλάττουσι γὰρ αἱ δυσκρασίαι τὸ δέρμα, καθ' ἑαυτὰς τυγχάνουσαι, καὶ διαφθεί-
B ρουσιν ἔνια τῶν γνωρισμάτων. οὕτως δὲ καὶ εἰ κατὰ τὴν εὔκρατον χώραν ὥρᾳ θέρους ἑαυτὸν ἡλίῳ τις παραβάλλοι γυμνὸν, ἐξαλλάξει τῶν γνωρισμάτων ὅσα κατὰ χρόαν τί ἐστι, καὶ τὴν ἐν μαλακότητι καὶ σκληρότητι σύστασιν. εἰ δὲ ὥσπερ εὔκρατόν ἐστι τὸ χωρίον, οὕτως καὶ αὐτὸς εὐκράτως διαιτῷτο, μήτ' ἐξοπτώμενος ἐν ἡλίῳ, γυμνὸς ἑκάστης ἡμέρας ἐπὶ πλεῖστον, ἀλλὰ μηθ' ὥσπερ ἔνιαι οἰκίᾳ παρθένου σκιατραφούμενος, ἀκριβῆ τὰ τῆς κράσεως ἐνδείξηται γνωρίσματα. τίνων ὡς ἐπὶ τούτων τοῦ λόγου γινομένου, προσέχωμεν ἤδη τὸν νοῦν αὐτῷ.

C *Totius autem corporis habitus diximus & superius, quomodo & hepatis & cordis naturam sequatur. Et autem magis assimulatur, quod vnam aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habuit, quas & effectiuas appellat. Totius vero corporis habitus in illis maximè dicitur partibus, quæ præ oculis subiiciuntur. Sunt vero hæ musculi, qui omnia ambiunt ossa, carnes quædam compositæ ex prima & simplici carne, & præterea fibris, quibus innascuntur. Propria enim muscu-*
D *lorum substantia his duobus constat. quæ vero ad ipsos vasa pertingunt, veluti riui quidam sunt, qui non substantiam cōplent, sed eis subministrant, vt in vita permaneant. Dicentur igitur & horum temperaturæ indicia in bene temperata habitatione. Nam quæ malè temperatæ sunt, cutem permutant ex seipsis formantes, & quædam ex indiciis corrumpunt. Ita & in bene temperata regione, si quis se tempore æstatis nudum soli exposuerit, permutabit indicia, quæ ex colore, & duritie & mollitie sumuntur. Si*
E *vero quemadmodum bonam temperiem obtinet locus, ita & ipse bene temperato victu vsus fuerit, vt qui neque se nudum singulis diebus in sole plurimum torrefaciat, neque sicuti plerique more puellarum continue in vmbra degeat, hic certa atque exquisita temperaturæ indicia*

A *præ se fert, tanquam igitur de hoc futuro sermone nunc ad ipsum accedamus.*

In *primo com. huius operis* proposuit, se velle tractare de corporibus, signis, & causis salubribus, insalubribus & neutris: & propterea opus distinxit in tres partes. Ac in prima quidem agit de corporibus, in secunda de signis, in tertia de causis. Absoluta vero prima parte, aggressus est tractationem de signis: & postea quàm signa definiuisset, & diuisisset, cœpit docere, quænam essent signa corporum salubrium, insalubrium, & neutrorum generali quadam ratione ab optima constitutione incipiens, & postea ad alias progrediendo. Sed quoniam illa tractatio non videbatur
B sufficere ob multas & peculiares differentias, quę in nostris corporibus reperiuntur: ideo proposuit speciatim se velle de illis agere. Verum quoniam non poterat totius corporis ea indicia docere, nisi explicatis natura & signis principiorum nostri corporis, à quibus ipsius moles regitur & immutatur, coactus fuit hactenus de principiis, & illorum temperatura agere. Qua re perfecta, iam ad propositum institutum redit, & totius corporis omnium temperaturarum, quæ sunt secundum naturam, indicia prosequitur. In qua quidem tractatione, primo quædam supponit, quod scilicet intelligere debeamus, cum totius corporis nomine vtimur, nō omnes partes, quæ in corpore sunt: sed solum eas partes, quæ sunt in habi-
C tu corporis, & eum constituunt: principia verò corporis, & viscera, quæ in cauitatibus corporis cōtinentur, vt pulmo, ventriculus, intestina, lien, renes, vesica, vterus, non dicuntur hoc loco esse partes corporis: quoniā hæc non sequuntur temperiem principiorum, sed propriam & separatam obtinent naturam: propterea de illorum quoque temperie separatim aget ex propriis singulorum indiciis. Non enim sequitur, ventriculum aut pulmonem esse calidæ & siccæ temperaturæ, si cor aut hepar eius naturæ fuerint. Quod quidem dicit, sequi in partibus, quæ sunt in corpore, id est, in habitu corporis. Explicat autem, quid nomine habitus corporis sit intelligendum, quod scilicet ea appellatione comprehendamus *maxi-*
D *mè, i. solum partes, quæ primæ oculis subiiciuntur: sunt autem hæ*, inquit, *musculi, qui omnia ambiunt ossa.* Rursus musculorum compositionem docet ex simplici carne, & fibris, quæ ipsi carni innascuntur: carnem enim simplicem vocamus, quam vulgus etiam carnem propriè appellat. Nam viscerum substantiam non simpliciter carnem appellant, sed addito viscere, cuius caro exprimitur, vt cum dicimus, carnem hepatis, carnem pulmonis, vt Gal etiam docet *in lib. 2. de temperament. c. 3.* vbi etiam istarum fibrarum naturam docet. Ait enim fibras, quæ in musculis habentur, neruorum & ligamentorum esse particulas. Cordis vero propriam quandam esse fibrarum speciem: sicuti etiam tunicæ venarum, arteriarum, intestino-
E rum, ventriculi, vteri, & vtriusque vesicæ: *licet enim*, inquit, *in his quoque instrumentis propriam quandam videre carnem suis ipsorum fibris circumnascentem.* Verum non docet, an ex eadem materia, an ex diuersa fiant fibræ illæ, & caro, quæ eas circumtexit: fortè ille, qui ex semine partes exangues gigni tradit, diceret, ex seminis portione tenaciore fibras constitui, vt quæ veluti filamen-

Partes corporis & corpus quid hoc loco significent.

Corporis habitus quid.

Musculorum compositio.

Fibrarum duplex genus.

ta quædam in longitudinem protrahantur. Qui verò ex sanguine omnes partes fieri putant, habent etiam optimam materiam ex parte sanguinis magis pituitosa, & ex eo, quod in pituita est viscidum. Porro natura ex fibris & carne circumtexit venas, arterias, neruos, vterum, & alias prædictas partes, vt firmior esset compositio, quo modo telæ texuntur ex filis longis, & transuersis. Merito autem scribit, *musculorum propriam substantiam ex simplici carne, & fibris neruorum atque ligamentorum componi*: Habet enim ex ea compositione, vt musculus sit, id est, instrumentum motus: venas autem & arterias in se recipit, vt nutriri, & viuere possit: atque membrana circumuoluntur, vt omnium, quæ in ea sunt, compositio firmior reddatur ad flectendos, extendendos, & alijs motibus articulos flectendos.

An corporis habitus sequatur solū cordis & hepatis temperiem.

Alterum verò quod supponit, est, *corporis habitum sequi cordis & iecoris temperiem*: de qua re obiter antea diximus. sed hoc loco diligentius agere cogimur. Et primum quidem repetendum est quod antea annotauimus, rationi esse consonum, vt testibus suam quoque demus vim, quam re vera habent in mutatione totius corporis: si enim pinguescit corpus, & pilos exuit, habitum, vocemque & animum muliebrem induit, cum testes amisit; seruat verò, & optimè alit, quæ maximè pertinent ad virilem habitum & cōditionem, cum testes habet, & pro magnitudine ac paruitate, atque temperie testium agitatur, turbatur, atque etiam furit, cur non agnoscemus temperiem mutari etiam à testibus. Fortè etiam cerebro in hac re aliquid tribuendum est. Nam præter id, quod scribit Aristot. cerebrum esse à natura factum, vt corpus temperetur, non parum videmus corpus compati, cum ab illo fluxiones in subiecta membra decumbunt. An etiam ventriculus ob bonas, aut malas, quas præstat, concoctiones, magnam non habet vim ad vniuersum corpus mutandum? Quid dicemus de mulieribus, quæ cum vterum nactæ sunt bene affectum, optimè degunt: alioqui non solum intemperatè viuunt, sed omni genere morborum torquentur? Ergo si de influentib. temperaturis agamus, *præcipua* quidem vis cordi, & hepati tribuenda est: alijs tamen non est neganda sua facultas. Quod si de proprio & innato singulis partibus temperamento tractamus, nec cordi, nec hepati aliquid in ea re concedendum est: habent enim, vt antea ostendimus, singulæ partes ex elementis, ex quibus sunt generatæ, suam materiam, suum temperamentum, & formam: & propterea diuersum ostenditur esse à Galeno *in libro secundo de temperamentis*, temperamētum carnis, à temperamento membranæ, ligamenti, cartilaginis, nerui, ossis; & hæc, & viscera omnia, & quicquid in corpore est diuersum ab alio, diuersi temperamenti pariter esse agnoscitur, & creditur esse. Nec vnquam quidē efficiet cordis frigiditas, aut hepatis, quin caro inter partes corporis nō sit, & nō dicatur esse tēperaturæ calidæ & humidæ, & neruus frigidę & siccæ. *Ergo principia possunt augere vel minuere insitas qualitates singulis partibus similaribus: at penitus auferre, quod à suis principiis acceperunt, certè non possunt.* Quæ quidem ratio non solum videtur pertinere ad carnem, sed etiam ad alias vniuersas partes: quippe cum omnes pariter recipiant à principiis corporis eam materiam & vim,

Non solum corporis habitū, sed etiā alias omnes partes sequi temperiem principiorū.

quam illa à se emittere, & in alia membra spargere sunt apta. Itaque locus iste non temerè recipiendus.

Tertium verò, quod hic supponit, est, vt de temperaturis iudicemus *in bene temperata habitatione, & in temperato anni tempore*, quod etiam antea annotauit: & rationem huius rei subdit. Addere etiam debebat, quæ *in secundo de temperamētis* commemorat, cum volumus iudicare de temperatura corporis, tunc iudicandum esse, quando corpus in omni mediocritate est constitutum, ita vt nec vigilia, nec somnus, aut cibus recenter assumptus, aut longa inedia, aut venus, vel labor, aut otium, vel animi perturbationes nos affecerunt: aut alia adsunt, quæ nos præter modum calefaciunt, refrigerant, humectant, siccant: sic enim intelligere non possumus, quid verè sequatur, quòd in nobis est secundum naturam ex nostris principiis inditum. Quibus ita positis tractationem suam aggreditur.

CAP. XI. DE SIGNIS TEMPERATURÆ MODERATÆ.

Συμμέτρου κράσεως γνωρίσματα πρὸς ὅλην τοῦ ζώου τὴν ἕξιν, ἡ χροιὰ μὲν ἐξ ἐρυθροῦ καὶ λευκοῦ συμμιγής· αἱ τρίχες δὲ ξανθαὶ μετρίως, καὶ οὖλαι τὰ πολλά. συμμετρία δὲ σαρκώσεως, ἐν ποσότητι καὶ ποιότητι. μέσον γὰρ ἀκριβῶς ἐστι τὸ τοιοῦτον σῶμα πασῶν τῶν ὑπερβολῶν, ὡς ἂν καὶ νοουμένων τε καὶ λεγομένων πρὸς αὐτό. καὶ γὰρ τὸ παχὺ σῶμα πρὸς τοῦτο λέγεται παχὺ, καὶ τὸ λεπτὸν ὡσαύτως πρὸς τοῦτο, πολύσαρκόν τε καὶ ὀλιγόσαρκον, καὶ πιμελῶδες, καὶ σκληρὸν, καὶ μαλακὸν, καὶ λάσιον, καὶ ψιλόν. οὐδὲν οὖν τούτων ἐστὶ σύμμετρον, ἀλλ' ὡς ὁ Πολυκλείτου κανὼν εἰς ἄκρον ἥκει συμμετρίας ἁπάσης· ὡς ψαυόντων μὲν μήτε μαλακὸν φαίνεσθαι, μήτε σκληρὸν, μήτε θερμὸν, μήτε ψυχρόν· ὁρώντων δὲ μήτε λάσιον, μήτε ψιλὸν, μήτε παχὺ, μήτε ἰσχνὸν, ἢ τινὰ ἑτέραν ἔχον ἀμετρίαν.

Moderata temperaturæ indicia secundum totum animalis habitum: color quidem ex rubro & albo commistus, capilli verò flaui, & vt plurimum mediocriter crispi, carnositatis autem mediocritas in qualitate & quantitate. Medium est enim exquisitè huiuscemodi corpus inter omnes excessus, vt qui ad ipsum dicantur & cognoscantur. Nam & crassum corpus ad hoc comparatum dicitur crassum, & tenue ad hoc eodem modo, & carnosum & macilentum, & pingue & durum, & molle, & hispidum & glabrum. Nullum igitur horum corpus est mediocritatem habens, sed qualis Polycleti regula ad summam totius peruenit mediocritatis, adeo vt neque tangentibus molle videatur, neque durum, neque calidum, neque frigidum: inspicientibus verò neque hirsutum, neque glabrum, neque crassum, neque tenue, aut aliquem alium habens excessum, vel defectum.

Illis

Tractatio haec damnatur.

Illis suppositis, quæ superius dixit esse necessaria ad rectè indicandum de temperaturis corporis, tractationem aggreditur: sed nulla proposita sibi methodo: nec illa quidem obseruata, quam *ab initio huius secundi Comm.* induxit, cum ostendebat, omnium corporum dignotiones sumendas esse ab his, quæ secundum essentiæ rationem corporibus insunt: necnon ab his, quæ necessario corpora sequuntur, quæ sunt operationes & accidentia eorum, quibus postea addit fontê, qui continet iuuantia & lædentia, & nos alium fontê illis addebamus, qui cōtinet omnes corporis causas. Ipse verò in hoc loco particularia quædam numerat, & multa omittit, quoniam fontes sibi nō proponit, & propterea expendere non potest, quid ab illis emanare possit. Prima verò indicia, quæ capit, sumuntur ab accidentibus consequentibus temperiem: inter quæ primũ locum tenet *color, quem dicit esse ex rubro & albo commixtum:* mixtionis autem modum nō tradit. Posset etiam quis dicere, ex nigro & flauo eum oportere esse commixtum, quoniam etiam in sanguine continetur humor biliosus & melancholicus. Itaq; rei natura vult, vt ex proportione quatuor humorũ color definiatur. Est porro in massa humorũ plus sanguinis, quàm pituitæ, & huius plus, quàm bilis pallidæ, & huius plus, quàm humoris melancholici: vnde colorem, qui ex his humorib. resultat in temperata natura, oportet plus rubedinis, quàm albedinis in se continere, & istorum plurimũ & plus palliditatis, quàm nigredinis, & huius minimum. *Capilli verò, inquit, erunt in hac temperie flaui, & vt plurimum mediocriter crispi,* intelligendum id est in pueritia. Nam in sequentibus ætatibus omnibus redduntur capilli plus, vel minus nigri: nec solum quidem debent esse mediocriter crispi, sed etiam in multitudine, paucitate, asperitate, læuitate, crassitie, tenuitate, longitudine, breuitate: necnon in ortu & casu mediocritatem seruare debent: sed quo pacto, quæso, capilli ostendent temperiem habitus corporis, quam dicit sequi temperiem cordis & hepatis, si antea ex illis propria sumpsit indicia ad temperies cerebri detegendas? Quod si ex capillis, tum cerebri, tum habitus corporis temperies significari posse credit: docere vtiq; debebat, quid proprium in illis notari possit, ne vni tribuatur, quod ad aliud pertinet. Verum (vt diximus) pili nihil ostendere possunt, quod ad temperiē cerebri faciat. Quare, quæ ex illis sumentur indicia, re vera pertinebunt ad temperiē habitus corporis. Addit huiusmodi temperiem mediocriter esse carnosam in qualitate & quantitate: intelligit a. mediocritatē in qualitate, quæ est in duritie, mollitie, & fortè etiam in asperitate & læuitate. Verum ego hæc indicia, quæ sumuntur à qualitate & quãtitate carnis nullius puto esse momenti. Nam vt re vera duritiem & mollitiem carnis deprehendere nō possumus, ob ambientem vndiq; cutem: sic tensum pro duro, & flaccidum pro molli nobis imponit. Qui enim multum habent carnis, solida habent membra, compacta, & tensa: at hoc non est durum. Qui verò carnosi nō sunt, flaccida & rugosa membra obtinent, & hoc nō est molle, dicat vero ipse, quomodo dignoscerē velit veram mollitiē, & duritiē, quæ est in carne viuentiũ corporum, imo etiam in mortuis. Fortè etiam, quod scribit de quãtitate carnis, recipiendum non est. *Nam carnis*

Color homini [illegible] temperato [illegible] esse [illegible].

Notat [illegible] dictionem.

[illegible] partiū temperiem, & quomodo ostendere possint.

Signa, quæ sumuntur à qualitate & quantitate carnis, nullius esse momenti.

Mollitiē & duritiē carnis non posse probari in hoc signo.

A *copia non sequitur temperiē aliquam, sed copiam bona materia, ex qua ab initio nostra corpora sunt conformata, & postea aluntur in reliquo vitæ tempore.* Sic enim videmus ex carnosis parentibus filios nasci carnosos, & eos, qui bono & plurimo nutrimento vtuntur, & illud bene concoquunt, non solum pingues, sed etiam carnosos reddi: tanquam sanguis multus siue ille siccior sit, aut humidior, vel frigidior, aut paulo calidior, optima sit materia ad carnis generationem. Addit præterea *huiusmodi corpus inter omnes exquisitè esse medium:* quippe cum ipsum sit aliorum regula, quæ in aliquo deficiunt, vel excedunt. *Non erit igitur crassum, nec tenue, nec carnosum, vel macilentum, vel pingue,* B *vel durum, vel molle, nec hispidum, vel glabrum,* nec (vt addit *cap. 1. secundi de temper.*) *calidum vel frigidum, cum tangitur.* Et quod ad animum pertinet, medium erit inter audaces, & timidos, cunctantes & præcipites, misericordes, & inuidos. *Erit (inquit) talis homo alacer, amicorum amans, humanus, & prudens,* verum fortè dicendum esset, illum esse medium inter alacres & mœstos, & inter eos, qui amant, & odiunt. Nam alacritas & amor excessum videntur denotare, non minus, quàm misericordia & inuidia. *Erit (inquit) etiam hic humanus & prudens, & edet bibetq; in modo: & nutrimenta non solum in ventre, sed etiam in venis, & tota corporis mole probè concoquet: &,* vt semel C dicit, *omnes tum naturales, tum animales, & vitales inculpatas virtutes habet.* Verum hic quædam animaduerti possunt: nam si temperies corporis sequitur solum cordis & hepatis temperiem, fortè nulla sumemus indicia ex eo, quod editur & bibitur, cum harum rerum appetentiam ille statuat fieri in ventriculo, qui separatam habet naturam. Præterea, cum somnus, vigilia, sensus, & motus à cerebro proficiscantur, & nihil habeant cōmune (vt ille tradit) cum hepate & corde, nulla sumemus ab his actionibus & passionibus indicia. Ad hæc corpus, quod in omni re est mediocre, non solum est optimè temperatum, sed etiam optimè constitutum: optima autem constitutio D in se continet non solum optimam temperiem similarium partium, sed etiam optimam structurā organicarum: quapropter videtur hic potius describere notas corporis optimè constituti, quàm temperati. Sed cur etiam signa non sumit à causis iuuantibus & lædentibus? Nam alibi maximum hoc esse indicium ponit temperatæ naturæ, si cōtra omnes lædentes causas mediocriter resistit. Et multo mágis debebat cōmemorare notas quæ sumuntur ex causis concurrentib. ad generationem. Nam non leuis est hæc coniectura temperati hominis, si à parentibus bene temperatis est procreatus, & conceptus, atque natus, cum temperata sydera fauebant, & optimè fuit à temperatissima nutrice educatus, & in reliquo vitæ cursu E nutritus.

Carnis copia non sequi temperiem aliquam.

Corrigit Galeni dicta.

Obiectiones [illegible].

Gal. recedens à suo instituto.

Ὅσοις δὲ ἡ καρδία συμμέτρως θερμότερα μέν ἐστιν, ἢ μὴν ὑγρότερά γε, ἢ ξηροτέρα, κατὰ τὸ σφυγμῶδες γένος, καὶ ὑπὲρ τούτου γὰρ ὁ αἰσθητικὸς λόγος, φαίνεται μὲν δὲ πᾶσι καὶ ἀποπεμποῦσι θερμότερα τοῦτον, ὅσον πέρ ἐστι, τῇ κράσει θερμότερα. λασιώτερα δὲ τὰ στήθη ἔσται, ὅσον πὲρ καὶ θερμότερα, καὶ τὰ πιμελῆς ἧττον ἔχουσι, τῇ χροιᾷ δὲ ξανθότερα, ἢ μελανότριχα.

CAP. LII. DE SIGNIS CORDIS CALIDIORIS.

Quæcunque autem in caliditate à medio recedunt; non tamen in humiditate & siccitate, hoc quantum ad carnosum genus attinet (de hoc enim præsens est sermo) videntur quidem tangentibus calidiora tantum, quantum & eorum temperatura calidior, tanto verò magis hirsuta sunt, quanto & calidiora & minus pinguedinis habent, colorem autem rubrum & capillos nigros habent.

Corrigit hic multa.

Hic quoq; plurima indicia omittit, quæ in superiore capite annotauimus ex suis fontibus duci, nec etiam ea tangit signa, quæ ipse in moderata temperie dixit accipi, & quo modo hi se habeant, in carnis abundantia, & qualitate, in crassitie & tenuitate, duritie & mollitie, hic tacet. *Pinguedinis parum in his esse* tradit, secutus eam rationem, quod putet pinguedinem gigni ex concretione: & propterea illius materiam a calore dissipari, de qua re paulo post agemus. *Colorem verò rubrum*, qui proprius est sanguineis, i. calidis & humidis, quomodo solus abundans in temperie calor, efficere potest? *pilos vero nigros*, qua ratione emittit hæc temperies, quæ moderatam habet humiditatem, & solum excessum in calore? quales capillos, quæso, gignet calida & sicca, si qualiscunq; solius caloris excessus, tales profert? & ille, cum cerebri calidi signa enarrat, hoc solum tribuit magno caloris excessui? Addere etiam debebat, capillos his statim nasci robustos, crispos, & citò caluitium pati, & exprimere ætatem, in qua nigri fiant. Præterea quod à calidis lædantur, iuuentur verò à frigidis, & quod tales esse dignoscantur, si ex parentib. calidis, sub syderibus calidis fuerunt geniti & nati, & cum calidis rebus educati: quales etiam humores procreent, an bilem flauam, vel atram, vel aliquid tale, vt fecit in aliis intemperaturis. Nã autores quæ sunt ex aliis nota, vel omittere debent: aut pro dignitate tractare, quæ particulatim explicanda suscipiunt.

Cap. LIII de signis frigidæ temperaturæ.

Ψυχροτέρας κράσεως σημεῖα, τὸ ἄτριχον, τὸ πιμελῶδες.

Frigidioris autẽ temperaturæ indicia sunt pilorum carentia, pinguedo.

Absolutis signis temperaturæ calidæ, aggreditur notas temperaturæ frigidæ: inter quas primas ponit *pilorum carentiam*: de qua, & illius causis sæpius antea dictum est, cum principiorum temperaturas frigidas explicaremus. Secundum signum frigidi habitus corporis dicit sumi *à pinguedine*. Pingues enim esse, quibus frigida temperies cõtingit. Cuius rei rationem omnes interpretes dicunt esse, quoniam pinguedo *in lib. 2. de temper.* gignitur per concretionem à frigiditate membranarum. A quorum quidem opinione, cum ego longè absim, cogor de adipe diligentiorem tractationem instituere, vt ex certis principiis controuersia dirimatur. Primum ergo quid sit adeps, pinguedo, seuum, sebum, axungia, sagina, vnguen, vnctio, lardum, & quomodo inter se hæc differant, docebo: Secundo, quæ sit istorum materia, efficiens causa, & modus, quo gignuntur, & locus, in quo fiunt, enarrabo: Postremo illorum vsum, & incommoda, quæ illa corpori præbent, explicabo. Pinguedinis nomen nobis si-

De adipe & pinguedine disputatio.

Pinguedo quid.

A gnificat *quicquid instar crassioris olei in animalibus concrescit, & igneo calore, aut certè vehementi dissoluitur.* Huius rei variæ sunt species, forma, consistentia, & nominibus quoque distinctæ. Pinguedo generis nomen esse videtur: etsi etiam vsurpari soleat pro humidiori pinguedine simili oleo, longa vetustate incrassato, vt videre est apud Galeaum *in libro 3. de alimentis.* Colligitur hæc, vt idem testatur *lib. vndecimo de Simpl. medic.* in animalibus valde humidis, quales sunt sues. Adipis verò & seui natura siccior densiorque est, &, vt idem scribit, in animalib. siccioribus prouenit, vt sunt boues, oues, capræ, & alia animalia cornigera. Differt tamen seuum ab adipe, teste Aristot.

Pinguedinis species.

Adeps, seuũ, quid & quomodo differant.

B *libro secundo, de partibus animalium, capite quinto*, quod seuum gignatur ex sanguine corpulentiore, & crassiore. Propterea cornigera, vna parte dentata, seuo pinguescunt. bisulca vero, scissisve in digitos pedibus, & non cornigera, adipe. Propterea seuum concrescit, & friabile est, statim atque refrixit; & circa renes animalium potissimũ adnascitur. Adeps verò non cogitur nec siccitate frangitur: gigniturque in minus siccis animalibus, non tamen in humidissimis, ad epigastrium & circa renes; In cornigeris verò animalibus circa musculos & cutem: & ille siccior duriorq; est: Ita vt mediam referat naturam adeps inter pinguedinem propriè dictam, & seuum. Cæterum

Quæ animalia habeant seuũ & quæ adipem.

C suillum adipem proprio nomine axungiam vocamus. Medulla verò pinguedo etiam est, cum calore fundatur, & ex eadem materia fiat, qua alii adipes: & in quibusdam animalibus nempe humidioribus pinguis est, & adiposa; in aliis vero seuosa. Est igitur medulla pinguedo, quæ in ossium cauernis continetur. Vnguen verò & vnctio videntur exprimere pinguedinem iam coctam, etsi alio nomine quicquid ad vngendum est aptum. Lardum verò est pinguedo suilla salsa: At saginæ nomen significat pinguedinem deliciis & arte superflua paratam: Vnde saginata animalia. Materia omnis pinguedinis sanguis est: ex eo enim caro & pinguedo fit, & vt scribit Arist. *lib. 2. de hist.*

Axungia quid.

Medulla quid.

Vnguen. Vnctio.

Lardum. Sagina quid.

Materia pinguedinis.

D *anim. c. 16.* cum pabuli copia suppetit, caro vertitur in pinguedinem, id est, postea quam caro copiosa est genita, si sanguis affluit, non amplius caro, sed pinguedo fit, prius enim de carnis generatione natura solicita est. Quod verò fiat ex sanguine adeps, ex eodem autore patet: qui 19. *c. eiusdem lib.* dicit, adipem & seuum in iis non fieri, quæ sanguine carent. Verum etsi caro & pinguedo ex sanguine fiunt, tamen pinguedo puriorem sanguinem desiderat; propterea rectè scribit Aristoteles pinguia omnia sanguinem paucum, sed puriorẽ habere, & impuridum; idem docet, quòd *pingues homines benigni sint, hilares, humani, salubres, & diuturna vita*, nisi præter modum pingue-

Pinguium hominum natura.

E do excreuerit, ita vt transpirationem, & caloris motum impediat. Gal. *in lib. 2. de temper.* particularius naturam sanguinis, ex quo fit pinguedo, expressit, cum scribit pinguedinem fieri ex eo, quod est in sanguine, oleosum, fluxile, pingue, leue, & tenue. Quare videtur eadẽ esse materia bilis flauæ, quæ non ex cibo, sed ex adustione fit. Nam eam scribit Gal *in lib. 2. de diff. feb. c. 12.* pinguedinis materiam. Aristot. quoq; *in lib. 1. de gen. anim.* eandem materiam pinguedinis & seminis ponere videtur, cum scribit, eos qui pinguiores euaserunt, paucum semen emittere, & minus venerem expe-

expetere & infœcundos reddi: ac pinguedinem excrementum, vt semen, sanguinemq; esse concoctum, sed non eodem modo. Propterea non mirum, si castrata animalia pinguiora euadant. Quia eadem est seminis & adipis materia: ita vt alterutro deficiente, alterum exuperare necesse sit. *Fit ergo adeps ex calida materia, nempe aerea. spirituosa, oleosa:* quod illius leuitas etiam ostendit: nec non effectus calidi, quos ipse adeps præstat, attenuando, discutiendo, maturando, quæ sunt in nostris corporibus. Et interim, cum etiam nos aduersus frigus tuetur. Concipit facilè flammam, & à corpore extractus calidus sentitur, calefaciendique vim retinet, quam sanguis amittit.

Adipem fieri ex materia calida.

Cæterum non perinde facile est docere, à qua causa fiat pinguedo, à calore scilicet vel à frigore, & an per concretionem, vel per concoctionem crassescat. Nam Galenus *in lib. 2. de temperament.* scribit pinguedinem fieri, cum id, quod oleosum est in sanguine, in frigidum locum venit, cuiusmodi sunt membranæ, & in illis concrescit. Vult ergo pinguedinem aceruari circa membranas, & concretionem ab illarum frigiditate crassescere. Cuius opinio mihi non placet. Quod si autoritate certandum est, clara est multis in locis Aristot. sententia. Nam *lib. 3. de partib. animal. cap. 9.* inquit, *finis probæ concoctionis sanguineæ est & seuum.* Et *lib. 2. cap. 6. eiusdem operis. Sanguinis,* inquit, *per se concoctio & seuum & adeps est.* & *libro 3. de histor. animal. cap. 19. fit per concoctionem ex sanguine adeps.* At si fit per concoctionem, ergo à calido fit: frigidum enim cruditatis est causa, & pituitam gignit, vt in senibus apparet, non adipem. Cur etiam circa ossa frigidissimas partes non concrescit pinguedo, sed potius circa lumbos, calidissimas partes, & circa etiam ipsum cor, quod maximè feruet? Præterea nulla pars nostri corporis, dum viuimus, friget actu, sed calet. At in rebus externis videmus concretionem fieri, non etiam à tepido calore, vel leui frigore, sed à vehementi. Quod si membranæ per concretionem, & frigiditatem sanguinem crassescere faciunt in pinguedinem, cur etiam ventriculus, intestina, nerui, ossa, cartilagines, materiã, quam alterant in nutritione, vel abscessibus, non inspissant per concretionem? Idem enim Galeno repugnat, qui per concoctionem alterari, incrassari, & assimulari omnem huiusmodi materiam scribit. Quod si ita est, cur solum adipem à frigiditate membranarũ per cõctetionem crassescere statuit? Verum quidem est, adipem non fieri nisi circa membranas, sed non propter illarum frigiditatem id contingit; verum *propter densitatem*: carné enim promptè penetrat sanguis ille pinguis & oleosus, ex quo pinguedo fit; à solis verò membranis sisti, & contineri potest: vt & ipsum oleosum non nisi in pellibus animalium admodum densis contineri est aptum. Igitur circa membranas collectas ille sanguis à calore calefacit, & tenuiore portione dissoluta, quod reliquum est densatur & crassescit. Cæterum quod densitas membranarum, causa sit generationis pinguedinis, eo quod sistat motum materiæ ipsius, docet Aristoteles *lib. 3. de partibus anim. c. 3.* vbi agens de omento, scribit, circa illud pinguedinem generari, eo quod densas habeat membranas. Sic in destillationibus ex vaporibus ascendentibus aqua gignitur in operculis densis, etiam calidis, adeo vt vix tangi possint: qua ratione etiam ex vaporibus ascendentibus ad caput, aquosi humores ob densitatem ossium procreantur, non à frigiditate cerebri, vt vulgus Medicorum hactenus credidit: de pituita autem, quæ in cerebro prouenit, alia est ratio, vt *superius* ostendimus. *Calor ergo cum densitate membranarum pinguedinem facit.* Ac sicut frigus ineptum est ad illius generationem; sic calor, qui moderatus non est, sed igneus, ad idem opus est inhabilis. Hic enim materiam pinguedinis digerit & absumit, nec aliquid ex ea relinquit, quod in pinguedinem crassescere possit. Vnde in iuuentute, æstate, in temperamentis biliosis, in viris, quàm in mulieribus, pinguedo parcior, vehementior enim est in illis calor, quàm pinguedinis generatio requirat. Igitur ad generationem pinguedinis requiritur *materia ex sanguine pingui, oleoso, densitas membranarum, & calor moderatus.* Nec contra faciunt, quæ adferri solent, illa, inquam, à frigore esse concreta, quæ calore dissoluuntur & liquescunt, & contrà fieri, vt ea, quæ calore dissoluuntur, sint prius à frigore incrassata. Nam butyrum calore dissoluitur, & calore factum & incrassatum est. Nam motu ex agitatione baculi comparato, factum & incrassatum est. Id quod etiam ostendit, quia in vehementi frigore, non nisi iuxta ignem fieri possit. Impedit enim vehemens frigus separationem partium diuersarum, quæ in lacte sunt, vt incrassationem oleosæ substantiæ. Quinetiam metalla ignea vi dissoluuntur & liquescunt, quæ tamen frigus non incrassauit: quippe cum in profundis visceribus terræ, & vbi calor plurimus est, gignantur: dissoluuntur autem à multo ignis calore, quia ex diuersis substantiis, terrena, inquam, & aquea inter se mixtis, à moderato calore sunt confecta. Non mirum ergo, si calore ignis, cui omnia (inquit Arist.) sunt materia, quique vim habet separandi homogenea, & fundendi humores, liquescunt. Calor ergo vehemens vim habet dissoluendi non solum quæ à frigore, sed etiam quæ à moderato calore sunt incrassata. Sic enim pus à calore natiuo confectum, igni admotum funditur & liquescit: & mel, & oleum nullo frigore incrassata, sed talia, qualia sunt à suo calore, igneo postea calore attenuantur, & liquidiora redduntur.

Pinguedo fiat ne à calore vel frigore.

Gal. opinio quod fiat à frigore, id quod confutatur.

Adeps cur solum circa membranas concrescat.

Qui ad pinguedinẽ sint proni, & qui non.

Quid adpinguedinis generationem requiratur. Soluit argumenta eorũ, qui dicunt pinguedinẽ fieri à frigido.

Ignem omnium esse materiam.

Porro pinguedinis in corpore nostro vsus est, vt partes, quibus incumbit, calefaciat, quia ipsa ex calida substantia constat, & viscosa est & crassa, ita vt vapores calidos à corpore exhalantes arceat, & intus contineat. Et quoniam externum frigus non facilè admittit, prodest etiam aduersus externum calorem. Eum enim temperat sua aerea humiditate. Propterea qui pingues sunt, in vehementi rigore, & æstu omnium temperatissimè degunt: inania quoque spatio replet, cutem tendit, & propterea pulchritudinem & venustatem corpori adfert. Nimia tamen pinguedo non solum suo pondere corpus grauat, sed etiam sterilitatem adfert, consumpta seminis materia in pinguedinem: & in viris peculiari ratione obest generationi: *quoniam crescente ob pinguedinem præter modum abdomine, penis breuior redditur, aut certè nequit aptè coniungi cum mulieri pudendo. Eadem ratione mulieribus obest, tum etiam quia os vteri comprimitur*, vt inquit Hippocrates. Adde quod *vterus pinguedine perunctus, semen viri retinere nequit*: Vitam quoque reddit breuiorem

Pinguedinis in corpore nostro vsus & incommoda.

Viris cur obsit pinguedo ad generationem.

Cur itidem mulieribus.

que reddit breuiorem nimia pinguedo, quia corpori alimentum detrahit, dum sanguinis maior pars in eam conuertitur, & arterias, venas, omniaque viscera grauat, atque ita calorem suffocat: vnde turtures, & oues spontè præ nimia pinguedine moriuntur. Eadem quoque hominibus repentinam sæpe adfert mortem. Atq; hæc quidem de pinguedine. Ex quibus non absurda esse cognoscitur Gal. opinio, qui scribit, in frigidiore habitu pinguedinem gigni, & hanc frigiditatis esse notam. Nam frigiditas, cuius hic signa quærit, est in latitudine bonæ sanitatis, & nihil aliud est quã calor temperato paulò remissior. Hic autem humiditatem sibi associare solet, & illam concoquere & incrassare, non autem dissipare est aptus. Quod si Gal. sua principia secutus intelligeret pinguedinem in iis nasci, quod frigiditas illorum aliqua sit, quæ sanguinem cogat, & incrasset, planè aberrat.

3 Signum.

Τὸ ψυχρὸν ἁπτομένοις.

Idq; tangentibus frigidum sentitur.

Quandiu viuunt nostra corpora, actu frigida esse nequeunt: Nec propterea tactu frigida sentiri possunt: frigidiora verò temperatis sentiunt, quæ illis frigidiora sunt. Frigidum igitur intelligere oportet pro *frigidius*: Qui mos loquendi frequens est in medicina, vt Gal. *in lib. de pulsib.* & *passim alibi* docet: sic enim pulsum magnum, velocem, & frequentem intelligimus pro eo, qui maior est, velocior, & frequentior, quàm sit pulsus hominis temperati. Porro sentiuntur corpora, de quibus hic agimus, frigidiora: verum non solum illa, sed etiam, quæ carnosa sunt, & pinguia, vt experientia docet, & ratio etiam suadet. Nam cum carnis & pinguedinis abundantia calor acris esse non potest.

Ἡ χροιὰ δ' αὐτοῖς, ἅμα ταῖς θριξὶ πυῤῥοτέρα. πλεῖστης δ' τῆς ψύξεως οὔσης, πελιδνή πως ἐστιν. καὶ καλεῖν ἔθος ἐστιν ἐνίοις τῶν ἰατρῶν τὰς τοιαύτας μολυβδοχρόας.

4 *Color vero vna cum capillis ruffius, & vbi frigiditas multum excesserit, liuidior, quem & plumbeum nonnulli Medici vocare solent.*

Gal. opinio de colore, ex nimia liuido notatur.

Minimam puto hanc temperiem posse habere vim ad colorem corporis, & capillorum mutandum. Nam cum color sequatur humorum mutationem, simplex temperies in latitudine sanitatis, qualem quæso potest generare humorem? omnis enim humor duplici qualitate est præditus, & propterea compositam qualitatem in agente postulat, à quo generatur. At multo minus illud mihi videtur probabile, quod scribit *de colore liuido*. Nam *lib. 1. prognost.* ait, liuidum colorem magnam sequi læsionem, vt qui non longè distet à nigro. Quam rationem secutus Hippocr. postea *in 2. libr.* Deiectiones & vrinas, & vomitiones liuidas, maximè exitiosas esse scribit. Addo, quod huiusmodi colorem non videmus nisi in iis, qui vel morti sunt propinqui, vel in iis, qui melancholico & pituitoso humore simul redundant. At qui habitu corporis est frigidiore in latitudine sanitatis, nec tales habet humores, nec lethalem

A illam caloris diminutionem, vel potius extinctionem, quæ possit huiusmodi colorem efficere.

Cap. LIV. De signis temperaturæ siccæ.

Ἡ δὲ ξηροτέρα κρᾶσις, ἰσχνοτέρα τε ἐστι καὶ σκληροτέρα τῆς εὐκράτου τοσούτῳ, ὅσῳπερ ἂν ᾖ ξηροτέρα· τὰ δ' ἄλλα παραπλήσιος.

Siccior autem temperatura, tanto gracilior est, & durior bona temperatura, quanto maior est siccitas. In reliquis autem eodem modo se habet.

Gracilitas non sequitur qualitatē siccam temperamenti habitus corporis, sed *paucitatem carnis vel pinguedinis*, aut ossium paruitatem: ossium autem paruitas sequitur *vel paucitatem materiæ,* B *ex qua sunt facta, vel formam parentum*: solent enim graciles generare graciles, vt parui paruos, & magni magnos. Carnis verò abundantia fit *ex abundantia humorum, qui boni sint, aut certè non admodum vitiati*: vnde videmus vbi insignes sunt intemperies, carnem copiosam non gigni: tamen reperire est sanguineos, pituitosos, biliosos, & melancholicos carnosos: & tanto quidem magis reperientur esse, qui excessum habent secundum naturam in solis qualitatibus temperaturæ, maximè si vna sola qualitas excedit: ita & defectus carnis sequitur defectum humorum, etiam si in illis nulla siccitas, aut alia qualitas dominatur. Sic enim videmus quosdam graciles, in quibus non agnosces aliquam siccitatem. Pinguedinis abun-C dantia *sequitur boni & olei sanguinis copiam*. Illius verò defectus nascitur ex defectu talis materiæ. Quod si ita res habet, non rectè hic scribitur, gracilitatem esse indicium siccæ qualitatis exuperantis in temperamento: & multo minus duritiem potest esse signum nostræ siccitatis. Nam etsi in rebus externis durum sit (quod reuera durum est) a siccitate: in nostris tamen corporibus in quibus semper humidi plus est, quam sicci (alioqui quomodo corpora viuere, & flecti, erigique possent?) caro, cuius hic temperiem prosequimur, dura esse non potest. Mirum enim esset, si corpora in latitudine sanitatis posita, ob siccitatem dura redderentur: cum ea, quæ ex febribus tabescũt, nullam, aut certè vix aliquã ostendant duritiem. D Tensa quidem aliquibus sunt membra, sed id ob carnis, & pinguedinis subiectæ copiam: & hæc tactui resistunt vt dura. At Gal. tensum à duro, & concreto differre docet. Igitur siccitas nostri temperamenti, cum præsertim sani sumus, duritiem adferre non potest. Quod verò scribit, *in reliquis siccum temperamentum esse simile*, non video, quomodo id dici possit. Nam si simile intelligat temperato, quo dicebat esse durius, & gracilius, ratio conuincit, vt non minus in aliis, quàm in gracilitate, & duritie inter se sint dissimilia hæc temperamenta. Quare & id etiam fortè negligentius est scriptum.

Ossium magnitudo à quibus causis, vnde sit dem gracilitas.

A quibus carnis abundantia.

Pinguedinis abundantia.

Durum in nostris corporibus, vnde.

Cap. LV. De signis temperaturæ humidæ.

E Καὶ ἡ ὑγροτέρα δὲ, τὰ μὲν ἄλλα παραπλήσιος, εὐσαρκοτέρα δὲ καὶ μαλακωτέρα, καὶ μὴν καὶ κατὰ συζυγίαν τῶν πρώτων ποιοτήτων αἱ δυσκρασίαι γνώριμοι, οὐδὲν ἔχουσι καὶ τὴν τῶν γνωρισμάτων ἰδέαν.

Et humidior etiam in reliquis quidem eodem modo se habet, melius autem carnosa, & mollior, & quidem secundum coniuga-

iugationem qualitatum primarum facta intemperatura compositam habent indiciorum formam.

Et *in hoc*, & in *superiore capite* dicit, intẽperata corpora solum differre à temperatis gracilitate & duritie, carnis abundantia, & mollitie, in reliquis verò eodem modo se habere. Quod quomodo fieri possit, non video. Repugnat enim rationi & experientiæ hoc præceptum. Nam quomodo diuersa temperies eosdem effectus parere potest, aut easdem habere causas? Quod si in temperatis habitus corporis hoc verum esse putat, cur idem etiam non docuit, cum ageret de temperaturis cerebri, cordis, hepatis, & testium? Itaque non solum carnosior & mollior erit humida temperies, quàm sit temperata, sed etiam erit magis B hirsuta, & citius caluitiem patietur, & magis decolorata: atque à siccis causis promptius lædetur, & alia habebit propria indicia ex suis fontibus ducta, quæ, quoniam iam sæpius à me sunt repetita, silentio prætereo.

Cap. LVI. De signis temperaturæ calidæ et siccæ.

Ἡ μὲν γὰρ θερμοτέρα καὶ ξηροτέρα, λασιωτέρα καὶ θερμοτέρα, καὶ σκληροτέρα, καὶ ἄπιμελος ἐστι, καὶ ἰσχνή, καὶ μελανόθριξ. εἰ δὲ ἐπὶ πλεῖον ἥκει θερμότητος, καὶ μελάγχρους.

Calidior simul ac siccior est hirsuta magis, ac calida & dura existit, & pinguedine caret, tenuisque est, & capillos nigros habet: si verò multum in caliditate excedat, color quoque niger illi adest. C

Ne videatur Gal. diminutus, singula prosequi volt, non curans interim, si hoc negligenter facit. Nam si habitus corporis sequitur temperiem cordis & hepatis in easdem qualitates conspirantem, scire quoque id debebat, ea signa in habitu apparere, quæ antea dixit in eo esse conspicua, dum eorum principiorum temperies significabat. Et tanto profectò euidentiores notas nunc esse oportet, quanto rationi consonum est, quando coniunctæ duorum viscerum temperaturæ simul conspirant. Erit ergo hæc temperies *maximè hirsuta* per vniuersum corpus, & pili promptissimè in eo habitu nascẽtur, & in eodẽ citò decident: & nõ solum *erunt nigri*, sed etiam ob adustionem crispi, & multi, & prolixi. Tactu quidem D sentietur hæc temperies *calida*: *dura* verò ob rationes prædictas nequaquam, tum etiam quod durum est *similaris partis* propria passio: cum verò tangimus corpus, plures partes similares iuxta se positas premimus: quæ arctissimè se contingunt, duræ ignaris, solidæ verò & tensæ doctis, qui hæc norunt distinguere, apparent. Porro hæc temperies *minimam alit pinguedinem*: quoniam quod oleosum est in sanguine, absumit, & violentius dissipat. Non eadem est ratio de carne. Nam sanguis, ex quo caro gignitur, sustinet maiores alterationes: & propterea non raro videmus multos carnosos cum asperitate cutis, & multis pilis, & aliis indiciis, quæ euidenter testantur, calorem & siccitatẽ in ipsa intemperie etiam plurimum exuperare. Cæterum in hac temperie *color est niger* ob adustionem humorum. Sed cur etiam non dixit, in ipsis sanguinem crassum & siccum, & primum flauam bilem, & postea atram, cum venarum latitudine & duritie abundare: pulsusque fieri magnos, veloces, & frequentes: nam A hæc in habitu corporis fiant & appareant necesse est: si modo ille sequitur temperiem cordis & hepatis. Offenduntur pariter hi à calidis & siccis, iuuantur verò à frigidis & humidis. Atque geniti sunt à calidis, & siccis parentibus, sub astris calidis & siccis: quæ indicia, si posthac non repetam, ex his & superioribus intelligi volo.

Ca. LVII. De signis temperaturæ calidæ et humidæ.

Ἡ θερμοτέρα καὶ ὑγροτέρα κρᾶσις, μαλακωτέρα τε καὶ εὐσαρκοτέρα, καὶ θερμοτέρα τῆς ἀρίστης κράσεως εἰς τοσοῦτον ἐστίν, εἰς ὅσον ἀμφοτέραις αὐξηθῇ ταῖς ποιότησιν. ἐπὶ πλεῖστον δὲ αὐξηθεῖσα, τοῖς σηπεδονώδεσιν ἑτοίμως ἁλίσκεται νοσήμασιν, ὅτε καὶ κακόχυμος ἑτοίμως γίγνεται. εἰ δὲ ὀλίγῳ μὲν ὑγροτέρα, παμπόλλῳ δὲ εἴη θερμοτέρα, καὶ μαλακώτεροι μὲν ὀλίγῳ τῶν συμμέτρων οἱ τοιοῦτοι, καὶ σαρκωδέστεροι, λασιώτεροι δὲ οὐκ ὀλίγῳ, καὶ μὲν δὴ καὶ ἀπιμελεῖς, οὐκ ὀλίγῳ θερμότεροι. μέλαιναι δὲ αὐτοῖς αἱ τρίχες, καὶ ἡ σὰρξ ἄπιμελος. εἰ δὲ ὀλίγῳ μὲν εἴη θερμοτέρα, παμπόλλῳ δὲ ὑγροτέρα, μαλακὴ τούτοις ἐστὶν ἡ σάρξ, καὶ πολλή, καὶ τὸ χρῶμα συμμιγὲς ἐξ ἐρυθροῦ καὶ λευκοῦ, καὶ ψαυόντων ὀλίγῳ θερμότεροι. συλλήβδην δὲ εἰπεῖν ἐπὶ τῆς κατὰ συζυγίαν κράσεων, ἀεὶ τῆς ἐπικρατούσης ποιότητος, ἐπικρατήσει τὰ γνωρίσματα.

Calidior & humidior temperatura, mollior, & calidior & carnosior, tanto est bona temperatura, quantum & vtriusque qualitatibus aucta fuerit. Quod si plurimum augeatur, citò similiter à putredinis corripitur morbis, quoniam & humorum vitio promptè laborat: si verò parum quidem humidior sit, multò verò calidior, molliores quidem parum huiuscemodi sunt his, qui bonam habent temperaturam, & magis carnosi, non parum verò hirsutiores, & tangentibus non parum calidiores. Nigri verò eis capilli & caro pinguedine caret. Si verò paulo quidem calidior, multo verò humidior, mollis his caro est & multa, & color commistus est ex albo & rubro, & tangentibus paulo calidiores. Et vt summatim dicatur, omnibus temperaturæ coniugationibus semper superexcedentis qualitatis indicia eminebunt.

Et hæc omnia patent ex prædictis. Nam si mollities sequitur humiditatem, & caro plurima gignitur cum plurimum sanguinis procreatur, necesse est, hunc habitum longè molliorem esse, & carnosiorem temperatâ naturâ. Illam verò distinctionem, quam hic ponit *de excessu caloris, aut a-* E *qualitate cum humore, vel econtra*, si putat hic necessariam esse, (vt re vera) cur etiam in aliis illam non expressit? Plurimum enim refert, si in omnium partium temperie, quarum signa quærimus, ambæ qualitates pari excessu coniungantur, aut vnius maior sit, quàm alterius excessus. Causam verò, cur huiusmodi temperaturæ sint obnoxiæ *morbis ex putredine*, iam explicauimus,

Sanguis siccus quando.

quod scilicet à calore plurimi attollantur vapores ex humore subiecto: qui cum eos libere transpirare non sinat, calorem ex prohibita transpiratione accendit, ex quibus fit putredo, & non solum quidem hi morbis ex putredine tentantur, sed etiam aliis, qui ex fluxionibus originem ducunt. Reliqua patent, & si quid desit, ex prædictis fontibus addi potest. A

CAP. LVIII. DE SIGNIS TEMPERATVRÆ FRIGIDÆ ET HVMIDÆ.

Ἡ ψυχροτέρα δὲ καὶ ὑγροτέρα κρᾶσις, ἐπ' ὀλίγον μὲν ἀμφοῖν ηὐξημένων, ἄτριχός τέ ἐστι, καὶ λευκή, καὶ μαλακή, καὶ παχεῖα, καὶ πιμελώδης. ἐπὶ πλεῖον δὲ τὰ μὲν ἄλλα κατὰ ἀναλογίαν τῆς τῶν ποιοτήτων αὐξήσεως. ἡ χροιὰ δὲ ἅμα ταῖς θριξὶ πυρρά, καθάπερ γε καὶ εἰ ἐπὶ πλεῖστον ἀμφοῖν ηὐξημένων, πελιδνή. εἰ δ' ἄνισος ἡ αὔξησις εἴη τῶν ποιοτήτων, ἐπικρατήσει τὰ τῆς μᾶλλον ηὐξημένης ἴδια. B

Frigidior autem atque humidior temperatura, si parum quidem utraque augeatur, capillis nuda, & alba, & mollis, & crassa, & pinguis. Si magis excesserit, reliqua quidem sunt secundum proportionem augmenti qualitatū, color autem una cum capillis ruffus. Quemadmodum si plurimum utraque augeatur, liuidus: si vero qualitatum augmentum fuerit inæquale, eius, quæ superexcesserit indicia eminebunt. C

Patent hic etiam ferè omnia ex principiis, quæ illæ posuit in hac tractatione. Nam *pili pauci* admodum gignuntur ex hac temperie, *color* quoq; *est albus* ob pituitæ abundantiam, & *mollis* ob humiditatem, & ob eandem qualitatem ea corpora sunt *crassa*. Nam humor materiam suppeditat, ex quo carnis & pinguedinis abundantia, ex quibus crassities corpori accedit, adiuuante etiam frigiditate: quæ in paruo excessu non impedit concoctionem, & generationem carnis, & pinguedinem ideò cumulat, quia non dissipat, quod oleosum est in sanguine. Maiorem verò difficultatem facit quod scribit de *colore & capillis rufis*. Nam cum huiusmodi color non fiat sine bile, exuperantis sunt causæ. Quod verò de *liuido colore* subiungit, iam antea refellimus: propterea quod grauioris mali talis color est indicium. Cur etiam nō addit, hanc temperiem morbis pituitosis esse obnoxiam, & offendi à frigidis & humidis: Iuuari vero à calidis & siccis? & venas habere paruas, pulsusque paruos, & raros, & reliqua, quæ frequenti repetitione iam mihi nauseam pariunt? D

CAP. LIX. DE SIGNIS FRIGIDÆ SICCÆ TEMPERATVRÆ.

Εἰ δὲ τὸ ψυχρὸν ἅμα τῷ ξηρῷ κατ' ἴσον αὐξηθείη, φύσει σκληρὸν καὶ ἰσχνὸν ἔχουσι τὸ σῶμα καὶ ἄτριχον, ἁπτομένοις δὲ ψυχρόν. ἡ πιμελὴ δὲ ὅμως αὐτοῖς, καίτοι γε ἰσχνοῖς οὖσι, παρέσπαρται τῇ σαρκί. τὰ δὲ τῶν τριχῶν καὶ τῆς χροιᾶς, ἀνάλογον τῷ μέτρῳ τῆς ψυχρότητος. μεταπεσούσης δὲ τῆς θερμῆς, καὶ ξηρᾶς κράσεως ἐν τῷ χρόνῳ τῆς παρακμῆς εἰς τὴν ξηράν τε καὶ ψυχράν, ἡ ἕξις τῶν τοιούτων ἰσχνὴ καὶ σκληρά, καὶ μελαγχολικὴ διὰ τοῦτο, E μέλαιναί τε ἅμα καὶ δασεῖαι. κρατούσης μὲν τῆς ἑτέρας τῶν ποιοτήτων παρὰ πολύ, τῆς δ' ἑτέρας ὀλίγον τι τοῦ συμμέτρου παραλλαττούσης, ἐπικρατήσει μὲν τὰ τῆς ἐπικρατούσης, ἀμυδρὰ δ' ἔσται τὰ τῆς ἑτέρας γνωρίσματα. ἐπὶ πᾶσι δὲ τοῖς εἰρημένοις τε καὶ μέλλουσι λέγεσθαι, κοινὸν γνώρισμα κράσεως· εἰ μὲν εὔψυκτον εἴη τὸ μόριον, ἤτοι ψυχρότητος, ἢ ἀραιότητος· εἰ δὲ δύσψυκτον, ἤτοι θερμότητος, ἢ πυκνότητος· εἰ δὲ ὑπὸ τῶν ξηραινόντων βλάπτοιτο, αὐχμηρόν τι καὶ ξηρὸν καὶ δυσκίνητον γίνοιτο, ξηρότητος· ὥσπερ γε καὶ εἰ βαρύνοιτο πρὸς τῶν ὑγραινόντων, ὑγρότητος. ἐπιβλέπειν δὲ καὶ εἰ ὡσαύτως ἀλλήλοις ἅπαντες οἱ μύες, ἢ οὐχ ὡσαύτως κέκρανται, συνεπισκοπουμένην ἐν ἅπασι πηλικότητα τῶν ὑποβεβλημένων ὀστῶν. ἐνίοτε γοῦν ἰσχνότερον εἶναι δοκεῖ τὸ μέρος, οὐκ ὂν ἰσχνότερον, ὅσον ἐπὶ τοῖς μυσί, διὰ δὲ τὴν σμικρότητα τῶν ὀστῶν τοιοῦτον φανταζόμενον. οὕτως δὲ καὶ παχύτερον ἐνίοτε εἶναι δοκεῖ πολλάκις, οὐ διὰ τὴν εὐρύτητα τῶν ὀστῶν, ἀλλὰ διὰ τὸ τῆς σαρκὸς πλῆθος, ἥτις αὐξανομένη τε καὶ μειουμένη, σκληροτέρα τε καὶ μαλακωτέρα γινομένη, ἢ ξηρότερον, ἢ ὑγρότερον ἀποφαίνει τὸ μόριον. ἡ μὲν οὖν ὀλίγη τε καὶ σκληρά, τὸ ξηρότερον· ἡ πολλὴ δὲ καὶ ἡ μαλακή, τὸ ὑγρότερον. οὕτω δὲ καὶ αἱ μεταξὺ χῶραι τῶν ὁμοιομερῶν σωμάτων, ἢ τὸ πλέον ὑγρὸν ἐν αὐταῖς, ἢ ἔλαττον ἐπέχουσαι, καὶ ἤτοι παχύτερον, ἢ λεπτότερον, ἢ ὑγρότερον, ἢ ξηρότερον ἀποφαίνει τὸ μόριον. ὑγρότερον μὲν ἔνθα λεπτότερά τε καὶ πλεῖον ἐστὶν ἡ ὑγρότης, ξηρότερον δὲ ὅπου παχυτέρα τε ἅμα καὶ ἐλάττων.

Si autem frigiditas una cum siccitate æqualiter augeatur, natura durum ac tenue & glabrum corpus habent, & tangentibus frigidum; pinguedo tamen ipsis etsi graciles sint, per carnes dispersa. Capilli autem & color frigiditatis modum, ac proportionem sequuntur. Vbi vero calida & sicca temperatura in tempore decrementi, in frigidum siccum labitur habitum, tunc hi graciles fiunt & duri, atque atra bilis in eis dominatur, & ob id nigri simul & hirsuti euadunt, vbi igitur altera qualitas plurimum dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia. In omnibus vero, de quibus supra diximus & postea dicemus, cōmune est temperatura indicium, si membrū facile frigescit, vel frigiditatis, vel raritatis: si vero non facile, vel caliditatis vel densitatis: Si verò à desiccantib. offendatur, & aridum & siccum, & non facile mobile fiat, siccitatis; quemadmodum & si ab humectantibus grauiter se habeat,

habeat, humiditatis. Inspicere autem oportet, si eandem omnes musculi seruant temperaturam, vel minime eandem, atque in omnibus animaduertere subiectorum ossium quantitatem. Nonnunquam enim gracile videtur membrum, cum tamen non gracile, quod ad musculos attinet, sed propter ossium tenuitatem tale videtur. Sic & crassius quibusdam plerumque apparet, non ob ossium amplitudinem, sed ob multitudinem carnis, quæ vel aucta, vel comminuta, vel durior aut mollior effecta, siccius aut humidius membrum ostendit. Pauca quidem ac dura, siccius. multa autem & mollis, humidius. Sic & intermedia spatia similariũ corporũ vt plus vel minus humidæ substantiæ in seipsis continet, vel crassius, vel tenuius, vel humidius, vel siccius membrũ ostendunt: humidius quidem, vbi subtilior & plurima est humiditas: siccius verò, vbi crassior simul & minor.

Prosequitur *hoc loco* signa temperaturæ frigidæ & siccæ? atque in illis explicandis maiore vtitur diligentia, quàm in aliis fecerit: adeo vt cum vult vsque ad minimas differentias & circumstantias rem ducere incidat in illa, quæ vel nullius momenti sunt, aut nullo modo qualia sint, percipi possunt; quæ quidẽ suo loco patefaciam. Primum igitur statuit *frigiditatem æqualiter augeri cum siccitate* statim in primis ætatibus, deinde hoc idem fieri *in declinante ætate* ex calidæ & siccæ temperaturæ lapsu, postea vero docet, quæ sint indicia temperaturæ frigidæ & siccæ, vbi hæ qualitates inter se inæqualiter coniunguntur. Postremo quædam annotat, quæ possunt nobis imponere.

Ac vt ad primum redeamus: *Si frigiditas cum siccitate æqualiter est aucta* in habitu corporis, erunt hæc signa: *Corpus est natura durum, tenue, glabrum, & tangentibus frigidum.* Nos antea ostendimus, *durum*, in carne non fieri à temperie sicca, quia siccum in nobis vim non habet indurandi, cum semper partes nostræ humore abundent, ob quem flectuntur, & molles sint: tum quod durum est simplicis corporis similaris passio. Nos autem semper tangimus plures similares, inter se circumligatas, & propterea solidũ pro duro, & flaccidum pro molli cogimur intelligere. Quod enim solidum est vel flaccidum sub cute, deprehendimus quidem: quid verò esset durum, in eo, quod est secundum naturam, nequaquam. Tenue præterea fit corpus *ob paucam substantiam subiectam*: sicca autem qualitas non tollit multudinem: sunt enim multa corpora tum in internis, tum in externis rebus, vt ossa in nobis, & tamen crassa. Glabrum etiam corpus non fit, vbi exuperat siccitas, sed frigiditas cum humiditate. Nam siccitas causa est generationis fuliginosi excrementi, vt ille *in libris de temperamentis* docet. Porro vt verum non est, corpus hominis sani nunquam esse frigidum, cum tangatur, ita ve-

Corpus vnde tenue fiat.

Vnde glabrum.

A rum est, frigidius temperato illud sentiri, cum frigida & sicca temperies præpollet. Quod verò *de pinguedine per carnes dispersa* scribit, vt fortè verum non est (siquidem necesse est oleosam & pinguem materiam deesse in hac complicatione qualitatum) ita nequit signum esse alicuius temperaturæ. Nam si signum debet esse aliquid notius re signata, oporteret vtique cutem & carnes multifariè dissecare, vt pateat, an illic contineatur pinguedo: quare multa sunt reiicienda ex Galeni tractatione, quæ etsi sequuntur nostras temperies, tamen signa esse non possunt. *Capillorum verò & corporis colorem* dicit fieri ad proportionem, tamen facilè exprimere, quod hoc loco sicco pede transit. Nam cum antea frigidi & sicci

Cur reiiciat autor multa signa, quæ Gal. ponit.

B cordis & hepatis indicia traderet, nõ docuit, qualis sit color in capillis & in cute corporis. Cum vero ageret de signis frigidi & sicci cerebri, dixit, caput non esse coloratum, & capillos esse rufos: Non a. patet, an eundẽ colorẽ hic velit repræsentari, an potius nigrum: quandoquidem hæc temperies in hepate gignit plurimum humoris melancholici, cuius particeps fit etiam habitus corporis. Cæterum quod scribit *de successione huius temperaturæ ad calidam & siccam*, est expendendum. Nam si in ea ætate omnes sunt frigidi & sicci, hoc non erat peculiariter notandum de his, qui in eam temperiem incidunt post calorem & siccitatem: deinde si frigidi sunt & sicci, & nihil habent amplius, quod adurere possit humores,

C quo pacto atra bile abundabunt? Quæ enim in prioribus ætatibus est procreata, dum temperies adurere poterat, in nutrimentum cum aliis humoribus est assumpta. Quare nisi continuo regignatur, abundare non poterit. Iam verò videamus, quid velit esse commune tum prædictis, tum dicendis temperaturis, & quid proprium aliquibus. *Communis autem est* (inquit) *raritati & frigiditati frigiditas, quæ sentitur facilè: quæ verò difficile, caliditatis vel densitatis est nota. Nam frigidũ vel rarum corpus à frigido facile offenditur: difficile vero sentit frigus, calidum vel densum.* & hoc verum est; ex quo efficere vult, spectandum esse, cum ex læsione facta à frigido iudicare volumus de temperie corporis, an ob raritatem, vel frigi-

Expenditur quomodo atra bilis in his abundare possit.

D dam temperiem frigus facile sentiatur. Nam si raritatis absunt indicia, intelligimus frigidam eam esse temperiem, quæ offenditur facile à frigido; & calidum esse, quæ difficile sentit frigus, si densitas abest. Cæterum quæ offenduntur à sicco facile, illa vtique sicca sunt: & quæ ab humectantibus, humida. Quod verò difficile mouetur ob duritiem membri, illud siccitatis quoque est indicium: Sed illud in sanis corporibus, de quibus agimus, non fit, & temerè pro signo ponitur. Quod vero inquit, *videndum esse, an omnes musculi seruent eandem temperaturam, vel diuersam habeant*, frustra videtur mihi præcipi. Nam si communem habent in generatione materiam, ab eisdem principiis (vt ille vult) recipiunt suam

E temperiem, semper habebunt eandem naturam, nisi fluxiones aliquos offenderent, aut aliæ morbosæ causæ, de quibus hoc loco non est agendum. Quoniam verò sæpe à tenuitate & crassitie habitus corporis dixit indicari illius temperiem, hic admonet spectandum esse, an crassiores vel tenuiores fiant ob carnem, vel ossa subiecta. Nam si caro est in causa tenuitatis & crassitudinis, tem-

periem quidem (vt ille vult) habitus indicat: si verò illa fiant ob ossium magnitudinem, vel paruitatem, nihil de temperie corporis colligere possumus: quoniam ossa propriam & separatam habent naturam, & generationem, nec euidentem suscipiunt mutationem ob temperiem principiorum. Porrò hic etiam tradit quædam, quæ inutilia sunt, cùm distingui non possint certis aliquibus indiciis. Nam ob naturam humoris, & locum in quo continetur, vult fieri vt partes humidiores, vel sicciores, vel crassiores, aut tenuiores appareant. Quis enim deprehendere potest, an humor, qui continetur inter spatia inania, id est, vt ille interpretatur, quæ media sunt inter partes similares, sit crassus, vel tenuis, paucus vel multus? hæc quidem, vbi tumores fiunt præter naturam ex humorum fluxionibus, deprehendi vix possunt: In corporibus verò sanis nullo pacto.

Αὐτὰ μὲν γὰρ τὰ στερεὰ τοῦ σώματος μόρια, τὰ ὄντως στερεὰ καὶ πρῶτα, κατ' οὐδένα τρόπον οἷόν τε ἐστὶν, ὑγρότερα ποιεῖν, ἀλλ' ἱκανὸν, εἰ κωλύσει τις αὐτὰ μὴ διὰ ταχέων ξηραίνεσθαι, τὰς δὲ διαλαμβανούσας αὐτὰ χώρας ἐμπιπλᾶν ὑγρότητος, ἥτοι τοίας ἢ τοίας. τοιαύτη δ' ἐστὶν ἡ οἰκεία τροφὴ τῶν ὁμοιομερῶν ἐκ παραθέσεως, οὐ δι' ἀγγείων ἑλκομένη. κοινὸς δὲ καὶ οὗτος ὁ λόγος ἁπάντων ἐστὶ τῶν μορίων, καὶ ῥηθήσεται καὶ αὖθις ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν αἰτίων διδασκαλίᾳ. νυνὶ δὲ τῶν ἐφεξῆς ἐχώμεθα.

Ipsæ enim solidæ corporis partes, quæ verè solidæ sunt, ac primæ, nullo modo possunt effici humidiores. At satis est, si quis eas celerius exsiccari probibeat. Intercepta autem in illis spatia, hac, vel illa humiditate complere possibile. Hoc vero est proprium partium similarium alimentum, quod ex appositione fit, & non per vasa attrahitur. Communis autem hæc ratio, & omnium partium existit, & iterum in salubrium atque insalubrium causarum doctrina repetetur. Nunc autem ea, quæ ordine sequuntur, attingamus.

Locus hic semper mihi visus est difficilis. Mirum enim est, quod scribit, *veras solidas partes nullo modo effici posse humidiores: satis autem esse, si quis eas celerius exsiccari probibeat.* Auget porro difficultatem, quod de eadem re *in 11. method. cap 1.* scribit, quantitatem solidarum partium parem semper manere in his, qui adhuc augētur, numero duntaxat. In his verò, qui absoluti iam sunt, etiam magnitudine. Carnosæ verò substantiæ magnitudinem variari etiamsi præterea nō augeatur animãs. Nam primum in eo dubium est, quid per *verè solidas partes* intelligere velit. Nam *in lib. 1. de diff. febr.* & in *12. meth. c. 2.* docet, substantiam nostri corporis constare ex solidis partibus, humoribus & spiritibus, solidum intelligēs quicquid humoribus & spiritibus est solidius, alioqui aliqua substantia relinqueretur, quæ in diuisione non esset comprehensa. Atq; hoc quidem modo intelligere non potest solidas partes. Nam pinguedinis & carnis substantia, vt ex *loco præcitato ex me-*

De nomine solidæ partis dubitatur.

A thodo patet, augetur, minuitur, humectatur, exsiccatur, regignitur, & deniq; omnia pati potest in omni ætate, omniq; corporis statu; idem quoque asserit *in fin. 10. meth.* Porro *in 11. meth. c. 3.* nomine solidæ partis excludit partes carnosas, & ex eo loco, & ex hoc etiam, non videtur aliud intelligere per solidas verè partes, quam illas, quas constare ex semine ille tradit: quod etiã apertè testatur *in libr. de semine & de formatione fœtus.* Illæ n. verè solidæ sunt duræ & compactæ, & primæ, quoniam ex semine, quod est primum nostræ generationis principium, constant. Nam sanguis menstruus postea accedit. An hoc modo *verè solidas partes* intelligit hic? vt cum *in fine 10. meth.* ita scribit: *Si quis talium est seruatus, huic carnosam portionem marasmus occupauerat: ipsis verò solidis exsiccatis, fieri nequit vt homo prorsus persanetur.* At B absurdum est, existimare marasmum, qui ex febre nascitur, vniuersum corpus occupante, inuadere solum carnosas partes, spermaticas verò dictas intactas prorsus relinquere. Quare *eodem loco* alio modo solidæ partis nomen vsurpat, ac sub eo aliã substantiam agnoscit. Inquit enim *singulis simplicium ac primarum, quas vocant, partiũ, alia membranosa, alia carnosa: sicuti exempli causa, cum vena vnicam tunicam habeat, & eam quidem tenuem, licet tamen fibras in ea inuenire multas, quæ sint araneosis quibusdam interuentis contextæ, quibus vtrisq; ipsa propria venæ substantia adnascitur. Hæc alia in aliis partib. habetur: nec [illegible] commune nomen habent. Cæterum docendi causa, nihil vetat si eam* C *carnosam substantiam voces, vel certe huius particulæ quandam carnem, quæ in ventriculo quidem sit alia, in iocinere alia, similiter in arteria & musculo. Nã. propriè & simpliciter carnem vocant, eam solum, quæ est in musculo: eam verò, quæ est in visceribus, nempe iocinore, renibus, liene, & pulmone, parenchyma, id est, affusione: quæ verò est in intestinis, ventriculo, stomacho, vtero, sine nomine relinquitur, tu tamen de nominibus non laborabis. Illud potius intelliges, singularum particularũ substantiæ molem, ex toti maximè completam esse natura, quæ vt in sinuosis vlceribus videre licet, perire, & regigni potest. At verò nec fibrosa, nec neruosa, membranosave natura eandem generationem habere cernitur: nec fas est huiusmodi singularum partium fibras à malignis febribus* D *liquari, sicut carnes: quando animal ipsum, priusquã hæ prorsus sint siccatæ, interemerit.* Hæc sunt Gal. verba: ex quibus illud primum constat, etiam in partib. spermaticis, quas ipse solidas ad differentiã carnosarum vocare solet, hunc autorẽ agnoscere duplicem substantiam, vnam ex qua fibræ & filamenta ducuntur: aliam verò quæ filamenta ita intertexit, quam propriam illius partis carnis appellat. Sed vt de hac re nunc agamus: ac vt in exẽplo de venis & arteriis cõsistamus, non dubiũ est quin in illis reperiantur filamenta quædã oblonga: alia verò transuersa, & quædam etiam obliqua, vt eorum cõpositio firmior reddatur ex vario eo cõtextu, eo modo, quo telæ conficiantur: atq; etiam vt E vsus attractionis, retentionis, expulsionis, qui diuersum ex fibris contextũ exigit, expleatur. Verũ non est diuersa materia & substantia, nec aliquid, qđ in illis est caro: aliud verò fibræ, vocari debet. Nã quicquid in illa est, fibrosum est, etsi fortè crassius est, quod inter filamẽta recto intertexitur. In neruis verò multo minus inuenias aliã substantiã, quàm fibrosam, quæ filamenta recta obtinet. Sed quid

[illegible] Gal. [illegible] de solidis [illegible] substantia.

De fibris quæ reperiuntur in partibus [illegible].

A quid dicemus de ossibus, an illa etiam habent duplicem in se substantiam, fibrosam, & carnosam: & quibus indiciis ea dignosci potest? Non erat ergo diuersa materia hoc modo fingenda in partib. exanguibus, spermaticisq; vocatis, ex qua doctrina fit anceps & obscura, tanquam aliquid esset in ea simplici parte diuersa substantia. Sed præstabat dicere, ex ipso semine fieri vnam partem eiusdem substantiæ, vt quæ ex vniformi semine constet, quæ tamen differret pro cuiusque partis vsu, positu filamentorum, crassitie, & tenuitate, vel alio modo pro natura & vsu cuiuscunque partis. Est quoq; reperire in viscerib. ipsis, hepate, pulmone, liene, renibus & carne musculosa, filamenta quædam, quæ à natura videntur eo facta, vt materia ipsorum, quæ à sanguine affunditur, melius firmari
B posset. Quod enim ex crassaméto quodam, velut concrescit, firmũ esse non potest, nisi filis quibusdam hereat: quo modo diximus, omnia firmissima esse, quæ per texturam componuntur: Verũ non ex seminali substantia, vt nec etiam aliæ, quæ sunt in partibus dictis spermaticis, (vt Gal. putat) fiunt huiusmodi fibræ, sed *ex eo, quod in ipso sanguine fibrosum est, vel magis pituitosum.* Sunt & aliæ fibræ in musculis, ex multiplici neruorum, arteriarum, venarum diuisione natæ, à fibris carnosis longe diuersæ. Hæc ergo de duplici substantia fibrosa & carnosa, quam Galenus posuit, habui, quę dicerem. Sed iam prosequemur Gal. contextum transcriptum ex 12. *meth.* Dubium enim est, an hic
C velit, quicquid est solidum in partibus, humectari non posse, totam, inquam, venam an solum, quod in ea fibrosum, & vere solidum esse dicit. Dicemus ne igitur humectari, exsiccarique, posse carnem venæ, illius vero fibras nequaquam? At hoc mihi videtur absurdum, & experiẽtiæ contrarium. Nam si tabidos, vel decrepitos post mortem dissecuerimus, & cõtemplari velimus, quid in illis viuentibus sit factum per morbos, & cursu ætatis, inueniemus profecto quicquid *in* vena est, eodem modo esse siccatum & affectum. Ridendum vero illud est, quod scribit, *non esse, vt fibræ singularum partium, sicut carnes à febribus malignis liquentur.* Nam si tota vena, arteria, & neruus con-
D stet ex solo semine, cur eisdem passionibus non subiicietur omnis, quæ in illis partibus est, substantia? forte ne id fit, quod febris ob singularem amicitiam parcere velit fibrosæ substantiæ? Carnosam vero ob naturale odium vel quod suauior forte sit, depascere appetet? At non solum carnosam substantiam, sed etiam totum corpus ipsius venæ, & aliarum solidarum partium exsiccari, humectari augeri, & minui posse, multa docent, & in primis corporis excrementum: deinde continua
E nutritio quę fieri nequeunt absque additione humidæ substantiæ. Præterea ad id facit, quod scribit *in commentario Aphorismi*, in quo ait Hipocrates. *Quæ extenuantur corpora longo tempore reficienda esse.* Dicit enim illic Gal. corpora, quæ longo tempore extenuantur, id pati ex colliquatione solidorum corporum, & addit, graciles etiam reddi partes, per quas concoctio & distributio perficitur: tales autem sunt partes solidæ. Ad idem etiam forte pertinet, quod habet in *lib. 1. de diff. febr.* particulas, quæ sunt veluti cordis elementa, sicciores reddi, & inopia alimenti tenuiores. Ex quibus quidem constat, fibrosam eam suam substantiam pati posse colliquationem, & consumptionem sui

humidi: vanumque esse, ponere vnicam compositionem, vt ille facit in corporibus nostris ex elementis, statuere deinde aliquid in ea nihil pati posse: aliud vero omne affectionum genus reperiri. Cæterum illud difficilius est ex hoc autore intelligere, quisnam humor sit, qui, (vt hoc loco scribit) restitui non potest, & facit, vt partes aliquando numero, aliquando vero & magnitudine æquales maneant? Nam *in 7. lib. Meth. cap. 2.*
quatuor ponit humores, vnum quo (inquit) con- 1
stat substantia carnis, & adipis: alium vero quem 2
dicit esse propriam humiditatem, ex qua partes nutriuntur, & eum dicit contineri in omnibus animalis partibus, per easq; roris modo esse sparsum: qui quidem restitui non potest sine nutrimento, & propterea difficilem esse illius restitutionem & curationem siccitatis, quæ ob consumptionem istius humoris nascitur. Tertium addit 3
humorem, qui in propriis cuiusq; particulæ exilibus arteriis, venisque consistit, cuius consumptio prouenit ex sanguinis penuria, & hunc facile regigni. Quartum vero ponit humorem in solida 4
similarium partium substantia, cuius defectu cum pars reddita est siccior, sanari non potest. Estque, inquit, tunc prorsus consumata siccitas. His vero humoribus non contentus, addit in *hoc contextu* alium esse humorem inter similarium partium spatia; qui, vt videre est, longe differt ab aliis. Nam, vt de aliis dubium non est, ita differt ab illo, quem roris modo sparsum esse dicebat: quippe cum ille per vniuersam partis substantiam dispersus sit, hic vero solum contineatur inter spatia similarium partium. Ac ex Galeni tractatione sunt, quæ postea à recentioribus Medicis passim scribuntur de humoribus: ex quibus vocant, quendam esse cambium, alium esse gluten, alium radicalem, alium aliud, ne singula prosequar: quæ omnia nec intelligi, nec constare possunt, vt quæ nulla ratione nitantur, nec ex nostris principiis ducantur & facile ob id refelli possint. Scribit enim Galenus, vnum esse humorem, quo caro & adeps constant, (quasi non referat materiam carnis & adipis distinguere) & eum differre statuit ab eo, quo constat solida similarium partium substantia: nec interim docet, quis sit humor ille, quo constat hæc substantia: docendum quoque erat, an vnicum, vel plures velit esse humores in partibus solidis, vt ponit duplicem esse in illis substantiam, fibrosam vnam, carnosam aliam: & an velit, carnosam hanc eundem habere humorem vel diuersum ab alia, vel ab eo humore, ex quo dixit carnem & adipem constitui. Præterea si omnia, (vt diximus) eo authore, constant ex solis quatuor elementis inter se mistis, quomodo possunt fieri tot separati & diuersi humores, tantopere inter se discrepantes, ita vt vnus omnia, alius vero nihil pati sit aptus? At vero quid oportebat ponere humorem vnum, qui contineatur roris modo in singulis partibus? alium vero in exiguis venis, alium in spatiis inanibus natura inter se diuersos, cum hæc solum ostendant progressum quendam, qui fit, cum à maioribus venis sanguis accedit ad nutritionem singularum partium? Nam sicut in paruis venis humorem vnum ponit, cur alium non ponit in maioribus, si illum putat ab hoc differre, & curationem forte mutare? Nam vt ille, qui roris modo sparsus est, restitui

non potest sine nutritione, ita nec alius etiam, qui in aliis venis continetur. Quid aliud ergo oportebat dicere? quam vnum esse humorem, qui non est insitus membris, sed à venis spargitur: & progrediendo, paulo minus vel plus crassescit, & accidere vt cum primum in partes inciderit, & leuem alterationem acceperit à calore partium, roris modo inspissetur; postea vero glutinis crassitiem; deinde si velit, aliud acquirat? Quo præterea indicio deprehendit, continuo inter spatia inania contineri quendam humorem? An ille dolorem non faciet, vel forte etiam putredini non erit obnoxius? Sed quomodo differet hic ab alio, quem roris modo sparsum statuit, si partes ab eo alibi: hic vero ab hoc nutrimentum sumere scribit? Et qua ratione id fieri potest, si hic solum, in spaciis inanibus continetur? nutrimentum enim in omnia loca spargi necesse est. Ad hæc cum dicit humorem, qui in solida parte continetur, restitui non posse, si forte consumptus fuerit, explicare debebat: cur id potius humori huic, quam aliis contingat. Quod si in omnes partes humor, qui roris modo spargitur, pariter accedit, & ille est, qui insitum humorem restituit, cur eodem modo humor partis solidæ, vt carnosæ, reparari non poterit? Hæ & similes difficultates hunc autorem, & alios sequuntur, qui ab initio non animaduerterunt, non vnicam esse in nobis compositionem ex elementis, velut ille passim commemorat ex calido, frigido, humido, & sicco eodem. Nam, vt antea ostendimus, duplex in nobis est humor, longe natura diuersus.

Quæ partes in nobis humectari possint, aut non, disputatur.

Quot humores secundum autorem.

Dubitationes illæ solutio ex duplici compositione nostri corporis.

Nam vnus est humor plane elementaris, quo partes terrenæ inter se glutinantur, & constant, vt corpora composita ex elementis: quæ compositio non solum solidis partibus, sed carni etiam subiicitur: & ea, postea quam ad summum incrementum peruenit, nec augetur, nec minuitur, nec pati potest in nobis dissolutionem. Id ergo quod est solidum in singulis partibus, idest, firmum & stabile, per vniuersam vitam, & quod etiam post mortem relinquitur, ex ea compositione sumitur. Alius vero est humor proprius viuentibus, caloris viuentium proprium subiectum, & pabulum, qui etiam in singulis partibus corporis cum alio exacte est mixtus, & continuo patitur sui dissolutionem à calore, & restaurationem ex nutrimento, qui etsi vsq; ad certum tempus in nobis augetur, vt ostendit corporis incrementum, tamen tandem penitus deficit, & illius diminutionem, & integram consumptionem calor illius minuitur, & penitus marcescit. Ac pro quantitate diminutionis huius humoris febres hecticæ poni debent in prima, secunda, & tertia specie, non pro diuersitate humorum, vt Galen. facit: qui in vna humorem roridũ, in alia aliũ cõsumi scribit, alio intacto: quasi, vt diximus, febris, quæ omnẽ viuentis substantiam inuadit, omnem humorem viuentis pariter non absumat. Nostra autem opinio tanto probabilior est Galeni opinione, quanto magis nititur suis principiis, & omnia absurda euitat. Nam cur hectica primę speciei facile sanari possit, ratio in promptu est, *quod parum nostri humoris sit consumptum ita*, vt in eo, qui superest extincto febris, calor, qui proprius est, vegetus resideat, atq; ita ex nutrimento restituere possit, quod est consumptum. Maior vero in hectica secundæ speciei est difficultas. Maxima autem in tertia, quæ nobis

[illegible] hecticarum [illegible] dissensio.

Hectica primæ speciei cur facile possit sanari, alia vero [illegible].

subiicit fere integram pinguis & proprii nostri humoris consumptionem, ex quo calor consurgere non potest, vt spiritus gignat, & materiam suppeditet influenti calori, atque ita ex communi coniunctione nutritio perfici possit, quæ tantam consumptionem restituat. Sed hæc ex præcedentibus patent. Quod vero obiter solum attigimus, paulo diligentius hic prosequamur. Illud autem est, cur humor hic noster, si non augeri, saltem perpetuo foueri & conseruari non possit. Cur etiam siccior & deterior semper reponatur, etiam si augeatur illius substantia, vt apparet in illis, qui adhuc crescunt, ficciores tamen semper redduntur. Sunt porro huius rei rationes hæ. Primum quod humor, qui ex primis nostris principiis, præsertim ex semine nobis est insitus, per multas concoctiones est elaboratus, in ventriculo, hepate, habitu corporis, & in testibus: qui vero ex nutritione additur humor, ea elaboratione priuatur, quæ in testibus perficitur, quare ex concoctionum numero, nequit ille prorsus esse similis ei, qui insitus est, & postea dissoluitur. Præterea alia sumitur ratio ex qualitate caloris: Nam cum humor illi subiectus ab initio esset aereus, & oleosus, qualis erat, quia adhuc recens est ipsius seminis substãtia, & ipsum calor dissipare cœperit, aliumque reponat deteriorem, redditur pariter ipse calor deterior, & acrior, & ficciorem humorem gignit. Quia ergo vi caloris mutatur humoris qualitas, ipsum quoq; calorem, veluti per circulum mutari oportet, & diuersam deterioremque agendi vim accipere. Alia vero sumitur causa ex agendi modo ipsius caloris: Nam cum omne agens agendo repatiatur, calorem continuo retundi necesse est: vnde non mirum si ab initio vsque ad finem deterius alimentum sibi parat, & non solum siccius, vt ab initio, sed tandem prorsus ineptum: Id, quod ætatis progressu maxime apparet: quod signum est, hoc malum in ipsa generatione cœpisse ob insitum nobis calorem, qui humorem suum perpetuo afficit. Adde quod continua semper est dissipatio, quæ fit ab insito singulis membris calore, continua autem nequit esse nutritio & restauratio: quia necesse est præcedere publicas concoctiones in ventriculo & hepate, quæ non nisi certis temporibus fieri possunt, moraq; egent. Quibus malis continuo auctis, tandem deest proprium pabulum calori viuentium, cum insitus humor sit consumptus, & ex alimento amplius reparari non possit, ob rationes prædictas. Patet igitur, quot sint humores in nostro corpore, & qui augeri, & minui nequeat: quis vero ad certum tempus augeatur, postea vero semper minuatur & per qualitates deterior semper euadat: quis viuentibus proprius; quis verò cadaueri etiam communis: & quod ex hoc solidæ partes, idest, quod solidum & perpetuum est in partibus fiat, ex illo vero viuant, augeantur, senescant & moriantur: vnde merito radicalis à recentioribus vocatur, forte quoniam vita nostra eo, vt plantæ radice nituntur, vel quod ex nostris principiis tanquã ex radice inceperit ille & omnia, quæ in nobis fiunt. Hæc enim & alia, quæ sunt huius tractationis, partim ex his, quæ nunc diximus, & ex superiorib. patẽt, ad quæ Galeni sententiæ quæ de hac re *passim* scribit, sunt referendæ. Sic enim quilibet intelligere poterit, quid verum, quid falsum, aut etiam confusum, vel recte ab eo scribatur.

Cur humor [illegible] perpetuo [illegible].

Cap. LX. De signis sicci ventriculi.

Γαστρὸς γνωρίσματα, τῆς μὲν φύσει ξηροτέρας, εἰ ταχέως διψώδεις γίγνοιντο, καὶ ὀλίγον αὐτοῖς ἀρκοίη ποτὸν, καὶ βαρύνοιντο τῷ πλεῖον καὶ κλύδωνας ἴσχοιεν, ἢ ἐπιπολάζοιτο περιττεῦον αὐτοῖς.

Ventriculi indicia eius quidem, qui natura siccior existit, si celeriter sitibundi fiant, & paucus eis sufficiat potus, à plurimo autem aggrauentur, fluctuationibus infestentur, aut superfluitet id, quod abundat.

Absolutis indiciis temperaturatum habitus corporis, properat ad signa temperaturæ earum partium, quæ non pendent à temperie principiorum, vt ille docet, plurimum tamen conferunt ad totius corporis, & potissimum ad ipsorum principiorum temperiem conciliandam, propterea quod publicum in corpore officium exerceant, & principiis seruiant. Huius generis sunt ventriculus & pulmo. Hic aerem extrinsecum attrahit, in se recipit, & cordis præparat ad refrigerium ebullientis in eo spiritus, & quæ ex ea ebullitione excitantur fuliginosa excrementa, rursus suscipit, & ea per expirationem foras emittit: atque ita immissione aeris frigidioris & emissione fuliginosi vaporis atque excrementi temperatur cordis calor, & qui in eo gignitur spiritus: qui postea caloris natiui, qui spargitur per vniuersum corpus, est subiectum, & vehiculum. Ventriculus vero concoquit alimentum, quod ex cibo & potu assumitur, quo quidem & ipse vniuersum corpus postea alitur. Vbi enim ex eo concocto ipse abunde est nutritus, quod reliquum est, demittit in intestina tanquam sibi excrementum: quod tamen vtile est hepati, & vniuerso postea corpori, eo modo, quo accidit (inquit Gal.) hominis excrementa suibus & canibus iucundissimum esse alimentum. Ex eo enim attracto ab hepate per venas mesaraicas ex intestinis, per quæ paulatim deuoluitur, & postea mutato in sanguinem, id est, quatuor humores, ipsi hepati primum, & postea quod relinquitur, similiter fit reliquis partibus quæ post hepar sunt optimum alimentum, per aliam mutationem & concoctionem, quam singulæ partes præstant, posteaquam ex tota ea massa quod sibi familiarius est, attraxerint, & ipsum in seipsis concoxerint. Ac quoniam animal in seipso alimentum non habet, quod sufficere possit ad continuam nutritionem, & propterea ab externis reb. illud repetere cogebatur ne ex tanta rerū multitudine medicaméta, vel etiam venena pro commodo alimento ingereret, ventriculo vim indidit appetendi cibum, & potum sibi & reliquis partibus familiarem, eamque *in orificio ipsius* collocauit, beneficio multorum neruorum, vt exquisitus in eo fiat deficientis, & proprii alimenti sensus: vocaturque huiusmodi appetitus animalis à Medicis eo, quod etiam plantis non sit communis. Nam hæ, vt quæ terræ sint infixæ, paratum semper in ea alimentum obtinent: quare naturali appetitu sunt contentæ, quo etiam prædita sunt animalia: dum exhaustæ consumpto priore alimento rursus repleri, & nutriri appetunt. Ac vt duplex est alimenti genus, cibos & potius, in quibus etiam spirituosa substantia includitur: ex quibus triplex, quæ in nobis est substantia, solida, humoralis, & spirituosa reficitur & nutritur: sic duplex est in eo viscere appetentia, cibi & potionis: atque ea fames animalis: hæc vero sitis nuncupatur: & illa nascitur, cum deest solidius nutrimentum, hæc vero, cum humidius est consumptum. Consumit vero calor quidem vel solus, vel cum humore & siccitate coniunctus vtrumque, & quæ etiam vim exsiccandi habent, per se apta sunt humorem absumere: propterea sitis à calido vel sicco fieri dicitur, potentissima vero fit, cum hæ qualitates simul iunguntur & potentes sunt. Debilior vero fit à solis exsiccantibus, vt quæ obtusiorem penetrandi, & agendi vim habeant. Habent tamen etiam illa aliquando non exiguam vim, vt ostendit sitis, quam acerbi fructus pariunt. Quod si exiguus calor cum siccitate coniunctus est, fit quoque valida sitis, vt ostendit, potus aquæ marinæ. Merito ergo qui sicciore sunt ventriculo celeriter fiunt sitibundi, quia in illis deficit humor, quod remedium est aduersus sitim; pauco tamen egent potu, inquit Galenus, quod putaret sitim in illis non fieri, nisi exiguam. Quod si non egent nisi parciore potu ad sitim sedandam, & plurimum assumitur, necessario sequitur grauitas, vt in omni re, quæ superfluo onere premitur: ad aggrauationem sequitur fluctuatio; quæ nascitur, cum ventriculus nequit vndique complecti, & superare portionem, quam in se continet: fluctuationes vero sequitur innatatio, quod interpres noster vocat superfluitatem, nam cum fluctuat potus in ventriculo, veluti supernatat in eo, & ad os ipsum regurgitat.

Officium pulmonis. — *Officium ventriculi.* — *Vis appetendi vbi resideat.* — *Appetitus animalis.* — *Famis & sitis vsus necessitas causa.* — *Fluctuatio vnde.* — *Innatatio.*

Ἐδέσμασί τε χαίρουσι ξηροτέροις.

Cibisque gaudent siccioribus.

Ventriculum siccum dignosci ex eo, quod gaudeat cibis siccioribus, hic scribit: *gaudere* autem intelligere debemus, quod appetat tales cibos, magisquā humidos, & quod ab illis melius habeat, iuxta illius sententiam, qua *passim & paulo postea* tradit temperiem secundum naturam sibi similia appetere, & illis conseruari, eas vero, quæ præter naturam sunt, contraria appetere, & ea esse optima illarum remedia, & merito id fieri. Nam quæ secundum naturam sunt, illa esse nobis amica, & vtilia, quare conseruanda esse: conseruationem autem fieri per similia. Naturam igitur, quæ sui conseruationem desiderat, non appetere, nisi similia: contra vero, quæ præter naturam sunt, inimica esse, & noxia, propterea illa esse abigenda: Mutationem autem omnem fieri per contraria, & ea proinde appeti. Hæc sententia confirmata hac sola ratione, ita recepta est ab omnibus Medicis, vt nihil certius apud illos esse credatur. Verum cum ego diligentius rem perpendo, video aliter sentiendum esse: primum enim affero quod scribit Gal. *in Thrasyb.* Artis partem conseruatricem differre à curatrice in quanto, nō in quali: vtramque enim partem emendare vitia nostri corporis & ad mediocritatem redigere, quod exuperat: sed vitia, quæ emendat pars conseruatrix, esse minora illis, quæ emendantur à parte curatrice: quod & experientia docet. Eundem enim calorem auctum,

Gaudere cibis, quid. — *Disputatio an ea quæ sunt secundum naturam similia: quæ vero præter naturam, contraria appetant.* — *Medicinæ partē conseruatiuā à curatiua non specie, sed solum per magis & minus differre.*

sed inæqualiter, temperat vtraque pars: eandem repletionem vacuat & euacuatum corpus replet: verum sanitatis custos leuem excessum caloris, qui scilicet adhuc est secundum naturam, nec actionibus obest, mitigat: febrilem autem calorem extinguit: qui curat, vacuat ille id, quod replet, & grauat naturam, excrementum inquam, quod ex nutritione relinquitur: hic vero quod ex aliis maioribus causis auctum est. Restaurat sanitatis custos, adhibito alimento moderato, quod à calore nostro secundum naturam dissipatum est ex corpore: qui vero medetur morbis, immoderatas euacuationes sistit suis remediis. Itaque si conseruatio sanitatis, & curatio morborum non differunt specie, & qualitate correctionis, sed solum quantitate, non appetet natura in vno statu similia, in alio dissimilia, & contraria: Hæc enim qualitate, & specie differunt. Secundo cum conseruatio sanitatis, sit restauratio, & emendatio alicuius vitii, vt famis, sitis, vacuationis, repletionis, necesse est, vt mutatio fiat: hæc autem per contraria: id quod apparet, si quis velit discurrere per omnes causas salubres. Vbi enim corpus per insensibilem transpirationem est euacuatum, subsidium petimus ab eo quod est contrarium euacuationi, nempe ab alimento, quod reponit substantiam æqualem ei, quæ dissoluta est, à singulis partibus. Si friget aliquis sanus, à calefacientibus conseruationem suæ mediocritatis petit. Eodem pacto, si vigilia siccius reddidit corpus, & debilius, non ab eo, quod habeat vim exsiccandi, petimus restaurationem corporis; sed à somno sibi contrario, qui humectandi vim habet. Igitur ne omnes alias causas salubres persequamur, cōstat ex prædictis, naturam ad emendationem suorum vitiorum appetere *contrarium*: illud enim solum habet vim moderandi, quod noxium est, quod autem simile est, illud ipsum intendit. Quod superius, cum de oculis ageret, aperte scribit, & commune esse vult in omni temperamento cuiuscunque partis; scilicet, quod *à similibus suo temperamento lædatur quælibet pars, iuuetur autem moderato contrariorum vsu*, idest, *qui æqualem habeant vim ei, quod exuperat*: & passim alibi solam temperatam naturam similibus conseruari, gaudere: alias vero omnes contrariis gaudere & iuuari. Sed hoc ipsum ostendamus in actionibus ipsius ventriculi, de quo præsens est tractatio. Fatentur omnes, solidam, & siccam substantiam dissolutam esse, quando ille alimentum solidum appetit, humidam vero deperditam esse, quando appetit potum. At cur ille in fame non appetit similia suæ affectioni, nempe euacuantia, & in siti non appetit exsiccantia? Cum enim illi sint secundum naturam & fames, & sitis, si similia appetuntur à naturalibus dispositionibus, ratio vtique cogit, vt fames sit appetius euacuantium, & sitis exsiccantium. At si hoc repugnat naturæ, & experientiæ, cur non erit eadem ratio in qualitatibus? Cur, inquam, natura non appetet qualitates, quæ aptæ natę sunt emendare excessus ipsarum qualitatum, quemadmodum ex cessus factos ex substantiæ deperditione temperat adiunctione, & appetitu substantiæ, quæ vim habet restaurandi, quod est deperditum. Addo, quod ille sibi euidenter repugnet, cum ait, siccum ventriculum siticulosum esse, & simul gaudere cibis siccis, Nam sitis rei humidæ est appetitus, siue in potu, siue in cibo vis sit humectandi. Nonne, qui sitiunt, iusculis, herbis humidis, & aliis cibis humectantibus, potius, quam exsiccantib. gaudent, & illos appetunt? Quis idem in seipso non agnoscit? Quis enim post moderatam sibi exercitationem, in qua calor auctus est moderate, ad sanitatis conseruationem in vniuerso corpore, & in ventriculo, appetet potionem calidam? Quis æstate non appetit frigida extrinsecus, & intrinsecus, atque hyeme calida? An qui hepate sunt calidiore, & manus propterea habent calidiores, non gaudent potius contactu aquæ frigidæ, quam calidæ? Itaque si partes omnes eandem habent appetentiam, vt emendent sua vitia: eadem erit ratio de appetentia vētriculi, quæ est de aliis partibus, propterea si externæ partes, quæ aliquem habent excessum, gaudent contrariis, idem de ventriculo, & internis partibus sentiendum. Addo quod principia sua in hac re non seruet: nam cum hic dicat, *siccum ventriculum gaudere cibo, sicco, & calidū calido, & frigido non lædi*, postea scribit. *frigidū ventriculum male coquere cibos frigidos, & ex illis ructus acidos excitare.* Præterea scribit, *pulmonem frigidum euidenter lædi ab aere frigido, iuuari autem a calido.* At quo modo potest gaudere pars aliqua eo, à quo offenditur? & cur calida pars melius debet concoquere calida, quam frigida, alimenta frigida? Addo quod scribit calidam ventris temperiem, ab iis, quæ extrinsecus calefaciunt, lædi, & frigidam à frigidis: Nam si ea, quæ secundum naturam sunt, propterea appetunt similia, quia sui cōseruationem postulant, vna, & eadem debet esse ratio eorum, quæ habent vim conseruandi, siue illa intrinseca sint, siue extrinseca: cum eadem sit partis natura quæ similem conseruationem postulat: omitto quod in intrinsecis non etiam seruat eandem rationem. Nam ventriculum ait gaudere cibis similibus suæ temperaturę: pulmonem vero ait offendi ab aere inspirato sibi simili. Appetet ergo ventriculus, qui excessum habet siccitatis aliquem, humectantia: Alioqui cur potum appetere dicit ipsum? Appetimus enim ea, quib. caremus, non ea, quæ in nobis iam sunt cum excessu: quod appetentiæ ratio, & experientia in rebus omnibus, quæ appetimus docet: Mirū ergo esset, si in reliquis omnib. appetimus, quę nobis desunt, In sola vero appetentia ventriculi appetamus eas qualitates, quæ in eo redundant. Quod si etiam diligentius expendemus, quæ dicuntur de conseruatione per similia, inueniemus profecto verius esse, quod nos putamus. Nam ventriculus, in quo siccitas, vel qualitas alia exuperat, est, qui appetit sui conseruationem, & non est ea qualitas, quæ in eo exuperat: At ventriculus sui conseruationem postulat, quādo mediocritatem affectat, cum qua perfectio consistit: At si appetat similia, excessum, atque corruptionem desiderat: contra vero ex contrariis mediocritatem, & perfectionem assequitur, quam natura, quantum fieri potest, quærit. Explodamus ergo à nostris scholis hanc vanam opinionem, quæ nec ratione, nec exemplis aliarum rerum nititur.

CAP. LXI. DE SIGNIS VENTRICVLI HVMIDI.

Ὑγροτέρας δέ, εἰ μήτε διψώδεις γίγνοιντο, καὶ τὸ πλεῖον ὑγρὸν ἀλύπως φέροιεν, ἐδέσμασί τε χαίροιεν ὑγροτέροις;

Humidiores autem, si neque sitibundi fiant & super abundans humidum facile tolerent, & cibis gaudent humidioribus.

Merito

Merito quidem fit, vt qui sunt humidiore ventriculo, siti non infestentur: quippè cum internum habeant humorem, aut certè humidam qualitatem, quæ remedium est aduersus sitim. Verum in eo principia sua non seruat, in quo scribit, huiusmodi temperiem sine molestia, largiorem potum ferre. Nam cum iam in eo ventriculo naturalis sit excessus, si alium addas, ex largiore potu, vtique mediocritatem corrumpes. Addo, quod experientia hanc opinionem refellat: nam in tempore pluuioso, & in omni alio humidarum rerum vsu, in quo contingit, ventriculum humectari, quilibet offenditur, si largius bibat. Nonne eo pertinet illud quoque, quod scribit Hippocr. *in Aphorismis*, & ipsemet Galen. solam moderatam temperiem bene se habere vsu similium, alias vero a similibus offendi, & contrariis iuuari? & propterea frigidas, ac humidas temperies hyeme male habere, æstate optime? Quod si ita est, quomodo humidior temperies ventriculi potest sine molestia largiorem potum sustinere? aut si hæc hoc facit: cur *paulo inferius* scribit, frigidam ventriculi temperiem lædi largiore vsu frigidorum, & pulmonem frigidum euidenter offendi à frigida suspiratione. & *paulo antea* dicebat, siccorem ventriculum pati à siti? oporteret enim à defectu humidi ipsum iuuari, si humidus ventriculus à superflua potione non offenditur. Hæc profecto, qui expendet, inueniet nulla ratione constare, quemadmodum sane & illud, quod scribit; Humidum ventriculum gaudere cibis humidis. Quis enim potius non appetet acerba, & austera & carnes sale conditas, quam aquosos fructus, & olera humectantia, cum humore superfluo abundat? His enim naturalis excessus augetur: Illis vero temperatur, & ad mediocritatem ducitur.

Ca. LXII. [Digno]tionis ventriculi calidi.

Ἡ δὲ θερμοτέρα φύσει γαστὴρ πέττει μὲν ἄμεινον, ἢ ὀρέγεται. καὶ πολὺ μᾶλλον ὅσα σκληρὰ καὶ δυσαλλοίωτα. διαφθείρεται γὰρ ἐν αὐτῇ τὰ εὐαλλοίωτα. χαίρουσα δὲ τοῖς θερμοῖς ἐδέσμασί τε καὶ πόμασιν, οὐδ᾽ ὑπὸ τῶν ψυχρῶν οὐδὲν βλάπτεται, κατά γε τὴν ἔμμετρον χρῆσιν.

Calidior vero natura ventriculus melius quidem concoquit, quam appetat, & multo magis quæcunque dura sunt, & non facile alterationem suscipiũt. Nam quæ facile alterantur, in ipso corrumpuntur; gaudetque calidis potibus ac cibis, neque à frigidis vllam percipit noxam si modice ipsis vtatur.

Cum in ventriculo fiat cibi & potionis appetẽtia animalis, & concoctio, quæ seruit vniuerso corpori in alimento ingesto, merito præcipua signa sumit ab ipsa appetentia & concoctione, & dicit, *eos qui calidiore sunt ventriculo, melius concoquere, quam appetere.* Nam concoctio fit vincente calore humorem, & eundem assimilante partibus concoquentibus, & ea quidem felicissime perficitur, quando in ipsa temperie, calor & humor seruata inter se debita proportione exuperant: tunc enim & agens & patiens adsunt in ipsa temperie, quæ concoctioni fauent. Secundum locum obtinet temperies, in qua exuperat calor, & humor cum sicco mediocriter habet, vt in hoc casu. Calor enim tunc potens est ad agendum, nec tamen propterea acris, ita vt prorsus torreat alimentum: quia tamen ad proportionem ipsi non respondet humor, non habet intus, à quo possit obtundi illius vis: quare alimenta desiderat crassiora & duriora. Ita enim ex actione caloris vehementioris, & renitentia materiæ mediocritatem assequitur concoctio. Ex quo etiam sequitur, Medicos vulgares errare qui illud in omnibus optimum esse putant, si cibus exacte dentibus comminuatur & conteratur. Nam *qui calidiore sunt ventriculo, quæ duriora & crassiora sunt* (inquit hoc loco Gal.) *melius concoquunt.* Vt enim durum, sic crassum difficilius vincitur. Perinde enim qui ita sunt affecti, inter homines se habent, vt leones & lupi inter bruta animalia, qui vix contusas dentibus carnes, & ossa leuiter confracta deuorant natura appetẽte, & præparante ad cõcoctionem ipsi ventriculo alimentum. Nam quæ oris partes vestit tunica cõmunis est orificio stomachi. Quare *mirum non est, si quod gratum est ori, idem etiam vtile sit ventriculo.* Porro vt hæc temperies optime comparata est ad cibos duriores, & crassiores fæliciter concoquendos: Ita inquit Gal. *eos, qui facile alterantur, corrumpi.* Sed quos intelligit facile alterari posse? & quid per corruptionẽ hanc capere debemus? Porro si dura & crassa difficile alterantur, & quæ talia sunt, difficile, corrumpuntur, sequitur illa facile corrumpi quæ mollia & aquosa sunt: id quod *ex libris alimentis* videre licet. Nam Gal. *in eo loco* peponem facilius corrumpi scribit melopepone, & cucumere, quoniam, inquit humidior est. Eadem ratione iubet mora & persica inter primos cibos esse edenda, ne diutius retenta & commixta cum aliis cibis, celeriter corrumpatur. Et denique quæ aquoso & excrementoso redundant humore, sunt, quæ facile corrumpuntur. Itaque qui verentur oua exhibere febricitantibus ob suspicionem corruptionis, aberrant: *nihil enim est in ouo, ex quo bonum & plurimum nutrimentum elicitur, quod quidem obnoxium sit corruptioni:* Sed ideo non dantur oua febricitantibus, *quia, purum nutrimentum, & crassiorem victum præbent corpori:* illi vero medicamentoso, & tenui victu opus habent. Quid vero sit, quod scribit Gal. *corrumpi alimentum:* & qualis sit affectio huiusmodi corruptio, non est facile explicare. Nam solet ille autor dicere, *fit corruptio alimenti*, & aliquando exprimit, huiusmodi corruptionem alienam esse, atque indicibilem, vt patet *in capite de moris*; aliquando vero non exprimit corruptionis modum. Sic sane humores ipsos corrumpi *passim* pronunciat, nec tamen quid sit hæc corruptio docet. Est quidem locus, sed obscurus apud illum *in Commentario Aphorism 2. libri*, in quo scribit Hippo. *Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit.* Illic scribit, multitudinem, quæ est ad vires, incipere quidem posse absque corruptione, non posse tamen optimam permanere: quoniam omnino est necesse, vt secundum qualitatem transmutetur, & processu temporis corrumpatur. Subiungit eas dispositiones, corruptiones vocari, quæ tam insignem habent euersionem à naturali statu, vt non possint iterum ex naturæ con-

Gratum ori etiam esse vtile ventriculo.

Cibi qui facile alterantur, corrumpi.

Oua cur exhibenda non sint febricitantibus.

[illegible] ventriculus ... concoquens quæ.

coctione ad primam humoris redire bonitatem, A sicut enim (inquit) *vina ex toto acida, non redeunt rursus ad vini naturam: qua vero leuem habent aciditatem, sæpius ad pristinam naturam redire possunt, sic si in sanguine magna est facta corruptio, non redit ille amplius ad naturalem habitum: si vero parua fuerit, vbi id, quod est superfluum, fuerit euacuatum, quod residuum existit, ad suam naturam restituitur.* Hæc quidem pertinent ad corruptionem, sed ex illis non patet, quid sit huiusmodi corruptio & ciborum, & humorum. Ego vero nihil aliud illam puto esse, quam putredinem quandam. Nam quomodo aliter cibus & humor corrumpi potest? & in quod? Omnia enim, quæ ex solis elementis cōpositionem habēt, & non viuunt, ostendemus B postea, non posse aliter corrumpi naturaliter, & sine violentia, quam per putredinem. Ad idem facit exemplum, quod affert de vini corruptione in acetum. Fit enim acetum non aliter, quam *per certam putredinem*, vt ille etiam docet. Præterea ex eo, quod scribit, *corruptionem emendari partim euacuatione, partim alteratione & concoctione*, remedia docet putredinis. Sic enim *in* 11. *Meth.* scribit, humores, qui ex putredine febrem accendunt, corrigi. Aliquid enim necessario in illis esse, quod iam putredinem sensit, & illud euacuandum esse, quoniam corruptum est, & propterea redire ad suam naturam non potest: Aliud vero esse dispositum, & in via ad putredinem, quod per concoctionem conseruatur. Docet & modus, quo C corrumpuntur cibi, & humores: nam cibis aquosis corruptio accidit, quoniam ex superfluo eo humore fit, vt calor non possit dominari, sed ex eius imbecillitate attolluntur, nec tamen libere transpirant vapores: *Ex prohibita* vero *transpiratione* vt *in* 3. *Comment.* patebit, omnis putredo nascitur, quæ propterea varios gradus, variasq; formas recipit, quoniam gradus etiam sunt in ea transpiratione prohibita, vnde fit, vt cum leuiter prohibetur hæc transpiratio, putent Medici, nullam adesse putredinem: aliter tamen res habet, Nam & aer conclusus in cauernis, & acetum absq; vehementi calore putrescunt, quoniam leuis quoque fit trāspirationis prohibitio, quæ ad sui proportionem D calorem accendit: qui ad sui etiam proportionem, corrumpit, & putrefacit. Fiunt ergo leues aliquando putredines, aliquando magnæ, & hę solent esse variæ, & proinde indicibiles, vt apparet in perfectis gangrænis in quibus præter maximum fœtorem, pars & humores putrefacti, varios & indicibiles colores & qualitates omnes referunt. Leues autem putredines videntur Medici vocare potius corruptiones, quam putredines. Sic enim appellamus corruptiones ciborum, in quibus obscura adhuc sunt putredinis indicia. Porro calida vētriculi temperies ex aquosis cibis plurimos vapores attollit, qui transpirare prohibiti, per aquosi humoris abundantiā, calorem accendunt: ille postea rem corrumpit, & putrefacit: sed hæc non E possunt exactè *hoc loco* intelligi.

Quid Galenus per corruptionem intelligat.

Acetum quomodo fiat.

Putredo omnis vnde fiat.

putredines leues corruptiones vocari.

Cæterum quod ait Gal. *huiusmodi temperiem minus appetere quam concoquere*, de cibo hoc intelligendum est, nam potionem auidissime appetit, nimirū, cum calor sitim pariat. Ad ciborum vero appetitum nō solum requiritur dissolutio solidorum, quæ in nobis est substantiæ, quam calor quidem præstat, sed etiā opus est veluti corrugatione ipsius ventriculi, cui frigiditas prodest, obest vero calor: argumento quod æstate languescat cibi appetentia, relaxato & veluti dissoluto stomacho à vehementiore calore externo, qui vsque ad viscera penetrat: Acida vero, acerba, austera, frigidæ ipsius potio ad appetitum conciliandum faciunt contraria ratione, quod colligant, & veluti vniant arctius ventriculi substantiam, cum qua constrictione, & compressione, sensus & appetitus vegetiores redduntur. Illud vero, quod scribit, *calidam hanc temperiem calidis potionibus & cibis gaudere, à frigidis vero nullam percipere noxam*, nascitur ex ea falsa opinione, quod naturales intemperaturæ similia appetant. Nam nunquam quispiam efficiet, quin calor exuperans sitim adferat? huius vero remedia sunt cibi & potiones non solum potentia, sed actu refrigerantia: Quæ vero calefaciunt, lædunt & obsunt. Quare contrarium dicendum est, scilicet hanc temperiem frigidis iuuari, si moderatè. i. pro excessu caloris illis vtamur, calidis vero offendi, & illis rursus gaudere, illis autem contristari. Cæterum in verbo *modice* siue *moderatè* Akachias errat, cum non solum in eo iustam mensuram requirit, sed etiam sensim & paulatim vult mutationem fieri. Nam in actionibus animalibus, vt studiis cuicumque propriis, tutum nō est subitas facere mutationes, id quod diligenter *in commentariis Aphorismorum* ostendimus: in naturalibus vero operationibus statim succurrendum est. Nam si quis vehementer sitiat, *non paulatim, sed affatim bibendum*: quo modo docet Gal. naturam per magnos, veloces & crebros pulsus vehementem calorem excitatum temperare.

Appetitus ciborum vnde.

Appetitus quare in æstate languescat.

Gal. mordicus notatur.

Moderate quid, & in eo verbo Akachias errat.

Sitibundi quomodo succurrendū.

Ἡ δὲ ψυχροτέρα φύσει γαστὴρ, ὀρεχθῆναι μὲν ἀγαθὴ, πέψαι δὲ, οὐκ ἀγαθὴ, καὶ μάλιστα ὅσα δυσαλλοίωτα καὶ ψυχρὰ τῶν ἐδεσμάτων ἐστίν. ὀξυνεῖται γοῦν ἑτοίμως ἐν αὐτῇ, διὰ τοῦτο καὶ ὀξυρεγμιώδης ἐστὶν ἡ τοιαύτη γαστὴρ, καὶ χαίρει μὲν τοῖς ψυχροῖς· βλάπτεται δὲ ῥᾳδίως ἀμετρότερον χρησαμένη. οὕτως δὲ καὶ τῶν ἔξωθεν αὐτῇ προσπιπτόντων ψυχρῶν, οὐ φέρει τὴν πολυχρόνιον ὁμιλίαν, ὥσπερ οὐδ᾽ ἡ θερμὴ τῶν θερμῶν. αἱ μὲν τοι διὰ νόσον ἐν τῇ γαστρὶ δυσκρασίαι, ταύτῃ διαφέρουσι τῶν ἐμφύτων, αἱ τῶν ἐναντίων ἐπιθυμοῦσιν, οὐ τῶν ὁμοίων ὥσπερ αἱ σύμφυτοι.

CA. LXIII. DE SIGNIS VENTRICULI FRIGIDI.

Frigidus vero natura ventriculus ad appetendum quidem plurimum viget, ad cōcoquendum autem minime, tales præsertim cibos, qui frigidi sunt, & non facile alterationem suscipiunt: cito itaque ideo accidis eructationibus talis ventriculus plurimum abundat, & gaudet quidem frigidis, sed ab eorum vsu immodico offenditur. Ita & ea, quæ extrinsecus frigida occursant, nequit longiori tempore tolerare, quemadmodum neque calidus calida. Malæ vero temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales existunt, quoniam contraria, non autem similia appetunt, quēadmodū naturales.

Scio

An qui ven triculo sunt frigido, plus aliis appetant, disputatio.

Scio, nihil esse magis vulgare & tritum in ore Medicorum eo, quod *hoc loco* scribit Galen. eos *scilicet plurimum appetere alimenti, sed minimum concoquere posse, qui frigidiore sunt ventriculo*: à quibus ego dissentire cogor, verissimis (ni fallor) argumentis. Aiunt enim huius opinionis autores, appetitum animalem nasci, cum ventriculi substantia dissoluitur, & ab eo fit euacuatio solidioris, qui in ipso est, humoris: hanc vero euacuationem fieri à partibus externis, quæ cum caloris actione sunt vacuatæ & dissolutæ, naturali desiderio repleri additione nutrimenti cupiunt: quod cum præsens non habeant, illud coguntur veluti sugendo trahere à venis, & illæ tandem attrahunt ab hepate: hoc vero idem fugit ventriculo & intestinis per venas mesaraicas: ventriculus autem, cum aliam non habeat partem in corpore, à quo possit alimentum petere, quo repleatur, ne ipse & vniuersum corpus contabescat alimenti defectu, à natura diximus ei inditos plurimos esse neruos, quorum vi molestiam sentit, quæ fit ex suctione aliarum partium, & ita appetitus animalis nascitur, quo animal admouetur, deesse intus alimentum, dissoluique partes, nisi ex trinsecus succurratur. Atque in hoc quidem illi recte sentiunt: sic enim verus & naturalis fit appetitus. Sed cum aiunt, à frigida intemperie ventriculo etiam fieri hunc appetitum, eo, quod frigidi vis sit constringere, repellere, constringendo exprimere, & exprimendo vacuare ventriculum, in eo euidenter hallucinantur. Nam *ventriculus, qui dicitur frigidus, actu est calidus, plusque habet in se caloris, quam frigoris*, cum vi caloris generantis, vt aliæ partes, sit factus, & viuentium calore humoreque abundet, & viuat exerceatque viuendo officio dominantis caloris, scilicet concoctiones, aliaque naturæ opera: frigidus vero dicitur, *eo quod minus caloris habeat, quam conueniat temperato ventriculo.* At qui ita frigidus est, (vt diximus) calidus est actu, nec potest comprimere, exprimere, & euacuare. Hoc enim actu frigidi est munus, quod externæ res frigidæ ostendunt. At si aliquis est pituitosus acidus, aut humor melancholicus austerus in substantia oris ventriculi inclusus, aut ipsius tunicis adherens, poterit ille quidem exprimere, & euacuare humorem illic contentum, & hoc modo conferre ad appetitum; quemadmodum acetum, & austeri fructus ad eundem conciliandum prodesse sentiuntur: sed hoc non fit ob frigiditatem ipsius pituitæ, vel humoris melancholici: sed *propter acerbitatem & aciditatem*, quæ apta & nata est exprimere, quæ attingit: aut si hoc ipsum facit pituita frigiditate sua: non propterea idem facere poterit, simplex qualitas frigida, insita ipsi membro, imo ipse calor, paulo debilior temperato. Nam temperata natura, forte in compositione requirit tres gradus caloris; vnum frigiditatis in viuentibus: in frigidiore tẽperie erunt forte duo solum caloris gradus: dicant illi, quæso, an duo caloris gradus cum vno frigiditatis, vim habeant expellendi, exprimendi, & euacuandi, à parte, in qua illi sunt à natura insiti? Ac quod huiusmodi temperies euacuationem non efficiat, quæ ad appetitum conferre possit, ex eo ostendit *in hoc ipso loco* Galenus, cum dicit, *in tali ventriculo cibos acescere, & plurimas acidas eructationes excitari*: hæc enim redundantis humoris sunt indicia:

Appetitus naturalis modo.

Ventriculũ qui dicitur frigidus, actu esse calidum.

Quomodo dicatur frigidus.

Frigidum solum actu nõ quod ex principiis nostris est insitum, posse exprimere & euacuare.

Pituitosi acidi aut melancholici humores quomodo conferant ad appetitum.

A nolo tamen negare, si fiat euacuatio & suctio ab aliis partibus, aliquid conferre huiusmodi temperiem ad appetitum, verum hoc non fit (vt illi putant,) quod frigiditas insita, euacuet & exprimat humorem: sed *quia cum ea temperie seruatur robur ipsius ventriculi*; quod quidem elanguescit cum nimio calore, ac ipsius substantia laxatur, & quodammodo dissoluitur: sola ergo frigida temperies huius visceris, (vt hic tradit autor) appetitum mutare non potest: quandoquidem nec ratio, nec experientia eorum opinioni fauere potest. Illud vero rectius dicitur, *frigidiorem ventriculum minimum valere ad concoquendum*, præsertim cibos frigidos, duriores, & crassiores: requirit enim concoctio cum certa mensura caloris
B dominium: ac vbi agentia & patientia resistunt concoctioni, illam male exerceri necesse est: vnde ex tali concoctione succedent cruditates cibi, aut certe debiles concoctiones, in quibus & ipsi cibi acescent, & ructus acidi excitabuntur: sunt enim hæc affectus debilioris concoctionis, hi vero melius concoquent *cibos suapte natura calidiores, licciores*, non tamen duriores & crassiores: nam qui in agente deest calor, ex materia suppeditatur: atque imbecillitatis agentis remedium est materiæ tenuitas, & mollities.

Temperies ventriculi frigida quomodo conferat ad appetitum.

Ventriculus frigidus quos cibos melius concoquat.

At vero in eo quoque dissentire cogimur, quod scribit *frigidum ventriculum gaudere cibis frigidis*: nam si hic per verbum *gaudere* intelligat *appetere*, siue *ex eis iuuari*, vtroque modo falsa est hæc sententia: nam experientia docet, eos, qui acidis
C ructibus & cruditatibus abundant, vel etiam sentiunt, se refrigeratos in ventriculo, sponte appetere piper, sinapim, allium, porrum: nam vt calida intemperies, quæ sitim adfert, frigida, quibus temperetur, exigit: sic frigida calida requirit: sed cur ille non dixit, hanc temperiem à calidis etiam non offendi, sicut antea dicebat, calidam à frigidorum moderato vsu nullam noxam sentire? Præterea sicut scribit, hanc temperiem ab immoderato vsu frigidorum lædi, ita debebat docere, an à moderate refrigerantibus idem non patiatur: Inuenisset enim eandem esse rationem: quandoquidem vtrunque intemperiem fouet: res autem bene habet, cum meliorem temperiem assequitur, Sed quare quæso gaudebit frigidis, ventriculus frigidus? extrinsecus vero refrigerantia
D diu (vt ille ait) ferre non potest? An illum gaudere intelligit solum in vsu eorũ, quę assumuntur? Sed cur non erit eadem ratio in his, quæ extrinsecus ventriculum refrigerant? Postremo si ventriculus frigidis gaudet, & hæc illi sunt amica, non solum diu, sed perpetuo quando vsus exiget, erunt frigida adhibenda debita mensura. Ergo & ea, quæ foris occursant, perpetuo conuenient, si modo iustam mensuram non excedant. Cæterum quod vltimo loco addit, & commune esse dicit omnibus intemperaturis, *sc. morbosas intemperies appetere contraria, naturales vero similia, paulo antea* refelli-
E mus: nam res appetunt sui quidem conseruationem, cum bene habent: At conseruatio non fit per ea, quæ fouent, aut augent eorum vitia, sed per illa quæ temperiem & mediocritatem conciliant. Quare solum temperata natura, vt quę per fectionem iam sit assecuta, similia appetere potest, omnes vero intemperies siue secundum naturam sint, siue præter naturam, contraria desiderant quoniam ab his mediocrem temperiem assequũ-

Reprehendit quod dicitur, frigidũ ventriculũ cibis frigidis gaudere.

Multa ostendit in hac opinione fore abjurdae.

tur, quod etiam Aristoteles *in libro de respiratione* his verbis testatur: *habitum, qui calore excellent, in frigido positi, melius seruantur: contra, qui frigore, in calido.* Natura enim loci, habitus, excessum ad mediocritatem reducit: nam etiã temperata, cum egeat correctione, contraria, postulat: quippe cum *omnis correctio fiat cum mutatione*; hæc vero requirat necessario contrarietatem. Nec existimare quidem oportet veram esse Galeni sententiam, eo, quod contraria exigant contraria: statum autem secundum naturam contrarium esse; aut certe specie differre, ab eo, quod est præter naturam. Nam nos antea ostendimus, hæc differre per magis & minus, & idem esse secundum naturam, quod mediocre, & præter naturã idem, quod immoderatum: non autem sanitatem & morbum opponi, vt naturæ opera & monstra, quæ alio modo secundum & præter naturam dicitur. *Igitur in statu sano & morboso fiet eadem rerum appetentia intensione & remissione duntaxat differens.* Sed, vt diximus, hæc cum ageremus de ventriculo sicco, abunde demonstrauimus. A B

Ca. LXIV. De malis temperaturis in ventriculo coniugatis.

Αἱ δὲ κατὰ συζυγίαν ἐν τῇ γαστρὶ δυσκρασίαι, διὰ τῆς τῶν ἁπλῶν γνωρισθήσονται συνθέσεως. ἀκριβῶς δὲ χρὴ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς εἰρημένοις, διακρίνοντας αὐτὰ τῶν ῥηθησομένων. οὐ μόνον γὰρ ἡ κοιλία διψώδεις τε καὶ ἀδίψους ἐργάζεται, καὶ ψυχροῦ καὶ θερμοῦ πόματος ὀρεκτικούς, ἀλλὰ καὶ τὰ κατὰ θώρακα σπλάγχνα, καρδία καὶ πνεύμων. ἀλλ' οἵ γε διὰ τὴν τούτων θερμότητα διψῶντες, εἰσπνέουσί τε πλέον, ἐκφυσῶσί τε μακρόν, αἰσθάνονταί τε κατὰ τὸν θώρακα τοῦ καύματος, οὐχ ὥσπερ οἱ διὰ τὴν γαστέρα κατὰ ὑποχόνδρια, καὶ μὴν δὴ πίνοντες, οὐκ εὐθέως ἡσυχάζουσι· καὶ τὸ ψυχρὸν πόμα ἵστησιν αὐτῶν μᾶλλον τὴν δίψαν ἤπερ τὸ πολὺ θερμόν. ἀναψύχει δὲ αὐτοὺς καὶ ὁ ψυχρὸς ἀὴρ εἰσπνεόμενος, οὐδὲν ἐπικουφίζων τοὺς ἐκ γαστρὸς διψώδεις, οὕτως δὲ καὶ οἱ ἐναντίως ἔχοντες, ὑπὸ τῆς ψυχρᾶς εἰσπνοιᾶς αἰσθητῶς ἀνιῶνται.

Malæ autem temperaturæ in ventriculo coniugatæ ex compositione simpliciũ cognoscuntur: oportet autem eas, quæ tam sunt dictæ, diligẽter aduertere, easdem ab his, quæ dicentur, distinguentes. Non solum enim ventriculus sitibundos, & minime sitientes facit, & frigidi calidiue potus appetentes, sed ea quoque viscera, quæ in thorace sunt, vt cor & pulmo; sed qui ob horum sitiunt caliditatem, plus inspirant, & longius expirant, atque æstum in thorace sentiunt, non sicuti qui ventriculi ratione in hypochondriis caliditatem patiuntur, & cum potauerint, non statim sedatur sitis, & magis sedatur sitis cum frigidum hauserint, quam cum calidum nimis. Refrigerat autem eosdem, & frigidi aeris inspiratio, quæ nihil eos iuuat, qui ventriculi ratione sunt sitibundi. Ita & hi, qui contrario modo se habent, à frigida inspiratione sensibilem sentiunt affectum.

Merito prætermittit indicia intemperaturarum compositarum, & ex duabus qualitatibus exuperantibus, quoniam ex simplicibus facile composita elici possunt: præsertim quod methodum superius docuerit, quæ in hac re est obseruanda. Qui enim vult expendere, quid possint coniunctæ qualitates efficere, debet vtramque qualitatem primum coniungere cum pari mensura: deinde cum inæquali. Ita vt par caliditas cum siccitate, & humiditate, & sic frigiditas cũ æquali humiditate & siccitate coniungatur; deinde plus vnius, quam alterius qualitatis addendum est, & gradus constituendi in eo quod plus est, quantum latitudo sanitatis patitur. Qua quidem obseruata methodo, si quis intellexerit, quid singulæ qualitates suapte natura efficere possint, & quid præterea, cum per certos gradus augentur, inueniet facile, quod in hac requirit. Nunc vero absolutis indiciis temperaturarum ipsius ventriculi, transire vult ad signa temperaturarum pulmonis, sed prius quædam indicia, quæ communia sunt ventriculo & pulmoni, docet, & quomodo illa propria fieri possint, ostendit, ne vni parti tribuamus, quod ad aliam pertinet. Porro etsi fames propria est passio ventriculi, sitis tamen nasci potest etiam ex affectionibus ipsius pulmonis. C

Nam *fames fieri non potest sine euacuatione facta in ventriculo*, in quo opere nihil potest efficere pulmo. *Sitis vero non solum ipsius orificii ventriculi passio est, sed etiam gulæ, linguæ, & omnium partium quæ sunt in ore: quas pulmo alterare potest, dum à se emittit fuliginosa excrementa, à corde suscepta*: Itaque fit, vt cum cor, & pulmo calidioris sunt naturæ emittant excrementa illa calidiora & acriora, à quibus calefiunt, & siccantur oris partes, & sitis oritur. *Verum* (vt inquit Gal.) *dignoscimus sitim nasci ex calore viscerum, quæ continentur in thorace, quod hi inspiratione aeris frigidi mitigentur, & sitim augeant, cum expirant, & parum conferat ad sitim extinguendam potus: magis vero iuuet sola oris ablutio ex frigida aqua, sentiantque præterea hi calorem in thorace*: reliqua vero patent absque alia interpretatione. D E

Sitis quarũ partium sit passio.

Sitis orta quomodo cognoscatur.

Cap. LXV. De signis pulmonis frigidi.

Καὶ μέγιστον τοῦτο γνώρισμα τῆς ἐν πνεύμονι ψυχρότητος. ὥσπερ δὲ εἰσπνέοντες ψυχρόν, αἰσθάνονται σαφῶς ἀνίας τε καὶ ψύξεως, οὕτως τὸ θερμὸν αὐτοῖς ἐστὶ φίλιον, ἀλλὰ καὶ φλεγματικὰ περιττώματα χρεμπτόμενοι, καὶ μετὰ βηχὸς ἀναπτύουσι.

Et hoc maximum sit frigidi pulmonis indiciũ: vt i vero frigidum inspirantes manifeste dolorem sentiunt, & frigidatẽ, ita & cali-

caliditas est ipsis amica, sed & pituitæ A
excrementa cũ screatu & tussi expuunt.

Notat repugnantiam euidentem.

Ex eo, quod scribit, *frigidam inspirationem dolorem, & noxam adferre pulmoni frigido*, euertit, quod paulo ante scripsit. Naturales, inquam, intemperies similia appetere, & illis gaudere: nam si ventriculus siccus appetit sicca & illis gaudet. i. bene afficitur, cur pulmo frigidus non appetet frigida, & ab illis bene afficietur? Quod si calida ipsi prosunt, sequitur, alias omnes partes intemperatas, à similibus offendi, & propterea illa non posse appetere, sed contraria. Illud forte mirum videbitur, quod scribit, *pulmonem frigidum gignere, & emittere per tussim, & screatum pituitam*: quandoquidem ad huius humoris generationem B requiritur frigiditas, & humiditas. An forte putat, humiditatem non deesse pulmoni, qui spongiosa molli & humida substantia constat? Igitur vbi nulla in humido & sicco ponitur intemperies, frigiditas semper inueniet materiam aptam ad pituitæ generationem. Verum etsi hæc pro Galen. probabiliter afferuntur, rectius tamen hoc indicium ille reposuisset inter notas pulmonis frigidi & humidi.

Ca. LXVI. De signis pulmonis sicci.

Αἱ ξηρότητες δὲ τοῦ πνεύμονος ἀπέριττοι τέ εἰσι, καὶ καθαραὶ τῷ φλέγματι, καθάπερ αἱ ὑγρότητες ἀλαμπῆ μὲν ἐργάζονται, καὶ βραγχώδη τὴν φωνὴν. ἐπιτρέχει δ' αὐτοῖς περιττώματα, μεῖζόν τι καὶ ὀξύτερον φθέγξασθαι προελομένοις. C

Οὐ μὴν αὐτό γε τὸ τῆς φωνῆς μέγεθος ὑπὸ τῆς θερμότητος αὐτῆς, ὥσπερ οὐδ' ἡ σμικρότης ὑπὸ τῆς ψυχρότητος γίνεται. ἀλλὰ τὸ μὲν εὐρύτητι τῆς τραχείας ἀρτηρίας, ἐκφυσήσει τε σφοδροτέρᾳ. σμικρότης δὲ τοῖς κατ' αὐτίοις ἀκολουθεῖ, ὥστε οὔτε διαπαντὸς, οὔτε πρώτως, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός τε καὶ μόναις ταῖς συμφύτοις κράσεσιν οὐ ταῖς ἐπικτήτοις ἕπεται τὸ τῆς φωνῆς μέγεθός τε καὶ ἡ σμικρότης. ὅτι γὰρ τοιάδε τὰ ὄργανα διὰ τὴν κρᾶσιν ἐγένετο, τοῖς τοιούτοις δὲ ἕπεται D τοιάδε φωνὴ, ἐκ φωνῆς ἔνεστι περὶ τῆς συμφύτου κράσεως συλλογίζεσθαι.

Καὶ γὰρ ἡ λεία φωνὴ, λειότητι τῆς ἀρτηρίας ἕπεται, καθάπερ ἡ τραχεῖα τραχύτητι. λειότης μὲν οὖν ἀρτηρίας συμμετρίᾳ κράσεως ἕπεται, τραχύτης δὲ ξηρότητι. τραχύτης μὲν γὰρ ἐπὶ ἀνωμαλίᾳ, κατὰ ξηρὸν σῶμα. τὴν δὲ ἀρτηρίαν ἐργάζεται σκληρὰν μὲν, ἡ τῶν ὁμοιομερῶν αὐτῆς μορίων ξηρότης· ἀνώμαλον δὲ ἡ τῆς περιεσπαρμένης τούτοις ὑγρότητος ἔνδεια.

Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον, οὔτε ἡ ὀξεῖα φύσει φωνὴ χωρὶς στενότητος φάρυγγος, οὔθ' ἡ βαρεῖα χωρὶς εὐρύτητος δύναται γενέσθαι. στενότης μὲν οὖν, ἐμφύτου ψυχρότητος ἔκγονός ἐστιν, εὐρύτης δὲ θερμότητος. ἀνάλογον δὲ ταῖς φυσικαῖς διαφοραῖς τῶν φωνῶν, αἱ κατὰ πάθος ἐπιπλοκαῖς, γνωρίσματα καὶ αὐταὶ γινόμεναι τῶν ἐργαζομένων, αἰτίων. ὑπὲρ ὧν αὐτάρκως ἐν τοῖς περὶ φωνῆς διώρισαι. E

Pulmonis autem siccitates excrementis vacant, & pituita, & vocem claram efficiunt, quemadmodum humiditates obscuram reddunt, ac raucam. Et cum vehementius, aut acutius loqui studuerint, tunc intercidunt excrementa.

Non tamen ipsa vocis magnitudo à calidate, sicuti neq; paruitas à frigidate fit, sed altera quidem asperæ arteriæ latitudinem sequitur, & vehementiorem efflatũ. Paruitas vero à contrariis aduenit causis. Quare neq; semper, neq; primum, sed ex accidenti, & solas naturales tẽperaturas, non autem aduẽtitias, vocis magnitudo, aut paruitas sequitur. Quoniã enim talia instrumenta tẽperaturæ ratione sunt facta, ad hæc aũt cõsequitur huiusmodi vox idcirco contingit ex voce de naturali tẽperatura ratiocinari. Ca. LXVII De voce.

Nam & lenis vox arteriæ lenitatem consequitur, sicut & aspera, asperitatem. lenitas igitur arteriæ moderatam sequitur temperaturam. Asperitas vero siccitatẽ: Asperitas enim fit ab inæqualitate duri corporis, Arteriam vero duram similarium partium, ex quibus constat siccitas. Inæqualem vero dispersæ in eisdem humiditatis defectus. Cap. LXVIII. De leni et aspera voce.

Eodem modo neque acuta natura vox sine angustia faucium, neque grauis sine latitudine fieri potest. Angustia igitur ab insita atq; innata nascitur frigiditate, latitudo aũt à caliditate. Differentiis igitur naturalium vocum hæ, quæ ex affectu aliquo fiunt, sunt proportionales, quæ & ipsæ indicia sunt causarum, à quibus oriuntur. De quibus in lib. de voce *sufficienter distinxi.* Ca. LXIX. De voce acuta.

Ex temperaturis pulmonis, duas solum explicandas suscepit, frigidam, & siccam, ex quibus illis contrariæ, & postea omnes compositæ absque propria tractatione intelligi possunt. Carent autem, qui pulmone sunt sicciore, merito excremẽtis pituitosis, quoniam (vt diximus) pituita non fit sine humoris abundantia. Poterat etiam hic addere indicia sumpta à iuuantibus, quod scil. ab exsiccantibus lædantur, ab humectantibus vero iuuentur. Atqui in eo maius dubium est, quod scribit, *pulmonis temperiem conferre ad vocem mutandam.* Quid enim habet vox commune cũ substantia pulmonis? Quare vt hæc, & omnia alia, quæ hic scribit de voce, intelligi possint, operę pretium esse duco paulo diligentius, sed summatim, de hac re agere. Dicemus ergo quid sit vox, quomodo fiat, quod sint illius differentiæ, quæ materia vocis sit, quæ instrumenta.

De vocis tractatio. Vox quid.

Est porro vox *sonus*, non quilibet, qui in nobis fit: nam & crepitus alui vel soni sunt, vel cum sono emittuntur, sed is solum, *qui ab aere exeunte à pulmone, & percutiente guttur nascitur*, Galen. autem *in octauo de vsu partium* dicit, vocem esse, vel aeris quandã percussionem, vel aerẽ ipsum percussum.

Digitized by Google

Aere vera vox non id est, sed ab his fit: *nam vt diximus, cum aer percutit asperæ arteriæ caput, vox fit.* Differt autem à sono, tanquam species a genere: à loquela vero, quod hæc sit vocis species: est.n. *vox articulata.* Quomodo vero fiat vox, postea melius intelligemus, cum illius causas nouerimus. Sunt aũt vocis differentiæ hæ, magna, parua, acuta, grauis, aspera, lenis, rauca, clangosa: & hæ præcipuæ sunt differentiæ. Nam alta aut videtur eadem esse cum magna, & submissa cum parua, aut certe sine his non fiunt. Sunt etiã quædam voces, quæ dicũtur, tremulæ: & his contrariæ, (si bene iudico) cõstãtes, & firmæ, quæ nascuntur ex modo, quo voces fiunt. Quod vero ad vocis materiam pertinet: nulli dubium est, esse *aerem, qui exit à pulmone*: propterea vulnerato thorace, & exeunte per vulnus eo aere, & spiritu, vox perditur, quoniam illius materia expirat. Verum non quomodocumq; emissus aer à pulmone vocem efficit. Nam cum per simplicem expirationem emittitur, vox non fit, sed cum emittitur *per exsufflationem.* Est autem, (vt inquit Galenus *in octauo de vsu partium,*) efflatio, *confertim facta expiratio*: ea enim sola percutere potest, & ex percussione instrumenti, in qua fit vox, vocem edere. In qua re naturæ prouidentia maxime laudanda est, eo quod nihil frustra facit: nam cum aere nobis sit opus ad inspirationẽ, vt cordis calor temperetur, & idem postea exire debeat, & secum fuliginosa excrementa in corde genita educat, vt hac etiam ratione idem calor temperetur, aliquando simplici expiratione vtimur, cum scilicet solum fuliginosa excrementa expurgare volumus: aliquando vero, cum vocem emittere volumus, adhibemus exsufflationem, quæ ad sonum edendum est apta, cum inciderit in proprium vocis instrumentum. Sunt enim hæc multa, vt inquit Gal. *passim in lib. de vsu partiũ. & in 1 de locis affectis; & alibi* vbiq; larynx totus i. asperę arterię caput, tres ipsius cartilagines & tres musculi ipsam mouentes, nerui, qui in ipsos inserũtur, itẽ pulmo, aspera ipsa arteria, musculi thoracis, septũ trãsuersum, & musculi etiã abdominis. *propriũ tamen, & præcipuum vocis instrumentum est. Epiglottis, idest, lingula, quæ gutturis foramen superne tegit: hæc enim* (inquit) *cum moderate aperitur, & clauditur, vocem efficit, si spiritus vehementer exceditur & interim ipsam percutit, ex percussione autem fit reflectio*: nam (vt inquit Aristoteles *in problematis*) ratio resonandi non nisi refractio est. Ad id pertinet, quod scribit Galenus *in 7. de vsu partium non omnis*, inquit, *aeris percussio vocem potest efficere, sed oportet symmetriam quandam esse substantiæ rei percutientis simul & roboris, quo aliquantisper aer resistat, neque primo statim impetu victus dissciatur. Huius autem symmetriam cartilago adepta est.* Instrumentum enim vocis ob id cartilaginosum esse oportuit, vt ictus vehementior fieri possit: & vox fieri non potest, nisi transitus sit angustus: ita, inquit, vt ex amplo tendat ad strictam, & paulatim rursus, ex strictione amplificetur, id quod efficit epiglottis: ita enim locus primum aerem concipit, & ab eo vndiquaq; percutitur. Est ergo inter præcipua instrumenta vocis *guttur*, & principalissimũ *epiglottis*; alia vero, quæ dicuntur etiam vocis instrumenta, communia sunt, & ob remotiores causas talia dicuntur. Nam tota aspera arteria instrumentum vocis dicitur, eo quod viam præbeat angustam aeri per exsufflationem emisso, & præparanti ad guttur. Musculi vero ipsius gutturis, sunt instrumenta vocis ea ratione, quod cartilagines gutturis, & epiglottiden moueant. Nerui vero in eo etiam sunt genere, quia musculis mouentibus, vim transmissam à cerebro inferunt.

Vox quomodo à sono & loquela differat.

Loquela quid.

Vocis differentiæ.

Vocis materia.

Efflatio quid.

Vocis instrumenta.

Pulmo vocis est instrumẽtum, quia aerem vocis materiam in se recipit & emittit: Musculi vero thoracis exsufflationis sunt autores. Septum transuersum, & musculi abdominis faciunt ad magnam efflationẽ emittendam dum, vehementius comprimunt, & exprimunt pulmonem. Columella vero & palatum, instrumenta sunt vocis, non simpliciter, sed melioris, aut deterioris. Efficiunt enim hæc veluti tintinabulum quoddam, cuius gratia vox reflectitur, & melior redditur: & quemadmodum campanæ pessime sonant suo operculo destitutæ, vel in eo perforatæ: sic qui ex morbo gallico, vel alia de causa gurgulionem amiserunt, aut perforatum habent palatum aut nares clausas, vel nimium patentes, pessimam edunt vocem. Patet igitur quod sit vox, quæ sint illius differentiæ, quæ causæ, & quomodo fiat. Quod si ad vocem edendam sequitur exsufflatio, & instrumenta, quæ illam efficiunt, recipiunt & moderantur, sequitur vocem mutari, & differentias suas capere, mutatis prædictis causis. Nam tota sublata materia, tota perit vox: media vero parte amissa, seruatur media pars vocis, vt accidit altero latere perforato, aut vtroq; affecto. Sic vulnerato alterutro ex neruis reuersiuis, semiuocales redduntur homines, quia media pars cartilaginum constituentium guttur, immobilis redditur. Porro vox magna tunc fit: cum multum aeris per exsufflationem emittitur, & aspera arteria lata est gutturque amplum: Ac coniunctis omnibus inter se his causis, maxima emittitur: quid enim deesse potest, vbi multus aer exit, & ille vehementer mouetur, percutitque magnum instrumentum? sic enim videmus in externis omnibus rebus magnos sonos excitari, cum instrumenta magna sunt, & vehementer pulsantur, aeremque multum concipiunt. Propterea in eo dubium est, quod scribit, *magnam vocem necessario non indicare caliditatem.* Nam contra id facit *problema tertium sexagesimæ quintæ sectionis*, in quo quærit Aristotel. Cur omnes, qui naturæ sunt calidæ magnam vocem emittere soleant? An, inquit, quod multũ in his aerem feruidumque inesse necesse est? Vis enim caloris facile ad se & spiritum trahit & aerem, eoque amplius id agit, quo amplior est: vox autem magna tunc oritur, cum aeris multum agitatur, vt acuta cum celeriter, sic grauis cum tarde aer incitatur. Deinde nonne docet experientia, eos, qui sunt calidiore corde, inter alia temperamẽta, maiorem edere vocem? At Galeni sententia vera est, nec aliquid habet contrarium ei, quod scribit Ari. Non enim negat Galen. eos, qui naturaliter sunt calidi, magnam vocem emittere: negat autem febricitantes, aut qui alter aduẽtitio calore sunt affecti, magnam edere vocem: quoniam ex aduentitio calore non mutatur instrumenti conformatio. At sine magnitudine instrumenti, à solo calore nequit vox magna reddi: vt nunquam tintinabula parua, sonum emittent magnum, etiam si vehementer pulsentur: quasi necessario requiratur *vehementia efflationis*, quæ in se inducit confertam multi aeris emissionem, & simul organi

vocalis

vocalis magnitudinem. Verum in eo non videtur Gal. recte sentire, cum magnitudinem et paruitatem organorum, caliditatem & frigiditatē sequi scribit: nam antea ostendimus eo etiam autore magnitudinem partium sequi formam agentis, & materiæ copiam. *Licebit ergo ex magna voce concludere non ingenitam temperiem, sed instrumentorum magnitudinem.* Veriora autem sunt, quæ ille leni & aspera voce tradit? nam aspera vox non sequitur, vel multitudinem aeris, aut vehementem illius motum, sed solum instrumenti asperitatem. Potest enim aspera esse, quæ parua est & magna. Quare solum peti debet illius causa ab inæqulitate instrumenti: inæqulitas vero non semper ab asperitate nascitur, si modo ille vult, inæqualitatem fieri ob penuriam humoris di- B
spersi per arteriam: nam ob humoris abundantiam, inæqualiter dispersi per asperam arteriam, etiam nascitur huiusmodi inæqualitas, sicut etiam Arist. *in problem.* scribit, vbi docet, eos, qui vigilauerunt, reddere vocem asperam: quoniam, inquit, eorum corpus ob cruditatem humescit, & ab humore inæquale redditur vocis instrumentum. Porro *acuta vox fieri quidem non potest*, inquit, *nisi cum angustia instrumenti vocalis:* tamet si Arist. *in problematis* aliam reddit causam. *Fit enim*, inquit, *acuta vox cum celeriter aer incitatur; & grauis vox cum tardè idem mouetur.* An vtrumque requiritur ad vocem acutam reddendam, aut potius separata causa vocem talem efficit? multum vero acutam vtraque simul? An etiam non requiritur ad acutam vocem, paucitas aeris? ita vt tres C
illius sint causæ, aer paucus, celer illius motus, & arteriæ angustia. grauem vero contrariæ causæ efficiunt, aeris multitudo, tardus illius motus; & arteriæ magnitudo. Iam vero illud rectè dictum est, sonoram siue canoram, vel claram vocem, sequi solam siccitatem instrumentorum vocalium: fuscam vero siue raucam, ab eorum humiditate nasci. Id enim docent res externæ. quæ.n. duræ sūt admodum & siccæ, cum pulsantur, clarum emittunt sonum: quę vero molliores sunt, obscurum: hæ.n. percutienti cedunt, illæ vero renituntur: ex maiore vero renixu clarior sonus elicitur. Reliqua vero, quæ explicanda proponit Galenus, patent. Et si quis plura intelligere velit, quæ ad vocem pertinent, legat *sectionem prædictam problematum* Aristotelis.

Τὰ δ᾽ ἄλλα μόρια τοῦ ζώου τὰ ἐντὸς, ἀμυδρὰ τῆς κράσεως ἔχει τὰ γνωρίσματα. πειρατέον δὲ ὅμως αὐτὰ, διά τε τῶν ὠφελούντων, καὶ βλαπτόντων διαγινώσκειν, ἔτι τε κατὰ τὰς τῶν φυσικῶν δυνάμεων ἐνεργείας, εἴρηται δ᾽ ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῶν ἐν τοῖς συμπτώμασιν αἰτίων, ὅτι τῆς ἑκάστης δυνάμεως ἀρετῆς τε καὶ κακίας ἡ προηγουμένη κρᾶσίς ἐστιν. τὰ μὲν οὖν τῶν κράσεων γνωρίσματα, καὶ ἤδη λέλεκται.

Reliquæ vero partes animalis interiores exilia habent temperaturæ indicia, tentandum tamen ea ex iuuantibus atque nocentibus agnoscere, ac præterea naturalium potentiarum operationes. Dictum vero est in tertio de naturalium accidentium causis, quod cuiusque potentiæ virtus & vitium temperatura principalis existat. Temperaturarum itaque indicia iam explicauimus.

Videtur Galenus hactenus tradidisse signa partium, quæ euidentes suæ temperaturæ notas habere possunt; nunc vero, quid in aliis faciendū sit, communi ratione docet. Reliquas autem intelligere possumus interiores partes, intestina, mesenterium, renes, vesicam, vtramque, & in mulieribus vterum, & in viris virile membrum: nam de testibus antea egit. Communis autem methodus est, vt ex iuuantibus & lædentibus indicia sumamus, & ex actionibus naturalibus singulis propriis: quæ enim partes temperatis gaudent, & iuuantur, illæ temperatæ iudicantur esse. Aliæ vero contrarii temperamenti sunt illis, à quibus iuuantur. Calidi enim temperamenti proprium est offendi à similibus, à frigidis vero melius habere. Idem est iudicium de aliis simplicibus, & compositis intemperaturis. Porro iuuantia & lædentia intelligere debemus, non solum illa, quæ extrinsecus nos afficiunt, sed alia omnia; quæ singulas partes quocunque modo alterare possunt. Est enim rationi consonum, ob situm & naturam propriam singularum partium aliquas à certis rebus affici posse, à quibus aliæ nequaquā possunt iuuari, aut lædi. Quod euidentissime in vteri passionibus apparet, quæ ex viri congressu maxime sedantur, cū alia omnia auxilia sæpe nihil, aut minimum prosint. Videndū ergo est, quid ex his, quæ assumuntur, excernuntur, admouentur, & à nobis fiunt, aptum natumque sit singulas partes afficere, iuuare, & lædere, & ex illis indicia sumere. Alium ponit fontem ex operationibus naturalibus, quæ sunt attractio, retentio, concoctio, & expulsio: ex illis enim temperiem partium dignoscimus: quoniam, vt Gal. *passim alibi*, & maxime *in principio libri de naturalibus facultatibus* docet, *temperies causa est facultatis, facultas actionis, actio operis*: Quare habent se hæc inter se vt causæ & effectus. Atque in hoc probanda potius est lectio, quam sequitur Akachias, quam Leoniceni interpretatio: & quæ in vltima Gal. editione ita habetur, *quæ nam temperatura antecedat vniuscuiusque facultatis virtutē & vitium:* nisi enim in versione Leoniceni subintelligatur causa, sensus fit inutilis, vbi scribit, quod
D cuiusque potentiæ virtus & vitium temperatura principalis existat. *Est enim temperatura principalis causa virtutis. i. perfectionis & vitii cuiuscūque potentiæ & actionis.* Reddit ergo rationem, cur dixerit, ex potentiis & actionibus nos iudicare posse de temperatura singularum partium: quoniam *præcipua* causa istarum rerum est propria temperies insita singulis partib. Nam aliæ etiam causæ sunt actionum, vt calor influens & alia, de quibus antea egimus. Akachias vero vertit facultatis cuiusque virtutem ac vitium temperiem præire, vt causa præcedit suos effectus, ac mutua consequentia
E sese inferunt: sed quid est, quod hic scribit, se docuisse *in lib. de symptomatum causis*? hoc est, quod etsi temperies omnis, omnes actiones edit, tamen singulæ intemperaturæ ad certas quasdam actiones sunt aptiores: nam calida & humida inter alias omnes fæliciſſime concoquit, difficilius aūt retinet: id quod optime facit calida & sicca, quæ ad expulsionem quoque & attractionem pariter est idonea: sed hæc *in fine lib. vltimi de causis*

symptomatum diligentius explicata à Gal. legi possunt. Igitur ex eo, quod partes singulæ prædictæ melius aut deterius attrahũt, retinent, concoquũt alimentum & excrementa expellunt, intelligemus quænam præualeat in illis temperies: Idem etiam ostendent excrementa ipsa, quæ à singulis partibus emittuntur. Nam qualitates, quæ in illis apparent, & copia, & inopia, ostendunt, quales sint actiones, potentiæ, & ipsa temperamenta. Sed dicet forte quispiam præter quatuor prædictas actiones addendas fuisse alias, quæ propriæ sunt certis partib. Nam vterus suos motus habet volũtarios & inuoluntarios, nam mulieres, si volunt, strictius constringunt, & auidius sugunt viri pudendum: quod sæpe dubitaui à quanam facultate hoc fieret cum nostri autores voluntarium omnẽ motum dicant fieri per musculos. An excipere debemus vterum, qui sursum, deorsum, ad latera, ante, retro, varie mouetur, & hoc modo miseras mulieres torquet, dum ille suauissimum sibi pabulum ex viri coniunctione errabundus quærit? an etiam dicendum, quod non nulli anatomaci memoriæ prodiderunt, in vtero musculosas quasdam esse fibras? Sed vt ad dubitationem respõdeamus, proprii hi motus singularum partium *non sequuntur temperiem, sed structuram, & conueniunt partibus, quatenus sunt instrumenta corporis.* Sic enim vesica contrahit se circa vrinam, cum eam vult retinere, & fundus illius descendit, cum excretioni illa incumbit. Atque etiam intestina, non vt similares partes propellunt excremẽta ex concoctione ventriculi genita, sed vt partes sunt organicæ: Nam cum in eo officio vtantur fibris, ostendunt, illud non esse munus similarium partium: hæ enim non requirunt fibrarum ministerium aliquod, alioqui omnes similares partes huiusmodi fibras exigent.

Motus vteri quomodo fiat.

Proprii motus singularum partium vnde.

CAP. LXX. DE SIGNIS NATVRAE INSTRVMENTARIAE.

Τὰ δὲ περὶ τὸ μέγεθος ἢ τὴν διάπλασιν, ἢ τὸν ἀριθμὸν, ἢ τὴν θέσιν, ἐσφαλμένα, ὅσα μὲν ὑποπίπτει ταῖς αἰσθήσεσιν, γνωρισθῆναι ῥᾴδιον. τῶν δ' οὐχ ὑποπιπτόντων τὰ μὲν δύσγνωστα, τὰ δὲ εὔγνωστά ἐστιν. τὸ μὲν οὖν τῆς κεφαλῆς μέγεθός τε καὶ σχῆμα, καὶ σὺν αὐτῷ τοῦ ἐγκεφάλου, πρόδηλόν τι ἐστὶ, καὶ πρόσθεν εἴρηται. κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ τὰ τοῦ θώρακος, οὕτως δὲ καὶ ὅσα κατ' ὠμοπλάτας, ἢ ὤμους, ἢ βραχίονας ἢ πήχεις, ἢ ἄκρας, ἢ ἰσχίον, ἢ μηρὸν, ἢ κνήμην, ἢ πόδας, οὐ χαλεπὸν διαγινώσκειν, ἄν τι κατὰ τὴν διάπλασιν ἐσφαλμένον ᾖ τι τῶν τοιούτων, ἄν τι κατὰ τὸ μέγεθος, ἄν τι κατὰ τὸν ἀριθμὸν, ἢ τὴν σύνθεσιν τῶν συντιθέντων αὐτά. πρόδηλοι δὲ καὶ αἱ τῆς ἐνεργείας, ἐφ' ἑκάστου βλάβαι. τὰ δ' ἐντὸς τοῦ σώματος, οὐ πάντα διαγνωσθῆναι δυνατόν.

Circa magnitudinem vero, vel formationẽ, vel numerum, vel situm quæcunq; quidem sensibus subiiciuntur errata: cognitu facillima sunt: quæ autẽ sensu percipi nequeunt, quædam cognitionem habent difficilem, quædã vero facilem. Capitis igitur magnitudo, ac figura & cerebri simul in propatulo sunt, & de his antea diximus: sic & quæ thoracis sunt, & quæcumque ad scapulas & humeros, vel bracchia, vel cubitos, vel extremas manus, vel coxẽdices vel femora, vel tibias, vel pedes attinent, nõ est difficile cognoscere, siue secundũ formationem, siue secundum magnitudinem, ex his aliquid non recte se habet, siue secundum numerum, vel partium, ex quibus constant, composituram, singularum etiã operationis detrimenta facile patent, quæ autem intra corpus sunt, non omnia possunt agnosci.

Postea quam Gal. explicauit signa intemperaturarũ singularum partiũ, aggreditur Methodum, quam dicit, obseruandam esse in vitiis partium instrumentariarum dignoscendis. *Vel .n.* (inquit) *partes instrumentariæ sensibus patent, aut intus sunt recondita: illa arte opus non habent vt vitia sua patefaciant: quippe cum omnes suis sensib. huiusmodi errores dignoscant: hæ vero, quæ recõdita sunt, in duplici se habent differentia.* Nam quæ tumorem extrinsecus ostendere possunt, vt ventriculus vesica, vel põdus possunt sentire, cum obstruuntur, vt hepar, lien satis euidẽtes habẽt suæ cõformationis notas. Aliæ vero obscuriora habent indicia, tentandum tamẽ est ex actionibus, & officiis propriis, & situ, & deniq; ex eo modo, quẽ tradit *inferius*, vbi partiũ ægrotantiũ signa explicabit, inuenire quod hic quęrimus. Nã iidẽ sunt signorũ fontes partiũ, quę vitia aliqua habent intra sanitatis latitudinem, cũ his, quæ patefaciant membra ægrotantia.

CA. LXXI. DE VENTRICVLO.

Γαστέρα μὲν γάρ τινος οὕτω σμικράν τε καὶ στρογγύλην καὶ προπετῆ κατὰ τὸ ὑποχόνδριον ἐθεασάμην, ὡς ἐναργῶς φαίνεσθαι κατὰ περιγραφὴν ἰδίαν, ὁρῶσί τε καὶ ἁπτομένοις.

Cuiusdam enim ventriculum adeo paruum, ac rotundum, ac pronum secundum hypochondria situm aspexi habentem, vt manifeste ex circumscriptione propria & videntibus, & tangentibus appareret.

Quod hic scribit, ita patet, vt interpretatione non egeat: ex hoc autem vitio necesse est hominem lædi, sed leuiter, eo, quod tantum cibi copiam forte assumere non possit, quantum postulat totius corporis nutritio: forte etiam aliquo modo etiam lęditur respiratio, ob prominentem ventriculi situm, ex quo diaphragma comprimitur.

CA. LXXII. DE VESICA.

Οὕτως δὲ καὶ κύστιν τινὸς ἐθεασάμην, ἐγκειμένην τε καὶ σμικράν, ὡς εἴποτε χρονίσειε περὶ τὴν ἔκκρισιν τῶν οὔρων, ὄγκος ἐφαίνετο περιγεγραμμένος ἐναργῶς. οὐ μὴν τῶν ἄλλων τι τῶν ἐντὸς ἐναργῆ διάγνωσιν παρέσχε. μάντοι πειρᾶσθαι μέν τοι χρὴ διαγινώσκειν ὡς οἷόν τέ ἐστιν ἀρετήν τε καὶ κακίαν αὐτῶν. εἰ καὶ μὴ κατ' ἐπιστήμην βεβαίαν, ἀλλ' οὖν κατὰ στοχασμόν τινα τεχνικόν, οἷον εἰ οὕτως ἔτυχεν ἐπὶ ἥπατος.

Sic & cuiusdam vesicam contigit mihi intueri ita expositam ac paruam, vt si quando vrinam tardius excerneret, tumor quidam circumscriptus mani-

plus manifestè cerneretur, non tamen aliud ex interiorib. quidquam mihi unquam manifestum præbuit indicium. Tentare autem oportet, quam maximè fieri potest, virtutem ipsarum ac vitiũ, etsi non certissima scientia, artificiosa saltem coniectura comprehendere, veluti exempli gratia in hepate.

Quæ hic dicuntur de vesica, non egent expositione, vt quæ per se pateant, & iustum est credere historiam narranti.

CAP. XXXIII. DE HEPATE.

Εἶδον γὰρ τινὰς ἤδη καὶ πολλούς, στενὰς μὲν φλέβας ἔχοντας, ἄχρουν δὲ τὸ σύμπαν σῶμα, καὶ εἰ βραχὺ πλείω προσενέγκαιντο τροφῆς, καὶ μᾶλλον εἰ φυσώδη, καὶ παχεῖα, καὶ γλίσχρα, τοὺς μὲν ὥσπερ τινὸς βάρους ἐγκειμένου καὶ κρεμαμένου, κατὰ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον αἰσθανομένους ἐν βάθει, τοὺς δὲ τάσεως ὀδυνώδους. ἐπὶ τούτων οὖν εἰκός ἐστι, καὶ μικρὸν εἶναι τὸ ἧπαρ, καὶ στενὰς τὰς διεξόδους.

Vidi enim aliquos & quidem quamplures, quibus venæ erant angustæ & totũ corpus colore priuatum, quod si plusculum cibi assumpsissent, qui præsertim flatib. excitandis aptius esset, & crassius, ac tenax, nonnulli quidẽ veluti pondus quoddam insidens, atque suspensum in profundo dextræ hypochondriorum partis sentiebant, nonnulli verò cum quadam tensione dolorem sentientes. In his quidem verisimile est, hepar esse paruum, atque angustos meatus habere.

Casum hic describit, ex quo colligit, nos credere debere, hepar illis esse paruum, atq; angustos meatus habere, quibus similia accidentia adsuerint. Ait a. *vertita in hepate esse affectos, quibus venæ appareant angustæ, & corpus colore est priuatum, quiq; ex copiosiore cibo præsertim flatuoso, crasso, & viscido, sentiunt pondus quoddam & veluti suspensionem sub hypochondrio dextro, vel dolorem tensiuum:* quæ quidem paulo diligentius sunt perpendenda. Nam quod hęc sint symptomata exiguarũ venarum hepatis, rationi consonum esse puto: quod verò etiam hepar paruum ostendant, nihil est, quod nos fateri cogat. Nam (vt antea ostendimus) venarum conformatio & magnitudo nequaquam sequuntur hepatis naturam, si modo, (vt ille statuit *in libro de formatione fœtus*) venæ ex diuersa materia, & prius quàm hepar sunt factæ. Qui vero venas corporis angustas habent, easdem quoq; in hepate paruas habeant necesse est: quoniam ab eodem agente, qui eandem formam singulis venis ad proportionem indidit, & ex eadem materia omnes sunt factæ: nec mirum quidem est, eos, qui ita afficiuntur, obstructionibus, quas pariunt cibi prædicti, obnoxios esse. Ex obstructione autem pro diuersitate materiæ, diuersa nascuntur symptomata. Nam si cibi in flatum vertuntur, tensio sequitur, & ex tensione dolor quidam tensiuus: si vero alimentum ob crassitiem, & lentorem obstruit, ob grauitatem materiæ, pondus quoddam insidere videtur: ex pondere verò cogitur hepar tendere ligamenta, quibus cum aliis partibus adnectitur: ex hac autem tensione ipsum veluti suspensum videtur esse. Quod si in locis obstructis sit flatus copia, & materia crassa, & viscida, miscentur pariter symptomata, quæ separatas causas comitantur. Porro confert ad generationem flatus, non solum alimenti ipsius natura, sed etiam imbecillior calor ipsius hepatis. Solent autem obstructiones in hepate maximè oriri, cum ex venis diuisis per simã hepatis, transitus fit ad eas, quæ gibbam partem occupant. Illic enim exigui sunt in hepate meatus, facti ex ipsis tunicis venarum, adeò vt sæpe dubitet Galenus, an orificia earum venarum, quæ ex caua & porta oriuntur, inter se committantur, & mutuo sese excipiant: an potius occulti quidam fiant meatus, qui per varios anfractus tandem viam præbeant ascendenti, & descendenti ab hepate alimento & humori. Cæterum *cur velit corpus colore priuatum esse in hoc affectu*, non satis patet. Mihi autem videtur hoc fieri, *vel quod paucum sanguinem gignat huiusmodi hepatis constitutio, vel pituitosum, vel* (quod probabilius puto) *quia ferè accidit, vt qui huic affectioni sunt obnoxii, non bene expurgentur à bile flaua.* Nam obstructio etiam communicatur meatui, per quem bilis flaua attrahitur, & expurgatur. Atque de hoc quidem casu, ego non solum ratiocinari possum ex eo, quod ratio ipsa probare potest, sed ex eo, qđ experientia confirmat. Nam vt nullis aliis malis sum obnoxius, ita his, quæ hic refert Galenus frequentissimè laborare soleo, præsertim cum ob studia & alias animi occupationes, corpus exercere non possum, & accenso calore dissipante flatus concoctionem perficere.

Obstructiones hepatis unde maximè oriantur.

CAP. XXXIIII. DE HOMINE VOMENTE BILEM.

Ἕτερον δὲ ἐθεασάμην φλεγματικὸν μὲν ὅλην τὴν ἕξιν, ἐμοῦντα δὲ ἑκάστης ἡμέρας χολὴν ὠχράν. ἔγνων οὖν χρῆναι καὶ τὰ διαχωρήματα αὐτοῦ θεάσασθαι, καὶ ὀλιγοστὸν εἶχε χολῆς. ἐτεκμηράμην οὖν τούτῳ τὸν τὸ χολῶδες ὑγρὸν ἐξοχετεύοντα πόρον, οὐ μικρὰν ἑαυτοῦ μοῖραν εἰς τὸν πυλωρὸν τῆς γαστρὸς ἀποπέμπειν, ὡς ἐπ' ἐνίων φαίνεται ζώων. ἐξ ὧν δῆλον, ὡς ἐν τοῖς ἀδήλοις τῇ αἰσθήσει μεγάλα συντελεῖ πρὸς διάγνωσιν, ἥ τε τῶν ἐξ ἀνατομῆς φαινομένων γνῶσις, ἥ τε τῶν ἐνεργειῶν τε καὶ τῶν χρειῶν εὕρεσις. ὅστις οὖν διαγνωστικὸς εἶναι βούλεται τῶν ὡς εἴρηται νῦν ἐσφαλμένων σωμάτων, ἐν ταῖς ἀνατομαῖς αὐτὸν γυμναστέον ἐστί, καὶ ταῖς τῶν ἐνεργειῶν τε καὶ χρειῶν εὑρέσεσι. γέγραπται δὲ ὑπὲρ πάντων ἰδίᾳ καθ' ἑτέρας πραγματείας, ὑπὲρ ὧν ἐπὶ τελευτῇ τοῦ λόγου παντὸς εἰρήσεται, χάριν τοῦ γινώσκειν τοὺς φιλομαθεῖς ἕκαστον ὧν ἂν ὀρεχθῶσι μαθεῖν, ἐν τίσι μάλιστα πραγματείαις ἀναλέγεσθαι χρή. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἅλις.

Alterum vidi, cuius totius habitus pituitã

præ se ferebat, quotidie tamen bilem pallidam euomebat. Censui igitur, inspicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam comprehendi, eum meatum, qui biliosum egurgitat humorem, non minimam eiusdem partem ad imum ventriculi locum, quem Græci pyloron, id est, ostiarium vocant, effundere, vt in quibusdam apparet animalibus, ex quibus id constat, quod plurimum ad eorum, quæ latent sensum, confert cognitionem, ea, quæ ex sectionis inspectione habetur peritia, & operationum, atque vtilitatum inuentio. Quicunq; igitur facultatem dignoscendi huiusmodi corpora, quæ ita lapsa sunt, consequi cupit, oportet ipsum in sectionibus, ac in operationum, atq; vtilitatum inuentionibus exerceri, scripsimus verò de omnibus seorsum in tractatibus aliis; de quibus in fine libri omninò propositimus facere mentionem, vt discendi cupidi intelligant, quæcunque discere optauerint, ex quonam possint haurire tractatu. Sed tamen de hisce satis.

Refert alium casum de homine, qui habitu erat pituoso, & bilem quotidie euomebat, habebatque alui excrementa non satis tincta bile, vt hominum natura consueuit: ex his symptomatis colligit naturæ errorem in numero partium. De quo etiam scribit *in lib. 2. de temperamentis cap. 7.* vbi ait, meatum, qui bilem transmittat à folliculo fellis, hepati subiecto, ad intestina aliquibus vnicum esse, imo ferè omnibus: In paucis verò ob errorem naturæ duplicem esse factum, ita vt maior in ecphysim ventriculi, id est, in primam intestini partem, quæ à fundo ventriculi enascitur, inseratur: minor verò in fundum ventriculi paulo supra pyloron immittatur: accidereque aliquando, vt superior pars maior, inferior verò minor sit, & tunc eos, qui ita sunt affecti, quotidie multum bilis euomere ante cibum, & nisi id faciant, lædi. Duplicem quoque hunc meatum in quadrupedibus animalibus pariter reperiri, idque ex dissectionibus esse compertum. Ego historiam quidem admitto, cuius similem vidi, sed non puto, bilem eam excerni, quod natura duos eos meatus fecerit vnquam in hominibus, ita vt vnus in ventriculum, alius vero in intestina inseratur. Quod si ille ex anatome referret, se hoc didicisse, crederemus vtique narranti historiam: at ex coniectura, quam facit, fingere non debemus naturæ errores. Docet ille quidem, huiusmodi bilem in ventriculo non gigni; non tamen propterea efficit, quod vult loqui necessario, vt vnus meatus sit factus, qui bilem euomat in ventriculum. Nam vt biliosi vomitus sæpe homines liberant à febribus biliosis, & multis aliis malis, qui in venis & hepate consistunt, non quod noxius hic humor per nouum hunc meatum ad ventriculum transmittatur; sed quod per venas, quæ ab hepate feruntur in ventriculum, natura sese exonerat:

A Ita par est, vt credamus, idem contingere illis, qui vel quotidie, vel sæpius bilē per os reiiciunt. Nam vt quidam non nisi per sudorem, alii verò non nisi per vrinam, alii solum per alui fluxum solent se à noxiis humoribus expurgare, ob naturalem cōstitutionem, quæ apta est ad certas quasdam excretiones, ad alias verò inepta: sic accidit, vt quidam ad vomitum sint faciles, eo quod per venas insertas ventriculo potius, quàm per alias læsæ partes sese exonerent, & ventriculus fortè ob naturalem debilitatem facilius, quàm intestina, recipiat. Est autem rationi consonum, causas eorū, quæ in nobis fiunt, ducere ex naturali constitutione potius, quàm ex nostris figmentis, & naturæ erroribus: Quod si ostendere posset Galenus, B in quadrupedibus animalib. duplices hos meatus consulto, vel ob errorem factos, probabilior fortè illius esset in nobis coniectura: sed ex frequentissimis, & propemodum assiduis sectionibus boum, vitulorum, veruecum, ouium, caprarum, leporum, ceruorum & aliorum huius generis animalium, nihil tale audio obseruatum. Akachias hos meatus dicit reperiri in accipitre, miluo, & quadrupedibus quæ crudis carnib. vescuntur: ea enim ampliore calore egere ad concoctionem, & hunc à fluxu humoris calidissimi comparati: cuius opinionem refello primum, quod lupi & vulpes nō eo modo facti ex anatome deprehendantur. Deinde quod Arist. *in lib. de animalibus* nihil tale tradat. Illud etiam animaduersione dignum C est, quod scribit de hoc casu, *in libro 2. de temperamentis*, vbi volens probare bilem, quæ ab his hominibus euomitur, ab hepate transmitti, negat eam gigni posse in ventriculo, quoniam ea, quæ illic fit, porracea est: quæ verò est pallida, ab hepate mittitur. Nam porraceam etiam in hepate, & venis procreari, docent vomitus copiosissimi huius humoris, qui minimo temporis spatio sæpè homines perimunt. Neque enim tanta huius materiæ copia diu latere, cōtineri, & regigni potest, temporis momento in ventriculo præsertim in victu tenui, aut etiam in ipsa media, quæ adhibetur in morbis. Sed quicquid emittitur, paulatim in venis fuit aceruatum, & ab illis affatim expulsum in ventriculum. Atque hæc satis de casu D proposito. Rectius verò illud ab eo conscribitur, *coniectura artificiosa sæpe vtendum esse in dignoscendis causis, & affectibus, & locis affectis.* Nam semper certa non habemus indicia, ex quibus colligere possimus, quod quærimus. Quare tunc ad coniecturam confugiendum est quæ vt alio loco ex eo autore ostendi, *cognitio quadam est media inter perfectam ignorantiam, & certam cognitionem.* In qua re, qui ingenio valent, alios superant, & coniecturas efficiunt meliores, & arti nostræ maximè vtiles: propterea tales coniecturas *artificiosas* vocare solet Galenus, quoniam *ex his, quæ in arte sunt*, nascuntur. Qui enim ex dissectionibus, & ex medicinæ præceptis nouerit singularum partium temperiem, magnitudinem, conformatio- E nem, numerum, situm, connexionem singularū partium, & qualitates omnes, quæ in ipsis sunt, & præterea actiones omnes, & vsus, & opera omnia, quæ ex actionibus prodeunt, is profectò ratiocinari poterit, & ex causis affectus, ex quibus simul colligit, quid intus, aut foris prodesse, aut obesse valeat. Quis præterea sit locus affectus, qualesque ipsi affectus, & quæ causæ, & quis humor,

Bilem porraceam etiam in hepate gigni.

Coniectura quid.

Coniecturam artificiosam quidam finit.

mor, vel aliud singulas partes afficere possit. Quæ omnia hoc loco non sunt patefacienda, sed singula suis locis. Sic enim clarior, & artificiosior redderetur docendi ratio. Si quis tamen horum exempla quærit, legendo *primum lib. Gal. de locis affectis*, inueniet quod cupit.

Ὅσα δὲ ἐν τῷ νῦν ἐστὶ νοσώδη σώματα, τουτέστιν ὅσα νοσεῖ, διαγινώσκειν χρὴ καὶ ταῦτα, ταῖς μὲν αἰσθήσεσιν ὑποπίπτοντα τῇ μεταβολῇ τῶν κατὰ φύσιν αὐτοῖς ὑπαρχόντων, ἐν μεγέθει, χροιᾷ, σχήματι, καὶ ἀριθμῷ, καὶ θέσει, καὶ τῇ κατὰ σκληρότητα καὶ μαλακότητα, καὶ θερμότητα, καὶ ψυχρότητα διαφορᾷ· μὴ φαινόμενα δὲ, καθόλου μὲν φάναι ταῖς βλάβαις τῶν ἐνεργειῶν, ἢ τοῖς ἐκκρινομένοις, ἢ ταῖς ὀδύναις, ἢ τοῖς ὄγκοις τοῖς παρὰ φύσιν, ἢ τισὶ τούτων, ἢ πᾶσι.

Cap. LXXV. Quomodo cognoscantur corpora ægrotantia.

Quæcunque vero, vt nunc insalubria sunt, hoc est, quæ iam ægritudinem patiuntur, dignoscere, & hæc ipsa oportet. Quæ quidem subiiciuntur sensui, ex eorum, quæ ipsis insunt, secundum naturam permutatione in magnitudine, colore, figura, & numero, & situ, & ea, quæ est secundum duritiem & mollitiem & frigiditatem & caliditatem, differentia. Quæ autem visum effugiunt, vt summatim dicam, ex operationum læsionibus, aut his, quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibusdam, vel omnibus.

In *principio huius operis* proposuit Galenus se velle tractare de salubribus insalubribus, & neutris, corporibus, signis, & causis: quo loco nos admonuimus in definitione medicinæ intelligenda esse salubria, insalubria, neutra: id est, sana, ægra, & media inter hæc. Id quod ipsa tractatio ostendit, & præsertim hic locus, vbi de cognitione corporum ægrotantium agit: cum hactenus de corporibus tractauerit, quæ sunt salubria, insalubria, & neutra in latitudine sanitatis. Verum in hoc Galenus principia posita non seruat, vti id quoque antea ostendimus. Nam vt omnia salubria & neutra in latitudine sanitatis ponebat, cõprehendebatq; illa, quæ & simpliciter, & vt nunc talia dicuntur: Sic insalubria vt nunc, debent cõtineri in latitudine sanitatis, non minus, quàm simpliciter insalubria. Debebat ergo ita in hoc loco dicere, *quæcunque insalubria sunt in eo significatu, in quo ægra intelligimus, dignoscere & hæc ipsa oportet.* Sed videamus, quam methodum proponat in dignoscendis corporibus ægrotantib. *Duplex*, inquit, *est ratio. Si enim partes, quæ ægrotant, sensibus subiciantur, earum affectiones sensibus deprehendemus: quod si reconditæ partes sint, dignotionem sumemus ex operationum læsionibus ab his, quæ excernuntur, ex doloribus, tumoribus præter naturam separatim, vel quibusdam ex his aut ex omnibus inter se coniunctis.* In qua quidem re (vt patet,) recedit à methodo, quam ab *initio huius secundi Commentarii* proposuit. Nam corpora salubria, & primam optimam constitutionem di-

Admonetur quod sua principia nō seruat.

A cebat dignosci ab his, quæ secundum essentiam insunt corporib. & ab his quæ necessario essentiã sequuntur. Cum ergo oppositorum eadem sit ratio, cur aliam hic inuehit rationem cognoscendi corpora ægrotantia? Præterea, partes expositas sensibus ægrotare deprehendimus ex actionibus læsis, ex doloribus & humoribus, qui in illis apparent; sic enim manum, aut pedem morbo laborare intelligimus. Quare indicia, quæ propria ponit partibus occultis, etiam manifestis competunt: Adde quod causæ iuuantes, & lædentes, plurimam vim habent ad dignoscenda loca affecta: quippe cum nõnulla inter ea, quæ assumuntur, apta & nata sint, vel maximè afficere certas partes, aliis intactis, vt cantharides, potissimum

B partes ad vrinam destinatas exulcerant, de quo fonte signorum hic nullam mentionem facit. Itaque præstat prædictos quatuor signorum fontes, à quibus omnia indicia sumi diximus, perpetuo retinere: Sic enim eadem & certa docendi ratio seruatur. Ac ex his, quæ secundum essentiam in corporibus insunt, præter naturam mutatis, corpora ægrotare cognoscemus. Sic enim hominem laborare febre deprehendimus, si tactu calorem præter naturam corpus occupare sentimus: tunc enim violata est essentia similarium partium. Quod si insigne sit vitium in conformatione, vel magnitudine, vel numero, vel compositione, instrumenta corporis dicimus morbo affecta: quia illorũ essentia est labefactata. Præbet etiam suas

Fons signorum. Methodus cognoscendi corpora ægrotantia.

C notas fons signorum, qui *sumitur, ab his quæ sequuntur essentiam*, in quo cõtinentur omnes qualitates, quæ à primis nascuntur, necnon actiones singularum partium naturales, vitales & animales, & quæ in ipsis fiunt actionibus symptomata, dolor, voluptas, vel quæ actiones ipsas sequuntur, vt vigilia, & somnus: Sequitur enim vigilia, cum actiones exercentur animales: cum vero illæ cessant, somnus oritur: Ad hunc fontem etiam pertinent excrementa & alia opera, quæ ex malis actionib. proueniunt, vt generatio lapidis, lumbricorum, carnis spongiosæ in vlceribus, & alia huiusmodi: quæ cum in corpore fiunt, illud, aut certè eam partem, in qua hæc fiunt, ægrotare ostendunt. At præcipui quidem sunt hi fontes:

D non tamen contemnendus est tertius, *qui causas omnes continet.* Sic enim dicimus, hominem morbo laborare, & eo quidem maligno, si fortè venenosum quidpiam assumpserit, ductis indiciis à causis gignentibus morbos. Gal. *in libro de differ. febrium*, iudicat hominem diaria febre laborare, si à causis procatarcticis febrem contraxit. Ad idem genus pertinent indicia, quæ ab Astris, & parentum morbis sumuntur. Si enim quis fortè dolore in lumbis torqueatur, & ignoremus adhuc, quæ pars in eo sit affecta, & à qua causa, ille autem ex patre calculoso originem duxerit, certo fere prædicere possumus in rene calculum esse, eo quod hæreditarius soleat esse huiusmodi affectus. Eadem ratione, si quis natus sit syderibus

E malè fauentibus renibus, certior reddetur coniectura ducta ex remotiorib. causis. Non desunt in signis præbendis causæ, quæ iuuant, aut lædunt morbosas dispositiones. Eos enim ægrotare agnoscimus, quibus prosunt illa, quibus vti solemus solum in aduersa valetudine: obsunt verò ea quibus prospera conseruatur: Illa sunt sanguinis missio, purgatio, & insigniter alterantia. In alio

verò genere continentur, purus victus, qui ægrotantibus conuenire non solet. Sic sanè eos, qui vehementi æstiuo calore gaudent, frigido morbo teneri credere debemus: quandoquidem nullus, qui reuera sanus sit, tantum excessum expetat ad naturalia vitia emendanda.

4. Quartus demum sequitur fons, qui ex similitudine & proportione cum aliis sumitur. Si enim fortè aliquis dolet in latere, & ignoramus, qualis illic sit affectus, si in aliis, qui eodem affectu, eodem tempore laborarunt, nouimus, vel solum flatum, vel putridam aliquam materiam, aut aliud quidpiam, solum musculos occupasse, certo affirmare possumus, eandem causam, eundem locum, in eo, de quo agimus, occupare. Nam cum grassantur morbi, similes solent in omnibus fieri affectiones. Hæc ergo ostendunt, corpora ægrotare & simul etiam eodem negotio ostendunt partem, quæ afficitur, & affectionis naturam, & causas. Quæ quidem nos diligentius in 2. *lib. de signis. c. 4.* enarrauimus.

Cap. LXXVI. De signis cerebri patientis.

Κατὰ μέρος δὲ, τὰς μὲν κατὰ τὸν ἐγκέφαλον νοσώδεις διαθέσεις, ἢ τοῖς τῆς παραφροσύνης εἴδεσιν, ἢ ταῖς τῶν αἰσθητικῶν ἢ φανταστικῶν βλάβαις, ἢ ταῖς τῶν προαιρετικῶν, ἢ τοῖς ἐκκρινομένοις δι' ὑπερῴας, καὶ ῥινὸς, καὶ ὤτων, ἢ ταῖς τῶν κατ' αὐτὸν ὀδυνῶν διαφοραῖς.

Particulatim autem quæ quidem sunt in cerebro ægræ dispositiones, aut dementiæ speciebus, aut sensibilium imaginationũ læsionibus aut actuum, qui secundum electionem fiunt, aut ex his, quæ excernuntur per palatum, vel nares, vel aures, aut horum, qui ei dolores eueniunt, differentiis.

Methodum, quam proposuit aptam ad dignoscenda interna viscera ægrotantia, exemplis quibusdã patefacit, inductione facta per certas corporis partes. Inter quas primum agit de cerebro ægrotante. Quod dignosci in primis scribit, ex dementiæ, siue delirii speciebus, tanquam ex actionibus principis facultatis. Alibi enim hic author ostendit, tres esse principes facultates, quæ in ipso cerebro nascũtur, & exercentur: Sunt autem illæ facultates. Imaginatio, ratiocinatio, siue cogitatio, & memoria: quæ quidem læduntur, vel quod imbecilliter, vel deprauatè, aut nullo modo exerceantur. Delirium verò, & illius species solum exprimi; deprauatam actionem imaginatricis vel ratiocinatricis facultatis, nõ autem memoratricis aliquod vitium, aut abolitionem, vel debilitatem imaginationis, vel rationis. Quare nõ solum ex delirii speciebus, sed etiam ex vitiis aliarum actionum dignoscemus cerebrum esse malè affectum. Præterea, deliria non ostendunt semper primo & maximè esse affectum cerebrum, sed aliquando potius ipsius membranas, vt in phrenitide apparet cuius causa dicitur esse inflammatio membranarum cerebri. Sed quod magis est, sæpe contingunt deliria nullo morbo existente in cerebro, sed solum debilitato, aut corrupto influente spiritu & calore à corde, quo modo senes omnes delirant, *cum ad extremam debilitatem caloris peruenerunt*: & per febres corrupto & vehe-

Principes facultates quot & quæ.

Delirium vnde fiunt.

Senes cur delirant.

A mentius agitato spiritu, deliria sæpe contingunt. Non ergo deliria, aut alia vitia actionum, quæ exercentur in cerebro, semper ostendũt cerebrum ægrotare: Sed de his omnibus diligentius egimus in *Comment. Aphorismi*, in quo scribit Hipp. *vbi somnus delirium sedat, bonum, & in libro nostro de causis symptomatum*: vbi actionis læsæ communes causas inuestigamus, diligentius (ni fallor) quàm fecerint antiquiores Medici: qui loci diligẽter legendi sunt à studiosis harum rerum, ne cogamur eadem sæpius repetere. Ergo læsiones actionum cerebri; quæ proficiscuntur ratione ipsius facultatis læsæ, ostendent cerebrum morbo laborare, & in eo, vel ipsius substantiam, aut ventriculos, aut

B membranas, à quibus tegitur. Vitia verò, quæ nascuntur ob mala, quæ sunt in calore influente, necessario ad omnes actiones obeundas, aut proueniunt vitio ventriculi, vel vteri, aut aliarũ subiectarum partium, non ostendunt cerebrũ, aut partes quæ in eo sunt, morbo correptas esse. Vanũq; est Medicorum refugium, qui inuexerunt morbos quosdam primarios, alios verò per cõsensum, in omnibus læsionib. actionum. Nam vt aliquando partes primario affectæ alias simul afficiunt, veluti cum febris ex ascensu humorũ inflammationem & phrenitidẽ parit, & ita vniuersum corpus, & cerebrum ipsum morbo simul afficiuntur, etsi diuerso, tamen non semper eadem est ratio:

C nam vbi deficit calor influens, aut suffocatur in corde, necesse est cerebri actiones perperam exerceri, nullo tamen existente in eo morbo primario, vel per cõsensum. Porro vt actiones principum facultatum, sic sensus & motus læsi, morbos cerebri ostendunt, si ratione ipsius facultatis à cerebro prodeuntis, actionum læsiones fiant. Idem docent excrementa, quæ ab eo exire solent viscere, si præter naturam retineantur, aut excernantur vltra modum, vel qualitatibus sint prædita præter naturã mutatis: sic enim pus, quod per nares exit: non læso ipso naso, ostendit in altioribus partibus, vbi cerebrum est, vlcus esse, vel abscessum diruptum. Cæterum dolores, qui in ca-

D pite sentiuntur, non læsi cerebri sunt indicia, sed ipsarum membranarum. Illud enim sine sensu est, cum neruos non habeat per substantiam suam dispersos, & sola facultas sentiendi, quæ ab eo nascitur, non sufficiat sine neruis ad sensum efficiendum: Membranæ vero ipsæ, exquisitissimo sensu sunt præditæ, & propterea dolor, qui sentitur intra caluariam, ipsarum est passio.

Omittit in hac re signa, quæ sumuntur à causis lædentibus. Nam si quis vulnus magnum in capite acceperit, coniectura est non vulgaris, cerebrũ esse læsum. Idem ostendunt actiones quarundam partium. Nam vulnerati aut contusi cerebri indicium esse dicimus, *si contusus, aut vulneratus euo-*

E *mat, quæ sunt in ventriculo.*

Addere etiam debebat signa, quæ apparent in facie: nam affecti cerebri indicium est, *si ex capitis vulnere, aut contusione, interna oculi pars inflammatur, aut sanguis exit per nares, vel aures.* Deniq; qui vult nihil omittere, debet optimos fontes signorum proponere ab initio, & ab omnibus propria indicia deriuare.

Sect. 2. aph. 2.

Actionũ cerebri læsiones, quando ostendant cerebrũ pati, & qua non.

Dolores capitis non esse signa læsi cerebri, sed ipsarum membranarum.

Cerebri contusi aut vulnerati signa.

Cap. LXXVII. De signis cordis patientis.

Ταῖς δὲ κατὰ τὴν καρδίαν, ἔκ τε τῆς δυσπνοίας εἰδῶν, καὶ παλμῶν τῶν κατ' αὐτὴν, ἔτι τε τῶν αὐτῆς σφυγμῶν, καὶ ταῖς ἀρτηρίαις ἐξ-
[illegible]

θυμίαις τε καὶ ἀθυμίαις καὶ πυρετῶν, καὶ A καταψύξεων, καὶ τ ἐν τῷ χρώματι διαφορῶν, ἀλγημάτων τε τ κατ' αὐτήν.

Quæ verò in corde fiunt, ex difficilis anhelitus speciebus, & tremulis motibus, qui ipsi contingunt, ex pulsibus quoque eius atque arteriarum, & ab excandescentis iræ celeritate, aut tarditate, à febribus & refrigerationibus, & in colore differentiis, ac eis, qui ipsi eueniunt, doloribus.

Aggreditur enumerationem signorum, quæ possunt ostendere cor ægrotare. Inter quæ quædam communia sunt multis aliis partibus, vt difficilis respiratio: nam hæc pulmonis, thoracis, & ipsius etiam cerebri, vt in apoplexia apparet, commune est symptoma. Alia verò non ipsum cor absolute patimonstrant, sed certas istius passiones significant: cuius generis sunt tremuli motus qui solùm fiunt in cordis palpitatione. Alia verò tradit, quæ non morbos, sed leues illius perturbationes indicant, vt est promptitudo ad iram, & aliæ cordis perturbationes, quæ potius sunt sanorum, quàm ægrotantium affectiones. Præterea *cor vel nullum, vel minimum patitur dolorem:* quippe *cum exiguum admodum neruum in se recipiat:* Quare præcipua indicia quæ sumuntur ad cordis morbos detegendos, veniunt *ex pulsibus.* Illi enim soli cordi conueniunt, & in omnibus cordis passionibus mutari videntur: tamen quæ ab aliis sumuntur signa, contemnenda non sunt, sed ex singulis omnia colligenda: sic enim certior reddetur cognitio. Quod si singula prosequi velimus, inueniemus alia addi posse indicia: nam animi defectus, & syncope, maximè propria sunt cordis ægrotantis indicia. Omittit etiam iuuantes, lædentesque causas, & eas, quæ solum cor afficere possunt. Verum vt hæc rectè dicuntur, ita docendi methodus exigit, vt quilibet signa colligat ex partium natura, structura, actionibus, passionibus & vsu. Ita enim nihil omittet, quod sit necessarium, & quæ sæpe contraria sunt, resecabit. Nam si quis nouerit, cor factum esse à natura, vt sit fons caloris, qui spargitur per vniuersa membra: is intelliget, mutationes caloris, quæ in vniuerso corpore fiunt, potissimum accidere affecto ipso corde: vnde febres meritò ostendunt cordis morbos: id quod etiam faciunt refrigerationes totius corporis. Ad coloris verò incrementum & diminutionem sequuntur mutationes, quæ fiunt non solum in colore, sed etiam in aliis qualitatibus secundis: Nam vehemens calor asperitatis: duritiei, gracilitatis, & extenuationis est causa. Læduntur pariter actiones omnium partium, vitiato quouis calore. Hæc ergo indicia ostendunt, cor esse affectum, eo quod illud caloris est fons, qui vnà cum spiritu per vniuersum corpus spargitur. Quatenus verò ipsum fuliginosa excrementa in se gignit, quæ egent expurgatione & immissione aeris frigidioris, eatenus respirationē mutat. Quia verò arteriæ in eo implantantur, & participes fiunt motu, quo agitatur ipsum cor per diastolem & systolem, & spiritum feruidum recipiunt, pulsus mutationes meritò ostendere possunt passiones cordis. Quia verò cor perpetuò attollitur & comprimitur, oportuit illud aquoso quodam humore veluti temperari, vt facilior fieri posset huiusmodi motus: quo modo continuo aquæ stillicidio, axis rotarum molendinorum opus habet ad continuam circumuolutionem: propterea natura tunicam huic visceri circumduxit munimenti gratia, & potissimum, vt hic humor contineri posset: qui cum ex aliqua occasione præter modum augetur, liberum cordis motum impedit, & eum reddit tremulum & palpitantem. Adhæc, quoniam liberam oportet esse viam calori per sinus cordis, & exortum arteriarum, si fortè via claudatur, vel ab humoribus obstruentibus, vel tuberculis innatis, vel ob inflammationem; necesse est, vt varia nascantur in corpore mala: nam prorsus impedito motu caloris, subita mors: In leniore verò huiusmodi affectu, syncopes nascuntur. Contingunt etiam inæqualitates & interceptiones pulsuum, quas Gal. *in lib. de locis affectis*, & *in lib. de præsagiis ex pulsibus*, vbi agit de pulsu intercepto, mortem necessario significare scribit. At cum ego Pisis ex nimio studio in pulsus intersectionem & difficilem etiam respirationem incidissem, omnes Medici, qui mihi pulsum tangebant, Gal. autoritate persuasi, me moriturum publicarunt. Verum ego intermissis studiis & adhibitis venæ sectione, purgatione, & extenuantibus tum edulis atque exercitatione corporis, ab eo malo, Deo fauente, conualui. Quæ res profectò omnes admonere potest, quàm inconsideratè multa tradat Gal. Quod enim in Antipatro euenisse vidit, id commune omnibus esse voluit: idque etiam præter naturam earum causarum, quas autores esse huius mali statuit. Nam si non solum tuberculi & inflammationes, sed etiam obstructiones arteriarū, hæc symptomata pariunt, cur necessario moriendum est? An quæso remedia nō sunt parata ad obstructiones tollendas? Sed ne singula prosequamur, qui ratiocinari nouit, eliciet omnia signa, quæ non solum cor ipsum, sed alia omnia viscera affecta ostendere possunt, obseruata ea methodo, quam nunc proposuimus.

Tunica cordis vsus & simul etiam aquosi eiusdem humoris.

Autor casum suū narrat, in quo Gal. error agnoscitur.

Galenū multa inconsideratè tradidisse.

Cor vel minimum vel nullum sentire dolorem.

Methodus cognoscendi mala singularum partium.

CAP. LXXVIII. DE SIGNIS HEPATIS PATIENTIS.

Τὰς δὲ καθ' ἧπαρ, ἔκ τε τῆς τ χυμῶν ἐνδείας τε καὶ πλεονεξίας, ἐκστροφῆς τε τῆς τε παρὰ φύσιν καὶ ἀχροίας, καὶ πρὸς τὸ ἔτι τῆς κατὰ τὴν ἀνάδοσιν, ἢ θρέψιν, ἢ τὴν τ περιττωμάτων ἔκκρισιν ὑπαλλαττομένοις. ἀλλὰ καὶ τοῖς βάρεσι τοῖς κατ' αὐτὸ, καὶ ὄγκοις, καὶ ἀλγήμασιν, οὐ τοῖς ἐγχωρίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ συμπάθειαν ἴσα γίνεται, κατά τινα δυσπνοίας ἰδέαν ἢ βηχός.

Quæ autem in hepate ex defectu humorū, atque abundantia, & ad id, quod præter naturam est; euersione, & colore malo, ac præterea ex permutatione naturæ in his, quæ ad alimenti deductionem, aut superfluitatum attinent excretionem. Sed & ex grauitatibus, & tumoribus, & doloribus, non modo his, qui in eo ortum habent, verum & in illis, qui compatiendi ratione proueniunt: quemadmodum in aliqua vel spiritus grauis, vel tussis specie.

Defectũ humorum hepatis duobus modis significare morbum.

Defectus humorum hepatis morbum duobus modis significare potest, *vel quod illud humores non gignat ob debilitatem concoctricis, vel genitos absumat, ob calidam & siccam intemperiem.* Verum non solum defectus ostendit hepatis affectiones, sed etiam ventriculi, & alimenti penuriam, vel malitiam. Nam cum ventriculus malè concoquit cibos, nequit ex malè illic concocto alimento hepar plurimos humores generare. Ex parco etiam cibo, vel excrementoso generationẽ minui in hepate, necesse est. Porrò abundantia humorum significat quidem, vbi ventriculus bene concoquit, & suppetit boni alimenti copia, temperiem hepatis calidam & humidam: non tamen ægram, sed in latitudine sanitatis etiam laudandam. Quapropter hoc indicium reiiciendum est ab hoc capite, vbi ægrotantis hepatis notas quærit. Cacochymia verò, id est, malorum humorum redundantia, nisi sequatur ventriculi malam concoctionem, (quam hepar etiam optimè affectum emendare non potest) aut malos cibos: necessario ostendit hepar male affectum intemperie siue humore, vel cum humore, vel testatur obstructionẽ, vt accidit in morbo regio decoloratio: nisi etiam vitio ventriculi, aut mali alimenti contingat, ostendit humores in hepate gigni crudiores. Fœdus verò color, vt flauus, niger, ostendit vitio hepatis gigni plurimum bilis pallidæ, vel humoris melancholici, ob obstructiones in partibus quæ huiusmodi humores ab hepate expurgant. Nam vesica, quæ hepatis simæ parti annexa est, bilem flauam; lien vero humorem melancholicum attrahit. Iam vero cibi distributio impedita à ventriculo in hepar, sequi potest vel imbecillitatem hepatis, non attrahentis ad se chylum, vel obstructionem venæ portæ, & earum, quæ ab ea enascuntur. Si vero impedita est distributio humorum, qui geniti sunt in hepate, hoc non fit vitio hepatis, sed venæ cauæ, & aliarum, quæ per habitũ corporis sparguntur, aut quia externæ partes caloris defectu ad se nõ alliciunt eos humores. Excrementa verò ostendere possunt multas causas. Si enim non reddantur, vitium non est in hepate, sed in partibus, quæ illas ad se trahunt, vel suscipiunt. Quod si eorum qualitas mutata est præter naturam, damnare debemus fontem, in quo gignuntur, vt in fluxu hepatico excrementa aquosa & sanguinolenta sanguificationem frustratam in hepate testantur: & vrinæ flauæ, aliaq; excrementa admodum biliosa, indicant plus, quàm oporteat bilis in hepate esse factum. Grauitas etiam & tumores, qui sub hypochondrio dextro intrinsecus sentiuntur: nec non dolores, præsertim graues aut tensiui, qui eandem regionem occupant, notæ sunt hepatis affecti. Ac non solum quidem in eo loco sentiri solẽt dolores laborãte hepate, sed per magnas inflammationes etiam in diaphragmate, & in costis mendosis, ob connexionem, quam habet hepar cum illis partib. Propterea huiusmodi morbi hepatis etiam respirationem reddunt difficilem.

Excrementa quid ostendere possint.

An tussis fieri possit in affectib. hepatis.

Quod verò ad tussim pertinet, Galenus in ea est opinione, quod tussis sicca sequatur hepatis inflammationem: sed cum tussis nequeat fieri, nisi in aspera arteria aliquid sit, quod molestet, nõ video quomodo hepatis affectus tussim inferre possint. Necesse enim esset, vt humor, qui ab inflammato hepate resudat, primum transeat septũ

A transuersum, densum & solidum, deinde recipiatur in substantiam pulmonis, postea vero in ipsius asperas arterias: quæ vix fieri posse puto, cum videamus per vulnera thoracis, plurimum aliquando humoris in ipsius cauitatem effundi, non tamen ob id tussim excitari. Docent etiam præter hæc signa, quæ ponit Gal. hepar affectum, morbi aliarum partium, vt species aquæ inter cutem, scabies, vlcera tibiarum. Verum nõ omnis hydrops (vt vulgus Medicorum credit) à frigiditate hepatis nascitur. Nam in ascite, & timpanite vrinas videmus admodum coloratas: quod excedentis caloris est indicium. Sola ergo leucophlegmatia, quæ propriè hydropis nomine intelligitur, frustratæ generationis & frigiditatis hepatis est nota: ser[...] vero humor, qui ascitem parit, paulatim aceruatur ob duritiem hepatis, vel renum affectum [...] etiam vteri, vt aliquando vidimus in dissectio[ni]bus. Præbent etiam sua indicia causæ, quæ pe[cu]liariter morbos gignere in hepate, & genitos [...] prodesse, aut obesse possunt ad hepatis morbos cognoscendos.

Hydropem communem non fieri refrigerato hepate.

B

Οὕτως δὲ καὶ κατὰ τὴν γαστέρα, τοῖς περὶ τὴν πέψιν τε καὶ τὴν ὄρεξιν ὑγρᾶς ἢ ξηρᾶς τροφῆς, ἢ περιττωμάτων ἐκκρίσιν ἁμαρτανομένοις. ὡσαύτως δὲ λυγξὶν, ἐρυγαῖς, ναυτίαις, ἐμέτοις, αὐταῖς τε τῶν ἐμουμένων ἰδέαις.

CAP. LXXIX. DE SIGNIS VENTRICVLI PATIENTIS.

Sic & ventriculi affectus agnoscitur, vbi in concoctione & appetitu humidi & sicci alimenti, vel superfluitatum excretione delinquitur. Ita etiam ex singultibus, eructationibus, nauseis, vomitibus, & ipsis eorum, quæ vomuntur, specieb.

C

Concoctio nisi offendatur ob alimenti copiã, vel malitiam, aut ob caloris influentis reuocationem ad alias partes, vel debilitatem, ostẽdet profecto ventriculum malè affectum. Neque enim iustum est, ventriculi constitutionem damnare, cum alimenti concoctio in eo non perficitur, eo quod illius vim crapula obruamus, aut cum ob animi studia vel corporis labores, calorem ab eo distrahimus, & dissoluimus. Appetentia vero immodica, vel diminuta, nisi accidat vitio hepatis, & aliarum partium, quæ plus vel minus sugunt ipsum ventriculum, certa nota est huius partis affectæ. Sed certior, & illi peculiaris est, quæ sumitur à deprauata appetentia, cum quis cinerem, vel carbones, aut alia absurda appetit. *Hoc n. fieri non potest, nisi mali humores ventriculum occupauerint.* Sitis necessario etiam ostẽdit caliditatem & siccitatẽ ventriculi. Sed hæc aliquando in ipso ventriculo sunt solo, vel ob febrẽ, aut aliarum partium affectiones nata. Porrò cum alui excremẽta referunt naturam alimenti malè concocti, hoc fit vitio ventriculi nequeuntis satis concoquere alimentum. At si alui excrementa duriora sunt, hoc adscribendum non est ipsi ventriculo, sed hepati violentius sugenti, aut intestinis, diutius, quàm par sit, retinentibus. Porro singultus symptoma est propriũ ipsius ventriculi, sicut ructus, & nausea, non tamen necessario ostendunt huius partis morbos: nam sæpe à leuioribus causis excitantur, quàm conueniat morborum generationi. At si vomitus non fit, vel sponte nobis volentib. vel ob copiam, aut malitiam ciborum, indicium est

D

Appetentia immodica vel diminuta vnde fiat.

Vnde deprauata.

E

Excrementa vnde indurentur.

Singultus & nausea cuius sint symptomata & quomodo morbos ventriculi ostendant.

ventri-

ventriculi laborantis, si modo alimentum reiicitur: nam si excernuntur humores, hoc etiam accidere potest, eo quod hepar in ventriculum sese exoneret: aliquādo vero humor, qui excernitur, in ipso ventriculo gignitur, & tunc partem hanc affectam testatur, nisi etiam alimenti vitium sequatur. Addere etiam debebat signa, quæ sumuntur à doloribus, & tumorib. regionem occupantibus, vbi ventriculus continetur: necnon quæ à iuuantibus, & lædentibus & gignentibus morbos in eo viscere, causæ sumuntur. Sed quæ separatam postulant tractationem, non debent generali methodo exactè explicari.

Quomodo vomitus sit sumant.

Cap. LXXX. De signis patientis thoracis.

B Καὶ μήν γε καὶ ὅσα κατὰ θώρακα, δυσπνοίαις, βηξίν, ὀδύναις, ταῖς κατ' αὐτόν, τῇ τε τῶν ἀναβηττομένων διαφορᾷ, καὶ κατὰ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν νοσήματα, δύσπνοιά τε καὶ βήξ, ἥ τε κατὰ τὸν τόπον ὀδύνη, τά τε ἀναπτυόμενα, καὶ αἱ τῆς φωνῆς βλάβαι γνωρίζουσιν.

Ita & thoracis agnoscuntur affectus ex spirandi difficultatibus, tussibus, & doloribus, qui in ipso fiunt, & ex eorum, quæ cum tussi expuuntur, differentia. Sic & asperæ arteriæ ægritudines, difficiles anhelitus, & tusses, & dolor in loco, & quæ expuuntur, & vocis offensiones ostendunt.

C Thoracis partes quædam externæ sunt, aliæ verò internæ, quæ in cauitate ipsius continentur: & inter exteriores, quædam in superficie sunt positæ, vt cutis, musculi exteriores; aliæ verò occultiorem situm habent, vt musculi intercostales & membrana succingens costas, cuius affectus pleuritis dicitur esse. Porro externarum partium morbi non cognoscuntur per tussim, nisi fortè inflammatio illius membranæ, à qua sanguinis inflammationem faciens, resudat in cauitatem thoracis & illic sugitur à substantia pulmonis spōgiosa, & ab ea in asperas arterias recipitur. *Soli ergo morbi partium thoracis, facti ex humore, qui in asperas arterias recipi potest, per tussim indicantur.* D Difficilis etiā spiratio nō comitatur omnes morbos thoracis. Nam intemperies sine humore, quæ musculos thoracis infestant, hoc indicio non produntur: ac (vt semel dicam) illi duntaxat morbi difficilem reddunt respirationem, qui thoracem, & partes in eo contentas, dilatari & constringi prohibent: Cuius generis sunt, qui continuum soluunt, & dolorem ob id inferūt, aut quæ asperas arterias occupant. Dolor pulmonem affectum non testatur, quoniam sine sensu dolor nō fit, nā fit sensus omnis per neruos, quos vel nullos, vel exiguos admodum pulmo obtinet. In musculis verò, & membrana succingente, fiunt quidem dolores, verum solum ab affectibus, qui nascuntur à solutione continui. E Porro cum tussi expuuntur multa, nam aliquando sanguis purus, aliquando pituitosus, vel biliosus aut melancholicus, vel serosus reiicitur: aliquando verò sola pituita: bilis verò flaua aut atra, vix vnquam excernuntur: nam flaua & pallida crassitiem non habet, aut visciditatem, sine quibus nihil attolli potest ab aere expirato: humor verò melancholicus solus, in parte spongiosa nec gigni, nec contineri

Tussis, quā vim habeat in thoracis morbis indicandis.

Quid tussis ...

Quæ tussi expuuntur.

A solet: & denique omnis humor, qui reiicitur cum tussi, plurimum semper habet in se pituitæ. Reiiciuntur aliquando cum tussi pus, grumus, venulæ, & arteriæ fragmenta, & bronchia asperæ arteriæ, necnon pulmonis substantia, & tunicæ, quæ ambit asperam arteriam, portiuncula quædam. Quæ verò de notis asperæ arteriæ ægrotantis scribit, patent: non tamen hæc symptomata sequuntur omnes morbos illius partis: nam intemperiem solam hæc non ostendunt. Difficilis quoque anhelitus non adest semper, vbi humor est, qui tussim excitat, sed vbi insignis est ex eo obstructio, & sæpe quidem fiunt tusses, vbi nullus est dolor: Membranularum verò frustula, exiguusque sanguis, & ipsius asperæ arteriæ portiunculæ, quæ expuuntur, certiora præbent indicia huius partis affectæ. Vox vero per eos solū morbos offenditur, cum aspera arteria est exulcerata, aut exasperata ab acrimonia humorum, aut ab eorundem multitudine imbuta. Debebat pariter subiicere, quæ ostendant pulmonem affectum: sed fortè hæc omisit, quoniam plurimi in eo fiunt affectus, qui proprias, & separatas habeant notas.

Quid vocis offensione ostenditur.

Ἀνάλογον δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων μορίων ἁπάντων, ἐξ ὄγκου, καὶ ὀδύνης, καὶ βλάβης ἐνεργειῶν, ἔτι τε τῆς τῶν ἐκκρινομένων διαφορᾶς αἱ διαγνώσεις ἔσονται. ὄγκους μὲν δὴ τοὺς παρὰ φύσιν, ἐν φλεγμοναῖς, καὶ σκίρροις, καὶ οἰδήμασιν ἐξεταστέον. ἄλγημα δὲ καθ' ὃν ἂν ἐρείδῃ τόπον, ἤτοι συνεχείας λύσιν, ἢ ἀλλοίωσιν ἀθρόαν ἐνδείκνυται. λύεται μὲν οὖν ἡ συνέχεια τομῇ, καὶ διαβρώσει, καὶ θλάσει, καὶ τάσει· ἀλλοιοῦται δὲ ἡ οὐσία θερμότητι, καὶ ψυχρότητι, καὶ ξηρότητι, καὶ ὑγρότητι. βλάπτεται δὲ ἡ ἐνέργεια τριχῶς, ἢ ἀρρώστως, ἢ πλημμελῶς, ἢ μηδ' ὅλως γιγνομένη.

Secundum vero eandem proportionem, & in aliis omnibus accidit partibus. Nam ex tumore, dolore, & operationū læsione, & excrementorum differentia sumuntur indicia. Excrescentiæ autem nō naturales inflammationibus durisq; ac laxis tumoribus, & erysipelatis sunt explorandæ. Dolor autē quemcunq; obsederit locum, aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostēdit. Soluitur autem continuitas incisione, exesione, fractione, & tensione. Alteratur verò substantia à caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate. Læditur autem operatio tripliciter, aut quia debiliter, aut quia vitiosè, aut quia nullo modo fit.

Repetit suos fontes signorum, quos paulo antea posuit signa præbere ad partes affectas dignoscendas: sunt autem tumor, dolor, operationum læsiones, & excrementa. Explicat autem obiter istorum differentias, & quorundam causas: Tumorum differentiæ sunt inflammationes, scirrhi, oedemata, erysipelata: omittit herpetem, carbun-

Tumorum differentiæ.

culum, cancrum, quæ peculiarem habent naturã, etsi aliquid recipiunt ex prioribus tumorib. Hic nescio qua ratione doloris & solutionis causas refert: Cur enim etiam prædictorum tumorũ causas non explicauit? Præterea antea ostendimus, falsum esse, dolorem nasci ab intemperie, tanquam à proxima sua causa, ea enim solum, quæ continuum soluunt, dolorem pariunt, id, quod vel solæ ostendunt febres ardentes, vniuersum corpus occupantes: quæ in omnibus partibus sentientibus dolorem haudquaquam excitãt, sed solum in illis, quæ ex ebullitione humorum tensionem pati possunt. Cæterum inter causas solutæ vnitatis omittit contundentia, & alia nonnulla, de quibus nos in *lib. de causis morborum* diligẽter egimus. in quo loco etiam ostendimus, alterationes fieri non solum ab his, quæ calefaciunt, refrigerant, humectant, & siccãt, sed etiam ab illis, quæ tota substantia nos afficiunt. Quinetiam *in libro nostro de differentiis symptomatum* demonstrauimus, actiones lædi tripliciter, vt ille hic passim tradit, sed præterea addendam esse auctam actionem, & eam, quæ cum tristitia vel voluptate præter naturam exercetur, de qua re etiam antea egimus.

Dolorem solum fieri à soluentibus continuum.

Cap. LXXXI. De differentia eorum, quæ excernuntur.

Ὅσα δ' ἐκκρίνεται, τὰ μὲν ὡς μόρια τῶν πεπονθότων, τὰ δ' ὡς περιττώματα, τὰ δ' ὡς ἐν αὐτοῖς περιεχόμενα, κατὰ φύσιν ἕκαστον ἔνδειξιν ἰδίαν ποιήσεται, λέλεκται δὲ περὶ τῶν τοιούτων ἁπάντων ἐπὶ πλέον, ἐν τῇ τῶν πεπονθότων τόπων πραγματείᾳ, μηδενὸς αὐτὴν ὑπὸ μέθοδον τῶν ἔμπροσθεν ἀγαγόντος, ἢ τὸ τέλειον ἀποδόντος, ὥσπερ οὐδ' ἄλλην οὐδεμίαν ὧν ὑπῆρξαν μὲν οἱ παλαιοί, οὐ συνετέλεσαν δέ. τῶν μὲν δὴ νοσούντων σωμάτων, ἐξ ἐκείνης τῆς πραγματείας μανθάνειν χρὴ τὰ γνωρίσματα, τῶν νοσησόντων δὲ καὶ τῶν ὑγιασθησομένων, ἐκ τῆσδε τῆς μεθόδου.

Quæcunque autem excernuntur, nonnulla quidem sunt veluti partes patientium locorum, nonnulla verò tanquam excrementa. Quæ verò in ipsis naturaliter cõtinentur, singula propriam facient indicationem. Dictum est autem de hisce omnibus plenius in tractatu de membris passis, quem nullus ante nos aut in artem redegit, aut ad absolutam perfectionem deduxit. Quemadmodum & in aliis omnibus euenit, quibus initium quidem aliquod ab antiquis est datum, non tamen absolutum est opus. Aegrotantium itaq. corporum ex tractatu illo indicia sunt sumenda, eorum autem, qui in ægritudinem lapsuri sunt, & qui sanitati restituendi, præsens doctrina complectitur.

Cum dixisset, signa partium ægrotantium sumi aliquando ab his, quæ excernuntur, eorũ verò diuersa sunt genera; nunc, quæ & quot illa sint, docet, ponitq. solum illorũ genera: *vel enim*, inquit, *quod excernitur, est de substãtia partis affectæ, vel est illius excrementum.* Sunt de essentia partis, quæ naturaliter in ipsis insunt, huius generis sunt pinguedo, ramenta intestinorum, quæ in dyssenteria excernuntur. Excrementa vero hic non diuidit, sed tria statuenda sunt eorum genera: nam quædam qualitate, alia quantitate, alia toto genere præter naturam, & excrementa statuenda sunt. Qualitate sunt præter naturam ea, in quibus solæ qualitates damnari possunt, vt cum pituita pro insipida & dulci, redditur acida vel salsa. Quantitate verò excrementum est, quod naturam grauat sua mole, vt sanguinis redundantia, quæ morbũ parit, in hoc genere continetur: Toto vero genere præter naturam illa dicuntur esse excremẽta, quæ nec formam, nec materiam habent naturæ nostræ conuenientem, in quo genere continentur lumbrici, calculi, qui in nobis gignũtur, & pus. Omittit genus vnum eorum, quæ excernuntur, quod continet vtiles substantias, in quo genere cõprehenduntur cibi excretiones: & sanguinis boni reiectiones. quæ etiam ostendunt partes morbo affectas. Ventriculũ enim agnoscimus graui morbo laborare, cum cibus per intestina deiicitur. Ac cum sanguis exit à venis, aut arteriis, morbus est ex soluta continuitate: sed quoniam hæc, quæ traduntur de notitia partium affectarũ, variant ferè in singulis partibus, & in compẽdiosa hac doctrina, singula pro dignitate explicari nõ possunt, relegat Gal. huius rei studiosos ad libros de locis affectis: quos se in senectute scripsisse multo diligẽtius, quam alii fecissent, cõmemorat. Ergo laudo quidem illius diligentiam, sed opus illud non agnosco ita exactè conditum esse, quin multo meliora de ea re ab aliis præstari possint. Scripsi ego *in 2. lib. de signis*, duo capita de notis partis affectæ, quæ cupio ab omnibus studiosis legi, & cum libris de locis affectis Gal. conferri.

Excrementorum genera.

Cap. LXXXII. De signis neutræ ægritudinis.

Τὰ μὲν οὖν τῶν νοσησόντων ἐν τῷ μεταξὺ τὴν ἰδέαν ἐστὶ τῶν τε τοῖς ὑγιαίνουσι καὶ τοῖς νοσοῦσι συμβαινόντων. κατὰ φύσιν μὲν γὰρ ἅπαντα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑπάρχει, παρὰ φύσιν δὲ, τοῖς νοσοῦσιν, καθ' ὅσον νοσοῦσιν. ἐν μεθορίῳ δὲ τούτων ἐστὶ τὰ δηλωτικὰ τῶν νοσωδῶν. ἔνια μὲν ἐκ τοῦ γένους ὑπάρχοντα τῶν κατὰ φύσιν, ἀλλὰ ποσότητι, ἢ ποιότητι, ἢ καιροῖς ὑπηλλαγμένα. ἔνια δὲ ἐκ τῶν παρὰ φύσιν μὲν, ἀλλὰ μικρότερα τῶν ἐν ταῖς νόσοις. διὰ τοῦτο καὶ αἱ διαθέσεις μὲν αὐταὶ τῶν σωμάτων, ὅσαι νοσεῖν ὑπέδειξα, τῶν οὐδετέρων εἰσί, καὶ τὰ δηλοῦντα αὐτὰς σημεῖα. πρώτως μὲν γὰρ ταῦτα ὑγείαν δηλοῖ, δευτέρως δὲ τὰς νόσους. καὶ γίνεται τὰ αὐτὰ σημεῖα κατὰ τὴν πρός τι σχέσιν, οὐδέτερά τε καὶ νοσώδη· τὰ μὲν τὴν ἤδη διάθεσιν δηλοῦντα, οὐδέτερα, τὰ δὲ τὴν ἐσομένην προδηλοῦντα, νοσώδη. κατὰ δὲ τὸ αὐτὸν λόγον, καὶ ὅσα τοῖς νοσοῦσιν ἐπιφαίνεται σημεῖα σωτήρια, λεχθήσεται μὲν ὑγιεινὰ, διότι τὴν ἐσομένην ὑγείαν προδηλοῖ· λεχθήσεται δὲ καὶ νοσερὰ, καθ' ὅσον τὴν ὑπάρχουσαν νόσον ἐνδείκνυται. καὶ δῆλον ὡς ὅσα περ ἀμφοῖν ἐστι δηλωτικὰ, λεχθείη ἂν οὐδέτερα καθ' ἕν τι τῶν σημαινομένων τῆς οὐδετέρας φωνῆς. οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν, τὰ αὐτὰ σημεῖα τρεῖς ἔχειν

λόγους

λόγους ἐν διαφερούσαις σχέσεσιν, ὑγιεινά τε καὶ νοσερὰ, καὶ οὐδέτερα λεγόμενα. καθ' ἕτερον δὲ σημαινόμενον, ὅσα τοῖς ἀνακομιζομένοις ἐκ νόσων ὑπάρχει σημεῖα, λέγομεν οὐδέτερα, καθ' ὃ οἶμαι καὶ τὰ τῶν ἐν γήρᾳ. ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντα πλείοσιν ὑποπέπτωκεν ἐννοίαις τε καὶ λόγοις, ὅσα δὲ τοῖς ἀμέμπτως ὑγιαίνουσιν ὑπάρχει, μόνῃ τῇ τῶν ὑγιεινῶν ἐννοίᾳ. καὶ ὅσα τοῖς νοσοῦσι μὲν προδηλοῦντα τὴν ἐσομένην ὑγείαν, μόνῃ καὶ ταῦτα τῇ τῶν νοσωδῶν ὑποπέπτωκεν ἐννοίᾳ.

Eorum igitur indicia, quibus ægritudinis periculum imminet, mediam formam habent inter ea, quæ sanis, & quæ ægrotantibus eueniunt. Siquidem sanis omnia secundum naturam insunt: præter naturam verò, ægrotantibus, quatenus ægrotant. In confinio autem horum ea, quæ sunt corporum neutrorum indicia: quorum nonnulla quidem sunt ex eorum genere, quæ secundum naturam, sed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel temporibus permutata: quædam autem ex his, quæ præter naturam, & minora his, quæ ægritudinibus adsunt: Atque idcirco hæ quidem corporum dispositiones, quæ in ægritudinem casura monstrani, sunt ex neutrorum genere, atque vnà ea, quæ ipsa indicant signa. Primo enim hæc sanitatem ostendunt, secundo autem ægritudinem. Et sunt eadem signa secundum ad aliquid habitudinem, neutra & insalubria: quæ quidem præsentem dispositionem ostendant, neutra, quæ vero futuram præmonstrant, insalubria. Eadem vero ratione & quæcunque ægrotantib. signa salutaria apparẽt; dicuntur quidem salubria, quia futuram sanitatem ostendunt: dicentur etiam ægra, quatenus præsentem ostendunt ægritudinem. Neque in ambiguo est, quod quæ sunt vtrorumq; indicatiua, neutra dicuntur secundũ vnum quoddam neutri vocabuli significatum; Neque verò mirari oportet, eadem signa tres in diuersis habitudinibus seruare rationes, quæ salubria, & ægra, & neutra dicuntur: secundum vero alterum significatum, quæcunque his, qui à morbo resurgunt, insunt, signa neutra appellamus, neque in alio significatu accipiunt ea, quæ senibus insunt. Hæc quidem omnia pluribus & conceptibus & rationibus subiiciuntur: quæcunque vero in his qui integra sanitate fruuntur, inter salubria tantummodo computantur. Et quæcunq; ægritudinibus insunt; neq; fu- A *turam prænunciant sanitatem, & hæc ægrorum conceptui subiiciuntur.*

Proposuit Gal. *in initio huius 2. Comment.* se velle tractare de signis salubribus, insalubrib. & neutris, demonstratiuis, prognosticis & memoratiuis. Itaq; cum de signis salubrib. & insalubribus, demonstratiuis hactenus egerit, transit nunc ad prædictiones, & primũ docet præsagire morbos futuros, deinde cum morbi præsentes sunt, futuram salutem. Memoratiua vero signa omittit, nec pro dignitate, & vsu nostræ facultatis explicat ea, quæ ad prædictionem pertinẽt. Nam non solum per sanitatem venturos morbos, nec per morbos futuram sanitatem, sed multo plura præsagire debemus, quæ quidem nos *in 4. lib. de signis* diligen-
B tius enarrauimus, atq; ex eo opere, quæ ad hunc locum pertinent, breuiter transfero. Ergo cum nostrũ corpus vel sanum sit, vel ægrum, vel à morbis conualescat, (vtor nunc hac diuisione instituto nostro accõmodata,) in omnibus præscire expedit, an perseuerabit, qui præsens est, affectus an non: Quod mutabitur, in quem mutatio fiet, & quando, quo modo, per quem corporis locũ mutatio continget, quæ præterea erunt mutationis causæ, & ratio. *In sanis quæ prædicenda.* Peculiaria autẽ & singulis propria hæc fiunt, pluraq; capita in quibusdam, quàm in aliis recipiunt. Si enim corpus est sanum, necessarium est præcognoscere, an quæ præsens est sanitas, diu durabit, vel non: Deinde quibus morbis per vitam infestabitur vnusquisq;, Medicum præ-
C dicere oportet: præterea à quibus causis quoque modo illi in singulis excitabuntur, an sc. ab externis, vel internis iniuriis, an paulatim, vel subito, & confertim, vel alio modo peruenient: Ad hæc tẽpus, quo mutatio continget, prædicere oportet, qua scil. ætate, quo anni tempore hæc fient. Postremo corporis locus, per quem morbosę causæ in corpus sese insinuabunt, præsentire est necesse. *Quæ prædicenda in ægrotis.*

At si in conualescentibus prædicere oportet, an speremus venturam pristinam sanitatem, an metuẽda sit recidiua; deinde si morbus sequetur, diuinare oportet, quisnam, & à quibus causis, an scilic. priori similis, vel alterius generis sit futurus morbus, & ille excitabitur ob reliquias prioris morbi, vel ob errores, vel alias causas: & an paula-
D tim, vel subito, & an cito vel tarde hæc fient.

In ægrotis verò illud in primis præsagire oportet, an morbus solui poterit, vel nõ: non soluuntur, qui nec occidunt, nec sanantur vnquam, sed hominem comitantur ad mortem: de quibus illud scire necesse, an toto vitæ cursu eundem tenorem morbus seruabit, quem iam accepit, vel potius mitescet, aut augebitur malũ. Quod si morbi eius generis fuerint, qui soluuntur, terminum solutionis prædicere conuenit. An scilicet salus sit expectanda, vel mors metuenda. Deinde præuidendum est, an solutio erit fida vel infida, facilis aut difficilis, perfecta vel imperfecta. Ad hæc an breuis vel longus sit futurus morbus. Item quo tempore ætatis, anni, quo mense, quo die, quave
E hora tandem finietur: necnon quæ causa sit futura ipsius solutionis, an natura, vel ars, vel vrina, vel aliud denique artis, vel naturæ præsidium morbũ terminabit: & nunquid morbus ex morbo nascetur, antequam prior recedat, ignorandum nõ est. quin etiam præscire oportet, an subito vel paulatim, & si subito, an etiam cum vehementia, & per crisim finietur, & per quem locum corporis re-

cedent morborũ causæ. Postremo vbi plures sunt A
ægritudines, ordo requirit, vt intelligamus, qui
omnium primus, qui verò deinceps soluatur. In
his quidem versatur prædicendi ratio, hæc omnia
complectitur, non solum ea pauca, quæ Gal. *in*
hoc loco, & *alibi* tradit. Sed iam videamus, à qui-
bus fontibus signa ducat ad ea prædicenda, quæ
proponit. *Duo*, inquit, *sunt fontes: vel enim signa*
hæc sumentur ex genere eorum, quæ secundum natu-
ram sunt in nobis, sed qualitatibus vel quantitatibus
permutatis: vel ex his, quæ præter naturam sunt, sed
minora his, quæ insunt ægrotantib. in progressu ve-
ro *huius capitis* docet, illa esse secundum naturam
quæ fiunt in sanis: Præter naturam, quæ fiunt in
ægris: vt appetitus alimenti, somnus, & vigilia, af-
fectiones sunt sanorum: hæc si qualitatem, aut
quantitatem, vel tempus consuetum mutauerint,
morbum (inquit) prænunciant: dolor verò non
est aptus & natus fieri in sanis, sed reuera est passio
ægrotantiũ; tamẽ cum leuis admodũ est, in neu-
tris corporibus etiam reperitur, & morbos præ-
dicere solet, quia ostẽdit, morbosam subesse cau-
sam, quæ nisi tollatur, augebitur morbumq; pa-
riet. Hæc quidem rectè dicuntur, sed ab aliis in-
dicia sunt sumenda. Non enim soli affectus, qui
sequuntur cõstitutionem corporis, vt ille hic do-
cet, præsagiunt morbos venturos, sed præterea,
quæ sumuntur ab essentia ipsius constitutionis, &
ab ipsius causis, atque similitudine idem osten-
dent: nam vitia, quæ apparent in ipsa temperie,
vel structura, prædicunt morbos. Idem ostendũt
mali humores, & aliæ internæ causæ, cum malè
habent, morbos minantur. Qui item præter so-
litum incurrunt causas morborum, aut læduntur
ab his, quæ antea lædere nõ consueuerant, & qui
iam sydera habent malè fauentia, & morbos mi-
nantia, vel similiter sunt affecti, vt hi, quos vide-
mus morbis corripi, hæc inquam, omnia morbos
instare admonent. Igitur qui vult futura præsagi-
re, excutere debet quatuor nostros fontes signo-
rum toties repetitos, & ab omnibus signa sume-
re. Sic enim omittet, & sciet, se omnia præstare,
quæ ars nostra in se cõplectitur. Cæterum quod
hoc loco scribit Gal. *de neutris corporibus & signis de*
relatione signorum ad sanitatem, morbum, & neu-
tram dispositionem, rectè quidem dicitur: Verum D
neutrum hic non sumit, vt *in 1. libr.* inter salubre,
id est, inter corpora bene & malè sana, sed inter
sanum & ægrum: nam neutra, quæ sunt inter sa-
lubria & insalubria, dolorem in se nõ habent, aut
vitiatam appetentiam, aut alia mala, quæ morbos
præsagiunt. Præterea id docet apertè Gal. nam in-
ter neutra corpora comprehendit illa, quæ con-
ualescunt à morbis, & quæ periclitantur in mor-
bos cadere, & senes, quos omnes *in Thrasibulo*
ponit, contineri in statu neutro inter sanos & æ-
gros: neutri verò, qui sunt inter salubres & insa-
lubres, non comprehendunt cõualescentes & se-
nes potius, quàm alias ætates. Quod verò perti-
net ad eam habitudinem & relationẽ, satis ex di-
ctione ipsius autoris patet: non enim absurdum E
est, idem signum ad diuersa relatum, diuersa no-
mina sumere: nam vt ille scribit, quæ neutrã dis-
positionem præsentem monstrãt, neutra vocan-
tur: quatenus verò eadem referuntur ad futuram
ægritudinem, quam præsagiunt, ægra dicuntur,
cuius generis est insolitus alicuius partis dolor, sed
adhuc exiguus, nec tantus, quantus erit cum iam

De fontibus signorum à quibus præsagitiones sumuntur.

Neutra hic non sumit vt antea.

corpus ægrotabit. Idem symptoma, præsentem
morbum significat, & futuram post morbum sa-
nitatem, veluti est signum concoctionis in vrina:
hoc enim ægrum & sanum signum merito nun-
cupantur.

Sunt porrò neutri plures significationes, vt an-
tea ostendimus, nempe vna, quæ dispositionem
continet neutrius extremi participẽ, vt est in pro-
positis neutris senectus: Alia verò comprehen-
dit neutrum, quod est simul particeps sanitatis &
morbi, in quo significatu sunt corpora, quæ para-
ta sunt cadere in morbos. Illa n. aliquid iam habẽt
in se morbosum, & alia, quæ sunt adhuc secundũ
naturam. Alia sunt neutra quę nunc sana, nunc æ-
gra euadũt, alia verò, quæ nullam habent relatio-
B nem ad sanitatem vel morbum, quorũ exempla *in*
sequenti cap. Gal. ponit. In hoc verò loco debebat
(meo iudicio) dicere Gal. vbi scribit, *imo hæc sani-*
tatem ostendunt, neutrũ statum ostendunt: nam quæ
ægritudinem monstrant futuram, nõ indicant sa-
nitatem præsentem, sed neutrum statum, vt post-
ea statim ipse subiungit, cum ait: *quæ quidem præ-*
sentem dispositionem ostendunt neutra: quæ verò fu-
turam præmonstrant insalubria. Neq; enim è sani-
tate statim ad morbum fit transitus, sed per neu-
trum statum, qui decidentiæ vocatur. Igitur vno
modo neutrũ signum dicitur, quod neutram dis-
positionem ostendat, & illud postea insalubre, si-
ue ægrum, nuncupatur, quatenus futuram ægri-
tudinem portendit. Quæ vero præsentem mor-
C bum, & postea sanitatem, neutra dicuntur, quod
nunc morbum, & postea sanitatem prænunciant.
Quod vero scribit, eadẽ signa posse appellari sana,
ægra, & neutra, id videtur intelligendum de signis
decretoriis, quæ morbum præsentem, æqualem
pugnam & crisin futuram vel ad salutem vel ad
mortem portendũt: Difficile enim est alioqui in-
uenire aliquid, quod referri possit ad tres dispo si-
tiones, & illarum signum fieri, alia vero patent.

Περὶ μὲν δὴ τούτων ἐξῆς εἰρήσεται. τὰ δὲ τῆς μελ-
λούσης νόσου προγνωστικὰ, διέλθωμεν πρό-
τερον. διττῆς δὲ οὔσης τῆς αὐτῶν διαφορᾶς,
προχειριζώμεθα πρότερον, τὰ ποσότησιν, ἢ
ποιότησιν, ἢ καιροῖς, οὐκ αὐταῖς οἰκείαις ἰ-
δέαις ἐξηλλαγμένα τῶν κατὰ φύσιν, οἷον ὄρεξιν
σιτίων ἐπιτεταμένην, ἢ ἐκλελυμένην, ἢ μὴ
κατὰ τὸν συνήθη καιρὸν, ἢ οὐ συνήθων ἐδεσμά-
των, ἢ ἀπόκρισιν τῶν περιττωμάτων τῆς τρο-
φῆς ἐλαττόνων, ἢ πλειόνων, ἢ ὑγροτέρων, ἢ
σκληροτέρων. οὕτως δὲ καὶ τῶν ὑγρῶν περιττω-
μάτων ἔνδεια καὶ πλεονεξία παρὰ τὸ κατὰ
φύσιν, ἢ χροιᾶς, ἢ συστάσεως ἐξαλλάξεις, ἢ
καιροῦ κενώσεως, ἀγρυπνία τε καὶ πλείων ὕ-
πνος, ἢ οὐκ ἐν καιρῷ τῷ συνήθει. κατὰ
ταῦτα δὲ καὶ ἡ περὶ πόμα πλεῖον, ἢ ἔλαττον,
ἢ θερμὸν, ἢ ψυχρὸν ἐπιθυμία παρὰ τὸ σύ-
νηθες. ὥσπερ γε, καὶ ἡ περὶ τὴν τῶν ἀφροδι-
σίων χρῆσις ἄμετρος, ἢ ἄκαιρος ἐπιθυ-
μία, ἱδρῶτες πλείους τοῦ δέοντος, ἢ ἐλάττους,
ὄκνος εἰς τὰς κινήσεις, ἢ πειρωμένων κινεῖσθαι
βαρύτης, ἢ ἔκλυσις ἰσχυρὰ, καταμηνίων κρύ-
ψις, ἢ πλείων, ἢ ἐλάττων κένωσις. οὕτω δὲ ἡ
δι' αἱμορροΐδων. ἀλλὰ καὶ ἡ καθ' αὐτὴν

τὴν

τὴν ἐδωδὴν, ἢ πόσιν, οὐχ ὁμοία τῇ πρόσθεν ἡδονὴ, γνωρίσματά ἐστι μέλλοντος νοσήματος, ὥσπερ δὲ καὶ ἡ τῆς διανοίας ἀμβλύτης οὐ κατὰ φύσιν, ἢ ἐπιλησμοσύνη τις ἀήθης, ἢ φαντασιωδέστεροι τῶν ἔμπροσθεν ὕπνοι, καὶ μὲν δὴ καὶ ἀκοὴ καὶ ὄσφρησις, καὶ ὄψις ἀμβλύτεραί τε καὶ ἀχλυωδέστεραι. καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ὅσα κατὰ φύσιν ὑπάρχει, τὰ μὲν αὐξανόμενα, τὰ δὲ μειούμενα, τὰ δὲ καιροῖς τισὶν ἢ ποσότησιν, ἢ ποιότησιν ἐξαλλαττόμενα. καὶ γὰρ οὖν καὶ ὁ τοῦ σώματος ὄγκος, ἐλάττων τε καὶ μείζων γενόμενος, ἐρυθρότερός τε καὶ λευκότερος, ἢ εἴπερ πελιδνότερος καὶ μελάντερος, ἐρυγαί τε καὶ πταρμοὶ, καὶ φῦσαι πλείους ἢ ἐλάττους τῶν κατὰ φύσιν. οὕτω δὲ καὶ ὅσα διὰ ῥινῶν, ἢ ὑπερῴας, ἢ ὤτων, οἷς ὁ ἐγκέφαλος ἐκκαθαίρεται ποσότησιν, ἢ ποιότησιν, ἢ καιροῖς ἐξαλλαττόμενα. ταῦτα μὲν ἅπαντα τοῦ γένους τῶν κατὰ φύσιν ἐστίν.

Sed de his quidem postea dicetur: nunc quæ futuram præmonstrãt ægritudinẽ prius exequamur. Cum verò sit eorum differentia duplex, prius ea pertractemus, quæ quantitatibus, vel qualitatibus, vel temporibus, non autem propriis speciebus ab eo, quod secundum naturam euariant, veluti ciborum appetentia intenta, vel dissoluta, aut quæ non seruet tempus consuetum, aut quæ ad edulia non vsitata feratur, aut ad excretiones cibi superfluitatum, quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores existant. Sic humidiorum excrementorum vel defectus, vel superabundantis præter consuetudinem naturalem, aut in colore, aut in consistentia varietas aliqua, aut in tempore excretionis, & vigiliæ plures ac somnus, aut non consueto tempore. Eodem modo potus pluris, vel paucioris, calidi, aut frigidi insolens appetitus, sicuti & circa rerum venerearum vsum immodica, aut intempestiua concupiscentia, & plures aut pauciores sudores his, qui sunt opportuni, & ad motus torpor, aut si moueri tentauerint, grauitas, aut vehemens exolutio, menstruorum occultatio, vel immodica, aut diminuta euacuatio. Sic & quæ per ora venarum (Græci hæmorrhoidas appellant) fit sanguinis effusio. Sed & non eadem, quæ prius in cibo, potuq; voluptas est futuræ indicium ægritudinis, hebetudoque animi non naturalis, aut obliuio quædam inconsueta, aut somni, qui plurib. imaginationib. abundant, quàm prius. Quin & auditus, & odoratus, visusve hebetiores, aut turbulentiores, & (vt simpliciter dicam) quæcunq; secundũ naturam inerant, hæc quidem augmentata, hæc comminuta, hæc verò tẽporibus quibusdã aut quantitatibus, aut qualitatibus immutata. siquidẽ & ipsius corporis moles aut maior aut minor, aut magis alba, aut magis rubra, quemadmodũ liuidior, aut nigrior, ructusq; ac sternutamenta, & flatus plures, aut pauciores his, qui secundum naturam, sic & quæcunq; per nares, vel palatũ, vel aures, per quos meatus cerebrum expurgatur, vel temporibus, vel quantitatibus, vel qualitatibus, immutata. Hæc igitur omnia eorum sunt, quæ secundum naturam.

Cum dixerit Galen. duo esse genera signorum, quæ futuros morbos prænunciare possunt, vnum quidem, quod ex his sumitur, quæ secundum naturam sunt in nobis, sed vel minus qualitatibus, vel quantitatibus, vel temporibus permutata: Aliud verò, quod ea continet, quæ sunt præter naturam, minora tamen adhuc existunt, quàm cum iam ægrotant corpora, nunc vtrunq; genus percurrere instituit, & à primo exorsus, docet, quænam sint illa, quæ possunt ostendere, quod pollicentur. In quo quidem genere illud in primis animaduertere oportet, ne permutationes, quæ in his fiunt, à causis euidentibus, & externis fiant, sed solum ab internis affectionibus. Non enim fames, quæ nascitur ex cibi penuria, vel labore, aut interturbatus somnus ob cogitationes, morbos portendunt: sed si hæc ab humoribus nostris, vel aliis occultis causis fiant, morbos futuros vereri oportet. Igitur ciborum appetentia intenta, vel dissoluta, aut non seruans tempus consuetũ, aut quæ fertur ad alimenta absurda, qualis est pica mulierum, morbos merito præsagit, quoniam ostendit ventriculum iam obsideri à malis humoribus, quibus nisi occurramus per idonea remedia, aucto indies malo, morbi tandem emergent. Sic mutationes, quæ fiunt in excretionibus alui, in quãtitate aucta, vel diminuta, aut in qualitatibus, colore, odore, aut in consistentia cum liquidiora scil. sunt excrementa, aut duriora, aut malè figurata, vel non seruatur solitũ tempus excretionis, vel difficilius emittuntur, idem ostendunt, quoniam hæc primum indicia sunt malè concoctionis, vel distributionis; quibus perseuerãtib. necesse est morbos oriri. Idem ostendũt vigiliæ plures, & somni profundiores, longiores, ac præter morem turbulenti, vel leuiores solito, aut nõ consueto tempore captati: hæc enim ostendũt causas morbosas succrescere in corpore, quæ morbos gignent: de quibus causis egimus *in libr. nostro de somno & vigilia.* Neq; enim quæ hic obiter dicuntur, & exempla quædam solum sunt, exactam causarum enarrationem requirunt.

Porrò vt appetitus ciborum mutatus, sic appetitus potionis à naturali statu degenerans, futuri morbi est indicium. Vix verò arbitror immodicã veneris concupiscẽtiam præsagire posse morbos: nam in hoc opere optimos & plurimos subesse humores oportet: nisi fortè dicamus, etiam flatus huiusmodi venerem parere posse. *Sudores verò secundum naturam habentibus corporib. non fiunt*, vt *in quodam Comm. Aphorism.* ex Diocl. docet Gal.

Sudor corporib. naturaliter se habentibus nõ fiunt.

quare illi non debēt esse plures, aut pauciores illis, qui sunt opportuni: nam in eo, quod non fit, quantitas, aut modus, constitui non potest. Potius ergo sudores, nisi à causis euidentibus fiant, in alio genere signorū poni debent, quod ea continet, quæ iam præter naturam sunt, sed minora illis, quæ iam ægrotantibus accidūt. Torpor vero & grauitas ad motū, grauari vires à multitudine humorū ostendit. Merito igitur hæc morbos præsagiunt, quemadmodum etiam omnes lassitudines spontaneæ, exolutiones .i. animi defectus, nō solum vehementes (vt ille scribit) sed etiam minimæ, verendæ sunt: ostendunt enim malas subesse in corpore causas, de quibus Gal *in* 12. *Meth.* scribit, à quibus morbi, & sæpe subita mors contingunt. Verum etiam hoc genus symptomatis in sequenti genere signorum reponendum erat.

Porrò menstrua non solum suppressa, vel immodicè, aut diminutè fluentia, sed etiam cum mali humores, plus quàm naturalis conditio postulat, exeunt, futurorum morborum sunt præsagia: quibus modis etiam euacuationes, quæ fiunt in aliquibus per hæmorrhoidas, morbos præsagiūt. Verum hoc etiam symptoma, non simpliciter, sed illis solum, qui consueuerunt per ea loca expurgari secundum naturam permutatum censeri debet.

Quæ hic subiungit de voluptate in cibo & potu secundo, erant superius annectenda illis, quæ pertinebant ad eorum appetentiam, sicut etiam illa, quæ hic habet de somno imaginationib. pleno, erant annectenda illis, quæ scripsit de somno, vt vno loco legantur, quæ ad vnam rem pertinēt.

Iam animi hebetudo, aut obliuio inconsueta, aut rerum tristium cogitatio. & vitia, quæ circa sensus contingunt, futuri morbi sunt indicia, nimirum cum ostendant causas secundum naturam permutatas esse. Corporis verò moles maior, aut minor, & non solum colores, qui in ea apparent permutati, sed etiam aliæ qualitates, quæ sunt obiecta aliorum sensuum, vt durities, asperitas, odor deterior, minantur morbos: quoniam vel auctos, vel diminutos, vel vitiatos humores ostendunt, qui præcipuè sunt morborum causæ. Ructus vero, sternutamenta, & flatus plures aut pauciores dici possunt in his fieri, qui illis affectib. per sanitatem sunt obnoxii: simpliciter autem secundum naturam esse, rectè dici non possunt, quoniā simpliciter sana corpora ab internis causis non solent his affectionibus esse obnoxia.

Cæterum quæ hic de excretionibus per nares, vel palatum, vel aures addit, erant annectenda his, quæ superius tradidit de excretionibus. Sed hæc sufficiant exempla ad docēdam vim & naturam signorum, quæ à primo fonte scaturiunt.

Δήξεις δὲ χαλεπαὶ, ἢ κατὰ στόμαχον ἢ κατά τι τῶν ἐντέρων, ἢ ἐπί τισι διαχωρουμένοις, ἢ ἐμουμένοις, ἢ οὐρουμένοις, ἢ τις ἕτερος μέτριος πόνος, ἐκ τοῦ γένους μέν ἐστι τῶν παρὰ φύσιν, οὔπω δὲ νοσεῖν οἱ οὕτως ἔχοντες λέγονται καθάπερ οὐδ' οἱ βαρυνόμενοι τὴν κεφαλὴν, ἢ ἀλγοῦντες, ὅταν γε μηδέπω διὰ ταῦτα, πρὸς τὰ συνήθη τῶν ἔργων ἐμποδίζωνται. καὶ ἔοικε τοῦ νοσεῖν ὅρος οὗτος εἶναι ἐπὶ ταῖς τοιαύταις διαθέσεσι, καὶ διὰ τοῦτ' ἐν τῷ πρός τι τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἤδη νοσώδη καὶ οὐδετέραν ἐροῦμεν ἔστι πρὸς γὰρ τὴν ῥώμην τῆς φερούσης ῥᾳδίως, ἢ νικω-μένης ἤδη δυνάμεως, ἤτοι νόσος ἐστὶν, ἢ οὐδετέρα διάθεσις ἑκάστη τῶν εἰρημένων. οὕτω δὲ καὶ ὅσα κατὰ τὰς αἰσθήσεις, οὐκ ἐν τῷ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἀλλήλων διηνέχασιν, ἀλλ' ὅσα τῷ γένει παρὰ φύσιν εἰσὶ, καὶ ταῦτ' ἐστι νοσώδη σημεῖα. μέχρι περ ἂν ᾖ σμικρὰ, καὶ μηδέπω τῶν εἰθισμένων πράξεων ἀπάγειν ἱκανά. τοιαῦτα δ' ἐστὶ κατὰ μὲν τὴν γεῦσιν, ὅταν ἁλμυρᾶς, ἢ πικρᾶς, ἢ τινος ἑτέρας ποιότητος ἔμφασις ᾖ τοῖς ἐσθιομένοις τε καὶ πινομένοις ἅπασιν, ἢ καὶ χωρὶς τοῦ προσφέρεσθαί τι τὸ σίαλον αὐτὸ φαίνηται τοιοῦτον. κατὰ δὲ τὴν ὄσφρησιν, ὅταν ἤτοι τινὸς αἰσθανώμεθα μοχθηρᾶς ποιότητος, οὐδενὸς ὀσφρητοῦ παρόντος, ἢ καὶ προσφέροντες πλείω τι καὶ διαφέροντα, πάντων αὐτῶν ὡς ὁμοίων αἰσθανόμεθα. [illegible]κις δ' οὐδ' ὅλως αἴσθησις ἡμῖν οὐδενὸς, [illegible]σώδους τινὸς γίνεται, μηδενὸς παρόντος δυσώδους. κατὰ δὲ τὴν ἀκοὴν, ἦχοι καὶ ψόφοι τῶν παρὰ φύσιν εἰσίν· ὥσπερ γε καὶ κατὰ τὴν ὄψιν ὅσα προφαίνεσθαι δοκεῖ, μέλανά τε καὶ ὀρφνώδη, καὶ κυανᾶ, καὶ πυῤῥὰ, καὶ ξανθὰ, τὰ μὲν στρογγύλα, τὰ δὲ προμήκη, καὶ τὰ μὲν ἰσχνά, τὰ δὲ παχέα, παραπέτασθαι πάντα δοκοῦντα. κατὰ δὲ τὴν ἁπτικὴν αἴσθησιν, ὅταν ἀνωμαλία τις, ἢ πύκνωσις, ἢ βάρος, ἢ τάσις, ἢ ναρκώδης, ἢ ἑλκώδης, διάθεσις ἐμφαίνηται καθ' ὅλην τὴν ἕξιν. οὕτως δὲ καὶ καθ' ἕκαστον μόριον, ἢ τάσις, ἢ θλίψις, ἢ δῆξις, ἢ βαρύτης, ὅταν σμικραί τινες ὦσι, καὶ μὴ μόνιμα, τὴν μὲν διάθεσιν οὐδετέραν εἶναι δηλοῦσι, προαγγέλλουσι δὲ νόσον.

Morsus autem ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorum, aut cum aluus subducitur, aut cum vomitus excitatur, aut cum mingitur, siue aliquis dolor mediocris ex genere quidem existit eorum, quæ præter naturam sunt, nō tamen qui ita se habent, ægrotare dicuntur, sicuti neque qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant, cum nondum in consuetis impediuntur operationibus. Hic enim in huiusmodi dispositionibus terminus morbi est. Atque idcirco in eo, quod ad aliquid, eandem dispositionē ægram atq; neutram appellabimus. Nam pro vigore potentiæ, quæ vel facile sustinet, vel vincitur, vnaquæq; ex his quas antea diximus, vel morbus est, vel neutra dispositio, sic & quæcunque in sensibus, non in eo quod magis, aut minus inuicem differunt, sed toto genere sunt præter naturam. Et hæc sunt signa morborum, donec modica fuerint, & nondū hominem à consuetis operib. sufficiunt amouere. Talia vero sunt in gustu quidē, cū vel salsa, vel amara, vel alicuius alterius qualitatis sapor nobis indica-

tior siue in omnibus, quæ bibũtur aut mãducãtur, aut præter quod aliquid assumatur, saliua ipsa talis sentiatur. In odoratu autem, quando alicuius vnius qualitatis sensum habemus, nullo odore præsente, aut cum plura differentia naribus admouemus, omnia veluti similia sentimus. Sæpius vero nihil sentimus, aut aliquid fœtens, etiam si nihil adsit quod fœteat. Quantum vero ad auditum, soni & strepitus ad id, quod præter naturam est pertinent. Quẽadmodũ in visu, quæcũque ante oculos apparere creduntur nigra, & atra, & cærulea, & rufa, & flaua, & nonnulla rotunda, nonnulla autem oblonga, quædam gracilia, quædam crassa oculis prætendi vidẽtur. In sensu autem tactus, cum inæqualitas aliqua, vel spissitudo, vel grauitas, vel tensio, vel torpida, vel vlcerosa dispositio in toto corporis habitu sentitur, sic & in singulis partibus, vel tensi vel compressio, vel morsus, vel grauitas quando modica fuerint, ac minime firmæ, neutram quidem dispositionẽ adesse demonstrant, futuram vero ægritudinem prænunciant.

Ex duobus generibus signorum propositis ad futuros morbos prædicendos, absoluit primum, quod continet signa, quæ sumuntur ab his, quæ sunt secundum naturam: sed à naturali statu euariant per qualitates, vel quantitatem, vel tempus, aut alium modum: Nunc vero aliud genus aggreditur, in quo posita sunt illa, quæ sunt præter naturam, illa intelligens talia esse, quæ sunt apta solum fieri à causis reuera morbosis, & in corporibus ægrotantibus; ita, vt natura illorum, genere præter naturam nobis fit, eo quod in nobis secundum naturam, idest, moderate habentibus, nihil illorum fieri debeat. Nam dolor nullus, vel etiam minimus fit in corporibus sanis. Igitur in hoc genere signorum primo refert *morsionem, vel dolorem stomachi, vel intestinorum, vel alterius partis*. Hæc enim, cum ad huc leuiora sunt, minantur quidem morbos, sed nondum præsentes ostendunt. Cum vero iam maiora sunt, signa fiunt ægrotantium corporum. Sed cum leuis & maior dolor dicantur esse genere præter naturam, cur est, quod omnis dolor non est indicium corporum ægrotantium? respondet Gal. morbum definiri non ex qualicunque vitio, sed ex eo solum, quod actiones solitas euidenter impedire potest. Huiusmodi vero impedimentum variari, tum ob agentium causarum vim, tum etiam ob corporum, quæ patiuntur, differentiam. Vehementes enim causæ, suapte natura aptæ sunt interturbare hominum officia. Qui vero molles sunt & sensu exquisitiore præditi, minimis causis molestantib. cedunt, alii vero non nisi à maioribus vincuntur. Merito igitur exactionum sensibili noxa, ægrotantia corpora, ab his, qui sentiunt eosdem dolores, sed tamen non coguntur ob illos intermittere solita vitæ officia, distinguimus. Verum quod de solitis operationibus & officiis dicitur, sane intelligendum est: non enim quod ad vnam partem spectat, ad totũ corpus referendũ est; vbi enim forte digitus dolet & ob dolorẽ nequit apprehendere manus & sua officia exercere, negare non debemus digitum ipsum & manum ægrotare, etsi interim homo animi studia, & aliarum partium officia recte exercet. Consuetas ergo operationes intermissas intelligere oportet, partis, quæ ægrotat, vel totius. Verum totũ cogitur cessare à suis officiis, *vel ob totius morbum, vt in febre accidit, vel ob morbum leuiorem partis alicuius principis, vel grauiorem alterius partis*. Qui vero in his sunt leues morbi, partis solum sunt affectus, & nõ totius possunt operationes lædere. Itaque patet quonam modo dolor nunc ęgram, nunc neutram dispositionem præsentẽ ostendat, nunc vero futurum præsagiat morbum. Sumit vero postea signa ab his, quæ fiunt *in sensibus præter naturam*. Fiunt enim in sensibus quædam imbecillitates, aut incrementa actionum, quæ morbos præsagiunt, sed illæ comprehensæ sunt in priore genere signorum. Fiunt vero etiam corruptiones, & deprauationes quædam, quæ genere sunt præter naturam non minus, quam dolor, & de illis nunc agit, docetque inductione facta per singulos sensus, quomodo morbũ præsagiant: Ac in sensu gustus sunt qualitates salsæ, amarę, acidę, dulces, quę sentiuntur quidem, cum tamen tales non sint in re ipsa, quæ assumũtur, *vt cum saliua*, inquit, *huiusmodi saporibus prædita apparet*. Hæc enim ostendunt intus subesse causas morbosas: nempe malos humores, qui linguam inficiunt, & saporem in ea repræsentant, qualis est humor, qui afficit. Idem postea docet in odoratu, in auditu, visu, & sensu tactus, & clara sunt in omnib. exempla. Causas vero istorum non est præsentis negotii enarrare: nam hæc tractatio pertinet ad libros de signis symptomatũ, qua propter illorum studium probare nõ possum, qui non intelligunt, quæ sint supponenda, quæ vero probanda autorum explanatione. Quare ad ea, quæ sequuntur, accedamus.

Quando illorum corpus operationes suas cogatur intermittere.

CAP. LXXXIII. DE SIGNIS CORPORUM ÆGROTANTIUM.

Ὅσα δὲ ἐν τοῖς ἤδη νοσοῦσι γίνεται σημεῖα, τὰ μὲν ὑγείαν δηλοῦντα, τὰ δὲ θάνατον. ὑγιεινὰ μὲν τὰ πρότερα, τὰ δὲ ἕτερα τῷ γένει μὲν νοσερὰ, κατ' εἶδος δὲ ὀλέθρια λέγεται. λαμβάνεται δὲ καθόλου μὲν εἰπεῖν, ἐκ τῶν ἐνεργειῶν ἀρετῆς τε καὶ κακίας· κατὰ μέρος δὲ ἐκ τῆς τῶν κατὰ μέρος ἐνεργειῶν, ὧν τὰ μὲν γένη πρόσθεν εἴρηται. πρῶτον μὲν τὸ τῶν ἀρχῶν, δεύτερον δὲ τὸ τῶν ἀπ' ἐκείνων πεφυκότων, καὶ τρίτον, τῶν ἰδίαν μὲν ἐχόντων διοίκησιν, ἀπὸ δὲ τῶν ἀρχῶν ἀποφύσεις τινὰς δεχομένων, τὸ γὰρ δὴ τέταρτον γένος τῶν ἔμπροσθεν ῥηθέντων, ἐξ ἑαυτοῦ μὲν ἄχρηστον εἰς τὰς προγνώσεις, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ, καὶ τούτων ἐστί τις πρόγνωσις, ὥσπερ γε καὶ τῶν περιττωμάτων διὰ παντός. ἐκ τούτων μὲν λόγῳ συμπαθείας· ἐκ δὲ τῶν περιττωμάτων, ὅτι πέψεως καὶ ἀπεψίας ἐν αὐτοῖς ἐστι σημεῖα, ὥστε οὐκ ἐνδέχεται μὴ δηλοῦν αὐτὰ διὰ παντὸς, ἢ τὴν φύσιν ἐπικρατεῖν τῆς ὕλης, ἢ τὴν ὕλην τῆς φύσεως, ἢ οὐδέτερον οὐδετέρου. ὑγιεινὰ

μὲν σημεῖα λεχθήσεται, κρατούσης τῆς φύσεως, νοσώδη δὲ κρατουμένης, οὐδέτερα δὲ τοῖς ἐν ταῖς ἰσοσθενέσι μάχαις. τὰ μὲν δὴ τῆς ἐναργοῦς πέψεως σημεῖα, τῶν ὑγιεινῶν ἐστι καθάπερ καὶ τὰ τῆς ἀπεψίας νοσερά· τὰ δὲ οὔτε πέψιν, οὔτε ἀπεψίαν ἐναργῶς ἐνδεικνύμενα, τῆς τῶν οὐδετέρων ἐστὶ φύσεως. οὐδέτερα δὲ καὶ ὅσα νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δὲ τοὐναντίον δηλοῖ, καθάπερ οἱ μελαινόμενοι δάκτυλοι. τοιαῦτα δ' ἐστὶ καὶ τὰ κριτικὰ συμπτώματα. λέλεκται δὲ ὑπὲρ ἁπάντων αὐτῶν ἐν τοῖς περὶ κρίσεως, ὥσπερ καὶ περὶ τῶν καθ' ἑκάστην ἐνέργειαν ἐν τοῖς περὶ συμπτωμάτων αἰτίοις. ἐκ τούτων οὖν χρὴ τὴν κατὰ μέρος ἅπασαν αὐτῶν ὕλην ἀναλέγεσθαι.

At quę iã in ægrotantibus signa videntur, ex quibus nonnulla salutem, nonnulla mortem portendunt. Prima quidem salubria, altera vero genere quidem ægra, secundum speciem autem perniciosa dicuntur. Sumuntur autem, vt vniuersaliter dicamus, ex operationum virtute ac vitiis: secundum partem vero, ex particularium operationibus, quarum genera antea diximus: Primum quidem eorum, quæ principia existunt. Secundum vero eorum, quæ à principiis ortũ habent. Et tertium eorum, quæ ex ipsis gubernantur, à principiis autem quasdã deriuationes habet. Quartum siquidem genus eorum, quæ tunc diximus, ex se quidem ad aliquid prægnoscendum inutile est, secundum accidens autem & ex his aliquando præcognitiones erunt, quemadmodum & ex excrementis, ex his quidem compatiendi ratione, ex excrementis autem semper, quoniam coctionis & incoctionis signa continent. Quare fieri non potest, quin omnino significent aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem signa dicentur natura superante; insalubria vero superata: neutra autem, quæ pugnas habent æquales. Sed quæ quidem manifestam indicant coctionem, ex salubribus sunt, sicuti, quæ cruditatem, ægra. Quæ vero neque coctionem, neque cruditatem ostendunt, ex neutrorum sunt natura: sunt vero & neutra, quæcunque nunc quidem hoc, nunc vero contrarium significant, veluti digiti denigrati. Talia sunt etiam critica, idest, decretoria accidentia, de quibus omnibus in libris de crisi dictum est. Sicuti etiam de his, quæ ad vnam quamque attinent operationem, in his libris, in quibus de causis accidentium agitur. Quare omnium horum singulorum materiam ex eisdẽ libris colligere oportet.

Absoluta tractatione de signis prognosticis, quæ præsagiunt morbos futuros, aggreditur signa, ex quibus prædicimus, quæ futura sunt in ægrotantibus. Sed cum multa contingant in illis, quæ Medicum præscire necesse est, solum docet artem prædicendi salutem aut mortem, vt antea quoque notauimus. Sed ante quam fontes aperiat, ex quibus signa illa scaturiunt, prius signa, quæ apparent in ægrotis, distinguit, & singulis propriam tribuit appellationem. Ait igitur inter signa, quædam salutem, alia mortem portendere, & prima vocari salubria, altera vero ægra, secundum genus, perniciosa vero siue lethalia secundum speciem nuncupari: in quo mihi non placet, nam ægra genera sunt, *quæ morbum ostendunt præsentem, vel præteritum aut futurum*, ita vt relationem solum habeant ad morbum. Quæ vero malum ostendunt futurum, & in genere malorum, mortem, generatim mala, speciatim vero lethalia vocari debent: quam loquendi rationem studiosissime obseruat Hippo. *in Prædictionibus*, cum ex signis colligit malum, & ex aliis mortem, & eam quidem vel longius distare, vel appropinquare, aut iam instare. Præterea, quod scribit, *signa quæ salutem ostendunt solum vocari salubria*, recte dictum est: sed cum illa duplicem habeant relationem, quatenus scilicet ostendunt corpus ægrotare, & venturam salutem, rectius dixisset, illa vocari primum ægra, deinde salubria. Nullum enim signum est in ægrotantibus, quod non ostendat morbum præsentem. Iam vero, quod dicit, *signa omnia, quæ præsagiunt salutem, aut mortem, solum sumi ex virtute, aut vitiis operationum*, non recte scriptum est, nam ab essentia ipsorum morborum, & à causis, quæ illos excitarunt, & ab illis, quæ illos fouent, vel iuuant, aut lædunt, & à corporis patientis conditione, necnon ex similitudine præstantissima sumuntur indicia, vt nos *in 4. libro de signis* abunde ostendimus. Nam si prædicendi ratio (vt ipse *in hoc loco* scribit) in hoc est posita, vt cognoscamus, an natura & ars vim habeant vincendi morbos & eorum causas, aut illa naturæ omnes conatus, & omnia nostra auxilia superabit, profecto non solum ab actionibus huius pugnæ & victoriæ indicia sumemus, sed etiam ab omnibus prædictis. Recte vero illud ab eo *hoc loco* scribitur, *non parem esse vim omnium actionum in prædicenda salute aut morte*, sed primam vim habere actiones principiorum, secundam actiones earum partiũ quæ à principiis ortũ habẽt, deinceps sequi actiones partium, quæ insitas, & simul aliunde emanantes habent facultates. Per se vero inutiles esse actiones partium, quæ insitas solum habent à natura potentias, à quibus reguntur. Quod genus partiũ in tertio mẽbro diuisionis superi⁹, vt hic inq̃t, posuit. Verũ cum quatuor illic posuerit principia, cerebrũ, cor, hepar, & testes, ex actionib. testiũ nihil sumere possumus, quod plurimũ conferat ad prædicẽdã salutẽ vel mortẽ; quoniã hoc principium non est ad vitam necessarium, sed solum ad *bene* viuendum, & ad generationem. Aliorum principiorum actiones an parem habeant vim, non satis constat: nam sunt, qui concoctionibus primas partes tribuunt; alii pulsibus primam facultatem

Signa ægra quæ.

Expenditur quorum principiorum actiones maioris sint virtutis ad prædicendum.

cultatem cōcedunt: Alii vero cerebri operationibus, atq; in eo quoque dubius videtur esse Galen. *in libris Methodi medendi.* Nam *in 9. libro* pulsibus & vitali facultati pręcipuam vim cōcedit, eo quod continuus sit ad vitam necessarius illius vsus: In secundo loco ponit hepar, & naturales facultates, vltimum locum dat cerebro, quia in tollendis morbis illius facultatis tantum requiritur solum, quantum ad respirationem est necessarium. At *in 11. Meth.* vbi de curatione febrium putridarum agit, iubet maxime prospiciendum esse concoctioni, & aliis naturalibus facultatibus, propterea quod vitium consistit ex putredine humorum, quod tolli non potest, nisi præcedat concoctio. Ex quibus quidem colligo, præcipui momenti eas esse actiones, quæ vel primo principium suum affectum ostendunt, aut maxime requiruntur ad morbosas dispositiones vincendas. Atque illo quidem modo aboliti sensus, & motus in apoplexia, mortem portendunt, quia cerebrum illarum functionum fontem, primo & maxime læsum significant: qualicunque autem principio maxime læso, mors necessario sequitur. Porro vt sensus & motus, & principes actiones prostratæ, futuræ mortis sunt præsagia, sic pulsus, & concoctiones nullam, vel minimam ad prædicendum in eo casu facultatem obtinent: nimirum, quod cor & hepar non nisi per consensum tandem afficiantur: ideo apoplectici constantibus adhuc pulsibus suffocantur, & pereunt ob respirationis defectum. Alio vero modo concoctiones maioris sunt momēti, quam pulsus, vt diximus, vbi absque concoctione salus sequi non potest: quo fit, vt in febribus putridis, vrinæ certiora præbeant indicia salutis aut mortis, quam ipsi pulsus. Eiusdem cum vrinis dignitatis sunt & virtutis excrementa alui, in lienteria & aliis affectibus ventriculi, in quibus concoctio illius necessaria est. Vbi vero febres sunt malignę, aut per animi deliquia, vel alio modo cor primo afficitur, aut per motū pulsus aut per motū arteriarū affectus mitigari, tolliq; debent, certiora nulla habemus indicia, quā ex pulsib. At si quis dicat, cōcoctiones fieri nō posse, nisi vigeat calor influens à corde, nec sensum, aut motū, aut alias animales facultas exerceri posse, nisi constante eodem calore; non propterea sequitur ex cordis vsu & actionibus in omni morbo prædictiones sumendas esse; nam quod præcipuum est in omni actione, *facultati animæ* tribuendum est; calori vero tanquam instrumento secundo loco dignitas conceditur. Patet igitur, quod scribit, *ad prædicendum primas partes habere actiones principiorum.* Quæ vero à principiis ortum habent, merito secundum locum sibi vendicant: nam facile trahunt in eandem passionem ipsa principia, præsertim nerui, vt ostendunt illorum puncturæ, quæ solæ mortem inferunt, & prænunciant. Occultiora sunt mala, quæ proueniunt ex læsione arteriarum. Nullius autem vero momenti sunt venarum affectiones. Non enim si vena, aut arteria inflammata est, aut etiam vulnerata, cor & hepar simul affici necesse est: Etsi alia ratione, ob partium scilicet quarundam conditionem, morbi harum partium maximi sunt momenti ad prædicendum salutem aut mortem: quod maxime in pulmonis venis, & arteriis erosis apparet. Præsagimus enim ex vnica sanguinis exspuitione facta ob erosionē alicuius vasis pulmonis, etiam post longum tempus futuram mortem, nullo adhuc alio malo apparente in corpore. Vltimum vero locum merito tribuit actionibus partium, quæ à seipsis gubernantur & simul à principiis deriuationes quasdam capiunt, cuius generis est caro, ventriculus, intestina, renes, vesica: tametsi rectius forte partes, quæ publicum munus exercent, reponerentur inter principia, Nam vlcus renum, vel intestinorum, & multo magis affectus ventriculi, & pulmonis, sæpe maiorem vim habent ad mortem præsagiendam, quam affectus partium, quæ à principiis nascuntur. Sed hęc, quę in singulis fere euariant difficile in vna generali tractatione comprehendi possunt. Alia præterea sunt propinquæ, alia instantis mortis, aut salutis indicia, quæ ex his, quæ in facie apparent, in morbis acutis certius, quam ex aliis signis sumuntur, vt Hippoc. *in suis prædictionibus* docet. Quod vero scribit *ex coctionis indiciis semper sumi signa certa ad salutem aut mortem prædicendam*, *in libro de crisibus & alibi* diligentius explicat, cum ait, *neminem mori posse cum signis concoctionis.* Verum si obscura, vel manifesta etiam intelligat huiusmodi signa, experientia sæpe hāc opinionē refellit. Et ꝙ creditu difficilius est, *sæpe cū perfectis cōcoctionis indiciis homines vidi ex febrib. periisse, qui enim malignis febribus laborant, ita mori solent: nam exigua in illis excitatur putredo, & propterea exiguus calor in illis accenditur, qui concoctionem turbare non potest*: itaque illi pereunt, non ob febris vehementiam, sed ob malignitatem, quæ pulsus appetentiamque primum perdit, & paulatim alias actiones inuadit. Cæterum quod scribit, *salubria signa dici, quæ significant naturam superare, insalubria vero, quæ ipsam superatam ostendunt*, rectius forte dictum esset, si pro *salubribus*, *salutaria*, & pro *insalubribus*, *lethalia* dixisset. Nam insalubria ad mortem nullam habent relationem, sed solum ad morbum. Signa vero decretoria in certis temporibus morbi, salutem: in aliis vero mortem pręsagiunt, vt ipse *in lib. de diebus decr. & crisib.* ostendit. Reliqua patent.

An mori possit aliquis cum signis concoctionis.

Cur maligni febribus laborantes pereant etiā cum perfectis concoctionis signis.

IOANNIS ARGENTERII IN CLAVDII GALENI PERGAMENI,

Artem Medicinalem Commentarius Tertius.

CAP. LXXXIV. DE CAVSIS SALVBRIBVS, IN SALVBRIS ET NEVTRIS.

ΕΓΩ' δὲ μῆκος φειδόμενος, ἐνταυθοῖ μὲν ἤδη καταπαύσω τὸν περὶ τῶν σημείων λόγον, μεταβήσομαι δὲ ἐπὶ τὸν τῶν αἰτίων. ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων ἐστὶ τὰ μὲν ὑγιεινά, τὰ δὲ νοσερά, τὰ δὲ οὐδέτερα, πρῶτον περὶ τῶν ὑγιεινῶν ὁ λόγος ἔσται.

Ego vero prolixitati parcens, hic sermoni de signis finem faciam: transgrediar autem ad illum, qui est de causis. Quoniam vero & harum, hæ quidem salubres, hæ autem insalubres hæ vero neutræ. Primum de causis salubribus erit sermo.

Montanum & Iulium Delphinum aliosque notat.

VNiuersa Galeni in hoc opere tractatio tria capita solum comprehendit, nempe corporum, signorum, & causarum salubrium, insalubrium, & neutrorum explicationem. Antea egit de iis corporibus & signis: nũc ipsarum causarum explicationem aggreditur. Ac prius quidem de corporibus & signis egit, vltimo vero loco de causis: non ea quidem ratione, vt nonnulli tradiderunt, quod signa nos perducant ad causarum morbi inquisitionem, vt statim patebit. Diuidunt rursus iidem autores causam, in antecedentem, primitiuam, & coniunctam, & omnia genera causarum enumerant, dicuntq; , autorem merito prætermisisse finalem causam, quoniam morbi præter naturam sunt, quæ nullum finem habere possunt. In quibus rebus pueriles errores committunt. Nam causæ, de quibus agimus, (vt postea Galen. aperte docet) sunt *remedia, quæ adhibemus corporibus ad sanitatem conseruãdam præsentem, vel amissam recuperandam*, & hæc remedia nihil aliud sunt, quam materia medica, & propterea instrumenta artis nostrę, in quorũ cognitionẽ per experientiam, & rationẽ peruenimus, non per signa salubria, insalubria & neutra, quorũ vsus est ad dispositiones corporis sanas, ęgras, & neutras dignoscendas. Quare non illa ratione vltimo loco tractat de his causis, sed quoniam non intentionis, sed operis ordinem sequitur auctor. Certum enim est Medicum in intentione & animo sibi primum proponere medendi rationem, idest, rectum vsum earum, rerum, quæ corpus nostrum sanum tueri, & à morbis vindicare possint, sed quoniam hæc adhibentur nostris corporibus: & ea quidem diuersa, pro diuersitate affectionum, quibus illa subiiciuntur, ideo corporum & ipsarum affectionum cognitio præcedit. Et corporis quidem ipsius structuram, ratione, considerando ipsius principia, & sensu in dissectionibus, quod intus latet, contemplando, assequimur: Affectionum vero naturam & diuersitatem per signa inuestigamus. Itaque cum hic non agamus de causis morborum, sed de remediis aptis ad morbos propulsandos: quorsum, quæso, illi disputant de finali causa morborum? & causas diuidunt hic in antecedentes, primitiuas, & coniunctas, quæ quidem in generatione morborum, non autem in ablatione, & in remediis ipsis ab autoribus nostris considerantur? At nec illud intelligunt, quod dicunt, morbos ideo non habere finalem causam, quoniam præter naturæ intentum in nobis fiunt, & res præternaturales sunt. Nam morbi non ea ratione dicuntur esse præter naturam, vt monstra, quæ agentia naturalia non sibi proponunt, tanquam finem sui operis, sed ex errore aliquo contingunt: verum à medicis dicuntur præter naturam, vt antea docuimus, *quia naturam nostram corrumpant*. Nam eadem causa sanitatis, & morbi est autor. Nec ea causa, quæ format nostra corpora, sibi proponit aut sanitatem & morbum: Sed pro materiæ, quæ formatur, patiturque, & agentis robore, & imbecillitate, sit corpus bene, vel male sanum: & causæ aliæ, quæ mutant nostrum corpus, vt aer, cibus, potus, & reliqua eiusmodi naturalia agentia, non sibi proponunt potius sanitatem efficiendam, quam morbum. Essent enim hoc modo ratione & consilio prædita, quorum adminiculo nos adiuti eligimus, quæ prosunt, & fugimus, quæ obsunt. Morbi igitur finem aliquem assequuntur, *salutem inquam, aut mortem*: sed nec ipsi, nec ea, quæ afficiunt nostra corpora, ob finem eum agunt: Sed nos naturali potentia, vel arte quibus eligimus, quæ morbum sanitatẽ, salutẽ & mortẽ pariunt, fines eos assequimur. Sed his prætermissis ad Galenum redeamus, qui in hac tractatione primum reperit causarum diuisionẽ, quod scilicet quædam sint salubres, aliæ vero insalubres: deinde ordinem constituit, nempe quod prius de causis salubribus tractandum sit: cuius ordinis hæc est ratio, quoniam salubres causæ referuntur ad sanitatem. Ita enim dicuntur, quod sanitatem vel præsentem conseruare, vel amissam recuperare sint aptæ: Insalubres vero morbum respiciunt: neutræ vero, neutrum statum inter sanũ & ægrum. At sanitas dignitate & tempore præcedit morbum, & rationem habitus habet, sine quo, quæ versantur circa priuationẽ intelligi nequeunt. Neuter vero status, cum medius sit inter sanum & ægrum, non potest intelligi, nisi prius intellectis extremis: quare de neutris causis etiam post insalubres tractat Gal. & si perfectione & dignitate neuter status pręcedit: tempore vero nunc

Causæ, de quibus Galenus agit, quæ sint.

An morbi habeant finalem causam.

Morbi cur dicuntur, præter naturam.

Finis morborum quis.

Ordinis qui obseruantur ab autore in hoc commentario ratio.

nunc sequitur morbosum: nam neuter status decidentiæ præcedit morbum, neuter vero conualescentiæ sequitur: neuter vero status, in quo senes ponuntur, nullam habet prioris aut posterioris relationem ad sanitatem & morbum. At nec illud prætereundum est, Galenum in hoc opere ex præcipuo instituto non docere causas insalubres: Ita enim morborum generationem & conseruationem sibi proponeret, tanquam finem. Sed cum enarrat salubres causas, docetque quomodo tales fiant, eodem negotio intelligimus fugiendas esse insalubres causas, tanquam oppositas. Nam sanitatem tanquam proprium finem, sibi proponit Medicus.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων αὐτῶν, τὰ μὲν ἦν φυλακτικά, τὰ δὲ ποιητικὰ τῆς ὑγιείας, ἔστι δὲ καὶ χρόνῳ καὶ ἀξιώματι πρότερα τὰ φυλακτικὰ τῶν ποιητικῶν, ἀπὸ τῶν φυλακτικῶν ἀρκτέον. B

Quia vero & harum nonnullæ quidem conseruatrices, nonnullæ vero effectrices sanitatis; sunt autem & tempore, & dignitate priores conseruatrices, incipiendum est à conseruatricibus.

Ex diuisione earum in salubres, insalubres, & neutras, ordinem constituit in sua tractatione: & primum de causis salubribus agendum esse docuit: sed quoniam salubres hæ causæ non sunt eiusdem naturæ, ideo rursus eas diuidit in conseruatrices & effectrices sanitatis, & rationem subdit, qua docet, prius tractandum esse de causis conseruatricibus. Porro definiuit *in 1. lib. salubres* causas conseruatrices, quæ sanitatem præsentem conseruãt, effectrices vero, quæ eandem amissam restituunt, & efficiunt: quod quidem ita intelligendum est, vt *in 1. comment.* docuimus, nõ quod primo & per se Medicina efficiat sanitatem, quippe cum *nullus artifex finem suæ facultatis faciat* sed quod finis sponte sequatur ea, quæ fiunt: Nam Medicus qualitates excedentes, & morbum facientes retundit, ac mitigat, ex qua mediocris sequitur temperies, & ad hanc sanitas. Eodem modo sanitatem conseruat Medicus: nam paruos defectus, excessus naturæ emendat, ad quod sequitur sanitatis conseruatio. Quomodo vero differant conseruantes causæ ab efficientib. sanitatẽ, hic non docet Gal. sed *par. li. post ea.* & *in Thrasybulo*, vbi ostendit totam Medicinam corrigere, & illius partes solum differre *per magis, & minus.* Maiorem correctionem postulare ægrotantia corpora, quoniam maiores habent excessus: minorem vero, quæ sunt sana, & propterea partem conseruatricem, & curatricem semper corrigere, & propterea mutare statum nostri corporis. Verum quia correctiones, & mutationes, quæ fiunt in corporibus sanis, sunt paruæ & propemodum insensibiles (quam enim, quæso mutationẽ sentimus, cum vigilamus, vel dormimus, vel enim, aut bibimus, vel excrementa ex nutritione derelicta per sanitatem emittimus?) ideo conseruationes vocantur, si cum aliis comparentur. Verum etsi hæc recte dicuntur, tamen in quibusdam corporibus alterationes, quæ fiunt in conseruatione sanitatis, specie differunt ab alterationibus, quæ

Causæ conseruantes sanitatem ab efficientibus quomodo differant.

A fiunt in ægrotantibus. Temperata enim corpora aere prorsus temperato & simili egent, qui nullã habet vim corrigendi, & mutandi corpus, sed solũ conseruandi in eo statu, in quo inuenit. De nutritione alia est ratio: Nam nutrimentum addit aliquid corpori, & quod erat consumptum, restituit; corrigit igitur, & mutat, si id, quod vacuatum erat, repleat: Quatenus vero nutrimentum, quod debetur corpori temperato, mediocrem obtinet temperiem, in hoc nullam correctionem, & mutationem facit. Reliqua vero corpora, quæ temperata non sunt, si quidem illa in eodem statu cõseruare velimus, nullam mutationem patiuntur ab alterantibus, præsertim ab iis, quæ actu sunt similia. At si consilium est, velle illa ad mediocrem temperiem redigere, mutatio in eo opere requiritur. *Ergo causæ conseruantes & efficientes differunt aliquando in quãto aliquando in quali.* Cæterum in diuisione hac salubriũ causarũ desiderantur causæ præseruatiuæ, & restauratiuæ, de quibus postea separatim aget, cum docebit modũ, quo possimus, præseruare, ne corpora, quæ iam recedunt à propria sanitate, nondum tamen ex morbo decumbunt, in morbos ruant, & qua ratione conualescentia à morbis corpora, ad pristinam sanitatem reduci poterunt: Nec Galenum excusat eorum ratio, qui dicunt præseruatiuas causas medio quodammodo se habere inter effectrices, & conseruatrices, & propterea illa media ex his extremis intelligi: sic enim in superiore diuisione causarũ neutras debebat subticere, vt quæ mediæ sint C inter salubres, & insalubres: *Cũ in Thrasybulo passimque alibi*, præseruatiuam, & restauratiuam medicinæ partem non debebat separatim ponere: Quod si alibi aliquando media omitti possunt, hic tamen hoc fieri non potest sine vitio: quippe cum tractatio sequens de præseruatiuis, & conseruatiuis causis, non possit constare, cum à nullis principiis ducatur. Non enim membra diuisionis illa agnoscuntur esse, quæ in diuisione ipsa non sunt posita. Iam vero illud explicandũ est, quod scribit, conseruatrices causas tempore, & dignitate priores esse efficientibus: nam etsi sanitas tempore, & dignitate præcedit morbum, tamen hoc nihil facere D videtur ad remedia, & medicinæ partes, quæ conseruant, aut efficiunt sanitatem: neque enim illa inceperunt cum sanitate, sed cum ars accessit, quæ has partes constituit. Atqui antiquior, (vt Galenus *in Thrasyb.* scribit) est medicinæ pars, quæ morbis medetur, illa, quæ sanitatem conseruat. Nam à medendo medicina dicta est, & propterea ea pars, quæ sanitatem efficit, vniuersæ arti nostræ nomen dedit, & eam Medici primum excolere cœperunt, vt Galenus *in vltimo cap. in* E *Thrasybulo* scribit: illius enim hæc sunt verba: *Cũ prima totius artis pars curatiua, quod & maxime vrgeret, constituta sit, deinde per multum otium conseruatiua salubrique vocata ei adiecta fuerit totam artem à præcipua magis parte denominari contigit.* Ex quibus quidem verbis euertit, quod hoc loco scribit: Fatetur enim, & tempore & dignitate præstare curatricem partem conseruatrici: nam si primum constituta est curatoria pars, & post longũ tempus accessit conseruatrix: tempore vtique illa præcedit, quod & ratio etiam ipsa, & historiæ tradunt, quæ originem nostræ facultatis explicant. Non enim dubium est, quin homines medicinam primum quæsierint, vt vulneribus & morbis me-

Nutrimentum quomodo corrigat & mutet.

Causas præseruatiuas, & restauratiuas hic temere prætermissas.

Medicinæ partem antiquorum esse curatiuam.

A derentur: quod autor Introductorii aperte testastatur: postea vero cum delicatiores inciperent esse homines, & in sanitate morbos, & mortem timerent, quærere cæperunt, qua ratione diu incolumes esse possent. Quod vero dignior sit curatiua pars conseruatrice, ex præcitatis Gal. verbis primum constat. Nam si præcipua est ea medicinę pars dignior vtique fuerit. Deinde scribit idem autor *in eodem libro*, dubium esse, an conseruatrix pars ad Medicum pertineat vel ad gymnasticum: qua quidem in re, etsi violentis argumentis conuincere vult, medicinæ propriam esse eam partem: tamen antiquiores Philosophi & Medici aliter censuerunt, vt ex verbis Erasistrati, quem citat Gal. apparet. Sunt autem hæc verba: *Neque enim Medicus inueniri potest, qui se se ad tractanda salubria contulerit.* B Intelligit autem salubria, quæ sanitatem conseruant, more antiquorum Medicorum. Ac si quis consideraueit rationes eorũ, qui conseruatricem hanc partem præstare curatrici arbitrantur, hanc solam inueniet, quod dignius sit præsens bonum conseruare, & tueri, quam amissum recuperare. Quæ sententia cum principium non sit, nec ex principiis probata, & experientiæ multarum rerum repugnet, tanti non potest esse momenti, vt id probet, quod est in controuersia positum. Nam si dubium est, an pars cõseruatrix sanitatis pertineat ad Medicum, qua ratione quæso potest illa dignior esse parte curatrice, quæ propria, & præcipua est pars medicinæ? C Adde, quod nullus fere consulat Medicum pro sanitate conseruanda: tanquam arte non sit opus in re, quam quilibet, (qui corrupto non est ingenio, sed temperanter ex philosophia & bona institutione viuere consueuit) facile assequi potest. Scribit enim Galenus, præcepta artis tradenda esse de rebus difficilioribus, & de his, quæ subiecta sunt arti, non autem de his, quæ à natura fiunt, hæc enim nostris pręceptis non eget, vt ea faciat, quę ad sanitatem conseruandam pertinent. Nam, vt postea Gal. scribit, optima temperies, optimaque natura, quæ aliarum regula est, modum sibi constituit in cibo, potu, somno, vigilia, & aliis rebus, quibus sanitas conseruatur: ac rustici, qui nũquam Medicum in ea re consuluerunt, salubrius D viuunt, quam principes, & ditiores sacerdotes, qui metu mortis Medicos habent semper circumstantes, nunquam idem sentientes in præceptis de sanitate tuenda: quippe cum vnus damnet ciborum varietatem, & illorum assumptionem vsque ad satietatem, somnum meridianum, & exercitationem à cibo: alius alia vituperet, quæ omnia eludit experientia & laboriosa vita. Propterea recte Gal. *in lib. de cibis boni & mali succi*, scribit, eos solum cauere debere cibos, qui mali dicuntur, quibus otium placet: tanquam præceptis salubribus non sit opus in exercitatione, & vita laboriosa. Quæ & Celsus *initio sui operis* recte admonet, cum scribit, *hominem, qui sua spontis est, & sanus, non debere se obligare legibus Medicorum, qui quidem nunquam cessant superstitiosis suis in hac re præceptis naturam corrumpere, & senectutem accelerare medicamentis, quæ non in prospera, sed aduersa valetudine sunt excogitata.* E Sed quis, quæso, in aliis facultatibus maiorem virtutem ponet in custodia rerum, quam in acquisitione? An, quæso, præferemus principem, qui plebem ignauam coerceat, & legibus, quas ipse ignorat, conseruat suam ditionem, ei, qui eandem amissam, armis, & heroica virtute recuperat? An militem custodem arcis ei præferemus, qui eandem oppugnauit ingenio & vi? ille enim sola diligentia se tuetur, & propugnaculis plurimis munitus, sępe securus dormit: huic sæpe non sufficiunt omnis diligentia, omnis labor, & omnis virtus. Sed ne ab aliis exempla petamus, quis in nostra facultate nõ laudabit magis Medicum, cum infestissimos morbos perpulsat, & homines iam confligentes cum morte sanos reddit, quàm cum pręcepta sua salubria, à nullis obseruata, obtrudit? & interim, vt Mantuanus recens poeta scribit,

Cum satur est, pleno laudant ieiunia ventre,
Et cum nulla premit sitis, est sitientibus asper.

Est igitur (meo iudicio & tempore, & dignitate præstantior medicinæ pars, quæ sanitatem efficit, ea, quæ sanitatem conseruat: verum etsi salubres causæ conseruantes non sunt tempore, & dignitate priores efficientibus, tamen ab illis incipiendum, tanquam à facilioribus: facilius enim est paruos lapsus corrigere, quam magnos: proinde facilius est sanitatem conseruare, quam morbos curare, quoniam, vt ante diximus, vel Medici non est sanitatem conseruare, aut in eo opere non est opus magna diligentia, aut scientia.

Οὕτως τοίνυν οὐχ ἑνὸς τοῦ ὑγιεινοῦ σώματος, ἀλλὰ πλειόνων, ὡς ἔμπροσθεν διώρισται, καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἴδιον ἔσται τὸ φυλακτικὸν, ὅτι καὶ πᾶν αἴτιον ἐν τῷ πρός τι. πάλιν οὖν κἀνταῦθα τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς τοῦ σώματος ποιητέον, ἐπισκεπτομένους τὰ πρὸς ταύτην ὑγιεινά.

Cum igitur non vnum tantum sit sanum corpus, sed plura, vt supra definiuimus, in eorum singulis propria erit causa conseruatrix: siquidem omnis causa in eo, quod ad aliquid dicitur existit. Hic igitur denuo sumendum initium ab optima corporis constitutione, ac quæ ei salubria sint, considerandum.

Docuit Gal. antea prius esse agendum de causis salubribus, quam insalubribus & neutris, & inter salubres prius tractandum esse de conseruantibus, quam de efficientibus sanitatem. Nunc vero ostendit plures esse conseruantes causas, & de quibus prius sit agendum. Porro plures esse causas conseruatrices, ostendit ex diuersitate corporum sanorum: non enim omnia corpora eodem modo sunt sana, sed quædam, bonam habent sanitatem, & ea salubria *in 1. lib.* vocauit; alia vero malam obtinent, quæ insalubria, dicuntur, alia vero sanitatem inter bonam & malam sunt sortita, & illa neutra inter salubria & insalubria nũcupauit. Ac in salubribus, insalubrib. & neutris latitudinẽ insignẽ posuit: nã in genere boni, mali, & medii status, aliquid est simpliciter tale, aliud ꝙ vt nunc tale: & inter illa, quæ simpliciter talia sunt, aliud est, quod prorsus tale est, aliud vero, quod ab illo aliquantulum recedit. omnibus tamen his corporibus conuenit propria conseruatio, & debentur propriæ

Rationes expendit illorum, qui conseruatricem partem curatrici præferunt.

propriæ causæ conseruatrices. Id, quod probat ex A relatione, quã habẽt causæ ad suos effectus: Est enim causa alicuius effectus causa. Quare si effectus diuersi, & causæ. Igitur si corpora sana inter se differunt, oportet pariter illorum conseruatrices causas inter se discrepare. Colligit præterea Gal. incipiendum esse à causis conseruantibus optimã constitutionem: id quod non probat, quod crederet forte id omnib. esse notum, vt reuera est. Nam cum optime constituta corpora sint prorsus salubria, perfectissimam vtique habent sanitatem: Quod autem perfectissimum est, in omni re aliorum est regula,

Cap. LXXXV. Quot modis corpus alteretur.

Τὴν δὲ εὕρεσιν αὐτῶν ἡ τοῦ πράγματος αὐτοῦ φύσις ὑπαγορεύει. εἰ μὲν γὰρ ἦν ἀπαθὲς καὶ ἀναλλοίωτον τὸ σῶμα, διὰ παντὸς ἂν ἔμενεν ἡ ἀρίστη κατασκευή, καὶ οὐδὲν ἂν ἐδεῖτό τι τέχνης ἐπιστατούσης αὐτῷ· ἐπειδὴ δὲ ἀλλοιοῦται, καὶ διαφθείρεται, καὶ τρέπεται, μὴ φυλάττον ἣν εἶχεν ἐξ ἀρχῆς, κατάστασιν, ἐπικουρίας ἐν τούτῳ δεῖται. B

Καθ' ὅσους οὖν τρόπους ἀλλοιοῦται, τοσαῦτα γένη καὶ τῶν ἐπικουριῶν ἕξει. τουτέστι τῶν φυλακτικῶν αἰτίων.

Eorum autem inuẽtionem ipsius rei natura insinuat. Si enim impatibile, atque inalterabile esset corpus, semper optima cõstitutio perduraret: neque artis præsidio indigeret. Quoniã vero alteratur, mutatur, & corrumpitur, neque eundem seruat prioris status, tenorem, ea ratione auxilium desiderat. C

Secundum quot igitur alteratur modos, tot auxiliorũ, hoc est causarum conseruatricum genera habebit.

Docuit quidem Gale. in superiore oratione, causas conseruantes sanitatem plures esse, quoniã sanitas ipsa non eadem est in omnibus: verum non docuit, quot sint genera earum causarum, siue auxiliorum, quibus vtendem est in conseruatione sanitatis: id quod nunc facere instituit, & argumentum sumit ex conditione nostri corporis, & est illius ratio fere huiusmodi: *Tot debent, esse genera causarum conseruantium sana corpora: quot sunt genera earum rerum, quæ illa corrumpunt, at certo numero comprehenduntur, quæ corrumpunt. certus ergo erit numerus conseruantium causarum.* D

Genera causarum conseruantium ...

Quod vero ex corruptione nostri corporis & iis, quæ corrumpunt, sumantur genera causarum cõseruantium, probat ex eo, quod arte nostra & auxilio non esset opus, si corpus nostrum non esset alterabile, & corruptibile: quod quidem non probat, quia hoc omnibus est notum: Per prioris status tenorem intelligit primam nostri corporis conformationem, nam si posteaquam editum est corpus, conditionem non mutaret, eam profecto seruaret naturam, quam ex parentibus accepit: sed illud videmus augeri, nutriri, & in dies magis exsiccari, aliisque multis modis mutari, & corrumpi: E

Quare arte & auxilio est opus, quę corruptionem fieri prohibeat, quantum fragilis natura nostra patitur.

Ἃ πρόδηλον ἤδη κἀξ αὐτῶν τῶν εἰρημένων, ἐπανορθωτικὰ τῷ γένει τυγχάνειν ὄντα. τῷ δὲ βραχὺ ποιεῖσθαι τὰς ἐπανορθώσεις, πρὶν ἀθρόον ἀπαντῆσαι τὸ κλάβος, οὐ προφυλακτικὰ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι κακοῦ πρὸς τῶν ἰατρῶν κέκληται, ἀλλὰ φυλακτικὰ τῆς παρούσης κατασκευῆς.

Quas ex iis, quæ dicta sunt, liquet esse ex correctiuarum genere: sed quia paulatim correctiones faciunt, antequam magna accidat noxa, non præseruantes à futuro malo, sed præsentis status conseruatrices Medici appellant.

Inuenit Galenus ex generibus rerum corrumpentium nostrum corpus, genera auxiliorum, quę impedire possint corruptionem, quantum natura nostra admittit. Vocauit autem ea auxilia causas conseruatrices, quod improprie dictum videtur esse: nam si auxilia illa nihil aliud præstant, quam emendare, & corrigere vitia, quæ fiunt ab illis causis corrumpentibus, & semper aliquid addunt, vel minuunt à corpore, atque ita prohibent ne corruptio protinus accidat ratio vtique postulare videtur, vt illa auxilia, & causæ potius dicantur corrigentes, & præseruantes, quã conseruãtes, Huic obiectioni respondet Galenus & dicit, illa auxilia re vera corrigere, & mutare corpora. ac etiam eadem præseruare: sed quoniam ea mutatio, quæ ab illis fit, exigua est, ita vt sensum fere effugiat, an aliqua mutatio corporibus ab illis accidat, ideo illas causas à medicis conseruatrices, & non mutatrices & præseruatrices nuncupatas esse: Addo ego aliam rationem, quod hæc appellatio faciat ad distinguenda Medici officia. Nam alia sunt auxilia, quibus vtimur ad præseruanda corpora à vitiis, & corruptionibus quæ contingunt sanis, & propterea oportuit præseruationis hæc genera, nominibus distinguere, ne confusio in explicatione artis contingeret. Quare merito auxilia quædam dixerunt esse mutantia, & curantia, quæ debentur ægrotis, alia præseruantia, quæ competunt iis, qui iam sentiunt imminentes morbos, alia conseruantia: quæ etsi mutant, & præseruant, tamen ab aliis modo, & tractatione differunt.

Ἀλλοιοῦται τοίνυν τὸ σῶμα, πρὸς μὲν τινῶν ἐξ ἀνάγκης, πρὸς δὲ τινῶν οὐκ ἐξ ἀνάγκης. λέγω δὲ ἐξ ἀνάγκης μὲν οἷς ἀδύνατον αὐτῷ ἐστὶ μὴ πλησιάζειν· [οὐκ ἐξ ἀνάγκης δὲ τὰ λοιπά.]

Alteratur igitur corpus, à nonnullis quidẽ necessario, à quibusdam vero non necessario. Dico autem necessario, quia nulla est euitandi ratio. [non necessario autem reliqua.]

Proposuit Gale. se inuestigare velle causarum salubrium genera: & hactenus inuenit ea plura, quoniam plura sunt illa, quæ nostra corpora alterant: & corrumpunt. Nam ex relatione, quam habent causæ ad effectus, sequitur tot esse causarum genera, quot effectuum: nondum tamen constat, quot sint genera causarum salubrium, quoniam certus numerus corruptionis, & eorum, quæ corrumpunt, nondum est declaratus. Quærit igitur id, & duo primum inuenit genera rerum, quæ nostrum corpus corrumpunt. *Nam quædam* (inquit) *necessario id faciunt, alia vero non necessario.* Explicat autem, quid per *necessarium* intelligat, *quod nullo modo euitari potest: non necessarium vero, quod euitare possumus.*

> Τὸ μὲν γὰρ τῷ περιέχοντι διὰ παντὸς ὁμιλεῖν, ἐσθίειν τε καὶ πίνειν, καὶ ἐγρηγορέναι καὶ ὑπνοῦν, ἀναγκαῖον αὐτῷ, ξίφεσι δὲ καὶ θηρίοις οὐκ ἀναγκαῖον.

> *Nam aerem nos ambientem semper attingere, comedereque, ac bibere, & vigilare & dormire, est necessarium, ensibus autem, & exitialibus feris obuiare non necessarium.*

Exempla quædam hic proponit eorum, quæ necessario corpus nostrum corrumpunt. Ac inter illa, quæ necessario illud faciunt, primo enumerat aerem deinde cibum & potum, postea somnum & vigiliam. Verum non docet, quomodo hæc euitare non possimus quo minus nos afficiant: id, quod nos ita ostendimus. Aer quidem nos duplici ratione afficit, intus & foris.

Aer quibus modis nos afficiat.

Nam cum oporteat in corpore cor semper feruere, vt ab eo eleuetur spiritus quidam, qui per vniuersum corpus delatus, calorem insitum singulis membris excitet, & de potentia ad actum perducat, vt *alibi* ostendimus, necesse est in eo feruore, & generatione spirituum, fuliginosa quædam excrementa gigni, quæ sunt expellenda, ne obsint, & simul temperare oportet ipsius cordis calorem.

Quare natura respirationem animalibus dedit, per quam frigidior aer in pulmonem primum, & postea in cor recipitur, & receptus rursus cum fuliginosis illis excrementis eiicitur.

Quod si vel minimo temporis spatio, desinat animal aerem inspirare frigidiorem, & expirare fuliginosa ea excrementa, statim corruptio & mors sequitur: quam ostendunt hi, qui aerem inspirant, vel ex furnis excalefactis, vel in cubiculis ex carbonibus accensis aut ex cauernis sulfureis exeuntem: illi enim quoniam aere fuliginoso vtuntur, extinguuntur, quidaqueo, strangulati pereunt, non alia ratione, quam quod cor externo aere priuatum, non refrigeretur, & à vaporibus suis fuliginosis suffocetur.

Cur moriãtur qui aere calidiore vtuntur.

Porro quod respiratio cordi, id præstat pulsus reliquis partibus corporis. Nam arteriæ A aerem ambientem cum dilatantur, assumunt, & cum comprimuntur, fuliginosa excrementa transmissa à corde, & ab ipsis etiam genita, extrudunt: quo fit, vt corpora exoluantur, cum diutius morantur in balneis calidioribus: priuantur enim aere frigidiore; atque in gangrenis corrumpitur substantia membri affecti, *quoniam fuliginosa illic genita excrementa, constrictione arteriarum non expirant:* nec non in febribus putridis corruptio contingit, *quoniam corpus non satis peruium est ad emittendam eam copiam fuliginosi excrementi, quod ex putredine & vniuersi corporis feruore gignitur.*

In gangrænis cur substantia membri affecti corrumpatur.

Corruptio in febribus putridis vnde.

Vno igitur modo aer nos alterat necessario, B quod in corpus continuo assumatur, & ab eo emittatur per respirationem & pulsum. Alio modo quod partes, quas contingit, alteret secundum substantiam, & eas, quas recipit qualitates.

Cæterum necessarius etiam est cibi vsus, quoniam calor, qui in nobis est insitus, dissipat subiectam materiam solidiorem, viuentibus propriam: quæ nisi cibo restauraretur, paucis diebus dissolueretur & extingueretur animal. Cibi igitur & si tandem vincuntur à nobis agentibus, tamen interim cum mutantur, contra nituntur (& vt aiunt philosophi) reagunt: & propterea nos immutant sua substantia, C sua quantitate, & suis qualitatibus vt ipse docebit.

Alimenta quomodo nos afficiant.

Eadem ratione potus est necessarius, quoniam idem calor aqueam & humidiorem, quæ est in nobis, substantiam dissipat, quæ potu restauratur. Intelligimus autem potum, non quicquid quocunque modo bibitur: (nam sic in potu sæpe esset cibus, veluti si contusas carnes iusculo aliquo misceamus, & bibendo deuoremus) sed quod reuera minimum habet, in se, quod solidam substantiam; plurimum vero ex eo, quod aqueam reparare valet: Igitur aere, aeream substantiam, cibo terream, potu aqueam restituimus. Sed quid de D ignea dicemus? An quod illa in corpore nostro ad pondus aliorum exigua sit, & cibo, potu potissimum, & forte etiam aere reponatur? Sunt enim hæc omnia non simplicia, sed ex quatuor elementis composita, etsi ab eo, quod in illis præpollet, nomen sumunt: vocantes scilicet cibum, quod terrenum est, in quo terrena portio vincit, potum in qua aquea, aerea plurimum dominatur. Egemus igitur necessario cibo ac potu. Quod si quidam reperti sunt, qui sine illis multos etiam annos vixerint, *quod forte illorum calor debilitatus ex morbo, impotens sit factus ad substantiam solidam, & aqueam dissoluendam, & illi sufficiat aer, eo quod sola* E *aerea consumatur:* tamen hæc vt rara sunt, & præter naturalem ordinem, necessitatem edendi & bibendi, quam nobis imponit Galenus non tollunt.

Ignea substantia quæ in nobis est, quomodo restituatur.

Quomodo aliqui multos annos sine cibo & potu potuerint viuere.

Vigilia vnde contingat.

Porro necessarium est vigilare: quia vigilia contingit, quando natiuus calor ab internis suis fontibus extra fertur, non potest autem semper intus contineri, tum ob naturæ prouidentiam, quæ instituit externas partes non semper otiosas: illæ ergo cum agere volunt, commune animæ instrumentum ad se illiciunt: aura

Somni vsus & necessitas.

tum quod ipse calor, qui in aerea, & spirituosa substantia potissimum residet, intus auctus suapte natura superiores, & exteriores partes petit.

Cogimur pariter necessario dormire, quoniam calidi natiui substantia, spirituosa, inquam, illa materia per vigiliam agentibus externis membris dissipatur, nec propterea durare perpetuo potest, nisi per somnum retrocedat in sua viscera interna: vbi per concoctionem humorum, qui illic esse solent, rursus augetur, & rursus vigiliam parit: sic mutuo somnus, & vigilia sibi succedunt, dissipatione, & restauratione calidi innati.

Hæc sunt exempla eorum, quæ necessario nos afficiunt. Eorum vero, quæ non necessario idem faciunt, sunt enses, & exitiales feræ: Quibus aliqui duntaxat obuiant, vel casu, vel sponte, dum nonnulli temere sua mala quærunt.

Ὅθεν ἐν μὲν τῷ προτέρῳ γένει τῶν αἰτίων, ἡ περὶ τὸ σῶμα τέχνη καταγίνεται, κατὰ δεύτερον οὐκέτι.

Quare circa primum causarum genus versatur ars corporis conseruatrix; circa secundum autem minime.

Cum docuerit Galen. duo esse genera eorum, quæ nos afficiunt; vnum eorum, quæ necessario; alterum vero, quæ non necessario id faciunt: nunc docet, non omnia esse subiecta prouidentiæ nostræ artis, sed ea solum, quæ necessario prodesse, aut lædere possunt: nam quæ casu & raro agunt, prouidentia artis nostræ caueri non possunt, sed arte militari, & propria cuiuscunque diligentia & virtute: Quæ vero semper prodesse, aut nocere sunt parata, & sola ars, nostra nouit, quomodo afficere possint, merito comprehendimus in nostra facultate: Ac intelligere quidem oportet, artem non versari circa ea, quæ non necessario afficiunt: non quod læsiones factas ab ensibus, & feris curare non debeamus, sed quod ex nostris præceptis prospicere non possimus, ne ea, quæ huc modo lædendi vim habent, obsint.

Iuuantia & lædentia quæ arti nostræ subiiciuntur.

Ὁπόσα τοίνυν ἐστὶ τὰ ἐξ ἀνάγκης ἀλλοιοῦντα τὸ σῶμα, διελόμενοι καθ' ἕκαστον αὐτῶν, ἴδιον γένος αἰτίων ὑγιεινῶν εὑρήσομεν, ἓν μὲν ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὁμιλίας, ἕτερον δὲ ἐκ κινήσεώς τε καὶ ἡσυχίας ὅλου τε τοῦ σώματος καὶ κατὰ τὰ μόρια, τρίτον ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, τέταρτον, ἐκ τῶν προσφερομένων, πέμπτον, ἐκ τῶν ἐκκρινομένων, ἢ ἐπεχομένων, ἕκτον, ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν.

Quot igitur numero sint ea, quæ ex necessitate corpus alterant, distinguentes, proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inueniemus: Inest

A *igitur vnum quidem ex ambientis aeris adhæsu; alterum vero ex motu, & quiete, & totius corporis & partium singularum; tertium ex somno, & vigilia; quartum ex iis quæ assumuntur; quintum ex iis quæ excernuntur, & retinentur; sextum ex animæ affectibus.*

Antea docuit, duo esse genera rerum, quæ nostrum corpus alterant, deque eo solo artem nostram agere, quod necessario nos afficit, & exempla quædam illius posuit, non tamen certum numerum explicauit, sine quo non potest certus
B numerus causarum salubrium doceri: eum ergo numerum alterantium, & corrumpentium hic enarrat, vt postea certum numerum causarum salubrium tenere possimus, ad quas perpetuo respiciamus, cum succurrendum erit iis, quæ per sanitatem nos alterant, & corrumpunt. Dicit ergo hæc esse sex, nempe aerem ambientem, motum, & quietem, somnum, ac vigiliam, quæ assumuntur, siue cibum & potum, quæ excernuntur, & retinentur, & animi affectus: quæ quidem recentiores Medici res non naturales vocare solent: At quod sine aere, cibo, & potu, somno & vigilia esse non possimus, superius ostendimus: Nunc de reliquis idem ostendendum.

C Motus igitur nobis est necessarius, cum non simus plantæ, quæ ex ipsa terra, cui sunt infixæ, alimentum sibi parare possunt.

Quare natura motum animalibus dedit, vt quæ sunt sparsa sibi necessaria comparare valeant, propterea eadem natura præter vim motoriam, illis quoque indidit appetitum, ac voluntatem, vt ex illis possit motus fieri. Sed quoniam motus vtitur etiam communi animæ instrumento, nempe calido innato, & illud dissipat ideo quietem quoque. & quiescendi vim est largita, vt ipse calor refici, & interim etiam obire possemus ea officia, quæ per quietem melius, quam per motum exercentur.

Motus nostri ac quietis vsus & necessitas.

D Nam Aristotelis sententia est, *animam quiescendo sapientiorem fieri*, quasi corporis agitatio ingenio obsit.

Somni vero, vigiliæ, & eorum, quæ assumuntur, id est cibi & potus necessitatem antea ostendimus.

Necessitas generationis & retentionis excrementorum.

Sequuntur inter illa, quæ necessario nos afficere scribit author, quæ excernuntur, & retinentur, idest, excrementorum generatio, retentio, & excretio.

Non enim fieri potest, quin in nobis generentur excrementa.

Nam si nutritio est necessaria; erit quoque necessaria excrementorum generatio: Cum enim, quæ actu nutriunt, similia sint substan-
E tiæ nostræ, quæ caloris vi, à partibus singulis est dissipata: alimenta vero, cum assumuntur, non actu, sed potentia similia sint; necesse est, vt de potentia ad actum ducantur: id, quod fit per concoctionem, cuius officium est & finis assimilare omnia, quæ concoquuntur, quantum licet per ipsam concoctricem facultatem, calorem in-

Digitized by Google

naturn, & eius, quod concoquitur conditionem. A

Itaque cum in omni alimento aliquid sit, quod nobis secundum substantiam est dissimile, aliud vero, quod simile actu fieri potest secundum substantiam & qualitates, per concoctionem hæ duæ substantiæ, quæ erant in alimento potentia, actu emergunt: & quod per substantiam, & qualitatem assimilari potuit, additur, & nutrimentum fit corpori: id vero, quod substantiam ab initio habet prorsus inutilem, in concoctione assimilatur quidem per qualitates: verum per substantiam assimilari non potuit, quoniam potentia erat dissimile.

Quare cum illud sit inutile, ac post concoctionem absolutam, à natura separatur ab alio, & in certis locis colligitur, & tandem excernitur, vnde ab excretione excrementum à nobis dicitur.

Excrementorum vnde dicatur.

Porro excrementa quædam sunt fœdita, & sordida; quæ si continuo, vt gignuntur, excernerentur, redderent hominem, vt inquit Galenus *in libro de vsu partium*, alienum à musis & philosophia, i. impedirent cultum bonorum artium.

Excrementa quæ assidue & quæ per interualla reijcienda.

Quis enim illas excolere posset, si ei imposita esset necessitas assidue mingendi & egerendi? Alia vero sunt, quæ hac molestia carent, nec aliter vacuari possunt ob suam naturam quam continue: quæ enim vaporosæ sunt naturæ, illæ per insensibiles cutis & aliarum partium meatus assidue expirant.

Igitur excrementa primæ concoctionis, quæ fit in ventriculo, nempe vrina & stercus: ac vtraque bilis, quæ fiunt in concoctione hepatis, posteaquam sunt genita, separantur ab vtili parte alimenti, & in quibusdam concauis partibus, ad hoc officium destinatis à natura, colliguntur, & aceruantur, donec per certa interualla postea expellantur.

Excrementa vero tertiæ concoctionis sordes, & vapor iugiter excernuntur, quia nullæ partes ad illorum susceptionem & collectionem sunt factæ.

Hæc igitur omnia excrementa, si præter naturæ ordinem retineantur, alterant, & corrumpunt nostrum corpus, pro cuiusque excrementi natura, & locis, in quibus continentur, aut à quibus exeunt.

Quomodo excrementa alui nos afficiant.

Nam alui excrementa retenta, ventriculi appetitum deiiciunt, vertiginem, & dolorem capitis adferunt, nauseam pariunt, fœtum in mulieribus sæpe elidunt, vrinæ stillicidium, & in nobis compressione vesicæ sæpe pariunt, colicos dolores excitant, dum flatus exire prohibent, & multis aliis modis corpori obsunt.

Vrina retenta quomodo lædat.

Vrina vero cum supprimitur, antequam recipiatur in vesica, si effunditur in cauitatem ventris, aquam inter cutem parit: si vero vna cum sanguine miscetur, nutritionem labefactat: & pruritum scabiemque, ac sudores multos excitat: si vero in vesica eadem collecta, postea exire non possit, miros cruciatus mouet, & tandem mortem infert.

Sic profecto si bilis flaua non recipitur in vesica hepati subiecta, ex ea fit regius morbus: aut si calor præter naturam eam inuadit, febres biliosæ ex illius putredine accidunt.

Quæ portendant mala ex retentione humoris melancholici.

Quod si forte à natura separetur ab aliis humoribus, & extrudatur in aliquam partem, tunc nascuntur Erysipelata, Herpetes, Pustulæ biliosæ: & si repat his humor ad caput, deliria & furores contingunt.

In stomacho cibi appetentiam deiicit, sitim, intendit. Parit quoque humor melancholicus in corpore, cum retinetur, sua mala: in stomacho picam, caninam famem: in capite melancholiam, dictam maniam: in corde mœstitiam; in externis partibus cancros, elephantiasim, lepram in toto corpore.

Ex vaporo & sorde retentis quæ mala proueniant.

Quæ mala nascantur ex malis concoctionib.

Quomodo animi passiones nos afficiant.

B At vero vaporosa excrementa, dum cohibentur astricta cute, calorem intus augent, & febrem synocham, & alias, pro subiecti humoris & corporis conditione excitant. Sordes vero illa crassa, retenta, cutem fœdat, scabiem gignit crustosam: ex quibus, ne singula prosequamur, constat ex excrementis relictis ex nutritione, dum retinentur, alterari & corrumpi nostrum corpus & tanto magis fiunt corruptiones, quando retinentur excrementa, quæ præter naturam in nobis gignuntur, vt pus, vermes, calculi, & alia huius generis, quæ ex malis coctionibus proueniunt.

Cæterum, cum excernuntur excrementa naturalia, nulla noxa accidit corpori. At cum aliquid excernitur, quod est naturæ cognatum, tunc C corpus exoluitur. Id, quod etiam accidit, vbi excrementa morbosa, nondum peracta concoctione.

Nam quia tunc separari non potest, quod est inutile ab vtili substantia, contingit vtramque expelli: vnde symptomaticæ & malæ dicuntur esse excretiones, quæ fiunt absque signis concoctionis.

Habent quoque vim necessariam in alterando nostrum corpus animi passiones, quibus omnes subiecti sumus plus, vel minus. Nocet et ira gaudium, ira, tristitia, timor, spes, cupiditas, inuidia, vindicta, desperatio, cogitatio, vehemensque omne studium: & ex his quædam, quod calo- D rem vel accendat, vel minuant, vel contrahant, vel expandant, ex quibus sequuntur febres, siccitates, colliquationes fluxiones, & vt semel dicam, omne genus fere morbi.

Ac vt hæc prosunt, cum mediocriter fiunt, & obsunt, cum excessus in illis fit; ita tutum non est homini, secure omnino viuere absque vlla animi passione.

Animi passionum vsus & necessitas. An quæ non necessario afficiunt sint solum sex.

Torpescit enim in corde calor, aut plusquam oportet, delitescit in visceribus nisi ab his affectionibus excitetur, & promoueatur: At vbi ita postulant affectus, prodest, nunc vnam, nunc aliam ex his passionibus vehementius commoueri.

E Nam, vt in profluuio sanguinis mœrus, & tristitia optimum adferunt remedium: sic ad frigidos humores, & corporis crassitiem, quæ corpus grauat, & sanitatem corrumpit, ira, tristitia, cogitatio conferunt. Et ne diutius in his moremur, videndum est, an sex hæc solum sint, quæ ponit

ponit Galenus, nostrum corpus necessario alterare, & corrumpere. Nam contra has causas, illud maximè facere videtur, quod scribit *in initio libri primi de sanitate tuenda.* Illic enim corruptiones; quæ necessario nobis eueniunt, dicit à duobus accidere, nempe, vel à nobis ipsis, & nostris principiis, vel ab extrinsecis. A nobis ipsis fluorem substantiæ, & siccitatem, quã calor insitus perpetuo parit, & excrementorũ prouentũ, qui ex cõcoctione nutrimenti resultat. Inter extrinsecas autẽ solum numerat aerem ambientem, motus, quietis, somni, vigiliæ, & animi affectuum nulla facta, vt *hic*, mentione. Hæc viderunt quidem nostri interpretes, & illas hoc loco afferunt corruptionis causas: sed interim non vident plures, quam sex, eas esse, si & illæ & hæ recipiuntur. Ego vero B aliter sentiendum esse puto, & dico, plura esse, quæ nostrum corpus corrumpunt, quam hæc sex, de quibus agit Gal. & vere corrumpentia necessario ea esse, quæ ex nostris principiis oriuntur: non tamen Galeni est institutum omnes causas alterantes nostrum corpus enumerare, sed illas solum, quæ arti nostræ sunt subiectæ, & in nostra potestate. Vult enim solum hic docere, quæ possint prodesse, & obesse ad sanitatem conseruandam, recuperandam, præseruandam, & reficiendam, cum ex morbo corpora imbecillia, & male sana sunt relicta. Nam solum vim & vsum materiæ medicæ docet, & quomodo ea nunc salubris, nunc vero insalubris fieri possit, explicat: ne temere ea vtamur: quod cum fit corpus alteratur & corrumpitur: cum vero ea commode vtimur, C alteratur quidem, sed corrigitur vitiũ, quod ab illis est factum. Nam postea ostendet aerem, cibum & potum, & reliqua, de quibus hic agit, si non iusta qualitate & quantitate adhibebuntur corpori, esse causas insalubres & corruptrices. Igitur nõ omnia, quæ possunt alterare & mutare nostrum corpus, sed solum materiam medicam hic enarrat Gal. vt ea possimus eligere, quæ prodesse possunt: alia vero euitare quæ sunt apta obesse. Verum non potest ars nostra contenta esse his sex, quæ hoc loco à Gal. ponuntur. Ab aliis enim cogimur sæpe auxilia, idest, causas salubres conseruantes & efficientes sumere. Nam *in lib. de sanit. tuenda*, vbi agit de conseruatione primum optimę constitutionis, deinde aliorum, qui sani quidem sunt, sed ab eo perfecto statu declinant auxilia ca- D pit à balneis, lotionibus, frictionib. vnctionibus, quæ in his sex rebus nequaquam continentur. Quin etiam in sequentibus, vbi vitia emendare vult, quæ in partibus, instrumẽtariis, & cõtinuitate violata contingant, tũ in sanis, tũ in ægris, auxilia capit ex ligaturis, ex de obstruentibus, ex vulnerantibus, veluti cum scalpello venas aperimus: ex reuellentibus, deriuantibus. Addit alibi sæpe malis nostris mederi, quæ ceruici, & aliis partibus alligantur: quæ omnia hic sunt omissa, aut certe non nisi magna violentia ad hæc trahi possunt. Præterea animi affectus, cum illius motus qui- E dam sunt, videntur comprehendi sub motu, quare magis mihi placet tractatio, quæ habetur de his, *in libro quinto de sanitate tuenda*, vbi quatuor genera facit materiæ medicę, quæ mutandi corpus vim habẽt, ad bonum, vel malum: & vnum ponit continere ea, quæ assumuntur: aliud, quæ fiunt siue geruntur, aliud, quod ea comprehendit, quæ ducuntur & retinẽtur: Postremum quod ample- A ctitur vniuersa, quæ foris adhibentur. Igitur per ea quæ assumuntur, comprehendimus alimenta, medicamenta, quocunque modo, & per quemcũque locum in corpus assumpta, siue corpora sint solida, aut potiones, siue per os ingerantur, siue immittantur per anum, pudenda vel aliam quãcunq; corporis partem. Eorum vero, quæ geruntur nomine, tum animi, tum corporis motus, & quietem intelligimus: vt otium, exercitationes, vitæ conditionem, iram, tristitiam, cogitationem: & his similia: quorum quædam, à nobis solum proueniunt vt animi perturbationes, & vitæ conditio: quædam vero ab aliis in nobis fiunt, vt frictiones, nauigationes, gestationes, quæ vehiculo obeuntur: quædam vero mixtam habent naturam, cum partim ex aliis in nobis fiant, partim etiam à nobis proueniant: cuius generis est equitatio & gestatio & si quid aliud, in quo corpus vario modo agitamus. Porro genus eorum, quæ extrinsecus adhibentur, continet, quæ impulsu agunt, vt vulnerantia, contundentia, frangentia: item quæ nos ambiendo circumdant, vt aerem, lotiones, natationes, & si quid simile reperiatur: quanquam in natatione non solum ex aquę adhesu, sed etiam ex motu corpus alteratur. Comprehendit præterea: quæ corpori adiunguntur, & applicantur, veluti vnctiones, cataplasmata, cerata, & huius naturæ alia. Postremo, quæ collo, reliquisq; partibus appenduntur, aut circumligantur, vt vincula, quæ partibus iniiciuntur, aut alio denique modo extrinsecus corpori adhibentur. Iam C vero, quæ educuntur, ea complectuntur, quocunque modo à corpore exeunt, vt sudorem, stercus, vrinam, sordem, vaporem, saliuam, pituitam, quæ emungitur, humorem, qui per purgationem, venæ incisionem, vel alio remedio educitur: ad quod etiam genus spectat pinguedinis, carnisque excretio, vel detractio, & aliarum partium, quæ sibi cognatis rescinduntur: Sunt etiam huius generis, quæ præter naturam in nobis concreuerunt, vt lapides, lumbrici, pus, dracunculi, & si quid aliud simile, quod extractum à corpore, illius constitutionem mutat: venus etiam, quatenus semen excernit: quatenus vero corpus commouet, ad ea, quæ fiunt, redigitur, quemadmodum & aliæ excretiones corporis. Etenim excretio ipsa, actio est, & aliquid eorum, D quæ aguntur: id vero, quod excernitur, spectat ad ea, quæ excernuntur; eadem omnia cum retinentur, sub contrario genere comprehenduntur, quæ simul coniuncta, (propterea quod contrariorum vnum est genus) quartum caput facere dicuntur, ab aliis trib. diuersum: ac perpetuo quidem ab his rerum generibus sumuntur causæ salubres, insalubres, neutræ: & in illis semper inueniemus, quid nobis auxilio, aut nocumento esse possit.

Materiam medicã quæ sunt generibus tantũ cõprehendi alibi tradidit, malimq; quã sex illis rebus non iure tradi.

Assumptorũ nomine quæ veniãt.

Eorum, quæ fiunt, nomine quæ comprehendantur.

Extrinsecus agentia quæ contineant.

Excreta & retenta quæ comprehendant.

Venus ad quæ ex prædictis redigatur.

E Ὑπὸ τούτων γὰρ ἁπάντων ἀνάγκη τὸ σῶμα διατίθεσθαί πως. ὑπὸ μὲν γὰρ τοῦ περιέχοντος, ἤτοι θερμαινόμενον, ἢ ψυχόμενον, ἢ ξηραινόμενον, ἢ ὑγραινόμενον ἢ κατὰ συζυγίαν τι τούτων πάσχον, ἢ καθ' ἄλλην τινὰ ἰδίαν ἀλλοιούμενον.

Ex his enim necesse est aliquo modo affici corpus: ab aere quidem ambiente, quia, aut calefit, aut frigesit, aut exiccatur, aut

humectatur vel secundum herũ patitur coniugationem; aut in tota alteratur substantia.

Posteaquam Galenus numerauit illa, quæ possunt mutare nostra corpora, nunc docet, quomodo singula ex prædictis mutationes suas faciant. Et id primum docet in aere ambiente, quem dicit in duplici ratione, nos mutare posse, vel alterãdo secũdum primas qualitates simplices, vel compositas: vel secundum, vt ait, totam ipsius substãtiam. Quid per alterationem factam ex primis qualitatibus intelligat, non est, quod doceamus: id enim per se patet. Per alterationẽ vero à tota substantia non aliud intelligere potest, quam eam, quæ fit à forma rei, à quo nomine semper abhorruit Gal. Nam cum dicat, alimenta, & medicamenta purgantia, non id esse, quod sunt, per suam temperiem, sed per totam ipsorum substantiam, non potest hoc nomine aliud intelligere, quam formã: per illam enim alimenta sunt alimenta, & purgantia medicamenta vim habent purgandi. Quod si Gal. in alijs suis tractationibus, veluti, cum agit de essentia partium, animi moribus, & actionibus nostri corporis, posuisset hanc totam substantiam; non eo venisset, vt diceret, carnem esse carnem, & os esse os, & aliam quamcumq; partem, id, quod est, & viuens à non viuente differre ob diuersitatem temperamenti: & quod grauius est, nõ cogeretur fateri, mores animi hominum, simillimos esse debere morib. & actionibus porcorum, quorũ corpus, carnem & temperiem, simillima esse statuit. Porro cum aer nos mutat totã substantiã, accepit formam quandum ex astris nobis incognitam: qua vel nos perimit, vel morbos ex occultis causis natos tollit. Ita enim in pestilentia aer plurimos occidit, ob illam occultam formam, & non ob euidentes qualitates, & iam ipse aer, qui mutauit eam formam, quæ morbum Gallicũ peperit, remedio eidem morbo fit. Cessat enim crudeliter seuire morbus hic, vt ante aliquot annos faciebat: propterea quod cessat influxus ille syderum, qui illum peperit, aut aliunde in nostram regionem inuectum fouebat: Porro aer calefacit corpus, cum vel calidus ipse est, vel frigidus: calidus quidem calefacit, cum per inspirationem, & dilatationem arteriarum in corpus trahitur, vel cum ipse extrinsecus contingit partes nostri corporis, & calorem, quem in se habet, illis imprimit: frigidus vero intus calorem auget, densata extrinsecus cute, & repulso illo calore, qui in externis partib. continetur. Quod si corporis, & cutis meatus secundum naturam patent, augetur solum secundum naturã intus calor, quomodo vẽtres hyeme calidos reddi scribit Hipp. *in Aphor*. At si ex labore, aut æstu, meatus illi immoderatius patent & in eo statu aeri frigido occurramus, calor præt. nat. in nobis augetur, & febres fiunt: quoniam calida excrementa plurima genita ex labore, vel ex aere calidiore expirare prohibentur ob aerem frigidiorem; qui vehementius sese insinuauit in corpus rarefactum, & ita vias eas penitus occlusit: Ac non solũ quidem calefactio ex aere calido, & frigido contingit: sed etiã accidunt fluxiones, & ex illis omne tumorum genus, obstructiones, & alia mala; quæ ex his nascuntur. Calid. etiã aere exsiccat, & dissoluit substãtiã calidi innati, atq; ita omnes actiones debilitat: frigidus vero, vt per accidens calefacit, ita per se refrigerat, siccat etiã aer, qui siccus est, & humectat, qui humidus. ac coniunctis inter se qualitatib. calore inquã & frigore, cum humiditate, & siccitate, fiũt in nobis effectus, qui referunt suas cãs. Quod si hæ aeris qualitates cum ventis agant in corpore vehementius imprimunt suã vim & effectus eos pariunt, quos describit Hippoc. nasci ex Aquilonia, & Austrina cõstitutione *in 3. lib. Aphor*. Aer etiam ob suã corruptionẽ, aut bonitatẽ, quã recipit in sua substãtia, mutationes facit, nũc in humorib. nũc in certis corporis partib. vnde plurimi oriũtur morbi, quorũ naturam ignoramus, & plurimæ fiũt morborũ solutiones pręter spẽ Medici, per occultas illas impressiones aeris: qui idem prodest nobis, & obest non solum ob primas qualitates & latentem formam, sed etiam ob secundas qualitates, cum est nimium vel crassus vel tenuis vel ex sole purus redditur, aut in locis profundis, & obscuris impurus factus. Colligit etiam ipse prohibita ventilatione, & transpiratione, vt nostra corpora, sua vitia & putredinem.

Alteratio à tota substantia quid.

Pestis à quo aere fiat.

Cur morbus Gallicus iam mitescat.

Aer calidus quomodo nos afficiat.

Quomodo frigus.

Ventos aeris qualitates vehementius imprimere.

Aeris læsiones ob suam corruptionẽ.

Generationes & solutiones morborum præter rationem ob influxus syderũ in aere contingere.

Ἐκ κινήσεως δὲ καὶ ἡσυχίας ἀμέτρων ἀμφοῖν γινομένων, ἢ θερμαινόμενον, ἢ ξηραινόμενον, ἢ ψυχόμενον, ἢ ὑγραινόμενον, ἢ κατὰ συζυγίαν τι τούτων πάσχον.

Ex motu vero. & quiete cum vtraque modum excesserint, aut calefactum, aut refrigeratũ, aut humectatum, aut exsiccatum, vel aliquid secundum horum patiens coniugationem.

Docet nunc vim, quam habet motus, & quies in nostro corpore. Motus quidem vnum per se facit, partium. n. attritu calefacit primũ parteis, quæ mutuo se atterunt, deinde alias, quæ participes caloris euadunt. ad caloris vero accensionem sequũtur varii effectus pro qualitate, & quantitate ipsius motus, & corporis, quod patitur diuersam conditionem, nã aliud facit motus vehemens, quam leuis: aliud celer, quam tardus: aliud æqualis, quam inæqualis, aliud frequens, quam rarus: aliud fit, si cum animi contentione, aut absque illa exercetur: aliud qui fit ambulando, quã currendo, vel equitando, aut nauigando: aliud facit multus, quam paucus, aut mediocris. Propterea hic Gal. non solum debebat immoderati motus, aut quietis vim explicare, sed ipsius motus primum, deinde eius, qui suas differentias accepit, vt facit *in lib. de sanit. tuenda*. Aliud vero fit à motu in corpore vacuo, quam pleno, aut moderate se habente: aliud in frigidis, quam in calidis cõrporibus aut aliter affectis: moderatus tamen modus in moderatis corporib. moderate calorem accendit, ad quod sequitur excrementorum moderata expulsio, & corporis robur. Quod si hic motus in corporib. fiat repletis, cum nõ possit humores dissoluere, eos colliquat, & fluxiones parit: immoderatus vero motus, & qui etiam adiungit sibi aliquas vehementes qualitates, vt celeritatem, & vehementiam, vt corpora crassiora, & frigidiora roborat: ita quæ mediocriter habent, aut graciliora sunt, primũ calefacit, & exsiccat deinde refrigerat, vehementius dissoluta spirituosa & humida, substantia caloris, sine qua ipse calor vegetus consistere nequit. Humectat etiam motus moderatus in corporibus pituitosis: excrementosum enim eum humorem, & crudiorem sanguinem concoquit, ex quo natiuo

Effectus vis & varietatum motuum.

natiuo humore humectatur corpus; sic sanè motus mutat, & nos alterat.

Effectus quietis. Quies verò cum calorem hebetet, ea incommoda patit, quæ ad caloris diminutionẽ sequuntur: redundant enim multa excrementa pituitosa in eo statu corporis, & quæ gignuntur excrementa in tertia concoctione, malè expurgantur: partim quod ipsa excrementa crassiora reddantur defectu caloris: partim quod non impellantur sursum: non acquisito calore, nec meatus cutis sint patefacti, per quos expirare debent. Ac vt excrementorum sequitur prouentus & retentio per quietem, sic deteriores fiunt omnes actiones corporis humani, & debilitantur omnia membra, vbi otiosam vitam quærimus: omnes enim egemus motu, & exercitatione pro cuiuscunque natura. Nam biliosis, & exiccatis corporibus leuis quilibet motus sufficit ad sanitatem conseruandam: moderatis verò habitibus moderatus vtilis est: frigidioribus autem & crassioribus debetur, qui vehementius calorem accendere potest. Nec dictum Gal. quo præcipit *in lib. de sanit. tuenda*, exercitationem adhibendam esse, quousque sentiamus augeri respirationem, intelligendum est simpliciter, & in omnibus, nam ex breuissimo cursu ita intenditur respiratio, non tamen iustam mensuram exercitationis sumus assecuti. Nec biliosæ quidem naturæ expectare debent respirationis eam mutationem, sed præceptum intelligendum est *de moderata natura*, & moderatis qualitatibus exercitationis. Quæ enim temperata sunt corpora, vti debent nec celeri, nec tarda, nec vehementi, aut remissa motione: sed cum mediocritatem in omnibus differentiis seruauerint, scire debent, se iustam mensurã exercitationis assecutos, quando respirationem auctam senserint. Hæc de vi motus, & quietis.

Galeni præceptum, quo præcipit exercitationem vsque ad exiliam respirationem esse adhibendã, quomodo sit intelligendum.

Οὕτω δὲ ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως ἀνάγκη πάσχειν αὐτό.

Sic ex somno, & vigilia ipsum pati est necessarium.

Somnum & vigiliam nihil agere per se. Somnus & vigilia nihil reuera, & per se agunt in nostro corpore, sed calor ipse natiuus influens, qui diuersa efficit in nobis vigilando, & dormiendo. Nam per somnum, vt antea ostendimus) contrahitur calor in viscera, & ibi roboratur: vnde sequuntur in corpore illi effectus, quos parere potest contractio ea caloris. Etenim partes, in quib. calor natiuus abundat, validiores redduntur, & ob id fœlicissimè exercent sua officia. Quare per somnum internæ partes optimè sua munera obeunt, externæ verò debiliter: contrarium verò in vigilia accidit. Nam cum calore accedit robur externis partibus, minuitur verò cum absentia caloris, internis, vnde dicuntur vigiliæ digerere, & somnus concoquere. Porro vt in aliis, sic hic somni mediocris, & vigiliæ in corpore mediocriter affecto vim exprimimus: nam aliud facit longus somnus, quàm breuis: aliud profundus, quàm lenis: aliud continuus, quàm interruptus: aliud qui in sole, quàm qui in vmbra initur: aliud fit à somno in corpore pleno, quàm vacuo: aliud in gracili, quàm crasso: aliud in febricitãte, quàm in sano: aliud in principio accessionum, aliud in declinatione. Eadem obseruanda sunt in vigilia, ne ad omnes pertinere putemus præcepta, quæ de mediocri somno, & vigilia in corporibus mediocriter affectis tradi solent. Ac cum omnes somni, & vigiliæ differentias, causas, & vim *duobus libris alibi* enarrauerimus, non est, quod lector earum rerum repetitionem nunc à me exigat.

Somni diuersi, diuersi effectus, ita & vigiliarum.

Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν.

Secundum eandem rationem & ex animi affectibus.

Animi affectus mutatione caloris nos afficere. Paulo antea explicauimus, quid, & quomodo mutent animi affectus in nostris corporib. quod scilicet mutationes suas faciant, vel quod accendant calorem, vel debilitent, vel contrahant, vel expandant, aut mixtos motus in eo efficiant; quare ex animi affectibus sequuntur illæ in corpore nostro mutationes, quas parere possunt caloris incrementum, diminutio, contractio, & expansio, de quibus Gal. *in primo de differentiis febrium*, vbi generationẽ febrium ostendit ex his affectionibus, differit.

Καὶ τῶν προσφερομένων.

Et ex iis, quæ assumuntur.

Non aliud intelligit per ea, *quæ assumuntur*, quàm cibum & potum, vt ex præcedentibus cõstat. Mutant autem hæc etiam nostra corpora pro suis qualitatibus primis, secundis & substantia, & copia, & parsimonia: ex quibus accidit corpus commodè nutriri, aut plus quàm oportet, repleri, aut vacuari, & calorem roborari, vel debilitari, & venas, ac alias cauitates obstrui, aut expediri, & corpus reddi densum, & solidum, vel rarum, & flaccidum, pingue aut macilentum, crassum, aut gracile, & denique variis morbis affici.

Ἢ ἐκκρινομένων, ἢ ἐπεχομένων.

Et excernuntur, & retinentur.

Dicunt interpretes, hic agi de iis, quæ vacuant, vel replent corpus, siue de inanitione & repletione, quod verum non est. Nam sic de cibo, & potu rursus ageret autor, (hæc enim replent corpus) & de aere, motu, & animi affectibus, quæ pariter corpus euacuant. Quare solum agit de ipsis excrementis, quæ gignuntur in nobis, & cum retinentur, aut excernuntur, mutationes quoque in nobis efficiunt: id quod iam superius ostendimus.

Ἅπαντα γὰρ ταῦτα, τὰ μὲν αὐτόθεν, τὰ δὲ διὰ μέσων ἑτέρων αἰτιῶν ἀλλοιοῖ τὸ σῶμα, καὶ διαφθείρει τὴν ὑγείαν, καὶ γέγραπται περὶ τούτων αὐτῶν ἰδίᾳ καθ᾽ ἕκαστον ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ.

Hæc, siquidem omnia partim quidem euidenter, partim verò per alias causas medias alterant corpus, & sanitatem corrumpunt, & de eorum singulis seorsum scripsimus in tractatu, qui de salubribus inscribitur.

Ostendit quidem, corpus nostrum alterari à

quare illi non debēt esse plures, aut pauciores illis, qui sunt oportuni: nam in eo, quod non fit, quantitas, aut modus, constitui non potest. Potius ergo sudores, nisi à causis euidentibus fiant, in alio genere signorũ poni debent, quod ea continet, quæ iam præter naturam sunt, sed minora illis, quæ iam ægrotantibus accidũt. Torpor vero & grauitas ad motũ, grauari vires à multitudine humorũ ostendit. Merito igitur hæc morbos præsagiunt, quemadmodum etiam omnes lassitudines spontaneæ, exolutiones. i. animi defectus, nõ solum vehementes (vt ille scribit) sed etiam minimæ, verendæ sunt: ostendunt enim malas subesse in corpore causas, de quibus Gal *in 12. Meth.* scribit, à quibus morbi, & sæpe subitã mors contingunt. Verum etiam hoc genus symptomatis in sequenti genere signorum reponendum erat.

Porrò menstrua non solum suppressa, vel immodicè, aut diminutè fluentia, sed etiam cum mali humores, plus quàm naturalis conditio postulat, exeunt, futurorum morborum sunt præsagia: quibus modis etiam euacuationes, quæ fiunt in aliquibus per hæmorrhoidas, morbos præsagiũt. Verum hoc etiam symptoma, non simpliciter, sed illis solum, qui consueuerunt per ea loca expurgari secundum naturam permutatum censeri debet.

Quæ hic subiungit de voluptate in cibo & potu secundo, erant superius annectenda illis, quæ pertinebant ad eorum appetentiam, sicut etiam illa, quæ hic habet de somno imaginationib. pleno, erant annectenda illis, quæ scripsit de somno, vt vno loco legantur, quæ ad vnam rem pertinẽt.

Iam animi hebetudo, aut obliuio inconsueta, aut rerum tristium cogitatio, & vitia, quæ circa sensus contingunt, futuri morbi sunt indicia, nimirum cum ostendant causas secundum naturam permutatas esse. Corporis verò moles maior, aut minor, & non solum colores, qui in ea apparent permutati, sed etiam aliæ qualitates, quæ sunt obiecta aliorum sensuum, vt durities, asperitas, odor deterior, minantur morbos: quoniam vel auctos, vel diminutos, vel vitiatos humores ostendunt, qui præcipuè sunt morborum causæ. Ructus verò, sternutamenta, & flatus plures aut pauciores dici possunt in his fieri, qui illis affectib. per sanitatem sunt obnoxii: simpliciter autem secundum naturam esse, rectè dici non possunt, quoniã simpliciter sana corpora ab internis causis non solent his affectionibus esse obnoxia.

Cæterum quæ hic de excretionibus per nares, vel palatum, vel aures addit, erant annectenda his, quæ superius tradidit de excretionibus. Sed hæc sufficiant exempla ad docẽdam vim & naturam signorum, quæ à primo fonte scaturiunt.

Δήξεις δὲ γαστρὸς, ἢ κατὰ στόμαχον ἢ κατά τι τῶν ἐντέρων, ἢ ἐπὶ τοῖς διαχωρουμένοις, ἢ ἐμουμένοις, ἢ οὐρουμένοις, ἢ τις ἕτερος μέτριος πόνος, ἐκ τοῦ γένους μέν ἐστι τῶν παρὰ φύσιν, οὔπω δὲ νοσεῖν οἱ οὕτως ἔχοντες λέγονται καθάπερ οὐδ᾽ οἱ βαρυνόμενοι τὴν κεφαλὴν, ἢ ἀλγοῦντες, ὅταν γε μηδέπω διὰ ταῦτα, πρὸς τὰ συνήθη τῶν ἔργων ἐμποδίζωνται. καί τοι γε τοῦ νοσεῖν ὅρος οὗτός ἐστιν ἐπὶ ταῖς τοιαύταις διαθέσεσι, καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐν τῷ πρός τι τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἤδη τι νοσώδη καὶ οὐδετέραν ἐροῦμεν ἐπι. πρὸς γὰρ τὴν ῥώμην τῆς φερούσης ῥᾳδίως, ἢ νικωμένης ἤδη δυνάμεως, ἤτοι νόσος ἐστὶν, ἢ οὐδετέρα διάθεσις ἑκάστη τῶν εἰρημένων. οὕτω δὲ καὶ ὅσα κατὰ τὰς αἰσθήσεις, οὐκ ἐν τῷ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἀλλήλων διενηνόχασιν, ἀλλ᾽ ὅσα τῷ γένει παρὰ φύσιν εἰσὶ, καὶ ταῦτ᾽ ἐστὶ νοσώδη σημεῖα, μέχρι περ ἂν ᾖ σμικρὰ, καὶ μηδέπω τῶν εἰθισμένων πράξεων ἀπάγειν ἱκανά. τοιαῦτα δ᾽ ἐστὶ κατὰ μὲν τὴν γεῦσιν, ὅταν ἁλμυρᾶς, ἢ πικρᾶς, ἤ τινος ἑτέρας ποιότητος ἔμφασις ᾖ τοῖς ἐσθιομένοις τε καὶ πινομένοις ἅπασιν, ἢ καὶ χωρὶς τοῦ προσφέρεσθαί τι τὸ σίαλον αὐτὸ φαίνηται τοιοῦτον. κατὰ δὲ τὴν ὄσφρησιν, ὅταν ἤτοι τινὸς αἰσθανώμεθα μοχθηρᾶς ποιότητος, οὐδενὸς ὀσφρητοῦ παρόντος, ἢ καὶ προσφέροντός πλείω τε καὶ διαφέροντα, πάντων αὐτῶν, ὡς ἐμείων αἰσθανόμεθα. πολλάκις δ᾽ οὐδ᾽ ὅλως αἴσθησις ἡμῖν οὐδεὶς, εὐώδους τινὸς γίνεται, μηδενὸς παρόντος δυσώδους. κατὰ δὲ τὴν ἀκοὴν, ἦχοι καὶ ψόφοι τῶν παρὰ φύσιν εἰσίν· ὥσπερ γε καὶ κατὰ τὴν ὄψιν ὅσα προφαίνεσθαι δοκεῖ, μέλανά τε καὶ ὀρφνώδη, καὶ κυανᾶ, καὶ πυῤῥὰ, καὶ ξανθὰ· τὰ μὲν στρογγύλα, τὰ δὲ προμήκη, καὶ τὰ μὲν ἰσχνὰ, τὰ δὲ παχέα, παραπτῆσθαι πάντα δοκοῦντα. κατὰ δὲ τὴν ἁπτικὴν αἴσθησιν, ὅταν ἀνωμαλία τις, ἢ πύκνωσις, ἢ βάρος, ἢ τάσις, ἢ ναρκώδης, ἢ ἑλκώδης, διάθεσις ἐμφαίνηται καθ᾽ ὅλην τὴν ἕξιν. οὕτως δὲ καὶ καθ᾽ ἕκαστον μέρος, ἢ τάσις, ἢ θλίψις, ἢ δῆξις, ἢ βαρύτης, ὅταν σμικραί τινες ὦσι, καὶ μὴ μόνιμοι, τὴν μὲν διάθεσιν οὐδετέραν εἶναι δηλοῦσι, προαγγέλλουσι δὲ νόσον.

Morsus autem ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorum, aut cum aluus subducitur, aut cum vomitus excitatur, aut cum mingitur, siue aliquis dolor mediocris ex genere quidem existit eorum, quæ præter naturam sunt, nõ tamen qui ita se habent, ægrotare dicuntur, sicuti neque qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant, cum nondum in consuetis impediuntur operationibus. Hic enim in huiusmodi dispositionibus terminus morbi est. Atque idcirco in eo, quod ad aliquid, eandem dispositionẽ ægram atq. neutram appellabimus. Nam pro vigore potentiæ, quæ vel facile sustinet, vel vincitur, vnaquæq. ex his quas antea diximus, vel morbus est, vel neutra dispositio, sic & quæcunque in sensibus, non in eo quod magis, aut minus inuicem differunt, sed toto genere sunt præter naturam. Et hæc sunt signa morborum, donec modica fuerint, & nondũ hominem à consuetis operib. sufficiunt amouere. Talia vero sunt in gustu quidẽ, cũ vel salsa, vel amara, vel alicuius alterius qualitatis sapor nobis indicatur,

A *tior sine in omnibus, quæ bibũtur aut mãducãtur, aut præter quod aliquid assumatur, saliua ipsa talis sentiatur. In odoratu autem, quando alicuius vnius qualitatis sensum habemus, nullo odore præsente, aut cum plura differentia naribus admouemus, omnia velut similia sentimus. Sæpius vero nihil sentimus, aut aliquid fœtens, etiam si nihil adsit quod fœteat. Quantum vero ad auditum, soni & strepitus ad id, quod præter naturam est pertinent. Quẽadmodũ in visu, quæcũque ante oculos apparere creduntur nigra, & atra, & cærulea, & rufa, & flaua, & nonnulla rotunda, nonnulla autem oblonga,* B *quædam gracilia, quædam crassa oculis prætendi videtur. In sensu autem tactus, cum inæqualitas aliqua, vel spissitudo, vel grauitas, vel tensio, vel torpida, vel vlcerosa dispositio in toto corporis habitu sentitur, sic & in singulis partibus, vel tensi vel compreßio, vel morsus, vel grauitas quando modica fuerint, ac minime firmæ, neutram quidem dispositionẽ adesse demonstrant, futuram vero ægritudinem prænunciant.*

C Ex duobus generibus signorum propositis ad futuros morbos prædicendos, absoluit primum, quod continet signa, quæ sumuntur ab his, quæ sunt secundum naturam: sed à naturali statu euariant per qualitatẽs, vel quantitatem, vel tempus, aut alium modum: Nunc vero aliud genus aggreditur, in quo posita sunt illa, quæ sunt præter naturam, illa intelligens talia esse, quæ sunt apta solum fieri à causis reuera morbosis, & in corporibus ægrotantibus, ita, vt natura illorum, genere præter naturam nobis fit, eo quod in nobis secundum naturam, idest, moderate habentibus, nihil illorum fieri debeat. Nam dolor nullus, vel etiam D minimus fit in corporibus sanis. Igitur in hoc genere signorum primo refert *morsionem, vel dolorem stomachi, vel intestinorum, vel alterius partis.* Hæc enim, cum ad huc leuiora sunt, minantur quidem morbos, sed nondum præsentes ostendunt. Cum vero iam maiora sunt, signa fiunt ægrotantium corporum. Sed cum leuis & maior dolor dicantur esse genere præter naturam, cur est, quod omnis dolor non est indicium corporũm ægrotantium? respondet Gal. morbum defi- E niri non ex qualicunque vitio, sed ex eo solum, quod actiones solitas euidenter impedire potest. Huiusmodi vero impedimentum variari, tum ob agentium causarum vim, tum etiam ob corporum, quæ patiuntur, differentiam. Vehementes enim causæ, suapte natura aptæ sunt interturbare hominum officia. Qui vero molles sunt & sensu exquisitiore præditi, minimis causis molestantib. cedunt, alii vero non nisi à maioribus vincuntur. Merito igitur exactionum sensibili noxa, ægrotantia corpora, ab his, qui sentiunt eosdem dolores, sed tamen non coguntur ob illos intermittere solita vitæ officia, distinguimus. Verum

A quod de solitis operationibus & officiis dicitur, *sane* intelligendum est: non enim quod ad vnam partem spectat, ad totũ corpus referendũ est; vbi enim forte digitus dolet & ob dolorẽ nequit apprehendere manus & sua officia exercere, negare non debemus digitum ipsum & manum ægrotare, etsi interim homo animi studia, & aliarum partium officia recte exercet. Consuetas ergo operationes intermissas intelligere oportet, partis, quæ ægrotat, vel totius. Verum totũ cogitur cessare à suis officiis, *vel ob totius morbum, vt in febre accidit, vel ob morbum leuiorem partis alicuius principis, vel grauiorem alterius partis.* Qui vero in his sunt leues morbi, partis solum sunt affectus, & nõ totius possunt operationes lædere. Itaque patet quonam modo dolor nunc ęgram, nunc neutram B dispositionem præsentẽ ostendat, nunc vero futurum præsagiat morbum. Sumit vero postea signa ab his, quæ fiunt *in sensibus præter naturam.* Fiunt enim in sensibus quædam imbecillitates, aut incrementa actionum, quæ morbos præsagiunt, sed illæ comprehensæ sunt in priore genere signorum. Fiunt vero etiam corruptiones, & deprauationes quædam, quæ genere sunt præter naturam non minus, quam dolor, & de illis nunc agit, docetque inductione facta per singulos sensus, quomodo morbũ præsagiant: Ac in sensu gustus sunt qualitates salsæ, amarę, acidę, dulces, quę sentiuntur quidem. cum tamen tales non sint in re ipsa, quæ assumũtur, *vt cum saliua,* inquit, *huiusmodi sa-* C *poribus prædita apparet.* Hæc enim ostendunt intus subesse causas morbosas: nempe malos humores, qui linguam inficiunt, & saporem in ea repræsentant, qualis est humor, qui afficit. Idem postea docet in odoratu, in auditu, visu, & sensu tactus, & clara sunt in omnib. exempla. Causas vero istorum non est præsentis negotii enarrare: nam hæc tractatio pertinet ad libros de signis symptomatũ, qua propter illorum studium probare nõ possum, qui non intelligunt, quæ sint supponenda, quæ vero probanda autorum explanatione. Quare ad ea, quæ sequuntur, accedamus.

Quando ... operationes suas cogatur intermittere.

D *Ὅσα δὲ ἐν τοῖς ἤδη νοσοῦσι γίνεται σημεῖα, τὰ μὲν ὑγείαν δηλοῦται, τὰ δὲ θάνατον. ὑγιεινὰ μὲν τὰ πρότερα, τὰ δὲ ἕτερα τῷ γένει μὲν νοσερά, κατ' εἶδος δὲ ὀλέθρια λέγεται. λαμβάνεται δὲ καθόλου μὲν εἰπεῖν, ἔκ τε τῶν ἐνεργειῶν ἀρετῆς τε καὶ κακίας· κατὰ μέρος δὲ ἐκ τῆς τῶν κατὰ μέρος ἐνεργειῶν, ὧν τὰ μὲν γένη πρόσθεν εἴρηται. πρῶτον μὲν τὸ τῶν ἀρχῶν, δεύτερον δὲ τὸ τῶν ἀπ' ἐκείνων πεφυκότων, καὶ τρίτον, τῶν ἰδίαν μὲν ἐχόντων διοίκησιν ἀπὸ δὲ τῶν ἀρχῶν ἀπορρύσεις τινὰς δεχομένων, τὸ γὰρ δὴ τέταρτον γένος τῶν τότε ῥηθέντων, ἐξ ἑαυτοῦ μὲν ἄχρηστον εἰς τὰς προγνώσεις, κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ τούτων ἐστὶ πρόγνωσις, ὥσπερ γε καὶ τῶν περιττωμάτων διὰ παντός. ἐκ τούτων μὲν λόγῳ συμπαθείας· ἐκ δὲ τῶν περιττωμάτων, ὅτι πέψεως καὶ ἀπεψίας ἐν αὐτοῖς ἐστι σημεῖα, ὥστε οὐκ ἐνδέχεται μὴ δηλοῦν αὐτὰ διὰ παντός, ἤτοι τὴν φύσιν ἐπικρατεῖν τῆς ὕλης, ἢ τὴν ὕλην τῆς φύσεως, ἢ οὐδέτερον οὐδετέρου. ὑγιεινὰ*

CAP. LXXXIII. DE SIGNIS CORPORUM AEGROTANTIUM.

μὲν σημεῖα λεχθήσεται, κρατούσης τῆς φύσεως, νοσώδη δὲ κρατουμένης, οὐδέτερα δὲ ταῖς ἐν ταῖς ἰσοσθενέσι μάχαις. τὰ μὲν δὴ τῆς ἐναργοῦς πέψεως σημεῖα, τῶν ὑγιεινῶν ἐστι, καθάπερ καὶ τὰ τῆς ἀπεψίας νοσερά· τὰ δὲ οὔτε πέψιν, οὔτε ἀπεψίαν ἐναργῶς ἐνδεικνύμενα, τῆς τῶν οὐδετέρων ἐστὶ φύσεως. οὐδέτερα δὲ καὶ ὅσα νῦν μὲν τοῦτο, νῦν δὲ τοὐναντίον δηλοῖ, καθάπερ οἱ μελαινόμενοι δάκτυλοι. τοιαῦτα δ' ἐστὶ καὶ τὰ κριτικὰ συμπτώματα. λέλεκται δὲ ὑπὲρ ἁπάντων αὐτῶν ἐν τοῖς περὶ κρίσεως, ὥσπερ καὶ περὶ τῶν καθ' ἑκάστην ἐνέργειαν ἐν τοῖς περὶ συμπτωμάτων αἰτίοις. ἐκ τούτων οὖν χρὴ τὴν κατὰ μέρος ἁπάντων αὐτῶν ὕλην ἀναλέγεσθαι.

At quæ iã in ægrotantibus signa videntur, ex quibus nonnulla salutem, nonnulla mortem portendunt. Prima quidem salubria, altera vero genere quidem ægra, secundum speciem autem perniciosa dicuntur. Sumuntur autem, vt vniuersaliter dicamus, ex operationum virtute ac vitiis: secundum partem vero, ex particularium operationibus, quarum genera antea diximus: Primum quidem eorum, quæ principia existunt. Secundum vero eorum, quæ à principiis ortũ habent. Et tertium eorum, quæ ex ipsis gubernantur, à principiis autem quasdã deriuationes habet. Quartum siquidem genus eorum, quæ tunc diximus, ex se quidem ad aliquid prænoscendum inutile est, secundum accidens autem & ex his aliquando præcognitiones erunt, quemadmodum & ex excrementis, ex his quidem compatiendi ratione, ex excrementis autem semper, quoniam coctionis & incoctionis signa continent. Quare fieri non potest, quin omnino significent aut naturam materiei, aut materiam naturæ, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem signa dicentur natura superante; insalubria vero superata: neutra autem, quæ pugnas habent æquales. Sed quæ quidem manifestam indicant coctionem, ex salubribus sunt, sicuti, quæ cruditatem, ægra. Quæ vero neque coctionem, neque cruditatem ostendunt, ex neutrorum sunt natura: sunt vero & neutra, quæcunque nunc quidem hoc, nunc vero contrarium significant, veluti digiti denigrati. Talia sunt etiam critica, idest, decretoria accidentia, de quibus omnibus in libris de crisi dictum est. Sicuti etiam de his, quæ ad vnamquamque attinent operationem, in his libris, in quibus de causis accidentium agitur. Quare omnium horum singulorum materiam ex eisdẽ libris colligere oportet.

Absoluta tractatione de signis prognosticis, quæ præsagiunt morbos futuros, aggreditur signa, ex quibus prædicimus, quæ futura sunt in ægrotantibus. Sed cum multa contingant in illis, quæ Medicum præscire necesse est, solum docet artem prædicendi salutem aut mortem, vt antea quoque notauimus. Sed ante quam fontes aperiat, ex quibus signa illa scaturiunt, prius signa, quæ apparent in ægrotis, distinguit, & singulis propriam tribuit appellationem. Ait igitur inter signa, quædam salutem, alia mortem portendere, & prima vocari salubria, altera vero ægra, secundum genus perniciosa vero siue lethalia secundum speciem nuncupari: in quo mihi non placet, nam ægra reuera sunt, *quæ morbum ostendunt præsentem, vel præteritum aut futurum*, ita vt relationem solum habeant ad morbum. Quæ vero malum ostendunt futurum, & in genere malorum, mortem, generatim mala, speciatim vero lethalia vocari debent: quam loquendi rationem studiosissime obseruat Hippo. *in Prædictionibus*, cum ex signis colligit malum, & ex aliis mortem, & eam quidem vel longius distare, vel appropinquare, aut iam instare. Præterea, quod scribit, *signa quæ salutem ostendunt solum vocari salubria*, recte dictum est: sed cum illa duplicem habeant relationem, quatenus scilicet ostendunt corpus ægrotare, & venturam salutem, rectius dixisset, illa vocari primum ægra, deinde salubria. Nullum enim signum est in ægrotantibus, quod non ostendat morbum præsentem. Iam vero, quod dicit, *signa omnia, quæ præsagiunt salutem, aut mortem, solum sumi ex virtute, aut vitiis operationum*, non recte scriptum est, nam ab essentia ipsorum morborum, & à causis, quæ illos excitarunt, & ab illis, quæ illos fouent, vel iuuant, aut lædunt, & à corporis patientis conditione, necnon ex similitudine præstantissima sumuntur indicia, vt nos *in 4. libro de signis* abunde ostendimus. Nam si prædicendi ratio (vt ipse *in hoc loco* scribit) in hoc est posita, vt cognoscamus, an natura & ars vim habeant vincendi morbos & eorum causas, aut illa naturæ omnes conatus, & omnia nostra auxilia superabit, profecto non solum ab actionibus huius pugnæ & victoriæ indicia sumemus, sed etiam ab omnibus prædictis. Recte vero illud ab eo *hoc loco* scribitur, *non parem esse vim omnium actionum in prædicenda salute aut morte*, sed primam vim habere actiones principiorum, secundam actiones earum partiũ quæ à principiis ortũ habẽt, deinceps sequi actiones partium, quæ insitas, & simul aliunde emanantes habent facultates. Per se vero inutiles esse actiones partium, quæ insitas solum habent à natura potentias, à quibus reguntur. Quod genus partiũ in tertio mẽbro diuisionis superius, vt hic inquit, posuit. Verũ cum quatuor illic posuerit principia, cerebrũ, cor, hepar, & testes, ex actionib. testiũ nihil sumere possumus, quod plurimũ conferat ad prædicẽdã saluté vel morté; quoniã hoc principium non est ad vitam necessarium, sed solum ad *bene* viuendum, & ad generationem. Aliorum principiorum actiones an parem habeant vim, non satis constat: nam sunt, qui concoctionibus primas partes tribuunt; alii pulsibus primam facultatem

Signa ægra quæ.

Expenditur quorum principiorum actiones maioris sint virtutis ad prædicendum.

A cultatem cócedunt: Alii vero cerebri operationibus, atq; in eo quoque dubius videtur esse Galen. *in libris Methodi medendi.* Nam *in 9. libro* pulsibus & vitali facultati pręcipuam vim cócedit, eo quod continuus sit ad vitam necessarius illius vsus: In secundo loco ponit hepar, & naturales facultates, vltimum locum dat cerebro, quia in tollendis morbis illius facultatis tantum requiritur solum, quantum ad respirationem est necessarium. At *in 11. Meth.* vbi de curatione febrium putridarum agit, iubet maxime prospiciendum esse concoctioni, & aliis naturalibus facultatibus, propterea quod vitium consistit ex putredine humorum, quod tolli non potest, nisi præcedat concoctio.

B Ex quibus quidem colligo, præcipui momenti eas esse actiones, quæ vel primo principium suum affectum ostendunt, aut maxime requiruntur ad morbosas dispositiones vincendas. Atque illo quidem modo aboliti sensus, & motus in apoplexia, mortem portendunt, quia cerebrum illarum functionum fontem, primo & maxime læsum significant: qualicunque autem principio maxime læso, mors necessario sequitur. Porro vt sensus & motus, & principes actiones prostratæ, futuræ mortis sunt præsagia, sic pulsus, & concoctiones nullam, vel minimam ad prædicendum in eo casu

C facultatem obtinent: nimirum, quod cor & hepar non nisi per consensum tandem afficiantur: ideo apoplectici constantibus adhuc pulsibus suffocantur, & pereunt ob respirationis defectum. Alio vero modo concoctiones maioris sunt momenti, quam pulsus, vt diximus, vbi absque concoctione salus sequi non potest: quo fit, vt in febribus putridis, vrinæ certiora præbeant indicia salutis aut mortis, quam ipsi pulsus. Eiusdem cum vrinis dignitatis sunt & virtutis excrementa alui, in lienteria & aliis affectibus ventriculi, in quibus concoctio illius necessaria est. Vbi vero febres sunt malignę, aut per animi deliquia, vel alio modo cor

D primo afficitur, aut per motũ pulsus aut per motũ arteriarũ affectus mitigari, tolliq; debent, certiora nulla habemus indicia, quã ex pulsib. At si quis dicat, cõcoctiones fieri nõ posse, nisi vigeat calor influens à corde, nec sensum, aut motũ, aut alias animales facultas exerceri posse, nisi constante eodem calore; non propterea sequitur ex cordis vsu & actionibus in omni morbo prædictiones sumendas esse; nam quod præcipuum est in omni actione, *facultati animæ* tribuendum est; calori vero tanquam instrumento secundo loco dignitas conceditur. Patet igitur, quod scribit, *ad prædicendum primas partes habere actiones principiorum.* Quæ vero à principiis ortum habent, merito secundum locum sibi vendicant: nam facile

E trahunt in eandem passionem ipsa principia, præsertim nerui, vt ostendunt illorum puncturæ, quæ solæ mortem inferunt, & prænunciant. Occultiora sunt mala, quæ proueniunt ex læsione arteriarum. Nullius autem vero momenti sunt venarum affectiones. Non enim si vena, aut arteria inflammata est, aut etiam vulnerata, cor & hepar simul affici necesse est: Etsi alia ratione, ob partium scilicet quarundam conditionem, morbi harum partium maximi sunt momenti ad prædicendum salutem aut mortem: quod maxime in pulmonis venis, & arteriis erosis apparet. Præsagimus enim ex vnica sanguinis exspuitione facta ob erosionẽ alicuius vasis pulmonis, etiam post longum tempus futuram mortem, nullo adhuc alio malo apparente in corpore. Vltimum vero locum merito tribuit actionibus partium, quæ à seipsis gubernantur & simul à principiis deriuationes quasdam capiunt, cuius generis est caro, ventriculus, intestina, renes, vesica: tametsi rectius forte partes, quæ publicum munus exercent, reponerentur inter principia, Nam vlcus renum, vel intestinorum, & multo magis affectus ventriculi, & pulmonis, sæpe maiorem vim habent ad mortem præsagiendam, quam affectus partium, quæ à principiis nascuntur. Sed hęc, quę in singulis fere euariant difficile in vna generali tractatione comprehendi possunt. Alia præterea sunt propinquæ, alia instantis mortis, aut salutis indicia, quæ ex his, quæ in facie apparent, in morbis acutis certius, quam ex aliis signis sumuntur, vt Hippoc. *in suis prædictionibus* docet. Quod vero scribit *ex coctionis indiciis semper sumi signa certa ad salutem aut mortem prædicendam, in libro de crisibus & alibi* diligentius explicat, cum ait, *neminem mori posse cum signis concoctionis.* Verum si obscura, vel manifesta etiam intelligat huiusmodi signa, experientia sæpe hãc opinionẽ refellit. Et quod creditu difficilius est, *sæpe cũ perfectis cõcoctionis indiciis homines vidi ex febrib. periisse, qui enim malignis febribus laborant, ita mori solent: nam exigua in illis excitatur putredo, & propterea exiguus calor in illis accenditur, qui concoctionem turbare non potest*: itaque illi pereunt, non ob febris vehementiam, sed ob malignitatem, quæ pulsus appetentiamque primum perdit, & paulatim alias actiones inuadit. Cæterum quod scribit, *salubria signa dici, quæ significant naturam superare, insalubria vero, quæ ipsam superatam ostendunt*, rectius forte dictum esset, si pro *salubribus, salutaria*, & pro *insalubribus, lethalia* dixisset. Nam insalubria ad mortem nullam habent relationem, sed solum ad morbum. Signa vero decretoria in certis temporibus morbi, salutem: in aliis vero mortem pręsagiunt, vt ipse *in lib. de diebus decr. & crisib.* ostendit. Reliqua patent.

An mori possit aliquis cum signis concoctionis.

Cur maligni febribus laborantes pereant etiã cum perfectis concoctionis signis.

Principal. in omni actione ... facultati animæ ... [illegible]

IOANNIS ARGENTERII IN CLAVDII GALENI PERGAMENI,

Artem Medicinalem Commentarius Tertius.

CAP. LXXXIV. DE CAVSIS SALVBRIBVS, IN SALVBRES ET NEVTRAS.

ΕΓΩ' δὲ μῆκος φειδόμενος, ἐνταυθοῖ μὲν ἤδη καταπαύσω τὸν περὶ τῶν σημείων λόγον, μεταβήσομαι δὲ ἐπὶ τὸν τῶν αἰτίων. ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων ἐστὶ τὰ μὲν ὑγιεινά, τὰ δὲ νοσερά, τὰ δὲ οὐδέτερα, πρῶτον περὶ τῶν ὑγιεινῶν ὁ λόγος ἔσται.

Ego vero prolixitati parcens, hic sermoni de signis finem faciam: transgrediar autem ad illum, qui est de causis. Quoniam vero & harum, hæ quidem salubres, hæ autem insalubres hæ vero neutra. Primum de causis salubribus erit sermo.

Manardum & Iulianum Delphinum aliosque notat.

VNiuersa Galeni in hoc opere tractatio tria capita solum comprehendit, nempe corporum, signorum, & causarum salubrium, insalubrium, & neutrorum explicationem. Antea egit de his corporibus & signis: nūc ipsarum causarum explicationem aggreditur. Ac prius quidem de corporibus & signis egit, vltimo vero loco de causis: non ea quidem ratione, vt nonnulli tradiderunt, quod signa nos perducant ad causarum morbi inquisitionem, vt statim patebit. Diuidunt rursus iidem autores causam, in antecedentem, primitiuam, & coniunctam, & omnia genera causarum enumerant, dicuntq́; autorem merito prætermisisse finalem causam, quoniam morbi præter naturam sunt, quæ nullum finem habere possunt. In quibus rebus pueriles errores committunt. Nam causæ, de quibus agimus, (vt postea Galen. aperte docet) sunt *remedia, quæ adhibemus corporibus ad sanitatem conseruādam præsentem, vel amissam recuperandam*, & hæc remedia nihil aliud sunt, quam materia medica, & propterea instrumenta artis nostrę, in quorū cognitionē per experientiam, & rationē peruenimus, non per signa salubria, insalubria & neutra, quorū vsus est ad dispositiones corporis sanas, ęgras, & neutras dignoscendas. Quare non illa ratione vltimo loco tractat de his causis, sed quoniam non intentionis, sed operis ordinem sequitur auctor. Certum enim est Medicum in intentione & animo sibi primum proponere medendi rationem, idest, rectum vsum earum, rerum, quæ corpus nostrum sanum tueri, & à morbis vindicare possunt, sed quoniam hæc adhibentur nostris corporibus: & ea quidem diuersa, pro diuersitate affectionum, quibus illa subiiciuntur, ideo corporum & ipsarum affectionum cognitio præcedit. Et corporis

Causæ de quibus Gal. hic agit, quales sint.

A quidem ipsius structuram, ratione, considerando ipsius principia, & sensu in dissectionibus, quod intus latet, contemplando, assequimur: Affectionum vero naturam & diuersitatem per signa inuestigamus. Itaque cum hic non agamus de causis morborum, sed de remediis aptis ad morbos propulsandos: quorsum, quæso, illi disputant de finali causa morborum? & causas diuidunt hic in antecedentes, primitiuas, & coniunctas, quæ quidem in generatione morborum, non autem in ablatione, & in remediis ipsis ab autoribus nostris considerantur? At nec illud intelligunt, quod dicunt, morbos ideo non habere finalem causam, quoniam præter naturæ intentum in nobis fiunt, & res præternaturales sunt. Nam morbi non ea ratione dicuntur esse præter naturam, vt monstra, B quæ agentia naturalia non sibi proponunt, tanquam finem sui operis, sed ex errore aliquo contingunt: verum à medicis dicuntur præter naturam, vt antea docuimus, *quia naturam nostram corrumpant*. Nam eadem causa sanitatis, & morbi est autor. Nec ea causa, quæ format nostra corpora, sibi proponit aut sanitatem & morbum: Sed pro materiæ, quæ formatur, patiturque, & agentis robore, & imbecillitate, fit corpus bene, vel male sanum: & causæ aliæ, quæ mutant nostrum corpus, vt aer, cibus, potus, & reliqua eiusmodi naturalia agentia, non sibi proponunt potius sanitatem efficiendam, quam morbum. Essent enim C hoc modo ratione & consilio prædita, quorum adminiculo nos adiuti eligimus, quæ prosunt, & fugimus, quæ obsunt. Morbi igitur finem aliquem assequuntur, *salutem inquam, aut mortem*: sed nec ipsi, nec ea, quæ afficiunt nostra corpora, ob finem eum agunt: Sed nos naturali potentia, vel arte quibus eligimus, quæ morbum sanitatē, salutē & mortē pariunt, fines eos assequimur. Sed his prætermissis ad Galenum redeamus, qui in hac tractatione primum reperit causarum diuisionē, quod scilicet quædam sint salubres, aliæ vero insalubres: deinde ordinem constituit, nempe quod D prius de causis salubribus tractandum sit: cuius ordinis hæc est ratio, quoniam salubres causæ referuntur ad sanitatem. Ita enim dicuntur, quod sanitatem vel præsentem conseruare, vel amissam recuperare sint aptæ: Insalubres vero morbum respiciunt: neutræ vero, neutrum statum inter sanū & ægrum. At sanitas dignitate & tempore præcedit morbum, & rationem habitus habet, sine quo, quæ versantur circa priuationē intelligi nequeunt. Neuter vero status, cum medius sit inter sanum & ægrum, non potest intelligi, nisi prius intellectis extremis: quare de neutris causis etiam post insalubres tractat Gal. & si perfectione & dignitate neuter status precedit: tempore vero nunc

An morbi habeant finalem causam.

Morbi cur dicantur, præter naturam.

Finis morborum quis.

Ordinis qui obseruandus ab autore in hac commentatione ratio.

nunc sequitur morbosum: nam neuter status decidentiæ præcedit morbum, neuter vero conualescentiæ sequitur: neuter vero status, in quo senes ponuntur, nullam habet prioris aut posterioris relationem ad sanitatem & morbum At nec illud prætereundum est, Galenum in hoc opere ex præcipuo instituto non docere causas insalubres: ita enim morborum generationem & conseruationem sibi proponeret, tanquam finem. Sed cum enarrat salubres causas, docetque quomodo tales fiant, eodem negotio intelligimus fugiendas esse insalubres causas, tanquam oppositas. Nam sanitatem tanquam proprium finem, sibi proponit Medicus.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων αὐτῶν, τὰ μὲν ἦν φυλακτικὰ, τὰ δὲ ποιητικὰ τῆς ὑγιείας, ἐστὶ δὲ καὶ χρόνῳ καὶ ἀξιώματι πρότερα τὰ φυλακτικὰ τῶν ποιητικῶν, ἀπὸ τῶν φυλακτικῶν ἀρκτέον.

Quia vero & harum nonnullæ quidem conseruatrices, nonnullæ vero effectrices sanitatis; sunt autem & tempore, & dignitate priores conseruatrices, incipiendum est à conseruatricibus.

Ex diuisione earum in salubres, insalubres, & neutras, ordinem constituit in sua tractatione: & primum de causis salubribus agendum esse docuit: sed quoniam salubres hæ causæ non sunt eiusdem naturæ, ideo rursus eas diuidit in conseruatrices & effectrices sanitatis, & rationem subdit, qua docet, prius tractandum esse de causis conseruatricibus. Porro definiuit *in 1. lib. salubres* causas conseruatrices, quæ sanitatem præsentem conseruãt, effectrices vero, quæ eandem amissam restituunt, & efficiunt: quod quidem ita intelligendum est, vt *in 1. comment.* docuimus, nõ quod primo & per se Medicina efficiat sanitatem, quippe cum *nullus artifex finem suæ facultatis faciat*: sed quod finis sponte sequatur ea, quæ fiunt: Nam Medicus qualitates excedentes, & morbum facientes retundit, ac mitigat, ex qua mediocris sequitur temperies, & ad hanc sanitas. Eodem modo sanitatem conseruat Medicus: nam paruos defectus, excessus naturæ emendat, ad quod sequitur sanitatis conseruatio. Quomodo vero differant conseruantes causæ ab efficientib. sanitatẽ, hic non docet Gal. sed *paulo post*, & *in Thrasybulo*, vbi ostendit totam Medicinam corrigere, & illius partes solum differre *per magis*, & *minus*. Maiorem correctionem postulant ægrotantia corpora, quoniam maiores habent excessus: minorem vero, quæ sunt sana, & propterea partem conseruatricem, & curatricem semper corrigere, & propterea mutare statum nostri corporis. Verum quia correctiones, & mutationes, quæ fiunt in corporibus sanis, sunt paruæ & propemodum insensibiles (quam enim, quæso mutationẽ sentimus, cum vigilamus, vel dormimus, vel enim, aut bibimus, vel excrementa ex nutritione derelicta per sanitatem emittimus?) ideo conseruationes vocantur, si cum aliis comparentur. Verum etsi hæc recte dicuntur, tamen in quibusdam corporibus alterationes, quæ fiunt in conseruatione sanitatis, specie differunt ab alterationibus, quæ

Causæ conseruatrices sanitatis ab efficientibus quomodo differant.

fiunt in ægrotantibus. Temperata enim corpora aere prorsus temperato & simili egent, qui nullã habet vim corrigendi, & mutandi corpus, sed solũ conseruandi in eo statu, in quo inuenit. De nutritione alia est ratio: Nam nutrimentum addit aliquid corpori, & quod erat consumptum, restituit, corrigit igitur, & mutat, si id, quod vacuatum erat, repleat: Quatenus vero nutrimentum, quod debetur corpori temperato, mediocrem obtinet temperiem, in hoc nullam correctionem, & mutationem facit. Reliqua vero corpora, quæ temperata non sunt, si quidem illa in eodem statu cõseruare velimus, nullam mutationem patiuntur ab alterantibus, præsertim ab iis, quæ actu sunt similia. At si consilium est, velle illa ad mediocrem temperiem redigere, mutatio in eo opere requiritur. *Ergo causæ conseruantes & efficientes differunt aliquando in quãto aliquando in quali.* Cæterum in diuisione hac salubriũ causarũ desiderantur causæ præseruatiuæ, & restauratiuæ, de quibus postea separatim aget, cum docebit modũ, quo possimus, præseruare, ne corpora, quæ iam recedunt à propria sanitate, nondum tamen ex morbo decumbunt, in morbos ruant, & qua ratione conualescentia à morbis corpora, ad pristinam sanitatem reduci poterunt: Nec Galenum excusat eorum ratio, qui dicunt præseruatiuas causas medio quodammodo se habere inter effectrices, & conseruatrices, & propterea illa media ex his extremis intelligi: sic enim in superiore diuisione causarũ neutras debebat subticere, vt quæ mediæ sint inter salubres, & insalubres: *& in Thrasybulo passimque alibi*, præseruatiuam, & restauratiuam medicinæ partem non debebat separatim ponere: Quod si alibi aliquando media omitti possunt, hic tamen hoc fieri non potest sine vitio: quippe cum tractatio sequens de præseruatiuis, & conseruatiuis causis, non possit constare, cum à nullis principiis ducatur. Non enim membra diuisionis illa agnoscuntur esse, quæ in diuisione ipsa non sunt posita. Iam vero illud explicandũ est, quod scribit, conseruatrices causas tempore, & dignitate priores esse efficientibus: nam etsi sanitas tempore, & dignitate præcedit morbum, tamen hoc nihil facere videtur ad remedia, & medicinæ partes, quæ conseruant, aut efficiunt sanitatem: neque enim illa inceperunt cum sanitate, sed cum ars accessit, quæ has partes constituit. Atqui antiquior, (vt Galenus *in Thrasyb.* scribit) est medicinæ pars, quæ morbis medetur, illa, quæ sanitatem conseruat. Nam à medendo medicina dicta est, & propterea ea pars, quæ sanitatem efficit, vniuersæ arti nostræ nomen dedit, & eam Medici primum excolere cœperunt, vt Galenus *in vltimo cap. in Thrasybulo* scribit: illius enim hæc sunt verba: *Cũ prima totius artis pars curatiua, quod & maxime vrgeret, constituta sit, deinde per multum otium conseruatiua salubrique vocata ei adiecta fuerit totam artem à precipua magis parte denominari contigit.* Ex quibus quidem verbis euertit, quod hoc loco scribit: Fatetur enim, & tempore & dignitate præstare curatricem partem conseruatrici: nam si primum constituta est curatoria pars, & post longũ tempus accessit conseruatrix: tempore vtique illa præcedit, quod & ratio etiam ipsa, & historiæ tradunt, quæ originem nostræ facultatis explicant. Non enim dubium est, quin homines medicinam primum quæsierint, vt vulneribus & morbis me-

Nutrimentum quomodo corrigat & mutet.

Causæ præseruatiuæ, & restauratiuæ hic temere prætermissæ.

Medicinæ partem antiquiorem esse curatiuam.

propriæ causæ conseruatrices. Id, quod probat ex relatione, quā habēt causæ ad suos effectus: Est enim causa alicuius effectus causa. Quare si effectus diuersi, & causæ. Igitur si corpora sana inter se differunt, oportet pariter illorum conseruatrices causas inter se discrepare. Colligit præterea Gal. incipiendum esse à causis conseruantibus optimā constitutionem: id quod non probat, quod crederet forte id omnib. esse notum, vt reuera est. Nam cum optime constituta corpora sint prosus salubria, perfectissimam vtique habent sanitatem: Quod autem perfectissimum est, in omni re aliorum est regula,

Cap. LXXXV. Quot modis corpus alteretur.

Τὴν δὲ εὕρεσιν αὐτῶν ἡ τοῦ πράγματος αὐτοῦ φύσις ὑπαγορεύει. εἰ μὲν γὰρ ἦν ἀπαθὲς καὶ ἀναλλοίωτον τὸ σῶμα, διὰ παντὸς ἂν ἔμενεν ἡ ἀρίστη κατασκευή, καὶ οὐδὲν ἂν ἐδεῖτό τινος τέχνης ἐπιστατούσης αὐτῷ· ἐπειδὴ δὲ ἀλλοιοῦται, καὶ διαφθείρεται, καὶ τρέπεται, μὴ φυλάττον ἣν εἶχεν ἐξ ἀρχῆς, κατάστασιν, ἐπικουρίας ἐν τούτῳ δεῖται.

Καθ' ὅσους οὖν τρόπους ἀλλοιοῦται, τοσαῦτα γένη καὶ τῶν ἐπικουριῶν ἕξει. τουτέστι τῶν φυλακτικῶν αἰτιῶν.

B

Eorum autem inuētionem ipsius rei natura insinuat. Si enim impatibile, atque inalterabile esset corpus, semper optima cōstitutio perduraret: neque artis præsidio indigeret. Quoniā vero alteratur, mutatur, & corrumpitur, neque eundem seruat prioris status, tenorem, ea ratione auxilium desiderat.

Secundum quot igitur alteratur modos, tot auxiliorū, hoc est causarum conseruatricum genera habebit.

C

Docuit quidem Gale. in superiore oratione, causas conseruantes sanitatem plures esse, quoniā sanitas ipsa non eadem est in omnibus: verum non docuit, quot sint genera earum causarum, siue auxiliorum, quibus vtendem est in conseruatione sanitatis: id quod nunc facere instituit, & argumentum sumit ex conditione nostri corporis, & est illius ratio fere huiusmodi: *Tot debent esse genera causarum conseruantium sana corpora: quot sunt genera earum rerum, quæ illa corrumpunt, at certo numero comprehenduntur, quæ corrumpunt. certus ergo erit numerus conseruantium causarum.*

D

Numerus causarum conser[uantium] ...

Quod vero ex corruptione nostri corporis & iis, quæ corrumpunt, sumantur genera causarum cōseruantium, probat ex eo, quod arte nostra & auxilio non esset opus, si corpus nostrum non esset alterabile, & corruptibile: quod quidem non probat, quia hoc omnibus est notum. Per prioris status tenorem intelligit primam nostri corporis conformationem, nam si posteaquam editum est corpus, conditionem non mutaret, eam profecto seruaret naturam, quam ex parentibus accepit: sed illud videmus augeri, nutriri, & in dies magis exsiccari, aliisque multis modis mutari, & corrumpi:

E

A

Quare arte & auxilio est opus, quę corruptionem fieri prohibeat, quantum fragilis natura nostra patitur.

Ἀπρόδηλον ἤδη καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν εἰρημένων, ἐπανορθωτικὰ τῷ γένει τετυχηκέναι ὄντα. τῷ δὲ βραχὺ ποιεῖσθαι τὰς ἐπανορθώσεις, πρὶν ἀθρόον ἀπαντῆσαι τὸ κλάβος, οὐ προφυλακτικὰ τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι κακοῦ πρὸς τῶν ἰατρῶν κέκληται. ἀλλὰ φυλακτικὰ τῆς παρούσης κατασκευῆς.

Quas ex iis, quæ dicta sunt, liquet esse ex correctiuarum genere; sed quia paulatim correctiones faciunt, antequam magna accidat noxa, non præseruantes à futuro malo, sed præsentis status conseruatrices Medici appellant.

Inuenit Galenus ex generibus rerum corrumpentium nostrum corpus, genera auxiliorum, quę impedire possint corruptionem, quantum natura nostra admittit. Vocauit autem ea auxilia causas conseruatrices, quod improprie dictum videtur esse: nam si auxilia illa nihil aliud præstant, quam emendare, & corrigere vitia, quæ fiunt ab illis causis corrumpentibus, & semper aliquid addunt, vel minuunt à corpore, atque ita prohibent ne corruptio protinus accidat ratio vtique postulare videtur, vt illa auxilia, & causæ potius dicantur corrigentes, & præseruantes, quā conseruātes, Huic obiectioni respondet Galenus & dicit, illa auxilia re vera corrigere, & mutare corpora, ac etiam eadem præseruare: sed quoniam ea mutatio, quæ ab illis fit, exigua est, ita vt sensum fere effugiat, an aliqua mutatio corporibus ab illis accidat, ideo illas causas à medicis conseruatrices, & non mutatrices & præseruatrices nuncupatas esse: Addo ego aliam rationem, quod hæc appellatio faciat ad distinguenda Medici officia. Nam alia sunt auxilia, quibus vtimur ad præseruanda corpora à vitiis, & corruptionibus, quæ contingunt sanis, & propterea oportuit præseruationis hæc genera, nominibus distinguere, ne confusio in explicatione artis contingeret. Quare merito auxilia quædam dixerunt esse mutantia, & curantia, quæ debentur ægrotis, alia præseruantia, quæ competunt iis, qui iam sentiunt imminentes morbos, alia conseruantia: quæ etsi mutant, & præseruant, tamen ab aliis modo, & tractatione differunt.

Ἀλλοιοῦται τοίνυν τὸ σῶμα, πρὸς μὲν τινῶν ἐξ ἀνάγκης, πρὸς δὲ τινῶν οὐκ ἐξ ἀνάγκης. λέγω δὲ ἐξ ἀνάγκης μὲν ὅσ οὐδὲ οἷόν τε αὐτῷ ἐστὶ μὴ πλησιάζειν· [οὐκ ἐξ ἀνάγκης δὲ τὰ λοιπά.]

Alteratur igitur corpus, à nonnullis quidē necessario, à quibusdam vero non necessario. Dico autem necessario, quia nulla est euitandi ratio. [non necessario autem reliqua.]

Digitized by Google

Proposuit Gale. se inuestigare velle causarum salubrium genera: & hactenus inuenit ea plura, quoniam plura sunt illa, quæ nostra corpora alterant: & corrumpunt. Nam ex relatione, quam habent causæ ad effectus, sequitur tot esse causarum genera, quot effectuum: nondum tamen constat, quot sint genera causarum salubrium, quoniam certus numerus corruptionis, & eorum, quæ corrumpunt, nondum est declaratus. Quærit igitur id, & duo primum inuenit genera rerum, quæ nostrum corpus corrumpunt. *Nam quædam* (inquit) *necessario id faciunt, alia vero non necessario.* Explicat autem, quid per *necessarium* intelligat, *quod nullo modo euitari potest: non necessarium vero, quod euitare possumus.*

Τὸ μὲν γὰρ τῷ περιέχοντι διὰ παντὸς ὁμιλεῖν, ἐσθίειν τε καὶ πίνειν, καὶ ἐγρηγορέναι καὶ ὑπνοῦν, ἀναγκαῖον αὐτῷ, ξίφεσι δὲ καὶ θηρίοις οὐκ ἀναγκαῖον.

Nam aerem nos ambientem semper attingere, comedereque, ac bibere, & vigilare & dormire, est necessarium, ensibus autem, & exitialibus feris obuiare non necessarium.

Exempla quædam hic proponit eorum, quæ necessario corpus nostrum corrumpunt. Ac inter illa, quæ necessario illud faciunt, primo enumerat aerem deinde cibum & potum, postea somnum & vigiliam. Verum non docet, quomodo hæc euitare non possimus quo minus nos afficiant: id, quod nos ita ostendimus. Aer quidem nos duplici ratione afficit, intus & foris.

Aer quibus modis nos afficiat.

Nam cum oporteat in corpore cor semper feruere, vt ab eo eleuetur spiritus quidam, qui per vniuersum corpus delatus, calorem insitum singulis membris excitet, & de potentia ad actum perducat, vt *alibi* ostendimus, necesse est in eo feruore, & generatione spirituum, fuliginosa quædam excrementa gigni, quæ sunt expellenda, ne obsint, & simul temperare oportet ipsius cordis calorem.

Quare natura respirationem animalibus dedit, per quam frigidior aer in pulmonem primum, & postea in cor recipitur, & receptus rursus cum fuliginosis illis excrementis eiicitur.

Quod si vel minimo temporis spatio, desinat animal aerem inspirare frigidiorem, & expirare fuliginosa ea excrementa, statim corruptio & mors sequitur: quam ostendunt hi, qui aerem inspirant, vel ex furnis excalefactis, vel in cubiculis ex carbonibus accensis aut ex cauernis sulfureis exeuntem: illi enim quoniam aere fuliginoso vtuntur, extinguuntur, quidaqueo, strangulati pereunt, non alia ratione, quam quod cor externo aere priuatum, non refrigeretur, & à vaporibus suis fuliginosis suffocetur.

Cur moriantur qui aere calidiore vtuntur.

Porro quod respiratio cordi, id præstat pulsus reliquis partibus corporis. Nam arteriæ A aerem ambientem cum dilatantur, assumunt, & cum comprimuntur, fuliginosa excrementa transmissa à corde, & ab ipsis etiam genita, extrudunt: quo fit, vt corpora exoluantur, cum diutius morantur in balneis calidioribus: priuantur enim aere frigidiore; atque in gangrenis corrumpitur substantia membri affecti, *quoniam fuliginosa illic genita excrementa, constrictione arteriarum non expirant*: nec non in febribus putridis corruptio contingit, *quoniam corpus non satis peruium est ad emittendam eam copiam fuliginosi excrementi, quod ex putredine & vniuersi corporis feruore gignitur.*

In gangrænis cur substantia membri affecti corrumpatur.

Corruptio in febribus putridis vnde.

Vno igitur modo aer nos alterat necessario, B quod in corpus continuo assumatur, & ab eo emittatur per respirationem & pulsum. Alio modo quod partes, quas contingit, alteret secundum substantiam, & eas, quas recipit qualitates.

Cæterum necessarius etiam est cibi vsus, quoniam calor, qui in nobis est insitus, dissipat subiectam materiam solidiorem, vincentibus propriam: quæ nisi cibo restauraretur, paucis diebus dissolueretur & extingueretur animal. Cibi igitur & si tandem vincuntur à nobis agentibus, tamen interim cum mutantur, contra nituntur (& vt aiunt philosophi) reagunt: & propterea nos immutant sua substantia, C sua quantitate, & suis qualitatibus vt ipse docebit.

Alimenta quomodo nos afficiant.

Eadem ratione potus est necessarius, quoniam idem calor aqueam & humidiorem, quæ est in nobis, substantiam dissipat, quæ potu restauratur. Intelligimus autem potum, non quicquid quocunque modo bibitur: (nam sic in potu sæpe esset cibus, veluti si contusas carnes iusculo aliquo misceamus, & bibendo deuoremus) sed quod reuera minimum habet, in se, quod solidam substantiam; plurimum vero ex eo, quod aqueam reparare valet: Igitur aere, aeream substantiam, cibo terream, potu aqueam restituimus. Sed quid de D ignea dicemus? An quod illa in corpore nostro ad pondus aliorum exigua sit, & cibo, potu potissimum, & forte etiam aere reponatur? Sunt enim hæc omnia non simplicia, sed ex quatuor elementis composita, etsi ab eo, quod in illis præpollet, nomen sumunt: vocantes scilicet cibum, quod terrenum est, in quo terrena portio vincit, potum in qua aquea, aerea plurimum dominatur. Egemus igitur necessario cibo ac potu. Quod si quidam reperti sunt, qui sine illis multos etiam annos vixerint, *quod forte illorum calor debilitatus ex morbo, impotens sit factus ad substantiam solidam, & aqueam dissoluendam, & illis sufficiat aer, eo quod sola E aerea consumatur*: tamen hæc vt rara sunt, & præter naturalem ordinem, necessitatem edendi & bibendi, quam nobis imponit Galenus non tollunt.

Ignea substantia quæ in nobis est, quomodo restauretur.

Quomodo aliqui multos annos sine cibo & potu potuerint viuere.

Vigilia vnde contingat.

Porro necessarium est vigilare: quia vigilia contingit, quando natiuus calor ab internis suis fontibus extra fertur, non potest autem semper intus contineri, tum ob naturæ prouidentiam, quæ instituit externas partes non semper otiosas: illæ ergo cum agere volunt, commune animæ instrumentum ad se illiciunt: cum

Somni vsus & necessitas.

tum quod ipse calor, qui in aerea, & spirituosa substantia potissimum residet, intus auctus suapte natura superiores, & exteriores partes petit.

Cogimur pariter necessario dormire, quoniam calidi natiui substantia, spirituosa, inquam, illa materia per vigiliam agentibus externis membris dissipatur, nec propterea durare perpetuo potest, nisi per somnum retrocedat in sua viscera interna: vbi per concoctionem humorum, qui illic esse solent, rursus augetur, & rursus vigiliam parit: sic mutuo somnus, & vigilia sibi succedunt, dissipatione, & restauratione calidi innati.

Hæc sunt exempla eorum, quæ necessario nos afficiunt. Eorum vero, quæ non necessario idem faciunt, sunt enses, & exitiales feræ: Quibus aliqui duntaxat obuiant, vel casu, vel sponte, dum nonnulli temere sua mala quærunt.

Ὅθεν ἐν μὲν τῷ προτέρῳ γένει τῶν αἰτίων, ἡ περὶ τὸ σῶμα τέχνη καταγίνεται, κατὰ δὲ τὸ δεύτερον οὐκέτι.

Quare circa primum causarum genus versatur ars corporis conseruatrix; circa secundum autem minime.

Cum docuerit Galen. duo esse genera eorum, quæ nos afficiunt; vnum eorum, quæ necessario; alterum vero, quæ non necessario id faciunt: nunc docet, non omnia esse subiecta prouidentiæ nostræ artis, sed ea solum, quæ necessario prodesse, aut lædere possunt: nam quæ casu & raro agunt, prouidentia artis nostræ caueri non possunt, sed arte militari, & propria cuiuscunque diligentia & virtute: Quæ vero semper prodesse, aut nocere sunt parata, & sola ars nostra nouit, quomodo afficere possint, merito comprehendimus in nostra facultate: Ac intelligere quidem oportet, artem non versari circa ea, quæ non necessario afficiunt: non quod læsiones factas ab ensibus, & feris curare non debeamus, sed quod ex nostris præceptis prospicere non possimus, ne ea, quæ hoc modo lædendi vim habent, obsint.

Prouidentia & lædentia quæ arti nostræ subiiciuntur.

Ὁπόσα τοίνυν ἐστὶ τὰ ἐξ ἀνάγκης ἀλλοιοῦντα τὸ σῶμα, διελόμενοι καθ' ἕκαστον αὐτῶν, ἴδιον γένος αἰτίων ὑγιεινῶν εὑρήσομεν, ἓν μὲν ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος ἀέρος ὁμιλίας, ἕτερον δὲ ἐκ κινήσεώς τε καὶ ἡσυχίας ὅλου τε τοῦ σώματος καὶ κατὰ τὰ μόρια, τρίτον ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, τέταρτον, ἐκ τῶν προσφερομένων, πέμπτον, ἐκ τῶν ἐκκρινομένων, ἢ ἐπεχομένων, ἕκτον, ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν.

Quot igitur numero sint ea, quæ ex necessitate corpus alterant, distinguentes, proprium in singulis eorum causarum salubrium genus inueniemus: Inest A *igitur vnum quidem ex ambientis aeris adhæsu; alterum vero ex motu, & quiete, & totius corporis & partium singularum; tertium ex somno, & vigilia; quartum ex iis quæ assumuntur; quintum ex iis quæ excernuntur, & retinentur; sextum ex animæ affectibus.*

Antea docuit, duo esse genera rerum, quæ nostrum corpus alterant, deque eo solo artem nostram agere, quod necessario nos afficit, & exempla quædam illius posuit, non tamen certum nu- B merum explicauit, sine quo non potest certus numerus causarum salubrium doceri: eum ergo numerum alterantium, & corrumpentium hic enarrat, vt postea certum numerum causarum salubrium tenere possimus, ad quas perpetuo respiciamus, cum succurrendum erit iis, quæ per sanitatem nos alterant, & corrumpunt. Dicit ergo hæc esse sex, nempe aerem ambientem, motum, & quietem, somnum ac vigiliam, quæ assumuntur, siue cibum & potum, quæ excernuntur, & retinentur, & animi affectus: quæ quidem recentiores Medici res non naturales vocare solent: At quod sine aere, cibo, & potu, somno & vigilia esse non possimus, superius ostendimus: Nunc de reliquis idem ostenden- C dum.

Motus igitur nobis est necessarius, cum non simus plantæ, quæ ex ipsa terra, cui sunt infixæ, alimentum sibi parare possunt.

Quare natura motum animalibus dedit, vt quæ sunt sparsa sibi necessaria comparare valeant, propterea eadem natura præter vim motoriam, illis quoque indidit appetitum, ac voluntatem, vt ex illis possit motus fieri. Sed quoniam motus vtitur etiam communi animæ instrumento, nempe calido innato, & illud dissipat ideo quietem quoque. & quiescendi vim est largita, vt ipse calor refici, & interim etiam obire possemus ea officia, quæ per quietem melius, quam per motum exercentur.

Motus nostri ac quietis vsus & necessitas.

D Nam Aristotelis sententia est, *animam quiescendo sapientiorem fieri*, quasi corporis agitatio ingenio obsit.

Somni vero, vigiliæ, & eorum, quæ assumuntur, id est cibi & potus necessitatem antea ostendimus.

Necessitas generationis & retentionis excrementorum.

Sequuntur inter illa, quæ necessario nos afficere scribit author, quæ excernuntur, & retinentur, idest, excrementorum generatio, retentio, & excretio.

Non enim fieri potest, quin in nobis generentur excrementa.

Nam si nutritio est necessaria; erit quoque necessaria excrementorum generatio: Cum enim, quæ actu nutriunt, similia sint substan- E tiæ nostræ, quæ caloris vi, à partibus singulis est dissipata: alimenta vero, cum assumuntur, non actu, sed potentia similia sint; necesse est, vt de potentia ad actum ducantur: id, quod fit per concoctionem, cuius officium est & finis assimilare omnia, quæ concoquuntur, quantum licet per ipsam concoctricem facultatem, calorem in-

ponit Galenus, nostrum corpus necessario alterare, & corrumpere. Nam contra has causas, illud maximè facere videtur, quod scribit *in initio libri primi de sanitate tuenda.* Illic enim corruptiones; quæ necessario nobis eueniunt, dicit à duobus accidere, nempe, vel à nobis ipsis, & nostris principiis, vel ab extrinsecis. A nobis ipsis fluorem substantiæ, & siccitatem, quā calor insitus perpetuo parit; & excrementorū prouentū, qui ex cōcoctione nutrimenti resultat. Inter extrinsecas autē solum numerat aerem ambientem, motus, quietis, somni, vigiliæ, & animi affectuum nulla facta, vt *hic*, mentione. Hæc viderunt quidem nostri interpretes, & illas hoc loco afferunt corruptionis causas: sed interim non vident plures, quam sex, eas esse, si & illæ & hæ recipiuntur. Ego vero aliter sentiendum esse puto, & dico, plura esse, quæ nostrum corpus corrumpunt, quam hæc sex, de quibus agit Gal. & vere corrumpentia necessario ea esse, quæ ex nostris principiis oriuntur: non tamen Galeni est institutum omnes causas alterantes nostrum corpus enumerare, sed illas solum, quæ arti nostræ sunt subiectæ, & in nostra potestate. Vult enim solum hic docere, quæ possint prodesse, & obesse ad sanitatem conseruandam, recuperandam, præseruandam, & reficiendam, cum ex morbo corpora imbecillia, & male sana sunt relicta. Nam solum vim & vsum materiæ medicæ docet, & quomodo ■ nunc salubris, nunc vero insalubris fieri possit, explicat: ne temere ea vtamur: quod cum fit corpus alteratur & corrumpitur: cum vero ea commode vtimur, alteratur quidem, sed corrigitur vitiū, quod ab illis est factum. Nam postea ostendet aerem, cibum & potum, & reliqua, de quibus hic agit, si non iusta qualitate & quantitate adhibebuntur corpori, esse causas insalubres & corruptrices. Igitur nō omnia, quæ possunt alterare & mutare nostrum corpus, sed solum materiam medicam hic enarrat Gal. vt ea possimus eligere, quæ prodesse possunt: alia vero euitare quæ sunt apta obesse. Verum non potest ars nostra contenta esse his sex, quæ hoc loco à Gal. ponuntur. Ab aliis enim cogimur sæpe auxilia, idest, causas salubres conseruantes & efficientes sumere. Nam *in lib. de sanit. tuenda*, vbi agit de conseruatione primum optimę constitutionis, deinde aliorum, qui sani quidem sunt, sed ab eo perfecto statu declinant auxilia capit à balneis, lotionibus, frictionib. vnctionibus, quæ in his sex rebus nequaquam continentur. Quin etiam in sequentibus, vbi vitia emendare vult, quæ in partibus, instrumētariis, & cōtinuitate violata contingant, tū in sanis, tū in ægris, auxilia capit ex ligaturis, ex de obstruentibus, ex vulnerantibus, veluti cum scalpello venas aperimus, ex reuellentibus, deriuantibus. Addit alibi sæpe malis nostris mederi, quæ ceruici, & aliis partibus alligantur: quæ omnia hic sunt omissa, aut certe non nisi magna violentia ad hæc trahi possunt. Præterea animi affectus, cum illius motus quidam sunt, videntur comprehendi sub motu, quare magis mihi placet tractatio, quæ habetur de his, *in libro quinto de sanitate tuenda*, vbi quatuor genera facit materiæ medicę, quæ mutandi corpus vim habēt, ad bonum, vel malum: & vnum ponit continere ea, quæ assumuntur: aliud, quæ fiunt sine geruntur, aliud, quod ea comprehendit, quæ ducuntur & retinētur: Postremum quod amplectitur vniuersa, quæ foris adhibentur. Igitur per ea quæ assumuntur, comprehendimus alimenta, medicamenta, quocunque modo, & per quemcūque locum in corpus assumpta, siue corpora sint solida, aut potiones, siue per os ingerantur, siue immittantur per anum, pudenda vel aliam quācunq; corporis partem. Eorum vero, quæ geruntur nomine, tum animi, tum corporis motus, & quietem intelligimus: vt otium, exercitationes, vitæ conditionem, iram, tristitiam, cogitationem: & his similia: quorum quædam, à nobis solum proueniunt vt animi perturbationes, & vitæ conditio: quædam vero ab aliis in nobis fiunt, vt frictiones, nauigationes, gestationes, quæ vehiculo obeuntur: quædam vero mixtam habent naturam, cum partim ex aliis in nobis fiant, partim etiam à nobis proueniant: cuius generis est equitatio & gestatio & si quid aliud, in quo corpus vario modo agitamus. Porro genus eorum, quæ extrinsecus adhibentur, continet, quæ impulsu agunt, vt vulnerantia, contundentia, frangentia, item quæ nos ambiendo circumdant, vt aerem, lotiones, natationes, & si quid simile reperiatur: quanquam in natatione non solum ex aquę adhesu, sed etiam ex motu corpus alteratur. Comprehendit præterea: quæ corpori adiunguntur, & applicantur, veluti vnctiones, cataplasmata, cerata, & huius naturæ alia. Postremo, quæ collo, reliquisq; partibus appenduntur, aut circumligantur, vt vincula, quæ partibus iniiciuntur, aut alio denique modo extrinsecus corpori adhibentur. Iam vero, quæ educuntur, ea complectuntur, quocunque modo à corpore exeunt, vt sudorem, stercus, vrinam, sordem, vaporem, salinam, pituitam, quæ emungitur, humorem, qui per purgationem, venæ incisionem, vel alio remedio educitur: ad quod etiam genus spectat pinguedinis, carnisque excretio, vel detractio, & aliarum partium, quæ ibi cognatis rescinduntur: Sunt etiam huius generis, quæ præter naturam in nobis concreuerunt, vt lapides, lumbrici, pus, dracunculi, & si quid aliud simile, quod extractum à corpore, illius constitutionem mutat: venus etiam, quatenus semen excernit: quatenus vero corpus commouet, ad ea, quæ fiunt, redigitur, quemadmodum & aliæ excretiones corporis. Etenim excretio ipsa, actio est, & aliquid eorum, quæ aguntur: id vero, quod excernitur, spectat ad ea, quæ excernuntur, eadem omnia cum retinentur, sub contrario genere comprehenduntur, quæ simul coniuncta, (propterea quod contrariorum vnum est genus) quartum caput facere dicuntur, ab aliis trib. diuersum: ac perpetuo quidem ab his rerum generibus sumuntur causæ salubres, insalubres, neutræ: & in illis semper inueniemus, quid nobis auxilio, aut nocumento esse possit.

Materiam medicā, quæ sex generibus rerū cōprehendi alibi tradidit, multoq; quā sex ijs rebus non contraxit.

Assumptorū nomine quæ contin.

Eorum, quæ fiunt, nomine quæ comprehendantur.

Extrinsecus agentia quæ contineant.

Excreta & retenta quæ comprehendant.

Venus quæ ad quæ ex prædictis redigatur.

Ὑπὸ τούτων γὰρ ἁπάντων ἀνάγκη τὸ σῶμα διατίθεσθαί πως. ὑπὸ μὲν γὰρ τοῦ περιέχοντος, ἤτοι θερμαινόμενον, ἢ ψυχόμενον, ἢ ξηραινόμενον, ἢ ὑγραινόμενον ἢ κατὰ συζυγίαν τι τούτων πάσχον, ἢ καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν ἀλλοιούμενον.

Ex his enim necesse est aliquo modo affici corpus: ab aere quidem ambiente, quia, aut calefit, aut frigefit, aut exiccatur, aut

humectatur vel secundum horũ patitur coniugationem; aut in tota alteratur substantia. A

Postea quam Galenus numerauit illa, quæ possunt mutare nostra corpora, nunc docet, quomodo singula ex prædictis mutationes suas faciant. Et id primum docet in aere ambiente, quem dicit in duplici ratione, nos mutare posse, vel alterãdo secũdum primas qualitates simplices, vel compositas: vel secundum, vt ait, totam ipsius substãtiam. Quid per alterationem factam ex primis qualitatibus intelligat, non est, quod doceamus: id enim per se patet. Per alteratione vero à tota substantia non aliud intelligere potest, quam eam, quæ fit à forma rei, à quo nomine semper abhorruit Gal. Nam cum dicat, alimenta, & medicamenta purgantia, non id esse, quod sunt, per suam temperiem, sed per totam ipsorum substantiam, non potest hoc nomine aliud intelligere, quam formã: per illam enim alimenta sunt alimenta, & purgantia medicamenta vim habent purgandi. Quod si Gal. in aliis suis tractationibus, veluti, cum agit de essentia partium, animi motibus, & actionibus nostri corporis, posuisset hanc totam substantiam, non eo venisset, vt diceret, carnem esse carnem, & os esse os, & aliam quamcumq; partem, id, quod est, & viuens à non viuente differre ob diuersitatem temperamenti: & quod grauius est, nõ cogeretur fateri, mores animi hominum, simillimos esse debere morib. & actionibus porcorum, quorũ corpus, carnem & temperiem, simillima esse statuit. Porro cum aer nos mutat tota substantiã, accepit formam quandam ex astris nobis incognitam: qua vel nos perimit, vel morbos ex occultis causis natos tollit. Ita enim in pestilentia aer plurimos occidit, ob illam occultam formam, & non ob euidentes qualitates, & iam ipse aer, qui mutauit eam formam, quæ morbum Gallicũ peperit, remedio eidem morbo fit. Cessat enim crudeliter sæuire morbus hic, vt ante aliquot annos faciebat: propterea quod cessat influxus ille syderum, qui illum peperit, aut aliunde in nostram regionem inuectum fouebat. Porro aer calefacit corpus, cum vel calidus ipse est, vel frigidus: calidus quidem calefacit, cum per inspirationem, & dilatationem arteriarum in corpus trahitur, vel cum ipse extrinsecus contingit partes nostri corporis, & calorem, quem in se habet, illis imprimit: frigidus vero intus calorem auget, densata extrinsecus cute, & repulso illo calore, qui in externis partib. continetur. Quod si corporis, & cutis meatus secundum naturam patent, augetur solum secundum naturã intus calor, quomodo vẽtres hyeme calidos reddi scribit Hipp. *in Aphor*. At si ex labore, aut æstu, meatus illi immoderatius patent & in eo statu aeri frigido occurramus, calor præt. nat. in nobis augetur, & febres fiunt: quoniam calida excrementa plurima genita ex labore, vel ex aere calidiore expirare prohibentur ob aerem frigidiorem: qui vehementius sese insinuauit in corpus rarefactum, & ita vias eas penitus occlusit: Ac non solũ quidem calefactio ex aere calido, & frigido contingit: sed etiã accidunt fluxiones, & ex illis omne tumorum genus, obstructiones, & alia mala; quæ ex his nascuntur. Calid. etiã aere exsiccat, & dissoluit substãtiã calidi innati, atq; ita omnes actiones debilitat: frigidus vero, vt per accidens calefacit, ita per se refrigerat, siccat etiã aer, qui siccus est, & humectat, qui humidus. ac coniunctis inter se qualitatib. calore inquã & frigore, cum humiditate, & siccitate, fiũt in nobis effectus, qui referunt suas cãs. Quod si hæ aeris qualitates cum ventis agant in corpore vehementius imprimunt suã vim & effectus eos pariunt, quos describit Hippoc. nasci ex Aquilonia, & Austrina cõstitutione *in 3. lib. Aphor*. Aer etiam ob suã corruptionẽ, aut bonitatẽ, quã recipit in sua substãtia, mutationes facit, nũc in humorib. nũc in certis corporis partib. vnde plurimi oriũtur morbi, quorũ naturam ignoramus, & plurimæ fiũt morborũ solutiones prẹter spẽ Medici, per occultas illas impressiones aeris: qui idem prodest nobis, & obest non solum ob primas qualitates & latentem formam, sed etiam ob secundas qualitates, cum est nimium vel crassius vel tenuis vel ex sole purus redditur, aut in locis profundis, & obscuris impurus factus. Colligit etiam ipse prohibita ventilatione, & transpiratione, vt nostra corpora, sua viria & putredinem.

Alteratio à tota substantia quid.

Pestis à quo nunc fiat.

Cur morbus Gallicus iam mitescat.

Aer calidus quomodo nos afficiat.

Quomodo frigus.

Ventos aeris qualitates vehementius imprimere.

Aeris læsiones ob suam corruptionẽ.

Generationes & solutiones morborum præter rationem ob influxum syderũ in aere contingere.

B

Ἐκ κινήσεως δὲ καὶ ἡσυχίας ἀμέτρων ἀμφοῖν γινομένων, ἢ θερμαινόμενον, ἢ ξηραινόμενον, ἢ ψυχόμενον, ἢ ὑγραινόμενον, ἢ κατὰ συζυγίαν τι τούτων πάσχον.

C

Ex motu vero. & quiete cum vtraque modum excesserint, aut calefactum, aut refrigeratũ, aut humectatum, aut exsiccatum, vel aliquid secundum horum patiens coniugationem.

Docet nunc vim, quam habet motus, & quies in nostro corpore. Motus quidem vnum per se facit, partium. n. attritu calefacit primũ parteis, quæ mutuo se atterunt, deinde alias, quæ participes caloris euadunt. ad caloris vero accensionem sequũtur varii effectus pro qualitate, & quantitate ipsius motus, & corporis, quod patitur diuersam conditionem, nã aliud facit motus vehemens, quam lenis: aliud celer, quam tardus: aliud æqualis, quam inæqualis, aliud frequens, quam rarus: aliud fit, si cum animi contentione, aut absque illa exercetur: aliud qui fit ambulando, quã currendo, vel equitando, aut nauigando: aliud facit multus, quam paucus, aut mediocris. Propterea hic Gal. non solum debebat immoderati motus, aut quietis vim explicare, sed ipsius motus primum, deinde eius, qui suas differentias accepit, vt facit *in lib. de sanit. tuenda*. Aliud vero fit à motu in corpore vacuo, quam pleno, aut moderate se habente: aliud in frigidis, quam in calidis corporibus aut aliter affectis: moderatus tamen modus in moderatis corporib. moderate calorem accendit, ad quod sequitur excrementorum moderata expulsio, & corporis robur. Quod si hic motus in corporib. fiat repletis, cum nõ possit humores dissoluere, eos colliquat, & fluxiones parit: immoderatus vero motus, & qui etiam adiungit sibi aliquas vehementes qualitates, vt celeritatem, & vehementiam, vt corpora crassiora, & frigidiora roborat: ita quæ mediocriter habent, aut graciliora sunt, primũ calefacit, & exsiccat deinde refrigerat, vehementius dissoluta spirituosa & humida substantia caloris, sine qua ipse calor vegetus consistere nequit Humectat etiam motus moderatus in corporibus pituitosis: excrementosum enim cum humorem, & crudiorem sanguinem concoquit, ex quo natiuo

D

E

Effectus varii pro varietate motuum.

natiuo humore humectatur corpus; sic sanè motus mutat, & nos alterat.

Effectus quietis.

Quies verò cum calorem hebetet, ea incommoda parit, quæ ad caloris diminutionẽ sequuntur: redundant enim multa excrementa pituitosa in eo statu corporis, & quæ gignuntur excrementa in tertia concoctione, male expurgantur: partim quod ipsa excrementa crassiora reddantur defectu caloris: partim quod non impellantur sursum: non acquisito calore, nec meatus cutis sint patefacti, per quos expirare debent. Ac vt excrementorum sequitur prouentus & retentio per quietem; sic deteriores fiunt omnes actiones corporis humani, & debilitantur omnia membra, vbi otiosam vitam quærimus: omnes enim egemus motu, & exercitatione pro cuiuscunque natura. Nam biliosis, & exsiccatis corporibus leuis quilibet motus sufficit ad sanitatem conseruandam: moderatis verò habitibus moderatus vtilis est: frigidioribus autem & crassioribus debetur, qui vehementius calorem accendere potest. Nec dictum Gal. quo præcipit *in lib. de sanit. tuenda*, exercitationem adhibendam esse, quousque sentiamus augeri respirationem, intelligendum est simpliciter, & in omnibus, nam ex breuissimo cursu ita intenditur respiratio, non tamen iustam mensuram exercitationis sumus assecuti. Nec biliosæ quidem naturæ expectare debent respirationis eam mutationem, sed præceptum intelligendum est *de moderata natura*, & moderatis qualitatibus exercitationis. Quæ enim temperata sunt corpora, vti debent nec celeri, nec tarda, nec vehementi, aut remissa motione: sed cum mediocritatem in omnibus differentiis seruauerint, scire debent, se iustam mensurã exercitationis assecutos, quando respirationem auctam senserint. Hæc de vi motus, & quietis.

Galeni præceptum, quo præcipit exercitationem vsque ad auctam respirationem esse adhibendã, quomodo sit intelligendum.

Οὕτω δὲ καὶ ἐξ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως ἀνάγκη πάσχειν αὐτό.

Sic ex somno, & vigilia ipsum pati est necessarium.

Somnum & vigiliam nihil agere per se.

Somnus & vigilia nihil reuera, & per se agunt in nostro corpore, sed calor ipse natiuus influens, qui diuersa efficit in nobis vigilando, & dormiendo. Nam per somnum, vt antea ostendimus) contrahitur calor in viscera, & ibi roboratur: vnde sequuntur in corpore illi effectus, quos parere potest contractio ea caloris. Etenim partes, in quib. calor natiuus abundat, validiores redduntur, & ob id fœlicissimè exercent sua officia. Quare per somnum internæ partes optimè sua munera obeunt, externæ verò debiliter: contrarium verò in vigilia accidit. Nam cum calore accedit robur externis partibus, minuitur verò cum absentia caloris, internis, vnde dicuntur vigiliæ digerere, & somnus concoquere. Porro vt in aliis, sic hic somni mediocris, & vigiliæ in corpore mediocriter affecto vim exprimimus: nam aliud facit longus somnus, quàm breuis: aliud profundus, quàm leuis: aliud continuus, quàm interruptus: aliud qui in sole, quàm qui in vmbra initur: aliud fit à somno in corpore pleno, quàm vacuo: aliud in gracili, quàm crasso: aliud in febricitãte, quàm in sano: aliud in principio accessionum, aliud in declinatione. Eadem obseruanda sunt in vigilia, ne ad omnes pertinere putemus præcepta, quæ de mediocri somno, & vigilia in corporibus mediocriter affectis tradi solent. Ac cum omnes somni, & vigiliæ differentias, causas, & vim *duobus libris alibi* enarrauerimus, non est, quod lector earum rerum repetitionem nunc à me exigat.

Somni diuersi, diuersi effectus, ita & vigiliarũ.

Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον ἐκ τῶν ψυχικῶν παθῶν.

Secundum eandem rationem & ex animi affectibus.

Paulo antea explicauimus, quid, & quomodo mutent animi affectus in nostris corporib. quod scilicet mutationes suas faciant, vel quod accendant calorem, vel debilitent, vel contrahant, vel expandant, aut mixtos motus in eo efficiant; quare ex animi affectibus sequuntur illæ in corpore nostro mutationes, quas parere possunt caloris incrementum, diminutio, contractio, & expansio, de quibus Gal. *in primo de differentiis febrium*, vbi generationẽ febrium ostendit ex his affectionibus, disserit.

Animi affectus mutatione caloris nos afficere.

Καὶ τῶν προσφερομένων.

Et ex iis, quæ assumuntur.

Non aliud intelligit per ea, *quæ assumuntur*, quàm cibum & potum, vt ex præcedentibus cõstat. Mutant autem hæc etiam nostra corpora pro suis qualitatibus primis, secundis & substantia, & copia, & parsimonia: ex quibus accidit corpus commodè nutriri, aut plus quàm oportet, repleri, aut vacuari, & calorem roborari, vel debilitari, & venas, ac alias cauitates obstrui, aut expediri, & corpus reddi densum, & solidum, vel rarum, & flaccidum, pingue aut macilentum, crassum, aut gracile, & denique variis morbis affici.

Ἢ ἐκκρινομένων, ἢ ἐπεχομένων.

Et excernuntur, & retinentur.

Dicunt interpretes, hic agi de iis, quæ vacuant, vel replent corpus, siue de inanitione & repletione, quod verum non est. Nam sic de cibo, & potu rursus ageret autor, (hæc enim replent corpus) & de aere, motu, & animi affectibus, quæ pariter corpus euacuant. Quare solum agit de ipsis excrementis, quæ gignuntur in nobis, & cum retinentur, aut excernuntur, mutationes quoque in nobis efficiunt: id quod iam superius ostendimus.

Ἅπαντα γὰρ ταῦτα, τὰ μὲν αὐτόθεν, τὰ δὲ διὰ μέσων ἑτέρων αἰτίων ἀλλοιοῖ τὸ σῶμα, καὶ διαφθείρει τὴν ὑγείαν, καὶ γέγραπται περὶ τούτων αὐτῶν ἰδίᾳ καθ' ἕκαστον ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ.

Hæc, siquidem omnia partim quidem euidenter, partim verò per alias causas medias alterant corpus, & sanitatem corrumpunt, & de eorum singulis seorsum scripsimus in tractatu, qui de salubribus inscribitur.

Ostendit quidem, corpus nostrum alterari à

prædictis sex rebus: verum modum & rationem nõ expressit alterationis & corruptionis, id quod nunc facit. Docet enim illa aliquando *euidenter*, id est, *immediatè*. aliquando verò non euidenter, id est, *per alias causas* suam vim in nobis exercere. Quod autem *euidenter* intelligat *immediatè*, ex eo ostendit, quod illi opponat *per alias causas medias*. Porrò, vt ab aere incipiamus, cum ille calidus est, immediatè calefacit, cum frigidus est, refrigerat. Ad calorem verò sequuntur dissolutio corporis, ad hanc debilitas, ad hanc rursus alia. Huiusmodi igitur aer primo & per se calefacit, reliqua vero per accidens & per media quædam. Nam debilitatio, quam diximus ab eo prouenire, nõ statim fit ab aere, sed mediante dissolutione nostræ substantiæ. Sic aer frigidus suo occursu densat cutem, non immediatè, quia mediante refrigeratione hoc accidit: Ad densationem vero sequitur caloris incrementum per duo media, per refrigerationem & densationem. Eadem ratione cibus & potus primo replent, ad repletionem sequitur obstructio, ad hanc prohibita respiratio, putredo, febris. Hæc igitur per multa media nascitur, cum cibus sua multitudine, aut visciditate, aut crassitie obstruit cauitates internas corporis. Motus quoq; primum accendit calorem; per accidens vero & mediatè excrementa expellit, corpus roborat, debilitat, & alia, quæ superius dicta sunt, parit. Idem facilè de aliis ostendi potest.

Euidenter efficere quid.

Τὰ μὲν οὖν ἅπαντα τὰ νῦν εἰρημένα γένη τῶν ὑγιεινῶν αἰτίων ὗλαι τινὲς ὑπάρχουσι. μετὰ δὲ τῆς δεούσης χρήσεως, αἴτια γίνεται φυλακτικά τε καὶ ὑγιεινά. διαμαρτανόμενα δὲ τῆς συμμετρίας, νοσώδη καθίσταται. ὥστε δῆλον ἤδη κἀκ τούτων, ὡς οὐχ ἑτέρας μὲν οὐσίας τῶν ἐκτὸς τούτων πραγμάτων ὑγιεινὰς ἡμῖν, ἑτέρας δὲ νοσερὰς ὑποληπτέον· ἀλλὰ τὰς αὐτὰς ἐν τῷ πρός τι, ποτὲ μὲν ὑγιεινάς, ποτὲ δὲ νοσώδεις γινομένας. ἡνίκα μὲν γὰρ δεῖται κινήσεως τὸ σῶμα, τὸ μὲν γυμνάσιον ὑγιεινόν, ἡ δὲ ἡσυχία νοσερόν· ἡνίκα δὲ ἀναπαύσεως, ὑγιεινὸν μὲν ἡ ἡσυχία, νοσερὸν δὲ τὸ γυμνάσιον. ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ σιτίων καὶ πομάτων, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων.

Omnia igitur nunc dicta genera materiæ quædam sunt salubrium causarũ. Nam commodo vsu adhibito causæ fiunt conseruatrices atque salubres; si verò incõmodè illis vtamur, insalubres reddũtur. Vnde etiã liquet, ex his nullam harũ rerũ exteriorum, aut salubrẽ, aut insalubrẽ à nobis existimari oportere: at easdem potius quandoque quidem salubres, quandoque insalubres in eo, quod ad aliquid, esse. Nam vbi motum corpus desiderat, exercitatio quidem salubris, otium autem insalubre: Cum vero eget quiete, otium quidem salubre, exercitatio vero insalubris. Eodem modo de cibis & potibus, & de aliis omnibus statuendum.

Posteaquam enumerauit omnes causas mutantes corpus, docuitque mutationis rationem, quod scilicet mediatè vel immediatè illæ suos effectus pariant: nunc ostendere vult, quomodo illæ fiant causæ salubres, insalubres & neutræ, & in singulo genere conseruantes & efficientes. Fiunt, inquit, tales solo commodo & incommodo vsu, non quod res vna semper sit salubris, alia insalubris, alia neutra, & genere ita discrepent: sed quod vna & eadem res ob commodum & incommodum vsum diuersas rationes sumat: id quod exemplis docet. *Nam motus* (inquit) *salubris est, & insalubris: salubris quidem, si illis adhibeatur, qui eo opus habent: insalubris vero, si fiat ab illis, qui non motu, sed quiete egent.* Ita cibus euacuatis, & nutritione egentibus salubris est: repletis vero, & recenter saturatis, insalubris est. Ex quibus quidem euidenter apparet, quod superius annotauimus, Gal non alias explicare causas corrumpentes nostrum corpus, quàm illas, quæ sumuntur ex materia medica: quippe cum hic dicat, eandem materiam medicam, vt aerem, motum, salubrem esse, & emendantem vitia nostri corporis: vel insalubrem, id est, nos ipsos lædentem, & corrumpentem.

Ἕκαστον γὰρ ἐπειδὰν δεομένῳ τῷ σώματι προσάγηται μετὰ τῆς οἰκείας ποσότητος καὶ ποιότητος, ὑγιεινὸν γίνεται. τῷ δὲ ἤτοι μηδ᾽ ὅλως δεομένῳ προσφερόμενον, ἢ οὐκ ἐν τῷ προσήκοντι μέτρῳ, νοσῶδες καθίσταται, καὶ δύο εἰσὶν οὗτοι σκοποὶ περί τε τὸ ὑγιεινὸν καὶ τὸ νοσερόν, ἡ ποσότης τε καὶ ἡ ποιότης τοῦ προσφερομένου.

Horum enim singula, quando, vt necessitas corporis exigit, cum mensura, ac qualitate oportuna adhibentur, salubria fiunt. At cum citra omnem necessitatẽ, ac præter modum afferuntur, insalubria: atque hæ duæ sunt circa salubre & insalubre intentiones, rei scilicet, quæ adhibetur, qualitas ac quantitas.

Dixit eandem materiam medicam esse causam salubrem & insalubrem: salubrem quidem, si cõmodè: insalubrem vero, si incõmodè ea vtamur: sed non expressit, in qua re consistat commodus ille & incommodus vsus. Id quod nunc præstat. Docet enim *in quantitate & qualitate* ipsius rei inclusum consistere. Nam si debitam rei qualitatem & quantitatem seruauerimus, pro necessitate eius, qui re illa vtitur, tunc salubriter viuemus, & sanitatem conseruabimus, aut illam efficiemus: at si in qualitate, vel quantitate errabimus, res illa nos lædet & insalubris fiet: id quod notius est, quàm vt probari debeat.

Τὸ γὰρ καὶ τὸν καιρὸν ὡς ἕτερόν τι τούτων τρίτον ἐπεισάγειν ἐν τοῖς εἰρημένοις παρελκόμενον, οὐκ εὔλογον. εἰ γὰρ δεῖται τὸ σῶμα τοιοῦδε καὶ τοσοῦδε τοῦ προσφερομένου, δηλονότι καὶ κατὰ καιρὸν τὸν δέοντα προσφέρηται. καὶ ἡ γνῶσις τοῦ καιροῦ, ἐκ τοῦ ῥευστὸν καὶ εὐμετάβλητον εἶναι τὸ θνητὸν σῶμα, καὶ δεῖσθαι κατὰ τὰς μεταβολὰς, ἄλλοτ᾽ ἀλλοίων τῶν ὠφελούντων. ὥστε οὐκ ἔστιν ἐν τῷ γένει τρίτον ἐν τοῖς εἰρημένοις ὁ και-

ρ.

ρός. εἰς δὲ τὴν διδασκαλίαν αὐτοῦ πολλάκις ὡς τρίτῳ χρώμεθα, διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν.

Neque enim est rationi consentaneum, etiã temporis occasionem, quæ in his, quæ dicta sunt, continetur, veluti tertium aliquod ab eisdem diuersum introducere. Si enim tali & tanta re allata egeat corpus, nemini dubium, quin etiam in tempore oportuno offeratur occasi. Siquidem occasionis inde ortus est, quoniam fluxibile ac facile mutabile est mortale corpus, ac pro transmutationis modo aliis alio tempore eget auxiliis. Quare nõ est tertium aliquod præter ea, quæ dicta sunt, occasio. sæpius autem ea tanquam tertio quodam, ob eam, quam diximus, causam, ad docendum vti consueuimus.

Cum alibi in vsu materiæ medicæ, præter qualitatem, & quantitatem semper addiderit occasionem, & nunc solum ponat qualitatẽ & quantitatem, ne quis putaret, illum à seipso dissentire, rationem reddit, quare occasionem omittat. Est autem ratio, qua vtitur ferè ad hunc modum (vt facilius etiam idem à nobis dicatur.) *Certa qualitas & quantitas materiæ statui non potest, nisi commodum etiam tempus ponatur. Ergo in qualitate & quantitate occasio continetur.* antecedens probat, eo, quod corpus continuo mutetur & alteretur ita, vt quam semel qualitatem & quantitatem statueris conuenire, ob eas, quas fecit corpus mutationes, postea alio tempore non conueniet. Ergo cum qualitas & quantitas rei non nisi pro certo tempore & certo statu corporis statui possit, merito in se includunt occasionem. Non quod occasio non sit aliquid distinctũ à qualitate & quantitate; sed quod posita qualitate & quantitate, ea tanquam tertium eiusdem ordinis ponenda non sit. Præcessit enim illius consideratio: & supposita iam est, cum qualitatem & quantitatem affectus corporis inuestigaremus. Tempora enim quædam notamus, in quibus nouimus corpus tali & tanto affectu præditum, vt cum dicimus, in principio morbi mouendum esse corpus, quoniã tunc tali & tanto affectu præditum est, vt exigat tale & tantum remedium. *Ergo ad docendum* (inquit) *vti consueuimus, tanquam tertio, occasione:* id quod ego intelligo ad docendam qualitatem & quantitatẽ affectus, ex quibus qualitas & quantitas remedii postea statuuntur. Vel etiam ad docendam mutationem, quæ in corpore fit. Quæ et si vera sunt, & rectè dicuntur, tamen sunt spinosiora, quàm postulet ars nostra. Nam hos scopos semper Gal. ponit distinctos, vt reuera distincta sunt illos indicantia. Nam vt qualitatem & quantitatem remediorum, qualitas & quantitas affectus indicant: sic Gal. *in libr. de optima secta* docet, occasionem indicari ex præsentia eorum, quæ postulant remedia, & absentia illorum, quæ ea possunt impedire. Quare si indicantia inter se differunt, differẽt vtique & illa, quæ indicantur. Ergo occasionem ponamus distinctam à qualitate & quantitate. Verùm alia magis vrgent Galen. Nam in vsu remediorum non solum studemus

Occasio quomodo in qualitate & quantitate contineatur.

Occasionem distinctam ponendam esse à qualitate & quantitate.

De scopis agendi distinctis contra Gal.

A efficere, vt illa exhibeantur in conuenienti qualitate, quantitate, & tempore: sed etiam substantiam in primis eligimus, an scilicet conueniat alterans, vel euacuans, aut replens, aut aliud efficiens remedium. Præterea modum vtendi, & locum aptum in corpore ad agendum, & ordinem, vbi plura sunt præstanda, quærimus: & si in vno ex his fuerit erratum, commodus non erit materiæ vsus. Ac mirum est, quod cum Galenus hæc omnia alibi ponat, hic solum rem contrahat ad qualitatem, & quantitatem. Nec ea quidem, quæ ab aliis afferuntur, Gal. excusant, quod omnes illi scopi in curatione morborum sint necessarii, in sanitatis verò conseruatione, minimè. Nam cibandi & exercendi corpus, occasionem & modum, atque ordinem in assumptione ciborum B docet Gal. *in lib. de sanitate tuenda.* Præterea quæ hic dicuntur de cõmuni vsu materiæ medicæ pertinent ad causas salubres tum conseruantes, tum efficientes: quare nulla debet esse in his diuersa ratio. An etiam Gal. *paulo inferius* in vsu veneris tempus ad eam aptum nón notat, præter ipsius qualitatem & quantitatem? Ac multo quidem magis refellenda est illorum opinio, qui dicunt, substantiam, genus, & ordinem materiæ contineri in qualitate. Omnes enim actiones fieri à qualitatibus rerum, cum inter substantias non contingat contrarietas, & propterea non possit vna in aliam agere. Sed isti meminisse debent eorum, quæ dixit Gal. *paulo antea.* aërem, scilicet in C nos agere, non solum per suas qualitates, sed etiam secundum totam substantiam. An etiam philosophi non docent, formas esse, quæ agunt, & ab illis motus principium emanare? Ordo est ad aliquid, non autem in genere qualitatis. Et quam, quæso, qualitatem exprimimus, cum vnum post aliud faciendum esse dicimus? Quærunt etiam hi autores hoc loco in explicatione occasionis, an à tempore sumatur aliqua indicatio: quod quàm aptè faciant, omnes cognoscere possunt. Nam Galen. in *methodo medendi* docet, à tempore, quo quis sæpit laborare morbo, nullam sumi indicationem ad curationem morborum, sed solum cognosci naturam ipsius morbi. Sed hæc nihil ad occasionem remediorum: Non enim quærimus D hic indicantia occasionem, sed scopos ipsos agendi, id est, circumstantias: quas non solum Medici, sed etiam Philosophi obseruandas esse dicunt in omni actione, & officio, quod rectè exerceri debet. Ac nos illas omnes *in lib. de officio Medici* comprehendimus, dicimusque, in omni re præstanda spectandum esse, *an agendum sit, quid agendum, & quæ res sumenda tanquam instrumentum aptum ad agendum, & quale, quantumque, & quomodo, quoque tempore, quoue ordine, & in quo corporis loco eo vtendum sit.* Cum enim ad ægrotos accedimus (vt in facultate nostra pateant exempla) in primis, quærimus, an agendum nobis sit, vel negotium committendum naturæ: deinde si agendum est, an vacuandum, vel replendum, vel E aliud faciendum: Et si vacuandum est, quis humor sit educendus, & quod medicamentum sit aptissimum ad illius eductionem, an rhabarbarum, vel cassia, vel aliud quidpiam: Ac substantia & genere medicamenti inuento, quærimus an calidum, vel frigidum, & qua mensura, & an semel, vel bis, & quo tempore sit exhibendum. Quod si plura medicamenta sunt necessaria

Tangit Iulium Delphinum hic & sæpe postea.

Aerem etiam in nos agere tota substantia.

Quid in omni re præstanda spectandum.

ordinem in illis statuimus. Præstat profectò hæc A ita distinguere, quàm sophisticari, & pro authoribus pugnare, & interim miserè lectores & artis præcepta confundere.

Ἐπεὶ δ' ἐν τούτοις τῆς σκοπῆς, τά τε ἄλλα τῶν αἰτίων τῶν ὑγιεινῶν καὶ τὸ νῦν ἡμῖν προκείμενον ἐστὶ γένος, αὖθις ἀναλάβωμεν αὐτά. τῇ τοίνυν ἀρίστῃ κατασκευῇ τοῦ σώματος εἰ μὲν εὔκρατον ἡ τὸ περιέχον, ἁρμόσει συμμετρία τῶν τε ἄλλων ἀκριβής, ὧν ἀρτίως εἶπον, ἡσυχίας τε καὶ κινήσεως, καὶ ὕπνου, καὶ ἐγρηγόρσεως, καὶ τῶν προσφερομένων τε καὶ ἐκκρινομένων. B

Quoniam vero in ipsis intentionibus, & alia causæ salubres, & id, quod propositum est genus, continetur, rursus easdem repetamus: optimè igitur corporis constitutioni si circumductus aer temperatus sit, tum aliorum nuper commemoratorum, nempe quietis & motus, somni & vigiliæ, tum assumendorum & excernendorum exquisita symmetria conueniet. C

Cum Galenus inuenerit illa, quæ possunt immutare corporis statum, & quænam ex illis medicinæ sint subiecta, & præterea, quomodo hæc corpus nostrum mutent, & qua ratione eadem fiant causæ salubres, insalubres, & neutræ, conseruantesque & mutantes, nunc tractationem illam instituto accommodare incipit. Est autem illius institutum (vt paulo antea notauit) explicare velle, primum, quænam conueniant corporibus ad sanitatis conseruationem. At quoniam in illis, in quibus repetitur aliquid, quod est perfectum, alia verò imperfecta, prius agendum est de D eo, quod perfectum est; quippe cum illud aliorũ sit regula, ideo nunc docet, quid optimæ constitutioni sit salubre, & conseruans: estque illius sententia talis, quod illi conueniant omnia, quæ vim habent in ipsum agendi, siue illa necessario, siue aliter afficiant, seruata in omnibus mediocri quantitate & qualitate. Adhibenda enim sunt ei, aer temperatus, & motus, & quies, somnus ac vigiliæ, & quæ assumuntur, & quæ retinentur, in ea quantitate, & qualitate, vt in sua natura & mediocritate conseruari possit optima ea constitutio. Quæ sententia ita clara est, vt maiore declaratione non egeat. Hoc solum attingemus, quod E nonnullis difficultatem parit, cur scilicet aliarum omnium causarum salubrium meminerit, præterquam passionum animi. Aiunt enim alii interpretes, ideo Gal. omisisse animi accidentia, vel quod possint ex aliis intelligi, vel quod in nostra nõ sint potestate: vel quod alterare quidem aliquo modo possint, sed nõ quantum oportet, corpus mutare valeant: vel quod modum illis imponere non possimus: quæ omnia sunt nugæ, vt postea Gal. ostendit, posteaquam docuit, qualia & quanta alia esse oporteat sanitatis conseruandæ auxilia, idem subiungit de animi affectibus iis verbis: *Liquet autem ab ipsis caueri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ*: Hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus auertũt. Quod si animi accidentia ideo sunt permissa, quod in nostra non sint potestate, eadem ratione prætermittenda erant retentiones & euacuationes excrementorum, & somnus atque vigilia, & aer ipse, quibus modum sæpe medicina constituere non potest. Quod si in animi affectibus qualitatem & quantitatẽ seruare nequit Medicus, cur illos inter causas salubres & insalubres posuit? Contra illos etiam facit hæc ratio, & experientia eosdem illudit, qui dicunt, animi affectus non habere vim inducendi contrarium corporis statum. Ignorant enim illi, quàm sæpe ex passiones sanitatem labefactent, B morbos, mortemque ipsam afferant. Siue igitur simpliciter in omni corporis statu mutationem quæramus, siue vt extendemus aeris intemperies, ab animi affectibus nõ minus, quàm ab aliis prædictis, auxilia quærere possumus.

Delphinum tangit.

Animi affectus maximam habere vim inducendi contrarium corporis statum.

Ἐπειδὰν δὲ δύσκρατον, εἰς τοσοῦτον καὶ τὰς συμμετρίας ἐξαλλάττειν προσήκει, εἰς ὅσον καὶ τὰ τῆς εὐκρασίας διέφθαρται.

Cum verò aer à temperie recesserit, tantum à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperantia recessus. C

Hunc contextum alii interpretes ita exponũt, tanquam velit Galenus emendare aeris intemperiem contrario ipsi vsu aliarum causarũ salubrium quasi talis sit sententia præcedentis & præsentis orationis: *si aer temperatus sit, alia quoque prædicta auxilia temperata esse debent. Si verò aer sit intemperatus, debemus ad illius intemperiem corrigendam in conseruatione optimæ constitutionis, adhibere contrarios excessus aliarum causarum salubrium.* Quorum quidem sententia nõ patet ex dictione D autoris, nec ex iis, quæ sequuntur, nec fortè etiã veritas ei suffragat. Dixisset enim *cum aer à temperie recesserit, tanto alia à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperantia aeris recessus*: postea verò docuisset, quonam modo reliqua possunt aeris intemperies mutare. Addo, quod vniuersalius præceptum erat tradendum de aliis omnib. vt si quis maiori quiete vtatur, quàm opus sit, præscribenda erat ratio cibi & potus, somni & vigiliæ, & aliorum, quæ possunt emendare errores, qui fiunt à quiete. Quod si fortè id est omissum, quod exactè doceri non posset, omittenda erat vtique & hæc repugnantia aliarum rerum aduersus aerem, quæ maiorem fortè habet E difficultatem. Neq; enim rationi consonum est, vt excedentibus aeris qualitatibus, cõtrarios opponamus excessus aliarum omnium causarum salubrium: Nam solus motus temperare potest alterationes illatas ab aere frigidiore: & sola aliquando quies, aut frigidior cibus, reniti potest aeri paulo calidiori. Videtur igitur velle Galenus docere, qualia oporteat esse auxilia conseruantia, quando non est optima temperantia in corporibus, quasi dicat: *Cum est optima constitutio, conueniunt aer, cum talia omnia auxilia temperata: cum verò corporis constitutio ab optima temperie recedit, tunc oportet aerem ipsum à mediocri temperie recedere, & ex consequenti alia quoque similes recessus habere debent.* Ita enim omnes status à rebus simili-

milibus secundum iustam qualitatem & quantitatem adhibitis cõseruabuntur. Non tamen magnoperè repugno, si quis aliorum interpretationem sequatur. Nam illud vtile præceptum est in sanitate tuenda, vbi aliquæ causæ salubres excedunt, alias adhibendas esse contrarias, ita, vt possint emendare illarũ vim: Vbi enim non licet nobis corpus exercere, parcius edendũ, bibendumque est: vbi calor aeris nocet, quies, cibus frigidior & liberalior potus, somnus longior ad temperandum corpus conferunt: & nunc vnum aduersus vnum: nunc plura sunt adhibenda pro vi singulorum.

Quid agendum, vbi causæ aliquæ salubres omittuntur.

καὶ ἡ τῆς συμμετρίας ὅροι μὲν τοῦ περιέχοντος, ὡς μήτε φρίττειν διὰ ψῦχος, μήθ' ἱδροῦν διὰ θάλπος

Hi vero sunt mediocritatis termini, in aere quidẽ ambiente, vt neque horreat propter frigus, neque sudet propter æstum.

Cum dixisset Galenus, corporibus optimè cõstitutis conuenire & aerem & reliqua temperata, docet nunc, quomodo illorum temperiem metiri debeamus, nempe ex effectibus, qui in nobis ab illis fiunt, & non ex ratione, aut ab eo, quod in aliis fit rebus. Nam cum temperatum ad aliquid dicatur, merito fit, vt illa dicantur à nobis temperata, quæ nos temperatè afficiunt. *Aer autem huiusmodi erit* (inquit Galenus) *qui nos ita afficit, vt neque horrorem afferat propter frigus, nec sudorem propter æstum.* Ex quo euidenter apparet, mediocres aeris excessus, à mediocri aeris temperie non excludi, si modo in vehementi ardore solis sudamus, & in frigore ingenti horremus: ita & regionem temperatam vocamus, & intelligimus non eam solum, in qua nullus vnquam est qualitatum excessus, sed in qua excessus non sunt magni: Horrorem hic non debemus intelligere vehementem illam corporis concussionem, quæ cum frigore fit in quartanis febribus paulo differentem à rigore: sed insignem frigiditatem, qualem sentimus in plurimis Italiæ locis media hyeme. Est enim Galeni sententia *in libr. de palpitatione, tremore, rigore, & conuulsione*, rigorem in sanis appellari dolorosam omnem infrigidationem; in ægris verò eo nomine nos intelligere non solum eam refrigerationem, sed simul cum illa totius corporis agitationem, & hunc fieri ab internis causis; alium verò ab externis: propterea falluntur nonnulli interpretes huius loci, qui hanc differentiam ignorantes, tradunt rigorem ab horrore non alia re differre, nisi quod hic cutis & partium cuti vicinarum, ille vero totius corporis sit affectio. Nam rigor in sanis, non est totius corporis affectus: & horror, rigorque morbosi, pariter sunt totius corporis affectiones & commotiones, vt Galenus *in libro de different. febrium*, & *in methodo medendi* ostendit, cum docet, per magis & minus eam, quæ in ipsis est, differentiam consistere: horrorem enim fieri in quartana, rigorem in tertiana. De qua re est clara sententia *in libro secundo de causis symptomatum cap. 6.* Vbi ita scribit: *tenuis, salsus, immotusq; humor, pruritum efficit: paruus, tenuis, mordens, & immotus, vlcerosos affectus creat: multus, salsus, crassus, & immotus, lepram, & scabiem: paruus tenuis, mordax cum exiguo motu horrorem parit. Quod si humor vehementius mouetur, vel copiosior, mordaciorque est, concutientem rigorem infert, non horrorem: fiuntque tum rigor, tum horror, cum causa acervata est circa cutim, & carnes cuti subiectas.* Quomodo vero fiat rigor & horror ab illis humoribus, alio loco ostendã, vbi de morboso horrore, & rigore fiet mentio. Horror autem, de quo hic agimus, nascitur ex molestia, quam sentit corpus ex aeris frigiditate: deserit enim internus calor occursu aeris frigidi externas partes, atque ita facilius eas frigus ferit, & illæ commouentur, ad rem vndiq; molestantem extrudendam. Porro sudor in aere calido non fit ob carnis colliquationem, vt quidam temerè hic docent. Nam colliquatio, vt Aristoteles *in libro de generatione animalium* ostendit, & Galenus etiam *passim*, affectus est morbosus. Fit enim sudor in aere calido, quia euocatur ad superficiem corporis aquosus humor, qui cum sanguine est mixtus, cui via patet per cutis meatus rarefactos ab eodem aere: vel quod multi vapores à corpore attollantur, qui postea quam peruenerint ad membranam cuti subiectam, densantur, & in aquosum humorem conuertuntur: & ita humoris naturam adepti, per cutis meatus effluunt, sudorque fit. Mirum etiam est, vel potius ridendum, quod illi etiam tradunt, aerem temperatum tunc esse, quando nos temperatè refrigerat per inspirationem: non autem per contactum: & ita vocatum esse temperatum ab Hippocrate, non quod aer in Vere ad tactum temperatus sit, sed quia temperatè nos refrigeret: quomodo enim refrigerandi vim habet, quod est temperatum? & vbi Hippocrates ver dixit eo modo esse temperatum? est enim (inquit Galenus *in lib. de temperamentis*) temperatum quod exactè medium sit inter omnium qualitatum excessus: tunc aer, qui est ita affectus, nec calefacit, nec refrigerat, nec humectat, nec siccat, siue inspiretur, siue extrinsecus in nos agat. Talem profectò tradit Gal. esse aerem temperatum, qui non mouet sudorem suo æstu, nec horrorem infert suo frigore: Qua quidem in re magnos oportet esse frigoris & caloris excessus, qui hæc committant, qui tamen minores sunt, videntur etiam excludendi ab aere temperato. Sæpe enim nos offendit aer calidus, qui sudorem non elicit, & frigidus, qui horrorem non commouet. Præstat ergo hoc modo dicere: quod aeris ea cõstitutio conueniat temperatis corporib. *quæ sensibiliter non calefacit, nec refrigerat, nec humectat, nec siccat, nec in substantia tenui, vel crassa, aut impura vllum habet vitium.* Gal. autem non tam videtur docere voluisse, qualis debeat esse aer conueniens optimè constitutioni corporis, quàm qualem maximè euitare debeamus. Mirum etiam illud videri non debet, quod cum dixerit, materiam medicam fieri salubrem debita qualitate & quantitate, hic solum qualitatem aeris exprimat. Nam vt in aere intemperato quantitatẽ fortè metimur ex parua aut longa in eo mora, ita qui temperatus est aer, nullos habet quantitatis gradus: perpetuo enim eo vti debet temperatum corpus.

Aerem temperatũ eum vocari, qui dum aliquo sit excessu.

Rigor quid hoc loco significet.

Rigor & horror cuius sint affectus, & quomodo differant.

Horror & sudor quomodo hic fiant.

Colliquatio.

Aeris constitutio quanã temperatis conueniat.

Ἐν δὲ τῆς γυμνασίας ὅταν πρῶτον ἄρξηται πονεῖν τὸ σῶμα, καταπαύειν εὐθύς.

In ex-

In exercitiis, cum primum lassari cœperit corpus, confestim quiescere.

Proposuit Galenus, materiam medicam fieri salubrem ob qualitatem, & quantitatem ipsius, & hos duos scopos in illius vsu maximè spectandos esse: sed statim sui instituti obliuiscitur. Nam, vt in aere nullam quantitatem docuit, sic in motu eam solam explicat, qualitatis nulla facta mentione, nisi quod postea illam laudat exercitationem, in qua æqualiter omnes corporis partes mouentur: cum tamen plurimum referat, an corpus exerceas veloci vel tardo motu, frequenti vel raro, vehementi aut debili, æquali aut inæquali, vniuersali vel particulari, id est, vbi vniuersũ corpus vel aliquæ duntaxat partes exercentur. Tempus etiam aptum exercitationi hic omittit: quod tamen docet in *libris de sanitate tuenda*. At nec quietis mentionẽ facit, cum tamen plurimum referat scire, qualem & quantam illam esse oporteat, & quomodo, quove tempore quiescendum sit, & quid post illam fieri debeat. Præterea hic nõ tam docet quantitatem exercitationis, quàm quid fugere debeamus tanquam vitiosum. Non enim vsque ad lassitudinem corpus exercendum est, siue lassitudinem intelligas in proprio significato, siue pro molestia, & defatigatione, quæ motũ sequitur. Quis enim dubitat, nos exercitationis moderatæ terminos excessisse, cum iam molestiam ex motu sentimus? quippe cum eo autore corpus temperatum excessus omnes fugere debeat. Et quis eam laudabit, quæ in corpore iam intulit tensionis, vel vlceris, aut inflãmationis sensum? quos affectus morbosos in lassitudine ex motu fieri idem autor passim docet. Quare ex natura rei, & ex aliis Gal. locis aliter res explicanda. Motus ergo, siue exercitationis qualitas eligenda tẽperata, & inter excedentes qualitates media, qualis illa est, quæ nec est velox, nec tarda, nec robusta, vel debilis, nec vehemens, nec remissa, nec contentiosa multum, aut sine contensione prorsus, sed quæ prorsus sit media inter omnes excessus: cuius quidem exempla docet Gal. *in lib. 2. de sanitate tuenda*. Quantitatem autem exercitationis, quæ media est inter paucam & multam, agnoscemus esse, non ex lassitudinis, vel molestiæ initio, quæ semper fugienda sunt in optima natura, sed vt Galenus scribit *libr. 2. de sanitate tuenda*, ex anhelitus auctione, & frequentia. Tunc enim desistendũ est ab exercitatione, cum respiratio mutata est in magnitudinem & frequentiam ex moderatis illis motionibus mediis inter omnes prædictas differentias. Porro exercitationis tempus est, inquit *cap. 2. lib. 2. de sanitate tuenda*, cum cibus duplicem concoctionem acceperit, in ventriculo inquam, & hepate, atque venis. Id, quod cognosci scribit ex vrinis mediocriter pallescentibus: tales enim vrinæ ostendunt recenter peractam esse secundam concoctionem. Nam excrementum biliosum ostendunt factum, quod non fit, nisi in ea concoctione. Excrementa autem, (vt alibi ostendimus) fiunt in omni alteratione alimenti, post concoctionem absolutam, ad quam sequitur separatio inutilis partis alimenti ab vtili. *Si verò*, (inquit Galenus) *vrina fuerit aquosa, crudum adhuc esse in hepate & venis succum ostendit, vt qua nihil adhuc bilis in se contineat: quæ verò ruffa biliosaq; est vrina, iam dudum absolutam coctionem testatur*: indicat enim natiuum calorem, qui iam absoluerit coctionem alimenti, agere in humorũ massam, & ex illius calidiore & tenuiore portione bilem elicere, & procreare. Non esse quidem exercendum corpus, cum alimentum non est cõcoctum in hepate & venis: quoniam per exercitationem crudum alimentum in corporis habitum trahitur, rectè à Galeno dictum puto. Sed cur velit exerceri corpus tunc solum, cum recenter est absoluta concoctio in hepate & venis, & non cum iam dudũ est absoluta, non video. Nam cum partes, quæ sunt in habitu corporis, nondum concoxerint suum nutrimentum, quod adhuc est in venis, cur illis non imminet idem periculũ de attractione humoris crudi? An fortè non obest hæc cruditas in alimento iam elaborato ex duplici concoctione, & plus commodi accidit corpori ex fœlici distributione, quàm incõmodi ex ea cruditate, quæ minimo momento ex partium contractu, & caloris incremento tollitur? Addo, quod peractis duabus prioribus concoctionibus, edendi tempus rursus accidat, dissoluta iam substantia ventriculi & hepatis ab innato calore: sed quoniam requiritur animalis appetitus ad illarũ partium nutritionem, & ille fieri nequit, nisi per suctionem, quæ nascitur ex euacuatione partium externarum, ideo exercitatio adhibenda est, quæ partes illas nutriat & exhauriat. Ad quæ opera sequuntur attractiones nutrimenti, & suctiones internarum partium, hepatis & ventriculi, quæ nouum cibum expetunt, cum illis inutilis sit sanguis, & alii omnes humores in venis contenti, vtpote quos iam alterauerint, & mutauerint, & pro excremento reiecerint. Admonet præterea Galenus 2. *libr. de sanitate tuenda*, prius quàm ad exercitationem accedamus, excernenda esse alui & vesicæ excrementa, & optima quidem ratione, ne scilicet aucto calore, rapiantur in corpus: sed illud omisit, quod certè tacendum non erat, quoties scilicet in die corpus sit exercẽdum: id, quód ego toties faciendum esse existimo, *quoties est edendum*. Nam si, vt Galenus tradit, exercitatio membra duriora & solidiora reddit, caloremque natiuum auget, & spiritus citatiores, & ad hæc sequuntur laborum tolerantia, fœlix distributio, alimenti concoctio, corporis nutritio, humectatio, natiui humoris in habitu corporis, & excrementorum extenuatio, expulsio, & expurpurgatio, atque apertio meatuum cutis, necesse profectò est, vt præcedat exercitatio omnem cibi ingestionem, & non magis vnam, quàm aliam. Quare mane, & vesperi hi, qui bis edunt in die, corpus exercebunt: & si temperati fuerint, vtentur prædictis motionibus, quæ nullũ habent excessum: quod si intemperati fuerint, conuenientes sibi motus quærent. Nam corpora, quæ frigidis, & crassis humoribus abundant, vehementiorem & diuturniorem postulant exercitationem, & non nisi perfectè absolutis duabus primis concoctionibus. Biliosa verò corpora, etsi Hippocrates scribit illa quiete, & aquæ potione egere, tamen ita illius sententia intelligenda est, quod his naturis leuiores motiones vtiliores sint, quàm aliæ: nullum n. corpus sine aliquo suo motu sanũ degere potest. Vt igitur biliosi leuioribus & paucioribus motibus contenti esse debent, sic nõ oberit illis hæc exercitatio, si nondum planè perfecta fuerit in venis concoctio: acrior enim illorũ calor ta-

Gal. aut sua principia reuocat.

De termino exercitationis Gal. sententia notatur.

De qualitate exercitationis.

Exercitationis verus terminus.

Tempus aptum ad exercitationẽ.

Reiiciendũ excrementa alui & vesicæ ante exercitationẽ, & cur.

Quoties in die corpus sit exercendũ, & exercitiũ vsus quis.

De modo exercitationis.

Quæ exercitatio intemperatis conueniat.

Frigidis & pituosis qualis debeatur exercitatio, qualis item biliosis.

lor talem materiam ad fœliciorem habitus corporis nutritionem expostulat. Qua ratione dicebat Gal. *in 1. lib. de alimentis*: huiusmodi temperies bubulam carnem melius, quàm saxatiles pisces côcoquere. Verbum *πονῶν*, quod Leonicenus vertit, *lassari*, melius *fatigari*, vel *molestiam pati* vertemus. Nam lassitudo affectus grauior est, quàm vt esse possit regula & meta exercitationis, nisi lassitudinem intelligamus, vt vulgus solet, pro quacumq; defatigatione, etiam si nondum accessit tensionis vel vlceris, vel inflãmationis sensus. Explodenda quoq; hic est quorundam interpretum opinio, qui volunt lassitudinem omnem ex humoribus liquefactis fieri. Nam motoria lassitudo tensiua, de qua potissimum hic intelligere debemus, si fortè lassitudo contingat ex motu in corporibus bene cõstitutis, fit solum ex tensione fibrarum musculorum, vt Gal. passim testatur.

Quiescendi ratio & modus.

Quietis verò ratio & motus non intelligitur solum in cessatione exercitationis corporis: sed etiam omnium affectionũ animi. Nam quietem quærimus, vt calor intus contineatur, aut certè æqualiter in vniuerso corpore. id quod prohibêt fieri animi cogitationes, & aliæ passiones, quæ calorem violentius commouent in vnam, vel aliam partem. Quiescendum itaq; tamdiu est, donec ea opera sint absoluta, quæ caloris quietẽm, vel æquabilem distributionem postulant: & rursus exercenda sunt alia officia, quæ sequi debent quietem. Nam post quietem, quæ sequitur modum, edendi tempus est opportunum: nec enim statim laborem sequi debet cibus, vt significare videtur Hippocrates ea sententia, quam citat Galenus *in lib. de sanitate tuenda*, quæ talis est, *Labor, cibus, potus, somnus, venus omnia mediocria*: nam ante cibum calorem dispersum per exercitationẽ, reuocare oportet quiete: sic enim melior fiet in internis partibus appetentia & concoctio: Iubet etiam Galenus *in lib. de sanitate tuenda*, vt post exercitationem, balnea, frictiones, & vnctiones adhibeamus, ad molestiam, si quæ nata est ex motu, tollendam, siccitatẽ emendandam, & ante ipsam exercitationem, ad corpus emolliendum. Adhibet pariter frictiones, & vnctiones, quib. corpus reddatur flectile, & ad omnes motus differentias subeundas aptum: quæ hoc loco non sunt omittenda, ne quid desit corpori optimè constituto ex his, quæ pertinent ad ipsam exercitationem, & illa, quæ ante & post ipsam sunt obeunda.

Post quietem quid agend.

Balneorum, frictionũ, & vnctionum vsus.

Ἐν δὲ τοῖς ἐδέσμασι, πέψεως ἀκρίβεια, καὶ περιττωμάτων συμμετρία, κατά γε τὸ ποιὸν καὶ τὸ ποσόν.

In cibis autem concoctionis perfectio, & excrementorum modus in quali quantoq; conueniens.

Docere nunc vult Galenus nutriendi rationẽ, quæ debetur corporibus optimè constitutis, sed parum fœliciter id facit. Nam cum dixisset, in omnibus rebus conseruantibus sanitatem, duos esse spectandos scopos, qualitatem, & quantitatem, hic solũ agit de quantitate, nisi quod paulo postea vno verbo dicat temperatos cibos istis conuenire. Verum cum *in lib. de sanitate tuenda*, & *in 1. lib. Aphorismorum*, & *passim alibi* docuerit, plurimum referre in nutritione, quo genere nutrimenti, & quali, & quanto, & quo modo, quoue tempore & ordine vtamur: non erant profectò eadem hoc loco omittenda, cum errores fieri possint maiores in illis, quæ omittuntur, quàm in ipsa quantitate, cuius mensuram ait ipse naturam sine doctore & Medico constituere sibi posse. Nihil præterea de potione præcipit, quæ tamen artis præcepta tanto magis, quàm cibus postulat, quanto magis in ea ob voluptatem, & bibendi facilitatem error committi potest. Hæc omnia breuiter nunc percurremus. Ac primum ego, genus alimenti in his naturis non probo, quod simplex est & semper vniforme mediocriterq; nutriens. Nam natura vnicum, & vniforme nutrimenti genus tandem auersetur: quare nec apperit, & perinde nec retinere, nec concoquere probè potest. Præterea cum in nostris corporibus aliquid sit solidum & terrenum, aliud aereum, aliud aquosum, aliud igneum, & ob exercitationes, & alia, quæ in vita obeuntur, aliquando vna substantia magis, quàm alia dissoluatur, necesse est, vt vario nutrimento vtamur, ne quid desit ad reparationem alicuius substantiæ dissolutæ. Nec illis quidem est credendum, qui ciborum varietatem concoctionem turbare credunt. Nam quæ melius appetimus, fœlicius quoque côcoquimus. Addo quod experientia quotidiana hanc opinionem refellat: nullus enim est, qui in quacunque cibatione non vtatur pane, carne, oleribus, caseo, & vino absque aliqua concoctionis perturbatione. Quod si natura hæc quotidie apperit, & sine aliquo læsionis sensu illis optimè nutritur, cur aliarum rerum vsum damnabimus? Quare placet Celsi de hac re sententia, quæ habetur *in principio sui operis*, qua præcipit, vt homo, qui sanus est, & suæ spontis, nullis se legibus obliget, & nullum genus cibi fugiat. Propterea rectè quoq; Gal. *in lib. de alimentis boni & mali succi* scribit, accuratam istam ciborum electionem necessariam esse illis, qui otiosè viuunt: eos verò, qui se exercent, (vt volumus exerceri optimam constitutionem) non esse subiectos his superstitiosis legibus. *Ergo qui optimè est affectus, alimentis illis vtatur, quæ appetet in omnium vsu posita.*

Alimentorum varietatem potius quam simplicitatem probandam esse.

Quod verò ad nutrimenti quantitatem spectat, præscribit hic Galenus, tantum esse edendũ, quantum côcoqui potest, & quantum appetitur: tantum enim concoquere hanc naturam, quantum appetit. Quantum verò concoqui possit, nos conicere ex qualitate & quantitate excremẽtorum: vbi enim alui excrementa sunt concocta (id quod cognoscimus cum mediocriter sunt côpacta & bene figurata, nec grauius, quàm par sit, olent: & præterea quantitate respondent cibis ingestis) tunc agnoscimus, non plus esse assumptum alimẽti, quàm requirat corpus. Si verò liquidiora, vel torrida, & indurata fuerint, aut copiosiora, quàm quantitas & qualitas ingesti alimenti exigat, tunc diminutam, vel excedentem eam côcoctionem agnoscimus. Sic vrinæ aquosæ indicia sunt debilioris concoctionis, quæ fit in hepate. Quæ verò sunt flauæ, vel rufæ, alimentũ quodámodo assatũ in ea côcoctione declarant. Nec dissimili quidem ratione agnoscemus concoctionẽ, quæ fit in habitu corporis ex eius excremẽtis. Rusticos enim torrere illud alimentum agnoscimus, quod camisias & lintea, quæ tangunt, inficiant in-

Quantum edendum.

Digitized by Google

tenso colore flauo, & nigro: & qui otiosè viuunt, A diminutam eam concoctionem significant, quod ea fuliginosa excrementa pauciora, quàm mediocritas postulet, procreent. Sunt etiam peculiaria quædam indicia in singulis concoctionibus bene aut male concocti alimenti: Nam debiliorē ventriculi concoctionem produnt *flatus, ructus acidi, grauitas, nausea, saliuæ copia, deiecta appetentia*: excessum verò, qui in ea fit concoctione, inter alia maximè *sitis* declarat. Sed hæc alio loco commodius docebo: satis est hic capita rerum explicasse.

Ventriculi debilioris signa superfluæ concoctionis.

Verū si optima natura sibi ipsi est in hac re regula, sinemus illā liberè viuere, & appetere quantū cupit: in quo opere aliquando parum aliquādo mediocriter, aliquando vsq; ad satietatem & ebrietatem edet bibetq;. Nam huiusmodi viuendi ra- B tionem, quam nos in excessu positam credimus, natura aliquando mediocrem reddit, & ea gaudet, optimeq; habet: propterea Plato *in suis legibus*, & Celsus ebrietatem, & crapulam tanquam vtilem aliquando commendant.

Crapulā aliquando esse vtilem.

De qualitate & modo nutritionis. Edendum aliquādo manè plus quā vesperi, aliquando aliter faciendū. Tempus aptum ad edendum.

Eadem porrò est ratio de qualitate, & modo nutritionis, & tempore. Nam nostra corpora auidius aliquando appetunt quæ frigida sunt actu, quàm calida: aliquando sicca, aliquando humida actu & potentia: aliquando crassa, aliquando tenuia alimenta: aliquando vna cibatione gaudent, C aliquando bis, & ter quotidie edere expetunt: & plus aliqui cupiunt edere vesperi, quàm manè, qui scilicet, vel ita consueuerunt, vel noctem habēt, & primas horas diei liberas: quibus vero studendum est noctu, & summo mane surgendum, & legendum, liberioresque postea sunt aliæ diei horæ, illis prodest prandium lautius, quàm cœna: præsertim, si adiuncta est consuetudo, quæ maximam habet in nutritione vim. Hæc natura conueniens tempus ad edendum sibi eliget, aut facilè est illud præscribere post exercitationē, & aliquam quietem. Ordinem fortè natura sibi non præscribet, vt quæ æqualiter simul omnia appe- D tat, aut ignoret, quid præcedere debeat. Est autem optimus ordo cibandi, vt præcedant, quæ appetitum acuunt, & facilius concoqui, & corrumpi & à stomacho promptius descendere possunt.

Ordo cibationis.

Porrò vt in cibis natura ferè sibi regulam ponit, sic in potione non est opus longis præceptis. Nam æstate illa appetit frigidiorem potionem actu & potentia, & largiorē: hyeme verò huic contrariam: propterea, vbi vehemens vrget æstus, prodest his, qui bene habēt, nec frigidis malis ventriculi, aut hepatis sunt obnoxii, vt Gal. scribit, vinum bibere in puteis refrigeratum, & niuem, atque glaciem ei immiscere. Nam maximum aeris E feruorem aliter aliquando temperare non possumus. Superstitiosi quoque Medici sunt, qui peponum, cerasorum, prunorum, & aliorū fructuum humidorum vsum arcent à mensis æstate, quod dicant, crudos humores & putredini obnoxios ex his alimentis aquosis procreari: tanquam natura frustra eos fructus procreauerit, calor aeris & biliosus non postulet ad temperiem conciliandam plurimam aquosam humiditatem. Quod si aquam bibere concedimus, autore Hippocrat. & docente vsu, æstate, & biliosis naturis in omni tēpore, cur eos quoque fructus non concedemus? quid enim magis aqueum, quàm aqua: & qualem, quæso, putredinem vident excitari à moderato fructuum vsu? Sunt etiam, qui potionem à cibo penitus arceant ab omnibus corporibus, negantque vnquam bibendū esse, nisi cum edimus: quorum opinio mihi etiam non placet. Nam, vt pituitosis & aliis, qui bibunt ad voluptatem, huiusmodi potione absoluitur concoctio in ventriculo, prodest ad contemperandam crassitiem & visciditatem, quæ ex concoctione necessario accidit alimento. Addo quod somnus sæpe prohibetur, vbi siticulosi ad eum accedimus. Propterea Gal. ex Hippoc. leuem sitim somno, maiorem vero nō nisi potu tolli posse scribit, & idem suadet *in lib. de sanitate tuenda*, post peractam concoctionem in ventriculo, ad reddendam faciliorem distributionem alimenti bibendum esse.

De potionis & bibendi ratione.

Vinum niue refrigeratum multis vtile. Fructus æstiuos laudat.

De potione à cibo prorsus [illegible]

Ἰσάζει δέ πως ἐπὶ τούτων ἡ ὄρεξις τῇ πέψει, ὥστε οὐδ' ἐπιστάτου δέονται, τοῦ τὸ ποσὸν ἑκάστου τῶν προσφερομένων μετροῦντος. ἡ γὰρ ἀρίστη φύσις ὅσον ὀρέγεται, τοσοῦτον καὶ πέττει καλῶς.

Aequalis vero in his est coctionis appetitus, quodammodo: quare neq; præside egent, qui singulorum, quæ assumuntur, quantitatem metiatur: optima siquidem natura quantum appetit, tantum etiam concoquit.

Quantum sit edendum ab homine optimè cōstituto, ostendit paulo antea, cognosci posse ex cōcoctione alimenti, quam probè peractam aut excedentem, vel diminutam agnoscimus ex qualitate, & quantitate excrementorum. Nam excrementa, quæ ex concoctionibus resultant, testantur, qualis sit facta concoctio: tametsi falli in hac re possumus. Etenim excrementa, quæ ex optima concoctione resultant, aliquando ob dispositionem corporis natiuam, vel aliunde contractam, diutius retinentur, & ob eam moram sicciora, durioraq; euadunt, vt in his accidit, qui aluo sunt astricta: Aliquando vero humidiora, & liquidiora emittuntur eadem excrementa ob retentiuæ imbecillitatē, & superfluam humiditatē intestinorum, cum tamen optima præcesserit in ventriculo concoctio. Nonnunquam etiam ob celeriorem & vehementiorem distributionem, aut eandem diminutam, excrementa duriora. Contrarium verò accidit illis, qui frigidiore sunt hepate, & otiosè viuunt. Accidit etiam aliquando, vt minuatur copia, & mutetur qualitas excrementorum, aliò translata illius materia: quo modo vrina his minuitur, & minus colorata redditur, qui multum sudant: communis enim est sudoris & vrinæ materia, & cum sudore bilis, quæ vrinas tingit, effluere solet. Hæc ergo animaduertenda sunt, ante quam ex excrementorū qualitate, & quantitate iudicemus, an concoctio bona, aut mala, in alimento sit peracta. Verum in optimā constitutione, in qua nullum est vitium, excrementorum qualitas & quantitas secundum naturam, certa præbent indicia concoctionis perfectæ. Nunc verò aliud sumit indiciū ex appetentia alimenti: quod quidem est indicium a priori, vt excrementa post concoctionem sua præbēt signa: nam appetentia præcedit cōcoctionē alimenti. Scribit ergo, nos posse cognoscere, quantū optima natura edere, bibereq; debeat, quan-

Sudoris & vrinæ materiam esse communem.

quantum scil. appetit: huiusmodi enim naturam non plus appetere, quàm possit concoquere, & quàm illi sit opus ad corporis nutritionem: cuius quidem rei rationem hic nō docet, nec interpretes quærunt, aut certè malè explicant. Nam Akachias appetentiam scribit hoc loco fieri ab inanitione, & ventriculi frigiditate: sed ex his non docet, quomodo appetentia respondeat concoctioni. Nam si à frigore ventriculi fit appetentia, accidet his, quod Galenus superius dixit, fieri in illis, qui ventriculo sunt frigidiore, qui plura appetunt quàm possint concoquere. Deinde si de optima constitutione hic agimus, appetentia non fiet à frigiditate ventriculi, qui temperatus est in ea natura. Præterea absurdū est, vt antea ostendimus, intemperiem frigidam ventriculi, quæ est sine humore, & inter sanitatis limites posita, excitare cibi appetentiam: id enim fieri huius opinionis authores volunt, quod frigiditas constringat, & exprimat humorem in ventriculo contentū, ex quo sequatur illius euacuatio, & appetentia repletionis, & cibi. Nam quod huiusmodi expressionē facere potest, vel actu est frigidum, vel extrinsecum aliud, quod vim habet substantiam ventriculi, cui adhæret, exprimendi: cuiusmodi esse possunt humores acerbi, vel acidi, quales sunt humor melancholicus, & acida pituita: sed quid hoc ad frigiditatem, & qualitatē frigidam, quæ cum aliis ventriculum temperat? Illa enim, vt est cum aliis cōfusa, ita vim non habet exprimendi insitum humorem in vnam partem potius, quàm in aliam: nec in extra ventriculum ea fit expressio. Addo quod si ventriculus, qui dicitur frigidus, ex sua natiua temperie, aut alia, sine adhæsione humoris, actu calidus est, & plus habet caloris, quàm frigoris, si modo est pars hominis, & animalis viuentis: dicitur autem frigidus, *quod minus caloris habeat, quam statuat ratio conuenire ventriculo temperato.* At quod ex relatione, & nō sua natura frigidum dicitur, nō habet potentiam ad id efficiendum, quod reuera solum tribuendum est ei, quod vim habet refrigerandi. Quare alias quæramus causas huius æqualitatis appetentiæ, & cōcoctionis, quàm Gal. dicit esse in his corporibus. Fit quidem appetentia, vt alibi ostendimus, *cum sensus, qui est in orificio ventriculi, afficitur, & sensationem apprehendimus:* vnde delirantes nō fament, etiam si in sensu eo est facta affectio, quia læsa est facultas, quæ sensationes apprehendit. Afficitur quidem sensus à replentibus euacuantibus, & multis aliis causis, quæ obiecta sunt sensus tactus: sed ea solum, quæ euacuant, & ex euacuatione dissoluunt ventriculi substantiam, vim habent ad famem, & sitim excitandam: quippe cum *fames* dicatur esse *appetitus repletionis, qua fit à cibo: & sitis appetentia repletionis humoris, qui datur ex potu.* Nam cum solida substantia diminuta est, restaurationem postulat: cum humidior est dissoluta, sibi similem quoq; exigit, qua rursus pars repleatur. Replent autem, vt diximus, cibus & potus. At dissoluunt solidam substantiam multa, quæ vim habent calefaciendi, vt febres, exercitatio, vigilia, animi passiones; & quæ ventriculi orificium exprimunt, vt acida, acerba, & quæ idem calefaciunt, vt piper, & alia aromata: necnon quæ humorem ab eo abradunt aut exsiccant, vt amara, salsa. Verum quæ calefaciunt non seruato robore ipsius ventriculi, appetitum perdunt, vt in febribus, & vehementi solis æstu & superfluo labore accidit: Alia vero, quæ assumuntur vt salsa, amara, acria, possunt quidem acuere aliquo modo appetentiam: sed cum illa nascatur ex solius ventriculi euacuatione, minimo cibo satiatur: Quæ verò intrinsecus sunt genita ex vitiosis humorib. naturalem appetentiam, sed morbosam, excitant, vt in pica mulierū, & fame canina apparet. *Quare vera & naturalis appetentia in corporibus præsertim optimè constitutis fit ex euacuatione totius corporis, quæ per successionem tandem communicatur ventriculo.* Nam per insensibilem transpirationem continua actione caloris natiui primum euacuantur partes cuti vicinæ: illæ euacuatæ naturali appetitu commotæ appetunt sui conseruationem, quæ fit per repletionem, qua reparatur, quod ab illis est dissolutum: Illæ igitur cum non habeant in se nutrimentum, quo restaurari & repleri possint, trahunt à venis: quæ rursus euacuatæ, eodem desiderio impulsæ, trahūt ab aliis; atq; ita successione quadam tandem fit attractio ab ore ventriculi: quod cum non habeat intus nutrimentum sibi familiare (nam sanguinem, & materiam, ex qua sanguis est factus, postea quàm abundè ex chylo in se concocto est satiatus & repletus, pro excremento habuit, & à se reiecit, & propterea eo cōmodè amplius nutriri non potest) cogitur extrinsecus petere & animal admonere, fieri illi violentiam ex suctione aliarum partium, quæ defectu nutrimenti periclitantur: proinde natura præter naturalem appetentiam cōmunem reliquis partibus, animalem aliam (vt vocant Medici) orificii illius parti indidit ex multitudine neruorum: cuius beneficio ventriculus exquisito sensu fit præditus, & sentit illatā sibi molestiā ex suctione aliarū partium: & animal, vt diximus, admonet, vt sibi & aliis succurrat, porrecto extrinsecus alimēto. Igitur ad famem hanc excitandam primo requiritur inanitio externarum partium, & appetitus repletionis, & suctio continens, donec ad ventriculum sit peruentum: deinde suctionis sensus & apprehēsio, postremò appetētia animalis. Quamobrem meritò sibi respondent quantitas euacuationis, repletionis, concoctionis, & appetentiæ: quoniam cum hæc omnia sint naturales affectiones, necesse est, vt fiant à communi instrumento animæ, & corporis, nempe calido natiuo: is enim dissipat nostram substantiam, & ob dissipationē cogit partes desiderare suam repletionem: cui operi etiam ipse seruit, & ita autor est appetentiæ, & assumptionis alimenti. Is concoctionis est pariter instrumentum. Ad illius ergo proportionem sequuntur hæc opera: si enim parua fit ab eo dissipatio, parum attrahitur & appetitur alimenti, parum quoque concoquitur. Si vero magna fit ab eo euacuatio, seruato tamen ipsius robore, multum appetimus, multum ingerimus, & multum concoquimus: quoniam vigente ipso calido natiuo, omnia illius opera pariter vigere oportet. Propterea illud quoque rectè scribit Galenus, *optimam naturam non egere præside & Medico, qui cibi modum præscribat.* Nam si illa in aere, exercitatione, somno, vigilia, venere, & aliis, quæ calorem natiuum fouent, excitant, & augent, modum seruabit, sequentur profectò moderata euacuatio, concoctio, & appetentia, docente ipsa natura in his modum, & mensuram: quippe cum hæc ex naturali causa communi nascantur,

Margin notes:

Quomodo ex appetētia indicare liceat, an optima natura satis alimenti assumpserit. Akachiæ error.

Ventriculus quomodo dicatur calidus.

Appetentia vera alimēti quomodo fiat & à quibus causis.

Fames sitisq; quid.

Substantiam solidam dissoluentia.

Vera & naturalis appetentia in optimè constitutis corporibus vnde.

Ventriculū nutriri chylo.

Animalem appetentiam solius esse oris ventriculi.

Appetentiæ & concoctionis instrumentum.

Section letters: A, B, C, D, E

Digitized by Google

quæ non poteſt in vno opere diminutè, in alio cum exceſſu agere. Vbi autem mediocria ſemper fiunt, & ſola natura autor eſt omnium operum, ars nullum locum habet.

Οὕτω δὴ καὶ τῶν ὕπνων τὸ ποσὸν ἡ φύσις αὐτὴ μετρεῖ τοῖς ἐν ἀρίστῃ κατασκευῇ, καὶ παύονται τηνικαῦτα ὑπνοῦντες, ὅταν μηκέτι δέηται τὸ σῶμα.

Similiter & ſomno modum ipſa natura præfinit his, qui optimam corporis conſtitutionem ſunt ſortiti, & tunc à ſomno excitantur, cum corpus ampliore quiete non indiget.

Quantum dormire debeat corpus optimè cõſtitutum hoc loco, vbi cauſarum ſalubrium quantitatem quærit, docere inſtituit. Qua in re nihil docet, quod præceptis noſtræ artis comprehendi poſſit. Ait enim *naturam his corporibus ſomni menſuram præfinire*: vbi autẽ ſol natura autor eſſe poteſt eorum, quæ in nobis fieri debent, arti noſtræ quæ ad naturæ auxilium eſt comparata, nullus locus relinquitur. Quod etſi verum eſt, tamen iocundum, vtileque eſt ſcire, quot horas dormire debeat homo, qui bene eſt affectus, & quando à ſomno excitari debeat, ſi fortè extrinſecus aliquis error contingeret, qui ſomnum produceret. Eſt pariter iocundum ingeniis noſtris, nouiſſe, quid ſit, quod ſomnum finiat. Nam de his omnibus non leues extant dubitationes. Hæc enim tangũt ſomni & vigiliæ finẽ, vſum, ſucceſſionẽ, viciſſitudinemq; ſomni & vigiliæ: quæ quidẽ cognitu difficilia ſemper exiſtimaui, & de iis in *opere noſtro de ſomno & vigilia* quantum in me fuit, diligenter ſcripſi, quorum capita hic ſolum repetam, ne huic loco deſit ſua interpretatio.

De vſu & fine ſomni & vigiliæ, & Ariſt. opinio notatur.

Quietem nõ eſſe finem ſomni.

Ariſt. ſcribit, *ſomnum datum eſſe animalibus ob illorum ſalutem, nempe quietis, concoctionisq; gratia:* quem finem ex ipſo autore refellimus. Nam ſi ſomnus priuatio quædam eſt, vt ille vult, non poteſt aliquas habere differentias, nec finem. Deinde ſi ſomnus ſit ex vapore aſſurgente ex cõcoctione alimenti, fiet vtique ſomnus non ob aliquem finem, ſed ob materiæ neceſſitatem: quomodo neceſſe eſt fieri pluuiam, poſteaquam eleuati ſunt vapores in regionem aeris frigidam: & illa quidẽ deſcendit, non quod finem habeat, vt proſit vel obſit aliquibus, ſed quia non poteſt non deſcendere, poſteaquam grauitatem aquæ ſuſcepit: præterea ſi vnum, eo autore, habet per ſe proprium finem, quomodo quies & concoctio erunt fines ſomni? Vtrumque etiam finem repellere poſſumus. Nam ſi ſomnus ex vapore naſcitur, continget vtique ſæpe fieri ſomnum ex ſolo cibo & potu, vbi nullus præceſſit labor, poſt quem corpus eget quiete. Addo quod quies ſola ſine ſomno laboris ſit medicina, vt inquit Hippoc. Quare poſt corporis laborem, ſufficiet ſine ſomno, quies, vt ſæpe fieri videmus. Quod verò concoctio non ſit finis ſomni, refellunt cõmunia argumenta, nempe quod priuatio, & quæ ex neceſſitate materiæ fiunt, non poſſint eam ſibi proponere, tanquam finem. Præterea vbi inedia, labor, vigilia, cogitatio, externum frigus, ſomnum conciliant, non poteſt finis eſſe ſomni, alimenti concoctio: quæ ſæpe eſt abſoluta, vbi ſomnus ab illis cauſis fit. Hæc aduerſus Ariſt.

Concoctionẽ non eſſe finẽ ſomni.

Galeni opinio de fine ſomni confutatur.

Gal. autem vult, ſomnum eſſe datum ad cerebri recreationem & quietem. Cuius opinionem vrgent nonnullæ ex prædictis, & aliæ propriæ rationes. Nam ſi ſomnus priuatio eſt vigiliæ, quid agere poteſt? Deinde cõtingit ſæpe ſomnum fieri, vbi cerebrum nullo labore fuit defatigatum, præterea non eſt ſubſtantia cerebri, quæ laborat in vigiliis, cuius imbecillitate cogatur ſomnus fieri. Neque enim cerebro medicinam adhibemus, ad illius recreationem ex ſomno, in quo illud omnia naturæ præſidia deſerũt, ſed calori influenti. Quare ſi ſomnus ob alicuius recreationem datus eſt nobis, non ob cerebri, ſed *calidi influentis* reparationem eſt conceſſus: quod ipſe etiam *in lib. 3. de cauſis pulſuum* tradit. Aliud autem eſt, cerebrum ipſum pati per vigiliam, aliud ipſum calidum innatum, quo & cerebrum & vniuerſæ partes corporis ad ſua múnia obeunda vtuntur. Nam & diuerſa quoque ſint aliorum auxilia. Itaque cum ſomnus ipſe vim nullam habeat agendi, ſed calor ipſe, qui ſomni eſt cauſa, dum deſerit externas partes, merito dicimus ſomnum ipſum nullũ habere, nec aſſequi finem, ſed ipſum calidum influens. Quærendum igitur eſt, an contractio caloris, quæ ſomni cauſa eſt, ob aliquem finem fiat, & eundem ſemper. Porro recedit calor à ſenſoriis, vt antea diximus, ob multas cauſas, quæ omnes non mouentur ad agendum propter aliquem finem, veluti ſunt illa, quæ calorem repellunt, aut refrigerant, aut illius motum impediũt, aut ſubſtantiam digerunt: hæc enim non afficiunt nos ob eum finem, vt calor recedat à ſenſoriis, & ſomnus fiat: ſed quia aliter facere non poſſunt. Cum verò natura calorem reuocat ad concoctionem, tanquam commune inſtrumentum, quod omnibus functionibus ſeruire debet, tunc ob aliquem finem ea reuocatio fit, & ſomnus per accidens contingit. Verum non ſemper idem ſequitur ex caloris contractione, quoniam nec ipſe calor, nec materia, quæ patitur eodẽ modo ſemper habent: quo fit, vt nunc ſequatur alimenti & humorum concoctio, nunc eorum agitatio, vel conſumptio: aliquando calidi reſtauratio, vel debilitatio, vel ſuffocatio: contingit aliquando corpus refrigerari, aliquando humectari, aliquando exſiccari; aliquando grauari caput, aliquando alleuiari: aliquando inflammationes augentur, aliquando minuuntur: Deniq; pro diuerſitate corporis quod patitur, & caloris imbecillitate, robore, vehementiore, leuiore, longiore, & breuiore, eiuſdem contractione, diuerſos fieri effectus, & diuerſos ſequi fines contingit. Quod ſi corpus optimè ſit affectũ, cuiuſmodi eſt illud, de quo agimus, & cæteris rebus non naturalib. vtatur cõmodè, profectò moderatũ ſemper ſomnum efficiet. Nam nulla cauſa aderit, quæ breuiores aut longiores reddat caloris cõtractiones in viſceribus. Ac ſolum fit ſomnus in eiuſmodi corporibus, *quando natura calorem reuocat ad concoctionem: & ex ipſa concoctione aſſurgunt vapores, & cum præceſſit exercitatio, quæ calorem diſſipauit.* Atqui optimè conſtituta natura mediocriter appetit cibum & potum, mediocriterq; exercetur: quare neceſſe eſt mediocres fieri, nec diuturniores, aut breuiores, quàm ſit, caloris contractiones. igitur illa merito ſibi ſomni & vigiliæ menſuram perſcribet, ſi in aliis menſuram quoque & modum tenet. Quod verò vulgus Medicorum

Somnus cuius ſit reparatio.

Somnũ nullam habere vim agendi, nec ob id finẽ aliquem aſſequi.

Caloris contractiones quæ ſomnum faciunt, non omnes propter finem agunt.

Somnus in corporibus temperatis quando fiat.

dicorum stabili præcepto firmauit, sufficere somnum septem horarum, hoc (vt puto) experientia didicit, concoctionem, inquam, ventriculi eo numero horarum elaborari, & perfici in optimè affectis corporibus, seruantibus optimam viuendi rationem. Porro scribit Galenus tunc excitari à somno talem naturam, cum amplius non eget (inquit noster interpres) quiete, quod Græcè non legitur, & merito. Nam sic somnum intelligeremus solum factum esse ad reparationem caloris innati dissoluti ex motu. Itaque cum somnus ob concoctionem alimenti fit, causam non haberet sui finis. Quare melius Galenus scribit, tunc finiri somnum, cum eo non amplius opus habet animal: id, quod fit cum vel concoctio est absoluta, vel calor ipse satis restauratus; vt possit rursus ad sensoria redire. Aristotelis autem opinionem alibi refellimus, qui scribit, tamdiu somnum durare, donec pars pura alimenti ab impura sit separata, & quæ pura est, ad superiores partes sit delata, & impura ad inferiores: quo facto, inquit, animalia liberata ab onere cibi, excitantur. Nam tamdiu durare oportet somnum, donec victa ea sint, quæ illum pepererunt, & calorem cōtraxerunt in viscera: nec vnica potest esse huius rei causa: nec illa vnquā esse potest, quam ille tradit de separatione partis puræ ab impura: nimirū cum ipsa concoctio, quæ per somnum perficitur, omnia misceat, & vniat, nō autem separet partem vnam ab alia, & in diuersas partes, musculi, ossa, nerui, ligamenta, cartilagines, membranæ in vniuerso corpore, quæ vniformem postulant materiam, in venis contentam, vt quælibet pars possit sibi familiare alimentum sugere. At rectius præcipit idem autor *in œconomicis*, surgendū esse *ante lucem*: id enim conferre ad sanitatem, ad curam rei familiaris, & philosophiæ studiū. Id verò præstare potest corpus bene cōstitutum. At qui imbecilliore sunt ventriculo, aut vehementius laborant, vel copiosius edunt, quando noctes breuiores sunt longiorem somnum desiderant, quàm vt possint semper ante lucem surgere. An verò dormire aliqui debeant interdiu à prandio, & quomodo, & quo in loco, & deniq; omnem vim & vsum somni, *in opere nostro de somno & vigilia* exposuimus.

Somnum septem horarū sufficere optime affectis.

Arist. opinio de duratione somni notatur.

Qua hora surgendum à somno.

Καὶ δὴ καὶ οὕτως αὐτῶν διαιτωμένων, ἐν ταῖς ἐκκρίσεσιν οὐδὲν πλημμελεῖται κατὰ γαστέρα, καὶ οὖρα, καὶ ὅλον τὸ σῶμα. τὰς μὲν γὰρ ἡ συμμετρία τῶν προσφερομένων, τὴν δὲ καθ' ὅλον τὸ σῶμα διαπνοὴν, ἡ τῶν γυμνασίων ὑγιεινὴν ἀπεργάζεται.

Cumque talem victus rationem adhibueris, nullum est in eorum excrementis delictum, quæ vel per ventrem, vel per vrinæ meatus, vel per totum corpus egeruntur. Nam priora quidē ex modo eorum, quæ assumuntur, temperantur. Totum verò corpus salubriter perflari facit exercitii vsus moderatus.

Agit nunc de excrementis, sed non apertè docet, quid velit de illis docere: institutum enim illius ostendit, se duntaxat velle docere quantitatem illorum: quippe cum aliarum causarum salubrium quantitatem solum hactenus enarrauerit, & paulo postea de omnium causarū qualitate simul verba faciat. Verum verbū, quo vtitur, *quod scilicet nullum delictum in excrementis fiat*, ostendit, se velle comprehendere omnia vitia, quæ in excretione & retentione excrementorum cōtingunt. Cuius quidem Institutum nos hoc loco sequemur, quoniam vtile Medicis est, nō solum intelligere iustam quantitatem excrementorū, sed etiam qualitatem, excernēdi, modum, & tempus. Igitur si in aliis causis salubribus erratum nō fuerit, quantitas excrementorum iusta erit: Nam vel pauciora redduntur excrementa, vel vitio corporis, quod ea diutius retinet, & ficciora reddit, hi qui retentricem facultatem habent validiorem, & expultricem debiliorem, vel plura reddunt hi qui retentricem facultatem habent validiorem & expultricem debiliorem, vel plurimum mingunt: vel hæc mutantur in excremētis ob aliarum causarum malum vsum. At vitio corporis nō mutantur excrementa, si modo corpus statuitur optimè constitutum: nec quidem error in illis contingere potest ob vitium aliarum causarum salubriū, quas omnes rectè se habere ponit autor. Quare relinquitur, quod nullus error possit fieri in excremētis, & ita ratio cōcludit, fieri debere. Sed quoniam Medicus præterea requirit fidem ex effectis, ideo tradere debemus in vnoquoque scopo, quæ probantur tanquam bona. Superius docuimus, qualia oporteat esse excrementa alui, vesicæ, & habitus corporis: Neque enim omnia requirunt easdem qualitates, sed singula sibi proprias. Nam alui excrementa compacta & figurata esse oportet: quod in aliis excrementis fieri non potest. Quantitatem præterea in vrina certius exprimere possumus, quam in alui excrementis, nam paulo minus mingi, quàm bibatur, tradunt Medici: idque merito, quoniam minima portio seruari debet ex potu ad humorum vehiculum per exiguas venas: excrementa verò alui dicimus seruare debere proportionem non solum cum ciborum quantitate, sed etiam qualitate: nimirum quod ex quibusdam alimentis plura, ex aliis verò pauciora resultent excrementa. Quare incertior ratio redditur in quantitate excrementorum alui, quàm in quantitate vrinæ. Ac multo quidem minus metiri possumus quantitatem excrementorum, quæ fiunt in tertia concoctione, vt quæ continuo expirent in aerem ambientem.

Plura & pauciora cur fiat excrementa.

Excrementa alui qualia debeant esse.

De quantitate excrementorum. Potus & vrina proportio.

Porrò tempus commodum ad excernendum alui & vesicæ excrementa non docent nostri authores: mihi autem videtur tempus illud esse cōmodum ad excernenda alui excrementa, quando peracta concoctio, quæ fit in ventriculo, & distributio, siue digestio, quæ fit ab intestinis ad hepar sugentibus venis: quod quidem tempus idem nō esse potest in omnibus, vt non est par robur partium concoquentium, & attrahentium, nec eadem ratio cibationis. Vrina verò minimum postulat tempus vt excernatur: quoniam minimo temporis spatio concoquitur potus, & distribuitur ob suam tenuitatem: Verum etsi indefinitum est tempus excernendi excrementa alui, tamen naturæ optimè affectæ, post quinq; horas videntur absoluisse concoctionem, & distributionem.

Excrementorum alui cū cibo proportio.

Quod verò attinet ad modum excernendi, in quo consideramus an semel, vel pluries excremēta sint reiicienda, scribit Hippocrates *in prognosti-*

De modo excernendi excrementa.

Digitized by Google

Rapp. opinio expenditur.

cis, bis aut ter in die, & noctu semel excrementa alui esse reiicienda: quod mihi nō videtur rationi consonum. Nam cum excrementa fiant solum in concoctione alimenti, non possumus frequentius excernere, quàm edamus. Quapropter præcipiendum est toties esse exonerandum aluum, quoties edimus, nisi aliquando tam parum edamus, vt quæ resultant excrementa, minima sui quantitate expultricem facultatem irritare nequeant. Proinde qui bene sunt affecti, post aliquot horas à prandio, & manè cum surgunt à lecto, aluum solent exonerare. Somnus enim nocturnus tardat excretionem excremētorum, quæ gignuntur ex cœna. Vrina verò frequentius excernitur, quoniam minima illius portio sufficit ad vesicam stimulandam. Quod verò ad ordinem excernendi pertinet, ideo ostendit, prius esse excernenda ea excrementa, quæ primo gignuntur. Nam posteaquam genita sunt, natura non fert longam illorum consuetudinem, & in corpore moram, quippe cum inutilia sint & inimica. Quare prius mingendum, exonerandaq; aluus, quàm exercendum corpus. Nam in exercitatione vacuantur excrementa tertiæ cōcoctionis, quæ postremam habent generationem.

Ἀπέχεσθαι δὲ δηλονότι τῆς ἀμετρίας αὐτοὺς χρὴ ἁπάντων τῶν ψυχικῶν παθῶν, ὀργῆς, λύπης, θυμοῦ, φόβου, καὶ φθόνου. ἐξίστησι γὰρ καὶ ταῦτα, καὶ ἀλλοιοῖ τὸ σῶμα τῆς κατὰ φύσιν συστάσεως.

Liquet autem ab ipsis caueri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ: hæc enim alterant, atq; à naturali statu corpus auertunt.

Aliarum causarū alterantium nostrum corpus, genus, non damnauit, sed quantitatem illis præscripsit: in animi verò affectibus, contra videtur facere: Nam iram, tristitiam, furorem, timorem, inuidiam penitus arcet à corpore optimè constituto, eo quod sint (vt inquit) immoderati affectus. Verum ego aliter sentio. Nam etsi hæc inter affectus & passiones animi excellant, tamen suum quoque aliquando habent vsum, si modus illis adhibeatur. Nam vt vehementer, plurimumque irasci obest corporibus bene affectis; sic moderata ira aliquando prodest ad calorem excitandum in corde: est enim ira veluti exercitatio quædam cordis. Sed maior est istarum passionum vis & vsus in corporibus malè affectis. Nam vbi pituita, frigidiq; morbi infestant pulmonem, hepar, cor & vicinas alias partes, efficax admodū sumitur auxilium ab ira & furore: vbi verò dissoluitur corpus ex sudore, vel fluxu sanguinis, aut alia externa euacuatione, nihil vtilius est, quàm tristitiam & timorem incutere. Eodem modo gaudium & lætitia prosunt, quādo morbosæ causæ inuadunt partes internas. Habent etiam suos vsus audacia, spes, confidentia, & misericordia, concupiscentia & cæteræ passiones; quæ dicuntur esse in corde & hepate, tum ad corporis medelam, tum ad sedandas contrarias passiones. Postulat etiam cerebrum ad sui exercitationem, & natiui caloris motum ad externas partes, imaginationes, cogitationes, ratiocinationes, sensationes, plus vel minus, prout exigunt corporis affectiones, & animi officia, qui sua quoque vult exercitia, ne nimio otio torpescat. Nullum ergo genus est affectionum, quod non habeat suam vim suumq; vsum, si eo modo, & mensura adhibeatur, qua quilibet opus habet, aut illis vtamur, qui sua natura sunt mediocres.

In animi affectib. dissentit autor à Gal.

De vsu affectionum animi.

Cap. LXXXVI. De Venereis.

Ἀφροδισίων δὲ κατὰ μὲν Ἐπίκουρον οὐδεμία χρῆσις ὑγιεινή, κατὰ δὲ τὸ ἀληθές, ἐκ διαλειμμάτων τηλικούτων, ὡς ἐπὶ ταῖς χρήσεσι μήτ' ἐκλύσεως αἰσθάνεσθαι, καὶ κουφότερον αὐτὸν ἑαυτοῦ δοκεῖν γεγονέναι, καὶ εὐπνούστερον.

Venereorum vero iuxta Epicuri sententiā nullus est vsus salubris: re vera autem confert, si tantum interualli in eorum vsu adhibeatur, vt neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse se ipso homo quodammodo leuior factus, ac melius spirare videatur.

Mirum fortè videbitur, quod veneris hic mentionem faciat, cum in sex enumeratis generibus contineri non videatur: verum aliter res habet, redigi enim facilè potest ad prædicta. Non tamen illorum opinionem probo, qui venerem solum pertinere putant ad excreta & retenta. Nam ratione motus potius, quàm eius, quod excernitur, aliquibus prodest, vt postea ostendemus. Quid verò excernatur, cuius ratione aliquibus prodesse, aliis verò obesse potest, nunc doceamus. Nemo dubitat semen excerni, quod in testibus & vasis spermaticis conficitur & cōtinetur: Nam post coitum testes minores apparent. Excernitur porrò vnà cum semine plurimum spirituosæ substantiæ. Nam semen ipsum spumosum est, quale fieri non potest sine multo spiritu: iis verè, qui frequenter coeunt, sanguis quoq; excernitur, vt experientia docet. Sunt verò, qui velint, semen in toto corpore generari, sed imperfectum, & ex eo partes solidas nutriri, & id, quod ex eo superest, ad vasa seminis & testes peruenire, ibiq; elaborari, & perfici, fieriq; aptum ad animalis generationē: quorum opinionem iam antea damnauimus, & id nunc addi potest, quod ad præsentem rem pertinet. Nam, vt diximus, post excretionē seminis, sanguinē videmus excerni, perseueraret autem seminis excretio, si tot partes corporis semen conficerent. Illud enim testes potius attraherent, quàm sanguinem, tanquam sibi magis familiare. Nec mirum esse debet, quomodo vacuatis testibus, repetito coitu statim rursus fiat, & excernatur semen. Nam sanguinis portio, ex quo semen conficitur, est maximè pinguis & oleosa. Et proptereà facilè alterari, & à testibus mutari potest in semen, præsertim in iuuenibus, in quibus plurimū abundat huius humoris. Hoc autem album fit, *quoniam testes ipsi, vasaq; spermatica sunt alba, quæ per contactum agunt & sibi assimilando concoquunt*, ac vim, quam habent insitam, semini indūt, nempe formam hominis, vel alterius animalis, quod semen gignit: nam cum animal semel facit, (vt alibi ostendimus) animal gignit. Porro semen ipsum excrementū quidem est, vt Arist. inquit, nō quidē substantia & qualitate, sed quantitate: quomodo etiam sanguinis copia superflua corpus grauat, & excrementū esse dicitur, quoniam excretio-

Venus ad quod genus causæ salubris redigi debeat.

Quid in venerea excernatur.

Semen vnde album.

Semen quomodo sit excrementum.

cretionem postulat. Id igitur, quod in sanguine est purissimum pingue, & oleosum, quantitateque superfluum, testes ad se alliciunt ex omnibus corporis partibus argumento, quod saepe sanguinis copia sit molesta in multis aetatibus, vbi semen non amplius abundat, eo quod minimum gignatur amplius ex oleosa & puriore ea substātia. Verum cum testes euacuantur, & venerem sollicitamus irritamentis externis, tunc cogūtur illi sanguinem attrahere non ita familiarem, & ex eo semen conficere. Quod si frequentior adhuc adhibeatur venus, non tantum potest confici seminis à testibus, quantum requiritur ad venerem explendam. Quare sanguis tunc educitur. Excernitur ergo in venere vt plurimum semen elaboratum, aliquando vero male confectum, nonnunquam vero sanguis. Caeterum non solum haec, sed etiam plurimus spiritus educitur, ac non solum ille, qui cum semine est, sed etiam qui in arteriis & venis continetur, nec per habitum corporis commode transpirare potest ob illorum vasorū densitatem. Apta autem est huic excretioni via per vasa spermatica, quae quidē ab arteria, & vena magna enascuntur. Ac spiritus illius euacuationem ostendunt debilitates, quae per coitum immoderatum accidunt. Non enim ex ipsius seminis excretione solum illae contingere possunt, quod iam à corpore est separatum tanquam excrementum: sed magna ex parte illae contingunt, excreto eo spiritu, cuius beneficio vniuersum corpus robur suum retinet, cum vegetus ille est, & certa mensura abundat: Quo etiam retento (vt postea ostendemus) animalia concitantur, & vt aiunt Medici turgent ad venerem, acciduntq; ea mala, quae ex semine retento fieri dicuntur. Sunt vero, qui putāt etiam pituitam in vsu veneris exire: atque (vt puto) eo adducti, quod venus pituitosos adiuuat. Sed illi turpiter falluntur: nam experientia docet, nihil tale à nobis excerni per meatus venereos: aut si quid excernitur, tantillū profecto est, vt respondere non possit maximo iuuamento, quod pituitosis ex venere contingit. Alia ergo ratione, nempe ob motum, vt iam docebimus, illis prodest venus. Sequitur, vt veneris intermissae, & exercitatae vim & facultatem enarremus: ita enim postea intelligemus, quibus illa prodesse, aut obesse possit. Porro si in venere excernitur excremētum, quod quantitate grauat, & spiritus, qui in venis & arteriis continetur, necesse est, vt cum venus intermittitur, accidant multa & varia symptomata pro quantitate, & qualitate seminis excrementi abundantis, & ipsius spiritus, qui cum semine retinetur & corporum varietate. Nam si excrementum multum est, maior sequitur in corpore grauitas: & si acre simul est, non solum grauitas, sed ingens quidam stimulus, & appetitus excitatur ad venerem exercendam, qui maxime augetur ex spiritu acri, & se libere per vniuersum corpus mouente. At si spiritus est multus, prohibita ex venis & arteriis transpiratione, suffocatur calor, praesertim si fuliginosi sint spiritus: Vnde contingunt mulieribus, rigor, frigus, deliria, vteri suffocationes, deiecta in omnibus appetentia: haec enim sequuntur retentionem spiritus, & caloris natiui suffocationem. Nam absurdum est credere, frigidos effectus, qui cessante venere fiunt, nasci refrigerato & extincto calore; vel quod ex semine ipso nascantur, quod vim habeat refrigerandi, vt illi volunt. Nam aliud est refrigerari & extingui calorem, aliud suffocari, vt aliud est extingui ignem ab aqua, ab eo, quod est eundem perimi ex suffocatione nata ex fumo, qui ab eo eleuatur, & exire nequit. Differentia etiam haec cognoscitur in nostris corporibus, quae ab aere frigido extinguuntur, & pereunt, aut laqueo iniecto ceruici prohibita respiratione suffocantur. Vtrumque enim affectionis genus frigidos affectus inducit, sed non eodem modo. Nec semen quidem habet vim refrigerandi, si ipsum est calidum & humidum, vt Gal. *lib. 1. de sanit. tuenda* docet. Refrigerationes igitur, & frigidi affectus, qui nascuntur in illis, qui venere non vtuntur, non fiunt vtique immediate ex semine ipso retento, quod veneni (vt aiunt) habet vim: quod habere non potest substantia ita pura & elaborata; nec quod retentum illud corrumpatur: id enim in propriis vasis à suo calore pati non potest: sed quia retento semine, simul retinetur spiritus, & vapor in venis & arteriis conclusus, qui calorem suffocat: ad id vero sequuntur plurima accidentia, pro spiritus (vt diximus) qualitate & quantitate, & corporum differentia. Nam rara corpora & exsiccata, vel frigidiora, vel graciliora, & pauco sanguine praedita, minus ab his patiuntur: etenim in his paucum seminis & spiritus gignitur, & genitum prompte transpirat per occultos meatus à corpore: in aliis vero contrarium accidit. Vnde viduae mulieres, quae sunt boni habitus, & succi plenae, ex multitudine; nigrae vero, barbatae & viragines ex fuligine spirituum potius patiuntur sua mala: mulieribus praeterea peculiari quadam ratione ex venere intermissa accidunt mala, quoniam vterum habent, qui, vt Plato ait, animal est suos habens motus, & viri pudendo gaudet, virilique semine, tanquam dulcissimo pabulo, satiatur, temperaturque, tanquam rore quodam suauissimo perfusus: mirumque non est, si haec mala nec venae sectione, nec purgatione curantur: propria enim haec non sunt auxilia: sed, vt dici solet *mater vult patrem* quod si aliquando videntur prodesse, ideo fit, quod vires demoliatur, in quo statu motus debiliores fiunt. At vero si ex semine retento gignuntur haec, & tot alia mala, cur est, quod castrata animalia nullum sentiunt incommodum ex sanguine retento, qui superabundat, & ex quo in aliis fit semen? Haec dubitatio euidenter refellit eorum opinionem, qui dicunt semen in omnibus partibus solidis fieri, sed imperfectum. Nam si ita esset, oporteret profecto similia accidentia excitari in iis, qui castrati sunt, vt in aliis, qui venerem exercere possunt: Nam in vtrisque semen factum grauaret, tanquam superfluum excrementum. Nec obest, quod in aliquibus perfectum & plane elaboratum sit, in aliis vero non ita perfectum. Nam si semen est, cum adhuc est in partibus solidis, pariet profecto effectus seminis, & conferet & oberit illius retentio, pari modo in iis, vt in aliis. Ego vero arbitror, castrata animalia non offendi ex sanguine, qui in aliis vertitur in semen, quoniam frigidiora facta pinguescunt, *mutato eo sanguine in pinguedinem.* Ex quo etiam confirmatur, quod dicebamus, semen non ex quacunque sanguinis parte, sed ex ea, quae aerea, pinguis, & oleosa est, fieri: talis enim est pinguedinis materia: quare *non mirum est, si deficientibus pudendis, & testibus, quae cum*

Debilitates ex superfluo coitu vnde contingant.

Pituita non excernitur in coitu.

Veneris vsus & intermissae vis.

Frigidi affectus, qui retento semine fiunt, quam habeant causam.

Semen retentum non habere vim veneni, nec corrumpi posse.

Cur castrata animalia ex materia seminis non laedantur.

Cur castrata animalia pinguescant.

materiam alliciunt, pinguescant animalia: nam in carnem, aut aliam substantiã, quod ita est pingue, mutari non potest. At si sanguinis ea materia retenta non offendit castrata, cur pariter non lædit omnia integra animalia? An id (vt diximus) fit, quoniam non est par quantitas, nec similes qualitates materiæ, ex qua fit semen? & differunt etiam spiritus, & corpora, in quibus hæc fiunt & continentur? An vero & aliquid tribuere debemus consuetudini & naturæ testium? nam, qui venere vti consueuerunt, grauius afficiuntur, quã alii: magna enim est res, consuetudo, præsertim in excretionibus, vt docent menses retendi, & hæmorrhoides, quæ plurima & mira malorum genera excitant. Cæterum qui testes habent amplos & calidos, illi plurimum seminalis materiæ trahunt à venis & corpore vniuerso: vnde testes facile replentur, & repleti, nisi sequatur euacuatio, mala inferunt corpori. Atque hæc sufficiant de commodis, & incommodis, quæ nascantur ex cessatione veneris. Nunc vero sequitur, vt enarremus, quid præstare possit venus, cum exercetur.

Consuetudo quantum valeat in excretionibus.

Quid veneris vsus efficere possit.

Quam quidem rem maiores nostri non recte expresserunt. Nam Galenus, quem postea Medici alii sequuntur, scribit *in libris de sanitate tuenda*, venerem esse duntaxat ætatis florentis, & semine abundantium: ideo pueris non conuenire, quia illi semen non gignunt, nec senibus, qui, vt ait, fœcundum semen non procreant. Eandem prodesse etiam pituitosis, robustis, & iis, qui abundant fuliginosis excrementis, scribit *in libris de morbis vulgaribus*: in quibus etiam, & *passim alibi*, tradit, venerem nocere neruis, podagræ: quando etiam inquit Hippocrates, neminem podagra ante vsum veneris laborare posse: cerebrum quoque lædit & nephriticos, epilepticos, melancholicos: Ac, vt idem author tradit, stomachum labefactat, corpus refrigerat, & siccat, minuit, debilitatque: quã sententiam secutus Virgilius scribit, *eadem mala ex Venere & Baccho nasci*. Verum nemo arte & methodo intelligere potest, quibus prosit, aut obsit venus, qui prius non intellexerit, quid ea simpliciter, aut secundum suas differentias præstare possit. Aliud enim facit moderata venus, aliud superflua, aliud patiuntur à venere temperata corpora, quam intemperata, & plena, quam vacua, & bene sana, quam quæ certis morbis sunt obnoxia, & plurimum refert, cum quibus venerem exerceas. Præterea, quod scribit, senibus non conuenire venerem, eo quod illi semen fœcundum non emittant, pertinent ad ciuilem facultatem, & Platonis Remp. cuius officium est, procreationis curam habere, ne pereat hominum species: Medici autem est tradere, quod nobis est salubre, vel insalubre, vt ipse Gal. *hoc ipso libro* docet. Ergo quid venus præstare possit, ostendamus. Si illa semen & spiritum multum euacuat: commouetque corpus, & mira voluptate afficit, semenque ex pura ea, atque abundante in corpore sanguinis portione conficitur, necesse est, ex venere sequi commoda illis duntaxat, qui euacuatione prædictarum rerũ opus habent: propterea pueris non conuenit, quia semen in nutritionem & corporis incrementum absumitur, facileque transpirant ob mollitiem vapores, qui in illis gignuntur. Senibus etiam non conuenit, quia deest propria materia ad se- [illegible]

Quid, pro quo, & se possit venus.

Quid absit.

dum & aqueum, non aereum & pinguem sanguinem procreant: ac ob frigiditatem corporis paucos spiritus efficiunt, quibus egent ad suas actiones vtcunq, obeundas. Aetas vero, in qua sistitur incrementum, commode iam potest vti venere: quia plurimum sanguinis adhuc procreat, & spiritus fuliginosos, qui exitum desiderant: & quamdiu durat florida illa ætas, non nocet venus, si moderate exercetur. Ac experientia quidem docuit, semel in die naturali sine noxa illam exerceri posse ab iis, qui in ea ætate optime sunt affecti; ea igitur venus, quæ moderata est, in iis non calefacit, non refrigerat, non humectat, non siccat, non debilitat, non roborat, sed temperat, & mediocritatem comparat. Nam si euacuatur, quod est excrementum & superfluum in corpore, & eiiciuntur fuliginosi vapores à venis, & arteriis, ex eiusque vsu moderate commouetur corpus, aliud sequi non potest, quam mediocritas. At si immoderate exerceatur, sequentur vtique ea mala, quæ nasci solent & possunt ex spirituum & puri sanguinis consumptione: vires enim debilitari oportet, corpus minui, & veluti tabescere, crudelitatibus abundare, sensus omnes, rationem & alia omnia animi officia perperam exerceri & iis malis subiici oportet quasdam partes magis, quam alias: & quædam corpora facilius, quam alia hæc incommoda sentiunt. Nam cerebrum, artus, stomachus, nerui, & cæteræ partes frigidæ venere offenduntur, propterea quod spirituosa substantia cum calido innato dissoluitur: hanc vero dissolutionem difficilius ferunt frigidæ partes, quam aliæ. Sic sane siccæ partes alia ratione læduntur, quoniam venus exsiccat, semine & sanguine euacuato. Podagra laborantibus obest, ob prædictas rationes, nempe ob euacuationem calidæ & spirituosæ substantiæ, ad quam sequitur neruosarum partium debilitatio, & excrementorum maior copia: tum etiam ob eam commotionem, quam venus requirit, ex qua humores, & fluxiones commouentur: ob easdem causas videtur epilepticis obesse & nephriticis: nam agitatis renibus & excalefactis, & facilius trahitur pituita, & attracta promptius in calculum concrescit. Suppeditat etiam venus his vberioris pituitæ copiam, materiam calculi, debilitato natiuo calore: *tametsi ad curationem præsentis calculi prodesse potest*: Nam motus, qui ad venerem requiritur, hærentem in renibus materiam agitat, & meatus, per quos illa transit, latiores reddit. Ac melancholicos ob frigiditatẽ & siccitatẽ offendit: Cæterum prodest venus melancholicis, si moderate adhibeatur, quoniam animum exhilarat, & vapores crassos & tetros, qui animo veluti tenebras inducunt, educit: & quoniam calorem ex motu excitat, quo illi egent ad frigidum & crassum humorem vincendum. Propterea recte scribit Arist. *in 4. sect. Problematum*, melancholicos esse libidinosos, *quia flatu redundant*: flatus enim ad erectionem concauæ partis & spongiosæ substantiæ pudendi virilis plurimum facit; quo fit, vt emisso crepitu ventris pudendum tensionem & erectionem amittat. Qui vero putant melancholicos ideo salaces esse, quod semen & serosam humiditatem gignant acrem, quæ pruritum & venerem excitet, falluntur: Nam cum melancholici sint frigidi & sicci, talem substantiam generare nequeunt; flatuosos vero eos esse [illegible] Gal. pitui-

tosos

Venus cur & quib. pituitosis prosit in quo Arist. opin. reprobatur.

solis robustis venerem esse ex vsu: quod male A Aristot. putat *in problematis* fieri eo quod cum semine multum pituitæ à corpore dettrahatur: nam id antea, fieri non posse. ostendimus. Sed cum huiusmodi corpora sint admodum frigida, venerem expedire non possunt absque magna & longa corporis agitatione: ex qua corpus vehementius calescit: calor autem huiusmodi frigidis & humidis prodest magis, quam obsit refrigeratio, quæ ex seminis excretione sequitur. Quod vero venus conferat etiam in temperaturis fuliginosis excrementis abundantibus, contraria est ratio. Nam plurimum vaporis fuliginosi, & feruentis educitur ex quo corpus refrigeratur & temperatur: motu vero non calefaciunt, quoniam tales natura facile venerem finiunt. Si tamen huiusmodi corpora pergant venere vti, plurimum exsiccantur, & accenduntur facile: tum quod B euacuetur aerea substantia seminalis, quæ veluti frænum erat aduersus biliosos humores: tum quod corpus exsiccatum, prompte corripiatur à calore & biliosis morbis. Propterea æstate viris præsertim biliosis, mulieribus vero hyeme magis nocet venus. Nam vt Aristotel. etiam *in Problematis* scribit, æstate viris minuuntur vires mulieribus augentur: hæ enim frigidæ illi vero calidi, excessus autem omnes contrariis contemperantur. Ergo si venus prodest, eo, quod semen, grauans corpus & vapores spiritusque idem agitantes, veluti quendam furorem inducentes, & tandem suffocantes natiuum colorem, euacuet, & quoniam C calorem excitat motu, & voluptatem parit, atque lætitiam in corpore & animo excitat: si præterea nocet, quia sanguinem & spiritus detrahit; quibus aliquando corpus eget, sequitur vt diuersi nascantur effectus ex veneris vsu. Nam contingit aliquando corpora debilitari, aliquando roborari, aliquando leuiora seipsis fieri, aliquando molestari, aliquando refrigerari, aliquando calefieri, aliquando temperari, aliquando exsiccari, aliquando mediocritatem in repletione & euacuatione fieri: aliquando sequitur lætitia, aliquando tristitia, aliquando sanitas aliquando morbus & mors: hæc enim vacuationes cohibitas, & mediocriter, vel præter modum factas seminis, sang- D uinis & spiritus, pro diuersitate corporum sequi solent. Nec aliquid commune omnibus tradi potest, nisi in optima constitutione, vt alia omnia præcepta medica de ea intelligantur, nisi peculiaris mentio de aliis fiat. Ad illam igitur respiciens recte scribit Galenus, venerem vtilem esse, si ea mensura adhibeatur, vt non exoluat corpus, sed leuius, faciliusque spirans reddat: hæc enim ostendunt, solum esse à corpore detractum, quod superfluum erat ex sanguine, & vapores illos, qui E tensionem & difficilem spirationem excitabant, expirasse. Verum veneris mediocritatem metitur Galenus ex certo interuallo, in quo superfluum excrementum in generatione seminis, & spiritus illi arteriis, ac venis potissimum coaceruantur, tamen mediocritatem hanc ex vno actu venereo, illi moderate se in ea gerunt, si coeundum illis fuerat: si vero ab vtero muliebri se sugi longa mora patiantur post liberas & primas seminis excretiones, quas viri ipsi præstant, hoc mediocritatem excedit, & vim corpori infert.

ὁ δὲ καιρὸς τῆς χρήσεως, ὅταν ἀκριβῶς μέσον ᾖ τῆς ἔξωθεν περιστάσεων ἁπασῶν τὸ σῶμα, μήθ' ὑπερπεπληρωμένον, μήτ' ἐνδεές, μήθ' ὑπερεψυγμένον, μήθ' ὑπερτεθερμασμένον, ἢ ἐξηρασμένον, ἢ ὑγρασμένον ἀμέτρως.

Tempus vero ad vtendum oportunum, cum omnium in rerum circumstantium exquisita mediocritate corpus fuerit constitutum, cum scilicet neque supra modum plenum, neque vacuum extiterit, aut in calore, aut frigore, aut, siccitate aut humiditate excesserit corpus.

Gal. notat qui principia sua non seruat.

Antea contendebat, præter qualitatem & quantitatem non esse addendam occasionem, vt B res alterantes nostrum corpus fiant salubres: nunc vero tempus opportunum in vsu veneris quærit suæ opinionis immemor. Sed vt diximus præstat in omnibus causis salubribus occasionem præter qualitatem & quantitatem addere. Porro tempus opportunum ad venerem exercendam illud statuit esse, in quo corpus nec plenum est, nec vacuum, nec excessum patitur in aliqua qualitate aut in alia re. plenum, aut vacuum corpus, sunt, qui solum intelligant cibo vel potu plenum, vel vacuum: tunc enim non esse prorumpendum in venerem, cum ventriculus plenus est cibo & potu: sed illi falluntur. Nam etsi tunc nocet venus, quia ex concussione corporis crudum alimentum C distribuitur in venas & hepar, & seminis spiritusque emissione natiuus calor minuitur, concoctioque labefactatur: tamen quod scribit, non esse adhibendam venerem, cum vacuum est corpus, ostendit non obesse solum stomacho pleno: non enim nocet venus, si vacuo stomacho adhibeatur. Præterea qui admodum pleni sunt humoribus ex commotione veneris sæpe incidunt in morbum comitialem, vel in attonitum, aut in podagram, vel in alios, qui ex fluxione & repletione nascuntur, damnat ergo totius corporis repletionem & euacuationem, & eam quidem non omnem, sed admodum excedentem. Nam plenum semine D spiritu, & sanguine ex quo fit semẽ, oportet corpus esse, si modo venus prodesse debet: & prodest, quia quod superfluum est in his, educit: vacuis vero corporibus, i. quibus deest bonorũ humorum copia, obest quia ab illis detrahitur, quod est ad nutritionem necessarium: quod si corpus recẽter sit excalefactũ, vel ab exercitatione, aut ira, aut alia causa, tunc à venere abstinẽdum est: quoniam venus exercetur cum motu, qui calorem auget. Eodem modo si refrigeratum est corpus ab euidẽ- E ti aliqua causa, tunc etiam tempus est importunum. Nam venus refrigerat ob excretionem seminis & spiritus. Ad id pertinet, quod quærit Arist. *in problematis* cur nuditas pedum rei venereæ obest, & respondet, oportere corpus quod concubiturum est, esse calidum intus & humidũ: nuditatem vero pedum siccare, atque refrigerare. Propterea *difficile, aut impossibile esse, vt res agatur venerea, nisi pedibus calidis*, frigus ergo corporis venerem impedit, & facit, vt venus ipsa obsit. Exsiccatos autem magnopere lædit venus, *vt quæ aliam siccitatem addat corpori euacuatione seminis & spiritus.* Eos vero, qui supra modum sunt humectati, alia ratione ostendit, quod calo-

Plenum corpus hic quomodo intelligendum.

Corporibus plenis cur noceat venus & quomodo vacuis.

Excalefactis & refrigeratis cur noceat.

Nuditas pedum cur rei venereæ obsit.

Cur obsit venus exsiccatis, & cur simul etiam humectatis.

re detracto, humor nec concoqui, nec regi commode potest.

Verum ex his docet Gal. quando venus fugienda sit, & ineunda quidem in vniuersali quodam tempore verum particularem occasionem, & momentum illud temporis, quod maiorem in omni re difficultatem parit, non explicat. Est enim necessarium, vt is qui præcepta salubria tradit, doceat, an ante cibum, somnum, exercitationem, & excretionem excrementorum, vel post hæc conueniat venus: ita enim certior omnibus fiet regula. Præterea quo tempore anni maiore commodo, & minore noxa venus celebrari possit, ignorandum non est. Hæc enim & similes aliæ animaduersiones faciunt, vt minus erremus in rerum vsu. Igitur sunt, qui venerem exerceri velint, cum post cœnam ad somnum accedimus: sequi enim eam somnum, qui in viris diminutas vires ex venere, restaurat: & in mulieribus ad retinendum viri semen & conceptum confert. Verum hos refellit, quod antea diximus de corpore pleno. Nam stomacho adhuc pleno cibo obest venus. præterea experientia docuit ratione confirmata, venerem eo tempore, non nisi fœminas generare: Nam calor natiuus & spiritus iam reuocati ad concoctionem alimenti, semen minus fœcundum & elaboratum reddunt. Quamobrem præstat sequi Hip. sententiam, qui post laborem, cibum, potum, & somnum, venerem ineundam esse præcipit. Tunc enim vtimur corpus in optimo statu ad concumbendum & generandum, constitutum: sed prius excrementa alui & vesicæ sunt eiicienda, Nam, vt inquit Arist. *in problematis*, qui mingendi desiderio tenentur, concubere nequeunt: quoniam meatus implentur vrina, ita, vt nullum præterea humorem possint suscipere; vel potius dicendum est meatus legendum puto seminarios vrinarios, qui in virili membro sunt, comprimi ex subiectis vrinæ canalibus, & ceruice vesicæ (non enim illi vrina replentur) ergo mingendi desiderium seminis excretionem impedit. Sed vt ille *in alio problemate* scribit, id facit ad vehementiorem penis tensionem, & incrementum. Nam plena vesica, illius ceruix, & propterea etiam pudendum, quod cum ea est coniunctum, simul augetur, accedente ea tensione, quæ ex flatu distendēte viam seminis contingit. Non enim (vt inquit Arist.) tumescit penis ex semine per angusta promoto, sed inflato canali ipsius virilis membri, qui cauus est & spongiosus, ex spiritu ab arteriis effuso. Cæterum alui excrementa si grauant, eiicienda sunt ante coitum: propterea quod ex motu agitantur, & rapiuntur in corpus.

An Venus exercenda post cœnam ante somnū. Venerem à cibo fœminas procreare.

Arist. opin. de tensione penis notatur.

Porro inter anni tempora Ver aptissimum est ad venerem: tunc enim corpora bono & pingui sanguine abundant, & in optima temperie sunt posita, & robusta effecta. Id quod etiam reliqua animalia ostendunt: quæ eo tempore maxime lasciuiunt, & venerem appetunt, concipiuntque promptissime, vnde scribit Celsus neque æstate, neque autumno vtilis venus est. Mulieres tamen (vt ante diximus) salaciores sunt æstate: *eo enim tempore illæ optime valent, robustaque sunt, ac ex calore, seminisque acrimonia libentius, & promptius in venerem prosiliunt: quanquā illis nullo vnquam tempore obsit.* quia minore agitatione & labore se explicant à venere, & rarius semen emittunt, qua ratione fit, vt minore noxa coeant, quam viri, & semper ad eam sint paratæ: quod haud quaquam accideret, si semper, vt viri, semen excernerent. Itaque cum scriberem de his rebus & per iocum rogassem à quibusdam nobilibus mulieribus, quæ forte conuenerant ad ægrotum, quem ego curabam, inuisendum, quid illæ sentirent in controuersia inter Hipp. & alios Medicos de hora concubitus: matrona, quæ inter alias erat huius negotii admodum perita, quod tres viros habuisset, facete admodum respondit, vtrosque errare: nam & ante & post somnum venerem exercendam esse. Sic enim occasionam dari, vt vel fœmina, vel mas gignatur.

Vere aptissimam esse Venerem.

Mulieres cur æstate sint Sa[illegible]res.

Venerem mulieribus nullo tempore obesse.

Iudicium Mulieris, num ante aut post somnum venus sit exercenda.

Εἰ δὲ καὶ διαμαρτάνειν τι, σμικρὸν ἔσται τὸ διαμαρτανόμενον. ἄμεινον δὲ τεθερμασμένῳ μᾶλλον ἢ ὑπεψυγμένῳ, καὶ ὑπερπεπληρωμένῳ, ἢ ἐνδεεῖ καὶ ὑγρασμένῳ, ἢ ἐξηρασμένῳ τῷ σώματι κεχρῆσθαι τοῖς ἀφροδισίοις.

Quod si aberrare contigerit, paruus sit error. Melius autem illi excalefacto magis, quam infrigidato & pleno, quam vacuo. & humecto potius corpore, quam exsiccato, vti venereis.

Posteaquam descripsit Gale. tempus commodum ad veneris vsum docet nunc quando minori noxa venus exerceri possit, si forte intempestiue adhibeatur, & dicit melius esse coire, cum corpus est excalefactum, quam cum est refrigeratum, & cum plenum est, quam cum est vacuum: in qua quidem re ego idem plane sentio de pleno, & vacuo corpore: nam his, qui ieiunio sunt emaciati, non potest venus, non esse penitus noxia, vt quæ corpus exsiccet, & vires in his demoliatur. Verum de corporibus excalefactis & refrigeratis aliter sentiendum esse puto. Nam feruente corpore ex labore, aut alia causa calefaciente, & dissoluente, addere nouum calorem & dissolutionem aliam ex motu venereo, periculum non paruum est: frigus vero ex amplexu & commotione corporis statim mitescit, remediumque ex venere sumit.

Gal. hæc sententia exponitur.

Ποιότητα δὲ ἑκάστου τῶν εἰρημένων ἐπὶ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς ἐκλεγέσθαι. γυμνάσια μὲν ἐν ᾧ πάντα τὰ μόρια τοῦ σώματος ἀνάλογον κινεῖται, καὶ μὴ τὸ μὲν ὑπερπονεῖν, τὸ δὲ ἐνδεέστερον πονεῖν.

Horum autem singulorum, quæ dicta sunt, qualitas in optima corporis constitutione est eligenda, exercitii quidem, in quo totius corporis partes æqua proportione mouentur, ita, vt non aliæ, quidem vltra modum fatigentur, aliæ vero citra.

Proposuit Gal. in omnibus causis alterantibus nostrum corpus, duos esse scopos considerandos, quantitatem & qualitatem, & videtur hactenus de sola quantitate egisse: quare nunc breuiter in omnibus causis salubribus qualitatem quærit: & primum,

primum agit de exercitatione, quam dicit debere esse eius generis & qualitatis, vt æqua proportione vniuersas corporis partes moueat: & recte quidem dixit *æqua porportione mouere corporis partes*. Non enim prorsus æqualiter moueri omnes possunt: Nam *articuli & partes musculosæ præcipue, & maxime mouentur: alia vero quodammodo per accidens, ex illarum motu sentiunt calorem, & alia commoda & incommoda*, quæ parit exercitatio & motus. Verum debebat hic addere alias differentias & qualitates exercitationis, quas ponit conuenire *lib. 2. & 3. de sanit. tuen.* corporibus optime constitutis. Oportet enim illa exerceri motibus, qui medii inter celeres & tardos, vehementes & debiles, frequentes & raros, & per alias differentias motus, quas illic expressit. Quod vero hic dicit de motu partium corporis, idem intelligendũ de motu animi. Non enim torpescere oportet animum, aut nimium incitari, dum corpus exercetur, sed moderatis motibus vtrumq; vti oportet: ac vbi vehementius alterutro laborandum est, in alio quiescendum: tanta enim volentia nostra compositio sustinere nequit. Porro venatio & ludus paruæ pilæ videntur animum & corpus æqualiter & optime exercere: Equitatio vero his magis conuenit, qui ventriculo & intestinis sunt imbecillioribus: Ambulatio potissimum crura & coxas commouet. Cantus & clara vox exercitatio quædam est pulmonis, & pectoris. At, qui brachiis obeuntur, ceruicem, spinam dorsi, & humeros exercent plus, quam alias partes. Oportet igitur Medicum non esse ignarum omnium differentiarũ exercitationis, vt possit corpori optime cõstituto adhibere illa exercitia, quæ sunt idonea ad vniuersum corpus & singulas partes apte mouendas.

Quæ partes præcipue & maxime mouẽtur, & quæ per accidens.

Venatio & ludus pilæ paruæ, quid prosit.

Equitatio

Quid ambulatio.

Cantus.

Τῶν δὲ ἐσθιομένων τε καὶ πινομένων, τὸ εὖ κρατότατον. ταῦτα γὰρ οἰκειότερα ταῖς εὖ κεκραμέναις φύσεσιν.

Cibi autem & potus optimam habeant temperiem. Sunt enim naturæ conuenientiores, quæ optima fuerint prædita temperatura.

Nunc agit de qualitate ciborum, in quibus solum exprimit primas qualitates, cum docet, *optimæ constitutioni competere temperatos cibos*: quod ita notum est, vt præceptis non egeat: quæ vero difficiliora sunt, omittit, genus, inquam, alimenti. An simplex, vel varium conueniat: de qua re nos antea egimus. Conuenit etiam cibus, qui mediocriter nutriat: nec nimis solidum, aut fluxile, aut crassum, aut viscidum aut nimis tenue, vel friabile præbeat alimentum: quique nec citius, nec tardius, quam mediocritas postulet, nutrit, aut distribuitur per corpus. Docere præterea debebat quo tempore, & quoties, & quo ordine cibari debeat, qui optime est affectus. Hæc enim, quæ alibi docet, non erant hoc loco prætermittenda: si modo instituit in hoc opere capita totius artis attingere & breuiter commemorare, quæ alibi prolixius enarrauit.

Qualitas ciborum.

Ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ τῶν ἄλλων.

Eadem in reliquis est ratio adhibenda.

Per reliqua videtur intelligere alias causas salubres, vt somnum, vigiliam, excreta & retenta animi affectus, aerem, quorum quantitatem antea docuit: qualitatem vero nunc exprimit vno verbo, *quod eadem scilicet ratio in illis sit adhibenda*: id est, quod eligendæ sint ex singulis causis alterantibus nostrum corpus illæ differentiæ, & qualitates, quæ possint temperare corpus optime constitutum, non autem excessus in eo parere. Sed operæpretium erat, tradere eas differentias, quas non est facile inuenire. Multæ enim somni & vigiliæ sunt differentiæ, quarum quædã excessus in nobis committunt: aliæ vero temperiem adferunt, quas nos hic prætermittemus, vt qui illas expressimus *in opere nostro de somno & vigilia*. Qui vero sint animi affectus, qui nullã vim habeant calefaciendi, exsiccandi, refrigerandi, & humectandi, sed solum temperandi corpus, non est promptum docere. Singuli enim videntur apti & nati ad inducendam aliquam qualitatem, vt ira calefacit, tristitia siccat, gaudium dissoluit, metus comtrahit calorem.

Εἰ δέ τι τῆς ἀρίστης κατασκευῆς ἀπολείποιτο τὸ σῶμα, μὴ πολλῷ δὲ τοῦτο, καὶ τὰ φυλακτικὰ δὴ τῆς ὑγείας αἴτια, κατὰ τὴν ἀναλογίαν ὑπηλλαγμένα γενήσεται. πλειόνων δὲ τοιούτων ὄντων σωμάτων, καθ' ἕκαστον γένος ἰδίᾳ ῥητέον. τὸ μὲν οὖν τῇ κράσει παραλλάττον, ἐν μέντοι τῇ συμμετρίᾳ τῶν ὀργανικῶν μορίων μὴ παραλλάττον, διττὴν ἰδέαν ἔχει τῶν ὑγιεινῶν αἰτίων· ἑτέραν μὲν τῶν φυλαττόντων αὐτοῦ τὴν κρᾶσιν, ἑτέραν δὲ τῶν ἐπὶ τὴν ἀρίστην ἀγόντων.

At si quod ab optima constitutione defecerit corpus, non autem vehemẽter, & hæ, quæ ipsius sanitatem causæ cõseruant, ad proportionem mutabuntur. Sed cum multa sint huiusmodi corpora, per singula genera seorsum dicendum. Quod igitur intemperatura euariat, instrumentariarũ autem partium seruat commensurationem, duplicem habet salubrium causarũ formam, alteram quidem carũ, quæ ipsius conseruant temperaturam, alteram vero earum, quæ ad optimã transferunt.

Posteaquam egit de causis salubribus conuenientib. optimæ constitutioni, transit nunc ad alias causas, quæ conueniunt aliis corporibus quæ quidem recedunt ab optima constitutione, ita tamen, vt adhuc in sanitatis limitibus contineantur: & dicit, dupliciter nos ea corpora tractare posse. Nam vel illa volumus in suo statu seruare, vel mutare ad optimam constitutionem. Qua quidem in re proponit exemplũ de corpore, quod in partib. instrumentariis bonam seruat constitutionem, in partib. vero similarib. excessum aliquem patitur in qualitatibus, & intactas relinquit instrumẽtarias, partes, vt quę summã perfectionẽ obtineãt. Similares vero, quę recedunt ab optima constitutione, dicit duob. modis tractari posse: vno mõ conseruando eam, quam habẽt tẽperiem: alio mõ transferendo intẽperiẽ illam ad optimam. Porro optimã intelligit temperatissimam. Verum & si ab eo

& aliis omnibus Medicis id traditur, tamē ego in hoc aliter sentiendum esse puto. Est quidem temperatissima natura aliarum regula, cum præcepta medica scribimus, in quibus notamus excessus & defectus, qui in nobis contingunt. Si enim non intellexerimus id, quod temperatum est intelligere non possumus, quid sit intemperatum, & quid calidum, frigidum, humidum, siccum, sanum & ægrum. Verum cum de sanitatis conseruatione, aut mutatione alicuius temperaturæ agimus, debemus humidam temperiem tanquam optimam nobis proponere: illam enim quantum fieri potest, conseruare, alias vero omnes ad illam mutare debemus. Sic enim Gal. ipse *in lib. de sanit. tuen.* iubet esse faciendum; dum docet, senectutem & mortem naturalem non alia ratione contingere, quam *humoris defectu*: propterea humorem nostrum omni ratione alendū & fouendū esse: quo modo etiam fatetur, pueros humectādos esse balneis, & omni victu humectāte: non autem exsiccandos, & reducendos ad moderatam temperiem. Et merito quidem. Nam etsi temperata natura meliores edit actiones, quā humida, citius tamen senescit, humida autem progressu temporis mediocritatem quoque assequitur, nobis & nostris remediis repugnantibus: quoniam illis omnibus præualet perpetua nostri caloris vis, quæ continuo humorem nostrum dissipat. Igitur omnes intemperaturas & tēperatā etiā naturam ad humidā mutare contendamus, si optimum statum comparare volumus: humidam vero ipsam temperiem, tanquam optimam nobis in hac re proponamus aliorum regulam.

An intemperies ad temperatam naturam, vel potius ad humidam sint deducenda.

Senectus & mors quomodo contingant.

> Τὰ μὲν δὴ φυλάττοντα τὴν κρᾶσιν αὐτῶν, τοσοῦτον παραλλάξει τῶν ἐπὶ τῆς εὐκρατοτάτης φύσεως αἰτίων, ὅσονπερ καὶ ἡ τοῦ σώματος ὅλου κρᾶσις ἐκείνης παραλλάττει. τὰ μὲν γὰρ θερμότερα σώματα θερμοτέρων δεῖται διαιτημάτων τὰ δὲ ψυχρότερα ψυχροτέρων καὶ τὰ μὲν ξηρότερα ξηροτέρων, τὰ δὲ ὑγρότερα ὑγροτέρων. καὶ κατὰ συζυγίαν τὰ θερμότερα καὶ ξηρότερα, τῶν θερμοτέρων καὶ ξηροτέρων καὶ τούτοις ἀνάλογον ἐπὶ τῶν λοιπῶν [τριῶν] συζυγιῶν.

Quæ itaque ipsius temperaturam conseruant, tantum à causis optime temperata natura distabunt, quantum & totius corporis temperatura ab illa euariabit. calidiora siquidem corpora calidioris victus rationem exposcunt, frigidiora autem frigidioris, & sicciora siccioris & humidiora humidioris, ac secundum coniugationem calidiora ac sicciora calidioris ac siccioris: Eadem in reliquis etiam coniugationibus proportione seruata.

Cum dixisset, intemperatas naturas posse conseruari in suo statu, vel mutari ad optimam constitutionem, docet nunc, quomodo fieri possit ea conseruatio, & per quæ auxilia, per similia, inquā, quæ tantum recedant à temperatis, quantum recedit ipsa intemperies ab optima constitutione, postulabat autem ratio, vt hic etiam doceret ea, per quæ fiat mutatio ad optimum statum. sed antequam id faciat, interponit quædam de facultatibus remediorum, & postea idem, quod nunc tradit, repetit, & illud simul docet. Est autem hic prolixior, quam operis institutum postulet, in repetendis simplicibus & compositis per omnes qualitates in temperaturis.

> Χρήσεται γὰρ ταῖς ὕλαις τῶν αἰτίων ὀρθῶς, ὁ τὰς συμφύτους αὐτῶν δυνάμεις ἐπιστάμενος. οἷον ὅτι κίνησις μὲν καὶ ἔνδεια, καὶ ἀγρυπνία, καὶ ἔκκρισις, καὶ πάντα τὰ ψυχικὰ πάθη, ξηραίνει τὸ σῶμα, τὰ δ' ἐναντία τούτοις ὑγραίνει. οὕτως δὲ καὶ περὶ τῶν θερμαινόντων καὶ ψυχόντων ἐπιτηδευμάτων, καὶ ἐδεσμάτων, καὶ πομάτων καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἁπάντων τῶν κατὰ τὸ σῶμα γινώσκων τις τὰς ὕλας καὶ τὰς δυνάμεις, ὑγιεινοῖς αἰτίοις χρήσεται

Recte siquidem causarum vtetur materia, qui naturales earum potentias agnouerit, veluti quod motus, defectus alimenti, vigilia, excretio, & omnes animi affectus corpus exsiccant, atque his contraria humectant: ita vero & calefacientia, refrigerantia, vitæ instituta & ciborum ac potuum, atque vt simpliciter dicam, omnium, quæ corpori afferuntur, materias quis noscens, atque potentias salubribus vtetur causis.

Cum dixisset, in conseruatione corporum adhibendas esse causas salubres, quæ habeāt vim calefaciendi, refrigerādi, humectandi, exsiccandi, per simplices vel compositas qualitates: nunc admonet, oportere Medicum, qui velit vnicuique admouere proprias causas salubres, scire, quid possit sua natura calefacere, refrigerare, humectare, & exsiccare: & ponit exempla eorum, quæ possunt exsiccare & humectare. Verum hæc non egebant hoc loco eo præcepto. Est enim luce clarius, neminem posse alterare nostra corpora, qui ignorat materiam medicam, quæ vim habet agendi. Præterea non solum naturales potentiæ & insitæ, sed etiam acquisititiæ sunt ex vsu Medicis. Nam aqua vtimur non solum ad refrigerandum & humectandum, quæ quidem præstat sua naturali vi: sed etiam ad calefaciendum & euacuandum: quas facultates acquirit ab igne & calore sibi aliūde indito. Igitur Medicus præscribere debet, quid res singulæ præstare possint secundum proprias, & ascititias vires, & per se, & per accidens: hæc. n. omnia docet Gal. *in lib. de Simpl.* Cæterū, quod hic scribit de exsiccantib. & humectantib. eget animaduersione. Nā *motus omnis calefacit per se, non autem exsiccat, nisi vehemens sit & diuturnus.* Sic enim ipse *in lib. de causis morborum calidorum* docet, ex motu simplicem morbum, nempe calidum, non autem calidum & siccum excitari: aliud autem est, docere, quid res possit suapte natura, ab eo, quod præstat, cum abunde excesserit: nam, vt dixi, motus cum moderate adhibetur, calefacit, & si quid

Gal. hic notatur.

Motus quando solum calefaciat & quando humectet & exsiccet.

A si quid in corpore concretum inuenerit, fundit, & ex eo corpus humectat: vbi vero perseuerat, dissoluto humore per insensibilem transpirationem, aut etiam sudorem, exsiccat & tandem refrigerat: nam vna cum humore dissoluitur calor. Inedia vero & alimenti parsimonia exsiccat non per se (nam priuatio nullam vim habet agendi) sed per accidens. Cum enim calor noster externo pabulo priuatur, internum humorem depascitur, & ita corpus exsiccatur. Contingit vero etiam corpora calefieri & refrigerari. Nam biliosa corpora accenduntur acriore & igneo reddito calore defectu humidi: melancholica vero refrigerantur; pituitosa temperantur.

Inedia quomodo exsiccare dicatur, & quid faciat.

Quomodo vigilia.

B Idem facit vigilia: nam illa deductione caloris ad externas partes, humorem digerit & corpus exsiccat. Ac pro diuersitate corporum, febres aliquando exsiccat, aliquando ex cruditate humectat.

Porro excretio biliosi humoris refrigerat & humectat, excreto humore, qui vim habet in corpore calefaciendi & exsiccandi. Pituitæ autem euacuatio exsiccat: sanguinis vero eductio, si moderata est, exsiccat & refrigerat: quæ vero est immoderata, cruditatis & humectationis est causa: vnde ex sanguinis profluuio plurimi in hydropem leucophlegmatiam incidunt.

Animi affectus quid efficere valeat.

C At vero inter animi affectus pauci sunt, qui statim habeant vim exsiccandi: nam gaudium temperat corpus, nisi admodum excedat, tunc enim spiritu & humoribus dissolutis, vim habet exsiccandi. Ira calefacit, & propterea inter causas febres gignentes ponitur. Timor calorem contrahit versus cor, nec aliã vim videtur habere in alterando corpore, nisi quod humores, diffusos & sparsos violentius contrahit. Tristitia vim suam ostendit in exsiccatione, sicut cogitatio. Cæterum ait, *his contraria humectare*, nempe quietem, alimenti copiam, somnum, & animi otium, & quæ retinentur excrementa. Verum si hæc biliosa fuerint, aut melancholica, corpus potius exsiccabunt. Alimenti vero copia, si calorem obruit, cruditates parit & refrigerat atque humectat: si vero moderata est, præstabit eos effectus, quos habet ex vi sibi indita, nam quædam sunt alimenta, quæ calefaciunt; alia, quæ refrigerant, alia, quæ aliud præstant, D igitur qui vult commode vti materia medica, debet omnem illius vim tenere: id quod faciet, si nouerit (vt diximus) quid singulæ res per se, & per accidens; quid sua natura vel acquisititia præstare possunt: quid item efficere valeant ob diuersitatem corporum, quibus adhibentur: & cum mediocriter illæ agant, vel diminute, aut cum excessu; hæc enim omnia variant rerum vires & effectus.

E *Τὰς ὁμοίας τοῖς ὁμοίοις προσφέρων, ὅταν γὰρ φυλάττειν βούληται, τὴν τοῦ σώματος κρᾶσιν, ἣν παρέλαβεν. εἰ δ' ἐξαλλάττειν ἐθέλει καὶ μετάγειν ἐπὶ τὸ βέλτιον, ἕτερόν ἐστιν ἐνταῦθα γένος αἰτίων ὑγιεινῶν, ἐναντίον μὲν τοῖς προειρημένοις, ἴσον δὲ ἀπέχον ἐπὶ θάτερα τῶν εὐκράτων τε καὶ μέσων, ἃ ταῖς ἀρίσταις φύσεσιν ἁρμόττειν ἐλέγομεν, τὴν γὰρ θερμοτέραν καὶ ξηροτέραν κρᾶσιν, οὐ τὰ θερμὰ καὶ ξηρὰ διαιτήματα μεταστήσειεν ἂν εὐκρατον ἀκριβῶς,*

A *ἀλλὰ τοσοῦτον τῆς εὐκράτου ψυχρότερά τε καὶ ὑγρότερα ταῖς κράσεσιν, ὅσον καὶ ἡ φύσις τῆς φύσεως ἦν θερμοτέρα καὶ ξηροτέρα. τὸ μὲν γὰρ τοιοῦτον γένος τῶν αἰτίων ἐπανορθοῦται τὰς συμφύτους δυσκρασίας, τὸ δὲ ἕτερον τὸ προειρημένον, διαφυλάττει.*

Similia similibus afferendo; siquidem eius propositum fuerit, in eadem, in qua acceperit, corporis seruare temperaturam: quod si permutare, atque ad melius traducere statuerit, alterum est hic salubrium causarum genus, his quidem, quas nuper diximus, contrarium, æqualiter B *vero declinans ad alteram partem, à bene temperatis, & mediis, quæ optimis conuenire naturis dicebamus: calidior siquidem ac siccior temperatura, calidioris ac siccioris victus ratione ad exactissimum bonæ temperaturæ habitum minime transfertur: At talium erit vsus necessarius, quæ tantum eis, quæ bene temperata existunt, frigidiora sint, atque humidiora, quantum & natura* C *naturam in caliditate & siccitate superabat. Nam tale causarum genus naturales [illegible] intemperantias: alterum vero [illegible] supra diximus, temperaturam [illegible] seruat.*

D[illegible] proposuit fieri posse tractationem [illegible], quæ ab optima constitutione recedunt [illegible] latitudine sanitatis. Illa enim posse conseruari in suo statu, vel ad meliorem conditionem redigi. Nunc vero docet, per quæ fiant huiusmodi conseruatio, & mutatio; & ait conseruationem fieri per similia: mutationem autem per contraria in gradu. Cuius quidem opinio multis pepe- D rit non paruas difficultates, propter alios autoris locos, in quibus aliter sentire videtur. Nam scribit ille *primo de alimentis libro*, intemperies seruandas esse per contraria: deinde *lib. 6. de tuen. sanit.* præcipit in calida & frigida temperie semper vtendum esse contrariis, siue illa seruare, siue mutare velimus: propterea inquit, quod huiusmodi temperies à similibus facillime in morbum labuntur. Addit & senes calidis, & humidis vti debere, qui tamen frigidi sunt & sicci. Quinetiam *in secundo commentario huius libri* scribit, pulmonem frigidum manifeste lædi à frigida inspiratione, à calida vero iuuari, & ventriculum calidiorem non lædi à frigidis alimentis. Eo etiam pertinet, quod scri- E bit Hippocr. *in 3. lib. Aphorism.* naturas quasdam nempe calidas (vt interpretatur Galen.) hyeme bene degere: frigidas vero contra, æstate bene, hyeme male affici. Videtur quoq; ratio his sentẽtiis suffragari: qui. n. calidus est forte vt vnũ, si vtatur victu pariter calido putatur fieri calidus vt duo: vnus enim gradus additione alterius multiplicatur. Est tamẽ in hoc loco clara sentẽtia, *similia cõseruari similibus*: & merito quidem, nam quod simile est, vim mutandi non habet: quippe cum à contrario, & proinde dissimili, omnis fiat mutatio. Has difficultates Montanus ita soluit, distinguendo

Disputatio an conseruatio fiat per similia.

Montani opinio de conseruatione per similia reprobatur.

similia in eodem, vel diuerso gradu corpora enim conseruari & bene habere à similibus in eodem gradu: lædi autem & mutari ab his, quæ similia sunt in excessu. Ideo enim iuuenes lædi æstate, & senes hyeme, quod calor æstiuus, iuuenis: frigus vero hibernum senis temperiem excedant. Quod si æqualis esset aeris temperies temperaturæ, tunc melius senes hyeme, & iuuenes melius æstate, quam in contrariis temporibus affici. Cuius opinio prorsus est absurda. Nam vt diximus, Gal. *in lib. 6. de san. tuen.* vult, senes tractandos esse semper per calida & humida, nunquam autem per frigida & sicca: cum nihil impediat, cum alia auxilia, tum aerem hyemalem, aliquando æqualem esse temperaturæ senum. Quinetiam iuuenes non solum in media æstate, sed etiam in omni tempore calidiore, atq; adeo in ipso vere deterius habent, quam hyeme: & senes melius habent æstate, quam in alio quocumque tempore, in quo parem sibi inuenire possunt frigiditatem. Alii aliter in hac re sentiunt, sed perperam meo iudicio omnes: quippe cum nec autoritate maiorum, nec præceptis artis vtantur. Ac nulla quidem agnoscatur esse in dictis Galeni controuersia, si recte illius sententiæ intelligantur: nam aliud est conseruari corpora, aliud est iuuari, & bene habere.

Autoris opinio.

Quæ natura similibus conseruetur & quæ lædatur.

Sola enim temperata natura similibus conseruatur, & iuuatur: alia vero à similibus conseruantur, & simul male habent: a dissimilibus vero mutantur, meliusque habent. Nam etsi non intenditur intemperies à similibus æqualibus: tamen in eodem lapsu conseruatur, & interim cum corpus est intemperatum, male afficitur: contraria vero meliorem habitum pariunt. Quare ex contrariis iuuantur *corpora intemperata:* ita enim omnes actiones auxilio contrarii melius obeuntur.

Quæ ex contrariis iuuentur.

Vt enim quis habet ventriculum frigidiorem, melius concoquet calidiores cibos, quam frigidos, & ventriculus calidus, melius concoquet frigida alimenta, quam calida: nec similitudinis quidem ratio in his, quæ nõ sunt alimenta, plus confert ad perfectam reddendam concoctionem, quam mediocritas caloris, quæ fit ex contrariis, cibo inquam & potione contrariis in temperaturis. Quod si pueros victu humido alimus, hoc nihil facit contra nostram opinionem: non enim spectamus in illis, quid melius tunc sit: sed quid melius tandem sequatur: Quoniam enim vita humido conseruatur & longæua fit & nobis inuitis siccitas auctione insiti caloris accidit; ideo humorem in illis alimentis, & omni victu humectante fouere & conseruare nitimur: etsi interim pueri melius haberent vsu exsiccantium, vt qui superfluo humore abundent.

An intemperies per æqualia in gradu emendetur.

Quod vero scribit Galenus, intemperies secundum naturam similia appetere, contra nostram opinionem videtur facere: nam quæ melius appetimus, eadem melius retinemus, & concoquimus, atque ex illis melius habemus. Verum nos illius sententiam, cum signa temperamenti ventriculi doceremus, refellimus: quippe cum vel sola experientia testetur, omnes appetere non solum in cibo & potu, sed etiam in aere, euacuatione, & repletione, quæ possunt emendare suos excessus.

Quomodo intemperies à contrariis conseruetur.

Absurdum etiam est dicere, intemperies secundum naturam contrariis conseruari, cum *mutatio* à contrariis fiat: nam vt antea, & postea etiam dicebit autor, etsi mutatio fiat in singulis intemperaturis à contrariis: dicuntur tamen illæ conseruari, eo quod si non in propria, saltem in latitudine sanitatis maneant.

Quomodo mutatio fiat per contraria æqualia in gradu.

Cæterum quod scribit hoc loco Galen. mutationem intemperaturarum fieri per contraria æqualia in gradu, habet quoque leuem dubitationem, quod ab æqualibus non videatur fieri actio ex vulgari philosophorum sententia. Verum aliter res habet: nam inter æqualia fit æqualis pugna, si illa agendi & patiendi pariter vim habeant: non fit autẽ victoria ab æqualibus, & mutatio in naturam agentis, qualis requiritur in generationibus: hæc enim requirit inæqualitatem: sed mutatio, quæ tendit ad mixtionem, temperiem, & mediocritatem, qualitatem prorsus exigit, de quo loco Galenus agit, cum vitiatas temperies ad mediocrem constitutionem reuocare studet: sed hæc omnia diligentius enarrauimus *in libro de offic. Medici.*

Χρεία δὲ ἑκατέρων ἐν μέρει τοῖς ἰατροῖς, ἐπανορθοῦσθαι μὲν ἐπὶ πολλῆς σχολῆς, κατὰ βραχὺ μετάγοντας ἐπὶ τὸ βέλτιον· οὐ γὰρ φέρουσιν αἱ φύσεις τὰς ἀθρόας ἀλλοιώσεις· φυλάττειν δ' ἐν ταυτῷ κατὰ τὰς ἀναγκαίας ἀσχολίας.

Est autem vtriusq; vicissim apud Medicos vsus necessarius. Nam cum plurimum suppetit otii corrigere oportet, ac sensim ad meliora transferre. Neq; enim natura patitur eas, quæ subito fiunt, alterationes. Hominem autem necessariis occupationibus districtum in eodem præstat habitu conseruare.

Cum dixisset, eas naturas, quæ ab optima constitutione recedunt, posse conseruari in statu, & mutari ad meliorem, nunc docere vult, quando tentanda sint à Medico conseruatio, & mutatio, & dicit, *mutationem tentandam esse à Medico per otium eius, qui mutationem quærit, idque paulatim:* atque huius reddit rationem: *quoniam natura non sustinet subitas mutationes:* contra vero conseruanda esse in sua sanitate corpora, quibus nec libera vita, nec otium est concessum.

Consuetudini quantum sit tribuendum, & in quibus affectibus.

Magna enim res est consuetudo, vt passim Gale. scribit, experientiaq; docet, atq; vt idem author testatur *in lib. 6. de morbis vulg.* non solum, quæ consueta sunt, paulatim sunt mutanda; sed in ipsa mutatione sæpius est quiescendum. Quare errant Medici, qui consuetudinis nullam rationem habent: nec tamen illi laudandi, qui ei plus, quam iustum sit, tribuunt. *Nam in grauissimis morbis a consuetis penitus est recedendum, si illa obsint ad curationem.* Præualet enim indicatio, quæ sumitur à morbis, & illorum causis, consuetudini: *in leuioribus vero affectibus aliquid consuetudini tribuimus:* qua ratione Galenus 8. *Meth.* diaria febre laborantibus vinum concedit, si eo per sanitatem vti consueuerunt.

Quanta sit vis consuetudinis in sanitate.

At in ipsa sanitate *maxima* est consuetudinis vis, quoniam aliam (vt dici solet) naturam fecit, aut alia est natura: facile aũt nõ est à sua natura recedere: quare otium postulat mutatio & liberam vitam, ne aliis occupationib. corpus debilitetur. Tũ etiã, vt paulatim & per interualla mutationẽ prosequi valeamus.

Corpora mutationem [...] sola seruari, quæ [...] non.

Non enim libere dormire, vigilare, exerceri, balneis, aut aliis necessariis ad bonum habitum conseruandum vti possunt, *quo vita non sunt libera.*

libera. Præterea corpora seniora, & iam duriora, A non ferunt mutationem, quæ habent consuetam. Nam (vt in prouerbio est) *canem inueteratum difficile est loris assuescere.* Quare præcipit Gal. *in lib. de tuen. sanit.* non esse in sanibus, etiamsi obest, mutandam consuetudinem: iuniora vero corpora illius mutationem facile sustinent: quippe cum vix dici possit adhuc in illis consuetudo, vt quæ non nisi multorum annorum spatio comparatur. Propterea videmus, adolescentes nouum omne vitæ genus sequi posse. Nam ab otio ad negotia à quiete ad labores, à pace ad bellū, à sobrietate, ad conuiuia, & intempestiuas cōmessationes, & denique ad omne genus vitæ facile transferuntur. Verum in omni re, quam in vita obimus, parem nō habet consuetudo vim. Nam in officiis, B & artibus, quas exercemus, maximi illa est momēti, propterea scribit Hippoc. *senes & debiles facilius ferre poss. consuetos labores quam iuuenes, & fortes illis non assueti*, comparatur enim ex consuetudine aptitudo quędam ad agendum, cum qua nullum robur contendere potest. Nam qui literis studere consueuit, aut pingere, vel remigare, aut terram fodere, minima, aut etiam sine molestia, suum exercet munus; qui vero his artibus non assueuit, nullo pacto, vel certe non nisi cum maximo labore hæc præstare potest: In victu vero magni quidem est momenti, sed in omnibus scopis. Non enim facile quis mutare potest modū aut consuetam horam edendi, dormiēdi reiiciendi excremēta. *At mutationem ciborum a malis ad bonos quilibet facile fert.* nam rustici, qui consueuerunt pane atro, carne salsa suilla, caseo, allio, & leguminibus vti, non offenduntur, si quando domini mensa vtantur, & optimis quibusque cibis repleantur: sed hæc *in Aphorismis* diligentius prosecuti sumus. Seruanda ergo est natiua temperies *in senibus, ægrotis, & occupatis in suis & alienis negotiis* in his enim præstat consuetis vti, quam mutationem tentare: in aliis vero mutatio fieri debet, per otium, & sensim: *quoniam* (inquit Galen.) *natura subitas nō sustinet mutationes.* Et recte quidē dixit, *natura*, idest, *naturalis status.* Nam ab eo, quod naturale est, nemo facile mutationem sustinet: quoniam illud iam insitum est, & simile, ac veluti congenitum: aliter vero fit in his, quæ sunt præter naturam: nam quoniam illa inimica sunt, & ascititia, cito remouenda sunt, suauissimus enim est recessus à morbis, & accessus ad sanitatem, præsertim si confertim fiat ab his, quæ vim non habent dolorem inferendi: vt si repletio nocet, subita euacuatio maxime grata est naturæ. Si sitis vehemens infestet, frigidæ aquæ larga potio maximam voluptatem parit. Vbi vero frigus dolorem in digitis excitauit, subita excalefactio non est pari modo grata: quoniam calor huiusmodi, qui ad naturalem statum ducit, dolorem sua ratione parit. Sed hæc etiam in caussis doloris & voluptatis *alibi* diligentius enarrauimus. Nunc illud solum constare volo, vulgare Medicorum dictum, *quod natura subitas mutationes non ferat*, intelligendū esse, *cum a naturali statu vitiato in latitudine sanitatis, ad optimum fit transitus, aut ad alium, qui secundum vel præter naturam sit: non autem cum a statu præter naturam, ad naturalem fit reditus*: is enim tanto iucundior est naturæ, quanto citius fit nisi, vt dixi, obsit eorum vis, quę hęc vitia cum dolore corrigunt, & merito quidem: nam tunc mutationes non sunt naturę, & naturales status, sed eius quod est præter naturam: cuius recessum natura appetit: vt quæ sui cōseruationē desideret: & propterea sui mutationē facile haud ferat. Igitur natura nō sustinet sine molestia mutationes, quę in ipsa fiūt, aut in eo, quod in ipso est naturale: in eo vero, quod illi est præter naturam, cōtraria est ratio. Patet ergo, in quibus affectibus, in quo statu consuetudo seruanda sit, & in quibus rebus consuetis maiorem, aut minorem, vel etiam nullam vim obtineat: necnon in quibus paulatim, vel confertim mutari possint, quę sunt consueta.

Non omnium quæ fiunt à nobis, mutationem esse molestam.

Consuetudinem in omnibus negotiis non posse habere vim. Sect. 2. & aph. 49.

In quibus natiua temperies sit seruanda.

Naturam subitas mutationes non ferre, in quibus sit intelligendum.

Πῶς οὖν καὶ τὸ τοιοῦτον εἶδος τῶν αἰτίων φυλακτικὸν ὀνομάζομεν, οὐ πρέπει γὰρ αὐτὸ μᾶλλον ἴσως ἀλλοιωτικόν τε καὶ θεραπευτικὸν καὶ τῶν συμφύτων ἁμαρτημάτων ἐπανορθωτικὸν κεκλῆσθαι, ὅτι πρὸς ὅλον τὸ γένος τῆς ὑγείας ἀναφέροντες, οὐ πρὸς τὰς κατ᾽ εἶδος αὐτῆς διαφοράς, ὅσαπερ ὑγιαίνοντας φυλάττει, φυλακτικὰ πάντα κεκλήκαμεν, ἐάν τε πρὸς τῷ φυλάττειν τὴν ὑγείαν, ἐπὶ τὸ βέλτιον ἄγει τὴν ὅλην κρᾶσιν, ἄν τε φυλάττῃ τὴν ἐξ ἀρχῆς· ὅσα δὲ χείρονα τὴν κατάστασιν ἀποτελεῖ, νοσερά.

Quo pacto igitur & hoc ipsum primum causarum genus conseruatiuū appellamus? Nam forte magis alteratiuum, & curatiuum, & naturalium defectuum correctiuum vocare conueniat? quoniam C *ad vniuersum sanitatis genus referentes, non ad eas, quæ secundum speciem sunt, differentias, quæcunque sanos conseruant, conseruantia omnia vocamus, siue præter id, quod sanitatem conseruant, ad melius totam traducant temperiem siue pristinum tantummodo habitum tueantur. At quæ deteriorem statum efficiunt, insalubria.*

D Cum dixerit Galen. se agere velle primum de caussis conseruantibus sanitatem, & inter istas posuerit duplex genus; vnum, quod temperiem in suo statu seruat, aliud, quod mutationem molitur & optimam quærit constitutionem; dubitationem nunc mouet, quo modo, inquam, secundum hoc genus, quod mutat, inter causas seruantes sanitatem reponi possit: respondet, mutationem quidem aliquam fieri; verum cum illa fiat in latitudine sanitatis, potius conseruatrices, quam mutatrices illas vocandas. Seruatur enim corpus in hac mutatione sanum & interim à deteriore statu ad meliorem fit transitus. Seruatur ergo sanitas in genere, etsi propria non seruatur: hæc ergo est ratio, cur caussæ istæ conseruantes vocari E possint. Verum cum fit correctio, & illa fit per contraria, cur huiusmodi correctionem & mutationem non appellamus curationem? Hanc enim postea dicet, fieri per contraria. Huius rei hic non reddit rationem, etsi mentionem facit curationis, & dubitat cur mutatio hæc non debeat vocari curatio. Ratio autem debet ex superioribus cōmemorari, quod scilicet illa, quæ faciunt paruas

Mutatio quomodo conseruatio intelligatur esse.

Cur conseruatio non etiam dicatur curatio.

mutationes, quales experiuntur sana corpora, dū illa meliora reddere volumus, insensibiliter quodammodo agant. adeo, vt vix deprehendere possumus, an mutatio aliqua fiat. Quare ea mutatio vt distinguantur officia Medici, conseruatio rectius nominatur, quæ vero in ægrotis fiunt mutationes, quoniam euidentes sunt: aptius mutationes communi vocabulo, & proprio curationes nuncupantur. Igitur ad quæstionem, à Gal. propositam, duorum erat reddenda ratio. cur causæ corrigentes vitia sanorum. dum optimum statum affectamus, conseruantes vocentur: & cur mutatio quæ fit in eo transitu, possit quidē mutatio vocari, non autem curatio. Vt autem omnes causæ, quæ versantur in sanitate meliore reddenda, salubres: sic merito, quæ sanitatem deteriorem efficiunt, insalubres ex Gal. nuncupantur.

Τῶν μὲν οὖν ὁμοίως δυσκράτων ἁπάντων τῆς τοῦ σώματος μορίων, ὁμοία καὶ ἡ ἐπιμέλεια· τῶν δ' οὐχ ὁμοίων, οὐχ ὁμοία. δυνατὸν γὰρ ἡ μὲν γαστὴρ ψυχροτέρα τοῦ προσήκοντος ὑπάρχειν, ἡ κεφαλὴ δὲ θερμοτέρα, καὶ δεῖσθαι τὸ οἰκεῖον ἑκατέρα. κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων, ἢ ὑγρότερον ἢ ξηρότερον, ἢ θερμότερον, ἢ ψυχρότερον ὑπάρχον τοῦ συμμέτρου, καὶ τὸ οἰκεῖον τῆς δυσκρασίας δεῖται διαιτημάτων.

Quæcunque igitur similem habent in omnibus corporis partibus intemperiem, eadem egent procuratione: quæ vero dissimilem, dissimili. Nam fieri potest, vt ventriculus frigidior sit, quam oporteat, caput vero calidius, atq; vtrūque propriis egeat auxiliis, ac ratione eadem singulæ aliæ partes, cū fuerint præter modum humidiores, aut calidiores, aut frigidiores, suæ intemperiei vi ctum exigunt accommodatum.

Docuit Galenus, vitia, quæ sunt in latitudine sanitatis conseruari quidem posse, vel mutari in optimam constitutionem, per causas salubres, quę aptæ sunt huiusmodi correctiones facere. Verum quia nostrum corpus ex variis partibus est confectum, quæ sæpe diuersis intemperaturis constant, ideo hic admonet, vt caueamus, ne in vsu causarum salubrium quasdam partes lędamus, dum aliis prodesse volumus, vbi enim est similis intemperies, eadem prosunt auxilia: vbi vero diuersæ temperaturæ sunt, quod vni prodest parti, alteri obest, si illam quoq; attingat. Quare in hoc casu propria eligenda sunt auxilia, quæ intactis partibus bene habentibus, male affectis succurrant.

Οὔτ' οὖν ἐξ ἴσου γυμνάσομεν ἅπαντα τὰ τοιαῦτα τὰ μόρια τοῦ σώματος, οὔθ' ὡσαύτως ὑγρανοῦμεν καὶ ξηρανοῦμεν, ἤ τι τῶν ἄλλων πράξομεν, ἐπὶ πλέον δὲ λέγεται περὶ αὐτῶν ἐν τῇ τῶν ὑγιεινῶν πραγματείᾳ.

Neque igitur eadem modo omnes tales corporis partes exercebimus, neque æqualiter humectabimus, aut exsiccabimus, aut tale aliud quidpiam agemus: plenius vero de his diximus in illo volumine, quod de salubribus inscribitur.

Cum dixisset, intemperies similes in omnibus partibus communi remedio emendari posse, dissimiles vero propriis, id docet nunc exemplo sumpto ab exercitatione. *Si enim*, inquit, *æqualiter sit intemperatum corpus, & exercitatione opus habeat, quærendum est auxilium ab ea exercitatione, quæ æqualiter omnes partes afficere potest. At si dissimilis est intemperies, est adhibendum exercitationis genus, quod læsis prodesse potest, & aliis non obesse*, veluti si ventriculus cruditate laborare solet, & aliæ partes sunt calidiores, equitatio, quæ corporis truncum, & cum eo partes in ventre collocatas potissimum & maxime agitat, & calefacit, aliis fere quiescentibus, conferet. Exercitatio vero, quæ manib. obitur, iuuat brachia, humeros, aliis illæsis inferioribus membris: Vox clara & alta exercitatio est thoracis, & pulmonis: quæ vero extrinsecus capiti admouentur, peculiariter succurrunt cerebro. Vbi ventriculus est refrigeratus, & hepar calidius, medicamenta, quæ per os assumuntur calefacientia, crassioris substantiæ, & minimæ quantitatis esse debent: nam ob crassitiem facile non transeunt ad hepar, & ob exiguam quantitatem, in ventriculo consumuntur. Sed quoniam tractationem horum affectuum dissimilium abunde docuit Gale. *in lib. 6. de san. tuen*, ideo hic ego breuior ero.

Ventriculo existente frigido & hepate calido, quæ remedia sint adhibenda.

CAP. LXXXVII. DE CAVSIS SALVBRIBVS PARTIVM INSTRVMENTARIARVM.

Τὰ δὲ τῶν ὀργανικῶν μορίων αἴτια ὑγιεινά, καθάπερ τὸ σφάλμα κἀνταῦθα τῆς ἀρίστης κατασκευῆς, ἀλλήλων διοίσει. ἄλλα μὲν γὰρ ἐστιν ὑγιεινά, τῶν περὶ τὴν διάπλασιν σφαλμάτων, ἄλλα δὲ τῶν περὶ τὸ μέγεθος, ἢ τὸν ἀριθμόν, ἢ τὴν θέσιν.

Instrumentariarum autem partium causæ salubres, quēadmodum & hic ab optima constitutione delinquitur, ita & inuicem distabunt. Alia enim sunt salubres erroribus, qui in formatione consistunt, alia his, qui in magnitudine, vel numero, vel positu.

Pollicitus est Galen. se docere velle causas salubres seruantes temperiem & structuram partium. Itaque posteaquam egit da conseruatione temperaturæ, transit ad structuram partium organicarum. Et quoniam duplex est conseruationis ratio: vna, quæ in optimo statu membra conseruat; alia, quæ emendat vitia, quæ contingunt in latitudine sanitatis; mirum videri non debet, quod prætermittat causas, quæ debentur partibus organicis optime affectis: nam nulla peculiaris cura in ea re requiritur. Illis enim auxiliis tuemur optimam constitutionem instrumentorum corporis, quibus perfectissimam temperiem conseruari antea ostendimus. Si enim quis vteretur aere, cibo, potu, somno, vigilia, exercitatione, excretis, retentis, animi affectibus moderate, & commode is eodem negotio temperiem similarium seruabit in suo statu. Non est autem eadem ratio emendandi vitia, quæ nascuntur in temperie, & compositio,

Cur prætermittat causas salubres conseruantes optimā structuram in suo statu.

positione partium organicarum. Neque enim figuras, aut cauitates vitiatas (vt aliis vtar exemplis) prædictis auxiliis emendabimus: sed à ligaturis, aperientibus, vel claudentibus auxilia sunt petenda. Quare merito Gal. prætermittit hoc loco conseruationem eodem statu sanitatis dissimilarium partium, & solum versatur in correctione vitiorum, quæ in latitudine sanitatis contingunt. Sed quoniam varia hæc sunt mala, paucis illa commemorat, vt singulis postea propria dari possit medicina. Nemo præterea exiget à Galeno totius corporis, quo animę est integrum instrumentum peculiarem quandam tractationem. Nam cum eadē sit singulorum instrumentorum, & totius corporis structura ex conformatione, magnitudine, numero, coniunctione partium componentium totum, & singula organa: merito, qui nouit vitia in partibus organicis emendare, eodem negotio intelligit rationem, qua poterit vniuerso corpori succurrere. Nam vt hoc etiam exemplo vtar, qui crus auctum vel diminutum scit corrigere, sciet etiam ab vniuerso corpore molem detrahere, aut eidem adiicere.

Cur non docuit causas salubritatis totius corporis.

Ἐν μὲν οὖν τῇ διαπλάσει πλεῖστα σφάλματα. καὶ γὰρ καὶ τὸ σχῆμα τοῦ μορίου, καὶ εἴπου τις ἐν αὐτῷ κοιλότης ἐστὶ κατὰ φύσιν, ἢ στόμιον, ἢ πόρος, ἢ τραχύτης τις, ἢ λειότης, ὅταν ἐξίστηται τῆς οἰκείας συμμετρίας. ἐπ' ὀλίγον μὲν τοῦτο πάσχοντα, τῆς τῶν ὑγιεινῶν σωμάτων ἔχεται προσηγορίας, ἐπὶ πλέον δὲ τῆς τῶν νοσωδῶν. εἰ δ' ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς βλάπτειν τὴν ἐνέργειαν, ἤδη νοσεῖν λεχθήσεται.

In formatione igitur plures contingunt errores, nam & figura partis, & si qua in ea cauitas est secundum naturam, vel meatus, vel orificium, vel asperitas, vel lenitas, quando à naturali mediocritate recesserit, siquidem parum hoc patiantur, salubrium corporum retinent appellationē: si vero amplius, insalubriū. Quod si tantus fuerit recessus, vt operationi afferat detrimētum, iā ægrotare dicentur.

Ad partium formam, siue conformationem pertinet certa figura, asperitas, lenitas, soliditas, & cauitas, pro cuiusque partis instrumentariæ structura: ac vitia quidem contingunt, si quod rotundum est secundum naturam, quadratum, aut alia figura præditum reddatur: & si quod solidum esse debet, fiat concauum aut è contra. Hæc ergo hic vitia tangit Galenus in conformatione, & docet præterea, illa vitia secundum magis & minus reponi in salubritate, insalubritate, & ægritudine. Omittit autem neutrum statum inter salubrem, & insalubrem: non quod neutrum omne (vt Montanus hic sentit) sit chimera, sed quod ex extremis media facile intelligi possint.

Κατὰ δὲ τὸ ποσὸν, ἡ ὑπερβολή τε καὶ ἔλλειψις εἰς τὰς αὐτὰς ἄγει διαφοράς.

Secundum quantitatem autem excessus, atque defectus, ad easdem ducit differentias.

A In quantitate siue magnitudine vitia duo contingunt, nempe excessus, & defectus: qui etiam per magis, & minus locum inueniunt aliquando inter salubria, aliquando neutra, aliquando inter insalubria, aliquando inter morbos.

Ἐν ἀριθμῷ δὲ λοιπὸν ἢ ἐλλείπεσθαι ἕν τι τῶν ὁμοιομερῶν ἢ πλείω. ταύτῃ τοῦ γένους εἰσὶ καὶ ὅσα παρὰ φύσιν ἐν ἡμῖν ἐπισυνίσταται.

B *In numero vero, siue vna siue plures, quæcunque ex similaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut superabundent. Ex hoc genere etiam sunt quæcunque in nobis substantiæ præter naturam consistunt.*

Contingunt pariter in numero duo vitia, quādo scilicet vel plures, aut pauciores partes reperiuntur in parte organica, quam naturalis illius structura postulet, veluti si quatuor aut sex sint digiti in manu. Atque in hoc genere Gal. *in lib. de diff. morb.* ponit quædam vitia, quæ vel ad magnitudinem aut ad alium affectum pertinent, vt nos *in libro nostro de generib. morborum* ostendimus: quæ nunc repetere non institui. Hoc vero, quod in hoc loco, & alibi etiam scribit, scilicet in numero vitium fieri, si aliquæ materiæ præter naturam in
C nobis gignantur, cōsideratione eget. Nam si morbus in illis debet poni, in quibus ponitur sanitas, vt ille *in principio lib. de diff. morb.* docet, qua ratione, quæso, ponemus vitium esse, quod pertineat ad morbū partis organicæ, si lapis, aut pus cōcrescant in illis? Non enim hæc sunt similares partes, ex quibus constant partes organicæ, & bene valent cum illæ conuenientem formam, & magnitudinem, numerum, & coniunctionē seruant. Quare vt ex lapide & pure non fit sanitas: ita ex illis non debet fieri morbus si modo in illis debet poni à materia, in quibus ponitur symmetria, statuit quidem Galen. legumlatorum more, ex hoc genere morborum, quod est in numero vitiato partium
D similarium, hæc etiam consistere: sed ita esse non probat. Nec par quidem est ratio de pure & lapide: nam lapis forte potest fieri à propinqua causa morbi, vt quæ addat partem vnam, quę grauat organum, & illius actionem impedit: at pus, cum sit humor quidam, cur potius, quam alii humores abundantes, ponetur inter morbos in numero? Ego, vt me expediam ab iis, inter causas morborū lapidem pono, non inter propinquas quidem, sed admodum remotas, nec inter partes similares, cum nullo modo nostræ compositionis pars sit: pus vero non inter causas morborum, qui pertinent ad organa, sed ad intemperiem colloco.

An morbus fit in parte organicarum lapis vel materia alia præter nat. quæ in nobis gignitur.

Autoris sententia.

E Λοιπὸν δ' ἐστὶ γένος ἄλλο παρὰ τὴν θέσιν ἑκάστου τῶν ἁπλῶν μορίων, ἐν ᾧ καὶ αὐτῷ τέτταρες αἱ πᾶσαι γίνονται διαφοραί. πρώτη μὲν ἡ ἀρίστη, δευτέρα δὲ ἡ βραχύ τι παραλλάττουσα, καὶ διὰ τοῦτ' ἔτι τὸ ὑγιεινὸν ἀποτελοῦσα σῶμα, καὶ τρίτη νοσερὸν, ὅταν ἐπὶ πλέον ἐξίστηται, καὶ τετάρτη, τὸ ἤδη νοσοῦν ὅταν ἐπὶ πλεῖστον.

Reliquum est aliud genus, quod ad situm cuiuslibet simplicis attinet partis, in quo &

ipso quatuor sunt omnes differentiæ. Prima quidem, quæ optima existit: Secunda vero, quæ parum euariat, atque ideo salubre adhuc efficit corpus: Et tertia, quæ insalubre, quādo amplius à modo recesserit. Et quarta, quæ iam ægrum recessu plurimo reddit:

Nostri interpretes positum & situm vertunt, quod Græci σύνθεσιν, & θέσιν dicunt: sed hoc recte ita interpretantur: illud vero perperam, & rectius coniunctio à nobis dicitur. Docet autem Gal. *in lib. de diff. morb.* in quarto genere non solum spectandum esse situm, siue positum cuiuscunq; partis componentis organa, sed etiam concoctionē, & colligantiam, quod si hic Gal. positus nomine vtitur, tamen nos intelligere debemus summum genus, nempe coniunctionem, quæ positum & connexionē continet, ne vitia aliqua omittantur.

Ὅσα μὲν οὖν ἡμάρτηται μόρια κατὰ σχῆμα, καθάπερ ὅσα βλαισά, καὶ ῥαιβά, καὶ λοξά, ταῦτα νεογενῆ μὲν ἔτι καὶ ἁπαλά, διαπλάσει τε καὶ ἐπιδέσει εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπανέρχεται. σκληρὰ δ᾽ εἰ φθάσειεν αὐξηθέντα γενέσθαι τὴν ἐπανόρθωσιν οὐ προσίεται.

Quæcumque igitur partes in figura delinquunt, veluti quæ blesa, varia, & obliqua appellantur, hæc cū nuper natus, & adhuc tenellus est, formatione, atque ligatione, ad naturalem traducūtur habitū. Quod si iam aucto infante, ad duritiem peruenerint, emendari non possunt.

Enumeratis vitiis, quæ contingunt in structura partium organicarum, remedia illorum aggreditur, & primum agit de vitiis factis in figura partium, quæ inquit in infantib. emēdari posse, in aliis vero minime. & remedia duo exhibet, formationem & ligaturas. Quod vero in solis infantibus recēter natis corrigi possint hæc mala, ratio est, quod illorum ossa, a quib. partium figura sumitur, adhuc sint mollia, veluti caseus concretus, hæc aūt exuperante humido fiunt, cuius est natura, vt facile alienos terminos, & quācunq; figuram recipiat, duriora vero iam corpora suam figuram amittere non possunt. Porro formationem, quā affert pro remedio, intelligere oportet, reconcinnationem, quam manuum contrectatione præstamus: quo obstetrices suis manibus caput, & thoracem infantium in eam, quam putāt decentem figuram, mutant. Ligaturas vero intelligit, quæ adhibentur fasciis, & ferulis. Verum quis hæc remedia inter causas salubres recipiet, cum antea Galenus dixerit, illas omnes sumi ab his, quæ necessario nos afficiunt, & illa dixerit solum petenda esse ab aere, cibo, & potu, motu, & quiete, & somno, & vigiliis, excretis, & retentis, & animi affectibus, in quibus rebus non continētur auxilia, quæ nostris manibus, & ligaturis adhibentur? ita solent hæc incommoda illos sequi, qui mala ponunt principia. Præstabat enim vt antea ostendimus, quatuor rerum genera ponere, à quibus diuersa præsidia sumuntur.

Gal. ostendit sua principia non seruare.

Καὶ μὴν δὴ καὶ ὅσα περὶ κοιλότητος ἡμάρτηται, καὶ ταῦτα ὡσαύτως ἐπανορθοῦται μὲν αὐξανόμενα, πλειωθέντα δὲ οὐ δύναται. μικρὰς μὲν οὖν κοιλότητας, ἐπίδεσίς τε καὶ ἡσυχία, μεγάλας δὲ ἐνέργεια τε τῶν μορίων, καὶ κατάληψις ἐργάζεται πνεύματος. οὕτως δὲ καὶ ὅσα κατὰ πόρους, ἢ στόμια.

Sic errores, qui ad cauitatem attinēt, cū adhuc augeri perseuerant, correctionem admittunt: cum aūt iam ad vltimum peruenerint, nullus est remediis locus. Cauitates igitur quiete, atque alligatione paruæ redduntur: magnæ vero partium operatione, & spiritus retentione, eodem autem modo meatuum, & osculorum vitia emendantur.

Nunc remedia docet cauitatis auctæ, & diminutæ, & meatuum, & osculorum corporis, cauitates intelligere videtur, quæ amplos habent sinus, quales sunt in ventriculo vtero, intestinis, thorace, pulmone, & etiā venis, & arteriis maioribus, orificia vero sunt extremitates cauitatū quomodo dicimus, orificium ventriculi, vteri, venarum, & arteriarum: meatus vero sunt spiracula corporis insensibilia: quomodo dicimus, sudorem ac euaporationem fieri per cutis meatus, & omnes corporis partes meatibus plenas esse, per quos patet vaporibus, & nōnunquam etiam humoribus transitus. Porro vitia, quæ in his contingunt, dicit etiam in omni ætate emendari non posse, sed solum cum adhuc augescunt corpora: sed rectius dixisset, si hoc solum intelligeret de vitiis, quę incrementum postulant: illa etiam emendantur cum corporis auctione: partes vero, quæ cauitates habent ampliores, potius minuuntur decrescente ętate: quomodo mammæ, vterus, longe minores sunt in vetulis, quam in iunioribus mulierib. Remedia vero, quæ nos pręstare possumus ad minuendas cauitates, meatus, & orificia, duo inquit esse, quietem, & ligaturas: intelligere autem oportet quietem, partium, quibus adsunt latiores cauitates, & quietis nomine non tam cessationē motus voluntarii, quam proprii officii intermissionē. Sic enim mulieribus, quæ frequenter parere, & lactare solebāt, cessantibus his actionibus, vterus & mammæ decrescunt, & ex ieiunio cauitas ventriculi contrahitur. Ligaturæ vero partes, quas constringunt, minuunt quidem, sed superiores, & inferiores augēt: qua ratione matres præsertim Parisienses constrictione partium vltimarum thoracis, pectus, scapulas, ilia; atque coxas, & quæ in illis partibus sunt cauitates augent. Nam sanguine, & humoribus replentur, quæ ante, & post ligaturam sunt. *Cauitates vero magnas fieri dicit partium operatione, & spiritus retentione.* At quod operatio partiū, & motus etiam voluntarius augeant cauitates, iam dictū est. Quod vero de spiritus retentione scribit, solum pertinet ad cauitatem pulmonis & vasorum, quæ in pulmone existunt, per quæ aer, & spiritus immittuntur, & exeunt: quare vt vniuersale remedium hoc tradi non debebat. Quid enim ad ventriculi mammarum, vteri, intestinorum, venarum, & arteriarum cauitates augendas confert spiritus huiusmodi retentio?

Cauitates, Orificia quid. Meatus quid.

Quies quid hoc loco.

Καὶ

Καὶ μὲν δὴ καὶ ὅσα μείζω τοῦ δέοντος, ἡσυχία τε καὶ ἐπιδέσεις ἐπιτήδειοι, ἐλάττονα πέφυκεν ἐργάζεσθαι· μείζω δὲ ἀποτελεῖται τὰ μόρια κινήσει τῇ κατὰ φύσιν, ἅμα τρίψει συμμέτρῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα πέφυκεν ἐπισπᾶσθαι πλέον αἷμα.

Quæ naturalem magnitudinem partes excedunt, quiete, ac commoda alligatione minores redduntur, augentur autem naturali motu & frictione moderata, & quibuscunque aliis, plus sanguinis attrahere natura aptis.

Magnitudinis auctæ, & diminutæ remedia hoc loco tradit, & ait, excedentem magnitudinem quiete & ligaturis minui: sed hæc minus diligenter scribit. Nam cum magnitudo accrescat corporibus ob carnis vel pinguedinis abundátiam; pinguedo quiete crescit, motu dissipatur: vnde sut domestici pinguiores & crassiores sunt sylvestribus: caro verò, vt quæ postulat boni sanguinis abundantiam, moderatos motus exigit, nimiis verò, & quiete non gignitur. Ligationes etiam, quia repellunt nutrimentum à venis parti inductæ, remedio quoque sunt ad detrahendam crassitiem. Verum non sunt omittenda præsidia, quæ sumuntur ex inedia, ac cibis paucis, parumq; nutrientibus. & vini exigua portione, excretionibus frequentibus, nec non ex vigiliis, & animi affectibus. hæc enim præcipuam habent vim ad detrahendum corporis onus; contrariæ verò causæ præter illas, quas ponit hic Galenus crassitiem afferunt.

Τῶν δὲ λειπόντων μορίων, ὅσα μὲν ἐξ αἵματος ἔχει τὴν γένεσιν, οὐκ ἀδύνατος ἡ ἐπανόρθωσις· ὅσα δ' ἐκ σπέρματος, ὀλίγου δεῖν ἀδύνατος. ἔστι δ' ὅμως ἀντ' αὐτῶν ἐνίοτε ποιεῖν ἕτερα παραπλησίαν ἐκείνοις ἔχοντα τὴν χρείαν. ἁπάντων δ' αὐτῶν, ἡ μὲν φύσις ἐστὶ δημιουργός, ὁ δ' ἰατρὸς ὑπηρέτης.

Deficientes verò partes, quæcunque ex sanguine ortũ habent, corrigi quidem nõ est impossibile: quæ verò ex semine, propemodum impossibile existit, licet tamen aliquando loco eorum alia facere, quæ vsum haud dissimilem præstant. Earum verò omnium natura opifex est, Medicus autem minister.

Aggreditur nunc correctionem vitiorum partium, quæ in numero deficiunt, quod mali genus nescio quomodo velit pertinere ad corpora salubria. Sunt enim hæc vitia insignia & à latitudine sanitatis penitus exclusa. Sed grauior fortè in eo error fit, quod dicat, ideo partes quasdam regigni posse, alias verò non posse, quod hæc ex semine, illæ verò ex sanguine sint factæ. Præterea quod regenerationem partium, quæ ex semine sunt factæ, non absolutè, sed propemodum impossibilem esse dicat. Vult enim (vt *in Meth. med.* sensit, & *in libris de semine*,) paruas arterias, & venas, regigni posse, maiores verò non item. Hanc illius opinionem omnes interpretes recipiunt: sed nescio qua ratione, aut iudicio, id faciant. Rationes enim non afferunt ad id probandum, non dicam validas, sed nec etiam probabiles. Aiunt enim, omnes ideo spermaticas (vt vocant) partes nõ posse regigni, quoniam tanta nõ potest reperiri in vno loco seminis copia, quæ sufficiat ad deficientis partis regenerationẽ: & quoniã partes huiusmodi sunt frigidæ & duræ, adeo vt nequeant alterare, assimulare, & sibi adiungere materiam seminalem & ex ea partem deficientẽ regignere. Nam si eorum & Galeni opinione arteriæ, venæ, ossa, & omnes albæ partes, quas ipsi spermaticas esse dicũt, semen conficiunt, & ex eo nutriuntur, quomodo poterit deesse materia ad illarum partium regenerationem? Ex continua enim nutritione augeri potest seminalis materia, quæ sufficiat ad hoc opus perficiendum. Etenim semen viri & mulieris, Gal. dicit, non sufficere ad generationem tot partium, nisi augeantur ex semine menstruo. Cur etiam si aliquid desit seminis, illud non poterit addi in regeneratione hac ex sanguine contento in venis, præsertim quod maior sit quantitas seminis geniti in nutritione partis sanæ ad proportionem partis regignendæ, quam esset in prima conformatione, quando tot partium materia erat futurum. Addo quod si sufficit ad augmentum & nutritionẽ, sufficiet pariter ad regenerationẽ: videmus n. augeri partes spermaticas, & caua vulnera etiam in decrepitis repleri, cum tamen partium incrementum iamdudum cessauerit, nimirum cum natura de regeneratione maximè sit solicita. Quod si dentibus regignendis materia suppetit, cur illa deerit aliis ossibus, venis, arteriis? Quinetiam si partes arteriæ regigni possunt, vt vult Gal. poterunt quoq; regigni magnæ venæ, quæ ob tenuitatem tunicarum, nõ maiorem postulant materiæ copiam, quàm paruæ arteriæ crassæ, & densæ. Non ergo penuriâ materiæ seminalis impossibilis est hæc regeneratio, si fatemur semen gigni in omnibus partibus albis. Nec profectò ratio sumi potest ex alteratricis facultatis imbecillitate, aut ipsius partis regignendæ duritie. Nam si callũ efficere potest, quod ossis duritie explet vsum, cur venas & arterias molles efficere non poterit? Si dentes item regignit, cur parem non habebit in aliis ossibus regignendis vim? & maiorem in neruis, venis, & arteriis? si præterea nutrimentum sit semen ossibus, & aliis partibus spermaticis, cur etiam non fiet illis materia regenerationis? In vtroq; enim opere transitus fit in substantiam partis. At verò si nulla pars ex semine fit, tanquam opifice & agente, vt *in 2. Comm.* ostendimus quid opus est ad seminis defectum & virtutis debilitatem, quæ illud alterare, assimilare, & conuertere debet naturam regignendæ partis, referre? De eo enim, quod nõ est, temerè disputamus. Est ergo alia ratio, cur partes albæ regigni nequeant, vt alibi ostendimus. Sed & præcipua causa sumitur à defectu opificis: id enim quod gignitur, & format eas partes, est solum in semine parentũ: quod cum solũ adsit, dum corpus in vtero formatur, nõ mirũ, si postea illæ partes, quæ certam figuram & cõformationẽ requirũt, amplius procreari nequeãt: deest enim quod formare & figurare potest. Eadẽ autem nõ est ratio in carnis regeneratione: illa n. nec certam figuram, nec cauitatem postulat, sed simplicem generationem: quam carnosæ partes

Gal. notatur.

De regeneratione partium deficientium.

Cur partes dictæ spermaticæ regigni non possint, vera ratione.

vicinæ sua vi, qua natæ sunt sibi simile reddere, quod mutant, præbere possint. Impediunt prætereà partes carnosæ circumuicinæ & ambientes venas, arterias, & ossa, ne vena, arteria, & os regignantur. Nam caro, vt quæ calida, humidaque sit, concoctrice facultate præualet, quo fit, vt spatium vacuum carne prius repleatur, quàm possint exangues illæ partes frigidæ & siccæ ex sanguine eam portionem, quæ sibi deest, regignere, vnde videmus, dentibus regenerationem fieri, quia nõ sunt vicinæ partes carnosæ, quæ anticipent carnis generationem. Concedit ergo tempus in eo loco ad dentis regenerationem, à quo alius decidit. Sic etiam cuticula regignitur, cutis autem non, quoniam illa sæpe aufertur non læsis partibus carnosis subiectis, cutis verò non: quod si contingat solam cutim auferri, & ea quoque regignetur, desinunt regigni partes deficiente materia, vt tandem dentes non regignuntur, quia ad ea loca ætatis cursu desinit ferri sanguis, qui sufficiat ad regenerationem & simul ad nutritionem: accedente etiam frigiditate & imbecillitate partis, quæ nequit alterare & formare materiam ad ossis duritiem. Gingiuas autem superinduxit natura cauitatibus ossiũ maxillarũ vt sanguis illic retineatur & tempus interim concedat ad dentis regenerationem, qui formatricis peculiarẽ vim non postulat, quoniam figuram materia, ex qua dens fit, sumit ex cauitate facta in prima conformatione, vt in ea postea dens nasci possit. Hæc ergo de generatione partium dicta sunt. Nam quod scribit, *naturam esse horum opificem, Medicum ministrum*, interpretatione non eget: nouimus enim in partium regeneratione naturam, alterare, assimilare, & ita regignere. Medicum verò sordem, quæ ex alteratione & coctione resultat, abstergere, & abluere, ne impedimento sit naturæ operibus.

Dentes cur inter ossa sola regignantur.

Cur semper dentes regigni nequeãt.

Ὅσα δὲ πλεονάζει κατ' ἀριθμόν, ἀφαίρεσις ἐστιν αἴτιον ὑγιεινόν. ἐπισκέπτεσθαι δὲ ἐφ' ὧν δυνατόν. εἰ δ' ἀδύνατον φαίνεται, μετατίθεσθαι πειρᾶσθαι.

Quæ vero numero excedunt, his ablatio causa salubris existit, inspicere vero oportet, in quibus id fieri possit: nam si impossibile appareat, transponere est tentandum.

Duo proponit remedia vitiorum, quæ consistunt in numero excedente, quorum vnum est ablatio, alterum transpositio. Fit autem ablatio incisione, cauteriis, extractione, euacuatione, occisione, constructione, qua alimentum, & vitam detrahimus. Sextum enim digitum si quis auferre velit, sectione tollet, cum nouacula, vel cultello, aut serra, aut ignito ferro adhibita. Lapides vesicæ aptis instrumentis à chirurgis excogitatis extrahimus. Vermes, qui ventriculum & intestina infestant, amaris necamus, & per medicamenta purgantia vomitu, aut deiectione educimus: Verrucas filo constringimus vehementer, & constrictæ arescunt & decidunt: Calculos etiam renum, aquis sponte nascentibus bibitis vel educimus per vrinas, aut certè depellimus à renibus: In suffusione, propriè transpositione vtimur: humorem enim qui pupillæ obiicitur, non educimus, sed deprimimus in subiectas oculi partes. Sunt, qui lapides concretos in vesica putent posse quoque transponi: quod vix fieri posse arbitror: nimirum quod sint veluti cognati ceruici vesicæ. Verum ars postulat, vt præcepta tradantur de omni re, quæ nobis vsui esse possit, etsi corporis structura multorum remediorum vsum non admittit.

Ἡ δὲ αὐτὴ καὶ τῶν παρὰ τὴν θέσιν ἡμαρτημένων ἐπανόρθωσις.

Eadem est & eorum, quæ in situ vitia sunt, emendatio.

Agit nunc de remediis malorum, quæ sunt in situ partium, quæ dicit emendari eadem ratione eiusdem remediis, quibus partes numero excedentes transponuntur. Neque enim credere oportet, esse eadem prorsus remedia: quibus superfluas partes excidimus, cum his, quæ membra restituunt in proprias sedes, aut ligamenta laxiora, vel breuiora, aut crassiora, aut duriora, vel alio malo affecta, quo vitiatur connexio partium, emendant. Igitur, si pars aliqua à suo loco excidit illam restituimus transpositione: veluti cum omentum aut intestina in scrotum sunt deuoluta; aut ossa exciderunt suis articulis, aut cauitatibus. Ligamentorum verò vitia propriis remediis corrigimus. Nam vincula breuiora, quibus lingua annectitur, sectione longiora reddimus: ea verò, quibus ossa crurum, & coxæ cõnectuntur incrassata, & mucoribus plena, aquis sulfureis in balneo emendamus: vel etiam cauteriis candentib. ex igne crura breuiora chirurgicis instrumentis, deductis ligamentis ad æqualitatem perducimus. Sed ne videamur singula prosequi velle, vbi solum artem docere instituimus, ad alia progrediamur.

Partium superfluarum ablatio quo modo fieri possit.

Εὔδηλον δὲ ὡς δύο καὶ τρία πολλάκις ἁμαρτήματα δύναται συστῆναι περὶ μόριον ἕν, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τινὶ γαστέρα μικράν τε ἅμα καὶ στρογγύλην, καὶ κατὰ τοῦ διαφράγματος ἐπικειμένην ἔχοντος. ἡμάρτητο γὰρ ἐν αὐτῇ μέγεθός τε καὶ διάπλασις καὶ θέσις. ἦν δὲ καὶ τῇ κράσει ψυχροτέρα. ταύτην εἰς μὲν τὸ κατὰ φύσιν ἄγειν ἀμήχανον ἦν· ὥστε δὲ ἧττον ὑπ' αὐτῆς ἐνοχλεῖσθαι, δυνατόν. ἐπειδὴ γὰρ ἐδυσπνόει πληρωθείσης τῆς γαστρός, ἐλάττονά τε καὶ τρόφιμα, καὶ μὴ βαρέως ὑπιόντα, προσεφέρετο δὶς τῆς ἡμέρας.

Neque in obscuro est, quod duo sæpius aut tria vitia eandem partem possunt occupare, sicut in eo, qui ventriculum paruum simul, atque rotundum, atque aduersus septum habuit incumbentem: in ipso etenim magnitudo, formatio, ac situs, erant deprauati, temperatura quoque frigidior existebat. Hic nullo artificio ad naturalem habitum transferri poterat: at ne adeo infestaretur, erat remedio locus. Nam quoniam repleto ventriculo difficultate spirandi premebatur,

minus

[illegible] cibi, at magis alimento oportuno, & qui non difficulter subduceretur, ter in die assumebat.

Postea quam egit de simplicibus malis, quæ accidunt partibus instrumentariis, nunc obiter de compositis agit, cum scilicet duo, aut tria, aut plura vitia in eodem membro reperiuntur, proposito ventriculo, in quo sunt plura, quæ sanari quidē nullo modo possunt, nec transponi, sed idoneis præsidiis mitigantur: auxilium autem sumit à parca & frequenti exhibitione cibi bene nutrientis & subducentis aluum: & quoniam res satis per se patet ex Gal. dictis, ad alia transeamus, & credamus, si velimus, fortè mendacium narrari.

B

Ἄλλῳ δὲ ἐμφράξεως ἐν ἥπατι διὰ τὴν στενότητα τῶν ἀγγείων συνεχέστατα γινομένης, ἴαμα ἐξευρέθη ἡ λεπτύνουσα δίαιτα.

Alter verò, cui obstructio in hepate ob vasorum angustiam sæpe contingebat, extenuans victus pro remedio inuentus est.

Aliud proponit morbi genus; quod cum tolli, nec transferri possit, remedio tamen mitescit, minusque nocet. Et hoc malum *angustia venarum hepatis*, cuius occasione obstructiones ab alimentis facilè fiunt, quarum remedium sumit *à cibis extenuantibus*. Verum cum obstructiones fiant non solum à crassitie, sed etiam à multitudine & viscositate materiæ, sola extenuantia, quæ contra crassitiem pugnant, non possunt esse omnib. auxilio. Nam aduersus multitudinem pugnamus euacuatione: contra viscositatem, incisione & abstersione: contra crassitiem, extenuatione quidem, sed per varia remedia pro diuersitate causarum, quæ crassitiem pariunt. Nam si crassum est ex abundantia terrenæ substantiæ, vt humor melancholicus, humida extenuant: si verò ex concretione, vt pituita facta sit crassa, calefacientia & fundentia sunt assumenda ad extenuationem: at si ex adustione, consumpto liquidiore humore, res sunt factæ crassæ, vt atra bilis, & flaua & pituita in febribus ardentibus, quæ refrigerant & humectant, sunt extenuantia: at vero si crassum est ex multitudine substantiæ, quo modo dicimus hominem crassum, quod multam molē substantiæ habet, & humores etiam eodem modo crassos vocamus, quasi multos intelligamus, quæ etiam habent tenuium partium, qua possunt penetrare, optimè succurrunt. Quare falluntur Medici (vt alibi ostendimus) qui in omni crassitie humorum adhibent thymum, serpillum, origanū, & similia, quæ calefaciendi & siccandi vim habent. Vbi enim crassities consistit ex adustione, vel terrena substantia exuperante, tantum abest, vt hæc extenuent, vt etiam crassitiem maximè augeant. Ego verò, qui angustia has ex venarum hepatis frequenter obstructionibus laborare soleo, præsertim cum non satis exerceo corpus, & calorem debilem reddo meis studiis & cogitationibus, nullum melius sentio remedium, quàm potionem ex oxymelite diluiore coctis primum cum aqua tymo, serpillo, fœniculo, & absynthio, & adiecto deinde melle & aceto: hoc nisi profuisset remedium, aut iam exspirassem, aut certè ad docendum & hæc scribenda in hoc anno 1564. quo compleui quinquagesimum primum annū ætatis meæ, amplius non essem idoneus.

Obstructionum remedia.

Crassitiem multis modis fieri & ob id extenuantia non vnam ipsa naturā.

Ante quā anno hæc commentaria scripserit.

C

D

E

λοιπὸν οὖν ἔτι γε ἓν κοινὸν ὁμοιομερῶν τε καὶ ὀργανικῶν ἐστιν, ἡ λύσις τῆς συνεχείας, ἣν ἴσως τις οὐ συγχωρήσει τοῖς ἀμέμπτως ὑγιαίνουσιν ὑπάρξαι ποτέ. εἶναι γὰρ ἀεὶ πάθος, οὐκ εἰδὼς ὁμοίαν ἀπορίαν ἐμπεσεῖν ὑπὲρ ἁπάντων τῶν γενῶν. εἰ μὴ γὰρ ἐνεργείας αἰσθητὴ βλάβη διορίζει τὸ νόσημα τῆς ὑγιείας, ἀλλὰ κατὰ τὸ ποιὸν τῆς διαθέσεως ἐπισκοποῖτο μόνον, ἀναγκαῖον ἔσται τὸ τῆς ἀειπαθείας προσδέξασθαι δόγμα, μηδενὸς ἀρίστας ἔχοντος ἁπάσας τὰς ἐνεργείας. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ὡς ἂν λογικώτερον σκέμμα καθ' ἑαυτὸ λόγου τυγχανέτω.

CAP. LXXXVIII DE CONTINVITATIS SOLVTIONE.

Reliquum igitur id morbi genus est, quod & similaribus & instrumentariis partibus commune existit, solutio scilicet continuitatis, quam quispiam fortè his vnquam adesse negarit, qui integra sanitate fruuntur, quanam semper sit passio: quem sanè latet, eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Nisi enim operationis læsio sensibilis sanitatem ab ægritudine separet; sed qualitatem tantummodo dispositionis introspiciemus, perpetuæ passibilitatis dogma necessariò recipiemus, cum nullus sit, qui operationes optimas habeat. Sed de hoc quidem vt quod ad logicam potius pertineat contemplationem, seorsum consideretur.

Hactenus Galenus docuit, quo modo vitia, quæ propria sunt similaribus & organicis partibus in latitudine sanitatis per causas salubres emendari possint: nunc verò correctionem vult ostendere, quæ pertinet ad commune vitium, quod scilicet tum similares, tum organicas infestat. Est autem hoc mali genus continui solutio, siue diuisio eius, quod erat sibi continuum & vnitum. Nam similares & organicæ partes vnionem suam postulant, vt probè suas functiones exercere possint, vt Galenus quidem sentit. Nos verò aliter credimus, vt *in 1. Comment. & in lib. de generibus morborum* docuimus. Nam etsi continuum & vnio reperiuntur in similaribus partibus, tamen nec sanitas, nec morbus in illis fit partibus, ex integra, aut violata ea vnione, & continuitate: non magis sanè, quàm in figura, magnitudine, asperitate, læuitate, numero, situ, & connexione: quoniam scilicet hæc si sunt in partibus similaribus, tamen non conferunt, nec obsunt actionibus similarium partium, propterea quicquid est boni aut mali ex iis rebus, ad structuram partium organicarum pertinere dicitur. Sed hæc, vt dixi, alio loco diligentius enarrauimus. Quod verò scribit hic Galenus solutionem, liquam, continui fieri posse in corporibus sanis, manente ipsa sanitate, excutiendum breuiter est: non enim par videtur esse ratio in hoc genere mali, quę est in aliis. Nam leuis quæq; continui solutio, quæ postulet

Ex integra aut soluta vnitate nec sanitatem nec morbum in partibus similarib. fieri posse.

Solutionem continui fieri non posse manente sanitate partis diuisæ.

causam aliquam salubrem, actionem lædit partis A diuisæ, vt ex punctura, & incisione digiti apparet. Redditur enim digitus ad apprehendendum & sentiendũ ex eo malo ineptus ad motum, & sensum: quare tunc ægrotat, et si ob leuitatem morbi citò sanatur. Vitia verò sanorum, quæ sunt in figura, magnitudine, in intemperie, & aliis generibus, non adeo euidentem habent noxam, vt ea, quæ nascitur ex continui solutione: vt non immerito antiqui dubitauerint, hoc mali genus non posse contingere in corporibus, aut partibus obtinentibus adhuc sanitatem. Sed quorsum, quæso, erat opus huius vitii mentionem facere, omissis causis salubrib. quæ illi succurrere poterãt? Satius profectò fuisset, non solum hoc malum, sed alia omnia, quæ pertinent ad organicas partes cõ- B memorare, in sola parte curatiua: quippe cum eadem repetantur præsidia, eadem sint mala, solum per magis & minus discrepantia, euidensq; fit in omnibus mutatio: In prædictis verò vitiis conseruantes causa à mutantibus euidenter erant distinctæ & diuersa sunt auxilia curatiuæ partis, & conseruantis, & huius distincta quoque sunt, quæ sanitatem conseruant in eodem statu, ab iis, quæ ad optimam constitutionem contendunt. Sed nos, qui interpretes & non autores in hac re sumus, cogimur aliorum tractationem sequi.

Gal. notatur.

Τὰ δ᾽ ὡς πρὸς τοὺς ὁμολογουμένως νοσοῦντας ὑγιεινὰ τῶν αἰτίων, ἑξῆς διέλθωμεν, ἀπὸ τῆς δυσκρασίας ἀρξάμενοι πρώτης. διοριστέον οὖν ἐνταῦθα πρότερον ὅπερ ὀλίγου δεῖν ἅπαντες οἱ ἰατροὶ παραλείπουσιν, ὡς ἄλλα μέν ἐστιν ὑγιεινὰ τῆς ἤδη γεγενημένης δυσκρασίας, ἄλλα δὲ τῆς ἔτι γινομένης, ὥσπερ γε καὶ τῆς γενησομένης ἄλλα. ταύτης μὲν τῆς ὑστάτης, τὰ μὲν ἐν τῷ προφυλακτικῷ μέρει τῆς τέχνης ἐστί, τὰ δὲ ἐν τῷ ὑγιεινῷ. τῆς δὲ πρώτης ἁπασῶν, ἐν τῷ θεραπευτικῷ μόνῳ. τῆς δ᾽ ἀμφοῖν μέσης λεχθείσης, ἐν τῷ προφυλακτικῷ τε καὶ θεραπευτικῷ. τὴν μὲν γὰρ ἤδη γεγενημένην τε καὶ οὖσαν νόσον ἰᾶσθαι χρή· τὴν δ᾽ οὔπω μὲν οὖσαν, ἐσομένην δὲ, ἐκ τῆς κατὰ τὸ σῶμα διαθέσεως κωλῦσαι γενέσθαι. τῆς γινομένης δὲ τὸ μὲν ἤδη γεγονὸς ἰᾶσθαι, τὸ γενησόμενον δὲ κωλῦσαι γενέσθαι. κωλυθήσεται δὲ, τῆς διαθέσεως, ἐφ᾽ ᾗ γίνεσθαι πέφυκεν, ἀναιρεθείσης. ὀνομάζεται δὲ ἡ τοιαύτη διάθεσις αἰτία προηγουμένη. γεγονὸς δὲ τὸ νόσημα ἤδη, θεραπευθήσεται, τῆς διαθέσεως, ὑφ᾽ ἧς πρώτης ἡ κατὰ φύσιν ἐνέργεια βλάπτεται, λυθείσης, ἥνπερ δὴ καὶ φαμὲν αὐτὴν εἶναι τῆς νόσου τὴν αἰτίαν.

C

D

Salubres vero causas, vt iis, quos nemo dubitat ægrotare, deinceps percurramus, à mala temperatura exordium facientes. Hic vero prius distinguamus, quæ omnes ferè Medici prætermittunt, alias quidem esse salubres causas eius intemperaturæ, quæ iam facta est, alias autem illius, quæ & adhuc fit: sicut etiam alias eius, quæ futura est. Huius itaque postre- E *mæ, hæ quidem in præseruatiua artis parte continentur: hæ verè in salubri: primæ autem inter omnes in curatiua tantummodo. Sed eius, quam mediam inter vtramque locauimus, in præseruatiua & curatiua: Iam enim factam, atque existentem ægritudinem curare oportet: sed quæ nondum quidem adest, at futura est, prohibendum est, ne fiat, ablata ea, quæ est in corpore, dispositione: eius autem, quæ adhuc fit, quod quidem factum est, curare opus est: quod autem futurum, prohibere, ne fiat: prohibebitur autem, sublata ea dispositione, quam sequi natura apta est. Talis vero dispositio causa antecedens appellatur. Facta autem ægritudo curabitur, soluta ea dispositione, à qua primum ea, quæ secundũ naturam, læditur operatio: quam quidem & ipsam morbi essentiam dicimus esse.*

Absolutis causis cõseruantibus, transit ad causas efficientes sanitatem, quæ debentur ægrotis corporibus: & quoniam morbi aliqui fiunt ex intemperie, alii verò ex structura partium organi- C catum præter naturam vitiata, proponit autor, se primum agere velle de remediis, quæ conueniunt intemperatutis morbosis, & quoniã vitiatur medendi ratio ob eam diuersitatem, quæ reperitur in ipsis intemperaturis, ob præsentiam aut absentiam causarum suarum, ideo prius distinctionem hanc ponit, & interim accusat antiquiores Medicos, qui eam prætermiserunt. Distinctio autem, quam proponit, huiusmodi est: *quod quædam sint intemperies iam factæ: aliæ, quæ sunt futuræ.* Deinde, vt officia, & remedia Medicorum inter se distinguat, subdit, *Medicum debere vti in intemperie, quæ futura est, præseruatione aut conseruatione: contra verò intemperiem, quæ iam facta est, sola curatione, & curatiuis remediis pugnandam esse. In* D *eo verò statu corporis, in quo intemperies partim est facta, partim adhuc fit, agendum est præseruatione & curatione.* Et horum omnium rationem reddit, *nempe curandam esse factam intemperiem, quæque iam morbus est: eam autem, quæ nondum est morb. sed tamen ex corporis affectione futurus est, prohibere* (inquit) *oportet: eius vero, quæ fit, quod quidem iam factum est, curare: quod verò futurum est, prohibere. Prohibetur autem* (inquit) *affectione, ex qua id fieri idoneum est, remota, quæ quidem antecedens causa nominatur. Iam verò factus morbus, affectione, quæ prima naturalem actionem lædit, sublata, curabitur: quam quidem, & ipsam morbi essentiam dicimus esse.* Sunt multa quidem in hac re dicenda: sed primum annotare volo errorem in- E terpretis, qui habetur in postremis autoris verbis, vbi pro morbi *causa*, morbi *essentiam* vertit, non paruo errore, vt postea ostendemus: deinde quod scribit autor, morbum quendam esse in fieri, alium verò in facto esse, explicatione eget. Nam *in libr. 1. & 2. Methodi medendi*, & *in lib. de diff. simpl.* contendit, omnem morbum esse *affectionem*, & propterea esse rem factam: differre enim in eo

De morbo in fieri & facto esse disputatio.

Passio & affectus quomodo differant.

in eo passionem ab affectu, *quod passio sit alteratio & motus, qui adhuc fit circa materiam: affectus verò sit alteratio, & qualitas, quæ post motum in materia manet, adeo, vt passio in ipsa mutatione naturam suam obtineat: affectus verò consistat in eo, quod est factum, & per aliquod tempus subsistit, atque ob id est in habitu & permanentia.* Quod si ita est, quomodo hoc loco dicere potest, quosdam esse morbos in facto, alios verò in fieri? At intelligit hoc loco, eos esse in fieri, qui etsi augeri adhuc possunt, tantum tamen iam habent factũ, vt iam affectus vocari possint, cuius generis sunt febres putridæ, quæ statim ab initio, & in prima inuasione morbi sunt, & postea perseuerante obstructione & causis putredinis, fiunt adhuc, id est, augentur. Ita enim verbum *fit*, rectè fortè interpretabimur, *augeri*. Absurda autem est Montani opinio, qui dicit, eos morbos esse in facto, qui sunt in statu: alios autẽ esse in fieri. nam hectica febris in principio est in facto, & Galenus nõ tempora morborum inter se distinguit in hac diuisione, sed integros morbos cum integris cõparans: & alibi definit, illos esse in fieri, qui perseuerare non possunt ablata causa, à qua primum incepit motus: vt calor impressus nobis à sole, dicitur in facto, si postea quam à sole recessimus, is perseuerat. Quod verò scribit, *intemperaturas morbosas, quæ futuræ sunt, subiectas artis parti, quæ præcauet, vel conseruat, vel,* vt cum illo loquar (ne in verbo sit calumnia) *quasdam ex illis intemperaturis egere conseruatione, alias perseueratione,* maiore eget reprehensione. Nam sanorum status potentiam non habet ad futurum morbũ, si modo illa sunt conseruanda, qualia sunt. Quod si intemperaturæ sanæ ægræ aliquando fiant, non ante certè fiunt, quàm pullulantes excitentur in corpore causæ, quæ morbum necessario parient, nisi illis occurramus. Quamobrem vbi talis est corporis status, in quo futuros morbos timemus, *præseruatione* vti debemus, & non *aliquando præseruatione, aliquando conseruatione*, vt ille hic scribit, cum euidenti, vt arbitror, errore, non animaduerso ab aliis interpretibus. Nec credendũ est, quod velit, in omni statu, in quo timemus morbos futuros, vtendum esse & conseruatione & præseruatione, quod aliquid sit, quod remouendum sit, à quo iam morbus imminet: aliud verò conseruandum, in quo nulla est futura mutatio: nam cum hic solum spectet generationem morbi futuri: non erat, quod de eo ageret, quod quidem ad eam non confert. Præterea non poterat simpliciter dicere, factos morbos sola egere curatione, cum ægroti etiam conseruatione eius opus habeant, quod in illis est secundum naturam, & per morbos non mutatur. Igitur non debet hic fieri mentio de conseruatiua parte, vbi præcauere volumus, ne morbi accidant. Id quod ipse postea apertè ostendet, quando aget de medicinæ partibus præseruatiuis, ad quas solas pertinere scribit prohibitionẽ generationis futuri morbi. Addo, quod *in hoc* etiam *contextu*, vbi reddit rationem eius, quod proposuit, apertè scribat, ad futuros morbos prohibendos vtendum esse sola præseruationẽ, conseruationis nulla facta mentione, & fortè est error in codicibus Græcis. Videtur enim hic tangere quatuor status corporis, & sic ob verborum quorundam defectum, quartum miscet cum vno ex tribus: vel enim cor-

Aegrotos nõ solum egere curatione, sed & cõseruatione.

A pus est sanum, in quo nulla est suspicio de morbo futuro, & in eo debemus vti conseruatione: vel imminet iam morbus, & tunc præseruatione vtendum: vel morbus est iam factus, cui sola detur curatio: vel partim factus est, partim verò adhuc fit, & augetur, & tunc adhibenda sunt auxilia præseruatiua & curatiua.

Gal. tacitè ob errorem vadicũ Græcorum.

Cæterum quod scribit, *præcaueri morbos sublata causa antecedente; morbum verò ipsum iam factũ remoueri sublata morbi ipsius causa, & illam esse affectionem, quæ primo actionem lædit,* non parua eget consideratione: Cur enim mentionem hic non facit de causis procatarcticis? an illæ non habent vim in generatione morborum, & actione? an tristitia, quæ diariam febrem peperit, non

Præseruatio cõtra quam causam pugnet.

B illam adhuc fouet, si adhuc perseuerat? & post diariam potest vel putridam aut hecticam excitare? Debemusne dicere, procatarcticas istas causas, quæ non abeunt, posteaquam pepererunt affectum, assumere naturam causarum antecedentium? vel fortè satis est dicere, tolli id, quod fit remotione suæ causæ, non addendo *antecedentis causæ*, vt vocabulum extendatur etiam ad procatarcticas? In eo verò, quod scribit, *factum morbum tolli sublata ipsius causa, & illam esse, quæ primo actiones lædit,* aliòqui volo eos, qui negant in morbis dari causam coniunctam. Nam si Galenus hic habet morbos curari sublata ipsorũ causa & non essentia, vt male vertit Leonicenus, quam, quæso, aliam causam intelligere possumus

Cur causas procatarcticas omittat.

De causa coniuncta disputatio.

C quàm coniunctam? nam si antecedentem intelligeret, non fieret vtiq; curatio, sed præseruatio, vt ille præcedentibus verbis ostendit. Coniunctam ergo causam intelligat, necesse est, quæ datur etiam in morbis factis, vt ex hoc etiam loco patet: & quis dubitat, illam dari omni morbo. Nam, si morbus est vitium, quod nascitur ex immoderatione & inæqualitate facta à calido, frigido, humido, & sicco, non poterit vtique abigi, nisi inæqualitas illa tollatur, & ea qualitas, quæ inæqualitatem & immoderantiam parit: atque ipsa inæqualitas & immoderantia est coniuncta morbi causa: calor verò aut alia qualitas remotior causa est: prohibita transpiratio, & obstructiones remotiores adhuc causæ: humores crassi

D vel lapides obstruentes, maximè recedunt à morbo inter causas antecedentes. Omnium verò maximè, causæ procatarcticæ, vt cibi crassi & viscidi, qui obstructiones gignunt in corpore. Videant ergo illi, quomodo lapides in vesica, & obstructiones venarum possint morbos vocare, cum sint remotæ causæ morborum. Sed qui progressum ignorant inter causas, à remotissimis ad propinquissimas, & has à morbo distinguere nõ possunt, & ignorant quid re vera morbus sit, nõ possunt hæc intelligere, & vno verbo autoris statim confunduntur. Si enim audirent Galenum dicentem, *morbum esse vitium corporis, & sanitatem perfectionem quandam*, intelligere profectò deberent, ea, quæ ipsi putant esse morbos, vt lapidem, obstructionem, esse causas morborum,

E & non morbos: quia vitia non sunt, sed vitiorum causæ. Rectè quidem *hoc loco* scribit Gal. *non esse ipsum morbum, qui primo actionem lædat, sed morbi ipsius causam*, scilicet coniunctam, vel potius coniunctæ proximam. Non enim est perfectio, quæ in constitutione bona nostri corporis reperitur, quæ actionem edit bonam,

Google

nec vitium, quod eandē lædit: hæc enim agendi A vim non habent, sed calor, & aliæ qualitates, quæ constitutionē optimam efficiunt, vel illam lædūt, dū inter se æqualiter vel inæqualiter temperātur. Hæc n. sunt, quæ agunt, aut certè corpus per illas, illisque remotis, morbi pelluntur, & sanitas recuperatur. Illud solum addere in hac re volo, melius esse, si dicamus, *ægrotantia corpora solum curari*, quàm si dicamus, *quædam ex illis partim curari, partim præseruari*. Ita enim distinguuntur melius officia, si dicamus, hæc curari; illa verò, quæ periclitantur cadere in morbos, præseruari. Ac in re quidem nullus fit error, & in nomine solum est quæstio, si dixerimus, nos præseruare, cum sanB guinem mittimus, & curare, cum calorem proximam causam morbi refrigeramus: & hanc nostram opinionem sequitur Gal. *in lib. 11. Method. medendi cap. 2.*

Sanitatem & morbum non esse proximas, vel etiam remotas actionis causas.

Curare & præseruare qui dicātur.

CAP. LXXXIX. DE COMMVNISSIMA INTENTIONE CVRATIVA.

Ἡ δ' ἴασις ἕνα μὲν ἔχει καὶ πρῶτον τὸν κοινότατον σκοπόν, αὐτὸ τῷ μέλλοντι λυθήσεσθαι τὸν ἐναντίον. ἐκ τούτου γὰρ τοῦ γένους ἐστὶ πάντα τὰ δημιουργοῦντα τὴν ὑγείαν αἴτια. κατὰ μέρος δὲ ἐκ τῶν καθέκαστον ἐναντίων. τῇ μὲν οὖν θερμῇ διαθέσει τὸ ψυχρὸν αἴτιον ἐναντίον ἐστί, τῇ ψυχρᾷ δὲ τὸ θερμόν, ἐπί τε τῶν ἄλλων C ἀνάλογον. εἰ γὰρ ἄμετρον μὲν ἅπαν τὸ παρὰ φύσιν, ἔμμετρον δὲ τὸ κατὰ φύσιν, ἀνάγκη πᾶσι τὸ ἄμετρον ὑπὸ τοῦ κατὰ τοὐναντίον ἀμέτρου, πρὸς τὸ σύμμετρον ἐπανελθεῖν.

Curatio verò vnam præcipuam ac communissimam habet intentionem, ad id quod est dispositioni auferendæ contrarium. Ex hoc siquidem genere sunt causæ illæ omnes, quæ sanitatem efficiunt. Secundum partem verò ex vniuscuiusque dispositionis contrariis: calido igitur affectui causa frigida contraria existit, frigido autem calida, eademque in cæteris proportione. etenim si omne immoderatum est præter naturam, moderatum verò secundum naturam, necesse est omnino, vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur.

Proposuit Gal. curationem conuenire morbis factis; præseruationem verò futuris; præseruationem verò & curationem morbis, qui sunt in fieri. Nunc sigillatim docere instituit, quæ causæ salubres prædictis rebus conueniant, & primum agit de curatione, quam dicit fieri per contraria remedia dispositioni, quæ auferenda est. & id docet partim exemplis, partim ratione; exempla autem sumit tum ex generali, tum particulari cōtrarietate. Constat enim sensibus, cōtrarium expellere contrarium, & singula contraria oppugnari à propriis contrariis, vt calidum à frigido, humidum à sicco: ratio autem, qua vtitur ad idem probandum, sumitur à ratione motus. Cum enim motus omnis fiat de contrario in cōtrarium: in expulsione autem morborum mutationem quærimus, & non conseruationem, merito fit, vt curatio, quæ nihil aliud est, quàm *mutatio à morbo ad sanitatem, & ab ægro ad sanum, per contraria* perfici debeat. Sed dubium est, quæ sint ista contraria, quæ mutuo inter se pugnant: Nam Galenus ponit vnum contrarium dispositionem, quæ auferri debet, alterū verò remedium, quod ei dispositioni est contrarium: sed cum non explicet, quid intelligendum sit per eam dispositionem, non etiam parere potest alterius contrarii natura, & ipsius contrarietatis ratio. Porro cum agat de curatione morborum, facilè credere quis posset, eum nihil aliud velle intelligere per contrariam dispositionem, quàm morbum ipsum, & spontè quidem concedent hanc interpretationē, qui causam coniunctam in morbis ignorant, & putant remedia curatiua contra morbum ipsum pugnare, & non contra aliquam morbi causam. Sed illorum opinionem & errorem euidenter refello ex Gal. verbis *in hoc contextu* positis: At enim, *immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigi*. Itaque si dispositio, quæ auferenda est, est ipse morbus, & per ipsum contrarium tollitur, erit profectò sanitas adhibenda pro remedio: nihil enim morbo contrarium est præter sanitatem. At sanitas moderata res est, nō immoderata: quare *non contra morbum* remedia adhibemus, *sed contra causas morborum*, nempe cōtra calorem, frigus, humidum, siccum, quæ inæqualitatem, & morbum pariunt, suo excessu: & propterea rectè scribit Galenus qualitatis vnius excessum, contrariæ qualitatis excessū emendari: & ita morbum expelli à contrario, id est, sequi expulsionem morbi remota qualitate, quæ excessum reperit in corpore, & ex eo morbum, & sanitatem ipsam sequi, ex contrarietate, & actione earum excedentium qualitatum. Nam vtraque excedente pariter qualitate, mediocritatem sequi necesse est, & ex ea sanitatem. Non ergo contra morbum, aut sanitatem pugna aliqua fit: quoniā nec morbus, nec sanitas agendi vim habent, etsi D inter se contraria sunt, sed qualitates, ex quarum actione excessus & moderantia in nobis succedunt. Constat igitur, nos in curatione morborū nec mutuo, nec per se pugnare contra morbum ipsum, qui sponte cedit pugnæ, & illam sequitur: sed contra morborum causas, calidum inquam, frigidum, humidum, & siccum. Cæterum cōtrarietatis nomine in curatione peragenda, vt Galenus *in lib. 11. Meth. medendi c. 12.* annotat, intelligimus, *non solum propria contraria, sed etiam alia opposita*. Nam calidum frigido est contrarium, & humidum sicco: At læue aspero, magnum paruo, rarum denso, & quod secundum naturam est ei, E quod est præter naturam, (vt inquit Galenus *lib. præcitato*) & alia multa, quæ morbos faciunt & tollunt, propriè contraria non sunt, sed alio oppositionis modo inter se diuersa, quæ oppositio sufficit in curatione: adeo vt Gal. dictum ab omnibus Medicis receptū, nempe quod curatio fiat per contraria, idem sit eodem autore teste, ac si dicamus, *curationem fieri per opposita*. Qua quidem in re videndum primum est, an sententia hæc penitus sit vera, & vniuersalis; vt idem autor *eodem loco* probat: nam contra id facere videtur, quod febricitantib. sæpe succurramus per remedia calefacientia, & euacuantia: & concoquentia, quæ feb. contraria non sunt. Scribit præterea Hippoc. in Aphorismis, tetanum, id est, conuulsionem factam à frigida pituita, frigidæ aquæ perfusione

Curatio quid & per quæ fiat.

Disputatio, quid per contrariam dispositioni intelligas in hac ratione.

Contra quid adhibeamus remedia.

Nec morbus nec sanitas habere vim agendi.

Curationem non deberi morbo, nec remedia pugnare contra morbum.

Contrarietatis nomine in curatione peragenda quid intelligamus.

An curatio semper fiat per opposita.

fusione sanari, & dolorem tolli dolore, vulgata A est sententia, & vomitu vomitum sedari, & alui fluxum siti purgatione. Scribit præterea Galen. maniam mediocrē exstasi, id est, vehementi mania tolli. hæ dubitationes facilè soluuntur, distinguendo quod per se fit, ab eo, quod fit per accidens, & spectando, quid contrarium sit coniunctæ, aut remotiori causæ morbi. Nam cum frigida aqua sanat tetanum, id *per accidens* fit: Externa enim refrigeratio in validis corporibus calorem intus auget. qui postea pituitam, conuulsionis causam, concoquit & dissipat. Febrilis calor non tollitur vacuantibus, & calefacientibus, quia hæc non sunt remedia ipsius febris, sed humorū frigidorum putrescentium, quibus excalefactis, concoctis, & euacuatis, vnà desinit calor fabrem B immediatè faciens. vt qui non amplius habeat fouentem causam Quod si febris *vehementer vrget*, tunc ipsa postulat etiam propria cibi remedia, & illa sumūtur à refrigerantib. Alui fluxus & vomitus curatur euacuationibus, per quas educuntur humores, qui naturam irritant, & stimulant ad excretionem, quæ fit per vomitum, vel deiectionem: At id, quod euacuat, opponitur ei, quod replet, & id, quod tollit illud, quod molestabat, oppositionem cum illo facit. Cæterum si dolor tollitur dolore, veluti cum abscessum incisione vel cauterio aperimus, id *per acidens* etiam fit: quoniam euacuare non possumus humorem in abscessu contentum, nisi cum remediis dolorificis: Ad id, quod reuera curat, est euacuatio, non C dolor ipse. Mania cum abundè excesserit, curatur, non à se ipsa quidem, sed *quia natura ab excessu monetur contra causas valde molestantes*: atque ita fiunt crises vigente morbo, quia natura tunc cogitur extrudere, quod erat molestum: ad quod contingit abigi symptomata, quæ suas causas tanquam vmbra corpus sequuntur. In iis ergo nulla est difficultas; sed maior fortasse in aliis, quæ ad hanc rem pertinent: nam cum morbi fiunt ex intemperie quatuor primarum qualitatum, quæ verè contrariæ sunt, dubium est, an fiat curatio per contraria Nam si verè contraria sunt, plurimum inter se distabunt remedia, & morbi, & morborum causæ. At cum exigui sunt morbi, qui parum à mediocritate corpora distrahunt, D paruos quoque oportet excessus remediorum, si modo æqualia debent esse remedia, & affectus, quos oppugnamus. hanc dubitationem soluunt nonnulli interpretando contraria, quæ non plurimum semper inter se distant, sed quomodocunque: Et hanc opinionem videntur accepisse à Galeno *in vndecimo Meth. cap.* 12. verum hi videntur mihi in ea re falli: nam parui excessus morbū non faciunt: Quare nec remedia paruo excessu recedent à mediocritate. Oportet enim *duos ad minus* esse gradus affectionis præter naturam, si morbus esse & dici debet: Id quod probo ex iis, quæ scribit Galenus de gradibus medicamentorum *in libro de Simplicibus*. Ponit enim quatuor E solum gradus in omnibus medicamentis alterantibus, & primum dicit, sensu non deprehendi, aut admodum obscurè, quæ verò in secundo gradu calefaciunt, vel alio modo alterant, sensu euidenter iam deprehendi ipsorum vim & alterationem. Itaque si morbosus non est affectus, vt Galenus censet, antequam sensibiliter actionem lædat, fit vtique, vt in omni morbo, quamuis minimo, recessus fit à mediocritate per duos gradus: & propterea omne remediū, quod morbis mederi potest, pariter recedere à tēperato auxilio per duos gradus: est autem magna distantia, & proinde cōtrarietas, vbi vtrinq; fit recessus à mediocritate per gradus duos: quippe cum non sint plures, quam duo gradus alii in medicamentis, vt nostram naturam perimant. Quæ enim refrigerant in quarto, aut calefaciunt, lethalia sunt: moriuntur ergo omnes, si excessus qualitatū facientium morbos vltra quatuor gradus fiant: nimirum cum nullum adesse possit remediū, quod pariter alterare possit: immo si ad quartum gradum peruenerit morbus, nulla est salutis spes: propterea quod remedia, quæ illis succurrere possent, mortifera sint.

Tetanus quomodo curatur aqua frigida.

Quomodo febris remediis calidis.

Febres quando requirant propria remedia.

Quomodo dolor tollat dolorem.

Maniam mediocrē quomodo vehemens.

Quot gradus excessus oporteat esse vt morbus fiat.

Morbi in quo gradu sint lethales, & cur.

In eo quoq; dubium est, quod scribit Gal. *immoderatum ab immoderato contrario redigi ad mediocritatem*. Id enim non videtur in omnib. morbis verum esse. Si enim luxatū sit membrum, remedium non petimus ab immoderato contrario: mediocritatem enim assequimur properando in propriam sedem: id, quod sanè non fit, sumendo aliquid immoderatum, quod resistat immoderato. Sic cum excidimus superfluum digitum, aut pus vel aliam materiam euacuamus, remedium non petimus ab immoderatis: Illa enim obsunt. An dictum Gal. solum debeat intelligi *de immoderatione, quæ ex mistione nascitur, ac temperie*. Non enim contraria, quæ ad mistionem veniunt, si excedant, temperari possunt, nisi per excessum cō- C trarii. Non enim calidum, quod violat temperiē, potest ad mediocritatem duci, nisi per frigidum. Duo igitur gradus caloris postulant duos gradus frigidi, & plures gradus vnius, postulant plures gradus alterius contrarii, si mediocritatem, & sanitatem consequi volumus. Quare merito Gal. *hic*, vbi agit de remediis morborum, qui consistunt ex intemperie & excessu qualitatū, scripsit *immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigi*. In aliis verò morbis qui non fiunt per mistionem qualitatum, & causarum morbi, sed per compositionem & structuram vitiatam, eadem non est ratio.

An omnis curatio fiat per immoderata.

Εὔδηλον δ' ὡς τὸ κατὰ δύναμιν, οὐ τὸ κατὰ φαντασίαν θερμαῖνον καὶ ψῦχον, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα, ληπτέον ἐστί. καλῶ δὲ κατὰ δύναμιν μὲν, ὅπερ ὄντως τι καὶ ἀληθῶς οἷον λέγεται, κατὰ φαντασίαν δὲ, τὸ τῇ προχείρῳ μὲν αἰσθήσει τοιοῦτον εἶναι φανταζόμενον, ὄντως δ' οὐκ ὂν τοιοῦτον. ὅπως δὲ χρὴ γνωρίζειν αὐτά, κατὰ τὴν περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως εἴρηται πραγματείαν.

At manifestum est, quod secundum potentiam, non autem imaginationem & calefaciens & refrigerans, & quæcunque alia huiusmodi oportet assumere. Voco autem secundum potentiam, quod reipsa verè tale existit, quale esse dicitur: secundum imaginationem autem, quæ ex prompto quidem sensu tale esse imaginamur, cum tamen verè tale non sit. Sed qua sint hæc ratione distinguenda, diximus in his libris, in quibus de simplicium medicaminum potestatibus agitur.

Cum dixisset curationem morborum, qui fiũt ex intemperie, fieri per contraria, & hæc duobus modis intelligi possint: nunc admonet, quomodo velit in hoc loco contraria sumi: & dicit, quod intelligere oporteat contraria, quæ sunt secundũ suam vim, & potentiam talia, non autem secundum imaginationem: & explicat, illud esse secundum potentiam tale, quod re ipsa verè tale existat quale esse dicitur: secundum imaginationem autem, quæ ex prompto sensu talia esse imaginamur, cum tamen verè talia non sint: & addit præterea, se docuisse *in libris de simplicib.* rationem & modum, quo hæc inter se distingui possint. Intelligit autem Akachias, illa re vera talia esse, *quæ ita sunt à natura facta*, nõ autẽ ascititia qualitate sunt donata: veluti esset Euforbium niue refrigeratũ. Cuius quidem interpretatio repugnat autori, & naturæ rei. Nam ad curationem morborum nihil refert assumere, quæ naturam, aut acquisititiam vim habent alterandi: nam dolentes partes refrigeratasque aqua & linteis excalefactis rectè curamus. Alii verò sunt, qui intelligunt, illud esse reuera tale, quod per se, & non per accidens tale existit: quorum etiam interpretatio damnanda est. Nam (vt superius ostendimus) Hipp. in curatione Tetani ad calefaciendam & dissoluendam pit … aucto intus calore, adhibet frigidæ aquę perfusionem. quare ego aliter hæc interpretor: illa, inquam, esse reuera talia, quæ vim & potentiam habent, siue facultatem faciendi, quod ab illis quærimus, calefaciendi, inquam, refrigerãdi, aut aliud faciendi in corpore, siue id propria, siue ascititia facultate, siue per se, siue per accidẽs id præstent, quod quærimus: Illa vero dicuntur secundum imaginationem, & aspectum, vel etiam aliquando aliis sensibus talia esse, quæ talem vim non habent, qualem aspectu iudicamus esse: picem enim galbanum, & mel liquefactum, humida aspectu iudicamus esse, quæ tamen vim nõ habent potestatem humectandi nostrũ corpus, sed potius exsiccandi. Sic emplastra omnia, quæ cedunt digitis, & mollia sunt, propterea non habent vim emolliendi, sed quædam exsiccandi, alia indurandi, alia digerendi, alia aliud faciendi pro virtute & facultate rerum, ex quibus illa sunt confecta: Id ergo est, quod scribit Galen. non esse sumenda contraria, & calida, frigida, humida, sicca, secundũ imaginationẽ, & philosophicam tractationem, quæ alio modo humidũ, siccum, & alia huiusmodi definit, quàm faciant Medici. Illi enim humidum definiunt, quod alieno termino facilè continetur: siccum verò, quod suo facilè, alterius verò termino difficile terminatur. At Medici illud appellant humidum, quod humectandi: siccum verò, quod siccandi nostrum corpus vim habet. Quomodo verò has facultates medicamentorum explorare & dignoscere debeamus, docet Gal *in trib. primis libris de simpl.* Et summa rei ferè hæc est, quod in nostris corporibus, ad quæ dicuntur medicamenta esse calida, frigida, aut alia virtute prædita, fiat experimentum. Quippe cum quædam nos purgent, & calefaciant, alia verò animalia nutriant, & non alterent. Deinde vult fieri experimẽtum in corporibus intemperatis, ægrotantibus, simplici, & composito affectu. Præterea explorandum esse iubet, an admota medicamenta, quamdiu nos contingunt, idem præstent vel diuersum. Hæc & similia documenta afferre,

Reuera talia qua sint & Akachia error.

Talia secundum imaginationem & sensum qua dicantur.

Humidũ secundũ Philosophos quid, quid itidem secundum Medicos.

Quomodo medicamentorum facultates dignoscenda sint.

quæ mei instituti non est hoc loco commemorare, præsertim quod ab ipso autore in opere præcitato facilè dici possint.

Εἰς δὲ τὴν εὕρεσιν τῶν ὑγιεινῶν αἰτίων, ὅσα μὲν εἰς πρὸς τὴν ἤδη γεγενημένην νόσον ἐστὶν ὑγιεινά, τῇ μεθόδῳ χρηστέον, ᾗ τὸ κατὰ φαντασίαν τοῦ κατὰ δύναμιν ὁρίζεται· ὅσα δὲ εἰς πρὸς τὴν ἔτι γενομένην αὐτῇ τε ταύτῃ, καὶ προσέτι καθ' ἣν ἐξευρίσκεται τὰ τῶν νοσημάτων αἴτια.

Ad inuentionem autem salubrium causarum quacunque quidem, vt ad eam, quæ iam facta est, ægritudinem causa salubres existunt, via illa doctrina vtendum est, qua id, quod imaginatur, ab eo, quod talem habet potestatem, separetur, quacunque verò, vt ad eam, quæ adhuc fit, & hac eadem via, neque non illa præterea, ex qua ægritudinum causa inueniuntur.

Posteaquam ostendit Gal. in curatione morborum, qui facti sunt, & qui solam coniunctam causam habent, pugnandum esse per vnum genus cõtrarii remedii, quia vnum solum est genus mali, nempe morbus ipse: nunc docet quid faciendum sit in morbis, qui fiunt, & dicit duplici contrario esse succurrendum, vno quidem contra morbum, qui iam factus est: alio verò cõtra causas antecedentes ipsius morbi. Vt enim hæc inter se sunt diuersa, sic remedia discrepantia esse oportet, vt propria contraria adhibeantur singulis affectibus. Sunt autem sumenda contraria, quæ resistant causis, vt illa, quæ resistant morbis secundum virtutem & facultatem, non secundum solam apparentiam, & ex eo, quod actu talia fiunt.

Φέρε γάρ, εἰ οὕτως ἔτυχεν, ἐπὶ χυμοῖς σηπομένοις ἀνάπτεσθαι πυρετόν.

1 Ἔνδειξις ἐπὶ τῆς τοιαύτης, ἀλλοίωσίς τε καὶ κένωσίς ἐστιν.

2 Ἀλλοίωσις μὲν ἡ παύουσα τὴν σηπεδόνα, μενούσης τῆς οὐσίας· κένωσις δέ, ἡ ὅλην ἐκ τοῦ σώματος ἐξάγουσα τὴν οὐσίαν.

3 Ἀλλὰ τὸ μὲν εἰρημένον εἶδος τῆς ἀλλοιώσεως πέψις ἐστιν, ἣν ὑπὸ τινων αἰτίων ἐγχωρεῖ ποιεῖν ἐξευρόντες, ἐν ἐκείνοις αὖ ἕξομεν ἤδη τὴν γνῶσιν τῶν οὕτως ὑγιεινῶν.

Esto enim, si ita contigerit, & humoribus putrescentibus accendi febrem.

Indicatio in huiusmodi est euacuatio, & alteratio:

Hæc quidem, quæ putredinem finiat, manente adhuc substantia: euacuatio vero, quæ totam substantiam ex corpore educat.

Sed dicta quidem alterationis species; concoctio existit: quam vbi inuenerimus, quibusnam causis fieri contingat, tunc vtique eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus.

Admo-

Admonuit in superiore oratione Gal. in morbis, qui adhuc fiunt, pugnandum esse, non solum contra morbum ipsum, sed etiam contra causas fouentes & augentes morbum, idque faciendum esse per propria contraria. Et quoniam res hæc desiderabat aliquam probationem, vt facilius intelligi posset, exemplum proponit ex curatione febris putridæ: quæ cum fiat ex humorib. putrescentibus, quærit, quæ remedia sint necessario adhibenda cõtra ipsos humores, & dicit, duo illa esse euacuationem scil. & alterationem, & interim explicat, qualem intelligat alterationem & euacuationẽ, & quid illæ præstent, & per quid fieri possint. *Alteratio*, inquit, *est non simplex & qualiscunq, sed concoctio, & illa est*, inquit, *quæ putredinẽ finit, manente tamen substantia putrida. Euacuationem autem talem esse adhibendam, quæ totam ex corpore substantiam, putridam*, inquam, *educat*. Quæ verò concoquere possint, & concoctionem iuuare, hic non docet: euacuationis verò differentias & remedia, quæ vacuare possint, subiungit. Hæc est Gal. sententia, quæ multa postularet, quæ hic supponuntur, declaranda. Nam cum de putredine mentionem faciat, à qua petitur vniuersa ratio curandarum febrium putridarum, est vtiq; agendum de putredinis natura, differentiis, causis, modo, quo fit putredo. sed quoniam hæc nos in *opere nostro de febr.* diligentius fortè, quàm alii hactenus fecerint, & enarrauimus, & illa aliquando, Deo fauẽte, edemus, ideo integram huius rei tractationem ho loco prætermittemus, & solum ea attingemus, sine quibus hæc intelligi nõ possunt. illud itaq; in primis constare volo, putredinis nomen sumi à Gal. pluribus modis, etenim *in libro 5. de Simpl. c. 5.* scribit, medicamenta, quæ caustica sunt, sed non vehementer, & simul essentiæ tenuioris, putrefacientia vocari, sed non propriè: ea verò propriè putrefacientia censet esse, quæ simul calefaciunt & humectant. Quinetiam *lib. 1. de diff. feb. c. 7.* putredinem humorũ vocat, in qua natura etiam vincit, vt in abscessibus, & salutarib. febribus contingit: vocaturq; in abscessibus talis putredo *suppuratio*: ea verò, quæ in venis fit, suppurationi proportione respondens mutatio, estq; in ea sedimentum, quod in vrinis apparet, id quod in abscessibus pus: ac huiusmodi putrefactionem, concoctionem etiam vocat: non quod simpliciter concoctio sit, sed quod, inquit, aliquid in se contineat cõcoctionis, ideo nõ simpliciter putredo dici debet: nam quæ simpliciter est putredo, nihil recipit concoctionis, nihilque in ea assimilatur, secundum substantiam, vel qualitates, vt in gangrænis apparet, in quib. partes affectas abscindere necesse est, propterea quod perfecta est putredo: sicut etiam in febribus letalibus, in quibus humores nullam concoctionem admittunt. Sunt igitur tres mutationes: vna, in qua substantia, & qualitates assimilantur, diciturq; hæc simpliciter concoctio: alia verò est, in qua nec assimilantur qualitates, nec substantia, & hæc simpliciter dicitur putredo: Tertio porro est mutatio, in qua qualitates, quæ quidem, vt diximus, similes redduntur, vnde pus, & sedimentum, alba, lenia, æqualia, & minimum fœtida cõspiciuntur: cæterum substantia ipsa assimilari nequit: idque non semper propter materiæ vitium, vt censuit Galenus *quinto de Simpl.* qui ideo pus prorsus assimilari non posse tradit, quod ex materia seminali constet: nam ob imbecillitatem alteratricis facultatis, vel caloris vitium, idem accipere posse quilibet intelliget, qui nouerit, res non perfici, vel materia, vel agentis vitio. Hanc mutationem nunc concoctionem, nunc putredinem merito vocat Galenus, quod scilicet partim cum putredine, partim verò cum ipsa concoctione conueniat. Habent tamen aliquid commune, tum hæc, quæ semiputrida, tum illa, quæ prorsus sunt putrefacta, cuius ratione putredinis nomen vtrique competit. Est porro illud commune putredinis essentia & natura: quare definiendum, quid putredo sit, vt tum hæc, tum alia, quæ sequuntur, intelligi possint. Et postquam materiam hanc aggressi sumus, præstat, vt illam pro dignitate tractemus, præsertim quod extet de hac re libellus Remigii Meliorati infamis, ac dignus certè eo autore, & aliis, qui eum in illo negotio tam egregio & arduo communi opera iuuerunt, contra me de hac re scriptus: cui vno & eodem negotio hoc in loco satisfacere possum. Ignoscent ergo mihi beneuoli lectores, si prolixior fuero, quàm ipsi fortè velint, aut ego instituissem. Nam ei, qui pro honore suo & veritate certat, nihil vitio dari debet. Præterea cum nemo ob incertitudinem vitæ, & occupationes, quæ cõtinuè accidunt, certo quicquam polliceri possit, boni hanc meam operam omnes consulent, ex qua, vt spero, non parum commodi & voluptatis suscipient. Igitur putredinem, vt ab ipsius genere ordiamur, quidam volunt esse alterationem, his argumentis persuasi. Primo quod inter mutationes, quæ alterationes sunt, putrefactionem soleat numerare Galenus; veluti cum mutationẽ quandam esse dicit, quæ substantiam, & qualitates materiæ assimilat; aliam, quæ qualitates duntaxat, aliam autem, quæ omnia dissimillima facit; & primam vocat coctionem, secundam suppurationem, tertiam putredinem. Item cum putrefacientia dicit esse illa, quæ calefaciunt & humectant; assimilare enim aut dissimile facere, est alterare: si putrefacere est calefacere simul & humectare: aut si à calefacientibus & humectantibus putrefactio nascitur, alteratio vtique videbitur esse. Addunt, quod caloris passio dicatur esse ab Aristot. huius autem sicut & aliarum qualitatum mutatio, alteratio sit, non autem vel corruptio, quæ ad composita & substantias pertinent. Verum de Aristotele postea. Galenus autem putredinem inter alterationes posuit: non, quod solum alteratio sit, sed quod aliquid cum illa commune habeat. Nam dissimile quidem facit putrefactio: verum præter dissimilitudinem addit corruptionem. Calida verò & humida etsi primo alterant, tamen illorum alterationem sequitur corruptio eorum, quæ ex qualitatibus & elementis constant: nam caloris est ea gignere & corrumpere, vt Arist. *4. Meteorum. Itaque putredo corruptio est*: id quod curatio ostendit. Etenim partes solidæ putrefactæ, sectionem: humores verò putridi, euacuationem postulant, tanquam nequeat alteratio huic malo mederi: quare optimè Aristoteles *1. cap. quarti Meteor.* putredinem dicit esse corruptionem: quod etiam *11. Meth.* Galenus & *passim alibi* asserit: tametsi neuter illorum docet, cur corruptio sit. Nam quod aliqui dicunt, Aristotelem his verbis probasse, cum scribit, ea, quæ secundum naturam

Putredinis nomen pluribus significare.

Putredinem simpliciter dictam nihil recipere concoctionis.

Alterationes tres fieri in humoribus diuersas.

De genere putredinis disputatio.

Gal. cur putredinem dixerit esse alterationem.

corrumpuntur, in putredinem desinere, ridiculum est: quandoquidem hæc verba potius videntur contrarium ostendere. Tanquam enim putredo aliud esset, quàm corruptio, scribit, quæ corrumpuntur, in putredinem abire. Quod si per inductionem patet, quæ putrescunt, corrumpi, non tamen propterea ratio id agnoscit: est autem huius rei ratio, quod corrupta ea dicantur, quæ nunquam ad pristinam naturam redire sunt apta: cuius generis cum sint putrefacta (vt antea ostendimus) merito putrefactio corruptio dicitur esse. Nunc videndum est, qualis corruptio ea sit. Scribit Arist. putredinē esse contrarium maximè cōmune simplicis generationis: quippe cum senectus, & ariditas via sint ad putredinem, & omnia, quæ natura constant, corrumpantur per putredinem, si sponte sinantur corrumpi, & non comburantur, aut vi alia corrumpantur. Quam sententiam nostri æmuli, & Aristotelis recentiores interpretes trahunt ad omnium rerū corruptionem, adeo, vt nihil ex elementorum admixtione procreatum, in viuentium potissimum genere esse putent, quod naturæ suæ relictum, ne vi aliqua interemptum, in putredinem tandem non desinat. Itaque animalia, & plantas naturali cursu per putredinem corrumpi, illi volunt; quorum opinio quantum sit absurda, & aliena ab Aristotelis sententia, facile est mihi demonstrare. Nam illud primum ad id facit, quod habet Aristoteles *in lib. de vita, & morte, ab initio*, vbi distinguens interitum naturalem ab eo, qui est præter naturam, definit illum esse, cuius principium in reipsa est: hunc verò, cuius principium est extrinsecum: At putredo principium habet extrinsecum, nempe calorem ambientis: quod Arist. *lib. 4. Meteorologicorum*, & ipsi etiam testatur, putredinis præcipuum agens esse externum calorem. Deinde naturalis corruptio fit ab his, quæ sunt secundum naturam: sicut illa, quæ præter naturam est, fit causis, quæ sunt præter naturam. At illi tradunt, putredinem fieri à calore extraneo: quem interpretantur præter naturam. Tertio corruptio animalium est & dicitur mors. vt Arist. *in lib. de vita, & morte*. At nemo dicet, mortem esse putredinē, aut econtra. Præterea animalia, & plantæ ab initio vsque ad finem semper exiccantur, & siccitatis excessu tandem pereunt, expirante calore defectu sui pabuli. nēpe humidi: quæ verò putrescunt, autore Arist. primo humida fiunt postea sicca euadunt. Non ergo semper siccantur, quæ per putredinem pereunt, si interim cum putrescunt, primo humida *fiunt*. Addo, quod Aristoteles scribat, ea, quæ putrescunt, intus sicca, exterius humida fieri: Contrarium autem fit in his, quæ ætatis cursu corrumpuntur. Nam liquid humoris in illis est, intus continetur: cutis verò, & partes externæ, rugosæ duræque apparent. Scribit item Arist. in his, quæ putrescunt, vermes, & alia animalia gigni, quæ in pueritia maximè fiunt: in senectute verò nunquam vel rarissimè: cōtrarium autem oporteret fieri, si modò senes naturali corruptioni, & putredini (vt illi volunt) viciniores sunt. Amplius, si animalia, posteaquā sunt orta, perpetuo corrumpuntur, dissipante nostro calore subiectum natiuum humorem, perpetuo vtiq; videmus in putredine: & cur fœtor nos mutuo occidit? grauissime enim olent omnia, quæ putrescunt. Nulla ergo planta, nec plantarū partes bene olerent, si perpetuam haberent putredinem adiunctam. Item si putredo est corruptio, vt illi volunt, quæ fit à calore paulatim absumente humidum, humores qui sunt in corpore nostro, putrefieri dicentur, quando à calore naturali cōsumuntur & exsiccantur: quo quid potest absurdius esse? Nam aduersus putredinem exsiccantia adhibemus, quæ illorum opinione illam augerēt: necnon mortem tardarent exsiccantia: hæc enim putredini resistunt. At si putredo corruptio est animalis secundum naturam, quæ in viuentibus ætatis cursu accidit, nunquam posset fieri putredo in animalibus, nisi in extrema senectute. Tunc enim solū deest calori humidum. Postremo mors fit calore perpetuo dominante & dissipante: at putredo, & corruptio fit, teste Arist. dominantibus passiuis qualitatib. super actiuas. Habet quidem Arist. senectutem tendere ad putredinem, & omnia, quæ natura constant, & simpliciter sunt generata, finiri per putredinem: non tamen propterea dixit, animalium & plantarum corruptionem naturalem per putredinem fieri, aut putredinem esse. Nam viuentium generatio simplex non est, sed composita ex anima & corpore, & illorum corruptio nō fit per putredinem, sed à principio interno, nempe à calore: qui, vt generationis naturalis, si interitus secundum naturam est causa, & instrumentum. Obtinendo enim humidum & siccum, accedente postea anima, animalis facta est generatio: dissoluto verò postea & consumpto humore ab ipso calore, deficienteque cum ipso humore, calore, anima suo vinculo priuata nequit diutius in corpore residere: quare sequitur animalis corruptio, quæ fit nō per putredinem, sed per exsiccationem & marcorem. Cadauer verò ipsum vel cadaueris potius materia, quæ simplicem habet generationem ex solis humoribus, & elementis, est, quæ per putredinem corrumpitur, nec alio modo naturaliter corrumpi potest: idque ex principio suo interno (vt postea ostendemus) & non à calore aeris ambientis: nam siue in terra, siue in aere, siue in aqua ponatur cadauer, sponte dissoluetur per putredinem: etsi id citius & facilius ei accidat in aere, quàm in alio elemento, & in aere calido facilius, quàm in frigido, & in terra pingui & fumosa, quàm in sicca, & arida. Rectè ergo dixit Arist. omnia, *quæ simpliciter sunt generata*, per putredinem corrumpi: sed nunquam dixit, animalium, & plantarum vitam naturaliter corrumpi per putredinem, vt *in libro de longitudine & breuitate vitæ, & de vita & morte*, & Gal. *in libro primo de sanitate tuenda* apertissime docent. Pereunt enim (vt illi tradunt) viuentia omnia *naturali cursu expirante calore defectu humidi*. Senectus quidem via est ad putredinem: *quoniam propinqua est dissolutioni animæ à corpore, post quam manet cadauer, & truncus corporis, qui per putredinem corrumpitur*: Non est autem ipsa senectus putredo: nec mors, quæ contingit in senectute, fit per putredinem, aut putredo est, vt illi volunt: qui turpissime in hac re errarunt, quod non intellexerint, quid Aristoteles per simplicem generationem intelligat, cum illi putrefactionem opponit. Non enim animalium generatio est simplex, sed omnium maximè cōposita. Quare nec putredo illorum generationi opponi potest. Quod autem Arist. per simplicem generationem nihil aliud

Putredo quomodo ostendatur esse corruptio.

Putredo cui generationi opponatur.

Corruptionē viuentium non esse putredinem.

Putredinis principium quod.

Corruptio animalium.

Calorem insitum tum generationis tum interitus naturalis esse causam & instrumentum.

Cadauer simplicem habere generationem, & ob id per putredinem corrumpi.

Quæ per putredinem corrumpantur.

Viuentia quomodo naturaliter corrumpantur. Senectus quomodo sit via ad putredinem.

Animalium generationē esse maximè compositam. Simplex generatio quid.

aliud intelligat, quam proximam rerũ materiam, patet, quod in *libro 4. Meteologicorum* quatuor qualitatum actiones, & passiones (vt ait) solum ostendere velit: ab iis autem qualitatibus anima non fiat, quæ est forma viuentis: nec ipsa viuentia, quæ ex anima & corpore constant, vt ex totius libri tractatione patet. Deinde quod calori, & frigori ortum tribuat rerũ; in generatione autem viuentium frigus non agat: nam etsi calor à frigore temperatur, non propterea frigoris dicuntur esse actiones. Deinde separatim Aristot. docet actiones ipsius frigoris quod vim scilicet habeat indurandi, incrassandi, congelandi, & alia faciendi: quod etiam indicium est, illum instituisse docere compositionem communem omnium rerum, quatenus materiam & corpus sumunt ab elementis: nam in generatione animalium, quæ fit ex anima & corpore, omnia elemẽta teste Aristotele materiæ rationem obtinent: *in 4. autem eo libro* calori & frigori agendi vim; patiendi verò humido & sicco tribuit, tanquam velit solum efficere propriam singulis rebus materiam. Nam si de generatione viuentium egisset, semini, & formatrici facultati calorique cœlesti, vt alibi, præcipuam facultatem dedisset. Postremò docet causas concoctionis, cruditatis, putredinis, liquefactionis, indurationis, mollitiei, & aliorum omnium, quæ non solum in viuentibus, sed etiam in aliis rebus contingunt, tanquam simplicem, & communem tractationem instituerit, non viuentibus peculiarem, vt illi putant. *Ergo putredo est corruptio simplici generationi opposita:* quippe cum omnia, ex quatuor elementis vel leuiter composita, vt aer noster, aqua, & terra, non aliter, quàm per putredinem corrumpantur, si sponte sinantur corrumpi. Nec contra id facit, quod viuentia etiam per putredinem aliquando intereant, vt per febres putridas animalia, & partes illorum sideratione per putredinem corrumpuntur: nam huiusmodi corruptio non illis est secundum naturam, nec ab interno principio, sed à violentis causis, & ratione subiecti corrupti. Et ideo anima recedit à corpore per huiusmodi mala, quia proxima materia est corrupta, & ob id ineptum est factum animæ subiectum.

Putredinem esse corruptionem simplicem.

Iam verò cum pateat, putredinem esse simplicem corruptionem, & communem omnibus rebus ex elementis constantibus, vt solum ex illis constant. Sequitur, vt doceamus, an putredo sit corruptio secundum, vel præter naturam; nam in hoc dissensio non parua est. Etenim Galenus putredinem omnem tradit fieri à calore præter naturam, & propterea à corpore esse detrahenda, quæ putrescunt, tanquam à natura aliena. Arist. verò cogitur fateri, putredinem esse secundũ naturam; siquidem omnia, quæ natura constant, & genita sunt, sponte & à seipsis corrumpuntur per putredinem, atque hæc simplici, & naturali generationi eo autore opponitur, siquidẽ naturali generationi, naturalis corruptio, & non præter naturam aduersatur. Præterea si mortem naturalem in viuentibus *in libro de longitudine, & breuitate* [illegible] ait esse, quæ ab intrinseco principio fit. oportet profectò putredinem, quæ est naturalis corruptio rerum, prout constant ex elementis, fieri ab interno principio, & propterea secundum naturam esse. Item si generatio naturalis fit ab interno principio, necesse est vtrique, illius opposi-

An putredo sit corruptio secundũ vel præter naturam.

A tum ab eodem etiam principio incipere & fieri. Contrarium verò fateatur oportet Aristoteles, cum *in libro quarto Meteorologicorum* scribit, putredinem fieri à calore aeris ambientis. Cuius opinionem etiam confirmant interpretes omnes, cum aiunt, putredinem fieri ab alieno, & externo calore. Quod si ita est, sibi euidenter repugnat Aristoteles, quicquid alii dicant. Nam nisi statuamus illa fieri naturaliter, & secundum naturam, quæ ab ipsa natura & principio interno fiũt, tanquam à principio, & proximo mouente, vniuersa Philosophia corruit. Nec Aristotelem quidem defendere possunt Buccaferreus, & alii expositores illius libri, qui ideo putredinem secundum naturam esse interpretantur, quia cum ca-

B lore ambientis etiam concurrit calor naturalis, & internus rei putrescentis, qui augetur à calore ambientis. Nam sic fatentur illi, mixtam esse corruptionem, ex eo, quod est secundum naturam, & præter naturam, si duæ cõiunguntur causæ, interna & externa, atque necesse est ex hac opinione, vt putredo sit magis præter, quàm secundum naturam, si internus calor solum concurrit ad eam faciendam: præcipuum verò agens, à quo motus principium, sumitur à calore ambientis. Deinde in aere frigidissimo caro, & aliæ animalium mortuorum partes tandem putrescũt *à solo interno rei putrescentis calore*: quid enim aer frigidissimus in eo opere calefacere potest? Præterea cum vrgetur Buccaferreus alio argumento,

Caro & animaliũ mortuorum partes vnde putrescant.

C dicit, putredinem non fieri ab eo calore, à quo fit generatio. Hanc enim fieri à naturali, illam verò à calore extraneo. At Aristoteles non vult putredinem partim esse violentam, partim naturalem: sic enim oportet generationem simplicem, cui illa opponitur, esse partim naturalem, partim violentam: id enim oppositorum & contrariorum ratio exigit. Postremò aqua ex fontibus, & puteis frigidissimis sumpta putrescit, non concurrente vtrique illius calore, qui profectò vel nullus est, aut ita exiguus, vt nullã vel minimam illi vim in putredine tribuere possimus. Nec Aristotelem etiam vindicare possunt ab errore, qui aiunt solem, & hominem generare hominem: quæ tamen externa sunt, & secundum naturam gene-

D rant: nam illi ignorant, aliam esse rationem causarum vniuersalium, & æquiuocarum: aliam verò causarum particularium, & vniuocarum. Vniuersales enim causæ externæ esse possunt, immo sunt omnes, & pro diuersa materia, quæ patitur, diuersos patiunt effectus: nec respectu illarum causarum spectamus, an illud sit secundũ, vel præter naturam. Proxima verò agentia naturalia interna esse oportet: si modo natura est, quæ agit. Maneat ergo hoc inuiolabile præceptum, *illa naturaliter gigni, & corrumpi, quæ à natura sua, & interno principio patiuntur.* Ex quo sequitur, Aristotelem sua principia non seruasse, cum naturalem corruptionem quærit à causis extrinsecis, relictis intrinsecis, cum modũ ostendere nõ posset,

Causas vniuersales generationis omnes esse externas.

Quæ naturaliter gignãtur & corrumpantur.

E quo putrefactio fit ab interno calore, nihil conferente externo (id quod nos postea docebimus) & tunc putredo erit secundum naturam. Quando vero non à propriis principiis, sed ab externis & violentis causis putredo oritur, tunc illa prorsus est præter naturam: cuiusmodi est putredo aquæ, quæ totam putredinis causam accipit ab aeris caliditate aquæ indita à circumstante aere,

Putredo quãdo sit secundum naturam.

Quãdo præter naturã.

Aqua quomodo putrescat.

nihil adiuuante calore ipsius aquæ, qui nullus, vt dixi, est, vel nullius fermè momenti: Ita vt tantus affectus, quantus est putredo & corruptio, illi tribui non debeat, si modo effectuum magnitudo magnitudini causarum respondere debet. Alia verò putrescunt partim secundum naturam, partim præter naturam, quæ scilicet tum ab externo, tum ab interno calore mutuo se adiuuãtibus putredinem patiuntur: quo modo cadauera in aere calido exposita per putredinem dissoluuntur, agente interno & externo calore. Vnde quæ ita putrescunt, breuissimo temporis spatio corrumpuntur, alia verò longiore.

Quando partim secundũ, partim præter naturã.

Hoc enim meritò cõtingit ex actione vnius, vel duarum causarum. *Quoniam* verò *Galenus appellat, præter naturam illa esse, quæ mediocritatem conseruandæ naturæ conuenientem excedunt, rectè quoque putredinem omnem præter naturam esse statuit.* Est enim præter naturam viuentis, & earum rerum, quæ in viuentibus sunt, quod maximè, & solum quærunt Medici. Ergo putredo aliquando secundum, aliquando præter naturam, aliquando ex his mixta corruptio. Nunc illud sequitur explicandum, *cuius rei putredo sit corruptio*: nam & in hoc etiam non leuis est dubitatio, à nemine (vt arbitror) hactenus post Aristotelem intellecta, vel memoriæ prodita. Ait autem Aristoteles esse corruptionem caloris naturalis, qui est in humido: quod suis principiis, & multis aliis repugnare videtur: nam si ille *in libr. quarto Meteorologicorum* ponit hoc principium, generationes, & corruptiones à calore, & frigore fieri, non potest corruptio esse ipsius caloris: si quidem nequit idem esse, quod corrumpit & corrumpitur. Præterea si pollicetur, se velle tractare actiones caloris, & frigoris: passiones verò humidi, & sicci, quo pacto dicere potest calorem corrumpi? quod quidem est pati, vt ille *eodem loco* apertè testatur. Adde quod si putredo caloris esset vitium, non esset corruptio eo authore, sed alteratio: alioqui falsò reprehenderet in *libris de generatione & corruptione* antiquiores philosophos, qui mutationes qualitatum generationes, & corruptiones vocabant. Præterea corruptio est *compositi, non qualitatis, aut rei simplicis.* Amplius, vt generatio fit, quando humidum, & siccum vi caloris, aut frigoris simul vniuntur: ita corruptio debet fieri, quando humidum à sicco separatur: calor verò quomodo separari potest? aut quæ sunt in eo, quæ diuisionem, & segregationem pati valeant? Respondent Buccaferreus, & mei aduersarii, per calorem intelligi natiuum calidum, quod substantiam calidam, & humidam significat. Illam enim esse spiritum, qui est in animalibus, & gignitur ex puriore parte sanguinis, & in plantis ex puriore parte alimenti: sed illi malè sentiunt. Primum quod Aristoteles non de *calido*, sed de *calore* loquatur, siue *de ipsa caliditate*, vt illius verba significant: nam calidum duo quidem significare potest, Galeno etiam teste, *caliditatem scilicet ipsam*, & *calidum corpus*: rectè enim vtrumque calidum dicitur: caliditas verò ipsa *solum* significat *qualitatem*, vt albedo solam significat albedinem, nec vnquam sumitur pro corpore albo. Cum igitur Aristoteles dicat, *putredinem esse corruptionem* θερμοῦ, id est, *caliditatis*, non possumus eo nomine intelligere corpus, & substantiam calidam. Quod si in ipsa tractatione de putredine etiam vtitur calidi appellatione, non potest profectò aliud intelligere nomine *calidi*, quam caliditatem: si modo caliditas ipsa in definitione posita est, nec iustum est, in eadem tractatione diuerso modo hæc sumere. Qua distinctione non intellecta, frustra quærunt Medici, an iuuenes plus habeant calidi innati, quàm pueri: non enim de calido ipso est quæstio, cum certissimum sit, pueros plus habere calidæ substantiæ insitæ à principiis, quàm iuuenes: sed de calore ipso dubitatio est; an scilicet plures gradus caloris iuuenes habeãt, quàm pueri. Præterea, si per *calorem* intelligeret *calidum innatum* nugaretur Aristoteles, cum putredinem asserit esse corruptionem caloris, qui est insitus humido. Si enim calidum innatum substantia calida est, & humida, nomineque caloris hanc intelligimus, temerè post calorem adderet humidum, vtpote, quod calidi nomine iam esset comprehensum. Adde quod si nomine caloris substantiam calidam intelligeremus, oporteret pariter frigoris nomine frigidum innatum substantiam frigidam intelligere: nam vt caloris, sic & proprii frigoris affectionem putredinem scribit esse Aristoteles. Quinetiam refellit hanc opinionem putrefactio aquæ, quæ nullum insitum habet à natura calorem. Amplius cadauera, & plantæ mortuæ, quæ putrescunt, quomodo pati possent putredinem? Nam in cadauere non est amplius spiritus ille, qui in viuentibus ex parte puriore sanguinis gignitur: nec in plantis iam mortuis, ex puriore alimenti parte, (vt illi volunt) amplius procreatur. Absurdum etiam esset, mixta, quorum illi putrefactionem dicunt esse passionem, existimare corrupta, & putrida, quod in illis solum spiritus quidam corrumpatur. Et multo quidem absurdior apparet in aliis, quæ putrescunt, ratio, vt in aqua, aere, metallis, quæ nullum huiusmodi spiritum habere possunt. Et quomodo etiam in viuentibus putrefactio esse potest ipsius spiritus? Nam (vt inquit Arist.) quæ putrescunt, prius humida fiunt, deinde sicca, & tandem cinis. An ipse spiritus in sui corruptione hæc pati potest? & si solus hæc patitur, manebunt ergo aliarum rerum, ex quibus generatio est facta mixtiones vnitæ, & integræ, vt quæ nullam putredinem senserint. Postremo cum Arist. generationis, corruptionis, & agendi omnem vim tribuat calori, & frigori, non tribuit spiritui, sed omni agenti, habenti calorem, & frigus: & reuera actiones conueniunt rebus, *non per se, sed propter calorem & frigus*, quod habent tanquam præcipua actionum instrumenta. Nam agentia aliam vim habent agendi per suam formam, sed de illa Arist. *in libro præcitato* non agit: quippe cum non quærat viuentium generationem, sed simplicem: quæ nihil aliud est, quàm *generatio proximæ materiæ, ex varia admixtione humidi, & sicci, agente simpliciter vel calido vel frigido.* Desinant ergo illi per calorem intelligere spiritum aliquem, aut calidam substantiam in definitione putredinis. Quod verò non possit reuera dici putredo esse corruptio caloris, ex hoc patet, quod nemo rectè dicet, calorem putrefieri, aut putrefactum esse. Facit enim ille putredinem (vt postea ostendemus) non autem putrescit. Quod si putrescit, primo fiet humidus, deinde siccus, tandemque in cinerem, & puluerem redigetur, & calor ipse erit mixtum:

quare

Margin notes:

Putredinem non semper præter naturam dicat esse Gal.

Putredo cuius rei sit corruptio disputatio.

Corruptio cuius sit. Arist. notatur.

Caloris nomine quid intelligendum, in quo Buccaferreus reprehenditur.

Calidũ duo posse significare.

Caliditas quid significet.

Actiones quomodo conueniant rebus.

Generatio simpliciter quid.

Putredinẽ non esse caloris corruptionem, vt Arist. scribit.

quare mixtum non generabit: Atque ex prædictis multa alia absurda sequuntur. Nec etiam ad ▮ facit, quod illi dicunt, putredinem esse substantiæ corruptionem, etiam si sit caloris corruptio: quippe cum calor in mixto forma sit. Sed nostri æmuli, qui hæc dicunt, non possunt, se tueri. cum scribunt, calorem, qui corrumpitur in humido, esse subiectum putredinis: non ergo erit forma quæ corrumpitur. Deinde corruptio non est formæ, sed compositi, si modo quod genitum est, corrumpitur, & illud est compositum: fit autem generatio, cum forma accedit materiæ, at ipsa forma non est, quæ gignitur, sed compo situm, quod ex forma, & materia resultat. Vt ergo calor non dicitur gigni, cum res ex elementis fit, sic absurdum est, dicere, eundem corrumpi cum misti fit corruptio.

Putredo secundum Galenum quid.

Quapropter melius Gal. 11. *Met. cap. 10.* definit putredinem, esse mutationem totius substantiæ putrescentis corporis ad corruptelam à calore extraneo: Verum Galenus recte quidem in hoc sentit, quod *substantia* dicat putredinem esse corruptionem. Sed quod addit *totius* substantiæ, non recte: neque enim tota ipsa substantia rei, nec singula quæ in ipsa sunt, putrescunt, & per putredinem corrumpuntur: sed illa

Quid in composito putrescat.

solum, quę materiam prębent: idem enim est materia, & substantia hoc loco. Nam frigus, quod est in mixto, nec etiam calor, nec siccum, nec humidum (vt aliquid maius dicam) dicuntur reuera putrescere: sed *quod ex humido, & sicco est factum compositum* agente calore aut frigore.

Putredinem non esse corruptionem primo totius compositi ex humido, & sicco.

Nam sicut generatio non est caloris, aut frigoris, aut humidi, aut sicci generatio: sed totius compositi, quod corpus, & materiam sumit ex humido, & sicco. & ex illorum vnione componitur: ita corruptio est ipsius vnionis, & eorum, quæ sunt vnita, separatio; *quare putrefactio nihil aliud est, quam separatio humidi a sicco, agente insito calore rei putrescentis siue a natura, siue ab extrinseco*, vt postea docebimus, *inditus ille sit.* Vnde apparent, & recte dicuntur, quæ putrescunt, primo fieri humida, deinde fieri sicca, & in cinerem resolui. Nam humor, qui exacte cum sicco erat commixtus à proprio, & moderato calore, iam ab insito quidem, sed aucto separatur, & extra educitur, euaporatque cum calore: ac separato penitus humido, siccum, id est, terrena portio sola relinquitur.

Putrefactio quid reuera sit.

Est ergo primo, & per se corruptio, & separatio humidi a sicco, quia ista sola erant vnita, & materiam, & corpus dabant composito: calor vero, & frigus non sunt illa, quæ cum aliis vniuntur, sed quæ vnionem faciunt, vt Aristoteles *initio quarti libri Meteorum* aperte scribit, ex humido, inquam, & sicco corpora constare, non autem ex calido, & frigido: quod etiam *in libro de respiratione* his verbis confirmat: *humidum, & siccum materiam corporibus suggerunt omnibus.* Et si interim omnia dicuntur vnita, & inter se temperata, quando de compositione viuentis agimus, in qua hæc sunt omnia tanquam materia, & alia est proprie viuentis forma, nempe anima, quæ agentis vim habet. Propterea recte Aristoteles scribit, putredinem in his proprie dici, quæ ex parte intereunt, cum à natura discesserint.

Ex parte interire quid.

Quam sententiam Aristotelis expositores antiquiores non interpretantur: recentiores vero nostri philosophi dicunt, illa ex parte interire, quæ non omnino intereunt, sed à natura sua recedunt, atque

A alterantur, possuntque etiam interdum ad illam reduci: sed illi aberrant. Nam si per putredinem calor, & humor penitus euanescunt, & cinis solus absoluta putredine relinquitur, & putredo est corruptio, quomodo putrida vere possunt redire ad suam naturam? Præterea quod dicit Aristoteles, alia omnia, igne excepto, putrescere, quia ignis sunt materia, eam interpretationem eludit. Nec etiam recipi potest alia eorum interpretatio, quod scilicet illa dicantur ex parte interire, quæ non intereunt tota. Nam putredo partes & totum inuadit, & ea, quæ attingit, vitiat, corrumpitque: ridiculum autem est dicere partes illas putrescere, quas putredo non attingit. Aliam, nescio, quam interpretationem adferunt, quod scilicet illa di-

B cantur ex parte corrumpi, quæ nō naturaliter corrumpuntur. At Arist. dicit, putredinem esse naturalem corruptionem eorum, quæ violenter non corrumpuntur. Ego dico, Arist. recte sentire: Nam quæ putrescunt, non primo, nec per se secundum se tota corrumpuntur, sed solum secundum naturam. Nam in putredine humidum à sicco separatur, & ob istam separationem compositum corrumpitur primo & per se. Nam ad humidi separationem factam à calore, sequitur postea humoris consumptio, & caloris euanescentia. Ad id pertinet, quod scribit, omnia, excepto igne, putrescere, quia omnia sunt materia ipsius; ignis vero ipse materiam non habet, quæ possit putrescere: humorem enim in se non admittit, quæ est

C pars præcipua materiæ putredinis. Illa igitur dicuntur putrescere, quæ ex parte, id est, secundum suam materiam, quæ est pars compositi primo corrumpuntur; & illa dicuntur recedere à sua natura. quæ vel ob materiæ vitium, quæ natura quoque est, intereunt. Nam ob humidi à sicco separationem, calor, qui est veluti forma rerum constantium ex solis elementis, cogitur obire: vel intelligendum est, illa ex parte interire. cum separata fuerint à natura, id est, quando fit separatio humidi à sicco: tunc enim illorum natura, & materia separatur, & ob eam separationem fit corruptio, & putredo. Hanc si retinemus opinionem, tuemur, quod Aristot. recte dicit, fieri generationem ex humido, & sicco agente calore: & actio-

D nes tribuendas esse calori, & frigori: passiones vero humido, & sicco, & his, quæ fiunt ex humido & sicco. Igitur generare, & corrumpere sunt officia caloris, & frigoris, generari; & corrumpi humidi & sicci, vel illius potius, quod ex humido, & sicco patitur generationem, & corruptionem.

Calorem corrumpi in putredine quomodo intelligere possit Arist.

Nam cum illa recte vniuntur (vt diximus) generatio fit, cum vero separantur, fit corruptio. At vero si putredo proprie est corruptio vnionis, & compositi ex humido & sicco, cur Aristot. dixit, caloris insiti eam esse corruptionem? An id fecit, quod putaret, calorem ipsum putrescere, cuius scilicet putredo esset passio? minime profecto: sciebat enim corruptionem omnem esse cum separatione, & conuenire his, quæ vniri possunt, & se-

E parari, quæ calori ipsi non conueniunt. Sed in definitione putredinis comprehendere voluit vtrũque: scilicet id, quod corrumpit, & illud, quod reuera corrumpitur. Corrumpit enim calor, violentius agendo in humidum & sic illud separando à sicco: Et quoniam calor, qui corruptionem facit, non est moderatus, nec obtinet suam debitam qualitatem, sicut erat, cum generabat, & coniun-

quæ non feruent. Quid vero eo est clarius, quod scribit Arist. ideo per hyemem res minus putrescere, quam per æstatem, quoniam, inquit, in ambiente aere, & aqua exiguus est? Quo loco, & in aliis omnibus sequentibus, ambientis nomine nihil aliud intelligit, quam aerem ipsum, & aquam ipsam: ignem enim intelligere non potest, quoniam ille comburit, nec sinit res putrescere. Adde, quod ex prohibita transpiratione non accenditur calor, qui ætatis cursu consumit humorem, & naturalem, (vt illi volunt) interitum efficiat, sed calorem excitat violentem, & præter naturam, qui exiguo temporis spatio humorem depascitur, & interitum præter naturam committit. Cæterum cum illi naturalem interitum dicant fieri per putredinem in animantibus, & plantis & hanc fieri vel ab aeris caliditate, vel ab obstructionibus, & fuliginosis excrementis non libere exhalantibus, nec præter has causas, alias nouerint occasiones nostræ corruptionis, fiet vtiq;, vt qui in aere temperato, & regionibus sub æquinoctiali positis, aut tempore veris in nostra regione degunt, & temperatè viuunt, ita vt nulla obstructio fieri possit, nunquam mori possint. Sed hos omittamus, qui nihil in hac tractatione nouerunt, quod sit rectũ, & ad ipsum Arist. accedamus, qui horum omnium errorum illis fuit causa. Cum enim posuisset, putredinem esse naturalem corruptionem eorũ, quæ simplicem habent generationem, & quod generationem facerent, calor & frigus, cum humidum & siccum temperare: obtinere, & regere possunt. Corruptionem vero tunc efficerent, cum apta non sunt amplius regere eam materiam, debebat profecto ex solis illis qualitatibus efficientibus, & ex sola illa materia, simplicem eam generationem, & corruptionem elicere, nec efficientẽ causam sumere ab aere, & aqua, vel alia quacunque re ambiente, & extrinseca, vel (vt illi sui interpretes volunt) etiam ab intrinsecis, quæ ex violentis, & morbosis causis nascuntur. Hæc enim accelerare, & tardare quidem possunt naturalem corruptionem, sed pœnitus impedire nequeunt; quoniam insita nobis sunt principia agentia, & patientia, ex quibus quod secundum naturam est, necessario sequi oportet, nullo alio agente, vel patiente. Ergo hac sola ratione conuincimus Aristotelem, non debuisse putredinis, & corruptionis naturalis causam quærere ab aere ambiente, qualiscunque ille sit. Quod si non expressisset aeris caliditatem, quæ putredinem facere debet, tolerabilior esset error: sic enim multa euitarentur incommoda; nam cum cadauera animalium, & plantarum putrescant tandem etiam in aere frigidissimo, vt in alpibus occupatis à continuis niuibus, & in puteis profundissimis, vbi aqua, quantum esse potest, frigidissima est, si à quocunq; ambiente dixisset fieri putredinem, causa huius putredinis pateret nempe ex ambientis frigiditate. At cum solam caliditatem ambientis, huius corruptionis causam posuerit, dicãt, quæso, ipsius interpretes, qua ratione in aere, & aqua frigidissimis putredo fiat. Non enim (vt arbitror) negabunt, carnes animaliũ immissas puteis, aut aeri frigidissimo expositas, putrescere posse: aut si nondum nouerunt, si experientiam consulent, facile hoc discent. Forte illi dicent, vt certe vnus dicit ex nostris Philosophis, Aristotelis librorum Meteorologicorum interpres, in aere frigido etiam fieri posse

Aristotelem damnat tanquam autorem multorum errorũ in hac tractatione.

A animalium interitum secundum naturam, quod perpetuo frigidus non sit aer, vbi habitamus, nec cum frigus viget, adeo vehemens sit, vt trahendi vim aliquã non habeat: vbi autem aer frigidus admodum est, omnia frigoris vehementia interire violenter, itaque fieri, vt cæli temperies dominetur, vbi animantes naturaliter intereunt: sic enim temporis processu calorem naturalem ambientis calore absumi. Verum qui ita sentiunt, magnos committunt errores. Primum quod corruptionem, quæ tanta res est, tribuant exiguo calori in regionibus, & locis frigidissimis: vbi forte aliquando, & vix ille sentitur, aut certe sine aliqua molestia. Deinde quod illi ad viuentiũ corruptio-
B nem trahunt, quæ ad putredinis causas pertinent. Dicant illi, an carnes animalium non putrescant, si per quatuor, aut quinque menses exponantur in alpibus durante hyeme, vbi illic omnia rigent, præsertim si in vmbra illæ reponantur: aut si adhuc in aere aliquam mentiantur calorem, frustula illarum carnium, integraque ipsa cadauera demittant in profundissimos puteos, qualis, & quantus quæso illic erit calor, qui putredinem committere, id est, separare elementa à se inuicem, & humidum euacuare, & tandem solam cinerem relinquere valeat? Quod vero aiunt, violentum animalium fieri interitum in regionibus admodum frigidis, ex hoc facile refello, quod in extremis
C Germaniæ, Scythiæque partibus, senes multi, & illi quidem robustissimi inueniantur quod satis ostendit, illorem senectutem, & corruptionem naturalem non fieri à caliditate aeris, sed ab internis suis principiis, quæ cogunt omnia viuentia in omnibus locis senescere, tandemque interire: & si pro diuersitate locorum hæc citius, aut tardius veniunt, omnes tamen naturaliter pereunt. Postremo si ad naturalem corruptionem viuentium requiritur calor aeris, & sufficit ille, qui aliquando forte ex sole excitatur, hoc saltem sequetur, quod viuentia non senescant, nec ad corruptionem properent, cum latet sol, & frigus viget. Hæc ergo satis (vt arbitror) ostendunt putredinis causas
D non esse sumendas à rebus nos ambientibus calidis, aut frigidis, aut alia quacunque qualitate affectis, sed ab internis nostris principiis, & natura ipsa, quæ sola esse debet causa eius, quod est naturale, siue generatio, siue corruptio, aut aliud quidpiam sit: nam vt experientia, & ratio docent, *nihil firmum, & stabile ex ambiente sumi potest, ad quod omnes putredinis referantur:* hoc etiam huius erroris maximum est indicium, quod Aristoteles modum docere non possit, quo suum illud ambiens putredinem committat. Dicit enim, ambientem calorem natiuum corrumpere, qui est in humido: sed quomodo fiat ista corruptio caloris innati, & quid ipsum calidum innatũ faciat in humido,
E non exprimit: nec potest hanc tractationem omnibus putrescentibus accommodare. Dubium enim est, an intelligere velit omne calidum innatũ, quod est in rebus: quod si ita est, fiet ergo putredo in viuentibus, & in animalib. corrupto influẽte calore à corde. At ille est vnionis animæ cum corpore, & proinde vitæ autor, & mortis, non putredinis, quę solum pertinẽt ad corruptionem materiæ ipsius animalis (vti superius diximus. Deinde non explicat, an corruptionis insiti caloris nomine intelligere velit ipsius incrementum, vel diminutionem, aut vitiatam, & infectam ipsius quali-

Putredinis causas non esse sumendas à rebus nos ambientibus calidis, & frigidis sed ab internis principiis.

Aristotelem non posse docere, quomodo à calore ambientis fiat corruptio interni, & putredo.

Digitized by Google

tatem. Præterea aqua & terra, quæ naturalem non habent calorem, sed extrinsecus sumptum ab aere, & igne putrescere non possent: si modo) vt ille inquit(necessarium est, in omni putredine natiuum calorem adesse in re, quæ putrescits. Et quo modo, quæso, ex corruptione sui caloris ita putrescere posset, vt extrinsecus, & primo humida, intrinsecus vero, & tandem postea sicca euadat? Quis enim vnquam vidit in putrescente aqua hæc fieri? Communis ergo non est definitio putredinis, si aquæ, & aeris putredo, qui etiam has humiditates, & siccitates non patitur, in ea nō est comprehensa. Putrescunt etiam metalla tandem, sed qualem, quæso, videmus proprii in illis caloris corruptionem ex aeris caliditate: nam si aliqua ex illis putrescunt, in cauernis, & ruinis domorum putrida reperiuntur, quo vix vnquam penetrat ambientis calor: integra vero illa seruantur, si soli exponantur. Quod etiam contingit linteis, & pannis, quæ in vmbra conclusa situm, fœtorem, & putredinem concipiunt: aeri vero calidiori exposita, ab huiusmodi malis vindicantur. Hæc ergo de modo, quo fit putredo ex Aristot. sententia dicta sint: quæ vera esse illius interpretes ex eo vel solo facile cōfirmant, quod omnes inter se discrepent, & quæ singuli adferunt de modo; quo fit putredo, agnoscantur, nec rationi, nec experientiæ consona esse. Ait enim Buccaferreus in *vno loco suarum lectionum*, fieri putredinem, cum corpora mutantur ad calidum, vel frigidum, vel humidum, verum per accidens: per se autem cum mutantur ad calidum: nam, inquit, cum mutantur ad frigidum, diminuitur calor, qui postea facile alterari potest, & alteratus agere in humidum. Cum vero fit mutatio ad humidum, ab ipso suffocatur calor, & ita ignitur, humidumque postea dissoluit. Alio in loco, inquit, fit putredo, aucto calore innato ab ambiente, & ille auctus agit in proprium humidum, ipsumq; consumit, & ista auctio caloris est putredo, non humidi consumptio. Alio vero loco scribit, putredinem fieri euanescente calore mixti. Alibi hæc etiam scribit; cum mixtum corrumpitur, proprium calorem à calore extrinseco deficere, & eo deficiente augeri innatam frigiditatem: & propterea etiam illam esse causam putredinis, quia defectus, inquit, proprii caloris causa est putredinis. In alio vero loco scribit, calorem internum auctum ab ambiente, humidum reuocare ad superficiem, & cum illo exhalare: & propterea in rebus putrescentibus partes exteriores primum humectari, postea vero fieri exsiccationem, deinde putredinem & corruptionem: Ac recte quoque dictum esse ab Arist. omnia præter ignem putrescere posse, quoniam alia omnia deficere possunt à proprio & innato calore: ignis vero calor, etsi remitti potest à frigiditate terræ, & aquæ, tamen non potest putrescere, quia parum potest remitti illius calor, manente igni sub sua forma: putredo autem est maximus recessus à proprio calore. Ex quibus quidem patet, ex illius opinione putredinem fieri euanescente calore mixti, & aucto ab ambiente, eodemque deficiente, & aucto, & eodem diminuto, & remisso, manente tamen sub sua forma, tum ob caloris suffocationem. Nostri vero æmuli, ne dicam nebulones, putredinem fieri aiunt. cum externus calor interiorem auget, materiamque ipsius consumit, nempe humidum,

Boccaferrei opinio de modo, quo fit putredo, quæ improbatur.

A quo consumpto calor internus suo destitutus pabulo expirare cogitur, & tunc res viuentes (vt illi aiunt) intereunt, ac putrescunt. Recentiores vero Arist. interpretes aiunt corruptionem fieri, cum humor à siccitate disiunctus, per se fluit, qui tandem exsiccatus, ipsam per se materiam aridam, & siccam relinquit, putredinis enim rationem, & causam maxime positam esse in siccitate: quandoquidem putredine aut carie affectuum nihil plane dicitur, quod humore omni ad extremas partes educto, ac exsiccato, siccum non manserit, vt senectus, & ariditas ostendunt, fieri autem huiusmodi humoris eductionem, & exsiccationem ab ambiente, quod suo calore internum calorem
B terminantem materiam dissoluit: non quod ambientis calor internum auget, & ita postea humorem consumat. Nam imbecillus (inquiunt illi) adeo est senum calor, vt concoquere non valeat, vnde pituita plurimum abundant senes, humorque in illis non deficit. Hi sunt modi, quibus fit putredo ex aliorum sententia. Contra quos, omnes, communi hoc argumento vtor, quod illi ab Arist. dissentiant. Ait enim Arist. corruptionem ac putredinem fieri, cum passiuæ qualitates actiuis dominantur, id est, cum materia vincit agentia: illi autem docent, putredinem fieri, quando agentia ab aliis agentibus afficiuntur, & etiam ipsa materia sui abolitionem ab agentibus patitur: nam
C dicunt, putredinem fieri, cum externus ambiens calor internum augeri, vel debilitat, vel euocat, vel minuit, & humorem internum dissoluit, vel consumit, vel per superficiem trahit: his enim omnibus modis dicunt illi putredinem fieri: quæ omnia ostendunt calorem internum nihil pati ab humido, quod materia est compositi, sed ipsum calorem à calore ambientis affici, & hos calores humorem non solum habere in sua potestate, & regere, sed prorsus vincere, & destruere: hocque solo argumento puto illorum opinionem, & interpretationem penitus esse sublatam. Nam auulso fundamento, reliqua consistere nequeunt. Cæterum, quomodo dicere possunt, tunc putredi-
D nem fieri, quando internus calor periit, & diminutus est? Videmus enim omnia, quæ putrescunt, quamdiu putredo durat, vehementissimum intus, & in superficie habere calorem; quod febres putridæ? & gangrena affectæ partes ostendunt, fimusque putrescens. Vnde Galenus ex stercore columbino putrescente testatur se vidisse ignem accensum, nulla ergo est, in calore debilitatio, nulla consumptio, sed omne incrementum caloris, dum fit putredo. Nec humor, quidem ipse deest, tunc, cum incipit, crescit, & viget putredo, quippe cum nequeat vehemens in rebus esse calor, nisi etiam adsit humoris magna copia. Cum vero humor ipse deficit, & calor, & putredo quoque mi-
E nuuntur: atque absoluta putredine, nihil amplius superest humoris, vel caloris, sed solus cinis relinquitur: quare Buccaferreus euidenter errat, qui post humectationem, & exsiccationem demum ait fieri putrefactionem, cum cinis relinquitur: nam tunc amplius non fit, sed absoluta est putredo: *tunc autem fit, cum agente calore humidum à sicco separatur, & agitatur, consumiturque.* Dixit quidem Aristot putredinem esse passionem caloris, & interni frigoris: quod idem est, ac si dicat, caloris nostri aucti, & debilis affectionem esse, sed diuersa ratione: nam auctus calor ex minima quaque

Confutatio omnium prædictorum ex principiis Arist.

Buccaferreus reprobatur.

que occasione intenditur, & putredinem postea parit: vt videmus illos febribus putridis frequenter corripi, qui calidiore sunt temperamento: minimus enim labor, aeris caliditas, aliaque, quæ vim habent nos calefaciendi, illos accendunt, & in putredinem trahunt: qui vero debiliore sunt calore, multa excrementa ex malis concoctionibus congerunt, nec calor illorum facile transpirare potest, atque ita augetur intus, & putredo nascitur: non autem tunc ea ratione fit putredo, quod calor debilitatus ab externoque calore alteratus, putredinem postea faciat: qualem enim, quæso, alterationem pati ab eo potest, quæ putredinis causa sit? Cæterum si putredo per se fit, cum mixta mutantur ad calidum, quomodo alio loco dicũt, eam fieri debilitato ac dissoluto calore? & si tunc res dicuntur ab illis putrescere, quando iam consumpto humido exsiccantur, & vt alii volunt, putredinis, & cariei ratio maxime in sicco est posita, qua ratione dicere possunt, putredinem excitari cum mixta mutantur ad humidum? potius dicendum erat, *cum mutatio fit ad siccum*. Nec ea quidem ratione humidum putredinem committit, quia calorem ex suffocatione accendat. Nam suffocatio calorem perimit, quomodo exiguus ignis à multis lignis suffocatus corrumpitur: nec aliter pereunt, qui strangulantur, quam ex suffocatione, & strangulatione caloris: ignis enim non accenditur, sed perimitur à fumo, & excrementis fuliginosis. In eo vero, quod scribunt, putredinem esse caloris incrementum, & non humoris consumptionem, euidentissime sibi contradicunt: nam alio loco scribunt, calorem primum augeri, & omnem postea euocare humorem ad superficiem, & ita externas partes humectari; postea vero fieri exsiccationem, & demum putredinem. Præterea si putredo fit euanescente calore interno, non vtique fiet eodẽ aucto, vt alio loco scribũt. Quid vero eo absurdius est, quod dicũt ignem non posse putrescere, quia illius calor tantum remitti non potest, manente igne sub sua forma, quantum requirit putredinis natura. Nam non ex remissione caloris, sed ex incremento putredo fit, si modo ex ea ignis accenditur: nec ignis quidem debet manere sub sua forma, si putresceret quoniam putredo est corruptio rei putrescentis. Alia autem est ratio, cur ignis non putrescat, quam Aristot. dixit sumi, *quia ignis est forma, & agens respectu aliorum elementorum*, & nos hanc causam postea clarius explicabimus. Nostrorum vero æmulorum sententiam de modo putredinis antea refellimus. Nam putredo aliquando fit ab aere quidem ambiente, augente internum calorem: sed non eo modo, quo illi volunt, quod scilicet internus augeatur solum ex penetratione externi, sed accedit prohibita transpiratio, quæ calorem internum auget, vt paulo post declarabimus. Nec calor internus putredinem facit eo, quod naturalem mortem viuentibus afferat, perpetuo consumendo humidum. Non enim talis corruptio per putredinem fit, sed quæ generationem simplicem factam ex elementis corrumpit: in qua corruptione primo humectatio fit, non autem perpetua exsiccatio, vt accidit viuentibus, quæ naturali morte pereunt. Modus vero putredinis, quem tradunt recentiores nostri Philosophi Aristotel. interpretes, omnium minime probabilis est. Volunt enim

Ignis cur non putrescat.

illi, putredinem non fieri aucto interno calore, quoniam, inquiunt, senum calor debilis est, sed quia ambiens dissoluit intrinsecum eum calorem: At si illi vnquam viderunt, carnes æstiuo soli expositas putrescere, intelligent profecto nullam esse factam caloris in re putrescente debilitatem, & resolutionem, sed magnum esse excitatum ardorem, & caloris incrementum: quod Hippoc. etiam eo Aphorismo significat, quo scribit, *dum pus conficitur, dolores, & febres maxime fieri: pure vero confecto, cessare febres, & dolores*, illi autem, cum putredinis rationem in sicco ponunt, quod relictum est ex putredine, factum, inquam, pus in abcessibus, qui est veluti cinis derelictus putredine absoluta, & ipsam terram, & cinerem, qui conspicitur in putrefactis cadaueribus, describunt, non autem ipsam putredinem, quæ cum fit, consistit cum multo humore: quod ostendunt omnia, quę putrescunt, fimus, caro, abcessus ex bono sanguine, tumescentes. Ergo res non dicuntur tunc putrefieri, & putredine affectæ, quando est consumpta humida portio, & sola superest siccitas: tunc enim nulla amplius est putredo, vt quæ iam cessauerit, sed cum humidum à sicco separatur: quippe cum in ipsa separatione rerum componentium corruptio sit posita, non autem in eo, quod iam est separatum. Nec oportet quidem senectutem adferre illos ad putredinis siccitatem confirmandam: quoniam (vt sæpe iam diximus) senes non corrumpuntur per putredinem, cum moriuntur, sed per marasmum: nec ipsa senectus, nec exsiccatio, quæ in ea fit putredo est, sed via (vt Aristot. inquit) ad putredinem, quia via est ad cadauer, quod per putredinem postea naturaliter dissoluitur. Et quid absurdius, quæso, est, quam tradere senectutem fieri à calore aeris ambientis, dissoluente internum calorem? scribit enim Aristot. *in lib. de longitudine & breuitate vitæ*, calorem internum seipsum corrumpere, & modum docet, quo id fit, quoniam, inquit, materiam, in qua est, consumit, nempe suum humidum & pabulum: & in corruptione viuentium nullam vim tribuit aeri ambienti, vt certe tribui non debet, si naturales generationes, & corruptiones à natura sola fieri debent, tanquam à proprio agente, non autem ab extrinsecis causis, quæ has affectiones, vt diximus, iuuare aut tardare quidem possunt, sed impedire minime possunt, & præsertim corruptionem, nam vt ad generandum adesse omnia oportet optima, quia quod optimum est, nihil vitiosum patitur: Ita ad corrumpendum sufficit duntaxat aliquid malum. Quare non mirum, si ad naturalem corruptionem sola naturalia principia sufficiunt. At nec illi ostendere possunt, quomodo ambientis calor dissoluat internum calorem, nam calor calorem per se non corrumpit, sed quia illius materiam consumit, vt magna flamma extinguit minorem, *quoniam materiam minoris inuadit, & ita positam in ea flammam consumit* pariter, vt Aristoteles *præcitato libro* testatur. Externus ergo calor non potest internum dissoluere, nisi illius materiam, à qua ipse separari non potest, simul dissoluat, nec id facere quidem potest, nisi externus calor internum augeat. Cur enim non augebit, si in suum subiectum penetrat, & potentior est; nimirum quem dicamus dissoluere internum calorem, & humorem ad se euocare. Nec illos terrere

Sect. 2. aph. 47.

Calorem corrumpi à seipso quomodo intelligendum.

Calor internus quomodo ab externo corrumpatur.

Cur magna flamma extinguat minorem.

Google

debet, quod adferunt, senum calorem non esse ab aere auctum, sed imbecilliorem redditum. Debebant enim illi intelligere, senum calorem nõ esse debilitatum ab aere ambiente, sed à se ipso, dum consumeret in prioribus ætatibus proprium humidum: quo consumpto ipse necessario simul languescit. At nec verum illud est, quod dicunt, ideo humorem diffluere, quia calor internus illum terminans, ab aere ambiente sit dissolutus: nam humor ipse nec diffluere, nec separari, aut dissolui potest à se, & per se: sed calorem oportet esse, qui in eo agat & illum hæc pati cogat.

Sed illis autoribus omissis, aggrediamur nos docere, quonammodo fiant caloris corruptiones, & à qua corruptione caloris putredo fiat: quaque ratione dominantibus passiuis qualitatibus (vt recte inquit Aristoteles) putredines omnes excitentur. Qua quidem in re primum distinguere oportet caloris corruptiones ab ipsius alterationibus: appello autem corruptionem caloris, *ipsius abolitionem*, vt in aliis rebus proprie corruptiones nuncupamus, cũ res desinunt esse. Alterationes vero & mutationes caloris voco, *cũ ipse augetur, vel minuitur vel nõ seruat cõuenientẽ pro ratione & cõseruatione subiecti qualitatem*. *Duplex* præterea est calor in nobis, & cæteris viuentibus, vnus *influens, genitus in corde*, vel in parte, quæ cordi proportione respondet, & ab ea in singulas partes cum spirituosa substantia transmissus: qui quidem calor maiore feruore præditus est, veluti actus alterius insiti, qui veluti potentia est, nec sine influente quidquã agere potest, vt *in libro de somno*, & antea ostendimus quo loco etiam docuimus, illũ esse animæ & corporis vinculum, suoque motu ad internas externasque partes, illarum actiones aucto insito calore perficere. Nec ille quidem sine humido consistere potest: quippe cum humidum sit ipsius pabulum. Excitat præterea à subiecto humore fuliginosa excrementa: quæ nisi expurgentur, ipsum calorem vitiant. Est præterea ipse igneæ & aereæ substantiæ, cuius ratione extra, & intro mouetur. Quod si ita est, necesse est, illum corrumpi multis modis: nam si illi desit humidum, aut proprium non sit, quod illi suppeditatur, calorem euanescare oportet: quo modo per longas inedias mors contingit, quia omnino deest illi alimentum: per senectutem vero & marcorem eodem modo corrumpitur: quia proprium & insitum humidum consumptum est: & quod ex alimento conficitur, est crudum & pituitosum, in quo calor pabulari & consistere nequit. At huiusmodi caloris corruptio cum fit à solo interno calore, insito à nostris principiis, est mortis naturalis causa, & dicitur fieri à seipso: quoniam scilicet ipse calor solus seipsum destruit: id quod facit, quia ipse suum pabulum, & humidum cõsumit, quo consumpto, cogitur ipse simul expirare, vnde anima à corpore separatur: quippe cum desit calor ille influens, qui erat animæ & corporis vinculum. Neque enim calor, & humor, qui sunt in trunco & materia corporis, sufficiunt ad retinendam vnionem animæ & corporis: atque ita oportet interpretari Aristotelis sententiam, quæ habetur *in libro de longitudine & breuitate vitæ*, vbi scribit, calorem seipsum corrumpere, non quemadmodum nostri æmuli somniarunt, calorem internum ab externo corrumpi, & quia vterque est calor, recte dictum esse calorem à seipso interire. Perinde enim esset, ac si diceremus, hominem quemcunque se ipsum interemisse, quod alius homo mortem illi attulisset. Sed ne longius in hac re progrediamur, audiamus Aristotelis, cuius opinio hic quæritur, verba; *quemadmodum* inquit ille, *flamma magna paruam exurit, corrumpitque, propterea quod illius alimentum absumat: sic calor naturalis, cui primaria concoquendi vis inest, materiam, in qua est, consumit, & propterea idem seipsum corrumpit*. Vnus ergo est huius caloris corruptionis modus, qui fit humidi sui consumptione, & dicitur huiusmodi corruptio esse per marasmum, & marcorem, id est, maximã siccitatem. Nam qui naturaliter intereunt, idem patiuntur, quod illis accidit, qui marasmo & tabe pereunt, quos nos aliquando post mortem dissectos inuenimus nihil, vel minimum sanguinis in vasis habuisse. Perit calor alio modo per suffocationem, *prohibito ipsius motu, quo expurgantur illius excrementa fuliginosa, & quia prohibetur frui aere frigidiore*. quo euentillatur & accenditur, quo pacto videmus etiam ignem suffocari, cum terreo, vel alio denso operculo perfecte tegitur: quo modo sacerdotes & candelas accensas perimunt. Nec non ipse ignis accensus clausis camini spiraculis, & ostiis, atque fenestris prohibitione aeris externi, & non expurgato fumo suffocatur: ita noster calor in his, qui laqueo iniecto ceruici pereunt, suffocatur & strangulatur. Ad eundem modum pertinere videtur caloris & ignis corruptio, quæ fit per copiam materiæ. Opprimit enim, & suffocat exiguum ignem crassorum lignorum copia: sicut nonnulli pereunt, obruto & oppresso calore à multitudine crassorum & viscidorum ciborum. Quod vidimus aliquando nonnullis contigisse ex fungorum esu, necnon ex ebrietate & crapula.

Alius est modus corruptionis caloris, qui fit à frigido, tanquam à contrario: & hic dicitur fieri per extinctionem. Nam (vt scribit Ouidius.)

Mollis alit flamma grandior aura necat.

Quo modo etiam candelæ in aere frigidissimo hiberno tempore extinguuntur. Sic in nobis fiunt istę caloris extinctiones ex magna potione frigidę aquæ, & cum per alpes & niues iter facimus. Id enim non raro est visum accidere. Noster vero calor peculiari quadam ratione, quæ igni non conuenit, corrumpi potest, nempe per expirationem & exhalationem caloris cum humido coniuncti: quo modo mors contingeret, si vulnerato thorace, aliquamdiu pateret vulneris orificium.

Est alius corruptionis caloris modus, qui fit ablato, aut grauiter affecto fonte, qui illum gignit, & à se spargit in singulas partes: qua ratione vulnerato corde, nostri huius caloris fontem, subita mors sequitur.

Atque hi sunt modi, quibus inuenio, calorem influentem corrumpi: qui videntur mihi omnes necessarii, aut certe clariorem reddũt doctrinam, quam Aristoteles faciat: qui *in libro de longitudine & breuitate vitæ, & in libro de iuuentute & senect.* Omnes caloris corruptiones scribit fieri per marcorem, vel extinctionem. Porro alteratur calor influens, cum augetur (vt diximus) minuitur, & mutat suam qualitatem. Augetur quidem, & acrior fit, ex prohibita transpiratione, ex humidi acrimonia,

De caloris corruptione.

Corruptio caloris quid. Quod eius alterationes.

Viuentium calor quotuplex. Influens.

Caloris corruptio, quæ dicatur fieri à seipso.

Corruptio per marasmum.

Caloris corruptio, quæ fit per extinctionem.

Calor quibus augeatur.

monia, & mediocri etiam copia, & ab aere ambiente calidiore, & ab aliis, quæ habent vim intendendi calorem à contrariis vero causis minuitur, de quibus sigillatim non institui hoc loco dicere, quia hæc non sunt nostri instituti: & ex se ipsis patent.

Quando diminuatur.

Vitiatur vero ipsius qualitas, ratione ipsius subiecti. Cum enim spirituosa substantia, in qua ille consistit, facta est fuliginosa, vel nebulosa (vt ita dicam) aut infecta, quia spiritus illi non transpirant liberè, aut ob malignam aliquam qualitatem sunt vitiati, vt in pestilentibus & malignis morbis contingit, necesse est ipsam caloris qualitatem vitiari & ineptam esse ad ea naturæ munia, quæ ipsius puritatem requirunt.

Quando eius qualitas vitietur.

Ceterum calor, qui insitus est singulis membris, & generationis simplicis est autor, cum humidum vnit cum sicco pro cuiusque rei generandæ ratione, non potest à B contrario extingui, nec suffocari: nunquam enim cadauara videmus dissolui ab externo frigido, natiuum calorem extinguendo. Ille enim cum insitus sit in singulis, vel minimis partibus rei compositæ, extinctionem pati non potest: quia frigidum non potest illum vndequaque inuadere. Quod si ratio hæc non satis facit, experientiâ satis id ostendam. Nam si dicamus, fieri caloris illius insiti, à frigore corruptionem, videremus in frigido aere dissoluta esse corpora, ex elementis solis composita, vt cadauera animalium, & plantarum: quippe cum ablato penitus calore, nequeat amplius compositio stare. Neque etiam per suffocationem idem calor abigi potest: quid enim & C quomodo illum suffocare potest? Accidit enim suffocatio calori, *qui habet suos motus ratione subiecti sui*, nempè aereæ substantiæ. At insitus ille calor immobilis est, quare opprimi & suffocari nequit. Potest autem solum augeri & vitiari, nec alia ratione, quam *per prohibitam transpirationem, aut alterius caloris immissionem*.

Quali calori suffocatio accidat, & cui non.

Ac immissio quidem caloris fieri potest aucto influente calore: qui postea per corpus, in singulas partes immittitur, quo pacto per febres inflammato prius calore exeunte à corde, vniuersum corpus accenditur. Vel immittitur ab externis rebus extrinsecus calefacientibus, vt ab aere, igni, aqua, medicamentis, & si quid aliud est, quod extrinsecus res calefa- D cere possit.

Calor insitus singulis membris quomodo possit augeri & vitiari.

Prohibetur autem liberè difflari calor, cum meatus interni, aut externi occluduntur, aut calori obiicitur humoris copia: ita vt calor, qui secundum naturam in rebus est, vt solebat, difflari non possit: aut cum meatus, vt solebant, patent quidem, sed per illos nequit calor ex aliqua occasione auctus, liberè difflari. Illo modo febres nascuntur, cum externa superficies à frigidis, aut astringentibus pensatur: aut internæ vasorum cauitates obstruuntur: tunc enim calorem, qui in E nobis mediocris; & secundum naturam erat, augeri, & vitiosam qualitatem ex fuliginosis vaporibus retentis sumere necesse est. Alio vero modo expirare prohibetur calor, affectis ipsis meatibus aliqua occlusione; sed aucto prius calore, vt in febribus etiam contingit, quas ira, labor, aut alia excalefaciens causa excitauit. Cum enim natura corporis meatus tales fecerit, quales requirit naturalis constitutio, & calor qui secundum naturam est: non mirum si eo aucto ab aliqua violentia, rursus illi accedat aliud incrementum eo, quod non possit per vias à natura factas facilè exhalare & refrigerare. Ceterum prohibe- A tur calor, transpirare ob humoris copiam, quæ illi obiicitur, vt in gangrænis apparet, quæ fiunt grauato membro ex magna inflammatione, & superfluo humore, ex eoque aucto calore, quia transpirare nequit. Ac putredo quidem fieri non potest ex solo caloris incremento, nisi simul accedat prohibita transpiratio, id, quod multis in rebus apparet.

Putredinem non posse fieri ex solo caloris incremento, nisi accedat prohibita transpiratio.

Nam si quis carnes animalium per praua & tenuia frustula diuisa, ardenti soli exponat, non vtique illæ putrescent, sed exsiccabuntur, non minus, quam si in furnum æstuantem ab igni immittantur. Huiusmodi enim calor, qui liberè expirat, humorem exsiccat, & exsiccatio putredinem præuenit, sese liberè intromittente, exeunteq; calore, & cum eo abeunte humore, extenuato in vaporem: quo fit, vt etsi calor in re augeatur, quia tamen non acquirit infectam qualitatem, qualem requirit calor, qui ad putredinem faciendam est aptus, ex fuliginosis excrementis retentis, nequit vtique putredinem parere. Nam si calor solus in re accensus putredinem faceret, quæ ex igne feruent, maximè putrescerent: at id non fit, quia igneus calor, & quæ illum concipiunt, expirant facilè, idque propter ignis actiuitatem vehementem.

Cur ignea feruentia non putrescant.

Docent præterea, putredinem fieri ex impedita trãspiratione, remedia, quæ gangrænа affectis partibus adhibentur, cutis scilicet, & carnis subiectæ scarificationes: & post illas ex muria, lixiuio, & aliis valde exsiccantibus auxilia, quibus transpirationem, & exsiccationem procuramus: sic aceruos tritici, & aliarum rerum, diuisione, & sparsione, qua transpirant vapores inclusi, & externus captatur aer, à putredine vindicamus. Præterea putredo facilius inuaderet parua frustula carnis, quam magna aeri æstiuo exposita: illa enim maiorem calorem concipiunt, vt quæ eum vndiquaque admittant. Sed quia admissus facilius transpirat, ideo magis resistunt putredini, quæ in maiores partes sunt diuisa. Eadem ratione calor accensus per febres diarias & hecticas in corporibus, quæ vitiatos non habent humores, à quibus fuliginosi vapores attolluntur plurimi, putredinem non parit, quia facilè transpirat. Quod si difficultas aliqua in hoc illi accedat, putredo statim sequitur: quo modo ex diaria sæpè nascuntur febres putridæ, & post illas etiam hecticæ. Nam cum ob materiam subiectam plurimi excitantur vapores fuliginosi, ita vt illis non pateat via per carnis & cutis meatus, tunc putredinem nasci oportet. Eo vero humore deficiente, via patet vaporibus, qui ab eo consurgunt, vnde desinit putredo, & sequitur salus, aut febris hectica, si ob longam moram solidæ partes calorem in habitu conceperunt.

Cur ex diariis sæpe nascantur putridæ febres & post illas etiam hecticæ.

Eadem ratione fiunt aliquando inflammationes & bubones putrescentes, aut qui sine putredine soluuntur. Libera enim & prohibita transpiratio hæc pariunt diuersa. Ex quibus quidem patere puto, non cuiuscunque caloris, vel maximi incrementum putredinem excitare, sed illud quod est cum prohibita transpiratione: quæ cum adest, à leui etiam calore putredo nascitur: vt febres multæ pestilentes ostendunt, in quibus vrinæ minguntur concoctæ: quæ ostendunt calorem à naturali statu non esse adeo mutatum, vt concoctionem turbare potuerit. Idem docent, quæ in sanis corporibus fiunt putredines: nam Aristoteles canitiem ex putredine fieri scribit. Et aer conclusus in

cauernis, necnon aqua ex fontibus hausta, etiam (A) in vmbra seruata, putrescit, in quibus exiguus apparet calor. Idem ostendunt vapores, qui à partibus nostris concauis expirant putridi, & id absque vehementi calore: si modo in sanis non potest calor violentus esse, vt qui naturæ operum autor est. Ergo ad putredinem excitandam plus momenti habet prohibita transpiratio, quam caloris incrementum. Sed vbi hæc simul excellunt, tunc vehementes excitantur putredines. Quod autem ex impedita transpiratione putredines omnes fiant, tanquam à præcipua causa, hoc est indicio, quod omnia, quæ putrescunt, grauiter oleant & omnia, quæ libere non transpirant, idem patiantur. Grauiter vero olere omnia, quæ putrescunt, notius est, quam id demonstrari debeat. Id enim satis ostendunt carnes putrescentes: qua (B) quidē ratione adductus, Galenus in *lib. 5. de Simplicibus capitulo 15.* putredinem definit esse corruptionem cum fœtore. Omnia vero, quæ libere nō transpirant, fœtide olere, ostendunt aer in cauernis conclusus: nec non partes, quæ cauitates habent, vt axillæ, nates, pudenda, in quibus includuntur vapores, qui ab illis expirant, quod etiam Aristoteles fatetur *in duodecima sectione Problematum*, vbi quærit, cur maxime alæ inter omnes partes male oleant, & cur gibbosi halitum fœdiorem aliis habeant: causam enim istorum in difficilem transpirationem refert, & illic ac non raro alibi, putredinem ex ea impedita transpiratione nasci scribit. Nec alia quidem ratione puto alui ex- (C) crementa & vrinam grauem repræsentare odorē: nam illa conclusa in suis locis densis, & in profundo corporis collocatis, nec facile transpirare, nec externi aeris immissione, quo euentilentur, frui possunt: & propterea alui excrementa grauius, quam vrina olent, quoniam intestina crassiore & densiore substantia constant, quam vesica & in profundiore loco sunt posita, in illisque excremēta diutius continentur, nec libere moueri possunt ob reuolutiones & sinus intestinorum, atque ita ex motu liberiorem acquirere difflationem: qui quidem motus & difflatio spiritum & humores contentos in venis à fœtore & putredine vindicant. Quæ si accidant vel ob corporis crassitiem, (D) vel ob caloris copiam, aut corporis densitatem, vel ob aliam causam, tunc etiam, quæ ab humoribus & vniuerso corpore transpirant, sunt cum aliquo fœtore, & aliqua putredine plus, vel minus, pro ratione prohibitæ transpirationis. Propterea mulieres rufæ & crassæ inter alias insigniter fœtent: cum enim sint temperamento sanguineo & bilioso, plurimos vapores emittunt, qui difficile in omni habitu corporis, sed difficillime in crasso & obeso transpirant. Ob eandem rationem (E) excrementa alui & vesicę, quanto diutius retinentur, tanto grauiorem repræsentant odorem. Ac etiam ob eandem causam sudor & vapor, qui à febricitantibus exeunt, deterius olent, quam qui expirant à sanorum corporibus: quoniam in illis ex putredine plures consurgunt vapores, & meatus interni, & sæpe etiam externi à morbosis causis sunt constipati, ex quibus difficilior redditur transpiratio, quæ in sanis continuo fit, & facilis: Ex hac autem facilitate sequitur, vt diu non retineantur excrementa: & ob id minuatur fœtor, qui excrementa naturaliter consequitur. Vt ergo omnia, quæ putrescunt, & quæ libere non transpirant, grauiter olent: sic forte vniuersa, quæ malum habent odorem, ex aliqua putredine id obtinent: & hanc, quoniam calorem & naturam habent, non satis aptam, ad facilem & liberam transpirationem: hanc nostram opinionem Galenus passim, & potissimum in *libro vndecimo Methodi* confirmat, dum febris putridæ generationem & curationem docet, in quibus potissimum spectat prohibitam transpirationem. Iam vero si putredo omnis fit vitiato calore ob prohibitam transpirationem, & retentionem vaporum, videamus, quonam modo res omnes igne excepto putrescere possint, & an vnus & idem sit putrescendi modus in rebus vniuersis. Vnus quidem est ex prohibita transpiratione: sed non vnus est prohibendæ transpirationis modus, quia non est vnus compositionis modus in rebus, quæ putrescunt, nec vnus & idem calor, qui prohibetur transpirare & vitiatur, nec vna & eadem putrescendi æqualitas: nam quæ ex quatuor elementis vere sunt composita, vt plantarum, & animalium partes, illa omnes causas putredinis in se habent, & propterea omnes proprietates, quæ putredini tribuuntur. Elementa vero tria quæ putrescere possunt, & metalla, & alia, quæ perfectam non habent mixtionem, causas non habent insitas, aut certe exiguas suæ putredinis: quare aut difficile, & leuiter sentiunt putredinem, aut non secundum eam rationem, quæ in perfectis mixtis esse traditur. Scribit enim Aristoteles, quæ putrescunt, primo fieri & maxime in superficie humida, postea vero intus & vbique tandem sicca, absolutaque putredine cinerem relinqui: quæ putrescendi ratio aeri, aquæ nullo pacto, & aliis vix conuenire potest: partibus vero animalium & plantarum optime competunt: In his enim sunt partes humidæ, & siccæ, quæ separari possunt: & quia solidior est eorum compositio, quam sit aquæ & aeris, ideo non sufficit qualiscunque calor, ac prohibita transpiratio ad putredinem in illis excitandam: quippe cum oporteat vehementem esse calorem, qui humidum à sicco separare valeat, propterea partes animalium ex gangrenis putrescentes, feruentissimum obtinent calorem, necnon & cadauera: etsi hæc minorem habent, quam illæ, vt quæ influente calore destituantur qui in viuentibus plurimus est, & per putredinem vna cum eo, qui insitus est ex elementis augetur. In aere vero, si vehemens accenditur calor, ille igneæ fit naturæ, quæ putredinem non paritur. In aqua vero ob frigidā ipsius naturā ab aere vehemens calor includi nequit, etsi ea ab igne calefit, difficilius, aut nullo modo putrescit: quoniam etsi ex eo calore plurimi excitantur vapores: tamen, quoniam aqua ipsa ex ebulitione admodum rarefit, ideo genitis vaporibus per illam via facilis patet, paucum ergo oportet esse in aere & aqua calorem, qui putredinem faciat: magnum autem in animalibus & plantis, pro cuiusq. natura. Nam in illis, in quibus plus est humoris, plus etiam accenditur caloris. Sed iam docere agrediamur, quonam modo animalium & plantarum partes naturaliter corrumpantur ex putredine. Hoc ante diximus fieri à seipsis, id est, ex suis principiis, & non ab externis causis. Itaque cum putredo fiat (vt diximus) in his plurimum aucto calore ex prohibita transpiratione: vidēdum est, quid sit, quod calorem augeat, & transpirationem prohi-

Ad putredinem excitandam plus momenti habere transpirationem prohibitam quā caloris incrementum.

Occlusa omnia fœtide olere.

Gibbosi cur halitum habeant fœtidum.

Excrementa alui vnde suum habeāt fœtorem, & quidem grauiorem quā vrina.

Cur mulieres rufæ & crassæ inter alias magis fœteant.

Omnem fœtorem ex aliqua putredine oriri.

An vnus idemque sit putrescendi modus in omnibus rebus.

Putredinem aeris & aquæ non nisi exiguum exigere calorē.

prohibeat: passiuam (inquit Aristoteles) oportet esse qualitatem, quæ dominium caloris impediat, si corruptio secundum naturam, & putredo fieri debet: at siccitas calori non dominatur in putredine. Illa enim transpirationem impedire nequit: nimirum quod calor cum sicco liberam suam exerceat vim, vt ignis ostendit, & medicamenta adurentia, quæ igneæ, & terreæ sunt substantiæ. Ac non solum in putredine, sed nec etiam in alio quocumq; opere videtur vnquam siccitas calori dominari. Nam deficiente humore expirat calor, non expectato dominio siccitatis, & cum calor non agat in siccum, sed in humidum, non mirum, si à sicco in his quoque patitur. Solus ergo humor est, qui dominari calorem sæpe non patitur: nam illud re vera caloris nostri est subiectum & pabulum: propterea illud proportionem seruare, aut violare potest, quæ ipsi cum calore contingit: nec non ea, quæ fiũt in putredine, vt humectatio, euaporatio, malus odor, & exsiccantia remedia, quib. putredines oppugnamus, ostendunt, corruptiones, quæ fiunt, ab humore potissimum nasci. Vbi enim humor ipse regitur à calore, humidum & siccum vnita manent, nullaque extrinseca fit humectatio; nec alius expirat odor, quam rei genitę conueniat. *Itaque in hac corruptione & putredine ipsa animalium & plantarum calorem ab humido vitiari oportet, & hoc quia calor non amplius potest humorem eum regere, & illi dominari.* Cur vero non possit, hæc est ratio: quoniam scilicet animalium & plantarum partes dum totum generaretur & viueret, regebantur à duplici calore, influente, inquam, & insito: *per mortem* vero *influens calor est extinctus, & solus superest ille, qui insitus est, impotens sane ad regendum tantum humorem, quantum naturalis compositio partium animalium & plantarum requirit*, id quod ostendunt per longiores somnos capitis grauitates, & sopores, atque mortes, quæ nascũtur in accessionib. febriũ, cruditatis & stomachi per vehemẽtes cogitationes: quæ omnia accidũt, quoniam reuocato à cerebro & ventriculo influente calore, qui illis insitus est, nequit humorem regere. Itaque insitus animalibus & plantis calor, cum extinctus est calor influens, debilior relinquitur, & corporis compositio frigidior fit: vnde forte dixit Aristoteles, putredinem esse passionem non solum caloris, sed etiam propriæ frigiditatis: *quoniam tunc putredo cadauera inuadit, cum illa calore viuentium destituta, frigidiora sunt reddita.* Talis ergo cadauerum calor, nec concoquere amplius humorem potest, nec terminare, nec per illum penetrare libere, nec etiam libere vapores, quos necessario excitat, emittere: Vnde humor ipse caloris actiones & motus primum impedit: quare dominari incipit. Verum ex eo dominio, quo impeditur calor & vapor calidus expirare, calor ipse ob prohibitam transpirationem augetur, & vitiatam qualitatem recipit: vnde necesse est sequi effectus, qui apti & nati sunt fieri à calore aucto & vitiato. Porro sicut mediocris calor erat vnionis humidi cũ sicco causa, & qui purus erat, & non corruptus, generationis erat autor, perfecti naturæ operis: ita qui iam auctus est præter modum & infectus atque vitiatus mixtione vaporis, non potentis libere transpirare, merito diuisionis & corruptionis erit causa. Nam auctum calorem sequitur separatio eorum, quę erant diuersi generis: quare non mirum, si humidum à sicco vi hu-

Cur in corporibus demortuis calor nõ amplius possit regere humidum & eidem dominari.

Putredo quo modo sit passio propria frigiditatis.

A iusmodi caloris separetur. Non mirum etiam, si ob corruptam & vitiatam naturam ipsius caloris generantis, corruptio fiat: tales enim oportet esse naturales causas, & naturæ instrumenta, quales sunt effectus & opera, quæ fieri debent. Calor ergo in putredine ab humido primum dominium patitur, cum prohibetur libere transpirare: sed cũ ille igneæ naturæ sit particeps, diu pati non potest dominium. Quare ex huiusmodi rebellione humoris, paulo post maiores vires, & dominandi rursus maiorem vim calor, concipit. id, quod accidit, quia ex vaporibus retentis materiam habet vberiorem, ex qua accendi & augeri potest, & ita auctus vehementius postea humorem agitat, e-

B uocat, secumque trahit, vt ille nequit sine suo subiecto moueri: & moueri illum oportet extra, cum igneæ & aereę sit substantiæ, & in subiecto vaporoso sit accensus. Quare nõ mirũ, si ea, quæ putrescunt, interim sũ maxime fit putredo, extrinsecus humidiora appareãt: *hoc enim fit euocato à calore humore, & vaporibus genitis; qui cum libere exire non possunt, in superfice colliguntur sudoris modo: vnde illic madore multo irrigata conspiciuntur esse, quæ putrescunt.* Ac durante quidem prohibita transpiratione facta ex humoris copia, & ita vigente magis calore, ex vberiore materia, quæ illi suppeditatur, & quia ille non dissoluitur in aerem ambientem, sed intus collectus adhuc seruatur, pu-

C tredo intenditur, id est, separatio humidi à sicco, quæ tam diu viget, quamdiu calori pabulum suppetit, & ille libere transpirare prohibetur. *Tandem vero cessante humido, id est, dissoluto & consumpto à calore, sola terrena portio superest*, in qua calor consistere nequit: quare & ipse calor defectu humidi sui pabuli per marcorem euanescit, eo modo, quo calor influens expirauit. In fine ergo eadem est putredinis & naturalis mortis affectio, nempe caloris euanescentia defectu humidi, sed in aliis temporibus longe diuersa Nam viuentium calor, qui naturalem facit corruptionem, in ipsa generatione, & in reliquo tempore, quo viuimus, semper dominatur humido, vt pote, qui continuo ipsum

D dissipet, sed sensim & leuiter, vt ęquum est fieri in rebus, quæ fiunt à natura dominante, nec aliqua re incitata. Contra vero in putredine, calor insitus primum ab humido impeditur exercere suam vim, suosque motus postea ipse valentior insurgit, & vehementiam suam prodit, vindictamque sumit ex rebellione humoris, cum illum postea separat à sicco, cum quo naturali & amico vinculo erat coniunctus, nec cessat pæna, donec illum penitus absumpserit. Nec tamẽ propterea existimare debemus, talem corruptionem, quæ per putredinem fit, esse pręter naturam, quod à calore immoderato fiat. Nam *cum augeatur à principiis internis & ex his, quæ sunt indita rebus secundum naturam,*

E merito naturalis dicitur corruptio. Vt enim generatio naturalis est, eo quod ex naturæ principiis fiat: ita de corruptione, quæ ab eisdem principiis nascitur, sentiendum est. Et quemadmodum etiam naturalis mors humidi defectu accidit; ita si eiusdem excessu corruptio nascatur, nihil mirum videri debet. Vera igitur putredo, quam proprie describit Arist. veris mixtis conuenit, & fit ex solis naturalib. principiis, & si externę causæ illã tardare aut accelerare possint. Reliquarum vero rerũ putredo nõ simpliciter putredo est, i. non secundum omnes conditiones, quæ putredini conuenire di-

Cur ea quæ iam putrescunt extrinsecus humidiora appareant.

Et cur post absolutam putrefactionem sicca.

Putredo & naturalis mortis affectio quo modo differant.

Corruptio per putredinem cur non sit præter naturam.

Putredinem veram esse propriam perfectorum mistorum.

cuntur: quoniam perfectam non habent ex elementis compositionem; in qua agnoscatur agentium qualitatum dominium & patiuarum obedientia & rebellio: quare, nec perfecte, nec ex se solis putrescere possunt, sed externis causis coadiuuantibus egent. Quare quomodo singula putrescant per rerum species doceamus.

Buccaferrei opinio cur ignis putrescere nequeat.

Ait Arist. ignem putrescere non posse, alia vero tria elementa posse, & hanc reddit rationem, quod ignis respectu aliorum elementorum sit forma: alia vero sint ipsius ignis materia. Quam sententiã Arist. interpretes (meo iudicio) non satis assequũtur. Aiunt enim nonnulli ex illis, vt Buccaferreus, ignem ideo non posse putrescere, quia illius calor tantum remitti non potest, quantum postulat natura putredinis, manente igne (vt ait) sub sua forma. In qua quidẽ re fallitur: nã remissio caloris putredinem non facit, cum videamus, putredinẽ in aliis omnibus calorem augere. Deinde quid prohibet calorem ignis remitti vsque adeo posse, vt ad eam imbecillitatem perueniat, quam putredo exigit? Amplius non oportet ignem seruari sub sua forma, si putrescere, id est, corrũpi debet. Addo quod hæc interpretatio nõ explicat, quod scribit Arist. ignem ideo non putrescere, quia cætera illi sunt materia. Alii vero sunt, qui dicunt, propterea non putrescere ignẽ, quia illius calor à re nulla exteriore vinci potest, nisi extinguatur: quod cum fit (inquiunt) non ex parte interit ille, sed absolute & omnino: quorum etiam interpretatio non respondet sententiæ Arist. deinde qualem victoriã caloris requirunt in putredine ignis, marcorem ne per quem viuentia omnia putrescere illi volunt? At ignis hunc patitur, cum lignorum defectu tabescit & expirat. Præterea cadauera animalium & plantarum, etsi primum intereunt per separationem sicci ab humido, tamen tandem postea penitus corrumpuntur. Quare puto ea ratione ignẽ non putrescere,

Autoris op.

quia cum putredo fiat in omni re dominante primũ humido ipsi calori, nullũ humorẽ in se habet ignis nec aliũde recipere pot. qui nõ pateat ipsius calori: nã qui extrinsecus circũfunditur ex lignis, aut aliis humidis rebus, suffocare quidem ignem potest, sed putredinem non potest facere: quia necesse est humorem, qui putredinem sit facturus rei putrescenti *inesse*, vel ex ipsius rei natura aut quod extrinsecus ei sit *immissus*. Quia ergo ignis aliorum respectu forma est, & maximæ est efficaciæ, omnia alia habet pro materia. Est autem vera ratio materiæ, vt patiatur & vincatur. Quod si in aliquibus illa dominium non patitur, tunc ipsa efficientis quodammodo rationem habet: & quæ non vincunt, in eo casu desciscunt à natura agentis: nã quomodo agentia dici possunt: si dominari non possunt. Hæc ergo ratio est, cur ignis nequeat putrescere, *quia semper humorem in se inclusum, a quo accenditur, habet pro materia, qui nunquam rebellis ipsi esse potest, nisi suffocetur: potest igitur suffocari, & extingui, sed non putrescere.*

Aer quomodo putrescat, quis facilius aut difficilius.

Aer autem putrescit ea ratione, vt alia, quando sc. humidus redditur, & ob eum humorẽ prohibetur ille suo modo libere difflari. Vnde in cauernis aliisque locis obscuris aer maxime putrescit: quoniam illic calidus & humidus magis redditur, & vapores, qui ab eo exeunt, aut ipse aer vaporosus libere haud quaquam expirat. Sic sane per Austrinas constitutiones, & circa Autumnum

Pestes & febres putridæ cur plurima autumno & Austro.

A pestilentes & putridæ febres, aliique morbi oriri solent: *propterea, quod multi vapores à terra & aqua consurgunt: qui cum aere miscentur, nec ab eo libere exire possunt, quod multi & crassi sint: quare aerem putrefaciunt.* In maximo vero æstu vapores, qui attollũtur, pauciores sunt & tenuiores, & ipse quoq; aer tenuis & rarefactus adeo, vt facilis reddatur omnibus perspiratus. In frigidis autẽ & humidis aeris constitutionibus, etsi plurimum est in aere humoris tamen difficilis fit in eo putredo, quoniam cum aer suapte natura raræ sit substantiæ, penetrante vndequaque frigiditate, calorem in eo accendi non patitur: sine calore autem aliquo putredo non fit. Cæterum frigida & sicca aeris constiB tutio omniũ minime putredini est obnoxia: quoniam nec humor adest, nec calor; & à frigido & sicco, aer maxime tenuis & rarus redditur: præsertim si in hac aeris temperie vigeat Boreas, qui transpirationem maxime adiuuat, vt qui nihil vaporosum & crassum in aere consistere patiatur.

Putredinem nullam sine calore fieri.

His ergo modis aer facilius aut difficilius putrescit: nam quod scribit Arist. *in lib. de longitudine & breuitate vitæ* pinguia non putrescere, quia ea aerea sunt, aerem autem aliorum respectu ignem esse, non putrescit, *sane* intelligendum est: nam pinguia difficilius putrescunt aliis, quia aerea & rara substantia constant, quæ facile transpirat: ita aer ob suam raritatem ægrius densioribus elementis puC trescit, nõ quod igneum calorem obtineat, vt forte sentit Arist.

Aquæ putredo quomodo fiat.

Aqua etiã putrescit non ea ratione, quã adferũt nostri æmuli, quod sc. illius calor à calore ambientis augeatur & corrumpatur: qualem enim, quæso, habet calorem, aut insitum, aut aliunde, inditum, cum à puteis vel fontibus hauritur, & potabilis est? Præterea si eo modo illius putredo fit, maxime putresceret, dum igneo calore feruet: facilius enim aquæ calor ita corrumpi potest: sed ea quidem ratione putredinem concipit, *quod aeri exposita, eum per contactum, & tanquam tenuiori substantia præditum in se recipiat, qui postea difficile exit: vnde prohibetur transpiratio: hæc vero vel cum* D *exiguo calore, qui in aqua putrescente etiam sentitur, putredinis immediata est causa.*

Terra putredo & metallorum.

Sic terra, quæ in se admisit humores & vapores, suo modo putredinem sentit. Eadem ratione putredinem quandam concipiunt metalla & lapides, ob aeris & vaporum inclusionem, & impeditam postea transpirationem: & si difficilis fit in illis, & in terra putredo: quippe cum solida & densa eorũ materia vix admittat vaporosam substantiam, quo fit, vt difficile, & non nisi longo tempore, atq; in locis maxime vmbrosis humidisque hæc putrida inueniantur. At metalla, quæ puriorẽ habent materiam, magisq; perspirabilem, vt argentem & auE rum, difficilius putredinem & rubiginem, quæ certe *ex putredine* nascitur concipiunt, quam ferrum & plumbum.

Rubigo metallorum vnde.

Igitur elementa, & metalla, quæ longe abiunt à vere mixtis, vt animalium & plantarum partes, deficiunt ab exacta putredine, Quia enim aer & aqua sunt tota humida, ideo in illis non apparet separatio humidi à sicco: nec primo illa fiũt humida, postea vero sicca. Nec aqua putrescens insignem calorem ostendere potest, vt cadauera animalium & plantarũ: impedit n. illius tenuitas, ne possit penitus impediri transpiratio: & illi' frigiditas nõ admittit vehemẽtẽ calorẽ ab aere ambi-

Cur elementa & metalla nequeant habere omnes proprietates putredinis.

ambiente: ab igne vero excalefacta (vt postea ostendemus) putrescere non potest. Terra etiam & metalla putrida, quæ parum recipiunt in se humoris, eam etiam separationẽ ostendere nõ possunt, nec vehementem calorem, qui sine vapore & humore multo consistere nequit. Omnia tamen hæc putrida dicũtur, quoniam suo modo corrupta ob prohibitam transpirationem dicantur: quã putridus odor patefacit, & alienæ qualitates, quæ in illis apparent. Aqua.n. putrefacta, nõ solũ ex odore, sed etiã ex calore, sapore, & cõsistentia inæquali quæ ex separatione quadam nascitur, agnoscitur corrupta. Iam vero cum inter res, quædam sint tenues, aliæ crassæ: quædã multæ, aliæ paucæ: quædã moueantur, aliæ quiescant: quædam concreta, alia fusa: quædam rara, alia densa, quædam dura alia mollia quædam habeant excrementicium, alia natiuum humorem: quædem ferueant, alia sint cocta, alia cruda: videndũ est, quid facilius aut difficilius ex istis putredinem pati sit aptum: ex quorum explicatione reliquæ rerum differentiæ intelligi poterunt. Ac primum quidem eorum causas explicabimus, quorũ mentionẽ facit Arist. Igitur multũ, quam paucum difficilius putrescere scribit Arist. quod in primis experientiæ repugnat: nam frumenti, & aliorum seminũ acerui, quanto maiores fuerint, tanto promptius putrescunt: quo fit, vt periti agricolæ & boni œconomi semina, quæ diu seruare volunt, in paruos cumulos, diuidant, sæpiusque spargant: sic vestes multæ inter se cumulatæ, promptius sentiunt putredinem, quam quæ sparsæ sunt, & seorsum repositæ. Eodem pacto crassa corpora, quæ multam habent substantiam, putredini magis, quam gracilia exposita esse, scribere solet Galenus: docetq. experientia, carnes quas diu seruare volumus, & fructus, quos reponimus ad vsum multorum mensium, tanto difficilius putrescere, quanto in minores partes comminutæ, & conditæ fuerint. Nec Aristotelem quidẽ excusant, quod nõnulli adferunt, illum intelligere *multum*, quod multam quidem, sed vnitam & continuam habet substantiam: nam præterquã quod nomen *multi* ad numerum, & quantitatem discretam pertinet, ratio quoque eadem apparet in eo, quod est magnę & crassæ substantię sibi contiguę: nam (vt dixi) partes animalium mortuorũ soli expositæ, quãto crassiores fuerint, tanto facilius putrescunt. Porro Arist. existimauit, multum difficilius putrescere posse, quoniam male antea vnam posuit causam putredinis, calorem scilicet, qui est in aere ambiente: nam quoniam, inquit, in re maiori maior est caliditas propria, atque frigiditas, ideo minus afficitur multum, quam paucum ab aere ambiente. Id, quod ego verum puto in his, quæ in se exiguum habent calorem & putredinem expectant ab aere calido. Vbi enim illa tueri volumus à putredine, præstat in partes, & aceruos maiores congerere: difficilius namque multa aqua, quam pauca putrescit, & magnus frumẽti aceruus, quam paruus: difficilius enim in hæc corpora penetrat, & se includit externus aer. At vbi obesse non potest calidus aer, aut quæ calefiunt ab eo, multũ caloris habent, vel frigidior aer est, aut alia temperie affectus, ita, vt putredinis principium incipiat ex vaporibus à re ipsa eleuatis, libere transpirare prohibitis, quod paucum est difficilius sane putrescit quam multum, sic enim vestes frumentum, atque ipsa cadauera in vmbra

Aquæ putrefactæ signa.

An paucum facilius putrescat quã multum.

Multi nomẽ quorsum pertineat.

A posita, quãto plus habent substantiæ, tanto promptius putrescunt: nimirum quod plures vapores ab illis eleuentur, & illi difficilius transpirent. Carnes vero animalium, quæ multum in se caloris habent, multosque vapores emittunt ex multa ipsorum substantia, accedente aeris calore, has putredinis causas vehementer intendunt: vnde prompta in illis fit putredo: qua ratione corpora plena & crassa, cum ex obstructione nascitur putredo, maxime afficiuntur. Multum ergo nunc facilius, nunc difficilius putrescit pro ratione sui caloris, humoris, & aeris conditione. Quod autem mare nequaquam, illius vero aqua in partes diuisa facile putrescat, ratio melior, quam ex multitudine, & paucitate sui caloris, & substantiæ, sumitur ex suo B motu, continuaque agitatione, per quam expurgatur ab excrementis: atque ob id, qui in eo conclusus est aer, facilem habet exitum, & perspiratum. Nam (vt antea testati sumus ex Ouidio) *vitium capiant ni moueantur aquæ*. Concreta negat putrescere posse, quod scilicet illorum frigus nequeat superari à caliditate aeris: at nos videmus carnes media in hyeme concrescere, & concretas tandem putrescere durante frigore, quod scilicet tandem ex retentis excrementis, intus augeatur calor, qui putredinem facit. Et quoniam externum frigus calorem, qui est in re, primum veluti stupefacit, & quodammodo extinguit, ideo ille tardat vapores gignere & emittere: quare difficilis & tarda quoque in illis putredo, præsertim C si in tenues partes ea corpora sint diuisa: sic enim facilius patitur eorum calor & substantia ab externo frigore. Quod vero illa non putrescant, quæ feruent, ratio est, inquit Arist. quoniam calor, qui in aere est, minor est eo, qui in feruenti re existit: at hæc non est ratio. nam si res putrescere vult eo, quod desiderent præter suum calorem alium ab aere, cur non putrescent, si iam maiorem habent, quam possint ab aere accipere? Est ergo hæc (meo quidem iudicio) ratio, *quod illa, quæ feruent, igneam vim concipiunt, ex qua exsiccantur, extenuantur, raræ fiunt, ita vt facile vndequaque transpirent, & siccitas, quæ acquiritur, putredini resistit.* Quæ vero mouentur, minus putredine tentantur, quam ea, quę quiescunt: quoniam, inquit D Aristot. motus ille, qui ab aeris calore prouenit, imbecillior eo, qui in re ipsa ante inerat, id est, (vt ego intelligo) quod minores fiant impressiones ab externo calore in re, quæ mouetur, quam quiescente, aut quod maior sit calor rei, quæ mouetur, quam aeris, vt alii interpretantur; verum perperam: Nam multa sunt, quæ ex motu non calefiunt, sed potius refrigerantur, vt aqua aer: Atque etiam nostra corpora ex moderato motu, aut etiam vehementiore, non videntur concipere tantum calorem; quantus sentitur esse in aere æstiuo. Mihi vero videtur alia esse ratio prædictis melior, quod scilicet res, quæ mouentur, facilius E expurgentur ab inclusis excrementis & vaporibus, atque ita liberius transpirent: Vnde facile putrescunt corpora omnia, quæ otiosa, & ob id mulieres vestes vindicant à putredine & situ, cum virgis, aliaque agitatione ab illis puluerem & vaporem inclusum excutiunt. In illis tamen, quæ putredinis causas à calore ambientis sumunt, accedit ea ratio, quæ seruata putredine, quod scilicet minus affici possint res, quæ mouentur: fugiunt enim motu suo eiusdem aeris impressiones. Cæ-

Multũ aliquando facilius, aliquando difficilius, quam paucum putrescere.

Mare cur nequaquam, illius vero aqua in partes diuisa facile putrescat.

Cur feruescentia non putrescant Arist. sententia quæ damnatur.

Cur ea quæ mouentur, minus putredine tententur, quam quæ quiescunt.

terũ in rebus, quæ ex motu calefiunt, nõ solet putredo nasci ex calore, q per motũ excitatur primo & per se, sed quando via occluditur post motũ vaporib. qui adhuc à corpore excalefacto excitãtur, Qua ratione videmus, illos putridis febribus corripi, qui adhuc calentes ab exercitatione, se concludunt in locis frigidis. aut frigidam bibunt, aut externam auram concipiunt, vel camisias sudore malefactas non exuunt. Porro *problema est decimum septimum vigesimaequinta sectionis*, vbi scribit, omnia, quæ mouentur, corrumpi solere. Quæ sententia etiam habetur *in quarto problemate vigesimasecunda sectionis*: quærit enim eo in loco, cur incorrupta durare possunt, quæ vtribus continentur inflatis, aut vasis bene opertis. Cuius quæstionis hanc reddit rationem, quod omnia putrefiant, cum mouentur, immota vero omnia sint, quæ sunt plena. Verum non ex motu huius rei ratio petitur: nam siue moueantur, siue quiescant, quæ in vasis non plenis continentur, aut non bene obturatis, promptius corrumpuntur, & putrescunt, quam sua contraria; vt ostendit vinum, quod in vasis non plenis continetur: illud enim cito euanescit, & pro natura vini vel acescit, vel crascescit, formamque vini amittit; quæ omnia cum putredine fiunt. Necesse enim est, vasis vacuam partem aere repleri, qui in vinum, aut alium liquorem in vase contentum penetrat, libereque postea ab illo exire nequit: *immediata autem est putredinis causa impedita transpiratio aeris, & vaporis in reb. inclusi.* Iam vero, quæ rara sunt, facilius aliquando, quam densa putrescunt: aliquando vero difficilius: nam à se ipsis difficilius patiuntur densa, quam rara: ab externis vero causis rara, quam densa. Hæc enim vapores, qui à corporib. consurgunt, exire impediunt, externum vero aerem ægrius admittunt. Contrarium aut raris corporib. accidit. Verũ hæc si ab internis causis nõ afficiuntur, sed ab externis, in vniuerso rerum genere rara facilius putrescunt dẽsis, quia plus humoris habent, & prõptius extern um aerẽ admittunt. Mollia etiã promptius, quã dura putredinem sentiunt, quia humidiora vaporibusq; plena & quoniã aerem externum facile cõcipiunt. Putrescunt facillime, quæ excrementitiũ habent humorem, id, quod ostendunt olera, pepones, cucurbitæ, cerasa, & cæteri fructus horæi: *quoniam aquosus inest illis humor à quo calor vincitur*. Propterea cum illos seruare volumus, aceto & aromatibus conditos vel exsiccatos ad futuros vsus reponimus. Sic etiam syrupos, aliosque liquores vindicamus à futura putredine per concoctionem: qua aquosum humorem consumimus. Quæ ratio etiam facit, vt carnes, & res aliæ coctæ diutius seruentur immunes à putredine, quam crudæ: nam concoctio siue per elixationem, siue per assationem, aut maturationem fiat, vt in fructibus, humorem euocat & consumit, qui caloris dominiũ impedire potest. Item quæ substantiam habent dissolutam, minimeque compactam, qualia sunt ligna ex populo & salice, facilius, quam solida putrescunt: quoniam scilicet plus habent humoris. Sic quæ actu humida sunt, & liquida promptius putrescunt, quam actu sicca, vt bilis promptius, quam caro. Quæ vero actu & potentia humida, cæteris paribus facilius patiuntur putredinnm illis, quæ contraria sunt, aut actu humida & potentia sicca. At si hæc tenuiora calidiora que fuerint, aliter forte continget: nam *bilis flaua promptius*,

Cur excalefacta, ex motu corpora nostra mox refrigerata febribus corripiantur.

Putredinis immediata causa.

De putredine rari, & densi corporis.

Cur horæi fructus, & olera facile putrescant.

Cur cocta diutius seruẽtur incorrupta, quam cruda.

De putredine humidorum actu vel potentia, vel siccorum.

A *quam sanguis putredine tentatur*: id, quod ostendunt biliosæ febres omnium frequentissimæ. Calida vero & humida sola putrescere scribit Galenus: id, quod *sane* intelligendũ est: nam atra bilis frigida & sicca, & flaua sicca & calida, pituita frigida & humida, & in aliis rebus omnia, igne excepto: vt recte scribit Arist. putrescunt. Verum intemperaturarũ omniũ maxime & promptissime, quæ calida sunt, & humida, præsertim si plus habent ad proportionem humoris, quam caloris: habent enim corpora calida, & humida in se suas putredinis causas: calorem inquam, & humorem, ex quo vapores ex se excitare possunt: præterea externum calorem, & humorem facile admittunt: quare potentissimæ sunt in illis putredinis causæ. Atque hæc quidem B sufficiant de his, quæ putrescere possunt, & facilius, aut difficilius putredinem pati. Alia enim, quæ hic non dicuntur, ex his facile intelligi poterunt. Nam facilis aut difficilis transpiratio, & caloris humorisque copia, vel inopia, ac prompta aut difficilis externi aeris calidi, & humidi admissio, faciunt omnes differentias, quę inueniuntur esse in rebus, prout facile aut difficile putrescunt.

Calida, & humida cur aliis facilius putrescant.

Indicatio in huiusmodi est euacuatio atque alteratio.

His ita explicatis, quæ de putredine enarrauimus, & positis tanquam fundamentis ad ea construenda, quæ Galenus proponit de curatione febrium putridarum, propius ad rem ipsam accedaC mus, & diligentius proposita illius vera separatim expendamus: scribit igitur illius curationem in duobus tantum cõsistere. *nempe in alteratione & euacuatione.* Alterationem vero intelligit non qualemcunque, sed eam, quæ fit per concoctionem, & quid ea præster, eodem negotio ostendit, quod scilicet putredinem cessare faciat manente substantia, quæ post absolutam concoctionem relinquitur. Vacuationem autem necessariam esse dicit, quæ totam eam materiam, & non solum illius partem, aut alium humorem, qui non sit concoctus, & cessata putredine est derelictus, educat. Per quæ vero remedia, & quomodo fiat concoctio, hic non docet: id quod postea nos faciemus, ne operi sua desit perfectio. VacuatioD num vero genera mox subiunget, quæ huic instituto necessaria ab eo putantur. Hæc etsi fere sunt dicta iam à nobis, tamen erant repetenda propter interiectam longam disputationem de putredine. Et quoniam hæc, quæ proponit Gal. longe difficilia sunt, & negligẽter ab aliis interpretib. explicata; ideo nos pro viribus ea clariora reddere conabimur. Et primum, illud proponemus, an in curatione febrium putridarum sufficiant hæc duo remedia concoctio inquam, & euacuatio concoctæ materiæ: nam contra hanc opinionẽ multa pugnant. Et primũ quod Gal. *in lib. vndecimo Metho.* scribat, vtile esse in omni febre E putrida sanguinem mittere secta vena: quod remedii genus non euacuat materiam concoctam: hæc enim per purgationem tollitur: quod Hipp. eo Aphorismo, in quo scribit, *concocta medicari*: id est, vt explicat Gal. *medicamento purgante euacuare*, aperte significat. Nam sanguinis missio omnes educit humores ęqualiter, & à toto corpore: in febribus autem putridis vnus aliquando solus humor, vt bilis in tertianis. & pituita in quotidianis humorque melancholicus in quartanis; aliquando ve-

Febris putrida curatio quæ, & quot requirat ex Gal.

do verò plures, vt in complicatis febribus, nunquam autem omnes putrescunt. aut si hoc cõtingit, nec concoctio, nec euacuatio aliqua prosunt: mortem enim sequi oportet, id quod *in opere nostro de febribus* ostendimus. Putrescit prætereà humor per febres putridas, vel solum, vel maximè in vna parte, qui focus febris esse dicitur. Quare constat sanguinis missionẽ non esse remediũ putridæ & concoctæ materiæ. Prætereà Gal. *in præcitato Methodi libr.* præter euacuationẽ & concoctionẽ probat adhibẽdam esse perspirationẽ per refrigerantia; quam procurari scribit ablatis causis, quæ illam prohibebant, sublatis, inquam, obstructionibus, vel cutis densitate, prout hæ vel illæ causæ fuerunt impeditæ difflationis. Addo, quod in febribus putridis inter initia morbi sæpe purgationem adhibemus, per quam non vtique euacuamus materiam putrescentem, quam prius concoquendam esse scribit Galenus, concocta verò esse non potest in principio, in quo omnia cruda passim scribit esse idem autor. Nonne etiam in omnibus putridis vel inediam, aut tenuiorem victum adhibemus ad humoris multitudinem consumendam: non solum autẽ ad concoctionem iuuandam, & concoctum humorem euacuandum: qui, vt dixi, non aliter, quàm per purgantia medicamenta, separari ab aliis, & euacuari potest. An febris etiam ipsa non postulat sua remedia refrigerantia: quæ longè diuersa sæpe sunt ab iis, quæ concoctionem iuuant: ab his verò, quæ euacuant semper? Quid ergo tot argumenta dicemus; errasse ne Galenum & omnes Medicos putabimus, qui præter concoctionem & euacuationem humoris putrefacti tot alia proponunt auxilia? An dicendum potius est, diuersam esse curandi rationem ipsius febris putridæ, cum sola adest putredo humoris, quem putredo inuasit, ab ea, quæ causas adhuc habet fouentes, & augentes putredinem præsentem, & potentes nouam putredinem in humore, qui eam nondum sensit, excitare? In illo enim casu leuem esse oportet putredinem, & exiguam febrem, quæ propria sibi remedia non exposcat. Putredo vero ipsa auxiliis suis eget: nam cum illa necessario corrumpat eam materiam, quam inuasit, necessaria est euacuatio, vt quod corruptum est, ab eo, quod sanum est, separet & educat: & quoniam separatio fieri non potest absq; concoctione, vt posteà ostendemus: ideo concoctio præcedere debet euacuationem humoris putridi. Id etsi rarò contingit, nonnunquam tamen fieri videtur, vt febres putridæ his duobus duntaxat auxiliis sint contentæ, quales sunt *synocha putrida*, quæ perpetuo decrescunt: in illis enim, quæ facta erat constipatio, leuis erat: quandoquidem non aliter, vt docet Galenus, hæ febres decrescunt, quam quod plus dissoluatur vaporis, quàm retineatur. *Ex diariis etiam aliquando excitantur exiguæ hæ febres putridæ*, & nonnunquam etiam ipsæ putridæ statim inuadunt, sed à paruis causis natæ, quas curare possumus, minimum mutata solita viuendi ratione. Vt ergo hæ febres inter putridas simplicissimæ sunt, ita simplicissimam curam, quæ fit per solam concoctionem, & leuem aliquam purgationem postulant. Vbi verò grauior est affectus, qui iam factus est, & causæ, quæ adsunt, humoris partem putrefacientes, & putredinem fouentes, minantur etiam

Febres, in quib. putrescunt omnes humores omnino esse [illegible].

Quæ putridæ febres sola cõcoctione & euacuatione sint contentæ, & quæ non.

A putredinem humoris eius, qui est eiusdem generis, aut etiam, qui alterius est (vtrumque enim contingit, vbi potentes sunt diuturnæque putredinis causæ) veluti cum biliosi humoris pars post partem putrescit, & cum post biliosas sequuntur quartanæ: tunc, inquam, plura requiruntur auxilia, & tot sanè, quot possunt esse præsentis & futuri mali causæ.

Quia igitur tunc maximè impeditur transpiratio, & ea est, quæ præsentem putredinem excitauit, fouetque, & futuram minatur: ideo primum & præcipuum remedium in eo esse debet, vt corpus, quantum fieri potest, maximè transpirabile reddatur: id, quod fiet ablatis causis, quæ illam prohibent: illæ verò sunt, vel *cutis* B *astrictio*, vel *vasorum, venarum, inquam & arteriarum internarum obstructiones & multitudo humoris vaporisque*, qui liberè per venas, & arterias densas & solidas transpirare, & difflare non potest: Igitur si quis post exercitationem refrigeratus, aut post lotionem aquæ frigidæ, aut alio modo ob densitatem cutis febre recenter fuerit correptus, fricatione leui & molli, ablutione aquæ calidæ, & linteis excalefactis, aut his etiam, quæ sudorem mouent, protinus studeat cutem rarefacere: deinde sanguinem mittat, si illud non videat sufficere remedium. Nam sanguinis missio, quæ fit secta vena, humore, & vapore euacuato, maximo est auxilio ad transpirationem iuuandam: propterea rectè scribit Ga- C lenus *vtile esse sanguinem mittere in omni febre putrida*, quæ scilicet alicuius sit momenti. Omnes enim, quæ tales sunt, egent liberiore perflatione, quàm sanguinis missio ab initio omnium felicissimè præstat. Nec sudor, qui sequi solet accessiones febrium intermittentium, sufficit: quippe cum ebullitio, quæ fit in corde, venis, & arteriis, multos gignat vapores, quorum transpirationem nihil tam iuuat, quàm venæ sectio: nam densæ vasorum tunicæ non præbent transitum contentis in illis humoribus & vaporibus: quare per sectionem viam patentiorem parare oportet, facto veluti camino in corpore, per quem igneus fuliginosusque ille vapor expirare possit: vnde missione sanguinis, quæ adhibentur in his D febribus, parum prosunt, nisi fuerit amplum factum foramen per sectionem venæ. Ergo sanguinis missio omnibus putridis paulo grauiorib. conuenit, communi hac ratione, quod potentissimum sit ad perspirationem iuuandam auxilium, quo vniuersæ huiusmodi febres maximè opus habent. Nec in hoc spectare debemus aut sanguinis multitudinem, aut aliud quidpiam. Nam si in omni habitu huiusmodi febres nascuntur, & communem hæ habent causam ex impedita transpiratione, quod commune est remedium, in nullis prætermitti debet. Nec cõtra id facit, quod multi liberentur ex putridis febribus, quibus sanguis non fuit missus: nam *in nulla re temeritas laudanda est, nec probandum, quod perperam est fa-* E *ctum*: etenim vt multi pereunt, qui euasissent cum hoc remedio: ita qui liberantur, grauius & diutius affliguntur, atq; hoc modo temeritatis suæ, aut ignorantiæ Medicorum pœnas in seipsis luunt. Porro vt sanguinis detractio omnibus febricitantibus ad transpirationem est necessaria, ita aliquibus etiam prodest ad multitudinem humoris tollendam, quæ obest, eo, quod vapori-

Trãspiratiõni impediẽtia.

Venæ sectionem omnib. putridis esse vtilem.

Sectionem in vena latam esse oportere, vbi sanguis mittitur in febribus putridis.

bus vberem materiam suppeditat, & quia natu- A
ram grauat, ne possit concoquere, quod vitiatũ iam est, & expellere, quod iam expelli potest, & quia vsum aperientium, & penetrantium in interna vasorum orificia remediorũ impedit, symptomataq; omnia, & quicquid timeri potest mali, excitat. Nec in hoc quidem remedio spectare debemus morbi magnitudinem: quæ, vt alibi ostẽdimus, regula firma nequit esse sanguinis missionis. Cæterum misso sanguine, si subest adhuc peculiaris alicuius humoris copia, quæ facilè in putredinem trahi potest, si hoc facilè fieri potest, vt sanè potest, cum humores sunt tenues, quales sunt biliosi & mixti, & etiam cum aliqua pituita, B
vt in puris & nothis tertianis contingit, vereri nõ debemus, inter initia morbi leuem aliquam purgationem per nostra medicamenta, quibus carebat antiquitas: & propterea suspectam habebat Gal. purgationem, & si aliter (vt *in Aphorismis* docuit) sensit Hippoc. Nec obest quidem Aphorismus, *concocta medicari* &c. & quoniam humor, quem per leues has purgationes educimus, continetur in primis venis & ille non est, qui morbum facit, vt qui putredinem non senserit, cui soli, vt postea docebimus, debetur concoctio, vt qui solus sit crudus: Interim verò si aliqua est inflammatio, quæ calorem accendat, & vapores suppeditet plurimos cordi, & vasis, per illaq; vniuerso C
corpori, omni diligentia per propria auxilia procurari debet humoris contenti in inflammatione dissolutio: aut si hæc non prodest, aut non sufficit, suppuratio tentanda. Nec quidem oportet, cum febris vehementia vrget, illius propria auxilia contemnere per refrigerantia. Ergo illa adhibenda per conuenientem victum, & remedia refrigerantia, ea eligendo, quæ opportuna sint ad refrigerationem, sed interim non impediant transpirationem, aut alias morbosas causas foueant. Hæc ergo sunt auxilia, quæ postulant febres simpliciores & grauiores. Quæ verò pessimæ sunt, D
aut ob vitium materiæ peccantis, aut subiecti cõditionem, excitant symptomata, quæ vel vires deiiciunt, & naturæ opera turbant: aut fiunt causæ augentes, fouentesque corporis mala, & huius generis causarum sunt capitis dolor, sitis, sopor, vigilantia, & alia huiusmodi, de quibus Gal. 12. *Methodi*, & *secundo ad Glauconem* abundè disserit, desiderant hæc etiam propria auxilia, vt, quantum fieri potest, mitigentur. Sed cauendum interim, ne cum in his mitigandis, plus quàm æquum est, ægrotis obtemperare volumus, veram curandi rationẽ, quæ contra præcipuas causas pugnat, contemnamus. Hinc enim grauissima mala E
sæpe sequi solent. Quoniam autem in curatione morborum non solum videndum est, quid conueniat morbosis affectibus, sed quid etiam natura ferre possit, maxima est opus prudẽtia, ne plus aut minus naturæ tribuas, quàm ipsa exigat, aut permittat curatio: Ac vbi ipsa valida est, omnia audacter præstare possumus, quæ curatio præscribit: vbi verò vires labuntur, illis potissimum succurrendum. At si nec planè debiles, nec firmæ omnino sunt, sed permittunt cum quadam moderatione fieri, quæ dictat curandi ratio, ita moderari rem oportet, vt nec morbum, nec virtutem contempsisse videaris. Quisquis igitur ad omnia prædicta diligenter respiciet, febres omnes putridas methodo sanabit, quantum licebit, nec

De purgatione [illegible] in putridis inter initia post sanguinis missionem.

sect. 1. aph. 22.

Curatio febrium putridarum cum symptomatis.

In complicatis affectibus quid agendum.

vires demolietur. Sed quoniam nostri non est instituti hæc omnia sigillatim nunc prosequi, redeamus ad Galenum.

Hæc quidem, quæ putredinem finiat, manente adhuc substantia: euacuatio verò, quæ totam ex corpore substantiam educat.

Proposuit Gal. duo esse adhibenda remedia contra febres putridas, nempe *concoctionem & euacuationem*. Iam videamus, quem humorẽ velit concoqui & euacuari, qualemque requirat cõcoctionem & euacuationem: Nam in his cogimur ab aliis interpretibus dissentire. Etenim Akakhias & recentiores alii interpretes huius loci, in febribus putridis duplicem ponunt humorem, vnum iam putridum, putrescentem verò alium, nondum tamen putridum, & illum, nulla concoctionis facta mentione, vacuandum esse censent: hunc verò esse concoquendum. A quibus ego longe dissentio: nam si putridi illi humores nullam concoctionem acceperunt, eam putredinem habent, qualis fit in gangrænis, ad quam putredinem sequitur non euacuatio, sed mors: quo modo necessario per febres mors sequitur, vbi vrinæ perpetuo crudæ emissæ fuerunt: non enim salus expectari potest nisi præcesserit concoctio; nec materia morbi euacuari potest, nisi prius cõcocta fuerit. At de illa putredine non agit Galenus, sed de illa, quæ nunc concoctio, nunc putredo, vt diximus ab initio, vocatur, quoniam mixtum est opus ex concoctione, & putredine, quod aliis rationibus ostendo: nam Gal. docet *in libro de diff. febrium*, in omnibus febribus putridis, absoluta putredine, relinqui in venis veluti cinerem quendam, qui puri proportione respondet: qui quidẽ humor euacuationem postulat, vt ipsum pus: At sicut pus fit per concoctionem, nec illud euacuari potest, antequam præcesserit cõcoctio, ita profectò nullus humor putridus euacuari potest, aut fieri, ante concoctionem & absque concoctione. Nec putare quidem oportet, in omni accessione febris, id excerni, quod in illa computruit, ita vt nihil relinquatur extincta prorsus febre & illius accessionibus, quod euacuationem requirat: nam sic purgatione non esset opus, declinantibus, aut iam prorsus absolutis huiusmodi febribus. Addo quod hæc ratio solum esset propria intermittentibus, & nõ continuus febribus, in quibus quicquid est humoris putrefacti & concocti, retinetur, donec fiat crisis, aut per purgantia medicamenta educatur. Quinetiam multæ sunt intermittentes febres, post quarum accessionẽ nec sudor fit, nec alia sensibilis euacuatio, quæ respõdere possit naturæ & quantitati humoris, qui febrem & accessiones commisit: Amplius si humor putrescens per illos concoctionem aliquam postulat, quæ putredinem manẽte substantia finiat: eandem etiam requirebat, qui putridus iam est, antequam putridus sit factus: illis enim substantia victa manet, nec vinci quidem potuit, nisi per concoctionem. Igitur in omnibus putridis febribus quicquid est humoris, quod putredinem sensit, concoctionem desiderat, etsi illud iam putridum est, idem antea fuit concoctum: & si adhuc putrescit, concoctionem adhuc requirit, ac finita putre-

putredine & concoctione nisi natura per crises A perfectas vniuersum eum humorem excreuerit, purgatio ad illius euacuationem necessario est adhibenda: quoniam (vt inquit Hipp.) *quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.*

Sect. 2. aphor. 12.

Quo modo putrescentes humores concoqui possint & concoctio possit sistere putredinem.

Sed mirari fortè quispiam poterit, quonam modo putrescentes humores concoqui possint, & qua ratione concoctio finire possit putredinem, manente substantia rei putrefactæ: nam si putredo corruptio quædam est (vt antea ostendimus) & ea fit per diuisionem humidi à sicco, quo pacto, quæso, illa emendari vnquam poterit per cōcoctionem? Vt enim corrupta nunquam possunt vniri redireque ad naturam suam, ita quæ putrescunt, nulla ratione emendari posse videntur. An dicendum est, humores, quos putridos vocamus, B putrescentesque, in febribus non esse prorsus tales, id est, non exactam habere putredinem, in qua calor factus est prorsus ineptus ad materiam regendam, vt accidit in putredine cadauerum? sed mixtam quandam esse actionem inter veram putredinem, & cruditatem: propterea que concoctionem, quæ in hoc affectu fit, non posse omne vitium emendare, sed solum cruditatem? quod verò est ex putredine, relinqui sine aliquo remedio, quod illius vitium in corpore emendare possit. Nam, vt antea diximus, tres ponit Galenus in nobis alterationes: *vnam, in qua fit perfecta assimilatio secundum substantiam & qualitates,* quæ quidem tendit ad nutritionem. *Alia vero est alteratio, in qua nulla fit assimilatio,* & illa est vera putrefactio, quæ ad corruptionem omnino tendit. C Alia verò est, in qua assimilatio fit per qualitates, dissimilitudo vero manet per substantiam, quam quidem Galenus aliquando vocat concoctionem, ob eam partem, in qua fit assimilatio: Aliquando autem putrefactionem, ob eam substantiam, quæ relinquitur inutilis prorsus, veluti cinis, qui remanet post putrediné rerum ex quatuor elementis compositarum. Non immerito igitur Galenus hoc loco scribit, putrescentes humores concoquendos esse, & per concoctionem cessare putredinem, manente materia, quæ postea sui ablationem per euacuationem indicat: nam concoctio hæc non potest ad nutritionem tendere: quare nequit assimilare substantiam, sed solum qualitates vincit, & assimilat, atque his victis à natura, cessant putredinis causæ, ob idq; & D putredo ipsa: quo modo concocto pure, & confecto, cessat omnis putredo, quia & calor, aliæque qualitates, quæ rebelles erant, victæ sunt, & assimilatæ: vnde pus albū, lene, æquale, minimumque fœtidum relinquitur: quæ indicio sunt, qualitates victas esse: manet tamen post eam victoriam & concoctionem puris substantia. Eodem pacto in febribus putridis, putrescentes humores à natura concoquuntur, & post cōcoctionem relinquitur in venis substantia humoris putrefacti siue concocti, quæ veluti cinis est, puri proportione respondens: quæ etiam sui indicat ab- E lationem, & ea non aliter fieri potest, quam per euacuationem; & quoniam putrescentes huiusmodi humores non sunt reuera & prorsus putridi (illud enim quod ita est affectum, concoctum & putrefactum dicitur, quia partim concoctum, partim putrefactum est, id est, partim victum, partim non victum, & dissimile relictum:) ideo non sunt prorsus corrupti: quare nec diuisio in il-

Tres alterationes. 1. 2. 3.

Cur ante purgationem putridi humoris concoctio sit necessaria.

A lis fit, sed vnio & incrassatio, quoniam illis concoctio medetur, quæ vniendo, incrassando, & assimilando quantum id, quod concoquitur, permittit, opus suum perficit: permittit autem non perfectam reductionem ad naturalem statum per concoctionem, qui ita putredinem iam sensit, vt iam putrescat, vt quidam putant, qui humores non prorsus putridos hac ratione emendari posse credunt: nam qui prorsus putridus est, nullam concoctionem admittit: *qui verò vel leuiter putridus est, per concoctionem quidem redigitur ad mediocritatem per qualitates, substantia tamen emendari non potest*: quod verò in via est ad putredinem, qualia sunt illa, quæ liberè non transpirant, nullam tamen adhuc actu habent corruptionem, B illa refrigeratione, & euentilatione corriguntur. Quare malè alii interpretes his humoribus concoctionem deberi tradunt: putridis verò solam euacuationem. Rectè verò scribit Galenus humores, in quibus accensa est putredo, concoquendos prius esse, deinde euacuandos: *nam concoctio facit, vt substantia, quæ euacuanda est, eliciatur ab alia, & actu fiat, quod prius erat potentia: nam humores putrescentes, cum aliis in tota massa erant commixti, nec propriam habebant materiam: perfecta verò concoctione, qui putredinem senserunt, relinquunt suum cinerem: Alii verò, qui alterati quidem fuerunt, sed absque putredine, nihil tale habent: quare paulatim exuunt suum vitium, & vtiles redduntur ad nutritionem.* Itaque non his, sed illis debetur euacuatio. Sed quid dicemus ad Ga- C leni locum, qui *in vndecimo Methodi* habetur, in quo, docens curationem febris putridæ, scribit, duobus modis emendari putredinem, quæ fit & in mortuis & in viuis, separando primum id quod est putrefactum ab aliis: reliqua verò reducendo ad symmetriam moderatis motibus, refrigeratione, & perspiratione. Eo enim loco concoctionis nullam facit mentionem. Dico non esse eandem (vt ille putat) rationem sanandæ putredinis in viuis & mortuis. Nam putredinem rerum non viuentium, in quibus nulla fit concoctio, sanare possumus separatione eius, quod iam est corruptum, quia illud per incisionem (vt contingit in carnibus sale conditis, & in aliqua parte corruptis) separare possumus: humores verò, qui in nobis per febres putrescunt, non a- D lia habent remedia, quàm per euacuationem, quæ alliciat proprium sibi humorem, qui est excrementum: at excrementum non est factum ante concoctionem, vt in Aphorismis ostendimus: quare rectè scribit Hippocrates *concocta medicanda esse, & non cruda*, quia ante concoctionem excrementum factum non est, & illud est, quod medicandum venit. Si igitur Galenus velit, concoctionem præcedere humoris putrefacti euacuationem, rectè sentit: si verò non putat esse necessariam concoctionem, aberrat. At si necessariam credebat esse, non debebat vti- E que illam prætermittere, in eo præsertim loco, in quo perfectam curationem ex rei natura desumptam, in illis febribus pollicetur. Itaque verior est hæc curandi ratio, in qua præcipit, putredinem humorum, quæ fit in febricitantibus, exigere solum concoctionem, & postea concocti humoris euacuationem. Causæ verò putredinis efficientes, & materia, quæ disponitur ad putredinem, alia postulant, vt iam ostendimus, auxi-

Gal. locus qui est in 11. Meth. de curatione putrida notat.

Sect. 1. aph. 22.

lia: sicut etiam febris ipsa, & febrium symptomata grauiora. Sed prædicta facilius ex sequentibus intelligentur.

Sed dicta quidem alterationis species, concoctio existit, quam, vbi inuenerimus, à quibusnam causis fieri contingat: tunc vtique eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, scientiam tenebimus.

Quæ dicta sunt de cessatione putredinis per concoctionem, & quæ nunc dicuntur de his, quæ possunt concoquere & concoctionem iuuare, desiderant maiorem cognitionem, diligentioremque tractationem de concoctione. Sed quoniam B hæc pro dignitate *in Aphorismis* enarrauimus, capita solum ex opere hic trásferemus: ne huic libro desint, quæ sunt necessaria. Ac primum quidem dicemus, quid sit concoctio: deinde, quæ sint concoctionis causæ: tertio, quæ sint species, & differentiæ concoctionis: quarto, quo modo concoctio fiat: quinto, quæ sit vis concoctionis, qualisque requiratur concoctio in humore, qui ad purgationem aptus esse debet: Postremo, quibus remediis Medicus concoctionem iuuare possit.

De definitione concoctionis disputatio. Porrò recentiores ferè omnes Medici Auicennam secuti concoctionem esse definiunt humoris præparationem ad expulsionem: quandoquidem Auicenna ipse concoctionem dicit esse substantiæ adæquationem, quæ ad facilem obedit euacuationem. Sed hæc opinio multis modis falsa esse ostenditur, primo quod duos Aphorismos inter se confundat, eum scilicet, in quo autor scribit, *concocta medicari*, & eum, in quo dicit, *corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*: nam si per coctionem intellexisset præparationem ad expulsionem in *priore Aphor.* frustra *in alio* ageret de illa præparatione, quæ (vt Galen. *eo in loco* tradit, & in Aphorismo *in acutis passionibus raro*) cõsistit in extenuatione & incisione humorum, ac viarum apertione. Deinde concoctio omnia incrassat; purgatio verò cum fiat per medicamenta attrahentia, tenuem postulat materiã, vt Gal. *in lib. 3. de Natural. facul. passimq; alibi* scribit. Præterea per concoctionem humores redduntur naturæ similes; similitudo autem est causa retentiónis, dissimilitudo verò causa expulsionis: quare si natura præparare vellet materiam ad expulsionem, non illam concoquendo assimilaret. Addo quod multi morbi per solam cõcoctionem curantur; quo fit, vt frustra à natura concoquatur, quod postea expellendum non est. Postremo in acutissimis morbis semper purgare possemus, quoniã humores, qui illos faciunt, calidi sunt, & tenues: propterea; ad expulsionem paratissimi, vt scribit Gal. *in lib. 3. prædictionum tex. 23.* Alii verò sunt, qui concoctionem esse definiunt separationem boni à malo: qui maximè aberrant. Nam concoctio omnia assimilat: qui verò separat, dissimilitudinem molitur in rebus. Deinde concoctio (Arist. teste) est perfectio, diuisio verò imperfectio est: quippe cum diuisio corruptioni, compositio generationi similis sit. Præterea omnia, qua maturescunt & concoquuntur, ideo maturescere & concoqui dicuntur, quod siccæ partes humidis, caloris beneficio misceantur. Er-

fect. 1. aphor. 21.
sect. 2. aph. 9.
Concoctionẽ non esse præparationem humoris ad expulsionem.
sect. 1. apho. 24.
Concoctionẽ non esse separationem boni à malo.

A go cum illi concoctionem separationem boni à malo esse dicunt, cruditatem potius, quàm concoctionem definiunt. Addo, quod *concoctio fiat incrassando*: quæ verò incrassantur, vnam formã recipiunt, nempe crassitudinem, non autem diuersas & separatas. Postremo Gal. *in lib. de natur. facul.* separationem mali à bono, expultrici, & nõ concoctrici facultati tribuit. Iulius Delphinus concoctionem ait esse reductionẽ caloris ad temperamentum: quæ opinio non est digna primario Academiæ Ticinensis Medico. Nam concoctio concoctio fit à calore in passiuis qualitatibus, vt inquit Aristoteles, quod si esset caloris reductio, esset eiusdem passio, & non actio: & calor naturalis non faceret concoctionem, sed illam pateretur, & temerè ille *eodem loco* dixisset, concoctionem fieri, cum calor elaborat & vincit materiam: oporteret præterea purgare calorem, si concocta sunt medicanda. Sed pudet me tam absurdam opinionem prosequi, & alias eiusdem autoris sententias, quæ ita sæpe sunt ridiculæ, vt quilibet facile agnoscere possit, illum ambitioni potius, quàm eruditioni in edendis illis suis commentariis studuisse. Cæterum Manardus, cum non putaret, vnam esse omnium cõcoctionum naturam, ex triplici differentia eorum, quæ concoquuntur, triplicẽ concoctionis definitionem adfert. Nam ea, quæ concoquuntur, (inquit) sunt vel alimenta, vel putridi humores, vel alii, qui non sunt putridi. Primam concoctionem dicit esse alterationem, in C qua alimentum ei, quod alterat, omnino assimilatur. Secundam dicit esse alterationem, quæ putredinem cessare facit. Tertiam, quæ materiam, quæ concoquitur, quadantenus assimilet. Quam opinionem partim ex Auicenna, partim etiam ex Galeno sumpsisse videtur. Nam Auic. *in 1. Fen. libr. 2.* vnam ponit concoctionem vtilis materiæ: aliam verò, vt ille vocat, superfluitatum, & illam vocat conuersionem in propriam substantiam nutriti: in hac verò idem naturam tentare: quod si assequi non potest, saltem eas qualitates moliri in materia, quæ seruiant ad expulsionem, extenuando, scilicet materiam, si crassa sit, aut incrassando, quod est tenue, aut incitando, quod est viscosum. Galenus etiam *hoc loco* definit D concoctionem esse alterationem, quæ putredinem subortam cessare facit. verum hæc opinio etiam falsa est. Nam si ex diuersa materia actiones diuersas iudicare debemus, non solum in concoctione, sed etiam in attractione, retentione, & expulsione absurda sequentur. An quæso dicemus non eandem esse facultatem attractricem, quæ alimentum & medicamenta & propriam in singulis materiam vt panem, vinum, rhabarbarum, cassiam, & alia eiusdem generis in corpus trahit? & retentionem dicemus diuersam, quæ retinet hæc, quæ sunt diuersa? An facultatem expultricem vnam requiremus, in emissione vrinæ, aliam verò in expellendi alui excrementis? Sic etiam dicemus, vnam esse facultatem concoctri- E cem, quæ panem, aliam quæ carnes, & aliam, quæ ea, quæ assumuntur, concoquit: In qua quidem re nihil est absurdius. Præterea vna est efficiens causa concoctionis, *facultas concoctrix*: vnum instrumentum, *calor natiuus*, vnus finis, vt postea ostendemus, vna materia communis, *humor*, inquam, *qui incrassari potest*, quare & communem oportet esse definitionem, nec spectare opor-

Concoctionẽ non esse reductionem caloris ad temperiem.
Manardi opinio, quæ reprehenditur.
Concoctionis efficientẽ causam esse vnam, vnum instrumentũ, vnum finem vnamq; materiam.

oportet particulares effectus, qui nascuntur ob istorum vitia. Sic enim oporteret infinitas propemodum facere definitiones concoctionis. Nam concoctio non solum putredinem cessare facit, sed etiam acrimoniam humorum retundit, frigidiores humores calefacit, calidiores temperat, omnes incrassat, miscet omnia omnibus, & omnia, quantum fieri potest, assimilat. An propterea dicemus concoctionem vnam esse, quæ acrimoniam retundat; aliam, quæ frigida calefaciat; aliam, quæ temperat calida; aliam, quæ incrasset; aliam, quæ assimilet, aut aliquid aliud particulare efficiat? minimè certè, sed propriam illius naturam, generalemque actionem spectare oportet, non ea autem, quæ illi accidunt. Etenim *concoctio certum aliquid facit, ad quod particulares operationes sequuntur, ob mutationem aliquam, quæ nascitur in agente vel materia.* Quæ enim putrescentem habent materiam, per concoctionem in illis cessat putredo; quæ acria sunt, mitiora redduntur, quæ erant diuisa, vniuntur, & sic de aliis. Atque hæc non impediunt, quo minus concoctiones definiamus communi omnibus, quæ côcoquuntur, definitione, quod Gal. aliquando facit, aliquando verò particularia prosequitur. Nam *in hoc loco* concoctionem solum definit in putrescente humore, In 2. verò *de natural. facult.* cum scribit, concoctionem nihil aliud esse, quàm alterationem & mutationẽ nutrientis. in eius, quod nutritur, qualitatem, concoctionem alimenti solum describit. cum verò *in text. 6. quinti commentarii, sexti lib. Epidemion* scribit, concoctionis nomen significare omnem ad mediocre temperamentum adductionem, & *in libro primo eiusdem operis tex. 6. secundi commentarii, in 13. Aphoris. primi libri & in text. 44. secundi acutorum*, in quibus locis scribit illa vocari concocta, quæ à calore & à natura sunt superata & victa, etiam si nutrire non possint: cruda verò, quæ non sunt euicta, communem omnibus concoctionem quærit, & definit. Id quod etiam *in tertio libro de Crisib.* exprimit, vbi scribit, concoquere nihil aliud esse, quàm naturam superare, debellare, resistere vehementiori morbi conatui & quæ infestabant, reprimere: Etsi hæc definitio contracta est ad materiam morbosam. Verum *in prædictis locis* veram vim & naturam concoctionis non exprimit: nam cum humidum à sicco temperatur, & calidum à frigido, & è contra, non propterea fit concoctio. Item cum natura crassos humores extenuat, illos quidem vincit, & cum exuberantes eos euacuat: cumque malos à bonis separat, opprimit quidem morbi causas, sed interim concoquere non dicitur, quare Galenus victoriæ rationem, & modum explicare debet, vt naturam iuuare possimus, cum illam concoquendo vincere non posse videmus. Cæterum Aristoteles *in lib. quarto Meteorum* definit *concoctionem esse perfectionem, quæ à naturali proprioque calore ex oppositis fit passiuis, quæ sua quippe materia existunt.* Quæ quidem definitio etsi ab omnibus est recepta, tamen mihi non videtur propriè exprimere, quod quærimus. Nam genere vtitur nimium communi. Etenim generatio, mixtio, & alia quæcunque alteratio, quàm res exigit, est perfectio: Si quidem res dicitur perfecta, cum id est assecuta, quod illi deficit. Præterea generatio eodem autore etiam fit, cum calor obtinet qualita-

Galeni varia sententia de definitione concoctionis.

Sententia Arist. quæ sud improbatur.

A tes passiuas, & propriam cuiuscunque materiam. Quare communis videtur esse definitio generationi & concoctioni. Adde, quod in ea definitione non comprehenduntur omnia, quæ concoquuntur: nam quæ elixantur & assantur, non à proprio, sed ab externo & igneo calore concoctionem assequuntur. Nec etiam docet, quid materia patiatur à calore, cum fit concoctio, an scilicet acquirat calorem, vel frigus, vel siccitatem, vel humiditatem, aut aliam quamcunque qualitatem. Dicit quidem, concocta tunc esse, quando calor humorem vicit: & tunc vicisse, cum formam & essentiam simpliciter, vel subiectã quandam formam acquisiuit: vt ea, quæ maturantur, matura & concocta dicuntur; quando eorum semen aptum iam est, sibi simile gignere: & tubercula appellat concocta, quando ad suppurationem peruenerunt. Verum hæc non satis exprimunt naturam concoctionis, & proprium terminum. Ignoremus enim necesse est, quibus remediis concoctio iuuari possit, si illud proprium ignoremus, quod concoctio quærit. Fernelius *in libro quem scripsit de purgandi ratione*, quærit etiam communem eam concoctionis naturam: sed inuenire non potest. Dicit enim concoctionem esse substantiæ, in naturæ conuenientiorem statum, caloris vi, factam mutationem: ac non solum alimentum, sed etiam puris materiam, & synceros humores, quos impropriè vocat superuacuos, vt pituitam influentem in pulmones, & vtramque bilem concoqui scribit: Ac pituitam quidem concoqui scribit, si aquosa fuerit & incrassescat, crassaque extenuetur, & bilis concocta ab eo vocatur, si mitior & domita ita reddita fuerit, vt promptius expelli possit: qui autor etiam cum aliis aberrat. Nam conuenientiorem eum statum, quem dicit acquiri per concoctionem, exprimere non potest generali quadam ratione: & cum ad particularia descendit, maiores errores committit. Vt enim aquosa pituita per concoctionem crassior redditur (quandoquidem concoctio omnia incrassat) sic quæ crassa est, per concoctionem non extenuatur: hoc enim facit fusio (vt postea docebimus) quæ præcedit in concretis concoctionem, non autem ipsa concoctio id præstat. Nec verò bilis ideo concoquitur, vt postea promptius expelli possit: id enim non est finis concoctionis, etsi alia ratione accidit, vt ea, quæ concocta sunt, melius euacuari possint. Sed ne aliorum omnium opiniones excutiamus, qui idem ferè sentiunt, vnum inuenio locum apud Galenum, qui propriè exprimit id, quod quærimus: est autem locus *in libro octauo de Medic. compositione secundum locos, capite de hepatis affectibus*, vbi dicit, *concoctionem esse alterationem, quæ eousque procedit, donec in similitudinem partis, quod concoquitur, sit transmutatum*: vbi etiam docet, quomodo differat concoctio à nutritione: nam *concoctio est assimilatio: nutritio verò est vnio eius, quod assimilatum est, ei, quod assimilauit.* Nam hæc definitio omnibus, quæ concoquuntur, est communis: etenim cibus dicitur esse concoctus in ventriculo, hepate, & aliis partibus, quando in colore, sapore, odore, & in primis qualitatibus atque per substantiam est assimilatus. Eodem modo pus dicitur concoctum, quando est factum album, leue, & æquale, & minimè fœtidum. ex his enim

Fernelis itidem refellitur.

Concoctionis vera definitio ex Gal.

Concoctionis & nutritionis differentia.

B C D E

A ostenditur, quod sit factum simile, quantum illius natura patitur, deinde hæc definitio concoctionem separat à generatione, mixtione, nutritione, contemperatione, mitigatione, & omni alia mutatione, quæ à natura & calore natiuo fit. Etenim aliæ mutationes assimilationes non sunt, aut non solæ. Adde quod comprehendit concoctionem etiam, quæ fit ab igneo calore in rebus externis: illa enim dicuntur concocta, cum igni sunt certo quodam modo assimilata. Præterea tradit hæc definitio id, quod est vtile nostræ arti. Cum enim intelleximus, concoctionem esse assimilationem, illud quoq; agnoscimus, quantum res sit cruda, & quomodo concoqui possit, quæ B enim prorsus dissimilis est, penitus est cruda: quæ verò similitudinem iam aliquam est assecuta, tantum habere concoctionis agnoscitur, quantum habet similitudinis. Ac si putamus, naturam non posse concoquere & assimilare, eo quod concoctrix facultas sit malè affecta, aut illius calor imbecillus, vel immoderatus, vel materia, quæ cõcoquitur, exuperet agentis vim, vel repugnantẽ habeat qualitatem, aut substantiam: tunc in eo, quod videmus concoctionem impedire, remedium adhibemus. Porro ex hac definitione aliæ omnes, quæ traduntur à bonis autoribus, natæ videntur.

Ad prædictã definitionem alias omnes redigit.

C Cum enim natura assimilauit materiam, tunc vicit quantum vincere potuit, & perfecit eandem. Ac vbi morbosa est materia, illam debellauit, oppressit, & repressit vehementem illius conatum. Nam vbi similitudo facta est, non est amplius repugnantia: & vbi aliquid est putrescens, illud putredinem exuit: & id, quod acre est, acrimoniam deponit: quoniam, vt postea ostendemus, concoctio à moderato calore fit, pro cuiusque materiæ, quæ concoquitur, natura. itaque cum calor noster sit moderatus, & secundum naturam, extraneas omnes qualitates assimilando temperat & mitigat.

Vnam esse in omnib. quæ concoquuntur, concoctionem.

Igitur vna est concoctio in omnibus, quæ cõcoquuntur, qua omnia con- D cocta dicuntur, quando pro sua natura sunt assimilata cõcoquentibus: alimentum quidem concoctum tunc est, quando per suam substantiam, & qualitates omnes simile est redditum pari concoquenti.

Pus & humores putrescẽtes quando dicantur cõcocti.

pus verò & humores putrescentes cõcocti dicuntur, *quando eorũ qualitates similes quoque sunt reddita partibus concoquentibus.* Nam substantia puris & putrescentium humorum cum sit corrupta, amplius assimilari non potest, & vniri substantiæ nostræ: suo tamen modo dicuntur illa concocta. *quia naturam concoctionis assumpserunt, nempe assimilationem eam, quam recipere potuerũt.* Non ergo plures sunt concoctionis naturæ: quo- E niam ex eo, quod melius, vel deterius, magis & minus assimilatur, & concoquitur, diuersæ species in concoctione fieri non debent. Sic enim ea, quæ assantur, vel elixantur, vel friguntur, aut alio modo ad esum & vsum nostrum igneo calore parantur, omnia concocta dicuntur, cum sunt euicta & assimilata pro ratione agentis & materiæ diuersitate, etsi interim modo concoctionis differunt.

De cõcoctionis causis: & primum de materia.

Nunc sequitur, vt doceamus causas concoctionis, & primum agam de materia: de qua quidam ita sentiunt, vt nihil putent concoqui posse, quod post cõcoctionem nutrire nequit. Propterea solum sanguinem, & pituitam dulcem, ex quibus tandem nutritur corpus, concoctionem admitte- A re: synceros verò humores, vt bilem vtramque & serosos, vel putridos, aut acidam, vel salsam pituitam, non esse concoquendos, quoniam cõcoqui non possunt: & propterea Medicos errare, qui in purgationibus istorum humorum concoctionem expectant.

Bilis vtraq; non posse concoqui.

Nam adserunt concoquendum esse id, quod est crudum, cruentum & acerbum, quæ quidem humori bilioso non conueniunt: quippe cum bilis nimis sit iam assata, & excesserit naturam sanguinis, in quem amplius mutari non potest, excremẽtumq. sit factum in sanguinis generatione. Adferunt præterea, naturam primum concoquere, deinde separare, tertio ex- B pellere. Quare eos humores, qui iam sunt synceri, & secreti, indicare expulsionem, & non cõcoctionem. Deinde sumunt argumentum ex his, quæ concoctionem iuuant: illa enim esse, quæ natiuum calorem augent, vt potentius assimilet materiam, quæ concoquitur, vt tandem eam in nutrimentum vertat: hæc autem frustra tentari in synceris & corruptis humoribus, qui nullam cognationem habent cum eo, quod concoquit. Addunt, Galenum 11. *Methodi* scribere, putrida esse vacuanda, non alteranda, vel concoquenda: & *alio loco* præcipere, concoquendum esse, quod C est semicoctum: expellendũ verò esse, quod nequit concoqui: postremo nunquam Galenũ humorem, qui herpetem facit, aut flatum, concoxisse, nec alium tumorem qui nõ esset phlegmonosus, id est, ex sanguine factus. Propterea illi aiunt, Hippocratem, cum præcipit, *concocta esse medicanda, & non cruda*, intelligere, non esse purgandum, antequam sanguis crudus & crassus sit concoctus: naturam enim per febres alimenti cõcoctiones vi morbi interrumpere, & propterea purgationem non esse tentandam antequam sanguis ipse rursus coquatur, & in alimentũ mutetur bonum.

Sect. 1. aphor. 22.

Verum hæc opinio falsa est, quod sic ostendo, & primò respondeo illorum argumentis. D Igitur cum illi dicunt, id, quod concoctionem exigit, crudum esse, verum dicunt: cruentum autem & acerbum illud semper esse, non item. Nam Galenus *in 2. de victu acutorum*, bilem flauam crudam vocat. *Quod separatum est post concoctionem, est expellendum, si nullam cruditatem, antequam expellatur, recepit:* nam alioqui rursus cõcoquendum est. Etenim optimus sanguis concoctus quidem dicitur: vbi tamen inflammationem facit, aliam rursus concoctionem exigit, *quia ob putredinem dissimilis, & propterea crudus est redditus.*

Cur sanguis inflammationem faciens exigat aliam concoctionem.

Illud verò falsum est, naturam in omni concoctione sibi proponere finem nutritionem. Nam calor, vt inquit Galenus *in 2. de naturalibus faculta-* E *tibus*, per se calefacit: per accidens autem concoquit, digerit, agglutinat. Ac natura, quæ caloris beneficio concoquit, id studet efficere, vt sibi assimilet materiam, in qua agit, vt omnia agentia repugnantes sibi causas vincere contendunt: atque eo victo, quod repugnat, agere desinit: quod in generatione puris euidẽter apparet. Nam postea quàm natura vicit repugnantes qualitates, & eas similes sibi fecit, in ipsam substantiam non amplius agit, vt ex ea nutritionem aliquam quærat. *Igitur ex eo, quod plus vel minus assimilatur, sequitur nutritio, si substantia assimilari potest: aut solum sequitur victoria qualitatum, si substantia inutilis est: omnia tamen pro sui natura & modo concocta dicuntur, quando sunt assimilata, quantum eorum*

Quæ antequam euacuantur sint concoquenda, & quæ non.

rum natura patitur. Galenus rectè iubet ea, quæ nullam concoctionem recipere possunt, separanda esse à corpore, vt in partibus putrefactis accidit. Ea verò, quæ possunt vinci, prius non sunt euacuanda, quàm fuerint concocta. Nam si in gangrænis possemus pus conficere, vtique id faceremus, etsi scimus, ex pure nullam partem nutriri posse. Errant autem illi, cum dicunt, Galenum nunquam tentasse concoctionem in materia, quæ esset inepta ad nutritionem. Nam *in secundo de victu acutorum* bilem acriorem iubet cõcoqui, non curans, an cum sanguine ea sit commixta, vel à sanguine separata. Natura enim & calor noster in omnem materiam, quæ illis sit dissimilis, agit, nec cessat in actione, donec assimilauerit, quod erat antea dissimile: id quod est concoquere. Quin etiam *in libro sexto de simplicibus, cap. de Aristolochia* scribit, flatus concoqui: & *in libro de constitutione artis* ait, humorem melancholicum difficillimè, & post illum bilem cõctionem admittere. Amplius *in libro primo Epidemion textu sexto Commentarii secundi*, iubet scirrhosas dispositiones, quæ à pituita crassa, vel humore melancholico fiunt, concoqui. Omitto, quod *in libro de Medic. secundum locos*, scribit, bonum esse, omnes dispositiones concoquere: & quid eo hac in re est clarius, quod scribit Aristoteles, lachrymas concoqui, & mustum, & omnia denique concoqui posse, quorum humiditas & materia potest incrassari? *Omnia* enim,

Concoctionẽ admittentia quæ.

quæ agente calore incrassantur, concoctionem admittunt. Non mirum ergo, si quilibet humor, qui in nobis est, concoctioni subiicitur. Verum cum illi quærant, an syrupi vim aliquam habeant concoquendi, vel iuuandi concoctionem frustra disputant, an syncera materia possit concoqui. Quærere enim debebãt, an dum bilis mixta cum sanguine putrescit, peculiarem concoctionnm desideret, ad eamque iuuandam conferant aliquid syrupi, quibus vtimur. Ex quibus quidem patet, omnes humores posse concoqui, siue illi synceri sint, siue commixti cum aliis, dummodo sint crudi. Omnes verò crudi non sunt: id quod ex sequentibus clarius patebit.

Humores omnes posse concoqui, dummodo sint crudi.

An, cũ purgandum est corpus, omnes humores, qui euacuandi sunt, concoctionẽ postulent.

Nunc illud sequitur explicandum, an omnes humores concoquendi sint, cum purgare volumus corpus: de qua quidem re magna semper fuit apud veteres Archiatros & Philosophos, & adhuc est controuersia inter recentiores, qui in re medica claruere, scriptores: nam quidam id simpliciter pronunciant in quacunque purgatione, & in quocunq; humore, qui euacuandus est per medicamenta purgantia, aut etiam per illa, quæ vrinas, aut sudorem mouent: alii solum putant, concoctionem necessariam esse ante purgationem in humoribus, qui infra sanguinem subsistunt, qualis est pituitosus humor, qui in sanguinem verti potest: alios enim humores, qui supra sanguinem sunt, vt qui iam concoctionem excesserint, veluti est vtraque bilis, non esse concoquendos, quia crudi non sunt, quippe cum sint plus iusto assati. Alii aliter sentiunt. Ego verò puto, *solum concoctionem requiri ante nostras purgationes in humore, qui putrescit, in aliis verò nequaquam*, & contra alias omnes opiniones sic argumentor, sumpto ex diuisione humorum principio, in qua eos omnes comprehendo. Vel enim humores concoquendi ex eorum opinione

A ne sunt synceri, & separati à tota massa, quales sunt, qui extra venas continentur, vt pituita in ventriculo, intestinis, & bilis flaua in folliculo fellis, & humor melancholicus (si syncerus reperiri potest) in liene, & serosus humor in pericardio & vesica, aut cum huiusmodi humores simplices tumores, & exquisitos in partibus excitant: vel commixti sunt inter se omnes, vt in tota massa sanguinis, quæ particeps est omnium humorum: vel tota est ipsa massa, quæ est concoquenda: porrò, qui peccant, vel peccant quantitate, vel qualitate, vel ex putredine & corruptione: At synceri humores concoquendi non sunt, cum purgatio sequi debet, Nam vel illi infra sanguinem sunt, vt pituita; vel supra sanguinem, vt bilis atra & flaua, aut est serosus

B humor (nam sanguis purus pro quarto humore nusquam syncerus reperitur, cum semper aliquid aliorum humorum habeat admixtum.) Iam dico, pituitam non esse, quæ concoctionem postulet ante euacuationem, quæ fieri debet per purgationem. Ac primo sumo, quod illi dicunt, pituitam esse sanguinem diminutè coctum, & per meliorem concoctionem eam mutari in sanguinem; quod si ita est, post illius concoctionem non erit opus euacuatione: nam post sanguinis generationem pituita nulla remanet, quæ euacuationem aliquam postulet. Quod enim in aliud iam mutatum est, non amplius est: quare nec euacuari, nec aliud pati potest. Quod si

Sanguinem purum pro quarto humore nusquã reperiri.

C dicamus, in generatione sanguinis fieri non simplicem sanguinem, sed eum, qui ex quatuor humoribus est compositus, & propterea etiam pituitam gigni: vt hoc refellere facilè possem, nimirum cum ex pituita, quæ sit actu, non possit rursus pituita fieri: tamen hoc nunc illis concesso, non sequitur propterea, purgandam esse pituitam, quæ cum sanguine fit, & manet. Illa enim requiritur ad constitutionem massæ sanguineæ, & corporis nutritionem: nec aliquid ex ea superest excrementosum, vbi bonam & vlteriorem concoctionem supponimus factam, cuius vi, ex pituita bonus sanguis est genitus. Deinde si concoctio præcedere debet purgationem, quoniam concoctio gignit excrementa, & simul

D quod bonum est, ac post illam possimus separare excrementa ab eo, quod est vtile, necesse est ex sua concoctione pituitæ synceræ, & separatæ ab aliis humoribus, resultare duo genera excrementorum, vnum crassius, alterum tenuius. At quænam, quæso, erunt excrementa, quæ ex concoctione talis pituitæ fierent? quo nomine vocabuntur, aut ab antiquis vnquam fuerunt cognita, & nominata?

Quid præterea relinquetur mediocre præter duo illa excrementa ex pituita? an fortè chylus, & excrementa concoctionis pituitæ erunt stercus, & vrina? Eadem igitur excrementa chyli & pituitæ, eadem est materia horum omnium cibus, vel pituita sola. Nihil ergo refert, si

E quis pro pane, carne, & aliis alimentis pituitam ingerat: quippe cum ex hac absurda opinione sequatur, ex omnibus his rebus fieri concoctionem in ventriculo, & intestinis: & aliquid mediocre in ea relinqui, & stercus & vrinam fieri. At dicet aliquis, non esse chylum, qui fit ex concoctione pituitæ synceræ & separatæ ab aliis humoribus, sed sanguinem; sequitur ergo in ven-

Pituitam nō posse per aliquam coctionem mutari in sanguinē.

triculo, intestinis, extra venas & hepar sanguinem fieri. Deinde eadem argumenta vrgent, A quænam, quæso, ex solius pituitæ mutatione fieri possunt excrementa, & quid præter excrementa vtile relinqui potest: nam in generatione sanguinis, ex quo nutriri debet corpus, fiunt simul quatuor humores, & oportet materiam, ex qua possint tot humores fieri, qui quatuor elementa repræsentant, non esse simplicem & qualemcunque, sed talem, vt omnia elici ab ea possint, vt sunt elementa, quæ singulis animantibus à natura sunt data: pituita verò, quæ frigidissima & humidissima est, quomodo, quæso, potest esse materia aliorum omnium quatuor humorum? An ex eo, quod est frigidissimum & humidissimum potest à mediocri nostro calore aliquid fieri igneum, vt bilis? B aliquid terreum, vt humor melancholicus? aliquid aereum, vt purus sanguis? præsertim in vna & eadem mutatione, in qua simul omnia fiunt, & non per assationem & mutationem vnius in alterum, sicut ex vna bile alia fieri dicitur? Quod si quis tres alios humores fieri dicet ex ea concoctione pituitæ, saltem ille nunquam ita stipulatus erit, vt credat ex ipsamet pituita rursus fieri pituitam. At nisi pituita fiat simul cum aliis humoribus, ex ea non fiet sanguinis generatio: quippe cum hic in se includat quatuor simul humores, nec possit vnus sine aliis gigni. Concedat ergo fortè hæc opinio idem ex seipso gigni, & ex eo, quod actu est, fieri idem actu, contra omnia philosophiæ, & naturæ principia. Non igitur pituita, quæ extra est separata, concoquenda est, vt post concoctionem illam euacuemus. C At nec pituita, quæ est in hepate & venis commixta cum aliis humoribus, ea est, quæ concoctionem postulat, & post concoctionem purgationem: nam si illa se secundum naturam habet, eam concoctionem accepit in generatione totius massæ, quam pro sua natura exigit. Non ergo rursus concoquenda est; aut idem de bile, & humore melancholico dicendum, quæ etiam fiunt in generatione sanguinis, & eos gradus caloris & perfectionis acceperunt, quam pro sua natura & portione materiæ, ex qua fiunt, assequi potuerunt. Quod si velimus illam, quæ mixta est cum aliis humoribus, pituitam, peculiarem concoctionem adhuc postulare, sequentur eadem absurda, quod ostendere nemo D possit, quænam excrementa ex ea concoctione fiant; & quid mediocre sequatur. Præterea, si in massa sanguinis fit noua generatio sanguinis, idem in seipso gignetur, & quæ ex prima erant cōcoctione facta, omnia commiscebuntur, cum aliis, quæ fiunt ex posteriore concoctione, & infinita alia absurda sequetur. Concoquitur quidem rursus pituita, verum nō sola, aut commixta cum aliis humoribus, ita vt ex ea sanguis, id est, generatio quatuor humorum fiat, sed in nutritione singularum partium. Ex tota enim massa humorum, qui cōtinentur in venis, singulæ partes cor- E poris nutriuntur, præcedente illorum cōcoctione: at ex ea concoctione non relinquitur pituita excrementum, sed sordes & vapor. Itaq; pituita antequam euacuetur, nullam concoctionem postulat: quia cum secundum suam naturam habet, nullum habet vitium, quod exigat propriam aliquam concoctionem. Sed si frigidior est, sola caliditate emendatur illius vitium: si crassa, extenua-

Pituitā extra venas existentē ante euacuationē non esse concoquendam, nec eam etiam quæ est in venis cum sanguine mixta.

tionem requirit: si viscida, abstersionem & incisionem: si multa, consumptionem, & diminutionem, quæ fit per ea, quæ vim habēt eam euacuandi. Quod si salsa sit, aut acida, aut alio modo vitiata, præterquàm per putredinem, nec tum etiam exigit concoctionem, quia ea vitia nullam ponūt in ea cruditatem, nec concoctio potest emendare ea mala: quare nec Gal. vnquam salsam pituitam dixit esse cōcoquendam, & meritò quidem. Nam per concoctionem emendantur *omnes qualitates, quæ sunt in materia, quæ concoquitur*, vt apparet in generatione puris, & concoctione alimenti, ac substantia etiam ipsa, quantum fieri potest, mutatur: non ergo sola salsedo postulat concoctionem. Nam si alia, quæ in pituita sunt, non sunt cruda, mutationem illa non exigunt per concoctionem, vt sola salsedo emendetur: quod quidem argumento est, illa, quæ cruda sunt, esse in omnibus dissimilia, quia per concoctionem fiunt per omnia similia.

Quæ vitia per cōctionem emendari possint aut nequeāt.

Quod verò nec bilis flaua, aut atra, quæ suam seruat naturam & temperiem, vt in sanis, & quæ etiam aliquam acrimoniam acquisiuit, aut paulo frigidior facta est, aliquam desideret concoctionem, siue parata sit à sanguine, siue cum sanguine commixta, siue iam morbos gignat, sed sine putredine, eadem argumenta, quibus vsi sumus cōtra concoctionem pituitæ, ostendunt, nempe quod ex bilis concoctione, vel flauæ, vel atræ, nō possint resultare aliqua alia excrementa, nec aliquid vtile. Quare nihil post illorum concoctionē separari potest ab alio: & quia cum gignerentur, acceperunt suam concoctionem, easque qualitates, quas recipere poterunt, & quæ postea in illis nascuntur vitia in qualitatibus sine putredine, per contrarias qualitates emendantur: At hoc nō est concoquere, sed alterare: concoctio verò non est simplex & qualiscunque alteratio, sed *quæ tendit ad assimilationem omnium qualitatum, & substantiæ, quantum fieri potest.* Quare turpiter errant, qui cum aliquem sanum, cacochymum, biliosis humoribus plenum citra febrem, purgare volunt, syrupos dant ad coquendum, cum nulla illic sit cruditas, sed fortasse crassities, caliditas, & obstructio aliqua: quæ tollenda sunt per propria remedia, non per concoctionem, vt facilis fiat purgatio. Nec vnquam Galenus tales humores in aliquo morbo dixit esse concoquendos. Nec locus quidem facit, qui habetur *in secundo de victu acutorum*, vbi flauam bilem vocat crudam. Nam bilem illic crudam intelligit, quæ ex putredine acrimoniam accepit, quandoquidem eam dicit simul grauiter olere, quod putredinis est indicium.

Bilem flauā & atram, quæ suā seruant naturam, non esse cōcoquendas.

Concoctio qualis sit alteratio.

At verò cum iam putem constare, nullum peculiarem humorem, qui non putrescat, concoctionē postulare ante purgationem, idem ostendamus de tota humorum massa: id quod facile est ostendere. Nam tota massa, quæ semel genita est & facta per concoctionem in hepate & venis, nullam illic postulat nouam concoctionem, sed in singulis partibus: alioqui ex totius massæ concoctione, noua fierent excrementa: sed quænam quæso, præter humorem melancholicum & flauam bilem? at hæc prius sunt facta, nec amplius fieri possunt. Quod si tota massa humorum, qui in venis continentur, non est assecuta perfectos gradus concoctionis & assimilationis, ... cum dicimus

Humorum nullum, qui non putrescit, postulare cōctionē ante purgationē, nec etiam totā massam.

dicimus corpus humoribus crudis abundare ex A crapula, otio, & imbecillo calore, tunc non est facienda noua concoctio: sed quæ facta est, verum debilior, ad perfectionem ducenda adhibitis remediis, quæ pugnant contra copiam materiæ, & eius qualitates, vt est inedia, & admota calefacientia: At absoluta ea concoctione, remanét solum excrementa secundum naturam, quæ non egent purgatione per nostra medicamenta, sed à sola natura expelluntur, quare Galenus post remedia, quæ adhibet ad huiusmodi cruditatem emendandam, nullam instituit purgationem, quia ea cōcoctio tendit ad perfectam assimilationem: in qua solum fiunt excrementa secundum natu- B ram, bilis, inquam, flaua & atra, quæ iam erant inchoata. At posteaquam per vlteriorem concoctionem, in qua omnia, quæ sunt in massa, ad portionem perficiuntur, sunt facta & absoluta, separantur & expelluntur eo modo, quo diximus, à natura: quare postea non est opus purgationibus nostris. Sed enim contra vniuersam opinionem de concoctione humorum siue illi synceri sint, siue commixti, siue de vnius, siue de omnium simul concoctione agamus, illud facit, quod Galenus in nullis febribus diariis, in synochis non putridis, in hecticis, in quibus tamen humores omnes & singuli sunt præter naturam calidiores, acrioresque redditi, nunquam dicat C esse opus concoctione, nec aliquam vnquam dicat esse cruditatem humorum, nec aliqua sumi signa ex vrina, aut pulsibus, quæ cruditatem, aut concoctionem fieri ostendant: quæ omnia in solis febribus putridis diligenter obseruat & tradit. Præterea *in Commentario Aphorismi Concocta medicari*, &c. scribit, naturam post concoctionem facere crises: at crises propriè sunt morborum, *qui cum febribus putridis infestant.* Ex quo intelligere debemus, *cruditatem nasci ex putredine in humoribus*, & propterea in illis expectandam esse concoctionem, posteaquam relinquitur ex- D crementum, quod omnino separandum est ab aliis humoribus, nec aliter potest separari commodè, quàm per medicamenta purgantia: quæ omnia sic ostendo. Nam putredo, quæ corruptionē molitur in re, quam inuadit, dissimilitudinem facit, & quæ iam similia facta erant rebus concoquentibus, illa reddit excitatis causis morbosis, & calore alieno naturæ operibus dissimilia in substantia & qualitatibus: vnde natura rursus eam materiā aggreditur emendare & vincere. Id quod cum fiat per contactum, assimilando agit, & si fortior est, vincit, & assimilat, quod quidē potuit vinci & assimilari, qualitates, inquam, quæ sunt E in re, quæ putrescit, excedentes & dissimiles agenti. Substantiam igitur non potest vincere, quia illa est corrupta, & hoc quia putrida: ac *substantiæ, non qualitatum, vt dixi, corruptio, & putredo vitia sunt.* Quare res, quæ putrescit, per qualitates solum concoquitur: id, quod ostenditur, quia per qualitates assimilatur, per substantiam vero minimè: quæ quidem omnia apparent in concoctione & generatione puris. Fit ergo excrementum, vbi hæc fit concoctio, totum illud, inquam, quod concoquitur: quod quidem vacuandum postea est, cum sit inutile corpori & vacuationem proinde desiderat. Rectè ergo dictū est, *cum pugnandum est, vbi sit cruditas, expectandam esse concoctionem*, quia tunc natura facit excrementum, & quia vincit, quantum vincere potuit, per qualitatem, nec amplius tentat aliam victoriam per substantiam, quia illa concoqui non potest: quo fit, vt cum medicamentum iam habeat excrementum sibi familiare, nempe vel bilem, aut alium humorem concoctum, & natura ab illo etiam grauetur, tanquam ab excremento, mutuo auxilio fiat euacuatio, attrahente quidem medicamento, quod sibi est familiare, & expellente natura, quod ipsi est excrementum. Id quod tunc commodè præstare potest, quia concoctionem absoluit, & nihil amplius habet, quod agat, præterquam vt expellat, ita instituto ordine inter actiones naturales nostri corporis. Incipit enim attractio, vbi aliquid attrahendum est: sequitur retentio, postea concoctio, & hanc sequitur demùm separatio & expulsio. Hæc ergo est ratio, quare purgationem, quæ à nostris medicamentis fit, concoctionem præcedere oportet. Nam concoctiones, quæ à natura fiunt ex vtili materia ad nutritionem, gignunt quidem excrementa, sed non illa egent nostris medicamentis: quoniam cum illa sint secundum naturam, vel familiaria sint aliquibus partibus, vt humor melancholicus lieni, & vrina renibus, & bilis vesicæ, quæ annectitur hepati, ad ea excrementa euacuanda natura instituit partes, quæ attrahunt, recipiunt, & tandem viam præbent extra corpus: alia verò sibi viam parant sua vi, vt stercus sua grauitate deorsum per intestina reuoluitur, & tandem in fundum corporis secedit. Vapor & sordes, quæ in tertia concoctione proueniunt, facilè per externas partes, & cutis meatus expelluntur, aut spontè ipsa satis leuia exeunt. At humor putrefactus, nulli parti amicus, à nulla parte attrahitur, & cum naturam non admodum stimulet amplius, victis iam qualitatibus, non expellitur, & tunc solum non expellitur, cum adhuc viginti in eo qualitates, quæ vehementer irritant naturam, vt per crises fieri solet. Quod si tunc non expellat natura, necessaria omnino est expurgatio, quæ tollat cineres relictos ex putredine, alioqui, vt inquit Hippocrates, recidiuæ fieri solent, mixtione mali cum bono, & noua rursus ex quacunque leui occasione excitata putredine. An verò ante concoctionem liceat hos humores euacuare, non est huius instituti docere: id enim commodiore loco *in Aphoris.* pro dignitate enarrauimus. Nunc sequitur, vt causam efficientem concoctionem explicemus: de qua quidem re scribunt Aristoteles & Galenus qui *passim* dicere solent, concoctionem fieri à calore naturali, & proprio ei, quod concoquit, nec aliam agnoscunt causam concoquentem præter hunc calorem. Verum ego aliter sentiendum esse puto. Nam concoctio in nobis est *anima* quædam actio, quæ à potentia siue facultate concoctrice nascitur, vt attractio, retentio, & expulsio, quæ præter calorem agnoscunt causas suas à potentia attractrice, retentrice, & expultrice, magis quàm à calore. Nam struthiocamelus ferrum & lapides concoquit, quod nullum aliud animal præstare potest, æquali, aut ampliore, vel minore calore præditum. Igitur cùm concoctio actio quædam naturæ sit, debet primum tribui ipsi naturæ, id est, *forma rei*, à qua principium motus. Sic etiam ignis author est elixationis, & assationis, & omnium, quæ concoquit, non so-

Cur in concoctione nutrimenti excrementa, quæ fiunt, nō postulēt medicamenta purgantia.

Cur solus humor putrefactus post concoctionē requirat nostras purgationes.

Crises quorū morborum propriæ sint. Cruditas humorū vnde.

Putredinem esse causam cruditatis, & quomodo.

Qualitates & non substantiam rei per concoctionem emendari posse. & cur.

Concocta cur medicanda.

De causa efficiente concoctionē disputatio.

Concoctio cuius sit actio.

lum ob ſuum calorem, ſed magis etiam ob intrinſecam ſuam formam, ob quam omnia, quæ concoquuntur, quantum materia permittit, ſimilia fiunt rebus concoquentibus. Hac enim ratione cibus in chylum mutatur per concoctionem, & ſimilis fit ſubſtantiæ ventriculi, non ſolum in odore, colore, & ſapore, ſed etiam per alias omnes qualitates, & ſubſtantiam. Eodem modo, quæ aſſantur, fiunt ſicciora, leuiora, & igneum calorem recipiunt. Igitur *concoctionis in omnibus rebus author eſt rei forma: calor verò instrumentum eſt naturæ, & non præcipuum agens.* Quapropter nos rectius definimus concoctionem eſſe *aſſimilationem, quæ fit à re concoquente, caloris auxilio: eſt ergo calor, qui in nobis eſt, noſtrarum concoctionum instrumentum. Verum cum in nobis duplex ſit calor, vt antea oſtendimus, unus inſitus ſingulis membris, alius influens à corde, hic commune eſt, ille verò proprium concoctionis instrumentum.* Vterque tamen ſi paratus, ineptus eſt ad concoctiones obeundas: inſitus quidem ille, quia eſt veluti potentia calor, ad agendum non ſatis efficax: influens verò, quia nunc adeſt, nunc abeſt; nimirum cum motu ſuo debeat, vt commune instrumentum, ſeruire ſingulis partibus, nec ſimul poſſit internis & externis adeſſe, quod ſomni & vigiliæ generatio oſtendunt. *Vterque igitur calor ad concoctionem requiritur.* Quo fit, vt per ſomnum internæ partes fœliciſſimè concoquant, quoniam tunc influens calor totus propemodum ad eas fertur, & illarum actiones adiuuat, addito robore & vigore calori inſito: contra verò per vigiliam imbecilles admodum fiunt illic concoctiones; quia minimum caloris influentis in viſceribus relinquitur. Porrò calores hi, concoctionis poſſunt eſſe instrumenta in omni ferè gradu. Nam *temperatus & halituoſus* calor concoctiones optimas facit, vt Galenus in *Aphoriſm.* 15. *lib. primi*, & *paſſim* ſcribit, *in libro* verò 14. *de vſu partium*, eum calorem, qui à temperato recedit, & debilior eſt aliquantulum temperato, ſcribit aptum eſſe ad cōcoctionem: quod oſtendit concoctio, quæ fit in mammis in generatione lactis, & nutritio cerebri, & aliarum partium, quæ etſi frigidiores ſunt temperatis, tamen optimè concoquunt. Quod etiam faciunt mulieres, quæ etſi frigidiores cenſentur eſſe viris, tamen plurimos, varios, & difficiles cibos nō ſemel ſolum quotidie, ſed bis & ter concoquunt. Scribit præterea Galenus *in libro 4. de Simpl.* maturationem in fructibus fieri à duplici calore, interno, & externo à ſole: at hic non ſolum temperatus & halituoſus, ſed etiam ſæpe feruentiſſimus eſt & ſiccus. Ad id etiam pertinet quod ſcribit *libro primo de alimentis*, bilioſos melius concoquere carnes bubulas, temperatis. Ac non ſolum quidem calor, qui intra limites ſanitatis cōtinetur, ſed qui iam febrilis eſt, Gal. teſte concoquit, vt *in ſeptuageſimo Aphoriſm. quinti libri*, & *in tex. 13. commentarii ſexti Epidemion* patet. Illic enim febrem, corizas, branchos optimè concoquere ſcribit. Pus præterea à calore vehementiore fit, quàm naturæ conueniat mediocri: non tamen propterea errarunt Ariſtoteles & Galen. illi enim, cum dicunt, fieri concoctionem à mediocri calore, agunt de concoctione, quæ aliarū omnium eſt regula, & fit in mediocri materia, quę mediocrem calorem requirit. Vbi verò materia

Concoctio quid.

Calorem eſſe instrumentū concoctionis & quis calor in nobis talis ſit.

Concoctio fit in ſomno melior, in vigiliis verò imbecillior.

Calor optimam concoctionem faciens quis.

A facillimè pati poteſt, imbecillior calor ſufficit ad concoctionem, ſicut vehementior requiritur, vbi id, quod patitur, vel ob copiam, vel frigidiorem qualitatem, aut duritiem, vel craſſitiem, vel viſcoſitatem difficilius vinci poteſt. Proprius ergo requiritur in omni concoctione calor. Verum vt calor etiam febrilis aliquando non ineptum eſt concoctionis instrumentum; ita cum febres ſunt vehementes, fit putredo, & non concoctio, quia calor proportionem omnis materiæ excedit, & ob id naturæ instrumentum amplius eſſe nō poteſt. *Omnis ergo calor, qui concoctionem facit, temperatus eſt, & mediocris. Sed ille quidem, qui in moderata materia concoctionem facit, & in hominibus temperatis, eſt ſimpliciter, & re vera temperatus &*

B *mediocris: alius verò non ſimpliciter, ſed comparatione facta ad id, quod concoquitur, mediocris & temperatus dicendus eſt:* vt magnus ignis ex multis & craſſis lignis accenſus, ad membra integra bouis concoquenda, non dicitur magnus, ſed mediocris & temperatus. Quod verò ſcribit Ariſtoteles *in libro quarto Meteorum* frigiditatem ſolam eſſe cruditatis authorem in nobis, verum non eſt. Nam etiam calor cruditatem facit, vt in humoribus putreſcentibus apparet, qui crudi fiunt, aucto ex prohibita tranſpiratione calore: & ab eodem melius poſtea tranſpirante illi aſſimilantur & concoquuntur. Cæterum finis concoctionis, vt diximus, *eſt aſſimilatio perfecta quantum agentia, & patientia permittunt:* concoctio

C verò ipſa dum fit, eſt imperfecta aſſimilatio, vt motus à forma non differt, niſi per maiorem, aut minorem perfectionem: quippe cum motus ſit imperfecta forma. Si ergo finis concoctionis eſt aſſimilatio, cur dixit Ariſtoteles, finem concoctionis in aliquibus eſſe naturam, & veluti formam & eſſentiam, in aliis verò ſubiectam quandam formam, ad quam res, quæ concoquitur, contendit? An hæc aliud ſunt, quàm aſſimilatio? minimè quidem, vt arbitror, ſed hæc exprimunt finem concoctionis, & quando res illum ſint aſſecutæ, oſtendunt. Quæ enim maturantur, tunc re vera matura & cocta cognoſcuntur eſſe, cum ſemen, quod intus eſt concluſum, formam iam eſt aſſecutum, qua iam poteſt ſibi ſimile procrea-

D re. Meritò ergo in illis natura & forma dicitur eſſe finis concoctionis, id eſt, quod illa tunc bene concocta agnoſcamus eſſe, cum iam in illis natura & forma eſſe poteſt. In aliis verò, quæ concoquuntur, vt in tuberculis, nunquam alteratio, quæ fit, formam perfectam aſſequi poteſt, cum in ea, materia, quæ relinquitur, inutilis & excrementum, matura eſſe non poſſit: ſed ſimilitudinem ſolum quandam in qualitatibus, inquam, parit. Propterea quædam forma eſt, & non ſimpliciter forma: quam res, quæ ita concoquuntur, aſſequuntur.

Cæterum concoctionis ſpecies tres fecit Ariſt. maturationem, elixationem, & aſſationem. Nos

E verò dicimus; in noſtris corporibus ſolum fieri maturationem, nam *omnia, quæ in nobis concoquuntur, craſſeſcunt, quod eſt proprium maturationi.* Fit etiam maturatio à proprio calore: aliæ verò concoctiones fiunt ab extrinſeco calore. Propterea fallitur Montanus qui omnes cōcoctionis ſpecies dicit in nobis fieri, maturationem in concoctione tuberculorum: elixationem in generatione humorum: aſſationem in generatione oſſium.

Non ſolam frigiditatē, ſed etiam calorē eſſe cruditatis cauſam.

De fine concoctionis.

Concoctionis ſpecies quæ & quot.

Solam maturationem in nobis fieri, & Montani error.

Verum

Differentia concoctionum.

Verum differentiæ quædam in concoctione, quæ in nobis fit, sumi possunt à differentia termini; nempe perfecta, vel imperfecta assimilatione, vel à diuersitate materiæ, quæ concoquitur, vel à differentia instrumenti concoctionis.

De modo quo fit concoctio.

Nunc sequitur, vt doceamus modum, quo fit in nobis cōctio: in qua re quidam scribunt, concoctionem propriè nec incrassare nec extenuare, sed adæquare materiam. Alii volunt, omnia, quæ concoquuntur incrassari, & viscosa reddi, vt Gal. 4. *tex. quarti acutorum*, & *decimoquinto textus tertii commentarii sexti Epidemion*. Idem testatur Arist. de maturatione, & idem docet natura rei. Nam si concoctio fit à calore, & agente coctrice facultate, quæ est in partibus solidis, oportet materiam fieri crassiorem: Ita mel & alii succi, qui concoquuntur, crassescunt, & hæc verior est opinio. Nec obstat, quod Gal. *in lib. de constitutione artis*, crassos humores esse concoquendos, & crudum vocatum humorem per concoctionem tenuiorem fieri. Nam miscentur cum ipsa concoctione quædam aliquando actiones, quarum opera ad concoctionem non sunt referenda. Nam mixtio fit humoris cum sicco in fructibus & ob eam mixtionem extenuatio quædam, cum plantæ humorem à terra alliciunt. In concretis præterea antequam incipiat concoctio, fit fusio, quæ est humectatio quædam, vt vel concretū primo funditur ab igne: at hæc non sunt cōcoctionis officia. Nam si materiā concoctioni dederis, quæ non sit concreta, nec humore egeat nouo, tunc cōcoctio semper incrassabit.

Concoctionē ipsam semper incrassare.

Alia verò fiunt tenuiora, non per mixtionem humidi, nec per fusionem, sed per separationē partium crassarum ab aliis, quo modo vinum mustū ab initio crassum, non per concoctionē fit tenuius, sed quia fæx, quæ cum vera substantia vini est commixta, paulatim separatur & subsidet, quod etsi fit per ebullitionem quandam, non tamen fit per concoctionem, sed vi ipsius caloris, qui etiam vim habet separandi heterogenea, homogenea autem cogendi per concoctionem. Id quod euidenter apparet in ipso vino, quod postea quam expurgatum est à sua fæce, tanto crassius euadit, quanto vetustius redditur: ita quidem agente & cōcoquente natiuo calore atque in coctione continuo dissipando cum certa quadam mensura humorē ipsum, ergo concoctio semper incrassat.

Extenuatio quot modis in humoribus fiat.

Quod si humectatio quædam fit & attenuatio, fit illa vel ab humectantibus, vel à fundentibus, aut à separantibus partes crassas à tenuibus, aut etiam ab his, quæ vim habent extenuandi: quæ omnia vel solus calor, qui in nobis est, præstat, vt qui vim habeat hæc omnia efficiendi: vel quædam etiam ex illis, à nostris medicamentis fiunt, vt ea, quæ dicuntur incidentia & extenuantia, quæ Gal. solet præmittere concoctioni, vbi humores sunt crassi, & viscidi: quæ cum natiuus noster calor obtusus in tali materia præstare non possit, opem quærit ex arte nostra, vt postea facilius possit materiam factā aptiorem ad patiendum, sibi assimilare, vt Gal. *in libro de sanitate tuenda quarto* ostendit, his verbis: *Si crudos succos iam attenuatos putas, vinum dato, quod ad concoctionem facit*: & paulo post; *Crudi succi attenuandi, concoquendiq́; sunt.* Separatis igitur operibus, quæ non fiunt a concoctione, eo, quod non respiciant cruditatem, semper inueniemus naturam concoquendo incrassare.

Innumeria concoctionē & an syrupi ad eam conferre possint.

Illud nunc sequitur explicandum, quibus auxiliis possimus concoctionem iuuare? quæ disputatio attingit etiam quæstionem, an syrupi conferant ad coquendos humores in febribus, & aliis affectibus, de qua re extat Manardi epistola, vbi concludit, paucos esse syrupos ex his, qui fiunt in officinis nostris, qui hanc vim obtineant: quoniam (vt ait) concoctio fit à nostro calore halituoso & humido, & propterea illa solum posse iuuare concoctionem, vt scribit Gal. *libro quinto de simpl.* quæ moderatè calefaciunt & humectant, etsi extrinsecus admoueantur; quæ cum his qualitatibus simul etiam habent vim emplasticam aut astringentem, qua natiuus calor intus augeri & concludi potest. Itaque cum inter syrupos pauci sunt calefacientes & humectantes, censet errare Medicos, qui aliis omnibus vim tribuunt iuuandi concoctionem. Verum ego à Manardo dissentio. Nam ille solum agit de concoctione, quæ fit in mediocri & temperata materia, à mediocri & bene temperato calore. Nam vbi hæc alio modo sunt affecta, adhibenda sunt remedia, quæ eorum impotentiæ mederi possunt. Etenim Galen. *in quarto de sanitate tuenda*, & *in secundo ad Glauconem*, ad concoquendos pituitosos humores exhibet piper. Addo, quod ille scribit *in libro sexto Epidemion comment. secundo*, concoctionem fieri per contrarias qualitates. Est etiam locus *in octauo Methodi*, vbi aquæ potionem conferre biliosis ad concoquendum scribit.

Concoctionē innumeris vnius naturæ esse posse.

Sunt alii infiniti loci, in quibus calida, frigida, extenuantia, humectantia, exsiccantia, quietem, exercitationem, parsimoniam, inediam, simplicitatem cibi, acria, & alia ferè omnia concoctionem iuuare scribit, pro ratione materiæ cōcoquendæ, & caloris concoquentis. Ac meritò quidē: nam si concoctio fit, cum natura vincit, & assimilat materiam, quæ repugnabat, & erat dissimilis, non vnicum potest esse genus eorum, quæ concoctionem possint iuuare, quoniam non est vnus repugnantiæ & dissimilitudinis modus. Nam humores frigidi, concreti, & viscidi, per calefacientia, incidentia, & fundentia facilius assimilantur. Calidiores verò & acriores humores, melius assimilantur nostræ naturæ, si frigida exhibuerimus. Sic de aliis eadem sit ratio, ne omnia rerum genera prosequamur, quod diligentius fecimus *in Aphorismis*, non solum, quod ad institutum nostrum pertinet non præteribo, scribit enim in hoc loco Galenus,

Remedia concoctionem iuuantia in putridis humoribus qualia esse debeant.

materiam putridam esse concoquendam, & nos commode illius concoctionem iuuare posse, si intellexerimus, quomodo fiat illius concoctio. Fit quidem, vt antea diximus, per assimilationem secundum qualitates, & non secundum substantiam: quare illa conferent ad huiusmodi concoctionem, quæ materiam reddunt aptam ad passionem & assimilationem. At inter hæc remedia, quædam pugnant contra ea, quæ in materia sunt repugnantiæ & difficilis assimilationis causæ: alia verò sunt, quæ calorem, concoctionis instrumentum, & facultates, quæ circa concoctionem versantur, aptas reddunt ad vincendum & assimilandum.

Sanguinis missio ab initio & postea iterata quomodo conferat ad concoctionem.

Porrò materia, quæ nimia copia exuperat, aut penitus impedit, aut certè tardat concoctionem: propterea incipientibus, crescentibus, & vigentibus etiam morbis, si multitudo humorum subest, prodest sanguinis missio, & mirum est quantū illa iuuet,

vbi symptomata maxima sunt, & bonam crisin nō expectamus, eo, quod omnia adhuc sint confusa in vrinis, aut crassa, aut vehementer ignea. Nam etsi per initia morbi detractus fuit sanguis, tamen noua sanguinis missio pertimescenda non est. Quòd si lingua sit arida, dura, nigra, vrinæ admodum flauæ, magnus in corpore æstus, non ex sanguinis massa, sed ex bile abundante, ego nunquam veritus sum, vel etiam vigente morbo solam cassiam exhibere, & multos ferè desperatos hoc modo liberaui. Vt ergo sanguinis missio in omnibus grauioribus febribus ab initio est necessaria, quæ etiam in ipso statu repetenda est, ita vrgente malo; sic purgatio incipiente febre ex humore calidiore, post sanguinis missionem eadem vel sequenti die non omittenda per leuiora medicamenta: & etiam vigente morbo, per ea, quæ sunt omnium leuissima, vbi dubitamus de bona crisi futura, & naturam videmus plurimū in concoctione laborare, bono animo reiteranda. Sed de hac re diligentiùs *in Aphor.* scripsimus. Cæterum aduersus qualitates humoris repugnantes cōcoctioni, pugnamus per contraria: in pituitosis, inquam, humoribus putrescentibus, cum calefacientibus incidentibus, extenuantibus, exsiccantibus: in biliosis verò refrigerantibus, humectantibus: in melancholicis humectantib. & moderatè calefacientibus. Hæc enim diluunt, & extenuant terrenum humorem. Quare *in pituitosis & melancholicis febribus semper potest vinum exhiberi, pro ratione humoris & febris temperatum: in biliosis verò nec in ipsa declinatione prodesse potest ad concoctionem.* Hæc ergo breuiter sint dicta de his quæ contra materiam rebellem concoctioni faciunt. Quæ verò concoctioni prosunt, eo quod calori, concoctionis instrumento, conferunt, habent fortè maiorem difficultatem. Nam si humores, qui putrescunt in venis, concoquuntur eo modo, quo pus fit in inflammationibus, cur non adhibemus vniuerso corpori emplastica, & astringentia, quæ calorem includant in viscerib. eo, modo, quo pus conficimus admotione eorum, quæ vim emplasticam & astringentem obtinent? Et cur etiam in puris generatione, in quo putredo suam habet quoque facultatem, quippe cum pus relinquatur dissimile per substantiam, quod est effectus putredinis, & non perfectæ concoctionis, quæ materiam penitus assimilat, cur inquam adhibemus emplastica, quæ transpirationem prohibent, ex qua, vt antea ostendimus, fit & augetur putredo? An non est eadem ratio de humore, qui putrescit, & cōcoquendus est in venis, quæ est de eo, qui in carne inflammationem facit, & in pus per concoctionem mutari debet? Nam concoctionis autor calor debet esse halituosus & spiritibus plenus, qualis necessario est, qui in venis & arteriis profundioribus corporis, in quibus fit putredo in febricitantibus continetur, qui verò in partibus externis continetur humor, talem non potest habere calorem: quoniam ille per carnis & cutis meatus cum suis spiritibus facilè exhalat, quare vi emplastica & astringente intus concludendus est, ne desit concoctioni. Nec parti quidem affectæ ex inflammatione, idem imminet periculum, quod vniuerso corpori astricto. Nam suffocari periclitatur cordis & interiorum viscerū calor & arteriarum, si perspiratione destituatur. Id quod non fit in suppuratione humoris confecti in vna particula corporis, quæ vicinarū etiam perspiratione temperatur. Quod vero emplastica & astringētia adhibeamus ad suppurationem, quæ aliquid habet putredinis, cui obest prohibita trāspiratio, ratio est: quoniam cum certo scimus fore, quod pus fiet optimum, eo quod vincentis cōcoctionis adsunt indicia, prodest omni ratione concoctionem iuuare, quàm præscimus putredinem finituram. Leuiter ergo obest perspiratio illa aliquo modo prohibita ei, quod fit ex putredine: sed quia maximè prodest concoctioni, quæ nequit perfici absque ea conclusione spirituum, naturæ adferimus auxilium. Id quod non fit, cum vincentis putredinis adsunt notæ: tunc enim quia desperatam habemus concoctricem, nō quidem ab emplasticis & concoquentibus præsidia quærimus, quamobrem per exsiccantia & transpirationem molientia putredinem oppugnamus, vt gangrænarum curatio docet. Ergo putredinem leuem, quam concoctio emendare potest, meritò sanamus per ea, quæ concoctioni maximè opitulantur: quæ cum extinguit noxias in humore qualitates, nihil mali sequitur, si materia absoluta concoctione relinquitur dissimilis, vt in verè putridis fit: nam illa destituta omnibus suis insignibus qualitatib. minimùm corpori obesse potest, facileq; cedit nostris remediis illam euacuantibus: itaq; in generatione puris calor reddetur idoneus ad cōcoquendum, si conclusus intus spiritus halituosus reddetur: in cōcoctione verò humoris putrescentis in febricitantibus requirit calor mediocrē temperiem, pro qualitate & quantitate humoris concoquendi. Nam bilis flaua obtusiorem, pituita acriorem calorem desiderat, melancholia calorem vult cum humore coniunctum. Hæc ergo de his, quæ concoctionem iuuant, eo quod calorem temperant, & reddunt aptum ad vincendum & assimilandum. Cæterum concoctionem quoque iuuamus, cum ferimus opem facultatibus, quæ necessariæ sunt ad obeundam concoctionem: quæ duæ quidem sunt, concoctrix & retentrix ipsa vis. Nam nisi retineatur materia, quæ postulat concoctionem, donec vinci & assimilari possit, nulla fiet concoctio, vt videmus in lienteria contingere: quæ accidit sæpe, quod ventriculus pituitoso mucore plenus, impotens est ad retinendum alimentū: aliquando verò vitio facultatis concoctricis concoctio non procedit, eo quod ipsa sit imbecillior reddita, vitiato partis, in qua fit concoctio, temperamento: aut quia dissoluta est spirituosa substantia quæ ad illius robur facit. Temperamentum porro vitiatum restituitur per contrarias qualitates, de qua quidem re antea egimus: spiritus vero cōsumpti cibis, potionibus, odoribus idoneis reparantur: & horum quidem ita habenda est ratio, vt interim cum debilitate virtuti succurrere studeamus, calorem, concoctionis instrumentum, aut materiam, quæ concoquenda est, deteriorem non reddamus: aut naturam ipsam ob cibi concoctionem distrahamus à concoctione noxii humoris. Sed hæc attingunt commodam victus rationem in morbis, de qua etiam *in Aphorismis* pro rei dignitate egimus. Nunc ea sufficiant ad ea, quæ hic dicuntur à Gal. de putredine & concoctione humoris, in quibus ob maximas, quæ adhuc extabant in illis, difficultates, prolixitatem euitare non potuimus.

Purgationē in vigore febris sæpe iuuare concoctionem.

Purgatio minoratiua in febrib. biliosis necessaria.

Vinū in quibus febribus semper possit exhiberi & quibus nunquam.

Cur in febribus putridis ad concoct. onem adhibemus corpori rarefacientia: in puris verò generatione emplastica.

At xx-

Αἱ κενώσεις δὲ διά τε φλεβοτομίας, καὶ κλυστήρων, καὶ οὔρων, καὶ τῆς κατὰ τὸ δέρμα διαπνοῆς εἰσίν· ἔτι δὲ ἀντισπάσεως καὶ μεταχετεύσεως εἰς ἕτερον. τούτου γὰρ τοῦ γένους ἐστί, καὶ τὸ καταμήνια κινῆσαι, αἱμορροΐδας ἀναστομῶσαι, καὶ διὰ ῥινῶν, καὶ ὑπερῴας καθᾶραι.

Euacuationes autem fiunt & per sanguinis mißionem, & clysteris vsum, & per vrinæ vias, & eam, quæ per cutem fit, transpirationem, ac præterea per eam, quæ fit ad partes oppositas, attractionem, atque ad alias propinquas, deriuationem: Nã & ad hoc idẽ genus pertinet citare menstrua, atque ora venarum, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, ac per palatum, naresque expurgare.

Dicebat Galen. putrescentem materiam egere concoctione, & post concoctionem euacuatione. Itaque posteaquam egit de concoctione, & admonuit, eam esse procurandam eo modo, quo oportet, nec potuit modum eum docere hic, vbi breuem instituit tractationem, quia, vt ostendimus nos, multorum habenda est ratio in concoctione iuuanda; nunc de euacuatione agere instituit. Verum aliter, quam suum institutum postulet, de ea agit, nam proponit solum euacuationem materiæ putrescentis in febribus: illa autem per sanguinis missionem vena secta, aut apertis hæmorrhoidibus, aut per nares non expurgatur, sed solum per purgationem, id est, per illa, quæ allicere possunt, & separare putridum humorem concoctum ab aliis. Sed posteaquam ipse omniũ euacuationum genera enumerare velle videtur; vt ex illis eligamus, quæ præsenti instituto, & aliis postea affectibus curandis vtilia esse possunt, nos etiam, quid de hac re sentiemus, aperiemus. Ac primum dicemus, illum nec in arte, quæ ab vniuersalibus tractationem auspicatur, nec experientia, quæ singularia prosequitur, hanc materiam pertractare. Nam multæ ex his euacuationibus, quas proponit, commune aliquid habent, quod est omittendum ab eo, qui methodo docere vult. Fiunt autem vacuationes etiam per vomitum, & non solum per clysteres, sed etiam per suppositoria vulgo dicta, ano immissa: necnon per cucurbitulas cuti admotas, adhibita postea scarificatione. Alia etiam est euacuatio, quæ fit per sudores, quæ non est in prædictis comprehensa. Nam quæ insensibiliter fit per cutem, longe differt ab ea, quæ cum sudore perficitur. Addi etiam possunt euacuationes, quæ fiunt per incisionem partis suppuratæ. Itaque methodus docendi postular, vt maxime vniuersales differentiæ euacuationis ponantur, in quibus particularia omnia comprehendantur. Porro inter euacuationes, quædam sunt sensibiles, in quibus euacuatur materia sub sua forma: aliæ vero sunt insensibiles, quæ fiunt mutato humore in vaporem, quomodo, inedia, vigiliæ, motus animi & corpus nostrum corpus euacuant. Alia vero est euacuatio æqualis, alia inæqualis. Aequalem vocamus, quæ ex omnibus humoribus aliquid educit, quod facit venæ sectio, & omnia etiam, quæ insensibiliter euacuant. Inæqualis vero euacuatio est, per quam vnus, vel duo aut plores, sed non omnes humores, educuntur,

Quid in hac enumeratione euacuationum desideretur in Gal.

Euacuationum vniuersales differentiæ.

A cuius generis est purgatio, & quæ fit per vrinas, clysteres, & vomitum malorum humorum euacuatio. Alia rursus est euacuatio vniuersalis, alia particularis: illa dicitur, quæ à toto corpore extrahit humores: hæc vero quæ ab vna solum parte, vel pluribus sed non omnibus euacuat. Dicitur sanguinis missio, quæ fit secta vena vniuersalis esse euacuatio: at re vera talis non est, quippe cum à venis solum ducat humores. Inedia vero, motus animi, & corporis, proprie vniuersaliter euacuant. Nam hæc non solum exhauriunt venas, sed etiam ipsas partes solidiores.

Quæ vniuersal. euacuent.

Iam vero tempestiuum est, vt vsum istarum euacuationum in febricitantibus febre putrida, de quibus hic agit autor, doceamus, eo prius supposito, B quod euacuationes aliquando per se expetimus, aliquando vero per accidens: per se quidem, ipsius euacuationis gratia: per accidens autem, quando aliquid præstare volumus, quod sine euacuatione fieri nequit. Illo modo sanguinem mittimus, vbi multitudo illius nocet: hoc vero, cum refrigerare volumus interiora viscera, nec tuto id facere possumus, cum alio auxilio, vt per initia febrium putridarum contingit in quibus nec frigida potio, nec balnea, nec alia denique exteriora, vel interiora remedia sunt satis secura. Et quæ tuta sunt, vt paruæ potiones ex herbarum decoctis, & syrupis nostris, non satis sunt efficacia ad tantum æstum mitigandum: & ad transpirationem efficiendam.

Euacuationum vsus per se & per accidens.

C Cæterum putridus humor, de cuius vacuatione hic agit Galenus, solũ educi potest per ea, quæ inæqualiter vacuant, per purgationem (inquam) factam per aluum vrinas, vomitum, & sudorem. Nam sudor aquosum humorem, cum quo extruditur à natura simul etiam putridus humor, educit: & cum sudoris & vrinæ eadem sit materia, idem etiam potest per vrinas euacuari. Ne credere quidem oportet, putridum humorem per æqualẽ euacuationem etiam euocari posse, argumento, quod nonnulli absq; sensibili aliqua euacuatione, à putridis febribus liberentur: nam id illis contingit, non per euacuationem putridi humoris, sed per mixtionem boni alimenti, quod tandem temperat & vincit putridi humoris vitium.

Putridus humor in febrib. quib. modis euacuari possit.

D Porro per clysteres educi potest eiusmodi humor, si ex acrioribus & purgantibus medicamentis fuerint confecti. Id quod ego sæpe sum expertus. Quapropter illos Medicos laudare non possum, qui plus iusto timentes turbationem concoctionis ex purgantibus enematibus, ea uix audent conficere ex mulsa, vel ex aqua hordei cum melle. Nam vt hæc in ardentissimis febribus ad stercora eiicienda sufficere forte possunt: ita vbi morbus mitior est, per omnia morbi tempora, & in acutis etiam ipsis, vbi noxios humores iam educere volumus validiora præsidia sunt adhibenda, qualia E sunt cassia, hiera simplex & composita, mel crudũ, & reliqua huius generis, ex quibus cõfecti clysteres nunquam obsunt, imo per debita interualla iniecta, semper prosunt, dum naturam & exonerant, & humores à nobilioribus partibus ad intestina reuellunt.

Clysteres quales in putridis febr.

Ea vero, quæ per vrinas noxios humores educunt, non nisi concocto humore tuto adhiberi possunt, agitant enim, & cõmouent, quicquid in venis continetur, vt allicere, & veluti exprimere illud possint quod secum rapere volunt.

Vrinam mouentia quo tempore in febribus exhibenda.

Tarda præterea est & exigua ea euacuatio, atque difficilis, nisi natura viam præmonstrauerit. Quare concocto humore præstat per aluum cum medicamentis purgantibus illum educere: atque ita naturam cito ab oppressione liberare.

Frictionum vsus in febribus.

Vsus frictionum in febribus putridis non est ad humorē putridū educendū, sed ad vniuersam multitudinem euaporandam, & ad reuellendum, cum nobiles partes à cursu humorum offenduntur.

Balneorum vsus.

Balnea aquæ tepidæ solum prodesse possunt declinante febre, quam facit humor biliosus: Nam per alia tempora calefacit, & inutiliter mouet, crassosque humores non potest euocare ad superficiem, & in vapores conuertere: quibus vero conuenit, prodest, non solum tepidum, sed etiam facta euaporatione, in fine frigidiusculum, præsertim in gracilioribus & consumptis ab ardore febris.

Sanguinis missionis vsus in febribus putridis.

Sanguinis missio secta vena, vt antea diximus, in putridis febribus expetitur multis rationibus nempe ad euacuandam multitudinem, vt melior postea fiat cōcoctio, & facilior pateat via aperientib. & refrigerātib. medicamētis per os assumptis, itē confert ad refrigerationē, quæ fit ob transpirationem, & emissionem vaporum, & is est præcipuus, cuius ratione in omnibus febribus putridis sanguinem esse mittendum, Galenus præcipit. *in methodo medendi*: alius quoque vsus est venæ sectionis ad reuellendos & deriuandos impetus humorum, ex quibus mitigantur symptomata, quæ ex confluxu humorum & vaporum concitantur: cuius generis sunt dolores capitis, vigiliæ, sopores.

Cucurbitularum vsus in febribus putridis.

Cæterum per cucurbitulas mittitur sanguis in infantibus & pueris, quibus cum naturali euaporatione sufficere potest qualibet sanguinis euacuatio ad plethoram minuendam, & corpus refrigerandum: in adultis vero potissimum cucurbitulis ad mitigāda symptomata facta reuulsione, & deriuatione cum aliqua euacuatione humoris fluentis, vel iam occupantis partem aliquam: quomodo in dolore capitis, delirio, & sopore, cucurbitulas scapulis admouemus.

Hirudinum vsus in putridis.

Hirudines maximum habent vsum in febribus putridis. Nam cum ani venis admouētur, detractis prius bilis, & admota cucurbitula, quæ totum anum comprehendat, vt venarum orificia, quæ intus latent, emineant, mirum est quantum conferant ad capitis affectus mitigandos, ad concoctionem iuuandam, ad naturam subleuandam, ad transpirationem corporis, si post venæ sectionem, & alia præsidia videamus naturam vel opprimi, aut certe tardius vincere & concoquere noxios humores: Ac tanto quidem maior agnoscitur esse huius remedii vsus, quod non solum in validis corporibus sed etiam in debilioribus, & propemodum exsolutis à febribus, etiā tutissimus sit: quod ego sæpe expertus sum, & didici ab Hetruriæ Medicis, dum Pisis medicinam profiterer.

Porro vt prosunt hirudines vniuerso corpori, hæmorrhoidibus admotæ: sic cum applicantur venis, quæ sunt in cauitate narium, & sub auriculis & in fronte, atque occipite, mirifice adiuuant aduersus symptomata, quæ caput infestant.

Iam vero euacuatio sanguinis, quæ fit per vterum, media quodammodo est inter æqualem & inæqualem, quæ fit per purgationem. Nam in mulieribus, quæ bono sanguine abundant, æqualis fit euacuatio, sese exonerante natura à multitudine bonorum humorum: in illis vero, quæ sunt cacochymæ, etsi aliquid sanguinis excernitur, tamen potius fit purgatio totius massæ, eductis illis succis, qui illam inficiebant, quam diminutio omnium humorum, in quibus sanguis ad aliorum proportionem plurimum exuperat. *Menses si monet natura in febribus, plurimum prodesse solent, præsertim si statis temporibus, vt in feruore morbi, & non per initia cōtingant eruptiones.* Tunc enim febrem sæpe iudicant, & omnia symptomata, præsertim partium superiorum fœlicissime leniunt. Nec minore quidem successu medicina illos aliquando euocat in vehementioribus febribus secta vena in malleolis, vel sub poplite, aut femoribus admotis cucurbitulis. In mitioribus vero febribus sine periculo tentari possunt medicamenta, quæ per os assumuntur, aut in vterum immittuntur facultate abstergendi, incidendi, & aperiendi orificia venarum prædita. Atque hic est vsus auxiliorū quibus vti solemus ad euacuandum in febribus putridis. Quæ.n. dicūtur à Gal. hic fieri euacuationes per deriuationem & reuulsionem, nō ostendunt, aliqua esse præsidia præter prædicta: sed ꝙ illa, quæ sanguinē mittunt, aut purgant corpus, aut aliter euacuant, aliquando euacuationem simpliciter perficiant, aliquando vero cum reuulsione vel deriuatione quarū vsus non paruus est in curatione febrium ad humorū impetū sistendum & ad symptomata, quæ fiunt ex fluxionibus humorum & vaporum mitiganda.

Sanguinis euacuatio, qua fit per Vterū, quo in fit euacuatio, & quando conferat.

Ἐξευρόντες οὖν κἀνταῦθα τὰς ὕλας, αἷς ἐν ποιότητι, καὶ ποσότητι, καὶ καιρῷ, καὶ τρόπῳ τῆς χρήσεως προσφερομέναις ἡ κένωσις γίνεται κατ' αὐτὸ τὸ μέρος τῆς τέχνης εὑρήμεθ' ἂν ὑγιεινά, καὶ γέγραπται πάντων ἡ εὕρεσις ἐν τῇ θεραπευτικῇ πραγματείᾳ.

Cum igitur & hic materias inuenerimus, quibus in qualitate & quantitate, & tempore & modo vsus adhibitis euacuatio fit, in ipsa artis parte salubria inuenientur, atque eorum omnium inuentio traditur in eo volumine, quod de arte curatiua inscribitur.

Antea admonuit, in recta administratione omnium causarum salubrium, spectandam esse quantitatem, qualitatem, & occasionem, de qua, vt ostendimus, controuersia est: quippe, cum dicat, eam contineri in qualitate & quantitate, aliquando vero illam facere scopum distinctum ab illis. Addit nunc prædictis vtendi modum, & alio loco adiunget ordinem, & locum, vt is, qui vno loco nunquam consueuit absolutam facere rerum tractationem. Admonet igitur hoc loco, in euacuationibus enumeratis hos scopos esse obseruandos, ne temere fiat euacuatio. Alius etiam addendus esset scopus, qui genus materiæ aptæ ad euacuandum respicit, & ille primum locum inter alios obtinet. Nam etsi (vt hoc exemplo vtar) cassia & rhabarbarū cinerē ex putredine & concoctione bilis & pituitæ relictum euacuant, tamen per initia febris, incrementa, & vigorem cassia potius eligēda est, nam rhabarbarum, quod adstringendi habet

Rhabarbarum nunquam exhibendum nisi plane concocto humore, & per quas vias purget.

habet vim, & non solum per aluũ, sed etiam per vrinas trahit humores, bene concoctum humorem, & vias expeditas ab obstructionibus requirit. Quare solum in declinatione febris præcipuus illius est vsus: in aliis vero temporibus, quod sæpe animaduerti, agitationem parit, & concoctionem turbat. Eligendum ergo est medicamentum ad euacuandum, quod sit aptum ad eum humorem educendum, quem obesse agnoscimus, & quod possit eum allicere à partibus, in quibus continetur. Nam vt ea, quæ ob viscositatem, & crassitiem, vel debilitatem, solum expurgare possunt, quæ in primis venis continentur, prosunt incipiente & crescente morbo: ita eodem declinante illa infirma sunt. Quare eligenda, quę nouimus à profundioribus & distantioribus partibus purgare posse.

In medicamenti electione, & exhibitione, quæ spectanda.

Porro in electione medicamenti spectare etiam debemus vires egri, voluntatem, proprietates consuetudinem. Nam corpora mollia, qualia sunt puerorum, & vires senum, non ferunt vehementiora remedia euacuantia. Et qui abhorrent cassiam, vel aliud genus medicamẽti euacuantis, quod tormina, vertiginem, atq; etiam animi defectum infert aliquando, ad illius assumptionem non sunt cogendi. Perdiscendum ergo est ab ægrotis, quo genere remedii euacuantis commode purgari consueuerint, & eo vtendum, si modo vim habeat, educendi noxios humores ab illis locis, in quibus continentur.

In quantitate purgantium quæ spectanda.

Cæterum in quantitate medicamenti præscribenda spectare debemus naturam & copiam humoris, locum, in quo illi continentur, habitum corporis, vires, consuetudinem, anni tempora, vitæ conditionem. Nam si bilis pallida pauca & in primis venis contenta, à corpore molli, infirmo, quodque facile ab omni re euacuatur, in æstate, in laboriosaque vita vacuanda est, exigua medicamenti quantitas prodest: in contrario vero statu non item.

In qualitate medicamentorum, quæ consideranda.

Jam vero in qualitate medicamẽti habẽda est ratio qualitatis & quãtitatis humoris, & loci, in quo cõtinetur, & voluntatis ægri. Nã si humor crassus est & multus, & frigidus, atque in distantioribus locis reconditus, solidiora sunt adhibenda medicamenta: illa enim quoniam difficilius patiuntur, longiorem trahunt in corpore morã, & propterea validius suam vim exercere possunt. Qua ratione à capite & iuncturis humores per medicamenta in pillulas formata, euocamus. Sunt vero, qui nequeunt, quæ solidiora sunt, deuorare: qui cogendi non sunt ad id, quod nequeunt commode præstare. Eligenda ergo est qualitas & forma medicamenti pro voluntate & proprietate ægri.

Modus purgationis à quib. sumatur.

Modum vero, in quo spectamus, an debeamus semel, vel bis, aut pluries euacuare, potissimum sumemus ex qualitate humoris & viribus ægroti. Nam crassi humores, qui paulatim concoquuntur, admonent, sæpius esse euacuandum: qui vero tenues sunt & vniformes, quia recipiunt vnicam & vniformem concoctionem, vnica euacuatione educi possunt. Qua quidem ratione Hippocrates scribit, *raro vtendum esse purgatione in acutis morbis*: & Galenus in quartanis & quotidianis admonet *in libro primo, ad Glauconem, sæpius esse repetendas purgationes.* Qui robusti sunt, confertim factas euacuationes sustinent: qui vero infirmis sunt viribus, tutius sensim, & per inter- *Sect. 1. ap. 24*

A ualla euacuantur. At vero locum aptum ad euacuationem intelligemus ex qualitate, quantitate, humoris lædentis, & læsionis ipsius modo, necnõ ex loco, in quo continetur, & partis præstantia, & ægri proprietate atque voluntate, atque etiam ex motu naturæ. Nam scribit Hippoc. *in Aphor. melancholicos per inferiora vacuandos esse, & biliosos per superiora.* Verum præstantia oris ventriculi, & exquisitus illius sensus, quæ non ferunt contactum acris & mordacis materiæ, admonent, securiorem esse per intestina euacuationem: vbi vero multi continentur in venis humores noxii, nec per sudorem, nec per vrinas facilis patet euacuatio: sed quæ per aluum perficitur, expeditior & tutior est.

Quæ ostendant, per quẽ locum purgare oporteat.

Sect. 4. aph. 6. & 7.

B Jam vero si humores in aliquam partem cõfluunt vehementer, per distantissimas partes vacuationem moliri debemus. Si vero debiliter mouentur, per propinquas apta redditur euacuatio. At si quiescunt, per ipsam partem euacuationem moliri oportet. Porro locus, in quo continentur humores, ob suam conformationem, & connexionẽ cum aliis mẽbris ostendit vias, per quas patet exitus lædentibus humoribus. Hac enim ratione nouimus, ventriculum per aluum & vomitum & expuitionem exonerari posse: & hepar non solum per vomitum, & deiectionem, sed etiam per vrinas & sudorem commode expurgari. Sunt vero, qui nec velint, nec possint facile vomere, quos nec in-

Reuulsionis & deriuationis vsus.

Ventriculus per quas vias commode purgetur & quas itidem hepar.

Sect. 1. ap. 21.

C uitare, nec cogere ad eam euacuationem debemus, sed ad eam partem ducendi sunt eorum humores, quam ipsi expetunt, & nouerunt sibi commodam esse ex aliis euacuationibus. At si natura tentauit euacuationem per aliquam partẽ per quã pateat exitus noxiæ materiæ, sequi debemus eã viam, quam natura monstrat. Verum si locus non videtur satis aptus pro qualitate & copia humoris, veteri non debemus agere contra naturę motum. Qua quidem ratione aluum liberalius mouemus, cum videmus in febribus longis naturam sudores tentasse, sed non satis per illam viam exonerare corpus. Atque hæc de loco apto ad euacuationem breuiter sint dicta: exactiorem enim hu-

D ius rei tractationem fecimus *in Aphorismis*, vbi etiam vniuersam euacuandi rationem diligenter pertractabimus, & postea etiam quædam enarrabimus, quæ ad hanc rem pertinent.

De ordine euacuationis.

Nunc superest, vt pauca de ordine euacuationis agamus: qui vt in aliis rebus petitur ab eo, sine quo alia fieri non possunt. Igitur humores illi prius euacuandi sunt, qui aliis commodiorem & tutiorem vnam patiunt. Qua quidem ratione aluum primum subducimus, quam sanguinem mittamus: quia tutum non est venam secare, cum intestina plena sunt excrementis: ita enim per euacuationem & suctionem venarum, rapiuntur illa in nobiliores partes. Hanc etiam ob causam, vbi

E ventriculus & venæ meseraicæ plenæ sunt pituitoso, aut etiam bilioso humore, ante sanguinis missionem leuem adhibemus purgationem: quæ incommoda cum absunt, à sanguinis missione, exordimur curationem: quoniam euacuatis venis facilior via patet purgantibus medicamentis.

Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ ταῖς ἄλλαις δυσκρασίαις ταῖς τρισὶν, ἓν κοινὸν ἔχοντες παράγγελμα, τὸ τὴν ἑκάστην αὐτῶν αἰτίαν ἐκκόπτειν πρότερον, εἶθ' οὕτως ἥκειν

ἐπὶ τὸ γεγονὸς ὑπ᾽ αὐτῆς νόσημα, τὴν τῶν A ὑγιεινῶν αἰτίων εὕρεσιν ποιησόμεθα.

Eadem ratione in aliis tribus intemperaturis, si vnum commune praeceptum obseruabimus, vt vnam quamque prius, qua efficit, causam rescindamus: deinde ita ad illam, quae ab eadem causa facta est, aegritudinem, accedamus, causarum salubrium inuentionem faciemus.

In curatione simplicium intemperaturarum proposuit pro exemplo febrem putridam, & docuit, quibus remediis tolli possint humores putridi, per euacuationem, inquam, praecedente concoctione: ad quorum humorum sublationem ostendebat, febrem ipsam sponte euanescere, vt quę adhuc esset in fieri, idest, firmam naturam nequaquam haberet. Nunc vero admonet, idem sentiendum de curatione aliarum simplicium intemperaturarum, nempe frigida, humida, & sicca, in quibus etiam docet, quid sit faciendum, vbi illę non amplius fiunt, sed sunt factae. In qua re vnum est praeceptum commune omnibus morbis, vt prius causam, quae morbum fecit, & adhuc fouet, auferamus, deinde adhibeamus auxilia morbo, qui factus est, in quali, quanto, modo, tempore, & secundum alios praedictos scopos conuenientia. Quae omnia sunt per se clara, & nota omnibus Medicis. Quo magis mirari subit euidentissimos errores Delphini protomedici Mediolanensis, qui causas morborum cum ipsis morbis confundit: Ait enim, causam coniunctā morbi esse morbi essentiam. Sed quomodo, quaeso, intemperies & causa intemperaturae idem sunt? & quomodo vt ille vult materia morbi est morbi essentia? Vult etiam causam coniunctam morbi esse essentiam ipsius morbi, nunc verum solum causam, & febrem putridam esse morbum cum materia, quae omnia sunt erroribus plena. Nam morbi materia ab essentia morbi semper est separata. Et causa morbi qualiscunque ea fuerit, à morbi essentia differt. Vocat Galenus intemperies cum materia, quando excitātur tumores praeter naturam, & illas vocat compositas intemperaturas: febrem autem semper ponit inter simplices calidos morbos: aut si aliquando appellat calidam, & siccam intemperiem, nunquam tamen censuit esse compositam cum humore: est quidem in humore tanquam in subiecto, non tamen propterea dicitur composita esse cum humore: vt diaria non dicitur esse composita cum spiritibus, tametsi in ipsis est accensa. Sed vt antea ostēdimus & ille, & alii, qui ignorant, quid proprie sit morbus in hos pueriles errores facile incidunt: quos facile vitassent, si ex Galeno intellexissent, morbū nihil aliud esse, quā *inaequalitatem, & immoderantiā, vel* (vt ego exactius interpretor) *vitium, quod ex inaequalitate & immoderantia facta ab his, quae nostrum corpus componunt, nascitur.* Vnde calor frigus, humidum, siccum, lapis in vesica, & alia huiusmodi, morbi non sunt, quoniam ipsa non sunt inaequalitates, nec immoderationes, nec vitia ex his nata: propterea nec affectus, nec dispositiones, per quas qualitates sanitas & morbus definiri solent ab Aristot. & Gal. sed inaequalitatem, & immoderantiam pariunt. Ac qui haec non intelligunt, ad boues alendos & ducendos potius, quā ad docendam medicinam sunt aptiores. Iam vero, quod scribit Gal. *prius auferendam esse causam morbi, deinde morbum ipsum*, sano modo est intelligendum. Nam in ablatione morborum, non contra morbum ipsum, sed contra ipsius morbi causam pugnamus, vt obiter iam diximus. Cum enim contraria contrariorum sint remedia, oporteret aduersus morbum sanitatem ipsam & non remedia opponere. At remedia, quibus morbos expugnamus, nec primo, nec per se illos tollunt, aut sanitatem inducunt, sed per accidens: per se vero causas expugnāt: quod quilibet, qui velit in- B telligere facile pōt. Vbi enim morb. fit in intemperie, vel potius ex intemperie nascitur, & ea ob calorem, vel aliam qualitatem in partibus similaribus excedentem, adhibemus remedium, quod habet vim refrigerandi, vel exuperantem aliam qualitatem minuendi: ex qua quidem diminutione tollitur inaequalitas, quae morbum faciebat, eaque sublata succedit aequalitas, & ad hanc sanitas. Vt ergo aequalitas, & inaequalitas sanitas & morbus nullam vim habent agendi, ita illa inter se non pugnant: sed sequuntur ea quae pugnant, vt vmbra sequitur corpus, propterea Gale. & alii Medici, cum facultates omnes medicamentorum docent, non explicant, quae possint aequalitatem, C vel inaequalitatem, vel sanitatem vel morbum facere. Sed quae vim habent calefaciendi, refrigerandi, humectandi, siccandi, purgandi, aperiendi, claudendi, abstergendi, incidendi, & alia huiusmodi, quae possunt excidentia & deficientia emēdare: ad quorum (vt dixi) sublationem tolluntur inaequalitas, & morbus, & sequitur aequalitas atq; sanitas. Igitur pugna fit inter causas, non inter effectus, vt id quoque recte docet Gal. *lib. septimo Method.* vbi demonstrat, nihil esse, quod contra imbecillitatem pugnet, sed contra id, quod intemperiem facit, à qua nascitur imbecillitas. At vero si semper in curandis morbis pugnamus aduersus causas, cur Galenus *in hoc loco*, & *passim ali-* D *bi*, distinguit sublationem causarum morbi ab ipsa morbi curatione? An id facit, quod ea, quae dixit, ignorauerit, vel potius vulgarem dicendi modum sequeretur, vt imbecillitati ingenii multorum consuleret: qui formales, vt dicimus, rerū causas, & coniunctas cum rebus nesciunt distinguere à re ipsa? quomodo enim alii haec intelligent: quandoquidem plurimi ex medicinae professoribus ea hactenus ignorarunt, nec desinunt contendere non solum qualitates ipsas, quibus constamus, & sani afficimur, sed etiam humores, & lapides, qui in nobis gignuntur, morbos esse? Intelligere ergo oportet ex Gale. opinione causarum remotiorum, quae scilicet non ingrediun- E tur compositionem partium similarium, aut organicarum, veniendum esse ad curationem morborum, id est, ad ablationem causarum, quae sunt formales & coniunctae cum morbo: atque hac ratione qui humores tollit excedentes, aut noxias ipsius qualitates emendat, dicitur morbi causas auferre: qui vero caliditatem, aut aliam ex primis qualitatibus, vel partem numero excedentem, vel alio modo structuram organorum labefactātem tollit, morbis mederi censetur: quoniam haec ita sunt cum morbis coniuncta, vt illis positis, & sublatis, ponantur, & tollantur morbi, adeo vt vulgus,

Delphini notat errores.

Omnē causam morbi differre à morbo. Morbus quid.

Semper contra causas morborum, & nunquam contra morbum remedia pugnant.

Qui dicuntur morborum causas auferre, vel morbos curare.

vulgus, quod loquendo sequimur, nihil putet hæc inter se differre: aliter tamen docti, & qui alios docere profitentur, sentire debent: quippe cum his ignoratis nemo de causis morborum vel de generatione, & essentia ipsorum, pro dignitate disserere possit, nec etiam præseruationem à curatione aliter separare licet. Sed hæc fui coactus *hoc loco* repetere, & diligentius tractare, quia multorum ignorantiam, & pertinaciam tantam esse in hac re noui, vt vix eam multis reiteratis remediis sanari posse confidam.

Κατὰ δὲ τὰς συνθέτους δυσκρασίας, ἡ γ᾽ ἐκ τῶν ἁπλῶν σύνθεσις ἐνδείξεται τὰ ὑγιεινὰ παραγγέλματα, κἂν ταῦθ᾽ ἐχόντων ἡμῶν ἀνάλογον τῷ μεγέθει δυσκρασίας, τὸ πρὸς ἐκείνην ἁρμόττον ἐξευρίσκειν· οἷον εἰ οὕτως ἔτυχεν, ἔνδεκα μὲν ἀριθμοῖς ἐπὶ τὸ θερμότερον ἐξεστήκει τι τοῦ κατὰ φύσιν, ἑπτὰ δ᾽ ἐπὶ τὸ ξηρότερον. εἶναι δή πως χρὴ τὸ ὑγιεινὸν αἴτιον ἐπὶ ταῖς τοιαύταις διαθέσεσι, δέκα μὲν ἀριθμοῖς ψυχρότερον. ἑπτὰ δὲ ὑγρότερον.

Secundum vero compositas intemperaturas ex simplicibus compositio commonstrabit salubria præcepta, cum hic quoque studuerimus pro magnitudine intemperaturæ eidem conueniens inuenire remedium, veluti si ita contigerit, quod in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem, ea quæ naturæ conueniat, decidat corpus, septem vero ad siccitatem maiorē, tunc salubrem causam in huiuscemodi affectibus esse oportebit, decem quidem numeris frigidiorem, septem vero humidiorem.

Authoris in hoc opere institutum re vera non admittit hanc repetitionem, & prolixam enarrationem eorum, quæ ex aliis intelligi possunt. Antea enim dixerat, excessus emendandos esse per contraria in gradu, id quod nunc non erat repetendum. Præterea cum docuerit, quoniam modo intemperaturæ simplices curari possint, non erat opus curationem explicare compositarum intēperaturarum. Nam vt aiunt philosophi, qui norūt simplicia, cognoscunt simul composita: nisi forte dicamus, Gal. hæc voluisse repetere, vt occasionē sumat docendi, quid ratione partis affectæ sit agendum: quod s. aliquando sint augendi gradus remediorum, quæ temperaturis medentur. Proponit autem decem gradus caloris excedentis, & septem siccitatis. Sed rectius fecisset, si quatuor non excederet, vt remedia nulla sunt (eo authore) quę vltra quartum gradum agant in nostrum corpus. Quod licet docti intelligant, tamen alii decipi possunt ex hoc exēplo, in quo proponit plures gradus in morbis, & remediis, quam rerum natura admittat. Verum contra pugnam, quam fieri dicit per æquales gradus remediorum aduersus gradus intemperaturarum, facere videtur, quod scribit Gal. *in fine in lib. 8. Meth. medendi*: vbi proponit febrem paruam in corpore calido, & sicco ex naturali temperie ægrotāte: præterea in regione & anni tempore calido & sicco, & tali etiam victu, vti consueto, & concludit, ob paritatem contrariarum indicationum non esse vtendum frigido & humido victu, qualem postulat febris, calidus & siccus affectus præter naturam, contraria exigens: nec calido & sicco, quem desiderat naturalis temperies, consuetudo, & alia prædicta, quæ temperiem secundum naturam, cui debentur similia ad sui conseruationem: sed temperatum adhibendum esse in hoc casu victum, ita enim contrariis indicationibus satisfieri: mihi vero hic locus semper suspectus est visus. Nam quo modo febrem paruam extinguere potest per temperata, si omnis, vt antea ostendimus, vel leuissimus morbus, per duos gradus recedit à naturali statu: cui non temperata, sed contrarii remedii duo gradus, medentur, habenda quidem est ratio status secūdum naturam si modo, quæ pręter naturam sunt, expelli possint: at morbi nunquam temperatis possunt repelli, quia non fit pugna inter æqualia, ex qua medioctis temperies comparatur.

Examinat et reprobat locum, qui est in 8. methodi.

Εἰ μὲν αὐτῷ τῷ πεπονθότι μορίῳ προσάγοιτο τοιοῦτον φάρμακον εἰς τοσοῦτον. ἔστω ψυχρότερόν τε καὶ ὑγρότερον, εἰς ὅσον ἡ ἔνδειξις κελεύει, διὰ βάθους δὲ κειμένου τοῦ πεπονθότος, ἐπιτεχνᾶσθαι χρὴ τοιοῦτον ἐργάζεσθαι τὸ ὑγιεινόν, ὡς μὴ φθάνειν ἐκλύεσθαι κατὰ τὴν ὁδόν, εἰ μὲν οὖν θερμότερον εἶναι δέοιτο τοῦ συμμέτρου, μὴ τοσοῦτον μόνον ἔστω θερμότερον, ὅσου δεῖται τὸ πάθος, ἀλλ᾽ ἐξ ἐπιμέτρου προσκείσθω τὸ διὰ τὴν θέσιν ἀναγκαῖον προσερχόμενον, εἰ δὲ ψυχρότερον, οὐχ ἁπλῶς χρὴ τοσοῦτον ποιεῖν αὐτὸ ψυχρότερον, ἀλλὰ καὶ τὴν ὕλην σκοπεῖσθαι πρότερον. εἰ μὲν γὰρ παχυμερές ἐστιν, οὐχ ὁδοιπορήσει μέχρι βάθους πολλοῦ. τοὐναντίον δὲ πᾶν ἐργάζεται πυκνῶσαν τὴν ἐπιφάνειαν. εἰ δὲ λεπτομερὲς ὑπάρχει, δύναιτ᾽ ἂν ἐξικέσθαι μέχρι πλείονος βάθους. οὕτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ὑγραινόντων καὶ ξηραινόντων, τὸ παχυμερὲς καὶ λεπτομερὲς τῆς οὐσίας ἐπισκεπτέον. ἀπὸ μὲν δὴ τῆς θέσεως τοῦ πεπονθότος, ἡ ἔνδειξις εὑρίσκει τὸ ὑγιεινὸν ὡς εἴρηται νῦν.

Si igitur ipsi particulæ patienti admoueatur tale remedium, tanto erit frigidius atque humidius, quantum exigit partis affectæ indicatio: quod si particula affecta in penitiorib. locis sita sit, machinari oportet insuper tale inuenire salubre remedium, cuius vis nequaquā in itinere antea soluatur; Si itaq. calidius esse oportuerit eo, quod est moderatū, non solū tantā habeat caliditatem, quantam exigit morbus, sed vltra eandē mensuram tantum adiiciatur, quantum ex situ, vt pertingere possit ad locū patientē, sit necessariū. Si vero frigidus, nō simpliciter tantū frigiditatē oportet augere, sed & materia quoque prius est animaduertēda. Si. n. crassa sit,

non admodum poterit ad profunda penetrare: at potius contrarium præstabit effectum spissando superficiem atque densando: at si tenuioribus partibus constet, poterit sane plurimum subire profundum: Idem in humectantibus atque exsiccantibus accidit, in quibus crassitudo atque subtilitas partium substantiæ est inspicienda, à situ quidem loci, vt nuper diximus, inuenit indicatio salubre remedium.

Docuit Gal. opponenda esse remedia æqualia in gradu his qualitatibus quæ morbum ex intemperie pariunt: sed quoniam aliquis falli posset ob situm partium laborantium intemperie, admonet nunc, quid sit agendum ob hanc rationem, & dicit prorsus æqualia esse admouenda remedia malis, si pars affecta in superficie corporis est posita: quod si collocata sit in profundiore corporis situ, tantum esse intendendam vim medicamenti vltra eos gradus, quos postulat affectus, quantum credimus in transitu partium suprapositarum exolui posse, & merito quidem. Nam vt ferrum ipsum obtunditur, ita etiam medicamentorum vis minuitur, dum agit, & penetrat per corpora solidiora: atque hæc est communis aduersio in omnibus medicamentis habenda, quæ illa alterent, siue euacuent, aut alio quocunque modo affectis partibus succurrant. Sic enim, cum volumus à renibus & vesica aliquid educere, potionum quantitatem & vim augemus: cum vero succurrendum est ventriculo, quia remedia integris viribus ad eum perueniunt, leuiora & minora quæq; sufficiunt: id quod experientia. Nam vnica aliquando ex aloe pilula ventriculum à noxiis humoribus liberat: quæ aliarum partium, quæ longius absunt, expurgationi nihil prodest. Porro quod admonet Galen. obseruandum esse in refrigerantibus remediis, vt ea scil. eligantur, quæ tenuium sunt partium, cum volumus succurrere internis malis, commune quoque est calidis, humidis, & siccis. Nam inter illa reperiuntur quædam, quæ sunt crassarum; alia, quæ tenuium sunt partium: Sed in refrigerantibus peculiarem huius rei fecit mentionem, quoniam frigida qualitas viam sibi ipsi præcludit: idque tanto magis faciet, si cum crassa substantia, vel adstringente sit coniuncta: aliis vero solum obest crassities. In eo ergo præceptum tradit, in quo duplex est repugnantia ex qualitate & substantia remedii.

Ἀπὸ δὲ τῆς διαπλάσεως τε καὶ θέσεως, ὅταν ἐκροὰς αἰσθητὰς ἔχῃ συντετρημένας εἰς ἕτερον, ἢ μηδεμίαν ἔχῃ· τὰς μὲν γὰρ εἰς τὰ κυριώτατα φερούσας ἐκροὰς ἀποτρέψομεν, ἐρεθίσομεν δὲ τὰς εἰς μὴ κυριώτατα. δῆλον δὲ ὡς τῶν ποιούντων αἰτίων τὴν δυσκρασίαν, ἡ διὰ τῆς κενώσεως ἐστιν ἴασις. αὐτῶν γὰρ τῶν δυσκρασιῶν μόνον ἀλλοίωσις ἴασις ἐστίν.

A formatione autem & situ simul, quando effluxus sensibiles atque ad alium locum foraminibus patentes habuerint, aut iis omnino caruerint: quos enim affluxus ad principales deferri partes cognouerimus, auertemus, atque ad illas impellemus, quæ nullum habent principatum. Illud vero manifestum, quod earum, quæ intemperaturam efficiunt, causarum curatio fit, per euacuationem: nam ipsæ intemperaturæ sola alteratione sanantur.

Posteaquam docuit, quid ratione situs partiũ affectarum agendum sit in curatione intemperaturarum, nunc explicat, curationem quoq; variari ob partium conformationem, & cum aliis connexionem. Si enim partes, quæ laborant, solidæ sunt vehemẽtioribus remediis vtendum est: si vero sunt concauæ: mitioribus: per istas enim facilius per illas vero difficilius penetrant remedia: ob difficultatem vero transitus, vis medicamenti minuitur. Eadem ratione si pars, quæ afficitur, meatus habet coniunctos cum aliis partibus, per quas expurgari potest corpus, leuiora præsidia eis sufficiunt, & ad alterandum, & vacuandum: facilis.n. via patet medicamentis omnibus per cõmunes canales. Meminit autem hic euacuationis in curatione intẽperaturarum, quæ causam habent: illam enim per euacuationem tollendam esse scribit, tanquam (vt inquit) certum sit, non aliam esse causam, quæ intemperiem committit præter humorem: quod mihi non placet. Nam intemperies sæpe nascuntur ab animi affectibus, qui postea quam intemperiem pepererunt, perseuerando, illam fouent, & augent: quibus quidem affectibus euacuatio non medetur. Ad hæc constipatio cutis febres diarias, & synochas sine putredine parit: quæ quidem rarefactione, non euacuatione curantur. Accenditur etiam calor & obstructione facta ob crassitiem, & viscididatem humorum: cui succurrunt citra euacuationem incidentia, extenuantia: quod igitur vniuersaliter ab eo hic dicitur de euacuatione causæ facientis intemperiem vt vniuersale intelligendum non est, sed particulariter, quando scilicet intemperies nascũtur ab humoribus, quorum euacuatio requiritur ad intemperiem tollendam, quales sunt humores putridi, aut etiam sint plurimum aucti & excalefacti, & denique, qui sola alteratione emendari non possunt. Nam vt *in Aph.* ostendimus, duplici genere remediorum pugnamus aduersus noxios humores, *alteratione, & euacuatione:* nec tentanda est hæc, vbi illa sufficit. Quod vero scribit de deriuatione, & reuulsione, re vera nõ pertinet ad hunc locum: sunt enim hæc remedia aduersus fluxiones humorum, quorum curatio propriam exigit tractationem, nec eo loco explicari debet, vbi intemperaturarũ curationem instituimus, nos de hac diligenter egimus in *expositione Aphorismi primi libri,* in quo scribit Hipp. *Quo natura vergit & cetera.* & commodiore loco postea, quantũ nostrum hoc institutum exigit, eam docebimus.

Intemperies non solum nasci ab humoribus.

Contra vitia humorum duobus generibus remediorum pugnari.

Morbos ex intemperie non semper tolli euacuatione humorum.

Sect. 1. ap. 21.

CAP. XC. DE CVRATIONE SOLVTIONIS CONTINVITATIS IN PARTE CARNOSA.

Λυθείσης δὲ τῆς συνεχείας, ὁ μὲν τῆς ἰάσεως σκοπὸς ἕνωσις, ἐπὶ μὲν τῶν ὀργανικῶν μορίων, ἀδύνατος, ἐπὶ δὲ τῶν ὁμοιομερῶν, οὐκ ἀδύνατος. ἀλλ' ἐνίοις, ὡς ἐν τοῖς σαρκώδεσι, κόλλησις ἴασις ἐστὶν, ἐνίοις δὲ οὐδ' εἰ σύμφυσιν ὀνομάζεις.

Con-

Continuitatis autem solutionis curatio intentionem quidem habet unionem: quæ in partibus quidem instrumentariis impossibilis est, in similaribus vero non semper possibilis. At quandoque sicuti in carnosis sanitas conglutinatione perficitur, nihil vero differt, neq; si coalitum appellaueris.

Ordo, quem prius obseruauit in causis conseruantibus sanitatem, postulabat, vt post curationem intemperaturarum ageret, de curatione morborum partium organicarum: & post illam explicaret curationem solutæ vnitatis. Idem ratio docendi ostendit. Nam si eo autore morbi, qui fiunt ob solutionem vnitatis, communes sunt similaribus, & instrumentariis partibus, debent vtique illi postremo loco explicari: quippe cum intelligere nequaquam possimus, quodnam morbi genus ad vtramque partem pertineat, nisi prius nouerimus, quinam proprii singulis partibus existant morbi, & propterea *etiam in libris de differentiis morborum* de hoc communi genere postremo loco differit. Verum posteaquam autori placuit hoc loco agere de diuisione cōtinui, nos quoque nostram hic subiiciemus explanationem. Primum ergo docet, quid postulet hoc morbi genus, vt curari possit: deinde ostendit id, quod indicatur à morbo ipso, non posse præstari in omnibus partibus: quippe cum instrumentariæ partes veram curationem non admittant, quæ fit per agglutinationem. Præterea ostendit etiam in similaribus partibus eandem vnionē semper perfici non posse. Adhæc ostendit, eandem fieri posse aliquando nullo alio præcedēte opere, veluti cum diuisiones sunt paruæ & diuisæ partes inter se non distant: aliquando vero esse opus adductione partium distantium, & simul stabili coniunctione, & permanentia. Atque eodem negotio monstrat, quæ possint inter se committere diuisas partes, & commissas seruare. Postea vero ostendit cuiusnam officium sit, naturæ inquam vel artis glutinare partes, & ostendit esse naturæ opus; artem vero ipsam naturæ in ea re opitulari, & vniuersos modos, quibus vtimur in hoc naturæ opere, exponit. Et quoniam partes similares plures sunt inter se diuersæ, nō in omnibus quidem, sed in carne, neruis, & ossibus ex quibus alia intelligi possunt, solutæ vnitatis curationem monstrat. Postremo posteaquam egit de curatione simplicis diuisionis, paucis perstringit sanationem compositæ cum aliis affectibus, quarum quidem rerum tractatio vt est vtilissima, sic multis est difficultatibus obsessa: quoniam post Hippocr. & Galen. Medici vniuersam chirurgicam medicinam peritis forte, sed parum doctis chirurgis vulgo dictis reliquerunt. Nos vero, quantum postulat nostrum hoc institutum, eam excolemus: Jn qua re primum illud explicandum occurrit, quid intelligat Gal. per vnionem, & vnitatem, cum scribit, *scopum curationis in diuisione vnitatis esse ipsam ἕνωσιν. i. vnionem*: quæ nihil aliud est, quam *reditus in vnum*. Nam per diuisionem duo, aut plura erant facta, quæ prius vnum erant: quare si curatio est, per quam naturalem statum recuperamus, necesse est, vt ea, quæ per diuisionem plura sunt facta, vnum rursus fiant, per id, quod diuisioni, &

Quid sit vnio & vnitas.

A separationi est contrarium. Porro siue vnam siue continuam dicas partem, nihil hoc loco refert: nam hoc morbi genus Medici vocant vnitatis vnionis, & continui solutionem, & diuisionem. At continua, & vere vnum sunt, *quorum extrema fiunt vnum* (vt inquit Aristot.) Ac eiusdem quidem generis cum his, quæ vnum fiunt, extrema esse oportet, aut certe talia, vt ea, quæ vniuntur nullo modo variare possint, vt quæ nō subsistant, veluti puncta: quæ etsi quantitates non sunt, nihil tamen diuersum ponunt inter duas lineas, quę inter se continuantur, & vna fiunt linea, eo, quia id, quod ita extremum est, nullam habeat separatam & propriam naturam, quæ coniunguntur re vera vniri. Quæ quidem si vera sunt, necesse est, vt partes diuisæ rursus vniantur, & continuæ fiant nullo interueniente medio, quod sit diuersæ naturæ.

Continua & vere vnum quæ dicantur & quomodo fiant.

B Propterea ossa non dicuntur re vera vniri, quia ossi non iungitur os, sed interueniente & mediante callo, quo veluti vinculo, nō vero modo illa vniūtur, sed eo, quo possunt, veram vnionē & continuitatem æmulantur. Ergo caro, quam dicit redire posse, cum diuisa est, ad veram vnionem, nihil habebit medium, quod sit diuersum ab extremis. Sed quid tandem fit à natura, à qua sola huiusmodi vnio fieri dicitur? Necesse enim est, vt illa aliquid agat: quippe cum mutatio fieri non possit à morbo ad sanitatem & à diuisis ad vnionem absque motu & actione aliqua. Id (inquit) est conglutinatio & σύμφυσις, idest, ad eandem naturam reditus.

Cur ossa non dicuntur re vera vniri.

Carnem diuisam vere vniri & quomodo vnio fiat, disputatio.

C Ac ad eam vsque cognitionem Medici peruenerunt, vt intelligant per conglutinationem & coalitum (vt ipsi vocant) diuisam carnem, naturalem vnionem, quam habebat, recuperare: vnde conglutinantia remedia adhibita ad hoc naturæ opus iuuandum. Sed illud, quod præcipuum in hac re est, non exprimunt, quid sit hoc ipsum gluten, quo glutinari, & vniri partes diuisæ dicuntur. Est autem nihil aliud profecto, quam *caro ipsa*: aliquid enim fit, oportet, & si aliud est, quam caro, non fiet σύμφυσις, & vera vnio & continuitas, quia vinculum erit diuersi generis ab extremis. Porro generationem huius carnis ostendit pus, & sanies illa, quæ resudat ab ipso vulnere;

Gluten, quo carnosæ partes vere vniuntur, nihil aliud esse, quam carnem ipsam.

D dum huiusmodi fit conglutinatio: quod excrementum in nullo alio opere fit in sanatione vulnerum, quam cum caro gignitur. Docent & medicamenta conglutinantia, quæ omnia sunt facultatis exsiccantis, vt ichorem illum cruentum & purulentum exsiccent. Fit autem exiguæ istius carnis generatio, cum sanguis attrahitur à partibus carnosis ad propriam nutritionem: qui posteaquam ad extrema diuisa peruenit, vbi venæ sunt vulneratæ, effunditur, & à partibus iam con-

Quomodo partes carnosæ diuisæ nouam carnem gignant.

E tiguis eo modo alteratur, quo alius sanguis in partibus integris hæ autem sibi apponunt sanguinem, & adhærere faciunt, & concoquendo viscosum & crassum reddunt glutinis modo, atque ita sibi assimilant, & tandem vniunt, ac per integram assimilationem fit caro. Hoc igitur modo glutinantur, & vniuntur diuisæ & vulneratæ partes carnosę per nouam carnis regenerationem: cum enim illę sanguinem per venulas diffectas roris modo effusum, mutuo contactu alterant, & assimilant, fit regeneratio carnis communis, quā, tanquam visco simul glutinantur, & ad suam naturam redeunt, quæ est vnitas, & continuitas. Sed cur Gal. hanc prætermisit, cum dicat, carnis fieri

Ee

Quomodo regeneratione noua carnis glutinantur diuisæ partes.

generationem solum in vulneribus & vlceribus cauis? An quod in cauis vlceribus euidentissima est carnis generatio & insigne est opus, quod propria exigit auxilia ad pus auferendum: in vnione vero partium, tam exigua est ea carnis portio, quæ gignitur, vt minimum quoq; fiat excrementum, quod ex sola ipsa resudatione, quæ necessario fit per labia vulneris, tolli potest. Maluit ergo gluten appellare, quam carnem, id, quod natura efficit in reuniendis partibus: quoniam ea carnis, quæ fit generatio, nullam præcipuam curam postularet, præter externam exsiccationem, quæ resudantem saniem imbiberet, interim cum externam superficiem illa comprimit, & naturam ad vnionem facilius præstandam adiuuat. id enim fieri oportet, cum superficies se arctius contingsit. Hanc meam opinionem paucis verbis obiter Gal. *in lib. 3. meth. cap.* 4. vbi sarcotici & glutinatorii medicamenti differentiam ostendit, confirmat. Hæc illius sunt verba: *At glutinatorium aut omnino carnis generatione non eget, aut plane exigua. Quare plus siccet oportet, quam quod carnem producat.* Ex quibus quidem intelligere quilibet, potest, non fieri glutinationem absque carnis generatione, etsi vel hoc ignorauit, vel certe non expressit, cum solum per contactum diuisas partes agglutinari & vniri passim scribit. Præterea ex eisdem verbis intelligimus, glutinantia auxilia etiam si solum siccant & adstringunt, apta tamen esse ad regenerationem exiguæ illius carnis, quæ ad vnionem requiritur. Nam sarcotica dicuntur esse medicamenta, eo, quod illa pus & saniem auferant, quam natura in carnis generatione necessario procreat. Itaque vbi plane exiguum fit eiusmodi excrementum, quod arctius sese tangentibus internis partibus diuisis ad superficiem resudat, non abstersorium requiritur medicamentum, sed sufficit, quod extrinsecus siccat. Quare plane aberrant chirurgi, qui in omni simplici diuisione digestiuis (vt vocant) quibus pus mouent, vtuntur. Nam vbi partes separatæ sunt adductæ, & arctissime coniunguntur, coniunctæq; manent vi adstringentium medicamentorum, sola natura eo modo, quo diximus, vnionem restituit. Atque hæc sufficiant de eo, quod scribit *solutionem continui & vniti, curari per vnionem.*

Gal. explicatur.

Nunc vero, quod sequitur, explicandum est, cur scilicet huiusmodi vnio, quæ fit per agglutinationem, fieri non possit in partibus instrumentariis. Huius rei putat Tagaultius hanc esse causam, quod abscisis omnino venis, neruis, & arteriis promptissime expirent spiritus & facultates, ob substantiæ suæ tenuitatem. Verum hæc ratio nullius est momenti. Nam quid incisio neruorum confert ad vnionem instrumenti. Præterea hæc incommoda etiam communia sunt vnioni veræ, quæ fit in parte carnosa: nam spiritus illi per magna carnis vulnera sectis venis & arteriis exhalant, & tamen caro ipsa vnitur. Akachias vero putat Gal. hic agere de instrumentis penitus abscisis, & separatis à reliquo corpore. Illa enim amplius vniri non posse cũ illis, à quibus sunt separata. Sed quis vnquam de hac re dubitauit, vt præceptis sit opus? Addo quod etiam est commune carni penitus diuisæ, & separatæ ab alia: quare Gal. non dixisset impossibilem esse vnionem in instrumentis, & eam possibilem esse in partibus carnosis ob has rationes. Mihi vero videtur hęc opinio non egere aliquo præcepto.

Cur conglutinatio, & vera vnio nequeat fieri in diuisione instrumentorum.

A Quis enim nouit instrumentarias partes, vt instrumentariæ sunt, vnionem non facere posse, vt quæ vim non habeant alterandi, concoquendi, assimilandi, & regenerandi carnẽ. Quod si vniuntur cum aliis organis, id accidit propter vnionẽ similarium partiũ, ex quibus instrumentariæ ipsæ constant. Quam ergo hic vnionẽ impossibilẽ in partibus organicis imaginatur, si illæ nullius vnionis, nec etiã colligationis alicuius causæ esse possunt? Scio, cõtineri aliquid *in libro de differentiis morborum*, quod forte ad hũc locũ quispiã pertinere putabit. illic.n. scribit, quasdã esse proprias continui solutiones partib. organicis: cuius generis, inquit, est auulsio, quæ fit, (etsi ille id non docet) cum pars vna similaris ab alia separatur, illæsis ipsis similaribus, veluti cum os ab osse auulsis ligamentis seiungitur. Verum quidquid sit hoc, non tollit priorem nostram rationem, quod scilicet vniendi munus ad partes similares duntaxat pertinet, vt quæ solæ possint per alterationem vnire, vel colligare inter se diuisas partes: cuius quidẽ beneficii per accidens participes redduntur partes compositæ, & instrumentariæ, vt quæ vnionẽ capiant ex vnitate similariũ: etsi morbi, qui in violata ea vnitate, (vt alio loco ostendimus) proprii sunt partibus organicis, eo quod illarum actiones solũ lædantur. Illud ergo potius expendamus, *cur scilicet inter similares partes solum caro vulnerata re vera vniri possit.* Huius rei rationem quidã in duritiem illarũ partiũ referunt: non .n. posse dura cum duris coalescere: alii vero in materiæ seminalis defectũ. Verũ meo quidem iudicio aberrant. Nam cum ossa & duriores aliæ partes optime nutriantur, nihil impediente earũ duritie, cur etiã vnio in illis fieri nõ poterit, quæ, vt ostendimus, fit ex regeneratione similis substãtiæ, suppeditata materia ex nutrimento? Nã vt carnis partes diuisæ regeneratione nouæ carnis coalescunt & vniuntur: sic rationi est cõsonum vt ossa diuisa vniri possint per generationem noui ossis, quam tẽperies & facultas concoctrix, quæ in ipsis sunt, præstant. Lapides quidem inter se non glutinantur, quia vim nõ habent alterandi, & gignendi aliũ lapidem: quare exemplũ, quod ex lapidibus sumunt illi, nihil habet cõmune cum ossib. viuentibus. Præterea si durities in ossib. impedit conglutinationẽ, idem non potest in arteriis, neruis, venis, quæ à carnis mollitie nihil vel minimũ absunt, præsertim si has sumas in corporibus mollioribus, & carnem durioribus. Cæterum defectus materiæ non potest impeditæ vnionis esse causa. Si .n. ea ad nutrionẽ sufficit, & ad calli crassissimæ substantiæ, generationem, cur non multo satis erit ad fissuras ossium glutinandas. Gal. *in libris de fracturis* dicit, ossa ob siccitatem vniri non posse, sed non docet, quomodo siccitas impediat hanc vnionem. Vera ergo huius ratio est, quã superius adduximus, cum interpretaremur Galeni locum, in quo scribit, partes spermaticas (vt ille vocat) regigni non posse. *Quia enim huiusmodi partes frigido & sicco sunt temperamento, & propterea debilem, & tardam exercent concoctionem, & a carne vndequaque continguntur, cuius vis concoctrix ob calorem & humorem valida & facilis est concessa, accidit, vt antequam illa possint sibi similem substantiam regignere, carne repleatur intermedium spatium, quod ex diuisione in illis est factum.* Quare cum diuersi generis interueniat substantia, non potest conglutinatio, & vera vnio fieri, sed

connexus

connexus & colligatio quædam, quo tamen si recte fit, si non parem vim cum vnione vera habet, tamen ea sufficit ad actiones, & vsus partium non infeliciter etiam in magnis malis exercendos. Sæpe enim vidimus extremam manum ex vulneribus ita à cubito diuisam, vt præter cutem paucæ admodum aliæ superessent particulæ, quæ coniunctionis essent causæ: tamen adhibitis aptissimis remediis huiusmodi affectum ita sanatum fuisse, vt nutritio prospera postea successerit, nec penitus perierint sensus & motus. Ac vnionis quidem causa tota prouenit ex cubito. Extrema enim illius pars, quæ cum manuco hærebat, alimentum conficit, quo manus ipsa, quæ in hoc opere nullam vim habere pôt. conglutinatur: facta vero vnione in partibus carnosis, & colligatione per exiguum callum in aliis partib. per venas, arterias & neruos cubiti, manus ipsa particeps fit caloris, nutrimenti, sensus & motus. Id vero, quod penitus abscisum non fuit, vt est causa, cur extrema manus penitus non sit separata à reliquo corpore, ita vt manus hominis adhuc dici posset. sic author est aliorum omnium bonorum, quæ postea reliquis diuisis partibus ex recta curatione contingunt. Naturę enim vis ex minimo, vt ita dicam, fomite excitatur & spargitur in membra, quæ nobis iam mortua videntur.

Ἡγεῖται δ' αὐτῆς, ὅταν μεῖζον γένηται τὸ τραῦμα, προσαγωγὴ τῶν διεστώτων μορίων, ἐκ τοῦ τῆς διαπλάσεως ὑπάρχουσα γένους. ἵνα δ' αὐτὴ γένηται μόνιμος, ἐπίδεσις ἡ συνάγουσα τὰ διεστῶτα, καὶ ἀγκτῆρες, καὶ ῥαφαὶ χρήσιμοι.

Ipsam vero antecedit, quando vulnus maius extiterit, partium applicatio distantium, quæ ex formationis genere existit. Vt autem hæc ipsa firma ac stabilis fiat, & alligatio cogens in vnum quæ distant, & fibulæ & suturæ vtiles sunt.

Posteaquam docuit Galen. partes diuisis redire ad suam naturam, & vnionem per conglutinationem, & hoc esse commune omnibus diuisionibus, quæ fiunt in parte carnosa: nunc quod proprium est magnis diuisionibus, explicat, id autem est applicatio partium. Nam cum conglutinatio (vt antea ostendimus) fiat per arctissimum contactum superficierum partium vulneratarum, nisi applicatio exacta fiat, nũquam poterit vnio fieri: sunt ergo partes distantes simul applicandæ, ita vt naturalem conformationem & figuram recipiant; id enim est, quod dicit, *quæ ex formationis genere existit.* Nam huiusmodi applicatio est veluti conformatio quædam, vel reductio ad conformationem, vel certe conformationem efficit. Est ergo opus applicatione distantium partium, vbi illæ ob vulnerum magnitudinem inter se distant. Ac ea non sufficit, sed illam oportet firmam, & stabilem fieri, vt tempus concedat naturæ ad vnionem faciendam ex carnis regeneratione. Firmam autem intelligit, in qua labia vulneris se arctissime contingunt: Stabilem vero, quę perduret, quantum exigit natura: docet autem modos per quos applicatio fieri possit, sunt autẽ alligationes, fibulæ & suturæ. Porro alligationes fiunt per fascias, & alia apta vincula, pro partis affectæ magnitudine, figura & situ, atque etiam pro connexione cum aliis vicinis partibus: quarum vim & modum Gal. & Hipp. variis in locis & Tagaultius paucis in suo opere est complexus: & propterea ne opus nostrum crescat ex aliorum laboribus, nos hæc omittemus, docent & illi suendi vulneratas partes & ipsas fascias, rationem. Cæterum fibularum & antiquiores & recentiores Medici mentionem faciunt: sed nullus, quod meminerim, docet illarum compositionem, nec vtendi modũ: nec hactenus aliquem chirurgum vidi, qui fibulis vteretur, quod forte suturæ & fasciæ fœlicius hoc opus perficere viderentur. Si quis tamen fibulis vti velit, poterit id commode facere ad imitationem fibularum, quibus vtimur ad Zonas ex corio confectas: quomodo etiam equos duplici fibula ventri eorum circumducta, constringimus. Sed hæc facilius fieri possunt, quam verbis exprimi. Nam antiquorum instrumenta ideo ignoramus, quia vsus illorum periit, ac consequi non possumus, quod verbis ab illis fuit expressum. Nã quod Montan. *in suis comment.* scribit de fibulis ridiculum est: *fibula* (inquit) *dicitur, quoties procedimus agglutinantibus, vt charta pergamena bitumine illita, quæ tenet conglutinatas partes: & ideo talia apposita vocamus fibulas.* Porro non solum fasciæ & ligaturæ & fibulæ, atque suturæ vtiles sunt ad applicandas partes diuisas, sed etiam manus ipsæ boni chirurgi præcipuam in hac re vim habent. Nec etiam in firmandis & stabiliendis partibus iam applicatis, vt postea ostendet Gale. sufficiunt alligationes, fibulæ & suturæ. Nam si influant ab aliis partibus humores, aut aliquid aliud, vt pilus interueniat inter duas superficies partium diuisarum, nec firma, nec stabilis manebit applicatio.

Firma applicatio quomodo fiat. Stabilis quomodo.

Κολλᾷ μὲν οὖν τὰ διεστηκότα, καὶ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἕνωσιν ἀποδίδωσιν ἡ φύσις. ἡ μέτερον δ' ἔργον ἓν μὲν ὡς εἴρηται, τὸ συνάγειν εἰς ταυτὸ τὰ διεστῶτα· δεύτερον δὲ τὸ φυλάττειν ὡς συνήχθη, καὶ τρίτον, ὡς μηδὲν ἐμπέσοι τῶν χειλῶν μεταξὺ προνοεῖσθαι, καὶ τέταρτον, αὐτὴν τοῦ μέρους τὴν οὐσίαν ὑγιεινὴν διαφυλάττειν,

Coalescere autem facit ea, qui inuicem distant, ac pristinam restituit vnitatem ipsa natura: nostrum vero opus est, vt diximus, applicare extrema distantium partium, atque ita vt in vnum coacta sunt, conseruare, & tertio loco cauere, ne quid labris vlceris intercidat, & quarto ipsam partis substantiam conseruare salubrem.

Dicebat Gal. diuisiones carnis postulare conglutinationem, applicationem partium, si magna sunt vulnera, & præterea illis, quæ possunt applicatas partes firmare, & stabilare: sed non docuit, cuiusnam officium sit hæc præstare, naturæ, inquam, vel Medici, quod hoc loco facit, & dicit, cõglutinationem, & vnionem fieri ab ipsa natura, alia vero opera esse Medici. Qui vero ignorant, in vnione hac fieri agglutinationem per carnis generationem, ostendere non possunt, hoc opus ad naturam pertinere. Quid enim aliud ea potest fa-

cere præter carnem, quæ sit viscus & gluten partium, diuisarum. Idem docent quatuor prædicta Medici opera, quæ vt naturam adiuuent ad carnem gignendam: esse autem ea opera Medici omnia necessaria, ex Gal. dictis facile patet, quare ad ea, quæ sequuntur accedamus.

Τὸ μὲν δὴ πρῶτόν τε καὶ δεύτερον ὡς ἄν τις ποιήσειεν, εἴρηται. τὸ δὲ τρίτον, ἐν μὲν τῷ συνάγειν τὰ διεστῶτα γίνοιτ' ἄν, εἰ μηδὲν ἔξωθεν ἐμπίπτειν ἐάσομεν. ὡς, πολλάκις γε θρὶξ, ἢ ἔλαιον ἢ ὑγρότης τις ἑτέρα μεταξὺ ἐμπεσοῦσα τῶν κολληθησομένων, ἐκώλυσεν αὐτῶν τὴν ἕνωσιν. ἐν δὲ τῷ μετὰ ταῦτα χρόνῳ διὰ τῆς ὑπορρύσεως, ἡ τοῦ τρίτου σκοποῦ φυλακή. τὴν δ' ὑπόρρυσιν αὐτὴν, ἐξ ἐπιδιαιρέσεως, καὶ ἀντιδιαιρέσεως, καὶ σχήματος ἐπιτηδείου ποριστέον. ἡ δ' οὐσία τοῦ μέρους ὑγιεινὴ, φυλαχθήσεται διὰ τῶν μετρίως ξηραινόντων.

Sed quo pacto primum & secundum impleamus officium dictum est: tertium vero in cogendo in vnum partes distantes exequemur, si nihil extrinsecus incidere permittamus, quoniam sæpius vsu venit, vt pilus, aut oleum, aut alia aliqua humiditas interuenientes, earum, quæ copulandæ sunt, partium vnitatem impediat in eo autem, quod sequitur tempore per effluxionem, tertia intentio retinetur: ipsam vero effluxionem ex eiusdem & contrarii loci diuisione, & figura opportuna comparabimus. Partis autem substantiam salubrem, cum mediocriter exsiccantibus, conseruabimus.

Posteaquam enumerauit, quænam sint officia Medici, quibus ille naturã iuuat in cõglutinatione, & vnione partium, docuitque quatuor illa esse, nunc docet, quomodo singula officia exerceri possint, & dicit primi, & secundi remedia iam esse ostensa, quibus scilicet distantes partes inter se applicemus, & semel applicatas firmiter & stabiliter retineamus. Quomodo vero tertium & quartum scopum assequi poterimus explicat: Tertiũ .n. scopũ diuidit in id, quod ab initio fieri debet & quod faciendum est procedente curatione. Nã antequã partes diuisę applicentur, debemus videre, si quid inter labia vulneris interueniat, quod impediat fieri exactam applicationem, cuiusmodi sunt (inquit) pili, oleum, humor aliquis: quibus addi possunt fragmenta ossiũ, vel telum infixum, vel spina, vel arundo, aut pilæ ferreæ per sclopetos immissæ, vel illarum fragmenta quædam, vt sæpe fieri solet. Quod si mihi liceat meliorem ordinem in Gal. dictis constituere, ita dicam: medicus in conglutinatione partium, debet naturã iuuare, quatuor modis? primo remouendo, si quid est inter partes diuisas, quod applicationem exactam fieri impediat? secundo debet diuisas partes simul committere, & applicare? tertio loco debet applicatas partes firmare & stabilire, & stabilitas conseruare: quarta intentio est partis substantiam tueri: Ratio enim postulat, & medendi vsus, vt antequam vulneratas partes applicemus, diligẽter inspiciamus,

Ordine meliore hæc tractat autor.

A si quid contineatur extraneum, vel in medio spatio, vel in vna, vel vtraque parte diuisa. Vt .n. illud ante applicationem facile tollitur: ita posteaquam est facta coniunctio, & adhibitæ sunt ligaturæ, & forte etiam facta iam aliqua conglutinatio, nulla arte auferri potest. Prima ergo sit intentio quæ tertia à Gal. ponitur: secunda efficiat applicationem: tertia applicatas partes conseruet Galen. vtrumque scopum iisdem remediis consequi scribit nẽpe per ligaturas, suturas & fibulas. Ego vero puto esse distincta remedia, vt opera inter se differũt. Nã in applicatione præstanda, manus chirurgi potissimam vim habent. fasciæ vero & suturæ vim habent potius conseruandi adductas iam partes, quam illas adducendi & applicandi. Nam magnas

Vsum prædictorum remediorum docet, & alia addit auxilia.

B diuisiones & distantias, quas manus applicare non potuit, non coniungent suturæ, fasciæ & fibulæ. Præcipuum ergo remedium quod requiritur in applicatione partium, sumamus ex manibus chirurgi: Alia vero præsidia, mixtum opus videntur præstare, iuuare, inquam, applicationẽ, & quæ applicata sunt, arctissime connectere. Ad hoc vero opus continuandum, non solum fasciæ, suturæ, & fibulæ conferunt: sed etiam situs partium accommodatus, puluilli, & saniosi excremẽti, quod ex carnis generatione necessario sequitur, effluxus. *Quartum scopum* (inquit Galenus) *assequemur, exsiccando mediocriter partem ipsam affectam:* quibus vero remediis exsiccatio huiusmodi perficiatur, non conuenit inter interpretes. Nam

De exsiccatione partis vulneratæ dissensio & Tagautius reprobatur.

C Tagautius adhibet ad exsiccandum, quæ prohibent fluxiones ad eam ferri, ex qua dolores, inflammationes, & alia huius generis symptomata nascuntur: atque inter hæc remedia recenset sanguinis missionem, purgationem, commodam victus rationem, & linimenta ex oui candido, quæ omnia causam antecedentem & præseruationem respiciunt, non autem curationem, de qua sola hic agit Galen. præterea si ita hunc quartum scopum consequi à nobis, dicemus, in quo, quęso, scopo continebuntur glutinantia tot remedia necessaria in glutinatis partibus, & celebrata à Galen. *in libris de Methodo medendi, & de medicamentis secundum genera?* inter quæ recentiores nostri chirurgi nullum inueniunt pręstantius cerato barbaro: quod iam passim in maximo & fœlicissimo est vsu, præsertim in magnis vulneribus conglutinandis. Hęc ergo sunt ea remedia, conglutinantia, inquam, quæ partem exsiccant, & exsicando saniem resudantem absumunt, labiaque vniunt, constringendo & comprimendo: ex quo patet, in quarto scopo temerè hæc esse posita remedia: nam medendi vsus huic ordini repugnat. Etenim docti chirurgi Galenum sequentes *in lib. 2. de medicamentis secundum genera, cap. de emplasticis & glutinantibus* vulneratas partes si quid habent sanguinis concreti, prius vino tepido cum spongia abluunt, & si quid aliud est extraneum inter labia, auferunt: deinde ea applicant. posteà consuunt, & cerato amplectuntur membrum vulneratum: Postremo fascia superinducta ligant, & stringunt cum ipso cerato non solum id, quod est vulneratum, sed etiam quod sanũ est vtrinq;. Interiecto vero vno aut altero die soluũt ligaturas, & auellũt ceratũ in molli corio extensũ, quod ad firmandũ vulnus quàm tela, aptius est, & corio detracto inspiciunt an suturæ rectè sint factæ, & num satis pateat exitus ad sa-

Cerati barbari vis, & vsus.

ad saniem expurgandam, quam natura in generatione carnis parit, & per labia emittit. Quod si quid in his rebus desit aut perperam sit factum, emendant, tursusq. superinducto cerato, & adhibitis aptis fasciis & ligaturis, paucorum dierum spatio conglutinatas partes vident, quo opere perfecto admonent cerata: quæ cicatricem inducunt. Quæ curandi ratio, vbi simplex est vulnus, antiquissima est, & omnium breuissima, tutissima, iucundissimaque. Quæ vero à recentioribus chirurgis, contemptis Hippocratis & Gal. remediis, inducta est per digestiua (vt illi vocant) & mundificatiua, non pertinent ad vulnera simplicia, sed ad contusa, & intemperata, vt ex verbis, quæ hic subiicit Gal. quilibet intelligere potest.

Αὕτη μὲν ἡ ἴασις ἐστι, συνεχείας λύσεως ἐν σαρκώδει μορίῳ γεγενημένης, αὐτῆς καθ' ἑαυτὴν ὑπαρχούσης. εἰ δ' ἑτέρῳ τινὶ μιχθείη νοσήματι, πλείους οἱ σκοποὶ τῶν ἐνδείξεων, ὡς ἐν ταῖς τῶν συνθέτων ἢ ἐπιπεπλεγμένων, ἢ ὅπως ἄν τις ὀνομάζειν ἐθέλοι, διδασκαλίαις ἐφεξῆς ἐροῦμεν. ἐν δὲ τῷ παρόντι λόγῳ πρὸς τὰς λοιπὰς τῆς ἑνώσεως λύσεις ἰτέον.

Hæc quidem est soluta continuitatis curatio, cum ipsa sola seorsum in carnosa carne constiterit: quod si alicui alteri morbo coniungatur, plures fiunt indicationum intentiones, quas in compositorum, vel complicatorum, siue vt cuique appellare libuerit, doctrina deinceps trademus. In præsenti autem sermone ad reliquas vnitatis solutiones accedendum.

Admonet Gal. se hic solum docuisse curationē vulneris simplicis in carnosa parte. Est enim simplex vulnus, quod in sola diuisione virium habet, & illud accipit suas differentias ex differentiis diuisionum: sunt enim diuisiones quædam profundæ, aliæ superficiales: quædam magnæ, aliæ paruæ: quædam breues, aliæ longæ, aliæ acutæ, quales sunt, quæ pungendo fiunt: aliæ, quæ à reb. latioribus secantibus inferuntur: aliæ obliquæ, aliæ rectæ, aliæ retortæ, pampini modo, aut hami situ: aliæ præterea sunt æquales, aliæ inæquales, item aliæ sunt recentes, aliæ diuturnæ: aliæ fiunt in profundis partibus, aliæ in exterioribus, aliæ sunt penetrantes per totum membrum vulneratum, aut per cauitatem corporis, de quibus omnibus Gal. *cap. 10. 3. lib. Meth. medendi*, agit. Cum vero dicimus, vulnus esse concauum, aut intemperatū, vel inflammatum, vel dolorificum, vel sordidum, aut cum carne supercrescente, non vult hæc esse nomina differentiarum vulneris, sed vulnus tunc esse cum aliis morbis compositum: Illud enim esse rei differentiam, quod per se non potest consistere, vt magnitudo, paruitas, æqualitas, inæqualitas, tempus, figura: Vlcus verò, phlegmone, gangræna, putredo, & reliqua huius generis, inquit, differentiæ non sunt, quia singula eorum per se consistere possunt: quippe cum affectus quidā sint præter naturam, non autem ex his, quæ affectib. necessario accidunt, hæc ita scrupulose Gale. *eo loco* prosequitur, quæ in aliis tractationib. nunquam postea obseruat. Nam si illa non possunt esse differentiæ rerum, quæ per se cōsistere possunt, cur morborum differentias distinguit per calorē, frigus, humiditatem & siccitatem? sed hæc nolo hoc loco prolixius tractare.

Vulnus simplex & illius differentiæ. Vulnera composita.

Κάταγμα τοίνυν ἐστὶ, τῆς ἐν ὀστῷ συνεχείας λύσις ἀνίατον δὲ ὄν, ὅσον ἐπὶ τῷ πρώτῳ σκοπῷ, κατὰ δ' ἕτερον δέ τινα τρόπον, ἰατὸν πως γίνεται. πρῶτος μὲν οὖν σκοπὸς, ἡ σύμφυσις οὐ δυναμένη διὰ σκληρότητα τοῦ μορίου γενέσθαι. δεύτερος δὲ ἡ δέσις διὰ πώρου δεσμοῦντος ἐν κύκλῳ τὸ κάταγμα. γένεσις δὲ τοῦ πώρου, καθ' ὅσον μὲν ἐξ ὕλης καὶ ἀπὸ φύσεως γίνεται, κοινὴ πρὸς τὰ ἄλλα, καθ' ὅσον δὲ ἐγγύς ἐστι ὀστῶν τὴν ἰδέαν, ἐκ τῆς ἐκείνου τροφῆς, μαλακὸν δὲ καὶ παιδικὸν ὀστοῦν, καὶ συμφῦναι δυνατόν.

Cap. XCI. De solutione continuitatis in osse.

Fractio igitur est continuitatis in osse solutio, qua, quantum ad intentionem primam insanabilis existit: quoad secundam vero quodammodo sanabilis fit. Prima itaque intentio est coalitus partium, qui ob ossis duritiem fieri non potest. Secunda alligatio, quæ fit callo supernato partes fractas circum alligante. Calli autem generatio, quæ quidem ex materia & à natura fit est & adulta communis. Quæ vero formam ossi vicinam habet, ex eiusdem fit alimento. Molle vero & puerile os coalescere potest.

Posteaquam Gal. egit de simplici solutione cōtinui in parte carnosa, nunc de eadem agit in ossibus, & primum docet, quo nomine ea nuncupetur à Medicis; secundo, quomodo ea sanari possit. Dicit autem, huiusmodi continui solutionem appellari *fracturam*, quod & *6. Meth. & in lib. de differ. morborum, & passim alibi* repetit: quod mihi & aliis etiam Medicis non placet. Nam non omnis diuisio, quæ fit in osse, recte appellari potest fractura: quod ex remediis descriptis ad fracturas constat. Nam Galen. hic scribit, fracturas ossium callo interueniente sanari: at solutiones continui, quæ fiunt à rebus incidentibus, aut etiā rimulæ, quæ sæpe fiunt à contundentibus, vix sensibiles, non possunt per callum colligari. Neque enim caro, & ex ea callus in eo insensibili spatio generari potest. Quare fractura, de qua hic agimus, solum comprehendit eam diuisionem, quam vulgus proprie vocat, cum ossa dicit esse fracta, idest, in multas partes comminuta, aut certe ita diuisa sunt, vt in medio sensibile spatium relinquatur, in quo possit sanguis colligi, & ex eo caro & callus tandem concrescere. Porro duo sunt modi sanandi solutiones continui, quorum primus & verus fit per conglutinationem, quando scil. partes diuisæ vere vniuntur idest, interueniente medio, quod est eiusdem generis cum extremis: quod quidem medium est veluti gluten, vnde conglutinantia remedia vocantur, quæ in hoc opere præstando naturam iuuant, hoc modo carnem vniri antea ostendimus, & in hoc loco scribit author, ossa non posse eodem modo curari & recte quidem, rationemque subiungit, cum ait, hoc fieri propter

Fracturam non esse omnem solutionem in osse.

Fractura proprie quid.

Duo modi sanationis solutionis continui.

siccitatem, idest, vt exprimit *in lib. Method. medendi* ob duritiem. Neque enim dura cum duris ob duritiem vniri posse. Alii vero causantur etiam in hac re ossium frigiditatem, quæ impedit attractionem, & concoctionem nutrimenti. Sed vt antea ostendimus, hæc nec primo, nec per se reddunt rationem huius rei. Nam vt caro carni vnitur, non quia alia mollis est, nec quia calida, vel humida, aut alterius qualitatis, sed quia partes diuisæ mutuam carnem procreant, qua ipsæ veluti muniuntur, glutinantur vniunturque sic cum ossa nutriantur, & hoc opus non impediat illorum durities, siccitas frigiditas, nec alia, quæ in ipsis est, qualitas, cur etiam non possunt ex nutrimento os efficere, sicut caro carnem? Refellimus etiam illorum opinionem, qui ex defectu seminalis materiæ, quo illi ossa constare & nutriri credunt, aiūt nequaquam fieri hanc vnionem. Nam ossa, vt aliæ omnes partes corporis, *ex sanguine aluntur, & illa ex tota massa humorum*, vt paulo postea scribit Gal. *trahunt crassissimam partem*; quæ ad seminis aerei & aquei generationem apta esse non potest. Ratio ergo huius impotentiæ alia sumi non potest, quam ex partium, quæ ossa vndiquaque circumdant, natura. Illæ enim cum sint calidæ, & humidæ, validiore concoctione præditæ sunt, qua prius carnem procreant sibi similem, quā possint ossa generare os. Quare spatia, quæ sunt inter ossa diuisa, carne etiam replentur. Quod ostendit natura calli, quæ primum est caro quædam, quam sola alia caro potest gignere: ossa vero ipsa eam postea quantum possunt, sibi assimilant: atque ita fit, vt diuturnitate temporis & alterationis media quædam fiat natura inter carnē & os. quæ & primam originem, & secundam mutationē testatur, verū cum ab initio facta sit caro, nunquā postea fieri pōt. os, quoniā ex quatuor humoribus non autem ex carne fit. Recte igitur sentit Gal. cum scribit, ossa non posse conglutinari, etsi rationem veram huius rei non reddit: qui etiam in eo reprehendi potest, quod in pueris credat ossa confracta conglutinari & vere vniri. Nam eadem incommoda ex carnis vicinitate sunt in omnibus, etsi pueri firmiorem callum, & ad naturam ossis proxime accedentem, ob caliditatem, & humiditatem abundantem, quæ fælicius omnia in omnibus partibus concoquunt, efficiant, quæ quidem nos in dissectionibus aliquando vidimus. *Igitur ossa inter se non possunt conglutinari, sed solum colligari callo interueniente, qui in spatiis intermediis gignitur. & extrinsecus etiā additur*: atq; ita interno & externo vinculo circūligantur, & firmantur, nō autem conglutinantur, vt nonnulli huius loci interpretes, huius rei, & linguarū imperiti, tradunt. Nam conglutinatio est veræ vnionis, vinculum, non eius, quæ fit per callum. Quæ vero de calli materia aliis partibus communi scribit Galen. satis ostendunt, illos errare, qui ex semine ossa nutriri scribunt: *communis enim*, inquit, *est materia*, sed ossa in eadem materia cum aluntur, diuersam formā inducunt: quoniam ipsa diuersam ab aliis naturam habent, naturæ quidē nomine intelligens formā, temperiem & qualitates alias ex forma & temperie natas. Ergo callus quatenus ad materiam attinet, & quatenus fit per concoctionem & alterationem, conuenit cum aliis rebus, quæ per concoctionem fiunt à natura: quatenus vero in duritie, crassitie, colore viscididate, ossis naturam æmulatur, id fit ob ossis formam & qualitates, quarum rerum vi os ex alimento sibi similem quantum fieri potest substantiam reddit.

Cur caro carni vnitur

Ossa eoque humore nutriantur.

Ossa fracta cur non vt caro diuisa conglutinentur.

Calli quid.

Ossa in pueris non posse per vnionem sanari & Gal. opin. nō recipitur.

Materia ex qua callus fit.

Ossa cum ex eadem materia cum aliis partibus nutriantur, cur diuersam ab aliis habeant formam.

Σπανίως δὲ καὶ ἡ τοῦδε τοῦ πάθους γένεσις ἄνευ συμπλοκῆς. ὡς τὰ πολλὰ γὰρ οἱ παρακείμενοι μύες ἅμα τοῖς ἄλλοις σώμασι πάσχουσι, ῥηγνυμένων τῶν ὀστῶν. ὥστε καὶ ὁ σκοπὸς τῆς θεραπείας διττός, ἕτερος μὲν ὁ ἐπὶ τοῖς ὀστοῖς, ἕτερος δὲ ὁ ἐπὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὰ σώμασιν. ὁ μὲν δὴ τούτοις, ἐν ταῖς τῶν σαρκωδῶν μορίων ἐπιπεπλεγμέναις διαθέσεσιν εἴρηται· περὶ δὲ τῶν καταγμάτων ἐν τῷδε ῥητέον.

Sed per raro fit talis affectus, quin cum altero societur: magna enim ex parte musculi adiacentes vna corporibus aliis factis ossibus patiuntur. Quare & curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa ossa, altera vero circa corpora adiacentia versatur. Sed hæc quidem in carnosarum partium complicatis dicentur affectibus, nunc vero de fractionibus dicendum.

Per quandam verborum consequentiam incidit in affectus complicatos cum fracturis, antequam istarum curationē absoluerit, & poterat etiam curationem prosequi & meliore ordine hæc tractare. Nam quod scribit hic de ossibus puerorum, erat addendum post illa verba, quibus scribebat, *agglutinationem fieri non posse ob siccitatem.* Tanquam enim exciperet aliquid à communi eo dicto, recte additur: *At molle puerique os coalescere potest.* Sed hic autor non raro solet tractationem turbare: quod illis maxime vsu accidere solet, qui ea, quæ semel scripserunt, non recoquunt, sed talia emittunt, qualia in primis cogitationibus occurrunt. Quod vero hic scribit, *cum fractis ossibus, musculos, & alias vicinas partes vt plurimum lædi*, intelligendum est *semper*. Nunquam enim ossa afficere possunt, quæ frangunt, quin simul exteriores partes lædunt, quippe cum frangentia vel omnino sint ex contundentium genere, vel certe ex his, quæ extrinsecus in nos agunt, nisi forte aliquando ex violentis motibus fractura fiat.

Ἐπεὶ γὰρ καὶ τούτου ἡ ἴασις ἐστὶν ἐκ τῆς πωρώσεως, ἵνα δ' αὕτη γένηται, τῆς οἰκείας τροφῆς ὀστοῦ δεῖ περίττωμα πρὸς τὴν τοῦ πώρου γένεσιν ὑποβεβλῆσθαι τῇ φύσει, τὸ περίττωμα δὲ τοῦτο, καὶ τῇ ποιότητι καὶ τῇ ποσότητι σύμμετρον εἶναι χρή, διὰ τοῦτ' ἀγωγῆς δεῖται τῆς τοιαύτης καὶ ποιούσης τὸ ἐπιρρέον αἷμα τοῖς ὀστοῖς παρασκευαζούσης, ἐξ οὗ καὶ ὅσου γενήσεται πῶρος. ἐπεὶ δ' ἐκχεῖται τοῦτο διὰ τῶν σηράγγων τοῦ κατεαγότος ὀστοῦ, σκοπεῖν αὐτοῦ χρὴ τὸ πλῆθός τε καὶ τὴν ποιότητα, καὶ οὕτως ἢ ξηραντικωτέραν ποιεῖσθαι τὴν ἀγωγὴν ἢ ὑγραντικωτέραν, ἅπερ ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου γράμμασι λέλεκται.

Quoni-

A *Quoniam enim harum sanitas callositate procuratur, vt autem callus generetur, proprii ossis alimenti superfluitatem naturæ suggerere oportet, hanc verò superfluitatem in qualitate, ac quantitate seruare modum est necessarium, vnde & ratio victus est adhibenda, quæ tantum, ac talem influere ossibus sanguinem præparet, qualis & quantus generando callo sit opportunum. Quoniam vero perfractis ossis cauernas idem effunditur sanguis, eiusdem qualitatem & multitudinem animaduertere oportet, atque ita vel sicciorem, vel humidiorem victum instituere, sed hac omnia in libris, in quibus de curandi ratione tractatur, plenius sunt explicata.*

De materia ex qua callus fit.

Cum antea dixerit Gal. confracta ossa nõ posse veram vnionem recipere, quæ fit per nouam ossis regenerationem, sed solum interueniente callo colligari. Docet nunc, quæ sit materia calli, qualem, & quantam illam esse oporteat: & quoniam ea materia ex alimentis suggeritur, eodem negocio præscribit victum huic rei conuenientẽ qualitate & quantitate. Porro callum ait procreari ex excremento proprii nutrimenti ossis, intelligere autem oportet excrementum nõ quod qualitate, & re vera excrementum est, qualia illa sunt, quæ post nutritionem relinquuntur inimica corpori, vt stercus & vrina ventriculi, bilis vtraq; hepatis, sordes & vapor reliquarum partium excrementa dicuntur esse, quod scil. post illatum nutritionem inutilia, vt quæ dissimilia, relicta sint: sed intelligere oportet excremẽtum, quod quantitatẽ superfluum est: ex eo enim fit callus, ex quo nutritur os: sed cum plus affluit illius materiæ, quàm necessarium sit ad nutritionem, ex eo, quod abũdat, callus fit. Nutriuntur autem ossa ex quatuor humorib. ex quibus constant. Sed quemadmodum in generatione ossium natura assumpsit partem crassiorem & solidiorem: ita in generatione calli necessarium est ex vniuersa massa humorum aliquid ex omnibus assumere, sed plus ex eo, quod est crassum, & viscosum, cuiusmodi sunt humor melancholicus, & pituita. Quod enim futurum est vinculum firmum, & vndiq; ambiens partes separatas, talem omnino postulat materiã. Nam ex crassitie durities, ex hac robur & cõstantia: ex visciditate verò apta & firma colligatio paratur. Sed quid est, quæso, quod superfluam hanc materiam suppeditat ad calli generationem? non ossa, meo quidem iudicio, confracta, vel integra, quæ non plus attrahũt, quàm illis sit ex vsu ad nutritionem, sed *vulnerata vena*, quæ necessariò diuiduntur ab ossium fracturis. Vt enim in vulneribus carnis, per venas ipsas sectas affunditur humor, ex quo caro gignitur; sic fiat oportet cum sanguis spargitur inter spatia ossium confractorũ: qui quidem humor per contactum alteratur, & concoquitur ab ipsis ossibus, & tandem assimilatur ipsis ossibus quantum fieri potuit ratione materiæ & agentis. Nam vbi sanguis aquosus & tenuis in venis est, aut plus suppeditatur à venis, quàm possit alterari, nunquam fiet perfectus callus. Id quod etiam accidet, si infirma est alteratrix concoctrixq;, quæ in ossibus est, vt in senibus & malè affectis corporibus, aut si impeditur turbaturq; opus ipsius facultatis, eadem accidunt incõmoda, quo modo videmus illis nunquã rectè firmari ossa, qui patiuntur dolores & inflammationes; aut nouam fracturæ figurationem & restaurationem, priore, in qua callus iam concreuerat, disrupta, eo quod ab imperito chirurgo confracta ossa rectè non fuissent inter se coniuncta. Nam cum callus callo additur, firmum non potest esse vinculum.

Quantum partis materiæ callo suppeditent.

Qui impediant perfectum calli generationem.

Modus seruandus in calli generatione.

Cæterum vt callum ipsum oportet ex terrena, & viscida materia concrescere: ita oportet illius modum seruari, vt ob tenuitatem non sit satis firmum B ligamentũ: & ne ob crassitiem vicinas partes nimium comprimat: quamobrem victus instituendus est, qui qualitate sit idoneus, & quantitate mensuram seruet, ne desit, aut exuperet humorum in venis generatio. Ad hoc etiam faciet ligaturarum modus, qui solum id, quod iustum est, influere sinet, in locum affectum.

Quod a. scribit Gal. victum esse instituendum sicciorem, aut humidiorẽ, quoniam materia calli per ossis fracti cauernas transmittitur, innuere videtur primo humidiorem, deinde crassiorem sanguinem esse generandum. Nam si ab initio crassus admodũ gignatur, exiguæ rimulæ, quæ necessario esse solent in ossium fracturis, non admittẽt calli materiam. Primum ergo humidiore victu v- C tendum vt angustæ diuisiones repleantur, postea verò crassiore, & tenaciore, sic enim apta omnibus diuisionibus dabitur materia. Est hic quidem victus cõueniens generando callo, qui tamen in omni tempore fracturarũ nequaquam est ex vsu. Nam Gal. *in lib. de fracturis* inter initia mali, tenui & parco victu vtendum esse, inquit, præsertim in magnis fracturis ad sistendas & arcendas fluctiones. Hæc quidem de calli generatione necessaria in fracturis ossium, fiunt cum euidenti diuisione & separatione ossium, quæ interueniente hoc vinculo inter se colliguntur.

Quo victu vtendum in generatione calli.

Verum vniuersa fracturarũ curatio non in hoc consistit, sicut nec vulneris in sola conglutinatione. Sed sicut vulneratæ partes, vbi diuisiones erãt D distantes, erant adducendæ, & coniungendæ, & postea confirmandæ, ne rursus diuidi possent, & interim natura in firma coniunctione vnionẽ faceret, & præterea erant admouenda remedia, quę conglutinarent, & vnionem hanc iuuarent, sic in ossibus cõfractis secundum fracturæ differentias propria quædam requiruntur remedia, de quibus breuiter, quantum admittit nostrũ institutũ, disseram. Igitur si fracta ossa inter se non dissidẽt, requiritur solum ad curationem calli generatio: At si dissident à se fracti ossis partes, primum id agendum est, vt vniantur, & singulæ ex illis in naturalẽ figuram & sitũ restituantur, leni & commoda cõtrectatione, ne frangantur earum extantiæ. Quo peracto opere, enitendum est, vt immotum pror- E sus membrum consistat: Id quod tuta efficiet deligatio, qualis sanè est, quæ arcta vel laxa nimis nõ est, id quod nostro sensu, atq; coniectura, ægrotantisq; iudicio intelligemus. In quo quidem opere, si membrum confractum admittat, latissimæ fasciæ sunt adhibendæ: hæ n. arctius complectuntur & firmant membrum affectum: tales fasciæ fracturis, quæ fiunt in thoracis ossibus

Methodus curandi fracturas.

Fascia quæ apta in fracturis.

sunt accommodatissimæ: in artubus verò ipsis angustiores fasciæ sunt aptiores, vt quæ nec rugas efficiant, & cutem vndiquaque contingant, & quod deest ex latitudine, reuolutionum numero compensari potest. Quod si fractura est in medio membro, duæ fasciæ adhibendæ, quarum prima fracturam complecti debet, & circum eam circumuolui bis terve, & tandem sursum versus ferri, & illic desinere, ita tamen, vt partis sanæ multũ complectatur: id enim facit tum ad firmanda ossa, tum ad repellendam fluxionem à partibus, à quibus illam maximè timere possumus. Altera verò fascia etiam super fracturam debet incipere, priori aduersa: & vbi primos cõplexus super fracturam fecit, deorsum tendere, atque inde iterum reducta in superiore parte vltra priorem fasciam desinere. Quare hæc dimidio longior priore esse debet. Porro longitudo fasciarũ pro crassitie membri deligandi facienda est ad quatuor vel quinque aut sex cubitos: latitudo verò idonea est, ad tres, vel quatuor digitos. Adhibent autem nostri chyrurgi loco affecto, antequam fascia admoueatur, pannum lineum candido oui liquore & rosaceo delibutum, ad fluxiones arcendas. Fascias verò ipsas, posca prius madefactas, & expressas, adhibent, præsertim si recens est fractura, & absque inflammatione. Quod si adest dolor vehemens, aut inflammatio, lanis tenuibus & mollibus, vel stupis cannabinis, imbutis oleo, vel oxycrato, membrum contegunt, nec arctè ligant: ita enim affecta pars non patitur fortem deligationem. Ac vbi sola est fractura, supra priores duas fascias splenia admouent, vel ferulas leues, & æquales, & rectè figuratas applicant, quibus aliam fasciam superinducunt: idque fortè commodius ab initio, quàm Hipp. & Gal. qui nõ ante septimum ferulis vtebantur. Nam cum maximè conferant ad firmandum membrum, nihil impedit, quo minus inter initia mali his vtantur, si neque dolor, nec inflammatio arctum illarum complexum prohibeat. Sunt etiam, qui adhibent super duas priores fascias ceratũ humidum, Gal. aut rosaceum, ad inflammationem arcendam: sed hoc genus remedii mihi est suspectum, quoniam humectatis & refrigeratis fasciis, pars affecta trãspirare prohibetur. Verum miror, quod illi, & Galenus etiam *in 6. Meth.* mentionem nõ faciat medicamentorum, quæ fractis ossibus conuenire passim commemorat *in libris de medicamentis secundum genera.* Nam de duobus tantum medicamentis mentionem facit, de eo, inquam, quo vtebatur Aleges Sidonius, & de eo, (vt inquit) ciuis quidam suus vtebatur statim in fracturis capitis super membranam denudatam. Cur enim sicut in fracturis capitis propria adhibet medicamẽta: sic in aliis sua quoque non commendat, quod facit in eo opere, vbi inter alia omnia barbarum suum ceratum maximè extollit: quod & nunc etiam in vsu esse cœpit? Sed nostri chirurgi in fine curationis eo vtuntur. Verum vires, quas illi tribuit Galenus, ad retrahenda ossa confracta, quæ intro erant compulsa, videntur repugnare huic operi. Nam si (eo authore) danda primum opera est, vt ossium partes confractæ restituantur in suum locum, & figuram, hoc genus medicamenti in primo apparatu erit admouendum. Verum tutius est vsque ad septimũ diem, aut vltra etiam pro magnitudine inflammationis, repellere fluxiones, & inflammationes, doloremque sedare, & postea huiusmodi cerata adhibere: inter quæ barbarum Galeni omnia alia dignitate & virtute superat. quo tempore etiam maximè studendum est generationi calli, in quo quidem opere nõ solum habenda est cura commodi victus, de quo antea egimus; sed præterea curandum, vt humor genitus ad eam rem idoneus, ad partem affectam trahatur: & nisi hoc fieri sponte appareat, aqua calens, autore Gal. superinfundenda est. Verum exactam omnium fracturarum per differentias, & partes affectas curationem nostri non est nunc instituti prosequi. Quare ad alia accedamus.

Vbi duæ fasciæ sint necessariæ.

Longitudo & latitudo fasciarum.

Cap. XCII. De punctura nerui et chordæ.

Νεύρου δὲ καὶ τένοντος νύγμα, διὰ τὸ πλεῖστον τῆς αἰσθήσεως, καὶ διότι συνεχές ἐστι πρὸς τὴν ἀρχὴν τὸ μόριον, ἕτοιμον ἐπικαλέσασθαι σπασμούς, καὶ μάλισθ' ὅταν μηδὲν διαπνέηται πρὸς τὰ ἐκτὸς, τυφλωθείσης τῆς τοῦ δέρματος τρώσεως. τοῦτ' οὖν χρὴ ἀναστομοῦν, καὶ ξηραίνειν οὐσίᾳ λεπτομερεῖ, δυναμένῃ πρὸς τὸ βάθος ἄχρι τοῦ τετρωμένου νεύρου. λέλεκται δὲ καὶ περὶ τούτου τελέως ἐν τοῖς τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου γράμμασιν. ἐν μὲν δὴ ταῖς ἁπλαῖς τοῦδε τοῦ γένους διαθέσεσιν, ἡ τῶν ὑγιεινῶν αἰτίων ἰδέα τοιάδε.

Nerui verò & tendonis punctura propter sensus vehementiam, & quoniam hæc pars principio continuatur, prompta est ad neruorum conuulsionem excitãdam, ac tum præsertim, cum nihil prorsus expirat obcæcato cutis vulnere. Aperiendum est igitur, atque exiccandum substantia tenui, quæ vsque ad ima nerui offensi possit penetrare. De his verò exactè diximus in libris de arte curandi cõscriptis. In simplicibus quidem huius generis affectibus salubrium causarum forma talis existit.

Vt caro & ossa continui solutionem patiuntur, sic nerui & tendones, de qua quidem nunc agit, sed satis frigidè, & negligenter. Nam cum hæ partes vulnerentur aliquando punctim, aliquando cæsim, & puncturæ aliquando pateant, aliquando verò sint cæcæ & occlusæ, ita vt visum effugiant: necnon vulnera, quæ cæsim sunt facta, nudum aliquando ostendant neruum, aliquando verò cute & carne tectum, & nonnunquam totus neruus sit præcisus, quandoque verò duntaxat ex parte dissectus, omnia erant ab initio distinguenda, quoniam plurimum mutant curationem. Non enim idem contingit neruis à diuersis rebus vulneratis, quod fit in carne: hæc namq; vnam & eandem curandi rationem, & vnũ genus remedii postulat, siue cæsim, siue punctim vulnerata sit. At neruis punctis alia conueniunt auxilia, quàm vulneratis latioribus plagis, alia ve prosunt neruis vulneratis, sed tectis carne & cute, quàm denudatis: quare sigillatim de his malis agendum est, ac primum de punctura, de qua sola agit Gal. sed ita, vt scopos curatiuos non doceat, sicut fecit in vulneribus carnis & ossium: debebat enim eodem modo ostendere, qualem vnionem

Maiorem diligentiam his requiri in Galeno, & merito.

De curatione puncturæ nerui.

nionem nerui admittant, an eam, quæ fit per cõglutinationem, an verò per colligationem interueniente callo, an aliud quidpiam sit necessarium: deinde cur omisit adductionem, & applicationem partium diuisarum, & tutelam substantiæ partis? An hoc est factum cum ratione? Nam vbi est solum punctura nerui, & non est facta distantia, quæ postulet adductionem & applicationem: nec suturæ aut fibulæ, aut arctiores fasciæ requiruntur, quæ firment coniunctas partes.

Neruorũ diuisiones an sanentur per conglutinationem vel colligationem.

Certum autem est, neruos non vniri per conglutinationem, quippe cum sola caro eam vnionem admittat: non tamen propterea de generatione calli mentio erat facienda: quia nerui tam exigua est substantia, quæ diuisionem potest replere, vt præceptis & peculiari cura non sit opus: partis vero substantia & deniq; quicquid est præstandum in punctura nerui, paucis his verbis Galen. docet. Nam quod Akachias & alii addunt, primo mitigandum esse dolorem, non pertinet ad curationẽ puncti nerui, sed ad symptomata, quæ solent accidere, vbi punctura non rectè curatur: aut vbi ob affectus magnitudinem ea mala euitare non possumus. Sed illis tunc succurrendũ est, cum adsunt; cum verò absunt, & ab initio instituenda est propria curatio, ex qua præcauemus, ne illa accidant. In hoc ergo versatur, inquit Galenus vniuersa curatio, vt exsiccetur vulnerata pars: exsiccare autem intelligere debemus hoc loco nõ propriè: Neque enim debemus per nostra medicamenta nerui substantiæ vulneratæ, aut coniunctæ parti, temperiem aliquam siccam inducere: sed intelligit exsiccationem *consumptionem saniei & excrementi, quod in vulneribus partium necessario gignitur*: illud enim auferendum est, quoniam si intus manet, pungit, & mordicat neruos: atq; ita dolorem, conuulsionem, inflammationes, & sæpe mortem cum his adfert. Sed quoniam sanies huiusmodi non potest effluere, sicut in vulneribus carnis accidit, & in latioribus ipsorum neruorum plagis, ideo rectè Galenus suadet, vt medicamenta instillemus, quæ vim habeant consumendi, exsiccando & euocãdo talem materiam. Quod si per vulneratam cum neruo cutem via satis patet medicamento vsque ad fundum vulneris, in quo sanies illa maximè colligitur, nihil aliud moliendum in cute: alioquin illa dilatanda est; medicamenta verò ipsa, quæ immittuntur, meritò debent esse prædita facultate exsiccandi, vt terræ modo humorem imbibere valeant, *sed absque adstrictione*: hæc enim & meatum occludit, & effluxum excrementi prohibet, calida præterea ea esse oportet actu, & non frigida, aut solum tepida. Nam calor ad penetrationem facit medicamenti, & ad exhalationem saniei. Debent præterea trahendi naturam habere, vt Galenus *lib. 6. Meth.* scribit, præterea sulphur, sagapenum, euforbium, in hoc opere commendat. Verum si exsiccantia medicamenta vult esse Galenus, quæ punctis neruis conueniunt, cur oleum solum, si modo non sit ex oleis astringentibus, conuenire dicit? an oleum, quæso, vim habet euidentem, aut potius insignem exsiccandi, vt ille in hac curatione requirit? An dicendum est, quod neruis punctis conueniant, quæ quocunq; modo saniem illam possunt emendare? Id quod trib. modis fieri potest, vel exsiccando, & imbibendo, vel foras trahẽdo, vel per mixtionem vnctuosæ sub-

Akachias reprobatur.

Exsiccare quid hic sit.

Qualia conueniant medicamenta, quæ punctis neruis adhibentur ad exsiccandũ & consumendum saniem.

A stantiæ, cuiusmodi est oleum, illius acrimoniam mitigando. Nec est, quod quis adferat Galenum cum oleo miscere, quæ valenter siccant, atque ita fieri ex omnibus medicamentum siccans. Nam vt id aliquando facit, veluti cum euforbium addit: ita cum solum ipsum oleum Sabinum infundit, nulla adest vis exsiccandi, sed temperandi acres humores: cuiusmodi etiam fit, cum oleo ceram aut terebinthinam miscet. Aliquando vero miscetur facultas mitigatoria cum attrahente, veluti cum oleo opopanax, & sagapenum iunguntur. Sed cur, quæso, solo oleo vtitur in hac solutione cõtinui, cum antea in vulnere carnis cauendũ esse dixerit, ne oleum incidat in partem vulneratam. Illudq; impedire vnionem? An diuersa est B ratio? Nam caro mollis, humida, & sanguinolenta nihil cõmodi sumere potest, sed omnia incommoda ex oleo vnctuoso. At punctura nerui nullam euidentem postulat regenerationem substantiæ, & satis est, si prohibeamus acrimoniam saniei: ex qua, vel minima, dolores, conuulsiones, inflammationes, & mille alia mala nascuntur. Dicendum ergo, quod oleum non sit remedium vulneris, sed potius præseruatiuum auxiliũ aduersus imminentia symptomata, vt Galenus 6. *Meth. cap. 2.* his verbis testatur: *Vbi enim, inquit, magna diuisio est, curandum est, vt labra vlceris vniantur, & glutinentur. vbi autem stylo, vel acu facta est diuisio, id duntaxat curandum, ne phlegmone particula tentetur. Igitur oleum maximè antiquum* C *solum, vel cum terebinthina mixtum, parabile sit remedium: in durioribus verò corporib. additur, vel sagapenũ, vel opopanax, vel sulphur viuum: tanquam ex illis miscendum cum oleo, donec sordis, vel mellis crassitudinem acquirat medicamentum.* Probat a. Gal. maximè hanc compositionem, quæ recipit ceræ partem vnam terebinthinæ & picis vtriusq; partis vnius dimidium, ex euphorbio vero ceræ partem duodecimam, & plus aliquando euphorbii & terebinthinæ & picis addebat in durioribus corporibus. Atq; hoc medicamentum in vulneris sinũ immittebat: deinde lanam mollem oleo calente madefactam supra alligabat. Quod si dolor vehemens adest, oleum ex vitellis ouorum instillatum prodest. At vero si neruus cæsim vulne- D ratus est, ita vt nudus non appareat, tunc exsiccandum est sine morsu: quare aliena sunt medicamenta, quæ ex euphorbio & aliis acribus constant, prosunt vero hæc remedia, calx sæpe cum aqua frigida lota, & multo oleo soluta, & vnguentum ex pompholige, quod nunc ex tutia dicitur. Quod si robustus est, qui vulnus accepit, & à superuacuis humoribus mundus, valentiora prosunt remedia, cuiusmodi est Pollyidæ, pastillus sapa solutus. Euitandum autem oleum est in his vulneribus, abstergendaque sanies molli lana specillo circumuoluto, & madefacto in sapa: deinde eo expresso. Ac post primos dies, licebit etiam lanam madefacere in vino dulci, quod tamen fuluum non sit & acre. Vlcere vero ad cica- E tricem veniente, alba, & tenuia vina dulcibus præstant. Ad iam dicti vero pastilli vsum propè accedit medicamentum diachalciteos, quod nos vnguentum siue cerotum de palma vocamus: quod æstate rosaceo, hyeme oleo optimo liquandum est. Ac etiam pro pastillo pollyide, vti possumus Andronis, vel Pasionis, vel ipsius Galeni pastillo. Admonet idem *in 6. Meth.* in his neruo-

Oleũ cur neruis punctis instillatur.

Cur oleum aliarum partium vulnerib. obsit, neruis vero punctis prosit.

Oleum non esse remediũ vulnerũ, sed præseruatiuum aduersus imminentia symptomata.

Neruis punctis diuersa remedia adhibenda pro diuersitate corporum.

Ad puncturam nerui cum dolore.

rum vulnerib. quod etiam puto intelligendũ esse A in omnibus, spinam dorsi, axillas, collum, inguina, caputq; calente oleo assiduè esse madefaciendum, ea ratione, credo, ne cõuulsio accidat. Præterea iubet, corpus purgandum esse, & sanguinẽ mittendum, victumque tenuem instituendum? Quæ omnia eo tendunt, vt fluxiones à neruis auertamus, ne inflammatio & conuulsio accidant.

Cur in vulnere totum neruum non amputante maius sit periculum conuulsionis.

De curatione nerui prorsus non incisi.

Cæterum si vulnus totum neruum non amputauit, maius conuulsionis periculum imminet, scilicet *phlegmone à sectis fibris ad non sectas communicata, conuulsione verò ipsa à non sectis excitata.* Ac quod ad vlceris curationem attinet, eadem remedia competunt, verum latius sanguinẽ detrahere oportet, & tenuiore victu vti: tum in quiete omnino ac lectulo molli hominem cõ- B tinere necessarium est. Quod si conuulsio superueniat, sine mora præcidendæ sunt fibræ, quæ integræ adhuc sunt: sic enim mors euitatur, ex partis mutilatione. Cæterum si per eiusmodi vulnera partes inter se coniungi non possunt per ligaturam, suturæ sunt adhibendæ: cauendum tamen ne ab acu neruus, vel tendo pungatur. Ideo vbi sutura recenter facta fuerit, consutum vulnus fouendum est rosaceo, in quo lumbrici terrestres prius decocti fuerint, aspergendusque puluis aliquis, qui suturam contineat, adiecta pari portione eorum lumbricorum desiccatorum & contritorum. Prodest & centaurium minus arefactum, contritum & aspersum.

Quid agendum si conuulsio superueniat.

Curatio, qua debeatur neruo vulnerato & nudo.

Iam verò si neruus nudatus appareat, qui vul- C neratus est, euitanda sunt acria medicamenta, qualia sunt, quæ ex euphorbio componuntur: sed eligenda sunt, quæ siccent absque erosione. Propterea abluere medicamenta oportet, quæ huic malo medentur. prosunt ergo, Gal. authore, infrascripta remedia, calx aqua pura sæpe lota, & exsiccata, & optimo plurimoque rosaceo admixta, & pompholix elota, etiam cum rosaceo soluta: & mel optimum cum rosaceo emplastri modo confectum: nec non pastilli prædicti.

Curatio nerui vulnerati & contusi.

Contingit verò aliquando neruos vulnerari & contundi, simili affectu laborante cuti: quo casu terebinthina calens infundenda est, & supra postea admouenda remedia, quæ exsiccandi & a- D stringendi vim habeant, cuiusmodi est fabacea farina cum oxymelite, & sapa permixta; miscere etiam potes irim Illyricam, & absynthium. Chirurgi verò nostri in tali affectu ab initio rosaceum cum oui albumine admouent, & post aliquot dies fouent locum vino rubro & crasso tepefacto. Quod si dolor simul cum contusione infestat, picem liquidam cum fabacea farina, oxymelite, & sapa decoques, & calidum applicabis cataplasma. At si neruus contusus sit, cutis vero ipsa sensui appareat, locum fouebis oleo anetino, vel chamemelino, vel irino, & lanam oleo eodem madefactam alligabis. Atque hæc quidem sufficiant de neruorum vulneribus: nam exacta huius rei tractatio integros libros postularet, quæ res excedit limites nostri officii & instituti. Quare ad alia ac- E cedamus.

Curatio nerui contusi & dolentis.

Κατὰ δὲ τὰς συνθέσεις, ἐπιπέπλεκται τοῖς ἕλκεσι, πρώτη μὲν κοιλότης, ἣν οὐκ ἄλλην διάθεσιν, ἀλλ' ἕλκους ἡγοῦνται διαφοράν. ἔστι δ' οὐ διαφορὰ τοῦ γε τοιοῦτον, ἀλλ' ἕτερόν τι γένος

ὅλου τοῦ νοσήματος, ἐν ᾧ τῆς οὐσίας αὐτῆς ἐστὶν ἀπώλεια. καὶ τούτων ἡ ἴασις ἐπὶ διττῷ πάθει, διττοῦ δεῖται σκοποῦ, ἡ μὲν γὰρ τῆς συνεχείας λύσις, ἑνώσεως, ἡ δὲ τῆς οὐσίας ἀπώλεια, γενέσεως χρῄζει. λελεγμένοι δ' εἰσὶν ὀλίγον ἔμπροσθεν οἱ τῆς γενέσεως σκοποί, καὶ μὲν δὴ καὶ ὡς χρὴ πρῶτον ἰᾶσθαι τήνδε τὴν διάθεσιν, εἶτ' ἐξῆς ἑνοῦν ἐπιχειρεῖν, αὐτὴ τῶν πραγμάτων ἡ φύσις ἐνδείκνυται. ὅταν οὖν ἀναπληρωθῇ μὲν τὸ κοῖλον, ὁμαλὸν δὲ τὸ ἕλκος ὑπάρχῃ, τὸν ἕτερον τῶν σκοπῶν ἀνῃρῆσθαι συμβαίνει. μέσης γὰρ τῆς νεογενοῦς σαρκὸς ἱσταμένης τῶν χειλῶν τοῦ ἕλκους, ἑνωθῆναι μὲν ἀδύνατον τὰ διεστῶτα. σκοπὸν δ' ἄλλον ἰάσεως ἐξευρεῖν χρή. τὴν δ' εὕρεσιν ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν ἕξομεν, ὃ περιποιῆσαι τῷ μέρει προσήκει. κατὰ φύσιν δ' ἦν αὐτῷ σκέπεσθαι δέρματι. τοῦτ' οὖν ἡμῖν ἐστι ποιητέον, ἢ εἴπερ ἐστὶν ἀδύνατος ὁ σκοπός, ὅμοιόν τε δέρματι. τὴν γοῦν οὐλὴν δερματώδη ποιητέον ἐστίν. ἔστι δὲ τοιαύτη, ξηραινομένη τε ἅμα καὶ τυλουμένη. ξηραινόντων δὲ καὶ στυφόντων ἀδήκτως, ἔσται χρεία φαρμάκων εἰς τὰς ἐπουλώσεις.

In *compositis vero complicatur vlceribus prima quidem cauitas, quam non alterum affectum, sed vlceris differentiam esse arbitrantur: est autem non differentia huiuscemodi res, sed alterum aliquod totius ægritudinis genus, in quo ipsius substantia iactura facta est, & quidem curatio in duplici morbo, duplicem exigit intentionem. Nam continuitatis solutio, vnitate; substantia autem iactura, generatione indiget. Paulo vero supra generationis intentiones exposita sunt. Quod autem primum quidem hũc affectum oporteat sanare, demum sanitatem restituere tentare, ipsa rerum natura commonstrat. Cum itaque repletum quidem fuerit cauum, vlcus verò ad æqualitatem perductum, alteram intentionem aboleri contingit. Nam media existente inter labia vlceris ea carne, quæ nuper genita est, partes quidem distantes vniri est impossibile, vnde fit, vt alia sit intentio perquirenda: intentionem autem consequemur, ex eo, quod est secundum naturam, ipsi parti comparando, erat autem eidem cute obduci naturale. Quare hoc ipsum à nobis procurandum, aut si hæc intentio effectum sortiri non potest, simili aliquid cuti, carnem scilicet, quæ cutis naturæ vicina sit, instaurandum. Est autem huiusmodi, quæ & sicca est, & calli similitudinem præ se fert. Ad cicatricem igitur obducendam necessaria erunt exsiccantia, ac sine*

ac sine mordacitate astringentia medicamenta.

Docendi ratio postulat, vt post simplices affectus, & suas differentias, de compositis agamus. Itaque posteaquam de simplici solutione continui, & quibusdam ipsius differentiis tractauit Galenus, transit ad compositos affectus, qui cum solutione continui coniungi solent. Est quidem ipsa solutio continui simplex affectus, qui differentias capit ex magnitudine, paruitate, diuersa figura, æqualitate, inæqualitate, partium differentia. de quibus Gal. c. 10. 3. *lib. Meth.* agit, & hic nonnullas attigit, nempe eas, quæ sumuntur à differentia partium, & à magnitudine. Cum vero dicimus, vulnus esse cum carnis amissione, aut cum phlegmone vel putredine, aut dolore, vel sorde, non vult has esse solutionis continui differentias, sed his nominibus significari duos affectus, qui vnum membrum infestant. Pari modo, cum dicitur, vlcus cacochymum, aut fluxione vexatum non vlceris differentias, sed causam cum vlcere copulari censet, & hæc probat eo principio, quod id nullius vnquam alterius possit esse differentia, *quod consistere seorsum & per se potest, cuius generis est* (inquit) *magnitudo, paruitas, æqualitas, inæqualitas, tempus, & figura. Vlcus verò*, inquit, *phlegmone, gangræna, & putredo, singula seorsum & per se consistere possunt, quippe cum affectus quidã præter naturam nostri corporis, non autem ex his, quæ affectibus necessario accidunt.* Rectè quidem hæc dicuntur à Gal. sed in aliis tractationib. ille ea non obseruat, nec aliquis error in hac re fit, siue differentias solutionis continui, siue complicatos affectus dicamus esse. Porro inter complicatos affectus primum agit de cauitate, quæ etsi figuræ, & conformationis quædam est differentia: tamen quia vitium hoc emendatur ex restitutione substantiæ deperditæ, quæ cauitatem replebat, ideo inter mala ponendum est, quod ad magnitudinem pertinet: minor enim fit pars, cuius substantia est diminuta, non autem ad numerum pertinet, quia superest caro, & quæ in carne ipsa continentur partes; ita vt numerus partium naturalis adsit: verum omnes sunt diminutæ, & mutilatæ. Rectè ergo inquit, iacturam esse factam ipsius substantiæ, quia illius pars est ablata. Porro Gal. in tali affectu quærit scopos curatiuos, quos natura rei primum quidem postulat, deinde quos affectus ipse potest admittere. Cum enim hic adsit continui solutio, & substantiæ iactura, illa vnionem, hæc verò regenerationem indicat necessariam. Verum vnio, quæ fit per conglutinationem, quæ vera est solutionis continui propriaque medicina, & remedium, hic præstari non potest. Nam cum vlcus cauum carne impletur, non fit conglutinatio, etsi eiusdem generis est vinculum: quoniam in conglutinatione superficies diuisarum partium solum inter se committuntur, nec aliud sensibus apparet fieri, quod sit intermedium vinculum: in cauo autem vlcere, vbi caro regignitur partes, quæ distabant, amplius vniri non possunt, ita vt superficies vnius superficiem alterius tangat. Nec per callum fit sanatio, sed per regenerationem similis substantiæ. Verum quoniam caro regenerata naturaliter non habet, si cute nõ tegitur, natura rei vtiq; exigit, vt posteaquam cauitas repleta est, & ad æqualitatem suam pro natura partis perducta, cutem regignamus. Verum & in hoc etiam negotio assequi non possumus, quod naturalis status indicat esse faciendum. Cogimur ergo efficere, quod possumus: illud autem, quod possumus, est superficiem carnis regeneratæ exsiccare, indurare, & denique talem efficere, vt cutis vsus præstare possit. Ergo in præsenti affectu cum vnire non possumus, carnem regignimus, ex qua diuisas partes communi & eiusdem naturæ vinculo inter se coniungimus, veram vnionem, quantum possumus, æmulantes. Ac cum non possimus carnem vera cute tegere, aliquid ipsi simile ex carne subiecta paramus. Duo ergo solum in hoc opere fiunt, carnis regeneratio, & eius, quod cuti est simile. Quare pueriliter errat Delphinus, qui ait, primum esse regenerandam carnem, deinde id quod cuti est simile, postremo verò fieri agglutinationem. Nam hic nulla fit agglutinatio, quia per illam fit vera vnio, quam Galenus *in hoc contextu* negat fieri posse. In eodem errore etiam Akachias versatur, qui nõ intelligit quid sit *agglutinare*: sed de hac re nos antea abundè egimus, quod verò superest, explanemus. Igitur quod scribit, substantiæ amissionem restitui, intelligendum est, quod ex nutrimento suppeditetur materia, ex qua fit carnis amissæ regeneratio à natura per concoctionem. Non enim est facultas formatrix, quæ carnem in hoc effectu gignit, vt vniuersum corpus in vtero generauit & conformauit, sed facultas concoctrix, quæ in parte concaua residens, dum plus concoquit, quàm ad nutritionem sit necessarium; in partibus integris, incrementi: in aliis verò in quibus aliquid est deperditũ, ex propria substantia, regenerationis fit autor, si modo id, quod amissum est, vt caro, regigni sit aptum. Nam, vt diximus, os non potest aliud os regignere: aliquid tamen, quod naturam ossis æmulatur, nẽpe callum, procreat, qui vinculum fit ossibus fractis & diuisis. Qua quidem in re non immerito quis dubitabit, quonam modo carnis generatio etiam in decrepitis fiat, in quibus vix fieri potest nutritio? Ideo enim senes rugosi, macilenti, & tenuiores redduntur, quia improbè nutriuntur. Quod si debilis fit in his nutritio, quomodo fiet regeneratio, quæ maius quidpiam postulare videtur, quàm simplex incrementum, aut proprii status conseruatio? An natura nostra ita solicita videtur esse de vnione partiũ, vt vniuersi natura de mundi repletione? Nam aer, & ignis, descendunt: aqua & terra ascendunt, ne fiat vacuum: ita profecto cum natura nostra in vnione sit posita, non mirum, si illa quoque inito conatu suam vnionem tueatur. Deleret enim prius nutritionem, quàm regenerationem, per quam diuisio & corruptio illius fit. Vnde videmus, partes vulneratas graciliores fieri, *eo quod ipsarum nutrimentum in regeneratione carnis amissæ, partim absumatur.* Porro carnis, vt alterius cuiuscunque substantiæ, regeneratio solius naturæ est opus, vt etiam glutinatio: eius verò, quod cutis vsum præstare potest generatio, solius Medici est opus, qui admodum exsiccantia adhibet: ex quibus caro callosa redditur: in carnis vero regeneratione Medicus naturæ seruit, dum excrementa expurgat, quæ in eo naturæ opere fiunt, de quibus paulo postea agemus: in agglutinatione verò, & vera vnione, quid idem præstet, superius nos ostendimus.

Solutionis continui differentiis vnde.

Differentia quod esse non possit.

In vulnere cauo non fit vnionem conglutinationem per callum, sed regeneratione.

Delphinus notatur.

Quomodo vulnera caua repleri possint in senibus.

Partes vulneratæ cur fiant graciliores.

Carnis & cutis generatio cuius sit opus.

Duplex excrementum in qua concoctione fiat, & in qua non.

tum excrementum relinquitur, tanquam totum inutile naturæ. Non ergo in omni concoctione, duplex fit excrementum, si in concoctione, ex qua fit pus, totum, quod concoquitur, excremētū est, & vnius naturæ: sed tunc fiunt duo illa genera excrementorum, quando cōcoctio tendit ad nutritionem. Quia enim nutrimentum nō est actu simile, dum concoquitur, & ante ipsam cōcoctionem, sed potentia, in qua aliquid est naturæ dissimile & inimicum, ita vt per concoctionem nunquam prorsus simile & amicū fieri possit: aliud verò per illam tandem fit amicum, & actu penitus simile, ideo in nutritione merito resultant illa duo genera excrementorum: quod enim mediocrem habet temperiem & consistentiam, naturæ, quæ in mediocritate posita est, adiungitur, & in illius nutritionem & incrementum cedit: quod verò crassius est, aut tenuius, quia dissimile est naturæ nostræ, ideo illius fit excrementum. At si hæc fiunt excremēta in nutritione partium, cur etiam non fient in partibus vlceratis? fiunt quidem, quatenus illæ nutriuntur, sed illa per vlceris labra & cauitates non effluunt, sed per externam superficiem, sicut fit in partibus sanis: pus vero, quod fit in regeneratione carnis, nō est excrementum nutritionis, sed *regenerationis substantia.* Non eadem autem esse oportet nutritionis & regenerationis excrementa, quoniam opera diuersa sunt, diuersæq; affectiones in parte. Sed cur, quæso, in regeneratione partium fit excrementum? *quoniam illa fit per concoctionē, ad quam necessario sequuntur excrementa, sed duo necessaria, vt diximus, fiunt in nutritione, vnum verò in regeneratione.* Nam pus, quod fit in regeneratione carnis, non est reuera excrementum, quod, inquam, substantia, ex qua fit, sit inimica: fit enim ex sanguine aliorum humorū participe, qui cum influit in partem, quæ regenerationem suæ substantiæ molitur, illius portionem, quæ roris modo colligitur in superficie partis diuisæ, & iam à vasis excidit, non penitus assimilari potest, sed pus fit, quia cum illic adhæreat, nec liberè transpiret, leuis alicuius putredinis fit particeps, & autor in partibus diuisis: quapropter aliquem fœtorē habet pus etiam optimum, quod prohibitæ transpirationis, & alicuius putredinis est indicium. Ergo pus in vlceribus quantitate est excrementum, & fit ex sanguine, ex quo caro ipsa gignitur, ex eo, inquam, quod per diuisas venas & arterias effluit, & in superficie colligitur, dum à natura retinetur, aut à carne inæqualiter crescente, aut etiam æqualiter, quæ tamen rugas quasdam efficit. & cum illic retinetur, concoquitur: ac non possit penitus assimilari, eo quod, vt inquit Galenus, sanguis extra vasa effusus, corrumpitur, id quod in hoc casu maximè accidere oportet: nimirum cum per diuisiones partis vulneratæ aer immittatur, qui alterationem; & corruptionem adiuuat. Quod verò talis sit puris generatio in vlceribus, patet: nam si in carne ipsa, & non in superficie colligeretur, nunquam posset bona & laudabilis caro generari, sed quicquid ex ea factum esset, mixtione puris putresceret: & corrumperetur. Atque hæc quidem sufficiant de excrementis nutritionis, & regenerationis carnis, quæ à nemine hactenus sunt tradita, nec fortè excogitata: à nobis vero inuenta, non tam, vt paradoxa sint, sed vt vera, aut veris maximè, vt arbitramur, vicina. Nunc

Cur in concoctione nutrimenti duo fiunt necessa genera excrementorum.

Pus in regeneratione carnis cuius sit excrementum.

Cur duo in nutritione, vnum verò in regeneratione partiũ fiat excrementum.

Excrementa, quæ fiunt in generatione carnis.

Pus quare necessario male oleat.

A ad alia accedamus, quæ non minus, quàm prædicta fortè sunt paradoxa: quænam, inquam, medicamenta conueniant, cum natura carnem generat: duplicia, inquit Galenus, *in 3. Methodi medendi*, illa esse oportet, exsiccantia & abstergentia. Qua in re primum videtur abuti nomine exsiccantis medicamenti. Nam exsiccantia propriè, & re vera dicuntur, *quæ temperiem siccam in partibus similaribus inducere possunt, non autem quæ humores aut excrementa tollunt.* Atqui in vulneribus cauis, vbi nullus alius est affectus complicatus, pars naturalem suam habet temperiem: quare nec exsiccatione, nec alia alteratione opus habet: impropriè ergo sumit exsiccantia, pro illis scilicet remediis, quæ excrementa auferunt à

De medicamentis conuenientibus in carnis generatione, disputatio.

Exsiccantia propriè & reuera dicta quæ.

B parte, in quo fit carnis generatio. Sed an oportet illa siccandi virtute esse prædita? hoc quidem scribit Galenus, qui etiam gradum primum exsiccationis illis tribuit. Ego tamen non solum his, quæ potentia ita sunt sicca, sed etiam aliis omnibus, quæ vel actu sicca sunt, aut aliter certo modo absumere possunt superfluum humorem, qui in vulneratis partibus reperitur, hanc vim tribuo. Nam quædam abluendo huic operi sufficiunt, vt lotiones ex vino temperato: quædam verò sugendo, vt spongia & suctiones oris, quæ aliquando in angustis & fistulosis vlceribus non paruo vsu adhibentur: alia vero idem præstant, quod ex sicca materia sint confecta & raro, quæ promptè humore imbuuntur: in quo genere sunt ex lino &

An exsiccantia postulet generatio carnis.

C cannabe confectæ telæ, & per frustula aut filamēta admota, vel sicca, vel aqua etiā madefacta: quo genere curationis nonnulli nostri temporis chirurgi omnia vulnera, quæ in conspectum veniunt nō sine admiratione multorum Medicorum fœlicissimè persanant: qui ignorant, nihil aliud esse exsiccare in his affectibus, quàm quocunq. modo non læsa partis temperie, excrementum, quod gignitur, auferre. Ac petiæ quidem cannabinæ aqua frigida imbutæ, duplici ratione prosunt, vna, quod humiditate aquosa abluant saniem, & frigiditate non sinant fluxiones ferri ad partem: altera verò, quod siccitate & raritate materiæ, qua constant, humorem excrementosum combibendo absumant. Addunt autem Medici, qui hac

Curatio vlcerum cum aqua laudatur, & cur.

D curatione vtuntur, verba quædam murmurando, vt vulgus cedat, hoc fieri per incantationē potius, quàm per vim admoti medicamenti. Ergo dum excremētum est adhuc aquosum & saniosum, abstergentia non requiruntur, quia nihil adhæret superficiei partium diuisarum, quod abstersionem postulet: sed sufficiunt, quæ quocunque modo absumunt, aut exitum præbent aquoso & liquido huiusmodi excremento. Cum vero iam fit pus, quod crassum, & viscosum ob concoctionem, tunc exsiccantia relinquenda sunt, quæ scilicet potentia sunt sicca medicamenta: hæc enim crassitiem augent, ac ita faciunt, vt pus tenacius hæreat. Prosunt verò solum abstergentia, quorum vis est abradendi & separandi excrementum

Abstergentium vsus quãdo necessarius in vlceribus.

E vel humorem, qui partibus nostris adhæret: qualem vim habet, erui, lupini, fabarumque farina, iridis & Aristolochiæ radix, mel, terebinthina, & alia permulta, de quorum numero & natura non postulat locus, vt diligentius agamus. Ergo in generatione carnis non semper exsiccantibus & abstergentibus vtendum est, vt Galenus putat: sed aliquando solis abstergentibus,

vero nunquam ducendi sunt humores. Si enim A humor venenosus est, & fluat, vel ad glandulas, quæ sunt in ceruice, vel sub axillis, aut in inguine, temerarium est, eum transferre in alias partes: quare locum ipsum affectũ nostris medicamentis magis replemus, ne venenum nobiliores partes, quæ sese exonerant, afficiat. Atque hæc diligentius aliquando tractabimus.

Quibus remediis utendum sit contra humorũ inflammationem efficientem.

Cæterum humor, qui iam inflammationem facit, indicat sui euacuationem; cui ab initio conferunt repellentia; postea verò digerentia. Quod si his non cedat remediis, suppurationem moliri oportet. Deinde pus factum tentabimus per digerentia discutere, alioqui facto vulnere in parte suppurata, puri exitum dabimus. B Ita ergo inflammationes coniunctas cum vlceribus sanabimus cõmodis adhibitis auxiliis pro ratione corporis & partis laborantis.

De curatione vulneris contusi.

Iam si contusio iungatur cum vlcere, siquidem neruus contusus sit, curatur vt paulo superius diximus, & Gal. docet *libro 3. Methodi cap. quarto*, non enim recipit curationem, quam ipsa contusio indicat per suppurationem.

Suppurationem in neruis contusis esse fugiendam, & cur.

In carne enim contusa necessario fit suppuratio, quæ quidem in neruis contusis fugienda est: *quoniam puris acrimonia conuulsionem parit. Præterea suppuratio sinum facit in parte, consumpta ipsius substantia: caro autem regigni potest, neruus minimè*: C quare in eo fugienda suppuratio est, ac exsiccantibus atque digerentibus sanitas procuranda.

In contusione duplicem esse affectum.

Nam in contusione duplex est affectus: aliquid enim in penitiores partes est protrusum, quod ad superficiem reuellendum est, quod faciunt digerentia: aliquid verò diuisum, quod per exsiccantia vnitur.

Contusionem omnem nõ putrescere.

Quare quod scribit Hippocrates, *carnem contusam necessario putrescere*, vel non est verum, aut id solum proprium est magnis contusionibus, aut potius coniunctis cum vulneribus & vlceribus. Nam vulgus contusiones etiam non leues in carne emendat, absynthio contuso, vel myrthino oleo, insperso postea puluere ipsius myrthi & ro- D sarum: ac vniuersi corporis contusiones, quæ solent accidere, cum quis ex alto cadit, sanant inuoluto corpore in pellibus ouinis detractis ab oue adhuc calente & recentissimè mactata: quæ genera remediorum suppurandi vim non habẽt, sed quædam repellendi, exsiccandi, & digerendi: alia vero mitigandi dolorem, & leuiter resoluendi. Nam in contusione, si dolor vrget, & illius maximè habenda est ratio, ne fluxiones moueantur. Quapropter miscentur aliquando remedia contusionis, inflammationis, doloris, & quæ ipsam fluxionem arcent: aliquando verò soli contusioni succurrimus: & remedia illius etiam variantur, pro magnitudine & paruitate contusio- E nis, & loci contusi: quæ res faciunt vt indocti Medici putent, hæc omnia facere aduersus ipsas contusiones.

Scirrhi in vulnere curatio.

Coniungitur, inquit Gal. *cum vulneribus etiam aliquando scirrhus*, quem alibi dicit curari mollientibus. Verum ea curatio pertinet solum ad duros tumores, qui fiunt ex pituita crassa & exsiccata. Nam idem author hoc genus mali scribit etiam fieri ab humore melancholico, quales sunt duri tumores, qui ex morbo Gallico sæpe sequi solent, & illi mollientibus remediis non tolluntur, sed largo sudore, & propriis eis morbo auxiliis. Cancri etiam durities, emollientibus exasperatur. Ac Galenus quidem solum nouit scir-A rhos ex pituita, vel humore melancholico factos, & omnibus pollicetur curationem. Scirrhum verò hepatis prorsus insanabilem esse tradit: nec tamen rationem adfert, cur alii sanari possint, hic verò minimè: id autem nos docuit experientia.

Scirrhus hepatis cur sanari non possit.

Nam cum sæpe hydropicos post mortem dissecuerimus, inuenimus in omnibus hepar induratum, at non ex collectione alicuius humoris, qui durum tumorem faceret: verum veluti assatum, & ex assatione durum redditum. Id quod maximè accidere solet hominibus, qui multo potu vini generosi & aromatibus oblectantur: plurimi enim istorum in hydropem incidunt, ita vitiato hepate. Quod genus mali nullis remediis emolliri potest: quemadmodum nec molliuntur, quæ assata, vel frixa sunt, & per eam concoctionem indurata.

Oedematis curatio.

Cæterum mollem & laxum tumorem, qui œdema dicitur, curabimus incidentibus & digerentibus: constat enim ex pituita aquosa. Qua in re laudat Galenus *in 2. libro ad Glauconem*, frictionem ex oxyrrhodino, vel ex sale & oleo, vel ex sale & oxyrrhodino, & fomenta ex spongia noua imbuta cum aqua & modico aceti. Quod si ex his œdema non quiescat, aluminis parum imponendum est.

Porro per ea, quæ influunt, & illabuntur in vlcus, intelligit humores, qui ad partem affectam ferũtur, quorum remedia paulo antea docuimus, cum fluxionis auxilia explicaremus. Quæ verò de curatione intemperaturarum addit, etiam sunt nota ex superioribus.

CA. XCIII. DE SPECIEBVS MORBORVM SECVNDVM FORMATIONEM.

Ἐπὶ δὲ τὸ γένος τῆς διαπλάσεως ἰτέον ἤδη, γένος εἰς πλείους διαφορὰς τεμνόμενον, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς σαφεστάτης τὴν ἀρχὴν τοῦ λόγου θετέον, ὃ κατὰ τὴν τοῦ σχήματος ἐξάλλαξιν γίνεται. τῶν μὲν οὖν ἔτι αὐξανομένων οἷόν τε τὸ σχῆμα τῶν πλείστων μορίων ἐπανορθώσασθαι, τῶν δ᾽ ηὐξημένων, οὐκέτι. σκοπὸς δ᾽ ὅσον οἷόν τε θεραπεῦσαι πρὸς τοὐναντίον ἀπάγειν τῆς διαστροφῆς. εἰ δὲ καταγμάτων οὐκ ὀρθῶς διαπλασθέντων ἡμάρτηταί τινος κώλου σχῆμα, πωρωθῆναι φθάσαντος, ἐὰν ἔτι πρόσφατος ὁ πῶρος ὑπάρχῃ, κατάξαντα χρὴ διαπλάττειν αὖθις ὀρθῶς, εἶτα πωροῦν.

Nunc verò transeundum est ad formationis genus, quod in plures secatur differentias. At ab eo, quod euidentissimum existit, exordium est sermonis faciendũ, quod ex figuræ permutatione contingit. In his igitur, qui adhuc crescunt, possibile est plurium figuram emendare. In his autem, qui iam aucti sunt, minimè. Intentio tamen quoad fieri potest, curationem adhibere, ad contrarium euersionis adducendo. Si verò fractione aliqua nõ rectè conformata alicuius membri figura fuerit vitiata, cui substantia callosa innasci præuenerit, si quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere oportet, ac rursus rectè efformare, deinde callum superinducere.

Quæ hic scribit de curatione vitiatæ figuræ, nō postulant nouam explicationem. Hæc enim diligentius ab eo sunt enarrata superius, cum vitia doceret, quæ in latitudine sanitatis continentur, & nos eodem loco subiecimus nostram interpretationem, quæ præsenti dictioni aptissimè congruere potest. Addit solum hic, figuras, quæ vitiatæ sunt propter ossa confracta malè formata, emendandas esse, si adhuc recens callus est, fractis rursus ossibus. Quæ curationis ratio ab omnibus iudicatur admodum periculosa, præsertim in magnis fracturis, & in corporibus malè affectis. In illis enim vitari non possunt fluxiones & inflammationes, ex quib. omnia timeri possunt. Si verò digitus forte sit confractus, tutius hæc fieri possunt.

CAP. XCIIII. DE OBSTRVCTIONE.

Ἔστι δὲ ἡ ἔμφραξις ἐκ ταὐτοῦ γένους τῶν νοσημάτων, ἡ μὲν ὑπὸ γλίσχρων καὶ παχέων γινομένη χυμῶν, ἕνα μὲν ἔχουσα καὶ αὐτὴ σκοπὸν ἐναντίον τῷ πάθει τὴν ἔκφραξιν. αἴτια δὲ ὑγιεινὰ τὰ ῥυπτικὰ καὶ τμητικὰ τῶν φαρμάκων.

Est vero & obstructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidē ex lentis & crassis humoribus fit, vnam & ipsa habens intentionem morbo contrariam, dico autem apertionem. Causæ vero salubres sunt abstergentia atque incidentia medicamenta.

Prosequitur alia vitia, quæ in conformatione consistunt, de qua re superius etiam egimus, cum de malis, quæ fiunt in latitudine sanitatis, ageremus. Sed nunc diligentius de eadem retractat: plures enim causas obstructionis hic enumerat, nec tamen omnes recenset, nec etiā a certo principio exorditur, quo comprehendat omnia, quæ possunt cauitates secundum naturam angustiores reddere, id quod nos ita efficiemus. *De cauitatibus in corpore læsis & illarum causis & remediis.* Ergo cauitates, quæ sunt in corpore, vel sunt insensibiles, cuiusmodi sunt cutis meatus; vel euidentes sunt, quales sunt cauitates venarum, arteriarum, ventriculi, intestinorum, renum, vesicæ, vteri, pudendorum, ani, aurium, narium, faucium, meatuum, qui ad vrinam & semen transmittendum sunt comparati. Ac cutis quidem meatus ab his, *Cutis meatus occludentia quæ.* quæ habent vim densandi, cuiusmodi sunt externum frigus; vel abstergendi, vt faciunt lotiones aquæ aluminosæ: vel exsiccandi, vt solis feruor; vel indurandi, vt duræ frictiones, potissimū constringuntur: caloris item contractiones ad interna viscera externam superficiem densiorem reddunt: At sordes, quæ adhæret cuti, & terrena vel emplastica medicamenta, quæ ei admouentur, eosdem meatus reddunt angustiores: verum non per densationem, sed potius per obstructionem: id quod etiam efficiūt vapores, aut humores crassi, qui ab internis partibus ad cutem efferuntur, vnde prutitus & scabies fiunt, hærentibus circa cutem humorib. qui liberam non habent, per illam viam. Ab his n. causis cutis constipari solet.

Cauitates partium quomodo occludātur. Cæterum patentiores viæ angustiores redduntur, quando corpora, quæ cauitatem constituunt, comprimuntur, concidunt, contrahuntur, obstruuntur, coalescunt, tenduntur, distorquen- A tur, vel à suis sedibus egrediuntur. Compressio cōtingit vel ob adiacentis corporis, aut ipsius partis extrinsecum tumorem, vel ob rem extrinsecus grauantem, vel arctius alligantem. At concidunt latera meatus constituentia, dum nimio humore imbuta suum terminum retinere nequeunt, vel cum vacuatur id, quod in cauitate contentum, latera inter se distare faciebat. *Compressio & concidentia partium à quib. fiat.*

At verò contractio à siccantibus nascitur: nam siccata corpora corrugantur, & ex corrugatione contrahuntur, quo modo māmæ & vterus in vetulis minuuntur: Fit etiam contractio ab astringentibus medicamētis, necnon à facultate retentrice vehementius cogente & constringente partem cauam, in qua ipsa residet. Otium idem præ- B stat. Qua ratione venereæ partes intermissa venere cōtrahuntur. Porro obstructio fit à rei, quæ in cauitate continetur, crassitie, lentore, & multitudine, quorum quædam familiaria sunt ipsi parti, vt cibus, & sanguis contentus in venis; quædam excremēta sola qualitate inimica, vt crassi tenacesque humores: quædam quantitate; alia verò etiam tota substantia, vt lapis in vesica, pus, sanguis concretus, callus, stercus durum, & si quid est huiusmodi, quod partium meatus obturet. Ad hoc genus pertinent tubercula, quæ innascuntur cauitatibus partium, & eas obstruunt: ad obstructionem quoq; pertinere videtur, cum partes ob innatam pinguedinem obturantur, quomodo vteri & intestinorū cauitates sæpe angustissimæ red- C duntur, & propterea scribit Hipp. *in Aph. mulieres eo modo affectas non concipere.* *Contractio à quib. fiat.* *Vnde obstructio.* *Sect. 5. aphor. 46.*

Coalescunt partes, quæ vulneratæ vel exulceratæ fuerint, intercedente siquidē carne coalitus partium, atq; ita nonnunquam obcæcatio meatū contingit: extensione partium, cauitates illarum minui docet etiam sensus. Cum partis luxatæ, vt longiores euadunt venæ, & ligamenta, sic etiam angustiora apparent: quod etiam probat ratio. Quantum n. longitudini additur, à latitudine detrahitur. Quin etiā malè figuratas partes ob distorsionem suas cauitates angustiores obtinere, nulli dubium est, quemadmodum excrementis alui via præcluditur, cum intestina à suis sedibus dimota, in scrotum deuoluuntur: nimirū quod situs mu- D tatione rectas (quas habent cum ano coniunctas) cauitates amittāt. Sed hæc diligentius *in nostro lib. 2. de causis morborum, c. 10.* prosecuti sumus, quorum remedia & curationem non est quod sigillatim tradamus, vt qui ea solum instituerimus explanare, quæ hic ab autore docentur. Quod ergo scribit ipse, *obstructionem factam ex viscosis & crassis humorib. curari per abstergentia & incidentia*, nos antea melius explicauimus. Nam abstergentia & incidentia, solum remedia sunt viscositatis, & nō crassitudinis humorum: Nam quod viscosum est, duplicem habet naturam. Sibi enim continuum est, & alteri adhæret, continuitas incisione tollitur, & abstergentia humorum liberat à parte, cui E adhæret. Crassus verò humor extenuationem requirit, & quæ fit per varia remedia, quoniam crassum pluribus modis fit, quod etiam antea ostendimus. Fit etiam obstructio à multitudine humorum, cui euacuatio propriè medetur. *Quomodo coalescant partes.* *Viscosa egent incisione & abstersione.*

Ἡ δ' ὑπὸ κόπρου σκληρᾶς ἐμφραχθείσης ἐντέρου, σκοπὸν μὲν ἔχει τὴν τῆς σκληρότητος ἐπανόρ-

ὑπαγόμενον ἐξ ἰσχυρῶν ἢ δριμέων κλυ- A
σμάτων, ἔξωθεν δὲ τὴν κένωσιν ἐκ δριμέων.

Quæ verò fit à stercore duro, quod interse-pit intestinum, primum quidem habebit duritiei remedium ex humidis, pinguibusq; clysteribus, deinde ex acribus euacuationem expostet.

Non est contemnenda curandi ratio, quam Gal. hic docet, cum intestina à duris stercoribus obstruuntur. Nam qui aluum euacuare volunt per acriores clysteres, priusquam emollita fuerint dura ea excrementa, malum augent, magis exsiccatis stercoribus à medicamentis calefacientibus & exsiccantibus: propterea prudentiores Medici B in cholicis doloribus primum iubent infundi clysterem molliorem, vt fœces induratæ excernantur: postea verò acriores adhibent ad flatus discutiendos & pituitam liquandam & euacuandam. Tamen cum solum est obstructio ex duritie excrementorum, solis emollientibus molliuntur & educuntur: adeò vt duplici remedio nō sit opus, vt Gal. hic scribit.

Ἡ δ' ὑπὸ λίθου κατὰ κύστιν, ἐν μὲν τῷ παραυτίκα τὴν μετάθεσιν. ἴασις δὲ παντελὴς, τὴν διὰ τομῆς χειρουργίαν.

Quæ autem à lapide fit in vesica, in præsenti quidem transpositionem requirit: integra verò sanitatis causa incisionem, & extractionem. C

Quod hic scribit de curatione lapidis in vesica, antea etiam docuit, cum de vitiis sanorum factis ex superfluo numero partium ageret. Nam lapis in vesica, aliquando causa huiusmodi morbi aliquando verò illius, qui nascitur ex conformatione mala: cum enim naturales cauitates obstruit, & partis actionem hoc modo lædit, fit ex eo morbus in conformatione: quando verò partem solum grauat, atque eo modo illius quoq; actionem labefactat, morbum facit in numero. Quod verò scribit de remediis lapidis in vesica, sa- D tis refellunt vulgarem Medicorum opinionem, qui putant, eos lapides frangi per medicamenta, quæ per os assumuntur. Nam duo solum hic ponit remedia, *transpositionem & extractionem*. Transpositionis nomine non debemus credere, lapidem ex vno loco in alium transferri: hæret enim & coniunctus est tenacissimè ceruici ipsius vesicæ, sed intelligere debemus, quod cedat aliquo modo fistulis argenteis, vel candentibus tenuioribus, aut aliis, quæ immittuntur per pudendum in interiorem vesicæ cauitatem, vt vrinam eliciamus cum à lapide supprimitur, vel à crassis humoribus, qui solent in illis locis aceruari, cum lapis ea loca obsidet. Extractionis huius lapidis modus non idem est in mulieribus & viris. Nam E ab illis sine incisione auellitur, & minore cum periculo vitæ, sed post extractionem vrina difficillimè continetur: à viris extrahitur incisione facta in ceruice ipsius vesicæ: tutius in pueris & adolescentibus, maiore verò cum periculo in adultis: plurimi enim sequente postea inflammatione moriuntur. Vidi tamen sexagenarios sine magno periculo sanatos: sed, quod mirum videtur esse, impotentes ad generationem illi sunt facti, cum antea fœcundissimi essent.

Ex lapide in vesica qui morbi fiant.

Lapides in vesica frangi non posse remediis per os assumptis.

De extractione lapidis à vesica.

Cæterum calculus, qui in renibus concrescere solet, non frangitur, vt Medici putant, à remediis ab antiquis ad hanc rem celebratis, sed per *abstersionem liberatur à parietibus renum*, quibus adhæret, quomodo terebinthina calculosis convenire dicitur. Aliquando vero per ea, quæ aquosum humorem à venis eliciunt, & ad renes ducunt, calculus educitur: dilatatis enim meatibus ex copia transeuntis humoris calculus dimouetur, & eo modo exit à renibus, quo lapilli & lutum ab aquis decurrentibus per imbres à pauimentis abraduntur. Iuuat etiam ad id alia ratione vrina, quod ob salsedinem abstergendi vim obtineat. Sed inter alia omnia remedia præstantissimum sumitur ex potionibus aquarum sponte nascentium, quas longo vsu dicimus per vrinas corpus expurgare. Inter quas aqua Balnei Porretani, & Balnei Lucensis commendantur: sed cum Pisis docerem, id quod feci per annos vndecim, sæpe expertus sum aquam Balnei Montiscatini alias omnes virtute & fœlici successu longè superare. Accipere autem oportet ex duobus Balneis, quæ illic sunt inter Lucam & Pistoiam, salsiorem aquam, quæ dicitur ab incolis del Tettuccio. Alia autem dicitur aqua del Bagnolo quæ habet quidem aliquid salsedinis, sed longè minorem, ita vt iam ea multi vtantur loco aquæ Balnei Lucensis, quæ ab aliquot annis cœpit esse debilis, ita vt pauci illam libere emittere possint. Aqua vero salsior Montiscatini, non solum lapillos à renibus abradit, & secum trahit, sed etiam pituitosos humores à ventriculo & intestinis abstergit, atque ita vtrique malo, quo laborare solent nephritici, colico, inquam, dolore, & lapide renum eodem negotio succurrit: prius tamen adhibitis aliquot clysteribus, & leui purgatione. Bibitur autem ea aqua omni tempore anni, cum ita vrget necessitas, quod non est leue subsidium his, qui atrocissimo hoc morbo per frequentia interualla vexari solent: calens quantum ferri potest potanda est manè, & ex ea non pauciores, quàm quatuor libræ bibendæ, & duodecim & quindecim tuto ebibi possunt, vnius horæ spatio, continuata potione per tres aut quatuor dies, donec calculus exeat. Atque hæc remedia prosunt, cum calculus cōtinetur in cauitate renum: nam quando continetur in substantia ipsa, ita vt illis veluti innascitur & annectatur, nulla auxilia prodesse solent, sed auctis & multiplicatis lapillis, mors post aliquot annos sequitur. Sed tardatur his remediis, quæ calculi materiam non sinunt mora longa in renibus concrescere. Hæc ergo obiter de calculi curatione sint dicta: nam exactior tractatio excedit limites instituti huius operis.

De curatione calculi renum recentiorũ opinio refellitur.

Terebinthina quomodo calculosis prosit.

Lotio balneorum in curatione calculi renum.

Autor quondam Pisis docuerit.

Balneũ Montiscatini laudatur.

Ἡ δὲ τῆς παρὰ φύσιν περιεχομένης ὑγρότητος ἴασις, ἐν τῇ παντελεῖ κενώσει, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἐμπύων.

Humiditatis autem, quæ præter naturam continetur, sanatio in omnimoda euacuatione consistit. vt in suppuratis.

Fiunt obstructiones aliquando ab humoribus

sola quantitate excedentibus, vt in athletis, qui A ad summam repletionem peruenerunt, accidere solere scribit Gal. *in Commentario tertii Aphorismi primi libri*: sed istæ obstructiones fiunt ab humoribus, qui solùm quantitate sunt præter naturam. Aliæ verò fiunt ab humoribus, qui sunt toto genere (vt Gal. dicere solet) præter naturam, de quibus *hoc loco* intelligit. Nam nomine eius, quod est præter naturam, intelligere debemus, non quod simpliciter & quocunque modo præter naturam est, sed quod *prorsus*, siue, vt ab alio nomine ille vocat, *tota substantia*: quibus quidem nominibus quid significare velit, nos superius ostendimus. Quod verò hic scribit, *integra euacuatione curari humores, qui præter naturam sunt*, ostendit se intelligere, illud esse toto genere præter naturam, quod inimicam nobis habet formam & substantiam: illud enim cùm totum malum sit & inutile, prorsus tollendum est à corpore: quid enim ex pure reseruandum in suppuratis? Sanguinis verò aut pinguedinis excretiones, etsi toto genere præter naturam sunt, non sunt eodem modo faciendæ. Nam de pinguedine nihil detrahendum: de sanguine verò tantum, quantum ad mediocrem statum recuperandum confert. Appellat autem *suppuratos*, non solum eos, qui in spatio inter thoracem & pulmonem collectum habent pus, sed omnes, in quibus pus gignitur siue ex vlcere, siue ex inflammatione: his enim duobus modis pus solet fieri.

Ἡ δὲ ἄμετρος πλήρωσις, ἐν ἀμέτρῳ κενώσει, καθάπερ ἐπὶ τοῦ κατὰ τὰς φλέβας αἵματος,

Immodica autem repletio immodica euacuatione curatur, vt cum sanguis intra venas redundat.

Humores, qui obstructionem faciunt, ac nocent corpori, vel toto genere sunt præter naturam, vel quantitate, aut qualitate: si toto genere præter naturam sunt, prorsus euacuandi sunt per integras euacuationes: si qualitate, sua postulant remedia, de quibus hic non agitur: si quantitate, vacuandi quidem sunt, sed non per integras euacuationes, quæ nihil ex illis relinquant, sed pro ratione repletionis: quæ si immoderata fuerit, inquit Gal. immoderata adhibenda est euacuatio. Quam sententiam interpretes ita explicant, vt dicant, duplicem esse repletionem seu plenitudinē, vnam ad vires, aliam ad vasa, & de hac sola authorem intelligere, quoniam immoderatè in alia euacuare non possumus, quippe cum vires in eo malo debiles esse soleant. Sed illi nō animaduertunt, Gal. hic tradere, quæ ab indicantibus requiruntur, non quod fieri non potest propter contraindicantiū præsentiam. Præterea contingit etiam in repletione ad vasa vires infirmas subesse. Sed quod maiorem in hac re difficultatem parit, illi non agnoscunt. Nam in nulla repletione immoderatè debemus euacuare: est n. Gal. de hac re *in comm. 3. Aph. primi libri* ad verbum sententia, qua scribit, immoderatam euacuationem nō minus immoderata repletione periculosam esse: qd & ratio & experientia indicat. Non enim sicuti moderatus calor frigore immoderato tollitur, sic repletio immoderata curanda est per immoderatam euacuationem. Nam qualitates per contraria temperantur, & ad mediocritatem reducuntur: repletio verò non per mixtionem, & temperiem ducitur ad mediocritatem: sed per ablationem eius, quod mediocritatem superabat: quare nec immodicè replēdum, nec immodicè vacuandum: vtrunq; enim mediocritatem, in qua sanitas consistit, vitiat. Quid ergo dicendum ad Gal. qui immoderatam euacuationem vult salubre esse remedium, nempe, quod intelligat per *immoderatam* euacuationem, *magnam*, quam vulgus immoderatam existimat esse, non quod illa plus aliquid educat, quam requiratur ad efficiendum mediocrem, & moderatū statum: in magnis plethoriis sex fortè sanguinis libras Medicus extra- *Immoderatam euacuationem quomodo intelligat Gal.*
B het, quam vulgus euacuationem immoderatam iudicabit, vt quod ignoret, non posse cum minore emendari, quod in eo malo exuperat.

Ὡσαύτως καὶ ὅσοις κατὰ γαστέρα, καὶ ἔντερα, ἢ ἀρτηρίαν, ἢ πνεύμονα πῦον, ἢ αἷμα περιέχεται, παντελῶς κενώσεως δεῖται. τοῦ δὲ πλείονος ἐδέσματος, ἢ πόματος ἔτι τι προσφάτου, κατὰ τὴν ἀποκένωσιν ἡ ἐπανόρθωσις.

Sic & quibuscumque in ventriculo, vel intestinis, vel arteria aspera, vel pul-
C *mone pus, aut sanguinis continetur, integra euacuatio est necessaria.* ***Superflui autem cibi, aut potus adhuc recentis assumpto, euacuatione corrigitur.***

Prosequitur alias materias, quæ solent in cauitatibus partium vel obstructiones facere, aut saltem sua quantitate, vel substantia obesse: cuius generis est, pus & sanguis, qui à vasis excidit necessario in grumum concrescit, & maxima symptomata excitat: præsertim si in ventriculum effundatur: siue ergo pus sit, siue sanguis grumosus, qui in enumeratis cauitatibus, aut in
D alis contineatur, integra est opus euacuatione, id est, quidquid ex illis est inimicum. Cæterum si cibus & potus assumpti sua quantitate obsint obsint & recenter sint ingesti & per euacuationem etiam emendetur vitium, quod ex illis fit. Quod si iamdudum hæc fuerunt ingesta, vacuatio sola vitium emendare non potest, quia sua mora intemperiem excitarunt, vel distentionem, vel aliud genus morbi, quod alia postulat remedia. Et huius loci interpretatio sumitur ex commentario Galeni *in Aphorismo secundi libri*, in *Aphor. 12.* quo scribit Hippocrates, *quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio.*

E Ὅσα μὲν οὖν πνεύμονί τι καὶ θώρακι περιέχεται, μετὰ βηχῶν μὲν ἡ κένωσις, ὑπὸ δὲ φαρμάκων λεπτυνόντων.

Quicunque igitur in pulmone, vel pectore continentur, tussi educuntur, aut à medicaminibus extenuantibus.

ocuit

Docuit Gal. remedia, quæ conueniunt humoribus & aliis substantiis, quæ continentur in cauitatibus partium, sed non docuit, per quam viam facienda sit euacuatio: id quod nunc ostendere instituit. Et dicit, *ea, quæ continentur in pulmone, per tussim reiici*: quod perinde est, ac si diceret *per os, sed tussiendo euacuari*. Porro per ea, quæ continentur in pulmone, intelligere oportet ea quæ substantia pulmonis deciduntur, vt pus, quod exulcerato pulmone expuitur. Contingit etiam aliquando substantiam ipsius pulmonis, vbi magna sunt vlcera, eodem modo reiici. Excernuntur etiam per os humores, sanguis concretus & si quid aliud in asperis arteriis ipsius pulmonis continetur. At per ipsius asperæ arteriæ vlcera interioris ipsius tunicæ fragmenta quædam reiici contingit: & Gal. *in initio li. primi de locis affectis* scribit bronchia, id est, annulos cartilaginosos, quibus aspera arteria constat, in magnis ipsius vlceribus ex putredine reiectos. Hæc ergo sunt, quæ ex pulmone per os euacuari possunt, quoniam via solū patet ab eo viscere ad os per asperam arteriam. Quæ vero in arteriis leuibus, & in venis ipsis continentur, non possunt per eam partem euacari, nec alia patet via, nisi per eor, vt anatome docet. Quare non mirum, si affectus pulmonis difficillime sanantur, quoniam per os nihil nisi roris modo in illum illabi potest, & longum difficileque est iter aliud, nec per cor tuta, aut facilis est expurgatio. Cæterum non solum, quæ in ipso pulmone primum fiunt, mala expurgantur per tussim, verum etiam quæ à thorace resudant, & à pulmone spongioso suguntur: quo modo pleuritides expurgantur & sanantur. Quod vero scribit Gal. *per tussim reiici, quæ in pulmone continentur*, eget consideratione. solet enim Gal. dicere *in libris de locis affectis, & alibi passim*, per os quædam eiici cum sola expuitione, & hæc oris atque palati affectus ostendere: alia vero per excretionem, siue, vt vulgus vocat, rascationem, & hæc faucium morbos patefacere: alia cum leui tussi, quæ, sunt indicia læsæ asperæ arteriæ, quæ in ceruice continetur: alia vero per tussim verà expui, & hæc signa esse pulmonis læsi atq; hoc indicio vlcera pulmonis a prędictis partib. vlceratis, aut sanguinē effundentibus, per sanguinis spumosi sputum distingui prædicat. Verum id magno meo malo didici, aliter aliquando fieri. Nam Francisca Damiana vxor mea formosissima & honestissima mulier, annos viginti nata, cum Pisis vna cum illa degerem, spirante Austro, qui in eo loco frequentissimus & vehementissimus est, ex destillatione à capite, mane cum ad huc in lecto esset, sanguinem expuere cœpit, & ex eo non leuiter terreri. Sed cum ego Gal. doctrina instructus illam hortarer, vt nihil vereretur: propterea quod sine tussi, cum leui solum rascatione sanguinem facillime emitteret: melius sperare cœpit, nec postea sanguinem vnquam expuit, sed pituitosum humorem primum, deinde pus, & hæc cum tussi, & febre, quæ statim ab initio inuasit, atque cum his malis quæ orta sunt in Autumno, circa finem mensis Maii expirauit nec passus sum illam dissecari. Perierunt eo anno in eadem ciuitate duæ aliæ iuuenes fœminæ eodem malo affectæ. Sed vxor Leonardi Pisiēsis Medici duos fere annos vixit, & postea quam mortua est, & dissecta, inuenimus in suprema parte pulmonis, quæ primis costis subiicitur, vlcus, in quo vix castanea includi potuisset, hæc nunquam sanguinem expuit. quod extra vasa pulmonis vlcus consisteret. Ex quibus colligo non omnes, qui tabe pereunt, semper sanguinem expuere, & eos qui id faciunt, non semper cum tussi eum reiicere. Sed solum cum vlcus est in profundioribus pulmonis partibus, vbi maiora sunt vasa, quæ sanguinem continent. Cæterum quod scribit hic Gale. cum tussi educi, aut à medicamentis extenuantibus, quæ in pulmone continentur, non ita intelligendum est, quod quædam per tussim: alia vero à medicamentis solis extenuantibus expurgentur: sed quod ea, quæ per tussim à pulmone regeruntur: postulent præparationem quandam ab extenuantibus medicamentis. Verum hæc aliquando prosunt, aliquando obsunt: cum enim tenuia & aquosa sunt excrementa, quæ illic continentur, obsunt extenuantia, & prosunt, quæ habent vim incrassandi: cum vero viscidi sunt humores, incidentia & abstergentia opem ferunt, Quare non vnicum remedii genus prodest ad pulmonem expurgandum, & merito quidem. Cum enim illa attollantur à spiritu, qui per expirationem emittitur, si crassus aut viscidus sit humor difficile moueri & attolli potest, & sursum impelli: si vero tenuis fuerit & aquosus, discinditur à spiritu, atque ita sæpius relabitur per asperam arteriam, adeo vt vix vnquam vsque ad os ascendere possit. Igitur mediocrem copiam, & consistentiam in crassitie, tenuitate, & viscidtite, & stabilitate requirit humor qui à profundioribus pulmonis partibus reiiciendus est.

Margin notes: *Affectus pulmonum cur difficillime sanantur.* — *Historia de coniuge autoris.* — *Non omnes, qui tabe pereunt, semper expuere sanguinem.*

Ὅσα δὲ καθ' ἧπαρ, ἢ φλέβας, ἢ ἀρτηρίας, ἢ νεφρούς, ἤτοι δι' οὔρων, ἢ γαστρός. ἀλλὰ δι' οὔρων μὲν ὑπὸ τῶν λεπτυνόντων σφοδρῶς· διὰ γαστρὸς δὲ ὑπὸ τῶν ἑλκτικῶν τε καὶ ἀναστομωτικῶν.

Quæcunque vero in hepate, vel venis, vel arteriis, vel renibus, aut per vrinam, aut per ventriculum. Sed per vrinam quidem ab his, quæ vehementer extenuant: per ventrem vero ab his, quæ attrahendi, aut aperiendi ora vim habent.

Prosequitur loca alia apta ad euacuationem humorum, & aliarum rerum, quæ corpori obsunt. Igitur quod scribit, ea, quæ in iecore continentur, per vrinas vel ventrem expellenda, *in Metho. medendi*. distinctius explicat: nam simam siue cōcauam hepatis partem per ventrem euacuandam esse scribit? gibbam vero per vrinam. Verum & in hoc distinctione est opus: nam si multi, aut crassi, aut viscidi sunt humores, difficilis & periculosa illis paratur via per angustas renum vias, & meatus vrinarios. Addo quod medicamenta, quæ vrinam eliciunt, & vias vrinæ euacuant, tarde suum munus perficiunt, adeo ut vix vnquam ægroti per eas euacuationes perfecte liberari possint nisi forte natura eo vergat. Quare præstat vniuersas iecoris partes per ventrem

Margin note: *Affectus hepatis qui per vrinam & aluum expurgari debent.*

expurgare: quippe cum natura & bilem vtramque, quam gignit in concoctione, quæ fit in hepate, per eandem viam reiiciat. Naturæ autem excretiones nos imitari debemus, præsertim quod intestina ferre consueuerint absq; suo incõmodo omnia excrementa corporis, etiam quæ putredine sunt affecta: & purgantia medicamenta nata & apta sunt ad ventrem trahere: quod in vniuerso corpore continetur. Paruas ergo reliquias humorum, quæ aliquando superlunt, expurgationibus in hepatis parte gibba per vrinas apta parari põt. via: alia vero omnia ad ventrem ducantur, & per aluum excernantur: neque enim acres aut corruptos humores per vomitum expurgare debemus per nostra medicamenta. Nam sensus & præstantia oris ventriculi non fert contactum vitiosæ materiæ. Quod vero scribit de his, quæ in venis, & arteriis continentur, eandem subeunt rationẽ, tutiusque, & facilius per aluum euacuantur, quod docent humores corrupti & putridi, qui febres putridas committunt: eos enim nisi natura per sudores, aut vrinas in crisibus excreuerit, nos minimo negotio adhibitis purgantibus remediis ad aluum ducimus.

Affectus renũ per quas partes expurgantur.

Cæterum quæ in renibus continentur, vix ad ventrem reuelli possunt: Cum enim illa commouentur, promptius dilabuntur in meatus vrinarios & vesicam, quam ascendere possint in venas. Verum purgatio, quæ permittitur obstructis renibus, eo prodest, quod vicinos humores reuellendo non sinat illabi in renes, & malum augere. Id vero, quod scribit, *vehementer esse extenuanda, quæ per vrinas reiiciunt*, consideratione opus habet, an scilicet solum ad eam conferant, quę vehementer extenuare possunt: deinde cuius generis sint illa, quæ hanc vim extenuandi possideant.

Diureticorũ varia vis.

Nam terebintina ad expurgandos renes fœlicissime confert, vt experientia quotidiana docuit, cui tamen vehemens extenuandi ratio non est concessa: in ea enim abstergendi vis præpollet: extenuandi vero nulla, aut certe exigua in ea est. Vina præterea aquosa per vrinas potentissime expurgare corpus dicuntur. Idem faciunt aquæ sponte nascentes, quæ nulla insigni qualitate sunt præditæ. Commendant etiam Medici in huiusmodi euacuatione semina plantaginis, melonum, & aliarum multarum rerum herbas, fructus, radices, in quibus non est vehemens illa calfaciendi vis, quã Gal. *in lib. 5. de simplicibus*, tribuit medicamentis, quæ per vrinas corpus expurgant: An igitur dicendum est, non eadem vi, eodemque modo vrinas moueri ab his, quibus ea facultas tributa est? nam quædam id faciunt, quod plurimam aquosam materiam corpori suppeditent, quam cum renes trahunt, simul etiam educunt humores in venis contentos, qui cum ea miscentur: hoc modo vina alba, & aquosa dicuntur per vrinas corpus expurgare. Alia vero sunt, quæ idem præstãt abstergendo humores, qui in renibus atque etiam in vasis continentur, quod facit terebinthina. Sic enim Gal. radicem ononidis vrinas mouere scribit, quoniam, inquit, abstergit. Alia vero sunt, quæ abstergendi facultate, & eo quod materiam plurimam aquosam suppeditent, corpus per vrinas expurgant: id quod faciunt aquæ sponte nascentes, nitrosæ, salsæ. Sunt alia, quæ idem efficiunt, eo quod eliciant humores noxios familiaritate substantiæ, & eos ducant per vrinæ vias, in quas sponte ea

A medicamenta feruntur: quia ratione rhabarbarum, cassia, bilem expurgant per vrinas. Alia vero dicuntur vrinas prouocare, quod pituitosos humores in venis contentos fundant, extenuent, atque in aquosum humorem degenerare faciant: quod faciunt omnia insigni caliditate prædita, de quibus solis tradere solet præcepta Gal. dum naturam eorum, quæ vrinam prouocant, explicare studet, *in lib. 5. de symp. medicam. & passim alibi.*

Calida medicamenta non eo modo, quo Galenus scribit, vrinam mouent.

Verum illa non mihi videntur ea ratione mouere vrinas, quam adfert Gal. quod caloris vehementia serosum humorem separent à sanguine: quo modo serum fit coagulata crassiore lactis portione, & ab ea separata serosa substantia. Nam tanta vis medicamenti fugienda est, quæ sanguinem adurit, & crassissimum reddit, potestque diuersas,
B quæ sunt in tota massa humorum, substantias inter se separare. Sed vt dixi. hoc præstant ea remedia, quia pituitam fundant, & aquosam reddant, quæ postea facile cum seroso humore miscetur, & cum eo trahitur à renibus.

Quomodo frigida vrinã moueant.

Quæ vero absque calore dicuntur plurimas vrinas mouere, vt semen plantaginis, melonum, eam vim exercent, *quoniam tenuitate partium penetrant, & crassos humores comminuunt, & forte etiam abstergendo abradunt, & conuertunt ad vrinæ vias.* His igitur omnibus modis, & non vno solum, vt hactenus traditum est, corpus per vrinas expurgatur. Non igitur solum, quæ vehementer extenuãt, vt hic scribit Gal. ad euacuationem, quæ fit per vrinas conferunt.

Attrahentium duplex genus.

C Quod vero scribit de his, quæ per ventrem humores ducunt, etiam expendendum est. Ait enim illa oportere esse attrahendi vi prædita, aut aperiendi orificia venarum: nam duplex esse attrahentium medicamentorum genus scribit idem autor *in lib. 5. de simp. medicamen.* vnum, quod naturæ calidæ & tenuium partium existit; alterum, quod similitudine substantiæ attrahit, quod sibi est simile.

Non omnia calida & quæ sunt tenuiũ partium attrahendi vi esse prædita.

Verum non omnia, quæ calida sunt temperatura, & tenuium partium, attrahendi vi sunt prædita. Sic enim anodina & rarefacientia essent ex attrahentium genere, quare in hoc genere attrahentia sunt, quæ vehementiorem calorem sunt sortita.
D Ac de his quidem attrahentibus nõ intelligit Gal. *hoc loco*, neque enim, quæ in ventre continentur, his medicamẽtis expurgantur, sed per ea, quæ purgandi vim obtinẽt. Quam quidem facultatẽ forte non recte Gal. in similitudinem substantiæ refert. Nam si simile attrahit simile, cur potius medicamentum trahit humorem, quam hic illud? Nam quod Galen. scribit *in lib. 5. de symp.* hoc accidere. quoniam medicamentum præter similitudinem ampliorem calorem coniunctum habet, quo attrahere, & non attrahi est aptum, vt pote quod duplicem causam attractionis obtinet, vnam ex
E similitudine, alteram ex vehementiore calore, rationi non est consonum. Nam bilis flaua suapte natura, & magis, quæ est putrefacta, longe calidior est, quam sit cassia, tamarindi, manna, & alia multa, quæ eum humorem euacuant. Præterea quæ similitudo intercedere potest inter bilem, & cassiæ atramentum: illa calidissima, & siccissima, & erodens, flaua: hæc mutatio humore aereo, & exiguo calore prædita, mitis, nigra. Itaque si qualitates, vt ille vult, sequuntur naturam rerum, necesse est, vt hæc, quæ tantopere qualitatibus discrepant, natura quoque sint longe diuersa. Attrahimus quidem nutrimẽtum ob similitudinem, quia

quia nutritio ad similitudinem tendit: at purgantia, & alia, quæ alliciunt certas res, vt succinum festucas, & magnes ferrum, non agnoscunt hanc similitudinem, quæ illis nihil prodest: nec ex aliquo indicio, quod sit, agnosci potest. Quare recte scribit Mesue *in suis canonibus*, res omnes duplici virtute esse donatas, nempe *cælesti & elementari*, & hac calefacere, refrigerare, humectare, exsiccare: illa vero purgare, vrinas mouere, nutrire, & venenum esse. *Est enim rerum forma*, quam Gal. ignorauit, *singulis rebus propria, quæ species rerum diuersas efficit, & proprietates in illis discrepantes & actiones singulares, & proprias edit: illarum essentiam, solus Deus nouit, nos vero rudem solum quandam cognitionem ex effectis illarum habemus.* Igitur per ea, quæ attrahunt, ex forma sua, & non per temperiem, & calorē ducemus in ventrem, quæ in hepate, venis, arteriis & renibus continentur. Quod vero scribit, *idem fieri posse per ea, quæ vim habent aperiendi orificia vasorum, quæ simplici nomine, anastomotica vocat*, nequeo animo concipere. Nam quæ talia sunt, sanguinem effundunt, vt idem autor testatur *in lib. 5 Meth. medendi*, vbi scribit, sanguinem excerni vel rupta vel erosa vena, aut apertis ipsius orificiis atqui absurdū est existimare, illum velle sanguinem ex venis ventris elicere, cum noxios humores ab hepate expurgare instituit. Igitur aperientia intelligere oportet, quæ obstructas venas ab humoribus aperiunt: neque enim purgantia medicamenta ducere possunt humores ab hepate & maioribus venis in ventrem, nisi venæ, quę sunt in substantia hepatis, & in mesenterio expeditæ fuerint.

Res omnes duplici virtute esse donatas.

Medicamenta omnia qua vi operentur.

Ὅσα δὲ κατὰ τὴν ἄνω γαστέρα, δι' ἐμέτων· ὅσα δὲ κατὰ τὴν κάτω, δι' ὑπαγωγῆς.

Quæcunque vero in superiori ventre comprehenduntur, per vomitum, quæ autem in inferiori, per subductionem.

Superiorem ventrem vocat ventriculum, inferiorem autem intestina: nam venter simpliciter superior est caput, medius est thorax, inferior cauitas est, quæ vt Gal. scribit *35. Aph. 21. & 17. 6.* tegitur musculis abdominis, qui diuiditur in præcordia, partes ad vmbilicum attinentes, & infimum ventrem: qua quidem diuisione vti solet Galen. cum vniuersum corpus diuidit in maximas partes: nonnulli tamen ex antiquioribus Medicis, vt Gal. refert *in 4. lib. acutorum morborum text. 112.* & *tex. 9. 2. com. primi Epidemion* ventrem superiorem aliquando ventriculū: inferiorem autē intestina omnia aliquādo nō omnia, sed solū, quæ crassiora sunt: & nonnunquam non omnia crassa, sed solum colon: quæ quidem ignorare non oportet, ne ex nominum varia significatione in rebus confusio nascatur. Quod vero hic scribit, *ea, quæ in ventriculo continentur, per vomitum expurganda esse*, ex antiquioribus Medicis, & potissimum Hippocrate desumpsit: solebant enim illi, vt ex Hippocrate Aph. patet, ita ventriculum euacuare, habita tamen ratione humoris peccantis; biliosos per superiora, melancolicos per inferiora purgandos esse ille iubet. Verum vt euitari non possunt vomitiones cuiuscunque humoris cum natura eo vergit, vt per initia accessionum tertianarum febrium, & cum in crisibus morbosam materiam aliquando ita reiicit: Sic vbi nulla fit inclinatio ad eam partem præstat quidquid vacuandum est, trahere per intestina, quæ à natura facta, & comparata sunt, vt corporis omnia recrementa suscipiant.

Ὅσα δὲ ὑπὸ τῷ δέρματι, διὰ τομῆς, ἢ καύσιος, ἢ φαρμάκων καυστικῶν, οὕτως δ' ἐνίοτε καὶ ὅσα κατά τινα κοιλότητα φυσικὴν ὡς ἐπὶ θώρακος.

Sed quæcunque sub cute, per sectionem, vel ignem, vt per medicamina adurentia: sic vero aliquando quæcunque in aliqua naturali cauitate, vt in thorace.

De abscessibus contentis in musculis cuti subiectis aut etiam in aliis partibus, locus intelligendus est: nam etsi Gal. *in lib. 13. Meth.* iubet, non statim aperiendas esse vomicas, sed prius tentandam esse resolutionem, tamen experientia docet, exiguam oportere esse puris portionem, quæ cedat digerentibus medicamentis. Igitur vbi hæc medicamenta sunt inualida, apertio necessaria est, cuius rationem, & modos docet per sectionem, vel cauteria actualiā vel potentialia. Ac vbi exiguum est pus, aut in superficie collectum, beneque concoctum, sola sectio sufficit. Vbi vero abscessus profundiores partes occupat, & putredinem veremur, tutius est locum aperire candenti ferro, quod partem roborat & à putredine vindicat: quæ vero potentia sunt caustica, in profundiores partes vix possunt penetrare, & interim longos dolores excitant, nec par robur indere possunt afflictis partibus: quare illorum solum est vsus, cum laborantes sectionem, aut candens ab igne ferrum ob nimiam animi mollitiem verentur. Ego tamen non infeliciter aliquando sum vsus medicamentis adurentibus ad pus contentum in cauitate thoracis expurgandum: tutior enim est, quæ ab illis fit, apertio, quoniam paulatim procedit. Quod vero scribit Gal. ea, quæ in thorace sunt supputata, per incisiones educenda esse, trahendum etiam est ad pleuritides; multi enim pereunt ex eo morbo, qui per incisionem sanarentur: quandoquidem inflammatio, quæ musculos thoracis vsque ad membranam ipsam interiorem occupat, tuto admittit sectiones. *Vbi ergo vires adhuc constant, & sputum cohiberi, & digerentia medicamenta non satis prodesse videmus, audacter in eo malo sectionem tentemus, quæ vsque ad locum inflammatum, & plenum humore contingat:* nam & hoc Hippoc. non veritus est facere, & qui illum postea sunt secuti, scarificationes profundiores & cucurbitulas post illas admouendas esse præcipiunt, vt virus mortale extrahatur.

Quibus remediis aperiendi sint abscessus.

Vtilitas sectionis in pleurisi & in quibus sit tentanda.

Ἑνὶ δὲ κεφαλαίῳ, τὸ μὲν ὅλῳ τῷ γένει παρὰ φύσιν ἔν τισι μέρεσι περιεχομένων, σκοπὸς τῆς ἰάσεως ἄρσις ἐστιν· εἰ δ' ἀδυνάτως γίνεσθαι, μετάθεσις·

Et vt summatim dicam, quicquid præter naturā in aliquib. partib. continetur, sa-

nationis intentio est ablatio, quæ si fieri non possit, transpositio.

Repetit eam sententiam, quam superius posuit, aut vacuandum, aut transponendum esse, quod obest corpori, sed contingit sæpius, vt neutrum fieri possit: quare immedicabile tunc malum est. quod vel occidit, si insigne est: aut perpetuo obest sine vitæ periculo, si illud lenius est: huius generis est calculus in vesica crassus, & firmiter connexus cum parte, cui est innatus. Temerarium enim est cum tanta violentia, quam exigit curatio, moliri extractionem: transponi vero eundem non posse clarius est, quam vt demonstrari debeat.

B

Ὅσα δὲ οὐχ ὅλῳ τῷ γένει παρὰ φύσιν, ἀλλὰ τῷ ποσῷ, σκοπὸς τούτων ἡ ἀποκένωσις. ἡ δ' εὕρεσις τῶν ἰωμένων αὐτὰ, μέρος μέντοι κἀξ αὐτῆς λαμβάνεται τῆς διαθέσεως· ἡ πλείστη δὲ ἐκ τῶν πεπονθότων μορίων.

Quæ vero non sunt ex toto genere præter naturam, at quantitate damnantur, in his intentio est abeuacuatio. At inuentio eorum, quæ ad ipsorum sanationem perducunt, partim quidem ex affectu, sed præcipue ex ipsis affectis particulis sumitur.

C

Dixit, ea, quę toto genere sunt pręter naturam, tolli vel euacuatione, aut transpositione: nunc eorum, quæ sola quantitate obsunt, docet vnicum esse remedium *euacuationem*, quam ἀποκένωσιν, vocat: quam noster interpres vocabulo non Latino vertit *abeuacuationem*, nihil enim aliud verbum Græcum significat, quam *vacuationem* grammaticis: nobis vero Medicis, vt postea ostendemus significat *euacuationem*, quæ à loco affecto humores educit: in qua quidem commodè facienda, habenda, inquit, ratio est ipsius affectus, & partis affectæ, quid vero affectus nomine intelligendum sit, non explicat: intelligere autem debemus naturam ipsius humoris, & affectus diuersitatem, quæ ex humore nascitur. Nam si humor exuperans æqualis est, vt in plethora, ea sunt eligenda remedia, quæ æqualiter vacuent: si vero inæqualis est plenitudo, vt in cacochymia, purgatio est necessaria, quæ temere adhibetur in alia plenitudine, vt Galenus aliquando præcipit, scilicet purgandum esse in plethora, *si sanguinis missionem quis timeat.* Nam quod mali præcipua est causa, sanguis ipse cum aliis humoribus commixtus, & purgatione non tollitur. Quapropter vbi sanguinem demere non possumus, non à purgatione, sed ab inedia, frictionibus, & aliis, quę æqualiter & insensibiliter omnes humores consumunt, auxilia petenda sunt. Cæterum plenitudo *aliquando acuta, & vehementia mala excitat:* aliquando tardiora & leuiora: vt anginas, pleuritides, conuulsiones, *in illis adhibenda sunt euacuantia,* quę subito succurrere possint, qualia sunt, quæ sensibiliter & vehementius euacuant: in his vero sufficiunt, quæ sunt alterius generis.

Quando in plethora purgandum.

E

Quod vero scribit, habendam esse rationem partium affectarum, trahendum quoque est ad

A totum: nam molliora, rariora, calidiora corpora leuioribus præsidiis curantur: alia vero vehementiora postulant. Partis vero figura & forma, situs, & connexio, non solum variant remedia & illorum vim moderantur, sed etiã locum monstrant, per quem debeat fieri euacuatio. Sic enim ex connexione hepatis cum ventriculo, intestinis, vena caua, renibus, & vesica nouimus humores, qui illud infestant, per vomitum, deiectionem, & vrinas expurgari posse, sed quoniam hæc alibi diligentius explicauimus, hic eadem prætermittemus.

CAP. XCV DE ASPERITATE ET LAEVITATE.

Ὅσα δὲ ἐν τῷ τετραχύνθαι παρὰ φύσιν ἔχει, τὴν κατὰ φύσιν αὐτοῖς ἀντεισακτέον λειότητα. κατὰ μὲν οὖν ὀστᾶ ξύοντα, κατὰ δὲ ἀρτηρίαν, ἢ γλῶτταν ἐκλεαίνοντα διὰ ὑγρῶν ἀδήκτων καὶ γλίσχρων. ὅσα δὲ τῷ λεῖα γενέσθαι παρὰ φύσιν ἔχει, τὴν κατὰ φύσιν αὐτοῖς ἀντεισακτέον τραχύτητα, διά τε φαρμάκων ἱκανῶς ῥυπτικῶν, καὶ διὰ βραχείας στύψεως.

Quæcunque partes vero ob id, quod exasperatæ naturalem amiserint habitum, his leuitas naturalis est restituenda: ossa quidem læuigando; arteriam autem, & linguam lenendo humidis, quæ nihil mordeant, & lentorem habeant: sed quibuscunque leuitas inest non naturalis, asperitas est reuocanda medicaminibus, quæ sufficienter abstergant, & parum adstringant.

In conformationis vitio sunt asperitas & læuitas præter naturam: asperas enim certo modo quasdam partes natura creauit, vt ventriculum intestina, vterum, præsertim ipsius ceruicem: alias vero læues, vt venas, arterias, quę tales esse illarum vsus & actio postulabãt. Itaq; morb. in illis fit, si id, ꝙ secundũ naturã inest, præter naturã redditur à causis exasperantib. vel læuigãtibus, de quib. antea Galen. egit *in cap. de læui, & aspera voce,* qui scribit, *leuitatem moderatam sequi temperaturam, asperitatem, vero siccitatem. Nam asperitas contingit ab inæqualitate corporis, inæqualitatem vero parit dispersæ in re humiditatis defectus.* Hæc eo loco Galenus: verum si asperitas nihil aliud est, quam inæqualitas, quæ in superficie rei apparet, non potest ea semper sequi temperiem. Sic enim ossa omnia, quæ summe sicca sunt, essent aspera, & partes omnes molliores læues: ossa autem à vulnerantibus non mutata ipsorum temperie aspera redduntur, id, quod etiam patiuntur, cum ab acri humore eroduntur, quod etiam ostendit, asperitatem omnem non nasci à duro corpore: læuitas etiam contingit, cum exstantes, & exasperatæ partes humore replentur, & ex repletione æqualitas in superficie contingit. Ac, vt in vniuersum dicam, quædam fiunt aspera, quod materia in certis suis locis deficiat, in aliis abundet, vnde cauitates, eminentiæ, ex abundantia, & ex his inæqualitas nascitur: qua ratione parietes nondum expoliti, & ossa erosa, aspera redduntur, cui vitio per replentia vel abradentia succurrimus ac medemur: nam replen-

Inæqualitatis causa.

D

Asperitatis & læuitatis causa.

Asperitatis remedia.

replentia cauitates ad æqualitatem perducunt, & abradentia, quod eminet, tollunt, & æquale reddunt cauitati, sed ossa non per repletionem, sed per abrasionem læuigantur, ita vt similem naturali, quam prius habebant læuitatem acquirant: nam humor, qui replere potest, tegit quidem, sed non corrigit asperitatem. In partibus vero mollioribus, vt ab erodentib. exasperatio etiam fieri potest, ita etiã sine erosione magna siccitas idem parit, vt apparet in lingua exasperata in febribus ardentibus in quibus caloris vis humidum à terrena portione, quæ in nobis est, separat, & hæc inæqualiter humore imbuta & ligata inæqualitatem, & asperitatem facit: cui malo succurrit, humectatio, præsertim si cum aliquo lentore coniuncta sit. Sic enim humor diutius hæret, & in profundum immittitur. Cum vero ab acribus humorib. molliores partes exasperantur, purgatio primum adhibenda, deinde abstergentia admouenda, vt partes eminentes tollantur quo modo linguam exasperatam linteis asperioribus, & ablutione ex melle rosaceo, & aqua hordei emendamus.

Læuitatis partium remedia.

Porro læuiores factas partes scribit Gal. abstergentibus & simul parũ astringentibus recuperare naturalẽ statum: nam cũ videatur non posse in illis contingere læuitas, nisi ex humore viscido, veluti vngente, & adhærente parti affectæ, abstergentia sunt vtique necessaria, vt humorem tollant, & astringentia pariter requiruntur, vt spatia, quæ humore erant repleta, & hoc ablato diuisa quodammodo manent, naturaliter coeunt, & ad suam naturam redeunt.

Ὅσαι δὲ ἐμφράξεις, ἢ στενοχωρίαι πόρων ἑτέροις ἕπονται, θεραπευτέον ἐκεῖνα πρότερα. δέδεικται δ' ἐν τῷ περὶ τῆς τῶν νοσημάτων διαφορᾶς, ὡς φλεγμοναῖς καὶ σκίῤῥοις καὶ οἰδήμασι καὶ ξηρότησιν ἐνίοτε ἀμέτροις, ἔτι τε μοχθηροῖς σχήμασιν αὐτῶν τῶν περιεχόντων σωμάτων, ἕπεται πολλάκις τὰ εἰρημένα, καθάπερ καὶ ὄγκοις τισὶ τῶν πέριξ σωμάτων.

Quæcunque vero vel obstructiones, vel angustiæ meatuum, alias sequũtur ægritudines ab illarum curatione primũ est incipiendum. Ostensum siquidem est in libro de differentiis morborũ, quod & inflammationibus, & duris laxisque tumoribus, & siccitatibus aliquando immodicis, ac præterea vitiosis partiũ continentium figuris, ea, quæ nuper diximus, sæpius adueniunt, sicuti & quibusdam tumoribus eorum, quæ sunt in ambitu corporum.

Egit paulo antea de morbis, qui fiunt in cauitate partium, & de illorum remediis, sed omnia ea mala non est prosecutus: quippe cum de obstructione solum egerit, quæ fit, cum materia aliqua occupat intus cauitatem partis. Ac postulabat quidem docendi ratio, vt eo loco cætera mala eiusdem generis percurreret: sed nescio quo modo interposuerit vitia, quæ pertinent ad asperitatem, & læuitatem, nisi id negligentia sit tribuendum, quam nunc maiore forte, quam esset opus, diligentia & prolixitate, quam postulet huius operis institutum, emendare proponit: nec interim tamen affectus omnes recenset, quibus contingit corporis vias angustiores reddi: solum enim de ea angustia agit, quæ fit, cum in meatibus innascuntur tumores præter naturam, aut iidem occupant vicinas partes: quæ eas comprimunt, quæ meatus habent, vel cum istæ partes immodice exsiccantur. Nos autem superius ostendimus, cauitates omnes (vt vniuersaliter dicam) angustiores reddi, quando corpora, quæ cauitatem constituunt, cõprimuntur, concidunt, contrahuntur, coalescunt, tenduntur, distorquentur, mouentur à suis sedibus, obstruuntur, vel constipantur: hic autem, cum ait, obstructiones fieri ab aliis morbis nempe ex tumoribus innatis in cauitate ipsa, vel in partibus vicinis cõprimentibus eas cauitates, obstructionis nomine abutitur. Nam veræ obstructiones fiunt *ex humoribus, aut alia materia occupante internam cauitatem*, non læsa interim substantia partis cauitatem habentis. Tumores vero, qui intus nascuntur, constipant, & non obstruunt: nam ad obstructiones tollendas (vt antea ostendimus, & passim alibi Galenus docet) vtitur incidentibus, abstergentibus, extenuantibus, euacuantibus, & similibus, quæ solum sunt nata, & apta humorum vitia emendare, quæ nullum tumorem in parte excitant, sed solum cauitatem occupant. Tumorum vero alia sunt remedia, & cum hi extrinsecus constringunt meatus, non obstruendo, sed comprimendo, id faciunt: quæ cum alibi Galen. inter se distinxisset, & primo dixisset hoc loco *obstructiones*, videretque hoc nomen suo instituto non conuenire addidit *vel angustiæ meatuum*: nam meatus, etsi non obstruuntur, certe angustiores redduntur ab inflammationibus, œdematis, scirrhis: non addidit autem erysipelata & herpetes, quoniam si simplices sunt illi affectus, tumorem non excitant insignẽ, qui possit vel constipare, vel comprimere corporis vias. Fiunt etiam angustiæ ex immoderata siccitate, necnon ex vitiosa figura partium continentium, vt hic commemorat Galen. & antea nos ostendimus. Tumores autem appellat esse in ambitu, qui circumstantes partes occupant, & cauitatem comprimunt, & ex compressione angustiorem reddunt. Si ergo angustiores fiant viæ ab his malis ait, Galen. prius hæc curanda esse. Quod ita intelligendum non est, vt Acachias vertit, quod post illorũ curationẽ requirantur alia remedia aduersus ipsas obstructiones. & angustias: nam si illæ solum nascuntur ab illis affectibus, nullam postulant peculiarem curationem, nec propria aliqua remedia: sublato enim tumore, aut alia ex prædictis causis, statim sequitur naturalis concauitas. Verbum ergo *prius* non ostendit posterius aliquid esse agendum, sed otiosum est: dicendum enim erat angustiam meatuum, quæ fit à tumoribus & aliis enumeratis caussis, tolli istorum ablatione.

Obstructiones veræ vnde oriantur.

Εἰ δὲ καὶ πρὸς ἄλληλα τῶν εἰρημένων ἐπιπλέκοιτό τινα, τὰς ἐνδείξεις ποικίλας. ἀρκέσει δ' ἐφ' ἑνός, ὡς ἐπὶ παραδείγματος, ποιήσασθαι τὸν λόγον. ἐπὶ πλέον γὰρ ὑπὲρ ἁπάντων ἐν τοῖς θεραπευτικοῖς λέγεται. ὑποκείσθω τοίνυν ἐπιῤῥεῖν τινὶ μορίῳ πλῆθος αἵματος, ὡς διατείνεσθαι τὰ κατὰ τὸ μόριον ἀγγεῖα.

μή τα

vulsioni, nec deriuationi cędit, sed resoluitur, aut suppuratur aut repellitur. Sic ergo cōtra fluxionē pugnabimus. Causæ vero fluxionis sunt humores ipsi qui sua multitudine tenuitate, crassitie calidita te, & ob alia, quæ in ipsis sunt, facilius aut difficilius fluunt, tollenda ergo sunt, quæ illos reddere possunt aptos ad fluxionem. Sunt præterea fluxionis causæ, quę humores commouent, calor frigus, dolor, & expultrix facultas, cum irritatur ad expellendum, quod molestat: tollendæ ergo sunt omnes causæ, quæ humores adhuc mouent. Sunt vero aliæ causæ, quæ faciunt, vt humores facile decurrant, vt latitudo viarum, per quas humores feruntur: illæ sunt constringendæ, vt difficilior fiat transitus. Et quoniam in generatione inflammationis non solum mittitur ab aliis, sed etiam in parte affecta recipitur humor, ideo danda opera est, vt difficile admittatur humor, sublato eo quātum fieri potest, quod huius rei est causa. Recipiunt autem facilius partes debiles, quam fortes, molles quam duræ, raræ, quam densæ, & coniunctæ cum partibus mittentibus, quam aliæ, & concauæ quam solidæ, & excalefactæ quam refrigeratæ, & dolentes, quam immunes à dolore: & quæ in humiliore sunt loco, aut in eo, in quem sponte feruntur, quæ mouentur. Nam vapor potius caput petit, quam partes inferiores, cum à medio corpore surgit: humores vero ipsi à vapore non subleuati, promptius decumbunt in partes corporis inferiores. Hæc ergo remedia sunt fluxionis & causarum ipsius: de quibus diligentius egimus *in libello de consultationibus medicis*, vbi doceo pleuriticorum curationem. Cæterum quod iam influxit in spatia inania, & partis substantiam cum recens adhuc est affectus, & externa est pars, quæ afficitur, ad quam astringentium medicamētorum vis pertingere potest, nec periculum est, ne humor protrudatur in cauitatem corporis, & nobiliores partes adhibitis astringētibus, retrocedere partim potest: vbi vero iam humores firmati sunt, superfluo, aut etiam maiore malo hæc remedia adhibentur. Nam vt firmatus humor repelli non potest, ita vehementius ab astringentibus impingitur in partem affectam. Tunc ergo resoluentia sunt primum adhibenda: quæ si non prosunt, aut certe non sufficiunt ad vniuersum humorem discutiendum ob illius multitudinem, vel partis affectæ profundiorem situm aut duritiem, & densitatem illius, & circumstantium partium, quibus remedia applicantur, tunc ducenda est inflammatio ad suppurationem: & hac peracta, & puri via paranda est, scarificata, aut vulnerata, aut, adusta parte, vel alio quocunque modo salutari parti affectæ, & accommodato ad puris emissionem. Hos quidem scopos & has indicationes postulant affectus complicati, quos Galen. hic proponit curandos: atque ita clarior redditur docendi ratio, vt quilibet (vt credo) indicare potest. Non tamen grauabimur sigillatim explanare, quæ ille de hac re tradit. Illud ergo recte ab eo dictum est, *affectum euacuatione curari*: intelligens affectum solam inflammationem, & ex ea maxime quod in spatiis inanibus, & in partis substantia continetur: nam quod in venis adhuc est, quod alibi requirit ad generationē inflammationis, omnia remedia, quæ subiungit, non admittit. Quod autem scribit, esse potius adhibendam *ab euacuationem, quam vacuationem*, vt vertit Leoni-

Fluxionis causæ & illarum remedia.

Quod influxit in parti quomodo tolli possit.

A cenus: vel euacuationem, clarius quam vacuationem dici vt Akachias vertit, non exprimitur ex illorum versionibus. Nam etsi κένωσις & ἀπόκενωσις apud Græcos grammaticos idem significat, tamen illam simplicem intelligit euacuationem, hanc vero quæ à loco affecto fit. Ex quibus etiam patet, Akachiam & alios interpretes errare: qui præter repletionem partis inflammatæ, alios affectus addunt, vt intemperiem, solutionem continui, & tumorē præter naturā, & obstructionem: nam etsi tot reuera etiam sunt in magnis inflammationibus: tamen illi non postulant peculiarem curationem: propterea recte Galen. solum esse opus euacuatione dixit: quoniam sublata repletione alia omnia mala sponte euanescunt.

B

Ἀναγκαῖον δὴ, ἤτοι παλινδρομῆσαν ἐκκενωθῆναι τὸ περιττὸν, ἢ δι᾽ αὐτοῦ πεπονθότος μορίου.

Necessarium igitur est, aut superfluitas retrocedens euacuetur, aut per ipsum patientem particulam.

Cum dixisset, propositum affectum, nempe inflammationem curandum esse euacuatione, nunc subiungit modos, per quos possit fieri euacuatio, & duos esse dicit: Vnus est, si humor retrocedat, aut per ipsam particulam euacuetur. Retro-

C cessum intelligit, si in venas, à quibus emanauit: iterum recipiatur. Per ipsam vero partem affectam dicitur fieri euacuatio, quando ad motis medicamentis loco inflammato humor educitur. Sed vt antea admonuimus, solum retrocedere potest humor, qui ob paruam moram nondum impactus est parti laboranti. Deinde dubium etiam est an humor, qui à venis iam excidit, in easdem resumi possit. Negat enim hoc Gal. fieri posse in curatione pleuritidis. Huiusmodi enim humorem non per venæ sectionem, sed solum per sputum, & euaporationem educi contendit: tanquam amplius in venas recipi nequeat, alioqui sanguinis missio illum educeret, præsertim si sanguis mittatur vsque ad mutationem coloris, vt iubet esse fa-

D ciendum, hoc enim indicium est, sanguinem educi, qui inflammationem parit in venis minoribus, & maxime vicinis parti affectæ Ego, vt credo aliquid retrocedere posse in venas, quando remedia partem læsam vndiquaque ambiunt, & comprimunt, quod contingit fieri in artubus: sic in aliis partibus id nequaquam fieri posse crediderim, nisi forte retrocessus fiat per medicamenta purgantia, quæ vim habent trahendi vndiquaque familiarem humorem. Sed hic locum non habet purgatio, cum sanguinis repletio statuatur esse ex bono sanguine, is enim est, qui inflammationes parit.

Quid & vbi fieri possit retrocessus.

Vacuatio à parte quid.

E

Πάλιν δρομήσει μὲν οὖν ἢ ὠσθὲν, ἢ ἑλχθὲν, ἢ μεταπεμφθὲν ἢ κατά τινα τούτων, ἢ κατὰ πάντα.

Retrocedet autem vel impulsa, vel attracta, vel transmissa, vel horum vno aliquo modorum, vel omnibus.

αὐθελοίμεθα πελινδρομεῖν ἀναγκάζειν τὸ ἐπιρρέον, οὐκ ἂν δέξαιτο μεστὸν ὑπάρχον τὸ σῶμα,

Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si vero calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris ad partem attrahetur, quam dispersum. Quod si in eo elaborabimus, vt quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet.

Reddit rationem, cur non liceat localia adhibere remedia inflammationem euacuantia. Nam cum illa sensibiliter, vel per retrocessum euacuent, docet, nullam ex his remediis pleno existente corpore conuenire. Nam sensibiliter euacuantia cum fiant per scarificationes, & sectiones, dolorem excitant; ex dolore autem fluxiones fiunt & augentur, vbi dolor adest, quare inflammatio non euacuabitur, sed augebitur. Quæ vero insensibiliter vacuant, necessario calefaciunt, (siquidem sine calore vapores ex humore fieri non possunt) calor autem fluxiones etiam elicit: vnde continget plus attrahi noui humoris, quam consumi & dissolui à parte affecta. Præterea cum retrocessus humoris inflammationem committentis debeat fieri per venas, si illæ plenæ fuerint alio humore, eum, quem emittere volumus à parte affecta, non admittent. Qua propter in hoc casu statim fieri non potest, quod indicatur ab inflammatione, sed prius repletioni totius mederi nos oportet.

Insensibiliter euacuantia necessario calefaciunt.

Πρὸς ἄμφω τοίνυν ταῦτα χρὴ κενῶσαι τὸ ὅλον, ἢ ἀντισπάσαι γε πάντως εἰς ἄλλα χωρία τὸ ἐπιρρέον τῷ πεπονθότι· τούτου δὲ ἐργασάμενον ἀπωθεῖσθαι τὸ μέρος πρότερον, ἢ διαφορεῖν ἐπιχειρεῖν.

Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet aut omnino ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit, quo perfecto opere, à parte repellendum, mox dispergendum.

Quid faciendum sit in prędicto casu, hic docet, nempe, quod vel euacuandum sit corpus, vel reuellendum quod influit. Dicit autem *ob duo*, id est, *ob duas causas* vel *ad hæc ambo*, scilicet respiciendo, hæc adhibenda esse remedia: quæ vero hæc duo sint, non explicat, intelligere autem videtur repletionem, quæ est in venis & ipsam inflammationem: duo enim hi sunt complicati affectus in proposito exemplo: quos remouere consilium est: vel intelligere possumus *duo*, remedium scilic. quod per partem euacuat, & aliud, quod retrocessionem facit, quorum neutrum fieri potest in corpore pleno. Dicit ergo, vel esse euacuandum, vel reuellendum: quasi alterutrum ex his remediis in hoc casu sufficiat. Male autem Akachias vertit, corpus euacuandum esse, deinde reuellendum: nā verbum *deinde* non vertit ex Græco, sed de suo addit. Nam Galenus distinctione vtitur, & vel eua-

Akachias reprehensus.

A cuandum, vel reuellendum dicit esse, & merito quidem. Nam euacuationem hic sumit simpliciter cum humor extra corpus ducitur: per reuulsionem vero non euacuatur eo modo humor, sed solum retrocedit in alias partes, & sic quod partem affectam, & sibi vicinas immoderate replebat, spargitur in multas & distantes: atque ita remittitur tensio & repletio affectarum partium: quod apparet, cum frictiones & vincula adhibentur membris: tunc enim ob calorem & dolorem, humores, qui oppositas partes grauabant, commouentur, & ad membrum, cui ea remedia adhibentur, confluunt: nulla tamen interim fit euacuatio, sed solum translatio quædam & retrocessus humorum: qui in leuioribus malis sufficit: In grauioribus vero, in quibus potentissimæ sunt causæ fluxionum ad partem affectam, validissima quoque
B adhibere oportet auxilia, & ea quidem non sunt, vel reuellentia solum, vel solum euacuantia. Illa enim si fiant sine euacatione, debiliter reuellunt, & proinde multitudinem humorum commouere & ad se allicere non satis possunt: hæc autem multitudinem quidem educere sunt apta, sed nequeunt prorsus impedire motum fluxionum. Itaque cum in generatione inflammationum, quæ grauiores sunt, vrgeat & multitudo humoris & fluxio, simul eodem quoque negotio reuellere, & euacuare oportet. Sic enim omnibus malis per propria, auxilia succurrimus. Igitur euacuare & reuellere simul oportet, quando corpus est plenum,
C & inflammationes sunt vehementes: alioqui satis est vtcumque euacuare, vel solum reuellere. Quid vero sit reuellere, deriuare, auertere, paulo postea diligentius explicabimus. Nunc solum notare volo, id quod vertit noster interpres, *ad contraria loca*, ex Græco vertendum esse *ad alia*, & reuulsionem hic præcipi à Galeno, non vt multitudinem euacuet sed vt fluxionem sistat. Cæterum scribit Galen. quod in proposito casu sit faciendum, posteaquā adhibita fuit euacuatio & reuulsio, quod scilicet prius sit repellendum, mox digerendum, siue sensibiliter euacuandum.

In generatione inflammationum quando reuulsio, & euacuatio simul adhibenda.

D Ἐτοιμοτέρα γὰρ ἡ κένωσις, ὅσῳ διὰ μειζόνων.

Quanto enim per maiora fit, tanto expeditior est euacuatio.

Multos turbauit lectio hæc, quid .s. per *maiora* intelligere velit Gal. & quorsum hæc scribat, ignorant nonnulli, qui ob id dicunt esse legendum *minora*. Alii vero, qui etiā hāc lectionem nō probant nec primam, verbum Græcum ὅσῳ vertunt, ὅσα. i. quæcunque, & talem faciunt sententiam: *reso-*
E *lutio debet sequi repulsionem, & tunc adhiberi, quando perueniendum est ad maiora auxilia*, sicuti in pręsenti loco facit Galen. qui in sequentibus ponit medicamenta resolutiua inter maiora auxilia, ita scribens: *Maxime vero euacuabis, si in spatiis intermediis aliquid contineri coniectura assequeris, & scarificationum auxilio, & medicamentorum, quæ vim habeant dispergendi.* Verum ego eam probo magis lectionem, quæ habet, *quanto per maiora*: nam vltima lectio non respondet Galen. sententiæ: Is enim solum loquitur de repulsione, & resolutione, & quærit, an hæc, vel illa præcedere debeat; nec ad scarificationes hoc dictum per-

A tinet. Quinetiam inter magna auxilia resoluentia poni non debent: quippe cum insensibiliter vacuent: hanc autem euacuationem, nec magna in corpore mutatio ratione affectus præter naturam, aut ipsarum virium sequatur: vehementior quoque est actio repellentium, quam digerentium, vt difficilius est humorem ipsum iam in parte receptum, in venas retrudere, quam ex humore vaporem generare. Hoc enim solus, vel etiam leuis calor efficit: illud vero non nisi multum astringentia & refrigerantia. Lectionem vero, quæ habet *minora*, & Græce & Latine nemo probare potest: nam quicquid per minora intelligas, nunquam efficies, vt euacuatio per illa expeditior fiat, quam per maiora: nam quanto præsidia maiora sunt, quæ vacuant, & viæ maiores, per quas fit B euacuatio, tantum facilior & promptior fit euacuatio. Recte ergo dicit Gale. ideo prius repellendum, quam digerendum, quoniam repercussio fit per venas, in quas vniuersa humoris multitudo, & quidquid etiam in illis est tenue, & crassum, recipi potest. Resolutio vero fit per exiguos & sensui occultos partis affectæ, & cutis meatus, per quos difficile dissolui huiusmodi humores possunt: & propterea videmus aliquando inflammationes solis repellentibus sisti, & curari, posteaquam reuulsiones & euacuationes sunt adhibitæ. Igitur repellendum prius, quam resoluendum: quoniam repulsio fit per maiores & laxiores vias: quanto vero euacuatio fit per maiora, inquam, vasa, siue loca, tanto facilior euadit. C

Ἀποκρουσόμεθα δ' ἐκ τοῦ πεπονθότος, εἰ στύφοιμέν τε καὶ ψύχοιμεν. ἀλλὰ καὶ τὰ κενωθέντα πρὸς ἑαυτά, ἀποκρουόμενον ἕλξει. δέδεικται γὰρ καὶ τοῦτο διὰ τῶν περὶ τῶν φυσικῶν δυνάμεων λόγων. καὶ δὴ καὶ παραπέμψει τὰ ἀγγεῖα, τονωθέντα τοῖς στύφουσι φαρμάκοις.

A patiente vero loco astringendo, ac refrigerando repellemus. Sed & exinanita lo- D *ca ad seipsa attrahunt, quæcunque repercutiuntur. Hoc si quidem ostensum est in eo volumine, in quo de potentiis naturalibus agitur, & vasa præterea vigore ex medicaminibus astringentibus addito se ad alia remittent.*

Repellentiū natura, & vsus.

Præmissa euacuatione & reuulsione dixit Galenus repellendum esse, & postea resoluendum. Quare merito nunc docet, per quæ remedia, repercussio fieri possit, etsi hoc poterat supponere E tanquam notum, vt qui hic non instituerit docere facultates medicamentorum sed medendi rationem, siue illorum rectum vsum. Sed ne desit suis dictis nostra interpretatio, ad repellendum leuiter, vt tenuem & paucum humoré, superficiem corporis occupantem, sola refrigerantia sufficere possunt. In affectu vero grauiore, quam postulet reuulsiones & euacuationes, nec illa, nec solum astringentia, sed quæ simul astringant, & refrigerent, requiruntur, & hæc proprie repellentia dicuntur, vt docet Gal. *in lib. 5. de Simplicibus.* Nam quia refrigerant, cutis meatus occludunt, & ita impedita exteriore euacuatione, interiorem augent, & etiam ob refrigerationem, leuiter ad interiores partes compellunt humores. Astringentia vero cum terrenæ sint substantiæ, comprimunt partem affectam, atque ita humorem in ea contentum exprimunt: qui retrocedens, in vasa tandem recipitur, aut in spatia inania transmittitur. Quod vero subiungit de locis euacuatis attrahentibus non facit ad repercussioné, sed ad translationem humoris per attractionem. Nam loca euacuata, & à quibus est facta reuulsio, ad se alliciunt humorem, qui repellitur, non forte tanquá familiarem, vt qui iam fit alteratus in parte inflámata, & propterea ineptus ad nutritionem: sed quod fuga vacui repleantur, eo quod sponte succedit humor in locum euacuati. Ego certe puto, partes euacuatas per sanguinis missionem, vel alio modo, parum conferre ad euacuandum, & attrahendum humorem, qui repellitur ab euacuatione. Nam si illæ opus habent humore, eum trahent à venis, hepate, & ventriculo, non à partibus politis in habitu corporis, quorum humores sunt iam facti excrementa venis, & aliis partib. quę eas antecedunt. Pars vero, quæ astringitur, iuuare quidem potest retrocessum humorum, quoniam per huiusmodi remedia expultrix facultas roboratur, & ita vim medicamentorum iuuare potest: Ac non solum de vasis, sed etiam de tota parte affecta intelligendum est, quod scribit, humores remitti addito robore ex medicamentis astringentibus.

Εἰ μὲν οὖν ἅπαν οὕτω παλινδρομήσει, εὖ ἂν ἔχοι.

Si igitur hac via superfluum omne retrocesserit, bene res se habet.

Satis ex his verbis ostendit, quod antea diximus, Galenum præmittere repellentia resoluentibus, eo quod crederet, sæpe fieri, vt tota materia inflammationem faciens repelli possit, præsertim si in principio inflammationis adhibeantur, vt medendi ratio & Galen. in *lib. 13. Methodi*, & *passim alibi* admonet esse faciendum. Tunc enim paucus adhuc est humor, qui influxit, & nondum membro impactus. Quare tunc repellentia maximam vim habent. Si ergo per hæc remedia prorsus soluatur inflammatio, nihil aliud moliendum.

Καταλειφθέντος δέ τινος ἐν τῷ μορίῳ, ἐχρῆν μὲν δήπου τεκμαίρεσθαι τοῦτο γλίσχρον ὑπάρχειν, ἢ παχύ, καὶ διὰ τοῦτ' ἐσφηνῶσθαι δυσλύτως. δύναται δὲ καὶ μὴ τοιοῦτον ὂν εἰς τὰς μεταξὺ χώρας ἐκκεχύσθαι. τότ' οὖν ἥκει ἤδη καιρὸς ἐπὶ τὸ κενοῦν αὐτὸ διὰ τοῦ πεπονθότος, ἐπιθέντα τοῖς ὑποκειμένοις ἀποκρουστικὰς τῶν ἐπιρρεόντων δυνάμεις. ἐκκενώσεις δὲ μάλιστα, εἰ κατὰ τὰς μεταξὺ χώρας τεκμαίροιο περιέχεσθαί τι, δι' ἀμυχῶν τε ἅμα καὶ διὰ φαρμάκων διαφορητικῶν.

At si aliquid fuerit in parte retentum, coniecturandū erit, id lentum ac crassum existere, atq; ea ratione iā coactū, atq; adstrictum, vt cum difficultate solui possit: fieri autem

autem potest etiam si non eius natura sit, vt ad spatia, quæ in medio, sit effusum, in quo casu, tunc ad id veniendum esse tempus suadet, vt hoc ipsum, quod reliquum est, per patientem locum euacuemus, imponendo supraiacentibus partib. ea, quæ influentem humorem repellendi vim habēt; maxime vero euacuabimus, si in spatiis intermediis aliquid contineri coniectura assequeris, & scarificationum auxilio, & medicaminum, quæ vim habeant dispergendi.

Inflammationes post euacuationem totius & reuulsionem, per sola repellentia aliquando soluuntur: aliquando vero postulant alia remedia, B quæ dicta sunt à Gal. paulo ante euacuare à parte, de quibus nunc agit Galenus docetque, qualia illa esse oporteat, & quid cum illis sit adhibendum. Porro illorum naturam inuestigat ex natura humoris & affectus, qui relinquitur in inflãmatione post vsum repellentium. Est enim, inquit, talis humor crassus & viscidus, & proinde impactus, vt non facile educi possit, aut certe si talis non est, in spaciis vacuis, quæ intermedia sunt in partibus coniunctis, est refusus. Quapropter, inquit Galenus, requiruntur euacuantia remedia, qualia sunt scarificationes, & quæ digerendi vi sunt prædita. Sed quoniam hæc dolorem, aut calorem inferre solent, à quibus fluxiones rursus C mouentur, admonet cum istis vtendum esse auxiliis repellentibus, & ea rursus imponenda in parte suprapposita, per quam fluxiones mittuntur in locum affectum: veluti si in extrema manu adsit inflammatio digerenda, cubito circumdanda sunt repellentia, & astringentia remedia. Admonebit postea Galen. eligenda esse resoluentia, quæ quantum fieri potest, nec mordeant, nec vehementer calorem cōcitent, ne interim cum inflammationis reliquias discutere tentamus, nouam fluxionem eliciamus. Hæc est Galen. sententia de eo, quod faciendum est, post vsum repellentium: quæ videtur mihi ab eo negligentius explicata. Nam D quod post repellentia relinquitur, crassum & viscosum non est, nec vehementer retrusum in spatia intermedia: & cum hoc accidit, scirrosus fit affectus, qui per resoluentia & scarificationes non tollitur, sed per emollientia. Ac cum talis redditur affectus, præcesserunt resoluentia. Nam crassitiem viscidìtatem, & ex illis natam duritiem in parte, scribit alibi passim fieri solere, cum Medici perperam vtuntur resoluentibus, per quæ quod tenuius est, exhalat, reliquum vero crassescit: aut quod iam tale erat, relinquitur. Præterea non statim post repellentia, ad sacrificationes veniendum est, nisi ex inflammatione gangræna sit facta: de qua re hic non agimus. Medendi ergo ratione & vsus postulant, vt ita dicamus, *post repellentia resoluentia admouenda*, quod si malum illis E cedit, persistendum est in eo opore: alioqui suppuratio tentanda est, vt docet, 14. *meth. cap.* 13. Rursus in resoluentibus hæc distinctio adhibenda, si, inquam, æqualiter, & prospere succedat resolutio, nihil præterea agendum. Si vero aliquid crassum, & lentum relictum sit, quod duritiem aliquam in parte excitauerit, tunc mollientia sunt

[illegible] *docet curan-* [illegible]

A adhibenda, non cucurbitulæ, vt ille etiam sentit, *in* 13. *methodi*, si quid vero refusum & protrusum sit in spatia inania, ab attrahentibus auxilia sunt petenda, & tunc scarificationum, & cucurbitularum est vsus. Atque hoc modo res clarior euadit.

Ἀλλ' ἐπεὶ τὰ διαφορητικὰ πάντα θερμὰ ταῖς δυνάμεσιν ὑπάρχει, τῆς δ' αὐτῆς ἐστι κράσεως ἔργον τὸ δάκνειν, ὅταν ἀμετρότερον ᾖ θερμά, φυλακτέον ἐν αὐτοῖς τὰ πάνυ θερμά, καὶ μάλιστα ἣν ἐπιπολῆς τὸ πεπονθός. ὀδυνήσεται γὰρ οὐ σμικρῶς, ἂν ἅμα πεπόνθῃ καὶ δάκνηται· ὀδύνη τε πᾶσα παροξύνει τὰ ῥεύματα. τὸ μετρίως οὖν θερμόν, ἐπὶ τούτων ἀνώδυνον, ἔτι δὲ μᾶλλον ἐὰν ὑγρὸν ὑπάρχῃ. [καὶ μέντοι καὶ ἱκανόν ἐστι διαφορῆσαι τὸ ἐπιπολῆς, εἰ καὶ μὴ σφοδρὸν εἴη τὸ διαφορητικὸν φάρμακον.]

Sed quoniã hæc omnia vires calidas habent, eiusdem vero temperaturæ opus est mordere, quando modum excesserit, cauenda ex eis sunt vehementissime calida, ac tum præsertim, cum patiens locus inter summa fuerit. Neque enim paruus excitabitur dolor si præter proprium affectum insuper mordeatur, omnisque propterea dolor fluxiones commouet. Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his sensum doloris nō inuehit atque eo amplius omni dolore vacat, si humidum extiterit. [& satis quidē est dispergere, quod est in summa parte, quamuis non vehemens fuerit dispersiuum medicamentum.]

Cum dixisset, post repellentia medicamenta veniendum esse ad digerentia, & in his possimus errare, docet nunc, qualia & quanta illa esse oporteat, tum ratione ipsius medicamenti, tum ipsarum partium, quibus adhibentur. Sunt enim quædam partes affectæ inflammatione, in superficie corporis positæ: aliæ concauæ, aliæ solidæ: aliæ rursus, quæ connexionem habent cum partibus, quæ destinatæ sunt ad excrementa recipienda, & mittenda extra corpus: aliæ vero, quæ cæcos habent meatos suos: aliæ rursus, quæ maximæ sunt dignitatis in corpore, vel publicum munus exercent: aliæ, quæ vilissimæ sunt, vel sibi solis seruiunt. Atque ob hæc omnia docet Galenus varianda esse resoluentia medicamenta: & primum docet, qualia suapte natura illa sint eligenda quod scilicet fugienda sint, quantum fieri potest, quæ vehementer sunt calida, propterea quod illa mordicationem moueant, & sic dolorem, qui iam est in parte affecta, augeant, ex quo fluxiones rursus prouitantur. Eligenda igitur esse moderate calefacientia, à quibus abest mordicatio, & dolor: talia autem maxime esse, quæ cum calore coniunctam habent humiditatem, quæ etsi, inquit, validam vim non habent ad omnes inflammationes resoluendas, illis certe sufficiunt, quæ in superficie corporis versantur.

Resoluentia varianda esse pro partium conditione.

Merito autem digerentia coniuncta cum humiditate morsu carent: quoniam calor, qui resolutionis est autor, cum humido retunditur: cum siccitate vero acuitur. Id apparet in flamma, & carbonibus accensis: illud in aqua calente.

Εἰ δὲ τὰ μὲν ἐπιπολῆς ἀπαθῆ παντάπασιν ὑπάρχει, διὰ βάθους δ' εἴη τὸ κενώσεως δεόμενον, ἐπιτεῖναι καὶ αὐξῆσαι δεῖ τοῦ διαφορητικοῦ τὴν θερμασίαν. κινδυνεύσει γὰρ ἐκλυθῆναι, πρὶν εἰς τὸ βάθος ἐξικέσθαι, οὐ μὴν οὐδ' ἀνιάσει τι τὰ ἐπιπολῆς ἂν φαίσει διότι μὴ πέπονθεν, ὥστε καὶ νῦν ἐς ταυτὸν ἄμφω συμβαίνει, πρὸς τὴν τῶν θερμοτέρων τε ἅμα καὶ δριμυτέρων φαρμάκων χρῆσιν, τά τ' ἐπιπολῆς ἀνεχόμενα, καὶ τὰ διὰ βάθους δεόμενα. ταύτην μὲν οὖν τὴν ἔνδειξιν ἐκ τοῦ μορίου ἐλάβομεν.

B

Quod si summa quidem partes omni noxa caruerint, id vero, quod euacuari oporteat, in penitiorib. partibus fuerit intendendus, atque augendus dispergentis medicaminis calor; cum dubitandum sit, ne prius quam profundas attigerit partes, interim vires amittat. Neque tamen ex eo superiores partes aliquem dolorem sentient, cum omni vacent affectu. Quare nunc hac duo simul inuitant ad calidiorum pariter, atque acrium medicaminum vsum, & summa partes, qua tolerāt, & profunda, qua egent. Hac igitur ex patiente particula indicatio assumebatur.

Posteaquam docuit, qualia oporteat esse medicamenta, quæ digerunt inflammationes superficiales, quod scilicet illa debeant esse calida & humida; nec vehementer quidem calida, ne dolor & fluxio irritentur, & quod illa sufficiant, quæ minorem vim habent, cum pars in superficie est collocata: docet nunc, qualia esse oporteat, quæ conueniunt ad resoluendas profundiores inflammationes. *Illa*, inquit, *debent esse vehementiora*, quoniam illa postulat affectus ob situm partis, & nihil impedit, quo minus illis vtamur: Nam cum pars affecta sit in profundiore loco posita, quæ imbecilliora sunt medicamenta, ad eam peruenire non poterunt saluis suis viribus: partes vero, quæ in superficie sunt positæ, & sanæ regentes ægram, nequaquam offenduntur ab acrioribus medicamentis, sed illorum vim potius frangunt, vt solum tantum facultatis ex eis in profundum perueniat, quantum affectus ipse postulat. Talia igitur medicamenta non oportet esse multo humore exsoluta, nec debili calore prædita. Hæc enim infirmius reddunt medicamentum, quam casus hic postulet.

Ἑξῆς δὲ σκοπῶμεν εἴ τι λείπεται πρὸς τὴν ἴασιν. ἔοικε γὰρ λείπειν οὐ μικρὸν τῶν πεπονθότων αὐτῶν, ἐν οἷς ἐστι τὸ περιττὸν τοῦ ῥεύματος ἔνια μὲν ἀραιὰ καὶ χαῦνα καὶ μαλακὰ τὴν φύσιν ἐστὶν ἔνια δὲ πυκνὰ καὶ πεπιλημένα καὶ σκληρά. τὰ μὲν οὖν πρότερα ῥᾳδίως ἐκκενοῦται. τὰ δ' ἕτερα, δριμυτέρων δεῖται τῶν κενωσόντων αὐτά, καὶ προσέτι λεπτομερεστέρων. ἂν δὲ καὶ κατὰ συχνοῦ κεῖνται βάθους, ἔτι δὴ καὶ μᾶλλον. αὕτη σοι πάλιν ἔνδειξις ἑτέρα παρὰ τῆς οὐσίας τοῦ πεπονθότος.

Deinceps vero si quid ad sanitatem deficiat, consideremus: nec enim parum aliquid deesse videtur. Affecta partes, in quibus fluxionis superfluitas retinetur, nonnulla rara, laxa & molles natura existunt; nonnulla autem densa, pressa, ac dura. Priores igitur facile euacuantur, reliqua autem acrioribus, ac praterea tenuiores partes habentibus egent, atque eo etiam magis, quanto profundiorem situm habuerint. Hac igitur tibi rursus sit indicatio altera à particula patientis substātia.

Secundam sumit indicationē à substantia siue consistentia partis, in qua consideramus, partem vnam esse raram, aliam densam, aliam mollem, aliam duram: ob hanc enim differentiam medicamenta resoluentia variari hoc loco scribit Galen. nam raræ, spongiosæ, & molles, inquit, partes leuiora remedia postulant, densæ, vero fungosæ, & duræ, validiora. Quod, quidem non probat, nec forte est facile rationem huius rei inuenire. Nam etsi raræ, spongiosæ, & molles partes videantur facilius pati, quam contrario modo affectæ tamen vbi humores ab illis sunt euocandi, validiora videntur exigere auxilia: quippe cū tota earum partium substantia humore imbuatur, & ob id difficile sit eas exsiccare. Quod in spongiis aqua imbutis euidenter apparet: illæ enim nec arctissima manuum compressione, nec calore ignis, nec circumuolutæ linteis calidissimis facile exsiccantur. Sic pulmo inflammatus, vel alio humido affectu irrigatus, vix vnquam aut certe difficillime sanatur, quam difficultatem etiam ostendunt mammarum inflammationes, & alii tumores, qui sæpe nullis cedunt remediis, vel digerentibus, vel alio quocunque modo euacuantibus. Contra vero caro musculosa, nerui, cartilagines & aliæ partes duriores, vt paucam, & eam fere solum in spatia inania recipiunt excrementosam materiam: ita eandem facile remittunt. Hoc verum quidem est, validioribus esse opus remediis digerentibus, quando affectæ partes recedunt à superficie, & illæ, quæ illic sunt collocatæ, duriores sunt. Nam difficilior est via per duriora, quam mollia corpora. At hoc non facit ad rem propositam in qua quærimus, an spongiosæ, & molles partes, humore plenæ, exigant validiora remedia resoluentia, quam quæ contrario modo affectæ. Vbi vero sola est alteratione opus, illæ quidem contentæ videntur esse leuioribus auxiliis. Contraria autem videtur esse ratio in resoluentibus & euacuantibus.

An spongiosa partes humore plena validiora egeant remediis resoluentibus, quam qua contrario modo se habent.

Ἄλλη δ' ἀπὸ τῆς διαπλάσεως ἅμα καὶ θέσεως. ὑποκείσθω γὰρ οὕτως ἔχειν, ἐν ἥπατι τὴν προειρημένην εἶναι διάθεσιν, ἐν τοῖς

σιμοῖς

στενοῖς πέρασι τῶν ἀγγείων ἐσφηνωμένων ὑγρῶν, ἤτοι γλίσχρων, ἢ παχέων, ἢ πολλῶν. ἆρ' οὐχ ἑτοίμως ἐδέσμασί τε καὶ πόμασι λεπτυντικοῖς τὸ πάχος μὲν πρῶτον ἅμα τῇ γλισχρότητι λεπτομερὲς ἐργάζεσθαι· δεύτερον δὲ μὴ διὰ τῶν ἀοράτων καὶ στενῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ δι' εὐρειῶν ὁδῶν ἐκκενῶσαι τὸ λυποῦν. εὐρύτεραι γάρ εἰσι κατὰ τὸ ἧπαρ αἱ φλέβες, ὥσπερ καὶ πλεῖσται. πλατύνονται δὲ αἱ μὲν ἐν τοῖς κυρτοῖς εἰς τὴν κοίλην, αἱ δὲ ἐν τοῖς σιμοῖς ἐπὶ πύλας, ὥστ' ἤδη συμβαίνει, ἐν ὁποτέραις ἂν ὦσιν αἱ σφηνώσεις, ἐκκενοῦν ἑτοίμως αὐτάς, ἕλκοντα μὲν εἰς τὴν γαστέρα διὰ τῶν ἑλκτικῶν ὅσα τῶν ὑγρῶν ἐσφήνωται κατὰ τὰς ἐν τοῖς σιμοῖς φλέβας· ἐπ' οὖρα δὲ προτρέποντα διὰ τῆς κοίλης φλεβὸς, ὅσα κατὰ τὰς ταύτης φλέβας.

Alia verò à formatione simul ac situ. Supponatur enim si ita contigerit, in hepate esse proximè dictum affectum, in angustis vasorum finibus intrusis humoribus qui vel lenti, ac tenaces, vel crassi existant, vel superabundent. Nonne in promptu est primum crassitiem vna cum lentore, & tenacitate, cibis ac potionibus extenuantibus ad subtiliorum partium substantiam transferri oportere? Secundo autem loco non per angustos atque inuisibiles, sed latiores meatus quicquid infectum existit euacuandum esse. Sunt enim in hepate venæ non minus amplitudine, quàm numero excedentes, terminantur autem hæ quidem in gibbis ad venam cauam, hæ verò in cauis ad venam portam, vnde haud difficile tibi futurum est in vtris tandem pressi, ac stipati humores fuerint, eosdem expeditè euacuare; trahendo quidem ad ventrem cum his, quæ attrahendi vim habent, medicaminibus, quicunque ex ipsis in venis ad caua hepatis pertinentibus aceruati: ad vrinæ vero meatus promouendo per cauam venam quicunque in venis ad eam pertinentibus sunt.

Nunc prosequitur simul duas indicationes, quarum vna sumitur à conformatione: alia verò à connexione cum aliis partibus, quæ à natura destinatæ sunt, ad excrementa suscipienda, & ea vacuanda extra corpus. Qua quidem in re hepar proponit affectum inflammatione, quam ab initio curandam proposuit: in quo quidem viscere euidenter ostendit curationem variari ob conformationem & cõnexionem partis affectæ: nam antea ostendit, in curandis inflammationibus esse opus reuulsione, euacuatione, repercussione, & tandem euacuatione à parte, & hanc fieri per resoluentia, & scarificationes, & alia præsidia, quæ extrinsecus adhibentur. Quæ medendi ratio tradit, quod est commune huic malo. Verum partis conformatio & connexio, faciunt aliquando, vt reliquias inflammationum & humorum, qui aliis remediis cedere nequaquam potuerunt, alio quodam peculiari auxilio euelli possint: id quod euidentissimè ostendit hepar. cum enim ipsum non sit penitus solidum, sed partes concauas in se contineat, multas, inquam, venas, facilè in illas humor, qui in viscere continetur, recipi potest: & quoniam venæ illæ partim connectuntur cum vena porta, & partim cum caua, & hæc cum renibus & vesica connectitur, porta verò cum intestinis coniungitur, merito humores noxii, qui hepar infestant, vel per aluum, vel per vrinas expurgari possunt, docente hoc non situ partis, sed connexione prius: nam hepatis situs nihil istorum ostendit, sed solum hepar esse positum non omnino inter partes superficiales, nec inter admodum profundas: connexio vero docet simas hepatis partes connecti cum intestinis per venas portæ: gibbas verò renibus, & vesicæ coniunctas per venam cauam, & propterea has per vrinas; illas vero per deiectionem euacuari posse, & in hoc posita est tota exempli propositi vis. Quod verò scribit de extenuatione humorum per alimenta, non excludit etiam medicamenta. Et mirum est, quod cum de eiusmodi extenuatione agit, solum mentionem faciat de alimentis, quæ & in multis aliis, & præsertim in affectu proposito, tuto exhiberi nequeunt. Nam in reliquiis inflammationum quis allium, cepas, porrum, aromata, vina generosa exhibere tentabit? Tutius siquidem est oxymelitis vsu, & potionibus cõfectis ex plantis medicamentosis huiusmodi vitia emendare pro natura humoris, qui crassus est: nam antea docuimus, non vnam esse naturam omnium humorũ crassorum: quippe cum quidam fiant crassi ob terrenam portionem in illis exuperantem, vt humor melancholicus: alii vero fiant crassi ob concretionem, vt pituita, quæ tempore frigido, & in partibus frigidis gignitur. Alii vero per adustionem, vt bilis atra, & pituita, quæ per febres ardentes crassa cõspicitur adhærere dentibus. Ac pro diuersa huiusmodi natura propria extenuantia sunt adhibenda. Quod verò scribit humores contentos in gibba hepatis parte, per vrinam expurgandos esse, nulla adhibita distinctione, præsertim in crassis humoribus, de quibus hic agit, nec medendi vsus, nec ratio probant. Nam multos & crassos humores non solum in ipso hepate, sed etiam in omnibus venis contentos, tutius, & promptius est euacuare per aluum.

Hepatis partes simæ per quas vias euacuetur, & per itidem gibbæ.

Ἑτέρα δὲ ἐπὶ τοῖς προειρημέναις ἔνδειξις ἀφ' ἥπατος, ὡς ἀρχῆς φλεβῶν. ἐπεὶ γὰρ οὐχ ἑαυτῷ μόνον, ὥσπερ τὰ πλεῖστα μόρια τοῦ ζώου, διοικεῖν πέφυκεν, ἀλλ' ἐπιπέμπει δύναμιν ταῖς φλεψί, κίνδυνός ἐστιν, ἐὰν κωλύσωμεν αὐτοῦ τὸν τόνον ἐπιβροχαῖς τε καὶ καταπλάσμασι χαλαστικοῖς, αὐτό τε πρῶτον ἀτονῆσαι περὶ τὴν ἐνέργειαν, ἀτόνους τε συμπάσας ἐργάσασθαι τὰς φλέβας, ὅθεν ἐπιμιγνύναι χρὴ τῶν στυφόντων τι φαρμάκων ἐν ταῖς θεραπείαις αὐτοῦ. ἀλλ' ἐπειδὴ διὰ βάθους ἐστὶ σύγχυ, κίνδυνος ἐκλυθῆναι τὴν δύναμιν τοῦ

στύφοντες, ἐὰν μὴ προσηγῆται πρός τινος ἑτέρας οὐσίας λεπτομεροῦς, οἵαπερ ἡ τῶν ἀρωμάτων ἐστί. κάλλιον δὲ εἰ αὐτὸ τὸ στῦφον φάρμακον εὐθὺς εἴη καὶ ἄρωμα. συμφύτους γὰρ ἔχον δύο ποιότητας τε καὶ δυνάμεις, ἰσχυρότερον ἐνεργήσει.

Sed præter supradictas, alia est indicatio ab hepate ipso, veluti à venarum principio. Nam cum non tantum seipsum regere natura aptum sit, vt pleraque animalis partes, sed venis præterea virtutem largiatur, periculum imminet, ne si eius vigor madefacientibus, ac relaxantib. cataplasmatibus fuerit resolutus, & ipsum primum ad sui opus atque omnes subinde venæ eius ratione imbecilles afficiantur. Quare in eius curationibus aliqua ex adstringentibus medicamentis miscere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco situm est, dubitandum erit, ne adstringentibus medicaminis vis debilitetur, nisi ab aliqua altera subtilium partium substantia, qualis aromatum est, traducatur. Melius vero fuerit, si & ipsum astringens medicamentum protinus ex aromatum genere fuerit. Nam si duas habuerit natura insitas qualitates, ac potestates, valentius operabitur.

Aliam hic prosequitur indicationem, quæ sumitur à dignitate & officio partis. Sunt enim quædam partes aliis digniores, eo quod principia sint. Aliæ rursus publicum pro toto corpore officium exercent: aliæ priuatum. Principiorum & earum, quæ commune opus obeunt, habendam esse rationem in euacuationibus, hic scribit Galenus: quod etiam *decimo tertio Method. cap. decimo quinto* refert. Ait enim illic, Theagenem philosophum Cinicum laborantem inflammatione hepatis, ab Attalo Methodico fuisse occisum, eo quod digerentibus medicamentis absque admixtione adstringentium vsus fuisset. Iecur enim venarum esse principium, hic, & in illo loco statuit, & propterea non esse euacuandum absq; adstrictione: quoniam aliter illius robur dissoluitur, & venæ quoque imbecilles redduntur, & exolutæ ad munus suum obeundum. Qua quidem in re duo mihi videntur hic fieri errores: nā nec hepar venarum est principium, vt superius ostendimus, tum multis aliis rationib. tum his maximè, quod à parte sanguinea, spermatica nulla oriri possit, & quod ipse apertè testetur *in libro de formatione fœtus*, venas esse factas prius, quàm hepar. Deinde non propterea quod hepar principium est venarum, vt ille censet, immittitur aliqua vis alterandi in ipsas venas: quippe cum omnes naturales facultates innatæ & insitæ sint ex proprio temperamento singulis partibus, vt ipse alibi censet. Postremo dignitas & præstantia partis non videtur vim aliquam habere ad mutanda remedia, præsertim resoluentia: quæ cum insensibiliter & paulatim euacuent, nequeunt robur alicuius partis dissoluere. Id quidē magis timendum esset in sanguinis missione: At ille non vetetur in magnis febribus, & inflammationib. hepatis, sanguinem detrahere vsque ad animi defectum. Nihil fortè obsunt adstringentia, si misceantur cum purgantibus: quoniam viæ per venas sunt amplæ. At coniuncta cum digerentib. non possunt nisi obesse. *Exigui enim cutis & partium aliarum, quæ tegunt hepar, meatus, vel ab exigua adstrictione occluduntur:* nec huic quidem malo mederi illud fortè potest, quod aromata, & tenuium partium medicamenta addat, ad intromittendam adstrictionem: nam vt vix credi potest, eam vsque ad hepar penetrare: ita si vim suam emittit, omnino cutis & musculorum meatus occludet. Stomachus, vt qui laxa constet substantia, gaudet vtique aliqua adstrictione: At hepar, quod est densum, & solidum, quid potest ex ea commodi capere? Cur enim idem non dicit esse faciendum, cum discutere volumus cerebri inflammationes? Nam si sola dignitas partis & non potius substantia, adstringens postulat remediū, habenda erit maximè ratio ipsius cerebri, quod dignitate omnes partes corporis antecellit. At ille *in eodem libro*, & *alibi* nulla adstringentium facta mentione, nititur per sola digerentia reliquias inflammationum discutere. Neque enim (vt diximus) ex partis dignitate & officio resolutionis ratio variari potest: siquidem in sanguinis missione, & purgatione, liberè quantum abundat in hepate & vires ferunt vitales euacuamus. Sed si adstringentium aliqua habenda est ratio, id fit ob partis laxitatem, quæ ex astringentibus colligitur & roboratur. Nec me quidem mouet de Theagene historia. Nam vt pauci ex hepatis inflammatione euadunt, ita illius mors adscribenda non est relaxantibus, & digerentibus medicamentis, si modo ea opportunè fuerunt adhibita, declinante, inquam, iam morbo. Nam in aliis temporibus miscenda quidem sunt digerentibus astringentia, quoniam mixtus est affectus ex fluxione, & eo quod iam influxit, cui partim repellentia, partim verò digerentia conueniunt, vt idem autor passim docet.

Hepar non esse principiū venarum.

Cerebrū dignitate omnes partes antecellit.

Ex inflammatione hepatis pauci euadunt.

Καὶ τοίνυν ἐκκενούσθω μὲν καὶ ἤδη τὸ παρὰ φύσιν εἰς τὸ μόριον ἐπιχυθέν· ἐχέτω δὲ τὴν συμμετρίαν τῶν χυμῶν τὴν κατὰ φύσιν. ἐπισκεπτέον οὖν ἡμῖν ἐν τούτῳ, μή τι πρὸς τῆς τοῦ ῥεύματος ποιότητος, ἠλλοιώθη τὴν κρᾶσιν, εἰ μὲν φλεγματικώτερον ἦν, ψυχθέν, εἰ δὲ χολωδέστερον, θερμανθέν, ἵνα καὶ ταύτην αὐτοῦ τὴν δυσκρασίαν ἰασάμενοι, τελέως ὑγιεῖς ἀποφαίνωμεν. ἰασόμεθα δὲ τὴν ἐναντίαν ἀντεισάγοντες ποιότητα, καθάπερ ἐν ταῖς τῶν δυσκρασιῶν εἴρηται θεραπείαις, εἰς ὅσον ἕκαστον ἐγένετο θερμότερον, ψύχοντες εἰς τοσοῦτον. ὡς ἐνταῦθα πάλιν ἀναγκαῖον ἐπίστασθαι τὴν κατὰ φύσιν εὐκρασίαν αὐτοῦ. πῶς γὰρ ἂν εἰδείημεν, ὁπόσῳ τοῦ κατὰ φύσιν ἐστὶ ψυχρότερον, ἢ θερμότερον, ἢ πότε ψύχοντες παυσόμεθα, μὴ γινώσκοντες τὸ μέτρον τῆς κατὰ φύσιν θερμότητος. οὕτω δὲ καὶ εἰ τὸ ψυχρότερον γενόμενον θερμαίνομεν, μὴ γινώσκοντες τὸ μέτρον αὐτῆς τῆς κατὰ φύσιν ψυχρότητος, οὐχ οἷόν τε ἡμῖν οὔτ' εὐτυχῆσαι τοῦ θερμαίνειν οἰκείως, οὔτε παύσασθαι θερμαίνοντες.

Sic igitur euacuetur, quod præter naturam in membrum cōfluxit, seruet autem humorum modum naturæ conuenientem. Quare & illa animaduersio à nobis in hoc est adhibenda, ne quid ab humoris confluentis qualitate eiusdem membri temperies sit alterata; si pituitæ naturam tenuerit ad frigiditatem: si vero bilis ad caliditatem, vt hanc ipsam curantes intemperiem sanitati restituamus. Curabimus autem cōtrariū ex aduerso afferentes qualitatem, quemadmodū in intemperaturarum curationibus diximus, quantum vnumquodq; calidius aut frigidius factum est, tantum refrigerantes, aut calefacientes, quare hic rursus agnoscenda est ipsius secundū naturam temperies. Nam quo pacto sciemus, quantum in frigiditate ac caliditate à naturæ modo recesserit, aut quando à frigefaciendo supersedendum sit, si nos latuerit ea, quæ est secundum naturam, caliditas? Ita vero & si frigidiorem affectum calefaciemus, ignorantes frigiditatis naturalis modum, neque opportunè calefacere, neque in tempore à calefaciendo desistere poterimus.

Aliam videtur addere indicationem sumptam à naturali temperamento, cuius vim ostendit in curatione intemperaturæ, quæ ex inflammationibus relinqui solet. Nam qualiscunque fuerit humor, vel bonus sanguis, vel biliosus, vel pituitosus, aut melancholicus, si diu in parte aliqua effusus manet, intemperiem inducit similem humori lædenti, quam soluta inflammatione emendare necesse est, eo modo, quo calorem & siccitatem relictam post curationem febris ardentis, vel longe refrigerante, & humectante victu in conualescentibus corrigimus: totius enim & partium affectarum eadem est in his ratio. Tollenda igitur est huiusmodi intemperies, sed eo modo vt nihil relinquatur eius, quod accessit præter naturam, & nihil auferatur de ea, quæ secundum naturā est. Id quod fieri exactè nō poterit, inquit Galenus, nisi gradum naturalis temperaturæ ipsius partis mouerimus: nam cum necesse sit in omni curatione, redigere hominem ad naturalem suum statum, nisi hunc prænouerimus, errores contingent. Neque enim excessus quantitatem scire poterimus: quare nec intelligemus, quantum & quatenus sit calefaciendum, refrigerandum, aut aliud agendū. Sed quo pacto, quæso, per morbos licebit deprehendere, qualis esset homo, & illius partes, dum bene valerent? Nam crassissimi homines post morbos solutos, graciles & extenuati conspiciuntur, & frigidi natura à febribus perusti conspiciuntur. Quare naturalis status, quæ possent esse indicia, dum conualescit æger? Gal. *in primo ad Glauconem* huic difficultati, quod potest, remedium adfert. Cum inquit, notos Medicis homines, antequam ægrotarent, lōge melius aliis sanari: propterea quod naturalis status Medico est præcognitus, ex quo excessus morbosos & ex his remediorum quantitatem artificiosa coniectura ille metiri potest. In ignotis vero præcipit *ætatem, vitæ conditionem, calorē, habitudinem, pulsus, animi mores, aerem in quo degere consueuit, & alia huiusmodi esse à domesticis perdiscenda.* Ex quibus quantum fieri potest innotescet nobis, quod singulis est naturale & propriū. Tradi tamen potest alia huius rei ratio. *Vbi enim relictas à morbis intemperies remouere consilium est, à lenioribus remediis alterantibus est incipiendum, & si ea sufficiunt, in illis persistendum: alioqui progrediendum est paulatim ad maiora.* Porro intelligemus illa penitus, aut non satis sufficere, ex eo, quod videamus, corpus in melius proficere, dum vires roborantur, color restituitur, corpus crassescit, & denique quicquid in sanis esse solet, restituitur.

In ægrotis, quos antequàm ægrotarent, non nouimus, quid ad cognoscendum statum naturalem faciendum.

CAP. XCVI. DE MORBO SECVNDVM NVMERVM.

Ἐπεὶ δὲ καὶ περὶ τούτων αὐτάρκως εἴρηται, μεταβαίνειν ἤδη καιρὸς ἐπὶ τὰ κατὰ τὸν ἀριθμὸν, οὐ κατὰ φύσιν ἔχοντα. διττῆς δὲ οὔσης αὐτῶν τῆς διαφορᾶς, οἷς μὲν ἐλλιπές τι μόριον, ἐργάζεσθαι τοῦτο σκοπὸς ὑπάρχει πᾶσιν δηλονότι τῇ φύσει, καθ' ὃν ὀλίγον ἔμπροσθεν εἴρηται τρόπον. οἷς δ' αὖ περιττεύει, τοῦτ' ἐκκόπτειν αὐτὸ, ἤτοι διὰ σμίλης, ἢ διὰ πυρὸς, ἢ διὰ φαρμάκου καυστικοῦ. ταυτὶ μὲν οὖν ἅπαντα, σχεδὸν δυνατόν ἐστιν ἰάσασθαι, γεννῆσαι δ' οὐχ ἅπαντα δυνατὸν, ὡς ἐν τῷ περὶ σπέρματος ἀποδέδεικται λόγῳ. ἔνια δὲ κἂν αὐτὰ μὴ δυνατὸν ᾖ γεννῆσαι, γοῦν ἀντ' αὐτῶν ἕτερόν τι δυνατὸν, ὡς ἐπὶ τοῦ ὀστοῦ τελέως ἐξαιρεθέντος, οὐσίαν ἑτέραν ἐν τῇ καθ' αὐτὸ χώρᾳ διαφέρουσαν ὀστοῦ τε καὶ σαρκός. ἔστι γὰρ ἡ γινομένη κατὰ τὴν χώραν αὐτοῦ, καθάπερ τις σὰρξ πωρώδης ἢ πῶρος σαρκοειδὴς, καὶ τοῦ χρόνου δὲ προϊόντος, ἐπὶ τὸ πωρωδέστερον μεθίσταται, κατ' ἀρχὰς σαρκοειδὴς μᾶλλον οὖσα. καθάπερ δ' αὖ μόριον ἀπολλύμενον, οὔτε τὴν αὐτὴν οὐσίαν κατ' εἶδος, οὐδ' ὁμοίαν ἐργάσασθαι δυνάμεθα, τοῦτο ἡμῖν σκοπὸς ἐξαρκεῖν ἵνα κόσμον, ὡς ἐπὶ κολοβωμάτων.

Sed quoniam de his satis diximus, transire iam tempus est ad ea, in quibus numerus non est secundum naturam. Cum vero duplex sit eorum differētia, quibus quidem aliqua particula deficit, his intentio est alteram efficere, subministrando naturæ eo, quo diximus paulo ante modo. At quibus superabundat, hanc resecare oportet, aut scalpello, aut igne, aut medicamine, quod vrendi vim habet. Hæc igitur omnia sanare possibile est, at non æque omnia generari possunt, vt in lib. de semine diximus. Quædam vero sunt quæ etsi generari non possunt, licet tamē pro ipsis alterū efficere, quemadmodū in osse ex toto sublato, alteram substantiā in

eius se de reponere à carne atq; osse differentem. Est n. qua in eius gignitur loco quadam veluti caro callosa, vel callus carnosus: & processu temporis magis ac magis ad calli duritiem transfertur, cum ab initio carnis potius imitetur naturam. Quacunque vero parte sublata, cum neque eandem secundum speciem substantiam, neque similem efficere possumus, tertia nobis intentio quendam decorē inuenire, quemadmodum in mutilationib.

De cauteriis aptis ad partes superfluas auferendas & secandas.

Hæc & sequentia capita de morbis in magnitudine & situ sunt superius dicta, cum de vitiis sanorum ageret: nec erant hoc loco repetenda iisdem sententiis & verbis vix in aliquo mutatis. Summa autem huius rei est quod partes numero excedentes auferre oportet: ablationis a. modum vnū docet per resecationem, & hanc fieri dicit, vel incisione, vel cauterio actuali, vel (vt vocant) potentiali. Fiunt autem actualia cauteria calybe, aut auro ignito. Potentialia verò per medicaměta, quæ adurendi vim habent, cuiusmodi est arsenicū, sandaracha. Paulò inferius verò, si resecatio fieri non potest, dicit recurrendū esse ad transpositionem, vt in suffusionib. *In lib.* verò 14. *Meth. c. 13.* aliter rem hanc tractat. Tres n. modos ponit ablationis eius, quod excedit: nam si illud toto genere præter naturam est, sui ablationem indicat, vt in steatomatis, & atheromatis, & Myrmeciis, & Acrochordonib. necnon in calculo & mola mulierū, ac etiam in herniosis & columella putrefacta, & in varicibus, in polypo, ac in dente perforato. Si verò locus ipse affectus est vna ex naturalib. partibus, & affectus solus sanari non potest, cum vitio pars quoq; ipsa excidenda est, sicuti in cancro fit, & omnibus vlcerib. quæ curationem respuunt. Quod si affectus sanari non potest ablatione eius, quod nocet, nec pars cum affectu excidit: translatione, inquit, est vtendum: quod in suffusione obseruamus. Verum quod scribit de sexto digito, & aliis partib. naturalem habitum seruantibus, solo numero excedentibus, resecandis, non est ita intelligendū, vt illud, quod exuperat, necessario amputandum sit. Nam vt ex sexto digito parum, aut nihil læditur actio manus, vel pedis: ita quoq; præstat naturæ errorem fouere, quàm cum periculo excindere. Mōdos ergo docet ablationis, si quis eam quærat. Pollicetur ille quidem *hoc loco* omnium istorum sanationem: quod intelligendū est de exteriorib. vitiis, aut certè illis, quæ ob naturā partis excisionem admittunt. Nam nec calculos magnos à renib. nec molam ab vtero, nec cancros à facie, his remediis, aut alia arte euellere possum'. Quid vero sentiendum sit de regeneratione partium, quæ desunt, an scil. omnes, vel quædā solum regigni possint, & quæ sit huius rei causa, superius etiam ostendimus. Cæterum quod hic habet de parte, quæ in locū deperditæ restitui potest, nempe de callo, quod ossis vsum quocunq; modo præstat, non est, quod aliquid de ea re dicamus. Illud solum, quod scribit, callū pro osse ex toto sublato reponi, interpretatione eget. Neq; n. intelligere oportet, vbi non sint ossis partes, vtrinq; callum posse generari, nam ad calli generationē duo requiruntur, primum, vt caro fiat, vt repleatur spatium factum ex ablatione ossis, & vt caro hæc in-

Callus vbi gigni possit aut nequeat, & quid ad calli generationem requiratur.

A durescat quantum fieri potest. Illud efficit caro vicina: hoc vero ossa vicina. Quare necesse est vtrinque relinqui integras ossis partes. Rectè autē Gal. hic tres modos docet ad emendanda vitia, quæ ex deficientib. partibus nascuntur. Vel enim ablatā partem restituemus: vel si hoc fieri non potest, alteram illius loco, id est, quæ illius vsum præstet, efficiemus. Quod si nec id fieri possit, arte aliqua machinabimur quod imitetur naturæ opus, & decorem conciliet: quo pacto manus ferreas & argenteas coniungimus cubito his, quibus amputata est manus, & nasos ex corio æmulante naturam carnis, nonnunquam cōficimus, vt turpitudinē corporis ex mutilatione partium tegamus & emendemus quantum fieri potest. Quanquam tamen B Gal. nō ex huiusmodi materia, sed ex ipsamet nostra substantia decorem cōparari velle videtur. Est enim de hac re locus *in c. 18. lib. 4. Meth.* vbi scribit, naso, auri, labio decurtatis, decorem comparari, si diuisa vtrinq; cutis mox vniatur, & agglutinetur. Ac de tota curatione morborum, quæ ex numero vitiato sunt nati, agit idē autor in 14. *Meth. circa finem*: quæ ab eo loco sunt petenda, ne cogamur singula huc adferre.

CAP. XCVIII. DE MORBO SECVNDVM MAGNITVDINEM.

C Ἐπικοινωνεῖ δὲ δηλονότι τὸ γένος ὅλον τοῦτο τῷ κατὰ τὸ πηλίκον. ὅσον γὰρ αὐτοῦ παρὰ τὸ κατὰ φύσιν ἐστὶν, ἐκείνῳ πλησιάζει. τὸ δὲ ἐν τοῖς τῷ γένει παρὰ φύσιν, ἀποκεχώρισται μόνον, ἐφ' οὗ πρώτης μὲν σκοπὸς ἡ ἀφαίρεσις. εἰ δὲ ἀδύνατος οὗτος, ἡ μετάθεσις, δεύτερος, ὡς ἐπὶ τῶν ὑποχυμάτων.

Communicat autem hoc genus totum cum eo, quod ad magnitudinem pertinet. Nā quodcunq; ex eo est secundum naturam, illi propinquum existit. Id vero tantum seiunctum est, ac separatum, quod inter ea, quæ sunt è genere non naturali, connumeratur, in quo quidem prima intentio est ablatio. Si vero hæc impoßibilis existat, secunda est translatio, quemadmodum in suffusionibus.

D Putant reliqui interpretes, Gal hic docere curationem morborum, qui in magnitudine consistunt: in quo quidem euidenter errant, nam Gal. colligit esse opus ablatione, vel trāspositione, quæ quidem sunt remedia morborum, qui facti sunt ex numero excedentium. Nam magnitudo, quæ supra modum excreuit, non eget integra ablatione, sed sola diminutione, nec transpositionē quidem admittit. Comparat a. hic Gal. morbos, qui fiunt ex multitudine, cum his, qui fiunt ex magnitudine excedente. *Nam*, inquit, *morbi, qui ex numero partium secundum naturam habentium consistunt, similes sunt illis, qui fiunt ex aucta magnitudine.* In vtroq; enim affectu quod additur corpori, est ex vtili substantia & secundum naturam. Ea E vero, quæ præter naturam sunt, & numero excedunt in corpore, vt suffusio, differunt à vitiis, quæ sunt in aucta magnitudine partiū. Nam hæc semper fiunt ex vtili, & secundum naturam substantia, vt in his apparet, qui ob pinguedinis, vel carnis excessum mole corporis constant morbosa & inutili: & ita debet intelligi hic Gal. locus, nō quemmodum, vt dixi, Akachias & alii interpretantur, fieri scil. duplicem morbum in magnitudine & in nume-

Akachia error.

numero, quando aliqua pars ex substantia vtili & naturali constans, alicui membro additur, velutí cum sextus fit digitus: tunc enim duplicem fieri putant morbum, vnum in numero, alium in magnitudine, quoniam numerus partium & magnitudo totius membri pariter augentur. Eadem ratione volunt illi, cum vnus ex quinque digitis ablatus est, morbos etiam duos fieri, quia & numerus partium, & membri magnitudo simul sunt diminuta; parem vero non esse rationem in his, quæ committuntur ex numero rerum præter naturam habentiũ: tunc enim non fieri morbum in magnitudine. Quibus quidem repugnat primum Gal. *in libro de differentiis morborum*, vbi genere inter se distinguit morbos in numero à morbis in magnitudine. Deinde hic scribit, cõmunitatem quandam & vicinitatem inter illos affectus esse: non quod duo morbi sint necessario, vt re vera non sunt. Nam vt morbum faciat aliquid, necesse est, vt ipsius ratione lædatur præter naturam actio membri, in quo vitium consideramus. Atqui nec dicet manũ, cui accreuit digitus vnus, ob magnitudinem ineptam esse factam ad apprehensionẽ: quot enim sunt, qui ex sex digitis confectam manũ non habent æque magnã, nec æque grauem, vt illi, quibus solũ sunt quinq; digiti? Quid etiã detrahitur ex magnitudine manus, quod actionẽ lædere possit, vbi etiam est vnus digitus ablatus si digitorum ossa, & ipsi integri digiti breuiores sint, quàm requirat manus ad suos vsus? hoc enim totum vitium ad magnitudinem pertinet, sicut illud solum ad numerum. Absurda etiam hæc apparet opinio, ex eo, quod scribunt de numero aucto ex rebus præter naturam habentibus, ex quibus credunt, nunquam magnitudinem augeri posse. Nam ex magno lapide, vesicæ ceruicem præter modum augeri ratio docet: & nos aliquando renes lapidibus plenos conspeximus oui anseris magnitudinem æquasse. Id quod omnibus euidentissimè ostendit mola mulierum, quæ vltra tumorem hydropicorum ventrem attollit: Postremo id confirmat, quod mox scribet, morbos in magnitudine non fieri ex integris partibus additis, vel ablatis: sextus igitur digitus integer, nõ potest facere morbum in magnitudine, explodenda ergo est illorum interpretatio.

Morbos in magnitudine non esse cũ morbis in numero coniũct.

Ὅσα δ' οὐχ ὅλοις μορίοις, ἀλλ' ἐν μέρεσι μορίων ἐλλείπει τι καὶ ὑπερβάλλει τοῦ κατὰ φύσιν, ἀνάθρεψις μὲν, ἢ γένεσις ἐπὶ τῶν ἐλλειπόντων, ἀφαίρεσις δὲ καὶ καθαίρεσις, ἐπὶ τῶν ὑπερβαλλόντων. ὅθεν οὔτε σκοπὸς ἕτερος αὐτῶν ἕτερος, οὔτ' ἰδέα φαρμάκων ἑτέρα κατὰ γένος.

Quæcunque verò non integris partibus, sed partium tantummodo particulis deficiunt, aut excedunt naturæ modum, refectio quidem, vel generatio in his, quæ deficiunt: ablatio verò & abolitio in his, quæ superabundant. Quare neque in ipsis altera intentio, neq; medicaminum forma genere diuersa.

Posteaquam egit de partibus integris additis, aut ablatis, ex quibus fit morbus in numero, &

A remedia istorum malorum docuit, nunc agit de vitiis, quæ consistunt ex magnitudine aucta, vel diminuta & remedia istorum explicat. Vitia, inquit, fiunt in magnitudine, *non si integræ partes adantur, vel auferantur: sed si solum de partibus necessariis aliquid diminuatur, aut illis ceresçat.* Quæ verba satis refellũt prædictam interpretationem. Sunt ergo vitia, quæ fiunt in magnitudine, quando totum, aut illius partes præter modum augentur, vel minuuntur, quibus dicit conuenire refectionem, vel generationem, diminutionem & abolitionem. Porro refectio debetur, *vbi solum diminuta est substantia humoralis, vel aerea* & non solida, vel, vt clarius dicam, *vbi aliquid non est auulsum à reliquo:* quod genus mali in gracilibus

Morbus in magnitudine quando fiat.

Refectio quibus debeatur.

B & tabefactis apparet. Illi enim integras habent suas partes, sed omnes consumptas & diminutas. Propterea egent solum optima nutritione & additione alimenti. *Partes verò, quæ sunt diminutæ ob consumptionem, & auulsionem alicuius substantiæ*, veluti contingit in vlceribus cauis erosa carne: illic est opus regeneratione, ex qua restituitur caro deperdita, & cum ea magnitudo partis. Sic sanè vbi magnitudo præter modum excreuit, aliquando est opus ablatione alicuius substantiæ: aliquando verò sola diminutio malo medetur. Prioris mali & remedii, exemplum est caro supercrescens vlceribus: Illa enim vel incidenda, vel erodenda, vt æqualis magnitudo membro acquiratur: pinguedinis verò & carnis moles, ex

Regeneratio substantiæ in quibus affectib. requiratur.

In quib. ablatio.

C qua vniuersum corpus præter modum naturæ conuenientem, tumet, diminutione sola eget. Nam inedia, frictiones asperæ, exercitatio frequens & vehemens, ablutio aquarum spontè nascentium, extenuans victus, & alimenta minimũ nutrientia, exiguusq; & aquosus potus, huic malo medentur, vt Galenus *in lib. 14. Meth.* docet. Quo loco etiam curationem explicat aliorum affectuum, qui in partibus præter modum auctis fieri solent, cuius generis est priapismus, linguæ tumefactio. *In eodem* etiam *libro* prosequitur medendi rationem, quæ conuenit atrophiæ totius & singularum partium, nec non præputio & labiis decurtatis, & angulis oculorum diminutis: quæ quidem à nobis, qui solum communem Metho-

In quibus sola diminutio.

D di medendi rationem ex oneris instituto prosequimur, hoc loco sunt prætermittenda. Hoc solum hic addendum est, quod pertinet ad explicationem istius sententiæ, in qua scribit. *scopum & medicamentorum formam genere non differre in curatione morborum in magnitudine & numero.* Nam quæ numero excedunt, solum per ablationem curari possunt: quæ verò præter modum in magnitudinem excreuerunt, raro per ablationẽ sæpius verò per diminutionem sanantur, qui per ablationem & abolitionem, ea, quæ superabundãt, tollenda esse scribit. Nam ablatio & abolitio non differunt, Galenus verò per abolitionem & diminutionem hæc mala seruanda esse Græcè scribit.

E Ἀλλ' ἐπὶ τὸ λοιπὸν ἔτι γε εἶδον τῶν ὀργανικῶν αἰτίων, ὅσον ἐπανορθωτικόν ἐστι τῶν περὶ τὴν θέσιν ἐσφαλμένων σωμάτων, οἷον ἐξαρθρήματα, καὶ ἔντερον ἐν ὀσχέῳ. γίνεται δὲ τὸ μὲν ἐκ βιαίας πτώσεως, ἢ ὤσεως. τὸ δὲ ἐξ ἀναβρώσεως ἢ ῥήξεως τῶν περιεχόντων, ὥστε καὶ ἡ ἴασις τῶν μὲν ἐξ ἀντιπτώσεώς τι καὶ τῆς εἰς τὐναντίον,

CAP. XCVIII. DE MORBO SECVNDVM SITVM.

† στενὸν

εἰ περιήλλαξεν, ὥσπερ, τῷ δὲ ἐκ τοῦ † στεγανὸν ἐργάσασθαι τὸ περιέχον. ἐξ ὧν δ' αὖ τις μεθόδων τὰ κατὰ μέρος ἐξευρίσκει, διὰ τῆς θεραπευτικῆς πραγματείας δεδήλωται.

Sed iam ueniuendum est ad reliquum salubrium causarum genus, quod ea corpora emendat, quæ in situ sunt vitiata, veluti luxationes, & intestinum in scroto. Fit autem hoc ex violenta tensione, atque impulsu. Hoc vero ex dilatato ac rupto continente. Quare, & duplex sanandi modus; alter quidem ad oppositam partem ei, à qua facta est permutatio, intendendo, atque impellendo: alter verò id, quod continet, firmius solidiusque reddendo. Quibus verò viis ac rationibus singula inueniri possint, in libris de arte curandi explanauimus.

Connexus partiũ quomodo lædatur.

Vltimum morborum genus, vt *in libro de diff. morborum* scribit hic autor, non solum vitia, quæ fiunt in situ, sed etiam illa, quæ consistunt in cõnexione partium, continet. Nam sæpe partes naturalem suum locum retinent, nec tamen secundum naturam habent, eo quod malè inter se connectantur. Id quod accidit, quando vincula, quibus inter se coniunguntur, sunt longiora, breuiora, crassiora, tenuiora, latiora, angustiora, quàm iustum sit, aut malè figurata. Quod si non solum per vincula, sed etiam per coarticulationẽ connexio fit, vt in ostium mutua alligatione, vitia quoque fiunt, cum pars, quæ aliam in se recipit, angustiorem habet concauitatem aut latiorem, quam alterius conditio requirit: cuius etiam vitio fit, vt sæpe recipi non possit in sinu alterius, quod suscipere est aptum.

Porrò in situ morbi contingunt, si quod in superiori loco collocari debet, in inferiore sit positum; si dextrum fiat, quod in sinistris oportebat esse collocatum; si retrocedat, quod anteriorem locum desiderat; aut longius distat, quod propinquum vult esse natura; aut iacet ad latus, quod medium locum affectat; vel foris est, quod intus naturalem habet sedem: quorum quidem causas *in opere nostro de causis morborum* diligentius enarrauimus, quàm hic faciat Gal. qui situm partium mutari ex violenta tensione, atque impulsu, vel ex dilatatione & ruptione continentis partis scribit. Nam partes quæ in aliis continentur, exiliunt quidem à sua sede, eo quod continentes laxantur, vel aperiuntur: at hoc fit aliquando ob continentis, aliquando vero ob contenti vitium. Qui enim præter modum crassescunt & pinguescunt, illis quoque grauiora redduntur intestina, quibus retinendis non sufficit peritonæi tenuitas: quo in casu non sufficit, quod Galenus hoc loco scribit, firmare & solidius reddere peritonæum, sed etiam illi imponendum est naturale pondus, gracilioribus, & leuioribus redditis intestinis. Nonnunquam verò vitium ipsum nascitur ob natiuam, vel acquisititiam continentis partis imbecillitatem: qua ratione videmus sæpe herniosos patres tales filios procreare, & homines bibaces huic morbo subiectos. *Nam vt alia partes, sic peritonæum ex crapula soliditatem & robur amittit.*

Herniam c- tam fieri ex continua crapula, & ex hereditate.

A Alia verò ratione naturalis situs in his peruertitur, cum scilicet vincula, quæ contentam partem alligant, imbecilliora facta sinunt illam elabi. Nonnunquam vero nihil istorum iure reprehendi potest, sed naturæ vehementior conatus: quibus rationibus sæpe vterus mulieribus procidit, & fœtus descendit ante tempus, vinculis scilicet ipsis relaxatis, & ob imbecillitatem disruptis: vel cum mater violentius partum extrudit. Nam cum illo nonnunquam vterus prolabitur. Quinetiam externæ iniuriæ, vt vulnerantia, contundentia, distendentia, sæpe partes cogunt à suis cauitatibus & locis recedere. Ac vti per coarticulationem colligatio constat, & situs commodus fit,
B contingit hæc rumpi, vitiato nunc vno, nunc alio, nunc vtroque, eo scilicet, quod recipit, vel recipitur. Quæ mala cum multis modis, & ex multis causis variari possint, & diuersa quoque sit & varia partium connexio & positura, non potest curatio duobus hic Gal. verbis explicari. Quilibet enim posset facilè fieri Medicus, si in tot & tam variis malis sufficit dicere, esse tendendum, & impellendum in aduersam partem, si ossa à suis locis exciderunt, & cogendum atque firmandum, quod in eo cõtento locum alium concessit. Damnare solet Galenus Methodicos, quod illi solum tradant communes indicationes, quæ vulgo etiam notissimæ: cum tamen ipse in hoc opere nihil aliud ferè doceat. At dicet aliquis, hoc
C compendium est; rectè quidem, sed plus certè, quàm oportet. Nam vel hæc attingere non deberet, aut certè diligentius explicare. Quod si quis hanc operam à nobis requirat, respondebimus, nostri non esse officii, nec instituti vniuersos Hippocratis libros de Articulis immo vniuersi corporis omnes colligationes, quæ vitiari possunt, in hunc locum transferre. Quod vero addit, in Methodo medendi se omnium istorum exactam curationem scripsisse, non video, vbi id sit ab eo factum: nam pauca quædam de incisione peritonæi, & inflatione intestinorum, omentiq; excisione habet *in sexto libro*: de curatione luxationum nihil.

CAP. XCIX. DE CAVSIS PRAESERVATIVIS.

D Ἑξῆς δ' εἰς λέγειν ὅσα κατὰ τὸν ἔμπροσθεν λόγον ἀνεβαλλόμεθα. καλοῦσι δὲ αὐτὰ προφυλακτικά. τριττὴ δ' ἐστὶ καὶ τούτων ἡ κατὰ γένος διαφορά· πρώτη μὲν ὑγιαίνοντος ἀμέμπτως τοῦ ἀνθρώπου, δευτέρα δὲ ἡ μεμπτῶς, ἡ τρίτη δὲ νοσοῦντος. τὸ μὲν οὖν πρῶτον γένος ἐκ τῆς ὑγιεινῆς ἐστι πραγματείας, δῆλον ὑπάρχον, ὡς ἔμπροσθεν εἴρηται. τὸ δεύτερον δὲ ἐκ τῆς προφυλακτικῆς· τὸ δὲ τρίτον, ἐκ τῆς θεραπευτικῆς.

Consequens vero est, vt ea omnia exequamur quæcunq; in superiori sermone dicere dis-
E *tulimus. Vocant a. eadem præseruatiua, est autem horum triplex secundum genus differentia. Prima quidem hominis, qui integra fruitur sanitate. Secunda vero eius, qui non integrè valet. Tertia eius, qui ægrotat. Primũ igitur genus ad salubrem pertinet artem, atque in duas (vt an-*

(vt anteà diximus) diuiditur partes. Secundum vero ad præseruatiuam spectat. Tertium ad curatiuam.

Ex superiori tractatione Galenus dicere non potest, sequi, vt de causis præseruatiuis hoc loco sit dicendum: nam cum ab initio causas diuideret, nullam mentionem fecit de causis præseruatiuis, restauratiuis, & quæ senibus propriè conueniunt. Non ergo harum explicatio nascitur ex principiis positis, sed ex necessitate ipsius rei, quæ alioqui opus reddit imperfectum. Qui autem methodo docēt, debent ab initio diuisiones proponere, quæ omnia capita tractationis contineant: Sic enim perfecta agnoscitur tractatio, & omnia ex suis principiis nascuntur. Sic ergo erat dicendum; *causarum quædam sunt salubres, aliæ insalubres, aliæ neutræ: & ex salubribus rursus quædam conseruantes, aliæ efficientes, aliæ præseruantes, aliæ restaurantes, aliæ senes fouentes.* Sed quia hic interpretes sumus, & non autores, quid Gal. hoc loco velit, expendamus. Vult, inquam, agere de causis præseruatiuis, vt verba satis ostendunt. Qua quidem in re, quid præseruationis nomine sit intelligendum, primum explicat: deinde, de qua præseruatione hic agere instituerit: tertio loco proponit id, circa quod præseruatio versatur: postremo modos, quibus præseruatio fit, enarrat.

Præseruatio-nis ... Porro præseruationis nomen hic vsurpat latius, quam vnquam alibi fecerit: quippe cum illi subiiciat curationem morborum, & sanitatis conseruationem, & præseruationem à futuris malis, qua ratione vniuersam medicinam sub præseruatione comprehendit: quod, vt dixi, nusquam alibi fecit: sed *in Thrasybulo, & in illo, qui est de constitutione artis*, hæc omnia cōtineri sub correctione docet. Vniuersam enim artem nostram probat vnum semper facere, nempe corrigere corporis vitia: sed ob maiorem aut minorem correctionem differentiam poni, & officia Medici distingui. Nam cum sanorum vitia emendat, conseruare dicitur: Curare vero, cum morbos sanat. Præseruare autem, cum prohibet, ne homines in morbos labantur, tametsi, vt docuimus *in lib. nostro de officiis Medici*, in hoc etiam sæpe euariat. Nam eos aliquando præcauere statuit, qui (vt diximus) ab imminentibus morbis nos præseruant aliquando vero etiam subiicit huic officio eos, qui morborum causas adimunt. Nonnunquam vero excipit ex morbis causas iam facientes morbum, & eas solas dat præseruationi, quæ solum sunt in potentia ad morbum augendum vel fouendum. Est etiam, vbi scribit, illos præcauere in morbis, qui non solum morborum causas abigunt, sed etiam, qui auferūt naturæ impedimenta, vt sordem ab vlceribus. Nos autem ostendimus, satius esse curationi tribuere quicquid in ægrotis fit, præseruationi verò, quæ spectant ad eos qui periclitantur in morbos cadere. Verum etsi in aliis locis præseruationis nomen non extendit ad ea, de quibus hic agit: tamen si quis potius rei naturam spectet, quàm distinctionem officiorum Medici inueniet ille profectò, tum curationem, tum sanitatis conseruationem sub præseruatione contineri. Nam qui curat, ea ratione morbos pellit, ne mors sequatur: & qui conser-

Curare quid et cōseruare. Quid præseruare.

A uat sanitatem restauratione eius, quod est dissolutum à nostro corpore, prohibet ne corruptio ante tempus à natura constitutum sequatur. Omnes ergo, qui Medici officia exercent, aliquid, quod futurum est, præcauere student. Iam verò singulæ sententiæ autoris sunt explanandæ. Quod ergo scribit, *primam præseruationis differentiam deberi homini, qui integra sanitate fruitur, & illam propriè pertinere ad salubrem partem*, non ita intelligendum est, vt Akachias interpretatur, qui eos solum comprehendit inter eos, qui integra sanitate fruuntur, qui natiuam habent sanitatem: nam siue natiuam, siue arte partam sanitatem quis habeat, nihil refert, dummodo pullulantes in se causas morborum non sentiat. Qui B enim sæpius morbis laborarunt, & sanitati sunt restituti, natiuam eam non habent sanitatem, non tamen excluduntur à conseruatione sanitatis. Per *eos verò, qui non integrè valent*, etiam non intelligit, qui insalubriter degunt, etsi illi pessimam habēt sanitatem: nam & hi postulant suam conseruationem. Sed si ab eo statu iam distracti fuerint, & aliquid insolitum sentiant, quod imminentes morbos præsagiat, vt insolitam vigiliam, somnum, nauseam, vel aliquid huiusmodi, quod inter indicia futuri morbi antea Galenus enumerauit. Hi, inquam, dicuntur non integre valere, & propriæ dictæ præseruationi subiici. Porro, quod dicit, *ad salubrem* attinere partem, perinde intelligendum est, ac si dicat, *ad conser-* C *uantem*: nam causæ curantes, & præseruantes salubres sunt, vt antea docuit; sed hic, vt diximus propriè salubris artis nomine capit solum conseruantem medicinæ partem: quo modo etiam libros de sanitate conseruanda scripsit libros de salubribus: Recte autem, illud quoque scribit, partem salubrem diuidi in duas partes. Nam antea docuit eos, qui perfectam sanitatem obtinent, & illos, qui ab ea aliquantum deflectunt, ei parti subiici.

Cōseruationi qui subiiciantur.

Akachia lapsus.

Qui vere præseruationi subiiciantur.

Ἐν χυμοῖς δὲ μάλιστα τὴν σύστασιν ἔχει σύμπαν τοῦτο τὸ γένος, ὡς οὔτε γλίσχρους εἶναι προσήκει, οὔτε παχεῖς, οὔτε πολλοὺς, οὔτ' ἐπὶ D *πλέον θερμοὺς ἢ ψυχροὺς, οὔτε δακνώδεις, οὔτε σηπεδονώδεις, οὔτε δηλητηρίους.*

Hoc autem vniuersum genus circa humores præcipue negotiatur, quos neque lentos esse oportet, neque crassos, neque aquosos, neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, neque veneni naturæ affines.

Nunc docet id, circa quod versatur præseruatiua medicinæ pars, siue cui rei causæ præseruantes adhiberi debeant, & dicit, potissimum esse humores: hos enim oportere esse moderatos in E qualitatibus omnibus, & in quantitate: qua quidem in re duo discutienda veniunt, quorum primum est, an solum vel maximè circa humores nostri corporis hæc pars versetur: alterum, an ad eam partem spectet efficere, vt humores rectè se habeant in qualitate, & quantitate. De primo dubio illud dicendum est, quod habet Galenus *in libro primo de sanitate tuenda*, tibi quæris,

An pars præseruatiua solum versetur circa humores.

an pertineat ad Medicum sanitatis custodem, curam & rationem habere omnium causarum, quæ nos lædere possunt, & respondet, quod etiam superius docuit, quod illa, quæ raro & casu nos offendere possunt, vt vulnerantia, contundentia, ruinæ domus, & alia similia nostræ facultati minimè subiiciantur: sed illa solum, quæ necessario nos afficiunt, vt aer, cibus, potus, somnus, vigilia, motus, quies, excreta, & retenta, & animi passiones: his enim Medicus modum præscribere potest, vt prosint & non obsint corpori. Itaque si Medicus in sanitatis conseruatione, & curatione etiam morborum, harum rerum curam habere cur etiam cum iam obsunt, & minantur morbum, non requirent præseruationem, quæ ablatis ipsorum vitiis, & malis, quæ ab ipsis iam nata sunt in corpore, prohibeat morbos iam pulsulantes emergere. Demus (si ita placet) hominem versari in aere Australi, ex quo fluxiones motæ iam sint ad pectus, quæ tamen minentur morbum, an præseruationis ratio non est in eo maximè posita, vt eger alio aere vtatur? Sic si venus, aut labor, vel animi affectus, aut somnus vel vigilia portendunt morbos ob suos excessus, præcipua cura adhibēda est in mitigatione eius quod exuperat: & si quid in corpore moliendum est, potius circa temperiem laborandum, quàm in ipsis humoribus. Nam huiusmodi causæ temperiem prius mutant, quàm humores. Nec hi quidem mutari possunt, nisi mutata temperie corporis. Cur ergo non dixit, præseruatiuam medicinæ partem hoc sibi proponere debere, vt omnes emergentes excessus, præsertim qui fiunt in ipsa temperie, à quibus alii nascuntur, corrigamus? Præterea, præseruationi subiicit eos, qui à cane rabido sunt vulnerati, aut venenum sumpserunt, quod paulatim corpus corrumpit: qui profectò leuissimum, aut nullum sentient auxilium, si humores reddiderimus moderatos in qualitate, & quantitate: Inuadunt enim hæc mala solidas corporis partes. Quare præcipua, vel etiam tota prouidentia in eo posita esse debet, vt virus extrahamus à corpore, vel in ipso corpore extinguamus per propria remedia. *Igitur præseruandi ratio non solum humores, sed omnes causas, quæ hominem à sanitate sua iam distraxerunt, & agere peragunt, tandemque morbum parient, nisi emendentur, sibi proponere debet.* Illud verò, quod scribit, *ad præseruationem pertinere, efficere, vt humores mediocriter habeant in omnibus qualitatibus, & in quantitate*, non etiam mihi rectè dictum videtur. Nam qui curam habet, vt humores rectè sint affecti, sanitatis est custos, exercetque medicinæ partem conseruatricem, & non propriè dictam præseruatricem, cuius officium non est omnia conseruare mediocria, sed emendandi, quæ iam sunt facta immoderata, & ob id minantur morbum: illius ergo officium est, si humores iam facti sint lenti, & crassi, aut multi, vel calidi, aut frigidi, vel mordaces, aut putredinis semina quædam iam conceperint; aut eam naturam induerint, quæ apta sit ad pestilētes morbos procreandos, vt hæc vitia corrigat, per ea præsidia, quæ media sunt inter conseruatiua, & curatiua, *sicut ipsa pars medicinæ præseruatiua media est inter conseruatiuam.* Nam in hac, quia morbus iam adest, solis contrariis vtimur: in illa, quia omnia

Humores nō possi mutari nisi mutata temperie corporis.

An ad præseruatiuam, vel conseruatiuam partē pertineat, vitia humorum corrigere.

Partem præseruatiuā esse mediā inter curatiuam & conseruatiuam.

A habent secundum naturam & moderatè, solum adhibemus similia. In præseruatiua verò parte, propterea quod aliquid est adhuc secundum naturam, aliud verò præter naturam, miscenda sunt ex his auxilia, ne desit, quod proprium est singulis affectionibus. Cæterum, non recenset Gal. omnia vitia, quæ solent esse in humorib. Vitium enim est non minus, si deficiant, quàm si exuperent, & si licciores, aut humidiores sint, aut obtusi etiam plus, quàm oportet.

Porro tuebimur humores à putredine, aut ab alia vindicabimus, si loca, in quibus continentur, liberè transpirabunt. Quos verò appellet pestilentes humores, his non explicat, nec illi rectè interpretantur, qui eos huius generis esse B putant quos malignos vocamus, qualis est bilis porracea, isatodes, æruginosa, & atra. Nam morbi ex his humoribus maligni quidem procreantur, sed pestes non magis ex his, quàm ex aliis: quandoquidem veræ pestes pari facilitate inuadunt eos, qui bonos habent humores, vt alios, qui malos, & iuuenes, vt senes. Ac sæpe visum est tutiores ab hac contagione fuisse, qui malo corporis habitu præditi erant: sanguineos verò & temperatos inter omnes periisse. Nam cum pestis non occidat ob qualitates manifestas, sed ob formam quandam nobis occultam, quam Galenus vocare solet totam rei substantiam, illi sanè meritò à peste facilius corripiuntur, qui analogiam habent cum ea forma maligna. Pro-C pterea videmus aliquando hoc genus morbi solum homines inuadere: aliquando solas pecudes, aliquando verò alias species animalis, aliis intactis, quæ aptæ non sunt ad eam formam recipiendam.

Pestilentes humores qui dicantur.

Pestes nō esse proprie alicuius tempe-ratura.

Quod si ex humorum qualitate, & quantitate penderet hoc vitium, omnia vtique animalia, in quibus esset idem excessus, aut similes qualitates humorum, inuaderet. Propterea quod scribit Galenus *in primo de differentiis febrium*, illos potissimum à peste tutos fore, qui exiccauerint corpus, atque à noxiis humoribus expurgauerint, id contra nostras pestes nullius puto esse momenti: quoniam non pendent à magna humorum abundantia, vel cacochymia, quales D fuerunt pestes, quæ Hippocratis & Galeni tempore visæ sunt. Nam vt Galenus refert, vlceribus putridis scatebant, qui ea laborabant, adeo vt integræ partes ex putredine à reliquis caderent: ex nostris verò pestilentiis, nihil tale visum est, sed bubones solum excitantur: propterea bolus Armena, quæ illis fuit maximo præsidio, nobis nihil prodest: vt nec alia, quæ ob siccitatem morbis medentur, sed theriaca potius & alia, quæ aduersus venena sunt conscripta antidota prosunt. Verbum autem, δηλητηρίους, humores vertit Leonicenus veneni naturæ affines: Akachias verò pestilentes, sed hic malè. Nam verbum Græcum venenosos, & perniciosos humores significat: vtramque autem versionem interpretati sumus: nec propterea aliquid absurdi E ex mala versione sequitur.

Αὐξηθέντες γοῦν, αἴτιοι καθίσανται νοσημάτων. αὐξανόντων δὲ περὶ μὲν ἰσότητος αὐτῆς αἰτίας, ἥπερ αὐτὰς ἔγγονοι τὸ πρῶ-

των.

A ... ἐστὶ δ᾽ ὅτε συναλλοιοῦντες ἑαυτοῖς τοὺς κατὰ τὸ σῶμα χυμούς.

Nam vbi aucti fuerint, generant morbos, augentur vero nonnunquam eadem ex causa, qua ab initio generauit. Illud autem plerumque accidit, vt sua alienatione inficiant eos, qui sunt in corpore humores.

Cum dixisset, in præseruatione studendũ maximè esse, vt humores rectè sint affecti in qualitate, & quantitate & substantia, nunc reddit rationem, cur tales oporteat esse: nam, inquit, *si aucti* plusquam corporis sana conditio postulat, *fuerint, morbi fient: quod si malam habuerint qualitatem, aut substantiam, tunc etiam morbos excitabunt infectis aliis humoribus, qui sunt in corpore.* Vno modo ita interpretari potest subobscura hæc Gal. sententia. Alio modo, cum dixisset, humores oportere esse sine vitio, subiungit, *quod vbi vitium adest, vereri nos oportet morbos, si huiusmodi humores vitiati augeantur*: quæ verò sequuntur, duos modos explicant, quibus cõtingit malos hos humores augeri. Vnus est per generationem aliorum humorum, qui illos augent, qui sibi sunt similes in corpore: alius autem est, cum nullus quidem alius humor malus malo additur, sed cum malus, qui in corpore est, bonos alterat, inficit, & in malam suam naturam trahit & mutat. Atque huic interpretationi verba autoris fauent, si quis diligenter animaduertat illius verba. Cæterum explodenda est Akachiæ interpretatio. Ait enim illc, augeri malos eos humores aliquando ab ea causa, quæ primum eos genuit: aliquando vero victus ratione, & causas generantes explicat, vnam dicens esse materiam, nempe cibum & potum, alteram efficientem, nempe sanguificam facultatem, quæ est in hepate, & venis: nam si causa generans vna, est materia, cibus inquam & potus, quid relinquetur rationi victus, quam dicit aliam esse causam? Victus enim cibo & potu maximè perficitur. Præterea quod scribit, *aliquando vero a cibis corporis humores in suam naturam mutantibus*, addit ex suo, non vertit ex Græco, vbi ciborum nulla fit mentio. Igitur sensus ille verus est, quem diximus, augeri, inquam, malos humores, vel per accessionem nouæ materiæ, quæ similem humorem gignit: vel quod illi, qui iam geniti sunt ex aliis, qui in corpore sunt, sibi similes moliantur. Porro causæ, quæ primo generarunt humores noxios, pertinent vel ad malã materiam, vel ad vitiata agentia, vel ad vtrunq;: nam mali cibi & potiones, etiam si facultas cõcoctrix cuius officium est generare humores rectè habet, vitiosos humores procreabunt, & augebunt, si perseuerabunt. Sic etiam vbi corporis temperies est corrupta, effugere non possumus malorum humorũ generationem per aliquod tempus, tametsi alimenta sunt optimi succi. Nam corporis vitia non nisi longo tempore per alimenta emendari possunt, propterea quod illa amica sunt, & planè similia aut certè qualitates non habẽt, quæ vim magnam habeant tollendi id, quod præter naturam est, proinde aliis auxiliis pugnandũ est, quæ ex parte curatiua potissimum sumuntur, quæ statim autor his verbis subiungit.

Akachia error deceptus.

Διττὴ δὲ ἐστὶ καὶ τούτων ἡ τῆς ἰάσεως ὁδὸς, ἀλλοίωσίς τε καὶ κένωσις.

Inuentis vero & horum sanationis duplex existit, alteratio & euacuatio.

Merito Galenus, cum dixisset, vitiosos humores auctos generare morbos, subiungit nunc, quibus remediis ea vitia sint emendanda, & præcauendi morbi. *Sunt*, inquit, *duo* remedia, *alteratio, & euacuatio*: & rectè quidem duo hæc remedia proponit esse necessaria: nam sola alteratio non sufficit, vbi iam talium humorum magna est abundantia, vt hic proponitur: nec sola euacuatio sanare potest. Nam vitiatæ qualitates, quæ in-
B ductæ sunt à corruptis humoribus in totam massam humorum, & in corporis partes, elui nõ possunt, nisi per contrarias qualitates. Quare partim euacuandum, partim verò alterandum, tum per medicamenta, tum per alimenta medicamentosa: quæ vim habeant temperandi, & reponendi meliorem substantiam.

Ἀλλοιοῦνται μὲν οὖν ἤτοι πεφθέντες πρὸς αὐτοῦ τοῦ σώματος, ἢ ὑπό τινων φαρμακωδῶν δυνάμεων, ἐν αἷς εἰσὶ καὶ αἱ θεραπεύουσαι τοὺς ἰοὺς τῶν ἰοβόλων ὀνομαζομένων ζώων, ἔτι τε τὰ δηλητήρια φάρμακα, μεταβάλλουσι.

C *Alterantur igitur, vel ab ipso corpore concocti, aut ab aliquibus aliis facultatibus, quæ vim medicamentosam habent: è quorum numero sunt ea, quæ exitialium ferarum venenis aduersantur, ac præterea pharmaca, quæ venena appellantur, transmutant.*

Cum dixisset Galenus, aduersus noxios humores auctos pugnandum esse alteratione, & euacuatione, docet nunc alterationis modos, quos dicit duos esse, vnum per concoctionem, quæ fit à corpore, in quo eiusmodi sunt humores: al-
D terum, qui fit per medicamenta. Non explicat autem, an omnes per concoctionem emendari possint, vel quidam duntaxat: nec etiam, an medicamenta possint omnia vitia, quæ sunt in humoribus, emendare, an quædam solum. Ratio quidem docet, non omnia ab omnibus, sed singula à singulis præstari. Igitur concoctio illos corriget, vt antea ostendimus, qui sunt crudi: tales autem sunt, qui sunt dissimiles. Nam concoctio per assimilationem fit. Quod si materia, quæ assimilanda & concoquenda est, apta fit ad nutritionem, vt vniuersa humorum massa, aut cibi assumpti, concoctio tendit ad perfectam assimilationem in qualitatibus omnibus & substantia, & illa tendit ad nutritionem. At si in-
E epta fit ad nutritionem materia, nisi à putredine sit vitiata, per concoctionem non emendatur: Id quod etiam demonstrauimus. Non ergo lenti vel crassi, vel frigidi, aut calidi, aut mordaces, & venenosi humores re vera concoctione emendantur: sed si humores, qui propriè concoquuntur, his qualitatibus præditi, cum cruditate inueniantur, aliquando augetur, aliquando

Alterationes, quæ possunt emendare humores qualitate vitiatos.

Concoctio quæ vitia humorum emendare possit.

minuitur illorum vitium. Nam concoctio crassitiem & viscitudinem quandam rebus omnibus inducit: propriè ergo requirit crassus humor auxilia per contraria, nempe extenuantia, & tenuis per incrassantia: propterea rectè Galenus subiungit alium modum, qui fit à medicamentis mutantibus. Intelligere autem debemus mutationem fieri ab illis, vel per solas qualitates, vel per formam, siue, vt ille dicere solet, per totam substantiam, qualia sunt, quæ succurrunt his, qui demorsi sunt à cane rabido, viperis, & alijs venenatis animalibus: & quæ medentur venenis assumptis, nos putrefacientibus, aut erodentibus: quæ etsi communia quædam habent præsidia, B cuiusmodi est theriaca, mithridatium dictum: tamen satius est per propria singulis venenis antidota succurrere, de quibus Dioscorides *in suo opere* diligenter scripsit, cui alii recentiores sua experientia, & remedia fœlicissimè addiderunt.

κενοῦνται δὲ ὑπὸ τῶν θερμαινόντων ἱκανῶς φαρμάκων, καὶ καθαρσίων, καὶ κλυστήρων, καὶ ἱδρώτων, καὶ ἐμέτων. αὗται μὲν αὐτῶν αἱ κοιναὶ κενώσεις. ἴδιαι δὲ ἐκ τῶν τόπων, ἐν οἷς ἀθροισθῶσι, λαμβάνονται, καθάπερ ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς δεδήλωται, κατὰ τὸ τρίτον καὶ τέταρτον μάλιστα, περί τε κόπων ἡμῶν διεξιόντων, ὅσαι τε ἄλλαι παραδέχονται τῆς κόπης διαθέσεις. ἐκκενοῦνται γὰρ ἑτοιμότερον, οἱ μὲν ἐν ταῖς πρώταις φλεψὶ, διὰ γαστρός. οἱ δ᾽ ἐν ταῖς μεθ᾽ ἧπαρ, δι᾽ οὔρων. οἱ δὲ καθ᾽ ὅλην τὴν ἕξιν, δι᾽ ἱδρώτων. ὥσπερ γε καὶ οἱ κατὰ τὴν κεφαλὴν, ἤτοι δι᾽ ὑπερῴας, ἢ διὰ ῥινῶν, ἢ δι᾽ ἀμφοτέρων. οἱ δ᾽ ἐν ταῖς τοῦ θώρακος εὐρυχωρίαις, διὰ φάρυγγος ἅμα καὶ βηχός. οἱ δὲ κατὰ νεφροὺς ἢ κύστιν, δι᾽ οὔρων. C D

Euacuantur autem satis calidis medicaminibus & purgationibus & clysteribus, & sudoribus & vomitionibus. Eæ igitur sunt communes euacuationes: propriæ autem ex locis, in quibus coaceruantur, sumuntur, vt in libris de salubribus ostendimus, tertio præsertim ac quarto, in quib. de laßitudinibus egimus, ac reliquis dispositionibus, quæ laßitudini natura proximæ sunt. Promtius enim euacuantur per ventrem, quæcunque in primis venis continentur superfluitates. Quæ autem in his, quæ in hepate sunt, per vrinæ meatum. At quæ in toto corpore, per sudorem; sicuti quæ in capite, vel per palatum, vel per nares, vel per vtrunque, quæ vero sunt in spatiis pectoris laxioribus, per guttur simul cum tußi: quæ in renibus sunt, vel vesica, per vrinam. E

Cum dixisset, noxios humores, circa quos versatur præseruatio, emendari per alteratio- A nem, vel euacuationem, docueritque modos, per quos alteratio fieri potest, nunc explicat ea, per quæ facienda est euacuatio, & primum ponit inter illa medicamenta admodum calefacientia, de quibus non scribit, an illa velit extrinsecus admoueri, vel in corpus assumi. quoniam verò purgantium postea mentionem facit, videtur solum intelligere extrinsecus adhibita. Sed qualia quæso, & quæ admoueri possent ad malos humores educendos, præter balnea sulphurea, aut ex aliis rebus actu calentia? Verum hæc solam multitudinem humorum, & non corruptionem, quæ in ipsis est, euacuare possunt. Emplastra autem, & vnctiones propria sunt auxilia humorum, qui partem aliquam solum occuparunt, non autem omnium humorum, qui in vasis continentur, de quibus potissimum hic intelligere videtur: proponit ergo à calefacientibus malorum humorum euacuationes fieri, nec interim docet autor noster, aut docere potest, ex quo genere rerum hæc sumi debeant, & quis sit illorum vsus: Cæterum medicamentis purgari corpus, per aluum, vrinas, vomitum, certum est. Verum cum postea vomitionum, & expurgationis per vrinam separatim mentionem faciat, non videtur hic noster author aliud purgationum nomine intelligere, quàm eam, quæ fit per deiectionem factam ab assumptis medicamentis. Clysteres intestina, & venas meseraicas videntur fœliciter euacuare: altiores verò partes & vasa, vix expurgare possunt. Porro sudores potissimum euacuant partes, quæ sunt in habitu corporis: tamen per quandam consequentiam, si perseuerant, vniuersum etiam corpus exhauriunt: quemadmodum, & vomitiones primum ventriculum exonerant, postea vero etiam vasa totius corporis, si medicamenta ad ventriculum alliciant humores, vt facit elleborus albus; vel facultas expultrix suos motus vrgeat ad eandem partem, sicut contingit, cum crises per vomitum fiunt.

Cæterum omisit sanguinis missionem, non sine ratione, quia remedia quærit humorum, qui qualitate potius, quàm quantitate obsunt. Illi enim potissimum, & frequentius solent morbos inferre, quorum præseruatio hic tractatur. *Sunt hæ*, inquit, *euacuationes communes*, quas aliis locis solet appellare *vniuersales*, eo quod vniuersum corpus euacuent & ad multas partes pertineant. Proprias autem alias dicit esse euacuationes, quasi dicat locales, quia solum ea loca euacuant, quibus adhibentur medicamenta: cuiusmodi sunt *frictiones, & vnctiones*, quæ materiam circa cutem & musculos contentam educunt, & hæc solent esse remedia lassitudinum, & quarti illius affectus, quem *in libris de sanitate tuenda* proximum lassitudini esse scribit. Localem quoque euacuationem esse dicit eam, quæ fit per ventrem, quoniam propriè euacuat, quæ in primis venis continentur: necnon eam, quæ fit per vrinam, quoniam hepar eo modo euacuatur: eiusdem generis est, quæ educit contenta in toto corpore, quippe cum totius corporis nomine non intelligat, nisi musculosum genus. Rectè verò dixit, ea, quæ in spatiis laxioribus pectoris continentur, per tussim expurgari: nam quæ conclusa sunt in musculis, & non refundant in cauitatem thoracis, & postea

Euacuationes propriæ.

postea non recipiuntur in substantiam pulmonis, A & ab illa in asperas arterias, eo modo non euacuantur, sed per cutem sensibiliter, vel insensibiliter. At euacuari per vrinam, quæ in vesica, vel renibus sunt, omnes sine praeceptis nouerunt.

Ἀντίσπασις δὲ κοινὴ πρὸς ἁπάντων τῶν μερῶν, ἔνδειξις ἐπὶ τὰ πορρωτάτω, παροχέτευσις δὲ ἐπὶ τὰ πλησίον.

At attrahendi ex omni loco ad oppositas partes, communis indicatio est, ad quam maximè distantia: deriuatio vero ad vicina. B

Quæ scribit de deriuatione & reuulsione, non videntur cohærere cum præcedentibus. Nam proposuit solum humorum vitia, quibus etiam propria & communia remedia exhibuit. Reuulsio autem, & deriuatio non ipsorum humorum auxilia sunt, sed *motus ipsius humoris*, id est, *fluxionum*. Igitur intelligendum est, Galenum antea docuisse loca apta ad euacuandos humores, qui partem aliquam iam occupant: nunc verò innuere, quid etiam faciendum sit contra impetum, & fluxiones ipsorum: aitque vtendum esse vel reuulsione, quam dicit fieri ad distantissima, vel deriuatione, ad propinqua. Quam sententiam Akachias euertit, cum perpetuo veram eam non esse scribat. Nam tunc ad propinqua faciendam esse reuulsionem credit, cum excretrix facultas vehementer est concitata, & morbus magnus est, celer remedium efflagitans, & humor cum graui periculo in affectam partem influit: quod si affectus sit exiguus, nec celerem curationem exposcat, nullumque periculum ex fluxione timeatur, ad longinquum retrahere, inquit, oportet, vt in humorum fluxione, quæ fit ad genu. Quæ verba erroribus multis sunt plena: quod cum ostendere non possum, nisi ex propriis huius rei principiis altius tractationem hanc exordiri cogor: ita tamen, vt solum capita attingere velim: nam pleniorem de eadem materia enarrationem habui *in commentario illius Aphorismi*, in quo scribit Hippocr. *quo natura vergit, per loca conferentia, eo ducere oportet*. Ac quoniam totius huius tractationis summa ferè posita est in recta intelligentia certorum nominum, quibus vtimur in euacuationibus, & sistendis fluxionibus humorum, ideo illa prius profero. Sunt autem hæc: *Euacuatio simpliciter, euacuatio à parte vel à toto. Euacuatio partis vel totius. Euacuatio cum auersione, reuulsione, vel deriuatione.*

Reuulsio & deriuatio cuius sint auxilia.

Lib. 2. aphor. 21.

Euacuatio simpliciter quid.

Est porro euacuatio simpliciter, quæ humorem aducit è corpore, non habita ratione vel totius, aut alicuius partis peculiariter affectæ: veluti cum plethoram minuimus inedia, exercitatione, vel alio remedio æqualiter euacuante: aut cũ in cacochimia purgationem adhibemus, vt corpus postea melius habeat, à futurisq; malis præseruetur.

Euacuatio à parte vel à toto.

Euacuatio verò à parte, vel à toto illa dicitur esse, quæ fit per localia remedia: cuiusmodi sunt vnctiones, balnea, fomenta, scarificationes, & cætera huius generis, quæ extrinsecus admouentur.

Euacuatio partis aut totius.

Euacuatio vero partis, aut totius, non solum per auxilia prædicta, sed etiã per alia vniuersa, quę possunt humorem, vel vaporem, aut aliud quidpiam in parte aliqua, vel in multis contentum educere, perficitur: veluti si in ventriculo pleno humore, aut vapore, adhibeas aliquid per os, & aliud extrinsecus admoueas, quod vim habeat euacuandi: eam quidem partem euacuabis, non tamen *à parte* dicetur fieri euacuatio, nisi fiat per extrinseca remedia, quæ & localia Medici solent vocare, cum præcipiunt non esse prius euacuandum à parte, siue localia remedia admouenda, quam vniuersum corpus fuerit euacuatum.

Cæterum auersionem genus facit Galenus *in quarto libro Methodi*, ad reuulsionem & deriuationem, & commune statuit esse remedium aduersus omnes fluxiones.

Auersio quid.

Porro vt hæc nullo negotio intelligantur: ita non est facile definire, quid sit reuulsio, & deriuatio, cuique humori, & quibus affectibus illæ conueniant, & quas conditiones in reuulsione, & deriuatione obseruare sit necesse: nam cum verbum Græcum *ἀντίσπασις*, significet attractionem ad contrarium, magna controuersia est, an debeamus intelligere contrarii nomine, contrariam partem ei, quæ laborat, an potius contrarium motum humoris. Galenus enim *hoc loco* C *& in decimo tertio Methodi, & passim alibi* illis fauet, qui intelligunt reuulsionem faciendam esse ad partem oppositam, secundum proprias oppositiones, veluti si dextra pars fluxione laborat, ad sinistram reuellendum esse præcipit; si superior afficitur, reuulsio fit per inferiores: si exterior læditur, reuellendũ est ad interiora, sic de aliis oppositionibus intelligendum. Contrariam etiam opinionem Galenus fouet, cum scribit, fluxiones humorum esse ad suam originem reuellendas. Sic enim sisti illarum impetum. Atqui non solum remotissimæ partes, sed etiam propinquissimæ sunt, quæ fluxiones mittunt: veluti cum caput salsos humores demittit in pulmonem, illumque D exulcerat, cui quidem malo euenienti succurrit Galenus *in libro quinto Methodi medendi* Thlapsiæ, & aliorum multorum acrium medicamentorum admotione capiti, vt scilicet reuellatur ad ipsam originem fluxio. Eodem pacto cum à digito aliquo pedis, aura ascendit ad caput, comitialem morbum committit, vt sæpe visum est, remedia, quæ alteri cruri adhibentur, nihil conferunt ad reuulsionem, quia fluxionis origo in eo non est: nec etiam prosunt venæ sectiones quæ fiunt in brachio opposito in latere affecto, vt in pleuritide, quia fluxio à sinistra parte in dextram, E aut ab hac in illam non fit: sed dextræ in dextras, sinistræ vero in sinistras sese exonerant, ob rectitudinem, & communitatẽ venarum, de qua postea agemus. Ac quomodo, quæso, remedia, quæ non attingunt fluentes humores, illos sistere possunt? Qua ratione Galenus scribit *in secundo ad Glauconem*, cum humores fluunt ad genu, ad fluxionem sistendam, secandam esse venam in cubito eiusdem lateris, & non in cubito vel crure opposito: quoniam sciebat ex his, non excitatas esse fluxiones, sed à superioribus partibus eiusdem lateris. Igitur spectanda est fluxionis origo. Si enim vniuersæ partes mittunt, veluti cum ex cursu, & labore assurgunt humores, & vapores ad caput, ad pedes optima fit reuulsio. Sic enim frangimus impetum omnium partium,

In reuulsione spectandã esse originem fluxionũ, non situ oppositionẽ partium.

quæ mittere ad caput aliquid possunt. Eodem A modo cum ad crura descendunt humores, quæ capiti & brachiis adhibentur attrahentia præsidia, maximè reuellunt. Cum vero fluxionum caussæ non vniuersum corpus commouent, sed eas solùm partes, quæ proximè sunt, quæ vel ipsi parti mittenti, aut illi maximè vicinæ admouentur: Sic sanè cum pleuritides, aut peripneumoniæ nascuntur, vt omnes ferè fiunt refrigerato aut excalefacto capite, & ita repulsis aut liquatis humoribus, & decurrentibus per venas ceruicis & musculorum pectoris, tandemque firmatis iuxta membranam costas succingentem, venam secamus in cubito eiusdem lateris, quoniam ab alio nihil influit; nec per venam cauam, aut eam quæ dicitur sine pari, vt hactenus alii credide- B runt, fluunt humores, qui pleuritides pariunt: de qua re fortè postea etiam plura dicemus.

Pleuritides facientes humores, à quibus partibus mittantur.

Nunc verò illud tanquam firmum & stabile præceptum ponatur, *fluctiones refellendas esse ad suam originem, nisi quid obsit*: de qua re pariter *inferius* scribemus. Nec obstat, quod scribitur ab Hipp. venam secandam esse in cubito, cum dolor abscedit affecto latere: putant enim, qui ita sentiunt, eundum motum fieri à sectione venæ, & fluxione, quæ inflammationem parit. Sed in eo error est: nam humor, qui inflammationem facit, à supernis partibus descendit, à capite per venas ceruicis, & musculorum pectoris: ac secta vena in cubito, per eadem vasa eadem materia ascendit; contrarii ergo sunt motus. Sic enim in angina cum mittitur sanguis ex vena cubiti, non sequimur eundem motum, qui scilicet deorsum fit, etiamsi cubitus in loco decliuiore, quam sit pars affecta, est positus. Nam vena humeralis, & ea, quæ in musculos gutturis fertur, nascuntur ab eadem diuisione, quæ fit in ceruice, quapropter cum vena secatur humeraria, sanguis fluens ad eos musculos, prius ascendit ad communem locum diuisionis: atque ita reuulsio fit, postea verò descendit in venam humeri, & per eam fit euacuatio.

Fluxiones quorsum sint reuellenda.

Cum verò Galenus renibus inflammatis iubet secari posse venam in cubito, aut in cruribus, non ideo confunditur præceptum de reuulsione ad contrarium motum humoris, propterea quod D ad renes fluere possunt per venam cauam à superioribus, & inferioribus partibus: & quoniam probabilius est à superioribus potius demitti humores, nimirum, quod facilius illi descendant, quàm ascendant, & plures sint superpositæ, quàm subiectæ renibus partes: itaq; Gal. præcipit *in recenti affectu* potius secandam esse venam in cubito, quàm in cruribus: aliter vero faciendum, cum malum est inueteratum. In hoc enim casu ad id euacuandum, quod in parte affecta aut vicinis est receptum commodiores sunt venæ in cruribus, vt viciniores: ad fluxionem vero sistendam aptiores sunt venæ cubiti. *Ergo in omni reuulsione debemus ad contrarium motum fluxionis retrahere & ad ipsam originem, vel ad partem origini proximam*, quod Curtius rectè tradidit: sed in tractatione non seruat, vtpotè, qui dicat, dolorem, & inflammationē, quæ occupat superiores costas, fieri cum humor ascendit: eosdem vero descendere, cum inferiores costæ laborãt. Nam si in hoc casu purgatio adhibenda est, quæ deorsum trahit humores, & in illo sanguis mittendus est ex cubito, fluxionis motum vtiq; sequemur. Nos verò hæc incommoda euitamus, vt qui nouimus omnes thoracis partes, quæ inflammatione corripiuntur, affici ab humoribus descendentibus per superiores venas, & propterea purgationem parum aut nihil conferre ad sistendas eas fluxiones: quod experientia sæpe docuit: aut si aliquid iuuat, hoc facit, quod corpore vniuerso, & vicinis affectæ partib. quocunq; modo exoneratis, natura fluentes humores facilius postea retinet, & dissipat.

In reuulsione quorsum sit trahendum.

Nunc vero de conditionib. obseruandis in reuulsione est agendum, prius tamen notandū est, duplicem esse reuulsionem; vnam quæ simpliciter; aliam, quæ localis reuulsio nuncupatur. Illa in eadem parte fit in situ opposito, veluti cum dolente fronte cucurbitulas occipiti admouemus: aut cū in angina attrahentia medicamenta ceruici adhibenda esse Gal. præcipit ad reuulsionem: simpliciter a. dictam reuulsionem iubet Gal. faciendam esse ad oppositas partes, & per illas intelligit distantissimas ab ea, quæ afficitur, vt videre est non solum *non in hoc loco*, sed etiam *in 13. Method. medendi*, & *passim alibi*, vbi de reuulsione & inflammationis curatione agit, quæ sententia verissima quidem est: perperam tamē à Curtio *in lib.* quem inscripsit *de vena sectione in pleuritide*, & ab Akachia *in Comm. huius loci* Galeni intellecta: volunt enim illi id intelligendū esse in inflammationibus partiū ignobilium. Vel in leui affectu, vel eo, qui celerem curationem nō expostulat, nullumq; ex C eo periculum imminet. Cum vero excretrix facultas vehementer est cōcitata, id est, validæ fiunt fluxiones, estq; morbus magnus, celer remedium efflagitans & humor cum graui periculo in affectam partem inficit, tunc reuellēdum esse ad propinqua. Hæc sunt illorū verba, quæ nituntur confirmare aliis argumentis. Aiunt n. in hoc casu dolores excitari vehementes: quorum causa scribit Hippo. *in Epidemiis* proximum ventrem esse aperiendum; medendum enim esse inter alia mala celerrimè dolori, vt qui vires destruat, & fluxiones irritet & augeat; Atque id fieri non posse, nisi per proximam viam humori replenti & distendenti partē affectam aut certè per venas, quæ in ea sunt, retrocessus & via pateat. At cū alii adferūt ex Gal. autoritate, reuellendū esse ad partes maximè oppositas, respondēt vno modo, vt diximus, id intelligendū esse in leuiore affectu partium ignobiliū: alio vero id verum esse in præseruatione, non autem in curatione, dum iam morbi generari incipiunt. Præterea contra eam sententiā Galeni, qua præcipit in principio fluxionum primo studendū esse, vt illa sistatur, deinde veniendum esse ad ablationem humoris, qui in partem iam influxit, respondent nos scire non posse originē fluxionum, & duplicem fluxionum, & duplicem esse fluentem materiam, vnam, quæ in venis partis affectæ continetur, & ob dolorem continuo commouetur & influit, & partē læsam magis grauat: aliam vero, quæ in remotioribus vasis fluit, & sequitur E aliam: & hac ablata dolorem mitigari, nec amplius relinqui occasionē alicuius fluxionis. Hæc & similia adducunt huius sententiæ autores, ex quibus efficere se putant in pleuritide secandam esse venam in cubito eiusdem lateris, & nō oppositi: quoniam illa propinquior est & dolori promptius succurrere potest: Seruari præterea distantiā sufficientē in reuulsione: quippe cum satis fit in ea

Reuulsio duplex.

Simpliciter dictam.

secare

secare venas, quæ non sunt in parte affecta, quales sunt venæ, quæ secantur sub lingua in angina. Has enim non incidendas in principio inflammationis, quo tempore vena aperienda est in cubito, sed postea ad id euacuandum, quod in venis partis affectæ continetur, & inflammationem premit. Verum ego ab illis longe dissentire cogor: Nam quod adferunt primum de reuulsione ad propinqua, & distantissima ex partium nobilitate, & affectuum vehementia, penitus explodendum esse censeo. Nam si incisio proximæ venæ inflammatis partibus promptis succurrere potest, cur etiam hac ratione ignobilioribus & in leuioribus affectibus non opitulamur? An iustum est, vel ex arte factum, sine re partes aliquas nostri corporis diu torqueri malis, quas subito liberare possumus? Dictum enim est Asclepiadis, quod Galenus *decimotertio Methodi* repetit, Medicos cito, tuto, & iocunde curare debere. Iniqui enim illi sunt, qui hæc non præstant, si possunt in omnibus morbis. Sed dicant, quæso, illi, qua ratione in leuioribus affectibus, & fluxionibus præcipiant ad distantissima reuellendum? quandoquidem Galenus *in quarto Methodi* solam deriuationem sufficere dicat, vbi leuiter fluunt humores, vel inueterata sunt mala: maximas vero reuulsiones, quales sunt, quæ ad distantissima fiunt, tunc necessario adhibendas, quando vehemens est impetus, & motus humorum. An credimus Galenũ *in libro secundo ad Glauco.* ideo iussisse mittendum esse sanguinem ex cubito, cum fluxiones irruunt in genua, quod huiusmodi mala contemneret tanquam leuiora, quæ certe asperrima esse solent ob neruorum multitudinem? minime profecto. Sed quia videbat fluxioni primum esse renitendum, nec aliam esse venam in corpore, quæ commodius & melius ea, quæ secatur in cubito, id præstare possit. *Itaque cum reuulsio fluxionis sit remedium, & non affectus partium, non ex affectuum aut partium differentia ipsi leges sunt imponendæ: sed ex fluxionis differentia, aut aliis, quæ ad fluxionem pertinent.* Quapropter cum autores nostræ facultatis præcipiant reuellendum esse ad distantissima in principio inflammationum, vel cum in alio casu vehementes sunt fluxiones, nequaquam debemus cauillis, & sophismatis vim huius præcepti illudere. Nec obstant quidem, quæ illi adferunt ex Hippocr. doloris causa esse proximum ventrem aperiendum. Nam hoc verum est, cum dolor incipit à parte affecta, aut dolor fit non ex fluxione, sed ex causa nata in parte dolente: Sic enim docet Galenus, medendum esse parti dolore affectæ, vt digito, vel pedi vulnerato, cum ex ea occasione bubones in inguine, & axillis nascuntur: Ac clara est de hac re illius sententia, *in decimotertio Methodi*, qua quidem ratione fomenta, & alia anodyna remedia lateri sunt admouenda, cum ex illius dolore fluxiones irritantur. Eodem pacto si ex flatu, aut humore collecto in eodem loco dolet latus, & ex eo fluxio & inflammatio oritur, primum & præcipuum remedium debet esse, quod partem affectam euacuet. Sic enim omnibus illius malis, & fluxioni succurrimus.

Reuulsio vrinæ fit remedium.

Ita etiam medemur dolori colico iniectis clysteribus, & assumptis purgantibus medicamentis, per proximos ventres euacuando, quod doloris est causa. At longe diuersa est ratio medendi

A dolori partis inflammatæ, quando fluxiones ab aliis partibus ad eam mittuntur. Sunt enim illius doloris vera remedia, quæ fluxionem reuellunt ad suam originem, à qua primum fluxio incœpit. Nam etsi dolor partis vim aliquam habet irritandi humores, & fluxiones; tamen præcipua causa horum malorum ortum habet à mittentibus partib. ac nisi illa sublata fuerit, nunquam cessabit inflammationis generatio & fluxio. Addo, quod post illa remedia, dolor partis affectæ, nullam vel minimam habet vim augendi inflammationem, vt apparet, cum suppuratio fit, & in ea maximi dolores fiũt; quo casu nec augetur inflãmatio ãplius, nec ãplius repellimus, aut reuellimus, vel anodina adhibemus, vt qui medendi vsu nouerimus, fa-
B ctis ab initio reuulsionibus & euacuationibus ex dolore & repletione partis, non amplius humores fluere. Idem docent profluuia sanguinis per nares, aut aliam corporis partem.

In illis enim non ex propinquis venis studemus aliquid auferre à parte, vnde effluit humor: quippe cum in ea nihil firmetur, sed mittentium partium impetum effringere nitimur, ex quo fluxio sistitur, quæ solis euacuantibus non poterat compesci. Nam si hoc fieret, nunquam ex profluuio sanguinis homines morerentur, nimirum cum vltra modum omnem in eo malo euacuentur humores, & nihil tamen prosit huiusmodi euacuatio, sed sola ipsa reuulsio absque euacuatione opituletur.

Venas secandas esse in principio inflammationum aliquando in parte affecta, vel illi maxime vicina.

C Non ergo in inflammatione remedium fluxionis est, quod primum tollit id, quod locum influxit, doloremque facit, sed quod fluxionis impetum coercet, auferendo causam, quæ mouet humores: quæ quidem aliquando est in ipsa parte, aliquando in partibus propinquis, aliquando in remotis. Quamobrem si in omni parte corporis venæ reperirentur, quæ secari possent in omni affectu, nunc in ipsa parte laborante, nunc in vicina; alias vero in remotissimis vena secanda esset, incipientibus inflammationibus, cum ex omnibus eis locis fluxionis occasiones nasci possint, & tunc illis solum vel maxime sit succurrendum, quoniam illarum cursum prohibere, & hominem à malo, quod possunt gignere, præseruare stude-
D mus.

Vnde recte Galenus *in libro de vena sectione* præcipit easdem venas secandas esse in præseruatione, & in curatione in principio morborum, quoniam in vtroque casu præcauere volumus: in vno quidem, ne morbus gigni incipiat: in alio vero, ne amplius augeatur, qui incœpit: propterea illi male interpretantur dictũ Galeni de reuulsione ad distantissima, intelligendum esse, vbi morbi nondum incæperunt. Nam in vtroque affectu vnũ & idem spectamus, nẽpe præseruationẽ proinde eadẽ medẽdi ratio necessaria. Quod si autoritate eiusdẽ autoris euidẽtiore certandũ est, clara est de
E hac re *in decimotertio Methodi* sentẽtia, vbi præcipit in curatione iam præsentis inflãmationis, primum esse reuellendum ad distantissima, quando fluxiones non nascuntur à parte affecta, sed ab aliis, & rationem subdit, quia, inquit, parũ est, quod adhuc influxit, multum vero quod fluere potest, & propterea huic & non alteri malo primo repugnandum.

Fluxionum origo an ignoretur.

Jllud vero ridiculum est, quod illi scribunt, fluxionum originem ignorari; & propterea non

esse danda rebus incertis certa remedia, hoc autem fieri, quod necessario per propinquas venas coniunctas cum parte affecta fluant humores & huic fluxioni solum esse medendum. Nam fluxionum originem ipsis sensibus nostris, vel ægrotantium deprehendimus, veluti in epilepsia nata ex digitis pedis, vel manus. Aliquando idem docent causæ, quę fluxiones mouent, vel ab vniuerso corpore, vel à quibusdam solum partibus. Quis enim ignorat, in febre phrenitides nasci, ascendentibus ab vniuerso corpore humoribus ad caput? & motum atque exercitationem vniuersum corpus cõmouere? Capitis vero frigus, aut calorem, ab eo membro exprimere, & liquare humores in subiectas partes? Ita sane cum ex pleuritide, peripneumonia excitatur, à latere incipiunt fluxiones, quæ in pulmonem recipiuntur. Causæ ergo, quæ fluxiones irritant originem illarum docent. Idem pariter agnoscimus ex partium connexione, & vasorum participatione. Non enim omnes partes in omnes mittere possunt, sed quæ per easdem venas, & arterias colligantur. Igitur vbi certa est coniectura de locis, à quibus incipiunt fluxiones, certum traditur præceptum, quod est, fluxiones esse ad suam originem reuocandas: ita enim præcipiũt Medici, cauteria capiti adhibẽda, vbi fluxiones decumbunt in pulmonem: vbi vero incerta sunt indicia, illud recte præcipitur, ad distantissimas partes reuellendum esse, sic enim ab omnibus, quæ mittere possunt humores, retractio fit. Qua ratione maiores nostri iusserunt reuellendum esse ad crura, cum caput fluxionibus tentari solet, & ad brachia, si pedes idem patiuntur. Quod si in capitis affectibus humerariam venam tundendam esse pariter iubent, tunc non fluxionis remedium, sed affectus occupantis iam membrum, quærunt. Idem spectarunt, cum vno crure laborãte, nõ amplius in brachio, sed in altero crure venã aperiũt. Cũ vero in pleuritide ex cubito & nõ ex cruribus sanguinẽ mitti iubent, optima ratione id faciunt: nam eadem fere est distantia, & quod præcipuum est, nulla, aut certe admodum occulta est, venarum communicatio inter crura & latus: vera autem, & euidentissima inter venas cubiti & lateris, per quas humores à capite latus descẽdunt. Quod si aliud esset membrum supra caput, in quo posset vena secari, illam profecto primũ aperiremus, quoniam à capite originem fluxionis reuelleret. Sed quia natura nostra corpora aliter effinxit, cogimur venam secare in cubito eiusdem lateris: quæ, etsi non reuellit solum, vt postularet in initio inflammationis fluxio, tamen ea eligitur vena, quia nulla est alia, quæ magis originem fluxionis spectet, & decurrẽtes humores per latus commodius intercipere possit. Ex quibus quidem patet, quando ad distantissima, quando vero ad propinqua sit reuellendum. Nunc vero illud sequitur explicandum, an cum reuulsio facienda est ad distantes partes, in vna potius, quam in alia reuellentia adhibere remedia oporteat.

Cur in pleuritide vena in cubito & non in cruribus secanda.

An cum reuulsio fieri debet ad distantissima, ea fieri possit secundum omnes oppositiones.

De qua quidem re vulgaris opinio est à Gal. *in libro de venæ sectione, & de reuulsione*, & ex *decimo tertio Methodi* atque ex aliis plurimis locis, secundum omnes oppositiones esse reuellendum, veluti si dextra pars laborat fluxione, in sinistra parte reuellentia esse adhibenda. Sic in affectu superiorum partium, ad inferiores, & ab anterioribus ad posteriores, ab internis ad externas, & è contra

A reuulsiones esse moliendas. Quam sententiam recentiores ita interpretantur, vt putent, in omni reuulsione, omnes oppositiones simul seruandas esse, aut omnes certe reperiri posse. Etenim Curtius venæ cubiti sectionem in pleuritide tradit omnes oppositiones habere: eam enim sursum, extra, dextrorsum, vel sinistrorsum, prout latus dextrum vel sinistrum patitur euocare humores. Nã quod extra, & dextrorsum, vel sinistrorsum humores ducat, omnibus notum esse putat. Quod vero sursum trahat humores, ex eo probare se credit, quod hepar Galeno teste medium in corpore situm obtineat, & partes, quæ eo superiores sunt, simpliciter superiores dicantur aliæ vero inferiores, quæ ipsi subiacent. Verum vt ab eo primum incipiamus, error in hac interpretatione fit. Nam
B reuulsio, quæ (vt inquit Galenus) ad distantissimas partes fieri debet, non qualemcunque, sed simpliciter dictam oppositionem requirit. Demus, si placet, partem aliquam ab hepate infra distare palmo vno, aliam vero eodem spacio supra ipsum positam esse, & in vtraque venam esse, quæ secari possit: an, quæso, in vnius affectu, alterius venam secare licebit? minime profecto. Quæ enim Galenus de partibus superioribus, & inferioribus scripsit, recte quidem pertinent ad partium situm denotandum: Sed illa nihil faciunt ad oppositionem, quæ requiritur in reuulsione. Præterea Galenus contentus est, si in reuulsione vna oppositio seruetur. Nã quod solum est sursum, vt caput, oppositionem non habet cum aliis, vt dextrum, & internum, vel externum sit, & anterius
C vel posterius. Cæterum quod à Galeno est traditum, & receptum de reuulsione secundum omnem oppositionem, mihi non placet. Nec secundum dextrum, & sinistrum vnquam puto posse in corpore nostro fieri reuulsionem. Etenim si fluxiones autore Galeno *in Arte medicinali*, ad suam originem reuellere oportet, nunquam inueniemus à dextris partibus mitti fluxiones in sinistrum latus, aut econtra. An putamus in pleuritide dextri lateris, venæ sectionem in sinistro cubito, reuellere aliquid posse. Ad brachium sinistrum, vel aliqua pars ei vicina est, quæ humores mittit in latus dextrum, per quas quæso venas,
D per quos locos? Scribit item Galenum in secundo ad Glauconem, & passim alibi, reuulsionem faciendã esse, per cõmunes venas: At latus sinistrũ nullam habet communitatem per venas cum dextris partibus: aut si habet, non erat opus admonere obseruandam esse illam communitatem quæ si in omnibus est, præcepto non eget. Inter crus dextrum, & sinistrum communitas quædam venarum est, vt postea ostendemus. At inter bra-
E chium dextrum, & sinistrum, & thoracis partes dextras & sinistras, nulla inter venas, quæ secari possunt & mittunt partes affectas, societas est.

Vena sectione in brachio opposito non fieri reuulsionem laborante latere pleuritide.

Latus sinistrum nullã habere communitatem per venas cum dextro.

Oppositio quid comprehendat.

Postremo Galenus iubet, reuulsionem semper esse faciendam secundum rectitudinem: quod vt postea ostendemus, excludit oppositionem, quæ est inter dextrum & sinistrum, anterius & posterius, intus & extra: & solum comprehendit oppositionem, quæ est inter *sursum & deorsum*, secundum eandem longitudinem corporis, de qua re iam tractare aggredior. Primus Hippocrates statuit, reuulsionem esse adhibendam κατ' ἴξιν, & post illum Galenus, idem sensit, interpretaturque

que verbum Hippocratis κατ' ἴξιν, id est, per A rectitudinem. Sed cum non satis explicet, quid per eam rectitudinem intelligendum sit, nata est inter scriptores recentiores non parua dissensio. Nam Curtius duo hoc nomine contineri vult, vnum, quod sit secundum eundem situm, vt dextra dextris, & sinistra sinistris, & nõ hæc dextris sunt secundum rectitudinem. Alterum quod adsit communicatio venarum. Fernelius vero, & alii quidam explicant hanc rectitudinem, venarum filamenta recta, venas enim filamentis rectis contextas esse, & per illa attrahere humorem: proinde cum sistere volumus fluxiones, eligendas esse venas, quæ in partem affectam filamenta recta protendant: quæ quidem opinio plena est erroribus. Nam cum omnes venæ eandem habeant compositionem ex filamentis rectis, transuersis, & obliquis, hoc modo non referret vnam vel aliam venam secare. Deinde sanguinis fluxus, qui fit secta vena, nequaquam fit per attractionem, sed per expulsionem, quæ mouetur à dolore facto ob sectionem & vincula, quæ adhibere solent parti, in qua volumus venam aperire: quibus ablatis, & cessante dolore, sanguis fluere desinit: quod non fieret, si per attractionem sanguis exiret. Nam attractio non requirit dolorē, imo præsente dolore cessat: quippe cum illa solum moueant attractionem, quæ sunt amica & familiaria: quæ vero molestant, solam expultricem excitent, aliis omnibus facultatibus cessantibus, & cedentibus agenti expultrici: quæ quidem agere nequit, si attractio, retentio, & concoctio suum munus exerceant. Præterea Galenus in vulneribus partium scribit, partem vulneratam contrahi ad sanam, vt experientia etiam docet. Quare venæ partis diuisæ trahere ad se non possunt quidpiam, sed quæ in parte sana integræ manent. Postremo ex anatome ostendere ille non potest communem & directam (vt ait) venarum societatem inter partes dextras supremas & infimas, inter quas tamen est rectitudo, de qua Hippocrates & Galenus agunt. Curtii autem opinio aliquid probabile continet. Nam si nullus requiritur consensus venarum in sectione, quæ fit per rectitudinem, quomodo fluere poterunt humores à dextris in dextra, & à sinistris in sinistra: & quomodo contrarium motum fluxionibus opponere possumus per reuellentia? Nam si tollas venarū societatem & communicantiam, non video, cur referat magis secare venam in dextra parte, laborante alia dextra, quam in sinistra. Verum difficile est etiam animo concipere hanc societatem in omnibus partibus, quæ secundum rectitudinem esse dicuntur: quam enim lien communitatem venarum habere potest cum venis extremis digitorum sinistræ manus: siquidem venæ lienis in hepar terminantur, quod in dextra parte est situ? Quapropter venę lienis potius cum venis brachii dextri, quam cum sinistri communitatem habēt, pes præterea cum manu, Curtio etiam autore, nullam venarum communitatem habet. Vena item cruris sinistri, cum vena dextri magnam coniunctionem obtinet, quoniam vtraque à communi concauitate venarum, quæ in inguine est, diuiditur: non tamen ex Galeni opinione dextrum crus rectitudinem habet cum sinistro. Præterea venæ brachii dextri cum venis nutrientibus quatuor costas superiores lateris dextri, & sinistri coniunctionem habent: non tamen latus sinistrum secundum rectitudinem est cum brachio dextro. Quod si communitatem venarum, qualemcunque inter se connexum intelligimus, omnes partes eam communitatem inter se haberent, quoniam connexæ inter se omnes venæ sunt. Sed proprie & vere dicuntur illæ partes communicare per venas, quæ eas habent ab eadem proxima concauitate, & trunco venarum deductas. Sic enim Galenus definit *in libro de venæ sectione*, cum ait, optima fiet euacuatio per venas diductas ab iis, quæ in partibus ipsis sunt sitæ. Igitur cum pars, quæ afficitur, & alia cui remedia adhibentur, venas habent à communi trunco proximo diductas, illæ inter se venarum communitatem habere B dicuntur. Apparet hæc communitas in venis internis cubiti & venis nutrientibus quatuor costas superiores. A communi enim trunco, & diuisione venarum, quæ thymo fit, diuiduntur venæ cubiti, & quatuor illarum costarum. Ita crura venarum communitatem habere dicuntur, quoniam venę, quæ in illas inseruntur, nascuntur à communi trunco, quod diuiditur in inguine. Galenus vbique videtur illa dicere esse κατ' ἴξιν, quæ in eodem situ sunt secundum rectitudinem corporis, ita vt solum dextra dextris sint secundum rectitudinem, vno loco excepto, qui est in *textu decimo tertio Commentarii in libro Hippocratis de fracturis*, vbi ita scribit, *κατ' ἴξιν, semper Hippocrat.* C *pro ex directo ponit, aliquando per longitudinem corporis, aliquando per latitudinem, quemadmodum nunc.* Qui quidem locus profecto trahi non potest ad reuulsiones: nam hoc modo non referret in pleuritide dextri lateris secare venam in cubito dextro, vel sinistro: cum tamen ille scribat, *in libro de venæ sectione*, sectionem, quæ fit in cubito oppositi lateris, aut nullam, aut certe tardam afferre opem: Item brachio dextro laborante, cur ille *in decimotertio Methodi* non in brachio sinistro, sed in crure dextro venam secat? Nec profecto laborante hepate, probare possemus sanguinis eruptiones, quæ fiunt per dextram narem, D quam illas, quæ fiunt per sinistram. Clara ergo, & perpetua debet esse Galen. & Hippocr. sententia de rectitudine, *quæ est secundum longitudinem partium*, cum de reuulsione simpliciter dicta agimus: quoniam dextra cum dextris magis communicant per venas, quam cum sinistris: sed non ea quidem adest inter omnes partes, quæ secundum rectitudinem sunt; quæ per proximas venarum diuisiones fit, sed ea tamen adest, quæ ad cursum humorum recipiendum, & reuellendum sufficit. Communicant enim venæ eiusdem lateris ascendentes, & descendentes per orificia sua: per cauitates musculorum etiā decursus patet, ac viuente E homine meatus, qui eo mortuo sunt occulti, maxime patent, & per has vias humores, qui recta mouetur ascendendo, vel descendēdo, facilem viā inueniunt, si attrahantur, expellantur, aut aliis remediis hinc, & inde commoueantur. Quod si hāc opinionem non recipimus, quo pacto reddi ratio potest, cur laborante pede in epilepsia, subito ascendere possit materia aliqua ad caput? Cur item, & quomodo pedes tumescant in podagra? per quam enim, quæso, viam à superioribus partibus, & maxime à capite possunt humores descēdere in pedes? Cur item laborante dextra parte capitis, & humore descēdēte, potius intumescit pars ceruicis

Dolorem non attrahere, sed potius expellere.

Curtii opinio confutatur.

De communicantia venarum.

Cur non rectitudo venarum quæ vetita.

Gal. opi. de rectitudine.

Rectitudo de qua intelligenda.

Vesalii opinio de sectione venæ in cubito dextro quouis latere affecto ægrotante.

dextri lateris, quam sinistri? Verum si venarum communitas vna est euidentissima per proximas venarum diuisiones: alia vero magis occulta per coniunctionẽ orificiorum, cur in pleuritide affectis octo costis inferioribus, venam non secamus semper in cubito dextro, vt placuit Vesalio, cum vena sine pari dicta, quæ costas illas vtriusque lateris nutrit, à dextro latere oriatur, & coniungatur cum venis cubiti dextri? Ratio hæc est profecto, vt obiter antea diximus, quod humores, qui pleuritidem faciunt, *non per venam illam, quæ costas nutrit costas, ferantur, sed per illas, quæ sparguntur per thoracis musculos.* Illa enim desinunt tandem in membranam succingentem costas, & eam ab his separant, affuso copioso humore, à quo illic inflãmatio fit: quæ non solum membranam afficit, sed proximos musculos simul replet. Quod euidenter ostendunt causæ externæ, quæ pleuritides pariunt, nempe calor, frigus, ventus, quę omnia partes externas commouent, & ab illis humores liquant, vel exprimunt in partes profundiores thoracis: illis nequaquã agitatis humoribus, qui in vena caua continentur. Jdẽ sæpe experientia docuit dissecto latere pleuriticorum, multos enim vidi, quibus vniuersum latus vix dissecta cute, & leuiter vulneratis externis musculis, statim exibat sanies purulenta, & vsque ad membranam ipsam omnes musculi pleni tali humore conspiciebantur. Itaq; cum venæ, quæ mittunt humorem in latus, communicantiam habeant proximam cum venis cubiti & capitis, à quibus mittitur humor, cum pleuritis fit, merito in cubito eiusdem lateris, non autem in alio, aut in pede eiusdẽ lateris sanguis mittitur: quoniã fluxionem reuocamus ad contrariũ humoris motum, & musculos vicinos. Laborante vero liene, venam non in dextro brachio, sed sinistro tũdimus: quoniam communicatio venarum, quæ fit per illarum orificia, maior est inter sinistras & dextras. Nam internæ partes eiusdem lateris, venas habent, quæ cum orificiis partium externarum coniunguntur, vt ex situ eiusdem venarum, & anatome apparet. Vbi vero fluxiones decumbunt in pedes, sectio venæ in cubito eiusdem lateris, cursum quidem humoris retrahit: verum quod in venis partis affectæ est receptum, educi non potest, ob maximam distantiam, nec possumus in eo casu plura præstare, repugnante natura & structura corporis nostri. Ex his igitur patet, quid sit reuulsio, quæ distantia, & oppositio, quæ rectitudo, & communitas venarum in ea requirantur.

Humores pleuritidem facientes per quas venas ferantur.

In pleuritide cur vena lateris affecti secanda.

Jllud quoque notum esse puto, optimas illas esse reuulsiones, quæ omnes conditiones obtinent, nempe distantiam, rectitudinem, venarum communitatem, & quæ ad originem suam fluxiones trahunt: Quæ vero non habent omnes conditiones imbecilliores sunt. Preterea etsi in trunco corporis reuulsiones, quæ fiunt in latere oppositio, nullum, vel minimum habent momentum ad fluxiones sistendas, tamen aliter fit in capite ob peculiarem illius constitutionem, & venarum diuisionem. Nam à vertice ducuntur venæ, quæ in cerebri partes spargũtur, secundum omnes situs differentias. Propterea dolente fronte, vena secta in temporibus, & in occipite opitulatur, & affecto vno ex temporibus, venæ, quæ sunt alio, aut occipite, vel sincipite, incisæ succurrunt. Quoniam etsi non adest rectitudo, est tamẽ venarũ cõmunitas,

Reuulsiones quæ omnes conditiones obtinent optimæ.

A per quam exonerantur partes in capite affectæ. Superest vt alia quædam addamus, quæ etiam ad reuulsionem pertinent, inter quæ illud primo expendendũ est. An oporteat venã, quæ ad reuellendũ secatur, magnam esse, vt Curtius putat. Deinde cum mittant partes nobiliores aliquando in ignobiles, veluti cum interna viscera sese exonerant in cutem, vel glandulas axillarum & inguinum videndum est, an expediat ad illas partes, quæ mittunt, semper fluxionem retrahere. Nec illud quidem prætermittendum est, an in reuulsione, quæ fit per sanguinis missionem, vel alio etiam modo cum euacuatione, debeamus paulatim, vel confertim euacuare. Postremo docendum erit, an in reuulsione sequamur motum humoris, vt Curtius vult, & obseruemus dictum illius Aphorismi: *quo natura vergit*, vt Galenus sentire aliquando videtur.

B

Curtius, vt diximus, vult in reuulsione secandã esse venam magnam. Quod certe faciendum est, vbi reuellimus ad sistendam fluxionem, quæ inflãmationem parit, sic enim promptius educitur humor, & validior fit reuulsio: vbi vero reuellimus ad sistendas fluxiones, quæ extra corpus feruntur, præstat minores venas eligere, quoniã sæpius iteranda est sanguinis missio, quæ per minores venas minus dissoluit spiritus, & propterea sæpius secari potest. Sic in his fluxionibus ob easdem rationes, minores incisiones in vena fieri debent, in illis vero maiores. Nec magnopere tamen curandum est de venarum magnitudine in quacunque reuulsione: quippe cum humoris impetus viam sibi faciat per angustas etiam vias: qua propter Galenus venam secat in malleolis ad reuulsionem fluxionum ad partes superiores: quod non faceret, sed in poplite secaret, si magni momenti esse putaret maiorem, vel minorem venam aperire. Porro in his fluxionibus, quæ pariunt inflammationes, confertim reuellere satius est: contendere enim oportet auxilia de celeritate cum præcipiti motu, qui morbum parit in aliis vero, quæ extra corpus fiunt, præstat sæpius repetere reuulsiones, vt ex crebris auxiliis reuellentibus assuescat natura eo mittere humores, & alium, per quem fieri consueuit locum deserere.

An oporteat venam, quæ ad reuellendum secatur, esse magnam.

C

Vbi confertim reuellendum & vbi sæpius iterandum.

D

Galenus *in hoc opere*, & *alibi*, vbi de curatione agit iubet fluxionem esse reuellendam ad suam originem, *nisi pars, quæ mittit, sit nobilis, alia vero ignobilis, quæ recipit.* Cuius autoritate persuasi multi ex nostris Medicis, in cutaneis & externis affectibus nolunt venas in cubito secari: quoniam ad internas partes reuocatur humorum cursus. Sic etiam in pestilenti febre, vbi fiunt bubones, omnem venæ sectionem fugiendam esse, putãt, quod materia, vt inquiũt, venenosa rursus in venas redeat. Verum de cutaneis affectib. perperam sentiunt: nã si venæ adhuc plenæ sunt humore noxio, præstat eas aperire, & per latas vias educere subito humorem, quam permittere, vt natura paulatim, & non sine periculo grauioris morbi sese per occultas vias sensim & difficile exoneret. In bubonib. quoque quædã adhibenda est distinctio: nam si credamus naturam vniuersum virus expulisse in glandulas, cognoscemus, si febris iam remissa, non amplius datur locus reuulsioni per sanguinis missionem. At si ex febre & aliis symptomatis magnitudo morbi, quæ cum calore & repletione coniuncta est, adsit adhuc, reuulsionem admittimus cũ euacuatio-

De reuulsione ad partes nobiles & ignobiles.

In affectibus cutaneis vena secari vult.

E

Quid agendum in bubonibus venereis.

cuatione. In bubonibus vero, qui ex morbo Gallico contingere solent, nullus relinquitur reuulsioni per sanguinis missionem locus, cum vehementia careat huiusmodi morbus. Quare præstat ad locum affectum trahere humorem, vt tota venenum vis per bubonem expiret. At si ad originem fluxionis, quod ea pars nobilis sit, vel nullas habeat venas, quæ secari facile possint, reuellere non possumus, nec vtile sit humorem ducere ad locum affectum, vt in pleuritide, podagra, & aliis affectibus inferiorum partium, quorum origo & fons potissimum est caput, quid inquam agendũ? *Ad eas*, inquit Gal. *transferre oportet fluxiones, quæ nullum habent principatum, & vt ego addo, quæ simul vicinæ sunt parti mittenti.* Sic enim in fluxionibus, quæ feruntur ad eas partes à capite, mittimus sanguinem ex cubito: qui si non est origo mali, origini tamen est propinquus, & ignobilis pars, ad quam sine periculo quicunque humores duci possunt. Cæterum laborante superiore parte lateris dextri in pleuritide ex cubito secari venã ab Hippocrate, putat Curt. quod eo natura vergat, & ad superiores fiat naturæ & humoris motus: in quo manifeste aberrat. Nam etsi superiores thoracis partes afficiuntur, non tamẽ affectus & fluxiones ortæ sunt ab inferiorib. sed à capite, vt diximus, ceruice, & externis thoracis partibus, quæ in inferiores suos protrudunt humores, adiuuante frigore externo exprimente, aut calore fundente coercetos humores, quare ad superiora reuellimus, opponentes motũ contrarium reuellendo, ei, qui peperit affectum, quod si reuulsio, eo etiã autore, est attractio ad contrarium humoris motum, temere quispiam postea dubitabit, hoc posito principio, an in reuulsione sequamur, vel humoris, vel naturæ motum.

Quid si pars mittens sit nobilis, vel nullas habeat venas, quæ secari possint, sit agendum.

Curtii error, quo quædam natur.

Nunc superest, vt videamus, quid reuellendum sit: qua in re Curtius eundem humorem reuellendum & deriuandum esse scribit in inflammatione. Ait enim cum humorem, qui in paruis venis partis affectæ continetur reuelli, & deriuari, & reuulsionem vocari, quod ad contrarium motum humorem eum trahat: deriuationem vero, quod eundem ad latus ducat: veluti in lateris dextri dolore, venæ sectio in dextro cubito, reuulsiua illi est, eo quod materiam à phlegmone ad venas paruas à paruis ad magnas, ad contrarium scilicet sui motus trahat. Nam prius à magnis ad paruas à paruis ad phlegmonẽ mouebatur: eo vero, quod materia, quæ per venã cauã ascendens ad partem dextram pectoris mouetur ad dextri cubiti flexum trahitur, deriuatiua vocatur, quod sui motus proportione materiam ad latus trahat. Qua in re duo sunt errores. Primus, quod eandẽ distantiam ponat in reuulsione & deriuatione. Secundus, quod materiam, quæ in venis partis affectæ continetur, reuellendam esse dicat, cum deriuatio id faciat, non reuulsio: quod ex Galeno satis constat, qui *decimotertio Methodi*, & *passim* in principio inflammationum, reuulsione vtendum esse scribit: deinde deriuatione. Nam in principio, inquit, quod influit, reuellere oportet, quod vero influxit, euacuandum, vel ab ipsa parte, vel à vicina, quod deriuare est: nam si idem humor reuellendus esset & deriuandus, distinctione illa opus non esset. Cum ergo non idem sit, necesse est alium esse: non est autem is, qui à venis excidit, & in partis substantiam sparsus est. Ille enim, vt

Non eundem esse humorem qui reuellitur & qui deriuatur.

A B C D E

inquit Galenus, per sputum, non per venæ sectionem reiicitur. Ille autem, qui in paruis venis continetur, deriuatione educitur: nam Galenus (vt supra diximus) scribit, humorem, qui partem iam occupauit, deriuatione vacuari: occupauit autem, non qui per partis substantiam sparsus est quippe qui sputo solo educi possit.

Ergo *is qui in venis partis affecta continetur, partẽ occupare dicitur* hoc loco. Itaque necesse est *eum reuelli, qui per corpus, & reliquas partes ad affectam partem mouetur.* Id, quod in sanguinis & aliorum humorum fluxu apparet, in quibus reuulsione vtimur, non vt humorem, qui in parte, aut venis partis vnde fluit sanguis, educamus, qui nullus est: sed vt illum, qui ad locum properat in aliis contentum auertamus. Ergo cum triplices sint humores, vnus, qui in partis substantiam iam sparsus est: alius qui in venis illius partis continetur, qui duo affectum faciunt: tertius qui ad affectum locum mouetur, & nisi sistatur, affectum auget, triplex remedium inuentum est: ei quidem, qui in cursu est, reuulsio: ei vero, qui in venis partis affectæ continetur, deriuatio, si venas, aut alias cauitates habeat propinquas, in quas humor transferri possit; ei vero, *qui per partis substantiam iam dispersus est*, vacuatio à parte ipsa facta, id est, qui à partis ipsius substantia ducitur: Quod si non solum ex natura ipsius rei certare volumus, sed etiam autoritate, inueniemus profecto nullo modo Galenum voluisse humorem, qui in venis partis affectæ continetur, reuulsione vacuandum esse, nam *in secundo ad Glauconem*, genu fluxione & inflammatione laborante, venam in brachio secari vult ad fluxionem reuellendam.

Quid reuellatur.

Atqui omnes nouerunt, sectionem, quæ fit in brachio, non posse sanguinem, qui in crure continetur, educere. Non ergo ille est, qui in venis partis affectæ cõtinetur, qui reuelli debet, sed qui ex aliis partibus ad crus adhuc fluit. Quod cum animaduertisset Curtius, sentiretque Galenum dicentem, fluxioni deberi reuulsionem, duplicem materiam fluentem finxit, vnam, quæ in venis partis affectæ continetur, quam in partis substantiam postea spargi scribit, & phlegmonem tunc augere: aliam, quæ in aliis venis continetur; & primæ reuulsionem conuenire statuit relicta secunda sine præsidio aliquo: cui tamen primo succurrendum est, vt quæ aliam pariat. Nam Galenus *in libro de temporibus morborum*, inflammationum principium illud constituit, quo humor totus ad partem confluit, & in ea colligitur: id quod non solum in substantia partis fit, sed etiam in venis partis: quippe cum *in libro de inæquali intemperie* phlegmonem affectum vocet, in quo non solum partis substantia, sed etiam vasa illius nimio humore distenduntur, ita vt post principium totius morbi, nullam fluxionem agnoscat, etsi leues fortasse aliquæ commotiones adhuc fiunt à venis ad partis substantiam. Ergo cum in principio inflammationum reuelli iubeat fluxionem, non aliam fluxionem intelligit Galenus, quam quæ vel ab aliis transmittitur, vel ab ipsa parte affecta allicitur, nec tamen adhuc ad eam peruenit, cui nisi remedium prius fit adhibitum, nec venas partis, nec substantiam plenam humore tutum est euacuare. Nam vt ille suo motu morbum primo inchoauit, ita nisi sistatur, adhuc illum augebit: Ac cum causæ rationem ha-

Principium inflammationis quod sit.

Fluxionis nomine quid intelligendum in generatione inflammationis.

A beat ad id, quod factum est, medendi ratio postulat, vt contra illius motum primo pugnemus. Quare optime Galenus in principio inflammationum, contempto etiam eo, quod in parte iam est receptum, primo fluxionem sedandam esse scribit. Nec ratio Curtii valet, qua dicit fluxionem sisti dolore mitigato ex vacuatione venarum ipsius partis, quæ tendunt, & tensiorem in partis substantia augent: nam vacuatio nisi in contrarium fiat, fluxionem non sistit, cum sæpe etiam cum reuulsione facta, id præstare non possit, vt in his, quinimo sanguinis fluxu pereunt, apparet. Etenim si vacuatio sisteret fluxionem, vbi abunde effluxissent humores, cessaret prorsus fluxio: nec vnquam aliquis ex ea periret. Opponimus ergo reuulsiones non repletioni, sed contra impetum fluentis humoris. Patet igitur, cui humori debeatur reuulsio, cum fluxio fit, & ea sistitur in corpore.

B Nunc vero videndum est, an fluentibus extra corpus humoribus, reuulsio sola conueniat, & an etiam competere possit humoribus nondum fluentibus, sed contentis in vasis & aliis cauitatibus corporis, an etiam, qui in partis substantia sunt recepti, per reuellentia educi possint. Porro conuenire fluenti humori extra corpus reuulsionem, aperte scribit Galenus, qui in vteri profluuio cucurbitulas mammis, & sectionem venæ in brachio ad reuulsionem, adhibet: sed non sola reuulsio conuenit huiusmodi fluxionibus: verum etiam aliquando deriuatio per vesicam & testina, vt idem autor sentit.

An fluentibus extra corpus humoribus reuulsio sola conueniat.

C At reuulsione tunc vtendum est, & non deriuatione, quando fluxiones sunt vehementes, & humorum magna copia, tunc enim securum non est, per vicinos canales humores ducere: quippe cum periculum sit omnes circumstantes partes repleri humore, nec sperandum est hoc modo fluxiones sisti posse: nam & aquæ fontibus ruentes, non deferunt solitos alueos ob vicinos canales apertos: verum omnia pariter inundāt, quę proxima sunt. Propterea euidētissime errat Curtius, qui fluxiones, quæ extra corpus fiunt, vehementiore auxilio, & propterea reuulsione potius, quā deriuatione egere scribit, immo in illis solis reuulsione vtendum esse: In aliis vero, quæ sistunt in corpore, deriuatione, estque illius ratio, qua vtitur, eiusmodi; vehementis esse agendum, & propterea reuellendum, quando vehementius fluunt humores. Id autem fieri, quando extra corpus illi feruntur, nimirum quod nullo impedimento retineantur: quo modo videmus, aquam velocius fluere, quādo liberum habet decursum & exitum, quam si aliquod impedimentum illi obiiciatur.

Quando oporteat reuellere et non deriuari.

Curtii error notatur.

D Verum debebat ille videre, non partem esse rationem in extremis fluxionibus, & in his, quæ in corpore sistuntur. Nam in illis solus impetus fluentis rei causa est fluxionis. Cum vero humor firmatur in corpore, duæ sunt fuxionis causæ nempe partes quæ transmittunt humores, & partis recipientis dolor & calor. Vehementem autem fluxionem tunc fieri oportet, cum humor impellitur, & simul etiam attrahitur, & propterea in generatione inflammationum reuulsione primum, & non deriuatione pugnandum est. Vnde Galenus in fluxu sanguinis è naribus, vel vtero, solis cucurbitulis, & frictionibus sæpe est contentus: quod non faceret, cum in vtero fit inflammatio; Sanguinem enim mitteret ex cubito. At qui venæ sectio magis reuellit, quam cucurbitulæ, vt omnes nouerunt, & Galenus contra Erasistratum scribit.

Ex quibus quidem patere puto, in fluxionibus vehementioribus reuulsione: in languioribus vero deriuatione vtendum esse. Quod vero reuulsio etiam adhibenda sit, vbi quiescunt humores, sed tamen fluere solent in aliquam partem, Galenus docet *in libro de vena sectione*, vbi scribit, easdem venas secandas esse in prę|seruatione, quæ in principio affectus secantur. At in principio inflammationis iubet *in libro 13. Methodi* reuellendum esse ad distantissima. Idem ergo faciendum in præseruatione. Jd quod etiam *in libro de natura humana* aperte scribit, & id quidem optima ratione. Idem enim est humor, qui in præseruatione, & præsente iam affectu reuulsione eget. Differunt duntaxat, quod in vno casu fluere nondum incipiat. Itaque si in vtroq; fluxionem intercipere volumus, & hunc solum scopum nobis proponimus, eadem quoque vena secanda erit.

An humoribus quiescentibus dicatur reuulsio.

Cæterum adhiberi etiam reuulsionem parti affectæ ad reuellendum humorem, qui in partis laborantis venis continetur, ex Galeno patet, qui laborante occipite, iubet venam tundi in fronte ad reuulsionem, *in Aphorismo 68 libri quinti*: At istæ non sunt simpliciter dictæ reuulsiones, sed vt idem testatur *tex. nono secundi commentarii sexti. Epidem.* quæ quidem fieri debent non ab initio, sed posteaquam aliæ præcesserunt, quæ cursum humorum procul auertunt. Tunc enim humorem, qui forte fluit ab interiore parte, vel potius à vertice capitis in posteriorem per huiusmodi venæ sectionem reuellimus & sistimus.

Reuellitur humor in parte affecta contentus.

Iam vero quod humoribus receptis in substantia partis Galenus aliquando adhibeat reuellentia, possum ex eo probare, quod scribit *in libro quarto de victu acutorum textu 31.* scilicet medicamenta attrahentia ceruici circumposito in angina, crassum & viscosum humorem, qui in partem iam decubuit, reuellere: & optime quidem: nam ab externis partibus humorem compulsum in internas, ad illas retrahit. Hoc enim est reuellere, reuocare humores ad suam originem à qua moueri cœperunt. Quo quidem intellecto, euanescunt vel omnes, vel certe plurimæ quæstiones, quæ de reuulsione & venæ sectione à recentioribus temere sunt agitatæ. Nunc de deriuatione agendum est.

E Est autem, inquit Curtius, deriuatio motus, qui fit ad latus humoris fluentis. Propterea sanguinis missionem, quæ fit in cubito, inflammato latere, dicit esse reuulsiuam, & deriuatiuam: reuulsiuam quidem eo, quod materiam à phlegmone ad venas paruas, à paruis ad magnas: ad contrarium scilicet sui motus trahat: Deriuatiuam vero, quia (inquit) materia, quæ per venam cauam ascendens ad partem dextram pectoris mouetur, ad dextri cubiti flexum trahitur.

De definitione deriuationis.

Qua quidem in re multos committit errores. Nam vt omittam alios locos, hic Galen. aperte testatur, deriuationem fieri ad vicina. Inter vicinas autem partes quædam sunt ad latus, aliæ subiacent, aliæ incumbunt aliis. Nam cum ab vtero ad vesicam & intestina fit deriuatio, non ad latus ea fit: cum partes istæ sibi incumbant, cum vero secatur vena in poplite dextri pedis in affectu inguinis sinistri,

Curtii opinio confutatur.

finistri, ad latus fit deriuatio: quod etiam contingit, cum humorem per narem dextram fluentem, per finistram deriuamus, & è contra. Deinde si eo autore primum motum humoris ignoramus, quomodo poterimus lateralem motum illi opponere? Absurdum item est credere, pleuritides fieri ascendente, vel descendente sanguine per venam cauam, vt iam diximus. Addo quod ille per easdem venas velit extrahi à loco affecto humorem reuellendo & deriuando. Nam reuulsio eosdem quidem canales exigit, quia contrarium motum priori molitur. At deriuatio, quæ vicinum motum opponit, vicinum canalem postulat: id quod plane ostendit vocabulum Græcum παροχέτευσιν, & Latinum *deriuare*, quod est ex riuo ducere in alios canales humorem: vt in pratis irrigandis apparet, cum ex flumine, vel ex riuis, multos riuulos trahimus, & ex illis alios minores, vt aqua per omnes prati partes spargi possit. Clara quoque est Galeni de hac re sententia in *sexto libro Epidem. text. septimo, commentario secundo*, vbi inquit, *deriuationem solet Hippocrates nominare, quando humores, qui per conuenientē regionem ferri inceperūt, ducimus non per eam, nec per remotissimam, sed per aliam propinquam*. Ad hæc cum per eandem venæ sectionem dicit fieri reuulsionem, & deriuationem, Galeno repugnat, qui scribit, reuulsionem esse faciendam ad distantissimas partes, deriuationem vero ad propinquas: Idem autem respectu eiusdem loci affecti, non potest esse propinquum & remotum. Præterea quod vni & eidem humori reuulsionem & deriuationem tribuat, nempe ei, qui in venis partis affectæ continetur. Nam textus est clarus *in 13. Methodi* in principio inflammationum reuellendum esse quod influit: quod vero influxit, deriuatione tolli per vicinas partes, aut ab ipsamet parte affecta esse euacuandum. Cum enim triplex sit humor in generatione inflāmationis, vt antea ostēdimus, vnus, qui in via est, nōdū in venas partis incidit: alius qui in illis iā est receptus: tertius, qui ab illis venis in partis substantiam est sparsus, hic, inquit, Galenus in venas amplius redire non potest, sed in lateris inflammatione per sputum, & localia remedia ducitur. Ille vero, qui adhuc est in via, eget reuulsione: Qui vero in venis partis est, deriuatione, vt author est Galenus qui & *alibi passim* docet, recentes affectus reuulsionibus egere: inueteratos vero deriuatione, & localibus præsidiis. Ac dicit quidem *in secundo de victu acutorum*, & *alibi*, sectione venæ reuellere & euacuare, non autem reuellere & deriuare simul: quoniam hoc fieri non potest, vt eundem per vicina & contrarium per distantes partes motum faciamus. Verum, vt ab omni parte reuellere, ita deriuare semper non possumus.

Deriuationis nomen.

Reuulsionē & deriuationem non fieri per easdem venas.

Reuellere & deriuare simul non posse.

Nam in omnes partes venæ quidem feruntur, per quas retrocedere possunt fluentes humores: At non omnes partes alias habent vicinas, quæ canales ducant ab affectis, in quos recipi possit noxia parti laboranti materia. Hoc quoque prætereundum non est Galenum aliquando inter reuulsiones ponere, quæ rectius inter deriuationes essent collocandæ, veluti cum scribit *in sexto libro Epidemion commentario 2. tex. 31.* oculorum fluxiones ad palatum per acria remedia reuelli, & ad nares. Nam cum ad contrarium motum, & partem mittentem non ducantur humores, sed per

Reuulsiones & deriuationes aliquando Gal. confundere.

A vicinas euacuantur, cōstat deriuationem, & non reuulsionem tunc fieri. Nunc vero de humore agendum est, cui conuenit deriuatio: is autem primum est, qui leniter fluit: non quod illi etiam non debeatur reuulsio, sed quod pariter deriuatio apte succurrat, vt in muliebri fluxu & dissenteria diuturna facere solemus, dum per vrinas noxios humores deriuamus: vbi reuellentia, quæ brachiis, & superioribus partibus admota fuerunt, fluxiones penitus compescere non potuerunt. Vbi vero validæ fluxiones sunt, tunc non deriuationibus sed solis reuulsionibus relinquitur locus. Cæterum quiescentibus humoribus fluere tamen solitis, etiam reuulsiones potissimum opitulantur. Non obsunt tamen in aliquibus affectibus deriuationes, quæ fiunt iuxta partem mittentem: veluti si vterus humores & vapores mittit ad caput, non solum euacuationes, quæ per ipsum vterum fiunt, & ad illum tanquam ad originem fluxionis humores trahunt: sed etiam euacuatio, quæ fit per vesicam & intestina, prodest. Illud vero, quod scribit Galen. *in 13. Methodi*, deriuandum esse, quod inflammationem iam facit, siue, quod clarius scribit *in secundo ad Glauconem* humorum, qui iam membrum obsederunt, deriuationem medelam esse, mihi suspectum est. Nam quod iam est sparsum per partis substantiam, dimoueri non potest, ita vt assumi rursus possit in vicinos aliquos canales. Quare illud (meo iudicio) non deriuatione amplius tolli potest, sed solum per localia auxilia. Propterea quod alibi etiam idem author scribit, inueteratos affectus deriuatione tolli, ad inueteratas solum fluxiones, aut humores contētos in cauitate partium trahendum est: non autem ad inflammationes ipsas, aut alios tumores pertinet. Credo & illud etiam patere, vbi reuulsione, & deriuatione opus est, prius reuellendum esse, quam deriuandum. Nam fluxionem sistit reuulsio: deriuatio vero, si Galeno credimus, tollit, quod influxit: Illud autem causæ ad id rationem obtinet: quare illi prius succurrendum, quod & Galenus *in 13. Methodi* in curatione inflammationis aperte docet: etsi hoc præceptum euertit *in secundo de victu acutorum*, vbi scribit, agens de pleuritide consilium Medici esse in acutis præsertim morbis euacuare magis à parte affecta, quam ab aliis. Nam si hoc sit, non fluxionis primum remedium quærimus per reuulsionem ad distantissima, vt in Methodo censet, sed euacuationem humoris iam inflammationem circunstantis: ex quo loco Curtius deceptus fuit, cum in generatione inflammationum etiam authore Hippocrate prius deriuandum, quam reuellendum censet. Nam etsi scribendo *in Epidemiis* præponit Hippocratis deriuationem reuulsioni: tamen cum ait, statim reuellendum, admonet, quid prius faciendum sit. Nec illud quidem, quod Galenus scribit in acutis morbis esse prius & magis à parte inflammata, quam ab aliis euacuandum, recipiendum est alia ratione, quam superius etiam annotauimus, quod scilicet medicina præcipiat omnes singularum partium affectus, si fieri potest, citissime curandos esse: sed quoniam in nullis morbis & in nullis partibus inflammatis, prius euacuare possumus, quod inflammationem facit, quam humorem, qui adhuc fluit, ideo communis est omnibus in hoc curandi ratio.

De humore, cui debetur reuulsio.

Gal. opi. non recipitur, quod deriuatio cōueniat humori occupanti mēbrum.

Gal. opin. non recipitur de euacuatione parte affecta humoris in via inflammationis.

B C D E

Iam vero quod scribit Gal. *in secundo ad Glau-*

tegem tum reuulsionem, tum deriuationem fieri A per communes venas, recte dictum est. Nam hoc præsertim in deriuatione spectandum est: quippe cum in reuulsione impetus humorũ per occultos meatus sibi viam parat, & quia per eundem canalẽ retrocedendo fit: *deriuatio vero cum duos vicinos canales exigat, merito communitatem vasorum requirit. Rectitudinem autem sola reuulsio postulat, per quam fluunt & refluunt, retroceduntque humores*: in vna autem parte corporis dextra inquam vel sinistra non est facile reperire vicinos canales, qui inter se communicent, ita vt ex vno in alium affundi & transfundi possint humores. In medio vero corporis situ inueniuntur partes, quæ secundum situm superiorem, & inferiorem deriuationes admittunt per rectitudinem, vt in vtero, vesica, & intestinis apparet. Cæterum in vtroque crure optima fit deriuatio & mutua: propterea quod illorum venæ ab eadem diuisione, quæ fit in inguine, ducuntur. *Quare quod Galenus scribit, affecto vno crure venam in alio secandam esse, hoc ad deriuandam, & non ad reuellendam fluxionem pertinet*, vt satis ex supradictis patere puto. Atque hæc quidem sufficiant de eo, quod Galenus hic prægnantibus his verbis scribit, reuellere ad longinqua, deriuare vero ad propinqua. Ex quibus benigni lectores nostrum, vt spero, laborem agnoscent, & commendabunt; ex quo non solum ea, quæ variè à Galeno de hac re traduntur, intelligent, sed etiam sese extricabunt à recentiorum labyrinthis, qui de venæ sectione in pleuritide, & aliis malis perperam scripserunt, quod nunquam spectauerint, quid rei natura in hac re postulet, sed quid antiquiores nobis tradiderint sæpe sine iudicio, & ratione.

Per communes venas reuellendum & deriuandum. Rectitudinem in deriuatione non requirit, sed solum in reuulsione.

Ἅπαντα δ' αὖ ὅσα θεραπεύει τὰς τοιαύτας διαθέσεις, ὑγιεινὰ προσαγορεύομεν αἴτια, καθάπερ νοσερὰ τὰ προσαύξοντα, καὶ οὐδέτερα, τὰ μήτε βλάπτοντα μήτε ὠφελοῦντα. δύναιτο δ' ἄν τις αὐτὰ μηδ' αἴτια προσαγορεύειν ὅλως, ὥσπερ εἰσὶν οἱ πολλοὶ τῶν σοφιστῶν, ἀμελοῦντες μὲν αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἐξευρίσκειν τὴν διαφοράν, ἐν δὲ τοῖς ὀνόμασι τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου διατρίβοντες. εἴρηται δ' ἐπὶ πλέον ἐν ἑτέροις πρὸς αὐτούς. τὸ μὲν δὴ προφυλακτικὸν τῆς τέχνης τοιόνδε.

Quæcunque huiusmodi curant dispositionẽ, causas salubres appellamus; sic vtique insalubres, quæ ad augent; & neutras, quæ nec obsunt, nec iuuant. Posset vero quispiam neque omnino causas appellare, quemadmodum maior pars sophistarum qui rerum quidem differentiam inuenire contemnunt, plurimum vero tẽporis in nominibus conterunt: contra quos in aliis vberius disseruimus. ac pars quidem artis præseruatiua talis est.

Nulla necessitas cogebat Galen. vt hæc scriberet. Nam hæc superioribus satis constabant, quid esset in his causa salubris & insalubris, & quod has fugere oportet, illas vero quærere, nisi forte harum mentionem, & repetitionem facere voluerit, vt nouã, quandam neutrarum causarum significationem traderet. Neutras enim causas hic vocat, quæ neque lædunt, neque iuuant. Quæ significatio antea cum neutri omnes modos enarraret non est comprehensa. Ridenda vero est hoc loco Akachiæ interpretatio. Nam quod Galen. scribit, *neutras causas vocari, quæ nec iuuant, nec lædunt*, interpretatur: quæ neutrum statum inter sanitatem & morbum seruant. Quo modo enim, quæso, non iuuant, aut nocent causæ, quæ neutrum statum fouent, aut eum lædunt. Quod enim aliquid iuuat, vel offendit, vtique illud & lædit. Præterea cum Galeno de salubribus & insalubribus causis hic agit, eas non refert ad sanitatem & mor- B bum, vt hic putat: sed salubres vocat causas, quæ affectiones, de quibus hoc loco agit, nempe eas quæ præseruationi subiiciuntur, emendant, vt satis Galeni verba ostendunt. Itaque neutras causas etiam refert ad eundem statum, & ideo neutras vocari scribit, quod nihil conferant ad lædendam, vel iuuandam huiusmodi dispositionem. Ridiculum vero & illud etiam est quod hic Akachias hoc loco cacat, nempe neutra comprehendere omnes affectiones, quæ sunt inter salubres & insalubres simpliciter, & vt nunc, siue vt ille perperam habet, in præsentia. Sed de hoc errore antea *in primo libro* egimus. Cæterum non explicat Galen. in quo genere sunt. ei similia in eodem gradu. C Cum enim, quæ talis naturæ sunt, nullam mutationem in ea affectione pariant, merito nec illam iuuant, aut lædunt: Illius etiam generis dici possunt esse, quæ nullam vim habent agendi in nostrum corpus. Hæc enim etiam neutra sunt, quod nec iuuare nec obesse possint. Quod vero rursus scribit, quosdam nolle hæc causas appellare, non est referendum ad causas salubres & insalubres, sed solum ad has neutras. Illas enim nemo non appellaret causas, has vero nullus recte diceret causas esse, vt quæ nullam agendi vim habere dicantur. Propterea, qui ita sentiunt, sophistæ non sunt appellandi, siquidem verborum proprieta- D tem obseruant.

Akachiæ opinio ...

Τὸ δ' ἀναληπτικόν τι καὶ ἀναθρεπτικὸν, ἐπὶ τῶν ἀνακομιζομένων ἐκ νόσου καὶ γερόντων.

Quæ autem reficit atque restaurat in conualescentibus, ac senibus locum habet.

Cap. C. De parte artis quæ conualescentes reficit, et senibus confert.

Ex diuisione dispositionum corporis & causarum salubrium relinquitur tractatio, quæ pertinet ad senes, & conualescentes, qui nec proba sanitate fruuntur, nec morbis laborant, nec perinde E afficiuntur, vt hi, qui iam pullulantes in corpore morborum causas fouent: sed suam quandam habent dispositionem, quæ & propriam quandã curationem requirit, de qua hoc postremo loco Gal. agere instituit. Appellat autem hãc medicinæ partem analepticem: quam noster interpres generaliore nimis vocabulo interpretatur *refectricem* & restauratricem. Nam non solum hæc medicinæ pars, Sed tota ipsa medicina reficit & restaurat. Quare Græci aptius suis verbis hæc exprimunt, nam analiptica ea vocant remedia, *quæ imbecilles vires restituunt*. Et anathreptica, *quæ alimento &*

Analeptica remedia quæ.

aucta

victus potissimum pugnant absque medicamentis ad uersus corporis vitia, qualia sunt senum & conualescentium corpora: quæ certa quadã viuendi ratione resocillanda & & nutrienda sunt, quod Gal. ex illorum dispositione ostendit.

Ὁποία δέ τίς ἐστι καὶ ἡ τούτων διάθεσις, ὑπὸ τίνων τε μάλιστα αἰτίων, εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπανάγεται, πλείστοις μὲν ἐν τοῖς τῆς θεραπευτικῆς μεθόδου δεδήλωται. διὰ κεφαλαίων δ' εἰρήσεται καὶ νῦν. ἡ μὲν οὖν διάθεσις ἐστὶ τοιάδε. χρηστὸν μὲν, ἀλλ' ὀλίγον τὸ αἷμα, καὶ σὺν αὐτῷ τὸ, τε ζωτικὸν ὀνομαζόμενον πνεῦμα, καὶ τὸ ψυχικόν. αὐτὰ δὲ τὰ στερεὰ μόρια, ξηρότερα, καὶ διὰ τοῦτο καὶ αἱ δυνάμεις αὐτῶν ἀρρωστότεραι, καὶ διὰ ταύτας ὅλον τὸ σῶμα ψυχρότερον.

Quæ vero sit horum dispositio, & à quibus præcipue causis ad naturalem reducitur habitum, in libris, in quibus de medendi arte tractauimus, abunde explicauimus: sed nũc per capita dicetur. Dispositio quidem igitur talis est; optimus quidem, sed exiguus est sanguis, atque vna cum ipso spiritus animalis, atque vitalis. Ipsæ vero particulæ solidæ sicciores, & idcirco earum vires sunt imbecilliores, atque earundem ratione corpus vniuersum frigidius.

Cum dixisset, conualescentes & senes egere solum restauratione virium, & renutritione, nec id pateret verum esse, naturam status illorum inuestigat, ex qua postea patebit, quod proposuit. Qualis vero sit illorũ affectio, ait se explicasse *in Methodo medendi*: quod ego non memini me legisse. Nam quædam de conualescentibus ex sicco morbo *in septimo Methodi* ille tradit: sed illa ad omnes cõualescentes trahi non possunt. Addo, quod *eodem loco* prolixe non enarrauerit, qualis sit conualescentium condito, vt hic scribit: sed solum attigerit auxilia, quibus illi refici possunt, de senibus vero nihil etiam *eo loco*, sed *in quinto de sanit. tuend.* pertractat. Habet quædam de statu senum, & conualescentium *in Thrasybulo*: sed nusquam prolixius, quam hic illorum naturam exprimit. At vero rectius iam videamus. Illud autem in primis constare puto, quod non video ab aliis interpretibus notatum, ea, quæ hic dicuntur, non etiam ad senes pertinere sed solum ad cõualescentes. Nam senum sanguis optimus quidem non est & exiguus, sed *pituitosus, & sæpe multus pro diuersitate corporum*, Senes enim scribunt Hippocrates & Galen. etiam pariter docet ratio, & experientia, esse pituitosos: quare optimus nequit esse in illis sanguis. Sunt etiam senes quidam crassi, qui multo sanguine in venis abundant. Præterea quod infra scribit, *paulatim ad consueta opera redeundum esse, & cibos assumendos esse in principio humidos, in progressu vero plurimum nutrientes*, solum pertinere potest ad conualescentes. At vero nec illa, quæ hic tradit, ad omnes conualescentes pertinere possunt. Nullus enim forte ex conualescentibus optimum, qualem ille dicit, sanguinem obtinet:

Gal. conualescentium diligentius expressit.

Sanguis senum qualis.

A manent enim in omnibus alterationes quædam ex morbis relictæ: quæ vt in solidioribus partibus, sic in sanguine, & humoribus sunt conspicuæ. Ac vt illi, qui ex acutioribus morbis exiguum habent sanguinem & spiritum, solidiores que partes sicciores: ita qui ex quartanis, quotidianis podagra, capitis, & neruorum morbis resurgunt contrario modo afficiuntur. Humidiores enim adhuc sunt, quam mediocris, & naturalis illorum conditio requirat. Quinetiam eos, qui laborarunt ardentibus morbis, non sequitur corporis vniuersi frigiditas, sed potius caliditas quædam ex febrili calore relicta. Jam vero quod scribit de consumptione spiritus animalis, alibi ostendimus commentum esse: nimirum cum nullus sit huiusmodi spiritus. Itaque vt morbi, qui præcesserunt, & B corpora quæ illis laborarunt, natura, & conditione inter se discrepant; ita vnus & idem non potest esse conualescentium status, qui vnicam Medici tractationem postulet. Videndum igitur est, quid sit post morbos relictum, an siccitas, vel caliditas, vel frigus, aut humor superfluus, vel totius, aut quorundam solum partium imbecillitas, vel macies, aut aliud quidpiam vitiatum, & illi per propria auxilia succurrendum: sic enim præcipitur, quod, est tutius, in quo nullus errare potest.

Galeni corrigit dicta.

C Αἴτια δ' ὑγιεινὰ, τὰ τὴν εἰρημένην ἐπανορθούμενα διάθεσιν, ἐν μὲν κεφαλαίῳ περιλαβεῖν ὅσα ταχεῖαν μὲν καὶ ἀσφαλῆ θρέψιν ἐργάζεται. κατὰ μέρος δὲ συμμέτρους κινήσεις, καὶ σιτίοις καὶ πόμασι καὶ ὕπνοις.

Causæ vero salubres, quæ hanc emendant dispositionem, vt vno comprehendam capite, sunt quæcunque præsentaneum, atque securum exhibent alimentum: secundum partem autẽ in motibus moderatis, & cibis, potibusque, ac somnis consistunt.

Cum docuerit, qualis sit dispositio conualescentium, quod scilicet sit cum pauco & bono sanD guine, atque spiritu, necnon cum siccitate solidarum partium, & virium imbecillitate, & frigiditate corporis; nunc adfert causas huiusmodi dispositionis salubres, & illas primo generatim tradit, deinde sigillatim enumerat. *Est autem*, inquit, *hoc generatim tradendum, vt studeamus cito, & tuto alere corpus.*

Qua quidẽ in re illud non ex arte præcipi arbitror ꝙ scribit de celeri nutritione. Nã scribit Hippocr. in Aphotismis, *quæ longo tempore extenuata sunt corpora, longo tempore esse reficienda, quæ breui, breuiter*, Quidam ergo ex conualescentibus celeri, alii tardiore egent renutritione. Recte vero E scribit, curandum esse, vt tuto corpus alatur. Nam ex crebriore, & crassiore nutritione sæpe fiunt recidiuæ: quemadmodum etiam ex vitiosis alimẽtis frigidis, calidis, humidis, siccis, crassis, viscidis, & putredini obnoxiis. Cæterum probam nutritionem comparabunt motus, cibi, potiones, somni, inquit, moderati. Adde vigilias, & animi affectiones, & excretiones moderatas, hæc enim etiam ad restaurationem corporis plurimum faciunt.

Gal. corrigitur.

Sect. 2. ap. 7.

Εἰσὶ δὲ ὕλαι τῶν μὲν κινήσεων αἱ αἰῶραι, περίπατοι, καὶ τρίψεις, καὶ λουτρά.

Sunt vero motus materia, vehicula, ambulationes frictiones, & balnea.

Cum dixisset, accommodatam viuendi rationem in conualescentib. fieri per moderatos motus, cibos, potiones, & somnos, nunc aptam materiam in singulis exponit, & primum docet, ex quibus rebus moderati motus sumi possint. Vehicula intelligit gestationes, quæ fiunt nauigando equitando, & cum in sellis portantur conualescentes à famulis, ambulationes & frictiones leues esse oportet, vt calorem solum moueant, & spargant per corpus, alimentumque distribuant, non autem dissipent. Balnea vt plurimum ex aqua tepida prosunt, nisi quid œdematosum in tibiis, vt fieri aliquando solet per longos morbos, sit in corpore relictum; tunc enim iuuant etiam balnea naturalia.

Καὶ εἰ πολὺ βελτίων ἐστὶ τούτοις γίνοιτο, καὶ τῶν συνήθων ἔργων ἐπ' ὀλίγον ἁπτέσθωσαν.

Et vbi non parum se profecisse senserit, paulatim se ad consueta opera transferat.

Consueta opera appellat propria singulis officia, ad quæ, inquit, redeundum est, vbi corpus plurimum profecerit, & hoc paulatim & per interualla faciendum, præsertim si cum labore multo animi vel corporis ea vitæ munera exercentur.

Τῶν δὲ σιτίων κατ' ἀρχὰς μὲν ὑγρὰ καὶ εὔπεπτα, καὶ μὴ ψυχρὰ προϊόντων δὲ, καὶ τροφιμώτερα.

Cibos autem assumat in principio quidem humidos, & concoctu faciles, nec frigidos, ac cum progressi fuerint, eos etiam, qui plurimum præstant alimentum.

Nunc, quales cibos adferre oporteat conualescentibus, docet. vult autem illos esse in primis diebus humidos, & concoctu faciles, nec frigidos, postea vero, qui plurimum nutriant. Porro humidos statuit esse, secutus siccam dispositionem, & sanguinis inopiam, viriumque imbecillitatem, quæ in conualescentibus relinqui scribit: humidos autem intelligere oportet actu & potentia. Tales enim & humectant, & facile concoquuntur, citoque restituunt, quod in corpore deficit; quod autem dicit *concoctu faciles*, non continetur in humidis. Nam quæ plurimum nutriunt alimenta, etiamsi contusa sunt, & humida, liuidaque reddita, tamen difficile concoquuntur. Nam vt Galeno in septimo Methodi scribit, quod plurimum nutrit, necessario difficile concoquitur. Addit illos non debere esse frigidos, quoniam refrigeratum, vt ille putat, corpus sunt emendaturi. Sint ergo temperati, vel non insigni aliqua qualitate præditi. Recte etiam illud adiicitur, in progressu offerendos esse cibos plurimum nutrientes. Dicuntur autem tales esse, qui plurimum in

Cibi ad restaurandos conualescentes quales requiruntur.

Plurimum nutriens difficile concoqui.

Cibi plurimum nutrientes qui.

A se habent solidæ substantiæ, & non solum aereæ, & aqueæ.

Nam si solidiores partes extenuatas restaurare instituimus, post sanguinis & spirituum reparationem, vtique necesse est solidius alimentum præbere.

Πόμα δὲ ἐστὶ τήδειον, οἶνος ἡλικίᾳ μὲν σύμμετρος, ἰδέᾳ δὲ καθαρός τε καὶ διαυγὴς, ἤτοι λευκὸς, ἢ ὑπόξανθος. ὀσμὴ ἡδὺς, μετρίως ἐν τῷ γεύεσθαι, μήθ' ὑδατώδη τὸ πᾶν, μήτε τινὰ σφοδρὰν ἐνδεικνύμενος ποιότητα· μήτ' οὖν γλυκύτητα, μήτε δριμύτητα, μήτε πικρότητα.

B *Potus vero opportunus est vinum, ætatem quidem habens mediocrem, in substantia aũt purũ, atq; perlucidũ, quod scilicet vel subflauũ vel subalbũ existat, atque suauiter olens. gustui vero neque aqueum omnino, neque cum aliqua insigni qualitate, aut dulcedine, aut acritudine, aut amaritudine sentiatur.*

Vinum describit aptum ad restaurandos conualescentes, in quibus sanguis, & spiritus sunt consumpti, & partes solidæ sicciores redditæ, viresque
C imbecilliores, & vniuersum corpus frigidius, & vt cita & tuta fiat nutritio. propterea recte scribit, illud oportere esse mediæ ætatis. Nã vt noua vina frigidiora, crassiora & confusa quodãmodo adhuc sunt; ita concoctionem turbant, & pituitosum gignunt sanguinem. Vetustiora vero anno vno, calidius & siccius reddunt corpus. Debent autem pura & perlucida esse. Hoc enim restatur, ꝙ recte sint cõfecta, & optime expurgata à fecib. & quod plurimum substantiæ spirituosæ optime elaboratæ in se contineant. Non referre autem putat, siue vinum sit album, siue subflauum, & *in Methodo medendi* album omne frigidius esse tradit. Iucundum vero odore debet quidem esse vinum, ita tamen, vt nec rosam, nec violam, aut ali-
D um, quam vini odorem referat. Nam quidquid extranei odoris in eo est, vitiosum esse creditur. Nec illud quidem oportet nimium esse aquosum, vel vinosum nimis. Illud enim non satis: hoc vero plus iusto calefacit & siccat. Præterea quod dulce est, tardius nutrit, & obstructiones parit: quod vero est acre & amarum, immoderate calefacit & exsiccat corpus. Excessus ergo omnes in potu hoc, sicut in aliis omnibus auxiliis euitandi. Quod vero mediocre est, quærendum nisi quæ relicta est in stomacho, vel in aliis certis partibus dispositio, insignem aliquam qualitatem requirat, vt
E astrictionem, calefactionem, &c.

Vinum ad restaurandos conualescentes quale debeat esse.

Λέγεται δ' ὡς ἄρτι εἶπον, ἐν τοῖς θεραπευτικοῖς ἐστὶ πλεῖστον ὑπὲρ αὐτῶν. νῦν γὰρ οὐ διελθεῖν ἅπαντα τὰ κατὰ μέρος ἡμῖν πρόκειται. μόνον δ' ἀναμνῆσαι τῶν κεφαλαίων, ὧν ἐν ἑτέραις πραγματείαις ἐποιησάμεθα τὴν διέξοδον.

Pr

Vt autem proxime diximus, de hisce omnibus in libris de arte curandi conscriptis plenius disseruimus. Nunc enim neque omnia particulatim recensere est nostri propositi institutum. Sed solum capitum mentionem facere intendimus eorum, quæ in aliis voluminibus latius explicauimus. A

Hic contextus est finis operis, in quo author repetit rationem sui instituti, vt illis satisfaciat, qui prolixum & demonstrationibus plenum docendi genus ab eo exigere possent. Non enim, inquit ille, institui hoc in hoc opere facere, quod alibi abunde præstiti, sed solum capita rerum complecti, vt doctrinæ definitiuæ vis & ratio innotescat. Reliqua autem, quæ sequuntur, pertinent ad illius bibliothecam, quam etiam *in lib.* B huic rei dicato, & inscripto *de propriis libris*, pluribus operibus refertam instituit, adeo vt omne genus disciplinarum in ea complecti videatur: ex quo factum est, vt nihil elaboratum scripserit. Id enim his, qui omnia ambiunt, contingere solet. Ego vero superfluum esse puto, quæ sequuntur velle explicare, vt quæ ab omnibus facile intelligi possint, vel ordinem artificiosum in hoc, vel alio catalogo librorum suorum constituere. Nam, quæ diuersarum sunt facultatum, in sola medicina constituenda locum certum inuenire non possunt. Quare hæc consulto prætermitto studiososque deprecor, vt hos tantos meos labores, quos ob veritatem & ornamentum meæ facultatis suscepi, boni consulant, & gratias agant Bersano Benexiæ, optimo & docto iuueni, discipulo meo, & iam medicinæ Doctori, qui omni diligentia, studio & labore me iuuit in opere scribendo & edendo.

Hanc omnem partem ab Argenterio omissam restituendam curauimus ex conuersione Fabii Paulini Vtinensis Philosophi, & Græcarum literarum apud Venetos publici professoris:

Ἃς προσυγγράψας ὁπόσαι τέ εἰσι καὶ ποῖαι, καταπαύσω τὸν λόγον ἐνταῦθα.

Τέλος.] Εἴρηται μὲν οὖν καὶ πρόσθεν ὡς ἔστιν ἓν ἄλλο βιβλίον, ἐν ᾧ περὶ συστάσεως τῆς ἰατρικῆς τέχνης διερχόμεθα. προηγεῖται δ' αὐτοῦ τὰ πρότερα δύο περὶ τεχνῶν συστάσεως. C ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἅμα τῷ νῦν περαιωθέντι χωρὶς τῆς κατὰ διέξοδόν ἐστι πραγματειῶν. ἐκεῖναι δὲ τήνδε τὴν τάξιν ἔχουσι. Περὶ μὲν οὖν τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων, ἓν βιβλίον ἐστίν, ἑξῆς δ' αὐτῷ τρία περὶ κράσεων. ὧν τὰ μὲν δύο, περὶ τῶν ἐν τοῖς ζώοις ἐστὶ κράσεων, τὸ τρίτον δὲ, ὥσπερ τῶν ἐν τοῖς φαρμάκοις. διὸ καὶ τὴν περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως πραγματείαν, οὐχ οἷόν τε κατανοῆσαι καλῶς, ἄνευ τοῦ τὸ τρίτον ἀκριβῶς ἀναγνῶναι περὶ κράσεων. D ἔστι δὲ καὶ ἄλλο βιβλίον μικρὸν ἑπόμενον τοῖς πρώτοις δύο περὶ κράσεων, τὸ περὶ τῆς ἀνωμάλου δυσκρασίας ἐπιγραφόμενον, ὁμοίως δ' αὐτῷ καὶ ἄλλα δύο μικρὰ, τὸ μὲν περὶ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς τοῦ σώματος, τὸ δὲ περὶ εὐεξίας. τρίβιβλος δ' ἄλλη πραγματεία ἡ περὶ φυσικῶν δυνάμεών ἐστιν. ἣν εἴτε μετὰ τὰ δύο περὶ κράσεων, εἴτε τι μετὰ τὸ περὶ στοιχείων ἀναγινώσκειν τις ἐθέλοι, δύναιτ' ἂν ἕπεσθαι, E μετὰ δὲ ταῦτα ἐν πλείοσι πραγματείαις ὑπὲρ τῶν ψυχικῶν ἐνεργειῶν διέξιμεν. ἐπεὶ δὲ εἰς τὰς ἀποδείξεις αὐτῶν, οὐ σμικρὸν ὄφελός ἐστι τὰ διὰ τῶν ἀνατομῶν φαινόμενα, πρώταις ἐκείναις ἐγγυμνάσασθαι προσήκει. ἔστι δὲ χρησιμωτάτη μὲν αὐτῶν, ἡ τῶν ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων. ἄλλαι δέ τινες ἐπ' αὐταῖς πλείους, ἐν δυοῖν μὲν περὶ ἀνατομικῆς διαφωνίας, ἐν ἑνὶ δὲ περὶ τῆς τῶν τεθνεώτων ἀνατομῆς, ὡς ἐφεξῆς δύο περὶ τῆς ἐπὶ τῶν ζώντων. ἐν ἄλλοις δέ τισι κατὰ μέρος τοῖς εἰσαγομένοις ἐπιγεγράμμεθα τὰ περὶ ὀστῶν, καὶ ἡ τῶν μυῶν ἀνατομὴ, καὶ ἡ τῶν νεύρων, καὶ ἡ τῶν ἀρτηριῶν καὶ φλεβῶν. καὶ τινα τοιαῦτα ἕτερα τῶν τούτων ἐστὶ, καὶ εἰ κατὰ φύσιν τὸ ἐν ἀρτηρίαις αἷμα. τὰ δὲ τὰς ἐνεργείας αὐτῶν ἀποδεικνύντα δύο μὲν εἰσι περὶ μυῶν κινήσεων, τρία δὲ περὶ θώρακος καὶ πνεύμονος κινήσεως, οἷς ἐφεξῆς ὑπὲρ τῶν τῆς ἀναπνοῆς αἰτίων, οἷς ἕπεται τὰ περὶ φωνῆς ὥσπερ ἡγεμονικοῦ δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅσα περὶ φυσικῶν ἢ ψυχικῶν ἐνεργειῶν ζητεῖται, διὰ πολυβίβλου πραγματείας ἐδηλώσαμεν, ἣν περὶ τῶν Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων ἐπιγράφομεν, ἐκ τούτου τοῦ γένους ἐστὶ τῆς θεωρίας, καὶ τὰ περὶ σπέρματος ἰδίᾳ γεγραμμένα, καὶ προσέτι τῆς Ἱπποκράτους ἀνατομῆς, οἷς ἁπάσιν ἡ περὶ χρείας μορίων ἕπεται πραγματεία. εἰς δὲ τὰς διαγνώσεις τῶν νοσημάτων, ἥ τε περὶ πεπονθότων τόπων, καὶ ἡ περὶ σφυγμῶν πραγματεία χρήσιμος ὑπάρχει, καθ' ἣν καὶ τὰς προγνώσεις διδάσκομεν. ἡγεῖται δὲ τῆς περὶ σφυγμῶν δυοβιβλία, τὸ περὶ χρείας ἀναπνοῆς, καὶ τὸ περὶ χρείας σφυγμῶν. αὕτη δὲ ἡ περὶ τῶν σφυγμῶν, εἰς τέτταρα μέρη νενέμηται. πρῶτον μὲν, τὸ τῆς διαφορᾶς αὐτῶν, δεύτερον δὲ τὸ τῆς διαγνώσεως, καὶ τρίτον, τὸ περὶ τῶν ἐν τοῖς σφυγμοῖς αἰτίων, καὶ τέταρτον, περὶ τῆς διὰ τῶν σφυγμῶν προγνώσεως, ἐκ τούτου τοῦ γένους ἐστὶ, καὶ τὸ τοῖς εἰσαγομένοις περὶ σφυγμῶν γεγραμμένον. ἐνεστὶ δὲ καὶ ἄλλο τι ποιῆσαι βιβλίον ἓν, οἷον ἐπιτομὴν ἁπάντων, ὅπερ ἤτοι τέχνην περὶ σφυγμῶν, ἢ ἐπιτομὴν

A ἐπιγράψαι. χρήσιμα δὲ εἰς τὴν τοιαύτην θεωρίαν ἐστὶ καὶ δι' ὧν ἐξηγοῦμαι τε ἅμα καὶ κρίνω τὸ περὶ σφυγμῶν Ἀρχιγένους βιβλίον. εἰς δὲ τὰς προγνώσεις χρησιμωτάτη μάλιστα ἐστὶν ἡ περὶ κρίσεων πραγματεία. προηγεῖται δ' αὐτῆς ἡ περὶ τῶν κρισίμων. ἀλλὰ καὶ ἡ περὶ δυσπνοίας πρὸς διάγνωσίν τι τῆς παρούσης διαθέσεως καὶ πρόγνωσιν τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν περὶ τὸν κάμνοντα, χρήσιμος ὑπάρχει. ταῦτά τε οὖν ἅπαντα, καὶ σὺν αὐτοῖς ἔνια μονόβιβλα ἐστὶ γινώσκεσθαι χρήσιμα, καθάπερ τὸ περὶ τῶν προκαταρκτικῶν αἰτίων, καὶ τὸ περὶ τῆς ἰατρικῆς ἐμπειρίας, καὶ τὸ περὶ τῆς λεπτυνούσης διαίτης. B ἔτι τε τὸ περὶ τῆς φλεβοτομίας πρὸς Ἐρασίστρατον, καὶ τὸ περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ περὶ πλήθους, ἕτερά τινα τοιαῦτα. πάντων δὲ ἀναγκαιότερα πρὸς τὴν θεραπευτικὴν μέθοδόν ἐστιν, τό, τε περὶ τῆς τῶν νοσημάτων διαφορᾶς, καὶ τὸ περὶ τῆς τῶν συμπτωμάτων, καὶ τρίτον ἐπ' αὐτοῖς, ἐν ᾧ τὰς αἰτίας τῶν νόσων διέξειμεν ἐφ' οἷς ἄλλα τρία, ἐν οἷς τὰς ἐπὶ τοῖς συμπτώμασιν αἰτίας ἐξηγούμεθα, ποτὲ περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεώς ἐστιν, ὧν ἔμπροσθεν ἐμνημόνευσα, καὶ τὰ περὶ C συνθέσεως φαρμάκων, ὡς τὰ τῆς θεραπευτικῆς ἕπεται μεθόδου γεγραμμένης ἡμῖν ἰδίᾳ, καὶ τῆς τῶν ὑγιεινῶν πραγματείας. ὅτι δὲ καὶ πρὸ ἁπάντων τούτων ἐγγεγυμνάσθαι χρὴ τῇ περὶ τῆς ἀποδείξεως πραγματείᾳ, τὸν μέλλοντα λογικῶς μεταχειρίζεσθαι τὴν τέχνην, ἐν τῷ περὶ τῆς ἀρίστης αἱρέσεως ἐπιδέδεικται γράμματι. περὶ δὲ τῶν ἄλλων συγγραμμάτων τε καὶ ὑπομνημάτων ὧν ἐγράψαμεν, οὐκ ἀναγκαῖόν ἐστι διέρχεσθαι νῦν, ὥσπερ ἁπάντων γε μέλλοντας ἐρεῖν ἑτέρωθι, καθ' ἓν ἴσως, ἢ δύο βιβλία τὴν ἐπιγραφὴν ἔχοντα, Γαληνοῦ D περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων.

Quæ omnia cum exposuero, & quæ, & quot sunt, finem huic disputationi imponam.

Catalogus] *Dictum igitur & antea nobis est, unum extare librum, in quo de artis medicæ constitutione disputauimus, antecedunt aūt illum duo alii priores de artium constitutione scripti libri. Sed hi quidem una cum hoc, quem nunc* E *perfecimus, seiuncti sunt ab illis disputationibus, in quib. uberius doctrina tractatur. Illa enim hunc ordinem habent. De elementis igitur secundū Hipp. unus extat liber, deinde illum consequuntur tres de temperamētis, ex quib. duo sunt de animantiū, tertius de medicamētorū temperamentis, quare & de simplicium medicamentorum facultate disputatio percipi recte non potest, nisi tertius de temperamentis exacte cognoscatur. Est adhuc alius paruus liber, qui subsequitur primos illos duos de temperamentis, de inæquali intemperie inscriptus, similes ipsi & alii duo libelli, alter de optima cōstitutione corporis, alter de bono habitu, tribus vero libris comprehensa disputatio est de naturalibus facultatibus: cum siue post duos de temperamentis, siue post librum de elementis legere quis velit, nequaquam ab instituto studiorum cursu recedet, post hæc in plurimis tractatib. de animantis actionibus disputatum à nobis est, quoniam vero ad earum demōstrationes non paruum afferunt emolumentum ea, quæ ex corporum dissectionibus apparent, in illis primis exerceri oportet, est autem ex illis maxime utilis tractatio de anatomicis administrationibus, alii vero quidam extant de illis & plures libri, in duobus enim de anatomica dissectione, agitur in uno autem de mortuorum sectione, quos ordine consequuntur, de viuentiū sectione duo: In aliis porro quibusdam singillatim in eorū qui instituuntur, gratiam, explicauimus quæ ad ossa pertinēt: ex eodē genere sunt musculorū dissectio, & neruorum & arteriarū, necnon venarū & alia quædam huiusmodi, & quæstio illa an sanguis, qui in arteriis, sit natura. Quæ vero eorum actiones ostendunt, duo quidem sunt de musculorum motionibus, tres autem de thoracis, & pulmonis motu, quibus coniuncti libri de respirationis causis, & hos sequuntur libri de voce. Quæ vero de principe parte & aliis omnibus ad naturales, vel animales actiones pertinentib. quæruntur, multorum librorum disputatione declarauimus: cum de Hippocratis, & Platonis dogmatib. inscripsimus, ex hoc ipso genere contemplationis sunt quæ sigillatim de semine persecuti sumus, & insuper quæ de Hippocratis anatomia, quib. omnib. succedit de usu partium disputatio, Ad cognitiones autem morborum multum prodest & ea, quæ de locis affectis, & quæ de pulsibus est suscepta tractatio, in qua etiā prænotiones explicantur, antecedunt vero tractatū de pulsibus duo alii libri, alter de usu respirationis, alter de usu pulsuum, ipsa porro de pulsibus disputatio in quatuor*

partes

partes est distributa; prima est de ipsorũ A differentiis, secunda de cognitione, tertia de causis pulsuum, quarta de praenotione ex pulsibus. eiusdem generis est liber ad eos, qui medicinae dogmatis initiantur de pulsibus scriptus: cogito autem alium adhuc librum conficere, quasi omnium compendium, quem vel Artem de pulsibus, vel Epitomen inscribam: Non inutilia etiam ad hanc contemplationem sunt ea, quae à me exponuntur simul & indicantur in libro de pulsib. Archigenis: Ad praenotiones autem maximè utilis est commentatio de sensibus, B quam praecedit disputatio de decretoriis dieb. Necnon ea etiam, quae de spirandi difficultate habita est tractatio & ad dignotionem praesentis affectus, & praenotionem eorum, quae sunt aegroto euentura, tum bonorum, tum malorum plurimum confert. Haec igitur omnia, & vna cum his, quasdam vnico libro comprehensas disputationes cognoscere multum prodest, vt quae est de causis procatarcticis, & quae de medicinali experientia, & quae de extenuante victu, necnon quae de vena sectione ad Erasistratum, & quae de tumoribus praeter naturam, simili pacto, & quae de plenitudine est instituta disputatio, & alia quaedam huiusmodi. omnium autem maximè necessarii ad medendi methodum sunt libri de diff. morborum, & de symptomatis, his additur tertius, in quo causas morborum prosecuti sumus, & rursus accedunt his tres alii, in quibus causas symptomatum explicamus; sunt etiam de simplicium medicamentorum potestate libri, quorum ante meminimus, & qui de cõpositione medicamentorum, quos consequitur & quae de medendi methodo, à nobis seorsim scripta est commentatio, & quod de salubribus est habita disputatio. Quod vero, & ante omnia hac maximè exerceri oportet continenterq. versari in tractatione demonstrationis eum, qui velit artem ratione tractare, in commentario de optima secta demonstratum est. De aliis verò libris & commentariis, quae scripsimus, non est operaepretium nunc verba facere, cum alibi de omnibus dicturi sumus, & vno fortasse vel duobus libris scriptorum rationem explicaturi inscriptionem habituris: Galeni de libris propriis.

IOAN. ARGENT. IN ART. MEDIC. GAL. COMMENT. III. DE CAVSIS FINIS.

[illegible]

Digitized by Google

IOANNIS ARGENTERII CASTELLONOVENSIS PEDEMONTANI

PHILOSOPHI, AC MEDICI PRÆSTANTISSIMI.

In Lib. I. Aphoris. Hippocr. Comment. CAP. I.

Vita nostra diuisio.

Bellum quid requirat, quid otium requirat.

ARISTOTELES in Politicis scribit, totam vitam nostram diuisam esse in negotium, & otium, bellum, & pacem, & finem belli esse pacem, & negotii otium: atque in bello, ac negotio fortitudine, & constantia opus esse; in pace & otio Philosophia, in vtroque verò tempore, temperantia & iustitia: quapropter optimos Principes, & Respublicas bene cõstitutas dare operam debere, vt propriæ in suis temporibus virtutes vigeant, tunc enim beatos & felices fore populos, quibus tales Principes dominantur. Et propterea rectè quoq; scribit Plato *in libro de Republica bene gubernanda*, tunc optimam fore gubernationem, quando Principes erunt Philosophi, aut Philosophi imperabunt; tanquam sine Philosophia, & literarum cognitione nequeant mores formari, populi regi legibus, diuina coli, & animi ad rerum cognitionē, & cõtemplationem excitari. Quod si nos rerum nostrarum præteritum statum, in quo sine pace & otio, integram ferè ætatem in bello, ac crudelissimo dominatu viximus, memoria recenti repetemus, viri præstantissimi, est quod agamus immortales gratias Deo Optimo, qui Emanuelem Philibertum, legitimum nostrũ Principem tandem nobis restituit, belli & pacis virtutibus clarissimum: Bellum enim non sine magno suæ vitæ discrimine gessit, vt nobis vitam seruaret incolumem, sed illud sua fortitudine, & constantia felicissimè confecit, vt nobis, qui pacis artes excolimus, prodesset, & populos suos afflictos, & cõcussos, tot tantisque miseriis & calamitatibus ad otium duceret, & in eo Philosophiam, & alias disciplinas, quæ vbi languescunt, excitaret. Ac ego quidem veritus aliquando sum, ne literæ ad eam obscuritatem redirent, ad quam proximis seculis erant rẽdactæ, nisi Princeps aliquis manum huic rei admoueret, & alios torpescentes in voluptatibus, aut auaritia corruptos, suo exemplo, ad præclara hæc studia inuitaret; Hunc Deus nobis dedit Principem sine vitio, omni virtute præditum; hunc ergo amemus, laudemus, & illi perpetuam salutem, & felicitatem precemur. Tu quoque, Carole Illustrissime vir, huius ciuitatis gubernator, virtute bellica, & literis clarissime, qui pacem nobis tuis victoriis accelerasti; Et vos ciA ues optimi maxima laude digni estis, quod Principis egregiam voluntatem susceperitis ad iuuandam & promouendam, dum musis Academiam in vestra ciuitate erexistis, magnis sumptibus, & magna humanitate atque animi propensione in vestris domibus, nobis ad habitandum commodum locum concedidtis, ac omni ratione prouidetis, vt nos vobiscum honestè & commodè viuere possimus. Sunt hæc sanè magna beneficia nulla vnquam obliuione delenda; Vos autem studiosissimi iuuenes, quorum gratia hæc sunt instituta, date, quæso, operam, vt vos tales præbeatis, quales tantus Princeps, optimus gubernator, & hi officiosissimi ciues, maximè cupiunt, & vestri parentes sperant, scilicet diligentes in studiis, in B ciuitate quietos, nequaquam petulantes & seditiosos, agnosciteque vos ex literarum studio, & bonis moribus laudem & honorem assecuturos fore. Ego verò quantum in me est, omni diligentia & studio operam dabo, vt nunquam vobis mea opera defuisse videatur: Nam si nemo vnquam eam à me desiderauit, cum exteros instituerem in alieno dominatu, quid nunc non faciam, dum Principi meo & vobis nauo operam? Ac quoniam scio, vos à me non exigere orationē de laudibus Medicinæ, aut de aliis rebus, quæ nihil ad vestram institutionem pertinent, ideo cõsultò illa prætermitto, & ad ea accedo, quæ propria sunt mei officii, & à vobis maximè expetenda. Suscepi enim vobis enarrandos Aphorismos C Hippocratis: Qua quidem in re Methodo vtar ad docendum vsitata, & accommodatissima. Primum enim proponam, quæ communia sunt vniuerso operi, deinde quæ propria sunt singulis Aphorismis, singulasque sententias, & verba enarrabo: nullum enim verbum est in hoc opere otiosum.

Ordo Commentarii.

Porrò quæ communia sunt in explicatione librorum, προλεγόμενα Græci, nos prælectiones cœpimus vocare, ea sunt, quæ dicuntur de autore libri, inscriptione, scopo, materia subiecta, diui- D sione, difficultate, ordine, vtilitate, differentia, quam ad alios authoris, vel in tota facultate libros propositum opus habet, necnon de docendi ratione, qua vtitur author, quamq; sequi vult Doctor: quibus sanè rebus legentium, & auditorum animos ad authorem intelligendum præmunimus, & quodã modo alacriores ad discendum reddimus: quæ tametsi meritò fortè à me

prætermitti posse videantur, in hoc authore, ab omnibus infinitis laudibus celebrato, & potissimum in hoc eius opere omnium dignissimo continuaque lectione propemodum trito, tamen ne rudioribus aut meo etiam officio defuisse videar, concedent mihi doctiores doctiores, vt paucis ista perstringam, atque eo præsertim, quod nullus ex aliis interpretibus hæc omnia sit complexus, & multi nonnulla ex his perperam explicent. Primò igitur de auctore dicam, deinde reliqua ordine prosequar.

De Hippocrate. Cap. II.

Hippocrates vnde oriundus.

VT de authore primum pauca dicamus, fuit Hippocrates author huius operis, Cous, sic dictus, quod in Coo insula Thessaliæ, in mari Pamphilio posita, natus sit. Patrem habuit Heraclidem nomine, matrem verò Praxitheam, Pheneretis filiam, vt Soranus in eius vita memoriæ prodidit.

Quos habuerit parentes.

Eius genus.

Genus eius nobilissimum, siquidem ad Herculem, & Æsculapium originē generis sui referebat, ab illoq; vigesimum, ab altero vero decimum nonum se numerabat.

Præceptores.

Præceptoribus vsus est Heraclide patre, Herodico, Gorgia Leontino rhetore, & Democrito Philosopho, vt idem author refert: tametsi de Democrito est, quod dubitemus: nam refert Hippocrates *in suis Epistolis*, se accersitum ab Abderitis, ad Democritum, vt ipsi putabant, quod perpetuo rideret, insanientem curandum, & à Democrito ipso fuisse exceptum, non tanquam discipulum, & antea cognitum, sed vt insignem Medicum, & virum ob suas virtutes ab omnibus celebratum;

Tempus natiuitatis.

Natus octuagesimo primo Olympiadis anno, sub monarchia Abriade: floruit temporibus Peloponnesiacis regnante Perdica Macedonum Rege, quo etiam tempore Thucidides claruit. Mortuo patre ex patria discessit, vt Andreas quidam, referente Sorano, malignè scripsit, propterea quod publicam Gnidiorum bibliothecam concremasset, & vt alii referunt, vt à multis disceret, & in variis locis Medicinam exerceret: vbi autem medicinam factitauerit, *ex vltimo capite libri prænotionum* licet intelligere, vbi in Libya, Delo, Scythia, signa quæ tradit, vera se comprobasse scribit.

Peregrinationes.

Filii.

Filios duos reliquit Thessalum & Draconem insignes Medicos: nam Thessallus, vt Galenus tradit *in tertio de causis respirationis*, creditur secundum, quartum, & sextum librum de morbis vulgaribus composuisse, tametsi *in commentario in Prorrethica*, librum illum ait à quibusdam referri ad Draconem, ab aliis vero ad Thessalum, Hippocratis filios:

Nepotes.

Cæterum vterque illorum filium habuit, quem Hippocratem nominauit, ac Hippocrates, Draconis filius, Medicus quoque fuit, existimaturq́; vt Galen. refert *in libro secundo de difficili respiratione* librum quintum de morbis vulgaribus conscripsisse: quanquam *initio tertii eiusdem operis* eum librum & septimum non putet dignos doctrina eorum, qui ab Hippocrate emanarunt.

Auus.

Habuit etiam Auum, qui & Hippocrates nominatus est, & Gnoscidi filius Hippocrates est dictus. Scripsit ille, vt idem author commemorat, libros de fracturis & articulis: An vero hos, qui inter Hippocratis opera extant de fracturis, vel alios intelligere oporteat, Galenus non explicat, putauerim ego,

A illos esse, quandoquidem *in libro secundo de difficili respiratione*, vbi genuinos Hippocratis libros enumerat, mentionem non faciat librorum de Articulis & Fracturis. Cæterum Hippocrates noster Heraclidæ filius, ad differentiam Hippocratis Gnosidici filii dictus est, ad differentiam vero nepotum magnus Hippocrates & senex nominari solet. alios fuisse Hippocrates Medicos antiquos, ex Oribasio, quisquis fuit ille, qui Oribasii nomine circumfertur, qui scripserūt commentarios in Aphorismos, satis constat: sed de aliis nihil ad rem præsentem. Noster autem Hippocrates per totam Græciam ob eam laudem, quam ex medicina sibi comparauerat, omnibus admirationi fuit: & non solum quidem in Græ-

B cia cognitus, sed etiam à Perdica Macedonum rege, qui tabe laborare putabatur, accersitus fuit: Abderitæ quoque eum ad Democriti insaniam curandam, missis nauibus & optimis ciuibus pro legatis accersiuerunt. Falso tamen tradit Soranus, Democritum ab eo sanatum, & ciuitatem Abderitarū à peste liberatam, cum ipsemet Hippocrates, *in Epistolis suis* referat, se Democritum non insanientem, sed insaniam simulantem deprehendisse, nulla etiam facta mentione pestis illius loci. Ab Artaxerxe Persarum rege, ciuitates & maxima alia præmia ei proposita fuerunt, si ad pestem propulsandam, à castris Græcorum ad se proficisci vellet: id quod negauit se facturum, propterea, quod illi barbari essent, & Græ-

C corum hostes: Græcos autem ipsos, vt refert Plinius, à peste, quæ veniebat ab Illyriis, præseruauit, sibique publicis & priuatis beneficiis deuinxit. Quamobrem eosdem honores illi, quos & Herculi, decreuit Græcia: Ac, meo quidem iudicio, nullus inter omnes scriptores eo vnquam doctior aut melior fuit: Nam doctrinæ summæ, & incomparabilis certa indicia ex illius libris, non humano, sed diuino potius ingenio conscriptis, & antiquorum plurima extant testimonia; siquidem Plinius eum medicinæ Principem appellat: Arist. item summus Philosophus, & diuinus Plato in natura rerum explicanda, vt Galenus testatur, & illorum libri satis ostendunt eum tanquam ducem & optimum magistrum ita secuti sunt, vt

D multa alia & docendi præsertim Methodum, ab eo mutuauerint. Sed enim quem alii medicinæ, ego multarum aliarum artium parentem, non vereor appellare: nam linguæ Ionicæ inter Græcos eloquentissimus, & omnium optimus autor censetur: Mathematicarum vero artium ita se peritum in libris, quos nobis reliquit, passim ostendit, quasi nihil ignorasse, sed illarum omnium disciplinarū semina antiquissimus omnium ferè autor posteris dedisse videatur. Medicinam tamen nostram præ cæteris artibus ita excoluit, vt antiquorum omnium memoriam extinxerit, aliis vero nihil ad aliam nouam artis huius inuentionem reliquerit, sed omnes ad sui imitationem suarumque rerum propagationem quandam po-

E tius excitauerit, & quod mirum est in hac arte, in qua stabilienda & constituenda, vt Plinius refert, nihil instabilius aut difficilius vnquam fuit, omnibus ita semper placuit Hippocrates, vt aliorum medicina cum propriis auctoribus extincta aut certè obscura, solus vt olim, etiam nunc vigeat: & bonos Medicos, non bonos, sed Hippocraticos potius nuncupemus. vnde omnes

Medici

Medici eum suæ sectæ authorem esse volunt, Empirici quidem, vt testatur Galenus *in tertio Commentario libri de Articulis*, quod illis videretur tradere solum, quæ experientia constarent. Methodici verò, quod in communitatibus quibusdam versari videatur. Rationales autem, quod non solum experientia, sed etiam duce ratione medicinam eum conscripsisse dicant, etsi rationes rerum breuitatis causa sæpius omiserit. Nullius tamen sectæ re vera fuit, falluntur que egregiè in hoc author introductorii, & Montanus, qui eum rationalis sectæ principem constituunt; siquidem authore Plinio & Celso post Hippocratem sectæ ortæ sunt: cum autem à Galeno rationalis dicitur, ita intelligendum est, quod ratione nitatur, vt qui rationalem sectam sequuntur, non prout rationalis distinguitur ab Empirico; in eo quoque errat Montanus, quod putet A[illegible]onem Agrigentinum Siculum, antiquiorem fuisse Hippocrate, & ante hunc illum inchoasse sectam Empiricam: Nam id quoque Plinius & Celsus refellunt.

Cæterum probitatis illius viri, quæ non minus, quàm doctrina in Medico requirenda est, specimen habemus in Sacrosancto eius iusiurando, quo discipulos suos astringebat: in eo enim ostendit, se nihil vnquam in vita charius habuisse honestate, & probitate: Porro diuitiarum minimè cupidus fuit: nam vt antea retulimus, ciuitates à rege Persarum sibi oblatas spreuit: Scribens etiam *in quadam sua epistola ad Abderitas*, inquit, *neque aurum mihi ad vos venienti natura, neque Deus promittere poterit, libera enim artis opera libera esse sinatis.* Quot annos vixerit incertum est: nam quidam tradunt eum octuagesimo quinto suæ ætatis anno periisse, alii nonagesimo, alii centesimo quarto, sunt, qui centum & nouem annos eum attigisse dicant. Periit apud Larissæos. Sepultus est inter Myrtholem & Larissam, vbi, inquit Soranus, in hunc vsque diem monumentum eius cernitur. Atque hæc de authore sufficiant.

Aphorismi. Cap. III.

Recepta est ab omnibus, qui Aphorismos sunt interpretati, opinio, nihil aliud esse Aphorismum, quam orationem, quæ omnes rei proprietates, de qua agit, paucis verbis complectitur: adferuntque ad id probandum multos ex Galeno locos, & primum illum, qui habetur *in primi Aphorismi Commentario*, vbi ille Author scribit, Aphorismum omnes rei proprietates quàm breuissimis verbis comprehendere. Est alius locus *in Commentario Aphorismi decimi quarti primi libri*, vbi ait, Hippocratem sibi in hoc opere proposuisse compendiosam, & aphoristicam doctrinam. Scribit idem author *vigesimo octauo Aphorismo secundi libri*, modum doctrinæ Aphoristicæ summam sequi breuitatem: ad id pertinet, quod *in Commentario Aphorismi quadragesimi septimi libri quarti*, vbi habet, conuenientius esse doctrinæ Aphoristicæ, si compendiosius aliter dixisset Hippocrates: est alius locus *in Commentario quarti libri de Ratione victus in morbis acutis textu 19.* vbi inquit Galenus, se mirari, cur sermo ille non sit inter Aphorismos positus, cum in paucis verbis vis magna reperiatur. Accedit, quod scribit *in sexto libro de Medicamentorum facultatibus cap. primo*, Aphoristicæ doctrinæ, inquit, conceditur, vt multa concisè dicantur, verum ex his Galeni locis non solum intelligere possumus, Aphorismum significare breuitatem, sed & alia nonnulla: Nam vult Aphorismum de proprietatibus rerum agere, cum scribit illum omnes rei proprietates breuissimè circumscribere, quin etiam, loco citato *ex libro de morbis acutis*, non solum in Aphorismis requirit breuitatem, sed quòd cum breuitate vis magna, & pondus sententiarum adsit. Propterea nonnulli ex recentioribus idem esse putant, Aphorismum, oraculum, & decretum, quare non constat adhuc, in quo consistat Aphorismi essentia, cum solam breuitatem sæpius ponat Galenus, aliquando tamen addat pondus sententiarum, & proprietatum explicationem: ego vero in nullo istorum puto ponendam esse essentiam Aphorismi, nam si à breuitate Aphorismus suam essentiam sumit, quid obstat, quo minus prædictiones eiusdem authoris, immò omnia illius opera, quæ mira breuitate sunt conscripta, & artem medicinalem Galeni, Euclidis theoremata, quibus nihil breuius excogitari potest Aphorismos nuncupemus? Scribit præterea *primo Prognosticorum*, in Aphorismis tradita esse per capita breuia, quæ *in libris Epidemion* prolixius sunt conscripta: nam si Aphorismi nomen breuitatem significat, satis erat, si dixisset, alibi tradita esse per Aphorismos, quæ in libris Epidemion prolixius docentur.

Essentia Aphorismi in quo sit posita.

Cæterum in Aphorismi essentia illud nō contineri, quod omnes rei, de qua agit, proprietates explicet, facile probare possum: nam vnus Aphorismus nequit vniuersas proprietates eius de quo agit, comprehendere: plures autem simul coniuncti non definiuntur; deinde non videmus Hippocratem studere, vt ex multis aphorismis alicuius rei vniuersas proprietates colligat, cum vnum solum sæpe de vno doceat.

Aphorismus nō omnes rei de qua agit, proprietates explicat.

Præterea, pauci sunt Aphorismi, qui agant de proprietatibus: quidam enim de vacuatione corporis, alii de nutritione, alii de signis, alii de causis, alii de remediis, alii de permutatione, alii de generatione morborum agunt, alii prænunciant, quid in ægrotantibus & sanis corporibus sit futurum, alii remediorum quorundam vim, alii denique alia enarrant, quæ nihil ad proprietatum explicationem pertinent; quod verò Aphorismus rectè non dicatur esse oraculum, satis constat: nam oracula, deorum dicuntur esse responsa, nec putare quidem oportet, ideo oracula dici posse, quod diuinas sententias contineant: nam maior pars Aphorismorum nihil habet, quod dicti in Arte medica suscipere debeant: sunt enim multi, qui leuissimas sententias continent, vt quilibet legendo intelligere potest: qui vero Aphorismos decreta esse volunt, illi Hippocratē legislatoris munere fungi statuunt: at ille non imperat, sed enunciat, quod sibi de vnaquaque re videtur in arte nostra docendum; ego vero nihil aliud puto esse Aphorismū, quàm *separatam sententiam*. Id enim primum esse ostendit verbum ἀφορίζειν, vnde Aphorismus dictus, significat enim non breuiter aut [illegible] loqui, non leges condere, non proprietates rerum ex-

Aphorismus non esse oraculum.

Nec decretum.

Aphorismus quid, & vnde deductus.

plicare, sed separare, seiungere; vnde Paulus *in Epistola ad Romanos* ait, se ἀφωρισμένον, id est, separatum, & segregatum ab aliis, ad Euangelium enunciandum; secundo ad id pertinet, quod habet Aristoteles *initio primi Rhetoricorum*, vbi dicit, Dialecticam, & Rhetoricam non esse alicuius ἀφωρισμένης ἐπιστήμης, id est, separatæ definitæq; scientiæ: Addo quod scribit Galenus *in principio libri sexti de morbis vulgaribus*, vbi ait, se mirari, cur sextus & septimus illius operis libri inter Aphorismos non sint positi, cum plurima illorum doctrinæ portio Aphorismi quidam esse videantur, singuli propria circumscriptione separati; qua sententia quid potest esse clarius? suffragantur huic opinioni etiam Arabes, qui hoc opus librorum diuisorum sermonum inscribunt: necnon Philoteus, qui ait, Aphorismum esse dictũ, quoniam ab his, quæ ante & post ipsum sunt, separatus & seiunctus sit. Ergo propria significatio & essentia Aphorismi in hoc consistit, quod sit separatus ab aliis. Intelligere autem oportet *separatum esse*, non quod de separatis & diuersis materiis agat, vt recentiores putant, qui eo, quod de eisdem rebus multi deinceps Aphorismi agant, se effecisse putant, vt separatæ sententiæ dici non debeant, sed vt Galenus *sexto de morbis vulgaribus* scribit, quod propriam quandam circumscriptionem vnusquisque habeat, lineis distinctam separatis, ita ab autore & Galeni tempore vt nũc etiam in nostris codicibus digesti, vel, vt Philoteus ait, quod ab his, qui sunt ante & post ita separati & seiuncti sint, vt vnus ab alio non pendeat, sed singuli integram & perfectam sententiam faciant; quod etiam Galenus testatur, 24. *textu secundi commentarii sexti libri de morbis vulgaribus*, vbi scribit, Aphorismum esse sententiam ita separatam ab aliis, vt nullo alio ex præcedentibus, aut subsequentibus egeat, vt intelligatur: quod nulli alteri operi contingit, quippe cum posteriora prioribus sint annexa, & vt intelligantur, mutuo auxilio sæpius egeant. Inuenio etiam alia ratione, Aphorismos posse dici sententias separatas, quod scilicet ab aliis Authoris libris sint excepti & seiuncti, nam id ex eo patere potest, quod omnes ferè Aphorismi in aliis libris Hippocratis scripti sparsim inueniantur, quos postea tanquam veriores, & vniuersaliores, & vtiliores sententias continentes, ab aliis libris, in quibus multa Empiricorum more sunt conscripta, seiunxit, & in vnum opus redegit. Ad hoc pertinet, quod habet Galenus. *textu 19. tertii commentarii sexti libri Epidemiorum*, quæ longo, inquit, tempore iudicauerat Hippocrates, per Aphorismos, id est, communes enunciationes sunt redacta, firmioresque ob id & veriores Aphorismos existimare oportet, quàm illa, quæ dum quærerentur, antea nondum cognoscebantur: Aphorismi ergo, id est, sententiæ separatæ dicuntur, quod in opere, in quo sunt scripti, quilibet propriam habeat circumscriptionem, lineis & punctis distinctam; & quod quilibet sententiam faciat propriam, à præcedenti & sequenti separatam, & quod ab aliis operibus, in quibus antea continebantur, sint separati: ergo cum Galenus Aphorismum dicit esse *separatam sententiam*, explicat tũc illius propriam naturam & essentiam: cum vero addit *breuitatem*, *& sententiarum pondus*, *& explicationem proprietatum*, docet, quæ Aphorismo

A accidunt, ax aliis rationibus: nam quia Hippocrates, vt alii omnes antiquissimi Autores, breuitatem affectauit, quemadmodum scribit Galenus *in textu vigesimo octauo*, *tertii commentarii libri*, de his, quæ in medicina fiunt, & *in lib. 3. de difficili respiratione*, & *passim alibi*. Ideo Aphorismos breuissimè quoque scripsit; breuitas ergo illis accidit, vna ratione ex scribendi more ipsius authoris, alia verò ratione ex ipsius instituto & scopo: nam conclusiones solum eorum, quæ alibi prolixius docuit, in Aphorismis assumit & tradere instituit; sunt autem suapte natura conclusiones breuissimæ, quoniam vero author maximi fuit ingenii & sapientiæ, ideo sententiæ, quas proferebat, erant graues & tales, vt Deorum responsa vider: possint. Ideo oracula à quibusdam

B dicti sunt Aphorismi: nam vt Cicero *in Topicis* scribit, oracula ex eo ipso appellata sunt, quod inest his deorum oratio: accidit etiam, vt aliquando rerum proprietates explicent Aphorismi. Igitur si ex propria solum essentia Aphorismum definire velimus, nihil aliud dicemus eum esse, quam *separatam sententiam*: at si placet accidentia illius addere, quæ assumit ex authoris instituto, scribendi modo, & doctrinæ excellentia, dicemus aphorismum esse sententiam separatam, breuem, & grauem, siue multa comprehendentem. Cuius verò generis sit sententia, nunc expendere oportet: nam Aphorismum esse orationem quandam, quæ verum vel falsum dicit, certissimum est,

Oracula unde dicta.

C sed cum Theoremata, axiomata, definitiones, hypotheses, id est, suppositiones, ænigmata, verum vel falsum etiam dicant, operæpretium est videre, quomodo hæc inter se differant: quod quidem difficile est explicare, quia hæc nomina à Græcis sunt ducta, nec ab illis satis explicata. Tentat quidem docere Aristoteles *in libro 1. de Demonstratione*, quomodo nonnulla ex istis differant, sed ita profectò, vt perlecto eo, quod ille tradit *cap. 2. lib. 1. de Demonstratione* non multo doctior quispiam euadat: Ait enim, propositionem esse enunciationis alteram partem, vnum de vno affirmantem aut negantem. Dialecticam autem propositionem, quæ quamlibet partem similiter accipit, demonstratiuam autem quæ determinatè alteram partem sumit. Enunciationẽ

D esse quamlibet partem contradictionis: contradictionem vero esse oppositionem cuius non est medium secundum se. Cæterum positionem esse, quam non licet demonstrare, non tamen necesse est habere qui discit, quam verò necesse est habere. dignitatem vocat: At suppositionem ait esse positionem, quæ vtramlibet partem enunciationis accipit, vt dico aliquid esse aut non esse, quæ verò sine hoc est, definitio, inquit, est, definitio n. positio est: hæc de his Aristoteles, quæ quidem Ioannes Grammaticus & alii, qui Aristotelem interpretantur, fusius explicant: primum ostendentes enunciationem, propositionem, & problema subiecto eadem esse, habitu-

E dine autem differre: enunciationem enim tunc vocari propositionem, quando fit pars syllogismi, Dialecticam autem propositionem per interrogationem vtramque partem proponere, Demonstratiuam autem propositionem dicit esse, quæ sine interrogatione partem vnam assumit. Enunciationem esse contradictionis quamlibet partem, id est, affirmatiuam aut negatiuam. Affirma-

firmationem, & negationem species est enunciationis: positionem non esse per se creditam discenti, sed ex docente aliquam explicationem requirere: dignitates esse, quæ à quolibet statim veræ esse cognoscuntur; Definitiones esse, quæ ostendit, quid res sit: suppositiones autem aliquid de aliquo prædicare: non enim definitione prædicari animal rationale de homine, vt aliud de alio, quia hæc idem sunt. Iam vero suppositionem diuidi ait in petitionem, & æquiuoce dictam suppositionem, petitionem enim suppositionem esse, quæ nota non est, sed probatione indiget: sumitur autem sine demonstratione à præceptore. Suppositiones autem æquiuoce dictas esse, quæ notæ sunt, & quas simul audiendo admittit discipulus, ita vt dignitas, suppositio, petitio, & definitiones, principia sint. Quid sit Theorema, ænigma, apophtegma, non docet ille, & vt videre est, quæ docet, inter se confundit, nec facilè est vlla ab aliis separare: quod facile docere possem, si id nunc meum esset institutum, sed quod est præsentis operis saltem attingamus. Aphorismi, dignitates, suppositiones, petitiones, & definitiones non sunt, quia hæc principia sunt: Aphorismi vero probationem diligentiorem requirunt: quod si aliqui sunt, qui ad principiorum naturam accedere videntur, certè illi sunt pauci, nec legem communem omnibus Aphorismis facere possunt: Theorema vocat Cicero præceptum alii propositiones, verum ex ipso nomine non omnis propositio, sed quæ in contemplatione versatur, ita vocari debet, vnde Euclidis geometria theoremata dicta sunt, quod proponant ea, quæ in sola contemplatione versantur. Aphorismi autem theoremata non sunt, quia ad opus referuntur: nec dicere possumus Aphorismum esse enunciationem, vt Montanus sentit: nam si enunciatio, & propositio differunt solum habitudine, & vtraque constat ex nomine & verbo, propositioque est, quæ sumitur in syllogismo, ex qua conclusio elicitur, constat Aphorismum nec simpliciter enunciationem, nec propositionem esse posse, nimirum, cum Aphorismi sæpe constent ex pluribus enunciationibus, nec apti esse possunt, vt syllogismorum fiant propositiones: nec verò Aphorismus, ænigma dici potest: sunt enim ænigmata *sermones nodosi & inuoluti*, quos diuinare magis, quàm interpretari oportet, Aphorismi autem sensum habent, quem interpretari facilè possis. Apophthegmata Montanus statuit esse sententias, quæ, vt inquit ille, alios mordicant, sed perperam: nam vt in Apophthegmatis Plutarchi videre est, multa sunt Apophthegmata, quæ neminem vellicant: quare rectius dicuntur acutæ & breues sententiæ philosophorum, oratorum, legatorum, illustriumque virorum: sunt autem Aphorismi non Apophthegmata: quia acutiem in se non continent, & Medici solum sunt sententiæ. Aphorismi quoque rectè leges dici non possunt, quia non imperant omnes, sed sæpe nunciant, quid in nobis fiat: quod verò Aphorismi non sunt prouerbia, clarius est, quàm vt doceri debeat: quare nihil aliud reuera de Aphorismi essentia dici potest, quàm quod antea diximus, quod scilicet sententia sit ab aliis separata: sententiæ enim dicuntur orationes, quæ animi sensum aperiunt, verum aut falsum dicendum:

Theorema quid.

Aphorismos non esse theoremata, nec enunciationes.

Nec ænigmata. Ænigmata quid.

Apophthegmata quid.

Aphorismos non esse apophthegmata. Nec leges.

Nec prouerbia.

alia verò nonnulla ex prædictis omnibus aphorismis non sunt communia, sed quibusdam duntaxat propria: sunt enim quidam Aphorismi simplices enunciationes, alii verò ex pluribus enunciationibus cõstant, quare oratio quidem enunciatiua dici potest Aphorismus, eo, quod in illo vel vnum prædicetur de vno, aut quod ex compositione & coniunctione vna sit, enunciatio autem simpliciter minimè: accidit & illud quoque, vt Aphorismi nonnulli theoremata esse possint, si ad solam contemplationem referantur. Atque hæc quidem satis de Aphorismi definitione.

De scopo siue intentione authoris in hoc Opere.

CAP. IV.

PVtant Oribasius, Montanus, Brassauolus, & alii recentiores Græci, & Latini Aphorismorum interpretes, Hippocratem velle in hoc opere vniuersam Medicinam per Aphoristicam doctrinam tradere: quorum quidem opinionem primum refellit Medicinæ amplitudo: nam tot illa habet partes, vt omnes in hoc Opere explicari non possint. Quod si quis diligenter inspiciat, inueniet multas ex illis esse, quas author in hoc opere nullo pacto attingit, alias vero, quas non explicat, vt eum facere oportet, qui totam artem docendam susceperit: omittit enim partem illam, quæ de elementis, humoribus, spiritibus, partibus similaribus, & organicis, & facultatibus & actionibus, & vsu corporis agit; Omittit & formationem fœtus, & generationis illius rationem, & vt vno verbo dicam, vniuersam corporis compositionem. Præterea, affectus non explicat quæ corporibus accidunt: Quid scilicet sit sanitas, quid morbus, quot illorum differentiæ, quæ causæ, qui effectus: Nec signorum quidem genera diuidit, nec commune quippiam de illis ostendit. Addo, quod nihil tractet de materiæ medicæ cognitione, compositione, & vsu: nec sufficiunt, quæ ille docet de euacuatione, & nutritione: Tradit præcepta quædam medendi, sed illa sine Methodo, & ars quidem postulat, vt ea etiam comprehendat, quæ pertinent ad sanitatem tuendam, morbos præcauendos, lenienda symptomata, & restaurandos conualescentes: non vtitur definitionibus, diuisionibus, nulloque ordine præceptiones suas tradit: quippe cum in diuersis libris multi de eadem re inueniantur scripti Aphorismi: quare nemo vnquam ex solis Aphorismis Medicus fieri poterit, nisi doctor ad illorum explicationem violenter trahat ex eodem authore, & aliis quæ necessario requiruntur ad integram Medici institutionem. Est Galeni sententia quædam in libris methodi medendi, vbi scribit Hippocratem solum quædam semina artis nostræ reliquisse: Quod si in vniuersis suis Operibus solum continentur semina artis, quis poterit ex hoc vno suo opere, in quo multa non attingit in aliis tradita, totam ipsam artem perdiscere? repugnat, vt diximus, alia ratione Galenus huic opinioni: nam scribit *octauo textu primi Commentarii Prorrheticorum*, propositum esse Hippocratis in prognosticis, Aphorismis, & in libris de fracturis & de articulis,

Aphorismos non complecti vniuersam medicinam.

& de victus ratione in morbis acutis, & duntaxat A vniuersaliter explicet, quæ particulariter in vnoquoque morbo in Epidemiis perquirit author: at in libris Epidemion vniuersam medicinam non docet, quare nec in Aphorismis. Scribit & *in primo libro de Crisib. cap. 6.* Hippocratem in Aphorismis capita eorum scripsisse, quæ in prognosticis particulatim est prosecutus. Scopus ergo illius est, velle tradere vniuersales quasdam præceptiones, vtiles quidem valde Medicinæ studiosis, sed quæ tamen vniuersam artem non comprehendant, & doceant; & quamuis bona pars Aphorismorum vniuersalia contineat præcepta, multa tamen particulariter explicat autor, vt quæ ad vnius morbi causas, signa, curationem pertinent. Est hic scopus vniuersi operis, singulorum verò B librorum scopus commodius docebitur *in seq. capite*, vbi de subiecto, & diuisione Operis agemus.

De diuisione, & subiecto huius operis.

Cap. V.

Diuisio.

DIuiditur Opus hoc in septem libros, nam octauus qui adiectus est à Brassauola, spurius est, vt qui repetat magna ex parte Aphorismos aliorum librorum, & alii, si quos habet nouos sint falsi, aut certè parui momenti.

Subiectum.

Quod autem ad subiectum attinet, docuimus *in Commentariis nostris in Artem medicinalem.* Subiectum operum nihil aliud esse, quàm materiam, de qua autor in opere agit: Est autem multiplex materia, de qua in hoc opere tractat: nam *in primo lib.* nutriendi, & vacuandi rationem docet: duos enim scopos sibi proponit autor, non vt Curtius & alii scribunt, qui tradunt vnum solum ab eo doceri, nempe vacuandi rationem, quam dicunt fieri tum per victum, tum per alia vacuantia, & fortè in hanc opinionem inciderũt, quòd viderent, Hippocratem, inediam, & tenuem victum quibusdam iniungere, hæc autem ex accidenti corpus vacuant: sed interim non animaduertunt illi, cum autor de pleno, & conseruante victu agit, qui victus corpus exinanitum replet: præterea agit autor de qualitate, tempore, & nutritionis modo, quæ nihil ad vacuationem faciunt: & denique qui de nutritione præcepta tradit, contrarium facit ei, qui de euacuatione agit: nam illi consilium est vires reparare, & id, quod à corpore euacuatum est, reponere, tametsi in quibusdam victus differentiis contingit ob morbi præsentiam, vt minus exhibeamus, quàm postulet corporis euacuatio: qui verò euacuat, nunquam studet aliquid reponere, sed à corpore substantiam demit. Porrò secundus liber totus ferè in signis morborum maximè præsagiis explicandis consumitur: tertius morborum causas communes, quæ sumuntur ex tempore, & ætatibus abundè explicat, quatuor sequentes in particularium multorum morborum generatione, permutatione, curatione, remediorum aliquorum explicatione, varia denique, & multiplici materia, pari modo versantur, atque hoc est subiectum huius operis, de subiecto autem scientiarum, artium, & ipsius medicinæ, aptiore loco egimus *in Commentariis nostris in Artem Medicinalem.*

Subiectum operũ quid.

Duos esse scopos libri primi.

Inedia an & quomodo vacuet.

Scopus libri secundi.

Tertii.

Quatuor posteriorum.

De difficultate, & vtilitate operis.

Cap. VII.

Difficultas huius operis vnde.

DIfficile esse Aphorismorum opus, duabus potissimum rationibus constat: tractat enim de rebus, quæ ad illarum intelligentiam postulant, rationem & experientiam: multi enim sunt Aphorismi, quos ratione explicare non poteris, sed sola experientia vera esse, quæ in iis docentur, deprehendit autor: alii verò, qui probationem requirunt non solum ex Medicinæ principiis, sed etiam ex intimis Philosophiæ partibus: Varia præterea est & multiplex Aphorismorum materia, & ob id non facilis iis, qui in multis disciplinis non sunt versati. Alia difficultas nascitur ob docendi rationem, quæ nulla Methodo nititur, sed sparsim sine principiis, & probatione breuissimè omnia tradit. huiusmodi enim doctrinam difficilem esse necesse est, quare optimè cõsultum esse puto, quod in scholis Italicis obseruatur, vt scilicet primũ discipuli audiant, primam Fen Auicennæ, deinde artem medicinalem, postremo Aphorismos: sic enim à primis, & facilioribus, ad postrema & difficillima res ducitur. Ad hoc quoque facit, quod habet Galenus *Aphorismo septuagesimo primo libri quarti*, neminem aggredi debere expositionem librorum Hippocratis, prius quàm totam ipsius artem præcognouerit: nec non quod habet *sexto Methodi*, vbi C inquit, neminem ad libros Hippocratis legendos se conferre debere, antequam ipsius Galeni libros perlegerit: hæc enim magnæ difficultatis huius operis sunt indicia, & id quoque, quod putem, paucos esse Aphorismos, qui non accipiant meliorem interpretationem, quàm sit hactenus ab aliis omnibus interpretibus excogitata.

Quid ante Aphorismos legendum.

Vtilitas.

Quod verò ad vtilitatem pertinet, sunt, qui putent Aphorismorum libros vtiles esse his, qui medicinam ingrediuntur, & aliis, qui in ea iam magnos progressus fecerunt, non aliter profectò, quàm artem medicinalem, quæ rudioribus & doctis, pari modo agnoscitur esse vtilis. Verum non est par ratio: nam Ars medi- D cinalis incipit ab artis principiis, & per capita vniuersam artem explicat, quare rudioribus vtilis est, eo quod illis ostendit summam totius medicinæ, ad quam debent vniuersa sua studia dirigere: prouectioribus autem vtilis est ad memoriam, reminiscentiam, & collectionem aliorum omnium, quæ alibi prolixius traduntur. Aphorismi autem non continent Medicinæ principia, nec totam ipsam artem, sed potius quæ ad vltimas Medicinæ partes spectant, carent præterea methodo, & ordine, quæ maximè sunt necessaria ad rudiores docendos. Nec verò in ea opinione sum, vt putem, auditorem posse aggredi lectionem huius Operis, nisi à præceptore illius audiat explicationem: nam quæ ad vltimas Me- E dicinæ partes spectant, ab initio à rudiore auditore, sine præceptoris opera percipi non possunt: ergo opus hoc potissimum vtile *prouectioribus Medicinæ studiosis, imo Medicis ipsis*, ratione & experientia iam confirmatas, si insignem interpretem inuenerint, qui reconditos adhuc in illis sensus eliciat. Ex ipsa autem tractatione, & materia, quæ tractatur, vtile est opus ad plurimarum

Quibus sit opus maximè sit vtile.

matum rerum recordationẽ, quia breuiter multa hæc proponuntur per compendium, sed & vniuersaliter discenda, quæ prolixius alibi, & præsertim in libris Epidemion, sunt tradita: ex illis enim, quæ experientia docebat in particularibus, sunt collectæ vniuersales istæ sententiæ; non tamen propterea rudiores velim desperare, se posse plurimum ex hoc Opere proficere: nam boni interpretis opera Operis difficultatem minuet.

De ordine, quo vtitur author, & quem tenet Opus vniuersum inter alios authoris, & vniuersos Medicinæ libros.

Cap. VII.

ORdinem in Aphorismis nemo requirat, ob varietatem rerum, quæ nec coniungi, nec cohærere inter se possunt, & non solum varietas rerum, sed etiam Aphorismi natura id postulat: nam separatam ab aliis quilibet Aphorismus sententiam facit. Quod si Galenus aliquando notat aliquem ordinem in Aphorismis, ita, vt vnus priore loco ponatur, qui in alio collocari debebat, & vnum esse alterius causam, qui propterea proponi debebat, id tamen raro fit: & præter authoris institutum, tametsi aliquos Aphorismos inter se cohærere aliquando videmus, quam ob rem errat Curtius, qui eos scriptos esse tradit ordine, & doctrina compositiua, quippe cum nulla compositionis ratio hic reperiatur, nec aliquis necessarius ordo: repugnat enim ordo scientificus doctrinæ Aphoristicæ, quæ ad placitum authoris est constituta: nec valet, quod scribit Curtius, doctrinam Aphoristicam non esse definitiuam, nec resolutiuam: igitur esse compositiuam: nam si Hippocrates proponeret in Aphorismis se velle artem vniuersam Medicam per vnam ex illis tribus doctrinis scribere, concluderet vtique illius argumentum, sed cum quasdam duntaxat sententias ad artem pertinentes tradat, & illas sine ordine, frustra quæret aliquis in hoc instituto vnam ex illis tribus doctrinis.

Porrò ordinem inter alios Hippocratis libros hoc opus tenere videtur, vt postremus sit: nam cum plurima illius portio contineat præcepta ad medendum necessaria, alia præcedere debent, sine quibus medendi ratio institui nequit. Cæterum sunt, qui putent, hoc opus inter introductorios libros Medicinæ reponendum esse, qui euidenter errant: nam ad introductionem pertinent, qui vel à primis Medicinæ partibus auspicantur, aut vniuersam medicinam comprehendunt, aut docent, quæ communia sunt vniuersæ medicinæ, quorum nullum præstat hoc opus, estque in hac re euidens Montani error, nam ille scribit, primum in Aphorismo contineri totam medicinæ scientiam, quæ Praxim, & Theoricam simul comprehendit: postea verò, vbi quærit, an inter Isagogicos liber iste sit reponendus, scribit, Hippocratem in nullo suorum librorum artem medicinæ composuisse, sed semina quædam duntaxat tradidisse.

A

De proportione huius Operis ad alia.

Cap. VIII.

CÆterum hoc Opus ad alios authoris libros vniuersos ita se habere videtur vt perfectius, ad imperfectum, & multiplex ad simplex: perfectiores enim in hoc continentur sententiæ, quàm in aliis libris; nam in hoc vt plurimum sunt vniuersales sententiæ, ratione collectæ ex iis, quę experientia notauerat: docet in Aphorismis multa de multis, & variis rebus; in aliis verò libris vnicam materiam prosequi solet; ad libros

B verò de morbis vulgaribus, & de victu acutorum ita se habere videtur, vt vniuersale ad particulare, in illis enim particulares casus recenset, ex quibus collegit vniuersale, quod in hoc Opere Aphorismorum est positum.

De Docendi ratione. Cap. IX.

EX prædictis satis constare puto, authorem in hoc Opere nullam obseruare scientificam docendi rationem: nam *in primo libro* vacuandi & nutriendi modum in sanis & ægris docet; *in secundo* Signa: *in tertio* Causas morborum explicat; *in aliis*, multa particularia de morborum generatione, quæ omnia præcedere deberent: nam antequam possit quispiam instituere vi-

C ctum, & euacuationem in morbis, debet illorum generationem, causas, & signa tenere; præterea ex principiis non procedit illius tractatio, nec probationes adhibet: quare docendi nulla vera ratio, etsi non paruus est vsus ex pondere, & bonitate sententiarum, quæ scribuntur in hoc opere: nos vero hanc docendi rationem seruabimus: primum Aphorismi cuiusc[illegible] intentionem indicabimus: Deinde ratio[illegible] qua nititur, docebimus: Postea singula verba difficiliora exponemus, & in singulis tractationibus principia inuestigabimus, ad quæ singula sunt referenda, & in omnibus attingemus aliorum interpretum opiniones, vt studiosi intelligere possint, quid nos præstiterimus, nec interim

D aliquos commoueri velim, si aut omnia, aut certe plurima aliter, quàm fecerint alii interpretes, explicauero: Hoc enim nostrum semper fuit institutum, non ex aliis colligere interpretationem, sed eam nouam inuenire, & de virtute cum maioribus nostris contendere, sed iam ad authoris dictionem accedamus.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιεῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρεόντας καὶ τὰ ἔξωθεν.

E *Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum præstare oportet oportuna facientem, sed, & ægrum, & assidentes, & exteriora.*

Aphor. I.

IN hoc commentario primo docēdum an quod proponit author sit vnus Aphorismus vel plures. deinde si sit procemium vel non, & si procemium, an huius operis duntaxat, an verò etiam omnium librorum Hippocratis, quartò, quid velit docere per illa verba: & quorsum illa scribat, quintò, an totus ille contextus tendat in eundem scopum, an in diuersos, vt Galenus putat, qui dicit, in prima parte vnum doceri, in secunda aliud: postremò singulas dictiones explicabimus, & rationem reddemus eorum, quæ dicuntur.

Aphorismū hunc esse vnum & non plures.

Vnum esse Aphorismum & non plures, constat, quia vna est totius contextus circumscriptio, vnus scopus, vt docebimus, in quem vniuersa ea verba tendunt: & quemàdmodum sequentes Aphorismi, qui à Galeno separatis commentariis explicantur, singuli vnus sunt Aphorismus, etiam si rationem reddunt eius quod proponūt, idem de hoc existimandum est.

An sit procemium.

Sunt, qui negent, hunc Aphorismum esse procemium, quod requisitas in procemio conditiones non habeat. Verum etsi in tanta breuitate exactè omnia exprimi non possint, procemii tamen seruat formam, cum proponat rem magnam & difficilem, nempe Medici institutionem, quæ plena est multis difficultatibus, ex qua re beneuolus sit auditor.

Proponit & tacitè quodammodo finem, se velle scilicet Aphorismos scribere, id est, sententias separatas, breues, plenas occultis sensibus, ex quo docilis sit auditor: attentum non est, quod separata ratione faciat auditorem, quia satis attentè audiunt & legunt auditores, cum à tanto authore res tales proponuntur, ad laborem istorum subleuandum.

An sit procemium commune omnibus libris Hippocratis, an solū huic Operi.

An vero procemium sit commune omnibus [illegible] Hippocratis, an solum huic Operi, per[illegible]ndum. Galenus *in Commentario* probabile prorsus ita esse scribit, aliud tamen etiam ab eo factum esse commune procemium *in libro*, qui inscribitur κατ' ἰατρεῖον in illis verbis, vbi scribit, similia & dissimilia esse consideranda; verum mihi non videntur illa verba procemium facere posse commune vniuersæ arti: nam similium & dissimilium consideratio pertinet potissimum ad eam medicinæ partem, quæ de signis agit: nam cum homo simili aut dissimili affectu suæ naturæ, habitui, & aliis, quæ secundum naturam in eo sunt, qui afficitur, tunc enim minus aut magis laborare agnoscimus; id quod etiam Hippocrates *in sequenti quodam Aphorismo* docet, 34. *lib.* 2. in his vero, quæ sunt solum secundum naturam, dissimilium consideratio nihil prodest, sicut nec in aliis multis medicinæ partibus: præterea in eo opere agit solum de vna particula medicinæ, nempe chirurgia, cui loco non conuenit Procemium vniuersæ arti commune. Aphorismum autem hunc Procemium commune vniuersæ arti merito quis statuat: *quoniam in eo omnia proponit, quæ considerari debent à studioso Medicinæ antequam se facultati dedat, & posteaquam se ad illam contulerit, admonet, quæ ab eo sint discenda, & vbi omnia didicerit, quæ ars præcipit, quænam in medicina factitanda ab eo obseruari oporteat*: sit ergo aptum totius artis hoc procemium.

Quare communis.

Quorsum vero huiusmodi Procemio vtatur, variæ extiterunt opiniones: quidam enim id

A volunt factum, vt medicinæ studiosos ad artem longam & multis difficultatibus implicatam perdiscendam hortetur: alii, vt eosdem dehortetur: alii, vt experiretur, quinam essent diligenter aut negligenter artem aggressuri: sunt qui putēt scriptum, vt ostenderet artem esse coniecturalem: alii, vt doceret causas, quib. Medicus suo fine frustratur: Postremo quidam putant hæc scripta esse ab autore, vt causam redderet, propter quam oporteret scribere Medicinam per Aphorismos, quorum opinionem probat Galenus, aliorum autem omnium refellit: quasi author ita diceret, *quoniam ars est longa ob occasionem momentaneam, & experientiam periculosam, & iudicium difficile, ita vt illius magnitudo vitam hominis excedat, ne-*

Quid author per hunc Aphorismum velit.

B *que possit ab eodem inchoari, & absolui, propterea operæpretium esse ad artis longitudinem vincendam Aphorismos scribere.* quam quidem opinionem recipere non possum: nam illa, quæ adfert Galenus, potius docent, non esse Aphorismos scribendos: cum enim Aphorismorū doctrina breuissima sit, & difficillima, ad artis longitudinem, & alia, quæ necessaria sunt ad Medici institutionem, & subleuandam, nequit esse apta, vt quæ aliam addat ex modo scribendi difficultatem: repugnat enim breuitas facilitati, & perspicuitati doctrinæ, siquidem vt Horat. scribit de arte Poetica: *Dum breuis esse laboro, obscurus fio.* quod & ipse testatur *textu 32. tertii Commentarii* de his, quæ in Medicina fiunt, scribit etiam *tertio & de-*

Opinio Galeni refutatur.

Breuitatem repugnare facilitati & perspicuitati.

C *cimo Methodi*, se multos annos consumpsisse in vno Aphorismo, nimirum 36. *sectionis* 6. intelligendo, in quo scribit author: *dolores oculorū meri potione, vena sectione, purgatione, balneo, & fomento solui.* Itaque cum ars suapte natura longa sit, multo longior, & difficilior nobis redditur ex tam breui & spinosa doctrina, quæ multa subticet, pauca probat, & plurima nobis somnianda relinquit. nam si ad eas difficultates, quas habet Medicus superandas, confert doctrina Aphoristica, erunt damnandi non solum Hippocrates, & Galenus, sed etiam alii omnes Medici, quod omnia sua non scripserint aphoristicè. Nunc aliorum opiniones, quia parum probabiles apparent, sigillatim non examino: placet illo-

D rum opinio, qui volunt Hippocratem medicinæ studiosos hac oratione hortari ad rem hanc diligenter capessendam, & alios negligentiori tardiorique ingenio admonere, ne rem tantam, tot difficultatibus implicatam aggrediantur: quasi ita diceret: *quicunque Medicæ facultati se dare voluerit, & in ea excellere, is sciat, se rem arduam aggredi, primo quod vita breuis sit, ars verò longa, deinde quod posteaquam artem didicerit, & ad eam exercendam accedat, alia occurrant ei difficultates: nam & agendi occasiones sunt obseruandæ, quæ quoniam momentaneæ sunt, difficile apprehendi possunt, Experimenta ita facienda, quæ periculosa sunt, Iudicandum de infinita rerum multitudine, quod quidem difficile est, tum etiam, quod Medicum ipsum*

E *optimè à natura comparatum, & omni alia virtute ornatum esse oporteat: Postremo quod Medicus in arte factitanda non solus sit, sed commune sit opus illi cum ægro, assidentibus, & exterioribus, quorum omnium curam, cognitionem, institutionemq́; Medicum habere oportet, & veluti autorem, & ducē esse, quæ profectò præstare à Medico difficillimum est; ita vt satius sit hebetiores natura, & negligentiores hæc non at-*

non attingere: alios vero non nisi continuo studio, & omni diligentia credendum sit ea consequi posse. Quibus rebus incumbere debent, qui sese huic arti dederint, & non temerè tempus, & vitam nostram breuem hoc spatium in nugis, sophismatis, & vanis quaestionibus, vt nostra adhuc aetate fit, conterere. Hanc interpretationem nostram Galenus *libro sexto de Simplici medicina, cap. 1.* Item *in libro de plenitudine*, sequitur, si quis authorum testimonio magis, quàm probabili persuasione nostra flecti desideret. Quinetiam illud, quod Galenus *in commentario* scribit, Aphorismum hunc in duas partes diuidi sensu discrepantes, ita vt secunda pars incipiat, vbi scribit: *nec solum seipsum*, &c. sitque veluti consilium quoddam, quod lecturis hoc Opus datur, non probo: esset enim admodum ridiculum, praecipere, quae omnes nouerunt: Quis enim ignorat, nó solum in Aphorismis discendis, sed etiam in omnib. aliis efficiendis, diligentiam, & operam eorum, quibus opus commune est, requiri? alioqui nihil perfectum constitui posse, & non solum in hoc Opere, sed etiam in aliis omnibus, eadem ab authore erant praecipienda: siquidem in illis non minus, quàm in hoc Opere, diligentia requiritur. Neque etiam Oribasio credendum, qui putat hunc alium esse Aphorismū, quo recreet auditorem, cum potius aliis difficultatibus premit. Itaque mihi magis placet, vt vnus sit Aphorismus, qui totus in eundem finem tendat, vt doceat rei difficultatem: Nam cum artem dixisset esse longam, occasionem momentaneam, experientiam periculosam, iudicium difficile, ne quis putaret, si semel has difficultates superasset, se omnia consecutum, quae in perfecto Medico requiruntur, alias subiungit, quod scilicet in Medici persona, & officio multa requirantur, & in aegro, & assidentibus, & exterioribus, quorum si quid defecerit, nihil rectum, nihilque perfectum à Medico fieri possit. Et haec satis de totius Aphorismi sententia dicta sint. Sed iam ad Aphorismi verba interpretanda accedamus, quibus quidem intellectis licebit facilius cognoscere, verum esse scopum eum, quem nunc tradidimus de toto Aphorismo: Nam ex partibus non absonum est totum declarari posse.

Num totus Aphorismi contextus tendat in vnum scopū, an in diuersos.

ὁ βίος βραχύς.

Vita breuis.

QVid vitae nomen significet primum docendum est; deinde, quae significatio sit huic loco accommodata: tertio, quid propriè sit Vita: quarto an vita sit breuis vel longa, & cur perpetua esse non possit, quaque ratione aliis longior, aliis breuior sit à rerum natura concessa: postremo, cur breuis hic dicatur ab Hippocrate esse vita.

Vitae nomen quid significet.

Vitae nomen multis modis tum à Graecis, tum à Latinis vsurpatur: significat enim vitae conditionem, quomodo dicimus, hominem medicam vitam agere, & hanc vel illam vitam nobis esse gratam, vel odiosam. Sumitur & vita pro loco, in quo viuimus, vt cum dicimus, animalia esse amphiuia, id est (si ita loqui liceat) ambiuita, quae scilicet in duobus locis, aqua & terra degunt, Philoteus coniugium vitae nomine etiam intelligi scribit, vt cum hominem dicimus vitam mutasse, coniugatum intelligentes. Significat & animi mores, vt cum dicimus aliquem philosophicè, & honestè viuere, id est, philosophicis & honestis moribus: Plutarchus *in libro de audienda poetica* scribit, etiam vitae nomine intelligi opes. Sunt & aliae vitae significationes apud alios authores: sed hic nos tempus quo viuimus, vitae nomine intelligimus.

Vita quid propriè sit.

Verum quid sit hoc ipsum, quod dicimus viuere, & vita, non ita facilè est docere: alii enim aliter interpretantur & definiunt, & idem author diuersa in hac re ob illius, vt puto, rei difficultatem tradit: nam Arist. qui inter alios omnes scriptores perpetuo sibi consentire videtur, varia de hac re docet: nam *in lib. 2. de anima, cap. 2.* dicit, viuere esse vegetari, sentire, moueri, & intelligere: *in libro* verò *8. Metaphysices cap. vlt.* illis assentiri videtur, qui vitam statuunt esse coniunctionem & colligationem animae cum corpore: *in libro* verò *primo Politicorum cap. 3.* statuit vitam esse actionem & non factionem. At *in libro de vita & morte, siue de Respiratione cap. 7.* dicit, vitam esse vegetatricis facultatis cum calore moram. Galenus verò *in libro vndecimo Methodi medendi* dicit, nihil aliud esse vitam, quàm dispensationem & gubernationem, quae fit à tribus facultatibus, quae sunt, vt ille censet, Naturalis, Animalis, & Vitalis. Scaliger, doctus sanè nostra tempestate vir, dicit vitam esse actum animae, id est, eius vim per vnionem vtriusque, scilicet animae & corporis. Ioannes Fernelius definit vitam esse propriam & inseparabilem animae actionem. Ludouicus Viues Hispanus vitam ponit esse conseruationem instrumentorum, quibus anima in corpore vtitur. Quae diuersae opiniones, ne alias omnes prosequar, argumento euidenti sunt, non facilè esse definire quid ꝓpriè sit vita. Quod vero vita non sit, vt Arist. tradit, vegetatio, sensatio, motio, & intellectio, & viuere non sit vegetari, sentire, moueri, & intelligere, patet: quoniam si hoc est, non potest vita esse colligatio & coniunctio animae cum corpore, vt *in Metaphysic.* scribit, & non magis esset actio, quàm factio: nam moueri, sentire, non magis ad actionem, quàm ad factionem diriguntur: nam beneficio vegetationis, sensus, motus, dirigimur & euadimus apti ad agendum & faciendum. Praeterea, cum vitam dicit esse vegetationem, sensationem, motionem, & intellectionem, non omnium vitam, sed hominis duntaxat definit. At ratio postulat, vt omnium vita definiatur: deinde etiam homo cum non sentit nec intelligit per somnum, viuit tamē. Postremò, absurdum est dicere, vitam esse sensum, motum, vegetationem, & intellectionem, quod tamen sequitur, si quidem viuere est vegetari, sentire, moueri, & intelligere. Nec verò vita est animae cum corpore coniunctio: nam vt mors nō est animae separatio à corpore, sed quod sequitur eam separationem, ita animae coniunctio cum corpore vita non est, sed vitae causa: si quis enim quaerat, quae sit vitae causa, non aliam sanè adferet, quàm quod animam habeat in corpore: ex illius enim praesentia & coniunctione cum corpore fit, vt res viuant, & quamdiu illa inter se coniunguntur, tamdiu vita perseuerat. quo etiam argumento refellitur, quod dicit, vitam esse moram facultatis vegetatiuae cum calore: nam

Aristotelis sententia refutatur.

hoc facit, vt res viuat. Cæterum, vita nec est a-
ctio, nec factio, sed est causa actionis & factio-
nis; qui enim viuunt, agere & facere possunt, sed
cur magis vita erit actio, quam factio? nonne
qui factiuas artes exercent, æque viuunt, atque
illi, qui actiuis facultatibus incumbunt?

Opinio Gal. refutatur.

Definit quoque Galenus vitæ causam pro vi-
ta, cum dicit, illam nihil aliud esse, quàm disp en-
sationem & gubernationem, quæ fit à tribus fa-
cultatibus corporis: nam quamdiu regitur cor-
pus ab anima, & illius facultatibus, tamdiu viuit;
facit ergo animæ & facultatum ipsius præsentia,
vt res viuat. In eandem porro opinionem inci-
dere videtur Scaliger, cum dicit vitam animæ a-
ctum, id est, vim eius per vnionem vtriusque:
nam animæ actus & vis, facit vt res viuat, grauis-
simè tamen inter omnes Fernelius hallucinatur:
nam quo pacto potest vita esse propria & insepa-
rabilis animæ actio? nulla enim est animæ solius
actio in corpore, cum illa sine organis nihil præ-
stare possit; & qua ratione, quæso, propria & in-
separabilis agnoscitur esse illa actio ab anima?
quænam est actio animæ, quæ aliquando non
cesset? nam sensus, motus, & intellectio sæpe
non fiunt, residente tamen anima in corpore; at
ex illius actionibus definitur vita ab Aristotele;
deinde si est actio, esset in prædicamento actio-
nis, non ergo dicere possemus rectè corpus vi-
uens. Præterea anima & non corpus, nec to-
tum potius diceretur viuere. Addo, quod actio-
nis esset actio: nam vitæ actiones sunt ex Arist.
vegetare, sentire, moueri, & intelligere. Præ-
terea, quænam & qualis actio esset vitæ, natura-
lisne, an vitalis, vel animalis, an omnes simul:
non est sola naturalis, sic enim animal cum non
sentit, nec mouetur, & propterea non agit, qua-
tenus animal est, viueret: non vitalis, siue pulsa-
toria, quoniam plantæ viuunt sine huiusmodi
pulsu: ac multo quidem minus animalis est a-
ctio, quia non solum plantæ, sed & animalia ipsa
cessantibus illis functionibus vita fruuntur. Cæ-
terum, absurdum est, vitam ponere omnium a-
ctionum collectionem, quippe cum multa vi-
uant absque omnium operationum exercitatio-
ne. Reiicienda pariter est Ludouici Viuis opi-
nio, qui vitam ponit esse conseruationem instru-
mentorum, quibus anima in corpore vtitur, ete-
nim conseruatio sequitur vitam, & amissis mul-
tis instrumentis vita perseuerat. Dicam ego,
quid de hac re sentiam, hoc vno posito principio,
quod res omnes sint & dicantur esse, quando for-
mam suam habent, & quæ sola forma constant,
vt intelligentiæ suum habent esse ex sola ipsa for-
ma: quæ verò ex forma & materia constant, sunt,
quamdiu hæc inter se coniunguntur. Porro, a-
nimata omnia diuersum habent esse ab inanima-
tis, & propterea diuerso & peculiari nomine il-
lorum esse à maioribus nostris *vitæ* nomine est
expressum: nam si quis diligenter rem inspiciat,
inueniet, perinde esse dicere, viuere, & esse in a-
nimatis, & vitam & essentiam siue subsistentiam
illorum idem esse: quis enim est, qui non agno-
scat, idem esse, si quis dicat Hippocratem non
amplius esse, & non amplius viuere, & nos esse,
& viuere, idem esse? mortuum aliquid esse, &
non amplius esse? Quid ergo tantum laboramus
in vita definienda, cum nihil aliud sit reuera quàm
essentia & subsistentia, siue permanentia rerum ani-

Scaligeri itidem.

Et Fernelii.

Et Ludouici Viuis.

Opinio autoris.

A *matarum*, quæ quidem contingit ex animæ cum
corpore coniunctione, cognoscitur autem talis
colligatio & præsentia constare ex actionibus,
quæ natæ aptæque sunt edi pro cuiusque formæ
& corporis natura: viuere enim plantas facit ani-
ma plantæ cum illius corpore coniuncta, & illas
agnoscimus viuere ex operationibus, quas plan-
tæ edere possunt, nempe, ex vegetatione, id est,
generatione, auctione, & nutritione: quia verò
animalia præter illas operationes etiam habent
sensum & motum; ideo ex vegetatione, sensu &
motu ea agnoscimus viuere, quia verò homo nō
est homo, nisi intelligat, idcirco viuit, & viuere
agnoscitur, quamdiu intelligit, vbi verò nullam
amplius intelligendi habet potestatem, quod ta-
B men est impossibile, etiamsi sentiat, moueatur,
& nutriatur, tamen vt homo, amplius non est,
nec viuit. Ergo alii hactenus nō vitam ipsam, sed
vitæ causas, aut signa definierunt, nam animæ cō-
iunctio, & colligatio, aut gubernatio, quæ pro-
uenit ex facultatibus animæ regentis corpus, &
vt alii censent, conseruatio instrumentorum,
causa sunt vitæ: vegetare autem, sentire, moue-
re, & intelligere, indicia sunt non omnis vitæ, vt
Aristoteles credere videtur, cum viuere per illa
omnia definit, sed hominis duntaxat; Vegeta-
tio verò sola, vt diximus, manifestat vitam plan-
tarum, sensus & motus animalium: ratio verò &
aliæ, quæ principes dicuntur animæ facultates,
hominis vitæ potissimum sunt indicia, non quod
C semper requiratur actus istorum actionum, sed
potentia agendi, quæ facilè ad actum duci po-
test; non enim negabimus hominem viuere, vt
animal, & vt hominem, propterea quòd dor-
miendo, nec motum, nec intellectum exercet,
cum potentiam habeat, vt moueri, & intellige-
re possit, sed qui ita est affectus, vt amplius sen-
tire, nec moueri valeat, mortuus est vt animal, &
qui amplius, nec intelligere, nec ratiocinari po-
test, mortuus est, vt homo. Hæc nostra est opi-
nio de vitæ definitione, sequantur alii aliam, si
hæc illis non placet, interim ad reliqua, quæ pro-
posuimus hoc loco examinanda, accedamus.

Vita hominum an sit longa vel breuis.

Aristoteles scribit, hominem & Elephan-
tem, inter animalia longissimæ esse vitæ, ita vt
D immeritò naturam homo accuset, si quod aliis
animantibus breuissimum, id illi longissimum
concesserit.

Scribit Plinius *libro 7. Natur. histor. cap. 49.*
Lucium Terentium Bononiæ, & Marcum Apo-
nium Arimini, centum & quinquaginta annos
vixisse, atque explosam esse à Petosiri & Nece-
pso Epigenis sententiam, qui centum & viginti
duos annos vsquam impleri posse negabat: pro-
bant enim illi ex Astrologia, posse in Italiæ tra-
ctu, centum & viginti sex annos vita continge-
re. Nunquid homo debet tot annorum nume-
ro esse cōtentus & non vitæ breuitatem accusare,
sed potius naturam, quæ in tot morbis, & perpe-
tuis curis, atque miseriis longissimam illi cōcessit?
E Ergo si ad aliarum rerum vitam nostra compare-
tur, breuis dici non potest, sed potius longa.

Vita cur nequeat esse perpetua.

Sed quæ causa esse potest, quòd posteaquam
vltra centum annos progressa est, nequeat per-
petua esse? cur enim non licebit in sequentibus
temporibus ea præstare ad vitam perpetuandam,
quæ antea adhibuimus, ex quibus factum est,
vt ea tot annos durauerit? verum cum rerum
viuen-

viuentium conditio agnoscatur ex omnium interitu perpetua esse non posse, causa quærenda est, ex qua fit, vt naturali cursu tandem abire cogamur; Postulat huius rei consideratio, vt principia doceamus, & causas, per quas fit, vt res sint & viuant: nam vt ex illarũ præsentia fit vita, ita ex recessu fit mors; eo ergo inuento, quod recessus, est causa mortis, & causa eius, de quo quæritur, patebit.

Porro, si viuere in rebus animatis est esse, & vita est essentia & subsistentia, & ea contingit ex vnione animæ cum corpore, immediata causa vitæ erit hæc vnio, & priuationis vitæ causa immediata erit vnionis illius dissolutio. At vero ipsa anima cum sit forma naturalis, quæ in suo subiecto est nata, & apta solum exercere suas operationes, requirit aptam sibi materiam longe diuersam ab inanimatis, præsertim animalia & homo, qui inter omnia viuentia perfectissimo modo viuit: cum enim animata omnia nutriantur, & augeantur, non solum requirunt primam materiam spoliatam omnibus qualitatibus, sed bene temperatam ex qualitatibus elementorum, in qua tamen calor præpolleat, vt concoctio, & assimilatio, & alia naturæ opera fieri possint; & quoniam oportet in animatis, quæ multis partibus constant, quasdam esse officinas, quæ publicum munus exerceant, quo participes fiant reliquæ corporis particulæ, ad huiusmodi autem officia, concauitates, figuræ, magnitudo, numerus, connexio & situs requiruntur, ideo partes viuentium oportet esse organicas; propterea recte dicit Aristoteles *libro 2. de Anima, cap. 1.* ipsam animam esse actum, & formam non cuiuscunque corporis, sed organici.

Cæterum, animalia & homo præter calorem, quem habent insitum, alium requirunt longe ampliorem, aliunde influentem: nam cum plantæ habeant solum certas quasdam facultates, quibus nutriuntur, & augentur, & eas quidem stabiles, & firmas, & terræ sint infixæ, à qua humorem, & calorem trahunt, non egent peculiari aliquo fonte caloris, sed illis sufficit calor, qui insitus est singulis earum partibus: homo vero, qui plurimas, & diuersas habet actiones, in quibus plurimum laborat, duplicem calorem postulat, influentem vnum, insitum alium singulis membris, qui est veluti potentia calor, qui non satis est efficax instrumentum ad actiones hominis obeundas; id, quod satis apparet per somnum, in quo sensus, motus, intellectus, memoria, & ratio cessant, non quod eas partes, in quibus illæ functiones exercentur, anima, aut insitus calor reliquerit, sed quod alius calor illis desit, quoniam per somnum ad interna viscera sese recipit; sunt huius caloris fontes, cor, hepar, testes, sed præcipuus, à quo alii omnes emanant, est cor, hoc enim feruentem quendam spiritum perenni quadam actione gignit, qui delatus per vniuersum corpus, commune fit instrumentum vniuersis corporis actionibus, dum insito calori coniungitur & illum excitat, eique dat actum, & vim agendi efficaciter. Hic calor influens sponte ad supremas externasque partes mouetur, dum ex nutrimento in suis fontibus est auctus vt apparet, cum absoluto somno, ille suo motu exiens ab internis visceribus ad externa prorumpens, vigiliam parit, id est, sensibus adest; vbi vero ipse calor ob dissolutionem

A subiecti, scilicet spiritus, languescit, nequit amplius versari, & extendi per vniuersum corpus, sed cogitur redire ad suos fontes, & concoquere si quid illic est, (vt esse solet in publicis officinis alimenti) quo tempore somnus fit & quies; Habet ergo hic calor suos motus; alios habet, cum ab anima ipsa euocatur; quod enim est animæ instrumentum, illud animæ vim & motum sequi oportet; vnde videmus, cum cogitare volumus, aut mouere corpus, calorem, caput & externas partes petere, & cum per iram augere volumus, robur, & vires intendere, ebullitionem quandam in corde ipso excitari, vbi iræ est sedes.

Egimus de natura, vi, & motu huius caloris *in libro*, quem inscripsimus *de Somno & vigilia*, diligentius forte quam sit ab aliis factum: nunc satis sit intellexisse, ad nostram vitam requiri insitum B quendam & influentem calorem, & hunc motu exercere suum munus publicum, quando quidem sine motu non poterat singulis partibus, quando eo est opus, adesse? Quod si ita est, necesse quoque est, corporis cauitates, per quas mouetur, liberas esse ab omni impedimento; Vnde videmus perire & suffocari animalia, impedito illius cursu, iniectis vinculis ceruici, & quoniam ex eo feruore gignuntur vapores quidam fuliginosi, prohibere non oportet corporis transpirationem: alioqui retentis illis calidis excrementis, præter modum augetur calor, qui postea febris, putredinis, & multorum aliorum malorum est causa. Iam C vero cum viuentia omnia postulent vnionem ex anima & corpore, in quo est materia elementorum, partes similares, & organicæ; calor quoque insitus in omnibus viuentibus sit, & influens in nobis & aliis animantibus in quibus cor est, vel aliquid quod cordi proportioni respondet: videamus iam, quænam sint ex iis, quæ vnionem vitæ causam, corrumpant, & nos mortales reddant; posset quispiam credere, id contingere ob appetitum materiæ primæ, illam enim ex Philosophorum & præsertim Aristotelis *cap. vltimo lib. 1. Physi.* opinione, formam appetere, quomodo dicitur fœmina marem appetere, nec contentam esse ea forma, cui subiicitur, sed D gaudere successione formarum: eam ergo causam esse nostræ mortalitatis; Alii vero excogitare possent, causam sumi huius rei à contrarietate quæ est in partibus similiaribus: nam cũ materia viuentium (id est partes similares) constent ex quatuor elementis, quæ contrarias inter se habent qualitates, rationi esse consonum, vt non possit perpetuo durare ea pugna, quæ necessario nascitur ex illis inter se mixtis qualitatibus, sed tandem vincere aut calidum, frigidum, aut humi- E dum, siccum, aut contra, aut tandem plura vincant, aut vincantur, aut omnia vnius potestate & imperio teneantur, in cuius naturam aut cætera omnia cõuertantur aut certe vnũ quodq; ad sui simile redeat. Adferre etiã possimus, vitæ finẽ contingere ex frigiditate materiæ nostræ, quæ suapte natura sit corruptibilis: ideo enim cœlum perpetuum esse, quia constat materia firma & stabili, longe diuersa à nostra.

Quis etiam nõ agnoscit, vitæ filum rescindi ob calidi influentis affectiones? quandoquidem ob præter naturam aucto, lethales febres, & eo suffocato ob impeditum illius cursum & transpirationem; aut obruto ob materiæ copiam, vt in

crapula & ebrietate contingit; aut extincto, vt accidit in vehementi frigore, non solum herbis omnibus, sed etiam aliis plantis & animalibus, sæpe mortem succedere videmus; An non etiam sublata aliqua parte instrumentali, vt capite, aut illarum numero aucto, vt in monstris, quæ geminum habent caput, mors infertur? Scribit etiam Arist. rerum naturalium formas certam sibi magnitudinem subiecti postulare, quare si contingat rerum viuentium corpora vltra naturæ modum parua aut magna generari, illa diu nequeunt viuere; nec viuēt quidē, si insignis error in cauitate aut soliditate partiū, aut in figura, aut asperitate & lenitate, aut in situ, & cōnexione fuerit fact⁹, aut si cōtinuitas, quæ communis est affectio similaribus & organicis, sit vitiata, dissoluere igitur possunt vnionem corporis vitia. Sunt etiam, qui putent, hanc violari vnionem ab anima ipsa, sed de illius recessu sunt variæ antiquorum opiniones: quidam enim credunt, animam sponte non appetere materiæ coniunctionem, à qua læditur, sed dimitti è cœlo à rerum omnium authore, vt res viuentes fiant, & eam veluti in carcere quodam violenter contineri, & tandem sese ab hac societate liberare, vt ad puram suam sedem, in qua & ipsa pura agnoscitur, redeat; quæ opinio fuit Platonis; Alii ex Platonicis probabile esse putarunt, Authorem animarum & generationis viuentium inuidere nostræ immortalitati, & propterea animas ad se reuocare, posteaquam illæ ex perfecto viuentium opere, aliquandiu summi opificis, & rerum conditoris potentiam & vim ostenderunt; quæ duæ opiniones in illa parte veritatem continent, in qua decernunt, animas à cœlo à rerum omnium authore creari; in reliquis magna ex parte à philosophiæ veritate abhorrent, & à Peripateticis etiam sunt explosæ.

Nec videtur probanda eorum opinio, qui dicunt, formas viuentium, & mortuorum opponi, & has illas extrudere, vt dominari aliquando etiā possint in communi materia; nec propterea dubitare possumus de nostro & aliorum viuentium interitu, si omnes & singulæ causæ vnionis nunc citius, nunc tardius eam violant, vt in soluta vnitate corpora in similaribus partibus atque organicis detrimentum patiantur; Quare perpetua nequit esse vita; ita causæ, quæ sunt adductæ, vulgo quidem vero similes videntur esse, sed veræ nequaquam sunt: namque materia non appetit formam, vt vulgo erroneè circumfertur, aut certe non appetit successionem formarum, posteaquam in se recepit viuentium formam hoc mihi persuadere non possum, nam cum quælibet res sui conseruationem postulet, quo pacto materia, quæ essentiam suam habet in potentia, appetere potest formam, per quam potentiam suam amittit, & actu fit aliquid? Quod si videmus, eam continuo, subiici formis, id non accidit ex eius appetitu, sed cum agentia perpetuo exercent suam vim, nec illam sine formis consistere permittunt; Ridiculum propterea est dicere, in materia aut in forma esse aliquem appetitum, & si est, potius est in forma, quam in materia; Cum enim formæ rerum naturalium aptæ nataeque sint dare esse rebus naturalibus, frustra erunt illæ, nisi cum materia coniungantur, solæ enim & separatæ actum dare non possunt, coguntur ergo illæ appetere materiam, si formæ esse debent: propterea si materi-

Materiam non appetere formam, sed formam potius materiam.

A am appetere formam ex eo putamus, quod perpetuo cum forma consistere cognoscatur, non propterea cupit eam deponere, quam habet, vt aliam quærat cum rerum animatarum perfecta sit forma, rationi consonum est, vt materia ea contenta maneat, nec appetat perfectam formam amittere, vt deteriori subiiciatur, vt enim perstitimus in exemplo de fœmina, sicut fœmina nulla vult mori, vt illius materia formæ masculæ tandē subiiciatur, vel vt ipsa masculus euadat, & appetit marem nō masculi formam, sed consortiū, vt perfectioris naturæ fiat particeps; & posteaquam perfecto & pulcherrimo masculo est coniuncta, illius recessum nequaquam desiderat, vt imperfectissimo & deformi & fœdissimo coniungatur; sic si materia mutat formam viuentium, id non fit

B ex ipsius insatiabili appetitu, quo nequeat quiescere sub vna forma, sed quod in ea aliquæ sint qualitates, quæ cogant formas abire, quod nos accidere videmus per sanitatem & morbos, vbi enim valet animal, videmus materiam subiici libenter formæ, & inter illas societatem iocundam & stabilem iniri, vbi vero passiones violentæ fiunt, tunc non statim sequitur mors, sed vbi tolerabile amplius non est malum, tanquam grata sit inter materiam & formam societas, vt quę non nisi magna violentia dirimi possit.

Cæterum, contrarietatem illam, quæ est inter qualitates Elementorum, mortis esse causam docet experientia; sed violentæ illæ sunt mortes, quæ ex ea pugna & contrarietate nascuntur, quæ vero

C ætatis cursu accidit, nō solum est sine violentia, sed etiam sine sensu aliquo, cum videamus eos, qui in extrema senectute moriuntur, non dolere, nec contristari, sed iocundissime aliquando loquendo expirare. Materiam nostram esse fragilem, certissimum est, sed ea fragilitas non nascitur ex ea materia, quæ subiicitur omnibus formis, & in quam vltimo fit resolutio, hæc enim perpetua est, si modo vicissim subiicitur formis, sed *ex ipsis qualitatibus insidentibus*, hæ enim ob eam, quam habent agendi & patiendi vim, proximam rerum materiam violant.

Fragilitas materiæ nostræ vnde fiat.

Nascitur quoque violenta, & non naturalis

D mors, vitiatis organis corporis, vt quilibet quotidie agnoscit, ex malis, quæ ex eorum vitio nata, vitam tollunt; at vera anima ipsa, quæ forma esse non potest rei naturalis, nisi in materia sit, suapte natura non appetere potest dissolutionem, quippe cum in ipsa materia sit, & sine illa non est apta exercere suam vim.

De animæ origine. Sententia antiquorum philosophorum.

At quoniam hæc disputatio originem animarum, tangit, operæ pretium erit, quid veteres philosophi, quid naturalis ratio, & quid etiam Catholica fides hac de re decreuerit, indicare; Antiqui

E igitur Philosophi in hoc argumēto versantes, supposito tanquam fundamento, quod formæ aliæ vniuocæ, aliæ æquiuocæ sint, illæ formæ rerum sint, quæ ex putredine gignuntur, hæ vero earum, quæ ex semine prouenniunt de vniuocarum origine in varias sententias distracti sunt: Quidam enim voluerunt, extrinsecus accedere, & inde à primi mobilis motore: Alii vero, illas extrinsecus quidem aduenire credunt, sed non à primi mobilis motore, verum siderum consensu eas fieri, & imponi materiæ; Alii vero statuunt, eas educi ex materia per præparationem materiæ, aiuntque præparationem illam fieri assiduo incremento, donec

donec ad summam peruenerit perfectionem. tunc enim ad substantiæ quoque formam peruentum erit, nam perfectionem illam, vt aiunt, forma necessario comitatur. Alij has opiniones infringunt, & primam hoc pacto; quia formas, primi mobilis motor dare non possit, non possit, nō enim Deus asserunt, est ille motor, qui simplex est, nihil habēs in potentia, sed omnia in actu, immo ipse est actus purus, primus, medius & vltimus nec in eo est tēpus sed ipse est temporis Dominus, quouis principio nobis cognito, vel incognito prior; primus vero ille motor finitus est essentiæ circumscriptione, & potentia, propterea non habere in se formas, quæ successione temporis rebus indantur, nec illas singulis momētis, in quibus generationes fiunt tum variæ, & multiplices sibi fabricare potest; Absurdum quoque esse inferunt, ex siderum coniunctione credere nostras fieri formas; quando enim, inquiunt, id vnquam est visum aut cognitum? quænam siderum debeant esse coniunctiones, quę nostras, & aliarum rerum formas pariant? vt non magis probabilis hæc opinio existat, quā illorum, qui fortuitum esse nostrum ortum statuunt. Neque esse recipiendam eorum sententiam, qui dicunt, ex præparatione materiæ formas educi: nam cum præparatio fiat particulatim, formæ quoque pars alia post aliam educeretur: est enim eductio motus, & sic diuisibilis, propterea non potest esse in præparatione perfectio, perfectio enim, post illam est, nempe forma, quæ est actus. Quibus opinionibus explosis, existimāt in semine formam rei existere, vt in semine humano formam hominis, non enim homo ex humano semine per putrefactionem fit, sicuti ex limo putrefacto rana, nec quemadmodum iuuenis ex adolescente, nec quemadmodum ex animali fit animal, vt fit in eruca, & bombice, nec sicuti ex ouo pullus, sed perfectiori quodam modo: nam in semine anima est actu, inquiunt, quæ sibi corpus fabricat: sicut Artifex, vt inquit Aristot. habet autem Artifex formam in sua potestate sibi insitum, quam imponit materiæ; sic Aristot. scribit *5. Metaph.* in semine esse principium mouens; & *in 2. de generat. animalium* ait, animam esse corporis conditricem, vt concludant, agere formam, quæ est in semine actu; alioquin quomodo agere posset, nisi esset actu causa ordinationis, situs, numeri, figuræ, connexionis, vt secundum illos semen hominis sit imperfectus homo, carens tantū articulationibus, & occurrit tacitæ obiectioni, cum possit aliquis dicere, auferri generationem, si dicamus in semine iam generato esse hominem, respondens, hominem tunc dici gignere, cum producit semen. Formæ igitur viuentium secundum ipsos in semine ipso actu sunt, nec aliunde accedunt: nam si extrinsecus aduenirent, quomodo diceretur pater generare filium? dicitur generare, qui formam dat. Quapropter si materiam dat mater, & formæ extrinsecus accedunt, pater nullam habebit generandi vim; nisi forte dicas, illum partem materiæ ex suo semine exhibere, propterea comprobant suam opinionem ex similitudine, ex quo sumetur similitudo filiorum ad patrem, non enim materia similitudinis est causa, sed forma. Nec obstat, quod dicit Aristot. hominem generari non solum ab homine, sed etiam à sole, intelligit enim inferiora corpora tendere ex superioribus propter æquiuocam connexionem, non propter

Horum opinionum refutatio.

Num in semine forma rei, & ita animalis anima existat,

A vniuocam affectionum communionem: sunt enim superiora inferiorum tanquam formæ conseruatrices, igitur concludunt, animam actu in semine existere, non solum in animali, sed etiam in homine.

Præsens quæstio aliquot assertionibus explicanda est.

Primo assertio est, animam *vegetatiuam* per facultatem formatricem, vel eius vicariam in semine reperiri, & hac ratione semen esse animatum, de qua facultate si intelligantur argumenta proposita, nullam in se continent falsitatem.

Qua ratione semen animam in se contineat.

Secunda assertio, quæ in Arist. vera philosophia, & in fide est vera: *forma hominis, quæ est anima rationalis, non producitur à virtute seminali, nec ab aliquo agente naturali, neque in semine reperitur*; B *nam nullum agens naturale potest producere aliquod esse supra ipsam materiam: anima rationalis habet esse supra materiam; ergo non potest produci ab aliquo agente naturali.* discursus est notus; Maior probatur: *omne agens naturale agit actione circa materiam, & recepta in materia; non ergo potest producere, nisi esse, quod super ipsam non eleuat, nec est alterius generis.* Probatur etiam à simili; *ex parua certaque cera quantitate possunt fieri multæ imagines, quæ tamen quantitatem ceræ non excedant:* tamen turris magna excedens quantitatem ceræ, nullo modo fieri potest, quia non est sub potestate talis ceræ, & agens Artifex nihil agit vltra potestatem materiæ illius; Minor probatur: quia anima rationalis habet operationem eleuatam C supra materiam, puta intelligere; ergo & ipsum esse.

Formam hominis rationalem non produci ex virtute seminali.

Tertia assertio: *Anima rationalis à solo Deo est producta per creationem*; quæ primo sic induci potest à sufficienti diuisione: *si enim anima habet principium sui esse, & illud non est agens naturale, nec agens ex materia, ergo agens erit aliquid, quod aget sine materia.* Est autem notandum non sic animam rationalem produci, sicut reliquas formas; reliquas enim producit concurrendo causis secundis; at animam rationalem solus ipse facit. An vero prius natura anima habeat esse, quam sit homo, & quam sit in materia, puto dici posse in vtramuis partem probabiliter, vel prius natura D esse in se, & terminet sic creationem Dei; vel non prius, sed simul natura infundi, & esse in corpore, mihi magis placet: quia hic non est simplex creatio, vt Angeli, sed concretio. De prioritate temporis dicendum, quod non prius producitur, quam vniatur corpori, sed in vno instanti temporis vtrumque produci. Atque hęc est resolutio huius difficultatis. Explicanda nunc sunt argum. pro vltima opinione adducta, quę nihil contra propositas assertiones probant.

Animam rationalem à solo Deo esse productam per creationem.

E Ad primum, tum dicebatur, *homo est vniuoce animal, cum omnibus aliis; ergo idem est ipsius & aliorum modus: sed alia producuntur per productionem animæ à virtute seminali, ergo &c.* Huic argumento ita occurrendum est; Id, quod generatur, non est, nisi compositum ipsum, & quantum ad generationem compositi, non est differentia inter hominem & alia animalia, homo enim hominem, & equus equum producit, & hoc sufficit ad vnitatem genericam; discrimen tamen est, quod homo non cōproducit animam, sicut equus & alia; sed id discrimen non impedit, quin sit idem genus productionis, quia productio à termino

[illegible]ndo [illegible] tamen [illegible]ter genera[illegible] hominis & cæterorum animalium.

primo & per se, quod est ipsum compositum sumi debet: illud tamen facit discrimen hoc, quod sicut homo cuncta excedit animalia, ita ipsius productionis modus; tria autem hæc interueniunt aut quattuor, vt possit dici vera hominis extrinseca generatio. Primo, quia exhibet alteram partem compositi, puta materiam & corpus, vnde generetur. Secundo, quod concurrit, etsi non ad essentiam animæ, saltem ad eius vnionem cum corpore, & ad eius informationem: Tertio hinc etiam concurrit ad productionem totius compositi; Quarto quia facit omnes dispositiones vsque ad vltimam, quæ sunt necessariæ ad ipsius animæ introductionem, & ita concurrit quoque dispositiue & hæc sunt satis ad vniuocam generationem.

Homo quomodo sit causa hominis, & eiusdem etiam mortis.

Ad secundum vero argumentū, dum dicebatur, *homo est causa hominis sicut equus equi, ergo producit sua virtute animam, aliter nihil faceret: nam non facit materiam; anima extrinsecus aduenit; ergo nihil facit.*

Respondendum, solutionem patere ex dictis: & vt clarius pateat, asserendum est, hominem esse causam hominis, *non quod formam faciat*, hoc enim per accidens est in generatione, *sed compositum*, sicuti etiam dicitur aliquid causa mortis hominis, non quod destruat animam, sed compositum ipsum, in hoc enim vera ratio corruptionis consistit; & quamuis non faciat materiam, dat tamen materiam, dat corpus organicum, ac præparat, & disponit; & quamuis non faciat animam, concurrit tamen ad eius vnionem, & ad eius informationem.

Alia duo argumenta pertinent ad numerum, situm, figuram partium & filiorum similitudinē. Ad primum dicitur, tales operationes illius facultatis esse, quæ formatricis vicaria dicitur, formatrix enim cum insit in generante, à quo, vt à principali causa fœtus producitur, ab ea deriuatur imprimiturque in semine alia similis virtus, eius quasi vicaria, quæ materiam fœtus tractat & contingit, & alias operationēs producit, de qua intelliguntur dictæ Aristot. authoritates.

Similitudo [illegible]berorum in [illegible] con[illegible] [illegible] causa co[illegible]

[illegible]neatio [illegible] & figuræ membrorū.

Princeps causa temperamenti efficiens.

Vis conditio [illegible] cœli.

Ad alterum argumentum, quod erat, *quomodo filii generarentur similes parentibus, si actu in semine forma hominis non existeret.* Respondendum, similitudinem potissimum in duobus consistere, *in colore, & membrorum figura, & lineamentis*; communis causa, ex qua proxime colores nascuntur, est *temperamentum quatuor primarum qualitatum*, ex quarum permistione colorum varietas existit; cōmunis autem causa delineationis, & figuræ mēbrorum est *virtus formatrix, à parentibus seminis impressa*: princeps causa temperamentis efficiens sunt *progenitores*, qui vt compositum gignunt, eique esse conferunt, ita quæ ad illius conseruationem requiruntur, quorum vnum temperamentum est, tribuere debent.

Causa proxima coloris liberorum immediata.

His accedit quoque solis cœlique conditio, atque influxus corporum cœlestium, quæ vt ad hominis ingenia, ita ad qualitatum compositionem mutandam & modificandam non parum conferunt, vt docet Plato 5. *Dialogo de Legibus*; Aristo. 7. *Polit. cap.* 7. *&* Ptolomeus *in* 2. *tract. quadripartita*: ideo causa proxima, ob quam filii in colore similitudinem referunt, sunt *ipsi parentes*; immediata est *conueniētia natiui temperamēti*, in quo nunc materna, nunc paterna vis, ad proprium co-

A lorem imprimendum in c[illegible] quo influunt, Similiter qu[illegible] guram spectat, eius præ[illegible] instrumentaria & immediat[illegible] cuius ministerio parentes d[illegible]ationem similem suæ in fœtu consignant, vt ii, qui sigilli interuentu suam imaginem in cera exprimunt: vt id muneris existimandum sit esse *facultatis formatricis*, & propterea hac de causa non esse putandum, veram formam hominis, quæ est anima rationalis, actu in semine existere, sed extrinsecus aduenire; igitur anima rationalis, quamuis à superius mittatur, nō propterea poterit perpetuo esse in nostra vita, vt vita nunquam finitura sit; neque putare debemus vitam non finiri, eo, quod mortuorum formæ viuentium formas extrudant: nam vt in eadem materia duæ contrariæ formæ consistere nequeunt, ita succedunt mortuorum formæ formis viuentium; igitur cum istæ causæ mortem non adferant naturalem, sequitur, vt ea nascatur ob affectiones omnes, vel aliquam communis animæ & corpori instrumenti, nempe, calidi innati.

[illegible] & instrumentaria.

Anima rationalis vnde sit.

Est porro (vt alibi ostendimus) non vna calidi innati natura & significatio, sed multiplex & diuersa: nam per calidum innatum sanguinem & semen, nostræ generationis principia Galen. intelligit: aliquando vero intelligit calidam, & humidam substantiam insitam singulis membris, & derelictam à primis illis initiis: Est vero, cum intelligit eo nomine spirituosam & sanguineam substantiam, quam cor in se gignit, & in singulas partes mittit: Capit aliquando nomine calidi innati coniunctam substantiam ex insita & influente; & hæc quidem plurima est, & ad agendum efficax, cum alia viget: cum enim in cordis substantia aerea illa & aquea substantia plurima est, copiosus spiritus ex ea consurgit, & cor ipsum concoctrice facultate pollet, cuius vi plurimum spiritus & sanguinis spirituosi gignit, perfecteque concoquit & perficit. Ac mors quidem contingit primo & immediate in nobis *vitio calidi innati influentis*: quādiu. n. illud est in corpore tādiu viuimus. tunc vero mors accedit, quādo vltimus spiritus emittitur; verū calor iste ob multas causas perit, quoniā multa requirit, vt fungi possit officio suo: postulat enim liberos per corpus vniuersum motus, quib. si priuetur, suffocatur; quod ostendit mors, quæ fit in his, qui strangulantur: nam prohibito motu nec aer externus immittitur, nec fuliginosa excrementa, quæ à feruore cordis gignuntur, expirant.

Calidi innati naturam & significationem non esse simplicē, sed variam.

Mortis forma & immediata causa.

Quare idem accidit nostro calori, quod igni, qui suffocatur, cum fumus liberum non habet exitum nec aer immittitur aliquis qui ignem excitat, & alit. Postulat & calor certam temperiem, vt commodum fiat naturæ instrumentum, propterea corrumpitur per extinctionem à frigido, & intenditur illius qualitas ex prohibita transpiratione, & aliis causis, quæ illum acriorem, & vehementiorem reddere possunt.

Cæterum cum calor sine subiecto consistere, nec ferri per corpus, vel alicubi sua officia exercere possit, ideo humore eget sibi proprio, subiecto, & tanquam pabulo, ac mors quidem violenta est, quæ per suffocationem vel extinctionem caloris fit: quæ vero ob illius subiecti consumptionem accidit à solis ipsis naturæ principiis, illa sola secundum naturam est, & sine dolore, vt Aristot. etiam testa-

Mors violenta & naturalis quæ.

testatur *in lib. de vita & morte*; vt enim ignis consumpto humore, qui erat in ligno, & in flammam conuerso, marcescit & perit, ita noster calor paulatim dissipato, & consumpto suo humido & pabulo, quo alitur & sustinetur, simul euanescit & expirat: ablato autem calore, anima destituta suo instrumento, nequit amplius forma esse corporis, quare recedit, ita vnione dissoluta mors sequitur, idest, viuentia esse desinunt; id quod (vt diximus) fit, quia primum calor deficit, id quod accidit, quia humidum illi deest; humoris autem defectum peperit calor noster ipsi insitus, dum eum calefacit vertitque in vaporem. Verum cum humor sit vnus in nostro corpore, qui partes siccas glutinat, & vnionis continuitatisque partiũ est causa, alius, q partes reddit molles & plurimo rore atque sudore præditas: alius vero, (vt diximus,) qui in animalibus gignitur in corde, vel in parte, quæ cordi proportione respondet, non primus ille quidem humor per naturalem mortem consumitur & perit, sed post mortem adueniente putredine, & corruptionis cadaueris, quæ naturaliter fit per putredinem, est causa.

Triplex humor in nostro corpore & quis per naturalem mortem consumatur.

Sed alius est humor, quem diximus esse inditum singulis membris & plurimus agnoscitur esse in ortu & primis ætatibus, non solũ in animalibus sed etiam in plantis, quæ ob illius copiam facile flectuntur, maxime & felicissime crescunt, nutriunturque: quandiu enim pro ratione caloris sufficientis ad vitam & vnionem animæ cum corpore retinendam ille adest & abundat, tamdiu plantæ viuunt: quæ vero influentem calorem vel non habent, vel non ita euidenter, vt animalia, præsertim, quæ cor habent, hæc (vt diximus) tunc pereunt, quando aereus & spirituosus ille humor, qui à corde continuo emittitur, deficit, ad hunc autem humorem, sicut etiam ad alium, vterque calor cõspirat, & qui insitus est singulis membris, & qui ipsi spiritus inditus, sed hęc alio loco diligentius enarrauimus: Ad id vero, quod ad rem propositam attinet, iam accedamus.

Vita cur non possit esse perpetua.

Nam si tamdiu durat vita, quamdiu restituitur humor, fit autem hæc restitutio per nutritionem, cur non licebit alimenta suppeditare corpori, & illud nutrire, & ex nutrimento affundere humorem, quandiu placebit, & rerum natura alimenta exhibebit, atque ita vitam perpetuam reddere? Verum cum hoc fieri non posse, ostendat omnium mors, quærenda causa est, quæ facit, vt vita perpetua esse non possit. Quidam sunt, qui credunt, id accedere vitio alimentorum, quæ non apta sint talem reparare substantiam, qualis est illa, quæ quotidie dissoluitur: verum cum ex iis nutriamur, ex quibus constamus, & semen ex quatuor humoribus sit confectum, ii autem ex alimentis sint geniti, possunt vtique alimenta suapte natura similem præbere substantiam ei, quæ est consumpta. Alii vero dicunt, primum illum humorem, de quo agimus non posse augeri, sed perpetuo minui; quos refellit corporis incrementum, quod fit in primis ætatibus, & in aliis nonnullis, & vsque ad senectutem perseuerat, addita carne, & alia substantia, ex qua corporis moles crescit; at nequit augeri corpus, nisi plus reponatur humoris & substantiæ, quam sit vi caloris consumptum: docent idem morbi, qui extenuant corpus, post quos solita, & maior nõnunquam crassities ex nutrimento assumitur, augeri ergo potest humor & calor noster, nam hic ad illius incrementum crescit; Galenus *in libro primo de sanitate tuenda* tradit, calorem nostrum ab initio ad finem vsque corpora nostra exsiccare, donec eo perueniat exsiccatio, vt humor deficiat, ex quo calor ipse refici solet, tunc enim mortem sequi. Verum si augetur corpus, vt diximus, in primis ætatibus, & in nonnullis aliis, quomodo semper exsiccatur corpus? Atqui experientia docet, quod Galenus tradit, verum esse: nam si corpora eorũ, qui recenter sunt nati, expendamus, ea longe molliora, flexibiliora, & ad dissolutionem, & euaporationem aptiora inueniemus, quam sint in subsequente ætate postea, id quod ostendit progressu ætatis perpetuo magis exsiccari corpora, omnia enim tandem dura, & squalida euadunt: dicemus ne ergo, augeri quidem substantiam, dum crescit corpus, siccius tamen illud semper reddi, nec posse cum eodem humore eandem reponi materiam? Aereus enim est, qui ex primis principiis inditus est, humor, & per multas concoctiones elaboratus in ventriculo, hepate, in habitu corporis, & in testibus: Qui vero ex nutritione additur humor, ea elaboratione priuatur, quæ in testibus perficitur; *quare non ex alimenti natura, sed ex coctionum numero, humor, qui additur, nequit esse prorsus similis ei, qui dissoluitur, sed semper deterior euadit substantia, quæ reponitur, si cum priore comparetur*; id, quod progressu temporis maxime apparet: nutrimentum enim, quod in senibus fit, frigidum & incoctum est, & ob id non solum ineptum ad augmentum, sed etiam improbum nutritioni: id ergo, quod in ea ætate euidenter apparet, in primis cœpisse certissimum est: Sed cur est, quod sicca qualitas continuo augeatur in nostro corpore? *id certe exactione caloris prouenit dissipantis humorem*: Verum quænam est causa, qua fit, vt calor nequeat æque humidam, & aeream similem prorsus substantiam procreare? *est* profecto vt puto, *humoris subiecti qualitas*, nam cum ille aereus esset & oleosus (vt ita dicam) & calor illam dissipare cœperit, redditur ipse calor acrior, atque ita acriores, sicciores que humores gignit, vt ostendunt humores, qui in pueritia, adolescentia, iuuentute, & declinante ætate procreantur, continuo sicciores, crassiores, & terreni magis: quia ergo vi caloris mutatur humoris qualitas, ipsum quoque calorem mutari oportet, & diuersam agendi vim accipere. Alia sumitur causa diuersę actionis ipsius caloris ex agendi modo, nam cum omne agens agendo repatiatur, necesse est calorem agendo continuo retundi, igitur cum primum esset prorsus integer, perfectum opus edebat, postea vero in dies agendo, sensim teritur ac flaccescit: vnde non mirum, si ab initio vsque ad finem deterius alimentum sibi parat, & non solum siccius, sed & tandem prorsus ineptum, & quia continuo agit in humorem sibi subiectum, continua autem nequit esse nutritio, & restauratio, quia necesse est præcedere publicas concoctiones, quæ non nisi certis temporibus fiunt, & mora egent, ideo rugosa euadunt nostra corpora ætatis progressu, *quia minus reponitur, quam dissipetur*, quod si tunc incrementum fit, est *ex pinguedine*, non quod solida substantia augeatur: ergo mors tandem aduenit rebus, nec potest vita perpetua esse *caloris vitio*, qui humorem & pabulum suum sibi congenitum insitumque

Cur sicca qualitas continuo in nobis augeatur.

Cur calor nequeat æque humidã & aeream substantiam procreare.

difficile; ita enim græce ista leguntur distincta; quæ quidem ostendunt, singula per se esse consideranda, & nouam difficultatem addere, non autem reddere, rationem longitudinis artis. Deinde Hippocrates non dixit artis inuentionem esse longam, sed artem ipsam, plurimum enim refert, si dicas, longo tempore opus esse ad artem aliquam inueniendam, & artem ipsam longam esse, & non nisi longo tempore disci posse; in illo enim artificis labor, in hoc artis difficultas ostenditur, fierique potest, vt diu multumque insudauerint artifices in arte quapiam inuenienda, & constituenda, quæ iam inuenta, & constituta, faciles ac paucas præceptiones habeat, quæ breuissimo tempore disci possunt. Præterea, cum vbique duo faciat instrumenta solum ad artes inueniendas, rationem & experientiam, frustra hic *Occasio* adderetur; quod si occasio additur, cur & quantitas & vtendi modus, locus, ordo, & cæt. non adduntur, quæ medicamentis experiundis in nostro corpore sunt consideranda? Quod si forte quis diceret, in experimento hæc contineri, quod scilicet is, qui experimento agit, qualitatem, quantitatem, modum, & prædicta obseruet; idem de occasione dicere liceat, cum eo teste *primo ad Glauconem*, nec disci nec arte comprehendi ea possit, sed solum exercitatione & experientia assequatur; atque hoc modo iterum frustra post experimentum occasio adderetur; quod si de inuenienda arte ageret author, perperam diceret occasionem esse momentaneam: licet enim in omni tempore inuentioni artis studere & præcepta condere, quibus ars constat.

Addo, si nulla adhuc est ars, cum inuenitur, quomodo longa dici potest? quod enim nondum est, nec breue; nec longum est; facit etiam id contra institutum authoris, qui, vt ipse testatur, non artis inuentionem docere vult, sed ea tradere per capita, quæ iam sunt inuenta. Postremo, sequeretur, nunc artem Medicam longam non esse, siquidem de sunt longitudinis assignatæ causæ: omnia enim aut certe plurima sunt experientia confirmata, & indicata, & agendi opportunitates notatæ; quod si ita est, alibi falso traderet, artem nobis adhuc longissimam esse. Hæc satis ad Galeni interpretationem.

Montani etiam refellitur. Montanus aliam explicationem cômentus est, quæ est absurdissima: ait enim, per artem hic intelligi artis vsum, & exercitationem, quæ sequitur habitum; totum enim vitæ tempus non sufficere, vt quis possit artem Medicam, quam didicerit, exercere, ipsam vero autem longam non esse, sed vnius anni spatio illam comparari posse: egregia sane interpretatio, quæ dimidio duntaxat temporis spatio differat ab opinione Thessali, quem Galenus *in primo Methodi* acerrime reprehendit, quod scilicet Medicinam vniuersam sex mensibus perdisci posse assereret; Montanus vero sex alios addit, & vno anno promittit Medici institutioné; quod si ita est, cur singulis annis eam operam discipulis non præstitit? Quod vero de exercitatione artis non intelligat author, idem refellit, quod supra diximus, nempe, quod in Medicina exercenda, & factitanda, non solum occasio remediorum, sed etiam qualitas, quantitas, vtendi modus, ordo, locus aptus ad agendum in corpore requirantur; deinde procemium non conueniret cum his, quæ docentur in Opere, quod Galenus putat esse ne-

A cessarium: nam ille vult artis præcepta docere, nõ autem artis vsum: is enim in particularibus consistit, quæ teste Gal. *lib. 1. ad Glauconem*, nec dici, nec scribi possunt. Præterea, non video, cur non possit Medicus, qui omnes artis partes ex authorib. sibi comparauerit artem factitare multo facilius, quã Montanus credit: videmus enim paucorũ annorum spatio iam doctos in arte Medicos, vsu medendi clarissimos euadere, neque eas difficultatès subire, quas hic author proponit: non enim cum periculo artem exercent, quia rebus vtuntur iam probatis, quarum vim tenent, & facile possunt iudicare de rebus, & occasiones obseruare: nam ex artis cognitione, & aliquo vsu redduntur hæc difficilia quidem, sed non incomprehensibilia vna ætate hominis. Nos vero putamus, Hippocratem

B artem vsurpare in propria significatione, vt vniuersalia præcepta continet; Est enim ars ratione eorum præceptorum, ex quibus reuera constat, per se longa, id quod ex Galen. *multis locis* probare possumus: ait enim ille *in libro de plenitudine*, & *capite decimoquinto libri primi de crisibus*, artem esse longam, quoniam illius partes, & præcepta multa sunt, quæ non nisi longo tempore percipi possunt. Præterea, tota vita opus esse dicit, *in primo capite de dignotione pulsuum*, ad pulsus dignoscendos. Et *eodem libro cap secundo* aperte scribit, artem sua sponte esse longam, & *in libro de causis procatarcticis*, ait artem ab Hippocrate dictam esse longam, secundum seipsam, longioremque fieri à Sophismatis Medicorum; *sua sponte autem & secundum se longam* intelligere debemus ex his, quæ per se arti insunt, & arti sunt propria. Constat autem ars (vt ille tradit *in libro de optima secta*) præceptorum vtilium, & positis principiis consentientium, multitudine, non autem ex his, quæ sunt particularia, cuiusmodi est experimentum: artem enim non experientiam, sed principia inuenta, & comprobata tradit, nec iudicat ars de particularibus sed præiudicata ex illis collecta præcipit: occasiones in singulis non obseruat, quæ nec dici, nec scribi possunt, sed generalem quandam rationem præscribit, qua tempus ad agendum commodum percipere possimus. Ad id facit, quod

C

D *primo cap sexti de Simplicibus* scribit, Artem longam dictam ab Hippocrate, vbi studeremus per viam compendiosissimam, i. per ea, quæ sunt in arte ipsa vtilissima, artem ipsam comparare, & non in Sophismatis fabulis, & incantationibus tempus conterere. Ex quibus quidem locis satis constat, artem dicendam esse longam *ex præceptorum multitudine: & multis suis partibus difficilimis, quæ non nisi longo tempore disci possunt*; id quod verum esse, vnusquisque experitur, qui pro dignitate o-

E mnes Medicinæ partes tractauerit, & consequi studuerit. Quod si verum etiam est, longo tempore opus esse ad artem nostram inueniendam, tamen (vt iam satis ostendimus) cum author agat nõ de artis inuentione, sed de arte ipsa docenda, nihil ad rem præsentem illud facit.

Sententia autoris.

Ars vnde sit & dicatur longa.

Ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς.

Occasio vero præceps.

KAιρὸς Græcis, vt Galenus refert *in lib. de Optima secta*, duo significat tempus opportunũ ad

agendum, & morbi tempus; *in lib. vero de temporibus morborum* solum tempus morbi significare tradit, verbum autem (*occasio*) de tempore morbi non dicitur: quare non semper καιρὸς *occasio* verti debet, sed solum cum tempus ad agendum opportunum significat.

Occasio quid. Est autem occasio, vt *in libro tertio de victu acutorum* definit *textu vigesimo quinto, tempus, quo ex consuetudine, aliqua re vti consueuimus, vel quo aliquid iuuare solet*; *in libro* autem *de optima secta* definitur esse *tempus idoneum ad exhibenda remedia*.

Prima tamen definitio recipienda, vt quæ vniuersalior sit: non enim solum in remediis, sed etiam in victu, & omni actione, occasionem agenti quærimus.

Occasionis vis. Quantum Galenus occasioni tribuat ostendit, cum *12. de vsu partium* scribit, artem non fore longam, si occasio momentanea non esset; & cum *primo ad Glauconem, statim in principio*, totam medendi Methodum solum constare scribit quantitate, qualitate, modo, & occasione remediorum: difficultaté huius rei ostendit *eodem loco*, cum non nisi à peritissimis Medicis eam dignosci posse, scribit, propterea pingitur occasio capillata solum circa frontem, vt intelligatur, semel duntaxat inueniri, & apprehendi posse in vno, & non in pluribus locis, & non solum Medici, sed etiam Poeta illius vtilitatem nouit, cum cecinit;

Temporibus Medicina valet, data tempore prodest,
Et data non apto tempore vina nocent.

At tantum abest, vt recentiores interpretes locum hunc pro dignitate explicent, vt nihil omnino attingant, quod ad Medici institutionem pertineat: cum enim, quid sit occasio, & quotuplex sit, & qua ratione deprehendi possit, & quæ momentanea, & in quibus, docendum esset: hæc omnia prætermittunt, & satisfecisse alii se officio suo putant, si Galeni duo verba repetant, *occasionem* scilicet *momentaneam* esse ob facilem corporis mutationem, & alii, vt Curtii studiosi, ineptius sophisticentur de re non intellecta, cum quærunt, an à tempore sumatur aliqua indicatio: quid enim id ad rem propositam pertinet? docet quidem Galenus *in quarto libro Methodi*, à tempore, quo quis laborare cœpit indicationem ad curandum non sumi, sed solum signa ad affectus naturam cognoscendam; hic autem de tempore apto ad agendum disserimus.

Occasio duplex. Cæterum, duplex est occasio, *vniuersalis vna, particularis altera*; vniuersalem appellamus occasionem, longius quoddam tempus ad id quod volumus, peragendum accommodatum, de qua quidem Hippocr. sæpius agit, veluti cum scribit in *Aphor. in principio*. *si quid videtur mouendum, moue*, item, *in acutis passionibus raro, & in principiis purgandum*.

1. Vniuersalis. Sect. 2. aph. 29. sect. 1. ap. 24. sect. 1. ap. 22.

De eadem agit in Aphorismo, *Concocta medicari*: constat enim, morbi principium, in quo mouere possumus, sæpe aliquot dierum & mensium spatio circumscribi, quod ad mouendũ euacuandumque corpus est idoneum, sicut & pars ea morbi, in qua noxius humor est cõcoctus, ad purgationem est accommodata: ac nos quoque per sanitatem hæc commode fieri, vt victum exhiberi, & alia per morbum, vt remedium, dicimus, quo casu vniuersum tempus, quo sani sumus, vel morbo laboramus, aptum ad ea obeunda, quibus egemus, statuimus. Particularis autem occasio est illud angustinum tempus quo iam re aliqua vtimur, cuius mentionem facit Hippocrates in Aphorismis, cum momentaneam occasionem vocat, & Galenus *primo ad Glauconem in principio fere*, quando eam scribit cognitu esse difficillimam, adeo vt vix etiam ab exercitatissimis Medicis cognosci valeat; nam aliam omnes facile cognoscere & apprehendere possunt. *Particularis.* Illud vero iam explicandũ diuerso modo, quod scribit Galenus, ait. n. ille *in primo ad Glauconẽ in principio*, medendi Methodũ constare qualitate, quantitate, occasione, & modo remediorum: At *in arte medicinali*, vbi agit de causis salubribus, totam medendi rationem scribit contineri qualitate & quantitate remediorum, nec addendam esse occasionem, tanquam tertium separatum, quoniam in qualitate & quantitate continetur.

Hanc controuersiam nullus ante nos dissoluit; docuimus enim *in libro de officiis Medici*, probabilem esse vtramque opinionem: nam quoniam corpus nostrum in perpetua quadam mutatione versatur, describi nequit certa qualitas & quantitas rei, quæ ad illius vsum adhibetur, nisi certum tempus statuamus, in quo illud perinde afficitur, vt tali & tanta re opus habeat, præterlabitur enim & mutatur nonnunquam temporis momento corporis status, vt ea quidem inutilia reddantur modo, quæ paulo antea iudicata sunt optima: siquidem absente morborum accessione, vtile censemus esse (ita forte exigente affectu) venam tundere, aut medicamentũ propinare, vel clysteres inijcere, qua statim adueniente, nihil horum amplius opportune adhiberi potest.

Quare nemo de qualitate, & quantitate præsidiorum deliberare potest, qui prius non constituat tempus, in quo putet huiusmodi esse corporis affectũ, vt illi tale tantumque præsidiũ debeatur: antea vero quã qualitas & quãtitas inuẽta sit, scopum facit distinctum occasio, ad quantitatem, & qualitatem affectus corporis docendam necessarium: sic enim, quod Galenus ait *ad Glauconem, se ad docendam occasionem tanquam tertium quendam scopum ponere*, intelligere oportet, quod scilicet ad inueniendam, & docendam qualitatem, & quantitatem affectus conferat; id quod facit, quoniam mutationem, quæ in corpore fit, ostendit.

Hac sane ratione morborum tempora notamus, cum dicimus, *in principio morbi acuti mouendum esse*, quod nobis huiusmodi tempus monstret corpus perinde affectum, vt mouente remedio illi sit opus: contra vero in statu non esse vacuandum dicimus, non quod significetur eo tempore virtus corporis infirma, quæ vacuationem ferre nequeat, quemadmodum *in libro de optima secta* scribit Galenus (quippe cum sæpius in grauissimis etiam morbis citra vllam noxam vacuationes sustinere possit) sed quoniam affectus eo tempore vacuationem non exigunt, sed alterationem potius & coctionem; declinationes vero morborum aptissimas ad purgationẽ esse putamus, propterea, quod

quod in ea morbi parte notauimus humorem esse concoctum, & ad vacuationem idoneum: eodem denique modo purgationem, vel alia remedia in præsenti vel sequenti tempore ægrotis describimus, quod credamus, tunc huiusmodi fore corporis statum, vt eo remedio opus habeat. Quæ quidem etsi recte dicantur, tamen satius esse duco, vt occasionem ab aliis scopis seiungamus: sic enim res facilior euadet, & ratio id suadere videtur. Nunc videndum est, qua ratione liceat agendi occasiones assequi.

Qua ratione liceat occasiones agendi assequi.

Scribit Galenus *in lib. de optima secta*, eos errare, qui vniuersalem occasionem ex morbi temporibus sumi dicunt, cum tamen ipse *nono libro Methodi* scribat, remediorum tempus à quatuor morborum temporibus indicari: & *in libro secundo de differentiis febrium*, cibandi tempus per morbos, ait sumi ex accessionis & intermissionis tempore, merito refellendi sunt ii Galeni loci, quos adduximus *ex Methodo & libro de differentiis febrium*: nam morborum tempora non indicant occasionem, sed morbos, & illorum causas ostendunt esse in certo statu, quo præsente, tunc remedia adhidere oportet, id autem est *coindicare*; non autẽ *indicare*. Recipienda autem illius est opinio, *in libro de optima secta*, vbi scribit, vniuersale occasionem sumi ex præsentia eorum, quæ remedium postulant, & absentia eius, quod potest impedire: merito enim credere debemus, tunc esse tempus opportunum ad agendum, quando adest id, quod actionẽ postulat, & absunt ea, quæ impedire possunt, & hoc in omni quidem statu verum est, siue remedia, siue victus, aut alia præsidia sint adhibenda, aut aliud quid faciendum. Cæterum particularem occasionem ex præsentia illorum, quæ postulant, & absentia eorum, quæ possunt impedire, & præterea ex remediorum sequentium cõsideratione, & ægri proprietate sumi, tradit idem author; verum nulla ratio cogit, vt alios scopos addamus præter eos, à quibus vniuersalem occasionem sumi diximus: nam ægri proprietates, & non solum sequentia præsidia, sed etiam antecedentia, & affectus, qui antecesserunt vel subsequuntur, prohibent vel permittunt aliquid fieri. Sed hæc *in libro secundo de officiis Medici* diligentius docuimus, aut vero si ex his occasio sumitur, cur est, quod Galenus tradit *in primo ad Glauconem*, vniuersalem occasionem posse, particularem vero non posse scribi? Scribi autem posse intelligit ille, & scopos quosdam literis mandari, ex quibus singula ducuntur; quemadmodum locos affectos, & causas describi dicimus, quoniam scopi quidam ponuntur, ex quibus causæ & loci affecti notitia petitur; etenim scopos, vt in vniuersali, sic in particulari occasione inuenimus, tradidimusque. Porro, si intelligamus, nullo modo scribi posse, quæ ostendant particularem occasionem, fallimur, siquidem vniuersales illius scopi explicantur & docentur, sed ad minima vsque inuestigari nequeunt vt vniuersalis occasionis scopi; facile enim est in illis id, quod remedium & victum postulat, notare & quod repugnat, illorumque differentias vsque ad minimas prosequi: non ita in particulari occasione euenit: nam cum à proprietatibus hominum, & præcedentibus, sequentibusque affectibus & remediis sumatur, propria autem hæc sint vnicuique, & infinitæ proinde hominum proprietates, varietque præterea numerus præteritorum, tum

A futurorum remediorum, & affectuum in singulis, non mirum, si hęc literis tradi nequeant, siquidem quæ peculiaria, & propria sunt vnicuique, vt nullo certo numero continentur, sic nec arte vlla comprehendi possunt; Quare, optime Galenus non nisi ab exercitatis Medicis huiusmodi occasionem cognosci scribit, nimirum, quod ex particularibus multis petatur, in quibus non ratio, sed experientia versatur.

His positis, sequitur exquitur explicandum cur occasio momentanea sit, & an omnis occasio sit momẽtanea, & si nõ omnis, an ea, quę est momẽtanea, sit in omnibus corporis statibus, & Medici operationibus.

Est autem momentanea, inquit Galenus, *quo-* B *niam corpus nostrum facile alteratur & mutatur*; & hanc interpretationem omnes recipiunt; verum, etsi corpus nostrum tum ab internis, tum ab externis causis mutetur, tamen ea mutatio, quæ ab illis fit, est insensibilis: adeo, vt non impediat Medici actionem; quod si extraneæ causæ & præter naturam in corpus agant, tunc magnæ & subitæ fieri possunt mutationes, quæ diuersum corporis statum efficiunt, ita, vt in qualibet mutatione diuersis præsidiis sit opus; quod patet in accessionibus febrium, in quibus frigus subito occupat corpus, & paulo post inæqualitas sequitur, postquam calor inuadit, quem sequitur capitis, & aliarum partium dolor, sitis, vigilia, alui deiectio, sudor, vrina multa, & quies; Fiunt hæc enim om- C nia breuissimo temporis spatio, & in singulis affectionibus diuersa sunt agenda. Verum in sanis longum tempus conceditur ad id præstandum, quod volumus, quia tales non reperiuntur mutationes, & propterea recte scribit Galenus noster *in libro de sanitate tuenda tertio*, occasionem in sanis non esse momentaneam: nec vero in morbis longis ita breuis esse potest, quin concedat longũ satis tempus ad ea agenda, quæ sunt necessaria: nam si in quartana febre opus sit venam secare, aut purgare, non vno momento temporis præterlabitur occasio, quippe, cum non multum referat, si hæc primo, aut aliis diebus, fiant. Idem ad huc apparet euidentius in hydrope, & aliis longis morbis, qui nullas habent aut leuissimas acces- D siones, horum enim causæ eundem tenorem agendi seruant, & propterea subitas non faciunt mutationes, quæ occasionem mutare possint in breui tempore: igitur in solis acutis morbis, in quibus corpus celeriter statum mutat ob causarum agentium vehementiam, occasio est preceps, *& quanto acutior erit morbus, tanto breuior erit occasio*, adeo, vt in acutissimis duntaxat momentanea dici possit, in aliis vero tanto longior sit, quanto morbus magis ab acutissimo recedit: non enim æquale oportet esse occasionis spatium in morbis spatiis, & celeritate differentibus. Patet E ergo, non vniuersalem, sed particularem occasionem esse breuem, & qua ratione ea, & in quibus momentanea sit aut longior. Accidit tamen, vt vniuersalis, & particularis aliquando coincidant, vt in angina, tetano & in aliis peracutissimis morbis: nam, vt tempora vniuersalia morbi & particularia eadem sunt, ita occasio vniuersalis & particularis eodem tempore concluduntur. Hæc satis hoc loco de occasione.

Occasio an omnis sit momentanea & si non omnis, an quæ est talis, sit in omnibus corporis statibus & Medici operationibus.

Qua occasio sit momentanea aut breuis.

Ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή.

Experimentum periculosum.

Experientiã quatuplex.

DVplicem esse experientiam, vnam, quam particularem, simplicem, & primam vocant; aliam veram tritam, & ex particularibus illis conflatam. meminit Galenus *in libro de subfiguratione Empirica*, vnde & diuerso modo experientiam definit, vt cum *in libro de optima secta*, ait esse cognitionem, quam à se quispiam proprio intuitu cõsequitur; verum, cum intuitu nostro corporis affectus, & quæ iuuant, aut lædunt, cognoscere possimus, non illorum, sed horum cognitio experimentum dicitur. Alio loco experientiam esse dicit, eius, quod sæpius, & eodem modo visum est, obseruationem, siue memoriam, vel potius (vt inquit Aristoteles *in vltimo capite 1. posteriorum*) ex sensu fit memoria ex hac experimentum, ex hoc Vniuersale. Quomodo intelligimus Medicum expertum & Empiricos vocamus Medicos, non qui res nunquam expertas primo experiantur, sed qui ab aliis iam experientia comprobata, in particularibus sæpe experti fuerint in vsumque medendi duxerint; Hoc autem loco Galenus experientiam sumit pro prima & noua alicuius rei probatione, & vsu, quod ostendit, cum scribit, *ea experiri, quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculum.* Mihi autem vtroque modo ab authore experientia sumi videtur; nam etsi periculosum est ea experiri, quæ antea nunquam in vsum venerunt, tamen non sine periculo sæpe his vtimur, quæ ab aliis obseruata fuerint, cum nonnunquam vti cogimur vehementissimis rebus, quarum vis compesci non potest, veluti cum cãtharides ad vrinam prouocandam exhibemus, quæ non solum medicamenti officium præstant, sed propria veneni natura assumpta vesicam, aut aliam partem vrinæ destinatam, sæpe exulcerant, sic ob qualitatem rei propriam, vel tempore, vel ex mala præparatione accepta, periculosa redduntur medicamenta, quo modo antiqua pharmaca, vel recentiora plus, quam oportet, vel male confecta, aut perperam seruata, periculosa esse dicimus; quoniam præterea quantitatem rerum iustam certa mensura deprehendere non possumus. non mirum, si etiam ob quantitatis excessum, vel defectum sæpe incommoda incidant; Item, cum importune, nec eo modo, quo oportet, & ordine, nec quibus conuenit, exhibentur, medicamenta, vitæ periculum adferunt.

Experientia quid.

Cantharidum vsum ad prouocandam vrinam esse periculosum.

Medicamenta vnde reddantur periculosa.

Quare, si quis materia medica, sine periculo vti volet, vtatur primo iam expertis, & in illis scopos, quæ antea tradidimus, alioqui studeat; Verbum autem σφαλερή quo vtitur Hippocrates & Galenus, *periculosum*, interpretatur, *fallax* etiam significat, quo significato Oribasius vsus est, & vtramque interpretationem admittit author; vt enim periculosa est experientia, sic & fallax, nisi enim ratio adhibeatur, quæ omnia distinguat, & diiudicet, sæpe nos fallet experientia, vnde Philotheus recte dicere videtur, exprimentum ob id fallax esse, & incertum, quoniam iudicium difficile; & Galenus scribit, rationem non leue momentum obtinere, ad experientiam vel ornandum, vel corrumpendam: *quantum enim recta ratio ornando adiicit, tantum vel etiam amplius, (* inquit*) vitiosa detrahit.* Itaque qui recte experiri

Item & Fallax.

Experimentum cur fallax & incertum.

A volet, & nõ falli experimentis, arte prius discat, qua omnia distinguere, & ea singulis accommodare recte possit; Verum etsi vtraque experientia periculosa sit, ea tamen, in qua experiri volumus, quæ nunquam antea in vsum venerant, geminum habet periculum: nam & illi, qui experientiam facit, & ei, in quo facit, periculum imminet, cum ignoretur, an tuto illud contrectari possit, vel non.

Ἡ δὲ κρίσις χαλεπή.

Iudicium difficile.

B IVdicium intelligit perperam Oribasius, quod in morbis fit, idest, crisim; quorsum enim Hippocrates in difficultatibus recensendis, quæ à Medico superandæ sunt, dixisset crisim in morbis esse difficilem? Galenus *rationem* interpretatur, quod scilicet iudicium à ratione proficiscatur, cui interpretationi repugnat primo authoris dictio: Non enim agit de ratione, sed de iudicio: Deinde, non omne iudicium, (vt ille ait *in libro de sectis*) à ratione procedit: ait enim eo loco, duo esse genera iudicii, vnum, quod à sola ratione procedit? alterum à rebus his, quæ euidenter apparent. Quare si eo, quod iudicium à ratione procedit, rationem per iudicium intelligere debemus, licet etiam iudicium sumere pro his, quæ sensibus sunt nota, si

Quid per iudicium intelligatur.

Iudicii duo genera.

C quidem ab illis quoque iudicium procedit. Quoniam vero *in Methodo medendi* scribit, ad artium inuentionem esse opus experientia & ratione, ideo vt suæ interpretationi, in qua putat Hippocratem hic agere de artis inuentione, dictionem accommodet, iudicium per rationẽ exponit: Verũ cum Hippocrates non agat hic de artis inuentione, sed de omnibus difficultatibus, quæ à futuro Medico sunt superandæ, non alio modo iudicium interpretabimur, quam omnes vsitata & vulgata significatione sumunt, *difficile enim est iudicare de his, quæ ad Medici institutionem pertinent; & propterea iudicium difficile*; difficultatem enim ostendunt *tot tantaeque sectæ, quæ in medicina sunt ortæ, & maxime controuersiæ, quæ in singulis sectis agi-*

Difficultatem quid possimum efficiat.

D *tantur de omni Medicinæ parte*: & non solum quidem in arte ipsa discenda, sed etiam, dum illam factitamus, perdifficile est iudicare de his, quæ fiunt in particularibus à natura, & medicamentis.

Quapropter non est aliena Empiricorum interpretatio, quam obiter *in Commentario* refert Galenus, vt crisis pro ἐπικρίσει, idest, iudicium pro adiudicatione sumatur, in singulis enim difficile est inuenire, quod vnicuique adiudicare, idest, attribuere oporteat.

E Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιοῦντα.

Nec solum seipsum præstare oportet oportuna facientem.

LOquendi hæc formula nimium sapit Græcismum, quare seruata sententia ita dicerem, *nec solum oportet Medicum ipsum præstare, quæ debet sed &c.*

Hacte-

Hactenus Hippocrates docuit difficultates, quæ sumuntur ex arte ipsa discenda & exercenda: nunc vero alias addit, quæ sumuntur ex persona ipsius Medici & aliorum, quorum opera necessaria est in medicina factitanda; quasi diceret, *qui futurus est insignis Medicus, non putet se omnia consecutum, si artis longitudinem sua diligentia, & studio in vita tam breui superauerit, & occasiones agendi nouerit, & tuto omnia sciat experiri, & de singulis rebus bene iudicare: nam multa alia in persona Medici requiruntur, & in ægro, & ministris, & exterioribus, quæ alias non minores difficultates Medico ad famam & gloriam comparandam afferunt.* Ac quoniam plura requiruntur in prædictis, quam Aphorismi breuitas comprehendere possit, ideo solum admonet vno verbo, quid eos præstare oporteat: *omnes*, inquit, *præstent, quæ illis conuenit præstare.*

Quid in persona Medici requiratur.

Quid autem in persona Medici requiratur, conantur nonnulli docere, quod scilicet oporteat illum esse sapientem, doctum, expertum, mansuetum, quorum quædam iam sunt comprehensa alia vero non satis explicant pro sua dignitate: nam qui artem tenet, doctus est, & qui omnia scit oportune & cum iudicio experiri, ille experientia non eget. Scripsit Hippocratis integros libros & sparsim in aliis multa quibus personam Medici instituere nititur, quæ nos certa & breui Methodo ita comprehendemus, vt quædam ad illius animum informandum, alia ad corpus, alia vero ad externas illius actiones pertinere dicantur. Itaque, in primis fidem, deinde amorem erga ægrotantem *in libro* inscripto *de Medici officio* in Medico requiro; quod etiam Galenus facit, quod optimus Medicus sit Philosophus: si enim Medicus illa non habuerit, nunquam nisi spe præmii, mouebitur ad ægrum sanandum; vel etiam ad mala aliqua in cura perpetranda excitabitur. Ingenium præterea summum in Medico requiro, vt scribit Galenus *in libro de Præsagio ex pulsibus*, quo se omnium moribus accommodare & fraudes, quibus versuti quidam, vel vrinæ falsæ inspectione, vel alterius rei consideratione eum decipere, & ridiculum reddere conantur, euitare possit, probis moribus sit ornatus, vt Hippocrat. *in libro de officio Medici* scribit, quibus se omnibus amandum & colendum reddat: vitam honestam ducat, quæ ad authoritatem comparandam plurimum facit; minime auarum Medicum esse decet, Hippocrat. nostræ artis autoris exemplo, qui dicebat, non esse æquum, vt liberæ artis professor, pecuniæ mercenarius reddatur: Est enim virtus per se expetenda, & exercenda, non quæstus gratia, præsertim quod liberaliores, quæstus liberalior sequitur; non superstitiosum, sed candidum, &, vt vno verbo dicam, optimum Medicum virum optimum esse oportet. Porro, quæ ad Medici corpus exornandum pertinent, hæc sunt in primis (vt Hippocrates *in libro de officio Medici* scribit) prospicere debet, quatenus suapte natura possit, vt corpore sit sano, valido, colore optimo, neque enim vulgo is recte alios curaturos videtur, qui sui ipsius corporis diligentem curam non habet: Vnde aduersus eos illud dicitur ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Deinde cum exteriore habitu ita ornatum esse oportet vt, neque nimio sumptu arrogantiam neque parciore sorditie, vilitate, & abiectionem in-

A dicet, sed moderato, & politiore honestus, iucundusque ægrotis appareat; Et ne quis putet, nos superflue hæc prosequi, Hippocratem legat *in libro de decenti ornatu*, & Galenum *lib. 6. de morbis vulgaribus*, qui ita in Medici habitu explicando occupantur, vt vnguium, & capillorum etiam moderatæ incisionis curam habeant. At vero, externas actiones alias omnibus communes, cum quibus Medicus viuit, alias ægrotis proprias esse dicemus; Viuet autem, vt neque arrogans, nec superbus, nec abiectus, nec asper, nec adulator, sed humanus, moderatus, temperatus, comis, affabilis, iucundus, seruata tamen grauitate conspiciatur; Aegroti vero causa, quædam extra domum ægroti, quædam in domo ipsius ægri

B fiūt, extra n. omni diligētia vtetur in parandis bonis remediis apud seplasiarios, & in omni alia re excogitanda, quæ ægro vtilis esse possit; Aegri vero domum non sæpe frequentabit, nisi magna necessitas postulare videatur; nimia enim hæc diligentia, Medici authoritatem minuit, & fastidium domesticis, & ægro etiam ingerit. Quare eo tempore Medicus ad ægrum proficisci debet, quo & necessarium illi videatur, & se expectari, & ægrum sua præsentia delectari speret. Quod si expediat, vt in magnis, & periculosis morbis accidit, vt si ministros rite omnia, quæ iusserit, esse acturos diffidat, apud ægrum pernoctabit, Ingressus vero domum Medicus, à fœminis, virgunculis, cæterisque rebus non parui momenti, qui om-

C nibus horis occurrunt, non solum manus, sed etiam oculos abstineat, & si quæ viderit tacenda, taceat, & postea quam de ægri statu ab assistentibus percontatus fuerit, ad infirmum ingrediatur; Ingressum autem vult Galenus fieri sine strepitu, submissa voce, quod *vt plurimum* faciendum esse intelligendum est, aliquando enim vt in soporosis affectibus aliter fieri debet, & postea quam apud ægrum constiterit, ita corpus componat, vt ex vultus, & habitus compositione æger probum, humanum, iucundum, & grauem hominem cognoscat: *nisi enim* (inquit Galenus) *Medicum æger, vt Deum quendam admiretur, nunquam illius preceptis obtemperabit.* Medicus autem ægrotum ipsum ita alloquetur, vt non solum eum, sed etiam

D astantes ita efficiat, vt neque argumento, nec prolixitate aut garrulitate vnquam offendat: nam vt ait Hippocrates, petulantia, & garrulitas despicitur; Quinetiam aliquando efficaces ita oportet esse Medici sermones, vt ægrotum ad omnia remedia subeunda repugnantem allicere possint, & ita iucundi, varii, & spe pleni, vt cum multo quietiorem, & melius sperantem relinquat: in pollicitationibus tamen modus adhibendus est, ne immoderatis negligentior æger fiat, aut parcioribus in desperationem adducatur.

E Astantes autem ita instruet, vt neque liberalioribus instructionibus illi ægrotantem nimia licentia perimant, aut seuerioribus in eo, quod vel nihil, aut minimum quidem obesse poterat, excrucient, & pro remedio morbum alium excitent, aut præsentem intendant, & augeant. Ab ægro autem discedat Medicus, cum bene sperantem, & quietiore animo esse viderit: & penitus eum deseret, cum medicina amplius non egebit, & si quid mali superest, à sola natura vinci potest.

Ac ne singula in hac re prosequamur, quæ A propemodum infinita sunt, & nullis præceptis satis explicari possunt, ad has omnes difficultates superandas, & tantam rem consequendam, hortatur Hippocrates, vt ex tota hominum multitudine prudentissimi natura eligantur, & ingeniosi, qui Philosophia deinde instructi, Deo (inquit) euadent æquales, & omnia prædicta commode præstare poterunt; & Galenus etiam scribit, oportere Medicum esse etiam Philosophum, non solum vt ex Philosophia adiuuetur ad artem propriam consequendam, sed maxime ad prudentiam discendam, & optimos mores efformandos, quæ Philosophia Christiana multo melius, quam Ethnica præstare potest.

Cur Medicum etiam oporteat esse philosophum.

Ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα.

Sed & ægrum.

POsteaquam Medici personam instruxit Hippocrates, admonet ægrum, vt ille etiam, quæ ad se pertinent, recte faciat, id est, ea præstet, quæ ad salutem propriam recuperandam pertinent, quod quidem faciet, si Medico prius paruerit, & cognouerit, se cum Medico morbum oppugnare debere, non vt morbo faueat, & Medici actionibus reluctetur. Constat enim ars *Medico, Ægro, & Morbo*, quorum Medicus, & Æger, communi consensu, & concordia ad morbum propulsandum conuenire debent, quod si alteruter à pugna hac se subtraxerit, aut etiam inimico suppetias tulerit, non nisi casu, vel naturæ prouidissimæ beneficio vinci poterit morbus, & æger liberari.

Ars medica quibus constet.

Est ergo & hæc summa ægri virtus, *obedientia*; deinde *fortitudo*, qua præditus, omnia inuicto animo paratus sit sustinere, ne à remediorum austeritate & crudelitate deterreatur. Eundem & quieto animo, vel intenso præditum esse oportet, vt scilicet casus, resque exigunt; temperantiem, ne quid per intemperantiam & incontinentiam peccet; Prudentem, vt & Medicorum infirmitatem & astantium imperitiem, aut negligentiam, aut si quid temere accidit, absque perturbatione corrigere, & sustinere possit; Confidat enim Medico oportet, & tanquam virum doctissimum admiretur, vt posteaquam semel de illo hanc conceperit opinionem, authoritate illius motus, ad omnia facienda & subeunda ducatur: atque, (vt semel dicam) ita sese componat vt curationem, suamque salutem omnibus modis adiuuet, & promoueat, & nunquam sæuiendi occasionem morbo præbeat.

Ægri virtutes.

Καὶ τοὺς παρέοντας.

Assidentes.

ASsidentes vocat ministros ægri, qui astant ægroto, qui in primis deligi debent docti, & medicinæ non ignari, vt si quid absente Medico præter spem contingat, ægrum iuuare possint, & singula referre sciant Medico, quæ ægroto contigerunt. Præter doctrinam, & prudentiam, & authoritatem in astante requiro, vt se ad ægri ingenium accommodare valeat, & ægri libidinem, & incontinét iam compescere & animi contentionem, illiusque perturbationes sedare, & permouere, vbi expedit, possit.

Quid in astantibus requiratur.

Faciet ad hanc rem, si ægroto iam antea gratus fuerit talis minister, & ab eo ad id officium expetitus: mirum enim est, quantum ægroto grata hæc procuratio conferat, præsertim, si hominis illius talis natura fuerit, vt videatur sibi hoc munus quasi à natura concessum, quare optarem, mulieres ad hanc rem gerendam potius, quam viros institui, quod illæ ad ægrum cibandum, & contrectandum aptissime, à natura comparatæ videantur vt etiam à Sapientia dictum sit ægrum gemere, & grauiter affligi, vbi mulier non adsit.

B

Καὶ τὰ ἔξωθεν.

Exteriora.

PEr exteriora intelligere debemus alia omnia, quæ præter Medicum & assidentes, fortuito contingere possunt; aut illi ad curationem sunt necessaria: inter quæ habitationis locus primo occurrit, quem talem esse vult Hippocrates, vt nullus malus ventus molestet, lumine non careat, quod iis, qui curant, necessarium est: cauendum tamen, ne contra faciem ægri lumen sit, ne oculorum aciem debilitet, quanquam præstet de loco in summa aliter percipere, quod scilicet ad morbum propellendum conferat, & ægroto sit gratus: nam si æger melancholico humore laboret, habitatio eligenda in loco claro, & amœno: si phrenitide, in obscuro, & sic de aliis morbis, contrarius locus morbi naturæ opponetur, gaudent & ægroti magis vno loco, quam alio, quibus obtemperandum, nisi curationi id obsit, lintea, quæ circa ægrum admouentur, exteriorum nomine etiam veniunt appellanda, quæ puta, mundaque Hippocrates esse vult, contra receptam vulgarium Medicorum opinionem, qui putant malum esse, si æger linteis albis, & mundis inuoluatur: superstitio hæc est, & nihil ægro molestius, quam in sordidis linteis, & vestibus detineri.

Per exteriora quid intelligendum.

C

D

Per exteriora etiam remedia omnia, aliorum visitationes, nuncia, & alia huiusmodi sunt intelligenda, in quibus ea adhibenda est cura, vt quæcumque prosint, eligantur, & euitentur, quæ obesse possunt: non enim res hæc leuis est momenti, cum externa res, etiam minima, ita afficere naturam possit, vt illius actiones salutares, & impedire, & ad perniciem conuertere valeat: quod etiam Auicenna notat, Galli cantum Crisim impedisse, & naturæ motum peruertisse: Sit ergo Medico non minor cura in his percipiendis, quam in remediis excogitandis, & astantibus instruendis.

E

APHO-

Aphor. II.

Ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν, ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν, ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. οὕτω δὲ καὶ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἷα δεῖ, γένηται γίγνοιτο ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως ἔχουσιν, ἢν δὲ μὴ τοὐναντίον. Ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si talia purgantur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet; confert, & bene tolerant; sin minus, contra. Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & aetatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non.

PRoposito proœmio tractationem aggreditur & primò agit de euacuatione; postea de nutritione; postea *in fine huius libri* redit ad euacuationem. Nec absque ratione videtur id facere: nam magna pars ægrotantium, aut aliorum, qui Medicina egent, opus habet ab initio aliqua euacuatione, quam adhibemus per clysteres, leuem purgationem, & sanguinis detractationem, quibus peractis, victum instituimus accommodatum ad concoctionem humorum, & alia naturæ opera, quæ si nequeat sese liberare post concoctionem suis excretionibus vsa, cogitat Medicus purgare corpus, & aliis euacuationibus vti, vt humorum reliquiis à corpore eductis, pristina sanitas recuperetur. Vt autem patet ex ipsius authoris verbis, hunc Aphorismum agere de euacuatione; ita non constat inter interpretes, quid author in hoc Aphorismo docere velit; quidam enim credunt, Hippocratem velle hic agere de quantitate euacuationis, & hæc fuit antiqua opinio, videre est in *Commentario* Galeni: Alii vero, vt Galenus ipse tradunt, Hippocratem docere velle qualitatem euacuationis. Alii verò qualitatem humoris, qui euacuandus est, quàm opinionem etiam Gal. probat: nam *in Commentario suo* scribit, hic agi nunc de qualitate euacuationis, nunc de qualitate humoris euacuandi. Sunt, qui putent, scopum esse de qualitate & quantitate simul, eo quod Galenus dicat, purgandum esse, & sanguinem vacuandum: nam sanguinis missionem remedium esse aduersus plethoram, id est humores quantitate lædentes, purgationem verò non solum vacuare humores qualitate, sed etiam quantitate peccantes; purgandum enim esse, quando bilis, aut humor excepto sanguine exuperat, vel alienas habet qualitates, & magis in illo, quàm in hoc casu purgationem requiri; humoris enim excessum, qui plenitudinem facit, nō nisi euacuatione corrigi posse: qualitates verò humorum contrariis qualitatibus temperari, si modo contrariorum contraria sunt remedia. Et huius opinionis sunt Mōtanus & Curtius. Fuchsius, cum viderit Galenum scribentem, quod hic solum *tractetur* de qualitate humoris, in-

A terpretatur qualitatum speciem; itaque Hippocratem docere, quem humorem oporteat euacuare, eum scilicet qui nocet, siue sanguis sit, siue alius quilibet humor. Et sunt, quæ extant, inter se diuersę opiniones de scopo huius Aphorismi; ex quibus ego nullam recipio: nam primam de quantitate opinionem, tribus argumentis quibus Gal. aduersus eam vtitur, ita refello: Primum est, quod Hipocrat. vtatur verbo tali & quali, quæ non sunt nomina quantitatis, sed qualitatis. Secundum sumitur à nomine *purgationis*, quæ est euacuatio (vt idem inquit) humorum, non quantitate, sed qualitate peccantium. Tertia ratio est, quod de quantitate agat in sequenti Aphorismo: est autem à ratione docendi alienum, B idem præcipere duobus proximis Aphorismis.

Hippocratē in hoc apho. non agere de quantitate euacuanda. Purgatio cuius sit euacuatio.

Quod vero non doceat Hippocrates qualitatem euacuationis (vt Galenus putat) ita ostendo; sunt enim euacuationis qualitates illę & differentiæ, cùm dicimus, euacuationem esse bonam, vel malam, fidam vel infidam, facilem aut difficilem, symptomaticam vel decretoriam, perfectam aut imperfectam, vtilem vel inutilem, & aliæ huius generis; Atqui Hippocrates non docet omnes qualitates euacuationis, nec explicat Galenus, quas doceat, quas vero prætermittat & quid explicet de illis, quas fortè docet: Meminit quidem conferentis & facilis euacuationis: sed de illis nihil præcipit, sed eas sequi pro- C nunciat, si humores euacuabuntur tales, quales euacuare oportet. Præterea, scribit Galenus, Hippocratem hic admonere Medicum, vt noxios humores euacuet, vtiles vero non attingat: at hoc non est docere qualitates euacuationis. Nec vero dicere potest, Hippocratem hic docere qualitates humoris euacuandi: nam si docet vacuandum esse sanguinem, bilem, aut alium humorem, qui molestat (vt ille sentit,) non exprimit humoris qualitates, sed totam rem ipsam & substantiam, quæ educitur.

Nec agere de quantitate euacuationis. Euacuationis qualitates & differentia quæ.

Curtius vero, & Montanus, cum scribunt, Hippocratem hic agere non solum de qualitate, sed etiam de quantitate euacuationis, Galeni mentem non percipiunt: non enim sentit ille, D Hippocratem solum dicere velle, eos esse euacuandos humores, qui nocent sua qualitate, vel specie (vt alij volunt) id est, quod sit vel bilis, vel sanguis, sed quod Hippocrates in hoc Aphorismo euacuandi quantitatem non monstret, sed qualitatem, hoc nomine (vt diximus) intelligens id, quod est vacuandum, non curans hoc loco, an illud lædat, quod sit bilis, vel sanguis; aut quod præter naturam se habeant qualitates, an præter modum exuperent, & ob quantitatem obsint, aut alio modo: & propterea rectè ipse *in initio Commentarii* scribit, non de quantitate eorum, quæ euacuantur, sed de qualitate tantum sermonē esse. Dubium ergo est, an de quantitate vel qualitate ageret Hippocrates, id est, an E doceat quantum, vel quale sit euacuandum, non autem in eo est differentia, an ea, quæ euacuanda sunt, lædant semper sua qualitate vel quantitate. Nec vero rectè sentiunt, cum putant, purgationē potius esse remediū aduersus humores exuperātes, quam qualitate peccantes: non enim illi purgationis definitionem à Gal. traditā intelligunt: nam cum purgatio dicitur esse *humorum sua qua-*

Purgatio quid.

litate peccantium euacuatio, intelligere nequaquam debemus nomine humorum, eos, qui à medicamentis purgantibus educuntur, sed vniuersam humorum massam ex omnibus particularibus humoribus confectam: illa enim est, quæ est infecta, & ab ea corpus, & propterea purgatione opus habet; & ea fit, quando educitur humor, qui erat causa impuritatis: eo enim euacuato, puri & purgati redduntur humores, & corpus ipsum. Quod vero humoris nomen, & humorum massam cum de euacuatione agimus, significet, non peculiarem aliquem humorem, sed quod ex omnibus est conflatum, intelligere possumus ex eo, quod præcipit Galenus de sanguinis missione; solet enim dicere, esse opus sanguinis missione, quando humor vel humores quantitate peccant. Omnes autem ad proportionem peccant, quando plenitudo ad vasa vrget. Igitur si intelligimus humoris nomine totã massam, quãdo dicimus eos peccare, ita vt venæ sectione sit opus? cur etiam non intelligemus in eodem significatu humoris verbum, quando dicimus eos peccare qualitate, & propterea purgatione esse vtendum? Docet præterea idem, quod de qualitate humorum dicitur: nam tota ipsa massa est, quæ qualitatem mutat, & non quantitatem, quando purgatio necessaria est: nam quantuscunque fuerit excessus alicuius humoris, excepto sanguine, nunquam tota massa in quantitate exuperante vitium aliquod habebit, sed in sola qualitate: aucta enim præter modum bile, calidior & siccior: exuperante vero pituita, frigidior & humidior: vincente atra bile, frigidior & siccior, cessante aquoso humore serosior reddetur vniuersa humoris massa. Sed quia vno exuperante humore contrarium minui necesse est, ideo nunquam in tota mole humoris vitium aliquod fieri potest, quod distendat venas, vel ob suam copiam corpus grauet, ita vt sanguinis missione vti sit opus ad naturam exonerandã, sed (vt diximus) vitium quod fit in venis, & in massa humorum, spectat ad eorum qualitatem, *quæ nequit consistere bona & pura, si proportio nequaquam seruatur*: peccatũ ergo & vitium fit in humorum qualitate, ex qua illi redduntur impuri, & propterea purgationem requirunt, quæ quidem fit, cum humor, qui impuritatis erat causa, educitur: ille ergo, qui impuritatis erat causa, euacuatur, non purgatur: illi autem purgantur, qui manent & erant impuri, vitiatamque habebant qualitatem: ab effectu enim purgatio nomen accepit, vt Plato in Cratilo asserit: fit enim purgatio, & sequitur, quando illi humores, qui impuritatis erant causa, educuntur: sic enim Galenus *in libro 5. de locis affectis* ait, purgari hepar, cum excrementa pessima per aluum excernuntur: & *in libro 4. de vsu partium* scribit, renes factos esse, vt attractione humoris aquosi sanguis purgetur; eoque attracto humore, purus maneat: vnde constat, purgationem ad humores, qui relinquuntur, pertinere, fieriq; cum humor, qui illos inficiebat, educitur, & ita per consequens purum quoque & purgatum corpus euadit, quod à mala humorum qualitate, vt humores ipsi, erat infectum & impurum. Igitur illi, qui putant, Hippocratem hic agere de peccato humorum, in quantitate, eo quod purgatio ad eos etiam pertineat; aberrant.

Vitiũ, quod fit in venis & in massa humorũ spectare semper ad eorũ qualitatem.

Qui humores euacuentur & qui purgentur.

Verum, quoniam diximus, vitia, quæ fiunt in

Vitia, quæ fiunt in humorib. spectare an totam ipsam massam.

A humoribus, spectare ad totam ipsam massam, & quantitati exuperanti competere sanguinis missionem, & alia, quæ æqualiter vacuant; vitiosæ verò qualitati purgationem, videndum est, an sola purgatio remedium sit contra malam qualitatem humorum, quod si sola non est, quomodo intelligendum sit, illam esse auxilium contra huiusmodi qualitatem; quod facile intelligimus, si docuerimus vitia omnia, quæ in humorib. fiunt, & illorum causas. id quod commodè fiet, hinc sumpto initio: quoniam nostrum corpus varias debebat edere actiones, ideo necessarium fuit, illud componi ex partibus inter se discrepantibus, temperie, duritie, mollitie, crassitie, tenuitate, conformatione, magnitudine, quod non poterat fieri, si humorum massa, ex qua illorum generatio fit, vniformis esset, & ex vna substantia

B confecta; ergo est ex quatuor humoribus temperie & aliis qualitatibus discrepantibus, nempe, ex pituita frigida, humida, alba, viscida: ex humore melancholico frigido, & sicco, nigro, crasso, siue spisso: ex bile calida, sicca, tenui, & pallida: ex sanguine calido, humido, rubro, mediocriter fluxili: additur & serosus quidam humor, qui quotidie ex potu gignitur; ex his omnibus humoribus cõflatur massa quædam humorum, quæ sanguinis nomen accepit, eò quod colorem ipsius sanguinis referat, qui ad pondus exuperat, plus enim sanguinis est, quàm pituitæ: plus huius, quàm bilis pallidæ: huius plus, quàm humoris

Proportio humorum.

C melancholici, minimum enim huius est in corporibus bene affectis. Porro ex omnibus his humoribus inter se confusis; tota massa dicitur temperata euadere, & sufficere ad omnium partium generationem, & posteaquam generatio absoluta est, ad earum auctionem, nutritionẽ, & quantum cuiusque natura permittit, durationem: præterea ad spirituum generationem; & denique ad omnes actiones corporis & partium vitam. Ex seroso vero humore nulla pars gignitur, sed tota massa liquidior & ad distributionem aptior euadit, ita vt possit facile penetrare per venas & angustos corporis meatus ad omnium partium nutritionem. Cæterum tota ea humorum massa continetur in venis, & aliqua ex parte in arteriis:

Serosi humoris vtilitas.

D ad id enim natura vasa illa effinxit, vt sua concauitate continere possent hos humores. & vt multiplici diuisione & ductu spargerent per vniuersum corpus alimentum, spiritum, & calorem influentem: itaque humorum nostri corporis naturalis constitutio in his consistit, *vt debita tum quantitate, tum qualitate, tum etiam vt suis sedibus commixti, contineantur*: quandiu enim inter se confusi sunt, humorum retinent appellationem, vbi vero vnus ab aliis separatur, non amplius humores, sed propriè excrementum dicitur, adeò, vt verum sit, quod antea diximus, humoris nomine nihil aliud reuera intelligi, quàm quod ex omnibus prædictis est conflatum. At vero, si in qualitate, quantitate, & loco idoneo, virtus &

Humorum nostri corporis naturalis constitutio in quo posita.

Humor ab aliis separatus non amplius dicitur humor, sed excrementum.

E commoderatio humorum posita est, in oppositis erit peccatum & immoderatio: & quemadmodum ex illorum naturali statu corpus nostrũ bene valet: ita si in aliquo illorum peccatum aliquod oboriatur, sanitas nostra corrumpitur, nutritio, auctio, & aliæ actiones animæ & corporis, vitiantur; id quod ostendunt varii affectus, qui ex illis malis nascuntur: nam cum minuitur humorum

Vitia, quæ in humoribus fiunt vnde quæ sequuntur, quæ illorum causæ.

humorum quantitas, gracilitas, macies, & tabes sequuntur, & omnes actiones debilitantur: cum verò præter modum exuperant humores, oriuntur grauitates corporis, pigrities, tensiones membrorum, obstructiones meatuum, caloris natiui suffocationes, & vasorum ruptiones: quod si à propriis suis receptaculis exeant, fiunt sanguinis fluxus, apoplexiæ, epilepsiæ, phrenitides, pleuritides, anginæ, peripneumoniæ, podagræ, cæteri que huius generis morbi, qui ex fluxione humorum excitantur: quod si vnus ab aliis secernatur, certos etiam affectus excitabit, veluti si bilis, aut pituita, vel serosus humor, aut melancholia ad intestina feratur, fit aluus fluxus: si verò in aliqua parte firmentur, tumores excitant præter naturam, suis nominibus distinctos. Peccant autem humores qualitate, cum massa illa calidior, frigidior, humidior vel siccior est reddita: vel alienam aliquam qualitatem, nec propriam tanti massæ, neque humori alicui, assumpsit: veluti, cum pituita salsa redditur, & bilis æruginosa, vel vitellina, aut humor melancholicus in atram bilem transit: vel cum venenosa aliqua qualitas (qualis ex aere pestilenti, vel ex veneno sumpto, aut vibrato à morsu animalium, aut ex alia causa nascitur) humores inficit. Vitiatur etiam qualitas humorum, quando nimiam crassitiem, lentorem, tenuitatem, vel alias alienas qualitates secundas, (vt vocant) assumunt. Nec desunt quidem morbi ex vitiata humorum qualitate: nam febres omnes, & alii calidi, frigidi, humidi, sicci, & ex his compositi affectus ex iis consistunt. Præterea pestis, syncopes, animi defectus, epilepsiæ quoddam genus, & alii omnes maligni morbi. Sunt, qui referant has qualitates malignas ad substantiam & formam humorum, ita, vt vitium quoddam dicatur esse in humorum tota substantia, (vt Galenus loqui solet, vel vt nos Philosophos secuti) in forma, quibus ego non repugno, modo omnia vitia comprehendamus.

Vitia composita.

Sunt hæc simpliciter vitia humorum, ex quibus inter se iunctis composita alia fiunt, cum scilicet humores nocent ob malas qualitates, & exuperantem quantitatem, & quando ex locis suis exeunt: his malis succurrendum est per contraria auxilia: ergo si quantitas deficiat, augenda illa est, id, quod fit per nutritionem: si excedit, vacuanda, per ea, quæ æqualiter & sensibiliter, vel æqualiter & insensibiliter euacuant, eligendo propria præsidia pro natura plenitudinis, & eius vi & effectu, vt antea docuimus: quæ verò sensibiliter & inæqualiter euacuant, idonea non sunt remedia huius plenitudinis, in qua omnes humores ad proportionem æqualiter augentur: nam etsi educi possint per medicamenta purgantia reliqui omnes humores, excepto sanguine, tamen, quoniam sanguis, qui remanet, proportionem non potest seruare, aliis iam multum euacuatis, & propterea temperiem amittit humorum massa, ideo ab eo remedio abstinendum: quapropter recipienda non est, (vt antea quoque diximus) Galeni opinio, cum scribit, purgationem venæ sectionis vicem supplere. At si humores nocent, eo quod vel apertis, vel ruptis, vel erosis vasis effunduntur in alias corporis partes, pugnandum erit aduersus id, quod causa est patefactionis, retundendo scilicet acrimoniam, aut minuendo quantitatem, aut refrigerando caliditatem, aut euacuando eos, qui acrimoniam habent, aut incrassando, qui tenuiores sunt, quàm conueniat. Præterea, occludenda est via per propria auxilia: ad hæc adhibendæ sunt reuulsiones, deriuationes, repercussiones, quæ humorum impetum aliò conuertant: postremò quod in parte iam receptum est, insensibiliter, vel sensibiliter vacuandum, pro natura humoris, & loci conditione. Cæterum, si qualitate peccat humor, videndum est, quidnam sit causa illius malæ qualitatis: nam si totius massæ qualitas primo & per se vitiata est secundum naturales qualitates, veluti cum calidior facta est in febribus diariis, sola alteratione per euidentes qualitates malum corrigitur: si verò qualitas illa venenosa sit & maligna, antidotis emendatur: At si qualitas humorum ob qualitatem intensam alicuius particularis humoris est corrupta, videndum est, an illa possit alteratione vinci, & tunc alterantibus pugnandum: vt bilis calidior, refrigeratione temperatur: at salsedo, quæ est in pituita, vix potest alteratione emendari, quare euacuatione tollitur. Idem contingit in bile æruginosa & vitellina, quæ vel nullo modo, vel non nisi longo tempore contrario victu temperiem assequuntur. Cæterum, si aliquis ex particularibus humoribus exuperat, & ea ratione mutatur naturalis qualitas totius massæ, si alteratione malum emendari possit, ea vtendum: vt in pituita exuperante, quæ per concoctionem creditur in sanguinem mutari: quod si humor talis naturæ sit, vt alteratione illius vitium emendari nequeat, cuius generis est vtraque bilis, quicquid ex eo exuperat, educendum, quoniam ex ea nihil relinqui potest supra illius proportionem, quod naturæ cultum recipiat: atque horum quidem humorum eductio, & aliorum omnium, qui inficiunt totius massæ qualitatem, purgatio vocatur, ab effectu, quod scilicet illis euacuatis, tota massa purgata relinquatur.

Ex quibus quidem patet, purgationem non esse remedium aduersus omnes malas qualitates quæ in humoribus fiunt, quandoquidem (vt antea ostendimus) aliis auxiliis etiam pugnamus aduersus eas qualitates. Definitio ergo purgationis, cum dicimus, illam esse humorum qualitate peccantium euacuationem, ita intelligi debet, quod purgatio remedium sit aduersus malam qualitatem humorum, quando vacuatione vtendum est ad illud vitium emendandum: quasi ita dicendum sit, *purgatio est ea euacuatio, quæ debetur humoribus qualitate peccantibus*: nam & humor, qui educitur, etiam si plurimum exuperet, solum in qualitate peccatum facit: qualitatem enim totius massæ, & non quantitatem vitiat, & tota ipsa massa, quæ purgatur, in sola qualitate vitium habet, vnde etiam purgatio dici potest de humore, qui educitur, ad hunc sensum quidé, *cum purgatio fit totius massæ, educatur humor quia sua qualitate nocet*: nam qualecunq; sit in eo vitium, solum potest inducere in qualitate malú.

Purgationem non esse remedium aduersus omnes malas qualitates, quæ in humorib. fiunt.

Purgatio qualis euacuatio.

Vitia omnia quæ in humorum massa fiunt, solum inducere malum in qualitate.

His ita explicatis, ex quibus constat, eos errare, qui credunt, Hippocratem in hoc Aphorismo docere velle qualitatem, & quantitaté euacuationis, sequitur vt eorum opinionem examinemus, qui volunt, eundem autorem docere, quænam species humoris sit euacuanda: quorú sententia

etiam damnanda est: nam Hippocrates, qui aphoristicè & breuissimè hic docet, non esset vsus ea circumlocutione verborum, *si talia, qualia oportet purgare*, & si talis, *qualis fieri debet inanitio*, dixisset enim, *si id vacuetur, quod vacuare oportet*, id enim substantiam significat, quod nequit significare, *tale, quale*. Præterea, oportet intelligere, id esse euacuandum, quod cum euacuatur, eos affectus pariat in corpore, quos hic recenset Hippocrates: at si vacuetur bilis, vel pituita, aut alia species humoris, qui molestat corpus, non semper sequetur conferentia, & leuis tolerantia: nam in morbi principio adest humor noxius, nō tamen vtilis est, & cum leui tolerantia illius euacuatio, quippe cum autore Hippocrate crudæ passiones non cedant purgantibus medicamentis, & propterea expectanda sit concoctio, vt in Aphorismo, *concocta medicari*, postea docet: Aliud ergo intelligit Hippocrates per *talia, & qualia*, quam speciem & substantiam humoris euacuandi, nec aliud quidē intelligere potest, quàm *qualitatem*, id enim authoris verba ostendunt: sed non docet, quales oporteat eos esse humores, quoniam, vt postea ostendemus, id nō posset Aphoristica breuitas comprehendere: eas ergo qualitates supponit, & docet, quando expectanda sit vtilis, & facilis euacuatio; & id est, quod docet in hoc Aphorismo: non enim docet aliquid esse vacuandum, nec qualem oporteat esse humorem, qui vacuatur, sed ex hypothesi ita loquitur: *si purgentur*, inquit, *& euacuentur talia, qualia euacuare, & purgare oportet, sequetur conferentia, & leuis tolerantia*. Euacuationis igitur qualitates, & effectus optimos prænunciat; perinde enim est, ac si quis diceret: *Si febris molestat corpus, sequetur actionum noxa*: at, hoc non est docere, quænam, & qualis sit species, & qualitas ipsius febris, sed illam supponit, & quid ex illius præsentia sequatur, explicat; Sic sanè hoc in loco statuit docere, quænam vtilis, & facilis sit euacuatio, *ea est*, inquit, *in qua euacuantur humores tales, quales euacuare oportet*. Qualem verò oporteat esse humorem, ex cuius euacuatione sequitur conferentia, & leuis tolerantia, postea suo loco explicabimus. Vtitur autem argumento à maiori ad minus, quod cum intelligi non possit ex nostri interpretis versione, ideo prius verba, ex quibus argumentum elicitur, sunt rectè explicanda. Verba autem sunt, quæ sequuntur.

Sect. 1. apho. 22.

Quid Hipp. per tale & quale significet.

Ἐν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, &c.

In perturbationibus ventris, &c.

GAlenus *libro tertio de victu acutorum textu decimonono* ταράττειν verbum significare dicit *immoderatè excernere*: quare errat noster interpres qui ταραχὴν *perturbationem* vertit, communem verbi significationem, non Medicis propriam secutus: nemo enim est, qui perturbationis nomine intelligat immoderatam excretionem, quippe cum ventrem perturbatum eos habere etiam dicamus, qui vel nauseant, vel flatu distenduntur, aut alio vitio affliguntur: nec id quidem sine causa adnotatum est: solet enim Hippocrates, cum alicuius vim vult ostendere magnam esse, contrarium aliquod, quod magnā etiam vim habeat ad illius naturam corrumpendam adferre, vt cum hoc ab eo superetur, eius quod superat, vim maximam esse cognoscamus, vt *lib. de Natura humana*, cum de pituitæ frigiditate loquitur, videre licet, vbi ait: *Quæ vi trahuntur, ob eam violentiam, quæ in attractione fit, calidiora reddi solent: Atqui pituita etiam vi attracta, calida non sentitur: ex quo constat, pituitam maximè frigidam esse*: ita etiam hoc loco, vt maximam esse vtilitatem ostendat, cum humor, qui vacuatur, talis est qualis esse debet, illi adiungit vacuationis vehementiam, ex qua corpus perturbatur, quasi ita diceret: *magna per ventrem excretio corpus grauiter afficere deberet: Verum tantum abest, vt id faciat, vt etiam conferat, & facilè feratur magna hæc excretio, si modo excernatur humor talis, qualis excerni debet*: legatur ergo pro *perturbationibus, immoderatis excretionibus*. Vtitur ergo tribus argumentis, vt probet, Medicum, qui studet vtiles & faciles facere euacuationes, eligere debere tales humores, quales esse oportet, & primum sumitur ab imitatione naturæ: *nam si natura*, inquit, *in suis euacuationibus, quæ vtiles sunt, & faciles, exigit humores tales, quales esse oportet, meritò idem faciet Medicus naturæ minister*. Secundum autem, vt diximus, argumentum sumitur ex coniunctione contrarii: ex magnitudine, inquam, & vehementia euacuationum; quasi diceret: *si magnæ euacuationes, quæ naturam solent turbare, faciles fiunt, & vtiles, quando humores, qui euacuantur, tales sunt, quales esse debent, constat magnum momentum habere, si bonam qualitatem quæramus in humoribus, quando euacuare volumus*. Tertium ducitur argumentum ex contrarii effectu, nempe, *quod euacuationes non conferant, nec leuiter ferantur, si humor non fuerit talis, qualis esse debet*. Quæ quidem argumenta partim ex dilectione ipsa patent, partim verò ex sequentib. innotescent.

Quod Græci γαστέρα, nos *ventrem*, & quod illi κοιλίαν, nos *ventriculum* vertere solemus, etsi vtrumque illi vtroque nomine significare etiam soleant: nos autem propriè ventriculum partem eam vocare solemus, quæ primo nutrimentū gula, & ore suscipit: Ventrem autem partem illam, quæ à thorace ad pudenda vsq; extenditur. Cum autem aliarum partium concauitates ventriculos vocamus, non simpliciter, sed addito partis nomine nuncupamus, vt cum dicimus ventriculos cerebri, aut cordis. Græci autem suis illis vocabulis, vt Galenus refert, communi quadam significatione omnem cauitatem sæpe intelligunt, vnde cum tres reperiantur in corpore nostro insignes cauitates, caput, thorax, & venter à nobis dictus, meritò quidam Medici, cum de ventre corporis loquerentur, tres esse dixerunt, vnum supremum ventrem appellantes, caput; medium, thoracem; inferiorem, illud, quod est à thorace ad pudenda spacium, quod in sublimem, & profundam partem primo diuiditur idque sumen, & abdomen vocatur: quod rursus in tres partes, nempe in hypochondria, partes ad vmbilicum attinentes, & vnum ventrem diuiditur: Galenus *35. Aphor. 2. & 17. 6. & 4. Methodi* ventrem in superiorem, & inferiorem diuidit, superiorem vocat thoracem, inferiorem totam cauitatem, quæ à septo transuerso est: Alibi verò, vt *4. acutorum text. 11 a. sext. 9. 2. Comment. 1. Epidemion*, scribit, antiquos superiorem ventrem aliquando thora-

Ventriculus quid.

Et quid ventre.

Tres in nobis esse ventres.

Inferioris ventris diuisio.

thoracem intellexisse, aliquando ventriculum, inferiorem autem intestina omnia, aliquando non omnia, sed solum quæ crassiora sunt, & nónnunquam non omnia crassa, sed colon solum, ventrem inferiorem vocasse. Sed hæc de varia huius vocabuli significatione satis, ne confusio aliqua in legendis libris antiquorum Medicorum oboriatur, sed distinguere possit lector, quæ significatio singulis locis conueniat: nos hic per ventrem, ventriculum & intestina intelligimus: nouimus enim non solum naturales & spontè factas per ventrem excretiones, sed etiam eas quas per medicamenta molimur, fieri, cum humor à cæteris partibus ad ventriculum & intestina delabitur. Quod si inferior ventriculi pars debilis fuerit, superior verò robusta, tunc per anum humor excernitur: si verò contra fiat, vomitus excitatur.

Καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν.

Vomitibus spontaneis.

SPontè fieri vomitum, & alias excretiones, intelligere debemus, non quòd voluntariè fiant, & à voluntate iubente proueniant, quemadmodum motus voluntarius esse dicitur, & nos spontè aliquid facere, quod est voluntariè facere: nam & vomitus & aliæ excretiones sæpe fiunt, cum vis expultrix sola à causa molestãte irritatur, & ad expellendum insurgit, nihil ad hoc conferente voluntate nostra, sed spontè vomitum fieri dicemus, vt ille spontè aliquid fieri ait, quod nullam habet externam causam, vel quod nostra opera non fiat, *1. Aphor. 4. 26. tex. 3. Commentarii 1. Epidemion.* Quod spontè ergo fit, ei quod artificio fit, vel voluntate nostra opponitur: voluntas enim pro externa causa habetur, vt cum nausea & ructu vomitum excitamus, quod perinde est, ac si quæ parantur ad vomendum remedia, sumeremus: quod si quis vomere incipiat à nullo extrinseco prouocatus, postea autem naturæ motum, vel digiti immissione, vel alterius remedii ope iuuet, partim spontaneus, partim non dicetur huiusmodi vomitus. Quod autem quærunt hoc loco interpretes, an scilicet vomitus sit naturalis, vel præter naturam, facilè solui potest ex diuersa *naturæ* significatione: quod enim à naturali facultate fit, naturale dicitur esse: vt cum auctionem, & nutritionem naturæ opera, id est, naturalis facultatis: sensum verò & motum animæ, id est, animalis facultatatis actiones scribit Galenus *in initio primi libri de natural. facultatibus*, hoc modò omnis vomitus naturalis est, quoniam ab vna ex naturalibus facultatibus, nempe expultrice irritata fit: Aliquando naturale ei opponitur, quod ab intempestiua irritatione est factũ, veluti cum sudores, concocto humore, naturales dicimus, & à natura fieri: in principio vero morbi, quæ fiunt excretiones, symptomaticas & præter naturam vocamus, qua ratione vomitus aliquando naturalis, aliquando præter naturam dicitur esse. Dicitur alio modo naturalis, aut præter naturam aliqua euacuatio, ob materiam quæ educitur: si enim bilis pallida vomitu reiiciatur, naturalis vomitus dicetur: si vero sanguis præter naturam censetur esse. Alio præterea modo naturale dicitur, quod secundum naturæ ordinem fit, præter naturam vero, quod aliter contingit, vt monstra præter naturam dicuntur esse. At vomitus aliquando fieri, monstruosum non est, sed secundum naturam contingunt. Est alia significatio, cum dicimus illud esse præter naturá, quod à morbosis causis fit, secundum naturam verò, quod fit in bene affectis corporibus ex moderatis causis: quo modo Diocles sudores præter naturam esse dicebat, eo quod non contingant, vbi corpus est bene affectum: qua ratione nullus vomitus est naturalis: oportet enim morbosam subesse in corpore causam, vbi natura ad vomitum excitatur. Vocant illud esse naturale, alio modo, quod non fit ab arte, sed à natura: qua ratione vomitus potest partim esse naturalis, partim non, cum scilicet nunc à sola natura, nunc vero adiuuãte etiam arte excitatur. Postremò præter naturam vomitum, vt & alios motus intelligere possumus, qui fiunt contra naturam mobilis: in qua significatione omnis vomitus est præter naturam, quippe cum omnis humor ab insita grauitate deorsum, & non sursum feratur.

Vomitus an sit naturalis an vero præter naturam.

Et quando naturalis, quando vero præter naturam.

Quomodo nullus vomitus sit naturalis.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν.

Si talia purgentur, qualia purgare oportet; confert, & leuiter ferunt.

ID est, si in euacuationibus, in quibus purgatio fit, humores, qui euacuantur, tales fuerint, quales esse debent, confert huiusmodi euacuatio & leuiter fertur.

Quid vero sit vtilis, siue conferens euacuatio, quid item sit facilis & leuis, siue ea, in qua sequitur leuis tolerantia, nunc docendum est, præsertim, quod Brassauolus, & alii interpretes hæc malè interpretentur: aiunt enim, idem esse conferre, & leuiter ferre, & vtilem, & leuem euacuationem idem esse, vnumque alterum explicare: dicuntque conferentiam in eo spectari, quod morbus, vel eius symptomata minuantur, leuem autem tolerantiam in eo ostendi, quod videat gaudeatque, cui vacuatur, & non conqueratur. A quorum quidem opinione cogit ratio, vt dissentiam, atque in primis separem vtilitatem, & conferentiam vacuationis, à leui tolerantia: nam cum sanguinem mittimus, aut purgamus vsque ad animi defectum, confert eiusmodi euacuatio, quandoquidem illam tanquam vtilem imperamus, eam tamen leuiter non fert, qui euacuationem patitur: idem fit, quando sine plenitudine ad reuulsionem in vulneratis, & contusis eadem adhibemus remedia: sani enim, vt inquit Hippocrates *Aphorismo 37. 2.* id est, qui noxios non habent humores, nequaquam ferunt facilè purgationes, & euacuationes. Nec vero vtilis euacuatio definienda, quæ morbum aut symptomata minuit, nam sæpe post multas euacuationes, morbus & symptomata crescunt, quoniam scilicet morbi causa & impetus, alia præsidia desiderant, nec solis euacuantibus sisti possunt. Præterea, non solum de euacuatione, quæ fit in morbis, sed de ea etiam, quæ fit in sanis, agit Aphorismus. Definio ergo hoc modo

Euacuatio vtilis quæ.

vtilem euacuationem, *quam status corporis exigit*, A quidquid postea sequatur; vel morbi diminutio, vel incrementum, si tandem prosit: nam si mors sequitur, inutilia omnia fuerunt remedia; leuis autem tolerantia non etiam in eo spectanda est, quod rideat gaudeatque qui euacuatur. id enim vix in minimis, & insensibilibus euacuationibus contingit, sensibilis enim omnis euacuatio cum malo humore boni multum simul educit, vt scribit Galenus *in libro de optima secta*: qua ratione qui euacuantur, non ita ridere, aut gaudere possunt. Alii, non conferre tunc euacuationem, nec leuiter ferri, cum fit, sed postea cum facta fuerit, credunt, sed id Hippocrati repugnat, qui scribit, *confert, & leuiter ferunt*: Galenus verò *text.* 51. 2. *Prognosticorum*, inquit, *fert facile euacuationem*, B *qui in melius proficit*: at, nec id verum est, in eo enim, qui vulneratus est, & nullum in humoribus vitium habet, adhibita euacuatio arcet inflammationem, & à vulnere sanatur. Proficit ergo in melius, non tamen facile fert euacuationem.

Sensibilem omnem euacuationem cum malo humore etiā multū boni educere.

Qui euacuationem facile ferat.

Quare facilis hæc tolerantia explicanda est *ex Commentario Aphorismi* 13. *lib.* 1. *Senes facilè ieiunium ferunt*, vbi Galenus dicit, facilè eos ferre ieiunium, qui ab eo non læduntur: itaq; facilè fert euacuationem, *qui ab ea sensibiliter saltem non læditur*; etsi enim omnis sensibilis euacuatio vires lædit, quia tamen insensibiliter id non facit, facilè ferri dicetur. Rectè igitur scribit, vtilem & facilem fore euacuationem, quæ à natura fit, si talia purgentur & euacuentur, qualia purgare & euacuare oportet.

Ἢν δὲ μή, τοὐναντίον.

Si minus, contra.

ID est, si non vacuabitur humor talis, qualis vacuari debet, tunc fieri quidem poterit, vt talis euacuatio conferat, non tamen id fiet vnquam, vt simul conferat, & leuiter feratur.

Οὕτω δὲ καὶ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵη δεῖ γίγνεσθαι γίγνοιτο, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως ἔχουσι, ἢν δὲ μή, τοὐναντίον.

Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert & leuiter ferunt, sin minus, contra.

HOc est præceptum, quod Hippocrates tradit *in hoc Aphorismo*, quo præcipit, vt Medicus, qui vasa euacuare, id est, quamcumque euacuationem facere instituit, eligat eam qualitatem in humoribus, qualem requirunt singula medicamenta euacuantia, *tunc enim* (inquit) *sequetur conferentia, & facilis tolerantia*: quod si humor talis non fuerit, qualem oportet esse secundum naturam, vim, & qualitatem medicamenti euacuantis, contrarium fiet, id est, non conferet & difficilè feretur ea vacuatio; igitur antequam Medicus aggrediatur euacuationem, expendere debet, an humor, quem euacuare vult, iam habeat conuenientes qualitates: quod si non habet, eas arte inducere debet, si ars sola potest id facere: aut naturam iuuare, si communi opera

A hoc opus perficiendum est: Sed quoniam hæc, & multi alii Aphorismi, qui sequûtur de euacuatione scripti, intelligi non possunt, nisi perspectis principiis & fundamentis, quibus constat & nititur vniuersa euacuandi ratio, ideo operæpretium esse duco, de ea hoc loco diligenter tractare. sic enim postea licebit facilè intelligere, quid in hac re ab eo dicatur, quid item desit, quid principium aliorum sit, quid ab aliis deriuet, & quorsum tandem singula referantur: quæ profectò miror ab aliis scriptoribus vel prætermissa, vel non satis diligenter elaborata: Vnde non mirum, si tot, tantæque controuersiæ de venæ sectione, purgatione, inædia, & (vt semel dicam) de omni vacuatione ortæ sint, & adhuc in nostra arte agitentur: B Nam contempto, quod omnibus est commune, hæc incommoda sequi necesse est. Nec eo quidem existimare oportet, hanc tractationem negligentius à maioribus nostris literis mandatum, quod illa paruam habeat in medicina vtilitatem, rarissimumque vsum: vel quod perinde facilis sit huius rei cognitio, vt quilibet, quod in ea quærit, minimo negotio inuenire possit: nam aliis præsidiis ferè omnibus vel ad sanitatem tuendam, vel ad morbos profligandos vtimur, vacuationis verò vsus in omni corporis statu maximus & frequentissimus est: habent enim sani naturalia sua excrementa, quæ ex tribus concoctionibus resultant, stercus, vrinam, vtramque bilem, vaporem & sudorem, quæ nisi quotidie excernantur, C obsint. Ab ægris verò corporibus non solum illa, sed etiam humores ipsos, nec non pus, saniem, lumbricos, aliaque plurima, quæ nocent, euacuare oportet: At, si perinde facilis esset hæc, vt putamus, tractatio, non tot tantosque errores committerent Medici in euacuationibus: Ergo vero, tantum abest, vt hanc rem putem difficultate carere, vt nullam putem in nostra facultate vnquam difficiliorem esse: nam cum omnis alicuius rei explicatio quædam ponere debeat, tanquam nota, alia verò, quibus continetur vniuersa tractatio, ne temere exordiamur, vnde non licet, aut plura vel pauciora ponamus, quàm tractatio ipsa exigit, difficillimum esse puto, in vtroque modum, aut quod verū est, assequi: id quod D docent, qui de euacuatione, nostra hac ætate nonnulli ediderunt inter se multis modis discrepantia: nec solum quidē in his arduum est, quod est exactum, inuenire & tradere, sed etiam in singulari materia maximè oriantur controuersiæ, id quod ostenderunt, qui de venæ sectione in pleuritide tantopere contenderunt hoc nostro seculo: quod si in minima parte huius operis tanta sese offert difficultas, quid de reliquis credere debemus, quas adhuc nemo attigit, nec suo labore illustrauit? de quibus suo loco dicemus: nunc enim tempestiuum esse puto, rem aggredi, & à certis capitibus exordiri, quibus vniuersum hoc negotium contineatur. Itaque vniuersa euacuandi ratio quædam præcognita ponere, alia E verò, quibus constat & perficitur, docere debet: Quid enim vacuatio sit, quod illius genera, & differentiæ, tenere Medicum oportet, antequā præcepta quærat, quibus illa rectè institui potest: Sic etiam quid à corpore euacuari possit prænoscendum est. Verum cum hæc non satis sint à maioribus nostris explicata, aut certè sparsim & confusè, ne aliqua oriatur in hoc opere difficultas

placet.

Euacuationis nominis multiplex vsurpatio.

placet nonnulla etiam de his dicere. Igitur euacuationis nomen non vno modo vſurpatur à Medicis, nec conſtat an omnia quæ educuntur à corpore & vacuari videntur, rectè ita dicantur fieri. Etenim κενώσεως, id eſt, euacuationis nomen, de ſolis humoribus, καθαιρέσεως verò, id eſt, detractionis, de ſolidis quidem magis, interdum verò etiam de humoribus dici ſcribit Galenus *in ſecundo textu tertii, Commentarii 6. Epidemion*, ex quo loco patet, pinguedinis excretiones, aut ramentorum, quæ à partibus exulceratis abraduntur, nec non lapidum extractiones, aut lumbricorum expulſiones, non rectè vacuationes dici. Quod ſi vacuationis nomen de ſolis humoribus effertur, non ſolum hæc, quæ prædiximus, ſed nec flatus euacuari dicemus, quanquam tamen Galenus illos euacuari ſcribit *textu 45. Commentarii 6. lib. Epidemion.* Quinetiam *in libro de Conſtitutione artis*, trahentibus medicamentis venena, & ſpicula infixa corporibus, refert euacuari: & *Aphoriſmo decimoſeptimo 2. lib.* ſcribit, euacuationis nomen vſurpari ab Hippocrate, quando humores omnes æqualiter vacuantur, quo modo purgatio non eſſet euacuatio. Scribit præterea, *textu 18. tertii Prorrheticorum*, euacuationis nomen dici pro excretione quæ vi morbi fit. Dubium quoque eſt, an commodè dicere poſſimus humores euacuari, cum ab vna parte in aliam decumbunt, veluti quando in pleuritide humor, qui latus occupabat, eo relicto migrat ad pulmonem. Ex quo quidem patet, euacuationis nomen multifariam vſurpari in Medicina, nec adhuc conſtare, quomodo propriè ſumi debeat. Ad quas omnes difficultates effugiendas, & vt aliquid certum in hac tractatione ponere poſſimus, dicimus, euacuationem eſſe *mobilis ſubſtantiæ ab eo loco, in quo erat, receſſum, quocumque modo abſque chirurgia, factum*, ſic enim non ſolum humorum, ſed & vaporum, ramentorum, lapidum, & aliarum rerum, quæ à ſuo loco dimoueri poſſunt, & manu non extrahuntur, vacuationis nomine rectè comprehendemus: cum verò ſolida corpora, vt lapides & oſſa, & caro, à corpore demuntur manu, rectius extractiones, quàm euacuationes dixeris: humorum verò, & puris eductiones, euacuationes quoque dicuntur, etiam ſi manu fiant, modo loco aperto ſponte huiuſmodi materia exeat: nam alioqui deterſiones potius dicentur, veluti cum pus, & ſaniem ab vlceribus immiſſis linteis, aut ſpongia, vel alia re, detergimus. Porro nonnullæ ſunt euacuationis ſpecies, quæ peculiaria & ſimplicia nomina ſumunt, veluti διαχώρησις, id eſt, deiectio, quæ dicitur eſſe euacuatio, quæ fit per aluum, & emictio euacuatio, quæ fit per vrinam, & purgatio inæqualis, humorum euacuatio: & vomitus, vacuatio, quæ fit per os à ventriculo: ſudor, euacuatio aquoſi humoris per cutem: euaporatio ſiue tranſpiratio vaporum per cutem excretio. Vſurpamus & ipſum excretionis nomen propriè, pro euacuatione excrementorum: nam ab excrementis excretio deriuari videtur, tametſi ſanguinem & omnes humores excerni quoque dicimus: poſſunt & apud nos & Græcos ſimplicia alia nomina reperiri, quibus certas euacuationes ſignificamus, plurimæ tamen ſunt, quæ circumlocutione exprimuntur, quomodo euacuationem dicimus fieri per ſputum, per os & nares. Cæterum differentias euacuationis, non eſt facilè certo numero certaque Methodo complecti: neque enim aliquid de hac re arte ſcriptum adhuc extat: nos autem, veluti figura quadam dicemus, differentias ſumi à rebus, quæ vacuant, ab his, quæ euacuantur, & ipſius euacuationis ratione: vacuat autem aliquando natura, aliquando ars: propterea dicimus, quandam euacuationem fieri à natura: aliam ab arte: Item quædam extrinſecus admota, alia intro immiſſa, alia quæ à nobis fiunt, euacuare dicantur. Vndè euacuationes quædam extrinſecæ, aliæ intrinſecæ dicuntur, cuius differentiæ ſunt aliæ quædam ab his deductæ, veluti cum dicimus, euacuationem fieri per balnea, vel inediam, vel ſectionem venæ, aut medicamentum, aut alia huiuſmodi: quæ differentiæ ſumuntur ab his quæ euacuant. Cum verò dicimus euacuationes quaſdam ſanguinis, aliam bilis, aut alterius rei, differentias ſumimus ab eo, quod euacuatur. Iam vero cum dicimus euacuationem quandam eſſe æqualem, aliam inæqualem, aliam localem, etiam reuulſoriam, aliam deriuatoriam, præterea aliam eſſe vniuerſalem, aliam particularem, aliam immoratiuam, aliam eradicatiuam, aliam ſenſibilem, aliam inſenſibilem, aliam magnam, aliam paruam, aliam extremã, aliam ſymptomaticam, aliam decretoriam, aliam ſpontaneam, aliam artificioſam, aliam facilem, aliam difficilem, aliam quæ paulatim, aliam quæ ſubito, aliam quæ confertim, id eſt, quæ ſimul aliam, quæ per vices peragitur, & ſi quæ huiuſmodi alia ſunt, tunc differentias ſumimus à qualitate, quantitate, modo, & denique à ratione euacuationis.

Euacuatio quid ſit, & de quib. dicatur.

Extractio quid & de quibus propriè dicatur.

Deterſio.

Deiectio. Emictio. Purgatio inæqualis. Vomitus. Sudor. Euaporatio.

Differentiæ euacuationũ à quibus ſumantur.

De neceſſitate & vſu euacuationis & nutritionis, nonnulla præfari oportet, ex quibus tanquã ex principiis quibuſdam, quæ ſequuntur, facilius innoteſcent, fiet autem id communi quadam tractatione, quoniam hæc opera ſibi mutuo ſuccedunt & à communi cauſa proueniunt ſumpto initio ab his, quæ ſuperius docuimus. Igitur calor qui à natura primiſque noſtris principiis, ſingulis partibus & vniuerſo corpori eſt inditus, ſua vi, qua reliquis qualitatibus, quibus temperatur, conſtatque noſtra hæc corporea moles, præpollet, præterea quadam actione in qualitates paſſiuas & totam ipſam ſubſtantiam agit, ita profectò vt paulatim depaſcendo, tandem humorem noſtri corporis digerat & abſumat, quo quidem cõſumpto, illius etiam ſequitur extinctio, & compoſiti viuentis diſſolutio, & mors, id quod citiſſimè fieret, ob vehementem illius vim, niſi natura ſubſidium inueniſſet, quo quantum fieri poteſt, conſumptam ab eo ſubſtantiam reſtitueret, vocaturque materia hæc quæ pro diſſipata reponitur, nutrimentũ, quod triplici natura conſtat, vt tres ſunt ſubſtantiæ, quæ diſſoluuntur, aerea, humida, & ſolida, vocatur autem id quod reſtituit aeream ſubſtantiam, ſpiritus: id autem quod reſarcit humoralem, quæ diſſoluitur, ſubſtantiam, potus: materiam verò quæ ſubſtantiam à ſolidioribus partibus diſſolutam reſtituit, cibus nominatur. Porro vnumquodque corpus humanum triplici hac materia eget ad reſtaurationem, niſi morbi vi quadam, calor perinde debilitatus fuerit, vt ſolam aeream ſubſtantiam diſſoluere poſſit, tunc enim ſolo aere viuitur, qui ſimplex non eſt, ſed ex aliis elementis compoſitis, & propterea non ineptus ad leuiſſimam nutri-

Nutritionis neceſſitas, nutrimentique triplex natura.

Quomodo aliqui multos annos sine cibo & potu vixerint.

tionem; est hæc ratio, cur puella Germanica nostro tempore, & alii nonnulli antea integros annos sine cibo & potu vixerint, non quemadmodum quidam existimarunt, quia ex pituita relicta per morbum eos nutriri tradiderunt, sic enim qui ea specie aquæ inter cutem, quæ leucophlegmatia vocatur, laborant, ita vt vniuersum corpus ob pituitæ redundantiam tumeat, sine cibo & potu multo magis & facilius perdurarent, quàm puella, quæ colore subpallido, habitu gracili, pituitaque propemodum vacua depingitur. Sed hæc attigisse sit satis. A

Euacuationis necessitas.

Cæterum cum dissoluta substantia ex his exeat, ex quibus moles nostri corporis constat, quæ vero in illius locum sufficitur, dissimilis est, & non nisi potentia similis, oportebat aliquam esse vim in corpore, quæ assumptam materiam mutaret & assimilaret, quod quidem factum est: omnes enim partes à natura donatæ sunt concoctrice quadam facultate, quæ alterando quod vtile & simile erat potentia in alimento, simile singulis partibus, quæ agunt & concoquunt, reddit, quod vero post concoctionem assimilari non potuit, excrementum fit: quod cum inutile sit & noxium etiam corpori, euacuationem postulat, ad quam natura quoque vim quandam, quam expultricem ab officio nominamus, corporibus indidit, addidit & duas alias, quæ concoctrici famulantur, attractricem, inquam, & retentricem, illam, vt attrahat in singulas partes proprium nutrimentum, hanc, quæ in partibus illud retineat, donec concoctrix suum munus absoluerit: aliæ autem facultates, quæ nutritioni seruire dicuntur, non tam facultates sunt à superioribus distinctæ, quàm quod illarum officia exprimant: cum enim singulæ partes bene retinent, quod attraxerunt, idem apponitur & adhæret, ita cum perfectè concoquitur, & retinetur, agglutinatur, assimilatur, & corpus nutritur. Porro, nutrimentum quod dissimile est, non statim ex vna mutatione simile omnibus partibus corporis redditur, sed quædam partes sunt, quæ plures requirunt ad sui nutritionem alimenti alterationes: sunt autem tres, quæ fiunt in nostro corpore natura distinctæ concoctiones, quoniam diuersa faciunt excrementa, à quibus quidem cum non vincitur, quod assumitur, illud inutile omnino ad nutriendum censetur. Prima concoctio fit in ventriculo: secunda in hepate: tertia in singulis corporis partibus. Nec recipienda est eorum opinio, qui quartam concoctionem, & eam primam statuunt fieri in ore: nam etsi alterationem quandam nutrimenta in ore assumunt, concoctionis tamen nomine ea digna non est, sed præparatio quædam est ad cōctionem quæ fit in ventriculo, eo modo, quo venæ mesaraicæ præparant nutrimentum hepati, & reliquæ venæ singulis corporis partibus: vt enim mutatio, quæ fit, concoctio sit, necesse est, vt ex ea resultent duo genera excrementorum, vnum crassius, alterum tenuius, quemadmodum in tribus positis concoctionibus fieri agnoscitur, si quidem ex ea, quæ fit in ventriculo, stercus & vrina proueniunt: ex ea autem, quæ in hepate, humor melancholicus, & bilis flaua sequuntur: ex tertia quæ in singulis partibus perficitur, sordes quæ cuti adhærent, interulasque tingit, & tenuis vapor, qui per insensibilem tran-

Concoctiones in nostro corpore quot. (beside line at D)

Alterationem in ore fieri, non autem concoctionem.

Concoctio quid requiratur. (beside line at E)

spirationem exhalat, cuius odore moti canes, dominos sequuntur, & feras prosequuntur, resultant: quicquid autem in ore manditur, in ventriculum descendit absque generatione alicuius excrementi. Vt autem partes quæ in habitu corporis positæ sunt, triplici egent alimenti mutatione, sic ventriculus vnica, quam ipse facit: nutritur enim ex *ea materia, quam concoxit & mutauit,* quippe cum vnaquæque pars ex eo quod attrahit, retinet & concoquit, nutriatur: finis enim omnium istarum actionum nutritio est. Hepar vero duas requirit alimenti concoctiones, antequā nutriri possit, eam scilicet, quam ipse perficit, post eam, quæ in ventriculo est peracta. Quod si Galenus aliquando omnes partes corporis sanguine nutriri scribit, partes corporis intelligit, *quæ in habitu corporis sunt posita:* vt enim corporis nomine intelligimus habitum corporis, qui musculos, carnem, ossa, & reliquas partes circumstantes, & ambientes viscera continet, sic partes corporis intelliguntur, quæ in corpore sunt, id est, in habitu corporis. Igitur ex euacuatione, quæ à calore fit, nutritionis necessitas, ex nutritione, excrementorum generatio prouenit: ex generatione excrementorum, vacuandi rursus necessitas insurgit.

Ventriculus ex quo nutriatur.

Non omnes partes corporis nutriri sanguine, & quæ eo nutriantur.

Porro ex his excrementis quædam perpetuò excernuntur, quæ scilicet nostro arbitrio non parent, sed à calore excitantur, cuius generis sunt sordes, & vapor: alia verò, ne homo esset alienus à Musis (inquit Galenus) nostra voluntate ad stata quædam tempora cohibentur, in quibus voluntate permittente musculi cohibentes relaxantur, insurgitque postea vis expultrix, quæ ea protrudit, vt in alui excrementis, & vrina fieri apparet. Verum ad expellendum, concoquendum, & deducendum nutrimentum per corpus, natura vtitur calido natiuo tanquam instrumento, quod suo incremento, decremento, & variis motionibus actiones omnes perficit: vnde natura ad caloris huius conseruationem auxilia excogitauit, quibus ipse foueri, & singulis actionibus corporis seruire possit: nutrimento enim (vt diximus) aucto, humido suo pabulo refocillatur per somnum, concoctionibus, & actionibus internarum partium seruit, ipseque in cauitatibus internis, vbi copiosum est alimentum, pabulatur: per vigilias exit ad externas partes, & exeundo distributiones nutrimenti adiuuat, trahitque secum suum pabulum, humorem scilicet, in quo consistit & viget, interimque ministrat actionibus, quæ exercentur ab externis membris: consumpto vero eo pabulo, cogitur rursus ad interna viscera sese recipere: interim externæ partes suo instrumento destitutæ, coguntur sua officia intermittere. Iam vero idem calor per exercitationes corporis, foris & intus agitatus, in toto corpore vim suam exercet, quo fit, vt cum naturalia hæc auxilia, quæ ad calorem roborandum & intro, extraque ducendum natura nobis dedit, perperam adhibentur, malè peragantur actiones corporis, hinc malæ concoctiones, malæ distributiones, maior excrementorum prouentus, multiplex, & varia illorum generatio: nam si minus alimenti assumitur, quàm requirat vis, & proportio caloris, acuitur primum calor, acriorque redditur, & plurimum bilis, primum flauæ, deinde ni-

Excrementa quædam perpetuò excerni, alia verò stato tempore.

gra

gra procreatur: postea verò languet ipse calor, A impotensque redditur ad corporis vsum; at si plus quàm exigat, alimenti ingeritur, opprimitur ob excessus proportionem idem calor; vnde pituita, & cruditates infestant; eadem contingunt vitia ex malis alimenti qualitatibus, ex otio, vel motu nimio, aut ex longiore breuioreque somno & vigilia, & ex nimia aut diminuta cogitatione, & sensuum functione: nam vt læditur calor, si error fit in ipsius pabulo, sic si per aliarum rerum errorem non mouetur, aut plus vel minus in partibus internis, vel externis detinetur, sequitur in ipso calore vitium, & in actionibus noxa: quo fit vt non solum ex nutrimento externo, quod recenter assumptum est in corpus, plurima excrementa proueniant, sed etiam ex ipsis humoribus B in suis fontibus, & venis contentis: vitio enim caloris alterantur, putrescunt, & aliis modis corrumpuntur, excrementaque fiunt, mutatis suis qualitatibus, & substantia: aliquando etiam seruatis propriis qualitatibus immoderatè augentur humores, & multitudine sua nocent, euacuationemque ob id postulant, quod excrementa sint facta, id est, excretione egeant ob suam multitudinem. Seruanda igitur est proportio caloris cum alimento, & ea, quæ est inter ipsas caloris motiones, quæ cum rectè fiunt, arte non est opus ad euacuationem excrementorum, sola enim natura suis actionibus sufficit: cum vero error committitur, oritur necessitas vacuationis, quæ à Medico instituitur, vt scil. vacuentur, C quæ à sola natura extrudi nequeunt: at quemadmodum illa leuioribus motibus, & veluti quiete quadam vtitur, cum solita excrementa expellit, vehementiorem autem impetum adhibet, cum excrementa præter naturalem modum sunt aucta, vel alterata, veluti cum per morbos crises facit: ita etiam Medicus leuiora quædam remedia inuenit eadem cum illis, quæ à natura libera fieri solent, qualia sunt exercitia, balnea, frictiones, inedia, quibus in leuiore malo naturæ opituletur: alia verò validiora, vt purgationem, venæ sectionem, quibus cum natura vel ex vehementia aliqua læditur, vel maiore pondere grauatur, vtendum est: igitur cum Medicus cogatur vacuare, vt naturæ opem aliquando ferat, ne te- D merè id aggrediatur facere, arte est opus, quæ scopis quibusdam constat, & ratione, qua scopos propositos consequi docet, de quibus tempestiuum est, vt agamus.

Vt in vniuersa arte nostra finem nobis proponimus, & scopum ipsam sanitatem, quam semper spectamus, cum quid dicimus aut facimus: sic in omni parte Medicinæ scopos aliquos proponere oportet, ad quos referamus, quidquid in ea præstare aggredimur. Igitur in vacuandi ratione scopos quosdam ponemus: ac primù quidem quinam, & quot sint hi scopi ex nostra opinione, docebimus. Postea verò, quid alii de aliis censeant, exponemus. Primum mihi videtur illud obseruandum esse ab eo, qui rectè va- E cuationes instituere velit, vt intelligat, an vacuandum sit, vel non. Deinde, quid vacuandum, an scilicet sanguis, vel bilis flaua, vel atra, vel serosus humor, aut pituita, aut stercus, vel sordes, aut vapor, aut aliud quidpiam, quod vacuationem postulet; an præterea totum corpus, vel quædam duntaxat partes sint vacuandæ: quo

Quæ sint obseruanda ab eo qui rectè vult instituere euacuationes.

intellecto, spectare debemus, quantum vacuandum sit: post hunc videndum, quomodo vacuandum, an semel tantum, vel sæpius, & an æquales sint faciendæ vel inæquales, vacuationes: spectandum deinde est, quo tempore sit vacuatio facienda, an in initio morbi, vel incremento: aut vigore vel declinatione, an mane, vel vesperi, an ante, vel post cibum: Denique, tempora apta ad vacuationem notanda sunt: & quoniam refert, an per os, vel per intestina, aut vrinam, aut sudorem, aut nares, vel secta vena in parte affecta, aut ab ea distante, aut solum scarificata cute, aut per aliam denique partem materiam educas, ideo eligendus est locus in corpore ad vacuationem omnium aptissimus: at, si plures sunt vacuationes, ordo contemnendus non est, ne præponatur vacuatio earum rerum, quæ aliàs sequi debent: non enim sine discrimine præponitur purgatio sanguinis missionis; vbi hæc præcedere debet. Hos scopos qui assequetur, rectè vacuabit, nec, meo quidem iudicio, alios addere cogetur: vel enim illi scopi non sunt euacuationis, aut in prædictis continentur, aut eos sequuntur, vel quod eos simus assecuti, sunt iudicia, neque enim addere oportet scopum; in quo spectamus qualitatem euacuationis, nam superius ostendimus, nihil aliud esse de qualitate euacuationis agere, vt *in Commentario* sumit Galenus, quàm tractare de eo, quod est vacuandum: nec alium quidem debemus ponere scopum in quo consideremus, qualis debeat esse humor, qui euacuandus est, an concoctus, vel crudus, vel tenuis, & minimè viscosus, aut alia qualitate præditus; hic enim continetur in tempore euacuationis, tunc enim purgationem aggredimur, aut aliam vacuationem, quando humor concoctus est, aut pro ratione euacuationis faciendæ præparatus. Nec impedio, si quis hæc sub primo scopo comprehendere velit: non enim vacuationem aggredimur, nisi adsit id, quod vacuationem postulat: neque enim purgandum est, quod est crudum, crassum, & viscidum, vel hæc etiam inter contraindicantia ponenda: nam si humor sit, qui plenitudinem facit, vacuatione vtendum est: at impedit illius cruditas, crassities, viarum obstructio, & alia, quæ possunt adesse impedimenta, ergo hæc non faciunt scopum separatim considerandum in euacuatione: cum vero docet Hippocrates *in hoc Aphorismo* indicia ex facili aut difficili tolerantia, an tales humores vacuati fuerint, quales oportebat, vel non oportebat euacuare, scopum alium non proponit, sed signa docet, quibus nostram coniecturam confirmemus. At si quis dicat, Medicum in vacuationibus spectare debere, quo, quali, quanto, quomodo, quo ordine, tempore, loco. vtendum sit remedio, verum quidem dicet, sed hæc tanquam præcognita supponi videntur, vel potius à scopis propositis indicantur: nam si quis inuenerit sanguinem esse demendum à vena, indicatur esse opus remedio, quod sensibiliter & æqualiter secta vena euacuare possit: sic qualitas, vt caliditas humoris euacuandi contrariam indicat medicamenti qualitatem: eadem ratione modus & ordo eorum, quæ vacuantur; modum & ordinem remediorum ostendunt. Indicant ergo hæc remedia euacuationem, sed scopi non sunt ipsius euacuationis. Quod si magnopere quis

contendat adhuc, hæc scopos facere, neque supponi nec indicati solum, quid obest, quo minus in secundo scopo hæc contineantur? vbi enim vacuandum esse inuenimus, & quid vacuandum sit, quærimus etiam quodnam sit remedium adhibendum, & quale, & quantum, & quomodo, quo tempore, quo loco, & ordine vtendum sit: non multum equidem repugno, siue nostro modo, aut alio quis censeat, modo certos scopos nobis ante oculos proponamus, quos in vacuatione, aut in alia omni operatione, [illegible] debemus. Ac vt illis etiam [illegible], qui malunt omnia distincta habere [illegible] alia ex aliis elicere, vniuersos scopos in hac re necessarios ita enumerabo; An euacuandum, quid, quantum, quomodo, quo tempore, per quem locum, & quo ordine, quo item remedio, quali, quanto, quomodo, quo tempore, quo ordine sit adhibendum remedium, cui loco etiam: nam etsi non quærimus quale debeat esse id quod vacuandum est, quia id in tempore continetur euacuationis, tamen in remediis euacuantibus refert, an calida vel frigida, solida vel liquida, vel alia qualitate prædita illa exhibeas: eodem pacto quærendum est, quantum de vnoquoque remedio sit exhibendum, nam etsi intellexeris esse multum vel paucum euacuandum, non propterea mensura & quantitas remedia nota est, nec statim patet quomodo remedia sint diuidenda, si intellexeris, quomodo vacuãdus sit humor noxius, nec per quem locum sit assumendum remedium, patet semper, si noueris per quem locum humor deducendus sit: nam per aluum excrementa intestinorum educi debent, at remedia quæ ad id conferunt, per os & anum indi possunt: non est etiam idem tempus exhibitionis remedii & euacuationis, nam quod crastina die euacuatur, hodie postulat aliquando euacuantis remedii assumptionem. Ac vbi plura remedia sunt exhibenda, ordo inter illa quæritur præter ordinem eorum, quæ euacuantur. Sint ergo hoc modo distincti scopi, ne rudioribus maior difficultas aut confusio aliqua exhibeatur.

Ex quibus prædictos scopos consequi possimus.

Quid sit, quod nos ad vacuandum moueat, tradere nititur Galenus, nunc enumerando singulos casus, in quibus vtimur vacuatione, qua docendi ratione vsus est *in libro de venæ sectione*. Nunc vero quod commune est omnibus, tradendo, quod *eodem libro & alibi*, sed non satis diligenter, nec pro dignitate huius tractationis facit. Porro singulorum casuum enumeratio empiricam tractationem facit, nec vnquam omnia potest enumerare; id quod maximè patet ex ipso Galeno, qui *eo loco* multo plura omittit, quàm recenseat ex his, quæ euacuationem desiderant: quid verò de eo, quod est commune, senserit, nunc videndum: nam interdum multa simul expendit prius quàm vacuet, vt morbi præsentis aut imminentis magnitudinem, ætatem, regionem, cœli statum consuetudinem, plenitudinem, otium, malos humores vitæ conditionem, & infinita alia, quæ & etsi consideranda sunt omnia in consequendis scopis euacuationis, non tamen eiusdem sunt rationis, & facultatis, sed quædam indicant, alia contraindicant, alia coindicant, alia correpugnant: quæri autem debet idipsum, quod indicant, tanquam illud, quod nos rectà ducit ad id quod in omni officio præstare volumus: nam cum indicatione vel analogismo, vel obseruatione possit Medicus singulos scopos consequi, vt *in libro de officiis Medici* ex Galeno docui, indicatione debet in his vti rationalis Medicus, de quorum natura & vi sunt *ex eo libro* nonnulla breuiter commemoranda, vt tractatio hæc ex suis principiis procedat. Porro quatuor ostendimus esse quæ inter se differunt, indicationem, coindicationem, contraindicationem, & correpugnationem: nam Indicantia sunt, quæ postulant auxilia; Contraindicantia sunt, quæ impediunt primo & per se; Coindicantia sunt signa indicantium, Correpugnantia vero indicia sunt contraindicantium: quæ quidem sic exemplis declaro. Vires victum indicant, Morbus contraindicat: ætas, anni tempus, coindicant, ostendunt enim, quales quantæque vires subsint color vrinæ, pulsus celeres præter naturam, correpugnant, quia morbi sunt indicia. Cum vero contraindicantia non habent vim repugnandi permittentia, admittantiaque dicuntur, vt vires validæ permittũt admittuntq; fieri euacuationem. Cæterum inter permittentia numerantur etiam, quæ nunquam habent vim impediendi, vt situs & connexio partium non impediunt fieri euacuationem, sed illam admittunt quotiescunque est opus.

Indicantia. Contraindicantia. Coindicantia. Correpugnantia.

Cæterum indicationes & contraindicationes, à rei, de qua agitur, natura sumuntur, & eorum illa est vis, vt ea percepta ipsorum natura, protinus intelligamus, quid agendum, fugiendumve sit: vt morbus ex sua natura, quæ in eo consistit, quod præter naturam sit, indicat sui ablationem quærẽdam esse & fugiendam esse conseruationẽ. Sanitas verò vtpote quæ sit secundũ naturam, & propterea amica & vtilis iis, quibus inest, sui conseruatione opus esse indicat, & fugiendam esse mutationem, ex qua labefactari & tolli possit. Ad hæc Contraindicantia etiam indicantia sunt re ipsa, & ab illis solum differunt ratione & relatione, vires enim, vt hoc exemplo vtar, suæ conseruationis si indicãtia sunt: contraindicantia verò dicuntur, quando referuntur ad ea, quæ aliud postulant, à quo ipsæ labefactari possunt: propterea dicantur contraindicare euacuationem, quando illam ferre non possunt ob infirmitatem, quod si eandem sustinere valent, permittentia dicuntur. Coindicantia vero & correpugnantia, cum signa aliorum sint, non magis à natura rei sumi dicuntur, quàm à proprietatibus & ab illis rationibus, ob quas signa esse possunt.

Cæterum si indicantia sunt, quæ auxilia postulant, constat, nec contrarietatem, nec externas causas nec aerem ambientem, & proinde nec cœli statum, nec regionem, vel anni tempora, nec aliud, quod extra nostrum corpus sit, indicare posse, & multo minus indicabunt, quæ præsentia non sunt, eo quod iam abierint, vel quod adhuc futura sint, illa enim nec conseruari nec mutari possunt: & propterea rectè Galen. *in 4. lib. Meth.* dicebat, illos errare, qui indicationem curãdi sumebant à rebus externis, vt causis externis, illas enim procreato morbo recessisse, nec aliqua re amplius egere, & propterea nullum remedium posse indicare, sed solum coindicare posse, id est, ostendere, qualis sit derelicta ab illis in corpore dispositio: propterea ætas, sexus, consue-

consuetudo, vitæ conditio, & alia, quæ significant corporis dispositiones, indicantia esse nequeunt, quia solum sunt signa eorum, quæ sunt in corpore, nec quicquam agere in remedia, nec ab illis pati sunt apta & nata. At vero si indicantia à rei natura sumuntur, constat, vnum posse duntaxat vnum indicare, quia vnius vna est naturæ, quæ ad vnum habet relationem, à quo mutari, vel conseruari potest: quod quidem generali exemplo patet: omnia enim, quæ sunt secundum naturam, solum indicant sui conseruationē; quæ verò præter naturam sunt, possunt solum sui ablationem indicare. Quod si in re vna diuersæ sint rationes, poterunt & diuersa indicari, vt multitudo calidi humoris indicat vacuatione & refrigeratione opus esse. Quapropter scribit Galenus *in lib. II. Method.* eos non esse dignos, vt aggrediantur medendi Methodum, qui ignorant, vnum solum indicare vnum, aut si illud sciunt, tamen huius præcepti vim diligenter nequaquam obseruant, & meritò quidem: nam eo contempto, nunquam inueniemus in tanta rerum multitudine, quid postulet remedia, id est, ea auxilia, quæ malis affectis corporibus cōpetunt: nec quid victum indicet, id est, conseruantem materiam naturalis corporis status, necesse enim est confusionem magnam oriri, hoc violato præcepto: & qui vim indicantium, contraindicantium, correpugnantium, & coindicantium, admittentium inter se seiungere negligent, illi nihil vnquam exactè intelligent, sed omnia confundent, quæ natura & vsu distincta esse oportet. Hos ego etiam admoneo, ne hæc mea legant, quæ solum illis vtilia esse possunt, qui propriam & exactam docendi rationem quærunt: sunt alia quidem præcepta de indicationibus, quæ postea suo loco assumemus.

Vnum duntaxat vnum posse indicare.

His ergo ita positis, videamus, quid illud vnum in nobis possit esse, quod euacuationem indicet. Scribit Galenus *in Comment. huius Aphorismi,* vacuandos esse noxios humores, tanquam illi sint, qui euacuationem indicent, qua quidem in re, non solum eum reprehendo, quod euacuationem ad solos humores contrahat, cum alia (vt ante ostendimus) à corpore vacuentur, sed quod etiam non doceat, quales oporteat esse noxios humores, qui euacuationem postulant; neque enim omnes noxii humores euacuandi sunt, id quod antea nos, & ipse *in libro 4. de tuenda sanitate* scribit. Medicos, inquam, aduersus noxios humores pugnare duobus modis: itaque, si alteratio suum locum habet, euacuatio nō potest semper indicari ab humore noxio. Cæterum, *in eodem lib. & in Methodo medendi,* statuit, illud esse euacuandum, quod assimilari nequit: & meritò quidem: nam, quæ similia fieri possunt, in nostrum corpus mutari, nemo educere tentabit, si modo ea sunt retinenda, quæ vtilia sunt futura ad corporis nutritionem.

Quid sit illud vnum, quod euacuationem indicet.

Aduersus noxios humores duobus modis pugnari.

Ad hæc, cum omnis euacuatio demat aliquid boni à corpore, cum eo, quod noxium est, concoctio vero non solum illa, quæ proba sunt, sed etiam, quæ sunt seminalia bona reddat absque aliquo corporis incōmodo, nemo profectò quæret ex euacuatione remedium, vbi concoctio vitium emendare valet. Licet etiam inductione probare, ea scilicet euacuanda esse, quæ assimilari corpori amplius non possunt: ideo enim alui &

Euacuationem omnem demere aliquid boni corpori.

A vesicæ excremēta euacuamus, quoniam post nutritionem dissimilia & inutilia sunt relicta: sic vbi vitiosi exuperant humores, quos alterare & vincere non possumus agente natura, vel Medico, admonemur, vacuationem esse tentandam: verum etsi humores, qui nequeunt assimilari, vacuationem vnquam indicabunt: nam cum remedia à solis contrariis indicentur, (si quidem remedium est, vt definit Galenus *in lib. de Sectis,* quod mutandi corpus vim habet) necesse profectò est, vt quidquid euacuationem indicare debet ratione plenitudinis id faciat: est enim plenum, & nihil aliud, vacuo contrarium; itaque indicantium ratio id postulat, vt sola plenitudo vacuationem indicet, si modo (vt antea diximus) vnum debet
B indicare vnum, & vnum indicari ab vno: & in his quæ mutatione egent, & vacuatione, cōtrarium indicat contrarium: si simile indicat simile, in his quæ conseruationem postulant. At si ita statuamus hoc omnibus commune esse, quod commune remedium indicat, nempe solam plenitudinē indicare vacuationem, non paruæ profectò ambiguitates emergent: sæpe enim videmur vti euacuatione, vbi nulla adest plenitudo, veluti contingit in cacochymia, vel sanguinis aut alui profluuio, necnon in his, qui ab alto ceciderunt, aut grauiter vulnerati fuerunt, in quibus nulla plenitudo apparet, cum enim Galeno teste duplex solum sit plenitudo, vna ad vasa, alia ad vires, & in prædictis affectibus nec vires grauantur, nec vasa
C distenduntur (negat enim Galenus *in libro quarto Method.* in his, qui ab alto sunt deuoluti & contusi, aliquam esse plenitudinem) quibus tamen sanguinem demimus, aut purgationem adhibemus. Idem testatur cacochymiam à plenitudine separari posse: ac tanto magis in profluuio humorum id verum est, quanto euidentiora illis, qui ita afficiuntur, ex nimia euacuatione pericula imminent: ridendiq; sunt, qui instare his ex plenitudine periculum censent: in illis verò, qui sunt contusi, etsi inflammatio, aut aliud morbi genus ex multitudine humorum timeatur in aliqua parte, tamen nequit, quod est futurum malum, remedium præsens indicare, si modo illa aduersus sua contraria pugnare debent: nequit autem pu-
D gna fieri inter illa, quorum vnum est præsens, aliud verò absens: est enim de hac re sententia Galeni *in libro de optima secta,* vbi scribit, nihil absens postulare remedium: quod si futuri morbi, vel plenitudinis periculum, præsentem aliquam indicaret euacuationem, cur sanitas futura post præsentem morbum, non indicaret conseruantia auxilia? quod si fit, sequitur maximum absurdum, ægrotos scilicet non nisi victu & conseruatione egere. Postulat igitur ratio, vt præsentia auxilia à præsentibus affectibus, & futura à futuris, & præterita à præteritis indicentur: quod si contingit, noxiis humoribus caueri morbos futuros, non tamen morbi ipsi euacuationem indi-
E cabunt, sed præsens plenitudo humorū, qua quidem educta, accidit, vt morbos præcaueamus, qui ab illis erant orituri: Est igitur alia quærenda solutionis ratio: nam si sola plenitudo vacuationem indicat, sequitur aut nos male vti in supradictis casibus euacuatione, aut plenitudinem aliquam in illis esse, vt certè in nonnullis est, etsi Galenus eam non agnouit, vt quæ plenitudinis nomen arctius, quàm par sit vsurpauerit: vult

Remedium quid.

Solam plenitudinem indicare euacuationem.

An in sola plenitudine euacuandum.

Plenitudinis triplex significatio.

enim plenum & multum bifariam solum dici, vel supra vires nostri corporis, vel plus, quàm vasa continere possint: addi enim debet tertia significatio, quæ proportionem spectat: plus enim dicimus esse humoris aut multum, quando proportio non seruatur cum viribus, a quibus reguntur humores, aut cum vasis, à quibus continentur, aut cum aliis humoribus vel alia materia, cum qua certam proportionem habere debent: quod si ita non statuamus, nequaquam licebit dicere, plus esse bilis aut alterius humoris in corpore, quàm conueniat, ad quid enim illud *plus* referetur? itaque si apta sit ad alios humores collatio, vt sit ad vires, & ad vasa, merito reprehenditur Galenus, qui quod tribus modis dicitur, duobus duntaxat vsurpari pronunciauerit: tribus vero illis modis positis, iam illud effugimus dubium, cur scilicet in cacochymia vacuatione vtamur, *quoniam adest plenitudo.* Verum & in hoc restat non leuis dubitatio, si enim in plenitudine ad proportionem vacuatio requiritur, cur cum pituita bona exuperat, perpetuo vacuatione non vtimur, sed aliquando sola concoctione, illius exuperantiam authore Galeno *libro quarto de tuenda sanitate* emendamus? An quòd non omnis excessus humorum plenitudo est, sed cum insigne est vitium? nam cum plenitudo omnis remedium postulet, necesse profectò est, nomine plenitudinis humorum vitia cõtineri, quæ in euidenti excessu sunt posita: siquidem, remedia malè affectorum sunt corporum, quæ scilicet vel iam præter naturam se habent, & ægrotant, vel cum morbis imminentibus conflictantur, eo quod iam conspicuæ sint in corpore illorum causæ. Sic sanè dicimus, eos plenos esse malis humoribus, non qui quomodocunque vnum habent, aut alterum ex humoribus exuperantem, quandoquidem hoc modo in omni ætate, omnique anni tempore plenitudinem pateremur, sed qui grauius in humoribus affliguntur: est de hac re Galeni sententia *e Aphorismo 17. secundi*, vbi scribit, corruptionem à plenitudine differre, quod illa nequeat, hæc vero post euacuationem possit emendari alteratione, adeo, vt humoris vitium plenitudo non debeat vocari, nisi eius generis sit, vt euacuationem postulet, & post illam quod reliquum, si fortè vitium aliquod habet, alteratione emendari sit aptum: itaque concedimus, pituitam aliquando sola alteratione vinci, sed tunc non esse illius plenitudinem: quæ cum iam adest, vacuationem quoque postulat, quod multi docent effectus pituitosi, qui purgationem necessario requirunt: nam & in aliis humoribus id quoque contingit, quod in pituitæ vitio, scilicet paruos illorum excessus mixtione boni alimenti & alteratione emendari, maiores verò à vacuatione auxilium necessario postulare: quod si rem diligentius expendamus, minorem agnoscemus inueniri in pituita, quàm in aliis humoribus difficultatem, quippe cum euidentiores sint alterationes sine euacuatione in illis: pituita vero exuperans vinci nequeat, nisi vel adhibita inedia, vel calefacientibus remediis, quæ quod exuperat, dissoluunt, & vacuant insensibiliter, reliquum vero calefaciunt, & assimilant, adeo vt ad Galeni dictum id quoque responderi pos-

Cur in cacochymia vtamur euacuatione.

Cur exuperante bona pituita euacuatione perpetuo non vtamur.

Pituita non esse plenitudinē quando illa adhuc potest alterari.

Paruos humorum excessus mixtione boni alimenti & alteratione posse emendari, maiores vero necessario postulare euacuationem.

A sit, non esse opus, cum pituita abundat, euacuatione sensibili, hanc enim ferè solam euacuationem vocare solemus: ergo in humorum vitio non vtimur euacuatione, nisi adsit plenitudo. Cæterum vacuamus in sanguinis, & aliorum humorum profluuio, nec non in vulneratis, & contusis, vbi nulla est plenitudo, *non quod consilium nostrum sit euacuare, tanquam aliquid sit in corpore, quod euacuationem indicet, sed quia reuulsione subita, & validissima est opus, quæ nequit fieri absque euacuatione, in quo quidem casu corpus lædimus euacuando, cum nulla subsit plenitudo: sed saluti, & vitæ consulimus, adhibita reuulsione valida, quæ separari non potest a vacuatione:* nam vt venam secamus aliquando vsque ad animi defectum, non quod aliquid sit, quod indicet ipsum animi defectum, sed magnam euacuationem, quæ necessario animi defectum infert, & sæpe vbi solam vacuatione est opus, medicamenta adhibemus, quæ non solum euacuant, sed etiam alterant, obiuntque ob suas qualitates, veluti cum bilem rhabarbaro, & scamonio, calidis pharmacis, extrahimus: sic in illis cogimur vacuare, quoniam non licet aliter impetum fluentis humoris coercere, & frangere. Eodem pacto in febribus ardentibus sanguinem mittimus, vbi sæpe sanguis eductionem non indicat, sed *quoniam nulla alia refrigerantia præsidia valida tuto adhiberi tunc possunt, exceptis his, quæ sanguinem demendo refrigerium præstant*, ab ea C euacuatione auxilium petimus. Præterea, vacuamus, vbi humor non exuperat, sed corruptus est, adeo, vt alteratione vinci nequeat illius vitium, id quod facimus *non per se, sed per accidens, quia enim qualitas illa nequit emendari, ideo educimus substantiam, ad cuius euacuationem corrigitur vitium in qualitate*: itaque tunc plenitudinis remedium non est euacuatio, sed qualitatis malæ per accidens: igitur videndum, cuiusnam causa euacuatio fiat, an scilicet illius, quod euacuationem postulat, an alterius, quod sine euacuatione nequit fieri, sic enim intelligemus, quid per se, quid vero per accidens fiat: quod si hæc inter se distinxerimus, inueniemus profectò eas vacuationes, *quæ per se suscipiuntur a natura*, D à sola plenitudine indicari, nec vnquam euacuationem fieri, nisi aliqua vrgeat plenitudo, sic enim natura excrementa alui & vesicæ extrudit, quoniam facultas grauatur adeo, vt nequeat diutius pondus retinere, quo molestatur: idem facit per morbos, cum humores distendentes vasa, aut expultricem irritantes, excedentesque retentricis vires, expellit. quod si ob qualitatem vellicantem, & mordentem moueatur ad euacuationem, id non facit per se, sed quod nequeat se ab eo morsu liberare, nisi materiam eam extrudat, in qua huiusmodi residet qualitas, adeo, vt perpetuum sit in his euacuationibus, quæ agente expellenteque natura fiunt, per se semper subesse aliquam plenitudinem, vel ad vi- E res, vel ad vasa, vel ad proportionem: nam in illis, quæ actione caloris digerentis, euacuantisque substantiam nostram obeuntur, non id quærendum est, vtpote, quæ non fiunt ob aliquem finem, etsi contingit interim nunc tolli, nunc vero intendi corporis mala, prout scilicet rectè aut perperam ea euacuatione vtitur Medicus, qui moderari

In sanguinis & aliorum humorum profluuio necnon in vulneratis & contusis cur vacuemus.

Cur in febribus ardentibus mittamus sanguinem.

Cur corruptis & non exuperantib. humorib. vacuemus.

Quæ euacuationes indicentur à plenitudine.

Euacuationem non fieri nisi vrgente aliqua plenitudine.

moderari potest alimenti copia, aut inopia, vel aliis præsidiis, quod naturæ nequaquam est concessum facere: ac non solum quidem in euacuationibus quas natura præstat, sed etiã in aliis, quę à Medico instituuntur, inueniemus, semper euacuationem fieri per se, vt plenitudo tollatur, vel per accidens, vt aliud faciamus, quod sine euacuatione fieri nequit, vt, inquam, refrigeremus, exiccemus, calefaciamus, humectemus, irritamenta expellamus, potenter reuellamus, deriuemus, & vt aliis remediis detur locus, quæ pleno corpore administrari non possunt, tum etiam, vt cito perficiamus per euacuationem, quod aliis auxiliis nequit, vel si paulatim obiri, vel vt euacuationem aliquam prouocemus; sanguinem enim mittimus in febribus ardentibus ad corporis refrigerium; pituitam exuperantem educimus, vt sublato humore, qui corpus plus æquo refrigerat, corpus calidius, & temperatum reddatur; bilem flauam, aut atram, quæ siccitatis, & gracilitatis corporis sunt causæ, vacuamus, vt corpus humectetur, & crescat; serosos humores, pituitam, & sanguinem copiosum educimus, vt corpus siccius reddatur, quod nimio humore irrigatur; humores, ventriculum, aut aliam partem mordicantes, euacuamus, vt ablata substantia, in qua acris residet qualitas, mordicationi remedium afferamus, vulneratis, aut contusis euacuationem adhibemus ad reuulsionem humorum, qui parati sunt ferri ad partes dolentes; vbi adsunt obstructiones in remotis partibus, euacuatione vtimur humorum, qui in partibus sunt præcedentibus, ne via impediatur medicamentis, quæ ad obstructas partes properare debent; acres, & vitiosos humores, qui scabiem comminũt, possumus quidem refrigerante victu tandem temperare, sed qui cupiunt sese ab eo molestia cito liberare, adhibita euacuatione per sanguinis missionem, & purgationem, suo malo etiam succurrunt: venas ani aperimus, & per illam sanguinem euacuamus vt humores, qui superiores partes infestare solent attractiuam per inferiores fieri: venam malleoli secamus in mulieribus, vt menses eliciantur. Ergo inuenimus iudicari euacuationem per se à sola plenitudine, per accidens vero, ab iliis, quæ sine euacuatione nequeunt fieri, aut cum illis fiunt citius, commodiusue. Verum cum id sit natura, & Medico commune, & nos quæramus, quænam sint, quæ indicare possint, an Medicus euacuare, & quid debeat, progrediendum nobis est, & præcepta de hac re tradenda: ac quoniam Medicus naturæ est minister, nemo illius operam requirat, vbi ipsa natura præstare poterit, quod ad nostram salutem pertinet: nam cum natura vtatur internis suis instrumentis comparatis ad rerum conseruationem, temere vbi illa potest sufficere, nos adhibebimus ex nostra arte euacuantia præsidia, quę semper aliquid mali corporibus inferunt: nam siue sanguinem mittas, siue purges corpus, aut aliter vacues, semper bonæ substantiæ multum cum mala detrahes; quapropter tunc Medicus intelliget esse euacuandum, *quando videbit naturam non posse expellere plenitudinem, à qua grauatur, aut* alia præstare, quæ non nisi præcedente, aut simul cum euacuatione fieri possunt: sic enim in athletico habitu admonemur ex plenitudine, quæ naturam premit, sanguinem esse mittendum, & in ardenti febre putrida, idem esse faciendum, vt deposita ea sarcina, natura valeat noxios humores concoquere, & post concoctionem, si irritatur eos excernere, ex eo ergo, quod natura aduersus humores nequit præstare, agnoscit Medicus, an vacuare debeat, & qui illum euacuare oporteat.

Euacuatio à quibus indicatur per se & à quib. per accidens.

Et quid purgandum sit.

Nunc sequitur, vt doceamus, quidnam indicet species differentiasque euacuationis, sub prædictis scopis contentas: non enim sufficit intellexisse, an vacuandum sit, & quid vacuandum, sed præterea quid sensibiliter, quid insensibiliter, quid æqualiter, quid inæqualiter, quid per sanguinis missionem, quid per purgationem, quid per inediam, frictiones, balnea, exercitationem, quid per localia remedia, quid à toto, quid à parte, quid vtiliter solum, quid vero cum vtilitate, & facilitate, quid leuiter, quid vehementer vacuandum, nec solum hęc generatim cognoscenda sunt, sed vsque ad vltimas species res ducenda: nam particularia sunt, quæ in vsum veniunt; non enim satis est nouisse id, quod indicat sanguinis detractionem, sed etiam, quid venæ sectionem, scarificationem, vel hirudinum, aut cucurbitularum admotionem, vel aliud, si quid est, quod sanguinem detrahat, indicare possit; ita in purgatione, non solum quid eam indicet, sed quid indicet scammonii, hellebori, rhabarbari, vel alterius rei purgantis exhibitionem; ignorare non oportet: *quæ quidem ex contrariorum vi, & effectu dignoscemus*. nam si plenitudinem euacuare oportet, aut alia præstare euacuando, quæ per alia auxilia nullo pacto, aut certe non ita prompte, aut commode fieri poterant, merito fit, vt ex diuersitate eorum, quæ vacuanda & facienda sunt, indicentur diuersæ euacuationis species, & diuersa remediorum euacuãtium genera; quia non põt, quod vnam habet naturam, repugnare diuersis naturis, sed propria auxilia à propriis malis, & certa à certis indicari necesse est: est enim de hac re principium apud Galenum *in lib. de optima secta*. vbi scribit, si genus alicuius indicat genus præsidii, differentias & species generis indicantis, indicare differentias & species sibi respondentis generis præsidii; veluti, si morbus indicat curationem, species & differentiæ morbum indicabunt differentias curationis, & nihil aliud poterit illas indicare: Quod quidẽ præceptum est diligenter quoque obseruandum, ne ab illis petamus indicationes specierum & differentiarum remediorum, & victus, quæ illas præstare nequeunt: ergo cum ea, quæ sensibiliter euacuant, si ad alia comparentur, quæ insensibiliter idem faciunt, cito vim suam exerceant, nihil indicabit sensibilem euacuationem, quod subita non eget euacuatione; quapropter, si plenitudo nondum nocet, aut leuiter, aut si leuiter obsunt irritamenta, aut subitum malum nequaquam timemus, nec sanguinis missionem, nec purgationem, recte adhibemus, proprie enim non sunt hæc remedia eorum, quæ insensibilem postulant euacuationem & vbi insensibiliter euacuantia sufficiunt, auxilium petere ab aliis non debemus, tutior enim & salubrior est illorum vsus: contra vero, vbi est, quod vrget per se, vel per accidens euacuationem postulans, temere ex inedia vel frictionibus, aut aliis insensibiliter euacuantibus opem quærimus: Docent ergo differentiæ eorum, quæ vacuantur, differentias eorum, quæ vacuant; Cæterum, æqualem euacuationẽ indicat *plenitudo*

Quid nam indicet euacuationis species & differentias.

Euacuationis æquam indicans,

ex qua omnis humores obsunt, aut aliquid faciendum est, quod sine huiusmodi euacuatione præstari non potest, cuiusmodi est corporis refrigeratio, transpiratio: quoniam enim cum æquali euacuatione vapores eleuati à tota massa humorum expirant, ideo contingit per eiusmodi euacuantia corpus refrigerari; temere ergo vbi omnes humores æqualiter obsunt, à purgatione petimus remedium, aut vbi humores non lædunt omnes, auxilia adhibemus, quæ æqualiter euacuent; iam vero sensibilem & æqualem euacuationem indicabunt ea mala, quæ composita hoc modo euacuatione opus habent: æqualis inquam plenitudo, quæ subitam postulet euacuationem, & alia, quæ per accidens coniunctum requirunt & mixtam remedium. Igitur in plenitudine sanguinis, quæ iam nocet euidenter, pro sanguinis missione tutum non est ab aliis euacuationibus remedium exigere, sicut nec in angina, aut in contusionibus, & vulneribus dolorem vel inflammationem inferentibus, quia enim omnes humores in his casibus iam obsunt, vel subito obesse possunt, omnes subito sunt euacuandi, sed quoniam de sanguinis detractatione alia extant præcepta ab Hippocrate, Galeno, & aliis antiquioribus Medicis memoriæ prodita, quæ à nobis plus forte, quam ratio postulet, obseruantur, ideo postea quam absoluero indicantia differentias prædictas euacuationum, separatim multa de ea re dicere paro.

Purgationi indicans quod. Cæterum, purgationem vt euacuationem nihil indicare potest præterquam plenitudo inæqualium humorum, nec illa vnquã supplere vicem potest sanguinis missionis, vt Galenus aliquando scribit, si modo hæc æqualiter, illa inæqualiter euacuant: quod si in inæquali humore aliquid sit, quod alteratione cito, aut cõmode emendari nequeat, aut si reuulsione vel deriuatione inæqualium humorum est opus, aut si eosdem, euacuare oportet ad corporis temperiem conciliandam, vel vt aliis remediis detur locus, tunc purgatio per accidens requiritur, & ea indicantur eligenda esse remedia purgantia, quæ id, quod indicant, præstare, & aliis minime obesse possunt; veluti si cum plenitudine inæqualis humoris febris coniuncta sit, intelligimus assumenda esse ea euacuantia medicamenta, quæ possint quidem eos humores euacuare, sed interim tamen febrem suis qualitatibus, aut vehementia non exasperent: hoc enim perinde est, ac si dicamus, esse habendam rationem contra indicantium.

Inediam indicans. Iam vero cum inedia internas, & externas partes, æqualiter, & insensibiliter vacuet, eam indicabit *æqualis plenitudo in toto corpore*, quæ tardam possit expectare euacuationem, si tardam putamus esse, quæ vnius, aut duorum spatio completur, quo fit, vt recte non imperemus inediam, si aut in solo ventriculo, aut in partibus solum externis, huiusmodi continetur plenitudo: interim enim cum plenis partibus prodest, aliis, quæ nullam postulant euacuationem, obest: ab ea quoque quærimus opem per accidens, cum volumus corpus euacuando primum calefacere, deinde refrigerare, & ab internis partibus reuellere, excitata euacuatione per transpirationẽ: hæc.n. præstare potest inedia; quæ vero impediant eam adhiberi, hic, vbi solum indicantia prosequimur, docenda non sunt.

Frictionum indicantia. Frictiones, quoniam æqualiter, & insensibiliter externas partes euacuant, indicabuntur à plenitudine æquali in externis partibus contenta, & subitam euacuationem nequaquam postulante: per accidens vero ab his, quæ reuulsionem postulant non prorsus vehementem, qualem præstat insensibilis, & æqualis euacuatio.

Balnea. At vero, quoniam balnea ex dulci aqua, externas partes æqualiter, & insensibiliter, aut certe cũ aliquo sensu, (si quidem eum ampliore, calore sudorem eliciant) euacuant, & simul etiam humectant, si plenitudo subsit in illis partibus, cum aliqua acrimonia, aut intemperie loci sicca, quemadmodum accidit in scabie, ex sanguine acriore, tunc indicantur balnea ex dulci aqua, excalefacta: at si æqualiter, & insensibiliter, cum siccitate externas partes euacuare consilium est, hanc præstabit euacuationem balneum ex aquis sponte nascentibus, quibus insit vis calefaciendi & exiccandi.

Localia præsidia euacuantia. Cæterum localia præsidia euacuantia, qualia sunt quæ per vnctiones, & cataplasmata obeuntur, indicat plenitudo partis, quæ insensibilem, & æqualem, vel inæqualem, pro natura humoris subiecti, requirit euacuationem postulabunt vniuersalem euacuationem plenitudines vniuersales;

Vniuersalis euacuatio. vtilis iudicabitur fore euacuatio, quam corporis status postulat, vtilis vero, & facilis, quæ humores habet noxios, & paratos ad euacuationem: Leuiter euacuantia iudicantur, vbi parua est plenitudo aut humores facile cedunt, quales sunt tenues, & qui in partibus continentur, ad quas integris viribus pertingere potest vis medicamenti: aut cum leuiter præstare debemus, quod per accidens cum euacuatione faciendum est.

Leuiter euacuantia. Vehementem euacuationem prædictis contraria postulant: Ac ne singula prosequamur nos, qui Methodum potius, quam particularia prosequi instituimus, quærat quilibet naturam eius, quod postulat euacuationem, & eius, quod euacuare potest & singulorum vim inter se comparet, & tunc demum agnoscet, num sibi respondebunt euacuantia præsidia cum his, quæ euacuationem indicant: nam si solum indicatur euacuatio, quodlibet remedium euacuans sufficiat: si sensibilis euacuatio requiritur, erunt adhibenda sensibiliter euacuantia: si cum sensibili euacuatione requiritur etiam æqualis cum reuulsione, vel calefactione, vel alia re, tunc inter omnia euacuantia sumenda, quæ tot præstare possint, quot indicantur esse necessaria: atque ita recte indicationibus, & indicantibus vtemur. At quoniam in omni actione aliquid solet sese opponere indicantibus, videndum est, quid possit impedire primum euacuationẽ, deinde particulares ipsius differentias.

Quid possit euacuationem impedire, aut contra indicare. Nihil profecto est, quod per se contra indicare possit euacuationem, præter id, *quod ab ea læditur*: non læditur autem figura, magnitudo, numerus, & compositio partium & corporis, sed *temperies, & facultates nostri corporis*: verum temperies, etsi mutetur ab euacuantibus, eam tamen admittit fieri, si vrget id, quod eam, exigit At vires, & actiones nostri corporis, si infirmæ admodum fuerint, vacuationes omnes non ita admittunt, sed quasdam omnino respuunt; At non omnes facultates & actiones parem vim habent in arcendis, aut moderandis euacuationibus: nam si pulsus constet, non magnopere curamus, an motus, sensus, ratio, concoctio, nutritio, & aliæ animales, & naturales facultates laborent, quando-quidem

quidem sæpe eorum malis per euacuationem succurrimus; At si pulsus non ex plenitudine, sed ex dissolutione, aut malignitate languidi sunt, ex euacuatione debilitantur, & propterea contraria postulant præsidia, à quibus foueantur, & augeantur; id quod facit repletio, euacuationi contraria: propterea *sola vitalis* facultas est, quæ potissimam habet vim in contraindicanda euacuatione; verum non par imbecillitas requiritur ad arcendam, vel moderandam communem euacuationem: nam insensibilem euacuationem fere sustinet quælibet infirmitas, sensibilem non fert, nisi validior virtus, præsertim si humorum requiritur euacuatio: nam excrementorum euacuatio nullum robur requirit; magnum requirit sensibilis, & æqualis euacuatio, præsertim, si ab internis visceribus humor educitur, tunc enim plurimum spiritus simul exit; propterea in sectione venæ maius exigitur robur, quam si sanguis per cucurbitulas, & scarificata cute demitur. Inedia minus robur requirit, quam frictio; exercitatio maius, quam balneum: nam frictio subito exhauriet corpus, si validius adhibetur, exercitationem ferre non possunt, ob imbecillitatem, quæ decumbunt corpora; balnea sustinent etiam hectici; vehementes euacuationes non ferunt, nisi firma corpora; externam euacuationem facilius, quam internam admittimus, & particularem facilius, quã vniuersalem, vt spontaneam, & naturalem sustinemus leuius, quam artificiosam, vires ergo vitales sunt, quæ ex differentia, quam assumunt per magis, & minus, in robore, & imbecillitate prohibent omnino, aut admittunt, & moderantur euacuationes: nec id, quod dicimus de robore, & imbecillitate, plus vel minus, arte aliqua comprehendi potest, sed coniectura relinquitur expendendum, & comparandum cum singulis remediis euacuantibus. Habent quoque in contraindicando quandam vim per accidens certi affectus, qui ad se peculiarem curam trahunt, quæ euacuationem adhiberi prohibent: nam etsi plenitudo inæqualis humoris indicat opus esse euacuatione, tamen si simul sit admixta *cruditas*, antequã concoctus sit humor, euacuatio locum nõ habet; eadem impeditur, *si obstructio occupat corporis vias*, videndum ergo, quinam adsint affectus, qui prohibent eam euacuationem, quæ indicatur.

Quæ facultas euacuationem potissimum contraindicet.

Quæ euacuationes magnum requirant robur, & quæ item paruum aut nullum.

Quæ euacuationem per accidens impediant.

Quid indicet sanguinis detractionem,

Nihil est magis tritum apud Medicos, & quod ab illis certius putetur, quam quod sola magnitudo morbi sit, quæ sanguinis detractationem indicet: nam Galenus, qui post Hippocratem huius opinionis est author, id asserit *in lib. 4. Methodi medendi*, imo *in vniuerso eo opere*, & idem repetit *in lib. de sanguinis missione*, & *4. de victu acutorum morborum*, & *alibi passim* tradit, sanguinis mittendi scopos, siue indicantia, plenitudinem in se nequaquam comprehendere: sed solam magnitudinem morbi iam præsentis, vel imminentis id remedium indicare, si modo vires sint validæ, & puer non sit infra 14. annum, cui sanguis sit demẽdus: adeo, vt id, quod indicat, sola sit magnitudo morbi. Contra indicantia vero sunt vires infirmæ, aut ætas puerilis. Quam quidem sententiam (pace illius dixerim) tanquam penitus absurdam, & causam multorum in arte nostra errorum ex propriis de euacuatione principiis, & ex his, quę ille alibi tradit, nunc refellere aggredior: Est enim apud illum *ex lib. 11. Methodi medendi, & ex lib. de optima secta*, sumptum principium antea à nobis vsurpatum, *vnum indicare solum vnum, & vnum indicari posse solum ab vno: etsi genus vnum indicat genus vnum remedii, differentias generis indicantis indicare differentias generis indicati: etsi differentia differentiam aliquam indicat, alia illius differentia indicabit alterius differentiam.* Quæ quidem principia vt verissima retinenda sunt, & talia esse, facile exemplis ostendere possum, quod antea etiam vtcumque feci.

Morbus simpliciter sumptus curationem indicat: & solus morbus potest curationem indicare: & sola curatio indicatur solum à morbo, quod si morbus indicat curationem, morbi differentiæ indicabunt curationis differentias, vt magnus morbus magnam curationem, & magna remedia ad curationem apta: sic paruus morbus, paruam curationem paruaque remedia indicabit: Quod si paruus morbus indicat parua remedia, magnus morbus indicabit magna. Itaque si *in libro de sanguinis missione* tradit Galenus, plenitudinem indicare vacuationem, quod & ratio docet, necesse profecto est, vt species quædam plenitudinis sit, quæ speciem hanc euacuationis ostendat; aut si species, vel differentia morbi indicat differentiam, & speciem vnam remedii, necesse est; vt alia species morbi indicet remedium oppositum alteri: & si differentia vna morbi indicat differentiam vnam remedii, sequitur vt morbus ipse sine differentia sumptus indicet genus remedii sine differentia. Quibus positis principiis, quæ verissima sunt, & ab ipso Galeno inuenta, licebit non solum probabili argumentatione, sed mathematica demonstratione eam opinionem euertere: nam si morbus magnus semper indicat sanguinis missionem paruus indicabit remedium euacuans contrarium sanguinis missioni: ergo paruus morbus indicabit necessario insensibilem, & inæqualem euacuationem: hæc enim sanguinis missioni opponitur: igitur, in omni paruo morbo insensibiliter, & inæqualiter euacuabimus: at multi sunt morbi parui, qui nullam postulant euacuationem, quales sunt, qui ex intemperie sine humore consistunt, aut structuram corporis labefactant. Præterea sequitur, non plenitudinem indicare euacuationem, sed morbum; nam si magnus morbus indicat speciem vnam euacuationis, ita vt differentia differentiam indicet, sequitur ex positis principiis, morbum ipsum euacuationem, nempe genus, indicare genus: Deinde, si *in tertio Methodi*, & *passim alibi* scribit ille, morbum, id esse, quod indicat curationem, non posse idem indicare euacuationem, si modo vnum indicat solum vnum: ad hæc, si morbus magnus indicaret sanguinis missionem, sequeretur, illum hoc remedio euacuari, vt enim morbus indicat curationem, & curatur, sic debet euacuari, quod euacuationem indicat: absurdum enim putat esse *initio tertii Methodi*, si aliud indicet curationem, quam morbus, qui curatur: pari itaque ratione morbus magnus euacuabitur, eo quod sanguinis missionem indicare dicatur: Adde, quod si remedia contraria indicantur à contrariis, (vt ille testatur,) sequeretur vtique, morbum contrarium eua-

cuationi, quod nec per se, nec per accidens esse potest nec specto, si Sophistæ imaginari possint hic aliquam accidentalem oppositionem, cum quęramus vera indicantia, quæ scilicet per se postulant sanguinis missionē. Postremo, nō posset ea magnitudo indicare nūc sanguinis missionē, nūc purgationē, vt in 4. *Methodi & 13. Aphorismo primi libri* scribit de magnis dolorib. Ergo morb. magnus pręsens ex supradictis principiis nequit hoc remediū indicare, & multo minus profecto id faciet morb. qui futurus est, & imminet magnus: nam (vt antea ostendimus) nihil, quod futurum est, indicare potest præsens remedium, quoniam inter præsentia, & absentia nulla actio, vel pugna esse potest, alioqui, si absente morbo indicantur præsentia illius remedia, sequetur (quemadmodum diximus) vt absente sanitate indicentur remedia, quæ B sanis conueniunt, ex quo fieret, vt præsente morbo, ob sanitatem futuram, hominem perinde tractare debeamus, ac si iam valeret: id enim ratio postulat, si adhuc valente homine, ob suspicionē futuri morbi, huius remedia indicare putemus: vacuamus quidē ad præcautionē, quoniā in corpore subest materia, quę quidē vacuationē postulat: tanquā igitur præsens sit indicās, præsens adhibemus remediū: quo contingit, sublata causa morbi, ipsos euitari morbos. Quod si omnes morbi magni differentias consideremus, inueniemus profecto, nec omnes, nec aliquam forte esse differentiam, quæ semper postulet hoc remedium: tribus enim modis morbos magnos esse & iudicari, scribit Galenus, *in medendi Methodo, libro quarto*, Vno modo magnos eos esse censet, qui sunt maligni. Secundo modo eos, qui sunt in parte aliqua nobili. Tertio, qui sua natura sunt magni, id est vehementes, at, quis sanguinem mittet, vbi intemperies aliqua frigida, sicca, vel scirrhus, vel œdema, cerebrum vel epar vel aliam nobilē partē premit? Maligni morbi postulant Antidota, tanquam propria auxilia, ac sanguinis missione sæpe fiunt deteriores: quod ostendunt febres malignæ cum leui calore, & vrinis concoctis, quæ misso sanguine nulli parcūt. Quod vero in omnibus vehementibus morbis, sanguinē non detrahat Galenus, satis constat ex multis locis, tum maxime *ex Commentario 22. Aphorismi huius libri*: eo enim loco scribit, in maximis dispositionibus dolorificis adhibendam esse distinctionem, an sanguinem mittere, vel purgare oporteat; id quod etiam *in quarto lib. Methodi* repetit, vbi magnitudinem morbi nunc sanguinis missionem, nunc purgationem indicare scribit. Quod si ita esset, quomodo vnum semper indicaret vnum, si quidem magnitudo morbi, nunc sanguinis missionem, nunc purgationem eo authore indicat? Perpetuum ergo non est remedium vehementium morborum sanguinis missio, si purgatio sæpe locum habet absque sanguinis detractione; At, si eos casus perpendamus, in quibus vel admittit, vel arcet sanguinis detractionem Galen. multos inueniemus, qui nullam habent vehementiam, quibus hoc remedium iniungit, & quosdam in eodem genere vehementiores, quibus negat conuenire sanguinis euacuationem, quam mitioribus concedit: nam *in primo libro ad Glauconem* præcipit, adhibendam esse venæ sectionem in quartana, si sanguis abundet crassus: si vero sanguis tenuis est, & flauus, censet ab eo auxilio abstinendum; at nemo est, qui nesciat, febres, quæ fiunt ex

Tribus modis morbos magnos esse & iudicari secundum Galenum.

A sanguine tenui atque flauo, vehementiores esse, quam quæ ex crasso consistunt, tardi enim sunt, & obtusi morbi, qui ex humore melancholico nascuntur. Quod si magnum intelligamus: vt nos ostendimus *in libro de differentiis morborum*; intelligi posse morbum magnū, qui vires nostras excedit & propterea periculosus nominatur, ea quoque ratione potius sanguinem mittemus, vbi in quartana sanguis tenuis est, quam si crassus fuerit: magnum enim oportet esse à naturali statu recessum quando exuperante sanguine aquoso, quartana febris oritur, & propterea eos, qui ita afficiuntur, magis periclitari, in quodam Aphorismo postea docet Hippocrates. Sed enim, contempta ea differentia, quæ in maiore, & minore vehementia esse potest, in duabus quartanis à diuersis humoribus factis, ratio vincit, in nulla quartana sanguinē esse demendum, si morbi vehementia ea est, quæ hoc remedium indicet, quippe cum quęlibet quartana vehementia careat, ob tarditatem motus ex humoris crassitie, & frigiditate, & multo quidem minus in hydrope sanguinem mittemus, quod tamen putat ille aliquando necessarium. Cur præterea in tertiana exquisita potius, quam in notha, aut in omni quartana sanguinem non mittimus? est tamen exquisita tertiana longe maior, & vehementior illis, & propterea inter morbos acutos sæpe à Galeno numeratur. Est quoque magnus affectus melancholia, in qua sanguis melancholicus continetur in solo capite, aut tenuis etiam in C venis, verum Gal. prohibet in hoc affectu sanguinis missionem, nisi sanguis melancholicus in venis contineatur. Scribit præterea idem author *in libro secundo de medicamentis secundum locos, capite duodecimo*, venam secandam esse, si humoris adest, multitudo, maxime circa venas, idque nulla facta mentione magnitudinis, aut alterius differentiæ morbi.

Præterea, mittit sanguinem etiam in paruis morbis, in podagra, scabie, alopecia, & aliis cutis affectibus, in lassitudine, in febribus intermittentibus, quartana, tertiana, & denique in plurimis aliis D morbis, in quibus nulla est vehementia, nullum periculum, nulla malignitas, nec partis nobilis malum præsens vel futurum. Igitur si sanguinem detrahimus in morbis paruis, nec semper in magnis, & vbi sanguis certo modo afficitur, aut in certis locis continetur, constat, magnitudinem morbi non id esse, quod sanguinis missionem nobis ostendit, tanquam regula, & vt id, quod indicationem præbet. Nec illud vero credere oportet, quod nonnulli volunt, in omni morbo magno sanguinem quidem esse detrahendum, sed vires obstare, in quibus non mittitur: non enim eo, quod vires impediant, sed quod non adsit id, quod indicat, abstinemus sæpe ab hoc præsidio: nam quis credet vnquam iuuenem quartanarium, aut E melancholicum, in quo sanguis est tenuis ferre non posse sanguinis detractionem, quam senes in vehementi febre, ætate, & morbo debilitati, sustinere posse dicuntur? quis, quæso, sanguinem mittit, in scirrho hepatis, etiamsi vires validæ subsint? quia ergo non est, quod indicet sanguinis detractionem, ideo illum non euacuamus; & nullum est genus morbi, in quo vires non subsint validæ, si tempestiue hoc remedium adhibetur. An vero putamus indicamus indicantis nomine, coindicans intellexisse Gal. cum morbum magnum hoc

reme-

remedii indicare tradit? quod scilicet subsit materia necessario in morbo magno, quæ venæ sectionem desideret, adeo, vt huius generis morbus signum sit talis humoris? at nec hoc quidem verum est: nam vt ex Galeni *Comment. 21. Aphorismi huius libri* antea annotauimus, & pariter idemmet testatur *in quarto Methodi*, magnus, & vehemens morbus ostendit nunc subesse materiam, quæ purgationem postulat, nunc aliam, quæ sanguinis missionem, vel aliud remedium desiderat; id quod etiam ostendunt morbi parui; nam in podagra, & cutis affectibus, conuenit aliquando purgare, aliquando sanguinem educere, aliquando vtrumque præstare, aliquando ab vtroque abstinere, & victus ratione debita, & localibus remediis pugnare.

Alii vero aiunt, intelligi morbum magnum, qui cum plenitudine humorum sit, quos Galenus refellit *in quarto Methodi*; vbi scribit, sanguinem esse mittendum, etiamsi nulla adsit plenitudo, modo adsit magnitudo morbi; Ergo morbi magnitudo, nec vt indicās, nec vt contraindicās, nec vt eo indicans, sanguinem ostendere potest à corpore esse auferendum.

Hinc illæ controuersiæ, quæ inter Medicos de sanguinis missione oriri solent, cum vnus negat, morbum esse magnum, alius vero contendit, talem esse, aut imminere: nec interim intelligit, quomodo morbum magnum capere oporteat, & an talis sit, qui præsens est, nec ostendere potest, eum si quis venturus est, magnum fore. Et quis non contendet in ea re, quæ nihil habet veri, nihil certi, nihil denique quod principiis positis, de indicationibus consentiat? Quare videndū est, num ex eo authore aliquid inueniri possit, quod hoc remedium reuera indicet.

Superius diximus eum *in libro secundo de medicamentis secundum locos*, censere sanguinem esse mittendum, si sanguis abundat in venis purgandum vero esse si humorum nocet qualitas; at vero hoc Primum damnandum est præceptum, quod contemptis omnibus aliis modis, quibus sanguis extrahitur à corpore, agat duntaxat de venæ sectione: Deinde quod ipse, non in omni sanguinis multitudine velit venam secari, sed vbi sanguis est crassus, aut certa alia qualitate affectus, ad hoc remedium idonea, vbi enim tenuis est (vt ostendit in quartanariis, & melancholicis) iubet esse abstinendum ab hoc remedio. Præterea mittimus sæpe sanguinem, vbi nulla vrget illius multitudo, sed profluuium; Addo, quod in biliosis febribus, & melancholicis affectibus sanguinem mittit: Postremo, si in omni multitudine sanguinis illum mittimus, quis potest esse vsus inediæ, frictionum, exercitationis, & aliorum præsidiorum, quæ excogitata sunt ad eam multitudinem minuendam? Cæterum *in lib. 4. Methodi* (vt diximus) duo ponit sanguinis missionem indicare, vel plenitudinem, vel magnitudinem morbi: quod si ita sit, quomodo vnum, vt ille testatur, vni est contrarium, & propterea vnum potest solum indicare vnum, & vnum indicari ab vno? Hæc fere sunt, quæ inueniuntur apud Galenum, sanguinis missionem indicare posse: quæ cum nequaquam comprehendant omnem sanguinis detractionem, sed solum eam, quæ fit per venæ sectionem, nec in ea aliquid statuere possit, quod certa, firmaque sit regula vsus huius remedii, videndum est, cum alii quippiam de ea re melius scripserunt.

Merenda, & Fernelius de euacuatione separatim scripserunt, traduntque plenitudinem esse, quæ vacuationem indicet: sanguinis vero missionem indicari à morbi magnitudine, qui profecto nequaquam rationem euacuationis attingere deberent, si vim indicationum, & vsum ignorant: aut si illam obseruare volunt, facile agnoscent, quantum aberrent: nam si Galeno authore, posuimus vnum solum indicare posse vnum, & vnum indicari posse ab vno, & id quod genus indicat, indicare quoque generis differentias, ex suis differentiis, quo, quæso, modo statuere possunt, morbum aliquem indicare aliquam speciem vacuationis, si plenitudo ipsa euacuationem ipsam indicat? an morbus magnus species aut differentia aliqua est plenitudinis? igitur tractatio falsa hæc esse agnoscitur, quia differentiæ euacuationum non indicantur à differentiis plenitudinis: at vero nec id, quod vacuationem per sanguinis missionem postulat, recte ab illis est positum: nam cum vnum debeat indicare vnum, illi nunc plenitudinem sanguinis, nunc morbi magnitudinem, venæ sectionem indicare statuunt, quorum neutrum, nec separatim, nec coniunctum id facit: ante enim refellimus morbi magnitudinem: sanguinis vero plenitudinem id refellit, quod inutilia sint alia præsidia, vt inedia, frictiones balnea, animi corporisque motus, quibus talem plenitudinem minuimus, si à sanguinis missione huius vacuationis remedium semper petimus. Nec semper à venæ sectione postulare debemus sanguinis euacuationem, si aliquando cucurbitulæ, & hirudines suum vsum obtinere debent. Itaque, cum nihil adhuc firmum & stabile memoriæ sit proditum, quod vim & vsum sanguinis missionis generatim primum ostendat, & postea singulos modos, quibus sanguis detrahitur, experiamur nos, quid in ea re præstare valeamus.

Quæ plenitudo sanguinis missionem indicet, & per quæ loca.

Itaque cum omnia, quæ sanguinem extrahunt à corpore, æqualiter, subitoque euacuent, sequitur sanguinis missionem indicari à plenitudine, *in qua vniuersi humores abundant, & opus est subita euacuatione*: cum enim remedium à contrario suo indicetur nihil inueniemus contrarium æquali, & subitæ euacuationi, præter quam huiusmodi plenitudinem, quæ cum etiam nullum aliud remedium inueniri possit, quod suis malis succurrere possit, æqualibus scilicet, & subitis, merito fit, vt talis plenitudo ponatur sanguinis missionem indicare: sic enim contrarium proprio contrario opponitur, & indicantium vis retinetur, & principia huius tractationis seruantur, quod in omni re maxime est obseruandum: quod si in venis huiusmodi plenitudo continetur, indicatur remedium, quod illam à venis extrahere possit, id, quod facit venæ sectio, siue scalpello, siue hirudinibus admotis orificiis, venæ aperiantur.

Cur in inflammationibus, vbi sanguis est sparsus per musculos & substantiam, venā secemus.

At si circa cutem, & musculos sanguinis est abundantia, vt in lassitudine fieri solet, tunc per cucurbitulas admotas, & cutis scarificationem, sanguinem elicimus.

Nec illud quidem nos mouere debet, quod in inflammationibus, vbi sanguis est sparsus per musculos, & substantiam partis inflammatæ, sanguinem mittamus, secta vena,

quoniam id facimus *non vt inflammatio soluatur, sed vt extrahatur sanguis in venis contentus, qui alioqui paratus est inflammationem augere.* Hæc ergo sunt, quæ proprie, & per se vacuationem indicant, quæ fit per sanguinis detractionem: Mittitur autem sanguis alia ratione, quam ob vacuationem, per accidens scilicet *ad corporis refrigerium, & transpirationem*, quomodo in ardentissimis febribus, etiá vbi multitudo sanguinis nulla subest, venam secamus: quoniam enim alia præsidia refrigerantia valida pro magnitudine affectus adhiberi non possunt in initio febrium, ideo à sanguinis missione auxilium petimus: ea enim plurimum vaporis calidi, & fuliginosi, quo febris gignitur, & fouetur, cum sanguine educit, vnde corpus transpirare & refrigerari contingit. Eadem ratione in scabie, *ad refrigerandas venas, hepar, & habitum corporis, quæ acres humores gignunt, scabiemque fouent*, sanguinem educimus. Alio quoque modo sanguis mittitur per accidens, scilicet ad reuulsionem: nam *vbi ob dolorem vehementem, vel ob aliam causam fluxiones magnas veremur*, quoniam non licet alio remedio potenter, & subito reuellere, idcirco præcipuum sumitur præsidium à sanguinis detractione, in quo casu nec multitudiné sanguinis, vel alterius humoris, nec aliud quicquã spectamus, nisi validam, & subitam reuulsionem, aut deriuationem; qua ratione recte quis dicet, morbos, qui suapte natura sunt magni, & vehementes, vel in parte nobili, talesque vt fluxiones mouere possint, cuiusmodi sunt, qui nascuntur à solutione continui, venæ sectionem postulare, etiam si nulla adsit plenitudo: quoniam fluxiones timendæ sunt ob morbi, & partis naturam, at hoc non est indicare sanguinis missionem, vt remedium euacuans, de quo agunt authores, sed vt potentissimum reuulsorium remedium.

Quę sanguinis missionē per accidens indicent.

Cur venam secamus in ardentibus febribus.

Cur in scabie.

Cur ad reuulsionem.

Cæterum cum mittatur sanguis in melancholia, & quartana, vbi sanguis est crassus, & non tenuis, id non ostendit, qualitatem sanguinis indicare illius detractionem, sed qualitatem eam non impedire, multitudinem autem indicare: non enim vbi solum crassus sanguis est, venam secari vult Galenus, sed vbi simul est multus & crassus, tanquam multitudo suum remedium postulet, cui non refragatur crassities, quod si tenuior fuerit sanguis, quoniam id fit exuperãte aquoso frigidoque humore, ideo sãguiné nó mittimus, ne corpus plus æquo refrigeretur, sed purgatione extrahimus aquosum humorem, qui sanguinem inuicit, facilisque fit purgatio ob materiæ tenuitatem. Quare etiam, vbi sanguis est flauus, & tenuis, purgatio facile huic malo mederi potest, cuius proprium non est auxilium ipsa venæ sectio; vbi vero crassus, & melancholicus humor est cum plenitudine, nequeunt purgantia medicamenta per venas subire vt attrahant humorem crassum, qui difficile sequitur purgationem. Quapropter, sanguinis missione prius venas euacuamus, vt prompte postea sese possint in corpus insinuare medicamenta, atque ita expeditior fiat attractio, & purgatio humoris crassi: & quia inedia, balneum, exercitatio, apte non adhibentur, vbi subest multitudo sanguinis melancholici: nam inedia, & labor crassiores reddunt hos humores: balneum, & exercitatio in plenis corporibus tuto non adhibentur) ideo cogimur à venæ sectione primum petere auxilium, postea vero à purgatione. Eodem pa-

A cto cum ad vesicam, vel renes aliquid penetrare debet, quod facile nequit fieri, nisi inanitis venis, tunc si subito illud faciendum est, aut si materia multa aliis remediis apte euacuari non potest, tunc venam secare cogimur. Et aliquando vbi sanguinem mittimus, quãdo cito succurrere morbis nonnullis volumus, etsi dolorem capitis, ex multitudine humorum inedia vincere possimus, sed non nisi longiore tempore, quod qui expectare non vult, aut ferre non potest doloris vehementiam sanguinis detractione cito liberatur, quod si per omnes affectus, in quibus sanguinem mittimus, discurrere placet, inueniemus, in hoc remedio firmum esse præceptum, quod antea ostendimus, in omni euacuatione

B scilicet sanguinem mitti, vel ad euacuationem plenitudinis, quæ necessario postulet hoc & non aliud auxilium, cuius generis diximus esse æqualem, quæ iam vel cito obesse potest, vel per accidés, cum sanguinis missione præstamus, quod cum alio remedio apte fieri nequit, scilicet refrigeremus, reuellamus, deriuemus, vel vt aliis remediis detur locus, vel vt cito perficiamus, sanguinem euacuando, quod per alia auxilia nequit, nisi paulatim, fieri. Hæc ergo sunt, quæ sanguinis missionem indicant generatim & singula remedia quibus, vtimur ad sanguinem demẽdum à corpore.

Nunc vero restat, vt paucis doceamus ea, quæ possunt sanguinis missionem impedire, siue contraindicare. De qua quidem re scribit *multis in*

C *locis* Galenus, & præsertim *in 1. lib. ad Glauconem*, vbi ait, nec in frigido, nec calido aere, nec in cruditate humorum, nec in pueris, nec in debilibus sanguinem esse mittendum; Hippocrates excipit quoque grauidas mulieres: nos autem neminem arcemus à sanguinis missione, cui aliqua sit salutis spes: nam etsi ii, quibus vires sunt infirmæ, forte non ferunt sanguinis euacuationem, quæ fit secta vena, certe eam, quæ fit admotis cucurbitulis, aut hirudinibus, sine aliqua noxa sustinent. Requiri quidem robur aliquod in hac euacuatione, certum est, at non omnium virium, sed vitalis duntaxat facultatis, quandoquidem sensu & motu propemodum extinctis, & plurimum debilitatis naturalib. functionibus, sanguinem mittimus. Illud quo-

D que spectandum est, ne fallamur in robore vitalis facultatis, puto enim satis validam esse vitalem facultatem ad hoc remedium ferendum, vbi pulsus desperatæ salutis indicia nequaquam præbet; quod Galen. *5 Methodi* aperte testatur *cap. 3.* vbi ita scribit: *Quod si ager ex sanguinis profluuio ne solutus adhuc non sit etiam vena secanda est.* Et grauidis tuto mitti sanguinem posse docet quotidie experientia, & Cornelii Celsi sententia, qui ita scribit: *Siquidem antiqui primam vltimamque ætatem sustinere non posse hoc remedii genus iudicabant, persuaserantque sibi mulierem grauidam, quæ ita cu-*

E *rata esset abortum esse facturam: postea vero vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potiores, obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat.* Quid vero de pueris sentiendum sit & aliis contraindicantibus, in tractatione nostra de febribus ostendimus; at non solum vires, sed etiam contrarii affectus sanguinis detractionem secta vena prohibent, nisi reuulsionis causa mittatur, sæpe enim cogimur tunc contemnere omnia alia incommoda, vt præcipuo malo succurramus, alioqui vbi refrigeratione noxá timemus,

ab

Quæ possint sanguinis missionem impedire siue contraindicare.

Solum facultatis vitalis vires requiri ad sanguinis missionem.

Grauidis tuto posse mitti sanguinem.

ab hoc præsidio abstinendum est. His ita explicatis, ex quibus intelliget Medicus, an vacuare, & quid, quoue remedio debeat, iam pergere possumus ad interpretandos occultos authoris sensus.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ γίγνεσθαι γίγνηται.

Si talis fiat, qualis fieri debet.

RECte quidem scribit Galen. Hippocratem hic agere de qualitate, quæ requiritur, in humore, qui vacuandus est, nam id ostendunt authoris verba, *talia, qualia, talis, qualis*, & quæ superius adduximus argumenta ex purgationis nomine, vi, & vsu; Verum non recte explicat eam qualitatem: ait enim *in huius, & secundi Aphorismi* vbi eadem sententia repetitur, *Commentario*, tales fore humores, quales oportet esse, si noxii fuerint, & molesti, vel si superabūdauerint: r ā dignum non est. Hippocratem præcipere, quod ea sint euacuanda, quæ excedunt naturalem mēsuram; quis enim nō agnoscit, repletionem curari euacuatione? quis præterea non nouit, vbi euacuandum est, educendos esse eos humores, qui nocent, & ab aliis abstinendū, qui nullum nocumentum adferunt? Præterea, falsum est, vacuandos semper esse noxios humores: nam vt superius ostendimus, sæpius pugnamus aduersus noxios humores alteratione, quam vacuatione; deinde, idem argumentum, quo alios refellimus, Galenum vrget, scilicet, non sequi semper conferentiam, & leuem tolerantiam, quando noxii humores euacuantur. nam vigente febre ardente, aut incipiente quartana, noxii adsunt humores in corpore, tamen illorum euacuatio nec vtilis est, nec facilis quoniam scilicet, tunc tales non sunt humores, quales esse debent, si vtilis & facilis expectanda est euacuatio. Latet ergo sub verbis *talia, & qualia, talis & qualis* occultior quidem sensus, maior vis & energia, quam nemo hactenus expressit, nec author ipse docere poterat Aphoristica breuitate. Quam ob rem aggrediamur nos rē hanc obscurā sane patefacere: ac quoniā Hippocrates agit de euacuatione, quæ fit non solum à Medico, sed etiam à natura, de vtraque pariter est à nobis tractandum, & primum videndum, an tales oporteat esse humores quos natura euacuare debet, quales sunt, quæ requirunt euacuationes, quas Medicus instituit. Porro diuersos esse oportere, facile est ostendere, nam in morbi principio natura sanguinē euacuare vtiliter nequit, in morbi vero incremento, & vigore, sæpe morbos recte indicat per sanguinis profluuiū; contra vero Medicus studet in principio sanguinem mittere secta vena; crescente vero morbo, minore vtilitate id facit. eodem vero vigente, præcipitat pro hominis dubia salute hoc remedium, quod in prioribus temporib. oportune adhibetur: declinante iam morbo, nulla illius remedii vtilitas, nullus vsus. Cæterum, in purgatione idem aliquando fit à natura & Medico, aliquando diuersum: nam incipiente febre, natura aliquando vtiles molitur purgationes per vomitum, per aluum vero nequaquā: in statu vero & declinatione, nō solum per vomitum, sed etiam per inferiorem euacuationem feliciter corpus exonerat: Medicus vero purgationem tentat in acutis febribus, cum

An tales esse oporteat humores, quos natura euacuare debet quales sunt qua requirunt euacuationes, quas Medicus instituit

A illæ incipiunt, vel declinant; in aliis vero, quæ longiores sunt, ab initio non purgat, in statu vero purgare potest; & magis in declinatione: nec vtiles quidem aliquando sunt, crescente febre: in febris acutæ incremento tanto deteriores præstat euacuationes natura, quanto ea incrementi pars vicinior est principio; tanto vero vtiliores efficit, quanto plus ab augmento ad vigorem accedit: vnde Galenus bonas etiā Crises crescēte adhuc morbo fieri scribit, Medicus vero vtilius purgabit vrgente acuta febre in principio incrementi quam in fine: in aliis vero potius in fine, quam in principio; Vomitum in febribus intermittentibus inuadente accessione, & Medicus & natura pari modo vtiliter eliciunt: in continuis vero,
B non nisi iam multum crescente aut vigente morbo, aut plane declinante, natura vomitum tentare solet, Medicus vero post accessionis initiū, in aliis tēporib. inferiorē eligit euacuationē. Cæterū, sudores in acutis & cōtinuis febribus agente natura in morbi principio, prorsus inutiles, & noxii: in statu & declinatione optimi: in febribus vero intermittentibus, vt in tertianis exquisitis, vtiles quidem non sunt in totius morbi principio, sed in declinatione & statu accessionis, in principio vero mali: at Medicus cauebit sudorem elicere in statu febris acutæ, nisi natura incœperit eam euacuationem: in declinatione non verebitur id facere, sicut nec in declinatione accessionis febris intermittentis: in principio vero ab ea-
C dem euacuatione pariter abstinebit. Quod de sudore dictum est, idem de his, quæ vrinam mouent, dicendum esse statuo: At vero alui excrementa in omni morbi tempore natura commode excernit, Medicus vero non nisi in declinatione accessionis, vel in interuallo, aut declinante certis horis febre cōtinua vel certe lenius affligēte. Inedia quibus vtilis est, vtilius adhibetur in principio, incremento, & statu morbi, quam in declinatione: & in morbis acutis vtilius in statu, quam in principio, in aliis vero, incipiente morbo potius, quam vigente. Frictiones commodissimæ in declinatione morbi nec tamen inutiles sunt inuadente morbo. Exercitationis in acutis morbis, & calidis nullus est vsus, in longioribus
D non paruus ad vacuandum in omni fere tempore morbi, vt in Hydrope.

Hæc enim ita fiant, non aliam habere possunt causam, quam quod diuersas requirant qualitates in humoribus diuersæ euacuationes, & ea, quæ euacuant, præsidia diuersa: nam si natura haberet talem humorem in principio febris acutæ, qualē habet in declinatione, pari successu posset in vtroque tempore purgationem tentare: si natura non alias postularet qualitates in humore, quam præsidia, quibus vtitur Medicus ad euacuandum, in eodem tempore morbi pari vtilitate vterque illo-
E rum eosdem humores educere: igitur cum *vniuersa huius res ratio pedeat à qualitate, quæ requiritur in singulis euacuationibus*, tentemus inuenire, Primum, si quid commune est in naturæ operibus, quod illa requirat in suis euacuationibus. Deinde quod proprium est. Porro videmus naturam nullam facere vtilem euacuationem antequam concoxerit humores: nam talis est ordo inter naturales facultates, vt prius attrahatur, quod familiare est, postea retineatur, deinde cōcoquatur, & post cōcoctionem, quod inutile est,

Cur natura alias postulet qualitates in humore, quam præsidia, quibus vtitur Medicus ad euacuandum.

expellatur, & quoniam vtile vel inutile agnoscitur esse, & fit per concoctionem, ideo hanc præcedere oportet, antequam aliquid expelli possit; nam quia concoctio fit per alterationem partium concoquentium, alteratio autem per contactum, necesse est, vt ea, quæ concoquuntur, similia reddantur concoquentibus, quantum materia, quæ concoquitur, admittit, & præstare possunt concoquentia; quo fit, vt ea, quæ admodum amica, & familiaria sunt, mutentur & assimilentur per substantiam, & qualitates; ex qua mutatione nutritio sequitur, qua peracta, quoniã nulla substantia est ad nutritionem apta, quæ aliquid non habeat inutile, alioqui nutrimentum, quod assumitur, actu esset & non potentia simile, nec aliqua opus esset alteratione: ideo necesse est B quædam excrementa relinqui, quæ proprie nihil aliud sunt, quam quod erat inutile, & dissimile in ipso nutrimento: quæ quidem excrementa tanquã inutilia, natura cogitur excernere, ne obsint corpori, cui sunt dissimilia: cõcoctio ergo requiritur, antequam fiat expulsio, quoniam expulsionis officiũ est eiicere excrementa, cum antea potentia continerentur cõmixta cum alia parte vtili, quæ cum facta sit similis, retinetur, & in nutrimentum cedit corporis partibus: quoniam ergo natura non potest, nec debet recte expellere, nisi sua excrementa, merito fit, vt ante concoctionẽ nullam possit tentare vtilem & facilem euacuationem, id quod in euacuationibus excrementorum, in quibus sequitur concoctio & assimilatio per substantiam & qualitates, iam satis ostensum esse puto. idem fieri intelligemus in ea concoctione, in qua materia, quæ concoquitur, solũ assimilatur per qualitates, substantia vero dissimilis remanet, vt in puris generatione fieri apparet; est enim tunc pus concoctum *quando factum est*, (vt inquit Hippocrates.) *album, lene, æquale, & minime fætidum*: tunc enim eam concoctionem recepit, quam assumere vnquam potest: & quia inutilis est substantia, quæ relinquitur, ideo excrementũ fit corpori & propterea expellenda; & recte tunc expellitur, quando pro sua natura cõcoctionem est adepta, & quicquid est concoctũ, expellendum est, quia totum est excrementum, non enim in tali concoctione gignuntur duo genera excrementorum, vt in alia, in qua substãtia aliqua assimilatur, & in nutrimentum transit; sic in febribus, humor, qui sensit putredinem, & ob eam & eas qualitates, quas calor præter naturam inuehit, dissimilis factus est, rursus alterationem & concoctionem desiderat, vt similis fiat, quantum fieri potest, potest autem solum per qualitates, *quia quod putridum est, corruptum est*, id autem ad pristinam naturam redire nequit, & peracta concoctione & assimilatione, iam potest ab aliis humoribus, cum quibus erat commixtus, separari & excerni, reliqui vero, qui assimilari potuerunt per qualitates & substantiam, eo quod putredinem non senserint, retinentur ad corporis nutritionem: non mirum ergo, si natura alui excremẽta & vrinã singulis diebus, & toties quoties fit concoctio cibi; & potionis, ac etiam in omni tempore morbi recte expellere potest: illa enim ex materia gignuntur, quæ in locis continetur, vbi paucis horis concoqui potest nulla lædente putredine; humores vero, qui putredinem senserunt, pro eorum diuersitate & locis, in quibus

Pus quando sit concoctũ.

Natura cur alui excrementa & vrinam singulis diebus expellat.

A continentur, difficiliorem habent concoctionẽ, plus, vel minus inter se, & omnes magis, quam alimenti concoctio; propterea alii quidem non nisi quatuor dierum spacio concoqui possunt, alii septem requirunt, alii quatuordecim, alii viginti alii plures dies, hebdomadas, & menses postulant, antequam vniuersa massa corrigi possit; vnde crises & expulsiones naturæ certis diebus & statis temporibus eueniunt; vbi vero in morbis accessiones fiunt, quia ex tota massa portio quædam duntaxat iam putredinem sentit, id vero, quod relinquitur, solum habet dispositionem ad putredinem, quam postea concipit, ideo cum ad eã accessionis partem peruentum est, in qua natura vicit & assimilauit humorem, ita, vt iam separari B possit à reliquis, tunc vtiles fieri possunt euacuationes, vt in statu & declinatione; in principio autem, quia nulla adhuc euidens pugna & victoria à natura est facta, ideo nihil recte tunc expelli potest; quod autem in principio accessionis febrium, euacuationes, quæ fiunt per vomitũ, conferant, obsit autem alui fluxus, ratio est, *quod ea materia quæ per vomitum eiicitur concocta sit, alia vero minime*: nam ventriculus ex hepate recipit humores, qui ex priore accessione sunt relicti, quippe cum natura non prosequatur semper omnia excrementa, sed quantum ab illis molestatur, vt semper fere aliquid in intestinis relinquatur ex excrementis alimenti, quos humores natura, quæ nouum insultum ex noua materia & calo C re putredinali sentit, vt melius possit reluctari, & vincere, extrudit ac sese exonerat ab eo, quod iã habebat, victum, & iam molestabat, eo quod ex nouo calore & insultu sit commotum; quia ergo talis humor siue excrementum aceruari solet circa venas mesaraicas, hepar, & ventriculum, & præsertim circa illius orificium, ideo per vomitum illi via paratur, quoniam vero alui fluxus contingere solent, cum excrementa, quę in venis continentur, ad intestina protruduntur, ideo ante statum, & declinationem accessionis non solet natura aluum aperire, quia ante ea tempora conD coctio non fit, nec excrementorum illorum generatio; Accidit tamen aliquando in tertianis, vt pro vomitu natura tentet excretionem inferiorem, si eadem materia, quæ ex priore accessione fuerat relicta, facilius recipiatur in intestinis, aut mittatur à partibus expellentibus, eo conuersio suo motu; Sed cur est, quod sanguinem natura nequeat euacuare in principio febrium? an ex eo forte fieri debet excrementum, quod à tota massa sit separandũ? id forte in biliosis febribus continuis locum haberet, quandoquidem bilis, quæ putrescit, suam concoctionem requirit. Verum quid de sinochis dicemus? Dicendum certe est, E naturam in eo sanguine excalefacto præter modum, & ob dissimili facto prius aggredi alterationem, & assimilationem, vt in aliis facere solet, vt quæ scilicet, sine aliqua, aut minori certe noxa malis succurrit, quam euacuatio, quæ boni multum cum malo semper excernit, quam alterationem posteaquam tentauit, nec potuit plane vincere, & in incrementũ conuertere, cogitur expulsione vti: sed cur est, quod cum totus sanguis excalefactus, & dissimilis per illas febres est redditus, totus non expellatur à natura, vt solet per sudores, & alui profluuia extrudere quidquid nocebat excrementi? an quod natura medio-

Humores vero, qui putredinem senserunt, non item. Et quot dies talium humorum concoctio requirat.

Cur natura nequeat sanguinem euacuare in principio febrium.

crita-

critatem solum quærat, in qua illi nulla sit molestia, quia ergo ad euacuationem portionis sanguinis expirat magna copia vaporis fuliginosi & putridi, ideo calor temperatur & febris abit; improuide autem natura ageret, si posteaquam tantum euacuauit, quantum fuit necessarium, reliquum quod mediocritatem iam est assecutum, prosequeretur; quia vero mediocritatem illam non assequitur, vbi expellendus est aliquis peculiaris humor, nisi aut totus aut maxima ex parte ille expellatur ideo cogitur sese integre exonerare, si integra sanitas speranda est, alioqui ad portionẽ euacuationis, mediocritatis portionem assequetur, vt in crisibus imperfectis fieri videmus; Ergo vt semel dicam, natura in eo tempore solum potest bene vti euacuatione, *quando ea materia, quæ expellitur, concocta reperitur, & quanto plus concoctionis accepit excrementum, tanto melior fit euacuatio*; Vnde in declinatione laudabiliores sunt excretiones quocunque modo factæ, quam in statu, in hoc vero tempore meliores, quam in incremento, in principio vero nulla humoris peccantis laudabilis fit euacuatio, *nisi aliquid ab aliis sit prius separatum & concoctum*; ac mirum quidem non esse debet, si in acutissimis morbis natura non solet partiri euacuationes, sed expellendo vnam, & integram expulsionem, se liberat; in longioribus vero morbis, aut in intermittentibus, repetere solet enacuationes: nã acutissimæ febres ex materia maxime vniformi constant, quæ vniformẽ recipit alterationem, & propterea in certo tempore absoluitur illius concoctio, & quoniam natura solet expellere, vt molestatur, rationi est consonum, vt vbi calidissimi, & acutissimi humores adsunt, natura vehementer irritetur, ex vehementi autem irritatione vehemens conatus oritur; & ex hoc magna expulsio, quam sequitur totius materiæ noxiæ euacuatio, vbi vero materia est difformis, oportet inæquales & difformes fieri concoctiones, & aliquid alio prius concoqui, quod postea extendit, ne obsit corpori, & vt illa exonerata, quod reliquum est, melius concoquere, & assimilare possit. Ergo talis erit humor, qualis esse debet in omnibus excretionibus, quæ à natura cum facili tolerantia & conferentia fiunt, si concoctus ab ea fuerit: nam nostras alterationes natura, quæ suis instrumentis & non alienis vtitur, non requirit ad suorum operum perfecti[illegible], etsi eas non spernit ad auxilium, ea enim [illegible], quæ concoquit; Medicus vero concoctionem solum iuuare potest.

Natura quando possit commode vti euacuatione.

Quando in principio morbi sit laudabilis euacuatio.

Nunc sequitur, vt doceamus, quales oporteat esse humores, vbi tales euacuationes ex Medicina expectamus, non potest quidem vnica qualitas apta esse ad omnes euacuationes, quæ à Medico obeuntur: nam cum nonnulla ex suis præsidiis euacuantibus attrahendo suum munus exerceant alia vero vasa aperiendo, alia fundendo humores, alia rarefaciendo corporis superficiem, alia exsiccando, alia intus calefaciendo, & digerendo, ratio conuincit, vt diuersa qualitas requiratur in humoribus; quandoquidem oportet inter diuersa agentia proportionem esse ad ea, quæ patiuntur diuersam; vt enim natura, quæ vtitur vnico instrumento, nempe expultrice facultate ad sua excrementa expellenda, vnicam postulat in illis qualitatem: ita non mirum, si diuersæ requirantur qualitates in his, quæ euacuantur à Medico, ob diuersa instrumenta, quibus medicina vtitur, quam ob rem cogimur expendere propriam qualitatem, quam singulæ euacuationes in humore desiderant; Est porro ad vacuationem, quæ fit per sanguinis missionem, humor idoneus, *cum maxime naturalem suam qualitatem seruat*: nam cum sanguinis detractio requiratur primo, & per se ad illius multitudinem, quæ subitam postulat euacuationem, minuendam, tunc maxime ille abundabit, quando omnes humores proportionem inter se seruant, & tunc proprii effectus huius remedii apparent: quidquid enim mali est in humoribus, ex solo auxilio resecatur.

Quales debeant esse humores, vbi euacuationes ex medicina exspectantur.

Humor ad sanguinis missionem idoneus quis.

Propterea recte scriptum est à maioribus nostris plethoræ remedium esse *sanguinis missionem. Cum vero sanguis alienam qualitatem accepit*, purgatione, vel alteratione est opus; idem confirmat, quod scribit Galenus *in lib. 4. de sanitate tuenda*, non esse mittendum sanguinem, quando humores infra qualitates mediocres sunt frigidiores, & crudiores vel eam mediocritatem excedunt.

Quapropter non mirum si sanguinem mittimus commodius incipiente febre, quam crescente, & vigente, nunquam vero declinante, *tunc enim sanguis corruptus est ob generationem excrementi, & propterea purgatio requiritur, vt massam sanguinis purget: In principio vero & incremento, simillimus adhuc est sibi ipsi naturaliter affecto*, in statu vero per se non mittitur sanguis ad euacuationem, sed ad refrigerationem, caloris excitati à putredine, & fuliginosis excrementis.

Cur sanguinem mittamus commodius incipiente febre, quã crescente & vigente.

Cæterum, ad vacuationem, quæ fit per purgationem, scribit Galenus *in 23. textu tertii Prognosticorum*, calidum & tenuem humorem idoneum esse, quod mihi non videtur rationi consonum, nam in statu ardentis febris, subest humor biliosus calidissimus & tenuissimus, nemo tamen purgationem tunc aggredietur, tanquam alias requirat adhuc humor qualitates: erit autem, vt arbitror, paratus humor in purgatione, *qui tenuis est, & nullam insignem, vel extraneam qualitatem habet*: nam cum in ea euacuatione requiratur, & medicamenti attrahentis vis, & naturæ expellentis, & iuuantis medicamenti facultatis auxilium, tenuitas humoris facit: vt facile trahi possit à medicamento, & absentia aliarum qualitatum liberat naturam ab alteratione: atque ita non impedita in alteratione humorum, purgationi seruire potest, & vbi nulla est extranea qualitas, nulla cruditas præcessit, aut si præcessit, iam concoctio adest: nouimus enim ex Galeni *libro de optima secta*, medicamenta purgantia fere solum naturam mouere ad expulsionem, & illam postea insurgere, & euacuationem perficere, quod si illa à qualitate humoris vexetur, minus profecto conferet ad euacuationem in alio occupata negotio: vbi enim concoctioni dat operam, nequit expellere, quia vnico vtitur instrumento, nempe calido natiuo, quod vbi occupatur vehementer in aliquo officio, reliquis seruire nequit: Proinde, tenues humores in initio morbi euacuandos esse scribit Galenus, cum nullam adhuc insignem qualitatem eo tempore habeant, & tenuitas adsit propria ad attractionem, eo etiam spectat Aphorismus, in quo scribit Hippocrates: *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere; fiunt enim, inquit Galenus, fluida, idest, ad purgationem*

Ad purgationem quis humor idoneus.

Sect. 7. apho. 72.

parata, quando humora tenuia sunt redditi. At si quis contra adferat Aphorismum, *Concocta medicari*: & dicat, requiri concoctionem ante purgationem in humoribus, illam autem omnia necessariae: respondeo, concoctionem desiderari quidem, quia ante concoctionem, vbi humor est crudus, nullum est excrementum, quod vacuationem desideret, vbi autem adest, praestare illud tenue esse, quam crassum, & propterea post concoctionem illi feliciorem experiuntur purgationem, qui humectantibus spissitudinem ex concoctione contractam emendant; Igitur concoctio vna ratione ad purgationem confert, *quod excrementum efficiat, & naturam liberet ab alteratione; alia vero ratione obest, quod crassitiem aliquam & lentorem adferat*; vt autem concoctio requiritur, vbi cruditas adest, vt in febribus, in quibus adueniente calore extraneo, humores facti sunt dissimiles, & rursus similitudinem requirunt, vt excrementum eliciatur, sic in sanis, aut in hydrope aut aliis morbis, siue febre putrida laborantibus, nulla praecedere debet concoctio purgationem, quia nulla adest cruditas, quae syrupos nostros, aut alia remedia postulet; sed quidquid exhibetur, alia ratione prodest purgationibus, nempe, quod extenuet vel incidat humores vel vias aperiat; & id est, quod in illis requirit Hippocrates, cum scribit: *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*, nulla concoctionis facta mentione.

Section. 1. 4. aph. 22.

Concoctio quomodo ad purgationem conferat & quomodo obsit.

In quibus nulla debeat praecedere concoctio purgationem.

Caeterum ad euacuationem quae per balneum fit aquae dulcis, erit aptus humor, qui tenuis est iuxta cutem positus, & nulla alia insigni qualitate praeditus, quae cum qualitatibus balnei congruat: nam si paulo calidius adhibeatur balneum, exasperantur humores admodum calidi: si tepidum balneum sit, competit humoribus calidioribus & acrioribus: Humores crassi inepti sunt vt per cutem expirent; quapropter, quotidianis febribus, vbi humores sunt crassi & lenti, balneum non adhibemus; nec in quartanis nisi ad corporis humectationem; nec in vigore febris acutae, quia plus aequo calidi sunt humores, nec perfecta est concoctio, postquam excrementa exhalant; vt autem balneum aquae dulcis requirit humores tenues, & non frigidos & pituitosos; sic balnea ex aquis sponte nascentibus, quae calefaciendi & exiccandi vim habent, his humoribus remedio sunt, quemadmodum & euacuationes, quae aere excalefacto perficiuntur, his enim remediis eos, qui aqua intercutem laborant, euacuamus; ad eam vero euacuationem, quae fit per inediam, aptus est humor, *qui frigidus est & humidus, vel temperatus, vt in plethora, vel humidus solum, qualis solet in pluuioso tempore procreari*: hi enim humores à calore & siccitate, quos inuehit inedia, non exasperantur, & interim euacuantur. Eadem fere qualitas requiritur in humoribus, qui per frictiones digeruntur. Iam vero per vomitum fit facilis humorum vacuatio, quando illi multi sunt, absque visciditate, crassitie, & acrimonia: multi enim naturam stimulant ad expellendum: propterea qui per vomitum solent sese exonerare, prius ventriculum multis & variis cibis replent, ex vehementiore autem ipsius motu diu non haeret in via materia; quare liberior & facilior fit motus, & vbi nulla adest acrimonia, nullus fit morsus in stomacho, quare liberi & faciles vomitus fiunt. Haec quidem sufficere possunt his, qui methodum quaerunt, non autem omnium particularium explicationem.

Aquarum sponte nascentium calidarum & siccarum.

Ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην
καὶ ἡλικίην καὶ νούσους, ἐν ᾗσι
δεῖ, ἢ οὔ.

Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & aetatem & morbos, in quibus conueniat, aut non.

HAnc partem Aphorismi ita explicant omnes interpretes, quod cum Hippocrates dixerit, exuperantem humorem esse euacuandum; certa autem non semper habeamus inditia humoris laedentis, admoneat regionem, tempus, aetatem, & morbos considerandos esse, ex quibus cognoscemus, quis humor exuperet, & quis non, & quemadmodum haec expectanda esse scribit Hippocrates, ita alia consideranda esse, quae Galenus partim hic & alibi partim commemorat, praebere signa exuperantis, laedentisque humoris, nos vero, qui in humore cum vtilitate & leui tolerantia euacuando non solum abundantiam, aut illius molestantem qualitatem, sed alias qualitates diximus esse expendendas: ad easdem etiam praedictorum considerationes referemus dicemusque, ea spectanda esse non solum, vt cognoscamus, quis humor exuperet, sed quis eas habeat qualitates, quas requirit euacuatio, quae vtilis & facilis futura est. Quae quidem verba authoris satis ostenduntur, cum ait (*in quibus conueniat aut non*;) scilicet euacuare: nam humores cognoscere, semper necessarium est, ita, vt de illorum cognitione dici non possit, *aliquando vero non*, sed semper non possumus euacuare, quia semper talis non subest humor, qualem requirit vtilis, & facilis euacuatio, quam nos, quantum fieri potest, affectare debemus, tanquam omnium optimam; est autem huiusmodi humor, vt diximus, *qui cum nocet, & alteratione vinci non potest, simul est ad propriam euacuationem paratus.*

Ostendunt autem aetas, tempus, regio, morbus, &c. quis humor exuperet, & quis possit alteratione vinci, aut non, & quales habeat quilibet humor qualitates aptas ad singulas euacuationes: etenim regio frigida indicat frigidum in corpore humorem abundare, qui tamen necessario non est euacuandus, cum alteratione per calida vinci possit; calida vero & sicca regio quantum in se est, calidos & siccos humores abundare ostendit, qui tamen semper non sunt euacuandi, quandoquidem sola refrigeratio eorum potest esse remedium, vt putridae febres significant subesse humorem, qui alterationem & euacuationem requirit, quoniam, calorem habent praeter naturam, & aliquid iam corruptum; quadrant ergo nostrae interpretationi authoris verba.

Quis nam humor euacuari commode possit.

Signa humoris exuperantis; & qui alteratione vinci possit aut non.

At quoniam locus postulat, vt de signis agamus, quibus licet humores cognoscere prius videndum est, quid alii de ea resenserint, ac quod ea, quae hic tradit Hippocrates, non sufficiant, Galenus in hoc Commentario, & in eo, quem scripsit in secundum Apho-

Aphorismum quartu, & libro 4. de sanitate tuenda & passim alibi multa addit ad hanc rem pertinenda. Verum illius tractatio etiam damnanda est, quoniam fontes rerum non apperit, sed singularia quæque prosequitur, veluti cum ea signa sumi scribit ex colore, ab excretionibus consuetis retẽtis, à symptomatis victu antecedẽte, viuendi cõditione, facili tolerãtia, ab his quæ cũ natura humorum coniuncta, à sexu, ab vrina, deiectionibus, sudore, sapore somno, vigilia, calore, frigore ex pustulis. quæ in corpore oriuntur, ex otio, labore & huiusmodi aliis, quæ à nullis certis principiis ducuntur; deinde, non docet signa, quæ genus humoris à specie, & differentias inter se distinguant; quæ præterea significent humores abundare in vniuerso corpore, quæ vero solum in partibus, quæ item sint certiora indicia. Egimus nos de hac re *in cap. septimo libri secundi de Signis*, ex quo loco plenam tractationem quilibet sibi comparare potest: hic tamen cogimur breuiter saltem capita enumerare, ne in hoc instituto desit mea opera.

Signa cognoscendorum humorum unde sumantur.

Sumuntur autem signa cognoscendorum humorum *ab iisdem fontibus, à quibus omnium rerum notas peti in opere ostendimus*, nempe, *ab essentia rei de qua agimus, ab ipsius causis, ab effectis, & à similitudine, quam cum reliquis rebus habet.* Est porro de essentia humorum propria ipsorum forma, & qualitates, ex quibus constant; bilem enim in corpore abundare, agnoscemus, si forte à corpore conspicitur excreta; sic calidos subesse humores agnoscimus, cum tactu calidius, quam par sit corpus sentimus.

Ab humoris essentia.

Cæternm inter effectus humorum numerantur annexæ cum illis qualitates, color, sapor, odor, crassities, tenuitas, visciditas. Merito enim hæ qualititates cum nascantur ex primis, in quibus humorum natura est posita, inter effectus reponendæ sunt; Effectus vero quos pariunt ipsi humores omnibus suis qualitatibus præditi, pertinent vel ad animũ, vel ad corpus: animi enim mores, quales vigeant humores, produnt: nam iracundi & furibundi biliosi; stolidi, incontinentes, impudentesque sanguinei; melancholici: astuti, cauti, prudentes, constantes, ingeniosi; quibus vero atra bilis dominatur, ii maligni, proditores, simulatores, osores, iniuriarum memores, obtuso ingenio præditi, pituitosi. Memoria valent melancholici: facilius imaginantur & discunt, sanguinei, & pituitosi; vnde pueri & mulieres maxime dociles putantur, idem ostendunt corporis actiones, naturales, animales, vitales, & singulæ illorum species, & qualitates, habitus, pili, asperitas, lęuitas, durities, mollities, & aliæ qualitates, quæ in habitu corporis cõspiciuntur; Ad hunc fontem etiã pertinent morbi, qui ex humoribus nascuntur, Illorum enim natura, accessiones, longitudo, breuitas, vehementia, benignitas, malignitas, continuatio, intermissio, & reliquæ differentiæ, quas in opere nostro notauimus, & solutionis ratio, & modus, præbent sua indicia. Sunt pariter humorum effectus, dolor, & illius differentiæ, quæ euidentes præbent significationes de humoribus lędentibus. Ponendę quoque sunt inter passiones corporis alleuationes, & aggrauationes, quæ sequuntur excretionem, humorum, grauius enim solet esse euacuatio familiarium humorum, aut qui parati non sunt ad excretionem.

Ab effectis

Cæterum, humores multas habent causas: nam ea, quę temperiem inducunt in nostro corpore, ex qua gignuntur humores, causæ illorum sunt: ad quod genus causæ ætas, aeris conditio, regio, anni tempus, vitæ conditio, somnus, vigilia, sexus, & si si quæ alia similia, rediguntur.

A Causis.

Præbet quoque suas notas materia, ex qua humores gignuntur, tanquam materialis causa: eam autem suppeditant, quæ assumuntur suis qualitatibus, substantia, quantitate, modo ordine, & tempore assumptionis: nam pro horum diuersitate diuersos humores gigni, & ostendi, necessarium est, eandem materiã suppeditant, quæ retinentur.

A Materia.

Colligimus pariter humorum notas ex communi corporis instrumento, nempe calido natiuo influente: nam pro illius differentia differentes humores gigni rationi est consonum; quibus enim natiuus calor imbecillior est, iis pituita abundat; quibus vero est validus, sanguis viget, quibus est acrior, illis augetur bilis; Melancholicum vero procreat humorem, si cum siccitate est infirmus.

A Calido natiuo influente.

Quinetiam causæ sine quibus non suas quoque exhibent notas: nam si non retinetur alimentum, donec sit perfecte elaboratum, pituitæ plurimum gignitur, contra vero bilis exuperat, si postea quam est concoctum, excrementa diu retinentur, longiora enim mora materia exuritur.

A Causis sine quibus non.

Habent quoque in ostendẽdis humorib. causæ iuuantes, & lædentes suam vim: nam qui à temperatis iuuantur, temperatos habent humores: intemperatos vero, quibus prosunt intemperata.

A Causis iuuantibus & lædentibus.

Præbent & sua inditia signa, quæ sumuntur à similitudine, & proportione: nam si nouimus per dissectiones, aut alio modo, aliquos abundare certis humoribus, licet colligere, alios, qui simili affectu tenentur, similibus humoribus redundare.

A similitudine & proportione.

Sunt hi signorum fontes, quos si quis sciat explicare, inueniet, quid ostendat, an humores sint temperati, an intemperati, boni vel mali, benigni vel maligni, varii & inæquales, aut vniformes & æquales, crassi vel tenues, lenti aut sine lentore, vel in his qualitatibus mediocres; qui præterea sint, qui alteratione vinci possint, qui vero vacuationem postulent, & qui ad eam sint parati, quæ vtilis, & facilis futura est; item, qui in toto corpore abundent, vel solum in venis, aut extra venas, in habitu, vel in alia parte corporis.

Verum in certis fontibus adhibendę sunt nonnullæ animaduersiones, vt certa reddantur inditia; nam in signis, quæ sumuntur ex qualitatibus primis humorum, quę tactu dignoscuntur, cauendum est, ne corpus inæqualiter afficiatur: nam inuadente accessione cum rigore, corpus frigidum sentitur, cum tamen humores subsint calidi & biliosi; idem obseruandum, cum ex colore corporis de subiectis humoribus iudicare volumus: nam in timore reuocatis humoribus ad interna viscera cutis ostendit frigidos humores abundare, quoniam vero in ira, & clamore & gaudio humores ad cutẽ effundũtur vniuersi, multo sanguine abundare crederetur, qui forte biliosus est, aut pituitosus; absint ergo, cum ex colore dignoscere volumus humores abundantes, calor & frigus, externarum partium: Item, febris, pudor, ira, tristitia, cogitatio, gaudium, somnus, vigilia immoderata, recens corporis motus, aut nimia quies, & si quid

Animaduersiones in certis fontibus signorum adhibendæ.

aliud in humoribus ebullitionem, aut motum ad internas, vel externas partes excitat, quæ vero sumuntur indicia ex sapore, ea semper sunt certa; at quæ sumuntur ex animi motibus inditia, debent ex ipsa temperie, & humoribus duci: nam religione, aut metu pœnæ coercentur mores, & nimia licentia efferuntur, quo casu colligere non debemus, cum humore melancholico abundare, qui timidus apparet, aut biliosum, qui sine periculo audaciam vendicat.

Præterea, animi mores non solum sequuntur dominium humoris, sed etiam vnius solum qualitatis in tota massa humorum excessum; Illi autem effectus, qui præter naturam ab humoribus fiunt, certæ sunt notæ ipsorum humorum abundantium, semper enim verum dicet, qui ex tertiana colliget biliosos humores infestare. Non perinde certa sunt signa, quæ sumuntur ex habitu corporis molli, duro, aspero, obeso, gracili, crasso, & ex pilis. nihil enim prohibet, vt in molli corpore & obeso bilis flaua, aut atra abundent, si præcesserint validæ causæ, quæ tales humores procreare potuerint; nec alienum est à ratione, pituitam abundare posse in eo, qui pilos habet flauos.

Quid in excrementis obseruandum.

Cæterum in excrementis illud obseruandum est, ne illorum euacuatio fiat ab alia causa, quam ex ipso humore, qui excernitur, sanguinis enim profluuium sequitur sæpe vehementes corporis & animi motus, aut bilis acrimoniam, quo casu temere pronunciabimus ex sanguinis effusione illius in corpore copiam.

Quando causa humorum certas præbeant notas. Et quando non.

Quod vero ad causas humorum attinet, *si omnes ad generationẽ vnius humoris concurrunt*, certas præbent notas; necessarium enim est, eum bile flaua abundare, qui iuuenis sit, & vitam degat laboriosam, in aere calido & sicco, cum cibo, & potu parco, calidiore, & sicciore; quod *si omnes causæ eandem non habent vim*, tantum à certitudine deficiet cognitio, quantum inter se causæ repugnant: inueniet tamen Medicus, si omnes fontes excutiet, certa signa, quantum ars nostra præstare potest ad ea, quæ de humoribus cognoscenda sunt apta, etsi semper in vno fonte, quod quærit, inuenire nequit. Hæc sufficere puto ad explicationem præsentis Aphorismi; quare ad sequentem accedamus.

APHOR. TERTIVS.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eadem permanere, neque quiescere: Cum vero non quiescant, neque possunt proficere in melius, reliquum est igitur, vt decidant in deterius; his de causis bonum habitum statim soluere expedit; vt corpus rursus nutriri incipiat: neque compressiones ad extremum ducenda (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre; ad hoc ducere cõuenit; Sic & euacuationes, quæ ad extremũ deducunt, periculosæ: Et rursus refectiones cum extremæ fuerint, periculosæ

A Docuit Hippocrates *in superiore Aphorismo* in omni euacuatione Medicũ eligere debere tales humores, quales singulæ euacuationes, & remedia euacuantia postulant: Sic enim fore euacuationem vtilem & facilem, & nos ea addidimus, quæ explicant proprias illas qualitates, quantum assequi potuimus, & reliqua, quæ ad aliarum partium Aphorismi enarrationem pertinent. Nunc autem author docet quantum sit vacuandum, vt verba ostendunt, *neque compressiones ad extremum ducenda*; Item verba illa (*sic & euacuationes, quæ ad extremum ducunt.*) Docendi autem ratio, qua vtitur ad probandum, quantum sit vacuandum, sumitur ab exemplo, vt *in superiore Aphorismo*. Exemplum autem capit ab

B athletis, vt satis verba ostendunt, sed meo quidem iudicio non eo modo, quo Galenus interpretatur, nam hic scribit, Hippocratem damnare Athletarum habitum, ob nimiam repletionem, de qua te etiam multa scribit *in libro ad Thrasybulum*, vbi hunc Aphorismum etiam exponit: Ait enim, per Gymnasticos, idest, eos, qui se exercent, nos intelligere posse, tum eos, qui fodiendo, aut remigando, aut in alio opere sese exercẽt, tum vocatos Athletas, de quibus hic intelligit author, quorum professio paulo ante Platonem nata, & a Theone, & Triphone scriptis illustrata, olim in maximo pretio est habita, adeo, vt apud Græcos tota pene iuuentus relictis melioribus studiis illi incumberet: quam ob rem extant Eu-

C ripidis Carmina, quibus Athleticam tanquam maximam pestem, & corruptricem morum iuuentutis omnibus modis insectatur; quod etiã Galenus *in locu præcitatis, & in libro suasorio ad bonas artes argumẽtis*, medicis probare nititur. Athletas enim summam repletionem affectare, quæ maxime periculosa est, vt quæ quibusdam venas rumpat, alios vero suffocet, alios aliis morbis affligat, & interim in certamine hos occidat, aliis oculus effodiat, omnes denique grauiter afficiat, quibus malis debilitati, & languidi facti, omni genere miseriarum pleni conspiciuntur;

D quod & nomen ipsum, inquit, ostendit: nam Athletas inde dictos esse vult, quod ἀθλιοι, idest, miseri sint, vel vtrumque à miseria, quam Græci ἀθλιότητα vocant deduci putat; quinetiam, & illis hæc obicit, quod illorum constitutio non sit secundum naturam, & quod habitus nomen ab illis detraxerit Hippocrates, quoniam scilicet nomen habitus rem stabilem indicet, Athletarum autem sanitas lubrica res sit. Verum omissis conuitiis, quibus vtitur aduersus Athletas, videndum est, an Athletæ talem habeant habitum, qualem interpretatur Galenus; id quod facilius intelligemus, cum explicauerimus, quid habitus nomen

E significet, Est enim multiplex huius nominis significatio, Etenim apud Aristotelem habitus significat *affectum ex pluribus dispositionibus comparatum*, qui veluti nobis inhæret, & difficile elui potest, Galenus vero *ad Thrasybulum*, habitum cum de sanitate dicitur, *firmam quandam sanitatem, & bonam* significare scribit: & vt sanitas alia bona, alia melior, alia optima, ita alium esse habitum sanitatis, qui firmam quandam sanitatem, & nihil propterea indicet; alium bonum habitum sanitatis, qui meliorem quandam sanitatem ostendat; alium summe bonum habitum, qui perfectissima sanitas sit; Bonum aũt habitum

Athletas olim fuisse in magno pretio ab Euripide tamen pro peste habitos & c.

Athletæ vnde dicti.

Athletarum sanitatem esse rem lubricam.

Habitus multiplex significatio.

A vt & sanitatem bonam, alium simpliciter bonũ, alium non simpliciter bonum, quo Athletæ præditi sunt: Alibi autem habitum vocat *compositionem, siue structuram*, vt 2. *acutorum textu* 31. 3. Sumitur & habitus ab eodem *pro corporis partibus, quæ primæ oculis subiiciuntur*, 4. nempe musculis, quomodo dicimus eos esse bono corporis habitu, qui musculosi sunt, vt *in Arte Medicinali cepit: cum de habitu corporis egit*. Item bonum habitum nonnunquam vocat eorum, qui carne compacta sunt præditi, vt *libro quarto acutorum textu* 25. 5. Verum etsi tot sunt, & aliæ fortè adhuc habitus significationes, propria tamen & præcipua, à qua aliæ deriuantur, ea est, *quod firmum & stabile quid significet*: ideo enim Aristoteles, quod nascitur ex frequenti operatione, aut ex multis dispositionibus, habitum vocat, non quod illud reuera habitus sit, sed quod iam habitum contraxerit, id est, firmum quidpiam & stabile, vt re vera virtus est affectus quidam, qui in nobis hæret, & difficile elui potest, & propterea potius in habitu quodam est, quàm sit ipse habitus. Eadem ratione inter corporis partes ossa, nerui, musculi, caro, quoniam stabilem & firmam habent naturam, non vt humores & spiritus, qui mutationes magnas recipiunt, ideo dicuntur corporis habitum constituere. Sic sanitas perfecta in habitu dicitur sanitas, quia firma est, nec non, quia carnem habent compactam & duram respectu aliorum, maiorem in ea stabilitatem obtinent.

Propria & præcipua significatio.

B C Cæterum, cum habitus nomen multis modis sumatur, Galenus habitum, de quo hic agit Hippocrates, pro sanitatis habitu vsurpat, contenditque in Athletis simpliciter bonum habitum non esse, sed in agricolis. Verum nequit ita intelligi Hippocratis dictio: Primum, quod nũsquam alibi in eo significatu habitum vsurpauerit hic author: Deinde, ad verbum scribit, *habitum Athletarum summam bonitatem attingere*, D id est, summè bonum esse: & paulo postea repetit, *cum bonum habitum soluendum esse*, nulla factæ malitiæ additione: non enim intelligere oportet, vt Galenus interpretatur dictionem Hippocratis, vt dicat, Athletarum habitus, sed habitus, qui ad summum est bonus in Athletis, ita enim phrasis græca ostendit. Plurimum enim refert, hoc vel illo modo dicere. Præterea quod summè bonum est, illud simpliciter bonum; addo, quod si simpliciter bonus non est huiusmodi habitus, in melius proficere posset; quod enim simpliciter non est bonum, melius fieri potest: at cum dicat, in melius non posse proficere, E constat huiusmodi habitum summam bonitatem esse assecutum, quinetiam, si Athletas vitioso habitu præditos esse vellet, ad quid conferret exemplum ab illis sumptum: Mirum enim non est si malè affectos offendit nimia repletio, aut vacuatio: quapropter ex hoc non sequitur, non esse multum replendum, aut vacuandum. Licet præterea probare ex ipso Galeno hunc habitum esse simpliciter bonum: nam *in libro ad Thrasybulum* definiit eum esse bonum habitum, qui actiones validas edit: Athletæ autem validissimi, quare non solum simpliciter bono, sed etiam optimo habitu præditi dicentur. Illud quoque afferre possum, quod de Athletis non agat, sed de Gymnasticis, qui, vt Galenus ait, sunt in duplici differentia, quidam enim Athleticam, alii verò Gymnasticam profitentur, qui optimè sunt affecti: quid ergo est, quod nos cogat, illos potius, quàm hos intelligere, præsertim cum antiquissima fuerit vera Gymnastica, Athletica verò recẽs. Illud quoque mirari licet, quod Agricolarum habitum simpliciter bonum esse dicat. sunt enim illi à sole perusti, & calidiores gracilioresque ex cõtinuis laboribus redditi, quam vt perfectam sanitatem obtinere possint. Habent ergo Athletæ bonum habitum. Nec obstat, quod periculosus sit huiusmodi habitus, vt qui paratus sit in varios morbos labi: nam id primum omnibus athletis non cõuenit, sed his solum, qui iam ad summam repletionem peruenerunt: aliud deinde est, periculosum aliquid esse, aliud malum: laudat enim Hippocrates & summè bonum Athletarum habitum vocat, & tunc solum non periculosum esse dicit, cum in summo fuerit, quæ enim summè bona sunt, cum nihil melius acquirere possint, facilius periclitantur, quàm quæ a summo bono absunt: & *sequenti Aphorismo* victum tenuem periculosum dicimus esse, non tamen propterea malum. Sed ne in his immoremur, habitum hoc loco in consueta authoris significatione pro *structura, & conditione corporis* vsurpemus, dicamusque athletas ad summum bono habitu esse præditos, quoniam optima, & validissima structura sunt præditi, genusque musculorum validissimum obtinent. Hanc significationem habitus boni Galenus etiam sequitur *in Commentario*, cum Athletas validissimam structuram habere scribit, & non amplius habitum sumit, *vt in principio Commentarii*, & *in Thrasybulo* pro sanitatis habitu. Iam licet videre vim argumenti, quo vtitur Hippocrates ad probandum, quod extrema non debeat fieri euacuatio: nam si in Athletis, qui robustissimum habent corporis habitum, nimia euacuatio periculosa est, tanto magis erit periculosa in aliis, qui postulant euacuationem, quanto illi debiliores sunt Athletis, & malis humoribus magis abundant, hi enim facilè exoluuntur, cum euacuantur, eo quod paucos habent bonos humores, cum quibus robur consistere solet, quod verò euacuatio extrema periculosa sit simpliciter, & in omnibus probat ex repletione, quæ periculosa etiam est, cum extrema est. Igitur duobus argumentis probat, nõ esse extremè vacuandum à Medico, quoniam in Athletis periculosa est extrema euacuatio & repletio, & quia repletio extrema est simpliciter periculosa, non tamen propterea sequitur huiusmodi euacuationé esse malam, vt postea ostendemus, aliud enim est (vt iam quoq; diximus) aliquid esse malum: aliud esse periculosum. Atque hæc quidem sufficiant de scopo & docendi ratione huius Aphorismi, nunc singulas dictiones & sententias explicemus.

Habitum quid in hoc aphorismo significet.

Galeni sententia reiicitur.

Gymnasticorum duplex differentia.

Non omnino Athletarum bonum habitum esse periculosum.

Periculosum non esse cum malo idem.

Author[illegible] habitu significationem in hoc aphor.

Euacuationem extremam in omnib. simpliciter esse periculosam. Repletionem extremam esse simpliciter periculosam.

Habitus Athletarum qui ad summum bonitatis attingit.

HIppocratis Aphorismos tam religiosè scriptos esse mihi persuadeo, vt nihil omnino in illis immutari possit, non vitiata etiam diuini huius scriptoris sententia. Quare ad verbũ, quantum linguarum diuersitas patitur, authorem hunc inter omnes vertendum interpretandumq;

censuerim: id verò faciendum in hoc Aphorismo facilè intelliget, qui non solum crassa quacunque intelligentia librorum delectatur, sed omnia exactè habere cupit. Itaque totam huius Aphorismi Latinam interpretationem græcis verbis respondentem hic adscribam, ex qua vnusquisque vel mediocriter græcè doctus intelligere poterit, interpretem nostrum non satis fideli vsum fuisse interpretatione, id quod etiam nos procedente oratione ostendemus. Habet autem Aphorismus Græcè ad hunc modum.

Ἐν τοῖς γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. οὐδὲ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὔτε ἀτρεμέειν. ἐπεὶ γὰρ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι. λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν συμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα. μηδὲ τὰς συμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γὰρ ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. ὡσαύτως γὰρ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί. Ita autem verto.

In his, qui se exercent, ad summum boni habitus periculosi, si in extremo fuerint: neque enim possunt manere in eodem, neq; quiescere; quoniam vero non quiescunt, non amplius possunt in melius crescere, reliquum est igitur, vt in deterius. His igitur de causis bonum habitum soluere expedit non tardè, vt renutriri incipiat corpus; neque vero ad extremum vsque vacuandum, periculosum enim, sed qualis natura fuerit eius, qui perferre debet, ad id ducendum: eodem modo euacuationes, quæ ad extremum ducunt, periculosæ: & rursus renutritiones, quæ in extremo sunt, periculosæ.

PEr eos, qui se exercent (vt Galen. ad *Thrasibulum* notat) intelligere possumus eos, qui fodiendo, aut in alio opere sese exercent, tum vocatos athletas, de quibus agit *in hoc loco* Hippocrates: ii enim sunt, qui extremas repletiones & corporis habitum plenum affectant, de quorum professione antea egimus, εὐεξίαν, quidam interpretantur constitutionem firmam, sed perperam: non enim de constitutione corporis, sed de habitu agit author, quæ longè inter se differunt: nam de pluribus dicitur constitutio, quàm habitus, & in habitu sua est constitutio, in constitutione autem non aptè dicitur esse habitus; huiusmodi autem habitum Athletarum, id est, corporis structuram, summè bonam vocat, quoniam validissima est. & robustissimas edit actiones, & omni vitio caret, antequam perueniat ad summam repletionem, tunc enim damnanda est, eo quod periculosa sit, id est, periclitatur in varios & graues morbos incidere, de quibus paulo postea cômodiore loco agemus.

Constitutio & habitus quomodo differant.

Οὐδὲ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὔτε ἀτρεμέειν· ἐπεὶ γὰρ οὐκ ἀτρεμέουσι, οὐκ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι· λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον.

Neque enim possunt manere in eodem, neque quiescere; quoniam vero non quiescunt. non amplius possunt in melius crescere, reliquum est igitur, vt in deterius.

REddit rationem author huius rei, cum ait, *neque enim possunt in eodem manere, neq; quiescere*, quasi diceret, *vt summè bonus est athletarum habitus, sic periculosus non esset, si in summa ea repletione, quæ cum bonitate coniuncta est, consistere posset: at quoniam nequit in eo consistere, neque in melius crescere potest illorum habitus, vtpote summam bonitatem iam assecutus, reliquum est, vt in peius ruat: quicquid enim summè bono additur, malum est: quare, cum ea summa boni ad certam quietem non sit nacta, sed necessario moueatur, corrumpi eam quoque necesse est: boni autem corruptio in malum tendit: fit autem corruptio non cadendo, sed ascendendo.* Quare malè vertit interpres, verbum ἐπιδιδόναι, *proficere*, augere enim & crescere significat, conuenitque postea hæc significatio ei quod statim sequitur, *cum nô possint in melius crescere: reliquum est, vt in deterius* scilicet *crescant*. Cur vero non possit repletio consistere, videndû est. Scribit autem Galenus id fieri, quod continuo cibi coctiones & nutritiones fiant & humorum, sanguinisque generatio. atqui si has probauerimus, cessare debere, profecto, & incrementum sisti necesse erit: cessare autem eas debere, hæc ostendunt, quod concoctio & nutritio fieri nequeunt, nisi materia quæ concoquitur, in corpore adsit; adesse verò nô potest, nisi attrahatur à ventriculo, trahi nequit, nisi ille appetat, appetere non potest, nisi vacuetur ab aliis partibus exinanitis, quæ cum plenæ statuantur, cur externum pabulum requirent interno supra modum abundantes? Quod si experientia has nostras rationes refellit, docetque plenissimum etiam hominem diu sine cibo viuere non posse, sed nutritione egere, saltem necesse est, vt concedamus, nullam summam repletionem ex nutrimento in corpore succrescere posse, cum enim nutritio à natura instituta sit, vt id quod dissolutum est à nostro corpore, restituatur, illud quidem quod vacuatum fuerit, replebit, nunquam tamê ei, quod vacuatum non est, aliquid addet, ex quo pericula extinctionis caloris & suffocationis & vasorum ruptionis, vt vult Galenus, & experientia docet, sequantur.

Repletio cur non possit consistere.

Duo ergo in hac quæstione sunt explicanda, Primum quomodo fames in corporibus ita repletis fiat: Alterum, quomodo ex nutritione venæ ita repleri possint, vt tandem frangantur, & per corpus sanguinem effundant.

Aiunt quidam inanitionem fieri, quæ (vt diximus) appetentiæ causa est, expellente scilic. natura tantam copiam à qua grauatur. At, quomodo vacuat, si corpus plenum statuitur? Deinde si expellendo & non successiua attractione & resolutione vacuatio fit, accideret sæpe, vt talis vacuatio morbos ex fluxione excitaret, & sensibiles excretiones humorum per cutem aut alias vias fierent: vbi enim natura ad expellendos grauantes humores insurgit, & ipsi humores expelluntur, &

Fames quomodo in corporib. ita repletis fiat.

tur, & vbi magna est humorum copia, qualis hæc A in toto corpore statuitur, vehementiore conatu ad expellendum insurgit, atque interim inflammationes, & alii morbi excitantur: Alii tamen fieri dicunt, quoniam naturales actiones semper in opere sunt: at id nos non ignoramus, sed huius continui causam quærimus. Sunt, qui famem in huiusmodi corporibus excitari dicant ob corrugationem oris ventriculi, quomodo ab austeris, acerbis, & humore melancholico in ventrem confluente fit. Verum etsi non negamus, quæ adstringendi vim habent, roborare ventriculum, & exprimendi aliquantulum humorem qui in eo continetur, vim habere, tamen B nisi aliud fiat, non sufficit ad tantam appetentiam cibi excitandam, quæ hanc humorum redundantiam parere possit, alioqui vsu acerborum appetentiam semper excitare possemus. Deinde, quid corrugationis huius causa? Sunt demum qui dicant, non requiri hos quinque motus ad famem excitandam, nempe membrorum externorum inanitionem: inanitorum naturalem appetentiam, quæ repleri cupiunt: successiuam quandam attractionem, quæ tandem à ventriculo humorem sugat; suctionis sensum: postremo animalem appetentiam, sed alio modo fieri, nempe tria esse tempora, quibus ventriculus nutritur: In primo cum appetere; in secundo nutrimentum vnire; in tertio agglutinare & assimilare; C quo tempore reliqua membra nutrimentum sibi apponunt: posteaquam vero ventriculus cibum sibi assimilauit, insurgere denuo ad alium cibum appetendum: non ergo ventriculum appetere, quod sugatur ab aliis membris inanitis, cum nondum ea sint vacuata, quo tempore ventriculus appetit: fieri autem in ventriculo ob id appetentiam non per suctionem, sed (vt aiunt) per corrugationem, vel resolutionem propriæ substantiæ, maximè in corporibus ita plenis.

Quinq. motus ad appetentiam necessarii secundum Gal.

Qui in re plurimum à Galeno dissentiunt, qui eos quinque motus ad appetentiam excitandam necessarios esse dicit: deinde quæ potest esse causa noui appetitus? cum enim assimilauit sibi nutrimentum, restituit id quod dissipatum fuerat, D nec aliqua postea ostēditur necessitas alterius cibi. Præterea, etsi concedamus à proprio calore ventriculi substantiam dissolui, etiam si reliquæ partes exinanitæ non trahunt, tamen id, quod dissoluitur, nisi accedat suctio, quæ fit ab aliis partibus, tam paucum est, vt minimo nutrimento restaurari possit, quare minimo nutrimento opus esset: vnde videmus appetentiam his, qui à somno excitantur, non statim aduenire, etsi calor natiuus per somnum ventriculi humorem dissoluit, quoniam scilicet per vigilias, & exercitationes natiuus calor ad externas partes eductus earum humorem non dissipauit, quo vacuato cogerētur illi à naturali appetentia mota ab internis partibus nutrimentum sugere: itaque E statuamus, quod etiam supra demonstrauimus, *calorem nostrum natiuum singularum partium substantiam perpetua quadam actione digerere, maximè tamen & citissimè dissolui in aerem ambientem, quæ cuti sunt viciniores, quæ postea cum proprio singularum calore internas successione quadam exhauriunt.* Hinc videmus appetentiam ventriculi magis intendi, quanto exteriores partes per exercitia, aut alia ratione sunt magis exhaustæ, vehementius enim tunc ventriculus sugitur & molestatur, cogiturque animal externum cibum ingerere, vt ventriculi molestiæ succurrat: At quomodo (quæso) externum nutrimentum requirit animal, cum in corpore venæ plenæ in hoc casu statuantur, sanguine autem omnes partes corporis tanquam familiarissimo nutrimento ali dicantur? Profectò partibus omnibus, quæ post hepar sunt, familiarissimum nutrimentum est sanguis, aliis autem, vt venis mesaraicis, & ventriculo non item, sed quod vicinius ori est, familiarius illis est, etenim pars vnaquæque cum semel materiam aliquam acceperit, illam alterat, & mutat in sui similem substantiam, eaque nutritur, reliquum quod superest, pro excremento habet, siquidem actio in simile non fit, sed in dissimile.

Quomodo animal externum appetat nutrimentum, cum venæ adhuc sint plenæ.

Sanguis quarum partium sit nutrimentum & quarum non.

Itaque cum pars materiam aliquam sibi similem semel fecit, in eam postea nisi alterius aptioris materiæ penuria non agit, id quod ex ventriculi nutritione colligere licet, qui posteaquam nutrimentum in chylum cōuertit, & ex eo abundè nutritus est, quod reliquum est, expellit tanquam excrementum vt Galenus 4. *de vsu partium* scribit: & cum nouæ nutritionis necessitas insurgit, ad sanguinem, qui in aliis partibus continetur, primo non conuertitur, tanquam semel à se alteratum, & mutatum, sed ad externum alimentum expetendum excitatur. Quod si illi non porrigatur, tunc ab aliis, quibus impartitus est, alimoniam petit, qua nutritur quidem, sed malè, tanquam inutili sibi alimento, id quod videmus his accidere, qui per inediam à venis repetito nutrimento, ventriculum restaurant. Eodem ergo modo venæ sanguinem in suis cauitatibus contentum & post nutritionem derelictum, pro excremento habent, alioqui prius totum eum qui in ipsis est, consumerent, & exangues omnino venæ conspicerentur. Itaque vt ad rem redeamus, internus calor, qui in aere ambiente humorem singularum partium dissoluit, cogit extimas ab aliis nutrimentum attrahere, successione quadam, donec ad ventriculum sit peruentum, qui etiam à calore suo dissolutus nutrimentum exigit sibi familiare; quale illud est, quod nondum attigit, vnde animalis appetentia nascitur maior, aut minor pro ratione dissolutionis.

Venæ quomodo ad tantam repletionem possint peruenire vt dirūpantur.

Illud autem iam explicandum, quomodo venæ ad tantam repletionem peruenire possint, vt dirumpantur, cum singulæ aliæ partes, vt caro, neruus, nunquam tantum humorem allicere soleant, vt rumpantur, sed solum quantum ad nutritionem solam vel ad nutritionem & auctionē est necessarium. Venas autem cum rumpuntur, plus sanguinis continere, quàm iis sit necessariū, certissimum est: at vnde diuersa hæc ratio? hinc profectò, vt Gal. scribit 4. *de vsu partium*, quod *publica instrumenta nutritioni destinata plus semper nutrimenti trahunt, quam illis sit necessarium, quoniam concauitatem habent, cuius repletio attractionis finis statuitur: ab eodem autore 3. de naturalibus facultatibus. repletionis autem nullus finis, cum semper distendi possint, vsque dum rumpantur: itaque cum venæ plurimum nutrimentum attraxerint, reliquæ autem partes illud conficere nequeunt, in venis manet, & interim cum illis familiare non sit aliud attrahunt ex penitioribus & anterioribus partibus, distenduntur q; ob plenitudinem, & tandem rumpuntur, aut aperiuntur.*

Τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν λάβῃ τὸ σῶμα.

His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutrire incipiat.

CVm docuerit Hippocrates, habitum Athletarum in ea repletione, quam illi expetunt, consistere non posse, sed necessario crescere, donec morbos, & sæpius mortem pariat, nisi corrigatur, Remedium nunc subiungit, cum ait, *huiusmodi habitum soluendum esse*, quasi enim huiusmodi habitus sit ligatus, & cõstrictus, soluendum eum, pro eo quod est euacuandum, scribit: nam quod euacuatio remedium sit repletionis, nemo ignorat, quia vero ex euacuatione sequitur transpiratio & membrorum, quæ erant tensa & veluti vincta, relaxatio & solutio quædam, ideo effectum ipsius remedii potius quàm remediũ ipsum, quo opus habent, maluit apponere. Quo vero genere vacuationis in hoc affectu sit vtendum, facile est intelligere: nam cum plenitudo hæc sit ad vasa, necesse est omnes humores æqualiter ad proportionem esse auctos: igitur æquali euacuatione est opus: quoniam verò in vniuerso corpore ea continetur, remedium exigit, quod vim habeat euacuandi humores totius corporis, qualis est inedia, exercitatio, frictio, balneum, venæ sectio. Verum exercitatio, balneum, & fortè etiam frictio, in corporibus adeo plenis suspecta sunt, vt quæ humores fundant, inedia etiam in crasso corpore & carne densa & in humoribus crassis, aptum non est auxilium, quare potissimũ intelligere debemus de solutione, quæ fit *per venæ sectionem*: illa enim vniuersum corpus, & maximè venas, quæ maximè periclitantur in simili affectu, & à quibus fluxiones mittuntur in alias partes, vnde multi morbi oriuntur, euacuat, idque æqualiter, vt æqualis est multitudo, quæ grauat, & sensibiliter: nam insensibiles euacuationes tardius succurrunt, quàm affectus hic postulet: & propterea Hippocrates tempus addidit solutionis *μὴ βραδέως*, id est, *non tardè*: non autem statim vt noster interpres vertit: nam verbum *statim* apud Medicos tempus quatuor dierũ præscribit, vt Galenus notat in eo Aphorismo, *vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & statim tenuissimo victu est opus*: Athletis autem de quibus hic agitur, non statim imminet morbus: Habet enim ea repletio latitudinem, quam Galenus satis ostendit, cum illam continua nutritione tandem ita crescere scribit, vt morbos excitet, id autem non facit nutritio quatuor dierum, quare nec illius remedium idem tempus debet habere cum his, quæ acutis morbis iam præsentibus conueniunt: quam ob rem optimè Hippocrates tempus nobis statuit accommodatum ad remedium exhibendum & ad plenitudinem emendandam securum, cum ait, *non tardè succurrendum*: nam cum per venæ sectionem potissimũ præcauere venturos ex ea plenitudine morbos sit opus: ea autem in vehementi æstu aut frigore adhibenda non sit, nisi morbis iam præsentibus, expectare possumus mitiorem aeris cõstitutionem, ex eo quod scribit, satis esse, si non tardè remedium adhibuerimus: cur autem soluere oporteat huiusmodi habitum, addit author, apponens scilicet finem, propter quem solutio facienda sit, *vt rursus* (inquit) *corpus nutriri incipiat*: debemus autem intelligere *nutriri* pro *bene nutriri*: nam ea repletio non erat sine nutritione, sed quia ex nutritione plenitudo, & ex ea periculum indies augebatur, propterea mala erat ea nutritio: vacuatione vero facta, quæ postea fit, simpliciter & bona nutritio est: potuisset etiam dicere, *soluere oportet, vt corpus mediocritatem assequatur*. Postularet locus, vt hic multitudinis genera & differẽtias & propria singularũ nomina, vim & signa exponeremus: sed quoniam *in 8. capite secundi lib. de signis* hæc enarrauimus, consulto eadem prætermitto.

Qualis euacuatio hic competat.

Statim quale tempus significet. Sect. 1. aph. 7

Cur huiusmodi habitum oporteat soluere.

Μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν· σφαλερὸν γάρ· ἀλλ᾽ ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν.

Neque compressiones ad extremum ducenda; periculosum enim: sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit.

CVm dixerit, soluendum esse per euacuationem bonum eum habitum, nunc quantum euacuandum sit, docet, & inquit vacuationem non esse ad extremum faciendam: non tamen satis explicat, quantum euacuandum sit: nam hæc verba, *sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit*: sunt obscura, & malè hactenus ab aliis interpretibus explicata: quare præstat videre, quid Galenus & alii de quantitate euacuationis senserint, & quomodo locum hunc exponant, & postea nostram sententiam aperiemus. Scribit autem Galenus *in Comment. huius Aphorismi*, à duobus nos sumere quantitatem euacuationis, nempe ab humoris copia, & viribus eius, qui debet euacuari: multum enim euacuandum esse, cum multum abundat, parum autem, cum parua est multitudo materiæ, quæ nocet, vires autem eam indicationem nobis præbere, vt eousque euacuare debeamus, donec ipsæ tolerant, nec laborant: cum verò iam dissoluuntur, sistendam esse euacuationem, etiamsi nondum euacuauerimus vniuersum humorem, qui obest: quæ opinio refellenda est, primum quod non satis explicet verba Hippocratis, *sed qualis naturæ fuerit eius, qui debet perferre ad hoc ducere conuenit*, deinde sæpe euacuamus, cum vires iam laborant, nec facilè ferunt euacuationẽ, veluti cum vsque ad animi defectum sanguinem mittimus: Magnam enim violentiam tunc vires ferunt, cum illæ labuntur in vniuerso corpore, & ob illarum debilitatem affectus nempe animi defectus sit morti similis. Præterea in aliis locis alia multa tradit indicare remediorum quantitatem, vt *in primo ad Glauconem, & in 7. Method. medend. & passim alibi in toto eo opere*: addit enim temperamentum, cœli statum, ætatem, habitum corporis, partis formationem, situm, dignitatem, actionem, facilem & difficilem sensum, consuetudinem, vitæ conditionem, animi, mores, sexum, regionem.

Quid de quantitate euacuationis senserit Galenus.

Cæte-

A Cæterum *in arte medicali* & *in libro de constitutione artis*, quantitatem affectus quantitatem remediorum indicare scribit, quod etiam probat *in libro de optima secta*, vbi ostendit, vires & alia prædicta nullo modo remedium vel illius quantitatem indicare posse: nam si vnum solum debet vnum indicare, non possum tot, quæ diximus, indicare quantitatem euacuationis.

Vires non indicare euacuationem.

Quod autem vires non indicent euacuationem aut illius quantitatem; ex eo probat, quod in sanis tanto maiore esset vtendum euacuatione, quanto validiores sunt illorum vires: Nam indicantium ea est vis, vt quanto magis augentur, tanto magis intendi debeant illorum præsidia: quanto enim B morbus maior est, tanto magis augenda sunt remedia, quæ ad curationem spectant. Spectanda autem esse superius dicta, satis constat, vbi enim

Qui parcius sint euacuandi.

aer admodum calidus vel frigidus est, & vires debiliores, & ætas puerilis vel senilis, aut non vacuamus, aut parum admodum. Sic Germanos, & Gallos quoniam frigido & molli sunt habitu, parcius vacuamus. Eodem modo partes exquisitiore sensu præditas, & quæ principatum obtinent in corpore, aut publicam actionem: atque longius à remediis vacuantibus absunt, validiore remedio egent, sicut etiam quæ concauitates non habent, & qui consueuerunt validis vacua- C tionibus vti, facilius aliis eas ferunt: & vir magis, quam mulier, & denso corpore præditi magis, quàm qui raro, & qui victu vsus est multos malosque humores coaceruante, facilius, quàm qui parciore, & minimum excrementoso multam euacuationem sustinent: ergo illa considerantur quidem, cum quantum vacuandum sit intelligere volumus, sed non omnia quantitatem vacuationis, & (vt Galenus ait) propositum ostendunt, quod quantum referat intellexisse & naturam rei docet, quæ vnum omnino statuit, quæ nos ad id, quod quærimus, rectà deducit: & Galenus ipse, qui in *libro de optima secta*, nec vires, D nec aliud quippiam præter quantitatem eius, quod vacuationem postulat, vacuationis quantitatem indicare scribit: id enim postulant principia de indicationibus posita, alioqui tota ea tractatio corruit: alia autem, quæ vacuationis quantitatem præscribere dicta sunt, id non faciunt, sed quædam contraindicant, alia vero quantitatem docent eius, quod vacuationis quantitatem indicat, alia vero id, quod contraindicat, ostendunt; cùm enim euacuationem requirat humor, qui plenitudinem facit, vt antea ostendimus, indicationum ratio postulat, vt solum quantitas eiusdem humoris, quantita- E tem euacuationis indicet: vires autem, quoniam à vacuationibus aliquando dissoluuntur, aliquando vero nihil mali patiuntur, aliquando verò afficiuntur quidem, sed sustinere possunt eam vacuationem, & illius quantitatem, quæ

Vires quomodo in euacuationibus consideranda.

indicatur, ideo ea in euacuationibus consideranda sunt, *non vt indicantes vacuationem, aut illius remedia, vel quantitatem, aut aliam quampiam ex scopis euacuationum, sed quatenus vel permittunt, vel prorsus contradicant, aut modum illis præscribunt*: prohibent enim & prorsus contraindicant, quando maximè sunt debiles: permittunt vero tantum euacuari, quantum ab indicantibus ostenditur, quando ipsæ sunt validæ: cum vero moderatè se habent, moderatam etiam ferunt euacuationes, magnas vero non sustinent, nisi per vices diuidantur. Iam vero quædam vires robustas vel debiles ostendunt, vt temperamentum: quibus enim bonum, validæ sunt vires, quibus malum, debiliores: sic consuetudo, *qui enim consueti sunt ferre labores*, (inquit Hippocrates) *non consuetis facilius ferunt*: indicat enim consuetudo, vires illas accommodatas esse ad ea, quæ consueta sunt, perferenda: sic ætas puerilis vires indicat, quæ facilè dissoluuntur à vacuationibus, vt & senectus; habitus rarus, mollis, vt Gallorum, & eorum, qui cute candida sunt præditi, vires flaccidas ostendit: Densus autem & niger, collectas & robustas significat: Sexus muliebris imbecillum corpus, virilis contra robustum: Partes item, quæ acuto sensu sunt præditæ, quia à minimis molestiis offenduntur, debilitatem quandam ostendunt: Principes autem & quæ publicam actionem habent, etsi suapte natura robustæ sunt, tamen quoniam earum robore maximè opus est, quantum licet illud conseruare volumus: aer præterea temperatus vires validas reddit & ostendit, intemperatus præsertim in calido, & frigido vires debilitat; aeris autem conditionem ostendunt, anni tempus, regio, cœli status: sic status partis alio modo contraindicat quantitatem vacuantis remedii, non ipsius vacuationis: non impedit vacuari tantum, quantum opus est, vt vires debiles, sed intendi medicamentum cogit, cum humor in parte longe posita est, vel in solida & nullas habente concauitates. Quædam verò, (vt diximus) quantitatem eius ostendunt, quod quantitatem euacuationis indicant: cum enim quantitatem plenitudinis, aut aliorum, quæ euacuationem per accidens indicant, certis inditiis deprehendere non liceat, coniecturam sumimus ex nonnullis, vt ex causis & effectis, qui ab illis oriuntur: aer enim, regio, anni tempus, vitæ conditio, quale sit temperamentum corporis, ostendunt: hoc verò vt multos, vel paucos, æquales, vel inæquales, bonos, vel malos, gignit humores pro variis suis differentiis eos ostendit; eadem ratio victus, qui præcessit, & aliæ causæ, quæ vim habent gignendi humores, qualis & quanta sit plenitudo, significant. Ad idem pertinent affectus, qui ex plenitudine oriuntur: tantam enim illi ostendunt esse plenitudinem, quantus est recessus illorum ab eo, quod est in corpore mediocre: magnam enim plenitudinem in venis ostendit tumor magnus & tensio magna ipsarum venarum. Eodem pacto ardentissima febris cum dolore, & tensione totius corporis, ostendit multum esse vacuandum, quoniam magna, quæ requiritur, refrigeratio, non nisi per magnam euacuationem fieri potest. Ergo, ista & alia eiusdem generis consideranda quidem sunt in quantitate euacuationis inuenienda, sed non tanquam indicantia: id enim solum præstare possunt illa, quæ euacuationem ipsam indicant per se, aut per accidens: quantus enim erit ipsorum excessus, tantum vacuandum esse agnoscimus: postea vero, si vires impediunt fieri, quod ab indicantibus ostenditur, hoc ipsum aliud est, vt aliud est indicare & contraindicare: nam indicantium cõsideratio nos rectà ducit ad id, quod est faciendum, contraindicantia verò, quæ iam inuenta sunt, vel

Sect. 2. aphor. 49.

Quinam vires habeant robustas & qui debiles.

Situs partis qui ad euacuationem faciat.

impediunt vel moderantur. Cur est præterea, A quod Galenus videatur hoc loco euacuationis quantitatem à viribus sumere, cum scribit tantum esse euacuandum, quantum vires ferre possunt? Profectò Galenus in hac re nec principia sua seruat, quæ de indicationibus posuit, nec vera tradit, nec authoris dictioni consentanea; ponit enim in *lib. de optima secta*, (vt diximus,) quantitatem eius, quod remedium indicat, quantitatem remedii indicare, vires autem, eo autore, nec remedium, nec illius quantitatem indicant, sed victum: contraindicant autem (vt diximus) aut moderantur remedia: vera autem nō docet, cum scribit, in omni euacuatione vires ægroti attendendas esse, vacuandumque esse, donec tolerant illæ, & nondum laborant: nam non solum in ægrotis, sed etiam in sanis, dum eos vacuamus ad præcautionem, vires sunt considerandæ & sæpe, antequam vires laborare incipiant, sistimus euacuationem, veluti cum vires validæ sunt, id autē quod euacuandū est, paucum est: nonnunquam autem vim aliquam inferimus virtuti, nec desistimus à vacatione, cum laborare incipiunt vires, sed vltra progredimur, veluti cum ad lypothymiam vsque euacuamus: quod iubet ille in magnis inflammationibus, in doloribus, & ardentissimis febribus esse faciendum *Aphorismo 23. 1. & in 9. Method. medendi.* Quam ob rem regula omnium euacuationum ea esse non potest, quam tradit ex viribus: quandoquidem, ea consentanea non est dictioni ipsius Hippocratis: non enim ille præcipit, tantū esse euacuandum, quantum vires sustinere valent, sed *qualis*, inquit, *fuerit natura eius, qui debet perferre, ad hoc ducere cōuenit:* quæ verba nihil aliud significare possunt, quàm quod debeamus tantum euacuare, quantum necessarium est ad recuperandū naturalem cuiuscunque statum: omnes enim qui egent euacuatione, & ex illa sanitatem expectant, eo vsque euacuari debent, quousque ablatum sit per euacuationem, quod illius naturalem statum labefactabat: tunc enim sistenda est euacuatio, nō potest ergo vna & eadem esse omnium mensura euacuationum, quoniam quod euacuationē postulat, propriam habet in singulis quantitatem: alii enim paruam, alii magnam, alii mediocrem, alii extremam euacuationē postulant, quoniam ita sunt repleti, aut alios habent affectus, qui non nisi his euacuationibus tolli possunt. Verum etsi tunc intelligimus, nos iustam mensuram in euacuationibus assecutos, quando naturalem statum per euacuationem recuperauimus, tamen antequam euacuemus, quædam sunt indicia, ex quibus deprehendere possumus quantum euacuandum sit: quorum quædam sumuntur ex natura & forma rei euacuandæ: quod enim toto genere præter naturam est, aut nihil habet, quod alteratione vinci possit, totum educendum est: quod autem huiusmodi naturam habet, vt posteaquam paulum corpus exoneraueris, vinci possit, tantum profectò de eo educendum, quantum à natura vel arte, alteratione vinci nequit, ac ne longius abeas, pus, grumus, lapis, humor putridus vel malignus, aut simile quidpiam penitus auferendum & euacuandum: pituita autem quæ naturam grauat, ita vt tota per alterationem vinci nequeat, vacuanda quidem est, sed non vsque ad extremum, sed relinquendum, quantum speramus pòstea alteratione vinci posse. Idem ostendit quantitas ipsius humoris abundantis: in magna enim plenitudine magna est opus euacuatione: in parua minore: quod si plenitudinis non adsunt propria indicia, ex malis, quæ ab ea nascuntur, coniecturam sumemus: vbi enim magnus est dolor vel vehemens in corpore calor, aut ingens inflammatio, admonemur esse vtendum maiore euacuatione, quàm cum illa contrario modo habent: quantitatem vero affectuum ex superius dictis intelligemus.

Indicia quātum sit euacuandum.

B At si extrema repletio extremam euacuationem requirit, cur illam Hippocr. hic damnat, quam postea laudat, cum extremis morbis extrema remedia conuenire scribit? an vt multum, sic extremum multis modis sumitur? vt enim multitudo & multum dicitur, quod vel virium, vel vasis, vel proportionis rationem excedit, sic extrema repletio dicitur, quæ vel vires extremè grauat, vel vasa extremè replet, vel à proportione maximè recedit. Eodem pacto extrema euacuatio dicetur, quæ plus vacuat, quam necessarium sit ad vires grauatas, alleuiandas: vel ad proportionem debitam recuperandam, vel restituendam eam mediocritatem, quam vasa requirunt. Hoc modo ergo extremum capit, dum damnat extremam euacuationem, quod enim remedium C excedit quantitatem indicantis, malum. Laudat autem extrema remedia, sumendo extremum in genere remediorum & morborum, perinde enim est, ac si diceret, *maximis morbis maxima remedia conuenire:* quia ergo hic aliter sumit extremum, quàm *in sequenti Aphor.* ideo hic extremam euacuationem damnat, illic verò extrema remedia commendat.

Sect. 1. aph.

Extrema repletio quot modis dicatur. Et quot itidem extrema euacuatio.

Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι σφαλεραὶ καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες, αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι σφαλεραί.

D

Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.

QVæ hactenus dicta sunt, pertinent ad exemplum adductum de Athletis, id quod etiam Galenus *in tertio artis Medicinalis* repetit, nunc vero sententiam Aphoristicam profert de quantitate euacuationis. Sententia autem est, fugiendas esse extremas euacuationes, id est, quæ maiores sunt, quàm conueniant ad naturalem statū recuperandum, illæ enim malæ sunt, vt quæ in- E ducant alium vitiosum affectum: *quicquid enim vltra mediocritatem accrescit, in omni re vitiosum est.* Quapropter damnandi sunt Medici plurimi, qui in tertianis febribus, aut in aliis leuiorib. malis, tantum sanguinis detrahunt, quantum postulant grauissimi affectus: vnde non mirum, si corpora ita exhausta vix postea refici possunt: vt autem tales euacuationes, quæ maiores sunt, quàm exigat recuperatio naturalis status, malæ sunt, ita quæ in genere euacuationum sunt extremæ, etiam si bonæ sunt, vbi aliter non licet naturalem statum recuperare, tamen periculosæ sunt: non enim sine periculo euacuamus sanguinem vsque ad ani-

ad animi defectum, nec tutò propinamus, quæ violenter euacuant, medicamenta: succumbit enim sæpe natura in magnis his euacuationibus; propterea *tenuem, & infra, inquit, vitæ, quam exquisite euacuare*, vbi vtendum est validis remediis: in aliis vero nihil impedit, quo minus prosequamur vsque ad extremum, id quod euacuandum est: cur verò extremæ euacuationes sint malæ & periculosæ, probauit vno argumento sumpto ab Athletis, si enim extrema repletio & euacuatio in illis sunt periculosæ, qui videntur habere robur inuictum, tanto magis id continget in aliis, qui imbecilliore natura sunt præditi. Aliud autem nunc addit argumentum ad illud probandũ, quod scilicet post huiusmodi euacuationes, nutritiones sint periculosæ: nam malas constat esse euacuationes, quæ faciunt, vt postea nutritiones malæ sint: malum enim est, quod malum adfert; malas autem fieri & periculosas nutritiones post extremas euacuationes, probat Galenus, *quoniam post eas euacuationes natura est facta imbecille*, & ob id probè concoquere, & distribuere, & assimilare alimentum nequeat: id quod experientia docet: nam qui resurgunt ex longis morbis, exhausti & consumpti, tum à morbo, tum ex euacuationibus adhibitis à Medico, si plusculum edant, relabuntur, & difficilè redire possunt ad naturalem suum statum. Verum vt nutritiones quæcunque excedunt iustam mensuram in his corporibus, sunt malæ & periculosæ, ita quæ extremæ sunt, etiam perniciosæ existunt: in aliis vere qui extremas euacuationes non sunt experti, periculosæ solum censeri possunt.

Cur extremæ euacuationes sint malæ, probatur argumentis.

Malas esse periculosas nutritiones post extremas euacuationes.

Aphor. IV.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφικνεύμεναι χαλεπαὶ δίαιται, χαλεπαί· καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες, αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφικνεύμεναι, χαλεπαί.

Victus tenuis atque exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non conuenit, periculosus: & rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis est: nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

E A Medicinæ parte, quæ de victu agit, nihil vtilius tractari potest, nam alia materia Medicæ, qua ad corporis salutem vtimur, nec semper, nec omnibus necessaria est: siquidem exercitatio, & nonnulla alia, eorum sunt, qui bene valent: medicamenta verò eorum sunt præsidia, qui præter naturam sunt affecti, nec ea quidem semper in vsum veniunt: at nutrimento omne corpus perpetuo opus habet: eo enim sanitas seruatur, naturæque robur augetur; quinetiam morbi ipsi nutrimento sæpe tolluntur roboratis viribus, quæ morbosas causas facillimè postea alterant, & extrudunt, vel quod illæ remedium ex nutrimento inueniant, replendo, quod à corpore est consumptum. Quam ob rem antiqui Scriptores hanc medicinæ partem, quæ nutrienti rationem complectitur, præ cæteris diligentius excoluerunt. Etenim Hippocrates libros tres de victu adhibendo in morbis acutis conscripsit, & in hoc opere multa, quæ sanis & ægris communia sunt, tradidit. Politius vulgarium hominum nutritionem peculiari opere docuit Galenus; sanorum victum in opere de tuenda valetudine est complexus: & sparsim alibi de eadem re agit: & quonam modo nutriẽdi sint, qui morbis laborant, in multis explicat: nullus præterea ferè est, qui de Medicina aliquid scripserit, qui hanc partem non attigerit, nimirum quod eam omnium vtilissimam, in qua laborare oportet, iudicarent: vt enim nihil hominibus vtilius est ad sanitatem tuendam, vel morbos profligandos cõmoda nutritione, sic nihil ea deterius, si temere adhibeatur. An non videmus, eos, qui inutili pro vtili nutrimento vtuntur, aut plus, vel minus edunt, quàm oportet, improspera sanitate frui? Quid quod scribit Hippocrates Euriancatis filiam statim periisse, eo quod intempestiuè cœnasset? Quid commemorem alia incommoda, quæ ex mala nutritione proueniunt, quæ omnibus notissima sunt, & ob id artem non paruam desiderant, quo prosperè succedat nutritio. De qua quidem re etsi multi scripserunt, tamen postulat hoc institutum, vt nos quoque aliquid dicamus, idque eo magis, quòd illi multa nobis in hac re reliquerint excogitanda: nam cum omnes singularia quædam tradant, à nobis sunt docenda communia, sine quibus illa sua nec intelligi, nec constare possunt: nemo enim qua ratione nutriendi sint, qui acuto morbo laborant, aut aliter afficiuntur, rectè cognoscet, nisi prius quid nutriendi ratio postulet, perspectum habuerit sparsim præterea quæ illi docent, scripta sunt, & à nullo certo principio ducta, quod sequentibus lucem præbeat, cum tamen ars collectionem præceptorum, & continuam quandam explicationem à certis initiis, ad finem vsque postulet.

Victus mali incommoda.

Porro cum omnes legerimus, qui de hac re tractant, aut non inuenimus, quos & quot scopos habeat nutriendi ratio, & quibus instrumentis eos consequi possimus, nec quot genera nutrimenti & differentiæ sint, quibusque corporibus singulæ conueniant. Omitto, quod multa sine probatione aliqua ab illis tradantur, multa varia doceantur, & nonnulla etiam inter se discrepantia scripta reperiantur. Nos vero hoc loco non omnia prædicta docere instituimus, id enim suo loco, vt propria relinquatur singulis Aphorismis explicatio, postea fiet, sed ea duntaxat quæ vel peculiaria sunt huic Aphorismo, vel reliquis omnibus, in quibus de nutritione agitur, ita communia, & necessaria sunt, vt istis contemptis, illa intelligi nequeunt. In hoc autem Aphorismo & sequenti, videtur refellere quosdam, qui tenui victu in omnibus morbis vtebantur, vt Galeni tempore Methodici, postea à notissimo quodam principio auspicatur, ex quo probat, quibus conueniat & quibus non, quod magnis & acutis competat, aliis autem minimè; cum autem morbus, vel suapte natura, vel tempore, vel ob accessiones magnus reddatur, docet quisnam victus morbis secundum hæc variatis conueniat, primò secundum propriam magnitudinem: deinde secundum eam, quam tempore acquirunt,

Postremò secundum eam, quam ob accessionem A sequuntur, quæ omnia diligentius explicabuntur, & postea facilius intelligentur.

Αἱ δίαιται. *Victus.*

QVod à Græcis δίαιται, & δίαιτα, dicitur, à nostris victus, & ratio victus vocatur: vsurpatur autem non eodem semper modo victus nomen: nam totam aliquando curandi rationem significat, veluti cum *septimo Methodi* scribit Galenus, materiam medicam alibi esse ostensam, Methodum vero ipsam medendi victum docere, id est, congruum vsum materiæ: cui loco similis est, qui habetur *textu nono tertii Commentarii tertii Epidemion*, vbi scribit: *Diætam voco, non solum eam, quæ cibo & potu constat, sed etiam quæ omnibus aliis, vt otio, exercitatione, balneo, venere, somno, vigilia, & cæteris, quæ quocunque modo in corporibus humanis fiunt.* Est autem latissima hæc victus nominis significatio: nam *in libro ad Trasybulum* an ars tuendæ valetudinis pertineat ad Medicum, scribit victum cōtinere duntaxat eam materiam, quæ ad sanitatem tuendam facit: quod pariter ostendit *initio libri de sectis*, vbi victum à remediis ita distinguit, vt illæ sanis, hæc verò ægrotantibus propria sint: quomodo etiam accipit *libro primo acutorum textu sexto*, vbi diætam à chirurgia, & pharmacia distinguit, quod illa fiat per consuetam materiam, id est, qua vtimur sanitatis tempore: sic Vlpianus *de verborum significationibus* capere videtur, cum ita scribit: *Victus verbo continentur, quæ esui, potui, cultuique corporis, quæque ad viuendum homini sunt necessaria. At textu 2. secundi libri de natura humana*, diætæ victusque nomen, potus, & cibos solum comprehendere nonnunquam etiam vitæ munia scribit. Prorsus a. adhuc sumptum diætæ vocabulum solum comprehendit, quod nutrit, quomodo in Aphorismis sumendum, vt hoc loco: nam victus tenuis de solo nutrimento intelligi potest, nec prohibet hoc nomine aquæ potum comprehendi, cùm iubet hoc vel alio victu alendos esse ægrotantes: ex quo patet non solum quot modis victus nomen vsurpari consueuerit à Galeno, sed etiam quod hoc nomine non materiam ipsam, quam adhibemus, sed viuendi rationem, quæ hac vel illa materia vtitur, intelligimus, quod ex prædictis locis apparet, vbi scribit victum curationis esse ductum, & contextum, qui per consuetam materiam efficitur, & eum constare cibo, & potu, & alibi integrari consideratione aeris, locorum, regionum, aquarum, ventorum, anni temporum, ciborum, potionumq; natura: quinetiam Galenus victum tenuem fieri per alimenta pauca & parum nutrientia, in hoc scribit Aphorismo: non est igitur victus ipsum nutrimentum vel alia materia, sed viuendi ratio, & consideratio nutritionis, quæ per commoda nutrimenta fit: quanquam non impedio, vt studiosi, si velint, pro nutrimento ipso sumant etiam victum, vt Galenus etiam, sicut apparet ex locis præcitatis, aliquando capere videtur.

Victus varia significatio.

Victum non esse nutrimentum ipsum, sed viuendi rationem.

Λεπταί. *Tenuis.*

VIctus nutriendique ratio, vt omnia alia Medici officia, certos quosdam habet scopos, quibus continetur, ad quos intueri oportet, quibusque comparatis intelligimus, nihil defuisse, quo minus eos, de quibus agimus, probè nutriuerimus. Sunt autem in vniuersum nutritionis scopi octo; *an nutriendum, quid, qua materia, id est, quo genere, quave differentia nutrimenti, quali, quanta, quomodo, quo tempore, & quo ordine nutrimenta sint adhibenda.* Nam etsi nutritionem omnibus necessariam esse vulgus nouit, tamen sæpe contingit, vt inuestigare debeamus, an corpus nutriendum sit, vel non, sicut in morbis, in B quibus nunc inediam imperamus, nunc etiam nutrimentum exhibemus, sunt alia necessaria præsidia morbis profligandis, quibus suus locus dandus est, adeo vt semper de nutritione non sit agendum, sed relinquatur quærendum, an alere debeamus vel non, quo perspecto, etsi notum est corpus ipsum esse, quod nutritur, plurimum tamen refert intelligere, quid in corpore sit, quod maximè refici debeat: nunc enim spiritus, nunc humores ipsi, alias verò partes solidæ, & inter has nunc sedes animalis facultatis, nunc vitalis, nunc naturalis magis, quam aliæ restaurandæ sunt.

Nutritionis scopi quot.

1. An nutriendum.

2. Quid nutriendum.

Porrò nutrimenti genera in vniuersum tria C sunt: cum enim alimentum ad restaurandum substantiam familiarem, quæ à nostro corpore dissoluitur, continuo comparatum sit, rationi consonum est, vt tot sint alimenti genera, quot genera eorum, quæ restauratione egent. Sunt porro tria ex Galeno, quibus corporis moles cōstat, aerea, humida, & solida substantia, etsi alibi humidam omittat, & pro ea carnosam ponat, quam nos sub solida complectimur: quod siquidem in corpore aliquid aereum agnoscimus, quod spiritum vocamus, aliud humidum, & liquidum, quod humorem: aliud denique durum, quo genere partes omnis corporis continentur, etsi quædam aliis solidiores, durioresque reperiuntur; quemadmodum etiam inter humores alia aliis crassiores natura existant, omnes tamen eo- D dem nomine donati sunt: vocatur autem spiritus, & vapor, vt antea etiam annotauimus, quod restituit consumptos spiritus, vt cum animales spiritus vitali spiritu, & vapore nutriri dicimus, quod autem id, quod ab humoribus dissolutum est, resarcit, potus nuncupatur; materia verò, quæ substantiam à solidioribus partibus dissolutam restituit, cibus dicitur: An verò solo cibo, vel potu, vel aerea substantia nutriri viuereque possit animal, id antea quoque expendimus. Nunc vero quænam, & quot sint, & vnde sumantur nutrimenti differentiæ, docendum est. Itaque cum alimentum, vt diximus, comparatum sit, vt corpora nutriat, merito sumentur differentiæ ab eo quod nutrit & nutritur, nutritio- E nisque ratione: nam ab eo, quod nutrit, sumuntur huiusmodi differentiæ, cum dicimus, nutrimenta quædam sumi ex animalibus, quædam ex plantis, illarumque partibus, quædam ab aliis rebus, ab eo vero quod nutritur, ducuntur illæ differentiæ, quod scilicet aliquid sit solidum, aeri[illegible] humidum, aliud gracile, crassum, durum, molle, calidum, frigidum, humidum, siccum, temperatum; aut alio modo affectum corpus: sic enim differentias consideramus, quando nutrire volumus: præcipuæ vero sunt differentiæ, quæ à nutriendi ratione & effectu, quam præstāt nutrimenta

3. Quo genere.

Nutrimenti genera in vniuersum esse tria.

Tria esse, quibus corporis moles constet.

Quænam, & quot sint, & vnde sumantur nutrimenti differentiæ.

mentò, sumuntur, vt cum dicimus nutrimenta A quædam esse temperata, calida, frigida, humida, sicca, biliosa, pituitosa, melancholica, aquosa, terrestria, dura, mollia, alia facilè vel difficilè cõcoqui, corrumpi, assimilari, transire, ac distribui per corpus, vel per aluum descendere. Item cum dicimus, quædam solida, alia turgida, alia pinguia, vel alio modo affecta nutrimenta: item cum dicimus, quædam velociter, confertim, parum, multum, bene, male, corpus nutrire: cuius generis est ea differẽtia, qua dicimus victum quendam esse tenuem, alium plenum, alium conseruantem & mediocrem, ab eo enim, quod fit à nutrimento, differentiæ istæ sumuntur: at cum B illud extenuare, incrassare, vrinam mouere, aluum subducere, vomitum ciere, somnum conciliare, aut vigilias excitare, vel aliquid simile præstare, quod ad nutritionem non pertinet, medicamenti, non alimenti differentias constituimus: quo magis mirari licet, Galenum *in libris de alimentis* plurimum in his differentiis occupari, cum profiteatur, se seiunctim & separatim medicamentorum alimentorumq; vires tradere: itaque cum tot sint nutriendi scopi, totque genera differentiæq; nutrimenti, videndum est ad quem scopum pertineat & quid doceat hic Aphorismus. Qua in re putat Galenus, *vt in Commentariis suis in sequentes Aphorismos* patet, & omne, qui illum secuti sunt, hic agi de quantitate victus: à quibus C ego longe absum, qui enim docet tenui victu, aut pleno, vel conseruante esse opus, is differentiam quandam victus explicat, non autem quantitatem, quod quidem ex hoc etiam patet, quod dicat Gal. *in Comment.* tenuem victum fieri per ptisanam: plenum, per oua, & carnem, & pisces: at qui dicit ptisana, carne, piscibus, & similibus opus esse, non quantitatem rei, sed genus materiæ dicit, qua vtendum sit ad victum tenuem, & crassum instituendum, quo inuento, sequitur postea explicandum, quantum sit de illis dandum: quod si quis dicat, ptisanam & cætera, quæ victum tenuem præstant, parum nutrire: quæ vero conseruantem efficiunt, mediocriter; quæ vero crassum exhibent plurimum alere, verum quidem di- D cet, non tamen propterea quantitatem victus docet his nominibus: sed genus materiæ, quæ parum, mediocriter, & multum nutrit, vt enim si quis dicat, quosdam morbos leuiter purgantibus vt cassia: alios valide, vt scammonio egere, certum est, eum docere differentiam materiæ purgantis non autem quantitatem, si quidem quantum de vno quoque postea exhibendum sit, explicandum relinquitur: quo loco quantitatem purgantium medicamentorum docemur, sic profecto cum statuimus eos, qui acuto morbo laborant, tenui victu opus habere, id autem fieri si velis ptisana vti, differentiam quandam in victu ponimus, obiterque indicamus materiam, quæ ad illam efficiendam sit idonea, de qua post- E ea illud inuestigandum, quantum sit exhibendum. quod si quis Galeni authoritatem in hac re requirat, locus est perspicuus *in libro 2. de victu acutorum*, vbi de victu conueniente in morbis acutis, vt eo, qui fit ptisanæ cremore, scribit de genere victus agi, non autem de quantitate, vt quæ cognito genere, iam perspicua sit: sic *passim in eo opere*, cum mentio incidit de ea materia, de qua hic agit Hippocrates, & ipse *in Comment.*

Ad quem scopum pertineat, & quid doceat hic aphorismus.

genus siue speciem aut differentiam victus explicari tradit, non autem quantitatem, vt *decimo sexto, & decimo nono Aphorismo huius* scribit: Docet igitur Hippocrates, cum de tenui victu agit, & Galenus cum plenum & conseruantem addit, speciem siue differentiam quandam victus, non autem quantitatem. Sed hæc postea melius adhuc patebunt.

Αἱ δίαιται λεπταὶ.

Victus tenuis.

VNde nomen victus tenuis deriuatum sit, & quid eo nomine intelligere debeant Medici, nunc explicare operæpretium est, quod commodissimè fiet, si prius congeneres quasdam voces explicauerimus: sunt enim apud Medicos vsitata hæc nomina, tenuis, extenuans, & tenuiũ partium: quæ dictiones quomodo inter se differant, & vnde origo appellationis, non est facilè docere. Est autem proprie illud extenuans, *quod potest tenue reddere quod huiusmodi non est*: sic sanè extenuantia dicuntur medicamenta, quæ crassos humores tenues efficiunt. Definit autem Galenus *in libro 1. Simplicium* illud esse tenue, quod in partes tenues facile dissoluitur: vnde friabilia & fragilia tenuia esse dicit: quæ verò dura & viscosa sunt, crassa esse, eo quod promptè comminui nequeant; verum non videtur mihi necessariò illud tenuium esse partium, quod tenue est: nam vocamus tenuia corpora, quæ gracilia sunt, paucamque substantiam & molem continent, tum quæ liquida sunt, siue facilè, siue difficilè comminuantur; & crassa corpora vocamus & crassum hominem, alia ratione, quàm quod inepta sint vt in minimas partes prõptè diuidantur; quod scilicet multum substantiæ habeant. est ergo aliud tenue, quam tenuium partium, & crassum, quàm quod est crassarum partium; quare quid tenue crassumque sit, alia ratione quærendum: videntur autem omnia tenuia vocari, quæ facile, crassa verò, quæ difficilè ea penetrare possunt, ad quæ talia dicuntur esse. Sic Galenus *libro 1. de Simplicibus* Boream dicebat esse tenuem, quod facilè per corpora penetret, eodem pacto *lib. 4. eiusdem operis* acida dicebat esse tenuia, & cum scribit, nihil summè frigidum esse tenue, sumit certè tenue pro penetrante, adeo vt communis hæc ratio videatur esse eorum omnium, quæ tenuia dicuntur, quod expeditè penetrare valeant, at in rebus illud facilè penetrat, quod gracile est, exiguamq; habet molem, & quod tenuium est partium & quod liquidum: quare merito ista omnia tenuia dicuntur & illorum contraria, crassa, eo quod difficile penetrent, sic enim illa, quæ magna mole constant, crassa vocamus, vt hominem crassum, lignum crassum, & quæ crassarum sunt partium, vt medicamẽta, quæ in corpore facilè non cõminuuntur, eo quod penetrare nequeant, & humores spissos & pituitam concretam, & humorem melancholicum exsiccatum, & ob id inspissatum, & reliqua omnia, quacunque ratione spissa reddita, incrassata & crassa vocamus: non ergo omne tenue tenuium est partium, etsi contra sit, vt quod tenuium partium est, illud quoq;

Extenuans quid.

Tenue quid.

Non omne tenue esse tenuium partium, sicut nec omne crassum crassarum.

Victus qua ratione dicatur tenuis & extenuans.

tenuie existat. Iis hoc modo positis, videndum qua ratione victus dicatur extenuans, tenuis (nam tenuium partium victus, vt medicamentum non perinde dici solet) ex his autem quæ Galenus de victu extenuante scribit, constat eo illud dictum esse, quod humores in corpore crassos extenuet ob medicamentosam facultatem, quam coniunctam habet ea materia, qua vtimur ad huiusmodi victum instituendum, tenuis verò etiam ab effectu, non quod per res tenues fiat aut humores extenuet, sed quod vires corpusque attenuet, gracileque reddat, videtur mihi dictus esse, id quod melius patebit, posteaquam docuerimus, quid hoc nomine Medici intelligant. Sunt porrò tria nomina, quibus vtitur Galenus *in hoc Commentario*, λεπτὴ, σύμμετρος, ἁδρὴ τροφὴ, quæ nostri interpretes vertunt *tenuis*, *moderatus*, *& plenus* victus, sed commodius ἁδρὴν *crassum* interpretamur, si modo hic tenui opponitur: illi Cicero copiosum opponit *tertio lib. quæstionum Tusculanarum*, his verbis: *Negat vllam in sapiente vim esse fortunæ, tenuem victum antefert copioso: non tamen impedio, si quis & plenum dicat.* Cæterum, tenuem esse victum, statuunt, qui per ptisanæ succum fit: tenuissimum verò qui per mulsam: extremè autem tenuissimum, qui per inediam vsque ad morbi iudicationem instituitur, & sic crassum vocant & mediocrẽ, qui per carnem, & oua, atque pisces peragitur, qui profectò damnandi sunt: Primum, quòd Galenus scribat *5. libro de fracturis 29. textu*, Hippocratem in tenuissimo victu vti consueuisse mulsa austera, & ipsa mulsa, id autem, quo in tenuissimo victu vtimur, ipse non est victus tenuissimus, sic nec id, quo in tenui victu vtimur, tenuis victus est, quod si ille *in Comment. huius Aphorismi* illis videtur errandi occasionem dedisse, cum tenuem victum per pauca & parum nutrientia alimenta, qualis est ptisanæ succus: tenuissimum vero per inediam vel mellicraton fieri scribit, animaduertere debebant authorem eo loco non definire, quid sit huiusmodi victus, sed potius docere veluti exempla quædam materiæ aptæ ad eum victum instituendum. Præterea si ex materia peculiari has differentias victus definiamus, fiet vtique, vt quibusdam conseruantem, aut crassum victum instituamus, quibus tenuem iniungere putabimus, & è contra: nam cum variæ sint corporum naturæ, nec æquale virium robur, accidet, vt quidam tenuem victum ex ptisanæ succo sentiant; alii verò conseruantem: etenim pueris & athletis, qui valido sunt calido, ptisanæ succus non est sufficiens alimentum ad vires conseruandas: senibus autem & aliis, qui imbecillo sunt calorẽ præditi, non solum vires non minuet, sed & conseruabit & augebit: pisces item iis plenus erunt victus, illis autem tenuis. Ad hæc si tenuis victus esset ptisanæ succus, sequeretur nos non posse tenuem victum adhibere, vbi ptisana caremus, quinetiam multi sunt morbi, qui tenui victu opus habent, quibus ptisana nocet, quales sunt morbi frigidi & pituitosi: adde quod Galenus *in libro* quem scripsit *contra Erasistratum*, refert, tribus modis tenuem victum institui posse; vno, exhibendo tenues, paucosve cibos, aut nihil nutrientes: secundò nihil dando: tertio vomendo per ingestum cibum: quare constat, non ex particulari materia, sed ex *viribus* differentias has victus definiri oportere: quemadmodum Galenus facit *in Commentario*, qui tenuem dicit esse, qui vires minuit: mediocrem, qui vires conseruat: crassum vero, qui easdem auget, ab effectu enim quem præstant hæ differentiæ, tanquam ab eo quod possit esse certa regula Medicis, definiuntur, in quibus postea propria singulis differentiis materia quærenda est, quæ scilicet possit cuiusque vires conseruare, debilitare, aut augere, ab alia enim materia vires athletæ, ab alia pueri, aut senis minuentur, augebuntur, & conseruabuntur. Verum cum tenue, crassum, mediocre, conseruans vt & alia omnia, quæ in Medicina dicuntur, ad aliquid referantur, simpliciter tenuis, aut conseruans, vel plenus victus ille dicetur, *qui temperati hominis vires aptus est minuere, tueri, aut augere*: in aliis vero addere oportebit illud, ad quod huiusmodi victus refertur: nam vnicuique suus erit victus tenuis, vt vnicuique suæ vires: nam & plenus quidam simpliciter, qui temperati hominis vires augere aptus est, aliis non simpliciter, qui & duplex, scilicet, vel qui intemperati hominis vires auget, vel eius, qui per morbos succumbit, dicendus est. Nunc vero aliqua subiicienda sunt, quæ pertinent ad explicationem definitionis victus tenuis, atque illud in primis quomodo intelligendum sit vires debilitari victu, deinde cur Medicus victum instituere debeat, qui viribus obsit, quas omni ratione videtur tueri debere: postremo quænam materia assumenda sit ad huiusmodi victum instituendum: hæc enim hoc loco explicanda videntur, reliqua vero, quæ ad hanc rem pertinent, paulo postea melius intelligentur.

Victus simpliciter tenuis, conseruans vel plenus.

Quomodo intelligendum sit, vires debilitari victu.

Igitur vires debilitari victu, ita intelligendum est, vt non spectemus id quod post cibationem vnam fit: nam sic omnis victus plenus diceretur, si quidem ex quocunque alimento post illius assumptionem & coctionem vires validiores seipsis redduntur, sed quid fiat toto eo tempore, quo quis tali vtitur victu, perspiciendum est, ad quod respicientes inueniemus, in dies hominem reddi seipso infirmiorem: ac cum in morbis vires contingat minui tum ratione ipsius morbi, tum vero ipsius victus, expendendum est, quid à morbo fiat, ne victui tribuamus quod ad morbum pertinet: id autem intelligemus à victu prouenire, si vnicuique ea alimenta dederimus, quæ apta nataque sunt illius vires debilitare, eo quod eas conseruare nequeant.

Medicus cur victum debeat, qui viribus obsit, quas ille omni ratione debebat tueri.

Cæterum Medicum ea, quæ secundum naturam sunt, tueri augereque debere, verum est, sed *quantum licet*, nam cum victum tenuem instituit, non id facit, quod illius consilium sit, eas debilitare, sed ea, quæ sunt præter naturam, vincere, quod cum fieri nequeat, nisi vna cum morbosis causis simul vires debilitentur, ideo huiusmodi victu vtimur, ne omnino occupentur vires in eo alimento vincendo, à quo conseruari vel augeri possunt: interim enim cum deest corpori aptum ad virium conseruationem nutrimentum, pugna continua acrisq; fit aduersus id quod morbosum est, atque ita vires ipsæ debilitantur, non satis refectæ, sed interim, quod morbosum est abigitur, & perit. Quid vero possit ad victum tenuem instituendum assumi, nunc explicandum est: nam si illius ratio est & finis virium καθ' αἵρεσιν, id est, *diminutio*) sic enim interpretandum)

Quænam materia assumenda sit ad huiusmodi victum instituendum.

Ptisana quibus morbis noceat.

Victum tenuem tribus modis institui posse.

tandum) non *ablatio*, vt alii verterunt, licebit fortè id duobus modis facere, vel pauca ex quacunque materia, aut parum nutrientia alimenta dando; quod Galenus etiam *in Commentario* tradit; si cui enim dederis continuò ptisanæ succum, videbis profectò illũ indies debiliorem fieri; quod scilicet huiusmodi cibus aptus non sit omnem substantiam nostri corporis restaurare, siquidem solidæ duræque partes in ea non inueniunt proprium alimentum. Eodem pacto, si ouum vnum, aut ex carne suilla, aut aliis cibis, quæ suapte natura idonea sunt non solum conseruare, sed etiam augere vires, minimam portionem alicui dederis, continget vires minui, nimirum, quod in tam parua mole tantum alimenti nõ sit, quantum est necessarium ad id reponendum, quod est B dissolutum à corpore. Igitur cum vtroque modo vires minui accidat, præsertim Galeno eo loco suffragante, licebit ne victum tenuem instituere tum per ea, quæ suapte natura, tum vero per illa, quæ minima mole non satis nutriunt? quod si id concedimus, nil refert iis, qui morbo acuto tenentur, dare pro ptisana oua, orizam, carnem, & alia optima alimenta, quorum per sanitatem vsus est, si modo solita minuitur copia, quo quid potest esse absurdius? Quare præstat non vtroque modo existimare, victum tenuem fieri debere, sed per ea duntaxat, quæ suapte natura nequeunt tantum alere, quantum vires postulant: quomodo vocat Celsus victum tenuem, C qui ex infirma materia fit: nam quod quantitate id facit, purum omnino est nutrimentum, alioqui tantam vim non haberet: eo autem non debemus in morbis vti, nisi vbi vires labuntur: nam vt in eo casu quærendum est, quod solum nutriat, sic vbi grauis vrget affectus, nihil dandum, quod nequeat aliquo modo aduersus illum pugnare. Est præterea alia ratio, cur illa non competant in morbis, vbi necessarius est tenuis victus, *quod scilicet omnia, quæ plurimum nutriunt, crassa & viscida sunt*, vt Gal. testatur 7. *Methodi*, quæ cum difficilè coquantur, & ferè semper morborum causas augeant, nequaquam in eo statu conuenire possunt. Atque hæc quidem de victu tenui hoc loco sufficiant.

Cur quæ plurimum nutriunt, non sunt concedenda in morbis qui recipiunt victum tenuem.

D

Καὶ ἀκριβέες, *Atque exquisitus.*

NIhil habet Galenus *in Commentario* quod ad explicationem huius dictionis faciat, omnia enim ad tenuem victum refert, exquisiti nulla mentione facta. Recentiores autem videntur nullam differentiam ponere inter tenuem & exquisitum victum, tanquam vnius nomen alterum declaret, à quorum opinione ego longe absum. Primum quod non soleat Hippocrates præsertim in Aphorismis hac verborum copia vti: deinde illorum opposita inter se differunt vt ex *primo libro de fracturis quadragesimo quinto textu* patet: etenim exquisitus victus vulgari, quo scilicet E vulgus sine discrimine vtitur, quod ab Ionibus ἀκριβὴς, ab aliis vero φαῦλος vocatur, opponitur: tenuis autem crasso, siue pleno, siue solido, qui à Galeno ἁδρὸς dicitur, repugnat: quorum autem opposita inter se differunt, illa quoque inter se diuersa sunt. Præterea si Galeno credimus, tenuis victus quantitatis, exquisitus autem generis

Exquisitum victum opponi vulgari: tenuem verò crasso.

A nomen est, vt in 13. *Meth.* licet videre, vbi scribit: *Si glandulæ laborant, non refert, siue halicem, siue ptisanam, aut malum, aut aliquid tale exhib. as. At si phlegmone infestatur iecur, exquisitissimo victu est opus*: exquisitam ad hæc curationem siue accuratam dicit sæpe Galenus, tenuem aurẽ quis dicet? quod si exquisitus victus vulgari opponitur, erit is profectò, qui ex idonea materia commodè præparata, & adhibita omni diligentia instituitur: siquidem vulgus sine discrimine vtcunque præparato nutrimento vtitur, vt quod quid conueniat singulis, nesciat: quod si quis authoritatem Gal. in hac re quærat, & similem definitionem, est locus apud eum *lib. 7. Meth.* vbi victum vocat exquisitum, qui scrupulosior est, & exactissimus, in quo errare tutum non est. Est ergo, vt in summa dicam, exquisitus victus exactus, is autem qui summa cura & consideratione ex electis rebus instituitur.

Ἐν πάθεσι. *In morbis.*

CVm de victu hic agitur, cur est, quod morbos considerat Hippocrates? nam si ea, quæ præter naturam sunt, postulant contraria, victus autem nullam habet vim mutandi, quod nos molestat, sed duntaxat conseruandi, quod secundum naturam est, siquidem nutrimentum simile est corpori, quod ex eo nutritur, videbitur forsan hic author temere de morbis mentionem facere, vtpote qui à victu nec minuantur, nec tollantur: erat enim de remediis dicendum, à quibus scilicet propulsantur, quippe cum id sit corpori laboranti remedium, quod est sano victus: qua in re illud sciendum est, inter illa, quæ faciunt ad scopos assequendos in omni re, quædam id facere vt indicantia, siue postulantia id, de quo agimus: alia verò vt contraindicantia, siue repugnantia, quæ scilicet impediunt primo & per se fieri, quod ab indicantibus exigitur: quæ vero secundo loco siue per accidens postulant aliquid, illa coindicantia: quæ vero eodem modo repugnant, correpugnantia vocari solent, quæ autem permittũt fieri, quæ requirunt indicantia, nec coindicantia sunt, illa permittentia, siue admittentia vocari possunt: de quibus omnibus alibi & in superioribus Aphorismis diligẽter pertractauimus, ostendimusque illorum vim, & vsum, quantumque referat hæc, quæ inter se natura differunt, nominibus quoque distinguere: cum alioqui ignoretur, quid aliquid postulet, an non, quid item per se, quid vero per accidens aliquid faciat. Itaq; Hippocrates merito morbos considerat in victu instituendo, non quod illi victum postulent, & indicent, sed quod contraindicent, impediantque nutriri corpus, vt antea solebat, cum valeret: verum quoniam indicantia & natura & ordine & vsu reliqua omnia præcedunt, ideo de indicantibus victum primo à nobis agendum est: nam vt hæc eum postulant: & primo intueri oportet, tanquam illa, ex quorum natura vniuersos nutriendi scopos percipimus, sic profectò non licet intelligere, quonam pacto morbi nutriendi formam mutent, nisi illud prius intellectum sit: non enim morbi alimento repugnant, id quod facit remedium, sed ei, quod ipsum exigit: nam quoniam illi obest morbus, impedit quoque consuetum per sanitatem victum.

Cur Hippocrates hic, vbi victũ instituit, etiam morbos consideret.

Quidnam victum indicet.

An vires ipsæ, an vero id, quod à corpore dissipatur, nutriendi rationem præscribat.

Porrò quid indicet victum; difficile admodum esse duco inuenire, cum enim nutrimentum requiramus, vt restauretur, quod à nostro corpore continua actione natiui caloris dissoluitur, tum vt vires corporis reparentur, quæ pereunt alimenti inopia, fouentur autem & augentur cõmodo eius vsu, dubium in hac re oritur, vtrum vires ipsæ, an id quod à corpore dissipatur, nutriendi rationem præscribat, quandoquidem vnum & non plura esse oportet, quod vnum indicet, quæ res videtur etiam Galeno difficultatem peperisse, cum nunc vnum, nunc alterum ex iis id facere asserat: Etenim *vndecimo Methodi cap.* 3. & 15. *Aphorismo huius libri*, & *passim alibi in Commentariis Aphorismorum*, quantitatem nutrimenti à quantitate eius, quod à nostro corpore digeritur, indicari commemorat: quod si ita est, nutrimentum ipsum aliosque scopos indicabit, si modo id quod genus indicat, & differentiam quoque, & quod hanc genus pariter indicare debet, vt principia quæ in hac re posuit *in libro de optima secta*, & *in Methodo medendi*, postulant. At *in eod. libro cap.* 14. solam virtutem nutrimentum indicare statuit, id quod etiam facit *in libr. de victu acutorum & septimo Methodi*, vbi iubet, tantum cibum esse exhibendum, vt ventriculi vires non grauet, *passimque in his Aphorismis* idem repetit, vbi solius virtutis gratia nos alimentum exigere statuit: verum cum *vndecimo methodi* dixisset etiam, victus quantitatis modum ex virium substantia sumi, subiungit ipsius qualitatem ex temperaméto corporis & etiam ex affectus qualitate, eiusdem vero materiam ex consuetudine indicari: quæ omnia nec à suis principiis ducuntur, nec inter se cohærent: nam si vnum duntaxat potest indicare vnum, & quod scopum vnum indicat, reliquos quoque præscribere debet, assumptis suis differentiis: erat profectò aliqua ratione probandum ab eo nequaquam legumlatorum more statuendum, quid tandem illud sit, quod in hac re statui possit indicare, quo inuento, ad illud perpetuo respiciendum erat; nequaquam vero nunc ab vno, nunc ab alio contemptis suis principiis nutriendi scopos sumere: nam principiis contemptis, aut non stabilitis, omnia incerta reddi, & confundi necesse est. Quod si ob rei difficultatem hæc omisit, vt in tanta varietate est credibile, est, quod illi ignoscamus, vt qui permulta rectè inuenerit, tradideritque, omnia tamen excogitare nequiuerit. Ac quam difficile sit inuenire, quod victum indicet, ex hoc constat, quod cum vel vires, aut id quod est dissipatum, poni omnino debeat, vt quæ sola postulent reparationem ex nutrimento, angustiæ non paruæ occurrunt in vtroque: nam si id quod dissipatum est, statuamus indicare nutritionem, illud in primis occurrit dubium, quod in omnibus scopis non respondeat illius ratio: cum enim nunquam habeat locum id quod indicatur, nisi adsit, quod illud indicat, quod in aliis omnibus verum apparet, (nunquam enim remedia, quæ morbo conueniunt, adhibemus, nisi ille adsit, & æqualia morbi magnitudini remedia facimus, ablatoque morbo ab illius remediis recedimus) si id quod dissoluitur à corpore, vel potius id, quod diminutum est ob dissipationem propriæ substantiæ nutrimentum indicaret, ostenderet quoque idem illius quantitatem, ex quo fieret, vt nihil vnquam plus reponi deberet, quam dissolutum sit, id quod non accidit: plus enim nonnunquam quàm sit deperditum, reponimus, vt in iis fit corporibus, quæ adhuc augentur: in aliis verò quæ iam declinant, minus additur, quàm sit dissipatum, quo fit, vt nequeat huiusmodi dissoluta substantia indicare nutriendi rationem, quoniam in hoc scopo deficit, qui ad quantitatem spectat. Præterea cum morbi nutritionem impediant, eo quod indicantes lædant, prohibeantque fungi suo munere, aut solebant per sanitatem, constat profectò, non eam esse dissipationem, quæ victum possit indicare: nihil enim multi morbi eam impediunt, sed potius augent, atq; ita alimenti copiam intenderent, aucto indicante. Ad hæc incerta redditur Medicis ratio nutriendi: cum enim excessus rerum certa mensura comprehendi nequeant, plus sæpe, aut minus nutriremus corpora, quam expediat, propterea scilicet, quod in certa mensura nequit statui copia eius, quod est dissolutum. Addo, quod amplius præsens non sit in corpore, quod est ab eo resolutum, quare nihil faciendum esse indicare potest: nam ab eo, quod non amplius est, nullam sumi indicationem, docet ille *in quarto Methodi*. Postremo, si illud indicare ponendum est, quod primo & per se aliquid postulat, quomodo morbum, curationem, & illius causam præseruationem indicare dicimus? quod illis solis, nec aliis post illa debeatur curatio & præseruatio: non poterit profectò id, quod est dissipatum & exhaustum, nutritionem indicare: nam etsi illud nutrimento reponitur, non tamen illius causa primo nutritionem requirimus, sed vt vita custodiatur; quod si facultates nostri corporis vitaque ipsa incolumes seruari possent absque restauratione illius substantiæ, quæ effluxit, nemo profectò edere, aut bibere cuperet, sed quoniam vires seruari nequeunt, nisi repleatur, quod est inanitum, ideo contingit, vna cum viribus refici, quod dissolutum est: sed (vt diximus) nec primo, nec per se illud postulat nutrimentum, sed virium causa: neque enim natura tot instrumenta ad nutritionem fabricasset, vt dissolutam eam substantiam restitueret, quandoquidem ob animæ facultates corporis partes, adeoque ipsum vniuersum corpus constituit, nec ipsi bonam temporis partem in alendo corpore consumeremus, quàm in longè dignioribus officiis consumere vtilius esset: neque etiam alia omnia, quæ in vita obimus, tanto studio efficere conaremur ob nutritionem, vt facimus: nam somnum & vigiliam conciliauit natura animantibus, & mouendi vim ad exercitationem nobis indidit, vt prosperè succedat nutritio, non eo consilio, vt in sola reparatione corporis sisti debeat hæc actio, sed vt facultates nostrum corpus regentes, quæ vel vita sunt, aut certè illarum beneficio viuimus, diutissimè, quantum patitur viuentium conditio, integræ, & validæ persistant. Quapropter cum viribus reparatis cesset nutritio, nec in aliud referri possit, non immerito illę statuẽdæ videntur nutritionẽ indicare.

Id quod dissipatum est, non indicare nutritionem probatur.

Num vires indicent nutritionem.

Verum, & in hoc dubitationes, & angustiæ non paruæ nascuntur: nam cum illud quod actionem aliquam, vel aliquem alium scopum indicare ponitur, debeat & alios indicare, dubium est, quomo-

quomodo qualitatem, genus, & ordinem nutritionis vires ostendere possint? cum præsertim qualitas indicantis, qualitatem & substantiam, & ordo, ordinem indicare debeat, vt postulant principia indicationum, quomodo, quæso, hos scopus poterunt vires indicare? dicentur ne vires calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, molles, duræ, quæ nutrimenti qualitates has indicent? Præterea, cū triplex sit genus nutrimenti, necessarium, solidū, humidum, & aereum, qua, quæso, ratione illud poterit indicari à viribus? quis enim dicet triplicē esse in illis substantiam, solidam, humidam, & aeream, quæ huiusmodi genera nutrimenti pręscribant? quandoquidem necesse est corpus esse, quod solidum sit, vel humidum, vel aereum, quod facultatibus competere nequit. Postremo cum facultates siue vires in corpore multæ sint, & diuersi generis, sc. naturales, vitales, & animales, iniquum videtur esse, nisi omnes ponantur nutrimentum indicare vtque restauratione, conseruationemq; suam postulent; quod si ponitur, repugnamus principiis: vnum enim debet vnum indicare. Quapropter, cum nutritio actio vna sit, vnumque opus, vnam oportebit esse facultatem, quæ illius indicatrix sit; quod si vna solidum cibum, alia humidū, alia aereum indicare posset; nil fortè absurdum esset: at cum omnes postulēt ad sui tutelā triplicem eam substantiam, in singulas non est diuidendum, nec vni dandum, quod vniuersis est commune. Erunt & alia, quibus ostendemus paulo inferius ab vna facultate, nutritionis vniuersā rationem indicari; at si hoc conceditur, non facilè erit docere, quænam illa sit, an vitalis, vt hactenus creditū est, an naturalis, vel animalis: sed n. quacunq; posita, illud relinquitur dubium quomodo ordo nutritionis indicari possit: nam vbi vnum est, nec plura, nullius ordo reperitur, qui si in indicantib. non datur, nec in ipsis iudicatis constitui potest. Hæ quidē sunt difficultates, quæ emergunt: si vires ponamus nutritionē indicare. Quib. tamē relictis, nescio quid in corpore reperiri possit, quid id cōmodius efficiat, illæ n. sunt, quarum gratia (vt diximus) nutrimur, illæ quoque sunt, quæ quantitatē nutrimēti pręscribunt, si quidem nec plus, nec minus alimenti ingerimus, quā vires conficere possint, etsi interim plus addatur, quā sit dissolutū in corpore, id, quod quō fieri possit, postea docebimus. Itaq; si quantitatē nutrimenti indicat virium quantitas, indicabunt profectò illæ & alios omnes scopos: vt n. quid sine differentia sumptū aliquid indicat, idem illius indicabit differentias, cū suas acceperit; ita si alicuius differentiæ indicant alicuius differentias, illud sine differentia sumptū alterū sine differentia indicabit; vires ergo sunt, quę nutritionē, illiusq; vniuersos scopos indicāt, ad quas perpetuū, & primo nos respicere oportebit, dū vel sanos, aut ægros, aut alio quocunque modo affectos alere voluerimus: quas aūt vires intelligere oporteat, nunc explicare operępreciū est: nā reliqua quæ superius adduximus, dubia facile postea diluentur.

Quænam vires nutritionem indicēt.

Igitur cum inter vires quædam naturalis, alia vitalis, alia animalis, à Medicis statuatur, Gal. nūc omnes ponere videtur nutritionem indicare, vt cum virium gratia victum requiri scribit: nunc vnam, cum ait, *vis ipsa ægrotantis est, quæ cogit nos nutrire*: exprimit autē illam, quam esse velit indicatricem huius operis, *in lib. de victu acutorum, & passim alibi*, vbi scribit, vitalē esse facultatem, verū nec omnes, nec vitalis potest nutritionem indicare: nā (vt antea diximus) cū nutritio actio vna sit, necesse est, vt ab vno indicetur, non aūt à plurib. facultatibus: deinde, si nutritionē omnes indicarent, omnes quoque scopos indicare deberēt: at quantitas nutrimenti à quātitate omniū facultatū indicari nō pōt: sunt enim plurimi, qui animales facultates imbecillas habent, quos tamē plurimū alimus, si plurimus in illis est calor, qui copiosum alimentū conficere valeat; non ergo oēs facultates simul præscribunt nutritionem: quod verò nec vitalis sit, ex hoc patet, ꝙ illa nil negotii habeat cum nutritione, neq. n. vel illud attrahit, aut retinet, aut cōcoquit, vel expellit, ꝙ post nutritionē relinquitur: quare in hoc opus ab ea potētia non procedat, ab ea indicari non poterit: deinde vrget idem argumentum hanc facultatem, quo aduersus omnes vsi sumus: neque n. quātitas alimoniæ ab illius robore, aut imbecillitate pscribitur, quippe, cū pueros vberius nutriamus, quā iuuenes, quib. tamen Galeno ēt authore imbecillior est hæc facultas, vt pulsus, & reliquæ cordis functiones ostendunt. Quod si quis huius potētia gratia nutritionē requiri putaret, vt Gal. *practitatis locis* sentire videtur, haberet fortè, quo hanc opinionē tueretur, verum cū vita ex ea facultate sola non pendeat, sed ex omnium vnione, & actione, propterea non est ad solam vitalē referēdum, quod vniuersis tandem cōmune existit. Sed ne longius in hac re abeamus, puto *solam naturalē facultatē* eā esse, q̄ nutritionis indicatrix statuēda sit, ꝙ & Gal. aliquando placuisse video: nā *7. Methodi, c. 6.* scribit, id ꝙ alimentū conficit, idem alimenti mensurā indicare, idq. meritò: cū enim illius officiū sit, & non alterius facultatis, nutrimētum alterare, retinere, concoquere, & adiungere corpori, ꝙ illi vtile est, & expellere, ꝙ post nutritionē inutile relinquitur, cogit hęc ratio, vt illā huius operis authorē cōstituamus: deinde, etsi corpus nutrimus, vt facultates oēs foueamus, tueamurque, primò tamē naturalis virtutis gratia, vtpotè, quæ aliarū est fundamentū, materiamque conficit, qua reliquæ reparantur, id facimus: quapropter si illa indicātia ponenda sunt, quę primò & per se aliquid postulant, à naturali facultate recedendū non erit, dū indicantia nutritionē quærimus. Idem ex hoc probare licet ꝙ tantū semper exhibeamus, quantū concoqui potest, illudque calidū, aut frigidum, vel alia qualitate prædictum, prout melius cōcoquitur. Denique cū tota ea facultas post generationē, & incrementū atque interim etiā, cum hæc fiunt, circa nutritionem versetur, atque pro illius conditione nutrimentum instituamus, quomodocunque aliæ facultates sint affectæ, merito eam solam indicatricem nutritionis ponendam esse arbitramur.

At, cum naturales facultates quatuor sint, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix, sola concoctrix, cui reliquæ famulantur, victum indicare debet: eam enim spectans scribebat Hippocrates *in Aphorismis sequentibus*, pueros plurimo alimento indigere, quod in illis maximē vigeat ob calidi natiui copiam vis concoctrix: sic etiam (vt diximus) Galen. *septimo Meth. cap. 6.* scribit, id, quod alimentum conficit, illud desiderare indicareque debere. Ad hanc igitur facultatē *sect. 1. aph. 14.*

respicientes, tanquam ad id, quod indicat, nutritionem instituimus. Verum, si ita est, cur in ægris vitalem maxime spectamus, putamusque tunc nutritione esse opus, cum illa labitur, cum vero valida persistit, quomodocunque affecta sit naturalis, parcius ægrotantes alimus? an id tunc facimus, quod per morbos præcipuum consiliũ est sanitatem restituere adhibitis remediis contra illa, quæ infestant, nutrire autem tantum oportet in multis morbis, ne vires labantur; itaque cum vitalis facultas certiora præbeat indicia, quã reliquæ periculosæ imbecillitatis, ideo illã consulimus, ex qua cognoscimus, quatenus liceat vni remediis, & naturam occupare in vincẽdis morbosis affectibus citra nutritionem, & vitæ discrimen; quin & illud dubium facere videtur, quod morbosæ causæ & humorum defectus, & corruptio, nutrimento restaurentur, quod videtur fieri non posse, si ea, quæ sunt præter naturam, repugnantiis, quæ ab illis indicantur quę secundum naturam sunt; & si vnum ab vno, non autem à pluribus indicari potest; Sunt hæc principia vera, nec quæ præter naturam sunt, vnquam nutrimentum, quatenus nutrimentum est, indicant, sed contingit, vt in eo, quod nutrimentum est, reperiatur quoque, quod morbosis affectibus mederi possit; per accidens ergo nutrimentum ab illis indicatur, per se autem ab eo quod secundum naturam est, atque à sola coctrice potentia: quæ quonam modo vt nutritionem & nutrimẽtum, sic genera illius, & reliquos scopos indicare possit, nunc docere aggrediamur: id autem facile intelligemus, si in memoriam reuocauerimus, quæ Galenus *in Methodo medendi, & passim alibi* docet, virium scilicet substantiam consistere ex eo, quod solidum, humidum, & aereum est in singulis partibus: nam sine iis, illæ nec conseruari, nec augeri, nec consistere possunt: quod si ita est, genera nutrimenti, differẽtias, & reliquos scopos ad has substantias respicientes instituimus, nulla re aduersus principia pugnante. Quoniam enim triplex ea substantia est, ex qua vires constant, triplex indicatur necessarium nutrimentum, solidum scilicet, humidum, & aereum.

Obiectio quod vires scil. vitales nutritionem indicant.

Nutrimentũ indicari etiã à morbosis affectibus, sed per accidens.

Indicant vero tres illæ substantiæ, quibus nostra moles constat, triplex nutrimentum, non ea ratione, qua dissipantur, sed quod vires ex illis constent adeo vt virium ratione suam præbeant indicationem, vt autem illa triplex substantia triplex nutrimentum indicat, sic differentiæ, quæ in illis reperiuntur, differentias alimenti indicant: nam quod solidum est, durum, calidum, facile, vel difficile dissoluitur, vel alia ratione est affectum: huiusmodi indicat nutrimentũ, cuiusmodi est, quod in eo consideramus: nec mirum si nunc solidorum alimoniam, nunc potum, nunc aeream substantiam magis expetimus: id enim fit, quoniam vires nunc vnius, nunc alterius defectu afficiuntur. Sed hæc suis locis commodius explicabuntur: satis enim nunc sit, principia posuisse à quibus reliqua duci debent.

Cæterum cum sola concoctrix vis nutriendi rationem præscribat, cur est, quod Hippocrates non solum à viribus, sed etiam à regione, anni tempore aeris conditione, ætatibus, consuetudine, temperamento, natiuo calore, morbi temporibus, morbique differentiis, & alis huiusmodi

A indicationem quandam ad eandem rem sumi scribit? id autem facit, non quod illa indicent, sed quod nonnulla coindicent, alia contraindicent, alia vero correpugnent: ac de aliis quidem suo loco agemus, nunc vero de iis, quæ contraindicant, pertractandum est, quoniam de his agit præsens Aphorismus. Qua in re illud inprimis expendendum, quænam sint, quæ possunt impedire, ne fiat nutritio, vt vires postulant, præsertim, quod in hac re existimem, Galenum nec illa iusto numero comprehendisse, nec Hippocratis sententiam in his Aphorismis assecutum: nam *in octauo Methodi medendi, & Aphorismo vndecimo, & duodecimo huius* scribit, à duobus sumi in ægris indicationes, (hoc nomine contraindicantia cõ-

Nutritionis impedimenta quæ.

B prehendens) ad vniuersam victus rationem instituendam, à distantia, inquam, status morbi, & viribus ægroti; in modo vero nutritionis addi tertium, quod ex accessionum consideratione nascitur, & recte quidem hæc dicta sunt consideranda esse, quando pro istorum trium differentia nutriendi scopos variare necesse est: sed aliud addit Hippocrates, quod necessario quoque prę- ter illa considerandum est: Addit enim morbi differentiam quandam spectandam esse, in qua morbos inter se distinguimus, magnitudine & paruitate; de qua re agit *in his primis Aphorismis*, vbi victum alium conuenire acutis morbis, alium longis, alium extremis & maximis, alium vero minimis docet: nam (vt antea ostendimus) a-

Acutus morbus quis.

Sect. 1. aph. 10.

Sect. 1. aph. 15.

C cutus est morbus, non solum, qui cito ad statum properat, sed qui præterea grauiter hominem infestat: & quis non videt, ob morbi magnitudinem, & paruitatem nos victum variare? id quod etiam postea validiorib. probabimus rationibus: Addit & quartam indicationem Hippocrates, quæ sumitur à causa morbi, vt in eo Aphorismo, vbi scribit, *non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes*: & in alio, in quo dicit: *vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet: nam si biliosæ fuerint, non est tutum corpus nutrire si vero similes sanis, tutum est*, in his enim, & nonnullis alis, Aphorismis considerat, quomodo humores sint affecti, & an subsit in illis aliquid, quod morbi sit materia, aut

D quomodocunque causa. Sic Galen. *primo ad Glauconem* tenuem victum in quibusdam diatiis, in aliis pleniorem exhibet, non quidem virium ratione, aut quod status differentia id faciat, sed quia diuersæ causæ id postulent. An vero etiam symptomata morborum possint victum variare, nunc videndum est: nam cũ scribat Hippocrates, *quæ longo tempore extenuantur corpora, paulatim, quæ vero breui, breuiter reficienda esse*: sit autem extenuatio symptoma quoddam, videbitur vtique author hic à symptomatis aliquid sumere ad victũm instituendum: nonne & sitis,

Sect. 2. aph. 7.

E fames, dolor, vigilia, sopor, & multa alia symptomata, quæ in ægris apparent, aut impedire, aut exigere, vel moderari victum videntur? Verum cum symptomata, vt symptomata, nihil vnquam ostendãt esse agendum, sed quatenus causæ sunt, ideo ab illis nihil sumemus ad victum instituendum, nisi forte, vt coindicantia, vel correpugnantia aliquid ostendunt, vt extenuatio monstrat dissolutum esse corpus, in quo nequeant vires validæ consistere, quæ propterea indicant opus esse restauratione; sic vigilia, & dolor vires debilitant

litant, quæ postea minus alimenti conficere possunt. Quinetiã cum tempora morbi quædã vniuersalia sint, alia particularia, nec solum in statu vniuersali morborum, sed etiam in aliis tẽporib. victum commodum adhibere oporteat, vt summa capita primo doceantur, præstat dicere à tempore morbi sumi contraindicationem ad victum instituendum, nã accessiones tempora sunt particularia morborum; At quoniam tempora morbi non primo & per se, sed quatenus ostendunt, nunc maiorem nunc minorem morbum esse, ideo hæc capita sunt spectanda in his alendis, qui morbo laborant in sanis vero solæ vires spectandæ, de quibus antea; de aliis vero suo loco, nunc autem, quod ad præsens negocium spectat, expendamus, an scilicet omnis morbus vim habeat repugnandi nutritioni; quod si non omnis, quisnam possit id facere, nam id postulat ars nostra, quæ non solum certis, sed vniuersis morbis rectam nutriendi rationem promittit.

A tempore morbi sumi contraindicantia ad victum.

Porro, non omnem morbum victum posse impedire, ex hoc constat, quod cum illi duntaxat id facere possint, qui indicantis opus impediunt obiri, sit autem concoctrix facultas, vt antea ostẽdimus, indicatrix nutritionis, nequeant eam offendere omnia morborum genera: quod docent morbi in numero, vt in iis in quibus sextus digitus exuperat, vel deficit, & qui in conformatione sunt, in quo genere sunt gibbosi, varicosi, aut aliter male conformati, quos perinde nutrimus, ac si nullo morbo tenerentur, nimirum quod morbi illi coctionem non turbent, verum si eos duntaxat affectus statuere debemus victum impedire, qui coctionem turbant, cur in vulneribus, vlceribus, luxationibus, parcius alimus, quã per sanitatem? an id fit, *quoniam huiusmodi mala coctionem etiam labefactant? quoniam enim in illis affectibus fluxiones & ex illis inflammationes, & febres veremur*, ideo parcius alimus vt interim natura non grauata alimento, humores facilius retinere, & deinde concoquere, assimilareque possit; Igitur, vt vno verbo comprehendam, illi duntaxat morbi nutritioni repugnant, *in quibus humor vel aliqua alia materia est, quam vincere concoquereque oportet, tanquam præsentem morbi causam, aut imminentem*; quia enim naturam tunc occupari oportet in eo negocio, grauanda non est cibo, vt per sanitatem cõsueuit: alii vero morbi siue ad intemperiem pertineant, vel ad formã, aut ad aliud genus, quod proprium sit in instrumentis corporis, permittunt nulla adhibita repugnantia, corpus (vt ferunt) nutriri, atque ita in hac re sentiendum esse puto, de generib. morborum, qui victum contraindicant, nam frigida, humida calida, sicca aut ex his composita temperies, vbi nullus humor est, aut alia materiã, quæ concoqui, retineri, expelli, & denique, & vinci debeat, non repugnant generi nutrimenti, quando pro virium robore, & imbecillitate, quam peperit intemperies, genus alimenti aptum exhibemus; quia enim hæc intemperies vires infirmas reddunt, ideo minus solida, & pauciora alimenta damus, sequentes scilicet, quod vires postulant, non quod aliquid repugnat. Itaque si quod est exactum, tradendum esset, inter coindicantia victus genera solam morbi causam, nempe materiam ponere oporteret, quippe, cum materia quæ in corpore est, illa sit, quæ est vincenda à natura, & propterea non permittat illam, vt solebat occupari in alimento conficiendo, hanc autem ostendunt morborum tempora, & symptomata adesse, aut non: siquidem qui acutum dicit morbum, aut illius statum, vel eiusdem accessionem, significat talem subesse humorem; verum, quia multa sunt huiusmodi vitia, quibus non sunt imposita ex morbis nomina, atque etiam sæpe citra morbum hæc vrgent, ideo, vt facilior reddatur doctrina illa, statuantur contraindicantia, quæ iam posuimus; quid vero de differentiis illorum statuendum sit, nunc expendendum.

Quænam morbi nutritioni repugnant.

Virium genera coindica, esse morbi causam.

Ἐν δὲ τοῖσι μακροῖσιν ἀεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν οὐκ ἐπιδέχεται, σφαλεραί.

In morbis quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non conuenit, periculosus.

QVinam morbi possint victus genera impedire docuimus; nunc vero idem de morborum differentiis docendum est, quippe, cum Hippocrates nunc de ea re tractet: nam considerare, quem victum admittunt exhiberi morbi acuti, & longi est expendere, quem victum admittant morborum differentiæ, quæ longe diuersæ sunt, vt alibi ostendimus, à morbi generibus Qua in re illud prius explicandum esse duco, quidnam acuti, & longi morbi nomine sit intelligendum, præsertim, quod Galen. in acuto morbo definiendo varius sit, & inconstans: nam in *tertio libro Prædictionum, & alibi* sæpius contendit, omnino eum esse acutum, qui cum febre continua, & magnitudine quadam affligit; nunc vero, acutos quosdam cum febre, alios sine febre statuit, vt cum morbum comitialem, apoplexiam, tetanum, acutos morbos esse dicit: Alibi, vt *libro sexto de morbis vulgaribus*, eum vocat acutum, qui propria tempora siue partes vsque ad finem velociter transit, nulla magnitudinis, aut febris continuæ mentione facta; quo modo tertianam febrem inter acutos morbos nonnunquam recenset, vt nobis diariam, quæ vno die omnia sua tempora percurrit, & vlcera, & denique omnes alios morbos qui quatuordecim dierum spatio, qui terminus acutorum morborum statuitur, finiuntur, acutos nominare liceat. Confirmat hanc opinionem, cum differentiam hanc morborum, qua dicimus, quosdam esse acutos, alios longos, à tempore sumi scribit, *tertio libro Prædictionum*, non à febre, neque magnitudine morborum, & cum acuta ea vocari omnia, quæ velocem motum habent, breuique spacio durant *secundo Methodi capite 3.* tradit. Idem ostendit *primo ad Glauconem*, vbi acutam febrem longæ opponit. Quinetiam idem author quosdam morbos, vt Apoplexiam, & Epilepsiam, (quos alibi acutos vocauit) vt *quadragesimo septimo Aphorismo sexti libri*, longos appellat. Ac vt constat *ex tertio Prædictionum*, magna de his nominibus, & eorum vsu apud antiquiores Medicos fuit contentio: nam quidam ex Græcis (vt Celsus refert *libro*

Acutus morbus quis.

tertio) morbos diuiserunt in acutos & longos; quo fit, vt Galenus varia tractatione, dum nunc hos, nunc alios sequitur, lectorem confundat, vt plurimum tamen acutum vsurpare videtur pro vehementi,

Porro, vt varius est Galenus in acuti morbi significatione, ita nusquam exacte illius differentias, & aliorum morborum, à quib. hæ nascuntur, expressit, quod nos ex variis ipsius locis adiuti, nũc facere tentabimus. *Morborum differentiæ quæ* Igitur morbi, alii sunt breues alii lõgi; Porro, breues morbi alii cito, alii tarde (qui & tardi dicuntur) nominantur, quod scilicet tardo motu progrediantur, qui quoniã intra quadraginta dies desinunt, breues propterea censentur; qui vero cito ad finem perueniunt; quidam B comitem habent magnitudinem, & acuti ob id nuncupãtur, vt pleuritis, peripneumonia, lethargus, phrenitis, angina, febris ardens; Alii sine fortitudine præpropere finem suum consequuntur, vt diaria, & alii similes, morbi, qui breues & parui dicuntur. Ex acutis rursus quidam simpliciter acuti, i. sine adiunctione aliqua dicuntur, qui intra 14. diem soluuntur; quidam non simpliciter acuti, qui intra vigesimum, & post decimum, quartum finiuntur, vt qui 27. die desinunt, & 20. suntque iidem re, cum simpliciter acutis: Idem enim morbus ob causæ maiorem vehementiam, aut paruitatem, aut ægri naturam simpliciter, aut non simpliciter acutus euadit: Alii vero sunt, qui acuti dicuntur, hoc adiecto, quod quadraginta diebus terminentur. Quartum additur genus, quod eos continet, qui ex acutis profecti vocantur, vt tabes, suppuratio, hydrops, & similes, *Morbi ex acutis profecti.* qui ex acutis sæpe fiunt, & inter acutos nonnunquam numerantur, cum tamen re vera sint diuturni: Id autem faciunt Medici, vt originem morborum repetant, quoniam enim prædicti affectus & nonnulli alii ex acutis morbis nonnunquam proueniunt, aliquando vero ex aliis causis nascuntur, acuti nominis adiectione, qualis fuerit eorum origo, monstrant, postulatque etiam docendi ratio, vt vniuersum acutorum morborum genus, in quo acuti mentio fit, diuidendo exhauriamus, etsi interim quidam ex diuisione resultant, qui postea inter longos reponi debent. Jam vero inter simpliciter acutos morbos quidã *Differentia morborum simpliciter acutorum.* peracuti, qui & acutissimi dicuntur, quorum terminus est intra septimum diem, cuiusmodi est angina, tetanus, apoplexia; alii, qui à septimo vsque ad decimum quartum extendũtur, qui simplicis nominis inopia, nomine generis non aliter, quam simpliciter acuti vocantur. Peracuti rursus *Differentia peracutorũ.* bifariam diuiduntur: nam quidam ex illis simpliciter peracuti, qui intra quartum diem abeunt, qui ob id peracutissimi nominãtur; alii, qui quartum excedunt, quales sunt, qui quinto & sexto iudicantur, qui etiam peculiari nomine destituti, non aliter, quam simpliciter peracuti appellari solent. Cęterum, acutorum, qui intra quadraginta dies terminantur, nonnulli sunt, qui *Acutorum.* ἐκ μεταπτώσεως, id est, ex degeneratione & mutatione in aliã speciem, & à Galeni interpretibus ex decedentia dicuntur, Huius autem generis sunt acuti illi, qui intra vigesimum diem imperfectè iudicantur, deinde vehementia confracta, reliquum, quod superest, intra quadraginta dies, vel etiam sexaginta, vt Galenus scribit *secundo de diebus decretoriis*, dissolui consueuerunt. A Alii verò sunt, qui statim ab initio veluti prohibiti, tardiusque moti, & nullam interea subitam mutationem moliti, ad quadraginta dies producuntur, quorum alii accessionum remissiones habent, quæ in exactam integritatem finiunt: alii cum cõtinua febre semper perdurant: tertium genus eorum, qui intra quadraginta dies recedunt, eos continet, qui manifestè acuti in principio, & ante vigesimum diẽ non securè sunt finiti, deinde remissionem fecerunt, post hæc reuersi, mox intensi, nouissimè quadragesimo die desinunt; de quibus dubitat Galenus *secundo de diebus Decretoriis*, an simpliciter, vel ex decidentia acuti dici debeant. Quos vero morbos vocet [illegible] i. e. adauctos *tertio prædictionum* non explicat, mihi tamen intelligere videtur per adauctos, acutos, quos diximus antea, non simpliciter acutos alibi ab eo dici; quinetiam eosdem esse morbos ex decidentia *Morbi adaucti.* dictos, & eos, qui vocantur acuti quadraginta diebus soluti, patere omnibus puto, qui Galenum *Acuti morbi qui.* non oscitanter legerint; *sunt ergo omnes isti morbi acuti, qui & breues censentur, quod quadragesimũ diem non excedant, at qui quadragesimum excedũt, vel in ipso quadragesimo terminantur, longi dicitur esse.* *Qui longi.* At cum morbi, in quibus huiusmodi materia reperitur, quę vincenda alterandaque est, vt tollantur & præcaueantur, possint esse simplices aut C compositi, benigni aut maligni, parui aut magni, communes, particulares, proprii, improprii, exquisiti & legitimi, vel spurii, continui, intermittentes, ordinati, vel errantes, æquales, vel inæquales per consensum, vel primario geniti, & si quæ aliæ sunt morborum differẽtiæ, cur non illarum meminit Hippocrates, sed *Cur Hippocrates hic nullius alterius differentiæ faciat mentionem, præter morborum acutorum. Et longorũ.* duntaxat acuti & longi? An non aliter victum instituimus in simplicibus morbis, quam in compositis, benignis, quam in malignis, & in magnis aliter, quam in paruis, & in continuis aliter, quã in intermittentibus? ne omnes prædictas differentias prosequamur? Cur ergò Hippocrates nõ D docuit, quantum singulæ istæ differentiæ possint victum impedire? An has prætermisit, quod nõnullæ ex prædictis differentiis nullam vim habeant repugnandi, aliæ verò non habeant in hoc scopo, aliæ verò vel eædem sint, aut certè contineantur in illis, quas ponit? nam magnos & acutos morbos pro eisdem vsurpari, à Galeno, alibi ostendimus; quod vero morbus sit cõmunis, aut particularis, proprius, aut improprius, exquisitus aut non, per consensum vel primario genitus, morbus continuus, vel interpolatus, non propterea mutatur viuendi ratio, nisi fortè contingat, his nominibus etiam exprimi eam differentiam, quæ impedire potest; Ordinati verò morbi, E & his contrarii, cibationis tempus, sicut illi, qui per accessiones infestant, mutare possunt, At differentiam hanc victus, de qua agit in Aphorismo, nequaquam. Cæterum, morbi simplices, compositi benigni, maligni, admonent victum esse quærendum, qui non habeat solam vim nutriendi, sed etiam repugnandi qualitati formæque morbi: nõ enim quia benignus vel malignus, aut simplex, aut compositus est morbus, ideo sequitur tenui vel conseruante victu esse vtendum, quod plane fit, cum morbum consideramus acutum esse vel contrariæ naturæ: qui enim acutus est,

est, is prorsus materiam habet in corpore quam vincere oportet, adeo vt minus nutriendum sit corpus, quam vt vires conseruari possint; sic longi morbi, in quibus materia aliqua est, quæ mutationem aliquam desiderat, moderatur nutritionem, id quod quatenus efficere possit, postea ostendemus. Nunc vero expendendum est, an quemadmodum ex tot differentiis morborum, solius acuti & longi meminit, sic recte præter miserit omnes alias victus differentias: nam cum quædam sint nutrimenta (vt antea ostendimus) quæ temperata, alia intemperata, nonnulla vero, quæ sanguinem procreant, alia, quæ alium humorem, quædam præterea, quæ durum, molle, & ad coctionem vel distributionem facile, aut difficile, alia item quæ velox, & confertim, alia quæ solidum, vel fluxile, vel pingue præbent corpori nutrimentum, alia demum, quæ diuerso modo corpus nutriunt, cur est, quod Hippocrates has omnes differentias, quæ ad genus, materiamque nutrimenti pertinent, prætermisit? cur enim non dixit in morbis acutis aut longis biliosum, aut pituitosum, vel durum, aut molle, aut aliam aliquam ex prædictis differentiis, vt tenuem victum prodesse, aut obesse? An quod ex illis differentiæ nonnullæ qualitatem nutrimenti exprimant, de quibus hoc loco non agitur; aliæ vero variantur propemodum in morbis, pro causarum diuersitate, adeo, vt nil commune tradi possit; vel quod etiam exprimant aliquid, quod morbis, illorumque causis medetur? nam calidum, frigidum, humidum, siccum, & compositum ex his qualitatibus excedentibus, vel temperatum, item durum, molle, alimenti qualitates exprimit, quæ non solum reparare vires, illarumque substantiam, sed etiam morbosis affectibus repugnare sunt aptæ. At nutrimento, quod sanguinem vel alium humorem præcipue gignat, vel facile aut difficile concoqui, aut descendere per aluum; vel distribui in corpus possit non omnes morbi opus habent, quemadmodum nec eo, quod solidam, aut humidam, vel aeream, vel pinguem aut macilentam substantiam restituit; cum vero dicimus, nutrimentum quoddam bene, aliud male corpus nutrire, vt id temperatis hominibus commune est, sic in morbis enutriat, quod enim bene nutrit hos, alios offendit; At commune est omnibus morbis acutis, vt nutrimentum exhibeamus, quod minus nutriat, quam vires postulent ad sui conseruationem; quapropter non mirum, si Hippocrates hic reiecit omnes alias differentias, quæ scilicet vel ad præsentem scopum non pertinent, vel contraindicantur à causis morborum, vel non ab omnib. morbis acutis, vel longis. Iam vero illud docendum est, quænam victum postulent vires, id est, indicantia, cum nil impedit, quem vero admittant morbi acuti, vel longi, generatim & speciatim, quid conueniat singulis morbis acutis; quæ etsi omnia non explicet Hippocrates, vt qui generatim ea duntaxat prosequatur, quæ morbis conueniunt, idque damnans potius, quod ab aliis fieri videbat, quam quod aliquid adhuc statuat ex propria sententia, tamen quoniam id postulat nostra tractatio, in qua indicantia & contraindicantia prosecuti sumus, eoque magis, quod Gale. in hoc *Commentario* idem faciat, ea à nobis diligenter explicanda sunt.

An recte omiserit alias omnes differentias.

A Porro Galenus statuit, sanis conuenire alimentum, quod vel augere possit vires, illud vocat ἁδρόν, idest, plenum, vel crassum, aut vberem; hoc vero σύμμετρον, id est, mediocre: in morbis vero plenum raro conuenire, imo nunquam, nisi contempto morbo labentibus viribus sit succurrendum: quod si longus morbus fuerit, tunc mediocri, conseruanteque victu: si vero acutus, tenui opus est. Ac cum acutorum morborum multæ sint differentiæ, per magis & minus sumptæ, totidem in tenui victu differentias statuere oportet, quod non nisi obiter ille facit, vt qui referat, id ab Hippocrate & à seipso *in lib. de victu acutorum* factum, id quod postea etiam expendemus: nam quæ prius sunt proposita, prius ex-B plicanda veniunt: atque illud in primis dubium facit, quomodo vires & corpus vnquam augeri possint nutrimento: cum enim vires conseruari non possint, nisi vniuersa illarum potentia agat in nutrimentum, fit vt nihil vnquam accrescere illis possit, aut corpori, si modo vniuersa illorum actio requiritur ad conseruationem, nec aliquid agere potest vltra, quam ferat illius facultas: à quo enim elaborari potest ea nutrimenti portio quæ in augmentum conferri debet, si vniuersam virium potentiam in sui conseruatione & restauratione eius, quod est dissolutum, consumi oportet? quod si ita est, vt æquales effectus ab æqualibus causis proueniant, non vires, nec corpus augeri posse videbuntur: quibus cum repugnet C experientia, quærenda est huius ratio, quæ petitur ex robore facultatis coctricis, cum proportione eius, quod à corpore dissoluitur: quia enim vires plus aliquando concoquere possunt, quam sit resolutum, fit, vt corporis robur, & substantia, quamdiu hæc fiunt, augeantur: contigit autem plus concoqui, quam dissolui, eo quod concoctio calido, & humido, dissipatio vero calido, & sicco felicissime obeantur; quia ergo in pueris viget calor, qui ad coctionem validior est, quam ad dissipationem, ideo illorum corpora, & vires augentur; minuuntur autem hæc, cum iam præualet siccitas, coctioni inimica: cum vero respondet concoctio ei, quod digeritur, tunc nec augentur, nec sensibiliter minu-D untur hæc: non mirum igitur, si corpora nostra nunc crescant, nunc maneant in eodem statu, tandem vero decrescant, & ad interitum properent. Conuenit ergo sanis aliquando victus plenus: pueris scilicet, conseruans vero iuuenibus, qui & declinantibus, & senibus pariter conuenit, quantum illorum conditio patitur.

Vires quem victum postulent in sanis & ægris.

Quomodo vires & corpus vnquam augeri possint nutrimento.

Cur plus in pueris concoquitur, quam dissoluatur.

At illud videtur longe absurdius, quod scribit Galenus, in morbis longis vtendum esse victu conseruante, quem iam sane concessimus: mirum enim, si sanos, vt ægros alendos censemus: E absurdumque, nisi vim aliquam contraindicandi longis morbis dederimus: verum & id rationi est consonum: nam cum morbi longi mitiores sint, permittunt sine noxa naturæ, vniuersam vim ad cibum conficiendum conuerti. Itaque cum paucarum horarum spacio tantum concoqui possit, quantum satis est ad vires tuendas, idque facile concedant huiusmodi morbi, vt qui nec continuam, nec vehementem concoctricis facultatis actionem postulent, merito victu conseruante, in iis vti possimus,

Cur in morbis longis vtendum victu conseruante, pleno vero nunquam.

pleno vero nequaquam, quando inedia est tam leuis morbus est [illegible] vim habent, quæ naturam non debilitabat; cum quæ impedimento [illegible], nequaquam incremento tote studere possimus. Cæterum in morbis acutis recte quoque dictum est tenui opus esse victu, idest, eo, qui continuo vires minuit [illegible]: ita enim intelligendus Galen. est, cum scribit *in Comm. Studemus in acutis morbis vires moderate indebilitatas conseruare*: quod scilicet victu vtendum sit, qui vires quidem debilitet, tueatur tamen prohibeatque, ne labantur: nam alioqui si continuo vires huiusmodi victus debiliores non redderet, nihil ab eo, quod longis morbis adhibetur, differret: siquidem & ille à morbo debilitas vires souet, conseruatque. Porro morbi acuti huiusmodi exigunt victum, qui viribus incommodet, *Quoniam nequit morbus acutus alegi, si natura tantum alimentum accipiat, quantum conficere potest: est enim talis morbus vehemens & continuus, adeo vt nunquam permittat coctricem facultatem libere versari in cibo conficiendo*, atque id est, quod scribit Gal. *in Comment.* Nempe, quod morbus exercet, si vires, quales accepimus, vel seruare, vel augere voluerimus, etsi rationem subiicere debeat, qua fiat, vt in his potius, quam in aliis morbis augeri debet. Iam illud sequitur explicandum, quisnam victus singulis morbis acutis conueniat. De qua re ita Galenus statuit *in Comment.* extreme tenuem victum competere morbis vniuersis, qui primis quatuor diebus ad vigorem sunt venturi; in iis vero, qui septima die eundem habebunt, vtendum esse melicrato, qui victus tenuissimus est, non tamen in extremo; In quo multa considerare licet, atque illud in primis, quod principia sua non seruet, nam cum hic dicat, in acutis morbis tenuem, in longis conseruantem, solis vero sanis plenum victum conuenire, alibi, vbi curationem morborum docet in acutis non solum conseruante, sed & pleno vtitur, & in longis tenui, & sæpissime pleno. Deinde, quod non omnium acutorum morborum victum doceat, sed eorum duntaxat, qui non vltra septimam progrediuntur: cum enim multo plures sint, eo authore, acutorum morborum differentiæ, quæ per magis & minus differunt, ratio vtique postulabat, vt tot differentias in tenui victu inueniret, quot sunt in morbis acutis positæ, sic enim liceret postea singulas differentias victus singulis differentiis morborum accommodare, quod aliter nequaquam fieri potest. Tertio, illud quoque rationi non est consonum, vt omnes morbi, qui vel in quarta vel septima die ad vigorem perueniunt, eundem habeant victum; nam cum inter acutos etiam morbos, quibus idem terminus est, differentia reperiatur, quod alii aliis mitiores, minoresque sint, ratio conuincit, vt in victu differentia quædam pariter statui debet. Postremo vnicam materiam, vt melicratum, vel ptisanam exhibere vniuersis, qui morbis acutis vexantur, id est victus differentiam in maximas angustias redigere, & putare, omnes huiusmodi morbos eiusdem esse qualitatis, & naturæ, cum ipse alibi scribat, biliosis morbis, & hominibus & temperaturis obesse melicratum. Quod si ita est, nequit id profecto conueniens esse victus in omnibus morbis, qui quarta die statũ sunt habituri. Quod

Cur in acutis tenui [illegible]

Quis tum victus singulis morbis acutis conueniat.

A vero principia sua non seruet Galenus in re proposita, iam ostendere aggredior, atque [illegible] in primis animaduertendum est, quod *in hoc Commentario* victum, qui per inediam fit, tenuissimũ in extremo statuat esse, quem *in lib. de vena sectione contra Erasistratum* tenuem vocat: scribit enim *eo loco* victum tenuem tribus modis institui posse, nempe, tenues, paucosue, aut nil nutrientes cibos exhibendo, vel nihil dando, vel assumpto cibo vomendo, qui autem nihil accipit, inedia vtitur, & qui vomit cibum, idem illi accidit, ac si cibum non assumpsisset; Itaque, si tenuissimus ad extremum victus est, in quo nihil assumitur, constat, tenuẽ cũ tenuissimo ab eo confundi. Deinde *lib. 1. acutorum decimotertio textu* monstrotas eas B diætas vocat, quæ per inediam fiunt: contra vero *lib. 2. eiusdem Operis textu 44.* scribit, non esse eos culpandos, qui ęgros vsque ad vigorem, si modo perdurare possint, in omni ciborum abstinentia seruant, quo loco probat, quod alio damnauerat: atque etiam nulla distinctione facta inediam extremumque victum omnibus adhibet morbis. Præterea, *in hoc Commentario* cremorem ptisanæ in quibusdam morbis, quibus scilicet tenuis victus debetur, statim ab initio concedit: *in lib. autem 2 textu 44 acutorum*, inquit, *si morbus concoctus fuerit, transeundum est ad cremoris ptisanæ exhibitionem: si vero adhuc crudus fuerit, non transeundum, nisi forsan symptoma aliquod, quod vires prosternat, apparuerit:* Quinetiam C *lib. 4 de articulis textu 41.* tenuissimo victu in dissenteria hepatica vtendum esse censet, qui tamen morbus longus est, & *primo ad Glauconem* in aliquibus diætis tenuem victum iniungit, quæ tamen ab acutis febribus longe absunt, ad hæc *decimo Methodi* in biliosis morbis prohibet tenuem victum, quem iis conuenire, qui ex abundantia, vel phlegmone laborant, censet, cum tamen *in his Commentariis* omnibus acutis, siue illi ex bile, siue ex alia causa cõstent, huiusmodi victum proprium esse tradit; At nec iis omnibus, qui ex phlegmone ægrotant, postea tenuem exhibet victum: nam *vndecimo Methodi*, vbi phlegmone est in thorace, credit, non esse vtendum tenuissimo victu, sed eo, qui vires roboret, *quando*, inquit, D *non licet per astringentia medicamenta partibus illis robur addere*; At huiusmodi victus, qui vires augere aptus est, tenuis non est: quid dicam de pleuritide, in qua toties victum mutat, quoties de ea agit: nam (vt iam diximus) negat, tenuissimo victu opus esse, vbi pars aliqua in thorace phlegmone tentatur, cum tamen *primo acutorum* dicat, mellicratum & oxymel, quæ, eo authore *in hoc Commentario*, materia sunt tenuissimi victus, vsque ad septimum pleuriticis sufficere. Quinetiam, *eodem libro textu 27.* ptisanam illis concedit, & pro ea saxatiles pisces ex aqua, marrubio & sale paratos; quo fit, vt nunc tenuẽ E nũc tenuissimũ, nunc vero plenũ in morbis acutis victũ instituat. Quod si quis putet inter pleuriticos quosdam leuius, alios vero grauius affici, atque hos parcius, illos vero vberius alendos esse, & quendam concedi victum declinante morbo, qui in aliis temporibus negandus est; & hæc spectare Galenum, cum diuersa tradit de hac re præcepta, verum quidem is dicet, attamen si semel positum est, tenuem victum morbis acutis conuenire, nunquam postea concedi potest, plenum

Id est

iisdem competere, sed omnes differentiæ, quæ vnquam in victu idoneo huiusmodi affectib. reperiri possunt, in ea latitudine, quæ in tenuitate ponitur, collocari debent: vt enim omnes morbi qui acuti dicuntur esse, nunquam recedunt ab eo nomine, & natura, etsi interim quidam sunt aliis grauiores, sic profecto statuenda est vna forma & ratio victus, quæ magis & minus intendenda remittendaq; est, sed non mutanda, nec confundenda cum aliis, quæ alterius sunt generis, & sanis propria facta, vel oppositis morbis, nẽpe longis, aut etiam bene valentibus corporibus concessa: nam vel principia in omni tractatione ponenda non sunt, aut certe retinenda, posteaquam sunt stabilita, & recepta. Verum ne singula prosequamur, præstat in quocunque corporis statu conueniens genus victus instituere. Itaque, cum omnes vel sani sint, aut ægrotent, morborum autem multæ sint differentiæ, necesse est, vt eas prius enumeremus, vt omnem corporis statum, in quo contingit victum variari, doceamus, & totidem in victu differentias ponamus, vt singulis adsit suus victus. Sunt porro primæ differentiæ simplices tres (vt iam diximus) tenuis, mediocris & crassus, & ex illis compositæ quatuor, tenuis & conseruans; tenuis & plenus; conseruans & plenus, tenuis conseruans & plenus simul. Cõuenit autem tenuis acutis morbis, tenuissimus peracutis, in extremo tenuissimus, simpliciter peracutis non in extremo tenuissimus, nõ simpliciter peracutis, simpliciter vero tenuis siue exquisite tenuis, acutis simpliciter morbis; nõ simpliciter tenuis, non simpliciter acutis; adhuc minus exquisitus his conuenit morbis acutis, qui intra 40. dies finiuntur, sic enim differentię victus respõdent differentiis morbi acuti, quas antea posuimus. Cæterũ cõseruans victus debetur morbis paruis, & simul breuibus, necnon longis, & sanis, quibus vires, & corpus amplius augeri non possunt. Plenus autẽ in iis morbis adhibendus, in quibus vires debiliores sunt morbo; Item sanis cõuenit, qui adhuc crescunt, vt pueris, & adolescentibus, tenuis autem vel etiam tenuissimus & conseruans, morbis longis & breuibus; tenuissimus quidem, cum morbus præsens est; conseruans vero, cum abest quidẽ, sed morbosa dispositio in corpore subest; aliæ vero differentiæ compositæ habent quoque suum vsum in nonnullis casibus, vbi scilicet morbi causa tanquam remedium aliquando postulat, quod corpus repleat; aut vacuet, aut corrigat mixtione alimenti vitiosos humores; postulat autem morbus aliam differentiam, & vires aliam, tunc enim cogimur certo tempore tenui vti victu, alio conseruante, alio autem pleno, interim cum vnus morbus est, qui hominem afficit. Sed hæc postea commodius intelligentur. At, si absolute concedimus, tenuem victum acutis morbis conuenire quomodo intelligi potest Hippocrates, qui scribit, in acutis quibusdam non conuenire; & tunc periculosum esse? Sunt, qui intelligunt, non conuenire hunc victum acutis ex decidentia, quos quidem Gal. refellit, qui scribit *in Commentario*, in acutis victu esse vtendum, qui vires moderate debilitatas conseruet; qui certe tenuis est. Addo, quod aperte testatur, tenuem victum conuenire morbis acutis, cum scribit *eodem loco*, quibusdam morbis acutis victum solum tenuem, aliis vero tenuissimum in extremo, aliis vero tenuissimum

Quis victus singulis morbis conueniat. Quis itidem singulis intersanos.

A sed non in extremo conuenire. Ipse vero Galenus *in fine Commentarii*, docet quidem, *in quibus non conuenit*, non esse adiectum propter morbos peracutos, sed tamen non explicat, quos acutos morbos eo nomine excipiat: Alii vero aiunt; non conuenire tenuem victum in illis morbis acutis, in quibus vires labuntur. At Hippocrates hic docet, quid admittant morborum differentiæ, non quid vires ipsæ postulent; nam illud ita certum est, vt præcepto non egeat, scilicet primam indicationem sumi à viribus, & propterea in quocunque morbo illis succurrendum esse, vbi ob debilitatem periclitantur. Ego vero intelligo non conuenire acutis tenuem victum, *qui ex acutis sunt profecti*; Aut nomine victus tenuis &

B exquisiti simul aliud intelligendum est, quam nomine tenuis solius, nam etsi tenuis victus conuenit omnibus morbis acutis, non tamen, qui tenuis simul est & exquisitus, is enim solum exquisite acutis morbis, qui scilicet intra decimum quartum finiuntur, conuenire debet.

Καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί.

Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est.

C DAmnauit Hippocrates *in prima parte Aphorismi* tenuem victum & exquisitum, si in morbis longis & in quibusdam acutis exhibeatur: Nunc vero damnat eum, qui extreme tenuis est, quo forte quidam Medici sine discrimine vtebantur, vt Galeni tempore Diatritarii, vt ipse vocat, Medici, qui vniuersis ægrotantibus triduanam inediam iniungebant. Intelligere autem oportet victum tenuissimum in extremo, nõ ex eo solo, quod fiat per solam inediam vel mellicratũ, vsque ad Crisim, sed quod vires, quantum licet, extreme debilitari sinat: nam quidam sunt, qui ex ptisanæ cremore eandem sentiunt debilitatem, quam alii experiuntur ex mellicrati vsu, vel etiam ex sola inedia; Inter hos sunt senes crassi & pituitosi, inter illos pueri biliosi, & graciles, non ergo

Diatritarii Medici.

D ex materia hunc victum definire debemus, sed ex ea debilitate, quam quærimus, & alii ex aliis rebus consequuntur. Cæterum illud expendendum est, quod scribit, *victum tenuem esse periculosum in longis morbis, & extreme tenuissimum* dicit *esse difficilem siue grauem*, cum scilicet idem intelligat per grauem in vno victu, quod in alio intellexit per periculosum. Præterea, an velit victum tenuissimum in extremo in morbis acutis pariter esse grauem, an vero simpliciter illum damnet; alia quidem est significatio periculosi & grauis, sunt enim quædam molesta & grauia, sed sine

E periculo: & si forte contra non fit, vt ea molesta non sint, quæ sunt periculosa: victus tamen tenuis & tenuissimus est periculosus & molestus: *periculosus quidem, quod cogamur ægros nutrire plenius, vbi temere vires sunt debilitatæ ex victu male instituto: molestè autem & grauiter ferunt ægroti insuetam viuendi rationem, in qua sentiunt suum demoliri robur*; vtrumque ergo Hippocrates complecti voluit, *periculum* inquam & *molestiam*.

Periculosum & graue non esse idem.

Victus tenuis & tenuissimus cur sit periculosus & grauis.

Porro tenuissimũ in extremo victum frustra

diceret in morbis longis, & in quibusdam acutis A non conuenire, si antea id scripserat de tenui, qui si non competit, tanto minus conueniet, qui extreme tenuissimus est, sed simpliciter in omnibus intelligendum est, illum esse molestum. Verum etsi Hippocrates periculosos & graues hos victus esse dicat, non propterea intelligere debemus, eos nunquam conuenire & à nobis fugiendos esse: nam multa sunt in arte nostra auxilia, quæ sine molestia & periculo adhiberi non possunt, quorum tamen necessarius est vsus; sed Hippocrates admonet, ne temere & passim in omnibus adhibeamus hunc victum, qui periculum & molestiam adiuncta habet.

Καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

Dixerat Hippocrates, victum tenuem & exquisitum periculosum esse, & tenuissimum in extremo esse grauem, sed id nulla ratione probauerat, id quod nunc facit, sumpto argumento ab extremis repletionibus: nam si hæ sunt graues & periculosæ, tanto magis erit victus tenuissimus: si enim repletio, quæ suapte natura viribus addit robur, periculosa est, cum extrema fuerit, tanto magis periculosus erit extremus victus, qui sua natura vires demolitur; constat ergo, tenuissimum in extremo victum periculosum & grauem esse, quoniam repletio extrema talis est; quod si ita est, tenuis victus a[d] proportionem periculosus quoque est, pr[...], quod cum extreme tenuissimo in eo conu[enit]; quod vires infirmas reddat, sed illo minus periculosus est, quia minus debilitat. Cæterum repletiones extremas intelligere oportet vel ad vires, vel ad vasa, vel ad proportionem, maxima enim plethora vel plenitudo, in qua vires extreme grauantur, vel in qua magna est cacochymia, grauis esse solet; hinc enim omnes graues morbi nascuntur. Atque hæc quidem de Aphorismi sententia sufficiant.

Repletiones extremæ quæ intelligendæ.

At quædam notanda sunt in Galeni Comment. atque illud primum, quod scribit, Hippocratem docere in hoc Aphorismo, quosdam acutos morbos victum extreme tenuem exigere, hoc enim non docet Hippocrates, vtpote, qui huiusmodi victum damnet, non autem ostendat, quibus conueniat. Deinde victum extreme tenuem ait fieri, vel per solam inediam, vel melicratum, postea vero circa *finem sui Commentarii* habet, victum, qui fit per melicratum, esse tenuissimum non tamen in extremo.

Præterea videtur Galen. victum ægrotantium in maximas angustias redigere, cum solius ptisanæ, melicrati, & inediæ mentionem faciat, an non licebit, quæso, in acutis morbis vti iusculis ex carne non admodum pingui cum pane? sed quid, quæso, obstabit? superstitiosos enim magis, quam doctos puto esse Medicos, qui ab hoc genere cibi abstinent, si enim oleo, & butyro cum pane, & aqua coctis vtuntur omnes ægroti in omni regione, licebit vtique panem incoquere in iusculo pullorum, & eo vti moderate; sic enim vires, nec augebit, nec conseruabit, sed tenuem omnino præbebit victum; sed quid dicemus de oleribus, peponibus, & pomis coctis, vel etiam crudis. Dicet parum doctus Medicus, hæc gignere cruditates, ita scribente Galeno, verum ille non animaduertit eum authorem, cum quærit & explicat naturam alimentorum sibi proponere, tanquam regulam, corpus temperatum, cui hæc humidiora, & frigidiora alimenta, sanguinem gignunt crudiorem; at illis qui vehementibus febribus torquentur, talia alimenta temperant corpus illudque bene nutriunt, & medicamenti pariter vsum præbent: nam si pruna cocta in aqua & Sacharo omnes Medici concedunt febricitantibus, cur etiam lactucam coctam, betam, spinachia, & si quæ alia sunt frigida, & humida alere non concedemus? Ego cum æstate laborarem tertiana exquisita, nullum suauiorem absque sensu alicuius mali sensi cibum, quam mala rosea, vt vocant Hetrusci: nam eo tempore corrugata, & veluti cōcocta sunt, ac cum pane assumpta optimum & suauissimum præbent cibum, & nostri quidem pepones, qui longe sane melioris sunt generis, quam illi, quos Galen. ponit, inutiles esse non possunt, si ægri calidis morbis affliguntur, & eos vehementius expetunt. Hæc addere volui, vt Medici in victu instituendo non discant esse temerarii, sed vt eam ratione superstitionem quoque fugere discant. De piscibus hoc etiam habeo, quod dicam, illos non præbere victum conseruantem, quod docet quadragesima, quam nemo cum piscibus tandem ferre potest absque virium debilitate.

Olera non omnibus acutis morbis nocere.

Pisces qualem præbeant victum.

APHORIS. V.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, διὸ μᾶλλον βλάπτονται, πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνηται μέγα γίνεται μᾶλλον ἐν τῇσι λεπτῇσι, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσιν. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι, σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. Διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν μικρὸν ἁδροτέρων.

In tenui victu ægri delinquunt; quo fit, vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quam paulo pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde tenuis constitutus, & exquisitus victus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atq. admodum exquisitus, eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus.

Huius Aphorismi variæ, & inter se discrepantes extant interpretationes, quarum quæ-

quænam vera sit, & huic loco conueniens, ob A pugnantes (vt videtur) de hac re Hippocratis, & Galeni sententias, non facile perspicere licet; sunt enim nonnulli Medici & fere omnes, qui superiore seculo vixerunt, qui putāt, Hippocratem tenuem victum hic damnare, & pleniorem laudare, & ob id cum de victu instituendo in morbis agitur, pleniorem eum iniungunt, seque tuentur, non solum ex hoc loco, sed ex eo etiam, quod Galen. scribat *in primo de victu acutorum*, monstruosas diætas esse, quæ per inediam fiunt, & præstare, vt pugnemus contra morbum, quam contra debilitatem. Alii vero sunt, qui dicunt, tenuem victum non damnari ab Hippocrate, nec postponi pleniori, si recte instituatur, sed solum B cum initio morbi, vbi non oportet, adhibetur: deterius enim esse tenuiorem, quam pleniorem ab initio imperare. Probant autem hunc victum non damnari ab Hippocrate, sed etiam suapte natura meliorem esse pleniore, multis argumentis, & primo quod Hippocrates *in secundo de morbis acutis* scribat, adiectioni minus esse studendum, & sæpe prodesse penitus auferre. Et Galen. etiam *in eodem lib.* scribit, si quid in nutriendis ægris per imprudentiam peccatur, melius esse peccare in tenuiore, quoniam ex parciore victu noxa facile, emendatur; *cum enim*, inquit, *dilabi primum vires senseris, cibi exiguum offerens agrum restitutes:* Exuperantia autem in victu nonnunquā C parit noxas inemendabiles. *In eodem lib. alio loco* ita habet, *quæ ex inedia læsio est, neq; adeo velox est, nec ita euidens sicut quæ ex cibo.*

Vnde etiam Auicenna scribit: *Cum ignoras morbi naturam, tenuiori victu vtitor*: tanquam melius sit victum tenuiorem, quam crassiorem instituere: Periculosiorem vero, & grauiorem dici ab Hippocrate, nō quod incōmoda, quæ suapte natura statim adferre potest, aliis sint maiora, quæ à crassiore proueniunt, sed quod maiora tādem sequantur incōmoda ex victu tenui *intempestiue* instituto, quam ex crassiore ostendunt, D quoniam qui tenuem victū ab initio morbi statim imperant, nisi morbus, ante quam vires admodū debilitentur, finiatur, coguntur victū augere in morbi progressu, vt vires reficiantur: nihil autē perniciosius, quam appropinquante statu victum augere; qui autem ab initio crassiore victu ægrum aluit, non cogitur sequenti tempore ægrum vberius nutrire, ita leuiora sequi incommoda ex crassiore victu, quā ex tenuiore ab initio adhibito; quod etiam confirmat Hippocrates 2 *Acutorum*, cum inquit, melius esse afflicto statim sorbitiones propinare cœpisse, quam vbi prius venas inanieris. Postmodum 3. 4. 5. 6. vel 7. exhibeas. Quinetiam *alio loco eiusdem libri* ad hunc E modum scribit: *Quando ex multa inanitione repente plus iusto aliquis offerat, multo maior noxa fit, quam si ex pleniore victu ad vasorum inanitionem ægrum perduceres.* Hæc & similia adferunt, qui hanc interpretationem tuentur. Alii vero sunt qui discrepantes eos locos conciliare volentes, aiunt, Hippocratem cum tenuem victum pleniori præfert, de acutis intelligere, qui cum inflammatione, aut simili affectu alicuius interioris partis consistunt, cum autem crassiorem præfert tenui, vt hic, de aliis morbis acutis eum agere, Galenumque adferunt in subsidium qui 13. *Methodi* in inflammatione iecoris tenuissimum victum iniungit. Sunt & alii, qui monstruosam fingunt huius Aphorismi interpretationem, quod scilicet Hippocrates duos ægrotos hic intelligat; vnum, qui morbo acuto laborat, qui tenui victu vtitur; alium, qui longo; qui vtitur crassiore, in quibus si aliquis error committitur, maior in illo est, qui tenui vtitur victu, quam qui pleniore.

Alii vero, vt suam astruerent sententiam, quā ex contextu elicere non poterant, verbum *ægri delinquunt* mutant *in* delinquentes, quasi talis sit sensus si contingat ægros delinquere in tenui victu, grauius illi lædentur, quam si pleniori victu essent vsi.

Alia demum est interpretatio, quam sequitur Galenus, qui non victum tenuiorem pleniori comparat, sed errores, qui in vtroque victu accidunt: grauiores enim eos esse censet in iis, quibus adhibetur victus tenuis: nam qui tenuiore vtitur victu, debilior necessario redditur, in corpore autem debiliore errores omnes; qui accidunt, grauiores sunt, quam in validiore, itaque damnari victum tenuem hoc loco, eo quod errores, qui contingunt, omnes grauiores sint in iis, qui eo reguntur. *Sententia Galeni.*

Hæ fere sunt huius Aphorismi interpretationes; quarum nullam satis probare possum: primam enim secūda satis refellit: nam si Hippocrates iubet adiectioni minus esse studendum, quam repletioni, & Galenus læsionem ex inedia, & errores in tenuiore victu, leuiores esse illis, qui committuntur in pleniore instituendo scribit, constat profecto, præferendum nō esse in morbis pleniorem victum tenuiori. Secunda autem opinio etsi vera est, errare enim illa statuit Medicos, qui tenuiorem victum ab initio instituunt magis, quam qui crassiorem; At Aphorismus non Medicos, qui victum instituunt, sed ipsos ægrotos errare proponit.

Volunt præterea illius opinionis authores, errores fieri maiores non simpliciter in tenuiore victu, sed si ille perperam incipiente morbo institutur. Verum ex dictione authoris hæc interpretatio elici non potest, quandoquidem, nulla mētio fit de aliquo tempore morbi, nec de victu male instituto.

Tertia vero opinio nec authoritate, nec ratione nititur, nam etsi Gal. in Phlegmone iecoris tenuissimum victum iniungit, tamē & in aliis morbis sine inflammatione, cum postulant, idem faciendum esse, passim scribit: vt *in Comment. præcedentis Aphorismi* nulla habita distinctione, absolute pronunciat, Inediam adhibendam esse in his, qui quarto iudicantur, melicratum in iis, qui 7. & sic de reliquis; & merito quidem, si enim morbi vehementia victum moderatur, vbi æqualis vehementia ponitur, idem victus instituendus siue huius, siue alterius differentiæ morbus sit, nemoque est, qui in Causone, qui septima die finiri debeat, eundem victum non instituat, vt in pleuritide, aut lienis, vel hepatis inflammatione. Authoris pręterea dictio vniuersaliter scripta eos arguit.

Qui autem duos ægrotos in hoc Aphorismo fingunt, ridiculam interpretationem & confutatione minime dignam astruunt: nam nec verba

authoris id ostendunt, & dignum non est Hippocrate, præcipere, quæ quilibet vel ignarus Medicinæ cognoscere potest; quis enim tam plumbeus & rudis est, qui nesciat grauiores esse errores in eo, qui acuto, quam qui longo morbo laborat? Temerarium vero est legere *errantes* pro *errant*: & ex confutatione sequentis opinionis falsum agnoscetur esse, grauius semper lædi ægrotos, qui tenuiore victu vtuntur, si illos forte errare contingat.

Galeni sententia cur ab autore non recipiatur.

Cæterum, Galeni interpretationem multa faciunt vt non recipiam; Primum, quod priorem partem, in qua scribit author, in ipso victu tenui errare ægrotos, inexplicatam relinquat. Deinde, quod author non solum errores erroribus, sed etiam victum victui comparet: nam non solũ dicit Aphorismus, errores, qui fiunt in tenuiore victu, grauiores esse illis, qui fiunt in victu pleniore sed etiã colligit, tenuiorem victum pleniore periculosiorem esse. Præterea, verum non est, omnes errores, qui contingunt in his, qui tenui victu aluntur, grauiores esse, quam in illis, qui pleniore vtuntur: error enim est, si cui febre continente laboranti & sanguine pleno, sanguis non mittatur, qui tamen leuior est in eo, qui tenui, quam qui pleniore victu vtitur: siquidẽ tenuior victus corpus vacuat, erroremque ex vacuatione prætermissa emendat, grauiorem autem reddit, qui pleniore vtitur, vt qui repletionem victu foueat & augeat. In eo etiam non recte sentit, quod putat, de erroribus intelligi, qui committuntur etiam inuitis ægrotis, nam cum scribat author, ægros magna ex parte, vt habet Græcus codex, delinquere, constat, authorẽ solum de erroribus agere, qui committuntur ab ægris volentibus, nec ferre potentibus ob intemperantiã victum tenuem, nec illud quidem prætermittendum est, quod scribit, ægros non cogi ad errandum propter victus tenuitatem: nam author scribit, illos errare in victu id est, propter victum ille enim periculosus suapte natura est, quoniam qui eo reguntur, facile in errores incidunt.

Sententia autoris.

Mihi autem (si in re tantopere controuersa, quod sentio, dicere liceat) placet, vt posteaquam Hippocrates eos damnauit, qui tenui victu in omnibus morbis vtebantur, docuitque, omnibus non conuenire, nunc incommoda ostendat, quę secum coniuncta habet tenuis victus, quocunq; modo, & in quibuscunque adhibitus. Sunt autẽ hæc mala, quod periculosus sit, idest, errandi occasionem præbeat, & errores quibus occasionem dat, grauiores sint, quam qui à pleniore victu excitantur, fuit antiqua hæc interpretatio, vt Gale. *in Comment.* obiter refert, & authoris dictioni & naturæ rei quadrat. Expositum enim magis erroribus talem esse victum patet quod natura à tali victu debilitetur, tum, quod suapte natura parcior sit, quam vt per eum vires conseruari possint: tum quod non sit consuetus; quo fit, vt ægroti ab eo debilitati, putent se malo victu regi; Hinc si cibus adsit, qualiscunque ille fuerit, temere eum ingerunt; quod si non adsit in promptu, à ministris sibi furtim exhiberi contendunt, irascunturque nisi exhibeatur, & dolent, surgunt, mouentur, & denique multis aliis modis vexantur, & cum debilitati à tali victu necessario sint, huiusmodi errores facile non ferunt: Plenior autem victus neque errandi occasionem præbet ægrotis, vt qui abunde nutriti nihil expetant, & si quis error ratione victus fiat, aut etiam alia ratione ab ægrotis committatur, facilius fertur, quoniam validior victus minore noxa illis resistit. Authoris verba sponte sequuntur hanc interpretationem, cum ait, in tenui victu ægros errare, id est, errandi occasionem maiorem ab eo sumere, quam à crassiore: verbum autem *delinquunt*, siue *errant*, intelligere oportet, non quod omnes necessario errores committant in eo victu, sic enim malus esset talis victus, nec alicui adhibendus; sed quod errandi occasionẽ intẽperatis & nõ assuetis possit & soleat præbere. Quod si de vtroque victu non ageret, sed de erroribus, qui in vtroque contingunt, scripsisset in vtroque victu errores fieri, sed grauiores esse, qui in tenui, quã qui in crasso cõmittuntur; & cum delinquunt, magis læduntur, quoniam errores grauiores sunt; tum, quod maiores à victu committi soleant, tum quod alia ratione tales reddantur; ostendunt id sani, qui cum validiores sint ægris, tamen cum victu tenui reguntur, periculum est, ne errent, & errores maiores committant, grauioresque sentiant, quam cum pleniore victu vtuntur; ob hæc igitur tenuis victus magis periculosus: non tamen simpliciter deterior, sed in hoc deterior, quod periculosus sit & errandi occasionem magis præbeat, & errores quibus occasionem dat, grauius ferant: alioqui postea non solum tenuem, sed etiam tenuissimũ victum in nullis morbis instituere posset, si deterior pleniore esset. Quã ob rem hoc Aphorismo Hippocr. non simpliciter damnat tenuem victũ & pleniori postponit, sed in hoc solum, quod errandi occasionem maiorem alio præbeat, & errores, qui committuntur, grauiores reddat: estq; hic Aphoris. veluti admonitio quædam potius, quam vituperatio victus tenuis, vt scilicet eum omnibus non iniungamus, sed solum iis, quos cõtinentes & temperantes nouimus, qui ad errandũ prompti non sunt, & intelligunt, debilitationem, quam ex victu huiusmodi experiuntur, præter rationem à Medicis non quæri, sed interim, vt natura in cibo conficiendo non occupata morbosas dispositiones facilius vincat.

APHOR. SEXTVS.

Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται.

Extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt.

QVis sit scopus Hippocratis in hoc Aphorismo, Galenus non docet, vt qui in solis dictionibus explicandis totam suam consumat interpretationem, quam breuiorem quidem facit, quam postulet grauis sententia authoris, qui posteaquam eos damnauit, qui tenuem & tenuissimum victum omnibus temere iniungebant, docuitque, quid mali huiusmodi victus habeat, ne putaremus, nullum esse illius vsum, docere nunc vult, in quibus morbis sit adhibendus, & denique quis victus singulis morbis conueniat. Ac vt docendi ratio ex notioribus procedat, certum quoddam principium, vel dignitatem potius medicam proponit, ex qua

qua totius huius rei probatio ducitur; Est autem A principium huiusmodi *ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται.* idest, extremis morbis exactissimæ curationes optimæ sunt. Jta enim Galenus *in Commentario* θεραπείας ἐσχάτως ἐς ἀκριβείην interpretatur; θεραπείαν ἀκριβεστάτην, idest, exquisitissimam curationem, & merito quidem; Cum enim remedii nomen (vt antea diximus) victum excludat; colligere non posset, victu tenuissimo opus esse, eo quod extremis remediis vtendum esse proponat. Præterea, cum extremos morbos proposuisset, satis erat dicere, extrema remedia illis conuenire: extremum enim extremo, nō extremum exquisite, extremo B simpliciter conuenit, sed extremum exquisite, extremo exquisite conuenire ratio conuincit; totam ergo curationem exquisitissimam siue per victum, siue per remedia, aut per vtrumque fiat, extremis morbis adhibendā censet author. Quid autē per morbos extremos & exquisitissimā curationem intelligat, docendum est; appellat autē Galenus extremum morbum, *vltra quem non est alius*, & recte quidem, nam extremi propria est hæc significatio. At quos dicemus esse illos, vltra quos alii non sint? an qui incurabiles sunt? verum hoc modo elephantiasin, cācrum, extremos diceremus esse morbos, conueniretq; illis victus C tenuissimus, quod verum non est; quippe cum longi sint morbi, & propterea victus competat illis idem fere, qui sanis; an vero extremos intelligemus periculosissimos & qui occidunt? minime quidem; nam & siccissimi morbi, qualis hectica febris, tenuissimo victu opus haberent, quod verum non est. Galenus vero interpretatur extremos, *acutissimos*, sed melius si *maximos* dixisset: nam etsi acutissimi sunt maximi, tamen non exprimunt, quod est extremum in morbis, qui vero maximi sunt morbi, illi inter morbos summum extremumque locum occupant: nam in opere, quod scripsimus de differentiis morbo- D rum, ostendimus, magnum morbum dupliciter dici, *quendam enim esse magnum suapte natura.* quod scilicet inter morbos ille maxime excellat: ac cum naturæ morbi proprium sit, quod affigat, molestetque corpus, qui vehementer id faciunt, merito magni appellantur: adeo, vt idem sit morbus magnus, & vehemens & acutus. Est autem illud vehemens, quod validam & citatam habet vim, & ita quoque in morbis, acutum intelligitur, quod magnum habet excessum & velocem motum. Atque in hac præcipua morbi magni significatione dicitur venam esse secandam, vbi morbus magnus fuerit, & hoc loco maximos intelligimus, morbos vehementissimos; & acutis- E simos; alia vero ratione morbus magnus vsurpatur à Galeno. cum eos magnos vocat, *qui partem principem occupant, vel maligni existunt, aut suapte natura in vniuerso genere morborum sunt magni*, estque hęc latissima morbi magni significatio, cum magnum pro eo, qui plurimum à naturali mediocritate recedit, tunc vsurpemus; quo pacto scribit Galenus *in primo ad Glauconem*, ad tantam magnitudinem morbum peruenisse, quantum vnusquisque à naturali suo statu recessit. quo significatu magnus pro periculoso capitur; periculosus enim est, qui plurimum à naturali statu hominem, distrahit, qualis solet esse, qui in membro nobili consistit, & qui suapte natura magnus, & qui malignus, tales enim morbos vires nostræ nō ferunt, & auxilia medica vincere solent; propterea magni dicuntur, comparati ad vires, & ad remedia; *merito igitur per extremos morbos intelligimus hoc loco maximos, & hos exprimimus per vehementissimos & acutissimos*: sunt enim illi, qui extreme impediunt victum, eo quod naturæ actiones omnes ad se reuocent, ita, vt in cibo cōcoquendo ea vel minimo temporis spacio occupari nequeat, quod alii non faciunt qui cum leuius, & paulatim, non autem confertim affligunt, sic natura illis resistit: vnde nec vehementer, nec confertim agere cogitur, & propterea cibum conficere interim potest.

Quid per morbos extremos intelligendum.

Magnum morbum dupliciter dici.

Cæterum, curationem hic generalius sumere oportet, quam cum dicimus, curationem fieri per remedia & contrària, conseruationem vero per similia, & alimenta: intelligere enim debemus curationem, *quæ complectitur omnem tractationem ægrotantium*, quomodo dicit Auic. & alii omnes Medici dicere solent, curationem fieri vel victu, vel chirurgia, vel medicamentis: ita enim complectetur victum sub curatione: si enim exquisitissima curatio conuenit morbis extremis, sequitur & victum exquisitissimum quoque conuenire.

Nomen curationis quomodo hic sumendum.

Porro, exquisitissimam curationem intelligere oportet, non solum, quæ fit per summa extremaque remedia, vel extremum victum, quomodo *in quinto Methodi* sumere videtur Galenus, cum scribit, in periculosis magnisque morbis non esse inchoandam curationem à leuioribus, sed à maximis præsidiis: nec vero intelligemus exquisitissimam curationem, in qua omnia, quæ fieri debent, exactissime, summaque diligentia fiūt, vt ex *primo de fracturis* docet, vbi curationem ossis confracti, quæ cerato adhibito & vino austero continue irrigato, nullo prætereà generosiore remedio adhibito, sed sola diligentia exactissimā curationem vocat, & ob id ait esse scriptum ab Hippoc. *in hoc Aphor.* Extremis morbis curationes exactissimas adhibēdas esse, pro eo, quod est cum summa diligentia, non enim concludere possumus, tenuissimo victu esse vtendū in morbis extremis, eo, quod illi diligentem curam requirant; itaque exactissimam curationem intelligemus, quæ tum extremis remediis & victu etiā extremo, & leuioribus etiam præsidiis summa diligentia adhibitis perficitur: non enim in extremis morbis omnia remedia, quæ adhibentur, extrema sunt: omnia ergo cōprehendere debet exactissima, quæ illis conuenit, curatio, qui vero pro curatione exquisitissima intelligunt extrema remedia, aberrant: nam sub extremis remediis victum comprehendere non possunt de quo tamē agit Hippocrates: nam extrema remedia sunt, *quæ magnam & subitam mutationē efficere possunt*, debent enim contendere cum maximis morbis, qui talē, vt diximus, habent naturam; inedia vero ab illis præsidiis excluditur, quoniam etsi corpus plurimum mutat, non tamen id confertim & repente facere potest, vt Galenus *in lib. de vena sectione contra Erasistratum, & passim alibi*, id quoque docente experientia, attestatur; nec vero intelligere oportet extrema remedia, quæ plusquā oportet, corpus mutant, vt superius *in Aphorismo tertio* extremam vacuationem malam esse dicebat, sed, *quæ in genere remediorum maxima sunt*, vt Galenus 29. *Aphoris.* 2. *lib.* venæ sectionem,

Quid per exquisitissimā curationem hic intelligendum.

Inediam ab extremis remediis excludi.

Extrema remedia quæ.

& purgationem magna remedia vocat, & illis ad- A dere postlimus, sectiones, vstiones, & cætera, quę vim habent magnas & subitas mutationes faciendi in corpore, at si extrema remedia extremis morbis conueniunt, hallucinantur profecto, qui in leuissimis quibuscunque morbis sanguinem mittunt, & purgationem adhibent, quique in omni pleuritide sanguinem vsque ad mutationem coloris demendum esse præcipiunt: sunt enim inæqualibus morbis inæqualia, & non æqualia danda auxilia.

Verum, & in hoc obiter diluenda est quæstio: nam si paria & æqualia remedia morbis, & illorum causis sunt adhibenda, non videbitur fieri B posse sanitatis recuperatio: quo enim pacto vinci potest morbus à sibi æquali remedio? an victoriam istam non per corruptionem, sed per mixtionem, & temperiem assequimur, sanitatem enim comparamus temperatis, & per temperiem ad mediocritatem redactis causis morborum, in quo opere æqualitas agentium, & patientium sufficit, & requiritur, vbi vero victoriam assequimur per corruptionem, excedere oportet id, quod vincit. Vt ergo scopum Aphorismi concludamus, sumit Hippocrates indicationem quandam vel potius contraindicationem ad victum instituendum à natura & differentia morbi, in C qua morbum vnum cum alio comparamus, & agnoscimus, vnum maiorem vehementioremque esse alio: ob hanc enim differentiam parcius, aut vberius ægri sunt nutriendi, etiam si alia omnia sint paria; & hic Aphorismus veluti est maior propositio totius huius tractationis, cui sequentem subiungit aliter, quam sentit Galenus, vt iam ostendemus.

Aphor. Septimvs.

D

Ὅκου μὲν οὖν κατόξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρῆσθαι, ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν. Τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu vtendum est, cum vero non est, sed pleniorem victum adhibere concessum est, tantum à tenui victu se subducere oportet, quantum morbus ab extremis recesserit. E

APhorismi huius scopum, & sententiam nullus ex interpretibus, qui Commentaria in Aphorismos scripserunt, meo quidem iudicio, est assecutus: nam Galenus, quem alii omnes nullo adhibito iudicio sequuntur, putat Hippocratem docere, quo victu sit vtendum in statu morbi, id quod aperte *octauo Methodi capite tertio* testatur, vbi ita scribit ad verbum: *Non aliud docet Hippocrates præsenti Aphorismo, & sequenti, & in vtroque agit de indicatione, quæ sumitur à vigore morbi*, id quod etiam *sequenti Aphorismo* testatur, cum ait: *Docet nos, vtcunque scribatur hic Aphorismus, vnam & eandem victus rationem.* Quinetiam *vndecimo Aphorismo huius libri* habet, Hippocratem antea à morbi vigore, & à viribus ægroti indicationes ad totius victus rationem instituendam sumpsisse, nulla alterius rei facta mentione, à qua indicatio, vel contraindicatio sumatur; quare cum hic de viribus non agat, sequitur necessario, vt de vigore morbi agat.

Addo, quod vnam, & eandem faciat interpretationem huius, & sequentis Aphorismi, mutatis solum verbis. Propterea Montanus cum hunc explicasset Aphorismum, sequentem non interpretatur, tanquam vna sit vtriusque sententia.

Sed omnes, qui ita putant, euidenter hallucinantur: Primo, quod Hippocratica breuitate, & iudicio dignum non sit, idem bis nullo interposito spacio, nullaque ratione repetere. Scribit enim Gal. *in textu vigesimo octauo tertii Commentarii* de iis, quæ in medicatrina fiunt, Hippocratē non solere bis eadem scribere cum nulla necessitas cogit; id quod minus debet facere in hoc libro, in quo summam loquendi breuitatem videtur affectasse. Deinde, verba huius, & sequentis Aphorismi sunt plane diuersa, quod si ita est, cur Galenus scribit operis authorem idem docere duobus sese statim sequentibus Aphorismis? quæ necessitas coegit illum id facere? debebat illam adferre, si aliquam putabat esse. Recentiores autem quidam in hoc Aphorismo aiunt Hippocratem de statu peracutorum morborum agere, in sequenti vero de statu omnium morborum, ita coactum fuisse authorem, quod particulariter pronunciauerat in hoc, vt in sequenti vniuersaliter scriberet. Verum si de statu hic agit, non minus vniuersalis est, quam alius: cum enim extremum quendam morbum hic proponat, in cuius statu (vt illi volunt) extremo victu sit vtendum, declinationem postea faciendam scribit, vt quantum morbus tardius ad statum properat, quam peracutus aut mitior est illius status, quam morbi acuti status, tantum ab extremo victu declinemus, atque hoc modo declinationes ab extremo victu, & statu peracuti, comprehendimus, quid vigentibus singulis morbis sit agendum. Præterea, hæc interpretatio repugnat Galeno qui idem doceri in his duobus Aphorismis scribit: & quomodo, quæso, de statu morbi hic tractat author, si nullam illius mentionem facit, sed solum morbum vehementissimum proponat, nempe peracutum, qui cum docuerit, quis victus conueniat, postea ostendit, quis victus aliis morbis competat, tantum scilicet esse declinandum ab extremo victu, quantum ipse morbus ab extremo morbo, qualis est peracutus, recedit. Prosequitur ergo hic indicationem, quæ sumitur à natura morbi, in qua consideramus, morbum vnum maiorem vehementioremque esse alio, estque hic Aphorismus minor propositio superioris; cum enim in illo proposuisset exquisitissimam curationem & proinde victum exquisitissimum, & extremum extremis morbis conuenire; nunc subiungit, morbum peracutum statim habere summos labores, quod idem est, ac si diceret, morbum peracutum esse extremum morbum: Ex quibus infert, extreme tenuissimo victu esse vtendum; & hoc inuento, quod extremus victus extremis morbis conueniat, & quod

Quæ huius aphorismi vera sententia.

quod peracutus morbus sit extremus; colligit A postea, quod vniuersis morbis differentibus inter se magnitudine conueniat: nam quæ per magis & minus differũt, præsertim vbi plurima sunt, non possunt arte certa, & certis limitibus comprehendi. Quare Hippocrates proposito quod est summum in morbis, & in victu, docet nos rectè adhibituros victum in singulis morbis, si tantum victus ab extremo recedat, quanto morbus ab extremo morbo recedit. Sed hæc paulo inferius in explicatione secundæ partis huius Aphorismi clarius patebunt. Quod autem sit hæc sententia Aphorismi, præter rationes iam allatas docet verbum *igitur*, quod temerè à Leoniceno est prætermissum. plurimum enim refert, si dicas, *vbi morbus peracutus*, vel *vbi igitur morbus peracu-* B *tus*, nam verbum *igitur*, ostendit connexionem cum præcedente Aphorismo: itaque cum in antecedente Aphorismo agat solum de morbo, non potest in hoc de alia re agere. Sed enim alia vrgent maiora argumenta: nam si nullam indicationẽ sumeret Hippocrates à magnitudine morbi, diminutam viuendi rationem præscriberet, quæ alioqui perfectissima est: etenim si de vigore morbi solum loqueretur Hippocrates, intelligeremus quidem, quo victu sit vtendum in morbi vigore, non tamen patere potest, an eodem vel diuerso in morbis magnitudine, & vehementia differentibus, æqualiter à suo statu distantibus victu sit vtendum: statuamus enim, exempli causa, aliquem tertiana exquisita laborare, quæ decima quarta die finiatur, alium febre ardente, quæ eundem etiam terminum habeat, profectò si solum à morbi status distantia indicationem sumemus, eodem victu in vtroque morbo vtemur: at diuerso vtendum esse omnes concedunt, non quidem ob diuersum status terminum, qui idem est, sed quoniam ii morbi vehementia inter se differunt, in maiore autem morbo tenuiore, in minore vero pleniore victu vtendum est.

Præterea si in statu morbi tenuiore vtimur victu, quàm in aliis temporibus, quod ea pars D morbi vehementior sit reliquis, postulat vtique ratio, vt in maioribus morbis parcius alamus, quàm in minoribus, vt enim pars ad partem morbi, sic vniuersus morbus ad vniuersum morbum se habeat oportet. Quod si Galeni authoritate certandum est, non desunt nobis ex eo authore loci, nam *in tertio libro de Crisibus cap. quinto* scribit, in victu instituendo ægrotis, spectandas esse vires ægrotantis, morbi magnitudinem, & status distantiam. Quinetiam *in libro primo de fracturis, textu quadragesimo quinto*, dicit, eos qui à principio fracturam cum vlcere patiuntur, exquisito victu vti debere, simplici & vulgari, eos, qui non periclitantur; medio verò, qui fracturam absque vlcere cum prominentia ossis extra cutem habent: planè ostendens, quanto minorem vim morbus alio habet, nulla facta status mentione, tanto tenuiorem exhibendum esse victum, alioqui temerè censeret in eo, qui grauiorem habet fracturam, tenuiore opus esse cibo, nam longius ille à statu sui morbi distat, vt qui difficiliore morbo laboret, & propterea longiora omnia habeat tempora: vnde si status distantiam solum spectaremus, simpliciorem, & vulgariorem victum gratius laborantibus ex fractura iniungeremus, contrariũ planè, quàm ille præcipiat. Quod si Galenus *ad Glauconem* in exquisita tertiana tenui vtitur victu, vt in acuto morbo, videre debebat qua ratione id faciat, & quantum differat tertiana ab acuta febre. Porro nostram interpretationem approbant authoris verba, natura rei, ratio & experientia. Iam vero reliqua sunt explicanda, qua in re notandum est, hic non omnem morbum peracutum intelligi, sed qui simpliciter est peracutus: cum enim extremè tenuissimus victus summam differentiam victus exprimat, vltra quam progredi non licet, oportet & morbum cui debetur, summum in genere morborum esse, qualis non est omnis peracutus, sed qui simpliciter est peracutus.

αὐτίκα ϗ τὺς ἐσχάτυς πόνυς ἔχει.

Statim extremos habet labores.

QVasi verbum, *statim*, statum significaret, fortè alii interpretes putarunt de statu morbi authorem agere, verum aliter sese res habet: significat enim, vt scribit Galenus *in secundo Prognosticorum textu* 13. tria: Primò scilicet insultum morbi & tempus, quod ad quatuor dies exten- C ditur, & tempus adiunctum functioni. Hic autem Galenus pro spacio quatuor dierum vsurpat, non alia quidem ratione, quàm vt suam de statu opinionem tueatur. *Statim tria intelligere.*

Ego vero in aliis duabus significationibus hoc verbum intelligo, quod scilicet morbus acutus cum primum inuadit, & subitò, suapte natura sit magnus: nam cum morbum morbo comparet, (vt diximus) docere debet author, quænam propria sit illorum morborum, de quibus agit, natura, non quid illi temporis interuallo, & suo progressu acquirant. etsi enim acutissimus morbus intra quartum diem summos eos labores, quos consequi potest, assequitur, tamen etiam ab initio, & in primo insultu maximus est, summosq; habet labores, si cum aliis morbis cõparetur: qua ratione nos cogimur victu tenuissimo in eo vti; quod si *statim* indicaret quartum diem, nulla necessitas nos cogeret primo die tenuissimo vti victu: si enim cum morbus extremus est, tenuissimo victu tunc vtendũ est, extremus autem est non ante quartum, cur non licebit in tribus primis diebus pleniore victu vti? ratio enim esset instante quarto, cibum instituere, quem eo die morbus exigit, vt postea scribit, parum ante statum cibum subtrahendum, ante vero statum vberius cibandos esse ægrotos, quemadmodum etiam iubet in ipsa accessione, & pa- E rum ante illam à cibo esse abstinendum. At Hippocrates scribit, non solum in quarta die tenuissimè alendos esse, qui peracutissimis morbis laborant, sed statim ab initio: *quoniam*, inquit, *statim summos habet labores*, quos alii morbi non, nisi cum vigent, assequuntur. Cæterum per labores extremos & summos, Galenus intelligit vel accessiones, vel simpliciter omnia symptomata. Intelligere autem oportet morbum peracutum habere omnia symptomata summa, quæ quidem suapte natura habere potest: nam omnia sym- *Quid per labores extremos & summos intelligendum.*

Summum symptoma quod.

ptomata non sequuntur omnes morbos: est enim deprauata & abolita actio symptoma summum, quod tamen necessario non est in omni morbo peracuto: nec in solo paracuto morbo reperiuntur maxima symptomata, nam sensus & motus, resolutiones & stupores partium, symptomata sunt longorum potius, quàm acutorum morborum; nec verò intelligere possumus, omnia symptomata, quæ contingunt morbis acutis, esse labores extremos, quos dicit Hippocrates tenuissimum victum postulare, nam abolitæ, deprauatæ, infirmæq; actiones, quæ in morbis peracutis sæpe adsunt, & qualitates præter naturam mutatæ, non cogunt nos tenuissimè nutrire ægrotos: quare non omnia symptomata (vt Galenus vult) intelligere possumus per labores extremos; At nec accessiones labores extremos exprimunt, propterea quod communis quædam ratio esse debet omnibus peracutis morbis, non solum illis, qui per accessiones infestant. Quare magis placet interpretatio huius loci, quam habet Galenus *in octauo Methodi cap. tertio*, vbi labores intelligit omnia, quæ hominem offendunt vt vigilias, somnum præter naturam, sitim, dolores, motum, & denique symptomata, quæ causæ rationem habent, & morbos ipsos intendunt, actio enim abolita etsi magnum est symptoma, nō tamen homini molestiam & laborem adfert, id est, morbum dispositionesque morbosas non auger.

Καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρῆσθαι.

Et extremè tenuissimo victu vtendum est.

COlligit Hippocrates tenuissimo extremè victu vtendum esse in morbis peracutis, quoniam extremos illi habent labores: quod qua ratione fiat, nunc expendendum est: num scilicet suapte natura, vel alio modo illi id faciant: nam vt notum est, symptomata, vt symptomata sunt, nec impedire, nec moderari posse victum, vt nec curationem indicare, ita per se, vt causæ rationē habent, ad victum instituendum non conferunt; quis enim dicet, tenuissimo victu alendos esse, qui peracutissimo morbo laborant, eo, quod illi vigilia, & dolore vehementi fortè molestentur? quid enim hæc per se commune habent cum nutritione? non igitur quia hæc symptomata labores adferunt corpori, victus rationem mutamus: sed quia ex molestiis & laboribus quos pariunt, mutatur id quod agit, vel patitur in nutritione, agunt autem facultates naturales attractrix, retentrix, expultrix, & concoctrix: patitur ab illis alimentum, quod assumitur, & humores qui iam sunt geniti in corpore. Itaque si facultates per eos labores debilitantur, adeo vt alimentum externum concoquere nequeant, aut attrahere, vel retinere, vel excrementa propellere, à cibo abstinere, vel illum minuere cogimur. Sic profectò cogimur facere, si ob labores humores deteriores redduntur, aut plura fiunt excrementa: quia enim morbi tolli nequeunt, nisi prius illa fuerint concocta, & excreta, ideo cogimur victum moderari, vel penitus auferre, ne naturam occupemus in cibo elaborando, quam in morbosis causis vincendis versari oportet: ergo labores qui sunt in morbis, per se & suapte natura non impediunt solitam nutritionem, sed *quia natura actiones deteriores reddunt, & morbosas dispositiones augent, quas tanto facilius natura vincere solet, quanto minus in alimento conficiendo occupatur*: ita quidem puto esse sentiendum de hac re: nam quod Galenus scribit, in morbis peracutis, & in ipso eorū vigore, tenuissimo victu vtendum esse: propter inflammationes & febres, quæ inseparabiles sunt à morbis acutis; non probo: nam vt non rectè dicitur inseparabiles esse febres à morbis acutis, quod ostendunt apoplexia, tetanus, syncopales dispositiones: ita per febris inflammationes, nō omnes labores, qui fiunt in morbis acutis, comprehendit: nec ex his immediatam reddit rationem & causam, cur ob febres & inflammationes, quæ maiores sunt in morbis peracutis, & in vigore omnium febrium, tenuius sint alendi ægri: relinquitur enim adhuc quærendum, cur febres liberam nutritionem impediant, quare ita sentiendum, vt diximus.

Symptomata vt symptomata nec impedire, nec moderari victum, nec curationem indicare.

Cur in extremis laboribus tenuissimo victu vtendum.

Quomodo labores in morbis impediunt solitam nutritionem.

Febres non semper adsunt morbis acutis.

Cæterum extremè tenuissimum victum intelligit Galenus, qui fit per inediam, vel solū melicratum, vel paucum ptisanæ succum. At id meo iudicio, non rectè, plurimum enim refert, si inediam integram pro ptisanæ succo, & hunc pro melicrato imperes ægrotis. Quam ob rem definire oportet, quod antea fecimus, per id quod vires patiuntur, non per alimenta hæc, victus genera. Igitur si tenuis victus vires debilitat, tenuissimus in extremo victus erit, *qui extremè, quantum licet, naturam debilitari finit*, id quod alii cum alia materia experiuntur, qui enim naturalibus facultatibus pollent, facileque digerunt, si exiguo nutrimento alantur, ad extremam eam debilitatem peruenient, ad quam sine periculo perduci possunt. At si aliis contrario modo affectis eundem victum exhibeas, plus nutries, quàm oportet; cum enim ita sint affecti, vt etiam sine cibo perdurare possint, præstat eos in inedia continere, vt naturæ vniuersæ vis possit versari in morbosa dispositione conficienda: extremam ergo eam debilitatem ii ab inedia experiuntur, illi vero à cibo hoc vel illo, præferimus autem eam virtutis debilitatem robori, quod ex nutrimento paratur, quoniam natura facilius morbosas dispositiones vincit, si continuè pugnauerit aduersus morbosas dispositiones, quàm si pugna intermissa ad cibū conficiendum reuocetur. Quam ob rem, cum peracutus simpliciter morbus vehementissimus sit, grauissimeque & continuo naturam affligat, pariter continuam vehementemque naturæ repugnantis actionem esse oportet, & ob id quantum licet, à victu abstinemus: atque interim vires quidem debilitantur, sed morbosæ causæ ob continuam & vehementem pugnam vincuntur, quibus victis, postea vires sine periculo, & impedimento reficere possumus.

Victus genera per quæ definienda.

Victus in extremo tenuissimus quis.

Ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

Vbi vero non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.

Postea

Posteaquam docuit Hippocrates, quis victus A peracutis, qui extremi sunt morbi conueniat, quod scilicet sit qui extremè est tenuissimus: nūc ex eodem principio docet, quis victus aliis morbis competat: si enim extremè tenuissimus exquisitissimusque victus extremis morbis conuenit, ratio efficit, vt quantum alii morbi ab extremo morbo recedunt, tantum recedat illorum victus ab extremè tenuissimo, quoniam enim affectuum magnitudo per magis & minus differt, nec certa mensura definiri potest, summum aliquid erat ponendum in morbis, id quod facit: B proponit enim morbum *peracutissimum*, quem omnes Medici nouerunt, qualis quantusque sit. Ex quo facilè licebit intelligere, qui plus vel minus ab eo recedant alii morbi coniectura quadam, & accidentium collatione, quæ hominem molestant. Sunt & victus differentiæ perspectæ, & certis limitibus distinctæ, quænam scilicet sint extremæ, & quæ ab illis plus vel minus declinent: itaque posteaquam nouimus extremum victum extremis morbis competere, facilè intelligere licet, quisnam victus aliis morbis conueniat: nam si parum morbus ab extremo morbo recedit: sic victus parum ab extremè tenuissimo recedere debet; si maior est recessus in morbis, C maior etiam in victu esse debet. Rectè ergo scribit Hippocrates *vbi vero non* scilicet morbus est peracutus, sed mitior, *pleniorem victum licet adhibere.* Quanto vero pleniorem docet, tanto scilicet quanto morbus ipse ab extremo, id est, peracuto morbo recedit, i a quidem *extremis* interpretari oportet, non quemadmodum Galenus, qui scribit, morbum recedere ab extremis. id est, à statu: quæ explodenda planè est à nostris scholis interpretatio, quandoquidem Hippocrates morbos inter se comparat, & victus genera, quæ singulis morbis debentur, vt satis ostendunt Aphorismi verba, quæ non nisi maxima violentia ad statum morbi transponi possunt.

APHOR. VIII.

Ὁκόταν ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

A Morbo sumi contraindicationem ad genus victus instituendum, antea docuimus. Sumitur autem vel à quibusdam morbi generibus, vel à certa morbi differentia: ea enim morbi genera, quæ naturales functiones impediunt suo fungi munere, liberam nutritionem impediunt, vt antea ostendimus; ea quoque morbi differentia, in qua consideramus vnum morbum maiorem esse alio, victum minuit plus, vel minus. Porro morbi alii maiores aliis sunt suapte natura, vt peracuti, acutis, & hi aliis: At vniuersi morbi tempore maiores euadunt: morbus enim progrediendo vsque ad certum terminū maior, postea vero minor redditur: fiunt vero alio modo morbi maiores ob exacerbationes, quæ in illis contingunt: cum enim aduenit accessio, siue exacerbatio morbo, tunc ille maior fit. Igitur cum tribus modis magnitudo adueniat morbis, egit superiore Aphorismo de ea magnitudine, quæ ex natura morbi sumitur, & docuit, quantum illa possit victum impedire: nunc idem docere vult de morbi temporibus, quæ eo sanè modo victum moderantur, quo & morbi ipsi: vt enim inter morbos, maximus maximè impediebat victum, & minimus minimè: ita tempus morbi, siue pars morbi vehementissima, maximè turbat nutritionem: quæ verò mitior est, minus.

Tribus modis magnitudinem morbis aduenire.

B QVAM ob rem de morbi temporibus agendum est, vt ex notis procedat huius rei tractatio, & tanto quidem diligentius de ea re agendum est, quanto magis difficilis est, & confusè ab antiquioribus scripta. Sed quoniam hæc vno libro, quem scripsimus de temporibus morborum, accuratè sunt conscripta, solum capita breuiter attingamus. Primò igitur quid morbi tempus sit; Deinde quot sint illa in singulis morbis. Tertio loco quæ sit vniuscuiusque illorum natura & vis, & penes quid spectetur, trademus. Quarto, quibus signis cum illa præsentia sunt, cognoscere, & cum futura sunt prævidere possimus, explicabimus: Postremò, docebimus omnes rationes quibus contingit morbi tempora victum turbare.

C Est autem morbi tempus, *morbi pars siue ætas, siue causæ morbi motio*, vt Galenus author est *in libro de optima secta, & in eo*, quem scripsit *de morborum temporibus.* Morbus enim in suas partes diuiditur, quas cum successione quadam, vt tempus suas partes acquirit, ob id morbi tempora appellantur: ætates verò, quod quemadmodum viuentia ætatum cursu, sic morbi temporum vicissitudine immutentur: vel fortè etiam, quoniam sicut ætates, & vitæ partes successione animal, sic morbus partes suas assequatur. Dicuntur autem causæ morbi motiones, propterea quod motu diuerso causarum, morbus suas partes obtineat: nam cum causæ morborum agere incipiunt, principium eorum fit: cum vehementius illæ vim suam exercent, incrementum consti-D tuitur: status autem aduenit, cum eundem tenorem seruant: sequitur tandē declinatio, quando earumdē vis minuitur & frangitur. Igitur si morbi tempus, & pars idem sunt, constat tractationem, quæ nunc instituitur de contraindicatione victus sumpta à morbi temporibus, non alia ratione differre à superiore, nisi vt pars differt à toto: nam antea docuit, quid vniuersus morbus magnus aut paruus possit in victu moderando: nunc vero idem docet de partibus morbi, quantum scilicet vim singulæ partes morbi in eadem re obtineant.

Morbi tempus quid.

Cæterum morbi partes quædam vniuersales siue maximæ dicuntur, in quas vniuersus morbus E primùm diuiditur: aliæ particulares & minimæ, in quas maiores illæ diuiduntur. sunt autem morbi partes vniuersales quatuor. Prima dicitur principium: Secunda, incrementum, augmentum & ascensus: Tertia, vigor siue status: Quarta, declinatio, siue remissio.

Morbi tempora quot.

Minores vero partes, etiam suas habent his nominib. nuncupatas, & præter has alias habent quidam morbi: nam cum inæqualiter mouetur causa morbi, ad internas, inquam, primum, & postea ad externas partes, inter principium, & augmentum intercedit ea, quæ dicitur pars inæqualitatis: quinetiā in morbis, qui per interualla

Tempora particularia.

[illegible]aunt, nec continui sunt, post declarationem sequitur pars, quæ interuallum, quies, & intermissio nuncupatur.

Quæ vniuersi cuiusq; temporis natura.

Principium quid, & quæ eius significationes.

Cæterum principii morbi nomine intelligimus primum insultum morbi, & tempus trium, aut quatuor dierum, & totum illud tempus, in quo morbus gignitur, quod quidem tempus malè Galenus vocat tempus cruditatis: neque enim generalis hæc significatio est vniuersis morbis, nimirum cum omnes concoctiones & cruditates nō habeant: hæ quidem tres significationes principii à Galeno traduntur: duæ tamen aliæ mihi videntur addendæ, quæ in his non comprehenduntur; vna quæ portionem illius continet, in qua morbus procreatur, quo modo scribit Galenus 13. *Methodi*, parum esse, quod in principio inflammationis influit humoris, neque enim hæc significatio in tribus aliis continetur. Sumitur & principium pro eo tempore, in quo æger morbo grauatus decumbere incipit, à quo tempore dies decretorii inchoantur. Sunt omnes magni vsus hæ significationes principii in medicina nostra; vt *in eo libro*, quem *de morbi temporibus* scripsimus, abundè ostendimus. Dicitur autem iam principium, id omne quod habere morbus dicitur cum genitus est, est autem genitus, cum perfectam suam naturam, & speciem accepit, quod contingit, cum ad incrementum cessante generatione peruenit, in qua re quantum Galenus fallatur, alibi ostendimus.

Incrementū vel augmentum.

Crescere autem dicitur morbus, cum manifestè augetur: nam etsi gigni non potest absque aliquo incremento, tamen illud minimè consideratur, quod fit in generatione, sed cum iam euidentius augetur perfecta generatione: vt enim quamdiu animal in vtero est, illud solum gigni dicimus, etsi hoc non fiat sine incremento, tunc verò augeri dicimus, cum ab vtero est exclusum: ita de morbo sentiendum est.

Vigor siue status.

Vigere autem dicitur morbus, non cum eundem tenorem seruat, id enim etiam in principio ferè fit, si modo tunc non augeri dicimus, sed cum summum illud quod ab incremento est relictum, in eodem tenore perseuerat.

Declinatio.

Declinare autem dicitur & remitti, cum minuitur vigor.

Prædictorū temporum diuisio.

Cæterum, vnaquaque ex prædictis partibus in alias iisdem nominibus nuncupatas diuiditur: dicimus enim principii principium, incrementū, statum, & declinationem; & augmentum esse in principio, in augmento, statu & declinatione; idem de statu & declinatione dicitur: cogimur enim vsque ad minimum hæc diuidere, vt medendi ratio melius instituatur. Nunc sequitur vt doceamus quotnam partes vniuersales & particulares habeat quilibet morbus; in qua quidem re varius est Galenus: nam *in libro de optima secta* contendit, acutos morbos quosdam nullum habere incrementum, vt qui simul atque inuadunt, vigeant, & eos, qui per Crisim finiuntur, declinatione priuari, quemadmodum & illos, qui ab initio adhibitis remediis soluuntur, trib. succedentibus temporibus carere putat: *in libro* verò *de totius morbi temporibus*, statuit omnes morbos salutares habere quatuor tempora, in qua quidem re rectè sentit, cum morbos illos carere succedentibus temporibus arbitratur, quando in principio tolluntur; at non rectè sentit, cum indicat quosdam morbos ad vigorem peruenire absque incremento. At vero sine aliqua declinatione nullus morbus, qui per crisim factam in vigore soluitur, finiri potest, si modo dicitur morbus declinare, quando remittitur illius vigor. Nos vero aliter de his statuimus, proposita diuisione morborum in salutares, lethales, & alios, qui nec sanantur, nec vnquam occidunt: & rursus diuidendo salutares in eos, qui per crisim perfectam, vel imperfectam, vel alio modo ad salutem perueniunt; igitur qui per crisim perfectam soluitur, factam in crescente morbo, tria solum obtinebit tempora, principium, incrementum, & declinationem, nec pauciora quidem habere potest; quod si in vigore ea crisis fiat, quatuor necessariò habebit, principium, incrementum, statum & declinationem. Et si per crisim imperfectā morbus dissoluitur, contingit aliquando, morbū habere duo tempora, principium scilicet & declinationem: aliquando tria, principium, incremētum, & declinationem; aliquando quatuor, illis enim additur vigor, quando in eo crisis imperfecta accidit. Cæterum si morbus alio modo, quàm per crisim abigitur, siquidem paulatim id fiat & per concoctionem, quatuor partes percurret; si vero per euacuationem factam inchoante morbo sistitur, declinatio sequitur absque incremento & vigore; quod si in augmento fiat euacuatio, succedente statu, morbus priuatur.

Eadem quoque est in morbis organicis ratio: nam illi statim cum incipiunt, & in ipso incremento finiri possunt, antequam vigeant.

Nullum mori absque incremento morbi in principio.

Iam verò si lethalis morbus fuerit, nunquam aderit declinatio, & nunquam habebit pauciora tempora quàm duo: non enim videtur fieri posse, vt aliquis morbus perimat, nullo facto incremento: propterea fallitur Galenus, cum in principio morbi aliquos mori scribit: nam si ita est, falsum illud est quod scribit *in libro de temporibus morborum*, incrementum lethalium morborum cognosci tunc, cum lethalia signa apparent. At quomodo, quæso, mori aliquis potest in principio, si nulla adhuc habet lethalia indicia? Iam verò, si morbus ex eorum genere consistat, qui sanari nequeunt, nec tamen perimere possunt, cōtingit vnum, vel duo, vel tria, vel quatuor in morbo esse tempora; principium quidem solum, si morbus, posteaquam genitus est, nunquam augetur; duo verò si perpetuo crescit; tria autem, si posteaquam ad vigorem peruenit, nunquam remittitur; quatuor autem, si tandem declinat, nec tamen perfectè soluitur, vt in iis fieri dicitur, qui morbo gallico semel fuerunt correpti.

Cæterum in particularibus temporibus potest idem numerus esse in lethalibus morbis, qui est in salutaribus: non enim declinatione particulari, vt vniuersali priuantur necessario exitiales morbi; igitur si morbus continuus fuerit, & accessionem habuerit simplicem & æqualem, quatuor erunt tempora, principium, incremētum, status, & declinatio: at si inæqualis infestat accessio, additur tempus inæqualitatis. si vero morbi accessio confusa fuerit, vt ipsa, sic illius partes confunduntur: At si morbus nullam habeat accessionem, vt in synochis febribus contingit, nulla etiam habebit particularia tempora: iam verò, si morbus fuerit ex genere intermittentium, & æqualem habuerit accessionem, quinque in eo erunt

tunt accessionis partes, principium, inquam, in- A crementum, vigor, declinatio, & interuallum, siue quietis tempus: quod si inæqualis fuerit accessio, post principium, habetur tempus inæqualitatis: cur vero aliqui morbi principium habeant aliquando longius incremento, vel statu, vel declinatione, alii verò aliter habeant, *in libro nostro de morborum temporibus* ostendimus, id enim non est præsentis instituti docere. Quomodo vero cognosci possit non solum vigor, de quo agimus in hoc Aphorismo, sed etiam alia omnia tempora, cum adsunt, breuiter docere aggredior: nam qua ratione dignosci possint futura morbi tempora, sequenti Aphorismo commodius explicabimus. Scribit Galenus *in libro tertio de Crisibus*, & in eo, quem scripsit *de temporibus morborum*, non aliter morbi tempora dignosci posse, B quàm ex signis concoctionis & cruditatis: in qua te planè fallitur: Primo, quod communis non sit vniuersis morbis hæc cognoscendi ratio, pauci enim morbi sunt, in quibus excrementa gignuntur, quæ concoctiones cruditatesque possint ostendere: deinde non in morbis omnibus, in quibus materia aliqua concoquitur, licet ex eius cõctione & cruditate eorum partes distinguere: quod apparet in synochis febribus, quæ vel semper augescunt, vel decrescunt, & in morbo laterali, in quo summus adest morbi vigor, dum humor est crudus, non autem cum perficitur con- C coctio, vt Galenus putat: addo, quod in vlceribus respondit Galeni illa Methodus, non enim ex sanici concoctione & cruditate, sed ex ipsa diuisione, quæ incipit, vel augetur, vel viget, aut minuitur, illorum partes cognoscere, & inter se separare debemus: ac cum hæc viderent recentiores inter se plenè pugnare, quod vehementissimus sæpe sit morbus, dum cruda redduntur excrementa duplicem statum inuexerunt: quorum vnum statum, quo ad concoctionem, alterum quo ad accidentia nominant, idque præter omnem rationem: sic enim oporteret duas esse vigentes ætates, duo principia morbi, duo incrementa, duas declinationes, duas item æqualem D tenorem seruantes causæ morbi motiones. Quomodo præterea dici potest vigere morbus, cuius accidentia sunt remissa? id enim contingit, cum in pleuritide multa concocta, facileque expuuntur: quo tempore morbum vigere statuit Galenus, sui oblitus, cum *in primo de Crisibus & alibi* sæpe, morbi statum definiat nihil aliud esse, quàm, quo ad symptomata morbi summum; plura sequuntur hanc opinionem absurda, quæ alibi patefecimus, vbi etiam docuimus, tempora morborũ ex ipsorum essentia sumi, quæ cum incipit, augetur, viget, aut minuitur, tunc diuersas in morbo partes ostendit. Est & alia ratio, quæ E sumitur ab effectis sequentibus singulos morbos, qui vt incipiunt, vel augentur, aut vigent, vel minuuntur, tales in morbis partes & mutationes declarant: propterea in quibusdam morbis ex concoctione & cruditate licet morborum partes deprehendere: quoniam in illis læditur primum concoctio, quæ progrediente tempore præualet, & insignes mutationes facit in singulis morbi partibus, sed id in paucis admodum morbis fit, & ferè solum in illis, qui ex humore calido & concluso aliquo in loco contingunt. Tertius fons signorum quæ ad hanc cognitionem cõ-

Signa temporum præsentium & futurorum.

fert, continet causas, quæ morbum gignunt, aut lædunt, vel prosunt in ægrotis; cum enim causæ gignentes agere incipiunt, tunc morbus in principio esse cognoscitur: cum vero augent suas vires, aut eundem tenorem seruant, vel remittunt suam vim, tunc agnoscimus morbos, qui ex illis causis oriuntur, hanc vel illam partem obtinere: sic cum illa, quæ iuuare solum possunt in morbi aliqua parte, adhibentur, & prosunt, si tunc adhibeantur & tenuerint, merito credimus morbum in ea parte consistere. Quartus accedit fons ex similitudine: sed hæc, vt diximus, diligentius & clarius *in libro de temporibus morborum* prosecuti sumus. His ita declaratis, sequitur vt rationem reddamus eorum, quæ scribit Hippocrates in Aphorismo, & vt doctrina facilior euadat, ea quæ sunt explicanda, diuidemus. Primum enim rationem adferemus, quare in statu, tenuiore victu sit vtendum quàm in aliis temporibus: Secundo loco an in omnium morborum statu tenuissimo victu sit vtendum, vt Aphorismi verba ostendunt: Tertio an non liceat ob aliquam causam aliquando in principio tenuiorem victum instituere, quàm in vigore: Postremo expendemus Galeni locos, ex quibus intelligemus, an ille hanc viuendi rationem medendo obseruauerit. Igitur scribit Galenus in *Commentario huius & præcedentis Aphorismi*, tenuissimo esse opus victu vigentibus morbis, ob duas rationes: *quoniam*, inquit, *in statu morbi, Symptomata sunt maxima, & quia non oportet naturam distrahere à morbi concoctione, cui tunc fortiter vacat*: quid vero intelligat per symptomatum magnitudinem, explicat *in præcedenti Commentario*, vbi dicit, intelligi posse inflammationes, & febres. Verum, hæc opinio reprehensione non caret: Primo, quod non propter symptomata, vt symptomata sunt, victum immutemus, vt nec aliã curandi rationem: Deinde quod eadem sit ratio totius morbi, & illarum partium in victu moderando: nam vt inter morbos, qui peracutissimus erat, id est, maximus, victum tenuissimum postulabat, ita inter morbi partes, quæ vehemẽtissima est aliarum respectu, tenuissimum victum pariter desiderat: *ergo eadem ratione status morbi victum moderatur, qua diximus morbum peracutum tenuissimum victum exigere.* Ad hæc impropriè admodum scribit ob casuum magnitudinem, id est, ob febres & inflammationes talem victum requiri: nam inflammationes & febres; casus, & symptomata non sunt, sed morbi: quinetiam ardores, & febres non sunt communia symptomata in omni statu morborum, sed solum febrium vigentium: nec vero intelligere potest, omnia symptomata vim habere impediendi victum, nam actionum vitia, vt debilitates, deprauationes & abolitiones, insignia sunt Symptomata, sed nihil possunt in hac re obesse aut conferre. Aptius ergo dixisset, *ideo in statu morbi tenuissimo esse vtendum victu, quia tunc morbi, qui infestant, maximi sunt.* Postremò debebat docere, quare magnitudo symptomatum prohibeat nutritionem, siue per symptomata intelligat vera symptomata, vel etiã morbos. Alia vero ratio quæ sumitur à morbi cõctione, etiam refellenda est: Primum, quod in omni morbi statu concoctiones maximæ non fiant, vt in frigidis, & humidis, in siccis, in

Rationes, quib. contingit morbi tempora victum turbare.

Quare in statu morborũ tenuiore victu sit vtendum.

Galeni opinio reprehenditur.

morbis instrumentariarum partium, & denique in nullis alius morbis prærerquam in febribus putridis, & inflammationibus, & in his quidem febribus vigentibus contingit esse opus tenuissimo victu ob aliam rationem, quàm ob concoctionem, veluti, cum crisis fit iam, aut instat, tunc enim natura concoctionem iam absoluit, alioqui expulsionem non aggrederetur. Aliam vero adfert rationem *in libro de optima secta cap.* 39. vbi scribit, Hippocratem ideo non scribere tenuissimo esse opus victu, cum morbus est in vigore, quod crederet à tempore morbi sumi aliquam indicationem, sed quia à tempore facultatem est mensus, à facultatis verò mensura victum instituit. Quæ opinio etiam absurda est, non enim propterea parcius nutrimus in statu, quod eo tempore virtus debilitata sit, vt plus nequeat cōcoquere, id enim longioribus morbis non respondet, nec etiam in acutis vires in omnibus vno modo afficiuntur, vt vna viuendi ratione sit opus ob illarum affectum. Quare Hippocrates non vires, quæ euariant propter diuersitatem corporum, spectauit, cum vnum & stabile præceptum tradidit de statu morborum, sed morbi eam partem, quæ in omnibus morbis respectu aliarum partium semper vehementissima est: non ergo prædictæ rationes ostendunt esse in statu morborum tenuissimo victu vtendum, sed illæ, quas in superiore Aphorismo ostendimus, in extremo morbo eódem victu alendos esse ægros, quia enim vigentibus morbis vel vitiantur ea, quæ nutrimentum conficere debent, naturalis, inquam, calor & virtutis robur, adeo vt solitum nutrimentum & vt in aliis temporibus conficere nequeunt: vel quod causæ morborum naturæ actiones occupant, ita vt illæ reuocari non possint ad ciborum elaborationem, ideo victum moderamur & parcissimè alimus, vbi enim vigilia & dolor, delirium, motus, aut calor febrilis, naturales actiones debilitarunt, & calorem acriorem, & ob id ineptū ad optimam concoctionem reddiderunt, in omni corporis statu vel à cibo abstinemus, vel tenuissimo victu vtimur: tanto ergo magis id vigente morbo faciendum est, quanto maiora hæc mala solent esse in eo tempore. Cæterum morbosa dispositio & causa, quæ naturæ actiones occupat, non solum eget concoctione, & ob solam concoctionem (vt Galenus putat,) victum exigit huiusmodi, sed ob retentionem aliquando, vel ob separationem, vel ob expulsionem: sic enim cum Crisis instat, aut fit, continemus ægrum in inedia, quoniam natura in separatione & expulsione malorum humorum tota versatur: nec tutum est illam vel minimum destrahere ab eo opere, vt cibum conficiat. Eodem modo vbi dolorifica viget dispositio: aut fluxiones, victum auferimus, vt natura auidius retineat humores qui confluunt: in Apoplexia, vt pituitosum humorem externo nutrimento priuata natura facilius conficiat, inediam imperamus: in febribus autem idem facimus, vt concoctionem, quam perficit, absoluere possit. Peculiares ergo causæ multæ & variæ sunt, & peculiares in singulis ferè morbis, vnica autem vniuersalis, quæ sumitur ex dispositionibus & causis morborum, quæ cum in statu maximæ esse soleant, naturæ actiones ad se reuocant, nec permittunt in cibo conficiendo versari.

An in omnium morborum statu tenuissimo victu sit vtendum.

Quod vero in omni statu non sit vtendum tenuissimo victu, certissimum esse puto: nam cum aliqui morbi in suo vigore maiorem non habeant magnitudinem, quam habeant longi leuesque morbi, nulla ratio cogit, vt tenuissimo victu vtamur in omni statu morbi, quoniam in omnibus morbis idem non facimus: quis enim in quartanæ febris statu tenuissimum victum imperabit? quippe cum sæpe duret huiusmodi vigor per plures menses: At nec in omnium morborum statu victum minuimus potius, quàm in aliis temporibus, vt in figuræ, magnitudinis, & aliis morbis, qui instrumentarias partes afficere solent, paucis illis exceptis, in quibus materia aliqua est, quæ naturæ cultum requirit. Igitur quod scribit, tenuissimo victu vtendum esse in statu morbi, intelligendum est in morbis, qui habent vim contraindicandi victum, & in morbis peracutis: in illorum enim statu huiusmodi victus conuenit: intelligere etiam possumus in morbis qui habent vim contraindicandi, tenuissimo victu esse vtendum, non simpliciter tenuissimo, sed comparatione ad alia morbi tempora.

In quorum morborū statu tali victu sit vtendū.

Aliquando in principio tenuius esse alendum, quàm in vigori.

Quod vero liceat aliquando tenuius alere in principio, quàm in statu morbi, iam docere aggredior. Nam si causa morbi in principio plus vigeat quàm in statu, quis negabit, parcius nutriendum esse eo tempore, quo causa præualet? demus (si placet) aliquem febre quartana corripi cum magna repletione totius corporis & copia pituitæ replente stomachum, & primas venas corporis, postulat profectò huiusmodi dispositio ab initio consumptionem tantæ materiæ, & propterea parcissimum cibum, quem victum quartana febris, cum viget, non postulat, quoniam in concoctione humoris natura eo tempore non ita occupatur, vt in principio in eadem vacuando & consumendo: non enim solum victum tenuem exigimus ad concoctionem, sed etiam ad euacuationem corporis: nam vt in tenui victu natura facilius concoquit, quàm in pleniore, sic multo promptius vacuat lædentes humores. Quare cum morborum causæ nunc euacuatione, nunc concoctione magis egeant, euacuatio autē in principio magis requiratur, quàm in vigore concoctio, constat profectò tenuiore quoque victu eo tempore vtendum esse, quàm in statu, si magis vrget in principio euacuandi necessitas, quàm concoctio in statu: vnde optimè dixit Hippocrates *quando morbus:* nam morbus in statu semper vehementior est, quàm in alio quocunque tempore & ob id rectè dicit, in statu morbi tenuius esse alendum, quàm in alia morbi parte: causæ vero ipsæ morborum aliter faciendum esse postulant; nam & ipse Galenus postea *Aphorismo decimo septimo & decimo octauo* spectat, an morbus fiat ex pauco, vel multo humore, vel crasso vel tenui, vel ex corrupto, vel integro, & ob hanc differentiam statuit tenuiore vel pleniore victu esse opus. Quod si ex symptomatum magnitudine, vt Galenus facit, nutritionem metiri oportet, & in hoc quoque respondet hæc nutriendi ratio, quoniam quædam symptomata causas sequuntur, quæ in principio magis infestant, quàm in alio morbi tempore, vt Syncope, quæ nascitur ex repletione, non solum in principio accessionum, sed etiam ipsius morbi, magis vrget, quam in statu. Non igitur

Non igitur solum morbos, sed & causas & symptomata illorum considerare oportet in recta nutritione instituenda; & si id, quod in principio, vel augmento morbi vrget, præualet ei quod in statu viget, sequi debemus, quod maiorem vim habeat: ex quo etiam colligitur, in accessione morborum licere sanguinem mittere, purgare, & cibare, prout causæ morborum, & ipsi morbi, & symptomata vrgent: nam si maius periculum oritur ex repletione, quàm ex motu qui fit in accessione, quis verebitur corpus euacuare? id quod in Hemicrania vehementi, vel Apoplexia, nemo negabit esse faciendum, quando etiam repetenti per accessiones dolore colico, in ipsa accessione non veremur acres clysteres iniicere, medicamenta purgantia exhibere, & sanguinem quoque mittere. Quam ob rem rectè scribit Galenus *in fine libri octaui Methodi*, non alia ratione fieri, vt quidam Medici aliis præstent nisi quod quidam sunt aliis prudentiores: illi enim omnia rectè distinguere, & singulorum vim perpendere, & quid singulis conueniat diiudicare melius possint. Quod vero Galenus hanc Hippocratis sententiam in nutriendis suis ægrotis perpetuo non obseruauerit, breuiter doceo: de ea enim re est locus *in libro 9. Methodi capite quarto*, vbi agit de victu laborantis Synocha febre putrida, vbi scribit, eodem modo se cibasse ægrotantem cum febris vigeret, & manifestè declinaret.

Aphor. IX.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare donec morbus consistat, & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat atque hebetescat.

SCOPVM huius Aphorismi non videtur mihi assecutus Galenus, cum ait Hippocratem hic sumere indicationem à viribus ad victum instituendum, neque enim docet, quem victum exigant vires, id quod postea facit, cum scribit pueros plurimo egere alimento: senes autem pauco: & Hyeme atque Vere vberius, parcius vero Æstate esse nutriendum; Ac non minus quidem morbum, quàm vires considerandum esse admonet, cum ait, spectandum esse, an hic prius deficiat atque hebetescat. Scribit præterea *in tertio libro de Crisibus capite quinto*, vbi hunc Aphorismum repetit, tria esse consideranda, vt Aphorismi sententia intelligatur, nempe, vires morbi magnitudinem, & futurum morbi statum. Quam ob rem, si non dicimus, eum hic explicare indicationem, quæ à morbi magnitudine vel futuro statu sumitur, nec profectò dicere debemus, eum velle hic explicare indicationem, quam vires præbent, cum verò docemur victum quem vires indicant, spectamus proprium illarum robur & imbecillitatem, non statum aut magnitudinem morbi: ridiculum enim est credere, authorem prosequi indicationem à viribus acceptam, eo, quod in Aphorismo mentionem faciat de eo, quod ferre potest æger vsque ad vigorem morbi: nemo enim ex hoc intelliget, quo victu sit vtendum, ob eas rationes & differentias, quas vires habent in victu indicando: nam qui rectè victum instituere vult virium ratione, debet considerare, quem victum postulent vires debiles, aut validæ suapte natura, vel ob ætatem vel anni tempora, vel consuetudinem, aut ob aliam causam, quod postea diligenter facit Hippocrates; Hic verò, ne verbo quidem, aut si id facit hoc loco, temere de hac re postea ageret. Explicat autem (meo iudicio) Hippocrates rationem, qua docet, quo victu ante statum morbi sit vtendum: nam cum docuit, quis victus competat vigente morbo, ratio vtique exigebat, vt idem doceret in aliis temporibus morbi, id quod planè facit eadem docendi Methodo, qua vsus est, cum victum institueret in ipsis morbis integris. proponebat enim extremum quendam morbum, cui dicebat conuenire extremum victum, quo quidem posito, postea docuit, quisnam victus conueniat aliis morbis, nempe quod tantum sit remittendum de extremo victu, quantum morbus extremo est mitior: sic nunc, cum proposuisset extremam, siue summam partem morbi, nempe vigorem, & in eo conuenire tenuissimum, & extremum victum, docere nunc vult, quo victu sit vtendum in prioribus temporibus: debet porrò talis institui victus, qui vires validas vsque ad statum seruet, ita v. cum ad eum peruenerint, sic validæ sentiantur, vt non cogamur in statu copiosius nutrire, sed liceat etiam victum minuere, & interim, cum ad statum accedimus, plenius, quàm oportet, nutriendi non sunt ægri: vt enim non oportet ante statum parcius, ita nec plus, quàm ratio postulat, alere debemus, grauior enim morbus sic redditur, quare ratio aliqua inuenienda est, qua commodè ægros ante statum nutriamus; at quoniam certa scientia id assequi non possumus, coniecturam faciendam esse admonet author: à quibus autem coniectura sumatur, vtcumque indicat, cum vires, & morbi cursum spectandum esse admonet. Verum Galenus *in tertio libro de Crisibus cap quinto* apertius exprimit ea, à quibus coniectura sumenda sit, nempe ex ægri viribus, morbi magnitudine, & futuro morbi statu: *nam quemadmodum*, inquit, *si quis onus alicui imponat, velitque scire, an illud gestare possit ad constitutum quendam terminum, necesse est prius illum considerare ponderis magnitudinem via spacium, & vires gestantis: ita oportere Medicum, qui velit instituere victum conuenientem ante statum morbi, vires ægroti, morbi magnitudinem, & status distantiam considerare; aliter enim, cibandi, qui debiles sunt: aliter validi, aliter, qui propinquum habent statum morbi, aliter qui longius distantem, aliter qui leuiore morbo laborant, quam qui grauiore infestantur.* Verum morbi nomine intelligere etiam oportet morbi causas: nam qui pleno, & denso sunt corpore, vel cruditate laborant, facilius ferre possunt pauciorem victum, quàm alii, qui sunt exhausti, vel rariore habitu prædi-

Sect. 1. aph. 14.
Sect. 1. aph. 15.

Ex quibus coniectura sit sumenda.

ti, vel acrioribus humoribus referti, aut si hæc à morbo separare velimus, quatuor dicemus esse, à quibus possit conjectura sumi, ne plus aut minus nutriamus ante morbi statum, scilicet, morbi magnitudinem, morbi causas, vires ægroti, & vigoris distantiam. Porro, morbum magnum intelligere oportet in propria significatione, pro vehementi, qui scilicet multum, & confertim naturam distrahit à suo naturali statu, talem enim morbum natura facile non fert, nec diu sustinere potest, quod in minoribus facit. Scribit autem Galenus *in libris de temporibus morborum*, hos magnos morbos dignosci ex vrinis oleaceis, sputis perniciosis, & denique signis aliis lethalibus, id quod ab eo non recte dictum puto: nam hæc indicia sunt non magis morbi magni suapte natura, quàm magni ratione virium, aut maligni, nec omnes, qui magni suapte natura sunt, tales habent vrinas, aut ex sputis dignoscuntur. Nos autem ostendimus *in secundo libro de Signis*: morbos magnos agnosci, eo quod in sua essentia sint magni, & quia à magnis causis sunt excitati, quique in parte consistunt, vbi huiusmodi morbi gigni possunt, vel ex materia apta sunt procreati, vel qui non nisi à magnis remediis vincuntur, & ab omnibus rebus noxiis læduntur, quiq; simillimi sunt iis, quos magnos antea diximus esse: magna enim vulnera, magnæque febres, & alii morbi, qui accessiones habent longas, inordinatas, anticipantes, aut in eodem statu permanentes, & qui præterea sunt continui, magni esse ex sua essentia cognoscuntur.

Magnorum morborum signa.

Causæ, quæ magnam vim obtinent, veluti quæ vulnerant, calefaciunt, refrigerant, contundunt, rumpunt, frangunt, suaptè natura morbos magnos inferunt, & tales esse declarant, in neruis & in partibus, quæ principatum obtinent, aut publicum munus in corpore exercent, magnæ oriuntur dispositiones, & ortæ indicantur loci ratione, in quo consistunt. Quinetiam sanguis, vtraque bilis, acris materia, vel copiosa, morbos magnos inferre solent, & ostendunt tales esse pariter, quales sunt causæ, à quib. morbi oriuntur.

Difficilè præterea feruntur morbi magni: quo indicio febres non diarias, sed putridas esse agnoscimus; sequuntur dolores magni, immoderata sitis, vigilia, sopor, inquietudo, excrementorum retentio, aut immodica excretio, aut eorum in colore, consistentia, odore, & in aliis denique qualitatibus mutatio, magnos morbos, & eorum sunt indicia: quod etiam faciunt qualitates corporis, quæ plurimum recedunt à naturali statu: nec vero alienum est, eos magnos existimare, qui aliis magnis sunt simillimi: sic ergo morbi magnitudinem dignoscemus. Spacium autem, quod à principio morbi ad statum vsque intercedit quonam modo dignosci possit *duodecimo Aphorismo* explicabimus, illic enim an breuis vel longus futurus sit morbus, considerandum erit; longus autem esse solet morbus qui tardè ad suum statum accedit: breuis verò, qui ad eundem properat: quare ad eum locum hæc tractatio differetur. Virium autem imbecillitatem & robur tum ex actionibus nostri corporis, tum ex accidentibus, partim etiam ex excrementis & qualitatibus corporis, & aliis operibus, quæ in eo fiunt, percipiemus, præbent etiam in hac re sua signa, causæ imbecillitatis & fortitudinis: robustos enim eos iudicamus, qui actiones edunt validas, & excrementa continent, & expellunt, retinentque pro ratione, aut aliam materiam pariter elaborant, quique bono colore & aliis qualitatibus optimis sunt præditi, quique temperiem & structuram habent ad robur comparatam, crassam, solidam, bene conformatam, compactam: necnon, qui ex robustis parentibus, & fauentibus astris sunt orti, & bene educati, nec in laboribus, aut studiis consumpti, vel morbis multis & magnis afflicti, hi omnes cum ægrotant, solent esse robusti & validi. Vires verò habent infirmas, qui contrario modo sunt affecti. At vero illud explicandum est, quomodo robustas vires intelligere oporteat, cum dicimus vires debere esse robustas, vt perdurare possint vsque ad statum: deinde, in quibus robur requiramus.

Signa morbi longi & breuis.

Signa imbecillitatis & roboris virium.

Quomodo robustas vires oporteat intelligere.

Scribit itaque Galenus *in Trasibulo*: *id quod in sanitate est habitus, in actionibus esse robur*, vt enim habitus sanitatis perfectam sanitatem, ita robur perfectam & validam actionem significat: quomodo hic robustas vires non intelligimus: neque enim ægri validas simpliciter actiones habere possunt, sed *comparatas ad morbum* validas vocamus, quod scilicet ad eum ferendum & vincendum sufficiens habeant robur. Porro, cum actiones à facultatibus proueniunt, tanquam à sua essentia, si actiones validas seruare voluerimus, necesse est, vt facultates tueamur, quæ quidem genere triplices à Medicis ponuntur, Animalis, Vitalis, & Naturalis. An vero in omnibus ex æquo par robur requiramus, ex actionibus intelligemus: si enim omnium facultatum actiones continuas, & validas oporteret esse, & illarum profectò facultates robustas omnes seruare oporteret: At quoniam aliæ sunt actiones, quibus per morbos aut non egemus, aut minimum, vel per interualla: alias verò quasi in perpetuo opere versari necesse est, ideo diuersa prouidentia in robore seruando vtendum est: etenim, visu, auditu, motu ad morbos tollendos raro egemus; concoctione nutrimenti, & expulsione excrementorum non nisi per interualla, quemadmodum nec concoctione humorum, nisi in quibusdam morbis; continuum autem requiritur opus pulsationis arteriarum, & natiui caloris, nec aliquis est morbus, qui illorum ope aliquo modo non egeat, si modo sine his vita constare, & sine vita aut cum illa periclitantur, nulla curatio rectè sine iis constitui potest; quare in primis Vitalis facultas, à qua ista pendent, maximè fouenda & conseruanda est; Naturalem post Vitalem facultatis cura adhibenda est, quoniam maior illius vsus, quàm Animalis ad morbos tollendos: huius enim, inquit Galenus, satis est, si tantum seruemus, quantum ad respirationis munus est necessarium: Naturales autem actiones etsi perpetuam necessitatem non habeant, tamen tum ad attrahendum, retinendum, concoquendumque alimentum, noxios humores, atq; etiam ad expellendum excrementa maximè exigimus: & pauci sunt morbi, qui absq. istarum facultatum officio tolli & amoueri possint: igitur (absolutè loquẽdo) *præcipuè est seruanda Vitalis; deinde Naturalis: postmodum animalis facultas, & earundem actiones*:

In quibus morbis robur & quale requiratur.

sin ob-

A fic ob particulares affectus varianda est hæc diligentia: nam cum morbus eius generis est, qui Naturalium facultatum opus maximè desiderat, potissimum studere debemus robori illarum facultatum, eoque spectat Galeni sententia, quæ habetur *vndecimo Methodi*, vbi scribit, in curandis febribus putridis nos maximè solicitos esse debere de Naturalibus facultatibus; quarum officium est, putredines sistere per concoctionem, & expulsionem; Sic vbi pars aliqua debilior est, illam potissimum roborare debemus, B quoniam nec morbos præsentes sanare, nec futuros præcauere valemus, nisi robur parti adiiciatur: per sanitatem igitur in homine libere viuente, omnibus facultatibus ex æquo consulendum, quoniam vita ex mutua illarum societate pendet: in sanis vero, qui alicui officio obeundo sunt astricti, ei facultati maximè attendendum est, qua illi potissimum egent, vt in literarum studiosis, qui cogitationi, ratiocinationi, & memoriæ maximè incumbunt, danda opera est, vt hæ facultates validæ, & vegetæ persistant: per morbos autem Vitali præcipuè prospiciendum, Naturali deinde, postea Animali facultati; aliquando verò Naturali, vel Animali, aut etiam alicuius C ignobilis partis robori magis studendum est, scilicet, vbi vel actionem illius facultatis exigimus, tanquam maximè necessariam ad morbos tollendos, vel pars laborat, quæ robore & auxilio eget, reliquæ verò valent, & sine opera nostra validæ persistere possunt. At si facultatum hanc curam nos habere oportet, eadem profectò ratione necesse est, vt fontes illarum tueamur, à quibus emanant. Igitur Cor in primis, Hepar deinde, tertio loco Cerebrum, & nunc magis vnum, quàm aliud ex illis roborare oportet: sic ex reliquo corpore eam partem tuebimur, cuius facultatem & actionem maximè requirimus: seruabimus autem, si temperiem, structuram & instrumentum commune, spiritum, scilicet quo fa- D cultates vtuntur, tuebimur; temperies ex solis qualitatibus optimè temperatis pro cuiusque natura conseruatur: structura vero valida persistit; quando illa, quæ conformationem, magnitudinem, numerum, compositionem, & vnionem mutandi vim habent, moderatè adhibentur, porro, robur singularum facultatum ex actionibus deprehendemus: actiones enim simpliciter validas iudicabimus ex propriis signis, vt Vitalem, siue pulsatilem validam, ex vehementi pulsu censemus esse; eodem modo Naturalem produnt robustam, bona nutritio, & corporis incrementum: hæc enim fieri probè nequeunt, nisi rectè quoque valentibus attractione, retentione, concoctione, & expulsione: At roboris Animalis E facultatis testimonia sunt vegeti & validi motus, acutæ sensationes, & perfectæ cogitationes: non simpliciter autem validas actiones, & facultates, sed quæ sufficiant ad morbum sustinendum vsque ad statum, & vincendum intelligemus esse, collatione facta inter ipsas vires, & morbi naturam, causas, & spatium temporis, in quo certamen fieri debet: sic enim pulsum, qui languidior simpliciter, satis validum iudicamus leuissimi breuissimique morbi respectu: coniectari igitur dixit Hippocrates quæ sequuntur, quoniam certa scientia de illis haberi nequit: nam cum dixerimus in hac re necessario consideranda esse morbi magnitudinem, virium robur, & futuri status distantiam, non licet certa ratione ea consequi, siquidem rerum quantitas, quæ mensura & pondere non expenditur, exactè percipi non potest, sed sola coniectura, quemadmodum rectè admonet Galenus *in principio primi libri ad Glauconem*.

Robur singulorum facultatum quomodo cognoscatur.

Quomodo cognoscamus, an robur vsque ad statu morbi sit duraturum.

Εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ.

An eger cum victu sufficiat perdurare.

CVm victu scilicet iam instituto ægrotanti; cum enim Medicus ad ægrotum accedit, victum quendam instituit, in quo perseuerat, vel mutationem facit, paulo postea collatis inter se viribus ægroti, morbi magnitudine, & status distantia: debet enim quamprimum singulorum ex his naturam perpendere, & inter se conferre; & ex ea collatione talem viuendi rationem instituere, vt cum ad statum peruenerit, victum non augere, sed minuere possit.

Πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου.

Donec morbus consistat.

NOn quod solum velit ægrũ perdurare cum victu instituto vsque ad status principium, & postea liceat victum augere, sed quod ita validus sit, vt cum ad principium status peruenerit, nouam victus rationem longè tenuiorem ea, quæ à principio instituta fuerat, sustinere possit, donec morbus minuatur: nam si crisis in status principio non fiat, sed in media, aut extrema parte, intercedet fortasse inter principium status & finem spacium duorum aut trium dierum, quippe cum scribat Galenus *in libro tertio de Crisibus*, ad duas aut tres ad summũ accessiones extendi statum morborum acutorum: quare non solum oportet ægrum perdurare posse vsque ad principium status, sed etiam per totum statum: verbũ ergo *donec consistat*, intelligendum est, *donec morbus vigorem præterierit*, tunc enim iam præsente declinatione, victum augere licet.

Ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει καὶ ἀμβλυνεῖται.

Vel morbus ante deficiat atque hebetescat.

INtelligere autem possumus deficere morbum atque hebetescere ante statum, siquidem solutiones in principio morbi per remedia, & in augmento per Crises, & per remedia etiam fiant integræ, vel saltem quæ morbum minuant, vel alio modo morbum antea deficere & hebetescere intelligere possumus, scilicet, antequam vires deficiant; quæ interpretatio videtur etiam superiori præferenda: vt enim in priore parte Aphorismi defectum virium spectando, status distantiam considerabat, ita nunc defectum morbi intelligere debemus priusquam vires deficiant.

Aphor. X.

Ὁκόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾷν. ὁκόσοισι δὲ ἡ ἀκμὴ ἐς ὕστερον, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον. ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Quibus igitur statim consistit morbus, statim nos tenuiter cibare oportet. Quibus verò status postea futurus est, iis & in ipso & paulo ante statum est subtrahendum. Antea vero uberior cibus exhibendus, vt æger durare possit.

HVNC Aphorismum à septimo eo differre scribit Galenus, quod in illo solum de statu peracuti, hic verò de statu omnium morborum agat: quod quidem verum esse non puto, in eo enim non solum de peracutis agit, sed etiam de omnibus aliis, vt ex secunda parte Aphorismi patet, in qua omnes morbos comprehendit, qui mitiores minoresque sunt peracutis. Præterea cum soli morbi peracuti statim consistant, ac tenuis victus statim illis conueniat, non magis vniuersalis ille, quàm hic est Aphorismus; qui enim peracutus est, statim consistit, & qui statim consistit, & tenuissimo victu eget, peracutus est. Alienum etiam est ab authoris instituto, de eadem re bis agere, & præcepta tradere, quæ solum differant vniuersali & particulari tractatione, cum sufficiat vniuersale præceptum tradidisse, sub quo particularia eiusdem generis contineantur. Postremo, verbum *igitur* cohærentiam hic ostendit cum proximo Aphorismo, & propterea potius de viribus ageret ex Galeni opinione, quam de statu morbi. Itaque Hippocrates in hoc Aphorismo nihil aliud facit, quàm quod concludit, quis victus in cuiusque morbi temporibus vsque ad statum conueniat: nam cum in superiori Aphorismo docuisset generatim, quis victus conueniat morbi temporibus vsque ad statum, quod scilicet ille sit, qui vires conseruat, donec morbus in statu planè finiatur, vel statim minuatur, ratio vtique exigebat, vt peculiarem quandam rationem in singulis morbis doceret: vt autem generalis victus institutio priorum temporum à generali consideratione statu morbi & eiusdem magnitudine, & virium robore sumebatur, quod, inquam, talis instituendus esset in omnibus morbis, vt vsque ad statum vires perdurare possent, ita hoc loco ex particulari consideratione ipsius status, particulares differentias victus in singulis morbis docet inuenire; cum enim morbi quidam breuissimo tempore ad statum suum perueniant, alii longiore, rationi est consonum, vt qui ad statum cito perueniunt, non adeo debilitentur ab eodem victu, vt ii, qui tardius eò accedunt; vnde meritò fit, vt in morbis qui statum primis diebus consequuntur, statim ab initio tenuissimum victum iniungamus: cum enim morbus ex sua natura cibum exhiberi prohibeat, optimumque esset ægrotum in perpetua inedia continere, si vires ferre possent, morbi breuitas admonet, hominem perdurare posse vsque ad solutionem morbi absque virium notabili noxa. Quam ob rem, etsi morbus in

A principio sit, cum tamen propinquissimus est status, non solum tenui, sed etiam tenuissimo victu vtendum scribit Hippocrates: in quibus verò morbis status longiore tempore aduenit: quoniam vires absque nutrimento pertransire nequeunt, etiam morbus cibum exhiberi non permittat, tamen vt vires sufficere possint vsque ad statum, & morbi solutionem, nutriendi ita sunt ægri, vt cum ad statum peruenerint, eam extenuationem victus, quæ status ratione iniungitur, ferre possint. Quare optimè dixit Hippocrates, eos ante statum copiosius nutriendos esse, in statu verò & parum ante statum cibum subtrahendum: in statu quidem ob rationes superius dictas: parum ante statum, ne superue-

B niens status, naturam inueniat occupatam in cibo conficiendo: vel quod finis augmenti idem, aut simillimus sit principio status.

Quod autem scribit Hippocrates, parum ante cibum subtrahendum, si omnino subtrahendum, & nihil dandum intelligamus, absurdum est: non enim quemadmodum in morbis, qui primis quatuor diebus statum recipiunt, in ipso statu cibum auferre omnino possumus: ita in statu longiorum morborum idem facere licet. Cum enim plures dies duret, & aliquando menses, sine cibo status præteriri nequit: quam ob

C rem, sequenda est dictio Hippocratis dicentis, καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον, quod ita interpretor, *& ante illum*, statum, scilicet, *parum auferendum* de victu scilicet instituto, ita vt verbum *parum* in medio loco positum intelligatur *parum ante statum*, & parum auferendum, quod indicat sequens dictio *copiosius nutriendum*, quasi non velit in statu illorum morborum cibum omnino adimi, sed parcius exhiberi, copiosius autem in prioribus temporibus. At cum Hippocrates distinctionem nullam ponat inter duorum priorum temporum victum, ait enim, in statu cibum diminuendum, antea verò copiosius nutriendum, videndum est, an eodem victu vtendum sit in principio & incremento morbi, Galenus *in*

D *libro 2. de victu acutorum textu quadragesimoquarto*, eodem victu in principio & augmento vtendum esse censet: quatuor enim corporis constitutiones, & quatuor victus differentias singulis constitutionibus accommodat: Primam statuit esse, quæ sanitas est: Secundam à morbi initio vsq; ad statũ extendit: Tertiam quæ ad perfectam morbi solutionem porrigitur: Quartam quæ totius conualescentiæ tempus vsque ad sanitatis habitum occupat; non esseque permutandum victum, dixit, nisi constitutio permutetur: quam ob rem, dum vna constitutio à morbi principio vsque ad statum pertineat, cogitur

E vnam viuendi rationem in principio & augmento morbi instituere, quod mihi non placet. Vt enim augmentum vehementior pars morbi est, quàm sit principium, ita tenuiorem victum exhiberi cogit, & cum quatuor sint diuersa morborum tempora, propterea diuersa & propria singulis temporibus viuendi ratione & non eadem vtemur. Docuit ergo hactenus Hippocrates, quis victus sit instituendus pro natura morbi status, principii & incrementi: declinationis autem victum prætermisit, cum facilè sit vnicuiq; declinante morbo, & ad salutem properante, ægroto victum instituere. Vt enim à principio

An eodem victu in principio & incremento sit vtendum.

Victus in declinatione [illegible] quis.

cipio morbi vſque ad vigoris finem victus diminutus fuit, qui per ſanitatem conſuetus erat, ita à fine vigoris vſque ad perfectæ ſanitatis initium, victus augendus, minus in declinatione, in conualeſcentiæ autem tempore magis; cum vero ad priſtinam ſanitatem redierit æger, ad conſuetum etiam victum ducendus erit.

APHOR. IX.

Ἐν δὲ τῇσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή. τὸ προστιθέναι γὰρ βλάβη seu *βλάπτει. καὶ ὁκόσοι κατὰ περιόδους παροξύνονται, ἐν τῇσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.*

B *In acceßionibus ſubtrahere cibum oportet, nam exhibere noxium eſt. Et qui morbi per circuitus acceßiones habent, in ipſis acceßionibus ſubtrahere oportet.*

PVtat Philoteus Hippocratem de tempore nutritionis agere; cum enim, inquit, antea docuiſſet, quando ſit nutriendũ, nunc docet, quando non ſit nutriendum. Verum nec antea docuit Hippocrates, quando ſit nutriendum, nec ſi illud docuiſſet, opus fuiſſet docere, quando nutriendum non ſit: eſt enim oppoſitorum eadem ratio. Galenus autem ait, Hippocratem docere velle, quomodo cibus particulatim ſit exhibendus, procedente autem oratione, cum modum eum explicat, tempus docet cibationis. Docere enim modum, eſt explicare, an paulatim, vel affatim nutrimenti conſtitutam quantitatem exhibere debeamus, vt *Aphoriſmo 17. huius* ipſemet docet. Id autem non conſiderat hoc loco, ſed abſtinendum eo tempore à cibo, cum acceſſiones adſunt, quod docere, eſt tempus notare ineptum ad nutritionem: quod ſi modum hic doceret, quid quæſo 17. *Aphoriſmo* faceret? fruſtra enim id doceret, quod hic iam docuit: at cum duobus locis eadem ſententia iiſdem ferè verbis repetatur *hoc Aphoriſmo, & 19.* neceſſe eſt, non fruſtra factam eſſe hanc repetitionem ab authore. Galenus tamen ſi quis vtriuſque Aphoriſmi Commentaria conferat, eandem vtriuſque ſententiam facit, & de modo cibationis authorem agere ſcribit, & cum modum explicat, vtrobique in tempus cibationis incidit.

Verum illud inprimis animaduertendum eſt, ex acceſſione nullam indicationem ſumi ad modum victus conſtituendum: quem enim modum conſtituet cibo, quem omnino auferri cogit? Conferre autem ad quantitatem & genus victus inſtituendum acceſſionem ipſam, (etſi aliter exiſtimet Galenus 19. *Aphoriſmo*) rationi conſonum eſt: quemadmodum enim tempora morborum contraindicant genus & quantitatem victus & ex maiore & minore contraindicatione pleniorem aut tenuiorem, vel etiam tenuiſſimum victum inſtituimus: ſic etiam acceſſio, quia victum exhiberi prohibet, ideo ad genus victus inſtituendum confert: extremè enim tenuiſſimum victum, qui fit aliquando per inediam, authore Galeno, exhibemus acceſſionis ratione, quemadmodum ob ſtatum præſentem morbi vehementiſſimi. Confert etiã morbi acceſſio ad tem- *Acceſſio quid conferat ad inſtituendum victũ.*

A pus cibationis inueniendum: ſiquidem prohibet eo tempore exhiberi, quo illa vel præſens eſt, vel paulo poſt futura. Itaque cum *ex acceßionis conſideratione duplicem ſumamus vtilitatem ad victum inſtituendum*, tum ad genus victus, tum ad tempus idoneum, duobuſque locis repetatur idem Aphoriſmus, rationi conſonum eſt, vt hic aſcriptus ſit, quatenus ad genus victum inſtituendum pertinet, tum quod hactenus de hoc ſcopo egerit, tum quod perfecta non poſſit eſſe hæc tractatio, niſi accedat etiam acceſſionis conſideratio: adde quod occaſionis conſideratio vltimum locum inter omnes ſcopos obtinet: rationique non eſt conſonum, vt tractationi de quantitate initiat tẽpus, & ei poſtea, quæ de modo & tempore agit, interponat eam, quæ de quantitate. Docet ergo, vt in ſummum rem contrahamus, hoc Aphoriſmo genus victus ſumpta contraindicatione ab acceſſione morborum: Antea enim docuimus, à morbi temporibus cum vniuerſalibus, tum particularibus contraindicationem ſumi ad victum ordinandum. Eſt autem acceſſio particulare tempus morbi, vt iam docebimus. Quid igitur acceſſio ſit, & quotuplex, & quare abſtinendum ſit à nutrimento in ipſa acceſſione, & an prohibeat potum, quemadmodum & cibũ, non docet Galenus, ſine quibus tamen Aphoriſmus intelligi non poteſt. Itaque quod Græcis *παροξυσμὸς*, à noſtris acceſſio ſiue exacerbatio morbi dicitur: definitur autem eſſe *particularis partis* *Acceſſio quid.*
C *morbi deterior pars*: diuiſimus enim ſuperius tempora ſiue partes morbi in vniuerſalia & particularia: hæc ruſſus in principium, inæqualitatem, incrementum, ſtatum & declinationem, & interuallum, ſiue quietis tempus, principiique prima pars exactè prima & indiuiſibilis *ἐπισημασία* Græcis dicitur. Porrò paroxyſmi nomine nonnunquam principium, inæqualitatem, incrementum, ſtatum & declinationem comprehendimus, vt cum Hippocra. *libro de victu acutorum & alibi* ſæpe Galenus eos, qui continua febre laborant, ſcribunt in declinatione acceſſionis nutriendos eſſe: vbi declinationem paroxyſmi partem facit. *Paroxyſmi nomine quid comprehendatur.*
D *Sequenti* vero *Aphoriſmo* Galenus declinationẽ excludit à paroxyſmi nomine: diuidit enim totum circuitum in duas partes, quarum vna principium, incrementum, & ſtatum continet, quam paroxyſmum vocat: altera declinationem, & interuallum comprehendit, quam declinationem, ſiue remiſſionem vocari ſtatuit, etſi propriè declinatio interuallum non comprehendat.

Sunt autem paroxyſmi quidam æquales, alii inæquales, alii magni, alii parui, alii per periodum, id eſt, ordinatè fiunt, alii ſine ordine redeunt. Porro inæquales paroxyſmi dicuntur, qui contrarios motus habent, quales ſunt paroxyſmi febrium, quæ primo cum frigore inuadunt, contracto calore ad internas partes, poſtea vero cum calore infeſtant, eo aucto, & ad externas partes exeunte. Habent inæquales paroxyſmi quinque partes, principium, inæqualitatem, incrementum, ſtatum & declinationem: æquales verò carent tempore inæqualitatis. Sed hæc diligentius explicauimus *in lib. noſtro de morbis.* *Paroxyſmi quotuplices.* *Paroxyſmorum partes.*
E
An verò Hippocrates velit in omnibus paroxyſmis, & omnibus paroxyſmi partibus nos à cibo cum ægrotamus, abſtinere debere, perpen- *An in omnibus paroxyſmis & in*

quibus partibus à cibo abstinendū.

dendum. Galenus *in sequenti Aphorismo* paroxysmum intelligit deterius tempus circuitus, quod, inquit, comprehendit principium, incrementum & statum, & *in hoc* etiam *Commentario* scribit, cibum esse dandum, quando declinat paroxysmus, aut cessat, quasi non referat siue nutrias in declinatione accessionis, vel in ipso interuallo, & quietis tempore: verum præstat etiam declinationem comprehendere: nulli enim dubium est, optimum esse cibandi tempus, quando iam adest quies, etsi fieri potest, non solum vehementiores partes, sed etiam mitiores euitare oportet; debent autem præcepta tradi de eo, quod est melius, ne indocti decipiantur, vt nouimus in hac re fieri: nam plurimes vidi Medicos, qui ex hoc loco persuasi, in omnibus accessionibus febrium, vel etiam breuissimis, cibum imperant exhiberi cum accessio declinat, vel planè abiuit, quasi non referat magis nutrire in ipso interuallo, quàm in declinatione: nos postea incommoda docebimus, quæ sequuntur nutritionem factam in declinatione.

Τὸ προστιθέναι γὰρ βλάβην.

Nam cibum dare nocuum est.

Hippocrates rationem reddit, quare sit abstinendum in accessionibus, & obiter declarat, à quo sit abstinendum, nempe à cibo, nulla mentione facta potus & medicamenti: intelligit ergo abstinendum esse à cibo, *quoniam*, inquit ille, *nocet in accessionibus*, non tamen explicat, quare noceat, fortè quod non posset aphoristica breuitate docere, quod multiplicem habet rationem: sed Galenus, qui interpres est, & aliorum Dux, non debebat hæc silentio prætermittere, præsertim, quod admodum difficilia sint, id quod ostendunt rationes, quæ ab aliis interpretibus afferuntur; scribit enim Montanus, ideo non esse dandum in accessione cibum, quia virtus tunc est maximè oppressa ob symptomatum magnitudinem: cuius opinio non placet: nam communis esse non potest hæc ratio paruis accessionibus, quæ exigua habent symptomata: deinde, non sunt ipsa symptomata sola, quæ impediunt nutritionem, (vt antea ostendimus) sed etiam morbi ipsi, & magis causæ morborum.

Quare cibus in accessione noceat. Montani opinio reiicitur.

Præterea, non docet oppressionis modum: plures enim sunt modi, quibus obsunt accessiones: nam aliter inæqualis accessio, aliter æqualis lædit, aliter prohibet in principio accessio inæqualis, aliter in augmento & in statu, aliter in declinatione, aliter prohibent accessiones morborum, quæ sunt cum putredine, aliter aliorum, qui ex fluxionibus, aut alio modo irritantur.

Accessiones plurib. modis obsunt.

Sunt vero alii, qui dicunt abstinendum esse à cibo in accessionibus ob periculum suffocationis caloris, quæ ratio non omnibus conuenit accessionibus, sed solum in principio accessionis inæqualis.

Alii vero sunt, qui dicunt, cibum obesse in accessionibus, quia in accessione natura occupata est in concoctione humorum, & propter cibum illam non esse distrahendam ab ea concoctione: sed isti etiam aberrant: nam accessiones aliquando fiunt ex sola abundantia humorum, qui sola euacuatione sedantur, veluti cum per accessiones in nonnullis fit colicus dolor, nephritis, vomitus, alui fluxus, sanguinis profluuium, in quibus accessionibus confert etiam à cibo abstinere. Præterea, vbi etiam requiritur concoctio, in omni parte accessionis non abstinemus à cibo propter ipsam concoctionem, vt patet in declinatione accessionis febrium, in qua natura expulsionem molitur, & non amplius concoctionem humoris lædentis. Nonnunquam etiam fiunt accessiones ob fluxionem humorum, quibus natura maximè reluctatur, beneficio facultatis retentricis, & non concoctricis: sic etiam quando in principio accessionis tertianæ natura per vomitum sese exonerat, non propter concoctionem tunc abstinemus à cibo. Nos autem doceamus primo generales rationes, quæ conueniunt ipsis accessionibus; deinde alias, quæ conueniunt singulis accessionibus, & singulis illarum partibus. Proprium sanè est omnibus accessionibus, *vt excitent morbos, causas morborum, & symptomata, & illa actu faciunt esse, cum antea essent solum potentia*: nam in interuallo ipsius febris aderat quidem illa potentia in corpore, & in hoc differt interuallum à vera conualescentia & sanitate, quod in his nihil amplius sit, ex quo possint morbus, symptomata, & causæ morborum excitari; in illo vero adsint: vbi vero actu sunt morbi, causæ morborum, & symptomata, à cibo, quantum permittunt vires, abstinendum; at per accessiones possumus omnino abstinere, vt postea ostendemus; ergo cibus in accessione dandus non est: id autem commune est omnibus accessionibus intermittentis & continui morbi, excitat enim semper accessio noua mala, quæ non aderant, vt in intermittentibus febribus, vel quæ aderant, augent, veluti cum febri iam affligenti alium ex accessione calorem adiungit. Illud quoque commune est omni accessioni, *quod cibus accessionem morborum augeat*: nam cum natura eisdem facultatibus & instrumentis vtatur in vincendo cibo, & affectibus morbosis, necesse est hos reddi grauiores, & longiores, si natura diuidat suam vim, & in duplici negocio versetur. Tertio natura opera impedit cibus, opera verò quæ fiunt à natura in accessionibus, sunt diuersa, & ob id diuersam rationem requirunt: nam aliquando natura in accessione fluxionibus debet obsistere, vt in generatione inflammationum, & tunc abstinemus à cibo, vt natura auidius retinere possit humores, qui parati sunt confluere ad partem affectam; aliquando natura tentat expulsionem, vt in principio accessionis tertianæ vomitum, & in fine sudorem; quod si cibum exhibeamus, distrahetur ab his operationibus ipsa natura.

Proprium accessionibus accessionibus quid.

Interuallo quomodo à vera conualescentia differant.

Aliud commune omnibus accessionibus.

Sunt porrò peculiares quædam rationes, quæ conueniunt solum quibusdam accessionibus, ob peculiarem illarum naturam: nam inæquales accessiones non admittunt cibum in principio, etiam ob peculiarem hanc suam causam, quod periculum sit suffocationis caloris, si cibus detur in accessionis principio, & in æqualibus tempore: eadem enim ratione summum tutæ prohibentus

Peculiares rationes quibusdam solis accessionib. conuenientes.

bibemus, ne ſequamur motum affectus præter naturam; & ita ex pluribus cauſis calor in anguſtum contractus, in partibus internis ſuffocetur.

In incremento vero & ſtatu acceſſionis, à cibo abſtinenſus, quoniam vel tunc natura occupata in concoctione humorum, vt in febribus putridis contingit, aut ob doloris vehementiam intemperata, & inepta eſt reddita, ad cibum conficiendum. Patet igitur, cur in acceſſione ſit abſtinendum à cibo generatim in acceſſionibus omnibus & particulatim in ſingulis, & partibus propriis ſingularum acceſſionum. Illud vero, quod dicit abſtinendum eſſe, non autem parciore victu vtendum, diſcutiendum iam eſt. Si enim eo, quod grauiorem corporis ſtatum reddit acceſſio, non videbitur in omnibus acceſſionibus penitus eſſe abſtinendum à cibo, ſed ſolum in illis, quæ grauiſſimum affectum reddunt. In alijs autem minuendum quidem eſſe cibum pro magnitudine acceſſionum, non tamen penitus auferendum: vt enim ſolum in ſtatu vehementiſſimi morbi inedia vtimur: in mitiore autem tantum cibi exhibemus, quantum morbi magnitudo permittit, ſic videbitur in acceſſionibus faciendum, vt ſcilicet abſtineamus omnino à cibo, cum maximæ adſunt acceſſiones: cum vero mitiſſimæ ſunt, cibemus quidem, ſed parcius; Atqui par non eſt ratio: quoniam enim non licet morbi magnitudinem, quam ex propria natura, vel tempore vniuerſali accipit, ſine cibo effugere, quandoquidem ſæpe longiora ſunt ſpacia, ideo cogimur in morbis, & illorum ſtatu alere, in acceſſione autem morbi, quia nulla eſt acceſſio tam longa, quam æger ſine cibo percurrere non poſsit, ſi antea commode cibatus fuerit, ideo à cibo prorſus eſt abſtinendum: nam etſi parua aliquando eſt acceſsio, tamen præſtat eam adhuc euitare, cum tempus longe commodius poſt illam habituri ſimus, quo ægrum cibare poterimus; ſolet enim natura in declinationibus acceſſionum ſudorem tentare, vel aliam excretionem quam impedire aut tardare exhibito cibo nequaquam debemus.

In quibus accessionibus sit abstinendum penitus à cibo, & in quibus minuendum.

Sed contra id adferri poteſt, quod Galenus *in libro decimo. Methodi cap. tertio.* dicat, biliosos febre biliosa laborantes, in æſtate præſertim, cibandos eſſe etiam in principio acceſsionũ: quæ ſententia ſano modo intelligenda eſt; nam ſi intelligamus eos, qui male ante cibati fuerunt, nutriendos eſſe in ipſa acceſsione ſi vires labuntur, hoc rationi eſt conſonum, quoniam nihil non faciendum, vbi vita periclitatur: ſed ſi intelligamus neceſſariam eſſe nutritionem in acceſſione, etiam ſi antea quis bene cibatus fuerit, hoc nequaquam concedendum, niſi forte longitudo acceſsionis, corporis raritas, naturaliſque debilitas, & quæ ex morbo eſt nata, cogant tandem nutrimentum exhiberi; ſed illis vel ſolus potus aquæ hordei optime concocti ſufficiet; aut, ſi plenius nutrimentum requiritur, ſaltem expectare licebit declinationem acceſsionis, quod Hippocrates præcipit faciendum *in libro de victu acutorum*, tunc ſcilicet nutriendos eſſe eos, qui integram ſolutionem acceſsionis expectare non poſſunt, quando calor ad pedes deſcendit, tunc enim eſt declinatio acceſsionis: nunquã ergo in proprie dicta acceſsione, quæ principium, inæqualitatẽ, incrementum, & ſtatum continet, nutriemus ægros, niſi ob viriũ debilitatẽ, aut ſuperuenientẽ aliam acceſsionem, quo in caſu cogimur in acceſsione nutrire; vt ergo communis omnib. morbis fiat ratio nutritionis, ita dicemus: ſi morbus nullam habet acceſsionem, quales ſunt febres ſynochæ, in hora conſueta cibandi ſunt ægri: magna enim eſt vis conſuetudinis, quæ retinenda eſt in morbis, quantũ fieri poteſt: ſi vero morb. eſt ex genere intermittentiũ, & vnicã habet acceſsionem, expectandũ eſt interuallũ, ſiue tempus quietis; quod ſi morbus continuus eſt, qui eam habet acceſsionem; ea tranſacta cibus offerendus eſt; quod ſi plures ſunt acceſsiones diſtinctæ, quies pariter, aut declinatio expectanda eſt; quod ſi acceſsiones ſunt implicatæ, & non cõfuſæ, tantum à principio ſequentis recedendum, quantum requirit concoctio alimenti; nihil enim deterius fieri poteſt, quam ægrotũ corripi febre, crudo ſtomacho; quod ſi ſiunt confuſæ acceſsiones, in eo tẽpore cibus offerendus, in quo melius habet æger; quare aliquando in incremento, nonnunquam in vigore, aliquando in declinatione acceſsionis cibare pręſtat. Recipiendum quoque eſt, an cibationem impediat naturæ aliquod opus, vt ſudor in declinatione; tunc enim ſi nullum expectatur interuallum, aut inſtat proxima acceſsio, præſtat in vigore alere, atque vt ſemel dicam, vt in aliis officiis Medici, ſic in nutritione, vbi ſunt complicati affectus, prudentia, & iudicio opus eſt, quando quidem præcepta non poſſunt omnia notari. Cæterum, quod ſcribit Hippocrates, in acceſsionibus eſſe abſtinendum à cibo, debet etiam intelligi paulo ante acceſsionem, eadẽ enim ratione nocet cibus paulo ante acceſsionẽ exhibitus, vt in principio acceſsionis, cum enim nondum cibus paulo ante eſſumptus ſit confectus, calorem neceſſario ad ſe reuocat, & eadem adfert incommoda; vnde optime à Galeno & Hippocrate alibi ſcriptum eſt, neque cum iam adſunt acceſsiones, neque cum paulo poſt futuræ ſunt, cibum exhibendum eſſe. Iam vero illud expendendum eſt, an quemadmodum iubet Hippocrates abſtinendum eſſe in acceſsione à cibo, idem intelligendum ſit de potu, quod quidem multi Medici medendo obſeruant, qui potum negant ægrotis, vel penitus in omnis acceſsionis partibus, vel ſaltem in his, quæ præcedunt declinationem: quos ego plurimum aberrare puto: nam vbi bilioſæ, & vehementes ſunt febres, magno non ſolum ſolacio, ſed etiam remedio eſt ægrotantibus, potus aquæ hordei, vigente acceſſione exhibitus: nec magnopere repugnabo, ſi exhibeatur, poſteaquam præteriit omnino inæqualitatis tempus, & iam libere creſcit calor, & foras erumpit, temperatur enim maximus ille caloris ardor, qui naturalem temperiem diſſoluit; reficiuntur vires, quæ magnam vim patiuntur, & concoctio melior redditur, excrementa quoque aerea redduntur, corpuſque magis tranſpirabile euadit; vbi vero pituitoſæ ſunt febres, qui potum concedunt ægrotis præſertim liberaliorem, vel frequentiorem videntur ſeruire magis voluntati, & voluptati ægrotantis, quam neceſsitati; extat autem Galeni ſententia *in libris de morbis vulgaribus*, contra eos Medicos qui in febribus, & illarum acceſsionibus, potum non exhibent, dicitque illos crudeliter

Quando in morbis nullam accessionem habentibus cibandum. Et quando in aliis, qui accessiones habent.

An in accessionibus sit abstinendum à potu.

enecare ægrotos, potus ergo, nec in febribus, nec A in aliis accessionibus biliosis, ægrotis est negandus, vrgente aut iam plurimum crescente accessione, ille enim minimo negocio vincitur à natura, & plus prodest, cum lenit maximum ardorem & situm, quam possit obesse alia quacunque ratione; parcior tamen ille adhibendus est, nec plane frigidus, si cogimur illum propinare in incremento accessionis, in statu vero, qui non est copiosus, & frigidus, plus aliquando obesse solet, quam prodesse, accenditur enim calor magis, quomodo ex pauca aqua affusa, fabri ferrarii luculentiorem ignem accendunt. Restat vt expendamus, an medicamenta exhiberi non pos- B sint in ipsa accessione, & in die accessionis; qua in re docet medendi vsus, posse exhiberi, quæ vomitum adiuuant, si natura vomitum tentat, nec se potest facile expedire, vt sæpe in tertianis contingit, præstat enim vti vel oxymelite, vel alio liquore, quo vtimur ad vomitum ciendum, quo diluamus acres humores, repentes ad orificium stomachi, & sæpe animi defectum inferentes, vel crassos, & viscidos incidamus, & extenuemus, mixtioneque sequaciores reddimus, quam si sinamus naturam irritis motibus & difficillimis angustiis torqueri; quod si etiam non reiiciatur huiusmodi medicamentum, nihil tamen obesse C posse longa experientia didicimus. Cæterum, purgantia medicamenta sunt, qui iubeant exhiberi potius in die, qua expectatur accessio quartanæ, quam in alio tempore, quibus forte hæc ratio suffragari potest, quod humor melancholicus, qui eam febrem committit, crassus alioqui, & frigidus, suapte natura, ad motum sit piger, & difficilis, propterea febrilem calorem requiri, qui illum extenuet, moueat, atque ita aptiorem reddat, vt sequatur vim attrahentis medicamenti; vbi vero febres non adsunt, nihil prohibet in acces- D sionibus sanguinem mittere, purgare, clysteres iniicere, vt in dolore capitis, & intestinorum, & in aliis, vt medendi vsus docuit; quid ergo sentiendum sit de cibo, potu & medicamétis adhibendis in accessionibus febrium, ex his patere puto.

An medicamenta exhiberi non possint in ipsa accessione & in die accessionis.

Καὶ ὁκόσοι κατὰ περιόδους παροξύνονται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

Secunda hæc pars Aphorismi patet ex superio- E ri, & frustra videtur adiecta: nam si in nulla accessione cibus dandus est, nec profecto dandus erit in accessionibus, quæ fiunt per circuitum; conferunt quidem ad cibationis horam accessiones, quæ fiunt per circuitum, quia in aliis, cum ordo peruertatur, scire non possumus, quo tempore cibus sit exhibendus, sed præsente iam accessione, nihil plus commodi sumimus ad nutriendum ex accessione ordinata, quam ab aliis, quę sine ordine redeunt.

Aphoris. XII.

Τὰς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας A *δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀνταπόδοσιες, ἤν δὲ καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται, ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν τεκμαίρεσθαι χρή, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει, ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει· καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.*

B *Accessiones vero, & constitutiones morborum indicabũt tum morbi ipsi, tum anni tempora, tum circuitum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed & ex iis, quæ mox apparent, indicia sumuntur: quem admodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si vero postea appareat producit. Et vrina, & alui excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum indicationem, vel malam; vel breues, aut longos fore morbos ostendunt.*

Tenuem victum, plenum & conseruantem, i. genus victus, quod alii perperam quantitatem victus vocant, quædam (vt ostendimus) indicant; alia vero contraindicant, alia coindicant, alia correpugnant; Indicant porro vires, contraindicant morbi genera, causæ morbi, symptomata morborum. quædam morbi tempora, vniuersalia & particularia, nempe accessiones; Coindicant vero ætas, sexus, regio, cæli status, D anni tempora, corporis temperies, habitus, & cætera, quæ vires validas, aut imbecillas esse ostẽdunt; correpugnant vero illa, quæ signa sunt, ex quibus dignoscere possumus, cuius generis sint morbi, & quas causas habeant, & in qua parte sui consistant. Egit hactenus Hippocrates de contraindicantibus sumptis ex morbi natura, & genere, cum docuit, aliter nutriendos esse ægros in morbis acutis, aliter in mitioribus, necnon de morbi temporibus vniuersalibus cum declarauit in statu morbi tenuius esse alendos ægros, quam in aliis temporibus & tanto liberius id faciendum quanto morbus magis à suo vigore recedit. Attigit quoque contraindicationem, quæ sumitur ab accessionibus morborum, & quantam vim habeat ad victum impediendum, ostendit; Contraindicationem vero, quæ à causis morborum sumitur, postea docebit, cum ostendet, corpora impura, vel plena bonis humoribus, parcius nutrienda esse puris & vacuis: postulabat autem docendi ratio, vt indicantia, & coindicantia, vt quæ præcipuam vim habeant in victu instituendo, enarret: verum ex superiore tractatione occasione sumpta prius explicat correpugnantia quædam, quæ scilicet accessiones & vniuersalia morbi tempora, & genera etiam morbi ostendunt: præstat autem ita sentire de intentione, & scopo huius Aphorismi, quam Galenum, & alios sequi, qui nec ad indicantia, nec ad cõtraindicantia, nec ad alia, quę in victu instituendo necessario consideranda sunt, Aphorismum referunt: Ac quoniã

ex signis, hæc quæ proponit author, dignoscenda sunt, ex nostro Opere intelligere oportet, omnia signa sumi vel ab essentia rei, de qua agitur, vel ab ipsius causis, vel ab effectis eiusdem, vel à similitudine, & proportione, quam res illa habet cum aliis; & sub essentia comprehendimus rei formam, genera, differentias, partes, & proprietates: Causas autem octo esse *in lib. de Causis* docuimus scilicet formam rei, efficiens, materiam, subiectum, finem, instrumentum, & causas dictas cum quibus, & sine quibus; ab his enim omnib. signa sumimus ad ea cognoscenda, quæ sunt necessaria; effectus vero, qui à re proficiscũtur, sunt varii pro natura rerum agentium; nostri vero effectus, sunt actiones nostræ, qualitates secundæ, quæ in nobis apparent ex nostris principiis ortæ excrementa, & alia, quæ in nobis gignuntur; Præterea, dolor, & voluptas, & si quid aliud sequitur cum agimus, & agendo percipitur. Cæterum ex rebus similibus his, de quibus agimus, notas quasdam sumi absurdum non est. His ita positis, licebit intelligere, num perfecta sit cognitio, quã tradit de re proposita author, & quæ Gal. ad illius explicationem adfert.

Τοὺς δὲ παροξυσμούς.

Accessiones.

GAlenus interpretatur accessiones *in Comm.* accessionis tempus; *cognoscimus*, inquit, *ex morbis, & ex aliis quæ proponit Hippocr. an accessiones per tertiũ, vel per quartum, vel singulis diebus, & qua hora noctis, vel diei sint inuasuræ*; Verum alia plura de accessionibus cognoscenda sunt, & ea non minus, quam illa, quæ proponit Galen. ad victum instituendum, faciunt: magnitudo enim accessionis, siue vehementia, longitudo, æqualitas, & inæqualitas, benignitas, vel malignitas, anticipatio, vel postpositio, ordo, & inordinatio, perfecta, aut imperfecta, solutio accessionum, & modus, quo soluuntur accessiones, consideranda sunt, & ob istas differentias, quæ in accessionibus apparent, victum variari nouerunt omnes, qui in Medicinæ operibus sunt exercitati: eos enim parcius alimus, qui vehementiores habent accessiones, & in ipsa accessione nunquam; vberius autem illos, qui leuiores experiuntur; nec multum obest, si in leuissimis accessionibus cibum exhibeas; vbi longiores expectamus accessiones, plenius antea sunt nutriendi ægri, vt perdurare possint per totam accessionem sine cibo; si accessiones sunt inæquales, cuius generis sunt illæ, quæ primo cum frigore, postea cum calore affligunt, nemo cibum exhibebit, cum accessio inuadit, sed potius cum augetur, aut viget, si declinatio expectari non potest; in accessionibus vero æqualibus, contrarium faciendum: cum enim leuior sit prima illius pars, quam secunda & tertia, præstat in ea, cogente necessitate, cibum exhibere. Porro benignę accessiones, quæ vires nequaquam deiiciunt, nos non cogunt nutrire corpus: malignæ vero, quæ erosiones stomachi, & animi defectus afferunt, cogunt nos succurrere viribus, cibo vel potu; quando vero anticipant accessiones, vel tardant vltra consuetum tempus, consuetam quoque cibandi horam nos cogunt mutare; & si anticipatio incrementi, morbi indicium, & causa est, minuendum esse victum ostendit. Cęterum, si ordinate repetunt accessiones, ordo pariter in nutriendis ægrotis seruari potest, alioqui ordo confunditur; quod si perfecte per insignes aliquas excretiones soluuntur accessiones, licet liberalius alere; quod si paulatim soluitur, id non solum tardat nutritionem sed etiam victum minuendũ ostendit, rebelliorem enim, & difficiliorem morbi causam significat. Nomine ergo accessionis, ea omnia, quę diximus intelligit Hippocrates, qui de victu instituendo agit & nouit eum variari, non solum propter ea, quæ Galen. notat, sed ob illa etiam, quæ nos addidimus, quæ vero possint illa ostendere, paulo post suo loco docebimus.

Καὶ τὰς καταστάσιας.

Constitutiones.

COnstitutionem, quam Græci κατάστασιν, interpretatur Gale. *tex. 1. Comm. 3. lib. 3. Epid.* omnem formam, siue speciem cuiuscunque rei. *in lib. vero 1. de Crisib.* constitutionem morbi explicat esse qualẽcunq; ex totius morbi temporib. compositionem. At *in Comment. huius Aphorismi*. eos dicit constitutionem morbi considerare, qui spectant, an morbus sit longus, vel acutus. Quæ quidem inter se aliquo modo differunt: nã considerare formam, siue speciem cuiuscunque rei, non est agere de partibus, quibus tota res cõstat, partes enim rei, & forma eiusdem, differunt. Præterea, qui spectat, an morbus sit futurus longus, vel breuis, motum duntaxat morbi expendit, non propriam naturam, compositionem, & formã morbi: Ego vero per cõstitutiones, intelligo *naturã, & differẽtiã ipsius morbi & partes morbi præsentes & futuras*: hæc .n. omnia antea ostendimus, victum mutare; aliter enim nutrimus ægros in magnis, & extremis morbis, aliter in paruis aliter in benignis, aliter in malignis, aliter in exquisitis, aliter in nothis, aliter in his, qui sunt in principio, aliter cum vigent, aliter cum status est propinquus: aliter cum longe distat. Si ergo hæc omnia conferunt ad victum instituendũ, nec accessionis nomine comprehendi possunt, cogimur profecto illa cõplecti sub constitutionis nomine.

Quid per constitutiones intelligendum.

Δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι.

Morbi indicabunt.

DIcit Hippocr. morbos ipsos indicare suas accessiones, & constitutiones, id quod nos intelligere oportet, omnia, quæ sub accessionis, & constitutionis nomine contineri docuimus. Quid vero per morbos intelligat author, nõ satis explicat Gal. qui solum exemplis quibusdam vtitur, cum ostendit, quid morb. lateralis, peripneumonia, phrenitis, & alii quidam morbi ostendunt. Ego vero per morbos (vt antea dixi) intelligo naturam, genera, differentias, & partes ipsius morbi, ex illis enim signa capimus ad accessiones & constitutiones ipsius dignoscendas: sunt enim quædam genera morborum, quæ nullas habent accessiones, vt morbi organicarum partium fere omnes, & similarium, vbi nullum ex humoribus fit in illis vitium; alia vero habent, vt morbi, qui ex fluxione, vel putredine humorum consistunt.

Quid autem per morbos intelligat.

Sunt etiam quædam differentiæ morborũ, quæ A nullas habent accessiones, vt synochæ febres; aliæ, quæ habent, vt tertianæ, semitertianæ; aliæ sunt, quæ accessiones habent longiores, vt quartanæ, & quotidianæ: aliæ breuiores, vt tertianæ aliæ vero, quæ accessiones habent quotidie repetentes, vt quotidianæ; aliæ tertio quoque die, vt tertianæ: aliæ, quæ suas habent accessiones circa horã nonã inuadentes, vt tertianæ; ipsæ aliæ vespertinam, vt quartanæ; aliæ circa noctem, vt quotidianæ: alii præterea sunt morbi, qui accessiones habent magnas, vel paruas, benignas vel malignas, longas, vel breues, ordinatas, vel inordinatas, æquales, vel inæquales, vel alio denique B modo affectas, quas intellectis morborum differentiis, & natura, quilibet facile intelligere poterit. Cæterum vt morbi natura, genera, & differentiæ, naturam, & differentias accessionum ostendunt; sic etiam constitutiones morbi ipsius declarare possũt, citius enim intẽperies sola soluitur, quam quæ est cum humore coniuncta: citius intemperies, quam vlcus cauum; & hoc citius, quam fracturæ. Sic ergo morbi genera & species constitutionem morbi declarant; idem faciunt differentiæ morborum: nam simplex morb. citius, quã cõpositus; intermittens, quã continuus; ordinatus, quam inordinatus, promptius a- C bigitur. Licet & ex morbi partibus notas in hac re colligere: longiores enim sunt morbi, qui sua tẽpora habẽt lõgiora, aliis, qui breuiora, & qui mitiora, vehementioribus: & qui minores perpetuo obtinent accessiones, citius finiuntur, quam illi, qui vel pares, vel maiores obtinent. Ostendit etiam properare morbum ad finem accessio, quæ quoties redit, vehementius hominem affligit, quæque certa seruata proportione anteuertit, & in longius spacium protrahitur; quinetiam æqualis accessio breuioris morbi, inæqualis lon- D gioris est index: quæ item ordinatim redeunt, breuiorem fore morbum ostendunt. Est præterea in die & hora, qua exacerbantur morbi, significatio non contemnenda: siquidem, quæ tertio quoque die, & circa meridiem redeunt: celerem solutionem portendunt. Secundi sunt ordinis, quę mane exasperantur, longiorem indicant, quæ quotidie: omnium vero longissimum prænũciant accessiones, quæ quarto quoq; die circa noctem insurgunt. Præterea, accessiones, quæ in eodem statu diu non perseuerant, breuiorem fore morbum nunciant: vnde tertiana breuior quotidiana, quod prompte in initio accessionis pulsus paruitatem, inæqualitatemque, deponat, & mox calor accedat, qui subitum facit incre- E mentum. Sumuntur & indicia à modo, quo soluuntur accessiones: breuiores enim illæ morbos reddunt, quæ cum aliqua insigni excretione desinunt, quæque sui mali, vt putredinis, vel noxii humoris, nulla aut certe exigua inditia relinquunt, quomodo tertiana quotidiana breuior agnoscitur fore, quod in quotidianæ accessionibus quædam reliquiæ putridi humoris supersint. Sic ergo morbi, genera, species, differentiæ, partes vniuersales, & particulares ostendunt morbi constitutionem: & hæc nos *in quarto libro Operis nostri de Signis*, vbi longæ breuisque valetudinis signa docuimus, diligentius enarrauimus.

Morbi genera & species quomodo constitutionem morbi declarent.

Καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος.

Anni tempora.

Anni tempora, inquit Hippocrates, indicabunt accessiones, & constitutiones, vt causæ quædam, quæ vim habent mutandi morbos & eorum accessiones: à causis enim signa sumi, docuimus: verum cum ille solum ab anni temporibus notas hic sumat, ne aliquid relinquatur imperfectum, nos alias addemus causas eiusdem, & diuersi generis, quæ in hac re vim aliquam habere possunt. Ac primum quidem doceamus, quonam modo ex causis morborum, illorum constitutionem ostendere liceat: id facile est ostendere in causis morbos gignentibus: nam calor, & frigus, breuiores, siccitas & humiditas longiores morbos committunt, & prænunciant; contundentia breuiores, quam vulnerantia, & frangentia: ex bile, sanguine, spiritu, & pauco tenuique humore, breues procreantur, & significantur morbi: ab atra vero bile, pituita, & à crassis, viscidis, & multis humoribus, longi nascuntur. Porro, ad has causas efficientes propinquas, referenda sunt, quæ ab ætate, consuetudine, vitæ conditione, anni tempore, regione, syderum ortu, ventis, & reliquis, quæ mutationes in aere faciunt, vel ostendũt; nec non quæ à sexu sumuntur & si quæ alia sunt, quæ morborum causæ dicuntur, eo quod vel temperiem in nobis gignant, vel humores diuersos procreent, aut alio modo corporis nostri statum immutent: illa enim, quia diuersas faciunt in nobis mutationes propterea longiores, aut breuiores dicuntur pariter morbos facere. Præbent quoque suas notas causæ, quæ subiecti rationem obtinent: Etenim, in male affectis corporibus partibusque durioribus, frigidioribus, siccioribus densioribus, & in otiosis salutares ægritudines longiores fieri consueuerunt: causæ quoque iuuantes, & lædentes conferunt etiam ad hanc cognitionem: qui enim morbi ab omnibus remediis iuuantur, facile curantur: difficile vero, quos omnia remedia lædunt, vel non nisi minime iuuant. His ergo modis anni tempora, & reliquæ causæ morborum constitutiones morborum significant. Possunt & eædem causæ suas præbere notas ad accessiones morborum cognoscendas: nam in regione, & in tempore calido, & intemperie calida & in victu laborioso, in iuuentute, in viris, & gracilibus, & iracundis, accessiones morborum fieri solent breues, sed vehementes: tertio quoque die, & circa meridiem ordinatim affligentes, à contrariis vero causis accessiones fiunt alio modo infestantes.

Quonam modo ex causis morborum illorum constitutionem liceat, ostendere.

Καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀντεπιδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται.

Et circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus; siue per maiora interualla fiant.

Circuituum successiua incrementa interpretatur Galenus, accessionum incrementa, quæ

quæ non accessiones ipsas, sed constitutionem morbi indicabunt. Spectatur autem incrementum accessionem in tribus; si solitum tempus anticipent, si vehementius affligant, & diutius; tales enim accessiones, inditia sunt morbi properantis ad vigorem, & salutem, si salus expectatur; vel ad mortem propinquam, si læthalis morbus extiterit; Verum non solum incrementa accessionum, sed (vt antea diximus) ordo, æqualitas, benignitas, magnitudo, tempus, quo inuadunt, & modus, quo soluuntur, & illatum progressio, ostendere possunt longiores, aut breuiores fore morbos. Porro, quotidie fiunt accessiones proprie, in quotidiana febre, & in morbis, qui ex pituita putrescente consistunt; bilis tamen flaua aliquando, aut etiam atra putrescens, quotidie accessiones facere potest, vt in duplici tertiana, & quartanis contingit: Per maiora interualla intelligimus accessiones fieri, quæ quarto quoque die affligunt: Hippocrates tamen meminit *in Epidemiis* accessiones fieri quinto, sexto, septimo, octauo, & nono etiam die: etsi Galenus rationem non nouit, qua id fieri possit: *à quo enim humore,* inquit, *huiusmodi accessiones fiant, ignoro.* Ego tamen noui quosdam, qui singulis annis eo, die, quo nati fuerant, accessionem febrilem pati soliti erant. Quod si ad humoris speciem omnes accessiones referre velimus, à quo quæso, humore huiusmodi leuicula febris fieri potest? quod si ad expultricis facultatem: vt alibi Galen. omnes caussas accessionum redigit, nihil ad hoc conferet natura alicuius humoris: quidquid enim naturam molestat, illud eadem extrudere solet: sed hæc superflue hoc loco prosequor, quæ *in libro de caussis morborum diligentius enarrauimus.*

Ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, τεκμαίρεσθαι χρή.

Sed & ex his quæ mox apparent inditia sumuntur.

Quid per mox apparentia intelligendum.

POsteaquam ab enumeratis sumpsit signa ad accessiones & constitutionem morbi dignoscendam, ab his, quæ mox apparent, signa, etiam sumi scribit. Quid vero intelligere oporteat per mox apparentia, non satis constat inter interpretes: nam Montanus, & alii quidam mox apparentia appellant symptomata, quæ post principium morbi accedunt, non autem cum ipso morbo statim inuadunt, quorum opinioni verbum *mox apparens*, fauere videtur: verum his refragatur Galenus *in tertio de Crisibus* vbi superuenientia accidentia, id est, mox apparentia, trifariam diuidit, in ea scilicet, quę morem morbi ostendunt: & in ea, quæ futuram Crisim proxime denunciant: & in illa, quæ non solum signa sed etiam caussæ Crisis sunt. Signa autem, quæ morem morbi declarant, quid obest, quo minus cum ipso morbo inuadant? malignam enim febrem statim ab initio ex pulsuum intercisione, & debilitate, atque etiam ex vrinis liuidis, vel nigris ab initio dignoscimus. Quare placet magis interpretatio Galeni, quæ habetur *in primo de Crisibus, capite quinto*, vbi, mox apparentia signa, dicit esse omnia, quæ non sunt propria & inseparabilia essentiæ morbi. Dicuntur autem esse propria inditia morbi, quæ solum ipsum morbum declarant esse, non autem differentias, quæ in ipso sunt, aut caussas diuersas, vel locum diuersum, aut solutionis tempus, vel modum, vel aliquid aliud, quod reuera ad illus propriam essentiam non pertinet: veluti signa, quæ ipsam febrem esse declarant, sunt pathognomonica, idest, passionem significantia, quæ vero ostendunt febrem esse magnam, vel paruam, benignam, vel malignam, & eam esse in principio, vel in alio suo tempore, & ex hoc, vel alio humore consistere, & quod per Crisim, aut alio modo terminabitur, ista omnia signa mox apparentia dicuntur, eo quod soleant non statim cum morbo inuadere, sed postea, etsi vt dixi, aliquando aliter in nonnullis contingit, vt in his, quæ caussas, & morem morbi declarant. Sumuntur autem mox apparentia signa, vt alia omnia, *à rei essentia, caussis, & effectibus*: Hippocrates tamen de vno genere peculiariter agit, nempe quod ab excrementis sumitur & reuera non videtur Hippocrates intelligere aliud per mox apparentia, quam signa, quæ sumuntur ab excrementis, vt exempla quæ mox adfert ex sputo, vrinis aliis excrementis, & sudoribus ostendunt. Cum ergo proponit exemplum, in quo docet veluti in morbo, cæteris quomodo ex mox apparentibus, signa sumantur.

Signa mox apparentia quæ.

Οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον, ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένης βραχύνει, ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει.

Si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat, si vero postea appareat, producit.

SPutum hic intelligere oportet, non quidquid expuitur, vt alii interpretes faciunt: nam si tenue fuerit & aquosum, vel crassum & viscidum, aut impermixtum, vel varium, vel viride, aut liuidum, quod expuitur, vel longum fore morbū, aut lethalem prænunciat: vocaturque huiusmodi materia non sputum, sed expuitio, teste Galeno *in lib. 1. de Crisibus cap. 5.* nam proprie sputum appellat, *quod est concoctum & bonum*; verbum autem *circa initia*, idem est, ac si dicas, *in morbi principio*, verum cum morbi principium tripliciter intelligatur, Galeno teste *in eodem libro & passim alibi*, pro primo, inquam, morbi insultu, pro tribus primis diebus, quibus morbus affligit, & pro prima parte vniuersali totius morbi, non potest vtique principium intelligi pro primo insultu, in eo enim nihil bonum esse potest & concoctum: nec etiam intelligere possumus principium pro prima parte totius morbi: nam in eo tempore nihil etiam concoctum esse potest: nam vt Galenus *in Commentario* scribit, cum apparent inditia concoctionis, signum est morbum non amplius esse in principio: quare reliquum est, vt principium intelligamus pro tribus primis diebus, in quibus contineri potest etiam pars augmenti.

Per sputum quid hic intelligendum.

Sputum proprie quid.

Principium triplex significatio. Et quæ hic habeat locum.

Sensus ergo est, *si in tribus primis diebus*

aliquid expuatur concoctum in pleuritide, breuem illud fore morbum ostendit; at non satis est, si concocta expuantur in tribus primis diebus, sed *oportet*, inquit Hippocrates, *vt etiam statim expuantur*, quod temere alii interpretes idem putant significare, quod circa initia: nam etsi Galenus antea verbum (*statim*) dixit significare primum insultum morbi, & tres primos dies morbi, & primum tempus morbi, tamen hic, hoc verbum alium habet sensum: nam cum dixisset *circa initia*, frustra in eadem significatione addidisset *statim*; quare alia interpretatio huius dictionis sumenda est ex 43. *textu secundi Prognosticorum*, vbi Galen. (*statim*) siue *cito* aliquid in morbo fieri, bifariam intelligi posse scribit; vel quod fiat in principio morbi, vel quod *prompte* fiat, & in hac significatione dictum putauerim verbum (*statim*) cum circa initia (vt diximus) alterũ exprimat; tũ etiam, quod breuis non significetur morbus, si circa initia sputum quidem, sed cum difficultate excernatur: vtrumque ergo necessarium est, si sputum morbum breuem fore præounciare potest, *vt scilicet initio morbi, & prompte excernatur*; id quod *primo de Crisibus* etiam aperte docet. Cæterum, vt duas expressit conditiones ex sputo ad morbum breuem significandum, nempe ex tempore, quo excretio fieri incipit, & ex promptitudine eiusdem, sic nos alias addere possumus: nam quanto plus excernitur concocti excrementi, tanto citius finietur morbus: Sed ne in solo sputo conditiones prosequamur breuioris aut longioris morbi, & ne cogamur in aliis excretionibus ea repetere, quæ in sputis iam essent enarrata, præstat communi omnibus excretionibus tractatione rem hanc prosequi. Igitur in excrementis in primis notamus concoctionem, deinde quantitatem, modum, qualitates, locum, tempusque excretionis. Porro in concoctione notamus tempus, quo incipit apparere concoctio, & quo perseuerat; item mutationes, quas facit concoctio, & si omnia, vel quædam solum emittantur concocta; si enim in primis diebus concoctio appereat & potissimum in die decretorio, vel indicante, & posteaquam cæpit, perseueret, & magnos faciat progressus, & si omnia excrementa emittantur concocta, non solum quæ ad vnam partem spectant, sed etiam ad omnia excrementa corporis, hæc omnia breuissimum morbum ostendunt: tanto vero longiorem, quanto plura ex his deerunt. Idem vero ostendet quantitas & modus excretionis, in quibus enim aut nihil, aut pauca, vel paulatim excernuntur vel difficulter, aut per interualla, longitudo morbi expectanda est. In qualitate excrementorum primas, secundas, & tertias qualitates comprehendimus: breuiores etenim declarant futuros morbos calida, quam frigida; humida, quam sicca excrementa, & quæ vnicum habeut colorem, quam quæ plures referunt, & quæ nullo malo odore sunt prædita, & quæ tenuia sunt, modo concoctio non requiratur. Iam vero locus, per quem fit excretio, suas, etiam hoc modo præbet notas: nam si è directo cum parte affecta, vel per communes vias & per latas & ignobiles, & extra corpus fiat excretio, & per plures vias, morbum breuiorem ostendit, quam quæ aliter fit. A tempore vero excretionis signa hoc modo sumũnt: breuior namque morbus erit, si in die decretorio excretio fiat, in morbis, in quib. Crises accidunt, etiã in statu vel declinatione accessionis, igitur non solum ex sputis, sed etiam ex aliis excrementis, his modis colligemus signa constitutionis morbi. Licebit etiam signa quędam ducere à qualitatibus corporis: quanto enim minus à naturali statu illi recedunt, tanto fere in omni morbo breuiorem morbum nunciant; longiorem enim affectum fore putamus in morbo regio, quando corpus plurimum pallet: sic magna durities vel mollities, aut raritas, vel densitas, vel aliæ qualitates, quæ in corpore apparent humano in salutaribus morbis longitudinem mali portendunt, in lethalibus breuitatem. Sed in quibus eadem sit ratio, vel diuersa, & denique quid possit longum, vel breuem morbum ostendere, generatim in salutaribus & lethalibus morbis, exactius in *Opere nostro de Signis* prosecuti sumus, hic enim solum capita attingere volumus, vt quid ab authore vel ab ipsis interpretibus sit prætermissum, beneuoli lectores intelligere possint.

Quid per statim hic intelligendum.

In excrementis quid notandum.

Quid in eorum concoctione.

Quid in quantitate & modo excretionis.

Quid in qualitate.

Quid in loco per quem fit excretio.

Quid in excretionis tempore.

Signa sumpta a qualitatibus corporis.

Καὶ οὖρα καὶ ὑποχωρήματα.

Et vrina & alui excrementa.

EGimus paulo ante generatim de omnibus excrementis, & illorum vim, quam habent in prædicendis longis morbis, & breuibus docuimus: sed quoniam Hippocrates sigillatim quædam ex illis enumerat, ne illi desit nostra interpretatio, paucis quoque attingemus propriam eorum facultatem, ab vrina exorsi: de qua non exactam, quod alibi fecimus, tractationem instituemus, sed solum capita attingemus sine quibus quod quærimus, intelligere non licet.

Ergo vt ab illius origine incipiamus, vrina est *tenue excrementum primæ concoctionis, quæ fit in ventriculo ex potione, & aquosa materia genitum, à renibus postea peracta concoctione hepatis, separatum, & in vesicam transmissum*: nam si, teste Galeno, in omni concoctione resultant duo genera excrementorum, vnũ crassius, alterum tenuius, si vrinam non ponas esse tenue excrementum primæ concoctionis, quid aliud illud esse potest? quod si illa est excrementum concoctionis, quæ fit in hepate, non duo, sed tria erunt illius coctionis excrementa, humor melancholicus bilis flaua, & vrina: At si vna fit concoctio in vena caua, vt credidit Actuarius, & illius tenue excrementum est vrina, quodnam, quæso, erit eiusdem concoctionis crassum excrementum? Absurda quoque illorum est opinio, qui putant, vrinam esse excrementum renum: nam renes nullam publicam concoctionem obeunt, sed solum sibi propriam, vt & aliæ partes corporis, quæ sordē, & vaporem, vt propria excrementa relinquunt: trahitur quidem à renibus vrina, sed non in illis gignitur, verum in ventriculo ex potu, cum paulo minus mingamus, quam bibamus & alba sit, vt ventriculi color, sed ab peculiarem vsum, vt scilicet vehiculum sit chyli trãseuntis per venas mesaraicas & hepatis, non statim post ipsius generatione, vt alia excrementa separatur à parte vtili, propterea quod antea aquosus humor, dum in ventriculo adhuc est, & in venis masaraicis, atque hepate, postea vrina vocari incipit, cum à renibus

Vrina quid.

In omni concoctione resultare duo genera excrementorum.

Vrinam non esse excrementum renum, sed ventriculi.

elici

elicitur, & per vrinarios meatos illabitur, nam A excrementa non dicuntur, nec proprium nomen capiunt, interim dum sunt confusa cum aliis, sed *cum sunt excreta & separata*; quia ergo non separatur hoc excrementum statim post concoctionem, quæ absoluta est in ventriculo, sed post eam quæ fit in hepate, ideo putarunt alii, vrinam in concoctione hepatis gigni. Hæc igitur de materia, & loco, in quo fit vrina, & partibus à quib. trahitur, & in quas recipitur.

Vrinæ vsus qui. Vrinæ autem hi sunt vsus, quod corpus, & sanguinem purget, & secum conuehat, si quid est pituitosum, vel biliosum, vel melancholicum, quod natura ad venam cauam transmittit; aut si B ipsa in vias suis inuenit, vel pus vel lapillos, vel alias sordes, eas abstergit, & secum trahit.

Materia. Communis autem illi est cum sudore materia: portio enim aquosi illius humoris in ventriculo geniti, maxima: alia parte ad renes & vesicam conuersa, vna cum sanguine per minimas venas, & habitum corporis fertur, quæ in bene affectis corporibus insensibiliter transpirat, in aliis vero sudor fit, id est, per cutem sensibiliter exit.

Differentia. Cæterum, vrinæ differentiæ præcipue sumuntur ab his, quæ in vrina apparent; aliæ vero à causis ipsius: aliæ ab effectis: aliæ à mingendi modo.

C Porro in vrina apparent consistentia mediocris tenuis, & crassa: tenues vrinæ nunquam fiunt crassæ, postea quam mictæ fuerunt, vt falso alii tradunt: sed opacæ, & confusæ ab aere ambiente.

Item in vrina apparent qualitates primæ & secundæ, vt colores, perspicuitas & opacitas & odores deteriores quidem in quibusdam, quam in aliis: quæ differentia in saporibus quoque reuera est.

Contenta. Sunt in vrina etiam contenta, quorum quæ- D dam superficiem ipsius constituunt, vt corona: alia supernatant, vt pinguedo, bulla, spuma: alia innatant, vt nubecula, eneorema, & quæ pilorum atque filamentorum magnitudinem & figuram referunt: subsident sedimentum, sabulum, arena, lapis, pus, grumus, & cætera, quæ fundum petunt.

Tactu qualitates. Quantitas. Cum vero dicimus vrinam quandam esse acrem, aliam vero mitiorem, differentias capimus à tertiis qualitatibus. A quantitate vero sumimus differentias cum dicimus illam esse vel paucam, vel mediocrem, aut multam. A mingendi vero modo differentiæ ducuntur, cum dicimus, quādā penitus supprimi, aliam facile aliā difficile emitti: aliam voluntarie, aliā involuntarie. A causis vero ducuntur differentiæ, cum dicimus quasdam E mutari a bile flaua, alias ab atra, alias ab aliis causis. Ab effectis vero quo significant, vt cum diximus, quasdam significare mortem, alias salutem.

Mingendi modus.

Causa materialis. Cæterum, causa vrinæ materialis est (vt diximus) potio, & si quid in aquosum humorem in corpore nostro conuerti potest: tenues autem fiunt vrinæ, ex sola aquosa materia: crassæ vero, cum illi aliquis alius humor miscetur: vnde in morbi principio sunt tenues, quia nullum adhuc factum est excrementum, quod cum ea misceri possit.

Omnes vero qualitates, quæ in vrinis apparent, fiunt vel ab alteratione sola, aut ab humorum permixtione, aut absentia, vel ex istis inter se coniunctis: colores quidem contentorum ex alteratione potissimum fiunt, dum natura, concoquendo tandem albedinem assequitur: color vero, qui in ipso liquore est albus: fit etiam ex sola alteratione ventriculi: alii vero omnes colores fiunt per mixtionem alicuius humoris: absurdū enim est rubras vel flauas fieri vrinas ex solo calore, dum retinentur, & liuidas & nigras fieri ob caloris extinctionem: quàmdiu enim viuit animal, nequit ob frigus intus liuorem aut nigredinem contrahere, vt faciunt partes externæ in aere frigido, alioqui cur omnes qui morti sunt propinqui, tales non emittunt vrinas. *Colores.*

Vnde fiat opaca. Opaca vero fit vrina, vel ab aere externo, dum corrumpitur, extinctis, aut resolutis vrinæ spiritibus, qui luciditatis erant causa; Vnde Montanus & alii errant, qui ex his vrinis in aere corruptis significari aiunt concoctionem proximam, aut aliis corporis dispositiones: Fiunt etiam opacæ ob internam agitationem, quæ exacte miscet crassos humores cum vrina: Alia vero est opacitatis causa materiæ impuritas, vnde gemmæ, & alii lapides, sunt perspicuæ, quoniam ex purissima materia constant. Alia addi potest causa opacitatis, cum color colori superinducitur, necnon absentia lucis & nominis, & frigus solent in rebus opacitatem adferre: sed hæc alibi diligentius.

Vnde odores. Odores quoque, qui sunt in vrinis, ex mixtione humorum aut aliarum rerum proueniunt.

Contenta. Cæterum nubecula, encorema, & hypostasis, vnam & eandem habent materiam, pituitam scilicet, quæ nunc supremam partem nunc mediam, nunc infimam petunt, prout illa vel tenuis est, aut crassa, aut concocta plus vel minus. Aliarum rerum causas, quas in vrinis notauimus, nostri non est nunc instituti prosequi, vt qui Methodum potius indicare, quam singula explicare instituimus.

Vrinæ breuē morbum ostendentes quæ. Igitur vrinæ ostendent breuem fore morbum ex his qualitatibus, & contentis, quæ naturam ostendunt facile concoquere noxios humores, & vbi tales sunt vrinæ, & apparent in diebus indicantibus primis, & posteaquam concoctæ sunt, magna copia excernuntur, & facile ostendunt per illas, & cum illis morbosas causas excerni, & propterea salutem breui futuram: ostendere autem possunt morbos ventriculi, in quo gignuntur, hepatis, renum, vesicæ, pudendi, per quas partes transeunt, venarum magnarum, capitis, & aliarum superiorum partium, quæ per venas solent aliquando noxios humores transmittere successione quadam in venas, & arterias magnas, qui postea vna cum vrina rapiuntur, & exeunt. Sic enim alui excrementa ex sitis qualitatibus, & quantitate: ventriculi intestinorum, hepatis, venarum etiam totius corporis affectiones ostendere possunt, quoniam in ventriculo primum gignuntur, & per intestina feruntur, formamque recipiunt, & quoniam per venas mesaraicas hepati & aliis partibus, quæ cum hepate sunt coniunctæ, ad intestina via patet, & excrementa, quæ in illis gignuntur, & cum alui recrementis miscentur, secum deferunt, inditia sunt alterationum & dispositionum, quæ in suis sunt fontibus & locis.

Καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα, καὶ δύσκριτα καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα τὰ ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

Et sudores & quæcunque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem, vel malam, vel breues aut longos fore morbos ostendunt.

QVod dixit de sputo, vrina, & alui excrementis, idem nunc de sudore subiungit; Verum non eadem ratione; nam sputum quanto citius in morbis apparet, tanto citius prætendit bonum iudicium, & morbi breuitatem, sudores vero in principio quorundam morborum longitudinem ostendunt, & periculum in morbis, vt scribit Galenus *in primo de Crisibus, cap. 19.* nempe quod frigidi sudores cum acuta febre, mortem; cum mitiore vero, morbi prolixitatem nunciant: & non solum quidem frigidi, sed & alii omnes sudores in principio febris continuæ aut lethales sunt, aut longi morbi inditia: nulla enim potest fieri per sudorem vtilis excretio in illis, dum adhuc morbus est in principio, aut etiam in prima parte augmenti: quia in continuis morbis, & præsertim in acutis, humor, qui in venis est, totus simul concoqui solet, & ad vnam expulsionem reseruari, quæ fit per Crisim in statu, vel in parte augmenti vigori admodum vicina; in febribus vero intermittentibus, vt in tertianis exquisitis, in prima etiam accessione sudores sunt vtiles, quia portio materiæ peccantis in ipsa accessione concoquitur, & post concoctionem expulsio putrefactæ materiæ merito fit, Verum in principio accessionis febrium non intermittentium si contingant sudores, mali sunt, quoniam non præcessit concoctio, quam sequitur excrementi generatio & inutilis excretio; videndum ergo est, in quibus morbis & in qua parte morbi sudores appareant; nec illud solum, sed quales sint sudores, & in qua die morbi, & à qua parte corporis, & quomodo effluant, vt enim moderate calidi sudores, & qui non fœtent, & in diebus decretoriis, aut in in illis, in quibus traduntur ab Hippocrate recte fieri, & præterea à toto corpore libere emanant, salutem, & breuem morbum pollicentur, ita contrariis modis affecti, vel perniciem, aut longitudinem morbi minantur.

In quibus febribus sudores in principio sint mali. Et in quib. boni.

Sudores boni. Et mali qui.

Aphoris. XIII.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. Τουτέων δ' αὐτέων ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑαυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Senes facillime ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habent, minime adolescentes, omnium minime pueri, præsertim, qui inter ipsos sunt viuaciores.

DE ætatibus authorem hic agere, scribit quidem Galenus, quoniam ad victum instituA endum huius rei consideratio facit: sed non docet, quomodo, quaue ratione ætates ad id conferant: quod tamen ab eo prætermittendum nō est, qui Methodo artem se docere profitetur: cũ enim quædã sint quæ ad victũ constituendum pertinent, quoniã indicant: alia ꝙ coindicent alia rursus ꝙ contraindicent siue repugnent: alia, ꝙ permittant, alia demum, quod correpugnent, siue per accidens repugnent, (vt antea ex Galeni principiis ostendimus) plurimum sane refert intelligere, an vno modo, vel alio, ad victum instituendum aliquid conferat. Præterea, cum varii sint scopi obseruandi in victu instituendo, docendum erat, an ad omnes scopos conferat ætatum B consideratio, & cuius gratia hic de illis agat author. Montani vero opinionem me pudet refellere: tradit enim scopum huius primi libri esse de purgatione corporis, & illam fieri per medicamenta, victum, & chirurgiam, & esse considerationem victus, vnam absolutam, aliam respectu virtutis, & vnam esse victus differentiam, quæ virtutem expurgat; quibus morbis, quid potest deterius minusue proprie dici? falsum enim est, Hippocratem in hoc libro sibi proponere scopum purgationem corporis, cum non solum de purgatione, sed de alia omni vacuatione etiam agat, & non solum de euacuatione, sed etiam de repletione tractet. Fit præterea purgatio per medicamenta purgantia; at per victum, C aut chirurgiam, quis apte dicit eam fieri? alimenta vt alimenta sunt, alicuius semper sunt alimenta, quare per se considerari non possunt; At si posuit, vnam speciem victus conseruare vires, aliam augere, tertiam proprie nominare debebat, non quæ vires expurgat, sed minuit, sic enim seruaretur per opposita diuidendi loquendique ratio. Sed his omissis, videamus nos quomodo ætates ad victum instituendum conferant.

Alimenta per se nõ possunt considerari.

Aetates quomodo ad victum instituendum conferunt.

Non id sane faciunt, vt indicantia, cum solæ vires victum indicent; nec vt contraindicantia, cum vires sint secundum naturam; & propterea nec vt correpugnantia locum suum habent; quare superest, vt conferant *quatenus vel permittunt, vel coindicant*: Verum, cum ex ætatibus D colligamus, quales quantæque vires sint, merito vt coindicantia, eam, quam habent, vim exercebunt; at cum inter coindicantia alia sint, quæ primo loco id faciunt, alia secundo, alia etiam tertio, temperamentum primo coindicat victum illud enim immediate ostendit, vires imbecilles, aut debiles, aut validas: ætas vero temperamenti interuentu idem facit: significat enim, quale sit temperamentum: siquidem ex diuersis ætatibus diuersum subesse temperamẽtum, notarunt maiores nostri.

Coindicantium ordo.

Cæterum conferre ætatem ad omnes scopos de victu instituendos, ratio dictat, & cum de E singulis scopis agemus, facile intelligere licebit: hic vero mentionem facit author de ætatibus, ad genus & quantitatem etiam victus instituendam, quod ostendunt præcedentes Aphorismi, & qui sequitur, in quo huius rationem reddit, & quæ in hoc de ieiunio scribit? nam *in sequenti*, de pauco, & plurimo nutrimento agit, quæ tum natura sua tum quantitate talia dicantur, vt antea ostendimus: Docet ergo ex ætatibus quo victu, & quanto egeat corpus.

Aetatem ad omnes scopos de victu instituendos conferre.

Verum

Verum quoniam intelligere non possumus, quomodo ætates singulæ victum mutent, nisi prius ætatis natura, & differentiæ intelligantur, ideo de hac re prius agendum: Porro, ætatis nomen *ab ano* deducunt authores linguæ latinæ, quasi *anuatatem* dicas; vsurpant autem ætatem aliquando iidem authores, solum *pro iuuentute*, vt videre est apud Ciceronem *in septima actione contra Verrem*, vbi ita scribit: *Si qui senes, aut deformes erant, eos in hostium numero ducis: qui aliquid formæ, ætatis, artificiique habebant, abducis omnes.* Capiunt etiam, aliquando ætatem *pro solo anno*, vt Virgilius *tertio Georg: cornum.*

Ætatis nomen vnde ducatur.

Varia ætatis nominis vsurpatio.

1\.

2\.

A tribus exactis vbi quarta accesserit ætas.
Carpere mox girum incipiat.

Capiunt & ætatem *pro tempore*, vt cum vulgo dicimus, nostra ætate, pro nostro tempore.

3\.

4\. Vsurpatur aliquando pro seculo idest, pro centum annis, vt apud Ouidium de Nestore scribitur:

Annos bis centum nunc tertia viuitur ætas.

5\. Aetas etiam frequenter pro *vita hominis* accipitur, vt apud Plautum:

Me ætatem meam viduam esse malui, idest totam vitam meam.

Ætas quid tamen sit.

Quid vero reuera sit ætas, nunc definiendum est: Fernelius ætatem definit esse id vitæ curriculum, quo luculenter corporis constitutio per se, & ab internis suis principiis mutatur. Verum ætas non est pars vitæ, sed potius *mensura quadam temporis, aut tempus ipsum, quo mensuramus vitam hominis*, in qua enim parte vitæ sit id, quod viuit, agnoscimus, & distinguimus per ætates, *vnde ætas reuera non est vita, aut vitæ aliqua pars, sed* (vt diximus) *quod vitæ partem, & vitam ipsam mensurat*: vt tempus ipsum *non est motus, sed mensura motus*: Aetas autem est definitum quoddam tempus, relatum ad vitam rerum.

Tempus quid.

Quanta sit tota hominis ætas, non satis constare.

Cæterum, quanta sit totius hominis ætas, idest, vitæ spacium, non satis constat: nam etsi Plinius *cap. 49. lib. 7.* refert, quosdam ex Astrologia docuisse, in Italia homines posse viuere centum viginti duos annos, nec eum terminum aliquem excedere posse: tamen sunt, qui referant, quosdam centum, & quinquaginta, alios ducentos, alios trecentos annos vixisse, vt omittã sacras historias, in quibus habetur, quosdam superasse nouemcentum annos: nos vero, qui nunc viuimus eos admiramur, qui centum annos ex nostris attingunt: Porro, cum ætas sit quoddam vitæ tempus ab aliis diuersum, merito fit, vt authores in numero ætatum inter se dissentiant, quoniam non constat, quot mutationes subeant nostra corpora ex suis principiis in vita nostra; nam Auicenna *in prima primi*, quatuor solum ponit ætates; adolescentiam, quam dicit durare vsque ad triginta annos; consistentiam, siue iuuentutem, quam etiam vocat ætatem pulchritudinis, quæ durat à trigesimo vsque ad quadragesimum; tertiam ponit ætatem, in qua virtus minuitur quidem, sed non manifeste, & durat vsque ad sexagesimum, & vocat senectutem: vltima ætas est senectus, quæ durat vsque ad finem vitæ. Verũ, puto errorem esse in interprete: nam cum dixisset, quatuor esse ætates, tres solum postea enumerat, & interpretes videtur confundere iuuentutem cum ipsa consistentia. Author vero definitionum Medicinalium diuidit ætates in pueritiam, pubertatem mediam ætatem, & senectutem. Varro, in infantiam, pueritiam, adolescentiam; iuuentutem, & senectutem, & vnamquamque illarum in tres partes, primam in viridem, secundam in adultam, vltimam in præcipitem; vocat autem infantes, eo quod fari discant; pueros quod pari, idest, impuberes sint; adolescentes quod maxime tunc crescant adolescant; iuuenes, quod Rempublicam in re militari iuuare possint; alios autem senes, quod tunc corpus senescat. Gellius *lib. 10. cap. 28* refert ex Sensorino, Hippocratem diuidere ætates in septem, sed non indicat ex quo loco Hippocratis eam diuisionem acceperit. hic enim quatuor solum ponit ætates, senilem, consistentem, adolescentem, & puerilem. *In libro* vero *tertio Aphorismorum* non generales, ætates, sed minores illorum partes prosequitur. Galenus autem varius etiam in hac re fuit: siquidem *in hoc Commentario* quinque ętates facit, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, consistentiam & senectutem; *Aphorismo* vero 9.5. inter pubertatem, & iuuentutem scribit; Alibi, vt 29.3.7.5.27.3. puberatem à 14. anno incipere, & vsque ad 25. extendi scribit, vbi sub pubertate adolescentiam comprehendit; Addendum autem esse pubertatẽ, ex hoc constat: quod Adolescentiam à 18. anno incipere scribat, Pueritiam vero in 14. desinere, quomodo tẽpus; quod est à 14. ad 18. nulla ætate contineretur.

Ætatis diuisio secundum Auicennam.

Secundum autorem definitionum medicinalium.

Secundum Varronem qui addit vniuscuiusque derivationem.

Secundum Hippocr.

Secundum Galenum.

Cum vero nos generales primum ætates quęramus, quas postea in particulares diuidere oportet, adolescentia in prima diuisione ponenda non est, cum pubertatis pars sit: sic enim fœtus; & nuper nati, qui in pueritia continentur, statim ab initio in generali diuisione numerandi essent.

Fernel.

Fernelius diuidit ætates in quinque, in Adolescentiam, iuuentutem, consistentem ætatem, primam senectutem, & decrepitam. Philosophi (si Montano credendum est) ætates solum duas faciunt, Adolescentiam & declinantem ætatem. Mathematici autem & Astrologi, vt Ptolemeus, aliam secuti sunt diuisionem, ponunt enim primum quatuor esse ætates, adolescentiam, iuuentutem, virilem ætatem, & senectutem. Est autem orta hæc discrepantia inter authores in diuisione ætatum, ex diuerso fine & instituto, quod sibi quisque proponit: nam qui Reipublicæ regendæ præsunt, ætates diuiserunt in tres, in pueritiam, quam extendunt vsque ad decimumseptimum annum, eo quod inutiles sint, qui in ea ætate sunt, ad iuuandam Rempublicam, vel consilio, vel viribus. Secunda ætas ex illorum diuisione durat vsque ad quadragesimum sextum annum, & iuuentus nominatur, quod maxime iuuare possint Rempublicam, & armis & consilio. Tertia est senectus, in qua homines consilio plurimum pollent. Philosophi etiam si diuidunt ætates in duas, optima ratione id faciunt, sequuntur enim vigorem & declinationem, qua nascuntur ex propriis principiis, vel enim crescit calor noster, vel decrescit, nec datur in hac medium; quare sequentes illi mutationes, quæ in nobis fiunt ex caloris vigore & diminutione, ætates diuiserunt in iuuentem & senectutem; Medici vero, qui ætates considerant, quatenus

Philosophos.

Astrologos.

Discrepantia autorum de diuisione ætatum vnde orta.

& senectutem; Medici vero, qui ætates considerant, quatenus mutant medendi ratione, plures ætates posuerunt, quoniã videbant temperiẽ sæpius mutari, & toties propterea mutari curationẽ & alia officia Medici, primo enim agnouerunt, corpus nostrũ vsque ad decimũ quartum annum plus caloris & humoris habere, quam moderata temperies postulet, & illã ætatẽ vocauerunt pueritiam; postea viderunt vsq; ad vigesimũ quintũ annũ seruari debitã proportionem à calore cum humore & aliis qualitatibus, & eam ætatem potuissent temperatã vocare sed malu runt pubertatem nuncupare, eo quod in eo tempore pubescant, & pilos emittant homines. Cæterum, à vigesimoquinto anno vsque ad trigesimumquintũ, calor iam præualet humido, & acrior propterea redditur: vnde agnoscitur corpus calidius & siccius, quam postulet moderata tẽperies, & merito iuuentus ea ætas nominatur, quoniam maxime apta est (vt diximus) Rempublicam & viribus & consilio iuuare. Sequuntur postea duæ ætates, consistens siue declinans, & senectus, quæ etsi reuera habent eandem temperiem frigidam, & siccam, tamen quia vsque ad quadragesimum nonũ annũ non est sensibilis lapsus viriũ, quæ vigebant in iuuentute, ideo hanc ætatẽ separauerũt senectute, in qua frigiditas & siccitas præualẽt; & quia illa declinatio, vt diximus est exigua, adeo vt videatur iuuenile robur consistere, ideo etiam consistens ętas nuncupata est, quod autem declinans ætas, & consistens idem sint apud Galenũ, patet ex hoc Aphorismo, in quo scribit inclinantem ætatem iuuentuti continuari; & in sequenti eam à senectute separat; quod autem hæc ætas incipiat à trigesimoquinto anno, constat, cum illic desinat, teste Galeno *Aphoris. 9. lib. 5.* iuuentus.

Quod vero extendatur vsque ad quadragesimum nonum annum, ex eo patet, quod duas septimanas ei ætati tribuat, quia vero in pubertate sunt anni quidam, in quib. corpora maxime crescunt, & magnitudine & viribus, nempe à decimo octauo anno, ad vigesimumquintum vsque, ideo adolescentiam eam pubertatis partem vocauerunt, & est omnium temperatissima & optima ætas. Pueritia etiam habet quasdam partes, siue iuniores, in quas diuiditur, vt constat ex *Aphorismis tertii libri, & ex textu octauo secundi Commen. 3. Epidemion, & ex textu quinto 1. Commen. 6. Epidemion*, siquidem, pueritiam ex illis locis diuidimus in fœtum, in nuper natos, & eos, qui ad dentium productionem accedunt, & qui pubertati sunt propinqui; sunt tamen, qui fœtũ siue embryon intelligunt id, quod in vtero est conceptum solum duorum vel trium mensium. Sunt vero qui infantiam vocent pueritiæ tempus quod est vsque ad septimum annum, vt ex *loco præcitato in 6. Epidemion* patet, Xeulis tamen & Hiero. Medici παιδία, & νήπια, i. pueros, & infantes, idem apud Hippocr. esse contendunt; nec eos solũ infantes ab Hippocrate vocari, qui nuper nati sunt, aut qui ad quintum vel sextum annum attingunt, per metaphorã tamen valde pusillos fœtus νήπια, παιδία vocari ab Hippocrate, scribit *textu 7. secundi Comment. 2. Epidemion.* Pubertatis pars, quæ à decimooctauo anno vsque ad vigesimumquintum extenditur, adolescẽtia à Medicis

A vocatur; At vero, senectutem *in Commentario* diuidit Galenus, in primam, & vltimam senectutem; *in fine* vero *quinti de sanitate tuenda*, in tres quarum prima est eorum, qui viridi senecta sunt præditi, quos ob id ὠμογέροντας, idest crudos senes vocat; Secunda pars, proprie senectus dicitur; Tertia, quæ decrepita nuncupatur, & qui in ea ætate sunt, decrepiti, & valde etiam senes ab Hippocrate vocari solent.

Senectutis diuisio.

Causam autem, cur sint quatuor ætates, triplicem assignant Astrologi; primam ex diuisione ipsius Zodiaci; secundã ex motu stellarum per ipsũ Zodiacum; Tertiã ex motu & lumine ipsarum stellarũ; Zodiacum enim diuidũt in quatuor quadrantes, quorum primus constat ex Signis Gemi-B norum, Libræ, & Aquarii; Secundum dicunt constare ex tribus signis Ariete, Leone, & Sagittario; Tertium vero constituunt ex Tauro, Virgine & Capricorno; Vltimum autem ex Cancro, Scorpione & Piscibus. Ac Primum quadrantem esse dicunt aereum calidum & humidum: Secundum calidum & siccum, igneum: Tertium, frigidum & siccam terram. Quartum frigidum & humidum, aqueum: Stellas autem dicunt moueri per Zodiacum, & quando mouentur per Signa Arietis, Tauri, & Geminorum, tunc gignũt caliditatem & humiditatem: quando vero mouentur per Cancrum, Leonem, & Virginem, tunc inducunt caliditatem & siccitatem: quando vero per Libram, Scorpionem & Sagittarium C pariunt siccitatem & frigiditatem: cum vero moueotur à solstitio Hyemali ad æquinoctium Veris, gignitur frigus & humiditas. Tertiam rationem, quam sumunt ex virtute stellarum, nempe ex motu & lumine illarum, ita interpretantur: Lunam & Venerem caliditatem & humiditatem parere semper: Mercurium vero eadem vt plurimum: Solem vero caliditatis, & temperatæ siccitatis authorem esse affirmant: Martem validissime exsiccare & calefacere: Iouem esse calidum & moderate humidum; Saturnum valide frigidum & siccum. His positis, dicunt, ætates merito diuisas esse in quatuor primas partes, quoniam quatuor sunt solũ primæ Zodiaci diuisiones, quæ mutandi vim habent quater nostra corpora: D & quia stellæ, quæ suo lumine & motu nos possunt afficere, mouentur solum per illas quatuor partes, & quia vim habent gignendi quatuor illas combinationes primarum qualitatum: Diuidunt rursus quatuor illas partes in minores alias, ratione sumpta ex planetis, & omnium primam ætatem in partes tres, propter actiones aliqua ratione inter se diuersas illarum trium dominantium stellarum, scilicet Lunæ, Mercurii, & Veneris, & propterea quatuor primos annos Lunæ tribuunt, quia ea totam suam inæqualitatem, quatuor annorum spacio absoluit: merito ergo quatuor humidissimi anni humidissimo planetæ tribuuntur: propterea tunc corpus est infirmum, tenerum, & subitum ipsius incrementum, & in eo anima est debilis: proximum autem decennium, quo puerilis ætas completur, Mercurio tribuunt, qui vim leuem habet aliquando exsiccandi, etsi sæpius humectet, merito igitur totum hoc tempus, quo partes incipiunt fieri solidiores, Mercurio concedunt, nec plures, nec pauciores annos

Causa quatuor ætatum triplex ab astrologis assignatur.

Pueritiæ diuisio.

E *Cui planetæ quæuis ætas ab astrologis assignatur.*

annos illi tribuunt: quia in eodem spacio suam quoque inæqualitatem absoluit; propterea errat Montanus, qui septem annos pueritiæ Lunæ, & totidem Mercurio tribuit; non mirum ergo, si in ea ætate pueri sunt ad eruditionem apti, & excitantur ad discendum, intelligendum, & ratiocinandum, hæc enim Mercurio tribuunt. Vltimam partem primæ ætatis aiunt comprehendere octo annos, quoniam venus eo spacio temporis suam perficit inæqualitatem, & propterea ea ætas ad sanguinis & seminis generationem omnium aptissima est, quoniam hæc proueniunt ex temperie calida & humida, cuius author est Venus, quæ etiam adolescentes inducit ad deceptionem, mentisque cæcitatem, vt immoderatæ & impetuosæ libidini seruiant. Secundam ætatem extendunt à vigesimosecundo anno vsque ad quadragesimum primum, inclusiue, & hac diuisione relinquunt, quoniam toto eo tempore Sol eget, vt redeat ad eundem punctum Zodiaci, & ad eundem aspectum Lunæ: nam Solis & Lunæ actiones communi & mutua opera perficiuntur; propterea hæc ætas inter alias omnes maxime splendet & vegeta est, & pudoris honorisque cupida, propter caliditatem & siccitatem, quarum cum certa mensura author est Sol. Tertiam ætatem, quam Medici aliquando declinantem, aliquando consistentem, vt diximus nominant, Astrologi vocant virilem, & Marti tribuunt, annosque quindecim durare dicunt, idest vsque ad quinquagesimũ sextum annum, quoniam Mars toto eo tempore dominatur, & propterea anni illius ætatis sunt anni roboris, & vigoris, grauitatis & aduersitatis. Quartam ætatem, quam senectutem etiam ipsi vocant, tribuunt Ioui & Saturno, sic ut adolescentiam Lunæ, Mercurio, & Veneri: nam primam senectutis partem, quam duodecim annos illi continere statuunt, & durare à quinquagesimo sexto ad sexagesimum octauum, volunt a Ioue regi, tot enim annos exigere Iouem, vt proprium suum motum absoluat, & tunc ob dominium huius planetæ, homines sanam habere mentem, turpia negligere prouidos esse, eloquentia & sermone pollere, angustias fugere, & pericula, quæ temere suscipiuntur, soliciosque maxime esse de libertate, bonaque fama; Alios vero annos senectutis tribuunt Saturno, qui frigiditatis & siccitatis immoderatæ causa est, per accidens suo paruo lumine & motu tardissimo; propterea in ea sunt ætate, qua sentiunt, naturam ad declinationem festinare, & delectationis diminutionem, hæc enim qualitas vitam hominis exuit, impedimentum, & tristitiam, & paruam rerum sustentationem imprimit. Quod si contingeret, post annos duodecim primæ senectutis, quam Ioui tribuimus, annos triginta, in quibus Saturnus perficit suum motum, homines excedere, illud extremum temporis Lunæ rursus tribuunt, nihil enim aliud est extremum illud senectutis, quam summa humiditas & frigiditas, cuius Luna est author. Hæc quidem tradunt Astrologi ... aliter sic se habere; in aliquibus vero aliquando paululum variare, iuxta diuersos positus stellarum & motus in eorum genituris, vt Ptolemæus author est *in quarto libro sui Quadripartiti, capite de temporum diuisione*, sequens Indos & Aegyptiacos.

Feruelii vero diuisio nec cum aliis consentit, nec quibus rationibus confirmari possit, habeo, cum author legumlatorum more eum numerum constituat. Ego, vt verum fatear, nullum video authorem, qui suæ diuisionis certam rationem reddat, aut certos terminos ponat: probabilior forte videbitur esse Astrologorum opinio, etsi in ea etiam est, quod reprehendi possit: nam si quatuor solum sunt vniuersales ætates, cur Ioui & Saturno diuersis longe inter se planetis, senectutem, quæ vnam habet temperiem per magis & minus differentem, tribuunt? cur potius non posuerunt septem ætates, vt septem sunt planetæ quod video à quibusdam factum, vt refert Brasauolus *in suis Commentariis*, nam Græcus quidam incertus author, septem ponit ætates, & primam infantiam, vsque ad quartum annum, quam refert ad Lunam; pueritiam à quarto ad decimum annum, quam dat Mercurio; adolescentiam à decimo vsque ad decimum octauum, & eam subiicit Veneri; iuuentutem à decimo ad vigesimumquintum quam dat Soli; virilem ætatem à 25. ad 50. & hæc datur Marti, à 50. ad 69. primam senectutem tribuit Ioui; Reliquum vero tempus vitæ, senectutem, cuius author est Saturnus, appellat. Et quomodo primi quatuor anni ad Lunam referuntur, si illa frigiditatem & humiditatem inducit, corpus vero nostrum eo tempore calidum est & humidum? Agnoscimus præterea, iuuentutem esse calidissimam & siccissimam, quæ temperies ad Solem quomodo referri potest, si ille caliditatis & solum temperatæ siccitatis est dominus: Præterea, Iupiter senectutis, quæ frigida est & sicca quomodo potest esse author? Montanus etiam *in Commentariis huius Aphorismi* tradit, quæ ab aliis omnibus discrepant, & ab his etiam, quæ ipse docet in primam Fen Auicennæ: ait enim, senectutem incipere à trigesimoquinto, anno, & durare vsque ad sexagesimum tertium: consistentiam vero incipere à vigesimooctauo anno, & durare vsque ad trigesimum quintum: aliquando vero vsque ad quadragesimum vel quadragesimumquintũ: Adolescentiam autem à decimoquarto vsque ad vigesimumprimum, vel vigesimum octauum: pueritiam impropriè sumptam à primo ortu vsque ad decimum quartum extendi, propriè vero sumptam, à septimo ad decimum quartum: nescio, vbi ille inuenerit ætates propriè vel impropriè sumi eo modo, quo scribit. Sed aliis omissis, diligentius explicemus, quodnam temperamentum assignetur singulis ætatibus, & quinam humores in illis vigeant: nam de his etiam controuersia aliquando est.

Tradit Galen. *in 8. de placitis, & in 3. de Caussis Symptomatum*, puerilem ætatem esse calidam & humidam, & eiusdem temperamenti cum Vere: id, quod ostendit color ruber, corporis mollities, incrementum, concoctio validissima, quæ omnia dominium caloris & humoris testantur: quod si aliquando Galenus scribit, in pueris abundare pituitam, id fit ob deprauatum victum, cum scilicet plus ingerunt, quam possint concoquere. Pubertas ab eodem authore recte censetur esse temperata, plus, vel minus. Verum adolescentia, (vt ille tradit *decimo octauo Aphorismo tertii libri*) omnium ætatum est optima, & temperatissima: nam priores anni quatuor plus forte humoris & caloris obtinent, quam mode-

Astrologorum opinio reprehenditur.

Montani opinio reiicitur.

Quodnam temperamentum assignetur singulis ætatibus.

rata ad vnguem temperies requirat. Iuuentus A calida est, & sicca, id, quod ostendunt bilis flauæ, generatio, furor, robur, & morbi biliosi, qui in ea ætate frequentes sunt. Maior autem est controuersia de temperamento consistentiæ, & senectutis: nam *vigesimonono Aphorismo tertii*, scribit, illos multum atræ bilis procreare, & propterea homines in ea ætate maxime fieri melancholicos: quo loco etiam illius ætatis temperiem eãdẽ esse cũ tẽperie autumni dicit quod si nõ est oportet illos esse calidos & siccos, à tali enim temperie atra bilis procreatur, si modo illa per adustionem gignitur, quomodo salsus sapor ex amaro; at si ita est, Autumnum oporteret esse calidum & siccum cum tamen illum ponat vt plurimum siccum & B frigidum: Aliquando vero, vt *in libro de temperamentis*, absolute siccum, in calore vero, & frigore inæqualem. Sed meo quidem iudicio non obstat quo minus declinantem ætatem frigidam & siccam statuamus, & in ea tamen gigni per adustionem atram bilem: nam æstas tantum ardorem, tantamque siccitatem in humoribus induxit, vt calor paulo minus temperato in Autumno sufficiat addere id quod deest ad perfectam atræ bilis generationem: id enim accidit, quod videmus fieri in his, quæ elixantur, ea enim à liberaliore igne aliquandiu excalefacta, non desinunt ebullire & perfectam concoctionem capere, si postea minimum ignis apposueris. Verum si consistente ætate ponimus esse frigidos & siccos, C quomodo different à senibus? an non nisi per magis & minus? leuiores enim sunt in consistentibus harum qualitatum excessus, qui in senibus iam sunt conspicui; propterea consistentes vocat Galenus, quod videantur in iuuenili robore permanere. Mihi tamen non displicet Ptolemei opinio, qui Ioui eam ætatem refert acceptam; nam qui in ea ætate sunt, gignunt frigidiores & humidiores humores: id quod ex eo patet, quod & calorem & frigus sine magna molestia pariter sustineant, quod fere temperatæ naturæ est inditium: D illos vero, quos adurit humores, ab æstate iam torridos sumunt, ita vt minimum ad id conferat ea ætas: quo etiam Galenus aliquando testari solet, atram scilicet bilem gigni in æstate, sed seruari in Autumno. Non magnopere igitur repugnabo, si quis declinantem ætatẽ statuat esse frigidam & siccã, vel calidã & siccã, vel calidã & humidã moderate, vt Iupiter esset, q; pinguedinis generatio ostendit: nam qui bene sunt affecti, in ea maxime ætate corpulenti & pingues redduntur, quæ fieri non possunt exuperante frigido, & sicco, sed humido cum calore moderato, vel parum excedente, vel infra mediocritatẽ subsistente, si intelligat leues excessus in calore & frigore, vnde sequitur generatio mitiorũ humorũ, quam in Æ E state, & meliorum, quam in senectute; parum vero confert siccitas ad humorum generationẽ si modo calor præualet, aptusq; est; nihil ergo obest quo minus illi solidioribus partibus frigidi & sicci sint, & tamen gignant humores satis temperatos.

Controuersia de temperamento ætatis consistentis.

De temperamento senectutis eadem fere est controuersia; nam *secundo libro de Causis Symptomatum*, & *secundo de Temperamentis*, scribit, illud esse frigidum & siccum; id quod *octauo de Placitis* confirmat, cum senes dicit habere sole

Controuersia de temperamento senectutis.

temperamentum, vt Autumnus; *in secundo* vero *de Temperamentis*, duplicem temperiem omnibus senibus concedere videtur, vocat enim frigidos & siccos solidis partibus, frigidos vero & humidos excrementis: tametsi *in libro octauo de Placitis*, senes distinguit, & proprie senes Autumno, & decrepitos Hyemi comparet, & profecto in frigidis & siccis temperaturis partium non idem sit, quod in calidis & humidis: nam humores, qui in his gignuntur, similes sunt qualitatibus exuperantibus, in illis vero non item perpetuo; nam vbi leuis est excessus frigoris & siccitatis, non mirum, si humor melancholicus in ea temperie abundat; at vbi frigus admodum vincit, & plurimum iam languet calor, non sicci, sed humidi humores procreantur, hi enim sequuntur cruditatem, quæ cum humore necessario est coniuncta: cruditatis autem & imbecillæ concoctionis author est imbecillus calor, quem & frigus nominamus, non quod reuera plus frigoris sit in corpore, quam caloris, (id enim fieri nequit, quamdiu res viuunt,) sed minus caloris est, quam proportio bene temperatorum exigat; quia ergo Medici student, quantum fieri potest, emendare corporum vitia, ideo senes nunc frigidos & siccos nũc frigidos & humidos esse pronunciant: nã quoniã prima senectus non multũ molestatur ab excrementis, propterea Medicus vitium notat in siccitate, cui emendandæ totis viribus incũbit; decrepiti vero humidi dicuntur esse potius quam sicci, quoniam desperata iam cura siccitatis Medicus notat illud malũ, cui aliqua ratione succurrere potest.

Εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία, τούτων δὲ αὐτῶν ἅπερ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑαυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

Facillime ieiunum ferunt; secundo loco qui ætatem habent consistentia, minus adolescentes, omnium minime pueri præsertim qui inter ipsos sunt inuidiores.

IEiunii nomine scribit Galenus intelligendum paucum nutrimentum, & mediam, quod mihi non placet. Primum, quod scribat Hippocrates absolute *senes facillime ferre ieiunium*, nullos ex senibus excipiens, falsum autem sit (vt Galenus recte admonet) decrepitos facillime tolerare inediam; Deinde quod *in sequenti Aphorismo* qui huius rationem reddit, scribat author, senes pauco nutrimento opus habere, idem quod hic per ieiunium intelligens, paucum scilicet alimentum: facillime igitur ferre ieiunium dicentur qui paucum cibum appetunt, & interim non læduntur; ex quo patet, quid sit facile, & difficile ferre ieiunium: nam cum quidam sint, qui appetunt, & læduntur: alii, qui appetunt & non læduntur: alii qui non appetunt, & læduntur: alii, qui neque appetunt, neque læduntur: primi difficillime, vltimi facillime, duo medii facile & difficile ferent ad alios collati: nam qui appetunt, & non

non læduntur ex eo, quod appetunt, difficile ferunt: ex eo vero quod non læduntur, facilè, qui vero non appetunt & læduntur, ex eo quod non appetunt, facilè, ex eo verò, quod læduntur, difficile ferre ieiunium censentur. At quoniam hæc intelligi non possunt, nisi intelligamus, quænam sit appetentiæ causa, ideo paucis de hac re agemus, præsertim, quod Galenus varius in hac re esse videatur, aut certè Methodo non vtatur, dum immediatas causas omittit, particulares vero omnibus notas enumerat: ait enim (ne singulos locos referam) passim in suis operibus, appetentiam aliquando fieri à dissolutione nostræ substantiæ, ab austeris cibis ingestis à cibo potioneque frigida à salsis, acidis, amaris, acribus, à frigida ventriculi intemperie, ab humoribus acidis, B à frigiditate externa, à natiuo calore, à vigilia, somno, exercitatione, quiete, à Venere aliquando fieri appetentiam notum etiam est. Ætates præterea quædam appetentiam intendunt, aliæ dissoluunt, sicut & multæ ex prædictis causis. Sed hæc docendi ratio Empirica est & nulla Methodo constans: nam cum illa, quæ numerata sunt, nec primo nec per se appetentiam excitent, immediatæ causæ primo erant tradendæ, ex quibus postea licet intelligere, quid vnaquæque aliarum efficere possit, & cur nunc vna, nunc alia, & non eadem in omnibus res idem efficiant, & quæ præterea veræ sint causæ, & quomodo ab aliis discernantur. C

Duas esse primarias & proximas appetitiæ causas.

Igitur si fames (vt ille *in tertio de locis affectis, & in libris de simptomatis* testatur) est sensus alimenti deficientis: vel potius cum sensum sequitur, duas profectò primas oportet esse & proximas illius causas, nempe *sensum, & id quod afficit*: propterea qui delirant, eo quod sensationes nō apprehendant, non appetunt, & quibus cerebrum contusum est, vel alio modo ita affectum, vt sensifica vis per neruos ad os ventriculi peruenire nequeat, non fament: affici autem sensum oportere, constat, quandoquidem sensatio non fit, nisi sensibilia sensum moueant, vnde in repletis cibo potuque appetentia non fit, etsi sensu exquisitissimo illi præditi fuerint, excitari ergo oportet sensum in ore ventriculi, vt fames fiat, sed non à quacunque re, nec quocunque modo: si enim vel à replente re aliqua grauetur, aut à causa mordente afficiatur, excitabitur quidem sensus, sed non ad appetendum cibum, sequitur enim ad hoc expulsio, & euacuatio, non appetentia & cibi ingestio: quod si appetimus id, quod replet, & restituit substantiam deperditam, profectò *sola vacuatio humiditatem, substantiamque contentam in ore ventriculi*, vim habebunt ad appetitum excitandum: at cum euacuari ea possit, vel à digerentibus, vel comprimentibus, vel attrahentibus, & sugentibus, non omnia hæc apta sunt ad appetitum in nobis excitandum: quæ enim ita vacuant, vt temperiem roburque partis simul etiam dissoluant, vt alias actiones, sic appetentiam lædunt: quam ob rem ea solum ad appetitum conciliandum faciunt, *quæ vacuando robur ventriculi seruant*, cuiusmodi sunt comprimentia, vt frigida, austera, acida, vel quæ abstergendo & simul astringendo idem faciunt, vt salsa: calor vero natiuus, vt naturæ est instrumentum, ita digerendo vacuat, seruando naturalem temperiem: sic

Appetitum excitantia quæ.

Quæ id minimè.

venæ sugendo, cum ad id sint à natura institutæ, aptissimè idem faciunt: atque vehementius calefaciendo humorem digerunt, tantum abest, vt appetentiam excitent, vt etiam arceant, vel præsentem tollant, eo quod ventriculi robur dissoluant, vnde per febres & æstiuum calorem, interim cum exhauritur corpus & consumitur, appetentia perditur. Eodem modo cum humores biliosi occupant orificium ventriculi, perditur appetentia in benè affectis corporibus: in pituitosis vero non obest, quoniam abraditur pituitosus aquosusque humor, qui replet, imbuitque stomachum: qua ratione etiam acria, amara, & salsa, conferunt quoque in illis ad appetentiam; in aliis vero, qui expeditum habent ventriculum ea obsunt, quia intemperiem calidam inducunt, aut certè laxant, eneruantque ventriculi robur. Eodem pacto vehemens exercitatio in biliosis minuit appetentiam, quam quies auget: in pituitosis vero contrarium accidit; nec somnus quidem aut vigilia semper idem efficiunt in omnibus, sed aliquando cruditatem pariunt, & replent, aliquando euacuant. Sunt præterea ex prædictis causis quædam efficaces, aliæ debiles ad appetitum mouendum: nam quæ digerunt, aut sugunt cum iusta mensura, illa insignem appetentiam pariunt, vt labor, vigilia, purgatio, & alia euacuantia: quæ vero exprimunt substantiam ventriculi, illa minimam habent vim in eo opere perficiendo: vnde videmus ab austeris & acidis alimentis, & à frigida potione, debilem fieri famem, propterea quod parua & inæqualis fit ab illis euacuatio: euacuatur enim duntaxat fortè quod in ventriculo continetur, quod quidem facilè & pauco alimento restituitur: at vera fames requirit aliorum membrorum inanitionem, & primum eorum, quæ cuti sunt maximè vicina, illa enim vacuata, naturali appetitu mota repleri cupiunt, vnde attractio fit successione quadam tandem ab orificio ventriculi, quod sentiens suam etiam inanitionem, repleri pariter desiderat; & quia alimentum non habet aptum in corpore, sensu exquisitissimo præditū est à natura, vt molestiam eam sentiat, & ita animal admoneatur, vt extrinsecus porrigat alimentum: propterea huius partis appetentia fames animalis, quod animalibus sit propria, aliarum verò partium appetentia, fames naturalis dicitur, quod omnibus viuentibus natura constantibus sit communis: nam & plantæ naturali desiderio appetunt repleri, cum sunt euacuatæ. Explodenda vero est Montani opinio, qui tradit, ventriculum non primum appetere ob suam inanitionem, sed ob corrugationem ab inanitione factam: id enim Galeno repugnat, & rationi: nam vt aliæ partes, sic & ventriculus non aliam habet causam appetentiæ & repletionis, quam inanitionem: immediatè enim quod euacuatum est repletionem appetit.

Digerentia vehementius calefacientia cur appetitum arceant.

Fames animalis quæ, quæ itidem naturalis.

Montani sententia exploditur.

Præterea, in eo etiam errat, quod naturalem famem dicat requirere quinque motus, de animali hoc scribitur à Galeno, non de naturali. Vt ergo ex prædictis quædam minimam, talia vero maiorem habent vim ad famem quæ ad secundum naturam excitandam: ita frigidi humores, vt pituita acida, & humor melancholicus, occupantes orificium ventriculi, vel plusquam oportet famem intendunt, vt quæ cōtinuo expri-

Quæ fames requirat 5. motus.

mant humorem ventriculi, vel absurdam appetentiā pariunt, vt in fame canina, & malicia mulierum apparet, qua laborantes cinerem, carbones, & alia aliena à nostra natura, etsi fortè illis non inutilia appetunt; inter omnes tamen potentes causas, ea validissima est, quæ à natiuo calore petitur, est enim fames interna, & nobis insita actio, appetitus hic: vnde insitam necesse est vt habeat causam & instrumentum, quod est calor natiuus, cuius adminiculo omnes actiones nostri corporis rectè obeuntur; id quod facit (vt postea ostendemus *in sequenti Aphorismo*) suo motu, dum nunc contractus in internis partibus B vel ad externas expansus, aut vniuersum corpus æqualiter afficiens, vim suam omnibus liberaliter impartitur: & propterea quæ famem patiūt, eo, quod aliquid conferant calido huic natiuo, illa etsi non per se, tamen rectè conferunt ad appetitum excitandum: cuius generis sunt ætates, vt postea ostendemus. Appetunt igitur & læduntur, vt ad rem nostram accedamus, quibus appetentia fit à calore natiuo, nisi cibo reficiantur, quoniam digeritur illorum substantia, quæ non nisi externo cibo restitui potest. Appetunt verò & non læduntur à ieiunio, qui ob pituitam frigidam in ventriculo contentam appetunt: interim enim pituita in illis consumitur, & nutrimentum fit; C Læduntur verò & non appetunt, in quibus dissipatio magna fit, & molestiam à vacuatione factam non sentiunt; Non appetunt vero, nec læduntur, quorum substantia non digeritur, & sensus obtusus est, quapropter senes meritò facillimè ieiunium ferunt, quoniam dissipationi inepta est illorum substantia sicca & dura, & calor illorum imbecillus est, qui dissoluere non valet, tum etiam, quod sensifica vis in illis elanguescat: Addo, quod frigidiore sanguine abundent, qui cum alimento destituuntur, elaboratur, & concoquitur, in nutrimentumque cedit. Illorum verò ratio refellenda, qui credunt, illos pituita abundare, & ex ea pura nutriri, nam (vt alibi ostendimus) simplex pituita nutrire non potest: quoniam ex quatuor humoribus nutrimentum fit, D pituita vero frigidissima & humidissima non potest materia esse generationis quatuor humorum nam quomodo bilis flaua, & humor melancholicus ex pituita fieri possunt? Præterea oportet ex ipsa pituita rursus pituitam fieri, si ex illa sanguis, qui particeps est quatuor humorum, fieri debet: quæ omnia sunt absurda. Cum vero Galenus pituitam per vlteriorem concoctionem dicit mutari in sanguinem, & postea nutrire, intelligit pituitæ nomine non quartum humorem, sed totam ipsam sanguinis massam crudiorem adhuc, & frigidiorem, ea enim cum nondum habeat veras qualitates sanguinis, per concoctionem eas acquirit. Verum, etsi pituita simplex, nec actu, nec potentia potest esse nutrimentum corporis, E tamen facit, cum abundat, nec corpus multum nutrimenti appetat, propterea quod calor minus dissipare potest humidum insitum singulis partibus, dum illa irrigantur pituita & aquoso humore: an non dicemus, pituitam, quæ in senibus est, conferre ad appetitum conciliandum, cum frigida sit, & quæ talia sunt, diximus in hoc opere sitam habere vim? Respondeo pituitam, quæ in vera senectute gignitur, esse insipidam, vel dulcem, cum adhuc constet vis caloris, ob id nullam

Quinam appetant & lædantur à ieiunio.
Qui appetāt & non lædātur à ieiunio.
Qui lædantur & non appetant.
Qui nec appetant nec lædantur.
Pituitam simplice non posse nutrire.
Quo pituita per vlteriori concoctione mutantur in sanguinem & postea nutriant.
Pituita vera quomodo appetitum impediat.
Pituita senū qualis sit.

A habet vim ad incidendum & comprimendū, quæ verò in decrepitis prouenit, frigidior fortè est, aut etiam corrupta, adeo vt appetentiam tollat: nam omnes insignes intemperies actiones perdunt: præterea etsi talis fortè est pituita, qualem appetitus desiderat, quoniam tamen sensifica facultas spirituum consumptione, frigiditate, siccitateq; partium in illis elanguescit, ideo euacuationem, quæ fit, non facilè sentiunt senes: pueri vero cōtra, cum materia constent humida & aerea, quæ facilè digeritur, & calorem efficacem obtineant, promptè euacuantur & plurimum, & quia etiam sensu exquisito sunt præditi, facilè molestiam, quæ à vacuantibus fit, percipiunt, & cum non soleant cumulare multos humores ob continuam & magnam dissipationem, nec cruditatibus abundent, si rectè nutriantur, intus non habent remedium aduersus famem, quam ob rem externo multo opus habent nutrimento, *ac inter pueros qui viuaciores sunt, minus ferunt ieiunium*: nam alacritas & viuacitas illa prouenit à calore aereo & igneo, huiusmodi enim calor mouet, & non sinit quiescere, vt Galenus 1. *Prorrheticorum textu* 20. scribit, dum ca[illegible] flectus explicat. Constāt & iidem pueri viuaciores tenuiori substantia ad dissipationem maximè opportuna, quare meritò inter alios minus ferunt ieiunium, & frequentiore copiosioreque egent nutrimento. Itaq; constitutis his duobus extremis, pueritia viuaciore, quæ ferre non potest inediam, & senio, quod facile eam fert, media facilè intelligentur: quæ enim ætates ad senectutem magis accedunt, tanto minus digerunt, & appetunt minus, & minus læduntur: quod si extremè senes inediam facillimè non ferunt, hoc nihil ad nostram interpretationem, quæ sumit ieiunium pro pauco alimento: nam quanto senior aliquis est, tanto minus alimenti appetit, & concoquit. At si quis quærat, cur eadem non sit ratio de inedia, quæ est de paucitate cibi, id est, cur decrepiti ferre non possint inediam, at contenti tamen sint pauco cibo, ratio est, *quod illi, qui ad ætatem eam peruenerunt, ob extremam fere debilitatem facultatis concoquentis, nequeunt, tantum cibi simul conficere, quanto opus habent, nec possunt ex crudiore materia sanguinem gignere per inediam*, est enim, quod in illis redundat, non crudior sanguis, sed ferè mucus, & pituita inutilis; quare externa materia calidiore, pauca, & paulatim affusa opus habent, qua reficiantur: edunt ergo frequenter, & inediam ferre nequeunt decrepiti, non quod appetant, id enim fieri non potest sine dissipatione, quæ in illis tarda & exigua est, sed quoniam vires sibi labi sentiunt, quæ non nisi nutrimento externo reparari possunt, pueri vero inediam non ferunt non ob hunc virium lapsum, defectu caloris factum, sed ob eum, qui contingit ex multa corporis dissolutione.

Hoc verò loco nō prætereunda est dubitatio, quam mouet Montanus, quærit enim ille, cur iuuenes non facilius ferant ieiunium senibus, cum illi sint robustiores, & propterea possint magis resistere causis alterantibus? addit præterea iuuenes venas habere sanguine refertas, ex quo diu nutriri possunt absque externo alimento, quod ex Galeno cōfirmat, qui scribit *in secundo de Temperamentis*, eos qui venas magnas habent, ad inediam ferendam aptissimos esse. Soluit hoc modo quæ-

Qualis sit pituita in decrepitis.
Pueri cur multo indigeant alimento, vt senes minime.
Cur pueri viuaciores minus ferant ieiunium.
Cur decrepiti ferre non possint inediam, at contenti tamen sint pauco alimento.
Pueri cur inediam non ferant.
Iuuenes cur non facilius ferant ieiunium quam senes.

Responsio Montani refutatur.

do quæstionem : iuuenes magis tolerare famem intensiuè, extensiuè verò senes : sed interim cum vult explicare hoc suum *intensiuè & extensiuè*, nescit quid dicat : nam quocunque modo res sumatur, iuuenes difficilius ferunt & inediam, & cibi paucitatem, quam veri senes, qui nondum ad extremum vitæ peruenerunt: nec facit robur, quod in iuuenibus est ad hanc facilitatem : nam robur iuuenile spectatur maximè in animalibus facultatibus & actionibus, quibus illi pollent, & aptissimi redduntur ad validissimos motus peragendos, robur vero facultatum naturalium, quod in illis etiam maius est, quàm in senibus, tantum abest, vt causa sit, quod ferant facilius ieiunium, vt contrarium reuera concludat : nam si agentia, & patientia proportionem inter se seruare debent, plurimo & frequenti nutrimento est opus, vbi plurimum necessario concoquitur, & consumitur : nec illud quidem facit, quod plus sanguinis habeant iuuenes senibus, habent enim longè etiam validius id, quod sanguinem absumit. Illa vero dubitatio magis, quæ ex Galeno nascitur *in octauo libro Methodi*, vbi scribit, *inter omnia temperamenta, biliosum difficillimè inediam ferre*. Quod si ita est, cum iuuenes temperamento biliosi sint, pueri autem sanguinei, cur illi difficillimè, hi autem facilius ieiunium sustinent, ratio diuersa est: nõ enim eadem materia subiicitur puero, & iuueni; humidior enim illi, huic siccior & durior. Quam ob rem etsi in pueris calor mitior sit, quàm in iuuenibus, tamen quia illorum substantia facillimè digeritur, plus à mitiore calore hi, quàm illi à vehementiore, vacuantur quod si par materia subiiciatur, qui biliosior est, difficilius inediam feret, quoniam vehementius vacuatur, vt iuuenis biliosus difficilius, quàm sanguineus, & puer biliosus eadem ratione, quàm sanguineus difficilius fert ieiunium. Quod si quis dicat in eadem ætate, diuerso tamen temperamento, bilioso scilicet & sanguineo, diuersam materiam subiici, illi duriorem, huic humidiorem : verum quidem dicet, non tamen minus ille, quam hic digerit, in vtrisque enim iuuenibus sicca est, paulo mollior in sanguineo materia, substantiaq; in pueris humida, paulo siccior in bilioso, vt potius causæ efficientis vehementiam, quàm paruam ex materia diuersitatem sequi debemus. Difficilius ergo biliosi pati materia subiecta inediam ferunt, facilius tamen & plura concoquunt sanguinei, quoniam in illis concoctrix vis est validior.

Iuuenes cur facilius ferant ieiunium quàm pueri, cum tamen sint biliosi.

APHOR. XIII.

Τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμὸν, πλείστης οὖν δέεται τροφῆς. εἰ δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμὸν, διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται, ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Qui crescunt, plurimum habent calidi innati : plurimo igitur egent alimento : alioquin corpus absumitur. Senibus vero parum innati calidi inest, paucis propterea fomitibus egent, quia a multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt frigidum enim eorum corpus.

CVR pueri difficillimè ferant ieiunium, plurimoque egeant alimento, senes vero contrario modo afficiantur; & denique omnium, quæ superiore Aphorismo dicta sunt, rationem reddit in hoc Aphorismo Hippocrates, quemadmodum optimè etiam Galenus docet, estque ratio & vera demonstratio, qua vtitur, huiusmodi: *quæ plurimum habent calidi innati, plurimo egent nutrimento: at pueri plurimum innati calidi habẽt: plurimo igitur alimento opus habent.* Maiorem propositionem ex eo probat, *quod alioqui corpus absumatur*: fit enim plurima dissolutio in his, qui calido innato abundant, quæ non nisi plurimo nutrimento restitui potest; siquidem nutrimenti quantitas, proportione respondere debet quantitati eius, quod dissoluitur, pueros autem plurimum haberi calidi innati, ostendit, quoniam quæ crescunt corpora, calido innato abundant : pueri autem inter omnes ætates maximè crescunt. Omittit autem tanquam notum, quod ea, quæ crescunt, plurimum calidi innati habeant. & merito quidem : neque enim partes in omnem dimensionem distendi possunt, nisi subsit humida substantia, & calor adsit, qui eam mutare & diducere possit, quæ calidi natiui beneficio fiunt: contra vero senes, cum amplius non crescant, sed potius minuantur, parum innati calidi habent, minimumque dissoluuntur : vnde & pauco illis nutrimento est opus; eos autem parum calidi innati habere, probat etiam ex generatione febriũ acutarum, quæ aut non fiunt in illis, aut non similiter, id est, non tam facilè, nec tam sæpe vt in pueris, propterea quod frigidum est senum corpus, quod à causis calefacientibus difficillimè accenditur, quod pauco nutrimento egeant, siuè paucis fomitibus (appellat autem nutrimentum fomitem, eo quod corpus, & calor eo foueantur, vel ex eo tanquam ex fomite accendantur) probat ex contrario, quod scilicet à multis extinguatur. At vero, cum tota huius probationis ratio ex calido natiuo petatur, cogeremur de eo paulo diligentius agere, nisi id à nobis iam factum esset *in libro primo, de somno, & vigilia*, vbi exactissimè (ni fallor) hanc materiam multis antea difficultatibus inuolutam explicauimus : ex eo ergo Opere solum capita repetemus, & ea, quæ necessaria sunt ad hunc Aphorismum enarrandum.

Nutrimentum cur dicatur fomes.

Porro cum calidum innatum dicatur calidum, tractationem auspicari deberemus à nomine calidi, quid scilicet calidum significet Medicis, quot modis sumatur, quomodo intelligatur, cum absolutè aliquid calidum dicatur esse, aut alio modo: quomodo præterea elementa, humores, partes corporis, ætates, alimenta, medicamenta, anni tempora, regiones, & si quæ alia sunt in Medicina, dicantur calida, & intelligantur. Sed quoniam hæc etiam *in Comm. nostris in Artem Medic.* accuratè sumus prosequuti, summam rerũ duntaxat prosequar. Igitur calidi nomine nunc caliditatem, nunc substãtiam, quæ caliditatem habet, intelligimus, de vtroq; enim verum est dicere, illud esse aliquid calidum, dicuntur autẽ quædam esse absolutè, siue simpliciter calida, sed non vno modo, quia hæc *absolute, & simpliciter* variè sumuntur à Gal. nam aliquando absolutè vsurpatur pro eo, quod est in summo, vt ignis absolutè calidus dicitur; item absolutè idem est, quod sine

Quid calidi nomine intelligitur.

Absoluti varia vsurpatio.

comparatione ad aliquam rem priuatam: absolutè præterea idem est, quod sine additione illius, cuius res est, vt si quæratur, cuius temperamenti sit os, non adiecto leonis, vel alterius animantis absoluté id quæri dicitur: absolutè alio modo idem est, quod exactè, vt hominis temperies absolutè optima, id est, exactè intelligitur: absolutè item vsurpatur pro eo, quod est sine distinctione, vt cum dicimus, non esse absolutè respondendum: alio modo absolutè intelligitur, quod cõparatur ad medium sui generis, quomodo magnum, & maius differre dicit Galenus, quod magnum absoluto sermone dicatur, maius autem non. Dicitur autem magnum non sine collatione, non minus quàm maius, sed id ad quod magnum dicitur non additur, cum ad medium sui generis dicatur, additur autem id ad quod dicitur maius. Porrò Elementa calida dicuntur frigida, humida, & sicca, quod absolutè, id est, in summo sint talia: humores verò calidi dicũtur esse à prædominio caloris, medicamenta verò, & alimenta calida, comparatione facta ad ea corpora, quorum sunt alimenta, & medicamenta: Partes verò calidæ, quod temperata ad pondus parte, vel ad partem sui generis temperatam collata, calidior sit, totum vero corpus calidum, vt homo calidus dicitur collatus ad medium ad quod dicitur: nam si consideretur vt homo, respicimus ad hominem temperatissimum, qui vt regula ponitur ad alios omnes homines iudicandos: si vt animal ad medium respicimus, quod in genere animantium ponitur: est autem ipse homo: vnde contingit idem ad seipsum comparati: si vero vt corpus & vt substantia consideretur, respicimus medium, quod statuitur ex æquali portione Elementorum constare: atque ita contingit hominem nunc dici calidum, nunc temperatum, nunc calidum & humidum. Anni verò tempora calida dicuntur quod calor frigus exuperet. Eadem est ratio de regione, & cœli statu. Sed hæc vt diximus *alio loco* diligentius enarrauimus.

Elementa quomodo dicantur calida, humida, frigida vel sicca.
Quomodo humores.
Medicamẽta.
Alimenta.
Partes.
Totum corpus.
Anni tempora.

De calido natiuo variæ extant opiniones, quid sit, & an res vna sit vel plures, propterea quod Galenus confusè hæc tractat: sed vt disputatio nostra perspicua euadat, quid innatum siue natiuum, & quid calidum intelligatur, cum innatum calidum dicimus, prius explicare oportet. Est autem innatum, quod à primis principiis est inditũ: in qua significatione opponitur acquisititio. Innatum aliquando acri opponitur, vt cum dicimus natiuum calorem esse temperatum, eum verò, qui acrior est, natiuum non esse. Alio modo natiuum dicitur quod est secundum naturam, quomodo dicimus concoctionem fieri à natiuo calore, putredinem vero ab eo, qui est præter naturam, qui & alienus, extraneus, & non proprius dicitur. Scribit autem Galenus *aduersus Lycum* calidum innatum esse corpus: quod si ita est, Montanus & alii recentiores errant, qui calidum innatum, & calorem innatum pro eodem vsurpant, veluti cum quærunt, an puer plus habeat calidi innati, quam iuuenes: nam Galenus non de calido innato dubitat, sed de ipso calore, & qualitate, an par scilicet sit in vtroque caliditas, cum notissimum sit, pueros tanto plus substantiæ innatæ calidæ habere, quanto viciniores sunt natiuitati. At non constat an æqualis sit in vtroque caloris gradus. Porro calidum hoc innatum

Quid calidũ innatum.

Galenus aliquando dicit nihil aliud esse, quàm *aeream & aqueam substantiam*, aliquando vero dicit in pueris esse semen & sanguinem; in senibus vero sanguinem solum, vt *contra Lycum: in quinto* vero *de Simpl* dicit esse spiritum, posse tamen intelligi etiam sanguinem: *in 8. de Placitis*, dicit esse sanguinem & pituitam: At vero, cum scribit, motu calidi innati fieri omnes actiones, necesse est, vt eo nomine intelligat sanguinem & spiritum, qui in corde & hepate gignuntur: at hæc omnia inter se differunt, quibus quidem rebus cõfusi nonnulli, finxerunt innatũ calidum esse diuinũ & cœleste quidpiam, & aliud adhuc esse innatum calidũ, humidum, inquã, oleosum, insito spiritu & calore vndiq; perfusum, quorum quidem opinionem nos alibi abundè refellimus. Nos autem putamus, non de eodem calido innato agere, sed quatuor modis Galenum illud innuere: vno enim modo & præcipuo sumitur calidum innatum *pro sanguine & semine* quibus primum cõstamus: illa enim sola sunt nobis insita à parentibus, aliæ vero partes, eo quod acquirantur & fiãt ex illis, innata corpora dici non possunt: at cum sanguis & semen aereæ & aqueæ substantiæ plurimum in se contineat, non mirum si ille aliquando calidum innatum *aeream aqueamque substantiam* voce. 1.

Calidũ innatum quatuor modis à Gal. sumi.

2.

Cæterum cum sanguis ille & semen desinunt esse factis partibus corporis, nequeunt in nobis amplius calida innata nominari, quo fit, vt *eam quoque substantiam* calidam, quæ ex primis principiis in singulis partibus est, calidi natiui nomine donare nos oporteat: quoniam vero calor, qui singulis partibus ex primis principiis est insitus, tepidus quidẽ est calor, & potius potentia, quàm actu, propterea spiritum & sanguinem gignit animal, quorum affluxu, potentialis ille calor excitatur, & conseruatur, quæ substantiæ etsi vere natiuæ non sunt, quippe cum in nobis quotidie gignantur, tamen quia ex illis calidum relictum in singulis membris (vt inquit Galenus *in libro de venæ sectione*) perseuerantiam habet, ideo calida innata pariter dicuntur. At vero cum omnes actiones natiuo calido tribuantur acceptæ, sit autem qui insitus est (vt diximus) veluti potentia, qui vero aliunde influit, per se non agat, sed cum alteri coniungitur, non immerito calidum vocabimus innatum, quod ex natiuo & influente cõstat: ergo sanguis & spiritus sunt calida innata influẽtia, & propterea hepar & cor fontes sunt calidi innati: quia tamen spiritus plus momenti habet ad insitum calorem excitandũ & ad omnes actiones suo motu peragendas, merito quoque Galenus, cor solum numerat frequentius, & esse dicit fontem calidi innati. Quibus ita positis videndum est, de quo calido intelligendũ sit, cum scribit: *Corpora quæ crescunt, plurimum habere calidi innati:* an scilicet de verè innato sanguine & semine, ex quibus confectæ sunt partes corporis; an de calida ea substantia & humida, quæ ex illis, in partibus relicta est: an de influente an de mixto, ex influente scilicet, & eo quod est potentia & relictum in singulis partibus ex primis principiis, vel etiam de omni innato calido intelligat. Item, cum plurimum intelligi possit, vel mole siue pondere, vel proportione, potestque plurimũ dici, vel respectu aliarum partium, vel aliarum ætatum, vel sui corporis proportione, vel contraria 3.

Hepar & cor esse fontes calidi innati.
Quomodo solum cor dicatur fons calidi innati.
De quo calido innato auctor loquatur.

riæ substantiæ, quomodo hæc intelligenda sint, A operæprecium est explicare, cum à Galeno aut non factum sit, aut variè confuseque ostensum: Etenim, cum agit contra Lycum de verè innato calido, sanguinem & semen intelligere Hippocratem scribit, plurimumque esse huiusmodi calidum, facta cum partibus non innatis comparatione: id quod meo iudicio recipiendum non est. Quod enim amplius non est, quomodo cum aliis comparari potest? siquidem post primos dies, imo in ipsa prima die, qua fœtus conformari incipit, sanguis & semen esse desinunt: quare solum in eo ferè temporis momento, in quo nullæ partes adhuc conformatæ sunt, dici posset B huiusmodi esse calidum; at Hippocrates de his agit corporibus, quæ perfecta sunt, & nutrimento egent: *in Commentario autem huius Aphorismi*, de secundo eo calido innato agere videtur, *quod ex sanguine & semine in singulis partibus derelictum est*, cum ait, aeream aqueamque substantiam in pueris prævalere frigidæ & terreæ, & optimè quidem: nam *mole & pondere semper prævalet in nobis terrena portio, proportione verò, si ea innata cum alia compararetur substantia, plurima in pueris est, aliarum autem ætatum comparatione, mole & proportione: corporis autem sui ratione, non mole, sed proportione plurima censetur*: partibus autem corporis minimè comparari potest, cum C singulis partibus illa sit insita: quis enim dicet, aeream aqueamque substantiam, ossium, ligamentorum, & denique omnium corporis partium ratione, multam esse? non verum autem calidum innatum, quod influens vocatum est, sanguis scilicet & spiritus, qui in nobis gignuntur, plurimũ est mole sua in pueris, sed in iuuenibus: minus enim pueri sanguinis & spiritus, quam iuuenes habent, respectu verò contrariæ substantiæ, & aliorum humorum, hoc modo plurima est; aliarum vero ætatum, & sui etiam corporis proportione, exuperat sanguis, & spiritus in his, quæ crescunt, corporibus: habent ergo huiusmodi corpora plurimum tum insitæ substantiæ calidæ, tum influentis. Dixit autem *quæ crescunt*, D vt non solum pueros, sed & animalia alia, & plantas intelligeremus, quæ dum crescunt, plurimũ habent calidæ suæ substantiæ: etsi autem incrementum secundum triplicem dimensionem fiat, id tamen maximè de incremento, quod *secundum longitudinem* fit, intelligendum est: sunt enim, qui in consistente ætate & senectute etiam molem corpori addunt, & crassescunt, quos etsi dicamus siccorum cõparatione humidos esse, simpliciter tamen plurimũ calidi innati habere nunquam dicemus.

Quomodo calidi innati sit plurimum in pueris, & contra in senibus.

In quam dimensionem potissimum crescant.

πλείστης οὖν δέεται τροφῆς.

Plurimo ergo egent nutrimento. E

EO quod corpora plurimum habeant calidi innati, plurimo egere nutrimento, probat Hippocrates, & optimè quidem, vires enim habent validas, quæ non nisi multo nutrimento foueri possunt: quinetiam plurima fit in illis substantiæ dissolutio vigente calore, & abundante aerea, aqueaque substantia, quæ facilè digeritur. Dissolutioni autem multæ multum nutrimẽtum

Cur plurimum habentes calidi innati, plurimo egeant alimento.

necessarium est, siquidem proportione respondere hæc inter se debent. Præterea vbi calidum innatum plurimum est, plurimum concoqui potest, quia concoctrix facultas subest calida, & instrumentum concoctionis viget, nec in corpore relinquitur ex bonis concoctionib. multa materia semicruda, ex qua corpus nutrimentum sibi parare possit, merito igitur, vbi plurima fit euacuatio, & plurimum concoqui potest, & materia interna non adest apta ad nutritionem, plurimum requiritur alimentum externum. At verò quoniam multum nutrimentum dici potest, vel quod nutriendi corporis naturam excedat, vel quod solidum nutrimentum præbeat, quemadmodum cibos crassos & viscosos, & carnem suillam, plurimum omnium ciborum nutrire dicimus; humidos autem tenuique humore constantes, exiguum præbere corpori alimentum, quod vtilis materiæ plurimum habeant, quæ assimilari potest, non multum dicemus esse, quod vires excedere debeat, nec quod solidum nutrimentum præbeat: vt enim aerea est, humidaque substantia, quæ à pueris potissimum dissoluitur, sic aereum humidumque nutrimentum, si modo similia similibus nutriuntur, exhiberi oportet; quare plurimum intelligemus nutrimentum, *quod multam addit corpori substantiam*, cum hic solum quantitatem spectemus nutritionis, genusque nutrimenti; suntque plurimum nutrientia, vel suapte natura talia, vt oua, lac, caro, & cætera, quæ minimum excrementi, multum vero bonæ familiarisq; substantiæ habent: alia verò, quæ non nisi mole plurima, plurimum alunt, quæ cõtra excrementosæ substantiæ multum, vtilis vero parum continent: ac ex priore quidem genere mediocris, ex posteriore magna requiritur quantitas.

Nutrimentum multum quot modis dicatur, & quod hic intelligendum.

Plurimum nutrientia quotuplicia.

Γερουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμὸν, διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται.

Senibus vero parum innati calidi inest, paucis propterea fomitibus egent.

REddit nunc rationẽ, cur senes pauco egeant alimento: & ea sumitur ex paucitate calidi natiui, & merito quidem: nam si abundantia calidi natiui facit, vt pueri egeant plurimo alimento, paucitas eiusdem calidi causa debet esse contrarii effectus in senibus. Verum Hippocrates nõ probat nunc, senes paucum habere calidum innatum, quia putabat hoc notum ex eo, quod iam dudum amplius non crescant, sed euidenter minuantur, & quia eorum corpora dura, rugosa, & rigida, & frigida appareant ex tactu & corporis actionibus: calidum autem innatum (vt diximus) est, cum humoris aerei & aquei abundantia, & cum talis materia viget, calor & corpus calidum sentitur, & optimas operationes exercet: illud autem, quod non docet, nec patet, cur scil. pauco sit opus alimento, vbi calidum innatum paucum est, ex eo quod docui de nutritione puerorum, sic explico: vbi paucum est calidum innatum, non potest fieri magna dissolutio, & euaporatio à corpore, quia materia inepta est ad eam dissolutionem, & agens, nempe calor ipse, infirmus. Præterea paucum etiam potest alimentum cõcoqui,

quia concoctio à calido & humido rectè perficitur : meritò igitur, vbi pauca fit euaporatio, & paucum potest concoqui, paucum requiritur alimentum. Addo quod senes ob debilitatem caloris nequeunt æqualiter vincere nutrimentum ipsum, sed relinquunt multum sanguinis crudi, qui per ieiunium magis elaboratur & concoquitur, transitque in nutrimentum : cum igitur illi semper soleant habere alimentum internum, externum multum nequaquam desiderabunt. Cur vero appellet alimentum fomentum, antea docuimus.

Ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται.

Quia à multis extinguuntur.

PRobat alia ratione, senes egere pauco nutrimento, *quoniam*, inquit, *à multo alimento extinguuntur* : quasi diceret, *nouimus experientia, illos non posse ferre multam cibi quantitatem, & propterea senes conuiuia fugiunt, in quibus coguntur ob societatem, & ciborum varietatem plus ingerere, quàm illi appetant, vel conficere possint* : quod si coguntur aliquando plura edere, aut intempestiuè prandere, vel cœnare, vel alio modo in victu errare, cruditatibus replentur : quia illorum calor facilè vincitur, & in magnis erroribus extinguitur, eo modo, quo ignis exiguus à multitudine lignorum suffocatur.

Senes cur fugiant conuiuia.

Διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.

HIs verbis probat adhuc, senes parum habere calidi innati : nam cum similia cōtra Aristot. similibus facilius conueniant, eaque inuadunt, merito fit, vt febres vehementes, quales sunt acutæ, facilius accendantur in corporibus calidis, quàm in frigidis, & vbi materia subiecta magis præparata est, facilius agentis impressionem suscipit, quod in elementorum inter se mutatione fieri scribit Aristoteles. Quare cum in senibus tales febres, non similiter fiant, vt in pueris, & iuuenibus, constat illos paucam habere caliditatē: & propterea paucum calidum innatum, quod enim citius calefit, eo quod lentius, natura esse calidiore censemus : perinde quasi alterum sit aduersum, vt remotius : alterum simile vt propinquius, vt scribit Aristoteles *libro 2. de partibus cap. 2.* nam vbi paucum caloris est, deficit subiectum humidum : At sine humido subiecto non potest calidum innatum abundare. Quod verò scribit Hippoc. non æquè fieri febres acutas in senibus, ita interpretatur Montanus, vt concedat quidem senes difficilius corripi febrib. acutis, sed posteaquam illi semel correpti fuerint, vult vehementiores eorum febres esse ob densitatem subiecti: in quo quidem manifestè errat : nam si densitas subiecti ardentiores & vehementiores faceret febres, essent vtique hecticæ febres omnium vehementissimæ & acutissimæ. Verum quidem est, quod à maioribus causis excitantur febres vehementes & acutæ in senibus, & semel excitatæ & magnum recessum, qui fit à naturali statu, maximè periclitantur, tamen *à paribus causis, vel etiam à quibuscunque*, senum febres non sunt similiter acutæ & vehementes, vt in iuuenibus & pueris: *nam vehementia & acutus febris non potest fieri absque tenui subiecto*, quod accensum vehementem ardorem infert vniuerso corpori, & tactui nostro, quo subiecto cum careant senes, manet calor febrilis conclusus & sepultus in visceribus, in quibus etiam exiguum accendit calorem ob eiusdem humoris defectum. Igitur intelligere debemus febres acutas, in quibus est calor vehemens, non facilè fieri in senibus, nec à paribus causis; quod si leuis causa fuit, quæ accendit iuuenes, maximè verò, quæ senes, fortè ad eandē vehementiam caloris vtrique peruenient, & maior quidē erit febris in senibus, quod plures gradus caloris præter naturam suo naturali sint additi, aut quod calor naturalis longius à sua natura recessit, vnde illis maius periculum imminet; inæqualis tamen est vehementia, acuties, & ardor, quoniam diuersum est subiectum, quod in vno acrimoniam, ardorem, & acutiem parere potest, in alio verò minimè, aut certè difficillimè, & non nisi à maximis causis : meritò ergo dixit Hippocrates, acutas & vehementes febres in senibus non æquè fieri, vt in aliis ætatibus : nihil tamen obest, quo minus æquè magnæ fiant, cum æquales gradus caloris concipere possint à maioribus tamen causis. Nec similitudo quam adfert Montanus de ferro, valet : nam ferrum aliud est subiectum ignis, quàm sit corpus nostrum caloris febrilis: in eo enim accendi potest ignis, qui vrat, in nostro vero corpore minimè, sed maior accenditur in humoribus nostris, quàm in partibus solidis. Restat, vt quæstionem explicemus de calore puerorum & iuuenum, cuius facit mentionem Galenus *in Comment. & 2. de Temperamentis*, præsertim quod recentiores interpretes vim quæstionis, & Galenum ipsum non intelligant. & Galenus etiam ipse non videatur quæstionem diluere, & sæpius in hac re sibi repugnare. Quod autem recentiores interpretes vim quæstionis & Galeni mentem non percipiant, satis constat: cum enim ille proponat, vtri calidiores sint, an iuuenes vel pueri, putant illi ab eo quæri, an pueri plus calidi natiui habeant, quàm iuuenes, de quo quidem cōtrouersia nulla vnquam fuit, nec esse potest, vt iam obiter diximus : omnes enim agnoscunt pueros, & quæ crescunt corpora, plus calidi innati habere, quàm reliqua : qui error tolerabilior quidem est in aliis, qui superioribus proximis seculis vixerunt, sed in Montano nato & educato in maxima luce literarum, nulla ratione excusari potest, qui nunc de calore, nunc de calido, nunc de calore innato quæstionem tractat, & Galeno tribuit, quæ in eo authore nunquam reperiri poterunt. Igitur quod quæritur à Galeno, est, an calidior sit magis vnus quàm alius, id est, an plures caloris gradus habeat hic, pauciores & minores alius : quod etiam *ex primo de sanitate tuenda* patet, vbi scribit, puerum eodem gradu calidum, vt iuuenem, humidiorem tamen esse. De qua contentio magna fuit inter antiquos Medicos, quorum argumenta, & mu-

Febres quomodo in senibus non sint æque acutæ vt in iunioribus.

Quæ febres acutæ nō facile fiant in senibus.

tuas

tuas confutationes paucis subnectam: ex quibus intelligere licebit, non solum quod illi bene male ve dicant, sed quid etiam in illis præter rationem, (meo quidem iudicio) damnet Galenus. Itaque qui pueros calidiores iuuenibus esse contendunt, his vtuntur rationibus, quod abundent humore natura calidissimo, nempe sanguine, quod maximè augeantur, quod plura appetant, & plura meliusque concoquunt; quibus alii, qui pro iuuenibus certant, respondent, sed quædam admittunt, quæ falsa sunt, quædam etiam negant, quæ concedi debent: quod enim calidissimo natura humore abundent pueri, verum quidem est, sed non propterea calidiores esse probantur, quod hi concedunt: nam calidissimum natura dicitur, *quod plurimum habet natiui caloris*, qui calor benignus est, multo humore temperatus: sanguine autem iuuenes magis, quàm pueros abundare perperam credunt, quod sanguinis profluuio crebrius tententur iuuenes, neque enim frequentius illis sanguis fluit, sed pueris, & maximè adolescentibus: nec etiam si id fieret, propterea sanguine magis eos abundare ostendunt: siquidem sanguinis profluuia, non tantum à sanguinis abundantia, sed etiam ab illius feruore, & acrimonia fiunt: quia autem in iuuenibus sanguis feruet, & sursum à calore nimio impetu effertur, venas ob id aperit, veluti vina ebullientia, vasa rumpunt ob ebullitionem magis, quàm copiam. Illud autem optimè negant, pueros non probari calidiores, quod maximè crescant. *mediocris* enim caliditas *vbi humida subest materia*, quæ distendi facilè potest, augmenti author est. Optimè autem illud etiam inficiantur, calidiores scilicet pueros esse, propterea quod plura appetant, neque enim appetentia vehementem calorem sequitur, sed mediocrem: fieri autem appetentiam à frigido, non à calido, malè putant, cum ab vtroque, & melior etiam à natiuo calore, quàm frigiditate excitetur. Quod autem dicunt, pueros plura appetere, non solum ad nutritionem, sed etiam corporis incrementum, si concedant appetentiam à calido vehementiore fieri, necessario etiam concedunt, eos, qui plura appetunt, calidiores, siue nutritio, siue augmentum finis statuatur. Quinetiam, temere putant, eos esse calidiores, qui melius concoquunt: bona enim concoctio à mediocri halituosoque calore fit, meliusque ob id pueri concoquunt, etsi, quæ duriora sunt, facilius vincant iuuenes, vtpote acriore vehementioreque calore præditi. Malè item ex vomitibus & deiectionibus humidis colligunt in pueris coctiones deteriores fieri, nihil tam validum est, quod supra modum aucta multitudine materiæ grauari non possit. Propterea cum pueri nullum edendi finem faciant, vim coctricem etiam validissimam, quam habent ex calidi natiui abundantia, ciborum multitudine opprimunt. At qui pro iuuenibus pugnant, frigidiores pueros in primis probare nituntur; deinde aliis rationibus contendunt, iuuenes calidiores esse, eo enim, quod plurimum dormiant pueri, minus autem iuuenes, frigidiores illos, hos calidiores putant, cum somnum deuicto calido ab humido, vel frigido fieri putent, idque perperam: cum genus quoddam somni duntaxat quale in ebriis & soporosis affectibus apparet, hoc modo fiat:

An pueri sint calidiores iuuenib.

Calidissimũ natura quid

Quæ caliditas augmenti author.

Quæ sit appetentia.

A naturalis enim recursus calidi natiui ad interiora fit, vt alibi ostendimus: colligunt tamen optimè, non simpliciter & vehementer pueros calidos esse, cum vehemens caliditas longiores somnos non admittat. Iuuenes a. probant calidiores esse, partim firmissimis argumentis, partim leuioribus. nam quod bile, inter omnes humores calidissimo abundēt, probant quod volunt. cum calor ex humoribus subiectis resultet, calidioresque humores vehementior sequatur calor. Viget autem in iuuenibus humor aliis simpliciter calidior, quare simpliciter illi calidiores. Quod verò dicunt in perfecto corpore, quale iuuenum est, perfectum elementum, ignem scilicet dominari debere, id solum probabile est, quemadmodum nec illud efficit, quod ad motiones,

B sensationes, cogitationesque aptiores validioresque sint: motus enim non tam caloris vehementia, quàm instrumenti robore, quod ex siccitate accidit, prouenit: quemadmodum. & cogitationes, & sensationes sequuntur magis siccitatem, quàm vehementem calorem, vt senes prudentes, & ad cogitationes aptissimi censentur, qui frigidi tamen sunt & sicci: ex vitalibus autem facultatibus melius, quod volunt efficiunt: caloris enim vehementiam potissimum illarum vehementia sequitur: naturales autem quædam in pueris, vt concoctrix, & expultrix, quædam in iuuenibus, vt retentrix, & attractrix, quæ robur instrumentorum requirunt, melius

C peraguntur.

Vnde motionibus robur. Vnde itidem cogitatio & sensatio.

Atque hæ sunt rationes, quæ vtrinque adferuntur, quas Galenus non admittit, hoc solo argumento, quod ex posterioribus, & effectibus priora colligant, quod tenuissimum peccatum est, quandoquidem non aliis fere argumentis vtantur Medici, vt cum ipse ex operibus actiones, facultatesque inuestigat, & temperamenta ex suis effectibus distinguit, & medicamentorum vim & naturam, & alia ferè omnia ex effectibus illorum docet. Quod si modum diluendæ quæstionis, quem tradit, probare possemus, facilius

D adduceremur, vt crederemus, alios meritò ab eo reprehendi, sed cum ille laudari non possit, aliorum probationes probabiliores putare cogimur: vult enim totam controuersiam remota omni ratione, solis sensibus committi, cum de sensibilibus rebus agatur, quarum iudex sensus est, iudicari autem à tactu æqualem in iuuenibus, & pueris caliditatem esse, nec hos aut illos simpliciter calidiores apparere, & si diuersus occursus in vtroque fit, ita vt acrior, & moderatior caliditas appareat in iuuene, halituosior autem in puero: atque diuersus his occursus, si soli tactui rem committamus, nec rationem adhibeamus,

E quæ distinguat, quod subiectæ materiæ ratione accidit, facit vt vnum alio calidiorem putemus: etenim tactus ea calidiora iudicat, à quibus vehementius calefit: quæ autem acrior est caliditas, etsi par cum alia sit, vehementius tamen tactum afficit, nosque ea calidiora vocamus, quæ tactum amplius calefaciunt, vt Aristoteles *secundo de partibus animalium capite secundo* scribit, statuamus enim, in ferro tres gradus caliditatis esse, totidem in aqua excalefacta, & iudicium tactui soli committamus, vtrum, quæso, ex his duobus calidius iudicabit tactus? ferrum profectò quod vix tangere audebit? ita etiam vapores,

Cur inter ferrum & aquam in æquali gradu calefacta sit

[illegible] sentiatur tactu calidum. qui à corpore febricitante assurgunt, multo calidiores iudicabimus, quàm eos qui ab aqua multo calidiore, quàm humores febrientis sint, attolluntur, *propterea quod illi cum siccitate quadam coniuncti sunt, cum qua calor vehementius tactum offendit*: itaque, si ignoremus parem esse in vtroque corpore caliditatem, & sensibus id definire velimus, incertissimam profectò omnium regulam quæremus, nisi ratio adiungatur, quæ errantem tactum ob materiæ subiectæ diuersitatem corrigat.

Præterea, vult eundem tangi ab eodem, cum puer est, & iuuenis, at tactus in eo, qui iudicet, mutatus est, nec seruatur recordatio caloris puerilis: colliget autem ratio ab effectibus, & caussis caloris, æqualem esse, aut inæqualem in diuersis corporibus, in quibus similes aut dissimiles caussæ, & effectus caloris ratione proueniunt, optimè enim iuuenes calidiores pueris iudicabimus *Iuuenes esse calidiores pueris.* eo potissimum, quod calidiore humore abundent; bilis siquidem ab ampliore, quàm sanguis, calore gignitur, eo etiam authore *secundo de facultatibus naturalibus*, & ad iram procliuiores, pulsusque maiores habeant, & quæ duriora sunt alimenta, facilius vincant. Quod si quis authorum testimonium in hac re requirat, Galenum ipsum legat *lib. 6. Epidem. textu 5. Comment. 1.* vbi quod expressè *lib. 2. de Temperamentis* nimia contendi auiditate in antiquos commotus negat, simpliciter scilicet non esse iuuenes calidiores pueris, his verbis testatur: *Iuuenes pueris simpliciter calidiores sunt, pueri autem non simpliciter, sed calido natiuo.* *Pueri quo[illegible] [illegible].* Scio Sophistas didicisse etiam contradictoria simul vera tueri, quorum iudicium non moror: illis enim hæc non scribo, sed his qui veritatem, non sectarum antiquiorumque scriptorum defensionem, suorum studiorum finem statuunt. Colligit igitur Medicina nostra ex prædictis argumentis, iuuenes esse calidiores: at Philosophia & ratio fortè statuet, maiorẽ esse in puero, quàm in iuuene caliditatem: nam cum illa in puero adhuc sit propemodum integra & nondum attrita, videtur rationi consonum, vt minor sit iuuene, propterea quod in illo, agendo per plures annos est retusa, & diminuta. *Quomodo habeant caliditatem æqualem.* An potius dicendum est, eundem gradum caloris insitum à nostris principiis manere, non solum vsque ad iuuentutem, sed etiam vsque ad vitæ finem, etsi minor appareat? aliquando verò maior ob humoris subiecti diuersitatem? vt enim scintilla ignis eundem habet gradum caloris cum magno igne, vt qui eandem habet naturam, & temperiem, etsi maior ignis magis calefacit tactum, ità credibile est manere eundem gradum caliditatis, qui in pueritia obtusus, & halituosus ac mitis apparet, quia multæ humiditati est coniunctus, maior verò in iuuentute esse iudicatur, quia in humore acri, & subiecto igneo residet; In senectute verò exiguus censetur, quia deficit subiectum, & pabulum, in quo potest accendi; Des seni subiectum pueri, aut iuuenis, statim videbis calorem in eo excitari parem ei, quem habent iuuenes, & pueri, vt parua scintilla ignis ex multis bonis lignis fit magnus ignis. *Caliditatis [illegible].* An dicemus, animam minorem esse in senibus, quod minores effectus, & debiliores operationes proferat? nec calor reuera atteritur, vis enim, quam habet, agendi eadem manet, sed il-

A lius subiectum est id, quod consumitur, sicut nec anima ipsa atteritur, sed illius subiectum; nec vis, quæ in ferro, & cultello est, minuitur, cum eadẽ maneat, donec minima pars superest ipsius cultelli; *æqualis ergo per omnes ætates caliditatis gradus, & æquè intensus est, sed non pari modo extensus, & sensibilis percipitur.*

Aphor. XV.

Αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει καὶ ὕπνοι μακρότατοι. Ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον· καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. τροφῆς οὖν πλείονος
B δέονται· σημεῖον αἱ ἡλικίαι καὶ οἱ ἀθληταί.

Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda, etenim tunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis: indicio sunt Athletæ, & ætates.

QVEMADMODVM cum explicaret Hippocrates contraindicationem à morbi magnitudine sumptam particulatim enumerauit ea, quæ
C magnum morbum reddunt, & ob id à natura morbi, à tempore morbi tum vniuersali, tum particulari contraindicationes sumpsit: ita nunc cum de indicantibus genus quantitatemque victus agat, indicans autem sit vis corporis, quæ cibum suo natiuo calorẽ conficit, ob id ab omnibus, aut saltem à nonnullis, ex quibus reliqua intelliguntur, coindicationes sumit ad caloris, & virtutis robur dignoscendum.

Itaque posteaquam docuit, quo victu sit vtendum per singulas ætates, idem nunc per singula anni tempora docet: vt enim in illis ætatibus, in quibus calidum natiuum plurimum erat, nutrimento plurimo opus esse dicebat, pauco
D verò, vbi calidi parum; sic in anni temporibus, in quibus calor natiuus viget, copiosius alere corpora oportet, parcius autem, vbi natiuum calidum est diminutum. Ac quemadmodum ex ætatibus, & anni temporibus, sic ex habitu corporis, sexu, consuetudine, exercitatione, vitæ conditione, & cæteris huiusmodi, quibus calidum hoc natiuum, corporisque temperamentum variatur, coindicationes sumere licet ad victum instituendum: plurimo enim egent nutrimento, qui carnoso sunt corpore, parciore, qui gracili & sicco; siquidem illis plurimum inest calidi innati, his minimum; eadem ratione *Carnosi sunt plurimo egent alimento, parciore verò sicci & graciles.*
E vir, quàm mulier, & qui se exercet, otioso, copiosiore eget nutrimento; quoniam scilicet plus calidi natiui habent illi, hi minus, & qui plurimum edere consueuit, robur ex consuetudine sibi comparauit, vt facillimè nutrimentum vincat: alius verò difficilius illud fert, qui parcius edere consueuit: sic vesperi plus, quàm manè homini liberè viuenti edendum, eadem ratione. Est autem ratio qua vtitur Hippocrates, ferè huiusmodi: *Quo tempore calido innato abundant ventres, & somni longissimi sunt, eo tempore plurimo cibo opus est: At id Hyeme, & Vere contingit,* *illis,*

illis ergo temporibus plurimo cibo opus est: Æstate autem & Autumno contrarium fit, parciore ergo nutrimento tunc utendum est. Quod verò vbi plurimum adest calidi innati, plurimo nutrimento sit opus, ex superiore Aphorismo probat, quod scilicet pueri plurimo cibo egeant, non alia ratione, nisi quod plurimum calidi natiui habeant. Addit prætereà exemplum de Athletis, qui plurimum edunt, quod calido natiuo abundēt. Ventres autem Hyeme, & Vere natiuo calido abundare, non probat, vel quod ex Philosophia putet omnibus notum: vel quod longiore egeret demonstratione, quam Aphoristica breuitas complecti nequit. Patebit autem vis tota ratione, qua vtitur cum singulas Aphorismi dictiones explicauerimus.

Αἱ κοιλίαι. *Ventres.*

VEntrem omnem corporis concauitatem significare, superius ostendimus, quomodo Philoteus etiam hic sumi perperam arbitratur: non enim omnis corporis concauitas Hyeme natiuo calido abundat: siquidem cerebrum pituitam multam hyeme gignit, quod non faceret, si calidior supremus venter tunc esset. Deinde cum de mutatione nutrimenti hic agamus, pro toto corpore necessarii, cerebrum autem pro se solo cibum conficiat, malè ex calore cerebri colligeremus, quanto opus esset homini nutrimento. Postremo si calidos ventres hyeme esse dicimus, quoniam sanguis & spiritus ab externis partibus ad internas cauitates protruduntur, cerebrum autem paruo interuallo externo aeri occurset, potius inter partes, quæ refrigerantur, connumeratur, quàm inter alias, quibus calor eo tēpore augetur: at ne diutius in hac re moremur, Galenum sequamur, qui *libro primo de Natura humana*, vbi Hippocrates, Hyeme pituitam rursus augeri scribit, ventrem interpretatur *ventriculum*, & cum *in hoc Commentario* sanguificationem optimè etiam fieri dicat, & multum sanguinis gigni, hepar etiam calidius fateatur oportet: propterea ventres hic intelligemus *partes, quæ in inferiore ventre continentur alimento conficiendo destinatas.*

Quid per ventres hic intelligendum.

Χειμῶνος. *Hyeme.*

QVia *tertio libro* anni tempora diligenter distinguenda erunt, ideo huius rei considerationem [illegible] in locum transferetur, vbi ex ortu sydetum [illegible] anni partes distingui ab antiquis ostendetur, [illegible] Hyemem in tres partes, Æstatem in duas, [illegible] sine diuisione poni, hic solū [illegible] Hyemem vocari anni partem [illegible] frigida est & humida, Autumnus verò frigidus est & siccus, vt Galenus *octauo de Placitis* scribit.

Καὶ ἦρος. *Et Vere.*

DE Veris temperie antiqua fuit contentio inter Medicos, cum quidam calidum & humidum, Galenus temperatum esse contendat, de qua re locus exigere videtur, vt diligentius agamus, præsertim cum Galenus non videatur satis probare temperatum esse: nec aliorum argumenta, qui aliter sentiebant, confutare, eo enim solum colligit temperatum esse, quod tale videatur esse: at quomodo appareat tale esse non docet: non enim eo, quod non sit ita calidum, vt Æstas, & humidum vt hyems, propterea temperatum esse dicemus, vt ipse colligere videtur, quandoquidem in rerum excessu magna latitudo est, fieriq. potest, vt non perinde quidem calidum sit, vt Æstas, nec humidum vt Hyems, & tamen calidius humidiusque temperato existat: & mirum est, quod cum alii firmissimis rationibus vtantur, ille nullas adhibeat ad id, quod vult, probandum.

Primum enim statuatur illorum argumentum, quod Hippocrates calidum humidum Ver vbique scribat: id quod Galenus factum esse putat, quod Ver cum Autumno contulerit Hippocrates, cuius ratione calidum & humidum esse dicit: qua in re multifariam (si dicere licet hoc seculo hominem errare posse) errat. Primum, quod scribat *primo de Temperamentis*, anni temporum temperiem non ex mutua collatione, sed *ex propria natura* æstimari debere: fecit ergo Hippocrates, quod facere non debuit, cum de Veris temperie ex collatione cum Autumno statuit: Deinde, cum ex anni temporibus colligat Hippocrates humorum generationem & morborum curationem, necesse est, vt singulorum temperiem ex propriis qualitatibus, non ex hac collatione, quæ nihil ad hæc confert, metiatur: non enim propterea quod Ver calidius sit Autumno, morbos frigidos & siccos tollit, & sanguinem copiosum, calidos humidosque morbos gignit, siquidem frigidum esse potest, quod frigidiori collatum, calidum dicitur: quod tamen calidi effectus nunquam efficiet, quales Veri tribuit Hippocrates. Quinetiam, cur statuat Galenus temperatum Autumnum in calido & frigido, sed inæqualem, & Ver itidem temperatum, quomodo calidius Ver Autumno ab Hippocrate dici potest? Nec illud etiam facit, quod affert, Ver ab Hippocrate saluberrimum dici, quod esse non posset, si calidum & humidum statuatur, cum huiusmodi temperies omnium pessima (vt inquit) sit, quod ostendi dicit ex tempestate calida & humida in Crauone, quam describit Hippocrates: maximum enim excessum caloris & humoris damnat ille, vt satis ostendit tempestatis descriptio, vbi crebras largasque pluuias, æstumque vehementem contigisse commemorat: propterea non fit, vt si valde calida & humida temperies morbosa sit, idem omnis excessus illarum qualitatum efficiat, insignes enim omnes intemperies damnat Hippocrates, quasdam tamen paululum à mediocritate recedentes commendat. Quod vero illi etiam adferunt, vitam calido humidoque foueri, optimamque ob id eam temperiem, quæ vitæ conseruatrix sit, ille pessimam eo loco esse fatetur huiusmodi temperiem, quam tamen aliis locis, vt *primo de sanitate tuenda* nobis natiuam esse, vtpote ex semine & sanguine vtroq; calido & humido confectam tradat. Quod si aliquando calidam & humidam damnat temperiem, nō eam, quæ mediocres ha-

Temperies anni temporum quomodo sit æstimanda.

Ver an sit calidum & humidum, an potius temperatum.

bet excessus, sed quæ abunde in vtraque qualitate excedit, reprehendit: quod item illi colligunt, optimam temperiem esse quæ propria animalibus est, esse autem eam humidam & calidam, cum veteres omnes Philosophi animalia calida & humida esse dicant: non diluit; ait enim calida & humida animalia à philosophis dicta, non propriæ mixtionis ratione, cum quædam frigida & sicca hoc modo reperiri possint, sed collatione facta cum seipsis mortuis, aut plantis: in quo quidem primum sibi repugnat, cum scribit *in libro primo de Temperamentis*, animalia calida & humida dici, quod æqualitates contrariæ in illis exuperent.

Ridicula præterea sanè esset hæc philosophorum opinio: cum enim illi de natura ipsius rei disputent, & qualis vnaquaque res sit, ex propriis principiis inuestigant, nunquam id inuenient, si ex huiusmodi collatione eam quærant. At quos, quæso, proferet philosophos, qui ita senserint? oportebat mehercule nomina illorum non subticere, quorum authoritate se tueri vult; & quid sanè obstat, quo minus calida & humida animalia ab illis sint dicta, proprii temperamenti ratione, quemadmodum Aristoteli placuisse videmus *libro de longitudine & breuitate vitæ*, quando etiam operationes illorum ita esse conuincunt? Si enim in omni animali coctiones alimentorum fiunt, eo etiam authore fiat concoctio à calido & humido vincente, necesse profectò est, in omni animali calidum & humidum præpollere: nec plantarum etiam respectu animalia calida & humida dici possunt, cum multæ plantæ sint, quæ longè calidiores sunt, quàm animalia, vt quæ vehementius, quàm ea, & assumptæ & admotæ calefaciunt. Præterea, cum temperamentum puerorum tale esse dicat, quale est Veris temperamentum, alibi autem pubescentes temperatos ponit, si Ver temperatum statuat, idem temperamentum in pueris, & pubescentibus concedat oportet, & cum pueros calidos & humidos statuat, Ver calidum pariter & humidum ponat necesse est, ostendunt Ver calidum & humidum præter alia prædicta, sanguinis generatio, qui Vere plurimum augetur; etsi Galenus, vt positam sententiam tueatur, non veretur sanguinem eo loco temperatum vocare, cum alibi vbique calidum & humidum vocet, & corruat alioqui totius compositionis nostri corporis ex elementis ratio, & in morborum generatione sibi aduersetur: nam cum corpus nostrum ex humoribus, hi autem ex elementis constent, qui qualitates & naturam elementorum in corpore nostro retinent, quid, quæso, respondebit ei, si sanguinem negemus calidū & humidum? Quomodo præterea tueri poterit inflammationis generationem esse intemperiem ex calido & humido compositam, siquidem sanguinem calidum & humidum neget? nec opus est dicere, quod sanguinem pro quarto humore, qui propriè sanguis dicitur, intelligat, cum calidum & humidum dicit, quippe cum inflammatio ex tota massa fiat, nec possit tota massa Vere abundare, nisi peculiariter quartus ille humor, qui calidus & humidus dicitur, excrescat: quomodo ostendet calidos & humidos morbos Vere gigni, frigidos autem & siccos tolli, si calidum & humidum [illegible]? Quid [illegible] ab Hyeme derelictam consumpsit? Quod caliditas ex longitudine dierum fiat, sinet eo tempore calidior non redditur. Statuamus ergo, Ver calidum & humidum, quod & signa cœlestia & sydera Ver ipsum constituentia ostendant, & tamen saluberrimum vocemus, cum magni non sint & iam morbi si harum qualitatum in eo excessus, sed parui, quos intelligere nō potuit, cum temperatum vocat Ver: si quidem omnis excessus planè in medio esse illud contendit: talis enim nobis optima est temperies, aut quæ ad naturales actiones obeundas maximè sit idonea, alioqui pueritiam damnemus calidam & humidam & sanguinem omnium humorum optimum & naturæ familiarissimum. Item cibos calidos & humidos, qui optimè nos alunt, & vitam denique nostram, quæ calido & humido fouetur & regitur, Hippocratemque accusemus, qui Ver calidū & humidum & saluberrimum tamen vocat.

Temperies veris esse calidam & humidam, & simul saluberrimam.

Θερμότατοι φύσει.

Natura calidissimi.

CAlidissimi natura veteres intelligitur, quod natiuo calido, nempe sanguine & spiritu optimo, mitique calore, qualis natiuus est, abundent, quibus & insita substantia calida augetur, & calor etiam illius excitatur, vegetiorque redditur, siquidem simile simili conteritur, & augetur; qua vero ratione sanguis spiritusque per illa tempora in profundo corpore abundent, ostendit Galenus; *quoniam, inquit, per externi aeris circumstantis frigiditatem, externas partes deserunt, & ad internas propius refugiunt*: verùm, hæc ratio in Hyeme solum locum habet, vigente scilicet tunc frigore, Vere autem minimè. [illegible] calidum, siue temperatum Ver constituas, [illegible] neutra harum constitutionum propelli possunt ad interiora humores, siquidem frigidi, nō temperati, aut calidi vi, repulsio fit; quod [illegible] aduertisset Galenus, Ver interpretatus est pro Veris parte, quæ Hyemi commiscetur, similemque illi temperiem habere putat, nonnunquam etiam ad totum Ver id transfert, si talem temperiem fortè habuerit, qualem hyems.

Cuius interpretatio [illegible] non placet: cum enim Hippocrates Hyemi [illegible] scribit, non Hyemis partem, sed totam Hyemem intelligit, cum tamen [illegible] Autumni [illegible], & [illegible] Veris, [illegible] Autumni illius principio, & [illegible] Veris principium: nulla quippe ratio est, quæ nos cogat, aliorum temporum partes Hyemis partibus potius, quàm huius partes aliorum temporum partibus comparare; quod si concesserim Veris partem primam non perinde calidam & humidam esse, vt medium, frigidam tamen & humidam propterea non est, alioqui non Veris, sed Hyemis pars esset, siquidem Hyemis [illegible] pars diceretur, quæ frigida est & humida. *Est ergo tota Veris temperies calida & humida, sed per magis & minus variatur, prout magis aut minus ad tempora, cum quibus commiscetur, accedit*, id, quod in aliis temporibus etiam sentiendum est. Nec vero [illegible] facit, quod scribit, Ver [illegible] talem temperiem [illegible], qualem Hyems. [illegible]

Cibi calidi & humidi alimento optimi.

Quomodo sanguis & spiritus tempore hyemis & vere possint [illegible] abundare.

qualem Autumnus vel Ver, accipit; quare, cum ille Hyemem statuat propria & naturali temperie affectam, idem de Vere quoque concedat oportet, putetque authorem expendere, quid in hac re possit Ver, dum seruat suam temperiem; vel ergo Hippocrates malè dixit, *Vere plurimo esse opus nutrimento, & ventres calido natiuo abundare,* aut si bene (vt putamus) id ab eo scriptum est, ratio excogitanda est, qua id fiat. Ea sumitur ex propria Veris temperie, quæ per se calidum natiuum in omnibus corporis partibus, & proinde etiam in ventre auget; nam quemadmodum pueros plurimum habere calidi innati dicebamus, quoniam illorum natura, vtpote calida & humida, plurimum sanguinis & spiritus gignit, ita & Veris temperies calida & humida, eandem temperiem in corpore excitat, quæ & plurimum dissoluit nostrum corpus, plurimumque alimenti conficere potest, & sanguinem gignere copiosum, quo resarciatur id quod digeritur. *Dissimili ergo ratione ventres natiuo calido replet hyems & ver: illa quidem, quod sanguinem & spiritum totius ferè corporis in eas partes compellat: Ver autem, quoniam plurimum in omnibus gignit.* Calidissimos autem ventres intelligere oportet, non simpliciter, sed *collatione ad reliqua tempora*: nec in omnibus, senes enim, & qui debiliore calore sunt præditi, ab aeris frigiditate hyeme offenduntur, vt propemodum extinguantur, nullaque in parte plus incalescant, quam reliquis temporibus, cum potius æstate validius huiusmodi corpora nutrimentum conficiunt, sanguineque magis abundant, à vehementiore enim calore, repugnante illorum frigiditate, ad mediocrem quandam temperiem ducuntur, quæ omnes corporis actiones melius perficiunt, vnde optimè Hippocrates scribit, *naturas ætatesque alias aliis temporibus bene maleve se habere, frigiditas nempe in calidis, has in frigidis & contrarias denique in contrariis.*

Quomodo sanguis & spiritus in Vere augeantur.

Ventres quomodo hyeme & vere sint calidissimi, & in quibus hominibus.

Καὶ ὕπνοι μακρότατοι.

Et somni longissimi.

Cur Hippoc. hic agat de somno.

CVr cum de anni temporibus hic agat autor, somni meminerit, interpretes variam reddunt rationem; quidam enim volũt somnos longissimos adiectos fuisse vt calidum natiuum non solum ob anni tempus, sed etiam ob somnos longiores tunc augeri intelligeremus; quod mihi nõ videtur admodum probabile: nam etsi somnus calidum natiuum in internis partibus augeat, eo se recipiente sanguine, relictis externis partibus, tamen nisi necessitas maior fuisset, à solo calido natiuo, quod per ea tempora augetur, argumenta duxisset, quemadmodum cum de ætatibus ageret, etsi pueri plus, quàm alii dormiant, nihilominus, quid solum postulet illorum ætas, docuit; Alii aliter sentiunt. Ego vero puto, somni hic fieri mentionem, *quoniam ex sola calidi natiui copia in internis partibus efficere non poterat: propterea Hyeme plurimo cibo esse opus, nisi somnos longissimos fieri tunc temporis adiecisset*: nam cum nutrimenti quantitas, quantitati dissolutionis, quæ à nostro corpore per habitum fit, respondere debeat, nisi externi cutis meatus dissolutioni pateant, nutritionis necessitas minuitur; quia ergo per hyemem externæ corporis partes constringuntur, densanturque ab aere externo, natiuusq; calor magna ex parte eas sedes relinquit, ideo etiamsi in ventre calidum copiosius sit, quoniam tamen nutritionis necessitas ex partium exteriorum dissolutione incipit, illæ autem non habent, quod dissipent, diminuto scilicet illic calore, & occlusis viis; ideo somni meminit longioris, per somnum enim huiusmodi, operto corpore, exteriorum partium viæ rarescunt, & in tempore quodam totum corpus constituitur, internus vero calor vegetus excrementa exactissimè extenuat, plurimamque dissolutionem facit, natiuumque robur partibus omnibus seruat, quo ad coquendum, attrahendumq; nutrimentum, extenuanda digerendaque excrementa, & denique ad omnes actiones, quas nutritio copiosior requirit, obeundas, validissimæ redduntur: ergo hyeme potissimum non solum quod calidum natiuum plurimum sit in ventre, ideo plurimo alimento est opus, sed etiam quoniam somni sunt longissimi, per quos magnæ dissolutiones fiunt. Hanc nostram interpretationem sequitur Gal. *in Comment.* Cur autem, & à quibus causis longissimi fiant tunc somni, docere nõ possumus, nisi prius somni causas explicauerimus: at quoniam non licet illas cognoscere, ignorata ipsius somni natura, ideo primum quid somnus sit, definire oportet; scripsimus alibi de hac re & aliis, quæ ad somnum & vigiliam pertinent, duobus integris libris, quare hic solum capita attingemus. Est autem somnus, vt definit Aristoteles, *sensuum immobilitas quadam, & quasi nodus & vinculum*: vigilia verò *exolutio sensuum & relaxatio*: sunt porro somni & vigiliæ aliquando naturales, aliquando præter naturam, aliquando verò, vt Medici vocant, non naturales. Naturales vocantur, qui in bene affectis corporibus, & naturalib. & moderatis causis proueniunt: præter naturam verò qui ex morbosa causa committuntur: non naturales verò medii sunt inter hos, & à mixtis causis nascuntur.

Somnus quid.

Quid vigilia.

Somni & vigiliarũ differentia.

Putat Aristoteles, somnum naturalem fieri à vapore genito vi caloris in alimenti concoctione, elatoque postea ad cerebrum, ibiq; conuersò in humorem ab ipsius cerebri frigiditate: quod tactu (vt ille ait) *cap. 2. lib. 2. de partibus animalium* frigidum sentitur, eo modo, quo pluuiæ ex vapore in aere frigido fieri agnoscitur: qui humor cum grauitatem pariat, deorsum pellitur, & descendens per venas, calorem repellit versus cor, illudque refrigerat, vnde per antiperistasin vocatam, somnus, inquit, oboritur: hunc humorem calidum esse oportere scribit, quandoquidem is, qui frigidus est, somnum procreare nequit, vt ostendunt soporosi affectus, quos ex calida & humida materia consistere ait: & pueri plurimum dormiunt eo quod calido humore abundent: vnde somnum refrigerationem, causas verò illius calidas esse statuit. Hanc opinionem nos multis modis refellimus: Primum, quod vnicam causam somni ponat, cum plures sint: nam vigilia, exercitatio, dolor, gaudium, cantus, tenebræ, aer frigidus vel humidus, & quæ extrinsecus admouentur frigida: præterea, blandæ frictiones, lotiones pedum, titillationes, venus, nauigatio, gestatio, aquarum decurrentium per sa-

Somnus naturalis vnde fiat secundũ Arist.

Aristot. sententia refutatur.

Somni causam non esse vnam, sed plures.

ra, vel ex alto cadentium strepitus, voluntas quoque nostra, & alia multa somnum pariunt, quæ tamen ad eos vapores redigi non possunt. Deinde, si somnus fit ex vapore, qui attollitur, dum cibus conficitur in ventriculo, & vicinis ei partibus, absoluta concoctione & propterea cessante vaporis generatione, non posset somnus fieri. Præterea si somni præter naturam fiunt à pluribus causis, nempe à vulnerantibus, contundentibus, obstruentibus, & accessionibus morborum, non erit vnica naturalis somni causa. Addo quod somnum nunquam arcere possemus, si ille fit ob eos vapores: vt enim pluuiam nasci oportet, vbi materia adest in aeris regione, vbi ea gignitur: sic necessarium est sequi somnum, quando cerebro materia suppeditatur, ex cuius mutatione & descensus (vt ille opinatur) somnus fit. At nec illa quidem causa, quam statuit, somnum parere potest: neque enim vapor ille cõuerti potest in humorem in cerebro, cum pars illa frigida non sit actu, vt ipse putat, quippe cum nulla pars in homine viuente frigida actu sentiatur. Dicitur autem cerebrum frigidum *quod temperata parte frigidius sit*: id verò quod hoc modo est frigidum, nequit ex vapore humorem gignere, vt pluuia fit in aere actu frigido, ex vapore sursum eleuato. Addo quod humor qui somnum facit, calidus esse nequit, vt ille arbitratur, si modo ex vapore fit in parte frigida per concretionem, alioqui & pluuia calida esset. Pueri vero non dormiunt plurimum, quod humor calidus & humidus proxima sit in illis somni causa, sed quia plurimus vapor ex copioso humore eleuatus caput grauat & replet, & quia plurimum edunt, egentque propterea longa mora calidi natiui in visceribus, vbi concoctio alimenti fit. Ad hæc repugnat modus, qui dicit generari somnum, naturæ ipsius somni. Primum enim, grauitas capitis, quæ vrget inclinatos ad somnum, ostendit materiam in ipso capite contineri, & nequaquam descendisse in subiectas partes: Deinde viam docere non potest, per quam humor ille descendens calorem ad cor repellat: cur enim per venas potius (vt ille tradit) quam per gulam, palatum vel nares humor ille descendet? etsi ad ventriculum relabuntur humores per eas partes cerebro subiectas, & destinatas ad illius expurgationem, nequaquam caloris natiui motus impedietur, nimirum cum calor non à ventriculo, sed à corde proficiscatur in vniuersum corpus: quod si pars quædam humoris dicatur per venas descendere, non tamen ob id fiet, vt calor ad cor repellatur, potius, quam ad aliam partem: quoniam venæ, quæ cum capite coniunguntur: in scapulas & thoracem, non autem in ipsum cor, nisi per multos anfractus terminantur. Quod si ita est, cur continuo in illis partibus tumores præter naturam instante somno, aut iam dormientibus venis ruptis, aut apertis non excitantur? At si vult rectà ferri hunc humorem à capite ad cor, repugnante anatome, quid prohibet, quo minus aliquando tanta ruat humorum copia in somno, vt cordis calorem penitus extinguat? Amplius vrget Galeni ratio: nam *si somnus fit*, inquit, *ex humore descendente ad cor, cur pulmo humidissima pars, cor amplectens, perpetuum non parit somnum*? At, si calor repellitur ad cor, quo pacto cibus per somnum optimè in ventriculo concoqui potest? Addo, si

Causa somni præter naturalis.

Nullam partem in corpore viuente esse actu frigidam.

Cerebrum quomodo dicatur esse frigidum.

Pueri cur plurimum dormiant.

A somnus fit in corde (vt Aristoteles vult) & calor tunc in eo viscere contrahitur, non cessabunt sensus, sed illi, vt aliæ omnes actiones cordis fœlicissimè peragentur: id enim sequitur natiui caloris præsentiam & abundantiam. Illud etiam falsum est, calorem per somnum in corde refrigerari: nam si per antiperistasim, (vt ille credit) calor contrahitur, validior vtiq. ille reddetur: id quod testatur pulsus & respiratio, quæ in dormientibus augentur.

Postremo repugnat ratio generationis somni, opinioni Aristotelis: nam cum ille minimo temporis spacio accedat & recedat, oportet vtique eiusmodi esse illius causam, quæ temporis momento tolli & poni possit: quomodo enim
B gigni, statimque descendere, venasque obstruere & tunc somnum facere, vel protinus ascendere, dissoluique humor aliquis potest? ac ab eo liberari venæ, vt vigilia fiat? præsertim si humor faciens somnũ, pituitosus est, & tantus, vt omnẽ calorẽ clausis vniuersis vasis, quæ sunt à cerebro ad cor repellere, & in corde ipso concludere valeat? Præterea, quomodo ingesto cibo, & facta eiusmodi euaporatione, vrgente aliquo negocio, somnos arcemus, & in ocio ferè, cum volumus, in nulla, aut certè minima euaporatione eum nobis conciliamus leuioremque vno tempore, alio profundiorem, aliquando breuiorem, aliquando longiorem facimus? nam si ea euaporatio & materia, quæ ex cibo nascitur, sola est somni causa, & eum parit descendendo, & occu-
C pando venas, nihil poterit in hac re voluntas nostra conferre, non, inquam, somnum aduocare, depellere, modumque illi constituere. Hæc videntur mihi sufficere ad refellendam Aristotelis opinionem, quod nec sola, nec ea sit quam ponit somni causa.

Galenus vero Aristotelis mentem assecutus non est: nec ea, quæ tradit de causis somni, recipienda sunt; etenim *in libro de causis symptomatum*, scribit Aristotelem asserere, somnum non quidem contractione caloris, sed grauatione capitis fieri, censetque huiusmodi somnum, qui à vaporibus fit, nequaquam esse naturalem, & eum solum Aristot. nouisse: verum Aristoteles (vt sa-
D tis patet *in libro de somno & vigilia & in secundo de partibus animalium*) non putat grauitatem capitis per se somnum efficere, sed quatenus ob grauitatem natam ab humore genito ex vapore natura mouetur ad humorem grauantem expellendum, qui cum pellitur & descendit, facit, inquit, vt calor repellatur, contrahaturque ad cor.

Galenus de causa somni itidem refutatur.

Cæterum naturalem esse somnum, quem vapores eleuati à cibo pariunt, nemo negare potest, quandoquidem non aliter obrepit somnus to benè valentibus, assumpto cibo. Ac quemadmodum Aristoteles reprehenditur, quod vnicam somni causam ponat ex euaporatione, sic Gale-
E nus culpa non vacat, cum ex sola contractione caloris, nata ob eiusdem dissolutionem, naturalem somnum committi putat. Nullam præterea affert rationem Galne. qua ostendat, naturalem nõ esse somnum eum, qui fit à vapore, nec ostendit naturalem somnum solum fieri posse contractione caloris: debebat præterea docere, quidnam sit istius contractionis causa, ratio, & modus: Postremò, causas somni & soporum Methodo

A thodo non explicat, cum particularia quæq; prosequitur. Ac, ne aliorum opiniones prosequamur nos breuiter nostram opinionem subiiciemus.

Opinio autoris de causa somni.

Itaque, quoniam per somnum anima sensuum, omnium functione priuatur; est vtique necessarium, vel omnes, vel aliquas deesse causas ex illis quarum beneficio singula sensoria sua exercent officia: vt autem sensus fiat, necesse est, adesse sentiendi vim, & eam, quæ sensationes apprehendit, & sensoria ipsa; nec non ipsa instrumenta, per quæ vis sensifica ab vno fonte in sensoria emanat, recte habere, & præterea calidum innatum (quo natura vtitur ad vehiculum facultatum) bene affectum esse; postremo, requiruntur propria obiecta singulorum sensuum & in aliquibus idonea interualla, vt sensus fiat. Porro ostendimus *in libro de Somno & vigilia*, somnum B non fieri immediate ob affectionem aliquam facultatis sensificæ, aut illius, quæ sensationes apprehendit & diiudicat; nec ob passionem aliquam sensoriorũ, aut locorum, per quos vis sensitica spargitur: nec quod desint obiecta, aut interualla male sint posita, sed solum *ob calidi natiui influentis a Corde cum facultate sensifica a Cerebro in singula sensoria; hoc enim solum inter omnes causas requisitas ad sensum somni potest esse causa*: nam quoniam per somnum omnes sensus otiantur, communem causam esse necesse est, qualis est hæc: & quoniam subito fit somnus, subitoque soluitur, & rursus redit, & abit minimo temporis C momento, ob id constat, non nisi motu cum fieri posse: nulla autem ex causis necessariis ad sensum est, imo nihil aliud in corpore est, quod aptum sit tam celeres subire mutationes, quales somnus & vigilia requirunt, præter ipsum innatum calidum, quod suapte natura mobile existit, & vt commune instrumentum, omnibus partibus seruit, ita, vt ab illis alliciatur, quando eo egent, & repellatur, quando eo non est opus. Deinde, videmus animi defectum, timorem, verecundiam, iram, gaudium, tristitiam, rigorem per febres, & calorem, & alias vniuersas animi corporisque passiones, quæ subitam habent ge- D nerationem & corruptionem, calidi huius vi & motu fieri: addo, quod vigilantium facies & externæ aliæ partes coloratæ sunt secundum cuiusque naturam, pallescunt vero & liuescunt in dormientibus, quod aliter contingere non potest, nisi quod *in dormientibus vniuersus sanguis vel tenuior, spirituosiorque illius portio ad internas partes sese recipit; in vigilantibus vero ad externas erumpit. Facit ergo vigiliam motus calidi influentis à Corde ad sensoria: somnum vero eiusdem paruę recessus & absentia*, non autem communis sentiendi vis, quæ in omnes sensus spargitur (vt sentit Aristoteles) non enim ea est, ex cuius defati- E gatione contingat sensus deserere sua officia quippe, cum eo authore, *cap. 4. lib. 1. de anima*, nec animæ facultates, nec anima defatigentur, vel peius aut deterius agant, nisi propter instrumenta quibus vtuntur melius vel deterius affecta. Verum, etsi præsentia & absentia influentis calidi causa est vigiliæ, & somni, tamen non vnica est causa & ratio, quæ facit vt illud nunc adsit sensoriis, nunc vero ab illis recedat: nam aliquando calidum hoc deest sensibus, eo quod à suo fonte (Corde inquam) exire non potest, & ad sensoria ascendere: aliquando vero id fit, quod

Vera somni & vigiliarũ causa.

Animam & eius facultates non defatigari.

A alio reuocetur: aliquando, quod illi via sit occlusa, per quam transire solet: aliquando vero, quod deorsum pellatur: Contingit autem idem, quod non alliciatur, ducaturue ad sensoria, vel quod non impellatur ab aliquo sursum. Ac omnibus quidem his modis somnum fieri facile est docere: nam inepta redditur illius substantia ad motum in externas partes & sensoria, vel quod illa concreta sit, & densata, vel quod diminuta & dissoluta, adeo, vt nequeat vsque ad sensoria extendi, vel quod alio motu feratur, quam recto. Ac opium, cicuta, mandragora, lactuca, aquæ potio, & alia tum alimentatum medicamenta, quæ intus assumuntur, refrigerandi vi prædita, somnum & soporem inducunt, *quia spiritum calidumque innatum refrigerando, reddunt inepta ad motum.*

Opium mandragora & cætera frigida quomodo somnum & soporem inducant.

B Eadem ratione, quæ foris adhibentur, refrigerantia, vel lotiones extremorum ex frigida aqua, somnos conciliant. *quod per venas, arterias, & neruos frigus transmittunt ad Cor, & in vniuersum corpus, quo quidem innatum calidum pariter ineptum redditur ad motum.* At dolor, vigilia, labor, inedia, tristitia, ira, venæ sectio, purgatio, venus, fletus, sudor, & alia quæcũque sanguinem, & spiritum digerunt, & absumunt, somnos efficiunt, *eo quod languidius ab illis reddatur calidum innatum, adeo, vt nequeat ad sensoria ascendere*, aut certe non possit diutius illis ministrare: quo fit, vt C illud in visceribus contrahatur, vbi interim cum ex concoctione nutrimenti, quod illic esse solet, reficitur, somnus fit: & cum iam est auctum, postea expanditur sponte sua, & redit ad sensoria, vigiliaque fit: vnde videmus, ex labore sequi somnum ex somno vigiliam, & animalia validiora reddi.

Cęterum, circulares motiones inducunt somnum, *eo quod innatum hoc calidum, quod recto itinere fertur ad sensoria, tali motu in varias parteis distrahitur, vnde sensus communi instrumẽto destituti, agere nequeunt*, atque ita fit somnus. Jã vero ob reuocationẽ caloris somnũ pariunt, concoctiones D nutrimenti, inflammationes internæ, frigidi, crassiq; humores, extremorum frictiones, lotionesque calefacientes, & titillationes pedum. priuant enim hæc sensuum fontem calido influente, atque calido innato ascendenti, & ad sensoria properanti cum via occluditur à comprimentibus, obstruentibus, densantibus, & adstringentibus somnus fit: nam vulnerantia, contundentia capitis ossa, pituitosæ inflammationes, quæ pondere suo Cerebri cauitates occludunt, comprimẽdo, sopores inducũt: humores vero, & vapores multi, & crassi viscidi, obstruendo easdem, calori, & facultati viam occludunt: quæ vero ceruici ad E bibentur, & iugularibus venis; ac arteriis ascendentibus ad caput, refrigerantia, & astringentia *densando caloris cursum intercipiunt*: Jam vero calorem repellunt à capite refrigerantia, quæ ei extrinsecus adhibentur, cogunt enim illa deorsum abire calidum innatum, atque ita somnum inducunt; At tenebræ, nox, silentium, somnos pariunt, *quia externa spectacula, & obiecta sensuum adimant: vnde cum desit id, quod sensum ad agendum monet, calidum ad internas partes, vbi semper aliquid est, quod concoqui possit, reuocatur ne quid in natura sit otiosum.* Ad hanc causam redigi possunt aquæ decurrentis, aut ex alto ruentis,

Quomodo circulares motus.

Quomodo tenebra, nox Silentium.

Quomodo aqua decurrentes.

[illegible]

strepitus, suauis cantus, & musica, *liberant enim hac animũ à vehementioribus cogitationibus, & ita externo negocio solutus calor, externas partes deserit.* Voluntas vero & Ratio, quæ somnum aliquando imperare videntur, cum animus variis cogitationibus torquetur, somni sunt causa, vel quod remoueant obiecta cogitationum, & sensuum; vel quod innatũ calidũ descẽdere cogant tanquã commune instrumentum mobile, quod omnibus facultatibus parere est aptum, & natum: At per iram, gaudium, risum, & alias cordis passiones, in quibus calor expanditur, vigilia fit, *quod calidum innatum à suis fontibus ad sensoria propellatur.* vbi vero nihil est, quod exire cogat hoc calidum à suis fontibus, Vt in animi quiete contingit; tunc somnus obrepere solet.

Quomodo per passiones cordis fiant vigiliæ.

His ita positis, quærenda ratio est, cur Hyeme B & Vere dicat Hippocrates somnos esse longissimos. Galenus causam refert in noctium longitudinem: quam rationem ridet Montanus, dicens, nos non esse boues, qui per totã noctẽ dormiunt, & hoc solũ conuenire otiosis, & miseris hominibus, qui nullo egregio studio addicti longas noctes transigunt in somnos fieri longos quia tunc plurimum comedimus, & propterea magna fit euaporatio suauis, & benigna, ex qua somni longiores fiunt, cuius opinio est absurda: nam Hippocrates ex somno longiore plurimo cibo esse opus, non autem ex plurimo cibo longiores fieri somnos, colligere vult. Præterea, reflectitur in eum de bobus, & otiosis hominibus C argumentum: Nam boues, & otiosi, qui solum ventri seruiunt, in illis temporibus liberalius cibo & potioni indulgent: at qui egregiis cogitationibus, & studiis incumbunt non minorem adhibent modum in victu, quam in somno, cum vtrumque pariter obsit. Melior itaque est Galeni ratio quæ docet, quid ratione eorum temporum fiat, non quid accidat ex aliis causis, quæ agunt in illis temporibus. Fiunt autem somni longissimi hyeme, *quoniam noctes sunt longæ & frigidæ, quæ calidum natiuum ad internas partes propellunt, & illic concludunt: tum etiam, quia hyems humida, &* D *frigida, caput replet pituita, quæ viam obstruit calido influenti ad sensoria: Addo, quod tenebræ noctis remoueant obiecta à sensoriis. Vere autem etiam somni fiunt longi ob easdem causas: nam etsi Ver temperatum est, aut calidum, & humidum, noctes tamen adhuc frigidiusculæ sunt, & potentes ad repellendum calorem: tum maxime id contingit, quod totum corpus sanguine abundet, quo cerebrum humectatur, & generatis vaporibus repletur.*

Cur in hyeme somni fiant longissimi.

Cur vere.

Τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. E

Quare per ea tempora alimẽta copiosiora sunt exhibenda etenim nunc calor innatus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis.

COlligit Hippocrates ex superioribus copiosiora esse adhibenda alimenta Hyeme, & Vere; & rationem adhuc repetit, quare fiat, vt ita nutrienda sint corpora: propterea, inquit, id faciendum est, *quia calor innatus est plurimus,* A Nos autem intelligere debemus, plurimum eum esse in ventribus & addere oportet somnos longissimos, cum antea nõ ex solo calore innato, vel potius calido innato, sed etiam ex somno longissimo ostenderit esse opus pluribus alimentis. *Pluribus* dixit alimentis, non *plurimis*, quoniam etsi Hyeme, & Vere, plus quam in aliis temporibus edere debemus, omnes tamen plurimum simpliciter non debent edere: nam senes, & consistentes, & iuuenes antea ostendit minus edere oportere: pueri autem in illis temporibus plurimo omnino egent cibo, tum suapte natura, tum temporũ ratione, quæ natiuum calidum augent, & somnos efficiunt longissimos. Facit autem calidum innatum, vt substantia nostri corporis ob B humiditatem benignam sibi coniunctam humidior tunc fit, & propterea ad dissolutionem idonea, & ob calidam qualitatem dissoluere humorem facile potest; id quod præstat per maiores expirationes, maioresque pulsus, tum per insensibilem transpirationem, maxime per somnos; partim etiam per vrinas, & alia corporis excrementa, quæ, vt crassiora, humidioraque sunt, ita plurimum insiti humoris secum trahunt: vbi autem plurima dissolutio fit, & corporis vires ad concoquendum nutrimentum validæ sunt, id quod necesse est, vt fiat quando calido natiuo abundamus, tunc enim omnes naturales facultates, & præsertim concoctio, vegetæ sunt, plurimo C cibo est opus, cum nutrimenti quantitati virium, & dissolutionis, quæ à toto nostro corpore fit, proportione respondere debeat: Merito ergo colligit, plus esse edendum Hyeme, & Vere, quia calidum innatum sit plurimum: nam ex natura huius calidi sequitur fieri facilem euacuationem, quia adest id, quod prompte dissolui, & dissoluere potest, & præterea quod feliciter attrahere, retinere, & plurimum concoquere valet. Nec mirum quidem, quod ex calore ventris colligat in prima parte Aphorismi, pluribus alimentis opus esse: nam etsi calor in ventre diu detinetur, re- D pulsus ab aeris frigiditate, per somnum tamen interim humorem extenuat, cõcoquit, dissoluitq; etiam vniuersum corpus, vt sudores ostendunt, qui magis per somnum, quam per vigiliam effluere solent, ac etiam per vigilias natiuum calidum optime in ventre renutritum, & auctum, ad externa recurrens maiore vi externarum partium substantiam digerit: propterea cum dixisset Hippocrates, solum in ventribus calidum natiuum abundare, postea simpliciter pronunciat, illud copiosum esse, quasi sequatur illius abundantia in vniuerso corpore, si in ventre abunde sit auctum. Igitur ob prædictas rationes simul E coniunctas, pluribus egemus alimentis, non autem ob solam dissolutionem, vel concoctricem validam, vel immediate ob calidi natiui abundãtiam, vt nonnulli volunt: nam Aestate, & per morbos calidos, plurima quidem fit nostræ substantiæ euacuatio, quia tamen virtus concoctrix tunc languet, non possumus plurimum edere, quod si concoctio vigeret, & *minima fieret dissipatio,* non tamen multo esset opus alimento. vnde fit, vt statim à somno cibum non appetamus, quia etsi concoctio per somnum felicissime est peracta, tamen, *quia nondũ calor expansus est per vniuersas corporis partes, ideo prius alimentum non* appe-

appetimus, quam per vigiliam euaporatio sit facta per cutem. Quod vero aiunt dicunt, plurimo esse opus alimento, quia calidum plurimum aliter non potest conseruari, recte quidem dicitur, sed non sequitur plurima nutritio plurimum calorem primo & per se, sed quia plurimus calor plurimũ concoquit, plurimumque vacuat. Nunc vero obiter quędam sunt explicanda, in quibus author sibi pugnare videtur: cum enim natiui caloris officium sit *temperatos humores gignere, aut calidos, & humidos*, siquidem ex calida, & humida substantia (vt antea ostendimus) ortum habet, in eaque consistit, ratio exigit, vt Hyeme, quo tempore ille viget, sanguis abundet; Quod si ita est, male ab eo scriptum videbitur *in libro de Natura humana*, Hyeme in homine pituitam augeri. Quam controuersiam soluere Galenus nititur, sed meo quidem iudicio, parum fœliciter: ait, enim, ventrem quidem calidum esse, sed hepar ipsum, & venas refrigerari, ita vt etsi cibi in ventriculo bene cocti sint, in hepate tamen, & venis non bene conficiantur, quibusdam præterea, & ventriculum ipsum, aut ex itinere aut ob vestium inopiam, vel ob vitæ genus, vel aliud simile quidpiam refrigerari; Addit, quod multi cibi pituitosi Hyeme ingerantur. Quibus se quæstionem dissolutam putat; Verum illud primum, quod sanguis in hepate optimus Hyeme gignatur, testatur ipse *in Comment. huius Aphorismi*, vbi sanguificationes optime Hyeme fieri scribit; quod vero in aliquib. fit, id non probat verum esse, quod in omnibus euenire scribit Hippocrates, Hyeme pituitam vigere. Postremo ex illis, aut his cibis causam afferre, non est ad naturam temporis quæstionem reuocare: ita enim liceret dicere. Aestate bilem non abundare, quoniam eo tempore frigidis, & humidis cibis homines vescuntur, & corpus aqua sæpe abluunt, & in ocio viuunt, quæ ad propositum certe non faciunt, cum illud duntaxat expendere debemus, quid tempus sua sponte natura in corpore efficiat, quémve humorem gignat. Ego igitur puto, etsi sanguinem hyeme gigni optimũ, & plurimum, pituitam tamen exuperare: nam etsi in hepate optimus sanguis gignatur, per corpus tamen delatus in pituitam degenerat, quæ tum in externis partibus, & habitu corporis exuperet, ideo ab Hippocrate abundare tunc dicitur quod satis ex eo loco patet, cum ait, quod Hyems corpus pituita impleat, id tibi his indiciis patebit, expuunt homines, & emungunt Hyeme pituitosissima, atque tumores albi hoc tempore potissimum extuberant, ex quibus ostendit, in externis partibus, & corporis habitu, quem corporis nomine, exclusis internis partibus sæpius Medici vocant, pituitam abundare; At quo modo, quæso, in pituitam sanguis degenerasse posse creditur, cum præceptum apud Medicos sit, (vt *2. de Naturalibus facultatibus, & de Sanitate tuenda*) nihil recrudescere posse, & in priorem humorem redire? Quam ob rem, cum ab imbecillo calore pituita fiat, sanguis à mediocri, quomodo sanguis in pituitam mutari poterit? Putauerim equidem, præceptum illud ita intelligendum, quod, ab eadem alteratione non possit in primam naturam mutari humor, præsertim, si longe iam in varias mutationes abierit, si locum tamen mutet, & in frigidiorem recedat, naturam etiam illum mutare posse, [illegible]

A cum lac gignitur, frigidior redditur, & bilem frigiditate in pituitam degenerare scribit Hippocrates *2. de victu acutorum*; atque etiam Galenus Cerebrum generandis humoribus pituitosis sua natura aptum *lib. 5. Aphorismorum* meminit, cum refrigeratum alimentum vincere nequit; atqui alimentum, quo cerebrum alitur, *sanguis est; Quamobrem, cum externæ partes ab externo aere refrigerentur, caloreque natiuo propemodum destituantur, propulso illorum sanguine ad internos ventres, non mirum, si quemadmodum cerebrum, ita illæ refrigeratæ, sanguinem totum integramque massam in pituitam degenerare faciant, quo nutriuntur: siquidem ex pituita in sanguinem non mutata, nulla pars nutriri potest; saltem putemus oportere, pituitam, quæ cum sanguine mixta est, post nutritionem magna ex parte relinqui, partes autem ex calidiore parte sanguinis, quam facilius mutare posse nutriri, frigidiorem autem pituitam vinci plane non posse, atque eam esse quæ expuitur, emungitur, in corporeque redundare dicitur.*

Bilem posse degenerare in pituitam.

Cerebri alimentum.

Ex pituita nullam partem nutriri.

[illegible]ιον αἱ ἡλικίαι καὶ οἱ ἀθληταί.

Inditio sunt ætates, & athletæ.

QVod ratione probauit, nunc etiam experientia, & exemplis docet. Antea probauit ex plurimo calore, & ex longissimis somnis, plurimo cibo esse opus; docet idem experientia in athletis, & in ætatibus, intelligere autem oportet ætatem puerilem, & alias, quæ adhuc crescunt; in illis enim corpora plurimo abundant calido innato, & multum etiam dormiunt, plurimisque vtuntur alimentis. Athletæ quoque ob frequentes & validas exercitationes, augent calidum innatum, & illud vegetum seruant, coguntur que plurimum dormire, vt alimenti multitudinem, & crassitiem, quam requirunt ad conseruandum robur, concoquere valeant. Id vero, quod scribit, *pluribus esse opus alimentis*, intelligere oportet, non secundum quantitatem solam, sed etiam secundum substantiam, nam corpora, quæ plurimum habent calidi innati, exigunt alimenta multa, quæ simul plurimum alant, qualia sunt, quæ boni, & crassi sunt succi, vt est caro suilla, oriza, oua duriora, & quæ sunt huius generis, nam vt recte Galenus *in septimo Methodi* scribit, nihil potest plurimum alere, quod crassitiem non habet coniunctam, quæ vero aerea & aquea substantia constant, vt facile vincuntur, ita firmum & stabile alimentum præbere nequeunt, propterea plurimus calor illorum vsu minuitur & languescit, magna enim flamma non nisi multis & crassis solidisque lignis conseruari, fouerique potest.

Quænam ætates hic intelligendæ.

Vnde athletis augeatur calidum innatum.

[illegible] plurimum alant & quæ non.

Cæterum, cum nox ad diem videatur eandem habere rationem, quam Hyems & Ver ad alia anni tempora, non abs re fuerit, obiter hic attingere, an in cœna plus edendum sit, quam in prandio? Quam quidem quæstionẽ Matthæus Curtius noster passim in scholis tractauit, & prolixe admodum explicauit, cuius sententia talis est. Cœnam ampliorem esse debere in sanis omnibus, in omnibus ægris, in omni morbo & affectu corporis, his solum exceptis, qui circa

Sententia Matthæi Curtii.

noctem accessiones habent: nam eo tempore plus edendum esse, quo plus & melius concoqui potest, id quod fit in cœna ob somnum sequentem, & quia maius interuallum intercedit inter cœnam & prandium, quam inter prandium & cœnam, atque ita natura melius suas concoctiones absoluere potest. Non referam, quid alii adferant contra hanc opinionem, quoniam ex certis principiis suas non ducunt argumentationes, sed ex scriptorum authoritate & opinione, quam Curtius aliqua distinctione inuēta ita interpretatur, vt facile argumentorum vim subterfugiat. Ego, vt non nego, in hominibus sanis, & suæ spontis, libereque viuentibus, cœnam vberiorem esse debere ob rationes prædictas, ita in ægris multis, & in his, qui libere viuere non possunt, contrarium fieri debere, ratio conuincit; mirum enim, si tot morbi, tot effectus inter se diuersi, tot partes, affectæ, forma & locis inter se distinctæ, vnam & eandem cibandi rationem in diuersis temporibus requirant: sunt enim quidam, qui non prandent ante meridiem, vt mercatores Florentini, Lucenses, Genuenses, quod ego Lugduni, Antuerpiæ, Venetiis, Genuæ, Lucæ, Florentiæ, Romæ, & Neapoli vidi, & hi omnes ante prādium solent grauiora negocia tractare, post prandium vero quiescunt, aut certe leuissime se exercent; idem faciunt Causidici, & Senatores, qui duas primas diei partes vbique fere consumunt in agitandis causis & controuersiis diiudicandis; hi profecto omnes plurimum exhausti in longiore tempore, quod inter cœnam & prandium intercedit, partim per concoctiones, partim per animi & corporis labores, coguntur plurimum in prandio edere, alioqui tabescunt, & si plurimum edant, bene habent, cum euacuatio, quæ præcessit, excitet appetentiam, & exercitatio animi & corporis calorem auxerit, concoctionis felicissimæ authorem: sequitur prandium otium, in quo calor in visceribus hæret, donec concoctionem absoluerit: succedunt postea in vltimis horis diei aliqua negocia, exercitatio, aut certe motus aliquis, qui ad distributionem alimenti concocti facit; igitur plurimum in prandio coguntur edere, in cœna vero minimum, cum inter prandium & cœnam minimum sit temporis spacium, ita vt abunde saciati in prandio, nequeant plurimum appetere in cœna; idem coguntur facere, qui prima hora diei bonas artes profitentur, coguntur enim illi bonam noctis partem dare suis studiis, quare necesse est cibos, qui in cœna assumuntur, si vberiores fuerint, in illis male concoqui; vbi vero mane illi suam absoluerunt lectionem, quasi deposito onere graui, leuiores sibi videntur, & plura iam appetere, & postea cōcoquere possunt: non ergo vna & eadem esse potest in sanis ob variam viuendi conditionem, & etiam consuetudinem, quæ plurimum in hac re potest, prandii & cœnæ ratio.

[illegible]

In ægris vero est quidem habenda concoctionis alimenti in visceribus ratio. Verum alia pariter vrgent, & aliquando multo magis, quam ipsa concoctio, vt fluxiones, tumorum generationes in externis partibus: nam quoniam nox suapte natura refrigerat & humectat externas partes, & internum calorem intro compellit, si affectus aliquis frigidus vel humidus Cerebrum potissimum infestat, necesse est grauiorem reddi huiusmodi affectum, si cœna fuerit copiosa; Primum quod duplex accedit corpori humectatio, vna ex cibo ampliore, alia ex noctis temperie: intenditur quoque refrigeratio, quoniam natiuus calor, vt concoctionem perficere possit, cogitur ob multitudinem alimenti diu hærere in internis visceribus, atque ita deserit externas partes, quæ etiam refrigeratæ ab aere nocturno, maiores pariūt cruditates, fluxionesque augent; Addo, quod & vapores plures excitantur ad caput per somnum, quam per vigiliam, præsertim vbi cœna est amplior: nam vbi multa materia concoquitur, necesse, est multam fieri euaporationem, quæ in somno & quiete tota fertur ad caput, & illic sistitur, commouetque humores & fluxiones, & caput affectum grauat, quæ incommoda fugimus ex leuiore cœna & prandio vberiore: nā cū prandium sequatur vigilia, vapores, qui in concoctione alimenti proueniunt, vna cum calore spargūtur in vniuersas corporis partes, & qui ad caput ascendunt, digerentur per sensationes, motiones, & cogitationes, *nulla enim actio, animalis potissimum, obiri potest absque vaporis & spiritus dissipatione*, si modo hæc sunt caloris influentis vehicula & subiectum; nonne etiam internæ inflammationes grauantur potius ab ampliore cœna, quam à prandio? quippe cum duæ causæ simul conueniant ad compellendos humores in partem affectam, cibi, inquam, concoctio, quæ calorem ad se reuocat, & noctis obscuritas & frigiditas, quæ eundem intro pellunt; per vigiliam autem externæ actiones humorum & caloris partem ad se conuellunt; vnde videmus pleuriticos & peripneumonicos grauius affligi post cœnam, quam post prandium, ob eam rationem. Dixit Galenus in *7. Methodi*, vbi de cibandis exsiccatis & consumptis agit, cœnam vberiorem esse debere prandio; & *in libro de Sanitate tuenda* Medicos & alios, qui post prandium cursitare per Ciuitatem, & scalas domorum ascendere coguntur, leuius edere debere in prandio, quam in cœna; At, hoc perpetuum esse non vult, nec esse potest in aliis omnibus, sicut nullum genus cibi est, quod omnibus naturis & omnibus affectibus competat.

APHORIS. XVI.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖς ἄλλοισι, τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris & aliis qui tali victu vti consueuerunt.

De scopo huius Aphorismi inter se dissentiūt interpretes; siquidem Philoteus de ægrotantium victu hic, in superioribus Aphorismis vero de victu sanorum Hippocratem agere putat, quod falsum est; nam in superioribus non minus de victu ægrotantium, quam sanorū egit, cum doceret, quo, quantoque nutrimento in longis & acutis, & in singulis temporibus morborum vtendum esset, & in hoc minus de

sanis

sanis, quam de ægris disserit, cum scribit, pueris humidum victum cõuenire, & aliis, qui tali victu vti consueuerunt. Confert autem huiusmodi victus his naturis, non quatenus ęgrotant, sed quatenus naturalis eorum status talem exigit; Galenus autem, authorem hic de qualitate nutrimenti agere putat, & merito quidem, cum & verba ipsius Aphorismi doceant, & docendi ratio id exigat; cum enim hactenus docuerit, quo, quantoque victu sit in singulis vtendum sequitur, vt quali sit opus doceat. Vtitur autem eadem docendi ratione, qua antea vsus est *Aphor. 2. huius primi lib.* vt enim exemplo vno sumpto ab humoribus, qui sponte educuntur, & alio ab Athletis, in vniuersum docuit, quales humores à corpore educendi sint, quantumque vacuandum, ita ex victu quem pueris febricitantibusque omnes conuenire norunt, reliquit nobis colligendum; sanis corporibus competere victum, qui seruet naturam vniuscuiusque morbo vero eum, qui mutare possit. Quemadmodum præterea in genere & quantitate victus, indicationem sumpsit à viribus, virium que quantitate, contraindicationẽ à morbo, illiusque quantitate, ita nunc victus qualitatem, à virium qualitate sumit, contraindicationem autem à morbi qualitate; Quemadmodum enim naturalis status tantam quantitatem nutrimenti exigebat, quantam vires conficere poterant, & restaurari, q; à corpore effluxerat, morbus aũt tantam admittebat, quanta ad sui ablationem necessaria esset: Ita nunc, si morbus diuersam qualitatem nutrimenti ab ea, quæ naturali statui debetur, exposcat, tantum ab ea qualitate, quæ conuenit naturæ, recedendum, quantum morbi qualitas refragatur; Quod si victus qualitas morbo aduersetur, & simul etiam naturali conditioni competat: tunc victus talis morbo remedio fuerit, & naturæ victus, quemadmodum cum quantitas victus ex defectu humorum morbos ortos emendat, & vires conseruat: sed id per accidens fit, siquidem victus quatenus victus est, statum corporis conseruat, non autem mutat. Porro vt vires victum, viriumque quantitas victus quantitatem; ita illarum qualitas victus qualitatem indicat; verum, quoniam virium qualitates non ita exprimere possumus, ad qualitates temperamenti tractationem hoc loco reuocamus; est enim viriũ essentia *in temperamẽto, structuraque corporis* posita; quare, quot differentiæ in qualitate temperamenti corporisque secundum naturam habentis structuræ, constituentur; tot & in qualitate victus differentias inueniemus. Itaque, cum alii temperati sint, alii intemperati; quidam præterea tenui substantia cõstant & molli; alii vero crassiore & duriore, singulis victus est exhibendus, quo conseruari possint: siquidem quod secundum naturam est, conseruandum permutandum vero, quod præter naturam; ac siquidem natura sit temperata, temperato victu eam conseruari constat: ab aliis enim omnibus, cum in mediocritate quadam constituatur, necessario mutatur; si vero à mediocritate corporis status recesserit, similibus eum intendi quibusdam videtur, dissimilibus autem conseruari, alii vero conseruationem semper per similia fieri arbitrantur, vtrique certe Galeni authoritate, qui nunc vnum, nunc aliud statuit, confusi.

Hippocrati hoc agere de qualitate nutrimenti.

Viribus esse in quibus sit posita.

Conseruatio an fiat per similia an vero per contraria.

Etenim *in Arte Medicinali, capite de Venereis,* omnes intemperies, victus qualitate & gradu simili & æquali conseruari scribit: id quod etiam 8. *Methodi, & passim alibi* confirmat: atque id quidẽ merito: nã quod simile est, vim mutandi non habet, quippe cum à contrario & dissimili omnis contingat mutatio, queadmodum etiã Aristoteles *in Physicis* tradidit, *cap. 7. & 9. lib. 1. de generatione.* Præterea, idem in omni fere genere rerum contingere videmus, siquidem calidiora animalia in locis calidioribus, vt Leones in Africa; frigidiora in frigidioribus, sicut pisces in aqua optime degunt, & conseruantur; in contrariis autem, aut penitus extinguuntur, aut certe plurimum à natura propria decidunt; Quæ autem conseruationem per contraria fieri ostendunt, hæc sunt. Primo, quod Galenus scribat *libro primo de Alimentis*, intemperies seruandas esse per contraria; deinde, quod *libro sexto de Tuendâ valetudine* præcipiat idem author, in calida & frigida temperie semper vtendum esse contrariis, siue illa seruare, siue mutare velimus, *propterea quod à similibus (* inquit) *in morbum facillime labuntur huiusmodi temperies*: quinetiam, similia similibus offendi scribit, tum *in Arte Medicinali, tum in Aphorismis:* cum ait, calidam temperiem Aestate male habere, Hyeme bene degere: frigidam vero contra Aestate bene, Hyeme male affici. Addit, & senes calidis & humidis vti debere, qui tamen sunt frigidi & sicci. Videtur præterea ratio huic rei suffragari; qui enim calidus est, forte vt vnum, si vtatur victu pariter calido, putatur fieri calidus vt duo, vnus enim gradus additione alterius multiplicatũr. Hæc & similia argumenta tanti momenti apud Neotericos habita sunt, vt in errores inextricabiles illi inciderint, vt locos istos (vt videtur) discrepantes inter se conciliare possent, quid vero illi senserint põt vnusquisque videre. Nos vero hic nostram opinionem breuiter subiiciemus: & interim quo modo Galeni loci sint intelligendi, ostendemus. Qua in re illud in primis docendum est, quonam modo conseruatio à similibus fieri intelligatur, neque n. id in omnibus ita intelligendũ est, quasi corpus à similibus nullo modo afficiatur: nã etsi in his, quę actu similia sunt, verum idest, in his tamen, quæ facultate potentiaque similia existunt, dum actio fit, corpus mutatur, veluti, dum cibus concoquitur, ex reactione calorem corporis remitti necesse est. Ad hæc, cum exercetur corpus, calidius redditur, quod temperatum est: cuius rei inditium est respiratio, quæ per huiusmodi vel moderatas exercitationes, in magnitudinem mutatur, celeritatem, & frequentiam, quæ quidem caloris auctionem sequuntur: sic profecto qui humidiore est temperamento, cum cibum appetit, & potum, siccior est quodammodo redditus cibisque humidioribus assumptis, qualis illius natura ponitur, humidior fieri videtur, huiusmodi enim cibo squalidior corporis temperies irrigatur, humidiorque euadit quam antea esset, dum appeteret, inediaque laboraret: proinde videretur non à similibus hoc modo conseruari, sed potius mutari corpus. Ita ergo intelligendum est, quod dicitur, *similia similium vsu conseruari, non quod aliqua mutatio non fiat*, dum id, quod est potentia, actu simile euadit, sed quod perfecta ea actione, & eo remoto, quod rei adhibitionem

Quomodo conseruatio à similibus fieri intelligatur.

statim necessario sequitur, propria scilicet rei vi A spectata, id contingat; quod si interim dum actio fit, corpori mutatio aliqua contingit, (nam alioqui corrigi nequirent vitia, si modo correctio motus quidam est, qui ex contrario in contrarium abit) adeo tamen illa exigua est, quæ inter hoc modo similia reperitur actio, vt nullam mutationem euidentem recipere corpus videatur: vt enim vniuersa Medicina corrigit, mutatque corporis statum, illius tamen quædam pars conseruatrix statuitur, quæ scilicet tam parua vitia in melius mutat, vt sensum lateat, an seruet omnino in eodem statu, nihil addendo, vel minuendo, an mutationem aliquam interim moliatur: sic sane conseruantia similia intelligere oportet, quod B ea, quæ inter illa est dissimilitudo, intensibilis existat. Addendum præterea est, *corpus à similibus seruari, quantum illius conditio patitur: nam perpetuo corpus exsiccatur ætatis cursu, etsi interim perpetuo humidis vtamur*, non quod desit apta materia, quæ id restituat, quod dissoluitur, quandoquidem iisdem nutrimur, quibus constamus, nec quod minus familiaris sit, quæ ex carne, & alio probo nutrimento reponitur substantia, quam quæ est dissoluta, sed quod tantum adiicere, quantum absumitur nequeamus; idque non præter rationem, si modo caloris natiui vis, qui dissipationis, restaurationisque est author, perpetuo humorem absumit, concoquere vero continue C nequit, sed hæc *in primo Aphorismo* diligentius sunt explicata.

Itaque, si his modis conseruationem fieri intelligamus, illud quoque inueniemus, in omni genere causarum, conseruationem per similia perfici, in his enim, quæ alterant corpora, nullamque interim substantiam illi adiiciunt, certissimũ idest: nam si actu illa similia sunt, cum nulla actio inter huiusmodi contingat, necesse profecto est, in eodem statu corpus consistere. Quod si etiam concedamus, vtriusque qualitates coniungi, quæ scilicet nostri sunt corporis, & alterius, quod admouetur, nihilominus intensio aut remissio qualitatum nulla fit, non magis quam si æque alba inter se misceantur, ex quibus quod resultat, non D magis album est quam sit alterutrum. Eadem (vt arbitror) est in his ratio, quæ potentia & vi talia existunt: ad actum enim perducta, similia illis euadunt, quæ suapte natura huiusmodi reperiuntur. Cæterum, in his, quæ substantiam aliquam corpori addunt, veluti in nutrimento, idem contingere puto, etsi omnibus persuaderi nequit; putatur etenim ab imperitis biliosus cibus, calidius reddere corpus biliosum, eo, quod huiusmodi cibi vsu, bilis augeatur, ad cuius incrementum sequitur humorum frigidorum diminutio, & corporis ad calidius mutatio: Verum non ita sese res habet, quippe, *cum biliosus cibus bilioso humori non addatur, sed solum restituat humorem, & E substantiam, quæ ab eo corpore est dissoluta; nec plane bilis est, quod additur, sed biliosum, eiusdemque qualitatis cum reliquo humore, qui in corpore continetur*; satiusque est hoc modo, ex rei natura intelligere, conseruationem fieri per similia, quam eos sequi, qui similia intelligunt non qualitatibus, sed effectu, quandoquidem id omnino ridiculum est, atque ipsi Galeno plane aduersatur, qui scribit calidum à calido, eoque ipso æquali in gradu seruari, & foueri, & absurdum putaret, si

Biliosum cibum corpora biliosa nõ reddere calidiora.

quis intelligeret, frigida calidis esse similia, quod illa horum naturam mutuo tueantur, nimirum, cum similitudo in ipsis qualitatibus, non in earũ affectu ab eo, quæratur, & ab omnibus Philosophis ponatur. Itaque ex his patere puto, cum cibo, tum potu, exercitatione, somno, vigilia, & denique aliis omnibus similibus, corpora conseruari, atque adeo eam, quam habent temperiem, & structuram, retinere; nam quæ contra adferuntur ex conseruationis duplici significatione, (cuius Galenus *in Arte Medicinali* meminit) facile diluuntur, seruari enim eos dicit (quod etiam antea ostendimus) qui sani sunt, in eodemque statu retinentur, vel etiam, qui in melius mutantur, proinde cum senes calido, & humido victu, calidos, & omnes intemperaturas contrariis tuendas esse dicit, conseruationem sumit, qua ad melius sanum corpus reducitur.

Conseruationis duplex significatio.

Atq̃ per similia conseruationẽ fieri meminit, de ea intelligendus est, qua id duntaxat, quod est deperditum, corpori restituere, nec præterea melius aliquid illi comparare studemus. Nec obstat, quod calidum, & frigidum contrariis semper egere scribat, siue seruare in eodem statu, siue in melius mutare huiusmodi temperiẽ laboremus: par etenim est in his qualitatibus, vt in aliis ratio, siquidem calidum calido, & frigidum frigido in suo statu seruatur; sed quoniam rerum quantitatem, quæ in vsum nostrum veniunt, exacte metiri nequimus, si paululum excesserimus, præsertim in qualitatibus maxime actiuis, morbi causa facile fit huiusmodi excessus; vnde præcipit *eo loco*, non tam, quod natura rei vult, quã q̃ vsu tutius est, maxime quod scribat, se in eo opere præcepta tradere velle non solum Medicis, sed etiam aliis omnibus, qui conseruandæ sanitatis artem aliquam quærunt. Porro similia similibus offendi, iuuari autem contrariis, excepta temperata natura, cui similia semper conferunt, *ita intelligendum est, vt similia similibus nec lædantur, nec iuuentur, si modo pari mensura similia similibus adhibeantur, & iuuari in hoc casu idem est, quod melius aliquid comparari*: si autem excedat, quod similis est qualitatis, si corpus, cui admouetur, est, quod excedit, iuuatur, illud quippe quod vehementius calidum est, minus calido temperatur: si vero id, quod admouetur, exuperat, corpus nostrum læditur: de quo quidem Galenus intelligit, cum scribit, *similia similibus offendi, iuuari autem contrariorũ vsu*. Quã ob rẽ, cum præcipit ille pueris humidisq; corporib. humectãtia semper adhibẽda, nõ id facit, q̃ putet, exsiccantib. huiusmodi corpora ad meliorem temperiem non reuocari, si præsentem illorum statum spectemus, (siquidẽ superflua humiditas siccantium vsu laudabilem mediocritatem assequitur) sed quoniam humor, naturæ amicus, ad incrementum vitæque longitudinem facit, quæ vel nobis inuitis, ætatis progressu perenni actione natiui caloris dissoluitur, dissolutioni autem (quantum fieri potest) humidiorum vsu repugnandum est: At contra, senibus calida & humida exhibet, quoniam eo peruenerunt, vt non solum tutela proprii status, sed etiam mutatione in meliorem (quantum nobis procurare licet) opus habeant, quandoquidem excessu frigidi, & sicci, morbos facillime contrahunt, mortemque accelerant: humidis vero, & calidis bene, valente vitæque cursum tardant.

Similia quomodo similibus offendantur, & iuuentur contrariis.

Cur pueris & aliis corporibus humidis humectantia semper adhibenda.

Cur senibus calida & humida.

Quo-

Quoniam vero obiter attigimus quasdam temperaturas in eodem statu esse perpetuo conseruādas, alias vero cōtrariorum vsu in melius mutandas, operæpretium fuerit, paulo diligentius hoc loco de hac re agere, & expendere, quænam corpora plane conseruare, quę vero mutare, & quando oporteat. Qua in re Gal. *passim* scribit, temperatos temperatis semper egere, intemperatos vero similia postulare: siquidē eos seruare velimus, dissimilia autem, si ad meliorem conditionem eos reuocare studeamus; At ego puto aliter esse sentiendum, *humidam s. temperiem humidis semper egere, nec vnquam mutationem requirere: mutandam autem esse temperatam etiam ipsam, in eā, quæ humida est*: si enim hanc temperiem *in lib. de Sanitate tuenda*, quantum fieri potest ille seruari iubet, & pueros quoque nimio humore abundare fatetur, nec tamen eos exsiccari patitur, sed omni ratione alendum esse fouendumque eorum humorem censet, ea sola similia requirat: nam etsi ea, quæ mediocris est temperies, suapte natura optima censeatur, quoniam tamen iam mediocritatem est assecuta, nec potest diu in ea consistere, propterea, quod caloris vi humiditas continuo absumitur, eo temperata deterior est, quam humida, quod citius exsiccatur, & ad vitæ finem properat; quæ autē humida est, etsi deteriores actiones nonnullas, quam quæ temperatior ponitur, ab initio edit, progressu tamen temporis mediocritatem quoque assequitur, diutiusque in ea perseuerat, tardiusque vitæ cursum peragit, ac (vt vno verbo dicam) omnibus aliis præstantior euadit; *quibus profecto fit, omnium optimam censendam esse temperiem, quæ humida est, eamque solam seruādam, alias autem omnes, quæ secundum naturam sunt, ad eam reducendas*, siquidem eas, & conseruare, & interim ad id, quod optimum est, redigere studemus: at eam, quę præter naturā est, ad naturalem, & vnicuique propriam, primo referre nitemur, nimirum, quod laborante corpore, id solum procurandum sit, vt illi propriam sanitatem, & nihil melius comparare quæramus, quanquam tamen nihil prohibere video, quo minus tunc temporis contendamus assequi, quod optimum est, id, quod postea fieri posse demōstrabimus. Nunc vero ex prædictis illud licet intelligere, quænam, si inter naturales temperies maxime sint permutandæ; sunt enim illæ, *quæ vel vitæ finem accelerant, vel nimio excessu frequētes grauioresque morbos pariunt*; Ac in eo quidem genere sicca & frigida primum locum habet; secundum sicca, tertium frigida sibi vindicat, in quarto loco ponenda est calida & sicca, deinde calida, postea frigida & humida, sequitur hanc temperata, postremo calida & humida: nam & hanc forte etiam magis, quam ipsam temperatam seruandam esse credemus, si modo vita calore & humore constat; sequitur humida, quæ (vt ostendimus) seruāda est, & minime permutanda. Quod si ita res sese habet, quæ illi contrariæ sunt, frigida inquam & sicca, in primis permutandæ fuerint, tanquam naturæ, & vitæ maxime aduersæ; secundum vero locū siccæ damus potius, quam frigidę, quod siccitas natura immedicabilis sit, & ablato humido pabulo, quo natiuus calor gaudet, frigiditatem etiam sibi adsciscat, hęc vero ætatis cursu melior aliquando euadat, siquidē vigente in omni corpore, calor mediocritatem excedit augeturque: in tertio loco frigidam collocauimus potius, quam calidam, aut calidam & siccam; quoniam etsi minus humoris frigida quam calida absumit, tamen minus quoque reponere potest, quippe cum non nisi coctionem, & attractionem nutrimenti (quarum functionum calor, & non frigus author est) dissoluta à corpore substantia restituatur reponaturque, calidam vero & siccam præcedere debere alias sequentes, constat, quod, suapte natura calor siccitatem pariat, idque eo promptius, si eam iam annexam habet. Quam ob rem, etsi frigida & humida ad coctiones to[illegible] inferior est, tamen quoniam in hoc corporis statu humor natiuus exuperet, nec est quod eum vehementius dissoluat, minima quæque restauratio sufficere potest, & minus ob id in hoc, quam alio mutatione est opus Sequitur deinde calida, [illegible] qua mediocris est siccitas & humiditas, hæc n. mutatione eget. quoniam satis copiosum humorem non habet; postquā merito temperatam posuimus, propterea *quod non est, quod tantum dissipet, etsi par est in temperato corpore, quantum requiritur ad vitæ longitudinem naturalesq. functiones probe obeūdas*: ob id eam pariter mutatione egere censemus, cōparandumque illi esse adhuc copiosiorem humorem natiuum, quo quæ abundat corporis conditio, perpetuo in eo statu, quātum ars nostra assequi potest, & humana conditio patitur, retinenda seruandaq; est. At inter temperatam & humidam, ex his, quę mutatione egent, calidam & humidam postremo loco collocauimus. quia in hac adest copiosus humor, qui in temperata mediocris est; quod si calor etiam vincit qui humorem absumere potest, habet tamen maiorem quoque, quam temperata natura, vim ex fœlici coctione, quæ calore & humore gaudet, eundem restituendi & reponendi; Quare non solum humida temperies, sed et illa, in qua calor pariter abundat, in hoc casu melior censenda est quam ipsa tēperata; quod etiā putarunt antiquissimi Medici, vt ex *primo lib. Galeni de temperamentis* videre licet, qui eam, quæ optima esset in humano corpore temperies, calidā & humidam, & quæ huiusmodi foret, optimam esse censuerunt; Iam vero in eo secundo genere, quod mutationem requirere proposuimus, inter omnes reprimenda est calida & humida, *quippe cū huiusmodi status putredini maxime sit obnoxius, vbi abūde huiusmodi qualitates pariter excesserint*, est.n huiusmodi natura admodum morbosa, nec leuiorib. quidem, sed grauissimis passionibus subiecta. Secundum locum sibi vendicat humida cū calore coniuncta: nā vbi pari ratione humor à calore nō vincitur, morbosum oportet esse corpus. Sequitur deinde calida, siquidem exuperante calore, via patet acutissimis morbis, qui cum febre coniunguntur, Post hanc succedit frigida, minus quidem, quam calida efficax, & inter simplices postrema, sicca: cum enim tardissimum motum hæc habeat, inducias longas præbet, vt commodo tēpore correctionem tentemus, cum aliæ, quæ periculosiores sunt, etiam emendationem postulērit; ex simplicibus vero, & ex his, quæ superius sunt tradita, licebit intelligere, quo ordine collocari debeant, quæ compositæ sunt: nam post calidam & humidam, quæ calida est & sicca, deinde frigida & humida, postremo, frigida & sicca promptam mutationem postulabunt. At quæ præter naturam sunt, subito omnino, quantum illorum natu-

Margin notes (left): Quæ natura [illegible] plane [illegible] seruando, quæ vero mutando & quando oporteat. — Temperies humida non conseruanda & temperata ea humidiore mutanda. — Temperies omnium optima quæ. — In præter naturalib. quid agendum. — Quæ sint inter temperies naturales maxime mutanda.

Margin notes (right): Temperata temperies cur egeat mutatione. — Quæ inter intemperies primo & maxime mutanda. — Cur intemperies præter naturales subito sint mutandæ.

ta exigit, & tres permittit, corrigendæ, *cum alioqui mora crescant, difficilioremq; curam reddant;* Quæ vero secundum naturam est, per morbos & vitæ occupationes permutari nō debet, inquit Gal. *in Methodo medendi*, cum studeamus, dum laborat corpus, pristinam sanitatem comparare, nec illud aliam præterea mutationem, quæ meliorē conditionem assequatur, admittat: Quoniam præterea subitas mutationes, vehementesq; natura nō sustinet, liberam ab omnib. negotiis vitam esse oportet, tum ne aliis occupationib. corpus debilitetur, tum etiam, vt continuo paulatimque mutationem prosequi valeat, inter quæ nōnulla recte, alia vero forte superstitiose dicta existimo: nam quod vrgentibus morbis, nihil aliud quærendum sit, quam vt propriam valetudinem recuperemus, recte id quidem sit dictum: quando multa præstare nequit, quod ægrotat corpus ex his, quæ ad bonum habitum cōparandum sunt necessaria, veluti sunt exercitationes, somni, & vigiliæ opportunæ, & si quæ alia sunt huiusmodi: tamen nihil obest interim, vt corpus sua pte natura calidius, dum calido morbo tenetur, frigidiore victu vtatur, quo non solum morbum propellere, sed etiam meliorem temperiem, quā quę sibi propria est, cōparare valeat. Verū, illud quid obstat, quo minus per vitę occupationes, mutationem proprii status aggrediamur? Sed hæc paulo postea docebimus, cum consuetudinis vim, & vsum explicauerimus, ad extremum Comment. in proximum Aphorismum.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι.

Victus humidus febricitātib. omnibus cōfert.

QValis victus debeatur pueris, & in omni statu secundum naturam seruandus sit, abūde iā docuimus, & primo loco explicare coacti fuimus, etsi ea ab authore in secunda parte Aphorismi docentur, quoniam nos indicantia prius, vt docendi ratio postulat, explicauimus: Nunc vero qualem victū admittant in ægris affectus præter naturam, docere oportet: vt in quantitate victus expendimus, quid cōcedendum sit aut negandū ob magnitudinem morbi, ita Hippocrates hic vbi agit de qualitate, morborum mentionē facit, vt ex illorum cōsideratione, & naturali statu tandem intelligamus, quali victu sit opus in ægris.

Quali victū admittant affectus præter naturam in ægris.

Porro, vt in naturali statu victus qualitas requiritur, quæ nunc conseruate, alias vero permutatione melius, quod secūdum naturam est, possit: in statu præter naturam, in quo quædam sunt, quæ sui ablationem postulant, alia vero sui conseruationem, qualitas victus quærenda est quæ remedio sit ei, quod est præter naturam, & conseruationi eius, quod est secundum naturā, subseruiat. Est autem in eo, quod est præter naturā, aliud vt causa morbi, aliud vt morbus ipse, aliud vt symptoma, & in vnoquoq; genere variæ constituuntur in qualitate differentię, quare & in victu diuersas qualitates inuenire oportet, quę aduersus singula & omnia pugnare possint. Hippocrates autem solum proponit morbum ipsum, vt qui solum de febre agat: ratio tamen postulat, vt etiam addamus caussas morborū, & ea symptomata, quę causæ rationem obtinent: nam ex caussis morborum, quædam ob crassitiem, aliæ ob tenuitatem, aliæ ob viscositatem, aliæ ob friabili- A tate, aliæ ob calorem, aliæ ob humiditatē: aliæ ob siccitatem, aliæ deniq; ob alias qualitates obsunt, quib. contrarius victus adhibēdus est, vt expellatur, quod in illis est morbosum: sic morborum diuersæ sunt qualitates, contra quas pugnare oportet contrariis qualitatibus alimentorum: Virium lapsus inter symptomata victū exigit, qui ea qualitate sit præditus, qua vires reparari possint: Dolor etiam certa qualitate victus, (vt alia omnia insignia Symptomata, quæ curam ad se trahūt) mitigatur. Ex quibus quidem iam licet intelligere, quali victu sit opus, vbi naturales affectus, cū his, qui præter naturam sunt, & illi itq; inter se committuntur: si.n. eadem qualitate illi sint præditi, victu erit vtendum, qui eiusdem sit qualitatis, vt B in puero febre laborante apparet, cuius naturalis temperies & febris, qua laborat, & causa febris, si cōtracta fuerit à caliditate, siccitateq; humido victu eget, eo.n. propria temperies conseruatur, & quæ præter naturam accessit, tollitur. Quod si inter se qualitatibus pugnent affectus, vt si febris adest ex crassis humoribus excitata in corpore sicco, si fieri potest, singulis seruiendum est, vt cum mitior morbus est, & illius causa, alioqui ei, quod magis vrget, attendendum, non contemptis interim aliis, nisi aliquando vnus ita excedat, vt totam ad se curam trahat: quemadmodum si per ardentissimam febrem in homine bilioso Syncope incidat, vinum exhibemus, etsi febris ardor, & biliosa natura, frigida postulent: tunc.n. sequimur, C quod à viribus indicatur, aliis cōtemptis: idem.n. fit in qualitate victus, quod in quantitate fieri superius ostendimus: nam *vt nullus morbus tantus erat, qui victum omnino impedire posset, si labātes vires eum exposcebant, ita nulla morbi qualitas est, quæ impediret, quin victus qualitatem, quam vires præsentes exigunt:* vt autem morbi qualitates impediunt exhiberi talem victum, qualem indicant, quæ secundum naturam sunt in nobis, ita causæ morborum & symptomata sæpe impediunt, ne exhibeamus eum victum, quem requirunt ipsi morbi, vt apparet in quotidiana febre, quæ cum ex pituita frigidissima, crassa, & viscosa constet, piperis & aliorum aromatum calidorum vsum, teste Galeno, postulat, quandoquidem febris ipsa leuis est, quæ D admittit fieri, quod causę ipsius exigūt, quib. sublatis, febris ipsa te nullo adhibito refrigerante auxilio recedit: id quod etiam vsu venit in complicatis affectibus, veluti in hydrope cum febre coniūcta, quia.n. mites sunt huiusmodi febres, periculum autem maximum imminet ex plurimo aquoso humore in ventre collecto, ideo contempta propemodum febre, calefacientibus & exsiccantibus maxime vtimur: non ergo contrarietas, quæ reperitur in his, quæ contra naturam sunt, falsam ostendit sententiam, quod morbo & febri cōueniant contraria, & quod contrariorum contraria sint remedia: nam cum affectus ablatione suarū causarum sæpe tollantur, ita, vt nullo alio præsi- E dio sit opus, sufficit per contraria pugnare aliquādo aduersus causas, & vbi contrarii sunt affectus, quorū alter vel maxime vrget, aut aliquo modo causæ rationem obtinet, nullum sequitur absurdum, si vno fere contempto, alterum sequimur: vbi vero affectus & causæ pariter iam inualescūt, aut causæ morborum inter se diuersæ sunt, peculiari aduersus omnia, quæ par habent momentū, est pugnandum remediis.

Ceto-

Cæterum, illud omittendum non est, quod pertinet ad lectionem horum verborum Aphorismi: nam quidã Codices Græci ipsius Hippocratis habent, αἱ ὑγραὶ πᾶσαι δίαιται, id est *omnis victus humidus*: quam lectionem Galenus *in 8. Methodi*, & *in libro de optima secta*, confirmat: alij vero Codices habẽt, αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρέσσουσι id est, *victus humidus omnibus febricitantibus* confert: postrema lectio probabilior videtur: nam victus humidus omnib. febricitantibus, quatenus febricitant, cõpetit, non tamen omnis victus humidus, id est, omnia, quæ vim habent nutriendi & humectandi cõpetere possunt omnib. febricitantibus, quia quædam humiditatem habent ineptã ad febricitantes nutriendos, vel non satis humectant, aut plus, quam oportet: si quis tamẽ intelligat, omnem victum humidum, *quatenus humectat*, cõuenire febricitãtibus, potest stare etiã alia lectio.

Victũ humidũ omnem non omnibus febricitantibus cõuenire. Victum humidũ quem hic oporteat intelligere.

Cæterum, etsi per victum humidum intelligere possumus omnia, quæ humectandi vim habẽt, tamen cum nutriendi rationem hic doceat, cibũ & potum, aliis exclusis intelligemus.

Præterea, cum humidum intelligi possit vel actu, vel potentia, vel natiuo, vel excremẽtoso humore: videndum est, quomodo humidum victũ hic sumere oporteat. Sunt, qui putent intelligi humidum solum potentia: calorem. n. febrilem, acrem, & mordacem, solidius postulare alimentũ: quomodo dicit Galenus *in libro primo de Alimentis*, eos, qui acriore calore sunt præditi, bubulam, & suillam carnem, & alia duriora, solidioraq; alimenta melius concoquere, quam quæ tenuiora mollioraque sunt: hæc.n. aduri, non autem probe concoqui ab ampliore & acriore calore. Verum hi aberrant: nam febrilis calor, qui præter naturã est, cõcoctricis facultatis robur destruit, propterea, etsi calor instrumentum concoctionis vehemens est, tamen concoctrix ipsa facultas, quæ author cõcoctionis est, debilis reddita est, propterea alimentum postulat, quod facilius pati potest: in sanis vero cum acriore calore secundum naturam cõiũctũ est robur ipsius facultatis, adde quod humiditas ipsius alimenti resistit vehemẽtiæ caloris febrilis, adeo, vt nequeat victũ potentia humdũ adurere, fit ergo melior concoctio in alimento, quod vim habet humectãdi, liquido, quam solido, per febres, etsi ratione causæ aliter fieri potest, vt in pituitosis febribus fieri videmus: nam iuscula, & liquidiora alimenta deterius coquuntur pane, assatis carnibus, & aliis, quæ solidiora exhibẽtur, hæc n. pituitoso & aquoso humori putrescẽti sunt remedio, & naturam firmant debilitatam ex tali humore inbibito in ventriculi tunicis, & aliis partibus, vbi alimentum conficitur.

Cæterum, quæ plurimũ habent humoris substantiui, & natiui, illa plurimum quoq; nutriunt, & hæc in febribus obsunt, quoniam victum non præbent tenuem, sed crassum, & propterea cõcoctionem impediunt: quæ vero parũ habent huiusmodi humoris, & aquei excremẽtosiq; plurimũ, preferenda sunt, cuiusmodi sunt lactuca, pruna in aqua cocta, ptisanæ succus, & aqua hordei, quibus in febrib. vtimur: Iuscula vero & succus, qui à carnibus vel expressis, vel assatis effluunt, minus cõpetunt: propterea quod nihil habent medicamẽtosum, sed purum præbent alimentum, cuius dũtaxat est vsus, cum vires labuntur, aut morbi sunt leuiores, non autẽ, cum magnis morbis non solũ

A per medicamenta, sed etiam per alimenta & alia vniuersa præsidia mederi volumus: tunc enim in alimento medicinam contineri oportet.

Jam vero, posteaquam docuimus, quænam alimenta cõueniant secundũ substantiam, & primas qualitates febribus & morbis, nõ abs re fuerit idẽ ostendere in secundis qualitatibus: sunt.n. alimẽta quædã acida, alia amara, alia salsa, alia dulcia, alia austera. Præterea, quædã arte lixantur, alia torrẽtur, alia frigũtur, alia præterea liquidiora, alia crassiora parãtur & exhibentur: ex his ergo expendere oportet, quænam recipienda, quæ vero reiiciẽda sint. Vt autem crassa & viscida, sic acerba & austera, quæ cum crassitie sunt coniuncta, in febrib. perpetuo fugienda, nisi ob aliquod symptoma re-

Quænam alimenta secundum qualitates secundas conueniant febribus & morbis.

B quirantur, vt ad sudores inutiles cõpescendos, qui in febrib. vires dissoluunt, vel ad cohibendã aluũ per diarrhœas, aut lienterias, nã illa difficillime coquuntur, & propterea tardant concoctiones humorũ, transpirationem prohibent vaporũ, quos febrilis calor excitat, obstructionesq; augẽt & pariunt. Acida reiiciunt fere omnes Medici in curatione febriũ, eo quod *Galen. in 18. textu primi de Victu acutorũ*, inter acida solum oxymel permittat venire in vsum, propterea illi detestãtur mala Arancia dicta, & omnia mala Granata, Limones, Citria mala, & illorũ succum, quod scilicet astringant: Verũ si Galenum legamus *in lib. 4. de simplicib. & in penult. cap. 5.* vbi de acido sapore agit, inueniemus, huiusmodi saporem aperiendi, incidẽ-

Acida an sint in febribus concedenda.

C diq; facultatem habere, idque sine calore: quod si dicant illi, prædicta alimenta nõ solum sapore acido esse prædita, sed ẽt austeritatem aliquam habere adiunctam, vt id negari potest, quando mala Granata plura reperiuntur pure acida, tamen si id ẽt concedatur: tantũ abest, vt obsit ea leuis astrictio, vt ẽt plurimum prosit ad obstructiones tollendas, & internos meatus aperiendos: & est de hac re apud *Galen. in 5. de Simplicib. c. 11.* clara sententia, vbi scribit, ea, quæ vim habent aperiẽdi felicius munus suũ obire, si aliquam coniunctã habent astrictionem, *nimirũ quod ob eam vim roborant internos meatus, & propellunt acidam aperientemq; facultatem:* quod ostendit absynthiũ. quod quidem foris exiguos meatus astringit, internos

Aperientia felicius munus suum obire si aliquam coniunctã habeant adstrictionem.

D vero abstergit & aperit; nec Galenus eo veretur vti in febribus ẽt putridis, etsi illud paucam habet amaritudinem, multã vero astrictionem, vt idẽ author testatur. Præterea limones dicti tantam habent incidendi aperiendiq; vim, vt ẽt calculos renum frangere dicantur, propterea ad renes obstructos illorũ succo multi Medici felicissime vtũtur: quare in biliosis febrib. & acutis nihil cõmodius inuenias acidis; in pituitosis vero, quæ requirunt aperientia cũ caliditate, obest acidorũ frigiditas. dulcia vt sacharũ, prohibẽtur ẽt à Medicis in febribus, eo quod Galenus scribat ea prõpte in bilem verti; verũ ea sententia de omnibus dulcibus intelligi non debet, sed solũ de his, *quæ sunt calida & sicca*, cuiusmodi est mel; nam sacharũ, quod est

Limonũ facultas.

In quibus febrib. acidorum frigiditas obsit. Quandõ dulcia in febrib. vertantur in bilem. Sachari qualitas & quid in febrib. prosit.

E calidũ & humidum, & plus habet aquosę & aereę humiditatis, quã caliditatis, in febribus sitim extinguit, ardorem mitigat, linguæ asperitatẽ lenit, & propterea bilem generare non potest, errorq; est cũ Galenus scribit *in lib. de simplicibus*, sacharũ eãdem habere facultatem & tẽperiem cum mel le, sed illi ignoscendum est, quod sachari naturam & vsum non satis adhuc nouisset illud seculum.

Saccharū tempore & facultate à melle differre.

Præterea, etsi dulcia facile vertūtur in bilē, nō tamen obesse possunt in omnib. febribus: nam pituitosæ febres id non habent periculum; nam si amara & salsa & acria, vt origanum, serpillum, hyssopum, & aromata, nos, & Galenus ēt ipse *in lib. 1. ad Glauconem*, adhibemus in quotidiana & quartana, cur verebimur dulcia? Tosta damnātur quoque, præferuntur vero elixa, quod hæc humidiora sint & frigidiora, illa autem calidiora & ficciora, quæ febribus aduersantur; verum de his, vt de superioribus eadem est ratio: vbi. n. indicatio febris plusquam causæ vrget, vel vbi febris & causæ ipsius eandem habēt temperiem (vt accidit in biliosis) optima ratione elixa præferenda sunt, alioqui eligenda sunt tosta, vt quæ superfluam humiditatem & frigiditatem emendare sint aptiora. Liquidiores sorbitiones, etsi facilius coquantur & distribuantur, quod tenuiores sint, tamen vbi aquosus redundat humor, præstat illas crassiores reddere, & propterea in pituitosis febribus panis incoctus aquæ, ptisana & si quid aliud simile exhibetur, obsunt, cum multo aquoso humore sunt diluta. Cōsumata (vt vocant nonnulli) censent omnino fugienda esse in febribus, quoniā qualitatem nitrosam & salsam ob nimiam, quam requirunt, cocturam recipiant. Sic ēt Destillata vulgo dicta, damnāt, nisi coquantur in vase duplici. Qui certe vt superiores reprehendendi sunt, quoniā causæ febrium nonnunquam magis vrgent, quā ipsæ febres: nam pituitosis humoribus frigidis, viscidis, & crassis plus conferunt qualitates igneæ, quam aqueæ. Quare ēt damnandi sunt, qui in omnibus febribus cibos, & potiones calidas actu exhibent: nam vt pituitosæ febres iuuantur actu calidis, ita biliosæ maxime lædūtur. Hæc ergo dicta sint de qualitatibus alimenti & victus: At, cur humida dixit Hippocrates febricitantib. cōpetere, frigida vero nequaquam: cum. n. febris calor esse definiatur, & inter simplices affectus & morbos à Galeno statuatur *in libro de differentiis morborum*, ad quid humectantia exhibemus? an forte id fit, quod febris (vt nonnullis placet) igneæ sit substantiæ, & propterea non solum calidus, sed ēt siccus sit affectus? Verum hi aberrant: nam etsi febris suapte natura siccitatem sibi adiungit, tamen ob calorem perpetuo actiones lædit, ob siccitatē vero nō semper, nec statim, sed cum progressu validius corpus exsiccauit; propterea recte calidus solum morbus esse dicitur. An vero humectantia exhibemus in febricitantibus, quod aliquid semper sit in illis exsiccatum, quod eget humectatione, vt spiritus, vel humor, vel partes solidæ, id denique, in quo febris est accensa? At quomodo id fieri potest? sic enim in pituitosis febribus humectatione esset opus; an potius id fit, quod febris etsi calidus solum per se est affectus, & frigidis penitus tollitur, tamen humectantibus mitigatur, & exsiccantibus accenditur acriorque redditur? *ideo febris quantum in se est, frigida postulat: quia calidus est morbus: humida vero, quia hæc conferunt ad calorem mitigādum & temperandū*; quod si exsiccantia aliquando præferuntur, *hoc fit ratione causæ quæ magis vrget, quam febris*, cuius naturam & indicationem hic expendit author. *Prætermisit autem Hippocrates victum frigidum, non quod perinde non conueniat vt humidus, quippe cum non nisi frigidis febris tolli possit: sed vel quod de eo nemo dubitaret, vel quod victus totus accommodari non possit*: nam quoniam frigidus status corporis naturæ nostræ inimicus est, an mutandus, an conseruandus victus qualitate esset, nō ita patebat; humidū autem, quale præsertim est in pueris, vtpote naturæ nostræ familiare, simili victus qualitate conseruandum esse, omnes concedunt; Quare cum ex victu humido ostendere posset, qualem victum, & morbus, & propria temperies corporis exigeret, ideo eam qualitatem præ omnibus elegit.

Dulcia non obesse in omnibus febrib.

In quib. febrib. sint eligenda elixa & in quibus tosta.

Consumata & destillata an in febrib. damnanda sint nec ne.

Cibos potusque actu calidos non omnibus febricitantibus conuenire.

Cur humida dixerit Hippocr. febricitantibus conuenire & nō frigida.

Cur in febribus humectantia quandoque præferantur siccis.

Καὶ τοῖς ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

Et aliis, qui tali victu vti consueuerunt.

NOn solum humidum victum natiuę temperaturæ humidæ, sed etiā acquisititię ex longa consuetudine conuenire vult, transeunt enim in naturam, quæ longa consuetudine sunt parta, adeo, vt nō minus, quam ea, quę vere natiua sunt, conseruari debeant, si modo bona fuerint, alioqui mutanda sunt: sed de consuetudine *in sequenti Aphorismo* diligentius agemus.

APHORISMVS XVII.

Καὶ οἷσιν ἅπαξ ἢ δὶς καὶ πλείω ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος, δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ καὶ τῇ ἡλικίῃ καὶ τῷ ἔθει.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum, condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.

POsteaquam de genere victus, quantitate, & qualitate egit Hippocr. de modo eum nunc agere optime credunt omnes interpretes, male tamē quidam intelligunt, sub modo victus præparationis exhibitionisque rationem, quam vulgus etiam modum exhibendi condiendique alimentum vocat; præcedit enim hæc ratio qualitatem, in ea, quæ supponitur: ob diuersam siquidem præparationem, & condituram, diuersa qualitas in alimēto paratur; Galenus eum modum putat docere, qui spectat, nunquid semel, an sæpius qualibet die vel nocte cibum exhibere oporteat; At non solum qui hæc considerat, modum docet, sed qui etiam ostendit, an plus vna vice, quam alia, vel minus exhibendum sit, quod Hippocrates satis ostendit, cum scribit considerandum esse, an plura, vel pauciora, particulatim singulis vicibus sint exhibenda. Quoniam vero victus modus omnibus communis doceri potest, tum sanis, tum ægris, vel peculiariter in sanis, aut ægris, Galenus de febricitantibus Aphorismum hunc ab Hippocrate scriptum putat, cum sanorū victum antea, (vt inquit) ostenderit. Cuius opinio non placet: Primo, quod author febris aut alterius morbi nullam mentionem faciat, sed dicat, *Quibus semel &c.* quasi hic Aphorismus communis sit omnibus, qui victu vti debent. Deinde, cū generales sint prius explicati scopi, qui genus, quantitatem, & qualitatem victus docent, tractatio omnino imperfecta esset, nisi communis quoq;

De quib. hic aphorismus loquatur an de sanis vel de ægris, vel de vtrisque simul.

esset

esse omnino scopus, qui modum victus explicat. Præterea, in superioribus Aphorismis non magis de victu sanorum, quam ægrotantium egit; quod si demas, de victu sanorum prius actum fuisse, cum solum de genere, de quantitate, & qualitate præcepta tradiderit, exigit vtique ratio, vt doceat modum etiam, quo sani vti debeant. Postremo, cum author & ille etiam ex virium consideratione, ætatis, consuetudinis, & temporis, victus modum doceat, hæc autem quatenus naturalem statum ostendunt, ad hanc inuentionem conferantur, constat pariter in his, quæ secundum naturam habent, modum victus etiam doceri, præsertim, cum morbi nullam mentionem faciat, sed illorum solum, quæ secundum naturam sunt, quam ob rem ego existimo, Hippocratem victus modum hic *docere, non ægrotis solum, sed omnibus, qui victu vti debent*; quod etiam ipse Galen. *in initio Comment.* asserit, etsi postea ad solas febres nulla ratione Aphorismum contrahat; Addo, quod *sequenti Aphorismo* idem testatur, cum scribit, accipi indicationem à tempore anni, tum ad quantitatem, tum ad modum victus ab Hippocrate; quare, cum hic de modo victus agat, & à tempore anni sumat indicationem, constat & de modo generaliter agi.

Qua ratione intelligere possumus, quomodo victus exhibendus sit, considerandum esse scribit Hippocrat., ex quibus fieri consideratio possit, non explicat, forte, quod res longior esset, quam vt Aphoristica breuitate doceri posset: vel, quod notum ex superioribus Aphoris. putaret, in quibus de quantitate egit. Gal. vero primo à viribus & morbis; deinde ab ætate, anni tempore, consuetudine, & cæteris huiusmodi, indicationes sumi scribit; postea vero in tractatione ipsa à quantitate virium, & à certis quibusdam morbis, qui ex humorum vitio consistunt, indicationes capit. Verum neque à viribus, neque virium quantitate in primis indicatio sumi potest ad modum victus instituendum: nam vt vires simpliciter, sumptæ victum simpliciter indicant, ita virium differentia, quæ in modo sumitur, victus differentiam, quæ in modo constituitur, indicare debet; Vt enim genus ad genus, ita differentia ad differentiam, non autem genus ad differentiam referri debet, per principium, quo vtitur ille *in libro de optima secta*, quod est, si quid sine differentia sumptum aliquid indicat, si illud differentias suas assumat, alterius differentias indicabit, & per conuersionem huius principii fit, si alicuius differentia indicatur, ab alterius differentia indicabitur. Non ergo à genere differentia indicari potest, nec etiam differentia, quæ in quantitate virium sumitur, differentiam, quæ in modo victus ponitur, indicare potest, siquidem eius, quod indicat differentia, eius, quod indicatur, differentiæ respondere debet. præterea, anni tempus, consuetudo, ætas, nihil indicant, sed coindicant: At vero multo minus conuenit, morbos illos, quos enumerat, ad indicationem modi victus assumere, quandoquidem nullus morbus victum indicat, sed remedium, vt *in libro de sectis*, est enim victus, quod statum corporis conseruat, mutat autem remedium. Quod si concedamus, victum indicari à morbo, fiet vt quanto maior morbus fuerit, tanto pleniore victu vtendum sit, quod repugnat prioribus Aphorismis, in quibus tantum de victu esse detrahendum, quando morbus maior

A extiterit, ostensum est: Quod si ex nutrimento remedium inueniat morbus, non id fit, quatenus est nutrimentum & victus, sed per accidens, quatenus scilicet contingit victum aliquibus remedium esse. Præterea, ad generalem scopum explicandum, generales morbi differentias, non autem peculiares quosdam morbos assumpsit, sed an magni essent, an parui morbi, spectabat, in qua differentia omnes morbi continebantur, eo quod omnis morbus vel magnus, vel paruus, plus vel minus existat; Ita differentia, quæ à morbo sumitur, ad modum victus moderandum, omnibus morbis communis esse debet. Nam cum victus modum solum doceat in morbis, qui ex defectu vel corruptio- B ne, vel abundantia humorum fiunt, nulla ratio in aliis nobis relinquitur, nempe in illis, qui ex sola intemperie, vel solutione continui, vel partibus organicis contrahuntur, qua intelligere possimus, quo victus modo vtendum sit: Postremo damnatur eius tractatio, quod cum à viribus, & morbo modum victus sumi dicat, seorsim non expenderit, quid vires, quidve morbi illi postulent: quemadmodum enim antea, cum de quantitate, & qualitate ageret, docuit, quid quantitas morbi, quid virium quantitas, quid qualitas vtriusque indicaret: Deinde quantitate virium cum quantitate morbi, & qualitate cum qualitate coniuncta, victus quantitatem, & qualitatem metiebatur: ita hoc loco, quid vnum- C quodque separatim postulet, in primis docendum. Quod si id fiat, error manifeste apparebit, qui ex compositione viriũ cum morbis illis imperitis regitur: nam cum ille vires validas, & debiles coniungat cum morbis ex defectu, corruptione & abundantia humorum obortis, si iam vires à morbis separentur, validæ vires plurimũ victum indicabunt, debiles paucum, ita quantitatem, non modum victus indicabunt, quod quærimus: eodem modo morbus ex defectu, abundantiam: ex corruptione, temperationem, ex abundantia, defectum. Hæc autem non victum indicant, tanto minus ergo & modum victus: Quod si tractatio bona esset, simplicia per se modum indicarent, vt quantitas virium D quantitatem victus, nulla morbi facta mentione, & morbi magnitudo victus tenuitatem suadebat suapte natura.

Cum his itaque difficultatibus implicata sit Galeni interpretatio, neque ex illa vnquam quis modum victus inuenire possit in omnibus, nec in his &̃ paucis, de quib. ipse agit, ratio alia inuenienda est, quæ, quod quærimus, doceat. Petetur autẽ ea ex generali Methodo, & positis principiis, quib. hactenus ad alios scopos inuestigandos vsi sumus: Est autem huiusmodi principium toties iam repetitũ *ex libro de optima secta*, si quid sine differentia sumptum, aliquid indicat, si illud differentias suas assumat, alterius differentias indicabit: Itaque cum vires victum indicent, & E quantitas virium, quantitatem victus, & qualitas, qualitatem, modus etiam illarum victus modum necessario indicabit. Ergo, vt validæ vires multam victus quantitatem indicabant, debiles paruam, mediocres mediocrem, sic quæ eo modo sunt affectæ, vt cibũ semel solũ conficere possint, semel tantum victum exhibendum indicant, quæ sæpius, cibandum sæpius, ostendunt: quo

Victum non indicari à morbo.

tẽpore validiores, eo plus alendũ: quo debiliores, A parcius; quo mediocres, mediocriter; sunt autẽ sępius cibandi, quorũ vires cito dissoluũtur: rarius, quibus tardius: multo semper egent nutrimento, qui vires validas ad cõcoquendum suapte natura habent; multa vero, & frequenti nutritione egẽt, quib. cito fit dissolutio, & concoctio valida est. At vero quemadmodũ quantitatem virium ex ętate, anni tẽpore, consuetudine, & cæteris coindicãtib. sumebamus; sic quoniam vires diuerso modo afficiuntur, & diuersas ætates, anni tẽpora diuersa, diuersos corporis habitus, & consuetudines viuẽdi discrepantes, & cætera huiusmodi. q̃ corporis nostri statum vel mutant, aut illius mutationes ostẽdunt quæ ob id victũ coindicare dicũtur, merito ob diuersam illorũ naturam, diuersumq; modum, B vt viriũ modus variatur, sic & victus modus mutatur; Etenim, iuuenes semel aut bis tãtum quotidie edũt, quoniam eo modo illorũ vires sunt affectæ, vt sæpius nutrimentũ conficere nõ possint, sufficiatq; ad virium conseruationẽ restitutionemq; defluxæ substantiæ, quod illis virib. corpori adiiciũt: Decrepitis, vt vires debiles sunt, & paucum nutrimentum exhibemus, ita illud in plures vices partimur, quoniã vna vice non possunt aut duab. tãtũ cibi conficere, quantum necessarium est ad viriũ conseruationem, pueris autẽ multum, & plurimũ, & sępe exhibemus, quoniam vires coctrices validissimæ sunt, plurimumq; substantiæ ab illorũ corpore, & statim dissoluitur, quę crebra, & multa restitutione, qua vires conseruentur, eget. Eodem C modo qui biliosa sunt natura, qm̃ ob acriorem calorẽ cito digerunt, crebriore, sed parciore nutritione egent. cũ ad coquendũ plurimum, non multũ valeant; Qui vero sanguine abundant, cõtra rariore, sed ampliore nutritione egent: tardius.n. digerunt illorũ corpora, sed ad concoquendũ plurimũ alimentum vires validissimas habent: siquidẽ concoctio calido & humido fit: Melancholici vero, & pauca, & rara restauratione opus habent, cũ & paulatim, & paruę fiant in illis dissolutiones, ad coquendumq; ineptę sint: omniũ autem parcissimum, & rarissimum victũ pituitosi desiderant, vt quib. calor deest & humor abundat in corpore.

Eodem modo per corporis habitus, & differẽtias, victus modus instituitur, crebriore siquidẽ D egẽt nutritione rariora corpora, rariore dẽsiora, & cõpacta carne pręditas: citius.n. illa, hæc tardius digerunt. Eodem modo vesperi plus aliquib. edendũ est, quam mane: quoniam eo tẽpore plus concoqui potest: tum q; calor circa ventrem ob somnum, & noctium frigiditatẽ colligatur: tum quod longius intercedat interuallũ inter cœnã, & prandium, quam inter prandiũ & cœnam. Item, quo tẽpore quis plus edere consueuit, plus ingerendũ, quo fit, vt quidam mane liberalius prãdere, quam vesperi cœnare debeãt, qui vel ita cõsueuerunt vel interdiu dormiunt in otioq; viuunt: Mane autẽ se plurimũ exercent, noctu vero vigilant, spiritusque studiis & labore conficiunt, quib. cœna vberiore nihil deterius esse potest. Aestate sæpius, Hyeme E rarius, quo tempore ẽt corpus fortẽ exercuit, plus edẽdũ est, si per exercitationẽ calor auctus fuerit, minus si dissolutus ob immoderatã exercitationem, & deniq; pro viriũ modo per omnes corporis mutationes variato, victus modus variandus instituendusque est.

Iam vero vt victus quantitatem viriũ quantitas indicabat, contraindicabat autẽ morbi quantitas, sic & modus virium modũ victus indicat, modus morbi modũ victus contraindicabit: Ergo vt magnus morbus prohibebat magnã victus quantitatẽ exhiberi, concedebat autẽ paruus morbus, & mediocrẽ quantitatẽ mediocris morbus admittebat, eodẽ modo si sępius maior reddatur, rarius cibã si ostendet: si rarius sæpius, & quo tempore maior est, vel expectatur fore, eo tẽpore minus exhibẽdum, plus vero quo minor existit. At & cum longius durat, rarius cibandum suadet, si parum frequentius. Docet & id quidem vsus medendi, parcius.n. rariusque eos alimus morbo laborantes, in quib. sępius vehementiusq; morbus exacerbatur, & quo die, aut diei parte accessio maior fit, minus hominẽ nutrimus, quemadmodũ rarius parciusq; cibamus eos, qui longiore accessione affliguntur, contrariũ autẽ facimus in his, qui contrario modo afficiuntur. Quinetiã quemadmodũ in quantitate, & qualitate victus dicebamus fieri, vt ille nõ solum vires naturalemq; statum cõseruaret, sed etiã morbum curaret, fieretq; affectui pręter naturam idem remedium, quod virib. esset victus, ita in huiusmodi morbis modus viuendi exigitur.

Sunt porro morbi qui victu iuuãtur, qui ex humorib. auctis, vel deficientibus, vel corruptis cõsistunt, aut exasperantur, exuperãtes etenim humores parciore victu decrescũt, qui deficiũt nutrimẽti copia augẽtur: sic sane corrupti boni nutrimẽti affluxu regignuntur. Nec vero aduersus id facit, quod scribit Hippocrates, *impura corpora tãto magis lædi, quanto magis nutriuntur: aliud.n. est corpus impurũ, aliud quod corruptis humorib. scatet*, siquidẽ hoc sanguinem corruptum habet, illud autẽ impurũ est, quod vitiosos humores habet in vẽtriculo, quod quanto plus nutries, tanto magis lædes: corrumpitur.n. in ventriculo alimentũ, quod post ea ad hepar delatũ, sanguinem vitiat, in eo vero, qui corruptum vitiatumq; sanguinem habet, non par est ratio, si.n. bene in ventriculo cibi cõcocti fuerint, vitiosos humores, qui in corpore cõtinentur, tẽperabunt, & mixtione sua meliores reddẽt.

Quantum laborent neoterici in locis his conciliandis, vnicuiq; facile est videre. & quam absurdam fingant cõciliationem, cum nostra interpretatio naturæ rei cõsentiat & Galeni interpretationi, omniaq; absurda fugiat. Qua vero ratione victus modum in his morbis inueniat Galenus, operæ preciũ est videre, diuidit.n. Primo vires in validas, & debiles, easq; coniungit cũ singulis humorum vitiis: Deinde, quomodo victus instituendus sit in singulis coniugationib. docet, atque hęc tradit: Si vires laborãtes debiles fuerint cũ humorũ corruptione, vel defectu, parum alimenti sæpius his est exhibẽdum, quod si vires debiles fuerint cũ humorum mediocri aut excedente copia, his raro & pauca danda sunt: at si cum virium robore humores superabũdauerint, his pariter cõuenit paucum & raro exhibitum nutrimentũ, quod si cum humorũ defectu vel corruptione validæ vires restauantur, plurimũ & sæpius huiusmodi corpora nutriemus, siquidẽ permittãt accessiones, alioqui raro & plura exhibebimus. Quę tractatio multiplici distinctione eget: nã si antea in victu instituendo dixit, solum sumi indicationes à morbi tẽporibus, & accessionibus, & à viribus, cur hic variat victum ob humorum defectũ, corruptionem, & abũdantiam: hæc.n. non continentur in illis, sed lõge sunt diuersa

Qui sæpius cibandi, & qui tardi rarius. Qui multo egeant alimento & qui frequenti nutritione.

Qui morbi ex victu augentur.

sect. 2. aph. 10

Corpus impurũ ab alio, quod corruptis humoribus scatet, differre.

diuersi, quare tractatio tota damnanda est, quia mala posuit principia. Deinde, cur mentionem non facit temporum morborum, & accessionũ? hæc enim modum victus etiam variant, cum sæpius aut rarius, & minus aut plus vna vice, quam alia, illa ostendant esse cibandos ægros: Ad hæc, cum abundantia, corruptio, & diminutio humorum per magis & minus variari possint, multitudinem quoq; nutrimenti mutari necesse est. Præterea cum victum hoc loco sumamus, quatenus remedium est, & vires etiam conseruat, multumque intelligere possimus, vel quod vires excedat, vel propriam solitamque mediocritatem, vel eam quæ homini temperato debetur, vel affectum, qui emendandus est, erat in primis explicandum, quomodo multum aut paucum nutrimentum intelligeret; Quinetiam, cum vires validæ intelligi possint, vel quod absolutè validæ sint, vel quod dispositionem vincere possint, superioresque ea sint: eodem modo debiles intelligi possint, vel quod morbo debiliores, vel suaptè natura tales, vt in senibus, vel solito debiliores, vt in conualescentibus, & mediocres vel respectu affectus, vel pro sua natura, explicandum erat, quonam modo validas, aut debiles, vel mediocres intelligi velit; variant enim hæc victus quantitatem. Quinetiam, cur ait sæpius esse exhibendum cibum, vbi vires imbecilles cum defectu, aut corruptione humorum coniunguntur, quoniam dispositio multis eget, dubium relinquitur, quonam modo, vbi vires debiles statuuntur, multum nutrimenti confici possit, vbi enim debiles certo modo statuuntur, vt in senibus, etsi in plures vices cibum patiamur, tamen quicquid ex illis colligetur, paucum semper erit, siquidem vires ita debiles paucum cibum & nunquam multum conficere possunt, vt Hippocrates antea dixit, senes paucis alimentis egere. Præterea & illud distinctione eget, quod scribit, raro & parum eos esse nutriendos, quibus vires debiles sunt cum humorum copia, si enim vires perinde debiles sint, vt morbo succumbant, si non multum alimentum damus, certè cogimur sæpius exhibere, & tantum planè, quantum contempta dispositione conficere illæ possunt: trahunt enim ad se omnem curam, quemadmodum morbus ipse ex multitudine, vbi vires validæ subsunt. Ac vt alia multa omittam, quæ dici in hac re possent, paucis Methodum docere conabor, qua possit vnusquisque, quod vult, in hac re inuenire. Igitur, quid simplicia primo per se exigant tradendum: Deinde, quid inter se coniuncta.

Morbus in corruptione vel defectu humorum quem victus modum requirat.

Esto, si placet, primum vitium in humoribus, corruptio, vel defectus, copia necessario nutrimenti hic requiritur maior aut minor, pro vitio humorum, etenim, vbi deficiunt humores, tantum nutrimenti apponi necesse est, quantum ad incrementum humorum & nutritionem corpori sufficiat; idem faciendum vbi corrupti sunt, regigni siquidem oportet bonos humores, & simul corpus ali, quod nequit nutrimentum præstare, quod naturalem solitamque mediocritatem non excedit: sic enim multum nutrimentum par est sumere in hac tractatione, non quod vires excedit, cum ea copia semper euitanda sit, sed vel multitudinem, quæ temperato homini debetur, vel naturalem solitamque sibi mediocritatem exuperet. At si humor exuperet, pauco est opus nutrimento, vel etiam inedia, vbi magnus est excessus. Iam verò, si vires validæ absolutè statuantur, vt in pueris, multo nutrimento opus est; neque enim, quod validum est, aliter quàm à valido copiosoque nutrimento cõseruari aut augeri potest: quod si validæ dicantur, quod morbo sint validiores, non simpliciter multo victu egent, sed tanto sanè, quantum præter morbum conficere possunt: quo casu, nunc multum, nunc paucum, alias etiam mediocre fuerit. Debiles verò suaptè natura, vt in senibus, pauco nutrimento semper egent, cum augeri nequeant à victu, quippe cum ad eum terminum peruenerint, ad quem peruenire possunt. Si verò vel morbo, vel solito debiliores, vt in conualescentibus fuerint, cum augeri debeant, etsi planè in omnibus non copioso, pluri tamen alimento opus est, non tantum tamen esse oportet, vt vires excedat, quod exhibetur. At, quomodo, quæso, vires augentur, si plus non exhibetur, quàm conficere illæ possint? videtur enim rationi consonum, vt in eodem statu persistere debeant; An id fit, quod substantia gignitur, (sanguis scilicet & spiritus) qua temperies corporis melior redditur, ex qua deinde vis concoctrix validior, continuo resultat, alioqui reddi ratio nequit, cur cõualescentes debilitati ex morbo, vires pristinas recuperare valeant, & in ægrotis vires augeantur ex nutrimento.

Quem morbi complicati.

Iam inter se complicatis virium diuersa conditione cum humorum vitiis singulis, intelligemus, quanto victu sit opus: si enim pari concordia eandem quantitatem postulent, res facillima euadit, sequimur enim, quod vtrunque indicat; sin minus, vtrique quantum licet, seruiendum, aut nonnunquam etiam altero penitus contempto, sequendum quod maximè vrget, estq; nunc humorum vitium, vbi vires validæ sunt, nunc vires ipsæ, vbi adeo prostratæ adsunt, vt totam curã ad se trahant; quod ex tractatione ipsa ad hunc modum patebit. Itaque, si vires simpliciter validas cum humorum abundantia coniungi ponamus, si quidem vrgeat maximè abundantia, paucum nutrimentum exhibebimus, aut nihil etiam nutriemus, sequentes tunc, quod copia humoris exigit: sin minus, mediocriter etiam alere licet, cum enim vires validæ statuantur, multumque cibi conficere valeant, cum omnino illæ non occupentur in mediocri copia nutrimenti, facilè vnà etiam paruos excessus in humore vincẽt; quod si validæ statuuntur quod validiores sint dispositione, pro excessu illarum multum, vel paucum nutrimentum, vel mediocrem etiam quantitatem exhibere licebit; At, si vires validæ simpliciter cum corruptione vel defectu humoris ponantur, multo omnino est opus, cum & vires & dispositio id exigat; At, si debiles statuuntur suaptè natura cum abundantia, pauco omnino est opus. Ita vtroque exigente nimirum virium debilitate & humorum copia, quod si debilitas cum defectu iungatur & corruptione, paucum cogimur exhibere, etsi multum dispositio exigat, quoniam vires illud conficere nequeunt: Iam si vires debiliores dispositione ponantur, si quidem ex multitudine oppressæ debilitentur, paucum dandum, aut nihil etiam; interim enim cum externo cibo destituuntur, humorum excessus vincent; quod si ob intemperiem, vel dolorem, aut aliam causam imbecillæ redditæ fuerint vires cum

Quam nutriendi [illegible]

defectu vel corruptione, paucum etiam est exhibendum: quoniam multum non possunt vires debiles conficere; plus tamen quàm in aliis, cum horum vires augeri queant: ad proportionem de mediocribus viribus res intelligi potest, ne singula prosequi cogamur, sufficiant enim prædicta exempli causa ad omnes complicationes, quæ hoc loco fiunt, intelligendas. At interim cibandi modum non docuimus, sed quantitatem solum; quod si Galenus colligit ex illis complicationibus modum etiam victus, id nulla ratione facit, vbi enim vires sunt validæ, plurimo cibo esse opus, aptè colligitur: sæpius autem esse exhibendum, aut plus vna vice, quàm alia dandum, nequaquam: cum id non validæ vires, sed quæ sæpius & vna vice, quàm alia validiores esse possunt, ostendant. Eodem modo debiles vires pauco nutrimento esse opus indicant, non quod sæpius exhibendum sit, & corruptio copiam necessariam ostendit: crebram autem nutritionem minimè; intelligetur autem id, vt alia, ex propriis principiis sumpta differentia in modo, tum in viribus, tum in humorum vitiis. Ergo, si vires non solum validæ sint, sed etiam sæpius ad conficiendum nutrimentum sint idoneæ, & defectus vel corruptio sæpius affligit, vel longiore tempore duret, sæpius alere oportet, & quo tempore validiora hæc sunt, plus alendum; parcius autem & rarius nutrimus, quó sæpius multitudo humorum cum virium robore infestat: & quo tempore maior multitudo est, minus nutriendum, quemadmodum rarius parciusque cibum exhibemus, si longiore tempore duret: idem enim fit in hac complicatione, quod in morbis magnis cum virium robore coniunctis. Porrò, si vires debiles quidem sint, eoque modo affectæ, vt sæpe etiam cibum concoquere nequeant cum defectu humorum, vel corruptione, paucum & rarò exhibendum est nutrimentum, desperataque ob id horum cura est, vt tabes, hectica, lepra in senibus; quod si debiles quidem sint, sæpe tamen cibum concoquere valeant, vt in conualescentibus, sæpius alere licet. Atque hæc satis de victus modo dicta sint. Ex quibus intelligere poterimus quæ ad interpretationem Aphorismi pertinent; *quibus enim semel, aut bis, aut plura vel pauciora singulis vicibus sint exhibenda, intelligemus ex modo virium tanquam indicante, & ex modo morbi, & causæ morbi, tanquam contraindicantibus*, si modo hæc exasperentur victu, quod si ex his fuerint, quæ ex victu remedium inueniunt, virium & morbi, & causæ morbi modus, victus modum indicabunt.

Δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ καὶ τῇ χώρῃ καὶ τῇ ἡλικίῃ καὶ τοῖς ἔθεσι.

Condonandum autem aliquid tempori, ætati, regioni, & consuetudini.

OStendimus virium modum indicare modū victus, at virium modum ex temperamento & calido natiuo; hæc vero ex anni tempore, ætate, & consuetudine, sexu, habitu corporis, regione, cœli statu, animi moribus, & cæteris coindicantibus dignoscemus, tametsi Hippocrates duntaxat temporis, regionis, ætatis, & consuetudinis mentionem faciat, ex quibus relinquit addenda superius enumerata, & quæ sunt eiusdem facultatis; rectè ergo scribit Hippocrates, esse dandum aliquid his, quoniam ea sunt, quæ vires diuerso modo afficiunt; ac de aliis quidem locus non exigit, vt sigillatim agamus, cum author illorum mentionem nō faciat, & nos quantum nostrum institutum exigit, obiter *initio huius Aphorismi* de illis egerimus. Quid autem consuetudini sit dandum, quoniam id non satis exprimitur ab authore, & quænam sit consuetudinis vis, de qua re varia circumferuntur, operæprecium esse duco, vt doceamus: sed prius ostendamus, cur, cum ad quantitatem victus, & ad genus conferat consuetudo, illius tamen non meminerit, cum de illis ageret.

Porrò, consuetudinem, temperamentum ostendere, & nouam facere naturam siue temperiem, notissimum est, quare ad omnes scopos de victu inueniendos conferre eam, quatenus temperamentum, viresque mutat, concedunt omnes; verum, quod illius non meminerit cum de quantitate & aliis scopis ageret, hic autem præcipuam mentionem faciat, hæc reddi ratio potest, *quod alios scopos variare nequeat, nisi quatenus temperamentum mutat, modum autem in simili etiam temperamento variet*: multos enim videmus simili temperamento, quantum sensibus & ratione deprehendere licet, præditos, qui ob id idem viuendi genus, eandem quantitatem, & qualitatem exigunt, modo tamen differunt ob diuersam consuetudinem, quæ diuersam quandam naturam, quæ satis exprimi nequit, vel potius habitum parit, cum alii semel tantum edere consueuerunt, & offendantur, si sæpius cogantur cibum ingerere, alii vero in plures vices cibum diuidere soliti, si in pauciores retrahere velint, offenduntur; quod in Gallis multis vsu venire conspexi, qui prandere non poterant, nisi antea ientaculum sumpsissent, ita malè cœnabant, nisi merendam (vt aiunt) prius fecissent, propterea quod ita cibati essent soliti; ita natura offenditur retento etiam suo temperamento, nisi solitis rebus vtatur. Quantum possit consuetudo in nobis, etiam docet Hippocrates cum scribit *in Aphorismis* imbecilla suaptè natura corpora ad labores perfectos multo aptiora esse validioribus, si modo illa consueuerint labores eos perferre, alia vero minimè. Quinetiam venena longo vsu familiaria & innocua reddi, Mithridates Rex Ponti docuit, & experientia sæpe comprobauit. Addo, quod Galenus malarum rerum consuetudinem in senibus retinendam esse scribat *in quinto libro de sanitate tuenda*, cum natura ab illis minus offendatur, quàm à bonis non consuetis, nec vero in sanis solum maximam vim habet consuetudo, sed etiam in ægris, vt Hippocrat. *in lib. 2. de victu acutorum*, & Galenus *passim in Methodo medendi* testantur.

Verum quid, quantumque consuetudini sit dandum, inter omnes non conuenit; etenim Galenus *in Commentario*, neque totum, neque magnum aliquid consuetudini in victu tribuendum esse scribit, non tamen explicat, quantum illud sit, quod illi concedendum est: nam aliquando multum illi tribuere videtur, vt cum in diariis febribus his, qui vti consueuerunt, vinum exhiberi iubeat; nec contendam esse consuetudinem etiamsi

Quæ consuetudinis vis.

Cur Hippocr. cum de quantitate victus & aliis scopis ageret, consuetudinis non meminerit.

Sect. 2. aphor. 49.

Quid quantumque sit consuetudini dandum.

etiamsi morbus aquæ potionem, quantum in se est, desideret. Sane si naturam rei consulamus, in bene valentibus corporibus consuetudini plurimum est dandum, & plus etiam, quam natiuo temperamento, cum spectare debeamus quod ex consuetudine partim præsens est, non quod amplius non adest semel à natura concessum; sic etiam in leuioribus morbis qui quibuscunque remediis cedunt, retento etiam solitarum rerum vsu consuetudini multum est tribuendum; quod si grauior affectus sit, tantum illi concedendum est, quantum affectus permittit, id quod experientia docet, si quidem inflammatione lateris, aut alio graui morbo correptos, vini potione, carne, exercitatione, cæterisque rebus, quas per sanitatem illi gerere consueuerunt, priuamus: tempus quoque cibationis, si morbus ita exigit, mutamus: & denique nihil retinemus, quod consuetum fuerit; in quibusdam aliquid, nempe genus, vel qualitatem, vel tempus nutritionis, vel aliud quidpiam consuetum retinemus, illud scilicet, quod morbus permittit. Quam ob rem reprehendendi sunt, qui vbi grauiora vrgent mala, consuetudinem extollunt, & pro illius ratione curationem variandam putant; seruanda autem per morbos, vbi licet, semper consuetudo est, sicut temperies, quæ secundum naturam est, corrigenda non est, quo tempore morbo corpus affligitur: seruanda etiam est semper in senibus, dum valent, quoniam durior iam est illorum natura, & ad nouas impressiones suscipiendas inepta; in aliis autem, siquidem mala sit, in meliorem mutare vtile est, *& non solum quidem bonis rebus, sed malis etiam assuescere debemus, vt omnia vel multa nobis familiaria vario vsu reddamus, sic enim minus offendemur, si amica multa habuerimus, pauca autem, quæ obesse possint*. Mutandam autem esse consuetudinem *non solum paulatim, sed in ipsa mutatione sæpius quiescendum* Galenus scribit *in libro sexto de morbis vulgaribus, textu* 25. 2. *Commentarii*, & idem Hippocrates docet *in libro de victu acutorum*, id quod distinctione videtur opus habere: subito enim per vehementiores morbos cõsuetudinem mutamus, & molliora corpora facilè sustinent repentinas mutationes, alioqui multis assuescere illa nõ possent, si paulatim singula assequerentur; seniora verò & duriora corpora si fortè cogantur consueta relinquere, nequeunt alia subito consequi: accidit enim illis, quod lignis durioribus, quæ flecti non possunt, aut non nisi sensim. Atque hæc de consuetudine satis, quandoquidem adhuc de ea *sequente libro* dicere cogemur fortè, quàm hic, diligentius.

Aphor. XVIII.

Θέρεος δὲ καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι· χειμῶνος ῥᾷστα, ἦρος, δεύτερον.

Æstate & Autumno cibos difficillime ferunt, Hyeme facillime: secundum locum Ver habet.

EXistimarunt nonnulli frustra repetitum esse Aphorismum de temporibus anni, cum superius, quid illa ad victum instituendum conferant, iam docuisset author, quos meritò refellit Galenus, quod diuersa ratione id factum sit: superius enim anni temporum mentionem factam, quatenus ad quantitatem victus inueniendam conferunt, hic autem de eisdem agi, quatenus ad victus modum faciût, tum, quod illic de sanorum, hic autem de febricitantium victu agat; id quod non placet: Primo, quod in illo Aphorismo sanorum aut ægrorum non meminerit, nec in hoc febricitantium mentionem aliquam faciat: Deinde, quod præter institutum authoris id dicitur: neque enim ille docere instituit viuendi rationem in solis febribus, sed etiam in aliis morbis, quod ostendit, cum genus & quantitatem communem omnibus antea docuerit: quod si demus eum docuisse, quo victu vti debeant sani, desideratur tamen modus non minus in sanis, quàm in ægris, de quo nusquam antea pertractauit: Quinetiam cum ostendat *in Commentario* posse accommodari Aphorismum non solum febricitantibus, sed etiam sanis, dicatque in sanis & ægris indicationem quandam capi ad modum victus ab anni tempore, cur est, quod ad febres solas rem velit contrahere? conuinciturque etiam *ex libro de salubri victu*, vbi Aphorismum hunc citat, concedere de sanis etiam hunc scriptum esse: quorsum enim, quæso, vbi de sanorum victu agitur, Aphorismum hunc adduceret, nisi de sanis etiam scriptus esset? At si demus de febribus agi, quemadmodum & *in fine Commentarii* & *ex superioris Aphorismi* interpretatione apud eum patet, vbi quid anni tempori sit exhibendum, expendit, qui locus ad interpretationem huius pertinet, fiet profectò, vt interpretatio Aphorismo repugnet: etenim Hippocrates Ver secundum locum post Hyemem habere scribit: At, cum Galenus scribat Vere parum & rarò edendum, Autumno multum & sæpe, vltimum locum Veri, primum Autumno tribuit, facillimè enim fertur cibus eo tempore, quo natura multum & sæpe concoquere potest, difficillimè autem, quo tempore & parum, & rarò exhibitum sufficit, & cum Hyeme multum, sed rarò exhiberi velit, Autumno verò multum & sæpe, secundum locum Hyemi tribuet, primum Autumno. Ad hæc, si spectemus febres, quæ in tempore fiunt, non temporis naturam, per se falsum erit, quod Hyeme multum sit dandum; vbi enim lethargus adsit, vel alia cum plenitudine & pituitoso humore febris, vel alii morbi, paucum omnino dandum est. Ac mirum profectò est, quod cum dicat, spectandam esse in æstate temporis rationem, postea in Vere, non quid Ver indicet, sed quid febris in Vere possit, expendat, dicatque paucum & raro esse exhibendum: si enim febrem spectemus, quæ in Æstate fit, multo minus, quàm Vere nutrire oportebit; siquidem vehementiores febres Æstiuæ, quàm Vernales sunt, & pro morbi vehementia cibus minuendus. At vero, si Hyeme multum dandum est, vt scribit, quia vires validæ, etiamsi parua fit euacuatio, cur etiam in Vere ob virium robur multum non dabit, etiamsi plethorica est dispositio? Quinetiam, si de febricitantibus agat, falsum est multum esse nutrimenti Hyeme exhibendum, eo quod vires eo tempore sint validæ, vbi enim vires validæ sunt præsente morbo, parcius alimus, cum liceat omnino per vires, remediis morbum oppu-

gnare, nec aliquid sit, quod vberius non alere cogat, siquidem validæ vires pauco nutrimēto contentæ sunt, donec morbus curatus fuerit. Nec verò in Autumno febricitantes multa & crebra egent nutritione: si enim febris vehemens sit in morbosa causa vincenda, non in cibo conficiendo naturam occupari oportet. Quod si cibus nulla mutatione egeret, vtique plurima illius quantitas ad corruptionem emendandam vtilis esset: at cum à calore mutari debeat, tantum solum exhiberi potest, quantum cōfici potest: At, cum natiuus calor etiam in sanis Autumno exiguus sit, & squalidus, tanto minus in febricitantibus multum sæpeque alimentum concoquere poterit. Quam ob rem, tantum abest, vt corruptio à cibi copia crebraque nutritione corrigatur, vt etiam magis exasperetur, additione male elaborati ob copiam nutrimenti.

Calorem natiuu in Autumno esse exiguum & squal dum.

Atqui nec illud recipiendum est, quod scribit, sanos hyeme magis euacuari, quàm ægros: cum enim de febricitantibus agat, quis negabit, vehementius ægros, quàm sanos dissolui, *siquidem febrilis calor ad dissoluendum natiuo est efficacior*, vt quotidiana experientia docet, minimo scilicet temporis spacio febricitātes ob vehementiorem euaporationem euacuari, alioqui etiam Æstas multi nutrimenti necessitatem non adueheret, cum calor tunc planè natiuus non sit, sed ad febrilem maximè accedat: postremo, si tantum esse exhibendum alimenti superius ostendit, quantum dissolutum est, cur Hyeme multum dari præcipit, vbi non multa fit vacuatio. nam antea in plethorica dispositione cum validis viribus, paucum & rarò dixit esse exhibendum, quod si illud verum est, hoc quod scribit de Hyeme, est planè falsum. Sed ne singula prosequamur, quæ meritò tum in hoc, tum superiore Commentario, cum de anni temporibus agit, reprehendi possent: cum nec principia sua seruet, nec authori, aut rei naturæ consona tradat, vt omnes veritatis studiosi facilè agnoscere possunt, ad authorem accedamus, & quid sibi velit hoc Aphorismo, expendamus. Itaque, cum superiore Aphorismo dixisset, tempori, regioni, ætati & consuetudini in modo victus aliquid dandum esse, quid dandum tempori sit, placuit illi hoc Aphorismo docere; quid autem ætati dandum esset, non expressit, quod fortè notum putaret ex his, quæ superius scripsit, quid consuetudini esset dandum, etiam omisit, cum tam varia sit consuetudo in modo viuendi, vt nulla arte comprehendi possit, aut saltem Aphoristicam breuitatem fugiat, qua in re satis fuit, dixisse, consuetudini aliquid dandum, vt in tanta varietate vniuscuiusque consulere possemus consuetudini. Expendit autem, quid natura temporis possit, non quid morbi in illis temporibus, quemadmodum in superioribus omnibus Aphorismis fecit, vbi quid vires naturalisque temperies indicarent, quid morbus & status, qui præter naturam est, contraindicarent, sigillatim expendit, nō quid vnum cum alio mixtum, quod facilè postea intelligitur, tantum enim remittendum est eius, quod facere volumus, quantum illud est, quod impedit; tantum intendendum, quanto minus est, quod prohibet: cum alioqui perpetuum nihil tradi possit, si hoc loco particularium morborum naturam in singulis temporibus spectemus, etenim, & Hyeme & Æstate, & alijs temporibus, qui iidem sunt morbi, easdemque causas, eandemque vehementiam habent, eundem victum postulant, nihil ad hoc cōferente anni tempore. Ergo, quid vnumquodque per se possit, vt quid morbus, quid vires, quid ætas, quid consuetudo, quid anni tempora, & alia exigant, perpendere debet, qui artem docet, non quod ex cōtraindicantium natura in singulis corrumpitur.

Vera aphorismi explicatio.

Σιτία δυσφορώτατα φέρουσι.

Cibos difficillime ferunt.

Cibos difficillimè ferre dicuntur, qui non appetunt, nec bene concoquunt; cum enim appetentia, concoctioque à calore natiuo fiat, qui moderatè est calidus, benignoque quodam humore temperatus, non mirum, si Æstate cibos neque bene appetamus, neque concoquamus: acrior etenim tunc calor est bile in corpore redundante, præsertim cum humore familiari prope destituatur. Autumno verò etsi non difficillimè omnino, vt æstate cibos ferimus, mitiore existente eo tempore calore, *quoniam tamen supra modum corpus exsiccatum est*, ideo naturæ opera non probè perficiuntur, cibos ergo intelligit nutrimentum, quod destuxum solidarum partium resarcit, non potum, quem tunc facile ferunt corpora, cum excalefactum & exsiccatum corpus tanquam remedium, à quo irrigetur squalor mitigeturque calor, cum expetat facillimeque ob tenuitatem etiam imbecillis viribus præditum concoquere possit. At, cum de modo victus hic agat Hippoc. ad quem spectat scire, an semel, multum an paucum, an rarò idque vel parum, vel multum exhibere debeamus, debuisset fortè dicere, *Æstate & Autumno multos cibos simul exhibitos difficilè ferunt corpora*: nam quod id velit, est certissimum. Verum cum cibos difficilè dicat ferri, tanto magis multos cibos simul exhibitos tolerari intelligendum est, vt qui genus ab aliquo aufert, & speciem simul adimit. Quia ergo cibos difficillimè ferunt illis temporibus corpora, ideo confertim non sunt nutrienda, sed paulatim: ita enim facilius illa ferent pauca quantitate onerata, & dissoluta reficientur, quantum per ea tempora licet, neque enim tantum reponere possumus, ob caloris natiui debilitatem, quantum ob ambientis vehementiam dissoluitur.

Cur æstate neq; bene appetamus neque concoquamus, neque in autumno probe conficiamus. Quid per cibos hic intelligatur.

Χειμῶνος ῥήϊστα· ἦρος, δεύτερον.

Hyeme facillime; secundum locum Ver habet.

Quoniam eo tempore & calor mitis est, & humore benigno corpora abundant, ob id coctiones eo tempore, (vt superius diximus) vigent, quod si tunc validus est, & simul collectus calor in partibus, in quibus coctiones cibi maximè fiunt, non mirum si & multū cibi conficiant tunc corpora, & multo simul exhibito egeant: nam vt non nisi à multo cibo natiuus calor multus cōseruari potest (quando proportione respondere debet nutrimentum calori natiuo) ita nec etiam conseruari potest, nisi multus simul exhibeatur, nam in pauco exhibito totus non occupatur calor, totus proinde non nutritur, minuitur ergo

Coctiones cur hyeme vere potissimum vigeant.

necessa-

necessario, si pauco simul exhibito nutrimento fruantur; sic ergo anni tempora ad victus modum conferunt; easdemque facienda est distinctio inter Æstatem & Autumnum, quæ inter Hyemem & Ver. Ac vt in aliis, sic & in his, quæ contraindicant, impediunt, ne quod anni tempora suadent, faciamus, qui enim imbecillo calore sunt præditi, vt senes, Hyeme minus edere possint, quam æstate; & qui frigidiore temperie sunt, & humidiore in Æstate ad naturæ opera sunt aptiores, imbecillus enim in illis calor à frigiditatis excessu extinguitur: Horum frigiditas æstiuo calore ad mediocrem quandam temperiem ducitur, quæ & appetentiæ & coctionis author est. Sic morbi qui in singulis temporibus nascuntur, si victu exasperentur, aut iuuentur, nunc idem, quod tempora, nunc diuersum postulant; eadem sit ratio de aliis contraindicantibus, ne singula prosequi cogamur.

APHOR. XIX.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδὲ ἀναγκάζειν, ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

Iis, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante indicationes.

HVNC Aphorismum superius fuisse ab authore adscriptum, iisdem ferè verbis, cum secunda illius pars, prima hic sit, & qua ratione, cum eum interpretaremur, eo loco docuimus! Cur autem hoc loco repetatur, Neoterici quidam hanc reddunt rationem, quod in illo de omni accessione egerit, hic autem de illis solum, quæ per certum ordinem repetunt: qui si nullam aliam rationem reddant, frustra eum repeti fateantur, oportet: Si enim de omni accessione iam ei pertractatum est, quid opus fuit de genere quodam accessionum rursus mentioné fieri, præsertim cum in illo peculiarem etiam mentionem accessionum, quæ per circuitus redeunt, vt hic fecerit? Galeni autem interpretatio nec Aphorismo, nec sibi ipsi etiam consentit; *cum enim*, inquit, *tres sint scopi in victu instituendo, quantitas, qualitas, & modus, ad qualitatem, & quantitatem instituendam nihil nos ab accessionibus iuuari* scribit, ad modum verò, indicationem sumi ab accessione morbi: ideò Hippocratem hoc loco, vbi de modo agit, ab accessione indicationem sumpsisse, quomodo autem conferat ad modum, ostendere se putat, cum scribit: *nam tempora commoda ciborum particulariter præcipuè docent accessiones.* Qua in re multifariam mihi errare videtur. In primis enim, malè de numero scoporum statuit: nam vt ea omittamus, quæ nos de scopis scripsimus, vbi plures esse docuimus, eo authore plures scopi sunt addendi, siquidem *primo ad Glauconem* quatuor ponit, quantitatem, qualitatem, modum & tempus, distinguitque omnino, vt ratio etiam exigit, modum à tempore: addit & alios ordinem. Præterea, cum de accessionibus in *Aphorismo*, (vt diximus) iisdem verbis

A vt hic, egit, vel frustra est [illegible] hic Aphorismus, vel de modo antea quoque egit, & bis ab accessione indicationem sumit nulla ratione ad modum victus instituendum. At verò, & illud reprehendendum est, quod ad quantitatem victus accessionem non conferre dicas, sed ad modum, contra enim planè fit, vt ad quantitatem faciat, ad modum verò minimè: nam quemadmodum morbi natura, morbique tempus ad genus, vel quantitatem, si eas differentias victus velimus ad quantitatem pertinere, inueniendam conferunt, propterea quod inter morbos morbique tempora alia sunt, quæ parum, alia, quæ minus; quædam, quæ nihil etiam cibi exhiberi permittant, id quod est victus extremè tenuissimus; ita accessionis consideratio eadem ratione vtilis est, cum ex ea admoneamur, cibi omnem quantitatem prohiberi; confert ergo accessionis consideratio ad quantitatem victus in morbis instituendam, ad modum verò nihil omnino: nam qui quantitatem omnem tollit, quantitati nullum modum statuere potest; qui enim semel intellexit, nihil esse exhibendum, temerè postea quæreret, quomodo exhibere illud possit: vt si quis negaret aliquid esse animal, frustrà quæreret, an possit illud esse homo, vel bos. Quam ob rem, cum accessio prohibeat omnem exhiberi cibum, vetat etiam, hoc vel illo modo dari, vt nullo præcepto ad modum constituendum opus sit. Illud verò, cum scribit, accessiones ad modum conferre, eo quod tempora cibationem ostendant, præter rationem omnino dictum est, conferre enim ad tempus aliquid, non est ad modum facere: siquidem modum, antea continere docuit, an semel, vel bis, vel plus vna vice, quam alia, non quo tempore alere debeamus, quemadmodum etiam *primo ad Glauconem* modum remediorum à tempore hac occasione illorum distinguit, vt mirari liceat, authorem sui statim obliuisci, nec sua principia retinere, optaremque Sophistas aliquid cogitare, quo tueri Galen. possint. Mirumque illud etiam est, quod vndecimi Aphorismi mentionem non faciat, nec recordetur, se eadem in vtroque interpretatione vti, cum de modo cibationum ab authore, illic etiam scribat, & statim in tempus, vt hic quoque incidat. Itaque cum bis scriptus sit Aphorismus, qua ratione id sit factum, expendendum venit. Diuersis profectò rationibus id factum est, quemadmodum etiam de temporibus anni bis egit; *Quia enim ad genus victus inueniendum confert accessio, nempe ad extremè tenuissimum victum, ideo rationi consonum est, existimare, eundem Aphorismum illic esse positum, vbi de genere victus tractaret, vt illi qui præcedunt & sequuntur, Aphorismi ostendunt: hoc autem repetitum, quatenus ad tempus idoneum, ad cibationem inueniendam confert: quo enim tempore accessiones adsunt, vel iam imminet, eo tempore nutriendum corpus non est.* Verum, cum non doceat tempus aptum ad edendum in sanis, nec etiam in omnibus ægris, sed solum in his, qui exacerbationes per certum ordiné experiuntur, & solum quod prohibet, non quod suadet indicat, vt occasioné nutriendi, operæpretium est, vt nos generali tractatione tam sanis, quam ægris scopú hunc compleamur. Igitur fortè quibusdá videbitur, tempus esse ad edendum aptum, quando quis cibú appetit,

Accessionem facere ad quantitatem victus, non autem ad modum.

Cur hic Aphorismus, cum sit cum vndecimo idem, hic denuo repetatur.

Quodnam tempus ad edendum aptum.

quod verum tamen est; cum nonnulli, vt qui ob pituitam acidam appetant, semper edere deberent siquidem semper appetunt, quibus tamen inedia, vt pote quæ pituitosum humorem absumat, salubrior sit, quàm cibus. Quinetiam, nonnullis edendi tempus idoneum adest, etiamsi cibum non appetant, vt in ægris, quibus propemodum extincta est appetentia; quos tamen alere oportet; Alii tempus *consuetum* edendi, putant aptum esse ad nutritionem, eoque tempore ob id esse edendum, quo quis consueuit. At, qui paulo antea cibo refecti fuerunt, consueta hora, tempus non est amplius aptum ad renutritionem, Gal. 7. *Methodi* in ægris aptum tempus ad id esse scribit, quando cibus à ventriculo descendit, tumoremque deposuit ventriculus, quod non placet: cum ventriculus in tumorem non attollatur à tam exigua nutrimenti copia, quæ ægris debetur; nec quando descenderit, ob id certis notis deprehendere liceat. *Quam ob rem, nihil aliud potest victus occasionem indicare, præterquam id, quod victum indicat, nempe vires ipsæ*; vt enim illæ reliquos omnes scopos ex suis differentiis indicabant, sic & hunc ex differentia, quam assumunt in tempore, planè ostendunt: *Quam ob rem præsentia virium tempus nutritionis indicabit; præsentes autem vires intelligere oportet, non cum adsunt simpliciter, sic enim continuo edendi tempus esset, sed quo tempore adsunt validæ ad cibum concoquendum, eo enim edendum est tempore, quo quis cibum conficere potest*; Vt autem in aliis scopis vires viriumque differentias quædam ostendebant, & ob id coindicantia illorum dicebantur, sic hoc loco quædam ostendunt vires certo tempore aptas esse ad cibum concoquendum, quæ scilicet quales, quantæque sunt vires, demonstrant, vt ætas, consuetudo, aer ambiens, animi & corporis affectus, & cætera, quæ sæpius iam inter coindicantia enumerauimus: etenim pueri quinta aut sexta quaque hora vires aptas habent ad conficiendū alimentum, senes longissimum tempus requirunt exceptis decrepitis, qui vt parum singulis vicibus ingerunt, sic citò etiam ad aliud assumendum sunt parati: inter hos medium locum tenent consistentes, iuuenes, & adolescentes. Eodem modo, qui consueuerunt manè solum edere, illis vires consuetudine redditæ sunt ineptæ ad cibum alio tempore conficiendum, contra fit in his, qui & vesperi etiam, aut alio tempore edere consueuerunt. Pari ratione, qui regiones calidas incolunt, vt parum singulis vicibus edere possunt, sæpiusq; sunt reficiendi, ita stata quædam tempora habent, quibus illis edendum, vt manè, meridie, vesperi; & biliosi vt citius dissoluunt, quod ingesserunt, sic per breuiora interualla nutriendi sunt, quemadmodum, & qui rariore sunt corpore; contra accidit pituitosis, & densiore carne præditis, & qui laboriosam vitam degunt, vt plus sæpiusque edunt, ita post exercitationem nutriendi sunt, cibus enim laborem sequitur, inquit Hippocrates, aliter fit in otiosis. Appetentia præterea in sanis beneque affectis corporibus, aptum ad edendum tempus insinuat; optima enim natura quantum appetit, tantum concoquit, & quo tempore appetit, eo concoquere potest.

Porro, vt in aliis scopis quædam erant, quæ impediebant fieri, quod indicantia postulabant,
A sic non desunt, quæ eo tempore nutriri hominem impediant, quo vires aptæ sunt ad concoquendum; sunt autem hæc, vt generaliter dicam, quæ concoctionem nutrimenti fieri prohibent, vt morbi accessio præsens, vel imminens, morbus etiam ipse, qui vehementior est, sine accessione, vt vulnus in parte nobili inflictum prohibet, ne edamus, etiamsi vires validæ ad concoquendum existant, cum oporteat calorem natiuum versari in humoribus corporis retinendis, & concoquendis; prohibent præterita, & sequentia remedia, animi affectus præteriti, aut futuri, & denique quæ præcesserunt, aut fieri debent, sanguinis enim missio, quæ paulo ante præcessit, differri cibum cogit, clyster, qui post aliquot ho-
B ras, antequam accessio hominem apprehendat, iniiciendus forte est, anticipari aliquantulum cibationem, antequam vires omnino sint paratæ, admonet; ita quæ præcessit, differri nutritionem postulat, qui cogitationem ingeniumque exercere in studiis debent, probibentur eo tempore, & paulo antea edere, & qui se ad equitationem, aut alias exercitationes accingit, cum non nisi concocto cibo exercendum sit corpus, multo antea illi edendum est. Quinetiam ægri voluntas, & intemperantia differri, aut anticipari tempus idoneum sæpius cogit; & ne singula prosequamur, hæc de contraindicantibus hoc loco sufficiant. Scribit ergo Hippocrates

C *Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι.*

Iis, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet.

HAbent autem per circuitus accessiones, quibus per certum quendam ordinem, & recursum accessiones redeunt, vt tertiana, quartana. Contra, qui exacerbantur morbi sine certo ordine, accessiones non habent per periodos, siue circuitus, non minus profectò his, quàm aliis, præsentibus accessionibus nihil est dandum, tempus tamen aptum ad nutritionem non pari facilitate in his, vt in aliis deprehendi potest: cum
D enim nutriendi sint ægri multo ante accessionem, vel iam præterita, si ignoremus, quo tempore venturæ sint accessiones, neutrum horum facere possumus; propterea accessionum duntaxat, quæ ordinem seruant, mentionem fecit, cum aliæ ob inconstantiam, arte cōprehendi nequeant, præsertim si plures fuerint; contingit enim, vt nec quo tempore singulæ sint venturæ, agnoscamus, & vna inclinante, alia nonnunquam incipiat. Quid autem per accessionem hoc loco intelligat, & qua ratione à cibo sit abstinendum, & cur de potu nullam mentionem faciat, 11. *Aphorismo* ostendimus.

E *Μηδὲ ἀναγκάζειν.*

Neque cogere.

PVtant interpretes nonnulli, Hippocratem in hoc morbo velle in accessionibus non esse cogendos ægrotos nolentes ad cibum sumendum; cum antea docuisset volentibus ægris cibum non esse dandum, quorum opinio (meo iudicio) tan-

to au-

A to authore non est digna; vt enim volentes ægros vehementiusque aliquid postulantes, cohibere non possumus, ita stultum est eos cogere ad ea facienda, quæ sunt mala, quæque illis obfutura certo cognoscimus; hæc enim præceptis opus non habent: quam ob rem intelligerem ego, cogendos non esse ad aliquid aliud faciendum, ita, vt verba, quæ præcedunt, de alimento sint scripta, verbum autem, *neque cogere*, intelligatur de aliis præsidiis, quæ Medici & astantes imperiti, dum vident ægrotos in accessionibus præsertim morborum acutorum vehementius torqueri, temere adhibere solent, vel inuitis etiam ægrotis, qui respuunt in eo statu omnes molestias, quæ ex medicamentorum adhibitione sequi solent; quod si de alimentis etiam quis hoc verbum intelligere B velit, non magnopere repugno, si modo mitius illud interpretamur, ita, vt idem sit *non cogere*, quod est *non inuitare*, vt scilicet hoc verbo admoneat Astantes & Medicos imperitos, qui, cum vident, ægrotos in accessionibus morborum ex conflictatione naturæ & morbi debilitari, nec intelligunt, non esse fugiendam eam debilitationem, quæ ad victoriam tendit, putant in hac re summum esse remedium alimentum adferre, & ægrotos ad illud assumendum inuitare, vel etiam inuitos; quod si quis verbum hoc otiosum contenderet esse, in eo etiam non repugnarem.

C

Ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθέσιων.

Sed subtrahere adiectioni.

QVod Hippocrates scribit, *ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθέσιων*, interpres noster vertit ad verbum, *subtrahere adiectionibus*; quam interpretationem non satis Latina locutio, & sensus authoris admittit, qui nihil aliud vult, quam quod penitus abstinendum sit ab his, quæ antea exhibebantur, prorsusque auferenda esse alimenta, quæ offerebantur, non quod velit, solum aliquid esse diminuendum de solito cibo, nam *in 11. Aphorismo* id ostendit, cum dicebat, *abstinendum esse, hoc dandum esse cibum in accessione*; debemus ergo vertere, *non subtrahere, sed auferre*, vt reuera verbum *ἀφαιρέειν* significat.

D

Πρὸ τῶν κρισίων.

Ante Indicationes.

GAlenus per *Indicationes* hoc loco intelligi posse putat *accessiones*, vel *morbi vigores*, vel proprie dictas Indicationes siue *Crises*, cuius interpretatio non placet: nam quod nihil dandum sit ante vigorem morborum, absurdum est, cum in paucis admodum morbis, qui si in primis diebus ad statum perueniunt, id fieri possit, adeo, vt E non possit absolute de vigore morborum intelligi. Præterea, antea de victu exhibendo in eo vigore egit author. Postremo, repugnat huic opinioni authoris dictio, & Galeni etiam interpretatio, quæ de accessione ipsius morbi, & tempore, & modo cibationis particulari agit. Eadem ratione explodenda est secunda interpretatio, quam Montanus temere sequitur: nam cum indicationes vt plurimum fiant in statu morbi, temere

Quid per indicationes intelligendum.

præciperet Hippocrates, continendos esse ægrotos in inedia ante Crises morborum, quod si ante indicationes cibus minuendus est, id tamen nihil ad tempus & modum particularium cibationum, sed ad quantitatem victus spectat. Cæterum ante accessiones nouimus nutriendos esse ægrotos: at Hippocrates non hoc præcipit hoc Aphorismo, sed quid faciendum sit in ipsa accessione imperat, quare indicationes hoc loco eas intelligerem, quæ per singulas accessiones fiunt: vt enim totus morbus magna quadam mutatione solui iudicarique dicitur, ita & particulares accessiones remittūtur, & desinūt factis particularibus mutationibus. *Iubet ergo Hippocrates, antequam indicentur & remittantur accessiones, cibum non esse dandum*; id quod medendi vsus docet, cū neq; in tertianæ febris, aut alterius generis morbi accessione nutriamus hominem, priusquam sudores, aut alui excretiones superuenerint, aut aliquid aliud fecerimus, quod exacerbationem ipsam remiserit. Hæc interpretatio instituto Hippocratis & naturæ rei quadrat, si per indicationes mutationes eas intelligamus, quæ singulas accessiones minuunt, quid vero præstandum sit, vbi remissionem accessionum expectare non possumus, in explicatione 11. docuimus.

APHOR. XX.

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

Quæ indicantur, & indicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

POsteaquam Hippocrates de nutritione egit, redit ad vacuationem, de qua agere cœperat 2. & 3. Aphorismo. Cur autem eam non sit prosecutus, sed interposuerit nutriendi rationem, nulla ratione consequi possum, nisi forte, vt admoneret in morborum initiis antequam victum instituamus, exonerandum esse corpus, victum deinde instituendum conuenientem, quo interim adiuta natura, qui supersunt, malos humores concoquat vincatque. Quæ postea etiam reliquos de euacuatione scopos ostendat, qui ab initio percipi non poterant, locum eum docet natura motu, quo vtitur in expulsione humorum; eadem ratione & modum & tempus ad vacuationem aptum; quo enim modo morbus affligit, naturaque agit, eo modo illi per vacuantia succurrendum est, & quo tempore humor concoctus est, vel ad excretionem idoneus, eo tempore vacuandum; merito itaque intermisit tractationem de vacuatione, quam ab initio inchoauerat, cum ea absolui nequeat, nisi ex naturæ actione progrediente morbo illam discamus; quid autem faciat in hoc Aphorismo, explicat Galenus, cū scribit: *Docet quando sit to: ū natura*

 natura

turæ permittendum, & quando non, nobis solum victum conuenientem in ægrotis instituentibus; At oportet ad aliquem scopum de euacuatione Aphorismum redigere: videtur quibusdam docere Hippocrates tempus idoneum ad vacuationem, quæ à Medico fieri debet, quod scilicet tunc vacuare debeat, cum natura non expellit, quantum sufficit, aut expulsionem non est aggressa: cum enim solum prohibeat vacuationem fieri, quo tempore natura perfecte iudicauit, aut iudicat morbos, reliqua omnia tempora Medico relinquere videtur; At non semper, cum natura non vacuauit morbosas causas, Medicus oportune suas vacuationes adhibere potest, vt in morbi incremento, aut vigente iam morbo quiescendum esse præcipit Hippocrates; quam ob rem, mihi videtur potius docere, quæ sint à Medico educenda in fine morbi: ea inquam sunt, quæ à natura non sunt expurgata, nec quantum oportet, vacuantur; videturque generalis esse hic scopus, quo docet, quæ sint vacuanda, secundus autem Aphorismus particulariter docere, quæ cum vtilitate & facilitate educi possint.

Τὰ κρινόμενα.

Quæ iudicantur.

DIcuntur morbi iudicari, aut iudicati, in quibus Crisis, id est, iudicium fit, aut factum est. Quoniam vero nec reddi ratio potest huius Aphorismi, nec multi, qui sequuntur, intelligi, in quibus iudicii mentio fit, prætermissa iudicii cogitatione, ideo hoc loco paucis, quid Crisis, quotuplex ea sit, & quæ cuiusque natura, item, qui morbi per Crisim finiantur, & quo tempore morbi fieri possint, expediam.

Crisis quid. Crisim solent interpretes Galeni definire subitam in morbo mutationem; sed perperam: oportet enim non subitam solum esse, sed etiam magnam, alioqui diarias febres per Crisim terminari fateremur, quod Galenus non admittit, docetque id, cum Crisim scribit esse mutationem in morbo ἀθρόαν, id est, magnam & repentinam, vt *primo de Causis Symptomatum* interpretatur. At, non omnis subita magnaque mutatio, Crisis dici potest, vt cum opera Medici magni morbi, sanguinis extractione, purgatione, aut partium incisione, vel repositione in sua loca, aut alio modo artis beneficio confertim soluuntur, nemo huiusmodi subitam vehementemque mutationem Crisim nominauerit: *sola ergo in morbis subita & magna mutatio, quæ à natura fit, Crisis dicenda est*; quanquam tamen Galenus varie vsurpatum esse Crisis nomen ab antiquis ostendat, & ille etiam non semper sibi constet: etenim *in libr. 1. de Crisibus*, satis ostendit, quosdam subitam, & vehementem mutationem, Crisim intellexisse, alios non omnem mutationem, sed solum, quæ ad melius fit, alios agitationem, quæ antecedit mutationem, vocasse, alios omnem solutionem morbi, nonnullos etiam eam solum quæ bona est, Crisim vocasse; ille autem nunc Crisim vocat mutationem ipsam (vt diximus) subitam, & vehementem; separat-

A que agitationem à Crisi, cum scribit, perturbationem corporis, Crisim ipsam præcedere: alibi vero contendit, agitationem eam magis Crisim vocandam esse, quam ipsam mutationem. Vocat & Crisim accessionem, vt *in Aphorismo præcedente*, lectoremque interim varietate hac (vt solet) confundit, cum *alibi* scribat, eum qui artem quampiam tradere vult, singulis rebus nomina imponere debere, quibus perpetuo vtatur. Nos autem Crisim definiamus *subitam magnamque mutationem in omnibus à natura factam*: id enim est Crisis & iudicium, quod in reis iudicandis fit, à quo Crisis Medicorum ducta est: nam iudicium, quo vtuntur iudices, non continet errorem rei, aut causæ expositionem, & alia, quæ *Crisis nomi. vnde etiam.*

B ipsum iudicium præcedunt, sed solam sententiam, qua vel liberentur vel morti adiudicentur. At, cum natura vel concoquendo, vel expellendo morbosas causas, mutationes in morbis faciat, fiat autem concoctio paulatim, constat, naturam per coctionem subito non posse morbos mutare. Quam ob rem, etsi pueri non coctrice facultate plurimum valeant, tempus tamen etiam requirunt, quo infestantes humores vincant: proinde, etsi quidam mutationes, quæ in pueris fiunt per coctionem, (quibus etiam Galenus assentiri videtur) aliquando Crises vocent, tamen aliter sentiendum ratio suadet: vnde Galenus ipse, *tertio de Crisibus*, & *alibi*, semper Crisim fieri vel cum excretionibus, vel abscessibus,

C aperte scribit.

Crisim certa ratione non diuidit Galenus, sed vocat quandam perfectam, aliam imperfectam, fidam quandam, aliam infidam; sic periculosam, vel sine periculis; manifestam, vel obscuram, cum bonis signis, sine signis; bonam vel malam; Vocat autem perfectam, quæ nihil de morbo reliquit, sed radicitus eum expulit; At, quæ nihil de vita relinquit, statimque eam tollit, perfecte mala etiam dicenda, est enim in genere malorum aliquid perfectum. Quare, communi definitione perfectam siue integram Crisim vocabimus, quæ nihil relinquit; quod si perfecte bona fuerit, perfecta dicetur, quæ morbi reliquias omnes rescindit; imperfecta, *Crisis quotuplex.* *Perfecta.* *Imperfecta.*

D quæ aliquid relinquit, vel de priore morbo, aut alium excitat, vt abscessum: vel potius perfectam dicamus, quæ omnes habet conditiones bonas, vel malas, sic enim perfectum in aliis definit Aristoteles, cui nihil deest, nemo enim perfectam sanationem morbi dixerit, quæ vno soluto morbo alium excitat. Fidam, siue firmam, aut securam vocat, quæ redit nunquam: quod etiam non placet: si enim imperfecta fuerit, redibit quidem morbus, fida tamen ea mutatio prior dicetur, si cum bonis signis facta fuerit, vt si septima die in febre ardente concocto mediocriter humore excretio aliqua facta fuerit, quæ morbum remiserit, fida profecto erit huiusmodi mutatio; Quoni- *Fida siue firma.*

E am tamen tota morbi materia expulsa non fuit, redeat oportet morbus, fidam ergo vocemus, *quæ cum bonis signis facta est*, infidam, *quæ cum malis*. Tutam optime definit, quæ sine periculosis Symptomatibus fit: periculosam, quæ cum his accidit: Manifestam vocat, cui excretio vel insignis abscessus contingit: obscuram, quæ sine his fit. At, quomodo Crisis dici potest, si *Infida.* *Tuta.* *Periculosa.* *Manifesta.* *Obscura.*

absque

absque his fiat? intelligendum, non quod fiat absq; excretione vel abscessu, sed quod nõ statim hæc appareant: vt quosdam vidimus, qui febricitare desierunt, quibus post aliquot horas crudus abscessus circa aures obortus est: cum bonis signis eam definit, quæ à priore die contemplatorio iudicata: sine signis vero, quæ non est iudicata. quæ à fida infidaque mihi differre non videntur, nisi quod fidam & bonam, quæ cum bonis signis est, definiat; bonam optime dicit esse, quæ ad sanitatem tendit; malam vero, quæ ad mortem, simpliciter bonam & malam definiens: nam & in morituris bonæ quædam mutationes, quæ hominem alleuiant, & in his, qui liberantur, malæ quædam fiunt, cum irritata facultas intempestiue ad excretionem mouetur, validior tamen tandem facta morbosas dispositiones euincit; quanquam in *secundo Prorrheticorum* 59. *textu* definit malam Crisim, quæ cum euacuationibus vel abscessibus, in quibus grauiores redduntur ægri, fiunt: fieri autem potest diuisio, quæ omnes comprehendat, hoc modo: Crisis bona vna, alia mala, vtraq; perfecta, vel imperfecta; iudicata vel nõ iudicata; fida, aut infida; manifesta vel obscura: bona autẽ peculiariter, vel tuta, vel cum periculo: mala autem semper cum periculo. Quibus autem notis perfecte bonam Crisim deprehendere possimus, tradendum, cum Galenus de hac re *in Commentario* agat, tum, quod ea cognita, facile erit cognoscere alias, quæ omnes diminutione facta ab ea constituuntur: bona enim, eo quod perfecte bonæ particeps sit, tantoque deterior dicitur, quanto magis ab ea, quæ perfecta est, recedit.

Crisis diuisio.

Crisis perfecte bonæ quomodo cognoscatur.

1. Conditio.

Primum ergo in perfecta Crisi requirit Galenus *ad finem Commentarii, quod fiat cũ vacuatione, non cum abscessu*; & merito quidem: si enim hominem perfecte liberari oporteat per Crisim, necesse est, morbosas causas extra corpus propelli, excernique: nam humorum transmutationes, quæ ab vna parte in aliam fiunt, abscessus excitant, morbum priorem aut minuunt, vel etiam tollunt, alium tamen in parte, in quam abscesserunt, excitant.

2. Secunda conditio est, *vt humor noxius excernatur*: noxium autem humorem intelligere oportet, qui morbi causa est & proxima, & morbũ fouens: si enim hic excernatur, morbus sanabitur, alio vero excreto, qui morbum foueat solum, vel excitet, remittetur quidem morbus, at non penitus extirpabitur, vt per venæ sectionem febris putrida minuitur, putridis autem humoribus excretis, definit: quod si humor, qui excernitur, nihil ad morbum conferat, vtilisque sit, debilitata natura vacuatione eius, quod familiare est, morbus augebitur. Quoniam vero humor noxius totus excerni potest, vel aliqua duntaxat illius portio, totum vacuari necesse est, si perfecte homo liberari debeat. Quam ob rem non solum noxium humorem, sed qui quomodocunque causa est, totumque extrudi oportet, si perfecta Crisis futura sit.

3. Tertium, quod in perfecta Crisi requirit, est, *vt vacuatio per rectitudinem fiat*, quod in morbis duntaxat illis locum habet, qui ex sede aliqua peculiariter affecta ortum habent: in aliis autem, vbi totum corpus afficitur, aut plures saltem partes, non requiritur hæc conditio, sed satis

A est, si per idoneos meatus & naturæ humoris conuenientes, euacuatio fiat: vt verbi gratia, in febre acuta, non refert, an per sudorem, vel alui fluxum, aut vomitum, vel vrinas humor educatur; In phlegmone vero hepatis, (vt vnum etiam pro omnib. morbis, qui partem aliquã peculiariter infestant, sumamus) si sanguinis fluxus è naribus fiat, plurimum refert, an ex dextra vel sinistra nare fluat; nam si ex dextra, cum hepar in dextra parte consistat, & secundum corporis rectitudinem dextræ nari respondeat, iudicabimus, eam vacuationem optimam, quæ à loco scilicet affecto humorem, qui morbi est causa, educat; contra autem, si ex nare sinistra, cum à fonte læso non scaturiat, & humorem non edu-

B cat, qui morbum committit.

Quarta conditio *ex facili tolerantia* sumitur, 4. quæ potius confirmatio aliarum est, quam alia distincta: cum enim humor extra corpus ducitur, & noxius est, acceduntque aliæ notæ, facilis sequitur tolerantia: at, cum ea non solum perfectam, sed etiam bonam Crisim sequatur, facilis omnino perfectam Crisim sequetur: quæ autem deficiat, bonam, non tamen perfectam sequetur; atque eam sane, quæ facta est, Crisim, non quæ adhuc fit, hæc enim etsi perfecta sit, cum facili tamen tolerantia esse non potest: cum enim vacuatio fit, molestia in corpore oritur ex agitatione & pugna naturæ aduersus mor-

C bosas causas noxiumque humorem.

Quinta conditio *ex coctione* sumitur: cum 5. enim oporteat humorẽ noxium excerni, excretio autem non possit fieri, nisi separati humores boni à malis fuerint, separatio rursus fieri nequeat, nisi natura repugnantes qualitates vicerit, concoctio omnino est necessaria, quæ ostendit, naturam ordinem in suis actionibus seruare, & molestantem humorem vicisse, nec ad excretionem excitatam præpropere, & denique naturæ vi, non morbi cogentis irritantisque, expulsionem fieri; contra vero, cum humor crudus est, non minus boni, quam mali, vtpote inter se commixti excernuntur, ordoque actionum naturæ peruertitur, & morbosæ causæ vi

D stimulantis naturam ad excretionem vacuatio fit, vnde malæ, & peculiariter symptomaticæ dicuntur esse huiusmodi excretiones, non quod natura non stimuletur concocta materia, cum nulla expulsio alioqui fieri possit, nisi facultas expultrix irritetur, sed quod stimuletur natura ad expulsionem eo tempore, quo vtiliter vacuationi incumbere potest, euicto iam humore; cum autem crudo humore excretio fit, Symptomatica dicitur, quod citius agere naturam cogat irritans humor, quam ordo actionum postulet: Ac sane, hæc conditio in omni vacuatione, quæ perfectam Crisim faciat, requiritur: cum vero per sanguinis fluxum in principio morbi bonas Crises fieri scribit Gale-

E nus, humore nondum concocto, concedimus quidem, bonas per huiusmodi vacuationem, qua sese natura à multitudine exonerat, perfectas tamen Crises esse non posse: id quod & experientia sæpius docet. Cur autem vacuatio per sanguinis fluxum in morbi principio bona sit, aliorum autem humorum minime, ratio est, *quod multitudinis sanguinis, remedium sit sola vacuatio; aliorum autem humorum qualitate*

Cur vacuatio per sanguinis fluxũ in morbi principio sit bona, aliorũ autem humorum minime.

lædentium, tum qualitatis remissio, tum postea vacuatio, si aliena substantia qualitati subsit, quæ penitus assimilari nequeat. Porro, in humoribus, in quibus concoctio requiritur, perfecta concoctio esse non potest, cum euicta omnino molestante humoris qualitate, vehementius concitari facultas expultrix, quæ Crises facit, nequeat: vt enim irritatur, ita agit. Quapropter, in declinatione morbi Crisis nulla fieri potest, *deuicto tunc, euictoque, nec vehementius stimulare potente humore: in principio autem, etsi irritare potest humor, quia tamen nondum mutationem aliquam accepit, crudusque ob id dicitur, excretiones inutiles sunt:* in incremento autem, quoniam humor mutationem aliquam à natura accepit, portioque noxii humoris aliqua separari potest ab vtili, non inutiles excretiones eo tempore fiunt, vnde & bonas Crises in augmento morbi fieri tum Galenus testatur, tum etiam medendi vsus docet: Perfecta autem Crisis, non nisi in statu fieri potest, eo enim tempore etsi plane humor victus non est, vsqueadeo tamen ita mutatus est à natura, vt secerni possit, quod noxium est, ab vtili, ac cum vehemens tunc pugna fiat, vehementissime irritata natura, aduersus morbosas causas insurgit, easque omnino vehementissime concitata extrudere potest.

Crises cur in declinatione morbi nullæ fiant, in principio non nisi malæ, in augmento bonæ & in statu perfectæ.

Addit Galenus, Crisim oportere in die Decretorio fieri; id quod intelligendum est maxime in morbis, qui imparibus diebus non exasperantur, in illis enim, quoniam Crises maxime in accessionibus fiunt, quo tempore scilicet natura vehementius affligitur, quo die accessiones eueniunt, eo iudicantur, contingitque, vt nunc in Decretorio, vt cum 7. aut 14. aut alio die Decretorio impari fiunt accessiones & iudicationes, alias vero minime, vt cum 3. aut 5. die acuti morbi soluuntur. Quam ob rem, etiam scribit Hippocrates *in Præsagiis*, febres, quæ imparibus diebus exacuuntur, imparibus iudicari. Satis igitur est in huiusmodi morbis, vt in suis accessionibus iudicentur: in aliis autem dies Decretorii eo spectant, quod natura illis diebus sponte moueri soleat ad humores expellendos: in aliis autem diebus, corrupto ordine agendi, non nisi irritata expellat.

Crises quando fiant in diebus decretoriis.

Hæ quidem sunt perfectæ Crisis conditiones, quas Galenus *in Commentario* refert; quibus addendum est (quod *alio loco* facit,) quod in die contemplatorio sit iudicata, vt si 7. die Crisis fiat, quatuor coctionis signa apparuisse oportet: fidelitatis enim, quæ in perfecta Crisi requiritur, hoc est inditium. Hæc in perfecta Crisi bona requiruntur, & quæ omnia habet contraria, pessima censenda est; cui autem plura absunt, bona censenda; quibus pauciora, mala.

Qui morbi per Crisim finiantur.

Qui vero morbi per Crisim finiantur, Gal. 3. *de Crisibus* tradere conatur, sed parum feliciter; ait enim, magnos morbos per Crisim iudicari: at, magna vulnera, fracturæ magnæ, per Crisim non finiuntur, neque morbi omnes magni, qui ex humoribus consistunt, vt inflammationes multarum partium, vt pleuritis, quæ paulatim per sputum extreto humore soluitur. Quam ob rem, per Crisim finiri morbos eos dixerim, generali & communi omnibus ratione, *qui ex humore fiunt, qui vehementius irritare, expultricem facultatem, & locum mutare potest subito & facile.* Etenim humor, qui inflammationem in latere excitat, suo feruore, & multitudine molestat quidem vehementius, vt cum meatus non habeat, per quos confertim extrudi possit, non nisi paulatim educi valet; pituita autem in corpore & venis redundans, quoniam obtusius irritat, confertim non expellitur, nec pituitosi ob id morbi sæpius per Crisim soluuntur, sed solum, qui ob nimiam copiam partem aliquam, vel ob putredinem vehementiorem affligunt, vt Apoplexia in Paralisim confertim ad neruos reiecto humore pituitoso iudicatur, molestato ob copiam vehementius cerebro, patente via ad neruos, musculosque corporis; & semitertianæ febres per Crisim etiam finiri solent, irritante ob vehementem putredinem actiore pituita naturam; *Habeat ergo hæc duo oportet morbus, qui per Crisim finitur, vt scilicet ex humore multum molestare potente, fiat, & liberum exitum habeat,* sic enim subitæ magnæque actiones, mutationesque in morbis fient; vnde parui morbi, vt tertiana, per Crisim proprie finiri non dicantur, quoniam magna non fit in paruis morbis mutatio.

Μὴ κινέειν.

Neque mouere.

Optime scribit Hippocrates, ea, quæ perfecte siue integre iudicata sunt, aut perfecte iudicantur, non esse mouenda: cum enim natura, (vt ille *alibi* inquit) morborum sit medicatrix, Medicus autem illius minister, si ea sola sufficiat ad morbos finiendos, Medici opera adhibenda non est; pone, si velis, perfecte iudicatum morbum, hominemque sanitati restitutum, cum plane lædes, si medicamenta cuiuscunque generis adhibeas; vt enim hæc tollendi morbos vim habent, sic cum inimica naturæ sint, morbo non præsente sanitatem corrumpunt; at si natura perfecte iudicet, non minus hominem lædes, si medicamentis vtaris: nam vacuantia omnia vires minuunt, & purgantia non solum id faciunt, sed valde naturæ sunt inimica. Medici præterea remedia naturæ motum, quo in expulsione vtitur, vel sistunt, alio reuocato humore, aut illam ad medicamenti qualitates vincendas relicto proprio opere reuocant, vel etiam vehementius concitant, irritando vim expultricem, & humorem ipsum attrahendo, quo fit, vt vel vires deiiciantur ex confecta & immoderata vacuatione, vel æger impedito naturæ cursu, perfecte non liberetur, aut etiam, conuerso alio humore, grauius affligatur. Hæc & similia incommoda accidunt, si cum perfecte iudicauit aut iudicat natura morbos, artis præsidia adiungamus. Quod si imperfectum sit iudicium, quibusdam placet, vt naturam etiam non iuuemus, cum ignoramus, an ipsa sit prosecutura euacuationem, nec quantum humoris noxii supersit, cognoscamus, quib. Galenus *lib. 6. de morbis vulgaribus* refragatur, & natura rei: nam etsi natura excretioné prosequatur, quoniam tamen tardius, debiliusque id facit, nihil

nihil obstat, quo minus mitiore aliquo remedio illi suppetias feramus. Nec mouere nos debet, quod exactam humorum quantitatem deprehendere nequeamus, cum id commune sit in omnibus malis, quibus tamen, certa coniectura adducti, succurrimus. At si natura nondum iudicium aggressa est, instet tamen, vt cũ præsens adest perturbatio, quæ Crisim præcedit, omnino tunc quiescendum est, cum prius, quid tunc natura sola possit, experiri debeamus, quam ad artis præsidia confugiamus. Porro, si morbus aliter, quam per Crisim, vt per coctionem, vel per excretionem finiatur, non eadem est ratio, iuuanda enim natura est, etenim à concoquentibus concoctio, quæ à natura fit, nec sisti potest, nec distrahi, aut nimis promoueri, cum in morbis tanto melius sit, quanto citius coctiones fiunt: A vacuantibus etiam, cum vehementer illa non excernit, adiuta, facilius citiusque corpus repurgabit, nullo sane periculo, cum omnem vehementiam euitare possis, & per idoneos meatus expellentem naturam iuuare, vel etiam materiam ipsam quietam & sequacem per meliores vias quocunque voles, trahere: quod si id non liceat efficere, periret omnis remediorum vsus: sic cum natura sola morbosas causas vincere potest, remedia adhibere non liceret. Nam in lethalibus, præsagiis, non remediis vtendum esse, Galenus etiam scribit: in solis ergo veris Crisibus, quas natura perfecte citoque absoluere potest, Aphorismus intelligendus est.

De quibus crisibus textus loquatur.

An vero, quemadmodum medicamentorum vsum prohibet, sic alimenta exhiberi nolit, perpendendum, videbitur enim fortasse cum ait: *Nec mouendum, nec innouandum aliquid*, alimenta etiam vetare. Verum rei natura postulat, vt eos, qui perfecte iudicati sunt, bene nutriamus, cum corpus sit ab omni affectu præter naturam liberatum, solaque renutritione egeat, qua pristinum habitum recuperet, viresque à morbo debilitatæ reficiantur; vbi autem vel instar Crisis, natura ab humorum secretione distrahenda non est ad cibum conficiendum, nec ab expulsione, vbi iam vehementius agit. Quod si ad plures dies, (vt nonnunquam fit) Crisis extendatur, proderit etiam naturam cibo reficere, sic enim validius morbosas causas prosequetur, nec qui hæc facit, aliquid nouat, quandoquidem alimentum corporis naturalem statum conseruat, quæ autem mutant, innouare dicuntur.

An & alimenta in hoc textu prohibeantur.

Μήτι φαρμακείησι.

Siue medicamentis.

SI ita legamus, frustra videbitur adiectum, *neque aliis irritamentis*, cum sola medicamenta irritandi vim habeant, cibi autem minime; quare præstat verbum Græcum μήτε φαρμακείησι interpretari, *neque purgantibus medicamentis*, quomodo vti consueuit Hippocrates, vt Galenus *Aphorismo 22. libr. 1. Concocta medicari*, & *alibi* sæpe admonet; tanquam ergo particularius aliquid dixisset, *neque purgantibus vtendum*, *neque aliis irritamentis*, vt medicamentorum omnium vsum in his prohiberet, veluti vrinas pro-

Cibus non habere vim irritandi, sed sola medicamenta.

A uocantia, balneum, & denique vacuantia vel alterantia omnia; sinenda ergo illa sunt, quæ vel perfecte sunt iudicata, aut perfecte iudicantur. Ex quo relinquitur intelligendum, quæ sint mouenda, ea scilicet, *quæ nullo modo sunt iudicata aut non perfecte iudicata sunt, vel iudicantur* quæ non iudicata sunt, dupliciter intelliguntur; quædam enim sunt, quæ cum ad illud tempus peruenerunt, in quo natura iudicare deberet, non iudicantur, eo quod natura non satis stimuletur, victa acrimonia, & aliis qualitatibus humoris irritare potentis; vel quod natura ipsa humoris copiam non possit dimouere & extrudere. Alia vero dicuntur non iudicata, quæ prorsus sunt inepta ad iudicium naturæ, quales sunt

Quæ itaque sint mouenda.

Quæ nõ sunt iudicata, dupliciter intelligi.

B humores in principio morbi, vtrumque comprehendit Hippocrates: nam & in principio morbi Medicus per sanguinis missionem & purgationem sæpe mouere potest, & illa etiam, quæ natura post concoctionem non iudicat.

APHOR. XXI.

Α᾽ δεῖ ἄγειν, ὅκῃ ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, per loca conferentia, eo ducere
C *conuenit.*

PVtant nonnulli interpp. inter quos est Mõtanus, Hippocr. in hoc Aphorismo docere velle modum euacuationis: in quo quidem euidenter errant, nam modum euacuationis explicat, qui considerat, an vacuandum sit semel, vel bis, aut sæpius, & an plus vel minus vna vice, quam alia, vt antea ostendimus, cum de modo victus ageremus *Aphorismo 17.* de qua re ne verbum quidem hic facit Hippocrates, sed vt illius verba ostendunt, locum docere vult aptum ad euacuationes. Qua quidem in re, illud in primis explicandum est, quod ille tra-
D dit. Deinde videndum, an sufficiant illa, quæ de locis in corpore aptis ad euacuationem docet. Postremo, addenda erunt alia, si illa non sufficiant, vt perfecta tractatio reddatur. Porro, docet Hippocrates, duo solum esse spectanda, vnum, *quo natura vergit*, alterum *loca conferentia*. vacuandum enim esse, *quo natura vergit per loca conferentia*, sed non explicat, quid per naturam sit intelligendum, & quæ sint loca conferentia, & quid sit hoc ipsum, quod dicit, quo *natura vergit*, & an necessarium sit in omni euacuatione duo illa coniungi, vel sufficiat alterum solum adesse, nempe vacuandum esse per loca conferentia, etiamsi eo natura non vergat.

E Explicat autem Galenus per naturam, vt noster interpres vertit primum motum humoris noxii, sequendum enim esse eum motum, si modo fiat ad loca accommodata: *in fine vero Commentarii* non ipsius humoris, sed naturæ motum Medicum obseruare debere scribit, & vtraque opinio vera est: nam & moueri naturam, & humores moueri dicimus, & naturæ motum ex hu-

Quid hic per naturam intelligendum.

morum motu deprehendimus. Sensus ergo est, nos sequi debere naturæ expellentis & humorum motum: Verum si debemus eo ducere, quo natura mouet, & ex humorum motu nobis viam ostendit, intelligemus quidem, per quem locum debeamus humores euacuare, qui sunt in motu, in aliis autem, qui quiescunt, nihil ab authore traditum habebimus. Hæc difficultas nascitur ex mala interpretatione verborum ῥέπῃ & ῥέπει, quæ nō significāt *motū & mouet*, sed *inclinationem ad motum, & inclinat ad motum*, quo in sensu scribit Hippocrates *libro quarto Aphorismorum*, biliosos per superiora, melancholicos per inferiora euacuandos esse, non quod biliosi eo tempore, quo euacuantur, moueant suos humores ad superiores partes, aut melancholici ad inferiores, sed quod bilis flaua, ignea, & leuis suapte natura inclinationem habeat ad euacuationem per superiora: humor vero melancholicus, terrenus, & grauis, eandem habeat ad partes inferiores: vim ergo explicat insitam naturæ, & humoribus, ex qua vel motus fiunt, qui nobis ostendunt locum aptum, aut ea solum ostendit inclinationem, quæ motus nostros dirigit: cum enim natura iam mouet, sequimur illius motum, si vero non mouet, spectamus inclinationem, & motionem naturæ & humoris; sic enim cum sanguis melancholicus abundat, iudicamus aperiendas esse venas ani, quoniam eo vergit, repit, & inclinat humor melancholicus.

An debeamus magis sequi motum naturæ, quā loci aptitudinem & inclinationē insitam in humore.

Nunc expendendum est, an debeamus magis sequi naturæ motum, quam loci aptitudinem & inclinationem insitam in humore? illud vtique faciendum, propterea, quod maxima res est in euacuationibus, naturæ expellentis motum adiutorem habere, veluti, cum illa humorem melancholicum per sudores, aut per vomitum educere iam est aggressa, & salsam pituitam, in scabie per cutem expurgat, etiam si natura humoris repugnet, vt per exiguos cutis meatus, aut sursum per os grauis alioqui suapte natura feratur: tamen quia naturæ motus eo vergit, iuuādus est, nō ad alias partes transferēdus. Montanus autem naturam etiam interpretatur ductum & consensum inter locum, in quo continetur humor, & locum, per quem debet ille euacuari: vt hepar cum renibus, & intestinis consensum habere dicitur, quia via patet humoribus contentis in hepate per renes & intestina: sed ille errat: nam hæc pertinent ad explicationem locorum conferentium, qui sunt (vt inquit Galenus) intestina, venter, vesica, vterus, cutis, palatum, nares, venarum orificia;

Loca conferentia quæ.

Sensus itaque est ex Hippocratis, & Galeni sententia, *nos debere euacuare per loca hæc, quæ sunt a natura destinata ad recipiendos, & euacuandos humores, & eligendum ex illis esse eum quem vel natura expellendo iam monstrat, vel illius & humoris inclinatio docent*: sunt enim quædam inditia inclinationis naturæ, & humorum, etiamsi nondum euidens est expulsio, & motus aliquis: sic enim agnoscimus eos, qui lue venerea tenentur, commode per cutim euacuari posse, & in partes dolentes per morbos solent, inquit Hippocrates, abscessus fieri, necnon pestilentes febres, & tertianæ, inclinationem ostendunt ad cutem. Verum hæc quæ diximus, non possunt sufficere in omnibus euacuationibus, sæpe enim cogimur aperire alia loca, vt venas in manu, cubito, fronte, sub lingua, sub auribus, in pedibus, sub poplite, quas nec naturæ motus, nec ipsius humoris natura, vel inclinatio ostendit; cogimur, & partes ipsas diuidere, & in illis locum moliri, per quem sanies & humor contentus in loco affecto exeat; nonnunquam etiam contrarium motum aut vicinū ei, quem natura expellendo, aut alio modo monstrauit, opponimus: vt in reuulsionibus, & deriuationibus contingit, in quibus non sequimur naturæ motum, nec humoris, nec per loca, quæ dicta sunt conuenientia, euacuamus: veluti cum in profluuio sanguinis ex naribus, venam in cubito aperimus; necnon inter loca quę dicta sūt conuenientia, vnum alteri sæpe prætermus; & eum eligimus, qui minus aptus esse videtur: veluti cum ex fluxu alui pituitoso natura debilitatur, tunc enim nō sequimur eundem motum, qui per loca conuenientia maxime fieri videtur, sed vomitum mouemus, & vincula atque frictiones ad naturæ impetum sistendum.

Ex quibus quidem colligere possumus, Hippocratis Aphorismum, & Galeni interpretationem comprehendere duntaxat humores, qui per purgationem ex reliquiis morborum educuntur, non autem loca apta ad sanguinem mittendum, reuellendū, deriuandum, vacuandū à parte quod aperte Galen. *in initio Cōmētationis suæ* testatur, scribens, illa ducenda & vacuanda esse, quæ nec iudicantur, neque integre sunt iudicata, ex his enim reliquias exprimit, quæ post Crises relinquuntur, aut sine Crisibus remanent in declinationibus morborum. Addit Galenus loca esse accommodata ad excretionem, quæ recto tramite, & per directum se habent cum loco affecto: at tales etiam excretiones cum immoderatæ sunt, cogimur sistere, reuellendo in alias partes. Cum ergo hæc nōn sufficiant ad omnia euacuanda, quæ nocent corpori, oportet naturam rei consulere, & omnes distinctiones ponere, quæ inuitare possunt loca, per quæ euacuatio fieri debet; id quod hoc principio posito hoc modo præstare conabimur. Ergo humores euacuandi vel quiescunt, vel mouentur, vel partim quiescunt, partim vero mouentur & fluunt, qui quiescunt, in duplici differentia sunt,

Humorum euacuandorum differentia.

vel enim fluere consueuerunt, vt in podagra laborantibus; aut alio morbo, in quo humores certis temporibus fluere consueuerunt & ii continentur vel in venis, vel in cauitate partis, aut in partis substantia; ac in venis quidem vel totius, vt in podagra contingit, cum vniuersum corpus, id est, venæ totius sese exonerant ad pedes; vel in venis aliquarum partium, veluti cum superiores partes se à multitudine aceruata in venis exonerant in pedes, aut alias partes, vel in venis partis vnius, veluti cum capitis venæ humore repletæ, expellunt eum in partes subiectas: eorum, qui in cauitate partis continentur, & expelli solent, exemplum est, si humores in cauitate ventriculi contenti ad intestina descendant per certa interualla: qui vero in substantia partis contenti fluere possunt, et si id raro contingit, exemplum habent, si in Pleuritide humor transeat ad pulmonem, & peripneumoniam faciat, & hæc, translato humore ad caput, phrenitidem pariat; qui vero quieti manent, absque eo quod fluere consueuerūt, vt in Plethora, aut Cacochy-

cochymia, vbi nulla pars fluxione tentari solet, vel etiam continentur in venis totius, vel partium, aut partis alicuius, vel in cauitate, vel in substantia, in qua facit differentiam, si recenter, aut iamdudum in ea receptus est humor.

Differentia à humoribus, qui mouentur.

Cæterùm humores, qui mouentur, differentias capiunt à fluxionis terminis à modo, quo fluunt; à tempore, quo fluere cæperunt, & à materia, quæ fluit: Termini fluxionis sunt terminus à quo, & ad quem; mittit enim fluxiones aliquando totum corpus in vnam partem, vt si totum ad pedes mittit: aliquando mittunt partes, & illæ nobiles, vel ignobiles, superiores, inferiores, anteriores, posteriores, dextræ, sinistræ, vel mittit pars vna nobilis, ignobilis, superior, inferior, anterior, posterior, dextra, sinistra: Termini vero, ad quos mittitur humor, sunt, vel extra corpus, vel in corpus ipsum; extra corpus humor mittitur, vt apparet in sanguinis profluuio à naribus, & alui fluxu, & aliis excretionibus extrinsecis: mittitur vero in corpus humor, cum sistitur vel in pluribus partibus, vt in Arthritide, vel in vna parte, & ea nobili, ignobili, vel superiore, inferiore, anteriore, dextra vel sinistra.

Differentia in fluxionis modo.

Porro à modo fluxionis hæc differentia sumitur, quod quidam confertim fluant, vt in sanguinis fluxu è naribus repentino: vel paulatim, vt in muliebri fluxu, & dysenteria.

In fluxionis tempore.

A tempore vero fluxionis differentia ea ducitur, quod vel recenter fluere cæperunt, vt in generatione inflammationum contingit: vel quod inueterata sit fluxio, vt contingit in his, qui iamdudum per hemorrhoidas se expurgant.

In materia fluente.

Materia autem, quæ fluit, differentiam etiam facit: vel enim est sanguis, vel bilis, vel pituita, aut humor melancholicus, vel serosus, aut flatus, qui mouetur, quæ differentia debet etiam notari in his, quæ fluxerunt, aut fluere possunt. Iam vero humores, qui partim quiescunt, partim vero fluunt, suas etiam habent differentias: vel enim plus, aut minus fluxit, quam possit fluere, aut æquale est id, quod fluxit, ei quod fluere potest: Porro ob istas differentias Medici mutant loca in euacuationibus, & dicunt, in aliquibus esse opus reuulsione, in aliis deriuatione, in aliis euacuatione à parte, in aliis simplici euacuatione, quæ an conueniant, vel non, intelligere non possumus, nisi prius horum natura, & conditiones fuerint perspectæ, cogimur ergo hæc nunc enarrare: ac primum de reuulsione agentes, in primis docebimus quid sit reuulsio: deinde, quotuplex sit reuulsio, tertio loco, quis humor sit reuellendus: quarto quas conditiones in reuulsione obseruare oporteat: Postremo, quando & quibus affectibus reuulsio conueniat.

Differentia in humoribus partim quiescentibus, partim vero fluentibus.

Reuulsio quid.

De reuulsionis definitione duæ extant opiniones: nam Curtius *in libro*, quem scripsit *de vena sectione*, in pleuritide reuulsionem vult esse retractionem humoris ad contrarium sui motus, alii vero reuulsionem definiunt retractionem humoris ad contrariam partem. Ac Curtius quidem suam opinionem ita interpretatur, fluere, inquam, humores à maioribus venis ad minores, & tandem in partem aliquam: reuulsionem autem esse, si rursus à minoribus venis ad easdem maiores ducantur humores: Authores vero alterius definitionis nulla facta mentione de hoc motu humoris, reuulsionem fieri putant, si pars aliqua contraria ei, in quam decumbunt humores, aperiatur, vel calefiat, aut dolore afficiatur, vel aliquid aliud in ea fiat, quod ad eam partem moueat humores; vt in de brachio laborante, multas reuulsiones fieri posse tradunt, nempe ad vtrumque crus, ad alterum brachium; quoniam hæ partes oppositæ sunt brachio affecto; Verum vtraque definitio suas habet angustias: nam Curtii opinio primo incertam facere videtur reuellendi rationem: nam cum illius etiam opinione intelligere nequeamus, vnde humor moueri incipiat, ignoremus etiam necesse est motum, quẽ illi opponere debemus: nã inter partes quædam supremæ sunt in corpore, aliæ infimæ, aliæ internæ, aliæ externæ, aliæ mediæ; Ad infimas ex superioribus, ad has ex infimis moueri humorem, certissimum est, ad eas vero, quæ situm medium obtinent, tum superiores, tum inferiores mittere possunt humores, quemadmodum ad internas mittere possunt internæ, & externæ, & in externas pariter sese exonerant aliquando externæ solum, aliquando etiam internæ; Quare anceps plane redditur in illis reuellendi ratio, cũ motum ignoremus, cui cõtrarium opponere debemus. Præterea si, quæ ab antiquis de reuulsione dicta sunt, in memoriam reuocare velimus, forte inueniemus, aliquando reuulsiones fieri, cum humoris primum motum sequimur: nam in Angina contracta ob fluxionem à capite descendentem, sectionem venæ in cubito, aut crure reuellere volunt, cum tamen reuulsio hæc deorsum trahat humores, quo etiam fluxionis motus fit, vult & ille, cum dolor superiores costas in Pleuritide affligit, sursum moueri humorem, secandam tamen venam esse in brachio eiusdem lateris, ad reuulsionem; quo in casu motum eundem humoris sequimur, scilicet sursum: repugnat præterea Galenus huic opinioni passim, nam *in Arte Medicinali cap. 89. & 95.* reuulsionem ad contrariam partem faciendam esse scribit. Item 99. *cap.* ita scribit: *Reuellendi ex omni loco ad opposita partes, communis indicatio est, ad quam maxime distantia:* quod etiam repetit *in 13. Methodi*, & *in 4. Comment. 6. Libri Epidemion*, vbi scribit, reuulsionem esse accersionem, quæ ad distantissimas fit partes: quare ex Galeni opinione: qui nulla humoris facta mentione, parti longissime distanti à parte affecta remedia adhibet humorem trahentia, reuulsionem facere dicetur. Habent authores vtriusque definitionis occasionem dissentiendi ex vocabulo ipso Græco, nam ἀντίσπασις, quod nostri reuulsionem non perinde feliciter interpretantur, contrarietatem quandam in se includit, quam illi ad motum: alii ad partem oppositam, & contrariam referunt: Ego, etsi non ignoro, omnes Medicos sine aliqua controuersia tenere opinionem de reuulsione ad contrarias partes, tamen ab illis longe dissentio: nam cum reuulsio excogitata sit, (vt postea ostendemus) ad sistendum impetum fluentium humorum, quo pacto, quæso, illa id vnquam faciet, si eos humores non attingit? perinde enim est, ac si quis diceret, flumina Italica sisti, commota terra in Gallia; aut in ea apertis aliis viis: aut alio quocunque adhibito remedio. quæ omnia temere adhibentur, distincti enim canales aquæ in mundo sunt, & in corpore nostro venæ &

Opinio quod reuulsio sit motui ad contrarias partes, refutatur.

arteriæ, per quas decurrunt humores nostri, nec cogitare quidem possumus, humorem, qui iam mouetur in aliquam partem dextram, reuelli posse ad partem sinistram: mittunt partes humores suos in alias per communes canales & venas arteriasque; quæ vero longius distant, aut etiam propinquæ sunt si tales vires non habeant, non possunt se exonerare in illas: incerta igitur, inquies, semper fiet reuulsio? nequaquam profecto, nam Anatome docet, venarum diuisiones & arteriarum, & quæ partes sint aptæ mittere in alias suos humores, nam vt plurimum dextræ partes cum dextris coniunguntur, & sinistræ cum sinistris per communes venas, vnde videmus thoracis partes dextras potius, quam sinistras fluxione corripi, si dextra pars capitis humorum forte, à quo grauantur, deorsum pellit, quia venæ & arteriæ, quæ nutriunt dextram partem capitis, nascuntur à parte dextra & per paucas diuisiones fit communicatio, capitis, brachii dextri, & parte thoracis dextra. Et huc pertinet, quod scribit Galenus, fluxiones reuellendas esse ad partem, vnde cœperunt moueri, quasi velit in reuulsione spectari originem motus, & ad eam rursus ducendos humores; quod si pars aliqua venas habeat, per quas communicet cum diuersis partibus, vt contingit renibus, qui coniunguntur per truncum venę cauæ cum superioribus, & inferioribus partibus, anceps certe redditur reuellendi ratio, vnde Galenus nunc in cubito, nunc in cruribus in fluxionibus, quæ fiunt ad renes, venas secandas esse iubet, aliquando vero vtitur distinctione, & vbi rectus est affectus suadet venam secandam esse in brachiis, quod probabilius esse crederet, humores ad eos fluere potius à superioribus partibus, quam infernis, ob humorum grauitatem, & facilitatem expellentium partium in partes subiectas. Sunt, qui laborant morbo Comitiali assurgente humore, aut vapore ab vno aliquando digito pedis, vel manus, quibus Galenus & experientia docent, admouenda esse remedia parti affectæ ad reuellendum, & impediendum cursum fluxionis. quod si pes dexter author est fluxionis, si non refert motum humoris considerare, cur dextro pedi potius quam sinistro auxilia non adhibemus? & quid quæso, conferret, si quidpiam sano pedi admoueatur? Dicebat Galenus, sectionem venæ in brachio opposito laterali morbo, nullam aut tardam opem ferre; rectius profecto si dixisset, *nullam plane*, nam cum, vt postea forte diligentius ostendemus, pleuritides nascantur per venas, quæ decurrunt per musculos thoracis, & tandem spargitur humor etiam iuxta membranam costas ambientem, illæ autem societatem, & communicantiam solum habent cum venis brachii eiusdem lateris, frustra profecto exoneramus alterum latus, cum fluxionem illam sistere volumus: eadem ratione cum fluunt humores à capite ad pectus, remedia, quæ cruribus adhibentur, nequaquam reuellunt, sed potius alliciunt fluxionem ad locum affectum, nimirum cum non contrarium motum, sed eundem, qui fit deorsum, sequuntur: & in eo cursu aliquid influat in partem laborantem, quare ea solum, quæ ipsi capiti, & brachiis adhibentur, reuellendi in eo casu vim habent, nisi primum à partibus inferioribus ad caput ascenderint humores, tunc enim deorsum, ad originem inquam, reuellendum: Igitur reuulsiones faciendæ sunt *opponendo contrarium motum priori*; contrarius autem est, qui humorem attingit fluentem, & versus suam originem trahit, non qui mouet humores quiescentes in partibus oppositis, nec suas habent, per quas possit humor, qui mouetur recipi, quod si vniuersæ partes commouerent suos humores, veluti cum ex labore & cursu, aut ex febribus ardentibus excitentur inflammationes, non obsunt quidem reuulsiones, quæ in omnibus distantissimis partibus ab affecta, adhibentur. At illæ præcipui sunt momenti & facultatis, reuulsiones, quæ adhibentur partibus, *quæ in affectam sese exonerare possunt*: hanc nostram opinionem tanto quilibet, vt spero, probabiliorem inueniet, quanto magis eam expendit diligenter, nec desunt illis, qui authoritate maiorum cogi volunt Galeni de hac re testimonia: nam Galenus *in 2. ad Glauconem c. 2.* fluente humore ad crus, iubet secandam esse venam in brachio, non in crure, & nemo intelliget brachium lateris oppositi, cum postea eo authore ostendemus, rectitudinem esse in reuulsione seruandam, & eam non esse inter dextra, & sinistra, sed inter dextra & dextra, & sinistra & sinistra in eodem capite, aperta est hæc sententia, reuulsionem faciendam esse ad contrarium motum fluxionis, & *in Aphorismo* præterea *quinquagesimo quinti*, in fluxu muliebri iubet admouendam esse magnam cucurbitulam sub mammis, vt inquit, fortior fiat ex vtero ad superiora reuulsio per communes venas; tanquam velit humoris cursum spectari in reuulsione, qui quidem fit ad partem affectam, non ab omnibus partibus nec per omnes venas, sed ab illis solum, quæ possunt mittere suos humores per venas, quibus coniunguntur pars mittens, & recipiens, nec dolor quidē partis, aut alia causa fluxionis, commouet omnes partes: nam expultrix facultas brachii dextri sentire non potest dolorem, qui nascitur in pede sinistro, & propterea moueri non potest ad aliquid expellendum; & si forte insurgit ad expulsionem, nunquam poterit in eū pedem sese exonerare, aut in aliam partem dextrā, cum nulla sit via, & natura locis, membranis, & aliis modis, quæ separet dextra à sinistris. Si ergo reuulsio (vt ostendemus postea) fluxionum est remedium, non in contraria parte simpliciter fieri poterit, sed in ea per quam potest fluxio humoris retrahi, & illa est, per quam fluit: sed hęc adhuc magis patebunt ex sequentibus. Nunc sequitur, vt doceamus, quot sint reuulsiones. Sunt quidem duæ reuulsionis species, vna quæ simpliciter reuulsio dicitur, alia vero localis; quam differentiam Galenus explicat *textu nono 1. Commentarii 6. libri Epidemion*: quam profecto oportebat sæpius repetere, præsertim in illis libris, in quibus ex proprio instituto de sanguinis missione & reuulsione agit: nam cum vbique præcipiat, reuulsionem faciendam esse ad partem distantissimam ab affecta, merito quis dubitare potest, quomodo reuulsio vocari possit venæ sectio in fronte, laborante occipite? Præterea, dicere ille solet, reuulsionem adhibendam esse in principio inflammationū, quod quidē nemo audebit præstare in vna parte capitis, laborante

Reuulsio quomodo fiat.

Reuulsiones præcipuæ quæ.

Reuulsionis species quot.

te alia: Tales quidem oriri solent confusiones ex A authoribus, qui passim sine ordine sua tradunt præcepta. Iam vero videamus, quid reuellendum sit: qua in re Curtius eundem humorem reuellendum, & deriuandum esse scribit in inflammationibus, ait enim eum humorem, qui in paruis venis partis affectæ cõtinetur, reuelli & deriuari, & reuulsionẽ vocari, quod ad contrariũ motũ humorẽ eum trahet: Deriuationẽ vero, quod eundem ad latus ducat, veluti in lateris dextri dolore, venæ sectio in dextro cubito reuulsiua illi est, eo quod materiam à phlegmone ad venas paruas, à paruis ad magnas, ad contrarium scilicet sui motus trahat: nã prius à magnis ad paruas, à paruis ad phlegmonem mouebatur: eo vero quod materia, quæ per venam cauam ascendens ad B partem dextram pectoris mouetur, ad dextri cubiti fluxum trahitur, deriuatiua vocatur, quod sui motus proportione materiam ad latus trahat. Qua in re duo sunt errores. Primus, quod eandem distantiam ponat in reuulsione & deriuatione. Secundus, quod materiam, quæ in venis partis affectæ continetur, reuellendam esse dicat, cum deriuatio id faciat, non reuulsio, quod ex Galeno satis constat, qui 13. *Methodi*, & *passim* in principio inflammationum reuulsione vtendum esse scribit, deinde deriuatione: nam *in principio, inquit, quod influit, reuellere oportet, quod vero influxit euacuãdum vel ab ipsa parte, vel a vicina, quod deriuare est*: nam si idem humor reuellendus esset, & deriuandus, distinctione illa C opus non esset: cum ergo non idem sit, necesse est alium esse; non est autem is, qui à venis excidit, & in partis substantiam sparsus est, ille enim, (vt inquit Galenus,) per sputum, non per venæ sectionem educitur: ille autem, *qui in partis venis* continetur, deriuatione auertitur: nam Galenus, (vt supra diximus,) scribit, humorem, qui partem iam occupauit, deriuatione vacuari: occupauit autem, non qui per partis substantiam sparsus est, quippe qui sputo solo educi possit: ergo is, qui in venis partis affectæ continetur, partem occupare dicitur hoc loco: itaque necesse est eum reuelli, qui per corpus, & reliquas partes ad affectam partem *mouetur*, id quod in sanguinis & aliorum humorum fluxu apparet, in qui- D bus reuulsione vtimur, nõ, vt humorẽ, qui in parte, aut venis partis, vnde fluit sanguis, educamus, qui nullus est, sed vt illum, qui ad locum properat, in aliis contentum, auertamus: ergo cum triplices sint humores, vnus qui in partis substantiam iam sparsus est: alius, qui in venis illius partis continetur, qui duo affectum faciunt: tertius, qui ad affectum locum mouetur, & nisi sistatur, affectum auget: triplex remedium inuentum est: ei quidem, qui in cursu est, reuulsio: ei vero, qui in venis partis affectæ continetur, deriuatio: ei vero, qui per partis substantiam iam dispersus est, vacuatio à parte ipsa facta, id est, qui à partis ipsius substantia ducitur: quod si non solum ex natura ipsius rei certare volumus, sed E etiam authoritate, inueniemus profecto nullo modo Galenum voluisse humorem, qui in venis partis affectæ continetur, reuulsione vacuandum esse: nam *in 2. ad Glauconem* genu fluxione, & inflãmatione laborãte, venam in brachio secari vult, ad fluxionem reuellendam: atqui omnes nouerunt, sectionem in brachio nõ posse sanguinem, qui in crure cõtinetur, educere; prius enim vniuersus sanguis, qui in partibus intermediis cõtinetur, educendus esset; non ergo ille est, qui in venis partis affectę continetur, qui reuelli debet, sed qui in aliis partibus, ad crus adhuc fluit: quod cum animaduertisset Curtius, sentiretque Galenum dicentem fluxioni debere reuulsionem, duplicem materiam fluentem finxit, vnam quæ in venis partis affectæ continetur, quam in partis substantiã postea spargi scribit, & phlegmonem tunc augere: aliam, quæ in aliis venis continetur, & primæ reuulsionem conuenire statuit, relicta secunda sine præsidio aliquo, cui tamen primo succurrendum est, vt quæ aliam pariat: nam Galenus *in libro de temporibus morborum*, inflammationis principium illud constituit, quo humor totus ad partem confluit, & in ea colligitur, id quod non solum in substantia partis fit, sed etiam in venis partis, cum *in libro de inæquali intemperie*, phlegmonem affectũ vocet, in quo non solum partis substantia, sed etiam vasa illius nimio humore distenduntur, ita, vt post principium totius morbi nullam fluxionem agnoscat, & si leues fortasse aliquæ commotiones adhuc fiunt à venis ad partis substantiam: ergo, cum in principio inflammationum reuelli iubeat fluxionem, non aliam fluxionem intelligit Galenus, quam quæ vel ab aliis transmittitur, vel ab ipsa affecta allicitur, nec tamen adhuc ad eam peruenit, cui nisi remedium prius sit adhibitum, nec venas partis, nec substantiam plenam humore tutum est euacuare: nam vt ille suo motu morbum primo inchoauit, ita nisi sistatur, adhuc illum augebit, & cum causæ rationem habeat, ad id, quod factum est, medendi ratio postulat, vt contra illius motum primo pugnemus: quare optime Galenus, in principio inflammationum, contempto etiam eo, quod in parte iam est receptum, primo fluxionem sedandam esse scribit. Nec ratio Curtii valet, qua dicit, fluxionem sisti dolore mitigato ex vacuatione venarum ipsius partis, quæ tenduntur, & tensionem in partis substantia augent, nam vacuatio nisi in contrarium fiat, fluxionem non sistit, cum sæpe etiam cum reuulsione facta, id præstare non possit, vt in his, qui ex nimio sanguinis fluxu pereunt, apparet: nam si vacuatio sisteret fluxionem, vbi abunde effluxissent humores, cessaret prorsus fluxio, nec vnquam aliquis ex ea periret: opponimus ergo reuulsiones non repletioni, sed contra impetum fluentis humoris. Patet igitur, cui humori debeatur reuulsio, cũ fluxio fit, & ea sistitur in corpore.

Nunc vero videndũ est, an fluẽtibus extra corpus humoribus, reuulsio sola cõueniat, & an etiã cõpetere possit humoribus nondũ fluẽtibus, sed cõtentis in vasis, & aliis cauitatibus corporis, an etiã qui in partis substãtia sunt recepti per reuellẽtia educi possint. Porro, cõuenire fluẽti humori extra corpus reuulsionẽ, aperte scribit Galenus qui in vteri profluuio cucurbitulas mãmis, & sectionẽ venæ in brachio ad reuulsionẽ adhibet sed non sola reuulsio cõuenit huiusmodi fluxionibus, verum etiã aliquando deriuatio, vt ex eodẽ authore patet, qui in eadẽ fluxione ad vterũ, vtitur deriuatione per vesicam, & intestina; Verum reuulsione vtendum est, & nõ deriuatione, quando validæ sunt fluxiones, & magnus impetus fluentis humoris, tunc enim tutũ non est

Quid reuellendum.

Humor deriuandus qui.

An fluentibus humoribus extra corpus, reuulsio sola conueniat & an etiam competere possit humoribus nondum fluentibus, sed contentis in vasis.

per vicinos canales tantam humoris copiam ru- A
entem magno impetu ducere, periculum enim
est, ne omnes partes circumstantes repleantur
humore, quomodo aquæ ex montibus ruentes
non deserunt solitos alueos ob vicinos canales
apertos, sed omnia inundant, quæ vicina sunt:
idem sane continget, si profluuium sanguinis per
narem ad aliam narem, vel ad palatum deriua-
re velis, non enim sistes eo modo fluxionem.
Quam ob rem euidentissime errat Curtius, qui
fluxiones, quæ extra corpus fiunt, vehementio-
re auxilio, & propterea reuulsione potius, quam
deriuatione egere scribit, imo in illis solis reuul-
sione vtendum esse, in aliis vero deriuatione, est-
que illius ratio, qua vtitur, huiusmodi: vehemen-
tius esse agendum & propterea reuellendum, B
quando vehementius fluunt humores, vehe-
mentius autem eos fluere, quando extra corpus
feruntur, quippe cum nullo impedimento deti-
neantur, quominus libere decurrant. quomodo
videmus aquam velocius fluere, quando liberum
habet decursum & exitum, quam si aliquod im-
pedimentum illi obiiciatur: Verum non par
est ratio in externis motibus, & in his, qui in cor-
pore fiunt: nam in externis solus impetus fluen-
tis respectatur, & ille solum causa est fluxionis,
in corpore vero cum humor firmatur, duæ
sunt fluxionis causæ, nempe partes, quæ trans-
mittunt fluxionem, & partis recipientis dolor,
& calor, vehemens autem fluxio illa est, cum
humor impellitur & simul etiam attrahitur, vt in C
externis etiam apparet, si contingat aliquid à
seipso moueri vel ab alio pelli, & præterea attrahi
ab alio, quare reuulsionem in illis vehementio-
rem adhibere oportet, & non solum deriuatio-
nem; vnde Galenus in fluxu sanguinis è nari-
bus, sanguinem non ex malleolis, qui maxime à
naribus distant, & propterea maxime reuellunt,
sed ex venis humeri mittit: ita in fluxu sangui-
nis ex vtero, solis concurbitulis sub mammis ap-
positis vel brachiorum frictionibus vtitur, qui-
bus remediis non esset contentus in principio
inflammationis vteri, sanguinem enim mitte-
ret ex cubito, atqui venæ sectio magis reuel-
lit, quam cucurbitulæ, vt omnes norunt, & Ga-
lenus *contra Erasistratum* scribit. Igitur in fluxi- D
onibus, quæ fiunt extra corpus, cum vehemen-
tes sunt, reuulsione, vbi vero iam languescunt, de-
riuatione vtendum.

Vena sectionem magis reuellere, quam cucurbitulas.

Quod vero reuulsione etiam vtendum sit, vbi
quiescunt humores, sed tamen fluere solent in a-
liquam partem, Galenus docet *in libro de vena se-
ctione*, vbi scribit easdem venas secandas esse in
præseruatione, & in principio affectus iam præ-
sentis, at in principio inflammationis 13. *Me-
thodi* iubet, secandam esse venam, quæ longissi-
me distat à parte affecta, ea autem potentissime re-
uellit. idem ergo faciendum in præseruatione,
& merito quidem: idem enim est humor in præ-
seruatione & præsente iam affectu, qui reuul-
sione eget, differunt duntaxat, quod in vno ca- E
su fluere nondum incipiat, in alio iam fluat, i-
taque si in vtroque fluxionem intercipere vo-
lumus, idemque sit humor, eadem vena secanda
erit. Idem scribit Gal. *in Comment. libri de Natu-
ra humana*, scilicet, reuulsione esse vtendum,
potentissima etiam, quæ ad distantissimas fit par-
tes ab ea, quæ affici solet, vt partium omnium

Fluxiones quæ extra corpus fiunt, quando egeant reuulsione & quando deriuatione.
Et in humoribus quiescentibus reuulsione esse vtendũ.

mittentium impetus frangatur, & assuescant
humores procul à parte affici solita, ferri, ita e-
nim illam liberari per reuulsiones, cum deriua-
tio obsit, vt quæ ad vicinam partem ei, quæ affi-
citur, humorem alliciat. Cæterum adhiberi et-
iam reuulsionem parti oppositæ affectæ ad re-
uellendum humorem, qui in partis laborantis
continetur venis, ex Hippocr. *Aphor. 68. lib. 5.*
patet, qui laborante occipite, iubet venam tun-
di in fronte, quod etiam Galenus pluribus in e-
um locum confirmat, vt ipse testatur 9. 2. *Com-
ment. 6. Epid.* Sed istæ non sunt simpliciter di-
ctæ reuulsiones, sed locales, quæ fieri debent
non ab initio, sed posteaquam aliæ præcesse-
runt, quæ cursum humorum procul auerte-
runt: tunc enim humorem, qui forte fluit ab
anteriore parte in posteriorem, per eiusmodi ve-
næ sectionem reuellimus, & sistimus. Iam vero
quod humoribus receptis in substantia partis
Galenus aliquando adhibeat reuellentia, facile
possum ex eo probare: scribit enim *libro quar-
to de victu acutorum, 31. textu*, medicamenta at-
trahentia, ceruici circumposita in Angina, cras-
sum & viscosum humorem, qui partim iam de-
cubuit, *reuellere*, quod ab externis partibus hu-
morem compulsum in internas, ad illas retra-
hat. Nunc vero conditiones obseruandas in
reuulsionibus explicare oportet, quænam scili-
cet & quot illæ sint, & quæ maioris aut minoris
sint momenti.

Reuulsiones quæ adhibentur parti oppositæ affectæ quales sint.
Reuulsiones locales.
Humores in partium substantia receptos etiam posse reuelli.

Qua quidem in re, quidam volunt, quatuor
esse obseruanda. Primum, distantiam, Secun-
dum, oppositionem, Tertium, rectitudinem,
Quartum, communitatem venarum. Distan-
tiam interpretantur non simpliciter, sed debi-
tam quandam, vt vocat Curtius, qui illam dicit
talem esse, quæ propinqua est parti affectæ, mo-
do non sit vena, quæ partem affectam nutrit:
tanto enim magis conuenire venam ad reuulsio-
nem in inflammationibus, quanto illa vicinior
fuerit parti affectæ, si modo vena magna fuerit,
secus autem esse faciendum in præseruatione,
reuellendum scilicet ad distantissimas partes,
quia nullus adest tunc dolor, qui cum adest præ-
sente iam affectu, postulat sectionem venæ pro-
ximæ, vt scribit Hippocrates, istis verbis: *Dolo-
rum causa proximum ventrem esse aperiendum:
& merito quidem: cum dolori primum sit succur-
rendum, vt ei, quod maxime vrget, & fluxionem
allicit.* Quæ opinio prorsus falsa est, & propterea
explodenda à scholis: & quia author ille potis-
simum nititur authoritate Galeni, adfero pri-
mum locum iam citatum *ex libro de Vena sectio-
ne*, vbi Galenus scribit, eandem esse secandam
venam in præseruatione, & curatione. Deinde
locum adfero *ex 13. Methodi cap. 6.* vbi Gale-
nus scribit, in principio inflammationum reuul-
sionem semper esse faciendam ad partes, quæ
maxime distant. Eandem sententiam repetit
cap. 11. vbi ita ad verbum scribit: *siquidem, lon-
gissime attentata fluxione parte, quod redundat re-
uellere.* Idem scribit *in lib. de Vena sectione*, & *pas-
sim alibi*, & merito quidem: nam qui in distan-
tissimis partibus reuulsiones facit, omnium par-
tium, quæ mittere possunt fluxionem, impetum
frangit, & occasionem fluxionis tollit: qui vero
in proximioribus locis eadem adhibet præsidia,
sæpe allicit fluxiones ad partem affectam: De-
mus,

Conditiones in reuulsionibus obseruandæ quæ.

mus, exempli causa moueri à crure ad caput fluxionem, qui in ipso crure venam secabit, fluxionem vtique reuellet: qui vero in cubito venam aperiet, humorem sursum alliciet, & ad caput incitabit, nec id, quod à capite trahitur ad cubitum, potest medicina esse alterius humoris, & fluxionis, quam eius, qui in capite iam est receptus, & per venas coniunctas cum cubito descendit, & si quid forte à partibus, quæ intercedunt inter cubitum & caput, mittitur, ad illud per eandem sectionem reuellitur; at non illud, quod à subiectis partibus ascendit; fatetur Curtius nos fluxionis originem ignorare, ex quo sequitur, reuellendum esse à distantissima, quoniam sic nulla pars fugere potest reuulsionem, cum ab omnibus, quæ mittere possunt in partem affectam, retractio fiat; & falsum est, ignorari fluxionis cursum: nam partes, quæ immediate mittunt, sunt, quæ coniunctæ sunt per vasa; quod si præter illas aliæ mittunt, nō aliæ quidē esse possūt, quam quæ è directo sunt positæ; veluti in morbo laterali, partes, quæ mittunt immeditate, sunt caput, ceruix, & vicinæ, quæ illic sunt, partes, iuxta humerum, & externæ thoracis partes, illæ enim venas habent, per quas via patet humoribus ad internos thoracis musculos; & membranam costas succingentem; at si aliunde fluxio incipit, vt cum ex cursu, & febribus ardentibus attolluntur humores, qui recepti in partibus, quæ habent venarum cum latere thoracis societatem, illæ solum mittere possunt, quæ sunt è directo: quoniam, vt postea ostendemus, dextrę cum dextris, & sinistræ cum sinistris quandam societatem, & connexionem habent, per quam possunt suos humores mutuo suscipere, neque enim (vt ille putat) in principio inflammationum dolorem sedare primum studemus, sed fluxionem sistere, doloris causam; est quidem, dolor fluxionis causa, & vbi fluxio incipit à dolore, vel à calore partis, ille primum forte sedandus est, vt Galenus docet *in* 11. *Methodi cap.* 4. vbi bubones docet curari sedato dolore vlceris, qui fluxionem commouit. At vbi à parte affecta non oritur dolor, sed ex fluxione ab aliis transmissa, prima intentio est Medici sistere fluxionem, vnde repellentia adhibentur ad fluxionem arcendam, & frictiones in partibus extremis, & venæ in eisdem partibus secantur. Præterea, omnis dolor non trahit fluxionem, vt in statu, & declinatione inflammationum apparet; recte quidem dixit Hippocrates, proximum ventrem aperiendum esse, cum parti dolenti mederi volumus, spectat enim affectum iam factum, cui proxima remedia, & non distantissima succurrere possunt; sed hoc nihil ad fluxionum auxilia pertinet, qui enim fluxioni medetur, vult doloris causam, quæ potest dolorem augere, & iam auget, auferre, postea vero, cum nulla amplius fluxio fit, ad id, quod influxit, præcipit Galenus *in* 13. *Methodi* esse accedendum, non autem primo ad illud, vt Curtius putat, *nam dolor sedari non potest, nisi fluxio tollatur, qua mittitur ab aliis partibus*; & si demus, dolorem etiam tolli sectione proximæ venæ, tamen idem redibit, quia manet adhuc fluxio, quæ ab aliis causis excitatur, contra quas nullum est adhibitum remedium; in colico quidem dolore, & ventriculi, vbi fluxio non fit, sed dolor nascitur ex materia illic nata & contenta, proximum ventrem statim aperimus per assumpta, aut iniecta medicamenta: At diuersa longe est ratio in his doloribus, & ab eo, qui fit in inflammationibus; docuit Hippocrates medicinam doloris, qui nullam habet aliunde causam, quam proximam, & coniunctam materiam: Galenus vero *in* 13. *Methodi*, fluxionum remedia primo tradit in inflammationum generatione: postea vero factæ iam inflammationis: & eius, quod non potuit per reuulsionem impediri, ne in partem flueret, curationem: igitur ad reuulsionem potentior est via per distantissimas partes, quam per propinquiores, & quę proximę parti adhibentur remedia, non amplius reuellunt, nisi ab illis sint commotæ fluxiones, tunc enim quia contrarium motum opponimus, & ad originem suam fluxionem ipsam reuocamus, tunc etiam reuellimus: verum vbi ignoramus, quænam partes mittant, in distantissimis locis semper est facienda reuulsio: nec obstat quod in Pleuritide venam secent Galenus, & Hippocrates in cubito, & non in pede, quoniam caput est, & aliæ partes superiores, quæ fluxionem mittunt, & reuulsio, & euacuatio à parte simul tunc fiunt, vt postea ostendemus.

A B C D E

Non omnem dolorem trahere fluxionem.

Distantia & oppositiones in reuulsione requisita qua.

Nunc de oppositionibus requisitis in reuulsione agamus. Scribit Galenus *in libro de Venæ sectione*, & *in* 13. *Methodi*, partimque *alibi*, in reuulsione id obseruandum esse, vt si dextra pars laborat, ad sinistram, & si sinistra, ad dextram, & si superior aliqua pars afficitur, ad inferiores, & si inferior afficitur, ad superiores: si anterior tentatur fluxione, ad posteriores, à posterioribus ad anteriores, ab internis, ad externas, & ab his ad illas fieri reuulsiones: quam sententiam Curtius ita interpretatur, quasi velit, in omni reuulsione istas omnes oppositiones obseruari, nam venæ sectionem ex cubito in Pleuritide, dicit, omnes oppositiones seruare, quæ sunt secundum sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum, intus & extra: statuit enim hepar in medio corpore, & partes, quæ supra ipsum sunt, Galeno authore, superius esse positas, quæ infra sunt, inferius, & propterea reuulsionem fieri ad superiora, eo quod respectu hepatis sursum fiat: cubitum præterea ad latus esse, idem esse externum & dextrum, vel sinistrum: Verum hæc opinio est maxime absurda, nam contraria, & opposita, quæ reuera talia sunt, & qualia requirit reuulsio, plurimum inter se distant, nec qualiscunque recessus oppositionem facit. Statuamus si placet, supra hepar venam esse, quæ distet pede vno ab hepate, & illa secari possit, an propterea in affectibus hepatis illa satis reuelleret? minime profecto. Quod si Galenus dicit, partes illas superiores vocari, quæ sunt supra hepar, inferiores vero, quæ infra, recte quidem id fecit, vt corporis partes inter se distingueret, sed de ea distinctione non intellexit, cum ad contrarias partes reuulsionem faciendam esse præcipit, id quod satis ostendit, cum vbique & præsertim *in* 13. *Methodi*, reuulsionem faciendam esse ad distantissimas à parte, quæ laborat, iubet. Quod si etiam Curtii opinionem sequamur, vt scilicet partes, quæ infra hepar sunt positæ, inferiores dicantur, aliæ superiores, nō tamē sequitur,

vt inter superiores & inferiores aliquid sit superius aut inferius, quod sufficiat ad reuulsionem, sed sequitur, cum sub hepate aliqua pars tentatur fluxione, reuellamus ad partes, quæ sunt supra hepar, & è contra, nec si aliqua pars statim post hepar laboraret, & vena esset paulo supra hepar, ea secanda esset ob eam rationem, quod vna superius sit posita, alia inferius; quare absolute tenenda est oppositio, quæ est *ad distantissima in sola & vera reuulsione*, vbi fluxionis originem ignoramus, id enim oppositionis nomen significat, & distantiam antea ex Galeno sic interpretati sumus, & ille suas curationes ita instituit, cum laborante brachio ad crura reuellit, & fluxione decumbente ad genu, in cubito venam secari præcipit: nam in tali oppositione, vt dicebamus de distantia, ab omnibus partibus, quæ mittere possunt fluxionem, reuellimus; Verum illud explodendum quoque est, quod scribit, in omni reuulsione obseruandas esse omnes oppositiones: nam Galenus contentus est vna oppositione, vt cum dicit trahendam esse fluxionem, quæ fertur ad inferiora, per superiora, & si dextra pars laborat, mouendos esse humores ad sinistram, quod enim est solum sursum, non habet oppositionem cum alio, vt dextrum, & vt internum, vel externum, vel vt anterius, vel posterius. Illud autem quod scribit Galenus, maiorem difficultatem parit, quod scilicet secundum singulas oppositiones reuulsiones fieri velit, non secundum dextrum, & sinistrum, nunquam puto posse in corpore nostro fieri reuulsionem: nam si fluxiones, autore Galeno, *in Arte Medicinali* ad suam originem reuellere oportet, nunquam inueniemus à dextris partibus mitti fluxiones in sinistrum latus, aut è contra, an putamus in pleuritide dextri lateris, venæ sectionem in cubito sinistro reuellere aliquid posse? an brachium sinistrum, quæso, vel aliqua pars ei vicina est, quæ humores mittit in latus sinistrum; per quas, quæso venas? per quos locos? Scribit item Galenus *in 2. ad Glauconem & passim alibi*, reuulsionẽ faciendam esse per communes venas; at latus sinistrum nullam habet communitatem per venas cum dextris partibus, aut si habet, non erat opus admonere, obseruandam esse illam communitatem, quæ si in omnibus est, præcepto non eget; inter crus dextrum, & sinistrum communitas quædam venarum est, vt postea ostendemus; At inter brachium dextrum & sinistrum; & thoracis partes dextras, & sinistras, nulla inter venas, quæ secari possunt, societas est; propterea Galenus nunquam affecto latere dextro in pleuritide aut alia parte, quæ in dextro latere sit, venam secuit in cubito sinistro, secuit autem affecto vno crure, in alio. At non ad reuulsionem, sed ad deriuationem quoniam in reuulsione spectat cursum humoris, & fluxionis originem; est autem origo fluxionis, laborante dextro crure in supernis partibus lateris dextri; illæ enim venas viam habent, vt postea ostendemus, per quas se exonerare possunt in E crure, & prompte à minima quaque occasione à supernis partibus decumbunt humores in infernas; crus autem dextrum in sinistrum, nescio, quo modo possit per ascensum, & obliquam postea viam aliquid mittere; quod si mittit aliquid, sursum certe mittit per rectum cursum humoris, vt in illis contingit, qui ex affectu digitorum pedis comitialem morbum patiuntur. Addo, quod Ga-

Num sit reuellendum à dextris ad sinistrum & è contra.

A lenus velit, reuulsionem semper faciendam esse secundum rectitudinem, quod, vt postea interpretabimur, excludit oppositionem, quæ est inter dextrum, & sinistrum, anterius & posterius, intus & extra, & solum comprehendit longitudinem corporis, de qua re iam tempestiuum est, vt dicamus.

Statuit Hippocrates primus, reuulsionem esse adhibendam κατ' ἴξιν, & post illum Galenus idem sentit. & verbum Hippocratis interpretatur κατ' ἰθυωρίαν, sed cum non satis explicet, quid per rectitudinem istam intelligendum sit, nata est inter Scriptores de venæ sectione dissensio: nam Curtius id, quod dicitur secundum rectitudinem duo continere vult, vnum quod sit in eodem situ, vt dextrum dextro, & sinistrum sinistro illi est B secũdũ rectitudinẽ, alterũ, quod adsit cõmunicatio venarũ, Fernel. vero, & alii quidam, interpretantur rectitudinem hanc venarum filamenta recta, venas enim filamentis rectis contextas esse, & per illa attrahere humorem, & propterea cum sistere volumus fluxiones, eligendas esse venas, quæ in partem affectam filamenta recta protendant, quæ quidem opinio, plena est erroribus: nã cum omnes venæ eandem habeant compositionem ex filamentis rectis, transuersis, & obliquis, hoc modo non referret, vnam vel aliam venam secare; Deinde sanguinis fluxus, qui fit secta vena nequaquam fit per attractionem, sed per expulsionem, quæ mouetur à dolore facto ob sectionem & vincula, quæ adhiberi solent parti, in qua C volumus venam aperire, quibus ablatis, & cessante dolore, sanguis fluere desinit, quod non fieret, si per attractionem sanguis exiret: *nam attractio non requirit dolorem, imo præsente dolore cessat*, quippe cum illa solum moueant attractionem, quæ sunt amica, & familiaria, quæ vero molestant, solam expultricem excitent, aliis omnibus facultatibus cessantibus & cedentibus agenti expultrici, quæ agere nequit, si attractio, retentio, & concoctio suum munus exerceant. Præterea, Galenus in vulneribus partium, scribit, partẽ vulneratam contrahi ad sanam; vt experientia etiam docet, quare venæ partis diuisæ, trahere ad se non possunt quidpiam, sed quæ in parte sana integræ D manent; Postremo ex anatome ostendere ille non potest, communem & directam (vt ait) venarum societatem inter partes dextras, supremas & infimas, inter quas tamen est rectitudo, de qua Hippocrates & Galenus agunt. Curtii autem opinio aliquid probabile continet: nam si nullus requiritur consensus venarum in sectione, quæ fit per rectitudinem, quomodo fluere poterunt humores à dextris in dextra, & à sinistris in sinistra? & quomodo contrarium motum fluxionibus opponere possumus per reuellentia? nam si tollas venarum societatem & communicantiam, non video, cur referat magis secare venam in dextra parte, laborante alia dextera, quam in sinistra; vtrum difficile etiam est animo concipere hanc societatem in omnibus partibus, quæ secundum rectitudinem esse dicuntur? quam enim lien communitatem venarum habere potest cum venis externis digitorum sinistræ manus? siquidem venæ lienis in hepar terminantur, quod in dextra parte est situm? quapropter, venæ lienis potius cum venis brachii dextri, quam cum sinistri communitatem habent. Pes præterea cum manu (Curtio etiam

Secundum rectitudinem quid.

Opinio Curtii Fernelii.

Sanguinem non effluere attractione.

Attractionem non requirere dolorem, sed præsente dolore cessare.

etiam authore) nullam venarum communitatem habet. Vena item cruris sinistri, cum vena dextri magnam coniunctionem habet, quoniam vtraque à communi côcauitate venarum, quæ in inguine est, diiudicatur: non tamen ex Galeni opinione dextrum crus rectitudinem habet cum sinistro. Præterea, venæ brachii dextri cum venis nutrientibus quatuor costas superiores lateris dextri & sinistri coniunctionem habent. non tamen latus sinistrum secundum rectitudinem cômunitatem habet cum brachio dextro: quod si cômunitatē venarum, qualemcunque inter se connexum intelligimus, omnes partes eam communitatem inter se haberent, quoniā connexæ inter se omnes venæ sunt. sed proprie & vere dicuntur illæ partes communicare per venas, *quæ eas habent ab eadem proxima concauitate, & trunco venarum deductas*, sic enim Galenus definit *in libro de venæ sectione*, cum ait: *Optima fiet euacuatio per venas deductas ab his, quæ in partibus ipsis sunt sitæ*; igitur, cum pars, quæ afficitur, & alia cui remedia adhibentur, venas habent à communi trunco proximo diductas, illæ inter se venarum communitatem habere dicuntur; apparet hæc communitas in venis internis cubiti, & venis nutrientibus quatuor costas superiores, à communi enim trunco & diuisione venarum, quæ in intimo fit, diuiduntur venæ cubiti & quatuor illarum costarum, ita crura venarum communitatem habere dicuntur, quoniam venæ, quæ in illas inseruntur, nascuntur à communi trunco, qui diuiditur in inguine, Galenus vbique videtur illa dicere esse κατ' ἴξιν, quæ in eodem situ sunt secundum rectitudinem corporis, ita, vt solum dextra dextris sint secundum rectitudinem, vno loco excepto, qui est *in textu 10. 3. Comment. in libris Hippocratis de Fracturis*, vbi ita scribit κατ' ἴξιν *semper Hippocrates pro ex directo ponit, aliquando per longitudinem corporis, aliquando per latitudinem, quemadmodum nunc*. Qui quidem locus profecto trahi non potest ad reuulsiones: nam hoc modo non referret in Pleuritide dextri lateris, secare venam in cubito dextro, vel sinistro, cum tamen ille scribat *in libro de Venæ sectione*, sectionem, quæ fit in cubito oppositi lateris, aut nullam, aut certè tardam afferre opem. Item brachio dextro laborante, cur ille *in 13. Methodi* non in brachio sinistro, sed in crure dextro venam secat? neque profecto laborante hepate, probare p[illegible] mas sangui[illegible] eruptiones, quæ fiunt per dexteram narē magis quam illas, quæ fiunt per sinistram: Clara ergo [illegible] perpetua debet esse Galeni & Hippocratis [illegible] *de rectitudine, quæ [illegible] secundum longitudinem partium, cum de reuulsione simpliciter dicta agitur*: quoniam dextræ cum dextris magis communicant per venas, quam cum sinistris, sed non ea quidem adest inter omnes partes, quæ secundum rectitudinem sunt, quæ per proximas venarum diuisiones [illegible], sed ea tamen adest, quæ ad cursum humorum recipiendum, & reuellendum sufficit: communicant enim venæ eiusdem lateris ascendentes & descendentes per orificia sua; per caua[illegible] musculorum etiam decursus patet, & viuente homine [illegible] qui eo mortuo sunt occulti, maxime patent, & per has vias, humores, qui recta mouentur ascendendo, vel descendendo, facilem viam inueniunt, si attrahantur, expellantur, aut aliis remediis hinc, & inde commoueantur. Quod si hanc opinionem non recipimus, quo pacto reddi ratio potest, cur laborante pede in Epilepsia, subito ascendere possit materia aliqua ad caput? cur item, & quomodo pedes tumescant in podagra? per quam enim viam, quæso, à superioribus partibus & maxime à capite, in pedes possunt descendere humores? cur item laborante dextra capitis parte, & descendente humore, potius intumescit pars ceruicis dextri lateris, si illic sistitur humor, aut si ad thoracem descēdit, potius dextrū latus, quā sinistrum repletur? Verum si venarū cômunitas vna est euidentissima per proximas venarū diuisiones, alia vero magis occulta per coniunctionem orificiorum, cur in Pleuritide affectis octo costis inferioribus, venam non secamus semper in cubito dextro, vt placuit Vesalio, cum vena, sine pari dicta, quæ costas illas vtriusque lateris nutrit, à dextro latere oriatur, & coniungatur cum venis cubiti dextri? ratio hæc est profecto, quod humores, qui Pleuritidem faciunt, non per venam illam, quæ intus nutrit costas, ferantur, sed per illas, quæ sparguntur per musculos thoracis, illæ enim desinunt tandem in membranam succingentem costas, & eam separant, affuso copioso humore, ab ipsis costis, & illic inflammatio fit, quæ non solum membranam afficit, sed proximos musculos simul replet. id quod ostendunt euidētes causæ externæ, quæ pariunt pleuritides, calor, frigus, ventus, quæ omnia partes externas commouent, & ab illis humores liquant, vel propellunt in partes profundiores thoracis, illis nequaquam agitatis humoribus, qui in vena caua continentur. Idem sæpe experientia docuit, dissecto latere Pleuriticorum; multos enim vidi, quibus vniuersum latus vix dissecta cute, & externis musculis, statim exibat sanies purulenta, & vsque ad membranam ipsam omnes musculi pleni tali humore conspiciebantur; qua re adductus, miror, cur latus Pleuriticorum non aperiamus, vbi alia remedia experti sumus nequaquam prodesse; quid enim potest esse periculi ex vulnere, quod non penetrat aliquando vltra primos musculos, in quibus sane inueniet, aut sanguinem, qui mali est causa, aut certe nunquam membranam ipsam attinget, quin abscessum factum reperiat, qui cum per membranam illam densam penetrare non potuit, hominem strangulat & suffocat. Igitur cum venæ, quæ mittunt humorem ad latus, communicantiam habeant proximam cum venis cubiti, & capitis, à quibus mittitur, vel exprimitur humor, cum Pleuritis fit, merito in cubito eiusdem lateris, non in alio, aut in pede eiusdem lateris, sanguis mittitur, quoniam fluxionem reuocamus ad contrarium humoris motum, & musculos vicinos per venas communes vacuamus: Laborante vero liene, venam non in dextro brachio, sed in sinistro secamus, quoniam cômunicatio venarum, quæ fit per illarum orificia, maior est sinistræ partis cum sinistris, quam cum dextris: nam & internæ partes venas habent, quæ cum orificiis partium externarum coniungentur, vt ex figuris venarum & anatome apparet: vbi vero fluxiones feruntur ad pedes, sectio venæ in cubito eiusdem lateris cursum humoris

Partes vere & proprie per venas communicantes quæ.

Communitas venarum unde.

Quid rectitudo in reuulsione simpliciter dicta, secundum [illegible]

quidem retrahit, verum quod in venis partis affectæ iam est receptum, educi non potest ob distantiam maximam: nec possumus plura præstare, repugnante natura & structura corporis nostri. Ex his igitur patet, quid sit reuulsio, quæ distantia & oppositio, quæ rectitudo, & communitas venarum in ea requiratur. Superest vt alia quædam addamus, quæ ad eandem pertinent, quę etsi inter præcipuas conditiones, quas requirit reuulsio, non numerentur, non tamen sunt contemnendæ.

Curtius (vt paulo ante diximus,) vult venam, quæ ad reuellendum secatur esse magnam, & loco dolenti proximam. Galenus præterea iubet fluxiones aliquando esse ducendas ad suam originem; aliquando minime? tunc quidem ducendas esse, quando pars, quæ mittit, est ignobilis, nobilis vero, quæ recipit: non autem id faciendum, quádo nobilis mittit in ignobilem, quid ergo tunc erit agendum? illud etiam explicandum est, an in reuulsione, quæ fit per sanguinis missionem confertim, vel paulatim, debeamus sanguinem mittere. Postremo docendum erit, an in reuulsione sequamur motū humoris, vt Curtius vult, & obseruemus dictum huius Aphorismi: *Quo natura vergit*, vt Galenus sentire aliquando videtur.

Magna ne, an alia vena in reuulsione secanda.

Curtius (vt diximus,) vult in reuulsione secandam esse venam magnam, quod certe faciendum est, vbi reuellimus ad sistendum fluxionem, quę inflammationem parit, sic enim promptius educitur humor, & validior fit reuulsio, vbi vero reuellimus ad sistendas fluxiones, quæ extra corpus feruntur, præstat minores venas eligere, quoniam sæpius iteranda est sanguinis missio, quæ per minores venas minus dissoluit spiritus, & propterea sæpius iterari potest, sicin his fluxionibus, ob easdem rationes minores incisiones in vena fieri debent, in illis vero maiores; non magnopere tamen curandum est de venarum magnitudine in quacunque reuulsione, quippe cum humoris impetus viam sibi faciat per angustas etiam vias. quapropter Galenus venam secat in malleolis ad reuulsionem fluxionum ad partes superiores, quod non faceret, sed in poplite secaret, si magni momenti esse putaret maiorem vel minorem venam aperire. Porro, in his fluxionibus, quæ pariunt inflammationes, confertim reuellere satius est; contendere enim oportet auxilia de celeritate cum præcipiti motu, qui morbum parit, in aliis vero, quæ extra corpus fiunt, præstat sæpius repetere reuulsiones, vt ex crebris auxiliis reuellentibus, assuescat natura eo mittere humores, & alium locum, per quem ferri consueuit, deserere.

Fluxiones quando sint reuocanda ad suam originem & quando non.

Galenus *in Arte Medicinali*, vbi de curatione agit, & *alibi*, iubet fluxionem esse reuellendam ad suam originem, nisi pars, quæ mittit, sit nobilis, alia vero ignobilis, quæ recipit: cuius authoritate persuasi multi ex nostris Medicis, in Cutaneis & externis affectibus, nolunt venas in cubito secari, quoniam ad internas partes reuocatur humorum cursus; sic etiam in pestilenti febre, vbi fiunt bubones, omnem venæ sectionem fugiendam esse putant, quod materia, vt inquiunt, venenosa rursus in venas redeat: verum de cutaneis affectibus perperam senti-

A unt: nam si venæ adhuc plenæ sunt humore noxio, præstat eas aperire: & per latas vias educere humorem subito, quam permittere, vt natura paulatim, & non sine periculo grauioris morbi sese per occultas vias sensim & difficile exoneret. In bubonibus quoque quædam adhibenda est distinctio: nam si speremus naturam vniuersum virus expulisse in glandulas, (quod cognoscemus, si febris est remissa,) non amplius datur locus reuulsioni per sanguinis missionem: at si ex febre & aliis symptomatis, magnitudo morbi, quæ cum calore, & repletione coniuncta est, adsit adhuc, reuulsionem admittimus cum euacuatione: in bubonibus vero, qui ex morbo Gallico contingere solent, nullus relinquitur re-

In affectibus cutaneis vena sollicenda non obstat. Quando in bubonibus pestiferis vena sit secanda & quando non.

B uulsioni per sanguinis missionem locus, cum vehementia careat huiusmodi morbus: quare pręstat ad locum affectum trahere humorem, vt tota veneni vis per bubonem expiret: at si ad originem fluxionis, quod ea pars nobilis sit, vel nullas habeat venas, quæ secari facile possint, reuellere non possumus, nec vtile sit humorem ducere ad locum affectum, vt in Pleuritide, Podagra, & aliis affectibus inferiorum partium, quarum origo & fons potissimum est caput, quid inquam agendum? *ad eas*, inquit Galenus, *transferre oportet fluxiones, quæ nullum habent principatum*, & vt ego addo, *quæ simul vicinæ sunt parti mittenti*: sic enim in fluxionibus, quæ feruntur ad eas partes à capite, mittimus sangui-

An in bubonibus Gallicis vena secanda.

Quid agendum cum ad originem fluxionis reuellere non audemus aut possumus.

C nē ex cubito, qui si non est origo mali, originitamen est propinquus, & ignobilis pars, ad quam sine periculo quicunq; humores duci possunt. Cæterū, laborante superiore parte lateris dextri in Pleuritide, ex cubito secari venam ab Hippocrate, putat Curtius, quod eo natura vergat & ad superiores fiat naturæ & humoris motus: in quo manifeste aberrat: nam etsi superiores thoracis partes afficiantur, non tamen affectus & fluxiones ortæ sunt ab inferioribus, sed à capite, vt diximus, ceruice & externis thoracis partibus, quę in interiores suos protrudūt humores, adiuuante frigore externo exprimente, aut calore fundente concretos humores; quare ad superiora reuellimus, opponentes motum contrarium re-

D uellendo ei, qui peperit affectum, etsi reuulsio, eo etiam authore, est attractio ad contrarium humoris motum, temere quispiam postea dubitabit, hoc posito principio, an in reuulsione sequamur vel humoris, vel naturæ motum. Atque hæc quidem sufficiant de reuulsione, quædam enim postea adhuc addemus, quæ illi communia sunt cum deriuatione, de qua iam agere aggredior eodem ordine, quo vsus sum in reuulsione explicanda.

Deriuatio (inquit Curtius) est motus, qui fit ad latus motus humoris, propterea sanguinis missionem in cubito, quæ fit laborante latere inflammatione, dicit esse reuulsiuam & deriuatiuam; reuulsiuam quidem eo, quod materiam

Deriuatio quid.

E à Phlegmone ad venas paruas, à paruis ad magnas, ad contrarium scilicet sui motus trahat; nam prius à magnis ad paruas, à paruis ad Phlegmonem mouebatur, eo vero, quod materia, quæ per venam cauam ascendens ad partem dextram pectoris mouetur, ad dextri cubiti fluxum trahitur; Deriuatiua vocatur, quoniam, (inquit) sui motus proportione materiam ad la-

tus

tus trahit. Qua quidem in re multos committit errores: nam Galenus *in libro 13. Methodi*, & *in 3 libro Artis Medicinalis*, & *in 2. ad Glauconem*, nō vult necessario in deriuatione fluxiones duci ad latus, sed ad *vicina*; at inter vicinas partes quædam sunt ad latus, aliæ subiacent, aliæ incūbunt aliis: nam Galenus deriuationes fieri scribit ab vtero ad vesicam, & intestina, quæ partes ita se habent; vt vna alteri subiiciatur: cum vero secatur vena in poplite dextri pedis in affectu inguinis sinistri, ad latus fit deriuatio, veluti, si per narem vnam fluentem humorem deriues ad aliam: non ergo debet definire deriuationem per motum ad latus, tanquam necessario requiratur huiusmodi motus. Deinde, si eo authore motum humoris primum ignoramus, non poterimus motum lateralem illi opponere: Addo; quod ille per easdem venas velit extrahi à loco affecto humorem reuellendo & deriuando: nam reuulsio eosdem quidem canales exigit, quia contrarium motum priori molitur: at deriuatio, quæ vicinum motum opponit, vicinum canalem exigit, & id plane ostendit vocabulum Græcum παροχετεύειν, quod est ex riuo ducere in alios canales, vt in pratis irrigandis facimus, cum ex flumine riuos multos trahimus, & ex illis alios minores, vt aqua per omnes prati partes spargi possit; sic Galenus *in 6. libro Epidemion Comment. 2. textu 7.* explicat. *Deriuationem*, inquit, *solet nominare Hippocrates, quando humores, qui per non conuenientem regionem ferri incœperunt, ducimus non per eam, nec per remotissimam, sed per aliam propinquam, veluti*, inquit, *si per vias vrina exire incœperit humor vitians vesica & renibus, tunc per aluum deriuamus: & econtra; sic affecto vtero, ad intestina, & ad vesicā deriuamus*: Quæ exempla, & alia omnia, quibus alibi vtitur, ostendunt diuersas esse vias, per quas fluit humor morbum faciens, & illas, per quas deriuatur. Ad hæc, eandem distantiam ponit Curtius in reuulsione & deriuatione, cum tamen Gal. vbique scribat, reuulsionem esse faciendam ad distantissimas partes, deriuationem vero ad propinquas. Addo, quod eundem humorem reuellat & deriuet: nā etsi humor, qui extra fluit, per reuulsionem & deriuationem sisti potest, reuulsione quidem egeat, quando vehementer fluit, deriuatione autem, quādo leuiter, in inflammationibus vero, de quibus ipse agit, non idem est humor, qui eget reuulsione & deriuatione: nam textus est clarus apud Gal. *in 13. Methodi*, & *passim alibi*, in principio inflammationū reuulsione esse vtendum, deinde deriuatione: *nam in principio*, inquit, *quod influit, reuellere oportet, quod vero influxit, per vicina deriuandum est*: cum .n. triplex sit humor in generatione inflāmationis, vnus, qui in via est, & nondū in venas partis incidit: alius, qui in illis iam est receptus: tertius, qui ab illis venis in partis substātiam est sparsus: hic inquit Gal. in venas amplius redire non potest, sed per sputum, fomenta, & alia localia remedia educitur: ille vero, qui adhuc est in via, eget reuulsione: qui vero in venis partis est, deriuatione euacuari debet, authore Gal. qui & *alibi passim* docet, recentes affectus reuulsionibus curandos esse, inueteratos vero deriuatione & localibus præsidiis. Verum etsi ita est, nō tamen licet vbique deriuatione vti, quoniam non sunt

Quomodo fluxiones in deriuatione ducantur.

Quando humor, qui reuellitur & deriuatur, sit idem.

Deriuationem non vbique fieri posse.

A in omni parte corporis vicini canales: Igitur deriuatio fit omnino per vicinum aliquem canalem, per quem possit transumi humor, qui per alios fertur, aut in aliis continetur, ita, vt nōdum sit impactus in parte: ille enim amplius dimoueri non potest, & per aliquam viam duci, non magis, quam aqua, quæ excidit à riuis, & à pratis est combibita. At, quomodo differet deriuatio à multis reuulsionibus, quas ponit Galenus? scribit enim ille, *Comment. in Aphor. 68. lib. 5. Aphoris.* remedium esse reuulsorium sectionem venæ in fronte, laborante occipite: & in *textu 31. 2. Comm. 6. lib. Epid.* dicit, oculorum fluxiones ad palatum per acria medicamenta reuelli. Ego quidem ita sentiendum puto, in eodem membro reuulsionem fieri posse localem; & deriuationem: *reuulsionem quidem, quando venæ adsunt, quæ ab vna parte in aliam oppositam feruntur*, secta enim vena cursum humoris, qui fit in partem oppositam, reuellit, vbi vero diuersi sunt canales, & propinqui, per illos non fit reuulsio, sed deriuatio: ita q; recte laborante occipite; sectio venæ in fronte reuulsiua dicitur; in fluxionibus vero oculorum, motus, qui fiunt per palatum & nares, rectius deriuationes, quam reuulsiones vocantur, si modo deriuationes veræ sunt, quæ affecto vtero fiunt per intestina & vesicam.

B

In eodem loco posse fieri reuulsionem localem & deriuationem.

Nunc de humore agendum est, cui conuenit deriuatio: de quo quidem obiter ita statuimus: C *fluenti humori leuiter, deriuando succurrendum esse*, non quod etiam reuulsio illius non sit medicina & præcipua, sed quod vbi ea non profuit, deriuatio sit tentanda: vnde dicebat Hippoc. *6. lib. Epidem.* non esse semper standum in remediis reuulsoriis, id quod medendo obseruamus: nam in profluuio muliebri, non primum vtimur deriuatione per intestina & vesicam, sed vbi reuellentia brachiis, & sub mammis adhibita nō profuerunt ad fluxionem sistendam: conuenit (vt etiam diximus) deriuatio non solum in fluxionibus inueteratis, (vt Gal. dicere solet, inueteratis affectib. deriuationem competere) sed etiam in recētib. nam si leuis sit fluxio, deriuatio adhiberi potest, quid enim hæc obesse potest?

Cui humori conueniat deriuatio.

D An vero humoribus quiescentibus fluere solitis conuenire possit etiam deriuatio, non meminit Gal. qui *in lib. de nat. hum.* solum mentionem facit reuulsionis ad distantissimas partes, cum præseruare volumus partem à solitis fluxionibus. Verum nec ipsæ deriuationes omittendæ sunt, vbi reuellentibus remediis passiones non cedunt: an, quæso, non proderunt deriuationes per intestina, & vrinæ vias, si vterus soleat fluxiones & vapores mittere ad caput?

Humoribus aliàs fluere solitis, nunc vero quiescentibus an conueniat deriuatio.

Illud etiam explicandum est, *an reuulsio semper præcedere debeat deriuationem*: de qua re scribit Curtius in morbis acutis, & vbi dolor adest, prius deriuandum esse, quam reuellendum, siue multū, siue parum adhuc fluat: in huiusmodi n. E affectibus cito esse succurrendum: & id esse, inquit, quod Hipp. *in lib. 6. Epid.* his verbis *deriuare, reuellere* ostendit, cum postponit reuulsionem deriuationi. Verum, (vt antea diximus) si reuulsio ad fluxionem sistendam fit: deriuatio autem ad id, quod recenter influxit euacuandū, (vt ipse etiam concedit) fluxio autem ad id, quod influxit causæ rationem habet, nō dubium, quin

An reuulsio semper præcedere debeat deriuationem.

reuulsio semper præcedere debeat deriuationē, præsertim in Pleuritide, de qua quæstio est; tutum enim non est, per vicinos locos vehementes fluxiones ducere: Addo, quod ille aberrat ob malam intelligentiam verborum Hipp. nam etsi scribendo præposuit Hipp. deriuationem reuulsioni, medendo tamen reuulsio præcedere debet; quod Hipp. *eodem loco* ostendit, cum ait: *statim reuellere, non autem deriuare*; & Gal. *in Comment.* scribit, non semper in reuellentibus remediis standum, sed spacium aliquod interponendum, tanquam velit primo adhibendas esse reuulsiones, quibus non satis iuuantibus ad deriuationes postea confugiendum esse; quod apertissime docet *in lib. 13. Meth.* vbi scribit, *incipientes inflammationes reuulsione euacuabis, postea vero deriuatione & vacuatione a parte*; & rectè quidem, inquit, *vacuatione à parte*: nam vacuatio, quæ fit in Pleuritide ex sectione venæ in cubito, reuellit quidem, & vacuat à parte, non tamen deriuat, reuellit enim quia fluentes adhuc humores ad locum affectum per contrariū motum retrahit; vacuat vero à parte; cum humorem in venis partis contentum per easdam successione quadam ad cubitum non longe distantem educit; nequaquam vero deriuat (vt iam diximus) quia per vicinos canales iis, per quos fluūt humores, aliquid non ducit; nulli enim sunt vicini canales illi, per quos fluit humor, sed iidem sunt, per quos descendit, & ascendit, fluit, & refluit humor. At vero illud rationi est consonum, in morbis acutis & præsente dolore, cito esse succurrendum: verum si idē fieri posset in morbis longis, & vbi nullus dolor cruciat, aut pars ignobilis laborat, idem profecto præstandum esset à Medico, qui in omni officio (vt Asclepiades dicebat, & ex eo repetunt Gal. & Celsus) cito, tuto & iucunde agere debet. Cæterum sunt, qui velint, etiam in deriuationibus obseruandam esse eam rectitudinem, quam diximus esse necessariam in reuulsionibus, sed illi aberrant. nam Galen. per communes venas tam reuulsionem, quam deriuationem dixit quidem faciendam esse, *sed rectitudinem soli reuulsioni tribuit*; & merito quidem: nam cum deriuatio requirat duas vias sibi propinquas, vix in eadem parte dextra vel sinistra eas inueniemus in corpore nostro, ita vt per vtramque humores duci & euacuari possint; dextræ vero & sinistræ partes non sunt secundum rectitudinem positæ, sunt tamen vicinæ, & illis natura dedit proprias venas, propriosque canales, qui inter se communicant, ita, vt ex vna in aliam & assumi & transfundi possint humores, qui in ipsis continentur, vt in vtroque crure apparet euidenter; in aliis forte vix inuenies hanc communicantiam viarum inter dextram & sinistram; in medio vero corporis situ inueniuntur partes, quæ secundum situm superiorem & inferiorem deriuationes admittunt per rectitudinem, vt in deriuationibus, quæ fiunt ex vtero ad vesicam & intestina, apparet. Igitur in dextris non est inuenire facile partem aliquam, quæ ad dextra vel sinistra, vt nec in sinistris, nisi in naribus & oculis; in medio vero corporis situ non desunt. Communitatem autem veram venarum in deriuatione necessariam esse antea docuimus. Nunc sequitur vt agamus de euacuatione, quæ fit à parte. & de simplici euacuatione, quam Galen. non solet enumerare, cum in inflammationibus dicat primo esse reuellendum, deinde deriuandū, postremo euacuandum ab ipsa parte, postulat tamen Medicina nostra etiam euacuationē simpliciter dictam, vt cursus detur humoribus peccantibus, nec illa quidem in euacuatione à parte comprehenditur: nam Galen. vacuationem à parte, *in 13. Meth.* scribit fieri admotis ipsi parti repellentibus, digerentibus, aut tacto pure, sectione ipsius partis; & hæc non comprehendunt medicamenta, quæ humores in cauitate partis contentos educunt per proprios canales sibi coniunctos, veluti cum ventriculum purgamus per aluum, aut vomitum. Nec etiam comprehendit euacuationem humorum, qui in substantia partis continentur, & per easdem vias educuntur: Videndum ergo est, quid sit euacuatio à parte; & quid simpliciter dicta euacuatio; & quid per vtramq; sit euacuandum: quæque conditiones sint obseruandæ.

An in deriuatione eadem sit seruanda rectitudo, quæ in reuulsione.

Communicatio vero venarum in deriuatione esse necessariam.

Euacuatio à parte quid.

Vacuationem à parte definiunt nonnulli illā esse, quæ ab ipsa parte incipit, quocunq; postea humorem ducat, siue per admota, siue per assumpta medicamenta fiat euacuatio: veluti, si humor, qui in ventriculo continetur, à medicamento purgante assumpto, per aluum educatur, vel per os, à parte vacuatio ab illis dicitur: quod si ab intestinis vel ab ore inciperet euacuatio, quæ eum humorem commoueret, & ad se alliceret, dicunt illam esse reuulsionem, hoc enim solum euacuationem à parte facere, quod remedia euacuantia partem ipsam attingant primo, & ab ipsa humorem contentum mouere incipiant, nec referre, siue in partis substantia, siue in concauitate partis humor contineatur. Verum hæc opinio prorsus tollit simplicem euacuationem, quam adhibemus in purgationibus, & affectibus multarum partium, in quibus nihil aliud spectamus, quam vt horum lædentem educamus per solitos & proprios singulis partibus canales. Præterea Gal. semper, cum de euacuatione à parte agit, non enumerat medicamentia purgantia, sed solum localia, & per eam euacuationem non alios humores intelligit educi, quam qui in partis substantia continentur: quod si ita est, dicemus *illam esse euacuationem a parte, quæ per localia auxilia humorem contentum in substantia partis educit*: vacuationem vero simpliciter dictam definiemus esse, *quæ nulla habita ratione contrarii & vicini motus, humorem contentum in partis cauitate, vel etiam substantia, per naturales & proprios canales educit*, & de hac euacuatione reuera loquitur Galen. *in Comment. huius Aphorismi*, cum intestina, vterum, vesicam, & alias partes, quas enumerat, dicit esse loca conuenientia ad euacuationes, fit autem eiusmodi euacuatio non solum per purgantia, sed etiam per illa, quæ vrinas ducunt, vel vomitum mouent, aut alio modo euacuant pro natura & conformatione singularum partium: nam quæ in cerebro continentur, per nares & os, per propria quædam remedia excernuntur; fit autem etiam per sanguinis missionem, quomodo Galenus in Pleuriticis venam secandam esse dicit in cubito internam, quoniam, inquit, reuellit & vacuat: reuellit enim humorem fluentem, vacuat autem eum, qui in

Vacuatio simpliciter dicta quæ.

venis

venis partis affectæ continetur, eum enim euacuati intelligere debemus; quod satis Galenus exprimit *in 2. de Victu acutorum*, vbi ille scribit, eo vsque auferendum esse sanguinem, donec rubidior multo, vel pro puto rubidoque liuidus effluxerit, talis enim, inquit, sanguis est, qui à parte inflammata exit: quare non immerito ea dicetur fieri euacuatio partis, etsi per reuellentes venas fiat, quoniam educitur humor, qui in parte continetur, per proprias vias, per quas naturaliter se exonerare potest.

Sed quid dicemus de euacuatione à toto? an non illa intelligitur esse, quæ totum quocunque modo euacuat, vel solum omnes venas & arterias totius? Verum, quid de balneis dicemus, quæ potissimum habitum corporis euacuant, & venas non attingunt? an illa dicetur euacuatio totius? Galenus corpus aliquando solet vocare, solum corporis habitum, veluti cum notas temperaturæ corporis tradit, in quibus non comprehendit temperiem viscerum: aliquando corporis nomine quidquid in nobis est, accipit, vt cum vsum partium corporis & anatomen profitetur se docere velle: sic ergo euacuationem totius corporis intelligimus solam eam, *qua habitum corporis exhaurit: aliquando vero, qua vniuersas partes attingit plus, vel minus*; & *cum per externa remedia fit euacuatio, localis euacuatio recte vocari potest*, & ei similis est, quæ dicitur fieri à parte per localia remedia: cum vero per alia auxilia perficitur, potius simpliciter euacuatio dicenda est: nec refert, si humorem contentum in parte educat: nam non quidquid euacuat humorem contentum in parte, dicitur euacuare à parte, sed quod per localia auxilia id præstat: *aliud ergo est euacuatio partis, a vacuatione à parte, aliud vacuatio totius, aliud vacuatio a toto; illa per simpliciter euacuantia & per reuellentia & deriuantia fieri potest*; hoc vero solum per illa, quæ humorem repellunt à parte, vel toto, aut digerunt, aut facto vulnere extrahunt. Sed in has angustias nos incidimus, quia maiores nostri, quorum officium erat singulis rebus nomina imponere, negligentiores in nostra facultate fuerunt.

Corporis apud Galenum multiplex acceptio.

Euacuatio totius corporis quæ. Euacuatio localis.

Euacuationem partis non esse eandem cum euacuatione à parte, & vt non eadem est euacuatio totius cum euacuatione à toto.

Sed vt ad euacuationé à parte redeamus, recepta est sententia ab omnibus Medicis, non esse à parte affecta vacuandum, nisi præcedentibus totius euacuationibus. Verum, id de euacuatione, quæ proprie dicitur à parte, & fit per localia remedia externa, intelligendum est: nam si cum euacuatione totius fieri etiam possit euacuatio partis, vt per sectionem venæ accidit, & purgationem, nihil prohibet, eam ab initio adhiberi; scribit enim Galenus *in 2. de Victu acutorum*, vbi curationem Pleuritidis ex Hipp. docet per hæc verba: *nos vero partem eam, qua Phlegmone obsidetur, tum celeriter, tum quam cæteras parte magis, præsertim in acutis morbis, euacuare contendimus.* De euacuationibus vero, quæ per localia remedia fiunt, adhibenda etiam est distinctio: nam si fluxio nascitur ex dolore alicuius partis facto ob repletionem aliquam, quæ in parte sit, statim adhibenda sunt parti affectæ localia remedia anodyna, & euacuantia, nimirum, cum fluxionis causa inde originem habeat: quod Gal. obseruat *in 13. Meth. & in 2. ad Glauc.* nam vbi ex bubone excitantur fluxiones, curationem protinus aggreditur admotis remediis ipsi buboni. Vetum, vt hæc recte fiunt, ita laudare non possum Hippocratem, qui *in lib. de Victu acutorum*, nulla distinctione adhibita, multos dies consumit in discutienda pleuritide per varia fomenta: nam cum aliunde emittitur fluxio in latus, fomenta huiusmodi calefacientia rarefaciunt & dilatant cutem, musculos, & venas lateris, atque ita facilior via paratur humori, qui flammationẽ parit & auget. An non sunt aliæ euacuationes præter quatuor prædictas? minime quidem: nam auersio genus est ad reuulsionem & deriuationem, vt *ex 4. lib. Meth.* patet.

Ab aliquibus receptum negligentia. Quando non liceat vacuare à parte, nisi præcesserit vacuatio totius.

Auersio quid.

APHOR. XXII.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Concocta medicari, atq; mouere non cruda, oportet, neq; in principiis, modo non turgeant, plurima vero non turgent.

Qvis sit scopus huius Aphorismi, Galenus non explicat, sed solum, quid doceat author, declarat: Philoteus vero scribit de scopo ad hunc modum: *antea docuit Hippocrates, in præcedente scilicet Aphorismo, per quas vias humor in Crisi derelictus vacuandus sit: sed ne quis temere & simpliciter eum euacuet, hic Aphorismus docet*, verum, cum non explicet, quid intelligat per *non simpliciter, & non temere*, proprium etiam non docet huius Aphorismi scopum: nam qui modum in vacuando seruat idoneum, idem & quantitatem, qualitatem, & locum aptum considerat, non temere vacuationem facit, nec inconsiderate; itaque, cum id ad omnes scopos extendatur, proprium non est huic Aphorismo. Alii dicunt, Hippocratem hic docere, quod oporteat materiam esse concoctam, cum purgare volumus: qui verum quidem dicunt, sed scopum Aphorismi non explicant. Montanus autem tradit, Hippocratem hic velle docere tempus aptum *ad euacuationem*: in quo etiam fallitur, non enim docet aptum tempus ad sanguinem mittendum, & ad alias multas euacuationes: venæ enim sectio non exigit concoctum humorem: alioqui in declinatione febris, & non in principio sanguis esset mittendus. Sophistæ vero & Quæstionarii interpretes, nullum scopum huic Aphorismo assignant, sed quinque Conclusiones ab authore explicari docent, atque ita quod in genere ignorant, statim ab initio diuidunt; quod si (vt illi agunt,) Conclusiones eliciendæ essent, multo plures, quam quinque ex hoc Aphorismo resultarent. His itaque prætermissis, dicimus, Hippocratem hic docere velle *tempus aptum ad purgationem*: id quod ostendunt illius verba: *medicari*, quod nihil aliud est, quam *medicamento purgante euacuare*, illud enim tempus aptum est ad purgationem, cum humor morbum faciens vel turget, aut est concoctus: non quod sola concoctio requiratur, quippe, cum concoctio omnia incrassat, &

Sententia Philotei de hoc aphorismo reiicitur.

Sententia Montani itidem refutatur.

Sententia authoris.

Medicari quid.

viscida reddat (vt postea ostendemus) ita, vt extenuatione & incisione post concoctionem sit opus; sed quod concoctio fons sit omnium aliarum conditionum, quæ in materia purganda requiruntur: nam concocto humore, licet omnes alias qualitates facile parare. Nec contra id facit, quod in humore, qui morbum nondum facit, aut cruditatem nullam est perpessus, concoctio necessaria non sit, veluti, cum sanos purgamus, aut in principio morbi: nam nos hic agimus de materia, quæ est proxima causa morbi, quæ post iudicium relinqui solet; ergo, cum tempus illud aptum dicatur esse ad purgationem, in quo humor concoctus est, id autem intelligere non possimus, nisi concoctionis naturam intelligamus, propterea de concoctione diligentius à nobis est agendum, præsertim, quod in hac re pauca sint adhuc recte ab aliis memoriæ prodita.

In purgandis sanis concoctionem nō requiri, nec in principio morbi.

Ergo primum dicemus, quid concoctio; deinde, quæ sint species & differentiæ concoctionis: tertio, quæ sunt cōcoctionis causæ; quarto, quomodo fiat concoctio; quinto, qualis requiratur concoctio in humore, qui ad purgationem aptus esse debet, postremo, quibus remediis cōcoctio à Medico iuuanda sit.

Concoctio quid.

Neoterici fere omnes concoctionem definiunt esse humoris præparationem ad expulsionem; quam definitionem ab Auicenna sumpsisse videntur, qui ait concoctionem esse substantiæ adæquationem, quæ ad facilem euacuationem obediat. Quæ opinio vsque ad hæc nostra tempora viguit; falsa tamen est, & multis erroribus plena; Primo, quod illius authores duos Aphorismos coguntur in vnam sententiam redigere, præsentem nempe, & eum, *qui in secundo libro nonus* habetur, in qua scribit Hippocrates: *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*; Cum enim in illo præter concoctionem aliam præparationem exigat, extenuationem scilicet humorum, viarumque apertionem, certissimum est, Hippocratem hic per concoctionem non intellexisse præparationem humorum ad expulsionem, alioqui frustra alium addidisset Aphorismum, in quo præparationem requirit aliam, quæ reuera præparatio est, vt ex Galeno patet, qui paulo postea exponens Aphorismum: *In acutis passionibus raro*, inquit, *corpora parari ad purgationem, extenuando humores, & obstructiones tollendo*, nulla concoctionis facta mentione; tanquam aliud sit concoctio, aliud præparatio humoris ad expulsionem. Secundo, idem ex natura rei probare licet; cum enim purgatio ab attrahente fiat medicamento, attrahantur autem facilius, (vt Galenus *in 3. libro de Naturalibus facultat.* & *passim alibi* scribit) quæ tenuia sunt: concoctio autem omnis, (vt Aristot. *4. Meteorum cap. 2.* tradit, & nos postea ostendemus) omnia incrasset; qui concoctionem procuraret ad faciliorem expulsionem, contrarium omnino faceret ei, quod intendit. Tertio, cum natura concoquendo studeat humores sibi similes reddere, & in propriā substantiam mutare, quanto similiores redditi illi fuerint, tanto sane auidius retinebuntur, & tanto propterea ad expulsionem ineptiores; similitudo enim causa est attractionis, retentionis, & concoctionis, dissimilitudo vero expulsionis; quare tantum abest, vt natura materiam intendat præparare ad expulsionem, vt potius concoquendo contrarium faciat. Quod cum videret Curtius repugnare principiis, quomodo scilicet concoctio, quæ omnia incrassat, præparare possit materiam, quæ concoquitur, ad expulsionem, ita rem conciliare nititur, incrassationem, inquam, ad euacuationem, quæ à Medicina fit, ineptiorem esse extenuatione: contrarium autem fieri in euacuatione, quæ à natura fit: Verum illud in primis intelligere debebat, Hippocratem hic non agere de purgatione, quæ à natura fit, sed de ea, quæ à Medico fit per medicamenta purgantia, quinetiam, & illud, quod de naturæ euacuationibus habet, falsum est: facilius enim natura tenues humores, quam crassos extrudit, siue per sudorem, vel vomitum, aut aluum, aut sanguinis profluuia sese exoneret, minus enim resistit, quod tenue est, naturæ expellenti; & idem faciliorem inueniet per omnes corporis vias, quam quod crassum est; vnica sane euacuatio, quæ per sputum fit, huic errori occasionem dedit: cum enim spiritu sursum impellente à pulmone humorem talis fiat euacuatio, nisi quandam crassitiem habeat humor elatus, discinditur, diuelliturque facillime ob nimiam tenuitatem ab impellente spiritu, quare oportet crassitiem quandam in humore esse, vt impulsioni spiritus resistat, qua tandem vsque ad os attollitur, partes tamen, quæ ipsum à se expellunt, vt pulmo & thorax, tanto facilius expellent humores, quanto illi tenuiores fuerint: itaque, si in hac vna euacuatione, expulsionis modus & locus crassitiem quandam in humore requirunt, non tamen propterea dicere debemus, naturam ipsam, cum facultate sua expultrice vtitur, facilius expellere, quæ crassiora sunt, quam tenuiora. Porro Curtius suam opinionem confirmat hac ratione: *Natura*, inquit, *assimilando agit, & propterea incrassando, & ideo facilius incrassata expellit*. Hæc ratio non est digna eo, qui nostra ætate Monarchiam Medicorum sibi vendicauit: alia enim vis est alteratrix, alia expultrix; alius finis, alia remedia illarum actionem iuuant: nam vna gaudet similibus, alia dissimilibus, concoctio calidis & humidis remediis iuuatur; expulsio extenuantibus & incidentibus; quod si incrassantia postularet, cur, cum vrinam mouere volumus, vel sudores, non adhibemus incrassantia? nam nec in his, quæ per sputum educuntur, magna crassities requiritur, cum Hippocrat. dicat, sputa non procedere eo, quod crassa sint; & experientiā doceat vna cum Galen. extenuatione sæpe esse opus ad sputum facillime educendum, nimirum, quod facultas expultrix eos humores tanquam nimis resistentes, extrudere non possit, neque spiritus ipse attollere valeat; vt ergo nimia tenuitas obest, sic nimia crassities inepta est ad eam euacuationem, quæ fit per sputum; ad alias vero omnes quanto magis extenuati sunt humores, tanto facilius expelluntur à natura, & à medicamentis nostris attrahuntur. Addit ille, naturam melius iuuare crassam materiam cum purgatio sit, quam tenuem, ideo purgationem meliorem in crassa fieri, adiuuante naturæ

Opinio Auicennæ reiicitur.

Causa attractionis, retentionis & expulsionis quæ.

Curtius confutatur.

natura, quam in tenui, cui nullam opem natura fert: quibus verbis ostendit, iam se agere non solum de purgatione, quæ fit à natura, sed etiam de ea, quæ fit à nostris medicamentis, deinde id ego ab eo scire velim, cur melius naturam in crasso iuuare possit medicamentum, quam in tenui humore? nonne, quod tenue est, facilius patitur crasso, & expulsioni paret? sed quoniam ille authoritate Galeni maxime nititur, ostendat, quæso, vbi ille aut etiam Hippocrates dixerit, opus esse incrassatione, vbi purgare volumus corpora: extenuandos vero esse humores tunc, illi docent *in eo Aphorismo, Aphor. 9. libri 2.* qui dicit: *Corpora cum quis purgare voluerit:* & in illo, in quo scribit Hippocrates *Aphor. 24. huius primi libri. In acutis passionibus raro:* sed hæc satis ad Curtium. Nunc aliis argumentis oppugnemus propositam definitionem.

Morbos aliquos curari per solam concoctionem.

Sunt morbi nonnulli, qui per solam concoctionem curantur: vt Galenus etiam est author, pueros per concoctionem Crises facere, & vbi nulla est febris putrida, noxii humores per concoctionem vitium amittunt: Si igitur concoctio est præparatio ad expulsionem, frustra natura concoqueret humores eos, quos postea expellere non debet, non enim quiesceret in concoctione, sed etiam expulsionem tentaret, cuius causa instituta est concoctio: Postremo, in morbis acutissimis semper purgare possemus: sunt enim humores, qui morbos eos cōmittunt, calidi, & tenues, quos paratissimos ad expulsionem scribit Galenus *in lib. 3. Prædictionum tex. 23.*

Concoctionem non esse separationem boni à malo.

Alii vero sunt, qui concoctionem esse definiunt *separationem boni à malo*; quam opinionem multis modis etiam refello, & primo ex fine concoctionis: nam vt attractionis finis est retentio, ita retentionis concoctio, & concoctionis assimilatio, cui aduersatur separatio & diuisio: nam qui vnum ab altero separat, dissimilitudinem in illis molitur, non similitudinem procurat. Secundum argumentum sumo à genere concoctionis; est enim, Aristotele teste, concoctio perfectio: at qui diuidit & separat vnum ab alio, rem non perficit, sed imperfectam reddit, diuisio enim corruptioni: compositio generationi assimilatur. Tertium argumentum sumitur ab externis rebus, à quibus concoctionis nomen à Medicis vsurpatum emanauit: omnia enim, quæ maturescunt & concoquuntur, ideo dicuntur maturescere & concoqui, quod licet partes humoris caloris beneficio misceantur, & cum humidum à sicco separatum est, vel male commixtum, cruda tunc illa vocantur: cum ergo illi concoctionem separationem boni à malo esse dicunt, cruditatē potius definiunt, quam cōcoctionem, quæ omnia vnit & miscet: idem ꝓbare licet ex his, quę elixantur, quib. assimilantur, quæ in nobis concoquuntur: vt enim omnia, quæ in vno vase elixantur, suas substantias, & qualitates communicant, & inter se miscent caloris ignei actione, ita quæ in corpore coquuntur natiui caloris beneficio, non per separationem, sed vnionem concoquuntur: postremo ex modo, quo fit concoctio, idem probamus: nam omnis concoctio, vt postea ostendemus ex Aristotele & Galeno, fit incrassando: at, quæ incrassantur, vnam formam recipiunt, crassitudinem scilicet, non autem diuersas & separatas, quod fieret, si concoctio separatio esset boni à malo: addo, quod Galenus separationem illam expultrici facultati tribuat, *in libris de naturalibus facultatibus*, dum ea præparat humores ad expulsionem: Igitur, concoctio nec præparatio est ad expulsionem, nec separatio boni à malo.

Vnde nomen concoctionis.

Concoctionem non omnino fieri incrassando.

Manardus non putauit, definitionem aliquam reperiri posse, quæ coctionem omnem complecteretur, sed ex eorum, quæ coquuntur, triplici natura, triplicem coctionum definitionem adfert: *nam ea, quæ coquuntur, vel alimenta,* inquit, *sunt, vel putridi humores, vel alii:* Primam coctionem definit esse alterationem, in qua alimentum ei, quod alterat, omnino assimilatur: Secundam dicit esse alterationem, quæ putredinem cessare facit: Tertiam, quæ materiam, quæ concoquitur, quadantenus assimilet. Quam opinionem partim ex Auicenna, partim etiam ex Galeno sumpsisse videtur: nam Auicenna *in prima Fen lib. primi*, vnam ponit concoctionem vtilis materiæ: aliam vero, vt ille vocat, superfluitatum, & illam vocat conuersionem in propriam substantiam nutriri: in hac vero idem naturam tentare; quod si assequi non potest, saltem eas qualitates moliri in materia, quæ seruiant ad expulsionem, extenuando scilicet materiam, si crassa sit, aut incrassando, quod est tenue, aut incidendo, quod est viscosum. Galenus etiam *in Arte Medicinali*, concoctionem, quæ fit in materia putrescente, definit esse alterationem, quæ putredinem cessare facit. Verum & hæc opinio refellenda est, nam si ex diuersa materia naturæ actiones iudicare debemus, non solum in concoctione, sed attractione, retentione, & expulsione, monstra pariemus in Medicina: iudicabimus ne tot facultates esse attractrices, definitione & natura diuersas, quot materiæ diuersæ ingeruntur? Aliter ergo definiamus facultatem attractricem, qua attrahimus Medicamentum in ventriculum: aliter, qua alimentum, & infinitas hoc modo facultates faciamus attractrices: vnam, quæ panem, aliam, quæ vinum; aliam, quæ salem, aut aliud quidpiam in corpus trahat: idem in retentione statuamus, & expulsione, dicamusque præterea, aliam esse facultatem coctricem, qua panem concoquimus, aliam qua vinum, &c. quibus rebus nihil absurdius est. Ex causa efficiente licet & argumentum colligere, nam vna est causa omniū coctionum efficiens calor natiuus, ab vno ergo cum semper fiat idem, quantum in se est, etsi ob diuersam materiā non idē semper illud assequatur, nō est, quod in rei ipsius naturæ diuersitaté, discrepātesq; definitiones cōminiscamur: Quod si dicat, in humorib. putridis non solū calorē natiuum agere, sed etiam calorē prę̄ter naturam, vt id non negauerim, ita affirmauerim, quicquid concoctum est, id calori natiuo deberi, quicquid autem in eo humore à vera concoctione abest, id humoris vitio tribuendum ab altero calore contracto, vel potius ab eo addito ei, qui est mediocris, vel alio materiæ vitio. Quod autem à particularibus affectibus, qui sequuntur coctionem, eam definire non debeamus, certissimū est

Manardus eiidem non recipienti.

hoc est, quod non tres duntaxat, sed infinitas propemodum definitiones facere oporteret: nam concoctio non solum putredinem cessare facit, sed etiam acrimoniam humorum retundit, frigidiores humores calefacit, calidiores temperat, omnes incrassat, miscet omnia omnibus, omnia, quantum fieri potest, assimilat, an propterea dicemus, concoctionem vnam esse, quæ acrimoniam retundat: aliam, quæ frigida calefaciat: aliam, quæ temperet calida, aliam, quæ incrasset: aliam, quæ assimilet, aut aliquid aliud particulare efficiat? minime certe, sed propriam illius naturam, generalemque actionem spectare oportet, non ea, quæ illi accidunt, nam quemadmodum Galenus *in 2. de naturalibus facultatibus* scribit, calidum per se calefacit, per accidens autem concoquit, digerit, diuidit, vnit: ita concoctio certum aliquid facit, ad quod particulares operationes sequuntur, ob materiæ diuersitatem: quæ enim putrescentem habent materiam, putredinem exuunt, & per concoctionem illa cessat, ita, quæ acria sunt, mitiora redduntur, & sic de aliis. Præterea, à fine idem probare licet: cum enim concoctio actio quædam naturalis sit, vnicum etiam finem habebit, non plures, vnica etiam est materia concoctionis ex Aristotele, *4. Meteorum*, humor, qui incrassari potest; idem concoctionis modus; causa vna efficiens, concoctrix facultas: vnum instrumentum commune, calor natiuus, quare debet vna esse generalis natura. Errant igitur Auicenna, & Manardus, qui aliter sentiunt.

Reprehensio autoris definitionum Medicinalium.

Iam ad alios accedamus, qui concoctionem definire sunt aggressi, sed parum feliciter, vt est author definitionum Medicinalium, qui dicit, concoctionem esse mixtionem, & chylosim, velut elixationem in ventriculo atque intestinis per mutationem in digestionem absolutam. Definit & hoc modo: *Concoctio est confectio alimenti per mixtionem in ventriculo, & intestinis*: Vel, *concoctio est alteratio prompta ad sanguinis generationem elixationi similis, quæ a natura fit per caliditatem*. Quæ definitiones cum duntaxat alimenti concoctionem, quæ in ventriculo fit, complectantur, inutiles sunt nostro instituto, qui quod commune omnibus est (vt docendi ratio exigit) primo quærimus: Quare iam ad

Sententia Galeni.

Galenum veniamus, & quid ille de hac re tradiderit, examinemus, qui concoctionem nunc generali definitione, nunc particulari in quibusdam partibus, & particulari materia complectitur: nam *in Arte Medicinali* scribit, *concoctionem esse alterationem secundum putredinem manentis substantiæ*, quæ definitio particularis est; *in secundo vero de naturalibus facultatibus*, *concoctionem nihil aliud esse ait, quam alterationem quandam, ac mutationem nutrientis in eius, quod nutritur, qualitatem*, quæ definitio etiam solum concoctionem nutrimenti continet. Est alius locus Galeni *in textu 6. quinti Commentarii 6. lib. Epidemion*, vbi scribit, *concoctionis nomen significare omnem ad mediocre temperamentum adductionem, vt in maturescentibus fructibus conspicitur*, vbi etiam scribit, *duos rariores modos concoctionis apud Hippocratem legi, per rarefactionem & dissolutionem*: At non omnia, quæ temperant humores, eadem con- A coquere dicuntur: nam cum humidum à sicco temperatur, & calidum à frigido, non propterea fit concoctio; & nescio, quomodo rarefactio, & dissolutio pertinere possint ad concoctionem. est alius locus *in libro 1. Epidemion, 2. Comment. textu 6.* vbi ait: *Cum fluxiones ab insito calore superantur, & vincuntur, concoqui dicuntur.* Quam sententiam etiam repetit *in Aphorismo 13. primi libri, & in textu 44. secundi libri de Acutis morbis*, vbi scribit, *excrementa ab Hippocrate vocari concocta, quæ natura ipsa sunt euicta, etiam si mutata nutrire non possint: cruda vero, quæ non sunt euicta*: Et hanc communem omnibus, quæ concoquuntur, esse definitionem, scribit: quod si ita est, nihil aliud est concoctio, quam victoria, quæ à calore fit natiuo B in propria materia, id quod expresse *in 3. de Crisibus dicit*: *Concoquere enim*, inquit, *in morbis est, naturam superare, debellare, & resistere vehementiori morbi conatui, & quæ infestabant, opprimere.* Verum cum natura crassos humores extenuat, illos quidem vincit, & cum exuperantes euacuat quocunque modo, opprimit quidem morbi causas, sed interim concoquere non dicitur, nec etiam concoquit, cum eosdem temperat, nisi aliud efficiat. Præterea, victoriæ modum explicare debebat, vt naturam iuuare possemus, cum illam vincere non posse videmus.

Et Aristotelis.

Nihil ergo adhuc clarum in hac re habemus C ex prædictis authoribus; quare ad Aristotelem accedamus, qui solet esse optimus naturæ interpres: scribit autem ille *in libro 4. Meteorum, cap. 2. concoctionem esse perfectionem, quæ a naturali proprioque calore ex oppositis fit passiuis, quæ sua cuique materia existunt: nam cum aliquid est concoctum, perfectum est, & genitum, atque perfectionis exordium a natiuo calore prouenit.* Hæc quidem Aristoteles. Quæ etsi recte ab omnibus dicta videntur, tamen ego ea multis rationibus recipere non possum: Primo quod ille vtatur in ea definitione genere omnium communi: nam generatio & mixtio, & alia quæcunque alteratio, quam res exigit, est perfectio: nam res dicitur perfecta, cum id est assecuta, quod il- D li deficit: fit generatio quidem eo authore, cum calor euincit oppositas qualitates passiuas, & ea perfectio est. Quare communis est eo authore hæc definitio generationi, & concoctioni. Præterea, concoctionis definitio non comprehendit omnia, quæ concoquuntur, nam non omnia concoquuntur à proprio calore, sed etiam ab externo, vt quæ elixantur & assantur, non à proprio, sed ab igneo calore. Præterea, non docet, quid materia patiatur à calore, cum fit concoctio: ita, vt res concocta dici debeat; an scilicet requirat calorem, vel frigus, aut siccitatem, vel humiditatem, vel aliam secundam, aut tertiam qualitatem: dicit quidem, concocta tunc ea esse, quando calor humorem vicit, & vicisse tunc, E cum formam & essentiam simpliciter, vel subiectam quandam formam acquisiuit, vt ea, quæ maturantur, matura & concocta dicuntur, quando eorum semen aptum iam est sibi simile gignere: & tubercula appellat concocta, quando ad suppurationem peruenerunt; Verum hæc non satis exprimunt naturam concoctionis, & proprium terminum, ignoremus enim neces-

se est,

se est, quibus remediis concoctio iuuari possit, si illud proprium ignoremus, quod concoctio quaerit, & commune est tum fructibus, tum ventriculis, & aliis omnibus, quae concoquuntur.

Opinio authoris.

Quam ob rem ne aliorum opiniones prosequamur, quae vel eadem sunt cum praedictis, aut parum aut minimum ab eis euariant, ea mihi videtur optima esse concoctionis definitio, quae dicit, *concoctionem esse assimilationem, quae fit a re concoquente caloris beneficio*; Primo, quod haec definitio omnibus rebus, quae concoquuntur, conueniat: nam cibum tunc dicimus concoctum esse in ventriculo, hepate, & aliis partibus, quando in colore, sapore, odore, & in primis qualitatibus, & per substantiam etiam est assimilatus partibus concoquentibus. Eodem pacto pus, quod est album, lene, aequale, minime foetidum, atq; ita assimilatum, quantum fieri potuit, parti concoquenti & pus generanti, concoctum esse dicitur. Deinde, haec definitio distinguit concoctionem à generatione & mixtione, aliud enim est assimilare, quam generare, & miscere, etsi omnia haec fiunt à calore in humido & sicco, & perfectiones quaedam sunt naturae; Praeterea, tradit haec definitio id, quod est vtile arti nostrae, cum enim intellexerimus, concoctionem esse assimilationem, illud quoque agnoscimus, quantum res sit cruda, & quomodo concoqui possit, quae enim prorsus dissimilis est, penitus est cruda; quae vero similitudinem iam aliquam est assecuta, tantum habere concoctionis agnoscitur, quantum habet similitudinis, etsi putemus naturam non posse concoquere & assimilare, eo, quod concoctrix facultas sit male affecta, aut illius calor imbecillis, vel immoderatus, vel materia, quae concoquitur, exuperet agentis vim, vel repugnantem habeat qualitatem, aut substantiam, tunc in eo, quod videmus concoctionem impediri, remedium adhibemus. Quod si quis Galeni authoritate cogi velit, locus est apud illum in *libro 8. de medicamentorum compositione, capite de hepate & eius affectibus*. vbi concoctionem vocat alterationem, quae eo vsque procedit, donec in similitudinem partis, quod concoquitur, sit transmutatum, vbi etiam docet, quomodo differat concoctio à nutritione: nam concoctio est assimilatio, nutritio vero est appositio eius, quod est assimilatum ei, quod assimilauit: etsi fortasse rectius vocaret non appositionem, sed adiectionem & vnionem: nam appositio & agglutinatio, (vt ipse *in lib. 3. de Naturalibus facultatibus* testatur) nutritionem praecedunt. Porro, ex hac definitione aliae omnes, quae traduntur à bonis authoribus, natae videntur: cum natura assimilauit materiam, tunc vicit, quantum vincere potuit, & perfecit eandem, & vbi morbosa est materia, illam debellauit, oppressit, & repressit vehementem illius conatum: nam vbi similitudo facta est, non est amplius repugnantia, & vbi aliquid est putrescens, putredinem exuit, & id, quod acre est, acrimoniam deponit, quoniam, vt postea ostendemus, concoctio à moderato calore fit pro cuiusque materiae, quae concoquitur, natura; itaque, cum calor noster sit moderatus & secundum naturam, exuperans omnes qualitates assimilando tempe-

Concoctio & nutritio quomodo secundum Galenum differant.

A rat, & mitigat; igitur vna est concoctio in omnibus, quae concoquuntur, quia omnia concocta dicuntur, quando pro sua natura sunt assimilata concoquentibus; alimentum quidem concoctum tunc est, quando per suam substantiam & qualitates omnes simile est redditum parti concoquenti; pus vero & humores putrescentes concocti dicuntur, cum eorum qualitates similes quoque sunt redditae partibus concoquentibus: nam substantia puris & putrescentium humorum, cum sit corrupta, amplius assimilari non potest, & vniri substantiae nostrae, suo tamen modo dicuntur concocta, quia naturam concoctionis assumpserunt, nempe assimilationem eam, quam recipere potuerunt. B Quod si ita est, euidenter errant Auicenna & Manardus, qui plures species concoctionis in arte nostra fingunt inter se natura diuersas: non enim ex eo, quod melius, vel deterius, magis & minus assimilatur, species diuersae concoctionis statuendae sunt, sed vna est concoctio, quae (vt inquit Galen. *in lib. 2. de Victu acutorum*,) omnia concoquit, & illa omnia appellantur concocta, quae quantum fieri potuit, sunt euicta & assimilata à natura.

Concoctionem esse vnam.

Verum cum multae sint concoctionis species; maturatio, quae est concoctio, quae in fructibus fit; assatio, quae fit ab igneo calore; & elixatio, quae fit à calido & humido; concoctio, quae in nostro fit corpore, est elixatio quaedam, vel potius elixationi similis alteratio, C Galeno authore & Aristotele: fit enim à natiuo nostro calore, qui multo humore est temperatus, & vbi igneus est redditus calor noster, tunc putredinem facit, quia illam non potest assimilare partibus corporis, & vbi ille etiam imbecillior est, cruditas etiam fit, quia assimilatio non fit materiae cum corpore concoquente: quia vero alimentum per substantiam & qualitates omnes assimilatur, ideo perfecta est alimenti concoctio, & vt plurimum solent authores eam definire, cum simpliciter concoctionem definiunt, veluti, cum dicit Galenus, *concoctionem esse alterationem in propriam eius, quod nutritur, qualitatem*: alia tamen, (vt diximus) cum in eo facta D sunt similia, & non amplius calori nostro & naturae repugnantia, concocta quoque dicuntur, non secus profecto, quam illa, quae ab igne concoquuntur: siue enim illa assentur, siue lixentur, vel in sartagine frigantur, aut alio modo ad vsum nostrum parentur, omnia concocta dicuntur, cum euicta sunt & assimilata, & ad certam quandam temperiem redacta, quam res tum ex agentis vi, tum ex materiae diuersitate & repugnantia consequuntur. Nunc sequitur, vt doceamus, quaenam sint causae concoctionis: & primum materia, quae concoquitur concoquiq; in nobis potest.

Concoctionem in nostris corporibus elixationi esse similem.

Qua quidem in re quidam putant nihil concoqui posse, quod prorsus assimilari nequeat, ob E idque synceros humores, vt bilem vtramque, serosos humores, vel putridos concoqui nunquam posse asserunt, neque aliud deniq. quam id, quod in alimentum verti potest, vnde errare dicunt Medicos, qui bilis coctionem in purgantibus expectant, cum nullum humorem, qui à sanguinis, & alimenti natura penitus alienus est, concoqui posse multis rationibus

Concoctionis materia.

Opinio Villanouani recitatur.

Galeno probare conentur: primum argumentum ex vocabuli significatione sumunt, aiunt enim, id, quod concoctionem exigit, crudum, cruentum, & acerbum esse, quorum nullum de ipsa bile dici potest, cum sit illa post sanguinem, & excrementum concoctionis: Secundum argumentum sumunt ex naturæ ordine, primo enim naturam concoquere, secundo separare, tertio expellere: si ergo humores post concoctionem sunt synceri & secreti, superest, vt expellantur, non vt iterum concoquantur. Tertium sumunt ex his, quæ concoctionem iuuant, illa enim sunt, quæ natiuum calorem augent, vt potentius assimilet; hoc autem locum habere non potest in materia ad assimilationem penitus inepta; ergo illi humores concoqui nequeunt. Aiunt præterea, omnem concoctionem nutritionis gratia à calore natiuo tentari; quare, cum synceri humores, & corrupti nutriri nequeant, nec illi etiam concoqui poterunt; adferunt & in hac re testimonia ex Galeno, ait enim ille 11. *Methodi, putrida euacuatione, non alteratione vel concoctione sanari*; item *alio loco* cum scribere, *quod semicoctum est, concoquendum; quod vero concoqui non potest, expellendum*; concoqui autem non posse, quod à concoquentis natura est alienum, quippe cum quędam cognatio inter id, quod concoquit, & concoquitur, esse debeat, authore Galeno *in libro Artis Medicinalis*; qui etiam addit, ea esse concoquenda, quæ ad statum naturalem redire possunt; ea vero esse expellenda, quæ sunt præter naturam: postremo, nunquam Galenum humorem, qui herpetem facit, aut alium tumorem non phlegmonosum, aut flatum concoxisse, itaque aiunt, Hippocratem, cum præcipit, *concocta esse medicanda, & non cruda*, velle, non esse medicandum antequam sanguis crudus, & crassus sit concoctus: naturam enim per febres alimenti concoctiones interrumpere vi morbi, & propterea purgationem non esse tentandam, antequam sanguis ipse rursus coquatur, & in alimentum mutetur bonum. Hæc opinio à Villanouano primum orta est, & à multis iam recepta, quæ tamen vera non est, quod sic ostendo: & Primo respondeo ipsius argumentis. Igitur cum dicit, *id, quod concoctionem exigit, crudum esse*, verum dicit; *cruentum autem & acerbum*, non item: nam etsi in fructibus acerbum est primum, quod concoquitur, & aliquando in corpore, quod est cruentum, non tamen propterea omne, quod concoquitur, tale esse debet; etenim, bilis flaua à Galeno *in 2. libro de Victu acutorum*, cruda vocatur. Quod vero dicunt illi, *naturam primo concoquere, deinde separare, tertio expellere, & quod separatum est, non amplius egere concoctione*, verum quidem dicunt, si illud rursus aliam qualitatem non recipiat, quæ postulet concoctionem: vt enim materia, ex qua sanguis fit, concoqui dicitur, & concocta iam, cum in sanguinem est mutata, si tamen sanguis vel calidior, vel frigidior, vel alia ratione dissimilis factus fuerit naturæ & calori nostro, crudus vocatur, concoctusq; tunc dicetur, cum à natura victus fuerit, & assimilatus in eo, in quo dissimilis factus est, id quod apparet in generatione puris: nam sanguis antequam inflammationem faciat, cum est probe assimilatus locis, in quibus fit, optime

A concoctus dicitur; vbi vero confluxit in partem aliquam, & inflammationem facit ob prohibitam transpirationem, præter naturam incalescit, & putredinem concipit, & priorem naturam exuit, dissimilisque fit parti, in qua continetur, & ea in sanguinem agit: quod si vincat, concoquit, & assimilat quantum fieri test; quod si id præstare non potest, putridus manet & crudus, eo quod dissimilis relinquatur ex mutua actione ipsius & naturæ. Præterea, cum aiunt illi, *concoctionem omnem nutritionis gratia à calore natiuo tentari*, aberrant: nam vt Gal. 2. *de Naturalibus facultatibus* scribit, calor per se calefacit, *per accidens* autem concoquit, digerit, agglutinat, nutrit, etenim natiuus

Calor quomodo concoquat.

B calor, & partes, quæ eo sunt præditæ, repugnantes omnes qualitates vincere nituntur, id quod cum fiat per contactum, fit etiam, vt simile sibi reddant, quod patitur: & cum fiat id cum retentione, sequitur appositio, & cum dissipet humorem calor, sequitur agglutinatio, & tandem vnio agentis & patientis: igitur partes corporis & calor noster posteaquam vicerunt id, quod repugnat, naturali sua vi, nihil aliud tanquam sibi proponere possunt: finem enim sibi proponunt, quæ intellectu sunt prædita, natura vero finem quidem assequitur, sed eum sibi non proponit: igitur concoctio, quæ fit per contactum, & caloris beneficio vincit & assimilat, ad assimilationem vero pro materiæ, quæ con-

Naturam finem quidem assequi non tamen illum sibi proponere.

C coquitur, diuersitate, quæ plus vel minus assimilatur, accidit, corpus aliquando nutriri, aliquando vero minime. Quod autem adferunt ex Galeno *concoquenda esse, quæ possunt concoqui, & expellenda, quæ id pati non possunt*, recte quidem dicitur: nam Galenus sæpe concoctionem vsurpat pro ea mutatione, in qua perfecta fit assimilatio, & illa, quæ ita assimilari possunt, expellenda non sunt, vt quæ in corporis nostri substantiam transeant: contra vero, expellenda sunt, quæ sunt præter naturam: ita, vt nullam prorsus recipere valeant naturalem mutationem, quod in gangrenis facimus, vbi perfecta est putredo: quærimus enim omni ratione humorem putridum à parte educere, nulla præ-

D eunte alteratione: At si fieri posse pus credimus, etiam si certo scimus, nullam partem ex eo nutriri posse, tamen suppurationem procuramus, eam, inquam, victoriam & assimilationem, quam ipsa res admittit: *nam post victoriam & assimilationem, quod relinquitur dissimile, facilius à natura liberatum ab alteratione expellitur, & à medicamentis nostris educitur.* Quod vero aiunt illi, *Galenum nunquam concoxisse aliam materiam præter illam, à qua sperabat fieri posse nutritionem*, plane falsum est: nam ille in *lib. 2. de Victu acutorum*, bilem acriorem vocat crudam, & concoquendam esse, non curans, si cum sanguine ea commixta sit, vel à sanguine separata: vbicunque enim fuerit calor natiuus, aget in id,

In putrium quaeratur concoctio.

E quod sibi est dissimile, nec cessabit, donec, si poterit, vicerit, & assimilauerit, & tunc concoxisse dicetur. Scribit idem *in libro 6 de Simplicibus capite de Aristolochia*, flatus concoqui: & *in libro de Constitutione Artis Medicæ*, ait, humorem melancholicum difficillime, & post hunc bilem concoqui, & *in libro 1. Epid. text. 6. Comm. 2.* habet letharbosas dispositiones, quæ à pituita crassi-

Humores syncerus posse concoqui.

vel

vel humore melancholico fiunt, concoquendos esse: & *in lib. de Medicamentis secundum locos*, ait bonum esse omnes dispositiones concoquere. Plura possem ex eo authore adferre, nisi quilibet ea legendo notare facile posset; nonne etiam Aristot. *cap. 3. lib. 4. Meteorum* dicit, lachrymas concoqui, & mustum concoqui, & omnia denique posse concoqui, quorum humiditas, & materia vinci potest; Si praeterea concoctio victoria est in humore, qui incrassari potest (vt Aristoteles *ibidem* tradit) cur bilis, & synceri humores non poterunt concoqui? & cur humores omnes non concoquentur, si aqua etiam ipsa dicitur concoqui? & merito; quando enim igneas qualitates accepit, & illi quantum patitur sua natura, est facta similis, concocta merito dicitur. Sed quorsum, quaeso attinet, concoctionem expendere in synceris humoribus, cum quaerunt illi, an syrupi vim habeant concoquendi, vel iuuandi concoctionem? nam ea, quę per os assumuntur in corpus, vniuersam humorum massam alterant, & si quid in ea est, quod naturae alterantis repugnat, illud emendant, & aptum reddunt ad naturę cultum suscipiendum: nam cum humores sunt in ventriculo aut intestinis, & illi quidem pituitosi, vel biliosi, non solet Galenus concoctiones expectare, sed extenuatione, incisione, refrigeratione pro cuiusque humoris natura vtitur, & nulla expectata similatione, euacuatione vtitur; concoctionem vero quaerit, vbi humores sunt in venis inter se commixti. & de illorum concoctione lis orta est, quae adhuc perseuerat, an purgatio sit instituenda ante illorum concoctionem, & an syrupi nostri vim aliquam habeant concoquendi, & iuuandi concoctionem? De qua re postea agemus. Nunc sufficiat, materiam concoctionis docuisse. Sequitur, vt ad causam efficientem accedamus.

Aquam posse concoqui & quando dicatur concocta.

Concoctionis causa efficiens.

De qua re scribunt Aristoteles & Galenus, qui *passim* dicere solent, *concoctionem fieri à calore naturali, & propriè ei, quod concoquit*, nec aliam agnoscunt causam concoquentem, praeter hunc calorem. Verum, ego aliter sentiendum esse puto, nam concoctio in nobis, est *animae* quaedam actio, quae à potentia siue facultate concoctrice nascitur, vt attractio, retentio, & expulsio, quae praeter calorem agnoscunt causas suas à potentia attractrice, retentrice, & expultrice magis, quam à calore, nam Struthiocamelus ferrum & lapides concoquit, quod nullum aliud animal praestare potest aequali, aut ampliori, vel minori calore praeditum, nec alia potest assignari huius rei ratio, quam quod forma alia insit in illo, quam in aliis animantibus, cuius ratione fit, vt concoctio, & aliae actiones animae, quae propriè formam sequūtur, in eo peculiari quodam modo sit affecta, vt possit conficere eam materiam, cum qua formę aliorum animalium nullam habent cognationem, similitudinem, vel proprietatem, aut aliquid tale, quod exprimere possit hanc vim, quam habet ad concoquendum; igitur concoctio, cum actio quędam naturae sit, debet primum tribui *ipsi naturae*, id est, *formae rei*, à qua principium motus, & non solum quidem concoctiones, quae in nobis fiunt, proueniunt primum & praecipue à concoctrice animae facultate nobis insitae: sed etiam ignis author est e-

A lixationis & assationis, & omnium, quae concoquit, *non solum ob suum calorem, sed etiam ob intrinsecam magis suam formam, igitur concoctionis author in omnibus rebus est rei forma, calor vero, vt instrumentum est naturae, ita est instrumentum cōcoctionis.* Rectius ergo nos definimus, *concoctionem esse assimilationem, quae fit a re, quae concoquit, caloris beneficio & auxilio*, quam Arist. qui dixit, *esse perfectionem factam a calore:* nam omissa forma concoquentis, non agnoscitur causa in struthionecamelo, quae possit ferrum liquare, conterere, & tandem assimilare. Sed quoniam non possumus exprimere vim & differētiam formarum, quae facit, vt quaedam animalia à certis rebus nutriantur, à quibus alia purgantur, vel aliud

Ignis quomodo sit author elixationis & assationis.

B patiuntur, quia illa apta sunt pati à quibusdam, & tandem ipsis assimilari. haec vero sunt apta & nata, vt vincant, & non vincantur ab aliis corporibus; Accedimus ad calorem, cuius differentias nouimus & explicare possumus: Ac cum in nobis ostenderimus esse duplicem calorem, vnum insitum singulis membris, alium influentem à corde. ille est proprium instrumētum cōcoctionis singularum partium, quibus est insitus, hic vero commune instrumentū est, cum in omnes partes spargatur, vterq; tamen *separatus* ineptus est ad concoctiones obeundas, insitus, quidem ille, quia est veluti potentia calor, ad agendum non satis efficax, influens vero, quia nunc adest, nunc abest, nimirum, cum motu suo debeat, vt

Qui calor innatus vel alius concoctionis sit instrumentum.

C commune instrumentum, seruire singulis partibus, nec simul possit internis & externis adesse, quod somni & vigiliae generatio ostendunt, vterq; igitur calor ad concoctionem requiritur; quo fit, vt per somnū internae partes felicissime concoquant, quoniam tunc influens calor totus propemodum ad eas fertur, & illarum actiones adiuuat, addito robore & vigore, insito calori; contra vero, per vigiliam imbecillae admodum fiunt illic concoctiones, quia minimum caloris influentis in visceribus internis relinquitur, plurimum vero illius ad externas partes fertur, cuius beneficio illae sensum, motum, concoctionem, & alias operationes exercent. Sed quales, quęso, oportet esse hos calores concoctionis in-

Cur in vigilia imbecillior fiat concoctio, quam in somno.

D strumenta in nobis? an moderatum vtrumq; an vero paulo minorem moderato vel eo ampliorem? & quantum, quaeso, paruumne, vel multum? Sane si authorum testimonia colligemus, inueniemus profecto, omnes caloris gradus, qui in nobis reperiri possunt, fere concoctionis esse instrumenta: nam Arist. concoctionem dicit fieri à natiuo calore, id quod Galenus *in 15. Aphor. 1. libri*, & *in lib. de Const. Artis Medicae*, & *passim alibi* confirmat; eum vero, qui talis sit, dicit esse temperatum, propterea etiam quae cōcoquunt, mollientia & mitigantia mediocriter esse vult, *49. Aphoris. libri 4. & in 5. de Simplicibus, quando concoquere*, inquit *consilium est, quamplurimum spiritum seruare intus oportet*, quo loco etiam &

Quales oporteat esse calores concoctionis instrumenta.

E *in 7. Methodi* habet, *nihil ventriculi concoctioni aeque conferre, quam contactum corporis pueri bene carnosi*, tanquam halituosus ille & benignus calor, solus sit cōcoctionis author. *In libro* vero 14. *de Vsu partium*, scribit; *quod perfecte est calidum, concoquere, dissoluere; quod vero non valde multum a perfecte calido recedit, vt concoquere*, inquit, *est sufficiens, ita & aliquid superstes*

relinquere potest: quod ostendit concoctio, quæ fit in mammis in generatione lactis, & nutritio cerebri, & aliarũ partium, quæ frigidiores temperatis esse statuuntur, & tamen optime concoquunt & nutriuntur; quod etiam faciunt mulieres; illæ enim etsi frigidiores sunt, quam postulet mediocris temperies, tamen plurimos varios & difficiles cibos non semel solum quotidie, sed bis & ter concoquunt; *ergo calor, qui mitior est temperato, etiam aptus est ad concoctionem.* Scribit præterea Galenus *in 4. de Simpl.* maturationem in fructibus fieri à duplici calore, interno & externo à Sole; at hic non solum temperatus est & halituosus, sed etiam sæpe validus & siccus est. Alius locus *in lib. 1. de Alimentis*, in quo scribit, *biliosos & eos, qui sunt acriore calore præditi, melius concoquere bubulas carnes temperatis; igitur non solum temperatus & halituosus calor, sed etiam acris, mordax, & siccus ad concoctionem non est ineptus*; ac non solum quidem calor, qui intra limites sanitatis continetur, sed qui iam febrilis est Galeno teste, concoquit, vt *in 70. Aphorismo 5. libri & in textu 10. 3. Comment. 6. lib. Epidemion* patet, illic enim febrem ipsam coryzas, branchos, firmissime & certo concoquere, ita, vt non facile postea reuertantur, & lentum pituitosumque humorem in quartana concoquere etiam scribit. Pus præterea partim à natiuo, partim ab eo, qui est præter naturam, calore fieri scribit: errare ne ergo Aristotelem, & Galenum dicemus, qui concoctionem à naturali, & mediocri calore fieri scribunt? minime quidem: nam illi definiunt concoctionem, quæ aliarum omnium est regula, nempe eam, quæ fit in temperatis rebus, in mediocri & temperata materia; huiusmodi enim concoctio & assimilatio non requirit alium calorem: nam si minor fuerit, fiet cruditas adhuc in re, & nunquam perfecta sequetur assimilatio, quia materia excedit vim agentis; At si calor amplior fuerit, non solum assimilabit materiam, sed etiam illam torrebit & corrumpet, quemadmodum luculentus ignis aniculas non solum concoquit, sed vehementius exsiccat, & in puluerem redigit: ea vero intellecta concoctione, quæ mediocris est, & fit à mediocri calore in materia mediocri, facile intelligemus, quid aliæ requirant: nam vbi materia quantitate exuperat, vel frigidiores habet qualitates, aut crassitiem, vel visciditatem, quæ postulant ampliorem calorem, vt vinci assimilarique possint, tunc ad illarum concoctionem non est amplius calor temperatus, halituosus, sed requiritur, qui ad proportionem materiæ sit acris, & aliquando etiam febrilis; sed non omnes febres aptæ sunt; quæ enim sunt vehementissimæ, excedunt omnis materiæ proportionem, & tunc solet sequi putredo & mors, quia huiusmodi calor instrumentum naturæ esse non potest: qui vero mitior est, qualis solet esse calor quartanæ febris, non est ineptus ad concoquendos rebelliores humores; ita & calor, qui infra mediocritatem subsistit, ad concoquenda alimenta calidiora & acriora aptior est moderato; nimirum cum materia huiusmodi facile sequatur agentis actionem, & interim ex mutua actione & passione fiat temperies proba, & assimilatio sequatur; *omnis ergo calor, qui concoctionem facit, temperatus est & mediocris,*

Maturatio à quo calore fiat.

Calorem etiam febrilem facere ad concoctionem.

Qui nam calor febrilis possit iuuare concoctionem, & qui non.

Qui calor ad hæc vel illa alimenta concoquenda sit aptus.

A sed ille quidem, qui in moderata materia concoctionem facit, & in hominibus temperatis, est simpliciter, & reuera tẽperatus & mediocris: alius vero nõ simpliciter, sed cõparatione facta ad id, quod cõcoquit, mediocris & tẽperatus dicendus est: vt magnus ignis ex multis & crassis ligni accensus, ad membra integra bouis concoquenda non dicitur magnus; sed mediocris & temperatus. Ex quibus quidem patere puto, qualis calor requiratur ad concoctionem. Quid vero sentiendum sit de generatione puris, an illud inquam fiat à duplici calore, vel vno, inquam, postea docebimus, cum Aphorismum explicabimus, in quo scribit Hippocrates, dolores & febres fieri magis, dum pus conficitur, quam cum illud B est confectum & genitum: hic vero illud solum addam, quod in Arist. notandum est, ille enim vt calorem naturalem solum dicit esse concoctionis authorem, ita cruditatem à solo frigido, i. calore debiliore fieri scribit: nam in animantibus frigus reuera non agit, vt Galenus docet, verum vt in fructibus forte hoc verum est, ita in nobis non item: nam calor cruditatis etiam est author, vt in humoribus putrescentibus apparet, qui crudi fiunt, superueniente febre, cum antea per sanitatem essent concocti; illi ergo dissimiles & crudi facti sunt à calore febrili & à moderato frigidiorique rursus coquuntur. Hic nunc pauca subiicio de fine ipsius concoctionis, ex quo concoctionem definiui, cum dixi illam esse assi- C milationem.

Sect. 2. aph. 47.

Calorem etiam esse cruditatis autorem & quinam ille sit.

Concoctionis finis.

Nam alteratio, quæ fit, dum res concoquuntur, melius intelligi non potest, quam ex fine, qui euidenter apparet, dum res sunt concoctæ: nam quæ obscura erat, dum fieret, euidens apparet, cum facta est assimulatio, & vt motus eiusdem naturæ est cum ipsa perfecta forma, nimirum cum motus sit forma imperfecta, sic concoctio non est alia actio, quam assimilatio, etsi tendit ad perfectam assimilationem; Si ergo finis concoctionis est *assimilatio*, cur dixit Aristotel. *cap. 2. lib. 4. Meteoron*, finem concoctionis in aliquibus esse naturam, & veluti formam, & essentiam, in aliis vero subiectam quandam formam, ad quam res, quæ concoquitur, conten- D dit? an hæc aliud sunt, quam assimilatio? minime quidem, vt arbitror, sed hæc exprimunt finem concoctionis, & quando res illum sint assecutæ, ostendunt: quæ enim maturantur, tunc reuera matura, & concocta cognoscuntur esse, cum semen, quod intus est conclusum, formam iam est assecutum, qua iam possit sibi simile procreare; merito ergo in illis natura, & forma dicitur esse finis concoctionis, id est, quod illa tũc bene concocta agnoscamus esse, cum iam in illis natura, & forma esse potest, in aliis vero, quæ concoquuntur, vt in tuberculis, nunquam alteratio, quæ fit, formam perfectam assequi potest, cum in ea materia, quæ relinquitur inutilis, & excrementum, natura esse non possit, sed simili- E tudinem solum *quandam, in qualitatibus*, inquam, parit, propterea *quædam* formæ est, & nõ simpliciter forma, quam res, quæ ita cõcoquuntur, assequi [illegible].

[illegible]

Nunc sequitur, vt species, si quæ sint, & differentias concoctionis enarremus, de qua re scribit Aristoteles *in lib. 4. Meteorologicorum cap. 3.* vbi concoctionis tres species facit, maturationem,

Concoctionis species.

Concoctionis species. maturatio quid. quid elixatio, & assatio.

nem, elixationem, & assationem: appellat autem maturationem concoctionem alimenti, quod in arborum fructibus est, ad quam redigit tuberculorum, pituitæ, & aliorum humorum concoctionem; elixationem autem definit esse concoctionem indefiniti in humore existentis ab humido calore factam, & interpretatur *indefinitum*, quod est aereum, vel aqueum, & dicit fieri à calore igneo in humido: assationem vero dicit esse concoctionem, quæ fit à calore alieno & sicco, cuius exuperantia vocatur adustio: sub assatione videtur comprehendere etiam tostionem, eorum scilicet coctionem, quæ in sartagine coquuntur, quæ quidem omnia recte dicuntur, eo forte excepto, quod scribit de concoctione tuberculorum, pituitæ, & aliorum humorum in nobis. nam Galenus passim concoctiones, quæ fiunt in nobis, elixationi similes esse dicit; sed si Aristotelis principia sequamur, potius huiusmodi concoctiones erunt maturationes, quædam, quam elixationes; quæ enim maturantur, omnia, inquit, crassiora redduntur & maturantur omnia potissimum à calore proprio, at ea, quę elixantur, coquuntur à calore, qui in igne est, & necessario non crassescunt, sed quædam tenuiora reddūtur, alia grauiora, alia minora; propterea, inquit, oleum non elixatur, qui nihil horum sumit: ergo concoctiones, quæ in nobis fiunt, ad maturationem potius redigendæ sunt, quam ad elixationem, etsi antea ex Galeno aliter statuimus. At ea cibi concoctio, quæ in corpore procuratur, ad elixationem accedit: præsertim cum in omni re humida, & calida corporis calore fiat, cruditatesque nonnullæ similes sunt, non plenæ elixationi, vt Aristot. scribit *dicto cap. 3. libro 4. Meteorum.* Sed cur concedimus assationem, elixationem, & maturationem, species esse concoctionis, & superius negauimus, aliquas esse species concoctionis? quoniam illæ, quas facit species Aristoteles, reuera species sunt, quia formam, efficiens, & sæpe materiam habent diuersam, in nobis vero mutationes omnes, quæ fiunt, maturationes quædam sunt, quare in illis nulla est differentia per species, & in hoc euidenter errat Montanus, qui omnes eas species in nobis fieri putat, maturationem in concoctione tuberculorum, elixationem in generatione humorum, assationem in generatione ossium; nam (vt iam ostendimus) nulla elixatio proprie dicta in nobis fiet, ita absurdum est dicere, ossa fieri per assationem, cum calor noster maxime in generatione, nec igneus sit, nec siccus, sed aereus, aqueus, & halituosus, igneus vero postea euadit progrediente ætate, vt Galenus ostendit *in secundo de Temperamentis*, cum de calore puerorum, & iuuenum disputat: aliud præterea est agere de generatione, aliud de concoctione, quod si generatio forte concoctione vtitur, adhibebit non aliam concoctionem, quam maturationem, quæ à natiuo calore fit in materia, quæ incrassatur.

Oleum cur non elixatur. concoctiones tuberculorū, quæ in nobis fiunt, maturationi esse similes. Sed cibi concoctionem elixationi.

Cur maturatio, assatio, & elixatio sint species concoctionis.

Maturationes omnes, quæ fiunt in nostro corpore, esse quasdam maturationes.

Cæterum differentiæ quędam in concoctione notari possunt, & illæ sumentur vel à differētia instrumenti, vel à differentia termini, quem assequuntur concoctiones, vel à diuersitate materiæ, quæ concoquitur.

Concoctionis differentia vnde sumantur.

Quædam enim fiunt concoctiones à solo calore natiuo, & insito rei, in qua fit concoctio: aliæ ab externo; aliæ ab vtroque: & quæ ab insito calore fiunt, quædam fiunt ab eo temperato vel humido, vel acri, vel etiam febrili, pro natura, inquam, eius, quod concoquitur, quod diuersum postulat calorem, vt vnitatem. Sunt porro inter illa, quæ concoquuntur, quæ perfectam assimilationem assequuntur, vt alimenta: alia, quæ solum per qualitates, vt humores putrescentes, vel acres, & mordaces, aut frigidiores, aut qui aliam habent qualitatem naturæ repugnantem, & dissimilem, vnde resultat differentia in materia concoctionis, quod quædam per substantiam, & qualitates assimilari possit, vt alimenta: alia vero solum per qualitates vitiosi humoris, sintque hæc satis de differentiis concoctionis, ex quibus, intellectis fontibus, à quibus omnes emanant, quilibet alias, si quæ sunt elicere potest: nunc sequitur explicandum, quomodo fiat concoctio.

Qua in re scribunt nonnulli Medici concoctionem proprie nec incrassare, nec extenuare, sed vincere, in qua victoria tamen accidere, vt nunc tenuiora, nunc crassiora fiant, quæ concoquuntur; cuius opinionis author fuisse videtur Auicenna, qui concoctionem adæquationem humorum esse definiuit: alii vero concoctionem semper volunt incrassare, & ad id probandum vtuntur variis Galeni locis, & rationes addunt ex natura rei ductas: scribit enim Galenus *4. textu 4. lib. de Victu acutorum*, concoctionem omnia cogere & incrassare; item 15. 3. *Commentarii 6. Epidemion*, ita habet: *Quæcunque à calore in coquendo mutantur, temporis progressu lentorem quendam acquirunt, & si ab initio nullum habuerint: passim* præterea ille, cum de sputo, vrinis, & aliis humorib. loquitur, cum ea quę tenuia sunt, cruda vocat, at cum actione caloris crassiora sunt facta, concocta: sumuntur autem rationes primum ex solidarum partium concoquentium natura, quæ solidæ & crassæ sunt, quæ cum assimilando agant, necessario illa, quæ concoquunt, crassiora reddent: inspissatio præterea, vt Aristoteles docet *capit. 1. 2. & 3. d. 4. Meteor.* fit, cum humidæ partes consumuntur, & siccæ humore suo dissoluto, coguntur. Docent præterea illa, quæ concoquuntur: mel enim concoctū crassius euadit: rectius ergo hi sentiunt, qui dicunt concoctionem crassitiem, & lentorem quendam rebus, quæ concoquuntur, addere. Verum aberrant, cum id in omni concoctione fieri putant: nam vt docet Aristoteles, elixatio non semper reddit res crassiores, sed aliquando minores, aliquando grauiores, aliquando tenuiores, aliquando diuersas, vt lac per elixationem diuiditur in serum & caseum: nam & carnes, quæ elixantur, reuera non fiunt crassiores, sed minores, & leuiores: maturatio vero semper incrassat, vt idem author scribit, nimirum, cum materia eorum, quæ maturantur, non fit ex solo humore, sed cum sicco & terrena portione admista. ex quo etiam patet, concoctionem, quæ fit in nostro corpore, non esse omnino similem elixationi, sed maturationi potius, quippe cum omnia, quæ concoquuntur in nobis crassiora, & viscidiora fiant, vt docet puris generatio, quod cum concoctum est, longe crassius est, & viscidius, quam sanies, & humor, ex quo conficitur. Verum contra hanc opinio-

Concoctio quomodo fiat.

Concoctio quæ incrasset & quæ non.

Concoctionem semper non incrassare.

nem de maturatione, & incrassatione eorum, quæ coquuntur in nobis, nonnulla facere videntur: Primum, quod Galenus crudum vocatum humorem concoctione tenuiorem fieri scribit; & *in libro de Constitutione Artis*, dicit, crassos humores esse concoquendos, necnon vrinas subiugales, quæ sunt crassissimæ, crudas vocat, habet præterea *in libro de optima secta*, quod ea, quæ concoquuntur, funduntur, & humectentur: at fusio, & humectatio liquidiora omnia reddunt. Verum si hæc recte intelligantur, nullum relinquunt dubium de crassitudine, quam ratio, & experientia docent cõparari à concoctione in rebus, quæ concoquuntur; nam quædam miscentur aliquando actiones cum ipsa concoctione, aut in rebus crudis fiunt ab aliis causis, quæ extenuationis sunt authores, quas temere ad concoctionem referat aliquis: nam fructus, qui primum sunt acerbi, antequam natura aggrediatur illorum maturationem, quæ non potest fieri sine humido, primum attrahunt ad se humorẽ, ex quo fiunt humidi, & crudi, quia humiditas nondum euicta est à calore, & cum iam incipit cõcoctio, perpetuo fiunt tenuiores, postea semper illi crassiores: *igitur mixtio humoris cum re terrena humectationis, & tenuitatis est causa, non concoctio*: vnde crassiora redduntur, quæ concoquuntur. *Alia vero fiunt humidiora & tenuiora, non per mixtionem, sed per fusionem concreta substantia*, vt mel concretum, crassum quidem est, & cum primum igni admouetur, funditur, & liquatur, ante quam concoqui incipiat; non mirum ergo, si calor, qui habet vim non solum concoquendi, sed etiam fundendi, & liquandi concreta, humectationem parit, & tenuitatem, quæ ad concoctionem vtique non sunt referenda, tametsi Galenus *in libro de Optima secta* aliter sentit, cum, dicit, illa, quæ concoquuntur, fundi & humectari. nam si materiam concoctioni dederis, quæ concreta non sit, fusione non egebit, nec humectationem fieri videbis: quare cõcoctio non debet emendare vitia, quæ sunt in materia, omnia, sed solum, quæ faciunt cruditatem: res autem non dicuntur crudæ, eo, quod sint concretæ; quare mutatio non fit ex concreto in coctum, sed in fusum, & liquatum; sic enim seruatur mutationis ratio ex contrario in contrarium. *Alia vero fiunt tenuiora, non per mixtionem humidi, nec per fusionem, sed per separationem partium crassarum ab aliis*, quomodo vinum mustum ab initio crassum, non per concoctionem fit tenuius, sed quia fex, quæ cum vera substantia vini est commixta, paulatim separatur & subsidet, quod etsi fiat per ebullitionem quandam non tamen fit per concoctionem, sed vi ipsius caloris, qui etiam vim habet separandi heterogenea, homogenea autem cogendi per concoctionem: id quod euidenter apparet in ipso vino, quod postequam expurgatum est à sua fece, tanto crassius euadit, quanto vetustius redditur, ita quidem agente, & concoquente natiuo calore, & in coctione continuo dissipando cum certa quadam mensura humorem ipsum; ergo concoctio semper incrassat, & si humectatio quædã fit & attenuatio, vel ab humectantibus, vel à fundentibus, aut à separantibus partes crassas à tenuibus, aut ẽt ab his, quæ vim

Quomodo quædam in concoctione videantur fieri tenuiora.

Concoctio quæ vitia emendet.

A habẽt extenuãdi: quæ omnia vel solus calor, qui in nobis est, pręstat, vt qui vim habeat hęc omnia efficiendi: vel quædam etiam ex illis à nostris medicamentis fiunt, vt ea, quæ dicuntur incidentia, & extenuantia, quæ Galenus solet præmittere concoctioni, vbi humores sunt crassi & viscidi, quos cum natiuus noster calor obtusus in tali materia præstare non possit, opem quærit ex arte nostra, vt postea facilius possit materiam factam aptiorem ad patiendum sibi assimilare. vnde Galenus *in libro quarto de sanitate tuenda & passim alibi*, ante concoctionem crassorum humorum extenuantia solet adhibere, vt satis ostendit *in eo libro* his verbis: *Si crudos succos iam attenuatos putes, vinum dato, quod ad*
B *concoctionem facit. & paulo post: crudi succi attenuandi, concoquendique sunt*: Separatis igitur operibus, quæ non fiunt à concoctione, eo quod non respiciant cruditatem, semper inueniemus naturam concoquendo incrassare.

Illud nunc sequitur explicandum, quænam sint, quæ possunt concoctionem iuuare, quæ disputatio attingit etiam quæstionem de Syrupis, vt vocat vulgus, digestiuis, an scilicet illis debeamus vti ad concoquendos humores in febribus, & aliis affectibus, in quibus humorum adest cruditas, de qua quidem re extat Manardi epistola, in qua quæstionem hanc proponit, & tandem concludit, paucos admodum esse Syru-
C pos, qui possunt iuuare concoctionem, quippe, cum concoctio fiat à nostro calore, qui multo humore abundat, & propterea illa dicantur iuuare concoctionem *in libro quinto, de simplicibus, & passim alibi* ex Galeno, quæ moderate calefaciunt, & humectant, vel si extrinsecus admoueantur, cum his qualitatibus simul etiam habent vim emplasticam, aut astringentem, qua natiuus calor intus augeri & concludi potest: ex quibus quidem concludit, paucos esse syrupos, qui possint iuuare concoctionem, quosdam enim ex illis refrigerare, alios vehementius calefacere, & exsiccare, alios purgare, alios incrassare, alios extenuare, alios obstructas vias aperire, minimam autem illorũm portionem super-
D esse, quæ possit concoctionem iuuare, quoniam paucissimi sunt, qui possint ea mensura calefacere, & humectare, quam requirit concoctio. Verum ille perperam sentit, nec Galeni sententiam intelligit: nam si illius testimonio certandum est, plura inueniemus apud illum esse, quam calida, & humida, quæ concoctioni opitulari sunt apta: nam etsi idem, quod ille, scribit *in libro de Constitutione Artis*, & *in libro quinto, de Simplicibus*, tamen alia adfert ad rem hanc apta: nam *in secundo libro de alimentis*, *capite de citreo malo*, scribit, *omnia, quæ habent acrem qualitatem, concoctioni aliquid conferre*, & *in quarto, de sanitate tuenda*, ad cibos concoquen-
E dos adfert piper, quod etiam facit in *primo, ad Glauconem* ad concoquendos pituitosos humores, qui abundant in quotidiana febre. Est alius locus *in libro sexto. Epidem. Comm. 2.* diligenter notandus, vbi ad hunc modum scribit: *Concoctione, & mutatione in optimam qualitatem humorum, qui morsionem excitant, morsus, & nausea sedantur*, & subiungit: *Fit autem qualitatis mutatio per contrariam qualitatem.* Scribit

Quænam sint, quæ possunt concoctioni iuuare.

Syrupi digestiui an ad humores concoquendos sint vsurpandi.

Manardi opinio refutatur.

Scribit præterea *tex. 22. 3. comm. 6. Epidemion.* inediam ad concoctionem malorum humorum iuuare, & *in 8. Methodi*, in biliosis ad concoctionem obesse scribit : vbi etiam inter alia laudat aquæ potionem ad concoctionem perficiendam. Præterea, ad concoctionem somnum, & nunc quietem, nunc exercitationem, cōsuetudinem, parcimoniam, & simplicitatem cibi conferre, quilibet ex eo authore discere potest; & idem præstare febrem nonnunquam, *superius* ostendimus. Quod si ita est, non solum calida, & humida, & emplastica leuiterque adstringentia opem ferent concoctionibus, & merito quidem : nam si concoctio fit, cum natura vincit, & assimilat materiam crudam, non vnum genus eorum esse oportet, quæ concoctionem iuuare possunt, quoniam non vna est natura eorum, quæ concoquuntur; nec in illis vnus est repugnantiæ, & dissimilitudinis modus, propterea varianda est concoquentium ratio pro materiæ, & concoquentis naturæ & instrumenti vi; Galenus autem, vt ille sæpe admonet, cum aliquid absolute pronunciat esse bonum vel malum, ad concoctionem, vel nutritionem, aut aliud naturę opus, intelligit hoc fieri in corporibus temperatis, & iis, qui temperate viuunt, ita vt in illis agentia, & patientia mediocriter sint affecta, in his profecto concoctio à calore moderato, & halituoso perficitur, & si quod auxilium ad concoctionem afferendum est naturæ, illud debet esse simile ipsi, & calori natiuo, quo vtitur ad omnia officia sua obeūda; At si materia, quæ concoquenda est, aut ipsa concoctrix facultas, aut instrumentum concoctionis præter naturam se habeat, tunc per contraria ei, quod obest concoctioni, est succurrendum; id enim postulat curandi & agendi ratio, cum res præter naturam habent; itaque si materia, quæ concoquenda est, ob copiam excedit facultatis concoctricis & natiui caloris vires, tunc inedia, parcimoniaque cibi propria sunt auxilia contra ea, quæ concoctionem vitiant in corporibus temperatis aut calidioribus; fit enim in illis assatio, cum non seruetur proportio materiæ, & agentium causarum. Eodem pacto, si materia crassior est, aut frigidior, aut minus aquosa, vel terrestris: contrariæ his vitiis qualitates opem ferent assimilationi & concoctioni. Quo fit, vt vinum in febribus admodum pituitosis semper conueniat, etiam si non appareant signa concoctionis, *quoniam frigida & crassa ea materia a vino funditur, extenuatur, calefit, & ita minori negocio à calori vinci & assimilari potest*: in febribus vero ardentibus & acutis, nescio quando illud vnquam conferre possit: scribunt maiores nostri, vinum dandum esse, vbi apparere incipiunt signa concoctionis; at hoc fit increscente morbo, quo tempore quid deterius fieri potest, quam pabulum & ignem addere febri : nec ei quidem illorum opinio defendi potest, quod vinum laudent minime generosum, sed aquosum: nam in vehementi febre, quæ etiam temperata sunt, calefaciunt, & ne contentiosis detur calumniandi locus, non satis refrigerat, cum non sit contrarietatis æqualitas, nec dari quidem potest vinum ad robur caloris innati : nam robur accedit naturæ ex moderata temperie, non ex qualitatibus. Vix ego crediderim, vinum prodesse aliquid posse declinante febre acuta, cum vehementior adhuc supersit calor, qui ex minima quaque occasione accendi potest : nam si Galenus in biliosis naturis præsente solum febre diaria, aquam præfert aliis potionibus ad concoctionem, tanto magis profecto erit cauendum à vino in acutis febribus, vbi omnia sunt vehementiora & deteriora. Quædam igitur ex his, quæ concoctionem iuuant, respiciunt materiæ vitia per contraria; alia vero vitia ipsius facultatis concoquentis; quæ omnia (si Galeno credimus,) etiam temperiem spectant; tanto enim validior est ad agendum omnis facultas nostri corporis, quanto æquabilius est temperamentum eius corporis, in quo residet. Quo fit, vt per contrarias qualitates hoc etiam modo iuuetur concoctio.

Vinum in febrib. admodum pituitosis semper prodesse, & cur.

Vinum non declinanti in febri acutæ prodesse.

Cæterum quæ concoctioni opitulantur, eo quod conferant aliquid caloti innato, non vno modo prosunt; alia enim id faciunt, quia illius substantiam augent: alia quod ipsius qualitates temperent excedentes, vel imbecilliores excitent; augent vero illius substantiam, quæ vel illam gignunt, aut intus concludunt, aut ab aliis partibus reuocant, & in eam contrahunt, vbi concoctio fieri debet; si quidem vinum alia ratione prodest concoctioni, quod spirituosam substantiam corpori addat, qua constat substantia calidi innati, & exercitatio idem præstat in corporibus frigidioribus: ex crudiore enim materia bonus sanguis gignitur per exercitationes, ex quo augetur substantia calidi innati, & excitatur pariter calor qui in eo est obtusus. Porro, emplastica & astringentia remedia, quæ extrinsecus adhibentur, ferunt opem concoctioni, eo quod spirituosam substantiam, quę continuo exhalat, intus concludunt, vnde suppuratio optima fit, cum talia adhibentur præsidia; at somnus ad concoctionem ventriculi & partium internarum confert : quia calidum influens colligit ex omnibus partibus, & reuocat ad ea viscera interna. Nunc superest, vt ad explicationem verborum Hippocratis accedamus, sine quibus reliqua, quæ proposuimus explicanda de concoctione, intelligi non possunt.

Quæ concoctioni opitulantur, non vno modo prodesse.

Πέπονα φαρμακεύειν.

Concocta medicari.

OMnia, quæ sequuntur dicenda, pendent ex ratione horum verborum, cur scilicet expectanda sit concoctio, cum purgare volumus : cuius rei hanc reddit causam Galenus, *quoniam*, inquit, *naturam etiam ipsam habebimus adminiculantem*, & hoc fieri ait, quia natura post concoctionem humores separat, & superfluitates expellit: quę verba etsi doctis forte sufficere possint, tamen aliis necessaria est paulo longior & facilior explicatio, quam ex ipso authore ita doceo. Scribit ille *in 3. libro Methodi, & in 3. de Naturalibus facultat. passimque alibi*, in omni concoctione fieri duo genera excrementorum : alterum crassius, alte-

Cur expectanda sit concoctio, cum volumus purgare.

rum tenuius; & merito quidem, nam cum id, quod concoquitur, sit dissimile actu ei, quod concoquit, & potentia solum simile, necesse est, vt agendi patiendiq; vim habeat, ex quo fit, vt partes in se contineat contrarias, quæ nunquã assimilari posśut, alias vero similes, quę post mutuam pugnam vtiles remanent; *Concoctio igitur requiritur ante purgationem, quoniam ex concoctione apparet, quod simile est, & quod dissimile,* & posteaquam similitudo facta est, si perfecta fuit assimilatio, in qua substantia & qualitates rei, quæ concoquitur, mutatæ sunt, tunc nutritio fit, eo adiuncto corpori, quod ita simile est factum, & excrementum tenue, & crassum tūc relinquitur, quod cum nutrire partes nequeat, tunc reiiciendum est, tanquam inutile, à corpore; at si quod concoquitur, totam inutilem habet substantiam vel suapte natura, vel ob corruptionem, quam accepit à causis agentibus corrumpentibusque, sed qualitates tales, vt vinci possint, tunc per concoctionem assimilatio quidem fit rei, quæ concoquitur secundum qualitates, nihil tamen secundum substantiam assimilatur; vnde post concoctionem quidquid ex eo est concoctum, totum expellendum, quia totum excrementum est: nec in ea concoctione, in qua non fit nutritio, resultant ea duo excrementorum genera, vt apparet in generatione puris in abscessibus: *At si nec substantia, nec qualitate emendari possint,* non suppuratio, sed perfecta fit putredo: quæ omnia fieri solent in inflammationibus, sanguis enim vniuersus, qui inflammationem facit, conclusus in loco angusto extra vasa, calorem concipit præter naturam, ex quo putredo perfecta in eo nascitur, quæ est integra corruptio, si præter naturam & inutilis prorsus redditur calor, qui in eum agit: ad quod vitium emendandum nulla sufficit concoctio, sed separatio statim requiritur rei corruptæ à sana, & sufficit aliquando sanguinem corruptum auferre, vbi putredo eum solum inuasit: aliquando vero etiam membrum, quod ex contactu sanguinis infectum, simul rescindendum est, ne pars syncera trahatur in eandem contagionem, vt in gangrenis fit. Quod si leuius vitium est in sanguine, ita, vt leuem adhuc corruptionem ille senserit, & calor penitus inutilis naturæ operibus non est factus, tunc per concoctionem emendatur vitium: sed non prorsus potest fieri assimilatio, sed solum per qualitates, quia quod putredinem sensit, habet aliquid in se corruptum, illud autem nunquam ad pristinam naturam redire potest, aut in nostram naturam assumi: fit ergo pus, quod per qualitates assimilatur pro concoctionis maiore aut minore perfectione, plus vel minus; substantia vero, quæ subest qualitatibus, assimilari non potuit, quia illa est, quæ putredinem sensit, siquidem putredo est corruptio, hæc autem substantiæ passio. Igitur pus totum excrementum, quod totum euacuandum est à corpore, igitur concoctio requiritur ad purgationem: quoniam per purgationem debemus, quod est inutile & excrementum corpori, educere, & relinquere quod est vtile; sola autem concoctio assimilando ostendit, quod in re ipsa erat vtile, & inutile, & excrementa gignit; me-

Putredo perfecta quando fiat.

A rito ergo scribit Hippocr. *cruda non esse medicanda, quia cum cruda res sunt, vtile cum inutili est commixtum,* vt in concoctione, ad quam sequitur nutritio; aut quod prorsus est inutile, post concoctionem tale agnoscitur esse, vt in generatione puris & in humoribus putrescentibus in venis per febres putridas. Hæc est vera ratio, quare concoctio expectanda sit vbi corpora sunt purganda, quam ante nos nemo, quod sciam euidenter expressit, aut ad immediatam causam redegit.

Cur cruda non sit medicandum.

Nunc illud sequitur explicandum, an omnes humores concoquendi sint, cum purgare volumus corpus. In qua quidem re, variæ apud Medicos extant controuersiæ: nam quibusdam id simpliciter pronunciant in quacunque purgatione, & in quocunque humore, qui euacuandus est per medicamenta purgantia, aut etiam per illa, quæ vrinas, aut sudorem mouent: alii solum putant, coctionem necessariam esse ante purgationem in humoribus, qui infra sanguinem subsistunt, qualis est pituitosus humor, qui in sanguinem verti potest, alios enim humores, qui supra sanguinem sunt, vt qui iam concoctionem excesserint, veluti est vtraque bilis, non esse concoquendos, quia crudi non sunt, quippe cum sint plus iusto assati: alii aliter sentiunt. Ego vero puto, *solum concoctionem requiri ante nostras purgationes in humore, qui putrescit, in aliis vero nequaquam*; & contra alias omnes opiniones argumentor, sumpto ex diuisione humorum principio, in qua eos omnes comprehendo: vel enim humores concoquendi (ex eorum opinione) sunt synceri & separati à tota massa, quales sunt, qui extra venas continentur, vt pituita in ventriculo, intestinis, aut in alia parte corporis, & bilis flaua in folliculo fellis, vel in tumoribus, qui in partibus fiunt, & humor melancholicus syncerus reperiri potest in liene, & serosus humor in renibus, & vesica: aut cum tumorem fecit in aliqua parte; vel commixti sunt inter se omnes, vt in tota massa sanguinis, quę est particeps omnium humorum: vel tota est ipsa massa, quæ concoquenda est.

An omnes humores, cum volumus purgare corpus, sint concoquendi.

B

C

D Porro qui peccant, vel peccant quantitate, vel per qualitates, vel ex putredine & corruptione: synceri humores primo concoquendi non sunt, cum purgatio sequi debet: nam vel illi infra sanguinem sunt, vt pituita: vel supra sanguinem, vt bilis vtraque, aut est serosus humor: *nã sanguis purus pro quarto humore nusquam syncerus reperitur*: iam dico pituitam non esse, quæ concoctionem postulet ante euacuationem, quæ fieri debet per purgationem: & primo sumo, quod illi dicunt, pituitam esse sanguinem diminute coctum, & per meliorem concoctionem eam mutari in sanguinem: quod si ita est, post illius concoctionem non erit opus euacuatione: nam post sanguinis illius generationem, pituita nulla remanet, quæ euacuationem aliquam postulet: quod enim in aliud iam mutatum est, non amplius est, quare nec euacuari, nec aliud pati potest: quod si dicamus, in generatione sanguinis fieri non simplicem sanguinem, sed eum, qui ex quatuor humoribus est compositus, & propterea etiam pituitam gigni, vt hoc refelle-

Purũ [illegible] nusquam reperiri.

Pituitã [illegible] cum euacuatur, non egere concoctione.

E

cefellere facile possem, nimirum cum ex pitui- A
ta, quæ sit actu, non possit rursus pituita fieri, ta-
men hoc nunc illis concesso, non sequitur pro-
pterea purgandam esse pituitam, quæ cum san-
guine fit & manet, illa enim requiritur ad con-
stitutionem massæ sanguineæ, & corporis nutri-
tionem, nec aliquid ex ea superest excremento-
sum, vbi bonam & vlteriorem concoctionem
supponimus factam, cuius vi, ex pituita bonus
sanguis est genitus.

Deinde si concoctio præcedere debet pur-
gationem, quoniam concoctio gignit excre-
menta, & quod bonum est, & post illam possu-
mus separare excrementa ab eo, quod est vtile,
necesse est ex sua concoctione pituitæ synceræ B
& separatæ ab aliis humoribus, resultare duo ge-
nera excrementorum, vnum crassius, alterum
tenuius: at, quænam quæso, erunt excremen-
ta, quæ ex concoctione talis pituitæ fient? quo
nomine vocabuntur, aut ab antiquis vnquam
fuerunt cognita & nominata? quid præterea
relinquetur mediocre præter duo illa excremen-
ta ex pituita? an forte chylus? ergo ex pituita
fiet chylus, & excrementa concoctionis pitui-
tæ erunt stercus & vrina? eadem igitur excre-
menta chyli & pituitæ, eadem est materia ho-
rum omnium cibus, vel pituita sola, nihil ergo
referet, si quis pro pane, carne & aliis alimentis,
pituitam ingerat, quippe cum ex hac absurda o-
pinione sequatur, ex omnibus his rebus fieri C
concoctionem in ventriculo, & intestinis, & a-
liquid mediocre in ea relinqui, & stercus & vri-
nam fieri.

At dicet aliquis, non esse chylum, qui fit ex
concoctione pituitæ synceræ & separatæ ab a-
liis humoribus, sed sanguinem, sequitur ergo in
ventriculo, in intestinis, & extra venas & he-
par sanguinem fieri. Deinde, eadem argumen-
ta vrgent; quænam, quæso, ex solius pituitæ mu-
tatione fieri possint excrementa? & quid præ-
ter excrementa vtile relinqui potest? nam in
generatione sanguinis, ex quo nutriri debet cor-
pus, fiunt simul quatuor humores, & oportet
materiam, ex qua possint tot humores fieri, qui
quatuor elementa repræsentant, non esse sim- D
plicem & qualemcunque, sed talem, vt omnia
illa elici ex ea possint, vt sunt alimenta, quæ
singulis animantibus à natura sunt data, pitui-
ta vero, quæ frigidissima, & humidissima est,
quomodo, quæso, potest, esse materia alio-
rum omnium quatuor humorum? an ex eo,
quod est frigidissimum & humidissimum, po-
test à mediocri nostro calore aliquid fieri i-
gneum, vt bilis, aliquid terreum, vt humor me-
lancholicus, aliquid aereum, vt purus san-
guis, præsertim in vna & eadem mutatione, in
qua simul omnia fiunt, & non per assationem,
& mutationem vnius in alterum, sicut ex v-
na bile alia fieri dicitur? quod si quis tres alios
humores fieri dicat ex ea concoctione pitui- E
tæ, saltem ille nunquam ita stupidus erit, vt
credat, ex ipsamet pituita rursus fieri pituitam;
at nisi pituita fiat simul cum aliis humoribus,
ex ea non fit sanguinis generatio, quippe cum
hic in se includat quatuor simul humores, nec
potest vnus sine aliis gigni: concedet ergo for-
te hæc opinio, idem ex seipso gigni, & ex eo,
quod actu est, fieri idem actu, contra omnia
philosophiæ & naturæ principia: non igitur
pituita, quæ extra venas est separata, conco-
quenda est, vt post concoctionem illam eua-
cuemus.

At nec pituita, quæ est in hepate, & venis
commixta cum aliis humoribus, ea est, quæ
concoctionem postulat, & post concoctio-
nem purgationem: nam si illa secundum na-
turam se habet, eam concoctionem accepit
in generatione totius massæ, quam pro sua na-
tura exigit: non ergo rursus concoquenda est,
aut idem debile, & humore melancholico di-
cendum, quæ etiam fiunt in generatione san-
guinis, & eos gradus caloris, & perfectionis
acceperunt, quam pro sua natura, & portio-
ne materiæ, ex qua fiunt, assequi potuerunt.
Quod si velimus, illam, quæ mixta est cum a-
liis humoribus, pituitam ad peculiarem con-
coctionem adhuc postulare, sequentur eadem
absurda, quod ostendere nemo possit, quæ-
nam excrementa ex ea concoctione fiant, &
quid mediocre sequatur. Præterea, si in mas-
sa sanguinis fit noua generatio sanguinis, idem
in seipso gignetur, & quæ ex prima erant con-
coctione facta, omnia commiscebuntur cum
aliis, quæ fiunt ex posteriore concoctione, &
infinita alia absurda sequentur: concoquitur
quidem rursus pituita, sed non sola, aut com-
mixta cum aliis humoribus, ita vt ex ea san-
guis, id est, generatio quatuor humorum fi-
at, *sed in nutritione singularum partium*: ex to-
ta enim massa humorum qui continentur in
venis, singulæ partes corporis nutriuntur,
præcedente illorum concoctione: at ex ea con-
coctione non relinquitur pituita excremen-
tum, sed sordes & vapor: *itaque pituita ante-
quam euacuetur, nullam concoctionem postulat*,
quia nullum vitium habet cum secundum su-
am naturam habet, quod exigit propriam
aliquam concoctionem: sed si frigidior est,
sola caliditate emendatur illius vitium: si cras-
sa, extenuationem requirit: si viscida, abster-
sionem & incisionem; si multa, consumptio-
nem, & diminutionem: quæ fit per ea, quæ
vim habent eam euacuandi: quod si salsa sit
aut acida, aut alio modo vitiata præter quam
per putredinem, nec etiam exigit concoctio-
nem, quia ea vitia nullam ponunt in ea cru-
ditatem, nec concoctio potest emendare ea
mala: quare nec Galenus vnquam salsam pi-
tuitam dixit esse concoquendam, & merito
quidem: nam per concoctionem emendan-
tur omnes qualitates, quæ sunt in materia,
quæ concoquitur, vt apparet in generatione
puris, & in concoctione alimenti; & substan-
tia etiam ipsa quantum fieri potest: non ergo
sola salsedo postulat concoctionem: nam si
alia, quæ in pituita sunt, non sunt cruda, mu-
tationem illa non exigunt per concoctionem,
vt sola salsedo emendetur: quod argumento
est, illa quæ cruda sunt, esse in omnibus dissi-
milia, quia per concoctionem fiunt per omnia
similia.

Pituita vbi & quomodo rursus concoquatur.

Quod vero nec bilis flaua, aut atra, quæ

Nec bilem flauã nec atram aliquã desiderare concoctionẽ.

suam seruat naturam, & temperiem, vt in sanis, & quæ etiam aliquam acrimoniam acquisiuit, aut paulo frigidior facta est, aliquam desideret concoctionem, siue separata sit à sanguine, siue cum sanguine commixta, siue iam morbos gignat, sed sine putredine, eadem argumenta, quibus vsi sumus contra concoctionem pituitæ, ostendunt: nempe, quod ex bilis concoctione vel flauæ, vel atræ, non possint resultare aliqua alia excrementa, nec aliquid vtile: quare nihil post illorum concoctionem separari potest ab alio; & quia cum gignerentur, acceperunt suam concoctionem, & eas qualitates, quas recipere potuerunt, & quæ postea in illis nascuntur vitia, in qualitatibus sine putredine, per contrarias qualitates emendantur: At hoc non est concoquere, sed alterare: concoctio vero non est simplex, & qualiscunque alteratio, sed quæ tendit ad assimilationem omnium qualitatum, & substantiæ, quantum fieri potest.

Concoctio qualis sit alteratio.

Quare turpiter errant, qui cum aliquem sanum cacochymum, biliosis humoribus plenum citra febrem, purgare volunt, syrupos dant ad concoquendum, cum nulla illic sit cruditas, sed fortasse crassities, caliditas, & obstructio aliqua tollenda sunt, per propria remedia, non per concoctionem, vt facilis fiat purgatio: nec vnquam Galenus tales humores in aliquo morbo dixit esse concoquendos: nec locus facit, qui habetur *in secundo de Victu acutorum*, vbi acrem bilem vocat crudam, nam bilem illic intelligit, quæ ex putredine acrimoniam accepit, quandoquidem eam dicit simul grauiter olere, quod putredinis est indicium.

In sanis cacochymis purgandis nullam præmittendam esse concoctionẽ.

At vero, cum iam putem constare, nullũ peculiarem humorẽ, qui non putrescat, cõcoctionẽ postulare ante purgationem, idem ostendamus de tota humorum massa, id quod facile est ostendere: nam tota massa, quæ semel genita est & facta per concoctionem in hepate & venis, nullam illic postulat nouam concoctionem, sed in singulis partibus alioqui ex totius massæ concoctione noua fierent excrementa, sed quænam, quæso præter humorem melancholicum, & flauam bilem? at hæc prius sunt facta, nec amplius fieri possunt, quod si tota massa humorum, qui in venis continentur, non est assecuta perfectos gradus concoctionis, & assimilationis, vt cum dicimus corpus humoribus crudis abundare ex crapula, ocio, & imbecillo calore, tunc non est facienda noua concoctio, sed quæ facta est, verum debilior, ad perfectionem ducenda, adhibitis remediis, quæ pugnant contra copiam materiæ, & eius qualitates, vt est inedia, & admota calefacientia, absoluta ea concoctione, remanent solum excrementa secundum naturam, qualia non egent purgatione per nostra medicamenta, sed à sola natura expelluntur. quare Galenus post remedia, quæ adhibet ad huiusmodi cruditatem emendandam, nullam instituit purgationem: quia ea concoctio tendit ad perfectam assimilationem, in qua solum fiunt excrementa secundum naturam, bilis, inquam, flaua, & atra, quæ iam erant inchoata, & posteaquam per vlteriorem concoctionem, in qua omnia, quæ sunt in massa, ad portionem perficiuntur, sunt facta, & absoluta, separantur, & expelluntur eo modo, quæ diximus à natura, quare postea non est opus purgationibus nostris.

Nec totam massam requirere concoctionem.

Sed contra vniuersam opinionem de concoctione humorum, siue illi sinceri sint, siue commixti, siue de vnius vel de omnium simul concoctione agamus, illud facit, quod Galenus in nullis febribus Diariis, in Synochis non putridis, in hecticis, in quibus tamen humores omnes & singuli sunt præter naturam calidiores, acrioresque redditi, nunquam dicat esse opus concoctione, nec aliquam nunquam dicat esse cruditatem humorum, nec aliqua sumi signa ex vrina aut pulsibus, quæ cruditatem factam aut concoctionem fieri ostendant: quæ omnia in solis febribus putridis diligenter obseruat & tradit.

Præterea, *in hoc comm.* scribit, naturam post concoctionem facere Crises: at crises propriè fere sunt morborum, qui cum febribus putridis infestant. Ex quo intelligere debemus, cruditatem nasci *ex putredine* in humoribus, & propterea in illis expectandam esse concoctionem, & post illam relinquitur excrementum, quod omnino separandum est ab aliis humoribus, nec aliter potest separari commode, quam per medicamenta purgantia.

Cruditas à humoribus vnde nascatur.

Quæ omnia sic ostendo: nam putredo, quæ corruptionem molitur in re, quam inuadit, dissimilitudinem facit, & quæ iam erant similia facta rebus concoquentibus, illa reddit excitatis causis morbosis & calore alieno naturæ operibus dissimilia in substantia & qualitatibus, vnde natura rursus eam materiam aggreditur emendare, & vincere, quod cum fiat per contactum, assimilando agit, & si fortior est, vincit, & assimilat, id, quod quidem potuit vinci & assimilari, qualitates, inquam, quæ sunt in re, quæ putrescit, excedentes & dissimiles agenti, substantiam autem non potest vincere, quia illa est corrupta, & hoc, quia putrida, & substantiæ non qualitatum (vt dixi) corruptio, & putredo vitia sunt: quare res, quæ putrescit, per qualitates solum concoquitur, id quod ostenditur, quia per qualitates assimilatur, per substantiam vero minime, quæ omnia apparent in concoctione & generatione puris: fit ergo excrementum, vbi hæc fit concoctio, totum illud, inquam, quod concoquitur, quod quidem vacuandum postea est, cum sit inutile corpori, & concoctionem proinde desiderat.

Putredo substantiæ, non qualitatum esse vitium.

Recte ergo dictum est, *cum purgandum est, vbi sit cruditas, expectandam esse concoctionem*, quia tunc natura fecit excrementum, & quia vicit quantum vincere potuit per qualitates, nec amplius tentat aliam victoriam per substantiam: quia vltra suas vires nihil agere potest: quo fit, vt cum medicamentum iam habeat excrementum sibi familiare, nempe, vel bilem, aut alium humorem concoctũ, & natura ab

ra ab illo etiam grauetur, tanquam ab excremento, mutuo auxilio fiat euacuatio, attrahente quidem medicamento, quod sibi est familiare, & expellente natura, quod ipsi est excrementum, id quod tunc commodè præstare potest, quia concoctionem absoluit, & nihil amplius habet, quod agat, præter quam vt expellat, ita instituto ordine inter actiones naturales nostri corporis, incipit enim attractio, vbi aliquid attrahendum est, sequitur retentio, postea concoctio, & hanc demum separatio & expulsio. Hæc ergo est ratio, quare purgationem, quæ à medicamentis fit, concoctionem præcedere oportet: nam concoctiones, quæ à natura fiunt ex vtili materia ad nutritionem, gignunt quidem excrementa, sed non illa egent nostris medicamentis, quoniam cum illa sint secundum naturam, vel familiaria sunt aliquibus partibus, vt humor melancholicus lieni, & vrina renibus, & bilis vesicæ, quæ annectitur hepati, ad ea excrementa euacuanda, natura instituit partes, quæ attrahunt, recipiunt, & tandem viam præbent extra corpus. alia verò sibi viam parant sua vi, vt stercus sua grauitate deorsum per intestina reuoluitur, & tandem in fundum corporis succedit: vapor & sordes quæ in tertia concoctione prouenîunt, facilè per externas partes, & cutis meatus expelluntur, aut sponte ipsa satis leuia exeunt. At humor putrefactus, nulli parti amicus, à nulla parte attrahitur, & cum naturam nō admodum stimulet amplius, victis iam qualitatibus, non expellitur, & *tunc solum expellitur, cum adhuc vigent in eo qualitates, quæ vehementer irritant naturam, vt per crisim fieri solet*: quod si tunc non expellat natura, necessaria omnino est purgatio, quæ tollat cineres relictos ex putredine, alioqui (vt inquit Hippocrates) recidiuæ fieri solent, mixtione mali cum bono, & noua rursus ex quacunque leui occasione excitata putredine. At cum humor qui per purgationē educitur, sit vel pituita, vel bilis flaua, vel serosus humor, quos humores sua vi medicaméta purgantia vndequaq; attrahere possunt, cur non præstat ab initio febris putridæ medicamenta propinare, & illos statim extrahere, & naturam liberare à negocio concoctionis, sublata materia, quæ putrescere incipit, & propterea dissimilis, & cruda est, quid enim sequi potest incommodi ex huiusmodi purgatione? dicam quod sentio: *si humores facilè moueri & trahi possint, præsertim ab illis medicamentis, quæ resistere possunt causis putredinis, maximè calori, laudanda omnino est purgatio, non solum vt recentiores putant, vt materia euacuetur, quæ solum continetur in primis venis, quæ morbum non facit, eo quod non putrescat, sed vt illa etiam, quæ continens est morbi causa, & putrescit, auferatur, quantum fieri potest*, vt in biliosis & ardentibus febribus rectè fieri videmus, in quibus vncia Cassiæ post venæ sectionem exhibita, nulla cum molestia aliquando plus quam duodecim libras humoris flaui & putridi educit, ex qua euacuatione dubium non est venas maiores exonerari, & videmus nec calorem accendi, nec alia symptomata augeri, imo omnia mitigari & meliora reddi, ac nonnunquam ægros prorsus liberari; *At si humores, qui putrescunt, difficilè ab aliis extrahi possint, & non nisi per vehementia remedia, vt accidit putrescente humore melancholico*

Humor putridus quomodo extra corpus promoueatur.

In quib. morbis iam ab initio purgantia propinare.

In quib. vo[...]

A *aut pituita: tunc absurdum est purgationem tentare, quoniam agitatur vniuersa humorū massa, calor putredinis author intenditur, dolores & torsiones in corpore nascuntur, repugnante scilic. humorum natura frigida, crassa, & viscida, separationi & motioni, quæ fit necessario in purgationib. & adiuuante hæc omnia incommoda medicamentorum vehementia, quibus vtendum est ad hos rebelles humores educendos.*

Quod si quis antiquorum Medicorum sententiis hanc opinionē confirmare velit, inueniet primum senem Hippocratē semper hæc obseruasse: nā ille in angina, in pleuritide, in causone, in omni deniq; morbo, vbi febres fiunt ex biliosis & calidis humoribus, ab initio purgationes
B adhibet, vt diligētius ostendemus, cum explicabimus Aphorismū, qui sequitur, vbi scribit: *in acutis passionib. raro, & in principiis purgandum.* Idem scribit Gal. *in Comment. eiusdem Aphor.* vbi concedit purgationes, si speremus maius cōmodum secuturum ex euacuatione noxii humoris, quam incommodū ex calore ipsius medicamenti: quòd planè nos in nostris medicamentis mitissimis perpetuò sperare possimus, & non solum spe vti, sed certa scientia: nam longa experientia per multa secula id iam confirmauit; omnes enim Medici, qui nati sunt post natam & inuentam cassiam, mannam, tamarindos, & alia purgantia, quæ ex rosis, violis, & sacharo fiunt, testantur suis operib. nunquam abfuisse in initio
C febrium putridarum ex calidis humoribus, purgationes ex nostris his medicamentis celebratas: soli ignari & timidi plus iusto his egregiis operibus aduersantur. & quibus, quæso, rationibus? non aliis profectò, quàm quod cōcoctiones sint expectandæ, & cum non intelligant, nec vnquam expresserint, quid concoctio sit, quid faciat, cur expectanda, temerè audent reclamare Medicinæ Hippocratis, Galeni, Arabum omnium, & experientiæ omnium Medicorum, qui vixerunt iam multis seculis præteritis, cum quibus in nulla re medendo vnquam comparari poterūt. Scio Galenum meticulosum fuisse in purgationibus adhibendis, & sæpe ab Hippocrate dissentire, vbi purgationē hanc commendari vi-
D det, & merito quidem: & quia vniuersam vim sui timoris ducit ex caliditate & vehementia medicamentorū sui temporis: at in nostris cessat hæc ratio, quæ vel nullo, vel exiguo calore sunt prædita, & plus adferunt commodi ex diminutione humoris, quàm mali ex febris augmento, quod nullū sequitur ab ipsis medicamentis, sed vi morbi, qui sua habet tempora, quæ necessario percurrit: sed leuiora & breuiora fiunt omnia euacuato ab initio corpore, vbi facilis fieri potest euacuatio; atqui si illi volunt concoctum esse humorē, qui euacuandus est, & in hoc etiā ipsis satisfaciam, nam in primis diebus qui laborant febribus ita calidis, emittere solent vrinas crassas, admodumq; flauas, quod fieri non potest, nisi ex
E mixtione humoris biliosi cū vrina, at mixtio huiusmodi fieri nō potest nisi separatus ille sit à tota massa, separatio vero hæc fieri non potest, nisi præcedente concoctione: facta ergo est iam aliqua concoctio partis humoris lædentis; cur ergo nō licebit illam educere, & naturæ opē ferre, quæ expulsionē iam tentat? quod si verentur illi turbare concoctionē, nunquā ergo turgēte humo-

Aphor. [...]

Galenum in adhibendis purgationibus fuisse meticulosum.

re purgationes adhibebunt; multo enim magis A periculum est de turbanda concoctione, quando humores sunt in motu, siquidem, vt aiunt illi, ea quiete perficitur, & omni motu, eo etiam, qui fit per clysteres, offenditur; ac præter motum humoris à natura factum, accedit alia agitatio ex medicamentis, nihil præterea per illos adhuc est concoctum, cum humores turgent, nihil ergo separatum, & nihil est, quod attrahi possit; tamen non verentur illi tunc purgare, & cur non licebit nobis etiam purgare, vbi natura iam aliquid concoxit, separauit, & iam expellit, & solum leuis accedit motio ex medicamento attrahente, quod sæpe ducit humores vsque ad infima intestina, absq; aliquo sensu doloris, vel cuiuscunque motionis, timeant ergo illi purga- B tionem *in frigidis & crassis humoribus* putrescentibus, in quibus concoctio reuera spectanda est, per quam adiuuantibus aliis medicamentis, quibus in tali materia vti solemus, fit fusio humorum, extenuatio, incisio, assimilatio, putredinis cessatio, & tandem facilior ob omnes rationes euacuatio: non enim est tutum agitare & aggredi tales humores, nisi concoctio multum processerit, quæ bonam materiæ partem vicerit, tūc etiam purgandum est in his, nec perfecta cōcoctio expectanda, quæ contingere non potest ob materiæ diuersitatē & inæqualitatem; propterea Galenus in quartanis, quotidianisq; febribus, & omnes alii Medici sæpe repetunt purgationes, per quas extrahunt quod est concoctum, vt reliquum postea facilius concoquatur: in humoribus verò calidioribus, qui suaptè natura vniformes sunt, acres, & tenues, minimo temporis spacio natura suam ostendit vim, & aliquid habet concoctum, quod ab initio est auferendum, antequam ardor febris magis crescat; propterea dicebat Hippocrat. *in principiis si quid videtur mouendum, moue, in statu verò quiescere melius est*; de his profectò morbis intelligens, in quibus semel ab initio purgandum, & postea declinatio expectanda, & videndum, si quid à natura relinquatur in declinatione, quod postea adhuc nostras purgationes requirat: contra verò in aliis humoribus in principio & augmento purgare non possumus, quia nihil adhuc concoctum, nihil separatum, & humor suaptè natura crassus, viscidus, nec spontè moueri, nec expelli à natura, nec trahi à medicamento potest: propterea quanto magis progreditur morbus, tanto felicius in his purgare possumus, quia hæc mala in dies minora redduntur; propterea in statu optimæ fiunt purgationes, quia iam materia obedire potest, & Crises non expectamus, aut alias naturæ excretiones, quæ nostras euacuationes tardari cogant. Ex quibus constat, quod antea proposuimus, quinam gradus concoctionis requiratur in singulis humoribus, antequam purgationem aggrediamur.

In quibus humoribus putrescentib. sit expectanda concoctio.

Aph. 2. aphor. 22.

Huic explicationi iam finem imponerem, nisi dubium vnum occurreret de concoctione humorum, qui putridi sunt, & synceri; nam hactenus mentionem solum fecimus de humorib. putrescentibus contentis in ipsa humorū massa, vt de bile vtraque, & de pituita commixtis cum sanguine, & illic putrescentibus, in quibus ostendimus præcedere concoctionem, deinde sequi separationem, an verò concoctio expectanda sit, cum illi putrescūt extra vasa, id vt raro aut fortè nunquam contingere solet: nam pus non fit sine sanguine ex syncero aliquo humore, & in maioribus cauitatibus corporis, vt in ventriculo, & intestinis, & in propriis receptaculis horum excrementorum, vt in liene, folliculo felis, ob loci amplitudinem & familiaritatem, quæ est cum his humoribus, prohiberi non solet transpiratio, nec propterea putredo fit; propterea nunquam Galenus meminit huius putredinis, cum dicit expectandam esse concoctionem ante purgationem, & illam indicari ex pulsibus & vrinis, si tamen imaginemur, illam fieri posse, non propterea concoctio aliqua expectanda, etsi illam non nego fieri posse, si modo necesse est fieri actionem, vbi agentia & patientia se tangunt, quoniam separatio iam facta est, & præstat, nisi impediat crassities, & viscidit̄as, aut obstructio, liberare naturam per euacuationem, quam permittere vt res corruptæ corpus infestent. Patere igitur puto, quod dicit Hippocrates: *Concocta esse medicanda*: Nunc ad alia accedamus.

An concoctio sit expectanda cum humores putrescunt extra vasa, quod raro tamen fit.

Καὶ κινέειν.

Atque mouere.

Generaliorem facit tractationem ex hac dictione Hippocrat. nam cum dixisset, *concocta esse medicanda*, id est, (vt Galenus explicat) C *purgante medicamento educenda*, nisi aliud addidisset, putasset fortasse aliquis, Hippocratem solam purgationem prohibere, cum materia nō est cocta, licere tamen alio modo humores educere, vt per balnea, & per diuretica medicamenta: quare addit, *non esse mouenda, quæ non sunt concocta*, quod quidem verbum nimis strictè & scrupulosè Montanus interpretatur, ita, vt neget licere alicui etiam adhibere, quæ faciunt ad incrassationem & attenuationem humorum; fugienda enim omnia esse, quæ quocunque modo commoueant materiam; quiete enim perfici concoctionem & perinde omni motu impediri; quod sine ratione præcipitur: nam quæ D pugnant aduersus qualitates humorum, vt calefacientia, refrigerantia, humectantia, exsiccantia, extenuantia, incrassantia, incidentia, sæpe adhibet Galenus & ante concoctionem, & in ipsa concoctione ad eam iuuandam, cum materia id postulat, vel calor concoctionis instrumentum, vel ipsa facultas concoctionis author; & non solum quidem hæc, quæ alterant, sed etiam aliquando euacuantia sunt adhibenda, cum humores concoquuntur: nam Galenus & mediam maximè conferre scribit ad humorum concoctionem, vt in 12. *libr. Methodi* in febre Syncopali ex frigidis & crassis humoribus, & in *primo ad Glauconem* & *in 4. de Sanitate tuenda*, vbi cruditatis remedia docet, ap- E paret: Nonne etiam imperamus, vbi quis cruditate laborat, exercitationem, vt calor natiuus excitetur & fundantur extenuenturq; concreti & crassi humores? *confert quies concoctioni, vbi acres, mordaces, & biliosi sunt humores, qui motu & aliis omnibus, quæ accendunt, calorem exasperant, & dissimiliores naturæ nostræ fiunt, quæ mediocri tempe se gaudet. At in pitui-* tosis

Montanus refellitur.

Frictiones & mediam conferre ad concoctionem.

Quies quando ad concoctionem faciat & quando motus.

rosit & frigidis, vbi corpora sese possunt mouere & exercere, via ad concoctionem aptissima est per motum. Nonne etiam in inflammationibus prius euacuationẽ molimur per digerentia, quam tentemus vel expectemus concoctionem? & sanguinem quoque emittimus in omnibus morbis in principio, vbi omnia sunt cruda? igitur nullas alterationes prohibet Hippocrates ante concoctionem, nec corporis motiones, vbi res exigit, nec omnes euacuationes, sed illas solum, *quæ proprie, & (vt ita dicam) electiuè materiam ipsam crudam educunt, nō autem, quæ totam ipsam massam humorum euacuant*, nisi remedia, quæ illa exhauriunt, peculiari aliqua ratione concoctioni aut alteri naturæ operi obsint. prohibebit ergo diuretica, quæ ipsum humorem crudum tentant à tota massa extrahere ob eandem rationem, ob quam purgationem prohiberi diximus. Propterea Galenus in curatione febrium tertianarum, & aliarum, *in primo ad Glauconem*, iubet, non esse adhibenda diuretica antequam appareant signa concoctionis; alia verò, quæ æqualitate vacuant totam massam, vt inediam, trictiones, & alio modo digerentia, in nullo morbi tempore arcet, exceptis balneis, quæ liquent humores, & violentias commouent ad externas partes, addito etiam calore nimio, præsertim si per febres adhibeantur. Hæc ergo inter illa, quæ æqualiter vacuant, fere solum prohibentur à maioribus nostris, quando humores non sunt concocti, & in omni quidem cruditate siue humores sine febre crudi sint & pituitosi, siue cum febre biliosi vel pituitosi, putrescentes: nam omnes offendet balneum aquæ dulcis, non præcedente concoctione, quia omnes agitat humores, nec omnes educere potest, nec expedit omnes euacuare, vbi omnes non peccant. Venæ quoque sectio nisi vehementia morbi postulet, vbi humores crudi sunt, ea cruditate, quæ infra sanguinem subsistit, tutò nō adhibetur, sed melius, quando concoctio facta est, si post illam adhuc huiusmodi remedium requiritur: crudiores enim alioqui redduntur humores ex sanguinis detractione, refrigerato scilicet sanguine; propterea Galenus *in libro quarto de Sanitate tuenda*, in tali cruditate humorum, sanguinem dicit non esse mittendum: & in febribus quoq; pituitosis felicius mittitur post duos, vel tres dies, quam statim ab initio: nam à calore febrili concreti humores funduntur, & liquescunt, & ita melius per venas moueri, & exire possunt, cum statim ab initio difficilè omnes exeant, aut certè facilè non nisi qui tenuiores sunt. Sed quid de clysteribus dicemus? sunt enim ex his, qui odio habent purgationes antequam planè concoctus sit humor, qui in febribus, nec clysteres quidem audent imperare, si modo venter alimenti excrementa spontè deiiciat, verentes scilicet eam etiam commotionem, quæ fit à clysteribus, concoctioni obesse posse; ego verò ita sentio, parem ferè esse de clysteribus, & medicamentis purgantibus per os, rationem: non, inquam, *purgantes* clysteres adhibendos esse, vbi ex crassis & frigidissimis humoribus febres consistunt, nihil enim tunc de humore noxio educi facilè potest; at, vbi biliosæ sunt febres, nihil melius esse puto, quàm sæpius iniicere clysteres confectos ex medicamentis purgantibus, sed mitioribus, qualis est cassia; multas enim tertianas febres hoc modo nulla alia adhibita purgatione sæpe curaui; vbi verò febres consistunt ex frigidioribus vel mixtis humoribus, vbi iam aliqua apparent inditia concoctionis, conferunt quoque clysteres, sed non illi simplices & mollientes, vt censent osores purgationum, verum acriores, qui vim habeant educendi, quod est iam concoctum: alii enim hærent in corpore, nec vincere possunt rebelles humores. Patet ergo, quos motus penitus fugere oporteat ante concoctionem, quos verò præstare liceat, & in quibus. Nunc verò ad alia properandum.

[Margin notes, left column: Quam purgationem Hippocrates ante concoctionem prohibeat. — Diuretica ante concoctionem non conuenire. — Æqualiter vero purgantia [illegible] ante concoctionem posse vsurpari, præter balnea. — [illegible] — Venæ sectio quando concoctionem debeat expectare. — Quando in clysteribus sit expectanda concoctio, & quando non.]

Μὴ ὠμά.

Non cruda.

CVm dixisset Hippocrates, *medicanda*, & *mouenda esse concocta*, & hoc intelligi possit de perfectè concoctis, & de his, quæ aliquam concoctionem acceperunt, admonet non esse intelligendam perfectam concoctionem: satis enim esse, si humor penitus crudus non sit; vbi enim humor nō est ita crudus partes aliquas iam habet, quæ ab aliis separari possunt, & educi à corpore, quod cum videamus sæpe à natura fieri per Crises imperfectas, crescente adhuc morbo, ad illius imitationem Medicus potest moliri aliquam euacuationem, vbi penitus crudus non est humor: habet enim medicamenta, quæ absque nocumento aliquo separare possunt portionem illam, quæ est concocta, ab aliis, & eam tanquam sibi familiarem elicere, & secum trahere, non temerè ergo addidit verba hæc Hippocrates *non cruda*, quo gradus cōcoctionis exprimit. Verum cum cruda omnia intelligi possint, quæ sunt dissimilia nostro corpori, intelligunt ferè omnes interpretes huius loci, solum humores, qui infra sanguinem sunt, qui in sanguinem verti possunt, & explicant, illos esse pituitam naturalem, quæ insipida est, vel dulcis, aut etiam acidam; hos enim concoqui posse, & in sanguinem mutari: pituitam verò salsam, aut vitream, vel putrescentem, vel alio modo corruptam, crudam non esse, cum illa amplius concoqui non possit, nimirum, cum non possit assimilari, & in nutrimentum verti. Excludunt etiam humores biliosos, flauos, & nigros à cruditate & concoctione; flauos quidem purgandos esse: non quia sint concocti, sed quia turgeant; nigros verò, vt humorem melancholicum, & atram bilem, non quidem turgere, nec tamen concoctionem expetere ante purgationem, sed solam extenuationem. Hæc opinio nata est à Michaele Villanouano, qui postea Ceruetus dictus est, & cōbustus Geneuæ, propterea quod de erroribus Trinitatis, vt ille inscribebat suum Opus, malè, vt iudicatum est à Theologis illius loci Caluinianis, scripsisset, hunc hodie omnes sequuntur Medici, qui contra purgationes in initiis morborum adhibendas inuehuntur, quibus etiam fauere videtur Galenus *in 4. libro de Sanitate tuenda*, vbi hunc Aphorismum interpretatur, & crudos omnes succos dicit esse frigidos & crassos, falluntur tamen illi omnes cū suis authoribus: nam quod cōcoctio expectanda sit, antequam aliquam tentemus purgationẽ

[Margin notes, right column: Hippocrates per concocta hic nō intelligere concoctionem perfectam. — Quid per non cruda hic sit intelligendum. — Michaelis Villanouani cognomen & interitus.]

in pituitosis morbis, & nō in biliosis, rectè quidem ab illis dictum puto: verū quod pituita solum naturalis concoquenda sit ante purgationē, hoc prorsus falsum est: nam quæ talis est pituita (vt iam antea ostendimus) in sanguinem mutari non potest; nec ex vno humore simplici potest fieri generatio sanguinis, in qua omnes humores gignuntur, nec ex ea possunt fieri duo genera excrementorū, & aliquid relinqui mediocre, vt in aliis cōcoctionibus, quæ tendunt ad nutritionem corporis, fieri videmus. Deinde, si ex tali pituita per meliorem concoctionem fit sanguis bonus & laudabilis, quid ex ea & post illam concoctionem relinquetur, quod postulet purgationem per nostra medicamenta? sunt enim inquit Galenus *in hoc Commentario*, purganda, & mouenda, quæ post iudicia morborum relicta sunt à natura, non autem naturalia excrementa, quæ sequuntur generationem boni sanguinis: ea enim sola natura expurgat, nec ad illorum separationem, & expulsionem postulat nostra medicamenta: alioqui toties essent propinanda medicamenta, quoties ex cibo sanguinis fit generatio. Præterea, vt diximus, Galenus post huiusmodi cōcoctiones crudorum humorum, non solet purgationes adhibere, sed solum ad hæc vitia emendanda laudat inediam, frictiones, somnum, quietem, motum, vini generosi potionem, & quæ ex piperibus fiunt medicamenta; quod euidenter docet *in libro quarto de Sanitate tuenda cap.* 5. vbi post concoctionem huiusmodi humorum, nullam purgationum facit mentionem. Ergo pituita dulcis, vel acida, non est, quæ postulet concoctionem, vt postea fiat purgatio: nec etiam salsa, aut alio modo vitiata; præterquam per putredinem, coctionem requirit, & post illam, purgationem: quoniam sola putrida cruda est facta, quia dissimilis est reddita per substantiam & qualitates, quare rursus vincenda & assimilanda est, quantum ipsa patitur, pati autem potest solum per qualitates, substantia autem ipsa manet inutilis, & excrementum, quod à nulla parte trahi potest, quare purgationem postulat per nostra medicamenta: & ita intellexit Hippocrates, cum dixit, *cruda non esse purganda & mouenda, crassos & frigidos humores putrescentes* intelligens, qui antequam senserint concoctionem, vt antea ostendimus, educi non possunt, & separari ab aliis, nisi cum magna violentia, ad quam sequuntur incommoda plurima, commodum verò nullum. Idem intelligendum est de humoribus atrabilariis putrescentibus, & bile crassiore putrescente, in illis enim semper concoctio expectanda est.

Quid Hippocrates per cruda intelligat.

Μήδ᾽ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ.

Neque in principiis, modo non turgeant.

CVm dixerit Hippocrates non esse medicanda cruda, frustra videbitur adiecisse verba, *nec in principiis*, siquidem principium morbi definit esse Galenus, cum humor est crudus; an fortè principium non sumit eo modo, sed pro tribus, vel quatuor primis diebus, in quo tempore in multis morbis non solum principium, sed etiam incrementum morbi fit? at absurdius est in illis morbis ita acutis vacuare potius crescente morbo, quàm inchoante: nam quanto

Quid Hipp. per (neque in principiis) intelligat.

A magis ad statum accedit acuti morbi, tanto magis quiescendū est, *& si quid mouendum est*, Hippocrate ipso authore, *in principio mouendum*; an probabilius est illum addidisse, *neque in principiis*, vt Medicos sui temporis fortè reprehenderet, qui in principiis cuiuscunque morbi purgatione vtebantur, vel quod ignorarent, quo tēpore humores essent crudi; vel vt occasionem sumeret faciendi exceptionem ab eo, quod dixit; quasi diceret, *concocta medicanda intelligi volo, nisi turgeat humor in principio morbi: tunc enim etiam crudo humore existente purgatio tentanda: quodsi turgeat, sed non in principio, quia tunc à natura excernente, & humores diminuente id fit, purgatione non est opus, ne naturam tunc agentem impediamus, & Crises, vt probabile est*, B *molientem*. Sententia ergo Hippocratis clara est, *in purgatione, vel expectandam esse concoctionem; aut purgandum esse, si materia turget, in principio.* Sed non ita patet, quinam sint humores, qui turgent: nam quidam omnes humores putant turgere, qui quantitate sua multum exuperant, quo casu, non solum bilem, sed etiam pituitam, & humorem melancholicum turgere, & euacuandum esse: alii addunt, etiam materiam venenosam; illam enim ab initio euacuandam esse, priusquam partes nobiles inuadat: alii turgidum appellant humorem, qui in parte principe morbum facit: esse enim rationi consonum, vt partes principes, si fieri potest, liC beremus ab humoribus molestantibus. Qui quidem, etsi probabilia dicant, tamen non exprimunt authoris sententiam: nam verbum, quo vtitur Hippocrates ὀργᾷ nihil huiusmodi significat: interpretatur autem noster interpres *nisi turgeant*, sed parum feliciter: nam propriè turgere, est *inflari*, etsi turgeri alicui idem est, quod irasci, & commoueri: Galenus autem variè explicat vim huius vocabuli, nam *in Commentario huius Aphorismi* scribit, vocabulum hoc translatum esse ab animalibus concubitum appetentibus, ad humores: nam sicut illa stare loco non possunt, quadam titillatione impulsa, eoque affectu concitata, sic & humores plerunque in motu vehementiore, atque transfluxu ab D vna parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes, titillantes, & quiescere non permittentes, cum & ipsi pariter moueantur, & tanto motu de loco ad locum ægrum molestent. Tales itaque (inquit) humores euacuare conuenit, hoc est, qui per corpus discurrunt, ab vnoque membro ad aliud feruntur ac transfluunt: eos verò, qui iam sunt in aliqua corporis parte firmati, ante concoctionem, neque alio auxilio mouere, nec purgare oportet. Ex qua explicatione patet, eum authorem verbum *turgere* trahere ad humores, & eos non tangere, nisi moueantur actu. *In Commentario* verò 1. *Aphorismi 4. lib.* eandem sequitur interpretationem, & in illis humoribus, E qui turgent, requirit, vt per totum corpus deferantur, & nondum in aliqua parte sint firmati. Quam interpretationem etiam confirmat *in libro 8. de Compositione medicamentorum secundum locos*, vbi inquit, *turgere dixit Hippocrates humores, qui nullam habent adhuc firmam inclinationem, & stationem*. Sed ex his verbis nō possumus colligere, requiri motū necessario in humoribus

Sect. 1. aph. 29.

Turgere quid.

moribus turgētibus; satis enim est, si liberè contineantur in aliqua concauitate, à qua dimoueri possint: quod non contingit his, qui firmati sunt in aliquo membro, quales sunt, qui à venis iam exciderunt, & partis substantiam occuparunt. Scribit præterea *in Commentario 1. sexti lib. Epidemion, textu 8.* ad hunc modum: *In humoribus ad exitum paratissimis, & ad euacuationem properantibus, voce hac (turgere) consueuit vti Hippocrates.* Ex quibus verbis constat, satis esse hoc, vt turgeant humores, vt facilè educi possint, quales sunt, qui suaptè natura mobiles sunt, veluti sunt tenues, aquosi, biliosi, qui in corporis cauitatibus continentur, per quas facilè educi possunt; nec tales solum esse, qui vario & multiplici motu per corpus deferuntur: nam tales motus nunquam videmus in corpore fieri, sed in ea parte firmantur, in quam feruntur, nec ab illa rursus in aliam refluunt, paucis fortè exceptis: veluti cum ex Angina fit Pleuritis, & ex hac Peripneumonia; quos humores nec quispiam diceret turgere, quandoquidem statim ab vna parte in aliam recipiuntur, & posteaquam recepti fuerunt, purgatione non egent. Idem ostendit Galenus, cum explicat *in 2. de victu acutorum* textum Hippocratis de cruda inflammatione, à qua dicit nihil educi posse: inquit enim, eos humores non posse educi à parte inflammata, quasi, satis ostendens, quid per humores firmatos in parte, & non turgentes intelligat, illi enim parati non sunt ad euacuationem, & purgationem ante concoctionem: sunt autem contrà parati, qui calidi sunt & tenues, & in venis contenti, vt satis ipse docet *in libro de his quos purgare oportet*, vbi tales humores in principio morbi & febris nulla expectata concoctione purgari iubet: & *in libro 3. Prædictionum, textu 23.* ait, humores calidiores tenuioresque paratissimos esse ad excretionem, crudis verò & crassis, naturam mederi per abscessum, vel per concoctionem; vbi satis ostendit, se opponere crudis calidos, & tenues humores, & hos esse, qui turgent. Si modo in hoc Aphorismo turgentes etiam opponit crudis, & hos non esse euacuandos ante concoctionem, illos verò educendos esse nulla expectata concoctione; *turgent igitur humores, vel qui sunt in motu, vel qui ad motum sunt habiles*, vt etiam Auicenna interpretatur *cap. 3. libri primi Fen 4.* vbi de euacuatione agens, ita scribit: *Concoctio est expectanda, nisi humores sint mobiles.* Idem ostendit verbum Græcum (ὀργᾶν) quod significat *sponte moueor, glisco, & concito*, qui enim humores suaptè natura moueri facilè possunt, illi dicuntur turgere. Vsurpat verò Galenus idem verbum (*turgere*) *in 18. textu 3. de Fracturis*, non pro humoribus aptis ad excretionem, sed pro parte & corpore, quod incitatur ad excretionem, vbi ita scribit: *Si vlcus videatur turgere*, id est, *si pars, qua laborat, festinat ad excretionem, id pro certo iam habere potes: incitari autem partem ad excretionem, deprehendes primum, cum labra ipsa vlceris coire inter se nequeunt, sed dissident, atque inuertuntur; deinde, cum æger in intima membri parte motionem quandam latentem ac tacitam sentit.* Ex quibus verbis patet, corpus ipsum, & partes illius esse, quæ turgent: & meritò quidem: nam illæ sunt, quæ pruritum, & titillationem eam sentiunt, &

Turgentes humores qui.

Partem incitari ad excretionem quomodo cognoscatur.

A molestiam, quam pariunt humores; & propterea illæ etiam sunt, quæ ad excretionem mouentur, vt ipsa etiam sunt animalia, quæ turgent ad venerem, non autem humores, qui in ipsis continentur; & cum tales sentiunt a groti commotiones in corpore, quæ ex æstu, inquietudine, doloribus, qui diuersas partes occupant, & aliis Symptomatis, quæ se qui solent acres & calidos humores, tunc purgationem aggredi possumus, nulla alia expectata concoctione: quia hæc indicant subesse humores, qui ad purgationē sunt idonei; & hoc est ipsum quod dicebat Hippocr. *turgere*, id est, *naturam abundare huiusmodi humoribus, & ab illis molestari, & cupere illorum excretionem, & in ea re opus esse auxilio ex medicamentis nostris purgantibus, vel aliter eos humores* B *mouere potentibus.*

Τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Plurima vero non turgent.

EX his verbis putant interpretes, rarò esse purgandum in principio cuiusq; morbi, eo quod in paucis affectibus videantur humores sine aliqua requie nunc ab vna parte in aliam, & ab hac rursus in alias ferri: sed hoc illi asserunt, qui verbi *turgere* propriam vim non intelligunt, quod (vt diximus) *potius* significat *aptitudinem ad motum, quam præsentem motum ipsius humoris:* C tales autem humores in acutis morbis (qui ex biliosis & tenuibus humoribus consistunt) semper sunt in principio, & purgatio semper in principio talium morborum (vt inferius postea adhuc docebimus) adhibenda est. Sed Hippocrates dixit, *plurima non turgere, quoniam maxima morborum pars consistit ex crassis & frigidis humoribus:* nam longi ferè omnes, & ex acutis etiam multi, & ex febribus multæ fiunt à tali materia, solæ ferè acutæ febres & tertianæ nascuntur ex biliosis & tenuibus humoribus. Rectè ergo dictum est ab Hippoc. *plurima non turgent.* Atque hæc satis de hoc Aphorismo.

Turgere quid propriè significet.

Cur plurima non turgent.

APHOR. XXIII.

D Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρει εὐφόρως, καὶ ὅπου δεῖ μέχρι λειποθυμίας ἄγειν: καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέῃ ὁ νοσέων.

Deiectiones nō multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt: & ægri facile tolerant: atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendū, si æger possit tolerare.

SCopum & sententiam huius Aphorismi alii interpretes hactenus (meo quidē iudicio) non sunt E assecuti: nam credūt omnes, Hippocratem hic agere de deiectionibus, id est, de excretionibus, quæ fiunt per aluum, illorumque quantitatē damnare, quippe cum qualitas illarum & facilis tolerantia, non autem copia expendenda sit: in quibus falluntur; Primum, quod de deiectionibus solum non agit, sed de *omnibus, quæ à corpore nostro*

Interpretes scopum huius aphorismi huc vsque non esse assecutos.

Quid per deiectiones auctor intelligat.

euacuantur, vt satis ostendit verbum Græcum, quo vtitur, τὰ χωρέοντα, quod significat, *quæ egrediuntur à corpore*, vt Galenus etiam *in Commentario* ostendit, qui de venæ sectione, purgatione, & omni alia euacuatione Aphorismum interpretatur; quantitatem præterea, nec deiectionum, nec aliarum excretionũ damnat Hippocrates, qui vnà cum Galeno passim admonet vacuandum esse, quantum affectus postulant, & vires ferre possunt, & laborandum maximè esse, vt iustam mensuram euacuationum assequamur. Qui verò dicunt, Hippocratem hic docere velle, quantum sit euacuandum, non minus errant, quàm superiores, id enim 3. *Aphorismo* iam fuit ab eo explicatũ, in quo docuit, tantum esse euacuandum, quantum ad naturalem statum recuperandum opus est, frustraque, ob id idẽ nunc repeteret. Quam ob rem placet mihi Galeni interpretatio, qui putat Hippocratem in hoc Aphorismo docere velle modum, quo deprehendere poterimus cum euacuatio fit, an iustam mensuram simus assecuti, vel aliquid adhuc supersit, vel vltra mensuram facta sit euacuatio; at in eo mihi deficere videtur Galenus, quod nulla alia ratione illud deprehendi posse scribat, quam ex facili tolerantia ægri, & qualitate humoris, qui euacuatur: nam tolerantia hæc facilis non magis quantitatem sequitur, quam qualitatem ipsius humoris, vt in 2. *Aphorismo* docuit: nam *cum euacuantur talia, qualia euacuare oportet, confert*, inquit Hippocr. *& facilè ferunt*, qui euacuantur, quare hæc nota certa esse non potest mensuræ quantitatis euacuationis, si etiam qualitatem ostendit. Præterea, sequitur leuis tolerantia etiam toto humore noxio non euacuato; quare, si ea est regula debitæ euacuationis, sæpius euacuationem sistemus, quàm iustam mensuram fuerimus assecuti, addo, quod sæpe in euacuatione molestia nõ parua & vis naturæ inferenda est, veluti cum vsque ad animi defectum euacuamur: quas euacuationes nemo facilè ferri dixerit, cum paulo minus, quàm mortem inferant: Demus, si placet, duodecim libras bilis abundare præter naturam in corpore, & euacuentur quatuor vel à natura, vel à medicamento purgante, eo casu euacuantur quidem, qualia euacuare oportet; & æger facilè tolerat huiusmodi euacuationem, & ex ea melius habet, non tamen propterea sumus assecuti iustam mensuram euacuationis. Non igitur id voluit Hippocrates, quod Galenus, & alii interpretes tradunt: sed aliud significat, quod exprimit ex verbis suis hactenus non bene intellectis: scribit enim excretiones non esse multitudine æstimandas, qualicunq; & quantacunq;, sed donec talia excernuntur, qualia conueniunt, quasi diceret, *tamdiu vacuandum est, quamdiu humor, qui peccat, & nos monuit ad euacuandum, perseuerat & exit*: tunc verò sistenda est euacuatio, quando huiusmodi humor non amplius excernitur, tunc enim signum est, quod nihil amplius ex eo supersit in corpore, quod obesse possit. Demus, bilem flauam & putridam obesse, tunc sciemus satis euacuatam illam esse, si exhibito medicamento, quod vim habet illam educendi, euacuatur quidem, & in vltimis vicibus vel talis bilis amplius non excernitur, vel alius humor, qui noxius nõ est, euacuari incipit, quod

Galeni sententia de huius aphorismi sensu.

Verus & genuinus sensus huius aphorismi.

A si pura huiusmodi bilis in vltima deiectione adhuc visa est, agnoscimus profectò, non esse satis euacuatum corpus. Id ergo est, quod scribit Hippocrates, non esse spectandam simplicem multitudinem peccantis humoris, quoniam nemo exiguam copiam sufficere putaret & magnam sæpe existimaret excedere, cum tamen illa aliquãdo sufficiat, vbi parua euacuatione est opus, & hæc non satis sit, vbi ingens requiritur euacuatio. Hanc sententiam expressit Hippocrates his verbis, ἀλλ' ὡς ἂν χωρῇ οἷα δεῖ, *sed donec euacuantur talia, qualia oportet*, sic enim ὡς ἂν, siue vt *in libro de Humoribus* habet, ἕως ἂν, interpretari oportet, vt omnes mediocriter Græcè eruditi intelligere possunt, & natura rei docet, nõ quemadmodum alii omnes faciunt, qui pro *donec*, *si*, B vertunt magno omnino errore, cum si hoc modo legatur, quid sit vacuandum, si alio vacuationis mensuram præscribat, doceatq; quomodo ea cognosci possit. Eandem sententiam confirmat Hebræus cõtextus factus à Semptao, qui transtulit Aphoris. ante trecentos annos Massiliæ, & erat, septuagenarius Medicus insignis, & ita habet עד id est, donec עד vt vertit discipulus meus, de quo infrà mentionẽ faciam. Non ergo hic de cognitione qualitatis humoris agit, cum dicit, spectandam esse qualitatem, sed ex qualitate definit quantitatẽ, satis enim nos euacuasse agnoscimus, cum humor ille, quem antea euacuandum esse agnoscimus, non amplius procoC dit & exit, & tamdiu etiam solet sequi facilis tolerantia: nam quæ inutilia sunt, natura gaudet euacuari. cum verò illa iam planè euacuata sunt, & euacuatio perseuerat, tunc illa molestiam percipit, quæ enim amica sunt & familiaria, retinẽda sunt, & nequaquam à corpore separãda; hoc sanè præceptum, quantum fieri potest, medendo obseruamus, & assequi studemus, etsi aliquãdo coniectura, qua necessario vtimur in quantitate præscribenda, nos fallit: nam si lapides, vel pus per intestina, vel vrinam fortè exire incipiãt, medicamenta damus, quæ abluendi, detergendiq; vim habeant, & tamdiu illis vtimur, quamdiu pus excernitur; quod si illud excerni desinat, non amplius in illis medicamẽtis perseueramus, D quia credimus, totam materiam, quæ toto genere erat præter naturã, esse expurgatam; sic si dysenteria quispiam laboret, & ramenta intestinorum euacuentur, tamdiu vtimur clysteribus abluentibus, quamdiu perseuerat huiusmodi malum; idem in euacuatione humorum, qui dolores excitant in intestinis, efficimus: nam si pituita fortè nocet, & per clysteres illam excerni videmus, tãdiu in eorũ vsu perseueramus, quamdiu in illa excerni perseuerat; idem quoq; fit in sanguinis missione: nam si sanguinẽ mittimus ad euacuationẽ boni, aut crassi sanguinis, nisi quid impediat, sanguinẽ extrahere pergimus, donec talis perseuerat sanguis, quod si sanguinem, qui circumstat aliquam inflammationem, educere E consilium est, & hoc ob virium robur fieri potest, posteaquam illũ excerni videmus, pergimus in euacuatione, quamdiu ille perseuerat, vbi verò alius iam excernitur sanguis, euacuationẽ sistimus; & id est, quod Hippocr. *in lib. de victu acutorũ* in curatione pleuritidis scribit; quod respondeat in purgationib. hæc etiam ratio, superius docuimus; quare nihil cõtra nostram interpretatio-

pretationem facit; tradit enim certum præceptum, quantum coniectura assequi possumus in re, cuius mensuram certa scientia comprehendere non possumus: & si leuis aliquando aliquis fit excessus, damnandus non est, quia aliter fieri non potest, nisi infra euacuationem iustam subsistere velimus: in quo quidem maior error est: nam si bilis putrida forte vacuanda est, præstat de ea quæ non est putrida, vel aliquid de alio humore euacuare, quam aliquid de eo, quod est putridum, in corpore relinquere, quod si ita est, errant Medici, qui cum deiectiones factas à medicamentis purgantibus inspiciunt, vel laudant illarum multitudinem, vel excusant suos errores, cum minimum est, quod est excretum, hac sentẽtia Hippocratis male intellecta, cum aiunt, deiectiones non esse existimandas multitudine, sed solum spectandam esse qualitatem humoris, nam quantitas simpliciter laudanda non est, si alios humores educit, quam peccantes, & diminuta euacuatio est cum errore, qui excusandus non est, sed cum alia euacuatione emendandus. Sed quid dicemus de excretionibus, quæ sequuntur nutritionem? an illas metiri debemus eadem regula, quod scilicet tamdiu perseuerandum sit in illorum euacuatione, quamdiu aliquid est crassi excrementi in intestinis, minime quidem: nam illorum excrementorum euacuatio expellente natura fit, quæ non solet prorsus excernere, quod in intestinis continetur, quoniam quod minimum est, & ad minimam quantitatem peruenit, vim amplius non habet stimulandi eam facultatem: quare solet ex prioribus concoctionibus alimẽti aliquid relinqui, quod postea aduenientibus aliis excrementis ex aliis concoctionibus excernitur, quare quantitatem illorum excrementorum, & vrinæ etiam ex quantitate ingesti cibi, & potionis metitur Hippocrates *in Prædictionibus*: magna enim cibi ingesti copia multa excrementa reddit, parua autem pauca, si eiusdem naturæ fuerint, nam si quædam fuerint excrementosa, alia vero non, plus ab illis deiicitur excrementi, quam ab aliis maiori copia ingestis: quare excrementorum alui copiam metiemur ex copia, & qualitate cibi ingesti: & quamdiu etiam talia excernuntur excrementa, tamdiu etiam probantur huiusmodi excretiones: quod si ea excremẽta talia nõ erũt, qualia esse debẽt, id est, nõ habebũt suas debitas qualitates, aut aliquid excernetur, quod amplius excremẽtũ non est, tunc improbanda est huiusmodi excretio: talia autem debent esse excrementa alui, quæ ex alimento resultant, *vt nec nimis dura vel liquida sint, nec odore nimis fœtido, nisi cibus talia reddat excrementa: debent esse quoque figurata; nec varium colorem, sed vniformem debent habere, & æqualitatem, ita vt pars vna dura non sit, alia liquida: & denique talia esse oportet, vt probam alimenti concoctionem testentur.*

Excrementa alui ex alimento resultantia qualia debeant esse.

Cæterum excretiones aliarum rerum, quæ per aluum fiunt, quędam sunt toto genere malæ, qualia sunt rerum familiarium naturæ, vt est sanguinis, pinguedinis, & substantiæ intestinorum excretio: vnde Hippocrates scribit *in Aphorismis*: *Sanguis quomodocunque excernatur, siue supra, siue infra, malũ.* Sic etiã *in alio Aphorismo* pingues deiectiones damnat: Aliæ vero sunt sola qualitate malæ, & inter has quædam sunt, quæ siue à Medico, siue à natura vacuentur, malæ sunt. Aliæ autem malæ, si à natura, non malæ, si à Medico fiant: quæ autem bonæ sunt, à natura factæ bonæ semper sunt, etiam si à Medico fiant, non tamen cõtra fit, vt bonæ sint, quę fiunt à Medico, si à natura fiãt, pręterea malæ sunt, aliæ simpliciter malæ, aliæ ob certã rationẽ malæ censentur esse, ob aliã vero bonę: nã deiectiones quæ nigræ sunt, prærubræ, mere torridæ, virides, æruginosæ, malæ sunt, siue à natura fiant, siue à Medico: quoniam pessimas subesse in corpore dispositiones ostendunt. Malæ etiam sunt omnes excretiones, quæ fiunt in principio morbi per sanguinis fluxum è naribus: at bona est ea excretio, si à Medico fiat. Sudores in principio febris acutæ mali, in statu optimi & in declinatione. Variæ deiectiones quanto plures habuerint colores, tanto deteriores sunt, inquit Hippocrates, si à natura fiant, si vero tales deiectiones fiant per purgationes, non malæ, quia ostendunt cum à natura fiunt, varias subesse in corpore dispositiones malas, quibus illa mederi non potest, cum vero fiunt per purgationes, ostendunt corpus expurgatum esse à multis dispositionibus. Verum etsi nigræ, liuidæ, & torridæ & aliæ supradictæ deiectiones, in quibus nihil familiare excernitur, malæ censentur esse, eo quod malas in corpore dispositiones ostendant, bonæ tamen alia ratione esse dicuntur, quod scilicet bonum sit educi à corpore, quod illi obesse est aptum, si intus retineatur. Talis ergo erit humor, qualis esse debet, qui excernendus est, *si qualitates habuerit, quales natura in excrementis requirit, quæ secundum naturam habent, vel talem habent, qualem in dispositionibus corporis præter naturam laudare possumus*, eo quod leues, & simpliciores dispositiones, & naturæ victoriam ostendunt, & illæ quidem simpliciter bonæ, quia naturam bene affectam ostendunt: hæ vero non simpliciter, quia male quidem habere corpus ostendunt, sed validius esse morbosis causis declarant; quæ vero nihil istorum ostẽdunt, pessimæ & lethales sunt, vt quæ ostendant graues dispositiones, quas natura vincere non potest. Sed hæc sufficiant de qualitatibus deiectionum hoc loco, quæ solum annotare volui, vt Medicus intelligat, qualia oporteat esse ea, quæ euacuantur à nostro corpore, vt sciatur multum vel parum, & vel nullo etiam modo euacuandum, hæc enim facienda sunt pro substantia & qualitatibus eorum, quæ euacuari debent.

sect. 4. aph. 25.

Excretiones aliarum rerum per aluum quæ bonæ & quæ vero malæ.

sect. 4. aph. 21.

Humor qualis esse debeat, qui excernitur.

Καὶ ὅπου δεῖ μέχρι λειποθυμίας ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιεῖν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

HAnc Aphorismi partem superiori connectere non potest Galenus. cum enim docuisset, ex facili tolerantia quantitatem euacuationis nos metiri debere, Hippocrates autem hoc loco vltra eum terminum aliquando progrediendum esse scribat, non habet Galenus, quod dicat, sed dissimulato eo, quod ab authore scri-

bitur, alio se conuertit, vt ostendat, in quibus affectibus euacuare expediat vsque ad animi defectum: oportebat enim illud in primis ostendere, cur vsque ad eum terminum nunc vacuare velit Hippocrates, cum facilem tolerantiam omnium euacuationem (illius opinione) finem antea cōstituisset. Quod vero hic docet Galenus non est præsentis loci, cum author explicare instituat, quo nam modo cognoscere possimus iustam euacuationis quantitatem, non in quibus plus vel minus euacuandum sit. Quam ob rem, illud in primis ostendendum est, cur animi defectionis mentionem nunc faciat Hippocrates: videtur sane mihi ea ratione id facere, ne cum antea dixisset, facile ferri euacuationē illius multitudinis, quæ idoneam habet qualitatem, putaret aliquis, perpetuum id esse: nam etsi sæpius illud contingit, nonnunquam tamen vltra progrediendum est, & violentia aliqua naturæ inferenda, id quod accidit, cum vsque ad animi defectum corpus euacuamus, nec aliter morbi impetus sisti potest: *ergo humoris qualitas communis est nota quantitatis euacuationum*, tamdiu enim, tantumque euacuandum, quantum exuperat, id quod euacuationem postulat, *facilis autem tolerantia non omnes sequitur euacuationes.* Nec eorum quidem opinionē probare possum, qui euacuationē factam vsque ad animi defectum facile etiam ferri putant, quippe, cum ab Hippocrate hæc inter se distinguantur, tanquam enim non comprehendatur euacuatio, quæ fit vsque ad animi defectum, cum illis quæ facile feruntur, illius postea meminit: ostendit præterea & id ratio: magnam enim oportet esse & violentam euacuationem, ob quam semimortui homines redduntur: id quod Galenus etiam aperte ostendit, vbi non nisi in magnis affectibus eam consulit, quasi satius sit naturæ vim aliquam inferre remedii magnitudine, quā permittere, vt æger sæuitia & impetu morbi extinguatur, atq; idem etiam author 56. *Aphor. quinti*, & 17. 6. & *alibi passim* scribit: omnis immodicæ euacuationis communem casum esse animi defectum: dissoluitur enim naturæ mediocritas à maximis euacuationibus, etiam si noxia materia educitur, quoniam maxima spirituum copia vna expirat. Est porro animi defectus, siue Lipothymia, non Syncope, quemadmodum vulgus Medicorum existunat, qui huiusmodi euacuationes, quæ vsque ad animi deliquium fiunt, vsque ad Syncopem fieri aiunt: *leuior enim est affectus ille, Syncope grauior*, idem tamen genere, *præceps enim est omnium virium lapsus Syncope*: In Lipothymia vero idem vires patiuntur omnes, sed leuiorem affectionem.

Cur animi defectionis ab autore hic fiat mentio.

Euacuationis quantitatis communis nota.

Euacuationis omnis immodicæ casum communem esse animi defectum.

Syncope quid & quomodo ab animi defectu differat.

Porro; animi defectus causas aliquot enumerat Galenus *in Commentario*, vt timorem, erosionem stomachi, vacuationem, quæ cum communem causam aliquam habeant, ea prius docenda fuerat.

Syncopes & animi defectus causa.

Igitur cum animi defectus subita quædam sit virtutum dissolutio, necesse est id, quod illius causa est, subito affici posse, & communem omnium actionum causam esse. Est autem non temperies similarium partium, non structura partium organicarum, vt Galen. 11. *Methodi* sentit, hæc enim subito affici nequeunt in toto corpore, cuius affectus hæc sunt mala, sed vniuersa causa immediata, & proxima in spiritum, siue

A calidum innatum influens, referri debet, illud enim subito affici potest, & affectum omnes actiones corporis labefactare, cum sit omnium actionum commune instrumentum: afficitur autem non eodem modo in omni animi defectu, sed vel quod dissoluatur violentius illius substantia, aut arctius versus suos fontes contrahatur, & ita aliarum partium actionēs deleat; vel quod alteratio in ea sit facta non secundum omnes qualitates, (vt Galenus eo loco putat) sed solum secundum malignam qualitatem & venenosam, vt in febribus pestilentibus contingit: nam alioqui qui ex febribus ardentibus B pereunt, omnes cum Syncope perirent; Vel contingit Syncope, & animi defectus, cum spiritus liberum non habent transitum per vniuersum corpus. Ad has causas omnia particularia, quæ Galenus Empirico more *in libro primo ad Glauconem*, & 12. *Methodi*, & *passim alibi* recenset, sunt referenda: nam inedia, sanguinis missio, purgatio, sudor, ira, gaudium, febres vehementes, cutis raritas, virium imbecillitas, vigilia, & alia huiusmodi, has passiones pariunt, ex calidi natiui defectu, vel quod illud, inquam, non gignant, vel genitum violentius dissoluant. Per contractionem vero spirituum pariunt animi defectum, timor, accessiones, quæ cum vehementi frigore inuadunt, præsertim si adiungatur somnus. Cæterum Syncopem contingere, cum spiritus conclusi sunt, vt liberè à C corde in vniuersum corpus spargi nequeant, inditio sunt, qui cohibita transpiratione suffocantur, & qui ex crudis humoribus obstruentibus cordis vasa laborant, sæpe in Syncopem incidunt. Sed hæc alibi diligentius explicauimus. Nunc operæ pretium est, vt excutiamus Galeni sententiam de euacuatione vsque ad animi defectum.

Sententia Galeni de euacuatione vsque ad animi deliquium.

Scribit autem ille, sanguinem esse mittendum vsque ad animi defectum in febribus ardentissimis, & in maximis inflammationibus, & aliquando in vehementissimis doloribus, sequi enim in febribus ardentibus ex tali euacuatione totius corporis refrigerationem, febris extinctionem, & in plurimis sudores, alui profluuium: D in doloribus vero maximis, aliquando sanguinem eo modo esse mittendum, aliquando vero purgandum vsque ad animi defectum. Verum quod de adurentibus febribus scribit, videbitur fortasse repugnare ei, quod habet *in 11. Methodi*, vbi agens de curatione febrium putridarū multis adhibitis distinctionibus, tandem concludit, vel sanguinem non esse mittendum, vel ea mensura, vt sanguinis multum reseruetur ad curationis spacium, quod in putredine vincenda, & obstructionibus tollendis requiritur, ne ob defectum sanguinis, intempestiue cogamur ægros nutrire: At, cum febres ardentes omnes sint putridæ, qua ratione potest in illis laudare sanguinis detractionem vsque ad animi defectū? E quantum enim sanguinis, quæso, relinquitur post huiusmodi euacuationem, qui sufficere possit ad putredinē, & obstructiones tollendas, nisi nutrimentum exhibeatur, quod vires restituat, iam ad extremam debilitatem perductas: cogimur enim subito alere ægrotos, vbi tanta violentia illis est illata; quare & intempestiue & omni modo cibus exhibendus erit (si modo indicatio

An in febribus ardentibus & maximis inflammationibus conferat vena sectio.

Febres ardentes omnes esse putridas.

quæ

quæ sumitur à viribus, vbi illæ labuntur, alias omnes abolet eo authore) quo modo præterea febris ipsa ardens extingui potest sola venæ sectione, cum in illo loco ostendat, nullam febrem putridam posse curari ex sola sanguinis detractione, sed opus esse concoctione, & purgatione humoris, qui putredinem sensit? Præterea, Auicenna in biliosis febribus, quales sunt ardentes, veretur magnas sanguinis detractiones, per quas putat sequi vel bilis efferuescentiam extracto sanguine, quem frenum bilis esse scribit, vel incrudationem humorum refrigerato nimis corpore. Verum, ad dubitationem contra Galenum, sic pro eo respondeo: eum quidem non recte sentire, cum ob ætatem, vel habitum corporis, aut cæli statum, veretur sanguinem mittere in febribus putridis: nam hæc moderari quidem possunt quantitatem euacuationis, ipsam vero euacuationem nullo modo impedire possunt: nam cum febris omnis putrida fiat, *quia vapores fuliginosi accensi in corde, venis, & arteriis, non satis per cutis meatus*, qui facti sunt solum, vt viam præbeant vaporibus, qui gignuntur in corporibus bene habentibus, *exhalare possunt*, necessaria omnino est venæ apertio, vt cum sanguine illi educantur; atque ita ex sanguinis euacuatione fiunt vasa patentiora, & ex illius, & vaporum euacuatione, vniuersum corpus refrigeratur, atque ita putredinis causa, calor, inquam, præter naturam auctus, minuitur, putredoque cohibetur; quare recte dictum est à Galeno, in omni febre putrida sanguinem esse mittendum, etsi rationes huius rei viuas, & veras non doceat. Verum etsi putredo humorum postulet proprium remedium, quod separet id, quod est corruptum ab aliis, tamen vbi putredo incipit, & recens adhuc est febris, remedia, quæ aduersus efficientes causas putredinis adhibentur, tantam vim habeant, vt post illa minimum relinquatur, quod alia auxilia postulet; Quare cum ardentes febres incipiunt, nihil prohibet, quo minus plurimum sanguinem detrahamus, etiam vsque ad animi defectum, si modo cum bile plurimum adsit sanguinis, & corpus boni sit habitus, & validis viribus: nam alioqui sequuntur incommoda, quæ Auicenna tradit, sed non ea ratione, qua ipse putat: nam cum sanguis mittitur, bilis etiam educitur ad proportionem sui; quare quod relinquitur ex vtroque commixtum est, & temperatum, ita vt bilis nequeat efferuescere: sed cum plane biliosa sunt corpora, paucos habent humores, & propterea euacuatis copiose venis, aduruntur & consumuntur facile, tum à calore febris, quæ relinquitur adhuc post sanguinis missionem, tum vero ab aere ambiente: quippe cum *in vehementi solis ardore* ardentes febres fieri soleant: ne ergo deficiant humores in venis, & in corpore, aduersus has causas vehementius exsiccantes & dissoluentes, quidquid in nobis est, parcius mittendus est sanguis, id quod in Mauritanis experientia comprobauit: illi enim, cum sanguine pauco & admodum calido abundent, non sustinent in febribus magnas sanguinis detractiones. Quod si Galenum diligenter legamus, inueniemus illum non in veris ardentibus febribus, qui sunt Causones, sed in Synochis sanguinem mittere vsque ad animi defectum; vt ex 9. *Methodi*

Putrida febres vnde fiant.

Vena sectionem in omnibus febribus putridis esse necessariam.

Quando in ardentibus vena secanda vsque ad animi deliquium.

Ardentes febres quo tempore vt plurimum oriantur.

In quibus ardentibus Ga-

patet: habent enim istę febres vehementem calorem & ardorem, qui magnam refrigerationem postulat, quæ ab initio fieri non potest aliter, quam per sanguinis missionem: & fiunt ex plurimo sanguine, in corporibus validis & optime affectis, quæ omnem violentiam sustinere possunt. Ita ergo sentiendum puto de sanguinis missione vsque ad animi defectum in febribus.

lenus sanguinem mittat ad animi deliquium.

Quid vero faciendū sit in inflammationibus expendamus: nam Gal. *hic* sanguinem mittendum esse scribit, etiam vsque ad animi defectum. *in libro* vero *de Acutis morbis*, iubet cum Hippocrate sanguinem esse mittendum vsque ad coloris mutationem, quod sæpe assequimur, antequam animus deficiat: nam si inflammatio vicina est venæ, quæ secatur, ex parua etiam euacuatione, educetur sanguis, qui in venis partis affectæ continetur, qui alium habet colorem, eo, quod alterationem senserit ex putredine, quam habeat alius, qui ex aliis partibus iam est euacuatus. Præterea, si pars affecta longe distet à loco sectionis venæ, vt sunt inflammationes renum, hepatis, coxarum, vesicæ, sanguinis mutatio spectari non potest: quare perpetua non est regula, de missione sanguinis vsque ad illius mutationem: nec est tuta missio vsque ad animi defectum, quam sequitur sæpe mors; præstat ergo dicere, *tantum esse detrahendum, quantum affectus postulare videtur, & vires ferre possunt, sine magna violentia.* De doloribus vero magnis eadem, meo iudicio, debet esse ratio, in sanguine mittendo.

Quo vsque in inflammationibus sanguis mittendus.

Purgationem vero vsque ad animi defectum quis instituere potest sine temeritate, & vitæ certo periculo? quis enim polliceri potest, ex aliquo medicamento secuturam euacuationem vsque ad animi defectum, quæ ad interitum non tendat? nam purgantibus medicamentis, habenæ, & vincula adhiberi non possunt, quibus cohibeantur, si vltra modum progrediuntur: id in venæ sectione facere, in nostra est potestate: in purgationibus vero nequaquam, vt Galenus etiam testatur, qui hic verbo quidem iubet esse faciendum, quod opere nunquam aggressus est facere: id enim non tacuisset homo alioqui suæ laudis & gloriæ plus satis cupidus.

Purgationem ad animi defectū non esse tentandam.

Galenum fuisse laudis cupidum.

APHOR. XXIIII.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

In acutis passionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vtendum, & hoc cum præmeditatione faciendum.

SIcut satis Galenus *in Comment.* ostendit, hic Aphorismus est veluti exceptio ab eo, quo scripsit *concocta medicari* cum enim antea dixisset, concocta esse medicanda, concocta autem sint in morbi declinatione, excipit morbos acutos ab eo præcepto, in quibus in principio purgatione vtendum est, ita vt Aphorismus ille de concoctis, in longis morbis duntaxat locum habeat, in acutis autem non itē, idque merito: nam cum tempus ad purgationem illud sit aptum, in quo vel humor inapte

natura mobilis est, vel iam sedata alteratione naturæ perfectaque concoctione, mobilem efficere possumus incidentibus, & extenuantibus & naturam habemus adiutricem, in morbis quidem longis, vtpote à crassis & viscosis humoribus factis, & proinde ad motum ineptis, purgationem ab initio morbi adhibere nequaquam debemus: quoniam vel non sequentur humores medicamenti attractionem, aut certe non nisi cum magna difficultate: Quare necessarium est expectare, donec natura humores concoxerit & vicerit, aut eam expulsioni seruientem habeamus, & in euicto humore eam qualitatem moliri possimus, quæ medicamenti attractionem facile sequatur. In acutis autem morbis, quoniam & humor calidus est, & mobilis, qui tales morbos parit, facile sequetur medicamenti actionem, & natura nondum multum occupata in concoctione, expellendo medicamento seruire poterit. Quare vtilis erit purgatio, quæ ab initio in morbis acutis adhibetur, & tanquam vtilis, & necessaria ab Hippocrate *hoc Aphorismo* præcipitur, cum ait: *In acutis passionibus raro & in principiis, purgationibus vtendum*; quæ res tangit quæstionem de minoratiuis vulgo dictis medicamentis; de quibus non est exigua controuersia inter medicos, cum Galenus nunc videatur illa concedere, aliquando vero illa negare, & qui Galenum sequuntur varietate hac confusi, alia adferunt argumenta ad ea medicamenta penitus auferenda: Qua in re videre oportet, an raro in principiis morborum acutorum purgare debeamus, vt Galenus interpretatur, an semper, vel *sæpius* saltem, vt nostra fert opinio, & Hippocratis sententia esse videtur. Primum enim Galeni rationes, quibus suam astruere conatur sententiam, in medium adferemus: Deinde eas, quas Neoterici ad hanc rem confirmãdam ex aliis Galeni, & Hippocratis locis adhibent: Postea vero eas diluemus: Postremo, nostram & ratione, & authoritate confirmabimus.

Cur in acutorum morborum principiis possimus purgare in longorum vero non ita.

Rationes Galeni, quod in principiis acutorum raro sit purgandum.

1 Putat ergo Galenus, in acutorum morborum principio esse vtendum purgatione, *cum turget materia, & non aliter*, primo, quod Hippocrates scribat *in Aphorismo, raro vtendum esse purgatione in principio*, ita ab Hippocratis authoritate primum ducit argumentum. Secundum à qualitate purgantium medicamentorum, etenim,
2 purgantia omnia potentia calida sunt, febremque exasperant, ita vt nisi speremus maius commodum ex euacuatione secuturum, quam detrimentum ex calefactione, purgatio tentanda non sit: Sequetur autem maius, inquit, commodum, si absque molestia omnis humor noxius, & infestans vacuetur. Tertium ducit argu-
3 mentum à corporis præparatione, corpus enim cum quis purgare voluerit, oportet fluidum facere, inquit Hippocr. idest humores extenuare, & meatus aperire: quæ cum ob morbi velocitatem non facile fieri possint in principio, raro propterea purgationes eo tempore faciendæ sunt.
4 A complicatis præterea affectibus cum morbis acutis, qui purgationem impediunt, argumentum ducit: *sunt enim*, inquit, *qui morbo acuto laborant cum cruditate multa, vel tensione vel inflatione præcordiorum; alii, qui crassos cibos & viscosos assumpserunt, quæ omnia purgationem impediunt.* Sumit & argumentum à loco affecto, ait
5 enim aliquos esse morbos acutos ex viscerum inflammatione, in quibus purgatio non est idonea ab initio. Atque hæc est summa argumentorum, quibus probare se putat purgationem in principio acutorum morborum raro esse faciendã, & quod magis est, nec etiam in turgente humore libenter purgationem admittit, nisi vna
6 etiam æger ad purgationem sit paratus. Quare, cum nec ipse paratus sit, nec liceat ob acutiem morbi ex imparato paratum facere, fere omnino purgationem in omnibus è medio sustulit initio morbi.

fol. 2. aphor. 9. & fol. 7. aph. 71.

Argumenta Neotericorum.

Quam opinionem Neoterici nonnulli docti quidem viri, ita auxerunt, vt neq; etiam clysteres mollientes exhibere audeant, si venter sponte deiiciat, cumulantque ad hanc rem argumenta, de quibus nunc agendum est. Primũ ergo sumũt
1 ab authoritate Hippocratis *lib. 4. de Ratione victus*, vbi scribit: *cum vrina tenues fuerint, purgandum nõ est.* Secundũ sumũt à natura humoris, quę
2 in principio morbi est, *est enim*, inquiunt, *tunc crudus morbus, à crudo autem morbo nihil educi potest*: id quod autoritate Hippocratis probant, vbi ait: *Quæcunque statim inter initia morbi phlegmone obsessas partes soluere pharmaco tentãs, à parte phlegmone laborante nihil auferũt, quando quidẽ affectus crudus non cedit. Quod si, inquiunt, in phlegmone id præcipit, idem intelligendum est & in febribus. cum febres multis modis cum inflammationibus conueniant.* Præterea, medicamentum non
3 posse agere, nisi de potentia ad actum perducatur, & natura expellendo adiuuet illius attractionem, hæc autem non posse fieri ante concoctionẽ. Adferũt & aliã authoritatẽ ex Galeno,
4 vbi *passim* scribit, *excretiones, quæ ante coctionẽ fiũt, nunquã prosunt, sed sæpius nocent.* Addunt postea,
5 purgationẽ illam vires deiicere, appetentiã tollere, tormina excitare, nonnunquã dysenterias, & febrem ipsam exasperare, coctionem præterea vitiari, & interturbari purgatione, vtpote mouente corpus cum quiete coctio maxime egeat. Crises impediri, & cætera naturæ auxilia, quando nondum, ad quam partem se natura vertat, cognoscamus: ad naturæ mutationem item nos reuocant, quæ raro solet febres per aluum soluere: quare, nos non sæpius id aggredi debere, quod natura raro facit. Ita his argumentis, non solum valida, sed mitissima etiam nostra medicamenta non admittunt, cum omnia purgantia, venenosa participẽt, plus vel minus, qualitate (vt Aristot. est author) omnia naturę inimica, corpus turbẽt, nauseam moueant, & tetro odore & sapore displiceant. Atque hæc, & similia adferunt, quibus iam singulatim respondendum erit. Primum ergo quod dicit Galenus Hippocratem dixisse in Aphorismo in principiis acutorum morborum raro vtendum esse purgatione, non recipio, quod vim inferat dictioni hæc interpretatio: nam *raro* verbum non ad principia refertur, sed solum ad passiones acutas: nam *si raro*, principium etiam comprehendisset, ita scripsisset: *in acutis passionibus, & in illarũ etiam principiis raro purgatione est vtendum.* Deinde, quid opus fuisset principii morbi potius, quam aliorum temporum mentionem fecisse, nisi inter omnia tempora morbi adnotasset illud, quod aptum est ad purgationes sæpius faciendas & debe-

Responsiones ad argumenta Galeni. Ad primum.

debebat enim eadem ratione dicere, & in declinatione raro venire in vsum purgationes, cum natura per Crises morbos finire soleat, & raro aliquid relinquat, quod purgatione egeat: tanquam ergo purgationes in principio acutorum morborum necessariæ sint, dixit eo tempore purgatione opus esse, id quod contextus verborum ostendit, cum ait: *Et in principiis purgationibus vtendum*: estque verborum horum & præcedentium hæc sententia: *In morbo acuto raro exhibendæ sunt purgationes, nec sæpius iterandæ: quare in principio illa adhibenda, quia natura exonerata ab humoris mali portione reliquum & vincere & expellere sola possit, nec vnquam amplius repetenda, nisi forte aliquando in declinatione, quando natura per suas Crises non omnia euicerit*: Confirmat eandem lectionem Hebræus textus satis euidenter, quem Rabinus Ori Treuirensis Hebræus, discipulus meus vertit, hoc modo. *In acutis morbis licitum non purgare ægrotum cum medicinis nisi parum, in principio.* Item, *in principiis si quid videtur mouendum, moue.* Hanc nostram sententiam confirmat *Aphorismo 29. lib. 2.* in quo dicit: *in principiis si quid videtur mouendũ, moue.* *Aphorism. 10. lib. 4.* vbi sic scribit: *Medicari in valde acutis si suopte impetu ad excretionem humor feratur, medicamento purgante eodem die vtendum. siquidem in his cunctari, malum, &c.* Quæ omnia declarant, Hippocratem velle in principio acutorum morborum faciendas esse purgationes *non raro*, sed *semper si aliud non impedit*. Non ergo ex Hippocratis contextu probare potest, *raro* vtendum esse purgatione in principio acuti morbi. Nec vero illud etiam probare possum, quod ille putat Hippocratem solum in turgente humore purgationem concedere & de eo loqui, quandoquidem antea Aphorismo, quo scribit (*Concocta medicari*,) id iam dixerit, *in principio, cum turget humor, purgatione esse vtendũ* frustraque ob id repeteret, id quod iam docuit, nisi simpliciter de omni humore, qui per purgationem educi posset, intelligeret; id quod satis ostendit dictio Hippocratis, cum nulla mentione turgidi humoris facta, purgatione dicit esse vtendum: nec quod vniuersale est, ad turgentem humorem absque violentia trahi potest. Iam diluendæ sunt rationes, quibus putat se effecisse, vt vera sit hæc, quam sequitur, lectio.

Ad 2. Secundo ergo, quod dicit medicamenta purgantia potentia esse calida. vt de suis medicamentis id facile conceditur, illa de nostris post illius secula inuentis & continuo vsu celebratis, non conceditur: nam *multa habemus purgantia frigida, & alia benigno calore ita temperata*, vt magis vereri debeamus hysopi, thymi, pulegii, origani, & tragorigani potionem, quam in acutis morbis ab initio exhibet ad præparationem humorum, quam purgationem ab illis factam: calidiora enim sunt concessa ab eo medicamenta, quam sit Cassia nostra, Manna, Rhabarbarum, Sena herba, compositum medicamentum ex Dactylis, Diaphœnicon vulgo vocatum, Diacatholicon, Syrupus rosaceus, Mel rosaceum, & plurima alia, quæ aluum feliciter soluunt. Quare quod incommodum ex caliditate medicamentorum veretur, minus à nostris medicamentis fieri potest, quam ab his, quibus ille vtitur.

Purgantia non omnia esse potentia calida.

Ad 3. Tertium argumentum, quod à præparatione corporis, meatuum apertione scilicet & humorum extenuatione petitur, parum efficax est ad saluberrimum remedium omnino inhibendum: nam etsi dicere possim, in morbis acutis humorem suapte natura, vt qui tenuis & biliosus sit, mobilem esse, & facile medicamentum sequi posse, facilius etiam, quam cum est vel concoctus, crassior, & frigidior iam redditus: vel quod sit pituitosus & melancholicus extenuatus, siquidem dubium non est, bilem extenuatam, tenuiorem esse humore melancholico extenuatissimo, in quo tamen purgatio optima conceditur, tamen, dicam, sponte non ita præparatum esse, quin melius adhuc præparari possit. Verum vt in aliis rebus fieri solet, & ille *in Commentario* etiam scribit, de duobus malis quod leuius est eligendum. Quam ob rem, etsi aliqua vi fortasse attrahatur humor, quia tamen natura à multitudine & calidiore humore exoneratur, facilius postea reliquum vincit: cum alioqui periclitabatur, ne illa & multitudini & asperitati humoris succumberet. Vnde maximam vtilitatem ex purgatione capimus, etiamsi totus humor morbum faciens non euacuetur, vt ille purgationis vtilitatem metitur, cum id fieri non posse videatur: nec ille vnquam suis experimentis docuerit, quomodo sola purgatione acutus morbus ab initio totus extingui possit, alioqui venæ sectionem inutilem putemus, quod humorem, morbi causam, totum non euacuet, & morbum omnino non extinguat: cum tunc eam vtilissimam putemus, dum morbum ita mitigat, & illius causam minuit, vt facilius postea à natura vinci valeat. Quod vero dicit aliquando fieri, vt qui laborant acuto morbo, multa cruditate etiam afficiantur, & tenaces crassosque cibos assumpserint, & obstructionibus laborent, & huiuscemodi alia, nihil ad rem facit, cum nos non quæramus an ob aliam causam & complicatum affectum impediri possit purgatio in morbo acuto: Sed an morbus acutus suapte natura in principio purgationem exigat, vel non, cum nihil sit tam perpetuum in medicina, quod contrarii mixtione non vitietur, vel omnino impediatur: ita enim sanguinis missio in ardente febre al[illegible]io non dicetur esse facienda, cum aliquãdo ob Syncopen vel ægri naturam, vel tales cruditates impediatur, cum tamen verissimum præceptum sit, venæ sectionem in principio ardentis febris conuenire. Quales prætera subesse possunt obstructiones in acutis morbis, qui ex calidissimo humore consistunt, aut ex inflammationibus nascuntur, quas Hippocrates non veretur, (vt postea ostendemus,) nisi circa intestina consistant, aut ex causis externis, quæ nullam vim habent obstruendi, excitentur? Ergo præcepta de eo, quod simplex est, tradi debent, & ex rei natura sumi, non prohibent ea, quæ adfert Galenus, quo minus purgatione sit vtendum in acuti morbi principio, cum ad naturam morbi acuti non pertineant, sed contrarii affectus, qui prohibent fieri, quod acutus exigit, ac etiam si quis eos admittat affectus, tanti non sunt momenti, vt impedire possint purgationem, cum nec venæ sectionem impediant, vbi affectus eam postulant: sequimur enim quod magis vrget, & maximos affectus, etsi aliud

Ad 4.

Venæ sectionem in principio febris ardentis conuenire.

Ad 5. sit, quod contraindicet, quinetiam & illud, quod A de inflammatis præcordiis adfert, ad rem non facit, cum sedes affecta purgationem prohibeat non morbi natura; quoniam enim purgatio humorem ad præcordia trahit, & inflammatio augetur, ideo purgatio prohibetur, ob locum scilicet affectum: quod si inflammatio sit in alio viscere, quod in præcordiis non sit constitutum, nõ solum non oberit purgatio, sed maxime proderit, tum vacuato, tum reuulso humore. *Ad 6.* Postremo, quod in turgente humore aliam præparationem requirat, nec Hippocraticum est, nec suis principiis consonum: nam Hippocrates turgentem humorem simpliciter *purgandum* scribit: & si quidem suapte natura ad vacuationem iam B commouetur, quid opus erit alia faciliore præparatione? atque hæc satis ad Galenum dicta sint: iam ad alios properandum, qui Galeni opinionem plus, quam ille sentiat, extollunt.

Responsiones ad argumenta neotericorum. Primum ergo quod adferunt ex Hippocrate *lib. 4. de ratione victus*, vbi scribit: *Cum vrinæ tenues fuerint purgandum non est*, contra nos non facit, qui purgationes non semper necessarias in morbo acuto dicimus, cum aliquando ita constricta sit passio, aut salutaris, vt naturæ coctionem, & facilem omnino purgationem expectare possimus, febrem autem non exasperat purgatio, cum humorem, febris pabulum, educat; coctionem præterea non vitiat, cum natura nondum vehementer in coctione occupetur, & humorem minuat, ita, vt reliquum facilius postea C vinci possit, id quod Galenus *in Aphor. 19. 2. libri* aperte scribit: ait enim, *vt citius eueniant concoctiones, circa principia melius est euacuare per venæ sectionem & purgationem*: nam factis euacuationibus minor fit materia, & propterea à natura facilius vincitur: morbo vero consistente, cum iam natura concoxit, superfluum est euacuare: desinant ergo illi purgationem leuem in principio morborum damnare: cum Galenus contrarium omnino asserat, & rationem subiungat, qua fit, vt non deterior, sed melior fiat concoctio, cui & alias ego subiungo; nam purgatio huiusmodi euacuatis venis, & cauitatibus aliis, corpus reddit melius perspirabile, & educta portione putridi humoris, calorem temperat, & ap- D tiorem reddit ad concoctionem [illegible]standam. Nec obstat, quod illi scribunt, agitationem materiæ fieri, & motum in corpore, concoctionem vero prorsus requirere quietem, nam leuia hæc medicamenta, quæ adhibemus in his primis purgationibus, vel nullam, quam sensus percipiat, vel certe minimam commotionem patiunt, adeo vt sæpe deiiciendi cupiditas adueniat, priusquam senserimus aliquid esse à venis commotum, & attractum ad intestina. Deinde falsum est, omnem concoctionem melius obiri quiete, quam motu: nam frustra alioqui Galenus exercitationem laudaret, quod concoctionem maxime iuuet: quies quidem prodest, vbi calor multus est, & secundum E naturam in visceribus: At vbi exiguus est, & humore frigidiore obrutus, exercitatio, quæ illum auget, melioris concoctionis est author, quam quies: sic vbi febrilis & acris est calor, non quidē exercitatio adhibenda est, vt melior fiat concoctio, sed purgatio: & motus, qui fit per purgationem, plurimum confert, quia cum fiat cum

Rationes authoris, quod in principio morborum acutorum, & aliorum qui ab h... morbus temporib. prouenient liceat purgare.

Non omnem concoctionem melius obiri quiete quam motu.

vacuatione, expirant fuliginosa excrementa, & putridi humores, qui calorem acriorem reddebant, & ad concoctionem plane ineptum. Atqui si verentur illi turbare concoctionem ob motum quem dicunt fieri in purgatione, cur ergo purgationem imperant, cum materia turget? maior enim tunc fit commotio & agitatio, vbi iam humores sunt in motu, & alia accedit agitatio ex medicamento purgante: At dicent, se non posse fugere purgationē, cū humor turget, quia timēt illius cursum in partem aliquam nobilem: At ego mortem timeo alia ratione, cum humor calidus, acris, & putridus diutius continetur in venis: auget enim febrem, partes corporis contaminat, dolores excitat ex vaporum multitudine, nutritionem, & concoctionē alimenti impedit, & facile in aliquam partem moueri potest, vt videmus phrenitides excitari sublato humore à vapore ex venis ad caput: Hæc accidunt, quia ab initio non adhibuerunt purgationem, timent miseri isti homines non solum motum, qui intus, vt aiunt, fit à purgatione, sed illum etiam, qui accidit ex deiectione, eo quod surgere cogantur è lecto, vt purgent corpus, quasi non possint illi huic malo mederi, si tantum hoc est, suppositis vasis in lecto natibus: credo eorum opinione verendum etiam esse motum, quem faciunt ægri cum cibum aut potum admouent ori: timeant magis agitationes quæ fiunt ab ægrotis, dum ob ardorem febris, & molestiam, quam infert putridus humor, coguntur vigilare, & sæpius per lectum dimoueri, & dolore sitiq; ingenti torquentur, si omnem commotionem timent, & ex omni motu putant concoctionem vitiari, cur sanguinem mittunt, ex quo humores subito mouentur ad partes externas, & subito postea redeunt ad internas, & à venis sæpe feruntur biliosi humores ad orificium ventriculi, vnde animi defectus accidit: cur item clysteres adhibent paulo ante venæ sectionem? &, hos tres contrarios motus paruo temporis spatio præstant? aut si hos motus non timent, taceant eos, quos purgatio sine sensu vno duntaxat modo præstat. Quod vero de Crisibus dicunt, diligenter etiam est expendendum: aiunt enim Crises impediri, nec amplius videri, aut certe rarissime nostris his temporibus, & id attribuunt his purgationibus, quæ fiunt in principio morborū: quibus sic respōdeo: Crises nō impediri ab his purgationibus, sed citius & tutius illas fieri: nā exonerata ab initio natura, quod reliquū est vt facilius concoquit, ita expellit cōmodius; nec potest tāta euacuari materia in principio morbi, vt multū adhuc nō relinquatur ad Crises faciendas, vt quotidiana docet experiētia: leuiores & faciliores Crises fateor nostro tēpore cōtingere, atq; vtinā illæ prorsus tolli possent: quis. n. optare nō debet solutiones morborū fieri potius sēsim, & cum paruis motionibus, quam cum illis, in quibus vereri omnia mala possumus, & dubium manet iudicium de vita hominis? damnant ergo illi, quod antiquiores Medici maxime laudarunt, vt scilicet cito, tuto, & iucunde curare ægrotos studeamus. Illud vero, quod adferunt ex naturæ imitatione, quod scilicet illa raro per aluum morbos finire soleat, & nos propterea frequenter purgationes instituere non posse: facile refellitur; nam ideo raro per aluum natu-

Crises nostro tempore laudari & faciliores quam alias.

Natura [illegible] morbos raro finiat per alvum.

naturæ finiũ morbos, *quoniam humor in venis & habitu corporis, vt plurimum continetur, qui febrem facit, ita vt singulæ partes in vnam actionem vix conspirare possint, quæ per vnum meatum ad intestina fiat: facilime autem per purgationem id efficiamus, cum purgatio attractione fiat ad locum vnum, in quo medicamentum est, & eo tractis humoribus ferri purgantur.* Quod si tetro sunt odore medicamenta purgantia, & sapore displicent, ea ab vsu, si possumus, amoueamus, & non solum in principio morbi, sed nec alio vnquam tempore conuenire dicamus; sunt enim hæc cõmunia omnibus purgationibus argumenta, & non solum propria illis quę in principio fiunt, de quib. nunc agitur. Postremo, quod addunt, requiri naturæ actionẽ, vt medicamentum ducatur de potentia ad actum, & vt illa expellendo adiuuet medicaméti attractionem, & hæc non posse fieri ante concoctionem, multis modis refelli potest, nam etsi requirit medicamentum illum actum, tamen hoc à calore fit, qui non reuocatur propterea à concoctione humoris noxii: nam concoctionem vix natura adhuc inchoauit, aut certe in ea parum laborat, & leuissima requiritur opera naturæ & caloris, vt leuia hæc medicamenta actuentur: quandoquidem & senes, & debilia omnia corpora hoc præstant, cum nonnulla difficultate, vt experientia docet. Præterea in purgationibus non requiritur expulsio naturæ: *nam ea fit per attractionem medicamenti quod vel inuita natura allicit vndiquaque* sibi humorem familiarem, alioqui nunquam fierent superfluæ purgationes: nam quod familiare est, natura retinere conatur, quantum potest, sed non potest, quia cogitur illud relinquere in potestate medicamenti: nec credere debemus, naturam irritari in purgationibus nostris à medicamentis, & propterea simul fieri expulsionem cũ attractione medicamenti: nam quæ irritant vim expultricem, id faciunt vel quantitate, vel acrimonia, quæ non adsunt in nostris medicamentis, quæ parua sumuntur quantitate, & nullam habent acrimoniam, cum omnia sint multa humiditate temperata; cur, quæso, non veremur magis irritationem, & expulsionem, quæ turbent concoctionem, à medicamentis, quibus illi per multos dies vtuntur continuo, qualia sunt origanum, thymum, serpillum, hysopum, & alia huiusmodi, quæ acrem & igneam habent vim? cur piper etiam adhibent in quotidianis, à quo mordicatio stomachi, vomitus, & totius corporis commotio contingunt? Nec sufficere quidem potest sanguinis missio ad naturam exonerandam in principio morbi, nam illa solum multitudinem æqualiter lædentem minuere potest: at humorem, qui iam putredinem sensit, aut in via est ad putredinem, non aliter, quam per purgationem educere possumus, & illum natura expellit, vt procedat concoctio, id quod ostendunt vrinæ crassitudo, & rubeus flauusque color, quæ cum fieri non possint nisi misceantur humores cum vrina, mixtio autem fieri non possit, nisi facta sit à natura separatio, & hæc ostendat præcessisse concoctionem, itaque si natura non veretur in principio acutorum morborum vacuationes tentare per vrinas, per vomitum, & sudores etiam, vt in tertianis apparet, cur nos idem non præstabimus ad naturæ imitationem, præsertim cum medicamenta habeamus, quibus facilius,

Purgationem non requiri expulsionem naturæ, sed fieri per attractionem.

Purgationem non irritare naturam ad expulsionem.

A quod est noxium, separare possimus? nam natura expulsionem vix aggreditur, antequam plurima excrementa congesserit, à quibus vehementer irritari, & molestari possit.

Hæc sunt illa egregia argumenta eorum, qui se purgationem in principio acutorum morborum putant sustulisse, quæ quanti momenti sint, quilibet ex nostris confutationibus facile agnoscere potest, quæ, etsi omnino etiam concedantur, tanti tamen non sunt momenti, vt id efficere possint, quod illi volunt; quærimus enim an maiora sint commoda, quam incommoda, quæ ex purgatione sequuntur. Sed quoniam isti non percipiunt rationum momenta, nec alia flecti possunt, quam authoritate & imperio authorum, B volo hoc etiam modo illorum voluntati, ne dicam, infirmitati consulere. Primum ergo excutiamus Hippocratis libros, & quid senserit de purgatione hac ostendamus: adfero præsentem Aphorismum, vbi expressè scribit, *in principio acutorum morborum purgandum esse corpus*; Deinde *Aphorismum* 22. *libri primi, Concocta medicari*, &c. vbi interprete Galeno, iubet concoctionem esse spectandam in longis morbis, in acutis vero, si materia turget, purgationem adhibendam esse ante perfectam illam concoctionem, turget autem semper in huiusmodi morbis materia, quæ semper acris est, ignea, & ad motum parata. Nec impedit, quod scribit, *plurima non turgere*, nam hoc, vt ostendimus, C non tangit morbos acutos, sed vniuersum genus morborum, in quo plures agnoscuntur esse morbi longi, quam acuti. Ad id pertinet, quod scribit *Aphoris. 29. libr. 2. In principio, si quid videtur mouendum, moue*; quem locum explicat Galenus de sanguinis missione, aliquando de purgatione, quod verbum additum est de morbis acutis: quando enim fit morbus acutus, tunc ab initio purgandum, quod alio Aphorismo expressit, *Aphoris. scil.* 10. *libri* 4. in quo scribit. *In acutis passionibus eadem die, si fieri potest, medicandum*; in quo subiungit, *nam tardari in his, malum est.* & huius adhuc rationem reddit, quia, inquit, *Aphoris.* 30. *libr.* 2. *Circa initia omnia debiliora, & in statu omnia fortiora, quæ* D *purgationem fieri impediunt.* Hæc sunt quidem præcepta Hippocratis, luce clariora de hac purgatione, quæ & operibus in suis libris confirmat: quid enim clarius eo, quod scribit *in lib. 2. & 4. de Victu acutorum, in curatione Pleuritidis: si dolor,* inquit, *ascendit, sanguinem mittes: si descendat purgabis?* & genus medicamenti purgantis illic describit, quale quæso? ex helleboro, peplio, scammonio, verebimurne nos purgationem ex nostris medicamentis in simili affectu? Nec est, quod confugiamus ad materiam turgentem: quomodo enim amplius turget, si spectes materiam, quæ iam facit inflammationem, quam iam per tot fomenta discutere tentauit? sed frustra, & ob id purgationem imperat. At si dicat aliquis, E illum purgare nolle, vt materiam facientem, aut circumstantem inflammationem, sed vt illam, quæ in venis magnis continetur, educat; recte quidem ille sentiet, sed interim nobis viam aperit ad purgationẽ in aliis morbis acutis, in quibus nulla est inflammatio in aliqua parte: eodem enim modo humores cõtinentur in hoc, & illis affectibus etsi in eo scribit esse purgatio-

Authoritates, quod in principio morborum à tenui humore licere purgare.

Materiam in morbis acutis semper turgere.

dum, vt habet *lib. 4. de victu acutorum in textu 96.*
prima die vel 2. vel 3: vel 5. & Gal. *in eo loco*, nullum
diem ex primis excipit: cur non licebit eodem tē-
pore in aliis morbis acutis purgare? posset enim
quispiam dicere authore Galeno, Pleuritidem iā
vigere, quando Hippocrates frustra tentatis fo-
mentis purgationem instituit; At si eo tempore
non timet eam euacuationem, cur nos antequā
vigeat morbus, vel etiam crescat, idem non facie-
mus? si item præcipit alibi crudas inflammationes
purgationibus non cedere, & tamen in pleuriti-
de, vbi parum, aut nihil adhuc excernitur (quod
cruditatis morbi indicium scribit esse Galenus)
adhibet euacuationem per purgantia? tanto ma-
gis possumus nos id præstare in omnibus biliosis
febribus, vbi humor non est crudus, & contri-
ctus in aliquo loco. Purgationem quoque ille
adhibet *in lib. 4. textu 30. de Victu acutorum*, in
Angina ex vehementibus medicamentis, & *text.*
7. eiusdem in Causone iubet ventrem aperien-
dum esse ex asinæ lacte cocto, in quo loco Gal.
scribit Hippocr. lac asinæ dare, quoniam alia non
haberet medicamenta, quæ non essent acria &
calida. Probat autem purgationem, quæ à medi-
camentis fit minoribus nulla facta concoctionis
mentione; Igitur Hippoc. & Gal. *ex eo loco* volunt
ex nostris medicamētis fieri purgationes in prin-
cipio morbor. si necessariam dicunt esse purgati-
onem, & solum verentur acrimoniam, & calidi-
tatem medicamentorum. Est & locus notandus
in eod. 4. lib. Acut. tex. 21. vbi agit de angina, & cly-
steres laudat Hippocr. nam Gal. scribit clysteres
adhibendos esse, non solum vt excrementa alui
subducantur, sed vt humores qualitate vitiosi
morbum facientes, expurgentur; & tales clyste-
res tertio quoque die infundi iubet, donec salus
contingat: oportet autem tales clysteres medica-
mentosos esse, & ex purgantibus confectos, vel
certe ex acribus rebus, si humores morbum faci-
entes in Angina sunt euacuaturi; non ergo veren-
tur Gal. & Hippocr. turbationem concoctionis
ex purgationibus humoris noxii, nec solum quæ-
runt illi solam deiectionem excrementorum ci-
bi, vt Medici nostri osores harum purgationum.
Quid vero eo est clarius, quod scribit de inflam-
matione hypochondriorum, septi transuersi, ie-
cinoris & lienis, & aliarum partium, quæ supra
septum transuersum sunt? scribunt enim *lib. 4. A-*
cutor. tex. 21. Hippocrates & Galenus non esse in-
cipiendum à purgatione, sed à sanguinis missio-
ne, sed post sanguinis missionem deinde purga-
tionem adhibendam, nec magnum spacium in-
terponi vult, cum dubium esset, an purgatio, vel
sanguinis missio præcedere deberet: nec impe-
dit, quod subiungit *tex. 22. eiusd. lib.* de cruda pas-
sione, quæ non cedit statim inter initia medica-
mento purganti: nam verbum, *statim inter initia*,
ponit solum differentiam inter sanguinis missio-
nem, & purgationem, de qua controuersia erat;
& nihil aliud vult, quam quod purgatio non sit
statim & primo facienda, sed post sanguinis mis-
sionem: non quod velit concoctionem expecta-
re in inflammatione, vt cum postea humorem
purget, nam talis humor, qui ad suppurationem
venit, & abscessum fecit in parte, per nullam pur-
gationem factam à purgantibus medicamentis
educitur, sed per resoluentia, aut incisione par-
tis affectæ, per quam pus ipsum exitum habet;

A appellauit autem crudam passionem suo more,
quæ est contricta, nec facile trahi potest à me-
dicamentis purgantibus: nam vbi venæ plenæ
sunt humoribus, prius sanguis mittendus est,
quàm possit purgatio feliciter procedere, quod
ipse paulo postea his verbis scribit, *textu 28. & 29.*
lib. 4. Acutorum: Talibus sane prius adhibitis fo-
mentis venam confestim ab initio secare oportet, cum
nondum fixa sunt omnia, quæ contristant, tum spiri-
tus, tum fluxiones, facilius etenim remedijs parent,
postea reficere expedit, & superiorem ventrem, si
non leuetur, purgare. Quam sententiam etiam i-
ta admittit Galenus *in Comment.* non expectant
ergo illi declinationem morborum, vt purgent,
si iubent purgationem dandam esse, si post san-
B guinis missionem non alleuiatur æger: (nam al-
leuiationes non contingunt ante declinationem
morbi authore Galeno) denique; nullus fere mor-
bus est acutus, de quo non agat author *libri 4. de*
Victu acutorum, & nullus est, in quo non vtatur
post sanguinis missionem purgatione, si modo
vrinæ sint crassæ & rubræ, quem locum explicans
Galenus, dicit vrinas crassas & nebulosas, id est,
quæ nubeculam iam aliquam habent, significare
concoctionem, quæ sufficiat ad purgationem,
quæ sententia Galeni refellit euidenter illos,
qui perfectas concoctiones semper expectant in
declinatione morbi, antequam purgationem ali-
quam aggrediantur; tunc enim vrinæ non ampli-
us nubeculam habent, & crassitiem, sed sedimen-
C tum album, lene, & æquale, nec crassæ sunt tales
tunc vrinæ; hæc autem omnia conspiciuntur in
primis diebus in febribus acutis & biliosis, vt ex-
perientia docet, & si tunc purgamus, faci-
mus, quod Hippocrates, & Galenus iubent esse
faciendum, qui longe quidem ab illis dissentiunt,
qui misso sanguine nullum aliud adhibent auxi-
lium ægrotis ante morbi declinationem, & ita
plurimos perimunt, stulta quadam timiditate,
qua commoti, omnia verentur quæ maiores no-
stri iubent non esse timenda, si modo leuioribus
medicamentis vti possimus, quod nobis maxime
est concessum.

Verum si illi præter Hippocratis authorita-
tem Galeni quoque sententiam requirunt, præ-
D ter illa, quæ ex *suis Commentariis in librum de vi-*
ctu acutorum adduximus, non grauabimur vtique
illorum imbecillitati huius viri quoque testimo-
nio mederi. Clara est Gal. de hac re sententia, *in*
lib. de his, quos purgare oportet, sex. 5. vbi ita scribit:
Inter initia morbi tenues, & aquosos humores eua-
cuabis: vbi crassi & tenaces fuerint, quales sunt pi-
tuita, & atra bilis, concoctionem expectabis. Nec
est quod dicant illi, eum librum spurium esse, vt
quidam ob hanc solam sententiam, quæ contra
ipsos facit, asserere sunt ausi; vel quod non intel-
ligatur de purgatione adhibenda inter initia fe-
brium, sed aliorum morborum, quod ipsi con-
cedunt: nam Galen. hæc omnia dubia tollit *in*
principio 1. Comment. De Humoribus, vbi ita ad
E verbum scribit: *Sunt porro crudorum humorum*
duo genera; eorum alter tenuis, & aqueus est, alter
crassus, & glutinosus, eique in partibus corporis
impactus; tenuem vero & aqueum euacuare expe-
dit, prius quam à calore febris exsiccetur, putreatque
et moretur; crassum & glutinosum concoquere,
& fluxum reddere prius, quam medicamento pur-
ges. Quibus verbis sententiam, quæ habetur in

alio

illo libro confirmat, & euidentissime nō solū concedit, sed præcipit in omnibus febribus, quę fiunt ab humore tenui, qualis est biliosus & aquosus, purgationem per initia, & ante concoctionem facere debere. Item *in 4. Methodi* statuit, purgationem, vel propter morbi magnitudinem, vel abundantiam alicuius humoris, faciendam esse, ergo cum in principio morbi acuti vtrumque adsit, illa adhibenda est etiam, si sanguis iam est missus: nam post sanguinis detractionem, adhuc magnus perseuerat morbus: nam alioqui non fierent postea in eo Crises, & magnæ aliæ mutationes. Idem præcipit esse faciendum *in 5. Methodi statim ab initio*, in fluxionibus, & vlceribus pulmonis, quæ mala non sunt profecto sine febre; & *passim* eadem præcipit, etsi aliquando timidior videatur esse in purgationibus exhibendis. Rationem subiungit ex vehementia, & caliditate medicamentorum purgantium; nec expectat perfectam concoctionem, cum purgationem tentant (vt hi censent, qui se falso Galenistas profitentur) sed contentus est, si appareant alia concoctionis inditia, vt apparet *in 1. libr. ad Glanconem*, primum in cura tertianæ febris, vbi absynthium iubet exhiberi, vbi concoctionis signa apparent, & antequam concoctionis mentionem faciat, non veretur remedia adhibere, quæ bilem vel per os, vel per vomitum, vel per aluum, vel vrinam purgent; sic in vini exhibitione ostendit se non expectare perfecta signa concoctionis, sed satis esse, si concoctionis signa ostendantur, & explicat, hæc esse, cum morbus concoqui incipit; vt idem de purgatione quoque sit intelligendum. Ad idem pertinet, quod scribit *in eodem libro* in quartana febre sæpius iterandas purgationes, tanquam voluerit perfectam concoctionem expectare, in qua semel fiat purgatio totius humoris noxii & concocti, sed euacuare velit, quantum per interualla concoctum agnoscitur esse. Sed cur, quæso, in quotidiana febre post primos dies, in quibus minimum esse potest, quod sit concoctum, exhibet, quæ vrinam mouent, & pituitam, morbi causam cum vrina trahunt? Quod vero Galenus in aliis morbis biliosis, vbi nulla est febris, concoctionem non expectat, quilibet videre potest *ex libro de medicamentis secundum locos*, vbi singularum partiū morbos curat, & purgationem statim aggreditur, si cacochymia adest in corpore, nisi adsit crassities, & viscididtas in humoribus, vel aliqua obstructio in viis, per quas euacuatio fieri debet.

Oribasius præterea, purgationem concedit in peracutis morbis; & Aetius *cap. de purgatione* apertè scribit ad hunc modum: *In acutis morbis in principio purgandum.* Quid vero commemorem Auicennam, Rhasem, Mesuem, & omnes practicos, qui à quingentis annis vixerunt, qui omnes profitentur cum maxima gloria & facilitate curationem morborum, & præsertim febrium acutarum, & biliosarum, cum leui aliqua purgatione in primis diebus morbi? Exhibent enim vel cassiam solam, vel mannam, aut syrupum rosaceum solutiuum, vbi calidissimæ sunt febres, ex humore plane bilioso confectæ: aut, si aliquid pituitosi humoris est commixtum, vt in nothis tertianis contingit, aut si crassior est bilis, non verentur miscere cum his dragmam

A vnam, vel paulo etiam plus medicamenti, quod Diaphœnicon vocant, aut Electuarium rosatum Mesuæ, aut aliquid tale, quod recipit minimum scammonii, & illud ita temperatum, & correctum, vt nullus vnquam iustus æstimator actionum humanarum viderit, ex his medicamentis vnquam esse allatam vim naturæ: nam si Hippocrates vtebatur helleboro, scammonio, peplio, & alii postea hiera ex colocynthide confecta, ad huiusmodi purgationes nullis mitioribus commixtis medicamentis, verebimur ne nos mitissimis nostris pharmacis vti, cum minima illorum mixtione? Ego vero, qui nunc quinquagesimum annum ætatis meæ ago, & annos viginti septem Medicinam factitaui, Lugduni, B Antuerpiæ, Patauii, Venetiis, Pisis, Romæ, Neapoli, & nunc eandem exerceo in hac nostra Regione Pedemontana, semper sum secutus hanc medendi rationem, & Deum testor, nihil vnquam mihi contigisse ex his purgationibus, in quo agnoscere possem aliquid detrimenti allatum fuisse ægrotis; & cum vtranque curandi rationem sæpe tentauerim, inueni longiores, & grauiores factos morbos, in quibus ab initio nulla purgatio fuisset adhibita. Dicam adhuc aliquid, quod non admittent illi, qui omnia timent ex purgationibus; vbi febres sunt vehementes, & post sanguinis missionem, & minoratiuam purgationem, & alia præsidia, morbus perseuerat in sua vehementia, & in statu videmus C naturam nihil tentare, sed opprimi, & pessima signa apparere, si vrinæ rubræ & crassæ sunt, nihil commodius inueni, quam exhibere paulo plus vel minus vncia cassiæ puræ, & optimæ; illius enim potione Georgium nepotem meum, victum iam à febre, & stupidum redditum, multosque alios profiteor me sanasse. Eandem curandi rationem frater meus Bartholomæus, qui annos quadraginta Lugduni, & nunc Septuagenarius domi Medicinam felicissime adhuc exercet, semper est secutus, & maximam famam in tota Gallia, & Italia ex suis fœlicissimis curationibus sibi comparauit. Quam ob rem, iuuenes nobilissimi nolite, nescio quibus, credere, qui digni non sunt soluere corrigias calceamentorum, si cum tot tantisque viris comparentur, & D nihil aliud sciunt in morbis præstare, quam sanguinem mittere, & clysteres aliquando exhibere, & prisanam pro cibo dare, & aquam hordei pro potu, & syrupos per multos dies frustra propinare, & nihil aliud præterea: quorum quidem Medicinam non sex mensibus, vt volebat Thessalus, sed sex diebus, quilibet perdiscere potest.

Καὶ τῦτο προεξευκρινήσαντας ποιεῖν.

Et hoc cum præmeditatione faciendum.

E CVm præcepisset Hippocr. purgationem in principiis morborum acutorum, sub quibus nos comprehendimus omnes alios, qui ex bile, & tenui humore consistunt, admonet, id esse faciendum cum præmeditatione: quæ verba ita interpretatur Galenus, *diligentem examinationem, vel ægroti præparationem*, vel *Crisis expectationem*, *vel hac omnia simul*, non enim esse paruum periculum vti in morbo acuto purgante

medicamento, cum ea omnia sint potentia calida. Verum non potest Hippocrates intelligere Crisis expectationem, cum dicit, in principiis esse purgandum; nam Crises non fiunt in principio, sed in statu; quare, si de purgatione ageret, quę fit in declinatione morbi, bona esset hæc Galeni interpretatio, quæ nihil ad institutum Hippocratis facit; nec etiam intelligit eam præparationem, quæ fit per extenuantia, qualia ipsa dicit se exhibere, hyssopum, origanū, tragoriganum, thymum, & pulegium, quæ in acutis morbis nō sunt danda, propter nimiū calorē, nec vim habent extenuandi, vt postea ostendemus, cum explicabimus Aphorismum nonum secundi libri: *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere:* nā hæc medicamenta calida & ignea solum possunt extenuare, cum humores sunt crassi ex concretione, vt pituita, bilem autem vtramque hæc reddunt crassiorem, dissoluto, & consumpto humore, & relicto eo, quod in illis est terrenum. Præterea, acuti morbi, qui sunt cum febre, de quibus A hic agit, non habent opus extenuatione, quoniam (vt antea ostendimus) nec obstructiones in illis fiunt, quæ sint alicuius momenti, & humores, qui abundant, sunt biliosi, tenues, & ignei, & plus iusto etiam ab ipsa febre vehementi extenuati. Quare nihil aliud (meo quidem iudicio) præcipere vult Hippocrates, nisi, *vt mitiora medicamēta eligamus*, ita, vt solum apta illa sint educere, quod iam est concoctum, aut certe facile sequi potest, & ita sequentes concoctiones iuuare, nō autem reliquum perturbare, & supra modum corpus calefacere. Atque hæc sufficiant in hoc primo libro, quæ iam à viginti annis inchoauimus, & continuo, quantum licuit per alia studia, semper auximus, & pro viribus expoliuimus, & B hodie, qui est dies vigesimus Mensis Maii, anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertii, absolui, quod Deo sit gloriosum, mihi vero & studiosis omnibus artis nostræ, & cæteris, qui ea vtentur, fœlix & faustum.

Sensus huius textus.

Finis commentarii in sectionem aphorismorum primam.

IOAN. ARGENTERII CASTELLONOVENSIS PEDEMONTII

PHILOSOPHI, AC MEDICI PRÆSTANTISSIMI,

In Lib. II. Aphoris. Hippocr. Comment.

APHOR. I.

Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον. ἢν δὲ ὕπνος ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

Vbi in morbo somnus laborem facit, lethale. Quod si iuuet somnus, non lethale.

Scopū huius secundi libri esse varium.

NON est facile inuenire scopum in hoc secundo libro, ad quem redigantur omnes Aphorismi, vt in primo diximus libro, omnes Aphorismos redigi ad euacuandi nutriendique rationem: nam materia, quæ in hoc docetur, multiplex & varia est; quidam enim Aphorismi, qui hic traduntur, pertinent ad purgationem, alii ad nutritionem, alii ad causas morborum, alii ad curationem, alii signa docent generationis morborum, alii prædicunt permutationem morborum, alii mortem, alii salutem, & denique, mul- C tiplex & varia est tractatio, quæ in certos scopos vniuersales contrahi non potest: maior tamen pars Aphorismorum huius libri pertinet ad signa, & ea quidem prognostica: ac cum signa sumantur vel à causis, vel ab effectis, vel ab essentia eius, de quo agitur, omnia hæc attingit, sed maxime illa, quæ à Symptomatis, & causis morborum ducuntur. Porro symptomata omnia, vel sunt actiones læsæ, vel passiones, quæ agendo nascuntur, vt dolor & voluptas; vel excrementa corporis, vel qualitates præter naturam mutatæ; Actiones aliæ naturales, aliæ vitales, aliæ animales; & hæ vel sensitiuæ, vel motiuæ, vel principes, quæ pertinent ad imaginationem, vel rationem, aut memoriam: Somnus vero aut vigilia D passiones sunt animalis totius, quatenus illud sensus est particeps, non tamen sunt actiones sensuum, sed vigilia sequitur sensationem: somnus vero sensuum quietem (vt alibi ostendemus) de quo *in hoc 1 aphorismo* agit Hippocrates, docetque ex eo mortem & salutem prædicere: Scribit ergo hominem moriturum, si in morbo somnus laborem facit: non moriturum vero, si somnus in eo iuuet: laborem intelligit, non exercitationem, non reuera dolorem, sed *molestiam quamcunque, ex qua percipimus ægros*

Præcipuum tamen de signis prognosticis.

Per laborem quid intelligatur.

post

post somnum deterius habere, vt sæpe fieri videmus A in morbis. Quam quidem sententiam intelligere non possumus, nisi vires & facultates somni perspectas habuerimus; De qua quidem re egimus *in primo libro Operis nostri de Somno & vigilia*, vbi ostendimus, somnum ipsum reuera nihil præstare, cum sensuum sit priuatio; vel certe sequatur sensuum priuationem & quietem: sed calor est natiuus influens, qui per somnum agit: ille enim dum contrahitur in viscera, sensuum fontem deserit, & propterea illi agere non possunt, vnde sequitur somnus, & interim, cum versatur in visceribus, diuersa opera præstat pro ipsius somni differentiis, & corporum diuersitate: nam aliud præstat somnus breuis, quam longus; aliud profundus, quam leuis; aliud continuus, quam interruptus, aliud, qui in molli lecto, quam qui in duro B initur; aliud, qui in calido loco, quam qui in frigido fit; aliud præstat nocturnus, quam diurnus; aliud matutinus, quam meridianus; denique, multæ sunt somni differentiæ, quas rationi est consonum diuersos parere effectus; nec alienum quidem est à ratione, vt diuersi fiant effectus à somno in corporibus differentibus temperie, habitu corporis, humoribus, affectionibus, passionibus; nam aliter temperata, quam intemperata corpora à somno afficiuntur, aliter sanguinea, quam biliosa, vel melancholica, aut pituitosa; aliter crassa, quam gracilia; aliter obesa, quam macilenta; aliter exercitata, quam quieta: aliter vacua, quam plena humore, quam C cibo, & eo recenter, aut iamdudum assumpto: aliter sana, quam ægra; aliter si laborat stomachus, quam si externa aliqua pars afficitur: aliud patiuntur à somno qui inflammatione laborant, quàm qui alio affectu detinentur: aliud fit à somno, si incipit inflammatio, quam si illa crescit, aut viget, vel declinat: aliud si vrget febris putrida, quam alterius generis morbus. Itaque somnus (vt docet Galenus *in libro 6. de morbis vulgaribus*) non semper refrigerat, vt quidam voluerunt: nec semper humectat, vt ille censet: sed calefacit, refrigerat, humectat, exsiccat, temperat corpus, morbos quosdam auget, alios minuit, & rescindit: vnde, aliquando prodest, aliquando obest in morbis: nocet enim somnus, si flu- D xiones ad interna viscera fiunt, aut ex rigore febrium, vteri suffocatione, aut animi defectu, aut ex alia causa calor ad interna viscera compellitur: nam cum somnus eo etiam moueat innatum calidum, id est, sanguinem & spiritum, augeri ea mala necesse est: iuuat autem, si sanguis per externas partes erumpit, aut corpus digeritur ex nimio sudore, aut alia externa euacuatione, vel gignuntur in partibus externis inflammationes, vel quæ consistunt in internis, iam vigent, aut declinant: vigilandum vero tunc est, quando inflammationes externarum partium pariter sunt concoquendæ, & discutiendæ, solet prodesse somnus, vbi concoctione est opus in E internis partibus: obest autem in frigidis & humidis affectibus corporis, & aliarum partium externarum, quoniam priuantur illæ calore natiuo, quo egent ad concoctionem & consumptionem humoris. Et non solum quidem in morbis ipsis, sed etiam in accessionibus morborum nunc iuuat, nunc lædit somnus: nam si accessiones fiant cum rigore, aut ex fluxione ad

Somnum ipsum reuera nihil præstare.

Somni differentia secundum effectus.

Somni effectus.

Somnus quando in morbis nocet.

quando iuuat.

partes internas, eo tempore, quo hæc fiunt, arcendus est somnus, ne illius opera morbosi motus augeantur: his vero sedatis motibus, vt in statu & declinatione accessionum, prodest somnus, quoniam calor illic conclusus concoquit, discutitque noxiam materiam: in quibus vero per accessiones calor non contrahitur, nec fluxiones fiunt, vt in Colicis passionibus, quæ per accessiones repetunt & in externarum partium vitiis calidis repetentibus per interualla, vt in hemicrania, prodest somnus: quoniam fluxiones auertit, & vbi concoctione est opus, concoquit. Iam videamus, quid velit Hippocrates.

Galenus illius sententiam ita interpretatur, vt somnum non consideret in toto morbo, sed solum in accessionibus morborum, nec in illis quidem omnibus, sed in his duntaxat, quæ cum frigore contrahunt calorem in viscera: tunc enim, inquit, si somni nocent crescente accessione, aut vigente & maxime declinante, mors merito significatur: Verum illius explicatio non consentit cum dictione authoris, qui de toto morbo agit, siue ille accessiones habeat, siue non, ait enim: *in quo morbo*, & non *in qua accessione morbi*: sententiam ergo facit Hippocrates generalem, qua vti possumus in plurimis morbis.

Quis sit sensus Aphorismi secundum Galenum.

Præterea supponit Hippocrates, somnum esse ineundum in tempore opportuno, in quo suapte natura prodesse debet, non in principio accessionum, aut in alio tempore, in quo certo scimus, illum obfuturum. Præterea quod dicit ex somno non sequi aliam læsionem in principio accessionum, sed solum deesse illam vtilitatem, quæ ex vigilia habetur, non mihi placet: quis enim negat maiorem contingere ex somno læsionem, cum ille addit nouam fluxionem, & maiorem contractionem caloris facit circa viscera? intendit ergo malum somnus, quia morbosos motus adiuuat, & quia vigilia hominem priuat, à qua remedium sumitur aduersus eos motus. Sed videamus, an in omnibus morbis, in quibus nocet somnus, mortem necessario prædicere debeamus, vt Hippocr. Aphorismus sentire videtur.

Mihi hoc non videtur necessarium in omnibus morbis: nam si nocet in frigidis affectibus externarum partium, aut cum fluxiones fiunt in internis, non propterea mortem prædicemus, huic malo mederi possumus imperata vigilia: quare mihi Aphorismus intelligendus videtur esse in morbis, qui concoctione, & opere caloris egent in internis partibus, quales sunt febres putridæ, & alii morbi, in quibus est intus cruditas, & abundantia humorum: nam cum illi, qui ita laborant, liberari non possint, nisi concocto & euicto, qui illic lædit, humore, si per somnum, in quo concoctionis & caloris vis est validissima, malum vinci non potest, certe res desperata est, nimirum si illud, quod solum prodesse potest, non solum non prodest, sed etiam obest, à quo enim alio auxilium petemus? Sed dices, quomodo obesse potest concoctioni? quoniam contingit aliquando materiam obruere & suffocare vires agentis; vbi enim multa, crassa, & vehementer corrupta est materia, & in eam agit calor noster, & coquendi facultas, si vincit, ad victoriam propor-

An in omnibus morbis, in quibus somnus nocet, mors necessario prædicenda.

proportionem, agentia validiora redduntur, aut saltem reprimunt conatus materiæ repugnantis, & salus tandem expectanda est ex reiteratis plagis per somnum à concoctione; at si concoctio & calor posteaquam pugnam validissimis suis viribus per somnum cum materia morbosa tentarunt, sed inprospere, illa infelicis suæ pugnæ signa produnt: nam post talem somnum sæpe videmus pulsus fieri minores, motus corporis deteriores, deliria infestare, vrinas turbari, & alia plurima Symptomata oboriri, quæ ostendunt agitatam fuisse materiam, & calorem oppressum, quod malum necessarium est continuo augeri, cum sine somno viuere non possit, qui laborat, & per somnum rursus pugnandum sit cum hoste, qui viribus suis auctus, continuo maiora vulnera inferre est aptus.

Ἢν δ' ὕπνος ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

Si vero somnus iuuat, non mortale.

EX incommodis, quæ somnus adfert ægrotantibus, mortem prædicere docuit Hippocrates: nunc vero contrarium colligit ex iuuamentis, quæ somnus parit; *si*, inquit, *iuuat somnus, non moritur homo.* Quam quidem sententiam Galenus simpliciter non intelligit; contingere enim posse ait, vt affectus, qui in visceribus est, iuuetur à somno, ex alio tamen affectu moriatur æger. Cuius quidem opinio mihi non placet: nam somnus non dicitur iuuare, si post illum æger grauior ex aliquo affectu redditur: nam si in aliquo prodest, in alio obest morbo, dicere non possumus talem somnum iuuare. Hippocrates autem nullius læsionis mentionem facit, cum expendit iuuamentum ex somno, & vera est ipsius sententia, quam ratio & experientia confirmant; nam si somnus iuuat, ostendit calorem natiuum potentiorem esse causis morbosis: quod si potentior est, illas concoquet & dissipabit, ad hæc vero opera sequitur declinatio morbi, & salus; id quod sæpe videmus fieri: nam qui post somnum leuius habent, meliusque sperant, & alacriores sentiunt se redditos, illi euadunt; Moriuntur autem, quibus contraria his fiunt.

APHOR. II.

Ὅπου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν.

Vbi somnus delirium sedat, bonum.

HIc Aphorismus est veluti exemplum superioris: cum enim in eo dixisset, *vbi somnus iuuat, non mortale*; subiungit, particulare exemplum, in quo iuuat somnus, ex quo intelligere possimus affectum non esse mortalem, quasi ita diceret: *iuuat autem, si morbosam dispositionem & Symptomata sedauerit, quale est delirium.* Quomodo autem somnus delirium sedare possit, explicandum est: quod fieri non potest, nisi prius intellexerimus delirii naturam, & somni vim; sed hanc superiore Aphorismo attigimus. De delirio vero nunc agemus, & quid sit, quotve illius differentiæ, quæ causæ, quis

A locus patiatur, breuiter docebimus. Ex quibus intelligemus, quibus remediis, an à somno sedari possit omne delirium. Igitur, vt in actione sensuum sunt Symptomata, sensus priuatio, imbecillitas, deprauatio, & tristis sensatio; ita etiam in principe facultate sunt etiam propria Symptomata: nam circa memoratricem hæc apparet, cum vel penitus perit memoria, vel debilis seruata est, vel deprauata residet: debilem porro vocamus, quæ minus est obtusa, confusa, quæque paulatim, & vix agit, vel longiore tempore opus habet, vt recordetur, aut denique alio modo segnius exercetur: cum vero quis commemorat, quæ nunquam est imaginatus, aut nunquam fuerunt acta, tunc deprauatam voco memoriam;
B tristem vero tunc dico memoriam, cum quis côtristatur recordatione eorum, quæ sunt iocunda. Iam vero in facultate imaginatrice Galenus *in libro de differentiis Symptomatum* triplex ponit Symptoma, triplici nomine distinctum: nam aliquando resolui actionem imaginatricem scribit, quam affectionē Charon, & Catalepsim vocari ait, non forte recte, cum passim his nominibus soporosos affectus significari tradat: quod si forte etiam imaginatio in illis soporosis affectibus simul læditur, non tamen propterea ab eo, quod accidit, nomen sumere debemus, nec agnoscere possumus, in illis principem facultatem pati abolitionem aliquam: quandoquidem, illemet testatur Catalepticos, posteaquam ad se
C redierunt, referre aliquando, quæ contigerunt, interim cum liberarent, quod seruatæ imaginationis est inditium; deprauatum vero vitium huius facultatis appellatur paraphrosyne, id est, delirium: imbecillis vero motus huius facultatis, dicitur inquit, cerni in Comate & Lethargo. Verum non docet, quid sub deprauata imaginatione comprehendamus: nec (meo iudicio) recte Coma vel Lethargus appellari potest illius imbecillitas. Ego vero deprauatam imaginationem eam voco, quæ ignorat, an agendum sit, & rem vnam pro alia imaginatur, aut non eam apprehendit talem, qualis est, vel est inordinata; debilem vero voco imaginationem, quæ tardius vel confuse agit; apparent etiam
D in tristi, & voluptuosa imaginatione vitia, cum quis omnia tristia cogitat, aut per morbos temere ridet. Cæterum, in facultate ratiocinatrice abolitio, quam resolutionis nomine vocat *eodem libro.* Anœam, id est, Amentiam vocari scribit, quod vero in ea est veluti deficiens, & infirmus motus, μωρία, & μώρωσις ab eo vocatur, quæ vero veluti errans est & deprauata motio, παραφροσύνη, id est, delirium pariter vocari scribit; *plerumque enim in vtrique* (inquit) *delirium consistit, tum male imaginando, tum male ratiocinando*; aliquando in vna actione solum; ergo paraphrosyne, siue delirium, (vt antea diximus) nihil aliud est, quam *deprauatus imaginatricis, aut cogitatricis facultatis motus*, quod
E etiam *libro* 2. *de Causis Symptomatum*, testatur, cum ait, delirium deprauatum esse principis facultatis motum. Omittit, vt satis patet, si delirii nomen solum deprauatam actionem significat, vitium, quod in aucta actione & tristitia consistit; Præterea, debilis cogitatio nomen peculiare non habet: non enim Coma aut Lethargus appellari potest, cum ea nomina soporosis affectibus

Charon, catalepsis.

Paraphrosyne.

Imaginatio deprauata.

Debilitata.

Amentia.

μωρία.

Paraphrosyne siue delirium quid.

bus sint concessa, etsi interim cum sopore principes functiones quoq; lædantur. Hoc quoque prætereundum non est, delirii nomen non continere omne vitium deprauatum imaginatricis & ratiocinatricis facultatis, sed illud solũ, quod morbosum est. Nam si leuis admodum sit & deprauatus motus, ita, vt leuiter mente offendantur, qui ita laborant, nondum παραφρονοῦντες, id est, delirantes, sed ταραχώδεις, idest, turbulentos, & affectum ipsum τάραξιν, idest turbulentiam vocari scribit *text. 4. 1. Comment. Prorrheticorum*; vnde qui ita afficiuntur, turbulentos homines nuncupare solemus.

Τάραξις.

Turbulenti qui.

At delirium vel sine febre est, vel cum febre; quod sine febre est, μανίαν ille vocat, tametsi *in libro de Symptomatum causis*, appellet etiam melancholica deliria, verum melancholia reuera non est delirium, sed tristis actio imaginatricis facultatis: tristia enim omnia imaginantur melancholici, μανία etiam fortasse ad auctam actionem aptius referetur, quam ad deprauatam; aut certe affectus est commixtus ex deprauato & aucto motu, id quod ostendunt actiones eorũ, qui μανίᾳ tenentur.

Delirii differentiæ.

Melancholiã non esse delirium.

Mania.

Cæterum, delirium, quod est cum febre, aut est continuum, aut non continuum: cõtinuum vocatur Phrenitis, quæ Latino nomine caret; quod vero continuum non est, sed abit declin ãte accessione febris, si paruũ fuerit, λήρησις, παραλήρησις, & παραφρόνησις, vocatur, vt Galenus scribit *tex. 2. lib. 3. 1. Com. Epid.* quod si vehemens fuerit, maniosa paraphrosine vocatur 17. *Commentarii Prorrheticorum*: vel extasis: nam *textu 19. 2. Prorrheticorum* vehemens non iam simpliciter paraphrosinem, sed extasim nominari scribit: quod si vehementissimum fuerit delirium, ita, vt ægri calcitrent, mordicus impetant & excandescant, eos, qui ingrediuntur, tanquam hostes existimantes, ferinam Paraphrosinem vocari scribit 31. *textu 3. Prorrheticorum*: vehementiam hanc & re & nomine ita distinguit, cum inquit, *melancholicam Paraphrosinem vocant, quando quis promptus est, vt propinquis mala adferat; quod si ingentia mala faciat, Paraphrosinem firmans vocant: nos autem multa nomina habemus, quæ si in vsum essent perducta, facile possemus Græcorum felicitatem in hoc æquare*; legas enim apud Ciceronem *libro tertio Tusculanarum Quæstionum*, & apud Celsum, desipientiam, insaniam, delirium, furorem, dementiam, amentiam, fatuitatem, stultitiam, insipientiam. vocat autem insaniam, quam Græci Maniam dicunt: furorem vero, quem illi melancholiam appellant; sed fortasse non recte, non enim melancholici furibundi sunt, sed potius tristes apparent; furiunt autem Maniaci. Quod si mihi liceret in Arte nostra singulis vitiis prædictis nomina accommodare Latina, ita rem distinguerem, vt vitiũ, quod est in abolita ratiocinatrice, quæ & mens dicitur, appelletur amentia, vt à Græcis ἄνοια, quasi sine mente sint. ipsius vero imbecillitas, quam illi μωρίαν vocant, dementiam vocarem, quasi de mente aliquid dematur: deprauatam vero illius actionem, delirium, vt illi παραφροσύνην dicunt: quod vero illi τάραξιν vocant, cum leuis sit motus deprauatus, insipientiam vocarem: nam & sanos vocamus insipidos, cum aliena quædam vel loquuntur aut faciunt; au-

Phrenitis.

λήρησις, παραλήρησις. παραφρόνησις.

Ecstasis.

Ferina paraphrosyne.

Insania. Furor.

Amentia.

Dementia.

Delirium.

Insipientia.

A ctam vero actionem vocarem, μανίαν Græco nomine, & Latino insaniam; Maniosam vero παραφροσύνην, & extasim appellarem furorem. φρενῖτιν vero nomine Latino exprimere nõ possum, nec λήρησιν, & παραλήρησιν & παραφρόνησιν, quę paruum delirium in febribus significant: abolitam vero imaginatricem, quam illi Caron & Catalepsim vocari scribit, non apto certe vocabulo, nos forte commodiore stultitiam vocabimus; debilem vero imaginatricem, fatuitatem appellare liceat; si aliquod vero est in imaginatrice vitium in auctione, non satis suppetit, quo nomine appellari possit: deprauatam vero illius actionem desipientiam dicamus; tristis vero imaginatio μελαγχολία Græco vocabulo, vsu etiam
B Latino, nuncupetur, non enim mihi aliud videtur esse melancholia, quam *tristis actio imaginatricis*; probe enim melancholici ratiocinantur, sed semper tristia imaginantur; abolitam vero memoriam appellemus proprio nomine, obliuionem; corruptam autem memoriam, aut auctam, & tristem & debilem, si in tristitia & auctione aliquod in ea vitium est, propriis vocabulis nuncupare nequeo; satis sit hæc tentasse & alios inuitare ad reliqua quærenda, ne confusio (vt nunc fit) in rebus nascatur, dum res diuersas nostri interpretes eodem nomine interpretari solent, & nomina diuersa eisdem rebus accommodant; sunt enim, qui maniam (vt vno exemplo rem aperiam) interpretantur furorem, alii
C insaniam, alii dementiam; παραφροσύνην vero quidam vertunt delirium, alii desipientiam, alii aliter; atque ita lectori difficultatem non paruam adferunt; vt qui non intelligat de qua re ab authoribus agatur: Atque hæ quidem differentiæ, quæ traditæ sunt ex propria rei essentia, nempe ex generibus actionis læsæ sunt ductæ: aliæ vero trahi possunt à modo, quo singulę actiones fiũt, qualis est illa, quæ legitur 32. *textu 1. Com. Prorrheticorum*, quo scribit Galen. Paraphrosinem quandam esse quietam, aliã turbulentam, item, alia, cuius meminit *in Comment. Aphoris. 53. sexti libri*, vbi dicit, deliria alia fieri cum risu, alia cum studio, alia cum temeritate, cui similis est, quam habet *secundo quarti*, cum dicit, alia fieri cum i-
D ra, alia cum temeritate, alia cum crudelitate; Est quoque huius generis hæc differentia, quæ 28. *Aphoris. 2.* legitur, quosdam scilicet delirantes continuo sese attollere, alios iacere quidem, sed partem aliquam continuo mouere. A compositis vero & coniunctis affectibus differentiæ nonnullæ in quibusdam resultant, cuiusmodi est, quæ legitur *primo primi Prorrheticorum*, quosdam scilicet simplex delirium, alios mixtũ cum Comate pati, quæ affectio à nonnullis mixta ex Phrenitide, & Lethargo, ab aliis autem Tiphomania (vt Galenus refert) dicitur. Possũt & ab aliis affectibus, cum quibus coniunguntur, aliæ differentiæ sumi, possunt & à causis, quod scilicet vitia facultatum prędictarum à calore, a-
E lia à frigore, alia ab humore, vel siccitate, quædã à bile, alia à pituita, alia ab humore melancholico, & aliis huiusmodi causis nascatur, quæ postea facilius innotescent, cum de singulorum causis pertractabitur.

Insania.

Furor.

Stultitia.

Fatuitas.

Desipientia. melancholia quid.

Obliuio.

Tiphomania.

De causis horum malorum nunc agendum. Qua in re si Scriptores de arte nostra legamus, non inueniemus commune aliquid traditum, &

Aaa

pauca etiã particularia: nam Delirii, Maniæ, Melancholiæ, Phrenitidis, abolitæ memoriæ causas forte inueniemus ab eis conscriptas, at nõ inueniemus, quot in vniuersum sint causæ, quæ functiones has principes vitiare possint: ac multo minus reperiemus reliquorum vitiorum, quæ præter illos addemus, & multorum etiam, quæ ab illis ponuntur, & abolitæ imaginationis & rationis, & debilis, causas, in his preterea, de quibus agunt, omittunt perpetuo immediatas proximasq; causas: Docet quidẽ Galenus, Maniam fieri ab humore melãcholico: Phrenitim ab Erysipelate mẽbranarum cerebri: Delirium ab infinitis fere causis, (vt postea ostendemus) nasci: sed quõmodo hęc ea vitia cõmittãt, nõ explicat, quod tamen erat faciendum, quemadmodũ in causis pulsuũ obseruauit, vbi quærit, cur febris, aut exercitatio, vel humor, aut aliud quidpiam pulsus mutet, nempe, vel quod facultatẽ, aut vsum, aut instrumentũ varient; sic profecto docere oportebat, quid faciat humor melancholicus in Melancholia, & atra bilis in mania. an scilicet facultatẽ, aut instrumentum, vel aliud quidpiã, quod ad eas functiones obeũdas sit necessariũ, mutet, quod etsi difficile est præstare, conabimur tamẽ, quantũ in nobis fuerit, viã reliquis aperire, suppositis illis principiis. q̃ in Opere nostro De Causis actionis læsæ, sunt tradita: ostendimus autẽ 2. c. *lib. de cau. sympt.* actiones lędi vel vitiata facultate: vel instrumẽto cõmuni, & peculiari: & ob finis mutationẽ siue vsus, vbi eũ mutari cõtingit & ob materiã in illis functionib. quæ circa aliq̃ materiã versantur, nec nõ ob causas sine quibus, ex quib. non omnes possunt esse causæ, cur principes actiones lædantur: nõ. n. sicut in pulsib. vsus arteriarũ motum variat, sic imaginatricẽ aut cogitatricẽ, vel memoratricẽ vim impelli, aut corrũpi necesse est nec facile est inuenire, quõmodo causę sine quibus. aliquid in hac re per se faciant, nec ex materia causa aliqua sumi potest, quandoquidẽ hæ facultates nullã materiã elaborant, aut retinent, vel extrudũt, aut attrahũt; sed elaboratis vtũtur ad sua opera peragenda, nẽpe animali spiritu, quare supersunt alia causarũ genera, quibus has functiones lędi cõtingit: nã humectato prętet naturã cerebro & facultate vitiata, memoriã perdi videmus: sic obstructis cerebri ventriculis in Apoplexia; atq; hoc modo lęso peculiari instrumento & subiecto, in quo facultates illæ residẽt, ad portionẽ lęsionis, eas nũc aboleri, nũc debilitari videmus: cõmune autẽ instrumentum, nẽpe calidũ natiuũ, & animalem spiritũ, eas actiones vitiare, docẽt febres pestilẽtes, & ardentes, quarũ illæ infectis spiritibus: hæ vero ex calefactis & præter modũ agitatis, deliria excitent: q̃ si cerebrũ instrumentũ illarũ esse neges. sed potius subiectum, in quo resident, vt certe videtur (non. n. reuera dicere possumus mentẽ vti cerebro tanq̃ instrumento, quemadmodũ visiuã facultatẽ oculo aut motricẽ neruo pro instrumento) subiectũ statues causam harũ operationũ, ab his ergo causis, nẽpe subiecto vitiato, cõmuni instrumẽto, & facultate has functiones aboleri, debilitari, augeri, corrũpi: suo modo dolere, & plusq̃ oportet voluptate affici putabimus, & in eas omnes causas redigemus. quę sigillatim Empiricorũ more à scriptorib. de nostra arte recẽsetur, siue n. febris sit, siue humor, siue calor, aut vacuatio,

A vel repletio, aut inflãmatio, vel Erysipelas, aut aliud quidpiã, quod aliquã ex illis facultatib. quocunq; modo lędat, non primo & per se id facere credemus, nõ magis sane pulsus ab illis mutari dicimus, sed quod illæ aliq̃ mutent ex illis tribus, sicut illæ, quæ pulsus variant, eo q̃ illarum vsum aut vim, à quib. proueniũt, aut instrumentũ afficiãt; quod sigillatim in cuiusq. tractatione innotescet. His positis, sequitur vt Delirii de quo hic agimus, causas eliciamus. De qua quidẽ re Gale. agit sparsim, & Empirico more: ponit. n. Deliriũ cõmittere cerebri intẽperiem, sanguinis immoderatã & intempestiuã missionem, vini potionẽ ante cibum, calorẽ, bilem flauam, aut adustã, virium debilitatem, vigiliã, calorem & siccitatem,

Delirii causa.

B cerebri inflãmationem, humorem melancholicum, vt in mulierib. contingit, quib. supprimuntur menses, carbonũ caliditatem, domũ seruantem calcis qualitatẽ, & multa similia inuenies, apud eũ authorem inter causas Delirii numerari, quæ diuersæ sunt facultatis, nec arte aliqua traduntur, cũ sigillatim singula enumerentur, nec vnquã immediatæ causę doceantur: contraria. n. est repletio humoris vacuationi, vigilia, somnos inflãmatio Erysipelas non est, nec bilis flaua atra est; omnia tamẽ hæc delirium committere possunt; externę causæ idẽ faciunt, at illis non medemur: Quare methodus docendi postulat, vt immediatas causas inueniamus, quas certe vel in facultatem, vel in cõmune instrumentũ redige-

Immediata.

C mus; facultas porro habet essentiam in temperamento, quod cũ corrumpitur, actiones quoq; & facultates ad eo proficiscentes corrumpi necesse est: id quod docet cerebri intẽperies, aut biliosus vel malignus humor in eo cõtẽtus, quę eo, quod cerebri temperiẽ corrumpant, deliriũ concitãt; cõmune instrumentũ est spiritus, & calor natiuus, qui cũ vel debilitatur, vel corrũpitur, aut calidior redditur, idem malũ parit, quod facile probare licebit; *igitur imbecillitas facultatis & spiritus delirii causa esse cognoscitur*, exẽplo sumpto ex aliis actionibus: nã cũ debilitatur facultatis causa per imbecillitatis actionẽ, eadem vbi admodum excesserit, actiones quoq; corrũpit, id quod appa-

D ret in admodũ infirmis corporibus, quę, si conẽtur incedere, non solũ lente progrediuntur, sed etiam distortis cruribus, & corpore, in deprauatas figuras sese agitante, mouentur: Itaque mirum non est, ex debilitate facultatis animalis, & spirituum animalium defectu Delirium contingere, vt in his apparet, qui morti sunt propinqui quos deprauate imaginari & ratiocinari videmus; non enim caliditas huiusmodi delirii causa esse potest, quæ propemodũ extincta in illis est, præsertim si ex frigido morbo pereunt, nec alia reddi potest causa, cur immoderata sanguinis missio aut alia euacuatio delirium pariat: quam *quod desit natiuum calidum, quo deficiente recte agere non potest animal, nec suos ordinatos motus seruare.* Quod autem ob spiritus calidiores in-

Delirium cur interdum sequatur immoderatã sanguinis missionẽ aut aliam euacuationem.

E ordinati motus fiant, & deprauatæ actiones, cuilibet patere potest, est enim caliditas suapte natura mobilis: & ad motum omnia excitat, frigore autem omnia rigent: quod ostendunt animalia, quæ hyeme in foueis latitant, nimio frigore veluti concreta, & immobilia facta, adueniente autem calore, moueri incipiunt, & ad suas actiones abeunt: & vt moderatus calor ordinata

Calorem moderatum esse

rum

causam motionum ordinatarũ, immoderatã vero inordinatarum.

rum motionum causa est, ita & immodicus inordinatarum; id quod videmus accidere in animalibus ira percitis, vel externo calore agitatis, quæ stare loco nesciunt, sed nunc huc, nunc illuc nullo ordine seruato debachātur, ob corruptionem vero spirituum delirium fieri docent febres pestilentes, quæ infectis spiritibus citra vehementem calorē aut debilitatem huius mali sunt authores, quemadmodum & venena nonnulla, veluti solanum maniacum, idem faciunt, non alia ratione, quam *quod vniuersam spirituum substantiam corrumpant:* sic malignæ cerebri intemperaturæ, vel quod vicinos spiritus vitient, vel quod facultatem deprauent, delirii causæ putandæ sunt esse: atque ad has causas redigere oportet omnes eas, quas superius ex Galeno recensuimus, & alias omnes, quæ eiusdem sunt facultatis: quæ enim calefaciunt, eo quod spiritus inordinate moueri cogant, & bilis, eo quod spiritus & calorem emittat mordaciorem ad caput, delirium parit; Vini vero calidioris potio, eo quod multos spiritus, & calidiores capiti submittat; atra bilis vero in capite redundans idem facit, vel *quod spiritus corrumpat sua malignitate, aut temperiem cerebri, ex qua facultas corrupta resultat.*: Vigilia, *eo quod calidiores sicciores que reddat humores, ex quibus calidiores sicciores que spiritus ad caput ascendunt, vel quod natiuum calorem consumat, tandem & dissipet:* sicut sanguinis missio, eo *quod spiritus minuat, & facultatem debilitet,* delirium committit.

Quemodo corruptio Spiritus & nonnulla venena faciãt delirium.

Quomodo calefacientia & bilis.

Quomodo vini calidioris potio, & atra bilis.

Vigilia.

Sanguinis missio.

Iam quod omnia deliria non eiusdem sint rationis, sed alia vehementiora, alia leuiora, causa est vehementior, aut mitior spirituum, & temperaturæ noxa. Item quod alia simpliciora, alia maligniora sint, qualia sunt maniaca, & ferina deliramenta, causa est simplicior intemperies cerebri, aut minor corruptio in spiritibus: quia enim bilis pallida mitior est & benignior qualitate, quam flauæ & sanguineæ, aut atræ, ideo fit, vt mitius ab eo humore, ab his vero malignius delirium nascatur. Causa item stabilis, vt phlegmone, ex qua continuo spiritus calidiores gignuntur, & ex putredine corrumpitur cerebrum, continuum facit delirium; non continuum autem causa, quæ continuo non est, concitat; quoniam enim febres perpetuo non habent calorem vehementem, ideo potissimũ vigente illarum accessione, & nō incipiente aut declinante, delirium infestat, ex quibus quidem omnis delirii causæ intelligi & elici possunt: nos enim omnia prosequi haudquaquam instituimus, sed grauiores duntaxat affectus, ex quibus leuiores nullo negocio intelliguntur.

Nunc vero illud solum explicandum est, quod ad locum, in quo delirium fit, pertinet, ne aliqua ex Galeni varietate ambiguitas lectori nascatur: cerebrum enim sedem esse delirii contra Methodicos, & Aristotelem probat ille validissimis argumentis, ex medicamentis capiti admotis delirium sedantibus; cui addi illud potest, quod caput in delirantibus præcipue affici videtur: sed illud forte non constat, an cerebri corpus vel ventriculi, aut membranæ, aut alia in capite pars peculiariter in deliriis afficiatur: nam Galenus *libro secundo, de Causis Symptomatum,* scribit, fieri delirium ob cerebri intemperiem, cerebri corpus significās sedem illius esse; quod

In qua cerebri parte delirium habitet.

A etiam ostendit, cum dicit, ob facultatis infirmitatem idem committi: est enim facultas princeps in cerebri substantia posita: *At 44. 2. Acutorum,* bilem flauam in stomacho, vel capite contentam, delirium facere testatur, non quod illius sedes sit in stomacho, & nullo modo capite affecto fieri possit, sed ex eo significans & per consensum, & primario affectu fieri posse delirium; sed non iam cerebrum, sed caput affici dicit, quasi vniuersum caput delirii locus sit, id quod etiam innuere videtur *4. textu 4. eiusdem Operis,* & *textu 17. libri 1. Epid. Comment. 2.* vbi scribit, fieri delirium ob bilem ad caput recurrentem, aut calorem copiosum ad idem sublatum. Cæterum *75. textu eiusdem libri Epidemiorum*, Delirium nasci prodit in febribus à bile

B per cerebri & illius membranarum venas delata, nondum tamen illis impacta. *sic enim,* inquit, *Phrenitidem faceret*, tanquam non solum cerebrum, sed etiam venæ & membranæ ipsius sedes sint delirii: atque ita nunc caput, nunc cerebrum, nunc venas, alias vero membranas cerebri, vt in Phrenitide apparet, quæ illarum inflammatio est, delirii sedem ponit: mihi autem nihil referre videtur, an in vno vel alio loco capitis causa sit delirii, modo ab eo vel cerebri substantia vitiari, aut spiritus possint, ita enim videmus fieri, vt vulnerata quacunque capitis parte, superueniente inflammatione, delirium oboriatur, si modo vel cerebrum afficiatur, at-

C que ita facultas, quæ in eo residet, aut spiritus præter modum incalescant, vel corrumpantur; *Itaque cerebri mala primo & per se delirium committunt, aliarum vero partium nequaquam, nisi vna vel cerebrum ipsum ledatur, vel in eo conclusi spiritus*: At hæc intelligenda sunt de delirio, quod vitiato fit cerebro, aut male affecto spiritu in ipso cerebro; nam delirium, quod nascitur ex spiritu in aliis partibus corrupto, vel dissoluto, aut vehementius excalefacto, sedem non potest habere in cerebro, nec peculiarem aliam in aliis partibus: quis enim locus, quæso, afficitur, cum ob sanguinis missionem immoderatam, delirium contingit? aut ob extremam eam debilitatem, quæ accidit his, qui morti sunt pro-

D pinqui? videndum ergo est, quænam sit causa, quæ delirium facit, sic enim inueniemus, cui loco sit succurrendum, & quibus fuerit remediis pugnandum. Iam vero illud explicandum est, quomodo somnus delirium sedare possit.

Somnus quomodo sedare possit delirium.

Potest vtique multis modis: nam si delirium nascitur eo, quod humores & vapores calidi ad caput confluant, somnus qui reuellit eas fluxiones ad internas partes, delirium merito sedabit; quod si delirium fiat ob inflammationem, vel intemperiem calidam, aut acres humores infestantes cerebrum, somnus huic delirio erit quoque medicina, vt qui contractione caloris externas partes frigidiores relinquat: At, si delirium nascitur ex putridis humoribus residen-

E tibus in visceribus, *& mittentibus ad caput vapores & humores*, somnus, qui perfectionis est author, delirium sedabit; si autem contingat delirium ex venenosa materia, contingit per somnum delirium aliquando sedari, aliquando vero minime: nam si vitium emendari potest per concoctionem, tollitur delirium, aliter nequaquam. Dubium vero & illud est, quomodo de-

Quomodo delirium ex inflamma-

tionibus cerebri natum in phrenitide quomodo valeat mitescere in somno.

do delirium, quod nascitur ex inflammationibus cerebri in Phrenitide, mitescere valeat: nam generationem inflammationis si prohibet somnus auertendo fluxionem à capite, delirium in eo quoq; tempore mitigabit; at, si inflammatio fiat repugnante etiam somno, & delirium nascatur ex inflammatione iam genita & vigente, quomodo ex somno medicinam inueniet? nam si inflammatio postulat concoctionem, vel dissipationem humoris contenti, & hæc requirunt caloris influentis operam, obesse videbitur somnus, qui Cerebrum inflammatum calore priuat; docet tamen experientia sæpe prodesse in his malis somnum, an id fit, quia plus prodest, cum sistitur fluxio, quæ ad locum dolentem cõtinuo
B fieri solet, quam obsit distractio caloris, qui quidem contrahitur in viscera interna, non tamen ita deserit externas partes, quin sufficere possit ad feruentes affectus concoquendos & dissoluendos? id quod ostendit capitis grauitas, & dolor, qui per somnum maxime mitescunt. Accedit, quod per somnum cerebrum humectatur & paulo frigidius redditur, vnde humor in inflammatione contentus, deposita acrimonia & feruore, facilius ad mediocrem quandam temperiem & assimilationem redigitur, quod est concoquere: ergo somnus reuellendo fluxiones, roborando calidum innatum, refrigerando, humectando, concoquendo, delirii causas rescindit, deliriumq; ipsum tollit. Quod si hæc facere
C non possit, malum fore indicat, quoniam ostendit, morbosam dispositionem superare naturæ actionem: Deterius adhuc est, si somnus deliriũ excitat, cum prius non esset, id quod fieri posse ostendit Galenus *ex fine Com. præcedentis Aphoris.* ex Hippocrate, qui scribit: *Inter hos erãt multi graui oppressi somno, & delirantes; nonnulli vero ex somno tales fiebant*: an id accidit, quoniam tunc somnus materiam vincere nõ potuit, sed solum agitauit, & commouit, & plurimos vapores & humores calidos ministrauit capiti? & quoniam somnus prohibet huiusmodi materiam digeri, superest, vt dubitationes quasdam diluamus, quæ ex *Comm.* Galeni partim resultant, partim à Neotericis excogitantur; scribit enim in *Comm.*
D Galenus, delirium periculosiorem esse affectum dolore, febre, & inflammatione; cuius rei rationem reddunt Neoterici ob præstantiam actionis læsæ; atque per febrem læduntur omnes actiones totius corporis, & etiam cerebri, in delirio vero solum actiones cerebri; an potius dicendum est, delirium, quod fit ab internis causis, fieri à maioribus causis, quam febres, inflammationes, & dolores: ex causarum autem magnitudine, morborum, & symptomatum magnitudinem metimur; *itaq; delirium suapte natura febri comparatum, periculosius est febre, & forte etiam paruum delirium magna febre deterius censendum est*; pauci enim euadunt, qui per morbos delirãt, plurimi autẽ, qui vehementissimis febri-
E bus vexantur: nam delirium deprauata est actio, quę vt plurimum deprauatam & malignam causam sequitur.

Quomodo somnus delirium excitet.

Delirium an & quando sit periculosius febre.

Pauci per morbos delirantes euadere.

Quando sit deterius inflammatione.

Cæterum, delirium deterius esse inflammatione sano modo intelligẽdum est: nam inflammatio cerebri semper deterior est delirio, quod
A per consensum, vel etiam ex alio affectu cerebri nascitur.

APHOR. III.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου γινόμενα μᾶλλον, κακόν.

Somnus atque vigilia, vtraque si modum excesserint, malum.

CVM docuerit Hippocrates superiore Aphorismo nos, præsagire ex effectibus somni, docet hoc Aphorismo, quomodo ex somno ipso tanquam causa effectus colligere possimus: etenim præcedente Aphorismo ex delirio colligebat, quisnam somnus bonus esset, & quis malus: siquidem is, qui delirium sedat, bonus: qui vero delirium inferebat, malus: nunc vero contraria ratione ex somno ipso ad prædicendum argumenta colligit, ex ipsis scilicet somni differentiis, nempe, ex his, quæ mediocritatem excedunt, siue (vt ille ait.) modum naturæ; appellat autem somnum excedentem modum naturæ non eum, qui iam morbosus est, hic enim malus est, & talis esse ab omnibus agnoscitur, vt non sit opus præceptis, quæ (vt inquit
C Galenus *in libro de Optima secta*) tradi non debent de rebus plane notis & perspicuis: nec quidem intelligere debemus eum somnum modum excedere, qui mediocritatem eam, quæ temperatis hominibus debetur, exuperat: nam singulis naturis suus est modus, suaque mensura, plus enim pueri, quam senes dormiunt; plus frigidi & humidi, quã calidi & sicci. & multo minus capere debemus somnum excedentem modum, qui fit in corporibus, quæ non plane bene se habent: nam longus somnus, qui vehementius defatigatos excipit, eam mediocritatem excedit, non tamen ab Hippocrate damnari potest, vt qui suauissimus sit naturæ ita defatigatæ; nec longior fit, quam conueniat
D corporis dispositioni: si enim breuior esset, non sufficeret ad dispositionem emendandam; quare somnum excedentem modum naturæ intelligemus, *qui enim modum excedit, quem natura requirit ad corporis dispositiones emendandas*, is enim nascitur à causis, quæ nisi tollantur, morbos parient, & tales somni fiunt in corporibus neutris, dictis decidentiæ, quæ pullulantes habent in se causas morborum, vt Galenus ostendit *in Arte Medicinali*, vbi futuræ ægritudinis signa docet, & illic explicat, signa huiusmodi mediam habere formam inter ea, quæ sanis, & quæ ægrotantibus eueniunt, & inter illa somnum, & vigiliam recenset: cum enim plus solito homo vel dormit, vel vigilat, aut non con-
E sueto tempore hæc facit, aut somnos habet turbulentos, vel profundiores, vel leuiores, aut aliter affectos, quam consueuerit habere, nisi præcesserit vel labor, aut cibi potionisque immoderata copia, vel aliud quidpiam euidens, huiusmodi somni & vigiliæ damnandi sunt: cur vero, reddit rationem Galenus *in secundo*

Somnus modum naturæ excedens quis.

cundo *Prorrheticorum* 47. *textu, quoniam*, inquit, *huiusmodi somnus in Cataphoram*, id est, *soporosum affectum terminatur.* Verum hæc ratio non omnia mala explicat, quæ significantur à tali somno: nam sæpe contingunt vitia in somno; vt cum sunt inquieti, & insomniis pleni, vbi Cataphoram licet soporosum affectum vereri non possumus; nec etiam profundiores aut longiores somni Cataphoram necessario præsagiunt; ostendunt enim vel multitudinem frigidorum humorum, vel frigiditatem, aut humiditatem corporis, vel capitis, aut magnam contractionem caloris, quæ mala alios morbos inferre & significare possunt, quam soporosos affectus; malum ergo significant primo, quia malam causam subesse in corpore ostendunt, & quia futura mala præsagiunt. & ea quidem varia pro diuersitate causarum latentium, & corporum, quæ ex eisdem causis diuersos morbos patiuntur; alii enim à cerebro pleno humoribus in resolutionem neruorum incidunt; alii in tremorem; alii in conuulsionem; alii in dolores pectoris: alii tussi infestantur, alii podagra, alii aliis affectibus. Diuersa enim etiam mala nascuntur, & significantur à causis, quæ vigilias modum excedentes committunt. Superest, vt Galeni Commentarium excutiamus, vbi sæpius reprehendendus est interpres, primum quod Comatosas dispositiones vertat somnolentas, & graues dispositiones; quid autem per graues dispositiones & grauem somnum intelligat, non satis patet: est enim Coma, vt *in primo libro nostro de Somno & vigilia capit.* 25. ostendimus, *species vna somni præter naturam*: quare præstat verbum (*Coma*) relinquere, quo certam soporis differentiam intelligamus.

Coma quid.

Quod autem postea scribit Galenus, fieri huiusmodi somnum refrigerata prima parte sensitiua, hoc est, cerebro ipso, non ad longum somnum, sed ad eum, qui difficilem habet expergefactionem, hoc referendum est: talis enim causa solet somnos præter naturam efficere, vt *in eodem Opere* ostendimus.

Quod item scribit, vigiliam fieri propter calorem primæ partis sensitiuæ, vel ex sola intemperatura, vel ex humoris biliosi abundantia, id intelligendum est de morbosa vigilia: nam quæ plane naturalis est, caloris natiui ad exteriores partes motione fit, calor autem temperatus, vt intemperatum cerebrum non reddit, sic nec biliosum: quæ vero vigilia solum naturæ modum excedit, & in statu est non naturali, vt nostra industria sæpe fit, & voluntate, ita non statim intemperatum cerebrum reddit: quæ vero morbosa est, illa plane vel ex caliditate sola, vel siccitate, vel vtraque simul iunctis fit: caliditas enim spiritus mouet, & ad sensus prouehit, spiritus autem & calor natiuus, vbi est, ibi agit, & partes ad suas actiones excitat; siccitas etiam, cum meatus humore priuet, qui spiritus delationem impedit, viasque apertas teneat, ne calorem natiuum grauare possit, vt ad interiora refugiat quemadmodum humiditas facit, vigiliæ causa est: nam (vt superius demonstrauimus,) quæ somnum efficiunt, ideo id faciunt, quod spiritus & calorem natiuum ad sensoria organa ferri prohibeant: prohibent autem vel quæ calorem alio reuocant, vel repellunt, vel meatus, per quos illi ad sensoria feruntur, occludunt, quorum nihil potest siccitas cerebri efficere: nam etsi siccitas (vt Galenus *quinto de simplicibus*, scribit,) constringit & repellit, vehementem tamen siccitatem esse oportet, quæ id efficiat, qualis in cerebro ob substantiæ mollitiem accidere non potest.

Quod autem postea dicit, vigiliæ nomen aliquibus immoderantiam semper significare, nullo modo Latine intelligi potest: quis enim est, qui vnquam vigiliæ nomen ita vsurpauerit? cum eos, qui vigilia detinentur naturali, simpliciter vigilare dicamus; alios autem, qui vigilia morbosa correpti sunt, non sine adiectione vigilare dicamus, sed malè vigilare, & malam esse huiusmodi vigiliam pronunciemus, quasi vigiliæ nomen nobis semper moderantiam, aut non magis morbosam, quam salubrem & naturalem vigiliam significet: Quare ex Græcis dictionibus res melius intelligetur: habent enim Græci duo vocabula, quibus vigiliam significent, ἀγρυπνίαν scilicet, & γρήγορσιν, itaque hoc loco notat quosdam fuisse, qui ἀγρυπνίαν solum vsurpauerint, cum immoderatam vigiliam significare volebant, illique soli significationi dictionem dicauerint: nam vt dictionem ὕπνος, solum naturalem somnum significare alii aiunt, Coma præter naturam, ita ἀγρυπνίαν, vigiliam, quæ præter naturam est & immoderatam, γρήγορσιν vero, etsi de hac re nihil hoc loco dicat, forte solum, quæ naturalis est, significare putat.

Verum Hippocrates non hanc obseruare videtur differentiam, nec Galenus aliis locis, hic tamen *in Commentario* non videtur ab aliorum sententia discrepare, cum dicat ἀγρυπνίαν fieri ob intemperiem calidam, vel humorem biliosum: moderatæ enim & naturali vigiliæ hæc non conueniunt, sed immoderatæ duntaxat, & quæ præter naturam est, aperta est de hac re sententia *tertio de Causis pulsuũ capite decimo*, vbi scribit ἀλλὰ τὰς μὲν παρὰ φύσιν, sed præter naturam dispositiones, quas neq; γρήγορσιν, neque ὕπνον, sed ἀγρυπνίας & Coma melius est vocare, prætermittamus in præsentia, ὕπνον, qui sunt secundum naturam, quemadmodum & ἐγρηγόρσεις, generatio talis est, qualis prius dicta est. Item *initio* 2. *Meteorum*, vbi inter affectus præter naturam ἀγρυπνίαν nominat.

APHORISMVS IV.

Οὐ πλησμονή, οὐ λιμὸς, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅ,τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit, bonum.

Quod Hippocrates in vna atque altera re ostendit, id iam generali præcepto enunciat; antea enim somnum naturæ modum excedentem damnauit, nunc satietatem, famem, & denique omne, quod naturæ modum excedit, reiicit: quam in re quid satietatis nomine & famis significet, primo explicandum est: deinde, quid per modum naturæ; postremo, qua ratione fiat, vt omnia, quæ naturæ modum excedunt, mala sint.

Quid Hippocrates per Satietatem hoc significet.

Satietas ergo Græcis πλησμονὴ dicitur, vtunturque Græci eo vocabulo non ad omnem repletionem significandam, sed eam duntaxat, quæ ex cibo fit, quemadmodum & linguæ Latinæ periti satietatis nomen vsurpant, vt apud Celsum *capite primo libro secundo*, videre licet, vbi ait: *quærunt initium morbi, calor attulerit, an frigus, fames, an satietas*: vbi satietatem fami opponit; per famem autem cibi desiderium intelligit: per naturæ modum Medici mediocritatem intelligunt. Sententia est: *repletionem, vacuationem, & omnia, quæ mediocritatem excedunt, mala esse, mediocritatem autem illam non simpliciter* intelligere debemus, sed comparate: quod enim ad corpora debilia multum est, id mediocriter affectis corporibus, mediocre forte erit: ita, quod mediocre est validis corporibus collatum, aliis excessus committit: sua ergo vnicuique corpori mediocritas, quæ laudanda est; quod autem immoderatum est, damnandum: etenim, cum Medicus sanitatis conseruationem, aut recuperationem sibi proponat, sanitas autem mediocris quædam sit affectio, mediocritate conseruabitur, & etiam recuperabitur, ab eo autem, quod excedit, corrumpetur.

Quid per famem, per naturæ modũ. Sensus aphorismi.

Obiectio. etiam aliquando prodesse excessum.

Verum, contra id videntur experientia & ratio primo facere; videmus enim aliquos esse, qui non nisi magnis & excedentibus vacuationibus, aut alterationibus curari possunt, quales sunt vacuationes, quæ vsque ad animi defectum hominem perducunt, & alterationes, quę per exustiones fiunt, quæ nemo negauerit naturæ mediocritatem excedere, cum natura temperata sit, hæc autem intemperatissima & in vltimo genere intemperatarum causarum. Aristotet præterea 2. *Problemate prima sectionis* excessus laudat, cum ait, cur morbi sæpe curari possint, vbi quis abunde excessit, equidem nonnulli Medici eam artem exercent, vt non nisi per excessum agant, vel vini, vel aquæ, vel salsuginis, vel cibi, vel inediæ. Celsus item *capite 1. libro primo*, ad hunc modum scribit: *Prodest interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus iusto, modo non amplius assumere*: hæc ostendunt excessus non semper damnandos.

Responsio.

Quibus respondendum est, vt Hippocrates sibi constet. Primum ergo quod dicebamus, vehementes qualitates corporibus adhiberi mediocritatem excedentes, concedimus quidem: verum excedentes mediocritatem distinguimus, quod mediocrem temperiem excedant, & excedentes appellentur: quod mediocritatem, quæ sanis corporibus propria est, exuperent, concedimus: quod autem quocunque modo exuperent, non item: nam vehemens alteratio si corporibus, quæ ea egeant, adhibeatur ad sanitatem recuperandam, exuperans non est, sed mediocris: ita & magna euacuatio, & denique omnia magna remedia, quæ quanquam mediocria vere sint, cum illis recte, in quibus oportet, vtimur, tamen exuperantia ab authoribus vocantur, quod mediocritatem, quæ sanis corporibus debetur, ad quæ omnia comparata, exuperantia, vel mediocria dicantur, excedant. Ita Aristoteles intellexit *eo Problemate*, cum ait: *excessus morbos tollere*: excessus enim vocat, si comparentur ad ea, quæ per sanitatem fiunt, non autem ad morbosas causas, quas oppugnare debent, quibus mediocria sunt, si magnitudini affectus respondeant.

Quod autem ad Celsi authoritatem attinet, qua præcipit plus aliquando edendum esse, aliquando minus iusto, quod ille de sanis loquatur, & vnicuique mensuram suam statuat; Non laudauerim hanc opinionem, cum rationi non sit consonum, velle naturam nunc multitudine opprimere, nunc defectu eneruare: videturque author iste non tam tradidisse præcepta bene conseruandæ sanitatis, quam corporis præparandi ad omne vitæ genus sustinendum: nisi forte etiam illud intelligat plus iusto, *plus consueto*, vt nunquam quidem velit plus naturam onerare, quam ferre possit, plus tamen quam consueuerit.

Quod si aliquando integras suas vires, & naturæ mediocriter grauet, non erit factum vituperandum, cum & experientia doceat, eos, qui aliquando liberius bibunt, alacriores fieri, & nihil mali pati: id quod etiam Plato nouit, qui in optimis suis legibus ebrietatem ciuibus aliquando concessit, iuxta illud Lyrici Venusini: Fœcundi calices, quem non fecere disertum? videturque hoc Aphorismo non tam cibi & potus repletionem damnare, quam eos, qui sæpius sese ingurgitabant: verum in alia materia non par est securitas, *excessus enim omnes remediorum, quoniam naturæ inimici sunt, ideo quanto maiores sunt, tanto deteriores, & pessimi sunt, qui ex euacuantibus committuntur, minores autem, qui ex replentibus*: nam vt *septimo libro Methodi* ostendit, vitia ex humiditate contracta, facilius his emendantur, quæ ex siccitate fiunt: facilius enim est humidius corpus exsiccare pari excessu posito, quam exsiccatum humectare. In alterantibus autem maiora semper incommoda ab excessu, quam defectu committuntur: potest ergo hæc diuisio fieri: vel à mediocritate receditur in cibo, & potu, vel in alia materia: in cibo & potu minus malum est, quod ab excessu, quam quod à defectu committitur.

APHO-

APHOR. V.

Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους.

Lassitudines spontaneæ morbos prænunciant.

Pertinet etiam hic Aphorismus ad Signa, docet enim ex genere quodam lassitudinis prædicere futuros morbos. Quæ sententia intelligi non potest, nisi prius perspecta sit tractatio, quæ de lassitudinibus à Galeno *in libro 3. & 4. de Sanitate tuenda*, & *alibi* instituitur. Dicemus ergo in primis, quid sit lassitudo, quot lassitudinis differentiæ, quæ causæ, quis locus affectus, quæ singularum lassitudinum proprietates.

Lassitudo quid.

B Porro circa lassitudinis definitionem variæ fuerūt opiniones, vt Galenus 2. *Simplicium* meminit *cap.* 10. quidam enim lassitudinem definiebant esse articulorum siccitatem ex motibus desiccatorum; alii verò articulorum & musculorum, alii contra humiditatem multam & tensionem & caliditatem, fluxione nimirum affusa partibus vehementer agitatis; alii non multitudinem humorum, sed qualitatē causantur, prouenire inquientes in motibus immoderatis pinguedinis carnisque teneræ colliquationes quasdam; quarum pars foras transpiret, reliquum in corpore retineatur, & hoc cum acre mordaxq; sit, affectionem efficere vlcerosam; quas opiniones non est, quod refellam, satis enim est veritatem ostendisse, quæ sola errores omnes arguit. Scribit ergo Galenus *in textu 5. tertii libri Epid. Comment.* 2. lassitudinem, authore Hippocrate, esse corporis affectionem, in qua si parum moueatur, qui ea laborat, tensionis, vel vlceris, vel phlegmonis sensum sentit; Verum ille non explicat, qualem affectionem intelligat per lassitudinem, an morbum aliquem, vel morbi causam, vel symptoma. Reuera lassitudo nullum istorum esse potest, cum planè non sit præter naturam; sed malum, quod accidit his, qui in statu (vt aiunt) neutro sunt positi: sequuntur enim lassitudines exercitationes sanorum, aut latentes adhuc causas morborum, & reuera non per causam, aut affectionem, sed per affectum, qui respondet symptomati in morbis, definiri debet; lassos enim & lassitudine affectos tunc homines se appellant, cum molestas sensationes percipiunt, dum mouentur, aiunt: sentiunt enim vel tensionis, vel vlceris, vel inflammationis sensum, id est, similis sensus in illis fit, qualis percipitur in tensionibus, vlceribus, & inflammationibus. Et hæ sunt simplices lassitudines; Compositæ verò ex his inter se complicatis resultant. Rursus istæ omnes differentias sumunt ex causarum diuersitate; quoniam enim quædam lassitudines fiunt à causa procatarctica, nempe à motibus corporis, aliæ verò ab interna causa excitantur, nempe ab humoribus, ideo lassitudo quædā dicitur esse motoria, quæ propriè & simpliciter lassitudo dicitur, estque sanorum symptoma: alia est spontanea, quæ spontè & à nobis ipsis prouenit, quæ morbosum est symptoma, non quidem à morbis, qui nondum adsunt, sed à causis morborum nondum morbum facientibus, nascitur, cuius meminit *hoc loco* Hippocrates. Diuiduntur verò nonnullæ ex illis in alias differentias, vt vlcerosa per magis & minus,

Lassitudines simplices.

Lassitudo propriè dicta.

A alia enim moderatior, quæ pandiculationem sustinet, & circa cutem solū vlceris sensum affert; vel maior, vt quæ motum non sustinet, & circa subiectam illi carnem vlceris sensum præbet, vel vehementissima omnino, quæ ad horroris affectum propè peruenit, si moueatur solum, si autem exerceantur, non solum horrebunt, sed etiam rigebunt; quod si quiescant, inæqualitatem solam sentient; occupatq; hæc & cutem & carnem subiectam; phlegmonosa item diuiditur ratione loci affecti, si enim musculi corpus solum patiatur, phlegmonosa generali etiam vocabulo vocatur; Quod si tum tendonibus, tum neruis idem affectus incidat, ostocopon dicitur; quoniam enim tendones ossibus adhærent, sensus profundior fit affectis tendonib. & quasi ossa patiantur, & ob id nomen huiusmodi obtinuit ostocopon, quasi osseam lassitudinē dicas. Porrò tensiua lassitudo alia exigua, vt illa, quæ pandiculationem sustinet; aut maior, quæ nullam sustinet; alia præterea ex nimia tensione solidarum partium fit, præcipuè earum, in quibus humores continentur, vt quæ spontanea est lassitudo, alia ex nimia tensione fibrarū musculorū. Iam causæ vniuscuiusq; lassitudinis, & proprietates explicādæ, ab vlcerosa lassitudine exordiētes.

Ostocopon.

Qua in re primo quid Gal. sentiat, aperiemus. Scribit ergo *lib. 4. de sanitate tuenda* non quemuis malum succum, sed erodentem, huiuscemodi lassitudinem committere, non quando in ve- C nis miscetur cum sanguine, tunc enim à sanguinis bonitate eius vis superatur, sed cum ab illis translatus in carnibus, & ad cutem solus hæret; *alio loco eiusd. in libro* ad hunc modum scribit: *excremēta plane mordacia, etiamsi exigua fuerint, in sensibilibus corporibus contenta, aut multa quidem, non tamen adhuc planè mordacia, vlcerosam lassitudinem faciunt. Tertio* verò *libro eiusdem operis* scribit ad hunc modum: *vlcerosa lassitudo fit a copia excrementorum tenuium simul & acrium, quæ inter exercitandū duplici ex causa proueniunt; aut eo excremento, quod crassius erat fuso & attenuato, non tamen toto expulso; aut adipe molliue carne liquata; vlcerosa enim appellatur lassitudo, quoniā talis humor suapte natura tum cutem, tum carnem* D *pungit, vulnerat, & vlcerat: alio loco eiusdem libri* scribit ad hunc modum; *vlcerosa lassitudo maximè incidit in corporibus excrementosis, succedit & recentibus cruditatibus, cum aut exercitantur immoderatius, aut in sole sunt morati; fit & in corporibus boni succi citra cruditatē ob exercitationis nimium excessum; Quarto* item *eiusdem operis* hęc scribit; *humor acris cum per accidens mouetur, id est, ad motum partis, in qua continetur, lassitudinē excitat; cum verò per se mediocriter moueatur, horrorem; si verò violentius, rigorem concitat; quod si vehementius adhuc, & putrida fuerint excremēta, febrem, mouentur autem, vel cum expelluntur, vel cum vehementiore momento aguntur, id quod tum exercitando acquirit tum frictione, tū balneo.* Ergo E vno loco acrem humorem, & erodentē simpliciter huius lassitudinis causam esse dicit; alio loco plane mordacia, sed exigua; alio non plane mordacia, sed multa; alio tenuia & acria; alio cruditatem recentem; alio bonos succos citra cruditatē, si tamen vehemens exercitatio succedat; alio ob motum ea excrementa huiuscemodi lassitudinem cōmittere scribit, nec motus qualitatē ex-

Lassitudinis causa. E... in lassitudines vlcerosa.

plicat: alio autem motum dicit esse per accidens, ad motum partis, in qua continetur humor, moto ipso humore; quæ omnia ex natura ipsius rei solito more & methodo explicabuntur. Illud tamen adhuc addendum, quod scribit *libro 3. de Sanitate tuenda*, vlcerosam lassitudinē aliquando etiam ex flatuosis, & halituosis excrementis prouenire, & talem lassitudinem, aut eam etiam, quæ parua sit, pandiculationem ferre; eam verò, quæ maior fuerit, motum illum non sustinere, sed dolorem veluti vlceris sensum per corpus præstare, & horrorem. Quod si augeatur Symptoma, ad horroris affectum propè peruenire, siquidem moueatur solum, qui laborat; ad rigorem verò, si exerceatur; quod si quiescat, ad inæqualitatem solam accedere.

Quod ergo humorem oporteat esse acrem, & erodentem, qui huiuscemodi lassitudinem committat, rei natura docet: si enim erosionis, puncturæ, & vlcerationis sensum adferre debet dispositio, necesse profectò est, dispositionis causam talem esse, quæ erodere, & exulcerare possit: talis autē profectò est humor acris, mordax; at cum humores mordaces alii sint planè mordaces, sed exigua quantitate, alii non planè mordaces, sed copiosi, ab vtroque genere humorum idem effici potest: nam qui planè mordaces sunt, vehementi sua qualitate & mordere, & exulcerare possunt; qui verò non ita mordaces, nisi mitioris illius qualitatis magna sit copia, effectu frustrabuntur suo: id quod videmus in externis rebus fieri: in quibus enim non vehemens qualitas est, substantiæ quantitatem augemus, qua consequimur, quod alterius vehemens qualitas efficit, copiosior siquidem flamma ex materia rara, & leui succensa, qualis palea est, perinde nos calefaciet, ac parua, quæ ex solidiore materia excitata sit; tenuia porrò & acria oportet esse excrementa, quæ huiuscemodi lassitudinem faciunt, quæ enim crassiora sunt, per venas excidentia, facilè per musculos, & corporis habitum decurrere non possunt, sed in vna parte potius sistuntur, eamque exulcerant, si acrimoniam adiunctam habeant, peruaduntq; & vlcus omnino efficiunt, non vlceris duntaxat sensum, quemadmodū videmus fieri in his, qui scabie laborant: *tenuem ergo oportet esse, vt per carnē ferri possit, & moueri, & vlceris sensum duntaxat inferre*, non autē omnino exulcerare, quæ enim exulcerandi vim habent, crassæ substantiæ esse *lib. 5. Simpl.* prodit Galenus; quod postea dicit, ob recentem cruditatem in lassitudinem vlcerosam incidi, quomodo id fieri potest, cum recens cruditas acrimoniæ repugnet? verum quidem est, cruditatem huiuscemodi per se id facere nō posse, sed *cum vehementior accedit motus, aut in sole sunt morati, qui cruditate ea laborāt*, non est absurdum id fieri posse: vehemens enim motus & insolatio vehementius corpus calefaciunt, vehementior autem calor, crudiores humores immodicè calefaciendo acres reddit, & mordaces; sic etiam optimè dictum, hanc lassitudinem in corporibus præditis bonis succis, fieri citra cruditatem *ob exercitationis nimium excessum: hac enim ratione boni illi succi calidiores acrioresq; redduntur*. Verum illud mihi omni ratione carere videtur, quod ex flatuosis halituosisq; excrementis huiuscemodi lassitudinem ali-

Exulcerandi vim habentia esse substantia crassa.

Cruditates vectes quomodo possint inferre lassitudines.

Lassitudo quę fiat in corporib. bonis succis prȩditis absque cruditate.

A quando committi scribit: nam vt halituosum acri semper opponit, & benigna omnino mitisq; est qualitas, quæ halituosa est, ita erodere exulcerareque nequit, nisi fortasse intelligat flatuosam maiore ex parte esse materiam, non tamen acrimoniæ omnino expertem. Quinetiam & illud optimè dictum, acres hos humores, qui hāc lassitudinem inferunt, vel ex immodico motu fieri, vel ex vitioso succo, qui in nobis succreuit. Atqui & illud rationi consonum est, excrementa mordacia, dum in venis continentur, huiuscemodi lassitudinem efficere non posse, vlceris enim sensus in venis oriri non potest, tum quod illæ vel omnino, vel propemodum insensibiles sint, tum quod acrimonia superatur à sanguinis

Quomodo ex excrementis halituosisque flatuosis.

Vlceris sensum non oriri in venis, & cur.

B bonitate. Quod verò scribit, acrem hunc humorem cum per accidens mouetur, ad motum scilicet partis, in qua continetur, lassitudinem hanc excitare, alio verò loco non moueri cum humorem, sed hærere in cute, vel carnibus, ita interpretandum ex alio loco est, quod lassitudo magna, etiam nobis quiescentibus, vlceris sensum inferre possit: quæ verò parua est, non nisi leui aliquo motu humor vim pungendi, & vlcerandi suscipiat: nostrum enim corpus à causis quibuscunque huiusmodi Symptoma non sentit, sed vehementiam quandam necesse est eas habere, quæ autem suaptè natura magna est, eam statim habet, quæ verò parua, motu magnitudinem recipit, quæ enim cum motu fe-

C runtur excrementa, vt alia omnia, vehementius ferunt: vnde & bene illud etiam dictum, eos, qui parua lassitudine tenentur, vel ex flatuosis halituosisque excrementis contracta, pandiculari posse, vtraque enim causa parua est, & naturæ motus non impedit. Quod si maior fuerit, motum illum non sustinent, qui laborant, magna enim causa, quæ maior motu adhuc redditur, non sine dolore sustineri potest à natura; quare optimè dictum est, illos vlcerosum dolorem sentire: si verò magis adhuc Symptoma increscat, & leuis accedat motus, horrebunt necessariò; rigebunt autem, si exerceantur: inæqualitatem sentient, si quiescant; nam pandiculatio, inæqualitas, vlcerosus sensus, horror, ri-

D gor, per magis & minus differunt: parua enim causa, vt flatuosa materia, pandiculationem facit; paulo maior, vt quietus humor, & paucus inæqualitatem; maior autem, vt multus humor quietus, vel paucus, sed leuiter motus, quales sunt motus, qui per accidens rebus adueniunt, vlcerosam lassitudinem; si autem maior adhuc fuerit, vt multus humor, & mediocriter motus horrorem; si vehementioris naturæ fuerit, rigorem; si vehementissimæ, febrem: siquidem putrida fuerint excrementa. At verò, cum diximus, vlcerosam lassitudinem aliam esse paruam, quæ cutem solum occupet; aliam maiorem, quæ carnem; maximam aliam, quæ & carnem & cutem occupet, paruæ, parua erit causa;

E mediocris, moderatior; maximæ, maxima. Atque hoc modo lassitudinis vlcerosæ causas materiales, efficientes, locum affectum, proprietateq; explicauimus.

Horror. Rigor.

Pandiculatio, inæqualitas, horror, rigor & vlceroso sensus quomodo differant.

Tensiua porrò lassitudo tensionē causam habet: sed vnica tensionis non est causa in motoria, & spontanea lassitudine, vt in vlcerosa: nam vlcerosæ lassitudinis qualiscunq; esset, humor erat causa

Causa lassitudinis tensiua.

causa acris & erodens; intensiua verò, nō semper humor, siquidem in motoria tensiua lassitudine, tensio, quæ ex motionibus facta est in fibris musculorum, lassitudinis causa est; quæ verò spontanea est, & ex humoribus, & ex flatuosis excrementis prouenit: nam ex nimio humore & vapore nimia repletio causatur: ex nimia autem repletione tensio sequitur; motus autem ipse tensionis statim causa est: si enim tales fuerint motus, in quibus tensio fibrarum musculorum requiratur ob vehementiorem actionem, vehementius tenduntur fibræ, ita vt sedato etiam motu, tēsionis dispositio in illis appareat, & maximè sentiatur, cum ad motum partes excitantur, quæ tensionem passæ sunt. At, cum ex motu tendi fibras, & tensiuam lassitudinem fieri dixerimus, motus autem multæ differentiæ sint, & fibrarum etiam, iam videndum est, quisnam motus author sit huius tensionis, & quænam fibræ potissimum tendantur. Scribit ergo Galenus, motus, & exercitationes robustas potius, quàm celeres, tensiuæ causam esse lassitudinis: nam celeres exercitationes fieri non possunt, si diu tendantur partes; celeritas enim ad extremam figuram partes non ducit: quare *tensioni repugnat celeritas: valida autem & robusta exercitatio, non nisi validè tensis membris fieri potest*, vt videmus in luctatoribus fieri, qui vehementius fixis terræ pedibus, & contractis violentius brachiis, sibi mutuo resistunt; *ergo valida exercitatio & robusta sola causa est tensionis musculorum, & tensiua proinde lassitudinis*: fibræ autem maximè illæ tenduntur, quæ maximè agere coguntur, in retinendo obliquæ, in expellendo transuersæ, in attrahendo rectæ, vt & in motibus externis illæ maximè patiuntur; contractione enim & extensione motus illi perficiuntur, *ergo motoria lassitudinis tensiua causa est validus motus; locus affectus, genus musculorum, præsertim fibræ, quæ per musculorum longitudinem sunt experrectæ.*

[illegible]

Quisnam motus sit tensiuæ lassitudinis causa.

Quæ fibræ potissimum tendantur.

Quod genus affectum.

Lassitudo verò tensiua spontanea à re tendente fit, in corpore autem nulla materia est quæ tendere præter naturam possit, quàm superfluus humor, vel vapor flatuosus & crassus; vnde optimè scribit Galenus, huiuscemodi lassitudinem plethoricis superuenire, qui & multo humore abundant, qui, vel vapor ex illo etiam genitus tensionem efficere potest; locus autem, qui in lassitudine spontanea patitur, fibræ non sunt, *sed venæ ipsæ, quæ tenduntur*: si enim in carnem humor copiosus & vtilis, qualis est, qui lassitudinem hanc facit, incideret, phlegmonem faceret, non lassitudinem. Optimè illud etiam dictum est, pandiculationem sustineri in tensiua lassitudine, si parua sit, aut ex flatuosis excrementis proueniat: non enim possunt hæc leuiorem motum impedire; Quod si maior sit, aut solidior materia, non facilè flecti potest, quod ita tensum est.

Causa lassitudinis tensiuæ spontaneæ.

Locus affectus.

Signa autem, quæ præter tensionis sensum, adfert de lassitudine tensiua Galenus, sunt, quod scilicet pigri sint, contracti, aridi, ægreq; flexibiles, & calidiores, quàm qui vlcerosa lassitudine tenentur; propria sunt duntaxat motoriæ lassitudini tensiuæ, nā motus validior, vt corpus calefacit vehementius, ita humorem consumit, ad quam consumptionem ariditas, contractio, dif-

Signa lassitudinis tensiuæ.

A ficilis flexio, & pigrities sequatur. Phlegmonosa porrò lassitudo *textu 2. libri 4. de morbis acutis*, à Galeno fieri dicitur ex humoribus tenuibus, & acribus, quàm *in 2. De symptomatum causis*, & *4. de Sanitate tuenda*, scribit nasci partim ex boni succi abundantia, partim ex acri humore simul mixtis; quæ opinio ex rei natura probabilior censetur, nam si lassitudo phlegmonosa eo dicta est, quod partes, quæ ea laborant, putantur veluti phlegmone obsessæ, phlegmone autem non fiat, nisi ab humore, qui boni succi plurimum in se continet, non dubium est, quin necesse sit, cum acri humore boni multum esse admixtum in generatione huiusmodi lassitudinis; id quod etiam modus, quo gignitur, ostendit, fit enim B (inquit Galenus) maximè, cum musculi nimium excalefacti quidpiam attraxerunt ex circumfusis excrementis, quod enim supra modum excalefactum est, non magis vnum humorem attrahit, quàm reliquum; quare cum in partibus singulis non acris duntaxat humor contineatur, sed cum sanguine mixtus, necessario vterque attrahetur: quod si tendones & nerui, & non corpus musculi excalefacti attraxerint ad se huiusmodi humorem, ossea lassitudo, quæ ostocopon dicta est, fiat. Verum & illud notandum est, quod ad modum generationis huius lassitudinis pertinet, nam quod Galenus tradit, ex calore eam fieri, ad eam solam pertinet, quæ motoria est, non autem, quæ est C spontanea, nobis tamen ex propriis argumentis licebit id ostendere, cum enim natura grauatur ab acrimonia, & multitudine humorum, insurgit ad expulsionem; quod si in vnum locum totum humorem simul extrudat, phlegmonem efficiet; si in varios, hanc lassitudinem, quæ phlegmoni simillima est; nam partes, quæ ea laborant, quasi conquassatæ & pulsatæ sunt, & calidiores apparent; dolent verò, etiam si ipsi per se moueri conentur, nec vllam pandiculationem sustinent, vt qui omnem motum formident; incidit porrò hæc lassitudo, si motoria fuerit in corporibus eorum (inquit Galenus qui non sunt assueti exercitationibus, si se exerceant: nam excrementosa sunt illorum corpo- D ra, facileque remittunt sua excrementa partibus excalefactis ob exercitationem; quanquam etiam his, qui exercitationibus sunt assueti, accidere possit ex vehementissimis plurimisque motibus: motionum enim vehementia, vt vehementer articulos calefacit, sic vehemens calor attractionis author esse potest. Atque hæc satis de causis omnium lassitudinum simplicium, ex quibus compositarum causæ eliciuntur. Satis præterea de Signis siue Symptomatis, quæ singulis lassitudinibus eueniunt, præter vlceris, phlegmones, & tensionis sensum, quæ peculiariter vnam ab alia distinguunt. Sufficiat etiā admonuisse, in quibus corporibus singulæ maximè fiant, & locū affectum etiam in singulis nota- E sse. Qua in re, locus explicandus est, qui *31. Aphor. lib. 4.* legitur, ambarum lassitudinum, tum motiuarum, tum spontanearum, communē esse locum affectum, totum genus in corporib. musculosum: id enim verum est in omnibus, tensiua spontanea excepta, quæ (vt ostēdimus) in venis fit ex nimia illarum repletione: Iam Aphorismi contextus explicandus est, & videndū, quæ

Phlegmonosa.

Ossea.

ratione spontanea lassitudo morbos prænuntiare possit, & cur hæc potius, quàm motoria.

Qua ratione spontanea lassitudo morbos prænunciare possit.

Qua in re quidam putant, lassitudinem signum non posse esse ad aliquid prædicendum: nam signa, vt aiunt, à Symptomatis sumuntur, Symptoma autem non est lassitudo: nam neq; actio læsa, nec qualitas mutata, nec excrementum mutatum. Hac victi argumentatione nonnulli putarunt, lassitudinem non posse esse signum, aut futurorum morborum, aut alterius euentus, in qua quidem re errant: nam non solum Symptomata, sed etiam causæ præbent signa eminentis morbi, veluti cum à plenitudine, vel cruditate morbos futuros prædicimus: vel ex aere ambiente, aut aliis rebus, quæ corpus nostrum afficiunt. Præterea, non omnia Symptomata nascuntur à morbis, sed quædam à causis morborum, vt in opere nostro de causis Symptomatum ostendimus. Deinde debebant illi intelligere, quod etiam nos ibi notauimus, præter actiones læsas, excrementa & qualitates notatas, esse dolorem & molestiam, quæ sentiendo percipitur; posttremò, esse passiones quasdam medias inter eas, quæ pertinent ad sanos & ægros, qualis est lassitudo: qua qui laborant, nondum dicuntur morbo laborare, quoniam leuior est affectus, quàm vt præter naturam dici possit, nō tamen secundum propriam naturam habent: est ergo affectio neutra, & passio dolori propinqua; *ostendit autē lassitudo futuros morbos, quoniam significat, in corpore esse dispositionem & tales causas, quæ ex minima quaque occasione morbos excitabunt, nisi ipsis occurramus remediis*: nam cum morbi nascantur multi ex humorum qualitate, vel quantitate, vel vtraq; simul, merito fit, vt lassitudo spontanea qualiscunq; fuerit, morbos futuros prænunciet: nam vel à mala qualitate fit, vt vlcerosa; vel à nimia quantitate, vt tensiua, vel ab vtroque, vt phlegmonosa; quas causas morbi facilè sequuntur, & plures vehementioresque prænunciantur à lassitudine phlegmonosa, quoniam gemina est morbosa causa. Secundum locum obtinet tensiua: *nam ex multitudine humorum vehementiores morbi gignuntur, quàm ex acrimonia*, vt satis ostendunt venarum rupturæ, apoplexiæ, subitæ suffocationes, viscerum magnæ inflammationes, & huius generis morbi ex repletione nimia orti. Vltimum locum sibi vindicat vlcerosa; inter compositas verò maximos morbos prænunciat, quæ phlegmonosa, vlcerosa, & tensiua simul existit: Deinde phlegmonosa & tensiua: Postremo phlegmonosa & vlcerosa; mitissima, tensiua & vlcerosa. Iam illud explicandum est, cur motoriæ lassitudines morbos non prænuncient; videtur enim rationi esse consonum, vt par sit in vtroque genere lassitudinum ratio, quando & eadem symptomata adferunt, & ab eadem materia fiant. nam vlcerosa & phlegmonosa lassitudo siue spontanea, siue motoria fuerit, ab humore eodē fiunt: cur ergo non absolutè pronunciauit Hippocr. omnes lassitudines morbos prænunciare? cum videatur id peculiare motoriis accedere, quod externam causam habeant, motum vehementem, qui solus sæpe morborum causa est, & humorem præterea, qui in corpore residet; videtur hæc esse diuersitatis ratio, quod lassitudines motoriæ ab externa

Symptomata nō omnia oriri à morbis, sed quædam etiam à morborum causis.

Quæ inter lassitudines mitior & grauior, & quæ mitiores aut peiores morbos denunciet.

Cur lassitudines motoriæ non denunciēt morbos.

A causa ita excitentur, vt quicquid causæ vehementia efficere potuit, fecerit, ita, vt si nihil aliud, quàm lassitudinem efficere potuit, dum adhuc causæ externæ vis in corpore vigeret, nihil postea maius inferre possit, sedato iam causæ impetu, in spontaneis autem, quoniam interna causa est, quæ tota in lassitudine non consumitur, sed pars maior in venis, & corporis cauitatibus continetur, ideo alios effectus, nempe morbos, parere potest causa, quæ lassitudines iam peperit. Atque hæc satis de hoc Aphorismo.

Aphor. VI.

Ὁκόσοι πονέοντές τι τοῦ σώματος τὰ πολλὰ τοῦ πόνου οὐκ αἰσθάνονται τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει.

B *Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.*

HIppocrates in superioribus Aphorismis docuit, quænam actiones sensificæ facultatis bonæ essent, & quæ malæ, cum somnum & vigiliam damnauit, & laudauit; egit etiam de vitio facultatis principis, nempe, de delirio & de lassitudinibus, quæ passio non sint solius sensus, aut sensus & motus: nunc facultatis principis alia vitia declarat ex dolore, vitiosa e-
C nim est princeps facultas, si ea non percipiat quæ percipere debet, ac cum Aphorismus iste sterilis sit, & sæpius alibi de dolore agendum sit, operæprecium esse duco, hic breuiter recensere, quæ prolixè *in libro nostro de Symptomatis* ad doloris essentiam, differentias, & causas pertinent, ex quibus postea licebit intelligere, quæ Hippocr. in hoc Aphorismo tradit, & quæ in sequentib. ad hanc rem pertinentia docentur.

Porrò doloris nomen (vt *in hoc Commentario* admonet Galenus) duo significat, dispositionem siue causam ipsius doloris, & molestiam illam, quam omnes communi conceptu intelligimus; nec aliud quicquam significat dolor apud Galenum, & antiquiores Medicos, & Philoso-
D phos. De causa & dispositione dolorifica postea agemus. Nunc quid sit id, quod propriè dolorem nominamus, expendendum est, & in hoc omnes consentiunt, quod dolor sit *symptoma*, & cum etiam constet, eum non esse qualitatē mutatam, aut excrementum corporis, ex diuisione symptomatum colligitur esse actionem læsam; & eam esse deprauatam, cum debilis & abolita esse nequeat; deprauatam autem esse actionem statuunt huius opinionis authores, quod per dolorem sentiamus, quæ sentiri aliter non deberēt; At si dolor est actio, edet vtique aliquod opus, vt concoctio aliquid concoquit, & visio aliquid videt. Præterea, si dolor est sensatio, haberet a-
E liquod peculiare obiectum, essetque alicuius sensus actio; at doloris nullum est obiectum, nec alicuius sensus est actio, vel passio, cum in omni sensu & sensorio fiat: ad hæc, sentire est cognoscere, vt inquit Aristoteles, *secundo Topicorum, capite secundo*, at dolere non est cognoscere: esset enim ita dolor cognitio; addo, quod dolere est pati, quare dolor actio esse non potest, nec dolor esse potest actio deprauata: nā si percipitur

Doloris nomen duo significare.

Dolorem nō esse actionē.

nec sensationem.

nec actionē deprauatā.

A cipitur id, quod obest, & dolorem facit, nullus est error in ipsa actione: Quod si Galenus aliquando, vbi negligentius de dolore agit, eum dicit esse tristem sensationem, tamen alibi à sensatione, & actione dolorem distinguit, nam *in arte Medicinali*, vbi agit de signis corporum ægrotantium, apertissimè distinguit signa sumpta ab actionibus læsis, ab illis, quæ sumuntur à dolore: id quod etiam facit *in 12. Methodi*, sed euidentius *in libro De differentiis symptomatum*, vbi enumeratis sensuum Symptomatis, subdit, dolorem & voluptaté peculiaria quædam esse sensuum Symptomata. Eandem opinionem refellit Aristot. *in 10. lib. Ethicorum*, vbi scribit, absurdum esse arbitrari, dolorem & voluptatem esse sensationem, aut actionem; eos autem ita cre-B dere, qui nequeunt actionem separare ab eo, quod fit in actione. Quapropter recipienda est sententia Aristotelis partim *ex 6. lib. Topicorum*, vbi molestias, quæ nascuntur à solutione continui, dolorificas esse docet, partim verò *ex 10. Ethicorum*, vbi habet dolorem & voluptatem fieri in ipsis operationibus: ex quibus elicitur doloris definitio, quod scilicet dolor sit *molestia quæ oritur in ipsa sensatione, aut in animi functionibus ex his, quæ continuum soluunt.* Quæ definitio etiam reperitur integra *in lib. 6. Ethicorum*, vbi definit dolorem esse passionem animalis factam cum violentia à diuisione partium cohærentium: *nam* (vt postea ostendemus) *quæ molestiam adferunt non soluendo continuum, dolorem non pariunt. Fit autem dolor non in omni læsione actionis, sed cum actio læditur cum tristitia*, vnde tristis sensatio dicitur esse à Galeno, quæ longe differt à deprauata; ac cum ita definit dolorem Galenus, non ipsum dolorem describit, sed modum docet, quo dolor efficitur; tunc enim dolor nascitur, cum tristis fit sensatio.

Dolor propriè quid.

Doloris differentiæ.

Cæterum, doloris differentias ab antiquis traditas (vt videre licet *in 2. de locis affectis*) Galenus refellit, sed alias quidem meliores inuenire non potest. Nos autem ostendimus *in opere nostro*, eas sumi ab his, quæ sunt de essentia doloris: ea autem sunt, quæ in ipsius definitione sumuntur. Itaque cum dolor sit molestia, quæ sentiendo percipitur, à certis causis nata, meritò ex differentia, quæ agnoscitur in ipsa molestia, quæ sentitur, & ex causis, quæ illam pariunt, aut ex his, quæ patiuntur, differentiæ multæ resultabunt. Porro, in ipsa molestia qualitatem quandam, & quantitatem notauimus: & à qualitate molestiæ sumuntur illæ differentiæ, cum dicimus, dolorem quendam esse tensiuum, alium mordacem, alium erodentem, alium acutum alium pulsatorium, alium vlcerosum, alium stupidum, alium stimulantem, alium punctorium, alium contundentem, alium retrahentem, alium detrahentem, alium, qui terebri aut pali perforantis sensum præbet.

A molestiæ qualitate.

A quantitate.

Cæterum, à quantitate molestiæ sumuntur hæ differentiæ, cum dicimus, quosdam esse dolores magnos, alios paruos, siue remissos, alios vehementissimos, & leuissimos, alios mites. Iam verò à causis sumuntur aliæ differentiæ, à subiecti quidem differentia, cum dicimus, dolores quosdam esse internos, alios externos, alios profundos, alios superficiales. Et à subiecti figura sumuntur istæ, vt illæ à situ, cum dicimus dolores quosdam esse latos, siue latè fusos, alios angustos, alios extensos secundum longitudinem, alios contractos. A partis vero substantia, quæ dolet, distinguimus dolores, & quosdam colicos, alios nephriticos, alios pleuriticos vocamus. Sumuntur verò aliæ differentiæ à quantitate partis quæ dolet, vt cum dicimus dolorem capitis quendam esse hemicraneam, alium cephalalgiam. A causis verò committentibus dolorem deriuantur hæ differentiæ, cum dicimus dolores quosdam esse benignos, alios malignos, quod à talibus causis sint nati; item cum dicit Hippocrates, inter dolores quosdam esse calidos, alios frigidos. Proueniunt nonnullæ quoque differentiæ à causis sine quibus non: à modo quidem generationis & solutionis, cum dicimus dolores quosdam repentè oriri, vel solui, alios vero paulatim, quosdam prætereà per consensum, alios primario gigni. A tempore vero affectionis, quando dicimus dolores quosdam esse nouos & recentes, alios antiquos & inueteratos, quosdam raros & intermittentes, alios frequentes vel continuos. Sumi etiam nonnullæ possunt à modo quo infestant, quidam enim fixi sunt, alii discurrentes, alii emicantes, qui (vt inquit Galenus) parte primario affecta veluti à radice incipientes, celeriter in partes adiacentes transferuntur, vt in vehementissimis hemicraniis apparet. Atque has omnes differentias à causis duci intelliget, qui C ea legerit, quæ de causis antea docuimus. Elicitur quædam differentia à modo, quo dolores feruntur & sustinentur, qua ratione Galenus *libro 3. Prorrheticorum* quosdam esse dicit dolores εὐφόρους, alios δυσφόρους. Aliæ vero sumi possunt differentiæ ab effectis, quos dolores pariunt, veluti cum dicimus, dolores quosdam iam inferre aut minari inflammationem, alios conuulsionem, alios animi defectum, alios vero aliud; sunt porrò quædam dolorũ nomina, quæ differentias aliquas inter se compositas significant, cuiusmodi dicit esse Galenus eum, qui atrox nuncupatur, is enim vehemens & simul continuus est: sic cephalæa inter dolores capitis intelligitur, qui diuturnus est & vehemens, aut D inueteratus, remediisque ægrè cedens. Eiusdem generis sunt dolores capitis, qui ab Auicenna & practicis Medicis vocantur galea, ouum, nux, malleum, & clauus. Et hæc sufficiant de differentiis dolorum. Nunc causas doloris breuiter perquiramus.

A subiecti figura et situ. *A partis substantia.* *A quantitate partis dolentis.* *A causis committentib.* *A causis sine quib. non.* *A modo generationis.* *A tempore affectionis.* *A modo quo infestant.* *A modo quo dolores feruntur & sustinentur.* *Ab effectis.* *A nominib.* *Galea. Ouum. Nux. Malleum. Clauus.*

Igitur si dolor est molestia, quæ sentiendo percipitur, *cognitio & perceptio rei, quæ sensum molestat*, immediata erit causa doloris; quod si ita est, tres statim alias necesse est resultare causas: vt n. cognitio fiat rei quæ potest molestare sensum, necesse est adesse hic, quod potest molestiã cognoscere, & id quod molestiam pati potest, & id quod molestiam inferre potest; percipit autẽ & cognoscit molestias, quæ fiunt in sensibus, & E iudicat esse cum dolore vel sine dolore, (si Arist. sequimur) *sensus communis*; ex Hippocrate verò & Galeno *mens, siue cogitatio, & ratio*, vt ex *hoc Aphorismo* patet, in quo scribit Hippocrat. *mentem dolere, si dolorifica dispositionis non percipiuntur esse tales.* Porrò, requiritur in hac facultate, quæ dolores agnoscit, vt ea corrupta non sit, nec in alio opere vehementer occupata, aut in

Dolorũ causa immediata.

Quid sit molestia percipientem requiratur.

Delirantes cur negent se dolere, cur etiã vulnerati in certamine.

extremum debilitata: nam ideo delirantes negant se dolere, *quia corruptum est illorum iudiciũ:* qui vero vulnerantur in certamine, dolorem nõ sentiunt ex vulneribus sibi illatis, *eo quod illorum animus occupetur in vulnerando hostes*, seque ipsos defendendo, quare nequeunt simul percipere passiones proprias: perinde enim id fit, vt cum vehementius aliquid cogitamus, & interim nequaquam videmus, quæ circa oculos obuersantur. qui vero morti sunt propinqui, dolorem non sentiunt, *quoniam facultas ea, vt alia sunt ad extremum debilitata:* sentiunt autem dolores maiores, quibus ea facultas est mollis, vt ita dicam, & exquisito iudicio prædita, sic enim mulieres eo, quod sint molliore animo præditæ, ex leuioribus quibusque causis dolent, & grauius cæteris: & qui ingeniosi sunt, stupidioribus acutius dolẽt. Philosophi verò & fortes homines, vix sentiunt dolores, propterea quod animi fortitudine muniti, vniuersa incommoda cõtemnunt, nec agnoscere volunt dolorifica esse.

Cur qui morti sunt propinqui.

Mulieres cur ex leuiorib. causis dolẽt quam cæteri & cur etiã ingeniosi.

Cæterum in eo, quod pati potest dolorem, requirunt quidam passibilitatem (vt ita dicam) sensuum & calorem; putant enim illi cartilagines, & ossa ideo non sentire, quod partes sint frigidæ, sed perperam, sic enim nerui etiam non sentirent: Præterea si ponitur esse aliquid sensibile, sequitur illud esse passibile, & calorem quoque habere, quare *pars, quæ sensu est prædita, dolorem corporis pati est apta, nataq́; & quæ maiore sensu & exquisitiore donata est, illa doloribus magis est obnoxia.*

Quid in eo, quod pati potest dolorem, requiratur.

Iam vero in his, quæ dolorem inferre possunt, non paruæ extant controuersiæ inter authores: nam Plato *in Timæo*, quem sequitur Galenus *in libris de Symptomatum causis*, putat nihil posse facere dolorem, quod agere non potest confertim, id est, celeriter & cum magno excessu, quæ enim sensim aliquid faciunt, aut paruas moliuntur mutationes, illa ex Platonis opinione apta non erunt ad dolorem excitandũ, alii vero, vt Auicenna & Galenus *in libro de inæquali intemperie, & in lib. 2. de Medicamentis secundum locos, & in libro de Natura humana, & in secundo de victu acutorum, & alibi*, statuunt, dolorem fieri ab alterantibus & à soluentibus continuum; nec sufficere solam continui solutionẽ. Quam opinionem confirmat Auicenna, quod dolor sæpe fiat, vbi nulla apparet diuisio, veluti cum vniuersum membrum dolet, in quo tamen non apparet in omni sui parte diuisio. Præterea fieri dolorem à calore & frigore, quæ non habent vim soluendi cõtinuum, alioqui inter causas soluentes continuum, illas qualitates esse ponendas ab authoribus. Præterea, dolorem esse rei contrariæ sensum, hunc verò etiam ab intemperie fieri: Ad hæc sanitatem similarium consistere in temperie & continuitate, quo fit, vt si dolor nascitur, cum res corrumpitur, necessarium sit fieri quoque dolorem, cum temperies vitiatur. Postremo, remedia, quæ dolores leniunt, sunt non solum illa, quæ diuisiones vniũt, sed etiam quæ alterant. Auerrhoes autem putat, dolorem non fieri à solutione continui, sed solum ab alterantibus: nam dolorem inquit, fieri à propriis obiectis sensuum; solutionem autem continui non esse obiectum alicuius sensus, Galenus, etsi *in locis prædictis* statuerit, dolorẽ fieri

Quid illa quæ dolorem possint inferre.

A ab alterantibus vel à soluentibus continuum, tamen *in 12. Meth. & in 1. de causis Symptomatum, & in 4. de Simplicib. & cap. 10. 2. de Medicamentis secundum locos*, vult omnia, quæ dolorẽ pariunt, id facere, eo quod partium continuitatem corrumpant; quam opinionem ego veriorem puto: nam si alterantia non soluendo continuum dolorem facerent, fieret vtique in partibus sentientibus semper dolor ab æquali calore; at in febribus thoracis musculi, qui vehementiorẽ sentiunt calorem ob vicinitatem cordis, non dolent, id quod faciunt caput, tibiæ, renes. id quod accidit *non propter calorem, sed quia partes istæ dolentes ex ebullitione humorum replentur, & distenduntur, soluiturq́; continuum: thorax verò propter* B *amplitudinem ab illis tendi non potest, nisi fluxio decumbat in suos musculos, tunc in illis fit dolor*: quod si ex fluxionibus dolor in illis fit, ex febribus autem nequaquam, certum est, dolorem non fieri à sola alteratione, sed cum ex alteratione oritur solutio continui: atq; hæc est vera causa, & immediata doloris. Platonis verò opinionem hæc refellunt. Primum quod experientia ostendat ea etiam, quæ leuiter & sensim agunt, modo soluant continuum, dolorem parere, vt apparet fieri ex leui punctura acus, in qua nec *subita* nec magna fit mutatio; idem testantur animi dolores, qui à rebus minimis, subitis & tardis incipiunt & augentur. Præterea, multa sunt, quæ confertim agunt, & tamen dolorem non pro- C creant, cuius generis sunt purgatio, & sanguinis missio. Postremo, statuit Galenus, humectantia & exsiccantia dolorem excitare, quæ tamen confertim agere non possunt, cum passiuas habeant qualitates. Auicennæ autem sic respondeo, dolorem fieri in vniuersis partibus dolentibus, & si interim diuisio non apparet: nam quæ vulnerant, rumpunt, frangunt, & contundunt, videntur conspicuam facere solutionem continui; quæ verò tendunt, aut erodunt intrinsecus, soluunt continuum, sed eam solutionem sensus noster non deprehendit, etsi etiam non latet illum, qui laborat. Quod non semper sentiatur dolor, vbi fit solutio continui, id accidit, *quia quod diuiditur forte sensu non est præditum, aut* D *mens ægrotat:* Dolor non est rei contrariæ sensus, sed passio, quæ oritur non simpliciter à re contraria, sed ab ea, quæ diuidit continuitatem partis, vt superius ex Aristotele ostendimus. sanitas similarium partium corrumpitur quidem ob intemperiem & solutionem continui, verum ea corruptio, quæ nascitur ex simplici & sola alteratione, est absque dolore, & si non est absque sua molestia, quam alterantia suo modo inferre sunt apta: nam calor, frigus, humidum, & siccum, cum temperiem vitiant, propriam molestiam nobis afferunt. Cum verò causas solutionis continui recenseant authores, proprias potissimum ponunt, & calorem tunc & frigus, humidum, & siccum non enumerant, si quis tamen E eas ponat, non aberrabit: nam frigus vehemens *quodammodo vulnerando & incidendo* dolorẽ parit suapte natura, *aliquando vero quod ab externis partibus propellat humores in profundiores, & eas replendo tendat & diuidat*: calor verò & humor non nisi *replendo* dolorem videntur facere: *humor enim ex propria vi: calor verò, quia fundit, & ex fusione humorum & vaporum auget, atq; illas replet, & tendit*

Cur non thorax, sed caput & renes & tibiæ in febribus doleant.

Etiam leuiter & sensim agentia, modo continuũ soluant, dolorem parere.

Cur nõ semper sentiatur dolor, vbi fit solutio continui.

Dolorem nõ esse rei contrariæ sensum, sed passionem.

Frigus vehemens quomodo pariat dolorem.

quomodo calor & humor.

Quomodo siccitas.

& tendit solvitque continuum, siccitas autem in partibus externis assumendo humorem illic contentum, tensionis & doloris forte potest esse causa; at intus, nec dolorem nec tensionem, nec convulsionem inferre potest, vt in Opere nostro de causis Symptomatum ostendimus. Quod vero requirantur duo genera remediorum ad dolores sedandos, sic respondeo, *vnitum requiri, quod scilicet partes divisas vniat: sed quia alterantia dolorem quoque pariunt solvendo continuũ, ideo per alterantia cogimur succurrere*, vt remotiores causas primum auferamus, sine quibus immediata tolli non potest. Cæterum cum Auerr hoc putat, sola alterantia dolorem parere, quia continui solutio non est obiectum alicuius sensus, non intelligit mentem Galeni, & aliorum Medicorum, qui volunt ipsam solutionem, sed id quod soluit cõtinuum, interim cum soluit, dolorem facere, id autem, quod soluit continuum, vel est qualitas aliqua, vt calor, frigus, vel durum, vel vulnerans, aut frangens, aut aliquid tale, quod sensus est obiectum; recte ergo Hippocrates scripsit, mentem ægrotare, cum dolorifica dispositio in corpore est, & ea omnino non sentitur: nam cum tres sint causæ necessariæ ad dolorem committendum; pars, quæ est apta sentire dolorem, & id, quod est aptum facere dolorem, & id, quod apprehendit & agnoscit impressiones dolorificas, merito mens dicitur ægrotare, cum dispositio adest dolorifica; nam supponuntur esse duæ causæ doloris, cum adest dispositio talis, quod scilicet adsit id, quod potest facere, & id, quod potest pati dolorem; quare si dolor non fit, oportet hoc contingere, quia deest alia causa, nempe mens, quæ ægrotat, inquit Hippocrates: intelligimus autem illam ægrotare, vel quod ad extremum sit imbecillis, vel deprauata: nam cum occupata est, percipit aliquo modo dolorẽ, quare si omnino non percipit, sequitur, quod dicit, illam ægrotare.

Quot ad sedandos dolores requirantur genera remediorũ.

Tres causas esse necessarias ad committendũ dolorem.

APHORIS. VII.

Τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα νωθρῶς ἐπαναστρέφειν δεῖ, τὰ δ' ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter.

Hic Aphorismus ad renutritionem pertinet, vtileque præceptum tradit, quo docet, quomodo extenuata corpora sint reficienda: in quo errores committuntur à Medicis, qui parcius, tenuiusque alunt conualescentes ex leuibus, & breuib. morbis, alios vero, qui ex longis morbis sunt cõsumpti, affatim nutriunt, atque ita illos temere emaciant, hos vero non sine periculo subito replent, vnde recidiuç postea fieri solent, cumulatis rursus crudis, & malis humoribus. Temere autem laborat Montanus in connectendis inter se Aphorismis, quod ex hoc maxime patet, qui nulla ratione cum superiore cohæret. Scribit ergo Hippocr. *lente tardeq; reficienda esse corpora, quæ longo tempore fuerunt consumpta, cito vero, quæ ci-*

A *to quoque fuerunt extenuata.* Cuius sententiam tunc intelligemus, cum nouerimus, quid extenuatio corporis sit, & quid in eo consumi possit, cuius ratione contingat extenuationem fieri, & quid præterea extenuandi corporis vim habeat.

Definit Galenus *in 1. 9. textu 3. Com. 6. Epide.* extenuationem corporis nihil aliud esse, quam totius molis detractionem quandam & collapsum; sed vt apparet, hæc definitio solum vniuersalem extenuationem ostendit, non autem, quæ pertinet ad singulas partes; Præterea, cum dicit, esse totius molis detractionem, dubiũ est quomodo id intelligat, an velit minui quicquid est in corpore, cum illius sit extenuatio, an aliquid B solum, cuius ratione cõtingit corpus extenuatũ minui; præstat ergo dicere, nihil aliud esse extenuationẽ, quã *totius vel partis alicuius diminutionem præter solitam magnitudinem, vel molem:* nã quæ naturaliter sunt extenuata, non cõprehendũtur hoc Aphorismo. Porro, nostrũ corpus (vt scribit Hippo. *in lib. de Flatibus, & Gal. in lib. 1. de Differentiis febriũ & in 12. Meth.*) cõstat ex spiritibus, humoribus, & partibus solidis; & Gal. 11. *Method. cap. 1.* solidas partes nunquam minui, tradit, posteaquam ad absolutam peruenerunt magnitudinem, de qua re dubium est: nam si solidas partes intelligat, omnia, quæ in nobis sunt, exceptis humoribus, & spiritibus, vt aliquando sumit, falsa est opinio: nam caro per morbos sæ- C pe minuitur, ac per inediam, malamq; nutritionem, & rursus augetur, cum bene aliter corpus; solidas ergo partes intelligat oportet vere solidas, quas ille alio nomine spermaticas vocat; aut etiam quod in spermaticis est fibrosum, nam & illæ suam quoq; carnem habent, quæ tabescit, vt *in fine decimi, & in principio vndecimi Methodi* scribit: at istæ si augentur per ætates, cur minui etiam non poterũt per morbos? nam si pati possunt exsiccationem, cur non patientur diminutionem? id præterea docent ossa mortuorum in cœmiteriis reposita, quç multo graciliora tẽpore fiũt, quam essent, cum viueret adhuc animal, aut recenter esset extinctum: nam ad id pertinet, quod scribit *in lib. 1. cap. 9. de Differentiis febr.* si- D milares particulas, quç sunt veluti cordis elemẽta, sicciores reddi, atq; inopia alimenti tenuiores. Dictum ergo Galeni ita videtur intelligendum, quod solidæ partes *difficile* minuantur, *& parũ, ita vt sensu vix deprehendatur illarum diminutio, & extenuatio*, sed cum in partibus solidis sit humor quidam roridus, qui sparsus est per partis ipsius substãtiam, alius vero, quo glutinatur substantia ipsius partis, & continuitatis, quæ in parte est causa eius, is profecto absumi non potest, viuente homine, si modo continuitas manere debet; alius vero absumitur, sed nõ nisi à magnis causis, vt in hecticis febribus apparet, & hic est, qui reddit solidam partem minorem, cum absu- E mitur, & propterea forte intelligebat Galenus, solidam partem non minui, id est, substantiã illam, quæ dura est & solida: nam etsi minuitur ea ob consumptionem illius humoris, qui gluten non est, & vinculum partis tenerę, tamẽ, quod reuera durum est, & solidum, nõ absumitur nec minuitur; nam solam per putredinem mortuo homine dissoluitur, igitur omnis humor, qui in parte solida est, consumitur eo excepto, qui glu-

Extenuatio corporis quid.

Corpus nostrum quibus constet.

Carnem in nobis etiam diminui & augeri.

Ossa mortuorum fieri graciliora, quam essent in corporibus viuentibus aut recenter extinctis.

Partes solidas an & quomodo diminuantur.

Et quis humor in iis consumatur.

tinat partes terrenas, qui per solam putredinem perit, & cum pars aliis consumptis reperitur, non amplius minui potest.

Extenuationis causae.

Jam causae extenuationis explicandae sunt, tanto diligentius, quanto negligentius à Galeno sparsim, & nulla Methodo traduntur: etenim *in libro de Euchymia, & Cacochymia, gracilitatis*, & imbecillitatis corporis causam esse dicit sanguinis tenuitatem: *in textu 23. Com. 6. Epidem.* ocium extenuationis causam esse prodit. 28. *eiusdem Operis* corpus extenuari à magnis febribus, diuturnis morbis à calida & sicca aeris intemperie, à vacuationib. sensibilibus, & sanguinis profluuio, largo sudore, vrina superflua, vomitu, alui excretione immoderata, inedia, vigiliis, curis, motionibus multis, delirio, in quo se iugiter aegroti attollunt, aut partem aliquam mouent, aut deliria loquuntur.

Praeterea, ob virium imbecillitatē, vt in decrepitis apparet, qui celerrime ob eā causam extenuantur; tenuitatem humorum, & raritatem corporis causam esse scribit velocis extenuationis in febribus; 36. vero *Aphorismo*, scribit extenuari, & contabescere corpora ob malum victū, *textu. 29. 3. Comm. 6. Epidem* errare eos dicit, qui corporis extenuationem à vacuatione simpliciter fieri dicunt, quando, inquit, nonnunquam debilitata carnosi generis facultate, & vitioso sanguine in arteriis, venisque inclusa, & ex alimenti etiam penuria, multis exercitationibus, vigilia, cogitationibus, doloribus, morbis colliquantibus, & digerentibus extenuatio fieri potest; & particularia alia multa tradit, quae nisi in artem redigantur, confusionem pariēt, id quod solita methodo, ex natura rei ipsius commode faciemus. Igitur, si extenuatio diminutio est corporis, quod extenuationem patitur, necesse est vnam immediatam esse causam, quod scilicet minus reponatur, quam dissoluatur; & id contingit, vel quod causae dissoluētes violētius funguntur suo munere, vel reponentes debilius agūt.

Causa immediata.

Porro causarū, quę faciunt ad dissolutionē, quędā habent rationē efficientis, aliae materiae, aliae causae sine qua non: efficiunt autem dissolutionem, quae euacuant sensibiliter, vel insensibiliter; dissoluitur facillime substātia, quae tenuis est, & pauca; Causae, sine qua nō, rationem obtinēt, carnis, & cutis, aliarum partium mollities, & raritas: vbi enim haec adsunt, facilior fit dissolutio, ac sudores, vomitus, alui excretiones, sanguinis effusiones, vrinae copia, animi affectus, aeris intemperies calidae, & siccae, vigilia, morbi calidi vel longi, dolores, & caetera, quae vim habent euacuandi nostrum corpus; si id violentius faciūt, illud extenuabunt: sanguinis vero tenuitas, biliosi humores, qui in corpore abundant, cibi tenues, calidi, extenuationis causae sunt, quod materiam suppeditent facilem ad dissolutionem, biliosi quoque inter omnes temperies, & viri magis, quam mulieres, & in aestate plus, quam in aliis temporibus, & ii quibus cutis tenuis, & rara à natura data est, promptissime extenuantur, quoniam ob corporis raritatem expirat interna substantia liberius, quam conueniat. Caeterum, causae, quae faciunt ad restitutionem substantiae nostrae, pertinent, vel ad efficientes, vel ad materiam, vel ad causas, sine quibus non pariter vt dissoluentes; Igitur cum attractio, retentio &

Qui promptius extenuentur.

A concoctio, imbecillius agunt ob intemperiem partium, vel calidi influentis vitio, extenuatio fit, vnde etiam senectus, & hac etiam ratione vigiliae, cogitationes, dolores, morbi, extenuationis sunt causae, quod robur illarum facultatum, & calidum natiuum vitiant; Inedia vero, vel cibi parcimonia, vel tenuitas, aut corruptio, idem faciunt; quoniam materiam non suppeditant aptam ad restaurationem; sic cibus vniformis ineptus est ad restaurationem; quoniam substantias nostri corporis restaurare non potest; varia ergo est opus alimento, vt spiritus, humores, & partes solidae probe nutriri valeant. Obstructiones vero venarum & arteriarum, extenuant corpus, quia viam occludunt alimento, quod per vniuersū corpus ferri debet, ac externū frigus, quia

Cibus vniformis cur ad restaurationem sit ineptus.

B repellit humores, extenuationis fit causa; Atque haec sufficiant de his causis; ergo cum extenuatio contingat dissoluto vel spiritu, vel humore, qui in vasis continetur, vel eo, qui insitus est singulis partibus, non dubium est, quin tenuior materia, vt spiritus & sanguis facilius dissoluatur, praesertim, cum in vasis cōtinetur, difficilius vero quod viscosum & crassum, & simile iam factum est solidioribus partibus; vt ergo illa facilius absumūtur, sic promptius restitui possunt: nam causae dissoluentes caeteris paribus minores sunt, quae breui tempore extenuant, aliis, quae idem praestant longiore tempore. Praeterea causę, quę debent restituere, nempe partes solidae, quibus attrahendi, & retinendi vis mandata est, breui tē-

C pore nequaquam vehementer affici potuerunt, quare cito reponere possunt, quod est consumptum; merito igitur, quae breui tempore sunt extenuata, cito sunt reficienda, quae vero longo tempore idem sunt perpessa, longiore temporis spatio opus habent, vt restituantur: *quoniam à causis dissoluentibus diuturnis consumpta est non solum spirituosa, & quae in vasis continetur substantia, sed etiam solidior, quae in singulis partibus continetur, & quoniā hae partes debilitatae sunt, nequeunt multum & crassum alimentum, quod est opus ad hanc restaurationem, elaborare*, propterea Medici aberrant, qui conualescentes ex febribus diariis vel tertianis, aut aliis leuioribus morbis, paulatim restaurant, & alios, qui ex longis morbis

Cur longo tempore extenuata, lente, quae vero breui, breuiter sint reficienda.

D sunt consumpti, subito incrassare nituntur, aut in his liquidioribus, in illis solidioribus alimentis vtuntur: nam tenuis substantia consumpta tenuibus alimentis, crassa vero solidioribus restituenda est, si modo similia similibus nutriri debent.

APHOR. VIII.

Ἢν ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρῆται, ἢν δὲ, τροφὴν μὴ λαμβάνοντος τοῦτο γίγνηται, χρὴ εἰδέναι, ὅτι κενώσιος δεῖται.

E *Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur: quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget euacuatione.*

CVM

CUm superiore Aphorismo docuisset Hippocrates modum renutriendi corpora extenuata, docet hoc Aphorismo, cur fiat, vt extenuata corpora post morbum refici corroborarique non possint. Duplicem dicit esse rationem, vel quod plus cibi ingeratur & appetatur, quam confici possit, vel quod non appetatur, obiterque remedium vtriusque docet. Si enim ex multitudine cibi id fiat, minus dandum est: si vero id fiat, quod non appetatur cibus, inappetentiæ causa abscindenda. *Est autem*, inquit, *humorum abundantia, quæ post morbum relicta est, quæ vacuatione tollitur; quare vacuatione opus est.* Quod autem hæc sit sententia Hippocratis, tunc potissimum intelligetis, cum singulorum verborum Aphorismi interpretationem fecerimus, & ex natura rei sententiam ipsam comprobauerimus. Quid autem *per assumere cibum* intelligat Galenus, explicat *in Commentario*, ita tamen, vt ex interpretis versione intelligi non possit, quid author sibi velit: neque enim qui Latine loquuntur, consueuerunt vnquam dicere *assumere cibum* pro eo, quod est *cum appetitu edere* & *non assumere*, *cum appetitu non edere*: nam & ægrotos assumpsisse cibum dicimus, etiam si inuito stomacho, & cum nulla appetentia id fecerint: non assumpsisse autem dicimus, non eos, qui ederint sine appetitu, sed qui nihil omnino ederint: quare Latinis huiusmodi loquendi modus obscuritatem, quam Galenus agnoscit in Aphorismo, non aperit. In hoc etiam reprehendendus est interpres, quod Asiaticos Latine loqui faciat, qui Græca lingua solũ vtebantur. Quare, cum nec Latinis, nec Asiaticis conueniant verba Græca, quib. Hippocrates vtitur, Asiaticisque etiam in vsu fuisse scribit Galenus, quibus peculiariter in hac re vti solebant, adscribenda sunt hoc loco, μὴ λαμβάνειν τροφὴν, id est *non assumere cibum*, λαμβάνειν δὲ *assumere vero*, quæ verba etsi commode per dictiones eas nostras Latinas explicantur, nostræque illorum vim exprimant, non tamen vsum docent, qui proprius erat & Ionicis & Asiaticis. Jam videamus, an verum sit, quod scribit Hippocr. eum, qui cum appetitu edit post morbum, & non corroboratur, pluri alimento, quam opus sit, vti, & solum egere cibi detractione, nam qui canina fame laborant, aut βουλιμίᾳ dicto, plurimum quidem appetunt, nec corroborantur, remediumque huius appetentiæ non est detractio: offendũtur enim cibi paucitate, sed vacuatio malorum humorum, qui huiusmodi famem committunt, aut alia remedia, quæ medeantur aliis causis huius immoderatæ famis; de quibus nunc sigillatim agendum non est; Item, qui intemperie ventriculi frigida laborant: multum quidem appetunt, quia tamen non concoquitur probe, quod ingeritur, extenuantur potius, quam crassescant & roborentur: Atqui remedium illorum non est cibi detractio, sed intẽperaturæ frigidę per calida curatio. His argumentis victi nonnulli, prolixe sophisticantur, vt Hippocratis sententiã defendant, quem ipsi non intelligunt: nã cum Hippocrates cibũ appeti scribit, & non corroborari eos, qui appetunt, nõ de omnibus, qui appetũt, agit, non. n. de his, qui ex morbosa causa ita appetũt, sed de his qui à morbo omnino liberati appetunt, nulla. n. causa inueniri potest alia, qua fiat, vt corpus nõ corroboretur quam nimia cibi abũdantia; id quod ex natura rei facile intelligere licet, vel enim non corroboratur corpus debilitatum ob materiæ defectum; vel quod copia quidem adsit, non tamen in nutrimentum mutetur; non mutatur autem, vel quod imbecilla sit facultas, vel quod copia opprimatur; at qui cibi parcitas hic in causa non est, cum multum assumi dicamus; non facultatum imbecillitas morbosa, cum ex suppositione hominem morbo liberatum constituamus; superest ergo, vt nimia sit copia, quæ grauet facultates, præsertim coctricem, qua grauata, alimentum assumptum in bonam qualitatem non mutatur: Quare nec assimilari potest, quod si non assimiletur, nec augeri, nec roborari corpus valet; estque verissima hæc pars Aphorismi, ex qua & secunda facile intelligetur, qua dicit, opus esse vacuatione, si quis à morbo cibum non appetat, id quod etiam ex iis, quæ superiore quodam Aphorismo de inappetentiæ causis demonstrauimus, in memoriam reuocatis, facile erit intelligere: appetentiæ enim causas dicebamus esse suctionem, quæ à ventriculo fit, & suctionis sensum: non appeti autem è contra, vel quod non fiat vacuatio, vel quod à sensu non percipiatur molestia, quæ à suctione fit: nõ fit autem vacuatio, quæ ad appetentiam excitet, vel quod plus sit humoris in corpore, quam opus sit, ita, vt externum nutrimentum non exigatur, abundante in corpore malo humore, deiiciaturque etiam vis & temperies ventriculi ab intemperato humore; non enim inconueniens est totius corporis morbum sublatum esse, & ventriculum adhuc intemperatum esse: non sentitur autem affectio, cum sensifica facultas propemodum emortua est, atqui non ob imbecillitatem virtutis dissoluentis inappetentia in illis fit, cum à morbo liberati constituantur, in illis autem etsi imbecillitas maior est, quam in sanis, tantum tamen roboris residet, vt moderatas, quantum corporis status tunc exigit, humoris dissolutiones efficere posit; sensus præterea non ita imbecillus esse potest, cum sentiat noxam, quæ à suctione fit, cum id duntaxat illis accidat, qui pene emortuas vires habent, quod non nisi ex magno morbo fieri potest; in quo positi non sunt, vtpote ab omni morbo iam liberati; sola ergo humoris mali abundantia, quæ plane vinci expellique per morbos non potuit, in causa est, cur non fiat in illis appetentia. Verum, etsi id ratione victi concedamus, non tamen forte id concedemus, quod sequitur, *vacuatione esse opus*: nam *humoris vitia non necessario vacuatione corriguntur, sed alteratione etiam emendari possunt*. Cur ergo Galenus & Hippocrates scribunt, vacuatione esse opus? quoniam humores, qui post morbum relinquuntur, corruptionem per morbos acceperunt, & extraneam qualitatem, quæ vacuatione citius, quam alteratione emendatur; vbi enim corpus non nutritur, quod nutritionem maxime eget, qualia sunt corpora, quæ à morbis extenuata resurgunt, tutum non est, humorum relictorum ex morbo vitium alteratione corrigere, cum natura adhuc debilior sufficere non possit, & ad alimentum vincendum, & humorem in corpore derelictum; quo

Quid Hippocrates per sumere cibum intelligat.

Cur cibum multum sumentes non roborentur.

Humorum vitia per quæ corrigantur & cur hic sit vacuatione.

fiet, vt humor nouo addito & corrupto augeatur, & recidiuas pariat: *impura enim corpora*, vt postea ostendemus, *quanto plus nutriuntur, tanto magis læduntur*. Quare optime dixit Hippocrates, corpus tunc egere vacuatione, quæ pro natura humoris facienda est. Atque hæc satis de hoc Aphorismo.

Aph. 10 sect. 2.

APHORISMVS IX.

Τὰ σώματα χρὴ, ὅκως τις βούλεται καθαίρειν, εὔροα ποιεῖν.

Corpora cum quis purgare volueris, oportet fluida facere.

QVORSVM Aphorismũ hunc scribat Hippocrates, non docet Galenus, nec alius ex recentioribus interpretibus, cum tamen scopus certus illi constitui possit: cum enim *superiore Aphorismo* dixisset, corpora, quæ non appetunt post morbum, vacuanda esse, vacuatio autem per purgationem facienda sit, hũc subiungit Aphorismum, quo intelligantur præter scopos primo libro explicatos, in purgatione aliquid aliud obseruandum esse, quod ad corpora ipsa, quæ purgari debent, pertinet, neque enim sufficit scire, concocta esse debere, & talia qualia esse oportet, quæ purgãda sunt: nec quod in debita quantitate, & per locum conuenientem, & certo quodam modo purgatio facienda sit: sed etiam corpus ipsum ad purgationem bene præparatum esse oportet; id quod, sumpta occasione ex superiore Aphorismo docet Hippocrates. Docet igitur, corpus esse præparatum, si fluidum fuerit, quam sententiam recentiores ita interpretantur, vt duo in hoc dicant requiri, vnum humoris concoctionem, alterum apertionem viarum, per quas debet fieri purgatio, in quo euidenter errant: nam cum antea de concoctione egerit Hippocrates, frustra idem nũc doceret; aliam ergo præparationem requirit in humore, quam concoctionem. Præterea, Galenus hic docet, corpus fieri fluidum, cum humor crassus extenuatur, & cum tenuis est, nihil in eo moliendum esse; at concoctio, vt antea ostendimus, omnia incrassat; aliud igitur est corpus fluidum facere, aliud concoquere humores. Galenus autem dicit, fieri corpus fluidum si humores crassi extenuentur, & viscidi incidantur, & viæ aperiãtur. Porro, idẽ author scribit *in 7. Methodi*, se opponere viscoso abstergẽs, alibi vero passim quod viscosum est, incisione egere præcipit; at melius est vtrumque coniungere: nam quod viscidum est, sibi ipsi cohæret, & ei, quod tangit, adhæret, eget igitur incisione & abstersione, atque illa discinditur continuitas, quæ in humore est hac vero liberatur ab eo, cui adhæret. At vero de crasso maior est difficultas, à nullo, vt puto, hactenus animaduersa: nam omnes quidẽ crassum egere extenuatione putant, & eam fieri à calidis, & acribus medicamentis, qualia sunt origanum, thymum, serpillum, hysopum, & similia, vt ex Galeno patet *in Aphoris. 24. libro 1.* vbi habet se extenuare humores ante purgationem his medicamentis: Verum, cum crassum multis modis dicatur & fiat; non potest vna esse extenuantium ratio & natura; nam crassum aliquando id dicimus esse, quod magnam habet molẽ & multam substantiam, quomodo dicimus, lignum crassum, hominem crassum, cumulũ fœni vel paleæ, aut alterius rei crassum: alio modo crassum dicimus, quod est spissum, in qua significatione dicimus, concoctionem omnia incrassare, pus crassum, & sputum, & vrinam, & liquores omnes, qui spissi sunt, & terram etiam crassam, & denique omnia, quæ tendunt ad soliditatem, & his non conueniunt ea extenuantia, quę competunt crassis ex multitudine substantię aut copia: nam quæ multitudine rerum cumulatarum crassa sunt facta, separatione, & partione tenuia redduntur: ita enim paleæ vel fœni cumulum crassum, tenuem reddimus: quod vero quantitate continua, & non numero rerũ crassum est, diuisione suæ substantiæ fit tenue, & in hoc conferunt, quæ vim habent penetrandi, & dicuntur tenuium partium, eo quod in tenues partes, quod ita est crassum, diuidere sint apta, & in hoc in externis quidem rebus crassis pręstant, quæ vim habent vulnerandi, & secandi: in humoribus vero nostris, medicamenta, quæ tenuẽ illam substantiam acceperunt à natura, qua penetrare & diuidere sunt apta, tenuium partium dicuntur esse: & hæc tenuis substantia reperitur subiecta nunc calori, nunc frigori: vt piper tenuium partium esse dicitur quod calidum est & siccum: & semina communia dicta, limones, acetum, & multa alia, quæ frigida sunt, idem præstare, quod acria medicamenta, creduntur: vnde Galenus *in lib. 5. de Simplicibus*, acida, & acria pariter extenuare scribit: sed illa cum frigore, hæc vero cum calore: Cæterum, quæ crassa sunt, eo quod sint spissa, non postulant hęc extenuantia, sed pro diuersitate causarum, quæ suæ crassitudinis sunt authores, vnumquodque illorum vult proprium extenuans: nam quædam fiunt spissa, & eo modo crassa, per solam mixtionem terrenæ substantiæ, vt humor melancholicus naturalis, qui ex terrena portione alimenti in generatione sanguinis conficitur: alia vero fiunt spissa per assationem adustionemq;, in qua tenuiores portiones, aquea, inquam, & aerea digeritur & consumitur: & quod in illis erat terrenũ, tandem relinquitur: eoq; modo ex pallida bile, quæ tenuis est, per assationem tãdem fit bilis atra crassa: & mel per elixationem & concoctionem, pusque & vrinæ crassa redduntur: alia vero fiunt crassa per concretionem, vel lutum, glacies, & pituita, quæ in frigidis corporibus & in hyeme atq; in ocio procreatur: alia demum fiunt crassa partim ex assatione, partim ex viscosa materia, qualis est pituita, quę dentibus adhęret in febribus ardentibus. Quod si ita est, plura erũt in hoc quoque genere crassi extenuantia: nam quod crassum est ex sola mixtione terrenæ substantię, tenue fit solum per mixtionem aereæ & aqueæ substãtiæ, quo pacto terra mixtione aquæ & aeris humidi liquida & tenuis efficitur: quod si quis calefacientia & siccantia adhiberet, crassitiẽ vtiq; augeret: quapropter euidentissime errant Medici, qui thymo, epithymo, serpillo, hysopo, & aliis acribus medicamentis vtuntur, cum humor melancholicus in corpore nocet: est enim tunc opus vti iusculis pinguibus, vino tenui, & alio vi-

Crassum multis modis dici & fieri.

Acida & acria partium extenuantia.

Quomodo, quod densitate crassum redditur tenue.

Quomodo melancholicus humor extenuetur.

Cur Galenus in quartanis adhibeat piper.

ctu humectante; quod si Galenus in cura quartanæ adhibet piper, non propter melancholicum humorem id facit, sed quia pituita etiam in illis abundare solet in ventriculo & primis venis: atra vero bilis, quæ facta est crassa per assationem, extenuari debet per refrigerantia & humectantia: quoniam pugnandum est aduersus id, quod factum est crassum, & id, quod pergit facere; illud est terrenum, hoc vero calidum; at pituita, quæ ex frigore concreta est & crassa, calefacientibus extenuanda & ea pro maiore aut minore frigiditate, quæ in pituita est, adhibenda sunt: nam dulcia, quæ moderate calida sunt, fundere & liquare possunt pituitam leuiter concretam: Acribus vero medicamentis est opus, vbi vehementior est in pituita frigiditas; quare ad sputum pituitæ crassæ non semper vinum dulce, sed generosius etiam, vt Græcum, Maluaticumq; adhibendum est. Iam vero si pituita, quæ viscida est, per assationem crassescat, erit opus refrigerante, humectante, incidente, atque abstergente auxilio, quod præstabit aqua frigida cum aceto & melle, vel saccharo commixta.

His itaque ita distinctis, Medicus intelligere poterit, à quib. petenda sint remedia extenuantia, cum extenuandi erunt humores crassi, nec quicquid à nostris authoribus extenuare dicitur, assumet ad singula extenuanda. Fluidum ergo fiet corpus, cum illud purgare voluerimus, *extenuando, abstergendo, & incidendo humores pro vitio quod in humore erit*: nam aliquando sola extenuatione est opus; aliquando incisione & abstersione: aliquando vero omnibus modis pugnandum; At viæ aperiuntur, eo remoto, quod eas claudit & obstruit; id quod faciunt aliquando humores sua copia, aliquando crassitie, aliquando visciditate: ac cum clauduntur his duobus postremis modis, non est opus peculiari aliquo auxilio: nam quæ pugnant aduersus crassos & tenaces humores, vias pariter expediunt; vbi vero ex multitudine humorum viarum fit occlusio, adhibenda sunt, quæ consumere possint: id quod faciunt euacuãtia sensibiliter, vel insensibiliter, vt sanguinis missio, inedia, & reliqua, quæ æqualiter euacuare possunt: nam quæ penetrando minuunt quantitatem rei in copia humorum nostri corporis, vias aperire nõ possunt, quoniam medicamenta cum humoribus confunduntur & obruuntur, nec possunt penetrare ad loca obstructa: quare recte à maiorib. nostris institutum est, vt quando purgatione vtendum est, prius sanguinem mittamus, deinde purgationem adhibeamus. Iam, si corpus fluidum ita factum fuerit, optima & facilis vtriq; fiet purgatio; id quod ostendit Galenus ex incommodis, quæ contingere solent, cum purgatio fit, & corpora non sunt fluida: nascuntur enim torminæ generatis flatibus ex cõmotione crassi & viscosi humoris, qui sequi nequit vim attrahentis medicamenti: & aliquib. accidunt vertigines à surgentibus vaporibus ex ea commotione ad cerebrum: aliis, inquit, fit fastidium multum, quod oritur affecto ore ventriculi, vel ex flatibus, vel commotis & attractis ad eam partem humoribus: aliis fiunt etiam mali pulsus, vel per consensum cum ore ventriculi affecto corde & arteriis, vel repletis arteriis ipsis ob colliquationem & agitationem vaporib. & humoribus: alia denique fiunt symptomata in aliis pro cuiusque natura, quæ aptior est ad vnum, quam ad aliud patiendum; idem etiam licet probare ex modo, quo fit purgatio, fit enim illa, cum medicamentum attrahit ad ventriculum & intestina, humores ab aliis partibus: facilis autem attractio fieri nõ poterit, si viæ non patebunt, & humor facile sequi non poterit attractionem medicamenti: quod autem tenue est & viscositate priuatum, facile trahitur. Nec recipienda est recentiorũ opinio, qui putant, tenues humores ante purgationem esse incrassandos. id enim & Galeno & modo, qui fit in purgatione per attractionem, repugnat: est quidem communis hæc præparatio omnibus, peculiarem vero desiderant quædam purgantia, vt helleborus humectationem, vt in sequentibus docebit author. Illud quoq; explodendum est à nostris scholis, quod aiunt, purgãtia quædam purgare leniendo, & in his non esse opus extenuatione humorum, & in eo genere ponunt Cassiam & Mannam: nam quæ aluum deiiciunt solum, & excrementa alimenti deponunt ab intestinis, illa profecto leniendo possũt munus suum obire: sic enim oleũ & iuscula pinguia aluum subducunt: at quæ humores educũt à venis, aut à substantia etiam ventriculi, illa non nisi attrahendo purgare possunt: etsi interim attractio reperitur in medicamentis humidis, vel siccis, vel calidis, vel frigidis: nam attractio, quæ est in medicamentis, non nascitur ex qualitatib. euidentibus, sed *ex forma*, quam Galenus nominat totam substãtiam, cum à nomine formæ superstitiosius abhorreret, vel quod parum in Philosophia esset versatus, dum omnia nunc tribuit temperamento, nunc vero victus ex euentu rerum præter temperamentum, totam quandam suam substantiam imaginatur: *sed siue leniendo, siue abluendo, quod faciunt aquæ medicamentosa, siue attrahendo, vel expellendo fiat purgatio, semper proderit præmittere extenuantia & incidentia, viasque aperientia.*

Corpus purgandũ quomodo fiat fluidum.

Attractio in medicamentis purgantibus unde fit.

Incommoda, quæ sequuntur quando corpus antequam sit factum fluidum, purgatur.

APHOR. X.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσῳ ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

HIc Aphorismus, vt bene admonuit Galenus, sequi debebat eum quo scripsit Hippoc. *Aphor. 8. huius libri. Si quis a morbo cibum assumẽs, &c.* est enim ratio vltimæ partis illius Aphoris. quod enim qui à morbo resurgunt, non appetant cibum, nec corroborentur, egeantq; vacuatione, causa est, quod corpus habeat impurum: *impura autem corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes*, egent igitur euacuatione. Post quem Aphorismum locũ habet is, qui nunc præcedit: si enim ratio vincat, vacuationem esse vtendum & purgatione, tunc admonendus est, qui purgationem facit, vt corpus bene fluidum faciat. Iam Aphorismi sententia explicanda est, videndumque quomodo fiat, vt corpora impura lædantur copiosiore cibo, id enim & Galeno

Quomodo corpora impura copiosiore cibo lædantur.

& rationi repugnare videtur: etenim, Galenus in eo *Aphorismo*, quo scribit Hippocrat. *lib. 1. Aphoris. 17. Et quibus semel aut bis &c.* ait, eos, qui & corruptione humorum laborant, plurimo cibo egere, nec aliter corruptionem emendari posse. Item, *11. Methodi* humorum corruptionem nõ aliter emendari posse scribit, quam si multo cibo acrimoniam mitigauerimus, & in locum corruptorum humorum bonos suffecerimus; Auicenna præterea *cap. de eo, quod comeditur & bibitur*, inquit: *Sæpe conuenit ei, in cuius corpore humores corrupti abundant, vt rem bonam largiter comedat*: ratio enim id videtur suadere; quomodo enim corruptionem emẽdaueris, nisi boni nutrimenti affluxu, quod temperet & retundat eam, quæ est in corpore, acrimoniam, & reponat bonum sanguinem in locum corrupti? vnde videmus, eos, qui bile multa abundant, etiam si frigidiore cibo vtantur, plus tamen offendi à parsimonia, quam à cibi copia. Recentiores hos locos conciliare nituntur; aiunt enim, corpora impura duplicia esse, Cacochyma, & Plethorica, & nutritionem item duplicem esse; aliam enim purè resumptiuam, aliam vero & resumptiuam & alteratiuam, aiuntque corpora impura ex Plethorica dispositione, esse nutrienda nutritione purè resumptiua, nutrienda tamen esse, cum alioqui in Cacochymiam inciderent: corpora autem Cacochyma; si regulariter cibari possint, cibãda esse cibis nõ purè resumptiuis, sed alterantibus, cũ vero res cogit nutrienda esse nutrimento planè resumptiuo; Qua in re ii errant, quod corpora Plethorica impura vocent; quomodo enim impura sunt, quæ nullam corruptionem habent, sed optimos & puros omnes humores? Præterea, cum Galenus Aphorismum hunc subiungat ei, qui agit de euacuatione facienda in corporibus, quæ à morbo liberata sunt, illa autem Plethorica esse non possint, consumpta per morbos multitudine, purgationeq; propterea egeant, profectò Plethorici nõ erunt, siquidem Plethoræ purgatio non debetur, sed remedium, quod multitudinem æqualiter educat. Quod item de duplici nutrimento adferũt, aliud esse scilicet, quod solum nutrit, aliud quod & nutrit, & alterat, & illũd non conuenire Plethoricis, nisi pauca quantitate exhibitum, Cacochymis autem nullo modo, sed id, quod & nutrit & alterat, nodum non soluit; primo quod Hippocrates distinctione huiusmodi non vtatur, qualitatemq; nutrimenti supponat idoneam affectui: temere enim alioqui quantitatem damnaret, si qualitas damnanda esset, & Galenus, cum eos, copiose cibandos esse dicit, qui corruptione humorum laborant, absurda omnino præciperet, nisi vellet cibos præditos esse ea qualitate, quæ dispositioni aduersentur, tantum n. abest, vt copia prosit malæ qualitati mixta, vt magis etiam, quam paucus cibus noceat; at nos putamus verũ esse præceptum, quo scribit Hippocr. *Corpora impura quanto plus nutries, tanto magis lædes*, etiam si nutrimentum eam habeat qualitatem, quæ idonea sit, verumque præterea esse, corpora, quæ corruptione laborant, plurimo nutrimento egere, aliud enim est corpus impurum, aliud quod corruptis humoribus abundat; *corruptis enim humoribus abundare dicitur, quod sanguinem corruptum habet; impurum autem, quod vitiosos habet humores in ventriculo*, vt satis ex Gale. *Comm.* intelligere possumus, vbi ait, hoc præcipue fit, *quando ventriculus quibusdam humoribus malis plenus extiterit, eos enim quanto plus nutrieris, tanto magis lædes*; cuiuscunq; enim generis fuerint cibi, si multitudo accreuerit, de male affecto ventriculo non bene coquentur, sed corrumpentur, & in sibi similem affectionem degenerabunt, atque ita ad hepar delati, reliquos humores corrumpent: in aliis vero non par est ratio: si enim bene in ventriculo cibi concocti fuerint, vitiosos humores, qui in corpore continentur, temperabũt, & mixtione sua meliores reddent; Aut si impura intelligemus, in quibus corruptio tanta est, quæ omne alimentum aduenïens corrumpat, tunc erit parce nutriendum, & aliis remediis purgandum, vt alteratione & vacuatione potissimum vitium corrigatur, nec aliter putamus loca illa concordari posse. Atque satis de hoc Aphorismo iam dictum sit.

Corpus corruptis humoribus abundans & impurum quomodo differant.

Et de quo hic aphorismus sit intelligendus.

APHOR. XI.

Ῥᾷον πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου.

Facilius est impleri potu, quam cibis.

PRæsentis Aphorismi scopum explicat Galenus: cum enim dixisset antea Hippocrates, impura corpora non esse nutrienda, antequã purgata fuerint, & pura reddita, & postea quam pura reddita sunt, nutrienda sunt; renutritione autem egent alia facili & cita, alia tardiore & solidiore, vt antea ostendit, cum doceret corpora, quæ cito extenuantur, cito reficienda esse, alia autem tardius, quæ tardius extenuantũr, quapropter, docet Hippocrates materiam, quæ facile & difficile nutrire potest corpus, potu, inquam, facile, cibo vero difficilius corpora nutriri; quibus addit Galenus odores, & illis tribuit in facili nutritione primum locũ. Quam sententiam tunc intelligemus, cum nouerimus, quid cibi & potus, facilisque repletionis nomine significare velit author: nam de his controuersia est inter interpp. Etenim Montanus potum interpretatur non qualecunque humidum, sed quod habet aliquam consistentiam, qualis est ptisana, alica, & vinum crassum; vinum autem, quod nõ est crassum, reiicit, quoniã, inqt, nõ nutrit. Cuius opinio est refellenda: nam Galenus omne vinum nutrire vult, vt patet *ex Com.* tsi interpres male vertit verbum *ἥκιστα minime*: nam duo illud significat, (vt Galenus in quodam loco *in libris Epidemion* notauit) *minimum*, inquam, & *minime*; & hic debet intelligi minimum: nam verba hoc ostendunt; (*quæ vero crassa sunt & colore rubea, plus alimenti habent, quam reliqua vina*, tanquam velit omne vinum nutrire, plus vel minus; & quis de hoc dubitat, quod experientia ipsa in omnibus testatur? quis enim non sentit, ex cuiuscunque vini potu se refici & roborari: Præterea, si odor nutrit (vt postea ostendemus) quis dubitabit, vinum nutrire, quod longe crassius est odore: est enim odor vapor, vinũ vero liquor. Postremo, vinum compositum est ex quatuor elementis, merito ergo nutrire est aptum: qua ratione etiam

Quid Hippocrates cibi & potus nomine velit significare.

Omne vinum nutrire plus vel minus.

Aquam aliquo modo nutrire.

etiam non negauerim, aquam aliquo modo nutrire. *quoniam illa simplex non est, sed aliquo modo composita.* Alii verò sunt, qui definiunt potum, quod plurimum nutrit, & sine masticatione deuorari potest, cuius generis illis non solum est vinum, sed etiam oua sorbilia, & caro contusa: aiunt enim, non posse facilè repleri corpora, nisi nutrimentum citò mutetur, & plurimum nutriat; in quo manifestè errant: nam quod plurimum nutrit illud necessariò crassum est & viscosum, quemadmodum Galenus *in 7. Methodi* ostendit, vbi de carne suilla agit quæ difficilè mutari potest, & tardius necessariò nutrit; videturque huic errori dedisse occasionem verbum *replere*, quasi Hippocrates vellet corpora augeri nutrimento, cum hic repleri & nutriri idem sit: estque Problema quod proponitur, *an citius nutriat potus, quam cibus, non autem an plus, vel minus*, cum certissimum sit, cibos solidiores plus nutrire potu; id quod ostendit Galenus authoritate Hippocratis, quam citat *ex libro de alimentis*, vbi ait: *Quicunque indigent citissima adiectione, humidum alimentum ad recuperandas vires optimum est, vbi autem adhuc citius, per odoratum corpus reficiendum est.* Ex quo satis ostendit, se de faciliore, id est, de nutritione, quæ citius fit, agere, nō de ea, in qua plurima fit nutritio, quandoquidem odoramenta (vt omnes nouerunt) minimum nutriunt. Idem Gal. *in Comment.* his verbis satis ostendit: *nam si*, inquit, *ita non nutriunt humida & potus, sicuti solidiora, superant tamen nutriendi celeritate.* Præterea, contrarium sæpe fieret, si quis enim bubulam aut suillam carnem ita contundat, & humidis misceat, vt sine masticatione potus modo assumi possit, nō facilius vtique nutriet huiusmodi caro hoc modo ebibita, quàm pulli gallinacei caro masticata; quis est præterea, qui ex cibo bene contrito dentibus & deuorato, mixtoque postea in ventriculo cum vino, aliisque liquoribus, nō dicat corpus tam facilè nutriri, quàm ex eadem carne vtcunque contusa, & in potus modum ebibita? per potum ergo hic intelligimus ea, *quæ propriè pro potu vsurpamus, quæ scilicet suapte natura nunquam mandi possunt, nutriunt tamen nostrum corpus, vt vinum & tisana*; quod satis Galenus ostendit *in Comment.* vbi nullius alterius mentione facta, potum, vinum interpretatur; Sic Plato in *Hipparcho*, humidum corporis alimentum potum vocat, cibum vero siccum alimentum; oportet autem intelligere humidum alimentum non solum quod actu, sed etiam, quod potentia est humidum, id est, quod minimum habet terrenæ & siccæ substantiæ in se commixtum: nam alimentum ex eo, quod in eo est potentia, dum assumitur, potissimum dicitur.

Plurimum nutrientia qualia sint.

Quid per potum hic intelligatur.

Cur & quomodo humidum citius nutriat, quam solidior materia.

Nunc videndum, quomodo fiat, vt humidum citius nutrire possit, quàm solidior materia: si enim nutritio vel per assimilationem fit, vel ipsa est assimilatio, similitudo autem partibus corporis cum solido nutrimēto maior est, quàm cum humido, videbitur solidius nutrimentum citius nutrire posse, quàm humidum; inter similia enim facilior est transitus, citiusque mutationes fiunt, & solida solidis similiora, crassa crassis, & humida humidis; partes autem nostri corporis, quæ nutriuntur, sunt illæ, quæ viuunt,

A hæ autem crassæ sunt: cibo ergo citius refici videntur. Huic argumento quidam respondere non possunt, vt Brassauolus, sed solum ostendere conatur, quod fit; Alii autem negant argumentū hoc procedere: *similius est nutrimentum, ergo facilius assimilatur*: Nam sanguis, aiunt, qui in venis est, similior est corporis partibus, quàm pulli gallinacei caro, si tamen incisa vena extrahatur, & iterum in corpus sumatur, tardius nutriet, quàm pulli caro: propterea quod ventriculi coctionem semel aufugit, ita, vt difficilius ventriculus eum concoquat & tardius; difficilem autem & tardam ventriculi coctionem sequetur tarda & difficilis nutritio, & aliarū partium concoctio. Non ergo ex similitudine velo-
B cioris nutritionis rationem petendam esse volunt, sed ex facili coctione, & distributione: quia enim (aiunt) facilius coquitur, quod tenue est, & citius distribuitur, ideo facilius tenuiora crassis nutriunt. Sed illi rem hanc non intelligunt: nam *similitudo, quæ requiritur in nutrimentis, antequam concoquantur, est potentia & non actu*; nec fit, vt ea, quæ actu sunt alba, facilius coquantur à ventriculo, quàm quæ nigra sunt, si modo subsit substantia nigris, quæ post mutationem similior remaneat; nec sanguis quidem, qui in venis est, ventriculo potentia similior est, quam externus cibus; nam vt Gal. docet *in 3. lib. de natural. facult.* Ventriculus postea quam ex cibo conuerso in Chylum abundè saturatus est, quod
C ex eo superest, reiicit tanquam excrementum, nec ex eo postea nutrimentum appetit, nisi externo alimento destitutus, & merito quidem: nā quid rursus appeteret suum excrementū? quod enim appetit, appetit vt retineat, & retinet vt alteret, concoquat & assimilet; at si iam semel assimilauit, non amplius habet, quod in eo agat: igitur quia sanguis accepit alterationem quandam à ventriculo, non potest amplius ab eo appeti, à quo ille est extractus; *id ergo, quod facilius appetitur, facilius quoque retinetur, & concoquitur, distribuitur, & nutrit*: nam hæc se inuicem sequuntur similitudo, appetitus, attractio, retentio, concoctio: verum inter illa, quæ æquè similia sunt, tenuiora & calidiora promptius at-
D trahuntur, retinentur, concoquuntur & assimilantur. Nec valet, quod dicitur, partes nostras esse crassas & propterea crassis tanquam similioribus facilius nutriri: *nam etsi crassæ & solidæ sint partes, quod plus terrenæ substantiæ habeant quam aliorum elementorum, est tamen in illis aerea & humida substantia, quæ restaurationem postulat, & illis similior est potus, quam cibus.* Præterea, crassities, quæ requiritur à nutritione solidarum partium, non debet esse actu in rebus, sed per cōcoctionem acquiritur ex re quidem, quæ potest crassescere, & in vino & potu aliquid est tale; etsi in cibo longè maior sit hæc substantia: nam Galenus vult proximum nutrimentum esse simile rori, & illud postea spargi per membra,
E & illis tandem agglutinari & assimulari. Hæc ergo ostendunt potum facilius nutrire, sed minus cibo, quia minus habet vtilis & solidæ substantiæ; ea enim plurimum alere dicuntur, quæ vtilis & crassæ & viscosæ substantiæ plurimum simul in se habent, vt Gal. *in 7. Methodi* docet. Sed de odore, quem Galenus addit inter illa, quæ nutriunt & primum locum ei tribuit, in prompta

Cur partes nostræ, vt quasi crassæ non citius nutriantur crassis, quam liquidis.

Potum facilius nutrire, sed minus cibo.

Odor an possit nutrire.

& facili nutritione dubitatio est: quoniam Aristoteles *in libro de Sensibili*, negat, odores posse nutrire, his rationibus: Primo, quod oporteat cibum esse compositum, quoniam ea, quæ nutriuntur, simplicia non sunt. Præterea, quod oporteat ex concoctione cibi excrementa quædam resultare aut intra, aut extra, vt in plantis accidit. Deinde, quod illa, quæ alere possunt, debeant corpulenta fieri. Addit, id, quod nutrimentum est futurum, recipi oportere in instrumentis destinatis à natura ad nutritioné, in ventriculum scilicet, hepar & venas: odorem autem recipi solo in capite. Quapropter *ad finem c. 5. lib. de sensu, & sensili*, colligit, odores non nutrire, conferre tamen ad sanitatem, nempe, ad temperiem cerebri, quod & nonnulli Aristotelici interpretantur ad confortationem. Verum, illorum rationes nullius sunt momenti: nam odor, qui assurgit cum vapore, semper à corporibus compositis & non simplicibus compositus est, & ex eo post nutritionem aliquid necessariò resultat excrementosum, sed illud ob tenuitatem sensum nostrum fugit, multo magis, quàm vapor, quem Galenus ponit esse excrementum tertiæ cócoctionis & ex solidiore etiam alimento gigni. Corpulentum oportet esse alimentum, quod restituit id, quod est solidum & terrenum in partibus: at quod restaurat partem aeream, vaporosum & aereum esse necesse est: Natura quidem destinauit instrumenta ad concoctionem cibi & potionis, quoniam illa maiorem elaborationé desiderant: at vaporosum nutrimentum non habet opus illis instrumétis, cum à minimo quoque calore mutatio in eo fieri possit: quod verò non solum alterent, & (vt aiunt illi) confortent odores, inditio illud est, quod illi, qui ex euacuatione sunt exhausti & debilitati, præsertim ex cogitationibus, & aliis passionibus cerebri, odoribus citissimè reficiantur, quod nó fieret, nisi adderetur aliqua substantia: nam euacuatio remedium non capit nisi à replentibus, replent autem solum, quæ nutriunt. Docet idem experientia: nam si syncope laboranti alicui odores admoueas, hominem sæpe restitues, id quod in leuioribus malis, vt in dissolutione corporis ex labore, cogitationibus, euidentius D apparet. Referunt præterea historiæ, Democritum solius mellis odoratu diu vixisse: quare dubium non est, odores nutrire, etsi debiliter id faciunt; restituere enim possunt solum spirituosam substantiam, quæ est in cerebro; potus verò restaurat humidam & aqueam; cibus terream & solidiorem. Verum ex hoc possumus etiam omnes substantias reparare: nam in cibo omni aliquid etiam est aereum, & aqueum, & igneum, plus vel minus pro cibi natura: quo fit, vt ex solo potu vel odore nullus nutriri possit, ex cibis verò possint aliqui, quibus pituita corpus satis humectare potest; quæ etsi aliquádo fiunt, tamen experientia docet: cibo, potu, & odoribus opus esse ad perfectam nutritionem: & aliquando cibo magis opus est, quàm aliis, & eo quidem crassiore, aut tenuiore, pro ratione dissipationis factæ in corpore: nam vbi aerea portio maximè dissoluta est, aliæ verò minimè, odorum tunc maximus est vsus, præsertim si in cerebro facta est spirituum cósumptio; vbi verò humor aqueus est consumptus, tunc potioné ma-

Democritū solius mellis odoratu diu vixisse.

Nutritio perfecta quid requirat.

A ximè requirimus: cibum autem quando solidior substantia passa est dissolutionem: quod si causæ dissoluentes potentes & diuturnæ fuerunt, ita, vt id, quod solidius est in corporibus, etiam inuaserint, tunc solidissimum & actu etiam siccissimum alimentum expetimus, quomodo videmus rusticos, muliones, & alios, qui laboriosam degunt vitam, oriza, caseo veteri & carne suilla gaudere, & illis optimè nutriri, ex delicatioribus verò cibis minimè, calor enim, qui in illis est plurimus, & quæ contingit solidiori substantiæ dissipatio, cibis liquidiorib. & tenuioribus satis restaurari nequit: sed crassis est opus, vt similia similibus scilicet nutriantur. Quare arguendi sunt Medici, qui in hecticis & longioribus morbis, v-
B bi exhausta est solida substantia, cibis vtuntur tenuioribus, & illis quidem liquidiorib. contra rationem nutritionis, & Gal. authoritatem, qui *7. Meth.* pedes suillos & auriculas & alicam illis adhibet. Meritò ergo scribit Hippoc. *Corpora facilius nutriri potu, quàm cibo*; id est, promptius & citius: & Galenus promptissimam nutritionem eam dicit esse, quæ fit ex odorib. & hanc sequi illam, quæ fit ex potu, tardissimam verò esse, quæ cótingit ex cibo, etsi hæc plurima est: nam quod tenuius est, suaptè natura facilius alteratur, concoquitur & assimilatur, quod verò crassum est, difficilius patitur: quare tardius etiá nutrit. Verum, plurimum alit; intelligere autem debemus plurimum alere illa, quæ solidam substantiá re-
C stituunt, nam quæ aeream & aqueam plurimam reponunt, non dicuntur à Gal. simpliciter plurimum nutrire, vt satis patet ex his, quæ ille enumerat *in lib. de alimentis*, & *passim alibi* plurimum alere affirmat.

APHOR. XII.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι, μετὰ κρίσιν ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuas facere consueuerunt.

HVnc Aphorismum præcedentib. coniungit Galenus, non quidem proximo, sed ei, quo scribit: *Si quis à morbo cibum assumens non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur*: dicit enim illic, 8. *Aphor. huius lib. corpus egere euacuatione, si quis assumens cibum non corroboratur*; quod autem vacuatione sit opus, ratio est, quoniam quæ in morbis relinquuntur, recidiuas facere consueuerunt. Nunc explicandæ sunt Aphorismi dictiones, ex quibus sententia authoris intelligetur; Galenus & alii interpretes intelligunt per ea, quæ relinquuntur in morbis, malos humores; nam Montanus inquit, Symptomata non relinquuntur, in quo manifestè errat, nam relinquitur gracilitas, debilitas, inappetentia, aluus astricta, & alia aliis cóualescentibus acciden-
E tia, vt Galen. *in 3. artis Medicinalis* docet. Quod autem humor, qui relinquitur, non sit solus, nec præcipua causa, quæ recidiuas faciat, sic ostendo: nam Galenus vult eas reliquias necessario tempore putrescere, & febrem accendere, quoniam, inquit, omnis humor alienus à natura corporis, in quo continetur, cum aptus non sit ad eius nutritionem, & derelictus, necessario ad putre-

Quid per ea, quæ relinquuntur in morbis intelligendū.

Et alios morbos praeter febres fieri recidiuas.

dinem conuertatur, præsertim, quod in loco fit calido; primo enim non probo, quod ad solas febres, recidiuas referat: nam etiam alii morbi, vt vlcera, & morbi ex fluxionibus, recidiuas patiuntur; deinde necessarium non est, reliquias humorum post crisin putrescere: nam liberato corpore ab obstructionibus, & extincto febrili calore, non relinquitur occasio putredini in humore iam putrefacto, & veluti in cinerem redacto, talem enim vult Galenus *in libro de differentiis febrium* esse humorem, qui in venis relinquitur post febrem, & putredinem; deinde, videmus multos ex febribus putridis absque vlla purgatione & insigni euacuatione liberari, & paulatim ex commoda concoctione ad pristinam sanitatem redire; quod si noua putredo fit, B ea quidem non fit in humore derelicto post crisin, *ille enim, qui semel putredinem est expertus, rursus putrescere non potest*: sed qui de nouo genitus est; quare ille recidiuas non facit. Addo quod omnes conualescentes recidiuas paterentur: nam omnibus aliquid relinquitur mali humoris. Quod si natura, antequam crisin faceret, totam humoris quantitatem alterare vincereq. poterit, & in ipsa crisi maiorem portionem expellere, cur reliquias, nisi mala adhibeatur nutritio, postea non temperabit & superabit? nam antea ex Galeno docuimus, eos, qui corruptos habent humores, cibi mixtione temperari & iuuari, non quod negari velim, malos humores vim aliquam nó habere ad recidiuas excitandas, C præsertim in corporibus intemperatis, sed præcipua non est causa: *est autem præcipua, quæ fit ex mala dispositione, quæ relinquitur per morbos*; id quod probo primum ex *text. 9. 2 Commentarii 6 Epid.* vbi Gal. citans hunc Aphorismum, bifariam aliquid post crisim relinqui scribit, vno modo humoris partem, qui morbum committebat; altero autem morbosam dispositionem, & hæc profectò maiorem vim habet: nam vt priorem morbum gignere potuit, ita recidiuas parere valet, humores relictos in corpore corrumpendo, & cibum etiam in morbosam causam & alterationem sibi similem mutando & alterando, id, quod in febribus repetentibus per circuitum maximè apparet: etenim, circuitus causa (teste Galeno *in lib. de differentiis febrium*) est *dispositio morbosa*, quæ nouum humorem procreauit, non humor ipse, qui in priore accessione totus expirare solet, alioqui febris ad integritatem non perueniret. *Intelligamus ergo per ea, quæ relinquuntur in morbis, in aliquibus reliquias humorum, vbi illa multa sunt; in aliis verò solam morbosam dispositionem: in aliis autem vtrumque.* Cæterum, dispositio, quæ recidiuas facere solet, ea est potissimùm, *quæ malignitatis aliquid habet*: nam aliæ, quæ à solis qualitatibus penderit, non solent id facere: propterea videmus vlcera maligna, in quibus nec calorem, nec frigus, nec humiditatem, nec siccitatem damnare possumus, posteaquam cicatrice sunt tecta, sæpius recrudescere ob malignam dispositioné, quæ ex liuore, nigricieque relicta in parte apparet: vnde recidiuæ potissimum fiunt in morbis, *quos atra bilis committit*, vt in quartanis, scabie, & vlceribus malignis apparet. Porrò per crisim intelligit Galenus non solum veram crisim, sed omnium morborum sanationem, & rectum

Præcipuam recidiuæ causam esse.

Paroxysmorum, etiam intermittentium quæ.

Dispositio recidiuam faciens quæ.

Recidiuæ in quibus potissimum fiant.

A qui sem: nam non solum morbi, qui per crisim iudicati sunt, sed etiam (vt diximus) vlcera & multi alii morbi recidiuas patiuntur: accidūt sanè recidiuæ in morbis post crisim, sed non omnem: nam post crisim perfectam nihil solet relinqui, & post imperfectam morbus adhuc manet: hic autem agit de his, qui à morbis sunt liberati: illi autem potissimum solet relinquere recidiuæ causas *quæ Atypica*, quæ licet in diebus Decretoriis fit, & non est bene iudicata in contemplatoriis diebus, tales enim crises malignitatem morbi ostendunt. Dicit autem Hippocrates, *recidiuas facere consueuerunt*, quasi hoc necessarium non sit, recidiuas semper fieri, vbi mali humores, vel dispositio morbosa relinquitur: nam diligentia & cura prudentes Medici & B ægroti possunt his malis mederi, nulla sequente recidiua.

Per Crisim quid Hippocrates hic intelligat.

Crisis recidiuæ causam relinquens quæ.

Aphor. XIII.

Ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ· ἡ δ' ἐπιοῦσα εὐφορωτέρη ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Quibuscunque crisis, id est, iudicatio fit, his nox grauis ante accessionem: quæ verò subsequitur, magna ex parte leuior esse solet.

C Si hic Aphorismus intelligatur, vt Galenus & alii Doctores Galenū in hoc Commento sequuti interpretati sunt, de crisi propriè dicta, ridicula vtique, vel certè nullius momenti apparebit esse Hippocr. sententia: quæ etiam ex ipsa dictione ostendit, interpretationē illorum constare non posse: quid enim vulgarius est quàm dicere, *noctem eam, quæ crisim præcedit, grauiorem esse solere in iis, qui liberantur à morbis, ea nocte, quæ crisim subsequitur?* perinde enim est, ac si quis diceret, *eo tempore grauius afficiuntur homines, in quo omnia symptomata augentur, & contingit maxima turbatio ex pugna naturæ, & causarum morbi, eo autem tempore le-* D *uius nos habere, quo vel planè liberati sumus à morbis, aut certè omnia, quæ morbosa sunt, confracta iam sunt & diminuta.* Præterea (teste Galeno *circa finem primi lib. ad Glaucon.*) eadem est ratio de his, qui crises habent nocturno tempore, quam dicit Hippocrates contingere illis, qui interdiu crisim expectant: nam dies, qui præcedit crisim, grauior eo est, qui crisim subsequitur: & rationes, quæ afferuntur, ex turbatione somni & ex tenebris noctis, nullius sunt momenti: nam omnes ægri non debent nocturno tempore dormire, sed quibus concessum est ob accessionum absentiam, nec illi possunt, qui grauius eo tempore infestantur, ac qui interdiu plurimum dormierunt, somno non egent nocturno, E aut certè non læduntur, si tunc plurimum vigilauerint. Igitur cum eadem sit ratio de die, quæ est de nocte, cum crisis expectatur, Hippocrates autem noctem notet fieri grauiorem, constat interpretationem aliorum non respondere dictioni authoris. Præterea, scribit Hippoc. noctem, quæ præcedit accessionem, & non quæ præcedit crisim, grauiorem esse solere, & illam,

Galeni interpretatio ridicula.

quæ subsequitur accessionem, leuiorem vt plurimum esse. Nec dicendum quidem est, illum vsurpasse accessionem pro crisi quoniam crises in accessionibus fiunt: nam si crisim intelligeret, non poterat accessionem nominare, quoniam crises solum sunt acutissimorum morborum, qui sunt cum febribus continuis, cum nulla accessione, aut non euidenti. Postremò, si intelligeret criseis, quæ bonæ sunt, frustra adderet *magna ex parte* sequentem noctem leuiorem esse: nam absolutè illud verum est, hominem tūc melius habere, quando ex perfectis crisibus planè est liberatus, aut ex imperfectis fracta est morbi vis. His itaque rationibus, interpretationem, quam habet Galenus *in Comment.* recipere non possum, sed eam probo, quam habet *in libro 6. de Morbis vulgar. Comment. 2. text. 22.* vbi ita ad verbum scribit, *In libris sanè Aphorismorum priuatim de febribus Triteophyes, quæ vocantur, mentionem Hippocrates faciens, absolutè dixit: Quibuscunque iudicatio fit, his nox molesta quæ ante accessionem, subsequens autem tolerabilior plerunque. Iudicationem verò aliqui eam intellexerunt, a qua repentina quædam, & grauis mutatio fit, aliqui simpliciter accessionem intelligi voluerunt: in omnibus autem ferè tertio quoque die exacerbatis febribus præter exquisitas tertianas nox ante accessionem reuera molesta esse solet: quod si & in exactis tertianis id nonnunquam eueniat, indicationem sequentis diei futuram portendit, potissimumque si & reliqua futuræ iudicationis indicia consentiant.* Quibus verbis ostendit, Hippocratem hic de crisi propriè dicta non agere, sed de accessione: nam *in libro de Crisibus*, antiquos crisim pro accessione vsurpasse meminit, & de accessione quidem febrium, quæ tertianæ naturam referunt, *illæ enim omnes interdiu inuadunt*; quare quales sint noctes docere potest Hippocr. & propterea de noctibus peculiariter mentionem facit; nec eadem potest esse ratio diei & noctis, vt in propriis crisibus contingit. Mirum autem videri potest, quod nox quæ præcedit accessionem, grauior sit nocte, quæ subsequitur, in qua solent adhuc accessiones diei perseuerare, & cum vires debilitatæ sint ex accessione, rationi videretur esse consonum, vt nox subsequens grauior redderetur, quàm præcedens, quæ prorsus libera erat ab accessione & vires confirmatæ: tamen aliter fieri contingit, & id docet experientia: obseruaui enim omnes, qui vel intermittentibus, vel continuis tertianis laborant, difficiliores habere noctes, quæ præcedunt accessiones, aliis, quæ subsequuntur, quod in quartanis, & quotidianis non accidit, cuius rei hanc puto esse rationem, *quod humor biliosus, qui igneus est, etiam ante putredinem emittat fumos, qui agitant corpus, & inquietudinis, molestiaque sunt causa*, vbi verò accessio aduenit, & putredo fit, hic humor qui tenuis est, consumitur, & perfectè expirat; quare sequens nox, quæ excipit hominem liberatum ab accessione, aut certè iam declinante ipsa accessione, debilitatum hominem, somno, & quiete recreat; quæ ego his diebus, quibus tertiana laboraui, quod multas noctes rumores, qui in hac ciuitate MONTIS regalis augustissima, somnum interruperint, sum expertus, & nisi Serenissimus Princeps noster Emmanuel Philibertus anno futuro, qui erit finis millesimi quingentesimi sexagesimi tertii Academiam nostram Taurinum transferat, aut in alium commodiorem locum, vix mihi polliceri possum longiorem vitam, tantum mihi obest cruditas & vigiliæ. Hæc ergo optima ratione accidunt in tertianis: *aliarum verò febrium materia cum sit crassa, & frigida, non commouetur ante putredinem, & propterea noctes præcedentes accessionem leuiores sunt, aliæ verò grauiores, quoniam accessiones protenduntur in illas, nec materia huiusmodi liberè expirare potest.* Sententia ergo & lectio huius Aphorismi talis esse debet: *quibuscunq; fiunt febres, tertianæ naturam referentes, illis noctes, quæ præcedunt accessionem, grauiores esse solent, quæ verò subsequuntur, magna ex parte leuiores fiunt;* non enim semper, quoniam contingit, aliquos ex illis mori, & tunc accessiones magis grauant, quoniam naturam magis opprimunt. Huic igitur interpretationi consentit Gal. *eo loco*, & natura illarum febrium, experientia, & Aphorismi dictio minore violentia ad eas febres trahitur, quàm ad crisim.

Crises quorū morborum sint propriæ.

Febres tertianas & quæ earum naturam referunt, omnes interdiu inuadere.

Cur nox præcedens accessionē sit grauior altera, quæ sequitur.

Cur hoc solū fiat in febribus tertianis & nō etiam in quotidianis & quartanis.

Sententia Aphorismi.

APHOR. XIIII.

Ἐν τῇσι τῆς κοιλίας ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐπὶ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

In profluuiis aluis mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

Explanatio Gal. etiam in hoc Aphor. mihi non placet: nam per mutationes excrementorum, intelligit multiplices & varias illorum formas, & illas magis iuuare, quàm simplicis & vniformis materiæ excretionem, quoniam, inquit, corpus ita exquisitius purgatur: nam contra illum primum facit, quod Hippocr. *in Prædictionibus* versicolores & varias deiectiones diuturniores & exitiales esse dicat, quo loco ipse Gal. scribit, tales deiectiones multas indicare affectiones, quæ nō nisi longo tempore, & difficilè concoqui & vinci possunt. & interim sæpe natura succumbit; & id docet experientia in omnibus affectibus: præstat enim hominem simplici morbo laborare, quam composito, & vnum genus humoris in eo nocere, quàm varios, & vno genere symptomatum, quàm multiplici infestari. Addo, quod scribit Hippocr. *Aphor. 21. quarti libri. Deiectiones, siue cum febre, siue sine febre fuerint, si sponte fiant, tanto deteriores fore, quanto plures colores excernentur, cum medicamento verò hoc melius esse.* Quam sententiam Gal. ita confirmat, vt dicat deiectiones, quæ multos habent colores, spontè factas, multarum & malarum in corpore dispositionū esse signa; vbi vero tales deiectiones fiunt à medicamento habente vim trahendi varios humores, nihil esse absurdum. Accedit, quod Hippocr. per mutationes excrementorum non potest intelligere illam varietatem humorū, quæ simul deiicitur, dixisset enim, vt *in præcitato Aphor. si plures colores, aut si varia reddantur excrementa*: mutationis autem nomen, *successionem rei* significat, sic enim ipse ostendit, cum temporū mutationes & morbos, qui in illis fiūt, *in 3. lib.* docet. Verbum

Galeni opinio de hoc Aphorismo refutatur.

Mutationis nomen quid in hoc Aphorismo significet.

bum item, (*nisi ad mala mutatio fiat*) non potest accommodari variis speciebus excrementorum, sed spectat, an excrementa vltima sint prioribus deteriora. Præterea non semper potest iuuare excretio varia: nam si vnicum humoris genus nocet, illud solum expurgandum est, nec eget corpus euacuatione aliorum. Postremo, eadem est ratio de vitiosis malè olentibus excrementis: nam si illa in corpore sunt genita, vtique corpus ab illis est expurgandum, obest enim illorum retentio. Vult ergo, meo iudicio, Hippocrates docere, quod iuuat in profluuiis ipsius alui, id est, ostendit melius esse, *tunc enim intelligimus rem melius habere quando excrementa mutantur, id enim ostendit iam deficere eum humorem, & eam causam, quæ profluuium excitauit*: nam in omni affectu mutatio simpliciter laudatur, *quoniam non stabilem esse causam ostendit*; & id apparet in omni alui profluuio: nam in lienteria, in qua liquidus, & purus cibus excernebatur; iudicamus bonum esse, si iam excernatur solidior materia, & quæ stercoris naturam referat. Eodem modo in diarrhœa, si flaua bilis pura, & syncera profluuium excitauit, melius sperare incipimus, si pallida fiat deiectio, aut pituitosa: sic etiam in dysenteria, si pro puro sanguine, & ramentis intestinorum stercoris aliquid aut pituitosi humoris exit, hoc bonum esse iudicamus. Non igitur Hippocr. hic spectat expurgationem corporis, sed quid in ipso profluuio, alui ad eum sanandum sit bonum, tanquam signum; est autem bonum signum, si mutatio fiat excrementorũ, nisi ad deterius fiat mutatio: vt si à bile flaua fiat ad atram, aut si ab excremento solidiore fiat ad liquidius: aut si in dysenteria post ramenta intestinorum excernatur sanguis, & post hũc caro ipsorum intestinorum: & in lienteria si loco cibi crassioris, aquosius exit. Igitur cæteris paribus in profluuio alui præstat excrementa mutari, & posteriores excretiones differre à prioribus, quam similes fieri.

Mutatio in simplici omni affectu laudatur.

APHOR. XV.

Ὅκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, τὰς ἐκκρίσιας χρὴ σκέπτεσθαι, ἢν γὰρ χολώδεας ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει, ἢν δ᾽ ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet: nam si biliosæ fuerint, corpus vna ægrotat; si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire.

SVmpta occasione ex superiore aphorismo de alui excretionibus rursus agit, docetq; quomodo ex illis possimus cognoscere, an corpus laboret vel non; & an liceat illud nutrire, & omittit in vtraq; parte, vt Galen. notat, id quod manifestè consequitur; fit autem integra hoc modo sententia: *Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, inspicere excretiones oportet; si enim biliosæ fuerint, corpus vna ægrotat, & tutum non est ipsum nutrire: si verò similes sanis, corpus vna non ægrotat, & tutum est ipsum nutrire*: nam antea dixit Hippoc. *Aphor. 10.*

A *huius lib.* corpus, quod est impurum, potius vacuandum esse, quàm nutriendum. Fauces intelligimus propriè internam cauitatem oris cõmunem Oesophago & asperæ arteriæ: ægrotare autem intelligit Hippoc. nõ ex qualicunq; morbo: nam solæ intemperies non iudicantur ab excrementis, sed cum vna humores coniunguntur, præsertim calidi & biliosi. tubercula sunt φύματα, & hæc Gal. *lib. 6. Epid. Comm. 1. tex. 12.* dicit esse tumores præter naturam, qui omnino sine causa aliqua externa fiunt in partibus externis. aliquando φῦμα vocat, vt *in lib. 2. ad Glaucon.* solum inflammationes glandularum, quæ statim augentur, & suppurantur; hic autem in generaliore significatu capere oportet tuberculorum nomen;

Per fauces quid intelligendum.

Phymata quid.

B *Fiunt*, inquit Gal. *tubercula, quando natura vitiosos humores ad cutim extrudit, & fauces ægrotant, quando à capite decumbunt in eas humores*, quod si ita est, inutile videbitur præceptum Hippocratis: nam si à solo capite mittũtur humores, quomodo excrementa alui aliquid poterunt ostendere de humoribus, qui prohibent aut admittũt nutritionem? si præterea tumores nati in habitu corporis excitantur ex humoribus expulsis ab internis visceribus, continebantur vtique illi in venis & per illas extruduntur: quare non excrementa alui, sed vrinæ poterunt fortasse aliquid ostendere: nam Galeno teste *in lib. 4. de sanitate tuenda*, excrementa alui indicia præbent solum humorum, qui continentur in ventre inferiore;
C vrinæ autem indicia sunt humorum, qui continentur in venis, & sudor eorum, quæ sunt in habitu corporis: quanquam tamen in febribus biliosis videmus excrementa alui clariora reddi, videmus etiam in phrenitide excrementa ferri à capite, & non mutari excretiones alui, nec tutum tamen esse corpus nutrire. Addo, quod præsentibus tuberculis in habitu corporis, libera fieri non debeat nutritio, etiamsi venæ sunt expurgatæ à malis humoribus: nam vbi dolores sunt in corpore, aut morbus aliquis, curationi potissimum studendum; hanc verò impedit nutritio; an, quæso, hominem, qui laborat tumore faucium, vt angina, nutriemus vt sanos, si excrementa alui, vt sæpe contingit, similia fuerint
D excrementis sanorum? fortè Hippocrates in aliqua pestilenti constitutione vidit id contingere, quod hic scribit, at ex eo, quod semel visum est, fieri non debet præceptum vniuersale; quare parui momenti puto esse hunc Aphorismum.

Excrementa alui quorum humorum præbeant indicia, quorũ vrina & quorum sudores.

Hunc aphorismum parui esse momenti.

APHOR. XVI.

Ὅκου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.

Vbi fames, laborandum non est.

MOntanus frustra conatur hunc Aphor. connectere cum priore, quare in hoc laborandũ non est, sed qualis sit Aphorismi sententia, docendum;
E famem aliqui intelligunt appetentiam cibi, laborandum enim non esse, cum quis cibũ appetit, sed cum quis nondum appetit; sed id malè intelligunt; nam qui pituita acida contenta in ventriculo abundant, plurimum appetunt, cibus tamen illis nõ debetur, sed potius vacuatio

Aphor. 21. & calefactio, vt Galenus *in eo Aphorismo* ostendit, in quo scribit, *famem thorexis, id est, vini potio, soluit.* & ægroti, qui non appetunt, non egent labore, sed sæpius cibo, vt vires restaurentur, etiam si cibum non appetant. Quare melius est, si intelligamus per famem *alimenti inopiam*, ita enim vsurpare solet Hippocr. vt Galenus *in Comment.* ostendit: vt talis sit sensus: *qui alimento interno externoq; carent, laborare non debent*: nam pituitosis, etiamsi ad tempus illis nõ detur alimentum, prodest labor, quoniam ex crudioribus humoribus paratur alimentum corpori.

Quid hic per famem intelligatur.

Quid per laborem.

Cæterum per laborem intelligit Galenus vehemẽtem motum & exercitationem, quod mihi non placet: nam etsi exercitatio plus illis nocet, quàm aliæ leuiores motiones, omnes tamen fugiendæ sunt, quoniam omnes calefaciũt, siccant, & corpus euacuant, siue corporis, siue animi fuerint motus.

An Aphorismus pertineat ad sanos & ægros.

Iam illud explicandum est, an communis sit sermo de ægris & sanis, quemadmodum Galenus putat: Ait enim, sanis non esse præcipienda exercitia simul cum inedia: nec etiam ægris aliquem vehementem motum adhibendum esse cum cibi abstinentia: & non solum id de labore intelligit, sed etiam de sanguinis detractione, purgatione, balneis, & denique de omni alia vacuatione, quod quomodo verum esse potest? quandoquidem ille vsque ad quartam diem in morbis acutis cibi abstinentiam imperet, & nihilominus venæ sectionem adhibeat, aut etiam purgationẽ pro natura morbi; quare putarem, solum pertinere ad sanos, vt satis Aphorismus docet, neque enim laborare possunt, id est, vehementer se exercere, qui morbo tenentur, in sanis enim corporis conseruationem nobis proponimus, nec duobus excessibus, cibi scilicet defectu, & exercitatione tueri possumus: in morbis verò, tanta aliquando est morbosæ causæ vis, vt vno remedio etiam magno tolli non possit, sed duobus aut pluribus etiam certandũ sit; quare, & venæ sectionem adhibemus ab initio, & postea etiam inediam imperamus, & purgationem, & denique omnia alia remedia, si corpus ferre possit.

Potest tamen corpus fame ita debilitatum esse, vt nihil aliorũ efficere possimus. Sed Hippocr. non de extrema fame, sed de fame duntaxat agit, dicitq; non esse laborandum, vbi fames est, aut futura est, perinde enim est, si præsente fame laboremus aut antequam fames adsit; vbi verò fames est, sed non vehemens, si morbus postulet, talia remedia adhibere possumus. Atque hæc satis de hoc Aphor.

Aphor. XVII.

Ὅκου ἂν τροφὴ πλεῖον παρὰ φύσιν εἰσέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ ἡ ἴησις.

Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit: ostendit autem id sanatio.

VT rectè admonet Galenus, hic Aphorismus particulariter docet, q̃d vniuersaliter est comprehensum in superiore eo Aphorismo, scil. *quarto* A *huius lib.* quo dicebat Hippocrates; *non satietas, non fames, neq; aliud quidquam quod modũ naturæ excedit, bonum.* Verum, mihi videtur etiam ab eo differre, quod in illo omnem excessum supra mediocritatem damnet, hic verò eum solum, qui præter naturam est, vt verba ostendunt, *præter naturam & morbum facere*: nam quæ naturæ modum solum excedunt, necessario morbum non faciunt; est enim magna latitudo, vt Galenus ostendit *in libro de differentiis morborum, & in primo de sanitate tuenda*, inter sanitatem & morbum. Vt a. Aphorismi huius sententia intelligatur, verba, quæ in eo continentur, sunt explicanda. Igitur sunt qui cibum præter naturam plus ingestum intelligant, qui B vel qualitate inimica corpori, vel substantia, vel quantitate, vel ordine, vel tempore non opportuno est assumptus; his enim modis cibũ morbum facere solere. Quam interpretationẽ verbum *plus* refellit: nam etsi alimentum nocet ob omnia prædicta, tamen institutum non est authoris, vitia illa prosequi, sed ea solum, quæ ex quantitate proueniunt; alii veò intellexerunt cibum præter naturam plus esse ingestum, qui valde & exuperanter est assumptus, quos refellit Galenus, eo quod subintelligat hic excessus cum de morborum generatione agimus, ille autem probat eam interpretationem, quòd intelligat Hippocrates cibi plus esse assumptũ, quàm concoctrix facultas conficere rectè possit. Verum ea interpretatio non consentit authoris C dictioni: nam verbum *plus*, præter naturam, insignem excessum ostendit, qui supprimendus nõ est, cum agimus de generatione morborũ: nam si facultas cõcoctrix leuiter grauetur ab alimenti copia, nõ propterea fient morbi, natura enim hos leues excessus moderari & vincere solet. Deinde, cum dicit, opus esse sanatione & curatione, indicat factum fuisse in corpore magnũ excessum: nam curatio debetur his solum affectibus, qui præter naturã habent, & ægrotant, non illis, qui ex leuioribus cruditatibus quomodocunq; à propria sanitate sunt commoti; quare *plus* intelligendum est, nõ plus consueto, vt Galenus sentit, sed *quod valde excedit, vt præter naturam sit excessus*, intelligendo præter naturam, D quod morbum & Symptomata parere potest; quæ quidem distinctam genere tractationem postulant à conseruatione & præseruatione. Quod verò dicit Galenus verbum, *plus. præter naturam*, referendum non esse ad capacitatem siue ad vasa, sed solum ad vires, eo quod necesse non sit morbum sequi, si venter extendatur ex cibi repletione, modo virtus concoctrix subsit valida, non recipio: nam vt omnis repletio ad vires morbum non facit, sed ea solum, quæ præter naturam est, sic repletio ad vasa, si præter naturam fuerit, morbum quoque faciet in vasis, illa enim diuidet & lacerabit, atque ita continuum soluet, vt apparet in hydrope, E in quo affectu venter discinditur ex repletione præter naturam; id quod etiam apparet fieri in mulieribus vterum gerentibus, illis enim omnibus circa vltimos menses ob crassitiem fœtus, ita vterus distenditur, vt externa cutis ob nimiam tensionem discindatur, & quodammodo varicosa reddatur, id quod etiam patiuntur mammæ turgidiores factæ; quod si in

Quid per cibum præter naturam ingestum intelligatur.

Quid per vocabulũ plus.

A si in affectibus naturalibus id contingit, cur idem non fiet etiam in voluntariis, vt in cibi & potus repletione, quam quilibet augere potest, quantum vult? vt ostendunt crapulæ & ebrietati dediti, qui nulla vrgente necessitate, nulla inuitante appetentia, bibendi tamen nullum finem faciunt: Sed videndum est, an ventriculus tantum repleri possit, vt rumpatur? nullum quidem habeo in hac re exemplum, sed rationem afferre possum in hac re naturalem, sumptam *ex tertio libro de Naturalibus facultatibus*, scribit enim illic, edendi finem esse repletionem, repleri autem potest pars quælibet quantum distendi potest, distensionis autem finis est corruptio & laceratio partis; quare B ventriculus tantum repleri potest, donec sequatur illius ruptio, quod si hoc raro fieri videtur, ideo forte fit, quod cibi repugnante appetentia tantum assumere nemo possit, quantum ad extremam tensionem est necessarium: potius vero, qui assumitur, vt assumitur, vincitur, & descendit à ventriculo, atque per vrinam excernitur, itaque cum id, quod prius est assumptum, cedat alteri, nulla præter naturam repletio & tensio in ventriculo fieri potest; quod si stabilis esset causa, quæ continuo augeri possit, qualis est in vtero ex fœtu, qui continuo augetur, nec ille quidem solutionem continui fugere posset. Sed cur venæ rumpuntur ex repletione, ventriculus vero rumpi non potest? an quod illarum minor C est concauitas, ventriculi vero omnium, quæ sunt in corpore maxima: an vero etiam id fit, quod materia quæ in venis continetur, multum spiritus & vaporis emittit, quæ vero in ventriculo recipitur, eo quod crudior adhuc sit nequit hoc facere: ex spiritu autem potius, quam ex humore contingit ruptura venarum.

Venter an tantum repleri possit, vt rumpatur.

Distensionis finis.

Venæ cur rumpantur ex repletione, ventriculus vero non ita.

Δηλοῖ δὲ ϗ ἡ ἴησις.

Ostendit autem sanatio.

Recte admonet Galenus, non solum sanationem & curationem ostendere morbum D factum ex cibo præter naturam ingesto, sed etiam propria inditia morborum, qui ex plenitudine ea nascuntur; verum sanatio ostendit tanquam remedium, non docet autem, qualis sit sanatio, sed eam tanquam notam supponit faciendam esse per euacuationem: nam si repletio adhuc adest & ea est præter naturam, nulla est alia via ad sanitatem, quam per euacuationem: quoniam contraria solum sunt contrariorum remedia, quod si leuior est repletio, quæ solam cruditatem pariat, absque euacuatione concoctio ei mederi potest. Quæ autem Galenus de euacuationis, purgationis, plenitudinis & corruptionis nomine admonet *in Commentario*, sunt diligenter notanda, nam hæc principia sunt aliarum tractationum.

APHOR. XVIII.

Τῶν τρεφόντων ἀθρόως ϗ ταχέως, ταχεῖαι ϗ διαχωρήσιες γίνονται.

Eorum, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque fient excretiones.

CVM dixisset Hippocrates *Aphoris. 11. huius libri secundi* facilius esse impleri potu, quam cibo, ciborum vero & potionum differentia sit, quoniam quædam cito, alia tarde, alia confertim, alia paulatim nutriunt: Docet nunc, quonammodo hæc, cum iam in corpus sunt assumpta, distinguere possimus: & hoc dicit fieri per excretiones: nam eæ velociter & confertim nutriunt, quorum veloces fiunt excretiones, tarde vero & paulatim nutrire intelliguntur, quorũ excretiones tarde fiũt; & oportet excretiones intelligere, vacuationes, quæ fiunt extra corpus, non autem deductiones & distributiones alimenti, vt Montanus intelligit: nam distributiones præcedunt nutritiones, & excrementa sequuntur nutritionem, & ex ipsis excrementis, quæ exeunt à corpore, non autem ex distributione, quæ est occulta, possumus inditia sumere de diuersitate nutritionis. Huius autem rei interpretatio ex hoc pendet, vt intelligamus, quid sit vniuersim nutrire, & velociter, quid paulatim, quid tarde. Postea explicandum erit, cur Hippocrates de nutrimento ipso duas conditiones dixerit, vniuersim, & velociter nutrire, de excretionibus velociter solum, cum dicit veloces fieri excretiones: non autem vniuersim & velociter.

Quid per excretiones intelligendum.

Sunt ergo, qui dicant, illud vniuersim, quod Græci ἀθρόως dicunt, (nos melius, quam interpres *confertim*) nutrire, quod secundum maiorem sui partem corpori nutrimentum fit: quod falsum est: etenim, vinum confertim nutrire dicitur, quod tamen parum nutrit, cum totum propemodum in excrementum aquosum abeat: fierique non potest, vt aliquid sit, quod copiose & velociter nutriat: quod enim copiose nutrit, difficile alteratur, difficile digeritur, & partib. singulis assimilatur. vt Gal. *septimo Methodi* de carne suilla scribit, vnde errauerunt, qui veterẽ interpretationem secuti copiose & velociter intellexerunt, quod confertim & velociter intelligendum est. Alii sunt, qui confertim nutrire illud dicunt, quod breui tempore postquam nutrire cæperit, plurimum alimentum corpori præbet: qui hac in re errant, quod (*plurimum*) addant: quandoquidem vt antea ostendimus, inter ea etiam, quæ parum nutriunt, multa reperiuntur, quæ confertim nutriunt. Melius hæc definit Galenus, *ea*, inquam, *confertim nutrire, quæ posteaquam nutrire cæperint, cito breuique tempore* E *assimilantur, quantum s. substantiæ habent, quæ assimilari potest, celeriter autem nutrit, quod statim simulatque assumptum est alere incipit*: ex his opposita intelliguntur. *Tarde ergo nutrire dicetur, quod posteaquam assumptum est, longo tempore eget, vt incipiat nutrire: paulatim vero & sensim nutrit, quod posteaquã nutrire cæpit, longo tẽpore eget, vt quicquid in eo est vtile, totum illud transeat in nutrimentum*

Vniuersim aut confertim nutrire quid sit.

Celeriter nutriens quid. Quid item tarde.

Et paulatim ac sensim.

tum ita vt celeris nutritio spectet tempus assumptionis vsque ad principium nutritionis: conferta vero nutritio comprehendat principium & finem nutritionis. Nunc vero videndum est, an hæc semper sint coniuncta celeris, inquam, & conferta: tarda & vt ita dicam, paulatina nutritio, quæ quidē intelligi non possunt, nisi prius perspectum sit, quæ sit ratio & caussa celeris & confertim factæ nutritionis.

Caussa celeris & confertim factæ nutritionis.

Igitur, quod cito aliquid nutriat, id duabus de causis fieri videtur, ratione, inquam, causæ agentis, materialis & causæ sine qua non: nam pueri cito nutriuntur, quia assumptum nutrimentum ob validam concoctionem, & plurimum calidum innatum, cito mutare possunt, cito enim concoquunt & distribuunt alimentum, ad quam distributionem vasa etiam molliora & potentiora conferunt, tanquam causæ sine qua non: senes vero ob contrarias causas ex assumpto alimento, tardam sentiunt nutritionem: ex diuersitate autem materiæ velocior aut tardior fieri incipit nutritio: celeriter enim nutrit, quod concoqui celeriter potest: id autem patitur, quod est maxime familiare, & propterea auidissime appetitur, & simul tenue est, moderate calidum, & humidum: nam cum ipsa concoctio alteratio quædam sit, & assimilatio, quæ à nostro fit calore, facilius vtique concoquetur, quod potentia est similius substantiæ nostræ, & natiuo calido: tale autem est, quod calidum est & humidum, & quod impressiones facile recipere potest, id quod tenui substantiæ accidit. Itaque si vniforme sit nutrimentum, velox & conferta simul fiet nutritio: nam illud & cito alere, & posteaquam nutrire cœperit, facile totum simul partibus corporis agglutinabitur, & adiungetur, restituetque, quod est deperditum: At si difformis sit substantia nutrimenti, ita vt pars quædam in ea sit tenuis, alia vero crassa, celeris quidem fiet nutritio, id est, cito illud nutrire incipiet, quia tenuis pars cito alteratur, & assimilari incipit: verum conferta non fit nutritio, quia pars post partem assimilatur, crassa, inquam, post tenuem: neque enim simul quod tenue est & crassum, possunt adiungi corpori: hæc distincta apparere possunt in nutritione, quam præbent brassica, & lentes, quæ diuersis substantiis constant. Nunc sequitur explicandum, cur excretiones celeres sequantur nutritiones celeres, & confertas, & tardæ excretiones sequantur tardas, & paulatim factas nutritiones: primum tamen quid per excretiones intelligat docendum est, etsi obiter id attigimus, cum Montani opinionem excuteremus, sunt enim, qui intelligi velint dissolutionem & dissipationem, ita vt talis sit sententia: *Quæ celeriter & confertim alunt, celeriter quoque dissoluuntur*: quæ sententia etsi vera est, (nam quæ celeriter alunt, vt facile alterātur, ita & facile dissoluuntur) tamē Hippocrates non de ipsis nutrimentis, sed de illorum excrementis agit, dicitque, *excrementa, quæ post nutritionem relinquuntur celerem & confertam, celeriter excerni*: id, quod in triplici coctione & nutritione, quæ in corpore fit, verum est: tum ea scilicet, quæ in ventriculo, tum ea, quæ in hepate & venis, & alia denique, quæ in singulis partibus corporis obitur: si enim velox & conferta fiat concoctio, & nutritio in ventriculo, alui excrementa, & vrina cito excernentur: ita, si ea, quæ fit in hepate, bilis flaua & humor melancholicus: quemadmodum si ea, quæ in singulis partibus, sordes & vapor, quæ à corporibus emanant, quod etsi Galenus contendit ex vocabuli significatione de excrementis alui rem intelligendam: tamen quia communis est in omnibus ratio, vt Aphorismus vniuersalis fiat, de omnibus à nobis intelligetur.

Quid per excretiones intelligendum.

Cur excretiones celeres sequantur nutritiones celeres & confertas & tardæ tardas.

Quod autem celeres, & confertim factas nutritiones, celeres sequantur excretiones, ratio est, quod partes, quę nutriuntur, posteaquam saturatæ fuunt, & repletæ, reliquum habent tanquam inutile & excrementum, quod naturam grauans & molestans, eam ad excretionem cito stimulat: si ergo cito & confertim fiat nutritio, cito excremētū resultabit à nutritione, vnde & cito natura ad expulsionem excitabitur, & cito excretiones fient.

Cur Hippocrates dixerit celeres excretiones sequi celeres & confertim factas nutritiones, non autem celeres & confertim factas vacuationes.

Iam superest explicandum, cur Hippocrates dixerit celeres excretiones sequi celeres & confertas nutritiones, non autem celeres & confertim factas vacuationes: videtur enim rationi consonum vt velox excretio, velocem nutritonem, conferta confertam, velox & conferta, velocem & confertam sequatur. Verum non ita est: nam velox excretio dicitur esse, quæ statim post nutritionem incipit, conferta vero, quæ posteaquam incœperit, cito absoluitur, citam autem fieri necesse est, quoniam moræ nulla potest esse caussa, cum facultas adsit, quæ expellere possit, & excrementum, quod facultatem stimulare possit ad excretionem: vbi autem & agens, & patiens simul sunt, nihil est, quod actionem naturalem impedire queat: confertim tamen vacuationem fieri necesse non est: nam, cum natura non agat nisi stimuletur: & agat, vt stimulatur, nisi vehementer stimuletur, postequam stimulari cœperit, vsque ad finem, vehementer semper agere non poterit, vnde languescet illius motus, ita, vt confertim fieri non possit: Quoniam ergo excrementum, quod post concoctionem relinquitur, vbi excerni cæperit, minus continuo relinquitur in parte, ita, vt natura vehementer agere semper non cogatur, non necessarium est confertim fieri excretiones, quanquam magis confertim fient in excretionibus, quæ & velocius fiunt, quales sunt tenuiorum excrementorum excretiones: ita enim parent motibus naturæ huiusmodi excrementa, vt vno impetu impulsa, tota simul, quod confertim est, excerni possint: verum, quod dictum est de veloci excretione, in pari materiæ differentia sūpta, de ea duntaxat, quæ ex diuersitate nutritionis sumitur, intelligendum, & non mordens, mordenti materiæ non cōparanda: ita, & in pari corpore res intelligenda: à saturo enim corpore tardiores necessario fient excretiones, vt in corpore astrictam aluum habente, vel obtuso sensu prædito, vel quod plurimum per alias euacuationes dissoluitur: sic nutriuntur citius calidiora, rariora, ad distributionem aptiora, contra in vacuo. Ab excretionibus ergo citis, & tardis agnoscimus quæ nam alimenta cito, & confertim, vel tardo & paulatim nutriant: licet tamen id, vt inquit Galenus, ex viribus corporis roboratis vitali, & animali intelligere: Quibus enim

cito

cito post cibum roborantur, signum est cibos illos cito nutrire: contra vero in aliis: robur enim partibus corporis accidit ex nutrimento.

A P H O R. XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης.

Acutorum morborum non omnino certæ sunt prædictiones salutis aut mortis.

Vt maior pars Aphor. huius secundi libri, ita hic ad prædictionem rerum futurarum pertinet, docet enim prædicere salutem & mortem in morbis acutis, & vt satis patet, non nisi violenter coniungi potest cum præcedentibus. Quid sit morbus acutus, obiter admonet Galenus, & nos de ea re diligentius egimus *in libro nostro De Morbis.* Nunc satis sit eos potissimum acutos intelligi, *qui vehementes sunt, & cito terminantur*: id quod accidit vel ob caliditatem humorum, qui in venis corporis continentur, contra quos natura cito, & cum vehementia pugnare cogitur: vel ob partium præstantiam, & certam quandam conditionem & conformationem. Huiusmodi sunt cerebrum, nerui, cor: humores enim, qui occupant eas partes, si magnus est illorum excessus, vel naturam violenter opprimunt, aut ab ea eodem modo vincuntur & extruduntur: vnde acuta contingit mutatio vel ad salutem vel ad mortem. Illud potius diligentius expendamus, quod scribit Hippocrates, ait enim ille, *prædictiones, quæ salutem aut mortem præsagiunt in morbis acutis, non esse omnino certas.* Quam sententiam ita interpretatur Galenus, vt velit, Hippocratem dicere velle, *quod in omnibus morbis acutis non possimus prædicere certo salutem aut mortem*: aliquando enim falli nostram præcognitionem, & verbum *non omnino*, explicat *non in omnibus*, excipi enim aliquos: in morbis vero longis omnibus contrarium fieri, certam enim esse in illis præcognitionem, authore Hippocrate, & hanc reddit rationem, quod in acutis morbis fiunt subitæ mutationes in Crisi, & quia nonnunquam humor noxius ex vno loco transfertur in alium. Cuius quidem interpretatio mihi non placet: nam verbum, *non omnino*, non significat *non in omnibus*, sed diminutionis est nota, de eo, quod dicitur: minuit enim perfectionem aut malitiam, non numerum: nam vt sequar illius interpretationem οὐ πάμπαν, idem est, quod οὐ παντελῶς, quod significat, vt omnes Græci periti norunt, *non omnino, non plane, non autem non omnes.* Ac vt in exemplo suo maneamus, si quis dicat, non omnes homines mali, non idem dicet, vt ille, qui pronunciat, non omnino homines esse malos: nam hic significare vult malitiam, quæ est in hominibus, non esse perfectam; ille vero quod inter homines reperiantur, qui non sunt mali. Præterea, rationes Gal. paucos excipiunt acutos morbos, in quibus prædictio incerta fit, vt paucos excipit homines à bonis, eo authore, qui dicit, non omnino homines esse malos, atqui oporteret nullos excipere, sed dicere in omnibus morbis acutis prædictiones salutis aut mortis esse incertas: nam si omnes terminãtur per Crisim, aut humor noxius ex vno loco in alium transfertur, aut subita fit mutatio in melius, aut deterius, propter naturam humorum morbos facientium, incerta vtique reddetur in omnibus prædicendi ratio. Præterea, ex Crisibus iudicare incertam prædictionem, absurdum videtur: nam si Crisis indicata est ad salutem in diebus contemplatoriis, cum signis concoctionis, prædicere tuto potest Medicus salutem, & id ipse Galenus & Hippocrates docent, & Medicum terreri non debere ex accidentibus, quæ periculum minari videntur. Et quid, quæso, Medicus plus sciet, quã idiota, si prædicere non audebit salutem aut mortem in morbis, qui per Crisim terminantur? nam vt in declinatione morbi dicit, neminem mori posse, quia impossibile est fieri malas expulsiones, si præcesserunt optimæ concoctiones: ita profecto in bonis Crisibus victo & concocto humore, natura dirigit excrementa per locos idoneos, nec verenda est expulsio, & translatio, quæ fit ab vna parte in aliam: an, quæso, non eædem sunt difficultates in morbis longis: quis enim in Atra bile, Mania, Hemicrania, Vertigine, Paralysi, Epilepsia, Tussi, & longis affectibus Pulmonis, in Scirrho Hepatis & Lienis, in affectibus Vteri, in Coxendice, in Gallico morbo, & in multis aliis diuturnis morbis, non inueniet fallaciorem esse prædicendi rationem, quam in acutis? nam si translatio humorum eam artem reddit incertam, nihil tutius est in vno genere morborum, quam in alio: quoties enim experientia ipsa & Hippocrates ipse partim *in sequentibus Aphorismis*, partim *in aliis Operib.* docent, degenerationem vnius morbi in alium in longioribus malis, quod in acutis paucis fieri contingit: veluti, cum ex Angina fit Pleuritis, & ex hac Peripneumonia. Sunt præterea peculiares aliæ rationes, quæ prædictionem incertiorem reddunt in longis affectibus: nam *in lib. 2. de Natura humana* scribit, Medicum certo prædicere non posse salutem aut mortem in morbis, qui paulatim gignuntur, quales sunt longi morbi, qui paulatim in nobis succrescunt. Idem dicit fieri in his, qui à causis procatarcticis & euidentibus non excitantur, quoniam magnitudinem causarum in illis ignorari necesse est: at huius generis sunt longi & non acuti morbi. Addo, quod acuti raro fiunt affectis præcipuis partibus: longi vero vix aliter fieri possunt. Quare in locis internis & occultis illi consistunt: putamus sæpe vrinæ difficultate obstructionem esse in renibus ex crassis humoribus, & salutem pollicemur, quod credamus, caussam subesse, quæ facile dissolui possit, & interim moritur homo, quo dissecto, comperimus abscessum ingentem eam partem iamdudum occupasse, ita affecto vtero ex longis & diuturnis molestiis, facile est vnum pro alio affectum imaginari, sed experientia nostra somnia illudit. Postremo si prædicendi vera ratio sumitur ex robore facultatum nostri corporis, & causarum morbi inter se pugnantium, necesseque est hominem liberari, quando præualet vis facultatum, mors autem contingit, quando illæ succumbunt morbosis affectibus, non minus profecto difficile est indica-

Morbi acuti qui.

Interpretatio Galeni reiicitur.

Quid per non omnino intelligendum.

Prædictiones in morbis longis incertiores redduntur quã.

te in morbis lógis, quã in acutis æqualitatẽ & inæqualitatẽ pugnæ, ex qua vel dubia nascitur cognitio, & prędictio, aut certa ad salutẽ vel ad mortẽ. Quare non mihi videtur Hippocr. id velle, quod Galenus *in hoc Commentario* tradit, sed potius ostendere *prædictiones, quæ traduntur de morbis acutis, non esse prorsus certas, & nullam esse, quæ aliquando non fefellerit Medicum*: nam si omnia signa, quæ tradit Hippocrates *in libris Prædictionum*, vt Galenus admonet, continent solum præsagia morborum acutorum, & eorum, qui ab acutis sunt profecti, nescio, an aliqua reperiri possint, quæ semper certum, & firmum aliquid futurum ostenderint de salute aut morte, de his quidem loquor signis, quæ non indicant instantem & proximam mortem: nam hoc non est prædicere, sed de illis, q̃ vel in principio, vel in incremẽto morbi apparent, & pollicentur Medicis salutem, aut mortem præsagiunt: nam si inditia, quæ sumuntur ab vrinis, vel sputis, vel egestionibus, quibus Hippocrates maxime fidere videtur, excutiamus, inueniemus profecto nihil esse in illis tam salutare aut mortale, quod sæpe non fefellerit. Hanc interpretationem euidenter confirmat dictio Hippocratis, cum dicit, *prædictiones morborum acutorum non esse omnino*, id est, *non prorsus certas*; & cum liber hic Gal. teste contineat vniuersaliter, quæ particulatim in libris Prædictionum est complexus, non abs re admonere hic voluit, quid sentiendum hic sit de prædictionibus, quæ illic traduntur.

APHOR. XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ὑγραὶ εἰσὶ, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξηραίνονται. ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραὶ εἰσὶ, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γενομένοισιν ὑγραίνονται.

Quibus iuuenibus aluus adhuc humida est, iis senescentibus exsiccatur: quibus vero iuuenibus adhuc aluus sicca est, iis senescentibus humectatur.

Hic Aphorismus difficilis semper est habitus, quia difficile est intelligere, quid Hippocr. proponat, id est, quis sit ipsius scopus. Præterea, non est facile rationem reddere eorum, quæ author scribit. Postremo dubium est, an experientia ostendat, veram esse huius Aphorismi sententiam.

Scopus huius aphorismi quis. Porro in scopo dissensio est inter interpretes: nam quidam volunt Hippocratem velle ostendere, eos, qui habent aluum humidam in iuuentute, eam in melius mutare in senectute, nempe in siccam: contrarium vero illis accidere, qui aluum siccam habent in iuuentute, ii enim in deterius mutationem faciunt: nam aluum humidam dicunt fieri à deterioribus causis, nempe à bilis copia, vel à maiore generatione chyli in ventriculo, quam possit hepar attrahere, vel ob imbecillitatem ventriculi. Quæ opinio reiicienda est, neque enim Hippocrates tradit, quid melius sit aut deterius, sed solum mutationem fieri docet. Præterea non loquitur

A Hippocrates de humida aluo, in qua Chylus excernitur, quæ affectio maxime morbosa est, sed solum de salubri mutatione, quæ fit cum mutatione ætatum. Deinde, falsum est, causas humidioris alui deteriores esse illis, quæ siccam aluum reddunt. Alii contrariam huic afferunt sententiam: aiunt enim, humidam esse meliorem sicca, & non esse legendum, *commutant*, sed *degunt*: ita, vt sit sensus, eos, qui aluo sunt humidiore, melius degere iis, qui eam habent siccam. Quæ opinio etsi vera sit de his, qui plurimum edunt, & bibunt, tamen non est ad mentem authoris, qui non docet, quænam aluus melior, aut deterior sit, sed solum mutationem, quæ contingit in aluo ob mutationem ætatis: quod & Galenus *in Comment.*

B euidenter ostendit. Alii vero sunt, qui putant Hippocr. hic agere de excrementis alui humidioribus, & siccioribus: ita, vt talis sit sensus, eos, qui in iuuentute excrementa alui emittunt humidiora, eadem reddere sicciora, cum ad senectutem peruenerint, & econtra. Verum nec id quidem docere vult Hippocr. non enim qualia reddantur excrementa, sed an libera, an adstricta sit aluus, explicat: nam etsi plerumque accidit, vt qui facile, & sæpe deiiciunt alui excrementa, eadem reddant humidiora, tamen hæc inter se aliquãdo separantur: sunt enim, qui liberam aluum habent, pauca tamen & solidiora emittunt excrementa. Docere ergo vult Hippocr. *mutationem, quæ contingit ratione ætatis in excretione excre-*

C *mentorum alui, quinam scilicet liberam aluum vel adstrictam obtineant in iuuentute, & quid illis contingat postea in senectute*: atque ita hic Aphorismus pertinet ad prædicendi artem, quippe, cum doceat futuras mutationes, quæ contingunt in reddendis excrementis alui. Porro Galenus intelligit iuuenes, vere iuuenes: verum nihil impedit, quo minus priores ætates etiam intelligamus iuuentutis nomine. Vult præterea Galenus Aphorismum hunc non semper verum esse, non enim semper mutari aluum siccam in humidam, sed perseuerare siccam per omnes ætates. Sed hæc intelligi non possunt, nisi prius perspectis causis, quæ aluum humidam, aut siccam reddunt, de qua re Gal. *in hoc comment.* &

D *passim alibi* scribit, non Methodo quidem, sed Empiricorum more, dum particulares quasque causas enumerat: nam *Aphor. 5. 3. libri*, aluum dicit reddi siccam ad Aquiloniam constitutionem, quæ vniuersum corpus exsiccet, & humiditates ex cibis ad se trahat. At 83. *Aphor. 4.* aluum siccam reddi scribit, cum humor, qui per ventrem ferri debet, per vrinæ vias ducitur. *tex. vero 22. primi Acutor.* aluum siccam reddi ob iecinoris, vel mesarei, vel ventris, vel ieiuni, vel aliorum intestinorum, vel lienis morbum siccum. *tex.* autem 17. 4. *eiusdem* ob phlegmonem hepatis aluum siccari scribit: *tex. 1. 3. Comment. 6. Epidem.* & *vltimo de Caus. Symptomat.* siccam reddi aluum scribit his, qui multum per cutim digeruntur. *tex.* vero 27. *quinti Comment. 6. Epidem.* aluum astringi ob refrigerationem externam

E musculi ani scribit, constringitur enim, inquit musculus, & sursum versus contenta propellit, diutiusque ob id in ventre contenta sicciora redduntur, digesto per corpus illorum humore; à cibis astringentibus, & siccantibus aluum item siccari certissimum est. In hoc *Aluum siccam reddentia quæ sint* [illegible]

vero

vero Comment. alui siccioris causas dicit esse, vel quod minus comedamus, quam iecoris potentiæ conueniat: vel quia vis expultrix debilior, retentiua vero fortior: vel quia parum bilis ad aluum confluit. Aluum autem humidam fieri scribit 17. *Aphor.* 3. ob constitutionem Austrinam; alio loco ob cerebri superfluitates ad aluum defluentes, aluum humectari dicit. 27. *Aphor.* 4. ob calorem debilitatum, aluum humidam fieri scribit, quoniam nec bene concoquatur cibus, nec in sanguinem transmutetur, nec distribuatur per corpus. 17. *textu* 4. *Acutorum* liquidam aluum etiam ob phlegmonem hepatis cum imbecillitate coniunctam fieri scribit, vt ob phlegmonem solam siccam. 4 *quarti Acutorum* ob febrem colliquantem, vel ventriculi phlegmonem fieri dicit. Partium internarum refrigerationem aluum humectare scribit 27. *tex.* 5. *Comm.* 6. *Epidem.* ob humidiores cibos humectari aluum clarius est, quam dici debeat. *Sexto* vero *de Symptom. caus.* ob defectum digestionis per corpus vel ob excrementa, quæ à supernis partibus ad ventrem confluunt, plura, humidioraque reddi scribit, duasque has causas solum facit. *In hoc* vero *Comm.* vel quod plus comedamus, quam hepar egeat, vel quia vis expulsiua validior fit, quam retentiua, vel ob bilis multitudinem, quæ ad aluum delata expultricem irritet, aluum humidam fieri scribit. Iam ex natura rei Methodus inuenienda, in quam particulares omnes hæ causæ rediguntur, à ficciore aluo exorsi.

Aluum humidam secundum eundem.

Aluus siccior unde secundum auctorem.

Dicimus sicciorem aluum, & excrementa ventris reddi, eo quod parciorem humorem habeant, quam opus sit. Parciorem autem habent, vel quod paucior assumatur, vel quod satis quidem assumatur, assumptus tamen absumatur, atque in has duas causas reiicere oportet omnes alias: constat enim sicciorem aluum reddi, si sicciora, vel parciora, assumantur, estq; simplex hæc causa: postea vero quam assumptus fuerit humor, non vno modo absumitur, alia enim absumunt, eo, quod ebibant, quod faciunt siccantia, & acerba alimenta in corpus assumpta, alia quod digerant, vt febris, & calor intestinorum: alia vero, quod alio humorem transferát, & hæc duplicia sunt, alia enim familiarem translationem faciunt, alia vero ipsum humorem attrahunt: & hæc rursus duplicia sunt: alia enim primo immediateque trahunt, alia vero immediatá causam excitant. Porro, musculi ani externa refrigeratio siccioris alui causa dicitur, eo quod musculus ex refrigeratione constrictus, diutius excrementa in aluo retineat, ex qua retentione fit, vt hepar magis ad se attrahere possit humorem, qui cum excrementis commixtus esse deberet, vt moderata forent. Ad hoc genus causæ pertinet, quod dicit, aluum exsiccari ob parciorem bilem ad intestina delatam, parcior enim bilis facultatem expultricem non satis stimulat. Itaque fit, vt diutius in ventre moretur excrementum, & ob diuturniorem moram immodice humor alio translatus absumatur. Item, ad id pertinet, quod dicit retentiuam fortiorem, & expultricem debiliorem, ventrem exsiccare, hæc enim longioris retentionis causæ sunt: longior autem retentio maioris distributionis, hæc autem alui exsiccationis, immediata causa est: transfertur autem alio humor plus quam oportet, ob hepatis affectum, qui violentius attrahendi nutrimentum vim habeat. Affectus autem alii in hepate naturales sunt, alii præter naturam: naturalis quidem affectus magnitudo hepatis: nam vt Gal. *in libro de Placitis Hippocr. & Plat.* scribit, magnum hepar copioso cibo eget: ita ergo fit, vt quib. magnum hepar est, si magnitudini illius non respondeat ventriculus in cibo assumendo, excrementa sicciora reddantur attracto ab hepate auidius humore, qui cum excrementis esse deberet: ob affectus vero præter naturam, hepar plus trahit, quam oportet, si affectus tales fuerint, qui attractionem moueant, quales sunt sicci vel calidi: exsiccatum enim hepar humorem desiderat copiosiorem, quo humectetur. Quare optime dixit Gal. ob siccum affectum iecinoris, & ob phlegmonem aluum siccari: ita ob mesarei, vel intestinorum, vel lienis, huiuscemodi affectum idem contingit: eandem enim hæc, quam hepar, habent rationem. Atque hæc prima ratione humorem attrahunt: aliæ vero siccatæ alui causæ dicuntur, quod scilicet hepar moueant ad attractionem, ad quam causam pertinet Aquilonia constitutio, quia enim corpus per Aquiloniam constitutionem exsiccatur, pleniorem humorem desiderat, & successione quadam ab hepate trahitur, hepar autem à ventriculo, & intestinis: ita magna per cutim digestio exsiccatæ alui causa dicitur. Atque hæc satis de aluo sicca.

Alui humidioris causa quæ.

Humidioris autem alui causa est copiosior humor cum excrementis mixtus, copiosior autem humor est, vel quod aliunde adueniat: vel quod is, qui est in corpore moderatus, pro ratione non absumatur: Porro aliunde aduenit, vel quod assumatur, vt cibi humidiores, vel copiosiores potiones alui humidioris causa esse dicuntur, vel quod aliunde influat in aluum, quo modo ab excrementis à supernis partibus ad ventrẽ delatis humidiorem aluum fieri videmus. Ad hoc genus pertinet, quod dicit, aluum humectari ob Austrinas constitutiones: ab illis enim corpus assumpto humore per cutis meatus humidius redditur, quam oportet, quo humore etiam participant intestina. Cæterum, non satis absumitur humor, eo, quod non satis per corpus digeratur, id quod fit, vel quod hepar non satis trahat, vel quod ventriculus non satis retineat: iam vero non satis trahit hepar, vel quod ad attractionem non stimuletur: vel stimuletur quidem, non tamen ob suam imbecillitatem possit attrahere: Atqui non stimulatur, quoniam extremæ partes corporis non digeruntur, vnde in ocio aluus humectatur, in labore exsiccatur: non potest quidem attrahere etiam cum fit resolutio, eo quod imbecillum sit redditum, id quod fit ob calorem debilitatum, vel ob aliam intemperiem insigné, omnis enim huiusmodi intemperies, vt cæteris actionibus, ita & alui obesse solet: propterea ex phlegmone cum imbecillitate hepatis, recte scribit Gal. aluum humidiorem reddi: At vero non satis retinet ventriculus, vel quod retentrix facultas imbecilla sit ob frigiditatem vel humiditatem, vel insignem aliam intemperiem: vel quod expultrix antequam oportet, agat: Agit autem cũ stimulatur: id quod fit, vel à multitudine materiæ; vel à qualitate vellicante: vnde, ob bilem copiosiorem, quæ ad ventrem, & intestina fertur, aluum humidum reddi opti-

me scribit Galenus. Atque hæc quidem suffici- A ant ad generales causas explicandas siccioris humidiorisque alui communes, tum sanis, tum ægris, ob natiuam constitutionem, vel ex victu, vel ex aliis causis natas. Nunc res contrahenda est ad Aphorismum, videndumque, cur fiat, vt qui in iuuentute humidiore, & liberiore sunt aluo, in senectute sicciorem eam obtineant, & econtra: id intelligemus, si ex superioribus causis eas acceperimus, quæ ratione mutationis ætatis aluum variare possunt.

Cur in iuuentute habentes aluum humidiorem in senectute eam mutent in sicciorem & contra.

Fit ergo aluus humidior cum humor hepati parcius distribuitur, id autem fit, vel quod plus assumatur, quam hepar indigeat; vel quod citius deiiciatur, quam hepar attrahat: assumitur autem plus ob frigidiorem ventriculi temperiem: B citius autem deiicitur: vel ob bilis multitudinem, quæ aluum irritat ad excernendum: vel ob facultatis retentiuæ debilitatem, & expulsiuæ robur: minus etiam attrahit hepar propter frigiditatem: retentiua vero ventriculi imbecillior redditur propter humiditatem, expulsiua fortior propter siccitatem. Ergo, si iuuenis fuerit, qui aluũ humidã habeat aliquã ex his causis habebit, demus ergo humidã esse, eo q̃ plus assumatur in iuuentute, in senectute reddetur quidẽ sicca aluus, quia frigida intẽperies, quę copiosior assũptionis cibi caussa erat, de cursu ætatis ita intenditur, vt tantum etiam non assumat, quantum opus est, quare deficiente humore, aluus exsiccabitur: C qui vero ob bilem confluentem ad ventriculum, & intestina aluum humidiorem habent in iuuentute, merito in senectute eam sicciorẽ habebunt, deficiente humore bilioso ob frigiditatem senectutis: atque, qui ob retentiuæ debilitatem humidam aluum habent in iuuentute, non omnes in senectute sicciorem obtinebunt: nam si ob humiditatem coniunctam cum frigiditate humidior aluus fuerit in iuuentute, non mutabitur in senectute, frigidior enim reddetur ventriculus, & ob immodicam intemperiem frigidam retentio impedietur. Quod si ob solam intemperiem humidam venter humidior fuerit in iuuentute, in senectute siccabitur, humidior enim in sicciorem mutabitur, siccitas autem retentionis causa: D non tamen ita excedens est siccitas, vt ob excessum vehementem retentio lædatur, neque etiam ob frigiditatis excessum mutatio aliqua cõtinget: supponebatur enim mediocris esse temperies in calore, & frigore, quæ tantum non intenditur ætatis ratione, vt cogat retentionem debiliorem fieri, quare in illis mutabitur. Quod si ob frigiditatem hepatis in iuuentute aluus humidior redditur, ea non mutabitur in senectute, quoniam frigiditas seruatur & augetur. Iam vero iuuenes, qui sicciorem habent aluum ad humidiorem mutabunt in senectute, si enim propterea, quod minus assumatur, quam hepati conueniat, aluus adstricta fuerit, id fiet ob caloris excessum, qui appetentiam debilitat, itaque, cum ad senectutem illi peruenerint, ventriculus frigidior E redditus plus appetet, quam conueniat, atque ita aluus humidior fiet, qui vero siccam habent aluum ob vehementiorem distributionem, quoniam id ex caliditate hepatis fit, retusa per ætatem ea caliditate, minor fiet distributio, & humidior aluus reddetur: qui autem ob siccitatem, virtutem retentiuam habent fortiorem, in sene- A ctute eam imbecilliorem habebunt ob siccitatis excessum, ita vt satis retinere non possint, atque ita aluus humidior reddetur: At qui ob bilis defectum sicciorem habent aluum, eandem in senectute seruant. Cæterum, si humida est aluus ob humores descendentes pituitosos, non fit mutatio: nam senibus pituita augetur: Si vero eo, quod partes externæ ob naturalem temperiem non stimulent hepar ad attractionem, aluus humida fit, non mutatur aluus in senectute, quia frigus intenditur: sic etiam si ob caliditatem hepatis, quæ multam potionem absumit, vel ob eandem qualitatem ventriculi, quæ superfluo potu corpus onerat, aluus redditur humida, siccabitur illa in senectute deficiente ca- B lore, & potionis appetitu. Hæc quidem ex Galeno potissimum sunt assumpta, & probabiles causas reddunt, *tamen ea mutatio, quæ fit in aluo ob mutationem ætatum, potius pendere videtur ex sola mutatione temperaturæ intestinorum, quam hepatis, aut ventriculi, vel appetentia intensa, vel remissa ipsius alimenti, vel potionis, vel ob bilis copiam, vel diminutionem*: nam experientia ostendit, copiosam generationem bilis non reddere, aluum humidam, quando quidem per ardentes febres plurima gignitur bilis, & ea ad intestina fertur, aluus tamen adstringitur adeo, vt non nisi per humectantes clysteres reddi possint excrementa, intestinorum vero temperies, quæ mu- C tatur in aliquibus ob ætatum vicissitudines, hanc differentiam, quam Hippocrates tradit, in aluo humida & sicca sola causam reddere potest, vel forte etiam Hippocrates, quod in paucis obseruauit, id in commune præceptum erexit.

APHOR. XXI.

Λιμὸν θώρηξις λύει.

Famem thorexis, id est, vini potio soluit.

D VT Aphoris hunc intelligere possimus, operæprecium in primis est, explicare, quid per thorexin & per famem hoc loco capere oporteat, ac vtriusque natura & causæ explicandæ: sic enim reliqua postea patebunt. Thorexin vini potionem significare scribit Galenus in Comment. nam θωρήσσω teste Fauorino, significat armo & inebrio: vini autem potio, & ebrietas, quæ ex ea sequitur, thoracem calefacit, & replet, & bellandi rixandique cupiditatem excitat. Famem autem cibi appetentiam esse ostendimus, cum explicaremus *Aphorismum 13. lib. 1. Senes facillime ieiunium ferunt, &c.* Verum cum appetitus huiusmodi quidam naturalis sit, qui bene valentibus E sit: alius præter naturam, qui à causis violentis nascitur, naturalem famem vini potio non tollit, imo vbi talis fames est, vt ille recte ait, conuulsiones & deliria excitare potest vini potio: nam nerui ventriculi exsiccati ab inedia, vini occursu feriuntur, & replentur, & ob repletionem subitam conuulsiones oriuntur: Deliria vero ob caliditatem, & mordicationem ad cerebrum

Thorexis etymologia.

Quam famem vini potio tollat & quam non.

Vinum maluaticum & alia generosa quibus prosint, & quibus iisdem obsint.

brum per neruos transmissam. Propterea damnandi sunt, qui cum bene valent, stomacho ieiuno vinum Maluaticum, aut aliud generosum vinum bibunt. hæc enim, vt prosunt, vbi pituita & flatus occupant orificium stomachi, ita obsunt, vbi vacuo stomacho occurrunt. Porro famis præter naturam triplex est differentia, quædam enim est, in qua appetimus absurda, vt carbones, & terram, & alia huiusmodi inepta ad veram nutritionem, quæ fames Pica & Malatia dicitur, & ea mulieres prægnantes potissimum corripi solent; raro enim in viris aut aliis mulieribus conspicitur, alia est fames, quæ dicitur *βουλιμία*, quã ignari sermonis Græci bouinam aut vaccinam vocant, nam Græci, cum aliquid excedens significare volunt, nomine *βοῦ* superaddito rei, vtuntur, perinde ergo est *βουλιμία*, acsi ingens fames dicatur; sed de illius natura postea agetur à nobis diligentius. Est porro alia fames, quę Canina dicitur, eo quod illi, qui ea laborant, vt Gal. scribit *lib. 8. de medic. secundũ locos*, vehementer appetant, & canũ more plurimũ edant, & postea grauati cibi copia, vomere cogantur. An intelligat Galenus & Hippocrates vini potionem omnem famem pręter naturam soluere, intelligere non possumus, nisi perspectis prius illarum causis, de quibus negligenter (si bene iudico,) maiores nostri scripserunt, ex quo etiam natura horum Symptomatum dubia redditur: nam Galen. *in libr. 5. de Symptom.* *βουλιμίαν* definit ingentem esse famem. *in libro* vero *primo ad Glauconem* ait, *βούλιμον nihil aliud esse, quam animi defectum*; at, *in libro de Symptom. caus.* *βούλιμον* lapsum esse virtutis ab externo frigore, qui à fame quidem incepit, non tamen eam amplius habet coniunctam, vt etiam *in hoc Comment.* definit. *βούλιμον* autem Musa ventriculi non esse famem dicit: nam ventriculum in principio quidem appetiuisse, postea imbecilliorem effectum, nihil amplius appetere, esseque proinde appetentiam ratione ventriculi deperditam, ratione vero aliorum membrorum auctam; ita ille, & tamen esse, & non esse testatur, cum aperte Galenus scribat, ingentem esse famem, nec eam agnoscamus esse, nisi ventriculus appetat; quomodo enim aucta est fames, si in ventriculo deperdita sit? Definitiones autem Galeni conciliare forte poterimus, si causas, & proprietates huius famis considerauerimus. Scribit ergo *5. Simptomatum*, à frigiditate, & siccitate *βούλιμον* fieri; *in hoc* vero *Comment.* ab externo frigore fieri scribit. *Libro* vero *de Medic. paratu facilibus*, ad hunc modum scribat; *qui βούλιμον incurrunt, vel ex itinere, vel alio modo, reficimus aceto naribus admoto, & inspirato, aut pulegio, aut terra madefacta, aut pomis, aut pyris; item pane ex vino sumpto.* Aetius vero ex stomachi frigiditate fieri eam scribit; item ex indigentia, & virium imbecillitate, & ab externo frigore fere in totum initium capere scribit, ex itinere longo per niuem facto; item ex balnei mora fieri prodit. *Hac propria habere scribit; tamen in principio multam, non tamen semper perdurantem, nam postea repente*, inquit, *animo linquuntur, cum extremarum partium refrigeratione, & spiritus defectione*; Autor vero Definitionum hæc scribit: *βούλιμος est ingens fames, ex qua fit cibi inquisitio ex paruis interuallis; qui hac detinentur, resoluuntur, & concidunt, decoloresque*

Famis præter naturalis triplex differentia.
1. Pica.
2. βουλιμία.
3. Fames canina.
βούλιμος quid.

A *fiunt, perfrigescunt his extrema corporis, torquetur stomachus, vixque pulsus percipitur.* In Definitione ergo hæc est discrepantia, quod dicat *βούλιμον* nunc ingentem esse famem, nunc famem nõ esse; sed animi defectum. Qua in re nemo est, qui non videat, magnam in authore negligentiam, & Asiaticam quandam garrulitatem; tamen conabimur rem hoc modo conciliare. Dicimus enim *βούλιμον famem esse magnam*, vt nomen ipsum ostendit, sed quoniam ad magnam famem virium lapsus sequitur, & animi defectus, ideo ex maximo accidente, quod huiusmodi fames infert, quodque curam totam ad se reuocat, ea fame contempta, lapsus virium definita est esse, tunc enim famem non amplius
B habet coniunctam, cum vires collapsæ sunt, & animi defectus accidit; vnde, bene dicit *βούλιμον* à magna fame inchoasse, sed eam amplius non habere adiunctam; Vulimi accidens definiens, non ipsum Vulimum. Quod vero dicunt Vulimum esse cum extremarum partium refrigeratione, & spiritus defectione, & decoloratione, corporis resolutione, & pulsus exiguitate, hæc Vulimum non sequuntur, sed animi defectionem, Vulimus enim animi defectionem adfert; ad animi defectionem, illa omnia sequi clarius est, quam probari debeat; In causis vero etiam discrepant: nam ab externo frigore fieri dicunt, nunc à frigiditate, & siccitate: Item, ex itinere, vel alio modo,
C ex stomachi frigiditate, ex indigentia, virium imbecillitate, ex longo itinere per niuem facto, ex balnei mora; quæ causæ non omnes Vulimum verum faciunt, sed aliæ verum, aliæ vero Vulimi animi defectionem. Porro, quæ Vulimum efficiunt, aliæ sunt propinquæ causæ, aliæ remotæ; propinqua causa est, *stomachi frigiditas & siccitas, quæ stomachum constringit, & exprimit violentius*; externa vero frigiditas Vulimi causa dicitur, quoniam per continuitatem corporis, stomachus externam frigiditatem recipit. Iter longum per niuem factum, Vulimi causa est remota; quoniam enim per iter longum refrigerantur partes externæ, illæ autem ventriculum, ideo Vulimi causa dicitur: longa item in balneo
D mora id facit; Verum cum non exprimat, cuius balnei mora id facere possit, frigidum balneum intelligemus, siquidem aër externus frigidus Vulimi causa esse dictus est: nam aër calidus, & balneum calidum animi quidem defectum adferent, dissoluto vehementius corpore, non tamen Vulimum antea, quando alias ostendimus causas, quæ famem committendi vim habent, non solum debere dissoluere humiditatem, sed etiam virtutem vnitam seruare debere, vt frigida, & comprimentia denique, quæ id faciunt; Virium imbecillitas, & indigentia causæ sunt animi defectus, quem Vulimus adfert: cum enim ingens fames orta sit ex frigore, nihil autem habeamus, quod eam reparare pos-
E sit, indigentia oritur, ex indigentia imbecillitas, ex imbecillitate animi defectus. Atque hæc sufficiant de Vulimo.

βούλιμος secundum autorem quid.
Vulimi causa propinqua.
Causa remota.

Appetentia autem siue fames Canina, *lib. 1. de Caus. Symptom.* definitur esse corrupta appetentia, *libro* vero *8. de Medicament. secundum locos*, definitur esse vehemens fames, in qua plurimum quidem edant, qui laborant, paulo tamen post

Appetentia siue fames canina quid & vnde fiat.

grauati cibi copia, vomunt. Iam in causis etiam non conueniunt authores: nam Galen. 57. 3. *Comm. 9. Epidem.* scribit à Cacochymis humoribus fieri talem famem, non omnibus quidem, sed his duntaxat, qui frigidi fuerint, & acidi, accidereque dicit talem appetitum nonnunquam in his, qui hæmorrhoidibus laborant. *primo libr. de Caus. Symptom.* duas causas facit acidum humorem ventriculum infestantem, & immodicam totius corporis dissipationem. *In hoc* vero *Comm.* vel ob intemperiem frigidiorem ventriculi, vel humores acidos imbibitos in tunicis ipsius fieri dicit; eam autem famem, quæ ex longa inedia, vel alui profluuio, vel sanguinis fluxu, vel aliqua alia vacuatione oritur, caninam non appellat. Trallianus Medicus caninam famem à frigiditate ventriculi, vel totius corporis dissolutione, quæ assiduam nutritionem desideret, ob ventriculi, & totius corporis vehementem caliditatem substantiam nostram dissipantem fieri scribit. Auicen addit, ob vermes vellicantes os ventriculi eam fieri posse. In hoc ergo discrepant, quod Galen. ob immodicam corporis dissipationem caninam famem fieri dicat, aliquando neget, aliquando à sola intemperie, nunc autem ab acidis humoribus; & quod alii à caliditate dissoluente, & vermibus corrodentibus fieri dicant; quas discrepantias natura rei vel conciliabit, vel partem illarum falsam esse ostendet. Primum ergo, caliditatem nec ventriculi, nec totius corporis etiam, talem famem efficere posse, quæ inexplebilis sit, & tanta copia cibi ventriculum infarciat, vt vomere cogatur canum more, qui edendi nullum finem faciunt, donec vomant, & post vomitum rursus ad edendum parati sint, rei natura ostendit: nam appetentia tanta fieri non potest, vt aliquando demonstrauimus, nisi vnita, contractaque virtus seruetur; vnde, etsi caliditas vehemens corpus dissoluit, tamen quia vna vires etiam labefactat, appetitum perdit, tantum abest, vt ita intendat, vt maxime, & irrequieta actione appetere possimus. Dissipatio vero totius corporis immodica, si robur seruet, appetentiam quidem immodicam excitabit, qua resarciatur tantus molis nostræ lapsus, tamen non mihi videtur necesse, vt tantum appetant, qui ita dissoluti sunt, vt nullo modo satiari possint, & vomere statim cogantur, cum videamus eos, qui à morbo valde extenuati resurgunt, multum quidem appetere, satiari tamen moderata repletione, nec ad vomitum statim cogi, etsi aliquando id forte contingere potest, si modum non ponant cibis, quod facere possunt: non ii autem, qui canina fame laborant; vnde ex alui profluuio, longa inedia, sanguinis fluxu, & alia euacuatione, magna quidem fames, at non canina, fieri potest; à vermibus autem non videtur fieri posse: si enim multum erodant, dolores, & lipothymiam excitabunt, cum quibus robur ventriculi sistere non poterit, vt tantum appetere possit ventriculus, vt continuo repleri desideret; Quod si parua sit vellicatio, vt parua vacuatio, ita & parua fames necessario fiet, si hoc tamen visum est, fides abroganda rationi, & experientiæ tribuenda; ex intemperie frigidiore ventriculi sola, non etiam mihi videtur fieri posse hæc fames, si enim parua fuerit, vt paruam expressionem, ita non

A magnam famem excitabit, & inexplebilem, etsi ad appetitum conciliandum conferat. Si autem magna fuerit, vt omnis insignis intemperies, actionem perdet.

Superest ergo, vt *solum ab humore acido imbibito in tunicis ventriculi fieri possit*; quoniam enim huiusmodi humor adstringendi roborandique vim habet, & continuo vacuat, exprimitque assidue ventriculi substantiam, fit vtique, vt ventriculus continuam repletionem requirat, quæ ideo magna fieri potest, quoniam ob constrictionem est roboratus; quia tamen frigidior est, totam copiam assumptam concoquere nequit; vnde grauatus ad expulsionem insurgit, vomituque sese exonerat, & rursus statim cibum appe-
B tit ob continuam, quam patitur, expressionem, & repletionem, ita vicissim se excipiunt repletio, & vomitus, ergo solus humor contentus in ventriculo, & maxime in ipsius substantia imbibitus, huiusmodi famem parere potest: nam sola intemperies frigida hanc vim non potest habere: nam vt *in Commentariis Artis Medicinalis* ostendimus, ventriculus frigidus actu est calidus; Quare frigiditas, quæ in eo est, comprimendi, vt exprimendi vim non habet, vt hac ratione fiat fames, etsi tamen huiusmodi temperies aliquid ad appetitum facit, quoniam seruat visceris robur, veluti collectum & constrictum, quod ad appetentiam conferre antea ostendimus.

C Verum cum inter humores imbibitos à tunicis ventriculi, ex quibus potest fieri fames, alius possit esse pituita acida, alius atra bilis acida, alius humor melancholicus acerbus, & austerus, dubium est, an atra bilis possit facere talem famem, quippe cum ob suam malignitatem videatur vitiare omnes actiones. Certe humor melancholicus naturalis, quia acerbus est, & austerus, non minorem habet in hac re vim, quam acida pituita, id quod Galen. *in Comment.* satis videtur ostendere, cum scribit, eos, qui hæmorroidibus corripiuntur, fame hac inter alios laborare solere, quando non bene expurgantur: tunc enim humor melancholicus non bene expurgatur: Quod etiam *libro 5. de Vsu partium* scribit,
D humorem scilicet melancholicum à natura transmitti ad ventriculum, vt corrugando, & constringendo os ventriculi conferat ad appetitum iuuandum, *talis ergo humor, cum suam seruat qualitatem, & naturalem copiam, tunc confert ad naturalem appetitum: his vero mutatis, præsertim cum talis humor substantiam ventriculi occupauerit, eum, qui præter naturam est, parit.* Potest idem facere & alia ratione, quando scilicet vniuersa sanguinis massa non bene expurgatur à liene male affecto, tunc enim ventriculus, vt aliæ partes, ab huiusmodi humore inficitur & afficitur, atque ita ob insitum affectum ad appetentiam immoderatam excitatur.

Atra bilis an possit facere talem famem, & quomodo.

Cæterum Pica siue Malacia causas habet cor-
E ruptam intemperiem oris ventriculi potius, quam insignem aliam qualitatem, non enim mulieres, quæ potissimum ea laborare solent, dicunt, se sentire in ventre calorem, vel frigus, vel humiditatem aut siccitatem molestam, sed solum appetunt absurda; nec vna idem appetit, quod alia, aut certe raro id accidit. *quoniam non eadem est qualitas humorum, qua ex menstruis retentis, nec*

Causæ picæ siue malaciæ.

Cur vna mulier non appetat in hoc affectu eadem, quæ altera.

consumptio

consumptis à fœtu in primis mensibus ad ventriculi os repit; propterea quædam carbones, aliæ cinerem, aliæ sinapim, aliæ lapides: aliæ aliud appetunt, quæ, vt puto, illis non obsunt, *quoniam remedia sunt aduersus morbosas causas intus latentes*; nam quæ cinerem appetunt, videntur affici à pituita admodum aquosa, quæ remedium à re admodum exsiccante quærit. Sic de aliis eadem sit ratio, *appetit enim qualibet res sui mali medelam.*

Cur talia, quæ tunc appetunt, illis non obsunt.

Iam superest, vt ostendamus, quo modo vini potio famem sedare, & quam possit, non enim, vt diximus, eam, quæ naturalis est, & fit à natiuo calore, proprie sedat, postulat enim huiusmodi fames cibos, id est, solidiorem materiam, quæ si in vino est, vt in crassioribus vinis, aliquid certe confert, sed quia tanta non est in vino aliquo, quantam requirit euacuatio calidioris materiæ, ideo ex solo potu perfecta curatio huius Symptomatis fieri nequit. Causæ præterea, quæ talem famem pariunt euacuando, vt natiuus calor, & quæ illum accendunt, vel quæ euacuant humores, vt sanguinis fluxus, vel diarrhæa, vel longi morbi, non postulant vini potionem, vt proprium remedium. In Vulimia autem, non explicat Galenus, an conueniat, sed dicit, melius esse, vt Aphorismus vniuersalius intelligatur, videtur tamen conuenire: siue enim per Vulimiam intelligas vehementem famem à frigiditate exteriore factam, siue virtutis lapsum, vinum erit optima medicina, siue etiam fiat Vulimia, vt nos potius credimus, *ex humore bilioso, & pituitoso simul mixtis, os ventriculi occupantibus*, in quo casu fit, vt pituita exprimendo appetitum moueat, bilis vero & flatus, qui excitantur, erosionem, & grauitatem pariant, cum à cibo commouentur, ex quibus postea animi defectus sequitur, qualis affectio, & fames in semitertianis conspicitur, vini non quidē meracioris, sed temperatioris potio confert, huiusmodi enim vinum coctionem iuuat, & ventriculum roborat, pituitam, & flatus discutit, bilemque etiam retundit.

Quomodo vini potio famem & quam possit sedare.

Vini usus in Vulimia.

Cæterum, mirum est quod Galenus simpliciter dicat, caninam famem hic intelligi, & eam alibi scribat à magna dissolutione excitari: nocet enim vini potio, vbi fames fit, ob corporis inanitionem, vt ipse docet. Erit ergo semper caninæ famis ex nostra opinione, remedium, quia nos eam solum fieri credimus ab humoribus frigidis imbibitis à ventriculo: vinum enim generosum, quale in hoc casu requirimus, & per verbum *thorexin* significat Hippocrates, ventriculum calefacit, frigidiores humores concoquit, extenuat, dissoluit, penetratque per substantiam ventriculi, vbi illi obsunt.

Modus autem quo Galenus vtitur ad famem eam sanandam, examinandus est, videbitur enim forte repugnare naturæ rei, nam cum ea exhibenda sint, quæ humores imbibitos incidere, abstergere, & discutere possunt, emplastica, qualia sunt oleosa, & pinguia videntur obesse, mihi tamen optima ratione videtur, id facere, vt appetentiam primum minuat, ne cogantur semper appetere, & locus non detur curantibus auxiliis, pinguia enim ventriculi tunicas molliunt, & relaxant, quibus rebus ventriculus, qui ob adstrictionem vehementius appetebat, remittit appetentiam, & interim vini potio ingeritur, quæ sua caliditate, & tenuitate, familiaritateque substantiæ sese insinuando, famem, illiusque causas rescindit. Verum vt Galenus admonet, modus iste curationis longo eget tempore, est autem expeditior via, si Hiera Galeni exhibeatur, illud enim est proprium remedium humorum, qui imbibiti sunt in tunicis ventriculi.

Hiera ad morbū proprie remedium.

APHOR. XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται, καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat vacuatio; & quicunque ex euacuatione repletio, & aliorū contrarietas.

ANTEA, famem vini potione tanquam contrario remedio causæ, quę famē committit, curari dixit, & in prioribus etiam Aphorismis sæpe ostendit remedia, quibus tolluntur affectus corporis, non tamen docuit, qua ratione illa id faciant: id quod nunc facit, nempe ob contrarietatem, ostendens remedia omnia mederi nostris malis. Sed ante quam generale hoc præceptum tradat, rursus vtitur inductione, dicens, *repletionem vacuatione, & hanc repletione tolli*, & non solum repletionis vacuationem, & vacuationis repletionem, sed etiā morborum, qui ab illis fiunt, remedium esse. Itaque cum notum sit, vacuationem curare repletionē, & hanc illam, ob mutuam contrarietatem, Axioma Medicum merito efferri hoc potest: *Contrariorum contraria sunt remedia*; siue, *Contrarium curatur à contrario*, quod quidem axioma Gal. in 11. *Meth.* Inductione probat; neque enim aliter probari possunt propria principia; tamen philosophus naturalis, cui subiicitur Medicus, demonstrare hoc potest ad hunc modum: *Omnis mutatio fit è contrario in contrarium, siue per contraria; at curatio est mutatio, nempe morbi in sanitatem; fit igitur curatio à contrariis.* Porro vacuationem repletione sanari, & hanc illa, notius est, quam vt ostendi debeat? verum etiam morbos sanari repletione, vel euacuatione non ita patet: nam si contrarium à contrario curatur, nullus morbus videbitur his remediis curari posse, quoniam nulla repletio aut vacuatio morbo aduersatur. Qua quidem in re Galenus distinctione vtitur. Ait enim *in principio Commentarii*, non omnes morbos curari posse repletione? vel euacuatione, sed eos solum, qui adhuc fiunt, eos vero, qui iam facti sunt, propriam curationem postulare: eos etiam tolli illis præsidiis, qui nondum fiunt, sed futuri sunt, nam *in Comment. huius Aphoris.* & clarius adhuc *in 3. Artis Medicæ*, vbi de curatione agit & Medici officia distinguit, dicit, partem vnam esse Medicinæ, quæ præseruatiua dicitur: cuius officium est causas imminentiū morborum, aut eorum, qui adhuc fiunt, rescindere: Aliam vero esse, quæ curatiua dicitur, cuius munus est morbosas dispositiones, morbosque

Demonstratio, quod contraria contrariis curentur.

Quomodo morbi curentur repletione vel euacuatione.

ipsos propellere: quod si sani sunt homines, tunc conseruatrix pars locum habet; quod si conualescant corpora aut in senectute sint, pars Medicinæ, quæ renutritoria, & senilis, siue senes tractans, exercenda est, illam Analepticen, hanc Ierocomicen, melius vocant Græci. Quæ quidem sententiæ facile intelligi non possunt, nisi intelligatur, quid sit morbus fiens, siue in fieri, quid factus, & futurus. De qua re agit sæpe alibi, vt in *libr. de Symptomatis.* tum maxime *in* 11. *Methodi cap.* 12. vbi ex professo docere vult, quibus morbis debeatur curatio, & per quæ remedia. Appellat enim illic ea habere essentiam in fieri, quæ non subsistunt, cuiusmodi sunt actiones omnes; propterea etiam affectiones nostri corporis, quæ tamdiu durant, quamdiu præsens est causa, quæ eas peperit, & ea ablata statim euanescunt sine remediis, passiones vocat, & non affectus, quoniam, inquit, affectus essentiam habet in facto esse, & proinde morbos statuit esse affectus, & non passiones. Quam opinionem idem author *ex hoc Comment.* euidenter refellit, & Hippocrates ipse in Aphorismo; nam morbi, qui fiunt ex repletione, curantur, inquit, sola euacuatione, id quod docet experientia, vbi enim sensibiliter læduntur actiones, & propterea iam morbus aliquis est, vt in erosione stomachi, aut calefactione, quæ fit ex bilis contactu, sola euacuatio tollit huiusmodi morbum; sicut etiam accidit, cum dolor capitis nascitur ex ebrietate, vel cruditate stomachi, facta enim concoctione eorum, quæ sunt in stomacho, dolor capitis natus ex solutione continui recedit absque vllo proprio remedio; igitur morbi, qui sunt in fieri, sublatis suis causis efficientibus curantur. Sed cur est, quod ipse *in Comment. & in* 3. *Art. Medicinal.* eos, qui sunt in fieri, dicit egere curatione, eius, scilicet, quod est factum, illud vero, quod futurum erat, præseruationem requirere? an debemus ita intelligere, quod inter morbos, qui sunt in fieri, quidam sint, qui lenem adhuc habent noxam, alii vero habeant iam magnam, quæ tamen parata est augeri ob causæ agentis præsentiam, illi enim sola egent præseruatione, quoniam leues eos morbos natura sanat; curare autem, re vera est per artis nostræ præsidia morbos profligare; secundi vero generis morbi egent quidem præseruatione, & curatione, illa quidem ne morbus amplius augeatur, hæc vero, vt impressio iam facta soluatur; Ergo morbi, qui fiunt ex repletione, curantur sola euacuatione: aliquando vero præter euacuationem, requirunt curationem mali facti, id est, relicti post factam euacuationem: exempla huius rei patent in rupturis & erosionibus venarum, his enim malis sæpe sola euacuatio medetur: alias autem vix possunt inueniri præsidia curatiua, veluti cum hæc mala nascuntur in pulmone. Igitur constat, præseruationem deberi causis morborum, id est, contra illas pugnare, ac morbis, qui ex illis adhuc fiunt, nec aliquid habent factum, qui causis illis sublatis tollunt non quidem per curationem, & per propria morborum remedia, sed ex accidenti per præseruationem. Illud vero maiorem habet difficultatem, quod scribit, morbo deberi curationem, nulla illius causæ facta mentione. Verum ratio conuincit, nos etiam pugnare in expellendis morbis contra causam ali-

Morbus fiens sine in fieri quis.

Passio & affectus quomodo secundum Galenum differant.

A quam: nam si curatio omnis, vt hic scribunt authores, fit per contraria, sola sanitas esset remedium morbi, hæc enim sola morbo opponitur, ergo sanitas ipsa morbum expelleret, & non remedia nostra, quod quo modo fieri potest? illa enim vim non habet agendi, nec potest idem seipsum efficere, siquidem scribit Galenus *in Arte Medicin.* morbum calidum tolli per frigida auxilia, sanitas vero auxilium nō est frigidum aut calidum. Præterea, excessum immoderatum immoderato excessu contrario, redigi ad mediocritatem, ad hanc vero sequitur sanitas: Igitur, si morbi tolluntur, sublatis suis causis, vt morbus calidus à refrigerantibus, non vtique contra morbum ipsum pugnamus: *ergo siue præseruare, siue curare*

B *velimus, semper cōtra causas agemus:* ex quo sequitur, vtramque partem Medicinæ præseruatiuam esse, quia in vtraque pugna fit aduersus causas: An causæ distinguendæ sunt, quod quædam sint gignentes siue efficientes, aliæ vero constituentes? & efficientibus deberi præseruationem, constituentibus vero, siue vt vocant recentiores, formalibus, curationem? humor enim calidus calefaciens gignit in nostro corpore calorem, ex quo intemperies, & morbus fit: est vero humor ipse calefaciens, causa efficiens, calor vero ab eo excitatus, & iam receptus in corpore non gignit re vera, nec efficit, sed constituit morbum, veriusque est forma ipsius morbi, qua posita, ponitur morbus, quæ & alio nomine causa con-

Causa efficiens & formalis morbi.

C iuncta dicitur: quæ vt *in Arte Medicin.* ostendimus, longe differt ab ipso morbo: quanquam Galenus breuitatis causa sæpe vsurpet eam pro morbo: veluti, cum dicit, febrem esse calorem, *nō enim febris est calor, vt nec ipsa sanitas est calor vel frigus, sed febris est vitium, in quo calor præter modum est auctus, vt sanitas est perfectio proueniens ex moderatione & temperamento qualitatum.* Ex his igitur patet, quid sit præseruare, & curare, & cui debeatur curatio & præseruatio. Nunc videndum, per quæ ista fiant, & maxime curatio, de qua hic agimus, quam rem *in* 11. *Methodi* ex proprio etiam instituto tractat Galenus, & tandem concludit, per contraria eam exerceri: definit autem illic contraria,

Sanitas quid.

Curatio per quæ fiat.

D quæ plurimum inter se distant. Quod si ita est, forte male dicemus, paruis morbis deberi curationem, quippe, cum parui fiant recessus à naturali statu in paruis morbis, & proinde etiam remedia, quæ illis debent esse æqualia, contraria non videantur esse. Respondere forte quis posset, etiam paruos recessus contineri nomine contrarii: sed ratio contrarietatis id non postulat, præsertim in curatione. An potius dicendum est, in omni morbo magnum esse recessum à naturali statu, etsi parui quidam dicantur morbi maiorum respectu? nam in omni morbo duos saltem oportet esse gradus affectionis præter naturam: id quod probatur ex gradibus medicamentorum: nam Galen. cum agit

Gradus affectionis præter naturam in omni morbo quot sint.

E *in libro* 5. *de Simplic. cap. vltimo* de illis gradibus, ea, quæ sunt in 1. gradu, statuit obscure agere: quæ vero in secundo, sensibiliter: itaque, cum mala nostri corporis non sint reponenda inter morbos, antequam sensibiliter lædant nostras actiones, constat in omni vel leuissimo morbo recessum esse per duos gradus, & vltra quatuor nullum morbum salutarem progredi posse,

quo

quoniam nulla medicamenta sunt, quæ vltra eos gradus extendantur: quapropter, morbi omnes, *qui excedunt quatuor gradus*, omnes lethales, quia nullum æquale habent remedium, quo temperari possint suæ causæ. Porro, illud quoque recte dictum est à Galeno *contrarii nomen recte intelligendum esse, vt non solum comprehendat vere contraria, sed etiam alio modo opposita*, nam vt calidum per veram contrarietatem remedium est frigidi, ita rarum densi, & relaxans contracti auxilium est, ob aliam oppositionem. Illud vero maiorem habet difficultatem, quod scribit ille *in Arte Medicinali* immoderatos excessus per alia immoderata tolli, & sic morbos curari, quod patet: nam exuperans calor non nisi per frigus exuperans redigi potest ad mediocritatē, & temperiem; id tamen non videtur verum in omnibus curationibus: nam exempli causa, in excisione digiti superabundantis, non assumimus digitum deficientem, vt ex vtroque acquiratur mediocritas & sanitas; aut cum luxatam partem reponimus, non alium excessum facimus, sed paulatim versus naturalem statum properamus. Eodem pacto, si figura est vitiata, eo quod in anteriora præter naturam flectatur pars, remedium non est eandem reflectere vltra mediocritatem in posteriora, sic enim nunquam ex duabus malis figuris mediocritatem acquiremus; nec ex obstruentibus & aperientibus fit sanitas, vt ex calido, & frigido. An Galeni dictum solum intelligi debet in qualitatibus & morbis, qui fiunt in intemperie? nam temperies ex mixtione fit qualitatum mutuo se retundentium, quare cum vna augetur, ad illius proportionem intendenda est illius contraria, atque ita ex vtriusque excessu inæqualitas tollitur & morbus, sanitas vero comparatur.

Morbi lethales qui.

Illud etiam explicandum est, quod scribit, curationem fieri per contraria æqualia in gradu; nam si ab æqualibus non fit actio, quomodo fiet morbi expulsio, & mutatio morbi in sanitatem? Porro, in hoc dicendum est, mutationem quandam esse, quæ tendit ad victoriam, aliam vero, quæ finem habet temperiem, & mediocritatem; in illa requiri inæqualitatem, ab æquali enim pugna non fit victoria: In hac vero fit temperies, nec aliter quidem fieri potest, siquidem temperies fit per mixtionem: In hac autem seruatur æqualitas, & proportio eorum, quæ miscentur; ex quo etiam sequitur, hoc præceptum frequentius & vt plurimum solum habere locum in curatione morborum, qui fiunt ex mixtione elementorum: nam in illis æqualitas, & inæqualitas conspiciuntur: vbi vero exciditur digitus superfluus, aut reponitur pars luxata, vel extrahitur lapis, vel alii huiusmodi morbi curantur, quænam, quæso, æqualitas, vel inæqualitas inter remedia, & morbos siue proximas morborum causas, reperiri potest?

Quomodo curatio fiat per contraria æqualia in gradu.

Iam vero superest, vt videamus, qualia oporteat assumere contraria, actune solo, vel potentia, vel vtroque modo agentia: Requirit curandi ratio, vt potissimum potentia sint contraria atque facultate, non enim quod frigidum est actu, verum est remedium mali calidi; sic enim Pyrethrum aut Euphorbium esset optimum istorum malorum auxilium. Solum supersunt quædam argumenta dissoluenda, quæ videntur efficere, vt semper non sint contraria remedia affectibus abigendis, nam febris sæpe tollitur calidis, vt febris quotidiana vsu piperis, necnon concoquentibus, & euacuantibus, vt febres putridæ. Item scribit Hippocr. Tetanum, qui fit à frigida pituita, frigidæ aquæ aspersione sanari. Vulgare etiam est dictum, dolorem esse medicinam doloris, & vomitum vomitu sanari; ac etiam maniam mediocrem ab ea, quæ vehementer excesserit: quæ tunc dicitur extasis, curari. Hæc *in 3. Artis Medicinalis* soluimus, distinguendo ea, quæ per se, ab his, quæ per accidens fiunt, & coniunctas respiciendo dispositiones & causas, ita vt his sublatis recedant, quæ ab illis fiunt, & naturæ conatus spectando, quæ omnia eo loco fusius sunt explicata, & exemplis propriis patefacta, quare hoc loco ea solum breuiter attingam: adferunt enim illi, qui vim huius præcepti non intelligunt, potissimum hæc argumenta, rhabarbarum, calidum morbum, nempe febrem biliosam sanare, quod tamen calidum est, & humori bilioso etiam simile: non solum qualitate calida & sicca, sed etiam tota (vt aiunt) substantia, cuius vi purgat bilem. Verum illi non intelligunt rhabarbarū non mederi febribus bilosis *ob suam temperiem, sed quia vacuandi vim habet, & purgandi*, vacuato vero humore lædente, morbus, qui fit ab eo, simul euanescit, vt Aphorismus hic docet: nec refert, si ob similitudinem trahat humorem, quia solum curat, quia vacuat, in hoc autem est euidentissima cōtrarietas cum humore lædente. Adferunt etiam Aphorism. in quo scribit Hippocr. *Quæ refrigerata sunt, calefacere oportet, exceptis his, vnde sanguis fluit*. Respondemus, calidum affectum frigido curari, sed aliquando coniunctum affectum cum frigido, vt sanguinis fluxum, qui irritatur calidis, impedire istorum vsum: Item, morbus calidus, à calore natiuo curatur, inter quos non est contrarietas: nam, quod ait Brassauolus Ferrariensis, calorem natiuum esse contrarium calori præter naturam, eo quod vnus sit naturalis, alius præter naturam, non est recipiendum: nam duo calores simul non sunt, qui mutuo inter se pugnent cum corpore, sed vnus & idem calor, propter gradus, quos acquirit mediocres vel excedentes, naturalis, vel præter naturam dicitur plus, vel minus, ita, vt penitus sit præter naturam, veluti cum putredinem veram facit, minus vero ita vt adhuc aptus sit ad naturæ opera satis vtiliter obeunda, veluti, cum pus gignit: Ille ergo calor per accidens medetur morbis calidis, *morbosam causam concoquendo, & expellendo*, in qua calor præter naturam, id est, qui ex putredine erat excitatus, residebat, atque ita ea victa & expulsa materia, calor, qui relinquitur, ad suam, & naturalem mediocritatem redit. Scribit etiam Hippocrat. *in 2. libr. Epid.* dolorem solui dolore, & in *insequenti quodam Aphorism.* ait dolorem maiorem, minorem obscurare, id etiam fit *per accidens*: nam medicamentum, quod aperit abscessum, soluendo continuum, dolorem parit; ex loci vero apertione sequitur euacuatio humoris contenti, & dolorem facientis: itaque euacuatio medetur dolori per accidens, & per se repletioni: solutio vero continui, & dolor ex ea natus, causa est, sine qua non poterat fieri euacuatio, & non remedium doloris ex abscessu facti. Porro

Actu an potentia, vel vtroque modo agentia contraria ad curationem requirantur.

An curatio semper requirat contraria.

Rhabarbarum quomodo curet febres biliosas.

Soll. 5. Aph. 20.

Calor naturalis & præter naturam quomodo differant.

Calor naturalis quomodo medeatur morbis calidis.

Aphoris. 46.

Dolor quomodo dolorem soluat.

Sect. 5. Aphoris. 21.

dolor maior minorem non sanat, sed obscurat. Ait præterea Hippocr. *in sequentibus Aphoris.* Tetanum, qui frigidus est affectus, & ex frigida causa natus, frigidæ aquæ ablutione sanari; sed id aqua per se non facit, sed quoniam calorem natiuum intus colligit, & roborat, qui postea facilius humorem frigidum internas partes occupantem, concoquit, & discutit. Adferunt etiam illi eundem morbum à seipso sanari, quomodo scribit Hipp. *Extasin* (quæ vehemens est Mania) *mediocrem Maniam soluere*; at id fit, *quoniam natura tunc mouetur ad expulsionem noxii humoris, cum vehementer irritatur*, id quod potissimum vigente morbo accidit, tunc enim fiunt Crises; propterea dicere possemus, statum morbi priores partes dissoluere, *quoniam in eo tempore materia relicta à prioribus partibus morbi per Crises discutitur.* Vomitus quinetiam, & alui fluxus, vomitu & alui fluxu curantur, cum medicamenta exhibemus, quæ rursus vomitum, & aluum mouent, *id etiam fit per accidens*: nam humor, qui naturam irritabat, nec facile ab ea expelli poterat, & propterea illarum excretionum causa erat, vi medicamenti vniuersus educitur; ita cessante irritamento, desinit vomitus, & alui fluxus.

Quomodo aspersio aqua frigida sanet tetanum affectũ frigidum.

Quomodo ecstasis magna soluat minorem.

Status morbi quomodo partes priores dissoluat. Vomitus quomodo vomitum & alui fluxus alui fluxum.

Nonne etiam sanguinis è naribus profluuia rursus euacuato sanguine, secta vena sistimus? *ita quidem videtur euacuatio remedium esse euacuationis; sed hoc verum non est. sed reuulsio medicinam prabet contrarium motum scilicet priori opponens*, quæ cum fieri non possit absque euacuatione, ideo cum illa coniungitur. Hæc igitur vim non habent euertendi principium hoc insigne, *contraria contrariorum esse remedia*; quod non solum in morbis, sed etiam in morborum caussis, Symptomatis, & in omni denique mutatione verissimum esse, docent ipsa philosophia, & experientia.

Aphor. XXIII.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τέσσαρσι ϗ δέκα ἡμέρῃσι.

Acuti morbi in quatuordecim diebus indicantur.

Cvm superiore Aphorismo docuisset, quomodo morbi curentur per contraria, docet nunc, quo tempore acuti curari possint, vel iudicari, quod idem est; Dicit ergo, *in quatuordecim diebus eos indicari*: quam sententiam vt Galenus notat, nonnulli ita intellexerunt, vt crederent, Hippocratem velle, hos morbos iudicari, antequam præterierint quatuordecim dies Decretorii, ita, vt quatuordecim numero sint dies, qui morbis acutis faciunt iudicationem. Quam opinionem idem refellit author: nam cum omnes acuti morbi terminum habeant quadragesimum diem, vsque ad eum terminum pauciores sunt vere decretorii, cum intercedentibus vero, plures; quare vera non est hæc huius Aphorismi interpretatio; Sed quod vult author, est huiusmodi; *morbos acutos finiri intra spatiũ quatuordecim dierum.* Verum cum morborum acutorum multæ

Terminus omnium morborum acutorum. Vera Aphorismi interpretatio.

A sint differentiæ, vt *in primo libro* ostendimus, quippe cum nonnulli simpliciter sint acuti; alii vero non simpliciter, alii acuti ex decidentia, alii, qui intra quadraginta dies terminantur, de simpliciter acutis intelligendum esse Aphorismum, scribit Galenus, illos enim simpliciter acutos vocat, qui in quatuordecim diebus terminantur; at vero, cum acutum morbum ex suo termino definimus, perimus in hoc loco principium: nam hic quærimus, cur acuti quatuordecim diebus iudicentur. Quare præstat aliter morbum acutum definire, quod scilicet sit is, *qui cum magnitudine celeriter mouetur*: nam qui magni solum sunt, vel solum celeriter mouentur, acuti non sunt. Sensus ergo est, *magnos morbos, qui celeriter mouẽtur, non* B *posse vltra decimumquartum diem differre suum iudicium*, id est, *accidere omnino, vt vel perfecte sanetur ager, vel moriatur, aut insignem mutationem faciat ad salutem vel ad mortem, modo in eo spatio seruet suam magnitudinem, & celeritatem.* Cuius rei rationem conatur reddere Galenus, sed parũ feliciter: nam, inquit, ob morborum magnitudinem, & Symptomatum vehementiam, necessarium est, vt cito committatur pugna inter morbum & naturam: quod si natura validior fuerit morbosa causa, ad salutem fiet iudicium, si minus, ad mortem. Atqui hæc ratio docet, non posse diutius hos morbos durare: cur tamen magis intra decimumquartum, quam vigesimum finiri debeant, id non probat: videmus enim multos, C cum ad decimum quartum diem peruenerint, non ita debilitatos, quin possint pugnam adhuc sustinere, & differre in alium ex sequentibus diebus: itaque Galeni ratio nihil necessario concludit.

Et de quibus acutis verbis loquatur.

Morbus acutus qui.

Ratio Aphorismi quam Galenus affert, refutatur.

Montanus vero rationem petit ex Lunæ oppositione, quæ, inquit, magnas mutationes facit in nobis, & decimaquarta die contingit, propterea tunc fieri Crises, nec vltra eas differri posse. Verum etsi hæc in sequenti Aphorismo diligentius tractabuntur, cum vniuersas Criticorum dierum causas expendemus, tamen ne desit huic Aphorismo sua explicatio, operæpretium est expendere huius viri opinionem: contra quam ita dico.

Item Montani.

D Primum, quod Galenus non solum in oppositionibus Lunæ cum Sole, sed etiam in coniunctionibus, magnas pariter fieri mutationes dicat, quapropter, nulla ratio suadet, cur potius in 14. quam in 29. cum aliquot horis Crises fieri debeant: tunc enim coniunctionis est tempus. Deinde, quid dicemus de his, qui ipso tempore oppositionis, aut paulo antea, vel postea ægrotant, plures enim dies, quam quatuordecim requiruntur, imo integer mensis necessarius est, antequam alia fiat oppositio: Itaque si ad oppositionem ratio est referenda, non certe ad veram oppositionem, quæ cum Sole fit, sed ad eam, quæ opponitur signo, in quo erat æger cum ægrotare E cæpit, ab eo enim ad aliud, quod sit perfecte oppositum, Luna solet peruenire decimoquarto die, & tunc quoniam est in signis oppositus illis, in quib. morbus cæpit, necesse est pugnam fieri, vt natura oppositorum, & cõtrariorum postulat: ex vehementi autem pugna sequitur victoria vel morbi, vel causæ morborum, vel ipsius naturæ, imbecillioris. Hæc contemnenda quidem non est ratio, quæ fit ex motu Lunæ per signa opposita,

sita, sed tamen in ea non potest animus quiescere: nam inæquales at inordinati sunt motus Lunæ, ita vt aliquando perficiat in tredecim diebus, quod alias non facit in tredecim cum dimidio, vel maiore etiam temporis spatio; quapropter, non semper decimusquartus esset terminus solutionis morbi acuti: quot præterea sunt acuti, qui septima, vel etiam tertia, quarta, aut quinta bene iudicantur; hos enim terminos peracutorum morborum Galen. statuit, in quibus non est perfecta, & in aliquibus etiam nulla est oppositio, quæ vim aliquam ab Astrologis habere dicatur. Habet, meo quidem iudicio, hæc tractatio communes causas cum periodis febrium: nam si terminus solutionis morborum ad astra referendus est, cur etiam non dicemus, ex ipsis sumendam esse rationem, cur sanguis nullam faciat accessionem, pituita vero quotidie remouet febrem, bilis tertio quoque die suos faciat insultus, & humor melancholicus suas tardet exacerbationes vsque in quartum? sed quales, quæso, oppositiones, vel aspectus syderum, aut aliæ causæ cælestes hanc in paroxysmis, & eorum solutionibus differentiam efficient? cur etiam ad astra non referemus differentiam, quæ conspicitur esse in animalibus, dum fœtus suos gerunt, alia quidem per diuersas hebdomadas, alia per menses, alia vero, quæ annum etiam attingunt: nihil ergo certum sumi potest ex certis causis, sed sola experiētia sensus nostros docuit cū probabili quadā ratione, quæ ostendit naturam expultricem, & coctricem, quæ Crises efficiunt, agere pro suo robore, ac materiæ lædentis qualitate & quātitate; Itaque fieri, vt vbi violenta fit pugna, sicut contingit in morbis acutis, diu illa durare non possit, & nunquam tardius, quam in quartodecimo die ea finiatur; sed cur dies ille & non alius, qui illi propinquus sit, hoc efficiat, vel potius cur in illū magis, quàm in alio illi propinquo hoc accidat, nulla certa ratio adhuc est inuenta, sed vt diximus, hæc diligentius *in sequenti Aphorismo* prosequemur.

Terminus morborum peracutorum.

APHOR. XXIV.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχὴ, θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη τῆς δευτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γὰρ ἐστὶ τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Septenorum quartus est index; alterius septimanæ octauus principium; est autem & undecimus contemplabilis: ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursus vero & decimus septimus contemplabilis: ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus vero ab undecimo.

TANGIT Hippocrates in hoc Aphorismo materiam de diebus Criticis, siue iudicatoriis, aut decretoriis, qua nulla est in vniuersa Medicina obscurior, & difficilior: nam cum multas partes ea in se contineat, non in vna solum, sed in singulis fere magna semper fuit controuersia, non solum quidem inter ipsos Medicos, sed etiam inter Medicos, & Astrologos, adeo, vt adhuc maxime dubium sit, quos sequi debeamus, aut quid etiam ex omnibus collectis sententiis de re ipsa sit sentiendum; sed nos vt aliis meliora excogitandi viam aperiamus, nostram quoque sententiam proferemus.

Ac primum illud venit explicandum, quid sit dies Criticus, in quo iam oritur controuersia: ita Galenus *in primo libro de diebus Decret.* scribit, Crises in omnibus diebus fieri, sed non in omnibus æque frequentes, vel bonas, vel perfectas, vel fidas, vel iudicatas; quare definit diem decretorium, in quo prædictæ mutationes firmæ, ac plurimę fiunt. Quam quidem definitionem si recipimus, paucos dies inter decretorios agnoscemus esse; multos vero excludemus, qui inter decretorios ab omnibus Medicis numerantur: nam sextus dies decretorius est, sed cum periculo, infidelis, imperfectus, & obscurus; Item, decimus tertius decretorius est, sed raro decernit. Plures alii sunt, vt postea patebit, huius generis, qui etsi raro & imperfecte iudicant de morbis, tamen inter decretorios reputantur. Ad id facit, quod habet Galenus *in eodem libro*, tot esse dierum Criticorum, quot ipsarum Crisium differentias. Quare, cum illarum multæ sint differentiæ, vt infra etiam patebit, non potest vnica esse differentia dierum decretoriorum. Vt ergo omnes comprehendamus decretorios dies, & singulis detur pro sua natura locus, dicemus esse diem decretorium, *in quo fit Crisis*; Sed cum de Crisis nomine, & natura dissensio sit non parua, necesse quoque est naturam diei decretorii obscuram esse: nam Galenus *in libro primo, & secundo, de diebus decret. & in principio libr. de Crisibus passimque alibi*, docet controuersiam fuisse inter antiquiores Medicos, quid nomine Crisis sit intelligendum: nam quidam voluerunt, Crisim nihil aliud esse, quam subitam in morbo mutationem: alii non solum subitam, sed confertim factam; id est, subitam & magnam; alii nō omnem, sed solum, quæ est ad meliorem statum, conuersionem; in quo etiam est dissensio: nam integram & perfectam solum mutationem nonnulli volunt esse Crisim: alii quamcunque subitam mutationem, siue perfecta, siue imperfecta sit: alii non solum, quæ est ad bonum, sed quamcunque subitam mutationem vel ad melius, vel deterius, nomine Crisis dignantur: alii vero non ipsam mutationem, & solutionem, sed eam, quæ præcedit, agitationem, statuunt Crisim esse nuncupandam: alii eo nomine, & ipsam agitationem, & solutionem comprehendi volunt. At vero si longi morbi, qui per annorum reuolutiones finiuntur, etiā per Crisim terminari statuit Gal. erunt etiam Crises, quæ non fiunt subito, nec confertim, sed paulatim. In hac vero controuersia, Gal. nunc illis assentitur, qui Crisim volunt solum esse perturbationem, quæ præcedit solutionē: aliquando vero definit esse ipsā mutationē, & solutionē, quę subito fit: aliquando solutionē ipsam quomodocunq; factā; quomodo et diarias febres per Crises finiri scribit: sæpius vero se ab ea disputatione liberat ea ratione, quod dicat, quæstionem esse de nomine: in quo pueriliter errat: de re enim ipsa, imo de fundamēto huiusce tractationis lis est & con-

Dies Criticus quid.

Secundum Galenum.

Secundum autorem.

Quid Crisis nomine intelligendum.

trouersia: nam si omnem mutationem, quæ in morbis fit, vt ille aliquando sentit, Crisim vocabimus: vlcerum, fracturarum, luxationum, & aliorum morborum curationes, quę fiunt per sanguinis missionem, & purgationem opera Medici, Crises vtique dicemus esse. Si vero excludamus solutiones illas, quæ fiunt opera Medici, & proprias Crises dicamus esse mutationem, quæ fiunt à natura: illa autem morbos aliquando finiat sine perturbatione, vt idem fatetur *in lib. 2. de dieb. decret.* de diariis febribus & longis morbis, non poterit perturbatio Crisis vocari; nec etiam Crisis erit confertim facta mutatio, quoniam vehementia carent, & alii breuissimi morbi, exigui & mites, & omnes longi. Præterea, pueri vt ille tradit, per solam concoctionem Crises faciunt in morbis, in quib. nulla præcedit perturbatio, ea enim solum antecedit excretionem: Addo, quod non solum morbi in pueris, sed etiam in aliis omnibus longi morbi, vt ille author est, finiuntur vel per solam concoctionem, vel diuturnos abscessus, vel longas excretiones, quas tamen solutiones ille appellat Crises. At dicet forte quispiam, se Crisim appellare, quæ habet omnes conditiones, & quæ propria est potissimum morbis acutis: quod si concedimus, non debebat vltra 20. diem aliquos quærere, & numerare dies, menses, & annos decretorios: ergo, nec subita, nec magna mutatio, aut vtraque simul requiruntur ad Crisim. In eo vero maior est confusio, & detestandus error, si firmatum non est, an perturbatio ipsa, vel solutio, aut vtrumque Crisis proprie dici debeat: nam cum solutio fieri debet in die decretorio, perturbatio incipit sæpe in die antecedente, veluti cum Crisis, & expulsio incipit in primis horis diei, quemadmodũ dicebat Hip. in 13. *aph. huius lib.* Noctẽ quæ præcedit Crisim, grauiorẽ esse solere ea, quę subsequitur; At, si ita se res habet, Crisis fiet in die non critica: nam perturbatio, quam Crisim ille statuit esse, in eo fit; at, si vtrumque, nempe ipsam perturbationem, & solutionem ipsam Crisim esse dicamus, sæpe non vnus dies, sed duo & tres erunt critici: nam perturbatio alium quendam occupat, alios vero, quam ipsa excretio, & quæ per ipsam fit, solutio morbi: non ergo de nomine est quæstio, vt Gal. tradit, sed de re ipsa, quæ fundamentum est totius huius tractationis. Cogunt autem, quæ superius adduximus, rationes, *nomen Crisis vsurpandum esse pro ipsa mutatione, quæ fit in morbis, non autem pro agitatione, quæ omnem mutationem non præcedit, nec in diebus criticis semper cum ipsa mutatione accidit*; Cæterum cum nos quæramus mutationes solum, quæ fiunt à natura in diebus certis excludẽdæ veniunt a nomine Crisis illæ, quæ fiunt manu Medici: non enim Crisim vocamus febris Synochæ solutionem, quando illam Medicus, confertim facta sanguinis missione, parit, vel cum morbos ex cacochymia vniuersum corpus vel partes aliquas vehementer infestantes, vehementiore purgatione tollit: hæc enim non in dieb. criticis, sed in aliis fieri, dicuntur, & fiũt, *Erit ergo Crisis mutatio, quæ fit in morbis, à natura, at non per generationem carnis, aut alterius cuiuscunque operis, sed per expulsionem noxii humoris*: nam per solam concoctionem nec longi morbi, nec breues, nec qui acuti sunt in pueris, solui possunt: nã cũ Crisim potissimum statuamus in morbis, *qui infestant cum febre*, necesse est excretionem aliquam sequi, etsi in aliquibus illa est euidens, & sensibilis, in aliis vero occulta & insensibilis: in duris enim, & astrictis corporibus, euaporatio non sufficit ad febres soluendas, sufficit vero in pueris; quorum humores sunt aquei, & aerei, qui facile in vaporem conuerti possunt, & corpus mollissimum, rarissimumque, per quod facilis fit euaporatio. In morbis etiam longis, quia diuersi generis est materia, pars post partem concoquitur, & expellitur vel per insensibilem transpirationem, quam frictiones, balnea, exercitatio, & alia illorum morborum præsidia præstant, vel per leues, & diuturnas quasdam excretiones, per vrinas, aluum, vomitum, sudores, vt in quartanis, & quotidianis febribus contingere videmus; Quas quidem excretiones, quoniam vel conspicuę non sunt, vel tardæ, diuturnæque, & propterea ad subitas solutiones morbi efficiendas ineptæ, Galenus, tanquam non sint, eas prætermittit, & soli concoctioni male tribuit vim soluendi eos morbos; Vt igitur omnes dies, menses, & annos decretorios comprehendere possimus, & omnium morborum solutiones, quæ fiunt certis temporibus, in aliis vero non fiunt, *Crisim vocabimus solutionem morbi, quam natura facit cum excretione extra, vel intra corpus, sensibiliter, vel insensibiliter*: sic enim abscessus etiam comprehendemus, & solutiones febrium in pueris, necnon diariarũ, & longorum morborum Crises. *At quoniam inter solutiones illæ maximæ dignitatis, & perfectionis sunt, quæ sunt confertim factæ, ideo simpliciter, & inter alias re vera Crises dicuntur mutationes, quæ sunt vehementes siue confertim factæ.* Rursus, quoniam inter mutationes illæ, quæ bonæ sunt, præstantiores censentur esse, ideo aliquando authores nostri eam Crisim solum vocant, quæ bona est, & multo magis contrahunt nomen Crisis, cum eam dicunt esse mutationem, quæ est bona, perfecta, fida, indicata, clara, tuta, tunc enim quod est perfectissimum definiunt. Verum ad tractationem de diebus Criticis, primum vsurpare oportet Crisim *pro solutione morbi, quæ à natura fit cum excretione aliqua*, sic enim omnibus diebus Criticis locus dabitur; deinde vero etiam Crisim sumemus *pro ea, quæ bona est mutatio*, cum quæremus, an bonæ mutationes proprios habeant dies, & alia propria tempora. Ergo ex his patet, diem Decretorium nihil aliud esse, *quam eum diem, in quo mutationes fiunt in morbis per excretionem à natura*; inter quos magna est differentia: nam quidam solum retinent vniuersale nomen, quod s. decretorii sint; alii vero indices, siue contemplabiles; alii vero intercidentes siue intercalares proprio nomine nuncupantur; Decretorii sunt, & dicuntur, *in quibus sæpius fiunt Crises*, Indices vero sunt, *qui ostendunt, quid sit futurum in illis diebus Criticis*; Intercidentes autem dicuntur, *in quos ob accessionem, in eo die, qui præcedit, vel sequitur* immediate decretorium vel indicem, Crisis fit. Est autem index decretorius, sed non primi ordinis & dignitatis, & propterea proprio nomine index potius, quam decretorius nuncupatur; Ita decretorius simpliciter dictus, qui est præcipue dignitatis index quoque, sed index proprie non dicitur, vt qui iam propriam, & digniorem appellationem

Sententia autoris.

Crisis re vera quid.

Per solam cõcoctionem nullos morbos posse solui.

Crisis ad quos potissimum morbos pertineant.

In quibus sint perspicuæ & in quibus occultæ.

Crisis re vera quid.

Crisis perfecta.

Crisis quomodo vsurpetur.

Dies decretorius quis.

Dierum decretoriorum differentiæ.

Decretorii.

Indices siue contemplabiles.

Intercidentes siue intercalares.

nem sit sortitus, nempe quod dicatur dies decretorius: tunc autem index vocatur, cum in eo non fit Crisis, sed eam ostendit futuram in aliquo ex sequentibus diebus: Intercidens vero dies suapte natura (vt inquit Galenus) decretorius non est, sed ex accessionum natura, vel ob errores talis euadit, & propterea index etiam non est futuræ Crisis in diebus decretoriis; Dies vero, in quo non fit Crisis ex natura diei, vel accessionis, aut non fit indicium, quid in sequentibus diebus sit futurum, nullo modo dicitur decretorius; Quidam vero sunt, qui mediam (vt ait Galenus) naturam habent inter decernentes, & non decernentes. Hæc ita puto clarius esse distincta, quam à Galeno ipso, qui in omni pagina *in lib. de diebus Decret.* de his diebus agit, nec tamen statuit aperte, quid sint, & quæ sit in ipsis differentia. Ac in promptu quidem sunt exempla, quæ hanc rem obscuriorem patefaciant rudioribus, septimus, & 14. veri sunt decretorii, 4. & 11. sunt illorum indices, quartus quidem septimi, & vndecimus 14. Tertius vero, & quintus, sunt intercidentes quarti, nonus, septimi, octauus, decimus, duodecimus, decimussextus, decimusnonus de morbis nunquam decernunt, decimustertius mediæ naturæ est inter decernentes, & non decernentes. Sed hæc sigillatim postea explicabuntur. Nunc vero illud sequitur explicandum, quot sint primum dies omnes decretorii menses, & anni, deinde, qui nam ex tota multitudine maximæ sint dignitatis, & potentiæ, qui vero secundi, & alterius sint ordinis. Decretorii dies dicuntur esse à Galeno tertius; qui inter Decretorios primus in ordine censetur ab illo esse 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 18. 20. 21. 24. 27. 31. 34. 37. 40. 60. 80. 120. Post hos vero non fit immoratio per dies, & septimanas, sed per menses, & annos; alii enim septem mensibus, alii septem annis, binis alii annorum hebdomadibus, & ternis finiri morbos aiunt; sunt tamen, inquit, qui quadragesimiquinti, & quadragesimioctaui, & quorundam aliorum mentionem faciunt. Verum inter 20, & 40. ait duodecim esse dies non Decretorios scilicet 22. 23. 25. 26. 29. 30. 32. 33. 35. 36. 38. 39. 8. vero & 10. 12. 16. 19. in primo de dieb. Decret. cap. 30. scribit non esse decretorios, quoniam morbus subito in illis non soluitur. quod si aliquando in 8. & 10. subita morbi solutio incidat, similem ei esse qui in 6. accidit. Verum raro in illis fieri solutiones, & eas quidem sine fide, nec bene, nec perfectas, & obscuras. Hæc est enumeratio dierum decretoriorum ex Galeni sententia, quæ nihil firmum & stabile habet: nam primum omittit 1. & 2. diem, in quo diariæ soluuntur, etsi *in 1. de diebus Criticis.* ita scribit, *1. & 2. sunt Decretorii, si Crisim sumas pro solutione morbi: nam Diariæ 1. vel 2. soluuntur, si Crisim sumas pro perturbatione, non sunt Decretorii, quia perturbatio illa in his diebus non est perspicua.* Qua in re quid ineptius dici potest? nam si tota de diebus decretoriis tractatio pendet ex nomine, & natura ipsius Crisis, oportet profecto huius rei authorem primum statuere, quid Crisis sit; ac, vt antea ostendimus, absurdum est alio modo Crisim intelligere, quam ipsam solutionem, alioqui vniuersa dierum decretoriorum enumeratio, & ordo confunduntur: ergo

Veri decretorii quos indices intercidentes.

Ordo dierum decretoriorum secundum Gal.

1. & 2. iam erunt decretorii, si diariæ in illis soluuntur per excretiones, nempe sudores, sæpe, vt morbi acuti; ac non solum quidem diariæ, sed Apoplexiæ, Syncopes, Tetani, ac etiam Anginæ nonnunquam 1. aut 2. die occidunt, vel mutationem faciunt ad melius. Quare, non est, quod dicamus primum, & secundum non esse Decretoriarum, quia solæ diariæ in illis soluantur; Crisin vero esse morborum acutorum duntaxat, vt qui soli subitas, & magnas mutationes faciunt: nam, vt ostendimus, etiam peracutissimi morbi in illis diebus mutationes efficiunt. Præterea, absurdum est, solutionem diariarum, non comprehendere nomine Crisis, cum à natura fiat eo modo, quo fiunt solutiones acutorum morborum, scilicet agente natura per concoctionem, & excretionem. Quapropter, si certa quærimus tempora in quibus natura solet mouere, & mutationes facere in morbis, hoc commune debet esse omnibus morbis, in quibus, natura iisdem facultatibus suis vtitur. Præterea in enumeratione ista dierum, dicit quosdam ponere certos dies inter decretorios, se vero, & alios non ponere, quasi nihil certum statui in illis possit; Addo, quod ex Hippocrate plures alii sunt addendi, qui etsi raro decernunt, tamen ratio aliqua esse debet, cur aliquando id faciant, si ille omnium dierum Decretoriorum rationem se inuenire posse putat. Hæc ergo dicta sint contra totum numerum dierum Decretoriorum. Nunc videamus, quam dignitatem, & potentiam singulis tribuat.

Primi ordinis statuit eos, in quibus fiunt Crises maxime laudabiles, & frequentes, & inter hos constituit septimum esse primum, hinc enim bonas, indicatas, tutas, manifestas & perfectas Crises facere solet; decimus vero quartus 7. inquit, sequitur; proximi vero sunt 9. 11. 20. prope hos 13. & 5. post hos, 4. hunc sequuntur 3. & 18. at post 20. inquit Decretorii sunt 21. 27. 31. 34. 40. ac 44. vim habet insignem, eo tamen maiorem habet 40. His minus decernunt 24. 31. & multo minus 37. qui medius inter decernentes, & non decernentes, & magis ad hos, quam ad illos accedit: Alii vero omnes inter 20. & 40. qui (vt diximus) sunt numero duodecim, Decretorii non sunt. Hæc est Galeni supputatio, & ordinatio dierum Decretoriorum vsque ad 40. contra quam multis rationibus agere possumus; & 1. autoritate Hippoc. qua ille potissimum nititur ad firmandum eum ordinem, & contendit septimanas secundam & tertiam coniungendas esse, & propterea 20. & non 21. etiam decretorium; ait enim Galenus, vsque ad 14. diem nullam esse natam discordiam apud Medicos de numero & dignitate dierum decretoriorum, post vero 14. discordiam fuisse non paruam, & eam quidem natam esse ex eo, quod nonnulli iudicant septimanas integras esse ponendas, alios vero voluisse decimumquartum diem esse vltimum secundæ septimanæ & primum tertiæ: nam qui decimumquintum diem dicunt esse primum tertiæ septimanæ, coguntur 21. & non 20. ponere decretorium primæ dignitatis & 18. non autem 17. ponere indicem sicut 4. erat index 7. & 11. 14. atqui coniungunt secundam septimanam cum 3. 20. & non 21. decretorium præferre statuunt, & 17. vigesimi indicem: atque in eo totus labo-

Diem primū & secundum etiam esse dies decretorios.

Quam dignitatem Galenus singulis diebus decretoriis tribuat.

Refutatio Galeni.

rat Galen. vt priorem destruat opinionem, aliam vero confirmet, & primum quidem in eo negocio vtitur multis Hippocratis testimoniis sumptis *ex libris Epidem.* & *ex hoc ipso Aphorismo*, in quo vigesimum, & non vigesimum primum decretorium, & decimum septimum, & non decimumoctauum idem author asserit esse. Postremo vero, *in 3. lib. de diebus decr.* ex astris idem probare nititur. Verum primum excutiamus Hippocratis sententiam, quæ non fauet huic opinioni; adsero enim *ex primo Epid.* locum, quem ipse etiam imprudenter, vt puto, eo quod contra se faciat, transcripsit *in lib. 2. de diebus decretoriis*, sunt autem hæc Hippocratis verba; *est autem primus decretorius circuitum: qui paribus diebus decernunt 4. 6. 10. 14. 18. 20. 24. 28. 30. 34. 40. 60. 80. 120. eorum vero, qui imparibus circuitibus iudicant, 1. est 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. 27. 31.* quam sententiam ipse laudat, & eos reprehendit, qui non obseruauerunt, nec etiam cogitarunt duplicem esse dierum decretoriorum naturam, vnam, quæ paribus, aliam, quæ imparibus circuitibus iudicat de morbis. At si ita est, cur Galenus ipse vnicam contendit efficere, & vigesimum primum constituit tertiæ septimanæ extremum? Reclamat enim Hippocrates, qui *in eo contextu* ait, id solum contingere diebus Criticis, qui per pares circuitus iudicant de morbis: in aliis vero vigesimum primum, & non vigesimum esse Decretorium, illiusque decimum octauum esse indicem. Quod si vigesimus decretorius est in illis, erunt pariter sextus, decimus, vigesimusoctauus; trigesimus etiam decretorii: nam omnes illi sequuntur circuitum, in quo vigesimus decretorius ponitur. In alio vero ordine, in quo vigesimus primus decretorius ponitur ab Hippocrate non quartus, sed tertius, & quintus decretorii sunt, ergo errat Galenus qui vnicum ordinem ponit, & eosdem dies esse decretorios, cum authore Hippocrate duo sint ordines, & proinde non idem semper dies decretorius, sed proprii in vnoquoque ordine; nec est quod se tueatur Galenus ex eo, quod dicat Hippocrates in Epidemiis tradidisse, quæ docuit in aliquibus experientia. In Aphorismis vero, & prædictionibus ea scripserit, quæ sunt vniuersalia, & ex verioribus experimentis collecta, & confirmata: nam cum Hippocrates *in præcitato textu* ex duplici natura circuituum, colligat duplicem ordinem statuendum esse diebus Criticis, non vtique argumenta sumit ex enumeratione quorundam particularium. Præterea, si quæ scribit in Epidemiis, fidem non faciunt, cur ille ex eo Opere colligit sententias ad id probandum, quod instituit? Addo, quod eadem est sententia *in tertio libro Prædictionum*, & *in Aphorismis*, nam *in Prædictionibus* inquit febrium iudicationes fieri iisdem numero diebus, & ex quibus superstunt homines, & ex quibus intereunt; simplicissimæ enim febres & signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citius desinunt; Aliæ vero quæ deterrimæ sunt, quarto aut citius interimunt. Subiungit: *Si ergo ex morbis acutissimis per quatuor ad viginti ex additione terminantur.* Dixit vero (*Si*), vt non putemus omnes morbos eosdem dies Decretorios habere; In Aphorismis vero scribit, sudores esse bonos, qui tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, decimoseptimo, vigesimoquarto, & vigesimoseptimo fiunt.

Duo ordines dierum decretoriorum.

Quartum vero hic omittit, & Galenus etiam raro fieri Crises in quarto, memoriæ prodidit; oportere tamen si esset solus ille ordo, qui fit per septimanas coniunctas quartum maiorem habere vim, quam tertium & quintum, qui soli sunt intercidentes ob accessiones: Quartus vero ex diei natura, & firmo eo ordine, quem ducit ex natura dierum, & naturæ ordine, superiorumque syderum influxu. Morbum vero regium bonum esse dicit, qui septima, nona, vndecima, & decimaquarta febris die superuenerit, cum vero, qui in prioribus diebus acciderit, malum esse, qui tamen dies in quibusdam morbis sunt laudabiles, tanquam diuersa sit morborum natura, quæ vnicum ordinem dierum decretoriorum sequi nequeat. Deinde, cur Galenus post nonum, decimum tertium, quintum, ponit quartum sequi in bonitate? nonne quartus eam rationem habet ad septimum, quam vndecimus ad decimumquartum, & decimus septimus ad vigesimum? cur ergo raro illum dicit decernere? Sed hæc postea diligentius expendemus. Nunc vero videamus, qua ratione ille velit sufficere, vt quidam dies sint decretorii, alii vero non, & inter decretorios, cur quidam sint primi ordinis, & dignitatis, alii vero alterius. Hanc disputationem ille instituit *in 3. lib. de diebus decret.* vbi & hæc proponit disputanda: Cur non omnes dies sint æque iudicatorii: Deinde, cur fortissimi sint septenarii, & secundum locum obtineant quaternarii, & cur quædam sint inter hos intercidentes, cur præterea quædam septimanæ, & quaternarii à se inuicem separentur, alia vero coniunganrur. Postremo, cur acuti morbi diebus imparibus, longi vero paribus omnino iudicentur. Vt his vero quæstionibus respondeat, quædam supponit; Primum est, omnium, quæ fiunt, duo esse statuenda principia, vnum quod sumitur ex materia mundi; alterum ex cœlesti natura: & illud quidem, quod sumitur ex mundi materia, siue, vt aliter interpretatur, ex proximis rerum causis, inordinatum esse; alteram vero agnoscit originem à natura cœlesti semper cum ordine, & ornatu procedere, deinde supponit omnia astra in nos agere. Solem inter omnia maximam vim habere ad mundum exornandum, & concinne disponendum: hic enim, inquit annum, annique tempora efficit, animalia generat ex terrestri fæce, fruges maturat, ac animalia ad coitum & generis propagationem prouocat. Post Solem magna, inquit, sunt Lunæ opera: nam hæc menses ordinat, sed Solis beneficio; noua enim ipsa, lumen fortitur cum Sole primum, eoque eius beneficio fruitur, tantaque eius portio semper illucescit, quantam Sol aspicit, prorsus autem deficit, lucisque expers redditur, vbi terra suo interuentu ipsam obtenebrauit. Quapropter, à Solis recessu omnes mutationes suscipit; etenim, plena est cum Diametra appareat, æqua autem portione diuisa cum Quadrangula est, gibbosa autem cum Triangula, falcata autem sex angulis prædita; tunc vero primum recens est, cum post Solis congressum apparet; at obscuratur omnino, cum Solis lumen circa eam emergit. Vires autem illius sunt euidentes: nam fructus auget;

Effectus Solis in ... Galeno.

Effectus Lunæ ... eundem.

incrassatque, animantia implet, mulieribus statum tempus menstruorum conseruat, Comitialium circuitus custodit, non potentia cæteros Planetas, sed vicinitate exuperans; eamque vim non simpliciter, verum ex Solis aspectu consequitur. Vehementiores autem mutationes ab ea fiunt, vbi cum Sole coit; insuper in pleniluniis minores his contingunt, cum medio suo orbe apparet, obscura, dum curuata in cornua, ac falcata videtur, obscurioresque sunt mutationes, quæ curuata, quam falcata Luna fiunt. Verum plenilunia celerrimas statim mutationes faciunt, coitiones vero inæquales, & diuturnas: nam interim cum Luna occultatur, nihil manifesto fit; longum autem hoc est tempus occultationis integri fere signi cursum explens: itaque plerumque B triduo in coitu Solis remorata, plane inuisibilis est, quo nondum hæc terrena immutare potest. Porro mutationem ex incremento ad diminutionem, punctum exacte definit, quod Luna temporis momento pertransiit; itaque breues plenilunii mutationes, diuturnæ coniunctiones merito fiunt: nam occultationis tempus sibiipsi simile est, & quod prima apparitio habet, occultationi est vicinum, tum propter plenilunii particulæ apparentis paruitatem, tum ob luminis obscuritatem, & breuitatem temporis, quo supra terram fertur. Tuta igitur Crisis euadet, cum toto mense status in secundo die accidet, quo primo & manifesto Luna longo satis tempore C super terram iam apparet, & lumen de se mittit, vmbramque euidenter ostendit. Primi autem dies tamdiu Lunam supra terram vagantem habent, quamdiu adhuc Solis etiam lumen post occasum retinent; quare in hoc Luna simul cum Solis lumine occidit, sæpe vero & prior est occidua, & secundo die primum elucescit, nunc minus, nunc magis apparet, atque hoc ei accidit tum longitudine à Sole recessus, qui ob peculiarem Lunæ motum fit, tandem collegit Galenus, Mensem à Luna immutari secundum septimanas, & medium septimanæ tempus; maiores vero esse mutationes, quæ in ipsis septimanis fiunt; & quia res aliæ vniuersæ inde mutationes capiunt, ideo Crises, & mutationes, quæ D in nobis fiunt, validissimas esse, quæ fiunt, cum Luna magnas suas facit mutationes, imbecilliores vero illas esse, quæ in mediis septimanis, id est, quarto quoque die contingunt. Quæ quidem paulo diligentius expendere oportet. Ac illud primum, quod scribit, ordinem esse in superioribus: inordinationem vero, & confusionem in inferioribus, etsi quid in his ordinatum est, illud emanare ab illis, & conseruari; quod vero in nobis est inordinatum, & confusum, ex nobisipsis, nostraque materia procedere: nam Astrologi omnes tradunt, Planetas, & præsertim Lunam, cui tantum tribuunt, maxime inordinatas motiones, & inæquales habere; quod etiam docent, quæ in hoc inferiori mundo superiorum vi fiunt, pluuiæ, venti, grandines, nebulæ, E pruina, & cætera huiusmodi, quæ nunquam, vel rarissime contingunt illis diebus, & horis, quibus præsagiuntur ventura ab Astrologis. Præterea, quæ nostram formam, & materiam sequuntur, statum, & firmum habent ordinem; quod in primis docent, elementorum firmus, & stabilis situs, generatio viuentium, in quibus partes

...rum esse verum quod dicit Gal. ordinem esse in superioribus inordinationem vero & confusionem in inferioribus.

A suam formam, figuram, situm, cónexionem, numerum, magnitudinem perpetuo seruant, & si quando error in illis fit, monstrum dicitur esse, quod etiam ipsi Astrologi dicunt ex syderibus infeliciter, cum fieret generatio, concurrentibus, fieri. Quid quod illi dicunt sapientes astris dominari? tanquam ex nobis euitare possimus errores, quæ illa committunt, & minantur; ac vt Solis, & Lunæ vices, de quibus potissimum agit Gal. contemplemur, scio vulgatam esse opinionem, Solem esse omnium generationum causam, quando etiam illum nostræ genarationi cum hominibus se miscere, memoriæ prodiderunt philosophi. Verum, vt ille in his, quæ non nisi vi extrinseci caloris prodire possunt è terra, B vt plantæ, magnam vim vtique habet, ita in nobis quantam, quæso, habet? nam quo tempore ille latet per noctes, & hyberno tempore, quo minimum potest, sumus, & validiores, & promptiores ad generationem; quo vero tempore ille vim suam maximam, & diuturnam in nos demittit, läguescit Venus, & generatio intermittitur. Quod si in aliis animalibus vim suam euidentius ostendit, vt quæ Vere potissimum ad concubitum, & generationem excitantur, cur non deberet etiam à communi causa fieri idem in nobis? An etiam alia ratione hæc differentia apparet? nam bruta, præsertim quæ herbis vescuntur, hyberno tempore impotentia sunt ad C generationem, ob malam, & parcam nutritionem, quæ pullulantibus, & iam vigentibus herbis iucundior & vberior illis suppetit; ergo nostras generationes ex nostris principiis, absque syderum concursu, & auxilio, fœliciter satis perficimus: in morbis vero generandis & soluendis Sol quidem magnam habet vim, suo motu & lumine calorem in nobis excitando, sed non certis diebus & temporibus hoc facit, sed pro cuiusque corporis patientis natura, citius, aut tardius. Iam vero quod dicit, Lunam facere statum tempus menstruorum in mulieribus, & accessionum in Epilepticis, quomodo probari potest? nam menstrua fiunt, vt ipse Galenus scribit, cum vis expultrix, quæ in nobis est, à multitudine D humorum sese exonerare cogitur: igitur si menstrua sequerentur Lunæ vires, fierent vtique in solo plenilunio, aut certe maxime in illo, quando humores maxime abundare dicuntur, tunc enim quod molestare potest, maxime viget, videmus autem mulieres, quæ multis abundant humoribus, non semper expectare integrum Lunæ circuitum, sed sæpius nonnullæ, aliæ vero etiam continuo, ac etiam in tempore quo fœtum in vtero gestant, sese expurgant, quod euidentissimo est argumento, hanc expurgationem sequi solum humorum vitium, quod vt inæquale est in omnibus fere mulieribus, ita diuersos, & inæquales motus in illis facit, vt plurimum tamen illæ singulis mensibus sese expurgant, quocunque modo se tunc habeat Luna. At si luna accessiones Epilepticorum facit, cur etiam E non facit accessiones omnes febrium, & aliorum morborum. Iam dicat Galen. quis motus Lunæ, aut Solis vis efficiat, vt quædam febres quotidie, aliæ vero interpolatis diebus, aliæ per maiora interualla exacerbentur, & nunc solitam horam seruent, nunc vero anticipent, aut post longum interuallum tardent? oporteret profecto

Solem ... nostram generationem nihil præstare vt & sydera concursum.

Solis vis in generandis & soluendis morbis.

Lunam nihil facere ad statum tempus menstruorum.

Lunam non facere accessiones epilepticorum non febrium aut aliorum morborum.

harum rerum causam à Sole, & Luna deducere; sed alia profecto est ratio, aliæ causæ, quæ in nobis sunt natæ, & a nobis solis prouenunt, absque aliqua mixtione virtutis superiorum. Iam vero si recipimus, mutationes, & Crises fieri cum Luna coit, vel plena est, vel dimidia, aut alias facit mutationes, oporteret profecto Crises non contingere, nisi in illis momentis, & raris mutationibus, quæ singulis mensibus contingunt in Luna; at singulis diebus & horis Crises contingunt, in quibus Luna quiescit. Cur præterea, vt in morbidis, sic in sanis suas vires non ostendit Sol, & potissimum Luna? nam si tantum potest perturbare ægrotantia corpora, vt certis diebus cogat illa subitas & vehementes excretiones efficere, imo viuere, & mori, cur nobis valentibus, sine sensu aliquo boni vel mali, vniuersas suas mutationes toto anno Luna exercet? quot enim, quæso, sunt, qui nec intelligunt, nec sentiunt, quando Luna iacet cum Sole, vel à suo gremio se liberat, & longe progreditur? Deinde, si potestatem habet Luna soluendi morbos per crises, per subitas & magnas mutationes, & excretiones, cur etiam eam non exercebit in leuioribus morbis? cur ergo solos morbos acutos, & non Diarias febres statuimus per Crises terminari? mirum enim est, si in sanis nullas efficit mutationes vel minimas, in ægris vero non nisi maximas; addo, quod si vt Gal. scribit, præcipuæ mutationes Lunæ contingunt per septimanas, aliæ vero, quæ sunt proximæ potentiæ quarto quoque die, cur in omnibus quartis diebus, donec vis Lunæ vniuersos decretorios moderatur, non fiunt pari virtute, & modo Crises & maxime in primis septimanis, vbi Luna potentissimam vim habet? cur igitur quartus dies, vt ille refert, nunquam, vel raro de morbis decreuit? Habet enim quartus ad septimum eandem rationem, quam vndecimus ad decimumquartum, & decimus septimus ad vigesimum; at vndecimus, & decimusseptimus secundæ dignitatis inter dies Criticos sunt, quartus vero contemptus iacet post alios omnes reiectos. Amplius, si proportio semper seruatur per septimanas, & vigenarios dies, vt ille scribit *in 2. de diebus decret.* cur ait, imbecilles decretorios obscurari, semper vero manere perfectum decretoriorum numerorum circuitum? manebit ergo eadem vis in omnibus, qui sequuntur eosdem Lunæ motus. Adhæc, si primum diem non vult esse decretorium, cur vigesimus primus, qui iam excidit à septimanis, aut certe primus est quartæ septimanæ, vt omnium primus primæ in vtroque debet esse par ratio. Hæc ergo, & multa alia satis ostendunt, oppositiones, coniunctiones, & alias mutationes, quas Luna facit, cum ad Solem accedit, vel ab eo recedit, non posse esse Authores Crisium. Aliam vero excogitarunt interpretationem Galeni interpretes, qui pro hac ratione dierum decretoriorum certant. Non enim Galenum velle Crises coincidere necessario in coniunctionibus, & oppositionibus Lunæ cum Sole, sed secundum varios aspectus, quos habet Luna, dum Zodiacum pertransit: nam in quocunque puncto fuerit Luna, cum tria signa Zodiaci peragrauerit, fit aspectus sextilis, & media septimana, cum vero quatuor, quadratus, & tunc est integra septimana; cum vero tria alia signa pertransit, fit trigonus aspectus, & medietas secundæ septimanæ; absolutis vero duodecim signis, est finis secundæ septimanæ, & fit oppositio; cum vero ab eodem puncto Sol & Luna recedunt, tunc est coniunctio; isti autem aspectus potentes fiunt ratione angulorum, & maxima est vis amicitiæ, & inimicitiæ in aspectibus; Sextilem enim esse felicem, sed imperfectum; Trigonum perfecte bonum; Imperfectam inimicitiam esse in quadrato; Perfectam in oppositione; Non mirum ergo, si in aspectibus inimicis fiant magnæ mutationes. Addunt præterea, illi influxus cœlestes non solum propter aspectum, sed etiã propter naturam signorũ, nec non propter Epiciclos atq; etiam propter Syderũ naturam fieri: nam si Luna iuncta fuerit cũ signo calido, vel mobili, tũc aiũt fieri clarioré mutationé, veluti, cũ Luna est in Ariete; quãdo vero cõiuncta est cum signo frigido, humido, aut sicco, tunc fit tardus motus morbi, & Crisis. Quod vero pertinet ad Epiciclos, aiunt Planetas, qui accedunt directe, potentiorem habere vim in coquendo, & alterando morbi materiam, & ita Crises accelerare, quam quando retrocedunt. Iam vero situs Syderum suam quoque vim habet: nam Borealia signa in nostris regionibus aliis plus possunt; Atque ex his quidem causis fieri, vt Crises nunc in quarta, nunc in septima, vel in aliis decretoriis diebus anticipet, vel tardet. Quando vero accedunt causæ extrinsecæ, vel accessiones febrium, tunc fiunt Crises non in diebus re vera decretoriis, qui per medias, & integras septimanas fiunt: sed in vocatis intercidentibus. Verum etsi isti aliquid dicunt probabile, tamen hi aspectus, qui fiunt inter Lunam & Solem per medias, & integras septimanas, non coincidunt in omnibus ægrotantibus in coniunctionibus eorum sydorum, & illis oppositionibus, quæ à coniunctione motu Lunæ perficiuntur: Non enim propterea, quod trãsierunt quatuordecim dies posteaquam quis cœpit ægrotare, Luna dicetur esse in vera oppositione, id est, plena: contingit enim in eo die forte esse nouam. At Galenus in ipso plenilunio, & in coniunctione potissimum fieri mutationes in his inferioribus, & proinde Crises in morbis, statuit; oppositiones vero illæ, quæ fiunt per angulos, longe diuersæ sunt ab illis, per quas Luna nunc sub vna, nunc sub alia figura nobis apparet, aut occultatur. Iam vero hos aspectus per angulos nemo sensu aliquo deprehendit in nobis aliquas efficere mutationes, quare nec Crises facient. Cæterum si Epicicli & Syderum situs vim habent accelerandi, & tardandi Crises, nullus erit certus dies, in quo Crises fieri debeãt; non igitur septimus magis, quam sextus vel octauus, non decimusquartus magis, quam decimus tertius vel decimusquintus. Præterea, si fauentia Sydera vim etiã habent ad bonas Crises faciendas, mala autem ad malas: numerus dierum, quid poterit in hac re amplius? nã si forte in sexto die stent fauentia Sydera, in septimo autem infausta, in quo, quæso, die melior fiet Crisis? nam septimo fauet aspectus quadratus, sexto autem bona Sydera. Verum, contra vniuersam hanc opinionem aliis argumentis ita pugno: nam si septimus est maxime dignitatis, cur omnes Crises non fiunt in septimo, hoc enim accidere oportet, si astra causæ sunt dierum decretoriorum,

Crises non sequi mutationem lunæ.

Lunæ oppositiones, coniunctiones & mutationes alias non esse authores crisium.

Epicicli & syderũ situm nullam habere vim accelerandi & tardandi crises.

Astra non esse causas dierum decretoriorum.

tiorum, & septimus dies maximam vim inter omnes alios obtinet. Sed quomodo, quæso, septimus erit primæ dignitatis, & virtutis, si statuit in coniunctionibus & in oppositionibus maiores fieri mutationes in nobis, quam in quadraturis? nam septimus fit in quadraturis, decimusquartus in oppositione. Præterea, si in sextili oppositione & mediis septimanis fiunt pares mutationes, & tanto maiores, quanto morbus est recentior, cur quartus dies non est eiusdem, vel etiam maioris dignitatis, cum vndecimo & decimaseptima sæpius ergo & non rarissime fieri debent in quarta die Crises. Cur etiam primus dies non erit decretorius, cum sit principium primæ septimanæ, vt octauus secundæ, & 21. quartæ? Mirum etiam est, si quartus, vt ille tradit, potest esse iudex sexti & septimi: nam indices sunt dies, qui sunt medii in septimana: vt quartus non potest esse medius respectu sexti & septimi, quid, quod ait, in morbis intermittentibus nō per dies, sed per accessiones numeranda esse tempora decretoria? quomodo enim accessionū numerus in Lunam referri poterit? nam quarta quartanæ accessio, ad nonum diem, & septima ad decimumoctauum pertinet, & in tertianis quarta accessio ad sextum, septima ad decimumtertium pertinebit, ergo sextus & decimustertius potius erunt decretorii, quam septimus & decimusquartus; ac quod maximi est momenti, nullus mensis Lunaris conuenire potest diebus decretoriis: ponit enim ipse quatuor mensis species. Primam, quam appellat mensem coniunctionis, quæ fit, cum Luna cum Sole coit, & comprehendit tempus, quod est ab vna coniunctione ad aliam; Aliam ponit, quę dicitur esse mensis peragrationis, quæ comprehendit tempus, quo Luna totum Zodiacum perambulat. Tertiam ponit mensis speciem, quam vocat illuminationis, quæ continet tempus, quo Luna lumen suum emittit & nobis apparet; Quartam vero ponit speciem mensis, quam fictitiam appellat, de qua postea; Mensis autem coniunctionis cōtinet viginti nouem dies cum dimidio, cuius tres septimanæ faciunt viginti duos dies cum octaua alterius diei parte; vnde vigesimus non esset decretorius, vt ille vult. Mensis autem peragrationis continet vigintiseptē dies, & tertiam partem alterius, id est, octo horas, cuius tres septimanæ complentur in diebus viginti & media alterius diei parte, id est, duodecim horis, atque ita vigesimus primus est decretorius & non vigesimus. Mensis vero apparitionis siue illuminationis, non semper idem habet tempus, cum non semper æquali tempore post coitum cum Sole delitescat, sed aliquando tres dies, aliquando duos, aliquando per minus spatium hoc fiat. Propterea ille male tempus hoc occultationis statuit esse trium dierum, & tempus, quo lucet, esse spatium viginti sex dierum cum octo horis. Ex quo fit, vt tres septimanæ faciant solum viginti dies minus octaua diei parte: quare nec vigesimus potest esse secundum hunc mensem decretorius, sed decimusnonus; itaque cum non videret secundum alterum mensem ex prædictis vigesimum posse esse decretorium, coniungit duos menses inter se, scilicet mensem illuminationis, & peragrationis, quem postea diuisit in partes æquas, & quælibet pars facit vigintisex dies; & horas vigintiduas,

Mensis quatuor species secundum Galenum. 1. 2. 3. 4.

quod tempus si in quatuor septimanas diuidatur, quælibet septimana habebit dies sex, & horas decem & septem cum dimidia, atque ita tertia septimana erit in vigesima die cum sexta & sexagesima & ducentesima quadragesima parte, & ita parum superant tres septimanæ viginti dies.

Aphor. XXV.

Οἱ τεταρταῖοι θερινοὶ τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες, οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ, μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

Aestiuæ quartanæ breues, Autumnales longæ, & maxime, quæ Hyemem attingunt.

Liber iste, vt sæpe diximus continet potissimum signa prognostica. itaque cum in superioribus Aphorismis docuisset certum terminum morborum acutorum, nunc idem docet de morbis longis, qui nullum certum terminum habent, vt experientia docet. Quapropter ex causis illorum potissimum debemus indicia sumere, vt si certum tempus prædicere nequaquam possimus, saltem præsciamus, qui nam longiores, aut breuiores sint futuri. Et quoniam inter morbos, febres Methodum prædicendi euidentius ostendere possunt, ideo quartanam assumit febrem, & in ea docet prædicere longitudinem, aut breuitatem, vt ex ea postea idem in aliis discamus præsagire. Dicit igitur Hippocr. *eas quartanas, quæ sunt æstiuæ, magna ex parte breues fore, Autumnales vero longas, & maxime, quæ Hyemem attingunt,* tanquam anni tempora celeritatem, aut tarditatem morbis adferāt. Qua in re primum illud notandum est, cur non dixerit, *Hyemales* sicut *Aestiuas, & Autumnales,* sed *quæ Hyemem attingunt;* & cur etiam Vernalium mentionem non fecerit. Quidquid alii temere in hac re dicant, hæc (vt puto) vera est ratio, quoniam humor, qui quartanā committit, est atra bilis, quę in principio Hyemis, reseruata ab Autumno, plurima adhuc est; at Hippocr. *in lib. de Natura humana* scribit, non solum de atra bile, sed etiam de aliis humoribus, qui in proximo sequente tempore, in quo sunt geniti, adhuc abundant, sed paulatim postea dominante humore proprio tempori, prior deficit; itaq; procedente Hyeme, & iam in media Hyemis parte, quæ vera Hyems est, atra bilis abundare nō potest. Proinde, recte dixit *quartanas Hyeme attingentes, & non Hyemales:* vnde nec Vernaliū quartanarum meminit, non quod sub Hyemalibus eadem comprehendi velit, vt alii interpretantur, nam Vernales morbi breues sunt, Hyemales vero longissimi, ita vt sub his illi comprehendi nequeant, sed *quoniam in Vere sanguis preualet calidus, & humidus generationi humoris melancholici, qui frigidus & siccus est, maxime contrarius.* Quod si quis adferat ex Hippocrate, omnes morbos in omni tempore gigni posse, & proinde media Hyeme, & in Vere fieri posse quartanas; respondebo cū Galeno *hoc raro contingere, & nunquam ratione temporis, sed mali victus,* qui in omni tempore sibi similes humores procreent.

Cur Hippocrates non dixerit hyemales sed quæ hyemem attingunt.

Cur non meminit vernalium.

An omnes morbi in omnibus fiant temporibus.

potest. & ex illis morbos excitare. At si quis rursus instet, eandem videri rationem in Æstate, qualem assignabamus in Vere, & Hyeme, scilicet bilem flauam Æstate vigere, à qua non quartanæ, sed tertianæ nascuntur, dicendumque fuisse, non *Aestiuas*, sed potius *Aestatem attingentes*: respondeo, non esse parem rationem: nam quartanæ febris, quæ nec Vere, exuperante sanguine aut pituita, vigere potest, Æstate autem cum bile etiam abundare incipit.: nam bilis minimo Æstatis calore torretur, crassiorque illius portio in atram facile degenerat: vnde in media Æstate, & maxime circa illius finem plurimæ emergunt quartanæ: Hyeme vero exuperante pituita, & in Vere sanguine, nullus locus relinquitur ex aëris constitutione ad generationem humoris melancholici.

Cur plurimi adolescentes corripiantur quartana.

At si quartanæ propriæ sunt Autumno, cur est quod plurimi in adolescentia solent vt plurimum quartanis laborare, neque enim id fieri videtur ob rationem victus vitiosam, siquidem hoc commune plurimis non esset, sed potius causa sumenda videtur ex nostris principiis: nam ex sanguine menstruo remanet in nobis corruptio quædam humorum, quæ inuiolabili necessitate solet in omnibus pueris expurgari per papulas, quibus cutis vniuersa aspergitur, acciditque, vt qui plurimum habent illius melancholici, non recte ita expurgentur, quare superuenit quartana, quæ reliquias omnes abscindit; qua ratione etiam fit, vt raro quispiam bis quartana laboret, vix enim semel expurgatum corpus ab hoc humore, sua natura eo repleri possit, vt rursus fiat quartana.

Quartana cur raro bis eundem inuadant.

Cæterum, Æstiuæ dicuntur quartanæ, non quod propriæ sint Aestati, sicut Autumnales vocari solent à Medicis, vel quæ ad Æstatem peruenerunt in aliis temporibus genitæ, vt alii credunt: nam etsi id forte in quartanis verum est, tamen in aliis omnibus morbis, ad quos Aphorismum extendi dicit Galenus, idem verum esse non potest: siquidem alii morbi, ad alia tempora melius, deteriusque, vt postea dicit Hippocrates, se habent: calidi enim morbi in aliis temporibus geniti, cum ad Aestatem peruenerint, difficilius curantur, sed Aestiuæ dicuntur hoc solo nomine, quod in Aestate gignantur; ita ergo Autumnales dicuntur, quod sint in Autumno genitæ, etsi interim accidit, vt ipsæ Autumno quoque sint propriæ.

Quartanas non esse proprias æstati.

Cur quartanæ æstiuæ febres & alii etiam morbi æstiui sint breues, & autumnales vero longi.

Iam vero reddenda ratio est, cur Aestiuæ quartanæ, vt Galenus etiam addit, & alii Aestiui morbi sint breues, Autumnales vero longi. Putat Galenus hoc fieri, quoniam humores inutiles Aestate funduntur, ac per vniuersum corpus difflantur. Quæ rationes mihi non placent, Primo, quod huius rei causam non redigat ad quædam nota principia; Deinde, quod omnibus morbis, qui in Aestate gignuntur, hæc ratio non sit communis: nam intemperies calida absque humoris vitio breuior non est Aestate ob causas prædictas; nec etiam humoris vitiũ, quod sola alteratione, & concoctione corrigitur; in eo enim non est opus fusione, & difflatione. Postremo, quod nec in quartanis, aut aliis febribus, quæ excretionem humoris postulant, sola excretio & difflatio humorum efficiat morbos breues: præcedat enim oportet concoctio, vt *in libro de Constit. artis Medic.* idem author scribit: *Omnibus*, inquit, *excretionibus commune est non prius dissolui morbum posse, quam aliquod in excrementis concoctionis signum apparuerit.* Id quod etiam *in Comment. vigesimi Aphorism. 4. libri*, & *passim alibi* scribit; excretiones, inquam, quæ sunt absque signis concoctionis, aut lethalem, vel longum morbum significare: Alia ergo est ratio & causa, cur Aestiuæ quartanæ sint breues. Iam vero Oribasius & recentiores pariter falluntur in causis reddendis, cur Autumnales sint longæ: aiunt enim hoc illis contingere potissimum, quia Autumno sunt propriæ; tum etiam, quod vires ob Aestatem transactam imbecilles sint, ac meatus occlusi, nec humores satis attenuati, vt euaporare possint: nam si quartanæ propriæ sunt Autumno, potius deberent esse breues, quam longæ: etenim vt minus periclitantur, vt postea docebit Hippocrates, qui cognato temperaturæ morbo laborãt, ita illi breuiores eos morbos experiuntur; vt qui à minori causa sint excitati, quæ facilius ob id vincitur; Deinde, si imbecillitas virium esset causa, cur Autumno longiores sint morbi, essent vtique morbi Aestiui illis valde longiores, nihil enim vires magis dissoluit, & deiicit, quam feruor Aestatis, adueniente vero Autumno vires colliguntur, & robur crescit, id quod experientia docet. Alia ergo ratio horum quærenda est, quæ à natura rei hoc modo sumitur. Breues sunt omnes morbi, qui velociter mouentur, & inter illos salutares, qui facile vincuntur, lethales, qui facile vincunt; quod autem facile aut difficile fiat victoria, non est eadem ratio in morbis salutaribus & lethalibus: nam lethales morbi quanto minores fuerint, tanto tardius mouentur; quanto vero maiores fuerint, tanto celerius finem suum assequuntur; in salutaribus vero idem aliquando, & contrarium aliquando fit; qui enim per Crisim soluuntur, magni sunt & vehementes, citiusque terminati solent in suo genere, aliis, qui aliter soluuntur: nam acutæ febres citius finiuntur, quam non acutæ; in eadem tamen specie tanto citius soluuntur morbi, quanto mitiores & minores extiterint: nam inter acutos, quæ minor est, facilius & citius curatur, ea, quæ maior est & grauior. Porro, promptioris victoriæ causa est nonnunquam morbi ipsius forma: nam intemperies citius, quam fractura sanatur; & inter ipsa intemperies calida & frigida, citius, quam humida & sicca pati, mutari, & proinde curari apta est. Præterea, materia, ex qua morbi gignuntur, causa est breuitatis & longitudinis: nam qui ex humore calido, pauco, tenui, friabili, consistunt, facilius illis, qui ex contrariis humoribus constant, sanantur; præbet etiam suas causas in hac re differentia corporis subiecti: nam morbi, qui in solidis, duris, densis, profundisque partibus consistunt; ad quas difficile remedia peruenire possunt, ægrius, quam alii sanantur. Quinetiam, virtus ægri, quæ pugnare debet aduersus morbosas causas, vt concoctrix & expultrix, cum aliquid est concoquendum, vel expellendum, pro suo robore & imbecillitate finem morbi tardabit, vel accelerabit. Tempus etiam morbi, quo quis laborare cœpit, vt leuiorem, aut grauiorem indicat esse causam, & facit, ita breuiores aut longiores morbos reddit: nam inueterati morbi, Hydrops confirmata, difficilius recenti & incipiente

cipiente tollitur. Ad hæc, anni tempora, cœli, aerisque constitutio, breuiores vel longiores morbos reddunt. Sunt quidem communes hæ causæ omnibus morbis, ex quibus, quæ propria sunt in singulis morbis, facile trahentur; quæ omnia *in libr. De Causis morbor.* diligentius prosecuti sumus. Nunc vero satis est, quæ prædicta sunt, nostro instituto accommodare. Quærimus igitur, cur Æstiuæ quartanæ Autumnalibus, & hæ illis, quæ Hyemem attingunt, sint breuiores? quoniam vero quartanæ omnes ex humore melancholico constant putrescente, duo necessaria sunt remedia, concoctio, quæ faciat cessare putredinem, & expulsio humoris ex putredine relicti; ex quo sequitur, citius illas curari posse, in quibus concoctio, & expulsio facilius & promptius fieri possunt. Porro, facilius cōcoquitur quod calidius & humidius est frigido & sicco; quod item in minore est quantitate, & minus crassum & terrenum; quare, non mirum, si ratione concoctionis Æstiuæ quartanæ breuiores sint aliis: nam atra bilis, quæ Æstate viget, calidior est, tenuior, minorque quam quæ in sequentibus temporibus reperitur. At si quis dicat, ad concoctionem non solum requiri materiæ aptitudinem, sed etiam virtutis concoctiuæ, & caloris natiui robur, quę quidem sunt validiora in Autumno, & maxime in Hyeme, vt Hippocrates antea scripsit, *Ventres Hyeme & Vere natura calidissimos*, & propterea optimas tunc fieri cōcoctiones, atque hac ratione esse consonum vt Æstiuę quartanæ longiores sint, nimirum, quod eo tempore virtus concoctrix sit admodum imbecilla, & calor natiuus dissolutus. Hæc, inquam, vt recte dicuntur, ita nihil concludunt: nam verum quidem est, quod vbi eadem est materia, quæ cōcoqui debet, vt cibus, (de quo Hippoc. agit *in priore lib.* & *Aphor. præcitato*,) citius expeditur concoctio, si virtus validior est, quam si debilis fuerit: verum, si materia est longe diuersa, accidit optima ratione, vt à virtute debiliore facilius perficiatur concoctio ob materiæ maximam aptitudinem, quam à virtute forti in materia admodum rebelli; sic enim videmus, scintillam ignis promptius accendere magnum stipulæ aceruum, quam ignem luculentiorem vnicum lignum madidum, crassum, & durum; Citius igitur perficitur concoctio humoris peccantis in febribus Æstiuis, quam in aliis; promptius quoq; fit euacuatio per omnes vias, quæ tunc magis patent, maxime vero per euaporationem, siue insensibilem transpirationem, quæ maxime necessaria est ad omnes febres putridas tollendas; fiunt quoque Æstiuo tempore frequenter sudores in his febribus, quæ salutem pariter accelerant; ac medicamenta, quæ ad purgationem exhibentur, fœlicius & promptius expurgant corpus, quam in aliis temporibus: merito igitur Æstiuæ quartanæ aliis prædictis sunt breuiores.

Cur æstiuæ quartanæ Autumnalibus, & hæ illis, quæ hyemem attingunt, sint breuiores.

Lib. 1. Aphor. 15.

Verum non ita forte patet cur Autumnales dicantur breuiores his, quæ Hyemem attingunt: nam Galen. *in libro de Constitut. art. Medicin.* scribit, sanguinem inter omnes humores facillime concoqui, post ipsum bilem flauam, deinde pituitam, omnium difficillime humorem melancholicum, & merito quidem: siquidem concoctio fit à calido & humido, & vtrisque qualitatibus repugnat natura humoris melancholici: itaque, si Autumno humor melancholicus syncerus viget, longiores ab eo fient febres quartanæ, quam ineunte Hyeme, quo tempore humor ille iā minuitur, & mixtione pituitæ humectatur, & diluitur; quod enim constat ex mixtione eius, quod difficillimum est, cum eo, quod est, minus difficile, facilius redditur eo, quod solum est difficillimum. Præterea, vis concoctrix, & natiuus calor, inchoante hyeme validiora sunt, quam in Autumno. Verum etsi hæc etiam recte dicantur, tamen vera manet Hippocratis sententia: nam non satis est concoqui, mutarique humores, sed posteaquam mutati, concoctique fuerint, expellendi sunt, expulsionis autem facilitas, non solum ex humoris natura, & robore expultricis facultatis, sed maxime ex viæ facilitate pendet, quæ cum occlusa magis sit Hyeme, quam in reliquis prioribus temporibus, non mirum, si quartanas Hyemem attingentes omnium longissimas dixerit Hippocrat. At contra id facere forte videtur, quod febres, quæ media Hyeme gignuntur, quotidianæ, breuiores soleant esse omnibus quartanis, adeo, vt in ipsa hyeme soluantur, imo, nō solum quotidianæ, sed omnes alii morbi, qui hyeme nascuntur, Autumnalibus solent esse breuiores. An dicendum est, morbos, qui ex media hyeme proueniunt, ex pituita nasci, quæ facilime concoquitur & concocta naturæ viam parat, & in sola ipsa via difficultas est ex hyemis frigiditate, in febribus vero quartanis hyemem attingentibus, par fere est difficultas ex aëris frigiditate, & materia, ex qua quartana fit, longe, rebellior est ad concoctionem & expulsionem ipsa pituita? merito igitur quartanæ hyemem attingentes veris hyemalibus morbis sunt longiores.

Cur autumnales sint breuiores his, quæ attingunt hyemē.

Morbi cur in hyeme nascentes cur sint breuiores autumnalibus.

Iam vero illud sequitur explicandum, quod scribit Galenus *in Comment.* non solum scilicet quartanas, sed etiam alios omnes morbos Æstiuos Autumnalibus & Hyemalibus breuiores esse, hoc enim Neotericos valde turbauit: aiunt enim febrem hecticam facilius hyeme curari, quam Æstate, vt quæ remedium ex aëris frigiditate inueniat; eodem pacto Conuulsionem ex inanitione, cui medetur hyemis humiditas; pari ratione Apoplexiam, Tetanum & alios lethales morbos hyeme citius occidere, quam Æstate prę ualente tunc pituita, quæ morbi causas auget. Quibus quidem argumentis victi, illi tres causas excipiunt, in quibus morbi citius terminantur hyeme, quam in Æstate, vt ipsi putant; quarum Prima est, quando ex multitudine materiæ, vt in Applexia & Conuulsione ex repletione, morbus fit. Secunda, cum morbus pendet ex humoribus, qui ad benignum succum reduci possunt. Tertia, quando ægritudo pendet ex mala complexione calida salubri, vel à frigiditate mortali, atque ita à Galeni sententia recedunt, qui absolute pronunciat, omnes morbos tam salutares quam lethales, Æstate citius terminari, quam Autumno & hyeme. Sed illi forte vera dicunt, sed non ad propositum: verum enim est, hecticam febrem, & Conuulsionem ex inanitione citius curari hyeme, quam Æstate; sed hoc nihil ad rem propositam: non enim hic quærimus, An aliqui morbi facilius curari possint hyeme, & Autumno, quam Æstate, quandoquidem, temporum constitutiones contrariæ morbis soluendis

Explicatio eius, quod Galenus dicit in comm. non solum quartanas, sed etiam omnes alios morbos æstiuos autumnalibus & hyemalibus esse breuiores.

Qui morbi citius terminentur in hyeme, quā in æstate.

A morbos vim habent, vt *in 3. libro* docet Hippoc. similes vero illos augent, & fouent: sed quærimus, An morbi geniti Æstate, citius finiantur his, qui Autumno, & hyeme proueniunt; & non est quæstio, an geniti in aliis temporibus, ad Æstatem translati, citius finiantur. Ad quam quæstionem si prædictos morbos, quos illi excipiunt, reuocauerimus, inueniemus, nullam plane superesse dubitationem: demus enim, hecticam oriri hyeme, nonne huiusmodi morbus tardius terminabitur, quam si æstate incæpisset? sic profecto: magnam enim oportet esse morbosam causam, quæ in frigidissimo & humidissimo tempore tantam habet calefaciendi, & exsiccandi vim, vt Hecticam inducat; contra vero Æstate ex minore occasione in similes morbos incidimus; atqui morbos maiores, vt qui à maioribus causis sint excitati, tardius propulsari omnes nouerunt, ergo salutares omnes morbi Æstate citius finiuntur, quam Autumno vel hyeme; sic lethales citius interficiunt: nam Apoplexia Æstate à maiore causa inuadit quam hyeme, quare citius etiam occidet, quia citius agit magna, quam parua causa. Sed præstat Galeni vti ratione: quam habet *in Commentario*, perire sc. non posse ægrum, nisi virtus vincatur à causis morbosis: vincitur autem citius, cum debilior est; est autem debilior & propemodum exoluta vi caloris Æstate, quare & tunc lethales omnes morbos citius interimere posse rationi videtur consonum; in salutaribus autem ratio suadet vt morbi finiantur citius, quorum causæ promptius vincuntur, & extruduntur, vincuntur autem & concoquuntur (vt dicebamus) facilius tenues humores, aliis, qui & prompte extruduntur eo tempore, cum vniuersum corpus ex aëris caliditate rarefactum fuerit. Hactenus quidem pro Galeno pugnauimus, qui *in hoc Comment. in libro 1. de Crisibus* scribit, non solum quartanã, sed & alios omnes morbos Æstate breuiores esse; sed si quis morborum genera paulo diligentius introspiciat, agnoscet, in aliquibus nullam differentiam reperiri, in aliis vero contrarium accidere, nempe, quosdam esse, qui in aliis temporibus citius finiuntur: nam fracturæ, luxationes, vulnera, vlcera, morbi in magnitudine, conformatione, & in numero, non videntur requirere magis vnum tempus, quam aliud ad curationem faciliorem & breuiorem: quod si aliqua differentia est, in Vere & Autumno; facilior redditur illorum curatio, quia in illis temporibus omnes magnos excessus fugimus, naturaque est robusta, quæ remedia sustinere potest; Propterea recte scribit Hippocr. in *Aphorismis sequentibus*, nimirum *Aphoris. 5. libr. 4.* Sub cane & ante canem, difficiles esse medicationes. Præterea, videmus omnes fere morbos, qui reseruati sunt ab Æstate & Autumno, Vere sanari. Sed dicet forte quispiam, Galenum non comprehendere sub hac sententia alios morbos, præterquam illos, qui sunt cum intemperie sola, vel cum humoribus; quæ interpretatio etsi ferenda non est, maxime in eo authore, qui multa genera morborum posuit, quæ excludere non debet, cum pronunciat, omnes morbos citius curari Æstate, quam in aliis temporibus, tamen forte etiam in morbis, qui sunt ex intemperie, non respondebis illius sententia: nam adfero, quod Hippocr. scribit *in sequenti Aphorismo 34.* in quo inquit: *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quando nihil istorum congruit.* Demus ergo, si placet affectum frigidum Æstate gigni, vel humidum, vel frigidum & humidum, an hi morbi citius Æstate, quam in hyeme finientur? Dico, quod in Æstate: nam per Aphorismum maiores sunt huiusmodi morbi in Æstate, quam in Hyeme, quoniam à maioribus causis, vt ille *in eo Commentar.* scribit, sunt excitati: vbi autem causæ maiores sunt, maior est difficultas in curatione ad eas vincendas: vbi autem maior est in actionibus difficultas, longius tempus requiritur:

B nam vt ardentes febres natas Hyberno tempore dicit esse grauiores & difficiliores, periculosiores etiam illis, quæ in Æstate proueniunt: sic sane morbi frigidi & humidi, qui sunt sine materia, æstate difficiliores sunt, quam in hyeme. Ex difficultate autem in salutaribus morbis nascitur necessitas longioris temporis; Nec in his quidem morbis valet ratio, quam adfert de faciliore dissolutione humoris, quia nihil in tali affectu dissoluendum aut concoquendum est, sed solum alterandum; Nec conferre potest aëris caliditas ad huiusmodi temperiem emendandam: nam vt scribit Galenus *in Comment. præcitati Aphorism.* cum anni tempus cohibere non potest causæ magnitudinem, quamuis habeant

C sanitatem sibi suffragantem, multo minus ipsam, morbo iam facto, superabit, non assistente sanitatis robore: ergo in morbis, qui sunt ex intemperie sine materia, non videtur vera Galeni sententia; nec forte etiam vera est, vbi cum intemperie coniungitur humor frigidus & humidus: nam si repugnante tempore tales humores sunt geniti, & ex illis morbi, causam oportet magnam fuisse, quam cum non potuerit aëris caliditas impedire, tanto minus ad faciliorem & breuiorem solutionem conferet. Dicendum igitur forte est, dictum Galeni, quo scribit, *omnes morbos Æstiuos citius curari aliis*, intelligendum esse non de omnibus morbis, qui in Æstate fiunt, sed de illis solum, qui proprii sunt Æsta-

D ti, quales sunt calidi & sicci, & ex calido & sicco humore nati, hi enim si cum aliis conferantur, qui proprii sunt aliis temporibus, facilius finiuntur, quoniam per actiuas qualitates consistant, & oppugnantur, & corporis raritas facilius admittit omnia auxilia naturæ & artis, quam in alio quocunque tempore, idque in Autumnalibus, & hyemalibus morbis euidentissimum est, in Vernalibus vero est forte, quod dubitemus: nam febres Synochæ putridæ, & non putridæ, quæ ex sanguine fiunt, breuiores videntur esse omnibus tertianis, quæ propriæ sunt Aestati; an dicendum est, non parem esse affectum in Synochis non putridis & tertianis? hæ enim cum putredine consistunt, quæ concoctionem præ-

E ter expulsionem requirit, illæ vero sola euacuatione iugulantur, cum nihil crudum in illis sit, quod concoctionem requirat, non mirum ergo, si hæ citius illis soluantur; Putridæ vero Synochæ forte non sunt breuiores tertianis, aut si sunt, id fit, *quoniam lenior fit in sanguine putredo, quam in bile*, hæc enim propter suam caliditatem & tenuitatem facilime recipit omnes impres-

Cur Synochæ putridæ ter[illegible] sint breuiores tertianis.

pres-

pressiones. Hæc est nostra ab his rebus opinio, A quæ aliis meliora inueniendi occasionem præbebit. hoc solum addere volo, quod scribit, *magna ex parte*, quod verbum esse adiectum puto, vt ostendat paria inter se esse comparanda: nam si in vno corpus esset valde plenum humore melancholico, & obstructio, vel alii affectus coniuncti, qui febrem Æstiuam fouerent, hæc autē abessent in eo, qui Autumno vel hyeme quartana laborant, non fiet, vt Æstiuæ quartanæ sint breuiores aliis.

APHOR. XXVI.

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ. B

Febrem Conuulsioni superuenire melius est, quam febri Conuulsionem.

ET hic Aphorismus pertinet ad signa morborum, docet enim, quid melius sit, si vnus morbus alteri superueniat. Pertinet etiam ad curationem, si id, quod melius est, bonum esse dicere possimus, bonum enim erit in curanda Conuulsione febrem accersire, si vnus affectus alteri superueniens prodest. Porro, illud intelligere non possumus, an melius sit, quod scribit Hippocrat. C nisi intelligamus quid Conuulsio sit, quæ Conuulsionis differentiæ, quæ causæ, quomodo Conuulsio fiat, quæ pars, locusve afficiatur, quæ accidentia Conuulsionem sequantur; istis enim non bene intellectis, patere non potest Aphorismi huius sententia.

Conuulsio quid. Secundum Auicennam. Male Auicenna conuulsionem definit esse morbum neruorum, cum mouentur musculi ad sua principia, & sunt inobedientes ad dilatationem. Primo quod male dicatur esse morbus; *est enim Symptoma motus voluntarii*, quod & nomen ipsum ostendit: nam *Conuellere quid.* conuellere, est *contrahere*, proinde actionis vitium significat. Deinde, non est necesse in Conuulsione, quod non possit amplius extendi membrum semel contra- D ctum, cum Epilepsia sit Conuulsio, aut certe in ea fiat, & tamen successiuis motibus extenduntur membra. *Secundum Galenum.* Galenus etiam aliquando negligentius & male etiam Conuulsionem definit, veluti cum *in lib. de Causis morbor.* dicit, Conuulsionem esse Symptoma virtutis motoriæ; addere enim debebat differentias, quæ Conuulsionem à rigore, & aliis motibus præter naturam separant, & in quo maior est error, non virtutis motoriæ, sed instrumentorum ipsius motus, vitium est Conuulsio. Scribit *& in eodem libro*, Conuulsionem morbum esse in figura, per accidens, cum pars ægra trahat sanam. Verum hæc definitio non ostendit, quid sit Conuulsio, sed accidentia, quæ ipsam sequuntur. Præterea, hoc non est commune omni Conuulsioni; nam cum conuellitur ventriculus, vna pars sana non trahit aliam ægram; nec etiam vitium in figura adeo semper euidens est, vt morbus dici debeat. Cum vero *in lib. de Constit. Artis* definit, Conuulsionem esse rupturam fibrarum musculorum ex tensione factam, id docet, quod vehementiores duntaxat Conuulsiones sequitur, non quid ipsa sit Conuulsio. Nec recipienda quoque est definitio, quam habet *Aphorism. 39, 6.* vbi inquit, *Conuulsio est retractio musculorum ad propria capita*: nam non solum musculi, sed nerui primum contrahuntur, & in hac definitione non comprehenderetur Conuulsio ventriculi, & aliarum partium, in quibus non sunt musculi. Refellenda pariter est definitio, quæ habetur *in 2. de Locis affect.* vbi dicit, Conuulsionem esse tensionem immoderatam neruorum, nam per inflammationes musculorum, & nerui, & quicquid in ipsis est, tenditur; non tamen propterea illic est Conuulsio. Est autem perfectissima ea definitio, quæ dicit, *Conuulsionem motum esse inuoluntarium, quo partes, quæ conuelluntur, motioni voluntariæ destinatæ, ad suorum neruorum originem contrahuntur.* *Secundum autorem.* Vel breuius. *Conuulsio motus est inuoluntarius neruorum ad suam originem*: nam aliæ partes per accidens retrahuntur, nempe ob neruos sibi insitos; nam in motu voluntario neruorum fit contractio, non tamen est Conuulsio, quia non fit nobis inuitis, &, vt ante diximus, solum contractiones neruorum ad suam originem, & non aliæ, sunt Conuulsiones.

Conuulsionis differentiæ. Iam vero Conuulsionis differentiæ sumuntur à causis Conuulsionem facientibus; à modo, quo fit Conuulsio; à modo, quo affligit; à loco, qui conuellitur; Cum vero ab aliis sumuntur differentiæ, illæ non sunt propriæ, vt istæ, veluti, quæ sumuntur à diuersis remediis, quibus curantur. Porro à causis Conuulsionem facientibus sumuntur istæ differentiæ cum dicimus, quasdam Conuulsiones fieri ab inanitione, alias ex repletione. A modo vero, quo fit Conuulsio ducuntur istæ differentiæ, veluti cum dicimus, Conuulsionem quandam fieri subito, aliam paulatim; Item, quod quædam per consensum, alia per primarium affectum gignatur. A modo vero, quo affligit, ducuntur istæ differentiæ, quod scilicet vna vehementius, alia mitius nos affligat, & quædam item cum dolore, alia sine dolore, & alia continuo, alia per interualla infestet. Huius etiam generis sunt illæ, cum dicimus, Conuulsionem quandam esse, in qua corpus affectum semel conuulsum, non amplius redire potest ad aliam figuram, vt in Tetano accidit; aliam vero successiuis motibus pars vtramque figuram recipit, vt in Epilepsia accidit. Cæterum, à loco hæ proueniunt differentiæ, cum dicimus, Conuulsionem quandam esse vniuersalem, quæ scilicet vniuersum corpus, aliam particularem, quæ plures vel vnam solum partem occupat. Ac quæ vniuersalis est, & in eadem figura manet, ex triplici corporis figura, in quam corpus contrahi potest, triplex nomen sortita est, si enim in anteriora flectatur corpus Emprosthotonos dicitur; *Emprosthotonos.* si in posteriora, Episthotonos; *Episthotonos.* si inflexile & rectum corpus maneat, Tetanos vocatur huiusmo- E di Conuulsio, à Latinis neruorū distentio, à nonnullis etiam Rigor. *Tetanus.*

Conuulsionis causa. His ita explicatis, Conuulsionis causæ exponendæ: ex varietate enim causarum Aphorismi intelligentia oritur. In qua re Galenus duplici vtitur docendi ratione. nam aliquando particularia quæque prosequitur, aliquando vero ad immediatas, & vniuersales causas tractatio-

nem redigere nititur: scribit enim *in 2. Aphorismo* 5. Conuulsiones fieri à vulneribus, *&* 3.5. ex sanguinis fluxu, *&* 5.4. ex potu vini, & 17.5. ex occursu immodici frigidi, *&* 56. *sexti* à pituitoso vel melancholico humore, *&* 25. *tex.3. Comment.* 1. *Epidem.* à crudis & crassis humoribus, *&* 3. *Method.* ex punctura capitis musculi vel nerui, *&* 6. *Meth.* ex refrigeratione neruorum ad musculos peruenientium, & tendonum. *&* 9. *Method.* ex intempestiua aquæ frigidæ potione, & *in hoc Aph.* à frigidis & crassis humoribus, & 16. *Aphor.* 4. ab hellebori potione, & *text.* 11.1. *Comment. Prorrheticorum* ab inflammatione principii neruorum, vel siccitate musculorum. & 53.3. *eiusdem*, ex capitis refrigeratione: 29.3. *eiusdem* ex repletione vel vacuatione neruorum: & *tex.* 73. *eiusdem*, à multo sudore, vomitu, deiectione, sanguinis fluxu, inedia, motu multo & vehementi. Et cum dicat *in lib. contra Erasistratum* se sanguinis missione Conuulsionem sanasse, innuere videtur etiam fieri posse à sanguinis copia: At cum Epilepsia, quæ Conuulsio vniuersalis est, fiat aliquando ob auram malignam, quæ ab aliquo membro assurgit, & ferit cerebrum, constat, præter humorem etiam vaporem idem malum parere. Quas quidem causas contendit *in octauo lib. de Medicam. secundum locos*, redigi ad duas vniuersales, vacuationem scil. & repletionem, & nullam aliam esse præter illas duas. Ego vero docui *in lib. de Causis Symptomatum*, nullam Conuulsionem fieri posse ab inanitione: ait enim Galenus, nulla alia ratione id contingere, nisi quod idem contingat in neruis, quod accidere videmus chordis Cithararum, quæ in tempore humido, & sicco contrahuntur, & rumpuntur. At quod repletio neruorum Conuulsionem adferat omnibus patere; Conuulsionem vero ab inanitione adferre sanguinis profluuia, purgationes, sudores, vomitum, inediam, febres ardentes, & alia quæcunque corpus euacuant, & exsiccant. Verum hæc opinio reiicienda est, tãquam impossibilis: nam si in Conuulsionis curatione non sufficit qualiscunque humorum consumptio, sed necessarium est, humorem eum absumi, quo neruus ipse constat, & terrenæ illius partes inter se glutinantur, vtique mors semper præueniet huiusmodi siccitatem: prius enim quam materia insita singulis membris consumptionem pati incipiat, humores, qui in vasorum cauitatibus continentur, educentur, vt qui facilius sequi possint vim rerum euacuantium: at consumptis his humoribus, imo non expectata integra eorum consumptione, anima vitaque expirant, vt quæ nequeant in corpore omnem pati excessum: sed quis vnquam vidit huiusmodi conuulsionem à siccitate, nisi quis data opera neruos denudare, & igni exponere velit? forte enim tunc conuulsionem pariet siccitas: sed de igne non agimus, nec quærimus, quid nostra opera fieri possit: verum quid possint morborum causæ, quas illi ponunt, quibusque mederi debemus. Quod si conuulsio à siccitate fieri potest, cur tabidi, qui ad extremam siccitatem peruenerunt, conuulsionem nequaquam experiuntur in musculis, ventriculo, & in aliis omnibus partibus, in quibus adsunt nerui? Id vero illis imposuit, quod viderent multos exsiccatos & conuulsos: quod nos ipsi concedimus, non tamen conuulsio à siccitate erat, sed ob acres, aut etiam alios humores: siccitas vero ipsa ab aliis suis causis. Addo, quod scribat Galen. *in lib. de Conuulsione*, eos, qui ex siccitate conuelluntur, protinus mori, nec cogitandi quidem de remedio aliquo tempus concedere, ex quo constat, eos falli, qui specie mali decepti se conuulsioni ex siccitate auxilia descripsisse putant. Quod si humectantia conuulsionem iuuant, id quidem non faciunt, quod medeantur Conuulsioni à siccitate, sed quod acres, & mordaces humores, aut alios, qui forte conuulsionẽ faciant, retundant, aptosque ad euaporationem reddant. Nec par quidem est ratio de chordis cithararum, & neruis: nam illæ exsiccatæ iam suapte natura, & nequaquam munitæ ab aliis partibus, nec attractrice facultate, cuius opera humectari possint, præditæ, à calore & siccitate contrahi possunt: At nerui, cum venas, & arterias habeant vicinas, à quibus trahere possunt humorem, & ex eo humectari, difficileque pati possint ob suam duritiem, & partium vicinarum munimentum, & denique vndequaque tegantur, & humectentur, conuulsiuam siccitatem experiri non possunt: Mors enim semper anteuertit ex humoris contenti in suis vasis defectu. Postremo, accideret conuulsio hoc modo neruis, quod accidit corio, capillis, & chordis cithararum, quæ ex ignis admotione contractæ, & conuulsæ nullo pacto amplius reflecti, & erigi possunt: At si quis neruum tabidi, aut alterius, qui ex conuulsione mortuus dicatur, manibus tractare velit, inueniet, illum in omnem figuram esse sequacem, quoniam humorem eum habet, quo partes terrenæ suam coniunctionem seruant, & merito, cum alibi ostenderimus, eum, non nisi per putredinem separari posse ab aliis Elementis: solus vero humor, qui caloris, vitæ, & cum his animæ subiectum est, per siccitates, quas viuendo experiri possumus, consumatur. Hæc ex eo libro transcripta, satis docent, nullam esse Cõuulsionem ab inanitione.

Conuulsionem nullam fieri ab inanitione.

At nec ex sola repletione fieri possunt omnes Conuulsiones, & etiamsi inanitionem concedamus.

Omnes conuulsiones nõ posse fieri ex sola repletione.

Tertia tamen causa addenda est ab illis distincta: nam conuulsio, quæ fit punctis neruis, ad eas causas redigi non potest: nemo enim continui solutionem posuit vnquam inter vacuantes, aut replentes causas propinquas, & proprias, sed ideo fit Conuulsio à solutione continui, *vel quod noxa cerebro communicetur, quod postea insurgit ad expulsionem, & in eo opere concutitur, & cum attollitur, ad se trahit neruos quorum est origo: vel potius quod filamenta abscissa ad originem retrahantur, atque vna cum illis etiam alia, quæ sunt integra*: Cum enim supra diuisionem coniuncta sint, non possunt aliqua sine aliis trahi. Præterea, cum fit Epilepsia ex aura, quæ à digitis, vel alia parte assurgit ad cerebrum, quam quæso, inanitionem, aut repletionem patiuntur corpora neruorum? Addo, quod scribit Galen. *in expositione Aphorismi*, in quo scribit Hippoc. conuulsionẽ ab helleboro esse lethalẽ: ait. n. illic, Cõuulsionẽ fieri per Sympathiã, & non solũ ab inanitione, & repletione, etsi postea temere eam, quæ fit ob morsionem, studet redigere ad inanitionem, eo, quod humores mordaces vim habeant exsiccandi: nam

Conuulsio cur fiat à solutione continui.

Sect. 5. aph.

dit: nam si fit ab inanitione, curari non poterit, si modo hoc pro lege positum est, *conuulsionem ab inanitione esse incurabilem*. Deinde, si mordentia euacuando conuulsionem pariunt, remedium esset petendum à replentibus, tanquam à contrariis. At Gal. ipse puncturas neruorum & morsus, quę conuulsiones pariunt, Euphorbio, Sagapeno, Castoreo, & aliis huiusmodi attrahentibus, & educentibus sanies acres & mordaces, non humectantibus, & replentibus, curandas esse docet. Quod etiam in singultu, quem dicit habere causas communes cum conuulsione apparet: illius enim remedium præcipuum est acres humores per medicamenta purgare, & omni alia ratione discutere ab orificio stomachi. Fiunt ergo quædam conuulsiones à repletione, & hæ fere semper affectis neruis; aliæ vero per consensum, eo quod cerebrum ob certas suas affectiones mouetur ad violentius expellendum, & ita concutitur, secumque trahit neruos, quorum est origo, & huiusmodi conuulsiones vel incipiunt primario affecto cerebro, veluti cum Epilepsia fit ob pituitam replentem ipsius ventriculos, vel incipiente affectu ab aliis partibus, & ipsi cerebro communicato, vt accidit in Epilepsia, quæ incipit ab aliis partibus mittentibus ad cerebrum venenosam auram, vt sæpe visum est; vel in punctura neruorum. Quod si ita est, multæ ex causis particularibus, quas enumerauimus ex Gal. vim non habebunt committendi conuulsionem, aut certe non ob inanitionem, vt omnes authoritate illius viri moti, hactenus crediderunt. Quod si quis dicat comprehendi in hac confutatione Hippocr. huius rei auctorem [illegible] qui primus dixerit, conuulsionem fieri ab [illegible]uatione, & repletione: Respondeo, Hippocratem excusari posse, vel potius defendi, Galenum vero nequaquam: nam Hippoc. non dixit, Cōuulsionem fieri *ab inanitione neruorum*, *sed quod inanitio Conuulsionem pariat*; Id quod verum est, siquidem *per inanitionem corporis, acres redduntur humores, maligni flatus generantur, & alia mala oriuntur, ex quibus conuulsiones, præsertim quæ fiunt per consensum, excitari possunt*. Gal. vero, qui euacuationem ponit immediatam causam, nec defendi, nec excusari potest. Igitur, sanguinis fluxus, sudor, vomitus, deiectio, inedia, motus, febres, Helleborus, & si quę alia huius generis sunt, Conuulsionem *non pariunt ob inanitionem, sed si aliquando Conuulsionem faciunt, aliunde sunt causa, vel quod humores commoueant ad neruos, vel neruorum principium, aut acres reddant humores, & Helleborus peculiari sua ratione, quod ob vehementem ventriculi motum, qui fit in vomitu, veluti laceret, & sursum contrahat neruos, conuulsionem parit.* Vini autem potio, nescio, quibus possit adferre conuulsionem, nisi forte his, qui ex eo euidenter læduntur in cerebro, tunc enim per consensum fieri potest conuulsio; vel etiam quod vinum fundat, & liquet humores, qui aliquibus replent cerebri ventriculos, ex quo affectu Epilepsia excitatur. Cæterum frigus externum conuulsionem parere indurando, & congelando nonnulli tradunt; At hoc est mortem adferre membris, non conuulsionem, in qua soli nerui primo & per se, aut illorum origo afficitur. An forte etiam frigus comprimendo, & trudendo humores ad neruos, conuulsionem ex repletione parit? Vulnera Conuulsionem excitant, vt 5. & 6. *Methodi* colligi potest, *ob inflammationem superuenientem, quæ neruos replet, vel ex putredine malignitatem communicat cerebro.*

Quomodo vulnera.

Melancholicus vero humor mihi videtur plane ineptus ad conuulsionem inferendam, *cum ob illius crassitiem, & siccitatem recipi nequeat in neruis substantiam*; proinde Medici antiquiores, tanquam hoc fieri non possit, nulla remedia huiusmodi conuulsioni descripserunt.

Humor melancholicus cur ad inferendam conuulsionem sit ineptus.

Punctura capitis musculi, vel nerui aut tendonis conuulsionem facit, vel sectis aliquibus fibris, quæ contrahuntur ad originem, & ita alias postea trahunt, vel quod cerebro noxa communicetur.

Quomodo punctura inferre eandem possint.

B Si frigidæ aquæ potio intempestiua in febribus ardentibus conuulsionem pariat, id fit, quod rarefacto præter modum tunc corpore, sese insinuet in neruos, & eos repleat, vel forte hoc nunquam visum est meo iudicio, sed ratio fingit.

Quomodo potio aquæ frigidæ in febribus ardentibus.

Capitis vero refrigeratio exprimendo humores in ventriculos cerebri forte cōuulsionem parit per consensum.

Quomodo capitis refrigeratio.

Vulnera autem cerebri, ac illius membranarum non raro pariūt conuulsiones, superueniente, vt puto, inflammatione, quæ vel mouet facultatem expultricem, vel neruorum originem replet.

Quomodo vulnera cerebri & illius membranarum.

Non est facile profecto reddere omnium rationem, & præsertim, cur pituita, quæ resolutionis neruorum, & conuulsionis causa dicitur; nunc vnum, nunc aliud ex his malis inferat: cum enim eadem materia sit, & eadem pars affecta, nempe neruus, cur idem non semper fit affectus? Huic dubitationi respondet Auicenna, conuulsionem committi eo, quod viscida, & crassa materia non diffundatur, sed impacta inhæreat; in paralysi vero illam fundi, & neruum ex ea humectari, & veluti imbui. Alii vero dicunt, materiam conuulsionis esse diuersam: crassiorem enim esse materiam, quæ conuulsionem parit, humidam magis, & aquosam, quæ paralysin efficit. Alii vero non qualitate materiam differre, sed multitudine, & loco tradunt: multam enim & per vniuersum nerui corpus, aut saltem per transuersum dispersam oportet esse, quæ conuulsionem faciat, nam alioqui inflare non poterit neruum, atque ita abbreuiare, & construere: ad paralysin vero sufficit tanta humoris copia, quæ meatus nerui læsi obstruere possit, per quos vis animalis defertur. Alii demum sunt, qui dicunt differentiam solum esse sumendam à loco: paralysin enim fieri, vbi humor in origine nerui continetur, conuulsionem vero fieri occupante humore non ipsam originem, sed ipsum corpus, ideo enim apoplexiam terminari in paralysin mediæ partis corporis, quoniam materia, quæ occupat ventriculos cerebri, ab illis extruditur ad neruorum originem, nam alioqui quo modo integrū membrum, vel plures etiam partes resoluerentur, nisi in origine neruorum esset affectus? nam vsque ad minimas partes nerui, & membri resoluti non videtur transmitti à cerebro materia, quæ paralysin parit: & conuulsio non videtur fieri posse ex repletione humoris, nisi ille recipiatur in corpore, & substantia ipsius nerui. at si hoc modo fit resolutio neruorum, occupante humore solum exortum nerui, nihil sane proderunt remedia calefacientia, quæ vniuerso membro resoluto adhibentur: at prosunt, totus

Pituita, quæ resolutionis neruorum & conuulsionis causa dicitur, cur nunc vnum, nunc aliud ex his malis inferat.

Paralysin nō fieri occupante humore solum originem neruorum.

ergo neruus afficitur. docuit præterea anatome, eos, qui resoluti mortui sunt, neruos habuisse plurimo aquoso pituitoso humore irrigatos, & imbutos; quam ob rem, vtrumq; putarem fieri, *scilicet in origine ipsorum neruorum, & per corpus ipsius nerui contineri humorem, qui mali huius est causa: in conuulsione vero, quæ fit per primariū affectum nerui, humorem recipi per vniuersam substantiam nerui ex quo neruus inflatur, & ex inflatione breuior redditur, & tenditur: in conuulsione vero, quæ fit per consensum, trahente scil. cerebro ad se neruos, non esse necessarium, vt neruus in aliqua sui parte afficiatur*, vt in epilepsia apparet. in qua humor continetur in ventriculis ipsius cerebri, qui per spumam reiectus, liberat hominem à conuulsione, nullo affectu remanente in ipsis neruis. *Non etiam reiicienda est illorum opinio, qui crassiorem materiam ponunt in conuulsione, tenuiorem in resolutione*: nam illa ad inflandum neruum aptior est, hæc verò ad fluxionem per spatium, quod est inter membranas neruū ambientes & ipsum neruum, aptior quoque hic est ad densandam substantiam nerui, atq; hoc modo impediendum cursum virtutis sensitiuæ, & motiuæ.

Paralysis & conuulsio quomodo differant.

Iam vero modus, quo fit conuulsio, & differt à motu voluntario, explicandus est. de qua re ita sentit Galenus, quod eodem modo fiat conuulsio, quo motus voluntarius, & in hoc solum sit differentia, quod in motu voluntario tensio & contractio nobis volentibus fiant, in conuulsione vero eadem fiant nobis inuitis. Videtur tamen in contractionis modo, & ordine differentia esse: in motu enim voluntario musculus sese in ventrem contrahit, si peritis in anatomia credimus, vel ad caput suum, si Galeno; ad illius autem contractionem sequūtur ligamenta, & partes, quibus illa inserta sunt, cótrahuntur, & tenduntur: in conuulsione vero neruus ipse primo contrahitur, deinde musculus, & ligamenta sequuntur nerui attractionem; in voluntario ergo motu se contrahit musculus, & alia secum trahit, in conuulsione autem omnia primo trahuntur à neruo. Cur autem repleto, aut, vt alii volunt, exsiccato neruo necesse potius sit ad originem nerui, quam ad finem fieri tensionem, nemo docet: ratio vero esse videtur, quod neruus quanto magis ab origine sua distat, tanto minor ob multas diuisiones, & debilior fit: itaque cum in medio sui tensionis aliqua causa est, ad fortiorem partem potius, quam ad debilionrē tensionem fieri rationi est consonum: nam vbi aliquid à duobus extremis trahitur, illud sequetur necessario, quod validius est. Iam vero ex his licebit reddere rationē differentiarū conuulsionis, cur s. quædam subito fiant, alia vero paulatim; illa. n. maxime fit, cū à cerebro nascitur, vt in epilepsia contingit, vel cum neruus pungitur, quæ vero à repletione fit, tardiorem habet generationem, omnium vero tardissimam, quæ ex aliorum opinione fit ab inanitione. conuulsio vero, quæ stabilis est vt in tetano, causam habet ipsorū neruorum affectionem; quæ vero successiuis motibus habet contractiones, & remissiones, vt in epilepsia fit per consensum, sese primū conquatiente cerebro, & cū illo contractis neruis. vehemens autem cōuulsio causam habet vehementes contractiones, & ita quæ est cum dolore, nascitur ex

Conuulsio quomodo fiat & à motu voluntario differat.

Exiccato aut repleto neruo cur tensio potius fiat ad originem nerui, quam ad finem.

A inflammatione, vel alio dolorifico affectu nerui, quæ vero continuo affligit, ex affectu nerui orta est, quæ vero per interualla infestat, ex primario cerebri affectu originē ducit, quēadmodum etiā quæ est vniuersalis, habere potest causam, vel primarium affectum cerebri, vt in epilepsia apparet, vel etiam neruos ipsos, vt in tetano conspicitur: reliquas differentias poterit quilibet in suas causas facile redigere: vt etiam quilibet intelligere potest, quæ symptomata afferre valeat, quælibet conuulsio, & in qua parte nerui origo lædatur, nam conuulsio totius corporis cerebrum, & spinalem medullam affici indicat: conuulsio totius corporis salua facie initium spinalis medullæ affectū ostendit: sic cum pars alia B conuellitur, neruus, qui deputatus est ad illius motionem, necessario læsus est. porro musculorum & maxillarum conuulsionem stridor dentium inuitis sequitur, oculorū autem musculorū conuulsionem strabismi sequuntur; Gonorrhœa vero, inquit Gal. accidens est conuulsionis musculorum penis. sic singulas conuulsiones sequuntur propria quædam accidentia. Cæterum qui statuunt conuulsionem aliquando fieri ab inanitione, aliquando vero à repletione, dubitant, an facilius gigni possit conuulsio vna, quam alia, credunt enim facilius gigni posse eam, quæ fit ex inanitione, quoniam cognato morbo facilius corripitur, quam dissimili, vt Hippoc. *in 3. lib.* docet, itaq; cum neruus sit siccus, morbo sicco C facilius, quam humido corripietur, quam dubitationē inepte soluit Brasauolus, dicens, siccitatem neruo quidem esse familiarem, non eam tamen siccitatem extremam, quæ conuulsionē facit: nam eadem ratione diceremus eos, qui calidi & sicci sunt, non esse ad febres ardentes concipiendas aliis aptiores, quod illis non sit similis caliditas, & siccitas febrilis. qui etiam dicunt neruum facilius corripi conuulsione ex repletione, eo quod ille ob siccitatem suam humiditatē facile concipiat, etiam aberrant; nam ita os facilius inflammaretur aliis partib. ratio vero non sumitur tam à ratione subiecti, quam à diuersitate agentium. nam etsi neruus suapte natura facilius exsiccari potest, quam humectari: quoniam taD men causa efficiens conuulsionem in ipso neruo non est, sed aliunde aduenit: quæ facilius agere possunt, faciliorem etiam generationem conuulsionis efficiunt; at humectantes causæ facilius agunt, quam exsiccantes: quare ex humore cōuulsio facilius fit, quam ex siccitate. Sequitur vt doceamus, quid sit superuenire morbū morbo, & cur melius sit febrem superuenire conuulsioni, quam conuulsionem febri.

De qua parte nerui origo lædatur.

Symptomata quæ quælibet conuulsio afferat.

Morbum morbo superuenire quid.

Idem est superuenire, quod est secūdo loco fieri, ita vt secundus affectus priori coniungatur, ita enim Græca phrasis ostendit; ait enim, *febrem in conuulsione melius est fieri, quam conuulsionem in febre.*

Cur autem melius sit, febrem post conuulsioE nem fieri, quam conuulsionem post febrem, hanc reddit rationem Galenus. *quoniam*, inquit, *conuulsiones, quæ repente fiunt, necessario fiunt ex repletione, quam febris superueniens calefacit, extenuat, & dissoluit. Quod si febris præcedat, conuulsio, quæ sequetur, erit ex inanitione. & proinde insanabilis, quoniam*, inquit, *longū tempus exigit* [illegible] *tempus non*

Cur melius sit febrē post conuulsionem fieri, quam conuulsionem post febrem.

nupe.

expectat, sed cito vires dissoluit, & subito exitium adfert. Quæ ratio non mihi placet; potest enim conuulsio, quæ primo fit, contingere non ex repletione, sed ex inedia, purgatione, morsu, punctura nerui, & vt ille putat, ex inanitione, postquam febris nouum malum addit sine aliquo auxilio. Præterea non loquitur Hippocr. de conuulsione, quæ vel subito, vel paulatim fiat ab initio vel postea, sed de conuulsione absolute; deinde falsum est, conuulsionem, quæ superuenit febri, esse semper ex inanitione. Nam ex humorum fusione, & fluxione, & ex erosione facta ab acrimonia humorum sæpe conuulsiones oriuntur. Addo, quod supponit falsum, conuulsionem illam in siccitate remoueri posse, si acuties morbi permittat, nam humor, qui partes terrenas glutinat, & continuitatis, naturalisque figuræ est causa, si semel absumatur, nunquam restitui potest, sicut nunquam humectari potest corium, aut capillus calore ignis contractus, & exsiccatus; nec etiam verum est, acutiem morbi tempus non concedere ad curationem. Nam si particularis est conuulsio, aut etiam vniuersalis in multis membris, seruata respiratione, nulla fit causa breuis, & acuti morbi, nec ipsa quidem conuulsio, aut immediatæ illius causæ habent vim dissoluendi vires, & subitam mortem inferendi. Nihil ergo tale elicere possumus ex Hippocratis Aphorismo; sed *quia febris aliquando conuulsionem sanare potest, conuulsio autem febrem nunquam, ideo melius est in vniuersum naturam vtriusque considerando, febrem sequi conuulsionem*: nam etsi aliquando febris obest, nonnunquam tamen prodesse potest. Porro febrem oportet esse, quæ conuulsioni prosit, *non diariam, sed acutam*, vt ex *Aphorismo 57. 4.* patet, vbi scribit; *A tetano habito febris acuta superueniens morbum soluit*: Contumax enim causa, nempe humor pituitosus, conuulsionis, quæ iuuatur à febre, dissolui non potest, nisi à vehementiore calore. Non tamen propterea consulit Hippocrates, vt febrem inferamus arte aliqua, quoniam tutum non est, nec in nostra potestate febres excitare, & illas postea sedare, præsertim cum alia ratione, & maxime per sudores discutere possimus impactos humores conuulsiones committentes.

Quale febris conuulsioni prosit.

A p h o r. XXVII.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

His, qui non ex ratione leuius se habent, nõ oportet fidere; neque multum formidare mala, quæ præter rationẽ eueniunt, plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consueuerunt.

Hic Aphorismus etiam pertinet ad signa: docet enim, quibus alleuiationibus sit fidendum, & quæ aggrauationes sint pertimendæ in

A morbis; summaque illius est, alleuiationibus, quæ fiunt cum ratione, fidendum esse, aliis vero, quæ præter rationem eueniunt, nequaquam; sic aggrauationes non esse formidandas, quæ præter rationem eueniunt: ex quo relinquit intelligendum, timendas eas esse, quæ fiunt cum ratione, reddit autem rationem, quare non sit fidendum alleuiationibus, & aggrauationibus, quæ fiunt præter rationem; *Quoniam* (inquit) *illa stabiles non sunt, nec multum durare, & permanere consueuerunt*; In cuius quidem Aphorismi explicatione non possum probare, quod Galenus *in suo Commentario* scribit: nam cum totius Aphorismi sententia maxime pendeat ex intelligentia verbi *secundum, & præter*
B *rationem*, id non docet ille, sed quomodo tales alleuiationes cognosci possint, explicare nititur, quod temere quidem fit, neque enim rei, cuius naturam ignoramus, signa tradere possumus. deinde etiam in cognitione aberrat: nam cum Aphorismus de omnibus alleuiationibus, & aggrauationibus, quæ fiunt in omnibus morbis, loquatur, quippe cum absolute de illis agat; Galenus contrahit Aphorismum solum ad Crises, & morbos, qui per Crisim alleuiantur, vel deterius habent; at inter morbos minima est istorum pars. Quin etiam in his, qui finiuntur per Crises, non docet, quod omnibus est commune: meminit enim excretionum, & concoctionum, nec docet, an vnum ex illis suf-
C ficiat, vel vtrumque requiratur, vt signum sit fidum, vel infidum: nam in malignis febribus nec vtrumque quidem sufficit, sæpe enim in febribus pestilentibus vrinæ sunt concoctæ, & fiunt excretiones in diebus decretoriis, à quibus videntur fieri quædam alleuiationes, & tamen in sequentibus diebus mors contingit; postremo *in hoc Commentario* appellat difficilem spirationem & delirium aliquando præter rationem, sed cur talia illa sint, adhuc dubium est, & id est, quod ab authore proponitur, & ab interprete declarandum est. Quapropter in Galeni Commentario non est reperire veram huius Aphorismi interpretationem. itaque videamus, an in aliis locis, in quibus eundem Aphorismum ci-
D tat, & interpretatur, melius aliquid reperiri possit; locus est in explicatione 8. *textus primi Comment. 3. lib. Epidem. vbi alleuiationes præter rationem fieri scribit, cum natura enecatur, & extinguitur insitus calor, vt, inquit, contingit in malignis febribus, & in inflãmationib. ad quas sequitur gangrena, in quibus malis natura præ imbecillitate non aggreditur concoctionem humorum. qui enim*, inquit, *ita afficiuntur, cum melius videantur habere, cum tamen præcesserint signa exitiosa, tamen morbum habent deteriorem*: quæ interpretatio nõ etiam caret vitio. non enim fiunt alleuiationes præter rationem solum, cum natura enecatur, sed etiam cum materia à parte sensitiua in aliam transfertur: veluti cum dolor pleuriticus cessat,
E translata materia ad pulmonem; particulare ergo est, quod scribit de alleuiationibus præter rationem factis ob sensum partis mortuum. docendi autem ratio vult aliquid omnibus commune. Præterea dubium remanet, quomodo alleuiatio, quæ fit ob sensum mortuum, non sit secundum rationem, cum habeat suam causam, quæ ratio in omnib. est. addo quod cruditates, &

Galeni interpretatio reiicitur.

Alleuiationes quando præter rationem fiant, secundum Galenum.

Quando secundum ...

Cur in malignis febribus vrinæ sæpe sint coctæ.

malignitates in morbis, & putredines in partibus inflammatis non contingunt, vt ille putat, quod natura ob imbecillitatem non aggrediatur concoctionem: nam in malignis febribus sæpe sunt vrinæ coctæ, vt ipse alibi docet, *quia malum non est ex cruditate, sed ex veneno, & malignitate materiæ.* quod vitium non cedit concoctionibus nec illas turbat, eo quod nulla vel leuis sit putredo, sed propria antidota postulat, quæ cum sæpius ignoremus, ideo huiusmodi morbi vt plurimum sunt lethales. Præterea ratione caret, quod scribit, in his febribus, & in inflammationibus, ad quas sequitur putredo, naturam non aggredi propter imbecillitatem cōcoctionem: nam cum concoctrix natura non nisi mediante calore agat, non potest ipsa non agere pro suo robore, & imbecillitate: sed vltra vires suas agere non potest: quare concoquere non potest, non quod concoctionem non aggrediatur, sed quia vincere non potest id, quod nocet, quod non semper contingit ob suam imbecillitatem, sed potius ob vitium materiæ concoquendæ: quæ qualitate, & quantitate vires naturæ excedit: vt euidenter apparet in magnis inflammationibus, in quibus fit putredo, & non generatio puris: quoniam multitudo sanguinis magnam inflammationem faciens prohibita transpiratione constrictis arteriis, & meatib. artis affectæ, insitum calorem suffocat: ex quo, vt alibi ostendimus, calor postea violētius augetur, & ex eo incremento putredo nascitur. Postremo in ea interpretatione docere debebat Galenus, quomodo præcedentibus signis exitiosis possint fieri alleuiationes. non enim exitiosa signa vnam, & eandem regulam habent, & vim: quod scilicet exitiosa omnia sint, quod ostendant virtutem emortuam, nam pestes ex malignitate, lethalia vulnera ex magnitudine sua deprehendimus talia esse. Est alia interpretatio huius Aphorismi *in primo de Crisibus*, vbi inquit, *nisi cognouerimus, quæ signa sint semper bona, vel mala, vel certis temporibus mutent naturam suam, ita vt sint bona, mala, vel fida, vel infida, non poterimus scire, quæ alleuiationes sint secundum, vel præter rationem.* quæ interpretatio etiam communem habet errorem cum aliis, quod scilicet quærat indicia eius rei, cuius rationem, & naturam ignoramus; est & alius locus *in 2. Comment. primi Prorrheticorum*, Vbi scribit Hippocrates, *perniciosa sine signis leuantia mortem indicant*, quem locum Galenus dicit contineri sub hoc Aphorismo, in quo vniuersaliter pronuntiat Hippocrates, non esse fidendum alleuiationibus, quæ fiunt absque signis: *quoniam*, inquit, *redibit malum, & pro malitia sua magnitudine periculi magnitudinem adferet:* nam causæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur, potentia, & virtute virus rabidorum canum, & venena repræsentant: quæ etsi in affecto loco nullum statim insigne symptoma pariunt, post quatuor tamen vel sex menses, vel longiorem temporis vsuram, vomitu perimuntur. Quæ interpretatio ieiuna est, & exemplum, quod affert de cane rabido, non facit ad rem propositam: nam quæ signa possunt esse in corpore mali, quod post tot menses solum prodit? quorsum igitur ad signa hæc refert, quæ potius ad curationem pertinent?

Quo sit Aphorismus hic, cuius interpretationem ...

Sed posteaquam Aphorismus hic, qui maximi est vsus in medicina, suam non habet interpretationem ex tot Galeni locis, videamus, si quid melius nos inuenire possimus. primum igitur illud expendamus, cur appellet Hippocrates alleuiationes, & aggrauationes quasdam præter rationem: nam cum omnia, quæ fiunt, aliquam habeant causam, & causa sit ratio; est enim vt Aristoteles scribit, propter quid, non videbitur vtique aliqua alleuiatio, aut aggrauatio esse præter rationem; an illa dicentur fieri secundum rationem, quæ fiunt secundum veras & legitimas causas; præter rationem vero, quæ non fiunt à veris & legitimis causis? sic sane hominem, qui ob leuissimam rem prouocatus, alium percutiat, præter rationem hoc fecisse dicimus: nec admittimus pro causa, quam ille adfert: quoniam etsi causa quædam est, quia tamen sufficiens non est, & propria, quæ tantum affectum parere debeat, non recipitur pro causa. itaque alleuiationes dicentur præter rationem factæ, *quæ factæ non sunt ab his causis, quæ aptæ & natæ sunt minuere morbos, illosque, & sua symptomata leuiora reddere: Secundum rationem vero erunt alleuiationes, quæ fiunt à causis, quæ sunt aptæ soluere, & minuere eadem mala.* Porro cum multa sint, quæ concurrunt ad generationem alicuius morbi, vel symptomatis, solum causæ, quæ efficiunt, vel augent, fouentque morbum, cum tolluntur, efficiunt alleuiationes secundum rationem. Cum vero eædem causæ re vera non minuuntur, sed ex vno loco in alium transferuntur, vel plane vincunt, quod naturale est in nobis, vel leuiores redduntur ob exteriorem aliquam causam, tunc præter rationem sunt huiusmodi alleuiationes. Id quod exemplis patet, nam dolor lateris, qui minuitur nō per sputum, vel aliam veram euacuationem, sed per mutationem in pulmonem, non est secundum rationem alleuiatio; eodem modo cum sensus est stupefactus, vel mortuus, & ob eam causam dolor non sentitur, alleuiatio illa doloris præter rationem est, quod patet ex eo, quod scribit Hippocrat. *talia durare non solent:* nam post ea, quæ mitigant dolorem stupefaciendo, solet maior dolor non multo postea excitari: & in putredine si non dolor redit, certe alia mala post alleuiationem doloris protinus sequuntur, vt membri affecti, & sæpe totius corporis mors. Eadem ratione si quis cum morte iam conflictatur ob aduentum filii excitatur, & maius robur ostendit, non propterea talis alleuiatio est secundum rationem. *ergo alleuiationes illa sunt secundum rationem, quæ fiunt ablatis causis, quæ inferunt mala*, inter quas cum quædam sint propinquæ, aliæ remotæ, omnes erunt alleuiationes secundum naturam, quando fit pugna contra illas, & ex pugna nascetur diminutio malorum; in qua re tandem progressus fit ad duo solum, nempe ad naturam & artem: illa enim duo sunt, quæ possunt malorum causas non solum minuere, & alleuiationes facere ex diminutione, sed etiam sanitatem adferre ex perfecta causarum ablatione. propterea recte dicere possumus, quod Galenus etiam facit *in 2. Prorrheticorum* 58. *text.* vbi diligentius hunc Aphorismum enarrat, *illa mala solui & minui secundum rationem, quæ auxilio naturæ vel artis sunt ablata, vel diminuta;*

Alleuiationes quæ præter rationem & quæ secundum.

Quarum causarum sublatio faciat alleuiationem.

Alleuiationes secundum rationem.

quæ

quæ vero nec præsidiis artis, nec naturæ actione sunt mitiora facta, illa non ex ratione mutationem acceperunt. & hoc est explicare, quid sit cum ratione, vel præter rationem alleuari, & quibus alleuiationibus sit fidendum, vel non.

Verum cum agente natura, dicantur quędam actiones ab ea fieri, aliæ vero vi morbi, & hæ sint præter rationem, illæ vero secundum rationem, nimirum cum morbus contra suam diminutionem non pugnat, sed natura ipsa, quæ morbosis causis resistit, & tamen in vtraque actione sequatur communis effectus, nempe alleuiatio, signa excogitauit ars nostra, per quæ intelligere possimus an alleuiationes præsentes, factæ sint a natura, vel vi causarum morbi. & quoniam natura duobus duntaxat modis potest resistere morbosis causis, & illas vincere & frangere, scilicet per concoctionem, & euacuationem, ideo cum signa adsunt concoctionis, & expulsionis, tunc secundum rationem, vel esse, vel futuram alleuiationem intelligimus; & propterea Galenus, cum hic Aphorismus postulet multorum declarationem, solum agit de signis, quæ ostendunt alleuiationes, quæ fiunt ab arte. Ac cum in actionibus naturæ ordo sit, vt præcedere oporteat concoctionem, sequi vero expulsionem, ideo si alleuiatio secundum rationem futura est, oportet signa concoctionis præcessisse: & quia euacuationes, quæ natura fiunt, præter concoctionem requirunt etiam expultricis facultatis actionem, quæ certis diebus sponte, & recte operatur, in aliis vero non nisi intempestiue & violentius irritata, ideo signa tenenda sunt, quæ ostendant, quo die futura sit naturæ excretio; in certis ergo diebus & decretoriis fiunt à natura alleuiationes secundum rationem, in aliis vero præter rationem. Sed dicet aliquis, quomodo fieri vnquam possunt alleuiationes præter rationem, cum natura pugnat? nam si semper concoctiones præcedunt euacuationes, fiet semper alleuiatio cum ratione à concoctione & expulsione: aut si expulsio fiat sine concoctione, non fiet alleuiatio: quia quod malum est, quomodo alleuiationis potest esse causa: negandum est semper fieri excretiones præcedente concoctione: nam cogitur natura violentius aliquando irritata, insurgere ad expellendum, non præcedente concoctione: & tamen fiunt alleuiationes, quia diminuta est materiæ noxiæ portio. Verum huiusmodi alleuiationi non est fidendum, quia non est secundum rationem, & naturæ ordinem: quare non durabit, nam etsi mali aliquid humoris est euacuatum, & ex eo facta aliqua diminutio malorum, tamen quia multum etiam boni simul euacuatum est, quod non sit facta separatio, quæ non potest fieri, vt alibi ostendimus, nisi præcesserit concoctio, ideo cum omnia sint adhuc inter se confusa, vt prius erant, rursus excitabitur ebullitio, & crescent accidentia, quare alleuiatio non permanebit.

Signa alleuiationis secundum naturam.

Cæterum vt concoctiones semper sunt secundum rationem, ita excretiones multis modis fiunt præter rationem: nam, vt diximus, præter rationem sunt, *quando non expectant separationem, & ante illam concoctionem humorum, & diem naturæ consuetum, sed etiam cum per loca in corpore non apta fiunt*; quo modo dicimus al-

Excretiones quando fiunt præter naturam.

A leuiationem doloris, quæ fit latere laborante, ob euacuationem lateris in pulmonem, non esse secundum rationem, id est, secundum causas aptas facere veras alleuiationes. ex quo quidem exemplo patet, non esse alleuiationem secundum rationem naturæ; si in concoctione, aut in his, quæ postulat expulsio naturalis, sit erratum.

Nunc idem tradendum est de alleuiationibus, quas nostra ars facit. illæ enim sunt secundum rationem, quæ fiunt à propriis remediis, seruata illorum qualitate, quantitate, modo, tempore, & ordine. Quando vero in istis error contingit, alleuiationes fiunt præter rationem, quoniam tunc ars etiam præter suam rationem agit.

Alleuiationes per artem facta secundum & præter rationem quæ.

B Hoc modo cum mulieres ex propriis vteri morbis laborant, in quibus viri congressus conqueruntur, sanguinis missio & purgatio solent aliquantulum mitigare furorem, sed quia illa non sunt propria auxilia, ideo alleuiationes factę non durant. Eodem pacto, cum aquæ frigidæ aspersione febricitantium calorem retundimus, non durat facta refrigeratio, imo paulo post vehementior calor ex prohibita transpiratione consurgit: quoniam quæ actu frigida admouentur febricitantibus, præter medendi rationem sunt. Porro in maximis malis minima etiam auxilia solent alleuiationem facere, sed quia illa non est facta pro ratione morbi, non permanet: idem etiam contingit, si in modo medicamentorum
C fuerit erratum, veluti si quid confertim erat faciendum, & paulatim factum est; non enim perdurare solet, si quæ est facta alleuiatio. Nonne etiam calor, qui ex potione aquæ propinata in tempore inæqualitatis paroxysmi aliquantulum mitigatus, vehementior paulo postea consurgit à visceribus, eo quod nōdum bibendi esset tempus. Iam vero sanatio vel alleuiatio, quæ facta videtur obducta cicatrice in vlcere sordido, stabilis non est, quoniam præter rationem, quæ sumitur ex ordine curationis, curauit Medicus, antequam vlcus sordidum recte expurgauerit, cicatricem obducere. Sic etiam vbi quis est vulneratus à cane rabido, alleuiatio non est secundum rationem, si vlcus protinus claudatur, sed
D prius virus extrahendum est, deinde vlcus est sanandum. Ex quibus quidem patet, quod Hippoc. *in 1. parte Aphor.* scribit, non esse facil. fidendum his, quæ leuiora minora reddunt mala præter rationem, sed his, quæ cum ratione idem faciunt. Faciunt autem cum ratione alleuiationes naturæ & artis præsidia, cum ea ratione adhibita, quam natura, & ars requirit. Quod si in aliquo istorum sit erratum, tunc præter rationem illa alleuiabunt mala nostri corporis. Et quia Græcus codex habet, *his, quæ non ex ratione leuant, non oportet credere.* patet etiam ex hoc, non de signis, sed de causis ipsis alleuiationem facientibus Aphorismum esse intelligendum; Non enim signa aliquam vim habent alleuian-
E di mala nostra, sed causæ sunt, quę hoc efficiunt, & merito quoq; diximus, non ad omnes causas, sed solum ad efficientes mala, Aphorismum esse referendum: nam cum alleuiatio sit ab aliis causis, quam à diminutione efficientium, pręter rationem illa est.

Nunc videamus, quod scribit, non multum esse formidanda mala, quę pręter rationem eua-

Mala præter rationem euenientia quæ secundum Gal.

niunt. Quæ enim, quæso, mala præter rationem venire possunt? *sperandi*, inquit, *difficultas*, Galenus, *vel delirium, vel febris vehementior, vel magnus rigor.* verum dubium est, cur illa mala appellet præter rationem, hoc enim erat docendum. Ego vero illa dico esse mala secundum rationem, quæ fiunt à causis, quæ solum lædere sunt aptæ. Quæ vero mala accidunt à causis iuuantibus, præter rationem sunt. Quare hæc parum magna ex parte. Illa vero plurimum durare consueuerunt. Exempla facile confirmare possunt hanc explicationem; cum rigor nascitur ob aduentum accessionis, & febris in aliis accessionis temporibus augetur, & delirium eadem vigente excitatur, hoc certe malum est secundum rationem, quia rationi est consonum, vt mala à malis nascantur. Cum vero eadem Symptomata emergunt, eo, quod natura concocto humore noxio materiam agitat, vt separet à bono malum, & hæc postea expellat: hoc est præter rationem causæ iuuantis, quæ suapte natura solum est apta iuuare; sed quia iuuare non potest, nisi commissa pugna, ex qua nascitur in nobis molestia, necesse est cum iuuamentis mala coniungi, quæ quoniam à propriis causis non proueniunt, sed ex accidenti illi adiunguntur, ideo ea mala vt plurimum cito finiuntur, vt satis ostendunt accidentia, quæ instanti crisi emergunt ob pugnam, quam aggreditur natura, & non multo postea vincit; atque in ipsa victoria euanescere incipiunt. Idem quoque docent remedia artis nostræ, quæ nonnulla mala corpori inferunt, sine quibus multum prodesse non possunt. Vulneramus enim venas, & ex vulnere nouum morbum, & dolorem excitamus, quia sanguis sine his incommodis elici non poterat, ex cuius euacuatione non solum alleuiatio, sed integra salus nonnunquam subito sequitur, sic cum ignitis cauteriis putredinem in ossibus curare cogimur, non sine partis laceratione, & magno dolore mederi possumus; sed hæc mala, quæ cum salutaribus auxiliis sunt coniuncta, non sunt pertimescenda, & plurimum etiam durare non consueuerunt. Recte autem addidit diuinus hic author verbum *plurima, neque multum durare consueuerunt*, quoniam plurima & non omnia talia sunt, & aliquando durant & permanent mala, quæ ab illis fiunt: nam vt Galenus *in libro de Crisibus* docet, nonnunquam per sanguinis fluxum è naribus, & alias vacuationes natura violentius medetur morbis, vnde fit, vt vel illa acrius concitata simul in pugna cadat, vel graues affectus excitet, prioribus sedatis ob remedii excessum; quod etiam medendo experimur, dum vehementioribus remediis cogimur mederi morbis, nonnunquam enim cum morbosis causis simul vita expirat, vt ellebori albi vsus, & antimonium, quod his vltimis annis ad vomendum, & deiiciendum, non sine aliquorum periculo, in vsu esse cœpit, satis abunde docent.

Mala secundum & præter rationem iuxta autorem.

Ellebori & antimonii vsum esse admodum periculosum.

A P H O R. XXVIII.

Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν, καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον μοχθηρόν. Τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δ' ἀσθένειαν.

Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat, contabescere, malum. illud enim morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem significat.

Pertinet hic Aphorismus partim ad signa prognostica, partim vero ad demonstratiua. Docet enim, quid malum sit, cum febris nō omnino leuis infestat, & quoniam malorum multa sunt genera, nō de omnibus hic agit, sed de illis solum, quæ vel morbi longitudinem præsagiunt, vel præsentem imbecillitatem ægrotantis significant. Morbi autem longitudinē fore dicit, si per huiusmodi febres corpus permanet in suo habitu, & nihil minuitur; Imbecillitatem vero significari, si corpus, plusquam ratio postulat, contabescat. Merito autem febres non omnino leues adducit, vt vehementissimas & omnino leues excludat: nam fieri non potest, vt corpus non minuatur præsente febre vehemētissima, & vbi eadem leuissima est, non est à ratione alienum, corpus seruare posse solitum suum habitum, & crassitiem, ex mediocri autem febre sequitur minui, aut minui non posse corpus præter rationem, quæ dictio in vtraque parte intelligenda est, vt recte admonet Galenus, ita, vt talis sit sensus; *Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus plusquā ratio postulat, & nihil minui, vel plusquam ratio postulat, contabescere*, subiungit autem rationē, quare hæc sint mala, *quoniam illud morbi longitudinem, hoc vero imbecillitatem significat.* Postulat huius Aphor. interpretatio, vt doceamus causas permanentiæ, & diminutionis corporis, & quonam modo plusquam ratio postulet intelligat hæc fieri. Deinde docendum est, An verum sit, permanentiam illam corporis morbi longitudinem, & ipsam contabescentiam imbecillitatem significare.

Porro Galenus particulares multas causas extenuationis refert, & in *hoc Aphor. & alibi*, nam inquit, febris magnitudo, tempus, ætas, regio, aeris cōstitutio calida & sicca, sensibiles euacuationes, vigiliæ, curæ, inedia, motus plures, virium imbecillitas, corporis raritas, ocium, delirium, ira, tristitia, morbi longi, vel colliquantes, malus victus, dolor, digerentia medicamenta, & multa alia sunt causæ extenuationis corporis, verum hæc docendi ratio est omnino Empirica, & vulgaris, nam particularia, vt quæ sub sensum cadant, etiam idiotæ nouerunt; vniuersalia vero, quorum est ars & scientia, soli Philosophi, & artifices intelligunt; quare ab illis semper incipiendum, & postea ad particularia descendendum; & quoniam intelligere non possumus, quomodo corpus minuatur, nisi etiam notum sit, quibus de causis in eodem statu permaneat,

Extenuationis causæ secundum Galenum.

com-

communis erit de his tractatio, manet quidem corpus in eodem statu, quando tantum reponitur substantiæ ex alimento, quantum dissoluitur, corpulétia autem crescit, quando plus reponitur, quam sit dissipatum. Ex quo sequitur, extenuationẽ fieri, quãdo minus reponitur, quam dissolutum sit. id quod fit, vel quod desit materia, vel quod facultates, & instrumenta corporis, quæ huic operi seruiunt, sint male affecta, vel quod illæ, quæ substantiam dissoluunt, causæ validiores sint, quam possint causæ repositioni seruientes, etiam bene habentes, actioni illarum respondere. Porro deest materia vel quod nullo modo sumatur, vel non pro quantitate, vel nõ assumatur bona. in qua tantum sit vtilis substantię, vt sufficiat repositioni. Ad quas quidem causas particularia nonnulla rediguntur. nam inedia ideo extenuationis causa est, quia priuat corpus alimento, quo solo aptum est conseruari corpus. Excrementosa vero alimenta, vel quæ tenuius alunt, quam vniuersa corporis nostri substantia, solida (inquam) humoralis, & aerea requirit, extenuant corpus, quia ineptum alimentum præbent ad ipsius conseruationem. Quod si quis optimo alimento vtatur, sed parciore, quam vsus exigat, necessario diminutio sequitur. Porro non satis est abundare optima alimenta, sed necesse est, vt appetantur, & trahantur in corpus, & attracta retineantur & postea concoquantur, & excrementa, quæ ex concoctione proueniunt, excernantur, nec corrumpatur, quod manet vtile. Propterea si facultates his operibus destinatæ, vel instrumenta, quæ illis seruiunt, fuerint læsa, veluti contingit cum dentes, gula, fauces, male afficiuntur, tunc contingit extenuatio, ergo otium, senectus, malæ corporis temperaturæ, caloris naturalis dissolutio, & debilitas causæ sunt extenuationis, quoniam facultates, quæ versantur circa elaborationem nutrimenti, ab his malis debiles redduntur, quoniam vero non satis est bene concoqui alimentum, sed illud postea distribuendum, est vniuersis partibus corporis, propterea si in venis mesaraicis, hepate, aut aliis viis publicis obstructio, aut aliud vitium est, sequetur necessario extenuatio, & , vt diximus, separationem fieri oportet excrementorum ab vtili materia, alioqui corpus tabescit, sicut in illis accidit, qui ob lienem obstructum extenuantur in vniuerso corpore, quod etiam euidentissime apparet in hydropicis, qui in aliis membris tabescentes, in solo ventre tument. Iam vero ob causas, quæ cõcurrunt ad dissolutionem fit extenuatio, inter quas quædam habent rationem efficientis, aliæ materiæ, aliæ vero causæ sine qua non. Porro inter efficientes quædam corpus euacuant sensibiliter, aliæ vero insensibiliter; non mirum igitur, si sanguinis profluuia, immoderata venus, alui fluxus, vomitus frequens, diabetica vocata passio, quæ præter modum vrinas elicit, & alia huius generis, corpus extenuant, vacuant enim sensibiliter materiam, quæ iam est in corpore necessaria ad eius conseruationem. Eadem ratione aer ambiens calidus, & siccus, febris, intemperies morbosa, vel secundum naturam calidior & siccior. Item exercitatio, & alii corporis labores, cogitatio, tristitia, voluptas, gaudium, risus superfluus, ira, & cæteræ animi passiones,

Secundum naturam.

Efficientes.

A corpora exsiccant, & dissoluunt, eo quod insensibiliter illius substantiam euacuant. Cæterum materia nostri corporis, quæ ob suam tenuitatem, caliditatem, & paucitatem facile dissoluitur, extenuationes quoque parit. Ac quoniam ad faciliorem vel difficiliorem dissolutionem plurimum conferunt viæ, per quas patet transitus his, quæ euacuantur, ideo qui latiores habent venas, & forte etiam intestina, aut cute cõstant, & carne rariore, ac molliore, vix vnquam crassescunt, aut pinguescunt. Quibus quidem ita positis, videndum est, an morbi longitudo necessario significetur, vbi præsente febre nõ admodum leui, corpus manet in suo statu, plusquam ratio postulet; Deinde an signum sit imbecillitatis, si in eodẽ affectu corpus, plus quam ratio postulat, minuitur.

Materialis.

An morbi longitudo necessario significetur, vbi præsente febre nõ admodum leui corpus manet in suo statu.

B In qua re, vt recte admonet Galenus, præcipua difficultas est, vt intelligamus, quas comprehẽdat causas extenuationis verbo, *plus quam ratio postulat*. Ac ipse Galenus non solum febrem, sed anni tempus, regionem, id est, vt vno verbo dicam, aeris statum, necnon omnia, quæ sensibiliter, vel insensibiliter euacuant, ac ætatem puerilem, & decrepitam dicit secundum rationem corpus extenuare, & vires imbecilles reddere. Quod si sine his corpus præter rationem extenuatur, signum, inquit, est virium imbecillitatis. In qua explicatione titubat, & primum errat, quia cum decrepitam ætatem posuisset inter causas extenuantes cum ratione, & in ea ætate dixisset, extenuationem contingere, ob potentiæ imbecillitatem, non potest postea dicere signum esse virium imbecillitatis, si absque prædictis causis corpus præter rationem extenuatur: nam in prædictis causis virium imbecillitas est comprehensa, & secundum rationem dixit esse extenuationem, quæ ob virium imbecillitatem fit; Deinde cum paulo postea ex Hippocrate dixisset, extenuationem citra rationem semper esse signum imbecillitatis, statim ab eo recedit, alias causas addens extenuationis, nempe humorum tenuitatem, & corporis raritatem. Ex quo concludit, non solum indicari virium imbecillitatem, cum corpus extenuatur præter rationem, sed etiam vel humorum tenuitatem, vel cutis raritatem; At quid prohibet, quo minus humorum tenuitatem, & cutis raritatem Hippocr. intellexerit, & comprehenderit sub illis causis, quas ipse secundum, & non præter rationem extenuare corpus dixit? nam si puerilis ætas in illis etiam est comprehensa, & propter caliditatem, & humiditatem naturalem facile extenuatur, profecto quæ ratione materiæ contingit extenuatio, iam in his est inclusa, quæ secundum rationem extenuant; Quod si pueri non solum propter materiam aeream, qua abundant, sed etiam ob mollitiem, & raritatem corporis promptissime contabescunt, pariter extenuatio, quæ contingit ob cutis raritatem, continetur in causis, quæ secundum rationem extenuant. Quare verbum (*plus quam ratio postulat*) perfectius definiendum est, & debet vnã, & eandem accipere interpretationem, quæ communis sit tum his, qui non minuuntur, tum illis, qui id patiuntur, & contabescunt. Porro in his, in quibus permanet corpus, non videtur ad aliud referri posse verbum, plus quam

Cur permotabilis in sua crassitie in febre non omnino leui sit signum longitudinis morbi.

tatio, quam ad ipsam febrem non omnino leuem. Ita, vt talis sit sensus; *si quis plus, quam ratio febris non omnino leuis postulat, permanet in sua crassitie, hoc signum est longitudinis morbi:* nam si febris huiusmodi est, & nulla sit euidens extenuatio, signum est, non fieri dissolutionem materiæ, in qua febris est accensa, sine qua febris ipsa abire non potest, vt quæ non recedat, nisi cum subiecta sibi materia, cuius est accidens; Sic sane si ab huiusmodi febre corpus plus, quã magnitudo febris postulat, extenuatur, imbecillitas significari debet, quoniam ostendit facillime dissolui corpus; ad dissolutionem vero hanc necessario sequitur imbecillitas: Nam vbi febris mediocris est, vt hic supponitur, si materia subiecta mediocriter habet, fient vtique extenuationes mediocres & secundum rationem; quare si consequitur colliquatio, & contabescentia, est præter rationem, quoniam est præter rationem agentis; reliquum igitur est, vt fiat ratione subiectæ materiæ, quæ à mediocri causa plurimum patitur. Quod autem verbum (*secundum & præter rationem*) referri solum debeat ad causas efficientes, patet ex interpretatione superioris Aphoris. in qua dicebamus, alleuiationes esse secundum rationem, quæ fiebant à causis efficientibus morbos victis: præter rationem vero, quæ illis non victis contingebant; quod si ita est, male, vt arbitror, Gal. hoc nomine comprehendit omnia, quæ possunt in nobis esse causæ extenuationis: nam cum alicuius vim expendere volumus, alia omnia mediocria ponũtur, & solum quid causa, de qua agimus, suapte natura facere posset, expendimus, veluti cum dicimus dragmas duas Rhabarbari purgare corpus, intelligimus hanc dosim esse iustam & secundum rationẽ in corpore mediocriter affecto ad purgationem; quod si violentius aliquem purget, præter rationem hanc illatam esse violẽtiam asserimus, quoniam id non accidit ratione agentis, sed ob materiam subiectam, nempe, corporis nimiam mollitiem & facilitatem ad purgationem; sic sane in re proposita, non quid anni tempus, ætas, regio, vel sensibiles euacuationes, vel aliæ prædictæ causæ dissoluentes nostrum corpus efficere possint. sed quid ipsa sola febris illis omnibus mediocribus suppositis, præstare possit in corpore, expendimus; Ad quam rationem respicientes, si corpus mediocriter minuitur à mediocri febre, secundum rationem talis est diminutio; quod si nihil omnino minuitur, aut plurimum, hæc præter rationem ipsius febris fieri dicimus; quare hoc cõtingit ratione materiæ, quæ præter rationem dissoluitur. Sed iam expendamus, an contabescẽtia, quæ fit præter rationem, ostendat imbecillitatem vno modo solum, nempe, vt diximus, quod significet corpus facilius dissolui, quam mediocritas postulet, ad quam imbecillitas necessario sequitur; An etiam alio modo significat imbecillitatem facultatum, quę circa nutrimenti elaborationem versantur: nam per mediocres febres virtutes nutritiuæ collabi non debent, ita, vt restituere non possint bonam portionem eius, quod dissipatur; itaque, si corpus contabescit plus, quam febris ratio postulat, hoc significat imbecillitatem illarum, & omniũ etiam facultatum, vt quæ à mediocri causa affectæ, mediocriter nõ possunt resistere, sed in ma-

Cur nimia extenuatio imbecillitatis.

A gnam imbecillitatem cadunt, ex qua fit, vt corpus colliquescat, & contabescat.

APHOR. XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ ἡσυχίην ἄγειν βέλτιόν ἐστι.

Cum morbi inchoant si quid mouendum videtur, moue; cum vero consistunt, ac vigent, melius est quiescere.

B HIc Aphorismus non pertinet ad signa, vt maior pars Aphorismorum, qui in hoc secundo libro cõtinentur, sed ad curationem, non tamẽ eo modo, vt alii interpretes putant: nam Fuchsius credit, authorem hic simpliciter agere de tẽporibus, in quibus debemus applicare remedia: nam non de omnibus remediis hic agit, siquidem non omnia in principio sunt adhibenda, sed quæ propria ipsi sunt; quæ vero propria vigentibus morbis, vel increscentibus, aut declinantibus, non vtiq; illa in principio adhibenda sunt; sed de mouentibus auxiliis solũ tractat autor. Errant præterea, qui intelligunt ita Aph. si oportet materiam in morbo euacuare, eam esse vacuandam semper in principio: nam multi sunt morbi, in quibus non licet ante declinationem euacuare per Aphorismum, *concocta medicari*, &c. C

Ad id etiam pertinet, quod scribit in sequenti Aphorismo: *Circa initia, & fines omnia imbecilliora*, tãquam declinatio sit commodissimum tempus ad mouendum: imo nemo dubitat de vacuatione, quæ fieri debet declinante morbo. De Minoratiuis vero, quæ adhibentur in principio, semper magna fuit quæstio; Alii vero ita intelligunt: *Si quid videtur mouendum in principio morborum, moue*, verum hæc explicatio caret arte: nam si quis nouit mouendum esse in principio, non est opus illi præcepto, quod imperet, vt moueat. Quare ego puto ita intelligendum, *si mouendum est ante declinationem, moue* D *in principio*; Hæc enim sententia quadrat dictioni Aphorismi, quasi diceret; *commode mouere possumus vel in principio, vel fine, quoniam tunc omnia sunt imbecilliora*; itaque si non possumus declinationem expectare, in principio mouendum: *nam cum vigent morbi*, inquit, *melius est quiescere*; ac cum morbi incrementum recedat in principio, & accedat ad statum, nihil de eo præcipit Hippocrates, quoniam ex extremis medium intelligitur. Erit ergo motio, quæ fit in incremẽto, deterior ea, quæ fit in principio; fieri tamen potest, quoniam nondum est status, de quo solo præcipit quietem; non quod mouere etiam aliquando in ipso nobis nõ liceat: nam verbum *melius quiescere*, non pro- E hibet motionem, sed quod recte omnibus ante peractis, nullus soleat mouendi locus tunc relinqui. De quo postea diligentius agemus. Porro, cum principii nomen significet primum insultum morbi, quod est indiuisibile; vel vniuersum tempus, in quo cruda adhuc est materia, vel spatium trium aut quatuor primorum dierum, non intelligit principii nomine primum

Principiũ multiplex significatio.

insultum

insultum morbi, quoniam in tempore adeo momentaneo nihil moueri potest; nec intelligere potest tempus, in quo materia est cruda: nam si nõ est mouendum, vt scribit Galenus *in libro de Optima secta, & in fine huius Commentarij*, eo quod vires sint debilitatæ, ita vt motionem ferre nequeant, contingit in eo tempore, sæpe ita vires affici, vt motioni sustinendæ non sint aptæ. Præterea, vbi cruda est materia, aiunt non esse mouendum: quare reliquum est, vt intelligamus, mouendum esse in primis diebus, si quid mouendum est. Cæterum, intelligit per verbum *mouendum*, *euacuandum*: nam alterantia medicamenta non videntur agitare, & mouere corpus, vacuatio autem non fit sine motu, & quia conspicuus est motus, magis in euacuantibus, quam in aliis, ideo merito vacuationem appellat motionem. Itaque cum de motione, quæ fit in principio morborum, hic agat author, & non definiat, an semper in principio mouendum sit, sed solum admoneat, mouendum esse, si ita videtur, postulat vtique tractatio, vt rem hanc diligentius expendamus; & quoniam vacuantium auxiliorum multæ sunt differentiæ, illud in primis venit dubitandum, an velit author nos euacuare posse in principiis morborum per omnia genera euacuationum, vel saltem per sanguinis missionem, & purgationem, vt Galen. *in Commentario* sentit.

Quid per incipiens hic intelligendum.

Quid per mouendum.

Secundo loco explicandum erit, an remedia euacuantia, de quibus hic agit author, in principio omnium morborum conueniant; quod si ostendet ratio, solum euacuandum esse in quibusdam morbis.

Tertio loco illud sequitur enarrandum, an necessarium sit, tempora quædam morborum eligere, & alia fugere.

At si illud constabit, veniet quarto loco explicandum, an melius semper sit in principio, quam in statu euacuare; quod si inueniemus, in quibusdam morbis ita esse faciendum, vt censet Hippocr. ratio huius diuersitatis inuestiganda veniet. Iam vero quod non intelligat Hippocr. de omnibus remediis euacuantibus, patet, primum, quod euacuatio, quæ fit per balnea in ægrotis, solet solum adhiberi declinante morbo, præsertim febre, de qua, vt ostendemus, potissimum intelligitur Aphorismus. Deinde, euacuatio, quæ fit per inediam, in omni tempore ante declinationem in vsu & necessitate adhibetur; & si Hippocrati credimus, vt *in primo lib. Aphoris.* magis necessaria est inedia, & tenuissimus victus, vigente, quam incipiente morbo. Deinde, quod magis mirum videri posset, etsi aliter credat Galen. *in Comment.* arbitror Hippocrat. excludere hoc loco euacuationem, quæ fit per sanguinis missionem: nam vt Hippocr. docet *in 2. & 4. de Victu acutor.* vbi agit de curatione Pleuritidis vigente inflammatione, sanguis ab eo mittitur. Deinde, tritum est præceptum Galeni, sanguinem mitti posse quocunque morbi tempore, vbi viget magnitudo morbi, & vires ferre possunt, quæ cum sæpe sint vigente morbo, cur non licebit nobis eo tempore euacuare per sanguinis missionem? Quis etiam in magnis fracturis, & vulneribus, vigentibus magnis doloribus, sanguinem non mittat? Ait Galenus, concoctionem turbari per sanguinis detractionem, & cur, quæso potius in statu, quam in prioribus temporibus? Docet etiam experientia, vbi sunt vehementes ardores vigente febre & ob multitudinem, ac prohibitam transpirationem, natura laborat in coquendo, illam maxime iuuari, si sanguis mittatur ante non missus, aut renouetur illius detractio, si parcius antea fuit extractus. Addo, quod Hippocr. dicat, in statu esse quiescendum, in principio vero & declinatione mouendum, quia omnia fortiora sunt in statu, circa initia & fines omnia imbecilliora. At ratio, quæ sumitur à fortitudine & vehementia eorum, quæ sunt in statu, non excludit sanguinis missionem, quippe cum magnum remedium magnis affectibus adhibeatur. Item si ratio, quæ sumitur ab imbecillitate, communis est principio, & declinationi, sanguinis missioni non conueniet, vt quæ nunquam declinante morbo adhibenda sit; *Præceptum igitur est Hippocrat. de Minoratiuis vulgo dictis, siue de leni purgatione adhibenda ante declinationem morbi*, de qua semper fuit inter Medicos controuersia. Admonet igitur Hippocr. si expediat purgare in morbis ante declinationem, adhibendam esse purgationem inter initia morbi.

An per motionem omnia remedia euacuantia hic intelligantur, an vero aliqua & quænam sint illa.

Quod vero hoc intelligendum non sit in omnibus morbis, satis patet: nam vt *in 1. lib.* ostendimus, cum de vacuatione ageremus, vacuandum solum est, cum aliqua adest plenitudo, vel est potenter reuellendum, vel deriuandum, vel aliud faciendum, quod sine euacuatione fieri nequit, quæ cum in omnibus morbis non sint, temere in omni fere affectu vulgares Medici à remediis euacuantibus auxilia petunt. Nec vero Aphor. hic scriptus est de omnibus morbis, in quibus euacuatio est necessaria: nam multi morbi sunt, in quibus non refert purgare in principio potius, quam in augmento; aut in declinatione potius, quam in statu, vt in Hydrope sine febre, in melancholia, mania, scabie, in doloribus, in cacochymia, denique in omni vitio, vbi nulla est in humoribus putredo: nam in illis satis est, si humoribus fuerint extenuati, & incisi, ac viæ patentes, per quas purgatio fieri debet; quo modo antea dicebat Hippocrates. *Corpora cum quis purgare voluerit, fluida faceat oportet*; Quæ cum in omni morbi tempore pari successu fieri possint, nõ refert in vno tempore potius, quam in alio purgare; at vbi putrescunt humores, concoctio sæpe necessaria est, & illius habenda est ratio: nam concocta medicanda esse antescripsit Hippocrates. Et hinc orta est controuersia, an ante absolutam cõcoctionem, quæ fit in declinatione, purgare liceat, & si purgandum est, an hoc sit faciendum potius in principio, quam in incremento & statu. De hoc igitur dubio hic agit Hippocrates, & iudicat si expectari non possit declinatio, potius in principio id esse faciendum, quam in vigore morbi. Quę sententia etiam pertinere non potest ad omnes febres putridas: nam quæ fiunt à crassis, viscidis, frigidisque humoribus, nec in primis diebus, nec in principio totius morbi aliquam admittunt purgationem: nam vt Galen. *in 1. ad Glaucon.* scribit, purgationes, quæ adhiben-

An remedia euacuantia, de quibus hic agit Hippocrates, in principio omnium morborum conueniant.

Aph. 9. sect. 2.

An quædam morborum tempora sint eligenda, quædam fugienda.

Aph. 21. sect. 2.

In quibus morbis expectanda sit concoctio antequam purgetur.

tur in principio quartanæ, tantum abest, vt prosint, & sæpe etiam ex vna quartana, duas efficiant: vbi vero incipit concoqui materia, quod iam concoctum est, id pharmaco educi potest, & quanto magis procedit concoctio, tanto felicius reiterari possunt purgationes: nam vt huiusmodi humores ob diuersitatem suæ substantiæ simul concoqui non possunt, ita repetita egent euacuatione, vt ad proportionem concoctionis, & generationis excrementi fiat euacuatio: non enim tutum est, quod antea erat putrefactum, & postea concoctum, in corpore relinquere: nam vt id recidiuam post declinationem committit, authore Hippocrate, ita in aliis temporibus morbi grauat naturam, & impedit, ne reliquum concoquatur; ergo, illud, vt diximus, euacuandum. Quam ob rem, si in febribus longis non nisi apparentibus signis concoctionis purgare possumus, vt Gal. sentit, & nos *in superiore lib.* cum Hipp. ostendimus, concoctiones autem in illis non apparent in primis diebus, nec in principio totius morbi, sed in augmento & statu, profecto Aphorismus hic tales febres non comprehendit: nam in illis quiescendum est in principio, mouendum in augmento, & magis in statu, maxime in declinatione. Postremo, id aperte docent verba sequentis Aphorismi, *omnia debilissima & fortissima*, quæ male vertit Leonicenus *debiliora & fortiora*, in solis enim acutissimis morbis omnia in statu sunt fortissima. Quare Hippocr. Aphorismus re vera solum pertinet ad acutas febres putridas, in illas enim in primis diebus, & in principio totius morbi purgandum esse iubet, & non esse expectandum statum, tunc enim melius est, inquit, quiescere; sed cur facienda sit purgatio in his, incipiente morbo, quiescendum vero potius in statu, in hoc Aphorismo non docet: sed vt Galenus scribit *in sequenti Aphor.* in quo ait, *circa initia & fines omnia esse imbecilliora, in vigore autem omnia esse fortiora:* mouendum igitur est in principio, quia omnia tunc sunt imbecilliora, quiescendum vero in statu, quia in eo tempore omnia sunt fortiora. Quid vero per verbum *(omnia)* intelligat author, explicat Galenus, scilicet Symptomata omnia, quales sunt accessiones febrium, vigiliæ, dolores, fastidia, sitis; morbum vero ipsum, à quo hæc Symptomata proueniunt, non esse fortiorem in his, qui saluari debent, sed multo meliorem, quam in morbi principio. Cuius interpretationem, antequam ad alia progrediamur, diligentius expendere oportet: nam abutitur nomine *fortiore & meliore*, & nomine *morbi*, pro causis morborum: si enim Symptomata sequuntur morbos tanquam vmbra corpus, non possunt vtique hæc esse fortissima, cum morbus est debilis, si quidem effectus respondent suis causis; Recte ergo dixit Hippoc. omnia esse fortiora in statu morbi, nempe, Symptomata, morbos ipsos, & proximas causas morborum: id quod experientia docet: nam non solum vigente morbo Symptomata sunt vehementissima, sed etiam febris ipsa, qui morbus est, & calor, quæ causa est proxima febris; verum materia ipsius febris tunc melior est, quam in principio, & etiam fortior ad agendum; est enim fortior, quia plus caloris habet, ob quem vehementius lædit: melior vero, quia plures gra-

In quibus morbis sit purgandum primis diebus.

A dus concoctionis accepit; quare fiat, aliquid fortius esse, & melius, quia est alia ratio vehementiæ, alia bonitatis, vt apparet in signis, & Symptomatis Criticis, quæ maxima sunt, & tamen bona censentur, quia salutem proximam portendunt. Errat igitur Galenus, cum dicit, morbum ipsum esse meliorem in statu, id enim de materia ipsa dicendum erat; & cum distinguit melius à forti, cum vnum & idem vtrumque simul sit, & ita ab Hippocrat. recedit, qui non de melioribus, sed de fortioribus solum agit.

Sed ipsius Hipp. rationem expendamus: non enim sequi videtur, vt mouendum sit in principio, quia tunc omnia imbecilliora, & quiescendum in statu, quia tunc omnia fortiora; tunc enim potius videtur succurrendum, quando mala maxime vrgent; Galen. vero *in fine Comment.* dicit in statu ideo esse quiescendum, quia tunc maxime fiant concoctiones, quo tempore nihil mouendum; & cum primum dixisset, tunc maxime fieri concoctionem, paulo post ait: Iam naturam concoxisse, & propterea superfluum esse euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata, licet quam maxime duæ aliæ, vitalis ac naturalis, fortes persistant. Quæ quidem verba egent consideratione: primum enim debebat ipse docere, cur morbo consistente nihil sit mouendum ob concoctiones, quæ tunc fiunt: nam si motiones, quæ fiunt inter initia morbi, (vt ille *in Commentario* scribit) futuras concoctiones iuuant, cur illæ has etiam non iuuabunt in statu, quo tempore natura plurimum laborat pro concoctione præsente? magis mirum est, quod scribit, superfluum esse, euacuare, cum natura concoxit: nam antea ille cum Hipp. docuit, concocta etiam medicanda; quod si vacuandum non est, quod post concoctionem vis animalis sit fatigata, hoc commune erit etiam declinationi, & semper verebimur in morbis purgationem post concoctionem. Quod si vitalis virtus maxime fortis est, vt ipse putat, parum solliciti esse debemus de animali, vt idem *in Methodo* scribit. Præterea, vitalis, & naturalis etiam eo tempore ex magna pugna sunt debilitatæ, sed quia iam propinqua est victoria, ideo fortes dicuntur esse. Postremo, si illæ omnes purgationes, quæ fiunt ante concoctionem, malas esse indicat, qua ratione hic suadere potest purgationem in principio tanquam vtilem? nam diminutio materiæ simpliciter facta naturam non iuuat ad concoquendum, sed sæpe concoctiones turbat, alioqui cur in febribus longis in principio non euacuamus? Nihil igitur habet Galenus *in Commen.* suo, quod viuam rationem reddat huius Aphorismi. Et multo etiam minus recipienda est interpretatio, quam facit *in lib. de Optima secta, cap. 38. & 39.* vbi scribit, Hippo. ideo dixisse, quiescendum esse in statu, quia vires debilitatæ à causis morbosis tunc validissimis, ferre non possunt molestiam, quam adferunt remedia purgantia: in principio vero vires nondū esse infirmas, & propterea eā sustinere posse, quæ tūc fit, euacuationem: nam vires siue fortes sint, siue debiles (vt ille *paulo ante* scribit) non indicant euacuationem, aut aliud remedium, sed solum victum: remedia vero indicant morbi, & causæ illorum;

B

C

D

E

& quem-

& quemadmodum quæ præter naturam sunt, contraindicant, id est, impediunt sæpe, ne efficiamus, quod vires indicant esse faciendum: ita vires, & alia, quæ sunt secundum naturam, vt plurimum impediunt fieri, quæ indicantur à morbosis affectibus; at contraindicantia non sunt, quæ indicant aliquid esse faciendum, aut vt ille alio verbo dicit, quod propositū nō sit, sed ex indicantibus illud inueniendum est: demus enim, in principio nullā esse materiam, quæ vacuationem postulet, quis, quæso, in eo tēpore euacuationem tentabit, etiam si vires sint validissimæ? eadem ratione, si vires constarent in statu, vt sæpe constant, vbiq; euacuandū esset, sicut in principio: sed hoc non esset faciendum, inquit Hippoc. *quia dispositio morbosa in statu non admittit purgationem*, quod facit in principio, ad hanc igitur, & non ad vires primum respiciens Hippo. dixit, in statu quiescendum esse, in principio vero mouendum. Sed videamus, quibus verbis hanc contineat sententiam Hippoc. Verba autem sunt, quæ continentur in sequenti Aphorismo, vt Galenus recte etiam putat: ideo enim, inquit, mouendum est in principio & quiescendum in statu, quia circa initia & fines omnia imbecilliora: cum vero consistunt, fortiora; quæ iamiā enarrare aggredior, vt ex peculiari & diligentiore interpretatione, pateat postea ratio huius Aphorismi.

Cur in statu non sit purgandum.

APHOR. XXX.

Περὶ δὲ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότερα.

Circa initia, & fines, omnia imbecilliora, cum vero consistunt, fortiora.

VT antea diximus, hic Aphorismus rationem continet superioris, vt recte etiam Gal. admonet: nam cur circa initia mouendum sit, & melius sit quiescere in statu, ratio est, inquit Hippoc. quod circa initia & fines omnia sint imbecilliora, in statu vero fortiora. Quam quidem sententiam Gal. vario modo explicat, & cum vnam primo in superiore Aphorismo attulerit interpretationem, in ea postea non quiescit, sed alias postea adfert: nam primum dixit, ideo quiescendū esse in statu, quia tūc omnia Symptomata sunt fortiora; postea vero ab hac recedens interpretatione, subdit, id esse faciendū, quoniam coctiones morborum tunc maxime fiunt; addit paulo postea, superfluum esse in statu euacuare, cum iam natura cōcoxerit, & huius rei dicit alias esse rationes, & eam maxime, quia vis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata. Sed omnibus his rationibus admissis, non patet adhuc interpretatio rationis Hippocratis, qui dicit, in statu quiescendū, quia fortiora tunc omnia sunt; in principio vero mouendum, quia tunc omnia sunt imbecilliora: nec ad immediatas quidem causas prædictæ rationes Galeni probationem ducunt.

Vt diligētius excutiamus, quæ dicit de fortioribus Symptomatis, & dispositione morbosa

A meliore, sciendum est, *inter Symptomata, quæ ægros infestant, quædam esse, quæ morbum, & causas proximas morbi sequuntur, alia vero, quæ sequuntur alias dispositiones, & alias causas*, id quod vno exemplo ostendo. Accendatur ex bile putrescente in homine Plethorica febris, continua, vel intermittens, quæ vigiliam pariat & sitim: & in eo sentiatur tensio & grauitas membrorum, & dolor grauis in capite; vigilia, sitis, accessiones febrium, & Symptomata quæ ex illis nascuntur, sequuntur morbum, nempe febrem, & hæc calorem, hic vero putredinem humorum, tensio vero & grauitas omnium membrorum, & capitis, non sunt Symptomata febris, sed ipsius Plethoræ, & hæc Symptomata, vt ipsa plenitudo,

Quæ Symptomata in principio morborum sint fortiora, & quæ in statu.

B quæ illa infert, in principio morbi fortissima sunt, & deteriora, quam in statu: nam tunc vi caloris, & ab inedia aliisque remediis euacuantibus, consumpta est plenitudo, quæ in principio vigebat; quæ vero propria sunt morbo Symptomata, in principio mitiora sunt, vt etiam ipse morbus, & dispositio, siue materia, quæ putrescit; Procedente vero tempore, Symptomata, & morbus fortiora fiunt & deteriora: deterior enim morbus est, qui fortior & maior est, materia vero putrescens est quidem *in principio imbecillior, sed deterior, in statu fortissima & melior, in declinatione autem imbecillima, & quam fieri potest, optima:* nam in principio materia nondum concepit magnum calorem, ideo debiliter lædit,

Materia putrescens qualis sit in febrium principio, qualis in statu, & declinatione.

C & quia putredo, quæ tunc incipit, nondum accepit aliquid concoctionis, ideo pessima est: in statu autem, vt vehementissimum concepit calorem, ita contra plurimum recepit concoctionis, ideo tunc fortissima est ad agendum, & tamen longe melior in declinatione, extincta putredine, nullam vel minimam amplius habet nocendi vim, & quia omnes gradus concoctionis accepit, quos potest recipere, ideo optima est. Errat igitur Galenus, cum dicit, omnia Symptomata in statu esse fortiora: nam hoc solum verum est de Symptomatis sequentibus morbum, & proximas causas morborum. Item recte dicebat, dispositionem morbosam meliorem esse in statu: nam aliæ dispositiones, veluti Plethora,

D quæ sua quoq; inferunt Symptomata, in principio fortiores esse solent: Verum non recte explicauit eam dispositionē morbosam, cum dicit illam morbum esse: nam morbus in statu nō est melior, cum sit longe vehementior, & ex maiore vehementia maius malum metiamur: est autem dispositio morbosa, quæ melior est in statu, materia propria morbi, quæ putrescit, & ex putredine vehementiam, & ex concoctione bonitatē acquisiuit. Sed demus Galeno id, quod vult, aut optare potest, non tamen sequitur, *Symptomata sunt fortiora in statu, ergo tunc quiescendum; mouendum autem est in principio, quia tunc sunt imbecilliora:* nam si solum spectemus ipsa Symptomata, ratio potius cogit mouendum esse

Quæ morbosa dispositio in statu sit melior.

E in statu, quam in principio, quia vt Galen. scribit *in Commentario Aphorismi* Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, vbi sunt magni dolores, tunc per sanguinis missionem, vel purgationem succurrendum est, quemadmodum etiam ipse refert *in lib. de victu acutor.* Hippocratem sanguinem misisse vigente Pleuritide, quod si symptomata non per se suadent, non esse mouendum,

uendum, sed quia virtutem deiecerunt, quæ ferre non potest motionem, quæ fit à purgatione, hoc primum non est commune omnibus, non enim in omni statu morborum, vel etiam acutissimorum, vires ita sunt prostratæ, vt omnem fugiant motionem, quæ fit à medicamentis. Deinde, docet solum contraindicantia motionem, & non ipsum indicans in principio: nam in principio si vacuamus, id non facimus, quia virtus est fortis, adeo, vt non repugnet euacuationi, sic enim in omni statu corporis, vbi vires validæ sunt, vacuandum esset, sed oportet adesse indicans, nempe ipsam plenitudinem, aut aliquid aliud, quod ostendit, necessariam esse vacuationem: ergo, si vacuandum est in principio, oportet materiam esse aptam ad euacuationem, & si non est mouendum in statu, id fit primo & per se, *quia vel nulla est tunc materia, aut in eo tempore non apta ad euacuationem*; & hoc primum est quærendum, quomodocunque Symptomata & vires habeant; *est quidem materia in statu noxia, vt quæ materia sit morbi, verum ad euacuationem non est apta, quoniam est mixta, & confusa cum aliis humoribus in venis, a quibus separari non potest*, absque separatione autem mali à bono, vtilis & facilis euacuatio fieri nequit; quod vero mixta sit, & exacte confusa, ex eo patet, quia tunc maxime & potentissime fit concoctio, quæ omnia inter se miscet, & confundit; non posse autem separari inutile ab vtili, duæ sunt rationes: vna, quod excrementum, siue id, quod inutile est, non sit plane factum ante concoctionem, siquidem excrementum est, quod post concoctionem relictum est, in substantia dissimile, & propterea inutile, & noxium naturæ; quod autem tale est, excerni debet, & propterea excrementum dicitur. Alia vero ratio est, quod medicamentum purgans non actum habet agendi, sed potentiam solum, eget autem calore nostro, & alteratrice facultate, vt actu fiat purgatorium medicamentum, quo fit, vt cum natura & naturæ instrumentum calor, totis suis viribus pugnent aduersus causas morbosas potentissime lædentes, nequeant diuidere suas vires, vt simul concoctioni materiæ morbosæ, & alterationi distributionique medicamenti seruiant: turbatur igitur concoctio, quæ totius naturæ & caloris vim exigit: turbatur etiam naturæ ordo, quippe cum concoctio præcedat separationem mali à bono: & hæc euacuationē mali: cogit autem purgatio, vt antequam cōcoctio sit peracta, fiat separatio & vacuatio, ex qua bonū cum malo excernitur, vnde naturæ vires debilitantur, morbosæ causæ augentur, & concoctio, quæ felicissime perficiebatur, vitiatur; Merito igitur dixit Hippocrates, *quiescendum esse in statu acutissimorum morborum*, ob hanc maxime rationem: *quia tunc materia non est apta ad purgationem*: at hanc causam non expressit, sed remotiores, quæ hanc significant & pariunt: nam quoniam causæ morborum tunc sunt potentissimæ, & natura potentissime resistit, ideo fortissima fit pugna, quæ cum per alterationem fiat, ad quam sequitur mixtio, fit, vt potentissima fiat concoctio, hoc enim sequi oportet vincente natura, ex tali autem concoctione misceri, & confundi bonum cum malo necesse est, ex qua confusione ineptitudo nascitur ad separationem, &

Cur non sit purgandum in statu.

A euacuationem materiæ inutilis. Itaque, verba *omnia fortissima*, ad causas inter se fortissime pugnantes prima ratione referendum est: illa enim sunt, quæ faciunt, vt quiescere debeamus: Symptomata enim & morbi, qui tunc fortissimi etiam sunt, signa sunt pugnæ acerrimæ, quæ tunc fit: quod si vires deiiciant, tunc rationem causæ habent, eo quod vires deiiciant, quæ sua ratione impediunt euacuationem fieri: Sed (vt diximus) hoc non est commune omnibus, imo nullis, de quibus agimus proprium, vel etiam teste ipso Galeno, qui præceptum hoc de motione & quiete facienda in statu, dicit solum esse intelligendum in morbis salutaribus, at in his non ita sunt affectæ virtutes nostri corporis,
B quin possint ferre leuem aliquam euacuationem, si adsit id, quod illam indicat. Sed videamus, an illud nunquam adsit, ita vt perpetuo quiescendum sit in statu acutissimarum febrium, (nam de aliis contrariam esse rationem ostendimus, vacuandum scilicet esse in statu potius, quam in principio) Dico in hoc dubio, in quo multorum salus consistit, diligenter esse notandum, quod Hippocrates & Galenus dicunt, in statu salubrium morborum maxime & potentissime fieri concoctiones; id quod fieri non potest, nisi potentissime natura vincat: est enim concoctio actio, quæ fit vincente natura. Iraque, si signa præcesserunt in diebus decretoriis futuræ victoriæ, & cum in statu sumus, ea-
C dem perseuerant, temerarium esset, naturam turbare euacuando, si quæ enim auxilia tunc sunt adhibenda, in eo, quod natura facit, danda sunt; temperantia igitur, refrigerantia, quæ retundunt calorem febrilem, naturæ opem adferent. At vero, si videamus concoctionem potentissime non fieri, imo nec præcedere, sed pugnæ ancipitis indicia apparere, tum ex aliis Symptomatis, tum maxime ex vrinis crassis rubeis, & obscuris contentis, quæ per aliquot dies in eodem statu perseuerant, quid, quæso, agendum? Dicent, scio, qui exactissimas concoctiones semper expectandas esse volunt, ante purgationem solum Epithemata, & roborantia virtutem esse adhibenda, vacuandum vero minime.
D Verum deberent illi videre, impotentiam hanc ad coquendum sæpe oriri, non ex debilitate virtutis, sed ex materiæ copia, & malis qualitatibus, ad quas superandas sola natura, quæ sæpe mediocriter valet, non sufficit, oportet enim in omni actione proportionem seruari inter agentia & patientia. In quo quidem casu vereri non debemus naturæ oppressæ suppetias ferre, euacuando vel secta vena in cubito, si subest robur in viribus, aut inter annularem & auricularem digitum, vel, quod longe tutius est, & fœlicissime sæpe probatum, admotis hirudinib. hæmorrhoidibus, mirum enim est, quātum profit tunc huiusmodi euacuatio, ex qua videmus Symptomata omnia mitigari, concoctiones dominari, &
E salutem, sæpe ab aliis desperatam Medicis, comparari. Quod si igneæ ex feruentissima bile apparent vrinæ, cum obscuris (vt diximus) contentis, nunquam oberit Cassiæ vncia, vel Manna cum iusculo exhibita, hæc enim non turbant concoctionem, sed turbatam releuant, diminutis causis, quæ illam tardabant, & impotentem reddebant. Atq; hæc quidē de motione & quiete, quæ

Quid faciendum si concoctio potentissime non fiat.

re, quæ fieri debet in statu acutissimorum morborum, vel calidissimorum, cuiusmodi sunt tertianæ exquisitæ.

Porro, circa principia dixit mouendum esse, *si videatur*, motionem autem, vt diximus, intelligit eam, quæ fit per purgationem, tanquam sanguinis missio necessaria in febribus putridis non egeat præceptis, quæ de rebus dubiis sunt tradenda; Recte autem addidit, *si videatur*: nam leues aliquando adeo sunt morbi, & paruæ illorum causæ, vt nulla necessitas cogat nos vti purgatione in principio, sed præstat perfectam concoctionem expectare, cuius in primis illis diebus non multo post, & sine difficultate venturæ euidentissima adsunt signa. Quod si maior difficultas sese offert, tunc leuis purgatio omnino adhibenda est, quoniam desunt illa incommoda, quę diximus esse propria vigentibus morbis: *non enim tunc turbatur concoctio, quam natura leuissime est aggressa, & propterea separari potest vi medicamenti, auxiliante natura, pars mali a bono, & sic, quæ est plenitudo grauans naturam, minuitur*; ex quibus (vt recte inquit Galen.) concoctiones meliores, & celeriores euadunt. Nec obstat, quod materia sit cruda, & concocta medicanda, quoniam ante diximus, id intelligendum esse etiam Galeno authore, in frigidis & crassis humoribus morbos longos committentibus; quo loco etiam alia omnia argumenta pugnantia contra hanc purgationem in principio, sine magno negotio refellimus. Recte igitur admonet Hippocr. vbi videmus naturam grauari à Cacochymia humorum, vt in principio purgatione humorum vtamur, antequam vehementissimę pugnæ tempus adueniat, in quo inquit, melius est quiescere; & recte illud etiam dixit (*melius*) quasi dicat, nullam esse mouendi necessitatem in statu, si præcesserint inter initia debitæ euacuationes: nam in vehementissimis febribus materia est vniformis, tenuis tota, vehementerque calida; quare facta minoratione aliqua in principio, nullum postea relinquit ante declinationem tempus aptum ad purgationem: tota enim simul cōcoquitur, & tota simul per Crisim postulat euacuationem; aut si Crisim non tentauerit natura, purgationem in declinatione; crassa vero materia, quæ mitiores febres, & fere omnes intermittentes excitat, cum sit maxime difformis, pars post partem euacuāda, procedēte morbo, in quo per concoctionem redditur aptior ad separationem, & euacuationem; in principio vero, frigida, crassa, & viscosa, non nisi cum magna violentia trahi potest; quibus difficultatibus caret materia, quæ acutas febres parit: nam illa ab initio facile separari, & trahi potest à nostris medicamentis, quare merito de his morbis loquens Hippocrates, dixit, *mouendū esse in principio, & quiescendum in statu.*

Quando in principio requiratur purgatio & quando non. Et cur aliquando conueniat.

In quibus morbis sit expectanda concoctio, & in quibus non.

APHOR. XXXI.

Τῷ ἐξ ἀρρωστίης εὐσιτέοντι μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

Eius, qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

A REdit Hippocrates ad signa, docet enim, quid malum sit in conualescētibus, sumpto indicio ex bona cibatione; *si quis enim*, inquit, *bene cibatur & corpus ex ea cibatione nō proficit, malum est.* Porro bene cibari intelligere oportet illos, qui bene appetunt cibos, & eos quidem bonos, corpus proficere, quod ex Græco melius crescere & augere vertendum est, id enim verbum ἐπιδιδόναι significat, vt in Comm. 3. Aphor. primi libri ostendimus, intelligendum est, quod ad suum naturalem statum properat, ita, vt vires, quæ à morbo fuerint debilitatæ, restaurētur, & contracta macies paulatim tollatur, solitusq. habitus paulatim recu-B peretur. Malum autem id esse inquit Galenus, *quia significat vel potentiæ, qua corpus nutritur, imbecillitatem; quæ bene assumptum cibum concoquere & assimilare nequit, vel malorum humorum, qui relicti sunt ex morbo, superabundantiam, quæ cibum assumptum corrumpit.* verum si hic Aphorismus eandem sententiam continet, mutatis solum verbis, cum eo, qui *in octauo loco superius* continetur, vbi scribit Hippocr. *Si quis a morbo cibum assumens non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur*; malum etiam esse poterit alia ratione; quod scilicet ostendat plus alimenti assumi, quam iustum sit; id enim ille Aphorismus continet. Verum mihi videtur Hippocr. aliud in hoc tractare, quam in illo: nam in C superiori Aphorismo solum agebat de cibo, qui assumitur cum appetitu, nullam regulam & mensuram imponens ei, qui assumit; ex quo merito sequebatur corpus vti plurimo alimento: nam si quis bene cibum appetat, ita, vt nullus videatur relictus affectus ex morbo, nulla alia afferri potest ratio, cur corpus non corroboretur, nisi quod plus alimenti assumitur, quam virtus adhuc debilitata ex morbo elaborare possit; in hoc vero Aphorismo, verbum (*bene cibari*) complecti videtur *qualitatem, quantitatem, & alios omnes scopos requisitos ad bonam nutritionem.* Quibus quidem suppositis, sequi non potest in hoc, vt in illo, scilicet quod ostendat corpus vti copiosiore alimento, merito igi-D tur inquit Galen. malum hic esse, *quia vel reliquias mali humoris, qui impedit bonam fieri nutritionem, vel imbecillitatem facultatis concoctricis, quæ nequit elaborare & conficere alimentum, ostendit.*

Quod si quis contendat idem intelligi per bene cibari, quod significat assumere cibum, malum erit: quia vel indicat corpus vti abundātiore alimento, vel potentiam imbecillem, aut exuperantiam corruptorum humorum. Sed dicet quispiam, qui fieri possit, vt quispiam bene cibetur, & cibum bene appetat, & eum quidem bonum & cum iusta mensura, & tamen eum concoquere nequeat? cur enim appetitus seruatur, & concoctio illi non respondet? quippe, cum E Galeno authore temperies sit causa omnium bonarum actionum, quæ si efficit, vt appetitus constet, concoctionem debilitare non debet; Addo, quod ad appetitum conciliandum maius, & perfectius robur requiritur, argumento, quod febricitantes alimentum melius concoquant, quam appetant: an dicendum est, temperiem quidem esse actionum causam, sed nō vno & eo-

Quinam bene cibentur.

Quid per proficere intelligendum.

Cur nō proficere sit malum secundum Galenum.

Quid per bene cibari intelligat Argenterius.

Cur non proficere sit malum iuxta eundem.

Cōualescentes cur appetitum seruent, coctricem vero facultatem debiliorem obtineant.

dem temperamento, omnes actiones & facultates corporis gaudere? nam cum frigidiore temperie ventriculi seruatur integra appetentia, coctio vero debilitatur: hæc enim calido & humido temperamento maxime nititur; non mirum igitur, si conualescentes ob dissolutionem spiritus & calidi natiui refrigerati, & etiam consumpta corporis substantia dissoluti, appetitum seruant in conualescentia, coctricem vero facultatem debiliorem obtinent: hæc enim plurimæ calidæ & spirituosæ substantiæ requirit. Atque hæc satis de hoc Aphorismo.

APHOR. XXXII.

Ὡς τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες κατ᾽ ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν: οἱ δὲ κατ᾽ ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δ᾽ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν.

Omnes fere, qui male se habent circa initia, bene cibati, nec quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt: qui vero circa initia cibum valde non appetunt, postea bene appetentes, ii melius euadunt.

PErtinet hic Aphorismus ad naturalem facultatem, & ad conualescentes, quemadmodum Galen. scribit: nam si omnes, qui male se habent, intelligere velimus, eos etiam, qui ægrotant, falsus erit Aphorismus, quo dicit, circa finem cibum non appeti: nam si finis declinatio est morbi, in declinatione autem omnia Symptomata mitescunt, necesse quoq; est melius appeti cibum. De conualescentibus ergo Aphorismus scriptus est; & verbum *circa initia* intelligere debemus, circa initia conualescentiæ, id est, in primis diebus: circa finem vero, nõ debemus intelligere finem conualescentiæ: finis enim conualescentiæ sanitati continuatur, in quo tempore meliores necessario fiunt corporis operationes, sed circa finem idem est, quod procedẽte tempore à principio conualescentiæ. Porro circa appetentiam conualescentium quatuor contingunt; Primum, vt aliquis appetat in principio, & postea semper, donec sanitatem solitam recuperauerit: Secundum, vt male in principio & postea semper, donec rursus in morbum relabatur, aut tollantur causæ, quæ appositum destruunt: Tertius est casus, quando qui bene in primis diebus conualescentię cibatur, deinde appetitum perdit. Quartus casus est, si in principio male cibetur, deinde vero melius. Hos duos vltimos casus tangit Hippocrates *in hoc Aphorismo*, & quod in vno melius scribit, in alio intelligendum est deterius; ita, vt talis sit sensus: *omnes fere, qui male se habent, circa initia bene cibati, nec quidquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt, & in deterius euadunt; qui vero circa initia valde cibum nõ appetunt, illi postea bene appetunt & in melius euadunt.* Ac, vt primum obscuriora verba explicemus, videtur Hippocr. superfluo addere verba *male se habent*; nam si de conualescentibus solis

Verus sensus Aphorismi.

A intelligitur Aphorismus, vt Galenus notat, & re vera aliter intelligere non potest, quomodo dicere potest author, illos male circa initia habere, & tamen bene cibari? in quo enim malum est positum? forte enim debebat dicere: *omnes fere, qui circa initia bene cibantur, nec tamen proficiunt, tandem etiam cibum non appetent:* nam in secunda parte non addidit verbum *male* vel *bene* tanquam superfluuo in prima sit adiectum, nisi forte talis fieri posset lectio. *Omnes fere, qui bene cibantur circa initia conualescentia, & tamen male se habent, quod scilicet reliquias habeant praecedentis morbi, illi,* inquam, *proficere non possunt, & tandem circa finem cibum non appetent* Vnde & verbum *rursus* videtur superfluo adiectum, qua-
B si enim antea dixisset, istos non appetere cibum, dicit rursus illos in idem malum relapsuros; vel forte ita legendus est Aphorismus: *Omnes fere, qui male se habent circa initia*, id est, *cibum non appetunt, & tamen nituntur bene cibari, accidet illis, vt corpus nihil proficiat, & etiam cibum non appetant circa finem.* Manebit ergo semper in illis inappetentia, ita, vt sit vnus ex casibus à nobis additis; sed qualiscunque sit lectio, leuissimas sententias continet hic Aphorismus: nam si sequamur lectionem Galeni, facilis est ratio, qui enim primum conualescentes bene appetunt cibum, & tamen ex eo non restaurantur, ideo circa finem cibum non appetunt, quoniam nutrimentum corruptionem humorum non bene
C expurgatam augebit, ita vt tandem appetitum etiam perdat, communicato vitio partibus, quæ authores sunt appetentiæ. Addidit autem verbum *fere*, quoniam contingit aliquando, vt virtus progressu temporis vincat etiam reliquias humorum; ex quo fiet, vt cibi appetentia perseueret, & corpus paulatim melius proficiat. Contra vero, qui circa initia delectam habent appetentiam, quod verba *valde non appetunt*, exprimunt, solent postea bene appetere & melius proficere: nam (inquit Galenus) eo tempore, quo parum cibi assumebatur, natura dispositionem, quæ erat causa inappetentiæ, concoquit & dissipat, atq; ita appetitus augetur, & cum appetitu etiam corpus meliorem habitum recuperat.
D Qui vero ab initio & postea semper bene appetunt, perfecte sunt liberati, & concoctio respondet appetentiæ. At, qui nec in principio, nec postea appetunt, morbosam adhuc habent dispositionem, aut multos malos humores, qui ab initio appetentiam perdunt, & rursus in morbum præcipitem agent ægrotum.

Explicatio prioris partis aphorismi.

Appetitus circa initia conualescentia cur non laudandus.

Ratio prioris partis aphorismi.

Ratio posterioris.

APHOR. XXXIII.

Ἐν πάσῃ νόσῳ τὸ ἐρρῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφοράς, ἀγαθόν· τὸ δ᾽ ἐναντίον, κακόν.

E *In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contra vero se habere, malum.*

PErgit Hippocrates in signis tradendis, & in hoc Aphorismo docet, quid bonum sit aut malum ex mente, & ex eo, quod quis bene se ha-

se habeat ad ea, quæ offeruntur. *Bonum*, inquit, *est, si in morbo quis mente constat & bene se habet ad illa, quæ offeruntur; contra vero malum est, si in morbo mens non constat, & æger male se habet ad ea, quæ offeruntur.* In qua re primo notandum est, quod scribit author, *in quouis morbo*: nam Galenus videtur interpretari, *esse bonum mente constare*, solum in morbis partium, in quibus residet mens, aut aliarum partium, quæ ab illis originem habent. Verum Hippocrates inquit, *in quouis morbo*, ita etiam, quæ de partibus destinatis ad appetitum bene vel male habentibus scribit, contrahunt Aphorismum pluquam autor velit: nam in quouis morbo cuiuscunque fuerit partis, bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum esse, proponit Hippocrates.

Cæterum Græce legitur *διάνοια*, quod à nostro interprete *mens* dicitur, forte Galenum imitante, qui scribit aliquando, nihil referre, si pro mente quis dicat intellectum, vel rationem; tamen philosophi rectius dicunt Dianian esse ratiocinandi siue discurrendi facultatem; sed nihil obest, quo minus ad omnes principes animæ facultates mentis nomen extendamus; bonum enim est, si mens, intellectus, ratiocinatio, imaginatio, & memoria constant; malum autem si aliquod ex illis non constat. Porro constare mente non est hoc loco bene sperare, etsi etiam hoc est bonum; & non solum non delirare, sed nullum insigne vitium in illis facultatibus habere. Nam malum est, si quis per aliquot verba sermonem continuare non potest, vel tristia imaginatur, aut commemorat, aut aliquid simile facit, ex quo intelligimus, insigne aliquod esse in illis facultatibus vitium, inter quæ tamen delirium est potissimum malum, adeo vt ex eo solo mortem aliquando præsagire liceat. Bonum vero est mente constare, non quod salutem futuram necessario ostendat, nec quod indicet cerebrum, atq; illius membranas, spinalemq; medullam, septum transuersum, & deniq; partes neruosas recte habere, vt Galenus tradit: nam sæpe partes illæ laborant intemperaturis frigidis, humidis, siccis, & calidis quoque, & quod maius est, solutione continui absque mentis perturbatione.

Præterea contingunt deliria non semper ex affectu illarum partium, sed ex calidi natiui influentis à corde feruore, vt in ardentibus febribus contingit, vel ob eiusdem extremam debilitatem, quomodo decrepiti, & qui morti iam sunt propinqui, delirare agnoscuntur, vel ob malignos morbos calidam hanc & spirituosam substantiam corrumpentes, qua ratione deliria sunt in febribus malignis; quapropter mentis constantia in omni morbo bona est, quia bonum est præcipuam corporis actionem recte se habere. Id enim significat cerebrum non pati inflammationem, aut alias affectiones, à quibus deliria nascuntur. Significat præterea mentis constantia, neruosas partes non esse affectas illis malis, quæ per consensum mentis constantiam in cerebro violare possunt. Postremo, id docet natiuum calidum esse sine illis affectionibus, quæ mentem reddunt inconstantem. Cæterum quod ait de his, *qui bene se habent ad ea, quæ offeruntur*, non repugnat ei, quod ante scripsit, appetitum circa initia non multum esse laudan-

A dum, eo, quod soleat recidiuam facere, & postea seipsum etiam perdere: nam illic loquebatur de conualescentibus, hic vero de ægrotis. Præterea, illic, quid melius esset, an melius appetere in principio, vel non appetere, expendebat: Postremo, hic non de appetitu agit, sed de eo, quod est bene se habere ad illa, quæ offeruntur, siue alimenta, siue medicamenta sint: bonum enim est, si quis non solum alimenta, sed etiam medicamenta, quæ offeruntur deuoranda, sumat cõstanter, bonoq; animo, atque prompte. Est vero hoc bonum, non quod ostendat ventriculum, hepar, cor, necessario sana esse, vt Galenus credit: nam sæpe in illis partibus sunt morbi, qui nõ prohibent ægrotos bene se habere ad ea, quæ
B offeruntur.

Præterea, ex solius calidi influentis superius dictis malis perditur appetitus alimenti, & perperam se habent ægroti ad omnia, quæ offeruntur. Bonum igitur est, quia ostendit in partibus ad appetitum destinatis nullũ esse vitium, quod possit labefactare appetentiam alimenti, & facere, vt medicamenta penitus respuamus; Docet prætereaid, constare calidum innatum ac etiam rationem ipsam, quæ diiudicat illa non esse aduersanda, quæ salutis gratia offeruntur. Nec obstant quidem, quæ dicuntur appetitum in morbis fouere, augere, longioresque reddere morbos, propterea non in omni morbo bonum esse: nam Hippocrates bonum hic intelligit, vt
C signum, non vt causam; appetitus enim bonus est, quia ostendit bonas subesse in corpore dispositiones, à quibus nascitur; quod si quis male eo vtatur, non mirum, si mali sit causa. At si quis dicat, appetitum caninum malum signum esse in morbis, rectè quidem dicet, verum qui talem habent appetitum, non bene se habent ad ea, quæ offeruntur. Actiones enim excedentes mediocritatem naturæ conuenientem malæ sunt.

Cæterum, illud solum consideratione eget, quod scribit Galenus *in Comment.* non propterea credendum esse salutem venturam, si bonum aliquod est signum; vel mortem, si aliquid est malum; sed de vita & morte pronunciandum
D esse omnibus signis collectis, & diligenter perpensis, an plura sint bona, quam mala, aut maioris efficaciæ, quæ pauciora sunt aliis: nam hoc puto solum esse verum, cum salutem prædicere volumus, etenim, vt dici solet, ad construendum omnia sunt necessaria, ad destruendum vnum sufficit. Itaq; cum salus pendeat ex totius corporis sanitate, necesse est, vt omnes partes, præsertim quæ principes sunt, publicumq; munus exercent, suæ salutis signa præbeant, vnicum vero signum, quod malam læsionem ostendit in aliqua ex illis partibus, mortem sæpe præsagit: vt pulsus debilitas cum magna frequẽtia, vel delirium, quod ex affectu proprio cerebri nascitur, vel vrinæ liuidæ & nigræ in febribus pestilenti-
E bus: vnum enim ex his indiciis, etiam si alia omnia sint bona, tandem futuram mortem ostẽdit, eo quod alia principia malum, quod in vno incepit, progrediente morbo etiam inuadit.

Fff 2

APHOR. XXXIV.

Ἐν τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit.

EX conuenientia morbi cum natura, vel ætate, vel habitu, aut tépore, docet Hippocrates, morbos minus esse periculosos aliis, qui cum prædictis non congruunt; quod (vt postea ostendemus) perinde est, ac si dicamus, ex causis minoribus aut maioribus, quæ morbos efficiunt, prædicere nos posse, quinam morbi sint periculosiores, aut tutiores, quæ sententia facilius intelligetur, cum dictiones ipsius Aphorismi erunt intellectæ.

Morbi nomen quid significet, & de quibus morbis hic Hipp. loquatur.

Igitur quod Hipp. inquit, *in morbis*, nonnulli solum intelligunt de morbis ipsis, verum potest etiam morbi nomen extendi ad causas & symptomata morborum, eadem enim est ratio, vt postea ostendemus.

Præterea errant, qui nomen morbi contrahunt solum ad morbos, qui (vt ipsi aiunt) sunt cum materia, quales sunt febres putridæ: nam in omnibus morbis vera est Hippocratis sententia.

Quid intelligendum per periclitantur.

Verbum autem *periclitantur* non solum continet vitæ periculum, sed etiam difficultatem, quæ nascitur in curatione: nam morbi, qui non conueniunt cum natura, & cæteris enumeratis ab Hippocrate, vel periculosiores sunt, aut si periculo carent, certe sunt difficilioris curationis, quam alii.

Quid nomine natura.

Cæterum, naturæ nomine solum intelligit Galen. temperiem nostram, sed quid obest, quo minus etiam intelligamus naturam in proprio significatu pro forma; nam morbi, qui nati, & apti sunt in homine fieri, faciliores quidem sunt, & tutiores, illis, qui ex aliis animantibus nos inuadunt, aut ex aliis causis formam nostram corrumpunt, & perimunt. Huius generis sunt morbi, qui ex canis rabidi aut ferarum morsu inferuntur, vel ab aere pestilenti, aut a venenis tota (vt aiunt Medici) substantia nobis lethalibus; sunt enim illi periculosissimi, quoniam à nostra forma longe recedunt; etsi interim nihil, vel minimum obsunt temperaturæ.

Habitus.

Ætatis nomen omnibus patet, sed non ita recte videtur Galenus nomen habitus explicare, intelligi enim vult habitus nomine temperiem non natiuam, sed quæ fit ab ipso habitu, quasi habitus temperiem faciat, & non hic ex temperie nascatur: nam pinguis, vel crassus, aut gracilis habitus, temperiem sequitur, verum meo quidem iudicio habitus nomine Hippo. longe quid diuersum ab eo, quod sequitur, vel facit temperiem, intellexit, nempe formam, & structuram corporis: quomodo dicimus, quosdam esse bono, vel malo habitu, erecto, curuo, constricto,

A lato, firmo, infirmo. sic enim Hippocrates athletarum habitum summe bonum dixit esse, illorum scilicet formam, figuram, & structuram laudans, quæ aptissima erat ad validissimas actiones exercendas, quo modo etiam Galenus *in secundo Artis Medic.* cum de habitu corporis loquitur, intelligit.

Iam vero congruere siue conuenire morbum cum materia, & aliis prædictis, crediderunt nonnulli eum, qui contrarius est: non congruere vero eum, qui est similis: nam cum morbi expelli non possint, nisi per contraria, rationi videtur consonum, vt qui contrarietatem inueniunt in natura, ætate, habitu, tempore, mi-

B nus periculosi sint, & facilius propelli possint, contrarium vero in illis accidere, qui similes sunt naturæ: nam in similitudine cessat contrarietas, & repugnantia, sine qua morbi, & illorum causæ pelli nequeunt. Verum Galenus contrariam tuetur interpretationem, minus enim periculosos esse, & facilius curari morbos, qui similem habent naturam cum nostra, huiusque rei rationem sumit ex causarum morbos efficientium magnitudine; fieri enim à maioribus causis morbos dissimiles nostræ temperaturæ, & quia morbi tolli non possunt nisi remotione suarum causarum, merito fieri, vt difficilius illi curentur, periculosioresque sint, qui dissimiles sunt naturæ nostræ; Atque in eo qui-

C dem recte sentit Galenus, quod periculosiores & difficiliores sint morbi, qui à maioribus causis sunt nati, verum negare non potest, contrarietatem, quæ est contra morbum, & suas causas, minuere periculum, & difficultatem curationis.

Sed quomodo hæc conciliari & intelligi possint, postea patebit; Nunc vero quid obest, quo minus aliquando similes morbi fiant à maioribus causis, quam alii? Nonne (vt hoc exemplo vtar) biliosus incidere potest in febrem ardentem à maioribus causis, quam pituitosus? sic sane, vt si contingat biliosum mori, pituitosum euadere: id enim maioris morbi, & causæ in illo, in hoc minoris est indicium. Itaque æqua-

D liter ardentem febrem intelligere oportet esse, eamque fieri in vno a maiore, in alio à minore causa, sed quomodo rursus æqualitatem febris metiri oportet? gradune, vt stulte opinantur recentiores interpretes? minime quidem: nam æqualitas gradus caloris febrilis ab æqualibus causis inducitur; capere igitur oportet æqualitatem febris in vehementia, siue magnitudine, vt obiter recte admonet Galenus: nam eadem vehementia febris in homine pituitoso, vel in hyeme, non potest induci, nisi à maiore causa, & pluribus gradibus caloris, quam in bilioso, vel æstate: nam cum biliosus iam sui naturalis caloris plus habeat, quam pituitosus, alio accedente non multo calore à causis calefacientibus febrem

E vehementissimam sentiet; qui vero pituitosus est, cum frigidior sit bilioso, necesse est, vt à causis calefacientibus primo parem bilioso caliditatem acquirat, deinde quicquid postea caliditatis bilioso accreuerat, si modo æqualis magnitudinis, & ardoris febris in vtroq. fieri debet, quare plures erunt gradus caloris febrilis in pituitoso, quam in bilioso: nam quicquid caloris accreuerit

corpori vltra eum, qui proprius est cuiuscunque A temperaturæ, illud est febrile, & morbosum; potentiore autem calidioreq; causa est opus ad plures gradus caloris inducendos, ex quo sequitur maius periculum, maiorq; in curatione difficultas: *tanto enim magis, qui periclitatur, & difficilius sanari potest, quanto plus à suo naturali statu recedit*; & hæc quidem ratio in omnibus morbis & causis, atq; symptomatis morborum communis est.

An morbi conuenientes natura siue temperies sint semper minus periculosi.

Sed id prius de morbis ostẽdamus, an respondeat in omnibus, quæ scribuntur ab Hippocrate: nam quod ad naturam siue temperiem attinet, putant recentiores, non semper esse verum, quod morbi, qui congruunt cum natura, æqualis vehementiæ, sint minus periculosi aliis, & in hoc adferunt Conuulsionem, vel alium grauem morbum ex siccitate, qui etsi congruit neruo; parti scilicet siccæ, magis, quam conuulsio ab humiditate, tamen hæc semper minus periculosa est illa, sic Galenus *in septimò Method.* Siccitatem partium solidarum, & periculosissimam; & difficillime curari memoriæ prodidit.

Verum illi non vident, Hippocr. hic non expendere morborum diuersitatem, sed vnum morbum sumere, & in diuersa temperie collocare, & demum iudicare, quænam temperies ex illo eodem morbo magis periclitetur; iam pone Conuulsionem ex inanitione æqualis magnitudinis fieri in vno, qui corpore sit humido, & in alio, qui sit sicco, erit profectò illa in corpore humido periculosior; quia à maiore causa est nata; sed quid fiet, si is, qui licciore est temperamento, imbecillior sit, fortior vero, qui humido? An robur, quod resistit magis morbosis causis, & facilius ferre potest omnia auxilia, non est causa facilioris curationis, & minoris periculi? id non negamus. Ergo dicemus par esse periculum, vni quidem imminere ex magnitudine causæ, alteri vero ex virium imbecillitate: nam quantum crescit periculum humido; & pituitoso ex maiore Conuulsione, & illius causa, tantum ipsi minuitur ex virium robore, quarum imbecillitas auget periculum in bilioso, diminutum ex causæ, & morbi paruitate. Nihil ergo firmum, & stabile tradit Hippocr. cum scribit, eos magis periclitari, qui morbo contrario temperaturæ laborant: nam periculum non solum ex morbi magnitudine, sed ex virium imbecillitate, & aliis causis non æque repugnantibus sequitur, quæ cum reperiri possint aliquando in eo, qui consentit cum morbo, potius, quam in alio, vel periculum æquant, aut minus reddunt, quod fiet, si huius vires, & alia auxilia longe potentiora sint, quam sit excessus morbi, qui hunc afficit. At nos ad hæc respondemus: Hippocratem hic prosequi solum generationem morbi, quæ per se, & semper periculum auget ob maiorem suam causam, & morbi maiorem excessum, non autem consideret curationem, & ea, quæ per accidens possunt minuere periculum, aut augere; Accidere enim potest, vt robur nunc maius sit in eo, qui à minori causa laborat; contingit, vt diximus, etiam aliter. Illud autem perpetuo verum est, illum morbum, qui maior est, & à maiore causa, difficiliorem esse. Sed hæc adhuc in aliis clariora euadent.

Periculosi in morbis vnde.

An & cur morbi cũ ætate conuenientes sint minus periculosi.

Cæterum contra eam conuenientiam, quæ est morbi cum ætate, adferunt nonnulli contrarium videri, qui aiunt, quartanam cõgruere magis cum declinante ætate, quam tertianam, hanc tamen facilius curari, & minus periculosam esse. Respondendum huic argumento est, eodem modo, non duos morbos natura diuersos, sed vnum in diuersis ætatibus ponendum, quo fit, vt quartana periculosior sit in iuuene, quam in consistente, contrarium vero accidit in tertiana; sed quid dicemus ad Aphor. *40. huius libri* Hippocratis, in quo scribit, *rancedines, & grauedines in valde senibus non concoqui* cum tamen hi morbi senili ætati maxime congruant, in iuuene autem hæ passiones facillime concoquuntur? Huic B argumento parum apte respondet Galen. etsi duas tentet responsiones: ait enim, Hippocr. hic agere de periculo, quod est in morbis, illic vero de concoctione? Deinde quod non loquatur de simpliciter senibus, sed de valde senibus, in quibus ob virium imbecillitatem omnia sunt periculosa. Verum, vt antea ostendimus, verbum *periclitari* etiam comprehendit curationem: nam morbi, qui congruunt cum ætate, minus periculosi, & facilius curantur: atque in illis morbis, in quibus requiritur concoctio, periculum nascitur, quia non fit concoctio: nam valde senes, qui destillatione, & grauedine laborant; illis auctis, vel mutatis in grauiores affectus, vt Apoplexiam, Asthma, periclitantur, C & tandem moriuntur. Deinde, siue de senibus simpliciter, siue de valde senibus agamus, certissimum est, in illis grauedinem, & alios congruentes morbos suapte natura reliquis minus periculosos esse. id enim accidit in temperie, quæ fit ratione ætatis, quod in natiua: nam qui temperamento sunt sicco, grauius afficiuntur à morbis humidis, quam qui temperie sunt humida. Itaq;, si senes ex congruentibus morbis periclitantur ob virium debilitatem, hoc non facit contra præsentem Aphorismum, in quo non putat Hippocr. omnes congruentes morbos esse salutares, sed magis, quam alios, qui non congruunt, vel potius magis, quam in aliis, in quibus non est congruentia. si enim vires pares essent in sene & D iuuene, morbi proprii senili ætati, minus periculosi essent in sene, quam in iuuene; accidit autem, vt senex debilior sit, & iuuenis fortior; virtus autem fortis omnia contemnit; at non quid cõferat ad faciliorem curationem hic prosequitur Hippocr. sed quid faciat, & ostendat maiorem morbum, & periculosiorem docere instituit.

An & cur conuenientes cum habitu.

Galenus etiam, vt arbitror, non recte de conuenientia morbi cum habitu sentit: nam quod Hippocrat. scribit *in Epidem.* eos maxime mori, quorum natura vergebat ad tabem, ita interpretatur, vt per naturam non intelligat temperiem, sed formam corporis, & figuram: esse autem aptos ad tabem, qui thoracem habent angu- E stum, & eosdem maxime periclitari, eos vero, qui latum habent pectus, non habere conuenientiam cum tabe, & si incidant, minus periclitari. Sed ille videre debebat, eandem esse rationem in habitu, quæ est in temperie secundum naturam: nam qui lato, & bene formato sunt thorace, nõ nisi à maximis causis incidere possũt in tabem. Quapropter, si magnitudo causarum

maius periculum adfert, erit profecto tabes periculosior suapte natura, id est, ob suas causas, à quibus generatur, in eo, qui thorace est lato, quam in eo, qui est angusto. Nec illud quidem discrimen facit, quod hi, quibus latior est thorax, facilius sese expurgare possint: nam contra id adfero, quod ille *in hoc Comment.* his verbis scribit; *Cum igitur anni tempus cohibere non potest causæ magnitudinem, quamuis habeat sanitatem sibi suffragantem, multo minus ipsam morbo iam facto superabit non assistente sanitatis robore:* non confert igitur ex Galeni opinione ad salutem bona figura thoracis, præsente iam morbo, quæ morbi generationem impedire non potuit. Sed ille male negat, in eodem morbo vires, aut ea, quæ sunt in corpore, conferre magis posse in vno, quam in alio ad morbi curationem. Quis enim negabit, eos, qui thoracem habent latiorem, & melius figuratum, aptiores esse ad expurgandam saniem, & alia excrementa pulmonis? Sed ea ratione huic argumento satisfaciendum est, qua iam in aliis vsi sumus, Hippocratem scilicet hic docere velle generationem maiorum morborum, maiorisque periculi ex causis efficientibus morbos, nō autem ex incommodis, quæ nascuntur ex imbecillitate virium, aut aliis impedimentis internis, vel externis: id quod clarius explico in conuenientia, quæ est morbi cum tempore.

Num & cur morbi cum tempore cōuenientes sint minus periculosi.

De qua primum dubitant recentiores, frigidos enim morbos facilius curari æstate, & calidos hyeme, in quibus nulla est conuenientia. Sed illis eadem responsione satisfacimus, vnum & eundem morbum sumendum esse, & videndum, quanta sit illius causa ob diuersitatem temporum, quod exemplum Galeni ostendit, non enim capit ille duos morbos, & duo tempora, sed vnum morbum & duo tempora, nempe febrem æque ardētem in hyeme & æstate, & eam, quę fit in hyeme, longe periculosiorem esse indicat. Verum Galenus ipse male negat, aeris constitutionem in hyeme conferre ad curationem factæ in ea febris. ait enim, vehementem dispositionem causam fuisse, vt febris ardens hyeme fiat: neque enim ab initio facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset; Cum igitur anni tempus cohibere non potuerit causæ magnitudinem, quamuis habeat sanitatem sibi suffragantem, multo minus ipsam morbo iam facto superabit, nō amplius assistente sanitatis robore. Subdit autem, tunc conferre aeris frigiditatem ad tollendas febres, quæ in tempore calido sunt generatæ. Sed in hoc medicinam totam euertit: nam si contrariorum semper contraria sunt remedia, & si Hippocrates scribit *in tertio Aphorismo sequentis libri*, morbi bene se habent, quod ad curationem, in contrariis temporibus, nunquam profecto efficiet, quin frigus ad ipsam febrem præsentem extinguendam non conferat: Præterea, generatio febris ardentis, quam tradit in hyeme, non est vera; sanitas enim etiam validissima nō potest impedire actionem multarum causarum, quæ ardentes febres excitant: nam & robusti Agricolæ, & Athletæ ex labore sudantes, & imprudenter captantes in hyeme frigus, in Pleuritides, & Febres ardentissimas incidunt; quę quidem causa eo potentissima iudicatur, quod eo tempore

A pituitosum sanguinem adeo accendat, vt febris ardens nascatur. Non ergo causa dicitur potentior eo, quod temporis contrarietatem superet, neq; enim calor aduersus frigus pugnat, sed hoc in corpus excalefactum sese insinuat, & prohibita transpiratione calorem vehementem accēdit; in æstate vero aut corporis meatus non ita patent ex solo aeris calore, aut si subiectum eodem modo est affectum, certe causa, quæ densandi vim habet, potentior est in hyeme, præsertim si in corpore refrigerato & frigidis humoribus pleno, ardentem febrem parit; ergo maior quidem est causa, quæ ardentem febrem excitat in hyeme, sed non ea ratione maior iudicatur, quod temporis contrarietatem superauerit, sed

B his omissis, certum est aeris frigiditatem conferre ad febrem tollendam, quæ est in hyeme. verum nō propterea tollitur veritas his dictis Hippocratis. Dicendum enim est, per accidens fieri, vt tēpus remedio sit morbo, qui in eo gignitur; id enim aliquando accidit, aliquando vero non; perinde enim est, ac si quis negaret, morbos factos à maiorib. causis, maiores esse periculosioresq;, eo, quod aliquādo cōtingat eos fieri in diuitibus, quibus suppetunt omnia remedia, in pauperibus vero desint auxilia, sine quibus morbi fiunt deteriores, tardiusq; sanantur. Docet ergo hic Hippoc. qui nam morbi sint maiores, periculosiores, & tales gignuntur à suis causis, non curans interim, quid postea commodi, aut incō-

Tempus per accidens esse remedium morbi, qui in eo gignitur.

C modi ex rebus, quæ sunt in corpore, aut extrinseca ad eos tollendos: nam vt hæc aliquando adsunt, aliquando absunt, & conueniunt aliquando cum morbis, & illorum causis, aliquando vero illis repugnant, ideo certis præceptis non cōprehenduntur. aut certe non instituit id Hippocrates in hoc Aphorismo docere; vera igitur est Hippocratis sententia in morbis.

Quod autem etiam in causis & symptomatis illorum vera sit, facile probare licet: nam si causæ morborum adsunt ætati, temperamento, habitui, & tempori congruentes, minus periculum adferunt, promptiusq; vincuntur, oportet enim magnum esse à naturæ recessum, cum in intemperie, ætate, & anni tempore calido exuperant

Aphorismũ etiam esse verum in causis & symptomatis.

D humores frigidi.

Quod vero ad Symptomata attinet, certum est, deliria minus esse periculosa in hominibus, qui naturaliter stupidiores sunt, aut cum ioco, & leuitate loquuntur, quam in his, qui serio omnia tractant.

Cæterum, quod de natura, ætate, habitu, & tempore dixit, intelligendum est de sexu, regione, vitæ cōditione, & cæteris huius generis, quæ nostram naturam afficiunt; propterea enim profluuium sanguinis minus periculosum est in fœminis, quam in viris, *quia sexui muliebri magis conuenit, & naturalis est*. Eadem ratione morbus Gallicus in India, vnde ad nos venit, minus periculosus est, & difficilis, *quia proprius est aeri illius*

Sanguinis profluuium cur in fœminis minus periculosum.

Morbus Gallicus cur in India minus periculosus.

E *regionis*, in qua non plus afficit, quam vulgaris nos scabies; in aere vero nostro illud genus morbi malignitatem acquirit; sic sane mala, quæ respondent vitæ conditioni, minus nos lædunt. Recte igitur inquit Hippocrates, morbos minus esse periculosos, qui cum natura, ætate, habitu, & tempore congruunt; periculosissimi vero sunt, qui nullam cum his habent conuenientiam

tiam. Ex quo relinquit intelligendum, quinam sint mediæ naturæ; sunt enim illi, qui cum aliquibus conueniunt, in aliis vero discrepant.

APHOR. XXXV.

Ἐν πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

In quouis morbo partes ad vmbilicum, & ventrem attinentes, crassitudinem habere, melius est; vehemens autem extenuatio, & colliquatio, prauum: sed & hoc quoq; ad inferiores purgationes periculosum.

Hippocrates in superiore Aphorismo ex conuenientia affectuum prȩter naturam cum temperatura, anni tempore, ętate, & habitu, docuit minus esse periculi; nunc ex qualitate quadam nempe crassitudine partium, quæ circa vmbilicum, & imum ventrem sunt, docet etiam melius esse sperandum, in quouis, inquit, morbo. Sed dicet forte quispiam, in morbis capitis, aut thoracis ex crassitudine partium ventris, quid sumere possumus, quod sit bonum, vel malum? si enim morbi eas partes non attingunt, nihil vtique conferent qualitates, quæ in partibus sunt ad bonum vel malum efficiendum, vel significandum? An dicendum est, bonum esse, cum corpus laborat quocunque morbo aliquas partes esse sanas? vel potius intelligit Hippocrates non de quouis morbo, sed de illis solum, qui vim habent extenuandi vniuersum corpus, quales potissimum sunt febres, in quibus etsi aliæ partes vehementer extenuatæ sunt, non parua spes salutis relinquitur, vbi hæ partes, de quibus agit Hippocrates, seruant adhuc mediocrem crassitudinem, aut certe non vehementer sunt extenuatæ, & eliquatæ. Porro illud ignorandum non est, Medicos in diuisione vniuersali corporis illud diuidere in tres ventres, & artus, intelligunt autem artus, brachia, & crura; Inter ventres autem supremum vocant caput, medium thoracem, tertium simpliciter vocant ventrem, aut ventrem inferiorem, qui à Diaphragmate vsque ad pudenda extenditur, cuius exteriores partes alias tegentes, epigastrium siue abdomen vocant, quod rursus diuiditur in hypochondria siue præcordia, partes ad vmbilicum attinentes, & imum ventrem, sub quo vesica, & in mulieribus vterus continentur. Sed cur non dixit Hippocrates, bonum esse totum ventrem crassitudinem habere, sed solum duas ex eo partes assumit hypochondria relinquens? An forte per partes ad vmbilicum attinentes, eas etiam est complexus, vel potius eas expressit partes, in quibus maius bonum, & malum agnoscitur: nam in suprema illa ventris parte continetur orificium ventriculi, quod crassitudinem partium incumbentium ad suas actiones, nempe ad appetitum cibi, & potionis, non magnopere requirit; vtrinque vero hepar & lien subiacent, quæ ob suam molem faciunt, vt nunquam magna extenuatio appareat; quare merito solum de partibus ad vmbilicum & imum ventrem attinentibus meminit, quæ ex musculis, & pinguedine, atque intestinis subiectis constituuntur, in illis enim magis apparet, quod à latentibus morbis factum est, & ex illarum malo alia inferuntur. nam, vt recte admonet Galen. illas partes habere crassitudinem melius est duobus modis, tanquam signum, & vt causa: indicat enim, quæ seruatur crassitudo, partes eas non esse imbecillas, inquit ipse, sed forte rectius diceret, indicari, morbum non esse aut vehementem, vel malignum; extenuatio enim & eliquatio potissimum hæc duo B genera morbi sequuntur, imbecillitas autem sequitur morbi vehementiam, & malignitatem. Quare per signa illud primum quærendum est, contra quod est pugnandum, & aliorum malorum est causa; quid enim prodest Medico, scire imbecillas esse partes, nisi intelligat quid sit, quod imbecillitatē faciat: nam vt ipse *in 7. Meth.* scribit, contra imbecillitatem non pugnamus, sed contra illius causas: Est autem crassitudo illa bona vt causa, quoniam confert ad concoctionem alimenti, & malorum humorum, qui illic continentur: nam crassities, quæ ex carne, & pinguedine fit, est cum multo calore benigno, quo fouentur, & viuantur partes subiectæ, ventriculus scilicet & intestina; propterea, qui hoc C naturali munimēto priuantur, cruditatibus sunt obnoxii, & ab externis, internisque auxiliis calefacientibus opem coguntur petere. Dixit autem, *crassitudinem habere melius est*, tanquam sufficiat qualiscunq; crassitudo, & satis sit partes non esse extenuatas: nam magna crassities illarum partium grauat subiectas partes; vnde multi morbi in illis, & ex illis, nascuntur, vt vulgo dictæ crepaturæ; læditur quoq; & respiratio, & motus, ex ventre ob crassitudinem nimium extuberante; Addere debemus aliam vtilitatem ex mediocri ea crassitie, quod scilicet ad deiectionem, vrinæ emissionē, & partum conferat: nam cum hæc fiant cum expulsione, & compressione, extenuatio, quæ cum imbecillitate est con- D iuncta, his officiis obest; quare crassitudo prodest.

Iam vero posteaquam Crassitudinis commoda docuit author, contrarium ostendit sequi, si illæ partes vehementer sunt extenuatæ, & eliquatæ: Est enim hoc malum, vt signum vehementissimi, vel maligni morbi; vt causa, quod concoctionem partium subiectarum lædat; Addit & alia, quod ea extenuatio sit periculosa siue mala ad inferiores purgationes, cuius rationem non expressit Galenus, sed solum dicit, magna incommoda sequi, si partes, quæ sunt infra thoracem, non sunt robustæ; Ego vero non temere purgationis hic fieri peculiarem mentionem primum animaduerto: nam cum in mor- E bis fere omnibus purgatio sit necessaria, si ea ob partium extenuationem perperam fit, malū est: nimirum quod corpus priuetur felici successu necessarii auxilii. Quod vero ea constitutio obsit purgationibus, certum est: nam cum purgatio semper boni aliquid cum malo trahat, præsertim à partibus, quas contingit medicamentum; quid periculosius esse potest, quam à partib. iam col-

Quid conferat ventris crassitudo morbis capitis & thoracis.

Corporis diuisio.

Cur crassitudo partiū circa vmbilicum sit bona.

Eliquatio & extenuatio quos morbos maxime sequantur. Quos imbecillitas.

Magna crassities incommoda.

Mediocris commoda.

Cur extenuatio dictarum partiū mala.

Cur ad inferiores purgationes periculosa.

liquatis humorem elicere? mala ergo est purgatio hac ratione, tanquam causa malum augens. Deinde, medicamentum purgans eget calore ventriculi, & intestinorum, vt actu fiat, quod est suapte natura in potentia, & vt distribuatur, qui non potest esse in illis partibus ipsis extenuatis, & partibus aliis sibi incumbentibus. Postremo, medicamentum trahit à toto corpore in ventrem & intestina humorem, qui vt deorsum, & extra extrudatur, expulsione eget: ea autem fieri non potest, nisi comprimētibus musculis abdominis, qui si admodū sunt extenuati, inepti redduntur ad hoc munus obeundum.

Cur Hippocrates hic omiserit purgationes superiores.

Cæterum, putat Galenus ideo Hippocratem prætermisisse purgationes superiores, eo, quod notissimum esset, hanc extenuationem malam esse, & obesse illis purgationibus. Ego vero contrarium sentio, nempe, Hippocratem purgationem, quæ deterior est, significare voluisse, illas vero omisisse, quibus vtendum esset, si illarum vsus in morbis requiritur: nam superiores purgationes thorax, & diaphragma cum minimo auxilio abdominis perficiunt. Nec illis admodum obest gracilitas corporis: nam scribit Hippocrates *in Aphor. 6 quarti libri, Graciles & faciles vomentes per superiora purgandi*. Illud autem superest explicandum, cur crassitudinem in aliis partibus non laudauerit, sicut in ventre inferiore: an quod diuersa sit ratio? iam enim malum dixit esse in morbis, si permanet corpus, & nihil minuitur.

Cur Hippocrates non itidem laudauerit crassitudinem in aliis partibus.

Aphor. XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι, καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

Qui salubritatem corporis habent, cum per medicamenta euacuantur, cito exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo.

IN proximo Aphorismo docuit Hippocrates, eos, qui partes circa vmbilicum, & imum ventrem attinentes multum habēt extenuatas, cum periculo purgari; idem nunc docet de corporibus salubribus; docet enim, hæc corpora difficile ferre purgationes, & mala quædam exprimit, quæ illis ex purgationibus accidunt: illa enim, inquit, cito exoluuntur, & quod mirum videri posset, eadem mala ex purgationibus dicit illis euenire, qui prauo vtuntur cibo. Appellat autem eos habere salubritatem corporis, qui bona præditi sunt sanitate, quæ enim insalubria sunt, aut neutra inter salubria, & insalubria, illa nec bene sana sunt, nec salubria vocari possunt, vt à nobis ostensum est *in Commentariis nostris in Artem Medic.* Sunt præterea quidā sani in habitu, vt omnes salubres, insalubres, & inter hos neutri, eo quod firmam, & stabilem sanitatem habeant; alii vero sanitatem habent in dispositione; in quo genere comprehenduntur conualescentes, decrepiti, & qui parati sunt cadere in morbos; qui omnes dicuntur habere neutram dispositionem inter sanos & ægros, vt

A Gal. docet *in Thrasybulo*. Itaque, cum multa sint corpora sana, merito de solis salubribus, id est, bene sanis scribit Hippocrates purgationes esse difficiles: nam in illis nullus est malus, & superfluus humor, qui sui euacuationem postulet: quare necesse est, vt medicamentum purgans eliciat aliquid, quo natura constat, illiq; est amicum & familiare, quod cum natura retinere velit, & medicamentum idem ad se trahere, corpori vis infertur tanta aliquando, vt exoluatur, id est, in animi defectum, vel similem illi affectionem incidat. Videtur autem hoc extremum esse ex malis, quę contingunt salubribus corporibus in ipsis purgationibus: nam leniora alia accidunt Symptomata, de quibus Galen. *in sequenti Comment.*
B *ment.* agit.

Sani cur in purgationibus exoluantur.

Cæterum, vt sani non ferunt purgatiuum sine difficultate, ita contraria videtur esse ratio de his, qui prauo vtuntur alimento: nam ex malo victu mali procreantur humores, quibus purgatio peculiare est remedium. Cur ergo dixit Hippoc. hæc etiam corpora exolui à purgationibus? an forte non intelligit omnes, qui ex malo victu Cacochymi sunt redditi, sed eos solum, qui admodum vitiatos habent humores, & cum eo vitio virtutem iam debilem? hi enim si per validiora medicamenta, qualia hic prohibere videtur Hippoc. purgentur, magnas fieri oportet purgationes, quia magna est malorum humorum abundantia, & simul necessarium est magnam fieri
C spirituum dissolutionem, ex quo sequitur corporis exolutio. Sed quid in his facies, si purgatio obest, quæ præcipuum est auxilium? erit vtique vtendum Epicrasi, quæ fit per leues, sed repetitas purgationes, & bonam nutritionem; Quod si vires validæ sunt, & multum boni humoris commixtum est cum malo, purgationes non solent exolutiones parere, sed vt *in secundo Aphorismo primi* scribit, conferunt, & facile feruntur.

Cur itidem prauo vtentes alimento.

Aphor. XXXVII.

Οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

D

Qui bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

SI Aphorismi ordinē aliquem haberent, qualem requirunt, quæ Methodo scribuntur, hic Aphor. præcedere debebat eum, qui proxime præcessit, nam exolutio species est difficultatis, quæ solet nasci ex purgationibus. Intelligere autem debemus, vt iam admonuimus, per medicationes, purgationes, quæ fiunt ex validissimis medicamentis, quæ sola nouit Hippocrates, nam quæ post illum sunt inuenta, cassia, manna, tamarindi, & quæ ex saccharo, & rosis componuntur, si non inueniant
E sibi proprium humorem exuperantem, aut exeunt, qualia sunt assumpta, aut vincuntur, aut certe non obsunt. Porro Galen. exprimit Symptomata quæ ostēdunt difficiles fieri purgationes, vertigines, tormina, exolutiones quibus addere possumus sitim, capitis dolorem, inappetentiam, nauseam, stomachi dolorem, & alia, quæ

Quid per medicationes intelligendum.

Symptomata ostendentia difficiles fieri purgationes.

pro

pro diuersitate corporum accidunt Symptomata: Neq; enim omnia in omnibus fiunt; accidunt enim vertigines agitatis humoribus, & spiritibus, interim, cum medicamētum attrahere vult humorem sibi familiarem, & eundem natura tanquam proprium, & amicum retinere nititur, ex ea enim pugna, agitatio, ex hac vaporum generatio, inordinatusque motus ad caput, in quo sensus fit, tanquam omnia circumuolui videantur. Sed vt obiter hoc etiam admoneamus, est quidem vertigo Symptoma, cum sit actio & motus deprauatus, non tamen nascitur à morbo, vt omnes putant recētiores, qui omnia Symptomata à morbis prouenire credūt: nam quod illi dicunt morbum esse in numero, quod adsit spiritus quidam præter naturam, quem abesse postulat naturalis cōstitutio, negari potest. nam actiones omnes postulant spiritum, id est, calidum innatum influens: quod si id etiam concedamus, non propterea ex spiritus alicuius præsentia morbus fit in numero: nam morbi in numero pertinent ad organicas partes, quæ ex similaribus, quibus constant, excedentibus, aut deficientibus constituunt: spirituum vero, & humorum vitia, non sunt partium similarium, nimirum cum nihil pars sit similaris, quod in corpore non viuit, naturalibusq; facultatibus non est præditum; Itaque actiones lædi possunt non solum ab intemperaturis, & structura instrumentorum per morbos viciata, sed etiam ob vitia calidi influentis, & materiam, circa quam versantur actiones, vt diligentius *in lib. de Symptom. causis* ostendimus. Iam vero tormina, id est, extorsiones ventris accidunt à purgationibus in sanis, ob eandem rationem, nempe ob pugnam, quæ nascitur ex attractione medicamenti, & retentione vtilis humoris à natura facta: vel etiam, quod morsus fiant in intestinis ex acrimonia medicamentorum purgantium. Qua ratione nonnullis etiam dolores fiunt in stomacho; In capite vero dolores accidunt facta tensione membranarum à multitudine vaporum ascendentium; At, sitis sequitur validiores purgationes, per quas educitur humor corpori, & stomacho præsertim necessarius; præstat autem horum Symptomatum causas ad prædicta referre, ita, vt pugna, quæ ex attractione, & retentione fit omnibus originem præbeat, quam interpretationem Galeni recipere, qui ea accidere ait ex sanguinis, & carnis colliquatione: nam absurdum est credere, in vasis nō esse bilem, pituitam, aquosum humorem, proprium & familiarem singulis medicamentis, siquidem vniuersa sanguinis massa ex quatuor humoribus, & seroso humore semper constat; hos ergo semper trahet medicamentum prius, quam eosdem humores aggrediatur, quibus caro, & aliæ partes constant, in quo casu tunc oritur colliquatio; Verum antequam hæc cōtigat, mors sequitur, vt recte docet Hipp. *in lib. de Natura humana*, nam medicamentum, inquit ille, primo attrahit sibi familiarē humorē, qui in venis cōtinetur; deinde eum, qui facilius ob tenuitatem & caliditatem sequi potest; alium deinde postremo sanguinē; quo cum fit, non expectata attractione humorum, quibus partes constant, exolutio, & mors accidunt.

APHOR. XXXVIII.

Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

Parum deterior cibus aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus.

Pertinet hic Aphorismus ad nutritionem; ac cum multi scopi obseruandi sint, vt recte nutritio institeatur, vt in *primo lib.* ostendimus, videtur hic agere de quarto, vel etiam de genere nutrimenti docet enim alimenta ea esse eligenda, quę suauiora sunt, etiamsi paulo deteriora fuerint. Quo quidem in re primum explicandum venit, quomodo cibum, & potum deteriorem intelligere oporteat, & suauiorem; Deinde, cur dixerit non absolute, sed adiecto verbo *paulo deterior cibus & potus*; Tertio loco quærendum est, an hoc intelligendum sit non solum in sanis, sed etiam in ægris, aut in his solis, vt alii interpretātur; quod si in ægris sententia vera est, sequitur explicandum, an in omnib. morbis & in omnibus morbi temporibus regula hæc sit obseruanda; Postremo ratio reddenda est, cur fiat, vt præferendum sit quod deterius est, meliori, si ab hoc abest suauitas, cum illo vero adest.

Porro deteriorem cibum aut potum duobus modis; vel quod bonus quidem sit, sed in genere boni alio sit deterior; vel quod malus sit, intelligere oportet; Item, bonum aut malum intelligere non debemus simpliciter, id est, ad temperatum hominē facta collatione, quo modo scribunt authores nostri, bona vel mala esse omnia alimenta, sed facta collatione ad id, quod dicitur bonum aut malum; vinum enim temperatis hominibus bonum quidem est, pleuriticis vero malum. Iam vero si alimentum est in genere mali, etiam si suauissimum sit, in morbis vehementioribus nunquam concedendum est nisi virtus collabatur; in mitioribus vero in deiecta appetentia, tutius conceditur, declinante morbo mitiore, nullo fere periculo exhibetur, grauiore vero iam inclinante periculosum est malis vti alimentis; in prioribus vero temporibus, præsertim si morbi sunt vehementiores, à malis abstinendum: at in sanis, suauitati multum tribuendum; sed malis alimentis, si aliquando, certe frequenter non vtendum: nam in morbis vehementioribus iubet Hippocrates exquisitissimo victu vtendum esse, in nullaq; re esse errandum: error autem est, si alimentum morbi causas augere, aut fouere potest. Nec ratio, quæ sumitur ex meliore concoctione suauioris cibi in hoc casu vim habet: non enim concoctio alimenti morbis illis medetur, sed victoria causæ morbi, quę quidē impeditur si nocumentum accedit ex malo alimento. Negare etiam possumus, meliorem fieri coctionem ex alimento cum ob hanc causam morbosis causis, deteriores quoq; esse coctiones fieri necesse est. Quod vero malis alimentis vti possumus, vbi vires collabuntur, ostendit animi defectus, quos vini potione omni cōtempto nostris restituimus; vt enim Gal. scribit

indicantibus, quæ sumuntur à corporibus, alius omnes abo-lere. Iam vero in morbis longis non minor est habenda cura concoctionis alimenti, quam morbosæ causæ: vires enim cōseruandæ sunt; id quod fieri non potest absq; bona nutritione; ad hanc autem facit plurimum suauitas cibi; quid enim non audemus exhibere in quartanis, & quotidianis febribus ad appetitum conciliandum? si vero morbus mitior fuerit siue breuis, aut longus sit futurus, hoc maxime spectandum est, an possit fieri vehementior, & in alium grauiorem transire, vel hoc periculo vacet, in illis enim tutum non est suauitatis potius, quam bonitatis rationē habere: in his vero liberaliores esse possumus; Hac quidem ratione in Diariis febribus, & aliis calidis morbis tutius est abstinere à vino, suauiore quidem, sed deteriore aqua; in humidis vero & siccis affectibus, aut in febribus pituitosis, nullo vel minimo periculo præferimus vini potionē. Suspecta etiam debet esse suauitas cum malitia coniuncta in declinatione magnorum morborum; propterea declinante pleuritide, securius adhuc est aquam propinare, quam vinum. Cæterum, si deteriorem cibum intelligamus, qui quidem bonus est, sed deterior tamē est alio meliore, quales sunt cremor prisanæ, panis minutim concisus, aut tritus, & feruefactus prisanæ modo, & cętera alimenta, quibus quotidiana & frequenti consuetudine in variis morbis vtimur, eadem fere est ratio: nam *in magnis morbis, aut his, qui magni fieri possunt*, suauitatis non est habēda ratio, sed exhibendum est, quod suapte natura melius est; præstat ergo Pleuriticos cremore prisanæ, q̄ pane cocto nutrire, quoniam ptisana plus refrigerat, humectat, & ad fluxiones sistendas, sputumq; eliciendum prodest. In longioribus vero affectibus, vel iam declinantibus magnis, habenda est ratio maxima suauitatis, quæ bonitatem habet adiunctam, & tanto magis suauitati obtemperare possumus, quanto magis affectus sanitatis naturam referunt: in illis enim habenda maxime est ratio concoctionis alimenti, quæ cū suauitate multo melius perficitur: Propterea errare mihi videntur, qui varietatem in alimentis damnant: nam vnicum alimētum nec diu, nec in eadem cibatione à principio vsque ad finem ita suaue esse potest, vt varium: quare varietas simplicitati præferenda ob suauitatem est, quę ad concoctionem plurimum facit; Deinde, vt alio loco ostendimus, id postulat magna differentia, quæ est in partibus nostri corporis, cum enim quædam sint solidæ & crassæ, aliæ tenuiores, aliæ spirituosæ, aliæ aqueæ, & humorales, aliæ vero alio modo affectæ, vnicum nutrimentum non potest omnes partes probe nutrire; temperatum enim alimentum membris, in quibus adest naturalis temperies, erit conueniens. Suauitatem in alimento intelligere debemus, quæ vel naturalis est, vel quæ arte culinaria paratur, nam quædam suapte natura insuauia sunt, quæ conditura suauissima euadunt, & quæ sua natura sunt grata, artem non requirunt. Sed cur præferendus est cibus deterior & suauior melioribus & non suauibus? Duplex, vt inquit Galenus, est ratio: *tum vt gratificemur ægro, tum, vt melior fiat concoctio alimenti*, addo ego, *quod felicior hinc fiat curatio*. Studendum maxime quidem est, vbi affectus admittunt, vt gratificemur ægrotis, id enim sedat animi impetus, quos periculosum est incitare, si obtrudantur, quæ illi sunt ingrata, soli enim, qui sunt prudētiores, ferre possunt exquisitissimam illam viuendi rationem, quam morbi postulant. Quod vero concoctiones etiam meliores fiant in suaui alimento, ideo, inquit Galenus fit, *quia concoquitur melius, quod melius retinetur, attrahitur, & appetitur*; id autem omnino suaue esse oportet: nam quæ ingrata sunt, respuimus, & expellimus.

Cæterum, id etiam conferre ad curationem patet: nam ex bona coctione alimenti, virtus roboratur, & mitescit ex mixtione malitia humorum morbos committentium; quæ quidem faciliorem reddunt curationem. Patet igitur huius Aphorismi sententia, qui audaces Medicos reprimit, & superstitiosos taxat; illi enim putant se ex hoc Aphorismo posse in omni malo gratificari ægrotantibus, hi vero admonentur, non esse omnia scrupulose obseruanda in victu: est enim habenda ratio eorum, quæ postulat appetitus, & quæ secūdum naturam in nobis sunt, dum morbis abigendis incumbimus, sed non temere, vt admonuimus, omnia in omnibus facienda.

APHOR. XXXIX.

Οἱ πρεσβύται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον. ὁκόσα δ' ἂν αὐτέοις χρόνια νοσήματα γίνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκουσιν.

Senes iuuenibus vt plurimum ægrotant minus; qui vero morbi his accidunt longi, comitantur ad mortem.

PErtinet hic Aphorismus ad prædictionem, docet enim, quænam ætas frequentius ægrotet, & qui morbi soleant laborantes ad mortem comitari: ait namq; senes minus ægrotare iuuenibus; illud tamen deterius in illis fieri, quod morbi longi vt plurimum eos ad mortem comitantur. Docet igitur prædicere morbos & illorum finem ex diuersitate subiecti, quæ ob diuersas ætates accidit. Per senes Galenus hic omnes, qui sunt in senectute constituti, intelligit, primos, inquam, & secundos senes, & qui proprie decrepiti dicuntur: nam *in sequenti Comment.* dicit, Aphorismum de raucedine & grauedine in valde senibus esse exemplū præsentis Aphorismi. Verum ego, quod experientia etiam docet, per senes hic non comprehendo decrepitos: nam illi nunquam valent, sed cōtinuis fere morbis laborant, est enim eorum affectio veluti mors; Addo, quod ille *in Thrasybulo*, & *passim alibi*, hos senes ponit in statu neutro inter sanos & ægros, qui vt conualescentes, & hi, qui præseruationi subiiciuntur, à minimis quibuscunque causis in morbos ruunt, propterea istorum omnium conditio non puram conseruationem, sed mixtam tractationem, ex curatione, & conseruatione desiderat; In primis vero & secundis senibus veram esse Hippocratis sententiam experientia pariter testatur: nam idem iuuenis & senex, longe diuerso modo circa gene-

rationem morborum afficitur; frequentius enim incidit iuuenis in morbos quã senex; quod quidem aliquibus videtur præter rationem euenire: nam cum præparatio corporis magnã vim habeat ad facilem generationem morborum: in præparatione vero illa maximi momenti sit virium imbecillitas, cur cum senes hi semper imbecilliores sint iuuenibus, frequentius illis non ægrotant? Verum, etsi imbecillitas extrema, qualis est in decrepitis, ab omnibus afficitur, etiam leuissimis causis, tamen quæ in aliis est mediocris, nisi vehementer offendatur, incolumis perseuerat. Itaque primi, & secundi senes fugiunt morbosas causas magis, quam iuuenes, primo quod prudentiores sint facti longo rerum vsu, quo didicerunt, quæ noxia sint, fugienda esse, nec temere aliquid faciendum; Deinde, imbecillitas senibus etiam prodest *ad euitandos errores*; illi enim suæ imbecillitatis conscii, abstinent à lucta, cursu, venatione, & aliis multis violentis causis; Deest præterea cum viribus multarum rerum appetitus, edendi, inquam, bibendi, veneris, & aliarum multarũ rerum, à quibus imprudentes, incontinentesq; fortes iuuenes illa queantur: non mirum igitur, si robur à multis, & validissimis causis sæpe prostratum, morbis cedit: imbecillitas autem à nemine, aut raro offensa, tuta & incolumis perseuerat; at si delirex senex id est, intemperanter, incontinenterq; viuat, atque ab eo, quod decet suam ætatem, longius errauerit, sui erroris pœnas luet: nam cum morbosas causas perinde, vt iuuenis quærat, facilius eas ob imbecillitatem inueniet. Propterea, qui ita affecti sunt, frequentissime ægrotant, mortemque accelerant. Recte itaque dixit Hippocrates, *vt plurimum* senes minus ægrotare iuuenibus, intemperantes, & incontinentes senes excipiens. Verba autem *minus ægrotare*, intelligere debemus, quod & rarius, & minoribus morbis corripiantur; rarius enim illi, & in minores causas morborum incidunt. Quod si, inquit, forte aliquando incidant in longos morbos, ii vt plurimum eos comitantur ad mortem; Intelligere autem debemus comitari ad mortem morbos, non eos, qui accidunt, sed qui nunquam perfecte sanantur, quales sunt podagra, calculi, & alii morbi, qui proprii sunt senibus, de quibus in *sequenti lib.* aget Hippocr. illi enim non solent occidere senes suapte natura, nec tamen ab illis senes liberari perfecte possunt, quoniam in illis semper remanet morbosa dispositio, quæ nouas accessiones parit; id quod in podagra, & calculis experientia docet. At vero, si morbi non sint proprii senibus, & longi, vt quartanæ febres, hi non fiunt socii vitæ, sed mortis authores, vt qui maximi sint, eo quod non congruant cum ætate. Dictum ergo Hippocr. de morbis longis comitantibus senes ad mortem, intelligendum est *de morbis genitis ex pituita, & causis propriis ætatis senili.* Sed cur non protulit omnes morbos aliquid facere in senibus, sed solum longos? an quod notissimum esse putaret, acutos morbos in illis esse periculosissimos, vt docuit *in Aphoris. 34* breues vero, & leues morbos facile in illis, & in aliis pariter sanari; est locus *in secundo Præd. text. 70.* vbi docet, ex quibus morbis senes facilius liberentur, quam iuuenes. Verba hæc sunt Hippocrat. *Qui purulenti ex Pulmonia fiunt, si maiores natu fuerint, potius intereunt per alias vero suppurationes minores natu moriuntur.* Quem locum ita interpretatur Galen. vt dicat, ideo iuniores à Peripneumonia facilius liberari, quoniam in eo morbo salus consistit in expuitione humoris committentis inflammationem, expuitio autem robur virium requirat, quod potissimum in iunioribus viget; ex febribus autem & doloribus iuniores promptius mori. Sed huius rei rationem non reddit, & videtur etiam hæc sententia repugnare Aphorismo, in quo scripsit author, morbos minus periculosos esse, qui cum temperamento congruunt. An dicendum est, nullam esse repugnantiam: nam Aphorismus ille docet in æquali morbo minus periclitari, qui consentiant cum morbo, hic autem locus docet, febres & dolores in iunioribus maiores & frequentiores fieri solere, quam in senibus, qui ab his malis tuti fere viuunt.

Cur senes ut frequentius ægrotent quam iuuenes.

Imbecillitatem senibus prodesse & cur.

Qui morbi senes comitentur ad mortem.

APHOR. XL.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Raucedines, & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt.

HVnc Aphorismum scribit Galenus esse exemplum præcedentis, quod ego etiam concedo, verum non totius, sed vltimæ partis superioris Aphorismi exemplum est: nam raucedines & grauedines, quæ fiunt in valde senibus, concoctionemq; non admittunt, non ostendunt senes minus ægrotare iuuenibus, sed potius contrarium: si enim continua est affectio, crudaque manet, testatur tales senes frequẽtius ægrotare iuuenibus. Itaq; cum in secunda parte dixisset, longos morbos, qui in senibus fiunt, vt plurimum comitari ad mortem, nec satis pateret, quinam sint illi morbi, & quomodo hoc fiat, hæc probat ex raucedine, & grauedine, quæ concoctionem nõ admittunt, quod perinde est, ac si diceret, morbos longos intelligi comitantes ad mortem, nec tamen occidere, non omnes quidem, qui in senibus fiunt, sed qui proprii sunt senili ætati; etenim, Hydrops, & quartana febris longi quidem morbi sunt, non tamẽ ex eo genere sunt, quod comitatur ad mortem, siquidem mortem inferunt; Raucedines vero & grauedines propriæ re vera sunt affectiones decrepitæ ætatis, quoniam ex pituita, & refrigeratione nascuntur, quæ cruditatis perpetuæ causa esse possunt, non tamen propterea suapte natura occidunt. Ac vt res hæc clarior euadat, intelligere oportet raucedines esse vocis impedimenta, ex quibus vox fit rauca ob fluxionem pituitosam decumbentem à capite in bronchon, id est, asperæ arteriæ caput, vnde bronchos huiusmodi affectio nuncupatur; Quod si idem humor ad nares descendat, easque occupet, solet oriri non solum in ipsis naribus, sed etiam in fronte & oculis grauitas; vnde à Latinis grauedo nuncupatur, à Græcis vero Coryza, id est, Mucus.

Raucedines & grauedines esse affectiones proprias decrepitæ ætatis, & cur.

Bronchos.

Coryza.

Catarrhus.

Quod si fluxio petat oris partes, vel pectus, catarrhus dicitur, Latini proprium nomen non habēt, & Græci generali vocabulo in re particulari vtuntur: nam Catarrhus re vera est defluxus humorum, quandoquidem non solum Tussim, sed Anginam, & Podagram dicimus fieri ob fluxionem siue Catarrhum. Iam vero videamus, quomodo intelligendum sit, has affectiones concoctionem non admittere; an decrepiti non expuunt, & emungunt concocta, sed semper cruda? Minime profecto: nonne etiam æstiuo tempore cessant in illis huiusmodi passiones; sic profecto; quid ergo voluit Hippocrates, cum dixit, has affectiones non concoqui? an intellexit dispositionem esse vniuersalem, quæ nunquam tolli potest, materiā vero, quæ ad eas partes per accessiones descendit, concoqui, & reiici? ab accessionibus ergo liberantur illi, sed cum frigidi sint, plurimumque ob id pituitæ semper generent, quæ ex minima quaq; occasione rursus decumbit in eas partes, ideo nunquam dici possunt illi ab his malis liberari: manet enim semper tota massa humorum cruda: nam eis idem accidit, quod illis, qui intermittentibus febribus, Podagra, & Calculis laborant, quippe, cum materia accessionum causa vincatur, & expellatur, dispositio vero semper relinquatur morbosa, quæ posteaquam est inueterata, aut à parentibus insita, nunquam tolli potest. Est igitur massa humorum, à quibus deciditur materia, raucedines, & grauedines faciens, quæ non concoquitur, non autem humorum, qui per interualla hæc mala renouant. Recte autem dixit Hippocrates, id fieri in valde senibus: nam primi, & secundi senes, etsi frigidiorem sanguinem procreant, tamen ille aptus est ad probam nutritionem: & ob id concoquitur, nec semper relinquit pituitosum humorem aptum ad fluxiones. Sed cur non dixit Hippocrates, has passiones occidere? an quoniam hoc falsum sit, nam nec ipsa dispositio vniuersalis, nec materia, quæ ex ea deciditur, suapte natura potest occidere, nisi forte tandem ob maximam imbecillitatem in capite retentus humor pituitosus Apoplexiam pariat, ex qua videmus plurimos decrepitos mori, aut cum pituitoso humore alii coniungantur, atque ita oriantur Pleuritides, laterisque dolores, qui etiam consueuerunt extreme senes occidere. Propriæ igitur senibus passiones, ex proprio humore natæ, non solent suapte natura eos interficere; sed *ratione loci principis, aut ob mixtionem aliarum causarum:* An forte dicet aliquis, idem esse non concoqui & occidere? nam in febribus hæc videntur idem esse: humor enim febrem faciens nisi concoquatur, mortis erit causa; at, diuersa est ratio; quippe cum febris finiri non possit, nisi concocto humore, qui eam gignit, & fouet, ipsa autem vt vehemens, vniuersalisq; morbus, apta sit tandem interimere; cum humore autem raucedinem, & grauedinem committente nullus sit coniunctus morbus, qui ob insignem suam qualitatem mortem inferre valeat, Merito igitur dixit Hipp. hæc mala non concoqui, & propterea hominē comitari ad mortem; non tamen propterea occidere.

Quomodo hæ affectiones cōcoctionem non admittant.

Passiones senibus propriæ quomodo eosdem interficiant.

Cæterum, expendendum relinquitur, quod scribit Galenus *in Comm.* non solum raucedines, & grauedines, sed etiam Calculos, Podagram,

A Arthritidem, Coxēdicem, Colicam passionem, & dorsi deprauatas figuras pariter comitari ad mortem, eo, quod omnia hæc mala ex frigidis humoribus fiant, qui concoqui non possint: nā certum est, hos morbos solere comitari homines ad mortem; sed ratio, (meo quidem iudicio) non sumitur à cruditate, & concoctione, sed potius ex mala dispositione insita vel à parentibus morbosis, vel ex pessimo victu, quæ quidem affectio facit, vt pars laborans facile suscipiat, aut in se gignat humores, vel aliam materiam, ex qua morbus nascitur continuus, aut potius per interualla crucians; Calculosi non ob frigiditatem, sed potius ob caliditatem renum frequenter gignunt in se lapides, ex sanguine etiam

B mediocri, (vt alibi ostendimus) *nec tam calor renum culpari potest, quam dispositio apta ad lapidum istorum generationem*, quandoquidem multi sunt, qui pituitosis humoribus in venis abūdantes, & caliditate renum afflicti, non tamen calculis laborāt: alii vero, qui sine sensu caloris frequentissime hoc malo torquētur. Podagra quoque non nascitur, præsertim quæ fit ex calidis humoribus, ob impotentiam coctionis, sed ob imbecillitatem pedum, & robur partium superiorum, qui relictis propriis locis à natura destinatis ad expurgationem humorum, se se per venas in debiliores partes exonerant. Quis etiam vnquam putabit spinæ luxationes perpetuas esse ob debilem concoctionem, sic enim iuuenibus

C nō esset hoc malum commune cum senibus, nec à fluxionibus calidis vnquam illæ fierent, vt sæpe vidimus ex inflammationibus dorsi, quilibet. n. humor, qui inter vertebras incideret, aptus est eas à suo loco dimouere, & si quod postea remedium prodesse potest, illud non à concoquentibus, sed à digerentibus petendum est. Non vna ergo est morborum, qui nobiscum cōsenescunt, ratio.

Calculosi vnde frequenter gignant lapides.

Podagra vnde.

APHOR. XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος ἐξαπίνης τελευτῶσιν.

D *Qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur, derepente moriuntur.*

PErtinet hic Aphorismus etiam ad prædictionē: docet enim ex quodam symptomate, nempe, exolutione, subitam mortem prædicere: qui casus vt rarus est, ita occultam habet naturam & causam; quam ob rem, primum dicemus, quid sit exolutio; deinde quot illius differentiæ; tertio quænam causæ; quarto quis locus affectus; ex quibus forte patebit Aphorismi sententia.

Exolutio quid.

Est quidem exolutio *actionis vitium*, sed cu-

E iusnam, difficilius est docere: nam Galen. *in text. 37.3. Comm. 3. lib. Epidem.* scribit exolutionem esse prolectionē omnium partium corporis, vt in resolutis apparet. Ex quo loco quispiam putare posset, eam solius motus Symptoma esse; Verum *in lib. 1. ad Glaucon.* scribit exolutionem, & animi defectum idem esse; quo maior videtur oriri difficultas: quia nō satis constat, ἀψυ-

χία

χίαν, & λειποψυχίαν, & λειποθυμίαν, (quæ verba nos animi catentiam, vel defectum interpretamur) apud Galenum sit: nam animæ vitia ille vocat, quę sunt animalis facultatis propria, vt videre est *in 20.te.3.Com.Prorrhet.* At *in 12. Meth.cap.5.& 1.ad Glauc.14.* cum de syncope agit animi defectum, & Syncopen pro eodem malo sæpe vsurpat, easdemque causas in vtroque Symptom. affert. *In lib.* autem *5.de loc.affect.* animi defectum, ipsam Syncopem præcedere scribit. Mihi autem hæc consideranti, occurrit statuere eandem esse naturam Exolutionis, Animi defectus, & Syncopes, differentiam autem in illis esse per magis & minus; leuissimum enim est inter ea mala Exolutio, maximum Syncope, medium Lipothymia. Itaque si *in 12. Metho.* Syncope dicitur esse subitus virium lapsus, & ita agnoscimus esse, non solum motus, sed etiam sensus, principesque facultates, & pulsus ac nutritioni destinatæ facultates pariter collabuntur per huiusmodi mala: sed quia euidentior apparet noxa in animali facultate, & in motu, ideo ab illis nomen, & definitionem forte accepit. Cæterum, labuntur vires, ita vt nunquã recuperari possint, & hoc malũ est mors; vel recuperatio sequitur lapsum, idq; vel facilius aut difficillime, vel medio modo, & in hoc ordine Exolutio, Syncope, & Animi defectus collocantur. Est quidem Syncope morti maxime vicinus affectus, verum, vt dixi, in hoc primum differunt, quod lapsus virium, qui per mortem fit, nunquam possit restitui; deinde, quod mors subito & paulatim fieri possit; Syncope vero nõ nisi subito: nam id ostendent causæ ipsius Syncopes.

Exolutio quomodo ab animi defectũ & Syncope differat.

Quam facultatẽ proprie lædant.

Syncope & mors quomodo differant.

Nunc sequitur, vt doceamus differentias exolutionis, quæ maxime ex hoc Aphoris. sumuntur; quædam enim frequentes sunt, aliæ vero raræ; quædam præterea fortes, aliæ debiles; quædam rursus ab euidentibus causis, aliæ ab occultis nascuntur; quædam fiunt primario, aliæ per consensum, quædam sunt solum frequentes, aliæ solum fortes; aliæ compositæ plus vel minus, vt hæc, de qua agit author, quæ frequens, fortis, & ab occultis causis, & vt patebit, per proprium affectum est facta.

Exolutionis differentia.

Jam verò in causis recensendis Gal. *passim* vtitur Empirica doctrina, vt patet ex *1.lib.ad Glaucon.* vbi harum affectionum causas particulatim enumerat, dicitq; esse Alui profluuium, Choleram morbum, Dysenteriam, Lienteriam, Sanguinis fluxum ex quacunque parte factum, magnas item purgationes, puris confertim factas euacuationes, immodicum sudorem, euacuationem per acriores clysteres factam, balneum; addit *in 56. Aphor. 4.* ingentem famem, *& in 16. 5.* calorẽ immodicum, ac ne singulos locos prosequar, vehementem etiam frigiditatem, accessionem febrium, ardentes, vel malignas, vel colliquantes febres; malos humores, vel crudos, malum aerem inspiratum, morsum ferarum, insignem alicuius partis obstructionem; vel intẽperiem, vel oris ventriculi imbecillitatem, aut eiusdem morsus, vel grauitatem, vel inflãmationes iecoris, vel motus vteri, neruorũ etiam vulnera, malignaq; articulorum vlcera, nec non ingentem dolorem, motus, vigiliam, spirituum tenuitatem, raritatem partium, respirationem prohibitam, animi omnes vehementiores affectus,

Exolutionis causa.

A dissolutionem solidæ substantiæ partium, lõgos morbos, vitalis facultatis imbecillitatem, & deniq; quicquid fere in nos agere potest, nosq; ipsos afficere, istorum malorũ causam ille recenset esse. Verum qui Methodo docet, non singularia omnia tanto studio quærere debet, sed primas immediatasq; causas, in quibus particularia omnia potestate cõtinentur, nõ enim quia profluit sanguis, aut aluus, vel dolor vrget, primo & per se contingit exolutio, sed quia ad has causas sequitur aliquis affectus in corpore, qui vires labefactare potest, ille ergo affectus quærendus est, qui manet remotis etiam causis, à quibus est natus: nam & ille est, qui remedia postulat; Conatur quidem Gal. *in 12. Meth.cap.5.* immediatas has causas inuenire, sed forte parũ feliciter:
B statuit enim illic vires constare ex temperamento solidarum partium, & spiritibus; quib. læsis, vires quoq; lædi & labi necesse sit. Qua quidem in re primũ repugnat ei, quod alibi scribit, corpus nostrum constare ex continentibus, contentis, & impetum facientibus, id est, ex solidis partibus, humorib. & spiritibus, Quæ sententia etiam Hippoc. fuit, vt Gal. ipse docet *in 1. lib. de differ. febrium.* Testatur etiam experientia, euacuationes, & nimias repletiones humorum, exolutiones frequentius adferre, quam solas intẽperies partium. Sed cur etiam non addit vires, & actiones nostri corporis cõstare ex structura bona partium organicarum? nam si obstructiones, vt ille censet, hæc Symptomata inferunt, omittenda non est hęc causa. Cæterum in eo
C grauior est error, quod causæ, quas tradit, non omnes respondeant effectui proposito: nam si Syncope, & exolutio præceps est omnium viriũ lapsus, quo modo intemperies, quæ fiunt præsertim per longos morbos, vt ille *in Metho.* scribit, possunt esse causæ istorum malorum? negat enim ille *in 3. de loc. affect.* Apoplexiam fieri posse ab intemperie, eo quod subito fiat; Deinde si intemperies vel maxime hæc Symptomata parere possunt, cur omnes, qui morti sunt propinqui maxime intẽperati, vel qui ardentissimis febrib. laborant, in huiusmodi passiones semper non
D incurrunt? aut si patiuntur aliquando, id illis non contingit, cum sedent, aut iacent in lecto perinde ac cum mouentur, non enim intemperies illos vnquam deserit; non igitur ipsa intemperies per se huius mali causa esse potest; nec etiam partium organicarum vitiata structura, proxima est huius morbi causa; nec forte etiam vitia, quæ contingunt in humoribus, *sed quicquid mali est, à solo spiritu vũ vitio originem proximam ducit, spiritus.n. substantia, quæ omniũ actionum communis est instrumentum, & communis solum causa, necessario laborat, cum omnes functiones corruunt, & quoniam illa tenuis est & mobilis, subito affici apta est;* quod nulli alteri substãtiæ, quæ in nostro est corpore, accidere potest; idẽ testantur remedia, quæ exolutos restituunt, odores, inquam, vellicationes auriũ, narium, vini potus, & alia, quę so-
E lis spiritib. lęsis mederi sunt apta. Ergo à solis spiritibus vniuersas causas ducamus; sed à quibusnã, & quo modo? Gal. *in eodem opere* meminit trium spirituũ, Animalis, Vitalis, & Naturalis; sed cum eum numerum esse ostẽdere nititur, nullas probationes adferre potest, absurdumque est, vt nos *in libro nostro de Somno & vigilia* ostendi-

Galenus refutatur.

Exolutionis locus.

A solis spiritibus exolutionis causas esse ducendas.

Vnum tantum in corpore esse spiritum.

mus, credere, plures, quam vnum esse spiritum, qui in corde gignitur, ac per arterias in vniuersum corpus fertur, fitque commune omnium actionum corporis instrumentum, dum suo calore insitum singulis partibus calorem excitat, & ad agendum aptum reddit; Jtaque vitia huius spiritus exolutiones inferunt; contingunt autem vitia in illis ob alterationes, penuriam suæ substantiæ, vel etiam suffocationem; quam vltimam causam miror à Galeno prætermissam esse.

Vitia spiritus vnde.

Verum cum multæ sint alterationes, quæ fiunt à primis qualitatibus, aut secundis, non videntur illæ mihi immediate & proxime exolutiones efficere posse, alioqui omnes, qui ardentissimis febribus laborant, continuo exoluerentur, sed alterationes, *quæ fiunt a tota substantia* (vt Galenus loqui solet) *vel potius corrupta proprium spirituum forma*, illæ maxime & solæ vim habent vires perdendi; id quod docent pestilentes, malignæq; febres, venena, morsusque ferarum, quæ non alia quidem ratione animi deliquia inferunt, quam quod corrupta sit forma, & substantia spirituum: Quomodo enim ea poterit esse amplius actionum omnium, & animæ instrumentum, si formam suam amisit? Porro, cum deficit substantia, deest quoque eorum vis, & vsus. Deficit, autem, vel quod non gignatur, aut quod genita dissoluatur: At si per suffocationem spiritus, calidique natiui, mors contingit subita in his, qui strangulantur, cur etiam Syncope ab eadem causa non fiet? & quam, quæso, possūt aliam habere causam exolutiones, quę contingunt mulieribus ex suppressis menstruis, & semine? nam in illis veluti strangulatur, & suffocatur spiritus, eo, quod libere per vasa corporis permeare non possit; ad has igitur causas omnes particulares redigere oportet; id quod facillime fiet: nam inedia, vel cibi pauci, aut vitiosi, crudi humores exolutionis causæ esse, dicuntur, eo, quod materiam non suppeditent sufficientem, aut nō aptam ad spirituum generationem; Vires autem imbecillæ partium gignentium humores & spiritus, idem efficiunt, eo quod impotentes sint ad spirituum generationem; Ac, ad imbecillitatem referendi sunt omnes morbi, cęteræ causæ, quæ corpus imbecillū reddere possunt, vt intemperaturæ potissimum cordis & hepatis, febres longæ.

Quæ alterationes exolutiones efficiant.

Syncopen etiam fieri à suffocatione vt & exolutionem.

Cæterum ob alterationem spirituum iam diximus fieri exolutiones, cum illi ab aere pestilenti, vel humorum corruptione, vt in Gangrenis, & malignis febribus contingit, aut à venenis, vel morsu ferarum inficiuntur, malignamq; qualitatem suscipiunt; Febres autem ardentes non tam ob alterationem, quam quod dissipent spiritus, exolutiones parere videntur, quod etiam antea annotauimus. Jam vero inter illa, quæ exolutionem efficiūt eo, quod genitos spiritus absumant, & dissoluant, quædā sunt, quæ id faciunt sensibiliter euacuando, vel solos ipsos spiritus, vel humores, cum quibus illi necessario sunt coniuncti; alia vero idem pręstāt propter insensibilem euacuationem; In priore genere sunt sanguis vndequaque immoderate profluens, alui profluuium, dysenteria, cholera morbus, puris confertim facta euacuatio, vomitus, sudor, mora in balneo aquæ, vel aeris calentis, & si quid aliud est quod sensibiliter, & insigniter corpus nostrum euacuare possit. Cæterum, inter causas, quæ conferunt ad insensibilem euacuationem, quædam habent rationem efficientis, alia vero materiæ obedientis, alia causarum cum quibus facilis fit dispositio; vacuant quidē insensibiliter exercitatio nimia, febres acutæ, vel longæ, dolor, lætitia, ira, mœror, vigilia, cogitatio, oris ventris morsus; at spirituū tenuitas exolutionis causa perhibetur esse, eo, quod materiam efficiat promptā ad dissipationem; corporis vero raritas, meatuumq; amplitudo causæ sunt, cum quibus facilis redditur dissipatio.

Exolutiones quomodo fiant ob alterationem.

Quomodo ab ardentib. febribus.

At vero ob suffocationem spirituum fiūt exolutiones ab his, quæ vniuersos spiritus confertim contrahunt versus suas sedes, in quibus locum non habent, in quo contineantur, nec refrigerium sufficiens; nec non ab his, quæ illos priuant externo aere, & refrigerio. Item, quæ spiritibus ipsis viam occludunt, idem faciunt; ac in primo genere causarum sunt timores repentini, febriū accessiones, per quas extrema vehementer refrigerantur, extrinsecus aer frigidissimus, aut ex frigida aqua lotiones. Hæc.n. vniuersos spiritus ad cor compellunt, & compulsos continent, ita, vt illic satis temperari, & interim actionibus omnium partium seruire nequeant; Externus vero aer calidus aut ex carbonibus fumus, vel vapor ex calcis madefactione assurgēs, necnon vincula, quæ ceruici, aut arteriis adhibētur, nec nō obstructiones asperæ arteriæ, & pulmonis, & si quid aliud est, quod perspirationem, & immissionem aeris externi impediat, ad hoc genus causarum est referendum. Jllę igitur particulares causæ, quas enumerauimus ex Galeno, & si quæ aliæ reperiri possunt, facile ad immediatas redigentur; quin etiam illud quoque intelligēdum est inter causas particulares quasdam esse, quæ non vnico solum modo, sed pluribus exolutiones efficiunt, cuius generis est febris, quę imbecillitatis, & simul dissolutionis est causa, inedia etiam, eo, quod dissoluat spiritus, & nihil reponat in illorum locum, idem efficit.

Causa particularium differentiarum.

Cæterum, superest, vt particularium differētiarum causas assignemus. Ac magnarū quidem exolutionum omnia prædicta causæ esse possūt, si modo intensionem acceperint; frequentes vero exolutiones nō omnes causæ efficere possunt: nam vt externas, quas nouimus nobis noxias, euitamus, ita ab illis frequenter nō exoluimur; ac videntur quidem illæ solę posse esse causæ, quæ perpetuo in nobis resident; aut certe frequētem habent in nobis generationem.

Cur contingat repentina mors, si frequenter ac fortiter absque causa manifesta quispiam exoluatur.

Sed iam videamus, cur contingat repentina mors, si frequenter, ac fortiter, & absq; causa manifesta quisquiam exoluatur; Galen *in Commentario*, has omnes exolutiones, ob solius vitalis virtutis imbecillitatem cōtingere scribit; quod mihi vix possum persuadere: nam sola imbecillitas causa non potest esse omnium istorum malorum, sed necesse est, aliquid adesse in corpore, quod afficiat, & lædat frequenter, & fortiter, & illud occultum sit, alioqui euitari, aut tolli posset: nam si imbecillitas solum causa horum Symptomatum esset, cur omnes decrepiti, aut saltem, qui magnis morbis laborant, perpetuo eadem non patiuntur? siquidem vt ille scripsit *septimo Methodi*, & *passim alibi*, imbecillitates non nisi ex intemperaturis nascuntur. Aliam ergo oportet esse causam, quam imbecillitatem, quandoquidem

... quidem ex sola intemperatura cordis, in quo spiritus gignuntur, aut aliarū partium, hæc mala parere non valent; scribit de eadem re idem author in libro quarto de locis affectis, vbi citans hunc Aphorismum, dicit, has exolutiones fieri ab intemperie cordis cum humore, quod perinde est, ac si dicas à tumore aliquo præter naturam; sed addere debebat tumoris genus: nam frequens, & fortis exolutio longiorem indicat affectum, & causam frigidiorem, nam calidos tumores, vt inflammationes, diu sustinere cor non potest; Ac cum diligentius hæc expendo, videntur mihi contingere huiusmodi exolutiones ex maximis obstructionibus, vel tuberculis natis in exortu arteriarum à corde, natura enim horum malorum ex minimis quibusque causis talis redditur, vt facile cohibere possit vitalis spiritus transitum in reliquas partes corporis: quod etiam sentire videtur Galenus in libro secundo de præsagio ex pulsibus capite quarto, forte etiam aucto humore aquoso, qui inter cor, & pericardium continetur, idem casus contingere potest, ego nunquam huiusmodi casus vidi, nec refert Galenus se vidisse, & sola Anatome post mortem ostendere potest, quibus malis fuerunt affecti, qui his exolutionibus infestabantur, & forte Hippocr. ex eo, quod semel vidit, præceptum condidit.

APHORIS. XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δ' οὐ ῥηΐδιον.

Soluere morbum, quem Apoplexiam vocant fortem, impossibile, debilem vero non facile.

VT Aphorismus hic intelligi possit, scire oportet, quid sit Apoplexia, quot illius differentiæ, quæ causæ, quis locus affectus, quibus signis ipsa & illius differentiæ cognoscantur.

Apoplexia quid. Porro Apoplexiæ nomen nihil aliud sonat, quam percussionem latinis, à similitudine, quā habet hic affectus cum his, qui à sydere & fulgure percussi sunt, Syderatio dicitur, & eo malo affecti, syderati vocantur. Dicitur etiam à nobis attonitus morbus, quod sine sensu, & motu homines reddat; vulgus vocat Guttam & Catarrhum, quod credat sanguinis guttam à capite ad cor descendere, & occidere, & quod ita laborantes respiratione destituti, quemadmodum qui Catarrho vehementer laborant, intereunt. Porro Galenus in tertio libro de locis affectis definit Apoplexiam, esse neruorum omnium, sensus & motus deperditionem; in primo vero de Causis Symptomatum, esse facultatis motiuę abolitionem vel resolutionem neruorum totius corporis, vt etiam censet Celsus libro tertio, capite vigesimoseptimo. Ab Hippocrate de vna parte resoluta dicitur etiam Apoplexia, cum crus apoplecticum vocat. Harum definitionum nulla est perfecta. Vnde Galenus in libro de Symptomatum causis dicit, Apoplexiam esse ... cum ...

A partis resolutionem vna cum principum facultatum detentione. Verum si quis ab externis causis cerebrum contundentibus sensu & motu priuetur, non propterea Apoplecticus dicetur, nec perinde Apoplecticus, si quis item ex Syncope omnibus his passionibus afficiatur, non erit Apoplecticus, sed is solum, qui ab internis causis ob cerebri affectum his malis afficitur.

Apoplexiæ differentiæ. Differentiæ Apoplexiæ ex hoc commentario sumi possunt, quod scilicet quædam sit acutissima & fortissima, alia quidem fortis, alia debilis. Quomodo autem distinguantur hæ differentiæ in Commentario docet Galenus, acutissimam enim dicit esse, in qua respiratione priuantur, qui laborant; in libro vero quarto de locis affectis B non dicit homines priuari respiratione, sed illam edere intermittentem, & cum magna violentia, id quod in hoc Commentario magnæ Apoplexiæ tribuit, & non maximæ; Magnam autem seu fortem dicit esse, in qua respiratio neque intenta, neque violenta, inæqualis tamen, inordinata, simulque intermittens sit: Debilem vero vocat eam, in qua ordo aliquis seruatur. Mihi tamen placet in hac varietate, vt fortissima dicatur, quæ habet respirationem, sed intermittentem, & maxime violentam; fortis vero, in qua adest violentia, sed absque intermissione; mediocris autem à qua abest violentia, & intermissio, sed inordinatio sola; debilis vero sit, in qua ordo etiam aliquis seruatur, ita enim paulatim à C maximo ad infimum fit descensus. Sed cur aliis motibus penitus abolitis sola respiratio seruari potest? Respondet Galenus, id fieri propter respirationis necessitatem, quę neruorum vim excitat ad agendum: verum quomodo id fiat, ille non docet; frustra enim excitaretur, si moueri non posset, & omnino extincta: sed quoniam ita extincta non est virtus animalis, sed potius oppressa, si vehementer excitetur ob necessitatem maxime vrgentem, portionem aliquam sui vigoris exercere poterit; an forte etiam dicendum est, neruos, qui in musculos intercostales, & septum transuersum inferuntur, minus lædi aliis? *Quomodo in apoplexia aliis motibus penitus abolitis sola respiratio seruari possit.*

Apoplexiæ causa. D Jam vero quid potest esse tanti & tam subiti mali causa? Galenus in hac re, vt solet, aliquando Empiricam sequitur docendi rationem, aliquando vero Rationalem: nam cum in tertio lib. de loc. affect. scribit, Apoplexiam fieri à frigido, aut crasso, aut viscoso humore, & in libro de Caus. morbor. à nimio vini potu, vel ab exuperante cibi quantitate, Empiricorum, & vulgarium more loquitur, particulares, & euidentes causas recensens. Similis est locus, qui habetur in libro de differen. Symptom. vbi scribit, idem malum fieri à medicamentis frigidis vel à maxima constipatione, idest, tanta à sanguine repletione arteriarum, vt illę ad externum aerem attrahendum dilatari non possint; habet etiam in sexto Methodi, ex immodica, aut intempestiua san- E guinis missione aliquos in Apoplexiam incidisse: quinetiam, in præsenti Comment. causam dicit esse Apoplexiæ, dispositionem inflammationi similem in ipso cerebro constitutam, aut repletionem ventriculorum ipsius ab humore pituitoso; Quid, quod scribit in Comment. 21. Aphorismi tertii libri, si hominem, inquit, ... sanguine plenum ...

A [illegible] Apoplexiam incidunt, enim particularis causarum enumeratio inutilis est, nisi prius immediata causa sit perfecta: ei enim & non externis remedia sunt adhibenda, & internæ, quæ sæpè diuersæ sunt, vnum effectum pariunt, quia in vnam immediatam causam conspirant. Præterea si Apoplexia Symptoma est, nempè animalium actionum abolitio, & Symptomata omnino eo authore ex morbis nascuntur, primum quærere oportet huius mali morbum, deinde morbi illius causam; nam nec plenitudo, nec vini potio, aut alia causa ex prædictis per se Apoplexiam pariunt, sed quia morbum in corpore faciunt, ad quem sequitur actionum illarum noxa. Itaque, si Apoplexia est omnium facultatum animalium subita abolitio, quantum sensus deprehendere potest, seruatis facultatibus vitali, & naturali, non potest vtique alia esse sedes affecta, quam cerebrum, quod illarum omnium facultatum est principium: nam si omnes facultates pariter essent affectæ, vt in Syncope communem oporteret esse causam, quæ sola, vt ostendimus, nascitur vitiato spiritu & natiuo calido, quo omnes facultates opus habent; sed qualem, quæso, morbum dicemus factum in cerebro? subitus & præceps virium lapsus ostendit, non posse esse intemperiem, quippe, cum illa nec subito, nec tanta fieri potest, vt contendat cum celeritate, & magnitudine affectus. Præterea, cum sæpe fiat hic affectus nibil extrinsecus agente, ostendit; nec solutiones continui, nec contusiones, aut morbos in numero, vel magnitudine causas esse mali, & denique omnium morborum natura perspecta, non potest alius morbus causa esse, quam is, qui in concauitatibus læsis conformationem cerebri corrumpit: eget enim cerebrum plurimis cauitatibus, & ventriculis, vt anatome docet: Itaque occlusis illis ventriculis (quod subito fieri potest) facultas animalis nequit in se, nec extra se exercere suam vim. Sed cur, quæso, dicet aliquis, credunt nonnulli id fieri, quia ad animales actiones exercendas requiratur spiritus quidam animalis, qui obstructis in cerebro viis, nec per cerebrum, nec ad neruos ferri possit, proinde facultatem otiosam esse, quod desit sibi proprium instrumentum? At nos antea, & alibi docuimus, nullum esse huiusmodi spiritum animalem, sed vnicum solum spiritum genitum in corde ex sanguinis ebullitione, caloris influentis vehiculum, qui omnium actionum commune est instrumentum.

Deinde Galenus *in secundo de locis affect.* docet, facultates influere per neruos, & alia propria instrumenta absque spiritu aliquo, non aliter, quam faciunt Solis radii, qui in aerem subiectaque corpora absque aliqua substantia spargantur; Itaque vt Solis radii, etiamsi absque spiritu, aut alia substantia demittuntur, nequiunt tamen penetrare, quandoquidem per crassum, & caliginosum lucem suam non emittunt, ita forte credere par est, radios, qui emittuntur à [illegible] ipsa animali, spargi non posse, vbi viæ illis est occlusa; An forte etiam dicendum est, hoc fieri, quia spiritus à corde influens [illegible] [illegible], neque [illegible] per substantiam cerebri, quo merito intermittit suas operationes, [illegible] quod [illegible] in prin-

[illegible] Sed quicquid sit, quod à morbo [illegible], quod præcipuum est, & maxime requiritur in curatione, constat *ob [illegible] cerebri [illegible] Apoplexiam fieri:* nam præter illa argumenta, quæ sumuntur à natura affectus, & morborum, docet idem curatio, quæ fit per euacuationem & excretionem humoris descendentis è cerebro.

Porro, clauduntur in vniuersum meatus ab his, quæ adstringunt densando, vel siccando, vel comprimunt grauando, vel obstruunt internam cauitatem occupando: *sed natura affectus propositi & ipsius cerebri ostendunt, nihil esse, quod possit Apoplexiam parere præter illa, quæ obstruunt*, & ea quidem non omnia eam vim habent, nam tubercula, quæ ex carne supercrescente solent aliquando innasci in aliis cauitatibus, in cerebro fieri posse, nec ratio, nec experientia probare possit: superest ergo, *vt obstructio fiat ab influentibus materiis:* & quoniam perfecta ponitur abolitio illarum facultatum, perfectam oportet esse obstructionem, quam nec spiritus, nec tenuis aliquis humor efficere possunt.

Nam contumacia affectus crassiorem materiam desiderat, & nemo vnquam Apoplecticus per euacuationem bilis pallidæ aut flauæ liberatus est. Humor vero melancholicus etsi crassus est, ineptus tamen est ad hoc malum excitandum, quia tanta illius copia in cerebro frigido, C & humido aceruari non potest, & cum in venis contineatur, solus fluere nequit. Præterea, repugnat etiam experientia huic causæ, nullus enim excreto hoc humore ab apoplexia est liberatus. Relinquitur ergo, vt vel *sola pituita*, vel *tota humorum massa* id malum efficiat; Ac pituita quidem agnoscitur esse propria causa, quoniam illa viscida est, & simul crassa, & plurima in cerebro solet abundare. Docet præterea curatio, quæ per euacuationem pituitæ perficitur, & quod Apoplexiæ fieri soleant in corporibus, & temporibus humidis, & à causis pituitam aceruantibus, & mouentibus: scio Galenum hanc vim etiam sanguini concedere, vt superius ostendimus, sed forte repugnante experientia: nam sicut pituita, ita sanguis per nares, D os, aliasque partes, per quas cerebrum expurgatur, effluxerit ab his, qui hoc malo laborant, quod nequaquam est visum: Quod si Athletæ in Apoplexiam incidunt, id non fit à multo sanguine, sed quod cum sanguine multa pituita ex crapula & intempestiua exercitatione etiam admixta sit, quæ tanquam onerosa [illegible] cerebri ab illis in ventriculos decumbit: *ergo vnica [illegible] immediata est causa Apoplexiæ impedita vis facultati animali, quod quidem impedimentum [illegible] [illegible], & hoc nascitur [illegible] causa, [illegible] à multa pituita, quæ vt plurimum solet simul esse viscosa & crassa:* nam multitudo E requiritur, vt integra possit fieri obstructio, crassities etiam, & viscidities necessaria sunt, [illegible] [illegible] humor, qui contumacem affectum parit.

Cæterum ad hanc immediatam causam particulares enumeratæ referendæ sunt, & si quæ referri non poterunt, illæ vtique reiciendæ erunt, tanquam [illegible] ad hunc affectum committen-

[Margin notes, left:] [illegible] · Morbus à quo Apoplexia fit. · Facultates quomodo influant per neruos & alia propria instrumenta.

[Margin notes, right:] Causa immediata Apoplexiæ. · [illegible] · Athletæ cur incidant in apoplexiam. · Causa Apoplexiæ immediata.

Vini potio copiosa cur pariat apoplexiam.

mittendum; ergo vini potio copiosa Apoplexiam parit, *eo quod pituitam multam gignat ob cruditatem, vel quod pituito, os humores in cerebro residentes vehementius e spiritum ad caput elatione commoueat; vel etiam quod una secum pituitam sursum impellat.* Sic etiam cibi nimia quantitas, quoniam ob cruditatem in pituitam degenerat, Apoplexiæ causa censenda est. Medicamenta autem frigida, vel aer ipse frigidus, Apoplexiam ideo gignunt, eo quod per compressionem cerebri pituitam in ventriculos ipsius exprimant; intus vero sumpta, quia refrigerato corpore sanguinem pituitosum procreant, qui ad caput delatus oneri est naturæ, & separatione pituitæ, & illius influxu, huius mali causa fit; at ex immodica sanguinis detractione, Apoplexia quoque fit, *refrigerato corpore, atque ita relicto in corpore crassiore pituitosoque sanguine, qui facile cum aliis humoribus educi non potuit.* Quod vero dicit, ob dispositionem inflammationis similem fieri Apoplexiam, rationi non est consonum: quæ enim inflammatio in cerebro fieri potest, quæ omnes illius ventriculos occupet? solent enim fieri inflammationes in membranis cerebri, non autem in interna substantia, quæ illius ventriculos constituit; cum vero dicit, biliosum hominem aut melancholicum in Apoplexiam incidere ob exercitationem, id non recipio: nam (vt antea ostendimus) nec biliosus, nec melancholicus humor aptus est hoc malum efficere; nec etiam arteriarum repletio potest causa esse Apoplexiæ, quæ non in distantibus partibus, sed in ipsis ventriculis repletionem requirit.

Cur medicamenta & aer frigidus.

Quomodo Apoplexia a sanguinis detractione.

Jam vero de loco affecto paulo diligentius agendum, quoniam hic confert ad rei scientiam & curationem: ac quod cerebrum locus sit affectus, antea quidem est ostensum; verum, quoniam in cerebro distinctio est ob situm partium, quippe cum quædam ex illis sint anteriores, aliæ posteriores, quædam dextræ, aliæ sinistræ, aliæ externæ, aliæ internæ, & occultæ magis, aliæ rursus sint tanquam corpus cerebri, aliæ concauitates ipsius constituant, certum quidem est, omnes cerebri partes affici, interiores, inquam, posteriores, dextras, sinistras, nimirum cum omnes actiones animales in vniuerso corpore pereant: id, quod ostendit originem omnium neruorum occupatam esse; nam si anteriores duntaxat partes essent affectæ, perderetur sensus & motus in sensoriis, quæ sunt in capite, seruarentur autem sensus, & motus in reliquo corpore, quoniam neruorum origo id postulat, exteriores autem partes non lædi ostendimus, quoniam si per contusiones concidunt sensus & motus compresso cerebro, huiusmodi affectus non dicitur Apoplexia, quia internæ non sunt causæ: ab his vero nihil sumi potest, quod tantam vim habeat grauandi, & comprimendi cerebrum. Jam vero quod ad corpus & ventriculos cerebri pertinet, sententia est Gale. *in quarto de locis affect.* vt scribit, in Epilepsia ventriculos magis pati, quam corpus; in Apoplexia vero contra corpus magis, ventriculos minus. Quæ quidem sententia mihi non placet: primum authoritate ipsius Galeni, qui passim scribit, Apoplexiam fieri obstructis cerebri ventriculis, nulla facta mentione de vitio ipsius substantiæ: deinde quod iusto frequentius Apoplexia fieret per affectus substantiæ cerebri, in quibus pituita in ea redundat; Tertio, quod rerum natura huic opinioni repugnet: nam affectus, qui subitam ostendit generationem, simul indicat cauitates ipsas occupatas esse ex fluxione humorum, nihil, vel minimum læsa substantia cerebri; quid enim ea pati potest ex transitu pituitæ decumbentis in ventriculos? Postremo, subita restitutio actionum in his, qui euadunt, ostendit, ex occlusione cauitatum malum hoc esse factū; quod etiam Galenus cogitur fateri, qui modum docens generationis Apoplexiæ, tradit ad ventriculos cerebri excrementa à partibus vicinis defluere.

An ventriculi vel substantia cerebri in apoplexia patiatur.

Cæterum, nunc superest videndum, cur Apoplexia fortis sanari non possit, & aliæ possint sanari; & quomodo Galenus *in hoc Comment.* dicit, fortem Apoplexiam non posse curari propter respirationis necessitatem: sed nō explicat, quid respirationis necessitas in hac re faciat. Videtur autē res ita intelligenda, quod admodum læsa respiratione, necessarium sit calorem suffocari, & quod instans suffocationis periculum inducias non det ad remedia exhibenda: nam magna huius mali causa, magna & multa postulat auxilia, quæ breui temporis spatio omnia adhiberi non possunt; tempus vero non concedit periculum, quod ex suffocatione caloris admodum læsa respiratione imminet. Aliæ tamen reddi possunt rationes huius impotentiæ, nam *amisso motu, sensu, & ratione, assumi non possunt auxilia, nec ab ægrotante aliquid fieri quod ad salutem conferat.* Debilis vero Apoplexia tutior est, ob contrarias causas, non tamen ita cito & facile curatur, vt Galenus *in Comment.* innuere videtur: nam cuiuscunque generis fuerit Apoplexia, aut occidit, aut in paralysim terminatur, quæ vel etiam incurabilis est, aut non nisi cum magna difficultate, & temporis diuturnitate curari potest: Tales enim oportet esse affectus, qui ex multitudine frigidæ & crassæ pituitæ nascuntur, & in partibus externis consistunt, aut certe difficile euacuari possunt, cuiusmodi est cerebri substantia, & nerui, neruorumque principia. Illud quoque prætermittendum non est, quod scribit Galenus *in Comment.* ideo omnes musculos thoracis in Apoplecticis, simul operari, quia vis est imbecillis. nam re vera dicere non possumus, vires esse imbecillas, quæ ex multitudine materiæ grauantur, perinde enim est, ac si dicamus, imbecillos esse robustissimos baiulos, eo quod sub maximis oneribus oppressi succumbant; est autem tunc virtus reuera imbecilla, cum temperies, ex qua illa emanat, est admodum vitiata.

Cur apoplexia fortis sanari non possit & aliæ possint.

Apoplexiam omnem esse periculosam & difficilem.

Virtus quando reuera sit imbecillis.

APHORIS. XLIII.

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μήπω δὲ τεθνηκότων οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷς ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

Strangulati, ac dissoluti, nondum tamen mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

A VT in præcedente Aphorismo Apoplexiam, quæ fortis esset, lethalem esse dixit, ita in hoc, aliud lethale signum peculiare his, qui strangulantur, tradit, quod ex spuma apparente circa os sumitur. Intelligendus autem est Aphoris. non de strangulatis, & dissolutis, vt pueriliter vertit interpres, sed de his, qui strangulantur, & dissoluuntur: nam alii, qui iam sunt strangulati, & dissoluti, sunt mortui. Pendet huius Aphoris. sententia ex cognitione generationis spumæ. Primum igitur dicemus, quid spuma sit; Deinde quæ ipsius materia; Tertio loco quid ipsam efficiat, & quis sit illius generationis modus; Postremo explicabimus, an vera sit Aphor. B sententia, & qua ratione id fiat.

Spuma quid.

Porro spumam esse paruas, crebrasque bullas in humoris superficie excitatas omnibus constat: magnas autem bullas non spumam, sed generali vocabulo bullas vocamus.

Spumæ & bullarũ materia.

Est autem spumæ, & bullarum omnium materia humor, & aer siue spiritus inter se commixti, & confracti, non autem solus humor, aut aer: nam bullæ omnes gignuntur paulo altius, quam in loco, in quo humor naturaliter consistit, tanquam alia sit cum humore substantia, quæ superiorem affectat locum. Item quod cito confrangantur bullæ, & euanescant, vnde Cato hominem bullam dicebat esse, hoc testa- C tur, inclusum aerem expirasse, & humorem commixtum antea in suum locum descendisse.

Vnde bullæ in mari.

Præterea gignuntur tunc bullæ in mari, cum venti illud agitant, & cum aqua includitur. Docet etiam consistentia ipsius spumæ, & bullarum; non enim ita solida est, vt humor, nec ita tenuis, vt aer, sed mixtam quandam crassitiem obtinet. Hæc igitur testantur compositam esse bullarum materiam ex humore, & aere, vel spiritu; at non omnis humor, vt omnis aerea substantia, materiam præbere potest ad bullarum generationem; Qui enim suapte natura tenuis vehementer excalefactus est, & ob id valde extenuatus, ac rarefactus, genito ex calore vapori exeunti liberum exitum præbet; vnde videmus D in aqua admodum feruenti spumam non amplius excitari; si tamen humor viscosus fuerit etiamsi vehementer fuerit excalefactus, apta adhuc fit spumæ materia; id quod in mellis & picis efferuescentia conspicitur; spumam enim quamdiu feruent hæc, emittunt: iuscula autem carnium, cum primum feruent, & ante etiam, cum iam sint ebullitioni vicina, maxime redduntur spumosa, quia nondum satis rarefacta; & quia crassior pinguedo liquefit, ex quibus viscosa illa redduntur: simplex vero aqua, in primis ebullitionibus spumosa redditur, postea vero nequaquam nisi frigidiorem aquam rursus quispiam adiiciat: nam tunc priore humore refrigerato, densatoque per admixtionem nouæ E frigidæque aquæ, spuma rursus gignitur, nimirum, quod exeunti vapori hoc modo via difficilis reddatur, ex hac autem repugnantia, vt postea ostendemus, spuma gignitur; at si quis ferventem aquam baculo agitet, aut in eam ventus spiret, spumam etiam gigni videbimus, quo-

Cur in aqua feruenti non generantur spuma.

A niam frigidus aer externus per eam commotionem cum humore miscetur, qui postea exire volens, humorem attollit, & spumam procreat. Verum vt humor suapte natura aptus est ad spumæ generationem, ita is solum, qui viscosus est, plurimam, tenacem, stabilemque spumam edit. Iam vero, cum patet spumam fieri ex varia mixtione aeris, & humoris reluctantis aeri transeunti per humorem, & ad suum locum ascendenti, videndum est, quid mixtionem istam efficiat. Qua in re, Galenus *in Comment.* nunc à calore, nunc à motu, nunc ab vtroque mixtionem fieri dicit; *in Prorrheticis* autem à frigido fieri scribit, argumento, quod venti frigidi spumam in mari excitent. Verum Galenus *illis in locis*, B quod rudioribus apparet, potius tradere voluit, quam quod rei natura postulat: caloris enim natura est, diuersas substantias non inter se miscere, sed à se inuicem separare: Quomodo ergo ex feruore, & calore ignis spuma gignitur, si calor humorem non miscet vapori? spuma autem non fit absque istorum mixtione; alia profecto ratione: nam calor humorem extenuando, vaporem gignit, qui postea suapte natura superiorem quærit locum, per humorem assurgens, in quo transitu humor ipse resistit, vt qui continuitatem, & locum suum retinere velit: ex ea autem reluctantia, spuma, vt postea docebimus, fit: *Ergo calor, non quia misceat humorem aeri, aut vapori, nec quod moueat ipsum* C *aerem vel humorem, sed quoniam substantiam gignit aeream, & vaporosam, quæ postea suapte natura mouetur per humorem, donec in cognatum sibi aerem peruenerit, spumæ causa efficiens est.*

Spumæ causa efficiens.

[illegible]

Jam vero frigidi venti quatenus frigidi sunt, non miscent humorem aeri; frigidi enim non est miscere, sed potius mixtionem impedire, siquidem mixtio extenuatis incisisque in minimas particulas his quæ miscentur, fit, frigidum vero densat, constringit, & substantias vnit quidem, sed non miscet, vt videmus fieri in terra & aqua cum nimio gelu concrescunt, *ergo venti, quoniam aerem includunt in humore, suo impulsu non quatenus frigidi, spumæ sunt causæ. Relinqui-* D *tur ergo motus solus aeris per humorem causa mixtionis aeris, & humoris,* & *proinde spumæ causa efficiens*; includitur autem aer, vel quod ex ipso humore efferuescente gignatur, vel à ventis, aut alia externa agitatione immittatur. Cur autem ex mixtione aereæ substantiæ cum humore, spuma gignatur, non explicat Galenus: ratio ex philosophia petenda, quæ docet, elementa non quiescere, donec in suum locum peruenerint, & corpora præterea suam continuitatem seruare velle. Cum ergo aer in paruas partes diuisus sit, & cum humoris paruis etiam partibus mixtus, aer inclusus in sibi cognatum aerem abire affectat, resistit humor continuitatem suam seruare volens; Vnde cum nec libere omnino aer E transire, nec humor plane resistere possit, cum ad superficiem peruenerit, pugna fit, humor impulsus ab aere, aliquantulum attollitur, id quod cum multis locis fit, & per paruas diuisiones vtriusque substantiæ spuma merito oritur; itaque merito fit, vt illa, quæ viscosa sunt, vt mel & pix, tamdiu spumam emittant, quamdiu vapor in

[illegible] frigidi venti.

Cur ex mixtione aereæ substantiæ cum humore fiat spuma.

por in illis gignitur; illa enim nunquam caloris vi ita extenuari, & rarefieri possunt, vt exitum vapori planè liberum præbeant: aliter verò aliis contingit, quæ suapte natura sunt tenuia & aquosa: ea enim pluſculum excalefacta ita rarefaciunt, vt resistere amplius nequeant assurgenti vapori, ac quæ materia est idonea, & mixtio contingit aeris ex motu includente aerem, & calore vapores gignente, tunc plurima spuma nascitur, vt apparet in equis currentibus & frenum mandentibus, apriſque ira concitatis. Cur verò nunc bullæ, nunc spuma fiat, causa est fortior & debilior motus, quanto enim agitatio & cōmixtio fortior est, tanto ampullæ minores & minus sensibiles sunt, atque ideo ad naturam spumæ redactæ, minus enim resistere tunc potest humor spiritui, qui vehementius mouetur, vnde diuisiones citius, & per minora interualla fiunt: confert etiam ad id viscosa materia iam multum extenuata: vnde mel post primas ebullitiones, in quibus bullas emittit, maximè spumosum redditur. nam ab initio non potest in minimas partes diuidi nondum satis extenuatum; quare tunc bullæ maiores, postea verò spuma fit; sunt etiam bullæ, quæ ex viscosa materia consurgunt, diuturniores & difficiliores ad dissolutionem.

Cur nunc fiant bullæ, nunc spuma.

Cur autem in his, qui strangulantur, spuma fiat circa os, ratio est, quod cor expiratione priuatur, maximè incalescit, & simul violenter mouetur; ex ebullitione verò, plurima excrementa fuliginosa gignuntur, quæ suapte natura, & violento motu cordis attolluntur, & exprimuntur in pulmonem, vbi cum humore illic inuento diligenter cōmixta, spumam procreant, quæ per expirationem ad os ascendit & illic apparet. Galenus verò etiam putat, spumam fieri in his, non ex humore elato à pulmone ad os, sed ex vapore à pulmone educto, & aere etiam inspirato atque expirato mixto cum saliua? eosque arguit, qui spumam ex ventre prodire putant, & hoc modo spumam fieri in equis currentibus. Ego verò crediderim nec in equis, neque in his, qui strangulantur, spumam fieri posse absque humore à pulmone ascendente cum vaporibus expirantibus, nam saliua non potest esse materia huius spumæ, alioqui cur per febres ardentes, & nobis etiam currentibus spuma circa os non colligitur? nimirum, quod libera respiratio solum emittat & immittat aerem, in equis verò ob frænum violenta respiratio redditur, vbi ex cursu amplioris respirationis necessitas augetur; Cur autem, qui strangulantur, viuere amplius non possint, si spuma circa os appareat, ratio est, (inquit Galenus) quoniam pulmonis violētia significatur. Ego potius dicerem, significari cordis violentiam: nam etsi pulmo vim patiatur, mortis tamen causa esse nequit, nisi quatenus cordi seruire non potest. Quomodo autem violentia in illis visceribus oriatur, explicat Galenus, sed satis confusè: Mihi autem videtur id velle, quod respiratio necessaria sit ad vitam, vt fuliginosa excrementa, quæ in corde gignuntur, expirent, calorq; cordis attracto frigidiori aere temperetur, vbi autem intercipiuntur meatus in collo, per quos aer intro extraq; fertur, cor priuatum solita difflatione, violenter mouetur aucta necessitate ob calorem auctum,

Cur in his, qui strangulantur, fiat spuma circa os.

Saliuam non esse materiam huius spumæ.

Cur equi currentes in ore habeant spumam.

Cur qui strangulantur, viuere amplius non possint, si spuma circa os appareat.

A vnde confertim spiritum emittit, quem paulatim alioqui expellere solet, cum secundum naturam ani na regitur: conferta verò ea spiritus eductio, vna secum propriam cordis humiditatem ducit, quæ duo ad pulmonem delata, ab ipso vehementiore contatu exprimuntur, & ad os compelluntur, ex qua mixtione & efferuescentia, accedente etiam violentiore motu, spuma in ore nascitur. Signū ergo est lethale, quoniam vehementem indicat in corde suffocationem, & caloris efferuescentiam, cuius ratione ita violenter mouetur; vt non solum spiritum, sed propriam etiam humiditatē exprimat; Pulmo item violentos cordis motus excipiens, magna etiam vi mouetur, vt expellat substantiam à

B corde ad se transmissam, & eam etiam, quam in seipso continet; non mirum igitur, si moriantur, qui ita afficiuntur, quandoquidem cor vehementer lædi impossibile est, quin mors sequatur: tamen vt Galenus admonet, non semper verus est Aphorismus, sed vt plurimum, cum nonnullis spuma circa os apparuerit, qui strangulabantur, & tamen mortui non fuerint: cuius rei ratio est, quod magna cordis violentia latitudinem habeat, ita vt necesse non sit ex omni violentia mortem sequi, si spuma appareat, recentiores interpretes aiunt, non esse necesse, omnem spumam mortis esse signum, sed eam, quæ rubescat, eam enim indicare tantam in corde esse noxam, vt sanguinis etiam aliquid ob ni-

C mium impetum expellere cogatur, quæ opinio reiicienda non est, & satis de hoc Aphorismo.

Non omnem spumam esse signum mortis & quæ sit signum sit.

APHOR. XLIV.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.

IN hoc Aphorismo ex causis, nempe ex subiecto, prædicere docet. *Qui* enim; inquit, *admodum sunt crassi natura, citius intereunt gracilibus*; Quæ sententia tunc intel-

D ligetur, cum nouerimus quid sit crassities, quid gracilitas, quæ item illarum causæ.

Crassum, vt alibi ostendimus, multis modis dicitur: nam aliquando dicitur crassum, quod est spissum, quo modo humores dicuntur crassi, & concoctio omnia incrassare dicitur; & crassum, quod multam habet substantiam, siue molem substantiæ suæ, vt lignum crassum; hoc modo hic vocat homines crassos, qui corpulenti sunt, & his contrarios graciles. Porrò crassities in nobis fieri potest, vel ex magnitudine ossium, vel ex carnis, aut pinguedinis abundantia, vt ex *secundo de Temperamentis, & secundo Artis Medicinalis, in cap. de signis frigidæ, & siccæ temperaturæ, habitus corporis* colligere licet. Ve-

E rum crassitudo, quæ ex ossium magnitudine, & carnis abundantia prouenit, nunquam ad vituperandam molem peruenit; ea enim salubris est, cum robore virium coniuncta; *quæ verò ex pinguedine accedit* crassities, si præter modum excrescat, sanitati inimica est, & ob id damnanda. De hac Hippocrates in hoc Aphorismo intelligit, crassorum nomine peculiariter intel-

Crassi multiplex significatio.

Quæ crassities sit præ cæteris damnanda.

ligens obæsos; Quod si triplex hæc substantia sit aucta, corpora fiunt admodum crassa, & actionibus naturæ inutilia: nam ea vix mouere se possunt, difficilè respirant, ad venerem & generationem omnino ineptissima. quorum corpora sic sunt affecta, & (vt vno verbo dicam) *sunt hi tanquam sues & boues per annos integros saginati*, adeo vt illi solum vtiles sint, cum mortui fuerint: nam etsi caro & ossa per se vtilem habitum efficiunt, tamen accedente simul pinguedine, omnia fiunt onerosa, & grauia, adeo vt anima illa sustinere, & regere non possit. Itaque, si de his intelligatur Aphorismus maximè verus est; est tamen etiam vera sententia in crassis ex sola pinguedine, vt postea ostendemus. Porrò verbum *natura crassi* additum putat Galenus, quod credat, Hippocratis sententiam solum veram esse in his, qui ex natiuo temperamento & habitu crassi sunt, hos enim venas & arterias angustas habere, contra verò illos, qui non natura, & ex suis principiis, sed ex delicatiore victu postea crassi sunt facti, seruare venas & arterias amplas, & propterea illis periculis non esse obnoxios, vt alii. Ego verò, etsi putem, eos maximè periclitari, & omnium minimè victuros inter crassos, qui natura sunt ita affecti, tamen eadem mala, etsi non prorsus paria, illos expectant, qui quomodocunque ob pinguedinem crassi sunt redditi: nam pinguedo, quæ potissimum adnascitur membranosis partibus, cuiusmodi etiam est substantia venarum, cauitatem vasorum in his quoque replet, & obstruit. Intelligamus igitur Aphorismum præcipuè de his, qui natura sunt admodum crassi, & postea etiam de aliis, qui quocunque tempore, & modo crassi ex adipe sunt redditi; Ita etiam graciles capere oportet, qui sine multa pinguedine paucam habent substantiam ossium, & carnis: nam vt Galenus *in 2. de Temperamentis* scribit, reperiuntur nonnulli graciles, & pingues, qui etsi salubrius crassis, & obæsis degunt, ob gracilitatem, quæ minus onerosa est crassitie, tamen fortè non sunt diuturnioris vitæ, præsertim, si Galeni causam, quam adfert *in Comment.* recipiamus, de qua iam est agendum; ait enim ideò crassos citius interire gracilibus, quia arterias, & venas angustas habent, & ob id paucum sanguinem, & spiritum, adeò, vt cum ætate processerint, celeriter in ipsis etiam ob paruam causam calor natiuus destruatur: contra verò, graciles ob hanc rationem non periclitari, quia tamen principales partes nullum habent munimentum: à causis exterioribus promptè offendi; Cæterum eos, qui natura non sunt crassi, venas & arterias latas retinere, licet caro & pinguedo sint adnatæ, & ob id illos plurimum habere sanguinis, & spiritus, quæ difficilè extingui possunt. Ego verò non puto illos citò interire, qui crassi sunt ob sanguinis & spiritus penuriam: nam si citò intereunt, non expectant senectutem; ante verò illam ætatem, sanguis deesse non potest ad nutritionem, & vitæ conseruationem, præsertim, quod illi paucum requirant alimentum, vt quibus pauca fiat dissolutio substantiæ. Præterea, supponit Galenus, illis deesse sanguinem, & spiritum, cum ætate processerint, quasi hi non moriantur vt plurimum in ipsa iuuentute, & etiam in adolescentia: itaque *non ob paucitatem sanguinis, & spiritus illi pereunt, sed quia ob pinguedinem venæ, & arteriæ ex innata pinguedine obstruuntur, & ex eadem vndiquaque adiacente, & comprimente constringuntur adeò, vt nec sanguis, nec spiritus liberè permeare possint per corpus ad naturæ munera continuo obeunda, vt naturalis constitutio postulat*; propterea illi ita sunt affecti ob angustiam vasorum, vt accedente quacunque vel leuissima causa, vel ex motu animi, vel corporis colliquante pinguedinem, vel ex cibo, & potu replente spiritu, & vapore vasa, ita impediantur, vt calori subita accedat suffocatio, aut apoplexia illos inuadat, vel aliud genus morbi, quod statim perimit, aut certè ita afficit, vt cum eo vita diu durare nequeat.

Immodicæ crassitiei incommoda.

De quo crassitie aphorismus intelligendus.

Crassi cur citò intereunt.

Cæterum quod de gracilibus scribit, non ostendit veram esse Hippocratis sententiam: nam si crassi ab internis causis; graciles verò ab externis promptè extinguuntur, dubium manet, an hi, vel illi citius intereant. Quare dicendum est non par esse periculum, quod ab externis causis prouenit: nam nihil est, quod maius malum adferre possit, quàm sit impedimentum, quod calori natiuo influenti infertur: mala verò, quæ à causis externis proueniunt, munimentis corporis, & prudentia euitari possunt, vt vel nullo modo lædant illæ, aut certè non multum; quæ mensura crassis corporibus, & internis causis imponi non potest, nisi labore animi, & corporis, & parco tenuique victu crassities corrigatur, vt certè corrigi potest, vt docet Galenus *in libro de Sanitate tuenda*. Quare intelligendum est, eos, qui natura, vel ex aliis causis sunt crassi, citius aliis interire, si crassi perseuerant esse, & vt fieri solet, ætatis progressu crescit illorum crassities; graciles autem siue parum aut multum etiam extenuati, solent illis diutius viuere, omnium tamē diutissimè viuunt, qui boni sunt habitus, in quo est mediocritas.

Mediocres inter crassos & graciles diutissimè uiuunt.

APHOR. XLV.

Τοῖσιν ἐπιληπτικοῖσι τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν χωρίων καὶ τῶν βίων ποιέουσιν.

Quicunque iuuenes morbo comitiali laborāt, mutatione maxime ætatis, & temporum & locorum, & victuum quoq; liberantur.

APhorismus hic ad prædictionē & curationem pertinet; docet enim quando, & quibus remediis comitialis morbus curari possit; sed vt rectè à quibusdam iam est notatum, interpretatio Leoniceni constare non potest: nam si iuuenes fuerint, qui morbo comitiali laborant, non possunt iuuari, & sanari mutatione ætatis: nam iuuentus omnium ætatum calidissima est, & siccissima, & proinde aptissima ad discutiendos affectus frigidos & humidos, cuiusmodi est Epilepsia, vt postea ostendemus. Itaque, cum omnes ætates, quæ sequuntur iuuentutem, iam frigidiores sint, oberunt vtique illæ huic malo; quod etiam experientia docet, *nullum enim qui excesserit iuuentutem*

[illegible] ab *Epilepsia*. Quare vera lectio petenda est ex 6. *libr. de morb. vulg.* *Comment.* [illegible] vbi Hippocr. habet, *Incrementi morbos mixtio.* Quæ verba explicans Galenus, scribit, puerilos omnes morbos, vt Epilepsiam, qui affligunt *puerilem* ætatem, curari ætatis mutatione, ex puerili in iuuenilem. Qui locus apertissimè docet, de pueris, & non iuuenibus intelligendum esse Aphorismum. Eandem sententiam confirmat Galenus *eodem libro, Comment.* [illegible] explicans dictum Hippocratis: Infantium effulgescentiæ cum pubertate nonnunquam mutationes habent: ita enim habet ad verbum; *Ipsorum autem interpretatio quod huic morbum comitialem significari vult, qui plerumq; ab infantia habet initium, in ipso à puerili ætate ad pubertatem transitu; euanescere consueuit: [illegible] nisi qui [illegible] tempore [illegible] sibi ipse causa morbi author fuerit.* Oritur sanè plerumque ob frigidam cerebri temperaturam, humiditate adiuncta, idque sæpius accidit, quoniam rarò ex alicuius membri vitio prouenit; finitur autem, quo tempore pubescunt, si & in aliis ægrotus, vt decet, se gesserit, quia totius corporis temperamentum ad siccius, calidiusq; conuertitur. Retulit etiam hanc versionem Aphorismi Erotianus, libri quinti, vbi scribit Hippocrates, *Quibuscunq; morbo comitiali fiunt, ante pubertatem; mutationem accipiunt: quibuscunq; autem [illegible] [illegible] commoriuntur.* Quare νέος hîc non iuuenem significat, sed νέπιος, i. minorem natu, hoc est puerum. Agit ergo Aphorism. de epilepsia, quam nostri Comitialem morbum, vel morbum Sacrum, vel Herculeum, vel Puerilem, vel Lunaticum, vel etiam Caducum, & nostrum vulgus malum Sancti Ioannis vocat.

Appellatur auté Epilepsia, quod occupet, & apprehendat præcipuam corporis partem; Comitialem morbum vocant Romani, quod Comitia dirimeret, si quis fortè eo morbo correptus fuisset, dũ comitia agerentur; Sacros morbos vocabant antiqui, magnos, & etiam os sacrum, vel quod ad deos esset recurrendum authores huius morbi, vt vulgus credebat; vnde etiam Herculeus morbus, quod ab Hercule auxilium esset petendum; vel quod ipse eodem morbo fortè laboraret; Puerilem morbum vocarunt, etiam antiqui, quod pueri ei malo magis [illegible] obnoxii, & quoniam declinante Luna solent Epileptici accessiones huius mali experiri, ideò etiam Lunaticus morbus vocatus est, & quoniam solent cadere in terram, qui ita afficiuntur, & sesè mirificè concutiunt, solent vulgares caducum morbum nuncupare; nostrates verò ideò Sancti Ioannis morbum vocant, quod credant illum votis & miraculo persanari.

Definit Epilepsiam Galenus aliquando negligenter, aliquando verò diligentius: negligenter quidem est, cum dicit, illam esse Symptoma facultatis motiuæ læsæ, & deprauatæ, *vt in libro de Differentiis symptomatum*: nam facultas motiua non læditur, etsi motus lædatur: quoniam, vt postea ostendemus, expultrix facultas cerebri, cum mouetur ad expellendum id, quod irritat, cerebrum attollitur, & deprimitur, atque ita sequitur motus deprauatus in vniuerso corpore. Præterea hæc definitio non [illegible] [illegible] essentiam Epilepsiæ: nam principes facultates non minus, quàm motus, simul læduntur. Eiusdem negligentiæ est definitiô, quæ habetur *in 21. Aphoris. 3. libri*, vbi dicit, esse Autumnalem morbum; non enim Epilepsia, morbus est, sed symptoma, cum sit actionum vitium: propterea cum scribit *in Aphoris. 35. tertii libri*, eandem esse acutam passionem, etiam recipienda non est: nam etsi accessio Epilepsiæ acuta sit, non tamen ipsa dispositio, quæ consideranda est in definitione morborum: sic enim diceremus, quartanam febrem esse breuem morbum, quoniam illius accessio paucis horis terminatur. Melior est definitio, quæ habetur *in libro de causis Symptomatum*, vbi habet, Epilepsiam esse conuulsionem neruorum totius corporis, non tamen adhuc est perfecta: nam non explicat totam passionem: deinde non separat Epilepsiam à Tetano, & aliis conuulsionibus totius corporis. Vera autem est definitio quæ habetur *in 3. de locis affect.* est, inquit eo loco, *Epilepsia conuulsio totius corporis, quæ succedentibus motibus fit cum occupatione, siue priuatione principum facultatum & sensuum*: nam experientia docet, tales fieri conuulsiones, & cum ipsi ad se redierunt, referre nequeunt, quæ sunt acta interim, cum accessio durabat, quod signũ est, sensus & principes facultates fuisse occupatas, & ad tempus abolitas.

Porro Epilepsiæ differentias tres ponit Gal. vnam, quæ fit primariò affecto cerebro; aliam, quæ fit per consensum cum ventriculo; tertiam, quæ fit per consensum cum alia parte; sed præstat duas primum facere differentias, & postea subdiuidere illam, quæ fit per consensum.

Cæterum in causis recensendis Gal. vt solet, Empiricos sequitur in multis locis, veluti, cum *in libro de causis morborum*, scribit, eam fieri à vini potu, & cibi copia; & *in 21. Aphor. 3.* ponit illius causam esse flauam bilem, atram, sanguinem; *hic* verò scribit, causam esse frigidum & crassum humorem, qui apoplexiam, & epilepsiam in eodem corporis loco facit. Verum istæ causæ recipiendæ non sunt: quia non sunt immediatæ; & quia omnis epilepsia non fit ab istis causis; cum etiam, quod nec sanguis, nec bilis aliqua, possit eam cõmittere. nullus enim Epilepticus sanatus est ab accessione, excreto vel sanguine, vel bile aliqua; & spuma, quæ circa os Epilepticorum colligitur, easdem causas refellit. Itaq; cum in epilepsia successiuis motibus conuellantur partes totius corporis, constat, cerebrum attolli, & deprimi, cum quibus motibus nerui, qui originem habent à cerebro, sequuntur, & cum illis partes omnes, quæ mouentur, & neruis alligantur; motus autem cerebri non fieri potest ab alia causa, quàm à facultate expultrice, quæ cum irritatur, concutit cerebrum, vt expellat quod in eo est noxium. Porrò, expultrix facultas non agit, nisi stimuletur à re sibi noxia: quare intemperies sola nequit esse Epilepsiæ causa, quia hoc etiam repugnat subitæ generationi accessionis huius mali; quid est, quod potest irritare expultricem facultatem in hoc affectu? in aliquibus constat pituitam esse, quoniam in temporibus, ætatibus, & victu frigido & humido, hoc malum potissimum prouenit; idem ostendit spuma, quæ per os exiens accessionem terminat. Sed quia diceremus de epi[illegible]

lepsia, quæ fit per consensum? in illa enim sentitur aura quædam aliquando à paruo digito eleuari, & per brachium paulatim ascendere, donec ad cerebrum peruenerit, quo tempore qui eo malo afficiuntur, se veluti ab aura quadam percuti asserunt, & statim concidunt; ex quo apparet, in epilepsia, quæ fit per consensum, irritationem facultatis expultricis oriri ab ea aura frigida, vel potius *venenosa & maligna*, quæ tota substantia cerebro est inimica; quod si illi spumā etiam emittunt in fine accessionis, quod pituitæ abundantis est indicium, tamen existimare non debemus, pituitam etiam in illis esse causam; sed cum cerebrum irrigatū à venenosa illa aura insurgit ad expulsionem, simul etiam pituitam, qua semper abundat, expellit, & tamdiu durat accessio, donec vel aura euanuerit, aut malignitatem suam deposuerit. *Igitur Epilepsia, quæ fit per proprium cerebri affectum, solam habet causam ex pituita; alia verò ex aura maligna.* Nunc verò sequitur vt doceamus, qui locus patiatur in Epilepsia ab his causis, & quis sit passionis modus; cur etiam aliquando fiat à pituita Epilepsia, aliquando verò Apoplexia.

Quod sit, quod in hoc morbo facultatem expultricem oriens.

Vera causa materialis epilepsiæ.

Lædi quidem in omni Epilepsia cerebrū necesse est, cum vniuersalis sit conuulsio, & læsio principum facultatum, hæc enim contingere nō possunt ob læsionē alterius partis corporis. Verum, quoniam in cerebro multæ sunt partes, videndum est, ad quas potissimum pertineat hoc malum: nam Galen. *in lib. de locis affect. 3.* scribit ventriculos cerebri potissimū affici & inter ventriculos medium & postremum; vbi etiam corpus ipsius cerebri affici refert, sed minus, quàm cerebri ventres; habet etiam illis, anteriores & posteriores cerebri partes laborare; *in libro verò & Comment. 6. de morbis vulgaribus, text. 7.* statuit in hoc malo ventriculos cerebri, neruorum originem, præcipuè spinalis medullæ principiū laborare. Sed hæc minus recipienda sunt, quod nulla ratione nitantur; ac distinguendæ primum sunt Epilepsiæ, quæ fiunt per consensum, ab aliis; illæ enim non habent potius ventriculos, quàm aliam cerebri substantiam affectos: nam si aura illa venenosa est cerebri substantiæ, statim cum in illam inciderit, suam vim exercebit, nimirum, cum quælibet substantiæ pars eiusdem sit naturæ; Epilepsia verò, quæ fit à causa contenta in cerebro, necessariò ostendit, pituitam, quam diximus illius causam, ventriculos occupare; quid enim ostendunt subita Epilepsiæ generatio, & solutio, & spumæ emissio? hæc enim fieri non possunt, nisi decumbente eo humore in cerebri ventriculos: ac videntur quidem omnes ventriculi esse obstructi, propterea quod sensus & motus in omnibus partibus & omnes principes facultates pariter laborant; videntur tamen maximè pati anteriores ventriculi, quod ostendit spuma, quæ circa os apparet, & pituita, quæ per nares emissa Epilepticos iuuat.

Locus affectus.

Differt autem, inquit Galenus, Apoplexia ab Epilepsia, non loco & humore, sed quod in Apoplexia perfecta sit priuatio potentiæ influentis ad neruos; morbus autem comitialis, propter motum vitiosum, generetur: at, superius ex eo authore ostendimus, diuersum esse locum affectum, quippe, cum in Apoplexia dicat ille, corpus cerebri magis, quàm ventriculos affici, cō[illegible] partium verò fieri in Epilepsia. Deinde, priuatio facultatis defluentis ad neruos, & motus vitiosus, secundariò fiunt; quare, primò tradendum erat id, in quo præcipua est differentia, & qua reliquæ nascuntur. Est porrò ea differentia, quod in Apoplexia perfecta fit obstructio ventriculorum cerebri, quæ naturam opprimit, quæ ad expulsionem consurgere nequit; quo fit, vt sensus omnis & motus desinat fieri; in Epilepsia verò integra non est obstructio, nec perfecta oppressio naturæ. Quapropter illa id, quod molestat, sentire potest, & ad illud expellendum insurgere; sed cum opus sit violenta expulsione, violentius insurgit ad agendum; atque ita necesse est concuti cerebrum, & cum eo neruos conuelli, quod cum fit, motus deprauatus sequitur, igitur hic motus multas causas præcedentes. Sed cur, dicet quispiam, non seruatur portio sensus & principum facultatum ad proportionem obstructionis, vt seruatur motus, quanquam ille deprauatus est? an quòd motus necessariò seruatur propter actionem facultatis expultricis cerebrum concutientis, sensus verò & principes facultates liberam omninò requirunt viam facultatis & calidi influentis? quippe cum in somno minora sint in cerebro impedimenta, cum quibus tamen illæ facultates & actiones penitus oriantur.

Quod differat Epilepsia & Apoplexia, quomodo differentia secundum Galen.

Cur in Epilepsia non seruetur portio sensus & principum facultatum ad proportionem obstructionis.

Nunc superest, vt videamus, an omnes Epileptici iuuari possint mutatione ætatis, & in qua ætate mutatio sit expectanda. Galenus in *hoc Commentario & in locis præcitatis*, scribit, Epilepticos liberari mutatione ætatis, de illis intelligit, qui hoc malo laborant ex frigidis, & crassis humoribus; ex quibus verbis satis ostendit, se solum de Epilepticis intelligere, qui per proprium affectum cerebri laborant; & meritò fortè: nam qui ex aura venenosa hoc malo tentantur, minimum fortè iuuari possunt ætatum mutatione, quippe cum ea malignitas certe medium non inueniat ob mutationem temperamenti, sed ab auxiliis, quæ pugnant tota, vt aiunt, substantia: nisi fortè ob solam frigiditatem aura afficiat, tunc enim etiam hos comprehendit ætatis mutatio. Cæterum ex prædictis Galeni locis constat, salutem contingere Epilepticis vel in ipsa pubertate, vel in iuuentute, quòd si in pubertate melius habent, vel penitus curantur, id quidem contingere non potest ob caliditatem & siccitatem: nam pubescens ætas temperatissima minimè est; quare, etsi paulo calidior & siccior est pueritia; tamen vim habere non potest tantam calefaciendi & exiccandi, vt repugnare possit maximæ frigiditati & humiditati, quæ est in pituita & ceteri dispositione, à qua pituita & epilepsia gignitur; an ergo id fit alia ratione, quod scilicet in pubertate maximè fiat corporis & animi mutatio? nam tunc pilorum fit eruptio, & seminis, & in mulieribus sanguinis menstrui generatio, ex quibus noua quodam modo fit natura, quæ affectiones omnes deponit, quæ in priore ætate fuerant; id quod maximè apparet in pueris, qui erumpentibus mentibus, à multis malis corporis & animi perturbationibus liberantur; igitur quibus contingit in pubertate liberatio ab Epilepsia, id euenit ob euacuationem humorum extra corpus, & generationem pilorum, & ob nouam quandam

De omnibus epilepticis an iuuari possint mutatione ætatis, & qua ætate expectanda.

Liberatio ab epilepsia in pubertate vnde fiat.

quandam naturam, quam tunc omnia animantia induunt, ob quam etiam prodesse potest omnibus Epilepticis; quibus verò salus contingit in ipsa iuuentute, illis accedit ex caliditate & siccitate illius ætatis, quæ pituitam discutit, & frigidiorem humidioremque temperiem, huius mali causam emendat. Rectè igitur scripsit Hippocrates, Epilepticos liberari maximè ætatis mutatione, quasi præcipuum remedium ab ea sit sperandum, vt experientia docet: conferunt tamen mutationes temporum, locorum, & victus contrarius dispositioni & humori lædenti; tempus autem debet esse æstiuum, & loca calida & sicca, vbi aer sit purissimus, & tenuissimus à nulla mala exhalatione infectus; victus quoque sit calidus & siccus, parcus, vini abstinentia, laboriosa vita, sed sine curis. Sed hæc alterius sunt tractationis.

APHOR. XLVI.

Δύο πόνων ἅμα γινομένων κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

Duobus doloribus simul eundem locum infestantibus, maior minorem obscurat.

Hic Aphoris. præsens Hippoc. ad rei cognitionē potius, quàm ad Medicinam pertinere videtur: docet enim, quid fiat ex præsentia duorum dolorū eodem tempore corpus infestantium in eodem corporis loco, vt rectè vertit interpres: nam malè alii addunt negationem, ex qua fit talis sensus. *Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus:* nam Galeni explicatio priorem lectionem probat, & interim docet, quomodo fieri possit, vt duo dolores eundem locum infestent. Quæ explanatio inutilis esset, si negatio adderetur; sed in eo mihi non placet, in quo exponit, quomodo simul in eadem parte duo possint fieri dolores, ait enim, duobus modis intelligi posse, fieri dolores, in vno, inquam, membro, vel in duobus; & in vno quidem membro etiam duobus modis; vel in eodem exquisitè loco, vel in diuersis; negatque vnquam fieri posse, vt in eadem & minima particula sint duo dolores; in eodem verò membro fieri posse, veluti, si dolor sit in digito vno, & alius sit in cubito: verum, inquit, hi duo dolores simul augent loci afflictionem, cum neuter lateat ægrotantem: si verò, inquit, sint in membris diuersis, vnus, verbi gratia, in cubito, alter verò in tibia, tunc alterum ab altero obscurari contingit, eo quòd vis sensibilis tota ad vehementiorem ducatur ac distrahatur. In qua quidem interpretatione multa videntur mihi animaduersione digna: primum enim id falsum esse puto, quod scribit, fieri non posse duos dolores simul in eadem parti[illegible]; quid enim obstat, quo minus diuersi dolores & plures, non tamen oppositi, eandem partem occupent; absurdum enim esset, si punctorius & obtusus dolor, aut tensiuus & laxus simul essent, quoniam hi oppositi sunt, & oppositas habent causas. Cur autem tensiuus & punctorius, aut grauis, & tensiuus, item tensiuus, punctorius, & acutus, & vehemens, simul esse non possint, nec ratio, nec experientia ostendere possunt; quippe cum

Quomodo duo dolores in vno possint fieri loco.

Galeni sententia reiicitur.

Sententia autoris.

A idemmet dicat in pleuritide in eadem membrana, imò in eodem puncto membranæ simul adesse dolorem tensiuum, punctorium, acutum, vehementem. cur enim eadem causa diuersis facultatibus prædita non potest plures affectus in eadem parte excitare? quia enim humor pleuritidem faciens in parte membranosa, & maximè sensibili, est multus, calidus, ideo punctorius, tensiuus, acutus, & vehemens dolor excitatur; & ob arterias etiam pulsatorius; ergo nō solum duo, sed plures dolores in eadem parte consistere possunt, quælibet enim membranæ succingentis costas pars omnibus his doloribus torquetur, quoniam tota eiusdem est naturæ, quæ ab omni vi, quæ est in causa agente, affici apta est; tendit ergo sanguis ob multitudinem, pungit ob caliditatem, ob vtrunque vitium pulsatorium, acutum, & vehementem dolorem parit. Itaque satis perspicere non possum, quo modo Galenus neget, simul in eadem particula nō posse duos dolores consistere, cum non nisi de his doloribus loquatur Hippocr. & experientia doceat, eum, qui inter alios dolores excellit, alios obscurare. Videas enim aliquando ægrotos fateri, se omnes hos dolores pati, sed tamen grauissimè se affici nunc à tensiuo dolore, nunc à punctorio, aliàs verò à pulsatorio; deinde mirum est, quod scribit, duos dolores simul idem membrum, verùm in diuersis particulis affligentes, loci afflictionem augere, cum neuter lateat ægrotantem, contrarium verò fieri, si in diuersis membris sint dolores, tunc enim alterum ab altero obscurari: nam eadem est ratio; quis enim negare potest, pariter augeri afflictionem, siue in vno membro, siue in pluribus, siue in diuersis plures sint, & dolores, & causæ dolorificæ? non enim Hippocrates docere vult, an afflictio augeatur ex duobus doloribus, quoniā hoc omnibus notissimum est, & stultum sit aliter præcipere; sed hoc solum vult, vnum dolorem obscurari ab alio, minorem scilicet à maiore. Quod quidem omnibus doloribus siue in vna particula, siue in pluribus eiusdem membri, siue in diuersis membris sint, est commune: nam qui obscuratur, non propterea penitus tollitur, quando afflictionem auget, non enim prorsus insensibilis est, qui minor est, quippe cum sensus à suo sensibili necessario afficiatur, & mens, quæ fiunt in sensibus passiones, apprehendat. Proinde, & dolor minor etiam percipitur; eadem ergo est ratio de pluribus doloribus in vna particula, vel in pluribus eiusdem membri, vel diuersis membris, quilibet enim pro sua natura, & vehementia partem affligit, sed hoc tamen accidit, vt magis percipiatur dolor maior, in quacunque parte fuerit, quàm minor; & ratio huius rei est, quoniam, vt alibi ostendimus, ad generationem doloris requiruntur non solum causæ inferentes dolores, sed partis sensus, & communis sensus, siue mens, vt superius dicebat Hippocrates, quæ sensationes apprehendit. Proinde, cum sensus magis afficiatur à maioribus, & vehementioribus obiectis, & illa quoque mentem magis afficiant, accidit, vt cum vehementissimè afficitur mens, minus percipiat ea, quæ minus lædunt, quomodo antea ostendimus, eos qui acriter pugnant, eo, quòd eorum mens

Doloris generatio quid requirat.

sit maximè occupata in certando; & in iniuria inferenda, vel depellenda, sæpe non sentire, aut certè leuiter illata sibi vulnera, *vnico enim instrumēto vtitur anima, nempe calido influente*, quod, cùm vniuersum propemodum trahitur ad vnam actionem & opus peragendum, aliis seruire rectè non potest; mirum ergo non est, si quæ minus obsunt, minus sensus & mentem afficiant, & ob præsentiam maioris mali obscurentur.

Animam vnico vti instrumento.

Aphor. XLVII.

Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμφαίνουσι μᾶλλον, ἢ γενομένου.

Dum pus conficitur, dolores ac febres magis fiunt, quàm iam confecto.

Hic Aphorismus non solum ad rei cognitionem, sed etiam ad curationem pertinet, ex eo enim intelligimus, quo tempore pus fiat, aut sit iam factum: ex qua cognitione pariter agnoscimus, quando varianda sint remedia: nam interim cum pus conficitur, concoquentia; eo verò iam confecto, digerentia sunt adhibenda, aut locus suppuratus aperiendus. Dicendum ergo est, quid sit pus, quot illius differentiæ, in quo affectu pus gignatur, quæ materia, quæ efficiens causa, quod instrumentum, quis finis, & quis generationis modus: ex his enim Aphorismi sententia patebit.

Pus quid sit.

Pus Galenus in *Commentario* definit esse veluti cinerem, qui relinquitur ex ebullitione, & exustione sanguinis; in qua definitione aliqua sunt notanda: nam pus non fit, sicut cinis adustione, & consumptione humidæ & aereæ substantiæ lignorum; nam pus fit per concoctionem, quæ non exustioni, sed elixationi, vt Galenus alibi tradit, vel potius maturationi respondet, vt antea nos ostendimus cum de concoctione ageremus. Præterea, non sufficit ebullitio quædam, vt fiat pus, sed necessaria quoque est putredo cum ipsa concoctione, nulla enim substantia in pus mutatur, quæ putredinem non senserit; deinde, pus non est residuum, & reliquiæ sanguinis perfectè exusti: nam ipsemet sanguis in abscessibus in pus mutatur, plurimum autem refert dicere, pus esse sanguinem ex concoctione, & putredine mutatum; vel ipsum pus id esse; quod relinquitur post sanguinis exustionem; non ergo pus cineri comparari potest hoc modo, quoniam diuersa est vtriusq; generatio, generationisq; modus, diuersaque, quæ relinquitur, materia: ac solum cineri potest in hoc comparari, *quod sicut cinis post adustionem remanet, sic pus finita concoctione & putredine relinquatur, & factum appareat.*

Pus in quo sit cōparandum cineri.

Puris differentia.

Est pus aliud quidem optimum in suo genere, aliud verò bonum, aliud malum plus vel minus; optimum quidem est, vt inquit Hippocrates, quod est album, lene, æquale, & *minimum* fœtidum, illud enim, quantum fieri potuit, est maximè concoctum, & assimilatum cōcoquentibus partibus, & ob id optimum; quod verò dixi *minimum* fœtidum, ostendit, interpretes nostros falli, qui *minimè* dicere solent: nam cum pus putredinis aliquid necessario in se habeat (vt postea ostendemus) non potest prorsus esse

A sine fœtore: sed quod minimum illius habet, dominantis concoctionis & non putredinis est indicium. Cæterum, pus tanto deterius censendum est esse; quanto minores habet & pauciores conditiones earum, quæ in optimo requiruntur, ita, vt tandem non pus, sed putridus humor, aut sordes potius nuncupari debeat.

Pus nō posse esse prorsus sine fœtore, & cur.

Pus gigni solet in inflammationibus; in vlceribus, & vulneribus cauis, in generatione carnis, necnon in contusis partibus. Scribit etiam Gal. *in libro 1. de differentiis febrium*, vbi de febribus putridis agit, sedimentum in vrinis proportione respondere puri, quod in inflammationibus gignitur, sed cur non vocauit illud verum pus, cum ex concoctione & putredine fiat sedimentum, B & sit veluti cinis; vt hic tradit de vero pure? an quod materia, ex qua sedimentum fit, non est eadem cum illa, ex qua verum pus generatur?

In quib. affectibus pus gignatur.

Sedimenti vrinarū vnde fiat.

Sed quænam est, quæso, veri puris materia? Scribit Gal. *in hoc Comm.* esse sanguinem: intelligere autē oportet sanguinis nomine, nō quartum ipsum humorem commixtum cum bile, pituita & humore melancholico, sed omnes humores simul, qui nomine sanguinis etiam nuncupantur; quomodo dicimus sanguinem gigni in hepate, & sanguinem mitti secta vena, vel aperto aliquo vase profluere, talis enim sanguis inflammationes facit, & in pus mutatur. Sed qualem vult esse sanguinem Galenus ex quo fieri debet pus? bonumne an malum? Scribit de C hac re *in libr. 5. de simplic.* vbi de suppurantib. medicamentis agit, materiam, ex qua fit pus, non esse prorsus benignam, nec omnino tamen alienam, & ob illius vitium fieri, vt ingenitus calor planè vincere non possit, etsi ille sit secundum naturam. Quæ sententia mihi quidem non placet: nam vt ille *in 2. ad Glauconem* & alibi, vbi de generatione inflammationis agit, testatur, inflammationes veræ ex optimo sanguine fiunt, sola quantitate replente & distendente partes; itaque, si perfecta non fit alteratio, vt in nutritione, id non est adscribendum materiæ, sed calori, qui, vt rectius hic scribit, non est planè secundum naturam; si igitur inflammationes fiunt ex optimo sanguine, & in illis ex eadem D materia pus fit, merito statuere debemus, verum, & optimam materiam optimi puris ex optimo sanguine sumendam esse; ac tanto quidem deterius fiet pus, quanto sanguis ab optimo recedet.

Veri puris materia.

Sed dubitabit quispiam, an sincerus aliquis humor possit in pus verti, & an præter ipsos humores aliqua alia substantia possit esse materia puris. Ego etsi nihil habeam clarum de humoribus apud maiores nostros, tamen non dubito asserere, ex sinceris aliis humoribus fieri vel pus, aut aliquid, quod puri est simillimum: nam omnis materia, quæ putredinem sensit, & à partibus corporis calore non prorsus alieni beneficio vincitur & assimilatur, in pus mutari potest: E quippe, cum prædictas qualitates puris recipiat: alioqui quomodo dicere potest Galenus, Sedimentū, quod fit in vrinis, proportione respondere puri, quod fit in inflammationibus? nam sedimentum illud (vt alibi ostendimus) nihil aliud est, quàm pituita, in sanis concocta, in febricitantibus suppurata: si enim putredo fortè fiat in pituita contenta in venis, vt per febres

An sincerus aliquis humor possit in pus verti, & an præter ipsos humores aliqua alia substantia possit esse materia puris.

Sedimenti vrinarum quid.

quoti-

quotidianas, necesse profecto est, illam per alterationem concoqui & assimilari, per quam fit pus in abscessibus, non, inquam, per putredinem, vel puram cōcoctionem, *s. d permixtam alterationem*, quæ nihil aliud est, quam suppuratio, idest, alteratio, in qua pus gignitur, hoc enim sequi oportet, si ex ea pituita non sequitur nutritio, vt in optima & simplici concoctione; nec sequitur corruptio, vt in simplici putredine; sed tertia, quæ relinquitur alteratio mixta ex his duabus, & ea, vt diximus, & iam diligentius ex Galeno ostendemus, nihil aliud est, quam alteratio, in qua pus generatur; quod etsi non est perfectum, quia non est ex tota humoris massa, tamen pus est appellandum, quia generationis easdem habet causas, & qualitates, quæ pus æmulantur, & eundem generationis modum. Ita ergo de humoribus sentiendum est.

Quo contusa caro suppuretur. Tradit etiam Galenus *in lib. 5. de simplic. &* *passim* etiam alibi, contusam carnem necessario suppurari; quod intelligendum quidem est de ea, *qua est vehementer contusa*; sed quonam modo illa in pus verti potest album, lene, æquale? an potius dicendum est, sanguinem contentum in venis, vel potius ab illis expressum in carnem partis contusæ suppurari, carnem vero ipsam, si vehementer affecta sit, putrescere, & per putredinem separari ab alia sana, vt chirurgia sæpe docuit? nam quomodo caro ipsa solida in pus liquidum degenerare possit, non video. Hæc ergo de materia ipsius.

Puris causa efficiens. Cæterum, id, quod suppurationem efficit, & pus gignit, solet Galenus vocare calorem; tamen vbi diligentius de ea re agit, pus ideo album fieri tradit, quia fit à partibus concoquentibus; *præcipuum igitur efficiens concoctionis est pars similaris*, quæ vt aliarum naturalium operationum, sic cōcoctionis est author, ob insitam sibi animam, quæ est omnium actionum & motus in nobis principium: calor vero vt illarum omnium functionum, sic etiam suppurationis est instrumētum. Verum vt in perfecta concoctione & puris generatione requiritur facultatis concoquentis & animæ officium, sic in putredine absq; illis calor putrefactionis est author. Sed qualem, quæso, calorem requirit suppuratio? Gale. vt videre est *in hoc Com.* tres ponit alterationes & transmutationes: vnam, quæ putrefactio; aliam, quæ nutritio; tertiam, quæ suppuratio dicitur; ac putrefactionem dicit fieri à solo calore præter naturam, concoctionem vero, ab eodem secundum naturam, suppurationem vero à mixto calore ex naturali & præter naturam, qui locus male intellectus, occasionem dedit Medicis absurda dicendi, duos, inquam, esse in nobis calores, vnum secundum naturam, alterum præter naturam, qua opinione nihil potest esse absurdius, vt alibi diligentius ostendimus sic enim oporteret duas esse frigiditates, siccitates, & humiditates, specie inter se diuersas. Ponere ergo oportet vnum esse calorem, qui per gradus dicitur plane secundum, vel præter naturam, aut mixtam vim habere, non per compositionem duorum calorum, sed per multiplicationem gradus, ex qua fit intēsior aut remissior; qui moderatus est, ille prorsus est vtilis & aptus ad actiones edēdas mediocres, & secundum naturam, quæ idem sunt; qui vero est prorsus immoderatus, est vitiatus, na-

Vnum esse in nobis calorem, qui per gradus nunc secundum, nunc præter naturam dicitur, siue mixtam vim habere.

A turæque opera penitus destruit, & propterea præter naturam dicitur esse: qui vero *cum certa mensura excedit*, etsi non optimas, tamen non pessimas actiones edit, cuiusmodi est puris generatio, in qua ob caloris excessum & prohibitam transpirationem, putredo aliqua incepit fieri in humore, ex qua factum est, vt humor ille nutrire nō possit, cum putredo sit *corruptio substantiæ*; sed quia postea calor transpirare cœpit, materia emendatur, & in qualitatibus concoctionem recipit, vnde pus a concoctione præualente concoctum, & optimum dicitur, etsi intesius putredinis aliquid habet; mixtus ergo dicitur calor, *non quod ex duobus caloribus sit mixtus, sed quia mixtum opus facit, ex additione quadam*

B *graduum: nam qui secundum naturam est, duos gradus habet, vno vero accedente fit iam mixtus ex eo, quod secundum naturam est, & eo, quod est præter naturam, quod si vehementius intendatur, iam totus dicitur præter naturam*, etsi gradus quidam sunt mediocres, quoniam quicquid ab eo fit, nihil habet tale, quale illud est, quod ab eo fit, qui prorsus est moderatus & secundum naturam: etenim *vera concoctio assimilat materiam, quæ concoquitur, per substantiam, & qualitates omnes: suppuratio vero solum per qualitates, putredo vero omnia reddit dissimilia.* Recte ergo dixit Galenus, calorem suppurationis authorem esse quodammodo mixtum ex vtroque calore, ne quis putaret, veram fieri mixtionem ex duobus caloribus. Et hæc sufficiant de natura caloris, à quo

C fit suppuratio, putredo, & concoctio.

Finis puris. At finis naturæ alterantis materiam, quæ patitur, est *assimilatio*, quare in nutritione, suppuratione, & putredine, idem est finis, quem natura assequi studet; sed quia aptum est in concoctione instrumentum (calor inquam) in putredine prorsus ineptum, in suppuratione autem mediam naturam obtinet, ac in putredine nulla naturæ facultas, vt in aliis duabus actionibus agit, ideo diuersum finem natura assequitur, nutritionem inquam, putredinem, & suppurationem. Nunc sequitur, vt videamus, cur in generatione puris fiant dolores & febres magis, quam effecto iam pure, & cur non dixerit, penitus ces-

D sare dolores & febres pure facto.

Fiunt quidem dolores vt recte scribit Galenus, ob maximam ebullitionem, quæ fit à calore aucto in parte humore plena, ex qua quidem ebullitione humores contenti extenuantur, & multos vapores emittunt, à quibus pars vehementer distenditur & calefit, atq; ita vehementes dolores in omni inflammatione fiunt, dummodo pars sensu sit prædita; in aliquibus vero fiunt multæ dolorū differentiæ, vt tensiuus, pulsatorius, punctorius, vt antea ostendimus: ob calorem autem communicatum mediante spiritu & vapore calido & putrido ipsi cordi per arterias & venas, fiunt & augentur febres: quæ omnia mala minuuntur facto iam pure: nam ab-

E soluta ebullitione, cessat feruor generatioq; vaporum, atque diminuta est materia per insensibilem transpirationem, atque ita tensio & dolor minuuntur, non tamen prorsus cessant, quia adhuc est, quod distendit, pungit, & erodit: pus enim acre est, vt quod sit factum ex putredine & calore vehementiore, vnde sibiipsi viam quærit, erosa carne & cute; & quia igneam qualitatem

Quo calor sit putredinis autor.

Putredo quid.

Puris calor efficiens quis.

Calor vnde dicatur mixtus. Et qui secundum naturam, qui præter naturam.

Concoctio, suppuratio & putredo quomodo differant.

Cur generatione puris fiant dolores & febres magis, quam pure iam effecto.

Cur dolores & febres facto iam pure non penitus cessent.

Cur in generatione puris non procuremus transpirationem per refrigerium, sed potius foramina concludamus.

adhuc in se retinet, vt cinis recenter ex adustione lignorum confectus, sic febrem adhuc fouet, quare minores dolores & febres fiunt, non tamen penitus cessant confecto pure. Verum dicet forte quispiam, cur in generatione puris spiritus intus concludimus, cum quib. calor augetur? an non præstaret transpirationem procurare ad refrigerium, cum quo videtur concoctio melior futura, & putredo minui, quippe, cum eam *in tertio Com. tertii Artis Medicinalis* ostéderimus ex prohibita transpiratione perpetuo incipere, augeri, & perfici? an dicendum est, plurimam materiam, quæ in loco inflammato est recepta, non posse concoqui, nisi à plurimo calore apto ad concoctionem? is enim necessario est halituosus; propterea nos emplastica calida admouemus, cum quibus ignei vapores halituosiores redduntur ob humorem medicamenti, & simul plurimum inditur benignioris caloris, à quo iuuatur concoctio, quam natura alioqui perficere non poterat; etsi interim etiam simul putredo, qualem requirit puris natura, perficitur, putredini ergo fauemus, quia aliter mixtam cum ea concoctionem promouere non possumus. An forte etiam dicendum est, extrinsecam illam prohibitionem, quæ in actuali calore medicamenti fit, vim non habere intendendi calorem præter naturam? Hæc quidem euidenter ostendunt, veram esse Hippocr. sententiam, de generatione puris, quod fit in partibus inflammatis. Sed quid dicemus de pure, quod fit in vlceribus? an illud easdem habet causas & eodem modo comprehenditur *in hoc Aphorismo*? cogimur paulo altius repetere huius rei principia. Scribit Galen. *in lib. 3. Methodi*, in omni concoctione resultare duo genera excrementorum; & ob id in generatione carnis, quæ sane per cōcoctionem fit, fieri eadem excrementa, & tenue vocari ichorem, crassum vero sordem, & ex illo vlcus fieri humidum, ex hoc vero sordidum, & propterea semper esse opus, cum caro gignitur, duobus generibus remediorum, vno quidem exsiccante, altero vero abstergente. Quæ sententia si vera esset, nunquam fieret pus bonum in generatione carnis: nam si natura, vt ille inquit, in omni tempore, quo caro generatur, duo illa procreat excrementa, in quo tempore, quæso, gignetur vnquam pus? At dicet forte quispiam, pus esse sordidum illud excrementum, sed hoc falsum est: nam sordes istæ, inquit ille, à principio vsq; ad finem, cum carnē natura procreat, generantur, pus vero bonum nunquam in primis diebus gignitur. Addo, quod pus fit album, lene, æquale, minimum fœtidum, quas conditiones nullus vnquam in sorde esse dixit. Præterea Hippocr. solum esse exsiccandum in vlceribus, memoriæ prodidit, vt idem etiam Galenus sæpe refert; vnicum ergo remedium sufficit, quod scilicet habet vim exsiccādi, proinde vnus affectus, & vnum excrementum in eo opere naturæ resultabit, aut si præter pus duo etiam illa fiunt, tria iam erunt, & non duo solum ea excrementa. Deinde, si in concoctione, quæ fit in inflammationibus, solum gignitur pus, cur duæ substantiæ inter se diuersæ in productione carnis fient? Addo, quod vlcera sordida semper damnamus, quod argumentum est, sordem non esse naturale excrementum, resultans ex naturæ bona concoctione, fiunt quidem in concoctione, ad quam sequitur nutritio, duo genera excrementorum, quoniam in omni alimento aliquid familiare est, & illud est mediocre, quia talis est natura nostra; aliquid excrementosum, & illud est crassius, & tenuius, ita postulante compositione, quæ fit ex omnibus elementis, & his excrementis non carent partes vlceratæ, cum replentur carne, sed illa eodem modo, vt in aliis partibus, colliguntur in superficie extrinseca, præsertim quod est crassius, tenuius vero insensibiliter transpirat; pus vero, sanies, & quicquid emanat ab vlceribus, aut abstergitur, alterius naturæ sunt excrementa, fiunt.n. illa *ex sanguine copiosius influente ob venarū incisiones & erosiones in partem concauā alterato, & mutato in saniem primum, & postea per meliorem concoctionem in pus.* Quare hæc non fiunt excrementa sicut alia, separato malo à bono, sed boni portione superabundante alterata per concoctionem, & leuem putredinem, vt puris natura ostendit: nam sanguis extra venas esse non potest absq; corruptione, & hæc corruptio putredinis est particeps, quia libera nō fit transpiratio in vlceribus, dum sanantur, & ab extrinseco aere etiam alterantur. Ex quibus quidem colligo, vnicum esse, & fieri in generatione carnis excrementum ex influente sanguine genitum, quod quidem ab initio ob maiorem influxum bene concoqui non potest; quare illud tenue, aquosum, & cruentum est, & tunc ichorum, idest, sanies vocatur; postea vero procedente concoctione, albescere, crassescereque incipit, donec tandem puris nomen accipiat, quod etiam latitudinem habet, donec optimū euadat, quod tale esse dignoscitur, quando est album, lene, æquale, & quam minimum fœtidum. Sed hæc omnia accuratius *in Com. nostro in tertium Artis Medic.* sunt demonstrata, vbi etiam ostendimus, vlceratas partes nullam postulare exsiccationem, nisi simul ex aliis causis humidam intemperiem contraxerint, sed solum saniei & puris ablationem, quæ non solum per exsiccantia, vt lintea ebibitur, sed per abluentia, vt aquæ, & vini affusionem, tollitur. Hoc igitur pus, quod fit in vlceribus, non facit, vt dolores, & febres magis fiant, cum fit: nam illud paulatim fit. propterea non fiunt tensiones, nec ad illius generationem requiritur calor, qui febrem augeat, imo si dolores, & febres maxime infestabant, cum sanies gignebatur, iam cum fit pus, ea mala mitescunt, & omnia denique meliora redduntur, quanto pus melius gignitur, & tale perseuerat, eadem est ratio de pure, quod fit in contusione carnis, nam ex contusione conculcatur intus sanguis, prohibeturque transpiratio, ex qua leuis putredo fit, quæ concoctionem penitus non impedit, vnde pus ex vtraque actione gignitur.

Pus, quod fit in vlceribus easdem habet causas & comprehenditur etiam in hoc Aphorismo.

Sordidum excrementū in vlcerib. non esse pus.

Sordem in vlceribus non esse naturale excrementum.

Sanies vnde in vlceribus fiat.

APHORIS. XLVIII.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὅταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον.

In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.

Hic Aphorismus sententiam habet, quæ nascitur ex eo, in quo antea scripsit; *Quæcunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quæcunque ex euacuatione repletio, & aliorum contrarietas:* nam si contrariorum contraria sunt remedia, sequitur, quietem esse remedium malorum, quę fiunt à labore: sed vt interpretatio accuratior euadat, primum docebimus, quid intelligat per corporis motum; deinde quid faciat motus simpliciter, & per suas differentias in corporibus nostris; quid item sit laborare; postea quid faciat quies, & an læsiones omnes à motu factas tollat.

Quid Hippocrates per motũ corporis intelligat.

Porro motum corporis intelligunt interpretes exercitationẽ; verum dictio *omnis* occultius aliquid significat: nam motus corporis nō solum fiunt per exercitationem, & alios corporis motus voluntarios, sed etiam naturales: nam si ob nimiam expulsionem, aut arctiorem retentionem, vel attractionem violentiorem, laborat corpus, quies illarum actionum medetur malis, quæ fiunt ex eo motu; Præterea, trahi etiam potest Aphorismus ad animi motiones, si enim ob nimiam cogitationem, vel ratiocinationem, vel memoriæ motum, animus defatigetur, cessatio, & quies illarum operationum contractę læsioni medetur: verbum (πονεῖν) vertunt nostri interpretes *laborare*, quod inquit, Galen. *in hoc Commentario*, significat dolere, & fatigari, siue pati lassitudinem, verum *in 5. Commentario in sextũ Epidem.* hoc vocabulo significari ait hæc omnia exercitari, defatigari, dolere, & simpliciter lædi. Videtur autẽ mihi aptissima esse hoc loco significatio, si *lædi* intelligamus; non. n. solum dolores, & lassitudines ex motu accidunt, sed multæ aliæ molestiæ, quæ omnia incommoda læsionis nomine apte continentur.

Quid per laborem.

Cæterum, si *laborare* verbum interpretati sumus læsionem omnem, quæ fit à motu, male interpres vertit ἄκοπον id, quod lassitudinẽ aufert: nam ἄκοπα solum medentur lassitudini, non dolori, & aliis læsionibus. Itaque, cum Galenus dicat, quietem mederi dolori, & lassitudini, necesse est, vt sit etiam cõmunis affectio, quam parit quies. Dicendum ergo est, quod quies statim lęsionem tollit. Postulat iam docendi ratio, vt doceamus affectiones, & postea læsiones, quas parit motus corporis.

Motus corporis quas pariat affectiones.

Scribit Galenus *in lib. 1. de sanit. tuenda*, motũ corporis tria facere, calorem natiuum augere, singulas partes roborare, & excrementa tertiæ concoctionis euacuare; & merito quidem: nam motus omnis, qui fit attritu duorum corporum duriorum, calefacit; calor autem auctus excrementa extenuat, viasq. aperit rarefaciendo. Præterea, si quid semicrudum est in corpore, concoquit, bonumq; sanguinem gignit, quo bene nutriuntur omnes corporis partes; ad quæ necessario sequitur corporis robur: Verum si quis exactius docere velit, non tres primum, sed vnum motus effectum constituemus, caloris nempe incrementum, ad quod non solum illa duo, sed plura alia consequuntur. Quinetiam, si diligentius varios affectus, quos motus pro suis, & corporum differentia excitat, perpendemus, aliter adhuc res distinguenda erit: non enim omnis motus semper auget calorem, sed aliquando debilitat, nec omnia corpora ex omni motu roborantur, sed multa ex illis imbecilliora redduntur, nec ab excrementis repurgatur corpus in omni motu, sed aliquando ab illis magis oneratur. Quis enim est, qui non videat, ob longiores, vehementioresque motus ita dissolui spiritus, sanguinemque digeri, vt corpus, & frigidius, & siccius manifeste reddatur: tantum abest vt calidius fiat? Quis item non videt, debiliora corpora, vbi vehementius exercentur, emaciari, debilitari, & contabescere? vt omnis exigua flamma à vehementiori vento extinguitur, ita debile corpus à vehementiore motu. Quis item non videt, ex vehementiore motu bilis plurimum gigni, primum flauę, deinde atræ: pręterea, molliorem carnem liquari; atq; ita excrementis repleri corpus: quod ostendit vlcerosæ, phlegmonosæque lassitudinis materiæ generatio, quę ab acrioribus excrementis in corpore ob motũ genitis fit; distinguendæ igitur sunt motus & corporis differentiæ: sic enim vim omnium intelligemus, & quid commodi, aut incommodi sequi possit, perspiciemus.

Motus differentia.

Motus vna differentia est, in qua dicimus quosdam esse debiles, alios validos, alios mediocres; alia, in qua dicimus quosdam esse tardos, alios veloces, alios in hac differentia mediocres: Alia differentia comprehendit paucum, multum, & mediocrem motum: Alia æquales, inæquales, & mediocres: Alia, ordinatos, & inordinatos. Oriuntur ex his compositæ differentiæ, vt quilibet perspicere potest; Sic etiam in corporibus multæ differentiæ reperiuntur, quæ vim motionum variant: quædam enim sunt temperata, alia intemperata; alia robusta, alia debilia; alia plena humoribus, & illis quidem vel bonis, vel malis, alia malis vacua, & bonis mediocriter affecta: ergo, cũ omnes affectus, qui in corpore nostro contingunt, *ex motu corporis* nascantur ratione caloris, solũ necesse est ostẽdere, quis calor & quãtus, & quo modo à singulis motibus excitetur: in qua quidẽ re illud supponendũ est, cum mentio fit de aliqua differentia motus, aliis innominatis, mediocritatẽ in his seruari, & solum spectandũ, quid differentia, quæ assumitur, præstare possit; ergo debilis motus calorem debiliter excitat, validus validum, mediocris mediocrem; sic tardus motus calorem tarde excitat, velox velociter, mediocris, mediocriter in velocitate, & tarditate; paucus motus ex sui natura paucum calorem, multus multum commouet Iam vero multę inter se coniunctæ differentię eandem caloris differentiam patient: nam paucum calorem excitabunt debilis motus, velox, & paucus: Debilis, tardus, & multus; paucus, sed in valido, & debili mediocris; Mediocris, tardus: Tardus, paucus & validus; Tardus solũ, Debilis, paucus; Debilis, tardus; paucus & tardus; Item debilis, paucus, & tardus simul: nam vbi excessus ponitur in aliquibus differentiis, & defectus in aliis æqualis, mediocris fit affectus: si vero plures sint differẽtiæ deficientes, quam excedentes, effectus debilitatis vincit: Quod si omnes differentiæ constituantur ex debilissimis motibus, aut excedentibus, effectus fiunt vel minimi, vel maximi: non mirum igitur, si debilis & velox, debilis & multus pari modo calorem excitent: nam quod velocitas statim facit; id tempore multus præstat; per

Affectus corporis vnde fiant.

A inde enim calefiet, qui duabus horis ambulabit, mediocres omnes differentias assumendo, vt is, qui forte octo horarum spatio curret: sic debilis, paucus & velox videtur eandem vim habere cum debili, multo, & tardo, & sic omnia omnib. comparando inuenies, quæ sint eiusdem, aut diuersæ facultatis. Hac igitur ratione vt prædictæ differentiæ calorem paucum excitant, sic mediocrem efficiunt omnes differentię mediocres. Item debilis & multus, debilis & velox, validus & paucus, validus & tardus; mediocris, tardus, multus; mediocris, velox, paucus: tardus, multus, excedenté vero calorem, sed parũ supra mediocritaté accendunt debilis, velox, & multus motus. Item mediocris & velox, tardus, validus, & multus; B Calorem autem paulo maioré parit motus mediocris, velox & multus: valide auté calefacit motus validus, velox & multus; qui vero validissimus, velocissimus, & plurimus est, extreme calorem auget. Superest, vt doceamus, quę nam differentiæ singulis differentiis corporum competant.

Quinam motus singulis corporibus conueniat.

Ac motus quidem differentiæ, quæ paucum calorem excitant, conueniunt debilibus, biliosis, melancholicis, calidis, paucos humores habentibus; vel tenues, neutris corporibus, raris, & tenues humores habẽtibus; etiam cacochymis, aut bonis humoribus plenis, nisi prius præcesserit commoda euacuatio: Sed pręstat ea hic etiam supponere, quæ ante motum sunt præstanda à C Medicis. Porro, mediocres omnes differentiæ, aut quæ mediocrem calorem excitant, corporibus mediocriter affectis competunt. Quæ vero accendunt calorem parum supra mediocrem, competunt validioribus corporib. & paulo frigidioribus, & humidioribus, repletis, vel crassiores humores habentibus supra mediocritatem, vel quæ cute sunt strictiore. At differentiæ, quæ valde calefaciunt, validissimis corporibus, frigidissimis, & humidissimis, crassissimis & quæ cute sunt densissima.

Motus incommodi qui.

Cæterum, posteaquam commoda ostendimus, quæ conueniunt corporibus ex differentiis motionum: nunc incommoda explicare opportunum est. D Igitur differentiæ, quæ calorem supra mediocritatem augent, debilia corpora primum quidem calefaciunt, sed postea dissolutis spiritibus & humoribus refrigerant; biliosa vero corpora in febrem præcipitant, & in illis etiam bilem gignunt; melancholicos autem pręter modum exsiccant, & in magnos morbos adducunt; in his vero, qui acres & mordaces humores habent, vlcerosam adferunt lassitudiné; in siccioribus corporibus absq; vitio humorum, tensiuam; in his, qui bonos & multos habent, phlegmonosam. At quæ debilem mouent calorem motiones, in pituitosis flatus gignunt, humores commouent, quas vincere non possunt, & proinde fluxiones excitant, valida autem corpora debilitant, & in illis excrementa gignunt E pituitosa, quoniam magnus illorum calor à paruo motu seruari non potest; in his auté, qui crassos & acres humores & multos habent, scabiem, & tubercula pariunt, quoniam humores mouent ad cutim, quos plane dissoluere non possunt; omnium motionum tarda tutissima, deinde pauca, vel mediocris; velox periculosissima:

Motus tutissimi. periculosissimi.

nam vt *in sequenti Aphoris.* scribet Hippocrates. *Quod paulatim fit & paucum est, naturæ amicum & tutum: quod vero subito fit & multum est, naturæ inimicum & periculosum.* Hæc sint veluti exempla eorum, quæ fieri possunt in nostris corporibus à motu simplici, vel composito, ex quibus prudens Medicus intelligere poterit, quid de reliquis sit sentiendum. Sed dicet forte quispiam motum incommoda nulla adferre, cum Galenus *in lib. 6. de Morb. vulgar. 3. Com. textu 2.* & *passim* idem repetat, motum roborare, otium tabefacere, & corpus extenuare; an dicendum est, præcepta, quæ simpliciter traduntur in Medicina, intelligenda esse de causis mediocriter agentibus in corporibus temperatis, & mediocriter affectis? At, si quies tabefacit, & corpus extenuat, cur hic dicit, illam esse remedium malorum, quæ ex motu fiunt? An, quod ea, quæ morbis iam medentur præsentibus, mala sunt ad sanitatem conseruandam? eo enim spectat, quod scribit Celsus, cauendum esse, ne in prospera valetudine præsidiis aduersæ vtamur; Licet ergo quies *nimia* sanis corporibus obsit: tamen vbi corpus ex nimio motu læditur, ea prodest, quoniam calorem accensum à motu temperat: ad temperiem autem & refrigerium sequitur, vt mala quę à motu fiebant, non amplius procedere, & augeri possint; quod si leues sunt adhuc affectus, quos motus peperit, est opus alio remedio, quã quiete, quæ quidem statim adhibenda est, vt incipientem affectum intercipiat, vnde verbum, *statim*, cum quiete & non cum verbo *soluit*, est potius coniungendum, vt talis sit sensus: *quies statim adhibita soluit*, vel etiam *statim soluit*. At si maiora sunt mala nata ex motu, non sola quies mederi potest, sed alia auxilia sunt adhibenda: hæc enim docuit Galenus, & nos etiam eum secuti in enarratione Aphoris. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio*; quæ enim adhuc sunt in fieri, & in generatione, ablatis causis efficientibus tolluntur; affectus vero iam geniti, id est, qui perseuerare possunt ablatis causis primum mouentibus, requirunt propriam curationem, remotis causis coniunctis; ablatio autem causarum remotiorum prodest solum ne mala illa maiora fiant: potest ergo quies incipientem lassitudinem auferre, & iam factam prohibere, ne augeatur, sed eam sanare non potest; eadem autem est ratio de motibus animi, & malis, quæ ab illis proueniunt, quies enim illius ea curare potest, vbi incipiunt incommoda, illa vero confirmata non curat.

Obiectio motum nulla inferre incommoda.

Quomodo quies tabefaciat, cum dicatur remedium malorum ex motu.

Aph. 20.

Quies quam lassitudinem possit auferre & prohibere.

APHORIS. XLIX.

Οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες, ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων ῥᾷον φέρουσιν.

Qui consueti sunt solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt.

Cum

CVM in præcedente Aphoriſmo dixiſſet, ex motu laborem, & moleſtiā aliquando ſequi; In hoc Aphoriſmo explicat, quinam facilius motus ſuſtineant, aut difficilius. *Ferunt autem facilius*, inquit, *qui conſueti ſunt eos ſuſtinere, etiamſi imbecilles fuerint, vel ſenes: difficilius autē qui non conſueuerūt eos perferre, etſi robuſtiores fuerint, vel iuuenes.*

Per labores ſolites quid intelligendū. Cæterum, per labores intelligit Galenus corporis motus, vt fodere, remigare, arare, currere, & ſimiles exercitationes: ſed latius eſt laboris ſoliti nomine intelligere omnia vitæ munera, ſiue animi, ſiue corporis labore perficiantur: nā qui literarum ſtudiis, & aliis cogitationibus incumbunt, aut vigilare, vel dormire, aut certis horis edere, bibere, aut à cibo, potuque abſtinere conſueuerunt, minus moleſtantur, quam qui non conſueuerunt; laboris igitur nomen comprehendit corporis & animi omnes actiones.

Quid per imbecilles. Porro imbecilles intelligere oportet non ex morbo; morboſa enim imbecillitas, ad omnes labores eſt inepta; ſed quæ in latitudine ſanitatis infirmiores ſunt aliis. Jam vero facilius ferri labores dicuntur, qui melius, promptius, & minori conatu, ac cum minore moleſtia eos ſuſtinet. Ita enim explicauimus, quod dicebat Hippocr. *ſenes facilius ieiunium ferunt.* *ſell. 1. aph. 13.* Cur vero imbecilles, & ſenes conſuetos labores facilius ferant, fortibus, & iuuenibus non conſuetis, nullus ex interpretibus huius Aphoriſ. recte explicauit: nam his, qui Oribaſii nomine Com. in Aphor. ſcripſit, ait, corpus noſtrum tribus dimenſionibus conſtare, & tunc eſſe robuſtum, & aptum ad omnes actiones obeundas, cum illas acceperit; id quod in ſenectute contingit, iuuenibus vero ait, profunditatem adhuc deeſſe, vt qui incremento ſecundum longitudinem adhuc ſuſtineant. *Aphoriſmi ratio.* Quæ ratio omnino eſt abſurda: nam communis non eſt imbecillibus, ſed ſenibus duntaxat; *Oribaſii opinio reiicitur.* deinde iuuenes, & qui ſunt in ætate conſiſtente, maxime obtinent perfectum corpus; ſenes autem iam minuuntur, tabeſcunt enim & curuantur. Poſtremo, adoleſcentia, quæ maxime creſcit, ad omnes labores ferendos eſt aptiſſima. Alii vero omnes interpretes, Galeni interpretationem ſequuntur, quæ prorſus eſt reiiciēda: ait enim, laborem, & exercitationem partes eas & corpora roborare, quæ exercentur; itaque fieri, vt labores cōſuetos facilius ferant illi, quoniam, inquit, robuſtiores ſunt: qua ſententia quid poteſt eſſe abſurdius? Verum quidem eſt, ex labore, & exercitatione corpora robuſtiora reddi, ſed quid hoc facit ad interpretationem Aphoriſ. in quo ponit author, *imbecilles* facilius ferre *fortib.* labores ſibi conſuetos; ſupponit. n. quoſdā eſſe imbecilles, alios fortes, & imbecilles ſtatuit facilius ferre. *Ibidem Galeni.* Non ergo in his, qui imbecilles ſunt, ratio peti poteſt à robore maiore. Præterea, Galeni ratio de conſuetis laborib. nihil agit, in quibus tamen Aphoriſ. tota vis conſiſtit, ſed ſimpliciter de laboribus; ait enim *omnib. commune exiſtit, quod partes exercitatæ fiunt robuſtiores, atque idcirco labores conſuetos facilius ferunt*; atqui robur efficit, vt labores quoſcunq; feramus; conſuetudo autem, vt facilius feramus. Dubium enim non eſt, quin robuſtiores, & cō-

A ſueti aliquid facere, facilius id efficiant non conſuetis. Sed de his, vt diximus, non agit Aphoriſ. qui robur concedit non conſuetis, imbecillitatē vero dat conſuetis: non tamen propterea vult otioſos hos eſſe magis, quam alios: demus enim exempli cauſa, aliquem conſueuiſſe remigare, alium terram fodere, vterq; par robur ſibi comparauit in brachiis potiſſimum, ſi tamen vnus ad alterius officium transferatur, qui non conſueuit in eo verſari, difficilius altero feret, non quia robuſtiora habeat brachia, aut alias partes corporis (par enim robur ex diuerſa exercitatione comparari ſtatuimus) ſed quia deeſt cōſuetudo. Ceſſat ergo Galeni interpretatio, quæ ex maiore robore ſumitur; *Sententiā autoris.* ſumenda autem eſt propria B cauſa *ex conſuetudine*, quæ habitum parit in nobis, per quem quilibet prompte operatur in his, quæ per conſuetudinem didicit; Ac quod plus poſſit imbecillitas, & ſenectus cum conſuetudine ad obeunda opera conſueta, quam fortitudo & iuuentus, quæ nouos labores aggreditur, non ſolum ratio, quæ deſumitur ex acquiſitione habitus, ſed etiam experientia teſtatur: videmus enim baiulos, graciles, & ſenes, conſueta onera facilius geſtare, quam quadratos homines huic officio non aſſuetos; quinetiam, illud tritum eſt, quod dici ſolet, triremes eas eſſe optime munitas, quæ aſſuetos remiges habent, etiam iam ſeneſcentes, eas vero ad curſum ineptiores eſſe, & alia officia, quæ illic obeuntur, quæ iuuenes ſo- C lum, ſed nouos & inſuetos habent; Idem in pictoribus vetulis licet videre, qui nulla fere difficultate tota die ſublatis manibus, & reflexo capite pingunt, cui operi, nemo etiam validiſſimus, non aſſuetus ſine magna difficultate per duas horas ſufficiet. Diſcunt ergo partes, & totum corpus, & animus longa conſuetudine facile ferre ſuos labores, & prompte exercere ſua officia, quandoquidem conſuetudo habitum aptitudinemque in nobis parit, & in naturam tranſit. Quod ſi noſtram interpretationem maiorum authoritate comprobare velimus, inueniemus Ariſtot. *in 1. Problemate 28. Sectionis* idem ſenſiſſe.

D

APHOR. L.

Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, κἂν ᾖ χείρω,
τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε.
δεῖ ἂν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθεα με-
ταβάλλειν.

Quæ ex longo tempore conſueta ſunt,
etſi deteriora ſunt, inſuetis minus
moleſtare ſolent: oportet igi-
tur ad inſueta permu-
tari.

E HVNC Aphoriſmum priori ita connectit Galenus, quod cum in illo de exercitationibus conſuetis ſolum egerit, hic generale præceptum de omni re conſueta tradere velit. Mihi tamen non ſolum ea ratione videtur hic ab alio differre,

quod vniuersalior hic sit, sed quod veluti cõuersa sit proposito hæc, illius: cum.n. corpora consueta cum non consuetis cõparasset, docuissetq; ea, quæ cõsueuerunt aliquid agere, etiam si imbecilliora essent, facilius illud perferre quã alii, qui robustiores essent & non consueti: nunc res, quæ perferuntur, inter se comparat, dicitque ea, quæ ex longo tempore in consuetudinem venerunt, etiam si deteriora sint, minus tamen molestare, quam meliora non consueta; in eo ergo corpora nostra, & materiam Medicam inter se comparat; & vt in illo imbecilles robustis, & consuetos non consuetis comparabat, ita in hoc deteriora melioribus, & consueta non consuetis opponit. Verum quod desiderabatur in illo Aphorismo de consuetudine, hoc adiecit. nam cum consuetudo vel ex longo tempore, vel breui comparata dici posit, explicat de qua consuetudine sit intelligendum, de ea, inquam, quam adepti sumus longo tempore: quasi necesse non sit, vt debiliores facilius, quam robusti illud agant, quod paruo temporis spacio efficere cœperunt. tametsi doctis consuetudinis nomen & ratio tempus longum includit (siquidem consuetudo aliam dicitur facere naturam, & alium habitum comparare) quæ quidem fieri non possunt, nisi longo temporis progressu.

Quid per deteriora intelligendum.

Porro, verbum *deteriora* intelligere non debemus, quid sint in genere mali, sed in genere boni, in quo latitudo est, ita vt aliquid sit optimum, aliud vero deterius, id est, minus bonum: nam quæ mala sunt, etsi minus offendunt consuetos, tamen omnes semper lædunt; quæ autem bona sunt suapte natura, non semper prosunt: nam absque consuetudine nonnullam molestiam afferunt: cum illa vero sæpe fit, vt quod minus bonum est, præferendum sit meliori. Item, capere oportet deteriora non solum in genere, siue in comparatione ad hominem temperatum, sed comparatione facta ad eum, cui dicuntur bona vel mala, deteriora vel meliora: nam temperatus cibus suapte natura dicitur optimus esse, quoniam optimum simpliciter dicimus, quod optime affecto corpori conuenit; frigido vero corpori cibus non est optimus, sed deterior: melius vero ipsi est, qui frigidus est. Ita etiam capere oportet, ac si dicamus, exercitationem, quæ fit remigando & lusu paruæ pilæ, vni & idem conuenire; sed meliorem esse illi exercitationem, quæ lusu pilæ perficitur, præferendam tamen esse aliam, si consuetudo adiungatur. Verum nunc quæ maiorem habent difficultatem aggrediamur; inter quæ primum occurrit illud, an simpliciter hoc de omnibus consuetis sit intelligendum; Secundo an vna & eadem sit ratio in omnibus, an diuersa, vt Galenus putat; Tertio expendendum est, an hoc intelligendum sit in omni corporis statu, scilicet sano, ægro, & neutro; Quarto videndum erit, an illa, quæ ob consuetudinem minus molestare solent, etiam minus vel magis prodesse soleant; Postremo, explicandum erit, cur Hippocrates laudans prius consuetudinem, concludat esse transeundum ad non consueta, & quomodo transitus iste fieri debeat.

A Quod ad primum ex propositis attinet, Galenus non solum exercitationes, quo nomine omnia vitæ munera comprehendo, sed etiam cibos, potiones, balnea, lotiones, vigilias, somnos calefactiones, frigefactiones, curas, quibus omnia alia comprehendit, quæ in nos vel agere, aut aliquid à nobis pati possunt, comprehendi putat hoc præcepto, à cuius quidem opinione ego recedo: nam studia, artes, corporis labores, & vt semel dicam, illa, quæ ex frequenti operatione habitum in nobis gignunt, per quem postea prompte agere possumus, consuetudini subiiciuntur; alia vero, quæ pertinent ad naturales facultates, non habent semper eandem rationem: nam rusticus, qui pane atro, aqua, aut vino etiam diluto minusque bono vesci

An Aphoris. simpliciter de omnibus consuetis sit intelligendum.

B consueuit, non deterius afficitur, si mensa domini non consueta, vtatur: non enim solum non molestabitur à puro pane, & optimis carnibus, vinoque optimo, sed etiam ex eo victu meliorem habitum sibi comparabit: natura enim, idest, naturalis facultas, vt dicit alibi Hippocrates per consuetudinem, & artem non didicit bene agere, cum insitas sibi habeat facultates, quæ alimentis gaudent, qualia desiderat corporis necessitas; ac illa quidem mutatur necessitas ob caloris mutationem, quæ plus vel minus substantias, ex quibus constamus, dissipat; vnde euenire videmus, vt ciues in agris, vbi se vehementius exercent, & puriore aere vtuntur, carnem suillam, orizam, legumina & alia rustica alimenta magis appetant, quam ea,

C quibus vti consueuerunt in otio, atque vmbratili vita.

Igitur naturales facultates in genere, & qualitates alimentorum non iuuantur, aut læduntur consuetudine; & si quid liberius dicendum est, *quæ consueta sunt ex longo tempore alimenta, molestiam adferunt*; *Alia vero placent*, quod ostendit appetitus, regula omnium facultatum naturalium: quæ enim appetimus auidius, eadem attrahimus, retinemus, & concoquimus fælicius, docet autem experientia, nos maxime abhorrere ab vno & eodem cibo, qui iamdudum semper in vsum venerit, quo tempore nouum quodlibet alimenti genus maxime

Consuetudo quid possit in alimentis.

D expetimus, idque optima quidem ratione fit: nam etsi alimenta similitudinem desiderãt cum his, quæ nutriuntur, tamen requirunt etiam dissimilitudinem, cum mutationem in nobis requirant; Itaque longa ea consuetudo necessariam dissimilitudinem minuit, ex qua etiam minuitur appetitus, & actio singularum facultatum, quæ ad nutritionem sunt necessariæ, præfert ergo natura bonam substantiam alimenti, & probas qualitates consueto alimento deteriorem substantiam, & qualitates habenti. In quantitate vero iam plus aliquid virtutis habet consuetudo: nam qui consueuerunt parum edere, & hoc illis deterius est, quam iustam mensuram assequi, tamen minus mole-

E stantur à solita cibi quantitate, quam ab alia. At, in modo, aut tempore cibandi magna est vis consuetudinis; qui enim semel tantum quotidie edere consueuerunt, vel bis, aut ter, & plus vna vice, quam alia aut non nisi certis temporibus, maxime offenduntur, si consuetudinem mutauerint, id quod experientia, & Hippocrates

pocrates *in secundo de victu acutorum* apertissimè docent. Quapropter suadent Medici, in his consuetudinem esse retinendam, etsi ratio indicet præferendum esse suaptè natura, quod consuetum non est.

Quid in iis, quæ extrinsecus alterant.

Sed quid dicemus de his, quæ extrinsecus alterant corpus? Galenus *in Comment.* eandem putat esse rationem: corpora enim densata à frigido, facilius ferre, inquit, consuetu frigoris occursum, quàm calidi non consueti; sic laxata à calore corpora, maximè offendi à frigore statim per laxatas partes subintrante. Verum si quis diligenter hæc perpendat, hoc solù inueniet, nempe quod corpora, quæ consueuerunt versari in aere, vel frigido, vel calido, minus offendantur aliis, quæ solita non sunt idem pati. B Verum hoc nihil ad propositum nostrum, in quo quærimus, quodnam ex duob. minus molestare possit nostrum corpus, an scilicet id, quod cósuetum est, & deterius, an quod non consuetum, & melius: non autem duo corpora sumit, vnum consuetú, aliud verò non consuetum aliquid perferre; non dubium autem est ex Hippocrat. sententia, eos, qui frigidiore, aut calidiore sunt natura, melius se habere in aere & temporibus contrariis: est enim de hac re scriptus Aphorismus secundus sequentis libri, quam sententiam etiam sequitur Galenus in illius interpretatione, omnes enim ab his, quæ excessus emendant, melius habent, quàm ab illis, quæ eosdem fouent & augêt, quis enim, quæso, in Æthiopia natus, & educatus vbi maximus est solis ardor, minorem non sentiat molestiam in aere temperato? quis ex Germanis non libenter fugit frigus suæ regionis, & nó fatetur se hyberno tempore melius degere in Italia loco sibi non consueto, quàm in patria natiua? Nulla ergo molestia ab insuetis rebus melioribus consuetis accedit ab his, quæ extrinsecus alterant. Nec facit, quod Galenus scribit *in Commentario* de frigore subito penetrante corpus laxatum: nam huiusmodi frigus laxato corpori non est melius, quàm ipse calor, vt supponit Aphorismus. Quid verò de excrementis retentis, & emissis secundum vel præter consuetudinem est dicendum?

Quid in excrementis retentis & emissis.

ferunt quidem facilius illorum noxas consueti aliis: nam qui consueuerunt alui excrementa etiam vrgente necessitate cohibere, vt qui in Aulis Principum degût minus offendútur aliis, qui certis horis ea emittere consueuerunt; si tamen cogente necessitate quispiam deiiciat præter consuetudinem, minorem certè ille sentiet molestiam alio, qui ob consuetudinem eadem retinere didicit, aut potius vnus & idem à re consueta deteriore minus, quàm ab alia meliore, & non consueta, afficitur: natura enim omnes excessus, quæq; suaptè natura sunt mala, spontè refugit, maximumque sentit commodum ex eorum remotione, postquàm sequitur temperies, & mediocritas.

Quid in vigilia & somno.

Quid item de vigilia, & somno dicendum? eos, inquam, qui consueuerût vigilare, aut dormire plus vel minus, certis vel incertis temporibus, minus offendi aliis ab eo, quod est sibi consuetum: nam qui parum dormire consueuerunt, minus offenduntur illis, qui longiori somno sunt assueti, si parum dormire cogantur. Verum si eorum motus longiorem somnum re- A quirit, ille quidem somnus non magis molestabit, vigilia aut somno breuiore; illos ergo, quod melius est non consuetum, minus molestat deteriore consueto.

Quid in curis & passionib. animi.

Eadem est ratio de animi curis passionibusque reliquis; qui enim vitam duxerunt per multos annos implicitam multis curis, minus molestantur aliis, qui in otio antea degerunt, & postea coguntur vitæ genus amplecti, quod leuiores etiam curas habet. Verum & illi, qui curis assueuerunt, non sentiunt à medriocri otio maiorem molestiam quàm à curis consuetis. Itaque consuetudo, vt vno verbo dicam, magnam vim habet *in his, quæ ex habitu agunt, vel aliquid simile habitui contrahunt: nec non in iis, quæ habitum efficiunt, aut aliquid simile*: in aliis verò vel nullam, vel minimam habet potestatem; id enim postulat consuetudinis natura, quæ paulatim vim suam promit quo ad modum, & illa, quæ habitum efficiunt.

Consuetudo in quib. magná habeat vim, & in quibus nullam, vel minimam.

Quapropter, illius vis euidentissima est in actionibus, quæ pendent à nostra voluntate & iudicio: cuiusmodi sunt corporis exercitationes, & animi studia; quoniam enim illa ex frequenti operatione cóparantur, ideo habitum in nobis faciunt, per quem postea promptè operari possumus: & quia consuetudo iam est habitus, aut certè habitum fecit, propterea quæ consueta in illis sunt, cum minore molestia agere, & pati possunt. Ac eadem ratio communis etiam est actionibus vi- C talibus & naturalibus, in quibus veluti habitus quidam comparatur: non mirum ergo, si natura, in genere & qualitate alimentorum, non gaudet magis consuetis, quàm aliis; *neque enim illa edere, aut bibere didicit ex consuetudine aut habitu: sed expetit, quod illi deest ad restaurationem substantiæ dissolutæ*; hoc verò, vel alio modo aut tempore edere & bibere, & etiam plus vel minus, longa consuetudine, nobis magistris sibi comparauit, cum paulatim naturæ leges immutauimus, cogente ita vel necessitate, vel ambitione, aut aliis causis, quæ primum impedierunt; ne natura ipsa tantum, & eo tempore, & modo ederet biberetque, vt ipsa appetebat. Atque ita paulatim habitum D in natura fecimus, qui ei præualet, quod sibi ab initio erat insitum.

Cur in cibo & potu natura nó gaudeat magis consuetis quàm aliis.

Communis ergo sumenda ratio est in omnibus, in quibus præualet consuetudo, habitu, & aptitudine, & non peculiaris singulis, vt Gal. facit, qui perperam, vt antea ostendimus, putat etiam *in hoc Commentario* labores & exercitationes corporis consuetos facilius aliis ferri ob robur: nam imbecillitas, & senectus, quam dicit esse aptiorem Hippocrates fortibus, & iuuenibus, causam non potest capere ex robore; id quod etiam euidenter ostendunt labores, & studia animi, non enim ex continuo studio literarum, robur comparatur, vt satis experientia docet, siquidem vt dici solet, *Minerua nitruo: minus*, tamen senes, & imbecilles solita studia E facilius ferunt fortioribus, & iuuenibus. Malè etiam in cibo, & potu quærit rationem ex alio, quàm ex habitu: nam, vt diximus, in certis scopis nutritionis consuetudo minus potest, quàm quod nouum, & recens est, & in quibus potest, ex habitu causa ducenda est. Dein-

de, ratio, quam sumit ex faciliore alteratione à similibus, quod scilicet facilius alteretur, quod simile est, in nullo scopo vera apparet: nam etsi similitudo eius, quod patitur, quantum in se est, faciliorem facit transmutationem, & minorem molestiam: tamen quia in transmutatione omni requiritur etiam vis agentis, apparet, vt diximus, facultates nutritiua difficilius agere in eo, quod iam longa consuetudine est simillimum, quàm in aliud. Sed qualem, quæsō, adferemus rationem ex similitudine hac agentis, & patientis in modo & tempore edendi? cur enim quidam semel, alii sæpius, alii verò non nisi certis horis edere appetant, id certè ex ea similitudine rationem inuenire nequit; in eo autem, quod scribit de corporibus laxatis à calore, vel densatis à frigido, vt ostendimus, aberrat: quia non supponit maius bonum non consuetum, & minus consuetum, sed malum non consuetum. Deinde rationem hic non adfert; *in libro* verò *de consuetudine*, ad similitudinem etiam, vt dixit de alimentis, refert: quia enim, inquit, calidus aer his, qui consueuerunt in eo versari, similior est, ideo minus lædit; at supponere deberet, aerem non consuetum meliorem esse, vt temperatum, aut paulo frigidiorem, vt facit Aphorismus, & tunc videret, illos minus offendi in aere non consueto, quàm in alio; at, quæso, quid dicet de his, qui vigilare, aut dormire parum vel multum, & certo modo & tempore consueuerunt? an, quæso, illi minus offenduntur à solito somno, & vigilia ob robur, vel similitudinem? non enim sicut exercitatio corporis, ita vigilia, & somnus deteriores, & consuetæ roborant; nec ob similitudinem, quæ est in alimentis id accidit, sed ob eum habitum, quem homines contraxerunt, minus offenduntur: ob eundem etiam habitum ab excretis, & retentis minor fit noxa in his, qui consueuerunt, vel cohibere vel emittere excrementa.

Sequitur nunc explicandum, an consueta in omni statu corporis minus molestare soleant aliis, eodemque negotio ei, quod quarto loco propositum est, satisfaciemus; sed alia via est procedendum, vt nō solum quæ minus, vel magis molestant, sed etiam quæ magis vel minus prosunt, (quæ quidem multum inter se differunt) comprehendamus. Quinetiam simplicia primo, & postea composita inter se comparare oportet.

Primum ergo quæremus, an consueta in omni statu magis prosint non consuetis; Deinde, an consueta mala, bonis non consuetis possint magis prodesse; Tertio loco, an consueta deteriora, sed bona, consuetis melioribus magis prodesse valeant. Eadem posteà quærenda sunt de his, quæ molestant, an scilicet consueta in omni statu non consuetis magis molestare possint; Item, an consueta mala, bonis non consuetis magis, vel minus possint molestare; Postremò, an consueta deteriora, sed bona consuetis melioribus minus etiam molestare sint apta.

An consueta in omni statu magis possint prodesse.

Quod verò consueta in omni statu non possint magis prodesse, constat: Nam his, qui morbo laborant, non consueta magis prodesse sunt apta: nam cum in illis quæramus mutationem affectuum præter naturam, morbi, inquam,

A causarum morbi, & symptomatum, dubitare non est, à non consuetis potius, quàm à consuetis auxilia esse petenda: quoniam consuetudo similitudinem facit; propterea consueta minorem habent vim mutandi; Vt ergo curatio fit per contraria, ita dissimilia similibus sunt præferenda. Propterea, si mulier eo tempore, quo menstrua patitur, febre corripiatur vehementiore, non veremur sanguinem ex cubito mittere: nam etsi plus sanguinis vacuet ea purgatio, minus tamen prodest ad febris curationem, quia ob consuetudinem minimas efficit in corpore mutationes. Qua ratione etiam admonent Medici, ne vno medicamento ad purgationem corporis sæpius vtamur: *ea enim consuetudo contrarietatem tollit, quæ necessaria est, dum mutationem*

Cur vnum idemq; medicamentum purgans non sit sæpius vsurpandum.

B *quærimus*; Verum, vt res consuetas, per morbos imitari debemus, ita modum, tempus, & alios scopos, in quibus consuetudo plurimum potest, definire debemus: non enim, vt cibos, & potiones consuetas in sanitate, præsente morbo mutamus: sic cibandi tempus, & modum consuetum, si morbus permittat, variabimus: quoniam in his est factus habitus, qui in omni statu, & maximè in ægro seruandus est: Contra verò, in sanis, in illis actionibus, in quibus consuetudo vim suam habet, vt in motibus corporis, & animi, magis prosunt consueta aliis, quoniam illa aptiora sunt ob similitudinem, quam pepererunt ad conseruandum naturalem statū;

C Ac non solum quidem consueta in illis magis prosunt, sed etiam efficiunt, vt illa, quæ ipsis sunt inimica, minus lædere possint; Referunt enim historiæ, Mithridatem Regem sumpto veneno seipsum enecare non potuisse, quod sæpius suo antidoto anteà vsus, corpus aduersus venenum muniuerit.

Porrò, in conualescentibus, & his, qui parati sunt cadere in morbos, nec planè consueta, nec omnino insueta magis prodesse possunt: mixtus enim est illorum status, præsertim in illis, qui expositi iam sunt morbis; Quare nec planè similia, nec dissimilia conferunt: Sic ergo de consuetis, & non consuetis simpliciter sentiendum.

An consueta mala bonis non consuetis magis vel minus possint molestare.

D Cæterum, consueta mala, bonis non consuetis in ægrotis semper minus prosunt: nam vt nihil temerè in illis agendum, ita mala omnia vitanda, præsertim consueta, quæ nullam, vel minimam mutationem efficere possunt; In sanis verò si nō admodum mala sunt, magis prodesse possunt bonis non consuetis. Malum enim est, si homo sanus, & suæ spontis, vtensque exercitiis, vt ars sanitatis tuendæ præcipit, semel tantum quotidie edat; Verum vbi iam ille processit ætate, præstat vt cum victu malo consueto viuat, quàm si meliorem suapte natura viuendi rationem tentet; In conualescentibus verò à morbis magnis nihil malum moliendum; recidiuæ enim est periculum, nec in his, qui

E iam conflictantur cum instante morbo, illi enim mutationem requirunt præsentis iam morbosæ causæ; quare nec mala tentanda, nec consueta iam prosunt.

An consueta deteriora sed bona, consuetis melioribus minus etiā molestare sint apta.

At verò consueta deteriora, sed bona in leuioribus morbis, in sanis, conualescentibus, & in morbo leniore instante, magis prodesse possunt melioribus non consuetis; In grauioribus

tibus verò affectibus, quod optimum est, contempta consuetudine, præstandum, eò enim pertinet, quod scribit Hippocrates, *extremis morbis exquisitissima remedia conueniunt.* Iam verò agamus de his, quæ magis vel minus molestare possunt.

sect. 1. aph. 6.

Certum quidem esse puto, in statu præter naturam, ea, quæ sunt consueta, maiorem molestiam adferre non consuetis: Ratio enim ex superioribus petitur, quòd scilicet mutatione sit opus ad tollendum id, quod molestat; minimam autem mutationem efficere posse, quæ consueta sunt, *propterea febricitantibus vinum consuetum per sanitatem, longè molestius est, quam aqua.* Consueta igitur in eo statu minus prosunt, & magis molestant, atque etiam lædunt; B in sanis verò in illis operationibus, in quibus dissimilitudo suam etiam habet vim, vt in appetitu, & concoctione nutrimenti, quæ non sunt consueta minus molestant: Consueta verò nauseam, & molestiam pariunt. Contrarium verò accidit in illis functionibus, quæ per habitum agunt, sic etiam consueta mala in morbis magis molestant bonis nō consuetis. Atq; eodem modo de alijs est sentiendum ex superiorib. rationibus; quas si quis diligenter expendat, veras esse inueniet, etsi alienas ab aliorum doctrina, qui nulla habita distinctione consuetudinem in omnibus laudant, tanquam vtilem, & minimè molestam: est enim, vt satis ex supradictis patere puto, consuetudinis, & consuetarum rerum C multiplex natura, quæ simplicem non potest admittere tractationem, est & corporum diuersus status, qui ab vna re eodem modo affici non potest.

In quo statu cōsueta magis obsint nō consuetis.

Consuetudinis & rerum consuetarū multiplex natura.

Sed cur, quæso, (quod vltimo loco explicandum proposuimus) Hippocrates, posteaquàm consuetudinem laudauit, iubet ad insueta transeundum esse? verum qui ita dubitat, non intelligit, Hippocratem id præcipere, non quod insueta consuetis præferat, in quibus consuetudo est seruanda, sed vt omnia insueta aut plurima, dum ætas, tempusque ferunt, nobis consueta & familiaria reddamus.

Cur Hippocrates postquam consuetudinem laudauit, iubeat ad insueta transire.

Perbelle enim inquit Galenus, vnica consuetudo periculosa est, cum varijs conditionibus, D & sortibus vita nostra subiecta sit, ita, vt non semper illius rei, quam consuetam fecimus, copia suppetat. Quod ergo dicit, *oportet ad insueta permutari*, perinde est ac si dicat, *oportet multis assuescere.* Quomodo autem à consuetis ad insueta transeundum sit, *in superiore libro* docuimus, & *in sequenti Aphorismo* obiter pertractabimus.

Aphor. LI.

Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκοσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν· καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές, καὶ ἄλλως ἢν τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνει.

Plurimum atque repente euacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quo- A *niam omne nimium est naturæ inimicum; sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.*

CVm in superiore Aphorismo dixisset, ad insueta esse transeundum, modum autem transitus non docuisset, de eo in præsenti tractat, iubens, subito id non esse faciendum, sed paulatim. Ac cum in remediorum vsu multi sint scopi obseruandi, vt *in primo libro* ostendimus, hactenus non egit de modo euacuationis, vt de alijs scopis, ne frustra præceptum vnum traderet de vno remedio, quod omnibus accommodari potest. In hoc ergo Aphorismo occasione sumpta ex præcedente generali præcepto, modum docet, quem tenere debemus in vsu materiæ Medicæ; Qua in re argumento vtitur, ex particularibus colligens vniuersale, vel ex vniuersali inferens particularia: vterque enim modus argumentandi ex hoc Aphorismo trahi potest; Ac priore quidem modo talis fit ratiocinatio: *Plurimum & repentè euacuare, replere, calefacere, refrigerare, aut alio quouis modo mouere, periculosum; ergo omne, quod plurimum est, & subitò fit, periculosum est, & tanquam inimicum fugiendum: tutum autem est, quod paulatim fit.* Secundus modus argumentandi ita deduci potest: *Omne, quod plurimum est, & subitò fit, natura nimium, & periculosum: ergo plurimum & repentè euacuare, vel replere, vel alio quouis modo corpus mouere non debemus*; cuius argumenti rationem & vim postea demonstrabimus, sed præstat prius dictiones quasdam explicare, quæ dubitationem excitare possunt. Nam quod noster interpres vertit, omne *nimium* naturæ esse inimicum, ex authoris sententia non dicit: Hippoc. enim scribit τὸ πολὺ i. *multum*, & nō *nimium* esse naturæ inimicum: Quod enim nimium est, per se statim malum apparet, ita, vt præcepto non egeat, quo caueatur. Quod verò multum est, vel repentinum, dubitare aliquis posset, an bonum vel malum sit: cum & voluptates, & dolores, vt Plato, & Galenus tradunt, non nisi ex subitis mutationibus fiant; Quinetiam sæpe calefacimus, & vacuamus multum, idque cum magna vtilitate; veluti cum sanguinem vsque ad animi defectum mittimus, vel inediam, extremumque victum ægris iniungimus, sæpe etiam hæc obsunt. Itaque Hippocrates de eo, quod dubium est, præceptum tradit, quo admonet, non licere nobis absque periculo corpus multum, & repentè aliquo modo mouere. Præterea, eodem vocabulo vtitur statim ab initio, cum dicit, *plurimum atque repente*; quare non erat postea vertendum idem nomen *nimium*; Differunt autem inter se multum & nimium, vt satis loquendi vsus docet: nam sanguinis missionem vsque ad animi defectum, magnam & E multam dicimus, non tamen nimiam; Ergo, si particularia damnat, quæ plurima siue multa sunt, & ratio sumitur ab vniuersali, dicendum est, omne multum siue plurimum esse naturæ inimicum, non autem omne nimium: Quomodo verò plurimum sit intelligendum, postea docebimus. In eo etiam, quod vertit: *sed quod paulatim fit*, annotatione quadam

Multum & repentinum, an sit bonū vel malum.

est opus: quod enim Hippocrates dixit τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, vel in alio exemplari κατὰ μικρὸν non *paulatim*, sed *parum & paulatim* vertendum est; duas enim dictiones anteà posuit πολὺ & ἐξαπίνης, id est, *multum & repente*: quibus vnicam opposuit κατ' ὀλίγον, quod (*paulatim*) Latinis non explicat: nam paulatim tempus tantum describit, non rei quantitatem: potest enim aliquid multum esse, & paulatim fieri, quod Hippocr. non probaret, etsi id melius sit, quàm quod multum est, & subito fit, vt, verbi gratia, licet nobis sanguinis libras duodecim, aut plures etiam vnius anni spatio ab vno corpore euacuare: quæ vacuatio etsi paulatim quidem fit, tuta tamen non est, quia multa est: quod autem multum est, periculosum esse inquit Hippocr. Itaq; quod tutum est B debet non solum paulatim fieri, sed etiam non multum esse. Cum ergo Hippocrates damnauerit, quod est pessimum, id, inquam, quod est multum & subitò fit, laudet nunc oportet, quod est optimum: illud autem est, quod paucum est, & sensim fit; quæ verò multa sunt, sed fiunt subitò, mediam naturam habent inter illa, quæ sunt pessima & optima; legendum ergo est, *quod paucum est, & paulatim fit*, aut verbum *paulatim* vtrunque complecti statuamus. Nunc verò explicandum est, quid per multam, siue plurimam calefactionem aut vacuationem, & denique quid per plurimum mouere intelligat. Qua quidem in re recentiores interpretes multam vacuationem, & alia plurima esse dicunt, quæ vires debilitant: ea enim semper esse cauenda, iuxta Galeni sententiam, qui scribit *in Commentario tertii Aphorismi libri primi* vacuationes faciendas esse donec vires tolerant; vbi autem æger debilitari incipit, eas sistendas esse, etiamsi malus humor adhuc in corpore supersit: in quo nec Musa Brassauolus, nec alii sibi constant: nam cum multam euacuationem ita primo definiuissent, & periculosam esse enunciassent, postea eius, quòd dixerunt, obliti, non dicunt esse periculosam, si multa sit solum, sed si multa, & subita fuerit; oportebat ergo definiuisse non multam euacuationem eo modo, sed multam & subitam simul. Sed grauior est error, quod nec multa & subita ex viribus definienda sit; quandoquidem nec vacuatio, nec alia remedia à viribus indicantur, vt *in primo libro* docuimus; sed affectus est euacuatione egens, qui vniuersam euacuandi rationem indicat, quod cuilibet patere potest: si enim affectus fortè postulet ad sui ablationem detractionem librarum quatuor sanguinis, non plus detractum esse, rectè dicere possumus, etiamsi vires fuerint debilitatæ: contra verò, si quis vnius libræ sanguinis detractione liberari possit, vires quatuor absque debilitate educi patiantur, plurimum tamen, & plus, quàm oportet, euacuatum corpus meritò conqueri possumus: non ergo vires, quæ in euacuationibus aliquando nihil mali patiuntur, aliquando verò maximè debilitantur, possunt indicare certam euacuandi rationem; Alii verò multam euacuationem, & multum in aliis remediis perperam vocant, quod ea excedit, quæ moderatis, & temperatis corporibus debentur: nam singulorum sunt propria remedia, nec quod temperatis competit, aliis conuenire potest, etsi regula statuitur, cum generatim materiæ Medicæ vires expendimus. Galenus *in Comment.* plurimam euacuationem & inanitionem vocat, quæ elementorum commoderationem destruit: naturam enim nostram, ait, consistere ex ea commoderatione, & propterea omne, quod est plurimum, id est, excellit, eam corrumpere, & dissoluere. Quæ ratio solum comprehendit mutationes, quæ fiunt in sanis: nam vbi vehementissima fortè febris infestat, tunc natura nostra non constat ex commoderatione Elementorũ, sed ex magno excessu caloris, qui mediocritatem violat; ita vbi est plethora, vt in Athletis, magnus est humorum excessus, qui quidem affectus tolli non possunt tuto ex paruis, & paulatim adhibitis remediis, imo ea solum, quæ excedunt, & subito fiunt, sunt tutissima; ea enim sola contraria sunt magis, & confertim lædentibus morbis, & eorum causis.

Multa & plurima calefactio, euacuatio, &c.

Quid ergo sentiendum? Primum quidem *illud multum & plurimum esse censendum, quod excedit mensuram, quam postulat corporis status ad sui conseruationem, vel liberationem à morbis*; deinde omnes interpretes errasse, qui hunc Aphorismum ad euacuationes, & ad alia remedia, quibus vtimur in morbis abigendis, trahunt, nihilque magis tritum habent in ore, dum aliquid ad curationem morborum est moliendũ, quàm hunc Aphorismum, quo putant authorem magna & subita remedia damnare: nam hic Aphorismus solum aut maximè pertinet ad sana corpora, quæ sunt in mediocritate constituta, postulantque proinde sui conseruationem, & non mutationem, & si in aliqua re mutatio facienda est, vt à rebus consuetis ad non consuetas, eam esse paulatim adhibendam, quod Galenus primum ostendit, cum ait: *nam in elementorum cõmoderatione natura consistit*, sanorum enim & non aliorum talis est natura; deinde, verba vltima Aphorismi idem docent, cum ait, *tum, cum ab altero ad alterum transitus fit*: nam in ægrotis transitus non fit ab altero ad alterum, aut si fit, non fit paulatim, & quod paulatim fit, non est tutum, nec amicum naturæ, quæ enim tunc est natura, non est ex commoderatione, sed ex excessu sæpe magno, & subitò facto; quare talia quoque remedia esse oportet, vt Galenus passim *in Methodo medendi & in 3. artis Medicinalis* monstrat. Eo etiam pertinent, quæ antea scripsit Hippocrates; *Extremis morbis extrema remedia conueniunt*; & *vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & statim tenuissimo victu vtendum*; & cum de Athletis loquitur, iubet statim soluendum esse illorum habitum; & alibi, cum dicit: *Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, lentè reficere oportet, quæ breui, breuiter*; Ac ne singulos locos prosequar, clarissima est Hippocratis & Galeni sententia, in curatione morborum, aut præseruatione plurimum & repentè sæpe esse vacuandum, & alio modo mouendum, & illud esse naturæ amicum: quandoquidem tunc maximè voluptas cõtingit, Platone & Galeno teste, quando subitus fit transitus & magna mutatio a statu morboso in naturalem; verum vt istæ mutationes, quæ magnæ sunt & subitæ, sunt illis optimæ, ita sæpe non vacant periculo, quando scilicet vires pati non possunt violentiam ab illis auxiliis, cuiusmodi sunt

Multum & plurimum quid.

Aphorismus de sanis vt plurimum est intelligendus.

sect. 1. aph. 6

sect. 1. aph. 7

sect. 2. aph. 7

sunt euacuationes, & repletiones: nam vt Galenus *in 7. Meth. & alibi* scribit, calefacere, refrigerare, & alio modo alterare tuto possumus, quantum affectus ipse requirit: At, euacuare & replere: non item: non enim omnem vacuationem aut repletionẽ, quam indicat curatio, semper sustinere possunt vires; ergo *in statu secundum naturam quod plurimum est, & subito fit, periculosum est & inimicum, quia sanorum vitia minimam mutationem requirunt, quia parua sunt*, vt Galenus *in Thrasybulo* docet; & quoniam sanorum conditio est in habitu, quiete gaudet, & subitas proinde mutationes respuit; præsertim vbi consuetudo mutanda in iis est, in quibus habitus est contractus; *in statu vero præter naturam magnæ & subitæ mutationes, vbi affectus ita postulant, sunt bonæ, & non inimicæ præsenti naturæ, aliquando tamen periculosæ*; aliud enim est, aliquid malum esse, aliud periculosum; quod apparet in sanguinis missione vsque ad animi defectum; quæ tanquam optimum remedium quibusdam malis à Medicis præcipitur, sed non sine periculo remedium hoc administratur, aliquando enim (vt Gal. *in Meth.* docet) mors ex eo secuta est, igitur cum Aphorismus hic pertineat ad mutationes, quæ fiunt in sanis, ratio in primis tradenda est, quæ omnibus conuenit causis, quæ naturalem nostrum statum mutant. Deinde quæ peculiaris est singulis, de quib. agit Hippocrates *in Aphor.* Communis autem causa desumitur ex commoderatione, qua constant sana corpora, quæ vt moderatis causis conseruatur, ita ab eo, quod est multum dissoluitur, ergo quod multum est, hac ratione est malum, & periculosum. Cur verò id, quod subitò corpus nostrum mutat, malum etiam & periculosum sit, non docet hoc loco Hippocr. nec etiam Gal. qui solum ostendunt, cur *multum*, vel, vt interpres vertit, *nimium*, sit naturæ inimicum. Quod autem subitò fit, non est inimicum, nec multum. Alibi verò hi authores repentinas mutationes damnant, sed rationem huius rei non afferunt; Petitur autem ratio à stabilitate & habitu, qui in nostra commoderatione etiam conspicitur; Est enim illa commoderata non in dispositione, sed in habitu, vt docet *in Thrasybulo*, quare quæ cũ habitum & quietem violant, naturam nostram lædunt. Quod quidem maximè apparet verum; si quis enim hominem ad res etiam leuissimas non consuetas traducat, magnam molestiam illi inferet; quod non alia ratione fieri potest, nisi, *quod in alio opere iam consueto natura veluti in seipsa quiescebat; ad aliud vero traducta, à seipsa subitò recedit*: nec potest in eo quiescere, in quo nondum fecit habitum; labor autem & molestia maxima sentitur, cum noui habitus generantur; operationes enim quæ illum pariunt, cum molestia exercentur; quæ verò ab habitu proficiscuntur, promptè & facillimè fiunt. Paulatim ergo recedendum est ab eo, quod est secundum naturam in nobis; atque hæc est communis causa eorum, quæ nos multum & subito afficiunt. Vacuatio autem plurima, & repentina, mala & periculosa ideo est, *quoniam corpus plurimum & repentè minuit, humorum & spirituum, quibus constamus, portionem detrahendo*: Ita plurima & repentina repletio, *quia naturam grauat, & substantiam addit corpori maiorem modo*

Cur id, quod subito corpus nostrum mutat, sit periculosum.

Vacuatio subita & plurima cur sit periculosa.

Cur subita plurima & repletio periculosa.

A *quàm conueniat mediocritati nostræ*, damnanda est, ex quibus varii affectus nascuntur, de quibus egimus, cum plenitudinis vtriusque noxas prosequeremur; Nimia etiam, & subita calefactio primum obest, *quia plus addit caloris, quam requirat mediocritas, & citius, quàm postulet calor, qui factus est veluti habitus in natura nostra.* Ad ampliorem verò & subitum calorẽ sequuntur (vt postea scribet Hippocrates) carnis effœminatio, neruorum incontinentia, mentis stupor, sanguinis eruptio, animi defectus, & mors. Immodicum etiam & repentinum frigidum (vt pariter *in lib. 5.* refert Hippocrat.) conuulsiones, distensiones, liuores, rigores febriles affert, ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ nocet. Quod autem subiungit, *aut aliter quocunque modo corpus mouere*, comprehendere vult somnum, vigiliam, venereum, animi, corporisque actiones, & denique quicquid vim habet mutandi statum nostrum naturalem; Verum quæ multum & subito agunt, in nobis parem non habent vim: nam quæ consueta sunt, etsi plurimum, & repentè agant, minus obesse solent aliis, quæ consueta non sunt. Sensus ergo vnus esse potest ad hunc modum: *In rebus consuetis, quæ plurimum & repentè agunt, minus mala, & periculosa sunt, quam in non consuetis*; facilius enim feret magnam, & subitam repletionem, aut euacuationem, qui consueuit vacuari & repleri, quàm qui istis non assueuit; Alius sensus est, *quod ea, quæ multum, & repentè agunt, soleant maximè obesse, cum transitus fit a rebus, in quibus consuetudo plurimum potest*: Nam etsi corpus aliquid incommodi patitur, cum calefit, aut refrigeratur multum & repentè, tamen non par fit noxa, vt in illis, quæ ex consuetudine habitum contraxerunt, vt in studiis nostris, & artibus, quas exercemus: si quis enim relictis consuetis studiis & officiis, ad alia subito transgat & in illis plurimum laborare velit, non sine plurima noxa, & magno periculo eas sentiat mutationes.

Cur nimia & subita calefactio.

Cur immodicum & repentinum frigidum.

Multum & subito agentia non parem habent vim.

APHOR. LII.

Πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν D κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Omnia secundum rationem facienti, si non secundum rationem succedat, non est transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est.

CVm in superiore Aphoris. de mutatione, & transitu vnius rei ad aliam egisset, docuissetq; sensim mutationes esse faciẽdas, ne quis putaret, in omnibus mutationes esse tentandas, docet in hoc Aphorismo, in quibus hoc conueniat. *Tentanda*, inquit, *est mutatio in illis, quæ non fiunt secundum rationem; in aliis autem, quæ fiunt secundum rationem, standum esse.* Quæ sententia magni est momenti in arte nostra ad arguendos Empiricos nostri temporis, qui omnia remedia in omnibus malis tentant, nec vnquam in eo quiescunt, in quo spes ponenda est; Pertinet etiam ad eos, qui ob vanum timorem

turbandæ concoctionis, nihil tentant, dum variis symptomatis miserè torquentur ægri: At, cum Medicus quædam habeat remedia, quorũ vim nulla ratio inuenire potest, sed sola experientia, cuiusmodi sunt illa, quæ agunt à tota substantia; An fortè erat dicendum, omnia secundum rationem, & experientiam facienti? minime quidem: nam etsi ratio non inuenit huiusmodi medicamenta, tamen quæ inuenta sunt, rationi subiiciuntur; Illa enim iudicat, quibus & quo modo singula auxilia competant. Dixit autem Hippocrates, *omnia facienti secundum rationem*, propterea si aliquid inter multa præter rationem fiat, standum non est in illis; Mutandum enim illud est, quod præter rationem fit; vt si quis calefacientibus, & aperientibus remediis egeat, calefacientibus solum vel aperientibus vtatur Medicus, non ille facit omnia secundum rationem; quare transeundum est ad aliud.

Secundũ rationem facere quid. Portò facere secundum rationem Medicus dicitur nõ solum, vt alii interpretes sentiunt, qui remedia exhibet curandis morbis conuenientia: sed qui in omni officio Medici agit secundum eam rationem, quam ars nostra optimam iudicauit; Illud verò quomodo fieri potest? vt si quis omnia secundum rationem faciat, non sequatur effectus secundum rationem? Hanc dubitationem ita Galenus & cæteri interpretes dissoluere videntur, vt ad tempus, in quo effectus expectatur, omnia referant; rationem quidem inueniri posse, quod fieri debet, asserunt. Cæterum, tempus, in quo agentium effectus, & euentus expectatur, nulla ratione exactè comprehendi posse; vt enim in omnib. rebus quantitas actionum definiri omnino non potest, ita nec in Medicina; quandoquidem morbosæ causæ rebelliores aliquando sunt, quàm vt statim commodis remediis cedant; quod in crudis, & quæ difficilè coquuntur, dispositionibus Galenus ostendit: nam etsi cõcoquentia medicamenta adhibita in illas agunt, tamen ob illarum rebellionem actio non statim apparet, quemadmodum & in gutta lapidem excauante conspicitur: quæ non statim, sed longiore tempore, & crebro lapsu saxum excauat. Vt ergo qui saxum gutta cauare vult, non recedere debet ab opere, quod ratio & experientia iudicauit fieri posse, etsi excauatio non statim sensibilis appareat: ita ait esse faciendum in Medicina: non recedendũ scilicet ab illis præsidiis, quæ vtilia esse cognoscimus, etiamsi non secundum rationem respondeat euentus. Quam interpretationem recipere non possum: nam vt ratio inuenit, quid conferat, ita etiam certum, & præfinitum terminũ, qui nullo modo constitui potest exactè, constituit: alioqui ratio nõ esset, si quæ fieri nequeunt, fieri posse statueret, & vt vnum rectè iudicat, ita & alterum; id quod exemplo facilè patebit; Dicemus enim aliquem (vt à suo exemplo non recedamus) humorum cruditate laborare, ratio magnam, vel paruam esse cruditatem agnoscit, remediaque inuenit, & tempus quoddam statuit latitudine quadam præfinitum, in quo concoctio fieri possit. Magnam enim cruditatem vehementioribus remediis, longioreq; tempore, contra paruam mitioribus, & breuiore opus habere statuit. Euentum ergo in magna cruditate non nisi spatio longiore expectabit; alterius autem breuiore; & secundum rationem eueniet, cum ita eueniet, si aliter, non item. Non ergo decipitur vera ratio in tempore, vt illi volunt, cum certum tempus, cum quadam tamen latitudine ex agentis, patientisque actione constituat, in quo euentum actionis expectat; statim ergo non expectabit fieri ratio, quod iudicauit non nisi longiore tempore fieri posse; Quam tamen interpretationem sequuntur alii interpretes, explicantes dictionem eam (*si non succedat secundum rationem,*) quasi ratio velit, statim fieri, quod ita fieri non potest. Cogimur ergo cum illorum interpretatio non satisfaciat, *rationis* nomen secundo loco appositum intelligere pro voluntate, & desiderio nostro, vt talis sit sententia: *Si quis secundum rationem aliquid commentas, & aggrediatur, etsi statim pro voluntate nostra, & desiderio euentus non succedat, tamen non est recedendum ab eo, quod ratio dictauit, vt ad aliud accedamus, quod voluntas temerè expostulat*; sic enim indocti Medici importunitatibus ægrotantis & astantium præcipitant sæpe remedia, nec vnquam quiescunt in his, in quibus ratio iudicat quiescendum esse; admonet ergo Hippocrates, Medicos non debere obsecundare falsæ rationi, & voluntati ægrotantium, sed videndum, quid ratio postulet.

Transitus quot modis fieri possit. Cæterum, circa id, quod vltimo loco inquit, *non esse transeundum ad aliud*, interpretes notant tribus modis transitum fieri posse; Primo, cum de remedio vno ad aliud diuersæ actionis transitus fit; Secundo cum ab vno gradu & mensura ad diuersum gradum transitur; tertio cum à diuersa specie in diuersam, similem tamen virtute, fit transitus, vt cum à chamomelo ad stœchas transitus fit, dicuntque in duobus primis modis ab Hippocrate negari transitum: in vltimo autem necessario concedendum authoritate Auicennæ 4.1.*cap*.1. cui opinioni assentior, si de medicamentis agamus; longa enim consuetudine familiaria ita nobis fiũt, vt medicamẽta esse desinant; nõ est ergo transeundum ad aliud, quod diuersam habeat vim, aut vehementiorem, vel remissiorem, & si Musa Brassauolus in hoc discrepet, licere asserens à mitiore ad vehementius, & econtra transire, & id non caueri ab Hippocrate: quod mihi non placet: nam si à mitiore ad validius medicamentum transitus fieri debeat, ideo fit, quod non stat id, quod à principio apparuit, sed vehementior, aut mitior à ratione iudicatur effectus, in quo casu mutatio necessaria est. Non enim stat, quod à principio visum est, ergo transeundum ad aliud est.

APHOR. LIII.

Ὁκόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι, νέοι μὲν ὄντες βέλτιον ἀπαλλάσσουσι τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων, ἐς δὲ τὸ γῆρας χεῖρον ἀπαλλάσσουσι, ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσι γηράσκουσι.

Quicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, melius commutant iis, qui siccas habent: ad senectutem vero deterius commutant: nam senescentibus magna ex parte exsiccantur.

Humi-

Opinio Galeni d. hoc Aphori.

HVNC Aphorismum aduentitium esse, admonet Galenus, vt ex illius Comm. satis apparet, cum dicat, latum esse, & quicquid de eo dicere conuenit, prius dictum esse, in eo Aphorismo, cuius principiũ est, *Quibus iuuenibus ventres humidi sunt, iis senescentibus exsiccantur.*

Sect. 2. aphoris. 20. Opinio Philothei.

Philotheus vero scribit clarius, atque hunc Aphorismum in eo explicatum esse; hic tamen rursus repetitum, propterea, quod commutationem alui humidæ in siccam, & siccæ in humidam ætatis mutatione absolute, simpliciterque fieri pronunciasset; quod cum non omnino verum postea aduertisset, propterea quod in humidam sicca in senectute raro cõmutatur, sed magna ex parte exsiccatur; hunc Aphorismum repetere voluit, vt particulam adderet *magna ex parte*, quę exceptionem faceret, & doceret, non æque facilem esse transitum siccæ in humidam, vt humidæ in siccam. Alii etiam interpretes hactenus putauerunt, claram esse huius Aphorismi sententiam, eandemque cum alio, qui repetitur. Nostra tamen hac ætate duo accesserunt interpretes, qui magnam difficultatem in eo esse dicunt, contrariaque omnino interpretatione vtuntur; etenim,

Antonii Musæ.

Antonius Musa hunc Aphorismi sensum esse dicit, quod Hippocrates velit eos, qui aluos humidas habent, in melius commutare aliis, qui siccas habent in iuuentute: in illis enim mutatio fit ad humidam, in his vero, qui in iuuentute humidam habent, ad siccam; quod qui lem (vt ille ait) melius est: sicca enim aluus melior, quam humida ab eo censetur; cui interpretationi omnia repugnant; primum dictio Hippocratis, non enim dicit Hippocrates, in melius commutationem fieri, (vt ille ait,) & quod necessarium etiam esset scribere: sed inquit, *melius commutant*. Deinde, quod nullo modo vltima pars Aphorismi huic interpretationi accommodari possit; vbi scribit: *nam senescentibus magna ex parte exsiccantur*; Quod cum ipse animaduertisset, conatur detorquere hanc partem, sed frustra, cum ridicula omnia sint, quæ ad hanc rem probandam affert, & talia profecto, vt omnes vel mediocriter docti animaduertere possint, defuisse homini iudicium: nullum enim sensum faciunt illius verba, sed veluti scopæ dissolutæ videntur: ergo vnusquisque videre potest, ne in re omnino per se manifesta vos detineam. Propterea mirum est, quod ille dicat, hunc Aphorismum ex causis dictis in 20. duci, & tamen difficilem esse: si enim illius causæ manifestæ sunt, quomodo difficilis illius interpretatio esse potest? Postremo, falsum est, quod ille comminiscitur, siccam aluum esse meliorem humida;

Aluum siccam humida non esse meliorem.

Quis enim non nouit, bonum esse, vt alui excrementa, vt & alia omnia, libere effluant à corpore? malum autem, si ob siccitatem in eo hæreant? Quod vero deteriorem humidam aluum sicca esse pronunciat, propterea fit, quod causæ deteriores sint causis alui siccæ, id, quod nec demonstrauit, nec vnquam probabit, etiamsi omnia, quæ affert, illi concesserimus; ait enim, aluum humidam fieri, vel quod plus chyli fiat, quam iecur indigeat, quasi id malum sit, ventriculum esse validissimum: quasi etiam Hippocrates de aluo humida loquatur, in qua chyli portio excernitur? Fieri etiam dicit humidam ob [illegible] bilis copiam ad aluum defluentem; id quod malum non est, si id quod corpori noxium est. & excrementum, viam inueniat, & aliis excrementis percommodissimum locum præbeat; fieri etiam ait ob retentiuæ imbecillitatem, & expultricis fortitudinem; quod quomodo fiat manifesta contradictione aperit: nam ob nimiam humiditatem, retentiuam debilem, & ob siccitatem, expultiuam fortem fieri dicit; Atqui cum in ea parte, quæ expellit, & retinet, vnicum sit temperamentum, quomodo potest siccitas, humiditasque simul præpollere? & ne longius in hac re abeamus, pares sunt & bonitate & malitia causæ, quæ humidam, siccamque aluum reddunt, etiamsi aluum humidam intelligamus velle, quod non facit Hippocrates, qui non morbosam aluum, in qua cibi portio excernatur, vel vis retentiua, aut expultiua laboret, aut appetentia læsa sit, nobis proponit, sed quæ in sanis corporibus mutatione ætatum dumtaxat variatur; humidam aluum vocans, in qua excrementa non sicca, non dura, sed mollia & bene figurata libere redduntur; & hæc satis ad Musam, qui nunquam à Galeno in rebus, in quibus facile, melioreque ratione poterat, hactenus dissentit, nunc vero puerili coniectura ductus temere ab eo recedit.

Leonhardi Fuchsii.

Fuchsius vero Musam taxat, nouamque versionem & interpretationem molitur; ad hunc modum enim Aphoris. vertit; *Quicunque aluos humidas obtinent, ii, quamdiu iuuenes sunt, melius degunt, quam quibus sicca est; in senectute vero deterius degunt*, & Musam taxat, cum *in melius immutantur*, interpretatus est. Porro Musæ interpretationem nos etiam paulo ante damnauimus. Alterius vero non est, quod reprehendat, quin potius sua reprehendenda, qui verbum illud Grecum *degunt*, interpretatur: nam ex variis significationibus quas verbum Græcũ habet significat enim (Budæo teste) *libero, dego, interimo, discedo*, & multa alia, ex quibus propria significatio inuenienda est. Cum ergo intelligere possimus, iuuenes degere melius & melius etiam interire, liberari etiam ab ea aluo, & in aliam discedere, reliquus contextus, & ratio docebunt, quænam propria sit significatio: contextus enim vltima pars vbi scribit, *siccantur enim alui magna ex parte illis, qui senescunt*, nõ respondent suæ interpretationi; quid enim cum præcedentibus commune habet? nam præcedẽtium particula *enim* rationem reddit, atque ratio potest esse, si dixisset, *illos melius aut deterius degere si iuuenes fuerint* & postea addidisset, *siccari magna ex parte illis aluum*; Quæ verba, nullo modo cum superioribus cohærere possunt, nisi antea de mutatione vnius alui in aliam mentionem fecisset. Cur enim sicca in humidam semper non mutetur, pari facilitate, vt humida in siccam. ratio est, inquit, quoniam senescentibus aluus exsiccatur vt plurimum; Præterea, sententia imperfecta ex hac lectione relinquitur: cum enim antea dixisset ex illius lectione eos, qui aluos humidas obtinent, quamdiu iuuenes sunt, melius degere, quam quibus sicca est, sequebatur, vt in secunda clausula, qua scribit, *in senectute vero deterius degunt*, vt etiam eos inter se compararet, & talis sic lectio: *qui aluos humidas habẽt in iuuentute melius degunt quam qui siccas; in senectute vero deterius degunt*; ex qua lectione fit, vt Hip-

poterat. aluos humidas in iuuentute præferat siccis; in senectute vero contra siccas humidis; quod qua ratione fieri debeat, non perspicio: Bonum enim est, vt antea diximus, si excrementa in omni ætate bene reddantur, & nimis exsiccata non sint; id enim non nisi ex sicciore corporis affectu prouenire potest, quod vitium & naturæ nostræ, & vitæ inimicum est: humiditas autem semper familiarior, & vtilior corpori.

Ne ergo prolixior in aliorum erroribus referendis augeatur oratio, ita Aphorism. legendum existimo. *Quicunque aluos humidas habent in principio, facilius eas mutant in siccas, scilic. quam qui siccas habent, in humidas; propterea que vt plurimum senescentibus alui exsiccantur*, vt (*melius*) pro *facilius*, *deterius*, pro *difficilius* positum sit, & desideretur in ea parte, *In senectute vero*, hæc Clausula, *Qui vero siccas habent, in senectute*; solet enim Hippocrates hoc modo loquendi vti, vt oppositorum repetitionem omittat; quod facile intelligi potest ex conuersione prioris sententiæ, quo loquendi modo vsus est eo Aphorism. quo scribit, *vbi fauces ægrotant, &c.* & plerisque aliis locis, vt veritatis in illius lectione satis patere potest. Hanc interpretationem si sequamur, nullam Aphorismo vim faciemus, cohæretque vltima pars, qua scribit, *senescentibus magna ex parte exsiccari*, quæ alioqui frustra scripta est, si aliorum interpretationem sequamur: nec etiam in eas angustias incidemus, vt disputemus an humida aluus melior sit, quam sicca; & an humida melior sit, quam sicca in iuuentute; sicca vero melior, quam humida in senectute. Consentimus præterea Galeno, Philotheo, cæterisque interpretibus antiquioribus, asserentibus, hunc Aphorism. similem habere sententiam cum alio, & solum in eo differre, quod in hoc exceptionem notet in mutuis illis commutationibus, quas in alio simpliciter fieri pronunciauit. Cæterum, nostram interpretationem confirmat Gal. *in principio comm. 20. Aphoris. huius*, vbi eandem huius, & illius sententiam facit, hanc tamen addens illius exceptionem. Et hæc de hoc Aphorismo satis.

APHOR. LIV.

Μεγέθει δὲ σώματος ἐννεάζοντι μὲν ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀειδές: ἐγγηράσαι δὲ δύσχρηστον καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

Magnitudo corporis iuuenta quidem neque indecens, neque illiberalis: senecta vero inutilis, & deterior paruitate.

VT in superiore Aphorism. egit de affectione, quæ contingit in aluo ob ætatem iuuenilem & senilem, ita nunc agit de magnitudine corporis, quæ est in illis ætatibus, & docet, quos vsus, quæue incommoda in illis obtineat. *Est*, inquit, *magnitudo iuuenibus non indecens, nec illiberalis, senibus vero inutilis, & deterior paruitate.* Qui Aphorism. si quem habet vsum in Medicina, facit ad prædictionem. Quid enim mali venturum sit senibus, ex magnitudine corporis præsagit. Porro, magnum proprie vocamus corpus, quod in tres dimensiones, longum, latum, & profundum, mediocrem & solitam in sua specie mensuram excedit. Metimur autem longitudinem in corporibus nostris à capite ad pedes; latitudinem autem à latere ad latus, vt à scapula ad scapulã: profunditatẽ vero ab anteriore ad posteriorem partem, vt à pectore ad dorsum, ab abdomine ad lumbos; ac propriè quod in longitudinem abunde creuit, longum vocamus; quod in latitudinem, latum; quod vero in profunditatem auctum est, profundum; quod autem simul in latitudinem, & profunditatem excreuit, crassum dicimus esse. Hic autem magnitudinem non in proprio significatu vsurpat, huiusmodi enim magnitudo non minus est vtilis, & elegans senibus quam iuuenibus, nec etiam sumit magnitudinem pro crassitie, vel profunditate, vel latitudine: nam huiusmodi magnitudines neque decentes, neque liberales sunt iuuenibus: nam *iuuene breui, & crasso nihil turpius est.* Magnitudinem igitur pro longitudine vsurpat. Putat Solinus, corruptam, vt ait, degeneri successione sobolem nostri temporis per nascentium detrimenta decus veteris pulchritudinis amisisse: & licet plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedũ 7. quod intra mensuram istam Hercules fuerit, deprehensum esse tamen Romanis temporibus sub D. Augusto Pusionem, & Secundillam denos pedes, & amplius habuisse proceritatis, quorum reliquiæ adhuc in conditorio Salustianorum videntur. Refert etiam idem author, Orestis ossa fuisse longitudinis cubitorum septem; *repertumque esse humanum cadauer ereptum a flumine post bellum Creticum, triginta & trium cubitorum.* Idque Lucium Flaccum, & Metellum vidisse. Quinetiam Salamis Euthymenis filius, triennio creuit tres cubitos.

Mensuræ ratio bifariam conuenit: nam quantus manibus expansis inter digitos longissimos modus est, tantum constat esse inter calces & verticem, ideoque Physici hominem minorem mundum esse iudicarunt. Quod Hippocr. ἀειδέα dicit, & noster interpres *liberalis* vertit, idem est, ac si dicas, *decora & pulchra*; quod rursus ἀειδὲς Hippocr. dicit, & noster interpres, *indecens*, vertit, rectius verterem, *inutilis*; nam postea opponit inutile vtili, cum dicit, *senectus vero inutilis est.*

Cur vero vtilis & decora sit longitudo corporis iuuenibus, indecora vero, & inutilis senibus, ratio quærenda est. Qua in re Galenus, & alii interpretes reddunt quidem rationem, cur indecora & inutilis sit, quod scilicet corpus gibbosum reddatur, & vix possit senex corporis onus perferre. Cur vero iuuenibus decora sit, & vtilis longitudo, non aperiunt. Mihi autem decora esse videtur, quod perfectiorem hominis figuram ostendat: nam cum homo tres eas dimensiones habere debeat, quanto maiores omnes habuerit, tanto & liberalius naturæ opus ostenditur, & ob id perfectius: à qua perfectione & liberalitate naturæ præstat duo desiderari, quam omnia; est enim illud perfectius altero, quod ex his, ex quibus perfectum constituitur, aliquid habet, quam quod nullum. Vtilior etiam est iuuentuti magnitudo ea, propterea quod ad corporis actiones est aptior: non enim potest corpus in eam dimensionem abunde excrescere, nisi & sequax sit materia, & calor natiuus validus, vbi auxe mille viget,

vigēt necesse est, vt incrementum, ita alias omnes actiones vegetas esse. Quare, & ingenio huiuscemodi valent, & ad motiones promptisunt, somno parum etiam dediti; in naturalibus etiam actionibus satis potentes, cum nimia humiditate calor non obruatur. In senectute vero & indecora, & inutilis est huiusmodi magnitudo; indecora quidem, quia recta esse non potest, propterea debilitata vis ætatis cursu, tam longas partes sustinere nequit, & musculi, qui corporis truncum regunt, graciliores iam suapte natura, & magis adhuc ex siccitate, quæ senibus propria est, cum erigere nequeunt, sed tanquam terreum & grauem deorsum prolabi sinunt. Indecora autem est ea corporis figura, quæ cum recta esse debeat, curuata fit; inutilis etiam est huiusmodi magnitudo, quod corpus grauet, & impediat proprias actiones obire; neque enim ambulare, neque aliquid gestare possunt huiuscemodi, iam proprio onere onusti. Cur autem curuentur ad anteriora corpora, non ad posteriora, *causa est spina mutuus connexus, ineptus ad reflexionem, aptissimus ad flexionem quæ ad anteriora fit.* Capitis prætereа grauitas, & colli natiua ad anteriora inflexio, quæ spinā continuo ad anteriora trahunt, ita vt postea se erigere nequeat ob musculorum, vt antea diximus, & motoriæ virtutis imbecillitatem, & hæc ad secundum huius Operis librum sint dicta.

Cur corpora curuentur ad anteriora & non ad posteriora.

Finis libri secundi Aphorismorum.

IOAN. ARGENTERII
CASTELLONOVENSIS PEDEMONTII
PHILOSOPHI, AC MEDICI PRÆSTANTISSIMI,
In Lib. IV. Aphoris. Hippocr. Comment.

APHOR. I.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν. ἧσσον δὲ ταύτας. τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

Vterum gerentibus medicamenta purgantia sunt exhibenda, si humor impetu fertur ad excretionem, quadrimestres & ad septimum vsque, his tamen minus. In minoribus autem & grandioribus fœtibus subtimide se gerere oportet.

CVm ageremus *in initio huius Operis* de scopis singulorum librorum, diximus, quatuor hos vltimos libros variam cōtinere materiam, nulla ratione cohærentem cum præcedētibus, nec inter se, aut cum aliis artis partibus coniunctam, vt satis ex ipsa lectione patet: nam quædam ex his, quæ dicentur in illis libris, pertinent ad curationem particularium quarundam affectionum, alia vero ad illarum dignotionem, alia vero ad prędictionem, quædam autem quorundam remediorum vim enarrant & vsum. Quo magis mirandum est, Cardanum & alios nonnullos, se misere torquere, vt ostendant hos libros scriptos esse ab authore, certo & essentiali ordine: nam si in prima sectione, vt illi volunt, Hipp. docuit generalissimam morborum curationem, & in secunda signa communia, & in tertia ea, quæ pertinent ad constitutiones generales, ex his satis constat, ordinem artis tradendę peruersum esse: nam antequam curatio tradatur generalis morborum, necesse est constitutiones siue causas generales enarrare, ipsosque morbos generare, genitosque ipsos cognoscere, postea curationem aggredi. Quare omnium primus constituendus esset tertius liber; post illum secundus; & post hunc, qui nunc primus est. Præterea, *in primo libro* non tradit præcepta generalia curationis, sed solum, quæ sunt propria nutritioni, & euacuationi, nec eas tractationes absoluit, sed aliquos scopos tractat in sequentibus libris. Deberet autem, si tractaret generalia præcepta curationis, collocare, tanquam principium, vigesimum secundum Aph. secundi libri, in quo scribit: *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicunq; ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas*; est enim hoc principiū & fundamentum ponendum in curatione, vt recte docet Gal. 11. *Methodi*, quod ea fiat per contrarietatem. Pertinet quoque ad curationem generalem *Aph. 27. secundi*, in quo scribit: *His, qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere, neq; multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt, plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare & permanere consueuerunt.*

Aphorismos nullo certo & essentiali ordine esse scriptos.

Sunt & alii Aphorismi in aliis libris pertinentes ad curationem generalem, qui perperam illic essent positi, si author instituisset *in primo*

libro communem omnibus morbis curandi rationem, de qua ne mentio quidem fit. Quod autem multos scopos plurimaque præcepta omittat pertinentia ad victum & euacuationem *in primo omnium libro*, quæ in aliis postea reperiuntur, ostendit Aphoris. septimus, vbi scribit: *Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter.* Item octauus: *Si quis*, inquit, *à morbo cibum assumens non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur, quod si non assumenti cibum hoc accidat, eget euacuatione.* Item cum scribit *in decimo*: *Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.* & cum scribit *in* 11. *Facilius est impleri potu, quam cibis.* Item, cum *in* 15. ait, *tutum esse corpus nutrire si excretiones sunt similes sanis.* Et cum *in* 38. refert: *cibum & potum parum deteriorem, sed suauiorem melioribus quidem, sed minus suauibus esse præferendum.* Hi quidem Aphorismi, qui continent præcepta generalia ad victum instituendum in morbis, erant vtique *in primo libro* reponendi, vbi de victu generaliter agit, sicut etiam *Aphoris. nonus*, vbi habet, *corpora esse facienda fluida, cum quis ea purgare voluerit*, sicut & 21. vbi præcipit, *morbos ex repletione curandos esse euacuatione, & eos, qui fiunt ex euacuatione repletione abigi.* Pertinet quoque ad euacuationem *Aphoris.* 29. *cum morbi incohoant, si quid mouendum videtur, moue, cum vero consistunt ac vigent, melius est quiescere.* Necnon *Aphoris.* 27. vbi habet: *plurimum atque repente euacuare, vel replere, periculosum.* Hi, inquã, Aphorismi secundi libri & alii, qui in aliis continentur, satis refellunt eos, qui in primo libro contendunt, Hippocratem ex professo docuisse curandi rationem communem, vel absolutum vacuandi nutriendique modum, vel eum authorem sibi proposuisse distinctam rerum tractationem in distinctis his libris. Repugnat enim, vt alibi ostendimus, naturæ Aphorismorum coniuncto & certo ordine cohærens rerum enarratio. Ex his quoque Brassauoli opinio reprobata est, qui scribit, Hippocratem docere velle regulas obseruandas in omni euacuatione tam spontanea, quam arte facta. Sed his omissis ad institutum nostrum redeamus, ac cum dixerimus, hunc librum, vt reliquos sequentes variam materiam continere; Primus hic Aphor. vt satis verba ostendunt, agit de purgatione, in qua cum multi sint scopi (vt alibi ostendimus) obseruandi, hic tractat de tempore apto ad purgandas mulieres grauidas; Ac cum in omni scopo inueniendo vtamur Indicationibus, & quædam habeant vim vere indicantium, alia Coindicantium, alia Contraindicantium, alia Correpugantium, alia Permittentium; hic tangit indicantia, contraindicantia & permittentia: purgationem enim indicat noxius humor inæqualiter exuperans, vt alio loco ostendimus, & id quidem per se; alia vero purgationem indicant per accidens, ea scilicet vitia, quæ non possunt emendari absque vacuatione noxii illius humoris, in quo consistunt, tuncque tempus est aptum ad purgationem, quando humor ille noxius vel turget, vel nullam habet cruditatem. Itaque cum Hippocr. his purgandum esse præcipiat, cum humor turget, duos attingit scopos: nam qui turget humor, noxius est, ita vt euacuationem per purgationem indicet, & prætereà ad purgationem paratus. Contraindicant, vt alia nonnulla mulieres, non semper, sed cum vtero gerunt, & illæ quidem plus vel minus in certis temporibus gestationis fœtus & non nisi in vno casu, vt hic vult Hippocrates purgationem admittunt, quando scilicet turget humor, in aliis vero non; vbi vero permittunt, id non faciunt in omni tempore, inquit author, sed in certis mensibus, in aliis vero minime. Sed iam singula expendamus, & primum illud, quod genus medicamenti velit assumi Hippocrat. ad purgandas prægnantes mulieres.

Sect. 2.

Quale genus medicamenti in prægnantibus sit eligendum.

Qua quidem in re Fuchsius dicit, authorem intelligere de vere purgantibus per vomitum, aut per aluum, cuius generis sunt Colocynthis, Scammonium, Turpetum, Aloe, & id genus alia multa. Verum etsi fortasse hæc dicuntur recte in interpretatione Hippoc. qui alia nulla fere mitiora medicamenta purgantia agnouit, tamen in nostro hoc felicissimo seculo abundante mitissimis medicamentis, perperam hæc dicuntur eo etiam authore: nam si solum turgente materia purgatio admittitur, quæ iam commotos humores, veluti manu ducat ad intestina, profecto leuissimum quodque medicamentum hoc præstare poterit, prætermissis violentis illis, quæ in nullis locum habent, nisi vbi humores difficillime moueri trahique possunt à locis, in quibus sunt impacti & infixi; pro illis ergo, quibus vtebatur Hipp in penuria mitiorum, adhibeamus Cassiam, Mannam, Syrupum rosaceum & alia composita, quibus nostræ officinæ abundant. Qua in re Cardanus quoq; refellendus, qui Cassiam & Mannam reiicit, tanquam debiliora & nõ vacuantia materiam morbi; præfert autem Tamarindos; Rhabarbarum autem & Aloen damnat, vt quæ fœtum interficere possunt: nam Hipp. turgentem materiam, at non eam, quæ morbum facit, euacuare vult, cui sufficiunt Manna, & Cassia, quæ etiam non prægnantibus & masculis in initio morborũ ad exonerandam naturam oppressam, nõ solum à causa coniuncta, sed etiam antecedente dari solent: & quanto, quæso, efficaciora sunt Cassia, & Manna, Tamarindi, Aloe autem & Rhabarbarum? ego pariter non probo, non quod illa sint lethalia, sed quod Aloe venas aperiat & mordicet. Rhabarbarum vero non solum per aluum, sed etiam per vrinas ducat humores; quare vias vult expeditas & materiam concoctã, id quod non contingit in principiis morborum, cum turgent humores. Quod autem turgente materia iam commota & per corpus fluctuante, purgatio sit exhibenda, tradit author, & recte Galenus rationem subiungit, *ne scil. huiusmodi humores decumbant in aliquam nobilem partem.* sunt ergo illi per medicamenta veluti porrecta manu, deducendi ad intestina.

Aloem prægnantibus non conuenire, & cur.

Cur materia turgente commota requiratur purgatio.

Sed an non debeat purgari, vbi etiam non turget humor, videndum est. Ego certe aliter sentiendum esse puto, vel turgendi nomen aliter esse explicandum, quis enim grauidam non purgabit, vbi videt periculum illi imminere de vita, alia ratione, quam ex humoribus iam fluentibus per corpus? Demus enim, grauidam mulierem acuta febre ex bile laborare, vel dolorem lateris aut alterius partis ex imbibita aliqua materia sentire, qui si perseueret, aut quiescentem adhuc materiam commouebit, aut alia mala excitabit,

An non debeat purgari, etiamsi non turgeat materia.

tabit, cur, inquam, illi non succurremus per purgationem, si proprium illa sit huius mali auxilium? relicto igitur turgentis hoc nomine, cuius vis vel ignoratur, aut certe nihil inuenitur in ægrotis, quod illi respondeat (in quo enim, quæso, morbo frequentes inordinatiq; illi motus de loco ad locum reperiuntur?) dicamus, grauidas graui aliquo morbo laborantes, qui purgationẽ exigat, ita vt sine ea liberari non possint, nec expectare maturum pariendi tempus, purgandas esse in certis mensibus potius, quam in aliis, qui vero sint illi menses aptiores & tutiores ad purgationem, nunc videndum. Qua quidem in re primum notandus est error antiqui interpretis, qui quartum mensem excludit, cum dicit, grauidas purgãdas esse à quarto mense: nam scribit Hippoc. τετράμηνα, id est, *quadrimestres*, id est, in ipso quarto mense. Deinde refellendi quoque sunt, qui putant, Hippocratem excludere septimum mẽsem, inter quos sunt Fuchsius & Vega, eo argumento adducti, quod scribit Hippoc. *vsque ad septimum*: Nam quod postea sequitur, *sed has minus*, euidenter ostendit, eum concedere purgationes in ipso septimo, sed non perinde tutas & liberas, vt in quarto, quinto, & sexto, adeo, vt talis sit sensus: *Grauidæ purgandæ sunt 4. mense vsque ad totum septimum, in hoc mense minus & debilius.* Quod autem dicit; *Iuniora & seniora vereri oportet*, sensum habet, quod ante quartum & post septimum cauere debeamus purgationes, etiamsi materia turgeat. Verbum autem εὐλαβεῖσθαι significat *vereri, cauere*, melius autem hic ponitur *cauere*, alioqui idem faciendum esset in illis mensibus, quod dixit in septimo faciendum: nam verbum *minus purgandum*, secum affert aliquid verendum & mouendũ. Verumvt in leuissimis casibus fugiendæ semper sunt purgationes in prægnantibus, ne matri, aut fœtui, aut vtrique obsint: ita in nullo tempore cauendæ, si ex morbo periclitantur, qui tuto expectare non possit partum, aut alio remedio, vt diximus, quam per purgationem præsentibus malis & imminentibus periculis succurrere non possimus; id quod docet experientia; nullum enim vel minimum imminet ex nostris medicamentis leuissimum periculum, sed sequitur salus & matris, & fœtus, qui sæpe in magno periculo alioqui versarentur. Hæc est siquidem Hippocratis & nostra sententia, de purgatione adhibenda prægnantibus. Ex qua constat, ex illius opinione purgandum non esse, nisi cum turget materia, & non nisi in certis mensibus; ex nostra vero, etiamsi non turgeat, si tamen periculum par sit. Nunc vero videndum est, cur in certis mensibus liceat tutius purgare, quam in aliis, & vnde periculum sumatur; & ex quibus periculum imminet fœtui ne, an matri, vel vtrique pari modo; deinde, cur purgationem incipiat in ipso quarto mense, & non ante; tum, an in quarto, quinto & sexto facilius ferant purgationem, quam in prioribus mensibus; quarto loco, an æquale sit periculum in iunioribus & in senioribus, quod significare videtur, cum inquit; *Iuniora & seniora vereri oportet*, nulla posita inter illa differentia.

Menses ad purgationem prægnantiũ apti qui.

Porro sententia Hippocratis hic clara est, non esse purgandas grauidas antequã attigerint quartum mensem: tamen Galen. *in Commentario tertio primi libri de Morbis vulgaribus*, comprehendit etiam tertium mensem, & in subsidium suum adducit hunc Aphorismum sine ratione: quippe cum author penitus excludat omnes menses, qui sunt ante quartum. Proponit autem Galenus fœtum trimestrem & quadrimestrem præ ceteris iniuriis resistere, & id Hippocratem significasse in hoc Aphorismo. Reddit autem rationẽ huius Aphorismi eo loco his verbis: *Fœtus vincula ante tertiũ mensem sunt imbecilla, & vniuersum corpus tenerum, qui vero prope partum sunt, quia sunt iam magni, multo indigent alimento, quo si destituantur, crebro in morbis acutis pereunt, quo fit, vt bonam victus rationem his præscribere non parui sit negotii, quæ acuto morbo laborant si conceperint: nam si vt non prægnantes parce nutrias, perditur fœtus, si huius habita ratione liberalius cibas, in discrimen ipsa prægnans adducitur; quam ob rem fœtus trimestres & quadrimestres citius ac alii seruantur.* Euidenter igitur his verbis trimestres comprehendit, pariter vt quadrimestres. Huic repugnantiæ solutionem non inueniunt, qui credunt tertium contineri potestate in quarto; vel in vno loco agi de muliere, quæ masculum concepit, qui cum citius formetur, tertio iam mense ferre potest agitationem, in Aphorismo vero agi de conceptu fœminarum; vel quod *in libro de Morbis vulgaribus* non loquatur de purgatione, sed solum de resistentia, quæ fit in ferendis morbis acutis; *in Aphorismo* vero agi solum de purgatione: nam hæc omnia satis refellit Galenus, cum scribit, fœtum trimestrem & quadrimestrem præter cæteros iniuriis resistere, in fœtu, siue sit mas, siue fœmina, differentiam non ponens; nec in ipsis iniuriis excipit purgationem, vel aliud quippiam, quod officere possit. Clara est igitur Galeni sententia, se & Hippocratem velle, trimestres & quadrimestres grauidas, ferre posse facilius omnes iniurias & agitationes, reliquis omnibus. Ex quo loco etiam patet, maiorem vim his quoque mensibus ab eo tribui, quam quinto & sexto, quos Hippocrat. menses in Aphorismo præsenti æqualis virtutis & renitentiæ ponit. Nunc autem rationem reddamus, qua fiat vt in primis & vltimis mensibus prohibeatur purgatio, admittatur vero in mediis. Rationem porro adfert Galenus *in Commentario Aphorismi*, quod fœtus connexus eandem habet proportionem cum vtero, quam fructus ad plantas; hi enim in prima generatione, inquit, debilioribus copulis continentur, & ideo facile decidunt, quando vehementior ventus ipsos concusserit; deinde aucti difficilem habent à planta dissolutionem, sicut rursus, cum iam perfecti sunt, sponte sua sine vi extrinseca decidunt: eodem modo & conceptus in primo quidem tempore à seminis iniectione, si quando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo, vel animo vel corpore moueri vehementius, facile disrumpuntur; sic etiam & cum iam perfecti sunt: tempore vero intermedio firmiorem habent coalitum: quare mulier vtero gerens potest fortiores motus sustinere sine fœtus offensione. Hæc recte forte dicuntur de saltationibus & casu mulierum, aut aliis corporis motionibus, nam hæ omnes, quicquid est in corpore, commouent, rationique ob id consonum est, fœtum, qui firmam nondum habet connexionem, aut illam suo pondere grauat, facilius elidi, quam qui in

Cur in primis & vltimis mensibus in prægnantibus prohibeatur purgatio, in medijs vero admittatur.

mediis mensibus grauis nondũ est, & firmũ iam habet connexũ, non autẽ in medicamentis: nã si volumus, medicamentũ nocere ob suã venenosam qualitatẽ, quam putat esse Aristoteles in omni purgante pharmaco: vel ob alterationem, quã inducit, vel cõmotionem humorum, ad quã sequuntur tormina humorum cõuersorum ad loca vicina vtero, & postea expulsio, facta contractione musculorum abdominis, vel si fit extractio alicuius substantiæ, qua cõtinetur fœtus, vel si cõtingit debilitas aliqua, quicquid denique potest contingere ratione assumpti medicamẽti purgantis, id magis oberit in grandiore iam fœtu, quam minore. Itaq; meo quidem iudicio in priorib. mensib. & in omnibus, qui longe distant à perfecto partu, facilius tutiusq; purgationes ferẽt; id quod docet experientia: nã sæpe mulieres, quæ ignorant se concepisse, cum in primis mensib. sistuntur solitæ purgationes, & male habent, cõsulto Medico purgantur nullo emergente malo vel periculo; id quod nos frequentissime sumus experti: vtero vero iã crescente omnia fiunt periculosiora, primũ quod fœtus sentiens venenosam medicamenti qualitatẽ, occasionẽ habet, vt se cõmoueat inordinate, & vehemẽter; ad hos autem motus facile sequitur ruptura & solutio ligamentorũ, quib. fœtus cum vtero cõnectitur. deinde vasa maxime plena conspiciuntur in mulierib. quæ iã habent grandiores fœtus, necnõ vrina & excremẽta alia, quæ fœtus generat, cũ plenius iam nutritur, grauant mẽbranas, tendũtq; acetabula, in hoc aũt statu commotio omnis ex medicamento, quod fluxiones & flatus parit, periculosa est, quib. malis & periculis carent, qui teneriores & nondũ viuentes vel insensibiles fœtus gerunt, id quod ostendunt ẽt vomitus vehementissimi & frequẽtissimi, qui grauidas exercent & sæpe torquent in primis mensib. ex quib. tamẽ nescio, an aliqua vnquã fœtũ eiecerit: quod aliæ tuto præstare nõ possent in aliis sequẽtib. mensib. Tutior ergo est & matri & fœtui purgatio in primis mensib. Saltationes aũt & aliæ motiones periculosiores, quã in mediis ob fœtũ; in vltimis aũt oẽs motiones siue à medicamentis siue ab aliis causis fiant maxime verendę sunt, & matris & fœtus ratione: nã abortus, qui fiunt in primis mensib. perniciosi solẽt esse dũtaxat fœtui, in aliis vero mensib. crescit cũ fœtu periculũ & sibi, & matri: fœtui quidẽ, eo quod immaturus sit, & nõ vitalis, matri vero, quod ob magnitudinẽ fœtus & immaturã disruptionẽ ligamentorũ, difficiles partus sequi necesse est. Cęterũ, incipit Hipp. purgationẽ à quarto mẽse, forte quod putaret ante fœtum non satis firme ligatũ vtero ferre nõ posse eam agitationẽ, quã sua medicamenta pariunt, septimũ autẽ mensem nõ putat perinde vt quartũ, quintũ & sextum sustinere purgationes, quoniã sponte solent tunc fieri partus, qui magis verendi sunt, si ex medicamẽtis purgantib. accedat alia cõmotio & agitatio. Reliqua, quæ sunt proposita, ex superiorib. patent.

Purgationes prægnantibus & fœtui etiam in primis mensibus esse tutiores docetur.

Cur saltationes & aliæ motiones in primis & vltimis mensibus periculosiores.

APHOR. II.

Ἐν τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα, τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα, παύειν.

In medicationibus talia educenda ex corpore, qualia & sponte prodeuntia, vtile: quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

De scopo & lectione huius Aph. magna est cõtrouersia inter interpretes: nã Gal. hũc differre à 2. *Aph. 1. lib.* scribit, in eo, quod *in* 2. agat de omnib. euacuationib. quæ fiũt à Medicis: in hoc vero solũ de purgatione. Gal. vero Cardanus reprehendit, quod nihil tale velit Hipp. sed alia quædã, quæ propriũ faciũt huic Aphorismo scopũ: nõ solũ enim, inquit, hic specialis

A est & ille generalis, sed quod in hoc de proprio quodam genere morbi, non de omnibus loquatur, ita, vt hic Aphor. (vt illius verbis vtar) bifariam sit specialis illius comparatione, ille enim de omni morborum genere & omni euacuatione loquitur, hic peculiariter & solum de purgatione & de morbis solis, in quibus iam aliquid sponte excernitur.

Cardani opinio de hoc aph. reiicitur.

Sed vt à Cardano incipiamus; qua ratione potest ille statuere, Hippocratẽ agere de proprio quodã genere morbi, in quo iam aliquid sponte excernitur, si nulla fit mentio alicuius morbi? Deinde non solũ in morbis & ipsa curatione, sed in ipsa cõualescentia & pręseruatione vtimur medicationib. siue purgationibus, in quib. vera ẽt est Hipp. hæc sententia; cur ergo sententiã multis cõmunẽ & vtilẽ, cõtrahere vult
B ad vnicũ & rarũ morbi genus? Addo, quod illius interpretatio repugnat ipsi Hippocrati, vult n. si ex turgẽte materia iã aliquid excernatur, tũ maxime expedire purgationẽ; nã tradit Hipp. alibi, *quæ mouẽtur integre, nõ esse purganda, neq; ẽt alio modo mouenda*, inchoante vero primũ natura purgationẽ, quis intelligere potest, illã nõ integre prosecuturã euacuationẽ, pręsertim cũ turgentia materiæ properãtis ad excretionẽ id polliceatur? Addo, quod cũ sensum Aphor. tueri non potest, cũ dicit. *si materia turget, & aliquid iã prodeat vtiliter, adiuuanda natura*: nã post turgentẽ materiã frustra additur *& aliquid iã prodit vtiliter*: nã cõstat turgentẽ materiã ex præcedentib. Aphor. vtiliter prodire, alioqui perperã iuberet turgẽtẽ materiã esse euacuandã. Quod ẽt scribit, in profluuio sanguinis è
C narib. non esse sanguinem mittendum ex brachio, quia sanguis non dicitur noxius, non intelligit nouam secari, non ad sanguinis euacuationẽ, sed ad reuulsionẽ. Desinat ergo ille sibi canere triumphũ aduersus Galenũ, quẽ mordicus temereq; hic lacerat.

Vt idem Galenus.

Nec tamẽ ipsum Gal. ego probare possum: nã hic Aph. nõ differt à secundo primi, hac potissimũ ratione, vt ille vult, quod in illo de omni euacuatione, in hoc vero de sola purgatione tractet, sed quod in eo secũdo doceat nos cognoscere, quales sint euacuationes quæ fiũt, quãdo vacuãtur humores tales quales euacuare oportet, aut euacuãtur, quales nõ oportet. sequitur .n. conferẽtia & facilis tolerantia, quæ certa sunt indicia bonæ euacuationis; & ecõtra, cũ humores tales non sũt, quales esse debẽt, sequitur nocumẽtũ, & diffici-
D lis tolerãtia ex eorũ euacuatione; In hoc vero Aph. docet, quales debeãt esse humores, ex quorũ euacuatione sequi debet iuuamẽtũ & facilis ea tolerantia; hũc sensũ, & hãc differẽtiã ex lectione vtriusq; Aph. facile quilibet cognoscere poterit: nã in secũdo quid aliud volũt ea verba, *sic & vasorũ inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, cõfert & bene tolerãt, sin minus, cõtra: si .n. illud fiat, hoc sequetur*, inquit, supponit ergo, talia esse, qualia esse oportet, & id, quod docet, est, *quod cõfert & leniter ferũt*: in hoc vero, verba Aph. ostẽdunt nos per medicamẽta educere debere è corpore talia, qualia spõte prodire solẽt cũ vtilitate, siue qualia etiã, si spõte prodirẽt, vtilia essẽt, vt recte vertit Fuchs. *ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα. Quæ vero*, inquit, *cõtrario exeũt modo, cohibere*, id est, *quæ euacuãtur à Medico non*
E *talia, qualia solẽt spõte cũ vtilitate exire, cohibere oportet.* Dubiũ non est, eã esse senentiam Hippocratis, quã verba ipsa patefaciunt. Sed difficilius est intelligere, an vera doceat Hipp. clara n. est Galeni sententia, sæpius ab eo repetita, bonas illas solum esse euacuationes, quę fiunt spõte & à natura, quę sunt cũ signis cõctionis, illas vero symptomaticas siue malas esse, quę fiũt cũ signis cruditatis, vt in principio & incremẽto morborũ; propterea perniciosas, aut certe difficiles videmus eas esse febres cõtinuas, in quib. inter initia morbi sanguis sponte profluit ex narib. vel

Explicatio autoris.

alui

aluus soluitur, aut p vrinā vel sudorē fit aliqua excretio humoris: in febrib. vero intermittentib. si initio accessionis fiat euacuatio p vomitū spōte, prodest, p sudorē obest; iuuat aūt vigente ea & magis iā declinante; aluus, quę spōte mouetur in principiis accessionū, nō proinde prodest, vt vomitus, nec obest, vt sudor; quare tertianę, quę solēt inuadere cū alui profluuio, difficiliores esse solēt illis, in quib. aluus cohibetur, & vomitus procedit. At sanguinis missio, quā præstat Medicus vena secta inter initia febris, magis prodest, q̃ in aliis tēporib. & iā declinante morbo temere Medicus venā secaret, prodesset tamē tunc sanguinis profluuiū ex apertione venæ spōte facta. Præterea, si Medicus in cōtinuis & intermittētib. febrib. biliosis aut ēt factis ex mistione bilis & pituitæ leue exhibeat medicamentū purgās p aluū, proderit vtiq; huiusmodi euacuatio, vt quotidian⁹ docet vsus; quid hęc, quæso, efficiūt aliud, q̃ q; tales nō oporteat esse humores in euacuationib. quas natura spōte facit, quales requirūt medicamēta nostra vacuantia? nā si eædē similesq; qualitates requirerētur in vtraq; euacuatione, vtiq; in iisdē tēporib. morbi, in quib. eadē sūt in humorib. qualitates, æq̃ prodesset & obesset euacuationes nostrę cū illis, quę spōte fiunt. Sed quia diuersæ sunt, & tales eas esse oportet in diuersis instrumētis, quib. naẽa & ars vtit⁹ ad euacuationē ideo nō prosunt semp euacuationes, si fiāt eorū humorū, qui solēt à natura cū vtilitate euacuari: vtit⁹ n. natura ad euacuādū noxios humores facultate segregatrice & expultrice, quę nō agit rectè, nisi præcesserit cōcoctio, cuius actione & vi vincit id, q; est sibi dissimile, ac in ea victoria gignitur excrementū, quo facto, iā habet expultrix facultas, q; agat, vt separet scil. q; excrementum est, ab eo, q; est vtile, & hoc relicto illud prosequatur, & tandē p naẽles canales extrudat; nō mirū igitur, si in cōtinuis febrib. in quib. cōiuncta & antecedēs materia tota in vasis continetur, & simul cōcoquitur, nil inter initia expellere potest p purgationē: nondū n. factū est excrementū. in declinatione vero iā prorsus cōcocto humore, factū est oē excremētū, & propterea tūc perfectę, faciles, & vtilissimæ fiunt à natura purgationes; minus vero perfectę in statu, quia adhuc natura in cōcoctione laborat; minus adhuc in augmēto, q̃ minima pars excremēti adhuc genita est, vnde fit, vt natura in separatione & expulsione, sępe agitet & cōmoueat id q; nōdū est excremētū factū, & ex ea cōmotione maiore aut minore, & separatione atq; expulsione eius, q; iā excremētū est, sequātur mali aut boni euētus: nā si parua est agitatio & expulsio in eo, q; nōdū est excremētū, & aliquid iā ex ipso excernitur, tales excretiones solēt vocari ab initio Symptomaticæ, sed q̃ postea fiūt, Criticæ, q; si magna fit cōmotio & expulsio eius q; nōdū victū est, quia nō expellitur, q; est inutile solū, sed pmiscue bonū cū malo, & plus boni, q̃ mali; simulq; interim turbat cōcoctio in maiore aut minore hac inæqualitate, sequitur vel mors, vel certe difficilis iudicatio morbi. In febrib. vero intermittētibus, materia tota simul nō cōcoquitur, nec cōtinetur in venis, sed mittitur aliūde, nēpe à suis focis, vt in tertiana, ab hepate: nō mirū, si natura p vomitū in initio accessionū vtiles facit euacuationes: humor n. q; euacuatur p eā partē, vt q nullā adhuc putredinē senserit, nō est crudus & dissimilis, nec cōmixtus cū aliis in venis cōtinētib. sanguinē, quare nō eget cōcoctione, vt expulsio fiat; q vero humor p aluū exit, solet à venis pdire, pſertim si magna est excretio & humores aquosi, ab illis aūt nō pcedēte cōcoctione nihil expellere potest naẽa cū vtilitate: Quod si biliosa pituitosaq; sit materia cōtēta in vētriculo, intestinis, vel in mesaraicis, tūc pdesse solēt tales euacuationes [illegible]

aduersus materiā crudā & putrescētē vacare potest. Cæterū sudores inter initia morbi cōtinui ac ēt in principio accessionū pessimi sūt, in declinatione vero optimi, & in statu laudabiles. *quoniā illorū materia a venis ducit, in qb. cōtinent crudi humores, q in principio morbi, & accessionū cōcoctionē nullā accepit, nō admittūt aliq fieri in massa humorū separationē et expulsionē, declināte v. iā morbo, accessioneq; cōcocto humore morbi & accessionis causa, iā segregatio & expulsio fieri pōt vtilis, cū iā habeat natura [illegible] excremētū, & nō pressit calido natiuo ad separationē & expulsionē, q; amplius inconcoctione nō est occupatū.* hoc n. cū sit vnicū naẽę instrumētū, quo illa vtit⁹ ad oēs funct. oēs suas obeūdas, merito fit, vt interim cū illud vehemēter in vno opere laborat, reliqua male peragāt⁹, ppterea, cū naẽa & calor maxime incūbāt cōcoctioni nulla potest hac quoq; ratione fieri separatio & expulsio, & cū hęc sūt, cōcoctio feliciter obiri nequit; Igitur in euacuationib. q̃ rectę à naẽa fiūt, duo necessario requirūtur; vt excremētū factū sit q; est expellendū, & calor natiuus possit seruire expulsioni; q; si vnū ex his desit, aut ambo absint, aut perfecta nō sint, tāto deterior fit euacuatio, quanto maior est defectus.

Hæc quidē de purgatione & inęquali euacuatione à natura facta recte dicta videtur. Sed quid dicemus de sanguinis profluuio, q; etiam obest in principio morborū, solet autē prodesse in aliis tēporibus? an cōcoctionē requirit natura in tota sanguinis massa, quæ tota expellitur nulla facta vnius ab alio separatione? Sic profecto sentiendū est, vbi cōcoctio requiritur: nā etsi nihil sepaȓadū est, sed æqualiter expellēdū, q; in venis cōtinetur sanguinis nomine, tamē illa est naturę ordo, vt præcedere debeat cōcoctio omnē aliā naturalē actionē, alioqui cōcoctio ipsa male peragitur, & ea læsa, omnia turbari necesse est. Porro turbari cōcoctionē, vbi natura incipit exercere segregatricis & expultricis facultatis vires, ideo cōtingit, quia cōcoctio requirit quietē in humoribus & spiritibus, q̃ violat segregatio, & expulsio, quæ sine motu pfici nequeūt: Itaq; sanguinis excretio obest crudo adhuc morbo, quia intermittitur lęditurq; cōcoctio, q̃a tamē *minor sit agitatio in hac æquali euacuatione, q̃ in purgatione*, ideo min⁹ obesse solet in febrib. putridis in initio morbi sanguinis pfluuiū, q̃ purgatio: vbi vero cōcoctio necessaria nō est, vt in synochis nō putridis, sed solū requiritur expulsio ad naturā alleuiandā, q̃ premitur multitudine & ebullitione, statim prodest sanguinis emissio. Sed dicet forte quispiā, quomodo prodesse potest in febribus putridis, in quibus nō ipse sāguis, sed alius quispiā humor putrescit, sanguinis profluuium cōcocta iā materia morbi aut cū adhuc morbus viget: nō. n. peccans humor excernitur per ęqualē eā euacuationē, aut certe minima illius pars: id q; spōte cōcedo, sed alia ratione maxime cōfert, *quod scilicet vena aperta cū sanguine ipso expirāt putridi vapores qui febrilis caloris, & putredinis sunt causa*; remediū igitur est profluuiū sanguinis aduersus prædicta mala, sed nō tollit putridā materiā; quare post sanguinis effluxū ad perfectā sanitatē necessaria est purgatio, quæ cineres ex putredine derelictos, & adhuc cōmixtos cū reliquis humoribus in vasis, separet & expurget. Ex quibus quidē patet, quales humores requirāt euacuationes, q̃ spōte fiūt. Nūc agendū est de nostris euacuationib. q̃ nō requirūt easdē qualitates, quoniā p alia instrumēta perficiūtur: nā sanguinē mittimus secta vena, ad euacuādā multitudinē, q̃ pmit naturā; vel ad ea [illegible] stāda, q̃ p accidēs euacuationē sāguinis sequūt⁹, quo fit, vt cito pficiat⁹ h⁹modi euacuatio, & ob id nō turbētur naturæ opera, sed iuuēt⁹ sublatis vel diminutis causis morbosis repugnātib. In purgatione quoq; medicamēta nostra allicūt & separāt à tota massa humo[illegible]

tum cum, quem sibi habent familiarem; quod si ipse sponte sequitur, vt ille, qui tenuis est & calidus, aut qui iam est in motu, nulla pertubatio sequitur in naturæ operibus, præsertim à leuioribus medicamentis, siue illa antecedentes causas solum attingant, siue etiam putrescentem humorem. Quod si humor familiaris medicamento crassus, tenax multusque sit, frigidus, impactus, & valde cum aliis commixtus, quia non potest sine magna agitatione, & violento medicamento separari ab aliis & duci per vasa, & alios internos corporis meatus, donec perueniat ad partes destinatas ad eius effluxum, obsunt huiusmodi purgationes, quia nostra medicamenta purgantia tales non trahunt humores, quales trahere debent; in ea vero violentia retentionem, concoctionemque naturæ turbari necesse est; & id est, quod maiores nostri tradiderunt, non esse purgandum ab initio, nisi cum materia turget, id est, facile separari & sequi potest attractionem factam à medicamentis. Ac quoniam in omni purgatione requiritur naturæ auxilium, vt medicamenta actuentur, deducanturque (vt dici solet) de potentia ad actum, & forte etiam trahantur per corpus, & separatio quædam fiat eius humoris, qui elicitur à medicamento, ideo solet ex purgatione, quæ fit in initio febrium, non semper sequi iuuamentum, vt in sanguinis missione, quod solius artis est opus: in purgatione vero aliquando agitatio maior fit, quam opus sit ad naturæ actiones conseruandas. Sed in hoc quoque quis dubitare potest, cur si medicamentum purgans attrahendo opus suum perficit, concoctionem quoque in humoribus biliosis & tenuibus requirimus, quæ omnia incrassat viscosaque reddit? an *concoctio non expectatur, vt humor fiat in suis qualitatibus aptior ad purgationem, sed vt naturam habeamus adiutricem*? interim enim cum illa vehementer incumbit concoctioni humorum, in qua pariter requiritur retentio, non potest eos præstare vsus, quos diximus necessarios medicamentis purgantibus; absoluta vero iam concoctione, factoq; in ea excremento, & liberata natura à suis operibus, iam potest illa sua officia impartiri nostris medicamentis, & cum illa iam totam materiam morbi habeat victam, sequitur facilis & integra purgatio; nec tanta est per concoctionem acquisita crassities & lentor, quin melius simul sit natum iuuamentum ex auxiliis, quæ iam præstare potest natura, & ex eo quod iam paratum sit excrementum, familiaris medicamento materia. Quod si illa vel ob intermissionem morbi, vel quia nondum plurimum occupata est in concoctione noxiæ materiæ, vt fit inter morbi initia, tunc quia potest partem sui operis impartiri nostris medicamentis, non expectata maiore concoctione, felicissime peragitur purgatio; & id est, quod Hippocr. dicebat, *circa initia & fines mouendum, quiescendum vero esse in vigore morbi: nam circa finem propterea quod liberata est natura a suis operibus, inter initia vero leniter adhuc occupatur*, in vigore vehementium morborum sibi soli seruire potest, in mitioribus itaque morbis purgatio non potest obesse, quia vt illa mitius agit, ita partem sui caloris & concoctionis ociosam habet, paratam ad vsum nostrorum medicamentorum. Hæc ergo dicenda mihi videbantur de qualitatibus, quæ requi-

Cur in biliosis & tenuibus humoribus requiratur concoctio.

Sect. 2. aph. 29.

Cur in principio & circa finem morbi ... ?

runtur in humoribus, qui euacuantur à natura sponte, vel ab arte nostra, quæ videntur Hippoc. sententiam euertere, quippe, cum ille velit tales euacuari à nobis humores, quales solet ipsa natura recte expellere: nos autem ostendimus in paucis euacuationibus cótingere, vt tales sint humores in vtraque euacuatione, quam illis exceptis, qui euacuantur post concoctionem, dissimilitudo videtur esse necessaria. Pro Hippocr. ergo dicendum, *quod ipse nolit humores, qui euacuantur per nostra medicamenta, tales esse debere, quales postulant euacuationes spontaneæ, sed quod Medicus debeat quærere in suis euacuationibus eas qualitates in humoribus, quæ vtiles reddant ipsas euacuationes, sicut natura facit* (eligit, inquam idoneas qualitates) *in suis bonis euacuationibus*. Superest, vt quædam addamus ad obscuriores locos, qui habentur *in Commentario* ipsius Galeni, declarandos. Igitur, quod scribit, ex spontaneis euacuationibus quasdam fieri à potentia, quæ nostrum regit corpus ipsum corpus expurgante; alias vero ex irritamento aliquo, alias, eo quod ea, quæ excernuntur, à vasis non contineantur: & eas euacuationes, quæ fiunt à natura iuuare, eas vero, quæ fiunt ex irritamentis, & ex imbecillitate retentionis, symptomaticas dici, non prodesse & esse prauæ euacuationis indicium: hæc, inquam, sunt expendéda, neq;.n. intelligendũ est, aliquã fieri euacuationem à natura absque irritamento, est enim natura ea & potentia regens nostrum corpus, quam dicit hic esse vtilium euacuationum authorem, expultrix facultas, quę eo authore *in libris de naturalib. facultatibus* non agit, nisi irritetur vel à qualitate, aut quantitate, vel tota rei substantia; vt enim quæ amica sunt, retentricem, & cócoctricem facultatem mouent ad agendum: ita excrementum & omnino noxium aliquid esse oportet, quod excretricem vim excitat. Requiruntur igitur in omni euacuatione irritamenta, sed quæ fiunt secundum ordinem naturæ, in quo præcedit concoctio, quę omnes malas qualitates, quæ sunt in humoribus, ex quib. vera irritamenta nascuntur, vincit, non appellãtur ab eo irritamenta, cum naturam non cogant agere, nisi in statis suis temporibus cessante iá concoctione, & facto excremento, in quo victis qualitatib. noxiis manet sola inutilis substantia, quæ naturam excitat ad agendum absque vlla molestia, vt apparet in excrementis alui, quæ relinquuntur ex bona cócoctione alimenti. Quæ vero symptomaticæ sunt excretiones, i. intépestiuę, non expectata cócoctione, & immoderatæ, aut cum dolore & euidenti molestia fiunt, nascuntur ex irritamentis, nempe ex mordacib. qualitatibus, quæ sunt in humorib. & propterea obesse solent, quia ante concoctioné vt diximus, natura non potest separare bonũ à malo, & malũ expellere, sed boni multum cum malo expellitur; aut si malũ totum videtur, quod per alui profluuia, & vomitiones excernitur in febribus, quales sunt pituitosi, biliosi, aquosiq; humores, certe ea ratione malę sunt, quod concoctioné turbent, sine qua vinci non potest materia morbi & sequi salus. Sũt præterea prauæ dispositionis signa, malos enim oportet esse vel qualitate vel quantitate, aut tota etiá substantia humores, qui naturæ ordinem perturbant; propterea (vt antea diximus) intépestiuæ huiusmodi euacuationes longum aut lethalem fore morbũ significant. Illud

Verus sensus aphorismi.

Galeni explicatio commentarii.

Nullam fieri euacuationem à natura absque irritamento.

Illud vero quod ſcribit, fieri aliquando euacuationes, eo quod à vaſis non continentur humores, id fortè non fit, niſi in ſanguinis profluuio facto ex humorum abundantia, vel ebullitione & in lienteria, quanquam in ſanguinis eo profluuio euidenter apparet violari orificia vaſorum, in quibus ſanguis continetur.

Aphor. III.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, συμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι. τὰ δ' ἐναντία δυσχερῶς.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt, contraria vero grauiter.

CVm dixiſſet in ſuperiori Aphor. Hipp. quales oporteat eſſe humores, qui purgandi ſunt, nunc docet, quid ſequatur huiuſmodi purgationem. Duo ſunt, inquit, conferentia, & facilis tolerantia: illa in eo ſpectatur, quod vel tollantur vel minuantur affectus præter naturam, qui ſunt in ægrotantibus; vel reſcindantur aut ſaltem etiam minuantur cauſæ, quæ paratę ſunt eoſdem affectus excitare in his, qui egent præſeruatione: in conualeſcentibus vero ſi quid adhuc ſupereſt ex reliquiis malorum humorum, quod antea non fuit eductũ, & illud tardat recuperationem priſtinæ & propriæ cuiuſcũque ſanitatis, illud quoq; cum euacuatur, prodeſt: nam ſi deiecta eſt appetentia, vel ſomni ſunt turbati, vel ſitis moleſtat, vel amaritudo in ore ſentitur, aut vires non roborantur, aut aluus aſtringitur vel aliquid tale adhuc male afficit cõualeſcentes, purgatio aliquando momento temporis omnia hæc mala abolet. Cæterum, facilis tolerantia in eo ſpectatur, quod ſenſibiliter non lædantur, qui purgantur: & non patiantur alias moleſtias quam eas quas ſolent ſuapte natura medicamenta purgantia in omnibus adferre: euitari enim nõ poſſunt mali odores & ſapores, nauſeæ, commotiones ventris, læſa appetentia, ſitis, leuis, quædam exolutio corporis, & alia quædam leuia mala, quæ ſequuntur aſſumptionem retentionemq; medicamentorum purgantiũ. & poſtea cõmotionem vacuationemq;, quę ſequitur earum vim & naturam. Hæc igitur ſunt duo indicia, quæ ſumũtur ab effectis, quos pariunt purgationes, ex quibus dignoſcimus tales fuiſſe vacuatos humores, quales oportebat euacuare. Addit vero Gal. *in ſuperiore Comment.* alia multa indicia cognoſcendi malos humores, qui exuperant in corpore; id quod facit, meo quidem iudicio, præter rationem, nam cum author de ea re non loquatur, id quod facit *in 2. Aphor. 1. lib.* non erant hic omnia miſcenda omnib. Deinde, particulatim notas illas recenset nullis propoſitis fontibus ſignorum, quare empirica & nunquam abſoluta redditur tractatio. Poſtremo non rectè ad malos vel ſuperantes humores refert, quod Hipp. ad tales & quales pertinere ſcribit, non enim ſequetur conferentia, & tolerantia, ſi humores, qui purgantur, ſolũ id habebunt, quod exuperent vel mali ſint: nam in ſtatu febrium acutarum abundat quidem & malus eſt bilioſus humor, qui putreſcit, non tamen ſequetur conferentia & facilis tolerantia, ſi in eo tempore fiat purgatio: ſic in declinatione morbi malus eſt ſanguis, non tamẽ euacuandus, aut ſi vacuabitur, oberit difficiliſq; erit huiuſmodi euacuatio. Maiorem igitur habẽt vim tales & quales humores, quam per illa aut pauca alia verba explicari poſſint: nam *alias requirit qualitates euacuatio quæ fit à natura, alias vero ea quæ fit à Medicis*, quod cum ſatis ſuperius ſit demonſtratum à nobis, ſuperfluo hic repeteretur.

Quibus partibus purgatio ſoleat conferre.

Ex quibus facilis tolerantia.

Aphor. IIII.

Φαρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω, χειμῶνος δὲ τὰς κάτω.

Medicari æſtate ſuperiores magis, hyeme vero inferiores.

IN hoc Aphoriſmo agit Hippocr. de loco in corpore apto ad purgandum humores, vt ſatis verba oſtendunt. *ſuperiores & inferiores partes*, & conſiderat hic non indicantia, ea, inquam, quæ ſunt in humoribus, ſed quæ oſtendere illa poſſunt, qualia ſunt anni tempora, ea enim oſtendunt eos humores in corpore abundare, quos gignere ſunt apta: Aeſtas enim calida & ſicca auget in nobis bilem; Hyems frigida & humida pituitam; Ver calidum & humidũ, ſanguinem; Autumnus frigidus & ſiccus humorem melancholicum. Quare hic coindicantia tractat. Quid vero oſtendat eſſe in indicantibus, quod locum oſtendat aptum ad purgationem, nunc videndum. Id autem eſt non ſimpliciter humor ipſe, ſed aliquid, quod in eo conſideratur peculiare, & proprium ei, quod quærimus: nam humor quatenus plenitudinem facit, indicat euacuationem, quatenus præter modum calidus eſt, indicat refrigerationem, quatenus vero in ſe habet principium motus, quo facilius ſurſum aut deorſum aut in aliam partem moueri poteſt, indicat nos eos motus ſequi debere, quod *in eo Aphor. 21. primi libri* ſignificauit, in quo ſcribit: *Quo natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit*: an igitur ad hoc reſpiciens rectè ſcribit *hoc in loco* Hippocrates, bilem abundantẽ (id quod fit in æſtate) per ſuperiora, id eſt, per vomitum, euacuandam eſſe? id quidem aſſerit Galenus hac ratione: quod æſtas humores in ea abundantes ſurſum commoueat ac trahat; quod ſi verum eſt, probabilem forte haberet ſuæ opinionis rationem; ſed videtur mihi abuti nomine; *exteriora* enim debebat dicere, non *ſuperiora*: omnes enim experimur, Aeſtate corpora diſſolui per ſudores, & vomitu qui tentantur, niſi qui male habent ex certis pauciſque morbis? Addo quod ex naturę lege frequentiores debent fieri vomitus in pituitoſis, quam in bilioſis, quippe cum eo authore, ventriculus ſit pituitæ ſedes & officina, bilis autem nequaquam, quam ipſe docet *in libris de Vſu partium*, magna prouidentia factum eſſe, vt non ingrediatur ventriculum, ne turbet illius officia, ſed illabatur ſtatim in ipſa inteſtina, vt deorſum deſcendat. Docet quoque experientia, in omni morbo & per ipſam ſanitatem in crapula, frequẽtiores fieri à natura pituitoſos vomitus, quam bilioſos: vnde antiqui Medici ſemel in menſe laudabant vomitum ad vitia cruditatis tollenda, non ad reuocandam bilem ab inteſtinis. An

Quos humores quæque anni tempora gignant.

Correctio aphor.

Pituitoſi cur magis ſint proni ad vomitũ quã bilioſi.

forte spectans Hippocr. ad qualitates bilis, quod calida & sicca atque ignea sit, credidit illam esse leuissimam & sponte sua sursum ferri; sequendos autem esse motus naturæ à Medico: at in hoc non satisfacit, duplici ratione, primo, quod humor omnis grauis est, & deorsum facilius labatur, quam sursum efferatur; dicitur autem bilis leuis, non simpliciter, sed comparatione ad alios humores. Deinde etiamsi natura bilis eo vergeret, tamen obest, quod non fiat vacuatio per loca conferentia, non enim omnes motus, qui fiunt à natura, sequi debet Medicus, sed qui fiunt per loca conferentia, non possunt autem ventriculus & os illius esse loca conferentia ad recipiendam bilem, & illam emittendam, sed longe aptiora sunt intestina, & vesica, cutisque, quod si per febres tertianas & Crises acutorum morborum fiunt aliquando vomitus biliosi, hi fiunt à natura, quæ forte per venas delatas ab hepate ad ventriculum bilem mouere cœperit, quæ cum recepta illic est, & repit ad stomachum, viam aliam non habet, quam per vomitum, sed eam, vt videmus, difficilem; ex hoc vero, quod natura turbata à causis morborum efficit, non debet Medicus præceptum sumere de loco aptiore in purgationibus suis obeundis, sed naturam recte operantem per sanitatem imitari, quæ cum semper bilem vacuet per intestina, ab ea admonemur, idem à nobis esse præstandum, nec trahendam esse per nostra medicamenta copiosam bilem, quantam sæpe requirit purgatio, ad partem tam nobilem tamque sensibilem, cuius mala cor, cerebrum & vniuersum corpus atque vitam ipsam sæpe in magnum discrimen adducunt. Dicendum ergo *æstate per exteriores, hyeme vero per interiores partes & semper inferiores purgandum*, nisi materia iam sit in stomacho, quæ iam moueat vomitum, tunc enim prodest vomitus, nisi frequens fuerit: qui etiam reuellendus est ad inferiora, ne assuescat natura tam mordacem & noxium humorem trahere ad partem tam nobilem mirabilique sensu præditam. At nostram quidem opinionem veram esse, satis ostendunt Hippocr. siue Polybius, & Cornelius Celsus, ille enim *in libro de vict. salubri* vtilem proponit esse vomitum hyeme & deiectionem æstate: hic vero, *lib. 1. cap. 3.* inquit: *vomitus vtilior est hyeme, quā æstate*; nam tū & pituitę plus & capitis grauitas maior subest. Nec Galeni interpretatio, quam habet *in libro De Salubri victu* recipi potest: vult enim hyeme adhiberi vomitum, si pituita in ventre gignatur, & bilem per inferiora educendam, si illa innatet stomacho. Quod si vniuersum corpus purgare instituamus, æstate per ventrem superiorem, hyeme vero per inferiorem purgandum, vt in hoc Aphoris. scribitur, quoniam, inquit, quæ iam abundant, his medendum est purgatione, dummodo ea fiat per loca, quo vergunt, siquidem ducenda sunt, quo tendunt, per loca accommodata; at quibus, ne augeantur, volumus obsistere, ea per contraria loca reuellenda sunt, adeo, vt ex illius sententia, locus *de salubri victu* intelligatur solum de humoribus genitis in ventriculo; quo in casu, bilis per inferiora vacuanda, pituita vero per superiora, in hoc vero Aphor. Hippoc. intelligere de humoribus contentis in venis, & de purgatione totius corporis, tunc enim bilem per superiora, pituitam verò per inferiora ducendam esse: nam primum contra eam interpretationé illud facit, quod *nunquam locus commodus est ad bilis euacuationem per superiora, nisi ad reuulsionem*. conueniret ergo in alui fluxu bilioso, qui per medicamenta per aluum euacuantia sisti non possit, deest ergo, quod nunquam sit locus conferens ad vacuationem bilis, quæ fit à Medico, vbi ille locum accommodatum quærit, & vtrumlibet eligere potest, cum nullam videat inclinationem, & reptionem naturæ vel humoris ad eam partem; Deinde vacuatio pituitæ per vomitum reuulsoria quoque est, & contra naturam: nam vt Galen. scribit *in libris de Vsu partium*, naturalis ventriculi constitutio facta est ad attractionem & ingestionem eorum, quæ assumuntur, ad reiectionem vero inepta. Deinde, bilis innatans, cur non potest esse genita in stomacho æstate, vt pituita hyeme? cur ergo non illi conueniet vomitus, vt pituitæ? Tertio, incrementum humorum non tollitur per reuellentia, sed alterantia partes, quæ eos gignunt, & per commodum victum: reuulsio enim est remedium fluentium & non abundantium humorum. Amplius, debebat ipse ostendere rationem, qua fiat, vt diuersa sit indicatio sumenda, cum volumus corpus vniuersum purgare, ab ea, quæ ostendit, quid agendum sit, cum humores abundant solū in stomacho, in vtraque enim euacuatione illud commune malum est, quod orificium stomachi non sit locus commodus ad recipiendos acres & mordaces humores, propterea authores prædictum vomitum rectius concedunt in pituitosis humoribus suapte natura obtusis, quam in biliosis, & non spectant, vt Galen. putat, purgationem totius corporis, vel solius ventriculi.

Humores omnes esse graues.

Bilis quomodo dicatur leuis.

Non omnes motus naturæ medico esse sequendos.

Vnde in febribus tertianis & crisib. morborum acutorum fiant vomitus biliosi.

Bilem nunquam commode purgari per superiora, nisi ad reuulsionem.

Pituitæ euacuationem per vomitum esse contra naturam & reuulsoriā.

A B C D E

APHOR. V.

ὑπὸ κύνα καὶ πρὸ κυνὸς ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

Sub Cane, & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

QVI in docendo scopos sibi non proponunt in omni officio medico obseruandos, ignorant, quorsum hic Aphorismus & multi alii scribantur, vt ex illorum interpretationibus cognoscere quilibet potest: nos autem cum Galeno docuimus alibi, occasionem siue tempus aptum ad agendum, esse præcipuum scopum ex illis, ex quibus constat medendi Methodus, de quo hic agit Hippoc. in hac tractatione de purgatione; Docet enim, quo tempore anni purgationes sint difficiles. Ex quo intelligere possumus, ex consequenti, in quo sint faciles. Pertinet ergo Aphorismus ad tempus purgationis. sed quoniam hunc scopum, vt alios omnes, assequimur per indicantia, Contraindicantia, & Coindicantia & Correpugnantia, videndum, cuius rationem obtineat tempus anni, quod est sub Cane & ante Canem. Certum est, non obtinere vim indicantis: nam quod indicat, difficultatis non est causa, sed illud est, quod primo & per se suadet aliquid esse faciendum: nihil autem potest

Purgationis indicans.

test aliud esse, quam *humor inaequaliter laedens & plenitudinem faciens ad proportionem*, is enim vt curationem per purgationem indicat esse faciendam, ita cum adest in corpore, indicat eo tempore purgationem esse adhibendam, nisi quid impedit, id est, nisi aliquid contraindicat. Propterea recte dicebat Gal. *in libro de optima secta: occasio agendorum sumitur ex praesentia indicantium & absentia contraindicantium.* Contraindicant autem purgationem primo, & per se, quae ab ea offenduntur, vires inquam, nostri corporis, quae cum valent, eam admittunt, eo vero tempore, quo debiles sunt, eam fieri impediunt; alia vero per accidens, & non proprie contraindicant, vt crassities, lentorque humorum, obstructiones, voluntas aegri morosi aut auersantis purgationem, & reliqua huiusmodi, quae non laeduntur ab ipsa purgatione, eam tamen cum adsunt, vel prohibent, vel in aliud tempus transferunt, donec ipsa recesserint. Porro, certum est, tempus anni, quod est ante Canem & sub Cane, non indicare, quia non est humor, qui vacuandus est, nec proprie contraindicare, quia non sunt vires, nec improprie, cum nihil sit ex praedictis, nec quidem coindicat, quia hortaretur purgationem; superest igitur, vt inter correpugnantia locum habeat, vt certo habet. quia enim virtutem ostendit, vt recte inquit Galen. exolutam & exustam naturā, ideo difficilem ostendit purgationem. Interuentu igitur virtutis & non primo & per se hoc tempus difficultatem ostendit in purgatione. Tamen in eo non videtur Galenus ostendere vim illius temporis quod difficiles reddit purgationes: ait enim, ideo naturam & vires offendi, quia ferre non potest acrimoniam, quae prouenit à medicamentis purgantibus: nam id conuenire non potest ex multis medicamentis, quae vel nullam aut minimam habent acrimoniam. Melius igitur, vt arbitror, sentiret, si diceret, naturam iam exolutā per insensibilē transpirationē, & euaporationē, quam aer eo tempore praestat, ferre non posse aliam euacuationem, sic.n. ratio sit communis omnibus purgationibus. Repugnat quoque aliis rationibus, quia enim vacuando exiccat corpus, illud reddit aptius ad maiorem igneūque calorem concipiendum, id, quod etiam forte facit, quia ex agitatione fiunt obstructiones, quae putridas febres pariunt; quod si medicamenta mordacia fuerint, & validiora, qualia erant tempore Hippocratis, suo morsu & calore spiritus, & humores calefaciunt, vnde febres sequuntur. Atque id est, quod Gal. *in lib. de Theriaca ad Pisonem circa finem* scribit: *Atque hoc maxime* inquit, *mirabilis ille Hippocrates considerans, medicamenti exhibitiones ante Caniculae ortum, & sub ea difficiles esse tradit, quoniam febrem hoc potissimum tempus hominibus adnehit.* Verum, praecipua difficultas nascitur, quod imbecilla virtus ob eam, quae necessario fit in eo tempore, euacuationem, non ferat aliam ex purgatione, nisi cum difficultate. Propterea recte dixit *difficiles* fieri purgationes, & non *impossibiles*. Alia quoq; ratione impedit illud tempus internas euacuationes, quae fiunt à purgantibus medicamentis, vt recte scribit Gal. quod contrarii fiant motus, quippe, calor aeris trahat humores extra, purgatio vero intro. His igitur rationibus difficiles fiunt purgationes sub cane & ante canem, quo tunc aer longe calidior esse solet, quam in omni alio anni tempore. Tempus autem illud durat per quinquaginta dies, nempe à 20. Iunii ad decimam Augusti; & sunt decem ante Canem & quadraginta post. Quanquā in omni regione Canicula non habeat quinquaginta, & in aliquibus plures habeat. Caeterū, Astronomi tradunt, Caniculae exortum non solum difficiles reddere purgationes, eo quod augeat calorem solis, id quod facit Leo, sed etiā suo motu & influxu: nam, vt inquit Plinius, *sentiunt Caniculam maria, & terrae multaeque ferae, feruent maria eo exoriente, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, origem appellat Aegyptus feram, quam in exortu eius contra stare ac intueri & velut adorare, cum sternuerit. Canes quidem eo toto spatio in rabiem agi haud dubium est, Aquilones biduo post flant quadraginta diebus, quos Etesias vocant, & octo ante, qui προδρόμοι. Mira in mari accidere Cyprino putāt, & alioquin totum mare sentit exortum eius sideris, quod maxime in Bosphoro apparet; alga enim & pisces superferuntur ab imo versa omnia, & vina in apothecis canis ortu mutantur quaedam, donec restituuntur.* Haec Plinius de vi huius stellae. Tradunt autem Astrologi, duas esse in caelo figuras, vnam Canis maioris, quae constat decem & octo stellis, quarū quae est in ore, fulgentissima est, & ob magnitudinem, pulchritudinem, candorem & splendorē regina & pulcherrima stellarum vocatur, micat autem vehementer, & propterea Arist. putat illam in altissimo caelo esse reconditam, & haec à Graecis σείριος ἀπὸ τοῦ σειριᾶν, eo, quod ea horis matutinis oriēte ingens fit aestus, & magna siccitas canis nomine totius configurationis appellata est, quanquā & sunt, vt inquit Galenus, qui siccion vocent canē, totius syderis abutētes appellatione, Canis.n. vniuersum est sydus; quae vero est intra eius maxillas stella Syrios, quam quis rectius ante canē, non canē vocet. Latini antiquiores Canē minorē & Caniculā vocant, vt Plinius & Higinius caniculā in stellam à configuratione distinguerent, vocauerunt; tamen reuera canicula est Procyon, id est, stella & ipsa primae magnitudinis, sed non adeo fulgida & magna sicut canis, & ipsa nomen quoq; vsurpat canis minoris configurationis, quā non recte canem vocant nonnulli, cum solis duabus stellis constet. Oritur autem Canis minor cū Leone sydere Sole scilicet primam partem Leonis ingrediente, die 17. Iulii, vt Plinius tradit, post solstitium vigesimo tertio die, ex quibus colligimus solstitium tunc fuisse 24. Iunii, quod nunc est duodecimo die eiusdem mensis. Canis vero maior oritur cum cancro die vigesimoseptimo Iulii. Intelligit ergo Hippocr. sub Cane, orto iam Cane, & ante Canem exoriente minore Cane purgationes difficiles esse. Sed iam videamus, quo tempore faciles possint esse purgationes. Scribit enim Hippocr. *in lib. de locis, aere & aquis*, non esse exhibenda medicamenta in solstitiis & aequinoctiis. Huius enim verba haec sunt: *Maxime obseruare oportet magnas temporum mutationes, neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus, quae circa ventrem, neque secemus priusquā praetereant dies decem aut plures, & non pauciores. Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maxime vero aestiuum, periculosum etiam aequinoctium vtrumque, magis vero autumnale: oportet autem & astrorum exortus considerare, praesertim Canis, deinde Arcturi, & Pleiadū occasū, morbi.*

Purgationē per se & per accidens contraindicantia.

Tempus sub & ante canem cur difficiles purgationes.

Rationes cur sub & ante canem non sit purgandum.

Tempus hoc de quo agit, loquitur quando durat.

Caniculae effectus. lib. 2. natural. cap. 40.

Canis maior.

σείριος.

Sirius.

Canis minor siue canicula.

Canis minoris & maioris ortus.

Quibus temporibus difficiles sint purgationes.

enim in his maximis diebus iudicantur, aliqui pereunt, alij vero desinunt, aut in aliam speciem aliumque statum transmittuntur. His quidem verbis Hippocr. damnat multa tempora anni, tanquam importuna ad exhibenda medicamenta, aut alia adhibenda, quæ corpora nostra mutare à suo statu possunt. Ac constat quidem cur astrorum ortus & præcipue Canis id faciant, quod iam ostendimus. Arcturi vero & Pleiadum occasum non alia ratione difficilem existimare possumus ad purgantia medicamenta exhibenda, quam quod exoluta quodammodo adhuc sit virtus ob æstatem præcedentem, & humores ob æstatem crassi redditi, & ob id facti inepti ad purgationem: tamen Medici inter omnia tempora anni Ver & Autumnum putant aptissimum ad Medicinam factitandam, in his, qui ob morbos præsentes vel imminentes ab ea opem requirunt. Aestatem vero ineptissimam iudicant ob eas causas, quas attulimus cum difficiles ostenderemus esse purgationes ob æstum, quem ortus canis parit. Hyeme vero non ob virtutis debilitatem, quæ tunc validissima esse solet in omnibus, præterquam in decrepitis; sed alia ratione difficiles redduntur purgationes, *quod scilicet tunc humores in corpore sint ex frigore velut concreti, qui ob id difficile moueri possunt & non nisi à validis medicamentis, in ea vero violentia non solum tormina, & alia mala oriri solent quæ difficiles purgationes sequuntur, sed etiam colliquationes sæpe fiunt in partes nobiles.* Et vt tota æstas totaque hyems euitari debent, quantum fieri potest, ita maxime illorum solstitia, quod in vno maximum frigus, in altero vero intolerabilis æstus nos afficiat. Hippocr. vero hæc tempora euitanda esse scribit, sed rationem non subiungit, cur plures & non pauciores dies, quam decem præteriri velit, antequam medicamenta exhibeamus, an scilicet, quod putet, præter calorem, frigus & alias qualitates latentes alios effectus in nos emanare à virtutibus stellarum? Sunt, qui hos contemnunt, & nihil aliud spectent, præterquam æquabilem aeris temperiem, cum qua virtus redditur apta ad ferendam vim & agitationem illatam à medicamentis, & humorum aptitudinem: Ac ego quidem horum opinionem secutus, negligens semper fui obseruator motionum Lunæ, & aliorum Astrorum, sed magnus obseruator earum mutationum, quæ in aere fiunt ex magno accessu & recessu Solis: nequaquã tamen damnauerim Hippocr. & alios Medicos, qui ex Astrologia, Medicinæ maiorem authoritatem comparant.

Quibus temporibus secundum medicos facilius.

Cur hyeme sint difficiles.

Cur iisdem in duobus solstitiis.

Aphor. VI.

Τοὺς ἰσχνοὺς καὶ τοὺς εὐημέας ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

Graciles, & facile vomentes, purgare superius, cauentes hyemem.

IN quarto Aphorismo sumpta Coindicatione ab anni temporibus, docuit, per quas corporis partes purgandum sit corpus; eadem nunc sumpta à corporis habitu & facili aut difficili aptitudine ad vomendum, docet, qui purgandi sint per superiora vel inferiora. Addit etiam Contraindicationem, quam præstãt tempora *in vtroque Aphorismo, sexto inquam & septimo*: sed *in sexto* de purgatione per superiora agit, *in septimo* vero de eadem per inferiora. Scribit igitur, graciles purgandos esse per superiora, modo facile vomant, & vomitus non tentetur in hyeme. Cæterum gracilia redduntur nostra corpora, vel ob ossium paruitatem, vel carnis minimam molem, aut quod parum habeant pinguedinis.

Corpora unde gracilia redduntur.

Præterea cum contingat, vt qui parum habẽt carnis, ita afficiantur, eo quod parum sanguinis gignunt, aut illud excrementosum (ex eo enim nequit caro multa procreari) videndum est, an de omnibus gracilibus intelligatur Aphorismus, an de quibusdam duntaxat, & an id verum sit in omni corporis statu, in ipsa inquam curatione, præseruatione, conualescentia, & in omni ætate.

An de omnibus gracilibus aphorismus sit intelligendus, an vero de quibusdam tantum.

Galenus, vt videre est *in Commentario* omnibus fere gracilibus conuenire putat, eo quod vt plurimum, inquit, graciles sint biliosi, adeo, vt gracilibus non alia ratione competere putet purgationes per vomitum, quam, quod ipsi sint biliosi, his autem vt *in quarto Aphorismo* docuit, debetur purgatio per superiora. Verum etsi biliosi omnes sunt graciles, eo quod ex sanguine eo caro bona & plurima gigni nequit; tamen pauci graciles sunt biliosi, quot enim sunt melancholici, quot alii pituitosi, & quanto plures ex paruitate ossium eundem acceperunt habitum in ipsa prima conformatione? Igitur quod Hippocr. commune facit omnibus gracilibus nisi impediat difficultas ad vomendum, quod alias habet causas, perperam Galen. contrahit solum ad graciles biliosos; Certum autem est, gracilia & facile vomentia multo facilius, quam alia omnia corpora vt bene carnosa, & pinguia, per vomitum purgari: nam in vomitu primum diaphragma vehementer deprimitur, & ex ea depressione non leue imminet periculum obæsis crassisque corporibus ruptionis Peritonei, ex qua sequuntur deuolutiones omenti & intestinorum in scrotum. Itaque si humores sint in ventriculo, cuiuscunque generis fuerint, quod natura appetat per vomitum reiicere, tutius potest Medicus vomitum concedere gracilibus, quam obæsis; non tamen propterea id intelligendum est de omnibus gracilibus: nam paulo postea scribet, tabidis non conuenire huiusmodi euacuationes: vt enim mediocris gracilitas securior corpulentia, ita extrema periculosissima, caret enim carne & pinguedine, quibus vasa firmantur, & propterea verendæ sunt illorum ruptiones in ea agitatione, quæ per vomitũ fit per medicamenta purgantia.

Biliosi omnes esse graciles.

Graciles pauci esse biliosi.

Qui facilius per vomitum purgentur.

Cur obæsis vomitus periculosus.

Vomitum non omnibus gracilibus conuenire.

Cæterum, addit Hippocr. *& facile vomentes*, tanquam nõ sufficiat gracilitas ad superiores purgationes, nisi etiam accedat facilitas ad vomitum. Sunt porro faciles ad vomitum, qui collum habent breue, thoracem latum, abdomen bene carnosum, & robustum, hæc enim breuem facilemque motum præbent humoribus, qui à ventriculo ascendunt ad os, quod si quis facilis sit ad vomendum, & non gracilis, gracilibus quidem, sed difficile vomentibus, præferendus: Addit Hippocr. *cauendam esse hyemem*, secutus, quod scripsit *in quarto Aphorismo*, hyeme purgationem esse adhibendã per partes inferiores, de qua re nos illic nu-

Faciles ad vomitum qui.

Googl

sententiam nostram appofuimus sententiam. Quibus vero affectibus conferat vomitus, superfluum est, A hoc loco tradere, cum ad authoris sententiam interpretandam non pertineat.

APHOR. VII.

Τοὺς δὲ δυσημέας καὶ μετρίως εὐσάρκους, κάτω, ὑποστελλομένους θέρος.

Vomentes vero difficulter, & mediocriter bene carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

HÆc est conuersa propositio superioris, & propterea conuersam habet interpretationem, qui enim B difficulter vomunt ad vomitum non sunt cogendi, & qui mediocriter sunt bene carnosi, apti sunt ad inferiores purgationes, in quibus Diaphragma deprimitur & musculi Abdominis comprimuntur: sed qui mediocriter bene carnosi sunt, ad omnes purgationes sunt apti, videturque mihi vacare vel mediocriter vel bene: nam qui *mediocriter* est carnosus, *bene* carnosus est, & qui *bene*, id etiam habet *mediocriter*. Quod vero inquit, *cauentes æstatem*, habet quoque *ex quarto Aphorismo*, qualecunque est fundamentum, sed quod addit Galen. *in Commentario*, quod pertinet ad superiorem & C præsentem Aphorismum, fortasse authorem nō habet Hippocratem, hic enim cauendam esse hyemem in vomitu proponit, non tamen propterea dixit Æstate, Autumno & Vere conuenire vomitum: nam paulo postea scribit Hippocr. Melancholicos plenius per inferiora euacuandos esse. Habet autem eam rationem Autumnus ad alia anni tempora, quam habet humor melancholicus ad alios humores. Idem de Vere scribit Hippocr. *in libro de Natura humana*, primam illius partem hyemi similem esse; quare in ea abundat pituita & non conuenit vomitus, eo authore, in media parte Veris: viget enim tunc sanguis, qui nec per superiores nec inferiores purgationes vacuandus est. In vltima vero parte for- D te aliquid bilis incipit abundare; Quomodo igitur simpliciter pronunciare potest Galenus Æstate, Autumno & Vere conuenire vomitum? Præterea, quod scribit, si res vrgeat, solum cauenda esse ea tempora, quæ excipit Hippocr. præceptū continet plane inutile in nostra facultate: quis enim in ipsa æstate cauere potest, si res vrgeat, inferiores purgationes in his, qui difficulter vomunt, aut in ipsa hyeme purgationem per superiora in his, qui sunt graciles & facile vomunt? Hæc quidem præcepta nata sunt cum rudi adhuc Medicina, & vsu postea nunquam confirmata, nec vlla ratione comprobata. Quare, ad reliqua transeamus. Neque enim nos detinere debet Cardanus, qui de sanis hos Aphorismos scriptos E putat: nam vere sani his purgationibus opus non habent; aliis vero, quibus competit purgatio, ad præcautionem illis adhibenda est, non in Æstate aut Hyeme, sed in Vere & Autumno, vt ratio, experientia, & maiorum exempla docent.

Carnosi mediocriter ad omnes purgationes apti sunt.

APHOR. VIII.

Τοὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω.

Tabidos vero, cauentes ad superiora purgationes.

CApit in hoc Aphorismo Contraindicationem ex affectu præter naturam in purgationibus faciendis per superiora: Sunt enim vere tabidi, qui vlcus habent in pulmone, quibus etsi omnes motus obsunt, tamen inter alios maxime nocet vomitus, vt qui instrumenta respirationi seruientia violentius commoueat, & veluti dilaceret, qui vero tenera tabidi non sunt, sed maxime extenuati, & ex habitu corporis vergunt ad tabem, cuiusmodi sunt, qui pectus habent angustum, collum longum, caput magnum, hepar calidum, generantque humores salsos & habitant regiones Austrinas, aut etiam alias frequentibus ventis agitatas, illis etiam obest vomitus, quoniam commouet materiam versus pulmonem & concutit instrumenta respirationis suapte natura infirma.

Tabidi vere qui.

Tabidis cur vomitus noceat.

APHOR. IX.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τὰ ἐναντία προστιθέντες.

Melancholicos autem plenius per inferiora eadem ratione contraria opponentes.

VIdetur in superioribus Aphorismis, cum ageret de Æstate & Hyeme, de gracilibus facile vomentibus & de carnosis vomentibus difficile, docuisse, per quas corporis partes expediat purgare biliosos & pituitosos; nunc idem docet de melancholicis? appellat autem melancholicos, in quibus abundat humor melancholicus. Est autem melancholicus humor quidam naturalis, qui & proprie melancholicus humor dicitur: alius vero est præter naturam, qui proprie atra bilis nuncupatur; alius qui plane non est secundum naturam, nec omnino præter naturam. Porro, qui naturalis est, gignitur in sanguificatione ex terrena portione alimenti frigida, sicca, & crassa, & huiusmodi humor minimam obtinet quantitatem inter alios humores in tota sanguinis massa; quod si alimenta plurimum obtineant potentia huius substantiæ iam plus gignitur humoris melancholici; idem quoque accidit, si frigida & sicca sit hominis temperies, quomodo qui in ætate sunt declinante melancholici inter alios censentur: vt enim qui calidi sunt & sicci ex temperato nutrimento, plus bilis procreant, quam temperati, sic accidit in aliis temperaturis, vt agentia validiora sibi materiam moliantur ex re etiam dissimili. Atra vero bilis, vt Galenus *passim* testatur, fit ex adustione; vel ipsius naturalis humoris melancholici, vel sanguinis crassioris, aut flauæ bilis, quæ in vitellinam primum, mox in æruginosam,

Humor melancholicus quotuplex.

postea in istatodem, demum in atram conuertitur, ac vt materia, ex qua fit, varia est, ita non est, simplex natura atræ bilis, nec idem effectus, vt apparet in maniæ differentiis, & aliis affectionibus melancholicis; nec omnis quidem atra bilis acida esse potest, & terram fermentare: nam quæ ex flauæ bilis assatione fit atra, talis esse non potest, cum ex amaro nihil acidum fieri possit, sed ex acerbo & austero, vt Galenus docet *in libris de simplicibus*. Sola igitur atra bilis acida esse potest, quæ generationem habuit ex adustione humoris melancholici, causamque oportet esse magnam, quæ talem humorem potuit assare: propterea lethales sunt omnes affectiones, in quibus atra bilis excernitur: *quippe cum indicet pessimam subesse in corpore dispositionem, & veluti cancerosam, quæ tales pariat humores.* Non naturalem appello humorem melancholicum, qui materiam quidem habet terrenam, sed non factam ex simplici sanguificatione, sed etiam cum quadam adustione, qualis est humor melancholicus, qui gignitur ex alimento in naturis biliosis, in temporibus calidissimis, ex eo humore videntur fieri febres quartanæ, vt quæ soleant in Autumno, & in ætate declinante procreari. Itaque merito Hippocrates melancholicos omnes censet esse euacuandos per inferiora, quoniam crassa, terrenaq; est humoris cuiuscunq; melancholici natura, quæ deorsum vergit, & inferiora loca, per aluum tanquam loca lata, & apta ad suscipiendum & emittendum talem materiam: vtrum quo igitur habet hic humor, scilicet quod vergat deorsum, & per loca conuenientia. Verum forte quispiam contra afferet, quod scribit Galenus *primo ad Glauconem*, quartanariis imperandum esse vomitum post cibum, exhibendumque ad id helleborum album. Qui vero, inquit, nequeunt euomere, hi per inferiora valentius sunt purgandi; Quo in loco euidenter repugnat Galenus huic Aphorismo, & suæ interpretationi, quam hic affert: nam hic solum tractatur de purgatione per inferiora in melancholicis affectionibus, illic vero vomitum proponit: purgationem vero per inferiora tunc solum, si fieri non potest facilis vomitus. Ego vero dicere solebam, vomitum non imperari quartanariis ad humorem melancholicum expurgandum, sed ad pituitam, quæ in quartanariis, & aliis melancholicis temperaturis gigni solet, & abundare in ventriculo: pituita enim frigidam habet causam, & non necessario frigidam, & siccam, vt ostendit senectus pituitosa, talis autem pituita commode per vomitum expurgatur; sed cum in superioribus Aphorismis in temporibus, in quibus pituita abundat, & in habitibus pituitosis non esse tentandū vomitū, cōstet, refugium his authoribus reperiri non potest. Cæterum quod scribit, plenius vacuandos esse melancholicos, intelligit Galenus *fortius*, id est, *validioribus medicamentis*, sed forte etiam recte adderet, *frequentius*, nam vt *in loco præcitato ad Glauconem*, scribit, sæpius purgandi sunt melancholici, quoniam crassa, & terrena materia tota simul concoqui, præparari, & expurgari nequit: quare præstat paulatim, & frequenter per mitiora medicamenta tentare euacuationem, quam semel per validissima. Quod vero rursus addit, *eadem ratione contraria opponens*, interpretatur Fuchsius, & alii nonnulli, quasi dicat, quemadmodum flaua bilis, quæ leuis admodum est, sponteque sursum repit, per vomitum euacuanda est, ita melancholicus humor, quia crassus ac grauis, deorsumq; vergit, per inferiora purgandus erit. Quorum quidem interpretatio non placet; non enim est contraria oppositio huiusmodi, quæ colligit ex proportione, quid sit faciendum.

Affectiones morbi quib. atra bilis excernitur esse lethales.

Cur in quartanariis imperatur vomitus.

Melancholici quomodo purgandi.

Præterea proponit, melancholicos per inferiora esse euacuandos, non spectans, quid conueniat biliosis. Postremo ex superioribus Aphorismis debemus hanc particulam interpretari: dicebat enim graciles, & facile vomentes purgandos esse per superiora, & opponebat illis hyemem, quæ contrarium motum postulabat: sic illis, qui difficulter vomunt, & bene sunt carnosi, laudabat purgationem per inferiora, nisi impediret æstas, quæ contrarium postulabat; sic nunc docet melancholicum humorem per inferna euacuandum, nisi impediat æstas, aut gracilitas corporis aut facilis vomitus, aut aliquid denique illorum, quę pollicentur faciliorem vacuationem per superiora.

APHOR. X.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν· χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die, tardare enim in talibus malum est.

SATIS, vt verba ostendunt, hic Aphorismus pertinet ad tempus purgationis, non in omnibus quidem morbis, sed solum in valde acutis, nec omne docet tempus, quod in illis est aptum, siquidem & in ipsa declinatione aptissima est purgatio, sed solum de principio agit, quod verba ostendunt, *eadem die*. Videtur tamen hoc præceptum non facere commune omnibus peracutis morbis, sed in illis duntaxat, in quibus materia turget. Qua quidem in re hæc sunt explicanda: An scilicet purgatio competat valde acutis morbis suapte natura, quatenus sunt acuti; an solum his, in quibus materia turget, & quid sit ipsum turgere, qualis præterea conueniat purgatio; postremo an eadem die purgatio adhibenda, & tardare sit malum.

Porro Gal. & alii interpretes non putant conuenire purgationem morbis peracutis, nisi turgeant. Ego vero arbitror, simpliciter cōuenire in omnibus valde acutis, siue sint sine febre, siue cum febre affligant; de quibus videtur potissimū intelligi Aphorismus; nam vbi abest febris, nulla est cruditas (vt alibi ostendimus,) propterea non est expectanda concoctio, quæ impedit purgationem exerceri inter initia morbi. Sunt autem pauci admodum morbi peracuti sine febre, nempe Apoplexia, Tetanus & Conuulsiones graues, in quibus profecto Medicus præcipuum auxilium sumit à purgatione, & euacuatione lædentium humorum, etsi alia interim auxilia non sint omittenda, vt sanguinis missio, reuellentia

An purgatio competat valde acutis morbis [illegible]

[illegible] esse sine febre, & quid [illegible]

lentia, discutientia, & alia, quæcunque excogitari possunt oportuna ad exonerandam naturam. In morbis vero valde acutis, qui sunt cum febre, eadem plane est ratio: nam illa summa acuties prouenire non potest, nisi à violenta admodum causa, quam sola natura breuissimo temporis spacio vincere non potest: & pauci sunt acutissimi morbi, qui non fiant ex multa & calidissima, & aliquando maligna bile putrescente: nam si synocham febrem excipias, nescio, quod morbi genus peracutum reperias, quod ex tali bile ortum non ducat. Huic malo sola venæ sectio mederi non potest, vt quæ putrescentem materiam non euacuet. Quare post sanguinis missionem, quæ aduersus causas efficientes putredinem pugnat, purgatio necessaria est, quæ portionem materiæ putrescentis minuat, aut etiam antecedentem causam tollat; quibus peractis, natura facilius postea potest, quod reliquum est, concoquere, & expellere, nec impedit putredo & cruditas, quæ ex putredine nascitur ad purgationem adhibendam, quia humor hic tenuis facile sequitur attractionem medicamenti, non turbata interim naturæ alteratione, præsertim quod dicatur à nostris omnibus authoribus, quod etiam docet experientia, illam inchoante morbo non multum adhuc occupari in concoctione, id quod postea facit crescente & maxime vigente morbo. *Acutis igitur omnibus morbis conuenit purgatio inter initia, ita postulante vehementia morbi, & illius materia*, quæ nostra requirit auxilia & facile sequente humore lædente, & non turbata natura, quo minus possit seruire purgationi, alterando ipsum medicamentum, separando malum à bono & expellendo, quod malum est, & attrahitur à medicamento.

Acutissimi morbi ex qua potissimum materia fiant.

Nec oportet aliam requirere præparationem, ex nominata turgentia, quæ nihil aliud habet, quam inane nomen, quod sola Hippocratis vsurpatione nos hactenus omnes terruit: nam cum verbum ὀργάω multa significet, vt sponte moueo, sum ad libidinem propensus, coitum appeto, incendor libidine; Galenus putat vsurpari in ea significatione, quod in eo statu corporis natura stimulata perinde, vt animalia concitata in Venerem appetunt excretionē. Sed ille debebat indicia afferre, quibus huiusmodi naturæ impetum deprehendere possemus in principiis morborum; nam illis vigentibus, instantis crisis & aliarum excretionum certæ sunt notæ, vt ille *in libro de Crisibus & de diebus criticis* recte docet. Inchoantibus vero morbis nihil tale conspicitur in acutis continuisque morbis, de quibus agimus, nisi forte dicamus, tunc turgere, quando generantur in aliquibus partibus ex fluxionibus inflammationes, sed illæ perfecte non fiunt, quod appareat in toto corpore vel partibus principalibus ille pruritus & stimulus ad excretionem, qualis conspicitur in animalibus concitatis in Venerem. Recentiores vero, non ad ipsam naturam & corpus ipsum nomen turgere referunt, vt Hippocr. & Galen. hic aperte docent, sed ad ipsos humores, illos enim siue materiam, dicunt turgere, idque perperam. Præterea in principiis acutorum morborum non apparent in humoribus illi motus ex vna parte in aliam, & ex illa rursus in alias, sine quiete, vt in animalibus turgentibus apparet. Relicta igitur, vt ita di-

Turgere quid.

A cam, huiusmodi turgentia, & hoc ipso turgere, Aphorismum ita pronunciemus: *Medicari in valde acutis eadem die, tardare enim in talibus malum est*: nam morbi non solum peracuti, sed etiam acuti materiam habent, quæ purgationem indicat necessariam in principiis, vt antea ostendimus. Verum purgatio hæc adhibenda est per mitissima medicamenta, qualia non habebat Hippocrates, sed per ea, quibus iam per multa secula Dei beneficio, & hominum diligentia abundamus; hæc enim omnia secum habent commoda, nihil vero, quod possit obesse, alia vero febres augent, humores acriores reddunt, agitantque, quibus rebus concoctio turbatur, & omnia sæpe redduntur deteriora, adeo, vt Aphorismus à

Correctio aphor.

Qualia medicamenta purgantia in principiis morborum acutorum vsurpanda.

B nobis rectius scribi possit, quam ab Hippocrate. Illud vero, quod scribit, *eadem die medicandum*, habet quoque hoc dubium, quod in huiusmodi acutis morbis sanguinis missio nullo pacto sit omittenda, & ea quidem præponenda purgationi, vt scilicet repugnemus primum efficientibus causis, quæ gignunt fouentque febrem, an igitur vult Hippocrates eadem die mittendum esse sanguinem & purgandum? & quibus horis diei hæc sunt obeunda? Scio, non defuturos, qui negabunt eadem die hæc fieri posse, quod natura nequeat duo valida remedia vna die sustinere, & contrarii motus ferri non possint, si subito sibi succedant, nec differri possit purgatio in horas vespertinas ob concoctionem alimenti. Quo-

An eadem die vena sectio & purgatio perfici possint adhiberi.

C rum quidem rationes etsi contemnendæ non sunt, in leuioribus & tardioribus malis, tamen in peracutis, in quibus est præsens periculum, non soleo vereri post sanguinis missionem, interiecto spacio vnius horæ, exhibitionem purgantis medicamenti; nec me vnquam huius instituti pœnituit, optimis successibus confirmati. Quod si non datur occasio vtramque præstandi euacuationum eadem die, duobus primis diebus oportune hæc fient: in aliis vero, qui acuti quidem sunt, sed non peracuti, & tertio & quarto commode adhiberi potest purgatio, vix enim principium excedet in eo spacio morbus, qui finem habet suapte natura in decima quarta. Propterea recte addit Hippocrates, *tardare enim in talibus,*

D *malum est*, quanto enim magis differtur purgatio, tanto deterior est, non tamen propterea omittenda, tanquam inutilis, si eadem die fieri ea non potest, præceptum ergo est, & quanto citius adhibetur, tanto ea vtilior fit.

APHOR. XI.

Ὁκόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον, μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ' ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

E *Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluitur, in aquam intercutem siccam firmatur.*

Hic Aphorismus satis eludit illorum opinionem, qui misere se torquent in continuatione ipsorum Aphorismorum: nihil enim ha-

bet hic commune cum præcedenti & sequenti, illi enim pertinent ad curationem, hic vero ad prædictionem. Docet enim, quem finem expectare oporteat in certis malis, quæ solui non possunt purgatione, vel aliis auxiliis, mala ea sunt tormina & dolores circa vmbilicum; hæc enim dicit tandem degenerare in hydropem, si tandem non cedant medicamentis. Quid sint tormina & dolores circa vmbilicum & lumbos, & à quibus causis fiant, docet Gal. *in Commentario*. Verum, non mihi placet quod tormina dicat fieri ob morsum vehementem: nam verbum στρέφω, à quo στρόφοι dicuntur, reuera significat intorqueo, cõtorqueo, circumago, adeo vt causa esse nõ possit alia, pterquã flatus, qui per ventrem & intestina circumaguntur, & p multas inuolutiones mouẽtur. Præterea, si fierent à morsu & acrimonia humorum, non sequeretur Hydrops sicca, id est, Tympanites, vt vult Hippocrates: non enim acrimonia degenerat in flatuosum affectum, qui tanti sint momenti. Quod vero scribit, *circa vmbilicum dolores*, intelligendum esse spiritum flatuosum interceptum in inuolucris intestinorum etiam non recipio, nam si esset illic flatuosus spiritus, solueretur vtique medicamentis, vt solent colici dolores finiri. Necesse igitur est, huiusmodi tormina & dolores circa vmbilicum, qui tandem gignant hydropem, esse extra intestina, scilicet inter Peritonæum & ipsa intestina: tales enim flatus cum non sint in intestinis, per purgantia medicamenta & inferius iniecta solui non possunt; & cum sint reconditi subter te, musculis multis Abdominis, denso Peritonæo, difficillime & sæpe nullo modo discuti possunt. Merito igitur cum perseuerant tormina circa illas partes ob circumuolutionem ipsius spiritus & dolores circa vmbilicum, & lumbos affligunt, magna spirituum crassorum copia indicatur, quæ continuo augetur ab ea intemperie, quæ primo cœpit ipsos spiritus & mala ex ipsis nata generare; & propterea tandem Tympanites fit, quæ nihil aliud est, quam *tanta eorum vaporum copia conclusa inter Peritonæum & intestina, vt ipsum Peritonæum & Abdomen ita distendat, vt Tympani modo, si pulsetur, sonum edat*. Hæc plana quidem sunt, sed maior est difficultas in his, quæ scribit Galenus *in fine Commentarii & passim alibi*, omnem hydropem fieri à frigiditate hepatis, & maiorem esse frigiditatem in aquosa hydrope siue Ascite, quam in Tympanite: nam (vt alibi ostendimus,) sola ea species hydropis, quam Leucophlegmatiam, hyposarcam, & Anasarcam vocant Græci, fit ab hepatis frigiditate, aliæ vero duæ species, Tympanites, inquam, & Ascites, alias habent longe diuersas causas, quam hepatis frigiditatem & sanguificationem frustratam. Leucophlegmatiam quidem sequi frigiditatem hepatis & sanguificationem vehementer læsam, multa ostendunt. Primo, quod vniuersum corpus tumeat, & album colorem, qualis est in pituita, referat; vnde Leucophlegmatiæ nomen: quia enim non bonus sanguis, sed totus fere pituitosus fertur per corpus, & ille assimilari non potest & consumi in nutrimentum, paulatim aceruatur in singulis partibus, easque grauat atque in tumorem tollit, qui cum premitur, cedit digitis, & cauitatem relinquit. Deinde, sequi solet sanguinis immoderata profluuia, vel lon-

Torminum [illegible]

Hydrops sicca.

Hos dolores circa vmbilicum esse extra intestina.

Cur hi dolores pariant tandem tympanitem.

Tympanites quid.

Hydropẽ nõ omnem fieri à frigiditate hepatis.

Leucophlegmatia quid, eius causa.

A gas dysenterias, vel hæmorrhoides diu fluentes, aut immoderatas mulierum purgationes, aut longas febres, & denique omnia mala, quæ solent natiuum calorem & spiritus consumere ac dissipare, ex quo vitio sequitur hepatis refrigeratio, & ex ea sanguinis aquosi & pituitosi generatio. Præterea, eandem causam ostendunt remedia, quæ simpliciter describuntur hydropicis: illa enim spectant hanc solam speciem, & non alias, quæ suo addito cognomine propria quoque recipiunt auxilia. Quod vero aliæ duæ species hydropis non fiant ab eadem causa, multa docent. Primum, quod multos vel potius omnes, qui his malis detinentur, colorem non habent diuersum à suo naturali statu; imo quidam intensiorem B habent rubedinem circa maxillas, quam haberent per sanitatem; deinde vrinæ sunt paucæ, & igneæ, quod ostendit bilis dominium & non pituitæ abundantiam, & hepatis frigiditatem. Tertio sitis illa inexhausta, qua laborant, quomodo potest constare cum tanta frigiditate & humiditate hepatis, quæ pituitam & sanguinem pituitosum aceruet? Præterea, dissectiones ostenderunt aliquando, hepar horum malorum esse causam, sed non ob frigiditatem suam, atque etiam non affecto hepate ob affectum aliarum partium hæc mala n: sci.

Referam quid ego viderim Lugduni in Vico Mercuriali, vbi habitabam vna cum fratre meo Bartholomæo Argenterio celeberrimo C suæ ætatis Medico, primis annis cum medicinam factitare cœpi; erat mulier iam vetula, quæ ventrem habebat valde tumidum, ita vt ab omnibus hydropica iudicaretur, sed illud non poterant intelligere Medici, quod audirent ante viginti annos eam affectionem cœpisse & paulatim creuisse, ac interim mulierem non fuisse impeditam in suis officiis, donec in vltimis annis tumor in magnam molem excreuit, cum qua tamen edebat, bibebatque vt sana, & exibat vt sua negotia tractaret, color illi aderat bonus, mortua est fere septuagenaria, & me præsente, atque fratre meo à Iacobo Regio insigni adhuc chirurgo Regis Galliarum dissecta; statim aperto Abdomine & Peritonæo, effluxit mira aquo- D si humoris copia, ac cum originem mali quæreremus, nihil in hepate aut liene inuenimus, quod recederet à naturali illarum partium statu: stupefacti, quod ea loca non essent læsa, in quibus maiores nostri omnis hydropis causas & sedem posuerunt, cœpimus alias partes inuestigare, & tandem inuenimus in solo vtero originem huius mali; tumebat vterus & erat induratus tensusque admodum, eoque non sine difficultate dissecto, ob insolitam illius duriciem & crassitiem, inuenta est vniuersa illius cauitas plena pingui, alba & crassa substantia, & factum (vt vno verbo dicam) steatoma; atque ita iudicauimus, in muliere, quæ nunquam conceperat & semper difficile, (vt illa referebat, cum à no- E bis peteret auxilium,) purgabatur more mulierũ, paulatim aquosum humorem, quo illæ solent abundare, retentum aceruatumque fuisse in venis, & per eam viam, qua solet fieri in hydrope ex aliis causis nato, sparsum & collectum inter Peritonæum & intestina. Aliam mulierem etiã decrepitam boni habitus post aliquot annos Pisis iussi dissecari, in tali affectu, effluxit magna

Historia mulieris hydropicæ ex vtero.

Alia historia.

eiusdẽ humoris copia, sed nec in hepate vel Liene A aut vtero, aut alia parte, est repertum, in quod referri posset caussa tanti tumoris, & collectionis tanti humoris; conquerebatur, cum viueret, sæpe mecum pariter de diminuta per vterum purgatione, atque ita paulatim quoque ventrem sibi intumuisse. Alios vero multos vere hydropicos dissecui, in quibus deprehendi originem mali fuisse in hepate, sed non eam frigiditatem, quam existimarunt, memoriæque prodiderunt maiores nostri, sed induratam hepatis substantiam, & eam quidem non ob pituitam, vel humorem melancholicum, quas materias illi quoque tradunt generare omnes scirrhosas durities, sed nata erat ea durities ob assationem, ob id hydrops Ascites sequi solet vehementes aut diuturnas febres, necnon frequenter fit in illis, qui multo generosoque vino vtuntur, & aromatibus; ab his enim causis hepar calefit, exiccaturque, & perinde induratur, ac si frixum esset in sartagine; quod quidem malum nullis remediis sanari potest; sicut nec lateres ab igne cocti & indurati mollescunt. Atque id est, quod Gal. dicere solet, scirrhos hepatis non curari posse, etsi causam ipse ignorauerit, vt qui huiusmodi durities non nisi ex humoribus impactis & imbibitis fieri tradat; quare si aliqua spes adhuc est in sananda hac duritie, ea tollitur per emollientia à nobis dicta medicamenta, quippe cum ea ex iis gignatur, quæ calorem, siccitatem, duritiemque augeant. Itaque refrigerantia & humectantia prosunt, si quid prodesse potest. Illud vero consideratione dignum est, quomodo, quaue ratione sequatur hydrops ex collectione humoris aquosi ob scirrhosam hepatis substantiam: an forte id fit, quod per eam duriciem venæ, quæ sunt in substantia heparis, occultique meatus, qui transitum præbent materiæ, quæ à ventriculo transit à sima parte ad gibbam hepatis, sunt exsiccati & constricti, adeo vt cum difficultate permeet Chylus multo aquoso humore plenus, & ex ea difficultate aliquid semper relinquitur ex eo aquoso mucosoque humore, quod paulatim aceruatur inter Peritonæum & intestina, vnde hydropis origo & incrementum postea nasci solet. Sed maius in eo dubium est, per quam viam spargatur humor ille in eo spacio. Ego ex dissectionibus nihil euidens deprehendere potui: an forte via aperitur per aliquam ex venis mesaraicis; quæ cum tumidæ redduntur ex retento humore, aperiunt sua orificia, & per illa humorem effundunt parcius aut abundantius pro magnitudine læsionis vasorum, quo fit, vt ex hydropicis quidam diutius viuant, alii minus aliis; aut forte læsis venis emulgentibus, ex quo fit, vt illi parum mingant resudante scilicet eo humore in cauitatem ventris, qui integris vasis solet illabi in vesicam; Fit igitur Hydrops Anasarca ex hepatis frigiditate, Ascites vero ex omnibus causis, quæ retinent & aceruant serosum mucosumque humorem. & cum fit vitio hepatis, nulla alia cognita adhuc est in eo causa mali, præterquam illius duricies, forte semper, aut certe vt plurimum ex adustione nata.

Cæterum Tympanites vt plurimum coniungi solet, cum Ascite, videturque semper hic incipere & ex hoc postea ille fieri, nulla enim videtur causa inueniri posse in aliquo membro, quæ possit spacium illud, quod est inter Peritonæum & intestina, tantis & solis flatibus replere: nam si Stomachus flatum gignit, ille in sua origine continetur, aut ad intestina spargitur, idem contingit, si ipse in intestinis proueniat: hinc Colici dolores, sed Hydropes sequi non solent. Vitio vero Hepatis nescio quo modo flatus gigni & in ea cauitate tanti colligi possint, vt Abdomen totum repleant & distendant: forte aliquando in membranis musculorum Abdominis flatus aliquis prouenit & includitur, qui tandem durante mala dispositione, spargitur in vicinum spacium, & tensionem parit. Quem casum videtur hic tangere Hippocr. Sed vt id raro fit, ita (vt dixi) videtur B vera Tympanitis origo nasci ex humore aquoso & mucoso Ascitem committente, ille enim facile in flatum à calore nostro vertitur, cum extenuatur, sed dissolui nequit. Quæ quidem si vera sunt, non est, quod dicat Galen. omnem hydropem fieri à frigiditate hepatis. nec quod hic dubitet, an à maiori frigiditate gignatur hydrops Ascites, quam Tympanites; videtur tamen in vltimis verbis, quibus scribit, *neque enim humida substantia in flatuosum aerem sine calore aliquo potest transmutari*, meam opinionem euidenter confirmare, quod flatus, qui Tympanitem efficiunt, ex aquoso humore, ex quo originem primã habet Ascites, fiant: forte etiam vitio stomachi hoc malum oriri potest, vt Cardanus refert se vidisse, & probat ob id eam læsionem, quam habent supra vmbilicum. C

Tympanitis causa.

APHOR. XII.

Ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες χειμῶνος φαρμακεύεσθαι ἄνω, κακόν.

Quorum alui leuitate intestinorum laborant, hyberno tempore supra purgari, malum.

REDIT ad locum ineptum ad purgationem faciendam: docet enim quid impediat fieri purgationem per superiora, in læuitate intestinorum siue Lienteria: Est autem hyems, inquit. Quod præceptum frustra, meo quidem iudicio, hic repetitur: nam superius docuerat, vomitum nunquam esse tentandum hyeme, quare nec in Lienteria eo tempore hoc est præstandum. Quod vero præcipuum est, omisit, per quam, scilicet, viam oporteat Lienteria laborantes euacuare; hoc enim non patet, & id, quod indicat & indicatur, prius tradendum est; quam id, quod contraindicat & contraindicatur: sed hoc forte patebit, cum intellexerimus, quid sit lienteria, quas causas habeat, & quis sit locus affectus. D

Porro Lienteriam vocat *in hoc commentario & alibi* Galenus ciborum & potionum celeres excretiones, ita, vt talia deiiciantur, qualia deuorata fuerunt. Verum ea definitio superfluo addit *celeritatem*: nam sæpius retinentur, quæ comeduntur, & non celeriter deiiciuntur, tamen non sunt mutata in bonum Chylum, quare etiam nõ omnem Lienteriam definit, sed eam quæ est extrema, vix enim vnquam videmus ea, quæ sunt E

Lienteria quid.

digesta, talia deiici, qualia fuerunt assumpta: alteratio enim aliqua omnino fit, quoniam semper aliquantulum retinentur in ventriculo & in ipsis inuolutionibus intestinorum, aliqua fit alteratio: in his vero, quæ excernuntur per vomitum, sæpe apparet perfecta cruditas, quoniam subito sequi possunt vomitus ingestionem, & in transitu per gulam nulla fit alteratio, vt in ea, quæ fit per intestina. Aliquando Lienteria componitur cum Diarrhœa, aliquando cum Dysenteria.

Locus affectus lienteriæ. Aluus quid contineat. Locum autem affectum dicit Hipp. esse ventres & non aluum, vt male vertit noster interpres: nam aluus videtur maxime continere intestina crassiora, vt cum dicimus aluum mollire, aluum ducere, aluum mouere, vel purgare; & ex illorum intestinorum vitio non fit Lienteria, sed ex superiorum partium malo: non tamen crediderim, intestina esse sedem huius affectionis, sed solum ipsum ventriculum: nam vt Galen. *in libris de vsu partium* scribit, *Intestinorum tenuium & crassorum officia.* intestina tenuia distributionis alimenti, & non concoctionis sunt instrumenta: Crassa vero facta sunt ad excrementa relicta post concoctionem & distributionem suscipienda, & continenda: at Ventriculus concoctionis primæ est instrumentum & author. Porro, vt concoctio recte fiat, necesse est, vt ipsa concoctrix facultas valeat, & retentrix quoque retineat, quamdiu quoad concoctrix absoluerit suum opus, & expultrix non moueatur ad agendum, antequam retentrix perfecta concoctione remittat & veluti relaxet, quæ cohibebat. Quæ si vera sunt, *Lienteriæ causa.* non solum ex potentiæ retentiuæ debilitate fiunt Lienteriæ, vt hic Gal. tradit, sed ex ipsius concoctiuæ infirmitate, & sæpe ipsa retentrix debilis non est, sed ob quantitatem exuperantem alimenti, aut aliud vitium nequit illud retinere. Contingit quoque, vt aliquid irritet expultricem intempestiue, quæ id, quod in ventriculo continetur, non expectata concoctione, nec laborante retentrice, extrudat. Cæterum, debilitates & concoctricis & retentricis sequuntur quidem omnem intemperiem insignem, sed concoctio maxime offenditur à frigido, retentiua ab humido; quare tunc Lienteriam maxime fieri oportet, quando frigida & humida intemperies ventriculum afficit, tunc enim & concoctio & retentio pariter læduntur; quare, non mirum, si aut nulla, aut debilis certe fit in alimento alteratio. *Curatio.* Remedium autem est calefactio & exsiccatio per interna externaque alia, quibus vti solemus ad hæc ventriculi mala corrigenda, sed vbi diu perseuerat hoc malum, aut grauius est ab initio, cōiungitur omnino cum intemperie multus pituitosus humor, qui ex intemperie genitus est, aut ipse ex crapula genitus, intemperiem postea parit, & ventriculi ipsius substantiam laxat & exoluit, tunc conuenit purgatio, quæ extrahat imbutum hunc humorem ab ipso Ventriculo, hunc timens hyemem Hippocr. non vult per vomitum euacuari, sed quam recte, antea docuimus; imo si quid aliud solet hos vomitus iuuare, quocunque tempore fiat. Galenus vero, vt blandiretur Hippocrati, dicit, vomitum non conuenire, *Sententia ipsius Hippocratis non laudatur.* quando adhæserit pituitosus humor intestinis, quia ea sola sunt apta educi per vomitum, quæ continentur in ventriculo. recte quidem hæc, sed quid fiet, si pituitosus humor continetur in ventriculo, vt reuera continetur, sicut ostendimus in hac affectione? Prodest ergo vomitus, prosunt & deiectiones per exhibitionem Hieræ, quæ in hoc casu maximas laudes obtinet. *Hiera bona in lienteria.* Hæc ergo est nostra de hoc Aphor. sententia.

APHOR. XIII.

Πρὸς τὺς ἐλλεβόρυς τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι πρὸ τῆς πόσιος ὑγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ καὶ ἀναπαύσει.

Ad Helleboros, qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atq; quiete humectanda sunt.

CVm in his Aphorismis ageret de purgatione per superiora, & inferiora, merito addit quoque Aphorismum de purgatione per superiora, quæ fit ab helleboro, & duo docet, quinam scilicet ea purgatione egeant, & quid præterea præstandum sit ab his, qui helleborum sunt sumpturi. Egent autem helleboro, vt purgentur per superiora, *qui difficile vomunt*, inquit Hipp. vt verba satis ostendunt. *Hellebore quibus conueniat.* Quam sententiam Fuchsius & Cardanus peruerterunt. Ille enim scribit, non quosuis esse vacuandos per helleborum, sed eos tantum, qui facile nulloque negotio vomunt, & eos etiam postea concedit vacuandos esse, qui difficulter vomere solent, modo eorum corpora prius cibo pleniori, & quiete præparata fuerint. At Hippocr. de his, qui facile vomunt, nullam mentionem facit, & temere sane illis iniungeret vomitum per helleborum, quippe, cum sufficiant leuiora alia medicamenta ad vomitum ciendum, & admodum periculosum in illis sit vti helleboro: nam ex facilitate vomendi & vehementia medicamenti immoderatam sequi excretionem necesse est, & omnia fieri symptomata, quæ solent comitari huiusmodi euacuationes. Qui vero difficile vomunt, leuioribus medicamentis moueri non possunt ad vomitum; quare, si ita postulent eorum mala, helleboro vti debent: ex hellebori enim vehementia & difficultate vomendi tutior sequetur vomitus. *Cardanus ad vomitum temporat sunt ...* Verum, *quia helleborus solet conuulsionem parere* (vt postea scribet) vult corpora cibo multo & quiete præhumectari, vt faciles fieri possint motus. Hæc est sententia Hippoc. quæ facit contra Fuchsium.

Cardanus vero Galenum secutus, vult Hippocratem docere, corpus præparari debere, antequam sumat Helleborum cum leuioribus aliis medicamentis vomitum cientibus; de qua re ne verbum quidem Hippocrates tractat. Sententia igitur ea est. *Ad Helleboros, qui non facile supra purgantur, ducendi, & eorum corpora ante purgationem pluri cibo atque quiete præhumectanda sunt.* *Qui non facile supra purgentur.* Porro, non facile supra purgantur, *qui crassi sunt, qui tabidi, vel pituitosis humoribus abundāt, qui sunt in hyeme.* de his enim ante egit Hippocr. Egent vero helleboro, nō qui facile vomunt, nec qui leuibus morbis detinētur, sed qui maximis, vomūtq; difficile. *Helleborus quibus morbis conueniat ...* Refert Celsus, quinā sint morbi illi; *datur* inquit, *atra bile vexatis aut cum tristitia insanientibus, aut his quorum nerui par-*

parte aliqua resolutis sunt, comitialique morbo affectis, id neque Hyeme, neque Æstate recte datur, optime Vere, tolerabiliter Autumno, quisquis daturus erit id agere ante debet, vt accepturi corpus humidius sit. Hæc scribit ille 12. & 13. *capite libri secundo*. Plura vero mala adiicit Brassauolus, quæ temere credit egere helleboro, cum ad solam deiectionem per aluum pertineant Celso authore. Intelligunt autem authores per helleborum, cum vomitum mouere volunt, album. Datur autem helleborus albus vsque ad duos scrupulos, sed tunc præparatum exhibendum, sine præparatione vero scrupulus vnus exhibetur. Præparatur autem multis modis: nam Dioscorides *lib*. 4. illum miscet cum pasta ex tritico & concoquit, & postea helleborum dat vel puluerisatum vel in pilulas formatum. Sunt etiam, qui experti sunt panem illum, in quo incoctus est Helleborus, feliciter purgare. potest etiam incoqui in cotoneo excauato, deinde assumitur ipsum helleborum aut ipsum cotoneum præcipitur mandi, quod tutius est: ab aliis in aceto per octo dies maceratur, exiccaturque postea in vmbra: alii macerant in aqua vitæ, quam postea vrunt, & ea vsta helleborum exhibent; Alii authore Galen. raphano immittunt, eumque infixum seruant triduo, abiiciunt postea, & raphanum comedunt: aut macerant in oxymelite per 24. horas, postremo oxymel bibunt. Sunt tamen, qui helleborum cum raphano, cui infixus est, in oxymelite macerant: Paulus Ægineta helleborum minutissime dissecat, & ex eo drachmam vel duas decoquit in succo Ptisanæ aut Halicæ, & succū eum postea præbet abiecto helleboro. Hæc quidem de exhibitione hellebori albi, quem ego censeo non esse exhibendum, nisi vbi alia auxilia non contulerūt mitiora, cuiusmodi sunt ius pingue cum oleo, oxymel cum decocto seminis anethi, radix peponis arida cum mulsa, Betonicæ radix, & Agaricus. Validiora sunt succus Ebuli, aut Sambuci, & drachma radicis Asari, quo felicissime sum aliquando vsus in coxendice & grauioribus aliis morbis sine febre. Nigro vero helleboro sæpe sum vsus in decoctionibus cum aliis herbis & seminibus, & eo liberaui Bononiç laborātem morbo Comitiali, qui originem habebat ex tribus minoribus digitis manus.

Varia præparationes.

Mitiora & validiora vomitoria.

APHOR. XIV.

Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας, ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

Cum biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad somnos vero atque quietem minus: indicat autem nauigatio turbari motione corpus.

GALENVS putat hunc Aphorismum esse scriptum ab Hippocrate, vt doceat, qua ratione fiat, vt Helleborus assumptus maiorem habeat vim ad purgandum: quem quidem redarguit Cardanus, qui inquit, Hippocratem hic docere, non quomodo augenda vel sistenda aut minuenda sit purgatio, sed quo pacto ea commoda, facilis, celeris, & minus molesta fiat, vt venenosum aliquod medicamentum cito exeat à corpore; Cuius opinionem ego vnice probo: nam de augenda vel sistenda purgatione aperte agit Aphorismus sequens. Id autem, quod commodam & facilem reddit purgationem assumpto helleboro, est motus, inquit Hippocr. qua quidem in re videndum est de quibus motibus intelligat, & quomodo, & quando, & quatenus sint adhibendi: Deinde, quæ nam sit ratio & an illa sit communis non solum helleboro assumpto, sed aliis omnibus medicamentis purgantibus.

Si vomitus expectatur ab hellebori sumptione (vt hic vult Hippocrates) certum est, eum de omnibus motibus non intelligere: nā animi motus, vt ira & tristitia, non adiuuant vomitum, nec inter motus corporis ambulatio, quæ recta via procedit, vim habet turbandi corpus & ciendi vomitum, quare de illis solum motibus intelligere oportet, in quibus fit turbatio & commotio earum rerum, quæ sunt in stomacho, id quod faciunt maxime nauigatio, gestatio, corporis equitatio, & ambulationes quæ fiunt per circulum, leues autem oportet esse quosdam ex his motibus, alios vero vehementiores, si vomitus sequi debet: nam agitatio, quæ fit nauigando, non fit, cum mare est tranquillum, sed impetuosum à ventis agitatum. Vehemens autem ambulatio aut cursus, tuto non adhibentur, quia rapiunt helleborum venenosum aut certe malignum, suapte natura in venas, quare illi motus sunt eligendi, qui solum possint eleuare humores à stomacho, quare modus quoque adhibendus est in motibus, quos idoneos in re proposita iudicauimus esse; nec statim assumpto helleboro motus fieri debet, sed posteaquam coniectura iam ostēdit, redactum esse medicamentum (vt dicere solemus) de potentia ad actum, & cum iam purgatio fit, quiescēdum, ne equo currenti calcaria addantur. Vt autem facilis fiat vomitus, præter alios motus, cum iam ille instat, digitis vel penna oleo intincta & ructibus adiuuanda est interna ea agitatio. Est porro communis ratio cum Helleboro omnibus medicamentis, quæ vomitum mouent, ac in leuioribus quidem motus adhibentur, non quod immineat aliquod periculum ex longiore illorum mora in corpore, sed vt validior reddatur ex ea perturbatione vomitus; In illis vero medicamentis, quæ per aluum purgant, distinctio adhibenda est: nam vt leuis quædam commotio non obest, cum iam medicamentum commouet corpus, ita quies adhibenda est ab initio, quippe, cum verendum sit, ne ex commotione deiectorium medicamentum fiat vomitorium. Validiores vero motus cauendi sunt ea die, qua assumptum est purgans medicamentum, quandoquidem experientia docuit, nonnullos ex assumptione solius Cassiæ in magnum discrimen fuisse adductos, facta superpurgatione, oborta vehementi febre ex raptu, vt credibile est, medicamenti tota substantia inimici, in vasa, & viscera nostri corporis.

De quibus motionibus Hippocrates hic loquatur.

Quatenus hi motus sint adhibendi.

Quando.

Quatenus.

Motum in omnibus vomitoriis conuenire.

Motum in purgantibus per inferiora an & quando conueniant, &c.

APHOR. XV.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα. ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

Cum volueris magis ducere Helleborum, moue corpus: cum vero sistere, somnum facito, & non moueto.

VT satis verba Aphorism. ostendunt, docet Hipp. quid à nobis præstandum sit, assumpto helleboro, si forte viderimus, minorem esse aut maiorem euacuationem. Quod præceptum non leuis est momenti, quandoquidem hæc duo sæpe Medicos non parum angunt ob querimonias ægrotantium, qui conqueruntur de diminuta vel superflua purgatione. *Est ergo*, inquit Hippocrates, *remedium ad augendam purgationem, motus corporis: ad eandem vero sistendam somnus & quies.* Qua quidem in re, videndum primum est, an vera sit hæc Hippocrat. sententia in purgatione, quæ fit ab helleboro: Deinde, an ea trahi possit ad reliqua omnia medicamenta purgantia: Postremo, an alia præter motum, somnum & quietem hæc præstare possint.

Porro, corporis motus corpus calefacit, si vehementior sit: ad incrementum vero caloris sequitur, vt vel partes; in quibus augetur calor ex motu, vt sunt articuli & qui illis alligantur musculi, attrahant ex ventriculo, intestinis, & profundioribus aliis partibus medicamentum, vel etiam ipsum sponte ad loca excalefacta moueatur; Accidit quoque ex tali motu liquari extenuarique humores, & eosdem reddi aptiores ad attractionem, quam præstat assumptum iam helleborum. At vero, tales motus (meo quidem iudicio) nequaquam laudauit Hippocrates, neque enim medicamenta suapte natura & ex violentia illis adiuncta nobis inimica trahenda spargendaque sunt per omnia viscera; *Leniorem igitur motum & facilem atque breuem quandam ambulationem* intelligat oportet, nomine motus. Sed quid hæc præstare potest ad augendam euacuationem? an hoc fit quod leuis ille motus causa sit maioris faciliorisque mutationis medicamenti primum de potentia ad actum? deinde, vt facilius possit penetrare illius vis in eas partes, ad quas peruenire debet medicamentum purgans, siue hoc sit ipsum medicamentum, siue vapor ab eo eleuatus, siue vis alia quæpiam, quæ sine substantia intromissa tandem assequitur humorem, quem allicere est aptum: tertio prodest etiam motus, vt facilius descendat & colligatur in intestinis humor, qui à venis trahitur: forte etiam promouet euacuationem, quia facit ad extenuationem & colliquationem humorum, qui promptius postea attrahuntur. Merito igitur motus validiores reddit purgationes, & quies contrariis rationibus eas minuit & sistit. Somnus vero idem facit ob peculiares sibi rationes: nam per somnum vniuersus fere calor influens reuocatus ab externis partibus, colligitur circa ventriculum, atque ita vincit extinguitq; medicamenti purgantis vim, & simul prohibet, ne ea amplius

Cur motus corporis promoueat purgationem.

Quem motionem Hippocrates hic intelligat.

Quomodo motus leuis operationem ellebori possit iuuare.

Somnus & quies cur purgationem sistant.

A immittatur in exteriores venas; atque etiam, ne ipsi humores influant in Ventriculum & intestina: nihil enim horum fieri potest absque calore illius motu; qui per somnum, vt diximus, in ventre collectus, quiescit. *Igitur inchoatam purgationem somnus firmat, aut certe vehementer debilitat*, vt experientia quoque docet. Cur ergo Medici plurimi assumpto medicamento purgante, somnum imperant? an id non faciunt, posteaquam medicamentum vacuationem inchoauit, sed cum ipsum recenter assumptum eget collectione caloris, vt facilius medicamentum actu fiat purgans, quod antea erat solum potentia? Quæ quidem si vera sunt, vt putamus, his solum iniungendus est somnus, qui debiliori B sunt calore, vel frigidius, crassius, vel durius medicamentum assumpserunt, hoc enim requirit ampliorem calorem in ventriculo, vt perficiantur purgationis opera; aliis vero temere adhibetur somnus. Cæterum præter motum, quietem & somnum, post assumptum medicamentum, quidam ex Medicis iubent assumi aquam hordei, vel iuscula, & ea non pinguia; alii vero hæc damnant; ac inter eos, qui illa probant, dissensio quoque est: nam Hippocr. bibendum aliquid tale esse statim assumpto medicamento purgante scribit, alii vero id fieri volunt iamdudum inchoata purgatione, alii vero non, nisi cum iam instat edendi tempus. Porro, exhibendum aliquid esse liquoris prædicti censeo, sed non quo- C uis tempore in omnibus: nam malignis, & vehementibus assumptis medicamentis, quale est helleborus, & alia antiquorum pharmaca, prodest statim assumpto medicamento, more Hippocratis benignum & familiarem liquorem assumere, vt abluatur os, œsophagus, & stomachus, ne aliquid medicamenti illis inhæreat partibus, quæ exquisito sensu sunt præditæ, sed tanta non debet esse potio, vt vim medicamenti extinguat; in mitioribus vero medicamentis, si feliciter procedit purgatio, nihil exhibendum antequam instet edendi tempus: tunc autem omnino concedi debet ex aqua hordei vel iusculo macilento cum sacharo, vt abstersione ab eo facta, nihil amplius inhæreat ventriculi tunicis, quod appetentiam, retentionem & concoctionem alimen- D ti turbare possit. Quod si purgatio feliciter non peragitur, idque fiat vel ob debilitatem medicamenti, vel ob crassitiem & frigiditatem humorum, cōmode quoq; auxiliatur potio calidior assumpta: ea enim, vt experientia sæpe docuit, collectis reliquiis ipsius medicamēti assumpti, & liquatis humoribus, solet haud multo post feliciter aluū mouere. Proderit quoq; eadē in calidiorib. naturis, & morbis, validior enim ex ea irrigatione & humectatione facta natura, felicius purgationi seruit. quod si purgatio validior est, spectandum, an ob solam medicamenti vehementiam id fiat, vel etiam ob morsionem excitatam E in intestinis, illi medetur per somnum & quietem, cibi & potionis copiosa assumptio: huic vero iuscula abstergentia primum, deinde pinguiora succedere debent.

Cur plerique Medici assumpto medicamento purgante somnum imperent.

Quibus purgandis somnus iniungendus.

Cur statim purgationis sit sumendum aliquid liquoris, quando itidem quantum.

APHOR.

APHOR. XVI.

Ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι σάρκας ὑγιέας ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

Carnes sanas habentibus Helleborus periculosus, facit enim Conuulsionem.

PErtinet hic Aphorismus ad curationem, & vsum hellebori; docet enim, quid contraindicet purgationẽ per helleborum, nempe, sanitas carnis: *qui enim carnes sanas habent*, inquit, *non possunt ferre vsum hellebori sine periculo*: Subiungit autem periculi genus, nempe Conuulsionem. Putat autem Galenus hunc Aphorismum particulariter explicare, quod vniuersaliter docetur 36. & 37. *Aphorismo secundi libri*, vbi scribitur: *qui salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati, cito exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo*. Et qui bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes. Verum aliqua agnoscitur differentia: nam illic de his, qui bene habent, simpliciter tractat: hic vero de his, qui solum habent carnes sanas. Differunt autem hæc inter se corpora: nam vt Hippocrat. scribit *in libro de vsu hellebori*, purgatio per superiora eis commoda est, qui absque febre laborant cibi fastidio, ventriculi punctione, vertigine, oris amaritudine, & vt semel dicam, doloribus supra infraque septum transuersum, seu etiam in lumbis sint, & genuum grauitas adsit, vel mensium suppressio, & similiter, vbi morbus ex defluxione & cerebro oritur. Constat igitur in his omnibus & carnes & humores in venis contentos bene se habere posse, & tamen conuenire Helleborum, quibus magis est periculosus, quam si in venis esset Cacochymia, & carnes eadem essent imbutæ: nam vehementia medicamenti exoluitur à Cacochymia. Cur afferat Conuulsionem his, qui sanas habent carnes, nunc videndum est, & postea quænam alia mala præter Conuulsionem his corporibus afferre possit.

Vomitus quibus conueniat.

Cur sanas habentibus carnes elleborus afferat conuulsionem.

Porro, Galenus *in Comment.* scribit, illud peculiare esse helleboro, vt faciat Conuulsionem, propter operationis vehementiam. Quam opinionem etiam Cardanus recte refellit: nã scammonium, colocynthis, & alia nõnulla vehementius purgant helleboro, non tamen Conuulsiones faciunt, quæ deberent pariter succedere super purgationibus à Medicis dictis, id quod experientia non docet, at forte id facit eo, quod per vomitum purget, dum sursum & deorsum (vt vomitus vehemens postulat) gulam ac asperam arteriam & neruos, qui in ipsis sunt, trahit. An potius Conuulsionem parit ob peculiarem quandam suam malignitatem, qua præfocat vel mordicat? nam ob nimiam euacuationem & siccitatem, postea ostendemus Conuulsionem fieri nõ posse. Hæc profecto doceri non possunt nec scribi, quia nemo iam Helleboro albo vtitur ad vomitum mouendum, aut alio modo purgandum corpus, propterea nec quid faciat, aut quomodo prosit, aut obsit percipere possumus; Ratio autem dictat alia mala ipsum adferre posse, præter Conuulsionem: nam ob vehementiam actionis,

A vniuersum corpus commouet, stomachum veluti dilacerat, etsi excedat vires eius, qui purgatur, aut non inueniat malos humores, donec illius vis extincta sit, dysenterias, exolutiones corporis, animi deliquia, & tandem mortẽ inferre est aptũ. Sed præstat ad ea, quæ vtiliora sunt, properare: nam in re ob tanta pericula merito derelicta, superfluum est accuratas excogitare interpretationes.

An ellebori vsus alia etiam mala præter conuulsionem afferat.

APHOR. XVII.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη καὶ καρδιωγμὸς καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δέεσθαι σημαίνει.

B *Si quis febrem non habens, abstineat à cibo, & cordis morsum, & tenebricosam vertiginem patitur, & oris sentit amaritudinem, purgatione indigere per superiora significat.*

VT in superioribus Aphor. docuit, in quibusdam affectibus conuenire purgationem per superiora, vt in gracilibus & facile vomentibus & in æstate, in aliis vero cõuenire purgationem per inferiora, vt in bene carnosis, difficile vomentibus, tabidis, melancholicis, in hyeme, & in his, qui leuitate intestinorum laborant, ita nunc multos coniungit casus, in quibus conuenit purgatio per
C superiora. Neq; vero putandum est, eum existimare, non esse vtilem huiusmodi purgationem, nisi illis, qui hæc omnia mala simul patiuntur. Conueniet igitur purgatio his, qui hoc solum patiuntur, quod deiectam habeant appetentiam, aut sentiunt morsionem in Corde, aut laborant vertigine, aut sentiunt in ore amaritudinem, ac multo magis si hæc omnia mala sint coniuncta. Verũ, quod scribit: *Si quis febrem non habens, & prædictis morbis laboret*, videtur significare, se intelligere de purgatione per superiora facta ex helleboro: nam alia mitiora, quibus vtimur ad vomitum ciendum, forte non vereretur exhibere etiam præ-
D sente febre. Iam vero videndũ est, quomodo cõuenire possit singulis affectibus enumeratis in Aphorismo purgatio per superiora, siue per helleborum fiat, siue aliter.

Occurrit ergo primum cibi inappetentia, quã ἀποσιτίαν, quasi dicas à cibo abstinentiam, quæ multas potest habere causas, *vt in primo libro Aphoris.* ostendimus: nam si ad appetitum conciliandum requiritur euacuatio Ventriculi, & vacuationis sensus, & præterea robur eiusdem visceris & facultatum, quæ in eo sunt; profecto continget appetentiam vel minui, vel etiam perdi, si vna ex illis causis desit, id quod experientia docet: nam qui in otio degunt, aut crapulæ indulgent, nunquam fere cum appetitu cibos ingerunt,
E semper enim in illorum ventriculo continetur aquosus pituitosusque humor, qui replet. Sic qui delirant, quia non apprehendunt molestiam, quę oritur ex vacuatione & dissolutione, quæ fit in stomacho, cibos non appetunt. Æstas vero, febres, & alia, quæ vehementius calefaciunt, eo quod dissoluant robur Ventriculi, appetentiam quoq; perdunt, & propterea acida pituita, & humor

Quomodo vomitus succurrat inappetentiæ.

melancholicus in orificio ventris imbibitus, solent vehementem famem afferre, eo quod cum astrictione, cum qua robur seruatur, exprimant, vacuentque humorem in substantia Ventriculi contentum. Contra vero bilis flaua, appetentiam perdit, quoniam eandem substantiam digerit cum dissolutione partis. Ergo cum tot sint causæ, quæ lædunt appetentiam cibi, cur Hippocrates laudat purgationem per superiora, quam antea dixit solum conuenire, vbi intus nocet humor biliosus?

Cæterum, καρδιωγμὸς siue cordis passio fieri etiam potest, non solum à bile, sed etiam à pituita salsa, & seroso humore adhærente orificio stomachi, quod cor etiam vocarunt maiores nostri; quare huic malo non solum conuenire debet purgatio per superiora, sed etiam per inferiora. Quid vertigo sit, satis patet ex Galen. *Commento*, patiuntur enim Vertiginem hi, quibus videntur res conspectæ circumuolui, & sensus visus repente destruitur, sibique tenebras circumfundi opinantur, idque inquit fieri ore Ventriculi à malis humoribus morso: nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum à cerebro veniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. In quibus quidem verbis, illud non probo, quod dicat, Vertiginem fieri ore Ventriculi à malis humoribus morso: nam absque aliqua morsione multos vidi Vertigine correptos ex sola cruditate stomachi, & ego nonnunquam ex eadem causa, cum in iuuentute vehementius incumberem literis, hoc malum sum passus absque aliquo morsu cordis. Præterea, illud etiam haudquaquam recipio, quod has circumuolutiones & tenebras circumfundi oculis tradat, ob neruos, qui à cerebro inseruntur in orificium Ventriculi: nam absurdum esse arbitror, existimare per neruos aliquid ferri vaporis aut humoris à stomacho ad cerebrũ, aut à cerebro in alias partes descendere; sed hæc mala nascuntur ex vaporibus per Oesophagum, arterias, & venas elatis ad oculos, & ad cerebrum, quo modo videmus ex motibus circularibus fieri aliquid verisimile, quod contingere non potest, nisi ex spiritibus vario modo agitatis. His itaque malis & oris amaritudini non solum vomitus per superiora, sed etiam euacuatio per inferiora prodest, vt ostendit purgatio facta ex Hiera Galen. quam ipse passim in his affectibus alibi commendat.

Quomodo vertigo.

APHOR. XVIII.

Τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσιος δέονται, ἄνω φαρμακείης σημαίνει δεῖσθαι, ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

Supra septum transuersum dolores purgatione indigere per superiora significant, quicunque vero inferiora molestant, per inferiora.

HVNC Aphorismum difficile est interpretari, vt verba illius significant: nam si simpliciter intelligamus omnes dolores, qui sunt supra septum transuersum, egentes purgatione, curandos esse per vomitum, absurda redditur sententia; Etenim capitis, gulæ, scapularum dolores, vomitu iuuari non possunt, nisi causam habeant & originem ex humore cõtento in orificio stomachi. Nec profecto Aphorismus extenditur ad omnes dolores, qui sunt in pectore siue thorace supra septum transuersum, vt Galenus sentire videtur *in Commentario*, qui clarum esse dicit, omnes dolores, qui sunt supra septum transuersum, indigentes purgatione, eam adhibendam esse per superiora, propterea quod necesse sit facere euacuationes secundum humorum infestantium motus: nam quænam, quæso, via patere potest ad vomitum humoribus vitiosis contentis in venis musculorum thoracis aut conclusis in ipsis musculis vel in tunicis & membranis, quæ ambiunt thoracem vel alio quocunque modo in ipso reperiuntur? De illis tamen doloribus videtur intelligere Hippocr. quandoquidem *libr. 2. & 4. De Victu acutorum*, cum agit de curatione Pleuritidis, aperte scribit, purgandum esse, si dolor vergit ad septum transuersum: mittendum vero sanguinem, si ille ascendit ad iugulum. Quæ sententia, eos etiam refellit qui credunt, Hippocr. hic solum tractare de doloribus omnibus & molestiis, quæ oriuntur ex orificio oris Ventriculi: nam præter ea, quę adduximus *ex libris de Victu acutorum, ex superioribus Aphorism.* satis constat, hunc authorem solum imperare purgationem per vomitum, vbi dolores & affectiones aliæ nascuntur ex humore bilioso, quarum quidem minima forte pars est, maior autem ex cruditatibus & ex pituitosis aquosisque humoribus solis, vel etiam cum flatibus mixtis. Neque vero hanc opinionem confirmat, quod scribit Galenus vacuationes esse faciendas secundum motum infestantium humorum: primum enim videre oportet, an motus ille reuellendus sit & sistendus; deinde, an fiat etiam sursum, cum partes superiores laborant. Plurima enim pars dolorum, qui fiunt supra septum transuersum, in thorace nascuntur ex fluxionibus, quas per venas cerebrum deorsum mittit: inferiores vero partes, nescio, quo modo transmittere possint humores noxios in superiores thoracis partes; non ergo dolores, qui infestant partes supra septum transuersum, fiunt ex humoribus ascendentibus magis, quam ex descendentibus: quare, nec euacuatio, quæ fit per vomitum, sequitur humorum infestantium motum. Postremo, præter motum humoris, maxime debet sequi Medicus conuenientes vias & colligationes vasorum, per quas via patet euacuationi lædentium humorum. Si enim forte confluant humores ab inferioribus partibus ad caput, aut sine fluxione calidi sint & biliosi, contenti in venis habitus corporis, quis, quæso, tentabit illos euacuare per partes, quæ in capite continentur? quippe, cum nulla illis pateat via per aliquam cauitatem, præterquam per venas, quæ in musculis quoque finiuntur, nec apertam habent connexionem cum capite, per quam possit fieri per nostra medicamenta euacuatio per superiora. Vt igitur Aphorismi verba nullam sententiam continent, quæ rationi aut experientiæ congruat: sic frustra se conterunt interpretes, vt aliquid in ea re dignum excogitent.

Aphorismus nec rationi, nec experientia est congruum.

APHOR.

APHOR. XIX.

Ὁκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσιν μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται, πρὶν ἢ διψήσωσιν.

Qui medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt, priusquam sitiant.

NON de his, qui purgati iam sunt, sed adhuc purgantur, assumpto medicamento, intelligendus est Aphorism. nam qui iam purgati sunt, quiescunt. Vult autem docere Hippocr. terminum, quem
B assequuntur laudabiles purgationes: illæ enim antequam finiantur, solent sitim aliquam afferre; quod si sitis vehementior sit, iam purgatio videtur excedere mediocritatem: Propterea recte dixit, *non quiescunt, priusquam sitiant*, qualemcunque scilicet sitim, & non magnam in hoc casu requirens. Nec hoc præceptum pertinere potest ad omnes purgationes, quæ enim sunt imbecillæ ex leuioribus, quam par sit, medicamentis factæ, quiescunt priusquam oriatur sitis. Itaque recte dictū est, hoc solum pertinere *ad moderatas purgationes, quæ fiunt à medicamentis, quæ apta sint euacuare mediocriter corpora. quæ opus habent purgatione.* Cæterum quod Galenus scribit, sitim statim in nonnullis, qui purgantur, fieri, in aliis
C vero postea, & hoc fieri propter ipsius ventriculi dispositionem, vel propter propinatum medicamentum; vel ob naturam humoris, qui euacuatur, tangit quidem sitis causas: verum nihil ad Aphorismi sententiam: non enim quid fiat statim assumpto medicamento, quid sequatur ratione affectionis præexistentis in ventriculo, aut qualitatis medicamenti, vel humorum, qui euacuantur, spectat Hippoc. sed quid tandem sequatur euacuationem, quæ fit in purgatione: eam enim profecto oportet esse imbecillam, & diminutam, quæ humores contentos in ventriculo irrigantes suas tunicas & ipsius orificium non attigit; quod si illius portio iam euacuatur, sitis quoque iam sequitur, quæ nihil aliud est, quam
D appetentia aquosi humoris, quo restituitur roridus & aquosus humor, quo partes irrigantur. *Sequitur ergo omnes iustas purgationes in omni tempore, in omnique natura huiusmodi sitis: minor vero aut maior accidit, tum ratione medicamenti, tum dispositionis corporis & humorum qui in eo existunt*, nam acria & calida medicamenta, in tempore calido, & corporibus biliosis vel siccis, promptius sitim adferunt, etiam non perfecta ipsa purgatione, & eam quoque vehementiorem pariunt, & vbi humor est biliosus, præsertim circa ventriculū, eo euacuato, quæ iam erat nata sitis, assumpto medicamento, sedatur: deinde, eo rorido euacuato sitis pariter sequitur. Contraria contingunt à medicamentis frigidis & aquosis, in temporibus natura frigidis. Quare videtur reuera A-
E phorismus intelligi solum de purgatione, quæ fit à moderatis medicamentis ad vacuandos pituitosus & aquosos humores: in eo enim casu nihil est, quod possit sitim afferre, quam quærimus, vt metam istæ purgationis, præterquam ipsa euacuatio, quæ humores non solum contentos in cauitatibus venarum, intestinorum, & ventriculi,

De quibus purgationibus sit intelligendum.

Omnium tam paratā purgationem in omni tempore & natura sequi sitim moderatam.

A sed etiam in ipsa substantia ventriculi imbibitos educit.

APHOR. XX.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γίνηται στρόφος, καὶ γονάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius oportere, significatur.

IN hoc Aphorismo continet veluti conuersam propositionem decimiseptimi: illic enim plures casus recensebat, qui indicabant
B purgationem per superiora: hic vero illis contrarios coniungit, qui suadent purgationem per inferiora. Relinquit autem commune, quod febris non adsit, nec solum quidem omnia hæc mala coniuncta, sed singula per se exigunt huiusmodi purgationem. Etenim tormina materiam habent subiectam, pituitam multam, ex qua gignuntur flatus, qui tormina efficiunt, dum intestina distendunt & difficilem habent per illorum reuolutiones exitum; merito igitur purgationem adhibet Hippocrat. ad pituitam euacuandam, tanquam radi-
C cem huius mali. Cæterum dixit genuum *grauitatem* & non *dolorem*, vt ostenderet materiam esse pituitosam, quæ grauitates solet partibus procreare, cui purgatio per inferiora debetur, nisi forte fluxio à superioribus partibus moueatur, cui reuulsio per vomitum maxime medetur. Iam vero in lumbis sunt lumbi ipsi, qui dolere possunt, præterea, renes, & vena caua. Verum, lumbi ob compactam eorum substantiam non recipiunt pituitosos humores, sed fluxiones calidas; istæ solent dolores excitare cum febribus, quas excludit Aphoris. Possunt pariter fieri lumborū dolores ex lassitudine motoria, & aliis certis causis externis, de quibus non est intelligen-
D dus Aphorismus. Itaq; superest, vt dolores sint in renibus & obstructionibus factis à lapidibus, vel pituitosis humoribus: nam qui fiunt ab aliis causis, solent quoque coniunctam habere febrem. Dolores vero ex calculis iuuat purgatio per inferiora, siue intelligamus eam, quæ fit per aluum, siue etiam, quæ fit per vrinam: etenim quæ per aluum perficitur, tollit pituitosam materiam in ventriculo, intestinis, venis, & hepate contētam, quæ calculorum est materia. Quæ vero per vrinas fit expurgatio, detrudit id, quod renum cauitatem occupat; at dolores, qui fiunt circa lumbos in caua vena per febres, materiam habent ebullitionem humorum, & flatuum generationem, quibus sola refrigeratio extrinseca sępe medetur, alii vero, qui fiunt vel à multo sanguine pituito-
E so, vel melancholico, aut etiam in mulieribus instāte earum purgatione à sanguinis multitudine, commodissimam habent expurgationem vel per hæmorrhoidas, & in mulieribus per vterum; vacuatio tamen, quę fit per aluum, his malis succurrere solet, vel deriuando, vel euacuando materiam, quæ parata est influere, & venam replere, atq; extensione dolorem inferre. Cæterū vt tormina

Cur tormina exigant purgationem, & eam per inferiora.

Quare de grauitate genuum, non de dolore [illegible]

Lumbi qui ex quibus causis possunt dolere.

Quid per dolorem lumborum hic intelligatur.

Cur dolori renali conueniat purgatio per inferiora.

sic dolores Colici & vesicæ atque vteri non solum genuum, sed etiam coxarum & pedum grauitates, & non solum lumborum, sed etiam spinæ totius dolores solent iuuari purgationibus per inferiores partes.

A P H O R. XXI.

Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα καὶ σὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα. καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα τῶν ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον· ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον, καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα ᾖ, οὐ πονηρά.

Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes siue cum febre, siue sine febre, pessimæ, & quando colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicamento vero melius, & quanto colores plures fuerint, non malum.

DVas hic Aphorismus continet sententias inter se longe diuersas; vnã, quę pertinet ad deiectiones nigras, aliam ad varia excrementa, quæ excernũtur sponte aut cum medicamento: quærit enim, an melius sit vel deterius potius, illas fieri vel sponte vel à medicamento. Quæ pars nihil habet commune cum prima; neque enim deiectiones nigræ recipiunt plures colores, de quibus vltima pars agit: neque melius aut deterius in illis datur, si omnes pessimæ sunt. Scribendus igitur erat vnus Aphorismus ad hunc modum: *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes siue cum febre, siue sine febre, pessimæ.* Alius vero vel hic, vel alibi ita debebat enunciari; *Deiectiones, quæ plures habent colores sponte facta, deteriores sunt, quam si fiant à medicamento.* Nunc vero videamus, quæ, & quot sint deiectiones nigræ, & à quibus causis fiant, & quæ sint nigræ, sicut sanguis niger, & cur illæ sint pessimæ, si sponte veniant, siue cum febre, siue sine febre fiant; & an non sint deteriores cum febre, quam si sine febre accidant; & si fiant à medicamentis, an par sit malum.

Aphorismi verus sensus & diuisio.

Porro, nigræ deiectiones fiunt excreto sanguine nigro, vel nigro aliquo humore à sanguine separato; sanguis vero niger fit, vel exuperante in eo nigro humore, vel toto ipso sanguine per adustionem denigrato: Tertius modus compositus est, quando exuperat in eo niger humor, & simul accedit adustio: niger vero humor in corpore, est humor melancholicus, & atra bilis ex eo humore adusto genita, non autem ex alio, vt ex bile flaua, vt postea ostendemus. Non potest autem intelligere deiectiones nigras, quæ fiunt sanguine nigro excreto: illæ enim non sunt sicut sanguis niger, sed ipse niger sanguis. Quare erunt nigræ deiectiones ex simplici humore melancholico excreto, vel ex eo per assationem iam mutato in atram bilem. Porro, omnes huiusmodi deiectiones nigræ, malæ sunt, sed non omnes pessimas, docuit esse experientia: nam quemadmodum scribit Galenus *in libro de Constit. Artis medic.* in compositione totius massæ humorum plurimum debet esse sanguinis, post illum plurimum pituitæ, bilis pallidæ minus, minimum vero humoris melancholici. Malum autem oportet esse eum corporis statum, in quo frigidus & siccus, & crassus & terrenus, &, vt vno verbo dicam, omnium pessimus humor ita exuperat, vt natura, quod nunquam per sanitatem bonam efficit, cogatur venas aperire, vt eam materiam, à qua ob multitudinem premitur, per aluum extrudat: tamen excretiones humoris melancholici nonnunquam videntur liberare hominem à grauissimis passionibus: nam cum vrinis nigris fere omnes quartanæ soluuntur; cum deiectionibus vero nigris subsident ingentes tumores Lienis, difficiles sordidaque scabies, melancholica delitia, varices, diuturni capitis dolores, & multa alia mala sedantur. Quare huiusmodi excretiones ex solo humore melancholico factæ, malæ sunt semper tanquam signa: plerumque autem bonæ tanquam causæ; ostendunt enim (vt dixi) malam subesse in corpore dispositionem, quæ humorem auget mirum in modum supra naturalem proportionem suapte natura malum; cum vero per eius excretionem expurgatur corpus, & confert talis excretio, causa fit salubris. Id vero contingit maxime, si euacuatio fiat sine febre. cum febre vero pessimas esse eas euacuationes necesse est, propterea, quod necesse est putredinem adesse, quæ nihil aliud est, quam cruditas, quæ in humore, qui raro plurimum exuperat, (quod necesse est fieri, vbi fiunt tales excretiones) vix vnquam emendari potest. Cum ea vero cruditate omnes quidem excretiones malæ, sed illæ pessimæ sunt, quæ pessimam habent & maxime exuperantem materiam. Quę vero deiectiones sunt nigræ ex humore melancholico adusto, siue cum febre fiunt, siue sine febre, pessimæ omnino sunt, & tanquam signum, & tanquam causa, indicant enim duplicem dispositionem malam: vnam, quæ humorem melancholicum plurimum gignit: aliam, quæ ipsum adurit, quæ cum supersit excreto eo humore, alium rursus procreat, eaque nunquam sinit, corpus exacte expurgari, à causa igitur simpliciter bona esse non potest. Verum tales deiectiones, quæ fiunt ex atra bile putrescente, longe deteriores sunt, quam quæ fiunt sine febre. Cæterum Galen. interpretationem non video integram sententiam Hippocratis complecti, nec rationem aliquam reddere eorum, quæ hic dicuntur: nam si deiectiones nigras non vult fieri ab exquisita nigra bile, sed à sanguinis limo & fæce, quæ nihil aliud est, quam humor melancholicus dictus, quem Lien ad se trahit, & eo nutritur, exuperatque cum fit deiectio nigra, quomodo potest esse pessima? Amplius non docet, quomodo sine febre pessimæ esse possint, siquidem exemplum, quod affert de pestilenti morbo, in quo deiectiones nigræ apparebant, erat omnino cum febre. Præterea, Hippocr. dicit, pessimas esse, si sponte veniant, ipse vero verbum *venientes* interpretatur non in principio vel incremento morbi, sed per vniuersum morbum, aut certe per longum tempus, ita vt vigente morbo, dicat tales excretiones sæpius expurgare naturam. Ad hæc interpretatio quæ bonas facit excretiones nigras, non respondet authori, qui eas pessimas esse iudicat. Rectius ergo intelligimus,

Deiectiones nigræ quæ & quot.

Deiectiones omnes esse malas, sed non pessimas.

Deiectiones nigræ quæ sunt malæ & quæ itidem bonæ.

Cur euacuationes nigræ cum febre sint pessimæ.

Deiectiones nigræ malæ, sine & cum febre pessimæ.

sponte

sponte venientes, ac si diceret, *quæ sponte fiunt*, nullum morbi tempus includens, in quo fiant; certum autem est, deteriores illas esse, vt & alias omnes, quæ sunt cū febre, si fiant in morbi principio, vel augmento, vbi vel nullas vel exiguas impressiones in materia lædente natura fecit; febre vero absente, nihil refert, an in vno vel alio morbi tempore fiant hæ excretiones. Illud vero, quod scribit, Splenem nutriri humore melancholico, recipiendum non est: quandoquidem omnis pars sanguinis particeps quatuor humoribus alitur; verum autē est, quod sanguine nutriatur, & ipsum humorem melancholicum, quem ob familiaritatem per se allicit, facta nutritione postea expellat.

Sequitur nunc pars Aphorismi, quæ agit de deiectionibus, in quibus cōspiciuntur plures colores, quas dicit deteriores esse, si à natura fiant: si vero fiat expurgatio vi medicamenti, id esse melius, & quanto colores plures fuerint, eos non esse malos.

Qua quidem in re primum illud sciendum est, colores, qui apparent in deiectionibus, vel esse secundum naturam, vel præter illam, aut ambigere inter hæc duo. Sunt porro naturales colores in bile pallidus color, in humore melāchoilico nigredo sine splendore, in pituita vix mutatur color, nisi per mixtionem aliorum humorum, à quibus tingitur: color vero, qui æruginem, aut vitellos oui, vel isatidem, aut porrum refert, præter naturam est, flauus autem iam habet aliquid plus adustionis, quam perfecte sanis hominibus conueniat; Sic atræ bilis color niger & resplendens, præter naturam est ex causa præter naturam, id est, multum excedente genitus. Prauos colores in deiectionibus damnat hic Hippocr. & non alios, si plures sint: sed qua ratione expendamus, quæso; Merito sane iudicat malas esse illas deiectiones, in quibus plures sunt praui colores, *quoniam plures ostendunt prauas subesse in corpore dispositiones, quæ tales humores gignunt, tantum iam exuperantes, vt naturam stimulent, moueantque ad excretionem*; Melius autem est ex malis affectibus simplex, quam compositus; vnus, quam plures. Quid si colores plures sint, sed secundum naturam, ita, vt in deiectionibus appareat color bilis, pituitæ, & humoris melancholici, hunc semper excipio, qui semper malum ostendit, in aliis simplex malum est, quod scilicet ostendat solum excessum bonorum humorum in corpore, nullam autem subesse prauam dispositionem, sed naturalem, quæ naturales humores procreat; Melius autem est in deiectionibus à natura etiam factis, plures tales humores excerni, quam vnum, quandoquidem, synceras deiectiones alibi & recte damnat Hippocr. quippe, cum syncerus humor excerni non potest, quin plurimum ille exuperet, huiusmodi vero excessus malam testatur dispositionem, quæ iam temperiem vitiauit, quæ cum bona est, nata & apta est generare omnes humores, seruata iusta proportione. Ad proportionem colorum, qui sunt praui & boni, iudicandum est de neutra dispositione.

Plures colores praui in deiectionibus cur mali.

Plures colores secundum naturam in deiectionibus cur meliores.

Cæterum, quod ait, *cum medicamento vero melius*, non est intelligendum verbum *(melius)* quod sit bono melius: nam praui colores semper mali sunt, eo quod ostendant prauas subesse dispositiones, quę non tolluntur per huiusmodi deiectiones, est tamen melius, quam si à natura fiant: cum enim fiunt à medicamento moderato & recte exhibito, non indicatur necessario magnus esse adhuc excessus in ipsis excrementis, & in dispositione, quæ ea gignit; illud vero bonum est, quod medicamentum anteuerterit periculū, quod alioqui sequebatur ex futuro incremento talium humorum, & interim minuuntur morbosæ causæ. Quod vero postremo addit, *& quanto colores plures non praui*, si intelligatur de coloribus secundum naturam apparentibus in deiectionibus, id non solum non prauum, sed etiam bonum: nam expurgatur ita exacte corpus ab omni excedente humore, & cum nulla subsit praua dispositio, corpus sanum & mundū relinquitur. At si colores praui fuerint, & plures, bonum hoc solum est vt causa, quod scilicet natura exoneretur à prauis humoribus; relinquitur autem malum esse, vt signum: quia hoc prodit prauam relinqui adhuc in corpore dispositionem.

Cur melius sit, si deiectiones tales fiant cum medicamento.

APHOR. XXII.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω, ἢ κάτω ἐπέλθῃ, θανάσιμον.

Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra vel infra exierit, lethale.

HIc Aphorismus differt à præcedente, quod in illo agat de nigris deiectionibus, qualis est sanguis niger: in hoc vero de atra siue nigra bile, quæ vt *in principio Commentarii sui* docet Galenus longe inter se differunt. Alia quoque est differentia, quod in illo tractet solum de deiectionibus; in hoc vero de omnibus excretionibus nigræ bilis per superiora vel inferiora: Præterea quod in hoc de excretionibus solum agat factis in principio morborum, in illo vero de deiectionibus (vt vult Gal.) perseuerantibus per plura morbi tempora: Postremo, quod in illo dicat, deiectiones esse pessimas: hic vero excretionem atræ bilis, lethalē. Verum (vt antea ostendimus) deiectiones nigræ, nisi illæ fuerint ex atra bile, pessimæ esse non solent. Nunc vero reliqua, quæ pertinent ad enarrationem præsentis Aphorismi, prosequamur, & primum quid sit hæc atra bilis, qualis illius materia, qualis forma & qualitates, quænam causæ illam gignant, & in quo loco.

Scribit Galen. *in lib. De Atra bile*, hanc differre ab humore melancholico, quod illa acerba & acida sentiatur euidenter & gustu & odoratu, sitque aceto acerrimo similis, & propterea terram fermentet, nec illam, inquit, musca, vel aliud animal gustare audet, eandem præterea esse crassam & propterea fieri, vt eas partes, quibus impermixta adhærescit exedendo vlceret.

Atra bilis quid & quomodo ab humore melancholico differat.

Cæterum, eam gigni refert ex atro humore superassato, & propterea esse exitialem; qui enim, inquit, exactam atram bilem deiiciunt, omnes pereunt; quia id sanguinem assatum esse indicat. Sed multo perniciotior, inquit, est atra bilis, quæ ex flaua gignitur, quippe, cum hæc efficacior sit eo humore, qui veluti fæx sanguinis est, ex quo

Quæ illius materia.

alia species atræ bilis gignitur. Addit *in fine illius Operis*, atrā bilem non gigni in sanis, sed duntaxat in corporibus præter naturam habentibus, & ex causis calefacientibus & siccantibus: At, humorem melancholicum nullum habere euidentem saporem, qualem dixit esse in atra bile, tametsi scribit, Lienis saporem, qui gignit, aut certe in se continet humorem hunc melancholicum, quem attraxit ab hepate, habere quippiam acerbum. In *hoc* vero *Commentario* ideo dicit, atræ bilis excretionem in principiis morborum esse lethalem, quia nihil excerni potest inchoantibus morbis ratione naturæ, sed symptomatis, propterea esse symptomaticas & dici huiusmodi excretiones, quæ scilicet fiunt sine signis concoctionis: in bonis namque euacuationibus præire oportere concoctionem; subsequi deinde separationem; postremo, sequi euacuationem, sic enim corpus à natura expurgari. Merito igitur atræ bilis & alterius omnis humoris excretionem, vbi signa concoctionis in morbi progressu apparuerint, bonā esse; Si vero fiat excretio sine signis concoctionis, casum esse exitialem, id quod necesse est fieri in principio morbi, in quo semper sunt signa cruditatis. Hæc collegimus ex Galen. quæ passim ipse inculcat, quæ à nobis sigillatim sunt examinanda. Primum enim non recipio duas species atræ bilis: vnam ex assatione humoris melancholici: aliam vero ex adustione bilis flauæ: nam ex hac bile adusta, & tandem in puluerem redacta, nunquam nigra aliqua materia fiet, sed veluti cinis, vt apparet ex adustione lignorum, in quibus vltima materia nihil aliud est, quam cinis, qui profecto niger appellari non potest. Tales quoque cineres sæpissime videmus excerni in declinatione etiam febrium longarum, aut ardentium, vltima facta in eum resolutione humoris putrescentis. Est enim (vt inquit Aristot.) putredo, quæ tandem tales cineres relinquit, dissipato omni humore, qui inerat in re putrescente. Præterea, si fieret aliqua atra bilis ex flaua (vt obiter antea diximus) non vtique illa haberet acerbum & acidum saporem, quippe, cum ex amaro non gignatur austerum & acidum, sed ex acerbo. Adde quod illa atra bilis, quæ ex flaua dicitur generari, non potest esse deterior illa, quæ fit ex humore melancholico: est quidem efficacior flaua bilis eo humore, non tamen propterea deterior; id quod etiā ostendunt morbi, qui ex vtroq; humore gignuntur: nam ex atra vere bile crassa, facta ex humore melancholico non solū Dysenteriæ, sed Cancri, & alii morbi fiunt, omnes lethales: ex flaua vero bile adusta, forte Mania, & alii morbi diuturni quidem, sed raro lethales; præterea, quod scribit, atram bilem non gigni in sanis, quomodo fieri potest? nam si ex sola assatione prouenit, quid prohibet, illam in ætate consistente, vel vigente & in Æstate atque Autumno procreati, vt sæpe etiam testatur? Vnam ergo dicamus esse atram bilem, quæ ex atro humore melancholico dicto, non solum assato, sed vehementer putrefacto generationem suam habet: nam simplex assatio illius humoris, non potest, meo quidem iudicio, gignere tam lethalem materiam, qualem memoriæ prodiderūt maiores nostri, & continua declarat experientia. Quod si credimus, quartanas febres ex humore melancholico putrescente fieri, id quod osten-

Ex bile adusta quid fiat.

Ex flaua bile non fieri atram.

Bilem flauā esse atra efficatiorem, sed non deteriorem.

A dunt sæpe vrinæ nigræ, quæ quartanas finiunt, profecto recte dictum est, non simplicem qualemcunque, sed vehementiorem requiri putredinem in humore melancholico, vt fiat atra bilis perniciosa. Quod si febres non semper videntur comitari excretionem atræ bilis. (quod aliter forte nunquam visum est) id dicemus accidere, quod putredo non inuadat atrum humorem contentum iuxta cor, sed qui continetur in aliis partibus. Dicendum igitur, quandam esse atram bilem, quæ ex sola assatione fit: aliam, quæ etiam ex putredine, & in vtraque dari magis & minus; pessimam tamen illam esse, quæ insignem habet putredinem, ac ob illam differentiam, quæ in magis & minus conspicitur, videmus variari melan-

B choliæ, cancrorum, febrium quartanarum, & aliorum morborum, qui ex atra bile generationē habent, accidentia & vehementiam. Cæterum Hippocrates videtur in hoc Aphorismo agnoscere excretionem bilis sine febre, alioqui non dixisset, *morbis quibuslibet incipientibus*, sed febribus incipientibus. Quare male Galen. contrahit Aphorismum ad solas febres, cum ait solū de morbis, in quibus fiunt concoctiones & cruditates per certa morbi tempora: hæ enim solum fiunt & obseruantur in febribus putridis, vt alibi ostēdimus. Quapropter, etiam illud recipere nō possum, quod scribit, excretiones atræ bilis non alia ratione esse lethales in principiis morborum, nisi quod illæ fiant, vt aliæ excretiones, non præce-

C dente concoctione, quasi non sit longe diuersa ratio, si excernatur bilis flaua inter initia morborum. Præterea *superiore Aphorism.* Hippocrates si damnauit nigras deiectiones, quæ sunt solum qualis sanguis niger & cum febre, & sine febre, multo sane magis detestabitur deiectiones atræ bilis, quæ in nullo vnquam morbi tempore visæ sunt esse bonæ, sed semper lethales, vt quæ ostendant non solum adustionem sanguinis, vt ipse scribit, sed (vt ita dicam) cauterosam esse vasorum, hepatis, & cordis dispositionem, quę nullis remediis vnquam cedere potest. Quomodo enim cedet vniuersalis ea dispositio principalium membrorum, versantium circa generationem humorum, spirituum, & calidi natiui, si in vno

D ignobili membro, quod sæpe visum est, tandem occidit? *Est igitur atra bilis excretio in omnibus mala, vt quæ subesse dispositionem & generationem excessumque mali humoris ostendat; prior autem, si cum febre excernatur; pessima si febre incipiente;* caret enim tunc cōcoctione, quæ emendat humorum vitia; *pessima, si cum incipiente febre vomitu reiciatur;* in aliis morbis, qui sunt sine febre, non refert, an inter initia morbi, vel postea recipiatur.

Atra bilis quid requirat, vt fiat perniciosa.

Atra bilis duplex & quo inter illas pessima.

A P H O R. XXIII.

Ὁκόσοισιν ἐκ νοσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πῶς λελεπτυσμένοισι χολὴ μέλαινα, ἢ οἷον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσιν.

E *Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vt sanguis niger, desubter exierit, postridie moriuntur.*

Qui

QVÆ scribit Hippocrates de excretionibus atræ bilis, & nigri humoris; qui est, vt sanguis niger, nequeunt exactissime explicari, quia raro hęc videntur: vbi autem experientia frequens nõ est, ratio potius fingit, quam v certum aliquid statuere possit. Vidit forte Hippocr. in maximis illis pestilentiis, quæ suo tempore viguerunt, plurimos iam extreme debilitatos & consumptos ex morbis, sequenti die, quo exierunt per aluum nigri hi humores, periisse, nobis vero relinquit cogitandum, quæ nam esset huius euentus causa. Atque in hoc quidem casu ratio docere potest, breui eos morituros, qui iam antea consumpti, vacuationem subeunt suapte natura lethalem; sed quod postridie necessario sequi debeat mors, sola experientia Hippocratem docuit. Cæterum, Galenus, mortem dicit necessario sequi debere, quoniam natura imbecillis nequit concoquere, separare, & excernere, quæ ita sunt praua, quo fit, vt cum nequeant contineri ob morbi magnitudinem, effundantur, & mors sequatur propter virium imbecillitatem; verum si excretio fit illius humoris, fit quoque & separatio, & forte concoctio non requiritur, si febris abest: An forte sequitur mors & ea velox, quia huiusmodi euacuatio nunquam visa est fieri; quin maxima sequatur debilitas? quæ cum additur iam extenuatis & consumptis ex aliis morbis, quid expectari aliud potest, quam miser hic euentus?

APHOR. XXIV.

Δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

Difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est.

QVOD antea Hippocr. ostendit malum esse aut etiam lethale generaliter in morbis, qui sunt cum febre aut sine febre, aut in corporibus valde extenuatis, nunc particulariter docet in dysenteria, quam dicit esse lethalem, si ab atra bile inceperit. Est autem Dysenteria nihil aliud, quam *vlcus intestinorum*, quod malum securius est aut periculosius ob locum affectum, & causæ diuersitatem: nam in tenuioribus intestinis, quæ facile exulcerari possunt ob tenuitatem, & difficile recipere possunt medicamenta, quippe cum plurimum distent ab ore, & ano, grauior redditur morbus: Sic vbi humores, qui erodendi vim habent, mitiores sunt, & meliores habent causas, quæ eos gignunt, leuius fit malum, propterea dysenteria à bile pallida vel flaua genita (vt inquit Galen.) facilius sanatur: Ab atra vero, crasso, & admodũ erodente & facta à pessima corporis dispositione insanabilis redditur: *Nihil enim*, inquit, *differt talis Dysenteria à Cancro exulcerato, qui si*, inquit, *in superficie corporis, cui continuo adhærere possunt medicamenta, insanabilis est, multo magis hoc fiet in intestinis, quibus non solum nihil continuo adhærere potest, sed etiam ab excrementis*

Dysenteria quid. Eius differentia.

A *alimenti eroso augetur, & medicamenta à parte affecta absterguntur.* Est ergo suapte natura insanabilis Dysenteria, quia cancerosa est dispositio, quæ radices spargit in venas & distantes partes, quæ nunquam euelli possunt: & si aliqua esset spes, eam tollit loci difficultas. Cæterum scribit Hippocr. Dysenteriam esse lethalem, si ab atra bile incœperit; quid fiet, si à flaua inchoauerit, & tandem nigra bilis exierit, vt sæpe contingit? Erit quoque & hæc lethalis: nam si viribus constantibus euitari non potest mors, quid, quæso, fiet, si iam illis debilitatis eadem superueniat mortis causa? Cauenda tamen deceptio est, ne statim putemus, atram esse bilem, si nigricantia sunt excrementa, ex torrida bile flaua genita.

Dysenteriam suapte natura esse insanabilem, & cur.

B Porro Galen facile, dicit, sanari Dysenterias, sed hoc non docet apparatus tot medicamentorum, quem describit conuenire Dysentericis, *in libris De Medicamentis secundum locos, & alibi passim:* quæ cum aliquando lego, sæpe sine distinctione conscripta, iudico potius obesse, quam prodesse posse: nam abluentia, vnctuosa, mitigantia, emplastica, exsiccantia, carnem generantia, erodentia, & adurentia, sæpe in vno capite miscet, quę tamen plurimum refert inter se d stinguere; Docendum enim esset, nunc pugnandum esse in Dysenteria contra vehementes dolores, qui aliquando nascuntur ex erosione, aliquando vero ex inflammatione, alias vero medendum cauitati vlceris, nonnunquam vero putredini repugnan-

Dysenteria varia curationes.

C dum; ac vbi dolor vrget ex erosione, tunc abluentia, vt Ptisana, Lac, & quæ tegunt locum vlceratum, ne ab humoribus & excrementis acribus augeatur ex solutione continui dolor, vt sebum hircinum, mucillagines, tragacanthæ, psylli, ouorum albumina; & emplastica, vt Cerussa, & alia huiusmodi, quæ veluti loricam inducunt intestinis, maxime prosunt. At, dolori nato ex inflammatione oleum rosaceum infusum, & alia huiusmodi prosunt. Vbi vero vlcus humidius est, & sordidum, succus plantaginis, mulsa, & alia abstergentia sunt ex vsu. Si vero putredinem sensit intestinum, iam muria admodum diluta aut marina aqua potius infusa, prodest, & in intentiore malo, iam serpente putredine, Arse-

D nicum, Sandaraca, vt aduratur id, quod est putrefactum. Thus autem, Myrrha, Aloe, & alia, carnem generantia, tunc locum habent, cum multa substantia ab intestinis periit, quæ regignenda est. Sic etiam purgatio adhibenda, vt acres humores expurgentur, qui continuæ erosionis sunt causa. Sed in hoc casu nec Rhabarbarum, nec Myrobalanos, nec alia calefacientia & exsiccantia, aut astringentia, quæ vulgaris Medicina probat, laudauerim: nam calefacientia relinquunt post euacuationem intemperiem in Hepate & Venis, quæ similem ei, quę malũ generauit, materiam procreat. Quare Cassia omnibus pręferenda, & Syrupus Rosaceus ex nouẽ infusionibus, & alia huiusmodi, quę miti sua natura tẽ-

E perant corpus, & mistione retundunt acria excrementa. Cæterũ, siccantia vulgus Medicorum commendat, q credat vlcera egere siccatione: sed si intelligeret, partes affectas nõ esse humidiores redditas in sua temperie, & substãtia, & ob vlcus, sed solũ excrementis abundare acribus & mordacibus, qualis est sanies, & his non aliud conuenire medicamentum, quam quod quocunque

Rhabarbarum, myrobalanos &c. in dysenteria non laudari.

Cassiam in dysenteria omnibus medicamentis esse praeferendam, & syrupum ros.

Siccantia dysenteriae non conuenire.

modo illa expurgare potest, profecto, simul intelligeret, siccantia non prodesse, sed ea quoque ratione obesse, quod sicciorem reddant intemperiem, & ob id aptiorem ad acres gignendos humores. Iam vero astringentia medentur quidem, vbi in Lienteria stomachus ob nimiam humiditatem & relaxationem continere non potest alimentum. Sed quid, quæso, prodesse possunt astringentia in dysenteria, cum *omne malum nascatur ex fluxione acrium humorum*, quos retinere nec possumus nec debemus. Ego vero Dysenterias omnes primum sanguinis missione ad refrigerationem Hepatis, & omnium vasorum & ad transpirationem fuliginosi vaporis, & quãdam reuulsionem, sanare aggredior, adhibitis interim abluentibus & abstergentibus clysteribus; postea purgationem adhibeo ex mitissimis quibusue medicamentis humectantibus, & refrigerantibus, atque ita expurgato corpore, si copia mihi adsit aquæ balnei de Monte Catino, illam sine mora bibendam exhibeo; vbi febris abest, & maiori abstersione est opus, eam præfero, quæ de Tetutio vocatur, quæ scilicet maiorem habet salsedinem; præsente vero febre, aut vigente magno æstu, aliam impero bibendam, quæ leuissimam habet salsedinem, & est quæ dicitur *acqua del Bagnolo*, propino mane quinque vel sex libras huius aquæ, & pueris toties, quoties bibere volunt, exceptis quatuor horis post cibi ingestionem, & infantibus, qui calidam bibere respuunt, frigidam etiam exhibeo, ab aliis vero calida bibenda est. Infunditur etiam salsa per clysteres, sola, vel cum sacharo, & in magnis doloribus cum oleo rosaceo. Hæc fieri debent per aliquot dies, donec vlcus plane multum conspiciatur, & tunc salus propinqua est, aquosus quidem sanguis rubescens sine sorde & paucis ramentis effluit. Hæc aqua vt sæpe experientia docuit Hetruscos omnes masculos & fœminas & meipsum, par non habet auxilium, contra hanc molestam passionem: nam abluit vlceratam partem & venulas atque etiam substantiam intestini dilaceratam colligit & vnit, salsos & acres humores, qui sunt in venis, aut in via, per intestina abstergit & secum trahit, atque illorum partem per vrinas deriuat, aliam vero deuoluit per intestina, ita aquositatem illam mixtam, vt molesta esse nõ possit intestino exulcerato. Scio rationem fingere posse salsa obesse huic malo, sed experientia figmenta hæc eludit, quæ leuissimam eam salsedinem ostendit nunquam obfuisse, profuisse autem omnibus plusquam alia omnia auxilia ab omnibus Medicis hactenus descripta.

...noque adstringentia.

Dysenteriæ causa.

Venæ sectionem dysentericis esse propicuam.

Salsa dysentericis non obesse.

APHOR. XXV.

Αἷμα ἄνωθεν μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν· κάτω δὲ, ἀγαθόν.

Sanguis quidem supra qualiscunque fuerit, malus: infra autem, bonus est.

HVIVS Aphorismi variæ sunt Lectiones, & interpretationes: nam Leonicenus, nescio, quod exemplar secutus, præscriptam fecit interpretationem. Textus vero Græcus excusus in Germania, cũ Commen. Galeni, ita ad verbum habet: *Sanguis supra quidẽ qualiscunque fuerit, malum; infra vero, bonum, nigra quæ infra descendunt.* Quæ quidem dictiones duplicem habent sensum: nam quod scribit: *Deorsum vero bonum*, referri potest vel ad solum sanguinem, ad quod pertinebat, quod antea dixerat malũ, vel referri potest ad nigra, quę per infernas partes deiiciuntur, vt talis sit sensus: *Bonum si deorsum prodeant nigra.* Quam sententiam etiã probat exemplar, quod secutus est Fuchsius, Hippocratis vero opera Græca à Frobenio excusa Basileæ, anno 1528. aliam faciunt sententiam, quæ ita habet ad verbum: *Sanguis supra quidẽ qualiscunq; fuerit, malum; deorsum vero, bonum, & nigra, quæ per infernas partes prodeunt, malum.* Hæc enim lectio talẽ facit sensum, vt qualiscunq; excernatur sanguis per superiores partes, malum, per inferiores vero qualiscunque idem fuerit, bonum; & non solum hoc intelligatur de sanguine nigro, vt reuera verba; *nigra per infernas partes excernentia*, cõstrui & coniungi nõ possunt cum sanguine. Pręterea, antea damnauit nigras omnes deiectiones siue sint atra bilis, siue vt sanguis niger, quare hic nigras deiectiones non potest commendare, tanquam bonas. Pręterea in omnibus interpretibus damnandum illud est, quod ad sanguinem referant, quod ad ipsam excretionem pertinet: non enim Hipp. vult, sanguinem ipsum esse bonũ vel malum, sed bonum, vel malum esse, si per hanc vel aliam partem excernatur. Sed meo quidem iudicio qualiscunque recipiatur lectio, hic Aphorismus non continet sententiam dignam Hipp. nam quod bonum aut malum pronunciatur in excretionibus, multis modis accipitur: Etenim, bonum aliquid est, vt signum, aliud vt causa, aliud vt res, quæ excernitur, & pro diuersitate corporum hęc variantur, siquidem, sanguinis boni excretio per nares in adolescentibus, qui lasciuiunt, multoq; sanguine abundant, non est mala, vt signum, quia ostendit proprium humorem in sua ætate dominari; nullum ergo vel certe leve malum ostendit, quod est in solo excessu, cui facile natura remedium inuenit per commodam viam, in qua nullum est periculum. Prodest ergo vt causa, quia minuit, quod superfluum est. Sic etiam in ardentibus febribus prodest feruentis sanguinis per eandẽ viam, *concocto iam morbo*, effusio, & bonum est signum, quod salutem pollicetur, malum tamen, quod pręsentem morbum ostendat, cui remedio est; At in senibus sanguinis profluuia per nares vix bona esse possunt, in quocunque corporis statu, cum in illis sanguis non abundet. Miles quidam, cum Pisis docerem, accepto vulnere sub scapula dextra, & eo male conglutinato, sanguinis duodecim libras per nares emisit, nec sisti potuit profluuium, nisi per reuulsionem secta vena cubiti. Quarto vero die, rursus excreuit per eandem partem, duarum horarum spacio libras decem. Cui malo cum nihil aliud prodesset, vulneratum locum inflatum iussi aperiri, & statim spiritus cum crepitu exiuit, protinusque sanguis desiit effluere. Casus reuera memoria dignus, tum ob tantam sanguinis effusionem, cum qua vita constaret, tum ob remedium, quo firmata est fluxio. Sequenti anno idem valide pugnando interfectus fuit.

Varia aphorismi lectiones.

Aphorismum hunc quomodocunq; legatur, non continere sententiam Hippocrate dignam.

Hæmorrhagiam narium in adolescentibus vt signum & causam esse bonam.

Historia cuiusdam vulnerati memorabilis.

Cæterum,

Sanguinis excretiones per os quæ & quando sint malæ.

Cæterum, sanguinis excretiones malæ simpliciter pronunciari possunt, si per os fiant, nisi fiant per solam expuitionem resudante ex faucibus aut ex capite descendente sanguine. Quæ excretio capitis dolores solet aliquando lenire, aliæ vero excretiones, quæ fiunt tussiendo, à quacunque causa fiant, ex ruptione, inquam, venæ, aut apertione, aut erosione, pessimæ omnes censendæ sunt: significatur enim semper grauis subesse affectus in partibus spirituosis, quibus raro remedia prosunt. Quare nulla expectari potest ex euacuatione etiam in plethoria, magna vtilitas, quæ cõferri possit cum damno, & periculo, quod subest ex læsione vasis, quod sanguinem effundit. Inflammato tamen latere, sanguinis liberæ expuitiones laudantur quod materiam morbi euacuent. Nec profecto laudare possumus sanguinis vomitum, etsi non habet par periculum, ob faciliorem aditum, qui patet tunc ad partes affectas. Tamen casum vidi memoria quidem dignũ ad rem hanc pertinentem:

Historia euomentis sanguinem.

Damianus Veraldus, frater vxoris fratris mei Bartholomæi Argenterii præstantissimi & prudentissimi Medici, homo pallidus, & gracilis, in ætate consistente cœpit sanguinem euomere in magna quantitate, id quod postea per multos annos faciebat per incerta interualla, aliquando, scilicet, singulis annis, aliquando maiori interposito spacio, ego & alii Medici sæpe territi ob magnam sanguinis effusionem, (nam plusquam octo & decem libras aliquando reiiciebat) remedia adhibebamus reuellentia, astringẽtia, & alia, quæ ad hæmorrhagiam commendantur; quæ quidem hominem ducebant in maius periculum. Quare vsu tandem didicit, non aliam esse viam ad salutem, nisi vt tantum fineret euacuari, quantum sponte excernere optabat natura; ac, cum sæpius de causa huius mali disputatum esset, tandem probabile esse censuimus, id contingere in venis hepatis & mesenterii, quod accidit in venis ani: naturam enim illi viam aperuisse per orificia earum venarum, cum sanguis biliosus & adustus multus circa hepar cumulatus est, qui naturam ad vehementem excretionem stimularet, sicut aliis orificia hæmorrhoidarum in simili affectu patefacit: Atque hæc quidem de excretionibus sanguinis per superiores partes, quæ à leuissimis causis aliquando excitantur, vt in adolescentibus diximus fieri, & ob id vel nullum vel leuissimum malum ostendunt, cui ipsa excretio succurrit: aliquando vero grauiorem subesse ostendunt affectum, vel in loco, per quẽ sanguis exit, aut vitium in sanguine, aut impetum naturæ symptomaticum, sicut cõtingit in his, qui frequenter sanguinem aquosum excernunt per nares, ex quo sæpe sequitur hydrops. Huiusmodi excretiones nihil habẽt boni; aliæ vero sunt, quæ, etsi ostendunt in corpore esse morbosam dispositionem, quia tamen natura tempestiue cõmota per sanguinis excretionem ex naribus aut etiã per os eas sanat, vt in Crisi, quæ fit in febribus ardentibus, vel Synochis: aut cum inflammationes pectoris & pulmonis hoc modo soluuntur: tamẽ commendantur, eo quod sint remedia aduersus præsentia mala. Quæ quidem si vera sunt, vt experientia docet, & ars nostra suis præceptis firmauit; non erat, quod bonus noster Hippocrates damnaret simpliciter qualemcunq; sanguinis euacuationem per partes superiores, vt enim sudores boni dicuntur esse, eo, quod homines à præsentibus vel imminentibus malis liberant, quanquam indicant malam esse in corpore dispositionem, in qua necesse est fieri sudores, sic de sanguinis his excretionibus sentiendum est. Nec profecto cõmendare potest tanquam bonam sanguinis excretionem per partes inferiores; Quis enim probabit sanguinis mictionem, aut eam, quæ fit per Dysenterias, aut in hepatico affectu, aut denique in alio quocunque malo: nam nec sanguinis excretio, quæ fit per hæmorrhoidas, reuera bona est. Ostendit enim malum esse corporis temperamentum & habitum, qui postulet huiusmodi euacuationem, quæ si aliquibus aliquando prodest, cum scilicet melancholicus, & adustus sanguis non nisi moderate & certis legibus excernitur; aliis vero multis obest, quibus vel non satis libere, aut plusquam conueniat profluit, vt in mulieribus accidit, inter quas raræ sunt, quibus suæ sanguinis euacuationes molestiam non pariant, dum conqueruntur eas vel supprimi, vel diminute aut immoderate procedere, aut sanguinem ipsum corruptum esse.

Sanguinis excretiones per inferiora raro esse bonas.

Attamen vt breuiter naturam & vim omnium excretionum doceam, dicendũ est, inter excretiones quasdam simpliciter bonas esse, quales sunt, quæ sequuntur naturalẽ & bonam cuiusq; dispositionem, vt alui & vesicæ excrementa, quæ ex alimentis proueniunt, aliæ vero sunt malæ, quæ à malis affectionibus nascũtur, inter quas quædam bonæ, quæ etsi ostẽdunt malum & morbosum subesse affectum, quia tamen illum iuuant, tanquam remedia, ideo bonæ censentur; aliæ vero prorsus malæ, quæ vt significant morbosam dispositionem, & illam non iuuant, sed potius lædunt, vt sanguinis sputũ, rupta vel erosa vena; sputum vero, quod in Pleuritide malum est, & bonum modo alio. Igitur, de sanguinis reiectione pronunciandum semper malum, vndecunque excernatur tanquam signum, bonum vero, cum iuuat factas morbosas dispositiones, nec in hoc differentia est, siue per supernas vel infernas partes fiat excretio.

Sanguinis reiectiones quomodo semper malæ & quando bonæ.

Aphor. XXVI.

Ἢν ἀπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὀκοῖαι αἱ σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.

A difficultate intestinorum habito, si velut caruncula exeant, lethale est.

Dysenteria, vt antea ostendimus, vlcus est intestinorum, quod differentias capit ab his, quæ fiunt in vlcere, diuersa à parte affecta, & à causis, quæ vlcus pariunt. Ab vlceris quidẽ affectionibus, hoc modo, quod scilicet vlcus sit superficiale vel profundum, magnum vel paruum, malignum vel benignum, putridum vel sine putredine, cauum, in qua cauitate multum deperditum est de substantia ipsius intestini, vel nihil tale adhuc factũ est, vel vlcus est depascens, vel cum inflammatione, aut gangræna, vel sine his affectionibus.

Differentia dysenteriæ ab vlceris affectionibus.

Cæterum, pars affecta has facit differẽtias, quod laborent vel crassa, vel tenuia intestina. A causis vero vlcus gignentibus sumuntur istæ diffe-

A parte affecta.
A causis.

tentiæ, quod quædam Dysenteria fiat à sola bile A acri & mordaci, vel salsa pituita, vel atra bile, aut admixtis inter se his humoribus, aut etiam addito seroso humore. Considerandum præterea est, an fiat Dysenteria in corporibus infirmis, vel validis; bene vel male temperatis, aut alio modo bene vel male affectis; nec non an incipiat, vel subsequatur alios morbos, vt Febres, Diarrhæam, aut aliquid tale. Ex horum consideratione inter initia morbi, non expectata excretione carnis ipsorum intestinorum, licebit prædicere, an speranda sit salus, vel timenda mors: nam si intestina tenuia laborant cum inflammatione, & ea, quæ excernuntur, grauiter olent, & saniem multam continent, valdeque dolorosa est affectio, B viridia quoque sunt, aut nigricantia, aut iam plane nigra excrementa, ac in corpore Cacochymo, debilique primum incæpit hoc malum, citra causam euidentem, vix sperari potest salus. Contrarium fiet, si crassa intestina laborent, maxime quæ vicina sunt ano & leue est vlcus, ex quo per clysteres nihil sordidum & putridum, sed solum pituita quædam sanguinolenta abraditur, & is, qui laborat, boni est habitus, & validis viribus, morbumque contraxit ex labore, vel æstu, aut alia externa causa. Hæc omnia leuius esse malum testantur, & ob id nullum subesse periculum. Ex his pluribus vel paucioribus inter se coniunctis, licebit periculi vel securitatis opinionem confirmare; At præcedente morbo, patefit, quod ab initio sæpe erat incognitum: nam inter multa a- C lia, quæ lethalem declarant affectum, hoc maximum est, quod scribit Hippocr. si caro intestinorum, quæ est propria ipsorum substantia, inter tunicas ipsorum conclusa iam excernitur; id enim cũ non fiat inter initia, sed morbo iam progresso, signũ est, validissimã esse causã morbi, quę nullis remediis vinci potuerit. necessario igitur hoc, & non plerumque, vt alii interpretantur, mortem præsagit: sed videndum est, ne abrasiones intestinorum, quæ solent apparere fere in omni Dysenteria ex ipsa tunica excesa (sumamus pro carne ipsorum intestinorum, quæ ab Hippocr. hoc loco non simpliciter caro, qualis est musculosa, sed veluti caro appellatur: nam vt Galen. scribit *in libris de temperamentis*, omnes in- D ternæ partes corporis molles, vt pulmo, lien, hepar, cerebrum, ventriculus, intestina, vterus, propriam quandam carnem, & substantiam obtinent. Quod si à tenuibus intestinis ea caro decidatur, tanto maius subest periculum, Hippocrate etiam ipso teste, qui postea scribet, nec intestina tenuia, nec vesicam vulneratã sanari posse, quod tanto difficilius fiet in vlcere, quam in vulnere, quanto maior requiritur in hoc substantię regeneratio ob vlcus concauum. Quæ vero Cardanus de erosione mesenterii tradit, lethalem nimirum esse talem Dysenteriam ob illius partis erosionem, non respondet dictioni Hippocratis, qui vult ex solius intestini vlcere, ex quo substantia ipsius intestini erosa sit, ita, vt iam, E quod exit, referat frustulum carnis, lethalem esse dysenteriam: nam quomodo substantia mesenterii, quod cum extrinseca superficie ipsorum intestinorum coniungitur, potest ingredi internam cauitatem ipsius intestini, & per illam postea cum excrementis excerni.

De tempore.

Signa dysenteriæ lethalis.

Signa salutaris.

A p h o r. XXVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμορραγίη πλῆθος ὁκοθενοῦν, ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, cum reficiuntur, aluus iis humectantur.

Hic Aphorismus sententiam continet probabilem quidem, sed non necessariam: nam cum aluus humidior reddatur ob humorem abundantem & mixtum cum excrementis, quæ ex concoctione peracta, in ventriculo resultant: superflui autem huius humoris aquosi & pituitosi causa sit imbecillitas caloris, merito fieri videtur, vt in his, qui ex febribus iam sunt debilitati, & postea ex sanguinis profluuio refrigerati, aluus euadat humida, cum iam liberati à febre & sanguinis fluxu renutriuntur. Etenim, frigiditas & euacuatio præcedentes, appetentiam inducunt vehementiorem, quam possit concoquere ventriculus: quare necesse est, cruditatem fieri, & ex ea aquosum humorem & pituitosum redundare, ex quo aluus humectatur. Quod si æger, aut quicunque iam conualescit, suas metietur vires, ita, vt plus non edat, quam sentiat se posse concoquere, nihil tale fiet; Non igitur necessarium est, quod scribit author. Quod etiam ostendunt, qui hydrope laborant, in quibus aluus astringitur, etsi frigida censeatur esse illorum dispositio. Quot præterea sunt, qui cruditate ventriculi laborare solent, aluo nihil plus, quam in aliis, commota?

Aphorismi ratio.

A p h o r. XXVIII.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος ἐπιγενομένης παύεται. καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων γενομένων παύεται.

Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate, cessant, & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus, cessat.

Pertinet Aphorismus hic ad permutationem malorum, quæ solet in ægrotis fieri, docet enim, quis affectus succedere soleat alteri, cum fiunt biliosæ deiectiones, & surditas: vult enim, hæc mala se mutuo tollere. Qua quidem in re Galenus recte admonet, Aphorismum non extendi ad omnem surditatem, qualis ea est, quæ iam in habitu est, vt est natiua, atque illa, quæ iam diu perseuerauit, sed ad eam solum, quæ repentinam habet in febribus, vel aliis morbis generationem. Fieri enim surditatem hanc, cum meatus auditorii occupantur bile, quam cum natura deiicit, soluitur surditas: Verum nescio, an surditates fieri possint à bi-

De qua surditate aphorismus intelligendus.

Aphorismi ratio.

Surditas an a bile fieri possit dubitatur.

le. Crassum enim & pituitosum omnino esse humorem, qui surditatem parere debeat, dicunt omnes Medici, vt etiam omnia remedia ad hanc affectionem descripta testantur. Praeterea nescio, quomodo humor, qui iam excidit è venis, & receptus est in anfractuosis meatibus ossiū aurium, excerni amplius possit per aluum. Melius forte docuisset, ex delirio & deiectionibus biliosis hanc successionem morborum capitis & deiectionem biliosam; nam vt aluus sistatur ob surditatem superuenientem, necesse est fieri recursum multi humoris ad cerebrum, ille autem praeter surditatem alia mala pariet: in delirio vero probabilior est ratio; non tamen negauerim, etiam contingere posse, praesertim in febribus, quod scribit Hippocr. Mirae enim conspiciuntur morborum permutationes, quae praeterrationē fieri videntur. Hoc solum addo, quod deiectiones, quae surditatem soluunt, ex syncera bile non sint, sed ex crassiore cum pituita scilicet mixta syncera bile: talis enim humor apta quoque est materia, quae surditatem faciat.

Deiectiones surditatem soluentes quae.

Aphor. XXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ῥῖγεα γίνεται, δύσκριτα.

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

Pertinet etiam hic Aphorismus ad praedictionem, siquidem docet ex rigore, qui fit in sexta die in febricitantibus, praesagire, expectandam esse difficilem Crisim. Est autem, vt alibi ostendimus, rigor nihil aliud, quam *tremulus motus, cum quo vniuersum corpus concutitur cum sensu magnae frigiditatis*; quod malum vnicam habet immediatam causam, *caloris influentis scilicet ad internas partes subitam contractionem, & eiusdem per minima & successiua interualla recursum ad partes externas.* Ac in multis rigoribus constat multas esse causas, pro diuersitate rerum, quae calorem intro propellere aptae sunt: nam ad externa motum suapte natura calor affectat. In febribus vero, quae cum rigore infestant, causa non est, vt maiores nostri tradiderunt, motus acrium humorum per partes externas, (id enim multis rationibus ostendimus absurdum esse:) sed *interna putredo*, quam cum natura concoquere aggreditur, vel concoctionem ipsam absoluere nititur, calorem eum confertim reuocat; ac in febribus quidem intermittentibus rigores fiunt, cum noua nascitur putredo ex portione ea materiae, quae per singulas accessiones accenditur, febremque renouat. In febribus vero continuis, si rigores nascuntur, hoc fit, cum suppuratio aliqua interna absoluitur, aut cum massam humorum putrescentium in profundioribus venis corporis natura pariter perficere vult, & extremum gradum concoctionis ei inducere; vnde post rigorem, qui solet fieri in inflammationibus, sequi solet ruptura vomicae, aut febris maxima remissio; post rigores vero febrium ardentium sequi solet Crisis & solutio

Rigor quid.

Rigoris immediata causa.

Rigoris in febribus causa quae.

In febribus intermittentibus.

In continuis.

morbi, excreto iam humore malo & putrido iam concocto, & à bonis secreto. merito igitur Hippoc. damnat rigores, qui sexto die fiunt in febribus, propterea, *quod dies ille non est decretorius*, id est in quo natura solet vel perfectum, vel certe insignem quendam gradum concoctionis in materia peccante addere, vel excretionem vtilem moliri. Stata enim habet tempora natura, certosque dies, quibus perficit sua opera, aut certe ita bona reddit, vt in materia peccante possit exercere cum magno successu vim facultatis expultricis; in aliis vero diebus, inter quos primum locum malignitatis tenet sextus, nihil natura recte moliri potest, non, inquam, certos & necessarios ad expulsionem felicem peragendam, gradus concoctionis superinducere materiae peccanti. Cuius rei rationes recte Cardanus noster *in Commentario huius Aphorismi* reddit, his verbis: *natura monet adiuta motu syderū & motu materiae, quae fit per accessiones & illa cōcocta. In sexta autē die nec motu syderū iuuatur, ad summū enim Luna peragrauit partes octuaginta quatuor, quocirca cum tam parum desit ad quadrantem necesse est, vt cum tam paruo spacio non possit expectare; vt magna causa vrgeatur atque etiam superetur. Vnde & victa & causa potente & destituta caelesti auxilio, non nisi male cedere potest. Sed nec ab accessione, cum soleant diebus imparibus procedere, iuuari potest, neque concoctione, nam solet & illa imparibus diebus aut indicatiuus aut indicatorius absolui, & si tam absoluta fuit, statim, si potest natura emittit. opera enim naturae ne vel momento differuntur, vbi congrue fieri possunt, modo non impediantur.* Atque haec quidem sunt rationes, quae confirmant sententiam Hippocratis, id quod etiam experientia docet, & historiae multae, quae habentur *in libris de Morbis vulgaribus*, in quibus refert, multos aegros, qui in sexto die rigores passi sunt, in febribus difficilem habuisse Crisim. Est autem difficilis Crisis siue iudicium, quando morbi non desinunt, siue non soluuntur, & si desinunt, hoc non fit cum Crisi, vel hoc fit sero, vel cum doloribus & magnis symptomatis, aut si postea redeunt, aut si transeunt in alium affectum, aut augentur.

Rigores in febribus cur in sexto die fiunt mali.

Sextum diē inter dies nō criticos esse pessimum.

Difficilis crisis.

Caeterum, quod dixit de die sexta, intelligi quoque potest de aliis diebus, qui non sunt vere iudicatorii, & quod dixit de rigore, idem intelligi potest de aliis omnibus Symptomatibus quae solent praedicere Crisim: illa enim si in bonis diebus appareant, bonum euentum praesagiunt. Erunt ergo boni rigores in febribus continuis *qui fient in diebus decretoriis apparentibus iam signis manifestae, si non perfectae concoctionis.* Sicut Hipp. docet, Epicratis vxorem quae riguit 14. die, liberatam esse in quadragesima. Contra vero Philini vxor cum superriguisset octaua die, mortua est vigesima. Et Dromeadis vxor cum riguisset in sexta, eadem die periit. Et Hermocrates, cum morbus regius sexta die aduenisset, in vigesimaseptima periit. Multa ergo sunt exempla non solum de sexta die, sed etiam de aliis malis diebus non solum in rigore, sed etiam in aliis symptomatis, quae superueniunt aegris.

Rigores boni in febrib. continuis.

Exempla ex Hippocr.

Aphor. XXX.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν αὖ ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἢν λάβῃ, δύσκριτα.

Quibuscunque accessiones fiunt; quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

HIc quoque Aphorismus prognosticus est: Docet enim ex tempore, quo inuadunt accessiones, prædicere iudicium difficile; in illius tamen lectione Galen. duplicem facit sensum: vnum, qui talis est: *Si sequentes accessiones febrium semper eadem hora cum prima inuadent, difficilem Crisim siue solutionem expectare oportet.* Alius sensus est: *si sequens accessio incipiat in hora, in qua præcedens finita fuit, idem iudicium portenditur.* Prior quidem vera videtur, sed non respondet dictioni authoris, quæ clarissime secundam intelligentiam comprobat, vt quilibet ex ipsis verbis intelligere potest. Et meo quidem iudicio, vtraque lectio defendi potest: nam postremam experientia in primis confirmat: si enim febres ita habeant, vt singulis diebus ita fiant accessiones, vt sequens priorem statim accipiat, vt in quotidianis, duplici tertiana & semitertianis contingit, videmus, longissimas eas esse quæ hunc seruant ordinem, & ratio experientiæ suffragatur. Magnas enim oportet esse causas in corpore, quæ generant malos humores, & putredinem accēdunt, si statim cum desiit prior accessio, alia iam incipit. Magna quoque ostenditur debilitas virium, nimirum, nata ex frequentibus accessionibus statim sibi succedentibus. Non potest quoque materia prioris accessionis ob coniunctionem sequentis perfecte dissolui. Hæc igitur omnia longitudinem morbi & difficilem solutionem portendunt; nec caret ea lectio suis probationibus, vt Galenus credit, qui putat, etiā non referre, si accessio sequens, quæ eadem hora cum priore incœpit, alia quacunq; hora finiatur: stabilitas non solum pendet ex tempore inuasionis accessionum, sed etiam ex duratione, & vehementia, & aliis, quæ in illis diuersa fiunt, & ostēdunt, non perseuerare eandem dispositionem per totum morbi decursum, quoties enim videmus, accessiones augeri, vigere & declinare, seruata tamen in omnibus eadem inuasionis hora? Aliam vero lectionem sic probat Galenus, quod ideo difficile iudicium fiat, cum eadem hora incipiunt accessiones, quod fixa & firmata sit dispositio & causa accessionum, atque ob id difficile remoueri possit: *nam* inquit, *firmata magnam vim demolientem exposcunt, quæ longo tempore & per fortiora ac plura auxilia comparatur.* Contra quam opinionem probabiliter quispiam ita disputare posset, quod id, quod firmatum est, facilius pati potest alterationes, & concoctiones, quas natura & ars præstant: itaque cum accessiones febrium & ipsæ febres non tollantur, nisi præcesserit concoctio, & concoctiones celeritatem iudicii & securitatē (vt inquit Hippocr.) polliceantur, merito sequi videtur, vt materia firmata facilius vincatur, quam quæ est in motu. Id enim docent, quæ per sputum reiiciuntur: Quæ enim in pulmone retenta fuerint, melius concoquuntur, & concocta reiiciuntur. Quę vero est in motu fluitque materia, & posteaquam fluxit protinus egeritur, cruda est & mali iudicii nota. Idem ostendunt febres continuæ, quæ solent esse breuiores intermittentibus, *quod in illis materia sit firmata, & veluti cōclusa in maioribus venis: in his vero moueatur, Galeno teste, per habitum corporis, aut certe continuam habeat regenerationem & expulsionem.* Præterea, damnamus erraticas febres, difficilesque ad solutionem & iudicium omnium consensu pronunciamus esse, cum tamen illæ nihil firmatum habeant, si cum aliis cōparentur. Ego vero aliter confirmo eam lectionem, scilicet quod oporteat in omni solutione morborum præcedere quatuor tempora, quod si eadem hora perseuerabunt inuadere accessiones, diutissime febris in principio manebit; quare tardius augebitur, vigebit, & declinabit: ob id illas breuissimas fore febres præsagimus, *quarū accessiones prima semper anticipant, alia vero postea eadem hora inuadunt*, quod signum est vigoris, hæc enim indicia sunt morbi properantis ad finem: principium vero longum & alia tempora non ostendit, id quod stabile & firmum vult esse Galenus in febribus. Sed multitudo, frigiditas & crassities materiæ, quæ difficile potest alterari, concoqui, & expelli: propterea natura, cum nihil fere in primis accessionibus profecerit, manet eadem in materia dispositio, quæ efficit vt sequens accessio seruet naturam & ordinem prioris: manet & eadem dispositio in partibus corporis, quæ eandem materiam gignit, manent & eædem causæ putredinis, quæ omnia faciunt, vt accessiones similes perseuerent: nam dicat, quæso, an breuiores non sint continuæ febres ex bile stabili, & firmata, quam ex pituita mota & instabili? ergo non ex firmo, sed ex eodem idem, vt ex simili simile fit.

Aphorismi duplex lectio secundum Galenum.

Oppugnatio sententia Galeni.

Febres continua cur sint breuiores intermittentibus.

Febres erraticas esse difficilis solutionis.

Febres breuissima qua.

Qua ex continuis breuiores.

Aphor. XXXI.

Τοῖσι κοπιώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἐς ἄρθρα, καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

DOcet in hoc Aphoris. prædicere abscessus futuros in febribus circa articulos & maxillas, ex lassitudine, quæ in febribus contingit. Quam quidem sententiam Galenus trahit ad vtramque lassitudinem, motiuam scilicet & spontaneam. Quod mihi non videtur verisimile: nam primum repugnat dictio Hippocratis, quæ exprimit lassitudinem, quæ in ipsis febribus nascitur, non de ea, quæ ex motibus comparata est, antequam febris accederet. Præterea motiuæ huiusmodi lassitudines prius soluuntur, quam fiat abscessus, non enim causam habent fouentem, vt quæ excitatæ sint ab externa causa, quæ iamdudum recessit: nec etiam de lassitudine spontanea, quæ præcessit febrem, Aphorismus

De qua lassitudine aphorismus sit intelligendus.

rissimus intelligẽdus est. Eodem argumento, quod A de ea lassitudine agat, quæ habetur in febribus, & non de illa, quæ forte præcessit febrem, quæ amplius non adest, aut si adest, abscessus non parit, vt quę causam non habẽt ex febre, quam author hic significat esse causam fluxionum & ipsorum abscessuum. Est igitur sententia intelligenda *de lassitudine, qua nascitur ex ipsa febre*, vt sæpe videmus ægrotos, posteaquam sunt febre correpti, ita difficile moueri, & tantam in membris grauitatem sentire, ac si plurimum laborassent in vehementi aliquo exercitio, id, quod illis cõtingere solet, *qui sunt pleni multo sanguine pituitoso, crasso, viscidoque*: Febris enim eos humores commouens, & calefaciens, vapores multos generat crassos, & portionem etiam aliquam pituitæ liquefacit, quæ cum exitum habere non possint liberum B per cutem, circa musculos & articulos cohibentur, & huiusmodi lassitudines committunt, ac perseuerante ea multitudine, cum natura perfecte illam concoquere & discutere non possit, per sudores, aut insensibilem transpirationem, aut vacuare per internas cauitates, eo quod iã à calore febrili sit eleuata & sparsa per habitum corporis, merito in abscessus terminatur. Solent enim abscessus ab his causis fieri in febribus, *non in omnibus quidem partibus, sed in certis; quales sunt suapte natura laxa, aut subiecta mittentibus partibus, aut in eo situ posita, in quem sponte ladens materia repit, aut qua suapte natura vel ex morbo debilis facta est.* Sic sane in articulos confluunt humo- C res, tanquam in partes laxas, debiliores, inferiores, in quem locum graues humores facile descendunt; sic Phrenitides fiunt in cerebro ab humoribus & vaporibus calidis, qui sua natura superiora petunt; Sic pulmo fluxiones descendentes à capite proxime recipit, ob situm & connexionem, atque mollitiem & laxitatem. Adenes vero idem patiuntur, vt strumæ & parotides ostendunt. Glandulæ enim quæ sunt circa venas colli, fluxiones irruentes à capite facile recipiunt. Recte igitur inquit Hippocr. eos, qui patiuntur lassitudines in febribus, solere corripi abscessibus in articulis, & circa maxillas; aliquando, inquam, in ipsis articulis, & simul circa maxillas, quando D plurima est materia, & caput & habitus corporis mittunt fluxiones; aliquando vero solum circa maxillas fiunt abscessus, veluti, cum solæ nascuntur Parotides ex solo capite mittente materiam qua grauatur; aliquando vero in solis articulis contingunt abscessus, cum materia copiosa est, & per venas mittitur, quæ connexionem habent cum articulis potius, quam cum glandulis ceruicis. Sed etiam alia sunt indicia, quæ præsagiunt, in quam partem decumbere debeant humores: nam si caput dolore & grauitate laborauit, per febres ex materia eleuata ab inferioribus partibus timendæ magis sunt Parotides: si vero articuli vel dolore vel calore fuerunt affecti, expectandi sunt in illis abscessus.

Qui potissimum in febribus incidant in lassitudinem.

De quibus potissimum partibus abscessus in febribus fiant.

Aphor. XXXII.

Ὁκόσοισι δ' ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νούσων αὐτίκα πονέσῃ, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

Quibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abscessus.

Quid præsagiant labores præsente febre, & morbis, docuit in superiori Aphorismo: in hoc vero docet, quid portendant in conualescentibus labores, qui erant, antequam cõualesceret æger, & adhuc ægrotaret: in sequenti vero, quid futurum sit, si ex dolore, qui forte aderat, antequam æger in morbum incideret, docet. Cæterum in nobis proposito Aphorismo dicit, abscessus fieri in conualescentibus in ea parte, quæ antea laborauit. Intelligendum autem est *laborauit per morbum*: nam de labore ante morbum (vt diximus) sequens aget. Nec existimare quidem debemus, necessario futuros abscessus in parte, quæ laborauit, sed si fiant, omnino fient in ea: non enim in omnibus conualescentibus, etiam si labores sunt facti, nascuntur postea abscessus: sed à morbo ad conualescentiam, & ab hac ad sanitatem mutatio fit per excretionem, vel concoctionem, vel alterationem, aut aliis modis, de quibus hic locus non est agendi. Porro, per laborem intelligi dicit Galenus vehementem motum, dolorem & læsionem, & recte quidem etsi Cardanus solum vult intelligi dolorem. Experientia enim docet, eos, qui per morbos diu multumque vigilarunt, solere in capite pati abscessus. Sic etiam, qui sine dolore vel motu læsionem & imbecillitatem sentiebant, dum ægrotarent, in tibiis, Oedematosos tumores pati solent, dum conualescunt, & multo magis fiunt abscessus in parte quæ dolore fuit affecta. Cur vero ad partem vehementi motu agitatam confluãnt humores, *causa est in omnibus calor*, qui locum rarefacit, funditque in eo & vicinis partibus humores, qui sponte fuga vacui confluunt ad locum rarefactum & ampliorem redditum: in illis vero in quibus motus debilitatem attulit, *ipsius quoque partis imbecillitas*, causa fit apta ad suscipiendam fluxionem, cum natura comparatum sit, vt robustiores partes sese exonerent in debiliores; *non autem calor fluxionis est causa, quod attrahat humores* (vt alibi ostendimus) cum in eo nulla possit esse attractionis causa. *Actio quoque partis, qua cum motu fit, allicit ad se humores*, vt dolor capitis oritur ex nimia cogitatione aut vigilia; Dolor vero est quidem causa fluxionis, non quod attrahat, vt id quoque *in libris de Morbis* probauimus: sed quia expultricem facultatem mouet, quæ humores in se contentos exprimit in partem dolentem, aut in eam, quæ in via est ad eam, quæ dolet pars, eo modo fluxiones fiunt in digito vulnerato, per quas tota extrema manus aliquando tumet, brachio, & cubito mittentibus in digitum dolentem primum humores qui cum occupant etiam vicinas partes, nouo dolore in illis excitato, ipsas pariter attollunt. Alio vero modo glandulæ, quæ sunt in inguine, vulnerato pede inflammantur, firmato illic humore E transmisso à superioribus partibus, quæ doloris participes factæ commouentur ad expulsionem, quæ cum facilius recipiatur in partibus mollibus & spongiosis, quæ sunt iuxta venas, per quas decurrit à superioribus partibus ad pedes transmissa materia, eam illic sistunt & recipiunt, impediuntque eam vsque ad pedes descendere. Absurdum autem est, credere dolorem, vt Cardanus sentit, materiam ad se trahere calefaciendo

Quid per laborem hic intelligatur.

Cur ad partem vehementi motu agitatam confluant humores.

Glandulæ in inguine quomodo vulnerato pede inflammantur.

Dolorem non attrahere vt neque calorem.

A locum, tum natura tentante temperare illum: nam dolor nullam habet calefaciendi vim, sed humor, qui influit, & ille quidem non omnis, sed calidus: nam in Oedematosis tumoribus frigus & non calor sentitur: Nec ipsa natura, quæ non agit ex proposito, tentat temperare dolorem, sed aliquando id accidit, cum scilicet dolor à frigida causa nata concursu calidi humoris & spiritus temperatur. Nec par est ratio de calore, qui admouetur per medicamenta, vt ea, quæ est de calore qui influit: nam ille rarefaciendo & extenuando medetur parti dolenti, hic vero dolorem & tumorem auget, donec partes mittunt humores, postea vero ille quoque facit ad humorem discutiendum in parte contentum.

B

APHOR. XXXIII.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκώς τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσεῖν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

Sed & si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur.

HIc est tertius Aphorismus, qui declarat, in qua parte futurus sit abscessus, sumpto indicio à parte, quæ affecta fuit, antequam morbus nouus fieret, post quem sequitur abscessus. Est enim diligenter inquirendum à Medico, an is, qui laborat morbo, sanitatis tempore partem aliquam obnoxiam habuerit, (inquit Hippocrates) dolori, si enim ita contigerit, & morbus aliter non dissolutus fuerit, abscessus expectandus est in ea parte. Verum non solum de dolore partis intelligendus est Aphorismus, sed de omni mala affectione, aut etiam inclinatione ad aliquem præter naturam affectum: nam in parte solita dolere, dubium non est plerumque firmari fluxiones, siquidem dolor frequens membrum debilitat, & pręterea fluxionem ad se allicit: sic, si aliquis obstructione splenis laborare consueuit, in eodem viscere fiunt tumores, qui soluunt morbum præsentem. Quod si nec dolor, nec affectus præter naturam solitus est hominem vexare, nihil ex illis colligi potest ad prædicendos abscessus futuros, id quod faciet habitus corporis qui forte vergit ad certos morbosos affectus, id quod æstate superiore, qui fuit annus 1570. euidenter nouimus: nã omnes fere, qui vel ex parentibus tabidis nati fuerunt, aut suapte natura ad tabem inclinabant, in eam inciderunt non solum ex continuis febribus, sed etiam ex nothis tertianis, cui malo dedit occasionem æstas pluuiosa & Austrina. Igitur rectè Hippoc. iubet spectandum esse, si quæ pars in febribus laborat, aut ante morbum laborare consueuit, aut inclinationem habet ad aliquem affectum. In ea enim si abscessus futurus est, fiet, homine adhuc laborante, vel eum iam conualescit, & id est, quod tribus superioribus Aphorismis docuit hic author, quod experientia & ratio pariter confirmant.

APHOR. XXXIIII.

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῷ φάρυγγι, πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιστῇ, θανάσιμον.

Si à febre habito tumore non existente in faucibus strangulatio repente superuenerit, lethale.

VT in superioribus aliquot Aphorismis docuit prædicere abscessus futuros ex partium doloribus & aliis passionibus: Sic nunc mortem præsagiri ostendit, si duo concurrant mala; Primum febris. Secundum strangulatio repente superueniens, nullo tumore existente in faucibus. Qua quidem in re Gal. notat verbum *a febre habito*, intelligens per febrem quamcunque febrem: aut eam solum quæ vehementissima est, quandoquidem, inquit contingit, hominem vtcumque febricitantem interire, si strangulatio ea superueniat; sed, inquit, certior & ineuitabilis est mors, si hoc contingat in febribus vehementioribus: nam huiusmodi febres postulant respirationem magnam, per quam multum aeris inspiretur & fuliginosi multum vaporis expiretur, id, quod impedit fieri strangulatio, quæ (vt rectè definit) nihil aliud C est, quam *subitus interitus propter defectum respirationis, qui fit ex angustia alicuius instrumenti.* *Strangulatio quid.* Cum vero nullo apparente tumore in faucibus strangulatio fit, & ea subito, nullam potest aliam habere causam, præterquam gutturis tumorem, aut in illud irruentem fluxionẽ: aliarum enim partium seruientium respirationi tumores, & fluxiones strangulationem quidem efficere possunt, sed non repente: igitur strangulatio, quæ repente fit, fit omnino ex affectibus gutturis siue capitis arteriæ asperæ, si modo tumor non apparet in faucibus. Galen. tamen vult, ex illius musculis internis vel externis inflammatis fieri Anginam, quæ pariter strangulare possit. Sed quod scribit D Hippocr. *repente superueniens*, videtur supponere febrem præcedere, antequam aliquis affectus fit, qui strangulationem efficere possit. Angina vero statim ab initio coniunctam habet febrem: quare videtur de fluxionibus intelligere, quæ febribus superueniunt ex humoribus pituitosis irruentibus in guttur, nihil tamen obstat, quin pręsente angina, & plurimum aucta inflamatione, idem malum & periculum contingat. Sed non omnis angina potest in discrimẽ homines adducere: etenim, vt Galen. *in comm.* scribit quatuor sunt Anginæ species: siquidem vna est, quam Synanchen vocant, in qua musculi interiores gutturis vna cum ambiente tunica inflammantur, quæ omnium est periculosissima: alia est, quam Synanchen nominant faucium, scilicet, inflammationem. E Tertia species est parasynanche, quæ fit, cum musculi exteriores gutturis inflationem patiuntur. Quarta est parasynanche ex inflammatione musculorum adiacentium faucibus. Quæ quidem omnia mala sunt cum periculo, & lethalia redduntur, si magna fit fluxio & inflammatio. Hæc quoniam Galen. *in comm.* diligenter explicat, hic absoluo.

Causa huius strangulationis repentinæ.

Anginam non omnem esse periculosam.

4 anginæ species. Synanche.

Parasynanche.

APHO.

Aphor. XXXV. A

Ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένου ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστράφηται καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

Si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare sine vllo tumore, lethale est.

Et hic quoque Aphor. prognosticus est, qui ex affectionibus ceruicis docet prædicere finem morbi pessimum fore. Casus est complicatus ex tribus malis: ex febre, B peruersione colli & difficili deuoratione alimenti, sine aliquo tumore: si hæc, inquam, coniunguntur, lethale erit ægrotanti. Febrem intelligere oportet continuam: nam cum intermittentibus non solent hæc pericula contingere. Ceterũ colli peruersiones fiunt ob tensionem neruorum & ligamentorum, quibus vertebræ alligantur. Fiunt autem tensiones istæ ab inflammationibus, vel crudis tuberculis, vel etiam, vt Gal. sentit, à siccitate induſta à febre vehementi. Quod mihi parum probabile videtur: nam vniuersas alias corporis partes potius ex siccitate periclitari necesse est, quam partes, quæ sunt circa fauces & gulam, quæ continuam habent irrigationem ex saliua, potu, & extrinsecis aliis humoribus: peruertitur autẽ collũ, vel intra, vel ad latus: ad latus C quidẽ, si in altera nerui propagine contingit fieri tensionem: intra vero, si in ambabus. Ac cum intra fit peruersio, collum, inquit Gal. apparet extra habere cauitatem: quod nescio, quo modo fieri possit. Ceterum huiusmodi colli peruersiones, quæ adiunctam habent difficilem transglutitionem, si cum tumore sint sensibus conspicuo, non sunt cum tanto periculo: si vero nullus apparet tumor, signum est, vel causam esse siccitatem ex Galeni opinione, quæ immedicabilis est, vt côuulsio omnis ex siccitate, vel esse inflammationem musculorum, qui gulæ præiacent, vel ipsius gulæ. Quem affectum non necessario lethalem ille credit esse, vt qui strangulationem non affe- D rat, & ob id tempus concedat ad remedia adhibenda contra causas lædentes.

Quæ febris hic intelligenda.

Colli peruersiones vnde.

Aphor. XXXVI.

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι καὶ μιῇ, καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ, καὶ εἰκοστῇ καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν. οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου καὶ ὑποτροπιασμόν.

Sudores febricitanti si incœperint, boni & tertio die & quinto, & septimo, & nono, E & vndecimo, & quartodecimo, & septimo decimo, & vigesimo, & vigesimo septimo & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui vero non ita fiunt laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

Hic Aphor. tractationem de diebus decretoriis ex præcedentibus Aphorismis ac omni alio modo perobscuram, & non satis rationi peruiam difficiliorem reddit: primum, quod multos dies omittat inter iudicatorios, quos alibi recenset: nam hic quartum omittit, vigesimumquartum, trigesimum, quadragesimum, & multos alios, qui sequuntur, in quibus sudores & aliæ excretiones optimæ fiunt. Deinde, hic miscet dies, qui sunt primi ordinis & dignitatis, cum aliis, qui sunt indices aut etiam inter indices non computandi: nam 11. 17. 27. contemplantes vocari, nisi ratione accessionis; quare intercidentorii sunt, nec indices.

De his dubiis non tractant alii interpretes; illud solum docere aggrediuntur, quod ad quartum pertinet, in quo etiam non conueniunt: nam ideo Cardanus illum prætermissum scribit, quod non sit iudicatorius, sed indicatorius, ergo eadem ratione debebat vndecimum, decimumseptimum, & vigesimumseptimum omittere. Brassauolus vero reuera quartum censet esset iudicatorium, tamen omissum forte à librario, vel quia morbi (vt inquit) accelerantes in tertio principium faciunt; retardantes in quinto incipiunt, vel quia morbi acuti, de quibus sermo est, ex bile ortum habent. Bilis vero de tertio in tertium mouetur; quid fiet si morbi non erunt accelerantes, nec tardantes, aut fient à sanguine? At negligentia librarii si quæ esset, appareret etiam in aliis diebus, qui in hoc Aphorismo non recensentur. Deinde, si ob accessionem fiunt boni sudores, dies non erunt indicatorii, sed intercidentes; postremo *in libro primo Commentar. tertiis Epidem. tex.* 14. ita scribit Hippocrates: *est autem primus iudicatorius circuitus, qui diebus paribus iudicant, quartus, sextus*; quæ verba negligentiam in librariis non agnoscunt, & omnem tollunt difficultatem in hac re. Quinetiam illud dubitationem habet, quod scribit *in Comm.* Gal. Aphor. hunc non solum complecti sudores, sed alui excrementa, vrinas, abscessus: nam si sudores ideo boni sunt in his diebus, quod in biliosis febribus proueniant, non potest dierum ratio communis esse aliis excretionibus, quæ nihil habent commune cum bile; sed cum aliis humoribus pituitosis & melancholicis, cuiusmodi sunt abscessus circa aures. Alui vero excrementa omnem materiam æqualiter respiciunt. Quare nihil certum in hoc Aphorismo videtur tradere Hippocrates aut à nobis excogitari potest, quod faciat ad illius interpretationem: Ac minus profecto exacta redderetur tractatio, si dierum decretoriorum causas inuestigare velimus, vt Cardanus efficere nititur; qui cum ex Lunæ motu (vt Galenus credit) ostendisset, sumi non posse rationem dierum decretoriorum, & ad solis cursum eam reuocauerit, in eo quoque inuenire non possit, in quo animus quiescat, dubiam pariter, vt alii hanc tractationem relinquit. Primũ enim statuit centesimum vigesimum diem esse vltimum terminum febrium, qui dies, inquit, tertiam partem totius anni constituunt, & ob id sexagesimus centesimæ vigesimæ, & vigesimus dimidium quadraginta, & quatuordecim tertia

Aphorismum hunc nihil certi tradere, nec excogitari quicquam posse quod faciat ad illius interpretationem.

Explicatio Cardani.

pars, & septem dimidium quatuordecim: quæ omnia cum ignorauerit, inquit Galen. longe petitis auxiliis à Luna hanc doctrinam dierum Criticorum totam confudit, nec sibi, nec Hippocrati est concors, sed cum videret requiri ad tertiam partem anni non centum & viginti solum dies, sed centum viginti vnum cum dodrante, respondet, hunc excessum causam esse, vt vigesimus primus quandoque pro vigesimo ad pugnam à natura eligatur & præferatur, & nunc vigesimus, nunc vigesimus primus decretorius ab Hippocrate statuatur: nam septimus & quartusdecimus communicant cum vigesimo primo & non cum vigesimo. Quod si vigesimusprimus non semper decretorius est, sed aliquando vigesimus, id ideo fit, inquit, quod natura videtur in his inferioribus anticipare cœlestes motus, quod & in æquinoctiis & pleniluniis ac nouiluniis palam videmus: igitur ob excessum quadraginta duarum horarum supra viginti dies, coactus est mutare Hippocrates: cum enim diuiduntur per sex, exeunt dies viginti & horæ septē, ob id, si materia est tenuis, & in æstate, fit Crisis in vigesima: in aliis vero vigesima prima. De die vero decimaquarta non est dubitatio: nam quomodocunque tertia pars quadraginta aut quadraginta vnius sumatur, in quartumdecimum diem incidit, atque ita de septima, quarta & vndecima & vigesima quarta.

Vndecima vero etsi videtur solum habere decem dies, tamen cum necesse sit absolui tempus propositum abiectis horis, ideo absolutis decem diebus fit vndecima per terminorum connumerationem: id, quod exemplo docet: Si enim aliquis ægrotauit die dominico proxime præterito, cum numeraueris decem dies integros, incidet in diem Mercurii, & non Martis, & est vndecima dies à Dominica præterita. Cur vero non numerauit quartum, quem alio loco recenset, *vt in tertio Epidemion*, in quo ponit duos periisse, tertium seruatum, non recipit Galeni rationem, quod in acutis fiant exacerbationes per dies impares, & iudicia fiant in exacerbationibus, & ob id non fieri in quarta Crises: nam affert contra Galenum fieri exacerbationes aliquando per pares dies, vt in exemplo Periclis docet Hippocr. Dicit ergo, non numerari diem quartum, quia non est iudicatorius, sed index, est enim quartus non bonus iudicatorius, sed malus: nam cum iudicia fiant in exacerbationibus, quæ quarta die exacerbantur, malæ sunt: Quare mala habent iudicia. Hæc (vt dixi) non reddunt animum quietum: Primum enim videmus, Crises fieri bonas non solum in diebus imparibus, sed etiam in paribus, vt in decimaquarta & quarto quoque die in quartanis iudicari accessiones, at tandem vniuersalem morbum: Deinde etiam fiunt Crises, vbi nullæ sunt accessiones, vt in Causone, febribus Synochis, putridis & non putridis, in pleuritide & aliis inflammationibus veris internis, quæ cum à sanguine fiant, sæpe soluuntur, antequam ex putredine fiat generatio bilis, & postea accessiones ex bile putrescente; Addo quod nec omnes febres ex bile accessiones habeant: nam Causon nullas habet accessiones. Verum igitur est, quod scribit Hippocrates, Crises fieri in accessionibus, in morbis scilicet, qui per accessiones affligunt: non tamen verum est, solum fieri in morbis, qui per accessiones infestant, nec verum est, omnes morbos, qui cum accessionibus iudicantur, fieri solum iudicia in illis, qui per impares dies exacerbantur: nam sic toleratur iudicium in morbis pituitosis & melancholicis, & omnes dies decretorii, qui post quadragesimum numerantur, essent inutiles, si acutorum solum morborum, qui simpliciter acuti sunt, aut acuti dicuntur, quod in quadraginta diebus iudicentur, essent Crises. Illud vero, quod in tota tractatione supponit, vltimum terminum febrium esse centesimum vigesimum diem, nescio qua ratione asserere, aut quo experimento comprobari possit: nam vt omittam hecticas febres, quæ nullum talem terminum sibi proponunt, quoties, quæso, videmus, quartanas non solum tres menses, sed annos etiam excedere? nonne & Galenus scribit 1. *ad Glauconem*, se vidisse tertianam notham, quæ inceperat in æquinoctio Autumnali, perdurasse vsque ad æquinoctium vernum? quoties, quæso, semitertianæ nothæ & continuæ quartanæ, quæ in autumno inuadunt, perueniunt pariter vsque ad veris principium? Multa talia sunt exempla, quæ docent, non posse constitui vltimum terminum febrium in certo dierum numero. Quo quidem auulso fundamento, corruit pariter ratio dierum decretoriorum, quam hic sumit Cardanus à Solis motu. Ex quo dicat pariter, quomodo possit ducere rationem, qua adductus Hippocrates tertium, quintum, nonum, decimumseptimum inter bonos dies reponit, in quibus boni fiunt sudores: nam si dies, qui sunt primæ classis decretorii, ex Solis cursu suam rationem sumunt, cogit vtique docendi ratio, vt eandem causam habeant numerati dies, in quibus bona quoque fiunt iudicia, quæ cum à Sole magis, quam à Luna duci non possint, profecto ostendunt, vanum esse nostrum studium, quo quærimus certos terminos in his naturæ operibus constituere: Cur enim in his magis, quam in aliis hoc fieri debet? nam varius terminus pariendi, quod in singulis generibus animalium agnoscitur; hæc somnia nostra eludit: cum enim alterationes & expulsiones naturæ hic inquirantur, vt in Crisibus, reddat mihi Cardanus rationem, cur mulier fœtum suum perficiat nono mense, aut etiam decimo, vel vndecimo, & Equus duodecimo, & Sues cicures pariant quarto mense, Oues & Capræ quinto; Canes vero nonnullæ duobus mensibus, qui duodecim diebus luce carent. Alii vero tribus mensibus, qui decem & septem diebus luce carent. Et eadem fit ratio in lupis; Vaccæ vero nouem menses vtero gerunt, & decimo pariunt. Asinæ vero duodecimo, & Cameli decimo. Elephanto vero quidam statuunt menses decem & octo; alii vero annos tres; Ceruæ octo menses; Vrsæ & Hystrices dies triginta. Lepores & Cuniculi singulis mensibus vtero gerunt & pariunt. Quid quæso, ad hæc dicemus; Sunt hæc quidē naturæ opera, quę requirunt alterationem & expulsionem, vt ea, quæ morbos iudicant: quæ cum nec ad Solis aut Lunæ, aut aliorum sydetum cursum & vim redigi possint, cur nos tantopere cruciamus, vt sola iudicia morborum à cælo trahere & deducere contendamus? Quod

Cardani explicationem non esse sufficientem.

Crises etiam in dieb. paribus fieri bonas.

Febres ex bile non omnes habere accessiones.

Non posse statui vltimum terminum febrium in certo dierum numero.

Quandiu animalia quadrupedia quæque vtero gerant.

Quod si vniuersalia hæc iudicia has habent causas, cur etiam particularia, per quæ fiunt, & soluuntur singulæ accessiones, eadem non obtinebunt? *Præstat igitur hæc in Dei prouidentia & natura arcanis recondita relinquere, quam vana excogitare, cum nihil aliud possimus reuera asserere, quam ita esse à natura nostra comparatum, vt pro diuersitate naturæ, qualitatum, & copia humorum, fiant in nobis alterationes & expulsiones:* ita, vt cum natura ipsa molestatur quidem & stimulatur postea, sed plane dominatur, perficiantur illius alterationes, & postea fiant expulsiones noxiæ materiæ morbum cõmittentis. Cum vero illa à materia ita grauatur & molestatur, vt plane vincere non possit, sed expectare ad sua tempora stata, & firma, tunc iudicia morborum B anticipant, quæ quidẽ tardant, si noxius humor cõcoctioni magis resistit, & post concoctionem vim nõ habet irritandi, vt postulat in hoc opere expultrix facultas. Ex hac profecto distinctione sequitur, *in morbis peracutis Crises fieri in septima, in acutis vero in decimaquarta, in peracutissimis in tertia & quinta, & etiam quarta pro ratione materia molestantis paribus vel imparibus diebus: in obtusioribus vero acutis morbis iudicium differtur ob eandem rationem in vigesimum, vigesimum primum & alios sequentes dies,* in quibus experientia docuit naturam certos gradus concoctionis inducere, quos postea sequi potest vtilis expulsio. At vero si natura tentet ante quam concoxerit, C ita vt sequi possit separatio boni à malo & huius postea expulsio, tunc mala fiunt iudicia; bona vero vbi præcedit concoctio, sequitur vero expulsio. & quia vsu didicimus in certis dieb. nunc hoc, nunc illud fieri, ideo quosdam ex illis bonos dies iudicatorios, alios malos, alios indifferentes, alios debilius quidem iudicantes, sed aliorum veros indices esse, ac etiam contingit, vt in quibusdam excretionibus, vt apparet in hoc Aphorismo, in quo agimus de iudiciis per sudores factis, quosdam dies laudemus, qui in aliis excretionibus parem non habent vim. Hæc habui, quæ dicerem in hac difficili tractatione, donec meliora, si vnquam id fieri possit, Dei beneficio excogitauero. D

Crises quando in quibus morbis fiant.

APHOR. XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες σὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γινόμενοι, θάνατον σημαίνουσι· σὺν δὲ πρηϋτέρῳ, μῆκος νούσου.

Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.

IN sudoribus consideramus tempus morbi, in quo fiunt, qualitates illorum, quantitatem, locum E corporis, à quo exeunt, modum excretionis. In tempore morbi consideramus, an sudores fiant in principio, vel incremento, vel vigore, aut declinatione morbi. Item in quo die contingant, decretorio scilicet, vel alio. Qualitates vero in sudoribus notantur primæ, an frigidi, vel calidi, aut tepidi exeant,

A & cum quo morbo tales prodeant. Notantur quoq; secundæ qualitates in sudoribus, an sint admodum lenti, vel sine lentore, an grauius oleant, quam par sit: num etiam sentiantur ab ægroto amari vel salsi plus iusto, vel flaui, aut plane aquosi citra colorem extraneum. Porro, in quantitate hæ sumuntur differentiæ, quod in aliquibus copiosi, in aliis diminuti & parci sint sudores, aut mediocres. At ex loco sumuntur hæ differentiæ, quod à toto corpore effluant, vel à quibusdam duntaxat partibus, vt pectore, ceruice, frõte, necnon à partibus laborantibus, aut ab aliis. Iam vero à modo ducuntur istæ differẽtiæ, quod quidam confertim, alii non nisi paulatim prorumpant, alii sponte, alii vero non nisi violenter fiant: alii perseuerent, posteaquam erumpere cœperunt: alii vero retrocedant. Agit Hippoc. de prima qualitate, quæ in sudorib. apparet, nempe frigiditate, & docet, quid frigidi sudores ostendant non simpliciter, id est, suapte natura, sed quid significent in morbis, nec in illis quidem omnibus, sed solum in acutis febrib. & mitioribus. Acutas autem febres intelligit vehementes, quippe cum illis mitiores opponat, dicitq; in his morbi longitudinem, in illis vero mortem portendere. Cuius rei rationem primũ ex natura rei inuestigare conabimur, facta prius diuisione earum rerum, quæ vim habere videntur ad hos sudores efficiendos. Igitur videtur ita dicendum, quod sudores frigidi fiant vel à causis externis, vel internis, & in his vel ratione materiæ, vel aliarum causarum. Omnis enim sudor qui fit corpore extrinsecus non mediocriter calefacto, aut cuti diu adhæret, refrigeratur, & frigidus sentitur in quocunque morbo, & corporis statu. Qui quidem sudores vim nõ habent prænunciandi aliquid futurum. Qui vero fiunt à causis internis, ita habent, vt necesse sit, materiã, ex qua fiunt sudores, frigidam exire à profundo corpore, vel certe à partibus, in quibus resident humores, qui sunt causa febris; aut in partibus refrigerari, qui sunt circa cutem, aut in ipsa solum cute nulla concurrente externa causa; aut concurrunt duæ causæ simul, materia scilicet refrigerata & locus externus refrigeratus, vbi sudor generatur; alibi docuimus materiam sudorum duplicem esse, aquosum, inquam, humorem, quem natura à massa sanguinea extrudit per cutem, vel vaporem multum & crassum, qui cum libere sub vaporis forma transpirare non potest, circa cutem membranosam sistitur densaturque & in aquosum humorem conuertitur, qui postea per cutis meatus profluit.

Sudores frigidi vnde fiant.

Sudoris materia duplex.

Cæterum Galen. credit, sudores frigidos, de quibus hic agitur, fieri posse duabus de causis: Vna, quod humores, à quibus gignuntur, tantam habeant frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili satis calefieri possint: Altera vero, quod naturalis calor in solidis partibus vel omnino extinguatur, vel proximus sit extinctioni.

Opinio Galeni de sudoris huius frigidi causis refutatur.

A cuius quidem opinione ego recedo: nam verisimile non est, ex humorum multitudine frigida sudores frigidos fieri, aut ex vaporibus ad cutem eleuatis ex profundis partibus corporis. Quamdiu enim viuit homo, in omni illius statu necessario, quæ intus latent, actu calida sunt, id quod tanto magis necesse est fieri præ-

sente febre, quæ internas partes potissimum calefacit. Non ergo sudoris frigidi materia frigida prodit ab internis corporis partibus, & vasis, in quibus febris materia continetur. Cur enim etiam frigidi non fierent, cum post crapulam, crudo omnino adhuc existente alimento, & calore veluti suffocato generantur? Restat igitur, vt frigidi gignantur in habitu corporis, siue solidis partibus, & circa ipsam cutem: sed hoc non fit, quod calor natiuus (vt ille credit) sit illic extinctus: nam si internæ partes vehementem habent calorem ex putredine, si illemet calor in externas partes extenderetur, non posset deesse caliditas, quæ sufficeret ad sudores calidos procreandos. Non enim illorum natura requirit potius vnum calorem, quam alium. Præterea, B vanum est (vt alibi docuimus) duos ponere calores in febricitantibus: natiuum vnum, alium præter naturam, cum vnus & idem calor has conditiones & nomina sumat.

Opinio [illegible].

Cum enim moderatus est, secundũ naturam dicitur; præter naturam vero, quando ab ea mediocritate recedit. Amplius tales sudores sæpe fiunt inter initia febrium, quo tempore nulla potuit adhuc esse causa, quæ tantam vim haberet, vt hunc natiuum calorem extinguat. Alia ergo ratione sudores fiunt frigidi, & partes circa cutem tunc frigidę nempe quod calidum ipsum natiuum deserat ea membra, id quod fit ob contractionem ad interna viscera.

Hæc autem contractio causam habet insigne C aliquod negotium, & opus, quod intus perfici debet, ob quod natura calorem colligit ex omnibus partibus extrinsecus & intus concludit, ac pro diuersitate operum aliquando fit rigor, horror, tremor, aliquando frigus solum. Est autem putredo vna ex potissimis causis reuocationis & collectionis huius caloris, quæ cum parum durat, vt inter initia accessionum febrium intermittentium, aut cum perficitur suppuratio in inflammatione interna, tunc fit rigor sine sudore, pauca facta interim euaporatione, & astricta omnino cute, quæ peruia non est ad sudores transmittendos. In febribus vero ipsis, tum acutis, tum longis, cum nascuntur sudores frigidi, non est quidem tam insigne opus, quod rigorem efficere possit ex subita & vehementi cōtractione, sed solum leuiorem reuocationem D facit, & eam quidem diuturniorem ob difficiliorem materiam intus contentam. Ac profecto in acutis febrib. videntur sudores frigidi non fieri, nisi vel ob inflãmatorium aliquem affectum internum, vel ob putredinem satis insignem: in febribus vero longis, ob materiam multam & frigidam putrescentem. Ex quibus causis calor intus certo modo concluditur: vnde externę partes frigidiores redduntur: ab internis vero multa euaporatio consurgit, quæ postea circa cutem sistitur, densaturque, & in aquam mutatur, vnde sudores frigidi emanant; Mirum igitur non est, in acutis febribus tales sudores mortem E præsagire: in longis vero morbis longitudinem: nam in illis internæ causæ, à quibus sudores nascuntur, maximæ sunt & lethales: in his vero nihil aliud continent, quam rebellem materiam, quæ tandem vincetur. Negandum tamen non est, in deploratis iam morbis sudores frigidos fieri, quales sunt sudores diaphoretici à medicis

Sudores frigidi in febrib. acutis vnde fiunt & vnde etidem in longis.

Sudores frigidi cur in acutis febrib. mortem, in longis vero morbis longitudinem.

A vocati, qui quidem vnicam causam habent, caloris dissolutionem & extinctionem in externis partibus: quidquid enim tunc caloris est, versatur circa suos fontes, nec ob suam imbecillitatem potest per vniuersum corpus expandi: euaporatio tamen fit, cui sufficit exiguus calor in visceribus contentus, quæ quidem cum peruenit ad externam superficiem iam refrigeratam, aut certe exiguo plane calore præditam densata cōuertitur in aquam, quæ à parte frigida emanat frigida, nec tamen tunc dicendum est, interna calefieri, quandoquidem & illa etiam extinguũtur; sed de his sudoribus non agit Hippocrates, habent enim tam in acutis, quam longis febribus idem periculum, nec artificiosum est ex illis prædicere eundem euentum. *Fiunt ergo sudores omnes frigidi vel ex dissolutione & extinctione caloris, quæ in omnib. mortem proximam ostendunt: vel ex contractione, quæ cum causam habeat diuersam in acutis & longis febribus, merito diuersum finem portendunt.* Has duas causas tradit Hippocrates in *Prognosticis*, cum scribit: *considerare ob id sudores oportet in summa, quoniam quidam fiunt ob corporum exolutionem, aliqui vero propter inflammationis vigorem.* Quæ causa solum videtur comprehendere sudores, qui fiunt in acutis febribus, de quibus prædictiones Hippocratis sunt scriptæ: nam in longis febribus ob solam putredinem *multorum humorum crudorum*, vt ostendimus, fit caloris contractio, euaporatio & eiusdem densatio, & tandem frigidi sudoris in partibus externis generatio.

Sudores diaphoretici [illegible] & vnde fi[…] eosque sem[…] esse perni[…]osos.

APHOR. XXXVIII.

Ὅπου ἔνι τοῦ σώματος ἱδρὼς, ἐκεῖ φράζει τὴν νοῦσον.

Qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

HIc Aphorismus dubiam continet sententiam: nam si intelligatur, vt verba sonant, verum non est, semper in eo loco esse morbum, in quo est sudor: sic enim fieret, vt cutis semper laboraret, & non subiectæ partes, aut ab ea longe recedentes, si quidem in sola cute sudor appareat, quæ quidem nullo morbo affecta sudori viam præbet. Si vero de materia sudoris Aphorismus intelligatur, colligere etiam non possumus, vbi sit morbus: nam euaporatio, quæ fit, ex qua densata sudores generantur, promiscue attollitur ab vniuersis partibus, in quibus humores continentur, & non solum ab inflammationibus aut aliis locis peculiariter affectis; Aut forte id non intelligitur de omni materia sudoris, sed solum de aquoso humore, qui per cutem extruditur à subiectis partibus. Verum, & hic etiam non solum à partibus, quæ cuti subiiciuntur, à qua emanant sudores, sed etiam à remotioribus transmittitur, sæpe tamen experientia docet, nonnunquam id contingere, quod scribit Hipp. nam qui paralysi laborant, si forte sudent, ex parte laborante maxime profluunt sudores: idem accidit in tremulis membris & conuulsis, necnon in Orthopnœa & aliis frigidis pituitosisq; affectibus Sic etiam cum post laborem

boreto refrigerata cute & postea calefacta sudores erumpunt, loci affecti profecto sunt cutis & subiecti musculi, in quibus firmati sunt primum vapores, postea densati, atq; in humorem aquosum conuersi. Videtur igitur verus esse Aphoris. *cum sudores fiunt ob affectus cutis, vel partium in habitu corporis contentarum*; cum vero ab internis partibus sudoris materia ducitur, attolliturq; ad cutem, sicut in febribus contingit, cum per Crisim soluuntur, non est necesse, eam partem, quæ sudat, aut plus vel minus alia laborare, quippe, cum omnibus sit commune vapores in superiores partes potius, quam in alias efferri, & propterea thorax, & facies copiosiores, quam aliæ, emittunt sudores. Ergo *cum materia sudoris est vel pituita, vel serosus humor, Aphorismus Hippocratis verus esse agnoscitur: vbi autem est vapor, aliter continget.*

Aphorismus quando & vbi sit verus.

APHOR. XXXIX.

Καὶ ὅκου ἐνὶ τοῦ σώματος ψυχρὸν ἢ θερμὸν ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

Et qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus.

Et ex sudore docuit in præcedenti Aphoris. indicium partis morbo laborantis; ita in hoc ostendit ex calore & frigore idem significari. Gal. autem interpretatur caliditatem & frigiditatem, quasi non sufficiat leuis quidam illarum qualitatum excessus, vt morbus significetur, & recte.

Cæterum calor aut frigus fiunt in partibus vel ob dispositionem ipsius partis calidam, aut frigidam: aut propter caloris influentis accessum vel recessum. Si hoc modo calent aut frigent partes, non necesse est, partes eas morbo laborare, quæ his subiiciuntur passionibus. Quis enim dicet, cutem morbo peculiariter affici inter alias (vt hic Aphorismus intelligit) cum ea inter initia accessionum febrium, friget & postea calet? aut cum per timorem vel Syncopem algent, iacentque vt mortua externa corporis membra, quæ etsi exercere sua munia non possint, tamen hoc non fit ob morbum, qui sit in illis partibus, sed ob affectionem calidi natiui influentis à corde, cuius contractione & priuatione nihil agere possunt.

Igitur *de calore & frigore, quæ nascuntur ex dispositionibus permanentibus in parte*, Aphorismus est intelligendus: Sic enim in partibus conuulsis, palpitantibus, resolutis, Oedæmate laborantibus, & aliis huiusmodi affectibus, quibus membra ita sæpe frigent, vt nulla vi calorifica possint recalefieri, agnoscimus subesse graues morbos: Ita in partibus inflammatione vel Erysipelate, aut ex alio calido humore calescentibus, agnoscimus, latere morbum calidum.

De quo calore & frigore aphorismus loquatur.

APHOR. XL.

Καὶ ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μῆκος νούσου σημαίνει.

Et vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter ex altero fiat, morbi longitudinem significat.

Hic Aphoris. etiam pertinet ad signa. Docet enim nos prædicere longitudinem morborum, idque ex mutationibus, siue potius successionibus caloris & frigoris, & colorum inter se, & vult, has mutationes fieri in vniuerso corpore. Cur vero ostendant morbi longitudinem, ideo putat Galenus, quod istæ mutationes & successiones ostendant varias dispositiones, quæ necessario diuturniores sunt, quam quæ sunt simplices & vniformes, cum non possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones. Quæ quidem vera essent, si hoc verum esset, quod hæ mutationes, in quibus corpus refrigeratur, & postea calefit, & ex vno colore alius fit, nasceretur ex variis dispositionibus: nam cum dicat author se agere de mutationibus, quæ fiunt in toto corpore, oportet communem vtique esse causam, quæ vniuersum corpus afficere possit: cuius generis non sunt variæ dispositiones, vt varii humores, variæ intemperies, quæ Galenus vsurpare solet pro dispositionibus, sed aliquid aliud: non enim sequitur, *varii sunt humores in corpore, variæ intemperies, ergo corpus vniuersum refrigeratur, & rursus calefit, & color alter ex altero fit:* fiūt enim febres & alii morbi ex variis humoribus, non tamen in corpore toto hæ fiunt successiuæ mutationes ob seipsas, ita, vt ad eas referenda sit causa, præsertim si repente fiant hæ mutationes, vt lectio Hippocratis habet *in libro de indiciis*, vbi scribit: *Vbi in toto corpore mutationes repentinæ fiunt.* Quam lectionem etiam confirmat antiquus Codex Græcus. Fiunt & ex simplici humore successiones caloris post frigus in tertianis febribus, quæ non indicant morbi longitudinem. Quid ergo dicendum? Cardanus tales mutationes in primis, secundis, & tertiis qualitatibus, vt veritas seruetur Aphorismi, vult non solum esse repentinas, sed inordinatas, quandoquidem, inquit, repentinæ & ordinatæ in accessionibus febrium non significant morbi longitudinem, sed quæ repentinæ sunt & inordinatæ portendunt hanc morborum longitudinem, quoniam fiunt ex variis humoribus non simul mixtis, qui non nisi longo tempore concoqui possunt. Sed, quod est fundamentum totius huius rei, probandum ab eo erat, scilicet, has mutationes omnino nasci ex istis variis humoribus non semel mixtis, & quod difficilius est, modum docere debebat, quo istæ mutationes fiunt ex variis humoribus non simul mistis. Quare cum hæc non habeant firmum fundamentum, quo nitantur, videamus,

Cur tales mutationes ostendant morbi longitudinem.

Galeni sententia refutatur.

Cardani itidem non recipitur.

Quid per mutationes intelligendum.

an meliora à nobis inueniri possint. Primum, illud ex Aphorismo suppono, per mutationes nō intelligi vnicam successionem frigoris in calorem, aut vnius caloris in alium, sed multas, ita vt excludantur ab Aphorismo febrium accessiones, quæ inuehunt primum frigus, & cum frigore pallorem & liuorem in corpore: deinde calorem, qui restituit externis partibus colorem cum affluxu spiritus & sanguinei humoris, quo vehitur, hæc enim, tam in tertianis, & breuibus morbis, quam in quotidianis & quartanis longis fiunt. Tertium illud, mutationes, quæ fiunt in vniuerso corpore in calore, & frigore, & in coloribus, nasci *ex præsentia & absentia caloris influentis*; quod alibi aperte probauimus. Quæ si vera sunt, oportet profecto aliquam esse causam, quæ intro retrahat calorem: extra enim ipse calor sponte effertur, vt qui in spirituoso & aereo subiecto consistat. At, difficilem oportet intus latere causam, quæ calorem subito retrahet, & vix expandi permittat. Talis autem causa vel erit insignis aliqua inflammatio, quæ suppuratur, quæ diu durare non potest, aut putredo quædam accensa in humoribus multis, crassis & viscidis, qui cum difficile necessario vincantur, morbum ob id longum portendunt. Huiusmodi sane mutationes contingere videmus in semitertianis febribus, in quibus nunc frigent, paulo postea calent, mox refrigerantur, & calefiūt partes corporis, quę & modo rubent, modo liuent. *Fiunt ergo* (vt breuiter colligam) *hæ mutationes ex caloris influentis successiua motione; hanc vero parit affectus, qui illum contrahere potest in viscera; huius vero causa est omnino putredo, in varia & simul difficili ad concoctionem materia, quæ omnia necessario longitudinem morbi significant.*

Mutationes illæ vnde fiunt.

APHOR. XLI.

Ι῾δρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου γινόμενος ἄνευ φανερῆς αἰτίης, τὸ σῶμα σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

Sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, corpus vti plurì cibo significat. Si vero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet, quod euacuatione corpus indiget.

Sudoris materia.

Sudoris multæ sunt causæ, scilicet materia, efficiens, & causa, sine qua non. Est autem sudoris materia vel vapor qui attollitur ab humoribus subiectis, vel humor aquosus. Efficiens vero causa in vapore est insita vis leuitatis, quæ vaporem ad superficiem corporis attollit. Cum autem materia sudoris est humor aquosus, interna vis expultrix eum humorem ad cutem extrudit. Causa sine qua non, est cutis raritas: nam in cute densa sudores non fiunt, quippe, cum ea nec vaporibus quidem satis sit peruia. At vero cum potentes sunt istæ causæ, tunc plurimi fiunt sudores. Itaque contingit ex plurimo cibo per somnum copiosos fieri sudores, duplici de causa: vna: quod copiosa suppeditetur materia generandis vaporibus ex concoctione copiosi cibi & potionis; Altera, quod per somnum cutis in loco calido rarefiat; forte etiam aquosi humores ex multa potione & liquidioribus cibis simul exuperant: vbi igitur nulla alia est causa manifesta copiosi huius sudoris, vt labor, aeris constitutio calida & humida, balneum, aut cutis raritas, necesse est id contingere ex cibatione copiosiore, si forte supicio est, eum, qui ita sudat, pleniori vti alimento, quam vires probe conficere possint: quod si id non contingat, copiosus hic sudor ex cibo recenter assumpto, indicium est corpus abundare multitudine aquosi humoris, in quo statu (inquit) opus est purgatione, credens sufficere inediam, aut certe tenuiorem victum ad sudores compescendos, qui ex recenter assumptis cibis proueniunt. Humorum vero copiæ inueteratę tenuior quoque victus medetur, sed serius: prompte autem purgatio, & proprie, vbi est aquosus humor, qui redundat; & in plethora, etiā sanguinis missio. Est autem purgatio adhibenda per aluum, quippe, cum tutum non sit per vrinam ducere magnam humorum copiam.

Causa efficiens.

Causa sine qua non.

Cur ex plurimo cibo per somnum copiosi fiant sudores.

Quæ purgationes his conueniant.

APHORIS. XLII.

Ι῾δρὼς πολὺς ψυχρὸς, ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς, ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

Sudor multus calidus vel frigidus, semper fluens. frigidus magis, calidus minus significat morbum.

Confert in hoc Aphorismo calidum sudorem cum frigido, & quid vterque significet, docet. Indicat quidem vterque morbum, sed magis frigidus, quam calidus. *Magis* autem intelligendum lōgiorem & difficiliorem, & non vehementiorem morbum. Intelligit quoque de sudoribus, quæ fiunt in morbis, & non decretoriis, (vt recte Gal. admonet) & de his, qui assidue effluunt, diuque durant, vt verbum Aphorismi αἰεὶ ῥέων, quod male vertit Leonicenus superfluens, ostendit. Diximus autem superius, frigidos sudores fieri vel ex multa euaporatione, vel ex crassa & viscida, cui via facile non patet per cutis membranas & meatus, vbi calorem illic consistentem veluti opprimit; vel fiunt frigidi contracto calore ad internas partes ob putredinem internam, vel suppurationem profundæ inflammationis, aut propter mortificationem caloris in externis membris. At certum est, de his sudoribus non agi in hoc Aphorismo, nam grauissimæ hæ causæ diuturnos non faciunt affectus & sudores. De sudoribus ergo frigidis ab aliis causis natis intelligendus est Aphorismus, & ob id recte scribit, *frigidos sudores, qui diu fiunt in morbis*, præsertim, qui primum cum morbis effluere incipiunt, significare morbos longos. Est enim longitudinis morbi causa maxime multitudo humorum, crassities & lentor: contra vero calidi sudores ostendunt materiam nec multam

De quibus morbis & sudoribus aphorismus intelligendus.

Morbi vnde fiant longi.

tam esse, aut certe non crassam aut viscidam, calorémq; extenuare vincereque materiam. Quæ quidem causæ sunt & signa breuioris morbi. Quinetiam, & illud verum est, multos sudores calidos significare morbos quoque longos: nam multitudo omnis difficile & ob id non nisi longo tempore vincitur, vt docet quoque experientia. Paternus enim Medicus insignis, amicus meus, plures menses sudauit cum febre lenta, nec liberari potuit, antequam adhibitis purgationibus, materiam sustulerit, ex qua sudores isti prorumpebant. Idem vidi in multis contingere, in quibus merito mirari quis posset, quomodo morbi tamdiu perseuerare possint, cum tantis totque sudoribus, tantum profecto possunt corporum dispositiones procliues ad generationem materiæ, ex qua fiunt sudores, aliaque excrementa.

Sudores multi calidi quomodo significent morbos longos.

APHOR. XLIII.

Πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, ἐπικίνδυνοι μᾶλλον· ὅτῳ δ' ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

Febres quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt magis periculosæ, quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

Docet in hoc Aphorismo, prædicere periculum & securitatem ex differentiis febrium: nam quæ sunt continuæ, non solent esse sine periculo: intermittentes vero omni periculo vacant. Sed Hippocr. non videtur simpliciter comparare continuas cum intermittentibus, sed continuas, quæ tertia die fortiores fiunt, cum aliis, quæ ea die non exacerbantur. Quod verba satis ostendunt: nam si diceret, febres non intermittentes periculosiores esse intermittentibus, sententiam faceret non dignam Hippocrate. Quis enim hoc ignorat? Videntur igitur duę esse comparationes, aut si non sunt, deberent esse; in vna non intermittentes cum intermittentibus comparari possunt, vt talis sit sensus: *Febres quocunque modo intermittunt, periculo omni vacant; quæ vero quocunq; modo continuæ sunt, suapte natura periculosæ esse possunt.* Alia est comparatio, in qua continuas quasdam inter se comparat, eas scilicet, quæ tertia die fiunt fortiores, cum his, quæ id non patiuntur. Reddenda igitur ratio est, vt ordinem sequamur Aphorismi, primum cur febres non intermittentes, quæ tertia die fortiores fiunt, sint aliis magis periculosæ. Sane, cum hæc diligenter perpendo, intelligere non possum Aphorismum de febribus, quæ tertio quoque habent accessionem tertianæ, ita vt continuas solum intelligat Hippocr. Sunt enim hæ non magis periculosæ, quam Causones aut Synochæ febres putridæ, aut continuæ quotidianæ, vt experientia & ratio quoque docet. Sed *proprie intelligit semitertianas febres: Harum enim proprium est tertio quoque die fortiores fieri, cum in eo die fiat accessio quotidiana & tertiana*: in die vero intermedio solum fit continua febris cum accessione quotidianæ; vnde non solum Medici, sed astantes ægriq; ipsi agnoscunt omnia fieri fortiora, & difficiliora in his febribus tertio quoq; die: non dixit autem Hipp. *fiunt accessiones tertio quoq; die, sed fortiores fiunt febres,* quoniam sæpe confunduntur accessiones, vt nullum euidens accessionis sit principium, sed solum vehementiora appareant omnia accidentia, & febres ipsæ. Atque hæ quidem febres omnium maxime sunt periculosæ, vt etiam hic author in Epidemiis testatur: *constant enim ex duplici humore, bilioso & pituitoso inter se confusis & copiosis, quorum vnus alterius concoctioni & expulsioni repugnat.* Cur vero intermittentes febres inter febres omnes careant periculo, iam expendamus.

Febres continuæ esse periculosas, vt intermittentes omni periculo vacare.

Quales sint illæ febres non intermittentes, quæ tertia die fiunt fortiores.

Cur huiusmodi febres sint aliis magis periculosæ.

Certum est, febres, quę vel minimum temporis desinunt ad integram quietem, suapte natura nunquam lethales esse: Fiunt autem lethales, si ex intermittentibus fiunt continuæ, vt sæpe contingit, aut si coniunguntur cum aliis affectibus, qui suapte natura sunt lethales, aut tales inferunt; cuiusmodi sunt scirrhi hepatis, & lienis, qui cum quartanis & tertianis tandē in nonnullis hydropem afferunt. Gale. tamen *in primo ad Glaucon.* dicit quotidianam non esse sine periculo; An dicendum est, quotidianas vix vnquam finiri ad integram quietem? Vel dicendum, quod & illæ pariter sunt sine periculo, si modo solum sint quotidianæ intermittentes, & non continuæ quotidianæ?

Cur febres intermittentes omni periculo vacent, & quando fiant periculosæ.

Cæterum Galen. intermittentes febres putat ideo tutissimas esse, quod non fiant ex aliqua inflammatione, nec ex maligna humorum putredine. Verum ille his verbis dicit, quod non est in his febribus, dicendum autem erat, quod est. siquidem negatio, & priuatio non est causa eorū, quæ sunt. nam etsi maligna putredo causa est lethalium febrium, est etiam eadem causa magna putredo, & aliæ affectiones præter inflammationem, vt scirrhi, & magnæ obstructiones hepatis, mortales pariunt febres. Cur non dicebat Galenus, intermittentes febres fieri ex humoribus putrescentibus extra venas, vbi lethalis affectus fieri non potest? continuas vero ex putredine facta in vasis maioribus accendi, in quibus locis sunt præcipua vitæ instrumenta, cor & hepar, ita, vt mirum non sit, vitam periclitari, vbi adest tam grauis affectus, qualis est febris continua? Verum, nos, qui ponimus in omnibus febribus humores putrescere in vasis, aliam cogimur afferre causam, quæ quidem est, (vt arbitror,) quoniam in febribus intermittentibus humor putrescens in accessione extra mittitur per insensibilem transpirationem, sudores, vomitum, aut alui deiectionem, atque ita liberantur internæ partes à putredine, quæ in singulis accessionibus fit, & à febre, quæ ex ea nascitur. Mors autem sequi non potest ex febribus, sine vitio insigni internarum partium, quod cum fit in continuis febribus, merito in illis relinquitur periculum.

In omnibus febrib. humores putrescere in vasis.

APHOR. XLIV.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισιν ἢ φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι γίνονται.

Quibus febres longæ, his tubercula vel labores in articulis fiunt.

PErtinet quoque hic Aphoris. ad prædictionem, docet enim, quid sequi soleat longas febres: Sunt autem hæc, inquit, tubercula vel labores in articulis. Per tubercula intelligerem proprie Phymata, vt Hippocr. loquitur, quæ Celsus appellat tumores: nam in longis febribus tumores, qui nascuntur, solent esse frigidi & pituitosi, id quod docet experientia: nam ex longis febribus solent fieri Oedematosi tumores in pedib. & tibiis, & non inflãmationes. Quid a. intelligat per labores, Gal. interpretatũr *dolores, & læsiones*, quæ sequũtur ad abscessus. Verum (meo quidẽ iudicio) separat labores à tuberculis, & abscessibus, & his quæ sequuntur abscessus, cum inquit, *tubercula, vel labores.* Quare præstat dicere, ex febribus longis sequi in articulis vel tubercula, vel labores. Laboris nomine intelligendo *dolorem, imbecillitatem, molestiam, quæ sæpe sentitur in articulis citra tumorem aliquem ex profundioribus affectibus*, quos flatus vel leuis aliqua destillatio pariunt. Id quod experientia pariter docet: nam multos videmus conualescentes ex longis febribus, qui conqueruntur de imbecillitate ad motum, vel de doloribus aut grauitate arculorum. Potest etiam Aphorismus ita legi: *quibus febres longæ, vel labores, his tubercula in articulis fiunt*: nam antea quoque dixit, abscessus fieri in partibus, quæ laborarunt. Sed prior sententia est authoris. Illud tamen notandum est (vt recte scribit Galenus) non semper contingere ex febribus longis tubercula vel labores in articulis, sed in his, *in quibus humores propter multitudinem & crassitiem vel frigiditatem perfecte non concoquuntur, vel certe, non euacuantur.* Aut etiam hoc contingit, ex imbecillitate caloris derelicta ex longis febribus, ex qua male concoquitur cibus, generaturque pituita, tuberculorum & laborum causa.

Per tubercula quid intelligendum.

Quid per labores.

In quibus febribus longis hæc sequuntur.

APHOR. XLV.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν μακρῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

Quibus tubercula, vel in articulis labores fiunt, hi pluribus vtuntur cibis.

IN hoc Aphor. aliam reddit causam, ex qua fiunt tubercula, vel labores in articulis inconualescentibus: antea enim dixit id contingere aliquando ex longis febribus, nũc vero dicit, idem contingere ex plu-

A ribus cibis, quibus ægroti vtuntur post longas febres & forte etiam in ipsis longis febribus. Calor.n. in vtrisque debilitatus, nequit plurimum cibi concoquere; quamobrem, necesse est, plurimam gigni pituitam, ex qua tubercula & labores in articulis proueniunt. Igitur ex longis febribus vel aliis morbis hæc mala in articulis succedunt, vel ob reliquias materiæ ipsius febris, vel quod plus appetant, alio modo plus ingerant alimenti, quam possint adhuc concoquere, Vtrum vero ex duobus fit, ex alterius priuatione intelligemus: Si enim quis parce edat, si ea nascuntur mala ex reliquiis præcedentis morbi fiunt & purgatione rursus opus est: Si
B vero corpus liberatum est à febre, cum idoneis euacuationibus, labores & tubercula articulorum necessari ostendunt ex superfluo victu hæc mala nasci.

APHOR. XLVI.

Ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

Si rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est.

C EX rigore, qui incidit in continuis febribus, ægro iam debili, docet mortem prædicere. Qua quidem in re Galenus vim primum facit verbo, *incidat*, quod ait significare plures insultus rigoris, incidere vero vnum duntaxat, credens, Hippocratem ex vno insultu rigoris nolle mortem prædicere, sed ex pluribus. Quod mihi probabile non videtur: est enim Sophistica hæc interpretatio, & cum ex vnico rigore sequatur, quod scribit author, vt postea ostendemus, vana ea proditur interpretatio; id quod ipse facere non potuit, quia veras causas rigoris ignorauit, vt pro-
D lixius docuimus *in Commentariis nostris in suam Artem curatiuam ad Glauc.* At enim *in hoc Commentario* hos rigores sæpius factos in febribus continuis, aliquando bonos esse, quando scilicet sequitur post rigorẽ iudicatoria euacuatio cum virium robore: si vero cum virium debilitate, de qua hic agitur, fiant rigores, malum omnino esse & perniciosum. nam vel solus fit rigor sine euacuatione, aut etiam post illum sequitur euacuatio: vterque modus perniciosus est, inquit, quoniam si rigor fit cum vacuatione, quæ febrem non reddit intermittentem, lethale est, quia vis imbecilla ferre non post agitationem rigoris & dissolutionem ab euacuatione. Si vero solus accidat
E rigor, indicatur vltima imbecillitas, quæ non possit post rigores, vt consueuit, euacuare noxios humores. Verum hæc dicuntur sine principiis: primum enim docendum erat, quomodo in febre continua possit fieri rigor tam sæpe, vt ipse statuit; Secundo, si fit cum euacuatione, probandus est, etiamsi febrem non

Galeni opinio de hoc aphorismo refutatur.

non reddit intermittentem, satis est, si continuam insinuat. Deinde ille secutus sua principia, non potest asserere, virtutem esse extremè imbecillam, cum sit rigor: nam statuit passim, rigorem fieri, cum facultas expultrix expurgans externas partes acres, & mordaces humores cōfertim extrudit per musculos vsque in superficiem corporis, quæ quidem indicia sunt cōstantis virtutis. Præterea necessario sequitur euacuatio in omni rigore, si non sensibilis, saltem insensibilis; aut certè ea, quæ humores transfert à nobilibus partibus internis ad ignobiles externas, id enim necessariò sequitur illius opinionē, quæ ponit ob ipsam separationem, excretionē, & delationem humorum acrium per habitum corporis, fieri rigorem. Quod si homines moriuntur per rigores, hoc profectò non accidit, quod virtus debilis ferre nō possit agitationem, quæ fit in ipso rigore: sed alia ratione id fit. Atque hæc quidem ad Galenum.

Item Cardani.

Cardanus verò, vt Galeni interpretationem reprehendere possit, munit se loco Hippoc. desumpto *ex primo ipsius libro de morbis*, vbi author scribit: Rigorem fieri in morbis ab externis caussis, ventis, aquis, serenitate, sub dio degentibus, necnon à cibis & potionibus ingestis. Præterea ex permistione bilis & pituitæ cum sanguine, aut ex sola pituitæ permistione, tunc enim congelari sanguinem, & ob id totum corpus refrigerari, & hanc affectionem appellari rigorem, etsi vehementior, inquit, fiat rigor, fit etiam vehementior tremor: nam dum contrahuntur venæ sanguine & coacto & congelato, corpus etiam contrahunt, & tremere faciunt: si vero minus aliquanto coactio fiat sanguinis, hoc rigor appellatur. Nescio, quomodo Cardanus tanti faciat hanc dictionem Hippocratis, quæ nihil habet probabile cum generatione rigoris. Quis enim vnquam dicet, rigorem fieri in tertianis aut aliis febribus ob conglutinationē sanguinis, & pituitæ cum eo mistionem? Sed his omissis, alia est quærenda ratio, qua fiat, vt vnicus etiam rigor, qui accidit in febre continua ægro valde debili lethalis sit. Id profectò non aliter fit, quàm quòd rigor in febribus non fiat ab alia caussa, quàm ob nouam in partibus internis putredinem, aut ob suppurationē præsentis inflammationis, vt alibi docuimus. Mirum igitur non est, si virtute ita debili in febre continua sequatur mors, cum tam grauis affectus accedit, sicut est noua putredo interna, aut suppuratio ingentis profundæque inflammationis. Rectè autem addit *febrem continuam*: nam in febre intermittente rigores quidem fiunt, sed ex leui putredine ex pauca materia, quæ in singulis accessionibus putrescit & concoquitur; propterea talis rigor nequit etiam virtute debili mortem minari; quandoquidem superius ostendimus, in febre quomodocunque intermittente, nullum signum lethale esse posse.

Cur tremor rigor in febre continua accidens ægro valde debili sit lethalis.

Cur rigores intermittentium non sint lethales.

Aphor. XLVII.

Αἱ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαὶ, καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

A *Excreationes in febribus nō intermittentibus liuida, cruenta, fœtida, biliosa, omnes mala. Et si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bona. Si verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.*

Nulla explicatio huius Aphorismi ab aliis memoriæ prodita mihi satisfacit: nam vt à Galeni Commentariis exordiar, ille, quod Hippocr. de excretionib. scribit (id est, his, quæ tussiendo excernuntur) trahit ad omnes excretiones; deinde quod Hippocr. inquit, *si bene exeunt*, interpretatur, *si fiant excretiones bene expurgantes partem patientem*, id quod (inquit) fit cum signis coctionis & bona tolerantia: nam si liuidæ sunt, cruentæ & fœtidæ, non possunt esse cum signis concoctionis: sunt enim hæc putredinis, & non concoctionis bonæ, indicia; nec possunt esse (vt credit) sicut pus, quod excernitur abscessu disrupto, quod partem patientē expurgat, sed semper tales excretiones fiunt, sicut in vlceribus putridis, à quibus liquores saniosi defluunt (vt ille inquit) nihil dispositioni conferentes, nec bona sequi potest tolerantia. Quare verbum, *si bene exeunt*, nō potest eam recipere interpretationem, vt referatur ad expuitiones, quæ fiunt in febribus continuis, liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ: illæ enim, vt inquit Hipp. omnes malæ, nec aliqua ratione fieri possunt bonæ, interim cum tales perseuerant. Cardanus verò, posteaquam aduersus Gal. egregiè pugnauit, hanc putat esse Aphorismi sententiam: *Excreationes in febribus non intermittentibus qualitercunq, mala fuerint, seu colore, seu odore, seu substantia, seu permistione, seu etiam alia excretiones, malum significant. Eadem excretiones si facilè educantur, ea ratione bona sunt omnes, & si iuuant rursus, bona, si autem non iuuant, mala.* Sed ille non habet, vnde triumphū sibi canat aduersus Galenum ex hac sua noua interpretatione: nam *mala* ad omnes excretiones trahit, quod de solis excreationibus est dictū; Excreationes enim ipsas prædictas damnat absolutè Hippoc. vt malas: Excretiones verò liuidas, cruentas, fœtidas, biliosas per aluum & per vrinas, dicit esse bonas. Deinde, verba *bene exeunt* explicat, vt Gal. per *facilè*, sine autoris testimonio. Laudat enim ille *in Prognostic.* sputum bonum, quod habet in materia, quæ expuitur, certos colores, quos iudicat bonos, nec malum odorem, & certam mistionem humorum, & simul cito & facilè expuitur. Sed non dicit, sputum illud esse bonum, quod est liuidum, fœtidum, biliosum, syncerum, ex eo solo, quod facilè excernatur. Nam quod bonum effertur ex vnica leui conditione, aliis omnibus repugnantibus, bonū simpliciter pronunciari non potest, vt hic facit Hippocrates. Præterea, quomodo possunt iuuare, & propterea esse bonæ fœtidæ, & liuidæ excretiones? Item, quod scribit postea, si non iuuāt, malæ, hoc ita notum est, vt præceptore Cardano non egeat. Dicam autem, quid sentiam de hoc Aphorismo.

Galeni interpretatio reiicitur.

Item Cardani.

Sententia authoris.

Primum, quod duæ sint partes inter se separatæ: vna quæ propria est his, quæ excernuntur per tussim; alia, quæ propria est illis, quæ excernun-

tur per aluum & per vrinas. Expuitiones enim, quæ fiunt in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ, omnes, & semper malæ, quomodocunque excernantur: *semper enim ostendunt malam subesse in corpore dispositionem, nec iuuare possunt dispositiones pulmonis & pectoris, cum sint sine concoctione.* Si verò ea excrementa bene exeant, bona. Explicat autem, quomodo possint bene exire: Si, inquit, per aluum vel per vrinas fiant excretiones: *nam tales deiectiones & vrinæ solent corpus sæpe expurgare à malis dispositionibus*; & Hippocr. *in Epidemiis*, & experientia sæpe docet, separari per fœtidas, liuidas, & biliosas, & nonnunquam cruentas, eas excretiones, quod putridum est, ab eo, quod est bene affectum. Sic Galenus & Dioscorides laudant Carduum, quod vrinas copiosas & fœtidas expellat, tales enim excretiones per aluum & vesicam possunt fieri, cum signis concoctionis, & propterea iuuare, quippe, cum in venis contineantur excrementa varia, non sine fœtore, quæ cum exeunt, non ostendunt malam subesse dispositionem in illis; aliter de sputis sentiendum. Vltima autem pars, quæ habet: *si verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur*, satis ostendit, omnia, quæ dicta sunt post verbum *malè*, solum pertinere ad alui excretionem & vrinas; quippe, cum verba *per hæc loca* ad excretiones non pertineant. Sed quid est, quod excerni possit per ea loca, quod nunquam iuuet? Partium substantia; vt in dysenteria, vlceribus renum & vesicæ: hæc enim semper mala sunt, quia nunquam iuuare possunt.

Cur excretiones tales omnes & semper malæ, excretiones verò per aluum & vesicam bonæ.

Aphor. XLVIII.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δ᾽ ἔνδον καίηται καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

In febribus non intermittentibus si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & sitim habeant, lethale est.

Ex partium externarum refrigeratione & interiorum vehementi calore atque siti, docet febres continuas lethales esse: Si enim hæc symptomata in illis febribus appareant, mors necessario sequitur, vt experientia quoq; docet, nisi hoc fiat ob externam causam, aut ratione febris intermittentis coniunctæ cum continua. Scimus enim, quod inter initia accessionis febrium intermittentium externæ partes frigent.

Quid per partes exteriores intelligendum.

Per partes exteriores intelligit Galen. cutem, non autem extremas partes, vt pedes, & manus, de quibus alibi scribit Hippocrates, & damnat huiusmodi quoque frigiditatem, vt *in septimo libro Aphorism. primo*, vbi scribit: *in acutis morbis frigiditas extremarum partium, malum.* Dubium autem non est, deterius esse, si externæ partes refrigeratæ sint, quàm si solum extrema frigeãt: nam in accessionibus febrium frigent extrema, cutis tamen pectoris & dorsi calet. Siquidem non magnam oportet esse causam, quæ non permittit calorem vsque ad extremas partes exire; Maximam autem, quæ prohibet efferri à corde vsque ad vicinas partes externas. Est porro non alia causa in febribus non intermittentibus externi frigoris & interni ardoris, quã *inflammatio, aut maligna putredo in aliquo interno viscere, quæ calorem reuocant, colligunt, & intus concludunt*, ita, vt non permittant eum prodire vel maximè in externas partes vicinas. Frigiditas verò extremorum, & quæ in rigoribus sentitur, per febres intermittentes, causam quidem habet internam putredinem, vt superius ostendimus, sed mitiorem, & sine inflammatione. Ac profectò, ex his duobus solis, frigiditate, inquam, exteriorum partium, & vstione interiorum, prædicere possumus mortem, etiamsi sitis non adsit, quandoquidem illa aliquando non fit, vbi lingua est nigra, dura & aspera, quæ indicia sunt magni ardoris: quia tamen sensus est extinctus, non sentitur molestia, quæ sitim parere suaptè natura potest. Solent hæc mala contingere in lypiriis vocatis febribus, de quibus ille agit *in secundo Prognostic.* & statuit, consistere cum internis inflammationibus viscerum. Aetius autem distinctius exprimit illarum naturam, & inquit Lypirias fieri ex erysipelate ventriculi, Typhodes ex iecoris, Crymoder ex erysipelate pulmonis; ita placuit Græcis ignotis nobis nominibus res obscurare.

Causa externi frigoris & interni ardoris in febribus continuis.

Cur hæc sint signa mortis.

Aphor. XLIX.

Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ ἢν χεῖλος, ἢν τὸ βλέφαρον, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος, ὅ,τι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

In febre non intermittente, si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima est.

Prosequitur alia indicia, quæ in febre non intermittente sunt lethalia, & ita vt proximam mortem ostendant. Sunt autem, inquit, *peruersiones labri vel palpebræ, vel supercilii, vel oculi, vel nasi, aut visus, aut auditus abolitio*; & docet, non omnia hæc, sed vnumquodque ex illis vim habere significandi instare mortem, & non in omni tempore morbi, sed iam debili existente corpore: nam hæc incipere possunt cum febre, aut paulo post accidere; tamen non indicabũt mortem propinquam, cum adhuc vires constent, mors verò contingere non possit, nisi in maxima viriũ debilitate, præsertim ex febribus: nam Apoplectici, & qui ex angina suffocati pereunt, & alii denique, qui non moriuntur ex resolutione caloris; constante pulsu, in quo robur maximè spectatur, pereunt. Cur verò peruersiones illarum partium tantam vim habeant significandi propinquam mortem, docet Galenus *in Comment.* quod scilicet causa petatur ex contractione neruorum, qui in eas partes, quæ peruertuntur, inserũtur. Contractiones verò neruorum fieri propter inflammationes, scirrhos, siccitates, & frigiditates immodicas. Hæc autem omnia esse grauia, quando propter neruorum originem fuerint constituta. Ego quidem existimo,

Cur prædictarum partium peruersiones tantã vim habeant significandi propinquam mortem.

existimo, ob inflammationes neruorum prodeuntium à cerebro, earum partium conuulsiones fieri, at propter scirrhos, siccitates & frigiditates, minimè. Quis enim vnquam vidit scirrhos genitos esse in cerebro, aut neruis ipsius, mollissimis partibus? aut si gignuntur, non fiunt in febribus, & si fiunt, paulatim fiunt, quare subitam mortem non præsagiunt. Hic autem Hippocrates mala videtur afferre, quæ subito superueniunt febribus. Quare, nec ex siccitate potest contractio, aut conuulsio aliqua fieri, vt alibi, & postea quoque docebimus. Cur enim tabidi omnes in omnibus partibus non conuellerentur? & multo minus profectò frigiditas aliqua causa cōtractionis reperiri potest in corpore viuente & multo minus præsente febre continua. Sola igitur relinquitur inflammatio ex fluxione aliqua in febribus irruente in cerebri substantiam, vel illius membranas, communicata inflammatione, & tensione neruis partibusque, de quibus meminit hic Hippoc. vel fluxio ex pituitæ fusione irruens in neruorum exortum. Mirum igitur non est, si superueniente grauissimo affectu in parte nobilissima, debili existente iam corpore, propinqua existat mors.

APHOR. L.

Ὅκου ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γίνεται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit, lethale.

De qua difficultate spirandi sit sermo.

NOn de difficultate spirandi, quæ statim coniungitur cum febre continua, intelligendus est Aphorismus: sed de ea, quæ *accidit* siue superuenit in morbi progressu; nam in Pleuritide fit difficultas spirandi, quod tamen lethale non est. Delirium quoque non solet cum febre statim corripere ægrotos, & cum in vigore morbi fit, non necessario lethale est. Quare separata hæc symptomata, & in certis temporibus facta, non ostendunt, quod Hippocr. verba significare simpliciter videntur, sed videtur velle vtrumque coniungere, & intelligere, quod cum febris adest continua, & ei superueniunt difficultas spirandi & delirium, tunc talis febris sit lethalis.

Cæterum, cum difficultatis spirandi multæ sint differentiæ; quædam scilicet, quæ nascuntur ex aucta necessitate, vt magna, velox, crebra respiratio; aliæ verò, quæ proueniunt ex læsione instrumentorum respirationi seruientium, thoracis, pulmonis, asperæ arteriæ, quæ inæqualem & inordinatam & dolorificam paruam & angustam reddunt respirationem; aliæ verò, quæ nascuntur mente affecta, quæ ex electione mouet neruos, musculos, & partes illis annexas; quod vitium respirationem facit aliquando raram, aliquando crebram, & duplam reuocationem, quæ in flentibus apparet; de qua Hippocr. *in Prædictionibus*, agit, cum inquit: *Spiritus magnus & per multum temporis interuallum, delirium indicat*; videtur profectò de difficili respiratione intelligere, quæ à delirio fit; Docet enim experientia, luctuosa suspiria, & duplices illas reuocationes, magnamq; spirationem per temporis

A interuallum pessima esse in morbis symptomata, quæ cum accidunt, de salute iam desperādum est, vt Hippoc. *in Prædictionibus & alibi* quoque memoriæ prodidit. Aliæ verò difficultates, quæ ex aliis causis proueniunt, graues quidem sunt, sed non necessario lethales.

APHOR. LI.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νούσου σημαίνει.

In febribus abscessus, qui ad primas indicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant.

B SVmit in hoc Aphorismo longitudinis febris indicium ex abscessibus, in quos febris terminari solet. Et hic non loquitur de solutione ipsorum abscessuum, sed de solutione febrium per abscessus. Constat autem febres aliquando per euacuationem, vt per sudorem, vrinam, alui profluuium, & vomitū curari; aliquando verò per translationem humoris ex internis partib. in aliquam externam, & tunc fiunt abscessus & tumores. Sententia autem Hippoc. talis est, quod abscessus, qui in prima iudicatione non soluunt febres, significant morbi longitudinem. Intelligunt autem nonnulli primam iudicationem primum diem iudicatorium, qui, vt refert Hippoc.

Quid per primam indicationem Hippocr. velit.

C *Comment. 3. 1. Epid. tex. 14.* est quartus dies, inter illos scilicet, qui parib. diebus iudicant; sed perperam: nam abscessus non solent fieri in primis diebus iudicatoriis, quippe, cum fiant solum in longis febribus, in quibus natura non solet aliquid concoquere & expellere, quod conferat in primis dieb. Intelligere igitur oportet abscessus illos longitudinem morbi significare, qui cum primum facti sunt, febrem non soluunt, sed aliquid adhuc relinquunt: nam cum natura planè vicit peccantem materiam, quam tamen planè expellere nō potest, eam totam in aliquam partem extrudit; itaque soluitur febris, & manet solus abscessus, qui postea peculiarem suam curationem requirit: Cum verò peccantem humorem natura perfectè non concoxit, quantū boni abscessus natura requirit, tunc perfecta quoque expulsio fieri non potest. Quare tempore alio opus est ad concoquendum, quod in venis adhuc continetur, febremq; fouet, igitur longitudo morbi significatur.

APHOR. LII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον. ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

Quicunque in febribus vel aliis morbis ex voluntate illachrymant, nihil absurdum; qui E *verò non sponte, absurdius.*

QVid lachrymæ ostendere possint in febribus, vel aliis morbis, docet in hoc Aphoris. In quo voluntarias lachrymas nihil absurdum significare, inuoluntarias verò absurdum aliquid omnino ostendere, vult. Sed vnde hæc nascitur differentia, cum in vtroque casu eadem

sit materia, aquosa quidem pituita à cerebro expressa? An id contingit ratione agentis diuersæ: nam voluntarias lachrymas efficientem humiditatem exprimit contractio cerebri, quæ voluntaria est, sed solum exercetur motus ille, cum animus nimio mœrore & tristitia veluti frangitur & erumpit spiritus, vt conceptum dolorem internum circa cor versantem, minuat; ita enim mulieres & melancholici solent effundere cum lachrymis suas molestias. Lachrymas verò inuoluntarias elicit non debilitas facultatis retentricæ, vt Galenus credit; cur enim hoc modo non fierent lachrymæ in his, qui morti sunt propinqui? sed febrilis calor, qui cerebri substantiam colliquat. *In ardente igitur febre pessimæ sunt inuoluntariæ lachrymæ, cum non possint aliam habere causam, quàm colliquationem proprij humidi ipsius cerebri*: Siquidem tales febres non fiunt in corporibus valde humidis, & cum effluunt lachrymæ iam vigente morbo, extraneam omnem humiditatem iam consumptam satis testantur. In aliis verò morbis non magnum ostendunt absurdum lachrymæ, quippe cum sæpe nascantur ex superflua pituita, quæ abundat vel in substantia cerebri, aut in illius membranis, vel venis, quæ communicantiam habent cum angulis oculorum, ex quibus emanant lachrymæ. Quæ quoque causa est, cur in omnibus acutis febribus & lethalibus, non innatent lachrymæ in oculis: non enim semper recipitur colliquatus humor in ea parte, sed in alias influit, quæ cerebrũ ambiunt. Meritò igitur dixit Hippocr. inuoluntarias lachrymas significare aliquid *absurdius*, vt latitudinẽ relinqueret in singulis morbis, quod non sit par & æquale malum, & periculum in singulis morbis, quod à lachymis significatur. Videndum præterea est, ne lachrymæ fiant ob oculi affectiones, vt erosionem carnis, quæ est in angulis oculorum, aut ossium cariem, quæ eos angulos constituunt.

Voluntariæ lachrymæ unde.

Unde inuoluntariæ.

Inuoluntariæ cur in ardentibus febribus pessimæ.

Cur non in omnib. acutis febrib. & lethalib. innatent lachrymæ in oculis.

Aphor. LIII.

Ὁκόσοισι δ' ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περιγλίσχρασμα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

D *Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres.*

DEmonstratiuum signum tradit fortium febrium, & id sumit ex lentore, qui dentibus pertinacissimè hæret; Quod quidem signum non fit; nisi in febribus vehementibus, sed non in omnibus fit, quia deest aliquibus materia pituitosa, crassa & viscida; aut si non deest, certè non influit in dentes, sed in venis & aliis partibus continetur. Oportet igitur duas coniungi causas, pituitam scilicet, quæ descendat in dentes, & calorem, qui illam veluti torreat: tunc enim pertinacissimè illa hæret; neque enim putauerim, etiam fieri hos lentores, (vt Cardanus credit,) ob hiatum, ita, vt hos contrahant lentores, qui aperto ore dormiunt; vel à vaporibus feruentibus per os delatis: nam hæc sæpe fiunt absq; generatione huius lentoris. Ego vidi cum huiusmodi lentore aliquando mortem sequi aliquando verò salutem, sed non sine difficultate.

A

Aphor. LIV.

Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ, βραχέα ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεές εἰσιν.

Quibus plerimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, nõ multum siti infestantur.

CVm Hippocr. *in libro de ratione victus in morbis acutis*, dixisset, proprium esse symptoma febriũ ardentium, sitim; ne quis putaret, eam non esse ardentem, quæ aliquando est cum leui siti, admonet hic considerandum, an tussis aliqua leuis cum febre sit coniuncta, tunc enim paruam fieri sitim: itaque ex aliis indiciis ardorem febris detegit. Hunc Aphorismum Galenus hic explicat, & *in 23. sexto 2. Commentarii in sextum Epidemion* diligentius. Nam quod ait, hic tussim fieri ob intemperiem solam instrumentorum respirationis, non recipio: nam facultas expultrix, quæ tussim efficit, non mouetur ob solam intemperiem partium. Excitat quidem externum frigus tussim, sed non sine aliqua fluxione ad asperam arteriam: non enim vitia aliarum partium respirationi seruientium possunt tussim excitare, nisi aliquid ex illis trãseat in asperam arteriam, quod sæpe vulnera thoracis ostendunt, quæ sæpe sine tussi affligũt. Putat autem ideo non multum molestare sitim, quod tussicula madefaciat asperam arteriam attracto vel potius commoto ex vicinis locis humore. *In loco verò præcitato ex libris Epidemion*, scribit rectè additum *leniter irritantes*: nam validæ tusses calorem & sitim augent. Fortè etiam sitis mitigatur ex tussi attracto aere frigido.

Explicatio Galeni.

Alia ratio cur tussis sitim mitiget.

Aphor. LV.

Οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

Febres ex Bubonibus omnes malæ, præter Diarias.

DOcet in hoc Aphor. dignoscere, quænã febres sint malæ, ex causa scil. quæ illas parit. Causa autem est, de qua hic agit, inflammatio Adenum, quam vocant Bubonẽ. Fiunt enim ex Bubonibus febres diariæ, aliquãdo aliæ. Exceptis autem Diariis alias omnes dicit malas esse, non quod diariæ sint bonæ, sed in comparatione ad alias, bonæ dici possunt; malas ergo intelligere oportet, vel lethales, vel certè graues & periculosas. Diariæ verò & periculo & vehementia carent. Videndum autem est, cur ex Bubone nunc fiant diariæ febres, nunc aliæ, & quales sint illæ aliæ, & an vera sit diaria, quæ ex bubone nascitur. Scribit autem Galenus *in hoc Comm.* ideo diarias fieri ex bubonibus, quod bubones illi à causis euidentibus sint nati. Bubones verò, qui alias febres pariunt (vt verisimile est) originem habeant ex viscerum inflammationibus, & ob id febres illas malas esse eo, quod cum inflammationibus consistant. Quod quidem in re approbó, quod dicit diarias nasci ex Bubonibus factis à causis procatarcticis. Sed mihi

Cur febres diariæ ex bubonibus non sint malæ ut cæteræ, secundum Gal.

mihi verisimile non fit, quod sibi dicit verisimile esse, ex viscerum inflammationibus fieri bubones, qui alias febres pariunt. Fiunt quidem bubones ex fluxionibus, sed non ex internis inflammationibus. Illæ enim potius traherent ad se bubones factos, quàm vt eos facerent, siquidem non ex inflammatione, vna alia inflammatio oritur, nisi in admodum vicinis partibus vna ex solutione alterius oriatur, vt angina in pleuritidem & hæc in peripneumoniam transit; sed ex vna perseuerante non pullulet alia. Addo, quod omnes putant, glandulas esse factas ad expurganda viscera à fluxionibus & excrementis in illis contentis, vnde vulgares Medici glandulas, quæ sunt in collo, dicunt esse emunctoria cerebri; & eas, quæ sunt in axillis, cordis; & eas, quæ sunt in inguine, emunctoria esse hepatis. Sic in peste nemo hactenus memoriæ prodidit inflammata reperiri viscera, cum emergunt bubones. Aliam igitur oportet esse differentiam in causis bubonum, qui diuersas has febres pariunt. Nec sufficit dicere, diaria fit ex bubone facto à causa manifesta, & aliæ febres fiūt ex bubone nato ex viscerum inflammationibus: nam præter id, quod diximus contra viscerum inflammationes, quæ non possunt esse causa aliquorum bubonum, cum sæpe viderimus Hepatis inflammationes, cerebri & pulmonis sine bubonib. Oporteret præterea dicere, cur causæ euidentes non possint parere nisi bubones facientes diarias: nam si verum est, quod ille scribit *in primo de different. febr.* communis erit causa ex omni bubone ad malas febres procreādas. Scribit enim, in omni bubone, qui febrem accendit, putredinem esse, tamen à bubone, qui facit diariam, non eleuari ad cor putridam fuliginem, sed solum per cōtinuationem partium communicari calorem cordi, putredinem verò ipsam putridamq; fuliginem permanere in bubone circumscriptam; in bubone verò, qui alias febres accendit, putredinem emittere fuliginem putridam, quæ putridum calorem in corde accendit, ex quo febris fit putrida. Egregiam profecto chymeram: nam si fatetur, putredinem esse in omni bubone generante febres, quæ ratio, quæso, aut experientia docere potest, putredinem aliquando circumscriptam manere, aliquando verò prodire & spargi in alias partes? quippe, cum eadem sit distantia, eædem viæ per vasa, eadem efficiens causa, nempe putredo, eadem omnia; nisi fortè crederet electionem dari vni putredini, alteri verò minimè, quæ velit aut nolit suam fuliginem putridam à loco putredinis emittere. Alia ergo est ratio generationis diuersarum harum febrium. Sed prius audiamus Cardanum, qui inquit, bubones, qui excitant diarias, esse externos, & ob id non posse ob distantiam à corde alias febres producere, quàm diarias. Sed quis non videt sæpe bubones inguinum aut aliarum glandularum, nō differre profunditate à bubonibus pestilentibus? & quid, quæsō, potest tantilla differentia, si aliqua est in distantia tantam vim habere, vt ex vno bubone nascatur diaria, alia ex alio eiusdem loci? an, quæso, aliquando ex putredine vel suppuratione, quæ fit in digito pedis, parte omnium distantissima à corde, non fit putrida?

Bubones cur [...] diariā, [...] verò a[...] [...] febres accendant. Galen. sen[tentia] re[...] [...]titur.

Dicam iam quid sentiam in expositione huius Aphoris. rectè dictum esse ab Hippoc. *febres omnes ex bubonibus natas malas esse, præter diarias*: nam bubones, qui diarias pariunt, ex externis & leuissimis causis sunt natæ, totamque habent suam generationem ab illis, propterea non fit in illis bubonibus putredo, sed sola excalefactio, propterea diaria, & non putrida febris oritur. alii verò bubones, qui internas causas habent, vel malignitatem humorum, aut certè magnam copiam, quæ cogit naturam ad expulsionem, non consistunt sine putredine, & ob id malæ sunt omnes, vt quæ causas fluxionum, & putredinis malas habeant; propterea bubones ab externis causis natos, mulieres in pueris suis solis stuppis vrina imbutis persanant, quod fieri non posset, si aliqua illic esset circumscripta putredo.

Sententia autoris.

Aphor. LVI.

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγενόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν. μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος καὶ ὑγρασίαν πλείω σημαίνει.

Febricitanti si sudor superueniat febre non deficiente, malum; Prorogatur enim morbus, & humiditatem multam significat.

Ex sudore prædicere docet morbi longitudinem, & quæ causa sit in corpore ipsius sudoris. Est autem sudor, de quo agit, qui superuenit febri, id est, qui fit, postea quam febris per aliquot dies durauit. De hoc enim dubium est, quomodo talis sudor febrem non finiat, & cur malum sit. Quod si sudor vna cum febre inuaderet, aut in primis diebus fieret in febribus continuis, certum est, eum sudorem malum esse, febrem enim non finiret, morbumque longum significaret, & multam humiditatem: nam talis sudor non potest fieri cum signis concoctionis, quare symptomaticus est, & ob id illa omnia mala significat. Verum, si sudor superueniat febri, an propterea damnandus est, si febrem non finiat, & significabit morbi longitudinem, & multam humiditatem? nō videntur profectò hæc sequi, si Aphorismus intelligatur, vt verba sonant: nam ipse antea *Aphorismo* 38. huius sudores, qui incipiunt tertia, quarta, quinta, septima, nona, & vndecima die, bonos esse dixit, etsi interim nō finiant febrem, quæ fortè suaptè natura decima quarta die crisin perfectam assequetur. Nec etiam sudor, qui superuenit in septima die, & antea non apparuit, malus censendus est, si febrem non soluat: satis enim est, si minuat portionem materiæ peccantis & concoctæ, ex quo sequetur celeritas solutionis, nec multa significabitur humiditas. Quare non temerè fortè Fuchsius interpretatur, *ἐπιγενόμενος ἱδρὼς, sudor, qui crebro accidit*: nam vbi crebri fiunt sudores, & non dissoluitur febris, non sunt quidem mali, quod obsit, nisi omnimoda sit cruditas, sed in hoc mali sunt, quod morbi longitudinem præsagiant, id quod faciunt, eo quod multam ostendant subesse humiditatem, non qualemcunque, sed rebellem & inæqualem, vt quæ non nisi paulatim possit concoqui & expelli. An etiam sudor, qui semel solum fit, posteaquam febris aliquādiu durauit,

in die decretorio copiosusque & febrem non finiuit, etiam malus est, & hæc mala significat vtique? sed multo magis qui frequenter, & in bonis diebus & largè profluit. Malum ergo est, quia multam humiditatem significat, & eam inæqualem & rebellem; talis autem materia morbi longi est indicium: At in febribus intermittentibus sudores etiam in prima die boni, quia cum signis concoctionis esse possunt ob materiæ paucitatem, quæ putrescit & concoquitur; in continuis febribus, quia multa materia simul putrescit, requiritur tempus, vt boni fiant sudores, & vbi materia æqualis est, semel fit sudor, qui febrem discutit in casibus perfectis: in materia verò inæquali possunt etiam fieri sæpe sudores in bonis suis diebus, in parte ea materiæ, quæ concocta est, sed tales sudores longitudinem morbi indicabunt.

Sudores cur in febrib. intermittentibus etiam in prima die sint boni.

Aphor. LVII.

Ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλημένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νόσημα.

Qui à conuulsione, aut distensione neruorum tenetur, febre superueniente, liberatur.

VT morbi nonnulli sibi succedũt, ita quidam aliorum sunt remedia; alii verò augentur ex aliis. Ac ne longius abeas, conuulsio & febris ita se habent, vt si primo fiat conuulsio, deinde sequatur febris, hæc illius sit remedium; non id autem fit, si præcedat febris, & sequatur conuulsio: non enim alleuiatur corpus à præcedenti morbo, sed alius illi additur. Hic docet Hippocrates, conuulsionem superueniente febre liberari. Præter autem conuulsionem addit distẽsionem neruorum, quam τέτανον vocant Græci, non quod hic affectus cõuulsio etiam non sit, sed quia non videtur esse, vocant enim conuulsionem siue spasmum contractionem membrorum ad originem suorum neruorum in quo malo quædam omnino apparet incuruatio partium. Quia vero in tetano contrahuntur omnes nerui, æqualis fit tensio. Quare non apparet conuulsio, quæ tamen adest, cum eadem sit causa & locus affectus, contractionisque ratio. Causam enim putat esse Galenus in omni conuulsione repletionem vel euacuationem partium neruosarum. Ego, vt postea ostendam, euacuationem non recipio inter causas immediatas. Præterea, addo aliam, quæ fit ex læsione ipsius cerebri, in quam cerebrum ipsum attollitur, & deprimitur, ex quibus motibus sequitur contractio relaxatioque neruorum & partium, quibus nerui alligantur, vt in Eplepsia accidit, quæ sine aliqua repletione ex frigida malignaq; aura cerebrum percutientẽ contingit. Fiunt etiam conuulsiones filamentis nonnullis neruorum punctis, aut partim dissectis, vt in vulneribus neruorum; nonnunquam fiunt hoc modo conuulsiones, contractione scilicet ad suam originem eorum filamentorum, quæ sunt dissecta, cum quibus integra pariter contrahuntur. Sic ex morsione orificii ventriculi nascuntur aliquando conuulsiones, communicato nocumento ipsi cerebro, quod illud expellat, vt in Epilepsia; attollitur & deprimitur.

Conuulsionis causa.

A Febris igitur superueniens conuulsionem & tetanum solet sanare; *quoniam vt plurimum ea mala fiunt à repletione; quam febris extenuat & dissoluit.* Simpliciter autem omnes conuulsiones sanare non potest, vt ostendunt superius dictæ causæ. Addit autem Galenus, de quo non agit Hippocrates, conuulsiones, quæ sequuntur ardentes febres, lethales esse, quoniam tales conuulsiones fiunt à siccitate, quam febris intulit, fouet, augetque, & non tollit. Ego agnosco quidem in febribus ardentibus aliquando fieri conuulsiones, sed non à siccitate, at potius ex mordicatione neruorum facta ab acrimonia humorum, aut etiam ex repletione neruorum nata ex fusione humorum, quam febris peperit, & nerui receperunt: sunt tamen illæ conuulsiones lethales, licet non fiant à siccitate, *quoniam oportet lethalem esse casum, vbi febri ardenti alius additur affectus suapte natura grauissimus.*

Cur febris superueniens conuulsionem & neruorum distensionem sanet.

Conuulsiones febribus ardentibus superuenientes cur lethales.

Aphor. LVIII.

Ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ῥῖγος ἐπιγενομένου, λύσις.

A febre ardente habito, rigore superueniente, solutio.

QVid ostendat rigor, qui superuenit febri ardenti, ostendit Hippocrat. solutio, inquit, sequitur. Quod quomodo fiat, non potest profecto docere Gal. qui in *Comment.* & *alibi* putat, rigorem nasci ob flauam C bilem, quæ per membra sentientia veluti motu fertur: nam si per membra sentientia, quod alibi explicat musculosam carnem, fertur bilis flaua, quæ materia est febris ardentis, quomodo solui potest causon per alui fluxum & vomitum biliosum, vt ille hic scribit? Fieret enim solutio solum per sudores. Præterea, sequeretur semper solutio: quid n. aliud fieri potest, si materia, quæ intus erat morbi causa, ad cutim extruditur? At Hippoc. *in Epid.* refert, multos post rigorem ex febribus periisse. Addo, quod post rigorem non statim fit sudor, aut alia excretio, sed aliquando post multos dies. Ex quo quidem apparet, non ex ipsa, vel in ipsa expulsione fieri rigorem, sed hunc præcedere, illam sequi. Propterea rectè D Cardanus aduersus Gal. rigorem non esse causam, sed signum crisis docet. Sed ille in eundem errorem incidit, quod credat, rigorẽ fieri ex biliosa & acuta materia sparsa per membra sensus & motus, vt ille inquit: nam antea hanc esse erroneam opinonem ostendi. Quomodo igitur rigor superueniens soluit ardentem febrem ex nostris principiis? Id sanè fit, *quoniam natura multam & acrem bilem in profundis vasis contentam morbi causam iam concoctam separare non potest, nisi vtatur omnib. suis viribus, & propterea vniuersum calorem ad se reuocat, ex qua reuocatione & expansione*, vt superius ostendimus, *fit rigor*, facta verò separatione noxii humoris ab vtili, & facta postea expulsione, quæ necessario sequitur E in materia calida, & tenui, sequitur solutio febris ardentis. At, si rigor superueniat in febre ardente, non ob reuocationẽ caloris gratia separationis & expulsionis, sed ob internam aliquam putredinem, & suppurationem, non vtique soluetur febris, sed sequetur mors. Et locum habebit Aphor. antea scriptus: *Si rigor incidat febre non desistente, lethale.*

Galeni sententia de hoc Aphorismo refutatur.

Item Cardani.

Quomodo rigor superueniens soluat febrem ardentem.

Quandoque soluat.

APHOR. LIX.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν περιόδοισι τὸ μακρότατον.

Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, iudicatur.

NIhil inuitus magis facio, quam cum cogor enarrare Aphoris. qui tractant de diebus & temporib. iudicatoriis, cum mihi iam dudū persuaserim, certas rationes, & causas illorum reddi non posse, vt etiam ex hoc Aphoris. patet, in quo Hippoc. ex natura exquisitæ tertianæ certum terminum, in quo finitur illa, præscribit. Est aūt vltimus is terminus septenus circuitus, id est, decimus quartus dies: nam etsi in prioribus diebus & circuitibus sæpe finiuntur nonnullæ tertianę exquisitę, illis tamen hoc commune est, quod vltimus finitis sit septenarius circuitus. Cur vero aliæ citius terminentur, aliæ tardius, ratio est, quod inter exquisitas quædam sint exquisitiores aliis.

Dierum critic. causas non posse reddi certas rationes & causas.

Cur vero dixerit septenis circuitibus, & non quatuordecim diebus, rationem reddit Galen. *in Commentario*, quod scilicet hoc in intermittentibus febribus possit accessio, quod potest vna dies in continuis, eisque obseruatum tum in quartanis, tum tertianis, fieri iudicationem ad numerum circuituum, non dierum: Sed nullam rationem huius rei subiicit: quæ quidem, meo iudicio, talis est; quod iudicia in morbis fieri non possint, nisi expellatur materia, quę morbum generat & fouet, expulsio autem fiat in illis temporibus, in quibus natura magis molestatur, id quod fit in febribus, quæ per circuitus infestant, in deteriori parte ipsius circuitus, quæ est accessio, in aliis vero partibus nulla vel minima sentitur molestia: ita credendum est, in continuis idem quoq; contingere in illis diebus, in quibus fiunt illarum iudicia. Verum dicet quispiam, quænam potest esse causa maioris afflictionis in illis febribus, quæ nouam non habent putrediné, qualis est in singulis accessionib.? An forte ea nascitur ex agitatione, quę necessario requiritur in separatione & expulsione malorū humorum? Videtur igitur nō putredo, sed perfecta aut insignis concoctio huius agitationis, & maioris molestiæ causa esse. Cum .n. ita natura cōparatum sit, vt post concoctionem sequi debeat separatio, & expulsio malorum humorum, hæc autem nō possint fieri sine maiore molestia, ideo tum in continuis, tum intermittentibus febribus concoctio dat occasionem expulsioni, & maiori molestiæ: vt enim expulsionis, ita concoctionis sunt certi termini, ad quos cum illa peruenit, expulsionis statim tempora nascuntur. In intermittentibus vero peculiariter accedit putredo noua, quam & ipsa per concoctionem simul vincit natura, nō quod etiam in tempore quietis natura non concoquat, sed imbecillius materiam antecedentem. Sed cum in ipsa accessione vincat materiam, quæ nouam excitat putredinem, & aliam etiam perficiat, quando sperfecta Crisis fit, hoc certo indicio est, cōcoctionem quoq; vehementiorem fieri, quando vehementius agunt causæ morbosæ, & natura illis vehementius quoque reluctatur.

Cur Hipp. dixerit septenis circuitib. & non 14. diebus ratio Galeni.

Authoris.

At vero tertianæ exquisitę non finiuntur septenis circuitibus, eo quod sint exquisitæ: sed *quia causam habent, quæ necessario concoquitur, & expellitur intra eum terminum.* Est autem causa, inquit Galen. bilis pura tenuissima & calidissima, per vniuersum corpus delata & mota, quæ cum in venis continetur, ardentem febrem parit: Addit alias causas, quæ ostendunt generationem exquisitæ & synceræ huius bilis; quæ exquisitam & synceram febrem parit, nempe tempus æstiuū, habitationem calidam, & siccam, hominis præterea ætatem, temperiem, & victum similem, & denique alia omnia, quæ faciunt ad illius humoris facilem generationem, concoctionem, & expulsionem. Quæ quidem docent, tertianam febrem exquisitam inter alias breuissimam esse. Sed non probant hæc quod quærimus, cur nimirum septenarius circuitus necessario illi imponat vltimum terminum. Cardanus, cum reprehendisset Gal. quod ignotum per ignotius in hac re docuisset, & pollicitus fuisset, se causam dicturum veriorem, & alia pulchra problemata proposuisset disputanda, cur scil. per accessiones numerentur termini in febribus intermittētib. in continuis vero per dies, & cur non vltra progredi possint singulæ febres suapte natura, & quam ob causam in certis diebus, & non in aliis fiant accessiones; nescio, quomodo omnia ista sicco pede pertranseat: vnum hoc solum dicens, quod materia tota morbi, qui sanari potest, pręparata est ab initio; quod cum ipse non probet, & mihi videatur absurdum, vt illud etiam, quod sequi scribit, omnes intermittentes vere continuas esse, aliis ea reliquit expendenda, quæ ego cum sæpius dixerim perfecte sciri nō posse, quēadmodum nec aliarum rerum præfixos à natura terminos, malo doctioribus hæc aut magis curiosis relinquere.

Tertiana cur exquisita cur septenis circuitib. finiatur.

APHORIS. LX.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα, λύει τὸ νόσημα.

Quibus in febribus aures obsurduerunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum.

IN 28. *Aphoris. huius lib.* docuit mutuam transmutationem surditatis, & biliosarum deiectionū in hoc vero docet, quib. remediis surditates, quæ fiunt in febribus, solui soleant. Sunt autem hæc: sanguinis profluuium ex naribus, & alui turbatio siue alui profluuium: non enim quęlibet alui solutio aut conturbatio soluit surditatem, sed magna per eam partem excretio: ita enim interpretor κοιλία ἐκταραχθεῖσα, vt ostendi in expositione *secundi Aphorismi libri*; Hic autem agit non de omni surditate, sed de illa aut potius graui auditu, qui solet fieri in febribus: nam veram surditatem non hæc soluunt auxilia. Eas vero, quæ fiunt ob ascensum humorum & vaporum

crassorum, aut etiam, qui miscentur cum biliosis, soluit sanguinis profluuium ex naribus, deriuata materia, quæ influxit, aut adhuc influit in aures. Alui autem excretio magna, quæ possit non solum humores contentos in inferioribus venis, sed etiam in vasis capitis commouere, & educere, eidem malo remedium est, si excernātur humores, qui causę facienti eum grauem auditum respondebunt. Cæterum, vt sanguinis & alui profluuium, ita vehemens Dysenteria, & insignes abscessus partium inferiorum possunt idem præstare auxilium.

APHOR. LXI.

Πυρέσσουσι ἢν μὴ περισσῇσι ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς ὑποστρέφειν εἴωθεν.

Febricitantes, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solent recidiuare.

Ex diebus, quibus solent febres solui, securitatem solutionis aut recidiuam docet prædicere Hippocr. *Si enim*, inquit, *solutiones fiant in diebus imparibus, fida & tuta erit solutio, alioqui metuenda est recidiua.* Quam sententiam Gale. non recipit inter veros Aphorismos Hippocr. quandoquidem ex múltis aliis locis eiusdem authoris adfert iudicationes veras morborum fieri sæpe per quaterniones, & in diebus paribus, vt sunt decimusquartus, vigesimus, quadragesimus, sexagesimus, octuagesimus, vigesimusquartus, & trigesimus quartus. Quare, concludit esse legendum non in diebus imparibus, sed in diebus iudicatoriis. Contra quem Cardanus insurgit, afferens primum sententiam Hippocr. *ex secundo Epidem.* vbi scribit: *Si non die impari febris dimittat, recidiuare necesse est.* Deinde respondet, Hippoc. hic loqui de febribus quæ desinunt absque Crisi, vel quod iudicationes fiant in accessionibus, quæ si fiant in paribus diebus, sunt lethalium morborum. Addit vero, quod obiicit Galenus Crises fieri in decimaquarta & vigesima, respondit Hippo. velle hos dies impares esse ratione accessionum, ita, quod decimusquartus dies, est tertiadecima accessio, & vigesimus decimanona; sed vsque ad septimam diem accessionis & diei idem est numerus: & hæc est causa, inquit, quod dies iudicatorii vsque ad 14. numerentur per integras septenarias, & post nō: quoniā in secunda septenaria sunt sex accessiones tantum, & septem dies, & in tertia septenaria sex accessiones, & sex dies, & hanc vult esse rationem Hipp. profundissimam. Sed rectius meo iudicio diceret, *Sophisticissimam*, nouo vocabulo, quod nouæ Chymeræ conuenit. Primum enim nullo iudicio probare potest, Hipp. hic loqui de febribus quæ desinunt absque iudicatione; deinde separat Hippocrates iudicia, quæ fiunt ratione accessionum, ab his, quæ fiunt in diebus decretoriis; Tertio, multæ sunt febres continuæ, quæ habent sua iudicia sine aliquibus accessionibus, vt synochę non putridæ, & putridæ, & ardentes, quæ in certis diebus bene, in aliis male iudicantur. Præterea nescio, an vnquam Hipp aut alius statuere possit 14. diem esse imparem, non enim ex accessionibus, dies dicuntur esse pares, vel impares, quæ, vt dixi, sæpe nullæ sunt, sed ex pari numero dierum. Postremo, si forte in decimaquarta aut vigesima die hæc ratio responderet, quid dicendum de quarta die, in quà fiunt etiam bona iudicia in morbis, qui per pares accessiones infestant, aut etiam sine illa, vt contingit in febre, quæ fit cum vehementi angina, quæ nonnunquam per sudores vel alui fluxum, vel profluuium sanguinis è naribus soluitur; quid de tot aliis dieb. enumeratis paribus, in quibus nullæ accessiones imparitatem efficere possunt? Præstat igitur sequi lectionem Galeni, aut Philothei expositionem, qui Aphoris. intelligit de peracutis morbis, qui intra septimam finiuntur, quorum Crises fiunt in diebus imparibus & simul Criticis.

APHOR. LXII.

Ὁκόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτερος ἐπιγίνεται πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν.

Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

Regius morbus qui & arquatus & aurigninosus à Latinis dicitur, à Græcis Icterus, duplex est, flauus, & niger. Sed de flauo potissimum intelligendum, cui & hæc nomina sunt imposita. Flauus corpus reddit vniuersum suo colore infectum: niger vero nigro colore pariter cutem vniuersam inficit. Est flauus reuera talis, niger vero perfecte niger non est, sed cum flauo mixtus. Flauum ex affectu hepatis fieri tradunt authores nostri, nigrum vero vitio lienis, mixtum vero vitio voluerunt procreari vtriusque partis, aiuntque vtrumque fieri tribus de causis, quarum vna est, quod de his humoribus plus generetur, quam conueniat; & quia genitus non separatur; vel quia separatus nón potest emitti, & ideo retinetur in sanguine ipso & transmittitur ad cutem, quasi membrum debilius, illamq; inficit. Quod vero plus gignatur bilis, duas dicūt esse causas, internam & externam: internas rursus duas esse, inflammationem, vel alium tumorem calidum, vel intemperiem calidā & siccam. Externas dicunt esse tres: venenatorum ictus, vt viperæ; venena assumpta; tertia est ex potu malarum aquarum, cibi corrupti, satietas, vigiliæ, & curæ. Cæterum, bilem à sanguine non separari, dicunt, tribus modis contingere; vel quia non concoquitur, & ideo non separatur, & transmittitur ad cutem, vel quia vesica fellis est nimis imbecillis, & non trahit, vel quia est nimis plena, vel parua. Quod vero separetur, & non transmittatur, contingere dicunt duobus modis: vno, quod nō transmittatur ex iecore ad vesicam fellis; vel à vesica fellis non transmittatur ad intestina; quæ quidem contingunt vel propter obstructionem, vel ob duriciem locorum, maxime iecoris.

Iam vero, in febrib. regium morbum dicūt fieri, aut per Crisin, aut per inflāmationē: ex inflāmatione nunquā bonū esse, per Crisin vero bonum non esse ante septimum diem, quoniā tal. morbus

Ictericus duplex.

Ictericiæ causæ.

morbus regius fit per trasmutationem, & in omni transmutatione materia est cōtumax. Quia igitur materia intra septimū conco. qui non pot, ideo expulsio, quæ ante fit, symptomatica est, & mala. Afferunt præterea ex Auerroe in sua regione, & apud Persas & Indiam maiorem, sæpe fieri icteros in quinta die, qui febrem finiunt, & id contingere ob caliditatem & siccitatem magnam earum regionum. Plinius quoque *libro 16. cap. 12.* refert, multos esse visos, qui ante septimum cum hoc morbo à febribus sunt liberati. Hæc Cardanus, qui & parum feliciter respondet loco Hippocr. qui *in quarto de Victu acut.* habetur, & dicit febrem solui biliosam ante septimum diem à morbo regio cum rigore. Et infelicius adhuc respondet Auer. & Plinio, cum malum, nescio, quomodo interpretatur bonum, & alia (vt videre est) dicit parum probabilia. Sed priusquam singula excutiam, Galeni sententiam subiicio, qui ait, morbum regium aliquando ex iudicatione prouenire reponente natura in totum corpus & præcipue in cutem, flauem bilem, & prouenire hoc malū affecto hepate scirrho, inflāmatione, & obstructione. Ac ex scirrho morbū fieri diuturnum, inflammationem a. & obstructioné repente fieri, & Hipp. intelligere *in hoc Apho.* de ictero facto ex inflāmatione vel obstructione, quæ affectiones ante septimum non possunt solui, & ob id malam esse bilis expulsionem, quæ sequatur illas passiones ante septimum. Quam sententiam ét sequitur Fuchsius, qui Plinio & Auer. putat se recte respondisse, ex eo, quod Hippocr. hic loquatur de morbo regio facto ex inflammatione. Quorum sententiā probare non possum; Primū, quod Hipp. hic loquatur de morbo regio, qui fit in febrib. nulla facta mentione inflāmationis aut obstructionis, quæ impediat transitū bilis per suos soli tos meatus: spectat. n. propriam febris materiā, quā putat solui posse per illius expulsionē ad externas partes, in qua expulsione fiat morbus regius: quod accidit, *cum ipsa bilis extra discuti non potest, sed in musculis & cute haret*, & recte dixit Hippocr. malam esse, idest, solere esse in febrib. hunc regium morbum, quia ante septimū diem febres biliosæ continuæ vix vnquam solui possunt. Tradit ergo, quod frequentius accidit, & quod forte aliter non vidit: non tamen tollit aliis sua experiméta. Ac simile est, quod hic tradit *Aphoris. 23. 2. lib.* in quo scribit: *Acuti morbi 14. diebus iudicantur*; frequentius enim ita accidit, & quod ita fit, traditur. Cum vero fit morbus regius ex inflammatione per obstructionem, nullum diem certum habet, in quo possimus laudare talem affectionem. Hippo. autem quod plerunque malum est ante septimum vt docet, ita quod post septimum fit in ipsis febribus probare videtur, quod maxime confirmat *in Aphoris. 64. huius sectionis*, quem Fuchsius non videt se adducere contra suam sententiam. *Quibus*, inquit Hippoc. *in febribus morbus regius in septimo vel nono vel vndecimo, vel decimoquarto superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit.* Quæ verba ostendunt in hoc Aphorif. se intelligere de morbo regio, in quo hypochondria non sunt indurata, cum non addiderit hoc malum, sed simpliciter pronunciauerit, *in febribus regium morbum ante septimum malum esse*; vt in eo etiam Aphorismo, in quo sublata ea duritie non ante septimum, sed in ipso septimo, & nono, & vndecimo, & decimo quarto, bonum dicit esse regium morbum, vt ergo bonum sine duricie intelligit, ita & malum, quod est ante septimum; & cum Galenus adiu. post septimum non vacare periculo regium morbum, vim facit Hippocr. qui in septimo & aliis prædictis diebus. vult bonum esse: nimirum quod non loquatur de ictero, quem facit inflammatio & obstructio, sed qui nascitur ex materia ipsius febris contenta in venis, quam natura effundit in externas partes vsque ad cutem. Præterea, quod scribit regium morbum fieri ex inflammatione, vel scirrho, perpendendum est, quo modo hoc malum committere possit: neque enim arbitror, vt alii credunt, inflammationem id facere ob intemperiem, ex qua adurat sanguinem, & bilem gignat; nam breuior solet esse & acuta affectio, quæ non potest intemperiem eam inducere. Præterea, *calidus & humidus* est morbus inflammatio, & ob id non omnino apta ad bilis generationem. Postremo, non occupat necessario eam partem hepatis, quæ sanguinem gignit; nec vt minor est inflammatio, vim habet committendi morbum regiū, nisi eum locum in hepate occupauerit, in quo vesica, quæ bilem recipit, & illius meatus comprimantur, & claudantur; id quod etiam de scirrho dicendum est, qui à me sæpe visus est in toto viscere absque generatione morbi regii.

Jn obstructione vero etiam hoc notandum est, quod non ea sola eam affectionem parit, sed etiam siccitas, quæ meatus eos aliquando ita contrahit, vt rugosi & chordæ instar duri reddātur, interna cauitate omnino sublata; quod in illustris. Card. de Gaddis Florentino, cum Pisis doceré, conspexi. Cū enim is laboraret ictero, & esset admodum extenuatus, consilio Medicorum Romanorum ad Balnea Lucensia post alia multa remedia missus est; quæ leuiter prodesse incipiebant, sed cum debiliter exiret aqua, Rhabarbarum, & obstruentia adhibebant, ex quibus semper affectus reddebatur deterior, id quod alii Medici dicebant fieri, propterea quod medicamenta sumerentur in minori quantitate, ob virium debilitatem, quam exigerent vehementes obstructiones, & ob id agitationem fieri, & eas non solui, sed augeri; contra vero, ego ex siccitate corrugatam esse substantiam & membranas meatuum, quæ bilem transmittunt ab hepate ad intestina. quod cum illis persuadere non possem, exitus postea docuit: nam eo mortuo, & dissecto, meatus illi ita exsiccati & consumpti inuēti sunt, vt instar solidæ chordæ aut nerui, nullam amplius peruiam haberent cauitatem. Cæterum, in Cardani dictis hæc notari possunt, quod verus icterus non fiat cum plus bilis gignitur, quam proportio humorum requirat, sic enim in omni febre ardente & tertiana exquisita fieret icterus. Fit quidem cutis pallidior ex bilis abundantia, quæ affectio non meretur nomē icteri. Nec illud quidem verisimile est, non fieri separationem bilis ob imbecillitatē vesicæ subiectæ & annexæ hepati. quam enim quæso, imbecillitatem quis vnquam imaginari potest? Cur enim omnes, qui moriuntur ex omnium partium debilitate, non patiuntur icterum? Partu-

Non

tas quoq; eiusdem vesicæ, imaginaria res est, & illius plenitudo vacuari potest, si nihil impediat, adeo, vt causa icteri poni non possit. Præterea, in eo petit principium, cum scribit, ideo ante septimum diem icterum non posse esse bonum, quia vbi natura per transmutationem expellit humores, materia contumax est, quæ ante septimam concoqui non potest: restat enim id probandum, cur omnino requiratur certus terminus septimus dies, cum in aliis expulsionibus, quæ fiunt per sudores, tertius, & quintus dies optimus sit, vt antea docuit Hippoc. naturæ quoque prouidentia damnatur, quæ aggreditur expulsionem ante concoctionem in solo ictero. nam si totam materiam non potest concoquere, in illius parte debebat cócoctioné & expulsionem exercere. Reliquum est igitur, vt dicamus, icterum fieri in febribus ex copiosa bile transmissa à natura ad cutem, quæ forte etiam crassior, quam par sit materia, illic sistitur. Neque aliqua obstructio vel aliud vitium in vesica, quę bilem expurgat, aut in hepate, vel liene consistit, cum icterus nascitur per febres, de quo hic agit Hippocr. sed mera est expulsio naturæ, quæ certos motus certaque tempora obseruat in certis morbis certisque humoribus, de quibus rebus, vt iam sæpius dictum est, certa ratio reddi non potest.

Icterum in febribus vnde fiat.

APHOR. LXIII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖς πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥῖγος γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.

TRadit in hoc Aphoris. indicium, quo deprehendere possumus, quænam febres finiri possint in certis diebus. Iudicium autem sumitur à rigore, qui cum incidit, eas febres soluit, in quib. fit: non enim intelligendum est simpliciter omnes febres, quæ sunt in ægrotante, solui per rigorem superuenientem; Etenim in semitertiana, quæ quotidie habet rigores, manet continua febris. Intelligendum igitur est, eas febres solui, quæ sunt causa rigoris, siue in quibus fit rigor. Sunt autem illæ intermittentes febres, quæ vel solæ sunt, aut cum continuis complicatæ. Cuius rei rationem reddit Gale. *in Com.* ideo solui febres, quia rigor fit transmisso humore à vasis in habitum corporis, ex quo sequitur accessionis febris solutio, & nó simpliciter totius ipsius febris, quæ perseuerat ex dispositione generante & putrefaciente nouam materiam, quæ ratio nullius momenti est: nam in ipso rigore si fit expulsio ab internis partibus ad externas, in ipso quoque fieret solutio febris. Quid enim calorem in corde amplius conseruare posset? At, videmus rigorem principium esse febris, & non solutionis. Quare alia ratio quærenda est: Ego igitur insistens meis principiis, dico, rigores, qui fiunt quotidie vel alternis dieb. aut per maiora interualla, non finire febres, sed solum significare, quod finientur: indicant enim non totam febris totius materiam putrescere, sed duntaxat portionem, quæ solius accessionis est causa; absoluitur autem & concoquitur ea materia, & post cócoctionem in

De quib. febribus aphorismus intelligendus.

Ratio aphorismi secundum Galenū reiicitur.

Authoris.

his febribus natura expulsionem aggreditur per aliquam partem, atq; ita finitur accessio. Quod si etiam non expellitur, cessat tamen febris, quia materia, quæ illam fecit accessionem, per adustionem velutì in cinerem redacta est, in quo flamma amplius accendi non potest, eo plane modo, quo scribit Hippocrates *pure confecto dolores & febres intermitti.* Putredinis igitur & simul concoctionis est signum, expulsionis vero haud certum est indicium. Illi igitur ob expulsionem materiæ extra venas finiri febrem putant, quod non fit; nos vero ob concoctionem fieri contractionem, & sequi rigorem, facta vero concoctione, cessare putredinem, & febrem dicimus, cessat autem putredo, quia materia, in qua erat accensa in puri proportione respondentem materiam, quæ est cinis quidam, redacta est, quæ amplius subiectum caloris esse nequit, vti cinis non est subiectum ignis, & id, quoniam consumpta est materia aerea, quæ caloris nostri est pabulum; finita ergo putredine & simul concoctione, merito cessat febris, siue sequatur aut non postea expulsio, sed perfectior est solutio, vbi vtrumque fit, quia etiam in cinere vis quædam ignea adhuc seruatur, vt in pure acrior quidam calor, qui totus plane expurat pure ipso excreto. Galenus autem, qui vult, rigorem esse causam solutionis, ob expulsionem, quam imaginatur fieri in ipso rigore, reddere rationem non potest, cur finiatur febris, cum nulla euacuatio conspicitur: nam ridiculum est, credere per insensibilem transpirationem cineres illos derelictos ex putredine insensibiliter transpirare posse, cum eos puri assimiler, materiæ crassæ, terrenæ & viscidæ. Addo, quod frustra adderentur purgationes post finitas omnes accessiones, si in habitum corporis tota materia accessionis per rigores esset consumpta. Nostram autem opinionem & ratio, & medendi vsus confirmant.

Sect. 6. 47.

APHOR. LXIV.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐνάτῃ, ἢ τῇ ἑνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθόν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ἦ· ἢν δὲ μή, οὐκ ἀγαθόν.

Quibus in febribus septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quarto decimo morbus regius superuenerit, bonum, nisi dextra præcordia obdurueriut: si vero nó, non bonum.

HIc Aphorismus est veluti declaratio superioris: nam cum in eo dixisset morbum regium, qui fit in febrib. ante septimum, malum esse, nec tamen ex eo constaret, quinam bonus esse posset, id in hoc Aphoris. aperte declarat, eum scilicet bonum esse, qui in ipso septimo die, & in aliis, qui hic numerantur, accidit: Nec hoc, inquit, simpliciter intelligendum est, sed cum hac additione, *nisi dextrum hypochondrium durum fuerit.* Ex quibus verbis satis constat, quod superius annotauimus, verum esse, hunc Authorem cum

cum damnauit morbũ regium ante septimum, non ea ratione hoc fecisse, quod putaret inflammationem aut aliam duriciem hypochondriorum causam esse huius mali, sed hoc solum spectasse, quid bonum aut malum sit, ob eas expulsiones, quæ fiunt in bonis & malis diebus, in materia, quæ facit ipsam febrem, & non in ea, quæ paulatim spargitur ob impeditum cursum ex viscerum obstructione, quam inflammatio, vel scirrhus, aut humores ipsi in vasis contenti crassi & viscidi pariunt. Cæterum, videtur hic solum agere de morbo regio flauo, quandoquidem sequitur numerum dierum, in quibus natura bilem flauam solet recte expurgare; quasi eadem ratio sit de expurgatione, quę fit in generatione morbi regii, quę est in sudoribus, in quibus superius eosdem dies numerauit. Ex quo etiam videtur illud sequi, quod de morbo regio loquatur, qui solum fit in febrib. acutis & biliosis. quippe, cum vltra decimumquartum diem, qui terminus est illarum febrium, alios non enumeret. Nec vero illud, quod dicit; *nisi dextrũ hypochondrium obduruerit*, contrahendum est ad solam inflammationem, sed ad omnes tumores. Quis enim dubitat, morbum regiũ malum esse, quod ex quocunque tumore hepatis nascitur? cum non contingat ob facultatem expultricem expurgantem corpus, sed ob vias clausas, quæ huius humoris naturali expurgatione impedita sanguinem impurum reddit, omnesque partes flauo colore inficit; Quod vero alii dicũt, necessario intelligendam esse duriciem, quæ fit ex sola inflammatione, quãdoquidem cum scirrho aut obstructione vasorum febris acuta non oritur, verum quidem dicerent, si Hippo. vellet febrem, in qua vult fieri morbum regium, ex eo tumore nasci. Cur enim in tumore iam diuturniore ex bile multa & acri putrescente febris fieri non potest? quem humorem cum natura expellere nititur, & non potest, ob duriciem, quæ vias claudit expurgationis bilis, ideo malus redditur morbus hic regius, quia integra expurgatio fieri non potest. Porro, verba vltima quæ dicunt: *si vero non, malum, & minime bonum*, referenda potissimum sunt ad dies prædictos; malũ enim est, & non bonum, si morbus regius non fiat in prædictis diebus, in quibus experientia docuit prodesse. Intellectus vero noster perfectam rationem reddere non potest. Cæterum quod dicit, *nisi dextra præcordia obduruerint*, trahendum etiam est ad alias causas, nempe ad obstructiones ex humoribus, vel lapillis, vel pure, & aliis similibus rebus occupantibus internam cauitatem vesicæ hepati subiectæ, atque ipsius meatus, per quos bilis deducitur; quicquid enim tale contigerit, facit, vt non possimus laudare bilis effusionem in cutem, ex qua regius morbus fit.

De quo morbo regio Hippocr. loquatur.

APHOR. LXV.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

In febribus circa ventriculum & fortis æstus, & cordis morsus, malum.

Ex duobus Symptomatis, quæ in ventriculo aliquando in febribus contingunt, docet, quid præsens futurumque sit. Malum, inquit, est, & idem forte timendum; nihil enim tutum est, vbi tam nobilis pars duobus grauissimis Symptomatis præsente febre, potissimum acuta, infestatur. Sunt autem ea Symptomata, fortis æstus, & cardiogmus, idest, morsus oris ventriculi; quæ profecto ostendunt, bilem acerrimam & putridam impactam esse in tunicis ventriculi, ita, vt in illius ore exquisitissimo sensu prædito, morsionem, in reliqua vero parte ardorem conciret. Galenus vero refert quosdam intellexisse cordis palpitationem; quod malum lõge etiam deterius est priore, quid enim deterius contingere potest, quam impediri cordis motum, tunc potissimum, cum maxime necessarius est, ob febris vehementis præsentiam? impedimentum causam habet confluxum alicuius humoris in ipsum cor, vel arterias magnas ab ipso proxime enascentes, aut vaporem crassum in iisdem locis contentum.

Aphorismi ratio.

APHOR. LXVI.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

In acutis febribus Conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.

Quid duo alia Symptomata significent in acutis febribus, docet hoc loco. Sunt autem symptomata *conuulsio & fortes dolores circa viscera*. quæ, inquit, malum significant; sed artificiosius fortasse dixisset, si expressisset mali genus, nempe mortem; quis enim ignorat hæc esse mala. Cur vero conuulsiones in febribus sint malæ, reddit rationem Galen. quod ostendant neruos exsiccatos & ob inanitionem conuulsionem esse factam, quæ lethalis est. Nos vero, qui credimus figmentum esse, conuulsionem fieri à siccitate, dicimus significari malam corporis dispositionem, quæ materiam habet aptam ad generationem conuulsionis, & dispositionem neruorum admodum infirmam, & præterea febrem malignam, & colliquantem: nam conuulsiones in febribus aliis vix fiunt. Cardanus vero putat nasci conuulsiones has transmissa materia febris ad neruos, ex qua febris soluitur, malum tamen hoc esse, quia mala est commutatio. At ex Hippoc. Aphor. hoc elicere non potest.

Conuulsio cur in acutis febribus lethalis.

APHOR. LXVII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.

In febribus ex somnis timores, vel conuulsiones, malum.

A Docet in hoc Aphoris. prædicere malum in febribus ex timoribus & conuulsionibus, quæ fiunt ex somnis; differtque hic Aphoris. à *primo secundi libri*: In quo Hippocrates scribit: *In quo morbo somnus laborem facit, mortale: si vero iuuat, non mortale*; quod in illo de omni morbo loquatur, in hoc vero de solis febribus. Deinde, quod in illo vires somni doceat: hic autem non quid somnus faciat, sed quid portendant symptomata, quæ ex somnis emergunt. Quod autem inquit *ex somnis*, aliqui intelligunt *post somnum*, Galenus vero *in* ipso somno vult timores & conuulsiones fieri. Verum, quomodo fieri possint conuulsiones B in dormientibus, leuissimam enim & naturalem oportet esse conuulsionem, quæ hominem non excitet à somno, vt nonnullis contingunt aliquarum partium cōuulsiones, aut certe conuulsioni similes motus, vt in me dormiente multi deprehenderunt continuum fere dentium stridorem, mihi ipsi insensibilem; At, conuulsiones morbosæ vix possunt fieri sæpe, durante somno. Timores vero, qui fiunt in somno, non solent magnum aliquod malum ostendere, cum in sanis sæpe accidant insomnia timoris plena: at si emergant timores post somnum, semper graue malum est: non enim ex imaginatione, quæ sæpe fallitur ob timorosa obiecta, quæ sibi proponit, huiusmodi timores nascuntur, sed ex corpo- C ris vitio, quod animum & illius facultates corrumpit. Timorem a. incutit vitium corporis, nō solum ob melancholicos humores repentes & replentes caput, vt Gal. tradit, sed potius ob spiritus infectos vaporibus melancholicis. nam humores lædere non possunt cerebri actiones, nisi illius temperiem mutauerint in melancholicum statum, id quod accidere non potest statim in febribus, tempore enim opus est longiore, si mutari debeat temperies ab humore melāncholico ad agendum tardo; Ex spiritibus igitur corruptis ob certam putredinem humoris melancholici, contingent huiusmodi timores, qui & in ipso somno & post illum perseuerant, aut semper quod deterius est, aut aliquandiu, do- D nec scilicet dissipati fuerint vapores melancholici, qui per somnum in internas cerebri partes efferebantur. At vero, conuulsiones in febribus, vt in aliis morbis nascuntur, vel ex motione partium neruosarum, aut occupatis ventriculis cerebri, aut neruis ipsis repletis. Videtur autem intelligere de conuulsione quæ incipit à cerebro affecto, quippe cum conuulsiones attingat, quæ in somnis aut ex somnis nascuntur. Porro, hæc symptomata in omni statu corporis mala sunt, sed peiora in febribus, & pessima in febribus acutis, præsertim, si non solum nascuntur ex propriis causis per somnum, sed si somnus & illius causæ illa pariunt, concursus scilicet humorum & vaporum, sed qui necessario fi. in somno.

Conuulsiones morbosas vix fieri posse somno durāte.

Timores post somnum cur mali & vnde fiant.

Humores quando lædere possint actiones cerebri.

Conuulsiones in febrib. vnde fiant.

APHOR. LXVIII.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακὸν, σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

In febribus spiritus offendens, malum; Conuulsionem etiam significat.

In respiratione multa mala contingunt, quæ singula suam habent vim aliquid significandi in morbis, quod scilicet præsens sit, vel præteritum aut futurum. Ac inter differentias malorum, quæ in illis contingunt, nonnullæ sequuntur vsum mutatum, vt magna, velox & frequens respiratio, aliæ vero læsionem instrumentorum, vt inæqualis, inordinata, intercepta siue interrupta respiratio; aliæ vero imbecillitatis facultatis sunt indicia, vt parua, debilisque respiratio. In hoc vero Aphorismo docet, quid intercepta siue interrupta respiratio ostendat; malum, inquit, significat & genus mali interim declarat, Conuulsionem, B inquam: nam, cum in huiusmodi respiratione motus, qui incæpit, finiri non possit, sed subsistat & interrumpatur, merito culpandum est ex Hippoc. sententia instrumentum respirationis, nempe musculosum neruosumq; genus, quod non obedit facultati animali mouenti. Sed an propterea Conuulsio futura significatur, vt Hip. statuit? Dicerem, quod tres possint esse causæ huius interruptæ respirationis; Vna *læsa mens*, quæ inchoatum motū prosequi obliuiscitur, sicut in delirantibus, & plorantib. luctuosa huiusmodi spiratio euidentissime notatur. Alia causa est ex *inflammatione, vel dolore, vel alia dolorosa causa occupante thoracem*, qui ob dolorem nequit vniformiter & æqualiter motum continuare, sed C cum interrumpit, & cogente rursus necessitate, cū repetit. Tertia est causa, quæ sine delirio & dolore instrumentorum parit huiusmodi interruptam respirationem ex neruis iam leuiter cōuulsis, quæ affectio, vt inquit Gale. non ita euidens indoctis, paulopostea aucta, perfecta emergit Conuulsio, & omnibus iam euidens; Dicendum igitur, quod vel conuulsionem vel delirium significet, vel instrumentorum dolorosam affectionem, sed hac tanquam euidenti, prætermissa, alia duo ostendit; Hanc vero sententiam nemo ex versione Leoniceni intelliget; quid. n. sibi volūt verba hęc, *spiritus offendens*? nā etsi *πνεῦμα προσκόπτον*, ita significare potest, eo quod verbum *προσκόπτω* significat *offendo*: tamen debe- D bat videre idem habere alias significationes, vt *interrumpo, intercipio, subsisto, allido*, quæ omnia melius exprimunt authoris mētem, vt etiā Celsus *lib. 2 cap. 6* significauit, cum ita scribit: *Quorum faucibus in febre eliditur spiritus, instat his neruorum distentio.*

1. *Tres causæ huius interceptæ respirationis.*

2.

3.

APHOR. LXIX.

Ὁκόσοισιν οὖρα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα, οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τούτων λεπτὸν, ὠφελέει· μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται οἷσιν ἐξ ἀρχῆς, ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει.

Quibus vrina crassa, grumosa, pauca, non sine febre, multitudo veniens, ex his tenuis iu- E *uat præcipue vero tales veniunt, quib. ab initio vel breui sedimentum inest.*

Hic, & multi alii, qui sequuntur Aphoris. tractat de vrinis varia, vt vnus scopus omnib. constitui non possit. Hic autem mutationem & successionē vnius vrinæ ad alterā explicat,

explicat, & quid ostendat, quidq; conferre possit proponit. Qua quidem in re Gal. negligentius agere videtur, & alij, qui Gal. accusant, vt Cardanus, cum particularia quæq; prosequitur & causam non quærit omnium, quæ ab authore proponuntur, tractationem pariter confusam relinquit. Nos verò clarius, si non melius, ita rem enarrare aggredimur. Primum videamus, quæ proponat autor; Deinde, singulorum causas reddamus; Postremo, expendamus, an sequatur id, quod Hippoc. asserit.

Quid Hippocrates in hoc aphor. proponat.

Proponit in febre vrinas crassas, grumosas, paucas, quæ ab initio morbi, vel paulo post sedimentum habent: tales vrinas nō esse bonas supponit, iuuamentum in illis quærit, dicit secuturum illud, si sequatur multa & tenuis vrina. Iam verò illud dubium non est, eum intelligere vrinas crassas, non quæ sint veluti vrinæ iumentorum, sed quæ ob pituitam multam immixtam crassæ sunt, id enim verbum *grumosa, pauca, & sedimentum ab initio* ostendunt: sola enim pituita inæqualitatem eam & diuulsionē, in qua veluti grumi quidam apparent, efficere apta est; vbi de purulentis vrinis non fit mentio, sed solum de vrinis quæ in febribus apparent. Paucæ præterea tales sunt vrinæ, propterea quod pituita crassa & grumosa, quæ tales reddit vrinas, obstructionē parit in venis, & vrinariis meatibus, quæ impedit liquorem ex potione genitū, aut etiam aquosum humorem ex colliquatione febris factum, ex pituitæ portione liberè exire. Cæterum, sedimentum intelligere oportet, non verum, ex concoctione scil. materiæ morbificæ genitum, id enim in primis diebus fieri non potest in materia crassa, quæ febrē parit, sed crassamentum est pituitosum, quod natura ab initio sine concoctione reiicit. Iam dubium non est, in hoc casu multitudinem vrinæ venientem, id est, quæ fit iam progressu morbo, & extenuata materia per concoctionem & caloris dominantis vim (ita enim alibi intelligere solet Hippo.) & eam tenuem iuuare: nam multitudo remediū est paucitatis; tenuis verò vrina, crassæ & grumosæ. Itaque remedia æqualia sunt morbosis malis. Appellauit autem multitudinem tenuem, non spectās, an tenuior debeat dici, vt Gal. putat, & mediocris: sed vt solum opponeret remedium aduersus crassitiem. Ac profectò vbi multa exit vrina, mediocris esse non potest, sed necessariò tenuis est, quippe cum nullus humor mediocris vel etiam crassus cum vrina mixtus potest eam reddere mediocriter crassam. Rectè igitur dixit, *multitudo tenuis iuuat.* Quod verò Cardanus scribit contra Gal. multam retentam vrinam nō posse esse concoctam, sine ratione dicitur: non enim vrina ipsa concoquitur, quam enim habet cruditatem? sed materia est, quæ cum vrina miscetur; quæ ob id cōcocta dicitur, quia materiam concoctam in se recipit; neq; eadem ratio est de cibi multitudine & vrinæ, siquidem multus cibus difficilè cōcoquitur, vrina autem leui & facili assumpta mutatione, ferè solum in colore, mingitur ad proportionem eius, quod bibitur, adeo, vt qui inebriantur, æquale efficiant bibendi & mingendi tempus. Præterea retentio vrinæ illā corrumpit, vt ostēdit serosus humor multus, cum sanguine mixtus. Potest ergo cōcocta esse, etiamsi diu retinetur. Possem plura in eo autore

Vrinā ipsam nō concoqui, & cur dicatur concocta.

A notare, quæ libenter prætereo, vt alia vtiliora doceam.

APHOR. LXX.

Ὁκόσοισι δ᾽ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀναταραγμένα, οἷον ὑποζυγίου, τούτοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

Quibus vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorū, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.

QVia multi sequuntur Aphor. de vrinis, qui diuersa tractant, ne ex ignotis procedat tractatio, ideo operæpretium esse duxi, principia hic ponere, ex quibus omnia, quæ dicentur, lucem suam sumant. Igitur illud vnum B sit; vrinam gigni *in ventriculo ex potu & aquosis cibis*, sed non separari, nec nomen vrinæ assumere, antequam facta sit concoctio in hepate; antea enim, dum in ventriculo continetur, & fit alba ob contactum & concoctionem ventriculi, ferturque postea per venas mesaraicas ad hepar, aquosus humor, vehiculum alimenti à Gal. nominatur, *lib. 4. & 5. de vsu partium*; & huiusmodi aquosus humor est vera substantia ipsius vrinæ. Alterum principium est, colores, consistentiam, sapores, odores, perspicuitatem, densitatem, contenta, à causis prouenire, quæ non sunt de substantia ipsius vrinæ. Tertiū esto principium, colores omnes in vrina, eo excepto, qui acquiritur in ipsius generatione, ab albedine ipsius C ventriculi, fieri ex mistione aliorū humorum, & potissimum bilis, vel flauæ, vel atræ. Aliud est principium. Contenta in vrinis habere diuersam materiam, vt pus, sabulum, lapillus, filamenta, pituitosos humores, sed vera contenta, vt nubeculam, enæorema, & sedimentum, materiam habere solam pituitam. Cæterum opacæ vrinæ fiunt aliis non mutatis ex spirituum extinctione: confusæ verò, ex humorum mistione & confusione, præsertim pituitosorum: mixtionem verò efficere, vel solum calorem, vel potius eum, cum multo flatu coniunctum. Hæc alio loco, vt multa alia diligenter pertractauimus *in libello* s. quem cōfecimus *de vrinis*. Nunc rationem reddamus eorum, quæ Hippoc. *in hoc* D *Aphor.* scribit. Proponit igitur vrinas perturbatas, non qualescunque, sed quales sunt iumentorum, & quid significent præsens vel futurum, pronunciat. Sunt autē vrinæ perturbatæ in duplici differentia: quædam enim sunt concretæ à frigore, & vulgo appellantur corruptæ. Aliæ verò turbantur à calore & spiritu, qui cōtenta cum substantia exactè inter se miscent, & confundunt. Tales sunt vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, quæ multam habent pituitam, vel solam, vel cum bile confusam cum liquore vrinæ, ac vbi sola est pituita, vrinæ sunt confusæ & albæ; vbi verò simul accedit bilis, turbidæ sunt & colorem habent mixtum ex albo & flauo; & hæ minus malæ sunt, quàm illæ, quæ ex materia E magis rebelli ad concoctionem, & dissolutionem constant. Propterea pauci in febribus sanantur cum vrinis crassis, cōfusis, & albis: tametsi & aliæ quoque pessimæ sint, quippe, cum ostendant magnum esse vitium, & in materia, atque in efficientibus causis: omnes enim, vt dixi, vrinæ turbidæ & confusæ, materiam habent multam, & difficilem ad concoctionem,

Vrina vbi gignatur & ex quo.

Vrinæ substantia.

Vrinæ colores vnde.

Contentorū materia.

Vrinas perturbatas in duplici esse differentia.

Vrina corrupta.

Vrina lethales in febrib.

Vrinas turbidas solum reperiri in febribus, & cur.

Cur vrinæ turbidæ significent dolorem capitis, secundū Hippoc.

& dissolutionem; & præterea plurimos flatus, inclusumq; calorem, qui ea omnia inter se miscet & confundit, propterea tales vrinæ non fiunt nisi in febribus. Et hic Aphoris. non nisi in febribus intelligi potest: nam in aliis morbis experientia docet, tales vrinas non reperiri, nimirum quod desit calor, qui agitationis, & confusionis est causa. Iam verò, quod dicit, tales vrinas significare dolorem capitis, vel præsentem, vel instantem, sequitur, quod probabile videtur: etenim flatus, suaptè natura superiores partes petunt, & secum attollunt materiam, cum qua sunt confusi, ac vbi ad caput peruenerunt, tendunt cerebri membranas, atque ita dolorem pariunt. Quod si dolor nondum ortus est, nascetur, inquit, quia agitatio, quæ in partibus inferioribus continetur, tandem ascendet in corporis arcem. Verum experientia sæpe docuit, nihil tale fieri cum his vrinis, nimirum quod ea agitatio nequeat vsq; ad supremam eam partem attolli ob rebellem materiam quæ spiritus deprimit, & sæpe etiam absque vehementi calore tales apparēt vrinæ, cum sc. materia pituitosa multa & tenuis, ab imbecillo calore miscetur, & cōfunditur cum vrinæ substantia. Hippoc. verò Aphor. hunc videtur collegisse ex morbis Epidemiis, qui fortè infestabant cum dolore capitis, præsentibus his vrinis, vt satis patet, cum inquit *in 7. Epid.* Eualcidæ famulæ cum multo tempore densæ vrinæ prodiissent, & capitis dolores adessent, phrenitica facta est, & mortua. Item, Polyphato, inquit, in Abderis prodiit vrina rubicunda, conturbata, veluti iumēti, mente motus est, phrenitico modo, & mortuus in vehementib. conuulsionibus.

APHOR. LXXI.

Ὁκόσοισιν ἑβδομαῖα κρίνεται, τουτέοισιν νεφέλην ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὴν, καὶ τὰ ἄλλα κατὰ λόγον.

Quibus septima indicatur, iis nubeculam habet quarta die vrina rubeam, & alia ex ratione.

SVmpto signo ex nubecula, quæ apparet in vrina, docet, quid futurum sit in septima; sequetur, inquit, iudicium siue crisis. Quæ verba ostendunt, Aphoris. esse intelligendum de febrib. admodum acutis, illæ enim solæ eo die iudicantur. Qua in re videndum primum illud est, an hæc mutuò cōuertantur, scilicet, vt semper sequatur crisis in septima, si talis nubecula appareat in vrina; & econtra, si in septima debet fieri iudicium, an talis nubecula appareat; Secundum, an sola nubecula & nihil aliud, quod in vrina appareat, idem possit polliceri; Tertiò docendum erit, quomodo fiat nubecula rubra & alba.

An semper sequatur crisis in septima si quarto die appareat nubecula talis in vrinis.

Quod igitur ad primum attinet, videntur illa mutuò se sequi: nam si talis nubecula in vrina appareat quarta die, materiam ostendit, quæ febrem facit facilem ad alterationem & concoctionem suscipiendam; quare, quid superest, nisi vt natura expulsionē aggrediatur, cum ad eum diem peruenerit, in quo perfecta erit cōcoctio? nam quartus septimi est index. Vrina igitur talis crisim prænunciat in septima, & febres, quæ in septima finientur, habebant vel talem nubeculam, aut quod proportione respondet.

An sola nubecula & nihil aliud in vrina apparens idē possit polliceri.

Secundum ex propositis ita explicatur ex Gal. *lib. 2. de crisi.* quod nubecula sola non sit necessarium indicium ad futura præsagiendum: nam in febribus, quæ ex sincerissima bile fiunt, non necessario apparet nubecula, & multò minus enæorema, vel sedimentum: sed sufficit mutatio in colore aut consistentia, quæ possit eum gradum concoctionis ostendere, quem ea nubecula in aliis febribus monstrat. Alibi docuimus, materiā & substantiam nubeculæ sublimamenti & sedimenti nihil aliud esse, quàm pituitam, argumentis multis, & eo potissimum, quòd vbi bilis plurima abundat cum vehemēti ardore, nulla aut minima appareant in vrinis ea contenta: minuitur enim & extinguitur frigidus & humidus humor, exuperante suo contrario, estq; nubecula, & aliud contentum, eiusdem naturæ & substantiæ, sed differunt cruditate & concoctione, per quæ ea materia crassior & tenuior vaporibus plena, aut illis priuata redditur: nam cum ea pituita adhuc cruda est, supremam partem in vrina tenet, per concoctionem verò crassior & viscosior reddita, quantum efficit concoctio, paulatim descendit, donec assecuta perfecta concoctione subsideat. Est igitur materia nubeculæ & aliorum duorum contentorum suaptè natura alba; A bile verò tingitur, quæ cum adhuc est semicruda, rubram efficit nubeculam, postea verò facta meliori concoctione, & assimilatione tunicis venarum & arteriarum, alba euadit. Intelligere autem oportet rubrū non intensè, qualis solet esse ipsa nubecula, & tota vrina in primis diebus febris biliosæ, & acutæ, (talis enim rubedo cruditatis est signum) sed quæ remissam habeat rubedinem, hæc enim mediam iam esse factam concoctionem monstrat, postquam in septima fiet perfecta concoctio & expulsio; vnde crisis expectanda est, vt inquit Hippoc. & experientia quoq; frequens testatur. Nec mirū quidem videri debet, quod dicatur sequi crisis in septima, vbi apparet nubecula, quam dicimus habere materiam ex pituita: nam vbi nubecula fit, pauca est pituitosa materia, & ea tenuis, & ob id non tardat concoctionem & expulsionē in materia biliosa putrescente, & febrem committente, vbi autem materia pituitosa crassa est, viscida, & multa, non apparent nubeculæ, nisi post longum tempus à morbi principio, id quod ostendunt quartanæ febres & quotidianæ, in quibus vrinæ aquosæ diu perseuerant sine aliquibus cōtentis. Cæterum, quod addit Hippocr. *& alia ex ratione*, rectè interpretatur Gal. ea, quæ in colore & substantia apparent in vrinis, quæ vel sola, vel cum ipsa nubecula ostendunt, crisim futuram in septima, si talia in quarta appareant, vt ostendāt mediam iam esse factam concoctionem in materia, quæ concoctionem requirit, cum qua pituita pariter alteratur. Non tamen probare possum, quod scribit Gal. Hipp. ideo meminisse nubeculæ rubeæ, eo quod sit signum pertarū frequentissimum autem sit alba nubecula; Etenim alba nubecula nunquā potest apparere in quarta, si albedo in contentis perfectæ concoctionis est indicium: rubea igitur erit frequens, alba autem nubecula nunquam in quarta die erit signū futuræ crisis in septima.

APHOR.

Aphor. LXXII.

Ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα καὶ λευκὰ, πονηρά· μάλιστα δ' ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσι ἢν ἐπιφαίνηται.

Quibus vrina alba & perspicua, mala, præsertim, si in delirantibus appareant.

QVid significent vrinæ albæ & perspicuæ, ostendit in hoc Aphoris. Sunt inquit, malæ, præsertim si in delirantibus, id est, phreniticis, vt textus habet Græcus, appareant. Sunt autem vrinæ albæ & perspicuæ, quæ tales sunt, qualis aqua, tenues scilicet, albæ, transparentes, & sine aliquibus contentis. Sunt verò aliæ albæ & non perspicuæ, siue diaphanæ, per quas visus penetrare non potest; Aliæ verò albæ & crassæ, quæ necessario non possunt esse exactè perspicuæ; Quid hæ significent & aliæ, cum sese offeret occasio, dicetur. Aliæ perspicuæ, sed non albæ. Albæ verò & perspicuæ, quæ aqueæ sunt, simpliciter, inquit Hippoc. sunt malæ, sed in phreniticis deteriores, quàm in aliis morbis, non tamen prosequitur malitiam in aliis affectibus, præsertim in febrib. quod Gal. rectè dicit: nam tales vrinæ in febribus acutis perniciem portendunt, in longis distinctione opus est: nam si vires sunt robustæ, significatur morbi longitudo, si verò debiles, mors. In affectibus verò renum & vesicæ, obstructiones subesse indicant. Sed hæc omnia sunt probanda. Porro, vrinæ perspicuæ & albæ ideo dicuntur esse malæ, quia, inquit Gal. extremam cruditatem significant, non tamen docet ille, cur cruditatis sint signa, quod Cardanus conatur ostendere: ait enim tales vrinas aliquando fieri ex potu aquæ copiosæ, quæ nō potest vinci, sed prodit, qualis bibitur, id, quod in hyeme & senibus ac mulierib. maximè fieri scribit, non solum quod frigidiores illi sint, sed quia ob situm minus in vesica retinetur, quem modū solum dicit esse innoxium aliquãdo in sanis. Secundam dicit esse causam in renibus & meatibus vrinariis. Tertiam dicit esse hecticam renum, & extenuationem locorum, in quibus solet cõcoqui vrina. Quartam dicit esse caliditatem renum & vreterū trahentium potum & non cõcoquentium, vt in diabete. Quinta est, cum non continetur ob imbecillitatem membrorū vrinæ à causa frigida, vel ob multitudinem potus, vt accidit in potu copioso aquarum thermalium. Sexta est sicca & frigida intemperies iecoris: nam à frigiditate, alba, id est, aquei coloris, à siccitate tenuis, atq; ideo perspicua efficitur, atq; hæc tandem mortem affert ex doloribus plerunque ob retentionem eorum, quæ excerni debent. Septima est, quæ maximè huius Aphoris. extremæ parti conuenit, cum bilis aliò fertur, præsertim ad caput, vt in phreniticis. Octaua est lapis in vesica, vel renibus, etiamsi non obstruat; cum n. ob irritationem contineri vrina non possit, cruda mingitur: fieri enim non potest, vt non contenta concoquatur. Ex quo apparet, non solum in iecore & renib. sed etiam in vesica vrinas cõcoqui. Hæc & similia scribit Cardanus, quæ nullo firmo principio, & fundamento nituntur, & ob id sunt veluti scopæ dissolutæ. Primum enim cum dicit vrinas fieri aquosas ex potu aquæ copiosæ, quæ cum nō possit vinci, prodit qualis bibitur: Dicat, quæso, qualem victoriam requirat in aqua? ponat, quam velit, an propterea ex ea sola obtinebit vnquam vrina colorem, substantiam, contenta, quæ requirit vrina cocta: sed relicta aqua quæ bibitur, in vini potu, vel etiã copiosissimo, quis vnquã desiderauit, vel etiam in corporibus infirmissimis, mutationem eam, in qua vinum ita concoquitur, vt degeneret in aquam & quocunque concoquatur vinum, ex se nunquam efficiet vrinas concoctas, quia ex aliarum rerum concoctione vrinæ dicuntur concoctæ: nam concoctio fit in humoribus, & illorū facta concoctione gignuntur excrementa, quæ & ipsa concocta dicuntur, miscenturque postea cum vrina; quæ ideo concocta dicitur, quia res cocta recipit concoctionis indicia. Ridiculum verò illud est, quod scribit, ideo vrinas crudas fieri, eo quod in vesica minus retinentur. At, quæso, ex ipsa vesica capit contenta, substantiam & colores necessarios in concoctione vrinæ? Quod verò illius mater vetula ex moderata vini potione, & alii robustiores ex largiore potu vrinas emittant aquosas, non est ratio (vt ille credit) quod ipsa vrina minus retineatur, quàm requirat concoctio, sed quia frigidior corporis temperies nequit excrementa ea gignere, quæ debent misceri cum ipsa vrina, & concoctã eam reddere, id quod illis etiam accidit, qui inebriantur, opprimitur enim in illis calor natiuus, concoctionis author, qui pariter nequit concoctionem in alimento & humoribus perficere, & ob id desunt ea excrementa. Cæterum hectica renum, & extenuatio locorum, in quibus, inquit, solet concoqui vrina, non reddunt vrinas aquosas alia ratione, nisi quod calor natiuus cum ea siccitate validus persistere non potest ad concoctionē efficiendam, & requisita excrementa gignenda. Iam caliditas renum & iecoris si trahit potum, vt bibitur, & non conquit, faciet, vt, qui ita laborant, mingant vinum & non aquam: cur enim non meminit potionis vini, vt aquæ? In diabetica passione, vrinæ quidem aquosæ minguntur, quia ob cõtinuam & subitam attractionem aquosi humores geniti ex potu, atq; etiam ob illius multitudinem, excrementa misceri non possunt cum vrina, aut si miscentur, non respondent quantitati aquosi humoris, & propterea nō possunt apparere & ostendere concoctionem, quæ fit: nam si non fieret concoctio, nō possent tot annos viuere cum eo malo, & maiorem profectò ostenderent in corpore læsionem.

Cæterum, aqua thermalis non eiicitur cruda, eo quod non contineatur ob multitudinem, sed quia in tanta copia aquæ, quæ bibitur, non possunt apparere, quæ gignuntur excrementa. Iam verò frigida intemperies iecoris non reddit aqueam vrinam per se, ob frigiditatem, sed *quia frigiditas bilem non gignit, quæ possit tingere vrinam.* Nec siccitas est causa tenuitatis, quandoquidem in tertianis febribus, in quibus siccissimus & calidissimus humor exuperat, fiunt flauæ & crassæ. Postremò quod scribit vrinam nō solum in iecore & renibus, sed etiam in vesica cõcoqui, & non concoqui, cum non retinetur in illis partibus, caret omni ratione: Vrina enim (vt superius ostendimus, & alibi diligẽtius) nullam aliam recipit concoctionem præterquam in ventriculo, vbi gignitur, cum alimentum

Vrinæ albæ & perspicuæ quæ.

Ebrii cur reddant vrinam albam.

Cur in diabetica passione vrina mingantur aquosa.

Hepar frigidum quomodo reddat vrinam aquosam.

Cardanus refutatur.

concoquitur, & nullam aliam recipit concoctionem, præterquam assimilationẽ in colore, propterea alba fit, quia ventriculi substantia alba est, quam enim aliam alterationem recipere potest, vel vinum, aut aliud potionis genus? Substantiam verò, & contenta recipit vrina ex concoctione humorum, quæ fit in hepate: nam ex bile flaua & aliis speciebus bilis, quæ gignuntur pro dispositione corporum, pallida, flaua, rufa, fit, & reliquos colores recipit, qui probari solẽt in sanis & in ægris, laudari & damnari pro mixtionis ratione. Ex bile verò nigra liuidi, nigri, & alii pessimi colores gignuntur. Ex pituita verò, quæ miscetur cum vrina bene elaborata plus vel minus, fiunt nubeculæ, & enæoremata, & sedimenta; ex ea crassiori, sine concoctione reiecta, & mixta cum vrina, fiunt non vera, sed mala sedimenta, quæ aliquãdo vt farina crassa, aliquando sub alia forma cõspiciuntur. Ista sunt, mi Cardane, quæ cum adsunt cum quadam mensura, vrinas reddunt concoctas, alioqui crudas, aut etiam cum cruditate pessimas, non ipsa concoctio, aut retentio, aut expulsio potionis aquæ, vel vini. Sed iam ad Hippo. redeamus, qui meritò scribit vrinas perspicuas & albas malas esse: nam indicant aut non gigni bilem, quæ vrinas tingit, & hoc est cruditatis indicium; aut genitam nõ misceri cum vrina; aut mixtam non posse per angustos vrinarios meatus percolari. Non gignitur, aut certè parcissimè, vbi intemperies frigida est, aut materia pituitosa plurimum exuperat: illo modo senes aquosas & crudas reddunt vrinas, hoc verò quartanarii multi ab initio, & qui quotidianis febribus & hydrope leucophlegmatia laborant, & qui crapulæ ebrietatiq; indulgent. Iam genita, non miscetur, cum in alias partes transfertur, & maximè in eas, quæ cõtrariæ sunt partibus, per quas transit vrina, cuiusmodi est caput; tunc enim meritò phrenetidem significare solet, quia bilis, quæ cum vrina misceri debebat, effertur ad caput; Postremò, vrinæ redduntur crudæ & aquosæ, cum ob calculos vel obstructiones in renibus, via solum patet aquoso humori tenui, clausa vero est bili & pituitæ, quæ colores & contenta in vrinis faciunt, & eas concoctas reddunt: & tunc concoctio quidem fit, sed nõ apparet, quoniam retinentur excrementa, quæ concoctionem ostendunt in vrina.

Vnde [illegible] substantiam & c[illegible]. *Vnde colores.* *Vnde nubecula & enæorema.* *Vrina alba & perspicua mala.*

APHOR. LXXIII.

Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα, διαβορβορύζοντα, ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταρραγῶσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

Quibus præcordia suspensa, murmurantia, lumborum dolore superueniente, iis alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ copia prodeat: hæc verò in febribus.

PErtinet & hic Aphoris. ad prædictionem: docet enim quid sequi soleat in febribus, vbi hypochondria sunt inflata, & murmurantia, superuenitq; deinde dolor lumborum. Sequitur, inquit, vnũ ex A tribus, scilicet, aut alui deiectio humidior; aut eruptio flatus; aut vrinæ multitudo. Quæ quidẽ ostendunt causas, quæ hypochondria reddunt inflata & murmurantia: nam vt rectè docet Galenus, suspensa & inflata fiunt præcordia, vel ex aliquo affectu, qui difficilem habẽt solutionem partium subiectarum, vt in hydrope contingit, vel ex recenti aliquo affectu, cuius generis sunt Inflationes hepatis & lienis, sed huiuscemodi inflationes sunt sine murmure; quæ verò cũ murmure sunt, flatum habent coniunctum, qui vix sine aliquo aquoso humore cõsistit; descendente igitur flatu, & spiritu ad lumbos, dolor illic oritur: at, cum in illis partibus via pateat ad intestina, & ad vesicam, aut in externas partes, vel B flatus erumpit illic, aut si humor exuperat, & paucus flatus est, & subeat vias, per quas vrina ferri solet, per renes, inquam, & vesicam, succedit vrinæ multitudo. Quod si per hepar, venas meseraicas, & intestina feratur, tunc aluus humectatur. Sed vt dicam, quod sentio, hic Aphoris. continet sententiam ex vno fortè experimento cognitam ab Hippoc. rarò enim hæc cõtingunt: propterea, vniuersalem rationem colligere non possumus, an hæc omnia sequantur: quæ scribit Hippoc. an quædam solum, aut fortè nihil tale: nam si veros lumbos intelligamus dolere, illic sistetur affectus, cum via non pateat ad partes, per quas possint fieri illæ excretiones. Si verò renes intelligamus dolere, qui lumbis ad- C hærent, sequi solum potest excretio per vrinam, quæ eam affectionem liberat. At, si aliquod intestinum laboret, via solum patebit contentæ materiæ per ipsa intestina: quare vel crepitus, aut alui cõmotio soluet affectionem. Sed, quod difficilius est, vix doceri potest, quomodo scilic. & per quam viam inflatio præcordiorum descendere possit ad lumbos: quare, vt dixi, rarò hæc fiunt, & ex illis ars constare non potest.

APHOR. LXXIV.

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπιώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται D ἐνίοισι γίνεσθαι· ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμορραγήσῃ, καὶ πάνυ ταχέως λύεται.

Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba facta, qualis in laboriosis febrib. quarto die quibusdam incipit fieri: si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

ABscessuum generatio in febribus causam habet multitudinem humorum crassorum, quos natura nec penitus vincere potest, nec etiam crudos omnino relinquit: E nam si eos facilè vinceret, facilè quoque expelleret, atque ita sequeretur euacuatio per eas, per quas natura solet sua excrementa expellere. Si verò nullo modo concoquere & vincere potest, opprimitur natura, quæ nullam expulsionem tentare potest. In mediocri igitur victoria excitantur fluxiones, quæ abscessus committunt in partib. debilioribus, [illegible]

in aliis

in mollioribus & raris, vt sunt glandulæ; aut in alijs, quæ aptæ sunt recipere aliunde influentes humores, de quibus alibi egimus. Contingit tamen, vt vbi expectatur abscessus, succedat euacuatio aliqua quæ illam prohibeat. Est autem, inquit Hippocr. quæ id facit, vrina multa, crassa, & alba: talis enim vrina multam pituitosam materiã, ex qua abscessus fieri solent, euacuat. Contingit etiam deiectionem copiosam ex tali humore idem efficere, quod præstat vrina multa, crassa, & alba, nonnunquam etiam sanguis profluuium, ex naribus pariter arcet abscessus.

Contingit autem aliquando fieri excretionem per sanguinis profluuium è naribus, quando multus subest calor, qui materiã agitat, multusque flatus gignitur, ad superiores partes fit ascensus, alioqui fiunt euacuationes per vrinas, aut alui fluxum: nonnunquam verò vtrinq; euacuatio fit, cùm pars materiæ sursum eleuatur, alia verò decumbit. Ac duplex hæc euacuatio maioris mali solet esse indicium, quippe cum natura plures euacuationes non aggrediatur, nisi vehementius grauetur & stimuletur. Quod si dominatur, materiamq; vicit perfectius, tunc citius fit morbi solutio, ex duplici, quàm ex vna euacuatione. Cæterum quod scribit (*qualis in laboriosis febrib. quarto die quibusdam incipit fieri*) consideratione dignum est, an scilicet intelligat laboriosas febres, quæ ex laboribus & lassitudine sunt comparatæ: an potius, quæ lassitudinis spontaneæ sensum habent: vtriusq; significati exempla sunt apud Hipp. *in Epid.* sed hoc loco intelligere non potest febres natas ex laboribus, nulla enim ratio aut experientia docet, in illis fieri vrinas, quales hic describit: siquidẽ labor pituitosas materias discutit, biliosas verò gignit. Intelligere igitur oportet febres lassitudinarias, quæ sunt cũ sensu lassitudinis spontè nascentis: talis autẽ lassitudo tensiua est, causamque habet flatuosam, multam pituitam, materiam abscessus & prædictarum vrinarum, & causam excretionis sanguinis per nares. Id vero quod scribit quarto die tales reddi vrinas, suspectum est: nam in materia tam crassa & viscida quomodo natura potest in primis diebus vrinas emittere vtiles? id enim fieri sine concoctione non potest, quæ vix in acutissima & biliosissima materia in tam breui tempore fieri potest; tamen locus est *lib. 6. Epid. Comm. 4. text. 2.* vbi ita scribit Hipp. vnus textus habet: *vrina crassa, alba, qualis Archigenis, in laboriosis quartanis, interdum exit & laborat abscessu: si verò vltra hoc & sanguis è naribus profluit: satis & copiosè.* alter verò sic: *Vrina crassa & alba, qualis Amphigenis famulo prodiit, in laboriosis febribus, quarto die exit, ab abscessu liberat: si vero praeterea sanguis è naribus profluxerit, prorsus leuat.* Sed hæc vt rara sunt, ita in Aphorismis locum habere non merentur.

Quid per febres laboriosas intelligendum.

Aphor. LXXV.

Ἢν αἷμα ἢ πύον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

Si quis sanguinem aut pus mingat, renum aut vesicæ exulcerationem significat.

A Quid ostendat sanguinis aut puris mictio, docet in hoc Apho. significat, inquit, in renibus aut vesica vlcus. Quam sententiam Gal. expendens, ait, hoc non esse commune omni vlceri, quippe cum vlcuscula non soleant sanguinem effundere, sed solum pus; intelligendum igitur esse insigne vlcus. Præterea, non probat hanc lectionem, quæ habet sanguinem aut pus, sed aliam, in qua legitur *sanguis & pus*: quandoquidem contingit ex superioris alicuius partis rupto abscessu pus mingi sine sanguine, sic etiam ex apertione aut anastomosi venarum emulgentium sanguis vrinaq; cruenta mingitur, quod non est renum

Explicatio Galeni.

B aut vesicæ exulceratæ indicium: requiritur igitur cum sanguine pus. Addit præterea sanguinis & puris mictionem non solum renum & vesicæ exulcerationem, sed etiam meatuum vrinariorũ & pudẽdi significare. Verum vt ab hoc exordiar, si sanguis exire non potest per vrinam, nisi vlcus fiat in vase aliquo insigni sanguinem continente, fortè nunquam fiet huiusmodi sanguinis excretio, exulceratis illis vasis, in quib. exiguæ admodum venæ conspiciuntur. Cur autem requiratur insigne vlcus in magno vase sanguinem cõtinente, si debet exire cruenta vrina, ratio est, quod exiguus sanguis, qui ex paruo vlcere in exiguo vase resudat, cito concoquitur & anteuertit puris generatio sanguinis excretionem; qua

Anastomosis.

C quidem ratione fit, vt qui vlcus habent in superioribus pulmonis partibus, vel in alia illius substantia, vbi non sunt magna vasa, nunquam expuunt sanguinẽ, quod Medicis multis imponit, qui didicerunt, non fieri tabem nisi primo sanguis, deinde pus expuatur. Cæterum, sæpe quoque consistunt vlcera in renibus & vesica absque sanguinis effusione: is enim in recenti vlcere solet quidem excerni; sed posteaquam callosum factũ est vlcus, illic perseuerat cum aquoso quodam pure absq; sanguine: vt in his apparet, qui vlcus ex mulierib. impuris contrahunt in pudendo, quod genus mali falso omnes ferè Medici gonorrhœam vocare solent, cum nihil tale sit: nõ enim est semen, sed pus quod excernitur, & hoc

Tabem fieri etiam sine sanguinis expulsione &c.

Vlcera in renibus & vesica sæpe etiã sine sanguinis effusione consistere.

Vlcus pudẽdorũ à mulierib. impuris contractũ non esse gonorrhœam.

D cum dolore pudendi, vbi est vlcus. Gonorrhœa verò consistit sine sensu doloris in aliis partibus. Illud quoq; notandum est, non solum ex vlcere, sed etiam ex anastomosi sanguinem mingi, sed hoc sine pure: quare rectè addit Hippocr. cum sanguine pus.

Aphor. LXXVI.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία σμικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες συνεξέρχονται, τουτέοισι ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

Quibus in vrina crassa existente caruncula paruæ aut veluti capilli vna exeant, his à renibus excernitur.

E Et hic quoque Aphoris. demonstratiua signa continet; Docet enim aliquid à renibus excerni. Sunt autem quæ hoc ostendunt, vrina crassa, carunculæ paruæ, & capillamenta, quæ mingendo excernuntur, sed diuerso modo hæc sunt signa: nam carunculæ paruæ, renes ipsos necessario affectos ostendunt, & genus quoque affectus monstrant, nempe, vlcus, & illæ sine cum

A vrina crassa, siue cum alia exeant, eundem semper effectum significant: tamen, vbi vlcus est, vix mingi possunt vrinæ, quin crassescant ex mixtione puris, quod necessario ex omni vlcere prouenit. Huiusmodi verò carunculæ per parua frustula diuisæ, non possunt ab alia parte, quàm à renibus crassis & densis, & veluti compactis ex huiusmodi carne, decidi: nam aliæ omnes partes, quæ expurgari possunt per vrinam, vt venæ, arteriæ, meatus vrinarii, vesica, tunicis membranisque & non carne solidiore constant. At capillamenta, etsi à renibus exeunt, nõ tamen necessario illos affectos ostendũt. Gigni enim ea possunt etiam in venis ex pituita crassa & viscida à calore resoluente subtiliores partes, & alias cogente, sed prius diuidentur in minores B & longiores partes, pro materiæ patientis conditione, ita, vt tandem formam sumant capillorum, in longitudine, tenuitate, nonnunquã etiam hæc capillaméta gignuntur in renibus ex pituita, quæ diu illic retinetur, recipitq; supradictas impressiones. Nec mirari debet Gal. *lib. 6. de locis affect. cap. 3.* quomodo tam longa capillamenta in exigua renum cauitate contineri possint: nam quod flecti cõtorqueriq; potest, caret hac dubitatione. Cæterum, carunculæ renum magnam exulcerationem ostendunt, & ob id rarò cõspiciuntur, capillamenta verò sæpius in his, qui magnis calculis in renibus laborãt. Nam pituita diu illis adhæret, cum exitum liberum habere non C possit, atq; ita calori tempus longum concedit, vt ex ea huiusmodi capillamenta gignantur. Gignuntur quoq;, vt Gal. rectè admonet, in venis ex frequenti esu fabæ frosæ, & aliorum leguminum, & casei, paneq; malè cocto, & fermentato, deniq; ex omni cibo crasso & viscido, ex quo facilè talis pituita generatur. Verum, non solum carunculæ & capillamenta ostendunt renes affectos, sed etiam lapilli, & arenulæ, quæ minguntur, & alia nonnulla, quæ in aliquibus visa sunt gigni; Refert enim Cardanus, se diu minxisse multos grumos atramento simillimos, forma & magnitudine lentis, quos desiit mingere, posteaquam filio suo amputatum est Mediolani D caput. Idem refert, se vidisse mixtos plurimos vermiculos albos, breues, tenuissimos, qui pediculi dimidium non æquabant, diuq; viuebant. Item alium Hispanum dicit sæpe minxisse pilos multos. Ego verò Lugduni in Raphaele Patnisio Ianuensi, anno 1535. vidi postquam diu renum dolore laborasset, & periisset, dissecto corpore & renibus, dracunculum cum alis & cauda longum, quantus est index digitus; quod etiam ex me refert D. Rondeletius in affectionib. renum. Quibus omnibus malis detrudendis, & abluendis, nihil puto esse vtilius aquis Thermalibus salsis & nitrosis, quales sunt, quæ dicuntur de monte Cattino, inter Pistoiam & Lucam; cũ enim huiusmodi aquæ spontè ferantur in renes, & in magna copia bibantur, rationi consonum E est, quod experientia pariter sæpe docuit, nihil deesse, quod faciat ad abstergendas mundandasque eas partes.

Carunculæ & capillamenta renum, capillamenta vero non semper.

Carunculas ostendere magnam exulcerationem renum, capillamenta verò etiam calculum renum.

Capillamẽta vnde fiant in venis.

Historia varia mictionis.

Aphor. LXXVII.

Ὁκόσοισι ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐοῦσι πιτυρώδεα συνεξέρχεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

Quibus cum vrina crassa furfurea quædam exeunt: his vesica scabie laborat.

APhorismi huius interpretationem nullam cur fecerit Argenterius, diuinare haud possumus: si tamen coniecturis agendum est, arbitrari licebit, alio quodam loco fusius, vbi de vrinis egit, accuratè & ex proposito, materiam eius pertractasse; quare ad libellum eius de vrinis auido Lectori indicamus recurrẽdum. Hippocratis autem verba apposuimus, ne series Aphoristica intercisa appareret & mutila.

Aphor. LXXVIII.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταὐτομάτου αἷμα οὐρέουσιν ἀπὸ τῶν νε- B φρῶν φλεβίου ῥῆξιν σημαίνει.

Quicunq; sponte sanguinem mingunt, iis à renibus venulam ruptam significatur.

SAnguinis ex spontanea per vrinam eiectione, ostẽdit, quænam pars afficiatur, & qualis sit affectus. Afficitur, inquit, venula in renibus rupta; quod an verũ sit, expendamus oportet. Id quod fit primum, verbis rectè intellectis. Igitur quod *spontè* dicitur, interpretatur Gal. *sine causa manifesta*: vel *repente, nullo casu præcedente.* Sanguinẽ præterea intelligit purum, & non aquosum, adeo, vt talis sit sensus; *Si purus sanguis mingatur, absque euidente causa, & repente, venula in renibus rupta significatur;* quod quidem perpetuò ve- C rum esse non potest: nam qui membro aliquo mutilati sunt, nisi solito parcius viuant, solent certis temporibus sanguinem euacuare, vel per aluum, vel per nares, aut etiam per vrinam, vel ani venas; nequaquam affectis renibus, aut eorum venis. Præterea, dubium est, quomodo velit venas in renib. rumpi: nam si negat eas rumpi posse in vesica, eo quod in corpore illius sint firmatæ, multo minus continget ruptura in renibus solidis, densisque partibus. Quare, non de venis, quæ sunt in renibus, videtur ruptura intelligenda. Et videtur Hippoc. ignorasse renum structuram, & diuisionem, atque ortum venarum, quæ in eos inseruntur: nam (vt Cardanus D citat) in mochlico, ita ille scribit. Principalis vena, quæ iuxta spinam est, etiam in renes radices agit, tenuibus ac fibrosis venulis iuxta spuriam costam. Item *in libro de locis in homine:* Duæ, inquit, venæ, iuxta tendines colli feruntur, & iuxta verticula, & desinunt in renes; eæ autem in testes etiam penetrant, quæ cum affectæ fuerint sanguinem homo mingit. Alia habet alibi de his venis, quæ anatome non agnoscit. Vesalius quoque tradit, quæ à Faliopio refelluntur, quæ quilibet in illis authoribus legere potest, ne ex aliorum libris prolixior reddatur mea tractatio. Ego, vt breuiter hic dicam, quod sentio, nescio, an spontè vnquam mingatur sanguis rupta vena in renibus; id enim in plethoricis corpori- E bus sæpe fieret, quod rarò, aut nunquam factũ vidi; ex saltu verò aut casu, vel alia violentia, & euidente causa, hoc non rarò fit. Sed quæ vena rumpatur, & in quo loco, an scilicet vel in renibus, vel supra renes, aut infra, diuinare nõ possumus: sed ratio coniecturam facit, venas emulgentes pendulas & satis tenues, facilius aliis pati posse rupturam; erosionem autem pro-

Sensus aphorismi secundum Galen. non recipitur.

Opinio authoris.

ptius experiri possunt venæ, quæ sunt in renibus A non sapte natura, sed quod illic causæ potentiores sint ad erosionem committendam, vt lapides, qui frequenter in renibus generantur. Sic etiam Anastomosis in renibus frequenter fit, apertis orificiis venarum, quæ in renes ipsos finiuntur.

APHOR. LXXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇσιν οὔροισι ψαμμώδεα ὑφίσαται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

Quibus in vrinis arenosa subsistunt, iis vesica laborat calculo.

QVIA sæpius incidit mentio de calculo, præstat hoc loco, quæ communia sunt huic tractationi, deinde quæ propria huic Aphorismo narrare. Primum igitur causas generationis calculorum explicabimus; deinde signa; postea leuiter curationem attingemus; quoniam non est nostri instituti & officii, eam exacte prosequi.

Calculi causa. Porro in causis calculorum multa sunt dicenda, quænam sit scilicet materia, ex qua calculi generantur, quæ efficiens causa, quæ loca apta ad illorum generationem, qui generationis modus; finalis autem causa nulla habetur.

Materia. Calculi materiam multiplicem tradunt esse Authores: nam Galen. *in primo libro de Elementis capite de pane loto*, crassam simulque viscidam materiam calculi ponit, & merito quidem: hærere enim & immorari oportet in renibus materiam, si lapidescere debet, vt paulatim à calido exsiccetur, indureturque, id quod viscidæ qualitatis beneficio facit. Præterea, absque viscíditate in sabulum perpetuo degeneraret humor, qui exsiccatur. Quapropter ostendunt calculi solidi, & oblongi, requiri quendam lentorem ad illorum generationem. Porro, necessaria est quoque crassitudo, quæ terrenæ substantiæ dominium ostendit, sine qua nequit terrenum corpus densum & solidum concrescere; quod si ita est, D potest sola pituita materia esse lapidis; alius vero humor syncerus nequaquam; habet enim pituita crassitiem, & lentorem, cæteri vero humores lentore carent, & nonnulli crassitie. An vero ex vniuersa massa humorum, qui sanguis dicitur, possint lapides fieri, expendendum est: ostendunt enim arenulæ & lapides rubri, qui excernuntur, sæpe non aliam posse esse tunc materiam, quam sanguinem: nec mirum, siquidem sanguis pituitam multam in se continet, & reliquorum omnium humorum particeps est: Igitur sanguinem ipsum, id est, omnes humores simul subiici ad lapidis generationem; solam vero pituitam ostendunt lapides albi, & arenulæ candidæ; pituitam autem mixtam cum melancholi- E co monstrant lapis, & sabulum, quod nigricat; sicut bilem, cum pituita pallidus flauusque color, qui in illis, conspicitur. Alii verò, Brassauolus *ex 4. lib. de morbis Hippocr.* ex arenis glutinosis & sedimento vrinæ lapides quoque fieri tradunt. Verũ, vt ex sabulo lapides non fiunt, ita si hoc modo fit, calculus ex ipso sedimento & pituita gignitur, nihil ad hoc conferente sabulo incluso; quod si aliquid ex ea Arena fit, non fit calculus, inquit Cardanus, sed tophus: Qui Author vult, ex lapide facto in renibus nonnunquam etiam gigni lapidẽ in vesica; quod mihi parum probabile videtur: nam posteaquam lapis ex renibus deuolutus est in vesicam, dolores excitat, qui non permittunt naturam quiescere, donec illos eiecerit. *propria igitur calculorum materia est pituita, sabuli vero alius quilibet humor*, qui terrenus fieri potest, vt bilis omnis.

Ex sabulo non fieri lapidem.

Ex lapide renum non fieri lapidem vesica, & cur.

Gignuntur cæterum lapides vt plurimum in renibus & vesica, *sed in pueris semper in vesica, in renibus nunquam, adultis vero vtrobique, sed frequentius in renibus*; Generantur autem non- B nunquam in vẽtriculo & in intestinis, vt experientia docuit nostra ætate in Francisco Frisimeliga Medicinæ professore Patauii, qui cum dolores profundos pateretur in ventre, nulli remedio cedentes, tandem excreto magno per aluum lapide, liber factus est. Prouenit nonnunquam etiã, sed rarissime, in vtero ob decliuem ipsius situm, & frequentes ablutiones ex sanguine menstruo, non raro autem generantur in vesica, quæ bilem flauam excipit, quæ tũc causa est morbi regii, cui non mirum, si non conferunt aperientia, quæ obstructionibus competere dicuntur, quippe, cum vim non habeant extenuandi lapides, sed humores.

Loca ad calculorũ generationem apta qua.

Historia calculi geniti in ventriculo.

Iam vero lapides dicunt concrescere ob sic- C citatem vel calorem, vel frigus, argumento quod lutum lapidescat à frigiditate concretum, vel à calore, resoluto humido tenuiore, & densato crassiore cum partibus terrenis, vel eodem humore consumpto à siccitate sibi contraria, quomodo aqua terræ mistione consumitur. Verum in nostro corpore, nequit frigus viuente animali aliquid efficere, omnia enim, quæ in eo sunt, actu calent, nullus autem calor actualis qualiscunque sit, congelandi vim habet; sic etiam siccitas vim non habet exsiccandi, ita enim senes omnia sicca gignerent; at illi humidissimis humoribus, nempe pituita maxime aquosa abundant; solus ergo calor in nobis habet vim agendi pro sua vi, & materiæ subiectæ ratione; cum enim mediocris est, certa præstat officia, quæ secundum naturam dicuntur; cum vero debilis est, tũc frigida in nobis temperies esse dicitur, quæ sane frigida non est, cum actu caleat, & calor adhuc dominetur, sed frigida dicitur, quod infra mediocritatem caloris subsistat, & ob id imbecillis caloris officia exerceat, cum vero calor exuperat mediocritatem, ille iam dissipandi consumendique humores vim habet, vnde sequitur siccitas & quæ ab ea originem habent. *Calor igitur generationis lapidis causa est efficiens, estque huiusmodi calor, nunc vehementior, nunc imbecillior*; argumento, quod nonnulli calculosi, frequenter de caliditate renum conquerantur; alii vero minime, nam quibus subest crassa admodum & terrena materia, imbecillus calor potest lapidem excitare, iis vero, quibus tenuior materia est, vehemẽtior calor requiritur, qui humorẽ depascere, & in vaporem vertere valeat; An etiam non requiritur sola caliditas, sed certa quædam temperies, vel potius structura ad generationem lapidis opportuna? quandoquidem videmus, frequenter hunc morbum hereditarium esse absque

Calculi causa efficiens.

insignis caloris sensu, quasi certa forma & substantia renum à parentibus deriuet ad liberos, quæ nulla cura prohiberi potest, quo minus concrescat in illis calculus.

Modus Generationis.

Generationis autem modum docet Galen. *Text. 6. 1. Comment. 6. Epid.* ad hunc modum scribens: *Gignitur autem hoc modo calculus in renibus; si quid in venis serosi tenuisque humoris cum sanguine permixtum est, renes ad se trahunt, quod si meatus, qui in renis concauitatem percolunt, latius patefacti fuerint, aliquid etiam ex crassioribus succedit, & simul ille oritur. Quando igitur calefactum istud in renis cauo ad tophi consistentiam redactum fuerit, si renum vis expulsoria omne id vna cum lotio extruserit, arenosæ in ipso subsidentiæ fiunt: quod si renis cauo impactum tenacius inhærescat, aliquid aliud eiusdem materiæ ea vena caua suscipiens sibique apponens, plus augetur, semper enim, quod recenter influit, priori circumdatur, atque ita insigni magnitudine tophus grandescit.* Est recipiendus hic modus in calculis, qui inæquales, & qui veluti adhærentes superpositas partes habent inter se; fiunt enim hi additione quadam calculi, qui inæquales sunt. At æquali modo solidi gigni videntur statim vna vice, & ex eo, quod semel in renes incidat. Quin & illud expendendum est, quomodo scilicet materia illa, ex quo calculus gignitur, in renes incidat, & quid sit rei huius causa. Galenus latiores renum meatus accusare videtur: *cum enim*, inquit, *latiores illi fuerint, non solum quod tenue est, & aquosum, sed etiam crassa & viscida materia simul in renes illabitur*; verum multos videmus calculo laborantes, pituitosos esse & frigidiore intemperie præditos, in quibus vt venas, sic & reliquarum partium cauitates angustiores esse credere par est: Præterea, in calculo vesicæ angustia potius quam latitudo meatuum causa esse videtur generationis calculi, adeo, vt in renibus idem quoque fieri putandum sit, vt etiam latitudo meatuum apta est suscipere multitudinem crassitudinemque humorum, sic eandem remittere, & illi exitum præbere, est parata; ad hæc, quomodo, quave ratione illabatur, quod est crassum in renes, nisi attrahatur, non video, & cur attrahi debeat à renibus, qui comparati sunt solum serosum humorem allicere. Quare putarem, non ex eo, quod influit cum sero, calculum procreari; sed ex nutrimento, quod renes attrahunt, vbi enim sanguis pituitosus est, renes eo quoque nutriuntur: itaque ex portione sanguinis pituitosa, digesta tenuiore, aquosa, & aerea parte lapis concrescit: nam si ex sanguinis massa non fieret calculus, sed ex pituita crassa, quæ illabitur cum sero, quomodo color rufus & rubens conspiceretur vnquam in calculo & arenulis? liberum sit vnicuique in hac re statuere, vt placet. Atque hæc quidem de efficiente materialique causa dicta sint.

Quomodo materia, ex qua calculus gignitur, in renes incidat.

Autoris opinio de materia calculi.

FINIS.

IOAN-

IOAN. ARGENTERII DE MORBI GENERIBVS,

LIBER VNVS.

PRÆFATIO.

NON ignoro, multos fore, qui hanc nostram de morbis tractationem tãquã superfluam damnabunt, propterea quod de eadem re multi extẽt antiquorum, & recentiorũ libri, inter quos Galenus non solum hæc attigisse, sed etiam diligentius, quã alias omnes medicinæ partes multis voluminibus excoluisse, & prorsus absoluisse videatur: quasi ego putarem, me vel cum eo contendere, aut etiã meliora, quam alii omnes excogitare posse. Alii vero aliud in hoc meo instituto reprehẽdent, qui B præiudicata quadam opinione persuasi, antiquorum monimenta non solum amare, sed etiam venerari, & pertinacius quoq; tueri consueuerunt: Eos vero, qui conantur suo labore, & studio artibus, quas profitentur, antiquorum imitatione, aliquid ornamenti adiicere, calumniari non desinunt, omnibusq; modis insectantur. Quibus sane nunc respõdere nolo, quod paulo ante vtcunque feci, cum antiquam docendi rationem à corruptione, & barbarie (quantum in me fuit) vindicaui. Qui vero melius sunt affecti, veritatisque studiosi, si paulo diligentius hæc expenderint, & secum reputauerint, quid alii de hac re posteris reliquerunt, inuenient profecto, multa adhuc superesse, in quibus vnusquisque, si velit, magna C mortalium vtilitate, & non mediocri etiam sua laude versari possit: Nam cum alii fere omnes singula quæque consectentur, artem, quam potissimum quærere debemus, vtpote cuius vi reliqua continentur, penitus contemnunt. Galenus vero, (si mihi in tanta superstitione & rerum asperitate, quod serio dicere liceat) inter alios multa certe de hac, vt de omni alia medicinę parte optime conscripsit; quædam tamen non attingit, quę omnino doceri oporteret: multa varie explicat, quibus studiosi confunduntur, & semel posita principia perpetuo seruare non videtur; omnia vero, quod omnes fatentur, sparsim, prolixissimeque docet. Quamobrem ego ad eadem scribenda me, studiaque mea contuli, non vt cum a- D liquo contendere velim (omnibus enim facile cedo) aut quod de Galeno male sentiam, ad cuius imitationem studia mea iamdudum institui; vel ab illius lectione studiosos deterream, quem fere solum inter omnes de medicina scriptores legendum censeo: sed vt in hac parte ipsius Galeni, Oribasii, Pauli, Aetii, & aliorum, qui post antiquiores authores de iisdem rebus scripserunt, exemplo, lectori mea industria laborem minu- A am, dum quæ ab aliis optimis scriptoribus, atque eo potissimum Galeno sparsim, diffuseque erant explicata, breuissime colligere contendi: & interim addo nonnulla, quæ desiderari posse videbantur: obiterque admoneo si quid principiis repugnare, aut cum alio confundi putem. Quid vero in in hac re præstiterim, iudicabunt æqui iudices, qui non liuore aut stupiditate, vel authoritate scriptorum mouentur, sed rationum momenta, & quid demum vnusquisque de quaque tetradat, syncero animo spectant: Ego certe me plurimum consecutum arbitrabor, si qua in re artem nostram auctam mea opera, vel saltem quæ ab aliis sunt prodita, aliqua ex parte meliora, facilioraque tantis laboribus reddita sensero: B Non enim eo animo hæc scribere sum aggressus, vt sperarem, mea omnia fore perfecta, sed interim cum hæc antiquorum more docere tentarem, vel alios inuitarem veritatis æmulos, artisque huius studiosos ad ea perficienda, quæ à nobis in tantis aliis occupationibus vix dum inchoata putamus: vel etiam vt in hoc opere, veluti iactis fundamentis, viam mihi pararem ad maiora, melioraque, vt spero, in maiore otio edenda. Qua in re primum, quid morbus sit, definire tentabimus, quo intellecto, facilius ad reliqua progredi licebit.

CAP. I.

C *De morbi definitione.*

MOrbum varie definit Galenus: etenim aliquando morbum vocat id, quod primo actionem lædit: qua ratione priores actiones, quæ sequentes ostendunt, veluti concoctionem corruptam, quæ nutritionem fieri impedit, eaq; symptomata, à quibus actiones labefactantur, vt dolorẽ, colorẽ in aliquibus partibus, & in omnibus potentiam læsam, inter morbos ponat necesse est. Solet & aliter eum definire, quod scilicet διάθεσιν, id est, dispositio, siue affectus sit præter naturam, quæ primo actionem vitiat. Quæ definitio, etsi ab omnibus recepta est, mihi tamen non multo melior, quam alia videtur: D nam in primis ambiguo vtitur genere, in quo etiam author sibi consentire non videtur; & natura rei nonnullas ex reliquis partibus reiicit. Etenim *in libro de differentiis symptomatum*, scribit ille non solum morbum ipsum, sed etiam symptomata, & causas morborum dispositiones esse præter naturam: Quo loco etiam affectus, dispositionisque nomen, alterationem significare tradit, eamque stabilem, & in habitu: propterea actiones affectus vocari non posse censet,

Definitiones morbi ex Galeno sumptæ reiiciuntur.

quod in ipso, vt aiunt, fieri, naturam suam obtineant: qua ratione alterationes, quæ adhuc præsentibus suis causis nascuntur, illisque ablatis nondum firmam naturam sortitæ, euanescunt, ab affectus appellatione excludit, passionesque esse asserit, differre enim passionem ab affectu, quod illa sit alteratio, & motus, qui adhuc fit citra materiam, siue qualitas, quæ adhuc est in motu, & per alterationem patitur; hic vero alteratio & qualitas, quæ post motum in materia manet, adeo, vt passio in ipsa mutatione naturam suam obtineat, affectus vero consistat in eo, quod est factum, & subsistit, & est in habitu, permanentiamque per aliquod tempus obtinet. Itaque sanitatem, & morbum necessario esse in genere affectus, quod etiam *libro primo de Locis affectis* aperte testatur. Quæ profecto mihi non placent. Nam morborum causas dispositiones vocare, est, vt credo, nomine abuti, & res ipsas inter se confundere: quandoquidem ille definit, affectum esse alterationem, & Aristoteles qualitatem; causa autem alteratio non est, nec in qualitatis, sed in eorum, quæ comparate dicuntur, genere continetur. Quod si ea, quæ morbos pariunt, nonnunquam sunt qualitates; non tamen omnia, ita, vt nequeat nomen affectus commune esse vniuersis causis, & quæ qualitates sunt, non propterea alterationes vocari debent; siquidem alteratio est motus, qui à qualitatibus differt, quæ morbos gignunt: quamobrem frustra etiam ad causæ morbi differētiam se addere scribit, in morbi definitione, quod primo actionem lædat; causa autem morbi interuentu: nam in genere morbi, quæ inter illa est differentia, statim conspicitur: si quidem morbus dispositio est, causa autem minime: *διάθεσιν*, præterea vocare alterationem, & qualitatem, quæ sit in habitu, & stabilis, est antiquam verbi significationem corrumpere: quandoquidem vt Aristoteles aperte ostendit, contrarium omnino significat, nempe qualitatem, quæ facile dimoueri potest, diuersam ab ea, quæ in habitu est posita. Eam vero solum alterationem, & qualitatem, quæ stabilis est, siue (vt ille ait) est in facto esse, id est, vt interpretatur *primo de Locis affectis*, potest ablata illū efficiente causa permanere, morbū vocare; aut, quod idem est, vt asserit *in libro de Differentiis symptomatum*, morbū & sanitatem ponere in genere earum alterationum, & qualitatum, quæ sunt in permanentia ad aliquod tempus, rationi artique nostræ nequaquam est consentaneum. Etenim in colico dolore, Nephritide, Apoplexia, & in affectibus, qui fiunt per consensum, morbi sunt, etsi illi non nisi minimo tempore, & tamdiu perdurent, quamdiu manet humor, aut vapor, aut alia, quæ eos peperit, causa. Atque in hoc prorsus sibi repugnat: quippe cum scribat *primo, & secundo methodi medendi*, eos errare, qui morbum stabile malum esse definiebant, cōtenditque nomen permanētiæ per aliquod tempus, quod illi tribuit *in libro de differentiis symptomatum*, ab eius diffinitione penitus subtrahendum: tanquam id, quod ad morbi naturam explicandam nequaquam pertineat; sed differentiam inter morbum longum, & breuem ponat, quod apertius *primo de locis affectis* testatur, morbos, vt qui res sint similares & esse iam, & vocari non solum cum facti sunt, sed etiam, cum fiunt,

Morborum causas non esse dispositiones.

Causa in quo genere contineantur.

Διάθεσις quid significet.

A id est, ablatis suis causis amplius cōsistere nequeunt, absurdū enim inquit esse credere partes non esse affectas, nec morbo laborare, cū vehementi dolore torqueantur; etsi nulla remanet dispositio, & qualitas morbosa in materia, eo ablato, quod dolorem inferebat; & merito quidem: nam si eas duntaxat alterationes, quæ dicuntur factæ, inter morbos sunt ponēdæ, fiet vtiq; vt sola hectica inter febres, morbus sit: nimirum cum in aliis solidæ cordis partes non calefactæ, sed esse in calefieri dicantur: non enim sufficit, humores, aut spiritus excalefactos esse, vt morbus sit; propterea q viuentis partis, non humorum, aut aliorum, quæ elementa, aut cōmunia sunt corporis instrumenta, sanitas, & morbus sunt affectiones. Ergo affectus nō semper est alteratio, & qualitas facta, aut

B si est, illud certe falsum est, morbum semper esse affectum, sed etiam aliquando est passio. Quare per affectum, siue dispositionem definiri cōmuni ratione nequit. Quod vero pręter naturā morbus sit, verissimum est, & id sępe ab eo probatum: tamen, & in hoc etiam variat, cum *libro primo de locis affectis* morbum ponit esse, quando primum corpus à naturali statu vel minimum egreditur, adeo vt ob paruitatē nec à Medico cognosci, nec ægrotantium sensu percipi possit: alibi vero negat omnino, vitia ea inter morbos reponēda, quæ ob suam magnitudinem hominis actiones euidenter, & (vt ille ait) sensibiliter non labefactant; & merito quidem, quando alioqui decreta eorū, quì

C ἀπάθειαν, toties ab eo damnatam, inuexerūt, hoc modo stabiliantur, & cōualescentium conditio, neuterq; status, non paruo errore, à medicina, eo etiam passim repugnāte, tollantur, si omnes minimas à bona valetudine euersiones, præter naturam reputare oportet. At illud etiam verum nō esse puto, quod morbus primo actionem lædat, id est, immediate, & proxime, sic enim primo interpretatur *in libro de differentiis symptomatum*. nam inter eum & actionem mediat vis corporis, vt intemperies primo causa est facultatis agendi; facultas autem ipsius actionis: hæc vero operis, quemadmodum ille *libro primo de naturalibus facultatibus, & alibi passim* ostendit, corruuntq; hoc modo omnes libri, quos de facultatibus

D nostrum corpus regentibus conscripsit, si illæ inter morbum, & actionem non ponuntur. Lædunt etiam nonnullæ causæ actiones primo, nulloque interueniente morbo, veluti concoctio alimenti exuperante illius copia labefactatur, nullo modo interim affecto ventriculo, eo etiam authore, sed euicta quodammodo statim ipsa facultate. Quamobrem si pari distantia cum morbis, nonnullę causę actiones corrumpunt, aut eas inter morbos collocare oportebit; aut certe falsum est, q ille scribit, morbos primo, causas vero secūdario actionibus obesse. Nō excludi vero ab hac definitione quædā symptomata, & nonnulla alia, verissimum esse puto: nam etsi donemus, dispositionis nomē stabilē significare qualitatem post

E actionem derelictā, vt hoc concesso separamus à morbo actiones priores, quæ posteriores impediunt, necnon dolorem, & potentiam vitiatam, si quis hęc neget esse dispositiones: secundas tamen qualitates in partib. præter naturā contractas, ab eo nequaquā secludimus. Est enim corneæ tunicæ præter naturā color, affectus, vt ille testatur *in libro de differentiis symptomatum*, (siquidem alteratio

Morbum esse semper affectum, sed nonnunquam etiam passionem.

Morbum lędere actiones immediate & proxime.

Media inter morbum & actiones quæ.

Qualitates secundas in partibus præter naturam contractas ab affectibus non esse excludendas.

ratio est, & qualitas, quæ post actionem agentis) A remanet, læditq; primo actionem, vt idem pariter docet *lib. 1. de causis symptomatũ*, hallucinationes, inquam, quæ fiunt in visione circa colores, non ob aliam proximam causam committi, quã quod color illius tunicæ sit immutatus. Quod si humor etiam aliquis eorum, qui oculos constituunt, idẽ præstat, non tamen ille, aut alius hos errores, qui fiunt in visione circa colores parit; eo quod humor sit, vel obstruat, aut aliud faciat, quam quod suo colore efficiat, vt ea, quę videntur, eodem colore prædita credantur; adeo vt color, qui in certis oculi partibus est, proximam reddat causam, cur flaua, aut rubra, aut alterius coloris appareant, quæ videntur: Atqui nemo huiusmodi colorem, qui visionem vitiat, morbum esse fatebitur: B quippe cũ qualitas sit mutata, & vt postea ostendemus, ex ipso Gale. inter symptomata collocari debeat: Quinetiam ob duritiem, mollitiem, raritatem, densitatem, substantiæ crassitiem, tenuitatem & impuritatem materiæ, aut instrumenti communis, vt Galenus docet *libro primo de Differentiis symptomatum* ob spiritum animalem vitiatum his rebus, visionem labefactari, actiones lædi contingit: quæ tamen vitia morbi naturæ minime Galenus comprehendit; cum nec ad intemperiem, nec ad instrumentorum morbos ex illius opinione, vt infra docebimus, pertineát. Postremo ex actione morbum definire, dicereq; partes eas ægrotare, quæ agere nequeunt: quod facit *primo de Locis affectis*, & *in libro de differentiis morborum*, vel etiam omnino læsam esse illorũ C substantiam, vt aperte testatur *tertio de causis symptomatum*, aut vitiosam non posse esse actionem, nisi pars, quæ illam edit, vitio sit affecta, vt habet *libro primo Methodi*, alienum à ratione esse puto: nam multarum partium actio abolerur, cuiusmodi sunt nerui, & vocis instrumenta, & aliç partes, quæ vim, aut materiam ab aliis suscipiunt, integra manente propria substantia, quæ tamen nullo morbo interim afficiuntur, sed ob aliarum, à quibus vim, materiamque sumunt, vitia, sua officia exercere nequeunt: vel certe illis remedia essent adhibenda; si modo ægrotantibus partibus mederi nos oportet; at nos id facimus, propterea quod non ægrotant, etiam si suo munere & D actione priuentur? Nam qualis (quæso) alteratio, qualitas ve neruos, obstructo cerebro occupauit? Cur etiam hac ratione ventriculum morbo teneri non dicemus, quando nutrimenti defectu concoquere desinit: quod certe ridiculum foret. Oporteret præterea morbos similarium ad instrumenta quoque referri; si modo per febres, motus, aliæque instrumentorum actiones impediuntur: quod absurdum esset; alioqui non solum solutio continui, sed omnes etiam intemperaturæ, vtrisque partibus communes morbi statuendæ essent. Hinc illæ sane dubitationes, quæ Galenum *in libro de locis affectis* varie torquent, dum quærit, an pars, quæ vi aliunde influente, vel materia destituitur, affecta dici possit: id quod E nunc affirmat, alias negat. Hinc ortæ controuersiæ, quæ à recentioribus de morbi definitione contentiose agitantur, dum corneæ tunicæ colorem, eo, quod lædat actionem, & alia multa symptomata, corrupta tota arte, morbos esse cõtendunt: nimirum quod nulla ratione in morbi definitione actio ponatur. Quod & ipse Galenus

Morbum non esse definiendum ex actione.

initio libri de differentiis morborum probare nititur, morbum, inquam, & sanitatem in sua natura actionem nequaquam includere, cum sanos & ægrotos dicamus, agnoscamusque esse, etiamsi nihil addatur. Addo quod morbum necessario sequitur actio læsa, adeo vt in illius definitione assumi ea nequaquam debeat. Nec vero vt signum morbi in illius definitione actio recipienda est: quippe cum aliud sit rei naturam explicare, aliud notas tradere, per quas res dignosci possit. Præterea cum morbus non solum actiones lædat, sed etiam alienas qualitates corpori conciliet, & excrementa naturalia pariter mutet (hæc enim omnia morborum effectus ab eo ponuntur) cur potius actio, quam alia duo, in illius definitione assumi debet? præsertim quod ex illis clarius nonnunquam, quam ex actione intus latente, morbus innotescat; qua ratione vicus intestinorum ex mutatione excrementorum, & hepatis morbum ex vitiato colore in morbo regio depræhendimus, nullo interim præbente indicio, illarum partium actione. Ex quibus quidem patet hanc morbi definitionem, nulli morbo conuenire? quia nullus morbus est, qui primo actionẽ lædat, nec omni, si forte alicui; propterea quod multi sunt morbi, qui nequaquã sunt dispositiones, siue affectus, vel habitus, sed passiones, nec non aliis competat, veluti secundis qualitatibus, & materiæ ac instrumenti publici totius corporis, vitiis: quæ tamen à morbi natura ratio excludit. Ac mirum profecto est, eundem authorem de eadem re toties loquentem, tantopere à seipso dissentire, vnoque loco asserere, quod alio improbauit. Quare cum tot ambiguitatibus plena sit huiusmodi definitio, nec satis perspicuis, artisq; nostræ accommodatis vocabulis, quid morbus sit, exprimat, præstat aliter eum definire, id quod natura duce, quæ neminem confundi patitur, commode fiet. Itaque cum morbus aliquid sit eorum, quæ corpori accidunt, sit autem, quicquid est in corpore, vel constitutio, siue compositio, siue forma, vel causa constitutionis, vel eiusdem effectus: necesse profecto est in aliquo istorum sanitatem, & morbum poni. Est porro, vt de similaribus partibus, exempli causa, dicamus, ipsarum constitutio & forma, Galeno teste, temperies: calidum vero, frigidum, humidum, & siccum, materia, quæ constitutioni, & temperaturæ subiicitur, & publica instrumenta compositionis causæ. Inter effectus vero reputantur potentia, actio, & opus, quod ab actione nascitur. Est quidem concoctrix facultas potentia: ipsa vero concoctio actio; cibus concoctus, excrementum corporis, color, sapor, odor, & cęteræ corporis secundæ qualitatis sunt opera, quæ sæpe ex actione, & compositione resultant; spiritus vero & humores in corpore geniti, materiæ & instrumenti rationem obtinent: quoniam ex illis partes nutriuntur, & viuere pergunt, ac illorum beneficio proprias functiones exercent: At nemo in causis compositionis & effectis sanitatem, aut morbum inueniet. Est enim sanitas symmetria, id est, mediocritas quædam; morbus vero ametria, id est, immoderantia: quod nulla ex causis constitutionis est: nam calor, frigus, humiditas, siccitas, quæ temperiem efficiunt, moderantiæ & immoderantiæ sunt causæ: symmetria, aut ametria nequaquam; Nec materiæ quidem vitia, vt suo loco

Galenum multoties à seipso dissentire.

Naturam neminem confundere.

Ooo 3

postea diligentius ostendemus, sanitas, & morbus A esse possunt, quandoquidem hæc accidentia, & formæ quædam sunt, quæ subiectæ propinquæ materiæ, suis qualitatibus iam præditę, accedunt. Ac multo quidem minus communis instrumenti mala, morbi erunt; quia morbus passio est viuentis. Nemo etiam effectus compositionis sanitatem, aut morbum vocabit: quis enim excrementum, concoctum cibum, aut actionem ipsam, vel potentiam, aut aliquam ex qualitatibus corporis (vt vocant) secundis sanitatem, aut morbum esse dicet? aut in illis ponet? Sequuntur enim hæc sanitatem & morbum, tanquam vmbra corpus. Ad hæc sanos eos vocamus, qui nihil agunt, vnde nec actio, nec opus, quod post actionem relinquitur, sanitas, vel morbus esse possunt, addo, *quod curatio non causis, nec effectis, sed morbis conuenire dicatur*: & quod materiæ vitia aut omnia, aut certe plurima nullam medicinam recipiant; morbis autem mederi possimus, quorum causis præseruatio Galeni opinione debetur; effectus vero nullũ Medici officium requirant; quippe cum sublatis morbis, & illorũ causis, sponte euanescant. Quare in humoribus, spiritibus, materia, quæ substernitur in generatione partium, qualitatibus secundis, excrementis, & actionibus partium sanitas, & morbus ponendi non sunt, sed in ipsa cõstitutione, & forma: Sic enim eos vocamus sanos, non qui possunt agere, vt Galeno *in libro de Differentiis morborum* placet, quoniam hac ratione in potentia ipsa, causis cõstitutionis sanitas, & morbus C etiam cõstituerentur: agere enim possunt, qui agendi facultatem obtinent, & causas constitutionis; seu qui partium structuram, & compositionem secundum naturam sunt consecuti, ægrotos vero, qui præter naturam sunt constituti. Quod quidem aperte ostendit *initio libri de differentiis morborum*, cum ait sanitatem κατασκευήν, id est, constitutionem, siue compositionem esse: At cũ sanitas secundum naturam sit, morbus vero præter naturam, erit profecto, eo authore, illa nihil aliud, quam constitutio partium secundum naturam, hic vero eadem naturæ contraria: Verum si quis exactius loqui velit, potius in constitutione partium sanitatem, & morbum collocabit, quam dicat hæc esse ipsam constitutionem: nam D reuera sanitas est symmetria, & perfectio: morbus vero ametria, & vitium, quod in compositione agnoscitur, quod & Galenus ipse aliquando innuit, veluti cum *in libro de differentiis morborum* scribit, in ipsa structura, & compositione corporis morbum poni debere, & *quinto libro de placitis Platonis, & Hippocratis*, vbi morbum similarium partium, inæqualitatem, quæ nascitur ex calido, frigido, humido, & sicco, esse definit. Constituunt namque similares partes, eo authore, quatuor primæ qualitates, quæ cum inter se iusta quadam mensura temperantur & componuntur, symmetriam quandam efficiunt, quæ sanitas illorum est, & dicitur: adeo vt ea, quæ ex compositione sequitur, aut in E ea est ametria, & vitium, morbus sit: tametsi in medicina nihil refert, si dicas, sanitatem esse constitutionem secundum naturam, aut symmetriam illam, quæ ex recta compositione nascitur: aut morbum dicas constitutionem præter naturam, vel vitium, & ametriam præter naturam, quæ in ea agnoscitur: Satis enim est ad Medici officia distinguenda, & naturam symptomatum, morborum & causarum morbi dignoscenda, atque hæc inter se seiungenda, intelligere, tum morbum, tum sanitatem pertinere ad ipsam partium constitutionem, & structuram: ad quam semper oportet, cum scire volumus, quid morbus, vel morbi causa, aut symptoma esse possit: Propterea nos compositionis nomine vsi sumus, & vtemur in morbi definitione, & aliis, quæ generis morbi, aut sanitatis mentionem desiderabunt, posteaquam semel, quid de eo sentiendum sit, docuimus. Quod si quis morbum, dispositionem, aut affectum, vel aliud quidpiam dicere velit, non laboro, modo his nominibus compositionem siue B constitutionem, aut vitium, quod in ea est, intelligat: ne multiplici, variaque verborum significatione rẽ confundamus, quemadmodum recentiores fecerunt, qui labyrinthos in hac re inextricabiles affectus nomine decepti, & eo, quod adderent in definitione, à morbo actionem lædi, fabricarunt; Non enim calor, & aliæ qualitates corporis, quæ actionibus obsunt, morbi esse possunt, vt illi credunt, propterea quod affectus non sunt; siquidem affectus in hac re corporis constitutionem; aut quod in ea ex componentibus resultat vitium, significat: *lædit sane ipsa constitutio vitiata actionem, sed non primo, nec quicquid actioni incommodat, aut prodest primo, vel alio modo morbus, vel sanitas est, sed quod est constitutio vel compositio*: quod etiam ex Galeno patet, cum morbum inæqualitatem, aut constitutionem præter naturam, nulla actionis facta mentione, esse describit. *Est ergo morbus constitutio, siue compositio præter naturam*; Ac quod absoluta sit hæc definitio, ex his patet: quod nulli alteri eorum, quæ sunt præter naturam, & omni morbo conueniat; omneque compositionis vitium in aliquo genere morborum repetiatur, competantque ei vniuersa, quæ morbo tribuuntur: Nam constitutioni corporis præter naturam debetur curatio ex Galeni opinione, estque illa symptomatum causa, illiusque vitium siue permanens sit, siue abeat abeunte illius causa, morbus est, si præter naturam est. Cæterum compositionem hoc loco intelligere oportet non pro quarto genere constituente partes instrumẽtarias: quemadmodum cum dicimus, eas ex conformatione, magnitudine, numero, & compositione similarium constitui, & generalius pro constitutione ipsa, & vt compositionis nomen omnibus significat formam, & qualitatem quandam, quæ ex mixtione componentium nostrum corpus resultat, quo modo domum ex lignis, lapidibus, calce, & cæteris huiusmodi inter se certo modo coniunctis, componi dicimus, quæque actionum, qualitatum, & aliorum operum, quæ in nostro corpore fiunt, per se causa est, & ipsius partis essentia, veluti cum temperiem, constitutionem, compositionemve partium similarium, & eas recte compositas, cum probam temperiem sunt sortitæ, à qua proprie earum actiones proueniunt, ac denique in ipsa temperie earum naturam positam esse dicimus; quod autem compositio in partibus instrumentariis dicitur, quam Græci σύνθεσιν vocant, coniunctionem (ne imperitos eodem nomine confundamus)

Morbus natura quid.

Quid per compositionem intelligendum.

deinceps

Sanitas quid, & quo modo compositio secundum naturam.

deinceps vocabimus. Secundum naturam capiendum est sanitatem esse compositionem, nõ quod à natiuitate huiusmodi sit cõstitutio: Nam multi claudi, cæci, & aliis morbis infecti nascuntur, quemadmodum Eurianactis filiam natiua tabe laborasse scribit Hippocrates: Nec quod perfecta, sic enim senes, qui infirmam cõditionem obtinent, à sanitate excluderemus; nec quæ ad actiones necessarias in vita obeundas est apta, cum hac ratione pueri aut senes, qui ob imbecillitatem inepti ad plurimas actiones reddũtur, sani non essent; sed secundum naturam intelligendum, *secundum naturalem & communem constitutionem* vnicuique naturæ, & ætati propriam.

Constitutio naturalis vnde cognoscatur.

Præter naturam vero, quæ insigniter labefactata est constitutio putari debet. Cognoscitur porro naturalis constitutio tũ ex aliis, vt postea ostendemus, tum ex actionibus tanquam ex suis effectibus: non quod actio omnis structuræ sit indicium, sed quod necessario structuram sequatur actio. Nec vero etiam actiones, quæ sine euidenti noxa sunt, sanitatem ostendunt: morbum vero, quæ euidenter sunt offensæ, quemadmodum Galenus aliquando prodidit. Etenim pueri, & senes actiones edunt, quas nemo omni noxa carere iudicauerit, cum illarum imbecillitas omnibus sit conspicua & (vt illius verbo vtar) sensibilis; siquidẽ sensibilem noxam intelligere oportet, eo authore, quæ sensibus ob insigne illius vitium patet: quippe imbecilliores in senibus, & infantibus actiones multæ conspiciuntur, iam in validis corporibus morbo etiam laborantibus. Ergo actiones sanitatem non ostendunt, quæ omnia noxa vacant, sed quæ tales sunt, quales propria vniuscuiuscunque compositio secundum naturam edere potest: à quo termino si quis recedat, vt iam plane secundum naturam non habet, ita nondum præter naturam affectus est, nisi plurimum à naturali statu recesserit, id quod etiam ex actionibus, si velimus, comprehendemus: *quæ enim in his euidenter præter propriam vniuscuiuscunque naturam læsæ apparent, morbum significant.* At euidenter læsas intelligemus, non solum, si persistere in consueto opere nequeant, & desistere ab eo cogantur, vt *septimo Methodi* sentire videtur Galenus, sed etiam insigne aliquod aliud vitium habeant, de quibus postea diligentius agetur. Nam qui delirant, validissimis, continuisq; motibus ciuntur, quos tamen præter naturam affectos indicamus.

Actiones integræ sanitatem non ostendere. Nec omnes læsas morbum.

Actiones, quæ ostendũt sanitatem, & quæ itidẽ morbum.

CAP. II.

Quod calor præter naturam, lapis in vesica, aut alia parte consistens, vnguis in oculo, magnitudo, numerus vitiatus, solutio continui, & cætera huiusmodi morbi non sint.

SI vera sint, vt putamus esse, quæ posuimus principia, hoc est, si sanitas constitutio est secundum naturam; morbus vero eadem præter naturam, cur est, quod morbos quosdam dicimus esse calidos vt cum febem definimus esse calorem præter naturam; alios in numero, vt lapidem in vesica, & renibus, & vnguem in oculo? profecto si intelligimus hæc morbos esse, erramus. Non.n. aliquid istorum est compositio, siquidem compositio nõ vnum indicat ex componentibus, vt est calor, lapis, & cætera prædicta. Vt enim domus non sunt lapides, ligna, tectum, fundamenta, vel parietes, sed quod ex illis componitur, & resultat.

Sanitas similarium partium.

Sic sanitas similarium partium temperies est ex iusta proportione inter se mixtis, & tẽperatis qualitatib. proueniens: Estq; ea non calor, non frigus, sed certa corporis compositio & forma ex illis resultans. Sic morbus sane præter naturam constitutio, quæ excessu, aut defectu componentium fit, veluti intemperies, quæ caloris, vel frigoris, aut alterius qualitatis exuperantia nascitur: Nam si hæc morbi sunt, quænam, quæso, erit causa proxima morbi? Esse autem morbi causas non morbos ipsos, satis constat. Caloris enim excessus temperiem vitiat, & lapis in vesica, vnguis in oculo, & sextus digitus in manu, eo, quod pars vna addatur superflua, numerus partium, & inde structura corrumpitur. Quod si calor ipse morbus est, quid erit ipsa intemperies, quæ ob calorem exuperantem committitur? si lapis, vel vnguis morbus esse creditur, quid erit ipsa structura partis naturæ contraria? eadem est de aliis ratio. Liceat vero idem ex actione intelligere: Nam morbi causa est, quæ morbi interuentu actionibus obest.

Lapis cur lædat actionẽ.

At si quis quærat, cur lapis actionem lædat, statim afferet, *quia aliquid addit vesicæ, cuius ratione structura ipsius corrumpitur*; addo quod omnis morbus Galeni authoritate affectus sit; hic autem alteratio, hæc vero motus ad qualitatem: at lapis, vnguis in oculo, alterationes non sunt; nec qualitates ex alteratione natæ, quare nec affectus, nec morbi, sunt ergo illa omnia morbi causæ: quod si à Galeno morbi aliquando esse dicuntur, non quod morbi re vera sint, intelligendum est, sed illorum nomine, quale sit vitium in compositione, & quæ causa ostenditur: vt cum febrem dicit esse calorem præter naturam, intelligere oportet febrem esse intemperiem caloris excessu factam, quod aperte ostendit, cum *octauo & nono Methodi* febrem intemperantiæ excessum in caloris abundantia definit esse: vbi non caloris, sed intemperantiæ excessu febris naturam circumscribit, quod Galenus *in libris de temperamentis*, & *passim alibi*; vt scribit, ex calido, frigido, humido, & sicco, & ex illorum mixtione fieri temperamentum partium; adeo vt stupidi sint, qui credunt, has qualitates esse ipsum temperamentum, aut illorum excessum est morbum; nec non idem docet, cum morbum inæqualitatem calidi, frigidi, humidi, & sicci alibi vocari statuit: & *in libro de causis morborum similarium*, morbum intemperiem vocat.

Numerum corruptũ nõ esse morbũ.

Eodem plane modo cum lapidem in vesica morbum appellat, intelligit vitiatam esse structuram illius partis, ob malum numerum, additione lapidis factum. vnde nec numerus ipse corruptus dici morbus debet: vt cum dicimus, morbum esse in numero, sed morbi etiam cau-

-ſa eſt: ob eum enim partium naturalis ſtructura labefactatur, quemadmodum ob magnitudinem excedentem, vel diminutam, & ſolutionem vnitatis, & reliqua huiuſmodi, quæ corporis partes conſtituunt, alioqui ſi partem ipſam numero excedentem morbum eſſe cõtendas, vt ſextum digitum; concedas etiam oportet, eam, quæ à naturali numero ablata eſt, vt digitum abciſſum, inter morbos reponi. At Galenus non id, quod ablatum eſt, ſed quod relinquitur, nempe ſtructuram ipſam deprauatam, ablatione illius partis, morbum eſſe conuincit: Nihil enim aliud ſecto digito in corpore relinquitur, in quo morbus poni poſſit: Quod ſatis quidem patet ex Galeno cum ſcribit *in libro de Differentiis morborum*, ob magnitudinem partis inſtrumentum corrumpi: Requiri vero ad probam illius compoſitionem iuſtam conformationem, magnitudinem, numerum, & coniunctionem ſimilarium. Ex illis autem náſci morbum, cum à naturali mediocritate excedunt, vel deficiunt, & gurgulionis abolitionem palato morbum inferre. Eſt porro peculiare Galeno, diſpoſitiones cauſarum nomine donare, vt cum ſtuporem, nunc frigiditatem, nunc diſpoſitionem ipſam à frigido contractam páſſim *lib. 1. de Locis affectis* vocat. Hæc qui diſtinguere neſciunt, monſtra pariunt, cum rixoſe contendunt, lapidem in veſica, & vnguem in oculo morbos eſſe, dubitantque, an ſubſtantia aliqua poſſit eſſe morbus, & huiuſmodi alia proferunt non intellecta, verbo vno authorum agitari, minime ſpectantes, quid illorum principia, & rei natura poſtulet. Principium enim apud eos eſt (ſiquidem eſt definitio) ſanitatem eſſe conſtitutionem ſecundum naturam; morbum eandem præter naturam. ex quo intelligere deberent conſtitutionis nomine non vnum ex conſtituentibus ſumi, & id, quod conſtitutionem, & ſymmetriam vitiat, morbi cauſam, non morbum eſſe ponendum.

Cap. III.

De Generibus, & numero morborum.

GEnera morborum cum differentiis à Gal. ſæpius confundi, certius eſt, quam vt demonſtrari debeat. Nam *in libro*, quem inſcripſit *de Different. morborum*, non differentias, ſed genera, numerumque illorum explicat: id quod ſatis oſtendit, cum proponit, ſe inueſtigaturum, quot, quive ſimplices, & compoſiti ſint morbi, tum maxime ex ipſa tractatione id patet; docet enim, quendam eſſe morbum, qui intemperies dicitur; alium, qui ex ſolutione continui, vel conformatione, magnitudine, numero, aut coniunctione vitiata conſiſtit: quæ profecto morbi ipſi ſunt, non morborum differentiæ: quippe cum ille *primo Methodi* contendat aduerſus Methodicos, id, quod per ſe conſiſtere valet, vt temperiem, & alia, quæ retulimus, differentias morbi eſſe non poſſe. *Alibi* vero *paſſim*, & præſertim *in libro de Typis*, & *vndecimo Methodi*, nihil referre dicat, ſiue genus, ſiue ſpeciem, aut differentiam, vel formam, vel naturam dicas. Qua in re mirari licet, quod alios vehementius reprehendit in eo, quod ipſe ſequitur; tanta nonnúquam vincendi auiditate commotus, vt ſui ipſius ſæpe immemor reddatur; dum eam, quam ſibi vindicat dicendi licentiam, aliis negat. Itaque nos illius imitatione genera à differentiis ſeiungimus, vocamuſque genera morborum ipſos morbos, vt intemperiem; differentias autem ea, quibus morbi inter ſe differunt, quæq; per ſe conſiſtere nequeunt: vt morbi, exempli cauſa, inter ſe differunt, quod quidam magni, quidam parui, quidam ſalutares, alii lethales exiſtant: magnum autem, paruum, ſalutare, & lethale, cum de morbo dicuntur, ſine eo conſiſtere, nec intelligi poſſunt. Porro ſi morbus cõpoſitio eſt præter naturam, & ſanitas ſecundum naturam: quot erunt compoſitiones inter ſe genere diſcrepantes, tot profecto ſanitatis, & morbi genera ponere oportebit: Sunt vero duę duntaxat, compoſitio ſimilarium ex elementis, Galeno authore, quæ temperies illarum dicitur: alia ex partibus ſimilaribus, quæ ad inſtrumentarias pertinet, quam, ſi velis, ſtructuram ſimplici nomine nuncupabis: quæ autem ad totum corpus ſpectat compoſitio, eadem genere cenſetur cum inſtrumentariæ partis compoſitione; nec tertia addenda eſt, quantum ad genera morborum tradenda attinet: vt enim inſtrumentariæ partes ex ſimilaribus certa conformatione, magnitudine, numero, coniunctione, & vnione inter ſe coeuntib. coaleſcunt, ſic vniuerſum corpus ex inſtrumentariis ipſis eodem modo inter ſe compoſitis conſtituitur. Duæ ergo ſanitates, tẽperies (ſic enim nunc ſtatuamus omnem morbum ſimilariũ ad intemperiem pertinere, quod poſtea diligentius expendemus) & ſtructura ſecundum naturam; duo morbi, intemperies & ſtructura naturali contraria. Iam vero quemadmodum ex diuerſa compoſitione duo genera morborum primo reſultant, ſic in vnoquoq; genere, ex diuerſo componentium numero alia peculiaria genera proueniunt: cum enim morbus immoderata conſtitutio ſit, quot erunt, quę ſingulam compoſitionem efficiunt, tot ſane morbos ponere oportebit, de quibus ſigillatim iam agendum eſſe puto.

Morborum genera, & Morborum differentiæ.

Morborum omnium partium ſimilarium pertinere ad intemperiem.

Duo eſſe genera morborum, & duas etiam ſanitates.

Cap. IV.

De generibus morborum ſimilarium partium.

PRoprios ſimilarium partium morbos, & omnem illorum naturam, & vim ex calidi, frigidi, humidi, ſiccique temperie prouenire, paſſim Galenus commemorat: quod quam recte ſit dictum, operæpretium eſſe duco, vt paulo diligentius expendamus: eſt enim res hæc multis difficultatibus implicata, quis enim, quæſo, ſimilarem partem male affectam non cenſebit, quam breuiorem, vel maiorem videat eſſe, quam oportet? Nam ſi vnaquæque illarum non ſolum intemperiem ex quatuor qualitatibus in ſe habet, ſed etiam certam magnitudinem, certamque figuram à natura accepit, videtur rationi conſonum, vt quemadmodum vitia, quæ ex intemperie oriuntur, ſimilaribus propria iudicamus; ſic & alia, quæ in magnitudine, aut conformatione contingunt, ad eaſdem pertinere putemus. De numero vero, & mutua con-

Partium ſimilariũ proprios morbos & omnem illorum naturam ac vim non prouenire ex calidi, humidi, frigidi & ſicci temperie.

coniunctione alia est ratio, cum hæc non possint, nisi inter plures partes reperiri; Propriam autem magnitudinem, & conformationem singulæ requirant; quamobrem si morbus constitutio est præter naturam, omnes autem eam cōstitutionem similarium damnent, in qua magnitudo, vel conformatio patitur, cur ex horum corruptione nasci in his partibus morbos non dicemus? Si præterea morbus in eo, quod est, actionis causa, ponitur, videbuntur & alia genera esse addenda: Est enim partium singularum *propria forma actionum causa, eaque a temperamento diuersa, vt philosophi omnes censent, qui temperiem a qualitatibus primis fieri; formam vero à generante, efficienteque rebus indi, immittique* docent, & ratio etiam docere videtur: Alioqui cur partes quæ eiusdem temperamenti, aut certe non multum diuersi, vt os, pilus, ligamentum, cartilago, tantopere inter se natura, & vsu differunt? Quod si ita est, cur etiam in partium forma morbos quosdam non ponimus? quinetiam ex duritie, mollitie, raritate, densitate, crassitie, tenuitate, & nonnunquam sensu & colore partium actiones lædi certissimum est, siquidem ob duritiem impressiones in partibus difficilius recipiuntur, & factæ pertinacius retinentur: qua ratione eos, qui duro sunt cerebro ad imaginationes, & formarum susceptiones ineptos, memoria autem plurimum valere credimus: & partes, quæ duriores existunt, quoniam facile flecti nequeunt; & molliores, eo quod non satis firmam naturam obtineant, ad motiones inhabiles existimamus. Galenus *In Arte medicinali* ingeniosos esse tradit, non qui exacto, aut calidiore vel frigidiore, vel sicciore, aut humidiore sunt temperamento; *sed qui cerebri substantiam tenuem ab initio sint sortiti: Contra vero ingenio tardo, & hebetes eos, quibus ea crassa contigit:* ob cutis nimiam raritatem humores immoderate digeruntur, & sudores copiosius emanant: ob densitatem vero parcius, quam expediat, corpus vacuatur; cum tunica cornea proprium colorem amisit, visioni nocet: Ob exactiorem ventriculi sensum, vomitum, singultum fieri, & alio modo illius officia turbari, docet Galenus: quæ vitia, vt in morbis instrumentariarum partium à Galeno non sunt comprehensa, sic ad similares pertinere videbūtur. Nec tamen eius generis, quales statuuntur, qui in primis qualitatibus inueniuntur; Aliud enim est actionem lædi à crassitie partium, aliud à temperamento, aliud à raritate vel densitate, aliud à calido vel frigido. Nec vero illud recipiendum est, quod recentiores putāt, in definitione morbi partis similaris, non solū ipsam intemperiem, sed etiam quod intemperiem sequitur, morbum esse. Nam imprimis contra Gal. decreta, quem omnes sequimur, tanquam huius definitionis authorem, id creditur: nusquam enim ille id asseruit, vt qui solius intēperaturæ, ex primis qualitatibus, dum agit de morbis similarium partiū, mentionē faciat. Præterea hoc pacto actionem læsam inter morbos ponere cogeremur, vtpote quæ ex vitioso temperamento ea magis quam alia, quæ retulimus, proueniat: quippe indurant, quę nec siccant, nec calefaciunt, aut humectant, vel refrigerant, quomodo duras frictiones fieri scribit Galenus, cum partes corporis manu va-

Actionum causa in singulis partib. quid.

Digressio secundu Galenum qui & tarde tardi.

A lidius premimus. At interim nihil siccitatis, aut alterius qualitatis præterquam durities corpori adiunctum putatur, alioqui cur quæ siccandi vim obtinent, corpori admota id non facerent? quod huiusmodi frictione corpori comparare studemus: quosdam etiam vidimus, quorum temperiem damnare non possis, quibus tamen assidue ob cutis raritatem sudor erumpebat. An putamus exquisitum, obtusumque sensum ex temperie nasci? à qua quæso? calida ne, vel frigida? at quot inuenimus ventriculo æque calido vel longe calidiore, vel frigidiore, qui tamen ob sensum exquisitum nihil patiuntur? nam cur non licet et calidis, vel frigidis sensum acuere, vel obtundere, & quæ natiua hoc modo sunt vitia,
B emendare? An putamus struthiocamelum vi caloris ferrum concoquere? at cur leo idem non facit, qui longe calidior putatur? vnde, quæso, eam, quam vocant Medici tenuitatem partium in medicamentis, cum inter ea reperiantur calida, humida, frigida, & sicca? cur Galenus ingenii causam, non ad temperiem, sed crassitiem, & tenuitatem, & gracilitatis venarum causam ad atrophiam *libro tertio de causis Symptomatum*, non ad primas qualitates, vt duritiem, & mollitiem reuocauit, si omnia proueniunt à primis qualitatibus? Credimus ne colores, & sapores omnes ab illis nasci? cur ergo herbæ, quæ eiusdem temperamenti statuuntur à Medicis, eundem colorem, saporemve non obtinebunt? &
C vuea oculi tunica vario colore suffulta conspicitur, quam totam tamen eiusdem temperamenti esse, nemo, nisi qui tergiuersari vellet, inficiabitur. An credimus crystallinum humorem, & gemmas eum colorem, splendorem, eam læuitatem, perspicuitatem, puritatem, & alias, quas habent insignes dotes ex mistura, & temperie quatuor qualitatum obtinere? sed à qua quæso? aut quibus notis ea deprehendi potest. Dulcia omnia à mediocri calore; amara ab immodica fieri putamus: at interim multa æque calida inuenimus, diuersis saporibus prædita, & ex frigidissimis amara, vt opium, & quædam dulcia, vt cicutam; Quod si omnia eiusmodi mala ad temperamentum reuocemus, quid formatrici relinquemus? cuius errore ea prouenire sæpe docet Ga-
D lenus, vt cum scribit *tertio de Causis symptomatum*, molliores, durioresve partes, vel vitio illius, vel materię multitudine, & paucitate, à quibus profecto crassiores, rariores, densioresque easdem quoque gigni necesse est. An non etiam morbos oriri in similaribus partibus concedit Galenus, quas ad primas qualitates minime referre possumus? quales sunt febres pestilentes, morbus Gallicus, & alii, qui maligni morbi dicūtur, & quos venena ea, quæ toto genere lethalia putantur, concitant: contra quos non calidis, frigidis, humidis, & siccis, sed his, quæ tota substantia agunt, pugnamus; quod si genus hoc medicamentorum ponit Galenus, quod à to-
E ta substantia, vel tota natura, non ob suas euidentes qualitates corporis similaris mala propellit, cur etiam non eosdem morbos in corpore statuemus, quibus illa mederi solent? alioqui profecto frustra erunt excogitata hæc alterius esse naturæ, quam alia, quorum effectus ad manifestas, primasque qualitates rediguntur. Præterea cum tria sint, quibus singularum

Sensum exquisitum & obtusum nō nasci ex temperie.

Morbos partium similarium non omnes esse referendos ad primas qualitates.

Quibus singularum partium natura constat.

larum partium natura constare videtur, *propria forma, temperies, idoneaque materia*, rationi ne videtur consonum, vt in vnoquoque illorum morbos quosdam ponamus, quorum beneficio recte valent, & recte sua officia exercent? At materiæ vitia statuamus esse si pars laxior, adstrictior, tenuior, crassior, rarior, densior, & nonnunquam etiam mollior, durior, & alieno colore infecta reddatur, vel etiã exactiore, vel obtusiore sensu sit prædita. Hæc.n. vt antea diximus, non semper temperiem sequuntur, sed sæpius etiam materiæ paucitatem, & exuperantem copiam, puritatem & sorditiem, quemadmodum sane magnitudo quoque & conformatio authore Galeno ob illius variam conditionem variant.

Vitia materiæ.

Morbi ad formam referendi qui.

Porro ad formam omnes morbi referendi videntur, qui maligni dicuntur: qui vero ad temperiem spectent, à Gale. docentur, & omnes agnoscunt eos ex primis ipsis qualitatibus pullulare. Verum enimuero si paulo diligentius rem expendamus, inueniemus profecto nonnulla ex prædictis ad partes similares non pertinere, alia vero morbos excitare proprios his partibus, ab his, quos primæ qualitates committunt omnino diuersos. Etenim quæ ex magnitudine, conformatione, duritie, mollitie, colore, sapore, crassitie, tenuitate, raritate, densitate, laxitate, & adstrictione oriuntur in partibus similaribus mala, ad illarum constitutionem non pertinent, sed forte ad instrumentarias, quæ ex similaribus conficiuntur; Nam si partes bene constitutas putamus, quæ ita sunt affectæ, vt sibi proprias actiones obire valeant, male autem constitutas iudicamus, quæ ineptam conditionem ad easdem edendas sunt sortitæ, id quod satis Galenus ostendit, cum ait, morbum esse constitutionem vitiatam, per quam agimus, & in eo: quod est actionis causa, & non in alio, quod in parte sit, eum ponendum censet: constat similarium compositionem prædictorum vitio non corrumpi, quoniam propriæ similarium actiones integræ permanent, quocunque ex illis affecto. Sicut enim magnitudo, figura, quæ in similaribus reperitur, nihil ad eas pertinere dicitur; eodem modo nec omnes actiones, quæ à similaribus proficiscuntur, propriæ illarum existimari debent: sed illæ solum, quæ ab illis, vt similares eduntur.

Actiones partium similarium quot.

Sunt porro similarium actiones quatuor duntaxat, vt alibi ostendimus, attractio, retentio, concoctio, & expulsio, quandoquidem hæ omnes similaribus sunt communes, & huiusmodi partes, quatenus similares sunt, vnam naturam obtinent, omniaque communia habere debent, & illis solum actionibus egent, quibus augeri, nutriri, & vniformem similemque demum naturam, à qua similares dicuntur, tueri queant: os enim vt similaris est pars, nihil diuersum à carne, aut ligamento, vel cartilagine obtinere debet: quatenus vero os consideratur, non iam vt similaris pars, sed vt durum, solidumque quoddam corpus, quod aliis substernitur, & quo vniuersum corpus fulcitur, intelligitur: sic profecto neruo nihil confert sensus, aut mouendi vis, vt pars est similaris, quandoquidem absque illis similaris nihilominus esse potest, sed

Similarium pars unius duplex consideratio.

A ea ratione, vt aliis partibus sensum, motumque impartiri valeat: In quo opere, non iam vt similaris, sed vt neruus & sensus, motusque instrumentum spectatur. At vt sine illis quatuor facultatibus nutriri nequit, sic nec pars esse potest aliquid, quod in corpore continetur. Quid vero intelligendum sit, cum dico, neruum, ligamentum, carnem, & alias huiusmodi partes considerari vt similares, & vt neruus, ligamentum, caro, paucis hic expedire volo; vt hæc & reliqua, quæ sequuntur, facilius intelligantur. Nam quod diuersa sit ratio ligamenti, & nerui à parte similari, nec dici illa possint, quatenus ligamenta sunt, aut nerui esse partes similares, facile docere possum. B Si enim pars similaris est, vt Aristoteles *cap. primo libri primi de Historia animalium* scribit, quæ in similes partes diuidi est apta, cuiusque particulæ idem nomen, eandemque rationem cum integra parte retinent; quo pacto ligamentum, membrana, caro, (& de quibus magis dubitandum est) arteria, neruus, vena, cerebrum, cor, partes similares ab eodem autore, & Galeno dici possunt? Siquis enim membranam definiat, dicet esse corpus tenue, densum, latum, aptum, & natum ad alia ambienda: quod non est, nec præstare potest filamentum, aut minima quælibet illius particula; si ligamentum est corpus durum, rotundum, breue, viscosum, flexile factum ad partes, & ossa potissimum inter se vincienda, quis dicet filamentum ab eo detractum, adhuc ligamentum esse? C eodem pacto si quis venam definiat, dicet esse corpus ex tenui substantia concauum, rotundum, longum, ad sanguinem continendum aptum: cuius naturæ esse nequit illius pars, minutim diuisa, vbi nulla amplius potest esse concauitas, nec vsus, nec actio, quam vena ipsa præstat: Neruum recte quis dicet esse corpus longum, solidum, exangue, motus sensusque instrumentum: cuiusmodi nequit esse exempta ab eo quælibet fibra, aut filamentum, aut exigua alia illius portiuncula; An poterit cor, & cerebrum vocari minima illorum pars, quæ nec vsum, nec actionem totius exercere valet? Quod si hæc, dum in corpore adhuc sunt, diuisa, vt nequeant præstare, quod D faciebat pars ipsa integra, non amplius partes dici possunt, tanto minus dicere licebit fragmentum, quantulumcunq; auulsum à parte, quæ amplius cum toto non est coniuncta, esse partem similarem; quomodo ergo recte dicemus quamlibet nerui, membranæ, carnis, ossis, venæ particulam esse neruũ, membranam, carnem, os, & venam, partemq; similarẽ cum nec pars sit aliquo pacto; tantũ abest, vt appellari possit pars similaris, quæ viuit, & neruus, i. instrumẽtum sensus, & membrana, i. pars apta ad alias ambiẽdas, & os, id est, pars, quæ ob duritiem alia sustinere, quæ sunt in corpore, sit apta. Equidem puto nomen partis similaris nequaquam pertinere ad partem ipsam, E sed ad partis materiam, ex qua pars conficitur; illa enim sola est, quæ nunc similaris, nunc dissimilaris dici, & in dissimilia, aut similia diuidi potest: nam vt totum non est materia, ex qua illud conficitur, sed forma, quæ resultat ex materia, siue partibus inter se certa ratione coniunctis, veluti domus non est lapides, ligna, calx, sabulum, sed forma, quæ ex materia inter se pro ratione, & forma domus cõiuncta resultat, ita pars aliud est,

Pars similaris quid, ex Aristotele.

Quid membrana.

Ligamentum.

Vena.

Neruus.

Nomen partis similaris non pertinere ad partem ipsam, sed ad ipsius materiam.

est, quam substantia, & materia, ex qua ea conficitur: est enim pars animalis, quæ potest edere aliquam actionem. Ac vt totum ipsum quod nihil aliud est, quam constitutio illa, forma & ratio, quæ ex coniunctione partium resultat, non diuiditur, sed totius materia: *sic re vera nulla pars est similaris, aut dissimilaris, sed materia; ex qua pars fit, hæc nomina, & diuisiones recipit.* Quod Aristoteles, & Galen. neruum, arteriam, cor, partes similares, & dissimilares dicant esse, ratio est, quod partem aliquando sumant pro materia, ex qua illa conficitur: perinde enim est, ac si dicant, ex similari substantia, & materia illa constare; cordis enim materiam, & substantiam dicimus esse propriam suam carnem, quæ vniformis, & sibi similis est; Sic venam ex solida, densa, tenuique, & alba substantia, & ligamentum & carné, ex propria quadam materia fieri agnoscimus: quæ cum vniformis, & vndequaque sibi similis, sit, ideo similaris, & homogenea semper cẽsetur esse: quoniam & integra, & diuisa eiusdem generis, & similis permanet; hac igitur ratione neruus, ligamentum, caro dicuntur esse partes similares; quod idem est, ac si dicas, illarũ materiam similarem esse: partem enim pro materia, & substantia illius intelligimus. Cum vero sumit partem non pro materia illius, sed pro forma, ex qua fit, vt possit edere aliquam actionem, aut vsum; tunc quælibet pars prædictarum rerum nec diuisionem in similia, nec nomen idem retinet: nam quælibet nerui pars, neruus non est, nec venæ pars quælibet, vena, nec ligamentum vnaquæq; ligamenti particula: quia nequeunt hæc fragmenta idem præstare, quod neruus, vena, ligamentum. Quæ quidem si vera sunt, vt ratio, & sensus docent vera esse, necesse est, vt fateamur, aliam esse tractationem, cum de neruo, cartilagine, aut carne agimus, vt neruus, cartilago, & caro est, ab ea, qua hæc cõsideramus, quatenus sunt similares partes; in hoc enim formã, in illo vero materiam partis exprimimus. Proinde cum dicimus, nerui, cartilaginis, ligamenti portiunculas esse neruum, cartilaginem, ligamentum, intelligere debemus particulas illas eiusdem esse substantiæ, cum vniuersa parte: non quod re vera sint nerui, ligamenta, & cartilago: cum hoc nomen absolute pronunciatum indicet, quod certam actionem, & vsum præbere potest. Ergo quæ ex simplici, vniformi, & simili substantia reuera, aut primo intuitu constant partes simplices, vniformes, & similares vocantur. At cartilaginem, ligamentum, os, similaria vocat Galenus, quod re vera talia sint: neruum vero, idest, nerui substantiam similarem vocat, quoniam etsi ex dissimili reuera materia, nempe medullari substantia, & membranis constet, tamen primo aspectu vna, & eadem substantia apparet.

Partes non esse similares, nec dissimilares, sed materiam, ex qua fiunt, talia nomina sortiri. Cur Gal. & Aristot. ner. arteri. Cor. &c. nominent partes similares.

Quomodo portiuncula neruorum, ligamentorum, cartilaginis &c. sint neruus, ligamentum cartilago, &c. Et quomodo non.

Quod si ita est, quæ posita sunt esse vitia similarium, propria illis nõ sunt, quoniam actionibus similarium partium minime nocent; pars namque similaris nihil deterius nutrietur, & augebitur, si laxa, quam si adstricta; aut rara, quam densa, vel mollis, quam dura, aut crassa, quam tenuis, vel parua, quam magna, aut bene, quam male conformata, aut denique in aliquo ex prædictis affecta. Itaque si ventriculus ob nimiam laxitatem nutrimentum exacte complecti, & felicitet concoquere nequit, id non patitur, vt similare corpus, sed vt instrumentum: siquidem complexus, contractioq; huiusmodi illi ob cauitatem, quam habet, contingit. Proprium vero alimentum, quo tunicæ illius opus habent, nihil à laxitate, aut adstrictione hac offenditur: alioqui pulmo laxissima pars pessime nutriretur: Requirit cerebrum tenuitatem, vt ingenii opera probe exerceat: at id nihil ad illius constitutionem pertinet, quatenus similare consideratur. Excretio, quæ per cutem fit, dum sudores immoderate erumpunt, cutis non est actio. Sed ea vniuersum corpus ad transpirationem tanquam instrumento quodam, vt vesica ad vrinæ collectionem, & emissionem, vtitur: quamobrem siue materiæ, siue temperamenti ratione, prædicta vitia contingant (non enim id nunc docere volumus) illud certe constat, similarium partium naturam ab illis minime labefactari, propterea quod actiones illarum integræ perstant. Atque ob id Galenus 7. *Method.* scribit, eum, qui actiones similarium tueri velit, illarum temperamentum tueri debere, & *alibi* partem similarem id esse, quod est ob certam ex elementis mixtionem, nimirum quod crederet, non solum ea ponenda esse de essentia cuiuscũque partis, à quibus constarent, mutarenturque partium actiones, sed etiam quod similares ipsæ ex solo temperamento quatuor primarum qualitatum conficerentur, propterea scilicet, quod earum actiones soli temperamento tribui debere putaret. Cui certe in hoc assentiri non possum, non ob prædicta vitia, quæ similaribus, vt ostendimus, peculiaria non sunt, sed ob malignos morbos, quos vt medicamenta, quæ venenis opitulantur, non à primis qualitatibus, sed à tota rei substantia prouenire ille etiam *passim* testatur. Si enim partem similarem intelligeremus solum materiam, & substantiam, ex qua neruus, caro, ligamentum, & aliæ, quæ similares dicuntur partes, fiunt, nullum esset absurdum: nam huiusmodi materiam similarem, tum in viuentibus, tum in aliis inueniri videmus, tanquam illam sola mistura quatuor elementorum efficiat, partem similarem intelligamus non solum, quæ constat ex simili substantia, temperataq; est ex quatuor qualitatib. elemẽtorum, sed quæ viuit agereq; & morbum pati potest, vt neruum, cartilaginem in corpore viuente, cogimur præter temperiem formam occultiorem agnoscere, ex qua fit, vt os non sit similare: id enim habet à temperie: sed vt os sit, & pars viuentis: quapropter recte *eo loco* inquit Aristoteles, rationem, qua substantia similaris est, caro, vel os, & pars viuentis non posse amplius à calido, frigido, & humido, & sicco proficisci, sed id sumi à forma, quæ inditur, inseriturque rebus à generante. Ergo partes corporis, quæ ex similari substantia constant, duplices patiuntur morbos; vnum quatenus ex elementis constant, ex quibus fit, vt similares sint & certo modo temperatæ; alterum ex forma, quã viuunt, & inter se differunt similares à similaribus, vt os, carnem, neruum, & ligamentum inter se differre videmus, vt enim quædam actiones & qualitates prouenire agnoscuntur in partibus similaribus, potissimum ab ipsa temperie, aliæ à forma; sic rationi est consonum, duo po-

Partes ex similari substantia constantes duplices pati morbos.

Compositã intemperiem duob. modis committi.

ter frigus vitiata coctione humorum sobolem procreet, sed non statim, aut non ita insigniter semper, vt humoris ratione morbosa intemperies putari debeat. Cæterum compositam intẽperiẽ duob. modis committi, vno, solis ipsis qualitatib. vincentib. alio, affluente etiã humore, in quo exuperet gemina qualitas, autor est Gal. *in lib. de Diff. morborum.* At cur hoc genus morbi, quod ex humorum collectione nascitur, tumoremq; præter naturam excitat, ad instrumentum alibi refertur, vt *eodem lib. & 1. de Causis symptomatum*, cũ inter morbos ex magnitudine prouenientes, eos recenset? id facit quidem optima ratione: Nam etsi perpetuo compositam intemperiem gignunt huiusmodi humores, propterea scilicet, quod quilibet illorum duas habet in se exuperantes qualitates, tamen nonnunquam perinde crescunt tumores, qui ab illis creantur, vt ob magnitudinem structura quoq; corrumpatur, & pars sua officia exercere nequeat: quo modo orta in articulis inflammatione partes flecti nequeunt, non tam ob intemperiem, quam ob tumorẽ excrescentem agere prohibeantur. Excitantur porro intemperies à sanguine, calida, & humida: Ab humore melancholico frigida, & sicca. Atque hæc satis de morbis, qui in intemperie poni debent.

Cap. VI.

De generibus morborum, qui in tota substantia inueniri possunt.

Morborum in tota substantia explicationem esse difficilem.

QVi exactam huius rei explicationem desiderat, id certe postulat, quod omnino fieri nequit: Nam formarum naturam, & rerum substantiam quis exprimat? quod si ex effectibus, quales illæ sint, docere velimus, eiusdem naturæ multas iudicabimus esse, quæ reuera plurimum inter se discrepant, propterea quod eadem sæpe sequuntur res omnino diuersas, & quæ inter se discrepant, ab eisdem sæpe proueniunt. At si ex causis, vt res ipsa exigeret, rem distinguere tentemus, maior etiam difficultas orietur. Nam si singula quæq; prosequimur, vt nunquam assequemur, quod quærimus, sic nec genera consectabimur: si vero ipsa genera causarum, quænã, quæso, & quot cõstitui poterunt? An dicemus, quosdam morbos ab aere ambiente, quosdam ab assumtis venenis prouenire? alios ab his, quæ extrinsecus corpus impetunt, quales sunt, qui morsu ferarum concitantur? Verum nec in hoc quidem assequimur, quod volumus, quoniã fieri potest, vt eiusdem naturæ morbos committat aer ambiens, quos & alia pariunt quæ assumuntur, & foris nocent. Nec illud etiã constat, quot genera morborum in tota substantia ab omnib. illis, & singulis causis constitui valeant; non enim quemadmodum hi, qui à quatuor qualitatibus nascuntur, octo omnino sunt, & quales sint, explicari possũt: sic cuius naturę existant, quę prædicta pariunt: diuersos namq; morbos aer pestilens gignit, nec quos possint venena facere, adhuc est compertum. At nec ex remediis genera horum morborum inueniri possunt, propterea quod eadem remedia diuersis morbis sæpe opitulantur, vt theriaca, quæ non solum morsibus ferarum, sed etiam pestilentib. morbis, quos aer gignit, & assumptis venenis succurrit: quando & nec ipsa remedia, quæ aduersus huiusmodi morbos faciunt, generib. sunt distincta, quæ nobis

A vt propria horũ morborum certo numero explicari posũt. Ad id sane pertinet quod Gal. passim scribere solet, remedia, quæ tota substantia corpori prosunt, sola experientia inuẽta, nulla ratione cõstare: quorum autẽ ratio nulla est, nec certa genera possunt esse. Quod si quis putaret, hæc genera esse, quæ tradidimus, cũ dicebamus, quædã ab assumptis, quædam ab aere ambiente, alia ab his, quæ extrinsecus nocent, sumi, errat. Possunt. n. hę forte illorum morborum esse differentiæ, ipsi autem morbi, quos quęrimus, certe non sunt; Non. n. propterea constat, quot sint genere discrepantes morbi, qui ab illis nascũtur.

Cap. VII.

B *De generib. morborum instrumentariarum partiũ.*

DIssimilares omnes partes, quę minimę, simplicissimęq. existunt, ex similaribus, maiores vero ex minorib. illis instrumentis constari, atq; deinceps ordine quodam, & progressu maiores semper ex minoribus constitui, donec vniuersum corpus tandẽ ex maximis quibusq; partibus, artubus, thorace, ventre, & capite resultet, optimus autor est Gal. Requiri autem in omnib. partibus, quæ ad instrumentorum compositionẽ assumuntur, certam cõformationem, magnitudinem, numerũ, & cõiunctionem, *idem in lib. de Diff. morborum* tradit: quod si vnionis corruptionem, de qua postea agemus, propriã quoq; his partib. constituamus, quinq; omnino hactenus resultabunt proprii & simplices his partibus

C morbi, vnoquoq; scilicet ex illis præter naturam affecto: quæ etsi recte dicuntur, non tamen propterea cõstat, omnia esse comprehensa hoc numero, quæ morbos in his partib. pariunt: si enim morborum proximæ sunt causæ, quæ constitutionem partium labefactant, huius a. generis putantur esse, quæ illarum actionib. obsunt, in primis videbuntur alia ponenda, quæ instrumenta corporis efficiant, præter ipsas similares partes; quippe cum absq; calido natiuo, nẽpe sanguine, & spiritu nulla pars sua officia exercere valeat, deinde plura, quam quinq; illa prædicta necessaria putabuntur in partibus similaribus, vt ex illis instrumenta recte cõponantur: cur enim, quæ-

D so, quemadmodum magnitudinem, conformationem, numerum, coniunctionẽ, & vnionem, sic idoneam substantiam in partibus similaribus nõ requiremus ad instrumenti constitutionem? Nam si quid ex ossibus, & carne confici debeat, fiant vero omnia vel ossea, vel carnea, mala profecto reddetur instrumentariæ partis structura, etsi alia omnia adsint, quæ à Galeno ponuntur. Quasdam præterea actiones ob duritiem, mollitiem, crassitiem, tenuitatem, laxitatem, adstrictionem, raritatem, densitatem, colorem, odorem, saporem, & deniq; reliquas, quas solemus secundas, tertiasq; qualitates nominare, lædi antea ostendimus; quæ cum ad similares nõ pertineant, proprias certe instrumentariis existimare

E oportet: quando omnes actiones omnino vel à similarib. vel dissimilarib. proficiscuntur: Quãobrem si ea de substantia partium credũtur, quæ actionibus prodesse, obesseq. possunt, cur huiusmodi qualitates, quæ noxas euidentes actionibus dissimilarium corporum inferunt, magis contemnemus, quam quę ad conformationem, aut magnitudinem, & alia prædicta pertinere di-

Partes instrumentaria quid requirant.

Morbi partium instrumentariarum proprii & simplices quot.

Ppp

cuntur: lædi vero actiones instrumentariæ partis ob huiusmodi qualitates præter naturam affectas, facile docere possumus: quæ enim præter naturam duræ, aut molles sunt factæ ad motum, & alias multas actiones, quæ citra cōtrouersiam instrumentariis propriæ censentur, ineptissimæ redduntur: Galenus, vt antea ostendimus, ad ingenii acumen obesse crassitiem cerebri, quemadmodum etiam sanguinis profusiones ob tenuitatem tunicarum vasorum cōtingere refert, *lib. 3. de Causis symptomatum*, quinetiam ob raritatem immoderatē, ob densitatem minus, quam oportet, vniuersum corpus digeritur. Ventriculum continere amplectiq; non posse alimentum dicimus, cum præter modū laxatus fuerit, propterea adstringentia ad illius robur, & coctionē conferre credimus: cæterū lædi visionem, quando cornea oculi tunica densior, quam cōueniat, aut rarior extiterit, vel alieno colore fuerit infecta, nemo est, qui non agnoscat. Nec alienum quidem est, ex sapore, fœtidoq; odore similariū partium actiones instrumētariarum corrumpi, quod Gal. etiam *in libris de symptomatis* ostendit. Hæc & similia in hac re adferri possunt, quorum quædam scriptores recentiores nullo modo attingunt, alia vero, meo quidem iudicio, male interpretantur. Nam cur sanguis, & spiritus, quēadmodum ossa, caro, & ligamenta assumi non debeant ad partium instrumētariarum compositionem, non docent, quid vero de mollitie, duritie, crassitie, tenuitate, raritate, densitate, laxitate, adstrictioneq; sentiendum sit, explicare non conantur, solius coloris mentionem facientes, quem temere concedunt morbū esse, vbi in eum, qui præter naturam est, mutatus fuerit: hac ratione, quoniam etsi temperies nō est, ex his tamen est, quæ tēperiem sequūtur. Nam si causam morbi dicerent esse huiusmodi colorem, cōdonari illis posset facilius hic error, morbus.n. nullo modo esse potest. cum ipsa non sit constitutio labefactata. Illud vero si concedamus, nō solum ipsam intēperiem, sed ēt quod temperiem sequitur, esse morbum; eadem ratione actionē læsam inter morbos ponamus, oportet, vt antea ostendimus, quippe cum ex vitioso temperamento nō minus illā, quam color partium euariet. Præterea cum morbum constituunt esse ea, quę temperiem sequūtur, similarium quoq; partiū morbum fateantur necesse est, & visionem ipsam actionem corneę tunicæ similaris partis non totius oculi: quo fiet, vt actio vnius partis à constitutione alterius vitiata primo impediatur, alioqui illorum opinione morbus non esset, quæ omnia profecto sunt absurda.

Colorem præter naturalem non esse morbum.

Ego vero aliter puto esse sentiendum: Ac inprimis sanguinē, & spiritum inter ea nō esse recensenda, quę instrumentarias partes conficiūt. Nam etsi absque illis actiones exerceri non possunt, tamen non vt partes id præstant, sed vt instrumenta, quib. natura ad vniuersas functiones vtitur: quæ autem instrumenti naturam subeūt, in omnib. reb. seiunguntur ab his, quæ res ipsas constituunt. Quod vt facilius intelligi possit, operæpretium esse duco, paulo altius rem exordiri: nam cum pars sit, quæ ad totius constitutionē facit, mirum forte videbitur, quod Aristoteles, nonnulla recenseat aliquando inter partes, quæ alibi negat partes esse. Etenim *capite secundo tertii libri de Historia animaliū*, inter similares partes, sanguinem, saniem, seuum, excrementa, pituitam, vtramq; bilem numerat: idem de sanguine scribit *capite secundo libri secundi de Partibus*. At *cap. secundo primi de Historia* inter partes animalis humores nequaquam ponit, quinetiam idem autor *cap. 6. secundi de partib.* scribit, partem omnē constare ex sanguine, tanquā sanguis pars non sit: quod aperte testatur *cap. 10. eiusdem lib.* sanguinem, inquā nullam esse animalis partem, Aristotelem secutus Gal. *passim* docet quasdam partes fieri ex sanguine, alias vero ex semine, & *in libris de Elementis*, & *alibi* humores nequaquā appellat partes, sed sensibilia corporis elementa; & merito quidem: nam si omnis pars, vt ille statuit *in lib. de Constit. artis* & *7. Meth.* & *passim alibi*, aliquam edit actionem, constat profecto sanguinem, spiritum, humorem, pilū, vnguem, adipem, & si quid aliud huiusmodi est in corpore, quod solum gignitur, nec viuit, partem esse non posse: Hanc controuersiam non est facile componere; Nam si pars est id, sine quo totū nequit esse, quo pacto animalis sanguine prediti sanguis non erit illius pars? cur etiam animalia, quæ nata sunt habere vngues, pilos, poterunt cōstare absque illis: erunt quidem forte illa animalia, sed nō ea, vt illorum natura postulat, prædita omnibus suis partibus: Hanc difficultatem non fugiunt, qui negant hæc partes esse, cōtracta suo arbitrio partis definitione. Manet.n. adhuc dubium, cur ab autoribus prædictis dicantur illa, aliquando esse partes, aliquando non esse. Mihi vero videtur ratio huius rei peti à consideratione totius: nam cū id, quod ex multis constat, diuersis rationib. considerari possit; fit, vt idem nunc sit illius pars, nunc vero minime; *Partem enim oportet esse eiusdem generis cum toto: ita vt si totum substantia sit, illius partes substantias esse sit necesse*; vt recte dicere solet Aristoteles, substantiæ partes substantias esse: si vero totum est, cuius partes consideramus, accidens, erunt vtiq; illius partes accidentia, si totū est quantum, partes illius pariter quantę: Propterea nec linea ex punctis, nec numerus ex vnitatib. constare dicuntur; eadem ratione, si totum est corpus, partes erunt corpora: *si totum viuēs, & partes viuentes: ergo pili, sanguis, humores, spiritus, vngues, partes sunt substantiæ corporeæ, quia substantia sunt, & corpora: animalis vero nequaquam; quoniam animal viuit, & non nisi ex viuentibus partibus constitui potest.* Quia igitur Aristoteles, & Galen. considerant aliquando animal, vt corpus, aliquando vero vt animal est, ideo dicunt sanguinem, & alia prædicta, nūc esse partes, nunc vero non esse: sic etiam Aristoteles docet, aliquādo partes esse formam, & materiam, non quidem corporis vel animalis, sed substantiæ; propterea inter partes animalis, & corporis, *in libris præcitatis* mentionem haudquaquam facere solet formæ, & materiæ, quod nec etiam Galenus facit, qui elementa mundi, & quatuor humores inter partes non recenset, vt qui non substantiæ aut corporis, sed animalis & hominis partes quærat: Ac multo quidem minus materiam & formam partes vnquam esse dicet: tanquam is, qui communissima rerum principia, & partes in medicina contemnat. Merito igitur sanguinem, aliosque humores & spiritum inter partes animalis, & hominis, quo-

Sanguis, spiritus, humores, pilus, vngues, adeps &c. an non sint corporis partes, cum tamen totū sine eis constare nequeat.

Sanguis, spiritus, humores &c. cur non sint partes.

rum & naturam, & compositionem quærimus, recipiendas non esse diximus. Nam ex eo, quod in parte non est fixum & stabile, nec proprium alicui, quo pacto constare potest, quod est firmum, solidum, propriamq; & diuersam ab aliis habet naturam? *Ergo humores & spiritus partes non sunt, ex quib. instrumenta corporis conficiuntur*: habent autem nunc rationem materiæ, nunc communis instrumenti, nam cum ex illis similares partes gignuntur, materia illarum sunt, & corporis elementa: cum vero suo affluxu excitāt calorem & facultates insitas singulis partibus, communia instrumenta esse cēsentur. Cæterum si omnia ex vnica substantia fiant, veluti si vniuersæ partes instrumenti, ex sola carne constent, non seruatur numerus earū partium, quas compositio dissimilarium postulat. Requiri vero in similarib. partibus idoneam substantiam, mollitiem, duritiem, crassitiem, tenuitatem, & reliquas prædictas qualitates, concedendum esse puto: nō tamen propterea noua genera morborum in dissimilarib. partibus ex illis nasci; quam poni debeāt partes similares bene affectæ in sua temperie, & substantia & reliquis qualitatibus, quæ ea, vel etiam forte subiectam materiam sequuntur. Supponamus n. in omni re materiam, cuius formam quærimus: nec materiæ vitia formæ sunt aut artificis, qui formam materiæ inducit: non. n. dicitur domus male constructa; si ex malis lapidibus, lignis, & alia materia vitiosa sit confecta; sed si in forma, quæ propria illi debet esse, fuerit erratum: tunc. n. dicimus, corruptam esse proportionem, & domum male fabricatam, quod si illius forma, & constitutio recta est, materia autem vitiata, dicimus quidem domū recte esse constructam, sed illius materiam malam esse: Vt igitur in domus, & aliarum rerum artificialium structura materiā supponimus, suis qualitatib. præditam; sic in structura instrumentorum corporis, supponendæ sunt partes similares cū illis qualitatib. quę necessario earū materiam, temperiem, & formā sequūtur: quærendū postea, quid in illis reperiatur, ex quo instrumenti, & totius forma cōsurgat, itaq; dicimus, haud quāq̄ spectari morbos, aut vitia alia, quæ à propria similariū natura, & temperie statim, vel qualitatū eas sequentiū merito proueniunt; alioqui cum ob caloris, vel alterius qualitatis excessum impeditur actio partis instrumentariæ, vt motus corporis in febribus, cogeremur profecto intēperiē ipsam, causasq; illius ad instrumenta referre, quod absurdū omnino foret. Nec vero illud nos mouet, quod ea actionē lædant partis instrumētariæ: propterea quod nō quicquid actioni partis illius officit, morbus est, sed quod constitutionis illarū natura continetur, id. n. per se actionibus obest. Nam, vt antea diximus, intemperies, motū sensum, & multas alias instrumentorum functiones offendunt, quas tamen ab illorū morbis excludimus: propterea Gal. intemperaturas crystallini humoris lædere quidē oculi functiones censet, sed tamen eas ab oculi, instrumentariæ, inquā, partis, morbis excipit. Quod si ita est, duritiē, mollitiē, colorē, & reliquas qualitates, quę temperiē sequuntur, ēt si actiones lædant, ad eas tamē partes minime pertinere putandū est. Sed vt temperies & substantia idonea similariū supponitur, cum ex illis instrumenta conflari debēt; sic & prędictas qualitates supponere oportet. Ad de quod & morbis per se medemur, eas a qualitates corrigimus, non ipsis, sed tēperaturæ adhibitis remediis. Eodē modo durities, & mollities bene temperatis similarib. partib. secundum naturā habent. Nec par est de illis, quæ est de asperitate, & læuitate ratio: Nam durities, & mollities, non mutata vehementer tēperatura, variari non posse creduntur. Asperitas vero, & læuitas, manente ēt eadem temperie, facile immutātur, vtpote quę facultatis formatricis prouidentiam sequantur, quæ eas partes læues, asperasq; in eadem tēperie, quas tales esse oportebat, efformat, cum ficciora ēt quædam ossa, quæ aspera esse oporteret si tēperaturę vim spectaremus, læuiora aliis humidioribus, mollioribusq; effecta à natura cōspiciamus. Sequitur raritas densitasq;, vel calorem, & frigus, vel materię copiā & inopiam. Itaq; si separemus à partib. instrumentariis, quæ temperiē propriamq; naturam similariū necessario sequuntur, & cōmunia omnib. actionib. instrumenta; non plura, quā quinq; relinquentur ad instrumentarias conficiendas necessaria, nēpe cōformatio, magnitudo, numerus, cōiūctio, & cōtinuitas similarium. Sic. n. domum recte fabricatā iudicabimus, cū omnes suas partes iusta magnitudine erectas acceperit; & ostia, fenestras, aliosq; meatus idoneos habet, & vbi expedit, est aspera vel læuis, & decentem figurā, connexionē & partium vnionē est consecuta. Nam ordo in cōiunctione cōtinetur, quandoquidē recta nō potest esse partiū positura, nisi certo quodam ordine singulæ partes fuerint dispositæ. Ex quib. quidem patet, similares partes materiā esse instrumentariarū; ex similariū vero magnitudine, conformatione, & ex plurib. similarib. numero, & cōiunctione, dissimilaris instrumentariæ partis formā, & compositionē resultare: *nec non sanitatē, & morbū non in omni re, quæ in parte est actionis causa, ponenda esse; sed solū in eo, quod ad cōpositionē, & formā ipsius partis pertinet*; nā cum ēt vitio materiæ, ex qua instra conficiuntur, lædātur illorū actiones, vt antea ostēdimus: certū est in his morbos dissimilariū non esse reponēdos: *sed solū in forma & constitutione, quæ instrumentis debetur*; Quippe cū morbus, & sanitas affectiones quędā sint, & forma quę materiæ addita partem constituit, intendiq; & remitti arriq; nostræ subiici possunt, materię a. plurima vitia ex primis principiis orta, nullā mutationē, nec medicinam admittant; proptera mirum non est, si aliquādo multarum partium actiones læduntur, nec tamen illis prosit medicina vlla; *quoniā ex materia indita a primis principiis vitiū est cōtractū. Est ergo morbus, vt antea supposuimus, vitiū, quod formæ, & non materiæ partiū accidit.* Est hæc quidē de his nostra opinio, quanquā non impedio, vt alii aliter sentiant. An vero, quemadmodū compositionis causæ positæ sunt, quæ ad actionem partis edendam proprie conferunt, ita omnis actio ex ipsa structura proueniat, postea expendemus, cum de effectibus morborum agemus.

Humores & spiritus quando habeant rationem materiæ & quādo communis instrumenti.

Intemperies & quæ ex ea sequuntur, non esse morbos partium instrumentariarum, etiā si nonnunquam illarum actiones impediant.

Quinque ad partes instrumentarias cōficiendas requiri.

Partes similares esse dissimilarium materiam.

Morbi partium instrumentariarum in quo sint positi.

Cur multarum partiū actionibus læsis nulla sæpe medicina prosit.

Morbus quid.

CAP. VIII.

De morborum generib. qui in instrumentariis ob formationem nascuntur.

QVOD Galenus in partibus διάπλασιν vocat, nostri nunc conformationem, nunc formam vertunt; tria autem hoc nomine

significari Galenus scribit, figuram, asperitatem, & læuitatem; cauitates, & soliditates partium, & optime quidem, cum eas partes male efformatas dicere soleamus, quæ vel peruersam sunt consecutæ figuram vel asperiores, vel læuiores; aut solidæ, vel perforatæ præter naturam sunt

Morborum genera in conformatione quot.

effectæ: quod si ita est, tria imprimis morborum genera in conformatione resultabunt: Vnum, quod in figura; alterum, quod in asperitate, & læuitate; tertium in soliditate, & meatibus consistit; Ac in singulis quidem generibus alij nascuntur morbi, tot profecto numero, quot modis earum recta constitutio corrumpi potest.

1. Morbi in figura.

Nam multis modis figuram partium variari cõtingit, siquidem quæ rectæ natura esse debent, curuari possunt, & quæ curuæ erigi, & omnes flecti, reflecti, distorqueri, inæqualiter crescere, aut minui, & quæ rotundæ nonnunquam quadratæ euadunt; & hæ alias figuras capiunt; denique tot morbi peculiares in hoc genere oriuntur, quot possunt ipsæ esse figuræ cuiusque partis. Nec illud etiam ignorandum est, figuram aliquarum partium primo, & per se, aliarum vero per accidens corrumpi: quemadmodum angustiore facto thorace pulmo figuram suam seruare nequit.

2. In asperitate & læuitate.

At in asperitate, & læuitate vnicum solum genus statuitur; exasperatis scilicet partibus: quas læues esse oportet, & illis læuigaris, in quibus naturalis conditio asperitatem requirit.

3. In soliditate & meatibus.

Cæterum in partibus, quas natura meatib. quibusdam, & cauitatibus donauit, multiplices morbi inueniuntur: vel enim plures, aut pauciores: vel latiores, aut angustiores, aut etiam penitus deperditæ sunt cauitates, & meatus: Partes vero, quas necesse est solidas esse, in hoc morbum experiuntur, cum excauatæ fuerint, meatusque aliquos acceperint, quæ quoniam exemplis aptissime à Galeno docentur, & statim etiam per seipsa innotescunt, ad alia morborum genera properabimus.

Cap. IX.

De morbis in numero partium.

INstrumentarias partes quasdam ex vna similari substantia, alias ex pluribus similarib. constare, Aristot. docet, ac in illis quidé nec sanitas, nec morbus ex numero partium consistit; in his vero duos nasci morbos corrupto iusto numero partium; quando scilicet plures fuerint, aut pauciores, quam esse deberent, omnibus constare puto, & id recte à Galeno etiam demonstratum fuit: qui in hoc tamen non placet, quod quosdam affectus ad numerum referat, qui hoc genere videntur alieni; tum quod etiam quosdam in hoc genere aliter ponat, quam conuenire videatur: etenim deficientes partes diuidit ille *in libro de Differentiis morborum* in funditus abolitas, & ex dimidio præcisas, siue mutilatas, quemadmodum si linguæ portio, vel pudendi amputetur, contendit que huiusmodi mutilationes ex dimidio factas ad numerum, non autem ad magnitudinem esse referendas; propterea, inquit, quoniam etsi magnitudo aliqua à parte demitur, non tamen vsque adeo euidens est in magnitudine vitium, vt ob id mutilatum animal

A videatur, interim tamen numerus partium sit diminutus. At ego aliter puto esse sentiendum: Nam per huiusmodi diminutiones membrum numerum suarum particularum sæpe retinet, sed breuiores omnes sunt effectæ: abscissa enim linguæ portione, quæ relinquitur, suas venas, neruos, carnem, & denique omnes partes, quib. constat, obtinet sola magnitudine diminutas, nec facit, quod totum non videatur ob magnitudinem deperditam insigniter affectum, cum totius morbus non sit, sed partis relictæ, quæ certe mutilata apparet: quod si ex dimidio factas obtruncationes inter mala, quæ ad numerum spectant, reponamus, cur etiam supercrescentem vlceribus carnem, quam ille ad magni-

B tudinem refert, in eodem genere non collocabimus? Ac etiam si quis spectet actionis impeditæ causam, inueniet profecto, vitium esse in magnitudine, non in numero: quod enim loqui nequeat, cui linguę portio periit, causa in promptu est, quod illa ob breuitatem ad omnes oris partes exeri, extendiq. nequeat: quin etiam in hoc recte sentire mihi non videtur; quod *decimoquarto Methodi* ophiasim, & alopeciam inter hos morbos ponat, qui ad numerum pertinent: quemadmodum & vitiliginem, melicerides, atheromata & steatomata: Nam si spectemus pilorum vitia, quæ in ophiasi & alopecia contingunt, symptomata erunt, si quidem illis non medemur, sed subiectæ intemperaturæ, corruptio-

Cur loqui nequeat, cui linguæ portio adempta.

Ophiasis & alopecia symptomata.

C nique humorum, quo fit, vt morbus, qui in illis reperitur, intemperaturæ sit genus quoddam, non autem in numero morbus vllus: si præterea pilos partes corporis faceremus, vel similares, vel organicas, agerent ergo aliquid: quandoquidẽ omnis corporis pars suas habet actiones: Nutrirentur igitur, vt omnes corporis partes: At ille negat *secundo de Temperamentis* pilos nutriri, sed excrementi affluxu impelli solum, & in longitudinem extendi. Vitiliginem *in libris de Symptomatis* collocat inter symptomata, quæ male peractam nutritionem sequuntur, eandem vero (vitiliginem inquam) melicerides, præterea achores, atheromata, steatomata, morbos esse scribit ex intemperie, quam parit

Pilos non nutriri.

D humoris vitium. Credit etiã *decimo quarto Methodi* carnem, quæ ab vlceribus deciditur, ad numerum attinere, quam *in lib. de Different. morborum* verius ad magnitudinem refert. Cæterũ inter ea, quæ corpori adiiciuntur, nonnulla esse toto genere præter naturam, vt lapidem in vesica, vermes, pus, grandinem, suffusionem in oculo, & quę in abscessibus reperiuntur, & deniq; (ne singula prosequamur) quæ ex substantia cõstant prorsus inutili, atq; ita corpori sunt inimica, vt non solum alterationem, aut diminutionẽ, sed integram ablationem desiderent; quædam vero ex genere eorum esse, quæ secundum naturam existunt, optime a Gal. *in lib. de Different. morborum* est proditum: qui tamen non mihi

E videtur recte vnguem oculi his annumerare, quæ dicuntur esse secundum naturam, vt sextus digitus, qui aliquib. adnascitur. Nam etsi vnguis ille similitudinem quandam habet cum vnguibus digitorum, nihilominus ex diuersa & inutili omnino materia est confectus. Itaque commodius, meo quidem iudicio, cõsistet in genere eorum, quæ toto genere naturæ contraria censentur.

Vnguem oculi non esse secundum naturam.

Cap.

Cap. X.

De morbis in magnitudine.

Morbi in magnitudine quot.

DVo prima morborum genera magnitudinis vitio in partib. corporis nasci, quilibet facile agnoscere potest: vel enim supra modum excrescit partiũ moles, vel minuitur, plusquam ratio postulat. Est autem decrementi vna ratio, cum ipsa partium substantia demitur; Altera cum partes nutrimenti defectu contabescunt. Incrementi autem etiam duplex, aucta scilicet partium substantia, additione familiaris, cognatæque materiæ; quod illis euenit, quibus præter naturam caro, pinguedoque augetur, vt de Nicomacho Smyrneo refert Galenus, & his, quibus vel lingua, vel alia pars supra modum statim ab initio excreuit, vel etiam accedente magnitudine, humoris, vaporisq; affluxu, quemadmodum inflammatæ, induratæq; partes, vel flatu distentæ exuberant vsq; adeo, vt magnitudo actioni obsit, alioqui ad hoc genus huiusmodi vitium non pertinebit, sed similarium partium erit morbus, quæ ex humoris contactu geminam contrahunt, qualem habet redundans materia, temperiem. At caro, quæ in vlceratis partibus plus iusto crescit, ad magnitudinem quoque spectat.

Cap. XI.

De generibus morborum, qui ex mala coniunctione proueniunt.

Quid in coniunctione partium spectetur.

IN coniunctione partium spectari positum, & mutuam connexionem, optime scribit Galenus; quæ enim inter se te recte coniunguntur, suo loco stare debent, & commode præterea colligati: quod si hæc vitientur, duo omnino fient morbi; vnus cum partes à suis sedibus recedunt, & peruerso ordine collocantur: alter, cum perperam colligantur. Porro in situ proprii morbi contingunt, si quod in superiore loco collocari debet, in inferiore sit positum: si dextrum fiat, quod in sinistris oportebat esse collocatum; Item si retrocedat, quod anteriorem locum desiderat; aut longius distet, quod propinquum vult esse natura, aut iaceat ad latus, quod in medio constitui debet; vel foris est, quod intus naturalem suam sedem obtinet: vt cum per vulnera thoracis pulmonis fibræ exerũtur. At in connexione morbi nascuntur cum ligamenta longiora, breuiora, crassiora, tenuiora, latiora, angustioraque fuerint, vel aliam figuram, aut aliud deniq; vitium acceperint, cuius ratione partes peruerse connectuntur. Quod si partes inter se coarticulentur, vtriusque vitio recta structura corrumpitur, & varii morbi nascuntur cum enim, quæ aliam suscipit, angustiorem habet concauitatem, aut latiorem, quam alterius conditio requirat, aut è contra male affecta est, quæ in aliam inferitur: quot erunt in singulis vitia, cuius occasione structura instrumenti corrumpatur (neq; enim omnibus eadem esse possunt, cum figura, magnitudine, multiplici alia ratione partes, quæ eisdem vinculis copulantur, inter se differant) tot plane morbi in illis resultabunt.

Cap. XII.

De morbo, qui communis similaribus, & instrumentariis partibus a Galeno ponitur.

Continui solutionem non esse morbũ, sed morbi causam.

COntinui solutionem non esse morbum, sed illius causam, antea ostendimus, atque hanc quidem non communem morbis similarium, & instrumentariarum partium, sed propriam duntaxat instrumentariis putamus: propterea nullum communem morbum simplicibus, & compositis partib. ex soluta vnione prouenire, vt Galenus putat, nobis persuademus: B Nec in hoc quidem sponte, vt nec in aliis, ab eo dissentimus, sed à natura rei admoniti, & principiis, quæ paulo antea, eo authore, posuimus, coacti; si enim morbus constitutio est præter naturam, censeanturque ea singulas partes cõstituere, quorum beneficio partium actiones, bene, maleve peraguntur, nullo pacto immediatæ, proximæque morborum causæ (de his enim agimus) morborum similarium partium esse poterunt vitia, quæ in illis ex diuisionibus, solutaque vnitate nascuntur; propterea scilicet, quod etsi partes similares per huiusmodi noxas vitiantur, illarum tamen actio, constitutioque minime offenditur. Nam quemadmodũ nemo negauerit, lędi partes similares, cum figuram suã C vel magnitudinem naturalem amittunt: non tamen ob id morbum in parte similari ea committere quispiam concedet, quoniam illius essentia, & constitutio non corrumpitur: id quod agnoscitur, quoniam actionibus huius partis huiusmodi mala non obsint; Ita cum vnio similarium labefactatur, eas quidem aliquo modo offendi certissimum est; læsionem tamen ad essentiam, & compositionem illarum haudquaquam pertinere, nec in illis morbum parere eadem ratione putandum est, quod scilicet nullum inferatur earum actionibus nocumentum: Licet & alia ratione idem probare. Si enim Galenus obstructionem venarum hepatis, non venarum, sed ipsius visceris morbum esse dicit; ni- D mirum quod venæ, vt partes similares sunt, & vt membranæ quædam aut tunicæ considerantur, propter obstructionem non impediuntur, quominus suas actiones exerceant: cur idem ex solutione continui contingere non putabimus? cum nihil ad illarum actiones vnio huiusmodi conferat, sed sola ipsa ex quatuor qualitatibus temperies: id quod, si authoritate certandum est, illorum causa, qui rationum omnium momenta contemnunt, & antiquorum scriptorum verbis ob ingenii imbecillitatem, quæ probationum vim percipere nequit, vt mancipia imperio mouentur, licet id facile probare; quod doctioribus ex his, quę superius scripsimus, cum de similarium partium morbis ageremus, patere E puto.

Actionum partium similarium causa, quæque eadem natura.

Nam Galenus *secundo Methodi* solas qualitates primas, actionum similarium partium causas esse ponit, & naturam illarum nihil aliud esse, quam temperiem *tertio eiusdem operis libro* prodidit. Omitto quod & *septimo libro eiusdem* scribit, cum, qui actionem similarium tueri velit, illarum temperiem tueri debere: quinet

sam partem similarem id esse, quod est ob certam ex elementis mistionem: in lib. de Constitutione artis, & in eo, qui inscribitur de Differ. morborum aperte testatur, & deniq; nusquam vnionem de essentia, & natura similarium vel dixit, vel probauit: at cum in lib. de Differ. morborum communem esse morbum solutam vnionem statuat, nullis profecto rationibus nititur, quæ cogant nos huic rei assentiri. Est porro ratio, qua vtitur, huiusmodi, *si quid sit secundum naturam commune similaribus, & organicis partibus, quod animanti aut functionem, aut vsum aliquem præstet, eo vitiato, communis morbus statuitur: Atqui vnitas communis est his partibus, cum ob eam vnaquæque illarum vna dicatur, & vnam edere functionem, vnumque vsum præbere: In ea ergo communis morbus ponendus.* Inprimis enim illud concedere non possumus, quod de vsu partium scribit, cum de actione solum agendum sit hoc loco, siquidem in definitione morbi vsus ab eo nõ ponitur, sed actio, & compositionis vitium ex actione, non vsu expendit: quando etiam postea læsiones, quæ actiones offendunt, morbos; quæ vero vsum impediunt, illorum causas esse putat: Deinde docendum erat, quem vsum similarib. præstet vnio, & quomodo vtriusq; partis actionibus, & prosit, & obsit. Licet namque simili argumento efficere, vt alia, quæ partes organicas citra controuersiam componere dicuntur, cõmunem morbum committunt: quippe figura partis communis est similaribus, & instrumentariis, & ob eam dicuntur illæ figuratæ: vt ab vnione, & continuitate, vnitæ, & continuæ vocantur; veluti etiam à conformatione, magnitudine, & connexione, conformatæ magnæ, & coniunctæ; & si quem vsum exhibet vnio similaribus aut alio modo confert, vel nocet, idẽ etiam illa efficiunt: Non tamen propterea in figura, conformatione magnitudine, cõiunctione cõmunis aliquis morbus statuitur, quoniam similaris partis constitutio, & actio ab illis nihil patitur. Erat ergo hoc modo dicendum, *si aliquid sit commune vtrisque partibus, quod actionis sit causa, eo vitiato, communis morbus constituitur: At ob vnionem corruptam actio vtriusq; partis læditur*; id autem probandum erat: Etenim actiones similarium partium sunt, quemadmodum antea diximus, quę naturales à Medicis dicũtur, attractio, retentio, concoctio, & expulsio, quæ quidem omnino *ex temperie* (Galeno authore, cuius opinionem hoc loco exequimur) *& mistione quatuor qualitatum* proueniunt. Nam pars vulnerata, nisi *intemperies* accedat ex humoris affluxu, *aut forma, vel substantia corrumpatur* (quod nos superius addidimus ad similares pertinere) attrahet, retinebit concoquet, & expellet, & denique nutrietur, & augebitur, non minus profecto, quam antea dum omnino erat integra, quemadmodum videmus in carnis generatione fieri, vbi non solum proba perficitur nutritio, sed etiam quod ex vulneris concauitate est deperditum, actione partium diuisarum restituitur. Nec putare quidem oportet, regenerationem hanc fieri à carne subiecta adhuc sana; nam vbi nulla amplius subest caro, vt in vulneribus, quæ ad ossa vsq; pertingunt, quid aliud stagui potest, quod carnem procreet, præter quam extrema, & labra carnis, diuisa? Ac nec pus, quod

Continui solutionem non esse morbum communem partis similarib. & dissimilarib. ex mente Galeni. Sed solum pertinere ad dissimilares.

Ob vnionem corruptam actiones partium similarium non lædi.

Actiones partium similarium quæ vnde proueniant.

A in generatione carnis prouenit, ostendit læsam esse aliquam naturalem facultatem: Nam vt in omni concoctione propria quædam proueniũt excrementa: sic pus proprium est excrementum concoctionis, quæ fit à partibus vulneratis, exulceratisque: quod cum laudabiles suas qualitates obtinet, recte peractæ concoctionis, & nutritionis, est indicium, quod si pertinacius cõtendas, impediri actiones similarium à solutione continui, repugnante ratione, & experientia, idem mihi cõcedas de aliis prædictis oportet, nempe contortum os, aut alia pars male conformata similes noxas experietur ob peruersam conformationem, his, quas solutam vnionem inferre posse putas: sic sane non minus occlusis, aut patefactis, vel alio modo vitiatis suis meatib.
B pars similaris proprias obire actiones prohibebitur, quam si diuisionem aliquam patiatur. Præterea sequeretur nũquã posse reperiri morbum ex solutione continui in parte instrumentaria, quin similares etiam ipsæ morbo affligantur. Non enim potest solui vnio partis instrumentariæ, manente integra, & sibi continua similari, quæ ad instrumenti compositionem assumitur: At Galenus ipse *ἀσυμμετρίας* morbos organicarum partium, & non similarium esse censet, nimirum, quod quæ relinquuntur partes similares, non minus exerceant sua officia, quam cum essent antea integræ; alioqui idem illud esset etiam similarium morbus: Quod si aliquod est impedimentum, quo minus actio-
C nes similarium recte peragantur, *id sane primo, & per se non continget ratione diuisionis factæ in parte similari, sed ex diuisione sectis etiam vasis, quæ materiam, & calorem in singulas partes spargunt, fiet intemperies; aut deerit materia ad nutritionem necessaria*: At hoc non est partem similarem morbo laborare in solutione continui: Ridenda vero illorum opinio est, qui credunt, noua quadam ratione persuasi, in solutione vnitatis etiam fieri morbum similarium partium: illa enim aiunt constitui ex elementorum mistione, & vnione: quæ cum vitiatur, necessario corrumpi constitutionem partium similarium, & in illis morbum fieri. Non enim de hac vnione
D elementorum agit Galenus, cum quærit id, quod commune est similaribus, & organicis, & communem in eo morbum: Sed de eo, quod continuum vocant philosophi, nam pro eodem vsurpat continuitatem, vnionem, & vnitatem) Vnio vero illa elementorum corrupta nihil aliud est, quam intemperies, aut certe rõ [illegible] in ipsa temperie morbum committit. At in ea nequit esse aliquis affectus communis partibus organicis & similaribus, quippe cum proprii sint morbi omnes in intemperie, similaribus. Quod si pro vnione, & vnitate intemperiem continuum, videbunt illi miseri quidem homines, ne dicam stupidi, quam ridicula euadat eorum ratio: dicentne vitiari continuum, quando in mistione elemen-
E torum qualitas vna aliam excedit? Atqui si illam intelligunt continui solutionem, velintque illam differre à temperie, illud certe nunquam ostendere poterunt, huiusmodi affectionem communem esse etiam dissimilaribus; ea tamen est, vt inquit Galenus, vnitas, vnio, continuitas denique, ex qua etiam similaris, tum organica pars dicitur vnita, eadem, & sibi ipsi conti-
nua,

Pus esse proprium excrementum concoctionis à partibus vulneratis.

Quomodo actiones partium similarium impediantur in solutione continui.

Vnio elementorum quid.

Morbos proprios similarium omnes esse in intemperie.

nua, apta itaq; est vulnerari, contundi, frangi, &, vt vno verbo dicam, diuidi: quæ res quantum sit diuersa à mistione, & vnione elementorum, nemo sanæ mentis dubitare potest, qui Galenum, Auicennam, & alios Medicos de hac re tractantes vnquam legerit.

Auerrois opinio, quod in solutione continui sint morbi partibus similaribus proprii, refutatur.

Cæterum Auerroes arbitratur alia ratione, in solutione continui fieri morbos partium similarium, & eos quidem non communes organicis, sed proprios ipsis similaribus: continuum enim, quod re vera continuum, primo, & per se similari parti, organicæ verò non continuum, sed potius contiguum, idq; ob connexionem similarium partium conuenire tradit: ex quo quidem sequi putat, vt in continuo consistat duntaxat sanitas, & morbus similarium: in contiguo verò dissimilarium, idq; similarium ratione. Verum errat & ille: nam *figura, & magnitudo primo, & per se similaribus competunt, per illas vero organicis, non tamen propterea sit aliquis morbus similarium partium in figura, & magnitudine, quia hæc non faciunt actionem similarium.* Contiguum à continuo Galenus in hac re non ita scrupulosè distinguit: etsi etiam instrumenta corporis beneficio similarium non solum contigua, sed etiam cõtinua sibiipsis, & vicinis membris euadant.

Figura & magnitudo primo & per se competere partib. similaribus, non tamen propterea fieri aliquem morbum similarium partium in figura & magnitudine.

Falluntur etiam alii, qui ideo continui solutionem morbum instrumenti esse dicunt, quod figuram, & conformationem illius partis vitiet: esset enim hoc modo morbi causa remota, nequaquam verò morbus, aut certè non formalis, vt aiunt, morbi causa, de qua agimus, cum dicimus in magnitudine, conformatione, calore, & frigore morbum esse: sed continui solutio *ex propria & sua ratione vitiat structuram instrumenti*; non secus quàm vitia, quæ ex magnitudine, numero, conformatione, & coniunctione similarium nascuntur in dissimilaribus. Quod si quis ipsius etiam Galeni authoritatem hic requirat, locus est apertissimus *capite primo libri secundi de medicamentorum compositione secundum locos*; vbi scribit, morbum in similaribus ex sola intemperie prouenire; eos verò qui à multitudine materiæ alicuius nascuntur, instrumentariarũ partium morbos esse: at multitudo cum dispositionem dolorificam committit, de qua eo loco agitur, non alia quidem ratione id facit, quàm quod continuum soluat: Quapropter si tunc non obest multitudo similaribus partibus, cum dolorem committit, constat profectò, nec solutionem continui illius opinione ad eas partes pertinere, etsi id aliquando, vbi negligentius rem tractat, aut noui dogmatis author esse studet, tradit. *Ergo solutionem continui nunquam morbum, cum non sit dispositio præter naturam, sed causam morbi partis instrumentariæ, quemadmodum alia vitia partium similarium, quæ in magnitudine, conformatione, numero, & coniunctione consistunt, putare oportet. In parte autem similari, quatenus similaris est, hæc vitia non sunt, nec actionem iuuant, aut lædunt, vel vsum aliquem præstant: quandoquidem nihilominus similaris pars est sana, cum diuisa est, aut male figurata, quam cum sibi continua, & rectam obtinet figuram: quicquid autem huiusmodi malum ei contingit, ad eam quidem pertinet, ratione, qua ad instrumenta componenda requiritur.* Quod si ita est, constat nullum esse morbũ communem similaribus, & organicis corporibus.

Continui solutionem non esse morbum, sed causam morbi partium instrumentariarum.

Partibus similarib. & dissimilarib. morbũ nullũ esse communem.

In hoc etiã mihi nõ satisfacit Gal. quod arteriæ totius incisionem morbũ esse contendat, tum in ipsa arteria, tũ etiam in parte instrumentaria, in qua arteria ipsa inuenitur: diuisionẽ verò portionis arteriæ, ipsius morbũ proprium ponat: quippe cum par in vtroq; sit ratio, & instrumentum patiatur ob similaris sectiones plus, vel minus pro incisionis inæqualitate: cur præterea arteriæ, vel ligamenti diuulsiones totius instrumenti, & ipsius partis similaris: apospasmata verò instrumentorũ duntaxat passiones constituat, nulla ratio suadet. Vt enim in similarium diuisione instrumentum, sic cum id auellitur, similares pati necesse est. Hæc habui quæ dicerem de morbo communi similaribus & instrumentariis partibus, quæ si quis diligenter expendet, paradoxa quidem, sed non παράλογα inueniet.

Cap. XIII.

De generibus morborum, quæ in solutione continui consistunt.

PRoprium esse morbum, qui ex solutione cõtinui nascitur, in instrumentariis partibus, nõ autem communem similaribus, & ob id quinq; & non solum quatuor esse ponenda, quibus cõstet structura instrumentorum corporis, conformationem, inquam, magnitudinem, numerum, cõiunctionem, & vnionem partium componentium, abundè probatum esse puto. Illud verò nunc sequitur explicandum, qui, quotve morbi ex soluta vnione proueniant: quod quidem ita explicatum à Galeno video, vt facile rudiores rei difficultate, & authoris varietate confundi possint. Nam nec de numero morborum idem perpetuo ille sentit, & in nominum varia significatione, magnam parit lectori difficultatem, ne dicam confusionem: etenim *in libro de differentiis morborum* quinque simplicia genera solutionis continui, vlcus, fracturam, conuulsionem, ruptionem, & auulsionem enumerat. At *quarto Methodi* ἀναστόμωσιν, id est, vasorum in orificiis apertionem, & διαπήδησιν addit: Præterea erosionem, contusionem, siue collisionem, quam θλάσμα appellat, & puncturam *in libro de constitutione artis.* Cæterum *lib. 3. de causis symptomatum* eos errare scribit, qui diapedesim causam esse putant sanguinis excretionis, & ab aliis diuersam: cum tamen *quinto Methodi* eam omnino, & distinctam ponat. Quantum vero in nominibus his euariet, vnicuique licet intelligere. Nam, vt à cõuulsione incipiamus, quam σπάσμα vocat, scribit *quarto Meth.* & *in lib. de constitutione artis*, & *de differentiis morborum*, & *alibi* sæpius, hoc nomine solutionem continui significari: cum tamen *in lib. 2. de causis symptomatum* inter motus deprauatos conuulsionem, & rectè quidem ponat: Aliud vero est motus deprauatus, aliud continui solutio. Conuulsionem præterea neruis solis tribuit *in libro de morbis*, quam *in libro de constitutione artis* ad musculorũ fibras spectare scribit: ac etiam omnem solutionẽ continui, quę in neruis sit, conuulsionem vocare, est (vt credo) nomine abuti, quippe cum ea solum ita videatur nominanda, quæ ob vehemẽtes distentiones neruorũ, quales fiunt per conuulsorios motus, contrahitur: quæ enim vulnerando nascitur, vulneris nomen accipit additione partis vulneratæ; id quod etiam *alibi* facit, cum de ner-

Quot sint genera morborum in solutione continui secundum Gal.

Conuulsionem nõ pertinere ad solutionem continui.

uorum vulneribus, & puncturis agit, & testatur apertè *initio sexti libri Methodi medendi*; vbi docet solutionem continui simplici nomine carere, cum in neruum, venam, & arteriam inciderit: Docet præterea, quomodo arcenda sit conuulsio à neruo vulnerato: quod frustrà tentaret facere, si omnis continui solutio, quæ in neruo oritur, conuulsionis nomine contineretur. Auulsionem, quam vocat ἀπόσπασμα, propriam solum instrumentorum contendit esse *in libro de differentiis morborum*, cum tamen *quarto Methodi* eam definiat esse solutionem continui in ligamento, quod *vbique alibi* inter veras partes similares recenset. At fracturam etiam vocare omnem solutionem continui, quæ accidit ossibus, impropriè admodum dictum puto: quis enim fractum os esse dicet, quod leuiter solum est vulneratum? Vlceris & vulneris nomen confundit *tertio Methodi*, cum vulneris curationem sub nomine vlceris simplicis docet: quinetiam communiter omnem solutionem, quæ in carne fit, vlcus vocari passim statuit: At *in libro de constitutione artis* quod ab erosione soluta in carne nascitur, hoc nomine appellari iubet: quod verò ex incisione, vulnus. Quod si etiam admittamus, hæc omnia rectè dicta (neque enim in hoc laboro, sed in re ipsa inuenienda) non tamen propterea constat, qui, & quot in solutione continui morbi proueniant, quod *in libro de differentiis morborum* docere potissimum susceperat Galenus: Non enim ex partibus, in quibus morbi nascuntur, illorum genera sumere debemus, sed *ex immediatis causis*, quæ eos pariunt: quod antea ipse ostendit, cum inuenit octo esse morbos in intemperatura, quoniam quatuor sunt qualitates, quæ temperiem mutare possunt; alioqui si ex partibus, & diuersis nominibus morbos quæreremus, plura profectò, & inutilia genera resultarent; quippe calida intemperies, quæ cor affligit, febris; quæ caput inuasit ex solis æstu, insolatio dici solet: At non propterea hi morbi diuersi sunt inter se generis: Itaque *vel ex propria natura diuisionis* species sumendæ, quemadmodum ille *in Methodo* facit, vbi vlcera quædam ponit esse oblonga, quædam lata, alia profunda, & quæ ex his nascuntur genera: *vel ex causis efficientibus solutionis continui proximis, & immediatis*, quod idem *eodem opere alibi* facere nititur, cum omnem continui diuisionem, vel à ruptione, vel contusione, vel erosione fieri scribit: Verum nescio qua ratione omittat secantia, siue vulnerantia: frangentia contundentium nomine vix etiam contineri possunt, cum nobis contundentia significent res graues, & duras, quæ molliores partes, vt carnem, & molliora ossa, quæ in se cedere possunt, impulsu afficiunt, & diuidunt; frangentia verò peculiariter vocentur, quæ ossa comminuunt: Ad hæc non solum dura, & crassa corpora frangendi vim habent, sed & alia nõnulla, quæ contundentium appellatione contineri nequeunt. cuiusmodi esset, si quis vtraque manu apprehensum os flectẽdo frangeret: quare nihil perpetuum ex Galeni tractatione in hac re nobis inuenire licet: id quod fortè faciemus, si rei naturam spectabimus, & expendemus ex vniuerso rerum genere, quæ diuidendi vim habent: quæ in re occurrent imprimis, quæ tenuia sunt, & ad secandum idonea, vt ensis, sagitta, deinde quæ sunt acria, & mordacia; tertio loco, quæ grauia, dura, & obtusa; Alia denium, quæ rumpendi vim habent; quæ vno genere rerum comprehendi non possunt, cum quædam replendo, quædam alio modo, omnia tamen tendendo rumpant; quod si ita est, quid obest, quo minus quatuor morborum genera simplicia statuamus in solutione continui, & singula suis, aut confictis nominibus nuncupemus: Igitur diuisionem, quam faciunt tenuia, & ad secandum propria, vulnus nuncupemus: Eam verò, quam acria committunt, vlcus, recepto etiam à Medicis vocabulo, appellabimus: quæ verò à duris, & crassis corporibus nascitur, cum generali nomine careat, mutato à specie nomine, contusio dicetur vel fractura: Demum ea, quæ fit à tendentibus, rupturæ nomen capiat. Iam verò ex diuersis causis, quæ in vnoquoque genere reperiuntur, propria quædam inferiora genera oriuntur, quæ ex partium diuersa cõditione & causarum diuerso agendi modo suis nominibus significantur: Nam diuisio omnis, quæ à secantibus in quacunque parte fit, vulnus nuncupatur, vt cum ossa, carnem, neruum, & quamcunque aliam partem vulnerari dicimus: quod etiam Galenus *octauo Methodi testatur*, cum vulnera ait inferri ab acutis, & omnino ab his, quæ ad secandum sunt habilia: Verum cum inter ea, quæ secant, & vulnerant, quædam punctim, quædam cæsim continuum soluant: quæ pungendo fit diuisio, punctura proprio nomine vocatur, ab actionis modo accepta nomenclatura, quemadmodum cum punctis neruis curationẽ, & remedia instituimus; si cæsim committatur sectio, non alio quàm vulneris nomine significatur: in ossibus capitis ἐγκοπή, διακοπή, & ἕδρα à Græcis dicitur huiusmodi solutio, quæ vel ab acuto, atque secante alio modo, fit. At si ab erodentibus continuum soluatur, vlcus communi in omnibus nomine à nobis, à Græcis ἕλκος nuncupatur: in osse autem peculiari nomine nos cariem, Græci τερηδόνα nuncupant; nonnunquam verò & vlcera ipsa erosiones vocamus, à causis erodentibus, quæ exulcerant, appellationem sumentes: quod si à rebus grauibus, & duris extrinsecus lædentibus continuum diuidatur; in partibus quidem, quæ ictui cedere possunt, & in seipsas cogi, & comprimi, contusio vocatur: sic enim carnem affectam, neruos, & molliora ossa in pueris contusa appellamus: At si duriora fuerint corpora, vt ossa; si partes illarum comminuantur, fractura nuncupatur; si leuius afficiantur, vt contusio propriè non vocatur huiusmodi affectus, sic facilè non est aliter propriè nominare. In ossibus capitis fractura, à Græcis ῥωγμή, & ῥῆξις appellatur. Cæterum si vnio vitietur à tendentibus, ruptio dicitur: At in neruis conuulsio à Galeno vocatur, etsi tamen ei diuisioni solum nomen hoc conuenire videtur, quæ à conuulsione fit, id est, tensione facta ad originem neruorum, nec id quidem propriè, siquidem (vt antea ostendimus) conuulsionis nomen deprauatum motum, non vnionis vitiũ Medicis significat; quæ autem in ligamentis, aut instrumentariis partibus à tensione fit diuisio, auulsio (si placet) nominetur; Nam quæ secando fit, vulneris, & quæ erodendo vlceris nomen

men, vt alia capit. At quæ in membranis, tunicis, & aliis partibus, quæ tendi possunt (carne, & musculis exceptis) contingit solutio à tendentibus, nullo proprio nomine est donata: Ea verò, quæ in musculis, & carne prouenit, generis nomine ruptura, & à Græcis ῥῆγμα nuncupatur. Atque hæc quidem sunt simplicis solutionis cōtinui nomina, & species: aliæ verò, quæ à Galeno nonnunquam adduntur, vel excogitari possunt; aut ex his compositæ sunt, vel ad illas rediguntur: Ac ne longius abeas ἀναστόμωσιν, id est, orificiorum vasorum apertio, si modo inter solutiones continui aptè collocari potest, cum in cauitate potius sit vitium, siquidem à tensione fiat, ruente humore magno impetu, aut copia distendente, ad rupturam redigi debet: cum verò ob acrem quampiam qualitatem intrinsecus, vel extrinsecus aduenientem erosa aperiuntur, sub vlcere continetur, & vbiq; Gal. id genus solutionis continui ob tensionem, vel erosionem nasci scribit: vnde si à vulnerantibus & pungentibus, vel contundentibus accidat orificia aperiri, propriè, eo authore, anastomosis non dicetur, sed vulneris aut contusionis appellationem cum loci affecti additione, vt alia, accipiet. Diapedesim verò inter solutiones continui *initio quarti Methodi* recenset, quam *quinto eiusdem operis libro non longè à principio* ob rarefactionem tunicarū vasorum, & sanguinis tenuitatē, atq; etiam apertionem orificii gracilium ipsorum vasorum fieri meminit: qua in re rarefacientia necesse est ponat inter ea, quæ continuum soluunt, necnon sanguinis ipsius tenuitatem, sed, nescio, qua ratione. Quod ex apertione orificiorum fiat, idem diapedesim, & anastomosim statuat necesse est: quinetiam, vt antea diximus, eos scribit *tertio de causis symptomatum*, qui diapedesim causam esse putant excretionis sanguinis, & diuersam ab aliis, cum aliter omnino sentiat *libro 5. Methodi medendi*. Quare hoc affectionis genus à solutione continui excludendum potius esse censeo. Porro ἐκχύμωσις mixtus est affectus ex contusione, & ruptione, vt *quarto eiusdem operis libro* idē tradit. θλάσις verò, quæ à nostris illisio dicitur, contusionis est species; cum scilicet concauitas aliqua à collidentis corporis ictu facta apparet, sed absque alia diuisione: θλάσμα etiam vocant nomine generis mixtum affectum ex contusione, & fractura; quando scilicet partis contusæ externa superficies non diuiditur, nec compressa apparet, interior autem multas, & paruas diuisiones patitur: Est & compositus ex his affectus, si contusa pars non solum ad interiora recedat, sed etiam in exteriori facie diuisiones quædam conspiciantur, qui quidem nullo proprio nomine est donatus: Sed hæc satis quidem de morbis, qui ex solutione continui proueniūt, & eorum nominibus, quibus significantur: quæ etsi planè perspecta non sunt, huiusmodi tamen esse puto, vt beneuolus Lector agnoscere possit, plurimū à nobis in hac re tam variè tradita fuisse elaboratum: etsi quæ relicta sunt, facile in prædicta capita redigi poterunt. Solet Galenus scribere, necessarium imprimis esse ei, qui artem aliquam methodo tradere velit, vt nomina propria singulis rebus imponat, quæ semper postea obseruet, nec cum aliis confundat, quod vtinā ipse præstitisset, quoties enim, quæso, de gene-

Ruptura. ῥῆγμα.

ἀναστόμωσις.

Diapedesim non esse referendam ad solutionem continui.

ἐκχύμωσις.

θλάσις.

θλάσμα.

A ribus, & nominibus solutionis continui agit, & perpetuo diuerso modo? At sanè præstitisset, hæc semel suo loco diligenter pertractasse certa quadam, & propria singulis appellatione, & inuariabili docendi ratione, tum ex rei natura, tum ex consueto loquendi modo desumptis: sic profectò omnibus liceret facilè intelligere: quæ nemo vnquam assequetur, qui non integram tractationem de iisdem rebus, quibus ille sparsim, nulloque ordine agit, rursus aggrediatur: quæ quidem dicta velim, non vt eum reprehendam, cui certè plurimum debemus, sed vt eos admoneam, qui in quæstiunculis, cōciliandisq; authoribus perpetuo versantur, multo meliora superesse, in quibus maiore fructu, & laude laborare B possint.

Cap. XIV.

De morbis compositis partium similarium, & dissimilarium.

Etsi obiter quædam antea attigimus, quæ ad hanc rem pertinent, & rursus *in sequenti libro*, in quo morborum differentias prosequemur, de composito morbo agendum est, tamen præsens institutum postulat, vt generali quadam tractatione qui, quotve morbi compositi, tum in similaribus, tum instrumentariis partibus oriri possint, doceamus: præsertim quod non facilè sit, ex Galeni *libro de differentiis morborum*, C in quo ex professo de hac re agit, elicere, quid author sibi velit, & quod nos nunc quærimus. Cum enim similarium partium morbos compositos censuisset eos esse, qui ex duabus qualitatibus inter se sine humore, aut cum illo iunctis resultant; nescio quo modo mutata docendi ratione, aliter statuit, eos esse compositos in partibus instrumentariis, non qui ex duabus, vel pluribus causis nascuntur, sed qui simul plures partes occupant similares. Nam si vna est compositorum morborum (quatenus sunt compositi) natura, vnam quoque oportet esse in omnibus rationem, qua compositi dicuntur, nec similarium morbos ex causis efficientibus, dissimilarium verò ex materia subiecta diiudicari, aut si D hos hac ratione, illos etiam eadem componemus: At, quæso, quos dicemus esse compositos morbos similarium? An qui plures instrumentarias occupant viciata conformatione, magnitudine, numero, coniunctione, vel vnione? Sic certè videtur sentiendum, propterea quod ex contrariis ratio sumpta iudicat, dissimilariū plurium morbos ad similares esse referendos, si similariū morbi proprii fiunt instrumentis. Quod si id videtur absurdum, nec compositi dici possint similarium affectus diuersi, qui diuersas partes infestant (siquidem iliam ad instrumentá sunt relati) relinquitur, vt vnus morbus, qui plures similares malè habeat, aut qui in vna solum consistat, compositus putetur; Atqui neu-E ter compositus dicitur, nisi gemina sit intemperies, vt ipse Galenus *passim* ostendit, quo quidem constat, non ex subiecta materia sumēdam esse compositionis morborū rationem. Quod si particularius quædam, quæ *in fine libri de differentiis morborum* de hac re scribit Galenus, expendamus, inueniemus profectò hunc compositionis morborum modū ab his principiis, quæ

Compositionis morborū rationem nō esse sumendam ex subiecta materia.

antea (eo maximè authore) posuimus, alienum: illic enim inflammationem statuit esse morbum totius instrumenti per accidens, eo quod singularum partium instrumenti sit morbus; atque ophthalmiam, quæ in vna etiam solû parte, nempe tunica oculi, quæ adnata vocatur, consistit. Idem quoque de erosione, & vlcere corneæ scribit, & denique similarium corporum morbos ex accidenti ad totum instrumentum pertinere: Ac de vlcere quidem, & erosione corneæ quid sentiendum sit, ex superioribus patere puto, vbi omnem continui solutionem ad sola instrumenta retulimus, & si illius opinionem sequamur, non per accidens, sed primo morbus est instrumenti ipsius, cum nullo alio interueniente, visio per huiusmodi affectum lædatur: *Inflammatio, si tantum crescat, vt magnitudinis ratione actiones instrumenti impediat, optimè inter morbos instrumentarios, vt antea ostendimus, reuocabitur: alioqui minimè*, vt nec alii morbi similarium: si enim in sola conformatione, magnitudine, numero, compositione, & vnione morbos experiuntur, eo authore, instrumenta; necesse omnino est, siue primo, siue secundario id fiat, eorum generû morbos esse, qui instrumenti morbi esse debent: alioqui quo modo, quæso, ex accidenti fuerit alicuius partis morbus, quod nec morbus quidem illius esse potest? An non etiam *in hoc eodem loco* sibi pugnare videtur Galenus? Nam cum primo bis dixisset, similarium corporû morbos ex accidenti ad totum instrumentum spectare, postea statuit eosdem propriè ad totum instrumentum referendos: eos verò, qui vnam quampiam partem inuadunt, & compositi sunt, vt inflammatio, per accidens fieri morbos instrumentorum. In quo etiam, nescio, qua ratione moueatur: quippe cum nihilo magis referat plures partes, quàm vnam laborare, si modo reuera sit compositus. Præterea cum illic scribit, non referre, siue quis plures dicat, siue vnum morbum totius instrumenti, diuersos morbos, qui in diuersis partibus resident, eo quod curatio non varietur: in hoc mihi videtur sui instituti obliuisci, quod est nô docere, quo modo capiantur morbi, quatenus curationem variant, sed quonam modo reuera cô-

Inflammatio quando inter morbos instrumentarios referenda & quando non.

A positi, aut simplices dici debeant: sic profectò non erat, quod laboraret in simplicib. inueniendis, quando curatio ipsa rectè instituitur adhibitis propriis remediis, siue compositos morbos nuncupemus, quibus medemur. Ac cum huius rei tractationem exactiorem se differre dicat in Methodû medendi, nec id postea præstet, quod pollicetur; facit, vt dum negligentius quædam suis locis explicat, perpetuò postea dubitemus, quo modo ea, quæ sunt variè explicata, rectè capi debeant.

Quamobrem ne diutius in his moremur, certa & perpetua quadam docendi ratione, eos côstituamus côpositos morbos tum similaribus,
B tum dissimilaribus partibus, *qui ex efficientibus morborum causis coniunctis proueniunt*; qua ratione si quis supputauerit ex complicatione quatuor primarum qualitatum, quatuor in similariû partium temperie resultabunt morbi compositi. In tota verò earum substantia non magis simplices, quàm compositi (vt credo) dici possunt: cum ignoremus, quomodo ab huiusmodi morbis partes affligantur: quoniam verò quinque sunt posita, quæ instrumenta corporis constituunt: côformatio, magnitudo, numerus, coniunctio, & vnitas, quæ omnia omnibus modis inter se côplicari valent, & omnino viginti sex, complicatis summis generibus, efficiunt mor-
C borû species, vt sequens tabula ostendit, & pentagona figura mathematica demonstratione docet. Ex speciebus verò ipsis, quæ in singulis generibus reperiuntur inter se coniunctis, certus numerus resultabit; quem facile assequetur, qui arithmeticæ omnino non sit ignarus: nec illud quidem ignoro, nonnunquam similares partes, quæ instrumentû aliquod conficiunt, & ipsum instrumentum propriis morbis simul tentari, quemadmodum cum adest vlcus, & intemperies; sed hi non compositi, sed complicati potius morbi dici debent, quandoquidem compositi, & simplices circa eandem materiam versantur, & aliud sit duos esse morbos, aliud verò morbû
D fieri compositum: de qua re *proximo lib.* ad quem iam properandum esse duco, diligentius agemus.

***

Morbi compositi partiû similariû & dissimilariû qui.

Confe-

Coniugationes morborum compositorum in partibus organicis.

Conformatio,	Coniunctio,	Magnitudo,	Numerus,	Vnio.
Conformatio,	Coniunctio,	Magnitudo,	Numerus.	
Coniunctio,	Magnitudo,	Numerus,	Vnio.	
Magnitudo,	Numerus,	Vnio,	Conformatio.	
Numerus,	Vnio,	Conformatio,	Coniunctio.	
Vnio,	Conformatio,	Coniunctio,	Magnitudo.	
Conformatio,	Coniunctio,	Magnitudo.		
Coniunctio,	Magnitudo,	Numerus.		
Magnitudo,	Numerus,	Vnio.		
Numerus,	Vnio,	Conformatio.		
Vnio,	Conformatio,	Coniunctio.		
Conformatio,	Magnitudo,	Numerus.		
Conformatio,	Numerus,	Vnio.		
Coniunctio,	Numerus,	Vnio.		
Coniunctio,	Vnio,	Conformatio.		
Magnitudo,	Vnio,	Conformatio.		
Conformatio,	Coniunctio.			
Coniunctio,	Magnitudo			
Magnitudo,	Numerus.			
Numerus,	Vnio.			
Vnio,	Conformatio.			
Conformatio,	Magnitudo.			
Coniunctio,	Numerus.			
Magnitudo,	Vnio.			
Numerus,	Conformatio.			
Vnio,	Coniunctio.			

IOAN. ARGENTERII

DE MORBORVM DIFFERENTIIS LIBER.

PROOEMIVM.

Differentias morborũ sparsim, atq; adeò variè, vt alia ferè omnia, prosequitur Galenus, vt quo loco sint illæ legendæ, & quid differentiæ vniuscuiusq; nomen nobis significet, non facilè intelligere liceat: Legas A enim apud eum, vt ex multis paucos referamus, morbos quosdã esse magnos, quosdam simplices, alios acutos, nec interim satis explicari, quid per magnum morbum, acutum, simplicem ve intelligi velit: sic nõnullos complicatos, quosdam graues, alios communes, quosdam

proprios, & denique multas alias differentias ab eo numerari senties, quarum quædam ab vno & eodem fonte manãt, aliæ à diuersis nascuntur: qua in re fontes, & generalia capita in primis poni oportebat, & doceri, quænam, & quot essent, à quibus sumerentur, & denique, quæ propriæ, & essentiales, quæ alienæ, & accidentariæ differentiæ, explicandũ. Nam contemptis generib. à quibus omnia diuidendo oriuntur, frustra infimas species, & differentias quæres. Præterea vt in diuisione febrium essentiales differentias ab accidentariis separandas esse censet, eosq; reprehẽdit, qui eas inter se miscent, vel in primis differentiis cõsistunt, tanto magis profectò id in morborum differentiis faciendum erat, & ab eo fugiendum, quod in aliis damnat, quanto communium tractatio singulorum explicatione artib. docendis est vtilior. Qui enim morbum diuidere nouit, non solum febrem, sed etiam alios omnes morbos probè diuidet; mirariq; sanè licet, quod cũ plurimæ omnino morborum sint differentiæ, genera solũ doceat *in lib. de differ. morborum*, aut certè solum eam differentiam, quæ ex materia subiecta sumitur: Nã qui dicit, morbos quosdam esse similarium partium, alios instrumentariarũ, nullam profectò aliam differentiam explicat, quam quæ ex materia, in qua morbi gignuntur, capitur, cum tamen liceat, sicut febres diuisit, sic ab essentia morborum, & aliis multis, eorum differentias ducere: id quod nos, quantũ in nobis fuerit, duce ratione, efficere conabimur. Quantum enim difficilè sit bene diuidere, docet Arist. *initio operis de partib. animalium*, tantoq; profectò difficilior nobis est diuidendi ratio, quod nemo hactenus ex antiquis scriptorib. eam satis explicare sit conatus: Aiunt quidem illi genera per suas differentias in species diuidẽda esse: At à quib. sumantur differentiæ, quod præceptum est in hac re, non docent. operæmq; in hoc versari, qui præcipuis Logicæ philosophiæq; studiis contemptis, totam vitam in aliorum placitis intelligendis, pertinaciusq; defendendis conterunt, & interim si quid definiendum, diuidendũ, resoluendum, componendumve sit, aut causæ, vel effectus rerum inuestigandi, nisi hæc ad verbũ ab illis conscripta, & expressa legerint, vnde initium capiendum sit, omni arte destituti, ignorant: Scribit Gal. *1. ad Glauconem.*

Ratio diuidendi esse difficilem.

omnes errores, qui in medicina nascuntur, ex malis diuisionibus prouenire; At pauci interim sunt, qui vnquam morbũ vel aliud quidpiã, quod ad medicinam pertineat, diuidere per omnes suas differentias tentent: hinc quæstiones, hinc dubitationes, & sophismata omnia ferè nascuntur. Trademus ergo eas differentias, quæ etsi exactæ non fuerint, si ad illorũ Logicam, & nunquam expressam diuidendi rationem referre velimus, erunt tamen arti nostræ vtilissimæ, vtpote quæ curationem variẽt: qua in re poterunt alii ab iisdem generib. alias differentias ducere, & quasdam in cõmodiore fortè genere, quàm nos fecerimus, collocare: Neq; n. omnes prosequi, sed quæ magis sunt necessariæ, & cõtinuo in ore Medicorũ versantur, methodumq; potius docere, qua alios inuitemus ad meliora excogitãda, tradere instituimus.

Vnde omnes errores in medicina.

CAP. I.

Quæ sint, & à quibus sumantur morborũ differẽtiæ.

ITaq; cum morbus sit constitutio præter naturam, quæ ab his sumentur differentiæ, ex quib. morbus definitur, proprias, &, vt vocant, essentiales meritò existimabimus: Igitur à cõpositione differentiæ sumentur. Ita n. voco, quæ orationem variare possunt, ne in essentialis nomine litigemus. Porro cõpositionis differentiæ quædam à compositionis ratione, quædam à cõpositionis causis, aliæ ab effectibus, aliæ deniq; à partibus cõpositionis ducuntur, vnde & ab his omnib. morborũ propriæ differẽtiæ fient. nec multum quidem laboro, si quis easdem duci dicat ab essentia, causis, & effectibus morborum. Nos tamen hoc loco priorem diuisionem sequemur.

CAP. II.

De differentiis sumptis à compositionis ratione.

ESt sanè morbosæ compositionis ratio, vt aliquid excedat, vel deficiat, quapropter ab excessus, defectusq; quantitate differentiæ capiuntur, quales sunt illę, cũ dicimus morbos alios esse magnos, alios paruos, quosdam etiam maximos, minimos & extremos; sunt n. hæc excessus, & defectus nomina: Est quoq; de cõpositionis huius ratione, vt id, quod excedit, vel vnum sit, vel plura, vnde morbi simplices, & compositi, & inter compositos complicati, confusi nuncupantur.

CAP. III.

De differentiis morborum à causis compositionis.

MOrbus omnis à quibusdam, ex quibusdam in subiecta materia fit, finem præterea aliquem assequitur, & quædam habet, sine quibus fieri, & proprium finem assequi nõ potest: quare meritò differẽtias quasdam capiet ab efficientibus causis, quasdam à materia, ex qua, alias à subiecto, in quo; alias à fine; & nonnullas etiam à causis, sine quibus fieri nequit.

Sunt porro inter cãs efficientes quędã ꝓpinquæ, aliæ remotæ. A propinquis ducũtur hæ differentiæ, cum morbos quosdã calidos, frigidos, humidos, & siccos dicimus, quosdã in numero, vel ma-

Differentiæ à causis efficientibus.

magnitudine, vel cóformatione, vel coniunctione, aut vnione consistere dicimus, quod scilicet à caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, numero partium, & magnitudine, & cæteris à mediocritate recedentibus excitentur, de quibus antea in generibus dictum est. A remotioribus vero, & quæ immediatas has mouent causas, plurimæ resultant differentiæ, quales sunt illæ, cum nominamus morbos biliosos, pituitosos, æstiuos, hyemales, qui scilicet à bile, pituita, æstate, & hyeme, quæ omnia vim habent calefaciendi, vel refrigerandi, vel aliquid demum ex supradictis faciendi, oriuntur. Similes sunt illis hæ differentiæ cum ab ira, mœstitia, timore, exercitatione immoderata, somno, vigilia, otio, vel labore morbos contrahi dicimus. Quoniam vero inter efficientes causas quædam sunt, quæ morbos gignunt, quædam fouent, vel augent, aliæ tollunt, ab illis quoq; differentiæ petuntur: quemadmodum cum dicimus, quosdam à causis euidentibus solùm gigni, vt diarias febres; alios ab occultis, vt putridas; item nõnullos ab externis solum causis nasci, vt vulnera; alios etiam ab internis, vt vlcera; nonnullos præterea à natura sola, alios à Medico, alios vtriusq; opera curari; quosdam ab his, quæ per se agunt, alios ab his, quæ per accidens, nonnullos ab internis solum, alios vero ab externis remediis tolli: alios à putredine, alios ab aliis causis foueri, & intendi.

Differentia à materia ex qua.

Cæterum à materia ex qua, propinqua, nascuntur hæ differentiæ, quod scilicet quidam morbi fiãt ex sanguine, vt inflammatio; quidam ex bile, vt erysipelas & herpes; quidam ex pituita, vt œdema, & scirrhi vnum genus; alii ex humore melancholico, vt cancer, elephantiasis, & altera scirrhi species. Ex remota vero materia hæ ductæ differentiæ videntur, si eosdem tumores dicamus, vel ex cibis biliosis, vel pituitosis, vel melancholicis, vel sanguinem plurimum gignẽtibus procreati.

Differentia ex materia subiecta.

At à materia subiecta nascuntur plurimæ differentię, qualis est ea, cum quosdam dicimus esse morbos similariũ partium, quosdam instrumentariarum, quosdam item particulares, quosdam vniuersales: eos ita vocantes, quod partem vnam, hos, quod vniuersum corpus infestent. Videtur etiam ad hanc differentiam pertinere, cum dicimus, quosdam communes esse, quod omnes naturas corripiant, alios proprios, qui aliquos solum potissimum inuadant. Est & propria huius generis differentia; quando quosdam morbos dicimus solidarum esse partium, qui & in habitu morbi dicuntur, quod in solidis partibus, & habitu consistant, vt hectica febris; alios in humoribus, vt febres putridas: alios in spiritibus, vt diarias vigere: Item cum dicimus, morbos quosdam esse pueriles, alios seniles, qui in pueris & senibus, vel solum, vel magna ex parte gignantur: eodem modo muliebres morbos, cutis, neruorum, capitis, cordis, ventriculi, nominamus ex propinqua, vel remota materia, in qua morbi resident, differentias sumentes.

Differentia à fine.

Iam vero à fine sumuntur differentiæ, cuiusmodi est illa, cum diuidimus morbos in salutares, lethales, & eos, qui nec solui possunt, nec suapte natura occidere.

A causis sine quibus non.

At quoniam nihil fieri potest, nisi causæ certo A modo agant, & adsit locus accommodatus, suppetatq; tempus idoneum, merito & ab his propriæ quædam differentiæ deriuabunt, vt in causis gignentibus, quando dicimus, quosdam paulatim, alios confertim gigni, quosdam primogeneos, alios secundarios, & per consensum gigni.

A causis morbos soluentibus.

In causis vero soluẽtibus morbos, quod quidam per crisim, id est, confertim factam mutationem, alii paulatim, & deniq; per sudorem, vel vrinam, aut alio modo solui dicuntur.

A loco.

A loco, in quo gignuntur morbi, sumuntur illæ à Gal. scriptæ differentiæ, cum ait, morbos quosdam esse epidemios, alios endemios, alios pestilentes, alios sparsos: etsi videntur hæ differentiæ non solum à loco, in quo proueniunt, sed B à subiectis corporibus, in quibus gignuntur, duci, vt suo loco postea docebimus. Quinetiam à loco, in quo dissoluuntur morbi, differẽtiæ quædam fieri possunt, cuiusmodi ea esset, si diceremus, nonnullos morbos in locis calidis, vel frigidis, vel humidis, alios in siccis finiri.

A tempore generationis.

At vero à tempore generationis differentiæ illæ resultant, cum dicimus, quosdam esse morbos recentes, & nouos, quosdam inueteratos, alios innatos, alios post natiuitatem ortos, quosdam in principio, alios in augmento, vel vigore, aut declinatione consistere. Sumuntur & à tempore, quo ad finẽ perueniunt, qua ratione, quosdam breues, alios longos, alios productos vocamus. Breues nempe, qui cito ad terminum suum C perueniunt: longos, qui non nisi longo temporis spatio desinunt.

A tempore durationis.

De Differentiis sumptis ab effectibus compositionis.

Cap. IV.

SEquuntur sane morbosam compositionem quædam, vt proprietates, quædam, vt accidentia. Est enim morbo proprium, quod suos mores habeat: vnde quosdam dicimus esse benignos, alio malignos. Proprium item est, quod sit vel legitimus vel spurius: hinc quidam dicuntur exquisiti, & legitimi; alii non exquisiti, & D nothi.

Morbis proprium quid.

Sunt porro symptomata, siue accidentia morbi, actiones læsæ, tum etiam qualitates corporis præter naturam mutatæ, & quæ in corpore fiunt corrupta: quamobrem ab illis omnibus non inutiles etiam differentiæ ducuntur.

Differentia in symptomatibus siue accidentibus morborum.

Ab actionibus quidem, cum dicimus, morbos quosdam esse, qui animales actiones; alios, qui vitales; alios, qui naturales lædũt; quosdam delirium, sitim, alios vigiliam, vel aliud quidpiam huiusmodi, quod vel actio sit, vel maxime cum actione coniunctum, de quibus exactius agemus, cum expendemus, quinam, & quot sint morborum effectus.

Differentia ab actionib. læsis.

A qualitatibus corporis prouenit illa differẽ E tia, cum dicimus, morbos quosdam esse, qui icterum committunt, vt inflammationes, & obstructiones hepatis; alios, qui naturalem colorem in nigrum vertunt, vt obstructiones lienis.

A qualitatibus corporis præter naturam mutatis.

Ab operibus vero capi videtur ea differentia, qua dicimus, quosdam morbos plus, quam natura postulat, excrementa retinere, vel plus, quam natura postulat, expellere, nonnullos sanguinem

Ab operibus.

corrumpere, alios pituitam, vel bilem plurimam gignere, vel aliud in corpore facere; quæ differentia etsi propriè ab actione non sumitur, cum opus spectemus, quod fit; sine actione tamen exprimi nequit. Itaque ab vtroque opere, & actione duci videbitur. Porro cum morbi effectum esse dixerimus læsionem, eo quod actiones, qualitates, & corporis opera lædat, vt ab his, quæ facit differentias accepimus, si à læsionis differentiis non impropriè resultabunt morborum differentiæ. Sumuntur autem læsionis differentiæ à modo læsionis; quædam enim vehementes sunt, aliæ languidiores: vnde morbi quidam vehementes, qui vehementer lædunt; alii languidi, qui mitius id faciunt; quo modo etiam alii graues, alii leues dicuntur. Prætèrea, cum lædere motum quendam ostendat, à differentiis motus morborum differentiæ non omnino alienæ capi possunt, qualis profecto ea est, cum dicimus, morbum esse acutum, vel tardum, cum ita vocantes, qui celeriter, hunc vero, qui tarde mouetur. Pertinent ad hoc genus illæ etiam differentiæ, quod morbi quidam sint continui, vel intermittentes, ordinati, vel inordinati, æquales vel inæquales, increscentes, vel decrescentes, vel eundem tenorem semper seruantes, quosdam redire, recidiuamq; facere; nonnullos in alios permutari, vt costalem morbum in peripneumoniam; alios immobiles, nonnullos facile moueri, vt qui ex flaua bile; alios difficile, quemadmodum qui ex atra consistunt.

Differentia læsionis. à læsionis modo.

à differentiis motus.

Cap. V.

De differentiis à partibus morbi ductis.

Demum à morbi partibus licet proprias differentias capere, quemadmodum cum dicimus, morbos quosdam quatuor partes, siue tempora habere, vt qui paulatim soluuntur; alios duo, vel tria, quales sunt, qui per crisim finiuntur: atq; hæc quidem satis de veris, & necessariis morborum differentiis, ne singula prosequi videamur: quæ vnusquisque intellectis capitibus, & fontibus, vnde ea emanant, nullo negotio inuenire poterit, quare ad accidentarias accedamus.

Cap. VI.

De differentiis accidentariis morborum.

Accidentarias differentias vocamus, *quæ ab extraneis rebus, plerumque à natura morbi disiunctis ducuntur*; quales sunt, quæ ab his sumuntur, vnde morborum nomina sunt deriuata, vt cum dicimus, morbos quosdam chironios, telephios, vt vlcera chironia, & telephia, vel regium, vel comitialem morbum: huiusmodi etiam videtur esse, quæ sumitur vel à loco, in quo vigere cœperunt, vt cum quosdam vocamus morbos Gallicos, alios Anglicos, & denique accidentarias alienasq; differentias eas esse agnosces, quæ ad curationem minime conferunt.

Accidentaria morborum differentia quæ.

Cap. VII.

De differentiis morbi magni, & parui.

A Vt summa genera morborum in suas species sunt à nobis diuisa: sic & supradictæ differentiæ nonnullæ in alias diducuntur, quas docendi ratio postulat, vt breuiter prosequamur. Præterea cum antiqui Medici negligentiores videantur fuisse in nominum explicatione, quibus morborum differentias significamus, nam diuersos morbos vno nomine, & vnum diuersis nominibus sæpe significant, atq; ita non paruam in tota medicina confusionem pariunt; operæpretium esse duco, vt eodem negotio hæc
B etiam paucis perstringamus; quo difficultatem omni ex parte studioso lectori, nostro labore, minuamus.

Ac ne longius abeamus, Morbum magnum, & paruum, quos impropriè, antiqua consuetudine, ita vocamus (quippe cum de rei qualitate quantitatis vocabulum enunciemus) non vno modo à Galeno sumi certissimum est: aliter enim sumat, oportet, cum morbi magnitudinem sanguinis missionem indicare scribit; aliter, cum morbos magnos eos vocat, qui vel maligni sunt, vel in membro nobili consistunt: Nam non omnis morbus, qui nobilem aliquam corporis partem male habet, sanguinis detractionem postulat, vt scirrhus, œdema, intemperies sicca, vel
C frigidi cerebri, hepatis, vel cordis; aut etiam calidus morbus, vt hectica febris: nec in omni maligno affectu sanguis demendus est, vt in his, qui à venenis excitati propriis antidotis, non sanguinis extractione, curantur. Nec est recipienda illorum opinio, qui hos morbos magnos vocant; sed ob virium imbecillitatem sanguinem non mitti putant; cum aperte Galenus *lib. quarto de Præsagitione ex pulsibus*, neget, hecticam febrem vnquam magnam esse posse, quinetiam docendi ratio postulat, vt semper iisdem morbi magnitudinem metiamur, quod Galenus non facit; siquidem *quarto Methodi* ob partis præstantiam, vel ob cacoethiam aut propter ipsius morbi essentiam magnos morbos fieri scribit:
D *Septimo* autem *eiusdem operis libro* ex læsæ actionis præstantia, propria affectus essentia, & facultate, quæ læsum corpus gubernat, morbi magnitudinem æstimari tradit: varius ergo est Galenus, cum de morbo magno agit; cum nec quid sit, nec qua ratione magnus censeri debeat, aperte ostendat: Sunt vero, qui definiunt morbum magnum esse, qui periculosus sit; eum autem periculosum, qui magna accidentia infert; qualia sunt, quæ Medicum terrent, vt partium imbecillitates, pulsus carentia, stupor, syncope: quorum sane opinio nō placet, propterea quod multi sunt morbi, qui huiusmodi inferunt accidentia, vt hectica febris, intemperies insignes cordis, qui quidem periculosi sunt morbi, non
E tamen magni dici possunt, quomodo dicimus morbos magnos venæ sectionem indicare. Præterea maligni morbi hac ratione magni fierent, si quidem periculosi sunt; cum tamen Galenus vbique magnitudinem morbi à more separet. Ac contingit quidem, vt qui magni sunt, periculosi etiam euadant, non tamen contra, omnes, qui periculosi, semper magni dici possunt; atque alia

Morbum magnum & paruum non vno modo dici à Galen.

Morbos magnos nonnunquam fieri periculosos.

Morbos periculosos non omnes esse magnos.

alia sane ratione magni, alia periculosi censeri debent. Ergo cum nihil adhuc in hac re perspicuum sit traditum; naturam rei consulamus, quæ omni confusione depulsa, viam facilem monstrare solet ad id, quod quærimus, consequendum.

Itaque cum magnum, & paruum comparatione ad mediocre dicantur; magnus merito vocabitur morbus, communi omnib. ratione, qui mediocritatem excedit: vnde quot sunt media, ad quæ morbus refertur, tot sane morbi magni erunt differentiæ, totq; modis morbus magnus dicetur. Atqui in vno quoq; genere, in quo excessus, & defectus notantur, media quædam statuuntur, ad quę excessus, & defectus referentes, simpliciter tale iudicamus esse, quod in suo genere maxime excedit. Hoc igitur modo morbos magnos eos vocabimus, *qui inter morbos naturam morbi maxime retinent, & in suo genere præpollent.* Est porro naturæ morbi proprium, & inseparabile, quod affligat, molesterq; corpus; vnde qui vehementer id faciunt, magni appellantur; vt idem sit morbus magnus, & vehemens; quod etiam Galeno autore facile licet probare. Etenim *libro quarto Methodi medendi*, vbi magnitudinem morbi sanguinis ablationem indicare scribit, pro magno grauem, validum, & vim magnam habentem vsurpat: quinetiam *primo, & tertio de Crisibus* ad hunc modum habet; *siue magnum, siue vehementem morbum dicas, nihil refert.* Est autem vehemens morbus, vt postea ostendemus, *qui valide, & paruo temporis spatio affligit*, quo fit, vt idem etiā sit hoc modo magnus morbus, & acutus, quemadmodum à Gal. sæpius vsurpatur, vt cum in *Aphorismis primo libri* maximum, extremum, & acutissimum pro eodem sumit, & acutum vehementemq; definit, qui valida infert accidentia, & citatum, velocemq; habet motum. Hoc sane modo morbi magni nomē vsurpamus, cum ab eo sanguinis missionem indicari tradimus: cum enim validus sit, velociterq; moueatur; valido, & velociter succurrere potenti, cuiusmodi est venæ sectio, remedio opus habet: qua ratione etiam tenuissimum victum ægris iniungendum esse dicimus, cum morbi sunt maximi: quamobrem, nec hydrops, nec febris hectica, vel cordis intemperies sicca, aut hepatis scirrhus, magni simpliciter morbi censentur, etsi in principe parte consistant, & periculosi iudicentur, propterea quod validam vim non habent, aut si validam, non certe citā; hoc modo peripneumonia, pleuritis, angina, phrenitis, apoplexia magni morbi intelliguntur. Illis enim venæ sectio, tenuisq; victus ob vehementiam conuenit. Vna est hæc morbi magni significatio, quæ & vera est, & maxime propria Galeno, qua etiam metimur morbos magnos, qui in vnaquaque specie inueniuntur: Nam quemadmodum in ipso genere morborum medium quoddam statuitur; sic in vnoquoque genere, qui maxime excellunt, vel infra medium subsistunt, magni, paruique esse dicuntur: quo modo magnam febrem, magnam inflammationem, & paruam ad id, quod mediocre in febribus, & inflammationibus est, respicientes, appellare solemus.

Alia vero est significatio, & differentia, quæ respectu virium sumitur: cum enim vires nostri A corporis morbum ferant, & cum eo contendant; qui eas excedere videtur morbus, magnus dicitur. Qua ratione morbus magnus vsurpatur à Galeno, cum eos magnos vocat, qui partem principem occupant, vel maligni existunt, aut suapte natura in vniuerso genere morborum, magni: Est namque hæc latissima morbi magni significatio, cum magnum pro eo, qui plurimum à naturali mediocritate recedit, tunc vsurpemus; quo pacto scribit Galenus *primo ad Glauconem*, ad tantam magnitudinem morbos peruenisse, quantum vnusquisque à naturali suo statu recessit, quo significatu magnus pro periculoso capitur; periculosus enim est, *qui plurimum à natura sua hominem distrahit*, qualis vt plurimum B est, qui in membro nobili consistit, & qui suapte natura magnus, qui malignus, quique facultates nostrum corpus gubernantes, aut præstantes, præcipuasque actiones labefactat: quippe cum natura huiusmodi morbos non facile vincat, sed sæpius illis, dissoluto robore, succumbat. Cæterum virium nomine non solum corporis, sed etiam medicinæ vires intelligere oportet, in his scilicet morbis, qui non tam naturæ opera, quam artis nostræ beneficio curantur: Eos namque magnos optime vocabimus, quemadmodum Aetius Cappadox Elephantiasin maximum morbum appellabat, eo quod omnium remediorum vim contemneret, & excederet: sumi autem his modis morbum magnum, nec plures esse, illius differentias ex Galeni *libro de totius morbi temporibus* aperte intelligere licet, C vbi scribitur: *Morbum magnum capere oportet, cum supra vires nostras fuerit, vel propria substantia magnus*, vt homo, vel equus magnus: Propria autem substantia magnum intelligas oportet, ac si dicas in genere suo, quod satis ostendit, cum ait, *vt homo, equus magnus*, qui tales dicuntur, eo quod in genere suo magni existant: diuersa tamen quædam est in his magnitudinis ratio: Nam hominem magnum, aut equum solum vocamus, quando iustam eam mediocritatem, quæ medio sui generis debetur, exuperat; *magnum autem morbum* vocamus, non solum, qui ob excedentes, sed etiam deficientes causas morbosas à mediocritate sua recedit. D Vt autem in his, qui alio modo magni dicebantur, qui maxime excellit, maximus censebatur, sic nunc qui plurimum abest à naturalis status mediocritate, maximus est putandus: qua ratione magna symptomata à magno morbo, & maxima ab eo, qui plurimum excellit, naturamque distrahit, prouenire passim scribit Galenus: Illud tamen probare non possum, quod cum ille *quarto Methodi* de venæ sectione agat, & eam morbi magnitudinem quærere deberet, quæ sanguinem demendum indicet, quæ scilicet ex propria essentia morbi sumitur, de alia etiam mentionem faciat, quæ virium collatione dicitur; nec distinguat, quinam ex morbis magnis E eo remedio opus habeant, sed absolute pronunciet, morbi magnitudinem id esse, quod venæ sectionem monstret. Hinc sane illæ contentiosæ disputationes, quæ passim de venæ sectione in scholis agitantur, dum nonnulli contendunt, omnem morbum magnum huiusmodi remedium postulare, sed repugnare aliquando vires, quæ cum huiusmodi morbis, vt hectici

Magni morbi respectu virium.

Elephantiasis quemodo sit morbus magnus.

Magnum propria substantia quid.

febre, infirmæ subsunt. Alii vero aliter sentiunt, omnes certe Galeni varietate confusi: qui tamen (vt nos ostendimus) vera præcipit, si modo intelligamus, duas apud eum esse morbi magni differentias; *vnam, quæ idem sit cum vehementi, quæ indicatrix est venæ sectionis; aliam, quæ nobis idem, quod periculosus morbus significet*, quinetiam in eo mihi deficere videtur Galenus, quod non omnia enumeret, quæ morbum magnum reddunt; neque enim solum ob partis præstantiam, malignitatem, & magnitudinem affectus, sed etiam ob causarum vim morbi magni fiunt: quemadmodum qui cum multitudine humorum laborant, ob humoris exuperantiam periclitantur. Male præterea meo iudicio magnum suapte natura morbum ex vrinis oleaceis, sputis perniciosis, & denique signis aliis lethalibus dignosci scribit *in libro de Temporibus morborum*: quandoquidem hæc non magis eum, qui suapte natura, quam qui virium ratione magnus est, aut malignum ostendunt. Postremo eos vocare magnos, qui ex cacoethia consistunt, est magnum cum maligno confundere, quos inter se distinguere plurimum refert. Atque hæc satis de morbo magno, & paruo ex Galeni opinione, quanquam tamen paulo latius, meo quidem iudicio, magni morbi, quam acuti natura sese extendere debet, si quidem ossium crassiorum fracturas inter morbos magnos statuimus, qui tamen acuti esse nequeunt, nimirum quod antequam perfecte sanentur, acutorum terminum excedant, quare magnos vocarem, *qui vim magnam obtinent, siue cito, siue tardius soluantur*, etsi vt plurimum cum magnitudine celeritas coniuncta est: alioqui si magnos eos vocemus, qui simul insigniter & paruo temporis spatio infestant, differentia ea prætermittitur, qua morbi continentur, qui valide, & nullo tempore præscripto affligunt: præsertim, cum Galenus ita etiam sumere videatur, cum vehementes pulsus à magnis distinguit, nec ita magnos vt morbos vocet. Pertinet ad hanc opinionem, quod ille scribit *lib. 7. de Compositione medicamentorum per genera*; inflammationem magnam vocari, vel ob ipsius insignem tumorem, vel ob partis inflammatæ magnitudinem: ex quo quidem loco colligimus, non solum magnos à vehementibus differre; (siquidem inflammationes, scirrhi, qui vel hoc, aut illo modo magni ponuntur, longius progredi possunt,) sed etiam eos, qui oriuntur in partibus, peculiari alia ratione, magnos censendos esse, quod scilicet magnam aliquam partem occupent.

Duas apud Galenum esse morbi magni differentias.

Et quæ inter illas requirat venæ sectionem.

Magni morbi cognitio ex vrinis.

Morbi magni secundum naturam.

Cap. VIII.

De morbo æstiuo & hyemali.

Æstiuos morbos intelligunt Medici tum eos, qui in æstate gignuntur, quemadmodum Hippocrates æstiuas quartanas vocat, quæ æstate nascuntur: tum qui proprii sunt æstati, conueniuntque cum illius temperie, vt tertianas febres æstiuas nuncupamus, quod à bile flaua fiant, quæ æstate potissimum viget, committendique huiusmodi morbos propriam vim habet: vulgus etiam æstiuos videtur vocare morbos, qui æstate finiuntur, vt cum æstiuam quartanam appellat, quam existimat non prius solui posse, quam ad æstatem peruenerit. Sic hyemales, vernales, & autumnales intelligere oportet; quanquam etiam autumnales ad similitudinem eorum, qui autumno gignuntur, vocantur omnes, qui sunt inconstantes, & incerti, vt in eo Aphorismo Hippocr. *Quando eadem die modo calor, modo frigus, autumnales morbos expectare oportet.*

Cap. IX.

De bilioso, & pituitoso morbo.

Biliosum, pituitosumque morbum vocamus, qui à bile, pituitave prouenit, quo modo cholericam passionem, & tertianas febres biliosos morbos appellamus. Dicitur & biliosus, in quo bilis redundat, veluti cum ex obstructione hepatis ob crassos, viscidosque humores facta, occlusisque meatibus, per quos bilis expurgari consueuit, ea in vniuersum corpus effunditur, aut ad ventriculum, intestinaque transmissa, vomitione, aut alui deiectione excernitur. Eadem sit ratio de melancholico, sanguineoque morbo.

Cap. X.

De morbo communi, vniuersali, particulari, & eorum differentiis.

Etsi communem morbum pro vniuersali, & è contra vsurpamus, tamen proprie vniuersalem vocabimus, *qui vniuersum corpus infestat*, quemadmodum cum dicimus, febrem vniuersalem pro eo, quod est totius corporis morbum esse; Inflammationem autem particularem. Communem vero ad Græcorum imitationem, qui πάγκοινα, & κοινὰ νοσήματα huiusmodi morbos vocant, definiemus, qui multos inuadit; simpliciterque communes hi dicuntur: cum vero febrem communem morbum esse dicimus, non simpliciter, sed corporis adiectione id facimus. Docet etiam differentiam inter communem, & vniuersalem morbum, quod illis opponitur: Nam communibus morbis σποραδικὰ, id est, sparsos, non particulares opponunt Græci. Vt ergo communes morbi sunt, qui multos inuadunt; sic sparsi separatim, sparsimque homines apprehendunt. Porro communium morborum quidam ἐνδήμια, quos interpretes publicos vertunt: alii ἐπιδήμιοι, siue ἐπιδήμια, qui vulgares appellantur. Definit autem Galenus ἐνδήμιοι eos esse, qui semper tenent locum quempiam, vnde à quibusdam vernaculi, & patrii nostra lingua dicuntur: ἐπιδήμιοι autem vocat, qui tempore anni aliquo, in regione aliqua grassantur, quorum qui perniciosissimi sunt, multosque occidunt, pestilentes vocantur morbi: Differunt autem endemii, ab epidemiis, quod illi perpetuo eandem regionem obsideant, hi vero minime, tum quod vniuersum epidemiorum morborum genus causam habeat aerem ambientem, non ex loci ratione, sed potius ex cœli statu infectum: endemii vero ex aere patrio, vel etiam ex aquis, quibus regio tota vtitur, nascantur, ita quidem videtur sentiendum Galeno authore *in libro primo de Morbis vulgaribus*, & de

Morbus vniuersalis proprie quis.

Communis.

Morbi sporadici.

Differentia communium.

Endemici siue vulgares.

Epidemici.

Epidemiorum causa.

Endemiorum.

Victu morborum acutorum, etsi non satis exprimat, quonam modo hi morbi inter se differant; ex omnibus tamen locis colligo epidemios, & endemios id commune habere, *quod sine discrimine omnis ætatis, & naturæ homines pariter inuadant*, vtpote, qui ex communi causa proueniant: In hoc vero eos differre, *quod epidemiorum causa semper sit aer, aliorum autem ea etiam, quæ toti regioni sunt communia*, communis victus, vt cibi, & aquæ præsertim communes. *Præterea quod proprius sit loco aer, qui endemios committit; alienus vero, & aliunde corruptus, qui epidemios facit. Adde quod endemii lethales esse non solent, vt epidemiorum genus, quod pestis dicitur.* His omnibus opponuntur sporadici, qui sparsim, priuatimque ægros discrepantes præhendunt, neque secundum communem aliquem modum consistunt.

Quid endemii & epidemii habeant commune & in quo differant.

Morbi sporadici.

Cap. XI.

De morbo in habitu.

Morborum in habitu duplex vsurpatio.

MOrbum in habitu dupliciter vsurpant Medici; vel enim intelligunt eum, qui habitum corporis occupauerit, vel qui difficile iam remoueri possit, qua ratione hecticam habitualem (si ita loqui liceat) febrem nominamus; tum quod in habitu corporis consistat, tum quia stabilis, solutuque contumax, quemadmodum qui habitum iam contraxerunt. Porro corporis habitum hic intelligere non oportet partes, quæ primum oculis subiiciuntur, nempe carnem, & musculos, qui omnia ambiunt ossa, quo modo Galenus aliquando, vt *in Arte Medicinali* sumit: Non enim solū exteriores illæ partes, sed etiam interna viscera in hectica febre male habent, sed quemadmodum ille scribit *libro primo de Differentiis febrium*, habitus corporis nomen, nobis significare solidas partes; hic quoque intelligendo solidas partes, non solum vere solidas, quas ex semine constare ille putat, sed omnes, quæ humoribus sunt solidiores; quo modo dicimus, corpus nostrum constare ex spiritibus, humoribus, & partibus solidis.

Cap. XII.

De morbo proprio, & improprio.

QVemadmodum ἴδιον πάθος, id est, propriam passionem vocat Galen. *libro primo de Locis affectis*, quæ ita iam stabilis est, vt ablata causa, quæ eam excitauit, permanere possit, & proprie affici partes dicit, quæ proprio affectu hoc modo laborant: sic vno modo licebit proprium morbum appellare, *qui ita iam firmatus est, vt remota causa, a qua primum est procreatus, persistere valeat*; Alio modo proprium morbum dicimus, *qui nulli alteri potest contingere*, vt intemperiem proprium morbum similarium vocamus, vt visionem propriam esse actionem oculi, quod à nulla alia parte edatur. Appellat & in hoc significatu signa propria Galenus *in libro de Differentiis febrium*, cum quædam inditia illarum ait propria esse, alia inseparabilia, quædam vero communia, & separabilia alia. Posset etiam quispiam iis, qui sunt multis communes, proprios opponere, quos Græci potius ἀνεξαδικοὺς vocant.

Propria passio quæ.

Morbi proprii.

Intemperiē esse morbum proprium partium similarium.

A Sic ergo improprios vocabimus, *qui* (veluti Archigenes dicebat) *sicut vmbra cito transeunt*, quos alio nomine *libro secundo de Victu acutorum morborum* incompletos, vt stabiles completos nominat Galenus: vel quia alios infestare valent, quales in partibus per genera distinctis nulli reperiuntur: quippe cum similarium partium morbi, nunquam ad instrumenti pertineant, aut è contra; in corporibus vero ipsis id cōtingit; quemadmodum cum tertianam nō proprium esse morbum pituitosis corporibus, sed biliosis dicimus.

Morbi improprii.

Cap. XIII.

B

De salutari, & lethali morbo.

SAlutares eos vocari morbos, in quibus certo speratur salus, aut vt plurimum ad salutem soluuntur; lethales vero, qui vel semper, aut magna ex parte perimunt, omnibus patere puto: quemadmodum etiam, quod illi dubii intelligantur, quorum euentus est incertus. In hoc tamen non placet Galenus, quod duplicem solum finem, salutem, & mortem omnibus morbis constituere soleat; tertium enim quoddam genus est, quod nec occidit, nec vnquam sanatur; cuiusmodi est elephantiasis, & in nonnullis calculus, podagra, morbus Gallicus, comitialis morbus, destillationes in senibus, quemadmo-
C dum optime Hippoc. admonuit *in Aphorismis*; hoc genus morbi senes ad mortem comitari: triplex ergo finis morbis omnino statuendus; quod si interim quidam sunt, qui in alios terminentur, vt lateralis morbus in peripneumoniam, & hæc in phrenitidem, & ipsa etiam phrenitis nonnunquam in lethargum; omnes tamen tandem vnum ex prædictis finem consequuntur.

Morbi dubii inter salutares & lethales.

Morborum finem esse triplicem.

Cap. XIV.

De morbo, qui per crisim soluitur.

MOrbos, qui paulatim soluuntur, nullo peculiari nomine donarunt Medici antiqui: Eos autem, quos criticos, & per crisim solui di-
D cunt Græci, vertunt nostri interpretes morbos, qui subito finiuntur, sed male; cum crisis non solum subita, sed magna etiam sit, Galeno autore, in morbo mutatio; quod ostendit, quando crisim definit esse mutationem ἀθρόαν, id est, magnam, & repentinam, sic enim verbum Græcum explicat tum *alibi*, tum *in primo de Causis symptomatum*: Carent ergo proprio nomine, qui subito finiuntur morbi sine magnitudine: Ac in hoc quidem Galenum probare non possum, quod crisim negligentius definiat: Non enim omnis mutatio magna, & subita, quæ in morbis contingit, Crisis appellari potest; cum postea dicat, crisim omnem subsequi, vel excretionem, vel abscessum, illiusq; autorem esse na-
E turam, facultatemque excretricem: fiunt enim magnæ aliæ, subitæq; mutationes in morbis alio modo, vt cum sanguis in febribus synochis vsq; ad animi defectum, iubente Medico mittitur, vel statim moritur homo ex vulnere, aut apoplexia, vel alio modo confertim absque naturæ opera, & excretione dissoluitur corpus: Ergo cum solutiones, mutationesque in morbis, aliæ

subito, aliæ paulatim fiant. & illæ aut cum vehementia, vel sine vehementia: & rursus quæ vehementes existunt, vel à natura cum excretione, vel abscessu, & in pueris etiam per coctionem, vel ab alio fiant, eas quidem, quæ à natura peraguntur, crises vocabimus, præsertim si cum excretione, vel abscessu contingant. Nam per coctionem vix aliquid subito mutari potest; aliæ vero simplici nomine carent. In hoc etiam non videtur Galenus seruare sua principia; cum enim crisim magnam subitamque mutationem definierit esse, postea tertianas exquisitas, qui certe morbi non sunt magni, nec magnas mutationes facere possunt, *primo ad Glauconem*, & alios leuiores morbos *alibi* per crisim finiri scribit.

Quid secundum autorem.

Cap. XV.

De morbo breui, & longo & producto.

Breuem morbum vocari, qui cito finitur, docente hoc nomine ipso, omnes nouerunt: At non omnes definire possunt tempus, quod excedere non potest morbus, qui breuis esse debet: sed soli Medici, qui breues eos statuunt esse, *qui intra quadraginta dierum spatium terminantur*: Eos autem longos censendos putant, *qui vel ipso quadragesimo die desinunt, aut vltra progrediuntur*. At vero productos, siue extensos, quos Græci vocant παρατείνοντα, morbi intelliguntur, *qui in suo genere accessiones habent exquisitis morbis longiores*; quo modo tertianam productam, testante Galeno *libro secundo de Differentiis febrium*, vocamus, cuius accessio tempus accessionis exquisitæ tertianæ excedit: vocat & Galenus quosdam affectus nunc breues, nunc longos, vt cum apoplexiam 47. *Aphorismo sexti* inter longos morbos recenset, quam inter acutissimos alibi collocat; id autem facit, quod aliquando accessionem horum morborum spectet, quæ sane breuissima est, aliquando dispositionem ipsam, quæ non nisi longo tempore finiri solet.

Morbi breues.
Longi.
Producti siue extensi.

Cap. XVI.

De morbo benigno, & maligno.

Morbum malignum, quem Græci κακοήθη vocant, definit Galenus *libro primo Prorrheticorum* eum esse, qui cum periculum vitæ minetur, spem tamen salutis non adimit; sed meo quidem iudicio non bene: Etenim magni periculum etiam portendunt, vt magna febris, magna inflammatio, quæ omnino sunt cum periculo, spem tamen salutis (quantum in se est) non tollunt: Alibi vero malignos morbos appellat, qui omnibus rite, decenterque factis, non tamen sanantur, quomodo vlcera maligna *quarto Methodi* vocat: At cum Medicus prænoscere debeat, antequam curationem aggrediatur, qui benigni, malignive sint affectus, necesse profecto est, ex his definitionem moliri, quæ statim cum ipsa natura morbi sunt coniuncta, non ex aliis, quæ temporis spatio eueniunt: vsurpat etiam nonnunquam malignum pro vehementi; cum *octauo libro Methodi medendi* ab media febres in biliosis corporibus malignas

Morbus malignus quis secundum Galenum.

A reddi scribit, pro eo, quod est vehementes, & acriores; Cæterum *libro primo de medicamentis per genera* ad hunc modum scribit: *Vlcera quæ ex humorum confluxu, vel multorum, vel acrium oriuntur, sine eo, quod locus affectus huiusmodi tam dispositionem habuerit, vt licet bonum sit, quod influit, tamen ipsum corrumpat, dysepulota nomino; quæ vero dictam dispositionem iam obtinent, præcipue vocabulo cacoethe appello.* Contra vero *initio libri quarti, eiusdem operis*, his, quæ ob influentes humores cicatricem ægre admittunt, sine nomine relictis, ea pariter vocat dysepulotica, & cacoethe, quæ ob locum affectum, humores ipsos corrumpentia, cicatricem haudquaquam recipiunt. Postea tamen, vbi de emplastris ad vl-

Vlcera dysepulota.
Vlcera cacoethe.

B cera maligna ab Andromacho scriptis agit, admodum maligna vlcera vocari censet, quæ vel in parte male affecta consistunt, aut quæ ex prauo succo influente proueniunt, eroduntúrque, tanquam hæc ab his differant, quæ difficile ad cicatricem perducuntur, quibus nihil sane relinquitur, si vtrumque affectum ex parte laborante, & humoris confluentis prauitate, maligna vlcera sub se contineat. Ac profecto nemo est (vt puto) sanæ mentis, medicinæque peritus, qui non agnoscat, multa negligentius à Galeno fuisse scripta. Cum enim, nihil frequentius in ore habeat, quam maligni, benignive morbi nomen, vt cum febrem malignam, vlcera, & alios deni que morbos, benignos, malignosque no-

C minat, & morem morbi (quo nomine malignitatem, benignitatemque comprehendimus) à Medico, si quid aliud, dignosci debere præcipit: oportebat sane diligentius eum alicubi docere, quid his nominibus intelligendum foret, nec rem eandem nunc vno modo, nunc alio vsurpare. Nam qua ratione, quæso, maligna vlcera, aliquando ex curatione & euentu, aliquando vero ex causis & dispositionibus definiemus? cur malignos affectus cum aliis confundit? Cur aliter vlcera, quam febres, aut aliud morbi genus maligna nuncupabimus? cum eadem debeat esse definitio, vt idem est nomen, eademque natura? quatenus maligna esse censentur? quamobrem alii conati sunt hæc definire, malignum

D scilicet vocantes, qui furtim: benignum, qui palam grassatur: quæ ratio quibusdam sane conuenit, vt illis febribus, quæ cum paruæ tactu, & propria sua natura appareant, interim tamen præter expectationem occidant. Verum cum multi sint maligni morbi, qui vehementiam suam ostendunt, qualia sunt vlcera neruorum, quæ non latenter, sed palam nocent, nec non morbi, qui ex morsu ferarum lethalium contrahuntur, totum hoc genus morborum propterea definiri non potest, quod furtim affligat: vnde putarem communi omnibus ratione ita eos circumscribi posse, quod scilicet malignus sit morbus, *qui saeuiora infert accidentia quam pro ratione propriae essentiae affectus conueniat*: Hoc enim mo-

Maligni morbi, qui secundum autorem.

E do paruam febrem, in qua calor exiguus, sentitur, si parua accidētia inferat, mitem benignamque censemus: quod si vehementia excitet symptomata, malignam iudicamus esse: sic paruum vulnus, quod sequuntur accidentia magna, malignum appellare solemus. Vocabimus & humorem malignū in febribus, qui concoctionem in excrementis ostendit exactam, & tamen febrem

Malignum vlcus.
Humor malignus in febribus.

brem fouet, produci tq; præter euidentem rationem. Licet vero & alio modo, sed eadem ratione morbum definire malignum, *cuius natura, causæ, & effectus ad manifestas causas redigi nequeunt*: Hac enim ratione morbos à venenis, quæ tota substãtia siue qualitatibus occultis nocent, illatos, malignos dicimus: Et elephantiasim eodem pacto malignum affectum cẽsemus, quod naturam habeat, quæ certis, & euidentibus qualitatibus exprimi nequit: veluti nec humoris natura, à quo gignitur: Non enim quia calidus, vel frigidus, vel crassus, vel tenuis humor sit, sed quod indicibilem quandam qualitatem habeat, malignum huiusmodi morbũ committit: fere autem contingit, vt qui vehementius sęuiant morbi, quam exigua eorum natura monstret, ab illis causis nascantur, quarum qualitates, & vis certa ratione exprimi non possit, sed ad totam rei substantiam (ne omnino causam ignorare videamur) referatur. Ita meo quidem iudicio malignos morbos definire oportet: nam vlcera, quæ ex humorum affluxu procreantur vel fouentur, atq; adeo illa, quæ ex aliis intemperaturis, bonum sanguinem corrumpunt, humida, intemperata, aut alio nomine, potius, quam maligna aptius nuncupabimus.

Elephantiasin esse morbum malignum.

Cap. XVII.

De morbo simplici & composito.

Morbum simplicem non vno modo apud Galenum dici.

Simplicem morbum non vno modo dici apud Galenum intelliget, qui illius libros diligenter excutiet: Nam aliquando simplicem pro miti vsurpat, vt cum diariam febrem, aliosque leues morbos simplicissimos, mitissimosque vocat; Eos his opponens, qui vehementia inferunt symptomata; nonnunquam etiam malignis aduersari dicit, & pro benignis capit, vt *tertio libro Predictionum*; vbi simplicissimas febres interpretatur non malignas. Sumit, & simplicem pro eo, quod simpliciter dicitur; vt cum intermittentem tertianam, id est, simpliciter dictam, vocat ad continuæ differentiam, quæ adiecto continui nomine pronunciatur. Quin etiam simplicem morbum pro vno capi, & duplici opponi constat; quemadmodum cum simplicem tertianam & duplicem dicimus pro eo, quod est vnam, & duas tertianas. Simplicem item intelligi morbum, qui composito aduersatur, clarius est, quam vt dici debeat: intelligentes scilicet tunc proprie simplicem, in quo simplex, & vnica est dispositio ex simplici causa, & vnicam vim habente excitata; qua ratione intemperiem excessu vnius duntaxat qualitatis factam simplicem nuncupamus: Alio vero modo simplicem vocamus morbum, qui causas præsentes non habet, à quibus est excitatus, vel fouetur, veluti diariam febrem *initio decimi libri Methodi medendi* simplicem vocat, eo quod ablatis causis, à quibus orta est, manet: putridam autem cõtra compositam dicit, propterea quod causam habet, à qua fouetur, atq; augetur. Sumi præterea simplicem pro exquisito, certissimum est, cum sæpius *in libris de Crisibus* Galenus febres, quas exquisitas vocauit, postea simpliciter nominet.

Cæterum compositum, quem [illegible] Græci A morbum vocant, definit Gal. eum esse, *qui cum alio morbo coniungitur*. At cum eos etiam compositos nũcupemus, qui cum causa sua, aut symptomate sunt coniuncti; præstat generalius definire; ita vt compositus dicatur, *qui cum aliqua re aliena à sua natura coniungitur*. At quoniam cũ diuersis misceri potest, non vnica est compositi morbi peculiaris ratio, nec etiam appellatio: Quandoquidem ex diuerso compositionis modo, diuersa etiam nomina sunt excogitata. Quod si docendi ratio postulare videtur, vt tot modis compositi morbi nomen, vt simplicis vsurpetur, & contrarios his affectus, qui à simplici significantur, ostendant; facit tamen docendi vsus, & antiquorum licentia, vt nec æquales, neq; oppositæ B prorsus sint significationes. Itaq; compositos vno modo intelligimus, qui causam præsentem habẽt, quæ eos peperit, atq; hac ratione putridas febres compositas dicimus: quod adsit obstructio, ex qua sunt natæ: Alio modo compositos vocamus, qui adiuncta habent symptomata admodum insignia, adeo vt peculiarem Medici curam postulent: hoc pacto Galenus *primo ad Glauconem* febres compositas, complicatasq; appellat: quæ cum huiusmodi [illegible] tomatis cõnectũtur, videturq; tunc compositus, pro [illegible] mẽti, vel maligno sumi. Qui etiam [illegible] cum alio morbo coniungitur, compositusque ob id dicitur, vt intemperies calida cum sicca. Compositionem autem fieri vult Galenus tum C inter morbos eiusdem generis; vt cum intemperies intemperaturæ coniungitur; calida, & frigida cum humida, & sicca: tum inter morbos eiusdem speciei, vt si tertiana tertianis misceatur febribus: vel diuersæ, vt si tertiana quartanis cõiungatur: nec non diuersis generibus, & diuersi generis diuersas species inter se componi posse idem author statuit; veluti si intemperies cũ vlcere cõiungatur, & febris cum luxatione, morbos hos compositos esse contendit. Adhæc compositum morbum aliquando vocat Gal. cum duo morbi contrariæ naturæ in eadem parte consistunt, quod ostendit, cum scribit *in lib. de Differ. morborũ* ex meatibus partim dilatatis, partim cõstrictis opinione eorũ, qui atomos ponebãt, par-D tes ita affectas, morbo composito laborare. Iam vero ex diuerso compositionis modo variæ quoque & singulis peculiares appellationes sunt excogitatæ: alii enim ita componuntur, vt inter se implicentur, quos Græci [illegible], & [illegible] vocant: alii vero confunduntur, mutuoque temperantur, vnde eos nominant [illegible], id est, confusos, & temperatos, vt *ex secundo de Crisibus*, & *tertio libro de Morbis vulgaribus* Galenus docet. Intelligo autem implicatos, siue implexos morbos, *qui propriam suam naturam vel semper*, *aut* saltem aliquando ab alio distinctam retinent, vt cum tertiana quotidianæ coniungitur, sed diuersis horis earum singula inuadit, quod etiam Galeno placuit *lib. 2. de Differ. fe-E brium*; quanquam ille *in proœmio 2. Comment. tertii libri de Morbis vulgaribus*, nescio qua ratione, appellat morbos complicatos, cum plures partes simul afficiuntur: Confusos vero, & temperatos definio eodem autore, qui ex mutua mixtione ita coniunguntur, & temperantur, vt illorum natura minime distincta appareat, veluti si quotidiana, & tertiana eadem hora hominem

Compositus morbus quis secundum Galenum.

Quis secundum autorem.

Compositorum morborum varia acceptio.

Morbi implicati siue implexi.

Morbi confusi & temperati.

apprehendant, quo tempore non rigor, qui tertianam ostendit, non frigus externarũ partium, quod quotidianæ est inditium, sed horror ex frigore, & rigore symptoma nascitur: Sic sane Galenus, cum tertianæ, quotidianæque accessio simul adueniunt, & quotidiana continua, & tertiana intermittens hoc pacto coniunguntur, temperatam, confusamque fieri febrem commemorat: Verum in hoc nó placet, quod compositum morbum vocet duos morbos diuersi generis in eodem instrumento, sed in diuersis partib. similarib. instrumentum componentibus consistentes: quemadmodum oculi morbum appellandum censet *in lib. de Differ. morborum*, quando plures eius particulę laborant: *plures enim morbos, qui ad unam compositionem, vnamq; naturam spectant, vt intemperiem ex duabus qualitatibus prouenientem, siue eandem partem occupet, vt inflammatio; siue plures, vt hectica febris, morbum vocare compositum rationi est consonum.* At diuersi generis morbos dicere vnum esse, cum diuersa sit, quæ vitiata est compositio, diuersaque & non composita remedia suapte natura requirat, non admodum videtur probabile, quemadmodum antea ostendimus, non tamen prohibeo, vt vnusquisque sentiat vt lubet, dummodo intelliget, *vere eos compositos censendos esse morbos, qui ex eodem genere inter se coniunguntur: vt cum intemperies vna alteri, & conformatio magnitudini, numero, coniunctioni, vel vnioni connectitur.*

Cap. XVIII.

De morbo exquisito, notho vero, & non vero.

Exquisitum morbum, quem Græci ἀκριβῶς νόσον vocant, pro simplici aliquando vsurpat Galen. vt cum scribit *secundo de Crisibus* exquisitas febres statim ab initio cognosci posse, eas vero, quæ cum aliis componuntur, non item. At proprie exquisitus morbus intelligitur, qui in suo genere syncerus est, quanquam de omnibus morbis non ita hoc nomen vsurpamus, sed de his potissimum, quos humoris vitium committit: Non enim intemperiem calidam, vel siccam ab externis causis in aliqua parte contractam exquisitam, aut notham dicimus: quemadmodum tertianam, quartanam, aut aliam huius generis febrem, vel inflámationem, vt cum exquisitam pleuritidem, vel erysipelas exquisitum *secundo ad Glauconem* Galenus vocat: Cæterum tertianam exquisitam definit eam esse, quæ vltra quartum, aut septimum circuitum non progreditur, verum lóge antea quam finiatur, eam dignosci à Medico necesse est: quandoquidẽ alia remedia tam exquisitis morbis, quam non exquisitis conueniunt: quamobrem eadem ratione exquisitam vocabimus, quæ in suo genere syncerissima est, & simplicissima. Intelligimus a. eam syncerissimam, simplicissimamque *quæ a pura bile gignitur*: Nam quæ cum pituita, vel alio humore miscetur; non iam exquisitam, & legitimam, sed notham, & adulteratam mixtione alterius humoris, tertianam parit: quod si interim non solum ex syncera bile, sed etiam ex anni tempore æstiuo, ætate iuuenili, laboriosa vita, & aliis huiusmodi exquisitam tertianam

Morbus proprie exquisitus.

Notha.

A circumscribere videtur Galen. ita intelligendum est, vt ea per se id non faciant, sed quatenus puram bilem in corpore redundare significant: Eodem itaq; modo exquisitos, siue legitimos morbos intelligemus, qui purissimi sunt in suo genere, & mixtione causarum, humorum, inquam, minime adulterantur: His vero contrarios nothos, nó exquisitos, impuros eadem ratione vocabimus: hoc enim modo exquisitum erysipelas vocat Galen. *2. ad Glaucon.* quod non est cum inflammatione, aut alio genere tumorum adulteratum. Illud vero ignorandum non est, exquisiti nomen in morbis etiam compositis à Galen. vsurpari, quemadmodum cum *2. de Differ. febrium* exquisitam semitertianam nominat, eam B intelligens, quæ ex æquali mixtione tertianæ, & quotidianæ continuæ nascitur. Veri morbi etsi pro exquisitis sumi posse videntur, latius tamen veri nomen, quam exquisiti patet: Etenim tertianam quamcunq; veram, aut vere tertianam esse dicimus; at exquisitam non omnem, ita vt videatur verus morbus esse, qui in suo genere commodissime recipitur, cuiq; generis nomen, & ratio competit: Exquisitus vero, qui in suo genere syncerus.

Erysipelas exquisitum.

Cap. XIX.

De morbo vehementi & graui.

C Qvod nos vehemens dicimus, vocant Græci σφοδρόν. Definit autem Galenus *lib. 3. de Differentiis pulsuum* illud esse vehemens, quod validam, siue fortem, vel robustam, & celerem simul actionem habet, qua ratione etiam *secundo de Sanitate tuenda* exercitationem vehementem esse scribit, quæ violenta siue valida, & velox simul existit. Proinde morbus vehemens erit, qui valide, & celeriter affligit, qui certe idem erit cum acuto; cum Galenus acutum vocet, qui valida infert symptomata, & velociter mouetur: Erit idem etiam cum magno, qui simpliciter magnus est, vt antea obiter admonuimus: quod vero Græci ἰσχυρὸν siue, ἰσχνὸν dicunt, solent nostri interpretes graue, validum, vel forte vertere. Galenus autem pro magno nonnunquam vsur-D pare solet validum, fortem, grauem, & vim magnam habentem, vt *4. lib. Methodi medendi*, cum tamen, qui vere magnus est, non solum validus sit, sed etiam velociter moueatur, si modo idem est magnus, & vehemens. At grauem morbum, quem χαλεπὸν Græci dicunt, pro periculoso fere vsurpamus, cum aliquos graui morbo laborare dicimus. Quod si pro vehementi, & difficili aliquando sumimus, id facimus, quoniam, qui vehemens est, vel difficilis, periculosus esse solet. Languidos autem morbos, leues, & mites, vehementibus, & grauibus opponimus.

Vehemens quid.

Morbus vehemens.

Cap. XX.

E *De acuto morbo, illiusq; differentiis.*

Qvam varius sit Galenus in acuto morbo definiendo, & ostendendo, quinam acuti sint, vnicuique constare puto: nam *tertio libro Prædictionum*, & *alibi* sæpius contendit, omnino eum esse acutum, qui cum febre continua, & magnitudine quadam affligit: Nunc vero acutos

Morbi acuti secundum Galenum qui.

quosdam

quosdam cum febre, alios sine febre statuit; vt cum morbum comitialem, apoplexiam, tetanum, acutos morbos esse dicit. Alibi, *vt libro sexto de Morbis vulgaribus*, eum vocat acutum, qui propria tempora, siue partes vsque ad finem velociter transit, nulla magnitudinis, aut febris continuæ mentione facta: quo modo tertianam febrem inter acutos morbos nonnũquam recenset, & nobis diariam, quæ vno die omnia sua tempora percurrit, & vlcera, & deniq; omnes alios morbos, qui quatuordecim dierum spatio (qui terminus acutorum morborum statuitur) finiuntur, acutos nominare licebit. Confirmat hanc opinionem, cum differentiam hanc morborũ, qua dicimus, quosdã esse acutos, alios longos, à tempore sumi scribit *tertio libro Prædictionum* non à febre, neq; magnitudine morborum, & cum acuta ea vocari omnia, quę velocem motum habent, breuiq; spatio durant *2. Methodi* tradit: idem ostendit *primo ad Glauconem*, vbi acutam febrem longæ opponit. Quinetiam idem autor quosdam morbos, vt Apoplexiam, & Epilepsiam, quos alibi acutos vocauit, vt *47. Aphoris. 6. libri*, longos appellat: Ac vt constat ex *tertio Prædictionum*, magna de his nominibus, & eorum vsu apud antiquiores Medicos fuit contentio: nam quidam ex Græcis, vt Celsus refert *li. 3.* morbos diuiserunt in acutos, & longos: quo fit, vt Gal. varia tractatione, dum nunc hos, nunc alios sequitur, lectorem confundat: vt plurimum tamen acutum vsurpare videtur pro vehementi Porrò vt varius est Gal. in acuti morbi significatione, ita nusquam exactè illius differẽtias, & aliorum morborum, à quib hæ nascuntur, expressit; id quod nos ex variis ipsius locis adiuti nunc facere tentabimus. Igitur cũ morbi alii sint breues, alii longi, his relictis (vtpote qui à natura acutorum morborũ sunt alieni) de aliis agemus. Porrò breues morbi alii cito, alii tarde qui & tardi dicuntur, terminantur, quod scilicet tardo motu progrediãtur: qui quoniã intra quadraginta dies desinũt, breues propterea censentur; *qui* vero *cito ad finem perueniũt*, quidã *comitem habent magnitudinem*, & acuti ob id nuncupantur; vt pleuritis, peripneumonia, lethargus, phrenitis, angina, febris ardens; Alii sine fortitudine præpropere finem suũ consequũtur, vt diaria, & alii similes morbi, qui breues, & parui dicuntur. Ex acutis rursus quidã simpliciter acuti, id est, sine adiunctione aliqua dicuntur, qui intra decimum quartũ diem soluuntur; quidam non simpliciter acuti, qui intra vigesimũ, & post decimum quartũ finiuntur; vt qui vigesimo septimo, & vigesimo die desinunt; suntq; hi idem re cum simpliciter acutis: idem. n. morbus ob causæ maiorem vehementiã, aut paruitatem, aut ægri naturã simpliciter, aut non simpliciter acutus euadit: Alii vero sunt, qui acuti dicũtur, hoc adiecto, quod quadraginta diebus terminentur. Quartum additur genus, quod eos cõtinet, qui ex acutis profecti vocantur, vt tabes, suppuratio, hydrops, & similes, qui ex acutis sæpe fiũt, & inter acutos nonnunquã numerantur; cum tamẽ re vera sint diuturni: Id a. faciunt Medici, vt originem morborum repetant: quoniam. n. prædicti affectus, & nonnulli alii ex acutis morbis nõnunquã proueniunt, aliquãdo vero ex aliis caussis nascuntur, acuti nominis adiectione, qualis

A fuerit eorum origo, monstrant: postulatq; etiam docendi ratio, vt vniuersum acutorũ morborum genus, in quo acuti mentio fit, diuidendo exhauriamus, etsi interim quidã ex diuisione resultãt, qui postea inter longos reponi debent. Iam vero inter simpliciter acutos morbos, quidã peracuti, qui & acutissimi dicuntur, quorum terminus est intra septimũ diem; cuiusmodi est angina, cholera, tetanus, apoplexia: Alii, qui à septimo vsq; ad decimum quartum extenduntur, qui simplicis nominis inopia, nomine generis non aliter, quam simpliciter acuti vocãtur. Peracuti rursus bifariam diuiduntur: nam quidam ex illis simpliciter peracuti, qui intra quartum diem abeũt, qui ob id peracutissimi nominantur: Alii, qui
B quartũ excedunt, quales sunt, qui quinto, & sexto iudicantur, qui etiam peculiari nomine destituti, non aliter quam simpliciter peracuti appellari solent. Cæterum acutorũ, qui intra quadragima dies terminantur, nonnulli sunt, qui ἐκ μεταπτώσεως, i. ex degeneratione, & mutatione in aliam speciem, & à Galeni interpretibus ex decidentia dicuntur: Huius autem generis sunt acuti illi, qui intra vigesimum diem imperfectè iudicantur, deinde vehementia confracta, reliquum, quod superest, intra quadraginta dies, vel etiam sexaginta, vt Galen. scribit *secundo de Diebus decretoriis*, dissolui consueuit. Alii vero sunt, qui statim ab initio veluti prohibiti, tardiusque moti, & nullam interea subitam mutationem
C moliti, ad quadraginta dies producuntur: quorum alii accessionum remissiones habent, quæ in exactam integritatem finiunt; alii cum continua febre semper perdurant. Tertium genus eorum, qui intra quadraginta dies recedunt, eos continet, qui manifeste acuti in principio, & ante vigesimum diem non securè sunt finiti: deinde remissionem fecerunt, post hæc reuersi, mox intensi, nouissime quadragesimo die desinunt: de quibus dubitat Galenus *secundo de Diebus decretoriis*, an simpliciter, vel ex decidẽtia acuti dici debeant. Quos vero morbos vocet παροξυνθέντας, id est, adauctos, *tertio Prædictionum* non explicat: mihi tamen intelligere videtur per adauctos acutos, quos diximus, antea non simpliciter
D acutos alibi ab eo dici: quinetiam eosdem esse morbos ex decidentia dictos, & eos, qui vocantur acuti quadraginta diebus soluti, patere omnibus puto, qui Galenum non oscitanter legerint.

CAP. XXI.

De morbo continuo, & intermittente.

VT febrem continuam, & interpolatam bifariam vsurpari scribit Galenus *libro primo de Morbis vulgaribus*, ita morbos continuos, & intermittentes duobus modis intelligere possumus: continuos, inquam vel quod nunquam desinant affligere, vel cum hoc etiã, quod
E nullam mutationem per interualla vsq; ad iudicium, siue solutionem faciant, quos nouo vocabulo (vt autor est Galen.) recentiores Græci συνόχους, & nostri continentes vocant: Intermittentes vero, quos Græci διαλείποντας appellant, qui vel perpetuo nõ affligunt, sed aliquando ad integritatẽ desinunt; vel qui nũquam quidẽ penitus recedunt, interim tamen nunc exacuũtur, nunc

remittuntur, cuiusmodi sunt continuæ tertianæ, quotidianæ, quartanæ, & semitertianæ febres: Ac proprie quidem intermittentes dicuntur, qui ad quietem, & integritatem perueniunt: & continui, qui nullas exacerbationes inferunt, sed eũ, quem ab initio acceperunt tenorem, ad finem vsq; seruant, nulla accedente accessione. Qui vero continuo affligunt, & per interualla intenduntur, & remittuntur, quoniam cum intermittentibus in hoc conueniunt, quod remittantur, & exacuantur, cum continuis autem, quod perpetuo affligant, ob id à quibusdam intermittentes, ab aliis continui dicti sunt; cum tamen potius mediam quandam naturam inter eos obtinere, & medii ob id, ancipitesque in hoc genere, Galeno autore, si antiquos Græcos sequamur, putentur: Obtinuit tamen iam cõsuetudo, & recentiorum vsus, vt omnes eos cõtinuos dicamus esse, qui perpetuo quomodocunque affligunt, quos Græci συνεχεῖς vocant; Intermittentes vero eos intelligamus, qui aliquando affligere desinunt & solum per interualla sunt molesti: At qui perpetuo quodam tenore absque accessionibus infestant, ad Græcorum imitationem, qui hos συνόχους vocant, commode à nobis iam recepto nomine continentes dici possunt.

Proprie intermittentes.

Et continui.

Cap. XXII.

De ordinato, inordinato, & errante morbo.

Morbum ordinatum vocant Medici, qui certis, statisq; temporibus, quod Græci [illegible] dicunt, affligit, exacerbaturve, quomodo tertianam ordinatum morbum dicimus; propterea quod tertio quoq; die, inuariabili motu, exacuitur: Contra vero inordinatum intelligamus, qui incerto tempore, & minime secundum periodum recurrit; quos alio nomine errantes, & erraticos, atq; incertos nuncupamus; illos vero, qui certum ordinem obseruant, stabiles, & non errantes dicere liceat, quos & cõstantes vocamus, & ab Hippocrate [illegible] dicuntur: Etsi non solum, qui certum tempus non seruant, sed etiam quoquo modo à natura sua euariant, inconstantes appellentur; vt ex *octauo Aphorismo tertii libri* videre licet.

Ordinatus.

Inordinatus.

Errans.

Erraticus.

Cap. XXIII.

De morbo æquali, & inæquali.

Scripsit Galenus de inæquali morbo integrum etiam libellum, nec tamen satis adhuc expressit, an vna, & eadem ratione, vel pluribus morbus æqualis, inæqualisve dici debeat. At si quis diligenter notauerit, quæ de hac re variis locis ab eo traduntur, non vno modo hæc nomina vsurpari intelliget: Etenim *in libro de Inæquali intemperie*, vocat inæqualem intemperiem, quæ in omnibus partibus corporis, quod alteratur, æqualiter nõ est insita; quo modo febres putridas inæquales morbos appellamus; quod per eas partes solidæ nondum plane sint excalefactæ: sicuti humores, quos calor penitus occupauit, & insigniter affecit; & vt clarius dicam, consuetis Philosophis, & Medicis nominibus, quod humores sint excalefacti, partes vero solidæ adhuc in ipso calefieri & mutari. Cæterum *in libris de Causis morborum*, inæqualem intemperiem intelligi

Inæqualem intemperiem vario modo accipi à Galeno.

A scribit, in qua corpus à causis contrariis pari modo agentibus, simul alteratur, mutaturq;: vt cum eodem tempore calidius, frigidiusq;, vel humidius, sicciusq; redditur, quod ostendunt Epialæ vocatæ febres, in quibus calor, & frigus simul sentiuntur; qui modus ab alio profecto differt, vt satis omnibus constare puto; nam in illa intẽperie excessu vnius qualitatis alia omnino est remissa, in hac vero contraria simul, sed diuersis locis, vt in illa etiam, vigent. Appellat & *primo de Differentiis febrium* accessiones inæquales, quæ diuerso modo, contrarisq; motibus affligunt: qualis est tertianæ accessio, & omnium aliarum febrium, quæ cum frigore inuadunt, cui postea calor succedit: æqualem vero, qui solum calefaciendo, vel refrigerando molestat: sic igitur & B morbum æqualem, inæqualemve alio modo capere oportet. Quinetiam *libro sexto de Sanitate tuenda*, æqualem temperiem censet esse, qua omnes corporis partes afficiuntur: Inæqualẽ vero, quando in diuersis partibus differentes sunt intemperaturæ: qua ratione corpus illud intemperatum dicimus, cui, si velis, hepar, vel caput frigidum existit. Postremo inæqualem alio modo nominat morbum *Aphorismo vigesimo tertio secundi*, qui inæqualem ita motum habet, vt nunc minuatur, nunc vero increscat. Atque hæc satis quidem de variis significationibus æqualis, inæqualisve morbi, ne ex homonymia in Galeni lectione rudior decipiatur lector.

C

Cap. XXIV.

De morbo redeunte, recidiuamq; faciente.

Morbos redeuntes, siue recurrentes, (ita enim nominare liceat) quos Græci ὑποστρέφοντα νοσήματα vocant, definit Galen. *in tertio Commentario Prorrheticorum* eius generis esse eos, qui parum quidem remittuntur, moderatioresq; euadunt, sed rursus postea exacuuntur, quo nomine complecti non videtur eos, quos dicimus recidiuam facere, quos Hippoc. *12. Aphorismo secundi libri* ὑποστροφώδεα νοσήματα appellat: Nam eos ὑποστρέφειν, id est, recidiuam facere vsurpa- D mus, *qui non solum quomodocunq; inclinarunt, diminutiq; sunt, sed penitus extincti putabantur, remanente solũ aliquo in corpore symptomate ex præterito morbo, vt siccitate oris ex febribus, quod symptoma morbi causam, vt humorem, vel dispositionem morbosam subesse adhuc significat, quamuis probo victu, vel aliis remediis penitus aboleantur, paulatim aucta, vel similem priori, vel alium morbum rursus excitant.* Nihil tamen prohibere video, vt vnoquoque eorum nomine vtrumque morbi genus, quod scilicet remittitur, exacuiturque, & fuga simulata, rursus redit, comprehendamus.

Morbi recidiuam facientes.

Cap. XXV.

E *De morbo per consensum, & primario genito.*

Quod Græci συμπάθειαν dicunt, nobis compassionem, aut consensum, aliorum exemplo, appellare liceat. Dicunt autem Græci per sympathiam, & nos per consensum partes corporis affligi, & morbos quosdam gigni. Quid vero his nominibus sit intelligendum, legen-

legentibus Galenum, non satis constare potest, propterea quod ille nunc vna, nunc alia interpretatione vtitur, & *in eadem* etiam *pagina libro primo, & secundo de locis affectis*, de hac re diuersa tradit. Nam aliquando morbos, qui per sympathiam sunt contracti, opponi his contendit, qui proprii sunt, hoc est, ita stabiles, & firmi, vt recedente etiam causa, quæ eos excitauit, permanere possint, propriamque curationem requirant: Interimque eos reprehendit, qui primariæ passioni, quam πρωτοπάθειαν Greci vocant, sympathiam opponunt: cum δευτεροπάθεια, id est, secundaria, & posterior passio priori aduersetur: At *alio loco*, eorum sequitur opinionem, quos antea refellit, distinguitque per oppositionem ex diuisione primarios affectus ab his, qui per B consensum infestant: Nonnunquam tum his, quæ per se, vel proprie, vel primario consistunt, nullo habito discrimine, eos opponit, qui per compassionem sunt geniti, quod vnusquisque facile agnoscere poterit, qui vtcunque etiam legerit, & inter se contulerit, quæ *in supradictis libris* de hac re ab eo autore scribuntur; tanta sane varietate, & scribendi licentia lectorem confundere solet, vt nihil perpetuum ex eo sibi polliceri quispiam valeat. Verum enimuero si per compassionem affici dicitur pars aliqua (vt ille scribit) quæ ab altera afficitur; constat, nihil aliud esse affectum per sympathiam, quam qui ab alio est excitatus; ita vt idem sit cum eo, qui secundario genitus est: sic enim & verbum ipsum ostendit, C *compati*; & vsitatus à Medicis loquendi vsus. Quippe cum dicamus, quibusdam caput dolere ob consensum cum ore ventriculi, existente scilicet prius in ipso vētriculo morbifica causa, quæ capiti dolorem postea peperit. Qui ergo aliis nō succedunt morbi, nec ab aliis excitantur, sed à suis causis primo gignuntur, illi primarii, & per protopathiam constare dicuntur. Qui vero ab aliis nascuntur, vel morbis, vel morborum caussis, aliquam partem prius infestantibus, secundarii, posterioresq;, & per sympathiam, siue δευτεροπάθειαν esse putantur: Quamobrem male aliquando eos per sympathiam molestare morbos scribit, qui perpetuo non manent, neq; per propria symptomata discerni valent: Eos vero D primogeneos esse, qui propriis symptomatibus exactè dignoscuntur, stabilemq; naturam obtinēt: quandoquidem fieri potest, vt per consensum, siue secundarii sint affectus, & tamen perpetui, firmiq;, & euidentes simul notas habent; cuiusmodi est dolor capitis proueniens vitio stomachi vapores ad caput emittentis, à quibus caput ob longiorem moram, aut vehementiorem vim pertinacem iam dispositionem contraxit; adeo vt stomacho etiam persanato, non recedat, sed peculiarem sibi curam desideret: quinetiam primogenei esse possunt, etsi ob paruitatem symptomata non inferant euidentia, citoq; ob instabilem, leuemq; impressionem euanescant; nimirum quod propria horum natura in hoc solum E posita sit, quod aliis præcedentibus, qui ab aliis sunt geniti, siue euidentes, siue obscuras postea notas habeant, & naturam stabilem, vel mobilem sint sortiti. Præterea illud, quod de partibus affectis per consensum scribit, nullam scilicet actionem lædi, nisi pars illius autor lædatur, rationi consonum mihi non videtur. Nam dicere par-

Affectum per sympathiam.

Morbi primarii.

A tes eas affici, quæ influente facultate (quemadmodum nerui vulnerata spinali medulla, vel materia, vt voci destinatæ partes, vulnerato thorace, efflatione destituuntur) perinde est, ac si quis dentes morbo correptos diceret, quod per inediam cibo priuati proprium munus exercere nequeunt: Læduntur enim solum partes, cum earum compositio, vel primario, vel secundario labefactatur. Postremo putare, naturalia instrumenta primario affectu semper laborare, cum illarum actio impeditur, (quod Gal. *in fine libri primi de Locis affectis* est visum) non admodum est probabile; quippe cum non minus hæc quam alia suos morbos, noxasq; per sympathiam sæpius contrahant: Ad hæc calore, & spiritu destitutæ B illęsa interim illatum temperie, agere nequeunt: vt temere credere non debeamus in parte malum esse quum actiones fieri desinunt.

Partes quādo lædantur, nec lædi eas semper quādo earum actio læditur. Instrumenta naturalia non semper laborare primario affectu, quando illarum actio impeditur.

Cap. XXVI.

De morbo per se, & per accidens.

QVemadmodū per se aliquid fieri apud Galenum idem est, quod immediatè, siue primò: per accidens autem idem, quod secundariò, vt ex *libro de Differentiis symptomatum, & aliis multis locis* constat, ita morbum per se conuenire alicui parti vult Galenus, qui primo, & immediate partem eam occupat: per accidens C autem, qui secūdo loco ad aliam pertinet, quemadmodum similarium partium morbos ad partem instrumentariam per accidens spectare scribit *in libro de Differentiis morborum*, & morbum per se lædere actionē, causam vero per accidens, id est, secundo loco dicimus: Quod si in eadem compositione id fieri potest, quomodo febrem totius corporis morbū per accidens esse censemus? eo quod primo morbus sit singularū partium similarium, & totum ipsum corpus, quatenus ex instrumentis compositum consideratur, per accidēs morbo in figura, vel alio simili genere, laborare creditur; quando dissimilares partes eodem modo male sunt affectæ: tamen *nullus est morbus in similaribus partibus, qui secundo loco,* D *siue ex accidenti morbus vocari possit instrumentariæ partis; quoniam diuersa est illarum partium natura, & compositio:* nec potest vnquam intemperies fieri, viciata structura, quæ corporis instrumentis debetur. Nam sicut sanitates illarum partium inter se sunt distinctæ; sic profecto morbos distinctos inter se esse oportet. Addo quod partes eo modo differant, quo illarū vitia inter se dissident. Quapropter si vitia diuersi generis in essentia posita, possunt ad vtramq; partem pertinere, poterit vtiq; & pars similaris fieri per accidens organica, quo quid potest dici absurdius? Vnde in his nullum morbum per se, aut per accidens inueniri hoc modo posse credo; quod si interim eadē causa, vt inflāmatio magna, quę simi- E larium temperiē vitiat, & ob excedētem magnitudinem alicuius instrumenti constitutionem corrumpit, proprios tum similaribus, tū instrumento morbos excitet; fiet quidem, vt eadem causa diuersos morbos cōmittēdi vim habeat, de quo non dubitamus, *sed nunquam cōtinget, vt vnius partis morbus ad aliam, quæ diuersam obtineat constitutionem, spectet*, si modo morbus com-

Nullum esse morbum in partibus similaribus, qui possit vocari morbus partis instrumentaria per accidens.

positio est præter naturam: & illorum vitia genere sint discrepantia, quorum compositio generibus est distincta. Quomodo enim, quæso, intemperiem morbum instrumẽtariæ partis vocabis, nullo modo labefactata illius structura? quippe cum integra maneat, vrgente sola intemperie, similarium magnitudo, numerus, conformatio, coniunctio, & vnio, ex quibus instrumentariæ constantur, qua in re mirari profecto licet, quonam modo Galenus non viderit, hæc suis principiis repugnare; cum enim antea constituisset, omnem morbum instrumentariæ partis, vitio conformationis, magnitudinis, numeri, & coniunctionis concitari; agnoscere statim de- A bebat, quod sequebatur, quicquid morbus instrumenti alicuius esse deberet, ad eadem genera esse referendum, siue primo, siue secundario id contingeret. Quod si ob vehementiores intemperaturas, similares vel extenuentur, aut præter naturam augeantur, non tamen propterea morbi illæ partes ita affectæ, sed morborum causæ in instrumẽtis fiunt: Sed hæc satis de morbo per se, & per accidens, & superius enumeratis morborum differentiis: quæ enim relictæ sunt, fallere nequeunt Lectorem, cum vel eodem modo à Galeno semper vsurpentur: vel per se statim ostendant, quod illarum nominibus significatur.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE CAVSIS MORBORVM,

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

De vtilitate causarum morborum, & difficultate tractationis.

POSTVLAT iam nostrum institutum, vt de morborum causis agamus: positis enim morbis, illorum origo quærenda est. Verum quoniam nõ solum morborũ, sed etiam multarum aliarum rerum causas Medicum tenere oportet; & à nobis etiam postea quærendum est, vnde proueniant morborum differentiæ, & symptomata omnia, operæpretiũ esse duco, vt inprimis generalem de illis tractationem (ex qua postea, quæ propria sunt singulis, eliciantur) quantum ars nostra desiderat, hoc loco instituamus. Quæ res profecto nescio an maiorem vtilitatem, quam dignitatem, vel difficultatem obtineat: nam cum nihil eorum, quæ in corpore fiunt, ignoratis causis, scire liceat: nec etiam quicquam recte agere possimus (siquidem ablatione causarum morbi tolluntur, & ob diuersas causas diuersa remedia in ægrotis, variaq; viuendi ratio in sanis exigitur) ac cum causæ ad suos effectus dignoscendos signa præbeant, hinc magnus profecto, multiplexq; illarum vsus, & vtilitas agnoscitur. Quid enim dignius, præstantiusve, quam causas earum rerum perfectas habere, quarum cognitionem profitemur? Hac enim re potissimum philosophos reliquis hominibus præstare credimus: quod illi abditas rerum causas, quæ difficultate aliorum ingenia superant, agnoscant: Nec alia quidem ratione medicinam nostrã olim inter sapientiæ partes à summis philosophis, qui eam diligentius exoluerunt, reputatam existimare par est, quam quod eam maxi- A me medicinæ partem spectarent, quæ causas eorum, quæ in corpore nostro eueniunt, expendit. Nam reliquæ in abiectiore quodam rerũ genere versantur, quã vt possint in tam digna facultate locum inuenire. Quam vero difficile sit huius rei explicationem pro dignitate excolere, & posteris mandare, omnibus cõstare puto, qui aliquãdo de ea tradenda certa docendi methodo, cogitauerint: nam & res ipsa per se ardua est, & à philosophis perinde explicata, vt cum illi generaliore quadã ratione, id totum, quod quærimus, cõplectantur, parũ medicinam nostram, quæ inferiora rerũ genera potius sectatur, adiuuẽt. Quod si à scriptorib. de medicina posita saltẽ essent capita, quibus res hæc tota constaret, nõ esset profecto quod nos multũ amplius laboremus. Sed cum illi non satis etiam explicent, quid sit morbi causa, quas, quotve causas medicina consideret, quod inprimis ad philosophorum imitationem ab illis faciendum erat, nec etiam explicent, quarum rerũ causas Medicus inquirere debeat; nec quæ sit causarũ vis, quove modo inueniri enarrariq; possint, & à quibus rebus eas petere oporteat: Cum præterea fere semper proximas, immediatasq; prætermittant, dum in externis, quas vulgus etiam nouit, particulatim enumerandis præter modum occupantur, rem profecto difficillimam nobis reliquerunt. Omitto, quod multarum rerum, vt omnium fere differentiarum C morborum causas Galenus noster omiserit; alias vero sparsim sit prosequutus: quo quidem fit, vt non solum ignoremus, quo loco reperire possimus, quod quærimus, sed etiam desit docendi methodus, quæ à certo initio auspicari debet, & perpetuo quodam filo singula, de quibus agitur, enarrare. Ac nõ solum hæc quidem incommoda ex interrupta illius tractatione nascantur, sed etiam quod interim, dum eadẽ varie explicat, aliis errandi occasionẽ nõ paruam attulerit: Etenim male

Tractationem de morborum causis admodũ esse difficilem.

male Auicenna de causis procatarcticis disserit, ꝙ Galeni varietate confusus, quid in ea re verius esset, ignoraret. Negant recentiores, causæ coniunctæ aliquem in medicina esse vsum, quod in diuisionib. causarum illius, vt aiunt, Galenus non meminerit. Denique qui de morborum causis agunt, omnes fere diuersa docendi ratione vtuntur, nimirum quod artem in antiquioribus certã non inueniant, quam perpetuo communi quadam concordia sequantur. Ac nobis profecto adhuc difficilior huius rei explicatio redditur, quod (cum nonnulla occurrant, in quibus non solum à Medicis, sed etiam à summis philosophis dissentimus) in ea tempora inciderimus, in quibus nemo, quod sentit, libere dicere audeat; nisi cum illis plane consentiat, quorum autoritas iamdudum apud omnes inualuit: sed id ab omnibus, qui aliorum opinionibus sunt addicti, æquiore animo eo maxime hæc nostra licentia ferri debet, quod antiquorum exemplo eam nobis vindicamus, & quod neminem accusemus, neminem vituperemus: omnes maiores nostros, qui suo studio, & labore nobis profuerunt, vt par est, summopere diligamus. Quod si interim aliquando ab illis discrepamus, id non ea spe facimus, vt omnium optima, & rata haberi velimus, quæ tradimus, sed vt aliis meliora inueniendi occasionem præbeamus, dum in dubium reuocamus, quæ hactenus longa consuetudine, veluti legibus quibusdam nescio, qua ratione sancita fuerunt: Auguror non defuturos, qui nostra refellere & Aristotelem, Galenumque, quos reprehendimus, tueri nitentur; id quod etiam maxime exopto, si modo id non contentiose, sed veritatis inueniendæ causa, facere aggrediantur. Sic enim sperandum est, vt ex hac honesta contentione veri inueniendi ratio ad pristinum philosophandi genus, quod non opinione aliorum, sed ratione constabat, reuocetur: verumtamen in tantis difficultatibus, quod aggressi sumus, prosequemur.

Cap. II.

De generibus causarum, quibus in medicina vtimur.

QVid causa sit, superfluum puto esse definire: nam id, quod adferimus, cum ratio, siue (vt philosophorum verbo vtar) propter quid quæritur causæ nomine donari omnes, credo, nouerunt, qui vel leuiter in philosophia sunt versati: vel si aliter ex rei natura definire velis, causam vocabis, *qua ad rei constitutionem quoquo modo aliquid confert*: quando etiam causæ non minus sunt, nihil nobis quærentibus, quam si aliquid quæramus. Illud potius explicandum, quæ, quotve sint causæ: id quod ita explicat Aristoteles, & alii vniuersi philosophi, qui eum secuti sunt, vt eas omnes quatuor omnino esse contendant; formam scilicet, efficiens, materiam, & finem: à quibus Galenus dissentire videtur, qui nonnullas alias addit; Etenim *in libro de differentiis symptomatum*, & *sexto de vsu partium*, annumerat prædictis causis, vtilitatem, scopum, instrumentum, exemplar, & voluntatem, & aliam præterea, quam vocat causam sine qua non; quod quam recte faciat, paulo diligentius à nobis expendendum est: nam scopum, vtilitatemq; addere, superfluum esse duco; quippe cum scopus, fi-

Causa quid.

Causarum genera quot.

A nis, & vtilitas idem causarum genus faciant, quod enim finis dicitur, eo, quod in hoc actiones desinant, scopus etiam vocatur, quod finem scilicet nobis proponamus, in quem alia omnia, tanquã in scopum dirigantur, finem præterea nobis proponimus, non per se, sed quatenus bonum quidpiam, quemadmodum optime Arist. docuit, omnia nempe finem, tãquam bonum aliquod expetere; alioqui vtile, honestum, & iucũdum, & ipsum quoque bonum addere oporteret, tanquã alias causas, si sub fine non continerentur: siquidem propter illa ad agendum mouemur, sed hæc, vt diximus, sub fine, qui boni ratione proponitur, omnia comprehenduntur. Quod etiam Galenus ipse *in libro de Causis procatarcticis* testatur, vbi

B scribit, idem esse finem, vtilitatem, & ipsum propter quid, sola autem ratione, ea inter se differre: Cæterum exemplar, reique idea, quam mente concipimus, dum rem ad illius similitudinem effingere nitimur, in his, quæ secundum naturam agunt, causa non est; nimirum cum natura non electione, nec alterius rei contemplatione sua formet opera: In aliis vero sub forma comprehendi videtur: Est enim rei forma quædam in animo, qua duce, alias peculiares rerum species effingimus. At voluntas vt communis omnibus, quæ sunt, causa non est, ita in quibus locum habet, ad efficientem redigitur, eo enim quod impellat, exciteque corpus, tanquam instrumentum, quo vtitur ad agendum, causæ nomen sortitur;

C sed meo quidem iudicio grauiora sunt, quæ de instrumento, & causa sine qua non, dicuntur: nec eorum opinionem recipere possum, qui instrumenta sub efficiente comprehendi volunt: nam in medicina nostra plurimum refert hæc inter se seiungere. Aliter enim vitiatos motus corrigimus, cum illorum instrumenta sunt læsa; aliter vero, cum ab ipsa facultate corporis partes impellente, labefactantur: Præterea calidum agere dicimus, vt concoquere, expellere, quæ non facit, vt agens: siquidem agendi vis à temperamento, structuraque partium resultat: sed quatenus corporis facultatibus suo influxu, vt instrumẽtum inseruit, quomodo etiam arteriæ corpus inter pulsuum causas, & thoracem inter ea, quæ

D respirationem mutant, ponit Galenus: quod scil. instrumenta sint, quibus efficiens pulsuum, respirationisque causa ad suas actiones obeundas vtitur: Præterea ex eo principio, quo vtitur Aristoteles ad alias causas inueniendas, id quod volumus, commodissime, vt puto, probare licet, propterea enim inquit ille, quatuor esse causas, quoniam quatuor sunt quæsita, nempe à quo, ex quo, cuius gratia, & id, quod facit, rẽ esse. Quod si ita est, liceat nobis instrumentum addere, propterea quod quærere possumus, per quod res fiat; si enim finem ab efficiente differre putamus, quod ille reddat rationem cuius gratia, hoc vero ostendat, à quo res proueniat; & denique si omnes quatuor causæ inter se genere differre creduntur, quod totidem sint interrogationes inter

E se diuersæ; cur instrumentalem quoque aliis non addemus? cum quærat, per quod res fiat, quod nulla ex aliis causis facit. Tantum profecto eam ab efficiente differre oportet, quantum discrepat interrogatio à quo, ab ea, quæ per quod aliquid peragitur, quærit: quod etiam loquendi vsus, vnde hæc sunt desumpta, aptissime monstrat.

Exemplar reique ideam non esse causam.

Voluntas quomodo sit causa.

Instrumentum an inter causas sit referendum.

Belli namq; instrumenta dicimus esse pecuniam, arma, equos, tormenta, munitiones: bellum autem gerere homines his rebus munitos. Adde quod si Aristotelem legamus *libro secundo Physicorum*, vbi de his rebus tractat, inueniemus, omnino instrumenta ab efficientibus excludi; si quidem efficiens illud esse definit, quod primo mouet; quod non faciunt instrumenta, quæ secundario, & ab aliis impulsa mouent id, quod Themistius optimus Aristotelis interpres adnotauit, additum scilicet esse verbum *primo*, in efficientis definitione ad instrumentorum differentiam, quibus sane efficientis nomen competere non potest, si ratio non conuenit: At multo minus, vt arbitror, sub fine comprehendi possunt instrumenta, quod nonnulli interpretes Aristoteli placuisse putant. Vbi enim ille causas omnes & vltimo loco inter eas finem enumerauit: addit quæcunque alio mouente inter ipsum, & finem reperiuntur, siue instrumenta, siue opera fuerint, finis gratia extare, quod verissimum quidem est; verum non propterea ex hoc constat, an instrumenta sub efficiente, vel fine comprehendere autor velit: Si enim spectemus vltimum finem, cuius causa omnia instituuntur; nō possunt illa finis rationem habere, vtpotè quæ adiumento sint ad finem consequendum: At si tanquam media considerentur, in quibus, quæ antecedunt efficientia, quiescunt, finis rationem subibunt: qua in re interpretes Græci nihil vltra, quam Aristoteles scribunt. Alii vero ex nostris duplicem eam relationem animaduertentes, ea ab Aristotele ad finalem causam referri scribunt, quod & docendi ratio postulare videtur; cum ea verba statim sequantur causam finalem, & connexione quadam dicendi cum illis, quæ de ea dicta sunt, ita connectantur, vt ad efficientem, de qua multo antea egit, non nisi magna violentia trahi possint. Attamen ratio conuincit, vt non minus à fine, quam ab efficiente instrumenta seiungantur. Nam vt differre ostendimus per quod, ab eo quod est à quo, sic omnia hæc discrepare ab eo, cuius gratia, vnusquisque intelligere poterit, qui omnino tergiuersari nolit. Nec par quidem est ratio de instrumentis, quibus sanitatem comparamus, nempe remediis, & victu, quæ est de purgatione, & macie: sunt enim hæc mediæ quædam actiones, & opera, quę prius consequimur, quam ad vltimum finem, sanitatem scilicet perueniamus: Instrumenta autem ipsa, vt remedia, & victus statim ab agente assumuntur, vt eorum beneficio agere possimus. Quamobrem statuamus si placet, quintum quoddam genus causarum, quod instrumenta contineat. Quod si rationum momenta id solū efficere nō possunt, quod quærimus, repugnante scilicet Aristotele, & testibus sit opus, adferimus Platonem, & Galenum, qui contra Aristotelem sentiunt, nobisque fauent.

Instrumenta quomodo à causis efficientibus differant.

Instrumenta non esse referenda ad causam finalem. Et quando habeant rationem finis.

Instrumenta esse quintum genus causarum.

Cæterum addendam esse aliam causam censeo, quam Cicero *in Topicis*, & Galenus *passim* vocat sine qua non, definitque esse huius generis causam, quæ quidem perfectionis nihil addit rei, quæ fit, ab illis tamen, quæ conferunt, seiungi non potest: vel vt breuius dicam, causa huiusmodi est, sine qua res fieri nequit: nam si tot ponendæ sunt causæ, quot sunt quæsita, & interrogationes genere inter se differentes, hæc omnino alterum genus causarum faciet: Vt enim quærendo, à quo res fiat, efficientem quandam causam constituimus ab aliis diuersam: sic profecto cum quærimus, cum quo, aut sine quo aliquid peragatur, aliud causarum genus ponimus tanto ab aliis diuersum, quanto interrogatio ipsa ab aliis discrepat. Quod si hanc non recipiamus causam, sub quo, quæso, alio genere tempus, locum, spatium, in quo fit motus, priuationem, motus terminum à quo, & in quem definit, comprehendemus? quæ tamen omnia rationem reddunt ab aliis causis genere diuersam, & proinde causarum genus requirunt ab aliis alienum: Si enim reliquæ causæ eædem ponantur, diuersa autem sint vel tempus, aut locus, fiantque ab illis, quas statuunt causas, diuersa, statim huius differentiæ causam prouenire dicimus, vel temporis vel loci ratione: quo modo tempus vel locum vni defuisse ad agendum idoneum, alteri hæc apta extitisse dicimus: Eodem pacto si quis quærat cur idem ab eodem fine impulsus citius a Pisana vrbe Lucam, quam Florentiam perueniat: non aliam sane inueniet causam, quam quod vna breuior, quam alia sit via, siue spatium, in quo motus peragitur. Quod etiam Aristoteles *libro sexto de Physica auscultatione* monstrat: vbi differentiam lationum, cæteris causis paribus positis, nunc in tempus, nunc in spatium diuersum reuocat. Eodem pacto si quis petat causam, cur nigrum in album, & color in colorem solum permutari valeat: causam profecto nullam audiet, quam quæ ex priuatione, & terminis mutationis sumitur: quod s. ex contrario in contrarium duntaxat mutationes fieri possint: si quæ vero alia sub hoc genere causarum contineri videbuntur, postea docebimus. Nunc vero satis sit ostendisse genus aliud causarum addendū esse, quod sc. comprehendat causam sine qua, & cum qua aliquid obitur. quod si duplex genus efficere velis, vt differre videtur interrogatio sine quo, ab ea, quæ petit, cum quo aliquid fiat, non magnopere impedio. Est vero, & aliud adhuc causarum genus à prædictis diuersum, quod caussam assignat, cum petimus, cur in aliquo fiat vnū, in alio aliud, quæ propterea causa in quo, merito vocabitur: cur enim inflammatio cordis perimet, quæ vero carnosas partes affligit salutaris existat, causa est id, *in quo* inflammatio nascitur. Ad hanc causam pertinet, quod Aristoteles quærit, cur s. Sol ceram liquet & fundat, lutum vero cogat & induret, docetque causam esse huius diuersitatis id, in quo sol agit, quod profecto sub nullo alio genere hactenus est comprehensum. Nec illis quidem assentior, qui hoc genus causæ ad materiam referunt: propterea, quod materia ab Aristotele definitur hoc solo cum causæ rationem obtinet, quod ex ea existente in re, quæ fit, aliquid componatur: quamobrem tantum hoc causarum genus, quod quærimus, à materiali causa discrepare necesse est, quantum differt dicere in quo, ab eo, quod est, ex quo quidpiam proueniat: Itaque si est vera ratio, qua Aristoteles vtitur ad causarum numerum constituendum, quod scilicet tot sint genere inter se discrepantes, quot quærit quæstio propter quid genere inter se differentia, cogimur omnino alias omnes adiicere, quarum mentionem hactenus fecimus; præsertim cum Aristotelis ratio nullo modo repugnet.

Causa sine qua non.

Causa in quo.

pugnet: nam quod illud sit causa, quod assumitur ad rationem reddendam, cum quæritur propter quid aliquid fiat, & à forma, efficiente, materia, & fine ratio huiusmodi petatur, certissimum quidem est. At propterea hæc non efficiunt, quin plures reperiri caussæ possint, nec certa aliqua ratione ostendit, perfectum esse, quem ponit, causarum numerum. Addendum enim fuerat, & probandum (posteaquam enumerasset quatuor illas, quas ponit) fieri non posse, vt plures inueniantur: nam si plura ipsum propter quid cōplecti inueniemus, cogetur profecto causarum numerum vsque adeo augere, quamdiu nihil reperiemus amplius, quod quæri possit ab alio genere diuersum: qua ratione si vniuersum causarum numerum excutere velimus, octo omnino genera constituemus, *quoniam octo quærimus, nec plura quæstio propter quid complecti videtur*: vel enim petimus, quid faciat rem esse, siue quid res sit, & formam assignamus, vel à quo res fit, & efficiens adferimus; vel ex quo conficiatur, quæ materia est; vel in quo, quod est subiectum; vel cuius gratia, & finis ratio est; vel per quod, ad cuius quæsitum instrumentum respondemus; vel sine quo nullo modo, aut cum quo melius, faciliusque res peragitur, id quod est quærere causam sine qua non, vel cum qua; sub quibus, vt diximus, cōmunia hæc omnib. continentur, tempus, locus, termini motus, spatium, in his, quæ motu locali feruntur, & motus etiā ipse, & in his, quæ gignuntur, alterantur, & deniq; in aliud transmutantur, priuatio additur, quæ etiam huius generis causa censenda est, quandoquidem absq; illa mutatio huiusmodi fieri nequit. In singulis vero operationibus propria quædam alia inueniuntur, veluti imbecillitates partium causę sunt, vt eo potius decumbant fluxiones, quam in alias partes, quod causæ genus sub nullo alio contineri potest. Non enim imbecillitas fluxiones efficit, sine ea tamen fluxio non suscipitur, at facilius, vel melius, aut semel recepta diutius conseruatur. Eodem modo retentio alimēti in ventriculo causa est bonæ coctionis, quæ illic peragitur, aut non vt efficiens, siquidem id ad alteratricem, coctricemq; facultatē spectat: nec vt forma, vel materia, aut finis, nec denique vt alia ex prædictis causis; quare merito in genere causarum sine quibus non, hęc collocatur. Sunt, vt diximus, in omni fere opere huiusmodi quędam causę, quas sigillatim prosequi, aut certo rerum genere comprehendere non licet, id tamen, quod omnibus commune est & earum naturam docet, explicare possumus: vt eas scilicet huius generis putemus esse, quæ cum in nullo alio genere collocata reperiuntur, id ei, quod fit præstat, vt sine illis nullo modo aut cum illis facilius, vel citius, aut vehemētius actio fiat, vel diutius perduret, aut alia conseruentur, vel melius denique aut deterius res perficiatur. Quod si quis rei qualitatem, quantitatem, agēdi modum, ordinem, addenda esse putat, quod etiam sine his res fieri nequeant, non prohibeo; mihi tamen videntur hæc in efficiente sæpius includi, neque enim efficiens dici potest, quod ad agendū qualitatem, quantitatemq; idoneam non habet, modumque & ordinem necessariū non seruat, quando etiam quædam, hac sola ratione efficientia euadunt, cum suapte natura alioqui non sint, quēadmodum cibi temperati morborum nō dicuntur causæ, nisi vel quantitate excesserint, aut intempestiue, vel peruerso ordine ingerantur, vel denique in aliquo ex aliis scopis, de quibus suo loco agetur, fuerit erratum: venena vero statim suapte natura morborum effectrices causæ censentur: veruntamen nonnunquam hæc etiam reddunt causam ab efficiente diuersam, quo fit, vt nunc ad genera causarum, de quibus modo agimus, nempe ad causam sine qua, vel cum qua, redigantur; Veluti cum petimus, cur prius frigoris externi occursum sequatur cutis astrictio, quam caloris ad internas sedes reuocatio; vel cur inutilis, noxiaque etiam sit expulsio humorum, quam concoctio non præcessit, causa non nisi ab ordine petitur, quod scil. ita comparatum sit, vt illa præcedere, hęc vero subsequi debeant. At si quis causam requirat, ob quam idem eodem instrumento, & sine impulsus diuersa vulnera feriendo eidē parti inflixerit, diuersus percutiendi modus causam reddit, quod scil. inæquales fuerint ictus, vel alio modo inter se discrepantes.

Cæterum si quis nonam causam addendam esse putat, quæ dicatur causa circa quod, forte nō errabit; quandoquidem hæc ab aliis diuersa esse videtur. Atque hæc quidem de generibus causarum, quæ duce ratione, & earum necessitate, vtcunque licuit, excogitauimus; licebit vero aliis meliora forte inuenire, id quod maxime cupio. Interim tamen non possum cum Aristotele, & aliis Peripateticis cōsentire, eorummet principiis & rationibus impulsus. Nec iis quidem moueor, quæ in Aristotelis defensionem adferri forte possent, quod scilicet ille solum de caussis necessariis & per se agat *in Physicis*, & quod istæ, quas nos addimus, cōcausæ potius sint, quam causæ, vel etiam, quod ad eas, quas illi statuunt, redigantur. Nam si absque illis, quas nos ponimus, nihil fieri potest, patet, maximam esse earum non minus, quam aliarum necessitatem. Præterea non solum de necessariis, sed etiam de aliis, quæ sunt per accidens causæ, agit Aristoteles *in Physicis*. Cur deinde de omnibus non pertractabit, quibus causæ definitio conuenit? Quod si illis etiam concedamus, ad naturalem philosophum non pertinere de aliis causis agere, saltem illud non negabunt, in Metaphysicis, vbi quod commune est omni artifici, docetur, hæc non fuisse prætermittenda: vel enim ad logicū, vel metaphysicum spectat causas omnes, quæ scientiis, & artibus singulis sunt necessariæ, explicare. At nusquam id facit Aristoteles: cum in Logicis numerum non quærat; In Metaphysicis vero iisdem fere verbis, eodem numero (quasi eadem esset physici, metaphysicique tractatio) causarum explicationē complectatur. Cur vero concausas & non causas vocabimus, & quomodo causę verę non fuerint, si illis definitio competit? siquidem vnumquodque prædictorū aptissime assignamus, cum propter quid, siue ratio eius, quod fit, quæritur: cur præterea ab initio causas à concausis non seiunxit Aristoteles, & diuersis definitionibus earum naturam nō est cōplexus? Non prætermissas eas fuisse ab Aristotele, eo quod temporis, motus, loci, & priuationis mentionem alibi faciat, absurdum est dicere: Nō enim quid sigillatim tradat, & necessitate coactus, cum non possit omnes affectus in suas causas redigere, quærendum est; sed quid sentiat, vbi ex proprio instituto numerum causarum inuestiget

Add. etiam posse nonum genus, causam scilicet circa quod.

gat: At ſi has non prætermiſit, quas nos addimus; cur non plures, quam quatuor eſſe ſtatuit? ſi modo genere inter ſe diſcrepant quatuor illæ ab aliis, vt nullo modo vna ſub alia cōprehendi queat. Id quod clarius profectò eſſe puto, quam vt doceri à nobis debeat. Cum enim probatum ſit, & etiā res ipſa ſatis per ſe oſtendat, prędictas omnes quæſtiones, ſiue interrogationes genere inter ſe differre, aut omnes inter ſe eodem modo diſtingui debent, aut nullæ, ſed vnicum genus ponendum; ad quod aliæ omnes reuocētur. Adde, quod docendi ratio ita facilior redditur, cum diſtincta fiunt genera: quandoquidem alioqui neceſſe eſt controuerſias naſci, cum nonnulli eaſdem cauſas ad vnum genus; alii vero ad aliud potius referre poſſint.

Cap. III.

Quot modis vnaquaque ex prædictis cauſis dicatur.

Materiæ nomen variè accipi.

LEgentibus Galenum patere puto, materiæ nomen varie capi; Nam *in libro*, cui titulum fecit, *an ars tuendæ ſanitatis pertineat ad Medicum*, duplicem ſtatuit ſubiectam materiam; vnam, in qua; aliam, ex qua. Sic Dioſcorides materiam medicam vocauit ea, quæ ad corporis præſidium à Medicis adhibentur; verum nos materiam proprie vocari diximus, autore Ariſtotele, ex qua ingrediente compoſitionem aliquid fit: Cauſam vero in qua, ſubiecti nomine aptius donari puto: hoc enim modo accidentia in ſubiecto eſſe, & alterationes omnes in ſubiecto fieri, & recipi dicimus; quanquam tamen etiā ſubiectum pro materia, & hæc pro illo nonnunquam ſumatur, quēadmodum materiam ſubiici contrariis, & ex ſubiecto aliquid fieri, pro eo, quod eſt ex materia, ſępius ſcribit Ariſtoteles: Et nos materiam coctionis alimentum eſſe dicimus, non quod ex ea, ſed in ea potius concoctio fiat. Cæterum remedia, præſidiaq; omnia, quibus Medicus ad hominum ſalutem vtitur, ideo materiæ nomen acceperunt: quod ex illis variæ efficiantur compoſitiones ad tuendam ſanitatem, vel morbos profligandos: nam cum ſimplicia adhibentur auxilia Medicorum; non ex illis, ſed ab illis, quod fit, prouenire rectius dicimus: quemadmodū ſane vniuerſum remediorum genus efficientis rationem ſubit; ſi ad id referatur, quod in nobis parit. fiunt enim in corpore mutationes *a* remediis, non *ex* illis: ſiquidem affectus corporis ex materia medica minime conficiuntur. Sit ergo materia vna, ex qua, quæ rei ineſt, quæ fit; & quæ proprie materia dici debet, quemadmodum cum hominem ex ſanguine gigni, tanquam ex materia, dicere conſueuimus. Alia vero in qua, quæ verius ſubiectum vocatur, quomodo febrem accēdi in ſpiritibus, vel humoribus, & morbū eſſe in corpore, & deniq; accidentia in materia tanquā in ſubiecto eſſe intelligimus. Adde tertiam, ſi velis, materiam, quę à qua, vel etiam magis improprie ex qua; quæ efficientis naturam ſubit: veluti cum intemperiem à bile fieri; & ſanitatem à materia medica parari dicimus, propterea quod in eo humore vis ſit intemperaturæ gignendæ: in remediis vero efficiendæ ſanitatis.

Remedia cur dicantur materia.

Materia ex qua.

In qua.

A qua.

Porro inter ea, quæ efficiunt aliquid, eſſe nonnulla, quę per accidēs efficientia dicantur, omnibus notū eſt; quemadmodū illud etiā, quod quædam ſint propinqua, alia remota efficientia: Verū non perinde conſtat, quot modis quæ per ſe, vel per accidēs agunt, dicantur: Aliter enim Sol, aliter homo gignit hominem: aliter ventriculus fluxionum ad pectus decumbētiū autor cēſetur, quam expultrix cerebri facultas; vel ea, quæ ipſum cerebrum calefaciunt, aut refrigerant. Qua in re cœpit quidē Ariſtoteles exemplis docere diuerſam hanc efficientium naturam, cum ſcribit, alio modo conſultorē, alio patrem efficere, quid faciunt; verū nulla certa docēdi methodo omnes diuerſos efficientium modos complectitur, ſed ex duob. poſitis exemplis, cum ait & omnino faciens facti, & mutans mutationis autorē eſſe; nobis varietatem hanc, non ſine difficultate excogitandam reliquit. Nec oportet quidem exiſtimare, ſuperflue hęc quęri, quādoquidē ob diuerſos modos, quib. aliquid fit, admonemur, diuerſis præſidiis, diuerſaq; agendi ratione vtendū eſſe. Aliter enim morbos curamus eoſdē, ſi diuerſo modo, & à diuerſis efficientib. excitati fuerint: quapropter nitendū eſt docere, quot modis aliquid efficiēs dici poſſit.

Efficiens quot modis dicatur.

Dicitur itaque illud vno modo efficiens, quod rebus formam præbet; quo modo homo hominem efficere dicitur: Alio modo vocatur efficiens, quod materiam ſuppeditat, qua ratione cibos multos fluxiones excitare putant Medici, quod materiam largiantur, quæ fluxiones pariat: Idem facere dicimus ventriculum, cum male cōcoquit, male namq; concocti cibi cruditate corporis partes aggrauant, fluxioniſq; autores euadunt: Et fœminam procreare liberos hac ratione credimus, quod materiam ſuppeditet, ex qua fœtus cōformatur. Quinetiam quod materiā commouet, efficientis nomen merito ſibi aſſumit, qua quidē ratione expultrix vis cerebri, eo quod humorem impellat; Sol quia liquando commouet, & externum frigus comprimendo diſtillationes ad partes ſubiectas excitare dicuntur. Quæ vero inſtrumenta præbent, putantur etiam eius, quod fit, efficientia, quo modo quæ calorem augent in cerebro, ex quo vigiliæ; vel in corde, vnde ira, illorum autores ſtatuuntur, propterea ſcilicet, quod calorem excitant, quo natura ad omnes actiones tanquam inſtrumento vtitur. Eodē modo cum concitaſſe bellum putamus, qui alteri arma, equos, pecuniā, & alia belli inſtrumenta ſuppeditauerit. Numerantur quoque inter efficientia, quæ agendi vim, rationemq; præbent, quandoquidē qui conſilium dat alteri, non alio modo autor eius, quod fit, eſſe cenſetur, quā quod agendi rationem doceat. Ad hęc quæ finem, vſumque rei euariant, efficientium nomen aſſumunt: hoc modo corporis, animique motus magnos pulſus facere dicimus: eo quod pulſuum vſum mutent, cuius occaſione, pulſus etiam variantur. Nec alienum quidem eſſe puto, vt ea, quæ præbent ſubiectum, & cauſas, ſine quibus, aut cum quibus res peragūtur, inter efficientia recipiamus: hoc enim modo alimenta etiam, quæ ſanguinem, aut bilem copioſam gignūt, morbos peperiſſe intelligimus, quod materiam exhibuerunt, in qua, mutatione prius in humores facta, febres naſcuntur; An nō etiam mortis autorem eum dicemus fuiſſe, qui locum, aut tempus ad occidendum aptiſſimum alteri indicauerit, vel potius ſuppeditauerit? Itaq; (meo quidem iudicio) non errabimus, ſi illud efficiens ſtatuamus, quod cauſarū ſingularū beneficio ſuos effectus molitur; quandoquidē primo,

& immo-

& immediate nihil aliud efficere inuenitur. Proprie tamen efficientia à philosophis vocatur, quæ formam rebus inducunt: Ac etiam inter ea, quæ ordine quodam sese consequētia, aliquid faciunt, priora posteriora mouentia, eorum denique, quę fiunt, efficientia ponuntur; Lædit enim actionem intemperies, hanc efficit (si velis) caloris excessus, hunc accendit motus, qui ob id actionem quoque vitiare dicitur. Cæterum, efficientes causæ ab eo, quod faciunt, denominationem sumunt, sic enim gignentes, augentes, alterantes, iuuantes, lædentes, conseruantes, & denique hoc, vel aliud efficientes, vel proprio nomine, vel adiunctione eius, quod fit, dicuntur. Quinetiam illud ignorandum non est efficientes causas cum subiectæ materiæ ratione, minimo accepto momento, res quępiam fit, *προφάσεις*, id est, occasiones vocari. Nam hoc modo vbi corpus putridis febribus est expositum, & ex ira, vel insolatione, aut alia quacunque leuissima caussa in eas incidit, in materiam causam reiicimus; generationi vero occasionem dedisse, quæ leuiter in corpus egerunt, dicere solemus. Postremo in definitione efficientis, quam tradit Aristoteles, aliquid notandum esse existimo; si enim id solum statuamus esse efficiens, quod primum principium est mutationis, quæ mora mouent & tamen instrumenta recte dici nequeunt, ab efficientib. seiungere cogimur, & aliud causæ genus, quo ea contineantur, nulla cogente necessitate, constituere. Veluti externum frigus primo refrigerare corpus dicimus; ex frigore vero adstrictionem nasci; ab hac propelli humores, qui varios postea morbos pariunt: quæ omnia profecto illorum morborum efficientia sunt; nec vnum alterius instrumentum apte vocari potest. *Quamobrem nobis sit illud efficiens, à quo aliquid fit, siue primum sit in agendo siue à primo impulsum. Illud vero sit instrumentum* (vt diximus) *per quod fit*, quod quidem duplex statuunt esse Medici, atque etiam philosophi: vnum commune; aliud peculiare & proprium: vocant autem commune instrumentum in nobis, per quod vniuersæ corporis actiones peraguntur: estque illud *calidum innatum*, de cuius natura, vt varie sentit Galenus, ita *in libro secundo de Causis symptomatū* commune instrumentum, vel sanguinem vel spiritum, ipsum calorem, qui in illis est, vocat: pluraque ob id huius generis instrumenta ponit. Vtitur autem natura ad omnes actiones tum animæ, tum corporis sanguine, & spiritu. Peculiare vero instrumentum est, quod singulis actionibus obeundis potissimum est à natura comparatum, vt oculus visionis, ventriculus coctionis, neruus sensus, musculus motus instrumentum vocatur. Atque hoc quidem duplex statui potest: nam quædam ex propriis vere instrumenta, alia vero similitudine, proportioneve potius dici debent: siquidem neruus vere est instrumentum: cute vero ad sudores eiiciendos natura *tanquam* instrumento vtitur, cum per eam aquosum humorem foras extrudit: sed diuersa profecto ratione, quam per neruos singulis partibus sensum impartiatur, quippe cum neruus agendi vim habeat à facultate impulsus, si modo sentiendi vis per eum in alias partes spargitur. Cutis vero nihil efficiat, sed tanquam subiecta materia viam exeunti humori præbeat: capit tamen aliquid et instrumēti ratione, cum potius per eam, quam in ea sudores euocari dicamus. Quinetiam inter vera instrumenta aliud est præcipuum, quod in toto instrumento maximam ad agendum vim obtinet: quo modo Galenus humorem cristallinum præcipuum visionis instrumentū vocat, nimirum, si ad alias oculi partes referatur, quæ præcipua non sunt instrumenta. Ipse vero oculus simpliciter visionis instrumentum dicitur.

Proprie efficientes secundum philosophos.

Instrumentum efficiens duplex. 1. Commune.

2. Peculiare horumque duplex.

Formam re vera considerat Medicus, cum de corporis constitutione agit, & non aliā quærit prę ter illam, quam actionis autorem agnoscit. Temperiem namque corporis, formam, & non animā statuit esse, propterea quod mutatione temperaturę, actiones mutari, atque etiam animam ipsam à corporis temperie vario modo affici conspicit: quanquam Galenus nonnunquam liberius animæ essentiam, philosophorum more, definire aggreditur. Cum vero de morbo, & sanitate agimus formam spectamus ad proportionem, vt cum febrem intemperiem calidam definimus, compositi enim, & non accidentium sunt veræ formæ.

Forma vera consideranda.

At finem considerat simpliciter, vt finem, veluti cum finem coctionis dicimus esse assimilationem. Nunc vero sub nomine vtilitatis, & vsus, quemadmodum commutationis pulsus, & respirationis varium vsum, cuius gratia fiunt illi, *tanquam* finem ponit Galenus. Reliqua vero, quę ad alias causas pertinent, vel partim sunt superius explicata, vel per se ita patent, vt enarratione nostra non egeant.

Cap. IV.

De causarum differentiis.

Causarum differentias enarrat Aristoteles, cum mutato nomine, *τρόπους*, id est, modos causarum se docere scribit: Nam dicere quasdam esse rerum causas per se, quasdam per accidens, alias vero potentia, nihil aliud est, quam eas differentias explicare, quibus causę inter se differūt, verum certa docendi methodo differentias eas non complectitur: quippe qui non doceat, à quibusnam differentiæ sumi debeant, nec ex ea tractatione constet qui, quotve modi, siue differentiæ esse possint: relinquit enim semper aliquid explicatio rerum, quæ à certis capitibus non auspicatur, sed singula quæque prosequi nititur: id quod hoc potissimum loco ostenditur, vbi Aristoteles plurimas differentias omittit, cuiusmodi est ea, quod inter causas quædam sint æternæ, aliæ caducæ & corruptibiles: & illa, qua dicimus quasdam esse certas, alias incertas: quod quædam præterea sint præstantiores aliis, vel maiorem aut minorem vim ad agendum obtineant: & deniq; innumeræ aliæ huiusmodi differentiæ reperiri possunt, de quibus oportebat omnino fieri mentionem: aut certe capita, & fontes indicari, à quibus quæ relinquerentur ob incomprehensibilem singularium specierum multitudinem, facile duci possent. Nec illud quidem existimare oportet eas enumeratas ab eo fuisse, quarum esset in philosophia aliquis vsus, illas autem prætermissas, quæ inutiles ab autore putarentur: cur enim quæso (si vsum spectemus) de his etiam, quas nos addidimus, nō meminit Aristoteles? quippe qui tam complexam, incomplexamque causam, quam

inter sua tenumerat, in vsum ducat; statim vero vtatur eo modo, quem prætermisit; quod scilicet quædam sint incertæ, quædam certæ, nimirum cum fortuna, & casus hoc modo potissimum ab aliis differant; An non etiam æternæ causæ, & corruptibilis necessitas maxima ostenditur cum insequentibus libris æterni motus, æternam; corruptibilis corruptibilẽ causam esse probat? quid? quod finalem causam cæteris præstare alibi contendit; quod nemo intelligere posset, qui prius ex hac tractatione (vbi omnia, quæ ad hanc rem pertinent, summa diligentia tractari debent) non didicisset, causas hoc modo inter se differre posse, quod quædam sint aliis præstantiores. At ne singula prosequamur, vnusquisq;, qui tergiuersari nolet, intelliget, non solum parum esse harum omnium differentiarum rationem, sed etiam artem esse ab Aristotele prætermissam, quæ omnes differentias summatim per capita complectatur.

Præcipuæ differentiæ causarũ à quo & quibus emergunt.

Itaque cum causæ ad id comparatæ sint, vt aliquid conferant ei, quod fit, merito à tribus præcipuæ differentiæ emanabunt; *nempe ab his, quæ conferunt ad agendum; ab his, quæ aguntur; & vario agendi modo.* A natura quidem & proprietatibus causarum, hæ differentiæ sumuntur, cum dicimus quasdam esse æternas, vt cœlum; quasdã corruptibiles, quæ scilic. *ex* corruptibili materia, aut *in* ea consistũt: Item quod quædam omnium præstantissimæ, vt finis, quædam omnium abiectissimæ, vt materia: Itẽ quod quædã complexæ, aliæ incomplexæ, & simplices: quędam vniuersales, quædam particulares. Ab eodem fonte ducitur hæc differentia, cum dicimus, causas inter se differre, quod quædam sit vt materia, quædam vt forma, & denique aliæ, vt aliud quidpiam ex prædictis. Item quod aliæ sint generales, aliæ particulares, cuiusmodi etiam est quam fere solam scriptores de medicina nouerunt, cum causas diuidunt, quod quædam scilic. sint procatarcticæ, quædam antecedentes, aliæ vero coniunctæ; nã quoniam eorum, quæ causæ sunt, quædam procatarctica, quædam antecedentia, alia vero cum suis effectibus cõiuncta existunt, ob id hanc differentiam ab illis capiunt. Ab eodem etiam capite emanat ea differẽtia, qua dicimus, morborum causas quasdam ab his, quæ assumuntur, nonnullas ab his, quæ admouentur, alias ab his, quæ excernuntur, vel à nobis fiunt, prouenire: & deniq; si quæ aliæ à rebus ipsis, quæ causa existunt, huiusmodi occurrant, differentiæ duci poterunt.

Differentiæ à causarum natura.

Differentiæ ab his, quæ à causis fiunt.

Cæterum ab his, quæ ab ipsis causis fiunt, differentiæ sumuntur, quod quædam intemperiem committant, aliæ continuum soluant; quædam leues morbos solum, aliæ graues suapte natura inferant, nonnullæ animum, aliæ corpus lædant & si quæ aliæ huius generis sunt differentiæ.

Ab agendi ratione.

Iam vero ab agendi ratione hę peruntur differentiæ, quod quædam per accidens, aliæ per se agant: quædam actu, aliæ potentia; quædam certę, aliæ incertæ; remotæ quædam, aliæ propinquæ, mediatæ, vel immediatæ; quædã prior, alia posterior. Item cum dicimus, quasdam valide agere, cuiusmodi sunt, quæ vulnerando, aut à tota substantia nos lædunt, vt actiuæ qualitates; alias vero leuius, vt qualitates, quæ passiuæ vocantur, quasdam præterea intus solum vim suam exercere, vt cibum & potum; quasdam foris duntaxat, qualia sunt, quæ vulnerando corpori nocent; alias intus, & foris obesse, & prodesse, vt aërem ambientem; nonnullas item per interualla agere; alias perpetuo, vt aërem ambientem. Ac ne singula prosequamur, à diuersa agendi ratione, constet differentias sumi posse. Atque hæc quidẽ de causis communia hactenus habuimus cum philosophis, à quib. nostra orta est medicina: cætera autem, quæ sequuntur, peculiaria erunt arti, quam profitemur: Nam etsi quædam alia postularet de causis tractatio omnibus artibus communia, cuiusmodi essent, si quis vim causarum, & in illis inueniendis progressum quendam & modũ doceret, quo facile omnes, & reperiri, & inter se distingui possent (quæ certe artem omnibus disciplinis communem desiderant) tamen ne videamur, quod proprium est philosophorum, nobis vendicare velle, illis relictis, ad ea, quę sunt nostrę arti propria, & summopere necessaria; nec satis à Medicis explicata, properandum esse duco.

Cap. V.

Quorum causas Medicus inquirat.

ILlud imprimis in hac re tradendum esse puto, vt doceamus, quorum causas Medicum quęrere oporteat. Cum enim diuersarum rerum diuersæ sint caussæ, nec omnes in omnibus quæ fiunt, sint necessariæ, reperianturve, postulat profecto docendi ratio, vt quemadmodum causarum genera, & differentias explicauimus, sic etiam genera, differentiasq; eorum, quorum causas inuestigamus, philosophorum imitatione doceamus: Nã Aristoteles *statim ab initio tractationis de causis lib. 2. de Naturali auscultatione* proponit, quorũ causas philosophũ inquirere oporteat, nempe generationis, corruptionis, & omnis mutationis. Igitur vt in vniuersum dicam, *Medicum necesse est corporis, & animi, illorumq; passionum, & affectuũ, qui ab illis proueniunt, causas tenere:* corporis quidem causas scrutatur, cum quærit, qua ratione totum ipsum hominis corpus, illiusq; partes hoc, vel illo modo sunt constitutæ; cum præterea docet, animalis generationem ex sanguine, & semine fieri, elementorum mixtione temperiem corporis resultare, ex similarib. instrumentarias partes constari, totum ipsum hominem, omnesq; illius partes non temere, sed vtilitatis alicuius causa fabricatas, & deniq; cũ de corporis generatione, & compositione, quantũ permittit illius professio, ex propriis principiis ratiocinatur. Eorum vero, quæ ad animum pertinent, causas disquirit, cum docet, qua ratione ira, tristitia, & aliæ animi perturbationes sedari, atque etiam persanari possint. Quid item tardiora ingenia excitet, quid remissiores, abiectosque animos intendat, & commoueat; vel denique docet, qua ratione corpus ab animo, & hic vicissim ab illo afficiatur: cum vero sanitatis, morbique causas, qua ratione diuerso modo à medicamentis alimentisque afficiatur corpus, quærit; eorum, quæ corpori accidunt, causas petit. Iam vero cum bonæ vel malæ coctionis, coloris, & aliarum qualitatum excrementorum corporis generationem, mutationemq; expendit, cur præterea certis temporibus quædam mutationes in corpore proueniant vtiles, alię vero in aliis noxię, & quare protinus excretiones, quæ per conuexas, & e directo positas

partes

partes cum affectis sunt, aliæ autem obsint, causas explicat eorum, quæ corporis constitutionem sequuntur: Ac vbi causarum ordo aliquis reperitur, causarum ipsarum causis etiam conquirimus; vt cum in febre calorem ex prohibita transpiratione, illam ex obstructione, hanc rursus ex humoribus crassis, vel viscidis, vel multis, huiusmodi vero humores ex ipsis alimentis, vel otio, aut aliis causis procreari, ostendimus.

CAP. VI.

Quid morbi causa sit.

QVoniam nostri non est instituti in hoc opere causas prædictarum rerum, præter quam morborum illorumque partium, & symptomatum explicare, ideo superfluum esse duco, hoc loco corporis constitutionis, eiusque aliarum passionum causas, quas abunde philosophia docet, prosequi, quando etiam tota huius rei ratio in supradictis causis posita, non magno labore inueniri potest ab eo, qui huius rei studio teneatur. Quamobrem ad morborum causas accedamus, imprimisque quid sit morbi causa, quomodove intelligi debeat, ostendamus, quod varie quidem & aliquando diligentius, alibi vero negligentius Galenus noster facit: Cum enim causam morbi dicit esse *primo de locis affectis*, qua tangente afficimur, quaque recedente quiescit affectus, negligentius quid causa sit, definit: Externæ namq; causæ afficiunt quidem corpus cum adsunt, nec illis ablatis recedit, quem pepererunt, affectus, quæ tamen ab eo etiam causæ dicuntur. Veluti cum diariarum febrium causas ponit esse insolationem, exercitationem, crapulam, vigiliam, & reliqua huius generis, quæ abeunt concitatis suis morbis: est quoque parum accurata ea definitio, quam tradit *in libro de Differentiis symptomatum*, vbi illud dicit esse causam, quod suos effectus iam peperit, nec amplius facit, siquidem potius causæ censentur esse, vt *in lib. de Constitutione artis* scribit, cum agunt, quam quod agere possint, vel egerunt: quemadmodum sane nemo negauerit, crassos humores, qui obstructiones pariunt, illius causam esse: Nec vero recipienda est ea definitio, quam assignat alio loco *in libro de Differentiis symptomatum*, quod scilicet illud sit causa, quod ex sua natura ei, quod fit, partem aliquam generationis confert, propterea quædam etiam sunt nõ suapte natura, sed per accidens causæ. Atque hac ratione excluderentur etiam causæ, sine quibus non quas nihil perfectionis rei, quæ gignitur, præbere meminit: Quinetiam quæ ad auctionem, & conseruationem morbi faciunt, hac definitione non sunt comprehensæ, quas tamen inter morborum causas, *septimo libro Methodi medendi*, complectitur, cum eas in gignentes, & augentes diuidit. At *in libro De Arte medicinali* diligentius quidem, sed non perfecte, quid causa morbi sit, ostendere nititur, cum causam in salubrem, siue morbosam eam statuit esse, quæ vel morbum efficere, vel factum conseruare potest: Non enim hac definitione complectitur eas, quę morbum augent. Quamobrem communi generalioreq; definitione dicamus, eam causam morbi esse, *quæ quocunque modo aliquid morbo confert*; Conferunt autem quædam, eo, quod constituant, aliæ quod morbum gignant, aliæ quod augeant, aliæ quod genitum conseruent, aliæ denique quæ etsi præcipuam vim non præbent, sine illis tamen nec gigni nec augeri, aut conseruari morbus potest. Constituit morbos propria vniuscuiusq; forma, vt febrem intemperies caloris excessu nata: eandem gignunt, quæ intendendi calorem vim obtinent, tanquam efficientes causæ; & quæ materiam suppeditant, ex qua morbi gignuntur, & subiectum præbent, in quo morbi resident, qua ratione inflammationem ex sanguine gigni, quod ex tali materia ipsæ partes inflammationes contrahant, & febres hecticas in solidis partibus, putridas in humoribus, diarias in spiritibus oriri (tanquam conferat aliquid ad eorum morborũ generationẽ subiecta materia) dicere solemus. At vero alienũ non est, eas auctrices ponere causas morborum, quæ vel primo eum pepererunt, aut alia, quæ eandem vim obtineant, vt æstus, quas excitauit febres, easdem intendit: idem eas, quas labor peperit, auget. Idem facit materia, & subiectum. Etenim inflammationes ex sanguine primum conflantur, & perseuerante illius affluxu crescunt: & corrupti humores, vt generationis morborum, sic etiam auctionis autores existunt: conseruant, quæ augendi quidem vim non habent non tamen propterea morbos propellere possunt, quales sunt causæ, quæ eiusdem sunt naturæ cum gignentibus, & augentibus, sed imbecilliorem vim sunt sortitæ: nam contrariam vim habent morbis, eos tollunt, nec morbosæ, sed salubres causæ sunt censendæ. Non habent quidem præcipuam vim, sed tamen aliquid faciunt ad generationem, auctionem & conseruationem morborum causæ sine quibus, & cum quibus, appellatę, vt postea inferius ostendemus. Illud vero hoc loco sciendum est, quod etsi causa potissimum dicitur, cum actu confert, tamen etiam illæ, quę potentiam ad id habent, à Medico contemnendę non sunt. Eas enim quæ facere possunt, & nondũ aliquid faciunt, cum remouemus, pręcauere dicimur; cum vero illis repugnamus, quæ iam morbum committunt, siquidem immediatæ fuerint, curare, sin minus, etiam prouidere, ne obsint, recepto loquendi vsu putamur. Sed hæc diligentius explicabuntur *in eo libro*, in quo *de Officiis medicis* agemus.

Definitiones Galeni reiiciuntur.

Causa morbi vera quæ.

CAP. VII.

Quas causas in morbis quærere oporteat.

CVm in morbis causas quæramus in medicina nostra non tam sciendi, quam agendi causa, vt scilicet earum cognitione eos præcauere, mitigare, illorum incrementa sistere, & denique recte curare, possimus; constat aut de omnibus non esse agendum, aut certe parem non esse omnium prædictarum causarum vtilitatem. Nam & si morborum causæ finem aliquem assequuntur, Medicus tamen eum quantum licet, fugit, cum omnino morbosis causis resistat, nec ob eum finem primo, & per se quicquam moliatur, si quidem natura, & ars sua instrumenta non ad perniciem, sed ad salutem animalis exercent. *Per accidens* itaque, & non primo, nec per se finem morborum, & causas illorum spectat medicus, vt scilicet illo impedito eum consequi possit, qui ad animalis salutem est vtilis, nempe sanitatem, vt pote quæ secundum naturam existens

Quomodo Medicus spectet finem morborum.

Alicuius enim gratia, actionum scilicet secundum naturam, quibus ad vitæ munia egemus, sanitatē comparare studemus, morbos autē nullius causa quærimus, sed nobis nolentibus insperato, temereque accedunt: Finalis ergo causæ in morbis nullus, aut minimus est in medicina vsus: Absentibus vero morbis eorum procreatrices causas quærimus, & quem finem habeant, spectamus, vt illis reluctando morbos præcauere, & sanitatem tueri valeamus. At cum adsunt morbi, quid tandem illorum causę effecturæ sint, inquirimus, vt ex illis signa colligentes recte prædicere possimus, quid sit futurum. At formam in morbis spectamus, cum philosophorum instituto propriam vniuscuiusq; morbi naturā inuestigamus.

Quod in morbis eorum spectamus etiam formam.

Differre namque intemperiem à peruersa instrumentariarum partium structura, propria illorum morborum forma docet: ob quam etiam curationem variamus: Cur enim diuersa remedia postulet intemperies, quam structura dissimilarium, causa est, quod diuersa sit illarum partium forma & natura.

Quod causam efficientem.

Quærimus efficientia omnis generis: nam quid morbum gignat, augeat, foueat, & tollat: quid item per se, aut per accidens: quid iam faciat, quid facere possit, quid vt communis causa, quid vt peculiaris, quid remotum, vel propinquum; denique quod vnumquodq; in morbis præstare valeat, expendimus.

Instrumentum.

Quinetiam instrumentum commune, tanquā causam in morbis quærimus, per quam & morbi gignuntur, & tolluntur.

Materiam.

Nec minus profecto materiam consideramus, cum inuestigamus, ex quo humore tumores consistant; ex qua materia nascantur obstructiones, crassane, an viscida, vel multa.

Subiectum.

Præbet & suos vsus subiecta materia, in qua morbi resident; Ex vario namque subiecto varias rationes, & multiplices in morbis curationes formamus: vt cum sciscitamur, cur inflammationes cordis, & cerebri omnino sint periculosę, alię vero magis tutæ: cur cancri insanabiles, œdema autem facile curetur: cur ex sanguine benignæ febres & salutares; malignæ & pernitiosæ ab atra bile proueniant, in quibus rationē ex materia vel subiecto corpore ducimus, sub quo corporis instrumenta hoc loco comprehendimus. Quippe cum morbi in illis tanquam in subiecta materia sint positi: variant hæc quoque curationem, quando aliter inflammationem, quam erysipelas; aliter febrem, quæ in humoribus, quam quæ in partibus solidis residet: alio modo cordis inflammationem, quā musculi, externæve alterius partis, curamus.

Causam sine qua non.

Multiplex etiam est causarum sine quibus & cum quib. in morbis vtilitas: nam si quis quærat, cur acutus morbus ante decimum quartum non desinat; ratio est, quod nondum ad illud tempus peruenerit, quo solui potest: Ab eodem genere petitur causa, si quis petat, quamobrem morbo sit correptus, qui diutius est apricatus; quoniā scilicet longiore tempore Solis iniurias tulit. At si quis ex sanguine confertim emisso statim liberatus fuerit; alius autem longe postea, cui humor paulatim emanauit: causam habēt diuersi effectus, quod alio modo ab eodē remedio fuerint affecti, qua ratione etiam discrepantibus morbis eisdem causis diuerso modo agentib. homines corripiuntur. Cur vero vix conualescere possint, qui ex vehementi morbo resurgunt, quia sumitur à termino à quo: Quare autem ex tremore cordis homo moriatur, si quis postulet, causam assignari audiet, quod in spatio, & loco, in quo cor ipsum mouetur, aquosus humor contineatur, qui motus libere fieri prohibet: vnde calor visceris, & vita tandem extinguitur. Quod vero quædā partes eiusdē causis fuerint affectæ, aliæ vero minime, earū imbecillitas, & robur, & conformatio, magnitudo, numerus, positura, connexio, raritas, densitas, mollities, durities, varia denique illarum conditio, cum qua facilius, difficiliusve morbi nascūtur, sæpe in causa est; cur autem ex quibusdam morbis nō omnes gignantur, causa ex eo petitur, quod non omnes ita opponantur, vt mutua fieri possit inter eos mutatio. Verum tamen multiplex hic est causarū in morbis vsus, non omnes tamen in omni re, quæ de morbis quæritur, semper & eodem modo considerantur. Vbi enim causas scrutantur generationis morbi, præter alias, causæ etiam, sine quibus generatio fieri nequit, vt tempus, locus, terminus à quo, & reliquæ huius generis eo perpendendæ sunt, quoniam illis renitēdum est. At vbi genitus morbus est, non tam vt causæ, sed vt signa considerantur, ex quibus, quis, qualisve sit morbus, dignoscamus: Eas autem tanquam causas consideramus, quibus præsidia debentur, quæq; agendi rationem mutant; quales potissimum sunt, quæ morbū constituunt, augent & cōseruant; quandoquidem morborum causas, vt aliorum etiam, quæ in corpore nostro peraguntur, eo præsertim consilio inquirimus, vt medicinā factitemus, non autem vt rationem reddamus, siquidē ars nostra ad actionem, non rerum contemplationem cōparata est: quod si aliquando ex causis rationes ducimus; id vel per accidens facimus, quod alioqui eorum affectuum, qui nostra præsidia desiderant, naturam perspicere nequeamus, vel quatenus medicinam cum philosophia profitemur.

CAP. VIII.

De causis morborum procatarcticis, & antecedentibus.

Causarū morbi differentias facile vnusquisq; ad imitationem eorum, quę superius de differentiis causarum generatim dicta sunt, absq; alia explicatione inuenire poterit. Quamobrē id solum superesse video, vt vsum, & proprias quarundam differētiarum significationes, in quibus multos hallucinari puto, breuiter doceamus. Ac in primis quidem occurrunt procatarcticæ dictę causæ, quas nōnulli principiantes, alii aliter, Celsus vero euidentes appellare videtur: Necnon etiam illæ, quas Græci προηγουμένας, nos præcedentes, vel Celsi imitatione, abditas vocare possumus: in quib. quidem explicandis non solum plurimum laborant Neoterici, sed etiā inter se non parum dissentiunt, omnes Galeni varietate confusi, qui diuerso modo hæc nomina vsurpare solet. Etenim *lib. 1. Methodi medēdi, & quarto de Sanitate tuenda*, vocat eas præcedentes, quæ in ipso animalis corpore cōsistunt: Procatarcticas vero, quæ extrinsecus eueniunt; id quod etiam *in lib. de Causis morborum* aperte testatur, tum etiam *initio libri 1. de Causis puls.* vbi præcedentes vocari tradit, quæ in animali ipso continentur, siue affectus sint, siue motiones præter naturam. Procatarcticas aūt non solum sic definit, quod sint extrinsecus positæ, vt superius adductis locis fecit,

sed

sed hoc etiam addito, quod vehementer alterent, immutentque corpora. Qua ratione quæ leues morbos, vt diarias febres committunt, inter procatarcticas *passim alibi* perperam collocaret. At *in secundo commentario de Natura humana*, præcedentes causas definit, quæ morbos efficiunt: Eas vero, quæ ab illis originem trahunt, procatarcticas appellari censet. Quod si ita est, solum licebit pręcedentes vocare, quæ immediatæ sunt, aliæ autem omnes procatarcticæ erunt, & quędã necessario internę, alię externę: Calidũ enim morbum calor ipse committit, hunc humor (si velis) calidus accendit, hic rursus ex obstructione, prohibita transpiratione, incalescit, quæ omnes profecto internæ causæ sunt: Cibus autem crassus, qui obstructionem forte peperit, externa causa. Quinetiam eo, quod scribit, proprium esse diariarum febrium, vt à causa procatarctica incipiant, constat, non solum eas, quæ extrinsecus adueniunt, sed à nobis ipsis etiam excitantur causæ morborum, procatarcticas esse, quippe cum ab ira, mœrore, tristitia, vigilia, & multis aliis, quæ à nobis proueniunt, diariæ gignantur. Quamobrem non mirũ, vt diximus, si Auicenna & alii, qui eũ sunt secuti, in definitione causæ procatarcticę, & antecedẽtis, hac varietate Galeni confusi, errarũt cum procatarcticam describunt, quæ ab externis, vel ab anima prouenit. Nam motum, bubonem, vigiliam, inediam alui fluxũ diarias inferre, & inter procatarcticas causas nõ semel refert Gal. quę tamen nec extrinseca sunt, nec ab anima fiunt: nisi quidquid in corpore fit, ab anima prouenire longius sumpto principio, quam medicina nostra postulet, censeamus. Quod si Galeni opinione ea duntaxat, quæ sunt extrinsecus posita, procatarcticæ causæ nomine continentur, perperam dictũ est, eos morbos à causis procatarcticis nasci, quos animę perturbationes pepererũt, nisi quis (nescio, qua licentia) animam inter ea enumeret, quæ sunt extrinseca. Ac siquis librum de Causis procatarcticis, & locos, quos ex aliis libris adduximus, legat, inueniet, aliter ab antiquissimis Medicis, quam ab aliis, qui Galeni tempore vigebant, aut paulo ante eius secula vixerunt, hæc nomina vsurpata esse. Etenim antiqui procatarcticas causas morborum vocabant alio nomine προφάσεις, id est, occasiones, quod scilicet suapte natura morbum inferre nequeant, sed solum, vbi imbecillum corpus, aut alio modo paratũ ad morbos suscipiendos inuenerint, aut certe non vehementem concitent affectum, nisi subsit morbosa dispositio, quæ causæ agentis vim suscipiat, & vltra promoueat; Veluti ira, lassitudo, tristitia, quæ suapte natura diarias; vbi vero malis humoribus refertũ est corpus, aut præter modum excalefactũ & exiccatum, putridas etiã & hecticas febres procreant: Quanquam tamẽ *libro quarto de Victu acutorum* scribit Galenus, non amplius recte dici πρόφασιν morbi causam, si propria sua vi, & non ob subiectam corporis dispositionem morbum excitet; hasq; ipsas rectius occasiones, quam manifestas causas vocari. Confundit tamen hæc inter se sæpius. Etenim æstũ, frigus, vigiliã, mœstitiam, crapulam, lassitudinem, & quę huius sunt generis, nunc procatarcticas, alibi recentes, vt *libro secundo de Natura humana*; nonnunquam occasiones, vel etiam manifestas omnibus causas, *vt libro primo de Differentiis febrium*, appellare solet. Iuniores au-

A tem Medici, qui post antiquissimos illos superuenerunt, procatarcticas causas vocarunt, quas illi occasiones dicebant: Inter quos etiam placuit nõnullis eas inter procatarcticas solum recipere, quæ externæ forent, alias autem omnes, si modo essent euidentes, quidam tamen occasiones à manifestis causis distinguebant. Quo quidem factũ est, vt cum Galenus nunc hos, nunc illos loquitur diuersa tradat, & à seipso etiam dissentiat, quanquam tamen proprie procatarcticam causam ille (quando ex propria opinione loquitur) intelligere videatur, quæ recens, & simul euidens est, vt *ex primo de Differentiis febrium* patet, vbi eam ita definit; tum etiam ex eo quod occasiones eas nominet, euidentes esse oportet, recentes vero, quo-
B niam *secundo de natura humana*, æstum, frigus, & reliqua prædicta, quæ inter procatarcticas causas ab eo passim recensentur, recentes morborum causas appellet, nullo facto discrimine, siue à nobis nascantur, siue extrinsecus occurrent. Quod si aliquando procatarcticas vocat, quæ sunt externæ, forte id facit, vel quod plurima illarum pars ab externis rebus ducatur, vel quoniam ita patẽt vt non solum Medicis sint perspectæ, sed etiam idiotis, quasi extrinsecus essent positæ: contra plane, quã antecedentes, quæ suapte natura sunt occultæ, & non nisi Medicis cognitæ: vnde merito abditas à Celso vocari diximus, vel ita inueteratę, vt non nisi graues affectus pariant: procatarcticæ vero fere omnes leuiores suapte natura
C morbos procreent.

Cur Gal. eas causas procatarcticas, quæ sunt externas. Causa procatarctica quomodo à præcedentibus differant.

Cap. IX.

De causa morbi coniuncta.

CONiunctam causam tanquam commentum quoddam Auicennæ, & aliorum Arabum Medicorum nonnulli nostræ tempestatis Medici reiecerunt, acrius etiam in illos inuecti sunt; quod non solum rem commentitiam, & à Galeni placitis alienam, sed etiam medicinæ inutilem excogitatam putent: quam tamen (si Galeni autoritate, & ratione certandum est) recipere hi etiam cogentur, qui alios reprehendunt. Etenim Gale-
D nus *passim* illius mentionem facit, vt *in libris de Causis pulsuum, & de Differentiis, & Causis symptomatum, & septimo libro Aphorismorum*, atque etiam contra Iulianum, & *secundo Methodi medendi*, ne infinitos alios locos recenseam, vbi primam, siue proximam, & immediatam rei causam συνεκτικὴν; id est, continentem dicit esse; adeo vt nihil differant proxima, & continens causa. Exigit id etiam rei natura, quæ enim cũ effectibus coniunctæ sunt causæ, vt immediatæ ab Aristotele, sic aptissime Celsi nomine continentes appellari debent; quanquam tamen Galenus in hac etiam re varius esse solet: quippe qui nunc antecedentes à coniunctis separet, vt *Aphorismo trigesimo libri septimi*, vbi spumosi excre-
E menti coniunctam causam esse statuit flatuosum spiritum, qui cum humore ob vehementem motum commiscetur: Antecedentes vero plures enumerat, quemadmodum etiam *Commentario tertio libri sexti de Morbis vulgaribus* aperte docet, vbi causas in procatarcticas, antecedentes, & coniunctas diuidit: Aliis autem locis, in quibus duo solum genera, procatarcticarum

Cōantecedentiam, facit, sub antecedentibus con iunctas complectitur, id, quod facile probari potest ex eo, quod scribit contra Iulianum, plenitudinem continentem, & simul antecedentem causam esse. Omnes enim coniunctæ antecedentes sunt, at non contra: siquidem proximæ rerum causæ, quoniam euidentes non sunt, sed peritis solum cognitæ, sub procatarcticis contineri nequeunt: ex antecedentibus vero non omnes coniunctæ, quia non omnes immediatæ, sed vna duntaxat, nimirum *quod vnius effectus vna proxima in vnoquoque genere sit causa*, aliæ omnes mediatæ, & ab effectu remotiores, atque seiunctæ. Ac profecto illud mouere non debebat eos, qui contra hæc scripserunt, quod Auicenna exemplo commodo non sit vsus ad coniunctam causam significandam: cum nec etiam alii, qui caliditatem, aut lapidem in vesica morbum statuunt esse, eam assignare possint: At qui morbũ præter naturam compositionem esse intelligunt, facillime coniunctas in singulis morbis causas inuenient, & ab aliis differre cognoscẽt: Malæ enim compositionis causa in omnibus morbis est *iniusta proportio componentium*: nam si quis quærat cur compositio per morbos vitiata sit, statim adferet id fieri propterea, quod proportio inter componentia non seruatur: cur vero non seruetur, excessus vel defectus componentium in causa ponitur: cur præterea excessus, vel defectus fiant, causæ adferuntur, quæ id facere possint, vt cur calor exuperet in corpore, ratio, & causa est, quod cibus, excrementum, aer ambiens, ira, vel aliquid ex his, quæ mutandi corpus vim habent, calorem auxerit. Itaque rursus patet, eos errare, qui calorem præter naturam auctum, morbum dicunt esse, cum nec etiam immediata morbi causa sit calor, sed duplici interuallo à morbo distet, id quod contrario ordine à causis exordiendo intelligere licet. Nam si quis, exempli gratia, cibo vtatur calidiore, primum ab illo calorem in se augeri sentiet, calor vero excedens proportionem, quam habet cum aliis qualitatibus, cum secundum naturam habemus, amplius non seruat; ipsa autem proportio corrupta compositionem vitiat, quæ iam morbus est, vbi præter naturam, id est, insigne vitium concepit. Ex quibus profecto iam patere puto, causas coniunctas à Gal. positas, & à natura rei exigi, & nihil aliud esse, illius opinione, & ipso nomine attestante, quam *proximas & inhærentes ipsis affectibus causas*: adeo vt positis effectibus illæ etiam ponantur, & his remotis, illi quoque euanescant: quemadmodum in re proposita apparet. Posita enim vitiata proportione in his, quæ nostrum corpus componunt, mala compositio, siue morbus ipse statim sequitur. Ea vero ablata, vt sanitas redit, quæ ex iusta proportione nascitur, sic morbus esse desinit. Mirarique sane licet eos, qui contra hæc sentiunt, constantissimeque asserant, nullam vnquam causæ coniunctæ in morbis mentionem à Galeno esse factam (concedunt tamen in aliis rebus necessarium illius vsum) non vidisse, parem esse in omnibus rationem, si modo ita se habent causæ morborum ad suos effectus: Quod si etiam Galenum consulamus, inueniemus profecto, in morbis eum causas continentes ponere, quod apertissime patet ex eo, quod scribit *in explicatione textus 20. tertii commentarii sexti libri de Morbis vulgaribus*. Quid clarius item eo, quod scribit *primo de Causis symptomatũ*, vbi habet tunicæ vueæ foramen angustum reddi ob tensionem ipsius tunicæ tanquam à causa coniuncta. Est enim eorum opinione angustia meatuum morbus in conformatione, quæ si causam habet coniunctam tensionem, constat profecto morborum esse causas quasdam coniunctas, ne plurimos alios locos conſectemur, ex quibus idem (Galeno autore) probare liceret, præsertim *initio libri de Causis pulsuum*, vbi scribit, non solum in pulsibus, sed in aliis omnibus tria esse causarum genera, inter quæ præcipuum est continentium causarum genus; & merito quidem. Est enim (si quid aliud) huiusmodi causa à Medico dignoscenda; cum alioqui fieri nequeat, vt arte aliqua, vel sanitatem tueatur, aut morbos propulset: Nouit enim etiam vulgus, ex ira, crapula, labore, & cæteris huiusmodi causis morbos oriri; sed qua ratione, quoue modo hæc id faciant, ignorant, quæ Medicus perspecta maxime habere debet; quandoquidem non primis illis causis, quæ excitato morbo plerunque abierunt, sed aliis, quæ in corpore sunt relictæ, & præsertim immediatis remedia adhibeat, pro diuersa scilicet vniuscuiusque natura, id quod nunquam commode præstare poterit, nisi, præcognouerit, quasdam esse cum morbis coniunctissimas causas, quotve intercedant media inter singulas extremas causas, & morbum ipsum: Nam pauciora in quibusdam, plura in aliis interueniunt. Ac ne longius abeas, *crassus cibus crassos humores procreat, hi obstructionem pariunt, hæc transpirationem caloris prohibet, quæ postea calorem augeat; Auctus calor proportionem cum aliis amplius non retinet, ex hac tandem compositio labefactatur, & morbus nascitur.* At motus corporis calorem statim intendit, ex quo solius proportionis interuentu morbus prouenit. Quamobrem non solum constat causas coniunctas ab antiquis omnibus Medicis fuisse excogitatas, sed etiam maximum esse illarum vsum, nec non certum ordinem, certamque seriem in singulis morbis inter causas agentes tenendum esse, nec quiescendum donec ab externis ad immediatas morbi causas sit peruentum, aut ab his, si contrariũ ordinem sequaris, ad illas accesseris: sic enim cognosces, quibus quotve remediis in singulis morbis pugnandum sit.

Causæ coniunctæ omnes esse antecedentes, sed non contra.

Malæ compositionis causa in omnib. morbis.

Calor cur in corpore exuperet.

Calorẽ præter naturam auctum [illegible] morbum, nec immediatam morbi causam.

Causa coniuncta quid.

Progressio ab externis [illegible] ad coniunctam morbum [illegible].

Causæ coniunctæ maximus vsus.

Cap. X.

A quibus morbi causæ sumantur.

CVm varia causarum genera in morbis à Medico considerari oportere ostenderimus, illud videtur iam explicandum, ex quibus rebus illa petantur: Non enim omnia morborum causæ esse possunt, & plurimum quidem refert, nouisse, quæ qualiaue sint, quæ huiusmodi vim obtinent, quandoquidem id curationem præseruationemque atq; etiam prædictionem plurimum mutat: Aliter namque morbos præsentes curamus, quos aer concitauit, aliter quos peperit cruditas, diuersis remediis aduersus eosdem imminentes pugnamus: & vt variant morbi ob diuersas causas, sic ex illis, quid futurum sit, prævidemus. At cum varia subuciatur morbis materia.

teria, quæ (si singulas illius differentias prosequi velimus) arte facile comprehendi nequit, siquidem varia multiplexque est humani corporis cõditio, vna autem sit omnibus communis, quæ arte ob id non eget: Ea vero, ex qua morbi proueniunt, per se pateat his, qui nouerunt quales, quotve sint humores, & aliæ substantiæ, ex quibus morbi constitui valent, quinetiam cum causæ sine quibus, aut cum quibus morbi constant, partim eædem in omnibus statuantur, partim etiam in singulis euarient, tractationem à nobis qui communia solum hoc loco sectamur, & methodum eorum, quæ arte comprehendi possunt, profitemur, non requirunt. Vt autem instrumentales causæ, quæ, communes sunt, eædem sunt in omnibus, peculiares vero singulis subiectæ materiæ naturam assumunt: forma vero morborum certis generibus antea est comprehensa: finalis demnum causæ in hac re nullus est vsus. Propterea illud solum superesse video, vt quæ, quotve, & qualia sint rerum genera, quæ morbos committendi vim habent, breuiter perstringamus; Ex quibus etiam eodem negotio reliquæ efficientium differentiæ innotescent; quandoquidem eadem rerum genera morbos pariunt, augent, fouent, iuuant, & lædunt; Nec etiam prędictas omnino contemnemus, vbi illarum aliquis erit vsus. Itaque vt de his communi ratione dicam, ea causæ morbi esse possunt, quæ vim habent, structuram, constitutionemque nostri corporis labefactandi: quorum quædam, necessario nos afficiunt, alia vero non necessario nec perpetuo, nec omnes immutare valent; cuius generis sunt, quæ vulnerant, contundunt, aut alio modo temere corpori nocent: quorum vt certa non est comprehensio, nec certus euentus, ita (inquit Galenus) sub artem non cadunt: Non quod artis non sit, genera, & vim eorum docere, sed quod ad Medicum non pertineat, præcepta tradere, quibus doceamur, huiusmodi rerum impetum, & iniurias cauere. Ea vero, quæ nemo fugere potest, sed omnibus communia existunt, quorumq; prouidentia medicinę subiecta est, certo numero comprehendit Galenus, sed non semper eodem, & æquali. Etenim *in arte medicinali* sex genera eorum cõstituit, nempe aerem ambientem, motum, quietem, somnum, vigiliam: quæ assumuntur, quæ retinentur, & animi affectus: At *libro quinto de Sanitate tuenda*, quadruplex materiæ genus facit, quæ mutandi corporis vim habet, cum illam diuidit in ea, quæ assumuntur, geruntur, educuntur, retinenturve, & foris adhibentur; Et melius quidem meo iudicio, cum illa sex non omnia comprehendant; vt lotiones, vnctiones, & alia quibus extrinsecus vtimur: quinetiam animi affectus ad motum, & quietem redigi videntur: adeo vt illis positis, frustra hi postea addantur: Quod si etiam per ea, quæ assumuntur solum comprehendamus cibum, & potionem, vt Galenus intelligere videtur, relicta sunt, quæ in corpus iniiciuntur. Ex illis vero quatuor generibus nascuntur omnia, non solum, quæ necessario, sed etiam, quæ aliter quomodocunque corpus immutare valent; quorum naturam, & vim Medicum tenere oportet, si quidem etiam ea, quæ vulnerant, secant, & vrunt, medicina requirit ad morbos propulsandos, & sanitatem ægris comparandam. Igitur per ea, quæ assumuntur, comprehendimus alimenta, medicamenta, quocunque modo, & per quemcunque locum in corpus assumpta, siue corpora sint solida, aut potiones; siue per os ingerantur, siue immittantur per anum, pudenda, vel aliam quamcunque corporis partem: Eorum vero, quæ geruntur, nomine tum animi, tum corporis motus, & quietem intelligimus; vt otium, exercitationes, vitæ conditionem, iram, tristitiam, cogitationem, & his similia, quorum quędam à nobis solum proueniunt, vt animi perturbationes, & vitæ conditio; quædam vero ab aliis in nobis fiunt, vt frictiones, nauigationes, gestationes, quæ vehiculo obeuntur: quædam vero mixtam habent naturam, cum partim ex aliis in nobis fiant, partim etiam à nobis proueniant, cuius generis est equitatio, & gestatio, & venus prætereain qua corpus vario modo agitamus. Porro genus eorum, quæ extrinsecus adhibentur, continet quæ impulsu agunt, vt vulnerantia, contundentia, frangẽtia; Item quæ nos ambiẽdo circundant, vt aerem, lotiones, natationes, & si quid simile reperiatur, quanquam in natatione non solum ex aquæ adhæsu, sed etiam ex motu corpus alteratur. Comprehendit præterea, quæ corpori adiunguntur, & applicantur, veluti vnctiones, cataplasmata, cerata, & huius naturæ alia. Postremo quæ collo, reliquisque partibus appenduntur, aut circumligantur, vt vincula, quæ partibus iniiciuntur, aut alio denique modo extrinsecus corpori adhibentur. Iam vero quæ educuntur, ea complectuntur, quæ quocunque modo à corpore exeunt, vt sudorem, stercus, vrinam, sordem, vaporem, saliuam, pituitam, quæ emungitur, humorem, qui per purgationem, venæ incisionem, vel alio remedio educitur: ad quod etiam genus spectet pinguedinis, carnisque excretio, vel detractio; vt carnis ipsius abscissio, & ossium, vel neruorum, vel denique aliarum partium substantiæ, quæ à sibi cognatis rescinditur. Sunt etiam huius generis, quæ præter naturam in nobis concreuerunt, vt lapides, lumbrici, pus, dracunculi, & si quid aliud simile, quod extractum à corpore corporis constitutionem mutat: Venus etiam quatenus semen excernit, huius generis existit; quatenus vero corpus commouet, ad ea, quæ fiunt (quemadmodum & excretiones corporis) redigitur: Etenim actio ipsa, nempe excretio aliquid eorum est, quæ aguntur; Id vero, quod excernitur, ad ea, quæ excernuntur, spectat. Eadem omnia cum retinentur sub contrario genere comprehenduntur, quæ simul coniuncta, propterea quod contrariorum vnum est genus, quartum caput facere dicuntur ab aliis tribus diuersum. Ac perpetuo quidem ab his rerum generibus morborum omnium effectrices causæ & occasiones sumendæ: nec faciendum, quod omnes de medicina scriptores faciunt, qui in omni fere morbo diuersos fontes statuunt, ex quibus illorum causas ducunt. Inuenies enim vt postea docendo patebit, in his, quid morbum efficiat, quid augeat, quid conseruet, quid tollat, & denique quid quocunque modo corporis statum mutare valeat.

Quæ possint esse morbi causa.

Quot nam sint, quæ corpus nostrum necessario immutant.

Quid per ea quæ assumuntur, intelligendum.

Quid per ea quæ geruntur.

Quæ extrinsecus adhibentur.

Quæ educuntur.

CAP. XI.

Quæ requirantur, vt hæ causæ morbi fiant.

ETsi omnia, quæ prædiximus, vim habent agendi in corpus nostrum, tamen cum agunt, nisi accedant alia quædam, proprio effectu frustrantur; Non enim omnia, nec eadem semper quæ assumuntur, vel fiunt, aut extrinsecus adhibentur, aut denique à corpore educuntur, morbos committunt. Quamobrem Galenus *in libro de Causis morborum* docet *tempus, magnitudinem, & approximationem, siue vicinitatem requiri in causis, quæ morbos excitare debent*, idque optime quidem: nam etsi insolatio morbos parere potest, id tamen in his non facit, qui in vmbra versantur

Quæ requirantur, vt quæ dicta sunt fiant causa morbi secundum Galenum.

B & longe absunt à Solis æstu: quod si sol æstiuus ob vehementé feruorem morbos committit, nó propterea fit, vt hybernus idem efficiat, cum facultatem & magnitudinem parem non obtineat: Neque vero necesse est, omnes corripi morbo, qui vel minimo temporis spacio æstiuũ Solis ardorem tulerunt; quod his solum contingere videmus, qui diutius in eo versantur. Verum Galenus iis non contentus, addit *in libro de Differentiis febrium corporis præparationem*, idque merito: nam etsi insolatio dolorem capitis potest committere, in omnibus tamen id non facit, sed in his, qui facile pati valent; alioqui omnes ab eisdem causis morbis pariter corriperentur. Quo

C quidem non moueor, quod nunquam hic autor vno loco tradat, quæ sunt illius operis, sed semper plurima relinquat intacta, quorum explicationem ars ipsa desiderat. Quis enim non videt, multa alia adhuc desiderari in his, quæ morbos procreare valent? Nam etsi, quæ assumuntur aut adhibentur corpori, vim habẽt morbum gignendi, non tamen omnia id præstant: siquidem temperata hoc frustrãtur effectu, quemadmodum quæ familiaria sunt, & naturæ nostræ amica: quamobrem requiritur in morbosis causis sæpius etiam *aliena substantia, noxiæque qualitates*. Qua ratione venena, quæ toto genere nobis sunt inimica, vel minima etiam quantitate assumpta, eam quam habent, vim exercent, morbos

Quæ præterea, secundum autorem.

D que in nobis excitant, & temperata, vt diximus, eo quod mediocrem qualitatem sint sortita, prosunt: quæ vero insignes habent qualitatum excessus, obsunt, morborumque autores censentur. Quin etiam *agendi modus*, vt morbi gignantur sæpe causa est; nam quæ paulatim agunt, sanitatem conseruant; vbi vero confertim suam vim exerunt, morbos pariunt. Hoc enim pacto cursus, veloxque motus morbos cócitare valeant, quod ambulatio alioqui facere nequit. Desideratur præterea *tempus, siue agendi occasio, & ordo*; siquidem exercitatio ante cibum inita, sanitatem tuetur; repletus autem, tracto nutrimento crudo per corpus, excitatisque obstructionibus, morborum fit occasio. Lac secunda mensa sumptum, dum

E longiore mora retinetur, interim cum alia concoquuntur, corrumpitur morbosque facit; Ingestum vero ante alios cibos vtile fit corpori nutrimentum. *Itaque causæ, quæ parituræ sunt morbos, naturam, substantiamque & qualitatem, quantitatem, agendi modum, ordinem, occasionem, & vicinitatem assumant oportet ad id præstandum idoneam, suamque vim exerant in corpus ad concipiendos*

A *morbos præparatum*. Quid vero præparationis nomine intelligendum sit cum de Generatione morborum agimus, non explicat Gal. Ego tamen communi in omnibus morbis ratione, sub corporis præparatione comprehendo imbecillitatem; Sunt enim imbecilla corpora excipiendis morbis exposita: nam quemadmodum virtus fortis, vt idem autor dicere solet, omnia contemnit; sic infirma omnia facile patitur: Intelligo præterea idoneam temperiem, conformationem, magnitudinem, numerum, compositionem, duritiem, mollitiem, raritatem, densitatem, crassitiem, tenuitatem, & variam denique corporis conditionem, quæ ad varios morbos gignendos, plurimũ habet momenti: nam calida corpora parata sunt

Præparatio corporis ad suscipiendas causas morbosas quæ.

B ad suscipiendum facilius, quam reliqua, morbos calidos: partes vero magnæ, & numerosæ vulnerantibus, & extrinsecus irruentibus maxime sunt expositæ: Quæ angustos habent meatus, obstructionibus promptissime corripiuntur: quæ vero extrinsecus corpori occurrũt, cuti proximas partes ob illarum situm facillime affligunt, difficilius internas offendunt: Cantharides vesicam, & renes potissimum afficiunt, quod earum partium natura peculiariter ab illis sit apta nata pati. Insolatio capiti dolorem facile conciliat, alias autem corporis partes, vel ob situm, vel ob naturam ineptam illæsas seruat, aut certe minimum offendit. Rariora corpora externis iniuriis; densiora vero

Cantharides cur vesicam & renes potissimũ afficiant.

C internis, quæque à nobis proueniunt, magis sunt obnoxia: quæ solidæ sunt partes, morbosis facilius resistunt: duræ contundentibus difficilius, quam molliores, rumpentibus vero pari facilitate exponuntur. Ac vt semel dicam, diuersæ partes corporis pro varia earum conditione promptius, difficiliusque ab eisdem causis morbos suos contrahunt, quarum rerum diuersitatem Medicum ignorare non oportet, qui quid morbum in singulis committendi vim habeat, inuenire studet.

CAP. XII.

De vi causarum morbi.

D NOn solum quæ, quotve sint, & à quibus sumantur morborum causæ, Medicus dignoscere debet, sed etiam quid vnaquæque illarum præstare valeat, quamque facultatem obtineat, perspectum habeat necesse est. Nam quemadmodum Hippocrates scribit, fieri non posse, vt Medicus recte vnquam quæ futura sunt, præsagiat; nisi signorum omnium naturam, & vim prius nouerit: sic profecto qui causarum morborum vim & naturam ignorat, nunquam de ortu, & generatione morborum recte sentire vel eorundem curationem, præseruationemque commode instituere poterit. Quo magis mirari licet hæc ab antiquis Philosophis, & Medicis prætermissa fuisse: quæ meo quidem iudicio quilibet assequetur, qui hæc tria nouerit, quid scilicet possit

E vnumquodq; qua ratione illud efficiat, & quid demum tempore acquirat, quidve statim præstare valeat. Igitur quædam sunt, quæ solum materiam præbere possunt, vt sanguis, ex quo animal conformatur: alia vero, quæ efficiendi vim exhibent, vt idem cum inflammationes parit, & febres excitat: fiunt enim inflammationes ex sanguine tanquam ex materia, febris vero à vi calorifica,

quæ

quæ in eo est humore, nascitur. Sunt quæ formæ, efficientis, & finis simul rationem subeant; quod optime etiam ab Aristotele proditum est. Ac vt ad institutum nostrum rem contrahamus; quædam sunt, quæ morbos gignunt; quædam, quæ solum augent, aut genitum auctumve conseruant; quædam, quæ morbos vehementes semper excitant; aliæ, quæ solum mitiores inferre possunt, quemadmodum rursus nonnullę totũ corpus affligere, aliæ vero non nisi aliquam partẽ infestare valent: nec desunt, quę vnius generis morbum solum excitant: aliæ, quæ etiam diuersi: sunt, quæ nunquã morbi esse possunt, alię quę cum morbi sint, aliorum etiam morborum causæ fiunt. Atq; illud etiam prętereundũ non est, nonnulla inueniri, quæ omni vi, qua pollent, obsunt; quædã quæ vna solum morbos inferunt, aliis autem vel non nocẽt, aut non statim, aut non adeo euidenter, vt morbus appellari debeat, quod ab illis prouenit. Efficiunt hæc præterea quædã suapte natura, quædã quantitate, alia qualitate, nonnulla ordine, vel agendi modo: alia tẽpore certo, alia demum loci, corporisque subiecti ratione. Gignunt sane morbum effectrices illorum causæ; Conseruant, vel intendunt eædem genere, vel subiecta materia, vel causæ cum quibus, & sine quibus res esse nequit; veluti æstus, qui febrem accendit, eandem auget, minuit, fouetque, prout maiorem, aut minorẽ, aut æqualem vim ei qui primum febrẽ concitauit, obtinet. At si in corpore admodum calido & bilioso, febris vel leuissima sit concepta, subiecti humoris ratione intenditur. Eadem minuitur, vbi ob corporis raritatem febrilis calor facile expirat, alioqui increscit, vel perpetue eundem tenorem seruat, qua ratione differentiæ febrium continentium constituuntur; vehementiores morbos venena pariunt, mitiores procatarcticæ causæ, ex quibus diariæ febres proueniunt; totum corpus afficere potest aer ambiens, & quæ extrinsecus vniuerso corpori adhibentur. At quæ vulnerant, vnam partem primum lædunt, alias autem vniuersumque corpus non nisi per sympathiam cum ea, quæ primum fuit offensa. Vnius autem generis morbum committunt vulnerantia, intemperiem sine humore committentia, tumores præter naturam temperiem vitiant, & eodem negotio structuram instrumentariæ partis corrumpunt, si ad tantam magnitudinem excrescant, vt illius actioni euidenter obsint, quẽadmodum etiam lapis in vesica, nunc obstructionem parit, cum meatum vrinarium occupauit, nunc structuram ipsius membri, additione vnius partis labefactat. Inedia, quę calefaciendi, siccandique vim habere perhibetur, quosdam offendit solius siccitatis ratione, in quib. scilicet natiuus humor consumitur, quosdam vero accendit, vt cum calidos in febrem præcipitat, alios vtroque modo afficit: quemadmodum si in corpore admodum bilioso, & gracili febrem pariat, quæ non minus forte siccitate, quam calore hominem lædit. Intemperies & morbus est, & morbi causa euadit, cum depasto humore, vel eo auctis excrementis, aceruato, partes præter modũ extenuat, aut immoderate attollit: Calor vero perpetuo morbi causa censetur. Cæterũ venena erodentia, vel toto genere lethalia, suapte natura perimunt: Soporifera solum aucta eorũ quantitate; calida quidem digerunt, at non omnia, sed

A quæ certam qualitatem sunt sortita: temperati cibi, si cætera adsunt accommodata, ordine peruerso, morborum fiunt autores: quæ autem incidunt, & secant, nisi violentius impellantur, non obsunt: quare agendi modo morborum causæ constituuntur: Omnia vero prædicta intempestiue exhibita, & quædam etiam peculiariter certis temporibus prosunt, obsuntve; quod de Australibus constitutionibus dici solet; hyeme scilicet eas morbosas esse, salubres vero æstate. At subiectæ materiæ ratione, quædam morbos parere, q̃ alioqui id facere nequeunt, aut certe nõ pari vi omnibus constare puto: intelligo autem hoc loco *materiæ ratione*, non solum corporis temperiem, & structuram; sed etiam ætatem, sexum, anni tempus, habitationis locum, & omnem aliam

B diuersam conditionem, cuius ratione corpora euariant, facillime etenim à mediocriter etiam calidis, quibus temperies calida est, febres accidũt, & qui imbecillem partium connexionem sunt sortiti, luxationibus, aliisq; infinitis iniuriis sunt expositi: loca humilia, & concaua pluuiarum multitudine morbosissima redduntur, at quæ montosa sunt, & clara, his fere meliora euadunt. Quę assumuntur in corpus, internis partibus obesse sunt aptissima, externas offendunt facilius, quæ nos ambiunt: quæ inspirantur, aut per expirationem emittuntur, maximam vim habent afficiendi pulmonem, cor, & cerebrum: quæ deuorantur, parem vim in ore, ventriculo, hepate, & intestinis ostendunt. Nec non quædam venena ob

C incognitam quandam sympathiam, & antipathiam quasdam partes peculiariter afficiunt, alias vero, quas etiam attingunt, seruant illæsas, vt ad alias properent, quas lædere sunt nata. Atqui sanguinis profluuium minorem vim habet ad generandos morbos in fœminis, quam in masculis, cum videamus mulieres multis etiam annis sanguinis profluuio vexatas, & interim vel minimum offensas, viros autẽ aut ex pari vacuatione non longo temporis spatio, vel peremptos, vel certe maximis morbis correptos. Ac vt breuiter dicam, tũ ob subiectam materiam, tum alia prædicta vim, naturamque causarum omnium, & maxime morborum, de quibus agimus, variari

D contingit. Cæterum agendi modo inter se causæ differunt, diuersamque vim assumunt: nam quædam per se agunt, & certos morbos excitant, aliæ vero per accidens alios inferunt, & sibi etiam cõtrarios, veluti calefacientia calidos morbos pariunt: Tempore autem longiore, durante vehementia, atque ita humore calido dissoluto, frigidos tandem asciscunt, quemadmodum & vinum suo excessu, dum calorem natiuum copia obruit frigidos infert morbos; quod tamen alioqui suapte natura calidos creare potest. Quinetiam vt calidos, & frigidos, sic humidos, & siccos affectus concitat calor; eos quidem liquatis, & fusis humoribus, qui in corpore à frigore erant concreti; hos vero vehementius digesto humore. At

E frigus frigidos per se morbos, calidos autem vt febrem, prohibita transpiratione promouet, quemmodum etiam à siccantibus morbi sicci nascuntur, per accidens autem frigidi, depasto namque humore calorem elanguescere, exuperateque frigiditatem necesse est. Pariunt eadem ratione humectantia suapte natura humidos & frigidos suffocato & oppresso quodammodo calore nati-

Differentia causarum secundum agendi modũ.

Vis caloris in procreandis morbis.

Vis frigoris in eisdem.

Humectantium.

no, in quo quidem opere præualet nonnunquid, A quod per accidens fit ei, quod per se euenit, aut contra, vel ob agentis vim aut corporis patientis differentiam: vehemens enim frigus in corpore antea non excalefacto, aut non admodum denso, frigidos morbos potius, quam calidos excitat, quod autem mitius est, aut adstrictionem habet adiunctam, præsertim in corpore à calore rarefacto, occlusa via, calidos gignit, non frigidos. Sunt præterea quædam, quæ ita agunt, vt solum excessu morbos committant, cuiusmodi sunt quatuor qualitates, aliæ vero etiam defectu, vt quæ morbos in organicis efficiunt, cuius generis sunt numerus, & magnitudo diminuta. Iam vero quid causæ morborum tempore acquirant, ignorandum non est, quædam enim sunt, quæ temporis gressu malignæ redduntur, aliæ vero, quæ mora mitescunt: nam semen retentum lethalis veneni vim assumit, sic malignos reddi humores, qui expurgatione suppressa in mulieribus redundant, scribit Galenus. Pituitosus autem humor tempore concoctus melior euadit. In aliis etiam causis vis eodem modo quærenda, veluti in materia, quid, ex quo, & in quo, & quatenus, quando, & quomodo pati valeat, ignorandum non est. Eodem pacto quorum possit esse aliquid instrumẽtum, quid finis, & quid sine quo, & quid cum quo fieri queat, perspectum habere oportet. Atque hæc quidem sufficiant de generali vi causarũ morbi. Ex quibus profecto intelligemus, non solum quæ causæ, quos morbos, & quomodo parere valeant, sed etiam quibus remediis, quoue modo illis repugnandum, & in quibus potissimum properandum, vel morandum, aut aliud denique faciendum sit.

Quæ solo excessu morbos committant & quæ defectu.

Quid morborum causa tempore acquirant.

Cap. XIII.

Quonam modo progrediendum sit in causarum inuestigatione, & quæ causæ in morbis singulis recensendæ.

NOn solum quæ, quorve sint morborum causæ, qualis, quantaque illarum vis Medicum tenere oportet, sed etiam cum eas inquirit, certo ordine progredi debet; & ab illis auspicari, à quibus ad reliquas commodissime transire liceat. Ac illud etiam ignorare non debet, quando singulæ causæ, singulaque genera enumerare necesse sit: quando vero aliquas omittere, & quædam solum genera excutere expediat: quæ quidem docere, nescio, qua ratione contempserunt antiqui scriptores: Si enim multa sunt causarum genera, & differentiæ: si quædam propinquissimæ, quædam remotissimæ, aliæ vero mediæ, & inter extrema collocatæ, certum profecto illis ordinem reperiri necesse est: quem qui ignorat, nõ solum ignorat, quod res ipsa habet, sed etiam cum causas alicuius rei inuenire studebit, temere ratiocinabitur. At si quidpiam ex vno solo causarum genere oriri possit, frustra in aliis omnibus recensendis elaboramus: Ars ergo in his requiritur, quæ quod fieri debeat, certa ratione monstret: quod autem Galenus, & reliqui, qui eum sunt secuti, ea methodo hæc non explicent, vnicuique constare puto. Nam neque à commodo aliquo principio exordiri solent, neque omnes, quas oportet, enumerant; sed fere solum mediatas, & remotiores, contemptis propinquis, in singulis morbis explicant: aut si propinquiores nonnunquam attingunt, ita tamen id faciunt, vt quæ inferioris sunt generis, cum his enumerent, quæ ex superioribus nascuntur. Id quod satis apparet ex *libro* Galeni *de Causis morborum*, & *primo de Differentiis febrium*, vbi de illarum causis agit: cum enim causis morbi calidi ex adstrictione corporis, & alimento petendas esse scribit, & febres ex cruditate, & aeris occursu excitari, alimentum, & aerem, statim à summis generibus rerum quæ morbos committere valent, nempe ab his, quæ assumuntur, & extrinsecus occursant, ducit: siquidem quæ morbos pariunt, quædam sunt ex his, quæ assumuntur; quædam vero, quæ extrinsecus nostrum corpus afficiunt. At constri- B ctio, & cruditas ex primis generibus nascuntur. Nam ab his, quæ extrinsecus adhibentur adstringitur corpus. Ab his vero, quæ in corpus assumuntur, cruditas nascitur, relinquiturque illud postea adhuc quærendum, vnde cruditas, & adstrictio proueniat, quod illa scilicet ex alimento, hæc ab adstringentibus, quæ vel à refrigerantibus, vel exsiccantibus proueniunt. Atque vtrumque genus, refrigerantium, scilicet & adstringentium ab his, quæ extrinsecus adhibentur, ducitur, cur autem cibus sit assumptus calidus, qui febrem forte excitauit, frustra quæreret Medicus, nimirum quod inutilis sit hæc inquisitio, posteaquam causarum inuestigatio ad summa capita peruenit. C Quod si Aristoteles censet in causarum tractatione non esse quiescendum, donec ad primas remotissimasque causas sit peruentum, probare minime possumus Medicorum consuetudinem, qui nunquam vel rarissime vsque adeo progrediuntur, vt summos fontes inueniant, sine quibus tamen nec sanitatem tueri, nec morbos propulsare idoneis præsidiis cuiquam licet, quippe cum aliter eos curemus, qui febrem contraxerunt ex cruditate, aliter eos, qui ex adstrictione laborant, aliter si cruditas ex cibi copia, quam si immoderato potu sit orta; alio modo, si adstrictionem peperit frigiditas, alio si siccitas, & denique remedia sæpe varianda sunt, si iidem etiam morbi ab assumptis, quam si ab admotis, vel aliis causarũ D primis generibus sint contracti. Recensenda porro sunt aliquando omnia summa causarum genera, nonnunquam vero vnius solum generis satis est mentionem facere: Nam si in vniuersum quid morbum vel morbi genus aliquod, vt febrem, parere possit, quæramus, vniuersa causarum genera, à quibus effectrices illorum causas sumendas esse antea meminimus, excutere oportet; & omnium vim perpendere; eorum scilicet, quæ assumuntur, corpori adhibentur, geruntur, & excernuntur retinenturque. Neque enim aliter ei, quod quæritur, commode satisfacere possumus. At si causa pateat, quæ morbum excitauit, aut natura propositi effectus monstret, fieri non posse, vt omnia ea rerum genera huiusmodi vim obtineant, aliis contemptis, ad eum fontem sta- E tim properandum est, à quo rei propositæ causæ oriuntur. Si enim vulneris causas quis petat, frustra quidem spectabit, an ex genere eorum, quæ assumuntur, vel retinentur, aut à corpore educuntur, quidpiam reperiri possit, quod vulnerandi potestatem habeat, propterea quod ex vulneris natura statim admonemur, illius causas ab his

his, quæ extrinsecus occurrant, petendas esse; siquidem nihil aliud est, quod vulnerare corpus valeat. Eadem sane ratione si quis præcedente crapula in febrem diariam inciderit, frustra laborabimus in aliis examinandis, quæ easdem febres pariter cõmittere solent, quippe cum statim Medico innotescat, nõ aliunde, quam ex crapula huiusmodi febrem sui originem accepisse: quod si effectu posito, cuius causa non pateat, quique à variis rebus nasci possit, tunc singula genera excutienda sunt, vt reiectis illis, ad quæ rei propositæ causæ referri nequeunt, tandem inueniamus, quæ vera sit eius causa. Recensendæ vero in omni genere (quod excutere cœpimus) omnes causæ, donec omnia media percurrerimus, atq; ad vtrũque extremum peruenerimus, alioqui nõ solum B ignorabitur generationis ratio, sed etiam quibus, quotve auxiliis sit opus, intelligere non poterimus. Non enim satis est, nouisse, inter ea, quæ extrinsecus agunt, frigus febres parere posse, sed præterea docendum est, quonam modo id faciat, quod scilicet primum cutim adstringat, adstrictio vero transpirationem prohibeat, hæc calorẽ accendat, cuius excessu proportio qualitatum non seruatur, atq; hoc modo intemperies, morbusq; nascitur, quib. sane intellectis, vna etiã statim percipimus, adhibenda esse remedia, quę extrinsecus calefaciant, rarefaciant, tum etiam assumenda ea, quæ idem præstent: nisi impediat calor, qui supra modum auctus sui extinctionem, refrigerationẽque desideret, quæ nemo vnquam commode administrare poterit, nec intelligere, quæ, & vbi diuersa remedia adhibere oporteat, si perspectum non est, quæ, quotve inter extremas causas, remotissimas, inquam, & coniunctam interiaceãt media. Itaque quoniam in causarum enarratione ab extremis, & à mediis auspicari possumus, docendum iam est, vnde commodius exordiri liceat. Ac quod à mediis enumerationis initium sumere non debeamus, satis constat, quandoquidem duas hoc modo, & inter se contrarias vias instituere oporteret: vnam, quæ versus coniunctã causam, aliam, quæ ad remotas procedit, præstet autem vno modo, quam duobus inuenire, quod quærimus, tum etiam quod media non per se, sed extremorum ratione enumerentur, *ab extremis* D *ergo auspicandum.* Quare re si quis, quod commune est, pertractet, commode à summis generibus exordietur, vt si quis quid morbum parere possit, docere studeat, statim consultis summis rerum capitibus, ostendet tum ex his, quæ assumuntur, tum ex illis, quæ extrinsecus adhibentur, aut fiunt, vel retinentur, aut immoderate excernuntur, reperiri, quæ & quomodo id facere valeant. At si morbo, vel alia quapiam reposita illius causas inuestigemus, optima mihi videtur via, & progressus, si ab immediatis causis exorsi ad alias perueniamus. Posito enim effectu, quid melius fieri potest, quam statim enumerare causas, quæ illum constituunt? quæ cum vna omnino sit, quæ à pluribus postea nascitur, nec tamen E semper ab omnibus summis causarum fontibus, hinc frustra sæpe recenseremus vniuersa, quæ nostrũ corpus immutare valent ad ea inuestiganda, quæ à nonnullis solum proueniunt. Sic sane Galenus putridæ febris causas *vndecimo libro Methodi* inquirit, cum febrem ipsam ex calore, hunc ex prohibita transpiratione accendi,

Frigus quomodo inducat febrem.

Quomodo in causarum inuestigatione procedendum & à quibus inchoandum.

A prohiberi autem in his febribus transpirationem ex obstructione vasorum, docet: Ipsam autem obstructionem ex humorum crassitie, viscididitate, & multitudine nasci tandem ostendit. Nec tamen oberit, quæ secundo loco prædicta sunt (vt rudioribus magis innotescant) exemplo aliquo patefacere. Statuamus itaque alicui mutatum esse naturalem totius corporis colorem ad flauitiem, vel pallorem præter naturam, quod genus affectus regium morbum vocamus, cuius causæ inuestigandæ, recensendæque sint: qua quidem in re si Galenum, aliosque scriptores consulamus, inueniemus varias poni huius rei causas: nam tradunt illi ob virtutem expulsiuam, & alteratricem vi etiam morbi, quinetiam ob hepatis obstructionem, eiusdemque scirrhum, inflammationem, & intemperiem, quæ absque tumore infestat hoc genus mali committi: Addunt præterea illius causam esse posse viperæ morsum, & nonnulla alia venena, atque etiam bilem flauam, & vesicæ suscipientis bilem infirmitatem, quæ nequeat à sanguine bilem ad se trahere; nec alienum esse, vt ob nimiam repletionem affecta vesica vacuari nequeat, atque hoc modo bilis nõ expurgetur, sed ita per vniuersum corpus feratur: hæ fere sunt causæ regii morbi, quas illi ponunt, & sparsim enumerant, in quibus quidem multa si non reprehendere, certe desiderare possumus. Atque illud imprimis, quod in tanta causarum multitudine nonnullas etiam omittant, quasdam vero addant, quas rei natura reiicit: nam C quid obstat, quo minus etiam ex materiæ vitio, vt alimento admodum bilioso plurima bilis gignatur, quæ vna cum sanguine per corpus delata, colore alieno corpus inficiat? Præterea si expultricis, attractricisque infirmitate id contingere potest, cur omnes, qui iam ad mortem properant, extinctis propemodum omnibus viribus, abundante etiam bilioso humore (quod his accidit, qui ex febre ardente pereunt) in regium morbum non incidunt? Adde quod ex huiusmodi particularium causarum enumeratione nunquam constare potest, an omnes rei causæ sint comprehensæ, cum à nullo certo initio explicationem auspicentur. Quo fit, vt perpetuo hæsitare cogamur, an omnes sint enumeratæ, vel aliquæ semper supersint, quas alius inuenire possit. Quinetiam ordo desideratur, ne priores causæ cum posterioribus pariter censeantur: nam etsi scirrhus, & inflammatio, & obstructio pariunt regium morbum, non tamen pari interuallo id faciunt, si quidem obstructio causa est, propterea quod delationem bilis vitiatis meatibus, per quos ferri is humor solet, impediat. Inflammatio vero eo, quod eosdem comprimendo adstringat, angustioresque reddat; quo fit, vt adstrictio, & obstructio non eadem vicinitate regii morbi sint causæ: quemadmodum inflammatio, & humores crassi & viscidi, quorum illa adstrictionem, hi vero obstructionem pariunt. In hoc etiam errare solent, qui de causis scribunt, quod non doceant, quid efficientis, quid materiæ, quid instrumenti, aut causæ sine qua non, aut denique alterius generis rationem obtineat. Etenim bilis tanquam materia regii morbi causa esse censetur: Excretrix vero facultas, vel alteratrix tanquam efficiens; obstructi meatus tanquam instrumentum partium, si velis, ex-

Causæ ictericiæ quomodo inuestigandæ.

ternarum raritas, quæ ad suscipiendos humores est aptissima, causæ cum qua, rationem A habere videtur. Postremo oportebat tandem singulas huiusmodi causas ad ea rerum genera redigere, à quibus illi etiam autores omnes morbos, omniaque symptomata nasci prodiderunt. Quamobrem præstat, vt antea diximus, à coniuncta cum effectu causa exordiri, & alias deinceps veluti resoluendo inuestigare. Ergo si color vniuersi corporis in pallorem mutatur, necesse omnino est, id ex humoris biliosi affluxu contingere: Porro redundantiæ huius humoris causam esse oportet, vel quod talis humor plurimus in suis fontibus, scilicet hepate gignatur; aut quod à sanguine non expurgetur, sed vna cum sanguine per corpus distribuatur, & erret; B vel quoniam secreta bilis à sanguine in omnes partes feratur: vel etiam quod optimus humor cum ad externam corporis superficiem, externasque partes peruenerit, corrumpatur in bilemque vertatur: Si enim biliosi humoris plurimum gignatur, necesse est corpus pallescere, etiamsi multum huiusmodi humoris per solitas excretiones educatur: veluti in his apparet, qui tertiana febre correpti plurimum bilis procreant, & excernunt, longe tamen pallidiores solito conspiciuntur; quod si mediocre etiam sit, quod gignitur, nisi tamen à sanguine secernatur, continuoque expurgetur, paulatim aceruatur huiusmodi humor, qui sanguinem, corpusque suo colore inficit. Idem quoque necesse C est eueniat, si forte bilis, quæ cum sanguine continetur, ab eo secernatur, & ad cutem regeratur, vel trahatur, tunc enim illius colorem in cute efflorescere oportet. Nam quod laudabilis humor sæpe gignatur, & tamen ob vitium partium, ad quas peruenit, corrumpatur, notissimum esse puto. Nec videtur fieri posse, vt ab aliis, quam his causis humor in habitu corporis abundet, & illius color permutetur. At illæ ex aliis nascuntur: etenim copiosus humor gignitur, aut vitio materiæ, quæ assumitur; aut vitio efficientis causæ: si quidem omnino oporret multam bilem procreari, si alimenta, quibus vescimur, apta nataque sunt conuerti in huiusmodi humorem, vel etiam si alimenta optima D fuerint, id tamen, quod eam parit, insignem vim obtineat: *qua ratione ex ptisana, & lactuca, qui ardente febre laborant, copiosam bilem sibi moliuntur*: Efficiunt vero quædam statim in ipsa humorum generatione, vt intemperies hepatis calida, & sicca: Alia autem postea, veluti venena nonnulla, quæ sanguinem vitiant, & in bilem, aut alium humorem degenerare faciunt. Cæterum si non expurgantur excrementa, vel vitio facultatis nequeuntis attrahere, aut expultricis exolutæ, vel quoniam instrumenta sunt inepta, viæque obturatæ, per quas ferri consueuerunt, id accidit. *Bilis autem secretio à sanguine non expultricis beneficio, sed vi attractricis perficitur*: vnde constat, duas relinqui causas, quæ expurga- E tionem prohibeant, nempe expultricis actionem, & meatuum vitia. Expultricis tamen officium requiritur, posteaquam recepta est bilis in vesicam hepati coniunctam, & ad intestina ferri debet: *Vt enim in segregatione huius humoris a reliquis, nec hepar, nec venæ expellunt, sed sola vesica huic operi destinata, eum tanquam famili-*

Bilis secretio à sanguine non facultatis beneficio fiat, & per quam etiam differatur ad intestina.

arem ad se allicit; sic in ea delatione, quæ à vesica ad intestina fit, sola expulsio illius vesiculæ requiritur, nihil conferentibus ad attractionem ipsis intestinis, sed solum admittentibus, quod aliunde eo ingeritur; oriuntur & hæ causæ ab aliis: nam quod attractio fieri nequeat, materia aliquando crassior, aut copiosior est in causa: nonnunquam vero ipsius facultatis imbecillitas, aut etiam viarum occlusio: quanquam alterius generis hæc causa est, vt antea in diuisione adnotauimus, si modo alia remedia, aliaq; curatio exiguntur, vbi facultas laborat, quam si in meatibus vitium adsit. Eodem pacto expulsio non perficitur, aut materiæ, aut facultatis vitio: quod contingit omnino ob intemperiem; vel corruptionem totius substantiæ, si facultas à similaribus partibus proueniat, aut etiam labefactata instrumentariarum partium structura: nam impediri expulsionem affecto instrumento, docet vrina, quæ reddi nequit, aut certe difficile excernitur iis, quibus vesica retenta diu vrinæ copia distenta, & veluti exoluta est: attamen cum id solum in his partibus contingat, quę nostro arbitrio constringi, mouerique possunt; quæ autem solius naturæ beneficio reguntur, sese exonerant, antequam noxias tensiones pars experiatur; non immerito repugnantibus etiã aliis antiquioribus scriptoribus, huiusmodi causam à te proposita excludimus. Iam vero viæ occludũtur vel à comprimentibus, vt scirrho, inflammatione: vel ab obstruentibus, quod faciunt crassi, multi, viscidique humores; vel lapillo, vt aliquando in morbo regio visum est, vel ab adstringentibus, qualia sunt refrigerantia, & certo modo siccantia; vel ob coalitum partium, quæ antea diuisæ fuerunt, & in ipsa curatione male conglutinatæ; necnon etiam ob nimiam siccitatem nonnunquam partes concauæ subsident, & contractis lateribus occluduntur. Quod si non videtur fieri posse, vt ob adstringentia, meatus, per quos bilis deducitur, repugnante loci distantia, aut ob peruersum coalitum, propterea quod nec vulnerari facile possunt, aut si id contingat, mors, non expectata regii morbi generatione, statim subsequitur, aut propter subsidentiam occludantur; relinquentur solum causæ lędentes huiusmodi vias, quę vel obstruunt, aut comprimendi vim habent. At vero quod vltimum est ex diuisione, secernitur, expelliturque biliosus humor per vniuersum corpus expellente facultate, quæ aut vi morbi irritatur, quod his contingit, de quibus scribit Hippocrates in Aphorismo illo, *Quibus in febribus morbus regius ante septimum, malum*; Aut etiam tempestiue insurgente natura aduersus noxium, sed euictum humorem; veluti sæpe contingit in laudabili crisi, reiecta ad cutem bile, corpus pallorem insignem concipere. Atque hæ quidem omnes causæ tandem ab his prouenire cognoscuntur, quæ assumpta, vel extrinsecus adhibita, aut excreta, vel retenta, vel quomodocunque facta mutandi nostrum corpus vim habere posuimus: quo fit, vt non solum hoc intelligamus, quæ sint coniunctæ, quæve remotiores causæ, sed etiam quæ superfluo nonnunquã à scriptorib. addantur, & quæ ab illis prætermittantur; nec non etiã, quo ordine progrediendum sit in causarum omnium inuestigatione, & qua demum ratione in tanta multitudine eam inuenire liceat, ad quam quod quæritur, referatur: reiectis enim his, quorũ nulla sunt

Sect. 4. aphor. 62.

sa sunt indicia, eas recipere cogimur, quæ euidentes notas habent; de qua re non est, quod hoc loco agamus, quandoquidem nunc causarum in- A uestigationem, & enumerationem, non autem cognitionem, quam alibi explicabimus, instituimus.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE CAVSIS VNIVSCVIVSQVE GENERIS MORBORVM,

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

De causis intemperaturæ.

GALENVS *in libro de Causis morborum* statim docere aggreditur, quid intemperies singulas, calidam inquam, frigidam, humidã, & siccam committat, cuius quidem institutũ probare non possum: Si enim docendi ratio postulat, vt quæ communia sunt prius explicentur; cur imprimis intemperaturæ causas non prosequitur, sine quibus nec intelligi aliqua arte potest, quid intemperiem calidam, aut B alias prædictas pariat? Vt enim in quadam communi natura, qua intemperaturæ sunt, conueniunt, sic profecto eius, quod illis commune est, nempe intemperaturæ tradi causas necesse est; quibus compertis, minimo negocio, quod singulis est peculiare, cognoscitur. Omitto, quod solũ effectrices causas attingat: nam etsi præcipua illarum debet esse tractatio; aliæ tamen, vbi expedit, prætermittendæ non sunt. Itaque nos intemperaturæ morbosæ causas potissimum hoc loco inuenire conabimur, deinde cuiuslibet intemperaturæ; nec non morborum, qui totam partium substantiam corrumpunt. Postremo eorum, qui in partibus instrumentariis consistunt, idque eo ordine seruato, quem in generibus, & differen- C tiis enumerandis secuti sumus.

Causa intemperaturæ morbosæ. Committit porro intemperiẽ, vt diximus, *vitiata proportio*, quæ mixtionem corrumpit, hanc excessus qualitatum efficit, hunc rursus quæ qualitates intendendi vim habent, de quibus non solum in his, sed aliis etiam omnibus morbis deinceps à nobis agetur: Etenim causę, quæ perpetuo eædem in omnibus manent, arte non egent, qua explicentur, sed quæ in singulis euariant; quippe vitiatam proportionem morbum committere in omnibus perpetuum est; quemadmodum quod excessu, vel defectu componentium proportio ipsa corrumpatur: At quæ excessus, & defectus sunt authores, variantur, nec eadem in omnibus inueniuntur; ob idque arte opus est, quæ D doceat, quid vnicuique in hac re conueniat. Nam etsi quatuor rerum genera existunt, ex quibus morborum causæ sumuntur, non tamen ex omni genere causas semper petere licet, sed quidam sunt morbi, qui ab vno duntaxat fonte causas capiunt: vt vulnera, quæ solum ab illis, quæ extrinsecus nocent, excitari possunt: quidam vero, qui ab omnibus generibus suas causas ducunt, cuiusmodi est, de qua agimus, intemperies; quam quidem præcipue committunt cibi, potiones, medicamenta ingesta, aut alio modo in corpus assumpta: qualem enim vim obtinent, talem etiam corpori intemperiem inferunt: licet ea nonnunquam contrarium præstant, sed ex accidenti quodam. Frigida namque alimenta suapte natura frigidos pariunt morbos: prohibita vero nonnunquam caloris transpiratione, febres accendunt: Habent autem maximam vim ea, quę assumuntur, ad intemperiem giguendam in eorũ corporibus, qui infirmam habent coctionem, aut vehementer intemperati existunt, vel exiguos corporis meatus sunt sortiti. Pariunt etiam excrementa retenta intemperiem, eademque emissa præter naturam idem præstant: nam cum retinentur, eam, quam habent vim, corpori impartiuntur: cum vero præter naturam excernuntur, *faciunt, vt reliqua, quæ in corpore manent, exuperent, maioremque ad agendum vim assequantur*; si quidem bile copiosius euacuata, pituitam in corpore abundare, & illa retenta hanc minui, corpusque calidius reddi necesse est: His autem potissimum obsunt, quæ retinentur excrementa, *qui angustos meatus habent*, diutius enim in his illa morari oportet, *quibusque expultrix debilior, retentrix autem vis validior existit, quique imbecilliores aliquot partes sunt nacti*, quomodo retentis alui excrementis præter consuetudinem minimo temporis spatio quosdam vehementi capitis dolore corripi nouimus: alios vero minimum offendi etiamsi per integros dies aluus non excernat; nimirum quod illis infirmum, his vero firmum sit caput: At ab his, quæ immoderate educuntur à corpore, potissimum afficiuntur, *qui molli carne, raraque textura sunt præditi*: facile siquidem illorum robur exoluitur, corporisque conditio intemperiem admittit.

Quæ maxime vim habeant intemperiem gignendi & in quibus corporibus.

Excreta præter naturam quomodo intemperiem gignant.

Excrementa retenta quos nam potissimum offendant.

Quos immoderate excreta & retenta.

Iam vero quæ geruntur à nobis ipsis, vel aliunde obeuntur in corpore nostro, supradictis generibus non cedunt, quod satis ostendunt animi, & corporis actiones violentius concitatæ, vt ira, tristitia, gaudiũ, cogitatio, immoderata exercitatio, & quæ sunt eiusdem generis, à quibus omnis

A naturæ intemperies prouenire, docet quotidianus vsus; id quod tum per se, tum per accidens, & commodius in vno, quam in alio præstant: nam exercitatio immodica per se corpus calefacit, aucto vero calore etiam exsiccat, vt tristitia primo exsiccat, postea vero etiam febres accendit.

Quos animi perturbationis.

Animi perturbationes etsi omnes tandem afficiunt, multo tamen promptius eos, *quorum vitalis vis imbecilla est, & corpus infirmum, & ad dissolutionem ob mollitiem, raritatemque expositum*:

Quos motus corporis.

Corporis motus facilius corpora admodum dura, aut mollia infestat, si quidem illa immoderate exsiccantur: hæc autem violentius statim digeruntur.

B Cæterum, quæ corpori admouentur, morbos quoque procreandi vim habent, si insignes qualitates acceperint, quales in aere ambiente potissimum; nonnunquam in vnctionibus, & lotionibus apparent; ex quibus morbos, vitiata temperie, nasci sæpius vidimus, vel similes ipsis qualitatibus, aut etiam illis contrarios, quippe frigida, quæ extrinsecus admouentur, aut corpus ambiunt, & frigidos sua vi, & calidos, occlusa via calori pariunt morbos.

Violentius corpori occursantia quomodo intemperiē inuehant.

Quæ vero violentius corpori occursant, vt vulneratoria, contūdentia, non nisi *ratione doloris, cuius occasione humores in partem affectam irruunt*, intemperiem faciunt: Ac ne singula excurrere velle videamur, vnusquisque intemperaturæ causas facile inuenire poterit, qui vim singularum rerum, quæ nostrum corpus affligere possunt, quidve illud facilius, aut difficilius C quove tempore, & modo, & loco pati valeat, prænouerit.

CAP. II.

De morbi calidi causis.

CAusas intemperaturæ, in qua calor exuperat, quinque generibus complectitur Galenus *in libro de Causis morborum*, motu scil. putredine, vicinitate corporis calidi, constrictione corporis, & alimenti calefacientis assumptione; sed meo quidem iudicio non satis recte, & sine methodo id facit. Cum enim quatuor rerum genera alibi statuisset, quæ corpus quocunque modo D mutandi vim habent, eodem seruato numero oportebat profecto ab eisdem etiam morborum calidorum causas petere. Deinde cum *libro primo de Differentiis febrium* ea enumeret, quæ febris sunt causæ, postea vero modos doceat, quibus illæ febres accendunt; sint autem modi illi, quos *in libro de Causis morborum* causas statuit, necesse est, vt ipsas causas omittat, de quibus agit in *libro de Differentiis febrium*: nempe lassitudinem, iram, mœrorem, cruditatem, æstum & alia multa, quæ illic enumerat, quæ quidem calidiorū morborum causæ existunt, sed agendi modo inter se differunt, nimirum quod quædam constringendo corpus, alia putrefaciendo, alia mouendo, E alia denique alio modo eosdem morbos pariant. Præterea cum putredo, quæ à propinquo corpore contrahitur, & rei calefacientis vicinitas ad vnum genus reducantur, quod ea continet, quæ extrinsecus corpus afficiunt: oportebat sane vnum genus primum ponere, ex quo postea per diuisionem, quæ continentur sub eo, nascerentur; nam inter ea, quæ corpori extrinsecus occurrentia calefacere possunt; non solum putrida, sed etiā multa alia aliis qualitatibus prædita idem faciunt, vt videatur potius genus quoddam caloris, nempe putridi, quam diuersæ rei notare. Quæ enim vicina, aut propinqua sunt, calefacereque valent, quędam calorem ex putredine, alia ex acrimonia, alia ratione alia eū obtinent. Quinetiā si quis singula genera consectari velit, inueniet statim plura esse ponenda, quam illa quinque, de quibus ille meminit: nam vt cibi, & medicamēnta sumpta; sic sane excrementa retenta, vel præter naturam emissa calidos morbos faciunt:

Immoderata excretio quomodo sit morborum calidorum causa.

siquidem bilis, quæ per aluum excerni consueuit, dum retinetur, calidorum morborum fit causa: & *ob immoderatam pituitæ excretionem idem humor in corpore augetur*, eosdemque morbos concitat. Atque eo etiam autore cruditas addenda est: quandoquidem ex ea febres procreari *libro primo de Differentiis febrium* commemorat: quæ quidem si febres accēdit, causa quoque morborum calidorum statuenda est; quemadmodum profecto & vigilia; & inedia, quæ in quinque illis generibus apte comprehendi nequeunt. Quamobrem præstat principia posita retinere, & in constituto rerum numero, à quibus morborum omnium causæ petuntur, consistere: veluti ipse alibi facit; vt cum *lib. primo de Præsagitione ex pulsibus*, ex eisdem fontibus ducit ea, quæ corpus refrigerare valent.

Quomodo extrinsecus admota.

Itaque si excutiamus ea quatuor summa rerum genera, facile inueniemus, quid in quolibet calidos morbos procreare possit, vel nequeat.

Igitur ex genere eorum, quæ extrinsecus lædunt, sunt ea, quæ vel ambiunt corpus, vel ei admouētur; si calida, aut frigida fuerint, aut adstringentia, morbos calidos faciunt, sed diuerso modo. Etenim frigus, & adstringentia omnia meatus cutis constringendo prohibent, ne calida substantia diffluat; quæ intus retenta vel suapte natura, vel quod putrescat, aut in aliis putredinem suo feruore concitet, internum calorem auget: Calor vero externus, intro demissa sua vi validiore, cognatum sibi calorem intendit. Nec pari tamen facilitate in omnibus hæc calidos morbos pariunt, quippe externus calor promptissime eos inuadit, qui calore potissimum bilioso abundant aut rara sunt cute: Illi enim, vtpote iam plus iusto calidi, vicinum calorem facile concipiunt: Hi vero eundem promptissime vndiquaque admittunt, & in viscera interna aliis partibus longe calidiora recipiunt: Frigus externum tum eos, qui nouo calore æstuant; tum illos, quibus cutis naturaliter est adstricta, & excrementis calidis abundant, potissimum lædit: Patefactis etenim externis meatibus, in profundum magis secedere potest, & maiore constrictione calorem includere, & hoc modo excrementis transeuntibus viam præcidere. Vbi autem admodum iam adstricti sunt meatus, facillime externi frigoris occursu, vel obcæcantur, vel ita præcluduntur, vt via excrementis exeuntibus amplius non pateat: Quæ vero absque frigore constringunt, vt aquæ aluminosæ lotiones maxime in his corporibus vim propriam exercere valent; In aliis vero, quæ aliqua occasione sunt excalefacta, aut nullam vel minimam potestatem ad morbos huiusmodi committendos obtinent; id quod docet quotidiana

diana etiam experientia. Qui enim ex cursu, aut A solis calore, vel alia ratione æstuant, si in frigidos locos se coniiciant, febribus statim corripiuntur. Quod si in balneum aluminosæ aquæ descenderint, nihil plus forte offenduntur, quam si aliter affecto corpore eiusdem balnei vim experiretur.

Vulnerati quomodo in calidos morbos incidãt.

Quinetiam pariunt calidos morbos, quæ vulnerant, contundunt, & denique alia omnia, quæ violentius corpus impetunt, sed non suapte natura, verum ea ratione, quod excitato dolore colligantur in partibus humores; qui cum non satis ob multitudinem difflari possint, putredine ascita affectam primum partem, deinceps reliquas excalefaciunt. Nec illud forte alienum fuerit, putare, calidos morbos etiam nasci posse ab his, quæ collo, & reliquis partibus appenduntur. Si enim B hæc habent vim perimendi eiiciendique fœtum, comitiales morbos sanandi; cur etiam inueniri non poterunt, quæ propria sua vi calidos morbos accendant.

Quædam etiam collo appensa morbos calidos excitare posse.

Iam vero ex genere eorum, quæ assumuntur, calidi quoque morbi proueniunt sed diuerso modo. Nam quædam propria vi id faciunt; veluti aer in corpus attractus, si calidus fuerit, & cibi, potiones, ac medicamenta, quæ calefaciendi vim habent: Quædam vero per accidens, & hæc vel qualitate, vel quantitate, vel corrupto ordine idem faciunt: quippe quæ actu sunt frigida, dum vehementius incalescit corpus, assumpta densando internos meatus, febres gignunt, & quæ viscidam, crassamque naturam habent, excitatis ob- C structionibus, idem faciunt: Porro quantitate aucta, humorum copia quoque augetur, atque etiam statim ab ipso nutrimento copioso, & adhuc crudo venarum cauitates nonnunquam occluduntur, prohibitaque per eas partes efflatione calor increscit, & ex eo morbus nascitur. Cum vero minus assumitur, quam oportet, humoris defectu calor intenditur: quo modo ex inedia febres sæpius excitari videmus: At si quæ facillime coquuntur, vt lac, post alios cibos ingerãtur, longiore mora corrupta putrescunt, calidosq; morbos excitant. His ergo modis ab assumptis calidi morbi fiunt.

Quomodo assumpta calidos morbos inferant.

Quomodo motus animi & corporis.

Ab his vero, quę ab aliis in nobis fiũt, vel à nobis D proueniunt, quales sunt animi, & corporis motus, & omnes denique actiones, calorem augeri continua experientia monstrat cum videamus ex ira, mœrore, lassitudine, & omni alio motu, febres sæpius excitari: atque etiam ratio docet, omnes immoderatos motus calefaciendi præter naturam facultatem habere: verum non æqualem in omnibus omnia obtinent, facilius etenim biliosos accendit inedia: promptissime à tristitia, & vigilia sicca corpora incalescunt: rara facile ostẽdit lassitudo, difficillime, quę pituitosa sunt, & densiore cute prædita: & denique alia in aliis facilius vim suam exerunt.

Cæterum, ea, quæ excernuntur, calorem quoque augere sunt apta; si quidem euacuatis præter E modum frigidis humoribus, vitiata proportione calidos exuperare oportet; qui vt calefaciendi, sic gignendi morbos calidos facultatem assequuntur. Retento autem calido humore calorem quoque intendi necesse est: vnde otio febres comparari mirum non est; propterea quod omissa exercitatione calor minuitur, excrementaque interim in corpore aceruantur, quæ ex quacunque occasione putredine concepta calidorum morborum causæ fiunt; Atq; etiam ad hoc genus pertinere videntur fluxiones, collectionesque humorum, quæ in partibus sæpius fiunt: qui quoniam in loco affecto impacti retinentur, corrumpuntur, & putredine adiuncta calorem intẽdunt, calidosque morbos gignunt: Atque hæc quidem satis de causis intemperaturæ calidæ, in quibus si quid desiderabit studiosus Lector, consultis ipsis fontibus, ex quibus omnes morborum causæ oriuntur, adhibita (quam hactenus obseruauimus) docendi methodo, facile inuenire poterit.

Quomodo ea quæ excernuntur & retinentur.

Cap. III.

De causis morbi frigidi.

Frigidos morbos ex propinquitate rerum frigidarum, ex ciborum, potionumve quantitate, & qualitate; præterea ab adstrictione, & rarefactione corporis, demum ex otio, & motu moderato excitari scribit Galenus, hac ratione persuasus, quod ignis etiam ab eisdem causis extinguatur. Qua in re imprimis in numero causarum mihi deficere videtur: Nam excrementorum calidorum euacuatio, & frigidorum retentio frigidos etiam morbos gignunt, quemadmodum ex sanguinis profluuio diuturno, & immoderato, hepar, lienem, & totũ denique corpus refrigerari, atque etiam huius occasione aquam inter cutem nasci videmus; & pituita redundante in cerebro, quæ excerni consueuerat, frigidius illud euadit: sicut & aliæ omnes partes, in quibus huiusmodi humor exuperat. Quod si quis Galeni autoritatem hoc loco requirat, eo non contentus, quod rei natura, & sensus ipsi docent, *librum primum de Præsagitione ex pulsibus* legat, vbi ille ex humoribus frigidis retentis corpus refrigerari tradit.

Deinde motus, & quæ rarefaciunt, frigidos morbos forte nõ committunt, sed frigidos simul & siccos: Vt enim corpus dissoluto humore primum incalescit, demum vero refrigeratur, sic etiam exsiccatur, quemadmodum videmus, nimio labore, bilem primum procreari, deinde consumpto humore, & tanquam pabulo deficiente, calorem elanguescere, & corpus melancholicum, frigidum, inquam, & siccum, & siccius etiam quam frigidius, non autem frigidum solum reddi.

Quinetiam quæ extrinsecus admota rarefaciunt, vt calefaciendi vim habent, sic calidos primũ digesto aliquantulum humore (in quo statu corporis, calor, qui prius humoris copia fere opprimebatur, accenditur, validiorque redditur) morbos pariunt, postea vero eadem ratione frigidos vnaque siccos. At vero constrictionem faucium, & asperæ arteriæ inter causas morborum frigidorum ponere, non mihi videtur esse rationi consentaneum: extinguitur quidem animal aucto calore ob prohibitam respirationem: At interim frigidus morbus nullus gignitur, nec caloris defectu sed nimia abundantia, cordis, animantisque calor suffocatur.

Postremo ciborum defectus frigidos morbos non parit, sed siccos primum, deinde vel calidos, vt in his, qui facile accendi possunt, & ex inedia in febrem incidunt; aut tandem frigidos, & siccos: Deficiente namque humore, debilitatoque calore, frigidum, & siccum corpus tandem euadit: non frigidum solum, cuius causas eo loco non compositi morbi ex frigido & sicco

pariter exuperante Galenus explicat. Nec par A profectò est ratio, quã adfert de extinctione ignis & generatione morborum frigidorum: Aliud enim est extingui ignem, & calorem nostrum, aliud extingui,& refrigerari, aliud morbos frigidos in nobis gigni,& calorem aboleri, vt satis omnibus constare puto: nam etsi ignis extinguitur lignorũ penuria, non tamen propterea refrigeratur. Nos autem non quid calorem nostrum extinguat, sed quid corpus præter naturam refrigerandi vim habeat, quærimus: id quod nunquam, efficient, quæ prohibita respiratione calorem intus augent, hæc enim calidos morbos faciunt. Nec frigidos vnquam excitant, quæ calefacientia remedia postulent, sed si perseueret affectus oppresso calore, mors statim succedit; vt in his, qui iniectis vinculis collo, nullo oborto interim frigido B morbo, sed caloris vi strangulãtur, & perimuntur euenire conspicimus. Ac vt tandem ad nostros fontes redeamus, quæ nos extrinsecus ambiunt, aut corpori admouentur siquidem calefaciendi vim acceperint, calidos, vt diximus, vel calidos & siccos, aut frigidos & siccos morbos procreant: Si vero ex genere refrigerantium extiterint, calidos inducunt morbos, vbi meatus corporis rarefactos violentius cõstringunt; caloremque expirare prohibent, sin minus, intro sese insinuante frigiditate, frigidi morbi nascũtur, veluti in partib. corporis externis, deuicto propemodũ calore ex ambientis frigiditate, frigidos prouenire morbos nonnunquam videmus, quod potissimum his ac C cidit, qui per niuem, aut hybernum frigus iter faciunt, in his enim pedes, & manus quodammodo concretæ, non tamen penitus extinctæ (alioqui mors & non morbus esset) euidentes apparent.

Quando & quomodo extrinsecus admota morbos frigidos faciant.

Nec forte alienum fuerit putare, quod ex vinculis iniectis externis partibus frigidi morbi nascantur, cum non sit par ratio, quando prohibetur respiratio, & impeditur expiratio caloris in quapiã parte: nam prorsus cohibita respiratione mors sequitur; vbi vero partes vinculis constringuntur influente calore priuatæ refrigerantur, in morbosque frigidos incidunt.

Quomodo iniectis vinculis externis partib. morbi frigidi nascantur.

Iam in genere eorũ, quę assumũtur, causæ morborum frigidorum ex qualitate, & quantitate rei ducuntur; Frigida etenim alimenta & medica- D menta ingesta propria sua vi corpus refrigerare posse notius est, quam vt probari debeat. Cum vero nimia quantitate assumuntur, grauata facultate coctrice, oppressoque quodammodo calore, frigidi morbi proueniunt: quemadmodum optime Galenus à liberaliore vini potione, quod alioqui suapte natura calefacere est aptum, attonitum morbum, soporososque & alios, qui frigidi sunt, affectus, inferri, meminit. Nam quæ potentiã calida existunt, nisi prius vincantur, & caloris nostri beneficio, quæ in illis latet vis excitetur, non calefaciunt, sed obruto calore refrigerant. Atque alia etiam ratione in quibusdam partibus ex assumptis alimentis frigidi morbi nascuntur, nempe quod nimia illorum copia arteriæ, & venæ oc- E cludantur, per quas calor à suis fontibus eo permear, veluti à multis cibis non bene concoctis lienem obstrui contingit, atque ita interclusa caloris via partem ipsam refrigerari, quod potissimum illis accidere necesse est, qui angustiores ab initio eas vias sunt sortiti. Penuria autem (vt diximus) nutrimenti non parũ frigidos morbos, aut certe non frigidos solum, sed etiam vna cum frigiditate siccos.

Quomodo assumpta tales morbos gignant.

Vinum quãdo morbos frigidos pariat.

Penuria nutrimenti an & quos morbos frigidos pariat.

Porrò quæ excernuntur, & retinentur, frigidos morbos concitant; cum quod retentis frigidis excrementis necesse sit corpus refrigerari, & immodice vacuatis calidis humoribus contrarios in corpore vigere oporteat. Quod si quis ea etiam, quæ retinentur euicto calore, morborum frigidorum causas nonnunquam esse censeat, meo quidem iudicio non errabit, quandoquidem ob impactos retentosque in aliquo membro humores, qui inflammationem pariunt, quã excipit syderatio, hoc modo frigidus morbus nascitur.

Quomodo quæ excernuntur & retinentur tales sint causæ.

Postremo ex genere eorum, quæ fiunt, non desunt causæ morborum frigidorum: Nam vt somnus longior corpus refrigerat, sic nonnunquam vigilia dissolutis spiritibus, quemadmodum & otium, vitæque nimia tranquillitas: Tabescit siquidem calor nimio animi, & corporis otio, atque ita frigidius vel statim, vel frigidorum humorum copia aceruata corpus redditur: Motus autem, vt antea diximus, suapte natura frigidos morbos procreare nequit, sed solum subiectæ materiæ ratione, veluti in corporibus, quę facile dissolutis spiritibus non expectata siccitate refrigerantur.

Quomodo motus & quies.

Cap. IV.

De causis morbi sicci.

IN causis humidi & sicci morbi explicandis methodo vtitur, & ad principia sua redit Galenus, cum ex assumptis, & excretis, atque etiam ex admotis, & his, quæ geruntur eos nasci tradit, quanquam tamen genus eorum, quæ fiunt, & retinentur, excernunturq; subticeat, & exemplis solum exprimat, quando ex curis, & vigiliis, & immoderata corporis dissolutione huiusmodi morbos concitari meminit. Itaque vt res ex suis fontibus primum ducatur, pariunt morbos siccos, quæ assumuntur tum qualitate tum quantitate. Nam alimenta, cibi, inquam, & potiones, & medicamẽta, quæ exsiccandi vim habent, cuiusmodi sunt acerba, austera, & in nonnullis etiam amara, salsa, & acria id faciunt. Cibi autem humidioris, & potus etiam paucitate, quemadmodum & inedia exsiccari corpus omnes nouerunt. Cum enim perpetuo insiti caloris vi digeratur corporis humor, si minus reponatur humidæ substantiæ, quam absumatur, siccos morbos tandem sequi necesse est: ac etiam forte, quæ assumuntur alia ratione siccitatis sunt causę, quod scilicet ob crassitiẽ meatus obturent, difficileque in omnes partes trahantur, nutritionemq; hoc modo fœliciter perfici prohibeant, quomodo eos extenuari, tabescereque videmus, qui hepatis obstructionibus ex crassis, viscidisque humoribus frequentes tenentur, Quod si id contingat, non assumptorum vitio, sed ob viarum naturalem angustiam, causa in subiectam materiam reiicienda est.

Quomodo quæ assumuntur sint morbi sicci causæ.

Pariunt & siccos morbos, quæ excernuntur & retinentur: siquidem cohibitis humoribus siccis, aut humidis plusquam oportet euacuatis, corpus siccius reddi par est: atque non solum qualitatem humorum, sed etiam quantitatem euacuationis siccitas sequitur.

Quomodo quæ excernũtur & retinentur.

Cæterum ex genere eorum, quæ fiunt, sicci morbi causæ quoq; sumuntur: Omnes enim nouerunt,

Quomodo motus animi.

nerunt, ex corporis motionibus, animique perturbationibus, veluti tristitia, cura, lætitia immoderata, cogitatione longiore, vel vehementiore, ratiocinatione, & vigiliis superfluis præter naturam exsiccari corpus, id quod euenire videtur, quod per huiusmodi actiones, sanguinis spiritusque copia, id est calidi natiui vis requiratur, quæ vt animi corporisque functiones magis intenduntur, ita facilius, promptiusq; dissoluitur. Nec aliam puto esse rationem, cur mœror, & cura corpus siccitate consumant: Nam in cogitatione, & vigilia illud quoque accedere potest, quod cum influentis caloris vim requirat cerebrum ad eas actiones peragendas, humorem & spiritum halituosum ab internis fontibus secum euehat calor, quæ postea ab ipso extenuata, & in vaporem conuersa ob loci conditionem & situm in aerem circumstantem expirant. At vbi ira homo afficitur, fit quædam veluti ebullitio, potissimum circa hepar, & cor, ex qua pariter sanguis, & spiritus extenuantur, vniuersumque corpus expanditur, atque ita resoluta humida substantia subita nonnunquam mors, vel alioqui siccitas subsequitur. Siccant & frictiones duræ, & asperæ, & longiore tempore adhibitæ: siccat quoque otium; quoniam languescente tunc calore corpus infœliciter alitur: vnde extenuatis partibus ad humorem adducendum, gracilitatemque comparandam motum potissimum adhibemus.

Quomodo motus corporis & quies.

Iam vero ad quartum genus eorum s. quæ extrinsecus adueniunt accedendum est, docendumque an omnia, quæ sub eo genere sunt comprehensa, & quo modo siccorum morborum sint causæ. Itaque imprimis sic offendunt, quæ nos ambiunt, vt aer, lotiones, natationes in rebus exsiccantibus, cuiusmodi sunt aquæ sulphureæ, aluminosæ, nitrosæ, & ferreæ, & si quæ alia huiusmodi sunt, quæ vel propria vi siccent, vel adiuncto calore, digesto humore, per accidens idem faciant. Qua in re illud neminem mouere debet, quod ex balneis aluminosis, sulphureis, & ferreis siccos morbos nasci dixerimus, cum duplicem vim singula habeant, siquidem sulphurea, & aluminosa aqua non solum siccat, sed etiam calefacit: ferrea autem refrigerat, & simul siccat. Nam et si admixta cum siccitate aliqua qualitas nonnihil etiam agit, tamen siccitatis ratione cōpositio, & temperies præter naturam redditur parum alterius excessu offensa: Quod si interim vel febris vel affectus aliquis calidus, vel frigidus vna cum siccitate nascitur, vt temperies, quæ ab vtraque qualitate insigniter vitiatur, compositus morbus ex composita causa, pariter exuperante vtraque qualitate, non immerito putabitur, id quod in omnibus causis, quæ duplici vi sunt præditæ, intelligendum esse velim; cum simplices morbos illarum vsu prouenire: tunc enim vnius actio præpollet quæ morbum intulit, alterius vi non ita conspicua: quod accidere puto vel ob inæqualem vim qualitatum, vel ob corporis, quod afficitur, differentiam: quemadmodum videmus, ignem vehementius calefacere, quam siccare, cum adustæ partes non multo sicciores, longe autem calidiores, quam propria natura exigat, appareant: nimirum, quod maior insit igni calefaciendi, quam siccandi vis: Tristitia ceterum aliquibus febrem gignit, alios vero sine calore vehementius exsiccat, non alia, vt arbitror ratione, quam quod quædam corpora ad calorem, alia ad siccitatem concipiendam sunt aptiora. Idem sane quod ambientia corpus præstant, quæ illi applicantur, vt vnctiones, cataplasmata, cerata, & huius generis alia, quæ vel siccandi solum potestatē habent; aut etiam cum aliis qualitatibus coniunctam, sed tamen præpollentem, aut subiecti ratione magis efficacem. An non etiam iustum est, ea, quæ vulnerant, & contundunt, aut alia etiam ratione dolorem inferunt, inter exsiccantia numerare; quandoquidem experientia docet, eos, qui doloribus torquentur, siccitatis excessu propemodum contabescere. Quod etiam his contingere necesse est, quibus partes vinculis diutius aut violentius constringuntur. Sic enim prohibita alimenti distributione humoris penuria pars exsiccatur. An vero ea etiam, quæ alligantur partibus, vim possideant siccos morbos gignendi, aliis considerandum relinquo, cum nulla euidenti ratione id ego probare possim: absurdum tamen mihi non esse videtur, vt si maiores effectus præstent, hos etiam illis tribuamus. Ceterum peculiare quoddam genus causarum morbi siccarum in siccis morbis reperitur, quod ex nobis ipsis ætatis cursu prouenit: siquidem natiui caloris vi in omnibus nullo alio accedente errore perpetuo subiectus humor digeritur, & inemendabilem siccitatem paulatim corpus contrahit.

Tristitia cur in aliquibus febrem gignat, in aliis vero sine calore vehementius exsiccet.

Cap. V.

De causis morbi humidi.

Ab eisdem etiam generibus rerum humor augetur, morbique humidi proueniunt: Nam & cibi & medicamenta humidiora, aut aliquo modo excedentia humidius, quam par sit corpus reddunt: alioqui si plus exuperent, oppresso iam quodammodo calore, frigidos etiam morbos inferunt: sic profecto, cum plus humoris gignitur quam dissoluatur, & humida, quæ excerni consueuerant, retinentur: aut quæ sicca natura sunt, plus iusto excernuntur, humorem augeri necesse est, qui morbos postea pariat humidos. Idem faciunt otiū, corporis animiq; securitas, & vmbratilis omnis vitæ conditio. Quinetiam humidior aer, frequentes in aquis dulcibus lotiones, præsertim post cibum, sicut etiam motus eodem tempore intempestiue susceptus, velut & vnctiones, & cataplasmata, & alio modo admota medicamenta humectantia. Postremo quæ appenduntur corpori, idem præstabunt, si humectandi vim eo modo sint sortita. Atque hæc quidem de causis morborum, qui ex intemperie consistunt, dicta sint: Nam ex simplicibus composita facile innotescent. Vt enim quæ assumebantur, excernebantur, vel extrinsecus nos afficiebant, aut à nobis fiebant, simplici vi prædita simplices morbos, exuperante vna qualitate, excitabant; sic si compositam duplicemque naturam mixtione duarum excedentium qualitatum eadem assumant, compositos morbos parient. Quare illis prætermissis, qui ex solis qualitatibus contrahuntur, ad eos accedemus, qui ex qualitatibus cum humoribus coniunctis consistunt, propterea quod illorum generatio fluxionum originem, & occasiones requirit, quæ ex supradictis intelligi nequeunt.

CAP. VI.

De composita intemperatura ex duabus qualitatibus cum humore & fluxionum causis.

SVperest, vt antea diximus, in hoc genere morborum, quod ex intemperie consistit, & partibus similaribus est proprium, vt causas explicemus intemperaturarum, quæ cum humore aliquo contrahuntur, in quo cum duæ omnino ex primis qualitatibus præpolleant, compositæ ob id censentur intemperies, quæ ab eo nascuntur. Est porro huiusmodi morborum natura cognitu facillima, vt pote quæ ostendat tumorem præter naturam, qui neminem latere potest: At quonam modo, & à quibus causis humores in partibus corporis colligantur, & denique, quæ sit horum morborum generandorum ratio, quæ qualesve causæ, nec etiam inter Medicos præstantissimos conuenit. Omnes etenim tumores ex fluxione humorum excitari, statuit Galenus, cum *alibi passim*, tum potissimum *lib. de Causis morborum*, quo loco etiam fluxionem ipsam omnino ob naturæ expulsionem commoueri tradit: *Libro* vero *secundo de Differentiis febrium* trahi humores à dolente vel calente parte scribit: fierique præterea genus quoddam attractionis fuga vacui, aliud vero cum partes ad se alliciunt, quod sentiunt familiare, expelli autem quod vel quantitate vim expultricem molestat, passim commemorat. Quod vero in vnam partem potius, quam aliam trudantur humores, censet tribuendum esse robori, debilitatique partium, eas nempe, quæ omnium sunt infirmissimæ, suscipere, quæ ab aliis reiiciuntur excrementa; partes autem validas, & firmas eadem repellere, & iniurias omnes à se propulsare. In quibus sane nonnulla forte negligentius dicta inueniemus, si paulo accuratius
Tumores nõ oriri omnes ex fluxione humorum; qui illi sint & quomodo ab aliis dignoscantur.
singula examinabimus. Nam illud imprimis verum esse non puto, quod tumores omnes ex fluxione humorum nascantur, quippe cum nonnulli ex materia paulatim in partibus congesta, & aceruata tandem erigantur, cuius generis sunt flatuosi tumores, & scirrhi, quorum materia non aliunde influit, sed sensim colligitur, vbi partes ob debilitatem nutrimentum proprium vincere nequeunt, argumento quod huiusmodi tumores paulatim increscant; repentinum autem ortum & incrementum obtineant, qui ex fluxione excitantur: quod inflammationum generatio potissimum ostendit, in qua partes affectæ minimo temporis spatio in tumorem attolluntur. Quis enim verrucas, aquam inter cutem, quæ tympanites, aut etiam ascytes dicitur, ex fluxione nasci putabit? Statuere ergo omnino oportet, duobus modis partes corporis in tumorem attolli, quod etiam innuere videtur idem autor *decimotertio methodi*, & omnibus recentioribus placere video ex congestione, inquam (sic enim illi vocant) & humorum decursu: Atque illo modo flatuosos, & prædurós tumores vel semper, vel vt plurimum fieri; hoc vero calidos, aut etiam molliores ex pituita natos; Calidi namque humores ad motum sunt aptissimi, nec paulatim aceruari possunt, eo quod vel statim putrescant in vasis coarctati, aut ab illis in partes effusi dolorem inferant, cum quo diuturni affectus vix consistere queunt. Gigni
Partes corporis duobus modis in tumorem attolli.

A vero œdemata per fluxiones, id ostendit, quod videamus, in hydropicis, & his, qui à longis morbis resurgunt, vesperi potissimum tibias intumescere, mane autem tumorem minui: quod significat aliunde humorem decurrere: qui enim in parte cumulatur humor, tam subitas mutationes facere nequit, subito, inquam, gigni, & dissolui: Non solum vero à natura extrudi humores in alias partes, docent inflammationes, quæ flante borea, constringenteque, & exprimente humores proueniunt, sed etiam adstringentia medicamenta, quæ in subiectis partibus repulso eo humore eiusmodi morbos concitant: Cæterum attractionem fieri ob familiaritatem substantiæ, docent etiam externæ actiones: Quæ enim familiaria sentimus, illa quoque auidissime arripi- B mus. Atqui ob fugam vacui, vel caloris vi, aut ob dolorem attractionem illam fieri non putauerim: Nam cum corpora veluti constricta sint in suis locis, siquidem æqualia perpetuo loca, & locata (vt philosophi aiunt) existunt; sponte in locum ampliorem quæ humidiora, leuioraque sunt, & ad motum prompta feruntur; absurdum alioqui fuerit putare vas inanitum aerem allicere, aut vacuum sentire, quippe cum nullo sensu sit præditum, & quæ attrahuntur, eo trahantur, vt retineantur, quod etiam Galeni est principium. Quæ autem retinentur omnino, eodem etiam autore familiaria sint oportet: quid autem familiare intercedere potest inter aerem, & vas C ipsum, quo modo attrahet, quod nullam vim attrahendi habet? alioqui cur etiam retinendi, concoquendi, & expellendi potestatem ei non tribuimus? Sed, vt diximus, sponte aer in vas, dum liquor effluit, aut aqua, vel alius liquor per fistulam in eum excluso aere demissam sese insinuat, nullo auté modo, vt mea fert opinio, attrahitur.
Œdemata etiam fieri per fluxiones.
Attractionem humorum non fieri ob fugã vacui.

Porro calorem etiam non trahere ad se humorem, docent, quæ euidenter in externis rebus apparent; siquidem videmus lintea humida, & humore irrigata exsiccari, cum igni admouentur, non quod ad ipsum ignem humor feratur vi caloris attractus, cum purissimus, & humoris expers maxime sit aer, qui igni est propinquissimus: sed quod humor ab igne excalfactus in vaporem mu- D tetur, qui suapte natura sursum attollitur & non ignem versus mouetur. Calor præterea, quæ diuersa sunt generis, dissipat, & à se inuicem seiungit: quæ vero homogenea sunt, cogit & vnit. Proprium denique caloris munus est calefacere; ad calorem vero sequitur fusio concretorum, segregatio, & congregatio. Attractio autem ne quidem per somnium excogitari potest calorem subsequi. Ad hæc, quæ attrahuntur, vt retineantur, alliciuntur, alioqui frustra esset attractio. At ridiculum foret dicere, ignem, aut alterius rei calorem retinere, aut expellere: Postremo cur magis humida, quam sicca arriperet calor? Quod si ita est, cur lapides, & ligna ad se non trahit ignis? At si ad locum excalefactum confluunt humores, non E propterea eo trahuntur, sed quoniam spatium amplius redditur rarefaciente calore, & humores funduntur, tenuioresque & mobiles redduntur, qui sponte postea in excalefactum locum tanquam ampliorem secedunt.
Calorem nõ attrahere humorem.
Lintea humore irrigata igni quẽ admota quomodo exsiccentur.
Humores cur confluant ad loca excalefacta.

At vero dolorem non attrahere, certissimum est. Nam dolor irritat, quæ autem irritant, expultricem vim ad agendum mouent, non attractricem
Dolorem non habere vim attrahendi.

cem: id quod ostendunt vomitus, & aliæ excre- A tiones, quæ fiunt, dum facultas expultrix stimulata aduersus id, quod molestat, insurgit. Quod si viam inueniat, & id, quod molestat, extrudi valeat, foras, aut in aliam partem quod noxium existit, concitata facultas propellit, alioqui quæ vicinæ dolenti sunt, & ipsa etiam, quæ dolet, pars, frustra antea doloris expulsione tentata, maiore conatu enixæ, sanguinem, & spiritum in ipsam dolentem exprimunt; quod etiam Galenus *decimotertio Methodi* testatur. Etsi enim dolorem attrahere dicit: cũ tamen causam huius rei docere aggreditur, fluxionis causam dolente parte omnino ad expultricem refert. Vrget præterea idem; quod in aliis, argumentum. Si enim do- B lor attrahit, vt retineat, trahit, id autem, quod retinetur, familiare esse oportet, & mutari in naturam eius, quod retinet, & mutat: quo modo videmus partes corporis alimentum ad se allicere, retinere, concoquere, & demum in sui vsum, & conseruationem vertere: Non solum vero in parte tumore affecta dolorem, aut calorem, qui fluxiones commoueat, ponere oportet, vt Galenus facit, qui *decimotertio Methodi* scribit, fluxionem scilicet incipere à parte affecta, cum ob dolorem, & calorem oboritur inflammatio: sed etiã in aliis, quod docet quotidiana experientia: Ex digiti enim dolore in alis, & inguinibus contrahi inflammationes. & æstuante capite subiectas partes fluxionibus grauari, conspicimus; quia ratione lateris inflammationes, solis vi calefacto ca- C pite, liquatisque humoribus frequentissime proueniunt: Expellitur quoque non solum, quod qualitate irritat, aut copia grauat; sed etiam quod tota (vt aiunt Medici) substantia est molestum. Vt enim excretiones triplices facit Galenus, eorum scilicet: quæ vel quantitate, vel qualitate, aut tota natura sunt aliena, sic profecto dum naturæ irritamenta quærimus, tria, & non duo duntaxat ponere oportet. Cum namque natura acres humores protrudit, aduersus id, quod qualitate infestat, insurgit; cum eosdem ob copiam grauantes reiicit, pugnat aduersus quantitatem; cum vero lapides concretos in corpore, aut lumbricos abiicit, quod toto genere est inimicum, prosequitur. Idem ipse testatur Galenus *libro tertio de* D *Causis symptomatum*, cum scribit vomitum concitari non solum, cum ventriculus copia grauatur, aut à vitiosa qualitate irritatur, sed etiam cum ea, quæ in se continet, à natura sunt aliena, id est, tota substantia inimica.

Excretionem triplicem secundum triplicem materiam quæ excernenda est.

Partes fluxiones suscipientes quæ.

Suscipiunt sane fluxiones debiles partes; At non solum illæ, sed etiam quæ in loco inferiore sunt positæ, aut in eo collocatæ, ad quem suapte natura ferri possunt, quæ mouentur, aut rariores, vel molliores, vel calidiores, vel immobiliores, & quæ dolore tentantur, & quæ vacuæ sunt, aut è directo expellentibus subiiciuntur, vel quæ vias habent ad suscipiendum idoneas, ad expellendum vero ineptas, quales sunt, quæ latos meatus habent, & cum parte, vnde decurrit humor, con- E iunctas, carent autem meatibus, per quos alio susceptum humorem transmittere valeant: Nonnunquam vero etiam suscipere coguntur corporis partes, cum meatus sunt occlusi, per quos excrementa expelli consueuerunt. Ac ne longius abeas, vt rudioribus res exemplis pateat; Recipit cutis corporis recrementa, quod debilissima

- A sit pars; crura, quod in infimo corporis loco sint posita, quo facile humores ob grauitatem decumbunt; Vapores caput potius, quam aliam partem petunt, quod illi sursum ferri suapte natura sint apti: Excipiunt fluxiones glandulæ potius, quam caro, propterea quod rariores laxioresque existunt; caro potius, quam ossa, quoniam illa mollior, hæc duriora, & solidiora. Ad calidiores partes sponte ferri humores, antea ostendimus, quemadmodum ad dolentes facilius, quam ad alias truduntur: ventriculus potius, quam hepar fluentes humores ob eius sinum, & concauitatem suscipit. Promptiores esse ad recipiendos humores immobiles partes, quam mobiles, testatur Galenus *libro secundo ad Glauconem*, forte quod valido- B res sint, quæ sese motu exercent; vel quod dum sedem mutant, sæpe præterfugiant irruentium humorum impetum, quemadmodum videmus, externis iniuriis partes eas magis expositas, quæ sede firma illatos ictus expectant, quam quæ vario modo sese euehunt. Dextræ partes dolente, vel grauata dextra capitis parte fluxiones fere semper recipiunt, quod recta ferri soleant humores, vtpote qui prævalentis elementi naturam sequantur. Thoracis partes decurrentes humores per venas ceruicis recipere coguntur, eosdemque continere, quod venæ illic desinant, nec alia habent conceptacula, in quæ recipi humores facile valeant, & in alias partes transfundi; obstructis meatibus per quos bilis ad intestina è vesi- C ca extra fertur, eadem vna cum sanguine per vniuersum corpus spargitur. Atque vt vna ratione locum recipiuntur nonnunquam humores confluentes, sic contingit idem ob plures caussas fieri: Nam aliquando pars, quæ recipit, debilior, rarior, mollior, calidior, & idoneo loco ad suscipiendum collocata est, viasque habet apposítas, & simul dolore tentatur, & denique ob varias causas, quæ in motu est, materiam admittit. Ex quibus constat, forte negligentius hæc à Galeno fuisse explicata, cum multas prætermittat causas, alias vero superfluo addat, & verum agendi modum in illis non doceat. Quæ nos, rei natura duce, adhibita maiore diligentia facile in capita quædam hinc sumpto initio colligemus.

Tumorum causam materialem esse duplicem.

D Itaque in omni tumore, qui ex inutili substantia consistit, duas imprimis oportet collectionis materiæ causas nosse, vnam *fluxionem*; alteram, quam *congestionem* appellare liceat. Porro in fluxione duorũ causas quærere oportet, motus scilicet ipsius humoris, & eiusdem susceptionis, quæ Galenus inter se confundit, dum fluxionũ causas inquirit: cum tamen (vt res inter se distinctæ sunt; aliud est humorem fluere, aliud suscipi) ratio exigat vt causæ etiam illorum inter se distinguantur, & separatim explicentur. Igitur cũ fluxio localis quidam sit motus, aut certe sine eo nõ fiat; necesse profecto est easdem genere causas esse fluxionis, ob quas res alias locum mutare cõspicimus, id quod sane contingit vel quod spon- E te ab innata vi impellantur, vel ab aliis trahantur, vel propellantur, extrudanturve: fertur sursum suo impetu ignis, deorsum terra: Trahi vero hoc loco dicimus, quod violentia ab alio præeunte ducitur, vel à subiecto corpore geritur, quomodo equitatores ab equo, & currũ a bobus trahi dicimus: Propellitur, quod ab alio retro truditur: Atqui humores, qui fluxione partes alias gra-

Fluxionum causæ propinquiores efficientes.

uant, trahi nequeunt, quoniam, vt antea ostendimus, solum ea trahuntur à corpore, quæ illi sunt amica, & retineri, sibique vt plurimum assimilari debent. Quare cum à nullo gerantur, illud duntaxat superest, vt vel sponte confluant, aut ab alio propellantur: Illud vero contingit, cum humores ipsi sunt excalefacti, & fusi, meatus locique corporis rarefacti ampliores vacuique redditi: quo modo ex ira, cursu violento, inordinatoque motu alimentorum præterea, & medicamentorũ calefacientium assumptione, & ab igne, aereque calidiore, liquatis fusisque humoribus, qui veluti concreti prius erant in corpore, & rarefactis subiectis corporibus, pleuritides, aliarumque partiũ inflammationes contingunt: Calor autem, vt diximus, vel in parte, quæ suscipit, vel in alia à qua B incipiunt commoueri humores, consistens, fluxionis causa esse potest. Incalescens enim pars in superiore loco posita, calore fundit humores, qui deorsum sponte labuntur: atque eædem etiam partes, vt aliæ excalefactæ, ampliores que ob id redditæ, faciunt, vt humores eo decumbant, veluti caput vt alias partes, dum æstuat, sæpius humore repleri videmus. Potest & calor alterius partis, quæ nec suscipiat, nec transmittat humores primum causa esse fluxionis: veluti ex ira, corde primum calefacto, vniuersum corpus caloris fit particeps: atque ita, qui in eo continentur humores, funduntur, & in aliquam partem sponte irruunt.

Cæterum expelluntur humores, cum facultas expultrix irritatur, id quod contingit, vel ob ea, C quæ dolorem concitant, vel ob materiam aliquã, quæ vel tota substantia, aut qualitate, vel quantitate vim eandem molestat: quinetiam ab his, quæ comprimendi vim habent, qualia sunt frigida, & adstringẽtia, exprimuntur in subiectas partes humores; quemadmodum spirante Borea, compresso cerebro, expressisque, qui in eo continentur, humoribus, destillationes pectus tentant, & inflammationes in inferioribus partibus, vt anginæ, peripneumonia, & pleuritides non raro oriuntur. Qua ratione, etiam forte frigidæ potio, quæ æstuante corpore assumitur, eo quod denset, violentiusque sese in rarefactas partes insinuet, humoresque extrudat, fluxiones inflammationesque parit: Atque hæ quidem sunt fluxio- D num causæ propinquiores effectrices.

Fluxionum causa materialis. Confert vero ad hæc nonnihil & materia ipsa: facilius enim decurrit quæ tenuis, quam quæ crassa existit, & quæ nullum lentorem habet, quam quæ viscida est, & calida, quam frigida, & multa, quam pauca, vtpote quæ maiore impetu fertur, & impellitur.

Instrumentalis & conceptacula. Faciunt plurimum etiam instrumenta, siue cõceptacula, per quæ humores decurrunt: vt enim facile recipiuntur in partem concauam, sic per eã facile diffluunt: quemadmodum, & per partes raras, molles, & quæ subiiciuntur his, à quibus humores commouentur, ac etiam per debiles, calidiores, & coniunctas promptius labuntur humores. Susceptionum autem causæ antea sunt E enumeratæ, si modo illis addas, quæ ex materia sumuntur, quando etiam tenues, calidi nullo lentore affecti, & pauci humores contrariis facilius suscipiuntur.

Causa congestionis materia inueniũ. Iam vero congestionis causa est vel partis imbecillitas, quæ nutrimentum conficere non potest, aut meatuum obturatio, quæ prohibet, ne peracta nutritione excrementa reiiciantur, quo modo lienem in tumorem durum attolli conspicimus, vel quod etiam nutrimenti plus affluat, quam illi sit necessarium: qua ratione in ventriculo multa aceruantur excrementa. Præterea qualitas nutrimẽti, quod ingeritur, rebellis ad coctionem, facit, vt aliquid semper relinquatur non cõcoctum, nec plane euictum, quod aliorum additione paulatim crescit, & nisi natura illud expellere anteuertat, tumorem tandem excitat. Vt autẽ coctricis, sic expultricis potentiæ infirmitas, & forte etiam retentricis superfluum robur, humorum aceruationis causa nonnunquã existit. Atque hę quidem omnes causæ ad quatuor rerum genera tandem rediguntur. quæ enim foris admouentur, vt vnctiones, mediocriter calidę, aeris cõstitutio australis, aut non admodum calida humores fundunt, colliquantque. Nam qui multũ calidus est, humores potius dissoluit, quam moueat: quæ vero extrinsecus refrigerant, aut adstringũt, contentos in corpore humores exprimunt: quæ vulnerant, & contundunt, dolore concitato, fluxionum etiam sunt autores: Eadem omnia intẽperiem committere possunt: quæ si potissimum frigida extiterit, coctionem vitiat, & aceruationis humorum fit causa. Nam licet ex omni insigni intemperie, ex frigida tamen non etiam vehemẽti aceruantur excrementa, propterea quod huiusmodi qualitas cruditatem maxime parit: Aliæ autem ad consumptionẽ potius aptæ, nisi perinde excesserint, vt partium robore dissoluto concoctio etiam frustretur. Præbẽt & suam vim ea, quę ex genere eorum, quæ fiunt, ducuntur: veluti exercitationes violentæ, & veloces, clamor: & ex animi perturbationibus ira, gaudium, quæ fluxiones eodem modo accersunt. Quinetiam inter ea, quæ assumuntur, calidi cibi, calidæque potiones fundendo, & intemperiem committendo: crassi vero multi, acres obturando meatus, facultatem irritando, vel materias toto genere inimicas procreando, quæ postea expultricem facultatem stimulent, aut ea oppressa, in parte detineantur, & quæ retinentur excrementa, eo quod corpus grauent, aut quod dolorem inferant, pariter fluxionum causæ euadunt: Quæ vero excernuntur immoderate, calore debilitato, congregationis potius, quam fluxionis causa existunt. Ex quibus sane, ne singula quæque in vnoquoque genere consectemur, patet quoque in re proposita progressus, & ordo causarum, & quonam modo vna ab aliis nascatur, & illæ tandem ab aliis, donec ad suprema rerum genera sit peruentum, vltra quæ Medicus non progreditur.

Excrementa ex omni intemperie, ex frigida tamen, etiam non vehementi vt plurimum aceruari.

Quæ immoderate excernuntur, congregationis potius, quã fluxionis esse ca[illegible].

Cap. VII.

De causis morborum, qui in tota substantia positi sunt.

Etsi cogamur de his nonnulla etiam postea, vbi scilicet de causis benigni, malignique morbi agendum erit, tradere: tamen docendi ratio postulat, vt hoc loco summatim explicemus causas, quæ ad vniuersum hoc morbi genus pertinere videntur. Itaque inter ea, quæ assumuntur, aer ambiens, qui inspiratur, maximam vim ad huiusmodi morbos procreandos obtinet, cum scili-

Quæ assumuntur.

cet corruptus, & maligna aliqua qualitate infectus fuerit, id quod docent peſtilentes febres, quæ hoc potiſſimum modo ex aere vitiata ſubſtantia concitantur. Quinetiam aquæ corruptæ, & venenoſa medicamenta deuorata, cum ſimilē poteſtatem habuerint, hos morbos pariunt.

Extrinſecus admota.

At ex genere eorum, quæ extrinſecus nocent, plurimum etiam poteſt aer, cum ſeſe per cutis meatus in profundas nobilioreſque partes inſinuat, nec tamen alienum eſt, malignam huiuſmodi vim à vulnerantibus, & his, quæ corpori applicantur, aut appenduntur, immitti poſſe, quod etiam vulgus nouit infici nonnunquam gladios, & alia tela, lethaliaq; ob id. vt plurimum eſſe vulnera ab illis illata, quod ſcilicet ignorata B illorum vi & veneni natura, fruſtra remedia ab illis quæramus, quæ ob euidentes qualitates morbi opitulari ſolent.

Motus corporis & animi.

An non etiam ex genere eorum, quæ fiunt, cauſas horum morborum ſumemus, cum ob frequentiores, validioreſq; exercitationes, longas curas, & mœrorem exurantur humores in atramque bilem tota ſubſtantia noxiam tandem degenerent, huiuſmodique morbos hoc modo procreent. Quin & venus, noſtra hac ætate, malignos bubones, malignas puſtulas, malignos dolores, peruerſa vlcera, & omnia denique alia mala, quæ eos infeſtare ſolent, quos morbus Gallicus torquet, tota corrupta corporis ſubſtantia, parit.

Retenta & excreta.

Cæterum ex retentis emiſſiſque corporis excrementis naſci quoque huiuſmodi morbos, rationi eſt conſonum: Cohibita namq; atræ bilis excretione, cancri, elephanthiaſis, mania, comitialis morbus, & huius generis alii morbi maligni ſępius excitantur: Expurgatis autem præter modum his humoribus, qui contraria natura vim atræ bilis exoluunt, peruerſos morbos fieri neceſſe eſt: benignos vero exuperantibus benignis humoribus.

Jam vero & alia cauſarum genera nonnihil etiam ad horum morborum generationem cōferunt: Nam rara corpora aut nimis adſtricta, & quæ corruptis humoribus redundant, quæq; intemperata, propius, quam alia, peſte corripiuntur. In neruis fere maligni morbi proueniunt, in carne benigniores naſcuntur: nec non temporis progreſſu qui mitiores ab initio fuerant morbi, nonnunquam peruerſi euadunt, & qui primum maligni putabantur, fracta tandem naturæ robore illorum malignitate, miteſcunt.

Cap. VIII.

De cauſis morborum, qui ex conformatione vitiata conſiſtunt.

IAm tempeſtiuum eſſe puto, vt cauſas morborum, qui inſtrumentarias partes infeſtant, paucis proſequamur; qua in re illud imprimis E ignorandum non eſt, eundem eſſe in his cauſarum ordinem, eandemque rationem, quam eſſe diximus in cauſis morborum partium ſimilarium: Etenim ſtructura præter naturā morbus eſt partis inſtrumētariæ, cuius cauſa exiſtit vitiata componentiū proportio: Componunt porro inſtrumentarias ſimilares ſua conformatione, A magnitudine, numero, coniunctione, & vnione, vt antea oſtendimus. Hæc rurſus ab aliis corrūpuntur: de quibus hoc loco à nobis agendum eſt, ab his exorſi, quæ conformationem labefactant. Nam cauſas vitiatæ ſtructuræ generatim oſtendere velle ſuperfluum puto; tum quod hæ omnibus conſtent, tum quod ex his, quæ in ſingulis ſuis generibus referuntur, vel etiam ad illorum imitationem, quæ de intemperaturæ cauſis generatim ſuperius dicta ſunt, facile vnicuique innoteſcere poſſint. At quoniam conformationis nomine figuram, aſperitatem & læuitatem, cauitatem & ſoliditatem complectimur, nec omnia ab eiſdem cauſis B læduntur, propterea ſigillatim de vnoquoque agendum eſt.

Cap. IX.

De cauſis vitiatæ figuræ.

CAuſas vitiatæ figuræ nec omnes, nec methodo complectitur Galenus, cum à nullo certo initio exordiatur, nec aliqua capita ſibi proponat excutienda, dum peculiaria quædam vitia ſolum recenſet. Quod cum omnibus patere putem, non me conteram in illis oſtendendis, ſed excuſſis propoſitis rerum generibus, ſtatim quod propoſitum eſt, explicare aggredior.

Aſſumpta.

C Igitur quæ aſſumuntur partium figuram tum quantitate, tum qualitate labefactant; veluti in prima conformatione fœtus conſpicitur, cum natura nimia humoris copia obruta craſſiores, deformioreſque partes effingit, aut inopia laborans, tantum ſubſtantiæ ſingulis locis apponere nequit, quantum naturalis partium figura exigit: quod etiam in aliis, qui iam adoleuerunt, cōtingit: Sicut in tabidis, qui cum non ſatis nutriantur, naturalem figuram amittunt: Et in his, quæ præter naturam craſſeſcunt aut aliqua parte, aut toto corpore eadem vitia ob nimiam copiam ſubſtantiæ, quæ apponitur, oriri apparent. Ipſa autem vaſa decentem figuram non ſeruant, cum nimia aſſumptæ materiæ copia præter modum inflantur, aut penuria illorum tunicæ conD cidunt, contrahunturve. Cæterum ob qualitatem illius formatrix vis ſuo fine fruſtratur, cum duriorem materiam eſt nacta, quæ facile figurari nequit; aut molliorem, vt effluat, aut calidiorem aliquo loco; quæ plus æquo diſtenditur. Eadem mala contingunt, cum alteratrix facultas qualitatis vitio ineptam materiam, qua nutriatur corpus, acceperit.

Iam vero ab his quoque quæ aliquid faciunt, figuram pariter corrumpi accidit. Nam vitio formatricis ob imbecillitatem nequeuntis ſingulas partes apte figurare, dum in vtero fœtus conſtituitur; eam lædi credere par eſt. Culpa autem fœtus craſſioris, aut debilioris, aut viæ anguſtioris ipſius figura corrumpitur; cum facile ab vtero extrahi nequit, ſed in ipſo oſtio matris præter naturam comprimitur. Quinetiam ob intempeſtiuos vehementiores, & inordinatos motus ſępius contingit figuram pati; qua ratione crura quibuſdam ad interiora, aliis vero ad exteriora flecti conſpicimus: dum molliora adhuc corporis innitentis grauitatem ſuſtinere nequeunt. Ex clamore præterea thoracis par-

tes magis dilatari, & naturalem figuram amittere, absurdum non est, id, quod etiam facit superfluum otium, dum partes aliquæ natiuo calore debilitato contabescunt; & laboriosa vita, quæ exasperato calore corpus tabefacit. Ac, vt summatim dicā, ad hoc genus redigendæ sunt aliæ omnes motiones, quæ vel à nobis proueniunt, vel ab aliis oriuntur: quales sunt equitationes, nauigationes, & errores, qui à nutricibus in contrectatione, & educatione infantium, atque etiam à Medicis committuntur, dum effractos artus efformant, aut luxatos restituunt, aut denique alia vitia emendare nituntur: & interim partis figuram labefactant.

Extrinsecus admota.

B Cæterum ab his, quæ extrinsecus nocent, figuram partium lædi certius est, quam vt demōstrari debeat: quandoquidem vulnerantia, contundentia, rumpentia, & violentius alterantia id sæpius ostenderunt: alterantia quidem vel consumpta partis substantia, vel plusquam oportet corpori adiuncta, alia autem propria violentia statim id vitium committentia.

Retenta & excreta.

Postremo quæ retinentur, & excernuntur, similem vim obtinent; si quidem per immoderatas vacuationes nares acutæ redduntur & tempora collabuntur, & aliarum denique partium figura corrumpitur; quemadmodum retentis excrementis in elephantiasi laborantibus nasus, & labra crassescunt, aures vero extenuantur, figuraque peruertitur, obortaque phlegmone, aut alio tumore, cohibitis humoribus, quos excerni oportebat, eadem in figura vitia contingunt, aut simplicia, aut etiam interim magnitudine oblæsa. Reiicienda quoque nonnunquam est peruersæ figuræ causa in materiā subiectam; nam molliores partes à minimis quibusque occasionibus peruertuntur: duriores autem iniuriis huiusmodi magis reluctantur. Ex eisdem vero fontibus facile ducere licebit ea, quæ peculiaria in figura vitia committant, quid scilicet flectat, reflectat, erigat, curuet, distorqueat, inæqualiter minuat aut augeat; & vt breuiter dicam alio modo naturalem figuram immutet: quid item materiæ, quid efficientis, aut alterius generis causæ rationem obtineat.

CAP. X.

De causis, quæ concauitates, & soliditatem partium corrumpunt.

CVm plura sint in cauitatibus partium vitia; Galenus solum docet causas, quibus meatus constringuntur, vel latiores euadunt. At etiam docere oportet, cur plures, vel pauciores illæ fiant, & solidum reddatur, quod cauum esse debeat. Intelligo autem cauitatis nomine partium sinus, quos alio nomine ventres vocamus, vt ventriculi cordis, vteri, cerebri, sinus dicimus: præterea meatus, tum etiam vasorum orificia: meatus autem, quos πόρους Græci vocant, significant nobis foramina, quæ in partibus corporis, maxime vero in cute apparent; nonnunquam etiam pro sinu sumuntur, quem vasorum tunicæ constituunt; quo modo continentem febrem obturatis internis meatibus

Quid per concauitates intelligendum.

Pori quid. Meatus quid.

E

A corporis oriri dicimus. Quod si quædam sunt, quæ vim solum habent orificia, & meatus claudendi, aut aperiendi; alia vero, quæ idem etiam possunt in latioribus cauitatibus; tamen omnium causæ generatim à nobis tradentur, vt quilibet postea, quid vnicuiq; conueniat, facile inuenire valeat: Igitur plures fiunt cauitates excauato partis loco, quem solidum esse oportebat, pauciores vero solido eo effecto; quod cauum esse debet: latiores vero auctis, quæ prius aderant concauitatibus; angustiores eisdem constrictis. Cæterum etsi fingere forte possimus post natiuitatem ex aliqua occasione produci posse nouas cauitates; id tamen frequentius cōtingit errore ipsius facultatis formatricis statim ab initio perperam corpus effingentis: qua ratione duos nonnunquam meatus, qui bilem eructarent in vētriculum, fabricatos fuisse refert Gal. *in lib. de Temperamentis:* cuius quidem erroris causam etsi non facile est inuenire, ratio tamen dictat, vel ob proprium vitium eam aberrare, vel ob materiæ copiam id contingere. Quibus sane rationibus pauciores, quam par sit, cauitates fieri necesse est: Nouimus etenim quendam sine ano, id est, absque meatu, & orificio in inferna intestinorum parte natum: cui malo simile est vitium, quod de mulieribus imperforatis, vt vulgus dicere solet, à celeberrimis etiam authoribus refertur.

C Iam vero augentur concauitates à rarefacientibus, distendentibus, aperientibus, laxantibus, atque etiam partium operatione: si quidem æstate cutis meatus calore rarefacti latiores euadunt: vterus cum fœtus est grandior, distentione augetur; veluti & vesica, & ventriculus, & aliæ omnes partes, quæ distendi possunt: Vasorū orificia, quæ antea erant contracta, aperientium vsu patescunt; quemadmodum erosis venarum osculis sanguis regeritur: Quæ prius erant tensæ partes, dum immoderate laxantur, latiores euadunt; quo pacto ob immoderatum expultricis facultatis motum laxari, latioresque partium concauitates Galenus fieri commemorat: At vsu, & operatione partium earum sinus augeri constat: sic enim vteri concauitatem frequenti

Concauitates à quibus augeantur & latiores fiant.

D coitu crescere aiunt: Atque hæc quidem sunt, quæ latiores corporis cōcauitates reddunt, tanquam immediatæ causæ: quæ rursus ab aliis nascuntur. Rarefaciunt etenim calida; distendunt replentia, exsiccantia, & quæ extrinsecus attrahunt, & diuellunt, vt in membrorum dilaceratione contingit, & in aliquibus partibus vehementior actio, vt in vociferatione, & clamore intendi partes thoracis, & brachia in arctiori complexu, & crura in vehementiori motu, & renixu tendi videmus: Quinetiam in aliis nonnullis ob motum partis, cui illæ, quæ tenduntur, sunt alligatæ, tensio contingit; quod apparet in morbo comitiali, qui affecto cerebro oritur; ad illius enim motum nerui quoque tenduntur, quæ quidem non parem vim habent in omnibus cauitatibus: Nam quæ rarefaciunt, solum cutis foramina dilatare possunt; Quæ vero siccando tendunt, aut ob connexionem, meatus potius adstringunt, quam patefaciant. Confert quoq; subiecta materia ad huiusmodi latitudinem comparandam; quæ enim calidiores, humidioresque sunt partes, promptius e

diduci possunt & distendi: aliæ vero non pari facilitate. Iam vero aperiunt vulnerantia, erodentia, frangentia, contundentia, & replentia: Quæ autem *ἀναστομωτικὰ* dicuntur, id sane faciunt, vel quod ob crassitiem orificia vasorum tendant, aut ob acrimoniam leuiter erodant: Laxant tum calida, & humida; tum expultricis facultatis superfluus conatus: ac nonnunquam etiam huius causa est retentricis imbecillitas.

A quib. redduntur angustiores aut etiam occluduntur.

Cæterum angustiores redduntur meatus, aut penitus quoque deperduntur, quando corpora, quæ cauitatem constituunt, cōprimuntur, concidunt, contrahuntur, obstruuntur, coalescunt, tenduntur, & distorquentur; in quibusdam etiam locis, cum à suis sedib. egrediuntur. Compressio contingit, vel ob adiacentis corporis, aut ipsius partis extrinsecum tumorem, quêadmodum cum angustior redditur vesica ob vteri tumorem, & venę in hepate ob illius inflammationem compressæ angustiores fiunt: Quin etiam ob rem extrinsecus constringentem, vel grauātem, compressionem fieri docent vincula, quæ venis, & arteriis iniiciuntur, quorum occasione minores illarum meatus euadunt: Atqui concidunt latera meatus constituentia, dum nimio humore imbuta suum terminum retinere nequeunt, & quæ superna sunt ob id in subiecta cadunt; id quod etiam, ob vacuationem eorum, quæ in cauitatibus continentur, contingit. Contractio autem fit vel à refrigerantibus, quemadmodum cutis meatus ab externo frigore & in accessionum initiis, recurrente calore ad interna viscera, contrahi videmus, vel à siccantibus, siquidem exsiccata corpora corrugata contrahuntur: Qua ratione mammæ, & vterus in vetulis animantibus, & omnes corporis meatus in tabidis siccatis excessu minuuntur: Contrahunt & quæ adstringendi vim habent, veluti medicamenta adstringentia dicta. Præterea facultas retentrix contractionis meatuum causa fit, cum vehementius mota partem molliorem vndiquaque ad extremum in se cogit, ac constringit. Sic cum ociantur partes agereq; desinunt, contrahuntur, quemadmodum pudendorum cauitates, intermissa venere, corrugantur, minoresque euadunt: Nam otio calor corporis languescit, desinuntque ob id partes, & illarum cauitates augeri. Porro obstructio à rei, quæ in cōcauitate continetur, crassitie, lentore, & multitudine oritur: quorum quædam familiaria sunt ipsi parti, vt cibus, & sanguis contentus in venis; quædam excrementa sola qualitate inimica, vt crassi, tenacesque humores; quædam quantitate, vt eorundem copia; alia vero etiam tota substantia, vt lapis in vesica, pus, sanguis concretus, callus, & si quid est huiusmodi, quod partium meatus obturet: Ad hoc genus pertinent tubercula, quæ innascuntur cauitatibus partium, & eas obstruunt: Non tamen impedio, si quis alterum genus faciat Galeni imitatione, qui constipantia ab obstruentibus seiungit: Mihi tamen placet, ne plura capita superfluo fiant, vt quidquid intus cauitates occupat, siue humor, siue tumor, vel aliud quodcunque fuerit, vel inter obstruentia reputemus vel vniuersum hoc genus obturantium esse dicamus: quorum quędam sint obstruentia, alia vero constipantia, quæ quidem ea ratione inter se differant, vt obstruen-

Constipantia & obstruentia quomodo differant.

A tia, non affectis lateribus, quæ cauitatem constituunt, solum meatus occupent: Constipantia vero ex tumore interno ipsius partis oriantur: Coalescunt partes, cum vulneratæ vel exulceratæ fuerint: Intercedente siquidem carne coalitus partium, atque ita nonnunquam obcęcatio meatuum contingit. Ex tensione partium cauitates illarum minui docet etiam sensus, cum partis luxatæ vt longiores euadunt venæ & ligamenta, sic etiam angustiora apparent: quod etiam probat ratio. Quod enim longitudini additur, à latitudine detrahitur. Quin etiam male figuratas partes ob distorsionem suas cauitates angustiores obtinere, nulli dubium est: quemadmodum excrementis alui via præcluditur, B cum intestina à suis sedibus dimota in scrotum deuoluuntur: nimirum quod situs mutatione rectas (quas habent cum ano coniuncta) cauitates amittant.

At hæc tandem ad quatuor rerum genera rediguntur: Etenim inter ea, quæ assumuntur, fiunt, extrinsecus adueniunt, excernuntur, & retinentur, inuenies, quod rarefaciat, distendat, aperiat, vulneret, erodat, frangat, contundat, comprimat, obstruat, glutinet, contrahat, denset, constringat, vacuet, repleat, tumores excitet, & expultricem facultatem ad actionem vehementius concitet: tum etiam retentricem imbecillam reddat: Item quod calefaciat, refrigeret, humectet, siccet, accessiones in morC bis efficiat, atque etiam crassas, viscidas, multas, familiares, omnibus modis inimicas substantias gignat, & deniq; ea omnia pariat, quæ supra posuimus: quæ sigillatim hoc loco prosequi, nostri non est instituti, qui potius methodum, quam singulorum explicationem hoc loco profitemur.

Cap. XI.

De causis asperitatis, & læuitatis partium.

Causa asperitatis.

Exasperantur sane partes, quæ prius erant læues, vel erosæ, vel inæqualiter & vehe- D menter exsiccatæ: Ab his enim asperitas fieri videtur. Nam cum asperum sit, quod inæqualem habet superficiem, ob erosionem subsultant partes, ob vehementem siccitatem, humida portione absumpta, siccas inæqualiter eminere necesse est. Quod etiam Galen. *in arte Medicinali*, vbi de voce leni & aspera agit, memoriæ prodidit: At hæc faciunt, tum, quæ assumuntur, cum acrem, & abstergentem vim habuerint, vt alimenta ficciora, & acriora, & eiusdem naturæ medicamenta. Præterea, quæ extrinsecus offendunt, quemadmodum videmus, oculos, guttur, fauces, nares, & stomachum etiam ipsum ob extrinsecus aduenientem puluerem, aut aerem vehementer siccum, qualis spirante borea esse E solet, exasperari: Idem excrementa acriora retenta efficiunt: cum respiciamus, non solum carnem, sed ossa etiam ab excrementis erosa asperitatem contrahere. At ex genere eorum, quæ fiunt, vix inuenias, quod exasperandi vim habeat; nisi multis intercedentibus mediis, veluti vehemens motus primum calorem intendit, qui humores, calidiores acrioresque red-

dic, atque ita calidioris & acrioris humoris interuentu exasperat.

Causa laeuitatis. Contrariae causae adferendae in laeuitate partium. Quae enim humectant & lentorem habent, laeuigandi quoque facultatem habere dicuntur: Nonnihil etiam iuuat, quae subiicitur materia: siquidem quae sicciores sunt partes, siccantium vi facilius, quam aliae exasperantur & quae molles, promptius, quam durae ab erodentibus idem patiuntur.

Cap. XII.

De causis morbi ob numerum partium vitiatum.

Porro deficit numerus partium, vel quod dum natura in vtero effingeret animal, non sint factae, vel posteaquam genitae sunt, perierint: illud vel ob materiae defectum, vel naturalium facultatum imbecillitatem, quae materiam aptam attrahere, retinere, & alterare nequiuerunt, contingit; alterum fecit sectio quocunque modo facta ab his, quae continuum soluunt, putrefactio, valida refrigeratio, aut alio modo contracta caloris natiui extinctio, vel erosio: quemadmodum multis ob fluxiones acres, & erodentes à capite ad fauces decurrentes gurgulionem cecidisse, dum vehementius saeuiret morbus Gallicus, conspeximus: Refrigerantia, & partes adstringentia, extincto natiuo calore, faciunt, vt vel sponte concidant membra, vel tanquam prorsus inutilia chirurgica manu amputari debeant: ob putredinem vero corrumpentem membrum, aut siderationem inferentem, atque etiam ob sectionem perire partes multas, praeter rationem experientia ipsa satis docet. Caeterum cum duplex sit apud Medicos putrefacientium genus (nam Aristoteles putrefactionis nomen aliter, quam Gal sumit) vnum, quod non omnino causticam habet vim, aut imbecilliorem, & essentiae est tenuioris; alterum, quod calefacit, & simul humectat, quod vere putrefacientia complectitur; quandoquidem sine dolore partem corrumpunt accedente faetore: Huiusmodi corruptio putredo nobis est: Quanquam latius aliquando putredinis nomen capit Gal. quemadmodum cum sanguinis corruptionem, putrefactionem simpliciter vocat *secundo de Different. febr.* Neque enim omnis sanguinis corruptio cum faetore consistit, etiamsi eam solum intelligamus, quae à calore nascitur: quod ostendunt putridi humores, qui per febres sine faetore excernuntur. Ac profecto si quis diligenter spectet, quae de putrefactione sanguinis *eo loco* scribit Galen. nihil aliud, quam separationem quandam humorum intelligi inueniet, adeo vt in hoc etiam putrefactionis nomine abutatur: Itaque cum tot putrefacientium nomine à Gal. intelligantur, de vere putrefacientibus hoc loco agimus, & ipsa vera putredine, cuius causae sunt humiditas, & extraneus calor: Nam quod Gal. habet *in libro de Causis morborum* de putrefacientibus medicamentis, ad vere putrefacientia non videtur pertinere, sed ad alterum genus, quod sub erodentibus a nobis est comprehensum, quemadmodum etiam excrementa, quae inanimalib. congeruntur, putredinem non efficiunt, nisi obstructionem pariant, qua putridus calor excitatur. Praeterea si medicamenta verae putredinis causam statuat esse, cur etiam alimentorum non meminit? cum inter ea multo plura sint calida, & humida, quam inter medicamenta, quae putredini occasionem praebere possunt. Quamobrem praestat putredinis causas hoc loco statuere, quas *primo de Different. febr. & 3. de morbis vulgaribus, & passim alibi* ponit, materiam humidam, & calorem praeter nat. cum medicamenta ea putrefacientia (vt diximus) non vere putrefaciant, nec ob id partium numerum minuant, sed erodendo eas abscindant: quod cum non solum haec faciant, sed multo melius, quae vere erodentia censentur, aut exurendi vim habent, ratio profecto exigebat, vt quartum genus quemadmodum nos ipsi, constitueret Galen. quod scilicet erodendo causa est, vt partes deficiant. Putredinis autem causas nō solum ponere oportet medicamenta putrefacientia, aut excrementa corporis, aut prohibitam transpirationem, sed (vt diximus) quaecunque calorem praeter nat. in humore accendunt.

Causa numeri deficientis. *Duplex apud Medicos esse putrefacientium genus.* *Putredinis causa.*

At vero si partium numerus augeatur, & secundum naturam illarum sit substantia, causa est facultatis formatricis robur, & materiae vtilis copia: deficiente vero naturali figura, existimare oportet, causam esse, vel familiaris materiae abundantiam, aut imbecillitatem figuratricis potentiae, quae regere, mutareque materiam nequiuerit. Quod si praeter naturam extiterit pars, quae additur, si quidem sola qualitate praeter naturam existat, iustum est credere, id ob materiae vitiosam qualitatem contigisse: veluti cum ex crassiore pituita verrucae nascuntur: Si vero toto genere praeter nat. fuerit, vt vermes, non alienum est, talem quoque materiam constituere, atque in singulis etiam propriam causam efficientem, non meo quidem iudicio in omnibus naturae robur, quemadmodum Galen. placet *in lib. de Causis morborum*, sed propriam ad cuiusque generationem qualitatem. Etenim lapidem à valida natura nemo gigni putauerit; quippe cum calor excedens causa sit, vt lapides in partibus concrescant, cuius excessu, vt alterius omnis qualitatis, naturae robur minuitur, quod non nisi in bona temperie consistere valet. Atque in hoc quidem genere etiam causarum ordo conspicitur: Nam vt primo naturalis structura ob vitiatam proportionem corrumpitur, haec ob malum numerum, hic rursus ob excessum vel defectum partium corporis, quae adduntur, vel auferuntur ob causas praedictas, sic illae tandem ab his nascuntur, quae assumuntur, egeruntur, retinentur, aut à nobis fiunt, vel extrinsecus afficiunt, vt vnicuique, qui non omnino negligenter, quae hactenus tradita sunt, notauerit, non expectata alia explicatione constare puto: quare ad ea accedamus, quae sequuntur.

Causa numeri excedentis.

Cap. XIII.

De causis magnitudinis auctae, & diminutae.

Causa aucta magnitudinis. Magnitudo partium augetur, minuiturque ab eisdem fere, & propinquis, & remotis causis, à quibus earum numerum excrescere

excrescere, & deficere antea probauimus: Nam si id, quod additur, omnino naturalem substantiam habet, & pars, quæ augetur, decentem figuram seruat, causa est vtilis materiæ exuperantia, & agentis virtutis robur, quomodo carne pinguedineque adiecta nonnulla corpora præter modum crassescunt. Quod si figura natiua non seruetur, imbecillior vis, aut formatricis error, sed eadem materia indicatur: veluti cum caput aliqua in parte præter naturã prominet: At si quod additur substantiæ, plane non sit simile subiecto corpori, incrementi causa censetur inutilis materia, vel quantitate sola, vel etiam qualitate noxia; quemadmodum cum partes ob sanguinis boni copiam cõtracta phlegmone in tumorẽ immoderatum attolluntur, & exuperante excrementosa pituita in his, qui aqua inter cutem laborant, vel vniuersum corpus, vel certe nonnullæ partes immoderate extuberare conspiciũtur: quod etiam in vlceribus contingit, quibus caro bona, aut spongiosa & flaccida supercrescit: Qua in re illud mirum videri non debet, quod naturę robur in his morborum causa nonnunquam statuatur; quandoquidem id non facit, nisi materiæ copia, aut vitiosa qualitate impulsa, quam cum omnino consumere nequit, in affectus, quantum licet, naturalibus vicinos, & similimos commutare contendit: præstat enim ex sanguinis abundantia paulatim influente potius carnem copiosam, quam alienam substantiam gigni.

Causa diminuta.

Cæterum plus, quam naturalis conditio postulet, decrescũt partes, aut materia idonea destitutæ; quemadmodum videmus per inediam, aut vsum malorum ciborum corporis molem concidere, aut exuperante consumptrice causa; veluti per vehementes febres, & alia digerentia, violentius consumpto humore, quo partes constant, & nutriuntur, corpus tabescit. Ad quod etiam genus pertinent naturalium virtutum imbecillitates, quæ alimentum ad se non trahunt, non retinent, nec, quantum vsus postulat, assimilant: nec deniq; excrementa, quibus nutritio corrumpitur, segregant, forasque propellunt. Quinetiam obstructiones venarum & aliorum meatuum, per quos debet digeri alimentum, diminutionis partium causa existunt: Ac de his quidem omnibus Galenum *in libro de Causis morborum*, vbi huius rei tractationem in specie instituit, mentionem facere oportebat, cum nõ minus ab his, quam à sectione, exustione, putrefactione, & immodica refrigeratione partium moles decrescat, quãdo etiam externas iniurias, quibus partes minui contingit, omnes non complectitur. Nam erodentia, & calefaciẽtia, & siccantia præter eas, quas superius commemorauimus, non minus quã ea, quæ ille numerat, naturalem partium molem minuunt: veluti etiam incrementa ex fluxionibus humorum nascuntur, de quibus tam *eo loco* non agit, cum tamen ratio postularet, vt postea quam tumores præter naturã inter morbos, qui ex magnitudine consistunt, enumerauit, illorum quoque causas minime prætermitteret. Si præterea incrementa partium ex diuersa materia fiunt, res distinguenda erat, nec in omnibus materiæ copia incrementi causa ponenda. Quæ quidem dicta velim, non Galeni causa, qui hæc non ignorauit, etsi forte ea negligentius prætermisit, sed vt eos admoneam qui sectis, & hominum authoritati ita sunt addicti, vt omnia perfecta, nihilque apud eos deesse putent, quos nullo adhibito iudicio temere sequuntur. Sed valeant illi; Nos vero ad reliquorum morborum causas properemus, has enim, quas enumerauimus, causas, ab his rerum generibus, de quibus toties iam egimus, nasci, notissimum omnibus esse puto.

Cap. XIV.

De causis morborum, qui ex continentium vitiata proueniunt.

Cur quædam contenta ex suis sedibus cedant.

PArtes, quæ in aliis continentur, si quidem laxiorem connexionem sortitæ sunt, ob continentium vulnera, vlcera, aut quocunque modo factam apertionem à suis sedibus exiliunt; quo modo vulnerato abdomine nonnunquam intestina exeunt, quorum etiam pondus, & grauitas causa est, vt rupto peritonæo, descendant ad vesicam, & alienas cauitates occupent. Idem faciunt imbecilliora ligamenta, quæ vel facile rumpuntur, vel laxantur: qua ratione mulieribus nonnullis vterus aliquando procidit, quod illis etiam cõtingit ob vehementem expultricis facultatis motum, dum violentius partum extrudere nituntur.

Causa mutati situs.

At si partes inter se coarticulentur, vtriusque vitio situs illarum immutari potest: cum enim, quæ suscipit pars, angustiorem habet concauitatem, quam alterius caput postulet, non potest hæc ad suũ locum peruenire, cum latior est, aut ablatis superciliis labefactata, vt liberius vagatur in concauitate, quæ recipitur pars; sic facile sursum ascendere, & in omnem partem exilire potest; quorum quoque causæ sunt vincula ipsa longiora, aut breuiora, aut debiliora, quam res exigat. Atque vt hæc nascuntur à quatuor rerum positis generibus, sic & alia quædam vitia, quorum occasione situm partium immutari contingit: Nam vehementes motus, contundentia, frangentia, luxantia, tondentia, auellentia, & cætera huiusmodi, partes à suo loco sæpius dimouent.

Causa malæ connexionis.

Connexio vero, vt ante ostendimus mala fit, cum ligamenta longiora, breuiora, crassiora, tenuiora, latiora, vel angustiora, aut alio modo præter naturam affecta fuerint, nec illis locis inserta, quibus secundum naturalem constitutionem implantari debent, quæ omnia, vel conformatricis virtutis errore, aut materiæ vitio statim ab initio, aut postea accedente aliqua ex supradictis rebus occasione proueniunt: si quidem alimenti defectu, vt aliæ partes, sic & ligamenta extenuari possunt, & superflua copia crassiora redduntur, & ob excrementa retenta, vel eroduntur, aut inflata crassescunt, & ob superfluas vacuationes gracilescunt, minoraq; fiunt: quod his contingit nonnunquam, qui tabe consumpti ob nimiam ligamentorum siccitatem, & duritiem vix flecti queunt: Lædi vero etiam partium ligamenta à vulnerantibus, & contundentibus, aut alio modo extrinsecus lædentibus, & à validis, inordinatisque motionibus, docet quotidiana fere experientia.

CAP. XV.

De causis solutionis continui.

Vulnerãtia.

FIERI omnem continui solutionem à vulnerantibus, erodentibus, rumpentibus, & contundentibus, vel frangentibus, superius, cum morborum genera quæreremus, ostendimus: nec alia quidem causa addenda est; quæ id efficere possit in nostris corporibus: nam in aliis rebus idem ex siccitate fieri accidit; sicut ellychnium continuitatem suam ex ariditate amittit: nostra vero corpora tantos excessus non ferunt, quin præueniat mors. Quare illud solum in præsentia superest, vt doceamus, à quibus rursus hæc proueniant. Itaque vulnerantia ab vno genere rerum duntaxat sumuntur, nempe ab his, quæ extrinsecus violentius impetunt, & dura ad secandumque idonea existunt: veluti ensis, sagitta; cuius etiam generis putanda sunt, quæ morsu feriunt: Confert tamen nonnihil etiam materia subiecta; nã molles partes prompte, duræ vero ægrius vulnerari possunt.

Erodentia.

Erodunt, quæ vehementer calida, & sicca existunt; idque vehementius faciunt, si crassitudinem adiunctam habeant, & partes nacta sunt molles nullo lentore imbutas: Nam dura, & crassa, humore irrigata viscido, vel etiam aquoso, difficile eroduntur: siquidem illa duritie, & crassitudine munita difficile aliorũ iniurias admittunt, hęc humore tenaci circundata acrimoniã exoluunt & temperant. Sumuntur sane erodẽtia ex omni prædicto rerum genere, & ex quibusdam statim, nullo intercedente medio, ex aliis vero, factis prius multis aliis mutationibus.

Erodentia exterius adhibita. *Quomodo retenta erodãt.* *Quomodo motus animi & corporis & simul aer.* *Quomodo assumpta.*

Etenim inter ea, quæ extrinsecus adhibentur, medicamenta acria admodum, & ignea, siue quæ vno nomine Medici caustica, siue adurentia vocant, cum primum corpori admouentur, paululum à nobis excalefacta erodunt, quemadmodum amari salsique humores, qui in corpore retenti nunc venas, nunc arterias, vel carnem, aut cutem, vel etiam ossa exedunt: motus vero animi, & corporis, & qui nos circundat aer, prius corpus excalefaciunt; ex calore postea acres, mordacesque humores procreantur. Quæ vero assumuntur, siquidem medicamenta fuerint, vt cucurbita syluestris; aut etiam venena, quæ ab actione mutuato nomine erodentia vocantur, cuiusmodi est arsenicum, cantharides, statim vim suam exerunt. At alimenta prius in humores conuertuntur, quam erodere valeant.

Rumpentia.

Rumpuntur partes facilius, quam aliæ, molles, duræ, tenues, idque à tendentibus, & contundentibus.

Tendentia.

Tendunt replentia, exsiccantia, extrinsecus diuellentia: & partium nonnullarum vehemens actio, & earum motus, quibus, quæ tenduntur, sunt alligatæ.

Replentia.

Replent assumpta, retenta, calefacientia, humores fundendo, vaporesque gignendo; refrigerantia, humores intropellendo. Exsiccantia superius sunt comprehensa. Vehemens actio, & motus ab his solum, quæ fiunt, sumuntur.

Diuellentia & lacerantia.

Diuellunt, lacerantque corporis membra, quæ extrinsecus comprehensis, violentiusque tractis partibus tendunt.

Contundentia.

Contunduntur, quæ in se cedere, & rursus attolli possunt, huiusmodi sunt molliores partes, vt caro, nerui, venæ, ligamenta, & in corporibus adhuc ob primam ætatem tenerioribus ossa ipsa, præsertim capitis, quæ postremo duriora euadunt: ea autem duntaxat contundendi vim habent, quæ vel dura, & crassa sunt, & extrinsecus irruunt, vt lignum, lapis, quibus simile est, si quis ex alto loco in terram, aut super lapides, aut aliã rem contundentem deuoluitur. Nihil enim refert, an ex lapidis ictu contusa pars aliqua sit, an quæ delabitur pars, vehementer in lapidem, aut terram impingat. Idem faciunt, quæ grauia sunt, quomodo ex graui, magnoq; pondere, quæ subiecta sunt corpora, contunduntur. Eadem frangunt, si subiecta corpora, quæ afficiuntur, dura adeo fuerint, vt in se cedere nequeant, sed siccitatis excessus, & ictus violentia comminuuntur. Qua ratione ossa frangi, carnem contundi ab eodem etiam ictu, eisdemq; causis dicimus.

Frangentia. *Frangentia.*

Frãgunt quoq; ossa, quæ vehementius ea flectunt, vt per magnas inęqualesq; saltationes contingit. Ex quibus sane causæ singularũ specierum, quæ in vnoquoque genere reperiuntur, siue simplices, siue compositæ fuerint, facile innotescent. Nam puncturæ causa est, quod pungendo vulnerat, plagæ vero siue incisionis, id quod cæsim ferit.

Caries vnde.

Caries, cum sit species erosionis, omnino ab erodentibus fit, nisi quod videntur vehementiora esse, quæ ossa, quam quæ carnem, aut alias partes molliores erodunt. Quæ vero impulsu agunt, leuiterq; ossa afficiunt, genere frangentiũ, & cõtundentium continentur, sola maioris minorisq; differentia inter se discrepantia:

Anastomosis vnde fiat.

Cæterum ἀναστόμωσις, inquit Gal. *tertio de Caus. symptomatũ*, fit vel à mordentib. vel à multitudine, vel à natura ipsa expellente ea, quæ contristant. At *libro quinto Methodi* eandem ob vasis imbecillitatem, vel sanguinis irruẽtis ad illius orificium copiam, vel ob acrem quampiã, quæ illi extrinsecus incidat, qualitatem; Ita quidem solet perpetuo de eisdem rebus diuersa tradere. docet autem natura rei, vasorum orificia à tendentibus, quæ intrinsecus vasa ipsa distendunt, & ab erodentibus intrinsecus extrinsecusve aperiri. Possunt idem præstare, quæ pungunt, si forte in orificiũ inciderint: Nam vasis ipsius imbecillitas, & mollities non aperit, sed causa est, vt ea, quæ aperiendi vim habent, prõpte eam exerant. sanguinis vero copia, & naturę expellentis impetus, & actionis partis, quæ afficitur, vehementia; vt clamor, qui pulmonis vasorum orificia reserat, & si quid huiusmodi est, ob tensionem anastomotica dicũtur.

Diapedesim non esse recẽsendam inter solutiones continui.

Atqui diapedesis inter solutiones continui recenseri non debet: Si quis tamen id contendat, causam habebit tunicę vasorũ rarefactionem, vel gracilitatẽ, & sanguinis, qui in vase continetur, tenuitatẽ, vel caliditatem. Quod autem ex vasorũ gracilium apertione fieri non possit, quemadmodum Gal. *lib. 5. Metho.* scribit, ex hoc constat, quod alioqui cum anastomosi diapedesis confundatur. Nam si patefactio orificiorum anastomosis est, vt ipsum nomen mõstrat, cur vasis adapertis diapedesim fieri putabimus?

Vnde auulsio. *Ecchymosis quid & vnde fiat.*

Auulsio vero ipsa ab his solum, quæ extrinsecus tendũt, perficiũt. Iam vero ecchymosis enim mixtus sit affectus ex cõtusione, & ruptione, so-

ne, solum fieri potest à contundētib. in partibus, quæ rumpi possunt, quales solum sunt, quæ tensionem admittunt. At omnes contusionis species ab eisdem genere contundentibus proueniunt, fiuntq; diuersæ contusiones, vel ob subiectæ materiæ, vel ob cōtundentis corporis maiorem, minoremq; impulsum. Atque hæc quidem sufficiant de causis morborum simplicium, & nonnullorum, qui compositi sunt: si qui verò relicti sunt compositi, quorum causæ non sunt explicatæ, ex simplicib. facilè intelliguntur. Etenim expositis quatuor rerum generibus, quæ A nostrum corpus immutant, inuenies, quod cōpositas intemperies gignat, vel duos morbos in partibus instrumentariis excitet. Item quod similares & instrumentarias partes pari modo offendat, & denique quod duos, tres, & omnes morbos, qui in partibus oriri possunt, committat, si modo propriam singularum rerum vim perspectam habueris, & quid vnaquæque pars pati valeat, (de quibus hoc loco agere non institui,) minimè ignoraueris. Quamobrem iam ad causas differentiarum morborum properādum esse puto.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE CAVSIS DIFFERENTIARVM MORBORVM,

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

QVemadmodum Galenus morborum ipsorum causas explicare tentauit, ita profectò oportebat illum causas etiam docere, quæ morborum differentias pariunt. Non enim solum, quid intemperiem aut structuram partis instrumentariæ corrumpat, intelligere debet Medicus, sed quid etiam morbum magnum, acutum, breuem, longum, æqualem, inæqualem, continuum, intermittentem, & cæteras prædictas morborum differentias committere valeat, habere compertum, alioqui quonam modo, quæso, commoda iis remedia adhibere poterit? Si enim vnica sit magnorum omnium morborum causa, vnico remediorum genere perpetuo pugnandum erit. Quod si plures extiterint, tot planè excogitanda sunt auxilia, quot causæ inter se genere discrepantes extiterint: quod nemo vnquam intelligere poterit, nisi prius de D huiusmodi causis egerit: Hinc profectò nascuntur omnes controuersiæ, quæ de remediis agitantur: veluti cum Gal. omnem morbum magnum venæ sectionem indicare, alias verò pro venæ sectione purgationem requirere scribit: Hinc orta ea dubitatio, an etiam in in- B termittentibus febribus expediat, vt in continuis sanguinem mittere, & multa huiusmodi alia, quæ comparatis morborum causis cum præsidiis, de quibus litigamus, nullo negocio intelliguntur, & quid verius ab authoribus, qui diuersa hæc præcepta tradunt, scribatur, perspicitur. Quamobrem nescio, qua ratione hæc sint à Gal. nostro vel penitus prætermissa, aut certè leuiter & nulla arte explicata. Nam nec de omnium prædictarum differentiarum causis agit: et- C si fortè quorundam causas explicare aggreditur, tamen nō communi quadam ratione, qualem ars desiderat, sed propria duntaxat vni morborum generi facit: veluti cum causas docet, cur febres quædam sint continuæ, aliæ verò intermittant, & cur inter continuas quædam eum tenorem, quem ab initio acceperunt, perpetuo retineant, aliæ verò certis temporib. intendantur & remittantur: At docendi methodus postulat, vt in primis quæ in vniuersum continuitatis, intermissionisq; omnium morborū causæ esse possint, doceatur: Ex quibus quæ singulis sunt propria, postea facilè innotescunt: Omitto, quod ea, quæ de hac re scribit, in occultissimis locis, vt *in commentariis in Hippocratis libros* & *sparsim* tradat, quæ tamen, vt parem aut maiorem etiam vtilitatem habent iis, quæ

de morborum causis pertractantur, ita peculiare suum opus ab eo qui artẽ docet, desiderant. Quod si ex his, qui post Galenum scripserunt, aliqui saltem hæc attigissent, res nobis facilior nunc esset relicta; At cum omnes vel rei difficultate perterriti, vel solum ad ea scribenda eisdem sæpe verbis, quæ ab antiquioribus, Galeno præsertim, tradita fuerant, permoti; ne vno quidem præcepto, ne dicam verbo, nos iuuerint, nobis omnia excogitanda reliquerunt: quæ si absoluere nequiuerimus, saltem aliorum ingenia ad meliora meditanda excitabimus: aut quæ nunc trademus, nobis erunt auxilio, si aliquando, vt speramus, totam medicinam suo ordine conscribemus. Nec existimare quidem oportet hæc ab aliis prætermissa fuisse, quod omnib. peruia & notissima essent: Nam si quis inscriptionem duntaxat proponat, quænam scil. causæ morbum magnum, aut continuum, vel acutum, vel alterius differentiæ ex propositis alium faciant; videbit statim diuersas causas ab vnoquoq; adferri, quod maximæ difficultatis est indicium. Illud tamen hoc loco ignorandum non est, eum, qui velit huiusmodi causas enarrare, non solum de efficientib. causis agere debere, sed etiã de aliis omnibus generibus, quæ superius posuimus: vt enim illæ in generatione morborũ omnibus morbis communes erant, & differentia potissimũ in efficientibus reperiebatur; ita in his omnia causarũ genera æqualem ferè vim obtinent, siquidem ob diuersa efficientia, ob diuersam materiam, & subiectum & causas sine quibus non, & instrumenta, & formas etiam differẽtes huiusmodi morborum differentiæ proueniunt, vt statim ex ipsa tractatione vnicuique patebit.

CAP. L.

De causis morbi magni, & parui.

GAlenus (vt antea obiter cõmemorauimus, quum de morbo magno ageremus) passim morbum magnum ob partis præstantiam, malignitatem, & magnitudinem affectus committi scribit, sed id quidem, meo iudicio, non paruo errore, cùm magnum, & malignum, & periculosum simul confundat: Nam morbus magnus pro vehementi, & periculoso ab eo vsurpatur, nec eædem possunt esse vtriusq; causæ; quamobrem seiunctim de vnoquoq; agendum est. At quoniam qui simpliciter eo modo magnus est, idem est cum vehementi, & acuto, ne cogamur eadem sæpius repetere, illius causas hoc loco potissimum prosequemur, quem nos propriè magnum nuncupandũ esse, (quod se validè affligat) superius annotauimus. Deinde illius, qui etsi magnus dicitur, pro periculoso tamen sumitur.

A

Itaque inter efficientes causas, quæ calidam, frigidamq; intemperiem committunt, hæ magnos morbos quoq; pariunt: Nam humor, & siccitas obtusam vim habent, adeo vt validè corpus molestare nequeant. Idem quoq; præstare valent, quæ vulnerant, frangunt, contundunt, & rumpunt: habent enim hæc magnam ad agendum vim. At quæ conformationem, magnitudinem, numerum, & coniunctionem partium corrumpũt, nisi calefacientium, refrigerantium, & continuum soluentium interuentu vim suam proferant, vix magnorum morborum causæ esse possunt. Quod profectò docent, qui in vtero matris malè conformati fuerunt, aut ineptam magnitudinem sunt sortiti, aut aliqua parte mutilati; vel deniq; in coniunctione partium malè affecti, nullo tamen interim hoc modo magno morbo laborare putantur. Iam verò materiæ quoq; ratione magni, paruique morbi fiunt: ex sanguine namque, & bile vtraque, præsertim si atra ex adustione consistat, magni; ex pituita, serosoq; humore parui proueniunt morbi. Confert quoque ad horum morborum generationẽ varia partium, & subiecti conditio; siquidem in nobili parte, musculorum extremitatibus, neruis, vt plurimũ magni morbi nascuntur: in carne, tunicis, ossibus minores: At ob spatium, in quo mouentur nonnullæ partes, consistere nõnunquam morbos magnos docet cor, quod, cum occupato ab aquoso humore spatio, in quo dilatatur, & cõstringitur, liberè moueri nequeat, syncopas, & alios grauissimos affectus parit: Quinetiam tempore, accedente in excrementis corporis putredine, qui prius erant leuissimi affectus, maximi euadunt, & vulnerantia, calefacientia, & vniuersum genus efficientium pro vario agendi modo, & ordine, nunc magnos, nunc paruos morbos concitant. Nonne quoque instrumentum cõmunem vim suam exhibet ad morbos magnos excitandos; cum obstructis arteriis pulmonis, & cordis, atq; ita caloris natiui motu impedito, maximis morbis corpus statim corripiatur? Ab his ergo hoc modo magni, paruique morbi excitantur.

Efficientes causæ morbi magni propriè dicti.

B

Materialis.

Conditiones partis & subiecti etiã pro causa habentur.

C

Causæ instrumentales.

D

Eum verò magnum ita dictum, quod vires excedat, vitæq; discrimen minetur, omnes causæ in omni genere efficientium cum vehementius excedunt, efficere valent: Nam & quæ siccam intemperiem, & quæ frigidam, humidam, calidam, aut alterius cuiuscunq; generis morbum inferunt, si tantum excedant, vt naturæ & remediorum vim superent, magnos, id est, periculosos excitabunt. Inter quæ nonnulla etiam, quæ minimũ possunt ad morbos alio modo magnos cõmittendos, magnam in his potestatem ostendunt. Etenim siccantia obtusam, tardamq; vim habent; attamen grauiores, periculosioresque morbi censentur, quos siccitas, quàm quos calor, vel frigus committit: nimirum *quod huiusmodi intemperies, quàm alia, difficilius corrigatur.* Creduntur quoque maiores, periculosioresque morbi, qui ex atra bile, vel æruginosa, quàm qui ex pallida, aut sanguine, vel pituita, & qui ex hac salsa, quàm dulci, vel insipida proueniunt: Præterea maligni morbi periculosiores, benigni tutissimi.

Causæ morbi magni pro periculoso sumpti.

E

Morbi à siccitate orti sunt grauiores & periculosiores, quàm quos calor aut frigus committit.

tissimi; & minimum periculosi merito putantur; atque etiam vt plurimum magni, qui principes partes, aut vniuerso corpori seruientes occupant, aut imbecilliora alioquemodo male affecta corpora inuadunt. At in quibus natiuus calor vehementer patitur, & denique quæ magnum corpore excessus, aut defectus causæ esse possunt, periculosi quoq; magnique morbi ponendæ sunt causæ.

Cap. II.

De causis morbi æstiui.

PRoprium æstati morbum, quæ calefaciunt, atq; etiam siccant, gignunt: quamobrem easdem in hoc modo causas statuere oportet, quas antea diximus esse calidi, sicciq; morbi. Qui verò æstate gignuntur, quidam ob temperiem aeris ambientis; quidam verò ex alijs causis consistunt: atq; inter illos quidem nonnulli similem omnino temperiẽ obtinent ei, quam habet temporis cõditio: alii verò in aliquo euariant: Nam etsi æstas flauam bilem procreat, tamen durante caloris vehementia ex portione bilis crassioris atrã parit, à qua æstiuæ dictæ quartanæ nascuntur, qui certe morbus proprius æstatis non est, cum ex atra bile oriatur; ex flaua autem consistunt, qui propriè æstiui dicuntur. Qui vero frigidi sunt, aut humidi, vel alterius naturæ, à refrigerantibus, & similibus deniq; causis singuli in æstate pullulant. Cæterum eos, qui æstate soluuntur, frigidæ, & humidæ causæ committant, oportet. Eadem sit ratio de morbo autumnali, hyemali, & vernali. Confert etiam subiecta materia ad eorum generationem, si quidem calida, sicca, gracilia que corpora æstiuis propriè dictis morbis magis, quàm alia, sunt exposita.

Cap. III.

De causis morbi biliosi, & pituitosi.

BIliosum morbum, qui à bile gignitur, excitãt ex quatuor generibus rerum, quæ procreandi bilem vim habent. Illum verò in quo bilis redundat, sed à bile non fit, ea, quæ vel meatus, per quos extra corpus ferri huiusmodi humor consueuit, aut virtutem attractricẽ & expultricẽ partium illius attractioni, & expulsioni destinatarum, offendunt. Idem statuatur de pituitosis, melancholicis, & alijs morbis, qui à cæteris humoribus proueniunt; quibus etiam confert subiecta materia ad illorum generationem aptior vel ineptior.

Cap. IV.

De causis morbi in habitu.

MOrbos in habitu, ita dictos, quod difficilè remoueri possunt, excitant causæ efficientes, quæ difficilè pati queunt, & expelli: Difficilè siquidem siccitas corrigitur, difficilè fractura, vlcus cauum. Præterea quæ morborum malignorum sunt causæ; ægre quoque curantur vitia, in quibus pars aliqua restitui debet, aut augeri magnitudo, aut emendari cõformatio. Quod si aliquando vitium, quod ex siccitate est, facilè emendatur; vt cum humoris, & spirituum defectu corpus exsiccatur, id tamen non [illegible] qualitatis ratione, sed materiæ, quæ [illegible] tenuitatem dissoluitur, & regignitur, contingit: vel potius separanda est tanquam [illegible] naturæ siccitas, quæ humoris defectu prouenit ab ea, quæ ob siccam qualitatem in parte est concepta, quæ vt propriè siccitas est, sic difficillimè inter omnes alias qualitates tollitur. Præterea inter morbos, qui difficilè curantur, omnes cum vehementius excesserunt; modo secum non habeant cõiunctum humorem feruentem, & mobilem (hi enim cito finiuntur) difficillimè terminantur: Etenim vehemens caliditas, frigiditas, magna vulnera, aut fracturæ insignes, ægrius, quàm quæ minores existunt, curantur. Est quoque huiusmodi morbi causa, materia, ex qua morbi gignuntur, siquidem humor melancholicus, & pituita difficilius, quàm sanguis & bilis; & crassa materia, quàm tenuis; & multa quàm pauca; & viscida, quàm quæ nullum lentorem habet, maiore negocio corrigitur. Partes præterea, quæ in profundo corpore sunt collocatæ, aut debiliores, aut duræ, vel calore propemodum destitutæ, contumaciores morbos contrahunt: Veluti etiam qui longa mora corpus iam occuparunt; alij enim, qui recentiores sunt, promptius tolluntur, conferentibus scilicet ad horum naturam causis sine quibus, & cum quibus morbi procreantur.

Cæterum morbum in habitu dictum, quod corporis habitum occupet, si totum habitũ sumamus, non omnes causæ tales morbos excitare possunt; huiusmodi sunt, quæ vulnerant, frangunt, & alia demum, quæ aut vnam, aut certè non omnes partes afficiendi vim habent, sed quæ communiorem naturam sunt sortitæ: inter quas quædam primo id faciunt, veluti quæ extrinsecus nos ambiunt & vniuerso corpori admouentur; Aliæ verò interuentu aliarum, vt ea, quæ assumuntur, eo quod humores gignant, qui postea in omnes partes delati habitum etiam corrumpunt: *Ergo quæ intemperiem committunt, morbum in habitu excitant*, ab alijs autem causis vix vnquam totius corporis habitus vitiari potest.

Causæ quæ morbum in toto corporis habitu committunt quæ.

Cap. V.

De causis morbi acuti seu vehementis.

DE nulla re frequentius agit Galenus, quàm de morbo acuto, cum de illius natura, remedijs, & solutione passim præcepta tradit: At nulla generali ratione vsquam quid acutum morbum efficere possit, docet: quod tamen in primis explicandum fuerat. Cur enim frigidus humor, & calidus acutos morbos pariter committant, vt cum ex illo attonitus morbus, ex hoc verò ardentes febres nascuntur. Cur præterea vulnerantia, & cõtundentia idem efficiant, cum diuersæ tamẽ sint naturæ, nemo intelligere potest, qui perspectum non habet id, quod in rebus diuersis idem & commune existit. Quinetiam cum illa, quæ enumerauimus, nunc acutos, nunc contrarios morbos pariant, docendum hoc etiam erat, cur alterum semper non fiat. Quæ sanè res percipi nequit, nisi in primis, quæ sit morborum acutorum causa, præcognouerimus; quæ si ignoratur, tum in curatione, tum præseruatione, & etiam prædictione euentus morbi, errores committi necesse est.

Nam multo diligentius præcauebimus futuros morbos, quos præuideamus fore acutos, & præsentes illorum causis perspectis, propriis remediis propulsabimus: ac denique omni illarum vi & natura lustrata, quid futurum sit, præsentiemus: Itaque si morbus acutus est, qui validè affligit, & citò soluitur, causam sanè oportet huiusmodi esse, quæ vtrumq; præstare valet. Quæ enim vel subitò solum agere possunt, & tolli, leuiores morbos faciũt, quales sunt diariæ febres, quæ à spiritibus, materia scilicet ad concipiendũ calorem, & remittendum facili, nascuntur. Quæ autem multum obesse possunt corpori, nõ semper acutos morbos inferunt: quod ostendunt magna vulnera illata musculis, quæ diuturna esse solent. Igitur inter alterantia, quæ siccant, & humectãt, acutorum morborum causæ esse nequeunt, quandoquidem vt superius ostẽdimus: hæc magnam vim non habent; aut si magnam, nõ certè concitatam: calor verò & frigus potest quidẽ, sed nõ semper, cum videamus vniuersum corpus, vel partem aliquam calido, aut frigido morbo laborare, qui tamen morbi diutius perseuerant, & leuiores etiam existunt: Ergo illa tunc solum acuti morbi sunt causæ, *cum abundè excesserint*. Neque enim natura molestiam insignem, quæ ab illis prouenit, longo tempore sustinere valet. At nec etiam in conformatione, magnitudine, numero, & cõiunctione partium morbi acuti facilè inueniri possunt: Quæ verò vulnerant, frangunt, aut alio modo continuum soluunt; si lethalem morbum inferant in parte principe, vt plurimũ acutum morbum procreabunt: Diu enim pars princeps magnas noxas sustinere nequit, nisi remittantur: salutares autem ab his causis in illis partibus morbi, longiores existunt, nec acuti esse possunt; quod cerebri vulnera, & contusiones salutares ostendunt, quæ nõ nisi longo tempore persanantur: in aliis autem partibus externæ huiusmodi causæ pro illarum vehementia nunc breues, nunc longos, nunc acutos, alios non acutos faciunt morbos: Magnum enim vulnus in coxa, quod occidit pro magnitudine vulneris, sub termino acutorum morborum aliquando continetur, aliquando vero excedit.

Morborũ acutorũ causæ efficientes.

Calor & frigus quando sint morborum acutorum causæ.

Causæ morborum acutorum ex materia.

Præterea ex materia, morbi quoq; acuti causæ sumuntur: etenim humor admodum calidus & feruens in vniuerso corpore, aut saltẽ in trunco illius contentus, vel etiam in substantia partiũ imbibitus, ita vt tumorem excitet, huiusmodi morborum causa esse agnoscitur, id quod ostendunt ardentes febres, quæ quoniam ex feruente humore constant, inter acutos morbos præcipuum locum meruerunt, feruentem autem & non quocunque modo calidum oportere esse humorem, ex eo intelligere licet, quod longæ febres ex putrescente materia sæpe nascuntur, quæ propterea, quod non satis calida est, vt facilè moueri, dissoluique possit, acutorum morborum termino minimè continentur: & diariæ febres, quæ ex calida materia nequeunte vehementem calorem concipere, citò quidem concitantur, tamen quia validæ non sunt, ab acutis excluduntur. In toto verò corpore huiusmodi humorem acuti morbi causam esse monstrant continuæ febres, per quas in eo ob vehementem putredinem humor ardet: At eum, qui A in maioribus vasis talem calorem concepit, procreare acutos morbos, ex febribus, quæ synochæ dicuntur, intelligere licet. Eum autem, qui solum in habitu corporis residet, etiam si calidissimus sit, non efficere morbos acutos, docet tertiana febris, quæ ex syncera bile nascitur, nec tamen inter verè acutos morbos reputatos. Cæterum eundem humorem, qui inflammationem excitat in parte nobili, aut saltem non ignobili, autorem esse morborum acutorũ, indicat pleuritis, peripneumonia, phrenitis, hepatis & septi transuersi inflammatio, & angina, qui inter acutos morbos præcipuam dignitatem sibi vindicant. In carne verò, aut alia parte exiguo sensu prædita, quæ consistunt inflammationes, vt vix B excedunt decimum quartum diem, antequàm suppurentur, vel alio modo dissoluantur, ita nisi insignis fuerit tumor, validè non molestant, propterea à morborum acutorum natura recedunt. Iam verò frigidi crassi, viscidique humores ferè solum in cerebro, & corde acutos morbos gignere valent: nec id quidem suaptè natura, sed vbi tantum exuperauerint, vt vel vim illarum partium penitus obruant, vt in attonito morbo & lethali syncope apparet, vel vehementius facultatẽ expultricem irritare possint: quod in epilepsia contingit: vnde frigidi sola quantitate, & peculiaris partis ratione; Calidi autem humores, qualitate potius acutos morbos inferunt: Hoc modo ergo efficientium, materiæ & C subiecti ratione acuti morbi proueniunt. Nec tamen alienum est temporis processu quosdam morbos acutos fieri, alios verò acutiem deponere, vt in febribus accidit, quæ ex crassiore materia, & ob magnas obstructiones obortæ tandem concepta vehementi in humore caliditate acuti euadunt; & fracturæ, quæ ab initio vehementes dolores excitarunt, postea verò mitigato malo in diuturnum, mitioremque morbum degenerant: Occupato autem spatio cordis ab aquoso humore, vehementes morbos nasci, omnes nouerunt. Atque hæc quidem satis de causis acuti morbi, siue vehementis, ex quibus contrariorum morborum causæ facilè innotescent.

Humorem feruentẽ in vasis procreare morbos acutos, eum verò, qui sit in habitu, etiamsi sit feruentissimus, non item.

Vbi & quomodo frigidi crassi & viscidi humores pariant morbos acutos, & quomodo item calidi.

D

CAP. VI.

De causis morbi continui, & intermittentis.

Continuum, id est, qui nunquam desinit, morbum, donec omnino ad finem suum peruenerit, non omnis causa, sed quæ stabilis, & pertinax sit, committit. Inter quas quædam suapte natura, aliæ verò ob loci conditionem, huiusmodi vim capiunt: etenim vulnerantia, contundentia, refrigerantia, & denique omnia alia, quæ nullo immerso humore, aut vapore cõtento in corpore morbos inferunt, eosdem continuos faciunt, dum paulatim fracta il- E larum vi minuantur morbi, nec aliqua causa subsit, quæ illorum impetum nunc dissoluat, nunc insultus nouos pariat: At humor, & materia, quæ in corpore continetur, aliquando suapte facultate idem facit, aliàs verò alterius ratione: [illegible] enim sanguis cum calescit, aut putrescit, aut [illegible] aliquo loco colligitur, aut alio modo morbum procreat, continuos eos reddit, id quod

Causa morbi continui.

Quando sanguis aut alii humores continuos morbos procreent.

id quod ostendunt synochæ vocatæ febres, & inflammationes, quæ perpetuò hominem infestant. Reliqui verò humores, si quidem putrescant, tunc solum huiusmodi morborum causæ fiunt, quando aliquo in loco ita sunt conclusi, vt vacuari nequeant: quod apparet ex febribus tertianis, & ardentibus, quarum illæ ex humore bilioso putrescente in habitu corporis, hæ verò ex eodem contento in maioribus vasis consistunt, & inter se differunt, non humoris ratione, sed loci conditione: Nam in ardentibus febribus coarctatur humor in profundo corpore, nec exitum habet, donec natura, victa morbosa causa, apertisque viis, impetu maiore facto, quicquid erat noxiũ, extrudat, aut ars ipsa propriis auxiliis idem extrahat. In tertianis verò, & omnibus aliis intermittentibus febribus parentem viam nacti humores dissoluuntur; vel impellente natura, vel educente Medico. Quod si omnino victa sit morbosa dispositio, morbi finis contingit. At si ea subsit, quæ nouum humorem regignat, aut aliunde suscipiat, priore expulso, vt remittitur, & continuus esse desinit, sic alio accedente rursus repetit. Si verò nulla adsit putredo; vbicunque collecti fuerint huiusmodi succi, authores sunt continuorum morborum; vt monstrat morbus regius, qui ex bile, sparsa per habitum corporis perpetuò affligit: Humoris ergo totius excretio intermissionis causa est; continuitatis autem, si aut nulla, aut quædam duntaxat illius portio educatur: Quod enim superest, continuitatis causa fit: morbosa verò, quæ subest, dispositio, & certis temporibus humorem acertuat, & commouet, non primo, & per se, sed humoris interuentu interpolationis causa censenda est: est enim in continuis etiam sua dispositio, sed intermissio non accidit, propterea quod, vt diximus, *humor in locis obstructis coarctatus omnino non expirat, nec propellitur,* id quod fortè ob humoris crassitiem, & copiam, & quod putredinem non acceperit, non minus quàm ob vasorum obstructionem, aut cutis adstrictionem cõtingere potest. Quod verò de humore dictum est, idem de vapore, aut alia materia, quæ in corpore nostro gignitur, vt vermibus, intelligatur: Nam vapor, qui in aliquo loco conclusus est, continui morbi fit causa: qui autem expulso priore regignitur, eius qui per interualla repetit, quo modo inflationes musculorum continuas, colicos vero dolores ex flatu sæpe intermittere conspicimus: nisi quod putredo in his non contingit, quæ interpolationis causa putatur, vbi locus non repugnat. At quoniam continuorum morborum duplex est natura; quidam enim verè continui, qui præter quàm quod nunquam deserunt hominem, nunquam etiam exacuuntur, sed eum tenorem, quem ab initio acceperunt, retinent; alii vero, qui certis quibusdam temporibus suas habent exacerbationes, horum quoque causa explicanda est, quæ in naturam humoris prorsus referri debet: Nam si sanguis humor fuerit, perpetuum quendam tenorem morbus seruat. Eodem modo si spiritus, quod ostendunt synochæ, & diariæ febres. Quod si ex bile, vel pituita, vel humore melancholico morbus nascatur, certis diebus, & horis ingrauescit corporis affectus: siue id ex humoris natura, & proprietate, siue aliter

Cur in continuis nulla [illegible]

Morborum continuorum duplex natura.

Quæ vtrisque materia.

A contingat: Neque enim hoc loco accessionum morborum, & certæ periodi causas inuestigare volumus, quod postea faciemus: Nunc quod experientia docet, concedamus morbos ex sanguine, vel spiritu vel aquoso humore ortos nullas accessiones habere: eos autem; qui ex aliis humoribus originem ducunt, certis temporibus exasperari; & postea remitti, etiam si in aliquo loco adeo sint coarctati, vt nihil omnino dissoluatur. At nec illi quidem perpetuo exacerbationis sunt causæ, sed cum putredinem cõceperint: quippe cum videamus ex bile acriore, aut pituita non putrescente contractos morbos nullos insultus facere, nimirum quod ex putredine sola exacerbandi vis humoribus adueniat, qui in constipatis locis morbos concitant: Nam in aliis, qui in habitu corporis; aut in aliqua cauitate, vt ventriculo, continentur, facultatis expultricis [illegible]atio ab humore, qui per corpora sensibiliter fertur facta, accessionis causa statui potest; ex mutua siquidem pugna ingrauescere morbum, & ob nouos morbosæ causæ aduersus naturam insultus intendi, remittique mala, rationi consonum est: Cæterum si ex sanguine morbus consistit, interim dum ille formam retinet, nec ob caloris vehementiam tenuior pars in bilem flauam, crassior in atram abit, nulla quidem accessio fit. Quod vero perpetuo crescat, aut eandem magnitudinem seruet morbus, id facit expirationis & accensionis ipsius humoris æqualitas & inæqualitas. Nam si plus ob leuiorem constipationem dissolui contingat, quam accendatur, perpetuo minuetur morbus, donec ad finem peruenerit, quod si vehementius cutis sit adstricta, vt minus expirare possit, quam succendatur, semper ad finem vsque increscet. At si æquali portione id, quod digeritur, ei, quod succenditur, respondet, in eadem æqualitate, eodemq; tenore perseuerabit morbus.

Exacerbandi vim ex sola putredine humoribus aduenire.

Ex sanguine suam formā retinente nullam fieri accessionem.

Morbi cur perpetuo crescāt aut eandem magnitudinē seruent.

Atque hæc quidem de continui & intermittentis morbi causis, ex quibus intelligere vnusquisque potest, ob formam morbi, efficientes causas, materiam, quæ in corpore continetur, & subiecti, locique conditionem, atque etiam causas sine quibus non, continuos, intermittentesque morbos fieri: Nam quod vulnus continuo infestet, febris autem etiam per interualla, diuersa morborum forma causa est. Quod ea, quæ putrefaciunt, intermittentes, alia vero, quæ aliter afficiunt humores continuos perpetuo morbos patiant, causa à diuersitate efficientium sumitur. Quod verò ex sanguine semper continui, ex bile verò interpolati morbi proueniant, causam reddit diuersa materia. Cur autem in osse continuo affligant morbi; In ventriculo, intestinis, & renibus etiam per interualla, causam à differentia subiecti ducimus. At humores, qui in magnis venis cõtinentur, perpetuo infestant: Qui verò in habitu corporis nocent, certis temporibus sunt molesti ob loci conditionem: Augentur perpetuo, aut minuuntur, vel eundem tenorem seruant febres, ob cutis maiorem, aut minorem constrictionem.

CAP. VII.

De morborum, qui per accessiones affligunt, ipsarumq; accessionum causis.

QVa ratione contingat, morbos quosdam A continuos esse, alios autem intermittentes fieri, antea ostendimus: Nunc verò illud explicandũ sequitur, cur tam in continuis, quàm intermittentibus exacerbationes quædam fiant, atque illæ quidem certis, & statis quibusdam temporibus, aliæ verò incertis repetant, quæ quidem res semper difficilis habita est, & magnas cõtrouersias hactenus excitauit. Nam quidam id totum ad Lunæ, syderumque motus, & vim reuocant. Alii verò causam ponunt in cæca quadam & occulta, (vt aiunt) humorum proprietate: Qui autem melius sentire videntur, omnem accessionum causam ob expultricis facultatis irritationem fieri volunt. A quibus profectò dissentire cogor. Nam qui ab astris causas ducunt, aut rem notissimam moliuntur, aut nõ eam causam docent, quam quærimus, siquidem omnia inferiora super[illegible]n vi & prouidentia gubernari, omnes iamdudũ nouerunt, qui philosophiæ omnino non sunt ignari, adeò vt non magis huius rei, quam aliarum omnium, quæ in corpore nostro peraguntur, causas ad superiora reuocare debeamus. At cum sydera cœlestesque orbes non primò, nec per se, sed quod aliquid efficiant in corpore, causæ accessionum ab omnibus censeantur, nos qui de proxima, & coniuncta causa disputamus, cogimur eorum opinionem haudquaquam probare. Qui verò causam constituunt in occulta quadam humorum proprietate, non solum videntur mihi laborem subterfugere, (quippe cum facile sit hoc modo omnium rerum causas assignare) sed etiam planè ei, quod experientia in aliis docet, repugnant. Etenim singulis mensibus, certisque etiam diebus, & horis purgantur mulieres, & quibusdam temporib. podagra, & calculus, comitialisque morbus homines vrgent, nõ ob huiusmodi proprietates aliquas, sed quia aceruatur noxia materia, quæ postea quam adeo excreuit, vt facultatem expultricem commouere possit, eam irritat, quæ aduersus id, quod molestat insurgens, menses mulieribus mouet, aliis verò eo impulso humore, vbi recipi excrementa consueuerunt, prædictos affectus parit. Si præterea ob humoris naturam accessiones fiunt, cur semper, aut certè, vbi humores præter modum exuperant, accessiones nõ fiunt? Cur ergo, qui regio morbo laborant, tertio quoq; die, quemadmodum qui tertiana afficiuntur, nouos insultus non experiuntur? Ad hæc oporteret in spiritu, & vapore flatuoso, qui colicos dolores, & comitiales per interualla affligit, certam quandam, vt in humore, proprietatem poni. Cum enim accessionum pariter sint causa humores, & vapores huiusmodi; cur humores ob latentes has proprietates, flatus verò alia ratione eiusdem effectus authores esse credemus? Quòd si etiam flatibus hanc vim donemus, quare fit, vt certis temporibus, quemadmodum humores perpetuò nõ infestent? At nemo est vexatus colico dolore, qui vel longa etiam morbi consuetudine edoctus, prædicere possit, qua die, queve hora nouam exacerbationem expectet; Nouimus etiam quosdam, qui semel duntaxat in anno eo die, quo nati sunt, febre lenissima, & quæ vno, aut altero die abiret, corripi solerent: cuius rei, quis, quæso, humor, quæ humoris proprietas causa esse

Varia opiniones de accessionũ causa.

Inferiora omnia superiorum vi gubernari.

potest? An sanguis, qui continuo affligit; an bilis, qui tertio quoque die molestat; an pituita, quæ singulis diebus; an atra bilis, quæ non nisi quarto die grauis est? Si enim ob certam proprietatem id contingit, humorem alium extare oportet, in quo proprietas hæc affligendi per annos ponatur: At præter supradictos humores nullum alium nouimus in corpore, siquidem de seroso nemo (credo) ambigit. Quo magis mirari licet, Galenum negare quintanas, aut sextanas, aut sequentis alterius diei febres (de quibus Hippocrates *in libro de morbis vulgarib.* agit) vnquam reperiri posse, quod scilicet nullus sit humor, qui post quartum diem morbos euacuat, quasi id ex humoris natura peteretur, & non B alibi ad expultricem facultatem accessionum causas redegisset. Quod etsi raro contingat, nihil tamen prohibet, quin quinto, sexto, aut alio quoque die aceruetur, quod molestet, & accessionum sit causa. Quippe cum magis mirum sit, singulis annis, eo semper die, morbos quosdam redire, quàm quinto, aut sexto quoque die accessiones quasdam repetere. Cæterum ob expulsionem inutilis materiæ accessiones fieri, docent vomitus, & purgationes mulierum, & podagra, quæ expulsis ab aliis partibus humoribus repetunt: alioqui quænam, quæso, alia potest assignari in his causa? Cum enim humores ab vno loco in alium secedant, vel quod spontè eo decurrant, aut attrahantur, vel expellantur, nec C per attractionẽ fluunt menses mulieribus, quippe cum nihil sit, quod attrahat inutilem eum sanguinem, & tantum planè attrahi deberet, quantum retineri, concoqui, & in nutrimentũ verti potest; nec verò etiam sponte fluit humor, nam cum semper pateant viæ, cur continuo non elabitur huiusmodi sanguis? Aceruatur ergo paulatim in venis vteri sanguis *transmissus, & reiectus ab omni parte corporis*, qui posteaquam abundè creuit, illius copia irritatur vteri facultas expultrix, quæ truso humore vasorum orificia aperit, & quantum molestat, reiicit. Docent idem euidentissimè vomitus, qui per singulos febrium insultus, in tertianis potissimum contingunt, quos dolor & morsus stomachi ostendũt, D non alia ratione prouenire, quàm concitata expultrice facultate; nimirum quod aliæ omnes, attractrix inquam, retentrix, ob familiaritatem rerum agant, sola verò expultrix à noxiis, & irritamentis exerceatur. Attamen propterea non fit, vt omnium accessionum expulsio sit causa. Nam repetit sæpius per interualla colicus dolor ex flatu excitatus, nulla expulsione facta. Quid enim, quæso, potest esse, quod expellat? An deorsum repugnante illius natura propelletur? An sursum, quo non expectatata expulsione, sed suo impetu fertur? Præterea videmus ex inflammatione accendi febrem, quæ tertianæ modo affligit, cuius rei causa expulsio esse non potest. Quid enim ab inflammatione expellitur, E quod talem febrem gignat, aut aliunde ad eam propellitur? quandoquidem post principium desinunt ad partẽ affectam ferri humores: quod etiam Gal. *lib. de temporibus morborum* tradit, aut si quid etiam increscente vigenteq; morbo confluit, paucum certè illud est, vt vel æquale sit iam dissoluto, aut ob exiguam copiam tam vehemẽtes accessiones, quales phreniticis, & pleuriticis

Sanguinem menstruum nec per attractionem, nec per spontaneum accessum; sed per expulsionem ad vterum fluere.

Vomitum in accessionibus febrium à qua facultate fiant.

[illegible]

euenire videmus, committere nequeat: Quinetiam nouimus, omnes febres, quæ ex sanguine excalefacto, vel etiam putrefacto nascuntur, circa primam diei partem vehementius affligere; non ob aliquam sane nouam expulsionem, sed ob aliam omnino causam. Adde, quod si ob fluxiones humorum accessiones fieri dicimus, temere ob expultricem solam illarū periodos excitari putabimus, cum fluxionū causæ aliæ præter expultricem superius sint positæ. Quamobrem cum accessiones solum fiant, vbi noxia aliqua est materia, (nam & vlcera, vulnera, fracturæ, præter febres, comitiales morbos, podagrā, colicas passiones, & huiusmodi reliqua, non aliter vno tempore magis, quam alio ingrauescūt, quam quod accedat noua materia, quæ exacerbationis est causa) cogimur profecto vnicam ponere propinquam huius rei causam, noua scilicet excrementa; aliæ autem omnes, quæ illa in partibus per interualla aceruant, remotiores causæ sunt, id quod faciunt, tum quæ materiam huiusmodi gignūt, & paulatim aceruant, tum ea, quæ ad affectum locum commouent: de quibus antea abunde egimus, vbi tumorum generationem, & causas explicauimus. Igitur si pars, quæ per interualla afficitur, malum sibi parit: vt colon intestinum, quod ex flatu genito certis temporib. affligitur, & ventriculus, qui ex mala coctione excrementa congerit, ex quibus dolores per interualla oriuntur, ad coctionis vitium causa redigenda est, ipsam, inquam, facultatem coctricem, vel materiæ, quæ assumitur, copiā, vel corruptionem. His enim de causis cruditates, excrementaque proueniunt, quæ vel ob intemperiem, aut copiam dolore vrgent partem ipsam, aut expultricem commouent: qua ratione nunc vomitus, nunc dolor ventriculi accidit. Eodem modo in continuis febribus, quę ex bile, aut humore melancholico, aut pituita putrescente in maiorib. venis proueniunt, exacerbationes contingunt, quod ob malam, quæ subest, dispositionem certis temporibus succrescant noui humores, qui accedentis insultus causæ fiunt. Eadem quoque causa statuenda est exacerbationis, quæ ex tumorib. præter naturam prouenit. Nihil enim confluit, quod illius sit occasio, sed ex aceruato humore portio per interualla accenditur, & corrumpitur, ex qua dolores, & alia symptomata augentur, perseuerantq; quandiū plane euictus al. etratricis facultatis beneficio, aut portio etiam illius dissoluta fuerit, contingit tamen validam esse concoctricem, & ob expultricis infirmitatem, vel viarum obstructionem humorem aceruari, & mora, accedente postea putredine, & corruptione, nouos fieri insultus. Quod si aliunde materia adueniat, causa putanda est non semper expultrix, sed alia omnia, quæ illam commouere posse dicta sunt: sic enim accessiones febrium intermittentium contingunt, & vomitus, *expellente scilicet in illis facultate a venis in habitum corporis humorem, in hoc autē expurgante per superiores partes ventriculum.* At flatus venenosus, qui ex pedis, aut alterius partis digito ad caput elatus comitiales exacerbat, sua vi impulsus effertur. Per attractionem autem, vt diximus, accessiones non fiunt, cum nihil attrahatur noxium, aut non primo, nec per se, sed genitis prius excrementis, labefactata concoctione

Vnde in febrib. continuis fiāt exacerbationes.

Vnde in tumoribus præter naturā.

Vnde accessiones & vomitus in intermittentib.

Accessiones nullas fieri per attractionem.

A id contingit. Atq; hę quidem sunt, vt mea fert opinio, accessionum causæ: nec mirum videri debet, si sæpius huiusmodi fiant repetitiones, & per certa, stataq; tempora: Nam, vt optime scribit Gale. quandiu hæc permanent, circuitionem accessionum permanere & eam tamdiu similem, & per certa interualla semper repetere necesse est. Quod exemplo ex mulieribus sumpto ostendit. In illis enim, inquit, quoad similis causa, & æqualis permanet menstruorum, eadem eorum circuitio retinetur: Neque etiam illud mirum videri debet, quod non eodem tempore bilis, pituita, humor melancholicus, & aliæ materiæ accessiones pariant, cum par non sit illorum copia & vis, nec pari ob id tempore colligi, & molestare possint. B *Quoniam enim ex sanguine materia copiosa suppeditatur, ideo continui sunt, qui ab illo nascuntur morbi: quia vero pituita, post sanguinem in corpore redundat, fit, vt tantum illius gignatur, vt cum noxiam ex putredine qualitatem acceperit, quotidie infestare possit: bilis autem portio minor est, quam pituita, maior quam humoris melancholici: quapropter non quotidie, sed tertio quoque die; atra vero non nisi transactis tribus diebus molestare valet.* Quod vero prędicti humores febres non exasperent, nisi putredinem conceperint, & longe maiorem acrimoniam acquisierint, vomitum vero, aut podagram, vel aliorum morborum insultus cōcitent absq; vlla putredine, forte causa est, quod vniuersum C corpus per febres infestari debeat, quod ex sola humorum copia contingere nequit, nisi ex putredine vitium accedat. At si quis curiosius quærat, cur pituita quotidie, bilis vno relicto, atra quarto quoq; die grauis esse soleat: is inprimis aliter putat, quam res habeat: si quidem bilis singulis quoq; diebus, & atra etiam accessiones facit, vt cum illa tertianas, & quartanas duas, vel tres parere dicitur: Nam quod quotidie infestet tunc huiusmodi humores, quilibet cōcedit. Nec aliqua ratio est, qua credere cogamur, potius duas, aut tres esse tertianas, quam quod tanta sit humoris copia, & ex putredine comparata acrimonia, vt singulis dieb. suos faciat insultus, quæ cum mitius habent, rarius & per maiora quædā interualla afficere solent. D Si enim eos, qui nephritide aut colico dolore, aut morbo comitiali, vel podagra laborare consueuerunt, non alia ratione, frequentius, aut rarius affligi putamus, quam quod nunc plus, alias minus mali humoris gignant: Si præterea anticipationis, tardationisque accessionis causam vniuersam ad humoris quantitatem, & qualitatem reuocamus, cur etiam id, quod singulis diebus, aut per maiora temporis spatia in accessionibus morborum contingit, ab eisdem causis prouenire non credemus? Quod si maiorum authoritate, & receptis iam dudum opinionibus quispiam persuasus putet aliter fieri non posse, quam quod bilis tertiano circuitu suos insultus pariat, & causam E quærat, cur necessario tertio quoque die infestet, nec ad longius spatium produci, aut ad breuius contrahi valeat, quæ ab eo prouenit accessio, sciat is se postulare, quod dici nequit, & communem habet cum alijs multis dubitationem. Perinde enim est, ac si quis causam scire desideret, cur mulieribus bene habentibus singulo quoque mense, & certo quoque die, & non

Cur bilis, pituita, humor melancholicus & alia materia non pariant eodē tempore accessiones.

Cur à sanguine tantū creantur morbi continui.

Cur humores prædicti febres non exasperent, nisi putredinem conceperint, vomitum vero aut podagram &c. etiam nisi que putredine.

Bilem vtramque etiam quotidie facere accessiones.

minore, aut maiore temporis interuallo purgationes per vterum accidant: & qua ratione acutorum morborum natura, & vehementia decimum quartum diem excedere nequeant: Alii vero, qui degenerant ab acutis, omnino intra quadraginta dies finiantur. Vel cur robur iuuenile, vigorque corporis nonnullis antea, omnibus vero trigesimoquinto anno minuatur, aut cur nemo inuentus sit, qui post vigesimum quintum ætatis suæ annum, vel minimum longitudinis suo corpori adiecerit: cum interim multi toto etiam eo vltimo anno insigne incrementum accepisse conspiciantur. Sunt & permulta alia huiusmodi, quorum certa protius ratio non est, sed certa natura, certique termini, citra quos consistere, & vltra progredi rei natura nequit. Illud vero iam explicandum sequitur, cur scilicet accessiones certo, & firmo ordine redeant, aliæ vero perpetuo anticipent, vel tardent, vel etiam ab vno die in alium transferantur & denique cur fiat, vt quidam morbi ordinati, & inordinati nascantur. Quod etsi quodā modo in his, quę diximus, iam est cōpræhensum, quoniam tamen non satis adhuc est explicatum, & in eo Gal. euariare videtur, ne rei difficultate detineatur lector, aut illius varietate confundatur, paucis hæc iterum explicare aggrediar.

Itaque Galenus *secundo commentario libri primi de Morbis vulgaribus*, inordinatos motus in morbis contingere scribit à frigore, & copia humorum: *libro* vero *secundo de Differentiis febrium*, ordinem in accessionibus febrium corrumpi tradit ob humorum permutationem, & malam victus rationem: quas causas necesse est etiam ponat in omni alio morbo, qui per accessiones affligit: Verum cum ordinis in omnibus vna sit causa, à qua aliæ omnes proueniunt: ea imprimis à Medico dignoscenda est; nisi enim in ea conuenirent, permutatio humorum, & victus deprauatus; res tantopere differentes vnius, eiusdemque operis, nempe ordinis corrupti causa esse non possint: Cur præterea victus deprauatus ordinem turbet, non patet, nisi prius communi ea ordinis causa perspecta: Quamobrem natura rei consulenda est, quæ, quod quærimus, facile ostendet: Si enim ordo stabilitatem quandam monstrat, siquidem incerta, & instabilia sunt, quæ ordine vacant, necesse profecto est ordinis causam stabilem, & inuariabilem esse: quemadmodum optime Galenus *in libro de Præsagitione ex pulsibus secundo* monstrat: Nam quod idem manet, vt idem facit, ita eundem agendi ordinem seruat: Contra quod mutatur, nec idem amplius est, actionem agendique ordinem mutat. Itaque si quod accessionis in morbis causa est, idem perpetuo durat, perseuerabit etiam ordo accessionum: Si vero illud euariat, ordo quoque mutabitur. Quapropter si accessionum humores, aliæque materiæ, quæ in corpore nostro gignuntur causa sunt, ordinem tandiu seruari oportet, quandiu humor accessionis autor suam naturam seruat; ea vero mutata, accessionum ordo simul corrumpetur, id quod experientia etiam docet: febres enim, quæ ex humore bilioso putrescen-

A te accenduntur, quandiu bilis suam naturam retinet, tamdiu tertio quoque die seruato ordine exacuuntur.

Cur accessiones certo & firmo tempore redeant, & cur interdum non redeant.

Cum vero ob assationem durante calore flaua bilis in atram vertitur, iam quarto quoque die non amplius tertio accessiones redeunt: Ac non solum quidem natura humorum, & propria species, quæ certis, statisque temporibus colligitur, sed etiam certa illius quantitas, & qualitas requiritur, vt ordo seruetur: si quidem acrior bilis, aut copiosior anticipationis accessionum causa sit, tardationis autem, quæ mitior euasit, & minore copia exuperat. *Quare cum dierum numero, & horarum, accessionum ordo variari possit, ordinem in diebus humorum natura, in horis vero qualitati, & quantitati eorundem in febribus potissimum tribuemus,*

Causa anticipationis & tardationis in paroxysmis.

B nisi iam vsque adeo excedat, aut perinde vitiosam qualitatem acceperit, vt etiam dierum ordinem peruertere valeat, sic profecto contingere videmus, cum ob deprauatum victum, aut eam, quæ subest in corpore, dispositionem, plus, aut acrioris bilis procreatur, accessiones anticipant, aut copia diminuta, aut mutata qualitate tardant; non tamen propterea quod certis suis diebus repetunt, quod nunc potissimum contingit, vbi vel humor in alium permutatus, aut supra modum auctus est, vel malam omnino qualitatem concepit, qua ratione febres, C quæ alternis diebus infestare consueuerant, duplicato malo, quotidie postea nonnunquam hominem euadunt. Quo fit, vt hæc sola sit corrumpendi ordinem causa, quæ ex humorum permutatione in aliam naturam, vel qualitatem, aut quantitatem, sumitur: victus autem deprauatus, aut frigus, vel calor eiusdem causæ sunt, quatenus ab illis humorem mutari contingit.

Quod si ita est, illud quoque patet, *accessionum, illarumque ordinis, & inordinationis causas à sola materia, quæ in corpore gignitur, duci.*

Accessionis illarumque ordinis & inordinationis causa unde petenda.

D

Cap. VIII.

De causis morbi æqualis, & inæqualis.

CAVSAS morbi æqualis, inæqualisve varias esse oportet, propterea quod vario modo, vt antea ostendimus, hæc nomina à Medicis vsurpantur. Si enim inæqualem intelligamus, qui inæqualiter afficit partes, in quibus consistit; causæ erunt, quæ inæqualiter agunt, nec statim ex æquo omnes, quas lædunt, partes afficiunt: inter quas etsi Galenus solum primas qualitates commemorare E videtur, vt cum intemperiem inæqualem, nulla facta alterius morbi inæqualis mentione, dicato peculiari opere, explicat: tamen nihil prohibet, quo minus in aliis morbis æqualitatem hanc, & inæqualitatem statuamus; quippe cum inæqualia vulnera, contusiones, & fracturas dicamus, quando ex affectis partibus quæ-

quædam penitus confractæ, contusæ, & vulneratæ, aliæ vero leuiter solum læsæ apparent: quos sane morbos pariunt propriæ illorum causæ, actionis natura & modo differentes. Quod si inæqualem morbum sumimus, in quo viget contrariarum causarum vis; veluti cum calor, & frigus in eodem membro sentitur, si quidem vere contrarias causas intelligimus, solæ quatuor qualitates huiusmodi inæqualitatis authores esse possunt, alia enim per minima inuicem misceri, & confundi nequeunt. Si vero quocunque modo opposita, & discrepantia contrariorum nomine admittimus, idem licet in aliis inuenire. Contunditur enim, & vulneratur, frangiturque sæpe in eodem loco eadem pars. At si inæqualem ponimus, qui contrariis motibus infestet, vt vix hanc inæqualitatem inuenies, præterquam in febribus, in quibus corpus refrigeratur, & incalescit; & in animi affectibus, vt in pudore, in quo primo contracto ad viscera calore, externæ partes refrigerantur, deinde eo recurrente, recalescunt illæ; sic caloris natiui motu hanc inæqualitatem prouenire censendum est. Cæterum eum, qui inæqualis dicitur, quod nunc increscat, nunc minuatur, efficiunt causæ accessionum effectrices, de quibus antea egimus.

Cap. IX.

De causis morbi recidiuam facientis.

Recidiuas morborum scribit Galen. *secundo libro Aphoris.* contingere ob reliquias malorum humorum, qui tempore putrescentes febrem regignunt. *Alibi, vt 6. lib. de Morbis vulgaribus* causam reuocat ad frigidos, & multos humores: quibus locis nulla generali ratione huius rei causas complectitur, sæpe enim redeunt morbi, in quibus prorsus euacuati fuerant humores illorum autores. Nec solum quidem in morbis frigidis, sed etiam in calidis recidiuas fieri quotidiana docet experientia. Quamobrem statuere oportet, vt *alio loco* facit Galenus, recidiuarum causam omnibus communem ipsam *morbosam dispositionem*, quæ sublato morbo, in corpore adhuc residet. Vt n. ea primo morbum intulit, sic postea rursus, vel eũdem, vel aliũ procreat, nisi penitus extincta fuerit, nouo scil. humore aut vapore, aut alia substantia genita, à qua morbi, cum satis excreuit, aut idoneã qualitatẽ accepit, repullulant. Hac profecto ratione febres, quæ prorsus curatæ videbantur, latente febrili dispositione, redeunt, & vlcera, quæ vera cicatrice tecta putabantur, cum subest mala in vlceratis partibus affectio, humor gignitur, qui vlcus noua facta erosione dispescit: omnes ergo morbi, in quibus contingit recidiua ex humore, hoc patiuntur, sed non ex eo perpetuo, qui à priore morbo relictus est, verum sæpius ob genitum ab ipsa, quæ non abiit, dispositione. Atqui non omnis dispositio solet recidiuas facere, sed quæ difficile tolli potest, quales sunt frigidæ, & potissimum quæ malignæ existunt: Hæ enim, vt perfidæ sunt, ita aliquando remittuntur, vt omnino sublatæ videantur, verum postea ex leui quoque occasione, viribus reassumptis, nouos insultus, nouosque morbos prioribus similes, aut ab illis diuersos ex humoribus, quos paulatim aceruant, suscitant. Est vero etiam aliquãdo recidiuæ causa humor ex antecedente morbo derelictus, qui vel mora putrescit, vel affluẽte nutrimento corrupto augetur, aut aliquam deniq; qualitatem concipit, quorum occasione morbi redeunt. Porro cõtingit per eos morbos relinqui humorẽ, vel ob crassitiem, viscidìtatẽ & multitudinẽ ipsius humoris, vel ob virium debilitatem, aut meatuum obstructiones, aut Medici culpa, remediorumq; defectu. Occasionem vero putredini præbent, quæ calorem intendunt, & noua excrementa pariunt: Augent autem relicta excrementa varius copiosusque victus, & quæ coctionem vitiant. Quæ omnia à quatuor rerum generibus superius comprehensis, ducuntur.

Recidiuarũ vera causa.

Quæ dispositiones faciãt recidiuas.

Cap. X.

De causis breuis & longi morbi.

Morbi longi & breuis causas methodo non docet Galenus: Nam neque eas explicat, quæ omnibus morbis sunt communes, & eas, de quibus tractat, tum sparsim, tum nullo ordine enarrat. Cum enim ex crasso, & viscido humore, & cutis adstrictione, virium infirmitate, aeris ambientis frigiditate, & aliis huiusmodi longos morbos; à contrariis vero breues procreari scribit, causas duntaxat docet morborum, qui ex humore consistunt. At interim causa aliqua est, quæ fracturas, vlcera, & alios morbos, qui sine humore affligunt, breues, aut longos efficit, quam Medicus ignorare haudquaquam debet: cum medicina omnium morborum causas, genera, & differentias polliceatur: nec alioqui commoda remedia illis adhibere, & illorum euentum prædicere valeat, quorum causas non tenet. Ac tanto profecto diligentius in aliis morbis id faciendum erat, quanto plures sunt, qui sine humore, quam qui cum illo infestant. Alterius vero generis causa est, & alio modo humor crassus, quam cutis adstrictio, vel ambientis frigiditas, aut imbecillitas ægrotantis longos morbos parit: siquidem humor crassus causa est, tanquam materia, ex qua morbus consistit; Cutis adstrictio causa, cum qua longi fiunt: qui excrementorum euaporationem desiderant, & non nisi rarefacta cute difflari possunt. Aeris circumstantis frigus hac ratione causa est longitudinis, quod externã superficiem densando cutis meatus constringat. At vires ipsæ sunt, quæ morbosis causis euictis, & expulsis morbos tollũt: Quę si infirmæ extiterint, non nisi longiore tempore sanitatem comparare valent. Itaque docendi ratio postulat, vt singula genera causarum excutiantur, & expendatur, an ex omni genere, an ex quibusdam duntaxat causę sumantur longi, breuisque morbi. Atque illud etiam imprimis doceamus, quæ omnibus morbis sint communes, & quæ propinquæ, quæve remotæ; vna enim omnium morborum (quatenus longi, breuesque sunt) est natura, vnde & vnam oportet esse omnibus communem causam; peculiares autem & remotiores in singulis plures, vt propriæ, & plures sunt morborum naturæ, & proprietates.

Est porro ea vna, & communis breuitatis, & *Causa com-*

Causis breuitatis & longitudinis morborum.

longitudinis causa, quæ ex celeritate, tarditateque motus sumitur. Qui enim celeriter mouentur morbi, cito ad finem suum perueniunt: Qui vero tardius, longiores necessario euadunt. Atqui non eadem est celeritatis, tarditatisq; ratio in omnib. morbis. Nam, qui lethales sunt, quanto minores, tanto tardius mouentur; quanto vero maiores extiterint, tanto celerius finem suum assequuntur: In salutaribus vero idem aliquando, vt in lethalibus, nonnunquam contrarium euenit.

Causæ breuitatis & longitudinis morborum ex eorum generibus.

Qui enim per crisim soluuntur, magni sunt, & vehementes, & fere citius terminantur, quam qui minores existunt, sed alio modo desinunt; omnes tamen in suo genere quãto mitiores, tanto citius soluuntur; si quidem ardens febris citius finem suũ assequitur, quam fractura, & inter huiusmodi febres quæ mitior est, promptius vincitur, quam aliæ sui generis. Quare per certa genera morbi diuidendi, & vniuscuiusque generis breuitatis, & longitudinis causa inuestiganda. Igitur morbi omnes, vel cum vitio humorum cõsistunt, vel alio modo citra humorem affligunt, cuiusmodi sunt omnes fere morbi, qui ad partes instrumentarias pertinent. At humor, qui morbum infert, vel sola alteratione emendatur, aut etiam expulsione eget.

Morbi salutares quãdo sint breues & quando longi.

Sunt præterea, vt diximus, omnes morbi, vel salutares, aut lethales. Porro salutares omnes morbi breues fiunt, cum cito vincuntur, longi autem cum difficile: Atqui promptioris victoriæ causa est nonnunquam morbi ipsius forma. Hac sane ratione intemperies breuior esse solet, quam fractura, & vlcus: & inter ipsas intẽperaturas, autore etiam Galeno, calida, & frigida maturius finiri apta est, quam humida, & sicca, nimirũ quod forma naturaq; illorum facilius pati, mutarique possit, si modo cætera paria existant: Nam paruum vlcus citius, quam magna intemperies sanatur.

Quæ inter intẽperies breuior & longior.

Causa breuitatis ex materia.

Est & materia ipsa, ex qua morbi gignuntur, causa breuitatis illorum, & lõgitudinis, propterea quod vna minore negotio, quam alia vincitur: qui enim ex humore calido consistunt morbi facilius quam qui ex frigido; & qui ex humido promptius, quam qui ex sicco; & ex pauco, quam multo; & tenui quam crasso, & ex friabili, quam viscido à natura, arteque vincuntur: vnde diaria febris, eo, quod ex calida, & omnium tenuissima materia, nempe spiritu consistit, omnium breuissima, post quam sequuntur biliosi morbi, deinde qui ex sanguine originem ducunt: longiores, qui ex pituita nascuntur; omnium vero longissimi, qui ex humore melancholico excitantur.

Ex materia corporis subiecti.

Præbet & suas causas in hoc opere materia corporis subiecti: Nam morbi, qui in solida, duraq; materia versantur, difficilius mutantur, quod ægrius patiatur subiectũ corpus: Partes vero molliores, rariores, & quę concauitates habent, promptius admittunt remedia, & suos morbos deponunt.

Ex causis, sine quib. non.

Quin etiam ex causis, sine quibus, aut cum quibus, breuitatis, longitudinisq; ratio petitur; siquidem morbi, qui in locis constrictis & remotioribus consistunt, difficilius sanantur, diutiusq; perseuerare solent; quemadmodum qui longiore mora iam veluti obsederunt, occuparuntq; partem, quam afficiunt. Qua ratione aquam inter cutem, quæ primis dieb. soluta non est, eo quod

A tempore validiores radices iecerit, aut penitus, aut non nisi difficillime sanari posse putamus.

Ex viribus corporis & medicinæ.

Efficiunt breuitatem, & longitudinem in morbis, corporis & medicinæ vires: Hæc enim sunt, quę cunctis morbosis causis, sanitatem laborantibus restituũt. Quod si imbecillæ fuerint, tanto profecto difficilius euincentur morbi, diutiusq; perseuerabunt, quãto illarum robur minuetur. Requirit autem morbus nunc has, nunc alias vires validiores: vbi n. alterationem solum postulat morbosa causa, in sola coctrice robur exigitur. Vbi vero etiam expulsio requiritur, expultricem quoq; validam esse oportet, quemadmodum, & attractricem, & retentricem, vbi adiectione copiosioris nutrimenti morbus tolli debet: B Postulamus quoq; maius robur in facultatibus regentib. nostrum corpus, vbi interna sunt vitia, propterea scilicet, quod medicina proprius externis malis succurrere possit: Interna vero naturæ opera magis tollantur. Sunt vero communes omnibus morbis, quas enumerauimus, causæ, ex quib. quæ propriæ sunt in vnoquoq, breuitatis & longitudinis, minimo negotio elicientur. Ac vt vno exemplo reliquorum causas intelligere valeat rudior lector, statuamus intemperiem cõtractam cum vitioso humore, qui vel alteratione sola, vel etiam expulsione opus habeat: ostendamusque, quæ in vnoquoque vitio breuitatis, longitudinisq; causæ reperiantur. Igitur si alteratio coctionẽ desideret, breuissimus C erit morbus, in quo humor facile concoqui poterit. id quod cõtinget, si concoctrix facultas est valida, & humor ipse ad coctionem aptissimus, qualis potissimum est, qui calidus est, & humidus, tenuis, paucus, & in eo corporis loco positus, in quo facultas concoctrix viget: veluti sunt interna viscera: Quod si refrigerationem, aut calefactionem postulet humor, par videtur mutationis facilitas. Citissime namq; à refrigerantibus, & calefacientib. remediis in corpus assumptis, humores intus cõtenti mutantur: & qui ad externam superficiem vergũt, ab admotis idem pari facilitate patiuntur: Eritq; ille ad refrigerationẽ magis idoneus, aut calefactionem, qui suapte natura vel loci ratione, aut iuuante natura D promptius pati potest. At si humor, qui morbum intulit, alteratione expulsioneque simul eget, breuis morbus redditur, si humor facile alterari expellique vna potest; id quod contingit, cum humor calidus, tenuis, paucus, minime viscosus existit, & in eo loco consistit, vbi naturæ concoquentis robur viget, facileq; patet via ad expulsionem: prompteq. admittuntur remedia coctionem iuuantia, & humorem ipsum educentia. Hoc modo biliosæ febres, quam pituitosæ, breuiores, quod illæ ex feruenti humore, & tenui, paucioreq; proueniant: continentes vero febres aliis breuiores conspiciuntur, *propterea quod humor, qui eas gignit, in maioribus venis, & profundo corpore, vbi concoctio viget, continetur:*

Cur febres continentes aliis sint breuiores.

E ventriculi morbi breuiores esse solent affectib. lienis, *quoniam integris viribus eo ferri possunt remedia*: In via autem exoluuntur nec facile ob meatuum angustiam recipi possunt, qui ad lienẽ ferri debent. Febres, quæ per vomitum, aut alui fluxũ soluuntur, citius desinunt, quam quæ per cutem, vacuato humore, terminantur: latiores illæ vię sunt, per quas minore negotio, quam per angu-

Cur morbi ventriculi morbis splenis sint breuiores.

[illegible] noxia [illegible] possunt: & quibus contingit per cutem euacuatio, promptius in illis morbi finiuntur, qui rariorem texturam sunt sortiti, omnibus autem naturæ robur celeritatem addit, tarditatem vero infirmitas, & prædictis contraria.

Causæ longitudinis ac breuitatis morbi sumendæ.

Jam vero ob contrarias causas longiores, breuioresque lethales morbi redduntur. Nam cum illi citius, tardiusve perimant, quanto maiores, minoresve fuerint; merito fit, vt forma eorum imprimis sit lõgitudinis, breuitatisq; causa: vnde vulnera citius, quam intemperaturæ, aut fracturæ, aut alii morbi occidunt, *quod confertim afficiendi vim habeant*, quæ vel minimum retardari potest, cum perniciosa existant. Inter ipsas vero

B intemperaturas, *quæ cum humore est*, celerrimam infert mortem: quod ostendunt inflammationes, deinde quæ calida, vel frigida est, vt in his apparet, qui ob nimium calorem suffocati pereunt, vel in itinere concreti frigore statim extinguuntur: omnium tardissima est sicca intemperies, quando hectica febris, & tabes nõ nisi post longum tempus vitam adimunt. Est & causa in his morbis breuitatis, & longitudinis materia morborum, quippe cum biliosus, & sanguineus humor multus, tenuis, & malignus celeriorem inferunt mortem, quam qui aliter sunt affecti. Quinetiam subiecti ratione additur his morbis celeritas, aut tarditas; quod ostendunt cerebri, cordisq; vitia, quæ minimo temporis spatio, vt in

C apoplexia, & syncope contingit, periment, aliarum vero partium morbi non nisi cum longiorem moram contraxerint; quod videre est in aqua inter cutem, quæ hepatis vitio per integros annos homines male habet, antequam occidat.

Ex tempore & loco.

An non etiam temporis, locique ratione cita sequitur, aut tarda mors, quippe cum videamus, humores contentos in internis corporis sedibus atque etiam in illis locis, ad quos ægre remediorum vis peruenire valeat, aut quorum facultas tempore iam plurimum inualuit, promptius illis occidere.

Ex causis sine quibus.

Nec desunt quidem his morbis & illæ quæ sine quibus, aut cum quibus causæ dicuntur: Nam qui vires habent validas, quibusque non desunt auxilia, longius vitam trahunt; facillime vero extinguuntur, qui vires habent infir-

D mas, & præsidiis idoneis destituuntur. At qui per sudores dissoluti pereunt, tanto minore tẽpore mortem experiuntur, quanto cute sunt rariore, & subiectam materiam, quæ expirat, tenuiorem, calidioremque aliis obtinent. Tardior tamen his mors contingit; quam qui per vomitum, aut alui, vel sanguinis profluuium extinguuntur, quanto latiores sunt meatus, per quos hæ fiunt vacuationes, quam quæ per cutem obeuntur. Atque hæ quidem sunt propinquiores, tardæ citæque salutis aut mortis causæ. alias autem, quæ enumerari solent, remotiores,

E veluti cibos, qui crassos, tenues, frigidos, calidos, benignos, malignosque humores procreant, & victum depravatum ægrotantium, somnum, vigiliam, animi affectus, externum calorem, aut frigus, quæ cutem densant, & rarefaciunt, & reliqua huiusmodi mortem, & salutem maturasse, vel tardasse dicimus; quæ quidem per se horum non sunt causæ; sed quoniam vel formam morborum, de vnn vel materiam, vel aliam ex prædictis causis mutant.

CAP. XI.

De causis morbi salutaris, & qui nec sanari, nec occidere potest.

CÆterum salutarem morbum inferunt causæ, quæ naturæ, vel artis beneficio vincuntur. Contra vero lethalem gignunt, quæ superari nequeunt; quarum sane nonnullæ sunt, quæ suapte natura id faciunt: Quædam vero non nisi vehementius auctæ: Aliæ ob loci naturam aliquando salutares, aliquando lethales morbos excitant. Porro mortem inferunt sua natura morbi illi, quorum forma, & vis toto genere

B perniciosa existit: quales sunt morbi, qui ex venenis pessimis contrahuntur: Perpetuo salutares sunt diariæ, tertianæque exquisitæ febres. Excessus autem ratione salutem mortemq; pariunt ea, quorũ natura & vis perspecta est. Nam quæ calefaciunt, refrigerant, humectant, siccant, atque etiam vulnerant, contundunt, rumpunt, & frangunt, suapte natura non occidunt: sed cum tantum excesserint, vt earum vis amplius cohiberi nequeat. Cum vero mitius agunt, curabiles morbos pariunt: nisi ob loci, subiectiq; rationem aliud eueniat: Parua etenim vulnera curantur, si in carne, aut ignobili parte consistant: At si illata fuerint neruis, aut partibus, quæ principatum obtinent, vt cordi, cerebro, perimunt:

C Ex spiritu febres accenduntur perpetuo salutares: ex malignis humoribus fere semper perniciosæ, ex bile vero, & sanguine pro humoris copia, & vitio, vel loci, in quo putrescunt, conditione, nunc salubres, nunc lethales: vbi febris vel etiam mediocris vrget, ob vehementem cutis adstrictionem, quæ transpirationem prohibet, mors nonnunquam contingit: Quemadmodum etiam ob virium infirmitatem, & robur iuuantes, lædentesque causas morbi alioqui salutares lethales, & hi contra salutares redduntur: Nam vis valida corporis affecti, & optima, quæ adhibentur, auxilia, omnia contemnunt. In aliis vero, etiam quæ leuiora sunt mala, suspecta habere oportet. Quinetiam tempus quosdam sa-

Ex natura. *Ex viribus.* *Ex tempore.*

D lubres morbos reddit, alios exitiosos facit: veluti cum benigni, mitesque affectus mora in malignos, & hi in illos transeunt.

Jam vero morbum, qui nec sanatur vnquam, nec tamen occidit, committunt causæ, quæ vsque adeo imbecillæ non sunt, vt superari queant, nec perinde validæ, vt naturæ remediorumque vim prorsus contemnant, qualis est elephantiasis, podagra, cancri, qui ignobilem partem infestant, quorum sane causa aliquando materia est, vt in elephantiasi contingit: quod genus morbi ex melancholico nõ p orsus maligno humore consistit: Aliquando vero loci affecti natura, quod in podagra vsu venit: quibus enim pedes infirmi sunt, in his facile suscipiuntur corporis excre-

E menta, quæ quidem morbos pariunt non lethales ob loci ignobilitatem, nec tamen eius generis, vbi iam tempore inualuit affectus, vt penitus abigi possint: Repugnat enim integræ curationi partis imbecillitas, quæ sibi ipsi morbos parit, & ab aliis illatos promptissime admittit: Conferunt ad id morbi genus [illegible] causæ, quandoquidem morbi [illegible]

Causæ morborum, qui nec sanantur, nec occidunt, & qui huiusmodi morbi sint.

opera vinci nequeũt, perseuerant affligere, cum idoneis remediis destituuntur: id quod in illis apparet, qui sanitatis cura contempta, toto vitæ tempore scabiem alunt. Nec alienum quidem est ob corporis affectæ situm, huiusmodi etiam morbos prouenire posse; siquidem hac ratione renũ, vesicæq; vlcera insanabilia putamus, quod longe distantes affectæ partes nunquã remedio rum vim integram admittunt: Id quod etiam de effectricib. malorum causis sentiendum est; Nam qui Gallico morbo vocato corripiuntur, ob maiorem, minoremque afficientis veneni vim, aut sanantur, aut perpetuo secum ferunt, quem semel conceperunt, morbum.

Cap. XII.

De causis morbi primarii & per consensum.

Causæ morbi primarii.

MOrbum primarium, idest, qui primo partem aliquam infestat, omnes causæ ex omni genere efficientium inferre possunt: Nam quæ assumuntur, quæq; extrinsecus occurrunt, partes, quas cõtingũt, primario afficiũt; & quæ fiunt, eam, quæ actionis est autor, primo immutant: atq; etiam excrementa locum, in quo continentur, si morbosam vim habent, alterant corrumpuntve; id quod faciunt, dum emittuntur. Non tamen æqualem omnia in omnibus vim obtinent; siquidem, quæ extrinsecus agunt, primario extimas partes, alias deinde lædunt: Quæ vero assumuntur in corpus, internis visceribus primario obsunt, aliis autem partibus deinceps.

Causæ morbi per consensum.

Cæterum per consensum secundarios q; morbos non omnia excitare valent, sed quorum vis ad alias partes trãsferri potest, id quod quædam faciunt suapte natura, quędam non nisi cum vehementius excellerint, alia vero ob loci naturam. Etenim quæ calefaciunt, sua vi vna cum parte primo excalefacta vicinas remotioresque etiam alias prompte immutant; facile siquidem caloris vis expanditur: quod ostendunt biliosi humores in ventriculo contenti, qui emisso sursum vapore, caput in compassionem trahunt: & febres, quæ corde primo calefacto vniuersum corpus, emicante à fonte calorifica qualitate, statim afficiunt. Idem præstant refrigerantia, sed minori forte celeritate; quãdoquidem frigoris contracti in pedib. omnes aliæ partes participes quãprimũ euadunt. At siccantia & humectãtia, aut alio modo lædẽtia spargere ad vicina suã vim nequeunt, nisi vel abũde excellerint, aut locum primum occupauerint, à quo reliquum corpus facile affici queat. Nam sæpius crura, aut brachia siccitate contabescunt, interim illæsis aliis corporis partibus. Vehementem autem oportet esse in corde siccitatem, quæ in alias partes deriuet. Hac quoq. ratione vulnerato cerebro, contractis statim ad eam partem neruis, corpus cõuelli videmus, atq; etiam neruis ipsis vulneratis, per continuitatem, communicatã læsione cerebro, vnde illi enascuntur, eadem symptomata contingunt. Aliæ autem partes, quæ principes non sunt, nec publicum munus in corpore exercent, suas læsiones aliis impartiri nequeunt, nisi efficientium natura, aut vehementia id faciant.

Quæ partes læsiones suas aliis possint impartiri, & quæ non.

Ergo causæ horum morborum potissimum à suis efficientibus, & subiecto somantur: Ex materia autem, quæ in corpore consistit, ea lane ratione illi etiam proueniunt, quatenus coniunctæ sunt cum humore qualitates, quæ sunt eorum autores, quomodo ex bile contenta in ventriculo caput per consensum affici magis, quam ab ipso humore dicimus; propterea scilicet, quod in bile calor viget, qui facile sursum euaporat.

Vnde causæ horum morborum potissimum sumantur.

Cap. XIII.

De causis morbi proprii, & non proprii.

MOrbum proprium, qui ita vocatur, quod permanens stabilisque sit, etiam ablata causa, quæ eum peperit affectum, committunt non omnia, sed quæ pertinacem naturam sunt sortita, cuiusmodi potissimum existunt, quæ vulnerant, contundunt, frangunt, aut alio modo in partib. instrumentariis morbos excitant: manent. n. hi morbi ablatis causis, quæ eos primum procrearunt, contumaci quadam, & rebelli natura, quæ semel recepta pertinacissime hæret: At quæ calefaciunt, refrigerant, vel alio modo alterant, nisi ob excedentem vim vehementius egerint, cito, sponte sua, aut refragante sola natura, ab illis factæ impressiones euanescunt. Quinetiam partium natura ad horum generationem non parum confert: Nam quæ inter illas molliores sunt, vt facile impressiones à causis agentibus recipiunt, sic eas minimo negotio deponunt: Contra vero quæ duræ sunt, quod semel acceperunt, pertinacissime retinent. Præterea ex atra bile, pituita, sanguine deinde, postremo, ex bile pallida morbi fiunt, qui difficilius tolluntur; ex spiritu vero, & vapore, qui nullo negotio abeunt. Cæterum proprium morbum, qui peculiaris est singulis partibus, propriæ peculiaresque causæ inferunt; intemperiem quidem, quæ alterandi vim habent: structuræ autem vitium in partibus instrumentariis, quæ eam labefactare possunt.

Cap. XIV.

De causis morbi vniuersalis, & communis.

VNiuersalem morbum, idest, qui vniuersum corpus occupat, committunt causæ quæ totum corpus immutandi vim habent, cuiusmodi sunt, *quæ alterando agunt.* Nam quæ alio modo corpori nocent, veluti quæ vulnerant, contundunt, vt vniuersum corpus per se lædere non solent, ita peculiares singulis partibus morbos pariunt. Porro communem omnibus vel certe multis morbum inferunt causæ, quæ communes esse possunt.

Vt aer, & aqua: eodem enim aere, eademque aqua, eiusdem regionis incolæ sæpe vtuntur, iidemque propterea morbis laborent, si illa noxiam qualitatem conceperint, quæ etiam ex communibus pestilentes morbos gignunt, si vehementiorem, aut malignam qualitatem ex perniciosis ventis, vel ex fœtore cadauerum, aut fimi, vt in castris sæpe contingit, vel ex alio quocunque

tanquam sequi memoriæ fore acceperint. Est nonunquam etiam causa communium morborum communis victus, cum scilicet ex annonæ penuria syluestres herbas hominum turba ingerere cogitur: quod aliquando contigisse suo tempore populis Romanorum ditioni subditis, refert Galenus. Atverò peculiares singulis proueniunt ab his, quæ peculiariter vnumquemq; afficiunt, ob diuersam nimirum viuẽdi rationem; quoniam enim diuersis alimentis, medicamentisq; homines vtuntur: diuersoq; modo in reddendis, retinendisque excrementis afficiuntur, nec eisdem animi corporisq; motionib. agitantur, diuersisq; rebus occupantur, discrepantibus morbis mortiò corripiuntur. Confert tamen ad horum generationem subiecta quoq; materia: cur enim in eodem aere versantes omnes non corripiantur ab eisdem morbis causa est diuersa corporum conditio, quæ non perinde ab omnibus afficitur: Quapropter causæ horum morborum à duobus generibus, tempe *efficiente*, & *subiecta materia* potissimum sumuntur: Etsi nõnihil etiam conferat tempus, & mora; Nam qui diu in corrupto, pestilentiq; aere commorantur, peste tandem corripiuntur, aliis omnino illæsis, vel minimum certè affectis, qui paululum duntaxat in eodem versantur.

Cap. XV.

De causis morbi maligni, & benigni.

Benigni morbi à benignis causis, maligni à malignis nascuntur: ex sanguine enim & pituita benigni morbi; ex flaua bile, & magis ex vitellina, maximè autem ex atra, maligni proueniunt. Quinetiam aeris tempestates pestilentes malignos, & fortè etiam calidæ, & humidæ cõcitata varia putredine, aliæ verò benigniores morbos pariunt: Quod etiam faciunt alimenta, & medicamenta, tum quæ extrinsecus lædunt, & à nobis proueniunt nocumenta: qualem enim singula vim obtinent, talem in morborum generatione exercent: Est autem horum duplex genus. Nam quædam sunt huiusmodi sua natura, vt venena, quæ toto genere perniciosa censentur; Quædam verò per varias alterationes benignitatem, malignitatemq; acquirunt, veluti biliosus humor in malignam atram bilem caloris vehementia, & insipida pituita in salsam ob putredinem sæpe permutatur: hæc autem alteratione, mixtioneq; benignæ substantiæ mitescunt, malignamq; qualitatem exuunt. Præterea partium diuersa natura causa existimari potest, cur eadem nunc malignos, nunc benignos morbos excitent: Etenim vulnerantia in carnosa parte benigna, in neruosa maligna vulnera efficere solent. Sic etiam in vtero, ano, vesica, maligniora vlcera, quàm in aliis partibus oriuntur. Vnde horum quoque morborum causæ ab efficientibus, & subiecto affecto corpore ducuntur: Atque etiam tempore, quo malitia acquiritur, aut deponitur.

Cap. XVI.

De causis morbi simplicis, & compositi.

Simplicem morbum pro loui dictum gignunt causæ, quæ minorem agendi vim sunt affectæ, qualia sunt, quæ leuiter alterando corpus immutant. Hac quidem ratione, ob materiæ quoque diuersitatem, leuissimas febres ex spiritibus, grauiores vehementioresq; ex humoribus prouenire videmus: Quod etiam contingit ob corporis affecti naturam; siquidẽ in carne simpliciores, in neruo grauiores morbi committuntur. Cæterum simplicem id est, vnum morbum inferunt causæ, quæ vnicam vim habent, vt intemperiem calidam, quæ duntaxat calefacere possunt. At verò compositum compositæ causæ procreant, atque etiam ex compositis complicatos & confusos morbos complicatæ, confusæq; causæ inferunt. Necnon etiam subiecta materia aliquid horum generationi confert. Nam calidi & sicci ad calidos & siccos morbos cõcipiendos sunt à natura aptissimi, ad simplices verò affectus, in quibus vnica ex qualitatibus præpollet: postremò qui ab initio simplices fuerant, tempore compositi euadunt, & febris, quæ siccitatem tandem sibi adiungit; cum solo calore primum noceret.

Cap. XVII.

De causis morbi, qui paulatim, subito, vel confestim, siue per crisim soluitur.

Iam verò morbos, qui subitò soluuntur, efficiunt causæ, quæ subitò tolli possunt; quales sunt inter efficientes, quæ ob intemperiem potissimum calidam, & frigidam morbos pariunt: Promptè enim calidum à frigido mutuo extinguitur: Tardius patitur humidum à sicco: difficillimè inter qualitates siccum ab humido: Quare vt morbi ab illis promptè, ab his verò qualitatibus paulatim fiunt, ita etiam soluuntur: Atque etiam inter causas, quæ morbos instrumentariis partibus inferunt, quasdam statim, alias maiore negocio auferre licet. Luxatæ namque partes breui temporis spatio sæpe reponuntur, & fractæ restituuntur, reintegranturve, nisi vetet partis conditio, veluti in capitis ossibus contingit, quæ cõfracta coaptari nequeunt, sed extractionem postulant: Tibiæ vero, vel cubiti ossa fracta citò quidem restituuntur, & coaptantur, sed integra sanatio longiore eget tempore, vt callus gignatur, qui dissidentia ossa inter se glutinet. Nec minus vulnera, in quibus nihil deperditum est, citò vnione facta coalescunt. Licet etiam superabundantes partes, aut aucta substantia in tumorem præter naturam elatas subitò rescindere; vulnus tamen ex curatione prioris morbi relinquitur, quod longiorem postulat curam.

Quinetiam huiusmodi morborum nonnunquam causa est materia: Nam diariæ febres cõfestim soluuntur, quia ex spiritu fiunt, & morbi, quos multitudo sola, vel etiam feruor humorum absque putredine concitat, eo vacuato, vel refrigerato subitò abiguntur. Qua ratione Galen. misso copioso sanguine synochas febres iugulare se solitum commemorat: At si materia, quæ morbi est causa, alteratione opus habet cõtingit vt nunc citò, nunc tardè illati morbi expellantur: quippe qui ex solidiore, crassiore que materia, vel multa consistunt, aut plurimum à naturali qualitate recesserunt, non nisi

longo tempore emendantur: subito enim huiusmodi vitia vinci nequeunt. A

Causæ ex loco affecto. Accidit etiam loci ratione morbos procreari, qui subitam habent generationem, & solutionem, veluti in morbo comitiali contingit, qui ex crasso, pituitosoq; humore irruente, occupanteque cerebri cauitates, confertim n[illegible] fcitur, & soluitur, expellentis [illegible] facultatis robore. Eodemque modo stomachi dolores ex [illegible], glutinosaque pituita oborti, expurgatis per latiores cauitates ipsius partis noxiis humoribus, statim desinunt. Qui verò morbi substantiæ alicuius regeneratione opus habent, siquidem ex spiritu sit, & subito curantur, & gignuntur: quo modo morbi, qui animi defectum inferunt, dissolutis statim spiritibus, accidunt, iidemque regenitis, minimo negocio abeunt; vlcera verò caua, vt paulatim fiunt, sic sanantur; quo fit, vt *partim ex solutionis ratione, partim ex consideratione propria facultatis causarum morbi*, inuenire liceat, à quibus proueniant qui subito, quiue paulatim, & à quibus finiri possint.

A quibus causis hæ causæ [illegible].

Causæ morborum, qui per crisim soluuntur. Cæterum morbum, qui per crisim, hoc est, cum subita & magna mutatione soluitur, agente natura, committunt necessario humores, qui confertim expelli possunt. Nam ex spiritu subitæ quidem, sed non magnæ mutationes in morbis fieri possunt. In partibus verò solidis, qui nascuntur magni morbi, non nisi paulatim extingui valent. Illæ autem, quæ à Medicis fiunt magnæ subitæque mutationes, quales sunt, cum in febribus sanguinem effundunt vsque ad animi defectum, aut lapides opera chirurgica extrahunt, vel luxata membra manu reponunt, aut aliud denique huiusmodi moliuntur, naturæ affecti corporis beneficio non proueniunt, & à crisibus antea similes mutationes sunt seiunctæ. Cæterum oportere expultricem facultatem, & non aliam in hoc opere exerceri, ex hoc constat, quod cum duæ sint, quæ morbos finiunt, concoctrix nimirum, & expultrix; illa magnas mutationes subitò, vt hæc moliri nequit. At vehementer quoq; expultricem hanc vim irritari oportet, si harum mutationum author esse debet. Vt enim ea molestatur, sic agit. Quamobrem impelli eam vehementer necesse est, siquidem per crisim morbos finire debeat. At si irritetur facultas ipsa, nec tamen locus pateat, per quem noxios humores protrudere valeat, frustra ea moliretur excretionem, nec expecti [illegible] potest subita aliqua, magnaq; in corpore affectio mutatio, quod sanè ostendunt laterum inflammationes, quæ perpetuò facultatem huiusmodi reconponent, paulatim tamen expurgato humore per tussim dissoluuntur. *Quamobrem meritò totam huius rei causam in humorem reiecimus, qui vehementer expultricem excitare, & liberum exitum habere potest. Est porro huiusmodi humor [illegible], qui [illegible] est, & nullam partem peculiariter infestat, si dum [illegible] venis & arteriis committitur, aut si partem aliquam obsidet, [illegible] in ea receptus est, in qua huiusmodi sunt vasa, per quæ noxia materia effundi potest.* Sic enim vehementes febres per crisim solui conspicimus, B mitiores autem minimè. Inflammationes autẽ hepatis, lienis, cerebri, sanguinis profluuio subitò finiri, aut admodum mitescere, aliarum verò partium eosdem morbos agente natura, non nisi paulatim dissolui nouimus. *Potest huiusmodi mutatio non solum à calido, & feruente, sed etiam à frigido multo, crassoq; humore accidere*: nam hoc modo ventriculi morbi ex tali materia procreati, eo confertim per aluum, aut vomitum expulso, desinunt; & apoplexia in neruorum resolutionem transit, transmisso affatim humore à cerebro ad neruos, quas mutationes meritò inter crises reponimus. *Verum etsi calidi, frigidiq; humores confertim extruduntur, suntq; causa morborum, qui per crisim soluuntur, tamen calidi sua potius natura* C *potius, frigidi autem magis ob loci naturam, aut materiæ multitudinem, quam quod irritandi vehementem vim obtineant, id præstant.* Atq; hæc quidem satis, de morborum ipsorum differentiarumq; eorundem causis, quantum nostrum institutum exigit, dicta sint: quibus (patefacta methodo) quilibet meliora fortè excogitare poterit, & in vnoquoq; morbo proprias, peculiaresque causas inuenire: quod enim nos generatim communique omnibus tractatione, explicare primi (vt arbitror) in hac re tentauimus, vtile, vt speramus, id in singulis vnusquisq; sibi sentiet: Nam qui nouit, à quibus causis magni, cõtinui, intermittentes, acuti, calidi, frigidi, aut alterius modi morbi proueniant, facile intellige- D re quoque poterit, quid febrem, magnam, acutam, intermittentem, aut alium alterius generis morbum committat.

F I N I S.

IOAN.

IOAN. ARGENTERII DE GENERIBVS ET DIFFERENTIIS SYMPTOMATVM LIBER.

Cap. I.

Quid symptoma sit.

TRia esse præter naturam, morbos scilicet, causas morborum, & symptomata, sæpius à Galeno ostensum est, & iamdudũ ab omnibus Medicis, suadente ratione, receptum. Itaque iam postulare videtur nostrum institutum, vt posteaquam de morbis, illorumque causis egimus Galeni imitatione, ad symptomata quoq; transeamus. Quæ quidem res non solum cognitu periucunda, sed etiam Medico summoperè necessaria existit: Quid enim, quæso, iucundius, quàm posse cognoscere (quod hæc tractatio promittit) quot, quibusve modis, & à quib. causis corporis qualitates, actiones, excrementa, & alia denique omnia opera, quæ in nostro corpore obeuntur, mutari, vitiariq; contingat? Sunt (vt postea ostendemus) symptomata *causarum*, *morborumque effectus*: Quo fit, vt illa sine his constare, aut planè cognosci nequeant: siquidem effectus signa fiunt eorum, à quibus proueniũt; nec causarum natura, & vis, nisi perspectis eorum effectibus, planè intelligi potest. Quin etiam ad curationem facit plurimum huius rei explicatio. Nam quædam à morbis, & causis nascuntur, quæ curationem sæpius interrumpunt, & aliud Medici officium requirunt. Alia verò huiusmodi vim non habent: qua ratione nunc mitigatione, nunc curatione præsentibus symptomatis, aliquando præseruatione opus esse dicimus. Quæ nemo vnquam rectè intelligere poterit, qui prius integram de symptomatibus tractationem non absoluerit. Ac inter omnes quidem Galeni libros diu sum admiratus eos potissimum, quos ille de hac re conscripsit: Nec immeritò quidem, vt mea fert opinio: siquidem alii ferè omnes si cum his conferantur, quod omnes etiam, qui iudicio aliquo sunt prædit, & medicinæ non ignari, fatentur, negligentius ab authore elaborati videbuntur: verum cum diligentius, sæpiusque eos legere (cum de eadem re scribere instituissem) coactus fuerim, multa sanè optimè à diuino eo authore tradita, confirmato priore iudicio, cognoui: nonnulla tamen alia deprehendi, quæ fortè meliore docẽdi methodo scribi, docerique possent. Verum ne alia prosequamur, quæ suo loco ostendentur; illud imprimis contemnendum non est, quod ad nomen ipsum pertinet. Nam cum *primo libro Methodi medendi*, & *in arte medicinali* σύμπτωμα,

Symptoma quid.

Tractationis vtilitas.

A quod nostri casum vertunt, & συμβεβηκὸς, quod à nostris accidens dicitur, inter se distinxisset; quod illud præter naturam, hoc verò secundum illam esset. Postea *in libro de optima secta*, & *passim alibi*, hæc nomina inter se confundit, cum scribit, quædam esse symptomata secundum naturam, vt niger color Indis; quædam verò naturæ contraria, veluti nares acutæ vi morbi factæ. Scribit etiam *libro 1. Methodi*, symptoma esse, quod sequitur alterationem, secundum vel præter naturam. Sic accidentia morbi pro symptomatis sæpe vsurpat, vt cum scribit *octauo capite artis medicinalis*, symptomata etiam propriè vocari accidentia. Vnde quidem Græci Medici, quæ morbum sequuntur, non symptomata, sed

B ἐπιγενόμενα, id est, succedentia, scilicet morbum, appellare maluerunt. Ducitur autem symptomatis nomen à verbo συμπίπτω, quod est, si vim vocabuli exprimas, *simul cado*. vt συμβεβηκὸς à verbo συμβαίνω, quod idem significat, quod *simul euenio*: simul enim veniunt effectus cum ipsa causa, à qua proueniunt. Nec tam diuersa significatione, quàm diuerso vsu, & vsurpatione hæc vocabula inter se differunt, cum pari fœlicitate, quod aliud sequitur, significent. Accidens autem verbum nostrum non ostendit aliquid, quod aliud sequatur: Accidere enim corpori dicimus nõ solum morborum effectus, sed etiam ipsos morbos, & eorum causas. Iam verò quid symptoma sit Medicis, explicandum

Symptomatis deriuatio, item accidentis.

Symptoma & accidens quomodo differant.

C est; de qua re etiam varia scribit Galenus. Nam *in libro de differentiis symptomatum*, quicquid est in corpore præter naturam, generaliore quadam significatione, symptomata esse definit: Propriè verò intelligendum, quod morbum tanquam illius effectus sequitur, siue quod alia omnia continet præter naturam, excepto morbo, & illius causis: quæ postea in ipsa tractatione non seruat, nam *libro primo & secundo Methodi medendi* actiones læsas à symptomatis distinguit: cum tamen morbos sequantur, & inter propriè dicta symptomata *in libro de illorum differentia* ab eo cõprehendantur. Præterea vocat etiam symptomata morbos, qui ex aliis morbis nascuntur, vt febrem dicit esse symptoma pleu-

Quid symptoma secundum Gal.

D ritidis *in libro de constitutione artis*: Addo quod nonnulla enumeret inter symptomata, quæ eo posito principio, in eorum numerum recipi nequeunt. Alia verò reiiciat, quæ non minus, quàm alia, recipere oportet. Si enim symptoma est præter naturam, id autem est, quod plurimum à naturali statu recedit, quis pandiculationem, palpitationem, ructus, crepitus, sternutamentum, tussim, inter symptomata reponet? Quis tumorem partis, vt ille facit *in libro de differentiis morborum*, qui ad tantam

magnitudinem nondum excreuit, vt actionibus incommodare queat? Necesse namque est totum corpus, vel partem, quæ præter naturam habet, ægrotare, nec suas functiones ob insignē læsionem commodè exercere posse: Atque per prædicta symptomata nihil, aut certè parum admodum corpus affligitur, sæpeque etiam nullis præsidiis, quæ morbosis affectibus debentur, opus habet, sed illa vel statim sponte desinunt, aut parum commutata viuendi conditione, nullo negotio, euanescunt. Quod si leuiora hæc vitia inter symptomata statuantur, licebit etiam minimas quasque ab optima constitutione euersiones inter ea ponere, quæ præter naturam censentur: quo fiet, vt non solum temere alibi neuter status inter sanos & ægros sit positus, sed etiam decreta eorum approbentur toties ab eo reiecta, qui corpus nostrum continuè affligi, morbisque vexari censebant. In quo præterea genere symptomatū tumor ille, qui ad eam magnitudinem non excreuit, vt actionibus obesse possit, ponetur? an inter excrementa, vel qualitates corporis, vel actiones læsas? quod nulla ratione fieri potest, si ea legamus, quæ ille sub illis generibus comprehendit: an inter morbos? vel causas morborum? si fortè dicamus, eum intelligere eo loco symptomatis nomine quicquid est præter naturam: At morbus non est, si causam esse dicit: nec causa morbi esse potest, si morbum ob suam paruitatem nequit inferre: Quare nullo pacto symptoma erit censendus. Cæterum cum sanguinis profusiones, vomitiones, & alias excretiones toto etiam genere præter naturam, à symptomatum consortio seiungit, si modò tempestiuè fiant, id est, (vt ille *in libro de differentiis symptomatum* interpretatur) expellatur id, quod molestat, contenditque nihil eorum, quæ ad animalis commodum peraguntur in corpore, inter symptomata reputari debere, sui mihi videtur obliuisci. Sic enim tussim, rigorem, horrorem, singultum, sternutamentum, crepitus, vomitum, alui profluuium, quorum beneficio natura sese à noxiis, morbosisque causis expurgat, inter symptomata temerè collocaret, illorumque causas, dum aliorum symptomatum causas inuestigat, explicaret. An non etiam *libro secundo de causis symptomatum* scribit, quædam ex illis naturæ esse opera violentius à morbosa causa concitatæ? Cui simile est illud, quod habet *libro tertio eiusdem operis*, expultricem scilicet deprauato motu niti, cum per singultum noxias causas expellere studet. Quod si ita res habet, necesse profectò est, multa ex symptomatis ad animalis cōmodum, quod negat *in libro de eorum differentiis*, pertinere, siquidem eorum beneficio natura vtilitati studet. Nonne enim, quemadmodum à malis humoribus irritata facultas tussim commouet; sic etiam sanguinem, à quo molestatur, per diuersas corporis partes sæpe effundit? & vellicantes ventriculum acres humores, aut copia grauantes, excitata huiusmodi facultate, extrudit pari omnino in omnibus vtilitate, & incommodo, parique etiam facultatis robore? Quamobrem eadem quoq; ratione hæc omnia sub natura symptomatum comprehendere oportet. Quod si quemadmodum symptomaticas eas excretiones vocare solet, quæ obsunt, symptomata etiam appellat, quæ perpetuò nocent, & alio nomine quæ per morbum prosunt vacuationes, & cōferentia symptomata donaret, nō esset, quod damnare possemus: sed cum hæc omnia mutuis nominibus nuncupet, probare non possumus tractationem, quæ omnia confundit, & multorum errorum occasionem præbet: Illud verò etiam, quod scribit, symptoma pressius sumptum nihil aliud esse, quam quod morbum tanquam vmbra corpus sequitur, contenditq; omne symptoma à morbo prouenire, eo etiam authore, cum de horum causis agemus, ostendemus, nō esse rationi consonum: propterea quod non solum à morbis, sed etiam à morborum, naturaliumque rerum causis multa nascuntur symptomata. Ergo intelligit ille symptomatis nomine, aliquando quicquid est præter naturam; aliquando id, quod secundum naturam existit; nonnunquam id, quod sequitur morbum; aliquando id, quod prouenit non solum à morbis, sed etiam à causis morbi; aliquando excipit à symptomatis actiones morbosas; aliquando vero symptomata vult etiam sequi sanitatem, & statum secundum naturam; vult nonnunquam symptoma esse non solum, quod in ægrotis fit, sed etiam à natura vincente, & extrudente quod obest; aliquando symptoma ei est, quicquid à morbo committitur, siue morbus sit, siue aliud; aliquando symptoma statuit esse effectus, qui obsunt ægrotis, vt excretio symptomatica: adeo vt nihil perpetuum, & stabile doceat hic author: toties enim mutat sententiam, quoties de eadem re agit: Scripsit *in libris de morbis, de symptomatis, in Methodo medendi, in opere de locis affectis, in libris de placitis Platonis, & Hippocratis*, & alibi passim integras paginas de nomine morbi, symptomatis, causæ morbi, passionis, actionis, dispositionis, siue affectus, nec vnquam stabilire aliquid in ea re potuit: quod postea docendo sequeretur: Scribit de nominibus statim esse conueniendū, cum interim ipse nullum de illis loquendi finem faciat: nunc sequitur, quod alio loco improbauit: atque ita suam tractationem, & nos ipsos confundit. Ego verò in meo hoc opere symptoma intelligo, *quicquid præter naturam, morbis, & illorum immediatis causis exceptis, in corpore reperitur.*

Symptomata non omnia prouenire à morbis, sed etiam à morborum, naturaliumque causis.

Symptoma secundū authorē quid.

CAP. II.

De generibus & numero symptomatum.

GAlenus *in libro de differentiis symptomatum* tria in vniuersum symptomata esse ponit, Actionem læsam, excrementa, & qualitates corporis præter naturam, quæ primas sequuntur: nihil enim horum morbus est, nec morbi causa proxima (nam remotæ causæ morborum symptomata aliquando euadunt) veluti cum nimia vigilia, aut somnus immoderatus, motus, excrementa, quæ præter naturam retinentur, aut emittuntur, aliaque huiusmodi, præsentes morbos intendunt, & nouos etiam alios pariūt. Verum, vt mea fert opinio, alia præter enumerata symptomata sunt addenda: est enim cibus malè concoctus, & sanguis, qui per morbos corrumpitur, symptoma, vt omnibus constare puto, cum intemperiem, & vitiatam actionem

Quot symptomata secundū Gal.

Quot secundum authorem.

nem sequantur, perinde, vt secundæ qualitates, cum tamen in nullo ex prædictis symptomatis hæc contineantur. Nam quod aliquis dubitare posset, sub excrementis nequaquam comprehenduntur: quippe cum excrementa vocentur, quæ ab aliis post concoctionem segregata, extra corpus excernuntur, excretionemque postulant: quod his non contingit: Nam etsi cibus malè conficitur in febricitantibus & improbus sanguis gignitur, non tamen propterea iudicamus, ea excrementa esse, & tanquam inutilia reiicienda. Id quod etiam euidentius in carne spongiosa; aut alio modo vitiosa apparet; quæ etsi huiusmodi gignitur, in corporibus morbo oppressis; aliud tamen, quàm excrementum eam esse putamus; dolorem præterea, & præternaturam voluptatem, symptomata nemo esse negauerit; quæ tamen sub nullo ex prædictis tribus generibus symptomatũ comprehenduntur. Quod quidem ob quorundam inscitiam, ne dicam malignitatem, paulo diligentius docere institui; ab ipso nomine exorsus, ne alicui imponant varia illius significata.

Doloris nomen duo significare.

Porro nomen doloris, quem Græci πόνον, λύπην, ἀλγηδόνα, ὀδύνην, ὠδῖνα, κόπον, & ἄχθημα, vocant, vt Galenus *aphorismo libri sec indi & alibi* testatur, duo significat, *dispositionem, siue causam ipsius doloris, vel molestiam illam*, quam omnes communi conceptu intelligimus, doloremque vocamus, nec tertiam significationem apud Galenum est reperire, vt quidam sentiunt; qui scripserunt, hoc nomine etiam significari actum eum, in quo dolemus: neque enim illi autorem habent, ex quo id probare possint, aut certè nõ Galenum, cuius opinionem se tueri posse dicũt: eo quod dolor apud illum bifariam vsurpetur, vel pro actu, quo dolemus, vel pro eo, quod voluptati opponitur. Duo quidem doloris nomen significare scribit Galenus, sed non ea, quæ illi ponunt; Nec illud, quod dicunt, id probat, vt rationale, ita dolorem duo significare: non enim ex aliorum nominum duplici significatione; sed ex loquendi vsu accipere debemus, quod vno modo, vel pluribus vsurpatur. Igitur num dolor apud Galenum significet dispositionem dolorificam; & id, quod voluptati opponitur, de illa significatione postea, de hac verò nũc agendum. Ac cum omnes fateantur, dolorem esse symptoma, etsi aliquando morbi causa remota fieri potest; certumq; sit, eum nec inter qualitates alicuius sensorii, nec inter excrementa reponi posse, hactenus putarunt Medici, dolorem esse actionem, & sensationem læsam: & cum illorum opinione omnis actio lęsa, sit vel abolita, vel debilis, vel deprauata, ponũt dolorem inter deprauatas actiones, eo quod per dolorem sentiri dicant, quod nequaquam sentiri debet. Addunt & quidam philosophi, qui de hac re scripserunt, recte Galenum, & Auicennam dixisse, dolorem esse tristem sensationem: id enim ostendere ea, quæ dolorem excitant. Nam quæ tendunt, vel pungunt, vel alio modo dolorem cõcitant, id faciunt interim, cum agant, non autẽ posteaquam agere desierũt: ex quo, inquiunt patere, dolorem in actione consistere, actionemque esse: Ac tandem illi definiunt dolorem esse asperum, siue molestum sensum præter naturam confertim factum, à mala temperie, cum solutione con-

A tinui: cõtra verò voluptatem, sensum esse blandum secundum naturam, confertim genitum; Accusantque non satis apertis verbis, quod nos antea docuerimus, dolorem non esse sensationem, vel actionẽ aliquam. Contra quos iam disputare aggredior; nõ vt mihi patrocinari velim, sed ne veritati desit patrocinium in tantis sectis, tantis cõtentionibus, tanta cæcitate, & malignitate, quibus difficultatibus hodie premuntur, qui liberam docendi rationem profitentur: Ac illud solum aduersus illos adfero, si Galenus rectè dixit dolorem esse actionem, cur illi postea, cum Aristotelis opinionem excutiunt, id negant asseruntque, quod nos putamus verum esse; eum, inquam, sequi actionem, vel

Dolorem nõ esse actionẽ, sed sequi actionem vel in ipsa actione fieri.

B certè in ipsa actione, & sensatione fieri. Nonne redarguunt iam illum, quem rectè sentire conati sunt ostendere, & longa disputatione defendere laborarunt? Iam verò si dolor est actio, edet aliquod opus, vt alias actiones facere videmus: nam concoctio aliquid concoquit, vel certè pars corporis concoquendo aliquid facit, vt chylum in ventriculo, sanguinem in hepate, quid verò dolor agit? aut quid per dolorem, vel dolendo operabitur id, cuius actio dolor esse censetur? Nam vt oculus videndo aliquid agit, nempe videt obiecta; sic si dolor esset actio alicuius sensorii, hoc ipsum dolendo aliquid efficeret.

Dolorem nõ esse sensationem.

C Cæterum si dolor est sensatio, habet aliquod peculiare obiectum, circa quod versatur, vt visus circa colores, auditus circa sonos, odoratus circa odores, gustus circa sapores, tactus circa primas, & alias suas qualitates: At doloris quodnam, quæso, erit obiectum? Deinde si dolor est sensatio, erit alicuius sensorii actio & sensatio; non est autem actio visus, auditus, gustus, odoratus; tactus: quippe cum in omni sensatione dolor fiat: & propterea peculiaris alicuius sensus actio esse nequit: communis autem nulla est actio omnium sensuum, etsi commune aliquid est, quod de singulis sensationibus iudicat; & quorundam sensuum communia quædam sunt obiecta: Ad hæc sentire est cognoscere, & sensatio est cognitio quædam, vt rectè inquit Aristot. At dolere nõ est cognoscere, nec dolor est cognitio. Addo quod dolere & sentire est pati, vt docet Aristoteles, quare dolor actio esse non potest. Vrget & illud hanc opinionem, quod in nullo actionis læsæ genere posito à Galeno reponi possit; nam vt nemo dubitat dolorem non contineri sub debili, aut abolita actione; ita euidenter hallucinantur, qui eum putant esse deprauatam actionem; ea ratione, quod vrgente dolore sentiatur aliquid, quod abest, dum corpus rectè valet, nã etsi verum est, dolorẽ fieri à re molestante, quo caret corpus, quod nullo dolore affligitur: nõ tamen ob id deprauata est actio, quæ illud percipit, nõ magis profectò, quàm si quis diceret, deprauatam esse visionẽ, cum res molestas apprehendit, ac tales esse agnoscit, quales sunt. Esset quidem deprauata actio, si eas non perciperet tales esse, quales existunt: quo modo illos deprauate videre censemus, qui, quæ rubra sunt, iudicant flaua, aut duplex, quod est simplex, aut perforatum, quod est solidum, aut sublime, quod est humile; eadẽ ratione deprauatè

Non esse aliquam communem actionem omnium sensuum.

Dolorem nõ esse actionẽ deprauatã.

eos iudicare dicimus, qui delirant; in dolore verò cum percipiatur id, quod obest, nullus est error in ipsa actione. Quare nec ipse dolor potest actio aliqua esse: cum nec abolita, nec debilis, nec deprauata sit: & quo modo, quæso, deprauata erit actio, si actio nequit esse? quod si ad Galeni placita res est reuocanda, inueniemus, illum nequaquam putasse, dolorem esse sensationem, etsi aliquando, vbi negligentius rem tractat, id scribere videtur. Nam *in arte medicinali* vbi agit de signis corporum ægrotantium, apertissimè distinguit signa sumpta ab actionibus læsis, ab illis, qui sumuntur à dolore; idem docet *in libro duodecimo Methodi*, ac *passim alibi*, sed euidentissimè *in libro de differentiis symptomatum*, vbi enumeratis sensuum symptomatis, subdit, dolorem, & voluptatem peculiaria quædam esse sensuum symptomata, illorumque vim in sensu tactus insignem apparere; In primo verò sensorio, cerebro, inquam, ipso ἀγρυπνίαν, id est, vigilantiam siue vigiliam præter naturam, & coma, hoc nomine soporosos omnes affectus intelligēs; tanquam alterius naturæ essent hæc à prædictis symptomatis, quo loco etiam apertè scribit, tactum in sua actione insigne symptoma experiri, nempe dolorem. Ex quibus verbis patet, ipsum dolorem non esse sensationem, sed in sensatione fieri. Quod si Galeni dicta cōciliare velimus, facilè illa ita interpretari possumus: nam cum dicit, dolorem esse tristem sensationem, non dolorem ipsum definit, sed modum, quo dolor efficitur, tunc enim dolor nascitur, cum tristis fit sensatio. Eandem opinionem refellit Aristot. *decimo libro Ethicorum*, vbi scribit, absurdum esse, arbitrari, dolorem, & voluptatem esse sensationem, aut actionem: eos autem ita credere, qui nequeunt actionem ab eo, quod in ea fit, separare.

Itaque cum dolor non sit sensatio, non est quod laboremus in aliis partibus definitionis refellendis; nam si genus definito non conuenit, mala tota definitio statim proditur; Quin potius examinemus alias definitiones, quæ de dolore traduntur: definiunt enim illi, Aristotelis, vt aiunt, opinione, dolorem esse passionem in appetitu, sequentem cognitionem, & iudicium sensus: sed non video, quo modo id probent; Nam Aristoteles nulla appetitus facta mentione, *libro sexto Topicorum*, definit, dolorem esse *passionem animalis factam cum violentia, à distantia partium coherentium*; Aiunt illi, etiam Aristotelem 7. *Ethicorum* dicere, animal in sentiendo laborare, tum quod spiritus in functione laboret, tum quod sequatur affectus in appetitu; ex quo asserunt, dolorem esse affectum in appetitu, ex sensu ortum: sed vt dicam, quod sentio, fingunt illi multa in hac re Aristotelis esse; quæ illius authoris non sunt, aut certè non ad dolores, & voluptates corporis, de quibus potissimè agimus, sed animi voluptates, & nequaquam ad dolores pertinent; scribit quidem ille *vltimo capite illius libri*, animal semper laborare, & ipsum videre, ac audire dolorem inferre, sed huiusmodi dolorem nos non sentire propter consuetudinem, verum hoc ex aliorum opinione tradit, vt ex illius contextu quilibet cognoscere potest. Præterea non scribit ille, animal laborare, eo quod spiritus in functione laboret: nam quis

Dolor secundum Arist. quid.

Animal in sentiendo nō laborare.

A labor spiritibus tribui potest? Quod si illi volunt, animal in sentiendo laborare ob laborem spirituum, & affectum, qui in appetitu sequitur, & ex hoc putant elici doloris definitionem, quod sit affectus in appetitu ex sensu ortus, cur etiam spiritus in definitione ipsa non assumitur? Si enim vtrumque necessarium est ad doloris generationem, labor, inquam, spiritus, & affectus, qui sequitur in appetitu, absurdum est vno assumpto in definitione alterum relinquere. Omitto, quod illi non doceant quid dolor, & voluptas sint, sed modum explicent, quo hæc fiunt: aiunt enim ex labore spirituum, & affectu in appetitu vtrumq; fieri, at hoc est causas, & modum dicere generationis doloris, &

B voluptatis, non autem definire, quid illa sint. Ac nec illud quidem percipere possum, quid appetitus conferat ad dolorem; quidq; cum eo commune habeat; appetimus enim, quæ sunt iucunda, reiicimus verò, & spernimus, quæ sunt tristia; cuiusmodi est dolor. Voluptates quidem appetimus, & illæ in cupiditate, & appetitu constitui possunt; At dolor nequaquam: Addo, quod Aristoteles *eodem libro* doceat, voluptates quasdam esse sine cupiditate; quo fit, vt dolorem, & voluptatem ex cupiditate, & appetitu nequaquam definire possimus; vtpote quæ non omni voluptati, & tanto minus omni dolori conuenire possint. Sed quis huiusmodi definitionem doloris probabit, quæ ipso definito

Voluptates aliquas esse sine cupiditate.

C est difficilior? Quapropter ex noto aliquo principio quæramus aptā & perspicuam doloris definitionem: sumemus autem principium a quo vtitur Galenus in morbi definitione inuestiganda ex communi omnium consensu. Vt enim omnes homines dicunt, se ægrotare, quando sui corporis compositionem labefactatam agnoscunt, sic se dolere aiunt, quando re aliqua molestantur. Quare dolor *molestia quædam est*; at non omnis molestia dolor est. Etenim calor, frigus, lassitudo, cibus, potus, medicamentum, molesta sæpe sunt, pariuntque corpori molestiam, sed sæpe citra dolorem: Quare addendum est in definitione id, quod molestiam parit dolorificam. Est autem id, vt postea ostendemus, quod continuum soluit, ea enim molestia

D & passio, quæ à continui solutione nascitur, cum dolore est. Verum nec omnis passio, quæ fit ab his, quæ violant continuum, est dolor, aut cum dolore: nam vulnera ossium, & etiam ipsius carnis, *& nerui*, aliquando nullum pariūt dolorem, vt in certamine acri, & delirantibus contingit; id quod non alia ratione (vt postea etiam docebimus) accidit, quàm quod desit facultas, quæ passiones illatas apprehendit, & diiudicat: Accidunt præterea dolor & voluptas duntaxat in actione, id est, cum agimus aliquid, sentimus, cogitamus, nec in omni quidem actione, sed duntaxat in sensu, & functionibus, quæ principes à Medicis vocantur, nec non in

E illis, quæ vitales, & cordis passiones nuncupantur, in naturalibus verò vocatis actionibus, & motibus, nec dolor, nec voluptas fiunt; nam vt sensoria sentiendo dolorem, & voluptatem experiuntur; sic in cogitatione, & recordatione rerum, animus aliquando suos dolores, suasq; voluptates capit: ex ira, & tristitia, & nimio etiam gaudio, & risu nascitur in corde dolor. &

Cur quædam vulnera non pariant dolorem.

tunc

Cur actiones quædam in vno membro lædantur, aliis illæsis, secundum Galenum.

Quod vero in vno membro actiones quædã lædantur, aliis illæsis, causa non ita patet: nam id totum Galenus ad diuersa instrumenta, aut robur, imbecillitatemq; facultatis referre videtur: veluti cum sensus seruatur amisso motu, causa est, inquit, quod diuersi sint nerui, qui in idem membrum inseruntur: contingereq; interim, vt nerui, qui ad cutem perreptant, sint illæsi, sensumque suppeditent: alii vero, qui musculis implantantur, offensi, mouendi vim exercere nequeant: eademque ratione fieri, vt laborantibus illis, qui ad sensum sunt destinati, & non aliis, sensus aboleatur, superstite motu. Quod si idem sit neruus, eademque pars, quæ afficitur, accidere quidem posse scribit, vt seruato sensu, motus perdatur, non tamen contra fieri posse, vt aliqua pars, quæ suapte natura sentiat, & moueatur, sensum amittat retento motu, propterea scilicet quod motus agendo, sensus vero patiendo exerceatur, maiorẽ autem vim ad actionem, quam ad passionem requiri, proinde seruari posse & influere tantam vim neruis læsis, aut alio quocunque modo corpore affecto, quæ sensum quidem suppeditare valeat, ad motus tamen edendos non sufficiat. Quæ certe, vt recte dicta sunt, relinquunt tamen, in quo dubitare, & aliam causam desiderare possimus. Nam quod seruetur aliquando motus, aliquando sensus ob prædictas causas certissimum est; Ac quod etiam maius robur requiratur in motu, quam in sensu, ex hoc constat, quod videamus eos, qui admodũ sunt defatigati, aut morti propinqui, ne moueri quidem posse, valentibus tamen interim sensibus. At illud non ita recipio, quod putet, nunquã reperiri corpus, quod moueatur sine sensu, quandoquidem sæpe contingit, vt dormientes non solum agitentur toto corpore per lectum, sed etiam sæpius surgant, quod ille sibi etiam contigisse *in libro de Motu musculorum* commemorat, idque sine sensu euenire necesse est, si modo somnus sensuum omnium est vinculum quoddam, & omnes sensus dormientibus feriantur; quod si quis neget repugnante rei natura & vsu, velitque rem autoritate decernere, locus est *libro tertio de Causis pulsuum* apud Galenum; in quo scribit aperte, dormientes non sentire: id quod etiam ab Aristotele *in libro de Insomniis* memoriæ proditum est. Quod si contentiosius agamus, velimusque, eos etiam sensum aliquem retinere, illud certe non negabimus, non æque euidentem eum esse in illis, vt motum, quem tamen oporteret euidentiorem esse, & longe magis vigere, si modo facultas, quæ per neruos sensum & motum partibus largitur, cum imbecilla est, putetur integros sensus seruare posse, motus autem minime: cur enim, quæso, manifesti validique & varii fiunt motus, & nullus aut obscurus in toto corpore dormientium apparet sensus? Itaq; constat seruari motum per eosdem neruos in eisdem partibus, non seruato sensu. Quod si ita est, cum neq; ex robore, aut imbecillitate facultatis, neque ob diuersitatem instrumenti, per quod huiusmodi functiones obeuntur, id contingat, necesse profecto est, aliã esse causam, quę ex facultatum differentia sumitur. Nam *quoniam* (mea quidem opinione) *vna est facultas motoria diuersa a sensitiua, adeo fit, vt vna influente, alia autem non, siquidem omnia quæ ab illa proficiscuntur,*

Maius robur requiri ad motum, quam ad sensum.

Corpora etiam moueri sine sensu.

Dormientes non sentire.

Seruari nonnunquam motum per eosdem neruos in iisdem partibus non seruato sensu.

Cur actiones quædam in vno membro lædantur, aliis illæsis secundum autorem.

A *fiant, alterius autem minime*: miratique profecto in hac re licet Galenum, has inter se non distinxisse, sed perpetuo scribere sensum & motum à cerebro per neruos ad singulas partes demitti, cum duæ sint inter se plurimum differentes hæ functiones, diuersasque ob id oporteat esse facultates earum autores; siquidem ex numero operum & functionum, numerus facultatum, vt tradit *in initio libri de Naturalibus potentiis*, inuestigari debet. Quod si inter se discrepantes has facultates reuera agnouisset, & quod in dormientibus de sensu & motu diximus, animaduertisset: non solum inuenisset, quod putat fieri non posse, vt motus vnquam seruetur ociante sensu, sed etiam ob diuersas potentias inter se

Numerus facultatum vnde sit inuestigandus.

B natura distinctas non locis forte, neque instrumentis id contingere (vt arbitror) credidisset. Nam quę alia, quęso, potest esse causa, cur ab eadem intemperie, siue alio morbo nunc imaginatio, nunc ratiocinatio, aut memoria in cerebro lædantur, aut in ventriculo concoctio, & non retentio, aut expulsio vigente febre, quam quod diuersæ sunt facultates? quæ etsi offenduntur omnes ab intemperaturis, quædam tamen plus, vel minus, quædam vero etiam à quibusdam iuuantur, à quibus aliæ destruuntur, quemadmodum antea ostendimus: Quod si locis eas inter se seiungeret, facile erat causam inuenire, quod scilicet loco eo in cerebro affecto, in quo residet, quæ patitur facultas, alia illæsa, cuius sedes inte-

C gra est, id accedat. At cum eas nusquam inter se euidenter locis separet, nõ alia potest esse causa, quam quę ex diuersis morbis, aut ab eiusdem excessus inæqualitate sumitur. Siquidem siccitas coctioni obest, retentioni prodest; humiditas contra illam iuuat, hanc lædit. Vnde mirum non est, siccitatis excessu aboleri coctionem, & humoris exuperantia perdi retentionem, alterutra vero excedẽte qualitate, vnam labefactari, aliam incolumem relinqui: Quamobrem nos, quod Gal. de sensus & motus abolitione, & conseruatione solum scribit, ad omnes alias functiones pertinere putantes, communes, quas potuimus causas, inuenire laborauimus, & motum in eadẽ parte fieri cessante sensu, non alia ratione puta-

Cur motus nonnunquam in vna parte seruetur cessante sensu.

D mus, quam *quod diuersæ sint potentiæ, a quibus huiusmodi actione proueniunt*: id quod si raro contingit, in dormientibus tamen ob manifestam causam conspicitur: Cum enim sensifica vis omnino per somnum quiescat, & veluti constricta in cerebro contineatur, nequi[illegible]gius spargi, cum interim motiua minimum [illegible]ciatur; *siquidem somnus sensuum non motus est passio.* Est quidem hæc de his rebus nostra opinio, liceat tamen vnicuiq; in re admodum ancipiti, si hæc nõ placent, meliora excogitare: nam quod quidam putant ideo dormientem non sentire, quod vis à cerebro ad musculos transmitti quidem possit, ad cutem vero ob distãtiam, minime, ridiculum omnino esse puto, cum tantum non sit interual-

E lum, vt musculis vis largiri, non autem cuti debeat, præsertim cum minima quæque facultatis portio ad sensum sufficere putetur: Quod si ex distantia huius rei ratio petitur, cur ad musculos cruris vis ea demittitur, ad cutem autem capitis & ceruicis multo propinquiorem cerebro impartiri nequit?

A

Cap. V.

De causis quibus fit, vt interdum prorsus aboleantur actiones, interdum vero rursus restitui possint.

CVr perdantur omnium partium actiones, aut quarundam solum, atque etiam in eadem parte qua ratione contingat, nunc omnes illius functiones, nonnunquam vero quibusdam illæsis, alias aboleri, satis dictum esse puto. Illud vero, quod superest in abolitis actionibus, breuiter docendum est, ob quas causas accidat omnino destrui actiones, vt nunquam amplius restitui possint, vt in lethali apoplexia, & syncope vsu venit, alias autem videamus easdem nonnunquam ad suam naturam redire, vt in animi defectu, & per minores apoplexias, & vteri suffocationes: itaq; cum multæ sint causę, à quibus abolentur actiones, *siquidem ob propria vitia ipsius facultatis id contingat, desperata fere res est*; veluti in his accidit, qui intemperaturæ excessu extincta facultate pereunt. At si ea impediatur, vt fit per somnum, sperandum est, vt illæ ad se redeant: ob materiæ copiam, quæ perduntur actiones, non periclitantur, veluti ventriculi concoctio, quæ nutrimenti copia abolita fuerat, illa cõsumpta, facile restituitur. Quę vero patitur actio ob vitia proprii instrumenti, ad læsionis portionem intelligemus, quid sperare, aut vereri oporteat: nam eo offenso, à quo plurimæ facultates emanant, quodq; fons, & origo est, res magis suspecta haberi debet; veluti cum affecto cerebro in attonitis sensus & motus in vniuerso corpore abolentur. Læsa vero spina, & illius neruis, causa leuior existit, si quando eædem læsiones in sensu & motu accidant. Atq; etiam vehementer affecto proprio instrumento fit, vt amplius restitui nequeat, quæ semel abolita est actio; veluti cum omnino pręciso neruo, motus partis, in quam ille inserebatur, sine aliqua spe destruitur. quod si propter obstructionem idem contingeret, quia leuior est affectus, eam abolitionem pariet, quæ non omnino desperata credi debet, cum fere omnes ab hac causa aliquibus membris resoluti ad pristinam sanitatem redeant. Quę vero fiunt à communi instrumento operationum abolitiones, ex diuersa illius noxa, hoc, vel alio modo vitiatæ proueniunt. Etenim ex dissolutione spirituum animi defectus facile emendatur; qui vero illis corruptis, aut suffocatis nascitur, vt plurimum in lethalem syncopem terminatur, & occidit. Iam vero si ob vsum deperditum perdantur actiones, siquidem vsus ad vitam summopere sit necessarius & continuus, raro contingit, semel illas deperditas restitui posse, vt perdita semel respiratione & pulsu, abolito illorum vsu, vix aliquid boni sperandum est; alterius vero actionis vsus suas actiones cum spe restitutionis abolere solet: vt in appetitu deperdito contingit, repleto admodum corpore, quo euacuato, consumptaq; repletione, vt redit vsus, sic & ipsa appetentia restituitur. Atq; hæc quidem de hac re, quantum generalis hæc nostra tractatio assequi potest: nam qui plura & exactiora postulat, ad singulas functiones descendet, & vim omnium causarum, quibus contingit eas aboleri, perpendet.

Cap. VI.

De causis actionis debilis & auctæ.

Causa actionis debilis.

LEuiores supradictæ causæ imbecilles reddunt actiones. Etenim debiliore reddita facultate, actiones quoq; debilitari clarius fere est, quam vt demonstrari debeat: quandoquidem coctiones, corporis motiones, & reliquæ fere omnes actiones in senibus, & his, qui longo morbo diu sunt vexati, vix, tardiusque obeuntur, debilitatis, quæ animal regunt, facultatibus. Eodem pacto ob nimiam humiditatem, & siccitatem mollioribus durioribusque effectis neruis, motionis instrumentis, vix corpus dimoueri potest. & vulnerato ventriculo non satis donec coquatur, nutrimentum retinetur. Quinetiam natiuo calore debilitato, aut aliò reuocato, officia earum partium, quibus ille deficit, infirmiores euadunt. Qua quidem ratione, qui studio literarum vehementius incumbunt, distracto à ventriculo, digestoque per continuas animi cogitationes innato calido, infœliciter alimentum concoquunt. Iam vero diminuto vsu, actiones quoque minuuntur, quod in pulsibus, & respiratione manifeste apparet: nã corde refrigerato, infrequentiores tardioresq; huiusmodi actiones fiunt. At non etiam ob alimenti exuperantem copiam, aut alienam qualitatem, imbecilliores attractiones, retentiones, coctiones, materię vitio cõtingunt?

C quo modo Galenus tardas coctiones in ventriculo contingere ob cibos duros, & crassos scribit *in libro de Symptomatum Causis*. Præterea occupato spatio, in quo instrumẽta mouentur, & deficiente tempore, aut vitiato ordine, infirmiores operationes edi conspicimus, & conniuentibus plus iusto cutis meatibus, sudores vel omnino sisti in maiore adstrictione, vel in leuiore ægrius effluere.

Causa actionis excedentis.

Sunt porro excedentis actionis eædem genere causæ: nam vbi facultas excessu qualitatũ mediocritatem in agendo non assequitur, in excessu cedit, in quo vincentis intemperaturæ causa plus præpollet; quomodo exuperante siccitate, qua facultas retentrix gaudet, arctius continetur alimentum, quam cõueniat, & caliditate vincente

D vehementiores attractiones, validioresq; motus in delirantibus fiunt, & vigiliæ exuperant, & loquacitas superflua auditur. Atq; etiã vbi debilior est vis corporis, quę retentioni destinata est, citius, quam oportet, desinit suo munere, cogitque citius, quam expedit, & frequentiores excretiones fieri: vbi enim virtus opus male confectum alterius excipit actio, quæ priorem, ob debilitatem sequentem cogit facultatem maturius suas actiones expedire. Cęterum duriora instrumenta ad motum validiora existunt, & ad retinendum plus, quam naturæ modus postulat, robustiora; & quæ latiora sunt, transitumq; faciliorem, quam oporteat, his, quæ euacuantur, &

E per ea deducuntur, viam præbent; sic laxiores cutis meatus exuperantis sudoris causa censentur: At vrgente respirationis pulsationisque vsu, ipsa respiratio & pulsus crebriores, velociores, maiores, & denique omnimode aucti euadunt. Præterea materiæ vitio augentur quoque præter naturam actiones; siquidem calidiore, sicciorequ existente alimento, cum coctio medio-

critatem

[illegible] ea, quæ alimentur. Diutius vero excrementa in aluo continentur, cum duriora ficcioraq; extiterint. Quod si acriorem qualitatem habuerint, vel iustam mensuram excesserint, celerius, quam oportet, & vehementius etiam expultricem commouent: Ac quemadmodum priores actiones posteriorum sunt causæ: sic quæ circa materiam aliquam versantur, si posteriores imbecilliores sunt, priorū actiones promouent, adaugentque: quo pacto tardante distributione alimenti, excretiones per aluum anticipant, vberioresq; proueniunt; & cum illæ, quæ præcedunt, vehementius agunt, contingit quoque sequentium actiones minui. Parcior siquidem distributio alimēti fit per corpus, cum præpropere, vehemētiusq; illud à ventriculo per intestina descendit: At non perinde laxiore facto spatio, in quo partes corporis mouentur, accidit motus augeri, vt minuuntur eo occupato, quandoquidem non vrgente magis vsu immotisq; præcipuis actionum causis, nulla ratio cogit, vt ob ampliorem locum, motus excrescere debeant, ob tempus vero id contingit, cum alimenta, quæ in ventriculo & intestinis continentur, longiore mora torreantur, ficcioraq; reddantur.

Cap. VII.

De magnæ, vehementis validæq; actionis causis.

Etsi difficile est, quæ in singulis fere differūt, generali aliqua ratione comprehendere. Quoniam tamen institutum nostrum postulare videtur, vt postea quam in vno quoque genere actionum plurima vitia posuimus, illorum quoque causas breuiter prosequamur. Ideo de hac re omnino agendum esse puto: quod quidem Galenus in pulsibus, & respiratione diligentius fecit, cum magni, vehementis, crebri, velocis, æqualis, inæqualis, & omnium denique aliarum differentiarum pulsus, & respirationis diligenter causas explicat, quæ si in motibus voluntariis, si in sensationibus, si in principibus facultatibus, imaginatrice, cogitatrice, & memoratrice facultate, præterea in attractione, retentione, coctione, expulsione, & reliquis corporis, animiq; functionibus, & singulis operibus præstitisset; non esset forte, quod cōmunem omnibus tractationem tantopere desideraremus: sed cum id nō fecerit, desideret tamen ars, vt non magis aliquarum functionum, quam aliarum peculiari adhibita tractatione causas enarremus; cogimur profecto, quod commune singulis est, prosequi, sine quo reliqua constare, nec intelligi possunt, & quæ prætermittuntur in singulorum explicatione, iam comprehēsa in generali, & communi cognoscuntur: sic sane passim Gal. & præsertim vbi agit de causis inæqualitatis vnius pulsus, iubet esse faciendum, explicandum scil. quod vniuersale est, & ad illud omnia redigenda: ex cuius consideratione si quid singulare desideretur, prompte inueniri posse putat: itaq; nos hæc ita docere aggrediemur, vt non exactam pollicemur tractationem, sed potius excussis causarum generibus, veluti quibusdam exemplis lectorem exerceamus, & inuitemus ad hæc perficienda, quæ à nobis inchoata [illegible].

A Igitur cum in genere actionū auctæ contineatur ea, quæ magna est, & vehemens, imprimis illarum causas docere conabimur à magna exorsi, quæ certe non vnum solum genus causarum requirit, sed omnia: nisi enim facultas valida sit, vrgeat vsus, pareatq; instrumentum, & liberum sit spatium, in quo instrumenta agitantur, suppetatque tempus, & suam etiam vim præbeat commune instrumentum, magna actio fieri nō poterit. Vnde non solum tres magni pulsus & respirationis causæ, vsus scilicet, vis, & instrumentum idoneum (mea quidem opinione) poni debent, sed & prædicta omnia; quando etiam Gal. *libro secundo de san. tuen.* tres prædictas causas; quas *statim ab initio libri primi de Causis* Causæ actionis magnæ quæ & quot.
B *pulsuum* ponit, sufficere non posse docet, cum quartam addat, quæ scilicet ex animalis spiritus, nempe calidi natiui mutatione petitur: nam requiri etiā spatium liberum in motu arteriarum ad magnos pulsus creandos, ex hoc cōstat, quod per adstrictas inflammationes, aut scirrhos comprimentes arterias magni pulsus illis in locis fieri nequeant: Sic etiam in voluntario motu fieri apparet: neque enim in paruo spatio, vel in temporis angustia ille magnus fieri potest. Est quoq; magnarum actionum, quæ materiam requirūt, causa ipsa materię copia: nam magni copiosique sudores elici nequeūt, vbi paucus subest in corpore aquosus humor, quod etiam fieri nequit, si cutis, per quam sudor educitur, non satis peruia
C sit, & effluenti humori liberum exitum nō præbeat. Verum etsi magnæ causę magnas actiones efficiunt, nō tamen necesse est perpetuo omnes eas magnas esse, cum magna fiunt opera, sed satis est nonnunquam vnam exuperare, alias autem mediocriter habere, quod etiam Gal. optime, cum de causis magni pulsus agit, docet, sola si vrgente pulsus necessitate à mediocri facultate, & arteria non omnino inepta ad motū, magnos edi pulsus. Cum enim vsus maiorem refrigerationem postulet, mediocres arteriarum motiones sufficere nō possunt, vnde plurimum distenta arteria, quę eam impellit facultas, magnas pulsationes excitat: Quę si nō sufficiāt, primum celeritatem, deinde etiam maximo vrgente vsu, Causa actionis vehementis.
D crebritatem asciscit. Jam vero si vehemens actio est, in qua adest robur, & celeritas, necesse omnino est validam esse facultatem vrgere vsum, & instrumenta etiam obedire, & alias causas, sine quibus nihil vehemens fieri potest. Inter quas tamen præcipuam vim habet facultas ipsa, cum ea sola, aliis non repugnantibus, causa Causæ validæ. esse possit, si non vehementis omnino, cum in mediocri vsu nihil cum celeritate fiat, eius tamen, quæ valida robustaque est actio, autor fuerit. Quod in his corporibus apparet, quæ in mediocri caliditate & vsu, pulsus validos fortesque ob insitum in arteriis facultatis vitalis robur, edunt. Eædem causæ intelligantur ad proportionem in aliis actionibus. Magna enim
E cruditas, magnaque fames, & excretio easdem causas habent, aut certe ad proportionem respondentes: siquidem magna cruditas fit ob magnam & excedentem alimenti copiam, ob insigne coctricis facultatis vitium, aut instrumenti insignem læsionem: magna autem fames non solum ab his, sed etiam quod plurimum vrgeat [illegible] efficit; atque ita in singulis functionibus

bus licebit inuenire quid sit illis sit causa magnitudinis, vehementiæ, & fortitudinis.

CAP. VIII.

De acutioris exquisitiorisque actionis causis.

EXactiores acutioresq; quam par sit, actiones quasdam fieri, certissimum est; veluti cum eorum conditionem damnamus, qui ob exactiorem quendam ventriculi sensum piperis aut alterius etiam mitioris rei vsum non ferunt; aut qui per morbos iam plurimum debilitati, acutissime audiunt: Cuius actionis causam vel ad commune, vel proprium instrumentum, aut facultatem redigemus. Aliæ enim nihil videntur in hac re præstare posse. Ac quod ob commune instrumentum, nempe spiritum, id contingere valeat, ex hoc etiam ostendere possumus, quod Galenus *in lib. primo de Causis symptomatum* eos scribat acutissime videre, qui puram synceramque animalis spiritus substantiam sunt sortiti. *Quod enim crassum, & faculentum in illis est, nonnunquam absumunt morbi, ex quo relinquitur parte magis extenuata, & purior reddita, quæ ad huiusmodi actiones est aptissima.* At ratione proprii *instrumenti fieri illud videtur, quod diximus, nonnullos in extremo morborum acutissime omnia, quæ dicuntur, audientes percipere: nam id potissimum in his morbis vsu venire videmus, qui siccitatis excessu humorem omnem, qui in meatibus corporis, & in ipsis sensoriis continetur, obtusionisq; causa est, consumpserunt:* Qua ratione acutius, & prudentius omnia senes, quam iuuenes, diiudicare putamus, *quod scilicet illi cerebrum siccius obtineant, hi vero humidius.* Illi vero, qui piperis assumptionem ferre non possunt, causam forte habent, quod ex certa, & delicatiore quadam temperie, facultas resultet exactiore sensu prædita.

Cur in extremo morborum quidam acutissime audiunt & in quibus morbis fiat.

Senes cur iuuenibus sint prudentiores.

CAP. IX.

De causa actionis, quæ debitum tempus anteuertit.

GAlenus *libro tertio de symptomatum Causis* docet, deiectiones alui consuetum præuenire tempus, vel grauato ab alimenti copia, vel demorso & puncto à mordacibus ventriculo, vel etiam irritato à rebus alienis: Præterea huius quoque causam esse cibos humidiores & glutinosos. Contra vero tardiorem fieri vel propter intestinorum imbecillitatem, quæ propellere nequeant, vel ob hebetem illorum sensum, qui non satis percipiat, quæ contristant, & molestant: tum etiam ob ciborum paucitatem vel crassitiem: addit & musculorum abdominis & thoracis infirmitatem. Ex quibus quidem causis ostendit, ob materiam, facultatem, & causam sine qua non, huiusmodi actionis vitium prouenire: nam cum anticipat, vel tardat ob copiam, inopiam, alienam substantiam, crassitiem, acerbitatem, viscididitatem, humiditatem, vel siccitatem, materiæ vitium est: cum vero idem accidit ob imbecillitatem, vel robur retentricis, aut expultricis: à facultatibus causas ducit: Sensus vero exquisitior, aut obtusior causa videtur esse,

A sine qua huiusmodi actionis fieri nequeunt. Siquidem necesse est expultricem irritari, si suo munere fungi debeat, id quod tanto promptius facit, quanto ob exquisitiorem sensum citius afficitur: tardius vero, quanto minus sentit quæ noxia sunt: irritatio vero, & morsus, & molestia alia, nunc ad materiam, nunc ad facultatem redigitur: nam perinde nonnunquam pars exacto sensu est prædita, vt nullas, vel etiam minimas molestias ferre possit, & molestiam sentiat, quod alioqui suapte natura huiusmodi non est, ipsiusque vitio tunc, non materiæ irritatio contingit: Quod si illa bene sit affecta, ad materiam referenda est irritatio, quanquam tamen etiam contingit, vt vitio ipsius instrumenti ea
B fiat, & anticipet actio; veluti cum ob vlcera, aut inflammationes intestinorum expultrix commouetur ad ea, quæ dolorem inferunt, & simul in intestinis continentur, protrudenda. Nec illud quidem alienum est, mutato fine quasdam actiones anticipare, aut tardare, vt in pulsu apparet, cuius vsu aucto, statim arteriæ pulsare incipiunt. Idem patet in cibi appetitu: nam qui in otio viuere consueuerunt, si aliquando valide se exerceant inanito corpore, ante tempus consuetum edere coguntur. Aliter his contingit, qui ex labore ad otium se conferunt. Sunt quoque præcedentes actiones tardationis, aut anticipationis, & hæ illarum pariter causæ: nam quoniam expultrix facultas non insurgit ad pro-
C pellenda excrementa, antequam perfecta sit alimenti concoctio, optima ratione fit, vt tanto plus tardet expulsio, quanto magis concoctio moratur. Quod si maturius corpus expurgetur, & vacuetur, tanto citius appeti alimentum necesse est.

CAP. X.

De causis actionis, quæ continuo vel per interualla præter naturam fit.

SCribit idem autor *prædicto libro*, excretiones alui assiduas fieri, vel propter imbecillitatem, vel morsionem; Præstat tamen ad sua genera
D non solum alui excretiones, sed vniuersas alias actiones, quæ hoc modo fiunt, reuocare. Igitur continuas obiri actiones, quæ per interualla fieri debent, contingit, primum instrumenti vitio, veluti cum resoluto ani vel vesicæ musculo, continuo excrementa, quæ per eas partes euacuantur, effluunt; & sudores rarefacta præter naturam cute, continuo emanant: & assiduæ deiectiones his, qui tenesmo laborant, exulceratione, inflammatione intestino eueniunt. Accidit quoque id instrumenti communis malo; quod in perpetuis vigiliis delirantium & febricitantium apparet: quoniam enim ob igneam qualitatem spiritus calidumq; natiuum in perpetua quadam sunt agitatione, faciunt, vt somnus, qui illorum
E quiete perficitur, succedere nequeat: illorum vero refrigeratione, dissolutione, vel reuocatione hic continuo, longioreq; tempore perdurat. Præbet & materia suam in hac re causam: quo modo sudores ob copiosam tenuemq; materiam nonnullis perpetuo emanant. Contingit quoq; facultatum vitio huiusmodi functiones variari, siquidem quæ retinere debet excrementa, ad

tan-

tantam imbecillitatem peruenit aliquando, vt cum nullo modo retinere possit, continuo ea effluere sinat, & expultrix male affecta perpetuo aliquid expellat: Quarum vero functionum cótinuus est finis, assiduæ quoq; illæ sunt: cessat enim edendi cupiditas his, qui secundum naturam sunt affecti, eo restaurato, quod est dissolutum: In canina vero fame, quia vrget continuo repletionis necessitas, continuo ab his cibus appetitur. Contingit præterea ob causas sine quibus non, huiusmodi vitia fieri: nam quoniam expultrix facultas suo munere fungi nequit, nisi retentrix sese relaxet & remittat, si hęc ob imbecillitatem nihil amplius continere valeat, continuas fieri expulsiones necesse est.

Cap. XI.

De causis actionis intempestiuæ.

INtempestiuas fieri actiones ob easdem causas contingit: nam resoluto ani musculo, qui cohibendis ad certũ tempus alui excrementis præest, intempestiuæ illorũ fiunt excretiones: Quod si vehementius concitetur expultrix, idem accidere necesse est: vel ipsius vitio, vel materiæ superflua quantitate, aut aliena qualitate, aut substantia, quo modo in morbis etiam, adhuc edentibus ægrotis, vomitus contingunt, nequeunte facultate expultrice ob imbecillitatem vel minimam ciborum copiam ferre: edacia vero animalia cum sese superfluo alimento, aut alieno ingurgitent, intempestiuis vomitibus & alui deiectionibus corripiuntur. Quod etiam his accidere videmus, qui ex morbis exinaniti statim se reficere, & replere student: At importuni sermones delirantium nó solum facultatem ipsam, sed etiam calidum natiuum perperam affectum intempestiuæ huiusmodi actionis causam esse ostendunt: An non etiam vrgente vsu, qui bulimia, aut canina fame vexantur, intempestiue edere coguntur? Est præterea illius causa nonnunquam id, sine quo actio fieri nequit: nam cum retétrix vis intestinorum importune suum officium deserit, necesse est ipsam expultricem intempestiue insurgere ad excrementorum relectionem.

Cap. XII.

De causa actionis, quæ subito confertimque læditur.

LÆduntur subito confertimve actiones in attonito morbo & animi defectu, & in vtroque plurimæ ex illis concidunt: nam attonitis vniuersa animalis facultas, quæ sensus, motus, imaginationis, cogitationis, & memoriæ est autor, perit: In syncope vero vniuersum corpus agere desinit, labefactatis naturalibus, animalibus, & vitalibus functionibus: quarum quidem, vt commune hoc est malum, quod confertim labantur, ita communes quasdam causas illius esse oportet, quas Galen non attigit; & quæ de apoplexia scribit, faciunt, vt minus vera putemus, quæ de syncope tradit: Negat enim *in lib. de Locis affectis, & de Causis symptomatum secundo, circa finem*, apoplexiam fieri posse ab intemperie cerebri, veluti nec etiá epilepsiam, quoniam subita illorum morborũ est generatio, & dissolutio. Quod si ita est, tanto minus credere oportet, syncopen ex intemperie vnquam contingere, vt *duodecimo Methodi* meminit, quanto celerius in hoc affectu, quam alio actiones corruunt: Si præterea intemperies partium id facit, cur omnes, qui ex febribus ardentibus, aut alia quacunque intemperie moriuntur, semper cum syncope non extinguuntur? itaque cum syncope præceps sit virium lapsus, illius causam in eo ponere oportet, quod subito affici, mutari, corrumpive potest: Solidæ vero partes subito alterari nequeunt, nec ita mutari alterantium vi, vt statim concidat vniuersi corporis robur, si modo quod solidum durumq; est, ægre patitur, & alterationes, præsertim tam insignes, quæ vim habeant perdendi vniuersas functiones, non nisi tempore fieri valent. Quamobrem si non ob temperamétum actiones subito labefactari possunt, nec ob facultatem efficientemque illarum causam id continget, si modo ob temperamentum facultates lædi, actionesque suas edere dicuntur. Neque etiam ob materiam, ex qua morbi gignuntur, id primo fieri cótingit; quandoquidem humores putridi syncopen per se nó committunt; aut apoplexiam crassi, & glutinosi, sed illi eo, quod spiritus corrumpunt, hi vero animalis facultatis sedem, & cauitates obstruant, actiones perdunt. Quanquam tamen videtur etiam syncope nonnunquam fieri posse ob humoralem materiam, quæ cordis meatus, & ventriculos occupet, sed id raro certe necesse est euenire, cum per huiusmodi fluxiones ita labantur vires, vt sine spe reuocationis (quod in syncope sæpius fit) mors sequatur. Ob finem vero multo minus accidere potest syncope. Quamobrem superest, vt solius communis instrumenti vitio oriri queat. Illud enim facile subitoque pati, subitæq; proinde huius mutationis autor esse potest. Est porro tenuis, calida, & mobilis spiritus substantia, vnde & facile accendi, dissolui, restitui, alterari, variè moueri, & alio modo variè affici potest, & varii proinde subitique ex eo affectus nascuntur. Quid enim citius, quæso, fieri apparet, quam quod per timorem, lætitiam, iram, & alias huiusmodi cordis passiones, spirituum sanguinisque motu, aut alio vitio contingere videmus? quales sunt tremores, decolorationes, rubores circa faciem & vniuersum corpus, inordinati validique motus, aut extremæ imbecillitates, quæ prædictas passiones sequuntur. Nec ratio quidem vlla est, cur huiusmodi cordis passiones, & animi subitas perturbationes, à sanguine spirituque prouenire putemus, syncopen vero ab intemperie, vel aliis causis. Requirit vero corpus in spiritibus certam quandam mensuram, qualitatem, & liberum motum, si modo rectè sua munera exercere debet, quod ostendunt symptomata, quæ eorum vitio nascuntur; cum enim illi deficiunt, statim etiam actiones collabuntur; id quod declarant, qui vel inediam diu tulerunt, aut multum in aliquo opere laborarunt, aut ob venæ sectionem immoderatam, vel alia demum ratione sunt exhausti. Nam hi, dissolutis spiritibus calidoque natiuo, aut subito cadunt, aut certe cessare ab omni negotio coguntur. Nocet & nimia abundantia, quod apparet, cum per vehementes accessio-

Syncopen no fieri per se ex humoribus putridis, vt nec apoplexia ex crassis.

Syncopes causa.

nes, aut timorē, sanguis, & spiritus vniuersi corporis ad cor recurrentes multitudine nimia aut syncopen inferunt, aut nonnunquam etiam perimunt.

Alterationes in spiritibus quot modis fieri possint.

Cæterum alterationes in spiritibus, vt aliis rebus fieri possunt secundum primas, secundasque qualitates, aut etiam totam substantiam, putatque Galenus ex manifestis qualitatibus alteratis spiritibus syncopen committi, quod experientia falsum esse docet: Nam qui acutissimis febribus laborant, omnes in huiusmodi casum inciderent, vtpote quibus vehementer à calore spiritus alterentur, & mutentur: Quod si aliquando, qui ita afficiuntur, syncope corripiuntur, id non ob intemperiem solidarum, aut spirituum contingit, sed quoniam à vehementi calore dissipati spiritus deficiunt, alioqui etiam cum iacent, animo linquerentur; quod solum accidit, dum surgere tentant, aut mouentur: propterea quod in eo negotio spirituum copia requiritur minus quidem necessaria, dum in quiete corpus continetur: sola ergo ea alteratio, *quæ maligna est, in spiritibus toto genere inimica*, syncopes potest esse causa: quod his euenire videmus, qui vel pestilētibus febribus vexantur, aut venenum assumpserunt, vel à feris virus eiaculantibus fuerunt demorsi. Maligna enim in spiritib. qualitas ineptissima est ad actiones obeundas, quo fit, vt eas labi, & perdi subito necesse sit: deficiente scilicet maxime necessario, & accommodatissimo instrumento. Cæterum lędi actiones, cū spiritus conclusi in corde in vniuersum corpus libere spargi nequeant, indicio sunt, qui prohibita respiratione suffocantur, quiq; ex crudis humoribus obstruentibus cordis vasa laborant, & ob id syncope corripiuntur: Quod sane vitium proprie spirituum non est, sed ad illarum conceptacula pertinet, quæ vrgente obstructione liberum exitum illis nō præbent. Hac ratione etiam adhibitis vinculis partibus, actiones earum pereunt: quoniam constrictis vasis spirituum, transitus & motus prohibetur. *Itaq, subita confertimq, facta actionis causa est alterutrum instrumentum*; Proprium quidem, vt in apoplexia dictum est; huius vero & etiam communis vitio syncope contingit, etsi immediata, proximaque syncopes causa tota ad spiritus referri videatur: In illis tamen functionibus, quarum vsus caloris spiritusque mutatione variatur. Finis etiam huiusmodi mutationum causa esse potest. Veluti cum pulsus statim desinunt moueri, cessante statim vsu per subitos timores & inuadentes accessiones morborum, per quas calor confertim relictis externis partibus, in interna viscera sese recondit. Atq; hæc quidem sufficiāt de actionibus auctis: nam causæ velocioris, crebrioris, & si quæ supersunt, alia genera, facile ex his, quæ supradicta sunt, & etiam à Galeno *in libro de Pulsibus* memoriæ prodita, intelligi poterunt: quandoquidem velocioris, crebriorisque pulsus eædem sunt, vt aliarum actionum, quæ similiter fiunt, causæ: & si aliquæ aliæ præter illas, quas illic ponit, necessariæ fuerint, ad aliorum imitationem, de quibus hactenus egimus, expositis fontibus minimo negotio emanabunt. Nec illud etiam explicādum puto, quod pertinet ad causas singularum actionum, quæ sub debilitate comprehenduntur, si modo op-

Subita confertimq, facta actionis causa.

A positorum eadem est ratio. Quare ad reliquarum functionum causas accedamus.

Cap. XIII.

De causis actionis deprauatæ.

VNiuersum deprauatæ actionis genus suas etiam causas ab iisdem generibus ducit. Etenim facultas ipsa deprauatæ actionis causa agnoscitur: vt enim cum ea parum imbecillis est, infirme solum agit, sic vbi plurimum mediocritate defecerit, quod efficit, corrupte facit: id ostendunt, qui à morbis vehementer debilitati, non solum imbecillos edunt motus, sed etiam
B corruptos, dum proiecto, vacillanteq; corpore, aut contortis cruribus incedunt, & pulsus præterea, qui appropinquante morte, vndosi, formicantes, vel alio deniq; modo inæquales, deprauatique redduntur: Nec alia ratione tremores decrepitis & morbo affectis contingunt, quam quod infirmior vis corporis ętatis cursu, vel morbi vehemētia affecta, solidam membrorum molem sustinere, regereq; nequeat. Sic etiam Galenus ob infirmitatem vesicæ stranguriam, quæ certe inter deprauatos motus poni debet, fieri scribit. 1.

Vnde decrepitis tremores.

Quinetiam quę vehementer excedit in agendo facultas, deprauatæ quoque actionis causa censenda est: vt enim in defectu insigni corru- 2.
C ptio adest, sic maiores excessus eadem sequitur: quippe cum recta agendi ratio in sola mediocritate consistat. Hac quidem ratione ex nimia & immoderata cōtricis facultatis functione, nidorulentam qualitatem cibi in ventriculo assequuntur, & sanguis æruginosus, & corruptus sanguificæ virtutis ob calidiorem intemperiem vehementia euadit.

Vt vero excessus imbecillitatisque ratione, sic illius vitio & corruptione quadam, cum substantia partis & forma est corrupta, actiones deprauatas edi necesse est: veluti cum ob malignā intemperiem alimenti concoctio, & sanguificatio vitiatur, & deprauatur. 3.

Cæterum instrumenti communis vitio de- 4.
D prauatæ quoq; actiones fiunt, argumento, quod equi & cætera animantia caloris ebullitione immoderate agitata, inæqualibus inordinatisq;, & omni ratione corruptis motibus cientur. Hoc pacto delirium in vehementioribus febribus, caloris vi commotis præter naturam spiritibus contingere videtur. in maniacis vero potius vitio ipsius facultatis, quod ob malignam quādam ex atra bile intemperiem accidit.

Et quemadmodum conceptis vehementioribus qualitatibus, aut accedēte immoderato motu, spiritus deprauatæ actionis sunt autores, sic etiam illis refrigeratis segniusque motis, aut alio reuocatis deprauatæ prodeunt actiones: Quomodo tremores ob timorem, deserente exter- 5.
E nas partes calore, accidunt.

Tremores in timore vnde fiant.

Porro vitio proprii singularum functionum instrumenti corrumpi actiones, facile est ostendere; cum non alia ratione, concreto circa pupillam crasso humore, fenestrata omnia, quæ videntur, appareant; & ventriculis cerebri obstructis, deprauatos totius corporis motus per comitialem morbum accidere videmus; nec non stran- 6.

stranguria contingit obstruente calculo vesicæ orificium.

7. Quod vero ob spatium, in quo instrumenta mouentur, actiones deprauentur, testantur tremores cordis, qui occupato ab humore aquoso spatio, in quo cor ipsum secūdum naturam mouetur, accidunt: quinetiam deprauati arteriarum motus, vt pulsus intercisi, qui ob eandem etiam causam fiunt.

8. Nec illud absurdum videri debet, si mutato actionum vsu, ipsæ quoq; actiones deprauatæ edantur: vbi enim vrget vehementius actionis necessitas, immoderatos, sic corruptos fieri motus oportet; veluti cum præsente periculo fugere coacti temere iactatis sine ratione corporis membris, quocunq; rapimur. Quo pacto forte etiam vbi corpus in febribus æstuat, maximusq; refrigerationis adest vsus, inæquales pulsus, & respirationes excitantur.

9. Nec minus materiæ vitio, quam à prædictis causis corrūpi actiones credere oportet. Quippe cum ex corrupto nutrimēto coctionem quoque deprauari, nouum non sit, siquidem ex calidiore nutrimento nidorem, ex frigidiore aciditatem, & ex maligna illius qualitate indicibile vitium id, quod in ventriculo conficitur, contrahit. Ac non solam ob qualitatem, & quantitatem, sed etiam ordinē, & intempestiuam assumptionem alimenti, illius coctionem deprauari videmus; veluti cum secundo loco ingerūtur, quæ primo assumi debēt, aut statim à somno, vel paulo post aliorum assumptionem (iam incipiente coctione) nouos cibos ingerimus: tunc enim variæ in ventriculo corruptiones ex deprauata coctione prouenire necesse est, quod quotidiana docet experientia. Atq; hæc etiam de causis functionum deprauatarum sufficiant: ex quibus quod peculiare est singulis speciebus sub eo genere contentis, paruo sane labore, ab eo, qui ratiocinari nouit, inueniri poterit.

CAP. XIV.

De causis doloris.

IN tristi actione, dolorem, in iucunda voluptatem fieri, antea ostendimus. Nunc vero causæ docendæ sunt, quibus tristes, & iucundas cōtingit fieri actiones, & dolorem voluptatemq; nasci. Sunt porro communes causæ doloris, & tristis actionis; voluptatis, & actionis iucundæ, nam quod dolorem committit, tristem reddit actionem, & ècontra quod tristem facit actionem, idem causa est doloris. Eadē est ratio de voluptate, & actione, ex qua illa nascitur; Verum hoc loco doloris, voluptatisq; causas enarrare instituimus, quorum nomina notiora sunt, quam actionum, à quibus proueniunt.

Explicationem causarum doloris esse admodū difficilem.

Quam vero difficilis sit huius rei explicatio, ex eo patere arbitror, quod nec inter philosophos, nec inter Medicos conueniat, quænam, & quot sint doloris, voluptatisque causæ. Etenim multa Platonis opinionem refellunt: Aristoteles pauca admodum, & ea obiter, tanquam exempla, de eadem re proponit: Galenus vero toties sententiam mutat de causis doloris, quoties de illis agit: Auicenna, & Auerrhoes non contenti Galeni tractatione, alias causas quærunt. Sed

Sententia Galeni.

A prius Galeni opinionem excutiamus, qui doloris causas nunc particulatim enumerat, veluti cum à calore, frigore, vapore, vulnerantibus, contundentibus & reliquis huiusmodi dolorem cōmitti sparsim refert: nunc vero generales, & communes causas inuestigat, vt *lib. 10. Methodi*, vbi duas primum ponit esse causas doloris, alterationem, & continui solutionem: deinde vero inclinare videtur in eam opinionem, quod alterantia ideo dolorem excitent, quia continuum diuidunt. Adeo vt vel duæ sint communes causæ, alteratio, & diuisio, vel hæc sola: Verum neutra istarum causarum immediata, coniunctaque doloris est causa: non enim in omni membro, in quo fit alteratio, vel diuisio, nascitur dolor, B vt ostendunt vulnera, & intemperaturæ ossium. Cæterum *libro de Causis symptomatum*, vnam ex Platone ponit doloris causam, nempe violentam passionem præter naturam, quæ quidem est magna & subita, sed hanc causam eadem refellunt: nam violenta mutatio sola nequit esse doloris causa. Quare merito alibi vt *libro secundo de Medicamentis secundum locos*, addit sensum: quippe cum absque sensu nequeat fieri corporis dolor, & ob sensum ipsum contingat aliquando dolorem fieri: adeo vt tunc præcipua sit illius causa *sensus*. Nam si illæ ponendæ sunt in vnaquaque re causæ, sine quibus res fieri nequit, & symptomatum causas eadicimus esse, à quibus symptomata ipsa proueniunt, vnam certe C sumere oportet causam ex sensu, vt enim absque sensu dolor corporis non fit, ita ob sensum exactiorem, singultus, rigor, dolorque à moderatis, & minime dolorificis suapte natura causis sæpe nascuntur. Nec intelligere quidem possum, qua ratione Galenus hac causa prætermissa, dolorem soleat in his duntaxat quærere, quæ sensoria vehementius afficiunt: nam si singultum nonnunquam accidere dicimus his, qui exactiore sensu in stomacho sunt præditi, & concoctionem infœliciter obiri putamus, aliquando ob instrumenti vitium, vel facultatis ipsius malum, cur etiam doloris causam aliquando non referemus ad ipsum sensum, vel sensorium perperam affectum? vt pote quod ab his molestetur, D à quibus nequaquam læderetur, si obtusiorem sensum obtinuisset. Est igitur ponenda vna causa doloris, quæ ex ipso sensu petitur, quia absque sensu dolor corporis nequaquā fieri potest; & ob sensus exquisitionem nascitur etiam ab illis dolor, à quibus alioqui non fieret: Igitur constat, præter diuisionem, alterationem, violentam mutationē, alias esse doloris causas; nec adhuc inuentam esse causam proximam, & immediatam, ex qua aliæ postea nascantur.

Causam vnam doloris esse sensum.

Non enim vtcunque probandum est, plures requiri causas ad generationē doloris, sed à certo principio inchoandum, & necessariæ ab eo causæ eliciendæ sunt. Est porro principium aptissimum in hac re, inuestigatio immediatæ E causæ; ex illius enim resolutione, veluti ex quodam fine, aliæ omnes protinus deriuantur. Ergo si dolor est molestia, quæ agendo percipitur, nata ab his, quæ continuum soluunt, *cognitio, & perceptio rei, quæ hoc modo molestat*, immediata causa doloris erit: cum enim aliquid violentius afficitur, atque id percipitur, quod afficit, passio oritur, qui dolor vocatur, in his, quæ

Immediata doloris causa quæ.

opera vinci nequeat, perseuerant affligere, cum idoneis remediis destituuntur: id quod in illis apparet, qui sanitatis cura contempta, toto vitæ tempore scabiem alunt. Nec alienum quidem est ob corporis affectri situm, huiusmodi etiam morbos prouenire posse; siquidem hac ratione renú, vesicæq; vlcera insanabilia putamus, quod longe distantes affectæ partes nunquã remediorum vim integram admittunt: Id quod etiam de effectricib. malorum causis sentiendum est; Nam qui Gallico morbo vocato corripiuntur, ob maiorem, minoremque afficientis veneni vim, aut sanantur, aut perpetuo secum ferunt, quem semel conceperunt, morbum.

CAP. XII.

De causis morbi primarii & per consensum.

Causæ morbi primarii.

MOrbum primarium, idest, qui primo partem aliquam infestat, omnes causæ ex omni genere efficientium inferre possunt: Nam quæ assumuntur, quæq; extrinsecus occurrunt, partes, quas cõtingũt, primario afficiũt; & quæ fiunt, eam, quæ actionis est autor, primo immutant: atq; etiam excrementa locum, in quo continentur, si morbosam vim habent, alterant corrumpuntve; id quod faciunt, dum emittuntur. Non tamen æqualem omnia in omnibus vim obtinent; siquidem, quæ extrinsecus agunt, primario extimas partes, alias deinde lædunt: Quæ vero assumuntur in corpus, internis viscenbus primario obsunt, aliis autem partibus deinceps.

Causæ morbi per consensum.

Cæterum per consensum secundarioq; morbos non omnia excitare valent, sed quorum vis ad alias partes trãsferri potest, id quod quædam faciunt suapte natura, quędam non nisi cum vehementius excellerint, alia vero ob loci naturam. Etenim quæ calefaciunt, sua vi vna cum parte primo excalefacta vicinas remotioresque etiam alias prompte immutant; facile siquidem caloris vis expanditur: quod ostendunt biliosi humores in ventriculo contenti, qui emisso sursum vapore, caput in compassionem trahunt: & febres, quæ corde primo calefacto vniuersum corpus, emicante à fonte calorifica qualitate, statim afficiunt. Idem præstant refrigerantia, sed minori forte celeritate; quãdoquidem frigoris contracti in pedib. omnes aliæ partes participes quãprimũ euadunt. At siccantia & humectãtia, aut alio modo lædẽtia spargere ad vicina suã vim nequeunt, nisi vel abũde excellerint, aut locum primum occupauerint, à quo reliquum corpus facile affici queat. Nam sæpius crura, aut brachia siccitate contabescunt, interim illæsis aliis corporis partibus. Vehementem autem oportet esse in corde siccitatem, quæ in alias partes deriuet. Hac quoq; ratione vulnerato cerebro, contractis statim ad eam partem neruis, corpus cõuelli videmus, atq; etiam neruis ipsis vulneratis, per continuitatem, communicatã læsione cerebro, vnde illi enascuntur, eadem symptomata contingunt. Aliæ autem partes, quæ principes non sunt, nec publicum munus in corpore exercent, suas læsiones aliis impartiri nequeunt, nisi efficientem naturam, aut vehementia id faciant.

Quæ partes læsiones suas aliis possint impertiri, & quæ non.

A *Ergo causa horum morborum potissimum sunt ab efficientibus, & subiecto sumuntur:* Ex materia autem, quæ in corpore consistit, ea sane ratione illi etiam proueniunt, quatenus coniunctæ sunt cum humore qualitates, quæ sunt eorum autores; quomodo ex bile contenta in ventriculo caput per consensum affici magis, quam ab alio humore dicimus; propterea scilicet, quod in bile calor viget, qui facile sursum euaporat.

Vnde causæ horum morborum potissimum sumantur.

CAP. XIII.

De causis morbi proprii, & non proprii.

B MOrbum proprium, qui ita vocatur, quod permanens stabilisque sit, etiam ablata causa, quæ eum peperit affectum, committunt non omnia, sed quæ pertinacem naturam sunt sortita, cuiusmodi potissimum existunt, quæ vulnerant, contundunt, & angunt, aut alio modo in partib. instrumentariis morbos excitant: manent. n. hi morbi ablatis causis, quæ eos primum procrearunt, contumaci quadam, & rebelli natura, quæ semel recepta pertinacissime hæret: At quæ calefaciunt, refrigerant, vel alio modo alterant, nisi ob excedentem vim vehementius egerint, cito, sponte sua, aut refragante sola natura, ab illis factæ impressiones euanescunt. Quinetiam partium natura ad horum generationem non parum confert: Nam quæ inter illas molliores sunt, vt facile impressiones C à causis agentibus recipiunt, sic eas minimo negotio deponunt: Contra vero quæ duræ sunt, quod semel acceperunt, pertinacissime retinent. Præterea ex atra bile, pituita, sanguine deinde, postremo, ex bile pallida morbi fiunt, qui difficilius tolluntur; ex spiritu vero, & vapore, qui nullo negotio abeunt. Cæterum proprium morbum, qui peculiaris est singulis partibus, propriæ peculiaresque causæ inferunt; intemperiem quidem, quæ alterandi vim habent: structuræ autem vitium in partibus instrumentariis, quæ eam labefactare possunt.

D CAP. XIV.

De causis morbi vniuersalis, & communis.

VNiuersalem morbum, idest, qui vniuersum corpus occupat, committunt causæ quæ totum corpus immutandi vim habent, cuiusmodi sunt, *quæ alterando agunt.* Nam quæ alio modo corpori nocent, veluti quæ vulnerant, contundunt, vt vniuersum corpus per se lædere non solent, ita peculiares singulis partibus morbos pariunt. Porro communem omnibus vel certe multis morbum inferunt causæ, quæ communes esse possunt.

E *Vt aer,* & aqua: eodem enim aere, eademque aqua, eiusdem regionis incolæ sæpe vtuntur, iidemque propterea morbis laborant, si illa noxiam qualitatem conceperint, quæ etiam ex continuis pestilentes morbos gignunt, si vehementiorem, aut malignam qualitatem ex perniciosis ventis, vel ex fœtore cadauerum, aut fimi, vt in castris sæpe contingit, vel ex alio quocunque

Aer & aqua.

...tunquam sequi manifesto fortè acceperint. Est nonnunquam etiam causa communium morborum communis victus, cum scilicet ex annonæ penuria syluestres herbas hominum turba ingerere cogitur: quod aliquando contigisse suo tempore populis Romanorum ditioni subditis, scripsit Galenus. At verò peculiares singulis prouenire ab his, quæ peculiariter vnumquemq; afficiunt, ob diuersam nimirum viuẽdi rationem; quoniam enim diuersis alimentis, medicamentisq; homines vtuntur: diuersoq; modo in reddendis, retinendisque excrementis afficiuntur, nec eisdem animi corporisq; motionib. agitantur, diuersisq; rebus occupantur, discrepantibus morbis meritò corripiuntur. Confert tamen ad horum generationem subiecta quoq; materia: cur enim in eodem aere versantes omnes non corripiantur ab eisdem morbis causa est diuersa corporum conditio, quæ non perinde ab omnibus afficitur: Quapropter causæ horum morborum à duobus generibus, nempe *efficiente, & subiecta materia* potissimum sumuntur: Etsi nõnihil etiam conferat tempus, & mora; Nam qui diu in corrupto, pestilentiq; aere commorantur, peste tandem corripiuntur, aliis omnino illæsis, vel minimum certè affectis, qui paululum duntaxat in eodem versantur.

Cap. XV.

De causis morbi maligni, & benigni.

Benigni morbi à benignis causis, maligni à malignis nascuntur: ex sanguine enim & pituita benigni morbi; ex flaua bile, & magis ex vitellina, maximè autem ex atra, maligni proueniunt: Quinetiam aeris tempestates pestilentes malignos, & fortè etiam calidæ, & humidæ cõcitata varia putredine, aliæ verò benigniores morbos pariunt: Quod etiam faciunt alimenta, & medicamenta, tum quæ extrinsecus lædunt, & à nobis proueniunt nocumenta: qualem enim singula vim obtinent, talem in morborum generatione exercent: Est autem horum duplex genus. Nam quædam sunt huiusmodi sua natura, vt venena, quæ toto genere perniciosa censentur; Quædam verò per varias alterationes benignitatem, malignitatemq; acquirunt, veluti biliosus humor in malignam atram bilem caloris vehementia, & insipida pituita in salsam ob putredinem sæpe permutatur: hæc autem alteratione, mixtioneq; benignæ substantiæ mitescunt, malignamq; qualitatem exuunt. Præterea partium diuersa natura causa existimari potest, cur eadem nunc malignos, nunc benignos morbos excitent: Etenim vulnerantia in carnosa parte benigna, in neruosa maligna vulnera efficere solent. Sic etiam in vtero, ano, vesica, maligniora vlcera, quàm in aliis partibus oriuntur. Vnde horum quoque morborum causæ ab efficientibus, & subiecto affecto corpore ducuntur: Atque etiam tempore, quo malitia acquiritur, aut deponitur.

Cap. XVI.

De causis morbi simplicis, & compositi.

Simplicem morbum pro loci dictum gignunt causæ, quæ minorem agendi vim sunt assecutæ, qualia sunt, quæ leuiter alterando corpus immutant. Hac quidem ratione, ob materiæ quoque diuersitatem, leuissimas febres ex spiritibus, grauiores vehementioresq; ex humoribus prouenire videmus: Quod etiam contingit ob corporis affecti naturam; siquidẽ in carne simpliciores, in neruo grauiores morbi committuntur. Cæterum simplicem, id est, vnum morbum inferunt causæ, quæ vnicam vim habent, vt intemperiem calidam, quæ duntaxat calefacere possunt. At verò compositum compositæ causæ procreant, atque etiam ex compositis complicatos & confusos morbos complicatæ, confusæq; causæ inferunt. Necnon etiam subiecta materia aliquid horum generationi confert. Nam calidi & sicci ad calidos & siccos morbos cõcipiendos sunt à natura aptissimi, ad simplices vero affectus, in quibus vnica ex qualitatibus præpollet: postremò qui ab initio simplices fuerant, tempore compositi euadunt, & febris, quæ siccitatem tandem sibi adiungit; cum solo calore primum noceret.

Cap. XVII.

De causis morbi, qui paulatim, subito, vel confertim, siue per crisim soluitur.

Iam verò morbos, qui subitò soluuntur, efficiunt causæ, quæ subitò tolli possunt; quales sunt inter efficientes, quæ ob intemperiem potissimum calidam, & frigidam morbos pariunt: Promptè enim calidum à frigido mutuo extinguitur: Tardius patitur humidum à sicco: difficillimè inter qualitates siccum ab humido: Quare vt morbi ab illis promptè, ab his verò qualitatibus paulatim fiunt, ita etiam soluuntur: Atque etiam inter causas, quæ morbos instrumentariis partibus inferunt, quasdam statim, alias maiore negocio auferre licet. Luxatæ namque partes breui temporis spatio sæpe reponuntur, & fractæ restituuntur, reintegranturve, nisi vetet partis conditio, veluti in capitis ossibus contingit, quæ cõfracta coaptari nequeunt, sed extractionem postulant: Tibiæ vero, vel cubiti ossa fracta citò quidem restituuntur, & coaptantur, sed integra sanatio longiore eget tempore, vt callus gignatur, qui dissidentia ossa inter se glutinet. Neq; minus vulnera, in quibus nihil deperditum est, citò vnione facta coalescunt. Licet etiam superabundantes partes, aut aucta substantia in tumorem præter naturam elatas subitò rescindere; vulnus tamen ex curatione prioris morbi relinquitur, quod longiorem postulat curam.

Quinetiam huiusmodi morborum nõnunquam causa est materia: Nam diariæ febres cõfestim soluuntur, quia ex spiritu fiunt, & morbi, quos multitudo sola, vel etiam feruor humorum absque putredine concitat, eo vacuato, vel refrigerato subito abiguntur. Qua ratione Galen. misso copioso sanguine synochas febres iugulare se solitum commemorat: At si materia, quæ morbi est causa, alteratione opus habet, cõtingit vt nunc citò, nunc tardè illati morbi expellantur: quippe qui ex solidiore, crassioreque materia, vel multa consistunt, aut plurimum à naturali qualitate recesserunt, non nisi

longo tempore concipiantur: subito enim huiusmodi vitia vinci nequeunt.

Causa ex loco affecto.

Accidit etiam loci ratione morbos procreari, qui subitam habent generationem, & solutionem, veluti in morbo comitiali contingit, qui ex crasso, pituitosoq; humore irruente, occupanteque cerebri cauitates, confertim o[illegible]itur, & soluitur, expellentis sensim facultatis robore. Eodem modo stomachi dolores ex multa, glutinosaque pituita oborti, expurgatis per latiores cauitates ipsius partis noxiis humoribus, statim desinunt. Qui verò morbi substantiæ alicuius regeneratione opus habent; siquidem ea spiritus sit, & subito curantur, & gignuntur: quo modo morbi, qui animi defectum inferunt, dissolutis statim spiritibus, accidunt, iisdemque regenitis, minimo negocio abeunt; vlcera verò caua, vt paulatim fiunt, sic sanantur; quo fit, vt *partim ex solutionis ratione, partim ex consideratione propriæ facultatis causarum morbi,* inuenire liceat, à quibus proueniant qui subito, quiue paulatim, & à quibus finiri possint.

A quibus vitiis breui [illegible] sanantur.

Causa morborum, qui per crisim soluuntur.

Cæterum morbum, qui per crisim, hoc est, cum subita & magna mutatione soluitur, agente natura, committunt necessario humores, qui confertim expelli possunt. Nam ex spiritu subitæ quidem, sed non magnæ mutationes in morbis fieri possunt. In partibus verò solidis, qui nascuntur magni morbi, non nisi paulatim extingui valent. Illæ autem, quæ à Medicis fiunt magnæ subitæque mutationes, quales sunt, cum in febribus sanguinem effundunt vsque ad animi defectum, aut lapides opera chirurgica extrahunt, vel luxata membra manu reponunt, aut aliud denique huiusmodi moliuntur, naturæ affecti corporis beneficio non proueniunt, & à crisibus antea similes mutationes sunt seiunctæ. Cæterum oportere expultricem facultatem, & non aliam in hoc opere exerceri, ex hoc constat, quod cum duæ sint, quæ morbos finiunt, concoctrix nimirum, & expultrix; illa magnas mutationes subitò, vt hæc moliri nequit. At vehementer quoq; expultricem hanc vim irritari oportet, si harum mutationum author esse debet: Vt enim ea molestatur, sic agit. Quamobrem impelli eam vehementer necesse est, siquidem per crisim morbos finire debeat. At si irritetur facultas ipsa, nec tamen locus pateat, per quem noxios humores protrudere valeat, frustra ea molietur excretionem, nec expelli potest subita aliqua, magnaq; in corpore affecto mutatio, quod sanè ostendunt laterum inflammationes, quæ perpetuò facultatem huiusmodi commouent, paulatim tamen expurgato humore per tussim dissoluuntur. *Quamobrem meritò [illegible] huius rei causam in humorem reiecimus, qui vehementer expultricem excitare, & liberum exitum habere potest. Est porro huiusmodi humor [illegible], qui feruidissimus est, & nullam partem peculiariter infestat, si diu [illegible] venis [illegible] contineatur, aut si partem aliquam obsederit, certè in ea receptus est, in qua huiusmodi sunt vasa, per quæ noxia materia effundi potest.* Sic enim vehementes febres per crisim solui conspicimus; mitiores autem minimè. Inflammationes autẽ hepatis, lienis, cerebri, sanguinis profluuio subitò finiri, aut admodum mitescere, aliarum verò partium eosdem morbos agente natura, non nisi paulatim dissolui nouimus. *Potest huiusmodi mutatio non solum à calido, & feruente, sed etiam à frigido multo, crassoq; humore accidere:* nam hoc modo ventriculi morbi ex tali materia procreati, eo confertim per aluum, aut vomitum expulso, desinunt; & apoplexia in neruorum resolutionem transit, transmisso affatim humore à cerebro ad neruos, quas mutationes meritò inter crises reponimus. *Verùm etsi calidi, frigidiq; humores confertim extruduntur, suntq; causæ morborum, qui per crisim soluuntur, tamen calidi suapte natura potius, frigidi autem magis ob loci naturam, aut materiæ multitudinem, quam quod irritandi vehementem vim obtineant, id præstant.* Atq; hæc quidem satis, de morborum ipsorum differentiarumq; eorundem causis, quantum nostrum institutum exigit, dicta sint: quibus (patefacta methodo) quilibet meliora fortè excogitare poterit, & in vnoquoq; morbo proprias, peculiaresque causas inuenire: quod enim nos generatim communique omnibus tractatione, explicare primi (vt arbitror) in hac re tentauimus, vtile, vt speramus, id in singulis vnusquisq; sibi sentiet: Nam qui nouit, à quibus causis magni, cõtinui, intermittentes, acuti, calidi, frigidi, aut alterius modi morbi proueniant, facile intelligere quoque poterit, quid febrem, magnam, acutam, intermittentem, aut alium alterius generis morbum committat.

Quomodo humores calidi & frigidi sint causæ morborum, qui per crisim soluuntur.

F I N I S.

IOAN.

IOAN. ARGENTERII DE GENERIBVS ET DIFFERENTIIS SYMPTOMATVM LIBER.

Cap. I.

Quid symptoma sit.

TRia esse præter naturam, morbos scilicet, causas morborum, & symptomata, sæpius à Galeno ostensum est, & iamdudū ab omnibus Medicis, suadente ratione, receptum. Itaque iam postulare videtur nostrum institutum, vt posteaquam de morbis, illorumque causis egimus Galeni imitatione, ad symptomata quoq; transeamus. Quæ quidem res non solum cognitu periucunda, sed etiam Medico summoperè necessaria existit: Quid enim, quæso, iucundius, quàm posse cognoscere (quod hæc tractatio promittit) quot, quibusve modis, & à quib. causis corporis qualitates, actiones, excrementa, & alia denique omnia opera, quæ in nostro corpore obeuntur, mutari, vitiariq; contingat? Sunt (vt postea ostendemus) symptomata *causarum*, *morborumque effectus*: Quo fit, vt illa fine his constare, aut planè cognosci nequeant: siquidem effectus signa fiunt eorum, à quibus proueniūt; nec causarum natura, & vis, nisi perspectis eorum effectibus, planè intelligi potest. Quin etiam ad curationem facit plurimum huius rei explicatio. Nam quædam à morbis, & causis nascuntur, quæ curationem sæpius interrumpunt, & aliud Medici officium requirunt. Alia verò huiusmodi vim non habent: qua ratione nunc mitigatione, nunc curatione præsentibus symptomatis, aliquando præseruatione opus esse dicimus. Quæ nemo vnquam rectè intelligere poterit, qui prius integram de symptomatibus tractationem non absoluerit. Ac inter omnes quidem Galeni libros diu sum admiratus eos potissimum, quos ille de hac re conscripsit: Nec immeritò quidem, vt mea fert opinio: siquidem alii ferè omnes si cum his conferantur, quod omnes etiam, qui iudicio aliquo sunt prædití, & medicinæ non ignari, fatentur, negligentius ab authore elaborati videbuntur: verum cum diligentius, sæpiusque eos legere (cum de eadem re scribere instituissem) coactus fuerim, multa sanè optimè à diuino eo authore tradita, confirmato priore iudicio, cognoui: nonnulla tamen alia deprehendi, quæ fortè meliore docēdi methodo scribi, docerique possent. Verum ne alia prosequamur, quæ suo loco ostendentur; illud imprimis contemnendum non est, quod ad nomen ipsum pertinet. Nam cum *primo libro Methodi medendi*, & *in arte medicinali* σύμπτωμα, A quod nostri casum vertunt, & συμβεβηκός, quod à nostris accidens dicitur, inter se distinxisset; quod illud præter naturam, hoc verò secundum illam esset. Postea *in libro de optima secta*, & *passim alibi*, hæc nomina inter se confundit, cum scribit, quædam esse symptomata secundum naturam, vt niger color Indis; quædam verò naturæ contraria, veluti nares acutæ vi morbi factæ. Scribit etiam *libro 1. Methodi*, symptoma esse, quod sequitur alterationem, secundum vel præter naturam. Sic accidentia morbi pro symptomatis sæpe vsurpat, vt cum scribit *octauo capite artis medicinalis*, symptomata etiam propriè vocari accidentia. Vnde quidem Græci Medici, quæ morbum sequuntur, non symptomata, sed B ἐπιγινόμενα, id est, succedentia, scilicet morbum, appellare maluerunt. Ducitur autem symptomatis nomen à verbo συμπίπτω, quod est, si vim vocabuli exprimas, *simul cado*. vt συμβεβηκὸς à verbo συμβαίνω, quod idem significat, quod *simul euenio*: simul enim veniunt effectus cum ipsa causa, à qua proueniunt. Nec tam diuersa significatione, quàm diuerso vsu, & vsurpatione hæc vocabula inter se differunt, cum pari fœlicitate, quod aliud sequitur, significent. Accidens autem verbum nostrum non ostendit aliquid, quod aliud sequatur: Accidere enim corpori dicimus nō solum morborum effectus, sed etiam ipsos morbos, & eorum causas. Iam verò quid symptoma sit Medicis, explicandum C est; de qua re etiam varia scribit Galenus. Nam *in libro de differentiis symptomatum*, quicquid est in corpore præter naturam, generaliore quadam significatione, symptomata esse definit: Propriè verò intelligendum, quod morbum tanquam illius effectus sequitur, siue quod alia omnia continet præter naturam, excepto morbo, & illius causis: quæ postea in ipsa tractatione non seruat, nam *libro primo & secundo Methodi medendi* actiones læsas à symptomatis distinguit: cum tamen morbos sequantur, & inter propriè dicta symptomata *in libro de illorum differentia* ab eo cōprehendantur. Præterea vocat etiam symptomata morbos, qui ex aliis morbis nascuntur, vt febrem dicit esse symptoma pleu- D ritidis *in libro de constitutione artis*: Addo quod nonnulla enumeret inter symptomata, quæ eo posito principio, in eorum numerum recipi nequeunt. Alia verò reiiciat, quæ non minus, quàm alia, recipere oportet. Si enim symptoma est præter naturam, id autem est, quod plurimum à naturali statu recedit, quis pandiculationem, palpitationem, ructus, crepitus, sternutamentum, tussim, inter symptomata reponet? Quis tumorem partis, vt ille facit *in libro de differentiis morborum*, qui ad tantam

Symptoma quid.

Tractationis vtilitas.

Symptomatis deriuatio, item accidē-tis.

Symptoma & accidens quomodo differant.

Quid symptoma secūdum Gal.

magnitudinem nondum excreuit, vt actionibus incommodare queat? Necesse namque est totum corpus, vel partem, quæ præter naturam habet, ægrotare, nec suas functiones ob insignẽ læsionem commodè exercere posse: Atque per prædicta symptomata nihil, aut certè parum admodum corpus afficitur, sæpeque etiam nullis præsidiis, quæ morbosis affectibus debentur, opus habet, sed illa vel statim sponte desinunt, aut parum commutata viuendi conditione, nullo negotio, euanescunt. Quod si leuiora hæc vitia inter symptomata statuantur, licebit etiam minimas quasque ab optima constitutione euersiones inter ea ponere, quæ præter naturam censentur: quo fiet, vt non solum temere alibi neuter status inter sanos & ægros sit positus, sed etiam decreta eorum approbentur toties ab eo reiecta, qui corpus nostrum continuè affligi, morbisque vexari censebant. In quo præterea genere symptomatũ tumor ille, qui ad eam magnitudinem non excreuit, vt actionibus obesse possit, ponetur? an inter excrementa, vel qualitates corporis, vel actiones læsas? quod nulla ratione fieri potest, si ea legamus, quæ ille sub illis generibus comprehendit: an inter morbos? vel causas morborum? si fortè dicamus, eum intelligere eo loco symptomatis nomine quicquid est præter naturam: At morbus non est, si causam esse dicit: nec causa morbi esse potest, si morbum ob suam paruitatem nequit inferre: Quare nullo pacto symptoma erit censendus, Cæterum cum sanguinis profusiones, vomitiones, & alias excretiones toto etiam genere præter naturam, à symptomatum consortio seiungit, si modò tempestiuè fiant, id est, (vt ille *in libro de differentiis symptomatum* interpretatur) expellatur id, quod molestat, contenditque nihil eorum, quæ ad animalis commodum peraguntur in corpore, inter symptomata reputari debere, sui mihi videtur oblitus esse. Sic enim tussim, rigorem, horrorem, singultum, sternutamentum, crepitus, vomitum, alui profluuium, quorum beneficio natura sese à noxiis, morbosisque causis expurgat, inter symptomata temerè collocaret, illorumque causas, dum aliorum symptomatum causas inuestigat, explicaret. An non etiam *libro secundo de causis symptomatum* scribit, quædam ex illis naturæ esse opera violentius à morbosa causa concitatæ? Cui simile est illud, quod habet *libro tertio eiusdem operis*, expultricem scilicet deprauato motu niti, cum per singultum noxias causas expellere studet. Quod si ita res habet, necesse profectò est, multa ex symptomatis ad animalis cõmodum, quod negat *in libro de eorum differentiis*, pertinere, siquidem eorum beneficio natura vtilitati studet. Nonne enim, quemadmodum à malis humoribus irritata facultas tussim commouet; sic etiam sanguinem, à quo molestatur, per diuersas corporis partes sæpe effundit? & vellicantes ventriculum acres humores, aut copia grauantes, excitata huiusmodi facultate, extrudit pari omnino in omnibus vtilitate, & incommodo, parique etiam facultatis robore? Quamobrem eadem quoq; ratione hæc omnia sub natura symptomatum comprehendere oportet. Quod si quemadmodum symptomaticas eas excretiones vocare solet, quæ obsunt, symptomata etiam

A iam appellat, quæ perpetuò nocent, & alio nomine, quæ per morbum prosunt vacuationes, & cõferentia symptomata donaret, nõ esset, quod damnare possemus: sed cum hæc omnia mutuis nominibus nuncupet, probare non possumus tractationem, quæ omnia confundit, & multorum errorum occasionem præbet: Illud verò etiam, quod scribit, symptoma pressius sumptum nihil aliud esse, quam quod morbum tanquam vmbra corpus sequitur, contenditq; omne symptoma à morbo prouenire, eo etiam authore, cum de horum causis agemus, ostendemus, nõ esse rationi consonum: propterea quod non solum à morbis, sed etiam à morborum, naturaliumque rerum causis multa nascuntur sym-

Symptomata non omnia proueniunt à morbo, sed etiam à morborum, & naturalium causis.

B ptomata. Ergo intelligit ille symptomatis nomine, aliquando quicquid est præter naturam; aliquando id, quod secundum naturam existit; nonnunquam id, quod sequitur morbum; aliquando id, quod prouenit non solum à morbis, sed etiam à causis morbi; aliquando excipit à symptomatis actiones morbosas; aliquando verò symptomata vult etiam sequi sanitatem, & statum secundum naturam; vult nonnunquam symptoma esse non solum, quod in ægrotis fit, sed etiam à natura vincente, & extrudente quod obest; aliquando symptoma ei est, quicquid à morbo committitur, siue morbus sit, siue aliud; aliquando symptoma statuit esse effectus, qui obsunt ægrotis, vt excretio

C symptomatica: adeo vt nihil perpetuum, & stabile doceat hic author: toties enim mutat sententiam, quoties de eadem re agit: Scripsit *in libris de morbis, de symptomatis, in Methodo medendi, in opere de locis affectis, in libris de placitis Platonis, & Hippocratis, & alibi passim* integras paginas de nomine morbi, symptomatis, causæ morbi, passionis, actionis, dispositionis, siue affectus, nec vnquam stabilire aliquid in ea re potuit: quod postea docendo sequeretur: Scribit de nominibus statim esse conueniendũ, cum interim ipse nullum de illis loquendi finem faciat: nunc sequitur, quod alio loco improbauit: atque ita suam tractationem, & nos ipsos confundit. Ego verò in meo hoc opere symptoma

D intelligo, *quicquid præter naturam, morbis, & illorum immediatis causis exceptis, in corpore reperitur.*

Symptoma secundũ authorẽ quid.

CAP. II.

De generibus & numero symptomatum.

GAlenus *in libro de differentiis symptomatum* tria in vniuersum symptomata esse ponit, Actionem læsam, excrementa, & qualitates corporis præter naturam, quæ primas sequuntur: nihil enim horum morbus est, nec morbi causa proxima (nam remotæ causæ morborum symptomata aliquando euadunt) veluti cum nimia vigilia, aut somnus immoderatus, motus,

Quot symptomata secundũ Gal.

E excrementa, quæ præter naturam retinentur, aut emittuntur, aliaque huiusmodi, præsentes morbos intendunt, & nouos etiam alios pariũt. Verum, vt mea fert opinio, alia præter enumerata symptomata sunt addenda: est enim cibus malè concoctus, & sanguis, qui per morbos corrumpitur, symptoma, vt omnibus constare puto, cum intemperiem, & vitiatam actionem

Quot secundum autorem.

nem sequantur, perinde, vt secundæ qualitates, A cum tamen in nullo ex prædictis symptomatis hæc contineantur. Nam quod aliquis dubitare posset, sub excrementis nequaquam comprehenduntur: quippe cum excrementa vocentur, quæ ab aliis post concoctionem segregata, extra corpus excernuntur, excretionemque postulant: quod his non contingit: Nam etsi cibus malè conficitur in febricitantibus & improbus sanguis gignitur, non tamen propterea iudicamus, ea excrementa esse, & tanquam inutilia reiicienda. Id quod etiam euidentius in carne spongiosa; aut alio modo vitiosa apparet; quæ etsi huiusmodi gignitur, in corporibus morbo oppressis; aliud tamen, quàm excrementum esse putamus; dolorem præterea, & præternaturam voluptatem, symptomata nemo esse negauerit; quæ tamen sub nullo ex prædictis tribus generibus symptomatū comprehenduntur. Quod quidem ob quorundam inscitiam, ne dicam malignitatem, paulo diligentius docere institui; ab ipso nomine exorsus, ne alicui imponant varia illius significata.

Doloris nomen duo significare.

Porro nomen doloris, quem Græci πόνον, λύπην, ἀλγηδόνα, ἀνίαν, ὀδύνην, κόπον, & ἄλγημα, vocant, vt Galenus *aphorismo libri secundi* & *alibi* testatur, duo significat, *dispositionem, siue causam ipsius doloris, vel molestiam illam*, quam omnes communi conceptu intelligimus, doloremque C vocamus, nec tertiam significationem apud Galenum est reperire, vt quidam sentiunt; qui scripserunt, hoc nomine etiam significari actum eum, in quo dolemus: neque enim illi autorem habent, ex quo id probare possint, aut certè nō Galenum, cuius opinionem se tueri posse dicūt: eo quod dolor apud illum bifariam vsurpetur, vel pro actu, quo dolemus, vel pro eo, quod voluptati opponitur. Duo quidem doloris nomen significare scribit Galenus, sed non ea, quæ illi ponunt; Nec illud, quod dicunt. id probat, vt rationale, ita dolorem duo significare: non enim ex aliorum nominum duplici significatione, sed ex loquendi vsu accipere debemus, quod D vno modo, vel pluribus vsurpatur. Igitur num dolor apud Galenum significet dispositionem dolorificam; & id, quod voluptati opponitur, de illa significatione postea, de hac verò nūc agendum. Ac cum omnes fateantur, dolorem esse symptoma, etsi aliquando morbi causa remota fieri potest; certumq; sit, eum nec inter qualitates alicuius sensorii, nec inter excrementa reponi posse, hactenus putarunt Medici, dolorem esse actionem, & sensationem læsam: & cum illorum opinione omnis actio lesa, sit vel abolita, vel debilis, vel deprauata, ponūt dolorem inter deprauatas actiones, eo quod per dolorem sentiri dicant, quod nequaquam sentiri debet. Addunt & quidam philosophi, qui de hac re scripserunt, rectè Galenum, & Auicennam dixisse, dolorem E esse tristem sensationem: id enim ostendere ea, quæ dolorem excitant. Nam quæ tendunt, vel pungunt, vel alio modo dolorem cōcitant, id faciunt interim, cum agant, non autē postquam agere desierūt: ex quo, inquiunt patere, dolorem in actione consistere, actionemque esse: Ac tandem illi definiunt dolorem esse asperum, siue molestum sensum præter naturam confertim factum, à mala temperie, cum solutione continui: cōtra verò voluptatem, sensum esse blandum secundum naturam, confertim genitum. Accusantque non satis apertis verbis, quod nos antea docuerimus, dolorem non esse sensationem, vel actionē aliquam. Contra quos iam disputare aggredior; nō vt mihi patrocinari velim, sed ne veritati desit patrocinium in tantis sectis, tantis cōtentionibus, tanta cæcitate, & malignitate, quibus difficultatibus hodie premuntur, qui liberam docendi rationem profitentur: Ac illud solum aduersus illos adfero, si Galenus rectè dixit dolorem esse actionem, cur illi postea, cum Aristotelis opinionem excutiunt, id negant asseruntque, quod nos putamus verum esse; cum, inquam, sequi actionem, vel certè in ipsa actione, & sensatione fieri. Nonne redarguunt iam illum, quem rectè sentire conati sunt ostendere, & longa disputatione defendere laborarunt? Iam verò si dolor est actio, edet aliquod opus, vt alias actiones facere videmus: nam concoctio aliquid concoquit, vel certè pars corporis concoquendo aliquid facit, vt chylum in ventriculo, sanguinem in hepate, quid verò dolor agit? aut quid per dolorem, vel dolendo operabitur id, cuius actio dolor esse censetur? Nam vt oculus videndo aliquid agit, nempe videt obiecta; sic si dolor esset actio alicuius sensorii, hoc ipsum dolendo aliquid efficeret.

Dolorem nō esse actionē, sed sequi actionem vel in ipsa actione fieri.

Dolorem nō esse sensationem.

Cæterum si dolor est sensatio, habet aliquod peculiare obiectum, circa quod versatur, vt visus circa colores, auditus circa sonos, odoratus circa odores, gustus circa sapores, tactus circa primas, & alias suas qualitates: At doloris quodnam, quæso, erit obiectum? Deinde si dolor est sensatio, erit alicuius sensorii actio & sensatio; non est autem actio visus, auditus, gustus, odoratus, tactus: quippe cum in omni sensatione dolor fiat: & propterea peculiaris alicuius sensus actio esse nequit: communis autem nulla est actio omnium sensuum, etsi commune aliquid est, quod de singulis sensationibus iudicat; & quorundam sensuum communia quædam sunt obiecta: Ad hæc sentire est cognoscere, & sensatio est cognitio quædam, vt rectè inquit Aristot. At dolere nō est cognoscere, nec dolor est cognitio. Addo quod dolere & sentire est pati, vt docet Aristoteles, quare dolor actio esse non potest. Vrget & illud hanc opinionem, quod in nullo actionis læsæ genere posito à Galeno reponi possit. nam vt nemo dubitat dolorem non contineri sub debili, aut abolita actione; ita euidenter hallucinantur, qui eum putant esse deprauatam actionem; ea ratione, quod vrgente dolore sentiatur aliquid, quod abest, dum corpus rectè valet, nā etsi verum est, dolorē fieri à re molestante, quo caret corpus, quod nullo dolore affligitur; nō tamen ob id deprauata est actio, quæ illud percipit, nō magis profectò, quàm si quis diceret, deprauatam esse visionē, cum res molestas apprehendit, ac tales esse agnoscit, quales sunt. Esset quidem deprauata actio, si eas non perciperet tales esse, quales existunt: quo modo illos deprauate videre censemus, qui, quæ rubra sunt, iudicant flaua, aut duplex, quod est simplex, aut perforatum, quod est solidum, aut sublime, quod est humile; eadē ratione deprauatā

Non esse aliquam communem actionem omnium sensuum.

Dolorem nō esse actionē deprauatā.

Cur actiones quaedam in uno membro laedantur, aliis illaesis, secundum Galenum.

Quod vero in vno membro actiones quædã lædantur, alis illæsis, causa non ita patet: nam id totum Galenus ad diuersa instrumenta, aut robur, imbecillitatéq; facultatis referre videtur: veluti cum sensus seruatur amisso motu, causa est, inquit, quod diuersi sint nerui, qui in idem membrum inseruntur: contingereq; interim, vt nerui, qui ad cutem perreptant, sint illæsi, sensumque suppeditent: alii vero, qui musculis implantantur, offensi, mouendi vim exercere nequeant: eademque ratione fieri, vt laborantibus illis, qui ad sensum sunt destinati, & non aliis, sensus aboleatur, superstite motu. Quod si idem sit neruus, eademque pars, quæ afficitur, accidere quidem posse scribit, vt seruato sensu, motus perdatur, non tamen contra fieri posse, vt aliqua pars, quæ suapte natura sentiat, & moueatur, sensum amittat retento motu, propterea scilicet quod motus agendo, sensus vero patiendo exerceatur, maiorẽ autem vim ad actionem, quam ad passionem requiri, proinde seruari posse & influere tantam vim neruis læsis, aut alio quocunque modo corpore affecto, quæ sensum quidem suppeditare valeat, ad motus tamen edendos non sufficiat. Quæ certe, vt recte dicta sunt, relinquunt tamen, in quo dubitare, & aliam causam desiderare possimus. Nam quod seruetur aliquando motus, aliquando sensus ob prædictas causas certissimum est; Ac quod etiam maius robur requiratur in motu, quam in sensu, ex hoc constat, quod videamus eos, qui admodũ sunt defatigati, aut morti propinqui, ne moueri quidem posse, valentibus tamen interim sensibus. At illud non ita recipio, quod putet, nunquã reperiri corpus, quod moueatur sine sensu, quandoquidem sæpe contingit, vt dormientes non solum agitentur toto corpore per lectum, sed etiam sæpius surgant, quod ille sibi etiam contigisse *in libro de Motu musculorum* commemorat, idque sine sensu euenire necesse est, si modo somnus sensuum omnium est vinculum quoddam, & omnes sensus dormientibus feriantur; quod si quis neget repugnante rei natura & vsu, velitque rem autoritate decernere, locus est *libro tertio de Causis pulsuum* apud Galenum; in quo scribit aperte, dormientes non sentire: id quod etiam ab Aristotele *in libro de Insomniis* memoriæ proditum est. Quod si contentiosius agamus, velimusque, eos etiam sensum aliquem retinere, illud certe non negabimus, non æque euidentem eum esse in illis, vt motum, quem tamen oporteret euidentiorem esse, & longe magis vigere, si modo facultas, quæ per neruos sensum & motum partibus largitur, cum imbecilla est, putetur integros sensus seruare posse, motus autem minime: cur enim, quæso, manifesti validique & varii fiunt motus, & nullus aut obscurus in toto corpore dormientium apparet sensus? Itaq; constat seruari motum per eosdem neruos in eisdem partibus, non seruato sensu. Quod si ita est, cum neq; ex robore, aut imbecillitate facultatis, neque ob diuersitatem instrumenti, per quod huiusmodi functiones obeuntur, id contingat, necesse profecto est, aliã esse causam, quę ex facultatum differentia sumitur. Nam *quoniam (mea quidem opinione) vna est facultas motoria diuersa a sensifica, adeo fit, vt vna influente, alia autem non suppeditante, quæ ab illa proficiscuntur,*

Maius robur requiri ad motum, quam ad sensum.

Corpora etiam moueri sine sensu.

Dormientes non sentire.

Seruari nonnunquam motum per eosdem neruos in eisdem partibus non seruato sensu.

Cur actiones quaedam in uno membro laedantur, aliis illaesis secundum autorem.

Numerus facultatum unde sit inuestigandus.

A *fiant, alterius autem minime:* mirarique profecto in hac re licet Galenum, has inter se non distinxisse, sed perpetuo scribere sensum & motum à cerebro per neruos ad singulas partes demitti, cum duæ sint inter se plurimum differentes hæ functiones, diuersasque ob id oporteat esse facultates earum autores; siquidem ex numero operum & functionum, numerus facultatum, vt tradit *in initio libri de Naturalibus potentiis*, inuestigari debet. Quod si inter se discrepantes has facultates reuera agnouisset, & quod in dormientibus de sensu & motu diximus, animaduertisset: non solum inuenisset, quod putat fieri non posse, vt motus vnquam seruetur cessante sensu, sed etiam ob diuersas potentias inter se
B natura distinctas non locis forte, neque instrumentis id contingere (vt arbitror) credidisset. Nam quę alia, quęso, potest esse causa, cur ab eadem intemperie, siue alio morbo nunc imaginatio, nunc ratiocinatio, aut memoria in cerebro lædantur, aut in ventriculo concoctio, & non retentio, aut expulsio vigente febre, quam quod diuersæ sunt facultates? quæ etsi offenduntur omnes ab intemperaturis, quædam tamen plus, vel minus, quædam vero etiam à quibusdam iuuantur, à quibus aliæ destruuntur, quemadmodum antea ostendimus: Quod si locis eas inter se seiungeret, facile erat causam inuenire, quod scilicet loco eo in cerebro affecto, in quo residet, quæ patitur facultas, alia illæsa, cuius sedes integra est, id accedat. At cum eas nusquam inter se
C euidenter locis separet, nõ alia potest esse causa, quam quę ex diuersis morbis, aut ab eiusdem excessus inæqualitate sumitur. Siquidem siccitas coctioni obest, retentioni prodest; humiditas contra illam iuuat, hanc lædit. Vnde mirum non est, siccitatis excessu aboleri coctionem, & humoris exuperantia perdi retentionem, alterutra vero excedẽte qualitate, vnam labefactari, aliam incolumem relinqui: Quamobrem nos, quod Gal. de sensus & motus abolitione, & conseruatione solum scribit, ad omnes alias functiones pertinere putantes, communes, quas posuimus causas, inuenire laborauimus, & motum in eadẽ parte fieri cessante sensu, non alia ratione putamus,
D quam *quod diuersæ sint potentiæ, a quibus huiusmodi actiones prouenıunt:* id quod si raro contingit, in dormientibus tamen ob manifestam causam conspicitur: Cum enim sensifica vis omnino per somnum quiescat, & veluti constricta in cerebro cõtineantur, nequ[illegible]gius spargi, cum interim motiua minimum [illegible]iciatur; *siquidem somnus sensuum, non motus est passio.* Est quidem hæc de his rebus nostra opinio, liceat tamen vnicuiq; in re admodum ancipiti, si hæc nõ placent, meliora excogitare: nam quod quidam putant ideo dormientem non sentire, quod vis à cerebro ad musculos transmitti quidem possit, ad cutem vero ob distãtiam, minime, ridiculum omnino esse puto, cum tantum non sit interual-
E lum, vt musculis vis largiri, non autem cuti debeat, præsertim cum minima quæque facultatis portio ad sensum sufficere putetur: Quod si ex distantia huius rei ratio petitur, cur ad musculos cruris vis ea demittitur, ad cutem autem capitis & ceruicis multo propinquiorem cerebro impartiri nequit?

Cur motus nonnunquam in vna parte seruetur cessante sensu.

Yyy

Cap. V.

De cauſis quibus fit, vt interdum prorſus aboleantur actiones, interdum vero rurſus reſtitui poſſint.

CVr perdantur omnium partium actiones, aut quarundam ſolum, atque etiam in eadem parte qua ratione contingat, nunc omnes illius functiones, nõnunquam vero quibuſdam illæſis, alias aboleri, ſatis dictum eſſe puto. Illud vero, quod ſupereſt in abolitis actionibus, breuiter docẽdum eſt, ob quas cauſas accidat omnino deſtrui actiones, vt nunquam amplius reſtitui poſſint, vt in lethali apoplexia, & ſyncope vſu venit, alias autem videamus eaſdem nonnunquam ad ſuam naturam redire, vt in animi defectu, & per minores apoplexias, & vteri ſuffocationes: itaq; cum multæ ſint cauſę, à quibus abolentur actiones, *ſiquidem ob propria vitia ipſius facultatis id contingat, deſperata fere res eſt*; veluti in his accidit, qui intemperaturæ exceſſu extincta facultate pereunt. At ſi ea impediatur, vt fit per ſomnum, ſperandum eſt, vt illæ ad ſe redeant: ob materiæ copiam, quæ perduntur actiones, non periclitantur, veluti ventriculi concoctio, quæ nutrimenti copia abolita fuerat, illa cõſumpta, facile reſtituitur. Quę vero patitur actio ob vitia proprii inſtrumenti, ad læſionis portionem intelligemus, quid ſperare, aut vereri oporteat: nam eo offenſo, à quo plurimæ facultates emanant, quodq; fons, & origo eſt, res magis ſuſpecta haberi debet; veluti cum affecto cerebro in attonitis ſenſus & motus in vniuerſo corpore abolentur. Læſa vero ſpina, & illius neruis, cauſa leuior exiſtit, ſi quando eædem læſiones in ſenſu & motu accidant. Atq; etiam vehementer affecto proprio inſtrumento fit, vt amplius reſtitui nequeat, quæ ſemel abolita eſt actio; veluti cum omnino præciſo neruo, motus partis, in quam ille inſerebatur, ſine aliqua ſpe deſtruitur quod ſi propter obſtructionem idem contingeret, quia leuior eſt affectus, eam abolitionem pariet, quæ non omnino deſperata credi debet, cum fere omnes ab hac cauſa aliquibus membris reſoluti ad priſtinam ſanitatem redeant. Quę vero fiunt à communi inſtrumento operationum abolitiones, ex diuerſa illius noxa, hoc, vel alio modo vitiatæ proueniunt. Etenim ex diſſolutione ſpirituum animi defectus facile emendatur; qui vero illis [illegible]ruptis, aut ſuffocatis naſcitur, vt plurimum in lethalem ſyncopem terminatur, & occidit. Iam vero ſi ob vſum deperditum perdantur actiones, ſiquidem vſus ad vitam ſummopere ſit neceſſarius & continuus, raro contingit, ſemel illas deperditas reſtitui poſſe, vt perdita ſemel reſpiratione & pulſu, abolito illorum vſu, vix aliquid boni ſperandum eſt; alterius vero actionis vſus ſuas actiones cum ſpe reſtitutionis abolere ſolet: vt in appetitu deperdito contingit, repleto admodum corpore, quo euacuato conſumptaq; repletione, vt redit vſus, ſic & ipſa appetentia reſtituitur. Atq; hæc quidem de hac re, quantum generalis hæc noſtra tractatio aſſequi poteſt: nam qui plura & exactiora poſtulat, ad ſingulas functiones deſcendet, & vim omnium cauſarum, quibus contingit eas aboleri, perpendet.

A

Cap. VI.

De cauſis actionis debilis & auctæ.

LEuiores ſupradictæ cauſæ imbecillas reddunt actiones. Etenim debiliore reddita facultate, actiones quoq; debilitari clarius fere eſt, quam vt demonſtrari debeat: quandoquidem coctiones, corporis motiones, & reliquæ fere omnes actiones in ſenibus, & his, qui longo morbo diu ſunt vexati, vix, tardiusque obeuntur, debilitatis, quæ animal regunt, facultatibus. Eodem pacto ob nimiam humiditatem, & ſiccitatem mollioribus durioribusque effectis neruis, motionis inſtrumentis, vix corpus dimoueri poteſt, & vulnerato ventriculo non ſatis donec coquatur, nutrimentum retinetur. Quinetiam natiuo calore debilitato, aut aliò reuocato, officia earum partium, quibus ille deficit, infirmiores euadunt. Qua quidem ratione; qui ſtudio literarum vehementius incumbunt, diſtracto à ventriculo, digeſtoque per continuas animi cogitationes innato calido, infœliciter alimentum cõcoquunt. Iam vero diminuto vſu, actiones quoque minuuntur, quod in pulſibus, & reſpiratione manifeſte apparet: nã corde refrigerato, tardiores tardioreſq; huiuſmodi actiones fiunt. An non etiam ob alimenti exuperantis copiam, aut alienam qualitatem, imbecilliores attractiones, retentiones, coctiones, materię vitio cõtingunt?

Cauſa actionis debilis.

C quo modo Galenus tardas coctiones in ventriculo contingere ob cibos duros, & craſſos ſcribit *in libro de Symptomatum Cauſis*. Præterea occupato ſpatio, in quo inſtrumẽta mouentur, & deficiente tempore, aut vitiato ordine, infirmiores operationes edi conſpicimus, & conniuentibus plus iuſto cutis meatibus, ſudores vel omnino ſiſti in maiore adſtrictione, vel in leuiore ægrius effluere.

Sunt porro excedentis actionis eædem genere cauſæ: nam vbi facultas exceſſu qualitatũ mediocritatem in agendo non aſſequitur, in eo excedit, in quo vincentis intemperaturæ cauſæ vis præpollet; quomodo exuperante ſiccitate, qua facultas retentrix gaudet, arctius continetur alimentum, quam cõueniat, & calidıtate vincente vehementiores attractiones, validioreſq; motus in delirantibus fiunt, & vigiliæ exuperant, & loquacitas ſuperflua auditur. Atq; etiã vbi debilior eſt vis corporis, quę retentioni deſtinata eſt, citius, quam oportet, deſinit ſuo munere, cogitque citius, quam expediat, & frequentiores excretiones fieri: vbi enim vnius opus male confectum alterius excipit actio, quæ prior eſt, ob debilitatem ſequentem cogit facultatem maturius ſuas actiones expedire. Cęterum duriora inſtrumenta ad motum validiora exiſtunt, & ad retinendum plus, quam naturæ modus poſtulat, robuſtiora; & quæ laxiora ſunt, rarioraq;, faciliorem, quam oporteat, his, quæ euacuantur, & per ea deducuntur, viam præbent; ſic ſane rariores cutis meatus exuperantis ſudoris cauſa cenſentur: At vrgente reſpirationis pulſationiſque vſu, ipſa reſpiratio & pulſus crebriores, velociores, maiores, & denique omnimodo aucti euadunt. Præterea materiæ vitio augentur quoque præter naturam actiones; ſiquidem calidiore, ſiccioreq; exiſtente [illegible] mediocritatem

Cauſæ actionis excedentis.

[illegible] dum torrentur ea, quæ alimentur. Diutius vero excrementa in aluo continentur, cum duriora ficcioraq; extiterint. Quod si acriorem qualitatem habuerint, vel iustam mensuram excesserint, celerius, quam oportet, & vehementius etiam expultricem commouent: Ac quemadmodum priores actiones posteriorum sunt causæ: sic quæ circa materiam aliquam versantur, si posteriores imbecilliores sunt, priores actiones promouent, adaugentque: quo pacto tardante distributione alimenti, excretiones per aluum anticipant, vberioresq; proueniunt; & cum illæ, quæ præcedunt, vehementius agunt, contingit quoque sequentium actiones minui. Parcior siquidem distributio alimẽti fit per corpus, cum præpropere, vehemẽtiusq; illud à ventriculo per intestina descendit: At non perinde laxiore facto spatio, in quo partes corporis mouentur, accidit motus augeri, vt minuuntur eo occupato, quandoquidem non vrgente magis vsu immotisq; præcipuis actionum causis, nulla ratio cogit, vt ob ampliorem locum, motus excrescere debeant, ob tempus vero id contingit, cum alimenta, quæ in ventriculo & intestinis continentur, longiore mora torreantur, sicciorāq; reddantur.

Cap. VII.

De magnæ, vehementis validæq; actionis causis.

Etsi difficile est, quæ in singulis fere differũt, generali aliqua ratione comprehendere: Quoniam tamen institutum nostrum postulare videtur, vt postea quam in vno quoque genere actionum plurima vitia posuimus, illorum quoque causas breuiter prosequamur. Ideo de hac re omnino agendum esse puto: quod quidem Galenus in pulsibus, & respiratione diligentius fecit, cum magni, vehementis, crebri, velocis, æqualis, inæqualis, & omnium denique aliarum differentiarum pulsus, & respirationis diligenter causas explicat, quæ si in motibus voluntariis, si in sensationibus, si in principibus facultatibus, imaginatrice, cogitatrice, & memoratrice facultate, præterea in attractione, retentione, coctione, expulsione, & reliquis corporis, animiq; functionibus, & singulis operibus præstitisset; non esset forte, quod cõmunem omnibus tractationem tantopere desideraremus: sed cum id nõ fecerit, desideret tamen ars, vt non magis aliquarum functionum, quam aliarum peculiari adhibita tractatione causas enarremus; cogimur profecto, quod commune singulis est, prosequi, sine quo reliqua constare, nec intelligi possunt, & quæ prætermittuntur in singulorum explicatione, iam comprehẽsa in generali, & communi cognoscuntur: sic sane passim Gal. & præsertim vbi agit de causis inæqualitatis vnius pulsus, iubet esse faciendum, explicandum scil. quod vniuersale est, & ad illud omnia redigenda: ex cuius consideratione si quid singulare desideretur, prompte inueniri posse putat: itaq; nos hæc ita docere aggrediemur, vt non exactam polliceamur tractationem, sed potius excussis causarum generibus, veluti quibusdam exemplis lectorem exerceamus, & inuitemus ad hæc perficiẽda, quæ à nobis inchoata [illegible]

A Igitur cum in genere actionis [illegible] contineatur ea, quæ magna est, & vehemens, imprimis illarum causas docere conabimur à magna exorsi, quæ certe non vnum solum genus causarum requirit, sed omnia: nisi enim facultas valida sit, vrgeat vsus, pareatq; instrumentum, & liberum sit spatium, in quo instrumenta agitantur, suppetatque tempus, & suam etiam vim præbeat commune instrumentum, magna actio fieri nõ poterit. Vnde non solum tres magni pulsus & respirationis causæ, vsus scilicet, vis, & instrumentum idoneum (mea quidem opinione) poni debent, sed & prædicta omnia; quando etiam Gal. *libro secundo de san. tuen.* tres prædictas causas; quas *statim ab initio libri primi de Causis*
B *pulsuum* ponit, sufficere non posse docet, cum quartam addat, quæ scilicet ex animalis spiritus, nempe calidi natiui mutatione petitur: nam requiri etiã spatium liberum in motu arteriarum ad magnos pulsus creandos, ex hoc cõstat, quod per adstrictas inflammationes, aut scirrhos comprimentes arterias magni pulsus illis in locis fieri nequeant: Sic etiam in voluntario motu fieri apparet: neque enim in paruo spatio, vel in temporis angustia ille magnus fieri potest. Est quoq; magnarum actionum, quæ materiam requirũt, causa ipsa materię copia: nam magni copiosique sudores elici nequeũt, vbi paucus subest in corpore aquosus humor, quod etiam fieri nequit, si cutis, per quam sudor educitur, non satis peruia
C sit, & effluenti humori liberum exitum nõ præbeat. Verum etsi magnæ causę magnas actiones efficiunt, nõ tamen necesse est perpetuo omnes eas magnas esse, cum magna fiunt opera, sed satis est nonnunquam vnam exuperare, alias autem mediocriter habere, quod etiam Gal. optime, cum de causis magni pulsus agit, docet, sola si vrgente pulsus necessitate à mediocri facultate, & arteria non omnino inepta ad motũ, magnos edi pulsus. Cum enim vsus maiorem refrigerationem postulet, mediocres arteriarum motiones sufficere nõ possunt, vnde plurimum distenta arteria, quę eam impellit facultas, magnas pulsationes excitat: Quę si nõ sufficiãt, primum celeritatem, deinde etiam maximo vrgente vsu,
D crebritatem ascifcit. Iam vero si vehemens actio est, in qua adest robur, & celeritas, necesse omnino est validam esse facultatem vrgere vsum, & instrumenta etiam obedire, & alias causas, sine quibus nihil vehemens fieri potest. Inter quas tamen præcipuam vim habet facultas ipsa, cum ea sola, aliis non repugnantibus, causa esse possit, si non vehementis omnino, cum in mediocri vsu nihil cum celeritate fiat, eius tamen, quæ valida robustaque est actio, autor fuerit. Quod in his corporibus apparet, quæ in mediocri caliditate & vsu, pulsus validos fortesque ob insitum in arteriis facultatis vitalis robur, edunt. Eædem causæ intelliguntur ad proportionem in aliis actionibus. Magna enim
E cruditas, magnaque fames, & excretio easdem causas habent, aut certe ad proportionem respondentes: siquidem magna cruditas fit ob magnam & excedentem alimenti copiam, ob insigne coctricis facultatis vitium; aut instrumenti insignem læsionem: magna autem fames non solum ab his, sed etiam quod plurimum vrgeat [illegible] in singulis [illegible]

Causæ actionis magnæ quæ & quot.

Causæ actionis vehementis.

Causæ validæ.

bus licebit inuenire quid in illis sit causa magnitudinis, vehementiæ, & fortitudinis.

CAP. VIII.

De exactioris, acutiorisque actionis causis.

EXactiores acutioresq; quam par sit, actiones quasdam fieri, certissimum est; veluti cum eorum conditionem damnamus, qui ob exactiorem quendam ventriculi sensum piperis aut alterius etiam mitioris rei vsum non ferunt; aut qui per morbos iam plurimum debilitati, acutissime audiunt: Cuius actionis causam vel ad commune, vel proprium instrumentum, aut facultatem redigemus. Aliæ enim nihil videntur in hac re præstare posse. Ac quod ob commune instrumentum, nempe spiritum, id contingere valeat, ex hoc etiam ostendere possumus, quod Galenus *in lib. primo de Caus. symptomatum* eos scribat acutissime videre, qui puram synceramque animalis spiritus substantiam sunt sortiti. *Quod enim crassum, & faeculentum in illis est, nonnunquam absumunt morbi, ex quo relinquitur portio magis extenuata, & purior reddita, quæ ad huiusmodi actiones est aptissima.* At *ratione proprii instrumenti fieri illud videtur, quod diximus, nonnullos in extremo morborum acutissime omnia, quæ dicuntur, auditu percipere: nam id potissimum in his morbis vsu venire videmus, qui siccitatis excessu humorem omnem, qui in meatibus corporis, & in ipsis sensoriis continetur, obtusionisq; causa est, consumpserunt:* Qua ratione acutius, & prudentius omnia senes, quam iuuenes, diiudicare putamus, *quod scilicet illi cerebrum siccius obtineant, hi vero humidius.* Illi vero, qui piperis assumptionem ferre non possunt, causam forte habent, quod ex certa, & delicatiore quadam temperie, facultas resultet exactiore sensu prædita.

Cur in extremo morborum quidam acutissime audiant & in quibus morbis fiat.

Senes cur iuuenibus sint prudentiores.

CAP. IX.

De causa actionis, quæ debitum tempus anteuertit.

GAlenus *libro tertio de symptomatum Causis* docet, deiectiones alui consuetum præuenire tempus, vel grauato ab alimenti copia, vel demorso & puncto à mordacibus ventriculo, vel etiam irritato à rebus alienis: Præterea huius quoque causam esse cibos humidiores & glutinosos. Contra vero tardiorem fieri vel propter intestinorum imbecillitatem, quæ propellere nequeant, vel ob hebetem illorum sensum, qui non satis percipiat, quæ contristant, & molestant: tum etiam ob ciborum paucitatem vel crassitiem: addit & musculorum abdominis & thoracis infirmitatem. Ex quibus quidem causis ostendit, ob materiam, facultatem, & causam sine qua non, huiusmodi actionis vitium prouenire: nam cum anticipat, vel tardat ob copiam, inopiam, alienam substantiam, crassitiem, acerbitatem, viscidítatem, humiditatem, vel siccitatem, materiæ vitium est: cum vero idem accidit ob imbecillitatem, vel robur retentricis, aut expultricis à facultatibus causas ducit: Sensus vero exquisitior, aut obtusior causa videtur esse, sine qua huiusmodi actiones fieri nequeunt: Siquidem necesse est expultricem irritari, si suo munere fungi debeat, id quod tanto promptius facit, quanto ob exquisitiorem sensum citius afficitur: tardius vero, quanto minus sentit, quæ noxia sunt; irritatio vero, & morsus, & molestia alia, nunc ad materiam, nunc ad facultatem redigitur: nam perinde nonnunquam pars exacto sensu est prædita, vt nullas, vel etiam minimas molestias ferre possit, & molestum sentiat, quod alioqui suapte natura huiusmodi non est, ipsiusque vitio tunc, non materiæ irritatio contingit: Quod si illa bene sit affecta, ad materiam referenda est irritatio, quanquam tamen etiam contingit, vt vitio ipsius instrumenti ea fiat, & anticipet actio; veluti cum ob vlcera, aut inflammationes intestinorum expultrix commouetur ad ea, quæ dolorem inferunt, & simul in intestinis continentur, protrudenda. Nec illud quidem alienum est, mutato fine quasdam actiones anticipare, aut tardare, vt in pulsu apparet, cuius vsu aucto, statim arteriæ pulsare incipiunt. Idem patet in cibi appetitu: nam qui in otio viuere consueuerunt, si aliquando validius se exerceant inanito corpore, ante tempus consuetum edere coguntur. Aliter his contingit, qui ex labore ad otium se conferunt. Sunt quoque præcedentes actiones tardationis, aut anticipationis, & hæ illarum pariter causæ: nam quoniam expultrix facultas non insurgit ad propellenda excrementa, antequam perfecta sit alimenti concoctio, optima ratione fit, vt tanto plus tardet expulsio, quanto magis concoctio moratur. Quod si maturius corpus expurgetur, & vacuetur, tanto citius appeti alimentum necesse est.

CAP. X.

De causis actionis, quæ continuo vel per interualla præter naturam fit.

SCribit idem autor *præsenti libro*, excretiones alui assiduas fieri, vel propter imbecillitatem, vel morsionem; Præstat tamen ad sua genera non solum alui excretiones, sed vniuersas alias actiones, quæ hoc modo fiunt, reuocare. Igitur continuas obiri actiones, quæ per interualla fieri debent, contingit, primum instrumenti vitio, veluti cum resoluto ani vel vesicæ musculo, continuo excrementa, quæ per eas partes euacuantur, effluunt; & sudores rarefacta præter naturam cute, continuo emanant: & assiduæ deiectiones his, qui tenesmo laborant, exulcerato, inflammatoq; intestino eueniunt. Accidit quoque id instrumenti communis malo; quod in perpetuis vigiliis delirantium & febricitantium apparet; quoniam enim ob igneam qualitatem spiritus calidumq; nimium in perpetua quadam sunt agitatione, faciunt, vt somnus, qui illorum quiete perficitur, succedere nequeat. Illorum vero refrigeratione, dissolutione, vel reuocatione hic continuo, longioreq; tempore perdurat. Præbet & materia suam in hac re causam: quo modo sudores ob copiosam tenuemq; materiam nonnullis perpetuo emanant. Contingit quoque facultatum vitio huiusmodi functiones variari, siquidem quæ retinere debet excrementa, ad

tan-

tantam imbecillitatem peruenit aliquando, vt cum nullo modo retinere possit, continuo ea effluere sinat, & expultrix male affecta perpetuo aliquid expellat: Quarum vero functionum cõtinuus est finis, assiduæ quoq; illæ sunt: cessat enim edendi cupiditas his, qui secundum naturam sunt affecti, eo restaurato, quod est dissolutum: In canina vero fame, quia vrget continuo repletionis necessitas, continuo ab his cibus appetitur. Contingit præterea ob causas sine quibus non, huiusmodi vitia fieri: nam quoniam expultrix facultas suo munere fungi nequit, nisi retentrix sese relaxet & remittat, si hæc ob imbecillitatem nihil amplius continere valeat, continuas fieri expulsiones necesse est.

Cap. XI.

De causis actionis intempestiuæ.

INtempestiuas fieri actiones ob easdem causas contingit: nam resoluto ani musculo, qui cohibendis ad certũ tempus alui excrementis præest, intempestiuæ illorũ fiunt excretiones: Quod si vehementius concitetur expultrix, idem accidere necesse est: vel ipsius vitio, vel materiæ superflua quantitate, aut aliena qualitate, aut substantia, quo modo in morbis etiam, adhuc edentibus ægrotis, vomitus contingunt, nequeunte facultate expultrice ob imbecillitatem vel minimam ciborum copiam ferre: edacia vero animalia cum sese superfluo alimento, aut alieno ingurgitent, intempestiuis vomitibus & alui deiectionibus corripiuntur. Quod etiam his accidere videmus, qui ex morbis exinaniti statim se reficere, & replere student: At importuni sermones delirantium nõ solum facultatem ipsam, sed etiam calidum natiuum perperam affectum intempestiuæ huiusmodi actionis causam esse ostendunt: An non etiam vrgente visu, qui bulimia, aut canina fame vexantur, intempestiue edere coguntur? Est præterea illius causa nonnunquam id, sine quo actio fieri nequit: nam cum retẽtrix vis intestinorum importune suum officium deserit, necesse est ipsam expultricem intempestiue insurgere ad excrementorum reiectionem.

Cap. XII.

De causa actionis, quæ subito confertimque læditur.

LÆduntur subito confertimve actiones in attonito morbo & animi defectu, & in vtroque plurimæ ex illis concidunt: nam attonitis vniuersa animalis facultas, quæ sensus, motus, imaginationis, cogitationis, & memoriæ est autor, perit: In syncope vero vniuersum corpus agere desinit, labefactatis naturalibus, animalibus, & vitalibus functionibus: quarum quidem, vt commune hoc est malum, quod confertim labantur, ita communes quasdam causas illius esse oportet, quas Galen non attigit; & quæ de apoplexia scribit, faciunt, vt minus vera putemus, quæ de syncope tradit: Negat enim *in lib. de Locis affectis, & de Causis symptomatum secundo, circa finem*, apoplexiam fieri posse ab intemperie cerebri, veluti nec etiã epilepsiam, quoniam subita illorum morborũ est generatio, & dissolutio. Quod si ita est, tanto minus credere oportet, syncopen ex intemperie vnquam contingere, vt *duodecimo Methodi* meminit, quanto celerius in hoc affectu, quam alio actiones corruunt: Si præterea intemperies partium id facit, cur omnes, qui ex febribus ardentibus, aut alia quacunque intemperie moriuntur, semper cum syncope non extinguuntur? itaque cum syncope præceps fit virium lapsus, illius causam in eo ponere oportet, quod subito affici, mutari, corrumpive potest: Solidæ vero partes subito alterari nequeunt, nec ita mutari alterantium vi, vt statim concidat vniuersi corporis robur, si modo quod solidum durumq; est, ægre patitur; & alterationes, præsertim tam insignes, quæ vim habeant perdendi vniuersas functiones, non nisi tempore fieri valent. Quamobrem si non ob temperamẽtum actiones subito labefactari possunt, nec ob facultatem efficientemque illarum causam id continget, si modo ob temperamentum facultates lædi, actionesque suas edere dicuntur. Neque etiam ob materiam, ex qua morbi gignuntur, id primo fieri cõtingit; quandoquidem humores putridi syncopen per se nõ committunt; aut apoplexiam crassi, & glutinosi, sed illi eo, quod spiritus corrumpunt, hi vero animalis facultatis sedem, & cauitates obstruant, actiones perdunt. Quanquam tamen videtur etiam syncope nonnunquam fieri posse ob humoralem materiam, quæ cordis meatus, & ventriculos occupet, sed id raro certe necesse est euenire, cum per huiusmodi fluxiones ita labantur vires, vt sine spe reuocationis (quod in syncope sæpius fit) mors sequatur. Ob finem vero multo minus accidere potest syncope. Quamobrem superest, vt solius communis instrumenti vitio oriri queat. Illud enim facile subitoque pati, subitæq; proinde huius mutationis autor esse potest. Est porro tenuis, calida, & mobilis spiritus substantia, vnde & facile accendi, dissolui, restitui, alterari, variè moueri, & alio modo variè affici potest, & varii proinde subitique ex eo affectus nascuntur. Quid enim citius, quæso, fieri apparet, quam quod per timorem, lætitiam, iram, & alias huiusmodi cordis passiones, spirituum sanguinisque motu, aut alio vitio contingere videmus? quales sunt tremores, decolorationes, rubores circa faciem & vniuersum corpus, inordinati validique motus, aut extremæ imbecillitates, quæ prædictas passiones sequuntur. Nec ratio quidem vlla est, cur huiusmodi cordis passiones, & animi subitas perturbationes, à sanguine spirituque prouenire putemus, syncopen vero ab intemperie, vel aliis causis. Requirit vero corpus in spiritibus certam quandam mensuram, qualitatem, & liberum motum, si modo rectè sua munera exercere debet, quod ostendunt symptomata, quæ eorum vitio nascuntur; cum enim illi deficiunt, statim etiam actiones collabuntur; id quod declarant, qui vel inediam diu tulerunt, aut multum in aliquo opere laborarunt, aut ob venæ sectionem immoderatam, vel alia demum ratione sunt exhausti. Nam hi, dissolutis spiritibus calidoque natiuo, aut subito cadunt, aut certe cessare ab omni negotio coguntur. Nocet & nimia abundantia, quod apparet, cum per vehementes accessio-

Syncopen no fieri per se ex humoribus putridis, vt nec apoplexia ex crassis.

Syncopes causa.

nes, aut timore, sanguis, & spiritus vniuersi corporis ad cor recurrentes multitudine nimia aut syncopen inferunt, aut nonnunquam etiam perimunt.

Alterationes in spiritibus quot modis fieri possint.

Cæterum alterationes in spiritibus, vt aliis rebus fieri possunt secundum primas, secundasque qualitates, aut etiam totam substantiam, putatque Galenus ex manifestis qualitatibus alteratis spiritibus syncopen committi, quod experientia falsum esse docet: Nam qui acutissimis febribus laborant, omnes in huiusmodi casum inciderent, vtpote quibus vehementer à calore spiritus alterentur, & mutentur: Quod si aliquando, qui ita afficiuntur, syncope corripiuntur, id non ob intemperiem solidarum, aut spirituum contingit, sed quoniam à vehementi calore dissipati spiritus deficiunt, alioqui etiam cum iacent, animo linquerentur; quod solum accidit, dum surgere tentant, aut mouentur: proprerea quod in eo negotio spirituum copia requiritur minus quidem necessaria, dum in quiete corpus continetur: sola ergo ea alteratio, *quæ maligna est, in spiritibus toto genere inimica*, syncopes potest esse causa: quod his euenire videmus, qui vel pestilẽtibus febribus vexantur, aut venenum assumpserunt, vel à feris virus eiaculantibus fuerunt demorsi. Maligna enim in spiritib. qualitas ineptissima est ad actiones obeundas, quo fit, vt eas labi, & perdi subito necesse sit: deficiente scilicet maxime necessario, & accommodatissimo instrumento. Cæterum lędi actiones, cũ spiritus conclusi in corde in vniuersum corpus libere spargi nequeant, indicio sunt, qui prohibita respiratione suffocantur, quiq; ex crudis humoribus obstruentibus cordis vasa laborant, & ob id syncope corripiuntur: Quod sane vitium proprie spirituum non est, sed ad illarum conceptacula pertinet, quæ vrgente obstructione liberum exitum illis nõ præbent. Hac ratione etiam adhibitis vinculis partibus, actiones earum pereunt: quoniam constrictis vasis spirituum, transitus & motus prohibetur. *Itaq; subita confertimq; facta actionis causa est alterutrum instrumentum*; Proprium quidem, vt in apoplexia dictum est; huius vero & etiam communis vitio syncope contingit, etsi immediata, proximaque syncopes causa tota ad spiritus referri videatur: In illis tamen functionibus, quarum vsus caloris spiritusque mutatione variatur.

Subita confertimq; facta actionis causa.

Finis etiam huiusmodi mutationum causa esse potest. Veluti cum pulsus statim desinunt moueri, cessante statim vsu per subitos timores & inuadentes accessiones morborum, per quas calor confertim relictis externis partibus, in interna viscera sese recondit. Atq; hæc quidem sufficiãt de actionibus auctis: nam causæ velocioris, crebrioris, & si quæ supersunt, alia genera, facile ex his, quæ supradicta sunt, & etiam à Galeno *in libro de Pulsibus* memoriæ prodita, intelligi poterunt: quandoquidem velocioris, crebriorisque pulsus eædem sunt, vt aliarum actionum, quæ similiter fiunt, causæ: & si aliquæ aliæ præter illas, quas illic ponit, necessariæ fuerint, ad aliorum imitationem, de quibus hactenus egimus, expositis fontibus minimo negotio emanabunt. Nec illud etiam explicãdum puto, quod pertinet ad causas singularum actionum, quæ sub debilitate comprehenduntur, si modo op-

A positorum eadem est ratio. Quare ad reliquarum functionum causas accedamus.

Cap. XIII.

De causis actionis deprauatæ.

VNiuersum deprauatæ actionis genus suas etiam causas ab iisdem generibus ducit. Etenim facultas ipsa deprauatæ actionis causa agnoscitur: vt enim cum ea parum imbecillis est, infirme solum agit, sic vbi plurimum mediocritate defecerit, quod efficit, corrupte facit: id ostendunt, qui à morbis vehementer debilitati, non solum imbecillos edunt motus, sed etiam B corruptos, dum proiecto, vacillanteq; corpore, aut contortis cruribus incedunt, & pulsus præterea, qui appropinquante morte, vndosi, formicantes, vel alio deniq; modo inæquales, deprauatique redduntur: Nec alia ratione tremores decrepitis & morbo affectis contingunt, quam quod infirmior vis corporis ętatis cursu, vel morbi vehemẽtia affecta, solidam membrorum molem sustinere, regereq; nequeat. Sic etiam Galenus ob infirmitatem vesicæ stranguriam, quæ certe inter deprauatos motus poni debet, fieri scribit. 1.

Vnde decrepitis tremores.

Quinetiam quę vehementer excedit in agendo facultas, deprauatæ quoque actionis causa censenda est: vt enim in defectu insigni corruptio adest, sic maiores excessus eadem sequitur: C quippe cum recta agendi ratio in sola mediocritate consistat. Hac quidem ratione ex nimia & immoderata coctricis facultatis functione, nidorulentam qualitatem cibi in ventriculo assequuntur, & sanguis æruginosus, & corruptus sanguificæ virtutis ob calidiorem intemperiem vehementia euadit. 2.

Vt vero excessus imbecillitatisque ratione, sic illius vitio & corruptione quadam, cum substantia partis & forma est corrupta, actiones deprauatas edi necesse est: veluti cum ob malignã intemperiem alimenti concoctio, & sanguificatio vitiatur, & deprauatur. 3.

Cæterum instrumenti communis vitio deprauatæ quoq; actiones fiunt, argumento, quod D equi & cætera animantia caloris ebullitione immoderate agitata, inæqualibus inordinatisq;, & omni ratione corruptis motibus cientur. Hoc pacto delirium in vehementioribus febribus, caloris vi commotis præter naturam spiritibus contingere videtur. in maniacis vero potius vitio ipsius facultatis, quod ob malignam quãdam ex atra bile intemperiem accidit. 4.

Et quemadmodum conceptis vehementioribus qualitatibus, aut accedẽte immoderato motu, spiritus deprauatæ actionis sunt autores, sic etiam illis refrigeratis segniusque motis, aut alio reuocatis deprauatæ prodeunt actiones: Quomodo tremores ob timorem, deserente exter- E nas partes calore, accidunt. 5.

Tremores in timore vnde fiant.

Porro vitio proprii singularum functionum instrumenti corrumpi actiones, facile est ostendere; cum non alia ratione, concreto circa pupillam crasso humore, fenestrata omnia, quæ videntur, appareant; & ventriculis cerebri obstructis, deprauatos totius corporis motus per comitialem morbum accidere videmus; nec non 6.

stran-

stranguria contingit obstruente calculo vesicæ orificium.

7. Quod vero ob spatium, in quo instrumenta mouentur, actiones deprauentur, testantur tremores cordis, qui occupato ab humore aquoso spatio, in quo cor ipsum secũdum naturam mouetur, accidunt: quin etiam deprauari arteriarum motus, vt pulsus intersecti, qui ob eandem etiam causam fiunt.

8. Nec illud absurdum videri debet, si mutato actionum vsu, ipsæ quoq; actiones deprauatæ euadantur: vbi enim vrget vehementius actionis necessitas, immoderatos, sic corruptos fieri motus oportet; veluti cum præsente periculo fugere coacti temere iactatis sine ratione corporis membris, quocunq; rapimur. Quo pacto forte etiam vbi corpus in febribus æstuat, maximusq; refrigerationis adest vsus, inæquales pulsus, & respirationes excitantur.

9. Nec minus materiæ vitio, quam à prædictis causis corrũpi actiones credere oportet. Quippe cum ex corrupto nutrimẽto coctionem quoque deprauari, nouum non sit, siquidem ex calidiore nutrimento nidorem, ex frigidiore aciditatem, & ex maligna illius qualitate indicibile vitium id, quod in ventriculo conficitur, contrahit. Ac non solum ob qualitatem, & quantitatem, sed etiam ordinẽ, & intempestiuam assumptionem alimenti, illius coctionem deprauari videmus; veluti cum secundo loco ingerũtur, quæ primo assumi debẽt, aut statim à somno, vel paulo post aliorum assumptionem (iam incipiente coctione) nouos cibos ingerimus: tunc enim variæ in ventriculo corruptiones ex deprauata coctione prouenire necesse est, quod quotidiana docet experientia. Atq; hæc etiam de causis functionum deprauatarum sufficiant: ex quibus quod peculiare est singulis speciebus sub eo genere contentis, paruo sane labore, ab eo, qui ratiocinari nouit, inueniri poterit.

Cap. XIV.

De causis doloris.

IN tristi actione, dolorem, in iucunda voluptatem fieri, antea ostendimus. Nunc vero causæ docendæ sunt, quibus tristes, & iucundas cõtingit fieri actiones, & dolorem voluptatemq; nasci. Sunt porro communes causæ doloris, & tristis actionis; voluptatis, & actionis iucundæ, nam quod dolorem committit, tristem reddit actionem, & ècontra quod tristem facit actionem, idem causa est doloris. Eadẽ est ratio de voluptate, & actione, ex qua illa nascitur; Verum hoc loco doloris, voluptatisq; causas enarrare instituimus, quorum nomina notiora sunt, quam actionum, à quibus proueniunt.

Explicationem causarum doloris esse admodũ difficilem. Quam vero difficilis sit huius rei explicatio, ex eo patere arbitror, quod nec inter philosophos, nec inter Medicos conueniat, quæ nam, & quot sint doloris, voluptatisque causæ. Etenim multa Platonis opinionem refellunt: Aristoteles pauca admodum, & ea obiter, tanquam exempla, de eadem re proponit: Galenus vero toties sententiam mutat de causis doloris, quoties de illis agit: Auicenna, & Auerrhoes non contenti Galeni tractatione, alias causas quærunt. Sed

A prius Galeni opinionem excutiamus, qui doloris causas nunc particulatim enumerat, veluti *Sententia Galeni.* cum à calore, frigore, vapore, vulnerantibus, cõtundentibus, & reliquis huiusmodi dolorem cõmitti sparsim refert: nunc vero generales, & cõmunes causas inuestigat, vt *lib. 10. Methodi*, vbi duas primum ponit esse causas doloris, alterationem, & continui solutionem: deinde vero inclinare videtur in eam opinionem, quod alterantia ideo dolorem excitent, quia continuum diuidunt. Adeo vt vel duæ sint communes causæ, alteratio, & diuisio, vel hæc sola: Verum neutra istarum causarum immediata, coniunctaque doloris est causa: non enim in omni membro, in quo fit alteratio, vel diuisio, nascitur dolor,

B vt ostendunt vulnera, & intemperaturæ ossium. Cæterum *libro de Causis symptomatum*, vnam ex Platone ponit doloris causam, nempe violẽtam passionem præter naturam, quæ quidem est magna & subita, sed hanc causam eadem refellunt: nam violenta mutatio sola nequit esse doloris causa. Quare merito alibi, vt *libro secundo de Medicamentis secundum locos*, addit sensum: quippe cum absque sensu nequeat fieri corporis dolor, & ob sensum ipsum contingat aliquando dolorem fieri: adeo vt tunc præcipua sit illius causa *sensus*. Nam si illæ ponendæ sunt in vnaquaque re causæ, sine quibus res fieri nequit, & symptomatum causas ea dicimus esse, à quibus symptomata ipsa proueniunt, vnam cer-

C te sumere oportet causam ex sensu, vt enim absque sensu dolor corporis non fit, ita ob sensum exactiorem, singultus, rigor, dolorque à moderatis, & minime dolorificis suapte natura causis sæpe nascuntur. Nec intelligere quidem possum, qua ratione Galenus hac causa prætermissa, dolorem soleat in his duntaxat quærere, quæ sensoria vehementius afficiunt: nam si singultum nonnunquam accidere dicimus his, qui exactiore sensu in stomacho sunt prædito, & concoctionem infœliciter obiri putamus, aliquando ob instrumenti vitium, vel facultatis ipsius malum, cur etiam doloris causam aliquando non referemus ad ipsum sensum, vel sensorium perperam affectum? vt pote quod ab his molestetur,

D à quibus nequaquam læderetur, si obtusiorem sensum obtinuisset. Est igitur ponenda vna causa doloris, quæ ex ipso sensu petitur; quia absque sensu dolor corporis nequaquã fieri potest; *Causam vnam doloris esse sensum.* & ob sensus exquisitionem nascitur etiam ab illis dolor, à quibus alioqui non fieret: Igitur constat, præter diuisionem, alterationem, violentam mutationẽ, alias esse doloris causas; nec adhuc inuentam esse causam proximam, & immediatam, ex qua aliæ postea nascantur.

Non enim vtcunque probandum est, plures requiri causas ad generationẽ doloris, sed à certo principio inchoandum, & necessariæ ab eo causæ eliciendæ sunt. Est porro principium aptissimum in hac re, inuestigatio immediatæ

E causæ; ex illius enim resolutione, veluti ex quodam fine, aliæ omnes protinus deriuantur. Ergo si dolor est molestia, quæ agendo percipitur, nata ab his, quæ continuum soluunt, *cognitio, & perceptio rei, quæ hoc modo molestat*, imme- *Immediata doloris causa quæ.* diata causa doloris erit: cum enim aliquid violentius afficitur, atque id percipitur, quod afficit, passio oritur, qui dolor vocatur, in his, quæ

dolere possunt. Quam quidem causam nequaquam ponere possunt philosophi: neque enim cognitio læsionis, aliqua ex illis causis est, quas illi ex Aristotele receperunt: sed modus est, quo intelligitur dolor fieri: nam cum sensus, vel alia potentia percipit passionem, quam inferunt soluentia continuum, tunc dolor oritur: causæ vero, illorum opinione, erunt id quod sensum afficit, sensusque ipse: quanquam nec hic potest causa illis esse: Est enim sensus id, sine quo nequit, & cum quo fit dolor: at causam sine qua, inter causas illi nequaquam agnoscũt: Quam quidem nos ex Galeno recipiẽtes merito cognitionem, & perceptionem rei inferentis dolorificam passionem, doloris causam esse dicimus immediatam: siquidem modi agendi sub eo genere causarum à nobis sunt comprehensi. Quod si ita est, tres statim alias necesse est resultare causas, vt enim cognitio fiat rei molestantis, necesse est adesse *id, quod potest molestiam inferre; & id, quod molestari potest, ac illud, quod molestiam percipere valet.* Quæ quidem causæ in corporis doloribus semper sunt re & ratione inter se distinctæ: In animi vero doloribus, idem aliquando contingit, aliquãdo vero accidit idem esse, quod patitur, & passiones ipsas appræhendit, & diiudicat; Etenim in dolore corporis, necesse est membrum, quod afficitur, aptum esse ad doloris generationem: deinde adsit oportet, quod vim habet dolorem inferendi: Postremo mentem, siue intellectum vel sensum cõmunem, vel quocunque alio modo velis eam partem vocare, quæ appræhendit & diiudicat passiones factas in singulis sensoriis. Cęterum in dolore animi videmus multas esse facultates in quibus dolores fiunt: nam in imaginatione, cogitatione, intellectione, ac recordatione rerum molestarũ, animum affici, doloreque torqueri sæpe experimur. Itaque si imaginatio forte pati potest huiusmodi molestias, sed eas nequit concipere, & iudicare, aliam adesse quoque oportet facultatem, quæ iudex sit, eo modo, quo in corporis dolore huiusmodi vim statuẽdam esse diximus. At vna erit re, ratione vero duæ, si vna, & eadem facultas potest de suis passionibus iudicare, vt forte intellectus, vel cogitatio; quod absurdum nequaquam esse puto: quandoquidem alioqui progrederemur in infinitum, si omnes fateremur in sua actione dolorem pati posse, aliam autem semper requiri vim, quæ de passionibus huiusmodi iudicaret, sed hoc philosophis relinquo discutiendum, qui perinde ac si vidissent animæ facultates, ita distinguunt, vt vnam pati, aliam agere oportere statuant: quasi aliter nõ possit res habere, quam quod illi fingunt. Verum his prætermissis, & eo, quod certũ est, recepto, esse, inquam, in doloris generatione necessarium aliquid, quod patiatur, aliud quod agat, aliud quod passiones iudicet esse, quales sunt, & eas agnoscat, quæ dolorificæ. Jam expendamus, quid in vnoquoq; istorum requiratur, vt apta reddatur doloris causa.

Tres aliæ causæ doloris.

Porro facultas animæ, quæ passiones dolorificas agnoscit, & diiudicat, apta est ad doloris generationem, *quæ corrupta non est, nec in alio opere vehementer occupata, aut ad extremum debilitata.* Nam ideo delirantes negant se dolere, quod corruptum sit illorum iudicium, adeo vt non ap-

Qualis facultas animæ ad cognoscendum & diiudicandum dolorẽ requiratur.

A præhendant, nec discernant dolorificas, quas patiuntur, impressiones: Atque illud est, quod Hipp. dicit *in Aphorismis, Quicunq; dolentes parte aliqua corporis dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.* Qui vero vulnerantur in certamine, nequaquam sentiunt dolorem ex vulneribus sibi illatis, eo quod illorum animus occupetur in vulnerando alium, seque ipsos defendendo, adeo vt simul nequeant appræhendere, quæ interim patiuntur; Vnicum enim est instrumentum, quo facultates omnes animi, & corporis vtuntur; calidum, inquam, innatum; quod cum iam vni inseruit vehementer agenti, nequit alteri ministrare, eo quod vniuersum occupetur in prioris actionis officiis, qua quidem ratione etiam accidere videmus, vt interim, cum aliquid

Sect. 2. Aph. 6.

Cur delirantes & præliantes dolorem nõ sentiunt.

B vehementius cogitamus, nequaquam videmus, quæ circa oculos obuersantur. At vero non dolent, qui morti iam sunt propinqui, quia propemodum iam extincta facultas ob imbecillitatem, vt ad alias functiones, sic ad apprehendendas, & iudicãdas passiones dolorificas est inepta, habeat ergo hæc oportet potentia, quæ ad generationem doloris est necessaria, vt deprauata siue corrupta, aut ad extremum debilis, aut vehementer in aliquo negocio occupata nequaquam sit: nam quod illam abolitam esse minime oporteat, certius est, quam vt doceri debeat; Quod si simul imbecillis & mollis fuerit, aut exquisito iudicio prædita, omniũ erit aptissima ad

Cur morti vicini non doleant.

C dolorem excitandum. Sic enim videmus, ingeniosos doloribus vehementius aliis torqueri, quod exquisitiore ingenio sunt prędit, quo possint exacte dignoscere omnes, vel leuissimas molestias: sic qui molliore sunt animo, vt mulieres, à leuissimis quibusq; rebus dolores, & eos quidem graues experiuntur: Philosophi vero, & fortes homines, vix sentiunt ex aliqua re dolorem: propterea quod animi fortitudine muniti, incommoda vniuersa cõtemnant, nec agnoscere velint dolorifica esse.

Quæ facultas ad dolorẽ excitandum sit aptissima.

Jam vero in corporis dolore quædam necessario adesse oportet in subiecto siue parte corporis, quæ ad patiendum dolorem sit habilis: Ac nonnulli quidem in huiusmodi parte requirunt,

D vt passibilis sit, sensu prædita, & caloris nequaquã expers. Ideo enim cartilagines & ossa, haud dolere, quod frigidæ sint partes: sed illi superfluo duo addunt, nam si sensu præditam dicunt esse partem aliquam, includũt necessario illam calorem habere, & pati posse: siquidem sensus nequit fieri in his, quæ pati nequeunt, aut nõ viuũt. Temere quoq; dicuntur cartilagines & ossa non sentire, eo quod frigidæ sint partes: hoc enim illis accidit alia ratione, *quia, inquam, neruos nõ recipiunt,* qui sensum à cerebro, & spinali medulla in eas duntaxat partes spargunt, in quas inseruntur. Ideo enim partes quædam sentiunt, aliæ vero nequaquam, quod illæ neruos habeãt, hæ vero minime, aut certe non habeant expeditos, vt

Quid in parte requiratur vt dolore affici possit.

Cartilagines & ossa cur non sentiant.

E in neruorum vulneribus, & resolutione partium contingit, in hac enim propter obstructionem, in illis vero ob diuisionem nequit sensifica vis in partes immitti, quarum nerui sunt affecti: *fatendum igitur est, si in dolore corporis pars, quæ afficitur, sensum obtineat aliquem.* Nam non solum in parte, quæ sensum tactus habet; sed etiam in aliis, quæ donatæ sunt à natura sensu auditus, gustus,

In omnibus sensoriis dolorem fieri posse.

visus, &, odoratus, deniq; in omnibus sensoriis dolores fiunt. Verum quemadmodum animæ facultas, quæ iudicat de dolore, exquisita, aut debilis, aut mollis, aptissima dicta est esse ad doloris generationem, sic pars, quæ sensu exquisitiore in eodem genere sensus est prædita, molliorq; & delicatiore substantia constat, maioris doloris est causa. Quandam etiam oportet esse causam, cur pares non sint in omnibus sensoriis dolores, sed maiores in quibusdam, in aliis vero leuiores: de qua quidem postea commodius agemus, vbi causas doloris, & voluptatis, quæ fit in singulis sensoriis, docebimus.

Non omnes facultates animæ esse doloribus subiectas.

Cæterum vt in dolore corporis, non omnis corporis pars est apta pati dolorē, sic nec omnis animæ facultas subiecta est doloribus, sed quædam, dum agunt, dolore, aut voluptate afficiuntur, aliæ vero nequaquam: & quædam vni duntaxat ex istis passionibus sunt obnoxia, quæ quidem explicare quam sit difficile, omnes intelligere poterunt, qui vnquam de hac re cogitare velint; sed ne id prorsus intactum relinquam, tentabo equidem aliquid dicere, quo studiosos pulcherrimarum rerum inuitem ad meliora excogitanda.

Omnes facultates principes doloris & voluptati esse obnoxias.

Ac videntur mihi imprimis omnes principes à Medicis vocatæ facultates dolori & voluptati esse obnoxię: nam (vt obiter antea dicebamus) imaginatio, cogitatio, siue ratiocinatio, & memoria à suis obiectis, dolores, & voluptates experiuntur; fit & in concupiscentia voluptas; quando appetimus iucunda, ex illorum vero priuatione dolor nascitur, sed an ille fiat in ipsa concupiscentia, an in alia facultate, asserere nequeo: quemadmodum illud sane dubium esse puto, an voluptas, quę oritur ex appetitu, in ipso fiat, an potius in alia facultate: motionis vero & generationis initium ab ipso appetitu sumat; Agnoscimus in ea facultate, quam animosam, & vitalem Academici vocant, moueri dolores, & voluptates. Nam ex ira, tristitia, timore, experimur, dolorem in nobis commoueri; ex gaudio autem, & risu moderatis, voluptas sequitur; ex risu vero immodico sentimus aliquando in corde, veluti dissolutionem quandam, & inde dolorem excitari: sed vt in prædictis actionibus, & passionibus, sic in his haud facile explicari posse puto, quęnam facultas recipiat impressiones doloríficas, & voluptuosas: An, inquam, vis illa, quæ timoris, aut iracundiæ est autor, eadem recipiat dolorem: an potius ab istis & aliis commoueatur, quod dolorē facit, ita vt illæ autores sint doloris & voluptatis: vna vero sit facultas sola, quæ passiones inferentes dolores, & voluptates in se recipiat: quomodo inter omnes corporis partes ea duntaxat, quæ sensu est prædita, dolori, & voluptati est obnoxia; tametsi ex aliarum actione in sensoriis hæ nascuntur passiones, hæc enim, inquam, difficile explicari posse puto. Atque hæc sufficiant de his, quæ requiruntur in parte corporis, & animæ, apta ad dolorem concipiendum.

Quænam facultas recipiat impressiones doloríficas, & voluptuosas, difficulter posse explicari.

Qualia esse oporteat quæ vim habent dolorem inferendi.

Nunc vero sequitur, vt doceamus, qualia esse oporteat, quæ vim habent inferendi dolorem; & quidem re antiqua est à Platone in Timæo docta sententia, recepta deinde à Galeno, & omnibus Medicis, ea solum posse dolore, & voluptate afficere, quæ subito, celerē, confertim agunt.

A Appellant autem illa *confertim agere, quæ celeriter agunt, & simul magnas mutationes efficiunt*: quæ enim vel sensim aliquid faciunt, aut paruas moliuntur mutationes, creduntur nequaquam apta esse ad dolorem, & voluptatem inferendum: atque id esse, inquit Galenus *libro primo de Causis symptomatum*, quod scribit Hippocrates, dolores fieri his, quibus natura alteratur & corrumpitur, celeritatem simul ac magnitudinem mutationis indicare. Quam quidem opinionem multa meo iudicio refellūt. et primum illud primum, quod autores illius sibi in hoc repugnent; Nam Gal. *septimo libro Methodi medendi*, quod Aristoteles etiam testatur, & experientia docet, pronunciat humidum & siccum,

Non solum ea quæ confertim agunt & magnam mutationem efficiunt, dolorem inferre.

B vtpote quæ passiuæ potius, quam actiuæ sint qualitates, non nisi sensim, & longo tempore posse suam vim imprimere: cum tamen Galenus *libro secundo de Victu acutorum*, & *secundo de Medicamentis secundum locos*, statuat dolorem ab his qualitatibus nasci. Deinde idem autor *libro primo de Causis symptomatum* hanc opinionem euertit; cum docet, vt postea ostendemus, tum tactum, tum alios sensus dolentes leniri, voluptateque affici, quando sensim & leuiter à suis subiectis tractantur. Præterea repugnat huic sententiæ experientia, nam si quis etiam leniter pungat digitū, siue id subito agat, siue paulatim, certe dolor nascetur, atqui huiusmodi mutatio magna non est; siquidem magnas eas censemus esse mutationes, quæ plurimum distrahunt corpus à priore statu; qualis profecto nequit esse huiusmodi punctura, quæ postea quam

Mutationes magnæ quæ.

C ablata est res, quæ pungebat, nulla eget medicina, sed solius naturæ beneficio protinus sanatur, aut potius nihil relinquitur, quod aut artis, vel naturæ operam desideret. *Ergo quod leuissimam & minimam facit mutationem, dolorem potest parere. Possunt & idem præstare, quæ paulatim agunt*: nam, vt id patere ostendimus ex punctura, quæ paulatim adigitur; sic cum dolor fit ab exsiccantibus, nulla celeritas adesse potest; *sed sola sufficit actionis magnitudo.* Ad hæc si omnia, quæ dolorem pariunt vt postea ostendemus, id faciunt soluendo continuum: hoc sane erit euidens argumētum, dolorem nasci posse, tum his,

D quæ leniter, tum ab illis, quæ multum soluunt agunt; nam ex vtroq; genere reperire est, quæ cōtinuum diuidunt. Idem testantur animi dolores, qui à rebus minimis, maximis, subitis, & tardis incipiunt, augenturq;. Sunt etiam multa, quæ etsi confertim agunt, tamen dolorem nequaquam procreare possunt; cuius generis est purgatio, sanguinis missio confertim adhibita; hæc enim suapte natura dolores mulcere, minime vero inferre sunt apta.

Confertim agentia non omnia inferre dolorem.

Itaq; cum inter illa, quę cōfertim agunt, quædam dolorem committendi vim habeant, alia vero nequaquam: alia præterea sint, quæ etsi nō nisi sensim, aut leuiter agunt, dolorem tamen

E inferunt, cogimur alia rerum genera excutere, vt tandem inueniamus, quid dolorem efficere possit; At ex vniuersis rebus, duntaxat hanc vim tribuunt Medici, alterantibus, inquam, & continuum soluentibus: sed in hoc alii aliter sentiunt; nam Auicenna tum alterantia, tum diuidentia cōtinuū suapte natura doloris causas esse cēsuit: Auerrhoes autē ostendere nititur adueр-

sus Galenum, dolorem non fieri à continui solutione; Galenus vero ipse aliquando statuit dolorem duntaxat fieri ab his, quæ continuum soluunt: alterantia vero non, quia alterant, sed quia ex alteratione continuum violent, dolorem parere; quorum quidem rationes paucis subiicere aggredior. Ait igitur Auicenna dolorem in partibus similaribus fieri sæpe, vbi nulla apparet diuisio: veluti cum vniuersum membrũ dolet, quod tamen nequaquam in omni sua parte diuiditur. Addit, dolorem fieri à calore & frigore, vbi nulla conspicitur diuisio. Præterea sæpe solui continuum, & non sentiri dolorem: frigus verò, & calorem, cum dolorem excitãt, sentiri. Ad hæc dolorem esse rei cõtrariæ sensum: hunc vero ab intemperie fieri; quare illam esse doloris causam. Postremo sanitatem similarium constare tum in ipsa temperie, tum in continuitate, quo fit, vt si dolor nascitur, cum res corrumpitur, vt scribit Hippocrates; necessario quoq; fiat ob temperaturæ morbum. Hæc & similia pronunciat Auicenna, quibus efficere nititur, vt dolor semper non fiat à continui solutione.

Opinio Auerrhois, negantis continui solutionem esse doloris causam.

At Auerrhoes negat cõtinui solutionem causam esse doloris, hac potissimũ ratione, quod dolor in sensibus fiat solum à propriis obiectis; solutionem autẽ continui non esse obiectum alicuius sensus. Quibus quidem aliæ addi possunt rationes. nam si alterantia dolorem faciunt soluendo continuum, committent vtique aliquam speciẽ solutionis continui; sed quam, quæso, vlcusne, aut vulnus, vel fracturam, vel rupturam? quod si ita est, cur inter causas solutionis continui, & specierum illius, non recenset Galenus *in libro de causis morborum*, & *alibi* alterantia? Accedit, quod duo remedia requirantur ad dolores sedandos, alterans, & vniens partes diuisas, tanquam duę sint causę doloris, contra quas pugnant duo remedia genere discrepantia. Quod quidem argumentum videtur esse Medicis magni momenti; quandoquidem Hippocrates ex diuersis generibus remediorum, hominem ex diuersis, nequaquam vero ex vno elemento, cõstare probat; Galenus vero, vt diximus, in hac re varius est, nam *in libro de Inæquali intemperie capite secundo de medicamentis secundum locos*, & *in libro de Natura humana*; & *secundo de Vsu partium* [?] *oculorum*, & *alibi* sæpe, statuit dolorem fieri, & ab alterantibus, & à soluentibus continuum: *libro* vero *duodecimo Methodi*, & *primo de Causis symptomatum*, & *quarto de Simplicibus medicamentis*, & *capite decimo secundo de Medicamentis secundum locos*, omnia, quæ dolorem pariunt, putat id facere eo, quod partium continuitatẽ corrumpant; sed nulla communi ratione vtitur, nec satis docet, quo pacto singula ob diuisionem doloris sint causæ.

Immediatam & proximam doloris causam ex solutione continui nasci.

Ego vero arbitror *vnam esse hanc immediatam, & proximam doloris causam, quæ ex continui solutione nascitur.* Quod breuiter docere aggredior, nam si intemperies, aut id, quod intemperiem immediate parit, dolorem moueret non soluendo continuum, vbi vehemens esset calor, sicut contingit in febribus ardentibus, in omni parte corporis sensu prædita dolor fieret; at id non fit; etenim thorax, qui multis neruis præditus est, & ob id sensum exquisitiorem habet, quam vena caua; & renes, aut lumbi, non dolet, etsi vehementius calefit, vtpote qui propinquior sit ipsi cordi, vbi est ipsius febris, & caloris sedes, oporteret autem hanc partem, quę magis calet, & quàm multæ aliæ, quæ dolent, maiore dolore torqueri, si ex sola intemperie dolor nasci posset: Qui vero immediatam causam doloris ponunt esse solutionem continui, in promptu rationem habent huius diuersitatis, quod non omnes partes, quæ calefiunt, tendantur ex humorum ebullitione, & vaporum copia; vnde potissimum circa renes & in capite, per febres dolores vrgent; quoniam, etsi partes illæ minus calent, forteque minus sentiunt, quàm quæ thoracem constituunt; tamen plurimus vapor, & humor in illis continetur, qui membranas, & vasa tendunt. Idcirco dolor in illis nascitur, nequaquam vero in aliis, quæ distendi nequeunt; vel quod magnas habeant cauitates, quæ ab humore, aut vapore repleri non possunt, vt thorax, aut paucos contineant humores, ex quorum ebullitione nequit fieri tensio, vt caro; vel quod tensioni repugnet partis natura, cuius generis est hepatis caro. In his igitur non fiunt dolores in febrib. quia etsi plus satis incalescunt, tamen solutionem pati nequeunt ab illis causis, à quibus in aliis tunc dolores fiunt; deinde cum qualitatum, quæ vnius sunt generis, vna vis, & natura esse debeat, erit quoq; calefacientium omnium eadem agendi ratio, quoniam eadem natura. Itaq; si ignis calefaciendo tandem comburit, continuumq; violat: sequitur, vt omnia, quæ calefaciunt, eandem vim obtineant, soluendi, inquam, continuum, inferendiq; hac ratione dolorem; etsi in quibusdam rebus ob caloris vehementiam, euidentior sit diuisio, in omnibus tamen sensus aliquis solutionis, & diuisionis apparet: nam dolor, qui à calore nascitur, est semper cum quadã ebullitione, effusioneq; humorum, ex qua tensio, & continui solutio oritur. Idem testatur dolor, qui fit à frigore, etenim digiti, qui ex eo dolent, tumidiores, & tensi apparent, quod indicio est, continuum diuidi. Hæc satis probare videntur, alterantia non sua ratione, sed ea, qua continuitatem partium corrumpunt, dolorem inferre.

Cur in febribus dolores circa renes & caput potissimum vrgeant.

Alterantia quomodo inferant dolorem.

Aliorum vero rationes, qui aliter sentiunt, facile est euertere, nam quod ait Auicẽna, vniuersum membrum dolere, in quo tamen non est solutio continui, quæ solum est, vbi vulnus, vel alia diuisio cõspicitur, falsum agnoscitur, etenim vbicunque dolor est, prorsus aliquid adest, quod continuum lædit. Nam vulneratæ parte, quæ prorsus diuisa non sunt, vt in puncturis neruorum contingit, tenduntur versus sua extrema; aut dolor contingit, quod confluant humores, qui inflammationem excitant; ex qua membrũ si paulatim corpori admoueatur, eodem modo ex fusione humorum, & vaporum generatione dolorem pariet. At si confertum adhibeatur, primum incidendo suo quodam modo, & penetrãdo, postea vero etiam exulcerando continuũ lædit: hoc modo videmus flammam nostra corpora paulatim afficere; quod in crassa substantia constiterit ignis, proximus exulcerando, & erodendo causa fit diuisionis continui: quod fieri videmus ab aqua feruente, & accensis carbonibus: hæc enim subito crustam suo contactu excitant. Cæterum interius calor minor, vt in longinquis

tibus

tibus febribus, ex humorum fusione, & vaporũ generatione, solutionis continui, & doloris causa euadit: qui autem vehementior est, vt in febribus ardentibus, nõ solum ex vaporum generatione, sed etiã ob ebullitionẽ humorum, tendit, doloremq; affert. Igitur cum internus calor non nisi interuentu humoris, doloris sit causa, non mirum, si hectici (vt diximus) nequaquam dolent: imbecillus enim est in illis calor, qui nequit in humorum inopia excitare ebullitionem; aut tantos vapores procreare, vt partes iam inanitæ, distendi valeant: externus vero calor vehementior potest dolorem in illis mouere, *quia alia ratione continuum corrumpit, diuidendo*, inquam, *& penetrando:* cui passioni obnoxii adhuc sunt hectici; At multo quidem melius est ita sentire, euidentia, & rerum consona sequendo, quã refugere ad æqualem illam temperiem, in qua animus quiescere non potest. Cæterum frigus mitius tendit partes compellendo, exprimendoque humores à superficie, cui occurrit, in profundum, quod vero vehementius est frigus, vim quandam habet penetrandi, & veluti incidendi & mordẽdi, vt in niue, & aere frigidissimo morsionem sentimus, in naribus, auribus, extremis digitorum partibus. Hęc enim frigida suapte natura, & sine munimento, primum externis iniuriis exposita, grauius aliis membris afficiuntur. Ergo *calor, & frigus aliquando suapte natura, aliquando vero ob passiones, quas pariunt in humore, continuum diuidunt, doloremq; pariunt.* At vero humiditas humectãdo replet; ex repletione tensio, ex tensione continui solutio, & dolor fiunt. Iam vero siccitas vix potest dolorem efficere, nam suapte natura vt nec aliæ qualitates alterando, nequaquam potest id facere. Continuum autem diuidi non potest à siccantibus in partibus neruosis, sentientibus, in quibus fit dolor, quin prius mors præueniat, propterea nec conuulsionem à siccitate fieri, facile possum ostendere; Aiunt enim huius opinionis autores, fieri conuulsionem siccando, ex sanguinis profluuio; purgatione, sudore, vomitu, inedia, motu, à febribus ardentibus, & aliis huiusmodi rebus, quæ corpus vacuant, & exsiccant. Rationi enim consonum videri, vt nerui ob siccitatem contrahantur, conuellanturque, quo modo chordas cithararum ab igne & sole exsiccari, contrahique conspicimus: Verum si quis paulo diligentius rem expendat, inueniet profecto, hanc opinionem infirmis niti fundamentis: Nam si in conuulsionis generatione non sufficit qualiscunque humorum consumptio, sed necessarium est, humorem eum absumi, quo neruus ipse constat, & terrenæ illius partes inter se glutinantur, semper præueniet mors huiusmodi siccitatem, prius enim, quam tenetur materia insita singulis membris, humores, qui in vasorum cauitatibus continentur, educentur, vt qui facilius sequi possint attrahentium, aut impellentium, aut alio modo vacuantium causarum vim. At consumptis his humoribus, imo non expectata integra consumptione, anima, vitaque expirant: vt quæ nequeant in corpore omnem pati excessum; Sed quis vnquam vidit huiusmodi conuulsionem à siccitate, nisi quis data opera, neruos denudare, & igni exponere velit: forte enim tunc conuulsionem pariet siccitas: sed de hoc non agimus,

Calorem internum non nisi interuentu humoris esse doloris causam.

Hectici cur non doleant, & à quo calore possint doleré.

Calor, & frigus quot modis continuum diuidant, doloremq; pariant.

Quomodo humiditas sit doloris causa.

Conuulsionem nullam fieri à siccitate.

A nec quærimus, quid nostra opera fieri possit; verũ quid possint morborũ causæ; quas illi ponunt, quibusque mederi debemus. Quod si conuulsio à siccitate fieri potest, cur tabidi, qui ad extremam siccitatem peruenerunt, conuulsionem nequaquam experiuntur in musculis, ventriculo, & in aliis omnibus partibus, in quibus adsunt nerui? Id vero illis imposuit, quod viderunt, multos exsiccatos, & conuulsos: quod nos ipsi concedimus: non tamen propterea conuulsio à siccitate erat: sed ob acres, aut etiam alios humores: siccitas vero ipsa ab aliis suis causis. Addo quod scribat Galen. *in libro de Conuulsione*, eos, qui ex siccitate conuelluntur, protinus mori; nec cogitandi quidem de remedio aliquo B tempus concedere: ex quo constat, eos falli, qui specie mali decepti, se conuulsioni ex siccitate auxilia descripsisse putant, quod si humectantia conuulsionem iuuant, id quidem non faciunt, quo medeantur conuulsioni à siccitate; sed quod acres, & mordaces humores, aut alios, qui forte conuulsionem faciant, retundant, aptosque ad euaporationem reddant; Nec par quidem est ratio de chordis cithararum, & neruis: nam illæ exsiccatæ iam suapte natura, & nequaquam munitæ ab aliis partibus, nec attractrice facultate, cuius opera humectari possint, præditæ, à calore, & siccitate facile contrahi possunt. At nerui, cum venas & arterias habeant vicinas, à quibus trahere possunt humorem, & ex C eo humectari, difficileq; pati possint ob suam duritiem, & partium vicinarum munimentum, & deniq; vndiquaque tegantur, & humectentur, conuulsiuam siccitatẽ nequaquam experiri possunt; mors enim semper anteuertit ex humoris contenti in suis vasis defectu. Ergo si dolor à siccitate fieri non potest, nisi ratione tensionis, tendi autem non possunt partes sentientes, & neruosæ à solis siccantibus, constabit, à siccitate nullum posse fieri dolorem, aut si fit, nõ erit ille quidem leuis, vt Galenus sentit, sed vehemens, vt qui non nisi à magna siccitate fieri possit: sed hęc satis de dolore, qui fit à primis qualitatibus in sensu tactus.

Quomodo humectantia iuuent conuulsionem.

A siccitate nullum fieri dolorem, aut si qui fit, illũ esse vehementem.

Quod vero alia obiecta huius sensus dolorem D pariter committant ob solutionem continui, omnibus notum esse puto: nam dura, grauia, crassa, acria, mordacia, vulnerantia, & alia huius generis doloris sunt causæ, vel comprimendo, & ob id tendendo, vel erodendo, vel incidendo, vel frangendo, vel alio denique modo, continuum soluant: de qua re antea abunde tractauimus.

Quomodo alia tactus obiecta pariant dolorem.

Cæterum in aliis sensoriis non perinde facile est modum inuenire, quo dolor gignitur; tamen si quis diligenter inspiciat, vt tactum à prædictis obiectis diuidendo; sic & alia sensoria affici, dolereque à suis obiectis ob solutionem continui intelliget: nam sapores, qui dolorem pariunt, vt Plato *in Timæo*, & Galenus *quarto de Simplici-* E *bus* recte docent, vel mordicando, vel contrahendo continuum corrumpunt. Idem faciunt colores, odores, & soni: hæc enim omnia doloribus sita sensoria afficiunt, quod vel contrahant, aut secent quodammodo, aut dissoluant, quod vnitum est. Atq; hæc satis de his, quæ doloris ipsius corporis sunt causæ: Nunc vero videndum est, an possit doceri ratio, qua dolores in animo

Non solum tactum, sed & alia sensoria omnia dolore affici per diuisionem continui.

à suis obiectis oriuntur: quod etsi difficillimum est intelligere, tamen præstat in re pulcherrima periclitari, quam penitus tacere.

Igitur cum dolor animæ non conueniat sine corpore: merito forte statuere poterimus, facultates animæ, quæ dolori subiiciuntur, pati à suis obiectis, non solum ex propria natura, sed multo magis ex passionibus, quæ in partibus illis fiunt, in quibus facultates huiusmodi resident, nam mœrorem, & luctum dolemus, sentimus, cor admodum contrahi, & violentiam quandam ex immoderata contractione pati; id quod etiam in timore percipitur, *est enim timor vel dolor quidam, aut certe aliquid doloris simillimum.* Contra vero in ira sentimus cor ex ebullitione tendi; in gaudio fit & dissolutio quædam, ob dilatationem, & quandam effusionem, nonne etiam in imaginatione rerum molestarum sentimus cerebrum contrahi, & veluti diuidi? Itaque si dolores tum animi, tum corporis fiunt ab his, quæ substantiam instrumentorum diuidunt, iam elici potest perfecta doloris definitio, quã antea potius supposuimus, quam certa aliqua ratione veram esse ostenderimus. Est, inquam, dolor *molestia, quæ agendo percipitur, in certis actionibus facta, dum continuum soluitur:* comprehendit hæc definitio omnem dolorem animæ, & corporis; ex quo nullo negotio possunt elici peculiares definitiones. Quare superest, vt ad alia properemus.

Timor quid.

Dolor vere quid.

Cap. XV.

De differentiis doloris, & illarum causis.

Doloris differentias à nullis certis fontibus ducit Galenus, sed passim singulas enumerat; quo fit, vt nemo intelligere vnquam possit, an omnes differentias teneat, an quædam adhuc forte relinquantur; quare ex certis capitibus rerum differentiæ sunt petendæ. Porro doloris differentiæ, quæ præcipuæ sunt, sumentur ab illius essentia; Sunt autem de essentia doloris, quæ in illius definitione assumuntur. Igitur cum dolor corporis, cuius potissimũ differentias, & illarum causas quærimus, sit molestia, quæ sentiendo percipitur, à certis causis nata; merito ex differentia, quæ agnoscitur in ipsa molestia, quæ sentitur, & ex causis, quę illam pariunt, aut patiuntur, differentiæ multæ resultabunt. Notamus quidem in ipsa molestia qualitatem quandam, & quantitatem: ac à qualitate molestiæ sumptæ sunt illæ differentiæ, cum dicimus, inter dolores quendam esse tensiuũ, alium mordacem, alium erodentem; alium acutum, alium pulsatorium, alium vlcerosum, alium asperitatibus quibusdam plenum, alium, qui terebri, aut pali perforantis sensum præbet, alium stupidum, alium stipulantem, alium punctoriũ, alium contundentem, alium retrahentem, alium denique detrahentem, quia enim sensus quidam fit tensiuus, stupidus, vel quod molestia fiat cũ tensione & stupore, ideo tales dicuntur esse doloris differentiæ: quamquam tamẽ huiusmodi nomina pluribus à Galeno vsurpẽtur: de qua quidem re breuiter ego, ne quæ difficultas in tractatione ex significationis ignoratione oriatur. Sed illorum duntaxat mẽtionem faciemus, qui pluribus

A modis vsurpantur, vel ex ipso nomine non satis patet illius natura.

Igitur grauis dolor, vt Galenus *in primo Commẽtario sexti libri de Morbis vulgaribus* testatur, bifariã vsurpatur; vel enim grauis dicitur, quod rei grauis loco incumbentis sensum inferat, vel quod difficilis sit. Acutus dolor vocatur ab eodẽ autore, qui sensum talẽ repræsentat, qualis à re acuta pungente nascitur. Estq; (vt ille ait) duplex, vnus leuiter acutus, qualis ab acutæ acus punctura fieri consueuit, alius qui à recrassiore acuta excitari potest. Vlcerosum dolorem definit, qui inter mouendum, vel tangendum in laborãte parte sensum excitat, qualis in partibus vlceratis percipi solet. Est vero stupidus dolor, qui cum

B stupido sensu est coniunctus: Pulsatorius intelligitur, qui cum quadam pulsatione affligit. Mordax siue erodens is est, qui erosionis sensum affert; Punctorius est, qui punctionis sensum refert; In hoc etsi veluti radix pungendo videtur hærere in vno loco, dolor tamen latius in circulo extenditur; Contundens contusionis sensum præbet; Retrahens est, in quo pars affecta retrahi: Detrahens vero in quo eadem detrahi videtur.

Cæterum à quantitate molestiæ, siue maiore, aut minore, sensu ducuntur hæ differentiæ, cum dicimus quosdam esse dolores magnos, alios paruos siue remissos, alios esse maximos, alios vehementissimos, alios minimos.

C Iam vero à causis dolorum sumuntur illorum differentiæ: à differentia quidem subiecti, in quo fiunt, ducuntur hæ, cum dicimus dolorum quosdam esse internos, alios externos; alios profundos, alios his oppositos (vt ita dicam) superficiales. A situ enim partis, quæ affligitur, emanant hæ differentiæ: Ab illius vero figura proueniũt illæ, cum dicimus, dolores quosdam esse latos, siue vt vocat Galen. late fusos, alios angustos, alios extensos, secundum longitudinem, alios contractos, & si quæ aliæ sunt huiusmodi differentiæ. A partis vero quantitate, vel quod vniuersam, vel mediam, aut minorem duntaxat illius portionem occupet: cuius generis sunt in dolore capitis, cephalalgia, hemicrania. At à partis substã-

D tia quæ dolet, differunt inter se dolores, vt colicus dolor, Nephritis, Pleuritis.

Cæterum à causis committentibus dolorem emanant etiam quædam differentiæ, in quo genere non incommode reponi possunt hæ, cum dicimus, dolores quosdam esse malignos, alios benignos, quod à benignis, & malignis causis sit nati: Item cum dicit Hipp. inter dolores quosdam esse calidos, alios frigidos.

Proueniunt nonnullæ quoque differentiæ à causis sine quibus non; A modo quidem generationis, & solutionis, cũ dicimus dolores quosdã præterea per cõsensum, alios primario gigni. A tempore vero afflictionis, quãdo dicimus, dolores quosdam esse nouos, & recentes, alios an

E tiquos & inueteratos, quosdam raros, & intermittentes, alios frequentes, vel continuos. Sumi etiam nonnullæ possunt à modo, quo infestant: quidam enim fixi sunt, alii discurrentes, alii emicantes, qui, vt inquit Galenus, parte primario affecta, veluti à radice incipientes celeriter in partes adiacentes transferuntur, vt in vehementissimis Hemicraniis apparet. Atq; has omnes diffe-

Dolorem grauem bifariam vsurpari.

Quis & quotuplex acutus.

Vlcerosus.

Stupidus.

Pulsatorius.

Mordax.

Punctorius.

Contundens.

Retrahens.

Detrahens.

Differentia à quantitate.

à doloris causis.

à differentia subiecti à figura.

à partis quantitate.

à partis substantia.

Differentia à causis committentibus dolorem.

à causis sine quibus non. a modo generationis & solutionis. à tempore afflictionis.

à modo quo infestant.

tunc solum, quando fit actio. Sed de his postea quædam diligentius proponemus. Quod si ita est, quid aliud erit dolor, quam *molestia, & passio, quæ agendo percipitur, ex solutione continui nata*; siue *molestia, & passio, quæ fit in sensu aut animo, à soluentibus continuum*; nam, vt postea ostendemus, non solum in sensu, sed etiam in animæ actionibus, quæ subiectæ sunt dolori, & voluptati, dolor nascitur ab his, quę continuitatem partium diuidunt: suo enim modo, ad subiecti diuisionem anima pati, & diuidi dicitur; Porro huius definitionis partem, quæ est de solutione cõtinui, ex Aristotelis *sexto libro Topicor.* sumo: non enim omnes passiones, sed eas solum, quæ à diuidentibus continuitatem partium oriũtur, dolorificas esse docet; Quod vero fiant dolor, & voluptas in ipsa operatione, idem scribit *libro decimo Ethicorum.*; Esse vero tum dolorem, tum voluptatem passiones, & dolorem esse molestiã quandam, voluptatem vero iucunditatem, aut aliud quod molestiæ opponatur, omnibus constare puto; *non ergo dolor est ipsa actio, vt sensatio tristis; sed molestia, quæ fit in tristi sensatione*, sic dolor, qui ad cogitationem pertinet, non est ipsa cogitatio tristis, sed molestia, quæ in cogitatione nascitur, ab eo, quod habet vim inferendi dolorem, ita vt in sensoriis, ex sensu rei diuidentis nascatur dolor, ex sensu vero rei vnientis voluptas; In animæ vero facultatibus, secundum naturam cuiuscunq; facultatis & actionis, pari ratione à re diuidente, & vniente; dum fit diuisio & vnio, dolores & voluptates fient. Sed hæc, vt diximus, cognitis istorum causis clarius patebũt. Ergo vt tandem colligamus, quod ab initio docendũ proposuimus, plura sunt genera symptomatum, quam actio læsa, excrementa, & qualitates corporis præter naturam. Verum non omnia sunt ex primo genere, nam actio primum vitiatur, ad hãc postea sequuntur excrementa corporis, qualitates, aliaq; præt. nat. opera, & in aliquibus partibus dolor, voluptas, vigilantia, & sopor accedunt. Vt enim vnam actionem læsam alia sæpe sequitur; sic sensationẽ in propriis sensoriis, tristem quidem dolor, iucundam autem voluptas, prohibitam vero delationem virtutis sensificæ, & calidi innati ad omnia sensoria, sopor; nimium autem calidi motum, vigilantia comitatur.

Dolor secundum autorem quid.

Vnde sopor & vigilantia.

Cap. III.

De generibus actionis læsæ.

VNum esse commune symptoma actionem læsam, & ex ea non solum qualitates, & excrementa, sed etiam alia opera, quæ perperam in corpore obeuntur, veluti est cibus malè concoctus, prouenire antea abundè ostensum esse puto. Quinetiam per qualitates, quæ symptomata sunt, intelligenda visiles, vt colores præter naturam; audibiles, vt sonos, qui in corpore excitantur; odorabiles, fœtidas scilic. qualitates, quæ odore percipiũtur; gustatiles, vt sapores, qui ex humoribus linguam inficientib. sentiuntur; atq; demum tactiles, vt duritiem, mollitiem, asperitatem, læuitatem, & alias qualitates, quæ tactui subiiciuntur, primis exceptis, quę morbi sunt causæ, nõ effectus, omnib. constare arbitror. Illud vero nec etiam apud insignes Medicos satis patet, quot sint actionis læsæ genera: Etenim Galen. non aliter actiones læsas diuidere solet, quàm in debiles, abolitas, & deprauatas, qua certe diuisione, vt mea fert opinio, omnia functionis vitiatę genera non comprehendit; Id quod quilibet cognoscere poterit, qui perspectum habuerit, quid per abolitam, debilem, deprauatamq; actionẽ intelligere oporteat, quod vtcunq; nec quantum res ipsa exigit, expressum existimo: & vnam etiam pro alia sæpius vsurpatam nõ sine artis confusione ostendere possum. Nam vt nemo est, qui non intelligat eam functionem abolitam vocari, quæ nullo modo amplius fit, & prorsus quantum sensus indicat, periit, quo modo apoplexia sensus & motus abolitio definitur: Ita de aliis maior difficultas est. Etenim Gal. imbecillitatem *in lib. de Differ. morborum, symptomatumque differentiis & Causis*, ac etiam *in methodo medendi*, nunc pro parua intemperie, nunc pro magna, alias pro actione debili vsurpat. Debilem vero actionem nunc vocat, quæ vix fit, longioreq; tempore eget, vt perficiatur, aut etiam nunquam perfectionem assequitur: Quemadmodum eos dicimus debiliter cõcoquere, qui vel plane vsq; ad naturalem, & solitam mediocritatem alimentum permutare nequeunt: aut si id faciunt, longiore tamen tẽpore solito opus habent. Nonnunquã tamen eos debiliter agere scribit, qui confuse agunt, veluti cũ eos debiliter audire, videreq; dicimus, qui confusè audiunt, & vident. Verum alia etiam vitia sub debili functione comprehendenda esse puto, qualis est ea actio, quę cum semel continuato negotio opus suum perficere debet, ob debilitatem illud intermittere, & pluribus vicibus absoluere cogitur, cuius etiam generis est, quæ post iustum tempus opus aggreditur, & quæ paulatim agit, quod confertim perficere deberet: *Ergo debilis fit, quæ nunquam perfectionem operis sui assequitur, vel longiore tempore, aut confuse, & quæ intermittit, vel paulatim agit, vel post iustum tempus ad opus conficiendum excitatur.*

Actio abolita.

Actio seu functio debilis quæ.

Deprauatæ autem actionis nomen cum aliis sæpe confundit, & propriam illius significationem exemplis duntaxat, nullaq; generali ratione docet. Nam *lib. 3. de Causis symptomatum* deprauatam coctionem sub se debilem, & corruptam continere scribit, id quod de mala *in lib. de Differ.* antea prodidit. Alibi vero, vt antea diximus, actionum vitia in abolitas, debiles, & deprauatas statim distinguit, aut in malam, & deperditam: eam vero, quæ mala est, in debilem & deprauatam: Sumit etiam nonnunquam difficilem pro deprauata, quemadmodum cum *in lib. de Diff. sympt.* coctionem deprauatam dyspepsiam, idest, difficilem coctionem vocandam esse, non apepsiam, contra nonnullos censet. Sed hæc quidem leuiora essent; si, quid nomine deprauatæ actionis intelligendum esset, aliquando ostendisset. Nam quod deprauata idem sit quod corrupta siue vitiosa, sæpius ab eo ostensum est; sed quid per corruptam intelligendum esset, doceri etiam oportebat. Ponit etenim rigorem, horrorem, conuulsionem, palpitationem, tremorem, singultum, tussim, ructum, sternutationem, pandiculationem, dentium stridorem, oscitationem; inter motus deprauatos, sed cur huiusmodi censendi sint, constare

Quid per qualitates, quæ sunt symptomata, intelligendum.

non potest: quippe cum illi motus plurimum inter se differant, & non nisi perspecta deprauatæ actionis natura, in qua conueniunt, quales sint, intelligi possint. Coctionem autem deprauatam definit esse alterationem in alteram qualitatem, quam sit ea, quæ secundum naturam, sed nec trahi potest hæc definitio ad omnes alias actiones. Nec etiam debilem à deprauata satis distinguere videtur: Nam qui perfecte alimentum non concoquit, sed paulo frigidius relinquit, non assequitur qualitatem, quæ secundum naturam existit: non tamen propterea deprauatam, sed debilem potius huiusmodi coctionem nuncuparemus: Qua ratione debiliter, non autem corrupte alimentum in ventriculo concoquere eos dicimus, quibus ea pars frigidiore intemperie est affecta.

Ac profecto mirari licet, quod Galenus *in libris de Morbis, & symptomatis*, vbi generalem communemque omnibus doctrinam profitetus, nihil fere commune doceat, sed perpetuo in singulorum explicatione versetur. Quo sane fit, vt alia, quæ traduntur in aliis operibus, difficilia propterea videantur, quod à nullo certo principio sint ducta. Nihil enim est frequentius apud Medicos nomine pulsus, & respirationis magnæ, paruæ, tardæ, velocis, crebræ, raræ, æqualis, inæqualis, ordinatæ, inordinatæ, nec tamé adhuc cóstat ex tractatione Gal. qualia sint in his actionib. vitia: an sub deprauata, vel debili functione (nam de abolita dubiú non est) comprehendi debeant: Sunt & permulta alia mala in actionibus, quarú sparsim mentionem facit, quæ nulla arte constant, quoniam à nullo certo initio cœperunt. Hinc fit profecto, vt nec omnes actionis læsæ formas vnquam numerare possimus, nec quiescat animus, cú eo ignoratio, quod ars pollicetur, in his, quæ sparsim nullaque methodo traduntur, perpetuo laboret, & hæreat. Itaque rei natura duce omnia vitia, quæ circa actiones omnes inueniri possunt, inquiramus, & certis postea generibus comprehendamus, ne confusionem pariat innumera rerum multitudo.

Necesse ergo est inprimis eam, quæ vitiata est, actionem aut fieri, aut nó amplius fieri, hæc rursus vel non fit, quod impediatur, potentiam tamen habet, vt fieri possit, veluti si quis, ligatis manibus, illarum partiú opera exercere prohiberetur, quæ cum præter naturam non sit, à nostro instituto reiicitur: alia vero est, quæ desinit fieri perfecto opere, quæ pariter secundum naturam existit, quo modo non fieri somnú in vigilantibus dicimus, quod genus cessationis vitiosum non est, sed secundum naturam, sicut etiam deficiente materia actiones nó fiunt, nulla existente in parte læsione. Aliud vero est præter naturá, quod vocatur abolita actio, quæ diuiditur in prorsus abolitá, idest, quæ nunquam restitui possit, vt cæcitatem visus integram abolitionem vocamus: & in eam, quæ etsi nullo modo fit, omné tamen potentiam non amitit: Qua ratione in neruorum resolutione sensum, & motum abolitum dicimus, quæ tamen sæpius restituuntur. Iam vero, quæ aliquid facit actio, vitiú sortitur in re, quæ fit & in agendi modo: Vitium n. est in ratiocinatrice facultate, cum ignorat, an agendum sit, & quid: quod in delirantibus vsu

Abolita actionis diuisio.

Vitium in actionib. fieri aut in re, quæ fit aut in agendi modo.

A venire sæpe videmus, qui ignorant, an retinere, an reiicere aliquid debeant, & quid retinendum, quidve proiiciendú sit: atq; illud quidem vitiú in principib. actionib. & potissimum ratiocinatrice peculiare existit, hoc vero omnib. etiam cómune: Damnamus siquidem omnem actioné quæ aliud opus facit, quam oporteat; veluti si ventriculus pro nutrimento venenosam aliquam substantiam gignat. At in agendi modo, & ratione plurima vitia comprehendimus: vitium enim est in actione, si excedat, vel deficiat, quomodo magnum, paruumq; pulsum, & respirationem magnam, & paruá per morbos pariter damnamus, eo quod mediocritatem excedant. Vitiosa quoque est, quæ est vehementior, & validior quam B expediat, quippe cum nemo probet phreniticorum validiores motus, & robur, aut vehementiores expultricis aut retentricis facultatis actiones; damnamus quoq; eam, quæ infirmior est, quam naturę conditio exigat; vt infirmá coctionem, retentionem, expulsionem, attractionem, sensationes, pulsus debiles, & languidos, & motiones denique omnes. Nec vitio caret, quæ confusa est: Præterea probanda non est, quæ statutum tempus secundum naturam non expectat, sed anticipat, vt crebrior pulsus, respiratio, & excretio, quæ antequá oportet, fit, & quæ tardius, quam expediat, incidit, vt tardus pulsus, tardaq; respiratio morbosa censetur, quod tardius incipiat: vituperamus etiá, quæ rarius, aut crebrius C exercetur, veluti rarum, crebrumq; pulsum; necnon intempestiuá functionem accusamus: quémadmodum vesicam, intestiniq; musculum male affectum iudicamus, cum alui excrementa & vrina cohiberi per occupationes nequeút. Quin & vitiosa putari debet, quę postea quam incepit, velocius, segniusq; obitur, vt in veloci, tarduque pulsu apparet. Nec eam probare possumus, quæ ad longius tempus extenditur, vt longiores somnos, & vigilias morbosas iudicamus, & coctionem, quæ longiore tempore opus habet, vt mediocritaté assequatur: damnanda quoq; est, quæ cum fieri debeat confertim, paulatim fit, aut intermittit, quæ continua esse debet, aut contra. Nemo enim probaret feminis excretioné, quæ D paulatim fieret; subitas auté, & confertim factas sanguinis spiritusq; retractiones ad cor, internaque viscera exitiosas etiam credimus: continua debet esse pulsuum, respirationisq; vicissitudo: pessimosque intermittentes pulsus inter omnes fere alios censemus. Per certa temporis interualla bibit, editq; animal cum secundum naturam habet; perpetua autem siti, & fame sæpe vexatur, cum præter naturam afficitur. Excernit item alui, vesicæq; excrementa per certa temporis interualla; quod si continuo hæc faciat, perperam certe affectum est. Nec probari quidem potest inordinata, inęqualisq; functio, quandoquidem pulsus, respirationes, aliasq; omnes motiones inæquales, inordinatasq; maxime alienas à natura E putamus. An non etiá culpare eam oportet, quę per corporis partes obitur, per quas non debet? veluti cum noxias sanguinis excretiones laboráte hepate inflammatione, eas ponimus esse, quæ per naré sinistram obeuntur: probamus autem, quando sanguis per narem dextram profluit. Quis vero eam etiam nó damnet functionem, quæ plena est molestius, & superflua voluptate? veluti

veluti cum somnos illos morbosos credimus, qui insomniis variis, & molestiis abundant; & motum, qui cum dolore partium exercetur, tāquam præter naturam omnes fugimus. Ad hæc illud in vitio actionis ponendum, si pars, quæ agit, figuram debitam naturalibus motionib. non seruat, nec, vt oportet, flectitur, aut alio modo agitatur, quo modo (puto) rigorem, horrorem, palpitationem, conuulsionem, inter peruersas actiones recensemus. Itaque cum tot fere sint in actionibus vitia, aut si quæ alia reperiantur, facile ad hæc redigi posse videantur, illud certe omnib. constare puto, hæc omnia à Galeno illis tribus generib. non fuisse comprehensa. Nam vehementior, validiorq; functio omnino prætermissa est, & omnes aliæ, quæ in incremento cōsistunt, sicuti celeriores, maiores, frequentiores, longiores, & reliquæ huiusmodi; hallucinanturque meo quidem iudicio, qui refugium in hac re Galeno quærunt, eo quod putent, sub deprauata actione auctam comprehendi; Sic enim sub eadem diminutam quoq; complecti oporteret, si modo contraria sub eodem genere poni debent; Quamobrem si ille diminutam, siue imbecillam à deprauata distinguit, eam pariter, quæ excedit, validiorq; reperitur, seiungere necesse est: quandoquidem etiam in prædictis actionib. quas auctas dicimus, nullus error, nullaq; hallucinatio conspicitur, sed solus excessus damnari potest. Deprauate namq; eos videre scribit, qui hallucinantur circa eā, quæ videntur: vt cum duplum iudicant esse, & compositum, quod est vnicum, & simplex: aut depressum, quod est sublime: vel perforatum, quod est solidum, & cōtra. Sic in motibus conuulsiones, tremoresque, deprauatæ actiones, veluti etiam delirium in principe facultate corruptæ functiones esse censentur: quę longe differunt natura, & genere, ab his, quas excedentes & auctas nuncupamus: Quippe deprauate agere apte dicere poterimus eos, qui cinerem, & carbones, aut res alias corruptas, absurdasque appetunt, aut dormiendo delirant. At nemo bulimiam, idest, ingentem famem, in qua optimi cibi assumuntur, & longiores profundioresq; somnos deprauatos vnquam vocabit, nisi qui forte obtusiori sit ingenio, & iudicio, vel rerum, nominumq; proprietatem confundere non vereatur: vt eos defendat, quos suæ sectę authores, & principes sibi constituit. Quid enim, quæso, deprauatum est, vbi in solo excessu est vitium? Quod si expugnante omni ratione deprauatas putemus esse huiusmodi fūctiones; concedemus quoq; diminutam cibi appetentiā, leuiores, breuioresq; somnos, aliaq; omnia, quæ in debilitate ponuntur vitia, sub deprauatione, vt diximus, contineri. Duo ergo erunt prima in actionibus vitia, abolitio, & deprauatio; cui quidem opinioni passim Galen. repugnat. Ac quanto certe satius esset, concedere, quæ euidentissima sunt, quam tergiuersando, & superfluo hoc scriptorū patrocinio optimos quosque, doctissimosq; viros tandem ad hæc absurda perducere? Nunquam putauit Galenus, omnia sua opera esse perfecta, & nihil aliorum labore addi posse his, quæ ipse inuenire forte cœpisset. At logices facultatis non ita ignarus fuit, vt quid ex cōtrariis sequeretur, perspicere non posset, si paulo maiore cura, & diligentia infinitam hāc suam librorum multitudinem conscripsisset. Et certe tanto satius est ita de eo sentire, quanto plus illi tribuimus, si quidem eum ob negligentiam prętermisisse, quam ob logices imperitiam ignorasse dicamus. Addatur ergo in vitio actionis *incrementum*, voceturque, vt diminuta, sic huiusmodi actio aucta, vel superflua. Est præterea faciendū aliud genus, quod tristem, voluptuosamq. præter naturam actionem contineat. Tristem intelligo, in qua dolor, vel alia molestia sentitur; Voluptuosam, cū qua adest *voluptas* ex causis morbosis proueniens, vt in pruritu, & in pudendorum affectibus nonnullis contingit. Quæ profecto vitia sub nullo ex prædictis generib. comprehendūtur: Nam superius eos refellimus, qui dolorem tristem sensationem esse putabāt, cum dolor nō sit ipsa sensatio, sed quod sensationem tristem sequitur. Qui etiam in eo reprehendendi sunt, quod dolorem, vel potius etiam sensationem, quam sequitur dolor, deprauatam esse arbitrētur: quod scilicet per dolores sentiamus, quæ sentienda non sunt: Esset enim deprauatus sensus, si doloris causam, doloremq; ipsum non perciperet. Nam vt visionem deprauatam dicimus, cum credit homo, se videre, quæ non sunt, aut qualia nō sunt: nō deprauatam vero, sed exactam, cum recte cernit omnia sua obiecta, & ea inter se discernit: Sic profecto, cum sensus doloris causam sentit, deprauatus dici non potest, sed exquisitus potius; essetque, vt diximus, deprauatus, si quæ molesta, & dolorifica existunt, non perciperet talia esse. Quare tristis sensatio sub corrupta contineri nequit: Quod si ita est, quid obstat, quo minus quatuor prima genera vitiatæ actionis constituamus? *vnum abolitarum; alterum, quod auctas, & debiles; tertium, quod deprauatas; quartum, quod tristes, & voluptuosas præter naturam functiones complectatur*: Quandoquidem si prædicta inferiora genera excutiamus, illorumque naturam perpendamus, inueniemus ea omnia ad suprema ea capita non inepte redigi posse. Nam de abolita, impeditaque actione quid sentiendum sit, superius ostendimus. Eam vero, quæ ignorat, an agendum sit, & rem vnam pro alia facit, aut corruptam in re qualitatem inducit, & inordinata, intercepta, aut alio modo inæqualis est actio, quæque per partes ineptas obitur, aut etiam non seruantes naturalem suam figuram, aliamq; omnem conditionem, quæ functionibus secundum naturam obeundis debetur, nō immerito deprauatam actionem esse dicemus: quando in singulis actionib. error quidam contingere videtur; non excessus, non defectus, nō molestia, non voluptuosa, aut abolita operatio. Atque hac quidem ratione delirantes, qui non perspiciunt, an agendum sit, errare dicimus: & eos, qui perforata, aut solida esse putant, quæ vident, cum tamen aliter sint affecta. An non etiam errare coctricem facultatē ventriculi dicemus, quæ ex nutrimento probo pro chylo, & vtili humore vermē, aut putridum humorem, aut varium, aut salsum, vel acidum, aut indicibili aliqua qualitate corruptum procreet? Quis pulsatricem arteriarum vim hallucinari non putabit, quæ inordinatos, intercisos vno, aut alio modo inæquales pulsus edit? Nonne etiam fallitur excretrix facultas, cū vnam viam pro alia capit? Conuulsionem vero, palpitatio-

Sensationem, quam sequitur dolor, nō esse deprauatam.

Prima genera vitiatæ actionis non esse tria, vt putat Galenus, sed quatuor, & quæ illa sint.

nem, rigorem, tussim, singultum, & reliquos partium motus, quos inter deprauatos merito collocat Galenus, qua, quæso, alia ratione tales esse censemus, quam quod motiua vis perperam, quæ mouentur partes, agitet? Iam verò functionem nō inepte auctam vocabimus, quæ maior est, vehementior, fortior, acutior, vel debitum tempus anteuertit, aut velocior, aut crebrior, aut longius extenditur, aut continua est, vel confertim obitur, cum per interualla, & paulatim fieri deberet, aut alia ratione, si quæ sit, mediocritatem excedit. Contra vero diminutam eam esse censebimus, quæ minor, quæ imbecillior, quæ obtusa, vel confusa, quæq; tardius incipit, itē quæ postea quam incæpit, segnius absoluitur. Est præterea huius generis, quę rarius fit, & quæ ob debilitatem intermittit, aut paulatim opus conficit, quod confertim, & continue fieri expedit, quæque nunquam perfectionem sui operis assequitur, aut longiore tempore opus habet, vt illud perficere valeat, aut alio denique modo deficit: sunt enim omnia vitia prædicta excessus, defectusque quidam: sic sane pulsus magnos, vehementes, plenos, altos, veloces, crebros, in his, qui male sunt affecti, præter naturam iudicamus. Damnamus autem acutiorem auditum in ægrotis, qui iam ad mortem properant, tanquam excedentem quandam præter naturam functionem, veluti etiam somnum, qui ante debitum tempus obrepit, aut ad longius spatium producitur. Item continuas mictiones, aut perpetuos sermones in ægris accusamus; & naturæ contrariam indicamus esse sanguinis spiritusque reuocationem, quæ per timorem inuadentesque febres confertim ad interna viscera perficitur. Quin & coctionem eam excedere putamus, quæ posteaquam mediocritatem est consecuta, vltra progreditur, atq; id, quod concoquitur, torret, & adurit: Contra vero motus paruos, languidos, vacuos pulsus, demissos, tardas rarasque omnes functiones, obtusas, confusas, tardantes, interpolatas, præterea caloris difflationes hęrentes, paulatimque emanantes per vehementiores morbos in crisibus sudores, coctionem, quæ nunquam mediocritatem suam assequitur, aut non nisi longiore tempore, vitiosas, & præter naturam arbitramur.

Actio intempestiua ad quod nam genus referenda.

Intempestiua autem actio nunc ad debilem, nunc ad auctam, aliquando etiam ad deprauatam redigi potest. Cum enim laxato, debilitatoque ani musculo, alui excrementa importune redduntur, debilitatis vitium est: At si validior excretrix partium vis concitetur, retentricemque violet, ad excessum reuocandum est malum. Quod si quis deliret, & in principum corona, aut in locis, vbi sacra administrantur, quo tempore tacendum est, clamore intempestiuoque sermone omnia interrumpat, nemo est, qui non corruptam deprauatamque huiusmodi operationem putet. Sunt & nonnullæ ex prædictis functionibus, quę commodius nunc in vno genere, nunc in alio collocantur: veluti quæ intermittit, aut tardat, vel anticipat, quæ quidem nunc ob debilitatem, nunc ob deprauationem quandam, aut superfluum robur contingunt: quod quilibet non magno negotio deprehendere poterit, ne superfluo labore omnium imbecillitati, corrupta tractatione, consulere voluisse videamur. Hæc enim mediocriter eruditis sufficere poterunt: quæ omnia actionum mala aut certe præcipua, & aliorum genera, si quæ supersint, comprehendunt. Nam superfluum esse puto, de eo vitio rursus agere, quod in molestia, aut voluptate præter naturam positum est, cum nulla inferiora genera alia sub se comprehendat. Quod si quis difficilem actionem prætermissam à nobis putat, alterumque genus constituendum esse, meo quidem iudicio errat, quandoquidem aut hoc nomine omnes, aut certe plurimas actionum læsiones complectimur, id quod satis patet *ex lib. de Difficili respiratione*, vbi Galen. auctas, diminutas, & deprauatas eas respirationes sub eo nomine explicat, aut debilem actionem intelligimus, quemadmodum idem autor *primo de causis symptomatum*, difficilem appetentiam vocat, quæ imbecilla est, aut etiam deprauatam, aut deprauatam solum: veluti cum deprauatam coctionem dyspepsiam, idest, difficilem coctionem nuncupari statuit *in lib. de Differentiis symptomatum*.

Ad quod ... Actio ... pa... lis.

Cap. IV.

Quot, quæve sint excrementorum, & aliorum operum, quæ in male affectis corporibus proueniunt genera.

Expeditis vitiis, quæ in actionibus præter naturam obeundis reperiuntur, reliquum est, vt ad excrementa, & alia opera, postremo ad qualitates corporis præter naturam transeamus: superius namq; obiter ostendimus, præter qualitates, & excrementa, & actiones aliud esse symptomatum genus, quo continentur alia omnia opera, quę fiunt in corporibus laborantibus: cuius generis est cibus, qui male in ventriculo concoquitur, & sanguis & humores, qui in hepate, & venis perperam elaborantur: veluti etiam calculi, lumbrici, corrupta caro, & si quid demum huius generis aliud in corpore gignitur, quod inter excrementa proprie collocari nequit. Etenim excrementa censentur esse, quæ post coctionem humorum resultant; id quod ex Gal. patet, cum scribit *libro tertio Methodi medendi*, omnem coctionem sequi duplex genus excrementorum, minime iudicans, sanguinem, qui gignitur, excrementum esse: nimirum cum ab eo, quod à reliquis humoribus, vtilique alia substantia secernantur, & extra corpus excerni debeant, excrementa sint nuncupata. Sanguis autem non est, qui excerni debet, & ab aliis segregari, quemadmodum nec spongiosa illa ... caro, aut pinguedo: calculi vero & lumbrici humores non sunt, nec per coctionem, vt alii humores gignuntur, nec à communi quadam massa, vt excrementa, seiunguntur; sed propriam, separatamque materiam, & generationem obtinent, vbi tamen à corpore educuntur, communi excrementi nomine continentur quod aliis humoribus semper conuenit, cum à sanguine sunt secreti. Interim enim dum cum eo confunduntur, humores potius nuncupantur.

Excrementum quid.

Unde habeat nomen. Sanguis cur non sit excrementum.

Lumbrici & calculi an sint excrementa.

Porro excrementa constituere solet Galenus pręter naturā esse tribus modis, qualitate, quantitate, & toto genere; Quid vero sit excremen-

Excrementa tribus modis fieri præter naturam.

tum esse qualitate, aut quantitate praeter naturam, constare omnib. puto. Est enim huiusmodi, cum naturalem qualitatem, & quantitatem sibi naturęq; animali conuenientem non seruat: vt cum bilis pro pallida, flaua, aeruginosa, vel vitellina, aut atra euadit, pituita salsa, vel acida, vel dulcis gignitur: Naturalem autem quantitatem excedere dicuntur, cum proportionem iustam cum aliis non retinent, aut vires grauant, aut vasa, concauitatesque, quibus continentur, praeter naturam replent, & distendunt. Caeterum quod nunc toto genere alienum, alias tota substantia noxium vocat, non satis explicat, quomodo intelligi velit. quanquam mihi non videtur aliud significare his nominibus, quam quod excernatur aliquid, cuius naturam, & formam damnemus, non solum rei ipsius quantitatem vel qualitatem, sed rem ipsam vniuersam: cuiusmodi sunt, quae naturae omnino familiaria, & cognata existunt: quo modo sanguinis, & pinguedinis excretionem, & ramenta, quae exulceratis intestinis exeunt, toto genere praeter naturam esse dicimus: vel etiam toto genere alienum vocamus excrementum, *quod alienam formam, & naturam corpori inimicam est sortitum*; Qua ratione, pus lumbricos toto genere praeter naturam esse ponimus, quod ea nihil habeant, quod probari possit, sed naturae minime propriam, & ab ea alienam formam, & substantiam acceperint. Contraria ergo ratione aliquid toto genere inutile excrementum dicitur, nempe *vel quod prorsus inutile sit, aut omni ratione familiare, & amicum*. In sanguinis tamen excretione plurimum à seipso dissentire videtur Galenus. Nam *in libro de Differentiis symptomatum*, sanguinis excretiones per quamcunque partem factas (si prosint) non amplius praeter naturam esse refert. *Libro* vero *tertio de Causis*, easdem toto genere praeter naturam vult reputari, ea excepta, quę in mulierib. per vterū moderate contingit: tam solet à seipso variare, vt raro idem de eadem re scribat. Verum si praeter naturam illud statuere oportet, quod male affectis corporibus accidit, sanguinis in mulieribus excretiones, quae naturalem illarum conditionem sequuntur, nunquam praeter naturam existimabimus. Si vero toto genere praeter naturam ponitur, quod excernitur, si modo cognatum, familiareque extiterit; profecto sanguinis euacuationes, quae aliter, quam per vterum contingunt, perpetuo praeter naturam censere par est, siue iuuent, siue laedant. Non enim à quo id fiat, & quid sequatur excretionem, sed eius, quod excernitur, naturā, substantiamque in hoc casu spectamus; alioqui nec bilis porraceae, aut aeruginosae vomitum, aut sudoris foetidi profluuium, vel alterius humoris vacuationem praeter naturam crederemus, cum illa per morbos sese à noxiis humoribus expurgat. Nam etsi eā tunc agit, morbosa tamen est causa, à qua stimulatur, & praeter naturam afficitur corpus. Quod vero excernantur humores nunc tempestiue, nunc importune, & per idoneos, aut ineptos locos, aut alio modo, quam oportet, differentias in ipso excremento id non facit sed in ipsa actione, & excretione: Non enim propterea variatur id, quod excernitur, sed diuersa est excernendi ratio. Ex quo quidem non fit, vt alia vitia, praeterquam praedicta in eo

Excrementū toto genere praeter naturam quod.

Contraria ratione aliquid dici toto genere inutile excrementum.

A quod excernitur, toto genere noxium ponere necesse sit.

Jam vero inter alia opera morbosa, quędam etiam sola qualitate sunt praeter naturam, vt caro spongiosa, quae in vlceribus gignitur, quaedam sola quantitate veluti cum ob nimiam sanguinis copiam corporis moles praeter naturam augetur; & sanguis ipse immoderate redundat: sunt etiam quaedam toto genere naturae contraria, vt caro ipsa putrida, & calculi, qui in renibus, & vesica concrescunt, & vermes, qui in variis corporis locis gignuntur, nec non pus, pili, serum, & reliqua, quae saepius in abscessibus genita reperiuntur.

B

CAP. V.

De vitiis, quae in qualitatibus corporis reperiuntur.

QVas corporis qualitates intelligere oporteat inter symptomata recipi, antea ostendimus. Nunc vero paucis docendum est, quot possint esse in illis quoq; distincta vitiorum genera. Qui in re alienum esse non puto, tribus etiam modis in eis vitium contingere. Etenim rubedo, quae sanguineis corporibus, dum febricitant, intenditur, solo excessu damnatur; si vero hi pallidi fiant, qui rubri suapte natura esse solent, qualitatem praeter naturam habere eos putandum est, sed non toto quidem genere, quod C tūc putarem euenire, dum alienas omnino qualitates à natura humorum corpus conceperit, quales sunt, quae ex venenis toto genere lethalibus proueniunt. Cur enim cum varie afficiatur corpus, diuersaeq; admodū in eo nascantur qualitates, non licebit etiam ea generibus quibusdam inter se distinguere, quo illorum naturam docere, exprimereq; valeamus? Aliter namq; affici corpus putabimus, cum natiuum illius colorem intendi, aliter cum in aliū mutari proprium alicui humori, vt bili, & pituitae, vel omnino in eum, qui perniciem mōstret, & indicibilē quandam qualitatem imbuerit, viderimus: quippe cum natura rei postulet, vt quae qualitate sola D obesse possunt, aut quantitate, vel tota substantia, aliter corpus afficiant, aliaq; symptomata, & proinde alias qualitates genere etiam inter se discrepantes inferant: quemadmodum ipsa, à quibus illae proueniunt, genere differre posita sunt. Nec aliter quidem possunt disciplinae methodo tradi, nisi prius certis generibus, & nominibus, res, de quib. agendum est, inter se fuerint distinctae. Si quis enim forte docere tentet, quonā modo differre cognoscantur morbi, qui à causis proueniunt, quae sola qualitate obsunt, ab his, quae quantitate, aut toto genere noxia existunt, non aliter commode id facere poterit, quam si dicat, illos, qui laeduntur à rei qualitate, symptomata habere qualitate praeter naturam, alios autem quantitate, & toto genere, quibus quantitas, & ipsa rei substantia est inimica. E

Tribus modis vitium contingere in qualitatibus corporis.

CAP. VI.

De numero symptomatum, quae in singulis partibus reperiri possunt.

QVae, quotve sint generatim, speciatimque symptomata, antea abunde ostensum pu-

to: nunc vero admonendum est, non parem esse numerum symptomatum in singulis morbis, & singulis partibus affectis; quandoquidem ex morbis quidam non pariunt excrementa, nec qualitates corporis mutant; & partes, nec easdem genere, nec numero æquales actiones edunt. Nam morbi, quæ instrumentarias partes infestant, nullam per se vim habent excrementa mutandi: siquidem excrementorum generatio, retentio, expulsio & quicquid denique circa illa præstare necessarium est, quatuor naturalium facultatum administrationem potissimum sequitur. Nam vlcera, & vulnera excrementa præter naturam procreant *ob intemperiem, quæ vt plurimum vulneratis, vlceratisque partibus adæenit.* obstructiones vero inter omnes morbos instrumētariarum partium aliquid ad excrementorum collectionem proprie pertinere videntur, quando occlusis meatibus, per quos expurgationi excrementorum via patet, ea aceruari, & præter naturam succrescere necesse est.

Morbi partium organicarum non mutare excrementa.

Vlcera & vulnera unde gignant excrementa.

Eadem quoque de corporis secundis, tertiisq; qualitatibus ratio putetur. Nam obstructione excepta, quæ impedito excrementorum cursu alieno colore, vt in morbo regio apparet, corpus inficit, quicquid est in illis vitii, ab intemperie, primisque qualitatibus prouenit. Cæterum actionum ratione symptomatum numerus in singulis partibus hoc modo euariat: Quædam enim ex corporis partibus sensu destituuntur, aut motu; quædam vero sensu, & motu sunt prędita: aliæ fontes sunt actionum, quædam suas functiones exercent duntaxat ad propriam administrationē, & custodiam: Aliæ vero actiones edunt toti ēt corpori seruientes, & publicas. Cōtingit præterea in partib. quæ pluribus actionibus a natura sunt donatæ, inæquales diuersasque læsiones fieri; quarum occasione nunc vna, nūc alia, aliquando omnes functiones perduntur. Est enim id iam experientia tritum, in partibus affectis seruari aliquando motum, aliquando sensum, nonnunquam vtrumque pariter aboleri, vt in resolutis corporibus apparet. Quamobrem necesse est, nunc æqualem, nunc inæqualem reddi symptomatum numerum in diuersis, singulisque partibus, quoniam non eadem est omnium conditio, nec paria, nec eadem mala, quibus vnaquæque illarum torquetur: Ratio tamen exigit, vt plura nascantur symptomata in parte sensu prædita, quam in alia, quæ hoc caret: & in ea, quæ mouetur, quam in immobili: plura omnino patitur, quæ publicum, quam quæ peculiare sibi munus exercet. veluti ventriculus, qui geminas habet omnes naturales facultates, attractricem scilicet, retentricem, coctricem, & expultricem: quarum aliæ ad nutritionem vniuerso corpori necessariam; aliæ vero ad propriā exercendam sunt destinatæ. Principibus vero partibus affectis, et si pauciora nonnunquam in illis actionum symptomata contingunt, tamen in reliquis omnibus partibus plurima omnino, origine labefactata proueniunt; veluti cum læso cerebro, seruatis integris eius functionibus, sensus, & motus in vniuerso corpore deperditur. & affecto corde omnium partium actiones per animi defectum, & syncopen concidunt, paucis

Symptomatum numerum ratione actionum in singulis partibus variare & quo modo id fiat.

In quibus partib. plura fiant symptomata.

A interim in ipso corde labefactatis operationibus, quoniam paucas habet, vtpote quod ad suppeditandam potius vim, qua omnes actiones peraguntur, quam ad multa officia exercenda sit a natura institutum; veluti etiam cerebrum, quod tametsi nullo sensu, & motu est præditum, sentiendi tamen, mouendique facultatem singulis membris largitur. Itaque cum præsens tractatio omnium partium conditionem, & actionum numerum præcognitum ponat, facile, qui hæc, & symptomatum numerum prædictum tenet, quæ quotve symptomata in singulis partibus consistere possint, inueniet: Qui vero hæc ignorat, nec forte etiam ea intelligeret, quæ prolixius de ea re, sed non maiori aliqua vtilita-
B te, hic à morbis dici possent. quare ad differentias symptomatum transeamus.

Cap. VII.

De Differentiis symptomatum.

Differentias symptomatum ab eisdem fere fontibus sumemus, à quibus morborum differentias antea duximus: Quamobrem si quis exactiorem huius rei cognitionem desiderat, imitatione eorum, quę illic tradita sunt, eam minimo negotio instituere poterit. Nos enim in pręsentia singula prosequi nō instituimus: sed
C potius methodum docere, & paucis exemplis rudiorum imbecillitati consulere, quibus illi adiuti ad reliqua inuenienda accendi valeant.

Itaque cum symptomatum natura in hoc posita sit, quod aliis, quæ sunt præter naturam, succedant, eaque sequantur; merito à diuersitate eorum, ad quæ illa sequuntur, & consequentium ipsorum, præterea consequendi diuersa ratione propriæ symptomatum differentiæ sumentur: cum præterea illorum non eadem sit generatio, & solutio, nec eædem proprietates, nonnullæ quoque in his vtiles prouenient differentiæ.

Symptomatum differentiæ vnde sumantur.

Porro sequuntur symptomata quædam morbum, alia morborum, alia etiam suas peculiares
D causas: etenim color præter naturam vitiatus causæ morbi, nempe humorum comes est: Actiones vero læsæ morbi ipsius sæpius sunt effectus: Actionum autem differentiæ partē ipsam affectā potius comitantur: nam q; laborante homine febre, nunc cibi appetentia, nunc excrementorum retentio, nunc expulsio magis lædātur, partium ipsarum, à quibus huiusmodi actiones proueniunt, diuersa conditio, & ad patiendum aptior, vel ineptior in causa est; Quæ omnia facilius postea intelligentur, cum symptomatū omnium causas docebimus: vt autem differentiæ ductę sunt ex hoc fonte generalissimę, ita inferiores quædam, & specificæ in singulo genere resultant.

Differentiis ab iis, ad quæ symptomata sequuntur.

E Nam inter ea symptomata, quæ morbos sequūtur, differentia hæc est, quod quędā morbos similarium partium, intemperiem, & totam substantiam vitiatam, alia vero instrumentariarum, vt conformationem, magnitudinem, numerum, coniunctionem, vel vnionem corruptam comitentur: item cum dicimus, quędā esse, quæ morbum

morbum ipsum sequuntur, quædam quæ morbi magnitudinem, tempora, principium, scilicet incrementum, statum, & declinationẽ, & morem; quædam, quæ morbos primarios, alia, quæ secundarios, æquales, inæquales, continuos, intermittentes, ordinatos, inordinatos, breues, longos, salutares, lethales, primarios, per cõsensum, communem; particularem, aut denique aliam morbi differentiam consequuntur.

Differentia rerum, quæ sequuntur morborum causas.

Eadem profectò ratione in his, quæ à causis proueniunt, differentia constitui potest, quod scil. quædam nascantur ab efficientibus morborum causis, alia ab instrumentis, alia à materia, alia demum à subiecto; cuius generis hæc est etiam differentia, si dixerimus, quædam esse symptomata morborum capitis, alia ventriculi, cordis, hepatis, nerui, ossis, vel alterius partis affectæ; alia autẽ totius corporis ægritudines sequi.

Differentia ab ipsismet symptomatis sumpta.

Cæterum ab ipsismet symptomatis, quæ consequuntur, differẽtiæ huiusmodi oriuntur, quod scilic. nunc actiones læsæ solum, nunc etiam excrementa, & qualitates corporis præter naturam mutatæ malè affecta corpora, nunc vigilia inter actiones, aut delirium, vel syncope, vel concoctio vitiata, aut læsa respiratio, vel pulsus, aut plures, vel pauciores huiusmodi functiones sequantur. Sic inter excremẽta, quod ex laborantibus corporibus nunc proueniant sola qualitate, nunc verò sola quantitate, aut toto genere, vel etiam omnibus modis noxia: ex qualitatibus verò nunc visiles, nunc gustatiles, vel audibiles, vel odorabiles, aut tactiles, per morbos mutentur.

Differentia à consequẽdi ratione.

Iam verò ex cõsequendi ratione proprias differentias hoc modo sumere licebit. Quædam enim ita sequuntur morbum, vt cum eo perpetuò sint cõiuncta, nec separari aliquo modo possint, qualia sunt, quæ incipiente morbo inuadunt, & cum eo augentur, vigent, declinant, & desinunt, quæ ob id cognata à Gal. *in libro de subfiguratione empirica* dicuntur: Quædam verò, quæ postea eueniunt, quæ assinia *eodem loco*, & in Aphorismis ἐπιφαινόμενα ab Hippocr. nuncupantur: sequuntur præterea quædam immediatè morbos, causasq; morborum, alia verò intercedentibus aliis symptomatis, veluti deprauata ventriculi concoctio illius partis affectæ immediatum est symptoma, sanguificatio verò, & omnium partium malè peracta nutritio, eum morbum sequuntur tanquam longè remotiores effectus. Comitantur rursus nonnulla vt propria, & peculiaria, alia verò tanquam communia omnibus morbis, omnibusq; affectis corporibus: veluti durities, & mollities proprium est symptoma morborum, qui in intemperie cõsistunt: actiones autem labefactatæ partus existunt omnium morborum. Ad hoc genus differentiæ ea etiam pertinere videtur, cum dicimus, quædam symptomata per se, alia per accidens morbos sequi: veluti per se sequuntur, quæ à morbis in omnibus proueniunt: Per accidens verò, quæ subiecti ratione nascuntur; vt vehemens dolor in delicatis exquisitioreq; sensu præditis corporib. ex leuissima etiam morbosa causa excitatus. Quod verò quædam actu, quædam potentia comitentur affecta corpora, in ea differẽtia comprehensum id puto in qua de cognatis, & mox apparentibus casibus egimus.

Symptomata cognata. Assinia. Superuenientia.

Differentia à symptomatum generatione.

Quoniam verò symptomata suam habẽt generationem, solutionem, suasq; proprietates, nõ immeritò ab his etiam differentias quasdam ducemus. A generatione quidem, quod nonnulla paulatim gignantur, vt corporis gracilitas; alia verò, quæ subito emergunt, vt dolor, sopor in comatosis affectibus: A solutione verò pariter huiusmodi resultant differẽtiæ: paulatim siquidem quædam mitescũt & tolluntur, qualia sunt, quæ siccitas parit, & alii morbi, quæ longã curationem requirunt: sunt verò quæ subito euanescere possunt, vt sitis, dolor; in vtroq; verò cõpositæ nunt differentiæ. Nam quædam citò gignuntur, & abeunt, veluti dolores flatu concitati, alia verò quæ cito quidem procreantur, tardius tamen euanescunt; quemadmodum dolor, & rubedo, tensio, & cætera inflammatæ partis symptomata. Non desunt verò quæ tardam habeant generationem, & solutionem: veluti duritiies, quæ siccitatis excessu à corporibus contrahitur. At quod quædam à morbo, quædã à morborum causis, alia in omnibus corporibus, in omnibus locis, temporibus gigni, tolliq; valeant, verissimum est; sed hæc differẽtia quodammodo comprehensa est in ea, in qua prosecuti sumus differentiam eorum, ad quæ symptomata sequuntur.

A solutione.

Differẽtia à symptomatis proprietatibus.

Quoniam verò symptoma præter naturam est, & proprietates suas habet, quibus aut lædere potest, aut nequit, hinc quædam insignia symptomata, quædam leuiora, quædam vtilia, alia inutilia dicuntur. Appellat autem insignia symptomata Gal. quæ curationẽ interrumpunt, & variant, nimirum quod causæ euadant morbum augentes fouentesve: cuius generis est dolor magnus, vigilia insignis, sitis vehemens; vel ea, à quibus periculum de vita imminet, vt animi defectus, & aliæ actiones insigniter læsæ, quibus intermissa morbi & causæ illius curatione, nonnunquam succurrere cogimur. Qualitates item corporis præter naturam redditæ, insignia non dicuntur symptomata, cum *ob eas curationis ratio variari non soleat.* Vocat verò *in libro de optima secta* idem autor vtilia symptomata, quæ vel à causis morborum sumuntur, vt grauitas à repletione; vel à locis, vt ægrè spirare; vel à facultate, vt animam deficere: alia quæ non sunt huiusmodi, superuacanea & inutilia esse censet: cum tamen omnia plus vel minus aliquid conferant, vel ad morbi naturam, vel differentias, aut illius causas dignoscendas: quemadmodum abundè ostendimus in opere, quod de signis conscripsimus. Atque hæc de generibus, & differentiis, naturaq; symptomatum sufficiant.

Symptomata insignia.

Qualitates præter naturam non dici insignia symptomata, & cur.

Symptomata vtilia secundum Galenum.

F I N I S.

IOAN. ARGENTERII DE CAVSIS SYMPTOMATVM, LIBER.

PROOEMIVM.

IN Galeni libris, qui de causis symptomatum sunt conscripti, multa desiderari posse, nō dubito, si modo quis spectare velit, quid docendi via, & ratio postulet, non autem quod nostra hæc corruptio in tanto sectarū studio, & patrocinio antiquis omnib. scriptoribus tribuere solet: Nam cum huiusmodi explicatio in primis requirat, vt autor doceat, quæ quotve sint symptomatum omnium causæ, id omne ille prætermittit, dum singulorum generum symptomatū causas statim aggreditur, nec illud quidem in his cōmuni aliqua ratione facit; ex qua principia ponātur, quæ singulis postea lucē adferant. Cum enim varias causas recenseat, quæ eiusdem non sunt rationis (diuersa siquidem est causa sudoris, tenuis humor & multus à cutis raritate, vel retentricis imbecillitate, vel expultrice præter naturam concitata, ne perpetuo de generibus, & numero causarum, de quibus in hac re agendum est, disputare litigareq; cogamur) ab initio erat ab eo, qui arte scribere hæc aggreditur, docendū, quæ, quotve syptomatum possint esse causæ. Deinde si fortè Galenus de actionibus læsis agit, docet quidem, à quibus visus, auditus, odoratus, & reliqui sensus offendantur: quid item rigorem, tremorem, conuulsionem, attonitum morbū, & peculiariter quasdam deprauatas, debiles, & abolitas actiones committat: At docendi methodus desiderat, vt in primis quæ sint *vitiatæ* actionis causæ, deinde quæ deprauent, aboleant, aut alio denique modo functiones labefactent, tradamus: Postea verò singulis partib. aut nonnullis claritatis doctrinæ causa, tractationem accommodemus, vt veluti exemplis quibusdam, quæ artificiosa methodo fuerant inuenta, comprobentur, & corroborentur: cum alioqui omissa communi ratione, ex huiusmodi singularium explicatione nunquam assequi liceat, quod ars omnibus liberaliter promittit. Nam nō solum semper omittit aliquid particularium doctrina, quod ex Galeni tractatione licet intelligere, in qua causas nō recenset symptomatum multarum partium, & ipsorummet symptomatum, veluti pulsuum, respirationis, sterilitatis, aborsus, labefactatæ lactis generationis, imbecillitatis coeundi, animi defectus, & syncopes, & multorum deniq; aliorum symptomatum; sed etiam cum à nullo principio exordiatur, facit, vt ignoremus, an certa ratione, vel temerè causæ eorum, quæ quæruntur, à nobis statuantur. Quinetiam illud probare nō possum, quod quibusdam symptomatis præcipuam causam, aduersus quam Medicus sua præsidia instruere debet, commemoret; In aliis autem eam potius adferat, quæ modum docet, quo fit symptoma; quæque nihil, vel minimum certè ad remedia inuenienda confert. Cum enim comitialem morbum à crassis glutinosisq; humoribus cerebri ventriculos occupantibus fieri scribit, verā symptomatis causam, cui remedia debētur, quæq; vt præter naturam, sic casus eiusdem generis parit, docet. At cum rigorem ab expultrice irritata fieri tradit, causam innuit, qua cognoscamus, quonam modo ab irritante humore rigor excitetur. At nos eam quærimus, quæ opem nostram desiderat. Ac cum eadem sanè ratione comitialem morbum crassus humor, qua æris rigorem cōmittat (siquidem in vtroq; symptomate humor causa est stimulans expultricē, quæ cum vehementius aduersus noxiam materiam insurgit deprauato motu & vario, pro loci diuersitate, vtitur) postulat profectò docendi ratio, vt quod idem est, eodē modo doceatur, eædemq; genere causæ in simili-

bus

bus casibus ponantur. Nam, cur, quæso, in vno facultatis mentionẽ facimus, in alio autem ad solum humorem causam reuocamus? Postremo in quibusdam symptomatis immediatã causam, in aliis verò remotissimam adfert; quo modo ociosos, crapulæq; deditos tremore corripi (quæ causæ longius positæ sunt) palpitationem verò à crasso vapore (quæ quidẽ propinqua est causa) nasci commemorat: cum tamen in singulis quærendæ primum sint, quæ sunt proximæ, deinde aliæ, à quibus illæ proueniunt, vt certa eademq; in omnibus fiat doctrina. Nec verò etiam illud probare possum, quod in eo libro, in quo differentias symptomatum se explicare profitetur, illorum causas inquirat, vt cum disputat, an omne symptoma proueniat à morbo, vel nõ: quod *in lib. de causis* statim erat faciendum, atq; etiam in illis, in quibus de causis agit, multa miscet, quæ ad differentias pertinent, confusa rerũ doctrina; nimirum cum seiunctas oporteat esse tractationes, & suo loco singula explicari ab eo, qui toties laudata methodo aliquid scribere tentat. Verum enimuerò, etsi multa in eo authore desiderari possunt, plurima tamen optimè ab eo sunt inuenta, & memoriæ prodita: quæ si excoluerimus, quæ desunt, nõ magno negotio fortè inuenire poterimus.

Palpitatio à crasso vapore.

Cap. I.

Quæ sint ponenda symptomatum causæ.

Video multis placere, vt omnium symptomatum causæ ad morbos referantur, quandoquidem symptoma à Galeno definitur id esse, quod morbum sequitur, & ab eodem *libro primo de causis symptomatum* scribitur, magnitudinem symptomatum, magnitudinem morborum sequi; quod his solum contingit, quorum quædam sunt vt causæ, alia verò illorũ effectus: quinetiam *in libro de differentiis symptomatum* omnem illorum originem à morbis duci contendit. Verum aliter, meo quidem iudicio, sentiendum est: Nam etsi plurima symptomata à morbis proueniunt; non desunt tamen, quæ nullis intercedentibus morbis, ab illorum causis, & aliis nonnullis nascantur. Qua in re, si primo authoritate certandum est, nõ deest nobis Galenus *in libro de optima secta*, vbi scribit, symptomata quædam causas morborum, nonnulla verò alia partem ipsam affectam sequi. Quid? quod scribit *tertio de causis symptomatum*, ea, inquam, omnia ex intemperie similarium, vel instrumentorum morbis, vel materiæ quantitate oriri. Cum enim omnes morbi aut similarium, aut dissimilarium sint partium, præter eos autem addit materiæ qualitatem, & quantitatẽ, perspicuo cõstare puto, illius opinione omnium symptomatum causas ad morbos referri nõ pos-

Symptomata non omnia proueniunt à morbo.

A se, & meritò quidem. Nam cum læsa actio symptoma sit, qualem, quæso, dicemus esse morbũ, cum caloris reuocatione, partium, quæ eo destituuntur, actiones labefactantur? quo modo per timorem relictis externis partib. recurrente cõfertim calore ad interna viscera tremores potissimum oriũtur. Scribit quoq; *lib. 5. de simplicib. me.* visum hebetescere, interim oculis nec inflãmatione, nec vlcere, nec fluxione, nec alio malo affectis; cui vitio, quæ medentur auxilia ὀξυδερκικὰ seu ὀξυδόρκικα nominari pronunciat. Qualis item morbus dari potest, cum vitio spirituum vrgente syncope cõcidunt omnes corporis actiones? an similarium fortè erit morbus? cum temperies constet, & alioqui frustrà Gal. 12. *Meth.*

B syncopẽs causas in duas primũ reuocasset, in intemperiem scil. solidarum partium & spirituum vitium, si hoc intemperatura ratione huiusmodi accidentis fit causa. Præterea oporteret in tam graui casu vehementem subesse intemperiem, si modo effectuum magnitudo, causæ magnitudini respondere debet. At vel nullam, vel certè exiguam intemperiem eam esse oportet, cum statim spirituum corruptione ruant vires, & illorũ regeneratione protinus restituantur. Nec verò etiam instrumẽtariæ partis morbus fuerit, vt ex superius demonstratis patere puto: quid n. defectu, aut alteratione spirituũ patitur structura instrumentorum? Quamobrem vt actiones fiunt ob rectam partium cõstitutionem, & spirituum

C beneficio; sic eas lędi ab eisdem causis præter naturam affectis necesse est, & tunc solum ex morbo, cum partium cõstructionis vitio labefactantur? Nonne etiam scribit, ob exactum partium sensum symptomata quædam nasci; vt stomachi dolorem, & singultũ, & obtenebrationes quasdam circa oculos, quales suffusione laborantib. apparent? Quorum certè morbus non est causa, sed potius perfectio quædam cõstitutionis corporis: veluti cum etiam linguam, quæ gustandi exquisita facultate est prædita, nõ solum extrinsecus aduenieñtes sapores, sed eos etiã, qui ab interno humore proueniunt, percipere tradit: Ad hæc per rigorem, horrorem, deprauatis actionibus vitio malorum humorum, nemo morbum

D agnoscet horum symptomatũ autorem, quemadmodum nec etiam, cum expultrix facultas per alui profluuia aduersus noxiam materiam nullam interim nobis sentientibus mordicationem, vel intemperie, aut denique alio vitio laborantibus, in quo morbi natura posita sit, vehementius insurgit. fiunt enim hæc symptomata à morbosis causis, antequam morbum gignant, insurgente vi excretrice, quę quod molestat, nullo sæpe nostro sensu extrudere appetit. Quid præterea de his dicemus, qui vertigine laborant? Quis, quæso, morbus deprauatæ illius actionis, in qua omnia circumagi putantur, causa fuerit? An intemperies? cum nullo sæpe accedẽte calore, aut frigore, vel alteri' qualitatis excessu solo (vt mea fert opinio) spirituũ inordinato motu huiusmo-

E di symptoma cõtingat: Nec illis credendum est, qui morbum statuunt esse in numero, qui huius causa existat. Non n. instrumentariæ partes ex spiritibus cõstare dicuntur, sed ex similarib. particulis longè diuersis à spiritib. & humoribus, si quidem hæc inter elementa, & corporis principia ab omnibus optimis scriptoribus ponuntur. Quid de his, qui nimio Veneris amore æstuati-

Actionem læsam esse symptoma.

Nimium amore venereis non esse vitium corporis, sed animi.

tes dormire, & alias actiones corporis, aut animi probè, vt solebant, exercere nequeunt? stultum namque fuerit huius rei causam reuocare ad intemperiem, quod nonnullis placuisse video: cum nullis remediis, quibus corporis intemperaturæ corriguntur, eorum morbus mitigetur: nimirum quod non corporis sit vitium, sed animi, qui continua, vehementique cogitatione, reuocato ad se calore, corporis officia exercere prohibet: Quod si incantationibus & fascinationibus docente vsu, & multorum historia attestante, fides aliqua adhiberi potest, quis morbus causa erit, cum per incantationes venere quis vti, aut alia corporis animiq; officia obire vetatur? nam illud ridiculum esset, quod à nonnullis de hac re dicitur, qui huius veneficii vim ad intemperiem redigere volunt, omnibus constare puto, quippe cum verba, quibus venerem ligant fascinatores, aut alia multa, quibus vtuntur ad actiones corrumpendas, calefaciendi, aut alio deniq; modo intemperiem committendi vim non habeant. Sed quid magis in hac re laboramus, cum Galenus, cuius potissimum autoritate illi omnes cõtrouersias diiudicandas esse censent, scribat *initio tertii de causis symptomatum*, ventriculo nullo modo affecto ob cibi potionisq; vitium, & nonnulla alia, eius partis coctionem, reliquasq; actiones labefactari, & alio loco omnia symptomata intestinorũ ex intemperie, vel tumore, vel excrementis oriri cõmemoret. Quamobrem veneficiis, & aliis, quæ ab arte nostra sunt aliena, reiectis, vtpote quæ ea consideret, quibus opitulari potest, contemnit aut quorum causas ignorat, quæq; illius rationẽ & vim excedunt; quæramus iam, à quibus causis omnia symptomata in vniuersum proueniant.

Veneficiorũ vim nõ posse referri ad intemperiem.

Vnde omnia symptomata in vniuersum proueniant.

Qua in re, (quod omnes fatentur, & rei ipsius natura docet) imprimis ponemus, morbos symptomatum causas esse, quandoquidẽ intemperaturæ morbosæ, quæ excrementa præter naturam, mutatis illorum qualitatibus, diminu-
1. taque quantitate, vel etiam corrupta vniuersa eorum substantia, reddunt, necnon etiam actiones corporis labefactant, id abunde testan-
2. tur. Sunt quoque causæ symptomatum, quæ morbos efficiunt; veluti biliosi, mordacesque humores, tertianas febres committentes, ob id
3. rigorem, horroremq; pariunt: Sumuntur prætera symptomatum causæ ab aliis causarum generibus. Etenim caloris natiui vitio, quo natura tanquam instrumento ad omnia corporis officia obeunda vtitur, symptomata nascuntur: cum immoderato motu, dissolutione, oppressione, varia reuocatione, actionibus secundum
4. naturam seruire nequit. Porro materiæ vitio symptomata prouenire, ostendit vitiata concoctio, & corrupta ob vitiosa alimenta nutritio:
5. At sudores, qui ob cutis raritatem contingunt, & pulsuum interceptiones, quæ occupato spatio eueniunt, monstrant causas, sine quibus nõ vocatas, symptomatum quoque esse authores, quemadmodum sanè pulsuum respirationisque læsæ differentiæ illæ, quæ in male affectis corporibus mutato illorum vsu, ob finem symptomata nasci docent. Ac, vt semel dicam, ex vnoquoque genere causarum propriè in singulis generibus symptomatum causæ sumuntur: quæ

A omnia euidentius in eorum tractatione innotescent. propterea quod ferè solum nominis communitate symptomatum genera inter se conueniunt.

Cap. II.

De causis actionis vitiatæ.

PRoueniunt à corpore, vt antea ostendimus, actiones, corporis ipsius qualitates, excrementa, & alia opera, vt humorum, & aliorum, de quibus antea egimus, generatio: verum actiones, qualitatum, & operum sunt autores, cum & ab illis hæc proueniant, & earum mutatio-
B nem sequantur; ex bona namque coctione sanguis bonus, laudabiliaq; excrementa, corporisq; probæ qualitates resultant: ea autem vitiata, hæc quoque similes labes contrahunt: Quamobrem docendi ratio exigit, vt causas, quibus contingit actiones lædi, quarum explicatione ad aliorum causas enumerandas facillima via paratur, primum hoc loco expendamus; qua quidem in re, vt antea præfati sumus, nihil Gal. quod commune sit omnibus, docet; cum *statim initio libri de Causis symptomatum* visionis oblæsę causas explicare aggrediatur; idq; nullo posito principio, quo certa docendi methodo intelligere liceat, nec plures, nec pauciores esse posse his, quas ille
C de ea re tradit: Quod si etiam numerum earum causarum, quas omnibus sensitiuis functionibus communes esse statuit, excutiamus, non solum inueniemus, eo non comprehendi omnia, quorum occasione huiusmodi functiones labefactari contingit, sed nec etiam omnibus illum conuenire. Ac quod non omnes causas sit complexus, postea ex his, quæ trademus, quilibet intelligere poterit: Non esse autem eas, quas ponit, omnibus sensificis operationibus communes, paucis ostendo: Vult enim lædi posse huiusmodi functiones, vel vitiata potentia, vel oblæso præcipuo actionis instrumento, vel parte aliqua offensa, quæ vsum quempiam præcipuo in-
D strumento præbet, quæ tactui non conueniunt. Neque enim tactus instrumentum vnum est præcipuum, aliud verò, quod illi subseruiat, sed vnicum est illius actionis author, nempe neruus. In aliis autem sensoriis præstabat duas ab initio causas ponere, vim, & instrumentum, huiusque postea diuisionem facere, quod aliqua scilicet sit pars, quæ primas ad actiones edendas obtineat, aliæ verò illi subministrent.

Tactus autorem esse neruum.

Iam verò illud quæramus, quorum scilicet occasione actiones lædi contingat. Itaque, vt ex certis notisque principiis res tota procedat, illud in primis docendum esse videtur; vt ea quæramus, à quibus actiones fiunt, cum secundum naturam habemus, eo enim inuento,
E quandoquidem in eisdem generibus opposita collocantur, facilè quoque erit inuenire, quod in hac re desideramus.

Ac spectanti quidem mihi, quod commune est omnibus actionibus, rationi videtur consonum, vt in illis omnibus causas statuamus *potentiam, & instrumentum vtrumque, quippe cum videamus, omnes functiones ab insitis singulis partibus facultatibus prouenire, & omnes calore natiuo, peculiariq. aliquo instrumento, per quod fiant, egere*: Sic enim profectò sensus, & motus à facul-

Causas a quib. actiones omnes fiãt, esse tres.

tatem,

fica, motriceq; facultate per neruos caloris beneficio in corpore exercentur: Sic concoctio à coctrice facultate, seruiente illi calore, & instrumento aliquo, in quo facultas ipsa residet, perficitur, & denique nulla est functio, quæ tres has causas non requirat. In quibus verò visus variari potest, veluti in pulsibus, & respiratione apparet, est etiam finis variandæ actionis causa: nam reliquis positis, eisdem causis, solo vsu mutato, pulsus, respirationemque mutari contingit: quod optimè animaduertit Galenus, cum illarum functionum causas *in libr. de pulsibus & respiratione* inuenire studet. Quinetiam in his actionibus, quæ absque aliqua materia fieri nequeunt, quales sunt naturales, quæ in attractione, retentione, alteratione, expulsioneque alicuius substantiæ versantur, materia quoque huiusmodi obeundæ operationis causa censeri debet: Vt enim bona fiat nutritio, laudabile nutrimentum præter alia est necessarium: causa verò, quæ subiecti nomine à nobis donata est in re proposita cum proprio instrumento coincidit. Idem enim est subiectum corpus, in quo agendi potentia sita est, & instrumentum, per quod actio obitur, veluti concoctio, quæ in ventriculo, & ab eo tanquam instrumento agente, coctrice potentia tanquam autore, & effectrice perficitur. Nec quidem, vt arbitror, est à ratione alienum, causas cum quibus, aut sine quibus non, nuncupatas, inter actionis causas ponere: vt enim alimentum in ventriculo, aut alia parte concoquatur, oportet quidem adesse facultatem, quæ rectè suo munere fungatur, & instrumenta idonea, & probam materiam, & vsum, si velis mediocriter vrgere. Verum nisi retineatur tantisper, donec elaborari alterarique valeat, infœlix profectò reddetur concoctio: est autem in hoc opere retentrix facultas, vt satis apparet, causa, cum qua commodè, & sine qua nullo modo concoctio fieri potest: Sic etiam cutis raritas causa est copiosi sudoris, non tanquam efficiens, non tanquam materia, aut instrumentum, aut alterius generis, quam huiusmodi, de quo nunc egimus. Requirunt & actiones tempus debitum, certum ordinem, certumque modum, & nonnullæ spatium, vt cordis arteriarumque motus, & singulæ actiones suas peculiares causas, sine quibus fieri nequeunt, & cum quibus commodè obeuntur, desiderant: vt raritas partium, quæ quasdam actiones promouet, & retentio quasdam iuuat, alias impedit: de quibus in singulis actionibus agendum est: licebit namque lectori singulorum causas sectanti ex cōmuni methodo, quam nos solum hic profitemur, quod ad rem propositam faciat, elicere. Ac quod actionum omnium vitia in prædictas causas, tanquam in proximas, & immediatas redigantur, vnicuiq; constare puto, quem non pigeat, aliquot ex omni genere actiones ad aliarum exemplum excutere, & earum causas expendere. Etenim imbecillior facultas, vt omnibus constat, actiones vitiat, nimirum cum illius causa tremores in senibus, sensuum omnium & motionum oblæsiones, & in aliis etiam, quorum facultates infirmæ sunt, contingant: Debilitato autem contractoque calore natiuo, communi omnium functionum instrumento, syncopes, sopores per vehe-

A mentiores accessiones morborum, & mille alia actionum vitia accidunt: Mictio verò, orto lapide in collo vesicæ, proprio illius actionis instrumento læso, impeditur: pulsus respiratioq; mutato illorum vsu à naturali mediocritate euariant. Quinetiam obruto grauatoque ventriculo nimia cibi multitudine, concoctio, quæ in eo obitur, improbè perficitur: quemadmodum etiam antea diximus, cum retentrix facultas malè suo munere fungitur: Atq; hæ quidem causæ, vt proximæ, & immediatæ cum actionibus agnoscuntur, sic ab aliis proueniunt: nam facultates corporis intemperaturæ offendunt, instrumenta varii morbi exercent, variæ causæ vsum mutant, calorem corrumpunt, & ab actionibus, B quibus peragendis incumbit, distrahunt: Non desunt, quæ omnis generis materiam, quæ ad actiones obeundas est necessaria, multipliciter varient: quarum rerum ratione, actiones quoque labefactantur, sed, vt diximus, intercedentibus illis causis, quas cōiunctas in hac re posuimus: Nec illud ignorari puto, omnia, quæ hæc efficiunt, ad quatuor rerum genera, à quibus antea morborum causas duximus, tandem redigi, ne superfluo hic eadem repetere cogamur.

CAP. III.

De causis actionis abolitæ.

C OMnibus illud constare puto prædictas causas, vbi plurimum excesserint, actiones omnino abolere: sic enim vbi ob maximam intemperiem facultas patitur, actiones perire videmus, & mortem nonnunquam subsequi, vel totius quidem animantis, vel partium, quas vitium infestat: Veluti cum ob vehementes intemperies ventriculus nullo pacto nutrimentum concoquere valet, sed tale illud reiicitur, quale assumitur, quod in læuitate intestinorum potissimum apparet: Hac etiam ratione extincta ob aeris circumstantis insignem admodum frigiditatem facultate sentitiua, & motrice nonnullas partes, præsertim extremas, quæ frigori magis sunt expositæ, sensu & motu priuari contingit: qua quidem in re illud ignorandum non D est, à quibus scilicet morbis facultates maximè afficiantur: nam etsi omnes intemperies cum plurimum excesserint, vim habent abolendi facultatem; quædam tamen sunt, quæ nonnullas ex illis minore excessu tollunt. Calor enim excedens coctiones non perinde abolet, nisi maximo excessu temperiem penitus dissoluat. At frigus longè minus huiusmodi vim habet; contra verò cibi appetentiam nō multo excessu tollit calor, frigus autem potius intendit, nisi vsque adeo crescat, vt fiat maxima exuperantia, quæ omnibus functionibus est inutilis: Eodem pacto retētrix facultas ab omni insigni intemperie exoluitur: ab humida tamen etiam minore: à sicca E autem non nisi maxima perditur: veluti etiam voluntarius motus. Sunt præterea quędam functiones, quæ maius in facultate robur requirūt, cum alioqui exerceri nequeant; aliæ verò, quæ non desinunt fieri, donec vel minimum facultatis superest, quod de sensu & motu scribere solet Gal. illum scil. minimam vim, hunc maiorem requirere: quæ omnia ab eo præcognita esse opor-

A quib. morbis facultates maximè afficiantur.

Causæ efficientes.

ret, qui fructum aliquem ex hac generaliore tractatione percipere velit. Est verò abolitarum, & intermissarum actionum quoque causa *natiuus calor*; vbi enim adhibitis vinculis, aut ob suffocationem, vel dissolutionem, aut ad alia loca reuocationem, is diffundi per corpus prohibetur, actiones earum partium, quibus ille non adest, ociari necesse est. Quibus modis adstrictæ vinculis, aut alio modo partes, eo quod caloris cōsortio destituantur, syderationibus corripiuntur, & occlusa aspera arteria mortem subsequi, & per inediam, vehementioresq; euacuationes digesto violentius natiuo calido, contingere animi defectum: per somnum verò externarum partium operationes caloris ad interna viscera contracti inopia, cessare videmus. Vt verò calidi huius natiui, siue spiritus non eadem est in omnibus partibus cōditio (siquidem in oculo purior, splendidiorq; esse solet) sic ob peculiaria eiusdem vitia quarundam partium officia peculiariter labefactari necesse est: Si enim crassior, aut turbulentior, aut non perinde splendidus in aliis partibus vigeat, minimum fortè actionibus illarum oberit: At si huiusmodi in oculis fuerit, si non omnino perdet, certè insigniter visionem offendet, quod etiam à Gal. *lib. 1. de causis symptomatum* proditum est.

Instrumentales. Cæterum læsis instrumentis ad actiones proprias obeundas destinatis, functiones illorū aboleri ratio docet, & cōtinuus vsus: sic enim sensu, & motu vniuersum corpus obstructis neruis omnibus in eorum origine per attonitum morbum, & nonnullas partes illis abscissis priuari videmus. Eadem ratione obcœcantur homines vulnerato vehementius oculo, & præsertim ea parte insigniter læsa, quæ in eo instrumēto præcipuam vim ad videndum obtinet, qualis est humor crystallinus vocatus, id quod ad proportionem in omni alio instrumento intelligere oportet. Illud verò, quod abolito vsu, actiones quoque deleantur, certissimum est: quippe refrigerato vehementer corpore, extinctoque calore, arteriæ pulsare, & corpus nutriri desinit, si quādo ob caloris magnam debilitatem, aut subiectæ materiæ pertinaciam non dissoluatur: quo pacto etiā cum secundum naturam habemus, dormire, edere, moueri, & alias functiones, quæ in nostro arbitrio sunt positæ, cessante illarum vsu, intermittimus.

Materiales. Quod verò ob materiæ vitium actiones etiam destruantur, docet nutrimenti ingesti copia, quæ nulla accepta coctione, grauata coctrice facultate, & expultrice irritata, vel per intestina descendit, aut per superiores partes cruda vomitu reiicitur, id quod etiam accidit, si expultrix, sine cuius quiete concoctio perfici nequit, temerè concitetur, aut retentrix intempestiuè suum opus deserat.

Causæ à subiecto.

Præterea occupato spatio, in quo instrumenta dimouentur, actiones quoque prohibentur: veluti cum exuperāte in cordis inuolucro aquoso humore, cor post deprauatos motus, quos edit, tandem moueri desinit: At si tempus, ordoque desint, & cætera, quæ sub causis sine quibus complexi sumus, mirum nō esse debet, si actiones pariter fieri desinant: Neq; enim quæ oculos tangunt, aut ab illis sunt remotissima, videri, nec in maxima temporis angustia ea fieri pos-

Causæ sine quibus non.

A sunt, quæ longiorem moram requirunt, & peruerso cibationis ordine, quid prohibet, quo minus concoctio vel infœliciter obeatur, aut etiam penitus perdatur: & denique expositis in hoc opere causarum generibus quilibet nō omnino medicinæ ignarus intelligere poterit, quorum occasione actiones aboleri contingat.

Cap. IV.

De causis, quibus contingit, actiones quasdam aboleri, aliis manentibus integris.

PErdi aliquādo aliquarum partium actiones, cum interim reliquæ partes nullo modo sint offensæ, satis omnibus constare puto: quandoquidem sensu. & motu, qui resoluta habent crura, aut brachia, destituuntur; fœliciter tamen alimentum in ventriculo, hepate, & vniuerso corpore concoquunt. Quin & illud notum est, B multarum partium functiones communi malo pariter aboleri, vt in attonito morbo, sensu & motu corpus vniuersum priuatur: & ventriculi coctione labefactata ad portionem læsionis, reliquas partes improbè nutriri; atque etiam labi omnium partium robur per lipothymias, & vocatas syncopes conspicimus. Nec illud quidem nouum est, in eadem parte affectionem vnam, aut plures seruari, aliàs autem, & nunc vnam, nunc aliam aboleri: siquidem longa experientia tritum est, nonnunquam in eodem C membro sensum, & nutritionem vigere, motu deperdito, & hoc incolumi sensum aboleri. Verum perinde facilè non est horum omnium causas assignare posse: Nam quod quarundam partium functiones lædantur aliis illæsis, ratio in promptu est, vel quod facultas, aut instrumentum, vel finis, aut materia, aut quæpiam alia ex prædictis causis peculiariter in illis partibus euariet, nulla mutatione in aliis facta: Plurium autem partium actiones læduntur à causis communibus, veluti à materia communi, publico instrumento, communi vsu, & facultate: ob communem quidem materiam ventriculi, hepatis, & omnium reliquarum partium concoctio nonnunquam vitiatur: vbi verò cor D patitur per animi defectum, caloris natiui, id est, publici instrumenti vitio, omnes corporis actiones labem contrahunt: per cerebri verò affectus ob læsam sentiendi mouendique facultatem, partes sensu, motuque destituuntur, alias autem functiones retinent: Variato autem actionum vsu, partes omnes, quæ illius causa agunt, in suis actionibus noxas experiuntur, quomodo contingit, pulsus, & respirationem deficiente calore, pariter aboleri. Ex quibus sanè constat, vitio proprii instrumenti multas actiones lædi non posse, & vniuersas corporis functiones nec ob materiam, nec ob facultatem aliquam, sed duntaxat communi affecto instrumento vitiari aboleriq;: propterea scilicet, quod E nulla est facultas, nulla materia omnibus actionibus communis: calore autem natiuo à corde influente, vniuersum corpus ad omnia sua munera peragenda opus habet. Potest tamen ob commune malum, quod vniuersam structuram afficiat, vt in febribus contingit, facultas omnis lædi: atque ita vniuersæ corporis functiones pariter labefactari.

Vniuersi corporis actiones vitiari & aboleri tantū ob commune affectum instrumentum.

Quod

rentias à causis duci intelliget, qui ea legerit, quæ de causis antea docuimus.

A modo, quo dolores feruntur & sustinentur.

Elicitur quædam differentia à modo quo dolores feruntur, & sustinentur; qua ratione Galenus *lib. 3. Prorrheticorum*, quosdam dicit esse dolores εὐφόρους, alios δυσφόρους.

Ab effectu, quem pariūt.

Aliæ vero sumi possunt differētiæ ab effectis, quos dolores pariunt, veluti cum dicimus, dolores quosdam iam inferre, aut minari inflammationem, alios conuulsionem, alios animi defectum, alios vero aliud.

Dolor atrox.

Sunt porro quædam dolorum nomina, quæ differentias aliquas inter se compositas significant, cuiusmodi dicit esse Galenus eum, qui atrox nuncupatur; *Is* enim *vehemens, & simul continuus est*, sic cephalæa inter dolores capitis intelligitur, qui diuturnus est, & vehemens, aut inueteratus, remediisque ægre cedens: Eiusdem generis sunt dolores capitis, qui ab Auicenna & Practicis (vt vocant) Medicis vocantur, Galea, Ouum, Nux, Malleum, & Clauus. Atque hæc quidem sufficiunt hoc loco de dolorum differentiis.

Cephalæa.

Galea. Ouum. Nux. Malleum. Clauus.

Causæ differentiarum dolorum vnde sumātur.

Iam vero tempestiuum est causas differentiarum doloris enarrare: quas nulla methodo ab antiquis comprehensas inuenio: si quis tamen diligenter rem expendat, agnoscet profecto, illas omnes sumi *vel a subiecto, vel ab efficiente, vel à potentia, quæ sentit iudicatq; de dolore, aut ab istis inter se complicatis:* quod ostendere aggredior in singulis differentiis.

Causæ doloris tensiui.

Igitur tensiuum dolorem, scribit Galenus, fieri aliquando à spiritu, aliquando ab inflammatione, aliquando ab humorum multitudine; hanc tamen varietatem *primo ad Glauconem* explicat: vel enim inquit, tensiuus est sine grauitate, & pulsatione, & tūc fit à multitudine spiritus crudi, & flatuosi: aut est cum pulsu, cuius inflammatio est causa: aut cum grauitate, & tunc fit à multitudine humoris. De loco huius doloris varia etiam tradit, nam in omnibus partibus sensu præditis eum fieri aliquando scribit; *alibi* in membranis, *alio loco* in totis ipsis musculis. Ratio autem docet, non solum ab humore, vel vapore, vel inflāmatione, sed ab omni re tendente, eundem excitari: nec solum quidem in illis partibus, sed in aliis vniuersis, quæ tendi sunt aptæ: nam per conuulsiones, & neruorum diuisiones, tensiui mouentur dolores; Capit ergo hæc differentia doloris causas suas ab efficiente, & simul à loco affecto. Porro grauis dolor, in quo grauitas quædam sentitur, fit, inquit Galenus, à plenitudine; quod enim repletur humore, illud graue redditur. Ait quoque eundem fieri in his, qui calculo laborant, eo tempore, quo nec calculus gignitur, nec exit; Tunc enim vehementissimos fieri dolores: Item in mediocri inflammatione renum, hepatis, pulmonis, & denique illarum partium, quæ repleri sunt aptæ, & exiguo sensu sunt præditæ. Ratio vero suadet, eum non posse fieri, nisi à re grauante; quæ cum adest, necessario in omnibus partibus grauem dolorem parit: propterea flatus nequit huiusmodi doloris esse causa, eo quod res leuissima sit: Pituita autem vel mediocri sua copia, quia grauis est, eum facit. Alii vero humores, præsertim bilis, hanc vim non habent, nisi plurimum excedant: sic calculus grauem dolorē sem-

Doloris grauis causa.

A per parit, nisi prorsus exiguus fuerit, & inflammationes, in quibus plurimus humor est collectus. Estque huiusmodi dolor communis omnibus partibus, quæ sensum aliquem obtinent; illæ enim omnes aptæ sunt sentire grauitatem; quod si partes exquisitiore sensu sunt donatæ, per inflammationes sentiunt vehementes dolores: non tamen arbitrari debemus etiam graues non fieri: sed hi à vehementibus obscurantur, vt vix sentiantur. Recipit ergo hic dolor causam ab agente.

Quæ partes dolore graui afficiantur.

Acuti situs & causa.

Acutum dolorem scribit Galenus fieri in tunica tegente renes, & ventres eorum interiores, nec non in arteriis, quæ ad eas terminantur, & in exortu vasorum vrinariorum; præterea, in hepatis tunica, & vasis ipsius: Committi vero ab inflammatione; nam quod vulnerare acus pungētis modo aptū est, calidum sit oportet, qualis est humor, qui inflammationes parit; Ille enim penetrare, pungereq; potest. Capit igitur causam ab efficiente, & loco affecto, nisi putes nō solum in illis partibus, quas recenset Gal. sed in aliis omnibus huiusmodi dolorem oriri posse; si modo calidus & tenuis adsit humor.

B

Pruriginosi.

At pruriginosus dolor eodem autore nascitur ob acres humores, corporis superficiē occupantes: oportet autem tales esse humores, vt scribit *libro de Symptomatum causis secundo* tenues, infixosque cuti hærere: quippe tenuem, salsum, immotumque humorem, pruritum excitare; C paucum, tenuem, mordentem, & immotum, vlcerosum affectum; multum, salsum, crassum, & immotum, lepram, & scabiem parere; paruum, tenuem, & mordacem, cum exiguo motu horrorem; cum vehementiore vero, copiosiorem, mordacioremque humorem rigorem inferre.

Vlcerosi.

Vlcerosus dolor eodem autore fit non solum in cute, sed etiam extenditur vsq; ad imas partes, & ossa: excitatur vero ab humore acri, & erodēte: ex quo patet sumi causam illius à subiecto, & efficiente.

Stupidus dolor quid & quæ eius causa.

Stupidus dolor, inquit Galen. à frigiditate fit: ea enim spirituum, & facultatis sensificæ transitum impedit; Vnde obscurus fit sensus, & ob vehementem frigiditatem dolor nascitur; itaque D vtriusq; ratione, stupidus dolor paritur: qui nihil aliud est, quam dolor cum stupido sensu coniunctus: Causam ergo sumit à solo efficiente; quippe cum quælibet pars sensu prædita, huiusmodi dolori sit obnoxia.

Causa pulsatorii.

Pulsatorius dolor nascitur, vt idem tradit, ex magnis inflāmationibus, erisypelatis, & abscessibus, primario affectu in arteriis, in reliquis vero partibus omnibus sensibilibus per consensum; proinde in cute, adenibus, mēbranis, quibus nullæ sunt arteriæ insignes, nec in peripneumonia, pleuritide, hepatis, vel renum inflammatione; quoniam obtusus illarum partium est sensus, huiusmodi dolorem fieri posse credit: sic magnam E inflammationem, vbi etiam paruæ sunt arteriæ, dolorem pulsatorium efficere posse tradit: Gignitur autem dolor huiusmodi ab his causis hoc modo; per inflammationes arteriæ vehementius ad motum excitantur, vt caloris vehementiam contemperent: verum cum liberum spatium non habeant, vicinas partes pulsant, quæ si sensum habent, ex percussione dolent; voca-

turq; dolor hic pulsatorius. At quoniam magnæ inflammationes occupāt omne spatium, in quo mouentur arteriæ; ideo in illis etiam locis, vbi arteriæ paruæ sunt, dolor prouenit: vbi vero magnæ sunt arteriæ, mediocris, vel etiam parua inflammatio, eiusdem doloris causa est: quia magnum spatium requirunt magnæ arteriæ, ex quo patet, causas huius doloris aliquando à solo efficiente, vt magna inflammatione; aliquando à solo subiecto, vt magnis arteriis; aliquando ab vtroque sumi; veluti cum vtrumque est mediocre.

Punctorii. Punctorius dolor causam habet ex efficiente, & loco affecto: nam calidam oportet esse materiam, & membranam, quę patitur; vnde in pleuritide dolor punctorius fit.

Mordacis. Mordax dolor causam capit à solo efficiente, ab humore, inquam, vt vapore acri: nam quælibet pars apta dolere, huiusmodi dolori est obnoxia.

Vehementissimi. Vehementissimum dolorem pariunt, inquit Gal. causæ vehemētissimæ: cuiusmodi est humor eiaculatus in partē affectam à venenatis animalibus. Mihi vero causa hæc reiicienda videtur, nō solum in id, quod efficit; sed etiam in id, quod patitur, vel in ipsam facultatem. quæ passiones diiudicat: nam partes admodum sensibiles à moderatis etiam causis, vehementissimos patiuntur dolores; eodem pacto mollis animus magnos cōcipit dolores à leuissimis quibusq; causis.

Exasperantis. Dolor asperitatibus quibusdam plenus, inquit Gal. ab inflammatorio affectu, vna cum humore exasperante, in carne fit, exasperare autem potest humor, qui acris est, & crassus, ob acrimoniam enim mordere, quoniam autem crassities adest, quæ inæqualiter dispergitur, asperitatem facere potest.

Fixi. At dolor, per quem palus videtur infixus, in crassis, inquit ille, intestinis fit, veluti etiā is, quo terebro perforari videntur partes: differunt vero inter se aut multitudine, aut crassitudine, aut rei dolorem facientis potentia, siue humor, siue spiritus flatuosus fuerit: videtur autem huiusmodi materia prorsus esse crassa, & vehementer frigida obtusam enim diuisionem, quam pali, aut terebri acumen præstat, efficere non potest humor, aut vapor, qui crassus non sit, & simul frigidus: calida enim materia minores diuisiones facit, vt pungentes, & erodentes, penetratq; citius, quæ tenuis est: crassitudo præterea ipsius partis, vt intestinorum substantia, plurimum etiam confert ad huiusmodi sensum anferendum.

Contundentis. Contundentis doloris causas non docet Galen. nec mihi videtur ille fieri posse ab aliis causis, quam ab externis, quæ contundendi vim habent.

Retrahentis & detrahentis. Nec ille etiam docet retrahentis, aut detrahētis doloris causam: quæ quidem meo iudicio est prorsus affectus inflammationis capitis, aut finis partis, quæ sanum aliud extremum retrahit, aut detrahit.

Maligni. Tacet quoq; maligni doloris causas, quæ vel ab efficiente, aut à loco affecto sumi videntur: nam quæ malignam obtinent qualitatem, vt venena, quæ ex deleteriis medicamentis sumuntur, aut humores eiacul. à morsu animalium venenatorum, aut ex improbo victu vel aere pestilenti geniti, idem præstare possunt.

Emicantis. Omittit ille causam emicantis doloris: videtur tamen ea esse tenuis materia, & pars princeps, aut quæ publicum munus exercet, ab illis enim tenuis substantia in vicinas facile transferri potest.

Dolorum, qui repente aut paulatim oriuntur aut incrementum suscipiunt. Fiunt porro dolores, qui repente, aut paulatim oriuntur, aut incrementum suscipiunt, vel ratione materiæ, quæ repentinam, aut tardam vim ad agendū habet; vel ob partem, quæ ob suam mollitiem, vel cauitatem aut connexionem, aut aliam propriam conditionem prompte, aut ob contrariam conditionem ægre, causas dolorificas admittit.

Rari. Ratus vero dolor, id est, qui raro affligit, fit, maxime à fluxionibus per interualla repetentibus, vt in podagra apparet, aut à partibus imbecillibus, quæ materiam noxiam procreant; sed eam postea prompte extrudere possunt; vt in colico dolore apparet.

Continui. Continui vero dolores à contrariis causis excitantur.

Infixi. Cæterum infixi dolores causam sumunt partim ab efficiente, & partim à subiecto: nam crassus, vel multus humor, vel vapor hærere solet in parte: & ipsa pars, quæ ob suam compositionem, difficilem præbet exitum materiæ lædenti, facit, vt fixi dolores maneant. Vnde inquit Galenus, in dentibus maxillaribus, oculis, & cum quadam pulsatione in auribus, & in colo intestino, accidunt huiusmodi dolores.

Profundi. Dolorem profundū fieri idē inquit in membranis ossibus adiacentibus, adeo vt ossium ipsorum veluti dolentium inducant imaginem: propterea à Gręcis [Greek] dicuntur: fiunt autem potissimum à frigore, vel plenitudine.

Late fusi. Late fusus dolor in mēbranis maxime oritur, à flatu, vel tenui humore: illa enim pars, & aliæ, quæ latę sunt, vndequaq; admittunt dolorificam causam: & hæc cum tenuis & mobilis fuerit, prompte sese in omnem partem insinuat.

Angusti. Angusti dolores causam capiunt, duntaxat à parte affecta, cuiusmodi sunt nerui, venæ, & arteriæ: huiusmodi enim partes, vt angustæ sunt, & extensæ secundum longitudinem corporis, angustos, & extensos dolores experiuntur.

Recentes. Inueterati. Noui dolores, id est, qui non antiquantur, à calida, vel tenui materia fiunt, præsertim in partibus laxis: Contrarii vero à frigida & crassa materia in partibus astrictis. At compositorum dolorum causæ compositæ sunt; ita vt non opus sit plura de hac re hoc loco docere, vbi methodum potius, quam singulorum explicationem quærimus.

CAP. XVI.

De causis voluptatis corporis, & animi.

ETsi voluptatis remedia non quærimus; tamen cum doloribus mederi studemus, plurimum refert nouisse, quid voluptatem parere, aut alium dolorem excitare possit: sic enim quæ grata sunt naturæ auxilia, eligemus, alia vero euitabimus, quæ nouam molestiam inferre sunt apta: Accedit, quod hæc tractatio scitu est iucunda, &

da, & multis difficultatibus implicata, vt nostrũ laborem minime superfluũ in hac re fore existimem. Igitur voluptatem scribit Plato *in Timæo*, & ex eo Galen. *lib. 1. de Causis sympt.* fieri, cum aliquid à statu præter naturam in eum, qui naturalis est, mutatur, ab his, quæ agunt confertim: nam quæ sensim agunt, absque voluptate mutationes facere creduntur: quorum quidem opinionem recipere nequaquam possum, ita dictantibus ratione, experientia, atque adeo ipso Galen. qui in hac re sibi non constat: nam quod non solum in reditu ad naturalem statum, sed etiam in bene valentibus voluptas fiat, clarius est, quam, vt doceri debeant. Etenim singuli sensus miras sentiunt, cum rectè habent, voluptates à suis obiectis, nec nõ animus ex cogitatione iucundarum rerum magna voluptate afficitur; Docet idem Gal. *lib. 1. de Causis sympt.* vbi enarrat, quæ sint grata obiecta singulis sensibus, non solum dum ægrotant, sed etiam quando conualescunt à suis morbis, aut iam optime valent; quod cum notissimum omnibus sit, illud refellere aggredior quod illi dicunt, voluptatem duntaxat fieri ab his, quæ confertim agunt: nam & id falsum esse arbitror; Etenim si conferta mutatio solum id faceret, voluptatem duntaxat parere possent extrema contraria; nam media nec subitam, nec magnam vim habent ad agendum: cum tamen medii colores dolenti oculo ab extremis doloribus gratissima fiunt spectacula, vt Gal *lib. præcitato* docet; quod etiam in aliis sensibus apparet: nam dolenti tactui ex lassitudine gratæ sunt molles, blandæque frictiones, & vnctiones; quod idem autor *eodem loco* memoriæ prodidit. Fiunt ergo voluptates etiam ab his, quæ sensim, & leuiter vim suam exercent. Ac quod ea, quæ confertim agunt, non semper voluptatem pariant, vbi ad naturalem statum laborantes sensus redeunt, scribit etiam Gal. *12. Method.* docetque ipsa experientia. Etenim dolentibus partibus à frigore, calor, qui confertim adhibetur, non voluptatem, sed nouum dolorem affert: Ex quibus quidem patet, nec à solis, nec semper ab illis, quæ confertim agunt, voluptatem comparari. Ac profectò cum vniuersam Gal. tractationem, quam facit de dolore, & voluptate *in lib. de Caus. sympt.* diligenter expendo, inuenio, illum mala principia ponere, & posita postea euertere particularibus exemplis, & rationes quasdam in certis sensoriis reddere, quas in aliis mutat: deniq; eum non posse aliquid in ea re stabile ponere: cum tamen vna res sit voluptas, vna dolor, quę propterea vnam communem rationem recipere debẽt. Principium enim apud illum est, vt diximus, à Platone mutuatum dolorem, & voluptatem fieri ab his duntaxat, quæ celeres simul & magnas moliuntur mutationes, id est, vt vno verbo dicam, confertim agunt; At docet quidem ille ea, quæ huiusmodi sunt, dolores parere, & aliquando voluptatem, verum non docet, dolorem non posse oriri etiam ab illis, quæ sensim facultatem suam exercent: euertitq; hoc principium in generationem voluptatis: quandoquidem (vt diximus) docet, in singulis sensibus voluptatem sępe fieri ab illis, quæ non nisi sensim agunt. Ac quod magis est, post particularia illa exẽpla, sumpta ab illis, quæ paulatim agunt, colligit rursus, rectè dictũ à Pla-

Opinio Platonis & Galeni de voluptate, quando scilicet fiat, refutatur.

A tone, voluptatem fieri in singulis sensoriis, cum ad naturalem statum confertim producuntur: quod quidem postea alia ratione rursus euertit, cum scribit, voluptatem parari ab his, quæ confertim agunt, maxime si ea nobis cognata, familiariaq; fuerint: cuiusmodi sunt in gustu dulcia, in odoratu ea, quę proportione dulcibus respondent: nam antea principium recepit, quæ confertim agunt, voluptatem conciliare, nulla cognationis facta mentione. Deinde vero cognationis nomen addit: sed quam rectè videamus. Si enim cognata intelligit, quæ mediocria sunt, & temperata, vt dulcia, non poterunt illa voluptatem parere, vbi mutatio fit à statu præter naturam in naturalem: quippe cum mutatio per contraria fiat, nec quæ temperata sunt, magnis excessibus mederi possunt, quo modo præterea dicere potest, esse contraria, & cognata? nam contraria inimica sunt, cognata autem amica; Præterea non oportebat ad sola dulcia rem contrahere, sed in omni sensu generali aliqua, aut certe particulari singulis, ratione docere debebat, quid illis esset cognatum. Ego certe arbitror, omnia, quæ doloribus medentur, cum voluptate pariter esse cognata, nec certum aliquid magis, quam aliud statuendum esse: quod quidem idem autor ostendit, dum docet eo loco voluptatem comparari à quibuscunque contrariis. Nec quidem potest dulcis sapor voluptatem afferre in omni affectu ipsius gustus; aut si affert, non certe id faciet confertim, vtpote qui temperatus & mediocris sit sapor, qui non nisi temperate, & mediocriter agere potest. Postremo videmus, voluptatem pariter fieri à duobus contrariis: Etenim dolentibus partibus à frigido, calidum, sicut dolentibus à calido, frigidum cum voluptate medetur, si certa mensura vtrumque adhibeatur. At duo contraria nequeunt eidem esse cognata: aut si sunt, non alia ratione sunt, quam quod medeantur mutuo contrariis malis; adeo, vt superflue addatur, voluptatem ab illis conciliari, quæ contraria sunt cognata: neq; enim certa genera rerum in singulis sensoriis reperiuntur cognata; sed nunc vnum, nunc aliud, pro natura affectus, aptum est ad dolorem mulcendum; Quod si cognata putat illa esse, quæ certa mensura adhibentur; propterea quod idẽ nunc voluptatem pariat, nunc vero nouum dolorem inducat in parte ex alia dispositione prius laborante, modus ille explicandus erat, quo quidem fit, vt diuersa ab eodem sequantur; Itaque cum ex Galeno non constet, in quibus possit voluptas fieri, & à quibus rebus conciliari valeat, rem hanc nos pro viribus enarrare aggrediamur.

Porro facile est docere, in quibus fiant huiusmodi affectiones: nam experientia docet, *non solum in reditu ad naturalem statum, sed etiam in sanis, conualescentibus, & deniq; in omni alio corporis statu, dolorem, & voluptatem committi.* Illud vero difficilius est docere, cur in reditu ad naturalem statũ, hi, qui præter naturam habent, aliquando voluptate afficiũtur, aliquãdo dolore, aliquando vero sine sensu doloris, aut voluptatis, ad naturalem statum perueniant. Etenim in colicis doloribus, vacuantia sanitatem conciliant, semper afferunt secum voluptatem. Vbi vero partes ex frigore dolent, calor, qui sanat, parit a-

In quibus fiant voluptas & dolor.

Cur in reditu ad naturalem statũ hi, qui præter naturã habeant, aliquando voluptate afficiuntur, aliquando dolore, aliquando vero neutro [illegible]

liquando voluptatem, aliquando nouum dolorem asciscit. At à siccitate, calore, frigore, humore, & multis aliis affectibus ad sanitatem itur, sæpe absque voluptate vlla, aut dolore: Cuius quidem rei caussam nō puto illam esse, quam Plato, & Galenus tradunt; quod scilicet voluptas concilietur, vbi morbis medemur, remediis confertim agentibus; sine voluptate autem sanitas accedat, vbi alterius generis adhibentur auxilia: quandoquidem, vt antea ostendimus, vim habent inferendi voluptatem etiam illa, quæ sensim leuiterque agunt; Sed petitur, meo quidem iudicio, ratio à diuersitate affectuum, quorum mutationem quærimus: nam *qui cum dolore sunt, ad sanitatem mutantur cum voluptate, quod si corpus nequaquam dolet, absque voluptate sanitas comparatur*, quod ratio imprimis docet: nam cum mutatio omnis fiat ex contrario in contrarium, merito fit, vt ex dolore ad voluptatem fiat transitus, docet idem experientia: nam vbi corpus morbo laborat absque dolore, nullam voluptatem sentit ex suis remediis: Contra vero cum dolore torquetur, miram sentit voluptatem, cum dolor mulcetur, vel ablata dolorifica causa, aut ipso sopito sensu. Cur vero nascatur aliquando dolor ab his, quæ medentur doloribus; veluti cum refrigeratas partes confertim calefacimus, non ea ratio est, quam nonnulli tradunt, quod natura subitas mutationes abhorreat. Aiunt enim pelli frigus à calore contrario, & ex illius pulsione repentinam intemperiem, & compressionem partium, continuique solutionem fieri, & inde dolorem; qui non fieret, si sensim calor adhiberetur, hunc enim esse quidem amicum membro refrigerato, sed quoniam subito comparatur, eum fieri præter naturam, & molestum; Verum si ratio, vt illi volunt, sumitur à subita mutatione, quo pacto statuunt illi ex Platone, & Galeno, dolorem, & voluptatem, non nisi in mutatione, quæ confertim fit, contingere? Oporteret præterea idem contingere in omnibus remediis, quæ doloribus succurrunt; quod non fit: nam subitæ, & magnæ vacuationes, in magnis doloribus maximam afferunt voluptatem. Naturam abhorrere subitas mutationes, trita est sententia: quæ vera est; cum bene valentes inueteratam ex consuetudine naturam, nouis officiis subito assuescere volumus; Verum cum illa laborat, subitas mutationes quærit, gratissimasque habet: eo quod ab illis prompte liberetur, restituaturque. Nam larga sanguinis missio, & aquæ potio, magnaque purgatio, vehementem voluptatem æstuantibus ex febre inferunt. Melius quoque appetimus cibos intermissos, aut nouos, quam eos, quibus vesci consueuimus. Habet ergo vim consuetudo, non in naturalibus facultatibus, sed in animi actionibus, & propriis vitæ officiis: his enim nemo subito citra periculum assuescere potest. Illud quoque ridiculum est, quod aiunt, dolorem refrigeratis partibus nasci, eo, quod calor frigus ipsum pellat, & ex pulsione fieri compositionem, continuique solutionem: nam etsi calor contrarius est frigori; non tamen pellendo, & comprimendo, sed laxando & digerendo ei reluctatur, doloremque mouet: Protrusos enim humores à frigore in partes in-

Natura quando subitas mutationes abhorreat.

A ternas, calor ad superficiem euocat, affatimque fundit, ex fusione autem tensio, continui solutio, & dolor sequuntur, quod si paulatim pars calefieret, paulatim quoque ad superficiem, & alia sua loca redirent humores; vnde nulla tensio, nec dolor fierent. *Non ergo ratio generationis noui doloris, cum partibus medemur dolore affectis, ducenda est à subita mutatione, sed à natura eorum, quæ doloribus medentur.* Quoniam enim inter illa quædam habent vim inferendi dolorem, ideo dolor nouus ab illis nascitur; ab illis vero nequaquam, quæ facultatem huiusmodi non obtinent. Id autem illis accidit, quæ nequeunt continuum corrumpere. Atque hæc in duplici quidem sunt differentia: quæ-

Cur calor refrigeratis partibus [illegible] statim factus dolorem afferat.

B dam enim id habent ex sua natura, alia vero non nisi ex agendi modo: nam quæ sensibiliter vacuant, vt purgatio, sanguinis missio, quæ adhibentur ad dolentes partes liberandas, continuum soluere nequeunt, & propterea semper cum voluptate succurrunt, & tanto quidem maiorem afferunt voluptatem, quanto maiorem portionem noxiæ materiæ educunt; Quæ autem alterando opitulantur doloribus, si confertim agere possint, vt calor, & frigus, nouum inducunt dolorem, nisi paulatim agant; siccitas vero & humiditas, quia non nisi sensim vim suam exercent, ideo voluptatem semper conciliant; quemadmodum diximus fieri à vacuantibus. Ex quibus quidem patet, quando fiat voluptas

C in sanatione, & à quibus semper fiat, à quibus vero aliquando contingat, aliquando non. Accidit enim voluptas in ægrotis dolentibus dum sanantur, & ea semper ab illis, quæ in suo genere nequeunt dolorem procreare: ab illis vero, quæ possunt, oritur dolor, quando illis vtimur confertim, non oritur vero, si sensim adhibeantur, aut non nisi sensim continuum soluere possint. Sanato enim priore dolore, nemo est, qui illis tamdiu vti pergat, vt valeat continuum diuidi. Atque hæc dicta sint de voluptate, quæ nascitur, dum corpora ægrotantia sanantur.

Quando & à quibus in sanando fiat voluptas. Quando & à quibus dolor.

Cæterum bene valentes sensus, & conualescentes, ab eisdem rebus delectari ex Galeni opinione patet: nam asserit ille *lib. 1. de Causis*

D *symptom.* colorem cæruleum in vtroque statu oculis iucundum spectaculum. Qua quidem opinione alia forte melior inueniri potest. Cum enim præsidia, quæ sanis competunt, distincta sint ab illis, quæ conualescentibus adhibentur; non potest vtique idem esse voluptatis causa in vtroque statu; nisi contingat aliquando id, quod relinquitur morbosum in conualescentibus sanari posse illis obiectis, quibus valentes sensus oblectantur. Ac vt dicam quod sentio, in bene valentibus voluptas à cognatis, & familiaribus rebus comparatur: sunt autem huius generis, quæ mediocres sunt, pro cuiusque natura; hæc enim moderate vniunt sensoria, & iam vnita in mediocri statu conseruant. Propterea medii

Quibus voluptas in bene valentibus comparetur.

E colores, & sapores suis sensoriis grati sunt, extremi vero diu ferri non possunt absque dolore, & molestia; & merito quidem: nam vt ægrotantibus contraria sunt quæ iuuant, sic sanis, vtpote in mediocritate quadam positis, gratum est, quod mediocre & simile: At conualescentibus mista obiecta voluptatem conciliant, quoniam illorum mistus est affectus, partim ex sani-

Quibus in conualescentibus.

tatem

tate, partim vero ex præcedente morbo; cui iucundum esse non potest, nisi quod nullam vim habet conseruandi, inquam, quod est secundum naturam, & mutandi, quod præter naturam est relictum. Idem sentiendum de his, qui parati sunt cadere in morbos: nam & mixtus est illorum status, ex eo, quod est secundum, & præter naturam.

Iam vero ad proportionem eorum, quæ dicta sunt de his, quæ pariunt voluptatem in sensibus, licebit quærere, quod voluptate afficiat animum, nam laboranti animo dolore, ex contrariis illis, quæ dolorem pepererunt, medicina, & voluptas petenda, sic enim lucrum mulcet, & sanat animi dolorem ex iactura pecuniæ conceptum. Ac vt in corporis doloribus, quæ adhibetur medicina, aliquando nouum inducit dolorem, ita præsidia, quibus vtimur in animi doloribus, nonnunquam priore sedato dolore, alium inferunt: veluti cum cordis dolorem ex nimio risu, & gaudio obortum, ex re tristissima, affatim reprimimus: ex nimia enim effusione, & veluti dilaceratione cordis, subita fit eiusdem contractio, & diuisio quædam, & dolor; præterea vt in bene valente corpore, grata, & voluptuosa sunt obiecta, quæ temperata & moderata existunt; sic animus bene compositus non nisi moderatis rebus delectari potest. Sed hæc philosophi, quibus forte plus ocii est, quam nobis, diligentius tractent.

Cap. XVII.

De caussis doloris, & voluptatis, quæ fiunt in singulis sensoriis.

VT autem in dolore animi pars ea, siue facultas animæ, quæ dolorificas, & voluptuosas impressiones recipit, aptissima censetur ad dolores procreandos, eosque grauiores reddendos, quæ est infirma, & mollis: quæ vero huiusmodi passiones apprehendit, & diiudicat, creditur esse idonea, si exquisito iudicio fuerit prædita, & suam quandam habuerit mollitiem: ita primum videndum est, quodnam ex sensoriis aptius sit ad maiores dolores concipiendos. Qua quidem in re Galenus *libro primo de Caussis symptomatum*, primum locum tribuit sensorio tactus, secundum sensorio gustus, tertium sensorio olfactus; quartum sensorio auditus: postremum sensorio visus, dicitque sumi huius rei rationem ex crassitie, & tenuitate substantiæ, qua constant ipsa sensoria: illa enim grauius dolere, & maiore frui voluptate, quæ substantia crassiore constant, propterea visus instrumentum minimum dolere, quod tenuissimum sit. Tactum vero maxime, quod omnium crassissimum habeat instrumentum. Quæ quidem ratio, etsi ab omnibus recepta est, mihi tamen videtur multis difficultatibus implicata. Nam primum inter Aristotelem, & Galenum non conuenit de substantia sensoriorum. Etenim Galenus *in libro præcitato*, nec non *in eo, quem scripsit de Instrumento odoratus*, instrumentum visus splendidum, Auditus aereum, Odoratus vaporosum: Gustus humidum & aqueum; Tactus vero instrumentum terrenum & solidum: Aristoteles vero *in libro de Sensu, & sensili*, visum aqueum statuit es-

A se; auditum aereum; olfactum igneum; tactum terreum; gustum vero pariter terreum, cum ille tactus quidam sit: Ergo si ex tenuitate, & crassitie sensoriorum causæ maioris, aut minoris doloris, & voluptatis sumentur; incerta profecto reddetur ratio, his præsertim, qui aliorum autoritate ducuntur. Nam Galenus aqueum ponit esse gustum, Aristoteles terreum; ille olfactum vaporosum, hic igneum; Ille rursus visum splendidum, Aristoteles vero aqueum statuit. Quod si quis rationum momenta quærat, etsi quid experientia in hac re docere potest, vt forte nõ inueniet aliquid, in quo animus quiescere valeat; ita haud magno quidem negotio horum autorum argumenta, vel, vt verius dicam, leuissimas

B coniecturas refellere poterit. Ac vt primum Galeni opinionem excutiamus: si ille omnium sensuum instrumentum definit, neruum esse, quo pacto potest instrumentum sensuum distinguere per crassitiem, & tenuitatem? At si neruum non intelligit per instrumentum sensuum, sed aliud quippiam peculiare singulis sensibus; quid peculiare ostendet in sensu tactus? Nam cum cutis, caro subiecta, & viscera omnia, per se non non sentiant, nisi beneficio neruorum, nihil inuenire poterimus in illis aliud proprium instrumentum sensus, quam neruum ipsum: At hunc ostendimus intelligi non posse. Præterea cum scribat ipse *in libro de Instrumento odoratus*, ventriculum, & præsertim illius os, esse instrumen-

C tum appetentiæ cibi, & potionis, quam quidem actionem obit, vt instrumentum tactus, quid in ea parte inueniemus proprium, & peculiare instrumentum, quod tantum differat ab instrumento tactus, quantum differt actio ipsius oris ventriculi, ab actione aliarum partium, quæ simplici duntaxat sensu tactus sunt præditæ? Quid, quæso, est, quod in eo appetentiam cibi & potionis & horum solum efficiat? An neruorum multitudo? quæ in plurimis musculis æqualis esse potest; An exquisitus duntaxat sensus? qui non minor est in cute manus, quam in ipso ventriculo: quandoquidem, vt ille tradit *in libro de Temperamentis*, natura huiusmodi cutem ita composuit, vt regula, & iudex omnium re-

D rum, quæ sensui tactus subiiciuntur, foret. Cur ergo substantiam instrumenti destinati ad appetentiam cibi & potionis non expressit, & ad certam naturam non redegit, vt alia instrumenta, quæ propriam actionem & sensationem efficiunt? Nam vt gustum separauit à tactu; tametsi tactus quidam est, & hunc terrenum, illum vero humidum statuit esse, quoniam aliud requiritur, quam sensus tactus in instrumento destinato ad sapores sentiendos: eadem profecto ratione peculiaris quædam substantia instrumento appetitus cibi & potionis tribuenda est; quoniam propriam quandam exercet actionem, in tactu quidem, sed non minus ab eo diuersam, quam faciat instrumentum gustus. At si per in-

E strumentum non intelligimus partem aliquam peculiarem, sed integram ipsam partem, quæ integrum est instrumentum, & perfectum, vt totum ipsum orificium ventriculi compositum ex neruis, carne sua, & reliquis partibus, ex quibus componuntur; multo minus ostendere poterimus sensoriorum diuersitatem ex crassitie, & tenuitate substantiæ. An partium tenuiorum vel

crassiorum est pars illa, quæ orificium ventriculi constituit, alia parte, quæ reliquas componit in ipso ventriculo, aut intestina vel cutem, vel musculos conficit? aut si in hoc aliquid fingere possimus, qualem, quæso, ponemus differentiam in vniuersis partibus, quæ instrumentum tactus constituit, ab illis, quæ efficiunt instrumentum gustus, odoratus, auditus, & visus? Inuenies enim in singulis perfectis instrumentis, multa ex crassa, alia ex tenui substantia confiari: Ac minus quidem peculiare aliquid in hoc instrumento inueniri potest; si sensorii tactus nomine vim ipsam sentiendi quispiam forte dicat intelligi. Nam quis dicet vim, quæ sensus tactus est autor, crassæ, aut solidæ esse substantiæ: aut sensoria inter se differre crassitudine, & tenuitate? Vna enim est vis, quæ per neruos in singulas partes sentientes à suo fonte immittitur, spargiturque. Præterea si Galenus *in libro de Instrumento odoratus*, ideo visus instrumentum splendidum esse oportere scribit, eo quod lucem sentire debet; & auditum aereum, propterea quod dicatus sit ad sonos, qui aere vehuntur, recipiendos, & denique (vt ille ait) si natura in cuiusque sensus instrumento fabricando, similitudinem sensibilem secuta est; perperam (vt arbitror) tactum constituemus, crassum, terrenum, solidum, & durum; vtpote qui non solum de crasso, terreno, & duro obiecto, sed etiam molli, tenui, humido & aliis plurimis qualitatibus sit iudex. Erit ergo tactus non magis terreus, quam aqueus, aereus, & igneus: nec magis crassus, quam tenuis, aut durus, quam mollis: si de omnibus elementis, & prædictis qualitatibus iudicat. Sed quo pacto potest Galenus terrenum tactum cõstituere, quem *in libris de Temperamentis* temperatissimum, præsertim in manu, magna contentione probare nititur? Itaque in tactu nullum peculiare instrumentum inuenitur, quod terrenum, durum, solidum dici possit, neruo excepto; qui reliquis sensoriis est communis: etsi fortasse mollior in aliquibus, in aliis vero durior. At nec in aliis sensoriis facile est aliquid inuenire, quod Galeni opinioni respondeat: nam si per sensorium intelligamus neruum, qui sentiẽdi vim immittit oculis, auribus, linguæ, naribus, nemo constituere poterit, visum esse splendidũ, auditum aereum, gustum aqueum, & odoratum vaporosum, propterea quod huiusmodi differẽtia non reperitur inter neruos illarum partium. Si vero sensorii nomine intelligamus instrumẽtum, quod edit perfectam eam sensationem, vt totum oculum, totam linguam, aurem; nihil inueniemus, quod huiusmodi opinionem comprobet; Non.n. totus oculus est splendidus, nec auris tota est aerea, nec partes omnes, quæ faciunt ad odoratum, sunt vaporosæ; nec aqueæ omnes linguæ partes; At si instrumentum sensus capere vult eam partẽ, quam passim præcipuum esse autorem actionis meminit; cuiusmodi dicit esse in oculo humorem crystallinum; non deerunt etiam, quæ hanc opinionem redarguant: nam humor ipse crystallinus splendidus quidem est, sed non tenuioris substantiæ instrumento odoratus, & auditus: nam instrumentum auditus aereum; gustus vero vaporosum esse ponit: humor autem crystallinus crassus, solidus, & concretus est: multo quidem magis quam aer, & va-

A por; quibus prædicta sensoria constare dicit. Deinde si omnia sensoria vult ad naturam elementorum redigere, oportebat illum, vt terreũ cõstituit tactum, & aqueum gustum, & aereum auditum, sic igneum ponere visum, non splendidum solum, cum huiusmodi qualitas in calidis, frigidis, humidis, & siccis rebus reperiatur; vt quæ materiæ puritatem sequitur, sicut in gemmis, crystallo, & aliis multis corporibus perspicuis apparet: Aut si visum dicit esse substantiæ splendidæ, cur aliorum sensuum substantiam nõ explicat per oppositas qualitates: & dicit, si volit, opacum esse sensum tactus, auditum vero, olfactum, & gustum medias quasdam, & sibi proprias in hoc genere qualitates obtinere? Iam

B vero si illi dedero, instrumentum visus intelligi, quod præcipuum est in oculo ad visionem efficiendam, & illud sit humor crystallinus; quid huiusmodi peculiare instrumentum reperiet in lingua, quod sit aqueæ substantiæ? An illis tunica, an caro erit instrumentum hoc? videtur autem tunicæ hoc esse concedendum; vt quæ primo saporibus occurrat; cuiusque vitia saporum dignotionem corrumpunt: at tunica substantiam non habet aqueam: caro vero ipsius linguæ etsi spongiosa est, non propterea aquea statuenda est: nam & lapides quidam spongiosi sunt, & corpora spongiosa fiunt, non ob humiditatem, sed ob raritatem substantiæ, in qua multi meatus aere pleni fiunt: in quo plus potest terra, &

C aer, quam aqua: hæc enim facit, vt corporum substantia concidat, nullique fiant meatus. Si vero per instrumentum gustus intelligat totam ipsam linguam, vt scribit *in libro de Instrumento odoratus*, primum hoc sequitur inconueniens, quod vniuersæ illius partes nequaquam sint aqueæ; Deinde aliter iam instrumentum sumimus in gustu, quam in visu: nam in hoc humorem crystallinum illud & præcipuum quod. iam instrumentum intelligebamus non totum oculum, in illo vero totam ipsam linguam, & non aliquid, quod in ea sit præcipuum, & proprium gustus instrumentum: Quid vero in auditu cõstituemus aereum? quæ nam erit hæc pars? Ait ille *in libro de Instrumento odoratus*, esse foramen

D quoddam huiusmodi instrumentum; At hoc non probat; nec ipsum quidem foramen, sed corpus potius, quod illud constituit, hoc instrumentum erit. Non enim foramen aereum dici potest, etsi aere sit plenum: nec locus huiusmodi, sed pars omnino debet esse, quæ instrumentum constituitur actionis animalis, vt ille *passim* docet, quando instrumentum definit. Quod si peritioribus anatomes credere velimus, præcipuum auditus instrumentum sunt ossicula quædam, quod si ita est, longe crassiore substantia constabit instrumentum auditus, quam sit gustus, aut tactus sensorium. Ac multo quidem minus solum erit aereum, si velit illud eiusdem esse substantiæ cum medio, per quod soni vehuntur

E ad auditum: nam cum auditus fiat non solum in aere, sed etiam in aqua, erit profecto huius sensorium nõ minus aqueum, quam aereum: quod illi non placet, qui vnum duntaxat elementum, & vnam substantiam singulis sensibus tribuit. Quid vero in sensorio olfactus vaporosum statuetur? Censet ille *in lib. de Instru. odoratus*, huius sensorium esse in ventriculis cerebri anterioribus.

bus. Sed quid illic firmum stare potest, quod perpetuo odores recipiat? Si enim est substantia cerebri, quæ eos ventriculos constituit, non erit hoc sensorium vaporosum: si vero aliquid aliud est, quod veluti innatet ipsis ventriculis, aut cerebri substantiæ adhæreat, perpetuum & stabile esse non poterit, si vaporosum erit: nam facile huiusmodi substantia per sternutationes, & nasi violentas emunctiones, eliditur: & si aliā habet substantiam, aut si instrumentū est, qualiscunq; sit illius natura, cur in dissectionibus corporum nihil huiusmodi in prioribus illis cerebri cauitatibus reperitur? Nec ratio quidem Galeni ostendit, odoratus instrumentum in ventriculis illis collocatum esse. Ait enim, hoc esse huius rei argumentum, quod odorare non possimus, nisi per inspirationem attracto aere, tanquam oporteat ipsos odores ferri vsque ad cerebrum; nec satis sit res odoratas naribus immittere vt odor fiat; quod ostendit, inquit, non in naribus, sed in ipso cerebro hoc instrumentum collocari: verum hoc non probat, quod vult: Nam vt agnoscimus, non satis esse aliquid in nares immittere, vt odor fiat, respirationeque esse opus, & ex eo colligimus non in primis nasi partibus vim esse, aut instrumentū odorandi, ita ex eo probare nō licet, fieri ascensum odorum vsq; ad eas cerebri cauitates: sed satis est, si illi ad primum processum neruorū, qui ad supremas naris partes pertingunt, perueniant. Addo quod quemadmodum impeditis neruis visoriis non fit visio, quia vis à cerebro nō immittitur, sic obstructis meatibus odoratus, aut cerebro, nō cōmunicata per inspirationē necessariam in hoc sensu, affectione nata in instrumento odoratus, non fit odor. Itaque vt nemo dicet, instrumentum visus esse in cerebro, vbi deficiente vi sensitiua visus impeditur, ita cum odor non fit, necessarium non est credere, illius instrumentum in cerebro situm esse: siquidem actio instrumenti labefactatur, non solum ex proprio, sed etiam ex facultatis vitio. Postremo has diuersas substantias sensoriorum id refellit, quod Galenus nequeat vnam rationem inuenire, qua possit vti in singulis sensoriis. Nam *in libro de Instrumento odoratus*, ea ratione visus instrumentum lucidissimum esse debere scribit, qua lucem tantum sentire debebat: aereum vero auditum necessario esse, quoniam dicatus est ad sonos, qui aere vehuntur, recipiendos: gustum vero & linguam ex humidiore corporis substantia constare, quia sapores positos in humida substantia diiudicat: odoratum autem ideo vaporosum esse, & ex media inter humorem, & aerem substantia constitui, quia odoris substantia huiusmodi est: & tandem concludit, naturam in fabricandis cuiuscunque sensus Instrumentis, similitudinem sensibiliū secutam esse: qua quidem in re illud primum licet dicere, quod in visu, odoratu, & gustu substantiam sensorium sumat ex substantia simili sensibus: in auditu vero non ex substantia sensibilium, sed medii, nempe aeris, per quem soni vehuntur. Quæ quantum inter se differant, quilibet agnoscere potest, nam si ex medio, per quod perueniunt sensibilia ad sensoria, horum substātiam inuenire volumus, eadem erit visus & auditus substantia: siquidem colores ad oculum, vt soni ad aurem per aerem feruntur: Ergo sibi

A non constat, cum in vno sensorio substantiam ex sensibilium substantia, in alio vero ex medio, quo illud vtitur ad sentiendum accipit. Addo quod si sensoria constituuntur ex similitudine sensibilium; non solum splendidum, sed etiam coloratū oportebit esse visus instrumentum; sed qualem, quæso, colorem illi necessarium putabimus? An omnes? quod fieri nequit; an aliquos, sed quo pacto alios recipiet dissimiles? An potius ratio conuincit, sensoria nequaquam oportere esse eiusdem substantiæ cum sensibilibus? nam vt recte inquit Aristoteles, id, quod recipit, denudatum esse oportet à natura eius, quod recipiunt: & propterea recte Plato animam tanquam tabulam rasam esse dicebat: &

B ipsemet Galenus *in lib. de Vsu partium* ostendit, ex hominis vsu fuisse, quod nullum instrumentum innatum sit manui: vt ea variis pro necessitate vti posset; vtque nullum insitum obtineret. Atq; hæc obiter sint dicta aduersus ea, quæ Galenus de Substantia vniuscuiusque sensorii tradit. Quid vero de hac re Aristoteles sentiat, operæpretium esse puto breuiter proponere.

Igitur scribit ille *in lib. de Sensu, & sensili*, eos errare, qui visum igneū statuunt, quod presso, agitatoq; oculo, igneus fulgor appareat: nā, inquit, hoc accidit, quod oculi pars ni[illegible]a, mediaq; leuis sit; leuia autē in tenebris fulgere; id autem non ostendere sensorium oculi igneum esse: nam si, inquit, oculus ex igne constaret, accideretq; vi-

C dere, egrediente veluti è laterna lumine; cur etiam in tenebris non fit visio; ridiculum enim esset, credere, visum extingui in tenebris, vt Timæus astruit: extingui enim, quod calidum est, & siccum à frigido, vel ab humido, non autem à tenebris. Itaq; visum non esse igneum, sed aqueum: non tamen visionem fieri, vt est aqua, sed vt translucet; Constare autem pupillam & oculū ex aqua, probare se putat, quod sauciatis oculis effluat humor, qui videtur esse aqua: & quod in fœtibus nuper formatis, oculi supra modum splendeant, refulgeantq;: ob id etiam in animalibus sanguine præditis albidam portionem oculi opimam, pinguemque esse factam, vt humor persistat incongelabilis: exanguium vero

D oculos tunica dura ambiri, qua ab iniuria frigoris, humores, & ipsi oculi defendūtur: propterea oculos minime omniū partium corporis rigere solere; vt qui in genere animalium munimentum aduersus frigus obtineant; ex quibus tandem concludit, internam oculi portionem aqueam esse: quoniam perspicuam esse oportet; talem autem esse aquam. Esse ver[illegible] sensorium visus, & animam ipsam non in oculi extremo, sed in parte interna, vt autē ex aqua oculi partem, cui videndi facultas est data; sic ex aere id, quod sonos percipit; olfactum ex igne, tactū, & gustum ex terra constare pronūciat: nam sensoria oportere esse ait, id potentia, quod sunt actu ipsa sensibilia; Quapropter cum odor non nisi fumi-

E da quædam exhalatio sit, quæ ignea est, propterea peculiare sensorium olfactus potentia igneum esse, atque hac ratione olfactum in cerebro situm esse: Frigidam enim materiam, potentia calidam esse; oculum eadem ratione à cerebro constitutum, quod omnium partium corporis humidissimū, frigidissimumq; existat: Tactum autem & gustum non procul à corde collocari.

Sententia Aristotelis de substantia vniuscuiusq; [illegible] fulgor in oculo.

nem, rigorem, tussim, singultum, & reliquos partium motus, quos inter deprauatos merito collocat Galenus, qua, quæso, alia ratione tales esse censemus, quam quod motiua vis perperam, quæ mouentur partes, agitet? Iam vero functionem nō inepte auctam vocabimus, quæ maior est, vehementior, fortior, acutior, vel debitum tempus anteuertit, aut velocior, aut crebrior, aut longius extenditur, aut continua est, vel confertim obitur, cum per interualla, & paulatim fieri deberet, aut alia ratione, si quæ sit, mediocritatem excedit. Contra vero diminutam eam esse censebimus, quæ minor, quæ imbecillior, quæ obtusa, vel confusa, quæq; tardius incipit, itē quæ postea quam incœpit, segnius absoluitur. Est præterea huius generis, quę rarius fit, & quæ ob debilitatem intermittit, aut paulatim opus conficit, quod confertim, & continue fieri expedit, quæque nunquam perfectionem sui operis assequitur, aut longiore tempore opus habet, vt illud perficere valeat, aut alio denique modo deficit: sunt enim omnia vitia prædicta excessus, defectusque quidam: sic sane pulsus magnos, vehementes, plenos, altos, veloces, crebros, in his, qui male sunt affecti, præter naturam iudicamus. Damnamus autem acutiorem auditum in ægrotis, qui iam ad mortem properant, tanquam excedentem quandam præter naturam functionem, veluti etiam somnum, qui ante debitum tempus obrepit, aut ad longius spatium producitur. Item continuas mictiones, aut perpetuos sermones in ægris accusamus; & naturæ contrariam iudicamus esse sanguinis spiritusque reuocationem, quæ per timorem inuadentesque febres confertim ad interna viscera perficitur. Quin & coctionem eam excedere putamus, quæ postea quam mediocritatem est consecuta, vltra progreditur, atq; id, quod concoquitur, torret, & adurit: Contra vero motus paruos, languidos, vacuos pulsus, demissos, tardas rarasque omnes functiones, obtusas, confusas, tardantes, interpolatas, præterea caloris difflationes hęrentes, paulatimque emanantes per vehementiores morbos in crisibus sudores, coctionem, quæ nunquam mediocritatem suam assequitur, aut non nisi longiore tempore, vitiosas, & præter naturam arbitramur.

Actio intempestiua ad quod nam genus referenda.

Intempestiua autem actio nunc ad debilem, nunc ad auctam, aliquando etiam ad deprauatam redigi potest. Cum enim laxato, debilitatoque ani musculo, alui excrementa importune redduntur, debilitatis vitium est: At si validior excretrix partium vis concitetur, retentricemque violet, ad excessum reuocandum est malum. Quod si quis deliret, & in principum corona, aut in locis, vbi sacra administrantur, quo tempore tacendum est, clamore intempestiuoque sermone omnia interrumpat, nemo est, qui non corruptam deprauatamque huiusmodi operationem putet. Sunt & nonnullæ ex prædictis functionibus, quę commodius nunc in vno genere, nunc in alio collocantur: veluti quæ intermittit, aut tardat, vel anticipat, quæ quidem nunc ob debilitatem, nunc ob deprauationem quandam, aut superfluum robur contingunt: quod quilibet non magno negotio deprehendere poterit, ne superfluo labore omnium imbecillitati, corrupta tractatione, consulere voluisse videamur. Hæc enim mediocriter eruditis sufficere poterunt: quæ omnia actionum mala aut certe præcipua, & aliorum genera, si quæ supersint, comprehendunt. Nam superfluum esse puto, de eo vitio rursus agere, quod in molestia, aut voluptate præter naturam positum est, cum nulla inferiora genera alia sub se comprehendat. Quod si quis difficilem actionem prætermissam a nobis putat, alterumque genus constituendum esse, meo quidem iudicio errat, quandoquidem aut hoc nomine omnes, aut certe plurimas actionum læsiones complectimur, id quod satis patet *ex lib. de Difficili respiratione*, vbi Galen. auctas, diminutas, & deprauatas eas respirationes sub eo nomine explicat, aut debilem actionem intelligimus, quemadmodum idem autor *primo de causis symptomatum*, difficilem appetentiam vocat, quæ imbecilla est, aut etiam deprauatam, aut deprauatam solum: veluti cum deprauatam coctionem dyspepsiam, idest, difficilem coctionem nuncupari statuit *in lib. de Differentiis symptomatum*.

Ad quod ... Actio difficilis.

CAP. IV.

Quot, quæve sint excrementorum, & aliorum operum, quæ in male affectis corporibus proueniunt, genera.

EXpeditis vitiis, quæ in actionibus præter naturam obeundis reperiuntur, reliquum est, vt ad excrementa, & alia opera, postremo ad qualitates corporis præter naturam transeamus: superius namq; obiter ostendimus, præter qualitates, & excrementa, & actiones aliud esse symptomatum genus, quo continentur alia omnia opera, quę fiunt in corporibus laborantibus: cuius generis est cibus, qui male in ventriculo cōcoquitur, & sanguis & humores, qui in hepate, & venis perperam elaborantur: veluti etiam calculi, lumbrici, corrupta caro, & si quid demum huius generis aliud in corpore gignitur, quod inter excrementa proprie collocari nequit. Etenim excrementa cēsentur esse, quæ post coctionem humorum resultant; id quod ex Gal. patet, cum scribit *libro tertio Methodi medendi*, omnem coctionem sequi duplex genus excrementorum, minime iudicans, sanguinem, qui gignitur, excrementum esse: nimirum cum ab eo, quod à reliquis humoribus, vtilique alia substantia secernantur, & extra corpus excerni debeant, excrementa sint nuncupata. Sanguis autem non est, qui excerni debet, & ab alimento segregari, quemadmodum nec spongiosa, laxaque caro, aut pinguedo; calculi vero & lumbrici humores non sunt, nec per coctionem, vt alii humores gignuntur, nec à communi quadam massa, vt excrementa, seiunguntur; sed propriam, separatamque materiam, & generationem obtinent, vbi tamen à corpore educuntur, communi excrementi nomine continentur, quod aliis humoribus semper conuenit, cum à sanguine sunt secreti. Interim enim dum cum eo confunduntur, humores potius nuncupantur.

Excrementum quid.

Vnde habeat nomen. Sanguis cur non sit excrementum.

Lumbrici & calculi an sint excrementa.

Porro excrementa constituere solet Galenus præter naturā esse tribus modis, qualitate, quantitate, & toto genere; Quid vero sit excremen-

Excrementa tribus modis fiunt præter naturam.

tum esse qualitate, aut quantitate præter naturam, constare omnib. puto. Est enim huiusmodi, cum naturalem qualitatem, & quantitatem sibi naturęq; animali conuenientem non seruat: vt cum bilis pro pallida, flaua. æruginosa, vel vitellina, aut atra euadit, pituita salsa, vel acida, vel dulcis gignitur: Naturalem autem quantitatem excedere dicuntur, cum proportionem iustam cum aliis non retinent, aut vires grauant, aut vasa, concauitatesque, quibus continentur, præter naturam replent, & distendunt. Cæterum quod nunc toto genere alienum, alias tota substantia noxium vocat, non satis explicat, quomodo intelligi velit, quanquam mihi non videtur aliud significare his nominibus, quam quod excernatur aliquid, cuius naturam, & formam damnemus, non solum rei ipsius quantitatem vel qualitatem, sed rem ipsam vniuersam: cuiusmodi sunt, quæ naturæ omnino familiaria, & cognata existunt: quo modo sanguinis, & pinguedinis excretionem, & ramenta. quæ exulceratis intestinis exeunt, toto genere præter naturam esse dicimus: vel etiam toto genere alienum vocamus excrementum, *quod alienam formam, & naturam corpori inimicam est sortitum*; Qua ratione, pus lumbricos toto genere præter naturam esse ponimus, quod ea nihil habeant, quod probari possit, sed naturæ minime proprium, & ab ea alienam formam, & substantiam acceperint.

Excrementū toto genere præter naturam quod.

Contraria ergo ratione aliquid toto genere inutile excrementum dicitur, nempe *vel quod prorsus inutile sit, aut omni ratione familiare, & amicum*. In sanguinis tamen excretione plurimum à seipso dissentire videtur Galenus. Nam *in libro de Differentiis symptomatum*, sanguinis excretiones per quamcunque partem factas (si prosint) non amplius præter naturam esse refert. *Libro* vero *tertio de Causis*, easdem toto genere præter naturam vult reputari, ea excepta, quę in mulierib. per vterū moderate contingit: tam solet à seipso variare, vt raro idem de eadem re scribat. Verum si præter naturam illud statuere oportet, quod male affectis corporibus accidit, sanguinis in mulieribus excretiones, quæ naturalem illarum conditionem sequuntur, nunquam præter naturam existimabimus. Si vero toto genere præter naturam ponitur, quod excernitur, si modo cognatum, familiareque extiterit; profecto sanguinis euacuationes, quæ aliter, quam per vterum contingunt, perpetuo præter naturam censere par est, siue iuuent, siue lædant. Non enim à quo id fiat, & quid sequatur excretionem; sed eius, quod excernitur, naturā, substantiamque in hoc casu spectamus; alioqui nec bilis porraceæ, aut æruginosæ vomitum, aut sudoris fœtidi profluuium, vel alterius humoris vacuationem præter naturam crederemus, cum illa per morbos sese à noxiis humoribus expurgat. Nam etsi ea tunc agit, morbosa tamen est causa, à qua stimulatur, & præter naturam afficitur corpus. Quod vero excernantur humores nunc tempestiue, nunc importune, & per idoneos, aut ineptos locos, aut alio modo, quam oportet, differentias in ipso excremento id non facit sed in ipsa actione, & excretione: Non enim propterea variatur id, quod excernitur, sed diuersa est excernendi ratio. Ex quo quidem non fit, vt alia vitia, præterquam prædicta in eo quod excernitur, toto genere noxium ponere necesse sit.

Contraria ratione aliquid dici toto genere inutile excrementum.

Iam vero inter alia opera morbosa, quędam etiam sola qualitate sunt præter naturam, vt caro spongiosa, quæ in vlceribus gignitur, quædam sola quantitate veluti cum ob nimiam sanguinis copiam corporis moles præter naturam augetur; & sanguis ipse immoderate redundat: fiunt etiam quædam toto genere naturæ contraria, vt caro ipsa putrida, & calculi, qui in renibus, & vesica concrescunt, & vermes, qui in variis corporis locis gignuntur, nec non pus, pili, serum, & reliqua, quæ sæpius in abscessibus genita reperiuntur.

Cap. V.

De vitiis, quæ in qualitatibus corporis reperiuntur.

Qvas corporis qualitates intelligere oporteat inter symptomata recipi, antea ostendimus. Nunc vero paucis docendum est, quot possint esse in illis quoq; distincta vitiorum genera. Quin re alienum esse non puto, tribus etiam modis in eis vitium contingere. Etenim rubedo, quæ sanguineis corporibus, dum febricitant, intenditur, solo excessu damnatur; si vero hi pallidi fiant, qui rubri suapte natura esse solent, qualitatem præter naturam habere eos putandum est, sed non toto quidem genere, quod tūc putarem euenire, dum alienas omnino qualitates à natura humorum corpus conceperit, quales sunt, quæ ex venenis toto genere lethalibus proueniunt. Cur enim cum varie afficiatur corpus, diuersæq; admodū in eo nascantur qualitates, non licet nobis etiam ea generibus quibusdam inter se distinguere, quo illorum naturam docere, exprimereq; valeamus? Aliter namq; affici corpus putabimus, cum natiuum illius colorem intendi, aliter cum in aliū mutari proprium alicui humori, vt bili, & pituitæ, vel omnino in eum, qui perniciem mōstret, & indicibilē quandam qualitatem imbuerit, viderimus: quippe cum natura rei postulet, vt quæ qualitate sola obesse possunt, aut quantitate, vel tota substantia, aliter corpus afficiant, aliaq; symptomata, & proinde alias qualitates genere etiam inter se discrepantes inferant: quemadmodum ipsa, à quibus illæ proueniunt, genere differre posita sunt. Nec aliter quidem possunt disciplinæ methodo tradi, nisi prius certis generibus, & nominibus, res, de quib. agendum est, inter se fuerint distinctæ. Si quis enim forte docere tentet, quonā modo differre cognoscantur morbi, qui à causis proueniunt, quæ sola qualitate obsunt, ab his, quæ quantitate, aut toto genere noxia existunt, non aliter commode id facere poterit, quam si dicat, illos, qui læduntur à rei qualitate, symptomata habere qualitate præter naturam, alios autem quantitate, & toto genere, quibus quantitas, & ipsa rei substantia est inimica.

Tribus modis vitium contingere in qualitatibus corporis.

Cap. VI.

De numero symptomatum, quæ in singulis partibus reperiri possunt.

Qvæ, quotve sint generatim, speciatimque symptomata, antea abunde ostensum pu-

to: nunc vero admonendum est, non parem esse numerum symptomatum in singulis morbis, & singulis partibus affectis; quandoquidem ex morbis quidam non patiunt excrementa, nec qualitates corporis mutant; & partes, nec easdem genere, nec numero æquales actiones edunt. Nam morbi, quæ instrumentarias partes infestant, nullam per se vim habent excrementa mutandi: siquidem excrementorum generatio, retentio, expulsio & quicquid denique circa illa præstare necessarium est, quatuor naturalium facultatum administrationem potissimum sequitur. Nam vlcera, & vulnera excrementa præter naturam procreant *ob intemperiem, qua vt plurimum vulneratis, vlceratisque partibus aduenit*. obstructiones vero inter omnes morbos instrumẽtariarum partium aliquid ad excrementorum collectionem proprie pertinere videntur, quando occlusis meatibus, per quos expurgationi excrementorum via patet, ea aceruari, & præter naturam succrescere necesse est.

Morbos partium organicarum non mutare excremen. *Vlcera & vulnera vnde gignant excrementa.*

Eadem quoque de corporis secundis, tertiisq; qualitatibus ratio putetur. Nam obstructione excepta, quæ impedito excrementorum cursu alieno colore, vt in morbo regio apparet, corpus inficit, quicquid est in illis vitii, ab intemperie, primisque qualitatibus prouenit. Cæterum actionum ratione symptomatum numerus in singulis partibus hoc modo euariat: Quædam enim ex corporis partibus sensu destituuntur, aut motu; quædam vero sensu, & motu sunt prędıtæ: aliæ fontes sunt actionum, quædam suas functiones exercent duntaxat ad propriam administrationẽ, & custodiam: Aliæ vero actiones edunt toti ẽt corpori seruientes, & publicas. Cõtingit præterea in partib. quæ pluribus actionibus a natura sunt donatæ, inæquales diuersasque læsiones fieri; quarum occasione nunc vna, nũc alia, aliquando omnes functiones perduntur. Est enim id iam experientia tritum, in partibus affectis seruari aliquando motum, aliquando sensum, nonnunquam vtrumque pariter aboleri, vt in resolutis corporibus apparet. Quamobrem necesse est, nunc æqualem, nunc inæqualem reddi symptomatum numerum in diuersis, singulisque partibus, quoniam non eadem est omnium conditio, nec paria, nec eadem mala, quibus vnaquæque illarum torquetur: Ratio tamen exigit, vt plura nascantur symptomata in parte sensu prædita, quam in alia, quæ hoc caret: & in ea, quæ mouetur, quam in immobili: plura omnino patitur, quæ publicum, quam quæ peculiare sibi munus exercet, veluti ventriculus, qui geminas habet omnes naturales facultates, attractricem scilicet, retentricem, coctricem, & expultricem: quantum aliæ ad nutritionem vniuerso corpori necessariam; aliæ vero ad propriã exercendam sunt destinatæ. Principibus vero partibus affectis, etsi pauciora nonnunquam in illis actionum symptomata contingunt, tamen in reliquis omnibus partibus plurima omnino, origine labefactata proueniunt; veluti cum læso cerebro, seruatis integris eius functionibus, sensus, & motus in vniuerso corpore deperditur, & affecto corde omnium partium actiones per animi defectum, & syncopen concidunt, paucis

Symptomatum numerum ratione actionum in singulis, partibus variare & quomodo id fiat.

In quibus partib. plura sunt symptomata.

A interim in ipso corde labefactatis operationibus, quoniam paucas habet, vtpote quod ad suppeditandam potius vim, qua omnes actiones peraguntur, quam ad multa officia exercenda sit a natura institutum: veluti etiam cerebrum, quod tametsi nullo sensu, & motu est præditum, sentiendi tamen, mouendique facultatem singulis membris largitur. Itaque cum præsens tractatio omnium partium conditionem, & actionum numerum præcognitum ponat, facile, qui hæc, & symptomatum numerum prædictum tenet, quæ quotve symptomata in singulis partibus consistere possint, inueniet: Qui vero hæc ignorat, nec forte etiam ea intelligeret, quæ prolixius de ea re, sed non maiori aliqua vtilita-
B te, hic a morbis dici possent. quare ad differentias symptomatum transeamus.

Cap. VII.

De Differentiis symptomatum.

Differentias symptomatum ab eisdem fere fontibus sumemus, à quibus morborum differentias antea duximus: Quamobrem si quis exactiorem huius rei cognitionem desiderat, imitatione eorum, quę illic tradita sunt, eam minimo negotio instituere poterit. Nos enim in pręsentia singula prosequi nõ instituimus: sed
C potius methodum docere, & paucis exemplis rudiorum imbecillitati consulere, quibus illi adiuti ad reliqua inuenienda accendi valeant.

Itaque cum symptomatum natura in hoc posita sit, quod aliis, quæ sunt præter naturam, succedant, eaque sequantur; merito à diuersitate eorum, ad quæ illa sequuntur, & consequentium ipsorum, præterea consequendi diuersa ratione propriæ symptomatum differentiæ sumentur: cum præterea illorum non eadem sit generatio, & solutio, nec eædem proprietates, nonnullæ quoque in his vtiles prouenient differentiæ.

Symptomatum differentia vnde sumantur.

Porro sequuntur symptomata quædam morbum, alia morborum, alia etiam suas peculiares
D causas: etenim color præter naturam vitiatus causæ morbi, nempe humorum comes est: Actiones vero læsæ morbi ipsius sæpius sunt effectus: Actionum autem differentiæ partẽ ipsam affectã potius comitantur: nam q̃ laborante homine febre, nunc cibi appetentia, nunc excrementorum retentio, nunc expulsio magis læditur, partium ipsarum, à quibus huiusmodi actiones proueniunt, diuersa conditio, & ad patiendum aptior, vel ineptior in causa est; Quę omnia facilius postea intelligentur, cum symptomatũ omnium causas docebimus: vt autem differentiæ ductę sunt ex hoc fonte generalissimę, ita inferiores quædam, & specificæ in singulo genere resultant.

Differentia ab iis, ad quæ symptomata sequuntur.

E Nam inter ea symptomata, quæ morbos sequũtur, differentia hæc est, quod quędã morbos similarium partium, intemperiem, & totam substantiam vitiatam; alia vero instrumentariarum, vt conformationem, magnitudinem, numerum, coniunctionem, vel vnionem corruptam comitentur: item cum dicimus, quędã esse, quæ morbum

morbum ipsum sequuntur, quædam quæ morbi magnitudinem, tempora, principium, scilicet incrementum, statum, & declinationẽ, & morem; quædam, quæ morbos primarios, alia, quæ secundarios, æquales, inæquales, continuos, intermittentes, ordinatos, inordinatos, breues, longos, salutares, lethales, primarios, per cōsensum, communem; particularem, aut denique aliam morbi differentiam consequuntur.

Differentia eorum, quæ sequuntur morborum causas.

Eadem profectò ratione in his, quæ à causis prouenitunt, differentia constitui potest, quod scil. quædam nascantur ab efficientibus morborum causis, alia ab instrumentis, alia à materia, alia demum à subiecto; cuius generis hæc est etiam differentia, si dixerimus, quædam esse symptomata morborum capitis, alia ventriculi, cordis, hepatis, neruí, ossis, vel alterius partis affectæ; alia autẽ totius corporis ægritudines sequi.

Differentia ab ipsismet symptomatis sumpta.

Cæterum ab ipsismet symptomatis, quæ consequuntur, differẽtiæ huiusmodi oriuntur, quod scilic. nunc actiones læsæ solum, nunc etiam excrementa, & qualitates corporis præter naturam mutatæ malè affecta corpora, nunc vigilia inter actiones, aut delirium, vel syncope, vel concoctio vitiata, aut læsa respiratio, vel pulsus, aut plures, vel pauciores huiusmodi functiones sequantur. Sic inter excremẽta, quod ex laborantibus corporibus nunc proueniant sola qualitate, nunc verò sola quantitate, aut toto genere, vel etiam omnibus modis noxia: ex qualitatibus verò nunc visiles, nunc gustatiles, vel audibiles, vel odorabiles, aut tactiles, per morbos mutentur.

Differentia ex consequendi ratione.

Iam verò ex cōsequendi ratione proprias differentias hoc modo sumere licebit. Quædam enim ita sequuntur morbum, vt cum eo perpetuò sint cōiuncta, nec separati aliquo modo possint, qualia sunt, quæ incipiente morbo inuadunt, & cum eo augentur, vigent, declinant, & desinunt; quæ ob id cognata à Gal. *in libro de subfiguratione empirica* dicuntur: Quædam verò, quæ postea eueniunt, quæ affinia *eodem loco*, & in Aphorismis ἐπιφαινόμενα ab Hippocr. nuncupantur: sequuntur præterea quædam immediatè morbos, causasq; morborum, alia verò intercedentibus aliis symptomatis, veluti deprauata ventriculi concoctio illius partis affectæ immediatum est symptoma, sanguificatio verò, & omnium partium malè peracta nutritio, eum morbum sequuntur tanquam longè remotiores effectus. Comitantur rursus nonnulla vt propria, & peculiaria, alia verò tanquam communia omnibus morbis, omnibusq; affectis corporibus: veluti durities, & mollities proprium est symptoma morborum, qui in intemperie cōsistunt: actiones autem labefactatæ partus existunt omnium morborum. Ad hoc genus differentiæ ea etiam pertinere videtur, cum dicimus, quædam symptomata per se, alia per accidens morbos sequi: veluti per se sequuntur, quæ à morbis in omnibus proueniunt: Per accidens verò, quæ subie-

Symptomata cognata. Affinia. Ἐπιφαινόμενα.

A cti ratione nascuntur; vt vehemens dolor in delicatis exquisitioreq; sensu præditis corporib. ex leuissima etiam morbosa causa excitatus. Quod verò quædam actu, quædam potentia commitentur affecta corpora, in ea differẽtia comprehensum id puto in qua de cognatis, & mox apparentibus casibus egimus.

Differentia à symptomatum generatione.

Quoniam verò symptomata suam habẽt generationem, solutionem, suasq; proprietates, nō immeritò ab his etiam differentias quasdam ducemus. A generatione quidem, quod nonnulla paulatim gignuntur, vt corporis gracilitas; alia verò, quæ subito emergunt, vt dolor, sopor in comatosis affectibus: A solutione verò pariter huiusmodi resultant differẽtiæ: paulatim siqui-

A solutione.

B dem quædam mitescũt: & tolluntur, qualia sunt, quæ siccitas parit, & alii morbi, quæ longã curati nem requirunt: sunt verò quæ subito euanescere possunt, vt sitis, dolor; in vtroq; verò cōpositæ nunc differentiæ. Nam quædam citò gignuntur, & abeunt, veluti dolores flatu concitati. alia verò quæ cito quidem procreantur, tardius tamen euanescunt; quemadmodum dolor, & rubedo, tensio, & cætera inflammatæ partis symptomata. Non desunt verò quæ tardam habeant generationem, & solutionem: veluti durities, quæ siccitatis excessu à corporibus contrahitur. At quod quædam à morbo, quædã à morborum causis, alia in omnibus corporibus, in omnibus locis, temporibus gigni, tolliq; valeant,

C verissimum est; sed hæc differẽtia quodammodo comprehensa est in ea, in qua prosecuti sumus differentiam eorum, ad quæ symptomata sequuntur. Quoniam verò symptoma præter naturam est, & proprietates suas habet, quibus aut lædere potest, aut nequit, hinc quædam insignia symptomata, quædam leuiora, quædam vtilia, alia inutilia dicuntur. Appellat autem insignia symptomata Gal. quæ curationẽ interrumpunt, & variant, nimirum quod causæ euadant morbum augentes fouentesve: cuius generis est dolor magnus, vigilia insignis, sitis vehemens; vel ea, à quibus periculum de vita imminet, vt animi defectus, & aliæ actiones insigniter læsæ, quibus intermissa morbi & causæ illius curatio-

Differentia à symptomatis proprietatibus.

Symptomata insignia.

D ne, nonnunquam succurrere cogimur. Qualitates item corporis præter naturam redditæ, insignia non dicuntur symptomata, cum *ob eas curationis ratio variari non soleat.* Vocat verò *in libro de optima secta* idem autor vtilia symptomata, quæ vel à causis morborum sumuntur, vt grauitas à repletione; vel à locis, vt ægrè spirare; vel à facultate, vt animam deficere: alia quæ non sunt huiusmodi, superuacanea & inutilia esse censet: cum tamen omnia plus vel minus aliquid conferant, vel ad morbi naturam, vel differentias, aut illius causas dignoscendas: quemadmodum abundè ostendimus in opere, quod de signis conscripsimus. Atque hæc de generi-

Qualitates præter naturam non dici insignia symptomata, & cur.

Symptomata vtilia secundum Galenum.

E bus, & differentiis, naturaq; symptomatum sufficiant.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE CAVSIS SYMPTOMATVM, LIBER.

PROOEMIVM.

IN Galeni libris, qui de causis symptomatum sunt conscripti, multa desiderari posse, nō dubito, si modo quis spectare velit, quid docendi via, & ratio postulet, non autem quod nostra hæc corruptio in tanto sectarū studio, & patrocinio antiquis omnib. scriptoribus tribuere solet: Nam cum huiusmodi explicatio in primis requirat, vt autor doceat, quæ quotve sint symptomatum omnium causæ, id omne ille prætermittit, dum singulorum generum symptomatū causas statim aggreditur, nec illud quidem in his cōmuni aliqua ratione facit; ex qua principia ponātur, quæ singulis postea lucē adferant. Cum enim varias causas recenseat, quæ eiusdem non sunt rationis (diuersa siquidem est causa sudoris, tenuis humor & multus à cutis raritate, vel retentricis imbecillitate, vel expultrice præter naturam concitata, ne perpetuo de generibus, & numero causarum, de quibus in hac re agendum est, disputare litigareq; cogamur) ab initio erat ab eo, qui arte scribere hæc aggreditur, docendū, quæ, quotve syptomatum possint esse causæ. Deinde si fortè Galenus de actionibus læsis agit, docet quidem, à quibus visus, auditus, odoratus, & reliqui sensus offendantur: quid item rigorem, tremorem, conuulsionem, attonitum morbū, & peculiariter quasdam deprauatas, debiles, & abolitas actiones committat: At docendi methodus desiderat, vt in primis quæ sint *vitiatæ* actionis causæ, deinde quæ deprauent, aboleant, aut alio denique modo functiones labefactent, tradamus: Postea verò singulis partib. aut nonnullis claritatis doctrinæ causa, tractationem accommodemus, vt veluti exemplis quibusdam, quæ artificiosa methodo fuerant inuenta, comprobentur, & corroborentur: cum alioqui omissa communi ratione, ex huiusmodi singularium explicatione nunquam assequi liceat, quod ars omnibus liberaliter promittit. Nam nō solum semper omittit aliquid particularium doctrina, quod ex Galeni tractatione licet intelligere, in qua causas nō recenset symptomatum multarum partium, & ipsorummet symptomatum, veluti pulsuum, respirationis, sterilitatis, aborsus, labefactatæ lactis generationis, imbecillitatis coeundi, animi defectus, & syncopes, & multorum deniq; aliorum symptomatum; sed etiam cum à nullo principio exordiatur, facit, vt ignoremus, an certa ratione, vel temerè causæ eorum, quæ quæruntur, à nobis statuantur. Quinetiam illud probare nō possum, quod quibusdam symptomatis præcipuam causam, aduersus quam Medicus sua præsidia instruere debet, commemoret; In aliis autem eam potius adferat, quæ modum docet, quo fit symptoma; quæque nihil, vel minimum certè ad remedia inuenienda confert. Cum enim comitialem morbum à crassis glutinosisq; humoribus cerebri ventriculos occupantibus fieri scribit, verā symptomatis causam, cui remedia debētur, quæq; vt præter naturam, sic casus eiusdem generis parit, docet. At cum rigorem ab expultrice irritata fieri tradit, causam innuit, qua cognoscamus, quonam modo ab irritante humore rigor excitetur. At nos eam quærimus, quæ opem nostram desiderat. Ac cum eadem sanè ratione comitialem morbum crassus humor, qua aeris rigorem cōmittat (siquidem in vtroq; symptomate humor causa est stimulans expultricē, quæ cum vehementius aduersus noxiam materiam insurgit deprauato motu & vario, pro loci diuersitate, vtitur) postulat profectò docendi ratio, vt quod idem est, codē modo doceatur, eædemq; genere causæ in similibus

bus casibus ponantur. Nam, cur, quæso, in vno facultatis mentionẽ facimus, in alio autem ad solum humorem causam reuocamus? Postremo in quibusdam symptomatis immediatã causam, in aliis verò remotissimam adfert; quo modo ociosos, crapulæq; deditos tremore corripi (quæ causæ longius positæ sunt) palpitationem verò à crasso vapore (quæ quidẽ propinqua est causa) nasci commemorat: cum tamen in singulis quærendæ primum sint, quæ sunt proximæ, deinde aliæ, à quibus illæ proueniunt, vt certa eademq; in omnibus fiat doctrina. Nec verò etiam illud probare possum, quod in eo libro, in quo differentias symptomatum se explicare profitetur, illorum causas inquirat, vt cum disputat, an omne symptoma proueniat à morbo, vel nõ: quod *in lib. de causis* statim erat faciendum, atq; etiam in illis, in quibus de causis agit, multa miscet, quæ ad differentias pertinent, confusa rerũ doctrina: nimirum cum seiunctas oporteat esse tractationes, & suo loco singula explicari ab eo, qui toties laudata methodo aliquid scribere tentat. Verum enimuerò, etsi multa in eo authore desiderari possunt, plurima tamen optimè ab eo sunt inuenta, & memoriæ prodita: quæ si excoluerimus, quæ desunt, nõ magno negotio fortè inuenire poterimus.

Palpitatio à crasso vapore.

Cap. I.

Quæ sint ponendæ symptomatum causæ.

Video multis placere, vt omnium symptomatum causæ ad morbos referantur, quandoquidem symptoma à Galeno definitur id esse, quod morbum sequitur, & ab eodem *libro primo de causis symptomatum* scribitur, magnitudinem symptomatum, magnitudinem morborum sequi; quod his solum contingit, quorum quædam sunt vt causæ, alia verò illorũ effectus: quinetiam *in libro de differentiis symptomatum* omnem illorum originem à morbis duci contendit. Verum aliter, meo quidem iudicio, sentiendum est: Nam etsi plurima symptomata à morbis proueniunt; non desunt tamen, quæ nullis intercedentibus morbis, ab illorum causis, & aliis nonnullis nascantur. Qua in re, si primo authoritate certandum est, nõ deest nobis Galenus *in libro de optima secta*, vbi scribit, symptomata quædam causas morborum, nonnulla verò alia partem ipsam affectam sequi. Quid? quod scribit *tertio de causis symptomatum*, ea, inquam, omnia ex intemperie similarium, vel instrumentorum morbis, vel materiæ quantitate oriri. Cum enim omnes morbi aut similarium, aut dissimilarium sint partium, præter eos autem addat materiæ qualitatem, & quantitatẽ, perspicuo cõstare puto, illius opinione omnium symptomatum causas ad morbos referri nõ posse, & meritò quidem. Nam cum læsa actio symptoma sit, qualem, quæso, dicemus esse morbũ, cum caloris reuocatione, partium, quæ eo destituuntur, actiones labefactantur? quo modo per timorem relictis externis partib. recurrente cõfertim calore ad interna viscera tremores potissimum oriũtur. Scribit quoq; *lib. 5. de simplicibus*, visum hebetescere, interim oculis nec inflãmatione, nec vlcere, nec fluxione, nec alio malo affectis;, cui vitio, quæ medentur auxilia ἐνδιτικὰ seu ἐξηδιτικὰ nominari pronunciat. Qualis item morbus dari potest, cum vitio spirituum vrgente syncope cõcidunt omnes corporis actiones? an similarium fortè erit morbus? cum temperies constet, & alioqui frustrà Gal. 12. *Meth.* syncopés causas in duas primũ reuocasset, in intemperiem scil. solidarum partium & spirituum vitium, si hoc intemperaturę ratione huiusmodi accidentis sit causa. Præterea oporteret in tam graui casu vehementem subesse intemperiem, si modo effectuum magnitudo, causæ magnitudini respondere debet. At vel nullam, vel certè exiguam intemperiem eam esse oportet, cum statim spirituum corruptione ruant vires, & illorũ regeneratione protinus restituantur. Nec verò etiam instrumẽtariæ partis morbus fuerit, vt ex superius demonstratis patere puto: quid n. defectu, aut alteratione spirituũ patitur structura instrumentorum? Quamobrem vt actiones fiunt ob rectam partium cõstitutionem, & spirituum beneficio; sic eas lędi ab eisdem causis præter naturam affectis necesse est, & tunc solum ex morbo, cum partium cõstructionis vitio labefactantur? Nonne etiam scribit, ob exactum partium sensum symptomata quædam nasci; vt stomachi dolorem, & singultũ, & obtenebrationes quasdam circa oculos, quales suffusione laborantib. apparent? Quorum certè morbus non est causa, sed potius perfectio quædam cõstitutionis corporis: veluti cum etiam linguam, quæ gustandi exquisita facultate est prædita, nõ solum extrinsecus aduenientes sapores, sed eos etiã, qui ab interno humore proueniunt, percipere tradit: Ad hæc per rigorem, horrorem, deprauatis actionibus vitio malorum humorum, nemo morbum agnoscet horum symptomatũ autorem, quemadmodum nec etiam, cum expultrix facultas per alui profluuia aduersus noxiam materiam nullam interim nobis sentientibus mordicationem, vel intemperie, aut denique alio vitio laborantibus, in quo morbi natura posita sit, vehementius insurgit, fiunt enim hæc symptomata à morbolis causis, antequam morbum gignant, insurgente vi excretrice, quę quod molestat, nullo sæpe nostro sensu extrudere appetit. Quid prætereà de his dicemus, qui vertigine laborant? Quis, quæso, morbus deprauatæ illius actionis, in qua omnia circumagi putantur, causa fuerit? An intemperies? cum nullo sæpe accedẽte calore, aut frigore, vel alteri' qualitatis excessu solo (vt meã fert opinio) spirituũ inordinato motu huiusmodi symptoma cõtingat: Nec illis credendum est; qui morbum statuunt esse in numero, qui huius causa existat. Non n. instrumentariæ partes ex spiritibus cõstare dicuntur, sed ex similarib. particulis longe diuersis à spiritib. & humoribus. si quidem hæc inter elementa, & corporis principia ab omnibus optimis scriptoribus ponuntur: Quid de his, qui nimio Veneris amore æstuan-

Actionẽ læsam esse symptoma.

Symptomata [illegible] omnia pro[illegible] à morbis.

Nimium amore veneris non esse vitium corporis, sed animi.

tes dormire, & alias actiones corporis, aut animi probè, vt solebant, exercere nequeunt? stultum namque fuerit huius rei causam reuocare ad intemperiem, quod nonnullis placuisse video: cum nullis remediis, quibus corporis intemperaturæ corriguntur, eorum morbus mitigetur: nimirum quod non corporis sit vitium, sed animi, qui continua, vehementique cogitatione, reuocato ad se calore, corporis officia exercere prohibet: Quod si incantationibus & fascinationibus docente vsu, & multorum historia attestante, fides aliqua adhiberi potest, quis morbus causa erit, cum per incantationes venere quis vti, aut alia corporis animiq; officia obire vetatur? nam illud ridiculum esset, quod à nonnullis de hac re dicitur, qui huius veneficii vim ad intemperiem redigere volunt, omnibus constare puto, quippe cum verba, quibus venerem ligant fascinatores, aut alia multa, quibus vtuntur ad actiones corrumpendas, calefaciendi, aut alio deniq; modo intemperiem committendi vim non habeant. Sed quid magis in hac re laboramus, cum Galenus, cuius potissimum autoritate illi omnes cōtrouersias diiudicandas esse censent, scribat, *initio tertii de causis symptomatum*, ventriculo nullo modo affecto ob cibi potionisq; vitium, & nonnulla alia, eius partis coctionem, reliquasq; actiones labefactari, & alio loco omnia symptomata intestinorū ex intemperie, vel tumore, vel excrementis oriri commemoret. Quamobrem veneficiis, & aliis, quæ ab arte nostra sunt aliena, reiectis, vtpote quæ ea consideret, quibus opitulari potest, contemnit aut quorum causas ignorat, quæq; illius rationē & vim excedunt; quæramus iam, à quibus causis omnia symptomata in vniuersum proueniant.

Veneficiorū vim nō posse referri ad intemperiem.

Vnde omnia symptomata in vniuersum proueniant.

Qua in re, (quod omnes fatentur, & rei ipsius natura docet) imprimis ponemus, morbos symptomatum causas esse, quandoquidē intemperaturæ morbosæ, quæ excrementa præter naturam, mutatis illorum qualitatibus, diminu-
1. taque quantitate, vel etiam corrupta vniuersa eorum substantia, reddunt, necnon etiam actiones corporis labefactant, id abunde testan-
2. tur. Sunt quoque causæ symptomatum, quæ morbos efficiunt; veluti biliosi, mordacesque humores, tertianas febres committentes, ob id
3. rigorem, horroremq; pariunt: Sumuntur præterea symptomatum causæ ab aliis causarum generibus. Etenim caloris natiui vitio, quo natura tanquam instrumento ad omnia corporis officia obeunda vtitur, symptomata nascuntur: cum immoderato motu, dissolutione, oppressione, varia reuocatione, actionibus secundum
4. naturam seruire nequit. Porro materiæ vitio symptomata prouenire, ostendit vitiata concoctio, & corrupta ob vitiosa alimenta nutritio:
5. At sudores, qui ob cutis raritatem contingunt, & pulsuum interceptiones, quæ occupato spatio eueniunt, monstrant causas, sine quibus nō vocatas, symptomatum quoque esse authores, quemadmodum sanè pulsuum respirationisque læsæ differentiæ illæ, quæ in malè affectis corporibus mutato illorum vsu, ob finem symptomata nasci docent. Ac, vt semel dicam, ex vnoquoque genere causarum propriè in singulis generibus symptomatum causæ sumuntur: quæ omnia euidentius in eorum tractatione innotescent, propterea quod ferè solum nominis communitate symptomatum genera inter se conueniunt.

Cap. II.

De causis actionis vitiatæ.

PRoueniunt à corpore, vt antea ostendimus, actiones, corporis ipsius qualitates, excrementa, & alia opera, vt humorum, & aliorum, de quibus antea egimus, generatio: verum actiones, qualitatum, & operum sunt autores, cum & ab illis hæc proueniant, & earum mutationem sequantur; ex bona namque coctione sanguis bonus, laudabiliaq; excrementa, corporisq; probæ qualitates resultant: ea autem vitiata, hæc quoque similes labes contrahunt: Quamobrem docendi ratio exigit, vt causas, quibus contingit actiones lædi, quarum explicatione ad aliorum causas enumerandas facillima via paratur, primum hoc loco expendamus; qua quidem in re, vt antea præfati sumus, nihil Gal. quod commune sit omnibus, docet; cum *statim initio libri de Causis symptomatum* visionis oblæsę causas explicare aggrediatur; idq; nullo posito principio, quo certa docendi methodo intelligere liceat, nec plures, nec pauciores esse posse his, quas ille de ea re tradit: Quod si etiam numerum earum causarum, quas omnibus sensitiuis functionibus communes esse statuit, excutiamus, non solum inueniemus, eo non comprehendi omnia, quorum occasione huiusmodi functiones labefactari contingit, sed nec etiam omnibus illum conuenire. Ac quod non omnes causas sit complexus, postea ex his, quæ trademus, quilibet intelligere poterit: Non esse autem eas, quas ponit, omnibus sensificis operationibus communes, paucis ostendo: Vult enim lædi posse huiusmodi functiones, vel vitiata potentia, vel oblæso præcipuo actionis instrumento, vel parte aliqua offensa, quæ vsum quempiam præcipuo instrumento præbet; quæ tactui non conueniunt. Neque enim tactus instrumentum vnum est præcipuum, aliud verò, quod illi subseruiat, sed vnicum est illius actionis author, nempe neruus. In aliis autem sensoriis præstabat duas ab initio causas ponere, vim, & instrumentum, huiusque postea diuisionem facere, quod aliqua scilicet sit pars, quæ primas ad actiones edendas obtineat; aliæ verò illi subministrent.

Tactus authorem esse neruum.

Iam verò illud quæramus, quorum scilicet occasione actiones lædi contingat. Itaque, vt ex certis notisque principiis res tota procedat, illud in primis docendum esse videtur; vt ea quæramus, à quibus actiones fiunt, cum secundum naturam habemus, eo enim inuento, quandoquidem in eisdem generibus opposita collocantur, facilè quoque erit inuenire, quod in hac re desideramus.

Ac spectanti quidem mihi, quod commune est omnibus actionibus, rationi videtur consonum, vt in illis omnibus causas statuamus *potentiam, & instrumentum vtrumque, quippe cum videamus, omnes functiones ab insitis singulis partibus facultatibus prouenire, & omnes calore natiuo, peculiariq. aliquo instrumento, per quod fiunt, egere:* Sic enim profectò sensus, & motus à sensi-

Causas a quib. actiones omnes fiāt, esse tres.

fica, motriceq; facultate per neruos caloris beneficio in corpore exercentur: Sic concoctio à coctrice facultate, seruiente illi calore, & instrumento aliquo, in quo facultas ipsa residet, perficitur, & denique nulla est functio, quæ tres has causas non requirat. In quibus verò vsus variari potest, veluti in pulsibus & respiratione apparet, est etiam finis variandæ actionis causa: nam reliquis positis, eisdem causis, solo vsu mutato, pulsus, respirationemque mutari contingit: quod optimè animaduertit Galenus, cum illarum functionum causas *in libr. de pulsibus & respiratione* inuenire studet. Quinetiam in his actionibus, quæ absque aliqua materia fieri nequeunt, quales sunt naturales, quæ in attractione, retentione, alteratione, expulsioneque alicuius substantiæ versantur, materia quoque huiusmodi obeundæ operationis causa censeri debet: Vt enim bona fiat nutritio, laudabile nutrimentum præter alia est necessarium: causa verò, quæ subiecti nomine à nobis donata est in re proposita cum proprio instrumento coincidit. Idem enim est subiectum corpus, in quo agendi potentia sita est, & instrumentum, per quod actio obitur, veluti concoctio, quæ in ventriculo, & ab eo tanquam instrumento agente, coctrice potentia tanquam autore, & effectrice perficitur. Nec quidem, vt arbitror, est à ratione alienum, causas cum quibus, aut sine quibus non, nuncupatas, inter actionis causas ponere: vt enim alimentum in ventriculo, aut alia parte concoquatur, oportet quidem adesse facultatem, quæ rectè suo munere fungatur, & instrumenta idonea, & probam materiam, & vsum, si velis mediocriter vrgere. Verum nisi retineatur tantisper, donec elaborari alterarique valeat, infœlix profectò reddetur concoctio: est autem in hoc opere retentrix facultas, vt satis apparet, causa, cum qua commodè, & sine qua nullo modo concoctio fieri potest: Sic etiam cutis raritas causa est copiosi sudoris, non tanquam efficiens, non tanquam materia, aut instrumentum, aut alterius generis, quam huiusmodi, de quo nunc egimus. Requirunt & actiones tempus debitum, certum ordinem, certumque modum, & nonnullæ spatium, vt cordis arteriarumque motus, & singulæ actiones suas peculiares causas, sine quibus fieri nequeunt, & cum quibus commodè obeuntur, desiderant: vt raritas partium, quæ quasdam actiones promouet, & retentio quasdam iuuat, alias impedit: de quibus in singulis actionibus agendum est: licebit namque lectori singulorum causas sectanti ex cōmuni methodo, quam nos solum hic profitemur, quod ad rem propositam faciat, elicere. Ac quod actionum omnium vitia in prædictas causas, tanquam in proximas, & immediatas redigantur, vnicuiq; constare puto, quem non pigeat, aliquot ex omni genere actiones ad aliarum exemplum excutere, & earum causas expendere. Etenim imbecillior facultas, vt omnibus constat, actiones vitiat, nimirum cum illius causa tremores in senibus, sensuum omnium & motionum oblæsiones, & in aliis etiam, quorum facultates infirmæ sunt, contingunt: Debilitato autem contractoque calore natiuo, communi omnium functionum instrumento, syncopes, sopores per vehe-

A mentiores accessiones morborum, & mille alia actionum vitia accidunt: Mictio verò, orto lapide in collo vesicæ, proprio illius actionis instrumento læso, impeditur: pulsus, respiratioq; mutato illorum vsu à naturali mediocritate euariant. Quinetiam obruto grauatoque ventriculo nimia cibi multitudine, concoctio, quæ in eo obitur, improbè perficitur: quemadmodum etiam antea diximus, cum retentrix facultas malè suo munere fungitur. Atq; hæ quidem causæ, vt proximæ, & immediatæ cum actionibus agnoscuntur, sic ab aliis proueniunt: nam facultates corporis intemperaturæ offendunt, instrumenta varii morbi exercent, variæ causæ vsum mutant, calorem corrumpunt, & ab actionibus, B quibus peragendis incumbit, distrahunt: Non desunt, quæ omnis generis materiam, quæ ad actiones obeundas est necessaria, multipliciter varient: quarum rerum ratione, actiones quoque labefactantur, sed, vt diximus, intercedentibus illis causis, quas cōiunctas in hac re posuimus: Nec illud ignorari puto, omnia, quæ hæc efficiunt, ad quatuor rerum genera, à quibus antea morborum causas duximus, tandem redigi, ne superfluo hic eadem repetere cogamur.

Cap. III.

De causis actionis abolitæ.

C OMnibus illud constare puto, prædictas causas, vbi plurimum excesserint, actiones omnino abolere: sic enim vbi ob maximam intemperiem facultas patitur, actiones perire videmus, & mortem nonnunquam subsequi, vel totius quidem animantis, vel partium, quas vitium infestat: Veluti cum ob vehementes intemperies ventriculus nullo pacto nutrimentum concoquere valet, sed tale illud reiicitur, quale assumitur, quod in læuitate intestinorum potissimum apparet: Hac etiam ratione extincta ob aeris circumstantis insignem admodum frigiditatem facultate sentifica, & motrice nonnullas partes, præsertim extremas, quæ frigori magis sunt expositæ, sensu & motu priuari contingit: qua quidem in re illud ignorandum non D est, à quibus scilicet morbis facultates maximè afficiantur: nam etsi omnes intemperies cum plurimum excesserint, vim habent abolendi facultatem; quædam tamen sunt, quæ nonnullas ex illis minore excessu tollunt. Calor enim excedens coctiones non perinde abolet, nisi maximo excessu temperiem penitus dissoluat. At frigus longè minus huiusmodi vim habet; contra verò cibi appetentiam nō multo excessu tollit calor, frigus autem potius intendit, nisi vsque adeo crescat, vt fiat maxima exuperantia, quæ omnibus functionibus est inutilis: Eodem pacto retētrix facultas ab omni insigni intemperie exoluitur: ab humida tamen etiam minore: à sicca E autem non nisi maxima perditur: veluti etiam voluntarius motus. Sunt præterea quędam functiones, quæ maius in facultate robur requirit, cum alioqui exerceri nequeant; aliæ verò, quæ non desinunt fieri, donec vel minimum facultatis superest, quod de sensu & motu scribere solet Gal. illum scil. minimam vim, hunc maiorem requirere: quæ omnia ab eo præcognita esse opor-

A quib. morbis facultates maximè afficiantur.

Causæ efficientes.

rentias à causis duci intelliget, qui ea legerit, quæ de causis antea docuimus.

A modo, quo dolores feruntur & sustinentur.

Elicitur quædam differentia à modo quo dolores feruntur, & sustinentur; qua ratione Galenus *lib. 3. Prorrheticorum*, quosdam dicit esse dolores εὐφόρους, alios δυσφόρους.

Ab effectu, quos pariunt.

Aliæ vero sumi possunt differẽtiæ ab effectis, quos dolores pariunt, veluti cum dicimus. dolores quosdam iam inferre, aut minari inflammationem, alios conuulsionem, alios animi defectum, alios vero aliud.

Dolor atrox.

Cephalaea.

Galea. Ouum. Nux. Malleum. Clauus.

Sunt porro quædam dolorum nomina, quæ differentias aliquas inter se compositas significant, cuiusmodi dicit esse Galenus eum, qui atrox nuncupatur; *Is* enim *vehemens, & simul continuus est*, sic cephalæa inter dolores capitis intelligitur, qui diuturnus est, & vehemens, aut inueteratus, remediisque ægre cedens: Eiusdem generis sunt dolores capitis, qui ab Auicenna & Practicis (vt vocant) Medicis vocantur, Galea, Ouum, Nux, Malleum, & Clauus. Atque hæc quidem sufficiunt hoc loco de dolorum differentiis.

Causa differentiarum dolorum vnde sumantur.

Iam vero tempestiuum est causas differentiarum doloris enarrare: quas nulla methodo ab antiquis comprehensas inuenio: si quis tamen diligenter rem expendat, agnoscet profecto, illas omnes sumi *vel à subiecto, vel ab efficiente, vel à potentia, quæ sentit iudicatq; de dolore, aut ab istis inter se complicatis:* quod ostendere aggredior in singulis differentiis.

Causa doloris tensiui.

Igitur tensiuum dolorem, scribit Galenus, fieri aliquando à spiritu, aliquando ab inflammatione, aliquando ab humorum multitudine; hanc tamen varietatem *primo ad Glauconem* explicat: vel enim inquit, tensiuus est sine grauitate, & pulsatione, & tũc fit à multitudine spiritus crudi, & flatuosi: aut est cum pulsu, cuius inflammatio est causa: aut cum grauitate, & tunc fit à multitudine humoris. De loco huius doloris varia etiam tradit, nam in omnibus partibus sensu præditis eum fieri aliquando scribit; *alibi* in membranis, *alio loco* in toris ipsis musculis. Ratio autem docet, non solum ab humore, vel vapore, vel inflãmatione, sed ab omni re tendente, eundem excitari: nec solum quidem in illis partibus, sed in aliis vniuersis, quæ tendi sunt aptæ: nam per conuulsiones, & neruorum diuisiones, tensiui mouentur dolores: Capit ergo hæc differentia doloris causas suas ab efficiente, & simul à loco affecto.

Doloris grauis causa.

Porro grauis dolor, in quo grauitas quædam sentitur, fit, inquit Galenus, à plenitudine; quod enim repletur humore, illud graue redditur. Ait quoque eundem fieri in his, qui calculo laborant, eo tempore, quo nec calculus gignitur, nec exit; Tunc enim vehementissimos fieri dolores: Item in mediocri inflammatione renum, hepatis, pulmonis, & denique illarum partium, quæ repleri sunt aptæ, & exiguo sensu sunt præditæ. Ratio vero suadet, eum non posse fieri, nisi à re grauante; quæ cum adest, necessario in omnibus partibus grauem dolorem parit: propterea flatus nequit huiusmodi doloris esse causa, eo quod res leuissima sit: Pituita autem vel mediocri sua copia, quia grauis est, eum facit. Alii vero humores, præsertim bilis, hanc vim non habent, nisi plurimum excedant: sic calculus grauem dolorẽ sem-

A per parit, nisi prorsus exiguus fuerit, & inflammationes, in quibus plurimus humor est collectus.

Quæ partes dolore graui afficiantur.

Estque huiusmodi dolor communis omnibus partibus, quæ sensum aliquem obtinent; illæ enim omnes aptæ sunt sentire grauitatem; quod si partes exquisitiore sensu sunt donatæ, per inflammationes sentiunt vehementes dolores: non tamen arbitrari debemus etiam graues non fieri: sed hi à vehementibus obscurantur, vt vix sentiantur. Recipit ergo hic dolor causam ab agente.

Acuti signa & causa.

Acutum dolorem scribit Galenus fieri in tunica tegente renes, & ventres eorum interiores, nec non in arteriis, quæ ad eas terminantur, & in exortu vasorum vrinariorum; præterea, in he-
B patis tunica, & vasis ipsius: Committi vero ab inflammatione; nam quod vulnerare acus pungẽtis modo aptũ est, calidum sit oportet; qualis est humor, qui inflammationes parit; Ille enim penetrare, pungereq; potest. Capit igitur causam ab efficiente, & loco affecto, nisi putes nõ solum in illis partibus, quas recenset Gal. sed in aliis omnibus huiusmodi dolorem oriri posse; si modo calidus & tenuis adsit humor.

Pruriginosi.

At pruriginosus dolor eodem autore nascitur ob acres humores, corporis superficiẽ occupantes: oportet autem tales esse humores, vt scribit *libro de Symptomatum causis secundo* tenues, infixosque cuti hærere: quippe tenuem, salsum, immotumque humorem, pruritum excitare;
C paucum, tenuem, mordentem, & immotum, vlcerosum affectum; multum, salsum, crassum, & immotum, lepram, & scabiem parere; paruum, tenuem, & mordacem, cum exiguo motu horrorem; cum vehementiore vero, copiosiorem, mordacioremque humorem rigorem inferre.

Vlcerosi.

Vlcerosus dolor eodem autore fit non solum in cute, sed etiam extenditur vsq; ad imas partes, & ossa: excitatur vero ab humore acri, & erodẽte: ex quo patet sumi causam illius à subiecto, & efficiente.

Stupidus dolor quid & quæ eius causa.

Stupidus dolor, inquit Galen. à frigiditate fit: ea enim spirituum, & facultatis sensificæ transitum impedit; Vnde obscurus fit sensus, & ob ve-
D hementem frigiditatem dolor nascitur; itaque vtriusq; ratione, stupidus dolor paritur: qui nihil aliud est, quam dolor cum stupido sensu coniunctus: Causam ergo sumit à solo efficiente; quippe cum quælibet pars sensu prædita, huiusmodi dolori sit obnoxia.

Causa pulsatorii.

Pulsatorius dolor nascitur, vt idem tradit, ex magnis inflãmationibus, erisypelatis, & abscessibus, primario affectu in arteriis, in reliquis vero partibus omnibus sensibilibus per consensum; proinde in cute, adenibus, mẽbranis, quibus nullæ sunt arteriæ insignes, nec in peripneumonia, pleuritide, hepatis, vel renum inflammatione; quoniam obtusus illarum partium est sensus, huiusmodi dolorem fieri posse credit: sic magnam
E inflammationem, vbi etiam paruæ sunt arteriæ, dolorem pulsatorium efficere posse tradit: Gignitur autem dolor huiusmodi ab his causis hoc modo; per inflammationes arteriæ vehementius ad motum excitantur, vt caloris vehementiam contemperent: verum cum liberum spatium non habeant, vicinas partes pulsant, quæ si sensum habent, ex percussione dolent; voca-

turq; dolor hic pulsatorius. At quoniam magnæ inflammationes occupāt omne spatium, in quo mouentur arteriæ; ideo in illis etiam locis, vbi arteriæ paruæ sunt, dolor prouenit: vbi vero magnæ sunt arteriæ, mediocris, vel etiam parua inflammatio, eiusdem doloris causa est: quia magnum spatium requirunt magnæ arteriæ, ex quo patet, causas huius doloris aliquando à solo efficiente, vt magna inflammatione; aliquando à solo subiecto, vt magnis arteriis; aliquando ab vtroque sumi; veluti cum vtrumque est mediocre.

Punctorii. Punctorius dolor causam habet ex efficiente, & loco affecto: nam calidam oportet esse materiam, & membranam, quę patitur; vnde in pleuritide dolor punctorius fit.

Mordacis. Mordax dolor causam capit à solo efficiente, ab humore, inquam, vt vapore acri: nam quælibet pars apta dolere, huiusmodi dolori est obnoxia.

Vehementissimi. Vehementissimum dolorem pariunt, inquit Gal. causæ vehemētissimæ: cuiusmodi est humor eiaculatus in partē affectam à venenatis animalibus. Mihi vero causa hæc reiicienda videtur, nō solum in id, quod efficit; sed etiam in id, quod patitur, vel in ipsam facultatem, quæ passiones diiudicat: nam partes admodum sensibiles à moderatis etiam causis, vehementissimos patiuntur dolores; eodem pacto mollis animus magnos cōcipit dolores à leuissimis quibusq; causis.

Exasperantis. Dolor asperitatibus quibusdam plenus, inquit Gal. ab inflammatorio affectu, vna cum humore exasperante, in carne fit, exasperare autem potest humor, qui acris est, & crassus, ob acrimoniam enim mordere, quoniam autem crassities adest, quæ inæqualiter dispergitur, asperitatem facere potest.

Fixi. At dolor, per quem palus videtur infixus, in crassis, inquit ille, intestinis fit, veluti etiā is, quo terebro perforari videntur partes: differunt vero inter se aut multitudine, aut crassitudine, aut rei dolorem facientis potentia, siue humor, siue spiritus flatuosus fuerit: videtur autem huiusmodi materia prorsus esse crassa, & vehementer frigida obtusam enim diuisionem, quam pali, aut terebri acumen præstat, efficere non potest humor, aut vapor, qui crassus non sit, & simul frigidus: calida enim materia minores diuisiones facit, vt pungentes, & erodentes, penetratq; citius, quæ tenuis est: crassitudo præterea ipsius partis, vt intestinorum substantia, plurimum etiam confert ad huiusmodi sensum afferendum.

Contundentis. Contundentis doloris causas non docet Galen. nec mihi videtur ille fieri posse ab aliis causis, quam ab externis, quæ contundendi vim habent.

Retrahentis & detrahentis. Nec ille etiam docet retrahentis, aut detrahētis doloris causam: quæ quidem meo iudicio est prorsus affectus inflammationis capitis, aut finis partis, quæ sanum aliud extremum retrahit, aut detrahit.

Maligni. Tacet quoq; maligni doloris causas, quæ vel ab efficiente, aut à loco affecto sumi videntur: nam quæ malignam obtinent qualitatem, vt venena, quæ ex deleteriis medicamentis sumuntur, aut humores eiacul . ti morsu animalium venenato-

A tum, aut ex improbo victu vel aere pestilenti geniti, idem præstare possunt.

Emicantis. Omittit ille causam emicantis doloris: videtur tamen ea esse tenuis materia, & pars princeps, aut quæ publicum munus exercet, ab illis enim tenuis substantia in vicinas facile transferri potest.

Dolorum, qui repente aut paulatim oriuntur aut incrementum suscipiunt. Fiunt porro dolores, qui repente, aut paulatim oriuntur, aut incrementum suscipiunt, vel ratione materiæ, quæ repentinam, aut tardam vim ad agendū habet; vel ob partem, quæ ob suam mollitiem, vel cauitatem aut connexionem, aut aliam propriam conditionem prompte, aut ob contrariam conditionem ægre, causas dolorificas admittit.

B *Rari.* Rarus vero dolor, id est, qui raro affligit, fit, maxime à fluxionibus per interualla repetentibus, vt in podagra apparet, aut à partibus imbecillibus, quæ materiam noxiam procreant; sed eam postea prompte extrudere possunt; vt in colico dolore apparet.

Continui. Continui vero dolores à contrariis causis excitantur.

Infixi. Cæterum infixi dolores causam sumunt partim ab efficiente, & partim à subiecto: nam crassus, vel multus humor, vel vapor hærere solet in parte: & ipsa pars, quæ ob suam compositionem difficilem præbet exitum materiæ lædenti, facit, vt fixi dolores maneant. Vnde inquit Galenus, in dentibus maxillaribus, oculis, & cum quadam C pulsatione in auribus, & in colo intestino, accidunt huiusmodi dolores.

Profundi. Dolorem profundū fieri idē inquit in membranis ossibus adiacentibus, adeo vt ossium ipsorum veluti dolentium inducant imaginem: propterea à Gręcis ὀστεοκόποι dicuntur: fiunt autem potissimum à frigore, vel plenitudine.

Late fusi. Late fusus dolor in mēbranis maxime oritur, à flatu, vel tenui humore: illa enim pars, & aliæ, quæ latę sunt, vndequaq; admittunt dolorificam causam: & hæc cum tenuis & mobilis fuerit, prompte sese in omnem partem insinuat.

Angusti. Angusti dolores causam capiunt, duntaxat à parte affecta, cuiusmodi sunt nerui, venæ, & arteriæ: huiusmodi enim partes, vt angustæ D sunt, & extensæ secundum longitudinem corporis, angustos, & extensos dolores experiuntur.

Recentis. Inueterati. Noui dolores, id est, qui non antiquantur, à calida, vel tenui materia fiunt, præsertim in partibus laxis: Contrarii vero à frigida & crassa materia in partibus astrictis. At compositorum dolorum causæ compositæ sunt, ita vt non opus sit plura de hac re hoc loco docere, vbi methodum potius, quam singulorum explicationem quærimus.

Cap. XVI.

De causis voluptatis corporis, & animi.

E ETsi voluptatis remedia non quærimus; tamen, cum doloribus mederi studemus, plurimum refert nouisse, quid voluptatem parere, aut alium dolorem excitare possit: sic enim quæ grata sunt naturæ auxilia, eligemus, alia vero euitabimus, quæ nouam molestiam inferre sunt apta. Accedit, quod hæc tractatio scitu est iucunda, &

da, & multis difficultatibus implicata, vt nostrũ laborem minime superfluũ in hac re fore existimem. Igitur voluptatem scribit Plato *in Timæo*, & ex eo Galen. *lib. 1. de Causis sympt.* fieri, cum aliquid à statu præter naturam in eum, qui naturalis est, mutatur, ab his, quæ agunt confertim: nam quæ sensim agunt, absque voluptate mutationes facere creduntur: quorum quidem opinionem recipere nequaquam possum, ita dictantibus ratione, experientia, atque adeo ipso Galen. qui in hac re sibi non constat: nam quod non solum in reditu ad naturalem statum, sed etiam in bene valentibus voluptas fiat, clarius est, quam, vt doceri debeant. Etenim singuli sensus miras sentiunt, cum recte habent, voluptates à suis obiectis, nec nõ animus ex cogitatione iucundarum rerum magna voluptate afficitur; Docet idem Gal. *lib. 1. de Causis sympt.* vbi enarrat, quæ sint grata obiecta singulis sensibus, non solum dum ægrotant, sed etiam quando conualescunt à suis morbis, aut iam optime valent; quod cum notissimum omnibus sit, illud refellere aggredior quod illi dicunt, voluptatem duntaxat fieri ab his, quæ confertim agunt: nam & id falsum esse arbitror; Etenim si conferta mutatio solum id faceret, voluptatem duntaxat parere possent extrema contraria; nam media nec subitam, nec magnam vim habent ad agendum: cum tamen medii colores dolenti oculo ab extremis doloribus gratissima fiunt spectacula, vt Gal *lib. præcitato* docet; quod etiam in aliis sensibus apparet: nam dolenti tactui ex lassitudine gratæ sunt molles, blandæque frictiones, & vnctiones; quod idem autor *eodem loco* memoriæ prodidit. Fiunt ergo voluptates etiam ab his, quæ sensim, & leuiter vim suam exercent. Ac quod ea, quæ confertim agunt, non semper voluptatem pariant, vbi ad naturalem statum laborantes sensus redeunt, scribit etiam Gal. *12. Method.* docetque ipsa experientia. Etenim dolentibus partibus à frigore, calor, qui confertim adhibetur, non voluptatem, sed nouum dolorem affert: Ex quibus quidem patet, nec à solis, nec semper ab illis, quæ confertim agunt, voluptatem comparari. Ac profecto cum vniuersam Gal. tractationem, quam facit de dolore, & voluptate *in lib. de Caus. sympt.* diligenter expendo, inuenio, illum mala principia ponere, & posita postea euertere particularibus exemplis, & rationes quasdam in certis sensoriis reddere, quas in aliis mutat: deniq; eum non posse aliquid in ea re stabile ponere: cum tamen vna res sit voluptas, vna dolor, quę propterea vnam communem rationem recipere debet. Principium enim apud illum est, vt diximus, à Platone mutuatum dolorem, & voluptatem fieri ab his duntaxat, quæ celeres simul & magnas moliuntur mutationes, id est, vt vno verbo dicam, confertim agunt; At docet quidem ille ea, quæ huiusmodi sunt, dolores parere, & aliquando voluptatem, verum non docet, dolorem non posse oriri etiam ab illis, quæ sensim facultatem suam exercent: euertitq; hoc principium in generationem voluptatis: quandoquidem (vt diximus) docet, in singulis sensibus voluptatem sępe fieri ab illis, quæ non nisi sensim agunt. Ac quod magis est, post particularia illa exẽpla, sumpta ab illis, quæ paulatim agunt, colligit rursus, rectè dictũ à Pla-

Opinio Platonis & Galeni de voluptate, quando scilicet fiat, refutatur.

A tone, voluptatem fieri in singulis sensoriis, cum ad naturalem statum confertim producuntur: quod quidem postea alia ratione rursus euertit, cum scribit, voluptatem parari ab his, quæ confertim agunt, maxime si ea nobis cognata, familiariaq; fuerint: cuiusmodi sunt in gustu dulcia, in odoratu ea, quę proportione dulcibus respondent: nam antea principium recepit, quæ confertim agunt, voluptatem conciliare, nulla cognationis facta mentione. Deinde vero cognationis nomen addit: sed quam recte videamus. Si enim cognata intelligit, quæ mediocriã sunt, & temperata, vt dulcia, non poterunt illa voluptatem parere, vbi mutatio fit à statu præter naturam in naturalem: quippe cum mutatio

B per contraria fiat, nec quæ temperata sunt, magnis excessibus mederi possunt, quo modo præterea dicere potest, esse contraria, & cognata? nam contraria inimica sunt, cognata autem amica; Præterea non oportebat ad sola dulcia rem contrahere, sed in omni sensu generali aliqua, aut certe particulari singulis, ratione docere debebat, quid illis esset cognatum. Ego certe arbitror, omnia, quæ doloribus medentur, cum voluptate pariter esse cognata, nec certum aliquid magis, quam aliud statuendum esse: quod quidem idem autor ostendit, dum docet eo loco voluptatem comparari à quibuscunque contrariis. Nec quidem potest dulcis sapor voluptatem afferre in omni affectu ipsius gustus; aut si affert,

C non certe id faciet confertim, vtpote qui temperatus & mediocris sit sapor, qui non nisi temperate, & mediocriter agere potest. Postremo videmus, voluptatem pariter fieri à duobus contrariis: Etenim dolentibus partibus à frigido, calidum, sicut dolentibus à calido, frigidum cum voluptate medetur, si certa mensura vtrumque adhibeatur. At duo contraria nequeunt eidem esse cognata: aut si sunt, non alia ratione sunt, quam quod medeantur mutuo contrariis malis; adeo, vt superflue addatur, voluptatem ab illis conciliari, quæ contraria sunt cognata: neq; enim certa genera rerum in singulis sensoriis reperiuntur cognata; sed nunc vnum, nunc aliud, pro natura affectus, aptum est ad dolorem mul-

D cendum; Quod si cognata putat illa esse, quæ certa mensura adhibentur; propterea quod idẽ nunc voluptatem pariat, nunc vero nouum dolorem inducat in parte ex alia dispositione prius laborante, modus ille explicandus erat, quo quidem fit, vt diuersa ab eodem sequantur; Itaque cum ex Galeno non constet, in quibus possit voluptas fieri, & à quibus rebus conciliari valeat, rem hanc nos pro viribus enarrare aggrediamur.

Porro facile est docere, in quibus fiant huiusmodi affectiones: nam experientia docet, *non solum in reditu ad naturalem statum, sed etiam in sanis, conualescentibus, & demum in omni alio corporis statu, dolorem, & voluptatem committi.* Illud

E vero difficilius est docere, cur in reditu ad naturalem statũ, hi, qui præter naturam habent, aliquando voluptate afficiãtur, aliquãdo dolore, aliquando vero sine sensu doloris, aut voluptatis, ad naturalem statum perueniant. Etenim in colicis doloribus, vacuantia sanitatem conciliant, semper afferunt secum voluptatem. Vbi vero partes ex frigore dolent, calor, qui sanat, parit a-

In quibus fiant voluptas & dolor.

Cur in reditu ad naturalem statũ hi, qui præter naturam habeant, aliquando voluptate afficiantur, aliquando dolore, aliquando vero non [illegible]

liquando voluptatem, aliquando nouum dolorem asciscit. At à siccitate, calore, frigore, humore, & multis aliis affectibus ad sanitatem itur, sæpe absque voluptate vlla, aut dolore: Cuius quidem rei causam nõ puto illam esse, quam Plato, & Galenus tradunt; quod scilicet voluptas concilietur, vbi morbis medemur, remediis confertim agentibus; sine voluptate autem sanitas accedat, vbi alterius generis adhibentur auxilia: quandoquidem, vt antea ostendimus, vim habent inferendi voluptatem etiam illa, quæ sensim leuiterque agunt; Sed petitur, meo quidem iudicio, ratio à diuersitate affectuum, quorum mutationem quærimus: nam *qui cum dolore sunt, ad sanitatem mutantur cum voluptate, quod si corpus nequaquam dolet, absque voluptate sanitas comparatur*, quod ratio imprimis docet: nam cum mutatio omnis fiat ex contrario in contrarium, merito fit, vt ex dolore ad voluptatem fiat transitus, docet idem experientia: nam vbi corpus morbo laborat absque dolore, nullam voluptatem sentit ex suis remediis: Contra vero cum dolore torquetur, miram sentit voluptatem, cum dolor mulcetur, vel ablata dolorifica causa, aut ipso sopito sensu. Cur vero nascatur aliquando dolor ab his, quæ medentur doloribus; veluti cum refrigeratas partes confertim calefacimus, non ea ratio est, quam nonnulli tradunt, quod natura subitas mutationes abhorreat. Aiunt enim pelli frigus à calore contrario, & ex illius pulsione repentinam intemperiem, & compressionem partium, continuique solutionem fieri, & inde dolorem; qui non fieret, si sensim calor adhiberetur, hunc enim esse quidem amicum membro refrigerato, sed quoniam subito comparatur, eum fieri præter naturam, & molestum; Verum si ratio, vt illi volunt, sumitur à subita mutatione, quo pacto statuunt illi ex Platone, & Galeno, dolorem, & voluptatem, non nisi in mutatione, quæ confertim fit, contingere? Oporteret præterea idem contingere in omnibus remediis, quæ doloribus succurrunt; quod non fit: nam subitæ, & magnæ vacuationes, in magnis doloribus maximam afferunt voluptatem. Naturam abhorrere subitas mutationes, trita est sententia: quæ vera est; cum bene valentes inueteratam ex consuetudine naturam, nouis officiis subito assuescere volumus; Verum cum illa laborat, subitas mutationes quærit, gratissimasque habet: eo quod ab illis prompte liberetur, restituaturque. Nam larga sanguinis missio, & aquæ potio, magnaque purgatio, vehementem voluptatem æstuantibus ex febre inferunt. Melius quoque appetimus cibos intermissos, aut nouos, quam eos, quibus vesci consueuimus. Habet ergo vim consuetudo, non in naturalibus facultatibus, sed in animi actionibus, & propriis vitæ officiis: his enim nemo subito citra periculum assuescere potest. Illud quoque ridiculum est, quod aiunt, dolorem refrigeratis partibus nasci, eo, quod calor frigus ipsum pellat, & ex pulsione fieri compositionem, continuique solutionem: nam etsi calor contrarius est frigori; non tamen pellendo, & comprimendo, sed laxando & digerendo ei reluctatur, doloremque mouet: Protrusos enim humores a frigore in partes in-

Natura quid de subitas mutationes abhorreat.

A ternas, calor ad superficiem euocat, affatimque fundit, ex fusione autem tensio, continui solutio, & dolor sequuntur, quod si paulatim pars calefieret, paulatim quoque ad superficiem, & alia sua loca redirent humores; vnde nulla tensio, nec dolor fierent. *Non ergo ratio generationis noui doloris, cum partibus medemur dolore affectis, ducenda est a subita mutatione, sed a natura eorum, quæ doloribus medentur.* Quoniam enim inter illa quædam habent vim inferendi dolorem, ideo dolor nouus ab illis nascitur; ab illis vero nequaquam, quæ facultatem huiusmodi non obtinent. Id autem illis accidit, quæ nequeunt continuum corrumpere. Atque hæc in duplici quidem sunt differentia: quæ-

Cur calor refrigeratis partibus. [illegible] dolorem afferat.

B dam enim id habent ex sua natura, alia vero non nisi ex agendi modo: nam quæ sensibiliter vacuant, vt purgatio, sanguinis missio, quæ adhibentur ad dolentes partes liberandas, continuum soluere nequeunt, & propterea semper cum voluptate succurrunt, & tanto quidem maiorem afferunt voluptatem, quanto maiorem portionem noxiæ materiæ educunt; Quæ autem alterando opitulantur doloribus, si confertim agere possint, vt calor, & frigus, nouum inducunt dolorem, nisi paulatim agant; siccitas vero & humiditas, quia non nisi sensim vim suam exercent, ideo voluptatem semper conciliant; quemadmodum diximus fieri à vacuantibus. Ex quibus quidem patet, quando fiat voluptas

C in sanatione, & à quibus semper fiat, à quibus vero aliquando contingat, aliquando non. Accidit enim voluptas in ægrotis dolentibus dum sanantur, & ea semper ab illis, quæ in suo genere nequeunt dolorem procreare: ab illis vero, quæ possunt, oritur dolor, quando illis vtimur confertim, non oritur vero, si sensim adhibeantur, aut non nisi sensim continuum soluere possint. Sanato enim priore dolore, nemo est, qui illis tamdiu vti pergat, vt valeat continuum diuidi. Atque hæc dicta sint de voluptate, quæ nascitur, dum corpora ægrotantia sanantur.

Quando & a quibus in sanando fiat voluptas. Quando & a quibus dolor.

Cæterum bene valentes sensus, & conualescentes, ab eisdem rebus delectari ex Galeni opinione patet: nam asserit ille *lib. 1. de Causis*

D *symptom.* colorem cæruleum in vtroque statu oculis iucundum spectaculum. Qua quidem opinione alia forte melior inueniri potest. Cum enim præsidia, quę sanis competunt, distincta sint ab illis, quæ conualescentibus adhibentur; non potest vtique idem esse voluptatis causa in vtroque statu; nisi contingat aliquando id, quod relinquitur morbosum in conualescentibus sanari posse illis obiectis, quibus valentes sensus oblectantur. Ac vt dicam quod sentio, in bene valentibus voluptas à cognatis, & familiaribus rebus comparatur: sunt autem huius generis, quæ mediocres sunt, pro cuiusque natura; hæ enim moderate vniunt sensoria, & iam vnita in mediocri statu conseruant. Propterea medii

Quibus voluptas in bene valentibus comparetur.

E colores, & sapores illis sensoriis grati sunt, extremi vero diu ferri non possunt absque dolore, & molestia; & merito quidem: nam vt ægrotantibus contraria sunt quæ iuuant, sic sanis, vtpote in mediocritate quadam positis, gratum est, quod mediocre & simile: At conualescentibus nulla obiecta voluptatem conciliant, quoniam illorum tristus est affectus, partim ex tantis

Quibus in conualescentibus.

tate, partim vero ex præcedente morbo; cui iucundum esse non potest, nisi quod nullam vim habet, conseruandi, inquam, quod est secundum naturam, & mutandi, quod præter naturam est relictam. Idem sentiendum de his, qui parati sunt cadere in morbos: nam & mistus est illorum status, ex eo, quod est secundum, & præter naturam.

Iam vero ad proportionem eorum, quæ dicta sunt de his, quæ pariunt voluptatem in sensibus, licebit quęrere, quod voluptate afficiat animum, nam laboranti animo dolore, ex contrariis illis, quæ dolorem pepererunt, medicina, & voluptas petenda, sic enim lucrum mulcet, & sanat animi dolorem ex iactura pecuniæ conceptum. Ac vt in corporis doloribus, quæ adhibetur medicina, aliquando nouum inducit dolorem, ita præsidia, quibus vtimur in animi doloribus, nonnunquam priore sedato dolore, alium inferunt: veluti cum cordis dolorem ex nimio risu, & gaudio obortum, ex re tristissima, affatim reprimimus: ex nimia enim effusione, & veluti dilaceratione cordis, subita fit eiusdem contractio, & diuisio quædam, & dolor; præterea vt in bene valente corpore, grata, & voluptuosa sunt obiecta, quæ temperata & moderata existunt; sic animus bene compositus non nisi moderatis rebus delectari potest. Sed hæc philosophi, quibus forte plus ocii est, quam nobis, diligentius tractent.

Cap. XVII.

De caussis doloris, & voluptatis, quæ fiunt in singulis sensoriis.

VT autem in dolore animi pars ea, siue facultas animæ, quæ dolorificas, & voluptuosas impressiones recipit, aptissima censetur ad dolores procreandos, eosque grauiores reddendos, quæ est infirma, & mollis: quæ vero huiusmodi passiones apprehendit, & diiudicat, creditur esse idonea, si exquisito iudicio fuerit prædita, & suam quandam habuerit mollitiem: ita primum videndum est, quodnam ex sensoriis aptius sit ad maiores dolores concipiendos. Qua quidem in re Galenus *libro primo de Caussis symptomatum*, primum locum tribuit sensorio tactus, secundum sensorio gustus, tertium sensorio olfactus; quartum sensorio auditus: postremum sensorio visus, dicitque sumi huius rei rationem ex crassitie, & tenuitate substantiæ, qua constant ipsa sensoria: illa enim grauius dolere, & maiore frui voluptate, quæ substantia crassiore constant, propterea visus instrumentum minimum dolere, quod tenuissimum sit. Tactum vero maxime, quod omnium crassissimum habeat instrumentum. Quæ quidem ratio, etsi ab omnibus recepta est, mihi tamen videtur multis difficultatibus implicata. Nam primum inter Aristotelem, & Galenum non conuenit de substantia sensoriorum. Etenim Galenus *in libro præcitato*, nec non *in eo, quem scripsit de Instrumento odoratus*, instrumentum visus splendidum; Auditus aereum; Odoratus vaporosum: Gustus humidum & aqueum; Tactus vero instrumentum terrenum & solidum: Aristoteles vero *in libro de Sensu & sensili*, visum aqueum statuit esse; auditum aereum; olfactum igneum; tactum terreum; gustum vero pariter terreum, cum ille tactus quidam sit: Ergo si ex tenuitate, & crassitie sensoriorum causæ maioris, aut minoris doloris, & voluptatis sumentur; incerta profecto reddetur ratio, his præsertim, qui aliorum autoritate ducuntur. Nam Galenus aqueum ponit esse gustum, Aristoteles terreum; ille olfactum vaporosum, hic igneum; Ille rursus visum splendidum, Aristoteles vero aqueum statuit. Quod si quis rationum momenta quærat, etsi quid experientia in hac re docere potest, vt forte nõ inueniet aliquid, in quo animus quiescere valeat; ita haud magno quidem negotio horum autorum argumenta, vel, vt verius dicam, leuissimas coniecturas refellere poterit. Ac vt primum Galeni opinionem excutiamus: si ille omnium sensuum instrumentum definit, neruum esse, quo pacto potest instrumentum sensuum distinguere per crassitiem, & tenuitatem? At si neruum non intelligit per instrumentum sensuum, sed aliud quippiam peculiare singulis sensibus; quid peculiare ostendet in sensu tactus? Nam cum cutis, caro subiecta, & viscera omnia, per se non non sentiant, nisi beneficio neruorum, nihil inuenire poterimus in illis aliud proprium instrumentum sensus, quam neruum ipsum: At hunc ostendimus intelligi non posse. Præterea cum scribat ipse *in libro de Instrumento odoratus*, ventriculum, & præsertim illius os, esse instrumentum appetentiæ cibi, & potionis, quam quidem actionem obit, vt instrumentum tactus, quid in ea parte inueniemus proprium, & peculiare instrumentum, quod tantum differat ab instrumento tactus, quantum differt actio ipsius oris ventriculi, ab actione aliarum partium, quæ simplici duntaxat sensu tactus sunt præditæ? Quid, quæso, est, quod in eo appetentiam cibi & potionis & horum solum efficiat? An neruorum multitudo? quæ in plurimis musculis æqualis esse potest; An exquisitus duntaxat sensus? qui non minor est in cute manus, quam in ipso ventriculo: quandoquidem, vt ille tradit *in libro de Temperamentis*, natura huiusmodi cutem ita composuit, vt regula, & iudex omnium rerum, quæ sensui tactus subiiciuntur, foret. Cur ergo substantiam instrumenti destinati ad appetentiam cibi & potionis non expressit, & ad certam naturam non redegit, vt alia instrumenta, quæ propriam actionem & sensationem efficiunt? Nam vt gustum separauit à tactu; tametsi tactus quidam est, & hunc terrenum, illum vero humidum statuit esse, quoniam aliud requiritur, quam sensus tactus in instrumento destinato ad sapores sentiendos: eadem profecto ratione peculiaris quædam substantia instrumento appetitus cibi & potionis tribuenda est; quoniam propriam quandam exercet actionem, in tactu quidem, sed non minus ab eo diuersam, quam faciat instrumentum gustus. At si per instrumentum non intelligimus partem aliquam peculiarem, sed integram ipsam partem, quæ integrum est instrumentum, & perfectum, vt totum ipsum orificium ventriculi compositum ex neruis, carne sua, & reliquis partibus, ex quibus componuntur; multo minus ostendere poterimus sensoriorum diuersitatem ex crassitie, & tenuitate substantiæ. An partium tenuiorum vel

crassiorum est pars illa, quæ orificium ventriculi constituit, alia parte, quæ reliquas componit in ipso ventriculo, aut intestina vel cutem, vel musculos conficit? aut si in hoc aliquid fingere possimus, qualem, quæso, ponemus differentiam in vniuersis partibus, quæ instrumentum tactus constituit, ab illis, quæ efficiunt instrumentum gustus, odoratus, auditus, & visus? Inueniet enim in singulis perfectis instrumentis, multa ex crassa, alia ex tenui substantia confiari: Ac minus quidem peculiare aliquid in hoc instrumento inueniri potest; si sensorii tactus nomine vim ipsam sentiendi quispiam forte dicat intelligi. Nam quis dicet vim, quæ sensus tactus est autor, crassæ, aut solidæ esse substantiæ? aut sensoria inter se differre crassitudine, & tenuitate? Vna enim est vis, quæ per neruos in singulas partes sentientes à suo fonte immittitur, spargiturque. Præterea si Galenus *in libro de Instrumento odoratus*, ideo visus instrumentum splendidum esse oportere scribit, eo quod lucem sentire debet; & auditum aereum, propterea quod dicatus sit ad sonos, qui aere vehuntur, recipiendos, & denique (vt ille ait) si natura in cuiusque sensus instrumento fabricando, similitudinem sensibilem secuta est; perperam (vt arbitror) tactum constituemus, crassum, terrenum, solidum, & durum; vtpote qui non solum de crasso, terreno, & duro obiecto, sed etiam molli, tenui, humido & aliis plurimis qualitatibus sit iudex. Erit ergo tactus non magis terreus, quam aqueus, aereus, & igneus: nec magis crassus, quam tenuis, aut durus, quam mollis: si de omnibus elementis, & prædictis qualitatibus iudicat. Sed quo pacto potest Galenus terrenum tactum cõstituere, quem *in libris de Temperamentis* temperatissimum, præsertim in manu, magna contentione probare nititur? Itaque in tactu nullum peculiare instrumentum inuenitur, quod terrenum, durum, solidum dici possit, neruo excepto; qui reliquis sensoriis est communis: etsi fortasse mollior in aliquibus, in aliis vero durior. At nec in aliis sensoriis facile est aliquid inuenire, quod Galeni opinioni respondeat: nam si per sensorium intelligamus neruum, qui sentiẽdi vim immittit oculis, auribus, linguæ, naribus, nemo constituere poterit, visum esse splendidũ, auditum aereum, gustum aqueum, & odoratum vaporosum, propterea quod huiusmodi differẽtia non reperitur inter neruos illarum partium. Si vero sensorii nomine intelligamus instrumẽtum, quod edit perfectam eam sensationem, vt totum oculum, totam linguam, aurem; nihil inueniemus, quod huiusmodi opinionem comprobet; Non.n. totus oculus est splendidus, nec auris tota est aerea, nec partes omnes, quæ faciunt ad odoratum, sunt vaporosæ; nec aqueæ omnes linguæ partes; At si instrumentum sensus capere vult eam partẽ, quam passim præcipuum esse autorem actionis meminit; cuiusmodi dicit esse in oculo humorem crystallinum; non deerunt etiam, quæ hanc opinionem redarguant: nam humor ipse crystallinus splendidus quidem est, sed non tenuioris substantiæ instrumento odoratus, & auditus: nam instrumentum auditus aereum; gustus vero vaporosum esse ponit: humor autem crystallinus crassus, solidus, & concretus est: multo quidem magis quam aer, & vapor; quibus prædicta sensoria constare dicit.

A Deinde si omnia sensoria vult ad naturam elementorum redigere, oportebat illum, vt terreũ cõstituit tactum, & aqueum gustum, & aereum auditum, sic igneum ponere visum, non splendidum solum, cum huiusmodi qualitas in calidis, frigidis, humidis, & siccis rebus reperiatur; vt quæ materiæ puritatem sequitur, sicut in gemmis, crystallo, & aliis multis corporibus perspicuis apparet: Aut si visum dicit esse substantiæ splendidæ, cur aliorum sensuum substantiam nõ explicat per oppositas qualitates: & dicit, si vo-lit, opacum esse sensum tactus, auditum vero, olfactum, & gustum medias quasdam, & sibi proprias in hoc genere qualitates obtinere? Iam

B vero si illi dedero, instrumentum visus intelligi, quod præcipuum est in oculo ad visionem efficiendam, & illud sit humor crystallinus; quid huiusmodi peculiare instrumentum reperiet in lingua, quod sit aqueæ substantiæ? An illis tunica, an caro erit instrumentum hoc? videtur autem tunicæ hoc esse concedendum; vt quæ primo saporibus occurrat; cuiusque vitia saporum dignotionem corrumpunt: at tunica substantiam non habet aqueam: caro vero ipsius linguæ etsi spongiosa est, non propterea aquea statuenda est: nam & lapides quidam spongiosi sunt, & corpora spongiosa fiunt, non ob humiditatem; sed ob raritatem substantiæ, in qua multi meatus aere pleni fiunt: in quo plus potest terra, &

C aer, quam aqua: hæc enim facit, vt corporum substantia concidat, nullique fiant meatus. Si vero per instrumentum gustus intelligat totam ipsam linguam, vt scribit *in libro de Instrumento odoratus*, primum hoc sequitur inconueniens, quod vniuersæ illius partes nequaquam sint aqueæ: Deinde aliter iam instrumentum sumimus in gustu, quam in visu: nam in hoc humorem crystallinum illud & præcipuum quod iam instrumentum intelligebamus non totum oculum, in illo vero totam ipsam linguam, & non aliquid, quod in ea sit præcipuum, & proprium gustus instrumentum: Quid vero in auditu cõstituemus aereum: quæ nam erit hæc pars? Ait ille *in libro de Instrumento odoratus*, esse foramen

D quoddam huiusmodi instrumentum; At hoc non probat; nec ipsum quidem foramen, sed corpus potius, quod illud constituit, hoc instrumentum erit. Non enim foramen aereum dici potest, etsi aere sit plenum: nec locus huiusmodi, sed pars omnino debet esse, quæ instrumentum constituitur actionis animalis, vt ille *passim* docet, quando instrumentum definit. Quod si peritioribus anatomes credere velimus, præcipuum auditus instrumentum sunt ossicula quædam, quod si ita est, longe crassiore substantia constabit instrumentum auditus, quam sit gustus, aut tactus sensorium. Ac multo quidem minus solum erit aereum, si velit illud eiusdem esse substantiæ cum medio, per quod soni vehuntur

E ad auditum: nam cum auditus fiat non solum in aere, sed etiam in aqua, erit profecto huius sensorium nõ minus aqueum, quam aereum: quod illi non placet, qui vnum duntaxat elementum, & vnam substantiam singulis sensibus tribuit. Quid vero in sensorio olfactus vaporosum statuetur? Censet ille *in lib. de Instru. odoratus*, huius sensorium esse in ventriculis cerebri anterioribus.

bus. Sed quid illic firmum stare potest, quod perpetuo odores recipiat? Si enim est substantia cerebri, quæ eos ventriculos constituit, non erit hoc sensorium vaporosum: si vero aliquid aliud est, quod veluti innatet ipsis ventriculis, aut cerebri substantiæ adhæreat, perpetuum & stabile esse non poterit, si vaporosum erit: nam facile huiusmodi substantia per sternutationes, & nasi violentas emunctiones, eliditur: & si aliá habet substantiam, aut si instrumentū est, qualiscunq; sit illius natura, cur in dissectionibus corporum nihil huiusmodi in prioribus illis cerebri cauitatibus reperitur? Nec ratio quidem Galeni ostendit, odoratus instrumentum in ventriculis illis collocatum esse. Ait enim, hoc esse huius rei argumentum, quod odorare non possimus, nisi per inspirationem attracto aere, tanquam oporteat ipsos odores ferri vsque ad cerebrum; nec satis sit res odoratas naribus immittere vt odor fiat; quod ostendit, inquit, non in naribus, sed in ipso cerebro hoc instrumentum collocari: verum hoc non probat, quod vult: Nam vt agnoscimus, non satis esse aliquid in nares immittere, vt odor fiat, respirationeque esse opus, & ex eo colligimus non in primis nasi partibus vim esse, aut instrumentū odorandi, ita ex eo probare nō licet, fieri ascensum odorum vsq; ad eas cerebri cauitates: sed satis est, si illi ad primum processum neruorū, qui ad supremas naris partes pertingunt, perueniant. Addo quod quemadmodum impeditis neruis visoriis non fit visio, quia vis à cerebro nō immittitur, sic obstructis meatibus odoratus, aut cerebro, nō cōmunicata per inspirationē necessariam in hoc sensu, affectione nata in instrumento odoratus, non fit odor. Itaque vt nemo dicet, instrumentum visus esse in cerebro, vbi deficiente vi sensitiua visus impeditur, ita cum odor non fit, necessarium non est credere, illius instrumentum in cerebro situm esse: siquidem actio instrumenti labefactatur, non solum ex proprio, sed etiam ex facultatis vitio. Postremo has diuersas substantias sensoriorum id refellit, quod Galenus nequeat vnam rationem inuenire, qua possit vti in singulis sensoriis. Nam *in libro de Instrumento odoratus*, ea ratione visus instrumentum lucidissimum esse debere scribit, qua lucem tantum sentire debebat: aereum vero auditum necessario esse, quoniam dicatus est ad sonos, qui aere vehuntur, recipiendos: gustum vero & linguam ex humidiore corporis substantia constare, quia sapores positos in humida substantia diiudicat: odoratum autem ideo vaporosum esse, & ex media inter humorem, & aerem substantia constitui, quia odoris substantia huiusmodi est: & tandem concludit, naturam in fabricandis cuiuscunque sensus Instrumentis, similitudinem sensibiliū secutam esse: qua quidem in re illud primum licet dicere, quod in visu, odoratu, & gustu substantiam sensorium sumat ex substantia simili sensibus: in auditu vero non ex substantia sensibilium, sed medii, nempe aeris, per quem soni vehuntur. Quæ quantum inter se differant, quilibet agnoscere potest, nam si ex medio, per quod perueniunt sensibilia ad sensoria, horum substātiam inuenire volumus, eadem erit visus & auditus substantia: siquidem colores ad oculum, vt soni ad aurem per aerem feruntur: Ergo sibi

A non constat, cum in vno sensorio substantiam ex sensibilium substantia, in alio vero ex medio, quo illud vtitur ad sentiendum accipit. Addo quod si sensoria constituuntur ex similitudine sensibilium; non solum splendidum, sed etiam coloratū oportebit esse visus instrumentum; sed qualem, quæso, colorem illi necessarium putabimus? An omnes? quod fieri nequit; an aliquos, sed quo pacto alios recipiet dissimiles? An potius ratio conuincit, sensoria nequaquam oportere esse eiusdem substantiæ cum sensibilibus? nam vt recte inquit Aristoteles, id, quod recipit, denudatum esse oportet à natura eius, quod recipiunt: & propterea recte Plato animam tanquam tabulam rasam esse dicebat: &
B ipsemet Galenus *in lib. de Vsu partium* ostendit, ex hominis vsu fuisse, quod nullum instrumentum innatum sit manui: vt ea variis pro necessitate vti posset; vtque nullum insitum obtineret. Atq; hæc obiter sint dicta aduersus ea, quæ Galenus de Substantia vniuscuiusque sensorii tradit. Quid vero de hac re Aristoteles sentiat, operæpretium esse puto breuiter proponere.

Igitur scribit ille *in lib. de Sensu, & sensili*, eos errare, qui visum igneū statuunt, quod presso, agitatoq; oculo, igneus fulgor appareat: nā, inquit, hoc accidit, quod oculi pars nigra, mediaq; leuis sit; leuia autē in tenebris fulgere; id autem non ostendere sensorium oculi igneum esse: nam si, inquit, oculus ex igne constaret, accideretq; vi-
C dere, egrediente veluti è laterna lumine; cur etiam in tenebris non fit visio; ridiculum enim esset, credere, visum extingui in tenebris, vt Timæus astruit: extingui enim, quod calidum est, & siccum à frigido, vel ab humido, non autem à tenebris. Itaq; visum non esse igneum, sed aqueum: non tamen visionem fieri, vt est aqua, sed vt translucet; Constare autem pupillam & oculū ex aqua, probare se putat, quod sauciatis oculis effluat humor, qui videtur esse aqua: & quod in fœtibus nuper formatis, oculi supra modum splendeant, refulgeantq;: ob id etiam in animalibus sanguine præditis albidam portionem oculi opimam, pinguemque esse factam, vt humor persistat incongelabilis: exanguium vero
D oculos tunica dura ambiri, qua ab iniuria frigoris, humores, & ipsi oculi defendūtur: propterea oculos minime omniū partium corporis rigere solere; vt qui in genere animalium munimentum aduersus frigus obtineant; ex quibus tandem concludit, internam oculi portionem aqueam esse: quoniam perspicuam esse oportet; talem autem esse aquam. Esse vero sensorium visus, & animam ipsam non in oculi extremo, sed in parte interna, vt autē ex aqua oculi partem, cui videndi facultas est data; sic ex aere id, quod sonos percipit; olfactum ex igne, tactū, & gustum ex terra constare pronūciat: nam sensoria oportere esse ait, id potentia, quod sunt actu ipsa sensibilia; Quapropter cum odor non nisi fumi-
E da quædam exhalatio sit, quæ ignea est, propterea peculiare sensorium olfactus potentia igneum esse, atque hac ratione olfactum in cerebro situm esse: Frigidam enim materiam, potentia calidam esse; oculum eadem ratione à cerebro constitutum, quod omnium partium corporis humidissimū, frigidissimumq; existat: Tactum autem & gustum non procul à corde collocari.

Sententia Aristotelis de substantia vniuscuiusq; quæ [illegible] Vnde igneus fulgor in oculis.

Cor enim cerebro ex aduerso iacere, & omnium partium corporis calidissimum esse. Hæc Arist. de substantia cuiusq; sensorii *eo loco* scribit; quæ mihi profecto non magis satisfaciunt, quam quę Galenus de hac re tradit.

Nam si hoc principio vtendum est ad sensoriorum substantiam inueniendam, quod illa talia sint actu, qualia sensoria debent esse potentia; inueniemus profecto hanc rationem in singulis sensoriis nequaquam respondere, atq; adeo etiam ab ipso Aristotele hoc principium violari: nam male inprimis statueret, oculum constare ex partibus lucidis, quod talia sint sensibilia: nam hæc lucida non sunt, sed medium ipsum, per quod fit visus, at non ex medio, quo vtuntur sensus, sed ex ipsis sensibilibus naturam sensoriorum constituendam esse proponit. Deinde si ipsa sensibilia, aut etiam media vult actu esse lucida; oculus constabit non ex actu lucidis, sed ex his, quæ potentia lucida sunt: Vt enim olfactum frigidum, & humidum in cerebro collocat, quod huiusmodi substantia potentia sit ignis, & nihil igneum constituit actu in instrumento olfactus: ita in aliis sensoriis eadem est obseruanda ratio. Erit ergo visus instrumentum ex substantia, quæ potentia lucida est, non autem ex ea, quæ sit actu talis; Quod si ita est, non erit sensorium visus coloratum actu, sed potentia duntaxat, quoniam potentia tale debet esse, quale est actu eius sensibile. est autem id color; sed quo pacto erit visus instrumétum aqueum, si debet esse id potentia, quod illius obiectum est actu? Non enim aqua est potentia color. Illud vero, quod affert accidere, vt in tenebris fieri posset visio, si oculus ex igne constaret, non video, qua ratione id concludat: nam si illi igneum dicant esse, quod potentia sit ignis, vt ipse olfactum igneum intelligit, non poterit lumen ab oculo egredi, (vt ait) velut è laterna: quia ex eo, quod est potentia ignis, nemo dicet lumen egredi posse. Illud etiam non facit, quod scribit contra Platonem, non posse extingui visum, illiusq; instrumentum in tenebris, eo quod ignis solum à frigido, & humido perimatur: nam quod potentia igneum est, à frigido, & humido augetur, potius quam extinguatur. At vero si vult, visum & oculum ex aqua constare, eo argumento, quod vulnerato oculo humor & aqua effluant, iam statuit sensorium esse aqueum, quia actu aquam habet: nec in hoc retinet sua principia; cum postea olfactum igneum dicat esse, non quod actu ignem contineat, sed quod potentia sit ignis. Præterea in eo falli videtur, quod putet, aquam esse id, quod excernitur per vulnera oculorũ: nam certi sunt humores, quos oculi cõpositio requirit. Addo quod huiusmodi humor aqueus, qui effluit, non sit instrumentum visus, nam si lucidum vult esse hoc instrumentũ, necesse est, vt intelligat humorẽ crystallinum: at hic nequaquam est aqueus, sed concretus, & solidus. Arguit etiam illud Aristotelis opinionem, quod nomine instruméti visus, nunc pupillam, nunc oculum appellet, nunc id, quod in eo est lucidum: quæ quidem nequit ostendere aquea esse, constat enim oculus non solum ex humoribus, sed etiam ex suis tunicis, musculis, neruis, & aliis partibus solidis: quid autem pupilla sit, videtur ille ignorasse. Oculi vero partem

Quod potentia est igneũ, à frigido & humido augeri potius quam extingui.

A albam factam esse opimam & pinguem, nec sensus viuente animali, nec quæ apparent in anatome, docent: quicquid enim in oculo album circumspicitur, nullam habet circumpositam pinguedinẽ, nec aliud munimentũ, aduersus frigus, quam ex ciliis & palpebris obtinet. Est intus quidem circumfusa pinguedo: sed ad alios vsus cõparata (vt Galenus recte docet), quam vt humores incongelabiles seruet. Nam vt in frigore munimentum esset humorum, pinguedo: ita in æstu suo calore humores funderet. Quid vero est, quod scribit, animã ipsam, & sensorium visus nõ esse in oculi extrinseca, sed interna parte? nam vt id recte forte dicitur de sensorio, ita de anima nequaquam, vtpote quæ omnes viuentes partes B occupat. Cæterum cur non probat, aliquid esse aereum actu in aere, quo auditus instrumentum constet, vt in oculo aliquid conatus est ostendere esse aqueum, ex quo visus instrumentum constaret? Cur etiam non ostendit, in tactu aliquid esse in eo terreum actu; aut aliquid igneum in olfactu, pariter actu? aut si potẽtia ignem huius sensorium statuit, cur eandem rationem (vt diximus) non seruat in aliis sensoriis; in quibus illorum substantiam ex eo, quod actu in eis est, & naturam quærit? nam ideo odoratum igneum esse dicit, quod frigida materia constat, quæ potentia est ignis: cuius naturæ est odor, hũc enim esse fumidam exhalationem. Erit ergo oculus aqueus, quod igneus actu sit, vel aereus: C nam hæc potentia ignis sunt; Sic in tactu erit actu, quod potentia est terra, & in auditu quod est potentia aer: quæ quam sint absurda quilibet agnoscere potest. Postremo gustum dicere esse terreum, quod tactus quidam sit, rationi nequaquam est consonum: nam etsi gustus non sine tactu exerceri potest: tamen alio sensu sapores discernimus, quam tactu: Alioqui cur partes omnes, quæ sensu tactus sunt præditæ, vim non habent iudicandi de saporibus? Tactum vero & gustum statuit ille non procul collocari à corde: quod cum multa alia, hoc certe euidenter refellit, quod lingua, quæ gustus est instrumentum, in capite, vt tria alia sensus instrumenta, sit collocata, & tactus sparsus sit per omnia corporis D membra. Sed, vt dicam, quod sentio, opinio hæc de substantia sensoriorum, vt est antiquissima, ita paulatim ex contentione philosophorum creuit, & propagata est: nam quid est, quod nos cogat, illa potius, quam alias partes, quæ proprias quasdam edunt actiones, vt cor, cerebrum, hepar, ventriculum, & alia membrà corporis, ad elementa reuocare? Nam vt illa ex multis similaribus diuersi temperamenti inter se coniunctis composita redduntur ex peculiari sua compositione, apta ad propriam functionem obeundam, sic existimare oportet, sensoria ipsa obtinuisse partes similares, ex quarum compositione fit, vt vnum visus, aliud auditus, aliud gustus, aliud odoratus, aliud tactus sit E instrumentum. *Ac in singulo sensorio reperire quidem est, vt in alia omni instrumentaria parte, excessum aliquem qualitatum, & partem vnam, quæ, plus forte, quam aliæ confert ad actionem, verum vt nec ipsa instrumenta, nec partem aliquam, quæ in illis est, ad vnicum elementum redigimus; ita frustra tentabimus id in sensoriis facere:* Quod ostendunt tot tamque discrepantes philo-

Sapores quod discernantur ...

philosophorum, & Medicorum autores; & ipsius rei natura, quæ prohibet quinque sensus quatuor elementis concludi posse, quo fit, vt coacti quidam illorum fuerint, mediam quandam naturam, nempe vaporem inter aquam, & aerem ponere, tanquam elementum quintum, præter omnem rationem, vt olfactus suum elementum obtineret. Alii vero retento numero elementorum, tactum, & gustum, pariter terreum esse volunt. Ac vt ex superioribus patere potest, nequeunt illi in hac re certa principia ponere, aut certe iam posita violare coguntur. Sed iam ad illud accedamus, cuius causa hanc de substantia sensoriorum disputationem instituimus, doceamusq;, cur maiores, aut minores fiant dolores, & voluptates in sensoriis diuersis.

Ex substantia sensorium alterum non esse crassius aut tenuius.

Non posse autem rationem huius rei à substantiæ crassitudine, & tenuitate illorum sumi, credo omnib. persuasum, qui intelligere velint, vanum esse existimare, sensorium vnum altero esse crassius, aut tenuius. Deinde hoc etiam concesso, non patet, cur in crassiore sensorio, maior dolor fieri debeat: Vt enim hoc difficilius patitur, ita nequit admittere facile, & vndequaq; in sui substantiam causas, quę dolorem, & voluptatem pariunt, sic enim videmus, dura, solida, & crassa corpora minimum dolere: mollia vero, tenuia, & delicata miros sentire dolores, ex leuissimis quibusq; rebus. Præterea si Galenus vult lumen solis, eo, quod sit tenuioris substantiæ, maiores inferre dolores, quã tenebras, cur etiã id, quod tenuioris est substantię, nõ magis dolebit, quam quod crassioris est? Non ergo à crassitie, & tenuitate sensoriorum, petenda est ratio, cur maiores, aut minores in illis fiant dolores, & & voluptates. Qui vero tradunt maiores fieri in tactu dolores, quam in aliis sensibus, propterea quod animal per tactum afficit, vitæ animalis protinus aduersetur, in cæteris vero sensibus, dolor non prorsus sit inimicus vitæ, sed vni duntaxat sensui infestus, minus probabilem opinionẽ tuentur. Nam etsi verum est animal esse nõ posse absq; sensu tactus, nõ tamen propterea sequitur, dolores ideo esse grauiores in eo sensu, quã in aliis: Si enim ea, quæ animal perimunt, maiores inferunt, aut sustinent dolores, cur siccitas immedicabilis non parit maiores dolores calore, & frigore? & cordis vulnera, quæ repentinam mortem inferunt, non sunt cum maiore dolore, quam vulnera neruorum? Ad hæc oportet parem esse in aliis sensoriis dolorem, quandoquidem animal nõ est per aliquem illorum animal: verum in gustu maiores, quam in auditu, & olfactu; in his maiores, quam in visu, dolores oriuntur. Explodenda ergo est illorum opinio.

Opinio autoris. Cur in sensu tactus maiores fiant impressiones & dolores, quam in aliis.

Mihi autem videtur ratio sumenda esse, partim ex maiore, aut minore sensu, partim vero ex maiore, aut minore violentia, & agendi vi, qua prædita sunt obiecta. Nam *sensorium tactus plures recipit neruos, quam alia sensoria, & illis vtitur ad sentiendum, sparsis per vniuersam partem, quæ tactu est prædita: alia vero sensoria pauciores neruos; nec eos quidem per omnes suas partes diuisos recipiunt. Quia ergo protinus afficitur in sensorio tactus neruus aliquis, in quo maximus est sensus, in aliis vero sensoriis non idem accidit, ideo vna ratione maiores in illo, quam in reliquis, dolores, & voluptates proueniunt: Alia vero sumitur ratio ab obiectis, quæ sen-*

A *soria afficiunt: Nam quoniam tangibiles qualitates, & alia tactus obiecta, validiorem habent ad agendũ vim, ideo maiores fiunt in eo sensu dolores: secundo loco in sensorio gustus, quoniam sapores, qui fiunt ab aquea substantia cum terrena mista, potentius, quã vapor, vel aer, vel color, & lumen molestare potest, & maiores impressiones facere. Quod enim crassius est, cæteris paribus maiorem habet agendi vim. Igitur sensoria, quorum obiecta vehementiore vi sunt prædita, maiores dolores experiuntur:* sunt autem prædita maiore vi agendi, quædam sua apte natura, vt primæ qualitates, secundis; & inter primas actiuæ dictę, passiuis; alii vero ob subiectam materiam talia redduntur: Quæ enim cum tenui materia sunt coniuncta, etsi promptius agunt,

In quibus post tactum fiant maiores dolores.

Quæ inter obiecta habeant maiorem agendi vim.

B minores tamen faciunt impressiones: quæ verò crassiorem sunt sortita materiam, illa etsi obtusionem, tardioremque vim obtinent, certe validiorem illam habent. Nam flamma promptius calefacit; carbo vero potentius: quod ostendũt passiones, quæ ab vtroq; excitantur, quippe cum flammam quilibet tangere possit absque aliquo insigni nocumento, carbo vero adurit, crustamque suo contactu protinus excitat. *Ergo in sensorio tactus duæ apparent rationes suorum dolorum, & voluptatum: in aliis vero sensoriis difficile quidem est causam aliquam sumere ex diuerso sensu: quare ex differentia obiectorum, maiores, aut minores contingit in illis fieri dolores, & voluptates.* A quibus vero fiant maiores, aut minores dolores, C & voluptatęs in singulis sensoriis, nunc docere aggredior.

A quibus coloribus maxime afficiatur visus secundum Galenum.

Scribit Galenus visum ab alba simulq; splendida re, cuiusmodi est Sol, grauissime affici: secundo loco ab ea, quæ duntaxat est alba. Contra vero iucundum esse oculis, primum quod fusco, deinde quod cæruleo colore est præditũ, ab his enim citra violentiam oculi substantiam cõgregari, & vniri; ab illis vero segregari, & dissolui. Nigerrimum vero colorem, splendidissimo minus infestare, non quod contrarium minus sit molestum, quã excessus in genere cognato; sed, quoniam visus instrumentum sit splendidum, & ob id subtilium partium; nigrum vero crassarũ, quod vero tenuius est, magis actiuum esse: I- D taque cum inter hæc pugna fit, remissius agere, quod crassum est in tenue; nimirum quod ab isto illud potius pati est natum, propterea Solem, etsi cognatione substantiæ, minus contristat; tamen tenuitate maiore, quam sit oculi substantia, facile segregare, ex quibus quidem concludit, veluti oculo iucundissimũ esse cæruleum colorem, ei vero, qui dissolutus est à Solis splendore, contrarium, nempe nigrum gratum esse, ei vero, qui laborauit, iam tamen valet, cæruleũ, & fuscum, saluberrimum esse spectaculum, eo quod non dissipet, vt albuñ, & splendidum, nec cogat, & extinguat, veluti nigrum, adeo vt concludat, oculo laboranti, contrarios colores gratos esse, valenti cæruleum, conualescenti cæru- E leum, vel fuscum. Cæterum auribus infestissimam esse vocem, quæ asperrima, celerrimaq; est; contra vero iucundissimam esse lenissimam, tardissimamq;, si modo valet sensus: quod si ægrotat, iucunda, inquit, est, quæ lenissima, tardissimaq; illis est, ac multo magis si numerosa fuerit: quippe cum silentium id sit in auditu, quod tenebræ in visu.

Qualis vox [illegible] dum.

Galenus [illegible].

Qua quidem in re illud primum affero, quod hæc sibiipsis non respondeant. Nam si dolenti oculo contrarii colores iucundi sunt, vt tenebræ sanant molestiam, quam lux & Solis splendor pepererunt, non semper leuissima, minima, tardissimaque vox iucunda erit auditui laboranti, sed quemadmodum visum fere extinctum tenebris, lumen recreat, ita cum à silentio, vel lenissima, tardissimaque voce auditus propemodum est extinctus, voluptatem capiet à contraria voce. Quod si homini ægrotanti leuissima vox, & silentium placet, hoc nihil ad rem facit, non enim quid conueniat auditui, ex corporis morbo debilitato, sed quid ei competat laboranti à propriis obiectis, hoc loco quæritur. Nam affecto visui ob corporis morbum, & calidi natiui consumptionem; vt in his, qui morti sunt propinqui, apparet, nullus color voluptatem affert: sed tunc iucūdum est, in tenebris versari, vel potius non videre, nec oculos aperire. Sunt igitur morbi singulorum sensuum, à morbis corporis, & in potentia agendi, distinguendi; quod si ita est, non vna semper vox auditum oblectabit, sed quæ contraria est ei, quæ vel extinxit quodammodo auditum, aut alio modo ei obfuit. Adhæc leuissima, & tardissima vox, valenti auditui, quo pacto potest esse grata? Si enim, quod moderatum est, sana, mediocriterq; habentia delectat, non tarda, & lenta, sed mediocris vox grata erit: vt enim color nō extremus, sed medius bene affectum oculum voluptate afficit, sic mediocrem vocem oportet esse, quæ voluptatem sanis auribus conciliat, quod ipsa certe experientia docet; Non enim libenter audimus eos, qui tarde, leniterq; loquuntur, sed qui moderatam in omnibus differentiis vocem proferunt. Debebat præterea Gal. docere, quid gratum sit conualescenti auditui, vt antea de visu fecit, vt seruaretur eadem docendi ratio. Cæterum gratissimos esse gustui naturaliter habenti dulces, & pingues sapores scribit idem autor, propterea, quod hi maxime conuenientes sint substantiæ nostræ: ei vero, qui liberatus est ab aliquo, quod molestabat, pingues: quia huiusmodi sapores maxime leniunt exasperatum gustum. Iam vero laboranti, contrarium saporem, ei, qui obest, conuenire: calidum scilicet, vbi frigidus lædit; frigidum, vbi nocet calidus; siccum, vbi humidus; hic vero, vbi ille infestat. In quo quidem illud primum dici potest, dulces & pingues sapores semper gratos nō posse esse valenti gusti, nam docet experientia, hos nauseam sæpe mouere, appetentiamq; perdere dissolutis quodāmodo, & lingua, & stomacho, quæ communi tunica vtuntur. Deinde hoc fateri non possum pingues sapores solum iucundos esse gustui, recenter à morbo liberato: non enim gustus solum læditur ab his, quæ habent vim exasperandi: quare nec semper remedium petendum est à pinguibus, & lenientibus. Cur etiam mentio fit in saporibus de calido, & frigido, humido, & sicco? hæ enim qualitates gustū nequaquam delectant, aut lædunt, vt gustus est instrumentum saporis, sed quatenus cum tactu quodam sensus hic exercetur. Quod vero scribit de visu, paulo diligentius examinandū est; nam, album colorem ponit semper oculis nocere, nigrum vero iucundū esse laboranti visui ex splendore: iam vero valenti minime, cum tamen ra-

Visum à tenebris fere extinctum lumine recreari.

Qualitam color bene affectos oculos voluptate afficiat, & quæ itidem vox sanas aures.

Qui dulces sapores sint gustui naturaliter habenti grati.

A tio suadeat, parem esse in vtroq; rationem: Nam si affectis, ortis ab albo colore medetur nigrum, cur malis, natis à nigro, non succurret album? Nocet forte intensa, & subita albedo oculo à nigro vehementius constricto, & cōgregato: quoniam nouam facit continui solutionem, ex subita, & magna segregatione, & dissolutione: sed si certa mensura, seruata instrumenti vnione, album adhibeatur, vtique proderit & gratum erit spectaculum, non aliter profecto, quam cū partes dolentes à frigore, moderato calidi vsu liberamus, & ad suam naturam reuocamus: Illud vero probandum erat, quod pronuntiat, subtilium esse partium, quod est splendidum, nam humor crystallinus splendidus quidem est, te-B nuium verum partium quo pacto esse potest, si duriusculus est, & concretus? Quod si in hoc licet aliquid fingere, certe in crystallo, vitro, gemmis, & multis aliis rebus splēdidissimis, nihil inueniemus certum in subtilitate, aut crassitie partium; At vero quod tenuius est, promptius agere forte potest, vehementius tamen agit, quod crassius est, vt ostendunt medicaméta colliquātia, & adurentia: hæc enim quia in crassa substātia vim igneam obtinent, crustas in corpore excitant: illa autē, tenuem substantiam nacta, tantam facultatem non habent. Sed cur in aliis sensibus res quasdam cognatas non ponit, vt Solis lumen cognatum esse instrumento visus dicit? Illud iam superest expendendum in hac tracta-C tione, quod scribit quosdam sensus ab intrinsecis, & extrinsecis rebus, alios vero duntaxat ab intrinsecis delectari, & dolere posse: Nam tactum, & gustum ab vtroque genere rerum affici pari modo statuit: odoratum vero dicit graueolentia aliquando percipere, bene olētia vero nequaquam. At visum, & auditum, minime ab internis affici posse: propterea quod tenui cōstent substantia. At quod gustus voluptatem ex insitis rebus capiat, ostendi dicit à pituita dulci, qua lingua aliquando imbuitur: in tactu vero motum huiusmodi, & voluptatem sentiri, quando illæ, quæ ipsum exasperant, cōcoquuntur, vel digeruntur vel sensibiliter excernuntur: tunc enim eum ad naturam suam reuerti, voluptateq; affi-D ci: eandem quoq; apparere voluptatem, quando ex lassitudine laborantes, molliter fricamus, vel in balneo lauamus. In qua quidem re nonnulla sunt, in qua merito dubitare quis possit. Nam auditum offendi à sonis, qui intus excitantur, quotidie experimur, in his, qui aurium dicto sibilo laborant; sic forte visus patitur dolorem, vt instrumentum est visus, in affectibus suffusioni similibus, qui nascuntur vitio stomachi, aut alterius subiectæ partis. Præterea eo concesso, quod ponit, auditum & visum ab internis causis, nec dolere, nec delectari, non tamen propterea id fieri videtur, quod tactus, gustus, & olfactus, crassioris sint substantiæ, visus vero & auditus tenuioris; Nam hoc etiam concesso, quod-E antea refellimus, quid tenuitas, aut crassities sensoriorum facit ad hanc rem? vt cum ab externis obiectis suos patiuntur dolores, suasq; voluptates; sic si intus obiecta haberent, ab illis afficerētur, non minus, quam ab externis, præsertim cum antea dixerit, tenue esse efficacius ad agendum, crasso. Mihi vero ratio videtur esse, si statuemus, hos sensus non dolere, quod obiecta illo-

Color albus oculo nō semper nocere.

Splendida esse non ideo subtilium partium.

Cur subtilia agant promptius, crassa vero vehementius.

Auditum & visum etiā offendi ab internis.

illorum intus esse non possint: quandoquidem huiusmodi sensoria structuram habent comparatam, ad ea duntaxat sentiêda, quæ sunt extrinseca: nam quo modo visus potest videre, quę intus sunt? Nequeunt ergo ab internis obiectis affici, *repugnante illorum compositione, & natura.* Quod si affectiones in sensoriis quærimus, non solum, quas pariunt propria eorum obiecta, sed alia, quæ quocunque modo sensum impediunt, inuenie mus profecto, & foris, & intus esse, quod singulis sensibus molestiam inferre valet. Nam, vt diximus, sonum, & tinnitum, percipiunt sæpe aures, maleque ab illis auditus afficitur, non minus quidem, quam ab externis sonis: nec minorem ille voluptatem sentit, cum ea, quæ tinnitum faciebant, tolluntur, quam cum ea recedunt, quæ vel tactum, aut gustum violentius afficiebant. Idem accidit, cum vapores visum impedientes, molestiamque oculis inferentes, abiguntur. Postremo si laboranti sensui, contraria obiecta sunt iucunda, & voluptas duntaxat fit eo autore, quando fit reditus ad naturalem statum affatim, qua ratione dicere potest, voluptatem conciliari tactui ex molli, blanda, lenique contrectatione, & frictione? Sed iam ex his patere puto, quæ sit causa immediata doloris & voluptatis, quot ex immediata, & coniuncta causa nascantur aliæ causæ, quid præterea hæc inferre, & pati possit; Ex quibus quidem grati lectores agnoscent, quid nos in hac re post tot tantosque alios viros præstiterimus, & interim ipsi habebunt, vnde meliora excogitare poterunt; sic enim multorum labore res perficiuntur, non stulta credulitate, qua aliorum opiniones, & sententias, tanquam oracula Apollinis, recepimus.

Si auditus & visus ab internis non afficiantur, vnde id fiat.

Cap. XVIII.

De excrementorum aliorumq; operum, quæ in corpore fiunt, & qualitatum mutationis causis.

Non est, quod multũ laboremus in horum causis recensendis, propterea quod eædem sunt cum illis, quæ actiones mutant. Nam quæ primo actionum, secundo loco operum, quæ post eas relinquuntur, causæ existunt. Ne quid tamen rudior lector in hac tractatione desiderare possit. Galen. imitatione paucis morborum quoq; causas perstringemus, ex quibus etiam vnicuiq; patere poterit, eam doctrinam, quæ methodo nititur, perpetuo à suis principiis duci, & cum illis indissolubili quodam vinculo annexam cohærere. Igitur facultatum vitio mutari excrementa certissimum est; cum imbecilliore reddita ventriculi coctrice humidiora, quam par sit alui excrementa euadant: ea vero mediocritatem excedente caloris siccitatisque exuperantia, eadem duriora calidioraque fiant. Attrahente vero parcius vi attractrice renum, parum lotii emittitur, impurusque sanguis redditur, aquosusque humor in toto corpore redundat. Cum autem vehementius illa agit, vniuerso aquoso humore à sanguine attracto, vt in diabetica passione contingit, naturalem mediocritatem excedit, quod mingitur; atque eadem etiam ratione,

Vitio facultatum excrementa mutari.

A cum parcius attrahitur, & distribuitur per corpus alimentum, plura humidioraque euadunt excrementa, quæ per aluum emitti solent; quod etiam contingit exercente expultrice validius suum munus, aut debilius agente coctrice. Parciora vero recrementa emittuntur, cum segnius agit expultrix, ipsa autem concoctrix optime suo munere fungitur. Nam vbi forte excedit, alimentumque torret, si non aquosum, certe biliosum excrementum redundat.

At natiui calidi ratione mutari excrementa videmus: si quidem eo vigente per gaudium, exercitationes ad externas partes vergente, educto à profundo corpore cum eo humore, sudores copiosi eliciuntur: calore vero debilitato, vel B ad internas partes reuocato, ægre per cutẽ transpirant vapores, fuliginosaq; excrementa, exuperant vero intus, quæ propria sunt illis locis recrementa.

Mutari etiã ratione calidi natiui.

Cæterum propriorum instrumentorum vitio eadem sic mutari contingit; Nam obstructis meatibus, per quos natura bilem in intestina effundit, quæ per aluum subflauo colore tincta, cum secundum naturam habemus, deiiciuntur, candida apparent; & exulceratis intestinis, & ventriculo, atq; ob id ineptis ad retẽtionem, humidiora copiosioraq; excrementa proueniunt, quemadmodum etiam occlusa in ceruice aspera arteria fuliginosæ superfluitates augẽtur, quæ cor ipsum suffocant. Liberaliores pręterea sudo-C res emanant rarefacta cute: Ea vero adstricta, quæ foras expirant, parciora fiunt.

Propriorum quin etiam instrumentorum vitio.

Iam vero materiæ vitio variari excrementa, non est, quod probare nitamur, cum ob alimenti copiam plura, ob caliditatẽ calidiora, ob illius crassitiem hæc crassiora euadant: Vnamque etiam sudoris copiosi causam esse putemus, multitudinem aquosi humoris, quæ omnia materiæ vitium sequuntur.

Vitio materiæ.

Sumuntur præterea huius rei causæ à fine: Siquidem diminuta edendi necessitate pauciora quoque fieri excrementa necesse est, ea vero adaucta illa quoque augeri oportet, veluti in fame canina apparet, in qua plurima per vomitũ reiiciuntur.

Ratione finis.

D. Cæterum ab eisdem causis sanguinem carnemq; mutari, lapides, lumbricos, & alia omnia, quæ in nostro corpore proueniunt, gigni, docet ratio, cum vitio facultatum, materiæ, instrumẽtorum, & deniq;, ob easdem causas sanguis copiosior, impurusq; reddatur, & calculi ob alimẽti crassitiem, alterantisq; facultatis vehementiã, & alienam actionem, partisq; vitium in corpore concrescant.

Quoniam vero corporis qualitates primæ & secundæ, omnisque alterius inferioris generis proueniant ratione humorum & excrementorum, quæ in corpore gignuntur, merito etiam easdem causas in his statuemus: Ob biliosum namque alimentum pallidius corpus materiæ in-E gestæ vitio euadit. Idem contingit, cum facultas concoctrix illud adurit, & in bilem mutat, vel expultrix, aut attractrix in ea excernenda, segregandaq; laborant, vel viæ sunt occlusæ, per quas excerni consueuit; Vnde vna cum sanguine per vniuersum corpus sparsa, suo colore cutem inficit: eodem modo vitio materiæ, ex qua gi-

gnuntur, & loci, in quo fiunt, sonitus ex flatu in intestinis oriuntur diuersi, nunc acuti, & tenues, nunc, vt ita dicam, bombosi sentiuntur, & graues, nunc stridentes, vel alium denique sonum referentes. Quin & caloris motu, euocato ad externas partes sanguine, ruber rosidusque color in cute efflorescit: Eo autem ad internas partes vna cum calore contracto, natiuus color euanescit, vt in timore contingit. Atque hæc quidem satis de his: Liceat enim vnicuique easdem causas in aliis qualitatibus inuenire. Nos

A enim omnium symptomatum causas sigillatim prosequi non instituimus, quod Galenus abunde facit, sed artem duntaxat, communiaque omnibus capita docere, vnde singula minimo labore emanare cognoscuntur. Quamobrem eo (qua potuimus diligentia) perfecto, iam ad morborum partes properandum esse duco. Nam eorum essentia, generibus, differentiis, causis, effectibusque explicatis, hoc potissimum sequi videtur, vt partes quoque explicemus.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE TEMPORIBVS MORBORVM, *LIBER.*

CAP. I.

De vtilitate huius tractationis.

DE morbi partibus, siue temporibus hoc libro agemus, ita cogēte nostra tractatione, atque etiam suadente vtilitate, quæ Medicis maxima ex hac re prouenit: nam (vt antea diximus) post genera, differentias, causas, & effectus morborũ, sequitur, vt de illorum partibus agamus. Vtilitas vero multiplex variaq; est; siquidē curationem imprimis ob morbi tempora variari contingit:

C Alia enim in principio morbi, alia in eius incremento, alia deniq; in aliis morbi partibus remedia conueniunt: Quod Hippocrates tum *alibi* sæpius, tum maxime *in Aphorismis* testatur, cum scribit: *In principio morborum si quid videtur mouendum, moue; In statu autem quiescere melius est.* Item *alio loco*, vbi habet: *in acutis passionibus raro, & in principiis purgandum.* Sanguis quoque pari vtilitate non demitur vigente morbo, vt incipiente. Cum vero morbus declinat, non solum superfluo, sed etiam inutiliter mittitur. Ac inter alterantia, & omnis alterius generis remedia alia, quædam sunt, quæ certis duntaxat morbi temporibus prosunt, aliis vero obsunt. Confert quoque hæc cognitio ad predictionem

Sect. 2. aph. 29.

Sect. 1. aph. 24.

D futurorum; Nam quo tempore mori possit, aut sanari, & quando periculum effugerit æger, præuidebit Medicus, qui hæc non ignorabit; Non enim in quacunque morbi parte finiri possunt morbi, aut vita extingui: cum nemo inuadente, aut inclinante morbo pereat, raro autem ante quam peruentum sit ad declinationem, morbus abigi possit. Quinetiam victum in mor-

B bis bene instituemus, cum intellexerimus, in vehementissima morbi parte parcissime, aliis vero vberius alendos esse ægros: Quæ nemo vnquam recte præstare poterit, qui ignorauerit, quas quotve singuli morbi partes obtineant, quæ mitiores sint, & quando vehementiores incipiant, quantumque singulæ sint duraturæ, & quæ præcedant, quæve alias sequantur: Quamobrem merito Galenus duos libros (vt plurimos alios locos omittam) de hac re conscripsit, quibus si integram tractationem toties laudata methodo esset complexus, non esset profecto, quod nos amplius in hac parte laboremus: sed cum nonnulla omiserit, multa sparsim, quædam etiam forte suis

C principiis minime consona tradiderit; nostram hanc tractationem, in qua, quæ sparsim à Galeno sunt dicta, collegimus, & omnia ad sua principia reuocare contendimus, vtilem studiosis fore speramus: Ac vt ordine optimo procedat tractatio; deinde quot sint in vniuersum morborum tempora, quotve illorum differentiæ, ostendemus: tertio loco quot partes, quasve habere valeat vnusquisque morbus, trademus: Postremo quibus notis, cum præsentes, vel futuræ sunt, deprehendi possint, & quæ tandem sit singulorum temporum natura, & vis, docebimus.

CAP. II.

D *Quid tempus morbi sit.*

MOrbi tempus nunc partem morbi, nunc ætatem, alias causæ morbi motionem vocat Galenus *in libris de Temporibus morborum*; & *in eo*, quem ascripsit *de Optima secta*: & commode quidē his omnibus nũcupari potest: Morbus

bus enim in suas partes diuiditur, quas cum successione quadam, vt tempus suas partes, acquirat; ob id morbi tempora appellantur. Aetates vero, quod quemadmodum ætatum cursu, sic morbi temporum vicissitudine immutentur: vel forte etiam quoniam, sicut ætates vitæ partes successione animal, sic morbus partes suas assequatur. Dicuntur autem causæ morbi motiones, propterea quod motu diuerso causarum efficientium suas partes morbus obtineat; nam cum causæ morborum agere incipiunt, principium eorum fit: cum vehementius illæ vim suam exercent, incrementum constituitur; status autem aduenit, cum eundem tenorem seruant: sequitur tandem declinatio, quando earundem vis minuitur & frangitur, quæ progressu sermonis clarius innotescent.

Cap. III.

De numero temporum morborum in vniuersum.

Morborum partes maiores esse quatuor.

QVatuor morbi partes solet Galenus ponere, quarũ primam appellat principium morbi, secundam incrementum, siue augmentum, vel ascensum, tertiam vigorem, siue statum, quartam declinationem, vel remissionem: & optime quidem, cum de totius morbi partibus agimus. Nam quemadmodum vna est ætas, quæ prima est; alia vero, in qua maxime augetur corpus; tertia, in qua viget; vltima, in qua omnia minuuntur: sic profecto in morbis existimare par est: cum summas & maximas illorum partes expendimus: Minores enim plures aliquando sunt, veluti quando inæqualiter mouetur morbi causa, alia additur, quæ inter principium, & augmentum constituitur, inæqualitatisque pars dicitur. Quin etiam in morbis, qui per interualla repetunt, post declinationem pars succedit, quæ interuallum & quietis, vel etiam intermissionis tempus nuncupatur: quæ etiam diligentius *paulo infra suo loco* distinguemus.

Minores vero plures.

Cap. IV.

Quid morbi principium, incrementum, vigor, & declinatio.

CVm morbi principium varie vsurpetur à Medicis, nec facile sit intelligere (quemadmodum etiam notat Galenus) quonam modo sumi debeat, operæpretium fuerit imprimis docere, quonam modo sumatur, cum primam morbi partem principium nominari dicimus. Igitur incipere dicitur morbus cum primum hominem inuadit: Vnde primus morbi insultus, quam Græci *ἐπισημασίαν* vocant, hoc modo principium morbi dicitur: quin etiam morbum in principio sæpe esse putamus; cum nondum tertium, aut quartum diem pertransiuit: Tertio modo morbus in principio dicitur esse, cum adhuc gignitur. Hinc sane triplex ea significatio principii morbi à Galeno *in libro de Crisibus*, *in Aphorismis*, & *vbique alibi* posita, cum dicit principium pro primo insultu, pro tribus primis, vel quatuor diebus, & pro toto eo tempore, quo morbus crudus est, sumi: quanquam tamen generaliore explicatione in hac vltima significatione vti deberet: propterea quod non omnes morbi, cruditate principium suum definire possunt. id quod *in libro de Temporibus morborum* animaduertit: cum definit principium esse cum morbus gignitur. Est quoque alia significatio addenda, quæ in prædictis comprehendi non videtur, veluti cum ille scribit *in libro decimotertio Methodi*: parum esse quod in principio inflammationis influit humoris. Neque enim pro primo insultu capi potest hoc loco principium? cum remedia, quæ describit, illi non adhibeantur, nec pro tribus primis diebus, nimirum quod non tamdiu duret fluxio, quæ inflammatam partem replet. Et multo quidem minus pro ea parte, quæ generationi morbi tribuitur. quia tunc influxit humor vniuersus, qui inflammationem cõmittit, vbi genitus est morbus, quemadmodum ille *libro de Temporibus morborum* tradit, vnde hoc modo principium intelligi debet pro parte quadam illius temporis, in quo morbus procreatur. An non etiam principii morbi nomine donabimus tempus illud, in quo æger morbo grauatus decumbere incipit. Nam si ab eo tempore dies decretorii inchoantur, absurdum autem videatur esse ab alio termino, quam à morbi principio illorum initium sumere: profecto hæc quoque significatio, quæ in nulla alia ex prædictis contineri videtur, prætermittenda non est. Porro duæ primæ significationes à vulgari opinione desumptæ videntur. Vulgus enim eos vocat in principio morbi esse, quos à primo morbi insultu correptos videt: Item eos, qui in primis diebus laborant, adhuc in principio esse putat, etsi nonnunquam eo tempore etiam incrementum excesserunt. Tertia Medicis solum nota, cum per multos menses morbus sæpe duret, & nihilominus adhuc in principio sit, quod vulgus nõnunquã existimaret: quemadmodum & alia significata, quæ sequuntur: Sunt tamen omnes huiusmodi significationes Medico summopere necessariæ. A primo enim insultu curandi rationem instituit conseruatione, & præcautione, quæ sanis corporibus, imminentibusque morbis debentur, intermissis. A secunda significatione principii remediorum multorum vsum sumimus, in ea enim illud dictum esse puto ab Hippocrate. *In principio si quid videtur mouendum moue.* Hac etiam ratione vtiliter sanguinem mitti in primis diebus per morbos putamus, postea vero non pati vsus. Variat quoque (vt antea diximus) tertio modo vsurpatum principium, siquidem alia remedia morbis, cum adhuc gignuntur, quam cum iam increscunt, debentur. Ab ægri decubitu dies decretorios inchoamus: cum vero morbus nondum genitus est, sed parum omnino est factum, multum autem relinquitur (vt aiunt) in fieri, remedia variamus: nam hac ratione incipiente inflammatione distantissimas à parte affecta venas incidimus ad fluxionem auertendam, cum, iam delapso vniuerso fere humore, propinquiores tundere, satius esse putetur: Ac quomodo quidem intelligi possint reliquæ principii significationes, non est, quod docere laboramus, quando per se id satis patet: qua vero ratione morbum gigni & incipere dicere possimus, qui ad multos menses extenditur, non ita omnibus peruium est. Nam si indiuisibiles per se sunt affe-

Quo modo morbus dicatur esse in principio.

sect. 2. aph. 10.

ctus, statim primo insultu propriam naturam assequentur, nulloque tempore longiore ad generationem opus habebunt: eiusdem enim est naturæ febris cum primum inuadit, cum ea, quæ longius progressa est, vt nihil amplius requirat. Vnde si principium illud est, in quo gignitur morbus, principium iam excesserit, quando generationem absoluerit, id quod in primo insultu assequetur: & merito quidem, si modo id, quod non erat, cum iam adest, & proprium nomen propriamque naturam assumpsit, genitum dici debet: Appellatur porro, & est febris in ipsa (vt vocant) ἐπισημασία, nec aliud præterea requirere putabitur, vt sit, genitaque dicatur: Verum si paulo diligentius hæc expendamus, inueniemus aliter habere. Nam etsi rei natura docet, febrem genitam esse in prima inuasione, nihilo minus vniuersum illud tempus, in quo postea nullum insigne sumit incrementum, sub principio complectamur, necesse est: cum nulla alia morbi pars tunc esse possit: vt toto eo temporis spatio morbus gigni dicatur, quo propriam naturam perinde recipit, vt in certo quodam statu absque magno incremento consistat, etiamsi aliquando grauior euadat, quam in primo insultu fuerit: hoc enim modo animalia etiam ipsa gigni dicimus, non solum, inquam, cum omnes suas partes habent (sic namque quadraginta dierum spatium duntaxat ad illorum generationem concederemus) sed etiam donec in vtero manent; quo sane tempore præter generationem & conformationem, incrementum etiam aliquod assequuntur; quod tamen nõ consideramus, sed solum animalis generationem, & conformationem in vtero fieri dicimus, postea autem augeri: non quod antea dum fingeretur, & formaretur, non cresceret, sed quod nunc maxime & solum augeatur, antea vero auctio generationi seruiret. Eodem igitur modo, cum morbus primam, quam accepit, naturam, paululum etiam auctam solum retinet, nec adhuc sensibile incrementum facit, sed tantum plane, quantum ad actionem lædendam sufficit (alioqui nondum morbus genitus diceretur; cum optime Galenus scribat, omnes morbos esse cum quadam magnitudine, quo quidem neuter status à morbo seiungitur) principium morbi esse putabimus. Itaque seruat quendam tenorem fere sibi similem principium morbi, cum in eodem statu per multos sæpe dies, & menses talis perseueret, qualis fere in primo insultu apparuit, quemadmodum & in vigore ipsius morbi; verum vigere non dicitur morbus in ea æqualitate, quam habet à principio, cum summam vim nondum acceperit, quam cum assecutus est, in vigore iam, & statu esse dicitur, ita vt vigor morbi non sit, quando morbus eundem tenorem seruat; quia (vt diximus) idem in principio fit, sed quando summum illud, quod incrementum reliquit, in eodem statu perseuerat; Ac vt rem colligamus, principium dicetur habere morbus *cum genitus est*. Est autem genitus, cum perfecte suam naturam & speciem accepit, quod contingit, cum ad incrementum cessante generatione est idoneus, veluti animal genitum credimus, cum iam conformatum crescere, augerique est aptum: Ita profecto de morbi principio statuendum esse puto, non autem quemadmodum Galenus facit, qui cum definiuisset illud esse, in quo morbus gigni dicitur, quæstionem-

Morbus quando [illegible] dicatur habere principium.

que mouisset, quonam modo longum tempus morbi principium habere posset, cum affectus corporis statim in primo insultu gignantur, non explicat, quonam pacto, quave ratione morbum gigni intelligere debeamus: nec propositam quæstionem ex natura rei dissoluit; sed vel legislatorum more statuit, morbi principium esse in febribus cum nullum coctionis signum adhuc apparet, & in inflammationibus cum pars sanguine repletur: in vlceribus vero cum tenuis aquosaque & multa sanies prouenit, vel antiquorum scriptorum autoritate, qui principio morbi multorum etiam dierum spatium tribuerunt. Cur enim vniuersum illud tempus, quo humor crudus est, vel pars humore repletur, vel proueniunt aquosæ, multæque sanies, morbi principium dici debet, si prius constitutum est, principium esse tempus illud, in quo morbus gignitur? in primo autem insultu propriam naturam, eo autore, ille acceperit, & ab eo, quod sequitur, solo incremento differat: An non etiam illud videbitur alienum vulneris, vlcerisque principium ponere, quando sanies tenuis & multa gignitur: siquidem vulnus vlcusque in solutione continui propriam naturam sortiuntur, quæ sola diuisione omnes suas partes obtinent: humor autem, qui in illis procreatur, non tam diuisionis partes, quam subiectæ intemperaturæ, quæ vno tempore deteriores, alio meliores humores, quos alterat, reddit, sequitur. Nec vero etiam eam, quam de temporibus inflammationum scribit, rationem in singulis seruat, quod apparet, cum passim pleuritidis principium esse tradit, cũ nihil, incrementum vero cum iam concoctum aliquid expuitur. Si enim pleuritis inflammatio est, oportebat profecto eodem modo illius partes distinguere, quo in inflammatione faciendum esse statuit, principium scilicet ponere, quando colligitur humor in parte affecta, non quando hoc vel illo modo reiicitur, quando etiam contrarium est recipi, & reiici humorem: Atque illud etiam, quod commune omnibus inflammationibus statuit, dum illorum tempora definit, post ea cum de remediis agit idoneis singulis inflammationis temporibus, corrumpit: Nam si inflammationis principium definit, cum fluxio restitit, cur in incremẽto, ac etiam illius vigore iubet adhibenda esse, quæ fluxiones repellunt? cur præterea de morbis, qui in conformatione, magnitudine, numero, & coniunctione, & in vniuersis intemperaturis, febre excepta, consistunt, nullam mentionem facit? quod nam, quæso illius opinione erit, figuræ vitiatæ aut magnitudinis, aut aliorum denique prædictorum principium? omitto quod quæstionẽ de morbi principio commodius tractare potuisset in eo libro, in quo de vniuersis morbi temporibus agit: Quid enim ea facit ad eum locum, in quo de accessionum partibus agitur.

Iam vero pari ratione incrementum morbi definiatur esse pars ea, cum morbus manifeste crescit: vigor, cum summum illud, quod ab incremento partum est, in eodem tenore perseuerat; declinatio vero, cum vigor ille minuitur: quanquam tamen etiam declinatio dici debeat, cum morbus in principio, vel incremento antequam ad statum perueniat, remittitur, si modo declinatio appel-

Incrementum.

Vigor.

Declinatio.

appellanda est, cum minor, quam antea esset, morbus euadit.

Cæterum illud ignorandum non est, vnamquamque ex supradictis morbi partibus, in alias quasdam iisdem nominibus nuncupatas diuidi? nam principii principium, incrementum, status, & declinatio dicitur, sic, & incrementi principium, augmentum, status, & declinatio vocatur, & vigor principium, incrementum, statum, & declinationem habere putatur: eodem pacto declinationis principium, incrementum, vigorem, & remissionem vocamus, quæ sane perinde intelligenda sunt, non quod incrementum vnquam stet, quomodo enim in eodem statu, quod perpetuo crescit, manet? nec quod status declinet; quippe cum repugnet morbũ vigere, & minui, sed quod partes huiusmodi ratione distinctas putemus; vocamus enim principii principium primum insultum, & id, quod ei propinquissimum est: incrementum vero, quod ab eo longius recedit; statum, quod adhuc magis distat: declinationem partẽ eã, quæ maxime vicina est incrementi principio: eadem de aliis ratio intelligitur.

CAP. V.

De differentiis temporum morborum.

PORro si morbi tempus motio quædam caussarum ipsius morbi est; aut saltem si motionẽ caussarum morbi suas partes consequuntur, merito ex motionum differentiis, temporum morbi differentiæ sumentur, sunt autem motiones quædam vniuersales, siue maximæ: quædam particulares, i. minores: quædam æquales, aliæ inæquales. Præterea aliæ breues sunt, aliæ longæ; nonnullæ continuæ, aliæ intermittentes, vel ordinatæ, aut inordinatæ: Sic igitur morborum tempora, quædam vniuersalia vel particularia; æqualia, inæqualia; breuia, longa; continua, intermittentia, ordinata, vel ordine carentia dicimus: Intelligimus autem vniuersalia morbi tempora maiores partes, in quas vniuersus morbus primo diuiditur: vt cum dicimus morbum in principium, incrementum, vigorem, & remissionem distingui. Particularia autẽ minores partes, in quas singula vniuersalia multifariam diuiduntur: vocanturq; peculiari nomine partes hæ minores morbi paroxysmi, i. exacerbationes, siue accessiones: quã quam tamen in morbis intermittentibus quietis tempus, quod à Græcis διάλειμμα, i. interuallum, siue integritatis tempus & à Celso integritas dicitur, quod in febribus peculiari nomine ἀπυρεξία i. infebricitatio (si ita loqui liceat) dicitur, paroxysmi pars non reputetur: nam de iis nominibus, vt notat Gal. *in libro de Morb. tempor.* variæ extitetunt apud antiquiores Medicos disceptationes: quippe cum quidam paroxysmum vocari debere putarent duntaxat id totum, quando principium, incrementum, & vigorem, i. primam partem circuitus continet, secundam vero, quæ remissionẽ & quietis tempus complectitur, quidam remissionem, alii vero interuallum nuncupandam esse indicant, etsi illi magis placet, vt id vniuersum, quod accessionem sequitur, dicatur παρακμή, vel ἄνεσις, vel ὕφεσις, vel ἀφαίρεσις, id est, declinatio, vel remissio, vel submissio, vel ablatio, ita vt periodus, id est, circuitus in morbis sit repetitio, siue reditus ab eodem ad eadem per ordinem & circulum quendam factus: vel, vt breuius dicam, similis ad idem reditus; quo modo tertianæ quartanæque febris circuitus dicimus, qui quidem in duas partes diuiduntur, in accessionem, & declinationem, atque illius quidem nomine principium, incrementum, & vigorem, huius autem id omne, quod vigorem sequitur, intelligamus: quę omnia inter minores morbi partes referenda sunt. Cæterum continua tempora vocamus, quæ simul sunt, intermittentia, quæ diuisa, breuia, quæ paruo temporis spatio perdurant, æqualia, quæ vniformem motum habent, inæqualia, quæ difformem obtinent, vt æqualem exacerbationem vocamus, quæ solum calefaciendo afficit; Inæqualem vero, quæ refrigerando, calefaciendoq; molestat, qua ratione *in lib. de Differ. febrium* putridæ febris accessiones inæquales, hecticæ vero æquales Gale. esse dicebat. Ordinata intelligimus tempora, cum certo ordine repetunt; Inordinata, quæ sine ordine vagantur: Sic producta, vt productam accessionem, definiemus, quæ ad longius tempus extenduntur, quam faciant exquisitorũ morborum accessiones; quo modo tertianas productas siue extensas vocamus, quarum accessiones duodecim horarum spacium excedunt.

CAP. VI.

Quot tempora vniuersalia vnusquisque morbus habeat.

QVam varius sit Galenus in constituendo numero temporum morborum vniuersalium intelligere omnes possunt, qui illius libros euoluerint: Etenim *in lib. de optima secta*, contendit, nonnullos morbos, vt acutos multos, simul atque inuadunt, vigere, nullumque incrementum habere. Quinetiam eos, qui per crisim iudicantur declinatione, & illos, qui ab initio adhibitis remediis soluuntur, tribus succedentibus temporib. priuari putat. At *in libro de Totius morbi temporib.* contrarium plane statuit; nempe omnes morbos, qui ad salutem terminantur, vigorẽ & declinationem quandam habere, & suum incrementum; quando etiam apoplexiam, quæ breuissimo temporis spatio ad vigorem deuenit, nõ sine incremento vigere posse putat. Qua quidem in re multa sunt, quæ probare nequeo: nam omnem morbum, qui sanatur, quatuor habere tempora, alienum à ratione esse credo: Qui enim adhibitis remediis, antequam morbus crescat, soluuntur, augmento, & statu mutilantur: neque vero illud admitti potest, aliquos morbos vigorem consequi citra incrementũ, propterea quod nihil ad summum, nisi ascendendo, peruenire valet: priuari autem declinatione morbos, qui per crisim dissoluuntur, perpetuo verum non est: siquidem quibus crisis vigente morbo contingit, accidit quoque declinatio. Ac scio equidem, quid soleat in hac re dici, negare scilicet Galenum, non esse ea tempora in morbis, qui ea habent breuissima & propemodum insensibilia, cum vero ea in omnibus morbis ponit, eum spectare, quod rei natura exigit. verum etsi hac ratione res expendatur, nihilominus relinquetur adhuc, quod damnari possit; nunquam enim efficiet, vt illi morbi, qui in principio, aut incremento extin-

guuntur, vigorem obtineant: & si negat, non esse incrementum, aut remissionem, aut aliud denique tempus, propterea, quod breuissimum sit, nō recte facit: nec concludit, *in libro de optima secta aduersus Methodicos*, quod instituit, vt satis vnicuique, qui non grauetur locum legere, patere puto. Sic ergo negemus, subitas morborum generationes nullas esse; propterea quod momentaneæ breuissimæq; nonnunquam appareant, nec vno quidem loco, quod rei natura exigit, alio vero, quod imperitis videtur atque ita discrepantia, sed quod verum est, perpetuo tradere debet, qui de aliqua re scribere aggreditur. Ac si quis profecto omnes Galeni libros excutiat, nullam inueniet tractationem magis confusam, variam, & absque suis principiis vagantem, atque eam, quæ de morbi temporibus agit. Illud vero etiam, quod nonnulli fingunt ad illius loci defensionem, in quo Galenus scribit, omnes morbos vigorem obtinere & statum quendam, quod scilicet absque statu contrarii motus fieri, & morbi retrocedere nequeant, perinde ridiculum est, vt confutatione opus non habeat, quandoquidem non de eo statu, & quiete, quę inter motus cōtrarios intercedit, sed de parte ea, quæ incrementum sequitur, agunt Medici, cum de morbi temporibus, & partibus tractatio instituitur. Itaque cum ex Galeno & aliis autoribus colligi nequeat, quod quęrimus, methodo res pertractanda est, qua duce facile intelligere poterimus, quot quæve summæ partes in singulis morbis reperiri valeant. Non enim par in omnibus numerus esse potest, siquidem plura tempora salutares, quam lethales morbi habeant necesse est: Qua in re repetenda est ea morborum differentia, de qua alibi egimus, morbos, inquam, quosdam salutares esse, quosdam lethales, alios vero, qui nec sanantur, nec vnquam occidunt. item ea, quod morbi scilicet, qui soluuntur ad salutem, vel per crisim perfectam, vel imperfectam, aut alio modo finiantur. Igitur qui salutares sunt morbi, in vniuersum quatuor huiusmodi tempora obtinere possunt, principium, incrementum, statum, & declinationem: quod si per crisim perfectam dissoluantur, non pauciora, quam tria, possunt tamen & quatuor habere. Si enim, increscente adhuc morbo, crisis contingat, (vt in illius fine perfecte fieri potest) tria obtinebit tempora, principium, inquam, incrementum, & declinationem; Vigorem autem non habebit, nimirū quod antequam ad eum perueniat, facto incremento, declinare incipiat: Non pauciora autem, quam tria habet, quoniam in principio morbi, vtpote cruda existente materia, nulla crisis reperiri possit, quæ morbum adimat, sin autem in statu morbi crisis cōtingat, quatuor omnia necessario tempora aderunt, principium videlicet, incrementū, vigor & remissio. At si imperfecta crisis extiterit duo solum habere potest morbus tempora, principium, & declinationem; si modo excretio huiusmodi fuerit, vt morbi incrementum impedire possit. veluti cum in principio morbi ex sanguinis profluuio adeo natura exoneratur, vt paulatim postea, nullo sumpto incremento morbus dissoluatur. Contingit & tria adesse tempora, principium, incrementum, & declinationem, quod accidit, si in augmento morbi, aut etiam in principio crisis fiat, nec tamen tanti est momenti, vt morbi incrementum prohibere valeat. Potest &

Galenus in libris de morborum temporibus tractatione confusa & varia.

Morbos salutares habere plura tempora quam lethales.

Morbi per crisim perfectam finiti quot habeant tempora.

quatuor habere, quod contingit, quando in statu crisis fiunt. Cæterum si morbus alio modo, quam per crisim abigitur (siquidem paulatim id fiat,) si per coctionem, quatuor partes assequetur morbus: si vero per vacuationem, non necessario augmentum, & vigorem accipiet, veluti si inchoāte morbo noxius humor morbi causa educitur, ex quo sequitur minui morbum, antequam augeri incipiat: etsi vix fieri potest, vt incrementum tollatur, nisi magna subitaque fuerit vacuatio, tunc. n. facile contingit: quod ex Gal. etiam intelligi potest, qui incipiētes synochas febres, larga sanguinis missione prohibito incremēto & vigore, iugulari posse & penitus tolli refert: quod si in augmēto fiat, succedēte statu morb⁹ priuatur.

Eadem quoque est in aliis morbis, qui organicas partes præcipue infestant, ratio: Nam vlcera statim, cum pars erodi incipit, sępe persanamus, & quæ extuberare incipiunt partes, extenuamus; & leues nōdumq; auctas luxationes restituimus. Ac vt semel dicam, cura & opera naturæ & Medici sæpius nonnullis partibus priuantur salutares morbi. At si lethalis morbus extiterit, nunquam quatuor tempora habebit; fieri etenim nequit, vt diminuto morbo, victaque illius vehementia homo ex eo morbo, declinante pereat. quod si ille leuior forte apparet, cum homo moritur, veluti quando per febres, refrigeratis iam membris, homo extinguitur, non tamen propterea declinare huiusmodi febrem dicemus, quoniam falsa est huiusmodi remissio, vtpote quæ nec à natura, nec arte vincente contingit. Nam eo tunc inclinare videtur morbus, quod virtus iam euicta, non amplius morbosis causis reluctetur, non quod suapte natura, & vere minuatur: qua sane in re eorū ratio placet, qui duplicem declinationem statuunt, quandam s. vincentis naturæ; aliam succumbentis. Vt n. ea præualente, sic etiam non repugnante, extingui minuique morbum oportet. Verum illa vera, hæc autē falsa & ficta quędā declinatio credi debet, id quod etiam alia symptomata & morborum causæ ostendunt. Nam etsi calor minor apparet instāte morte, cū febres vrgēt, in actionib. tamen, corporis qualitatibus, excrementis, & reliquis corporis animique operibus maiora, quam antea, vitia apparent: causæ autem morborum in hac remissione, vt in alia, euictæ minime sunt: Vt vero plura, quam tria tempora lethalis morbus habere non potest, sic duo necessario quilibet obtinet, quandoquidem meo iudicio, nullus morbus occidere potest, qui prius incrementum aliquod non acceperit: Vnde cum in principio morbi hominem nonnunquam mori scribit Gal. *in libris de Crisibus*, non videtur vera, & sibi consona dicere, siquidem *in libro de Temporibus morborum* incrementum illorum ex lethalium signorum apparitione indicari meminit: principium autem ex morbi generatione. At quomodo quæso, eo tempore mori contingit, in quo mortis indicia nondum apparent.

Iam vero si morbus ex eorum generatione cōsistat, qui sanari nequeunt, nec tamen occidere possunt, contingit duntaxat, principium adesse, veluti si posteaquam morbus creatus est, nunquam augeatur: vel duo, principium, & incrementum, si semper increscat; vel tria, si posteaquā ad vigorē peruenit, in eo perseuerat, vel quatuor quan-

Morborum lethalium tempora quot.

Tempora morborum, qui nec sanari nec occidere possunt, quot.

quando s. declinare incipit: sed perfecte non soluitur: vel quod morbus reliquias quasdam insuperabiles reliquerit, veluti in his, qui morbo Gallico laborarũt, sæpius apparet, vel quod mors preueniat, antequam prorsus curari affectus possit.

Cap. VII.

De numero particularium temporum morborum.

CÆterum particularium temporum morborum numerus pro varia morborum differentia etiam euariat: potest tamen lethalis morbus tot habere huiusmodi partes, quot obtinet, qui salutaris existit. Non enim declinatione particulari, vt vniuersali perpetuo priuatur ille, propterea quod etsi declinat accessio, non tamen minuitur quoque mala ipsa dispositio, & morbi magnitudo. Quo fit, vt in declinatione particulari homo mori possit, à prioribus scilicet temporibus vehementer offensus, adeo vt declinantem etiam accessionem sustinere nequeat. Igitur si continuus morbus extiterit, & accessionem habuerit simplicem & ęqualem, quatuor erunt tempora, principium, inquam, incrementum, status, & declinatio: Principium tamen insensibile in his apparet, quoniam morbus iam adest, & solum augeri putatur. Quod si morbus per inæquales accessiones infestat, vltra prędicta quatuor, inæqualitatis tẽpus additur. Ac cum Gal. quatuor dũtaxat nonnunquam in his ponit, inæqualitatem sub incremento comprehendit, quod postea diuidit in æquale & inæquale. Si vero morbi accessio cõfusa fuerit, vt ipsa, sic illius partes confundũtur. At si morbus nullam habeat accessionẽ, quemadmodum synochæ febres, & alii affectus, qui sine humore infestant, nulla etiam habebit particularia tempora solis vniuersalib. contentus. Iã vero si ex genere intermittentium morbus est, & æqualem accessionem obtinet, quinque erunt accessionis partes, principium, incrementũ, vigor, declinatio, & interuallũ, siue quietis tẽpus. Quod si inæqualis fuerit accessio, post principium addetur, vt superius, inęqualitatis tẽpus inter principium, & incrementum medium. Illud vero superfluum esset hoc loco explicare, quid per æqualem inæqualemve accessionẽ intelligi oporteat, quandoquidem *in lib. de Differ. morborum* iam antea suo loco explicauimus: simplicem autem accessionem intelligimus vnicam, compositam & confusam ex pluribus confectam, atque illã quidem ita capere oportet, quæ vnum morbum sequitur, hanc, quæ duos comitatur: veluti tertianæ cuiuscunque febris accessionem simplicem nuncupamus: Eam autem, quæ ex tertiana, & quotidiana vel alterius generis febris accessione conflatur, compositam confusamque esse dicimus.

Hominem etiam mori in declinatione particulari.

Cap. VIII.

Cur tempora morbi nunc sint æqualia inter se, nunc alia aliis longiora.

VNiuersalium particulariumque temporum morbi causas per se patere puto: siquidem vniuersales causarum morbi motiones illa, hęc vero particulares efficiunt. quinetiam ea, quæ ęquales, inæquales, continuos, intermittentes, ordinatos, ordine carentes, simplices, cõpositos, confusosque morbos pariunt, eadem profecto morbi partes, tum vniuersales, tum particulares huiusmodi reddunt: quo fit, vt hæc vnusquisque facile intelligere possit commemoratione eorum, quæ de causis differentiarum morbi alibi tradidimus, cur vero inter morbi tẽpora quędam aliquãdo breuissima & momentanea etiam sint, alia autem longiora euadant, peculiaris quædam ratio est, de qua quidem vt pauca hoc loco dicamus, operæ pretium esse duco, eoq; magis, quod Gal. de hac re nihil scriptum reliquit: Nam tradit ille quidem, quod sit, nempe principium morbi nũc breuissimum esse, vt in inflãmationibus, nunc longius extendi, idem de incremento, vigore, & remissione morbi, quod etiam experientia ipsa quotidiana docet, commemorat; quæ vero sit huius rei causa, omittit: id quod nos quantum assequi poterimus, præstare enitemur. Itaque principii breuitatis, aut longitudinis causa in facili, aut difficili generatione constituenda esse videtur, & merito quidem: cum.n. illius natura sit, vt in eo morbus gignatur, rationi cõsonum est, vt qui facilius creari possunt, breuius principiũ sortiantur, longius autẽ, qui difficilius. Porro facilitas difficultas que huiusmodi ex vi efficientium causarum nonnunquam petitur: quandoquidem hac ratione vulnera prompte inferuntur & gignuntur, quod ea scilicet, quæ vulnerandi facultatem habent, ea minimo temporis spatio exercere valeant: Contra vero sicci morbi paulatim nascuntur, & non nisi longiore tempore procreantur, nimirum quod illorum causæ hebetem obtusamq; naturam sint sortitæ. Est nonnunquam huius rei causa materia ipsa, ex qua morbi gignuntur: Vnde videmus acutos morbos, qui ex calida, & tenui materia concitantur, vna aut altera accessione, finito principio, ad incrementum properare: sic etiam inflammationes multo promptius, quam scirrhi, & œdemata nascuntur. Confert ad id etiam subiecta materia: quippe cum partes molles, raræ, & laxæ facilius, quam aliæ morbos admittant.

Principii breuitatis & longitudinis causa.

Augmenti vero morbi breuitas, aut longitudo in facili aut difficili mutatione causarum ipsius morbi poni debet; cum enim genitum morbum mutari oporteat, nempe augeri; merito fit, vt qui causam habent, quæ facilius mutari potest, breuius augmentũ, alii vero longius assequantur, qui contrario modo habent: propterea synochæ febres, quæ ex multo sanguine, & vehementi constipatione consistunt, longum obtinent incremẽtum: Nam etsi ex sanguine fiunt, qui facile accẽditur, obstat tamen multitudo, ne facile totus mutetur. Vulnera autem eodem temporis momento & gignuntur, & augentur: quia quæ vulnerant, non solum facere, sed etiam facta vulnera statim augere possunt: atque etiam in lethalib. morbis prompte aduenit incrementum, vbi vires subsunt infirmæ, quæ morbosæ causæ excedentis impetum retardare cohibereque nequeunt. Contra vero longius incrementum euadit, si illæ validiore vi resistant.

Causa breuitatis & longitudinis augmenti.

At status in facili, aut difficili victoria consistere videtur: cum enim maxima, vigente morbo, pugna excitetur, qua absoluta declinatio sequitur, merito fit, vt in illis status morbi breuior sit, in quib. posteaquam ad summum incrementi res

Causa breuitatis & longitudinis status.

peruenit, facile absolui potest; quamobrem videmus quartanarum febrium vigorem longum esse, nimirum quod ex humore huiusmodi febres proueniant, qui postea quam summam etiam caloris nostri, & remediorum vim accepit, diutius eam adhuc postea desideret, antequam plane vinci queat. Acutissimi vero morbi, vtpote qui ex tenui calidaq; materia nascuntur, vbi ad summũ ventum est, vehementer naturam irritant, vehementemq; ob id pugnam excitant, quæ longo temporis interuallo durare nequit. At vulnera vlceraq; longiorem vigorem obtinent: quoniam non prompte eorum natura vinci potest.

Causa breuitatis & longitudinis declinationis.

Cæterum declinatio in facili dissolutione causæ morbosæ aut difficili versatur: Nam cum victoriã, quæ in statu paratur, sequatur dissolutio, quæ declinationis est causa, optima ratione fieri videtur, vt tanto breuior declinatio reddatur, quanto promptius abigi potest morbi causa. Quapropter acutorum morborum remissiones breuissimas esse conspicimus, quoniam humor, qui eos parit, tenuis est, calidus, & acris, & ob id ad expulsionẽ promptissimus. Atque hac ratione Galen. nullam illis morbis, qui per crisim soluuntur, concedit declinationem, non quod reuera non sit, sed ob breuitatem esse non videatur. Quartanas autem videmus longam declinationem habere, propterea s. quod illarum materia crassa, & viscida sit adeo, vt difficile expelli possit, sed paulatim & per vices extrudatur. Sic etiam in vlceribus cauis apparet, quæ cum declinare incipiant, quando carne concauitas repletur, longum omnino temporis interuallum desiderant, nimirum quod non, nisi paulatim caro regigni, & quod deperditum est substantiæ, restitui valeat. Communis est hęc ratio tum vniuersalibus tum singulis morborum partibus: Nam eodem modo contingit totius morbi principium, incrementum, vigorem, & declinationem produci, aut contrahi, quo initia, incrementa, vigores, & declinationes accessionum.

Cap. IX.

Quonam modo morbi tempora, cum adsunt, dignosci possint.

QVę autem sit ratio cognoscendi morborum tempora, cum præsentia sunt, & à quibus eorum signa sumantur, nunc explicandum esse duco. Qua quidem in re paulo maiorem diligentiã in Gal. desideratem: Nam & in hoc plurimum euariat, & quod commune omnibus est, contracta ad paucos morbos tractatione, non docet, etenim *lib. 3. de Crisib.* & in eo, quem inscripsit *de morbi totius Temporib.* non aliter morborum tẽpora, quam ex coctionibus & cruditatib. excrementorum discerni posse scribit, cum tamen *lib. 1. de Crisib.* signa quædam ex symptomatum æqualitate inęqualitateve sumi antea retulisset: Peculiarẽ vero, nec omnib. communẽ esse cognoscẽdi rationem quæ ex cruditate & coctione excrementorum ducitur, certissimum est. Neque enim in omnib. morbis excrementa gignuntur, quæ coctiones cruditatesque ostendere possint: quales sunt, qui ex sola intemperie absque humoris putredine caloreque fiunt: vt frigidi, sicci, humidi, & calidi etiam, præterea omnes alii, qui in instrumentariis partibus consistunt: quorum quidem, vt partes siue tempora quædam sunt, sic rationẽ aliquam desiderant, qua illa percipi ex propriis indiciis valeant. An, quæso, intemperiem siccam aut calidam cruris, an obstructionem in principio esse dicemus, quando cruda est materia? quod plane ridiculum foret Nec illud quidem me latet eos, qui pro authoribus certare consueuerunt, paratos esse vt dicant Galenum de febribus intelligere, cum ex cruditatibus & coctionibus notas sumendas esse censent: sed illi interim non animaduertunt, Galenum conari eam rationem ad vlcera, destillationes, & omnes alios morbos trãsferre: cum alioqui etiam frustra polliceretur inscriptio tractationem de temporibus *morborum*, si de solis febribus postea agendum esset, frustra *in libro de Morbis* multa genera, differentias, & causas omnium explicasset, si eorum partes postea in vno duntaxat genere docere instituisset. Neque vero etiam in morbis illis, in quibus materia aliqua concoquitur, coctiones cruditatesq; morborum tempora perpetuo ostendunt, quod apparet in synochis febribus, quæ vel semper augescunt, vel decrescunt, nec non in morbo laterali, in quo summus adest morbi vigor, dum humor crudus est, non autem cum perficitur concoctio. quo quidẽ indicio statũ definit: Principiũ vero, cũ crudus plane est humor aut certe obscurã coctionẽ accepit; augmentum, cũ euidentẽ ostendit coctionẽ: Declinationem vero cũ ea plane perfecta est & absoluta. Nonne illud quoque absurdũ est, existimare, vlcera in principio esse, quando sanies aquosa & multa gignitur, incrementum, cũ ea coctionẽ aliquam refert? quando quidem minimo temporis spatio vulnera principium, incrementum, & vigorem acceperunt: Nã quomodo alioqui ea augeri dicemus, cum diuisio ipsa non amplius augetur? quod si melior, aut deterior sanies procreatur, non propterea id incrementi ipsius vulneris, sed subiectæ potius temperaturæ est indicium, vt hic etiam, non paruo errore, duos diuersos morbos in vnũ confuderit Galenus, dum putat, se vlceris partes ostẽdere, & interim intemperaturę subiectæ tẽpora forte docet. Ac cum hæc viderent recentiores inter se plane pugnare, ꝙ vehementissimus sæpe sit morbus, dum cruda redduntur excrementa, duplicem statum sunt cõmenti, quorũ vnũ statũ coctionis, siue (vt illi vocant) quo ad coctionem, alterum accidentiũ, siue quo ad accidentia nominant, idq; præter omnẽ rationẽ: Sic .n. oporteret duas esse vigẽtes ętates, duo principia morbi, duo incremẽta, duas declinationes, duas itẽ æqualẽ tenorẽ seruantes causæ morbi motiones. Quomodo pręterea dici potest vigere morbus, cuius accidẽtia sunt remissa? id .n. contingit, cum in pleuritide multa concocta, facileque expuuntur, quo tẽpore morbum vigere cõstituit Galenus sui alioqui oblitus, cum *in primo de Crisibus & alibi* sæpe morbi statum definiat nihil aliud esse, quam quo ad symptomata morbi summum. Ac sane p̃stitisset illos agnoscere Gal. sibi in hac repugnare, nec definitiones seruare, quas de singulis morborum temporibus tradidit; nec veram communemque esse omnibus morbis rationem, quam posuit ex coctionis cruditatisve notis ad morbi partes inter se distinguendas, naturæque rei pugnare, ac variam esse de duplici statu opinionem: quærendum autem esse, quod in hac re commune perpetuum-

tuumq; est omnibus morbis, quodq; rei naturæ consentiret; etsi interim id Galeni placitis aduersaretur. Verum authorum hæc cōtentiosa defensio, & sectarum patrocinium veritatis omne studium iam dudum sustulit. Nos autem, sophistis his contemptis, iam aggrediamur docere viam & rationem; qua morbi tempora generalia, tum etiam particularia dignoscere liceat.

Signa temporum ex quibus fontibus ducantur.

Ducentur profecto signa ex his fontibus, ex quibus reliqua depromi ostēdimus; nempe, à natura rei, ab illius causis, effectibus, & aliorū similitudine. Nam si morbi omnes sensibus essent expositi, prōptissima esset cognoscendi eorū partes ex propria natura ratio. Quis enim est, qui febrē non agnoscat esse in principio, cum calorem, illius scil. essentiam, per vniuersum corpus sparsum percipit eum tenorem, quem statim ab initio accepit, nulla insigni accedente auctione, seruare? eandem vero augeri, cum calor euidenter crescit? sic vigere, cum eandem vehementiam à summo incremento relictam calor retinet: deniq; morbum declinare, cum calor remittitur? Eodem pacto in morbis instrumentariarum partium, cum figura semel à naturali statu euersa fuerit vsq; adeo, vt actionib. euidenter obsit, in principio morbus esse dicetur: Quod si vitium augeatur, in incremento; deinde in vigore; posteaquā redire incipit ad naturalē statum, declinatio constituitur. Item de aliis morbis, qui ex aliis causis in partibus instumentariis, & similaribus consistunt, censendum est: quod enim primo fit vitium, si paulatim ad summum accedat; deinde ad naturalem redeat statum, principium, incrementum, vigorē & declinationem manifeste obtinebit. Si vero paulatim, vsq; adeo tamen, quod est secundum naturā, abierit, vt actionibus incommodet, initium duntaxat habere dicetur: nimirum quod morbus solum genitus sit, non autem creuerit. Quod si breuissimo tempore maximum incrementum suscipiat, & in eo diutius sistatur, momentanea priora tempora habuisse censebitur, statum autem longū: vt in vulneribus cauis contingit, quę vno momento gignuntur, augentur, & vigent, tamdiuq; in vigore persistunt, donec diuisio minor intercedente carne, redditur. Quod si omnia tempora cito pertranseat vitium, vel tardius progrediatur, eodem modo omnes suas partes breues longasve obtinebit. Age igitur, vt exēplis res pateat, quodnam, quæso, in vlceribus, & vulneribus morbi principium constituemus? statuamus enim leuē fieri diuisionem in aliqua parte, adeo, vt actionē non lædat, quonam modo id vocari dicemus? nō quidem morbū, cum actionibus non obsit: Quare nec morbi principium, siquidem morbus est, cum in principio est. Quod si illud omittimus, quod factum est, quodnam aliud principiū morbo statuemus? Esto enim, vt diuisio augeatur, tunc iam in incremento morbus constitutus videtur: an id sine principio est assecutus? non ita profecto: Nam, (vt diximus) non omne augmentum morbosæ dispositionis morbi incrementum cōnstituit, sed id, quod posteaquam morbus genitus est, accedit, alioqui vel nondum morbus est, aut adhuc est in principio: Veluti in vlcere aut vulnere proposito leuis ea prima diuisio, quę functiones nondum impedit, morbi pars nondum est, sed in statu neutro ponenda. Ea autem cum illo, quod accessit adeo, vt actio primum lædatur, principium totius morbi statuendū est: reliquum autem ad augmentū pertinet: quod si grauior ab initio læsio facta fuerit, augeatur autem rursus illa. quicquid accreuit malo, quod insigniter actiones offendere potest, sub incremento comprehenditur, vt maneat id inuiolatum, *morbū scil. esse in principio, nec alias suas partes assecutum, cum eā magnitudinem accepit, qua functiones labefactare potest, & in eo statu absq; insigni incremento permanet; quicquid autem post ea illi adiungitur, donec ad summum peruenerit, ad incrementum pertinet.* Ac contingit quidem, vt momentaneum nunc sit principium, vt in vulneribus accidit: Nunc vero ad plures etiam dies extendatur, quemadmodum apparet in quartanis febribus, quę citra incremētum, eam, quam in prima accessione acceperunt vehementiam, diu seruant. Quæ si quis ita statuat, omnes ambiguitates effugiet, in quas Galenus incidere videtur, dum diuersa ratione in singulis morbis vtitur ad eorum partes distinguendas, & quosdam ponit in principio esse, qui iam plane augentur, quosdam in vigore, qui remittuntur, veluti vlcera, à quibus crassa, & concocta sanies emanat, quæ quidem nō amplius vigent, sed aucta carne arctior redditur diuisio, & iam plane declinant, & ea, quæ aquosam & acrem saniem emittunt, principiū iam excesserunt, & in augmēto constitui debent, quippe cum eo tempore latiora, maioraq; quā prius, vlcera, vulneraq; conspiciantur. Est ergo prima cognitio temporum morborum, quæ ab essentia illorum sumitur.

V. A morborum essentia.

Quod si in omnibus eam oculis intueri, vel sensibus aliis comprehendere possemus, nulla alia regula nullisq; aliis indiciis opus esset: sed quoniam multi occulti sunt, & intus rēconditi, ex effectibus quos edunt, ex suisq; causis notas colligimus, quib. quantū licet certam cognitionē assequamur. Ac ab effectib. quidem non omnib. sed propriis quæque cum natura morbi necessario sunt coniuncta, indicia sumenda. Sunt porro annexa cum omni morbo actionū offensiones; in quibusdā vero præter illas reperiuntur qualitates corporis mutatæ & excremēta: neq; n. in omnib. morbis hæc adsunt, nec oēs partes excremeta gignunt, quæ morbū ostendant. Quis enim quęso, ossium, carnis neruorū, & multarū aliarū partiū morbi tempora ex qualitatib. & excrementis dignoscere conabitur? quando etiam in affectibus earum partiū, quæ excrementa gignunt, & foras emittunt, hæc ratio sæpe nō iuuat: quemadmodū in melācholia morbo, aut mania apparet, in quibus malis nec excrementa, nec qualitates corporis magnū momentum habent ad morbi tēpora dignoscenda, cū nihil, vel parū mutentur à naturali suo statu, & nō multo magis ea in vigore morbi, quā in principio euarient. Actiones aūt ipsæ tū in his, tum in aliis morbis illorum partes optime distinguunt: Nemo enim est, qui non videat, eos, qui incidunt in huiusmodi affectionem, leuius ab initio habere; postea autem deterius agere, quo tempore morbus est in augmento: deinde similes esse certo tempore actionum noxas; cum scilicet morbus viget, donec postea declinat: quod agnoscimus, eo quod actiones meliores, quam prius reddantur: Quamobrem quemadmodum Gal. *primo de Locis affectis* scribit, solas functionū differentias sæpe sufficere ad morborū differentias cognoscēdas, sic sane ad partes illorū distinguēdas

I. Ab effectibus propriis.

A læsione actionum.

& internoscendas, illarum differentiæ per magis & minus sumptæ, vt tempora etiam ipsa per magis & minus differunt, omnibus fiunt communes notæ: alia autem accidentia, quæ ex qualitatibus & excrementis petuntur, in quibus locum habent & percipi possunt, tanquam actionum indicia, notæ fiunt pariter ipsorum temporum morbi: resultant enim in quibusdam morbis ex mutua actione & pugna morbi, & naturæ excre- *Ab excrementis.* menta, quæ qualis sit actio, & in qua parte sui morbus sit, ostendunt. Quod potissimum in morbis ex humore calido & concluso aliquo in loco concitatis contingit. Nam cum humor præter naturam calorem concepit, naturam primo leuiter afficit, parumque læduntur illius functiones, quo tempore morbus in principio est; cum autem subiecta materia calidior reddita est, deteriores omnes functiones euadunt, augeturque morbus; vbi vero vehementem, quem potest concipere calorem, accepit, vehementissime homo torquetur, adestque tunc morbi vigor: Contra vero natiuus calor insitaque singulis partibus alteratrix facultas leuiter in principio resistunt; quoniam leuiter molestantur; vehementius autem in incremento, quia grauius affliguntur: Sic sane in statu vehementissima pugna oritur: propterea quod eo tempore ita inuadit morbus; Ac quoniam natura in humorem agit tanquam in causam morbificam; ab illo auté excrementa, quæ vna commixta erant, secernuntur, ex ipsis excrementis, quid, quantumque egerit natura, colligimus. Itaque quoniam natura mitius agit, cum morbus mitis est: ideo excrementa cruda, id est, quæ nullam impressionem manifesto acceperunt, redduntur: quo tempore, vt diximus, morbus in principio esse creditur; cum autem vehementius vim suam exercet, impressionem aliquam, & alterationem euidentem in materia facit: proinde excrementa, quæ tunc ab humore, qui alteratur, separantur, manifestam actionem ostendentia, morbi incrementum significant. Cum autem vehementissima fit pugna, siquidem superare debet, tunc maxime natura vincit: Vnde excrementa reiiciuntur, quæ perfici victoriam, & vigere morbum ostendunt: alioqui si secutura est mors, euictam naturæ functionem, & robur monstrant. Ita in declinatione euanescit minuiturque morbus, cum calor natiuus perfecte vicit, confecitque lædentem materiam. Contingit autem natiuum calorem vincere, non quod validior in agendo fuerit, nimirum quod eius, qui præter naturam est caloris vis vehementior, & sæpius præualere conspiciatur; quod illius essentia & symptomata ostendunt, sed potius reluctando. Interim enim dum resistit natiuus calor, consumitur materia, in qua qui præter naturam est calor, id est, id, quod incrementi caloris præter naturam erat causa, residebat; quo absumpto, ipsum quoque calorem putredinosum euanescere necesse est. Atque hoc quidem modo à morbi essentia, actionibus, & excrementis signa petuntur ad morbi tempora dignoscenda.

A corporis qualitatibus. Præbent tamen & corporis qualitates nonnunquam etiam in hac re notas, veluti in morbo regio apparet, cuius tempora ex vitio, quod in colore apparet, distinguimus: Nam vbi pallido colore suffundi cutis, & quod in oculo album est, A incipit, principium affectus, vnde huiusmodi color prouenit, putamus: incrementum vero, cum intenditur alienus hic color: viget autem morbus, cum nihil præterea addi videtur: at tunc morbus declinat, cum pallor remittitur, & natiuũ colorem corpus recipere incipit; non tamen ex decremento, incrementoque læsionis, quæ in omnibus qualitatibus corporis apparet, morborum tempora distinguere possumus. Siquidem vigente morbo, gracilitas corporis augetur.

3. Ex morborum causis. Iam vero ex tertio fonte, nempe ex causis ipsis signa haurienda sunt, quod vniuersum genus, vt illud etiam, quod ad essentiam pertinet, miror à Galeno prætermissum, cum tamen euiB dentes huius rei notas præbeat. Nam quæ principium morbi iuuare solent, aut lædere, cum adhibentur, & prosunt, vel obsunt, testantur morbum esse in principio. Eadem est ratio de his, quę crescentibus, vigentibus, declinantibusque morbis exhibentur, quinetiam causæ, quæ morbum gignunt, quando agere incipiunt, illius initium ostendunt: Incrementum vero, quando earum vis augetur: Viget autem, quando ea perseuerat in eodem tenore: inclinat autem, quando de robore causarum aliquid remittitur.

4. Ex similitudine. An non etiam ex similitudine vtilia indicia capiuntur? quandoquidem licet ex similibus morbis, & naturis similia colligere. Nam si ignoC remus, quo tempore morbus sit, cum certa quædam symptomata nascuntur, nouerimus autem in aliis morbum forte in extrema vigoris parte, cum ea apparent, consistere, non temere suspicabimur idem putandum esse in eo, qui præsente morbo laborat. Ac ad omnia quidem tempora dignoscenda, quæ ex similitudine sumuntur indicia, plurimum conferunt: maxime tamen ad minimas quasque illorum portiones deprehendendas faciunt, nullas enim æque certas notas ex aliis sumere possumus, quibus intelligere liceat, in qua parte sit principium, incrementum, vigor, & declinatio, quantumque ea processerint, & à suo fine distent. Cæterum non solum vniuersalia tempora, sed etiam particularia ex his signis ab eisdem fontibus ductis cognoscuntur: siqui-D dem cum essentia, causæ, effectus illorum, & alia similia adsunt, augentur, vigent, minuunturque accessiones, partes ostendunt. Sic profecto an morbus habeat accessionem, vel non; & qualem, an scilicet magnam, vel paruam, longam, vel breuem, anticipantem, vel tardantem, æqualem vel inæqualem, per periodum aut sine ea affligentem, eadem signa testantur. Sunt enim quidam morbi, qui accessiones non habent; alii, qui eas obtinent vehementes; alii mitiores, alii denique alio modo discrepantes. Eodem pacto inter morborum causas, quædam sunt, quæ accessiones committunt, vt bilis, pituita, humor melancholicus. Alii autem minime, veluti sanguis; sic effectus reperiuntur, qui accessionem E indicant, vt rigor in febribus, quæ (ne omnia prosequi velle videamur) vnusquisque facile intelligere poterit, qui morborum omnium naturam, causas, & effectus perspectos habuerit, sine quibus illis futura est præsens tractatio inutilis.

CAP. X.

Qua ratione morbi tempora dignoscas futura, & praeterita.

QVando vero ventura sint morbi tempora tum vniuersalia, tum particularia, citiusne, an tardius nulla certa scientia deprehendi potest. Non inutilis tamen coniectura ex prædictis fontibus ductis signis, ad hæc præsagienda sumetur. Sunt enim inter morbos, (vt ab essentia rei exordiamur,) qui properant, quique suas partes cito assequuntur: in quibus licebit prædicere, quam primum ventura esse, quæ sequuntur tempora: veluti in ardentibus febribus contingit, in B quibus tum vigor, tum reliquæ partes, aut pari velocitate, aut certe non magno discrimine veniunt: contraria ratio est in morbis longis, vt docet quartana, cuius tempora præsentia longissime protrahuntur, & quæ succedunt, tardius subsequuntur.

Idem ostendunt morbi causæ: Nam bilis vt breues morbos committit, sic quæ postea sequuntur morbi partes, cito venturas prænunciat; contrarium monstrant humor melancholicus, & pituita.

Cæterum ex morbi effectibus hoc modo illius partes præsentiemus, siquidem vehementia accidentia, quæ morbi initio apparent, & vehementes, multumque anticipantes, & in longum C spatium productæ accessiones, vt breuem morbum, sic quamprimum illius tempora ventura præsagiunt.

Quinetiam quæ in excrementis apparent alterationes idem significant. Nam si in primis diebus ea coctionem ostendent, sperare licet statum proximum esse, atque etiam eorum expulsiones magnæ, paruæ, quæque per commoda aut incommoda loca, & tempestiue, aut aliter fi- A unt, propinqua esse aut longius abesse subsequentia morbi tempora prædicunt.

Anni vero tempora cælique constitutio, corporis status, vitæ conditio, & reliqua, quæ prosecuti sumus, dum breuis & longi morbi notas explicaremus, signa ad hæc præsagienda præbent, quatenus scilicet morborum causas monstrant. *Ex anni temporibus &c.*

Nec illud quidem ignorandum est, ex eisdem signis particularia tempora prænosci: sunt enim ex morbis, qui accessionum initia longiora habent, in quibus earum incrementa & vigores tardius expectare oportet, alii vero, qui contrario modo habent, in quibus contrarium contingit. Testantur idem & causæ; pituita etenim lon- B gius reddit accessionum principium, & incrementum; biliosi vero morbi exacerbatio ad vigorem minimo temporis spatio properat. Sic sane breuiores reddit declinationes & statum, accelerat virtus robusta languentis corporis. Nec desunt ex effectibus morborum indicia, qui per accessionum tempora apparent, leuis namque rigor proximum esse calorem, & incrementum accessionis in febribus significat. Sudor, qui emanare incipit, instantis declinationis est indicium. Cum vero apparent nonnulla symptomata, quæ in aliis didicimus in fine incrementi accessionum emergere, proximum esse vigorem, ex similitudine ductis signis, colligimus. *Signa temporum particularium & eorum dignotio.*

At prætenta esse morbi tempora ex signis, C quæ, quod præsens est, significant, cognoscemus, præteriisse namque principium, si morbum in alia parte consistere ex propriis notis deprehenderimus. Atque hæc quidem satis de morbi temporibus, vniuersalibus, inquam, & particularibus sufficere poterunt his, qui nostro hoc labore adiuti, cætera, si quæ supererunt, adiicere studebunt. *Signa temporum præteritorum.*

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE SIGNIS MEDICIS, LIBER PRIMVS.

Cap. I.

De vtilitate signorum.

NVLLA propemodum est medicinæ pars ea dignior, vtiliorve, quæ de signis agit: Cum enim latentes affectus præsentes per signa dignoscimus, & quæ antecesserunt, tanquam præsentia essent, commemoramus, quæque post longum etiam tempus ventura sunt, prædicimus, diuinam quandam artem ab omnibus profiteri putamur. Vtilis autem est hæc cognitio, tum per se (siquidem vtile philosophari, & res abstrusas dignoscere) tum vero ad omnia Medici officia summopere necessaria. Nam nec ea, quæ secundum naturam in nobis sunt, conseruare, nec quæ naturæ contraria, profligare, vel imminentes morbos præcauere possumus, nisi omnem corporis statum perspectum habuerimus: Ac etiam cum homines, quæ illis eueniunt, nobis præcognita vident, non solum artem nostram extollunt, illiusque professores admirantur, sed etiam (vt inquit Hippocrates) facilius sese illis committunt, ad omniaque remedia sustinenda paratos exhibent. Vulgi præterea infamiam & calumnias, quibus hæc ars nostra, si quæ alia, subiecta est, facile euitabit Medicus, qui in hac parte instructus, omnium dispositionum corporis naturam euentumque prænunciabit. Postremo remediorum authoritatem retinebit, dum illis vtetur in his tantummodo, quibus ea profutura præuidet; in illis vero, quos morituros præsentit, ea non infamat, quæ aliis sunt præsidio, qui sanari possunt. Quo magis profecto mirari licet hanc medicinæ partem, cuius dignitas, vtilitasque tam late patet, à nemine (meo quidem iudicio) pro dignitate hactenus satis excultam & literis mandatam fuisse. Nam Hippocrates fere solum præsagia salutis & mortis, idque in morbis acutis, aliis generibus contemptis, est complexus. Galen. vero omnia etiam non attigit, & si id forte contentiosis concesserim, certa tamen arte non facit, quod quærimus; cum sparsim singula prosequatur, & capita huius rei, quibus docẽdi ratio constat, nusquam doceat: Cum enim hæc tractatio potissimum exigat, vt expendamus, quæ & quot sint signorum genera, differentiæ, qui quotve fontes, à quibus singula signa deriuant; quæ propria sit illorum vis, & vsus, quæ demum ratio ea inueniendi, & recensendi, hæc omnia, vt suis locis ostendemus, vel prætermisit, aut certe non satis explicauit: quod quidem ex eo omnibus constare potest, quod inter eius infini-

A ta propemodum volumina nullum extet opus de signis ab eo compositum. Ac vtinam ex tot tantisque illis libris, quos in Erasistratum, Asclepiadem, aut alium denique quemcunq; nulla nostra vtilitate, prolixissime, & forte etiam diligentius scripsit, aliquot huic tractationi peculiariter dicasset: Sic profecto haberemus artem nostram multo perfectiorem, & ad discendum faciliorem. Quæ quidem dicta velim, non vt eum reprehendam, cui omnia debemus, sed vt interim, dum doceo, quid in eo desit, quid ars nostra in hac re postulet, studiosos illius excitem ad ea perficienda, quæ ab eo optime inchoata fuerunt. Nam quid post eum commemorem recentiores Græcos, vel Arabes, aut nostros de medicina

B scriptores? qui vel ea solum referunt, quæ ab antiquioribus sunt memoriæ prodita, nullo adhibito iudicio, nulla arte, aut in eorum dissidiis componendis perpetuo versantur; contempto artis incremento, cui soli incumbere debent, qui se ad aliquid docendum, vel scribendum conferunt: Ac profecto vt res hæc dignissima vtilissimaque censetur, ita difficultate alias omnes medicinæ partes aut superat, aut æquat. Quid enim quæso difficilius, quam præsentia, præterita, futuraque omnia, quæ corpori nostro accidunt, quod hæc medicinæ pars promittit, dignoscere? cum sæpe ita lateant illa, vt nullo certo indicio deprehendi posse videantur, & tam multa, tamque varia capita ipsa tractatio obtineat, vt etiam

Tractatio de signis difficilior.

C re ipsa perspecta, omnia certa docendi ratione explicare sit difficillimum. Quo magis nobis ignosci à beneuolis lectoribus postulamus, si rei difficultate forte victi in tantis aliis occupationibus, quibus iam aliquot annis ex continuo docendi labore & varia studiorum permutatione premimur, tractationem absoluere, & exacte expolire nequiuerimus. Non enim (vt etiam antea ab initio præfati sumus) ad hæc scribenda nos contulimus, vt nostra omnia putaremus perfecta, sed vel vt studiosos veritatis ad ea, quæ nos post antiquos scriptores colligere, & arte aliqua tractare aggressi sumus, perficienda potius inuitaremus, aut nobis ipsis viam muniremus ad hæc absoluenda, si plus otii aliquan-

D do nacti erimus.

Cap. II.

Quot capita habeat hæc tractatio, & quid sit signum, quove modo hoc loco sumatur.

HAbet hæc tractatio quędam omnibus communia, quædam vero singulis propria: est enim illud commune omnibus signis, quod signa sint, & alicuius generis, & differentiæ, quod ab

Quid omnibus signis commune. Quid proprium.

ab aliquibus sumantur fontibus, quod vim aliquam habeant, quod vsu, vel ordine priora, vel posteriora alia aliis existant, quomodo præterea inuestiganda, enumerandaque sint. Proprium autem illud est, quod quædam præsentia, quædam præterita, quædam futura monstrent. Artis præterea munus est ab initio docere, quorum signa quærantur: Hinc enim quod commune propriumque esse debet, elicitur. Ac de illis quidem, quæ communia sunt toti operi, *hoc primo libro*; de aliis vero postea suo loco agemus: Ac quoniam nonnulla etiam ars præcipit, quæ ad artificis personam efformandam proprie pertinent, ea quoque suis locis inseremus: Illud vero etsi Logica docet, quod scilicet ad definitionem signi pertinet, quid tamen in hac re desideret rudior lector, ac ne etiam aliter hoc nomine vtatur, quam à nobis vsurpetur, ab hoc tractationem auspicabimur.

Signum quid.

Est igitur, vt definit Aristot. id signum, *quod rem aliquam significat*. Vt enim causa dicitur id, quod ad aliquid faciendum confert: definitio, quod alicuius naturam explicat: Indicatio vero id, quod aliquid indicat in vsu materiæ medicæ esse faciendum: Sic, vt diximus, signum est, quod alicuius rei est, significatiuum. Porro siue signa, siue indicia, vel notas, vel alio verbo voces, quod rem occultam declarat, nihil referre velim. Non enim inter hæc nomina eam differentiam agnoscimus, quam Græci ponunt inter σημεῖον, & τεκμήριον, quod scilicet, hoc necessarium sit indicium, illud vero non necessarium existat. Atque illud etiam ignorari nolim, latius à nobis signi nomen sumi, quam ab Arist. capiatur. Ille enim tantummodo ab effectis signa sumi docet. Nos vero quicquid potest aliquid eorum, quæ in corpore nostro fiunt, significare, nomine signi donamus.

Significare quid.

Porro significare est *tacite admonere vnum ex alio*: Fit autem tacita hæc admonitio ex comparatione rei significantis cum significata, simul enim atque facta est huiusmodi comparatio, deprehendit intellectus, quod quærebat, qua ratione ex fumo significari ignem dicimus. Nam cum notum sit effectus à suis causis nasci, non mirum est, si vno cognito aliud protinus animus concipit, id quod est significare, quapropter eadē re vtimur ad significandum, indicandum, & demonstrandum, nam ex causa morbi relata ad ea, quæ facienda sunt in ægrotis, elicitur indicatio, ex eadem confecto syllogismo fit demonstratio ad symptomata morborum probanda; cum autem affectionem aliquam cognoscere volumus absq; expressa ratiocinatione causæ huiusmodi signum fit. Omnia ergo hæc probant ex vno diuersa, prout ad diuersa referuntur.

CAP. III.

Quæ per signa in medicina dignoscere oporteat.

HAbet medicina propria sua instrumenta ad singula dignoscenda, quibus opus habet. Signis autem vtitur ad omnem corporis statum, quæque in eo eueniunt, cognoscenda. Etenim corporis nostri conditio variatur, siquidem nunc secundum naturam est, nunc præter naturam, nunc vero media siue neutra euadit. Aliud præterea in omni statu est, vt causa, aliud vt constitutio ipsa, aliud denique, vt effectus constitutionis, vocaturque (vt antea ostendimus, cum de morbi definitione ageremus) Constitutio secundum naturam sanitas, illius causa, sanitatis causa; effectus, accidentia; constitutio vero præter naturam morbus, illius causa, morbi causa; effectus morbi, symptomata. Sic neutra constitutio, vel non naturalis, neutra causa, neutrique effectus dicuntur, cum peculiaria nomina non habeant, quibus nuncupentur. Quinetiam non solum in omni constitutione, sed etiam in causis; & effectibus ipsius quoddam est, vt perfectū, aliud imperfectum plus, vel minus, vocaturq; sanitas, quæ perfecta est salubritas, vnde corpus, quod ea præditum est, salubre nominatur, quæ vero imperfecta est sanitas, & aliquo modo vitiata, insalubritas, & proinde corpus, cui illa inest, insalubre nūcupatur. At quæ media inter has reperitur, neutra etiam appellatur, ad alterius differentiam, quæ inter sanitatem, & morbum est posita, extremorum tamen additione, vt cum dicimus neutrum inter salubre, & insalubre. Postulat etiam ratio, vt causæ, & effectus compositionis eodem modo diuidantur. Vt enim constitutio quædam est salubris, quædam insalubris, alia neutra, sic profecto causam, effectus, salubres, insalubres, & neutros ponere oportet, nuncupantes nimirum eam causam salubrem, quæ salubritatis; insalubrē, quæ insalubritatis; neutram, quæ neutrius sanitatis est effectrix, aut conseruatrix. Effectus vero salubres, insalubres, & neutros dicemus, qui huiusmodi constitutiones sequuntur, quorum singula rursus in simpliciter & secundum quid talia, & illa in semper, vel vt plurimum talia diuiduntur, quæ scilicet quod summum est in suo genere, aut parū deficit ab eo, quod est perfectum, cōpræhendūt. Hæc itaq; inprimis per signa dignoscere necesse est, an scilicet secundum naturā sit, an præter naturam, vel neutrum, siue mediū, quod est in corpore, si constitutio est, vel cōstitutionis causa, vel illius effectus: præterea an perfectum, vel imperfectum existat vnumquodq; in suo genere. Peculiariter autem quædam alia in singulis cognoscēda. Nam in statu præter naturam non solum morbum, sed illius naturā, genera, differētias omnes, partes, locum, in quo residet, generationis illius rationem, finem, modum, tempus, quo ad finem peruenit, solutionis qualitatem, perspectum habere oportet. In causis eadem fere omnia notantur, quæ in morbis ipsis. Nam quid sit causa, qualis illius natura, quodve genus, cuius differentiæ putetur, quo loco cōtineatur, quove modo morbum gignere, intendere, & fouere, & quando quove modo, & per quem locum expelli valeat, ignorandum nō est. causarum tamen morbi partes, siue tempora non ita dicimus, vt morbi partes, siue tempora. Cæterum in effectibus præter naturam quædam etiam ex illis notare necesse est: etenim quod sit symptoma, & quæ sit illius natura, & cuius generis, & ad quam differentiam pertineat, à quo proueniat, quo loco cōtineatur, quas partes corporis affligat, quo tandem modo abigi, gigniq; valeat, ignorandum non est. Porro in statu secundum naturam, quędam eodem modo, vt in alio, qui præter naturam existit, quædam nullo pacto considerantur, quippe quæ, qualisve sanitas, cuius generis, ad quam differentiam spectet, à quibus causis gignatur, & quos qualesque effectus pariat, quodnam illius priu-

cipium, quis finis, quomodo restitui, & corrumpi possit, comperta habere debet Medicus. At sanitatis, vt morbi partes non expendimus, siquidem in principium, incrementum, statum & declinationem, sanitatem, vt morbum, diuidere nō solemus; eadem de medio siue neutro statu cognoscenda sunt, qualia notauimus in eo, qui secundū naturam existit. At vero quæ prædiximus omnia, non vtcunque, nec vno duntaxat modo Medicū oportet per sua signa consequi, sed cum præsentia sunt, præterita, & futura dignoscere debet. Non enim satis est scire morbum esse præsentem, sed quando venturus sit, aut preterierit. Nec solum sanitatem, quando adest, cognoscere oportet, sed quando post morbū ventura, & quæ qualisve fuerit, antequam morbus hominem corriperet, eadē plane in illorū causis, & effectib. ponere oportet. Quæ. n. & quales sint causæ, quæ morbos nunc gignūt, augent, fouent, quæve antea pepererunt, aut postea committent, aut tollent: quitē, qualesq; sint sanitatis effectus, vel morbi, aut neutrius constitutionis, cum adsunt, antecesserunt, & futuri sunt, scire expedit. Quæ autem peculiariter cognoscere oporteat, de his, quæ præsentia, præterita & futura sunt, suo loco trademus.

CAP. IV.

De generibus, & differentiis signorum.

QVæ, & quot sint signorum genera, tunc patebit, cum ea docebimus, è quibus signa vniuersa ducantur: Quot enim inuenientur, quæ alia ostendere possunt, tot sane signorum genera statuentur. Nunc vero à quibus signorū differentiæ sumantur, & quæ, quotve illæ existant, explicabimus. Quæ, meo quidem iudicio, ab antiquis scriptoribus ita conscripta sunt, vt in his explicandis methodo vsi non videantur. Etenim Galenus, cui omnia sua ars nostra debet, nec omnia signa necessaria complectitur, nec quæ tradit, ex commodis diuisionibus, & certis principiis nascuntur. Omitto, quod sparsim hæc enarrat, quę quidem omnibus constare puto, qui rei euidentiam, & naturam sequuntur: quique in arte perficienda magis, quam in scriptoribus temere defendendis laborant. Ac vt pauca de hac re attingamus illorum gratia, qui veritate perspecta, sectarum patrocinium deserunt, beneq; admonentes sequuntur, Galenus *in arte medicinali*, vbi exactiorem, quam alibi vsquam, de signis tractationem instituere velle videtur, signa diuidit in salubria, insalubria, & neutra: Eaq; vocat salubria, quæ sanitatē, insalubria, quæ morbum, neutra, quæ medium statum inter salubre, & insalubre significant. Qua in re multa desiderari posse videntur; Primum quod non satis generalis sit hęc diuisio. Cum enim signa sint excogitata, vt per ea res significatas cognoscamus, necesse profecto est, signorum differentias, eorum, quæ significantur, differentiis adæquari. Atqui non solum sanitatem, morbum, & neutrū statum, sed illorum etiam causas, effectus, & quæ superius adnotauimus reliqua, per signa deprehendere oportet. Ac cum alibi ille quæ in nobis sunt, diuidat in ea, quę secundū naturā, vel præter naturam, vel media consistunt, cur etiam eodem modo signa non diuidit, quib. illa significantur, ꝙ scilicet quædam sint secundum naturā, alia contra

Diuisiones signorum secundum Galenum.

A naturam, alia demum neutra? Deinde cū corpus salubre apud eū solum significet, quod proba sanitate est præditum, insalubre quod deteriore conditione est affectū, cur est, quod signa salubria ad totū sanitatis genus extendit: insalubria vero ad morbū & appellationē in vtroq; cōfundit? Ratio etenim exigit, vt signum, ꝙ sanitatem significat, sanū quod salubritatē, & non sanitatem, salubre nuncupetur: Insalubre vero insalubritatē, & nō morbum monstrare dicatur. Postremo vt neutrū quendam alium statum inter sanitatem & morbum ponit, sic genus quoddam signorum ab eo ponendum fuerat, quod illius generis esset index. Non enim rationi est consonum, vt cum de neutro inter salubritatem, & insalubritatem eo loco agit, nulla facta illius mentione, B quod alibi inter sanum & ægrum collocat, signa neutra aliter vsurpet, quam, quæ cum neutrum statum, cuius mentio fit, monstrant. Cæterum *in commentario duodecimi Aphorismi libri primi* aliter signa diuidit, nempe in ea, quæ vel assidēt, & ob id assidentia dicuntur: Vel crisim siue iudicium, quod fit in morbis, significant, vnde decretoria, siue iudicatoria signa nuncupantur, vel coctionem aut cruditatem; vel salutē, aut mortem ostendunt, qua quidem diuisione omnino prætermittit, quæ sanitatem, & illius morbique causas, effectus, generationem, solutionemque in morbis & solutionis modum, item quæ morbi tempora, locum affectum, & alia multa ex his C quæ superius commemorauimus, indicāt. Quinetiam certam non seruat in hoc diuidendi rationem. Cum enim primo ex eo, quod significatur signa diuidere cœpisset; cum dicit, quædam esse quæ passionem significant, oportebat sane, & alia signa pariter ab eodem sumere, id quod non facit. Nam assidentia signa his opponuntur, quæ inseparabilia sunt, quasi rem ipsam circumstent, non tamen ipsa necessario cōiuncta reperiuntur, debebatque hoc modo fieri diuisio sumpta à rebus, quæ significantur, signa, inquam, quædam passionem significant, quædam morem, magnitudinem, differentiam morbi, nonnulla crisim, alia coctionem vel cruditatem; quædam salutem, aut mortem prænunciant: & postea illorum na- D tura declaranda erat, nominaque singulis generibus imponenda, quod illa, quæ passionem indicant, vna cum morbo inuadant, & ob id passionē significantia dicantur. Quæ vero magnitudinem, differentiam, & morem morbi monstrant, eo, quod cum natura morbi necessario non sunt coniuncta, sed paulo longius posita, quasi iuxta sedere videantur, assidentia ob id nuncupentur: & sic alia omnia cum percurrere oportebat. Extant vero & aliæ multæ signorum diuisiones apud eundem authorem, de quibus paulo post, cum methodo rem tractare aggrediemur, obiter agemus, vniuersæ tamen quæ apud illum reperiuntur diuisiones, vel solum eam partem, quæ de morbis agit, explicant: aut certe non omnia complectun- E tur, quæ ars nostra in hac re postulat. Id quod nos (quantum licebit) facere iam auspicamur.

Diuisiones eorundem secundum eundem autorem.

Itaque si signum id est, quod rem aliquam significat, merito ex differentiis rerum, quæ aliquid significare possunt, vel significantur, & ex diuersa significandi ratione signorum differentiæ petentur: Significant autem, vt postea ostendemus, quę dam

Differentia signorum ex rebus quas significant.

dam vt causæ, quædam vt rei ipsius natura, alia vt A
illius effectus, alia vt similia aliis. At cum dixeri-
mus tria prima esse genera eorum, quæ cogno-
scere oportet, nempe quæ secundum naturam,
vel præter naturam, aut neutra sunt, primam in
hoc genere, & omnibus communem hanc signo
rum differentiam constituemus, quod *quædam
sint naturalia, quædam præter naturam, alia neutra
siue inter hæc media*, ea intelligentes naturalia, quę
statum, qui secundum naturam est, monstrant;
neutra, quæ neutrum, præter naturam vero, quæ
huiusmodi corporis conditionem indicant, inter
quæ rursus quædam reperiuntur, quæ composi-
tionem ipsam, quædam, quæ compositionis cau-
sas, alia, quæ illius effectus significant. Quorum
quæ compositionis secundum naturam (quę pro B
prio nomine sanitas vocatur) sunt indices, sana vo
cabuntur; quæ vero eam declarant, quæ præter
naturam est, morbusque & ęgritudo nominatur,
nihil prohibet quo minus morbosa, & ægra, ab eo
etiam quod significatur, mutuato nomine, nuncu
pentur. Neutra autem dicantur inter sana & ęgra,
quæ neutram mediamq; inter sanitatem & mor-
bum conditionem ostendunt. At quæ causas &
effectus illorum declarant signa, nullo peculiari
nomine donari possunt, sed additione eius, quod
significatur, exprimuntur, quod scilicet quędam
causam sanitatis, morbi, & neutrius status mani-
festent: Cæterum vt sanitas in salubritatem, insa-
lubritatem, & neutram, mediamque inter eas dis-
positionē diuiditur, sic quædā signa salubria, insa- C
lubria & neutra, q̄ ad ea dignoscēda referātur, po-
nere oportet: Quorum singula rursus in simpli-
citer, & secundum quid talia, & illa in semper, si-
ue in summo, & prorsus talia, vel vt plurimum,
siue à summo aliquantulum distantia, distinguen
da, quæ scilicet simpliciter, & secundum quid, si-
ue vt nunc, & semper, & vt plurimum salubrem,
& insalubrem, & neutram sanitatem indicant.
Quæ vero causas salubritatis, neutrius sanitatis,
insalubritatis, & illorum effectus, quodque in il-
lis est simpliciter, secundum quid summum, &
quod à summo aliquantulum declinat, signa o-
stendunt, circumlocutione, cum proprio nomi-
ne careant, exprimi debent. Cæterum in statu
præter naturā quæ morbū, eiusq; naturā declarāt D
signa παθογνωμονικὰ, id est, passionē significantia à
Græcis nuncupantur: atque inter illa (vt Gale-
nus testatur *libro primo prorrheticorum*) γνωρίσ-
ματα dicuntur, quæ incipientis affectionis sunt
notæ: Quæ autē alia omnia de morbis dicta ostē-
dunt, ἐπιφαινόμενα, id est, mox apparentia, siue
superuenientia signa forte vocari possunt: op-
ponuntur enim his, quæ morbi naturam patefa-
ciunt, eo, quod illa semper cum morbo sint con-
iuncta, ea vero, quæ alia de morbis indicant, nunc
cum eo inuadant, nunc autem postea succedant:
quanquam tamen Galenus nonnunquam tria
duntaxat genera sub mox apparentibus com-
plectitur. At quæ differentiam morbi, magnitu-
dinem, & morem docent signa, συνεδρεύοντα, id est E
circumstantia, & à nostris interpretibus assiden-
tia dicuntur, quod morbi naturam veluti cir-
cunistent, non autem penitus coniuncta sint,
& inseparabilia, quemadmodum illa, quæ passio-
nem significant, quæ vna cum morbo inuadunt,
& desinunt: hæc autem aliquando cum morbo,
nonnunquam post genitum morbum, aliquan-

Salubritatis & signorum eiusdem diuisio.

Signa pathognomonica. γνωρίσματα

ἐπιφαινόμενα.

do etiam nunquam conspiciantur. Quæ vero
morbi tempora declarant signa sumpta ex mate-
riæ coctione, & cruditate in morbis scilicet, in
quibus locum habent, cruditatis coctionisque iu-
dicia nuncupantur. Nam quæ cruditatem osten-
dunt, principium morbi significant; quæ mani-
festam coctionem incrementum; quæ perfici
coctionem, statum; quæ perfectam, declinatio-
nem monstrant: Alia autem signa, quibus mor-
borum tempora in iisdem morbis, in quibus co-
ctiones, & cruditates excrementorum non fi-
unt, à naturæ ipsius morbis & symptomatibus
ducta, non aliter nuncupantur, quam signa, quæ
morbi temporum indicia sunt: quemadmodum
etiam, quæ morbi genera, locum, in quo morbus
residet, generationis illius rationem, tempus,
quo morbus soluitur, solutionis qualitatem, lo-
cum per quem expellitur, illius denique causas, &
effectus produnt, proprio nomine ab antiquis
non sunt donata, paucis admodum exceptis:
Nam quæ subitam in morbis mutationem per
excretionem, aut abscessum naturæ vi factam,
quam crisim vocant, testantur, signa critica, siue
indicatoria appellantur: quæ alio modo factam
solutionem monstrant, peculiari nomine carent,
quæ mortem lethalia, quæ salutem salutaria pro-
prie vocantur. Cæterum signa, quæ demon-
strant, quæ præsentia sunt, διαγνωστικὰ, id est, de-
monstratiua, quæ vero prænunciant futura,
προγνωστικὰ, id est, præcognitiones, prædictiones,
præsagia, vel præsensiones à nobis commode vo-
cantur. Quæ vero commemorant præterita ἀνα-
μνηστικὰ, id est, memoratiua signa vocantur, etsi
prædictionum nomen, teste Galeno *in Arte me-
dicinali*, significare potest tria hæc genera signo-
rum. Prædicere enim (vt diximus) idem est, quod
præcognoscere, vnde cum ea, quę præsentia sunt,
vel præterita, vel futura, quibusdam signis præco
gnoscemus, quasi videantur, antequam sint pate-
facta, ea præsentire, præsagireque dicimur. Diui-
di autem rursus hæc possunt, quod quædam scili-
cet præsentia solum, alia præterita, alia futura:
quædam præsentia & præterita, quædam præsen-
tia & futura, quædam futura & præterita, alia ve-
ro omnia etiam significare valeant, præsentia, in-
quam, pręterita, & futura. Atq; hactenus quidem
eam diuisionem, quæ à summis rerum generibus
quæ significantur, incipit, vsque ad infimas speci-
es prosecuti sumus, quod à Galeno factum opta-
rem, qui singulas separatim, nulla adhibita con-
nexione, nec summis generibus enumeratis, di-
uisiones facit, cū tamen ille alios vbiq; reprehen-
dat, qui à primis generibus diuisiones non exor-
diuntur, diuidereque desinunt, antequam ad in-
fimas species sit peruentum, & optime quidem,
nam ignoratis summis generibus, progredi non
possumus, cum lateat, quid à quoque proueniet:
quid caput sit, vbi vero infimas differentias non
assequimur, quid mediū sit, quidve finis, & quot
tandem ex ipsis generibus nascantur, perspici ne-
quit.

Signa critica.

διαγνωστικά

προγνωστικά

ἀναμνηστικά

Sumi possunt non inutiles aliæ à rebus signifi-
catis signorum diuisiones, quę in superiores spar-
gi possunt. Veluti cum dicimus, quædam esse bo-
na signa, quæ bonum aliquid præsens, præteritū,
aut futurum monstrent, quædam mala, nonnul-
la indifferentia; Ac rursus inter bona, quædam
optima, alia minus, quam optima reperiantur, sic

Differentia signorum à rebus significatis.

inter mala quædam pessima, quædam minus mala, nonnulla extreme lethalia, vel quæ præsentem iam mortem ostendunt. Præterea à rebus significatis ea sumitur differentia, quam habet Galenus, cum scribit, quædam signa esse, quæ curationem indicent, quædam conseruationem, quædã restaurationem, alia denique præcautionem. Ab his etiam fontibus ea ducitur, quam habet *primo de Locis affectis*, quæ tamen comprehensa videtur in prima diuisione. Ait autem *eo loco*, signa quædam esse, quæ morbum solum; quædam, quæ affectam partem, aliæ, quæ vtrumque, quædam vero esse, quæ duos affectus, nonnulla, quæ duas partes, alia tandem, quæ causam, & affectum monstrant. Sed ne singula in hac parte prosequamur, liceat vnicuique, quando opus fuerit, signa diuidere, facta ex rebus significatis diuisione.

Differentia à significandi modo.

Iam vero à significandi modo differentia hæc ducitur, cum dicimus, quædam esse, quæ semper idem significant, aut bonum, vt coctionis signa; vel malum, vt quæ malignitatem morbi ostendunt, vel quod indifferens est, vt cubare per febres in latere dextro vel sinistro: alia vero nõ semper idem monstrare, sed vno tempore vnum, alio aliud, qualia sunt decretoria signa, quæ si cocto iam morbo superuenerint, breui vẽturam sanitatem prænunciant; Si vero crudo adhuc morbo apparent, iudicationem non bonam, quæ scilicet ad perniciem tendat, aut in longum tempus morbum trahat, declarant: Pertinet quoque ad hoc caput ea diuisio, cum dicimus, quædam significare, vt cõmunia, quædã vt propria, quędã vt immediata; alia vero vt mediata, nõnulla suapte natura, alia vero aliarũ ratione, & q. quædã ita significent, vt magnam vim in significando habeant, alia vero paruam, aut incertam obtineant: Sumuntur enim hæ omnes differentiæ à significandi modo, & ratione: Nec dubito, alias reperiri posse diuisiones signorum: neque enim hoc loco singula prosequi volumus, sed satis est methodum indicasse, & capita monstrasse, ex quibus vniuersæ diuisiones, & differentiæ duci possint. Omnes enim, quę certa docendi ratione constãt, vel à rebus significantibus, aut significatis, vel à significandi modo deriuare inuenientur; Aliæ autẽ, quæ artificio carent, inter se confusis fontibus ex mixtione alienarum differentiarum resultant, vt antea ostendimus huius generis esse eam diuisionem, qua Gal. *in Aphorismis* vtitur: quæ cum vnusquisque nullo negocio perspicere valeat, ad sequentia properabimus.

CAP. V.

De signorum fontibus, à quibus signa omnia ducuntur.

CVm variæ signorum sint differentiæ, illud sequitur explicandum, vt doceamus, à quibus illæ sumantur, & signa vniuersa ad omnia, quæ cognitu sunt necessaria, ducantur: Qua in re illud inprimis tradendum, quid signum esse, quod ve ad aliud declarandum adferri possit: Deinde an vnum solum vel plura statui debeant, à quibus omnia signa petantur; quod si ea plura sunt, quot nam, & quæ tandem sint, & an in singulis diuersa vel eadem omnibus genera statui valeant. Qua vero ratione antiqui recentioresque scriptores hæc etiam tradiderint, omnibus veritatis studiosis constare puto: quippe cum nullum ex his scopis, meo quidem iudicio, methodo aliqua satis explicatum apud eos inuenire liceat, sed quosdam nec etiam attingant, alios vero empiricorum more nulla seruata docendi ratione, dum singula quæque prosequuntur, explicent. id quod ex multis aliis Galeni locis, tum maxime *ex libro de Morbis vulgaribus* ostendere possumus, vbi vna cum Hippocrate Galenus ea enumerat, à quibus notæ petantur, tum ad morbos ipsos dignoscendos, tum ad illorum finem prædicendum, cum ait, ex natura communi & propria, ex morbo, ęgrotante, oblatis, offerente, cœli statu, habitationis loco, consuetudine, victu, viuendi cõditione, ętate, sermone, taciturnitate, imaginationibus, somnis, vigiliis, insomniis, vellicationibus, frictionibus, lachrymis, accessionibus morborum, deiectionibus, vrinis, sputis, sudore, rigore, frigore, tussi, sternutamento, spiritu, ructu, flatu silente, strepente, sonoro, sanguinis eruptione, hæmorrhoidibus, & cæteris huiusmodi signa sumi, quæ propemodum infinita sunt, nec arte vlla explicantur, nec memoria contineri possunt. Cur enim viuendi conditio, aut consuetudo signa sint morbi, non patet, nisi prius, quid possit esse illius indicium, sit ostensum. Cum præterea vigiliæ, insomnia, imaginationes, vellicationes ad vnum genus referantur, nempe actionem læsam: deiectiones vero, vrinæ, sputa, sudores, ad aliud, nempe ad excreta, & quod dixit de somnis, & vigiliis, idem etiam intelligi possit de reliquis animi, & corporis actionibus labefactatis, capita profecto erant explicanda, & generatim ea, à quibus signa sumuntur, ante oculos ponenda, sic enim intelligemus, à quo fonte singula deriuent, & quæ prætermittuntur eiusdem generis, ob infinitam singularum rerum multitudinem, in genere comprehensa intelliguntur. Hinc illud profecto euenit, quod infinita propemodum signa in vnaquaque re authores enumerent, & à diuersis principiis perpetuo auspicentur, desinãtque in eo, quod ignoramus, an vltimum sit, an aliud post se relinquat. Hac etiam ratione fit, vt authores in singulis morbis de numero signorum inter se dissentiant, cum vnus plura, quam alius ponat, nimirum quod arte non vtantur, quæ iustum numerum semper in omnibus assequitur: & deniq; id facit perpetuo nos hæsitare, an omnia signa eius, quod quærimus, sint comprehensa, vel aliquid adhuc ad perfectum numerum deficiat; quæ omnia incommoda effugiet, qui ab initio certa capita veluti fontes sibi proponit, ex quibus postea singula exhaurit. Quod quidem Galen. *in Arte medicinali* facere cœperat, sed nec omnia capita necessaria ponit, cũ multa signa adferat ad singula dignoscenda, q̃ à nullo fonte ab eo proposito emanant, id q. paulo post docebimus. At si quis eadem, quę nos trãdemus, ab eodem authore elici posse dicat, id sponte ei concesserim, qui antiquos omnium rerum authores esse statuit, & omnia perfecta ab illis reperta, & tradita contentiose litigare cupit: Neque enim contendere in hac re velim cum eo, quem omniũ bonorum, quæ nostra habet ars, authorẽ agnosco, sed aliud est aliquid elici posse ab aliquo scriptore, aliud methodo doceri, quod scribitur. Quis enim nescit, rigorem caloremque diffusum per vniuersum

sum corpus febrem indicare? Sed cur id hæc ostẽdant, & à quo signa capiantur, denique quot, quęve possint esse, quæ aliquid significent, solus artifex nouit: & qui hæc tradit, artem docet, siquidẽ ars generali quadam tractatione comprehendit, quæ vulgus non nisi in singulis agnoscit. Quot (quæso) extant Medici, doctoris professorisque titulo tumentes, qui si interrogentur, vnde febrium signa sumantur, ne verbum forte, aut certe inepte vnius mentione facta, & aliis omnibus prætermissis fontibus respondebunt; cum tamẽ hoc contempto, quod commune est, frustra singula quæ nunquam perfecte enumerari possunt, docere tentabunt. At qui artem tenet, statim adferre poterit, vnde non solum febrium, sed aliarum omnium rerũ notæ petantur, & si alicuius rei indicia ab antiquis authoribus conscripta forte non fuerint, ea per se inuenire, & si quid redundet apud eos, vel deficiat, statim consultis fontibus deprehendere poterit. Ex quo quidem patere omnibus puto, quanta sit methodi vis, quantumque referat hoc modo, vel aliorum authoritate & opinione artes docere. Sed iam ad rem redeamus, & quod proposuimus, explicare aggrediamur.

Tria signorũ genera vnde sumantur.

Itaque cum essentia & natura cuiusque rei quocunque modo percepta, non solum qualis res ipsa sit, sed etiam multa alia, quæ ad rem ipsam pertinent, ostendat; primum genus signorum *à natura rei*, de qua agitur, merito sumi dicemus. At cum rerum effectus rem mostrent, à qua illi nascuntur, secundum genus *ab effectibus* accipi statuamus. Cum autem causæ rei in cognitionem eius, quod efficiunt, cuiusque causæ sunt, nos ducant, tertium genus *à causis ipsius rei* petetur. Quãobrem tria erunt præcipua rerum genera, quæ nos in eius, quod quærimus, cognitionem perducere valent. Rei, inquam, natura, causæ, & effectus. Intelligo autẽ nomine naturæ rei illius formam, genera, differentias, partes, & proprietates, causę autem nomine omnia causarum genera, de quibus antea egimus: Effectuum autem non idem numerus, nec eadem in omnibus ratio: Quãdo etiam in morbis solis hi euariant, siquidem nonnulli ex illis duntaxat actiones lędunt, alii vero qualitates corporis, & excrementa præterea mutant: & merito quidem ab his signa ducuntur: Nam quod vere significare aliquid de aliquo potest, aut aliquid est de re ipsa, illiusque natura, aut in eam agere; aliquidque conferre ei potest, vel ab ea profectum: Sunt porro de re ipsa propria illius essentia, & forma, genera, differentiæ, partes, & proprietates: Agunt conferuntque causæ: effectus vero à re proficiscuntur, inter quos, si velis, proprietates repones: Nos tamen, contempta nimia logicorum subtilitate, nullo errore in hac nostra tractatione signa à proprietate petita, inter ea enumerabimus, quæ ab ipsa essentia deriuare dicentur. Est & aliud constituendum caput, quod signa complectitur, quę ex similibus, & omnino à proportione capiuntur, de quo etiam suo loco agemus: Nam etsi ad omnia, vt illa priora, hoc caput non diffunditur, in quibus tamen locum habet, signa præbet non parui momenti. Nunc vero illud ostendamus, quod proposuimus, hæc capita a Galeno non fuisse posita omnia: sparsim tamen eum ab omnibus his signa deducere. Itaque *lib. 1. Artis medicinalis*, posteaquam signa diuisit, & corpora, docet, à quibus signa sumantur, quibus omnes corporum dispositiones dignoscere liceat: quod scilicet ab his capiantur, quæ secundum essentiæ rationem corporibus insunt, nec non ab his, quæ ex necessitate ea consequuntur: nempe ab ipsis functionibus, quę à corporibus eduntur. Omittit enim (vt satis patet) vniuersum genus, quod à causis rei petendũ esse diximus, tum illud, quod à similitudine, & proportione signa sua præbet: Præterea non satis docet, quid essentiæ nomine intelligi velit, cũ tamen plurimum referat, hæc diligenter explicare. Etenim nonnulla ex his, quæ secundum essentiam rebus inesse diximus, nonnunquam sua exhibent signa, aliis interim nihil conferentibus. At quod sparsim signa ab his quatuor fontibus sumat, facile licet ostendere. Sic enim febres ex caloris qualitate, in qua illarum natura posita est, dignoscendas, & inter se distinguendas esse scribit, quippe cum diariam à putrida vel hectica ex diuerso caloris occursu, & natura potissimũ differre cognoscamus. Sic etiam ex vigilia, insolatione, inedia, obstructione, & cæteris, quæ febres committendi vim habet, acceptis indiciis ex causis, percipimus, cuius generis illæ existant. At etiam ab horrore, rigore, siti, excrementis, & aliis illarum symptomatis, & effectibus signa ducit, tum ad febres ipsas, tum ad causas illarum & euentum prænunciandum. Nonne etiam, quæso ex similitudine & proportione, indicia capit, cum scribit *ad Glauconem, & in libris aliis passim*, nos credere debere, tertianam esse febrem, aut lethalem, vel salutarem morbum, si alii, qui eo tempore morbo laborant, huiusmodi affectu tenentur? Sunt plena his omnes illius libri, nec deficere possunt exempla.

Verum quomodo nos plures fontes constituimus, & multa in vnoquoq; fonte cõprehendimus inter se diuersa; non ab re fore duco, si quibusdam exemplis, quid intelligamus, studioso lectori explicemus. Itaque inter signa, quæ ab essentia sumuntur forma rei sua præbet hoc modo indicia. Vlcus ostendit, non nisi paulatim sanari posse eum, qui laborat, febrẽ agnoscimus tactu, vulnera visu, percepta illorum forma. Ac posteaquã lateralem morbum ex suis accidentibus esse nouimus, ducta ab illius forma prædictione, nunciamus finem ante decimum quintum diem venturam. Siccam intemperiem, quę genus quoddã est morbi, ægre sanari posse, calidam & frigidam promptius, præsagimus. Morbos magnos, vel continuos, vel malignos, (quæ morborum sunt differentiæ,) periculosos iudicamus. Morbum, qui in declinatione est, sine periculo, nec amplius per crisim finiri posse, sumpto à partibus illius indicio, prædicimus. Si lapis cum vrina excernatur, colligimus eum omnino vel in renibus, aut vesica procreatum, quod illæ duntaxat partes vim proprietatemque habeant lapides gignendi.

Signa ab essentia.

A causis vero hoc modo notæ petuntur. diariam minimeque periculosam febrem censemus esse, quam vigilia peperit, malignum morbum indicamus, qui ex atra bile excitatus est, tumorem ex sanguine vel pituita confectum, benignum esse credimus: Veremur mortem, si vulnus est in corde, vel cerebro: Salus expectatur, si caro laborat. Morbos, qui calidis iuuantur, frigidos; contra vero calidos, quibus frigidum opitulatur, agnoscimus: Breues præsagimus fore morbos, si

A causis.

corporis vires validæ subsunt, & vbi sudor expectatur, si tenuis est humor, & cutis laxa & aperta.

Ab effectu. Iam vero effectus sua exhibent eadem ratione indicia. Etenim cum morbo vexari fatemur, quē ineptū ad solita officia obeunda conspicimus, febre vero teneri putamus, cuius vrina ruffū, igneūque colorē refert: lethali vero tabe cōfectū, qui pus pulmonisq; carnē tussiēdo reiicit: malū ei affectū esse hepar colligimus, cui natiuus color in flauum permutatus est. Quomodo vero signa sumātur ex similitudine, & proportione rerum, antea ostendimus.

Illud tamen putare nō oportet, in singulis reb. dignoscendis ab omnib. fontib. signa capi posse. Latet n. aliquando rei essentia: veluti, cū internæ partes inflāmationib. occultis laborant, effectusque ipsi, aut ob paruitatē perspicui nō sūt, aut cū aliis confusi, id, à quo proueniūt, ostendere nequeunt. Quinetiā causæ ipsæ sæpe solā coniecturam gignunt: sæpe vero euidentissimas eius, q; quærimus, notas præbent: nonnunquā id certius, quā alia, facit rei essentia, aliàs ipsi effectus, & genus vnū, quā aliud, euidentiora præbet indicia: q; statim apparebit, cū de omniū illorum vi agemus. In propositis tamen signorū capitibus semper inuenies, quod rem, quā inuestigamus, quantum medicina præstare potest, certo mōstrat. Id quod suo loco singulorū tractatio ostēdet, non propria quidē omnib. quando id nostri non est instituti, sed perinde explicata, vt communium cōtractione peculiaris singulis, quæ Medici cognitionem requirunt, facilis fieri possit: Non enim quid febrem, aut quid inflāmationem, sed quid omnem morbum ostendat, non quid hepar, aut cerebrū affectum, sed quid laborantem partem indicet, non præteritæ febris, aut instantis, sed morbi, qui antecessit, & imminet: non denique, quis finis sit expectandus, vrgente febre, sed quid sperandū metuendūve in omni corporis statu, trademus, ex quib. ea, quæ eiusdem sunt generis, in quibus (cōtempto, q; omnibus commune existit, & in arte scribenda præcipuum) alii fere omnes scriptores occupantur, facile intelligentur ab eo, qui agnoscit, q̄ vim in singulis communia obtineāt. Id sane Aristotelem, & Theophrastū, qui nouerūt, quid docendi scribendiq; ratio postulet, obseruasse videmus; cum quę omnib. communia sunt, & generibus propria, solū docēt, quorū vi reliqua, quę infinitam propemodum tractationē requirunt, si singula prosequi velimus, comprahenduntur.

Cap. VI.

De vi signorum.

Signorum vim non minus, quam causarū Medicū tenere oportet: cum non aliter quæ præsentia sunt, dignoscere, pręterita commemorare, & futura recte prædicere valeat: Neq. n. eadē in omnib. illa est, sed sæpius euariat, vt arte omnino sit opus, quę certa ratione vniuersam horū naturā complectatur. Nā rigor per febres intermittētes febris insultum significat: In continuis vero, qui cū interna inflāmatione cōsistunt, suppurationē fieri declarat: nutrimenti vehemens appetentia nūc pręcessisse morbū, qui corporis substantiam consumpsit, quam natura resarcire appetit; nūc inediā, aut aliquid aliud quod corpus exhausit, cōmemorat: In ardente febre liuidus color in facie, & frigus extremarū partium mortem prenunciantur: in intermittente instare accessionem indicat alui fluxus in febris principio, aut mortē, aut morbi lōgitudinem portēdit: cocta vero morbi causa proximā fore salutem promittit, denique varia signorum facultas, naturaque. Et habet sane res hæc, si quę alia in medicina, nescio an maiorē difficultatem, quā vtilitatē: Nā & per se id difficile est cōsequi, q; quærimus, tū eo maxime, q; antiqui scriptores intactā omnino hanc partem reliquerunt, nec viā aliquā nobis mōstrarunt, quā si nō perficere, saltē aliqua ratione aggredi possemus q; in hac re desideramus. Etenim Hipp. *circa finem lib. 3. suarum Prædictionum* illud solum admonet, vim omnium signorum eum tenere debere, qui salutē aut mortem in morbis recte prædicere studet, aliorum generū, quæ alia ostendūt, nulla mentione facta: Gal. vero omnia genera prætermittit, nec alio loco, nec eo, quo Hipp. de hac re differētem enarrat, docet, in quo vis huiusmodi consistat, quot capita contineat, qua demum ratione eam consequi valeamus: quod tamen ab eo, qui artem methodo condere nititur, prætermittēdū non est. Vt. n. illa admonet perdiscendam esse naturā omniū signorū ab eo, qui hanc partem de Signis pro dignitate excolere velit: Sic etiam rationem, quæ id doceat, promittit, artificesq; admonet ne illius obliuiscātur: Nā quid (quæso) prodest admonuisse, cognoscendā esse signorum omnium vim, si postea, in quo posita illa sit, quomodove comparari possit, non doceamus? Vt. n. Gal. eos reprahendit, qui, cū pollicentur, curandi rationem se tradere illud duntaxat explicant, q; à primis indicationibus ostenditur, quodq; vulgus etiam nouit, morbū scilicet sui ablationem desiderare, nec præterea docēt, quib. remediis, quoque modo cōmode ille propellatur: Sic profecto non satis est, quod illi in hac re scribūt, sed ratio etiam addenda, quæ, quod proposuimus vtilissimū, nos assequi doceat. Qui igitur de vi signorum agere velit, imprimis separare debet ea, quæ significare nequeunt, ab his, quæ id facere possunt, ne vim illis tribuat, quibus nulla adest: Denique vnumquodq; significare, & quid à quo ostendi possit, ignorare non debet. Postremo quomodo singula monstrent signa, explicare oportet.

Tractatio de signis esse admodum difficilem.

Ea quidem significandi vim nō habent, quæ nec in nobis sunt, nec à nobis profecta, nec quicquā in nos agere valent, nec similitudine aliqua proportioneve nobiscum iunguntur, aut dissimilitudine separātur. Non omnia significāt omnia, sed quædā, quæ præsentia sunt, quædā præterita, quędā futura, quędā genus vniuersū, alia vnā solā speciē monstrant, eamq; vel non omnē, nōnulla vero omnem, & solam ostendunt. Quinetiam quę significantur, non ab omnibus, nec ab eisdem signis docentur. Ac ne longius absint exempla, causæ quæ lædunt, eos affectus præsentes monstrant, quos offendunt, dū corpori adhibētur: gracilitas insolita, nullo pręsente morbo, aut morbosa causa, aliquid præcessisse commemorat, quod vim habuit corpus consumendi: Pullus admodū languidi per morbos, futurā mortē prænunciāt: Dolor vehemens & punctorius in latere præsentem inflammationem, & ancipitem euentum portendit: Color liuidus, aut niger, qui lacerata cute à canis morsu in vulnerata parte conspicitur, vulnus præsens, & causam, quæ malum peperit, malignam docet, periculumque simul minatur: Partium insignis imbecillitas morbum signi-

Nulla vim significandi habentia quæ.

Non omnia significare omnia.

Exempla signorum à causis lædentibus.

significat, illius autem causam minime: Excretio atræ bilis morbi causam declarat; quis vero morbus ab ea sit excitatus, non necessario docet: Rigor in febre intermittente causæ, & morbi pariter index est, cum non nisi à bile, & in tertiana excitetur: Quæ febres committunt causæ vt morborum, sic symptomatum, quę necessario sequuntur, sunt indicia; vehemens siquidem febris inflammationem internarum partium, & putredinem calidorum humorum fere sequitur: Sitis non solum bilem exuperantem, sed etiam pituitam salsam ęstuanteḿq; ex sanguinis ebullitione affectus & ventriculi intemperies calidas, & siccas comitatur: Rigor solam bilē per febres intermittentes redundare monstrat: Vulnus in osse ea solum parit sympromata, quæ ex partium diuisione necessario sequuntur; in vena autem inflictū sanguinis etiam fluorem minatur: In costali morbo dolor late fusus partis affectæ est index: Punctorius tū affectum ipsum, tum laborantem partem significat. Velox, & creber pulsus calidum cordis affectum prodit: Decolorata, subtumidaque facies præcessisse vigiliam, aut frigidiorem morbum testatur: Attonitus morbus mortem, eamque cito venturam denunciat: Dolor in articulis, extremisque partibus, vrgente febre, admonet, abscessus illic expectandos esse: Vrina, quæ quarta die in febribus euidentissimas habet coctionis notas, salutem septima promittit: Læsæ præter naturam actiones indicia sunt vniuersi morbosi generis: Dolor vero eos solum morbos repræsentat, qui vehementem vim habent: Calor per vniuersum corpus expansus solas febres comitatur: Dolor pulsatorius solam inflammationem sequitur, at non omnem, quod facit calor: Decubitus in latus affectum, aut oppositum in laterali morbo inflammationis differentias declarat: vehemens autem dolor punctorius non solum inflammationem membranę, sed etiam affectus magnitudinē innuit: Calor vehemens, qui in corpore sentitur, febrem quidem significare potest, & non solum febrem, sed etiam inflammationem, & alios affectus calidos manifestat: Rubedo, quæ maxime circa malas in facie conspicitur, & æstus, qui in toto thoracis sinu cum grauitatis sensu percipitur, solius peripneumonię sunt indicia: veluti vngues adunci solam omnemque tabem sequuntur. Denique quid ostendat, quod præsens est, præteritum, aut futurum, quidve vnum ex his, aut duo, vel omnia, quid constitutionem, illius causas & effectus, quid illorum genera, species, & differentias; quid multis sit commune, quid vni proprium, ab eo ponendū est, qui signorum vim assequi studet. Sic etiam inter ea, quæ significantur, operæpretiū est intelligere, quid ab vnoquoque ostendi valeat. Etenim viciata structura ob conformationem, magnitudinem, numerum, & coniunctionem corruptam, ab excrementis patefieri nequit. At hæc ostendunt, qualia sint vlcera, quales febres, & quæ per tussim reiiciuntur, quales quantiq; sunt thoracis morbi, monstrare valent: At vrinæ, hepatis, renum, vesicæ, & internarum venarum affectus proprie indicant: Alui autem excrementa hepatis, lienis, ventriculi, & intestinorum morbos testantur: aliarum vero partium, aut nullo modo, aut quatenus cum his communicant, affectus produnt; nec ab aliis excrementis hi aut illi significari possunt. Sic in aliis eadem est consideratio adhibenda, ne omnia prosequi cogamur. Iam vero illud tradendū est quod ad modum significandi pertinere diximus.

Quid ab vnoquoque valeat ostendi, & quid non.

Hoc vel illo modo significantia.

Quædam. n. ita significant, vt perpetuo id faciant, quædam vero nonnunquam signa esse desinunt. a signatisque rebus seiunguntur: quędā suapte natura, alia materiæ, vel alterius rei ratione sua signa prębent. Sunt quædam, quæ vt propria signa, alia vero vt communia; nonnulla rursus, vt mediata, alia vt immediata, & proxima, aliquid monstrant: vel, vt ad logicam rem hanc redigamus, quædam ita significant, vt conueniant illi soli, & non omni; alia omni, non soli semper; alia omni, non soli aliquando; alia soli & aliquando; alia soli, & semper; alia soli, omni, & aliquando; alia soli, omni, & semper, tot. n. modis aliquid proprii dici potest. Quædam præterea ita significant, vt maximam vim inter alia significandi, nonnulla vero minorem obtineant. Adde quod idem eadem ratione, nunc vero diuersa, plura docet. Ac in omnibus illud etiam ignorandum non est, quando vnumquodque instet, incipiat, quando desinat, quamdiu duret, quando quandiuve augeatur, vigeat & remittatur, quale vnumquodque sit, cum apparet, in quo corporis loco, in quove affectu conspiciatur. Quid præterea aliud præcedere, vel comitari, vel subsequi sit aptum, ex his enim diuersi significandi modi sumuntur. Etenim actio præter naturā læsa, morbi sēper est signum. At rubedo, vbi interna est pars, quæ afficitur, inflammationis indicium esse desinit. Id autem semper facit inflammationis calor. Bilis, quæ tertianam committit, in denso, duroque corpore, rigorem non parit, à febreque seiungitur, quam suapte natura comitatur ob subiecti corporis conditionem. Sic sane quædam in morbis apparent affectis quibusdam partibus, quæ in aliis latēt, & per certa anni tempora, certis diebus, horis, ætatibus, sexu vario, in diuersis præterea regionibus, viuendi conditione varia, & denique in corporibus diuerso modo ob quamcumque causam affectis; quædam videntur in eisdem morbis signa, quæ in aliis non adsunt, aut si adsunt, latent ab aliis obscurata, aut aucta, diminuta, aut alio modo euariantia conspiciuntur. Etenim attonitus morbus suapte natura mortem prænunciat: mediocris febris in senibus, infirmisque corporibus idem portendit, sed ob virium imbecillitatē: Sic vulnus alicui parti inflictum, vbi remedia idonea desunt, aut mortem, aut morbi longitudinem pollicetur: Difficilis respiratio peripneumoniam monstrat, vt commune signum, quod partes thoracis affectas comitatur: Dolor vero, qui ab imis circa dorsum partibus ad pectus consurgit, propria illius est nota: quemadmodum & rubedo circa malas; Eodem modo dolor lateris cōmunis est partibus omnibus illius loci, quæ aptæ natæ sunt dolore tentari: at punctorius proprius est inflammationi ambientis costas membranæ.

Actionem læsam esse semper morbi signum.

Bilis vbi in tertiana non pariat rigorem.

Nec illud quidem ignorandum est, propriorum signorum quædam esse, quæ nullo modo alteri competere possunt, vt dolor pulsatorius inflammationis; alia vero propria fiunt contractione quadam; veluti difficilis respiratio, quæ multos affectus, & partes laborantes consequitur: at ea, in qua recti stare coguntur, qui laborant, affecti pulmonis proprium est indicium: Atque illud etiam contingit, vt quæ communes sunt notæ,

Signorum propriorum differentia.

quidem ex ea colligimus hominem viuere non A posse, si cor vulneratum fuerit, eo autem non affecto, spē superesse de salute. Causæ sine quibus, non necessario quod præsens est, aut præteritum repræsentant, quid autem venturum sit, euidenter denunciant. Partis siquidem debilitas non docet, qualis sit præsens morbus, nec à quibus sit genitus; insanabilem tamen, aut diuturnum affectum prædicit. At iuuantes causæ, quod præsens est, semper monstrant, & quod futurū; quid vero præcesserit, non ita perpetuo euidenter. Calidum etenim affectum esse agnoscimus, qui frigidis iuuatur, ex quo salus continget, si ea plurimum prosint, mors, si nihil. anceps vero euentus expectatur, si parum conferunt: in his vero, qui ab vno solum auxilio iuuari possunt, ex eo colligere licet, quid etiam præcesserit: Hoc enim pa- B
cto si ignoremus, à quo genere serpentis aliquis demorsus fuerit, his adhibitis præsidiis, quę propria sunt vulneratis à vipera, quæ qualisq; fuerit morbi causa, hoc modo deprehendimus. Lædentes vero causæ qualis sit affectus, & quid præcesserit, quidq; futurum, eodem modo declarant; vini namq; potus, qui hominem laborantē offendit, calidum affectum declarat in corpore consistere: at non docet, quæ causa febrem intulerit; id quod faciunt, quæ febricitantibus obsunt, qui ex ira, vel mœrore, aut alia deniq; occasione febrē contraxerunt. Non adsunt semper signa, quę à causis omnibus sumuntur; quoniam nec ipsæ causæ, sed cum adsunt, magnam habent signifi- C
candi vim, & inseparabilia signa præbent.

Quid quod ab effectibus.

Iam vero ex tertio genere signorum, quod ab effectibus sumitur, signa etiam ducuntur ad eadem significanda: etenim actiones læsæ præsente morbo, illius sunt indices: eo vero absente, vel futurum, aut præteritum prænunciant: & illarū differentiæ morborum differentias, causasq; differentes ostendunt: Magna namq; corporis debilitas, magnum etiam morbum, qui præsens est, aut venturus, aut etiam antecessit, testatur. Alia sunt vitia actionum, quæ intemperiem; alia, quæ solutionem continui sequuntur. Ac sane inseparabilia sunt signa, immediata, perpetua, & propria, maximæque virtutis, quæ ab actionibus sumuntur. Excrementa, quæ à corpore exeunt, & D
alia opera, quæ in eo fiunt, vim habēt hæc omnia significandi, quemadmodum etiam, & corporis qualitates, quod clarius esse puto, quam vt exemplis monstrari debeat: At non ad omnia suas notas spargunt excrementa, sed ad eas solum actiones, quæ in alteratione humorū versantur, & ad eas partes, in quibus vel ea gignuntur, vel suscipiuntur. Sic etiam color primo, & per se solum ostendit subiecti humoris naturam; vt sapor, & odor: Postea vero morbos pariter, qui corpus infestant, quidve sit expectandum si quem enim per morbum videamus liuido, aut nigro colore infectum, refrigeratos, & propemodum extinctos in eo humores, & de vita metuendum esse colligimus. In reliquiis vero qualitatibus inueni- E
es etiam quod à variis affectibus proueniat: Nam gracilitas omnes affectus sequitur, quæ extenuandi vim habent, calidos, siccos, frigidos, humidos, & denique qui probam nutritionem fieri vetant, exhauriuntque immoderate, quæ in corpore continetur, substantiam. Atque hæc quidem satis de generali vi signorum, ex quibus studiosus lector ad ea, quæ desiderari possunt in re tam varia excogitanda, inuitari poterit, proposita sibi methodo, quam necessariam in hac re antea censuimus. Nam quid de signis sumptis à similitudine sentiendum sit, patere omnibus puto, quod scilicet in illis duntaxat locum habeant, in quibus similitudo, dissimilitudoque contingit, & quod maximam vim sæpius obtineant, vt postea ostendemus. Reliqua vero cum de signis demonstratiuis, & prognosticis agemus, suo loco peculiariter docebuntur. Ex quibus etiam, quæ hic difficiliora videntur, clariora euadent, & quod in singulis ab vniuersali methodo euariat, apparebit.

Quorum ad excrementa indicia esse possint.

CAP. VII.

Quot, quæve possint esse in vnaquaque re signa.

Videmus ita esse traditas ab antiquis rerum notas, vt nunquam duo reperiantur scriptores, qui inter se de numero signorum conueniant. Quippe cum vnus plura, vel pauciora, eaque diuersa, quam alius referat. Quo fit, vt non solum ignoremus, quod ab illis ducetur, sed etiam perpetuo dubitemus, an hic veriora, quam alius tradat; & omnia indicia eius, quod quęrimus, sit complexus. Quod cum animaduertissent recentiores qui de eadem re agunt, omnia ex omnibus signa colligunt: vt nihil prætermisisse videantur, sed hoc, vt arbitror, non est huius mali remedium: nam vel semper ex tanta librorum multitudine aliquid omittitur, etsi omnia etiam colliguntur, tamen vel superfluo quædam enumerantur, & quæ maxime inter se sunt diuersa, & aliena à re proposita ob inscitiam quorundam authorum inter se coniunguntur. Adde quod nō minus ignoramus, an omnes notas posuerimus, quas res singulæ habere possunt. Non enim propterea, quod multa numerantur, credere possumus, nihil fuisse prætermissum. Quamobrem methodo est opus, qua duce non solum assequemur, quod quærimus, sed etiam perspicere licebit, quam bene vnusquisque in hac re sentiat, siquidem Galeno authore hæc methodi est vis, vt sua optime inueniat, & inuenta confirmet, quæ vero ab aliis perperā sunt excogitata, redarguat, falsaque esse patefaciat. Est porro ea methodus tota in hoc posita, vt prius statuamus, & ante oculos ponamus id, cuius indicia quærimus. Eo enim posito licebit causas omnes, & effectus illius recensere, & quid simile, dissimileve cum aliis habet, quod ad rem faciat, ostendere. Ex quibus signa omnia, vt antea ostendimus, petuntur. Itaque si forte morbi cuiuspiam notas quęramus, statuendum est, quis, qualisve ille sit: Deinde inuestigandum, quot, qualesque possit parere effectus, & quas, quotque obtineat causas, & demum quæ illis aliquando contigerint, qui eodem malo tentari fuerunt. Hinc enim intelligemus, quas notas, & quot omnino morbus habere valeat: sic sane posita morbi causa interna, ex suis effectibus, aliisq, causis ita innotescet, vt statim intelligere Medicum liceat, quæ, & quot ea habeat sui indicia: eodem plane modo ex symptomatis, quæ apparent, statim cognoscemus, qui, quotq; morbi, & quot sint illorum causæ, quæ corpus infestent: sumiturque hæc methodus à Galeno

matum causa est, quod etiam experientia docet, A disśectis corporibus, quæ ex voluulo perierunt. Quinetiam eos, quibus deuoluta sunt intestina in scrotum tandem stercora per os regerere, durante affectu, conspicimus. Itaque duo omnino morbi ex his symptomatis ostenduntur, inflammatio, & alius, qui ex positu partis nascitur: licetque postea ex propriis notis vter sit, facile depræhendere, quibus sine exemplis permoti ex tradita Methodo non solum præsentium, sed etiam præteritarum, & futurarum omnium rerum, quæ in nostro corpore contingunt, indicia quilibet inuenire poterit, qui rerum naturam, causas, effectusq; inuestigare didicerit, & quæ aliis similiter affectis acciderint, non ignorauerit, vt alio præterea non sit illi opus, his vero, qui prædictorum B vim ignorant, omnia hęc inutilia, etiã si prolixissime tradantur, fore existimo. Quare ad reliqua properandum.

In quibus affectibus stercus per vomitum reiiciatur.

Cap. VIII.

Qua ratione oporteat Medicum signa inquirere.

ETsi is, qui prudens est Medicus, facile consequi possit, quæ hoc loco tradere instituimus, tamen vt aliorum imbecillitati consulamus, admonet ars, quæ eorum gratia inuenta est, vt paucis rationem complectamur, qua recte signa omnia inuestigari valeant: In quo quidem opere multos falli videmus, & artis authoritatem labefactare, dum vel longa percunctatione ægrotos C molestant, vt ab eis discant, quæ aliunde sunt petenda, aut etiam de nonnullis eos interrogant, quæ vel quærenda non sunt, aut alio modo quam faciant. Non in omni tempus est hac inuestigatione. Cum enim vel scribimus, aut alios docemus, nulla percunctatione vtimur, cum solum hoc officio versemur, id, quod commune omnibus est, explicantes. At in factitanda medicina, cum quęramus, quæ singulis eueniat, cogimur aliorum ope vti, verum id arte faciendum vt intelligamus, à quibus singula petenda, & quo modo sint inquirenda. Itaq; illud in primis obseruare debet Medicus, ne ab alio requirat, quæ per se cognoscere valet, vel omnibus sunt perspicua, cum alioqui necesse sit, eum aliis omnibus indoctiorem putari. D Quorsum enim laborabit ab alio intelligere ægrotum inquietudine laborare, aut siti torqueri, quem videat continuo membra agitare, & os aqua colluere, potũq; exigere? Quæ vero ad ipsum pertinent Medicum, nulli alteri committet. Quis nam, quæso, eum commendare possit Medicum, qui velit signa, quę vrina, aut excrementa, vel pulsus exhibent, ab alio perdiscere: cũ vulgo, & vere creditum sit, eum solum, qui medica arte sit instructus, ea, quæ in his apparent, probe diiudicare posse. Quo quidem exploditur eorum opinio, qui Medicum spectatorem excrementorum esse volunt, quod hæc ab aliis vilioribus hominibus, qui hæc inspexerint, percipere queat: Igitur quæ propria illi sunt, & per se cognoscere valet, à ne- E mine postulabit, sed illis potius vtetur ad famam gloriamq; comparandam, quemadmodum à Galeno factum videmus, cum agnouit, quæ efferebantur in pelui à cubiculo hepatici, excrementa alui esse, & ex illis quis, qualisve esset affectus, nõ sine magno honore prædixit. Sic etiam ille scribit *primo ad Glauconem* se causam prædicere solere,

Medicũ non esse vt spectet excrementa.

quæ diarias excitauit, neq; eam ab ægroto, aut alio vnquam petere: Alia vero, quæ nõ nisi ab aliis intelligi possunt, si cũ sano agat homine, aut leuiter laborante, ab eo, qui opem requirit, si non ab adstantibus, quantum fieri licet, omnia cognoscere studebit, ne scilicet ægro longiori sermone maiorem inferat molestiam, cui tamen interim exponere debet, se de omnibus, vel multis ab adstantibus edoctum, ne negligẽtior putetur, dum ab eo, qui laborat, historiã præteritorum, & præsentium negligere videtur. Ab eo tamen quædã exiguntur, quæ ab alio percipi nequeunt, sed de his duntaxat sciscitandus est æger, quæ ne cuiquam sunt, nec ab aliis doceri possunt: & interim terrorem, aut molestiam non præbens; vt quid intus sentiat, quales somni fuerint, an iucundi, vel molesti, & quid peculiariter doleat, aut non, & quid potissimum molestet, & quæ similia sunt, quæ latent adstantes: temere autem ab eo, qui periclitetur de vita, agnoscat q; periculum, sciscitabitur, an partes extremas frigidas sentiat, an lumen refugiant oculi; an perperam audiat: temere verendas partes detegi postulabit in muliere, præsertim si ab ea, quod quærit, intelligere possit, aut nõ multum referat exacta rei, quam inuestigamus, cognitio, cum nihil molestius hoc illis esse possit: At vbi res cogat, nõ probem Medicum, qui vt ęgrotanti obsequatur, desinit diligentius, quæ necessaria sunt, inquirere. Modus percunctandi esse debet, vt paulatim, & certo ordine id facias, vbi nullum ex mora periculum imminet, alioqui actutum id etiam faciendum, veluti si quis ab aliquo loco ceciderit, insterq; inflammationis generatio, nisi cito succurratur, statim quid egerit, ex quo loco, quave de causa delapsus sit, in quam partem corporis, in quemve locum, an scilicet in molliorem terram, vel lapides impegerit, & alia huiusmodi statim veluti extorquenda: ex quibus curatio cõmode instituitur. Iubet Galenus *sexto lib. de Morbis vulgaribus* submissa voce agendum esse, vbi ægrotantem alloquimur, & illius statum perdiscere studemus, id quod intellegẽdum puto, vbi grauissimus est affectus, alioqui haudquaquam offendit etiam quæ moderata est vox, continenter interim oratione, non tamẽ assidua, interrogandus æger est, nisi putemus interpellationem gratam, quod ex hominis ingenio dep̄rehendes. Neque enim probare possum eorum ingenium, qui, vt mulierculas delectent adstantes, fabulas inserunt, dum corporis omnem statum inuestigare cœperunt: Id profecto est, quod grauitatem minuit diuinæ huic arti nostræ, & illius professores ob quorundam vitium, qui scurriliter omnia exercent, viliores vulgo reddit. Atque hæc quidem sufficiant. Nam quæ ad Medici personam formandam, & instituendam pertinent, non sunt huius loci, & alibi forte prosequemur.

De quibus nam sit interrogandus æger.

Percunctandi modus.

Cap. IX.

Quæ signa sint in vnaquaque re enumeranda, & à quibus incipiendum.

POrro cum signa quædam sint, quæ res præsentes; quædam, quæ præteritas, alia, quæ futuras significant; Nonnulla item, quæ rem ipsam; alia quæ illius causas, effectus, vel illorũ genera, & differentias monstrant: Præterea cum quæ-

dam etiam à causis, quædam ab essentia, alia ab effectibus; vel similitudine rerum ducatur: Postremo cum nonnulla communia multis existant, vel propria his, de quibus agimus, vel inseparabilia, quædam mediata, vel immediata, & alia alijs maiorem vim habeant, atq; in diuersis partibus corporis eædem notæ sæpius appareant; ratio exigere videtur, vt tradamus, an de omnibus semper agendum sit, vel de aliquibus duntaxat, & quonam modo, à quove genere, dum plura sint recensenda, auspicari oporteat: Quam rem profecto confusam ab omnibus fere scriptoribus videmus: Nam cum sæpe illi sibi proponant cognitionem morbi alicuius, vna etiam, quę illius causas, & differentias monstrant, eodem negotio complectũtur, id quod passim Galenus facit: si enim forte pleuritidis signa quęrat, in sputo varium colorem, crassitiem, tenuitatem, aliasque qualitates annotat, quæ non monstrant esse pleuritidem, sed qualis sit humor, qui eam committit: sic cum dolorem nunc ad præcordia, nunc ad claviculam extendi scribit, pleuritidis differentias, non ipsam indicat. Eodem modo cum illi se alicuius rei signa explicare profiteantur, non tam id faciunt, quam quod docent, quid ostendat rem, quæ abunde excessit, omneque incrementum assumpsit; quẽadmodum qui dicunt, cholericam passionem significari ex pulsus defectu, sudore, membrorum contractione, & reliquis symptomatis, quæ non omnes, sed vehementem duntaxat affectum comitantur. Quo errore etiam Dioscoridem in describendis herbis laborasse conspicimus, dũ nunc nascentes plantas, alias increscentes, aut vigentes, vel consenescentes, aut omnia simul, quæ nunquam reperiri possunt, depingit. At docendi, scribendique ratio postulat, vt quæ statim rem ipsam monstrant, deinde quæ illius mutationes sequuntur, tradamus, cum alioqui multis deficientibus notis, perpetuo dubitare cogamur, an res ea sit vel alia, de qua agimus. Præterea cum proprijs signis singula maxime dignoscantur, ab alijsque distinguantur, nusquam, quæ sint propria morborum indicia, docet, nisi forte cum de febribus agit *in libris de Differentiis febriũ*, id in paucis, & in primis solũ generibus facit, quod profecto erat in omnibus ab eo præstandum, docendumq;, quæ sint pleuritidis, peripneumonię, aliarumque partium inflammationis, singulorumque morborum, qui in singulis partibus consistunt, & seorsum etiam morborum ipsorum non solum inseparabilia, sed etiam propria, & communia indicia. Sequitur sane peripneumoniam, & pleuritidẽ difficilis respiratio, tussis, febris acuta, magnus pulsus, velox, & multa denique alia inter se communia ea obtinent, quæ Medicũ facile decipere possunt: At quæ propria sunt, errores euitant, confusionemq; omnem tollunt, & certam cognitionem reddunt, quam nemo vnquam assequetur, nisi qui quod proprium, commune, separabile, inseparabileque vnicuique est, perspectũ habuerit. Quinetiam primaria signa, & immediata cum remotis eodem ordine sæpe miscet; cum tamen plurimum referat, ea inter se distinxisse. Sic enim agnoscimus, quid aliud pariat, quidve ab alio nascatur, quid necessario enumerandum, quid vero tanquam notum prætermittendum. Nam alioqui si singula recensere velimus, vel nunquam id ob infinitam multitudinem assequemur, vel quiescere interim animus haud poterit, tanquã omnia necessaria sint compræhensa; nec aliquid prætermissum, quod ad rẽ propositam faciat. Quo quidem errore non solũ recentiores scriptores, sed etiam antiqui Medici omnes tenentur. Si enim forte enumerent notas peripneumoniæ, tussim, febrem acutam, efflationem calidam, genarum ruborem, palpebrarum, venarumq, capitis tumorẽ, sitim, soporẽ, linguæ ariditatem, deiectã appetentiam, & alia huiusmodi referunt, quorum quædam ponenda sunt, quæ ab affectu necessario proueniunt peculiariaq; illi existunt, aut saltem intelligi nequeunt, alia vero, quæ in alijs omnino percipiuntur, superfluo recensentur. Nam qui dixit, acutam febrem huiusmodi morbi esse indiciũ, frustra addit sitim, linguæ siccitatem, & cibi fastidiũ; cum febris acuta hæc necessario pariat, illiusq; vi cõpręhendantur: Quod si omnia recensenda sunt, quæ ex omnib. nascuntur symptomata, multorũ morborũ signa in eodem semper repetenda forent, id quod ab omni arte est alienum. Cæterum in enumeratione signorum bifariam peccant illi, primum quod à nullo capite rem exordiantur, sed Empiricorũ more singula enumerent: vnde fit, vt non solum inter se discrepent de numero signorum omnes fere scriptores, sed rem incertam reddant. Cum enim vnum ex illis plura, eaq; diuersa signa, quam alium authorem ponere legimus, ignoramus, cui credendum sit, cum neuter certa ratione, & methodo vtatur, quæ intelligere liceat certiorẽ, perfectioremq; esse eum numerum, quem ab alio diuersum constituit. Hinc illæ profecto contentiones Medicorum, quæ in consultationib. sæpius oriũtur, cum vnus ex Paulo, alius ex Aetio, alius ex Galeno sua signa se collegisse refert, & alium accusat, vel quod nõ omnia ex omnibus collegerit, vel quod eo nitatur scriptore, cuius minor est authoritas, & fides, & interim qui alium accusat, maiore forte repræhensione est dignus, vtpote qui temere multa addat maiorum authoritate confisus, quæ ars ipsa reiicit. Deinde in eo errant, qui de signis scribunt, quod cum singula enumerãt, quæ diuersi sunt generis, inter se miscent. Nam cum quatuor sint fontes omnium signorum, docendi ratio postulat, vt ab vno genere exordiamur; nec desinamus illud vniuersum excutere, nisi aliquid prohibeat, donec inseparabilia, propria, & ea deniq;, quæ sufficiũt, indicia, ab eo duxerimus. *Fontes signorum in vniuersum esse quatuor.* De omnibus signis non esse perpetuo agendum, constat. Quorsum enim, dum solum ea, quæ pręsentia sunt, dignoscere studemus, notas enumerabimus, quæ præteriti, & futuri sunt indices? Quorsum vbi nobis affectus cognitionem proponimus, causarum signa explicabimus? De illis ergo solum agemus, de quibus res proposita cogit: Qui tamen artem scribere aggreditur in singulis rebus, pręsertim in morbis, non solum demõstratiua, sed etiam memoratiua, nonnunquã prognostica, vbi de euentu dubitari potest, tradet. quod miror à Galeno prętermissum, exceptis enim morbis acutis, qui communia habent salutis, & mortis indicia, raro omnino, quem finem expectare oporteat in singulis morbis, docet: tantum abest, vt ea etiam, quæ ostendunt solutionis qualitatem, tempus, morbum, & reliqua, quorũ cognitio summopere est necessaria explicet. Non enim quid præsentem hydropem monstret, tantummo-

tummodo docendum est, sed præterea signa ponenda futuræ aut desperatæ salutis. Non solum, quid anginam monstret, sed etiam quid prænunciet salutē, aut mortem, illorumq; genus, & tempus, & quid ostendat, quæ qualisq; fuerit generationis causa & ratio, est scribendum. Itaque qui artem scribere aggreditur, aut etiam de ægris consultat, non modo demonstratiua, sed etiam memoratiua attingere debet. At vero qui docet, de eo solum genere, quod sibi proponit, agat. Cæterum cū de omni genere agendum est, ab his notis exordiri oportet, quæ res præsentes declarant, propterea quod illa lucem aliis adferāt. Nam præsentium notæ cum ad præterita, & futura referūtur, illorum quoq; signa fiunt; non ita vero in aliis semper contingit. Quoniam autem occurrunt constitutio ipsa, illius causæ, & effectus, & horum omnium genera, & differentiæ, licet vnicuiq; ab vnoquoque incipere, quemadmodum *initio libri secundi de Locis affectis* Gale. ostendit, cum methodum docet inueniendi partem affectam: siquidem symptomata, morbos, illorumq; causas, hæc rursus illa, & mutuo denique sibi lucem adferunt: mihi tamen placet, & melior videtur ratio, vt exordiamur ab affectu ipso, siue constitutione corporis, tanquam ab eo quod inter causam, & effectum medium est; & propius ad vtrumque extremum signa sua porrigere potest. Morbus enim fere semper, quæ sit illius causa, quive effectus prodit. At symptomata, etsi morbum, non tamen illius causam certo ostēdunt, veluti etiam causæ raro, quę & qualia sint symptomata interueniente morbo nata indicant: quippe cum desinat sæpius extremorū vis in medio, hoc vero semper ad illa naturæ suæ vires effundat. Quinetiam cum ipsa constitutio sit, quæ nos primo ad agendum mouet; siquidem causas morborum abigere nitimur, vt bona reddatur corporis cōstitutio; actiones vero ipsę, reliquique effectus hanc sponte sequuntur, merito id ab ea inchoandū esse putabimus. Ac in primis quidē notæ tradendæ, quæ genus ipsum declarant, deinde quæ differentias, & species omnes, nisi cum de peculiari aliquo agendum est. Frustra enim nunc quæ ad vniuersū genus pertinent prosequemur, si modo illud absque hoc intelligi valeat. Cur enim de signis morbi dissereremus, vbi solius febris cognitio petitur? At si quis ignoret, quæ signa sequuntur hepatis obstructionem, obiter interim quæ ipsam obstructionem significent, expendere potest, vt cognitione generis assequatur, quod in specie quærit. Transeundum deinde ad res, causas, illiusque indicia exponenda. Postremo quæ effectus singulos monstrant, si forte per se illi non pateant. Enumerandæ autē non sūt omnes notæ in singulis sed illæ solū quæ propriæ existunt & sufficiunt ad rem dubiā declarandam. Nam vbi pauca præstāt, quod volumus, quid opus est superflua multitudine vti? Quis, quæso, vbi dolor punctorius in latere sentitur, & tussis vrget cum febre acuta, laborabit amplius, vt ostendat, hominem pleuritide correptum? Vbi vero propria non adsunt signa, aut cum aliis confunduntur, omnia recensenda sunt, quæ inseparabilia esse solent, & quæ à re proposita aliquando seiunguntur, omnia denique, quæ in aliis sic affectis visa sunt notare expedit. Sic enim aut statim intelliges, quæ cōmunia sint, & quæ propria relinquantur, & quæ immediata, vel remotiora, quæq; vim maximam habeant ad id significandum, quod proponitur. Hoc pacto Galenus nephritidem à colico dolore distinguit, quæ communia fere omnia inter se indicia ab initio obtinet, procedente autem morbo, quæ propria sunt, clariora euadunt, & cum inseparabilibus coniuncta certam cognitionem reddunt. Porro ab eo genere exordiri nos oportet, quod euidentiores notas præbere potest; & si omnia enumeranda sunt indicia, vniuersum genus percurrendum: At si solum quæramus, quæ propria sint, & quæ rē fere patentē ostendere valeat, his enumeratis, quæ præcipua in eo genere reperiuntur, ad alia transeundū genera, eaq; vt primū pariter excutiēda: nā si cui forte pulsus vix amplius sentiatur, & propemodū abolitæ reliquæ actiones appareant, superfluum est ab essentia rei & à causis, mortis signa colligere: Quod si actiones non sufficiant, adiungendū ex aliquo alio genere indiciū est, & deniq; non plura cumulanda, quam res ipsa postulet ad sui dignotionē. Quæ quidem in re plurimos hallucinari videmus, dum rē, quæ ex vno aut altero signo satis patet, infinita aliorū multitudine ostēdere nituntur, & in obscuris rebus vniuersa genera nō percurrunt; aut si id faciunt, peruerso ordine idem exequuntur, cum scil. enumerationem eorum, quæ ab vno genere nascuntur, à quo auspicati fuerant, intermittunt, vt ad alia transeant, à quibus rursus ad illa redeunt, quorum integram enumerationem nulla ratione antea facere omiserunt. Quoniam vero, vt diximus, eadem genere signa in diuersis partibus sępe conspiciuntur, vt actiones læsæ, qualitates mutatæ, & quæ ab essentia sumuntur, vt in febribus, quæ per vniuersum corpus sparguntur, iubet Hippocrates Medicum hæc primum in facie spectare debere, deinde in aliis partibus; quod quidem perpetuo faciendum non est, si modo ab his auspicādum est, quæ euidentiores notas præbere possunt, vt etiā Galeno placuit *lib. 1. ad Glauconem*, vbi scribit incipiēdum esse à maximis, quæ circa ægrum apparēt: Deinde ab aliis. Sæpe enim lethalis morbus infestat, cum tamen facies salutem ostendat, sæpe salutaris affectus vrget, quem illa exitialem prænunciant: Nam si cerebrus, aut coxa putrefacta sit, aut illatum vulnus in pectus, aut ventrem, vita in summo periculo versatur, cum interim facies nihil fere, quod præter naturam sit, ostendat; vulnerata in aliqua parte ignobili vena, ex qua copiosius sanguis effluxerit, cadauerosa ob inanitionem facies apparet, cum tamen omne periculum iam suppresso sanguine sit sublatum: Ab ea ergo parte auspicandū, & ab illis indiciis, quæ clarius, quod quærimus, ostendere possunt, vt à pulsu, & vrina, si febris affligat, à vulnerata parte, si vulnus infestet, & deniq; ab ea, quæ præ cæteris laborat, aut laborantem repræsentare est apta. Ex iis quidem constat, quid sit signum, quæ illius vtilitas, quæ per signa cognoscenda sint, quæ, quotve illorum genera, & differentię, à quibus hęc omnia sumantur, quę & quanta illorum omnium sit vis, quot præterea possint esse in vnaquaque re indicia, quo modo inquirenda, & recensenda. Quibus ita explicatis, quæ communia sunt vniuerso operi, operæpretium esse duco, vt ad ea, quæ sunt singulis propria, accedamus.

Cum de omni genere signorum est agendum, à quibus de bonorum exordiend.

Cuius signa primo sint quærenda.

A quibus partibus & signis sit auspicandum.

IOAN. ARGENTERII DE SIGNIS DEMONSTRATIVIS, LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

De vtilitate signorum demonstratiuorum, prognosticorum, & memoratiuorum.

QVoniam vero quædam per signa cognoscere oportet solum, cum præsentia sunt; quædam cum præcesserunt, alia, cum sunt futura; nonnulla autem pluribus etiam modis vtile est expendere: cogit ipsa rei tractatio, ne superfluo quædam explicemus, & eadem sæpius repetamus, vt singula eo modo, quo ea dignosci oportet, tradamus. Itaque *hoc lib.* de Signis demonstratiuis agemus rationéq; docebimus, qua ea, quę præsentia sunt in corpore nostro, deprehendere liceat. Postea autem signa explicabimus, quę pręterita; postremo, quæ futura prænunciant. Sic enim puto clariorem fore doctrinam.

Præstat tamen hoc loco imprimis docere vtilitatem, & vsum horum trium generum signorũ: ea siquidem perspecta, illorum tractationem auidius complectemur. Nam cum multa inter se cõmunia illa obtineat, præstat hoc loco semel de omnium vtilitate agere: de qua quidem re Gal. nõnullis aliis locis, potissimum tamen *lib. 1. Predictionum* scribit, vbi statuit, inter ea quædam Medico solum esse vtilia ad honorem, & famam cõparandam, qualia sunt, quæ prętenta commemorant; quædam autem & Medico, & ægroto, cuius generis sunt, quæ futura præsagiunt, verum qua ratione id fiat, non docet: nec meo quidem iudicio vlla diuersitatis ratio huiusmodi reperiri potest. Si enim ea ægrotis vtilia censemus esse, quæ ad eorum sanitatem recuperandam faciunt; cum absque illis naturam affectuum sæpe agnoscere nequeamus (siquidem causa, & effectus, qui præcesserunt, indicant, qualis sit dispositio in corpore derelicta, cuius natura ex præteritorum cõmemoratione perspecta, curationem postea recte præscribit) par sane est, quæ ex illis prouenit vtilitas, ei, quam demonstratiua, & prædictiones præbent. Medico vero hæc omnia æquali modo ad honorem, & famam comparandã conferunt. Ita enim eum admirantur, cum præterita cõmemorat, vt cum pręsentia agnoscit, aut futura prænunciat. Nec minorem quidem laudem consecutus est Galenus, cum ex pulsu mulierem amare deprehendit, quam cum Eudemo tribus quartanis media hyeme laboranti, præter omnium expectationem, salutem promisit, & moriturum cum sudore Theagenem philosophum prædixit, eo, quod solis relaxantibus remediis ad excutiendam in eo hepatis inflammationẽ Medicus Thessalius vteretur: Par illi profecto fuisset laus, si aliquid quod præcessisset, ex arte diuinasset: Ægroto vero æqualis quoq; vtilitas ex singulis generibus prouenit, & non in ægrotis tantum, vt ille fecit, sed in omni alio corporis statu, illorum vtilitatem metiri oportet. Cum enim Medicus præsentem sanitatẽ tueri, & absentem restituere profligatis morbis, & interim hos præcauere cõmodis præsidiis debeat, necesse est, vt ea, quæ præsentia in corpore sunt, aut futura, vel ita antecesserunt, vt suas adhuc reliquerint, quas fecerunt in corpore, impressiones, dignoscantur, variant enim hæc Medici opera: Aliter siquidem eos tractare oportet, qui sani sunt, aliter, qui ægrotant, aliter qui cũ morbo conflictantur, & diuerso etiã modo, qui varie per sanitatem, aut morbum sunt affecti: Quæ omnia demonstratiua signa patefaciunt. Quinetiã vno modo cũ illis agere expedit, quos diu sanos, nulla apparente in corpore morborum occasione fore speramus: alio autem eos, quos in morbum lapsuros prospicimus, atq; etiã in morbis aliter victum, remediaq; instituimus, quando proximus adest illorum vigor: aliter vero, cum longius distat. His præterea, quos morituros præuidemus, remedia vel non adhibemus, vel non certe ea, quæ artẽ infamare possint, nempe generosa: quibus vti non debemus, nisi cum ea ægrotis fore vtilia speramus: *Conferunt ergo prognostica signa ad præcautionem, & curationem morborum, & sanitatis conseruationem. Cæterum cum memoratiua ad causarum & dispositionum corporis, quæ præcesserunt, inuestigationem faciant, ex quibus postea quæ in corpore adsunt, qualia, quantaque sint, ostenduntur, ad eadem profecto, ad quæ alia genera, conferunt.* Aliter enim febres curamus, quas ira cõmisit; aliter, quas intulit tristitia; aliter eos, qui morsu venenatorum animalium, quam qui ferro, vel alio modo vulnerati fuerunt: Diuerso pręterea victu vtimur in illis, qui à morbis nunc primum resurgunt, quam in aliis, qui firmam, confirmatamq; propriam sanitatem sentiunt. Illos enim ita tractamus, ne liberaliore, licentioreq; victu rursus in morbum grauatis viribus prolabantur, & interim adhibito, quod moderatum est, refici valeant. Hos vero libere, & vt consueuerunt, antequam morbo laborarẽt, viuere permittimus. Atq; hæc de vtilitate horum signorum sint dicta, ad quæ referenda sunt, quæ sparsim, nullisq; positis capitibus de hac re à Galeno traduntur. Nam reliquæ vtilitates, quæ singulis generibus sunt communes, *ex primo libro*, vbi generatim de vsu omnium signorum egimus, sumendæ sunt.

Vtilitas signorum prognosticorum, memoratiuorum.

Cap. II.

Quæ dignoscere oporteat præsentia.

MEdicum imprimis per signa cognoscere oportet, quis, qualisve sit corporis status, an secundum naturam, vel illi contrarius, aut inter hos medius, siue neuter: Deinde compositionem ipsam à suis causis, & effectibus distinguere expedit, vt intelligamus, quid compositio sit, quid cõpositionis causa, quid effectus. Ac in singulis postea, quæ, & qualis sit illorum natura, ad quod genus, ad quã differẽtiam pertineat, percipere

pere necesse est; veluti in naturali statu, quid sanitatis rationem obtineat, cuius generis existat, an similarium vel dissimilarium partium, an salubritas, vel insalubritas, item an perfecta, vel imperfecta, aut neutra etiam sit sanitas, differt n. in hoc vna ab alia. Eadem porro in suis causis, & effectibus ponenda, an videlicet sanitatis causę ad similares, vel dissimilares pertineant, an salubritatis, insalubritatis, & neutræ cōstitutionis sint causæ. Eodem modo actiones, qualitates, & alia opera, quæ in corpore fiunt, quæq; prouceniunt à diuersa constitutione partium internoscenda. Hæc eadem in statu præter naturam per sua signa dignoscere operæpretium est, veluti quid sit morbus, morbi causa, vel effectus. deinde cuius generis sit, an intemperies, vel vitiata structura, pterea an magnus, vel paruus, acutus vel tardus, continuus, vel interpolatus, ordinatus, vel inordinatus, æqualis, vel inæqualis, per consensum, & primario genitus, vniuersalis, vel particularis, benignus, vel malignus, simplex vel compositus, legitimus, vel spurius, & deniq; vniuersę illius differētię patefieri debent. Quinetiam morborum partes, siue tempora cum adsunt, ignorare non oportet, veluti nec etiam locum, in quo morbus residet. Causæ morborum perspectæ ita esse debent, vt intelligamus, quæ sint, quæ morbum fouent, augent, minuūt, quæ sit materia morbi, quod sit subiectum, & quo loco etiam contineantur. Quid item causa sine qua morbus consistere nequit aut cū qua in corpore alitur, & perseuerat. Quid præterea hunc, quid alium morbū intendat, aut alio modo mutet, & vt breuiter dicam, vniuersæ causarum differentiæ, quas in morbis considerandas esse diximus, cum adsunt, cognoscere necesse est id quod etiam de morbi effectibus intelligendum esse admoneo. Postremo cum morbi soluuntur, signa tradere oportet, quibus intelligere liceat, an fida, vel infida, facilis, aut difficilis, perfecta, vel imperfecta sit huiusmodi solutio, & si quid præterea aliud est in corpore morbo vexato, cū adest, ignorandum non est, illiusque notæ ob id explicandæ. Nec sufficit morem, magnitudinem, speciem, & motum morbi, vt Gal. *in lib. de Crisib.* dicere solet, perspecta habere, sed vt alia omnia, quæ prædiximus, inter se sunt diuersa, Medicique actiones variant, sic illorum quoque indicia sunt explicanda.

Cap. III.

De vi signorum demonstratiuorum, quoue modo in illorum enumeratione progrediendum.

VT generalis omnium signorum, sic peculiaris quædam demonstratiuorum vis est, & eorum pariter, quę præterita commemorant, aut futura prænunciant. Quemadmodum præterea ordo aliquis erat necessarius in enumeratione primorum generum signorum, sic in singulis generibus cum multa occurrant, ars requiritur, quæ certum initium doceat, à quo ad reliqua commode progrediamur. Ac nunc quidem vim, & ordinem demonstratiuorum paucis cōplectemur, & eadem de aliis suo loco trademus.

Porro non omnia hic quoque omnia significant, sed quædam sunt, quæ in aliquibus nullam vim habent, quædam vero, quæ solum genus, & speciem, eamq; vel non omnem, aut si omnem, non solam: alia vero, quæ solam, & omnem mōstrare possunt, quædam rursus, quæ constitutionem ipsam, non tamen illius causas, nec locum, in quo posita sunt, repræsentant. Modo præterea significandi vt alia inter se differūt, cum quædam semper inseparabilia sint, alia separentur, nonnulla propria, alia communia; & paruam aut maiorem vim alia aliis obtineant; & denique significandi ratione, quam antea descripsimus, inter se discrepant. Etenim vehemens sitis in febribus acuti morbi est indicium. Decubitus vero in alterutrum latus nihil ad id intelligendum confert. Partium imbecillitas genus vniuersum morborum monstrat, illius autem causam minime. Excretio atræ bilis morbi causam nunciat; qui morbus ab ea sit excitatus, nō necessario ostendit: si quidem vlcera, tumores, varii denique morbi ex ea nascuntur. Rigor in intermittente febre causam & morbum pariter declarat. Actio læsa partis affectæ est nota: morbi autem non item. Dolor punctorius eam solum inflāmationem, in qua membranæ patiuntur, docet. Calor vero omnes sequitur, immediatumq; est indicium. Sitis ardētes omnes febres comitatur, sed longius eas sequitur: per vniuersum morbū tussis adest in pleuritide. Dolor vero in latere, properante ad salutem morbo, affligere desinit. Maximam vim ad omnem corporis cōstitutionem significandam habent actiones, in aliquibus color, aliæque qualitates nihil monstrant, in nonnullis vero euidentissimas præbent per cæteris notas. Ac ex omni quidem fonte signa sumūtur ad plura significanda, sed diuerso modo singula declarant, & fere fit, vt genus signi signatæ rei genus ostendat, differentia vero differentiam: id quod si singula genera breuiter excutiamus, omnib. perspicuum fiet. Etenim morbi essentia, quæ in calore est, calidum affectum significat. Caloris vero differentiæ, quis, qualisve sit morbus declarant, quippe febris index calor per vniuersum corpus expansus. At qui acris, & mordax sentitur, putridæ, vehementisq; febris est signū. Declarat, & affectus sine differentia causam, à qua excitatus est, & illius differentia causæ differentiam. Nam calidus morbus materiam subesse calidam mōstrat, qui vehementer calidus est, aut sanguinem, aut bilem testatur esse, quę morbum gignunt. Docet ille eadem ratione symptomatum genus, & differentitiam; febres siquidē pulsus mutant, & pro illarum diuersitate eos diuersos efficiunt; ostendunt pariter & locum affectum: Nam inflāmatio affectus est omnium partium, quæ sanguinem in se recipere possunt: At vehemens, quæq; dolorem infert insignem, ad eas solum partes pertinet, quæ sensu non obscuro sunt præditæ: Cum vero sensu percipitur rei essentia, seipsam illiusq; differentias, differentes cās, & effectus suis differentiis declarat. Tumor etenim, qui extrinsecus apparet, humoris collectionem significat: At calidus tumor inflāmationem, vel erysipelas, aut herpetem repræsentat: Vehemēs autem calor erysipelas potius, quam inflammationem: insignis tumor hanc, & non aliud testatur; qui cutem solam occupat tumor, minimumq; attollitur, herpetis indicium est, quib. sane, an bilis, vel sanguis subsit, qui tumoris est causa, cognoscitur. At ex his putamus

ex fluxione natum tumorem. Quæ autem fluxionis fuerit causa, incertum ex hoc fit: si vero intus latet rei essentia, nihil ea confert ad hęc declaranda. Perdit enim vim suam ob loci rationem. Causæ vero cum apparent; suos effectus repræsentant, qualem enim illæ vim habent, talem his, quæ pariunt, tribuunt, qua ratione redundans bilis calidum esse morbum docet. At illæ conspicuæ non sunt, cum in corporis internis partib. sunt reconditæ. Externæ autem morborũ occasiones, quales sint internæ, quis, qualisve morbus, & qualia symptomata, aperiunt. Hoc pacto agnoscimus febrem ex ira concitatã, diariam esse, & alterius differentiæ, quam sit ea, quæ à vigilia, aut alia causa committitur. Genus causarum lædentium, & iuuantium, genus internarum causarũ affectuumq; corporis, & illarum differentiæ horum differentias pariter manifestant, quippe calidos humores, calidosq; morbos corpus infestare intelligimus, si calida lædũt, iuuant vero frigida. Bilem autem, aut sanguinem subesse, eorumq; morbos vrgere, ex his, quę peculiariter illis prosunt, aut obsunt, depræhendimus. Quæ vero morbis nocent, aut conferunt, dum vigent, status sunt indicia.

Signa ex causis efficientibus.

Ex materia.

Præbet materia, & subiectũ sua signa, suamq; vim ad ea, quæ pręsentia sunt, inuestiganda. Nã si sanguis nocet, non solum calidos, sed et benignos morbos esse, qui corpus afficiunt, putare par est. Cõtra vero accidit, si atra bilis grauis est. affecto corde ex illius natura colligimus, nec vulnus, nec vlcus, aut inflãmationem esse posse, qui infestet morbus: quod scilicet huiusmodi mala pars hęc minimo temporis spatio ferre nequeat, quin mors sequatur: sic etiam mutatis pulsib. ex natura, & officio partis colligimus, cor ipsum esse affectum. Habet ergo vim subiecta materia ostendẽdi, quæ, qualisq; sit causa, qualis affectus, & effectus ipsi, qui corporis constitutionem sequuntur. At actio læsa partem affectam, illiusq; differentię differentes partes significant, siquidẽ respiratio impedita, instrumenta, quæ ad eam edendam sunt destinata, affecta declarat: Quæ vero crebra est, qualis in his apparet, qui modo currere desierunt, laborantis pulmonis est nota: non tamen pars cuius actio est vitiata, semper laborat. Sed aliquando illæ, à quib. hæ vim capiũt, aut quib. seruiunt, aut connectuntur; hoc. n. pacto cõtingit, voce priuari hominem, cum facultas motoria ad vocis instrumẽta illis minime læsis non peruenit, & per affectus pulmonis, aut cordis, thoracis motus variatur, cum interim nihil ipse patiatur, quin etiã laborante hepate nonnunquam respiratio impeditur, nullo affectu interim existente in partib. respirationi seruientibus. In illis vero, quæ insitas suarũ functionum facultates habent, fere semper morbus est, cum actiones illarum lædũtur, & aliæ differentiæ affectuum, causarumq; differentias significãt. Celer. n. frequensque pulsus calidi affectus est indicium. Abolita vero actio magnum omnino morbum subesse testatur: deprauata nunc eundem, vt delirium perpetuũ, quod inflammationis cerebri, aut septi transuersi est indicium; nunc leuiorem, veluti ambulatio inęqualis, & inordinata, quæ ob pedis leuẽ dolorem prouenit. Difficilis respirationis ea differentia, in qua recti spirare coguntur, qui laborant sine febre, obstructionis à multis, crassisq; humoribus pulmonis va-

Ex subiecto.

Ex actione læsa.

sa occupantibus est index. Prębent etiã actiones suorum operum indicia; etenim coctiones, quæ in ventriculo, & hepate male peragũtur, improbæ nutritionis totius corporis, vitiatique caloris sunt testimonia. Illud tamen prætereundũ non est, actiones ipsas, & ab affecta parte constitutioneq; corporis esse inseparabiles, non tamen propterea eas perpetuo in omnib. signa fieri: quippe cum in aliquib. lateant, in quib. vero ad cognitionem conferunt, nũc per se, nũc vero alterius beneficio suã vim ostendũt. Vbi. n. pars interna est, quæ afficitur, & nullum publicũ munus in corpore exercet, nihil cõfert ad aliquid cognoscendum illius functio. Crurisvero actio ipsa omnib. cõspicua suas exhibet notas: at hepatis functionem nemo est, qui videat, verum quæ ex eo viscere prouenĩunt operã, vt humores, color, aliaq; corporis qualitates, testãtur, quales sint illius operationes. Hę vero quales, quantusq; qui adest, affectus produnt. Ex quib sane cõstat actionem oblæsam nõ solum ostendere partẽ affectam, & actionis differentias affectũ ipsum declarare, vt Gal. *in lib. de Locis affectis* sentire videtur, sed etiã affectũ ipsum ex ipsa functione, & diuersas partes affectas ex differentia operationum patefieri.

Cæterum excrementa corporis vim non habent omnes partes affectas, nec omnes affectus ostendendi. Quandoquidem nõ omnes partes excrementa gignunt, quæ quidem in nostrum conspectum veniant, & quæ ea gignunt, non ex omni malo perinde afficiuntur, vt variari quoq; earũ excremẽta necesse sit. Quis. n. septi transuersi morbos, sumptis indiciis ab excremẽtis, dignoscere studeat? excrementa procreat hepar, at partis illius vulnera, aut peruersam figurã, aut ineptam connexionem, nisi accedat simul intemperies, nulla contingit in illis mutatio. Illarum ergo dũtaxat partium vitia monstrant excremẽta, à quibus vel gignũtur, vel suscipiuntur, vel deniq; ad eorũ excretionem à natura sunt constitutæ, cum scilicet affectus in illis contingunt, per quos excremẽta ipsa mutari oportet. Qua ratione quod excernitur per aluum loturę sanguinolentę carnis simile, hepatis vitium ostendit, & excremẽta cum sanguine, & ramentis mixta vlceris intestinorum sunt indicia: Ac non solum quidem partem læsam, sed et genus affectus ex suo genere, & illius differentias ex suis differentiis, & causarum et discrimen monstrant. Cum. n. pręter naturam excrementa sunt affecta, morbi sunt indices: at cum vel pallida, vel nigra, vel crassa, aut tenuia, aut alia demum qualitate prædita apparẽt, qualis adsit morbus, qualisve causa, quæ morbum ipsum vel foueat, vel etiam excitet, produnt: eadem sane ratione opera alia, quæ sequuntur partium officia, cum apparent, præbent perpetuo notas eius dispositionis, quæ causa est actionis, vnde illa proueniunt: Quippe carnis abundantia humidioris hepatis, pinguedinis vero copia frigidioris est signum.

Ex excrementis.

Quarũ partium vitia excrementa monstrent.

Cęterum qualitates corporis non omnia et significare possunt, sed solum eos affectus, quib aliquis subest humor, nec omniũ partium cõditionem, sed earum duntaxat, quę sensibus sunt expositæ, vel humorum generationi, aut excrementorũ expurgationi seruiunt: Nemo. n. ventriculi, aut septi transuersi mala ex colore, aut aliis corporis qualitatibus depræhendere conatur;

Ex qualitatib. corporis.

bitur, propterea scilicet, quod illæ partes in profundo situ corporis sunt collocatæ, nec aliquid ad coloris, vel alterius qualitatis totius corporis mutationem conferant: Nemo ex qualitatibus corporis indicia se capere dicet ad partium figuram, magnitudinem, numerum, & connexionem dignoscendam: Qui vero extrinsecus apparet vitiatus color, nunc hepar, nunc lienem, nimirum pro diuersitate coloris, male habere significabit, quoniam scilicet ab illarum partium morbis huiusmodi color prouenit, siquidem laborante hepate intemperie, excrementosus sanguis gignitur, affecto vero liene, id, quod in eo est alienum ex atra bile, non expurgatur: Ostendit pallidus color, meatum, per quem bilis ad intestina descendit, obstructum, nihil sæpe interim patiente hepate: Cum vero per crises ad cutem regeritur biliosus humor, qui regii morbi speciem præbet color, solius cutis vitium indicat, expurgatis beneque affectis internis partibus: sic etiam rubedo, quæ in parte inflammata apparet, illius duntaxat partis laborantis est signum: idem sit de aliis qualitatibus corporis iudicium, ne singula prosequi cogamur.

Ex rerum similitudine. Licet quoque ex signis sumptis à rerum similitudine, quis, qualisve sit morbus, & illius causa, & vbi sedes affecta percipere: Si enim vigente forte peste ea, quæ prædiximus, ignoremus, dissectis nonnullis corporibus, qui in ea perierunt, cognitisque illorum morbis & causis, & membris, quæ præ cæteris laborarunt, colligemus ex similitudine eos, qui adhuc laborant, pariter vt illos affectos.

Ex significandi modo. Quod vero ad significandi modum attinet, paucis in singulis generibus hoc modo percurremus: Nam essentia, vt diximus, non semper significat cum aliquando percipi nequeat, veluti cum partes internæ tumoribus laborant. Eodem modo color ob loci conditionem, & aliæ qualitates à signatis rebus seiunguntur: Dolor vehemẽs in parte admodũ sensibili leuiores suapte natura affectus, grauiores repræsentat. Tussis per vniuersum morbi decursum pleuritidem comitatur. Dolor vero lateris, & pulsus durities declinante morbo desinunt: Actiones læsæ cõmunia præbent morbis indicia: excrementa vero quibusdam duntaxat propria: Immediata sunt signa læsæ partis functionum vitia: at color non item, sed quia primum actiones labefactatas monstrat. Vbi vero partes externæ laborant, veluti contingit in inflammationibus, immediata est nota, quæ à colore capitur. Cæterum maiorem aliis in vniuersum vim habent ad affectus dignoscendos actiones: At excrementa in aliquibus præualent. Pulsus celeriores calidum affectum, & cor intemperatum eodem modo testantur, inflammationem autem succingentis membranæ, & febrem diuersa ratione, illam siquidem duritie, & tensione, hanc velocitate, & celeritate patefaciunt. Denique cum nunc in aliquibus quędam appareant notæ, quę postęa abeunt, & illorum loco aliæ succedant, & quæ in vno affectu perpetua, in alio vel minimum durent, & quæ in multis nullam vim obtinent, in aliis maximam ostendant. Ac denique cum significandi modus, & ratio in omnibus fere euariet pro diuersitate rerum, quę significantur, nihil præter communem eam rationem,

A quam proposuimus, tradere in hac re possumus, nisi singulorum affectuum, & partium corporis naturam, quod à nostro instituto est alienum, attingere vellemus. Quæ enim eorum genera, & differentias collecta ex omnibus fontibus signa peculiariter ostendant, vt quid sanitatem, quid morbum, quid partem affectam, & horum differentias significet, paulo post explicare aggrediemur, cum paucis docuerimus, à quibus notis inchoandum sit, dum omnia, quæ præsentia sunt, dignoscere cupimus. Itaque cum hæc pars, quæ de signis demonstratiuis agit, rei essentiam, genera, differentias, causas, effectus, locum, in quo hæc fiunt, sibi proponat cognoscenda, ordo aliquis requiritur, quo intel-
B ligamus, quorum notitia prius quærenda sit, quæ vero posterius recensenda. Ac postulat quidem methodus, vt in hac arte tradenda, scribendave primo doceamus signa, quæ rei essentiam declarant; deinde quæ illius genera & differentias; tertio loco quæ causas affectus significant; Postremo quæ locum ipsum, in quo hæc consistunt, patefaciant; Sic enim apparet cognatarum rerum connexus. At cum medendi causa aut aliud agendi in singulis quærimus, penultimo loco de loci affecti notis agendum: Postremo de his, quæ causas affectus monstrant. Effectuum vero ipsorum inutilis consideratio relinquitur, quæ alioqui cum artem tradimus, prætermittenda non est, sed post ipsas causas i-
C doneum locum inueniet: cum vero agendi gratia hæc inuestigamus, pariunt ea sibi lucem, si prædicto modo doceantur. Quæ enim pleuritidis sunt notæ, illius etiam differentias testantur, modo solum variato, vt antea ostendimus, siquidem punctorius in latere dolor inflammationis membranæ succingentis est nota; idem cum magnus est, affectus magnitudinem repræsentat, idem & locum peculiariter affectum indicat. Nam dolor punctorius afficere nequit, nisi membrana præter alias vicinas partes insigniter sit læsa: Sanguinis præterea copiam denunciat; quippe cum à pauco, & frigidiore huiusmodi dolor hebetetur. Quo quidem constat, quæ morbi differentiæ, eadem loci af-
D fecti, causarumque efficientium esse indicia, & quæ ipsum locum læsum produnt, causas etiam morborum simul indicare, non contra aut non nisi generatim: etenim eo cognito, quod membrana, quæ costis subtenditur, laboret, simul etiam nouimus, tenuem vt plurimum oportere esse materiam, quæ inflammationem committat, cum pars densa crassum humorem facile nõ admittat; illud vero necessarium non est, membranam peculiariter affici, si tenuis sit humor morbi causa, nimirum quod possit etiam in musculis magna sui parte contineri paruo ipsius membranæ vitio: Præterea cum in actione primo sese offerant causæ, quæ corpus vitiant, ita progrediendum est, vt illæ postremo loco inue-
E niantur: Quod enim vltimum in resolutione existit, id in actione primum constituere oportet, id quod nunquam commode fiet, si aliunde initium sumamus, & alio ordine progrediamur.

Cap. IV.

Quæ ostendant quis, qualisve sit corporis status.

Age igitur ex prædictis fontibus, quis, qualisque sit corporis status, & conditio, an secundum naturam, vel præter naturam, aut inter hos medius, dignoscere aggrediamur? Id inprimis natura vniuscuiusque docebit: Sic enim temperatum quis hominem sentiat, & decenter conformatum, & singulas illius partes iustam magnitudinem, numerum, coniunctionem, & vnionem obtinere videat, eum statim sanum, & secundum naturam affectum iudicabit, plus vel minus, vt hæc perfectiora, aut deteriora apparebunt: Præter naturam autem intelligetur esse illius status, si contraria adsint: medius & neuter censebitur, si ab extremis æqualiter recedere sentiatur.

Signa ex vniuscuiusque natura.

Ostendunt id etiam causæ, quæ corpus efficiunt, constituunt, iuuant, lædunt. Eos etenim potissimum bene affectos putamus, qui ex parentibus bene affectis sunt procreati, quique temperatos, moderatos, & suo loco contentos humores habent, tum quæ structuram corporis secundum naturam constituunt causæ, cum nec excedunt, nec deficiunt, illud secundum naturã habere declarant. Quinetiam bene affectos putamus, qui à remediis, & medicamentis læduntur, iuuantur autem familiari victu, & alimento. Contra vero præter naturam habent, qui contrario modo à causis iuuantibus, & lædentibus afficiuntur. Ac non solum quidem immediatæ causæ, quæ primo corpus immutant, sed ẽt quæ remotiores sunt, hæc testantur: Si quis enim assumpserit, aut fecerit, aut admouerit, vel excreuerit, aut retinuerit, quę tuentur naturalem corporis cõditionem, secundum naturam eum habere arbitrabimur: Præter naturam autem, si contraria illis contigerint.

Ex causis corpus efficientibus, constituentib. iuuantib. & lædentibus.

Ex remotioribus.

Subiecta vero materia nullum videtur in hac re præbere signum, vt nec etiam peculiaria corporis instrumenta.

At commune instrumentum nõ leuis est nota ad idem significandum. Cum enim natiuus calor bene habet, partiũ temperiem, & illarum structuram recte se habere fere necessarium est.

Ex calore natiuo.

Iam vero à tertio genere, nempe quod ab effectibus sumitur, indicia eadem percipienda hoc modo ducemus: etenim actiones, excrementa, alia opera, & qualitates corporis, cum secundum naturam habent, corporis statum secundum naturam esse demonstrant. At præter naturam affici corpus, si contraria appareant, intelligemus: veluti si actiones sunt abolitę, vel debiles, vel auctæ, vel tristes, aut aliquo modo deprauatæ, & excrementa nullo modo emittantur, vel exeant quidem, sed vel illorum substantia mutata sit, vel qualitates, vel minori quãtitate, aut maiori, quã oportet, vel non eo modo, nec eo tempore, quo debent, nec per naturalem locum & sibi accommodatũ excernuntur: Si quid idem durius, mollius, asperius, læuius, cãdidius, vel alio deniq; colore infectum appareat. Si qui præterea odores fœtidi, aut ingrati sapores, aut soni in corpore sentiuntur, corpus secundum naturam non habere indicant, sed præter naturam toto ipso affecto corpore vel partib. quibusdam, si plurimũ hæc à naturali statu recedant, alioqui si minor recessus

Ex effectib.

A fuerit, in neutro, & medio statu positum putabitur.

Nec desunt in hac re significanda notæ, quæ à similitudine capiuntur: Si n. alium perinde, vt illę, de quo agimus, ita affectum conspexerimus, & secundum, vel præter naturam habere agnoscimus, idem de hoc sentiendum esse iudicamus. Ac ab his quidem fontibus, sed non omnibus, neq; exacte quantũ docendi ratio postulat, Gal. noster *cap. 8. & 58. Artis medicinalis* ad hæc cognoscenda signa sumpsit, cum scribit; *corpora salubria, insalubria, & neutra deprehendi ex his, quæ secundum essentiæ rationem illis insunt, & præterea ex illis, quæ ex necessitate ea sequuntur, nempe accidentib. & corporis functionibus: quæ vero ægrotant corpora, siquidem vitium sensib. patet, ex permutatione eorum, quæ secũdũ naturam illis insunt, quod si sensum effugiat malum, ex læsione actionum, excrementis, doloribus, & tumoribus præter naturam illorum signa peti.*

A similitudine.

Neq; enim solum ab his notæ sumuntur, sed etiam, vt antea ostendimus, à causis ipsis, quę affectus corporis gignunt, iuuant, lædunt, tollunt, materiam præbent, vel alio modo illorum causę dici possunt: quod ipse postea sparsim ductus à nonnullis causis indiciis facit: veluti cum simpliciter insalubria corpora ab aliis distingui refert, quod scilicet à causis morbosis promptissime afficiantur: & cerebri temperaturas cognosci scribit sumptis notis ab his, quæ extrinsecus illi occurr
C sunt, & passim alibi à iuuantib. & lædentib. causis signa petit: Verum non solum ab illis, sed ab aliis omnib. causis eadem sumenda, ac vbi methodus proponitur, & quod cõe omnib. esse debet, docetur, capita omnia ponẽda, ex quib. singulę post ea notæ eliciuntur. Nam cum à duob. duntaxat corporum signa peti debere antea proposuerit, nempe ab essentia, & his, quæ eam consequuntur, necesse est, vt cum alibi lędentium iuuantiũque causarum mentionem fieri videmus, ignoremus, an possint aliqua indicia ab illis capi, nimirum cum ab initio nullum cõstitutum sit caput, sub quo huiusmodi causæ, & quæ ab illis ducun-
D tur signa, contineantur. Atq; id est potissimum, quod in hoc authore damnari potest, quod cum ille eos passim reprehendat, qui methodo nõ vtuntur, & fontes rerum non cõsectantur, sed ex malis positis principiis ratiocinantur, sui statim in omni fere re obliuiscatur; & nihil minus, quã quæ omnib. sunt communia, quærat, sed passim singula tradat, quasi methodus in eo maxime, quod commune est, posita non esset. Illud etiam probari nõ potest, quod *in arte medicinali* inter ea, quæ corporis constitutionem sequuntur, ponat solũ corporis accidentia, & functiones. Nã addenda sunt excrementa, & alia opera, quæ in corpore proueniũt, si modo hæc, vt paulo antea ostẽdimus, euidẽtissimas constitutionis corporis notas exhibẽt. Ab eisdem præterea fontib. quos ante statuerat, cum de signis corporum sanorũ
E ageret, eũ ducere oportebat notas ægrotantium corporum: Id. n. docendi ratio postulat, si modo cõtrariorum eadem sunt genera, eademq; disciplina, pręsertim cũ huiusmodi varietate, qui artẽ scribit, lectorem confundat. Si n. vniuersum genus eorum, quæ habent secundum naturam cognoscitur ex his, quæ illis insunt secundum essentiam, & aliis, quæ essentiam necessario consequuntur.

A causis affectus gignentib. iuuantibus, lædentibus, tollentibus, &c.

Vitia latentia internarum partium ex quib. cognoscantur. Ex quibus morbi externorum.

quuntur, cur pariter ab eisdem notas non perimus eorum, quæ præter naturam sunt affecta? Præterea quæ latent vitia in partibus internis, non solum ex læsione actionum, excrementis, doloribus, & tumoribus deprehenduntur, sed etiam ex causis suis, corporisq; accidentibus, & aliorum similitudine. Eodem pacto externarum partium morbi non solum ex permutatione magnitudinis, coloris, figuræ, numeri, situs, duritiei, & aliarum qualitatum cognoscuntur, sed etiam ex suis causis, & functionibus deprehenduntur. Etenim causæ, quæ febrem aut alium morbum excitarunt, vel lędunt, aut iuuant, non solum corpus ostendũt ægrotare, sed etiam quo morbo laborent, indicant. Eodem pacto flauus color qui in regio morbo affectis conspicitur, morbosum corpus, naturam, & causas etiam monstrat: Cætera, quæ diximus, etiam absque exemplis patent. Postremo duritiem inter ea enumerat, quę sensibus subiiciuntur. Sic profecto tumores præter naturam poni oportebat. Possent & alia quidem in hac re dici, sed hæc satis ostendunt, his, qui veritatem amant, certa methodo non fuisse à Gal. explicata signa corporum sanorum, & ægrotantium, cum multa omittat capita, & ea in singulis variet. Qui vero sectis sunt addicti, etiamsi multo plura, & luce clariora scriberemus, nunquam errorem agnoscent, & perpetuo aliquid habebũt, quo se, suosque authores tueantur, & veritatem ipsam damnent. Verum vt Gal. optime dicere solet, his ne Apollo quidem cum Musis mederi posset. Sed illorum gratia, qui bene sunt affecti, ad alia properemus.

Cap. V.

De notis, quæ sanitatem, illius effectus, & causas ostendunt.

QVemadmodum naturalem statum ab eo, qui præter naturam est, per signa distinximus: sic ea, quę secundum naturam in vnoquoq; reperiuntur inter se seiungere, & ex suis notis dignoscere singula oportet. Igitur sanitatem ipsam ex propria ipsius natura, causis, effectibus, & similitudine deprehendes. Proba etenim tẽperies recta structura similarium, dissimilariumq; partium propria est illarum essentia, & sanitatem illarum prodit: bonæ actiones, quæ à sanitate eduntur, & excrementa secundum naturam, aliaque opera, quæ sanitatem sequuntur, illius sunt indices. Idẽ faciunt causæ, quæ illa efficiunt, conseruant, iuuant, lædunt; cũ enim illæ adsunt, prę sentem adesse sanitatem significant. Ex similitudine præterea, id quod ex superioribus patet, idem colliges. At causas ipsas sanitatis ex eisdem cognosces; pars enim bene figurata, quæ sanitatis causa est, ex sua ipsius natura, cum talis apparet, dignoscitur, tum etiam ex suis effectibus: sunt autem hi, tum ipsa sanitas, tum quæ sanitatem sequuntur omnia. Quamobrem præsente sanitate, & his, quæ à sanitate proueniunt, illius causas præsentes esse dignoscimus. Neque enim partes bene temperatæ esse possunt, & suis functiones, & opera probe obire valent, nisi humores corporis, quæ temperiem faciunt, recte sunt affecti: vnde hæc sibi mutuo lucem præbent; à causis vero signa etiam sumimus ad causas ipsas significandas. Nam cibi optimi hu-

A mores optimos, qui sanitatis sunt authores, gignunt, & genitos ostendunt. Verum cum non omnium sint causæ, sed ab immediatis ad externas duntaxat progredi possimus, vltimæ ad sequentes omnes, & priores ad posteriores compræhendendas notas præbent, quæ vero omnium sunt primæ, & remotissimæ, ex aliis causis amplius non depræhenduntur, sed ex propria natura, effectibus, & ex aliarum causarum similitudine. Quemadmodum sane effectus sanitatis ex causis, nempe sanitate, sanitatisque causis, tum ex propria natura, & priores quique statim à facultatibus, & sanitate nascuntur ex posterioribus tanquam ex effectibus: omnium vero postremi ex aliis effectibus cognosci nequeunt, ve-

B luti temperiem ventriculi, quæ secundum naturam est, proba concoctio, hanc bona nutritio, huiusmodi vero nutritionem viuidus color, hũc nihil aliud sequitur. Quamobrem ex aliis effectibus, cum nullos post se relinquat, id cognosci nequit, alii vero omnes priorum tanquam effectus, & posteriorum tanquam causæ, signa euadunt. Nam proba nutritio index est bonæ coctionis, quæ in ventriculo obitur, nimirum cum sit illius effectus, illa autem huius causa est, & indicium. Quod vero iuuantes lædentesque causæ, & similitudines cum his, quæ sanitatem, causas illius, & effectus secundum naturam habere putati sunt, signa quoque in his exhibeant, ex superioribus (ne idem repetamus) consta-

C re puto.

Cap. VI.

De signis, quæ prædictorum genera differentiasque indicant.

IAm vero posteaquam ostendimus, quid sit, quod sanitatem, illiusque causas, & effectus declarat, sequitur, vt doceamus, quæ sint notæ sanitatis similarium partium, & etiam dissimilarium, quæ præterea monstrent illius causas, & effectus: quid illorum differentias, nempe salubritatem, insalubritatem, & mediam inter has constitutionem. Itaque sanitatem similarium partium, bonam, inquam, illarum temperiem, *Signa sanitatis partiũ similarium.*

D & formam ostendunt, quæ ex illarum essentia petuntur indicia. Optime etenim temperata, & in forma nullam labem habere conspicitur pars similaris, quæ sana putanda est. Eodem pacto instrumentarias sanas censemus esse, cum illarum structura secundum naturam esse conspicitur. Indicant præterea hæc ipsa illorum causæ, quæ præsentes sunt, & præcesserint effectrices, conseruatricesve: etenim æqualis humorum proportio, proba victus ratio, decens conformatio, iusta magnitudo, perfectus partium numerus, concinna aptaque earum compositio, sanitatem similaris, instrumentariæque partis, & totius denique corporis declarant: Nam quæ temperiem, formamque partis tuen- *Et dissimilarium.*

E tur, constitutionis similarium illius sunt indices: Quæ vero constituunt, seruantque conformationem, magnitudinem, coniunctionem, & vnionem, propria testimonia existunt naturæ dissimilarium corporum: quanquam tamen fere contingit, vt quæ vni constitutioni prosunt, eadem etiam quod in alia secundum naturam est, conseruent: Si quidem ab his, quæ alimuntur,

excernuntur, & retinentur, extrinsecusque occurrunt, & à nobis geruntur, mutationes in singulis contingunt, etsi quædam peculiariter vnam constitutionem magis, quam aliam tueri & labefactare sunt nata: veluti cibus crassus, qui obstructiones parit, illæsa interim partium temperie. At qui moderatam habet substantiam & concrementum, & vna etiam temperatus reperitur, naturalem temperiem & partium meatus pariter tuetur: Quod etiam motus moderatus facit, qui aucto natiuo calore similaribus prodest, & instrumentariarum cauitates expurgat, expeditasque seruat. Cæterum effectus qui diuersam hanc constitutionem sequuntur, horum genera quoque ostendunt. Etenim integræ partium similariũ functiones, vt attractiones proprii nutrimenti, eiusdem retentiones, alterationes, expulsiones excrementorum, quæ peracta nutritione in singulis partibus superfunt, atque opera ipsa, quæ temperiem sequuntur, veluti corporis excrementa, quæ idonea substantia quantitate, & qualitate sunt prædita; Præterea qualitates corporis, cuiusmodi est naturalis color, mediocris mollities, & quæ exhalant à corpore moderate affecta, & denique qualitates aliæ, quæ à primis emanant, cum secundum naturam singulis insunt, propriam similarium partium sanitatem monstrant: Idem pariter sentiendum est in partibus instrumentariis sumptis ab illorum effectibus indiciis. Sunt porro hi, sensatio, cogitatio, imaginatio, ratiocinatio, memoria, motus voluntarius, attractiones, retentiones, expulsiones, distributiones alimenti, quatenus à partibus instrumentariis obeuntur: Nam publicæ partes, cuiusmodi est ventriculus, duplices habent huiusmodi functiones, nimirum quasdam, quas solius temperamenti beneficio exercent, quæ quidem illis propriæ censentur, quatenus vt similares nutriuntur; aliis vero funguntur ad totius animalis vsum, cauitatum, filamentorumque, & demum eorum, quæ ad instrumentarias partes spectant, beneficio; ergo cum recte habent actiones, partes instrumentarias sanas repræsentant; ab eisdem vero fontibus signa capimus ad horum causas, & effectus ostendendos: Nam causæ, & effectus illorum ex propria natura, & causæ ex effectibus suis, & etiam ex aliis causis, si modo summi generis non fuerint, & effectus ex propriis causis, & ex aliis effectibus, si modo postremi non sunt, percipies. Veluti caliditatem, quæ temperiem efficit, ipso tactu sese prodente ipsius caloris natura agnosces, cibi calidiores, motus vehementiores, & reliqua viuendi ratio, quæ corpus paulo vehementius calefacit, calorem in corpore vigere, cuius nimirum est causa, aperit motus validiores, celerioresq; animi, & corporis, vtpote qui à calore proueniunt, tanquam effectus exuperantis caloris sunt notæ: Ambulatio recta, & secundum naturam sanitatis est effectus, ac per seipsam innotescit, eam etiam indicant causæ, quæ eam pariunt: si quis enim optime constructa crura, & bene affectam motricem facultatem in alio cõspiciat, bonam esse, quæ ab ea proficiscitur actio tanquam ex sua causa colliget: Quod si paruo temporis spatio iter longum quis conficiat, statim intelliget tanquam ex effectu, promptam facilemque illi esse ambulationem: eodem vero pacto alias causas, aliosque effectus

A sanitatis cognosces. Ex eisdem etiam fontibus differentias illarum deprehendes: etenim salubritatem, idest, probam, optimamq; sanitatem; insalubritatem, idest, deteriore conditione affectam, & neutram ac inter has mediam corporis constitutionem, ad hæc salubres causas, insalubres, & neutras, quæ salubritatis, neutriusq; status sunt effectrices, cõseruatrices, inuatriceíque: nec non etiam salubres, insalubres, neutrosque effectus, qui à suis constitutionibus nascuntur, ex causis, effectibus, & propria singulorum natura intelliges: Siquidem optimam sanitatem, optima, quæ percipitur sensibus illius natura, optimæ causæ, optimique effectus monstrant; deteriorem vero hæc deteriora: Sanitatis causas optimas esse cognoscimus ex optima illarum natura, ex optimis suis effectibus, & optimis causis:
B & demum effectus optimos, cum optimi conspiciuntur, ac ex suis optimis causis, & effectibus, percipimus: sibi enim mutuo hæc signa præbent, & genera ex generibus, & differentiæ ex differentiis signorum deprehenduntur. Contingit tamen, vt eadem nota sanitatis, & illius causæ sit testimonium, veluti facilis, promptaq; nutritio sanum esse corpus, & in eo calorem præter alias qualitates vigere monstrat, & color pallidus, vt bilem redundare, sic corpus non inculpata sanitate præditum nunciat: Ac in omnibus præterea ex similitudine notas petimus: Si quos enim sanos optime constitutos, vel tem-
C peratos, aut bona structura donatos, vel aliter affectos agnouimus, eadem illis tribuimus, quos iis similes putamus, sic enim de liberorum natura, & vita statuimus, ex similitudine parentum ducta coniectura, & indiciis.

Cap. VII.

De signis cognoscendorum humorum.

SVnt porro inter causas sanitatis, & morbi præcipuæ humores: valet etenim corpus, vt author est Hipp. *in lib. de Natura humana*, & res ipsa docet, cum hi probam qualitatem obtinent, & iustam mensuram seruant, suisq; in locis continentur; ægrotat autem, quando sunt contrario
D modo affecti, siquidem temperies, formaq; partium ob formam, alienasq; humorum qualitates labefactantur. Ac non solum quidem similarium natura humorum vitio corrumpitur, sed etiam fere vniuersa corporis structura ex illis sua mala contrahit: Nam vlcera, inflammationes, cancri, & (vt semel dicam) tumorum generatio, calculorum lumbricorumque procreatio, immoderata partium crassities, & extenuatio, obstructiones, figuræ plurima vitia, asperitates, læuitatesq; partium præter naturam, & nonnunquam etiam luxationes & denique aliæ omnes propemodum noxæ ob humores in nobis accidunt. Adde quod animi corporisq; functiones ad humores vt plurimum, tanquam ad earum authores referimus, quo magis illorũ naturam,
E & vim Medicum tenere oportet, qua quidem de re *lib. 4. de Sanitate tuenda*, & *1. & 4. Aphoris.* ex professo agit Gal. vt alios infinitos locos omittam in quib. obiter illorum notas se tradere pollicetur: Verum meo quidem iudicio, nulla methodo id facit, cum ex colore, ab excretionibus contietis, à symptomatis, victu antecedente, facili tolerantia vacuationis, ab his præterea, quæ cũ natura humoris sunt coniuncta, sexu, regio-

ne, vrina, deiectionibus, sudore, sapore, somno, vigiliæ, calore, frigore, ex pustulis, quæ in corpore oriuntur, otio, labore, & aliis huiusmodi eas peti scribit: cum enim tractatio omnis, quæ methodo nititur, eo passim attestante, à summis generibus inchoare debeat, probari certè non potest, quod in hac re ita ab eo docetur, nimirũ cum nulla capita, nullosque fontes proponat, à quibus signa omnia ducantur: quo fit, vt semper aliquid omittat singularium enumeratio: id quod facilè vnicuique patere puto: Nec etiam si omnia recenseantur, propterea arte docentur, quæ eo modo explicantur: Nam genera prius, quam infimæ species semper doceri debent; sic enim quæ sunt eiusdem naturæ sub genere comprehensa, etiamsi non enumerentur, intelliguntur, audacterque affirmare possumus, nihil fuisse prætermissum, quod quidem non solum certam reddit doctrinam, sed etiam animum veri agnoscendi cupidum solatur, minuitque studiosis laborem, dum ex omnibus autoribus omnes notas colligere nituntur, & interim multa superflua accruant. An propterea (quæso) putare debemus, tot esse pituitæ, aut alterius humoris indicia, quod perlectis omnibus Galeni libris, non plura sint inuenta? Quid si nonnulla omittat? Quid si plura, & aliqua inutilia tradat? Nonne vanum putabimus huiusmodi laborem? Ac quanto quidem satius esset statim ab initio genera inuenire, ex quibus horum vniuersa signa petuntur, & artem excogitare, ad quam omnes authores, omnium præcepta, vniuersæque notæ referantur, cuiusque beneficio quid deficiat, vel redundet, quid denique rectè, vel perperam ab vnoquoque tradatur, agnoscere liceat. In hoc præterea artem apud Galenum desidero, quod cum inter signa quædam sint, quæ genus; alia, quæ speciem, differentiasq; humorum ostendunt; alia aliis certiora, maioreque vi prædita; alia, quæ eos in toto corpore redundare, alia demum, quæ eosdem in partibus quibusdam solum contineri monstrant, hæc capita inter se non distinguat, nec quæ sunt singulis propria tradat, cum tamen plurimum referat hæc inter se distinguere, & proprias illorũ notas certa methodo docere. Itaque licebit vnicuique, qui arte vti velit, ex prædictis fontibus humorum vniuersa indicia sumere. Sunt enim humores suapte natura quidam calidi, & sicci, vt bilis; Alii calidi & humidi, vt sanguis; quidam frigidi & humidi, vt pituita; alii frigidi, & sicci, vt humor melancholicus; temperati alii, vt tota eorum massa, quæ etiam sanguinis nomine donatur, ex omnibus iusta quadam proportione, exuperante tamen sanguinis copia, confecta. Sunt, qui in occultis, malignisque qualitatibus naturam obtinent, vitiataque sunt forma, quales sunt, qui in aere pestilenti gignuntur, aut à venenis tota substantia lædentibus inficiuntur. Ac vbi quidem illorum natura in euidentibus qualitatibus posita est, licet ex ea, quis humor redundet, deprehendere. Si enim tactu calidius sicciusque corpus sentiatur, calidiores & sicciores in eo vigere humores colligimus. Sic calidos & humidos & denique alterius naturæ, quam scilicet tactus subesse iudicat. Est enim hic sensus primarum qualitatũ iudex optimus. Quod si maligna humorum natura extiterit, non perinde licet tactu eam dignoscere, quippe cũ per malignos morbos venenosa sæpe subsit in humoribus natura, quæ omnem tactũ fugit. Cum verò excernuntur, visu commodissimè id facimus. Nam si quis æruginosam bilem excretam videat, contemplatione illius formæ malignum humorem statim agnoscet, sicut etiam pituitam, aut alterius generis humorem, cuius natura in primis qualitatibus est posita, vnde optimè Hippocrates *in libro de natura humana* scribit, pituitam etiam vi tractam perpetuò frigidam apparere, quod illius natura sit frigidissima, quæ etiam tactu percipitur. Vnde excreta hoc vno modo nobis indicia præbere dicuntur, quatenus scilicet humoris excreti naturam, quæ perinde non erat perspicua, cum in corpore lateret, sensibus liceret percipere. Habẽt præterea humores suos effectus, quales sunt secundæ tertiæq; qualitates, & quæ in corpore pariunt; ex certa etenim temperie humorum, color, sapor, odor, crassities, tenuitas, visciditasq; in illis prouenit: ob id signa, quæ ab his ducuntur, scribit Gal. ab illis sumi, quæ cum humoris natura sunt cõiunctissima, & meritò quidem, cum illi potissimum sint constituendi eorum effectus, qui ex primis qualitatibus, in quibus eorum natura collocata est, nascuntur. Siquidem secundæ tertiæq; qualitates immediatè à primis fiunt: ab his igitur notæ hoc modo capientur: si quis n. pallido colore quempiam videat, meritò bilem pallidam in eo abundare iudicabit; sic nigram, si niger sit corporis color; pituitam, si albus; sanguinem, si ruber; malignum verò humorem, si huiusmodi color appareat. Eodem modo si tenuem, & flauum, vel pallidum humorem à corpore excretũ conspiciamus, pallidam, flauamque bilem eam esse iudicabimus; quoniam huiusmodi color, & cõsistentia, quæ bilis naturam sequuntur, adsunt: viscidi, crassi, & albi omnes ex pituitæ genere consistunt; nigri, & crassi melancholici omnes; aquosi, & diluti serosi generis, & denique cùm noueris, qui sint proprii colores, propriæq; cõsistentiæ humorum, ex illis licebit, quales sint humores, qui abundant, dignoscere. Hoc modo etiam excrementa, quæ reiiciuntur à corpore, humoris abundantis sunt indices, quod scilicet sensibus subiiciãt qualitates cum natura humoris coniunctas.

Excreta quo modo præbeant indicia.

Habent & suos sapores, & odores singuli humores; est enim sanguis dulcis, & pituitæ etiam quoddam genus; bilis amara, quæ pallida est, flaua, vitellina, æruginosa, isatodes, & atra ea, quæ ex his gignitur. Nec existimare quidem oportet, omnem atram bilem acerbam esse, vel acidam, quemadmodum Galen. scribere solet, nulla adhibita distinctione: Nam cum; eo authore, atra bilis vel ex flaua, aut ex sanguine, vel humore melancholico procreetur: ea certè, quæ ex amara bile, qualis est flaua, per assationẽ gignitur, nunquam acida esse potest, siquidem acidus austerusq; sapor exuperantis frigiditatis sunt indicia, & reb. primo insunt, dum crudiores existunt, ac nondũ à calore elaboratæ, & percoctæ: tunc n. acida, dulcia, amara, & salsa demum euadunt. Itaq; si amara vel eundẽ retinent, vel in sequentem, succedẽtemq; saporem permutantur, cõstat, quod amarum est, nunquã acerbum,

Humorum sapores.

Non omnem bilem atram esse acerbam vel acidam.

vel acidum fieri posse. Est autem austera, quę secundum naturam est, melancholia, quam proprio nomine humorem melancholicum *in libro de Naturalibus facultatibus* Galen. vocandam esse censet. Acida est atra bilis, quæ ex humore huiusmodi prouenit: Nam acerbum in acidum transire aptum natum est, vel forte etiam huiusmodi sapore est prædita, quæ ex sanguine præsertim limoso, & non bene à fæculento humore expurgato conficitur. Refert quoque saporem acidum pituitæ quoddam genus, quæ ob id acida pituita vocatur. Qui vero insipidi sunt humores, omnes ex pituitæ genere consistunt. Salsus vero humor, vel pituita est putrefacta, aut cum humore seroso mixta, aut ipse etiam solus serosus humor.

Humorum odores.

Cæterum boni odoris sunt humores temperati; putridi vero pessimi; calidi, & humidi virosum nescio quid, referunt. Qualis vero sit bilis, vel pituitæ, & (vt semel dicam) singulorum humorum odor, nec exprimere, nec agnoscere facile possumus. Docendi tamen methodus postulat, vt ab his etiam proprias humorum notas petamus. Iam vero ea, quæ humores in corpore pariunt, vniuersa vel ad animum, vel corpus pertinere dicamus: animi quidem mores, quales subsint humores, indicant. Nam qui iracundi, & furibundi, biliosi; stolidi, & ad risum profusi, incontinentes, impudentesque sanguinei: Astuti, cauti, prudentes, cõstantes, ingeniosi melancholici: Maligni, proditores, simulatores, osores, iniuriarumque memores, & peruerso ingenio præditi censentur, quibus atra bilis dominatur: obtuso ingenio præditi pituitosi: vt enim corpus frigido, & humido humore grauatur, sic & animus obruitur. Quo magis mirari subit, quod Galenus scribat, pituitam ad animi mores nihil conferre, si enim corporis temperiem illi sequuntur, cur nõ putabimus à frigida, & humida temperie, cuiusmodi pituitosa est, certo modo aliter, quam ab aliis humoribus affici? Valent memoria melancholici, fœlicior est imaginatio, & rerum comprehensio sanguineis, & pituitosis, nimirum quod in humido promptiores fiant impressiones, vnde pueri, & mulieres maxime dociles putantur. Qui vero matura iam sunt ætate, ineptissimi ad discendum apparent. Qui temperatos habent humores, mediocria hæc omnia obtinent. Mania, vt affectus præter naturam attingamus, atræ bilis exuperantis in cerebro est indicium. Tristitia, & melancholia humorem melancholicum testantur. Delirium bilis flauæ, aut sanguinis, vel vaporis biliosi dominium monstrat. Ac vt breuiter dicam, animi perturbationes, & morbi qualis sit temperies, & humor redundans repræsentant. Quæ vero ab humorib. in corpore proueniunt, placet ita diuidere, vt quædam ad habitum corporis, quædam ad illius actiones, alia vero ad eiusdem passiones referantur. Nam habitus gracilis cum venarum amplitudine biliosum humorem vigere indicat, carnosus sanguinem bonum, crassus & mollis pituitosum, pinguis frigidiorem, sed nondum pituitosum sanguinem monstrat: Asper, durus, gracilis cum venarum angustia melancholicos sequitur humores: Tensum corpus vt carnis adipisque abundantiam comitatur, sic declarat sanguinem copiosum, aut frigidiorem subesse. Liceret ex his, quæ à corporis habitu prodeunt, veluti ex pilis, signa colligere redundantis in corpore humoris, sed licebit vnicuique materiam ex Galeni Arte medicinali mutuari, hac sibi proposita methodo, vt omnia, quæ ad eos pertinent, vel ad illorum ortum, vel casum, vel incrementum, copiam, consistentiam, figuram, colorem, duritiem, asperitatem, & læuitatem referantur. Quibusdam enim citius, aliis tardius oriuntur, & decidunt, vt admodum biliosis. Eisdem naturis pili cito crescunt, & pallido colore sunt tincti, & contorti, asperi, duri, & (ne singula in hac re prosequamur) facile quilibet inuenire poterit omnes pilorum differentias, quæ non prouidentia naturæ, sed materiæ expirantis à corpore ratione proueniunt, humorum copiam, qualitatemque sequi.

Signa temperamentorum.

Jnter corporis functiones recepta à Medicis diuisione, quædam statuentur naturales, quædam vitales, aliæ animales. Eas autem vocamus naturales, quæ famulantur generationi, nutritioni, & auctioni. Vitalem vocamus facultatem, quæ pulsus edit. Animalem vim principibus actionibus, sensationibus, & voluntariis motibus præesse putamus. Igitur celeres motus biliosos comitantur, tardi pituitam, moderati, & graues temperatos humores ostendunt. Contendunt fere cum biliosis in celeritate sanguinei, sed citius exoluuntur, quibus bilis abundat, diuque perseuerare in officio nequeunt; compositos edunt motus melancholici. Jnordinatos & furore plenos atrabilarii, & qui admodum biliosi existunt. tardi ad motum sunt pituitosi, sed minus fatigantur. Vegetos sensus habent biliosi, acutos melancholici; laudabiles quidem, sed turbulentiores sanguinei; obtusissimos pituitosi, moderatos temperati: Quod vero ad principes functiones pertinet, in animi functionibus, & perturbationibus sumus complexi. Solemus enim animi mores vocare potissimum rectricis facultatis functiones, & quæ in corde fieri putantur passiones, vt iram, tristitiam, gaudium, magnanimitatem, constantiam, de quibus præsens locus diligentiorem tractationem non postulat. Ad sensus pertinent somnus & vigilia: Sunt autem maxime vigiles melancholici, & biliosi, somno sunt magis dediti temperati, quam illi, etsi id moderate, magis adhuc sanguinei, omnium maxime pituitosi.

Qui promptius conformentur & adolescant.

Quod vero ad naturales functiones pertinet prompte conformantur, & adolescunt biliosi, deinde sanguinei, pituitosi, postremo melancholici, qui vna cum biliosis celerrima senectute conficiuntur. Incrementum in omnes partes humorum copiam, & quod citissime fit, etiam caliditatem comitatur.

Qui ad venerem sunt magis vel minus proni.

Ad generationem, & venerem procliuissimi biliosi, sed cito exoluuntur. Jd quod etiam melancholicis accidit, qui flatum plurimum congerunt. Sed his perinde inimica nõ est venus, cum rarius semen emittant, vtpote ex flatu ad coeundum excitati. Alii vero melancholici tarde ad venerem excitantur, & illius vsu præter modum exiccato corpore maxime læduntur; sanguineorum potissimum venus est, cum semine copioso abundent, etsi non perinde prompti sint, & expedi-

tiT.

ti, vt biliosi. Pituitosi tardi ad venerem, nec tamen obest hæc illis, si moderate ineatur; calore siquidem pituita concoquitur, & temperatius corpus euadit, at frequentiore vsu, dissoluto semine calidiore substantia vna cum spiritu vitali frigidius redditur. Ad coctiones omnium aptissimi sunt sanguinei, ad attractionem biliosi, & ad retentioné, in qua etiam melancholici illis forte non cedunt, nimirum quod siccitate, qua hi abundant, retentio peragitur; Infirmissima est retentio, & attractio pituitosis, concoctio melancholicis. Ad reddenda excrementa, præsertim quæ per aluum excernuntur, maxime idonei pituitosi: Sanguinei ad retentionem, & expulsionem non perinde infirmi, vt pituitosi; omnium vero illi fœlicissime nutriuntur. Distributio alimenti in biliosis fœlicius obitur: In melancholicis melius, quam pituitosis: at deterius illi, quam hi concoquunt, & nutriuntur refragante frigiditate, & siccitate vtrique operi, vigente in pituitosis humiditate.

Qui ad reliquas actiones naturales magis apti.

Vitalis vis validissima in sanguineis, deinde biliosis, infirmissima pituitosis: deinde melancholicis, cui vero humores sunt temperati, omnia hæc moderata adsunt.

Qui nam vi vitali præstent.

Cæterum inter passiones corporis hoc loco morbos ipsos, illorum accessiones, & dolorem, enumeramus: calidus enim morbus calidum humoré abundare monstrat, frigidus frigidum: Sic accessio, quæ quotidie aduenit, pituitam; quæ tertio quoq; die, bilem flauam; quæ quarto, melancholiam, vel atram bilem; quæ vero perpetuum quendam tenorem seruat, sanguinem: lógæ accessiones pituitam, vel melancholiam, breues bilem, vel flatum redundare ostendunt: vehementes morbi, qui ex humore proueniút, sanguinem, aut bilem omnino sequuntur; languidi pituitam; benigni ex sanguine potissimum, deinde ex pituita nascuntur: maligni primas obtinent, qui ex atra bile, secundas; qui ex humore melancholico, postremas; qui ex æruginosa, vitellina, & flaua proueniunt. Lethales ab omnibus humoribus fiunt morbi, maxime autem à *bile flaua, vitellina, æruginosa, & atra*: qui vero perpetuo hominem ad mortem vsq; comitantur, ex atra potissimum originem ducunt, vt ostendunt cancri, & elephantiasis: Quod si ex aliis humoribus eadem vis aliquibus concedenda est, pituitæ dabimus, ex qua asthmata, scabies nonnunquam, & podagra toto vitæ tempore sæpe affligunt: Dolor eadem ratione materiam abundantem significat. Erodens enim bilem flauam: obtusus & grauis pituitam: tensiuus vel flatum, aut sanguinem sequitur. Ac vt semel dicam, licebit vnicuique ex effectibus prædictis, & aliis eiusdem generis abundantis humoris notas reperire. Alleuiationes quoque & aggrauationes, quæ excretionem humorum sequuntur, inter passiones corporis nó inepte reputari possunt. Ex quibus etiam indicia petuntur: grauis siquidem esse solet superflua, & familiarium humorum vacuatio, leuis autem, si id, quod est noxium, educitur moderate.

Signa ex passionib. corporis.

Morbi lethales, a quibus humorib. potissimum proueniant.

Iam vero ex humorum causis illorum indicia commodissime hoc modo ducemus: Nam cum à causis calidis & siccis bilis gignatur, fit profecto, vt quæ calefaciendi, & siccandi vim habent, huiusmodi humorem ostendere dicantur.

Signa ex humorum causis.

A Hac enim ratione ætas, aeris conditio, regio, anni tempus calidum & siccum, vita laboriosa, vigiliæ, curæ, bilem flauam aut etiam atram, cum scilicet vehementius diutiusque processerint, ostendere dicũtur; quoniam eam gignunt: Eiusdem generis est temperies corporis calida, & sicca, & sexus: veluti cum viros biliosos, mulieres pituitosas dicimus, & alia huiusmodi, quæ vel humorem gignendi statim vim habent, vel illud monstrant, quod eam vim obtinet, notas præbere ad bilem pituitamque cognoscendam dicuntur: siquidem temperies per se humores procreat: sexus autem, & ætas non id faciunt, sed qualis temperies sit, indicant: veluti aer, qui gignit quidem sibi similes humores, non tamen B statim, sed quoniam primo corporis temperiem mutat. Regio, anni tempus, qualis sit aeris cõditio, declarant, quorum sane varietatem nemo distinguere poterit, qui ignoret, quonam modo hæc abundantium humorum sint indicia.

Præbet quoque suas notas materia, ex qua humores gignuntur: eã suppeditant, quæ assumuntur, & retinentur. Cum enim id, quod assumitur, facilius promptiusque vertatur in sibi similem, quam in alium, humorem, eum, qui calido, & sicco nutrimento, aut medicamento vtatur, rationi consonum est, bile abundare: Eodem modo si quæ consueuit excerni bilis, non amplius excernatur, materia suppeditatur biliosa corpori, differtque à superiore, quod hic actu, C illic potentia materia bilis sit: quamobrem genus signorũ, quod ab excremẽtis cohibitis capi scribit Gal. ne plures fontes fiant, ad materiam humoris redigatur, non tamen impedio, alios aliter facere, modo omnia indicia certis quibusdam generibus complectantur.

Signa ex materia, ex qua humores gignuntur.

Ducemus autem ex materiæ qualitate, quantitate, ordine, & assumptionis tempore humorum notas. Diuersi etenim humores, cum hæc euariant, procreantur: Nam temperati cibi in calidioribus corporibus, veluti admodum biliosis, bilem gignunt: In pituitosis pituitam; qui copia grauant coctricem, etiamsi biliosi suapte natura fuerint, omnino in pituitam degenerant, quod etiam peculiariter de vino notauit Galenus, D quod quidem etsi calidum est, vbi tamen largius sumitur, quam confici possit, sopores, & alios huius generis frigidos affectus parit: Vbi autem ordo peruertitur, vt plurimum corrupti sunt humores, qui gignuntur: vbi vero intempestiue sumuntur, nondum priore concocto, pituita est, qui prouenit humor.

Signa humorum ex materiæ qualitate, quantitate, ordine & assumptionis tempore.

Nec minus licet ex subiecto corpore & instrumento, in quo humores procreantur, illorum signa capere. Qui enim in ventriculo, aut cerebro colliguntur, vt plurimum pituitosi esse putantur, quod illic pituitæ sit sedes: qui in liene continentur, melancholici esse solent; in venis serosi aut biliosi, vel sanguis ipse purior; in hepate vero bilis, vel sanguis coaceruantur.

Signa ex subiecto corpore.

E Colligimus pariter humorum notas ex communi corporis instrumento. Quibus enim natiuus calor imbecillior est, his pituitam abundare credimus. Qui vero natiuo calido abundant, vt feliciter concoquunt, sic sanguinis optimi plurimum procreant.

Ex natiuo calore.

Quinetiam causæ sine quibus, suam vim in hoc ostendunt. Nam si alimentum non satis retineatur,

Ex causis sine quib. non.

tinetur, donec sit perfectè elaboratum, pituitam abundare necesse est: contra vero bilem, si postea quam est concoctum, excrementa tempestiue non excernantur: tunc enim quicquid est, lõgiore mora exuritur.

Ex consequentib. & lædentibus.

Ad hæc iuuantes causæ, & lædentes, vt ostendunt, qualis temperies sit; eodem modo quales subsint humores, indicabunt, siquidem qui temperatis duntaxat iuuantur, temperatos humores habent: qui offenduntur à similibus, intemperatos eos obtinent: quibus frigida, & humida prosunt, calidis, & siccis humoribus sunt referti, & denique exceptis temperatis, alios omnes offendunt similia, contraria autem iuuant. Seiunguntur porro hæ causæ à gignentibus, & materiam suppeditantibus, quod factum humorem corrigant, non autem vt aliæ gignant.

Signa ex similitudine.

Superest quartum genus signorum, quod à similitudine capitur, quod etiã ad humores cognoscendos suas notas confert: Nam si duos eodẽ morbo affectos constituamus, & vno mortuo, aut dissecto vniuersum corpus, aut cor, vel aliam partem maligno, aut putrido, vel alterius generis humore plenum inuenerimus, aptissime colligemus, eosdem in eisdem locis contineri humores, nimirum quod similia ostendant similia.

Quæ ex omnib. prædictis signis sint minus certa, & quæ certiora.

Iam vero illud explicandum est, quænam signa ex tanta multitudine certa omnino existãt, & nunquam fallere valeant, quæ vero incertiora, & duntaxat coniecturalia, quidque in singulis obseruandum, ne hallucinemur. Itaque notæ, quæ à natura humoris sumuntur, perpetuo veræ esse non possunt: sæpe enim humor est calidus, qui in corpore viget, cum nihilo minus frigidum corpus sentitur: quod in his apparet, qui per initia accessionum biliosæ febris, contracto ad interna viscera calore, extrinsecus rigent, frigidique sentiuntur; Quapropter inæqualiter affici corpus non oportet, si ex tactu, qualis sit cõtentus humor, dignoscere tentemus: tunc enim si corpus calidius, quam temperato conueniat, percipiatur, calidi omnino redundant humores, vel propria natura, vel aliũde ascito calore. Nã pituita putrida alioq; suapte natura frigida, calida censenda est. Inter effectus autẽ ea, quæ sumuntur ex sapore indicia, cum adsunt, perpetuo vera sunt. Neque enim continuo qui exuperant humores, in linguam effunduntur, sed cum percipiuntur, nunquam fallunt. Bilis siquidem necessario fuerit, quod amarum est: melancholicum quod austerum & acerbum: quod vero dulce, omnino vel sanguis, & pituita: sic profecto, cum ea, quæ à corpore exhalant, grauem odorem repræsentant, corruptos putredineque affectos humores arbitramur. Cæterum in calore necesse est easdem distinctiones adhibere, quas prius notauimus, cum ab humorum essentia signa sumebamus, vt scilicet corpus in calore, & frigore mediocriter habeat. Nam frigus cum cutem constringit, humores simul intro protrudit & cutim liuidam, ac sine colore reddit: sic sane calor sanguinem ad externas partes, quo cutis rubicunda euadit, commouet. Quamobrem quæ aut calefaciunt, aut refrigerant, exteriores partes, vt calorem ambientem, frigus externum, internos affectus, veluti febrem, pudorem, iram, tristitiam, motum, nimiam quietem,

A somnum, vigiliam immoderatam, & si quæ alia huius generis reperiuntur, abesse oportet, cum ex colore iudicare volumus, qualis humor in corpore vigeat. At quæ sumuntur ex animi moribus humorum indicia, prorsus certa esse non solent, tum quod sæpe videamus alios esse mores, quam corporis conditio ostendat, vt in his, qui metu, aut religione coercentur, aut nimia licentia proteruire iinuntur, tum quod corporis temperiem sequantur, in qua qualitatum adest quidam excessus, quibus tamen nullus similis peculiaris humor redundat. Non enim necessarium est, in eo, qui paulo calidior sicciorve sit, bilem statim abundare; aut humorem melancholicum in eo, cui sit temperies frigida & sicca;

B nec pituitosus confestim putandus est, aut sanguineus, qui humidus est cum calore, vel frigore. Quippe cum humorum generationes non qualemcunque, sed maiorem quendam qualitatum excessum requirant. Potest præterea vnica qualitas exuperare, quæ mutationis morum animi erit causa, generationis autem peculiaris alicuius humoris minime, si modo in singulis duæ qualitates vincunt. Quod etiam spectasse Gal. videmus: cum *in arte medicinali* temperaturarum corporis notas præscribit: licet tamen ex animi moribus si non speciem, saltem genus humoris deprehendere: nam calidos humores in eo exuperare oportet, etiamsi non sit bilis, qui ad iram est procliuis; vbi vero magnus

Signa abundantium humorum ex animi moribus.

C quidam excessus in animæ functionibus conspicitur, ex illis certas de humoribus notas ducimus.

Signa ex iis, quæ humores in corporibus pariunt.

Quæ vero pariunt humores in corpore, præsertim si ea præter naturam extiterint, signa certa præbent. Tertiana hoc modo febris bilem necessario abundare declarat. Sic accessio, quæ cum rigore inuadit, & motus morbi velox, & dolor mordicans, acris calidique humoris exuperantis sunt indices. Tumor, qui vehementem dolorem infert, sanguinis, aut bilis, vel calidi omnino humoris est testimonium. ostendunt nihilominus habitus mollis, humidos humores subesse; durus, & asper sicciores; corpulentia humidiores, & copiosiores; obesitas frigidiores,

D quanquam, vt diximus, sine redundante humore, qui vnam ex quatuor humoribus speciem obtineat, ob certam temperiem hæc eadẽ fieri possunt, necnon ob aliquem errorem. congestos alios esse succos, quam huiusmodi naturales corporum constitutiones repræsentent. Quis enim dubitet, in molli corpore bilem abundare, si præcesserint, quæ bilem procreent; in aspero & duro ob cruditatem & otium pituitam aceruari posse? Idem esto iudicium de his, quæ in habitu corporis nascuntur, vt pilis, qui vt naturalem temperiem, & humores indicare valent; sic eos, qui ex quacunque occasione in dies mutantur, minime possunt. Flauus quidem pilus bilis est indicium, ex qua genitus est, qui iam vigente

E pituita, huiusmodi colorem diu seruat. Cæterum in excrementis illud obseruandum est, ne ab aliqua vi extranea emittantur. Nam si ob acrimoniam bilis os venæ aperiatur, sanguis fluet, etiam si non abundet. Eodem modo si æstuante corpore sanguis profluat, non est id abundantis huius humoris indicium, sed si humor, qui excernitur, sit ex interiori causa, tunc signum est

certum.

eundem, sibiq; similem in corpore vigere: qui tamen excretus, qualis sit, conspicitur. Bilem enim abundare in corpore agnoscimus, si effusus sanguis pallidior extiterit.

Atqui in causis, vel efficientibus, vel materiam suppeditantibus illud latere nō debet, si certa indicia habere velimus, vt omnes causæ simul coniungantur. Siquidem bilem abundare necesse est, si ætas, regio, cœli status, vitæ conditio, alimenta, & omnia denique bilem procreantia affuerint. Quod si quædam deficiant, non certæ erunt notæ, sed tantum à certitudine deficiet cognitio, quantum à communi consensu recedunt causæ. Quippe necessarium non est in iuuene bilem vigere cum otiosa vita, frigidaq; aeris constitutio, vel alia huiusmodi ætati contraria adsunt, quæ id, quod ætas conficere potest, vincunt. Licebit vnicuique ad horum imitationem in aliis, si quæ reperiantur, exceptiones & circunstantias adnotare, hæc enim mediocriter etiam doctis sufficere possunt.

Nunc vero ex his fontibus signa haurire oportet ad ea cognoscenda, quæ de humoribus scire Medico expedit. Opus autem est imprimis separare genus à genere, vt bonos humores à malis, & calidos à frigidis, humidos à siccis; speciem à specie, vt inter calidos bilem à sanguine, inter frigidos pituitam ab humore melancholico, & serosum dictum humorem à reliquis omnibus, & infimas species ab infimis specieb. veluti bilem flauam à pallida, pituitam acidam ab insipida, & dulci. Qualitatem præterea à substantia necesse est seiungere. Est enim aliquando id, quod in humore peccat, illius qualitas, non propria substantia, veluti cum bilis calidior acriorq; non tamē copiosior extitit. Ad hæc scire oportet qui vinci alteratione possint, & qui non nisi vacuatione corrigi valeant, quibus præterea alteratio conueniat per ea, quæ tota substantia agunt, quibus vero sufficiat sola rerum qualitas, qui præterea ex humoribus ad vacuationem sint parati, qui vero minime: postremo an in toto corpore, vel in multis partibus, vel vna tantum humor contineatur, & si quæ aliæ sunt in humoribus differentiæ, quæ Medici officia variare queant, per proprias notas dignoscendæ. Præstant autem id, vt summatim dicam, ex singulis fontibus signa ducta, & vnicuique propria. Quod si in vno genere communia omnia forte inuenies, in altero certe non deerit, quod vnicuique sit proprium.

Signa bonorum humorum. Itaque bonos humores indicant imprimis essentia ipsorum humorum, quæ proba est, temperata s. quædam qualitas, bonus color, sapor, odor, substantia mediocris, boni effectus tum animo, tum corpori peculiares, bonę causæ efficientes, inquam, quæque materiam suppeditant, & sunt instrumenta, vel inter lædentes, & iuuantes reponuntur. Prodest enim probus victus, quibus boni adsunt humores, absunt autem remedia, quę male affectis humoribus conferunt: contraria vero his malos humores ostendent, ac ea maligna malignos, & benigna benignos abundare monstrant. Sic calidos, à calidis distinguimus: Nam etsi sanguinem, & bilem caliditas sequitur, peculiaris tamen quidam calor, nempe acrior, & mordacior bilem

Malorum.

Signa distinguendi bilem à sanguine.

comitatur, mitior & halituosior inest sanguini. At color certius vnum ab altero separat. Pallidus siquidem, in quo bilis, rubens in quo sanguis viget, color apparet. Alius præterea est sanguinis, alius bilis sapor: diuersa quoque est eorum substantia, & causæ propriæ propriique effectus, diuersæ similitudines, quibus inter se differre cognoscuntur. Atque eadem etiam speciem à specie distinguunt. Diuersa namque hæc omnia in eo apparent, in quo flaua, vel vitellina, aut pallida, vel æruginosa bilis exuperat.

Nec non ex eadem methodo perspiciemus, in quo loco humores redundent. Si enim in vniuerso corpore qualitates humorum naturam constituentes sentiantur, ipsique humores, qui excernuntur, per singulas corporis partes, per quas natura sese expurgat, similem naturam habuerint, si causæ humoris prædictæ totum affecerint, totiusque effectus sequantur, qui vnius generis humores exuperare monstrent, quis negabit, eos in vniuerso animali exuperare? quod si in partibus quibusdam, aut vna solum hæc adsint, in eo dūntaxat loco humorem vigere ex iisdem notis colligemus. Hoc namque pacto, cum vniuersum corpus æstuat, acremque præsentit qualitatem, & color flauus apparet, percipiturque amaritudo in ore, vrgent vigiliæ, eduntur motus celeres & inconstantes, pulsusque emicant elatiores, deiecta est appetentia, torretur alimentum & sanguis, infestat morbus biliosus vniuerso corpori peculiaris, adest iuuenilis ætas, corpus gracile, hirsutum, venis latis præditum, præcessitque victus omnis calidus, & siccus, & vbique calida & sicca obsunt, prosunt autem, quæ bilis acrimoniam retundunt, & ipsam bilem educunt, si præterea quæ excernuntur per cutim, aluum, vesicam, flaua fuerint, plenum humōr bile vniuersum corpus agnoscimus. Quod si pituitæ indicia in ventriculo adsint, bilis autem exuperantis in habitu corporis, aut venis signa appareant, intelligemus inæqualiter corpus affectum, & varios in diuersis partibus humores redundare, quo modo ex vrina, & sudore potissimum quales sint humores, qui in venis, & habitu corporis continentur, & ex aliis etiam notis, quæ [illegible] eos in eo loco vigere peculiariter monstrant, quantum medicina promittere potest, cognoscimus. Non desunt etiam signa ex hac methodo, quæ ostendant vel exuperantes in humoribus qualitates, vel ipsorum met humorum in corpore redundantiam.

Signa ostendentia, in quo loco humores redundent.

Signa [illegible] in toto [illegible]

Signa [illegible] humorum inæqualiter corpus affectum.

Nam acrimonia, quæ tactu sentitur, calidiorem ostendit subesse humorem biliosum, non tamen propterea copiosiorem quā par sit, ipsam bilem. Veluti nec etiam acuta exercitatio, & vigiliæ, aut qui præcesserunt animi corporisq; labores, ex quibus corporis quidem calor, & siccitas intenditur, non tamen vsq; adeo vt perpetuo ex sanguine assato bilis procreetur. Acrimonia vero, & flauities simul, cibi calidi, & sicci, & quæ vehementius excalefaciunt, siccantq; causæ non solum acriorem, sed & abundantiorem in corpore esse huiusmodi humorem testantur. At signa, quæ humorē indicant, qui alteratione omnino vinci nequit, mōstrant huius generis materiam

Signa qualitatum in humoribus.

riam non aliter, quàm vacuatione corrigi posse, & quæ extenuatos, nullaq; alia insigni qualitate præditos succos nunciant, eos ostendunt ad vacuationem paratos, foreque facilem & vtilem huiusmodi vacuationem pollicentur. Quarum rerum vsum in eo opere, quod (Deo fauente) de euacuandi ratione breui edemus, & alibi in tota fere medicina agnoscemus: nihil enim frequentius ad manum in vsumque venit, quam de humorib. tractatio, & cognitio. Nunc verò superesse video, vt multitudinis omnis notas tradamus, nam exuperantes humores nunc vires grauant, nunc conceptacula sua distendũt, aut proportionem iustam excedunt, quæ Medicum ignorare non oportet, cum hinc varii morbi nascantur, & curandi, præseruandique ratio ex horum diuersitate varietur. Sed quoniam varia est multitudinis natura, varia vis, multiplicesque differentiæ, quarum rerum signa nemo vnquam intelliget, qui hæc prius non cognouerit, paucis hæc explicare operæpretium esse duco: præsertim cum nonnulla in hac re occurrãt, in quibus Gal. & qui eum sunt secuti, mihi non satisfaciunt.

Cap. VIII.

De notis multitudinis.

Πλῆθος quid.

QVod Græcis πλῆθος dicitur, à quibusdam plenitudo, ab aliis verò multitudo verti solet, videnturque mihi melius hi, quàm illi sentire. Nam cum à Græcis πλῆθος definiatur esse alicuius substantiæ vltra naturalem modum in aliquo loco abundantia, plenitudinis nomen id nobis nõ indicat, siquidem partes plenas etiam appellamus, quæ naturalem mediocritatem non excedunt, nec vbi aliquod est vitium: veluti cum carne corpus, aut ventriculum nutrimento plenum dicimus, cum nec vires, nec vasa quidpiam patiantur, nec proportio vitietur per huiusmodi plenitudinem. Cum autem multum esse quidpiam dicimus, id, quod mediocritatem excedit, multum dicimus, damnamusque tanquam id, quod excessum significat. Porro cum multitudo sit substantiæ cuiuspiam plusquam conueniat, in aliquo loco consistens abundantia, meritò à tribus illis differentiæ sumentur, nempe à diuersa substantia, quæ abundat, à loco diuerso, & ab eo, cuius ratione dicitur multitudo. Ac vt de tertia differentia primũ agamus, multam substantiam in corpore intelligi debere scribit Gal. vel ratione loci cõtinentis, vel virtutis, quæ eam regit: vnde illa multitudo ad vasa, hæc verò ad vires vocari solet. Verum mihi prætermittere videtur Gal. tertium quoddam genus, illudque non solum in arte nostra, sed in aliis omnib. maxime necessarium, quod quidem ex proportione sumitur, multum enim sæpe dicimus esse in corpore humorem, vt multam bilem, multam pituitam, quæ tamen nec vires grauet, nec vasa distẽdat; sed quod proportionem, quam cum aliis humoribus habere debet, excedat. Alioqui quomodo (quæso) huiusmodi redundantiam multam nuncupabimus, si ea duo duntaxat ponantur, ad quæ omnis multitudo referatur? Statuantur ergo in tertio hoc genere tres differentiæ, ad vires, inquam, ad vasa, & proportionem:

Signorum à multitudine sumptorũ differentia.

Substantia in corpore quot modis dicatur multa.

A ex quibus compositæ differentiæ ex eorum complicatione resultabunt, ad vires, & vasa, vel ad vires & proportionem, vel ad vasa, & proportionem, vel ad tria simul coniuncta, vires, vasa, & proportionem. Vires rursus intelligimus vel naturales duntaxat, vel vitales, vel animales, vel duas, vel omnes iunctas: locum item capere debemus vel vasa, quæ cauitatem habent, vt venas, & arterias, quæ propriè vasa vocantur, vt ventriculum & intestina; vel qui vasis respondet, quemadmodum Galenus multitudinem fieri scribit, quæ proportione respondet ei, quæ est ad vasa, vt carnis, pinguedinisque multitudo dicitur, quæ non omnino vt B humores in vasis, multitudinem faciunt. Præterea vel vniuersum est corpus, in quo multitudo huiusmodi colligitur; vel quædam partes, vt venæ; vel vna quæpiam pars, veluti ventriculus, & hepar.

Porrò substantia, quæ multitudinem facit, vt diuersa est, ita particulares quasdam differentias facit propriis nominibus à Græcis sæpius, & à nostris etiam nonnunquam distinctas: quæ enim à cibo fit, à Græcis πλησμονὴ vocatur, vt author est Galenus *in quodam Aphorismo secundi libri*, à Celso satietas dici videtur, cum ait; *quærunt initium morbi, calor attulerit, an frigus, fames, an satietas*, defectum scilicet alimenti excessui opponens. C Quæ verò à sanguine, vel omnibus humoribus proportione auctis committitur, generali vocabulo πληθώρα, id est, sanguinis abundantia à Galeno *in libro de plenitudine* nuncupatur. Quod si in toto corpore abundauerit sanguis, eodem teste *decimo tertio Methodi* πληθώρα huiusmodi multitudo nominatur. At si in partis substantia imbibitus humor fuerit, φλεγμονὴ, id est, inflammatio, communi vocabulo appellatur: quæ ratione partis peculiaria nomina recipit, vt pleuritis, phrenitis. Si verò in spatio, & concauitate partis contineatur sanguis, quoniam tunc concrescit, θρόμβος, id est, grumus dicitur: quod si alius humor abundet, vt D bilis vtraque, pituita, aut serosus humor, vocatur in toto corpore cacochymia, vt Galenus author est *quarto Methodi*, peculiari autem nomenclatura cacoethia, & corruptio, & (vt Galenus vult) plenitudo nuncupatur; cacoethia quidem humorum, quando illi maligna, & peruersa sunt præditi qualitate, vt in pestilentia accidit; corruptio, quando magnum ita vitium est, vt non amplius ex naturæ coctione ad primam bonitatem humores redire possint; multitudo verò, si paruum sit vitium, ita vt sanguis eo, quod ipsum vitiat, vacuato ad suam naturam redigi queat. Hæc Gal. *decimo septimo Aphorismo libri secundi.* Non tamen video, cur multitudinis generale nomen ei differentiæ magis acE commodet; quàm aliis. Cacochymiæ præterea nomen vario modo etiam ille vsurpat. Nunc enim eam definit esse acrium humorum abundantiam, à qua hoc modo excludit pituitæ naturalis excessum, cum tamen sæpius cacochymos eos vocet, in quibus alius à sanguine humor redundat. Quod si in habitu corporis huiusmodi humores exuperent, peculiaria nomina consequitur talis redundantia. Quæ enim à bile fit per vniuersum habitum sparsa, icterus, & à nostris morbus regius: quæ verò ab atra bile,

Πλησμονή.

Satietas.

Πληθώρα.

Πληθώρα.

Φλεγμονή.

Θρόμβος.

Cacochymia.

Κακοήθεια quid & quomodo à corruptione differat, & quomodo à multitudine.

Icterus.

Elephātiasis. Leucophlegmatia.

bile, elephātiasis; à pituita, leucophlegmatia hydropis species, in qua corporis partes tumidæ, & mucosæ conspiciuntur, dicitur: In partis vero alicuius substantia imbibito humore à bile flaua, herpes, & erysipelas, ab atra cancer, alter scirrhus: A pituita tenui quidem œdema, à crassa scirrhus: seroso humore in ventris partibus collecto ascites; circa testiculos hydrocele nuncupatur. Quod si in partis cauitate humor contineatur, ita vt tumorem non faciat præter naturam, multitudo vocatur cum denominatione humoris abundantis, veluti cum in ventriculo, capite, & reliquis partibus nunc bilem, nunc pituitam abundare dicimus.

Herpes. Erysipelas. Cancer. Scirrhus. Œdema. Hydrocele.

Cæterum ex horum humorũ mixtione, & varia alteratione, mixti, & varii affectus fiunt; de quibus hoc loco agendũ nõ est. At si spiritus flatuosus abundet autore Galeno *in libro 4. de Victu acutorum* huiusmodi vitium πνευμάτωσις, à nobis vero inflatio dicitur. Colligitur autem in variis partibus flatus, vt sub peritonæo, circa ventriculum, & intestina, qui vbi insignem tumorem facit, tympanites hydropis gens constituitur. Aceruatur præterea in membranis internis, intendonibus membranosis musculorum, & spatiis, quæ sola ratione cognoscuntur, vocaturque huiusmodi abundantia pariter inflatio cum partis adiectione, vt inflatio ventris, vel intestinorum. Quod si carnis multitudo sit, à Græcis πολυσαρκία, vt videre est apud Gal. *lib. 2. de Temperamentis*, à nobis corpulentia nuncupatur, præsertim si in corpore vniuerso fuerit. Jn partibus enim sæpius etiam caro abundat, vt in testibus sarcocele dicta, & epulides, parulides, thymi, quæ nihil aliud sunt (vt Gal. autor est) quam carnosa quædam germina. At quæ ex pinguedine fit multitudo, obesitas nominatur, & totum, partemque obesam vocamus: si à pure contingat, à nobis suppuratio, à Græcis vero ἐμπύημα appellatur. At quæ ex substantia puri respondente nascitur, veluti quod ex coctione humorum, quæ in venis, & arteriis per febres obitur, subsidet in vrinis, hypostasis, & sedimentum appellatur; fit nonnunquam ab alia substantia, quæ in corpore gignitur, vt in abscessibus refert Galen. lapides, sabulum, vrinam, vngues, ossa, ligna, testas, amurcam, sorditiem, & substantiam melli similem reperiri, vnde huiusmodi multitudo μελικηρὶς dicitur: quæ vero ex substantia seuo simili conficitur στέατωμα; quæ pultem refert ἀθέρωμα nominata est.

Πνευμάτωσις. Inflatio. Tympanites. Polysarcia. Corpulentia. Sarcocele. Epulides. Parulides. Thymi. Obesitas. Ἐμπύημα. Suppuratio. Hypostasis. Sedimentum. Μελικηρίς. Στέατωμα. Ἀθέρωμα.

Porro huiusmodi substantiæ omnes multitudinem, quæ est ad proportionem, cum excedũt, semper committunt, eam vero, quæ ad vires, aut vasa non item, nec omnes eodem loco id facere possunt, siquidem alia solum in parte vna multitudinem excitant, vt cibus, potus, pus, & alia, quę in abscessibus, & quibusdam partibus duntaxat gigni diximus: alia vero in toto, & parte, veluti humores singuli, caro, pinguedo, spiritus, quorũ quædam multitudinem committunt ad vasa in toto, & parte, quemadmodum sanguis, spiritus, serosus humor, pituita, vt apparet in leucophlegmatia, vbi vniuersum corpus à pituita distenditur: quæ vbi in partem decumbit, œdema facere solet. Alia vero sunt, quæ excitant multitudinem ad vires in toto, in parte ad vasa, vt bilis vtraque: nam in toto corpore redundãtes huiusmodi humores vasa distendere nequeunt, in partem vero quampiam irruentes, eam, illiusq; vasa præter modũ replent, & tendunt, cum qua tamen alia etiam coniungi potest, quæ virium ratione spectatur, si modo illæ ea multitudinẽ grauentur. Ad vires in parte eadem aliquando pariunt multitudinem, cum si partem, quam occuparunt, non distendunt, vires tamen grauant. Ex quibus quidem complicationes harum multitudinum vnicuique facile innotescere possunt.

Signa multitudinis ad vires, secundũ Galenum.

Nũc vero quæ sint propria cuiusq; multitudinis indicia, tradenda sunt: de qua re Gal. *in lib. de Multitudine, lib. 1. de Differ. febrium, nono Methodi, in libro de Venæ sectione*, & *passim alibi* scribit. *Est aũt*, inqt, *eius quæ ad vires dicitur, natura, quod vires grauet, cuius causa potest esse mediocritas, paucitas, & multitudo materiæ pro virium robore, & imbecillitate, incipereque potest cum bonitate humorum, non tamen diu potest cum illa permanere, quandoquidem omnino necesse est humores, qui regi a viribus nequeunt, putrescere, & corrumpi: In sanis præterea, & ægris consistere potest. Parit ergo putredinem, & corruptionem, præterea difficiles motus, tumores præter naturam, & febres. Vnde si in toto corpore continetur, ex totius grauitate, & pigritia (siquidem parua multitudo fuerit) deprehenditur: Sin autem magna, ex signis prædictis auctis, adiuncta mentis tarditate, & sensuum hebetudine dignoscitur; quod si in aliqua parte consistat grauitas membri illius indicium est.* Verum hæc simpliciter huius multitudinis propria non sunt signa: nam partis quoque pondus sequitur grauitas, veluti in paralyticis contingit. Præterea cum grauitas non nisi à partibus sensu præditis percipi valeat, non potest illa multitudinem partium, quæ non sentiunt indicare, sed solum earum, quæ sensu sunt præditæ: nec vero in his omnibus multitudo grauitatem parit: quæ enim parua est, in partibus difficilem sensum habentibus, sine vlla grauitate infestat. Quare de notis huius multitudinis ita statuendum est, nullas omnibus communes esse, nec etiam quæ propria dicuntur indicia, vt grauitas quę partib. sensu præditis propria ponitur, perpetua esse possunt, nisi distinctio hæc adhibeatur, vt Gal. nonnũquam facit; si, inquam, partes manifesto sensu sint præditæ, veluti ventriculus, vesica, caro, nerui; huiusmodi enim partes ab omni multitudine, quæ vires exuperet, grauitatem quandam sentiunt, estque grauitas huiusmodi multitudinis certissimum indicium, nisi põdus partis grauitatis fuerit causa, id quod intelligimus, si nullus presens est morbus, aut proxime præcesserit, aut iam immineat, aut ætas sit, quæ membra ob infirmitatem regere nequeat, veluti senectus, & prima infantia: quod si pondus partis substantia quædam est, quæ vires grauet, nihil tamen ad rẽ nostram facit, vtpote qui de multitudine humorum hic agimus. At si partes obscuro sensu sint donatæ, vt pulmo, iecur, renes, ossa quædam, multitudo autẽ pauca fuerit, nulla grauitas percipitur. Si vero multa, obscure; vt Gal. se in osse multitudinem persensisse commemorat. Quod si nullus omnino adest sensus, vt in quibusdam ossibus, pinguedine, adenib. nonnullis, medulla, cerebro, spinali medulla, (& vt quidam putant) carnẽ hepatis, lienis, pulmonis, & renum con-

Secundum autorem.

Quæ viscera sentiant grauitatem & quæ non.

tingit, vt nihil possunt huiusmodi partes sentire, necgrauitatem. Nec moueri quidē oportet, sic quod grauitas in visceribus his nonnunquā sentiatur: non enim viscerum ipsorum est affectus, sed ambientium ea membranarum, & tunicarū; ac nihil profecto inuenio scriptum, quod venarum, membranarum, cartilaginum, ligamentorum, adenum, ossiumq; ipsorum multitudinem hāc indicet, nec etiam quid naturales facultates hac multitudine laborantes ostendat: Quod enim quidam hanc indicari dicunt ex nutritione imbecilla, deprauata, abolita, malo corporis colore, attractionis, retentionis, coctionis, expulsionis naturalis, appetentiæ, & deniq; reliquarū naturalium actionum vitio, non tam facultatem eam multitudinem humorum molestatā, quam alio morbo, vt intemperie, affectam monstrant.

Signa grauata facultatis naturalis nullibi reperiri.

Signa vitalis facultatis multitudine grauatæ.

Vitalem sane facultatem multitudine grauatam prodit pulsus inęqualis in vna pulsatione, quemadmodum Gal. probat; animalem verò (cum illius facultas sit sentire, & mouere) grauitas, & ad motū pigrities, præhabitis prædictis distinctionibus, & aliarum operationum læsio testantur, nisi morbos hæc sequatur. Neq; vero ab essentia rei notę duci possunt ad eam multitudinem, quę in quadam collatione consistit, ostendendam. Causę præterea, quę eam committunt, nihil certum præbent, quandoquidem corporum diuersa est conditio, fieriq; potest, vt aliquid vnū grauet, alium vero minime. Non sunt tamen prorsus contemnenda indicia, quæ à iuuantibus, & lædentibus causis sumuntur: Quæ autem genus materiæ, & qualitatis multitudinem hanc committentis declarant, ex his, quæ tradidimus de cognoscendis humoribus, petenda.

Signa itidē animalis.

Signa multitudinis ad vasa.

Iam vero multitudinis ad vasa notæ tradendę sunt, quam duplicem facit Gal. contra Julianum, vbi scribit, vnam esse, in qua vasa plus humoris habent, quam habere debeant: aliam, quæ non solum naturalem mensuram excedit, sed prętereà intra vasa non capitur; videturq; huic vltimæ plethoræ nomen conuenire. cum scribat *in libro de Multitudine* plethoram nondum esse, cū sanguis venas non distendit: vel ergo multitudo ad vasa nondum, aut iam est præter naturam, illa ex tumore partis indicatur, vt si in venis, tumore venarum; si in carne, tumore carnis, hæc autem tumore, & tensione dignoscitur, quę si adhuc increscat, tensionem ruptio sequitur. Cum autem plethorā, cacochymiam, & cachexiam scribit Gal. *1. Methodi* esse præter naturam, non de omni huiusmodi vitio, sed de eo, quod multum excesserit, intelligendum est. Vtitur autem Gal. distinctione, vt materia multitudinis huius causa certo depræhendatur. Nam venarū tumor à sanguine, & spiritu fieri potest. Creditur autem nunc à sanguine fieri, si vniuersum corpus æqualiter calet. Requirit præterea Gal. partis moderatum situm: verū id non tam ostendit à sanguine non committi, vt eum in omnibus venis minime abundare: Cum enim decliuis pars continetur, sanguine quidē repletur, etiā si huiusmodi humor in corpore non vigeat, sed quæuis alia materia. Vnde hoc signo vti non licet ad materias inter se distinguendas; quæ in eadem parte redundare queunt. sed vt intelligamus, an in toto corpore, vel in vna solū sit redundantia, quippe cum in proprio situ pars detenta tumidas ve-

A nas habet, in vniuerso corpore sanguinem potissimum exuperare intelligimus: tradit alia Gal. de natura, proprietate, & effectib. huius multitudinis, quod s. cum bonitatem suam seruat, pariter augeatur cum virium robore: quod si has grauet, bonitatem naturæ amittat, nec amplius augeri possit, sed necessario in putredinem degeneret, nimirum quod illius causa vt plurimū est sanguis, calidum s. & humidum corpus, & ob id putredini expositum: quod præterea pariat obstructiones, difficiles corporis difflationes, venarum tensiones, apertiones, ruptiones, quod motum, & sensum perdat, inflammationes gignat, & calorem natiuum suffocet, obturatis corporis perspiraculis. Quæ quidem de multitudine sanguinis in vniuersis vasis contenti intelligenda

B sunt. Carnis enim, & aliarum multitudo huiusmodi vim non habet, liceat tamen ex aliis indiciis huiusmodi multitudinem deprehendere: veluti ex causis propriaq; materiæ abundantis essentia, & ex aliis effectibus, de quib. omnib. abunde superiori capite egimus: Neque vero illud hoc loco expectandum est, vt notas doceamus multitudinis, quæ in proportione vitiata est cōstituta: Nam qui cuiuslibet humoris vincentis signa tenet, eodē negotio cognouerit, quis qualisq; sit humor, vel alia substantia, quæ proportionem vitiat. Licet enim ex humorib. ad alia facile transire. Frustra præterea prosequeremur notas multitudinis compositæ, veluti eius, quæ

C virium, & vasorum ratione, vel etiam in proportione vitiata simul consistit; quippe cum eo intellecto, quod simplex est, facillime, quæ sunt composita, innotescant. Quare ad reliqua redeundum est.

CAP. IX.

De morborum, eorumque causarum, & symptomatum signis.

Etsi ea, quæ hoc loco proponuntur, ex iis, quæ superius tradita sunt, intelligi posse videntur, quando quidem hæc illis contraria existunt, ne quid tamen lectori in tractationis filo desideret, paucis hæc expediemus.

Signa morborum vnde sumantur.

Igitur morbum propria illius essentia, illius effectus, causæ & similitudines ostendunt: vbi e-

D nim vulnerata est pars aliqua, structura corrupta conspicitur, & per seipsam omnib. se prodit: sic febris ex calore, in quo eius natura, & essentia posita est, agnoscitur, & (vt semel dicam) omnis intemperies, omnisq; structura corrupta per suā essentiam comprehenditur. Docent & causæ, quæ morbos committunt. Si quis enim ense hominem valide percusserit, illatū illi esse vulnus, & morbum in eo excitatum, ex agēte causa colligimus: febrem vero aut alterius generis intemperiem deprehendimus ex causis præsentibus, aut paulo ante gressis, quæ huiusmodi morbos committendi facultatem obtinent: actionū vero vitia, & qualitates, excrementaq. & alia opera, quæ præter naturam censentur, tanquam ef-

E fectus morborū eorundem sunt indices: Si quis præterea remediorum vsu iuuetur, victu autem & similibus, offendatur, ex iuuantibus, lædentibusq; causis corpus præter naturam habere, intelligimus; quod si quempiam perinde affectum atque alium, quem certo nouimus morbo conflictari, videamus; ex illius similitudine colligimus, hunc pariter, vt alium affici.

Eadem

Signa causarum et symptomatum. Eadem quidem ratione morborum causas A dignoscimus. Si cui enim febre correpto exeat bilis, ipso humore conspecto, morbi causam agnoscimus: Rigor tanquam bilis per vniuersum corpus delatæ effectus, causam, à qua prouenit, indicat: Sic etiam venarum tensio, ruberque color in febricitantibus humorum multitudinem, obstructionis febrisque causam testantur: debilitata ventriculi concoctio, reliquis causis constantibus, communis instrumenti vitium prodit. Quinetiam victus ratio, quæ præcessit, biliosa, & ea, quæ bilem augent, aut extinguunt, & mitigant, tanquã causæ remotiores, propinquiores alias morbi causas monstrãt. Hac quidem ratione *libro primo de Locis affectis* Galen. colligit, an pus, vel crassus lentusque hu- B mor vrinarium meatum obturet, quod sea præcesserint, quæ hæc procrearunt. In his vero, qui similiter affecti putantur, si euêtus aut alia ratio patefecerit, quæ, qualisque esset in vno morbi causa, similitudo docet, idem de alio credendum. At præsentem rigorem vnusquisque per se agnoscit, vtpote suapte natura conspicuum. Quod in corpore sinceram bilem redundare perspectum fuerit. Idem ex causis colligimus, nimirum quod causa, quæ in corpore continetur, rigorem in febribus efficere soleat: frigus vehemens, quod rigorem, vehementemque corporis concussionem sequitur, decoloratioque, & si qui alii sunt, quæ effectuum morborum effectus, veluti excrementa præter natu- C ram, quæ læsas actiones sequuntur, posteriores priores significant, & in omnibus similitudo cognitionem iuuat.

Cap. X.

Quibus indiciis morborum, earumque causarum, & effectuum genera cognoscantur.

VT genera, & differentiæ rerum ex suis generibus & differentiis signorum cognoscantur, docendi ratio postulat. Igitur genus morbi quod cõsistit in intemperie, ab alio, quod in structura instrumentariarum partium D ponitur, ex propria essentia genere diuersa, ex suis causis, & effectibus, & similitudine eodem modo discrepantibus percipietur. *Morborum genera per quæ dignoscuntur.* Si enim in corpore sentiatur intemperies, aut forma sit vitiata, similares partes morbo laborare cognoscimus; Si in conformatione, magnitudine, numero, cõiunctione, vel vnione vitium appareat, instrumentariæ partis morbus est. Partes præterea morbi genus morbi indicãt. Qui enim per accessiones exacuũtur, ex humore, & intemperie consistunt; qui vero in generalia solum tempora diuiduntur, his exceptis, qui ex sanguine fiunt, aut cum sola intemperie infestant, nulla subiecta materia, quales sunt humidæ, siccæ, frigidæque intemperaturæ, & calidæ etiam, vbi E nulla adest putredo, neque fluxio, ex aliorum morborum sunt genere. Distinguunt præterea genera morborum inter se effectus, qui apti natique sunt diuersa genera sequi: nam concoctio vitiata in singulis partibus intemperiem testatur esse eum, qui subest, morbum. Ambulatio vero, quæ flexis, aut reflexis, aut contortis tibiis obitur, vitiatæ structuræ est indicium. At vitiosus color, qui in corpore apparet, non magis vnum, quam alterum morbi genus ostendere valet: *Vitia coloris quæ non demonstrant.* Siquidem coloris vitia, & obstructiones viscerum, & male peractas concoctiones, vel expulsiones, vel attractiones, vel retentiones humorum sequuntur. Quemadmodum ipsæ concoctiones, & aliæ functiones, quæ in publicis instrumentis exercentur: nam quod ventriculus perperam nutrimentum conficiat, intemperies potest esse causa: Potest nihilominus vlcus subesse, aut vulnus, quod vitiato instrumento, retentionem, & vna concoctionem labefactat. Vnde necesse est, vt is, qui velit morborum genera ex effectibus dignoscere, perspectum prius habeat, quid morbos similarium, quid vero instrumentariarum partium, peculiariter aut promiscue sequatur. Jam vero causæ, quæ intemperiem solum inferunt, iuuant, vel lædunt, aut illatam conseruant, huius, & non alterius generis morbum manifestant. Quis enim intemperiem esse non dicet affectũ, quem externus calor peperit, quem frigida iuuant, lædunt autem calefacientia, & fouentia? Præbet in hac re sua quoque indicia materia, in qua morbus concipitur. Sic enim in intemperie morbum esse agnoscimus, si in spiritu aut humore vitium est. Si quidem colligimus diariam esse febrem, si spiritus; synocham vero, si sanguis in corde præter naturam est excalefactus. Neque vero desunt ex similitudine notæ: nam si quis ex morbo perierit, dubiumque fuerit, dum adhuc viueret, an inflammatio internam aliquam partem; vel sola intemperies vniuersum corpus infestaret: dissecto autem cadauere, agnouerimus, solam fuisse intemperiem, colligemus profecto idem morbi genus esse in his, qui similiter affecti reperiuntur.

Cæterum quæ & cuius generis sit causa, quæ morbum infert, eadem signa monstrant: nam bilis, quæ in corpore redundare conspicitur, & effectus, qui ab ea proueniunt, & causæ, quæ illam gignunt, minuunt, augent, aut alio modo iuuant, aut lædunt, humorem, qui intemperiem parit, non aliam causam docent: Sic profecto febris, quæ per accessiones non affligit, tanquam effectus excalefacti, vel putrefacti sanguinis, testatur causam esse, quæ intemperiem vitiet, & cuius generis ea sit, quæ vero per interualla intenditur, remittiturque febris, alios humores in causa esse denunciat.

Eodem pacto quæ, & quales sint causæ morborum instrumentariarum partium, ex propria eorum essentia, propriis causis, & effectibus deprehendes, veluti etiam cuius generis sit symptoma, an ex illis scilicet, quæ intemperiem, aut viciatam structuram sequuntur, an vero ex illis, quæ calidam intemperiem, aut frigidam, aut humidam, vel siccam, aut potius formæ corruptionem, aut viciatam conformationem, magnitudinem, numerum, coniunctionem, vel vnionem labefactatam comitantur: Nam essentia symptomatum id ostendit, cum quædam ex illis sint, quæ intemperiem solum sequuntur calidam, vel siccam, vt sitis; alia, quæ frigidam, vt fames; alia denique, quæ solum similarium, aut dissimilarium partium vitia, & in vnoquoque genere peculiares quosdam morbos sequi sunt

apta. Sic & peculiares quædam sunt causæ, quæ huiusmodi symptomata inferre, intendere, minuere, iuuare, lædereque possunt: peculiaria alia sunt symptomata, quæ à prioribus gignuntur, & illorum, tanquam effectus, sunt testimonia. Sunt & in vnoquoque genere genera similitudinum, peculiaris naturæ. Ex quibus quod in hac re quæritur, ne cogamur singula exemplis patefacere, quilibet, qui omnino negligenter, quæ hactenus tradidimus, non legerit, inuenire poterit. Nam genera summa ex summis generibus, & inferiora ex inferioribus deprehenduntur.

Cap. XI.

De indiciis morbi magni.

VT genera morborum symptomatum, & causarum patefacere studuimus, sic nunc de notis agendum est, quas aliquis in singulis morborum differentiis, quarum causas antea explicauimus, habere possit. Qua in re Galen. scribit *libro de Constitut. artis medicæ*, differentias morborum ex illorum, & symptomatum generatione, & causis suis patefieri, at quo modo id fiat, non docet. Nos autem ab eisdem fontibus signa ducemus, si quidem differentes morborum essentiæ, eorum causæ differentes, & inter se discrepantes casus, & similitudines differentias semper indicabunt. Præstatque hoc modo, meo quidē iudicio, rem prosequi, quam vt Galenus facit, qui in singulis differentiis tractationem variat, diuersaque signorum genera perpetuo constituit, & raro rem, de qua agit, vnquam perfectè explicat: hinc est, quod sæpius de eadem re passim scribit, tanquam memor imperfectæ explicationis, quā alibi fecit. Ac ne longius abeas, magnitudinē morbi ex magnitudine symptomatum cognosci, scribit *libro tertio de Crisibus*: in eo vero, quem edidit *de Temporibus morborum*, eum morbum, qui sua natura magnus sit, ex vrinis oleaceis, & sputis, signisque aliis lethalibus manifestari commemorat. Qua in re imprimis deficere videtur, quod cum morbum magnum multipliciter dici putet, non distinguat, quomodo magnum intelligi velit, cum ex magnitudine symptomatum eum significari refert. an scilicet intelligere oporteat magnum eum, qui huiusmodi est sua natura, an vero potius, qui ex virium ratione magnus censetur. Deinde explicandum fuerat, quid per magna symptomata intelligi velit; an quæ desperatam salutem nuncient, an potius, quæ vehementes causas ostendunt. Præterea vrinæ oleaceæ, & sputa signaque alia perniciosa non tam morbum sua natura magnum, quam qui vires excedit, aut etiam malignum repræsentant. Postremo non solum ex magnitudine symptomatum, sed etiā ex causarum, & ipsarum dispositionum magnitudine, & similitudine aliorum magnitudo morbi deprehenditur. Magni etenim sunt, qui sua essentia magni, qui à magnis causis sunt excitati, qui in parte consistunt, vbi huiusmodi morbi gigni possunt, qui ex materia apta sunt procreati, qui quenon nisi à magnis remediis iuuantur, & qui ab omnibus rebus noxiis etiam minimis læduntur, & quos nouimus esse simillimos his, quos magnos antea didicimus. Ergo morbum magnum ita dictum, quod magnam vim habeat (nam de eo, qui confertim affligit, dicemus, cum de vehementi agemus) ostendunt imprimis magnæ dispositiones, vt magna vulnera, magnæ febres; quinetiā morbi, qui accessiones longas, inordinatasque, & anticipantes, aut in eodem statu permanentes sortiuntur, magni, validique esse solent. Causæ, quæ magnam vim obtinent, velut quæ vulnerant, calefaciunt, & refrigerant, contundunt, rumpunt, frangunt, suapte natura morbos magnos inferunt, & declarant. In neruis, partibusque neruosis, vel quæ principatum obtinent, aut publicum munus in corpore exercent, magnæ oriuntur dispositiones, & ortæ indicantur loci ratione, in quo consistunt. Magnam vim ad agendum sanguis & bilis vtraque, calida denique vel acris materia, & copiosa obtinent vnde ex ea tanquam ex causa ex qua morbi magni prouenient, eorum magnitudinis notas ducemus. Difficile præterea feruntur morbi magni, quo indicio febres intestantes non diarias, sed putridas esse noscimus, quod s. diariam facile ferat, qui laborat, difficile autem putridam. Sequuntur dolores magni, immoderata sitis, vigilia, sopor, inquietudo, magna in excrementis & colore, ac reliquis qualitatibus mutatio. Hæc enim tanquam effectus magnitudinis morborum sunt testimonia. Nec vero alienum est, eos magnos existimare, qui magnis aiiis sunt simillimi. Sic enim acceptum in brachio vulnus magnum morbum putare licet, quod in crure nouerimus, aut in eadem parte alteri idem accidisse. At magnum ita vocatum morbum, quod vires ægrotantis, vel medicinæ superet, eadem signa ostendent. Etenim cancer, apoplexia & elephantiasis hoc modo morbi magni suapte natura censentur, ac ex propria essentia, quam habent, magnitudinem declarant. Qui perpetuo affligunt morbi, magni esse consueuerunt, si præsertim cum febre id fiat. Atrabilis morbus, quos committit, magnos esse significat, quemadmodum & magna putredo, & omnes magni excessus: Difficile quoque vincuntur morbi, & magni creduntur, qui nobiles corporis partes, aut vniuerso animali famulantes occupant. Huius generis etiam sunt morbi, quibus nulla, aut pauca prosunt remedia, obsunt autem plurima. Idem quoque testantur abolitæ, aut admodum infirmæ, aut alio modo plurimum labefactatæ actiones, & mutationes insignes qualitatum corporis, & excrementorum, ac aliorum operum, quæ in corpore pessime peraguntur: notumque illud quoque puto genus signorum, quod a similitudine sumitur, his morbis non deesse.

Galeni sententia de signis morbi magni reprehenditur.

Magni morbi qui.

Morbi eorum magnorum vim magnam habentium signa ... demonstrantur.

Signa morborum magnorum alio modo ita dictorum.

Cap. XII.

De æstiui, vernalisque morbi signis.

AEstiuos, qui s. æstati sunt peculiares, ex propria natura morborum intelligimus: nam tertianam exquisitam, febres ardentes, vomitus, alui profluuia, nonnullas etiam quartanas, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes, & genitalium putredines inter æstiuos morbos

Sectio 3. aph. 21.

Aph. 20. morbos recenset Hippocrates. Inter vernales vero, furores, atram bilem, morbos comitiales, sanguinis profluuia, anginam, grauedines, raucedines, lepram, tussim, impetiginem, vitiliginem; exanthemata, tubercula, & articulorum dolores: Proprios autumno scribit esse febres quartanas, & alias erraticas, lienis morbos, aquam inter *Aph. 21.* cutem, tabem, vrinæ stillicidia, difficultatem, lænitatemq; intestinorum, coxendicum dolores; anginam, difficilem spirationem, voluulos morbos comitiales, furores, & atram bilem. Inter *Aphoris. 23.* hyemales hos ponit, laterales morbos, pulmonis inflãmationes, grauedines, raucedines, tusses, dolorem pectoris, laterum, atq; lumborum, & capitis, vertigines præterea & apoplexias. Vnde ex propria natura morborum intelligemus, qui æstiui, hyemales, vernales, autumnalesq; esse possint. Docebunt id quoque caussæ, quæ morbos pariunt: Siquidem aer frigidus, otium, crapula, refrigerantes humectantesque cibi, ac reliquus victus, qui pituitã aceruat, hyemales morbos, id est, similes iis, quos hyems facit, procreat: Aestiuos autem his contraria committunt. Eadem sit de vernalibus, & autumnalibus ratio. Præbet nihilominus subiecta materia ad horum morborum dignotionem notas. Etenim caput, ventriculus, intestina, pulmo, & pectus gignendæ excipiendæq; pituitæ, & recipiendis hyemalibus morbis maxime sunt exposita. Hepar æstiuorum morborum; lien autumnalium; vernalium cor potius fons existit. Eadem præbent signa corporum differentiæ: nam crassa, obesaque corpora hyemalis pituitosiq; morbi indicia præbent; æstiui vero gracilia, & suapte natura biliosa. In sanguineis vernales morbi, in melancholicis autũnales creari. Quod si didicerimus, quosdam morbos non nisi certis temporibus accidere, alios, qui illis sunt similes non nisi in eisdem temporibus cognoscere tentabimus; Veluti si pestilentes morbi æstiuo potissimum tempore proueniunt, pestilentes febres, vel alium huius generis morbum verebimur esse, qui vel æstate, aut in simili tempestate infestat: Symptomata, quę sequuntur peculiariter æstiuos morbos, eorum sunt indices.

Quæ partes quib. secundum tempora distinctis morbis maxime sunt obnoxia.

Cap. XIII.

De notis morbi biliosi, & pituitosi.

Biliosos morbos ex propria illorum naturã dignoscimus. Qui enim tertianam intelligit esse, statim etiam, quod morbus sit biliosus, comprehendit. Cancer vero, & scirrhi alterum genus, elephantiasis, mania, atrabilarii morbi sunt: pleuritis, peripneumonia, angina, sanguinei; pituitosi vero œdema, aqua inter cutem, & altera scirrhi species: ex caussis præterea, quæ bilem gignunt, aut extinguunt, ex loco corporis, vbi huiusmodi humor gignitur, ex ipsius retentione aut excretione idẽ declaratur. Idem quoque ex effectibus, qui bilem redundantem sequuntur, nempe ira, morsu, calore, siccitate, siti, vigilia, gracilitate, cutis pallore, & cæteris animi, corporisque accidentibus, quæ per morbos biliosos apparent, cognoscitur. Hoc enim pacto ardentem febrem biliosam credimus, quod in corpore bilioso, curis, laboreque confecto, aut biliosa victu vso oriatur, & quod excrementa biliosa reddantur per huiusmodi morbum, & quod prædicta symptomata comitentur, multaque communia, & similia habeat cum his, qui aliis biliosis morbis infestantur. Quinetiam ex illius motu, & partibus signa sumemus. Siquidem celeriter mouentur biliosi morbi, grauiterque hominem afficiunt, & certis quibusdam diebus, & horis intenduntur, remittunturque, præsertim si huiusmodi humor putredinem asciuerit. Idem putandum est de pituitoso, sanguineo, melancholicoque morbo: nam ad proportionem eadem quoque illorum sunt signa.

Morbi atrabilarii. Sanguinei. Pituitosi.

Cap. XIV.

De signis morbi in habitu.

Morbum in habitu, qui ita vocatur, eõ quod habitum corporis occupet, morbi natura ostendit. Quidam enim sunt, qui in eo solum gignuntur, quemadmodum hectica febris, quam cum præsentem esse dicimus, statim etiam morbum in habitu esse intelligimus. Accidentia, effectusque morbi, qui in habitu præsertim apparent, illic morbum consistere indicant. Quin & caussæ, quæ eas partes corporis præcipue infestant, earumque dispositionibus prosunt, aut obsunt, morbum in habitu corporis consistere manifestant. Qui vero in habitu dicitur esse, eo quod difficile solui possit, ex natura morborum cognoscitur. Etenim cancer, & elephantiasis suapte natura ægre tolluntur; quemadmodum & quartana, quotidiana febris, & aqua inter cutem, scirrhus, lienisq; durities. Bilis atra, eo quod huiusmodi morbos gignat, eosdẽ etiam patefacit. In neruis, ossibus, pudẽdis, senibus, infirmisq; corporibus, qui gignuntur morbi, ægre admodum soluuntur, & plerumque in habitum transeunt, sicut etiam, qui difficile cedunt iuuantibus auxiliis. Quibus autem cutis admodũ est adstricta, aut aliĩ meatus, per quos noxia materia excerni debet, in his pertinaces morbi reddũtur. Quapropter autumnales, hyemalesque morbi ægre admodum discutiuntur, quod per ea tempora cutis sit adstricta, & humores vigeant, qui non nisi magno negotio concoquuntur, & extruduntur. Præterea inter symptomata quædam sunt, quæ curatu difficilem morbum ostendunt, vt asperitas, durities, niger color, summa gracilitas, aut tumor corporis, & excrementa multa, varia, & cruda. Actionum vero offensiones, quę grauiores sunt, necessario non repræsentant contumacem, solutuq; difficilem morbum esse, quandoquidem magnam labem hæ patiuntur per morbos acutos, qui tamen breui temporis spatio desinunt. Illæ ergo solum firma præbebunt contumacis morbi indicia, quæ sensim labuntur; stabiliorẽ enim caussam, huiusmodi habent, & à firmioribus morbis proueniunt. Nam vt Hippocrates scribit, paulatim refici corpora, quæ paulatim extenuantur, Sic paulatim dissoluuntur morbi, qui eo modo, debilitatis viribus, lædunt. Pedum vero, & tibiarum morbos rebelles iudicamus, quod similes nouerimus his, qui manus, & brachia. Quemadmodum duros tumores ex melancholico humore confectos cancri similitudine rebelles censemus.

Cur morbi autumnales & hyemales ægre tollantur.

Cap. XV.

Quæ vehementem morbum monstrent, & acutum.

AT morbos vehementes declarat propria illorum natura: nam pleuritidem, phrenitidem, continentes ardentesque febres inter vehementes morbos numeramus, & qui eorum nomine vtitur, statim ex ea, quæ subest, natura vehementem morbum agnoscit, sanguis vero, & bilis, & feruens adhuc atra bilis vehementem ad agendum vim obtinent: quapropter vehementes etiam morbos procreant, & ostendunt: quod testantur inflāmationes, carbunculi, prædictæ febres, quæ paruo temporis spatio, & interim multum molestant. Quinetiam in partibus, quæ sensu exquisito sunt donatæ, vel principatū obtinent, vehementes morbi proueniūt. Neque enim illæ diu validius infestantes morbos sensu, vel robore insigni præditæ ferre possunt, id quod monstrant dolores, qui quanto magis affligunt, tanto vehementior morbus euadit. Adhæc produnt hoc genus morbi vehementia symptomata, vt vehemens sitis, vigiliæ, vrinæ admodum rubræ, excrementa tosta, quęque igneum colorem prę se ferunt, ac per febres rubedo in vultu, & magnus æstus, qui in toto corpore percipitur, impedita difficilisq; admodum respiratio per cordis pulmonisque affectus eiusdem morbi sunt testimonia. Censendi nec non etiam sunt vehementes morbi, quibus vehementia remedia potissimum opitulantur, alia autem vel obsunt, vel non prosunt: Qua ratione ardentes febres vehementes cognoscimus, quod scilicet leui sanguinis eductione, & his, quę exiguam refrigerandi vim habent, minime mitigentur, sed omnino requirant præsidia, quæ confertim prodesse possunt. In his præterea, qui ægre transpirant, vehementes febres gignuntur. Requirit deinde vehementis morbi generatio subiecti corporis robur, aut certe non omnino languidas vires, argumento, quod omnis morborum vehementia, morientibus, quæ nostrum corpus regunt, facultatibus elanguescat. Ex aliorum vero similitudine vehementes morbos cognosci certius est, quam vt demonstrari debeat, contra vero leues morbos ex contrariis indiciis intelligimus. Etenim diaria febris suapte natura leuissimus morbus est, veluti omnes fere alii, qui ex tenuissima materia, vt spiritu, nascuntur: vel ex frigida, & pauca, qui in parte ignobili, vt cute consistunt, quique à leuissimis remediis alleuiantur, magnis autem potius offenduntur: & deniq; qui contrariam supradictis naturam sunt sortiti. Acuti autem morbi indicia nemo requiret, si modo is cum vehementi eiusdem est naturæ, & rationis: Quemadmodum antea ostendimus.

Cap. XVI.

De notis morbi continui.

CÆterum cōtinuos, qui nunquam desinūt, morbos, donec finiantur, significant imprimis morbi, qui suapte natura sunt tales, vt angina, febris ardens, diaria, & quæ synochæ dicuntur, inflammationes, & reliqui omnes tumores præter naturam. Qui enim aliquem ex his morA bis nominat, continuum morbum esse statim agnoscet, quod eorum natura sit continuo hominem affligere. Atqui sanguis vbicunque consistat, infert morbos continuos: bilis autem, pituita, & humor melancholicus non nisi in parte aliqua impacti, vbi tumorem præter naturam efingunt, vel in vasis internisq; cauitatibus corporis putrescentes id faciunt. Si enim in habitu corporis putredinem conceperint, aut meatus inuenerint, per quos certis temporib. reiici queant, interpolatos morbos & pariunt, & ostendunt. Quemadmodum videmus, colicos dolores ex tali materia natos sæpius per interualla repetere, nec continuo affligere. Ergo loci conditio, in quo morbus positus est, signa præbet cō- B tinuitatis, interpolationisque morbi. Iam vero quæ vulnerant, contundunt, frangunt, aut alio modo partium instrumentariarum structuram corrumpunt, inter efficientes causas continuos fere morbos inferunt, & testatur. Quod si quępiam essent, quæ continuos solum morbos iuuarent, aut lęderent, indicia quoq; continuitatis illorum traderent. Cæterum imbecillæ naturę, eo, quod morborum causas rescindere nequeat, continuitatis authores fiunt, & signa præbent. Quinetiam quæ apparent, & nunquam desinūt symptomata cum natura morbi coniuncta, eum esse continuum significant. Hoc enim modo continuas febres ab intermittentibus distingui vult Galenus, quod scilicet illæ sine rigore, & a- C liis quibusdam casibus continuis morbis peculiaribus, ea autem, cum aliis sibi propriis inuadant, continuas esse febres, quæ inuadunt, putamus, eo quod aliæ, quæ illis temporibus grassantur, continuæ omnes inueniantur. At continui, qui exacerbantur, aut perpetuum quendam tenorem seruant, hoc modo dignoscuntur. Nam synocha febris continua est, & nūquam exacuitur, contra semitertiana & aliæ omnes febres suas habent exacerbationes: veluti nonnunquā colicus dolor, & comitialis morbus, & podagra frequenter exacerbantur. Sanguis nullas accessiones infert; reliq omnes humores, excepto serolo, nunquam sine exacerbatione molestant. Qui vero morbi à remediis statim extingui que- D unt (quod præsertim in febribus apparet) vt sanguinem nondum putrefactum, vel spiritus morbum committere indicant, sic continentem eum esse monstrant: At omnes morbi, *qui absq; vitio humorum consistunt*, perpetuo quodam tenore sunt molesti. Ex iuuantibus, lædentibusq; causis, & ex similitudine nonnulla quoq; indicia capere poterit studiosus lector. Nam continentes eos putabimus esse, quibus prosunt remedia his morbis peculiaria, obsunt autem reliqua: necnon qui similes sunt his, quos antea eiusdem naturæ esse nouimus.

Qui humores accessiones inferant & qui non.

Qui morbi perpetuo tenore sint molesti.

Cap. XVII.

E *Quæ sint signa ordinati, inordinatique morbi.*

IAm vero ordinatum morbum, quique per certa tēporis interualla repetit, natura morborū imprimis ostendit, quippe tertiana, quotidiana, quartanaq; febris certo seruato ordine repetunt. Podagra, colicus dolor, calculus renū, capitis dolor, comitialis morbus, nullum certum ordinem seruant, cum non expectata huiusmodi vitia

di vitia sæpius eueniant. Causæ, quæ ex fluxione morbos pariunt, inordinatos eos gignunt, & excitant. Quæ verò ex putredine, eos, qui ordinem tuentur, manifestant. Quinetiam simplex & vnicus humor ordinati morbi author est & index: varius & multiplex inordinati. Si quæ præterea sunt causæ, & remedia, quæ morbis ordinatis, inordinatisque conferant & obsint, ab illis quoque signa sumemus. Nec alienum quidem est, ex subiecto corpore, quod afficitur, notas quasdam petere: siquidem neruorum dolores temere, nulloque seruato ordine repetunt intenduntur que. Qui verò in venis consistunt affectus, per certa interualla graues esse solent. Atque etiam symptomata, & accessiones, quæ per morbos contingunt, perspicuè ostendunt, an ordinatus, vel inordinatus existat. Quod si certis anni temporibus, in certisq; naturis, aut in omnibus morbos oriri videamus, qui ordinem seruent, aut corrumpant, alios, qui morbis tunc corripiuntur, similiter affici putandum est.

Cap. XVIII.

De æqualis, inæqualisve morbi notis.

Morbi inæquales qui.

ÆQualis, inæqualisve morbus ex propria natura cognoscitur. Diariam etenim febrem, & omnes alias, *quæ ex humore proueniunt*, inæquales morbos suapte natura esse credimus. Hecticam verò, & aquæ inter cutem speciem, quæ Leucophlegmatia dicitur, æqualem. Eodem pacto si aliquæ causæ iuuantes, aut lædentes sunt, quæ æqualibus duntaxat morbis prodesse, aut obesse sunt natæ, eorum æqualitatis erunt testimonia, cuiusmodi sunt remedia, quæ propriè hecticis febribus adhibentur. Atqui symptomata, quæ æqualem inæqualemq; morbum sequuntur, ad illorum dignotionem sua signa præbent. Cæterum inæqualem, in quo contrariæ alterationes in corpore sentiuntur, monstrat natura morbi. Epiala enim, & Lipiala febris suapte natura inæquales hoc modo morbi sunt: Tertiana æqualis. Calidus frigidusque humor confusi, & vnam partem affligentes inæquales morbos: qui verò calidus est, aut frigidus solum, æquales pariunt, & monstrant. Qui à frigido, & calido simul læduntur, & iuuantur, inæquali morbo laborant: qui autem à calido duntaxat, vel frigido, aut alia sola qualitate, æqualem morbum patiuntur. Symptomata præterea, quæ inæqualem morbum comitantur, vt cum quis calorem, frigusq; in eisdem locis sentit, inæqualem esse morbum, qui affligit, testantur. Nec absurdum quidem est ex similitudine, & proportione signa etiam in his sumi.

Qui æquales.

Cap. XIX.

De signis morbi, qui recidiuam facit.

GEnus hoc morbi eius natura, vt in aliis ostendit. Nam elephantiesis, & cancer, cum planè extincti vulgo videantur, redire tamen solent. Diaria semel curata non amplius reuertitur. Atra bilis, crassi, viscidique humores morbos solent parere, qui recidiuam faciunt, alii verò non item. In malè affectis corporibus, infirmis, malignisque humoribus, & dispositionibus similibus præditis, morbi gigni solent, qui simulata fuga retrocedunt. Accidentia præterea, quæ per morbos apparent, idem monstrant: Si enim coctiones non procedant, aut inæqualiter concoquatur noxia materia & nihil excernatur, aut non quando, per eaque loca, & quomodo oportet, non immeritò putabimus hoc genus morbi ex his esse, qui recidiuam facere consueuerunt. Contemnenda præterea non sunt indicia, quæ à similitudine ducuntur; Nam si plurimos in morbos incidere videamus, qui postea redire visi sunt, merito de aliis quoque, qui similibus morbis corripiuntur, existimandum erit: (sed hæc attingūt quodammodo prædicendi partem) quibus simile illud est, si ostendere niteremur, quomodo breuem, longum, salutarem, lethalemq; morbum dignoscere oporteret. Morbi vero qui primario vel secundario, siue per consensum infestat, notas trademus, cum signa docebimus, quibus partes affectas deprehendere liceat.

Quinam morbi præcipue soleant redire, & qui non.

Cap. XX.

Quæ proprium morbum monstrent.

PRoprium vero, id est, qui contumax iam sit, & permaneat ablata causa, quæ primo eum excitauit, ostendunt eadem genera signorum: Quidam enim morbi sunt, qui proprii hoc modo suaptè natura existunt, vt inflammationes, & reliqui tumores præter naturam in partibus oborti, intemperies, nisi vehementiores fuerint, remota agente causa, statim euanescunt, vt ostendit ea, quæ ab insolatione contracta est. Quinetiam inter morbosas causas, quæ pertinacem morbum inferunt, vt vulnerantia, contundentia, frangentia, proprii morbi sunt testimonia: quæ vero calefaciunt, aut refrigerant, contrarios morbos patefaciunt: At siccantia, & humectantia rebellioris naturæ morbos procreant, & declarant. In spiritu, & vapore morbi concipiuntur promptissimè, & improprii potius, quàm alterius generis, sicut etiam in mollioribus partibus corporis; duræ vero ad alios recipiendos, & significandos magis sunt aptæ. Omnium quidem optimè hos morbos inter se distinguūt symptomata: Quæ enim proprium morbum sequuntur, diutius permanent, pertinacem naturam sortita, quæ vero improprium, minimo temporis spatio perdurantia e[illegible]ant. Leuiora præterea sunt, quæ ab improprio morbo nascuntur; grauiora autem, quæ proprium comitantur: quod vero ex iuuantibus, lædentibusque causis, & similitudine horum quoque signa sumantur, omnibus constare puto. Cæterum vt nullus nostra opinione morbus est per accidens, sic nec illius indicia à nobis expectare oportet.

Morbū nullum esse per accidens.

Cap. XXI.

De morbi vniuersalis, & particularis indiciis.

POrro morbum vniuersalem, quique vniuersum corpus infestat, ex eisdem fontibus

excernuntur, & retinentur, extrinsecusque occurrunt, & à nobis geruntur, mutationes in singulis contingunt, etsi quædam peculiariter vnam constitutionem magis, quam aliam tueri &, labefactare sunt nata: veluti cibus crassus, qui obstructiones parit, illæsa interim partium temperie. At qui moderatam habet substantiam & concrementum, & vna etiam temperatus reperitur, naturalem temperiem & partium meatus pariter tuetur: Quod etiam motus moderatus facit, qui aucto natiuo calore similaribus prodest, & instrumentariarum cauitates expurgat, expeditasque seruat. Cæterum effectus qui diuersam hanc constitutionem sequuntur, horum genera quoque ostendunt. Etenim integræ partium similariũ functiones, vt attractiones proprii nutrimenti, eiusdem retentiones, alterationes, expulsiones excrementorum, quæ peracta nutritione in singulis partibus supersunt, atque opera ipsa, quæ temperiem sequuntur, veluti corporis excrementa, quæ idonea substantia quantitate, & qualitate sunt prædita; Præterea qualitates corporis, cuiusmodi est naturalis color, mediocris mollities, & quæ exhalant à corpore moderate affecta, & denique qualitates aliæ, quæ à primis emanant, cum secundum naturam singulis insunt, propriam similarium partium sanitatem monstrant: Idem pariter sentiendum est in partibus instrumentariis sumptis ab illorum effectibus indiciis. Sunt porro hi, sensatio, cogitatio, imaginatio, ratiocinatio, memoria, motus voluntarius, attractiones, retentiones, expulsiones, distributiones alimenti, quatenus à partibus instrumentariis obeuntur: Nam publicæ partes, cuiusmodi est ventriculus, duplices habent huiusmodi functiones, nimirum quasdam, quas solius temperamenti beneficio exercent, quæ quidem illis propriæ censentur, quatenus vt similares nutriuntur; aliis vero funguntur ad totius animalis vsum, cauitatum, filamentorumque, & demum eorum, quæ ad instrumentarias partes spectant, beneficio; ergo cum recte habent actiones, partes instrumentarias sanas repræsentant; ab eisdem vero fontibus signa capimus ad horum causas, & effectus ostendendos: Nam causæ, & effectus illorum ex propria natura, & causæ ex effectibus suis, & etiam ex aliis causis, si modo summi generis non fuerint, & effectus ex propriis causis, & ex aliis effectibus, si modo postremi non sunt, percipies. Veluti caliditatem, quæ temperiem efficit, ipso tactu sese prodente ipsius caloris natura agnosces, cibi calidiores, motus vehementiores, & reliqua viuendi ratio, quæ corpus paulo vehementius calefacit, calorem in corpore vigere, cuius nimirum est causa, aperit motus validiores, celerioresq; animi, & corporis, vtpote qui à calore proueniunt, tanquam effectus exuperantis caloris sunt notæ: Ambulatio recta, & secundum naturam sanitatis est effectus, ac per seipsam innotescit, eam etiam indicant causæ, quæ eam pariunt: si quis enim optime constructa crura, & bene affectam motricem facultatem in alio cõspiciat, bonam esse, quæ ab ea proficiscitur actio tanquam ex sua causa colliget: Quod si paruo temporis spatio iter longum quis conficiat, statim intelliget tanquam ex effectu, promptam facilemque illi esse ambulationem: eodem vero pacto alias causas, aliosque effectus

A sanitatis cognosces. Ex eisdem etiam fontibus differentias illarum deprahendes: etenim salubritatem, idest, probam, optimamq; sanitatem; insalubritatem, idest, deteriore conditione affectam, & neutram ac inter has mediam corporis constitutionem, ad hæc salubres causas, insalubres, & neutras, quæ salubritatis, neutriusq; status sunt effectrices, cõseruatrices, innatriceique; nec non etiam salubres, insalubres, neutrosque effectus, qui à suis constitutionibus nascuntur, ex causis, effectibus, & propria singulorum natura intelliges: Siquidem optimam sanitatem, optima, quæ percipitur sensibus illius natura, optimæ causę, optimique effectus monstrant; deteriorem vero hæc deteriora: Sanitatis causas optimas esse cognoscimus ex optima illarum natura, ex optimis suis effectibus, & optimis causis:

B & demum effectus optimos, cum optimi conspiciuntur, ac ex suis optimis causis, & effectibus, percipimus: sibi enim mutuo hæc signa præbent, & genera ex generibus, & differentiæ ex differentiis signorum deprahenduntur. Contingit tamen, vt eadem nota sanitatis, & illius causæ sit testimonium, veluti facilis, promptaq; nutritio sanum esse corpus, & in eo calorem præter alias qualitates vigere monstrat, & color pallidus, vt bilem redundare, sic corpus non inculpata sanitate præditum nunciat: Ac in omnibus præterea ex similitudine notas petimus: Si quos enim sanos optime constitutos, vel temperatos, aut bona structura donatos, vel aliter

C affectos agnouimus, eadem illis tribuimus, quos iis similes putamus, sic enim de liberorum natura, & vita statuimus, ex similitudine parentum ducta coniectura, & indiciis.

Cap. VII.

De signis cognoscendorum humorum.

SVnt porro inter causas sanitatis, & morbi præcipuæ humores: valet etenim corpus, vt author est Hipp. *in lib. de Natura humana*, & res ipsa docet, cum hi probam qualitatem obtinent, & iustam mensuram seruant, suisq; in locis continentur: ægrotat autem, quando sunt contrario

D modo affecti, siquidem temperies, formaq; partium ob formam, alienasq; humorum qualitates labefactantur. Ac non solum quidem similarium natura humorum vitio corrumpitur, sed etiam fere vniuersa corporis structura ex illis sua mala contrahit: Nam vlcera, inflammationes, cancri, & (vt semel dicam) tumorum generatio, calculorum lumbricorumque procreatio, immoderata partium crassities, & extenuatio, obstructiones, figuræ plurima vitia, asperitates, læuitatesq; partium pręter naturam, & nonnunquam etiam luxationes & denique aliæ omnes propemodum noxæ ob humores in nobis accidunt. Adde quod animi corporisq; functiones ad humores vt plurimum, tanquam ad earum authores referimus; quo magis illorũ naturam,

E & vim Medicum tenere oportet, qua quidem de re *lib. 4. de Sanitate tuenda*, & *1. & 4. Aphoris.* ex professo agit Gal. vt alios infinitos locos omittam, in quib. obiter illorum notas se tradere pollicetur: Verum meo quidem iudicio, nulla methodo id facit, cum ex colore, ab excretionibus consuetis, à symptomatis, victu antecedente, facili tolerantia vacuationis, ab his præterea, quæ cũ natura humoris sunt coniuncta, à sexu, regione

ne, vrina, deiectionibus, sudore, sapore, somno, vigilia; calore, frigore, ex pustulis, quæ in corpore oriuntur, otio, labore, & aliis huiusmodi eas peti scribit: cum enim tractatio omnis, quæ methodo nititur, eo passim attestante, à summis generibus inchoare debeat, probari certè non potest, quod in hac re ita ab eo docetur, nimirũ cum nulla capita, nullosque fontes proponat, à quibus signa omnia ducantur: quo fit, vt semper aliquid omittat singularium enumeratio: id quod facilè vnicuique patere puto: Nec etiam si omnia recenseantur, propterea arte docentur, quæ eo modo explicantur: Nam genera prius, quàm infimæ species semper doceri debent; sic enim quæ sunt eiusdem naturæ sub genere comprehensa, etiamsi non enumerentur, intelliguntur, audacterque affirmare possumus, nihil fuisse prætermissum, quod quidem non solum certam reddit doctrinam, sed etiam animum veri agnoscendi cupidum solatur, minuitque studiosis laborem, dum ex omnibus autoribus omnes notas colligere nituntur, & interim multa superflua accruant. An propterea (quæso) putare debemus, tot esse pituitæ, aut alterius humoris indicia, quod perlectis omnibus Galeni libris, non plura sint inuenta? Quid si nonnulla omittat? Quid si plura, & aliqua inutilia tradat? Nonne vanum putabimus huiusmodi laborem? Ac quanto quidem satius esset statim ab initio genera inuenire, ex quibus horum vniuersa signa petuntur, & artem excogitare, ad quam omnes authores, omnium præcepta, vniuersæque notæ referantur, cuiusque beneficio quid deficiat, vel redundet, quid denique rectè, vel perperam ab vnoquoque tradatur, agnoscere liceat. In hoc præterea artem apud Galenum desidero, quod cum inter signa quædam sint, quæ genus; alia, quæ speciem, differentiasq; humorum ostendunt; alia aliis certiora, maioreque vi prædita; alia, quæ eos in toto corpore redundare, alia demum, quæ eosdem in partibus quibusdam solum contineri monstrant, hæc capita inter se non distinguat, nec quæ sunt singulis propria tradat, cum tamen plurimum referat hæc inter se distinguere, & proprias illorũ notas certa methodo docere. Itaque licebit vnicuique, qui arte vti velit, ex prædictis fontibus humorum vniuersa indicia sumere. Sunt enim humores suapte natura quidam calidi, & sicci, vt bilis; Alii calidi & humidi, vt sanguis; quidam frigidi & humidi, vt pituita; alii frigidi, & sicci, vt humor melancholicus; temperati alii, vt tota eorum massa, quæ etiam sanguinis nomine donatur, ex omnibus iusta quadam proportione, exuperante tamen sanguinis copia, confecta. Sunt, qui in occultis, malignisque qualitatibus naturam obtinent, vitiataque sunt forma, quales sunt, qui in aere pestilenti gignuntur, aut à venenis tota substantia lædentibus inficiuntur. Ac vbi quidem illorum natura in euidentibus qualitatibus posita est, licet ex ea, quis humor redundet, deprehendere. Si enim tactu calidius sicciusque corpus sentiatur, calidiores & sicciores in eo vigere humores colligimus. Sic calidos & humidos & denique alterius naturæ, quam scilicet tactus subesse iudicat. Est enim hic sensus primarum qualitatũ iudex optimus. Quod si maligna humorum natura extiterit, non perinde licet tactu eam dignoscere, quippe cũ per malignos morbos venenosa sæpe subsit in humoribus natura, quæ omnem tactũ fugit. Cum verò excernuntur, visu commodissimè id facimus. Nam si quis æruginosam bilem excretam videat, contemplatione illius formæ malignum humorem statim agnoscet, sicut etiam pituitam, aut alterius generis humorem, cuius natura in primis qualitatibus est posita, vnde optimè Hippocrates *in libro de natura humana* scribit, pituitam etiam vi tractam perpetuò frigidam apparere, quod illius natura sit frigidissima, quæ etiam tactu percipitur. Vnde excreta hoc vno modo nobis indicia præbere dicuntur, quatenus scilicet humoris excreti naturam, quæ perinde non erat perspicua, cum in corpore lateret, sensibus liceret percipere. Habẽt præterea humores suos effectus, quales sunt secundæ tertiæq; qualitates, & quæ in corpore pariunt; ex certa etenim temperie humorum, color, sapor, odor, crassities, tenuitas, visciditasq; in illis prouenit: ob id signa, quæ ab his ducuntur, scribit Gal. ab illis sumi, quæ cum humoris natura sunt cõiunctissima, & meritò quidem, cum illi potissimum sint constituendi eorum effectus, qui ex primis qualitatibus, in quibus eorum natura collocata est, nascuntur. Siquidem secundæ tertiæq; qualitates immediatè à primis fiunt: ab his igitur notæ hoc modo capientur: si quis n. pallido colore quempiam videat, meritò bilem pallidam in eo abundare iudicabit; sic nigram, si niger sit corporis color; pituitam, si albus; sanguinem, si ruber; malignum verò humorem, si huiusmodi color appareat. Eodem modo si tenuem, & flauum, vel pallidum humorem à corpore excretũ conspiciamus, pallidam, flauamque bilem eam esse iudicabimus; quoniam huiusmodi color, & cõsistentia, quæ bilis naturam sequuntur, adsunt: viscidi, crassi, & albi omnes ex pituitæ genere consistunt; nigri, & crassi melancholici omnes; aquosi, & diluti serosi generis, & denique cum noueris, qui sint proprii colores, propriæq; cõsistentiæ humorum, ex illis licebit, quales sint humores, qui abundant, dignoscere. Hoc modo etiam excrementa, quæ reiiciuntur à corpore, humoris abundantis sunt indices, quod scilicet sensibus subiiciãt qualitates cum natura humoris coniunctas.

Excreta quo modo præbeant indicia.

Habent & suos sapores, & odores singuli humores; est enim sanguis dulcis, & pituitæ etiam quoddam genus; bilis amara, quæ pallida est, flaua, vitellina, æruginosa, isatodes, & atra ea, quæ ex his gignitur. Nec existimare quidem oportet, omnem atram bilem acerbam esse, vel acidam, quemadmodum Galen. scribere solet, nulla adhibita distinctione: Nam cum; eo authore, atra bilis vel ex flaua, aut ex sanguine, vel humore melancholico procreetur: ea certè, quæ ex amara bile, qualis est flaua, per assationẽ gignitur, nunquam acida esse potest, siquidem acidus austerusq; sapor exuperantis frigiditatis sunt indicia, & reb. primo insunt, dum crudiores existunt, ac nondũ à calore elaboratæ, & percoctæ: tunc n. acida, dulcia, amara, & salsa demum euadunt. Itaq; si amara vel eundẽ retinent, vel in sequentem, succedẽtemq; saporem permutantur, cõstat, quod amarum est, nunquã acerbum,

Humorum sapores.

Non omnem bilem atram esse acerbam vel acidam.

vel acidum fieri posse. Est autem austera, quę secundum naturam est, melancholia, quam proprio nomine humorem melancholicum *in libro de Naturalibus facultatibus* Galen. vocandam esse censet. Acida est atra bilis, quæ ex humore huiusmodi prouenit: Nam acerbum in acidum transire aptum natum est, vel fortè etiam huiusmodi sapore est prædita, quæ ex sanguine præsertim limoso, & non bene à fæculento humore expurgato conficitur. Refert quoque saporem acidum pituitæ quoddam genus, quæ ob id acida pituita vocatur. Qui vero insipidi sunt humores, omnes ex pituitæ genere consistunt. Salsus vero humor, vel pituita est putrefacta, aut cum humore seroso mixta, aut ipse etiam solus serosus humor.

Humorum odores.

Cæterum boni odoris sunt humores temperati; putridi vero pessimi; calidi, & humidi virosum nescio quid, referunt. Qualis vero sit bilis, vel pituitæ, & (vt semel dicam) singulorum humorum odor, nec exprimere, nec agnoscere facile possumus. Docendi tamen methodus postulat, vt ab his etiam proprias humorum notas petamus.

Signa temperamentorum.

Iam vero ea, quæ humores in corpore pariunt, vniuersa vel ad animum, vel corpus pertinere dicamus: animi quidem mores, quales subsint humores, indicant. Nam qui iracundi, & furibundi, biliosi; stolidi, & ad risum profusi, incontinentes, impudentesque sanguinei: Astuti, cauti, prudentes, cōstantes, ingeniosi melancholici: Maligni, proditores, simulatores, osores, iniuriarumque memores, & peruerso ingenio præditi censentur, quibus atra bilis dominatur: obtuso ingenio præditi pituitosi: vt enim corpus frigido, & humido humore grauatur, sic & animus obruitur. Quo magis mirari subit, quod Galenus scribat, pituitam ad animi mores nihil conferre, si enim corporis temperiem illi sequuntur, cur nō putabimus à frigida, & humida temperie, cuiusmodi pituitosa est, certo modo aliter, quam ab aliis humoribus affici? Valent memoria melancholici, fælicior est imaginatio, & rerum comprehensio sanguineis, & pituitosis, nimirum quod in humido promptiores fiant impressiones, vnde pueri, & mulieres maxime dociles putantur. Qui vero matura iam sunt ætate, ineptissimi ad discendum apparent. Qui temperatos habent humores, mediocria hæc omnia obtinent. Mania, vt affectus præter naturam attingamus, atræ bilis exuperantis in cerebro est indicium. Tristitia, & melancholia humorem melancholicum testantur. Delirium bilis flauæ, aut sanguinis, vel vaporis biliosi dominium monstrat. Ac vt breuiter dicam; animi perturbationes, & morbi qualis sit temperies, & humor redundans repræsentant. Quæ vero ab humorib. in corpore proueniunt, placet ita diuidere, vt quædam ad habitum corporis, quædam ad illius actiones, alia vero ad eiusdem passiones referantur. Nam habitus gracilis cum venarum amplitudine biliosum humorem vigere indicat, carnosus sanguinem bonum, crassus & mollis pituitosum, pinguis frigidiorem, sed nondum pituitosum sanguinem monstrat: Asper, durus, gracilis cum venarum angustia melancholicos sequitur humores: Tensum corpus vt carnis adipisque abundantiam comitatur, sic declarat sanguinem copiosum,

A aut frigidiorem subesse. Liceret ex his, quæ à corporis habitu prodeunt, veluti ex pilis, signa colligere redundantis in corpore humoris, sed licebit vnicuique materiam ex Galeni Arte medicinali mutuari, hac sibi proposita methodo, vt omnia, quæ ad eos pertinent, vel ad illorum ortum, vel casum, vel incrementum, copiam, consistentiam, figuram, colorem, duritiem, asperitatem, & læuitatem referantur. Quibusdam enim citius, aliis tardius oriuntur, & decidunt, vt admodum biliosis. Eisdem naturis pili cito crescunt, & pallido colore sunt tincti, & contorti, asperi, duri, & (ne singula in hac re prosequamur) facile quilibet inuenire poterit omnes pilorum differentias, quæ non prouidentia naturæ, sed materiæ expirantis à corpore
B ratione proueniunt, humorum copiam, qualitatemque sequi. Inter corporis functiones recepta à Medicis diuisione, quædam statuentur naturales, quædam vitales, aliæ animales. Eas autem vocamus naturales, quæ famulantur generationi, nutritioni, & auctioni. Vitalem vocamus facultatem, quæ pulsus edit. Animalem vim principibus actionibus, sensationibus, & voluntariis motibus præesse putamus. Igitur celeres motus biliosos comitantur, tardi pituitam, moderati, & graues temperatos humores ostendunt. Contendunt fere cum biliosis in celeritate sanguinei, sed citius exoluuntur, quibus bilis abundat, diuque perseuerare in
C officio nequeunt; compositos edunt motus melancholici. Inordinatos & furore plenos atrabilarii, & qui admodum biliosi existunt. tardi ad motum sunt pituitosi, sed minus fatigantur. Vegetos sensus habent biliosi, acutos melancholici; laudabiles quidem, sed turbulentiores sanguinei; obtusissimos pituitosi, moderatos temperati: Quod vero ad principes functiones pertinet, in animi functionibus, & perturbationibus sumus complexi. Solemus enim animi mores vocare potissimum rectricis facultatis functiones, & quæ in corde fieri putantur passiones, vt iram, tristitiam, gaudium, magnanimitatem, constantiam, de quibus præsens locus diligentiorem tractationem non po-
D stulat. Ad sensus pertinent somnus & vigilia: Sunt autem maxime vigiles melancholici, & biliosi, somno sunt magis dediti temperati, quam illi, etsi id moderate, magis adhuc sanguinei, omnium maxime pituitosi.

Qui promptius conformantur & adolescunt.

Quod vero ad naturales functiones pertinet prompte conformantur, & adolescunt biliosi, deinde sanguinei, pituitosi, postremo melancholici, qui vna cum biliosis celerrima senectute conficiuntur. Incrementum in omnes partes humorum copiam, & quod citissime fit, etiam caliditatem comitatur.

Qui ad venerem sint magis vel minus proni.

Ad generationem, & venerem procliuissimi biliosi, sed cito exoluuntur. Id quod etiam melancholicis ac-
E cidit, qui flatum plurimum congerunt. Sed his perinde inimica nō est venus, cum rarius semen emittant, vtpote ex flatu ad coeundum excitati. Alii vero melancholici tarde ad venerem excitantur, & illius vsu præter modum exsiccato corpore maxime læduntur; sanguineorum potissimum venus est, cum semine copioso abundent, etsi non perinde prompti sint, & expedi-

tiss

ti, vt biliosi. Pituitosi tardi ad venerem, nec tamen obest hæc illis, si moderate ineatur; calore siquidem pituita concoquitur, & temperatius corpus euadit, at frequentiore vsu, dissoluto semine calidiore substantia vna cum spiritu vitali frigidius redditur. Ad coctiones omnium aptissimi sunt sanguinei, ad attractionem biliosi, & ad retentioné, in qua etiam melancholici illis forte non cedunt, nimirum quod siccitate, qua hi abundant, retentio peragitur; Infirmissima est retentio, & attractio pituitosis, concoctio melancholicis. Ad reddenda excrementa, præsertim quæ per aluum excernuntur, maxime idonei pituitosi: Sanguinei ad retentionem, & expulsionem non perinde infirmi, vt pituitosi; omnium vero illi fœlicissime nutriuntur. Distributio alimenti in biliosis fœlicius obitur: In melancholicis melius, quam pituitosis: at deterius illi, quam hi concoquunt, & nutriuntur refragante frigiditate, & siccitate vtrique operi, vigente in pituitosis humiditate.

Qui ad reliquas actiones naturales magis apti.

Vitalis vis validissima in sanguineis, deinde biliosis, infirmissima pituitosis: deinde melancholicis, cui vero humores sunt temperati, omnia hæc moderata adsunt.

Qui nam vi vitali præstent.

Cæterum inter passiones corporis hoc loco morbos ipsos, illorum accessiones, & dolorem, enumeramus: calidus enim morbus calidum humoré abundare monstrat, frigidus frigidum: Sic accessio, quæ quotidie aduenit, pituitam; quæ tertio quoq; die, bilem flauam; quæ quarto, melancholiam, vel atram bilem; quæ vero perpetuum quendam tenorem seruat, sanguinem: lõgæ accessiones pituitam, vel melancholiam, breues bilem, vel flatum redundare ostendunt: vehementes morbi, qui ex humore proueniũt, sanguinem, aut bilem omnino sequuntur; languidi pituitam; benigni ex sanguine potissimum, deinde ex pituita nascuntur: maligni primas obtinent; qui ex atra bile, secundas; qui ex humore melancholico, postremas; qui ex æruginosa, vitellina, & flaua proueniunt. Lethales ab omnibus humoribus fiunt morbi, maxime autem à *bile flaua, vitellina, æruginosa, & atra*: qui vero perpetuo hominem ad mortem vsq; comitantur, ex atra potissimum originem ducunt, vt ostendunt cancri, & elephantiasis: Quod si ex aliis humoribus eadem vis aliquibus concedenda est, pituitæ dabimus, ex qua asthmata, scabies nonnunquam, & podagra toto vitæ tempore sæpe affligunt: Dolor eadem ratione materiam abundantem significat. Erodens enim bilem flauam: obtusus & grauis pituitam: tensiuus vel flatum, aut sanguinem sequitur. Ac vt semel dicam, licebit vnicuique ex effectibus prædictis, & aliis eiusdem generis abundantis humoris notas reperire. Alleuiationes quoque & aggrauationes, quæ excretionem humorum sequuntur, inter passiones corporis nõ inepte reputari possunt. Ex quibus etiam indicia petuntur: grauis siquidem esse solet superflua, & familiarium humorum vacuatio, leuis autem, si id, quod est noxium, educitur moderate.

Signa ex passionib. corporum.

Morbi lethales à quibus humorib. potissimum proueniant.

Iam vero ex humorum causis illorum indicia commodissime hoc modo ducemus: Nam cum à causis calidis & siccis bilis gignatur, fit profecto, vt quæ calefaciendi, & siccandi vim habent, huiusmodi humorem ostendere dicantur. Hac enim ratione ætas, aeris conditio, regio, anni tempus calidum & siccum, vita laboriosa, vigiliæ, curæ, bilem flauam aut etiam atram, cum scilicet vehementius diutiusque processerint, ostendere dicũtur; quoniam eam gignunt: Eiusdem generis est temperies corporis calida, & sicca, & sexus: veluti cum viros biliosos, mulieres pituitosas dicimus, & alia huiusmodi, quæ vel humorem gignendi statim vim habent, vel illud monstrant, quod eam vim obtinet, notas præbere ad bilem pituitamque cognoscendam dicuntur: siquidem temperies per se humores procreat: sexus autem, & ætas non id faciunt, sed qualis temperies sit, indicant: veluti aer, qui gignit quidem sibi similes humores, non tamen statim, sed quoniam primo corporis temperiem mutat. Regio, anni tempus, qualis sit aeris cõditio, declarant, quorum sane varietatem nemo distinguere poterit, qui ignoret, quonam modo hæc abundantium humorum sint indicia.

Signa ex humorum causis.

Præbet quoque suas notas materia, ex qua humores gignuntur: eã suppeditant, quæ assumuntur, & retinentur. Cum enim id, quod assumitur, facilius promptiusque vertatur in sibi similem, quam in alium, humorem, cum, qui calido, & sicco nutrimento, aut medicamento vtatur, rationi consonum est, bile abundare: Eodem modo si quæ consueuit excerni bilis, non amplius excernatur, materia suppeditatur biliosa corpori, differtque à superiore, quod hic actu, illic potentia materia bilis sit: quamobrem genus signorũ, quod ab excremẽtis cohibitis capi scribit Gal. ne plures fontes fiant, ad materiam humoris redigatur, non tamen impedio, alios aliter facere, modo omnia indicia certis quibusdam generibus complectantur.

Signa ex materia, ex qua humores gignuntur.

Ducemus autem ex materiæ qualitate, quantitate, ordine, & assumptionis tempore humorum notas. Diuersi etenim humores, cum hæc euariant, procreantur: Nam temperati cibi in calidioribus corporibus, veluti admodum biliosis, bilem gignunt: In pituitosis pituitam; qui copia grauant coctricem, etiamsi biliosi suapte natura fuerint, omnino in pituitam degenerant, quod etiam peculiariter de vino notauit Galenus, quod quidem etsi calidum est, vbi tamen largius sumitur, quam confici possit, sopores, & alios huius generis frigidos affectus parit: Vbi autem ordo peruertitur, vt plurimum corrupti sunt humores, qui gignuntur: vbi vero intempestiue sumuntur, nondum priore concocto, pituita est, qui prouenit humor.

Signa humorum ex materiæ qualitate, quantitate, ordine & assumptionis tempore.

Nec minus licet ex subiecto corpore & instrumento, in quo humores procreantur, illorum signa capere. Qui enim in ventriculo, aut cerebro colliguntur, vt plurimum pituitosi esse putantur, quod illic pituitæ sit sedes: qui in liene continentur, melancholici esse solent; in venis serosi aut biliosi, vel sanguis ipse purior; in hepate vero bilis, vel sanguis coaceruantur.

Signa ex subiecto corpore.

Colligimus pariter humorum notas ex communi corporis instrumento. Quibus enim natiuus calor imbecillior est, his pituitam abundare credimus. Qui vero natiuo calido abundant, vt feliciter concoquunt, sic sanguinis optimi plurimum procreant.

Ex natiuo calore.

Quinetiam causæ sine quibus, suam vim in hoc ostendunt. Nam si alimentum non satis re-

Ex causis sine quib. non.

tinetur,

tinetur, donec sit perfectè elaboratum, pituitam abundare necesse est: contra vero bilem, si postea quam est concoctum, excrementa tempestiue non excernantur: tunc enim quicquid est, lõgiore mora exuritur.

Ex causis iuuantib. & lædentibus.

Ad hæc iuuantes causæ, & lædentes, vt ostendunt, qualis temperies sit; eodem modo quales subsint humores, indicabunt, siquidem qui temperatis duntaxat iuuantur, temperatos humores habent: qui offenduntur à similibus, intemperatos eos obtinent: quibus frigida, & humida prosunt, calidis, & siccis humoribus sunt referti, & denique exceptis temperatis, alios omnes offendunt similia, contraria autem iuuant. Seiunguntur porro hæ causæ à gignentibus, & materiam suppeditantibus, quod factum humorem corrigant, non autem vt aliæ gignant.

Signa ex similitudine.

Superest quartum genus signorum, quod à similitudine capitur, quod etiã ad humores cognoscendos suas notas confert: Nam si duos eodẽ morbo affectos constituamus, & vno mortuo, aut dissecto vniuersum corpus, aut cor, vel aliam partem maligno, aut putrido, vel alterius generis humore plenum inuenerimus, aptissime colligemus, eosdem in eisdem locis contineri humores, nimirum quod similia ostendant similia.

Quænam omnib. prædictis signis sint minus certa, & quæ certiora.

Iam vero illud explicandum est, quænam signa ex tanta multitudine certa omnino existãt, & nunquam fallere valeant, quæ vero incertiora, & duntaxat coniecturalia, quidque in singulis obseruandum, ne hallucinemur. Itaque notæ, quæ à natura humoris sumuntur, perpetuo veræ esse non possunt: sæpe enim humor est calidus, qui in corpore viget, cum nihilo minus frigidum corpus sentitur: quod in his apparet, qui per initia accessionum biliosæ febris, contracto ad interna viscera calore, extrinsecus rigent, frigidique sentiuntur; Quapropter inæqualiter affici corpus non oportet, si ex tactu, qualis sit cõtentus humor, dignoscere tentemus: tunc enim si corpus calidius, quam temperato conueniat, percipiatur, calidi omnino redundant humores, vel propria natura, vel aliũde ascito calore. Nã pituita putrida alioq; suapte natura frigida, calida censenda est. Inter effectus autẽ ea, quæ sumuntur ex sapore indicia, cum adsunt, perpetuo vera sunt. Neque enim continuo qui exuperant humores, in linguam effunduntur, sed cum percipiuntur, nunquam fallunt. Bilis siquidem necessario fuerit, quod amarum est: melancholicum quod austerum & acerbum: quod vero dulce, omnino vel sanguis, & pituita: sic profecto, cum ea, quæ à corpore exhalant, grauem odorem repræsentant, corruptos putredineque affectos humores arbitramur. Cæterum in calore necesse est easdem distinctiones adhibere, quas prius notauimus, cum ab humorum essentia signa sumebamus, vt scilicet corpus in calore, & frigore mediocriter habeat. Nam frigus cum cutem constringit, humores simul intro protrudit & cutim liuidam, ac sine colore reddit: sic sane calor sanguinem ad externas partes, quo cutis rubicunda euadit, commouet. Quamobrem quæ aut calefaciunt, aut refrigerant, exteriores partes, vt calorem ambientem, frigus externum, internos affectus, veluti febrem, pudorem, iram, tristitiam, motum, nimiam quietem,

A somnum, vigiliam immoderatam, & si quæ alia huius generis reperiuntur, abesse oportet, cum ex colore iudicare volumus, qualis humor in corpore vigeat. At quæ sumuntur ex animi moribus humorum indicia, prorsus certa esse non solent, tum quod sæpe videamus alios esse mores, quam corporis conditio ostendat, vt in his, qui metu, aut religione coercentur, aut nimia licentia proteruire sinuntur, tum quod corporis temperiem sequantur, in qua qualitatum adest quidam excessus, quibus tamen nullus similis peculiaris humor redundat. Non enim necessarium est, in eo, qui paulo calidior sicciorve sit, bilem statim abundare; aut humorem melancholicum in eo, cui sit temperies frigida & sicca;

B nec pituitosus confestim putandus est, aut sanguineus, qui humidus est cum calore, vel frigore. Quippe cum humorum generationes non qualemcunque, sed maiorem quendam qualitatum excessum requirant. Potest præterea vnica qualitas exuperare, quæ mutationis morum animi erit causa, generationis autem peculiaris alicuius humoris minime, si modo in singulis duæ qualitates vincunt. Quod etiam spectasse Gal. videmus: cum *in arte medicinali* temperaturarum corporis notas præscribit: licet tamen ex animi moribus si non speciem, saltem genus humoris deprehendere: nam calidos humores in eo exuperare oportet, etiamsi non sit bilis, qui ad iram est procliuis; vbi vero magnus

Signa abundantium humorum ex animi moribus.

C quidam excessus in animæ functionibus conspicitur, ex illis certas de humoribus notas ducimus.

Signa ex iis, quæ humores in corporibus pariunt.

Quæ vero pariunt humores in corpore, præsertim si ea præter naturam extiterint, signa certa præbent. Tertiana hoc modo febris bilem necessario abundare declarat. Sic accessio, quæ cum rigore inuadit, & motus morbi velox, & dolor mordicans, acris calidique humoris exuperantis sunt indices. Tumor, qui vehementem dolorem infert, sanguinis, aut bilis, vel calidi omnino humoris est testimonium. ostendunt nihilominus habitus mollis, humidos humores subesse; durus, & asper sicciores; corpulentia humidiores, & copiosiores; obesitas frigidiores,

D quanquam, vt diximus, sine redundante humore, qui vnam ex quatuor humoribus speciem obtineat, ob certam temperiem hæc eadẽ fieri possunt, necnon ob aliquem errorem, congestos alios esse succos, quam huiusmodi naturales corporum constitutiones repræsentent. Quis enim dubitet, in molli corpore bilem abundare, si præcesserint, quæ bilem procreent; in aspero & duro ob cruditatem & otium pituitam aceruari posse? Idem esto iudicium de his, quæ in habitu corporis nascuntur, vt pilis, qui vt naturalem temperiem, & humores indicare valent; sic eos, qui ex quacunque occasione in dies mutantur, minime possunt. Flauus quidem pilus bilis est indicium, ex qua genitus est, qui iam vigente

E pituita, huiusmodi colorem diu seruat. Cæterum in excrementis illud obseruandum est, ne ab aliqua vi extranea emittantur. Nam si ob acrimoniam bilis os venæ aperiatur, sanguis fluet, etiam si non abundet. Eodem modo si æstuante corpore sanguis profluat, non est id abundantis huius humoris indicium, sed si humor, qui excernitur, sit excretionis causa, tunc signum est

tum,

eundem, sibiq; similem in corpore vigere: qui tamen excretus, qualis sit, conspicitur. Bilem enim abundare in corpore agnoscimus, si effusus sanguis pallidior extiterit.

Atqui in causis, vel efficientibus, vel materiam suppeditantibus illud latere nõ debet, si certa indicia habere velimus, vt omnes causæ simul coniungantur. Siquidem bilem abundare necesse est, si ætas, regio, cœli status, vitæ conditio, alimenta, & omnia denique bilem procreantia affuerint. Quod si quædam deficiant, non certæ erunt notæ, sed tantum à certitudine deficiet cognitio, quantum à communi consensu recedunt causæ. Quippe necessarium non est in iuuene bilem vigere cum otiosa vita, frigidaq; aeris constitutio, vel alia huiusmodi ætati contraria adsunt, quæ id, quod ætas conficere potest, vincunt. Licebit vnicuique ad horum imitationem in aliis, si quæ reperiantur, exceptiones & circunstantias adnotare, hæc enim mediocriter etiam doctis sufficere possunt.

Nunc vero ex his fontibus signa haurire oportet ad ea cognoscenda, quæ de humoribus scire Medico expedit. Opus autem est imprimis separare genus à genere, vt bonos humores à malis, & calidos à frigidis, humidos à siccis; speciem à specie, vt inter calidos bilem à sanguine, inter frigidos pituitam ab humore melancholico, & serosum dictum humorem à reliquis omnibus, & infimas species ab infimis specieb. veluti bilem flauam à pallida, pituitam acidam ab insipida, & dulci. Qualitatem præterea à substantia necesse est seiungere. Est enim aliquando id, quod in humore peccat, illius qualitas, non propria substantia, veluti cum bilis calidior acriorq;, non tamẽ copiosior existit. Ad hæc scire oportet qui vinci alteratione possint, & qui non nisi vacuatione corrigi valeant, quibus præterea alteratio conueniat per ea, quæ tota substantia agunt, quibus vero sufficiat sola rerum qualitas, qui præterea ex humoribus ad vacuationem sint parati, qui vero minime: postremo an in toto corpore, vel in multis partibus, vel vna tantum humor contineatur, & si quæ aliæ sunt in humoribus differentiæ, quæ Medici officia variare queant, per proprias notas dignoscendæ. Præstant autem id, vt summatim dicam, ex singulis fontibus signa ducta, & vnicuique propria. Quod si in vno genere communia omnia forte inuenies, in altero certe non deerit, quod vnicuique sit proprium.

Signa bonorum humorũ. Itaque bonos humores indicant imprimis essentia ipsorum humorum, quæ proba est, temperata scilicet quædam qualitas, bonus color, sapor, odor, substantia mediocris, boni effectus tum animo, tum corpori peculiares, bonæ causæ efficientes, inquam, quæque materiam suppeditant, & sunt instrumenta, vel inter lædentes, & iuuantes reponuntur. Prodest enim probus *Malorum.* victus, quibus boni adsunt humores, absunt autem remedia, quæ male affectis humoribus conferunt: contraria vero his malos humores ostendent, ac ea maligna malignos, & benigna *Signa discernẽtia bilẽ à sanguine.* benignos abundare monstrant. Sic calidos à calidis distinguimus: Nam etsi sanguinem, & bilem caliditas sequitur, peculiaris tamen quidam calor, nempe acrior, & mordacior bilem

A comitatur, mitior & halituosior inest sanguini. At color certius vnum ab altero separat. Pallidus siquidem, in quo bilis, rubens in quo sanguis viget, color apparet. Alius præterea est sanguinis, alius bilis sapor: diuersa quoque est eorum substantia, & causæ propriæ propriique effectus, diuersæ similitudines, quibus inter se differre cognoscuntur. Atque eadem etiam speciem à specie distinguunt. Diuersa namque hæc omnia in eo apparent, in quo flaua, vel vitellina, aut pallida, vel æruginosa bilis exuperat.

Nec non ex eadem methodo perspicimus, in quo loco humores redundent. Si enim in vniuerso corpore qualitates humorum naturam *Signa ostendentia, in quo loco humores redundent.* B constituentes sentiantur, ipsique humores, qui excernuntur, per singulas corporis partes, per quas natura sese expurgat, similem naturam habuerint, si causæ humoris prædictæ totum affecerint, totusque effectus sequantur, qui vnius generis humores exuperare monstrent, quis negabit, eos in vniuerso animali exuperare? quod si in partibus quibusdam, aut vna solum hæc adsint, in eo duntaxat loco humorem vigere ex iisdem notis colligemus. Hoc namque pacto, cum vniuersum corpus æstuat, acremque præsentit qualitatem, & color flauus apparet, percipiturque amaritudo in ore, vrgent vigiliæ, eduntur motus celeres & inconstantes, pullulque emicant elatiores, deiecta est appetentia, C torretur alimentum & sanguis, infestat morbus biliosus vniuerso corpori peculiaris, adest iuuenilis ætas, corpus gracile, hirsutum, venis latis præditum, præcessitque victus omnis calidus, & siccus, & vbique calida & sicca obsunt, prosunt autem, quæ bilis acrimoniam retundunt, & ipsam bilem educunt, si præterea quæ excernuntur per cutim, aluum, vesicam, flaua fuerint, plenum humõi bile vniuersum corpus agnoscimus. Quod si pituitæ indicia in ventriculo adsint, bilis autem exuperantis in habitu corporis, aut venis signa apparent, intelligemus *Signa variorum humorum inæqualiter corpus afficientium.* inæqualiter corpus affectum, & varios in diuersis partibus humores redundare, quo modo ex vrina, & sudore potissimum quales sint hu- D mores, qui in venis, & habitu corporis continentur, & ex aliis etiam notis, quæ humores in eo loco vigere peculiariter monstrant, quantum medicina promittere potest, cognoscimus. Non desunt etiam signa ex hac methodo, quæ ostendant vel exuperantes in humoribus qualitates, vel ipsorummet humorum in corpore redundantiam.

Signa qualitatum in humoribus. Nam acrimonia, quæ tactu sentitur, calidiorem ostendit subesse humorem biliosum, non tamen propterea copiosiorem quã par sit, ipsam bilem. Veluti nec etiam acuta exercitatio, & vigiliæ, aut qui præcesserunt animi corporisq; labores, ex quibus corporis quidem calor, & siccitas intenditur, non tamen vsq; adeo vt perpetuo E ex sanguine assato bilis procreetur. Acrimonia vero, & flauities simul, cibi calidi, & sicci, & quæ vehementius excalefaciunt, siccantq; causæ non solum acriorem, sed etiam abundantiorem in corpore esse huiusmodi humorem testantur. At signa, quæ humorẽ indicant, qui alteratione omnino vinci nequit, mõstrant huius generis materiam

riam non aliter, quàm vacuatione corrigi posse, & quæ extenuatos, nullaq; alia insigni qualitate præditos succos nunciant, eos ostendunt ad vacuationem paratos, foreque facilem & vtilem huiusmodi vacuationem pollicentur. Quarum rerum vsum in eo opere, quod (Deo fauente) de euacuandi ratione breui edemus, & alibi in tota fere medicina agnoscemus: nihil enim frequentius ad manum in vsumque venit, quam de humorib. tractatio, & cognitio. Nunc verò superesse video, vt multitudinis omnis notas tradamus, nam exuperantes humores nunc vires grauant, nunc conceptacula sua distendũt, aut proportionem iustam excedunt, quæ Medicum ignorare non oportet, cum hinc varii morbi nascantur, & curandi, præseruandique ratio ex horum diuersitate varietur. Sed quoniam varia est multitudinis natura, varia vis, multiplicesque differentiæ, quarum rerum signa nemo vnquam intelliget, qui hæc prius non cognouerit, paucis hæc explicare operæpretium esse duco: præsertim cum nonnulla in hac re occurrãt, in quibus Gal. & qui eum sunt secuti, mihi non satisfaciunt.

Cap. VIII.

De notis multitudinis.

QVod Græcis πλῆθος dicitur, à quibusdam plenitudo, ab aliis verò multitudo verti solet, videnturque mihi melius hi, quàm illi sentire. Nam cum à Græcis πλῆθος definiatur esse alicuius substantiæ vltra naturalem modum in aliquo loco abundantia, plenitudinis nomen id nobis nõ indicat, siquidem partes plenas etiam appellamus, quæ naturalem mediocritatem non excedunt, nec vbi aliquod est virium: veluti cum carne corpus, aut ventriculum nutrimento plenum dicimus, cum nec vires, nec vasa quidpiam patiantur, nec proportio vitietur per huiusmodi plenitudinem. Cum autem multum esse quidpiam dicimus, id, quod mediocritatem excedit, multum dicimus, damnamusque tanquam id, quod excessum significat. Porro cum multitudo sit substantiæ cuiuspiam plusquam conueniat, in aliquo loco consistens abundantia, meritò à tribus illis differentiæ sumentur, nempe à diuersa substantia, quæ abundat, à loco diuerso, & ab eo, cuius ratione dicitur multitudo. Ac vt de tertia differentia primo agamus, multam substantiam in corpore intelligi debere scribit Gal. vel ratione loci cõtinentis, vel virtutis, quæ eam regit: vnde illa multitudo ad vasa, hæc verò ad vires vocari solet. Verum mihi prætermittere videtur Gal. tertium quoddam genus, illudque non solum in arte nostra, sed in aliis omnib. maximè necessarium, quod quidem ex proportione sumitur. multum enim sæpe dicimus esse in corpore humorem, vt multam bilem, multam pituitam, quæ tamen nec vires grauet, nec vasa distẽdat; sed quod proportionem, quam cum aliis humoribus habere debet, excedat. Alioqui quomodo (quæso) huiusmodi redundantiam multam nuncupabimus, si ea duo duntaxat ponantur, ad quæ omnis multitudo referatur? Statuantur ergo in tertio hoc genere tres differentiæ, ad vires, inquam, ad vasa, & proportionem: ex quibus compositæ differentiæ ex eorum complicatione resultabunt, ad vires, & vasa, vel ad vires & proportionem, vel ad vasa, & proportionem, vel ad tria simul coniuncta, vires, vasa, & proportionem. Vires rursus intelligimus vel naturales duntaxat, vel vitales, vel animales, vel duas, vel omnes iunctas: locum item capere debemus vel vasa, quæ cauitatem habent, vt venas, & arterias, quæ propriè vasa vocantur, vt ventriculum & intestina; vel qui vasis respondet, quemadmodum Galenus multitudinem fieri scribit, quæ proportione respondet ei, quæ est ad vasa, vt carnis, pinguedinisque multitudo dicitur, quæ non omnino vt humores in vasis, multitudinem faciunt. Præterea vel vniuersum est corpus, in quo multitudo huiusmodi colligitur; vel quædam partes, vt venæ; vel vna quæpiam pars, veluti ventriculus, & hepar.

Πλῆθος quid.

Signorum à multitudine sumptorũ differentia.

Substantia in corpore quot modis dicatur multa.

Porrò substantia, quæ multitudinem facit, vt diuersa est, ita particulares quasdam differentias facit propriis nominibus à Græcis sæpius, & à nostris etiam nonnunquam distinctas: quæ enim à cibo fit, à Græcis πλησμονή vocatur, vt author est Galenus *in quodam Aphorismo secundi libri*, à Celso satietas dici videtur, cum ait; *quærunt initium morbi, calor attulerit, an frigus, fames, an satietas*, defectum scilicet alimenti excessui opponens. Quæ verò à sanguine, vel omnibus humoribus proportione auctis committitur, generali vocabulo πολυαιμία, id est, sanguinis abundantia à Galeno *in libro de plenitudine* nuncupatur. Quod si in toto corpore abundauerit sanguis, eodem teste *decimo tertio Methodi* πληθώρα huiusmodi multitudo nominatur. At si in partis substantia imbibitus humor fuerit, φλεγμονή, id est, inflammatio, communi vocabulo appellatur: quæ ratione partis peculiaria nomina recipit, vt pleuritis, phrenitis. Si verò in spatio, & concauitate partis contineatur sanguis, quoniam tunc concrescit, θρόμβος, id est, grumus dicitur: quod si alius humor abundet, vt bilis vtraque, pituita, aut serosus humor, vocatur in toto corpore cacochymia, vt Galenus author est *quarto Methodi*, peculiari autem nomenclatura cacoethia, & corruptio, & (vt Galenus vult) plenitudo nuncupatur; cacoethia quidem humorum, quando illi maligna, & peruersa sunt præditi qualitate, vt in pestilentia accidit; corruptio, quando magnum ita vitium est, vt non amplius ex naturæ coctione ad primam bonitatem humores redire possint; multitudo verò, si paruum sit vitium, ita vt sanguis eo, quod ipsum vitiat, vacuato ad suam naturam redigi queat. Hæc Gal. *decimo septimo Aphorismo libri secundi.* Non tamen video, cur multitudinis generale nomen ei differentiæ magis accommodet, quàm aliis. Cacochymiæ præterea nomen vario modo etiam ille vsurpat. Nunc enim eam definit esse acrium humorum abundantiam, à qua hoc modo excludit pituitæ naturalis excessum, cum tamen sæpius cacochymos eos vocet, in quibus alius à sanguine humor redundat. Quod si in habitu corporis huiusmodi humores exuperent, peculiaria nomina consequitur talis redundantia. Quæ enim à bile fit per vniuersum habitum sparsa, icterus, & à nostris morbus regius: quæ verò ab atra bile,

Πλησμονή.

Satietas.

Πολυαιμία.

Πληθώρα.

Φλεγμονή.

Θρόμβος.

Cacochymia.

Κακοήθεια quid & quomodo à corruptione differat, & quomodo itidē à multitudine.

Icterus.

Elephâtiasis. Leucophlegmatia. bile, elephâtiasis; à pituita, leucophlegmatia hydropis species, in qua corporis partes tumidæ, & mucosæ conspiciuntur, dicitur: In partis vero alicuius substantia imbibito humore à bile flaua, herpes, & erysipelas, ab atra cancer, alter scirrhus: A pituita tenui quidem œdema, à crassa scirrhus: seroso humore in ventris partibus collecto ascites; circa testiculos hydrocele nuncupatur. *Herpes. Erysipelas. Cancer. Scirrhus. Oedema. Hydrocele.* Quod si in partis cauitate humor contineatur, ita vt tumorem non faciat præter naturam, multitudo vocatur cum denominatione humoris abundantis, veluti cum in ventriculo, capite, & reliquis partibus nunc bilem, nunc pituitam abundare dicimus.

Ceterum ex horum humorũ mixtione, & varia alteratione, mixti, & varii affectus fiunt; de quibus hoc loco agendũ nõ est. At si spiritus flatuosus abundet autore Galeno *in libro 4. de Victu acutorum* huiusmodi vitium πνευμάτωσιν, à nobis vero inflatio dicitur. *πνευμάτωσις. Inflatio.* Colligitur autem in variis partibus flatus, vt sub peritonæo, circa ventriculum, & intestina, qui vbi insignem tumorem facit, tympanites hydropis gens constituitur. *Tympanites.* Aceruatur præterea in membranis internis, intendonibus membranosis musculorum, & spatiis, quæ sola ratione cognoscuntur, vocaturque huiusmodi abundantia pariter inflatio cum partis adiectione, vt inflatio ventris, vel intestinorum. Quod si carnis multitudo sit, à Græcis πολυσαρκία, vt videre est apud Gal. *lib. 2. de Temperamentis*, à nobis corpulentia nuncupatur, præsertim si in corpore vniuerso fuerit. *πολυσαρκία. Corpulentia.* In partibus enim sæpius etiam caro abundat, vt in testibus sarcocele dicta, & epulides, parulides, thymi, quæ nihil aliud sunt (vt Gal. autor est) quam carnosa quædam germina. *Sarcocele. Epulides. Parulides. Thymi.* At quæ ex pinguedine fit multitudo, obesitas nominatur, & totum, partemque obesam vocamus: si à pure contingat, à nobis suppuratio, à Græcis vero ἐμπύημα appellatur. *Obesitas. ἐμπύημα. Suppuratio.* At quæ ex substantia puri respondente nascitur, veluti quod ex coctione humorum, quæ in venis, & arteriis per febres obitur, subsidet in vrinis, hypostasis, & sedimentum appellatur; *Hypostasis. Sedimentũ.* fit nonnunquam ab alia substantia, quæ in corpore gignitur, vt in abscessibus refert Galen. lapides, sabulum, vrinam, vngues, ossa, ligna, testas, amurcam, sorditiem, & substantiam melli similem reperiri, vnde huiusmodi multitudo μελικηρὶς dicitur: quæ vero ex substantia seuo simili conficitur στεάτωμα; quæ pultem refert ἀθέρωμα nominata est. *μελικηρίς. στεάτωμα. ἀθέρωμα.*

Porro huiusmodi substantiæ omnes multitudinem, quæ est ad proportionem, cum excedũt, semper committunt, eam vero, quæ ad vires, aut vasa non item, nec omnes eodem loco id facere possunt, siquidem alia solum in parte vna multitudinem excitant, vt cibus, potus, pus, & alia, quę in abscessibus, & quibusdam partibus duntaxat gigni diximus: alia vero in toto, & parte, veluti humores, singuli, caro, pinguedo, spiritus, quorũ quædam multitudinem committunt ad vasa in toto, & parte, quemadmodum sanguis, spiritus, serosus humor, pituita, vt apparet in leucoplegmatia, vbi vniuersum corpus à pituita distenditur: quæ vbi in partem decumbit, œdema facere solet. Alia vero sunt, quæ excitant multitudinem ad vires in toto, in parte ad vasa, vt bilis vtraque: nam in toto corpore redundãtes huius-

A modi humores vasa distendere nequeunt, in partem vero quampiam irruentes, eam, illiusq; vasa præter modũ replent, & tendunt, cum qua tamen alia etiam coniungi potest, quæ virium ratione spectatur, si modo illæ ea multitudine grauentur. Ad vires in parte eadem aliquando pariunt multitudinem, cum s. partem, quam occuparunt, non distendunt, vires tamen grauant. Ex quibus quidem complicationes harum multitudinum vnicuique facile innotescere possunt.

Nũc vero quæ sint propria cuiusq; multitudinis indicia, tradenda sunt: de qua re Gal. *in lib. de Multitudine, lib. 1. de Differ. febrium, nono Methodi, in libro de Vena sectione*, & passim alibi scri- *Signa multitudinis ad vires, secundũ Galenum.*
B bit. *Est aũt, inqt, eius qua ad vires dicitur natura, quod vires grauet, cuius causa potest esse mediocritas, paucitas, & multitudo materia pro virium robore, & imbecillitate, incipereque potest cum bonitate humorum, non tamen diu potest cum illa permanere, quandoquidem omnino necesse est humores, qui regi a viribus nequeunt, putrescere, & corrumpi: In sanis præterea, & agris consistere potest. Parit ergo putredinem, & corruptionem, præterea difficiles motus, tumores præter naturam, & febres. Vnde si in toto corpore continetur, ex totius grauitate, & pigritia (siquidem parua multitudo fuerit) deprehenditur: Sin autem magna, ex signis prædictis auctis, adiuncta mentis tarditate, & sensuum hebetudine dignoscitur; quod si in aliqua parte con-*
C *sistat, grauitas membri illius indicium est.* Verum hæc simpliciter huius multitudinis propria non sunt signa: nam partis quoque pondus sequitur grauitas, veluti in paralyticis contingit. Præterea cum grauitas non nisi à partibus sensu præditis percipi valeat, non potest illa multitudinem partium, quæ non sentiunt indicare, sed solum earum, quæ sensu sunt præditæ: nec vero in his omnibus multitudo grauitatem parit: quæ enim parua est, in partibus difficilem sensum habentibus, sine vlla grauitate infestat. Quare de notis huius multitudinis ita statuendum est, nullas *Secundũ autorem.* omnibus communes esse, nec etiam quæ propria dicuntur indicia, vt grauitas quę partib. sensu præditis propria ponitur, perpetua esse pos-
D sunt, nisi distinctio hæc adhibeatur, vt Gal. nonnũquam facit; si, inquam, partes manifesto sensu sint præditæ, veluti ventriculus, vesica, caro, nerui; huiusmodi enim partes ab omni multitudine, quæ vires exuperet, grauitatem quandam sentiunt, estque grauitas huiusmodi multitudinis certissimum indicium, nisi põdus partis grauitatis fuerit causa, id quod intelligimus, si nullus pręsens est morbus, aut proxime præcesserit, aut iam immineat, aut ætas sit, quæ membra ob infirmitatem regere nequeat, veluti senectus, & prima infantia: quod si pondus partis substantia quædam est, quæ vires grauet, nihil tamen ad rẽ nostram facit, vtpote qui de multitudine humorum hic agimus. At si partes obscuro sensu sint
E donatæ, vt pulmo, iecur, renes, ossa quædam, multitudo autẽ pauca fuerit, nulla grauitas percipitur. Si vero multa, obscure; vt Gal. se in osse multitudinem persensisse commemorat. Quod si nullus omnino adest sensus, vt in quibusdam ossibus, pinguedine, adenib. nonnullis, medulla, cerebro, spinali medulla, (& vt quidam putant) carnẽ hepatis, lienis, pulmonis, & renum con-

Quæ viscera sentiant grauitatem & quæ non.

tingit, vt nihil possint huiusmodi partes sentire, nec grauitatem. Nec moueri quidẽ oportet, sic quod grauitas in visceribus his nonnunquã sentiatur: non enim viscerum ipsorum est affectus, sed ambientium ea membranarum, & tunicarũ; ac nihil profecto inuenio scriptum, quod venarum, membranarum, cartilaginum, ligamentorum, adenum, ossiumq; ipsorum multitudinem hãc indicet, nec etiam quid naturales facultates hac multitudine laborantes ostendat: Quod enim quidam hanc indicari dicunt ex nutritione imbecilla, deprauata, abolita, malo corporis colore, attractionis, retentionis, coctionis, expulsionis naturalis, appetentiæ, & deniq; reliquarũ naturalium actionum vitio, non tam facultatem eam multitudinem humorum molestatã, quam alio morbo, vt intemperie, affectam monstrant.

Signa grauatæ facultatis naturalis nullibi reperiri.

Signa vitalis facultatis multitudine grauatæ.

Vitalem sane facultatem multitudine grauatam prodit pulsus inęqualis in vna pulsatione, quemadmodum Gal. probat; animalem vero (cum illius facultas sit sentire, & mouere) grauitas, & ad motũ pigrities, præhabitis prædictis distinctionibus, & aliarum operationum læsio testantur, nisi morbos hæc sequatur. Neq; vero ab essentia rei notę duci possunt ad eam multitudinem, quę in quadam collatione consistit, ostendendam. Causę præterea, quę eam committunt, nihil certum præbent, quandoquidem corporum diuersa est conditio, fieriq; potest, vt aliquid vnũ grauet, alium vero minime. Non sunt tamen prorsus contemnenda indicia, quæ à iuuantibus, & lædentibus causis sumuntur: Quæ autem genus materiæ, & qualitatis multitudinem hanc committentis declarant, ex his, quæ tradidimus de cognoscendis humoribus, petenda.

Signa itidẽ animalis.

Signa multitudinis ad vasa.

Iam vero multitudinis ad vasa notæ tradendę sunt, quam duplicem facit Gal. contra Julianum, vbi scribit, vnam esse; in qua vasa plus humoris habent, quam habere debeant: aliam, quæ non solum naturalem mensuram excedit, sed pręterea intra vasa non capitur; videturq; huic vltimæ plethoræ nomen conuenire. cum scribat *in libro de Multitudine* plethoram nondum esse, cũ sanguis venas non distendit: vel ergo multitudo ad vasa nondum, aut iam est præter naturam; illa ex tumore partis indicatur; vt si in venis, tumore venarum; si in carne, tumore carnis, hæc autem tumore, & tensione dignoscitur, quę si adhuc increscat, tensionem ruptio sequitur. Cum autem plethorã, cacochymiam, & cachexiam scribit Gal. *1. Methodi* esse præter naturam, non de omni huiusmodi vitio, sed de eo, quod multum excesserit, intelligendum est. Vtitur autem Gal. distinctione, vt materia multitudinis huius causa certo deprehendatur. Nam venãrũ tumor à sanguine, & spiritu fieri potest. Creditur autem nunc à sanguine fieri, si vniuersum corpus æqualiter calet. Requirit præterea Gal. partis moderatum situm: verũ id non tam ostendit à sanguine non committi, vt eum in omnibus venis minime abundare: Cum enim decliuis pars continetur, sanguine quidẽ repletur, etiã si huiusmodi humor in corpore non vigeat, sed quæuis alia materia. Vnde hoc signo vti non licet ad materias inter se distinguendas, quæ in eadem parte redundare queunt. sed vt intelligamus, an in toto corpore, vel in vna solũ sit redundantia, quippe cum in proprio situ pars detenta tumidas ve-

A nas habet, in vniuerso corpore sanguinem potissimum exuperare intelligimus: tradit alia Gal. de natura, proprietate, & effectib. huius multitudinis, quod s. cum bonitatem suam seruat, pariter augeatur cum virium robore: quod si has grauet, bonitatem naturæ amittat, nec amplius augeri possit, sed necessario in putredinem degeneret, nimirum quod illius causa vt plurimũ est sanguis, calidum s. & humidum corpus, & ob id putredini expositum: quod præterea pariat obstructiones, difficiles corporis difflationes, venarum tensiones, apertiones, ruptiones, quod motum, & sensum perdat, inflammationes gignat, & calorem natiuum suffocet, obturatis corporis perspiraculis. Quæ quidem de multitudine sanguinis in vniuersis vasis contenti intelligenda
B sunt. Carnis enim, & aliarum multitudo huiusmodi vim non habet, liceat tamen ex aliis indiciis huiusmodi multitudinem deprehendere: veluti ex causis propriaq; materiæ abundantis essentia, & ex aliis effectibus, de quib. omnib. abunde superiori capite egimus: Neque vero illud hoc loco expectandum est, vt notas doceamus multitudinis, quæ in proportione vitiata est cõstituta: Nam qui cuiuslibet humoris vincentis signa tenet, eodẽ negotio cognouerit, quis qualisq; sit humor, vel alia substantia, quæ proportionem vitiat. Licet enim ex humorib. ad alia facile transire. Frustra præterea prosequeremur notas multitudinis compositæ, veluti eius, quæ
C virium, & vasorum ratione, vel etiam in proportione vitiata simul consistit; quippe cum eo intellecto, quod simplex est, facillime, quæ sunt composita, innotescant. Quare ad reliqua redeundum est.

Cap. IX.

De morborum, eorumque causarum, & symptomatum signis.

ETsi ea, quæ hoc loco proponuntur, ex iis, quæ superius tradita sunt, intelligi posse videntur, quando quidem hæc illis contraria existunt, ne quid tamen lector in tractationis filo desideret, paucis hæc expediemus.

Signa morborum vnde sumantur.

Igitur morbum propria illius essentia, illius effectus, causæ & similitudines ostendunt: vbi e-
D nim vulnerata est pars aliqua, structura corrupta conspicitur, & per seipsam omnib. se prodit: sic febris ex calore, in quo eius natura, & essentia posita est, agnoscitur, & (vt semel dicam) omnis intemperies, omnisq; structura corrupta per suã essentiam comprehenditur. Docent & causæ, quæ morbos committunt. Si quis enim ense hominem valide percusserit, illatũ illi esse vulnus, & morbum in eo excitatum, ex agẽte causa colligimus: febrem vero aut alterius generis intemperiem deprehendimus ex causis præsentibus, aut paulo antegressis, quæ huiusmodi morbos committendi facultatem obtinent: actionũ vero vitia, & qualitates, excrementaq. & alia opera, quæ præter naturam censentur, tanquam ef-
E fectus morborũ eorundem sunt indices: Si quis præterea remediorum vsu iuuetur, victu autem & similibus, offendatur, ex iuuantibus, lædentibusq; causis corpus præter naturam habere, intelligimus; quod si quempiam perinde affectum atque alium, quem certo nouimus morbo conflictari, videamus, ex illius similitudine colligimus, hunc pariter, vt alium affici.

Eadem

Signa causarum ex suis effectibus.

Eadem quidem ratione morborum causas dignoscimus. Si cui enim febre correpto exeat bilis, ipso humore conspecto, morbi causam agnoscimus: Rigor tanquam bilis per vniuersum corpus delatæ effectus, causam, à qua prouenit, indicat: Sic etiam venarum tensio, ruberque color in febricitantibus humorum multitudinem, obstructionis febrisque causam testantur: debilitata ventriculi concoctio, reliquis causis constantibus, communis instrumenti vitium prodit. Quinetiam victus ratio, quæ præcessit, biliosa, & ea, quæ bilem augent, aut extinguunt, & mitigant, tanquã causæ remotiores, propinquiores alias morbi causas monstrãt. Hac quidem ratione *libro primo de Locis affectis* Galen. colligit, an pus, vel crassus lentusque humor vrinarium meatum obturet, quod sca præcesserint, quæ hæc procrearunt. In his vero, qui similiter affecti putantur, si euētus aut alia ratio patefecerit, quæ, qualisque esset in vno morbi causa, similitudo docet, idem de alio credendum. At præsentem rigorem vnusquisque per se agnoscit, vtpote suapte natura conspicuum. Quod in corpore sinceram bilem redundare perspectum fuerit. Idem ex causis colligimus, nimirum quod causa, quæ in corpore continetur, rigorem in febribus efficere soleat: frigus vehemens, quod rigorem, vehementemque corporis concussionem sequitur, decolorationeque, & si qui alii sunt, quæ effectuum morborum effectus, veluti excrementa præter naturam, quæ læsas actiones sequuntur, posteriores priores significant, & in omnibus similitudo cognitionem iuuat.

Cap. X.

Quibus indiciis morborum, earumque causarum, & effectuum genera cognoscantur.

Vt genera, & differentiæ rerum ex suis generibus & differentiis signorum cognoscantur, docendi ratio postulat. Igitur genus morbi quod cõsistit in intemperie, ab alio, quod in structura instrumentariarum partium ponitur, ex propria essentia genere diuersa, ex suis causis, & effectibus, & similitudine eodem modo discrepantibus percipietur. Si enim in corpore sentiatur intemperies, aut forma sit vitiata, similares partes morbo laborare cognoscimus; Si in conformatione, magnitudine, numero, cõiunctione, vel vnione vitium appareat, instrumentariæ partis morbus est.

Morborum genera per quæ distinguuntur.

Partes præterea morbi genus morbi indicãt. Qui enim per accessiones exacuũtur, ex humore, & intemperie consistunt; qui vero in generalia solum tempora diuiduntur, his exceptis, qui ex sanguine fiunt. aut cum sola intemperie infestant, nulla subiecta materia, quales sunt humidæ, siccæ, frigidæque intemperaturæ, & calidæ etiam, vbi nulla adest putredo, neque fluxio, ex aliorum morborum sunt genere. Distinguunt præterea genera morborum inter se effectus, qui apti natique sunt diuersa genera sequi: nam concoctio vitiata in singulis partibus intemperiem testatur esse eum, qui subest, morbum. Ambulatio vero, quæ flexis, aut reflexis, aut contortis tibiis obitur, vitiatæ structuræ est indicium. At vitiosus color, qui in corpore apparet, nõn magis vnum, quam alterum morbi genus ostendere valet: Siquidem coloris vitia, & obstructiones viscerum, & male peractas concoctiones, vel expulsiones, vel attractiones, vel retentiones humorum sequuntur. Quemadmodum ipsæ concoctiones, & aliæ functiones, quæ in publicis instrumentis exercentur: nam quod ventriculus perperam nutrimentum conficiat, intemperies potest esse causa: Potest nihilominus vlcus subesse, aut vulnus, quod vitiato instrumento, retentionem, & vna concoctionem labefactat.

Vitia coloris quæ nam ... monstrant.

Vnde necesse est, vt is, qui velit morborum genera ex effectibus dignoscere, perspectum prius habeat, quid morbos similarium, quid vero instrumentariarum partium, peculiariter aut promiscue sequatur. Jam vero causæ, quæ intemperiem solum inferunt, iuuant, vel lædunt, aut illatam conseruant, huius, & non alterius generis morbum manifestant. Quis enim intemperiem esse non dicet affectũ, quem externus calor peperit, quem frigida iuuant, lædunt autem calefacientia, & fouentes. Præbet in hac re sua quoque indicia materia, in qua morbus concipitur. Sic enim in intemperie morbum esse agnoscimus, si in spiritu aut humore vitium est. Si quidem colligimus diariam esse febrem, si spiritus; synocham vero, si sanguis in corde præter naturam est excalefactus. Neque vero desunt ex similitudine notæ: nam si quis ex morbo perierit, dubiumque fuerit, dum adhuc viueret, an inflammatio internam aliquam partem, vel sola intemperies vniuersum corpus infestaret: dissecto autem cadauere, agnouerimus, solam fuisse intemperiem, colligemus profecto idem morbi genus esse in his, qui similiter affecti reperiuntur.

Cæterum quæ & cuius generis sit causa, quæ morbum infert, eadem signa monstrant: nam bilis, quæ in corpore redundare conspicitur, & effectus, qui ab ea proueniunt, & causæ, quæ illam gignunt, minuunt, augent, aut alio modo iuuant, aut lædunt, humorem, qui intemperiem parit, non aliam causam docent: Sic profecto febris, quæ per accessiones non affligit, tanquam effectus excalefacti, vel putrefacti sanguinis, testatur causam esse, quæ intemperiem vitiet, & cuius generis ea sit, quæ vero per interualla intenditur, remittiturque febris, alios humores in causa esse denunciat.

Eodem pacto quæ, & quales sint causæ morborum instrumentariarum partium, ex propria eorum essentia, propriis causis, & effectibus deprehendes, veluti etiam cuius generis sit symptoma, an ex illis scilicet, quæ intemperiem, aut vitiatam structuram sequuntur, an vero ex illis, quæ calidam intemperiem, aut frigidam, aut humidam, vel siccam, aut potius formæ corruptionem, aut vitiatam conformationem, magnitudinem, numerum, coniunctionem, vel vnionem labefactatam comitantur: Nam essentia symptomatum id ostendit, cum quædam ex illis sint, quæ intemperiem solum sequuntur calidam, vel siccam, vt sitis; alia, quæ frigidam, vt fames; alia denique, quæ solum similarium, aut dissimilarium partium vitia, & in vnoquoque genere peculiares quosdam morbos sequi sunt

apta. Sic & peculiares quædam sunt causæ, quæ huiusmodi symptomata inferre, intendere, minuere, iuuare, lædereque possunt: peculiaria alia sunt symptomata, quæ à prioribus gignuntur, & illorum, tanquam effectus, sunt testimonia. Sunt & in vnoquoque genere genera similitudinum, peculiares ... naturæ. Ex quibus quod in hac re quæritur, ne cogamur singula exemplis patefacere, quilibet, qui omnino negligenter, quæ hactenus tradidimus, non legerit, inuenire poterit. Nam genera summa ex summis generibus, & inferiora ex inferioribus deprehenduntur.

Cap. XI.

De indiciis morbi magni.

VT genera morborum symptomatum, & causarum patefacere studuimus, sic nunc de notis agendum est, quas aliquis in singulis morborum differentiis, quarum causas antea explicauimus, habere possit. Qua in re Gale. scribit *libro de Constitut. artis medicæ*, differentias morborum ex illorum, & symptomatum generatione, & causis suis patefieri, at quo modo id fiat, non docet. Nos autem ab eisdem fontibus signa ducemus, si quidem differentes morborum essentiæ, eorum causæ differentes, & inter se discrepantes casus, & similitudines differentias semper indicabunt. Præstatque hoc modo, meo quidē iudicio, rem prosequi, quam vt Galenus facit, qui in singulis differentiis tractationem variat, diuersaque signorum genera perpetuo constituit, & raro rem, de qua agit, vnquam perfecte explicat: hinc est, quod sæpius de eadem re passim scribit, tanquam memor imperfectę explicationis, quā alibi fecit. Ac ne longius abeas, magnitudinē morbi ex magnitudine symptomatum cognosci, scribit *libro tertio de Crisibus*: in eo vero, quem edidit *de Temporibus morborum*, eum morbum, qui sua natura magnus sit, ex vrinis oleaceis, & sputis, signisque aliis lethalibus manifestari commemorat. Qua in re imprimis deficere videtur, quod cum morbum magnum multipliciter dici putet, non distinguat, quomodo magnum intelligi velit, cum ex magnitudine symptomatum eum significari refert. an scilicet intelligere oporteat magnum eum, qui huiusmodi est sua natura, an vero potius, qui ex virium ratione magnus censetur. Deinde explicandum fuerat, quid per magna symptomata intelligi velit; an quæ desperatam salutem nuncient, an potius, quæ vehementes causas ostendunt. Præterea vrinæ oleaceæ, & sputa signaque alia perniciosa non tam morbum sua natura magnum, quam qui vires excedit, aut etiam malignum repræsentant. Postremo non solum ex magnitudine symptomatum, sed etiā ex causarum, & ipsarum dispositionum magnitudine, & similitudine aliorum magnitudo morbi deprehenditur. Magni etenim sunt, qui sua essentia magni, qui à magnis causis sunt excitati, qui in parte consistunt, vbi huiusmodi morbi gigni possunt, qui ex materia apta sunt procreati, quique non nisi à magnis remediis iuuantur, & qui ab omnibus rebus noxiis etiam minimis læduntur, & quos nouimus esse simillimos his, quos magnos antea didicimus. Ergo morbum magnum ita dictum, quod magnam vim habeat (nam de eo, qui conferum affligit, dicetur, cum de vehementia agemus) ostendunt imprimis magnæ dispositiones, vt magna vulnera, magnæ febres; quinetiā morbi, qui accessiones longas, inordinatasque, & anticipantes, aut in eodem statu permanentes sortiuntur, magni, validique esse solent. Causæ, quæ magnam vim obtinent, veluti quæ vulnerant, calefaciunt, & refrigerant, contundunt, rumpunt, frangunt, suapte natura morbos magnos inferunt, & declarant. In neruis, partibusque neruosis, vel quæ principatum obtinent, aut publicum munus in corpore exercent, magnæ oriuntur dispositiones, & ortæ indicantur loci ratione, in quo consistunt. Magnam vim ad agendum sanguis & bilis vtraque, calida denique vel acris materia, & copiosa obtinent vnde ex ea tanquam ex causa ex qua morbi magni proueniunt, eorum magnitudinis notas ducemus. Difficile præterea feruntur morbi magni, quo indicio febres infestantes non diarias, sed putridas esse nouimus, quod s. diariam facile ferat, qui laborat, difficile autem putridam. Sequuntur dolores magni, immoderata sitis, vigilia, sopor, inquietudo, magna in excrementis & colore, ac reliquis qualitatibus mutatio. Hæc enim tanquam effectus magnitudinis morborum sunt testimonia. Nec vero alienum est, eos magnos existimare, qui magnis aliis sunt simillimi. Sic enim acceptum in brachio vulnus magnum morbum putare licet, quod in crure nouerimus, aut in eadem parte alteri idem accidisse. At magnum ita vocatum morbum, quod vires ægrotantis, vel medicinæ superet, eadem signa ostendent. Etenim cancer, apoplexia & elephantiasis hoc modo morbi magni suapte natura censentur, ac ex propria essentia, quam habent, magnitudinem declarant. Qui perpetuo affligunt morbi, magni esse consueuerunt, si præsertim cum febre id fiat. Atra bilis morbos, quos committit, magnos esse significat, quemadmodum & magna putredo, & omnes magni excessus: Difficile quoque vincuntur morbi, & magni creduntur, qui nobiles corporis partes, aut vniuerso animali famulantes occupant. Huius generis etiam sunt morbi, quibus nulla, aut pauca prosunt remedia, obsunt autem plurima. Idem quoque testantur abolitæ, aut admodum infirmæ, aut alio modo plurimum labefactatæ actiones, & mutationes insignes qualitatum corporis, & excrementorum, ac aliorum operum, quæ in corpore pessime peraguntur: notumque illud quoque puto genus signorum, quod a similitudine sumitur, his morbis non deesse.

Galeni sententia de signis morbi magni reprehenditur.

Magni morbi ...

Morbi autem magnitudo vnde magis & habeant signa ... sumantur.

Signa morborum magnorum aliis modo ita dictorum.

Cap. XII.

De æstiui, vernalisque morbi signis.

AEstiuos, qui s. æstati sunt peculiares, ex propria natura morborum intelligimus: nam tertianam exquisitam, febres ardentes, vomitus, alui profluuia, nonnullas etiam quartanas, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes, & genitalium putredines inter æstiuos morbos

Sig. æstiui morbi.

Aph. 20. morbos recenset Hippocrates. Inter vernales vero, furores, atram bilem, morbos comitiales, sanguinis profluuia, anginam, grauedines, raucedines, lepram, tussim, impetiginem, vitiliginem, exanthemata, tubercula, & articulorum dolores: Proprios autumno scribit esse febres quartanas, & alias erraticas, lienis morbos, aquam inter cutem, tabem, vrinae stillicidia, difficultatem, laeuitatemq; intestinorum, coxendicum dolores; anginam, difficilem spirationem, voluulos morbos comitiales, furores, & atram bilem. Inter hyemales hos ponit, laterales morbos, pulmonis inflamationes, grauedines, raucedines, tusses, dolorem pectoris, laterum, atq; lumborum, & capitis, vertigines praeterea & apoplexias. Vnde ex propria natura morborum intelligemus, qui aestiui, hyemales, vernales, autumnalesq; esse possint. Docebunt id quoque causae, quae morbos pariunt: Siquidem aer frigidus, otium, crapula, refrigerantes humectantesque cibi, ac reliquus victus, qui pituitā aceruat, hyemales morbos, id est, similes iis, quos hyems facit, procreat: Aestiuos autem his contraria committunt. Eadem fit de vernalibus, & autumnalibus ratio. Praebet nihilominus subiecta materia ad horum morborum dignotionem notas. Etenim caput, ventriculus, intestina, pulmo, & pectus gignendae excipiendaeq; pituitae, & recipiendis hyemalibus morbis maxime sunt exposita. Hepar aestiuorum morborum; lien autumnalium; vernalium cor potius fons existit. Eadem praebent signa corporum differentiae: nam crassa, obesaque corpora hyemalis pituitosiq; morbi indicia praebent; aestiui vero gracilia, & suapte natura biliosa. In sanguineis vernales morbi, in melancholicis autūnales creari. Quod si didicerimus, quosdam morbos non nisi certis temporibus accidere, alios, qui illis sunt similes non nisi in eisdem temporibus cognoscere tentabimus; Veluti si pestilentes morbi aestiuo potissimum tempore proueniunt, pestilentes febres, vel alium huius generis morbum verebimur esse, qui vel aestate, aut in simili tempestate infestat: Symptomata, quę sequuntur peculiariter aestiuos morbos, eorum sunt indices.

Quae partes quib. secundum tempora distinctis morbis maxime sint obnoxiae.

Cap. XIII.

De notis morbi biliosi, & pituitosi.

Biliosos morbos ex propria illorum naturā dignoscimus. Qui enim tertianam intelligit esse, statim etiam, quod morbus sit biliosus, comprehendit. Cancer vero, & scirrhi alterum genus, elephantiasis, mania, atrabilarii morbi sunt: pleuritis, peripneumonia, angina, sanguinei; pituitosi vero oedema, aqua inter cutem, & altera scirrhi species: ex causis praeterea, quae bilem gignunt, aut extinguunt, ex loco corporis, vbi huiusmodi humor gignitur, ex ipsius retentione, aut excretione idē declaratur. Idem quoque ex effectibus, qui bilem redundantem sequuntur, nempe ira, morsu, calore, siccitate, siti, vigilia, gracilitate, cutis pallore, & caeteris animi, corporisque accidentibus, quae per morbos biliosos apparent, cognoscitur. Hoc enim pacto ardentem febrem biliosam credimus, quod in corpore bilioso, cutis, laboreque confecto, aut bilioso victu vso oriatur, & quod excrementa biliosa reddantur per huiusmodi morbum, & quod praedicta symptomata comitentur, multaque communia, & similia habeat cum his, qui aliis biliosis morbis infestantur. Quinetiam ex illius motu, & partibus signa sumemus. Siquidem celeriter mouentur biliosi morbi, grauiterque hominem afficiunt, & certis quibusdam diebus, & horis intenduntur, remittunturque, praesertim si huiusmodi humor putredinem asciuerit. Idem putandum est de pituitoso, sanguineo, melancholicoque morbo: nam ad proportionem eadem quoque illorum sunt signa.

Morbi atrabilarii. Sanguinei. Pituitosi.

Cap. XIV.

De signis morbi in habitu.

Morbum in habitu, qui ita vocatur, eō quod habitum corporis occupet, morbi natura ostendit. Quidam enim sunt, qui in eo solum gignuntur, quemadmodum hectica febris, quam cum praesentem esse dicimus, statim etiam morbum in habitu esse intelligimus. Accidentia, effectusque morbi, qui in habitu praesertim apparent, illic morbum consistere indicant. Quin & causae, quae eas partes corporis praecipue infestant, earumque dispositionibus prosunt, aut obsunt, morbum in habitu corporis consistere manifestant. Qui vero in habitu dicitur esse, eo quod difficile solui possit, ex natura morborum cognoscitur. Etenim cancer, & elephantiasis suapte natura aegre tolluntur; quemadmodum & quartana, quotidiana febris, & aqua inter cutem, scirrhus, lienisq; durities. Bilis atra, eo quod huiusmodi morbos gignat, eosdē etiam patefacit. In neruis, ossibus, pudēdis, senibus, infirmisq; corporibus, qui gignuntur morbi, aegre admodum soluuntur, & plerumque in habitum transeunt, sicut etiam, qui difficile cedunt iuuantibus auxiliis. Quibus autem cutis admodū est adstricta, aut alii meatus, per quos noxia materia excerni debet, in his pertinaces morbi reddūtur. Quapropter autumnales, hyemalesque morbi aegre admodum discutiuntur, quod per ea tempora cutis sit adstricta, & humores vigeant, qui non nisi magno negotio concoquuntur, & extruduntur. Praeterea inter symptomata quaedam sunt, quae curatu difficilem morbum ostendunt, vt asperitas, durities, niger color, summa gracilitas, aut tumor corporis, & excrementa multa, varia, & cruda. Actionum vero offensiones, quę grauiores sunt, necessario non repraesentant contumacem, solutuq; difficilem morbum esse, quandoquidem magnam labem hae patiuntur per morbos acutos, qui tamen breui temporis spatio desinunt. Illae ergo solum firma praebebunt contumacis morbi indicia, quae sensim labuntur; stabiliorē enim causam, huiusmodi habent, & à firmioribus morbis proueniunt. Nam vt Hippocrates scribit, paulatim refici corpora, quae paulatim extenuantur, Sic paulatim dissoluuntur morbi, qui eo modo, debilitatis viribus, laedunt. Pedum vero, & tibiarum morbos rebelles iudicamus, quod similes nouerimus his, qui manus, & brachia. Quemadmodum duros tumores ex melancholico humore confectos cancri similitudine rebelles censemus.

Cur morbi autumnales & hyemales aegre tollantur.

CAP. XV.

Quæ vehementem morbum monstrent, & acutum.

AT morbos vehementes declarat propria illorum natura: nam pleuritidem, phrenitidem, continentes ardentesque febres inter vehementes morbos numeramus, & qui eorum nomine vtitur, statim ex ea, quæ subest, natura vehementem morbum agnoscit, sanguis vero, & bilis, & feruens adhuc atra bilis vehementem ad agendum vim obtinent: quapropter vehementes etiam morbos procreant, & ostendunt: quod testantur inflãmationes, carbunculi, prædictæ febres, quæ paruo temporis spatio, & interim multum molestant. Quinetiam in partibus, quæ sensu exquisito sunt donatæ, vel principatũ obtinent, vehementes morbi proueniũt. Neque enim illæ diu validius infestantes morbos sensu, vel robore insigni præditæ ferre possunt, id quod monstrant dolores, qui quanto magis affligunt, tanto vehementior morbus euadit. Adhæc produnt hoc genus morbi vehementia symptomata, vt vehemens sitis, vigiliæ, vrinæ admodum rubræ, excrementa tosta, quęque igneum colorem pręse ferunt, ac per febres rubedo in vultu, & magnus æstus, qui in toto corpore percipitur, impedita difficilisq; admodum respiratio per cordis pulmonisque affectus eiusdem morbi sunt testimonia. Censendi nec non etiam sunt vehementes morbi, quibus vehementia remedia potissimum opitulantur, alia autem vel obsunt, vel non prosunt: Qua ratione ardentes febres vehementes cognoscimus, quod scilicet leni sanguinis eductione, & his, quę exiguam refrigerandi vim habent, minime mitigentur, sed omnino requirant præsidia, quæ confertim prodesse possunt. In his præterea, qui ægre transpirant, vehementes febres gignuntur. Requirit deinde vehementis morbi generatio subiecti corporis robur, aut certe non omnino languidas vires, argumento, quod omnis morborum vehementia, morientibus, quæ nostrum corpus regunt, facultatibus elanguescat. Ex aliorum vero similitudine vehementes morbos cognosci certius est, quam vt demonstrari debeat, contra vero leues morbos ex contrariis indiciis intelligimus. Etenim diaria febris suapte natura leuissimus morbus est, veluti omnes fere alii, qui ex tenuissima materia, vt spiritu, nascuntur: vel exfrigida, & pauca, qui in parte ignobili, vt cute consistunt, quique a leuissimis remediis alleuiantur, magnis autem potius offenduntur: & deniq; qui contrariam supradictis naturam sunt sortiti. Acuti autem morbi indicia nemo requiret, si modo is cum vehementi eiusdem est naturæ, & rationis: Quemadmodum antea ostendimus.

CAP. XVI.

De notis morbi continui.

CÆterum cõtinuos, qui nunquam desinũt, morbos, donec finiantur, significant imprimis morbi, qui suapte natura sunt tales, vt angina, febris ardens, diaria, & quæ synochæ dicuntur, inflammationes, & reliqui omnes tumores præter naturam. Qui n. aliquem ex his morbis nominat, continuum morbum esse statim agnoscet, quod eorum natura sit continuo hominem affligere. Atqui sanguis vbicunque consistat, infert morbos continuos: bilis autem, pituita, & humor melancholicus non nisi in parte aliqua impacti, vbi tumorem præter naturam exigunt, vel in vasis internisq; cauitatibus corporis putrescentes id faciunt. Si enim in habitu corporis putredinem conceperint, aut meatus inuenerint, per quos certis temporib. reiici queant, interpolatos morbos & pariunt, & ostendunt. Quemadmodum videmus, colicos dolores ex tali materia natos sæpius per interualla repetere, nec continuo affligere. Ergo loci conditio, in quo morbus positus est, signa præbet cõtinuitatis, interpolationisque morbi. Iam vero quæ vulnerant, contundunt, frangunt, aut alio modo partium instrumentariarum structuram corrumpunt, inter efficientes causas continuos fere morbos inferunt, & testatur. Quod si quępiam essent, quæ continuos solum morbos iuuarent, aut lęderent, indicia quoq; continuitatis illorum traderent. Cæterum imbecillæ naturę, eo, quod morborum causas rescindere nequeat, continuitatis authores fiunt, & signa præbent. Quinetiam quæ apparent, & nunquam desinũt symptomata cum natura morbi coniuncta, eum esse continuum significant. Hoc enim modo continuas febres ab intermittentibus distingui vult Galenus, quod scilicet illæ sine rigore, & aliis quibusdam casibus continuis morbis peculiaribus, ea autem, cum alias sibi propriis inuadant, continuas esse febres, quæ inuadunt, putamus, eo quod aliæ, quæ illis temporibus grassantur, continuæ omnes inueniantur. At continui, qui exacerbantur, aut perpetuum quendam tenorem seruant, hoc modo dignoscuntur. Nam synocha febris continua est, & nũquam exacuitur, contra semitertiana & aliæ omnes febres suas habent exacerbationes: veluti nonnunquã colicus dolor, & comitialis morbus, & podagra frequenter exacerbantur. Sanguis nullas accessiones infert; reliq omnes humores, excepto seroso, nunquam sine exacerbatione molestant. Qui vero morbi à remediis statim extingui queunt (quod præsertim in febribus apparet) vt sanguinem nondum putrefactum, vel spiritus morbum committere indicant, sic continentem eum esse monstrant: At omnes morbi, *qui absq; vitio humorum consistunt*, perpetuo quodam tenore sunt molesti. Ex iuuantibus, lædentibusq; causis, & ex similitudine nonnulla quoq; indicia capere poterit studiosus lector. Nam continentes eos putabimus esse, quibus prosunt remedia his morbis peculiaria, obsunt autem reliqua: necnon qui similes sunt his, quos antea eiusdem naturæ esse nouimus.

Morborum accessiones inferunt & qui non.

Qui & morbi perpetuo tenore sunt molesti.

CAP. XVII.

Quæ sint signa ordinati, inordinatique morbi.

IAm vero ordinatum morbum, quique per certa tẽporis interualla repetit, natura morbo rũ imprimis ostendit, quippe tertiana, quotidiana, quartanaq; febris certo seruato ordine repetunt. Podagra, colicus dolor, calculus renũ, capitis dolor, comitialis morbus, nullum certum ordinem seruant, cum non expectata huiusmodi vitia

di vitia sæpius eueniant. Causæ, quæ ex fluxione morbos pariunt, inordinatos eos gignunt, & excitant. Quæ verò ex putredine, eos, qui ordinem tuentur, manifestant. Quinetiam simplex & vnicus humor ordinati morbi author est, & index: varius & multiplex inordinati. Si quæ præterea sunt causæ, & remedia, quæ morbis ordinatis, inordinatisque conferant & obsint, ab illis quoque signa sumemus. Nec alienum quidem est, ex subiecto corpore, quod afficitur, notas quasdam petere: siquidem neruorum dolores temere, nulloque seruato ordine repetunt intenduntúrque. Qui verò in venis consistunt affectus, per certa interualla graues esse solent. Atque etiam symptomata, & accessiones, quæ per morbos contingunt, perspicuè ostendunt, an ordinatus, vel inordinatus existat. Quod si certis anni temporibus, in certisq; naturis, aut in omnibus morbos oriri videamus, qui ordinem seruent, aut corrumpant, alios, qui morbis tunc corripiuntur, similiter affici putandum est.

Cap. XVIII.

De æqualis, inæqualisve morbi notis.

Morbi inæquales qui.

qui æquales.

ÆQualis, inæqualisve morbus ex propria natura cognoscitur. Diariam etenim febrem, & omnes alias, *quæ ex humore proueniunt*, inæquales morbos suapte natura esse credimus. Hecticam verò, & aquæ inter cutem speciem, quæ Leucophlegmatia dicitur, æqualem. Eodem pacto si aliquæ causæ iuuantes, aut lædentes sunt, quæ æqualibus duntaxat morbis prodesse, aut obesse sunt natæ, eorum æqualitatis erunt testimonia, cuiusmodi sunt remedia, quæ propriè hecticis febribus adhibentur. Atqui symptomata, quæ æqualem inæqualemq; morbum sequuntur, ad illorum dignotionem sua signa præbent. Cæterum inæqualem, in quo contrariæ alterationes in corpore sentiuntur, monstrat natura morbi. Epiala enim, & Lipiala febris suapte natura inæquales hoc modo morbi sunt: Tertiana æqualis. Calidus frigidusque humor confusi, & vnam partem affligentes inæquales morbos: qui verò calidus est, aut frigidus solum, æquales pariunt, & monstrant. Qui à frigido, & calido simul læduntur, & iuuantur, inæquali morbo laborant: qui autem à calido duntaxat, vel frigido, aut alia sola qualitate, æqualem morbum patiuntur. Symptomata præterea, quæ inæqualem morbum comitantur, vt cum quis calorem, frigusq; in eisdem locis sentit, inæqualem esse morbum, qui affligit, testantur. Nec absurdum quidem est ex similitudine, & proportione signa etiam in his sumi.

Cap. XIX.

De signis morbi, qui recidiuam facit.

Quinam morbi præcipue soleant redire, & qui non.

GEnus hoc morbi eius natura, vt in aliis ostendit. Nam elephantiasis, & cancer, cum planè extincti vulgo videantur, redire tamen solent. Diaria semel curata non amplius reuertitur. Atra bilis, crassi, viscidique humores morbos solent parere, qui recidiuam faciunt, alii verò non item. In malè affectis corporibus, infirmis, malignisque humoribus, & dispositionibus similibus præditis, morbi gigni solent, qui simulata fuga retrocedunt. Accidentia præterea, quæ per morbos apparent, idem monstrant: Si enim coctiones non procedant, aut inæqualiter concoquatur noxia materia & nihil excernatur, aut non quando, per eaque loca, & quo modo oportet, non immeritò putabimus hoc genus morbi ex his esse, qui recidiuam facere consueuerunt. Contemnenda præterea non sunt indicia, quæ à similitudine ducuntur; Nam si plurimos in morbos incidere videamus, qui postea redire visi sunt, merito de aliis quoque, qui similibus morbis corripiuntur, existimandum erit: (sed hæc attingūt quodammodo prædicendi partem) quibus simile illud est, si ostendere niteremur, quomodo breuem, longum, salutarem, lethalemq; morbum dignoscere oporteret. Morbi vero qui primario vel secundario, siue per consensum infestat, notas trademus, cum signa docebimus, quibus partes affectas deprehendere liceat.

Cap. XX.

Quæ proprium morbum monstrent.

PRoprium vero, id est, qui contumax iam sit, & permaneat ablata causa, quæ primo cum excitauit, ostendunt eadem genera signorum: Quidam enim morbi sunt, qui proprii hoc modo suapte natura existunt, vt inflammationes, & reliqui tumores præter naturam in partibus oborti, intemperies, nisi vehementiores fuerint, remota agente causa, statim euanescunt, vt ostendit ea, quæ ab insolatione contracta est. Quinetiam inter morbosas causas, quæ pertinacem morbum inferunt, vt vulnerantia, contundentia, frangentia, proprii morbi sunt testimonia: quæ vero calefaciunt, aut refrigerant, contrarios morbos patefaciunt: At siccantia, & humectantia rebellioris naturæ morbos procreant, & declarant. In spiritu, & vapore morbi concipiuntur promptissimè, & improprii potius, quàm alterius generis, sicut etiam in mollioribus partibus corporis; duræ vero ad alios recipiendos, & significandos magis sunt aptæ. Omnium quidem optimè hos morbos inter se distinguūt symptomata: Quæ enim proprium morbum sequuntur, diutius permanent, pertinacem naturam sortita, quæ vero improprium, minimo temporis spatio perdurantia euanescunt. Leuiora præterea sunt, quæ ab improprio morbo nascuntur; grauiora autem, quæ proprium comitantur: quod vero ex iuuantibus, lædentibusque causis, & similitudine horum quoque signa sumantur, omnibus constare puto. Cæterum vt nullus nostra opinione morbus est per accidens, sic nec illius indicia à nobis expectare oportet.

Morbũ nullum esse per accidens.

Cap. XXI.

De morbi vniuersalis, & particularis indiciis.

POrro morbum vniuersalem, quique vniuersum corpus infestat, ex eisdem fontibus

ductis notis cognoscemus: siquidem febris, aqua inter cutem, quæ Leucophlegmatia dicitur, vniuersalis morbus est: inflammatio, vlcus, particularis; Causæ, quæ vniuersum corpus infestare valent, vt insolatio, ira, labor animi, & corporis, & ferè omnia, quæ intemperiem inferunt, vbi vel vniuersum corpus, vel partes, quæ principatum obtinent, inuadunt, vniuersales morbos & faciunt, & monstrant, quæ verò vulnerant, frangunt, tendunt, aut alio modo corporis structuram vitiant, aut vnam partem solum, aut certè non eam, quæ publicum munus exercet, afficiunt, particularis morbi sunt testimonia. Morbosa præterea accidentia, quæ in vniuerso corpore apparent, vt ardor, inquietudo, actionum omnium debilitas, vrinæ pulsusq; mutati, totius morbos significant. Quæ verò in vna solum parte consistunt, vt dolor pedis, læsa ambulatio, cruris morbum produnt. Atqui vniuersi corporis excrementa præter naturam affecta vniuersalis morbi sunt testimonia: Idem pariter ostendũt iuuantes, lædentesq; causæ. Nam quæ vniuerso corpori opitulantur, aut obsunt, præsentibus morbis, vniuersi corporis morbum manifestant. Aliæ autem particularis sunt indices. Præterea ex his, qui vniuersali, aut particulari morbo sunt correpti, similitudine ducti, quid de aliis, qui eodem tempore pariter afficiuntur, existimandum sit, colligimus.

Cap. XXII.

De communis morbi indiciis.

COmmunes morbos docet ipsius morbi natura: Etenim pestis communis morbus esse, cum multos simul apprehendat, & occidat, ab omnibus cognoscitur: diaria febris inter eos, qui sparsim eueniunt, numeratur: Sumimus præterea in his signa à causis. Quæ enim omnibus communes sunt morborum causæ, vt aer, & nonnunquam aqua, cum morbos inferunt, similes, & omnibus communes gignunt, quemadmodum nonnunquam etiam cibus, cum per inediam, & annonæ penuriam iisdem herbis, vel leguminibus, aut alio genere victus multi vti coacti, in eosdem morbos præcipitantur, alioqui si peculiaria hæc singulis contingant, vt solent peculiaria esse exercitia, vitæ conditiones, animi motus, peculiares singulis morbi ab his concitantur, & significantur. Nec illud quidem alienum est, ex communi natura, & corporis statu communes morbos repræsentare: [illegible] ea autem diuersa singulis proprios affectus arguere. Communia præterea, aut parum euariantia in ægrotis accidentia communes morbos propriè monstrant. Quæ verò propria sunt singulis symptomata, nec tamen ob corporis diuersam conditionem eueniunt, peculiaris morbi, & non communis sunt indicia.

Cap. XXIII.

De signis benigni, maligniq; morbi.

AT benignum, malignumque morbum scribit Galenus *tertio de Crisibus*, ex casibus superuenientibus cognosci, quomodo tamen id A fiat, non docet; nec solum quidem ex casibus ipsis, sed etiam ex morbi natura, & causis ipsius, & denique ex eisdem fontibus idem colligere licet. Nam inter morbos quidam benigni sunt, vt diaria, & synocha febris; quidam autem maligni, vt cancer, elephantiasis, comitialisque morbus, qui ex flatu assurgente ad caput nascitur. Causæ præterea quædam benignæ sunt, quæ benignos morbos inferunt, & significant, quædam malignæ, quæ pariter malignos pariunt, & monstrant: Si enim sanguis, vel pituita morbi causa est, eum benignum esse agnoscimus. At si atra bilis, & æruginosa, vel etiam flaua (Galeno authore *libro secundo prædictionum*) morbum facit, credere necesse est, eum B malignum esse. Idem testantur remotiores causæ, quæ morbos concitarunt. Siquidem tristitia longa, venus inita cum infecta muliere, aer pestilens, putridæ corruptæque aquæ, venenosa medicamenta, maligni morbi sunt indices, his verò contraria benigniorem affectum aperiunt. Ad hæc in neruis, vtero, pudendis, & corporibus malè affectis, maligni; in carne verò salubribusque corporibus benigniores excitari solent & significantur: Læduntur facilè ab omnibus causis, & non nisi ab his, quæ à tota substantia agunt, plurimum iuuantur maligni morbi; benignis autem omnia remedia facilè prosunt. Difficilè quinetiam feruntur, qui peruersi sunt affectus; facilius, qui bonorum sunt C morũ, tolerantur. Iam verò symptomata quædam partim eadem, partim diuersa à magnis morbis, maligni excitant, benigni autem eadem quæ parui, vel magni inferunt: etenim lingua arida in parua febre malignum morbum arguit: Sequitur eadem magnas febres, & sitis, quæ vbi calor non vrget, aut siccitas conspicua non apparet, malignitatis morbi est indiciũ. Quod si quis sitiat per vehementes febres, hoc magnitudinem, non malignitatem ostendit. At si quis cum linguæ nigredine non sitiat, maligno morbo tentatur. Liuidus per morbos color, pulsuum subitus lapsus, animi defectus, deprauata, aut abolita cibi potionisque appetentia, excrementa æruginosa, vel atra, quæ ab D ægris excernuntur, sudores pauci, illique per frontem solum, & ceruicem emanantes, vrina suppressa, vel liuida, aut oleacea, aut viridis, vel nigra, malignos morbos testantur: benignos autem, quæ his sunt contraria. Quod si multos, qui eodẽ tempore laborant, malignis morbis correptos nouimus, vereri quoque oportet, ne alii, qui illis temporibus nascuntur, morbi, similem naturam obtineant.

Cap. XXIV.

De notis simplicis, compositiq; morbi.

E CÆterum simplicem, qui composito opponitur, morbum ostendit morbi natura. Etenim diariam, tertianam, quotidianam, & quartanam febrem inter simplices morbos reputamus; semitertianam, continuam tertianam, & inflammationem inter compositos. Causæ præterea, quæ morbos inferunt, si simplicem vim adferant, morbos simplices committunt, veluti quæ solum calefaciunt, refrigerant

gerant, humectant, vel siccant; quæ verò duplicem naturam habent, cuiusmodi sunt, quæ calefaciunt humectantque simul, vel refrigerant & siccant, compositum morbum inducunt, & monstrant. Sic causæ, quæ simplicem dispositionem curare aut lædere valent, simplicem, cum ægrotanti corpori adhibentur, morbum significant, compositum compositæ causæ illis contrariæ monstrant. Eodem modo morbi effectus notas præbent ad hos dignoscendos: Gracilitas siquidem, quæ febres sequitur, non solum calidum, sed etiam iam siccum redditum affectum declarat. Calor, qui solus percipitur sine ariditate, aut humiditate superflua, solius calidi morbi est index: At si accedat asperitas, duritiesque corporis, siccitas; si tumor flaccidus, madorque cum calore humiditas coniungitur. Alui excrementa ignea calidum morbum testantur. Quod si dura quoque reddantur, indicio sunt, quod compositus sit ex calido siccoque morbus. Alias verò simplicis, & compositi morbi differentias, quæ sub aliorum nomine non sunt comprehensæ, facilè percipiet lector, qui non omnino ignarus medicinæ fuerit, vt aliquid illi relinquamus, in quo laborare, ingeniumque exercere possit. Postremo simplices vel compositos eos censebimus, qui his similes existunt, quos eius naturæ esse nouimus.

Cap. XXV.

Quæ ostendant morbum esse legitimum, vel spurium.

IAm verò exquisitos morbos ex sua natura intelligemus. Nam cum inter febres intermittentes tertiana vehemens sit, quæ inter eas vehementissima sentitur acerrimo calore, exquisita putanda est: Quæ autem obtusiorem habet calorem, vt mixtionem frigidioris humoris cum bile, sic adulteratum, & spurium morbum esse significat. Ex morbi partibus signa pariter sumuntur; si enim cito increscat tertiana, aut tardè quotidiana, sinceritas illarum ostenditur. Nec minus si tertianæ interuallum purum, impurum verò sit quotidianæ, signum est eas puras esse. Causæ signa in hac re quoque præbent: Nam quæ sinceram bilem gignunt, aut aliquid ad eius generationem conferunt, vt causæ indicia exhibent sinceritatis tertianæ, quippe media ætas, aeris constitutio calida admodum & sicca, iuuenilis ætas, laboriosa vita, parcior, calidior, sicciorque victus, corporis habitus gracilis, calidusque, & reliquæ simul calefacientes siccantesque causæ, legitimam esse tertianam, quæ ab illis prouenit, monstrant. Quæ autem bilem cum alio humore mixtam pariunt, spuriam eam esse declarant. A causis iuuantibus, & lædentibus signa sumi clarius est, quam vt demonstrari debeat. siquidem ea, quæ exquisitis tertianis opitulari solent, cum adhibentur, & prosunt, illarum certissima sunt testimonia. At ex morbi effectibus, qui tribuuntur legitimis, spuriisque singulis morbis, indicare qualis in hoc genere morbus sit, omnibus constat. Tertianam siquidem legitimam rigor vehemens, calor intensus, vomitus, sudor, breue accessionis tempus, flauæ admodum vrinæ, & alia excrementa, denique omnia symptomata, quæ in singulis morbi partibus apparent, illi peculiaria ostendunt. Notham verò horror, vomitus ex bile & pituita mixtus, paucus, vel nullus sudor, longior accessio, minor calor, excrementa minus flaua, color, qui repræsentat alterius humoris cum bile mixtionem indicant, & quæ diuersi generis humorem aceruarunt, quæque mixtos affectus iuuant causæ, & lædunt, idē monstrabunt. Nec verò alienum est a ratione, credere, eos esse spurios, vel legitimos, quos iudicamus his simillimos, qui legitimi, spuriique sunt habiti. Atq; hæc satis quidem de signis, quæ morborum differentias distinguunt, si quæ enim prætermissæ videbuntur in signis memoratiuis, & prognosticis, suo loco referentur. Quæ verò ostendūt morbi partes, etsi ad hunc locum pertinere videntur, cum hic demonstratiua signa prosequamur, quoniam tamen hæc *in libello de morborum temporibus* abundè prosecuti sumus, superfluum esse duco, eadem hoc loco repetere.

Cap. XXVI.

De notis partium affectarum.

LOcum, in quo morbus residet, qui locus affectus dicitur, præsertim si in parte morbus consistat, (locum enim & partem corporis pro eodem vsurpare solent Medici) siquidem vniuersum corpus laboret, eisdem signis facile est deprehendere. Si verò pars afficiatur, difficilior adeo, vt vix fieri posse putetur, cognitio redditur. Quamobrem Galenus integrum opus inscriptum de Locis affectis, de hac re edidit, sed varie, vt arte sit opus adhuc non parua. Multa præterea in eo desunt, damnarique pariter potest methodus, quam tradit. Cum enim polliceatur, se notas daturum partis affectæ, & ipsius affectus vna cum parte coniuncti, in singulis capita & fontes non semel diuersos statuit. At cum methodum *primo libro* proponat omnibus communem, in aliis postea nunquam vel rarissimè certè ea vtitur, cum causas morborum solum ferè tradat præter institutum, locorum verò affectorum dignotionem non ex proposita methodo, sed potius legislatorum more explicet: veluti cum apoplexiam, epilepsiam, lethargum, carum, in cerebro, & alios morbos in singulis partibus fieri proferi, neque tamen ita esse docet ex illis notis, eaque docendi via, & ratione, quam ab initio proposuit. Quantum verò, & quàm sæpe variet in numero signorum partis læsæ, vnicuique constare arbitror, qui primum, & secundum librum De locis affectis, & eum, quem scripsit De constitutione artis, & alium De arte medicinali inscriptum perlegerit, vt alios prætermittam, in quibus de hac re agit. At ne singula prosequamur, sed omnia ex omnibus colligamus, partem ipsam affectam cognosci scribit ex partis excretæ magnitudine, essentia, à rebus in parte contentis, vel illi adnatis, à natura partis, actione læsa, positu, doloris proprietate, ab excrementorum, quæ à parte excernuntur, qualitate, ex symptomatis, tumoribus præter naturam, ex coloris vitio, quod sequitur partem ipsam, & in toto, vel in parte, vel pluribus apparet, ex affectibus præ-

Opus Galeni de locis affectis esse mancum & nulla methodo conscriptum.

terea per consensum, ex consideratione aliarum partium, ac quotidiana ciborum potionumque experientia. Partem autem affectam cum dispositionibus ex situ partium, actione, generatione morborum, & symptomatum, causisque morbos parientibus cognosci scribit *in libro de constitutione artis*: dispositionem verò ipsam ex excrementorum specie, loci natura, doloris proprietate, & propriis accidentibus *primo de locis affectis* deprehendi refert. Hæc & similia de his tradit, nunquam diuersis locis eadem, quo non solum lectorem confundit; sed etiam in hoc probari non potest, quod fontes primo non doceat, nec omnia complectatur ad hanc rem necessaria. Cum enim coloris vitium, dolor, actio læsa, excrementorum qualitas, sub vno genere contineantur, nempe sub effectu morbi, siue symptomate, genus imprimis erat docendum, & non ab infimis speciebus tractatio inchoanda: Non omnia autem complecti signa necessaria ab eo, certissimum est. Cur enim quemadmodum à positu partis signa sumi scribit, ita à conformatione, magnitudine, numero, connexione, & vnione vitiata, signa capi nō dicit? cum nulla diuersitatis sit ratio, quod etiam ex ipso probare licet. Siquidem *quarto Methodi* exulceratas partes ex ipsa substātia, positu, figura, actione, & vsu, cognosci tradit, quo loco figuram addit signa quoque præbere, & nō solum situm, vt *in libro de locis affectis*. At si figuram addit, cur pariter reliqua, quæ diximus, non adiiciet? Si cibi præterea, potionumque quotidiana experientia notas exhibet partis affectæ, cur & reliquæ causæ, quæ lædere iuuareq; possunt, idem non ostendent? Cur reliquæ qualitates, quæ in corpore, partibusque singulis apparent, nempe odores, sapores, & reliquæ eiusmodi, non eandem vim habebunt, quam soli colori tribuit? Postremò illud non satis est, scribere, quod ab excrementis signa capiantur, sed qua ratione, quibus, quotve modis id fiat, explicandum fuerat, an scilicet qualitate sua, vel quantitate, vel excretionis modo, vel aliter denique id facerent. Ac cum docendi ratio suadeat, vt certa rei tractandæ principia ponantur, quæ non solum lucem afferant reliquis, sed etiam ostendant, nec plura nec pauciora esse posse eius, quod quærimus, indicia, quis (quæso) ex Galeni huiusmodi tractatione hæc intelligere valeat? Sed ne singula in hac re prosequamur, quæ benignus lector ex collatione nostræ tractationis, cum his, quæ ab aliis sunt tradita, cognoscere poterit, & quid bene, aut malè à nobis aut ab illis sit in hac re excogitatum, iudicare: signa iam aggrediemur, quæ locum affectū monstrant: quæ enim affectum ipsum, illiusq; causam ostendunt, superius iam sunt comprehensa. Ex quibus sanè licebit quoque intelligere, quid partem ipsam, & affectum simul, illiusq; causam doceat, quippe cum ex simplicibus composita facilè innotescant.

Signa partis affectæ ex quibus sumantur.

Igitur ad partem affectam deprehendendam sumemus indicia ab eisdem fontibus, à quibus alia duximus, nempe *ab essentia partis, à causis partem afficientibus, ab effectibus, quæ partem affectam sequuntur, & aliorum similitudine.*

Ab essentia partis.

In essentia quidē partis temperiem, substantiam, conformationem, magnitudinem, numerum, compositionem, vnionem, & proprietatem partis hoc loco ponimus. Ergo si quis intemperatam aliquam partem sentiat, eam læsam agnoscit. Eodem modo si substātiam partis vulneratam, aut ab alia separatam videamus, vt cum excernuntur ramenta intestinorum, vel tunicæ, aut caro, vel nerui portio, aut alia quæuis pars, quæ sui generis est, læsa offenditur, affecta nēpe intestina putabimus, si intestini, carnem si carnis sit pars, quæ educitur. Pari ratione si quis sit gibbosus, aut contorta habeat crura, ob malam cōformationem iudicamus illi spinam, huic tibias vitiatas, & deniq; vnicuique eam partem, quæ malæ conformationis est causa: Quod si pars malè conformata cauitatem habeat, in qua aliæ contineantur & continentes, & contentas partes affectas putamus. Nam in gibboso, aut qui pectus præter naturam angustum habet, non solum spina læsa est, sed pulmo pariter figuram suam seruare nequit. Magnitudo verò partis tum aucta, tum diminuta partem affectam indicat: Etenim tumor ortus in aliquo corporis loco, eum affectum significat, vt fungi membranæ cerebri læsæ sunt notæ, & tumor qui in abdomine attollitur, subiectos musculos, aut ventriculum, vel hepar, vel lienem, aut aliam partem ex contentis in ea cauitate nunciat. At vbi plures sunt partes subiectæ, tumoris situs, figura, magnitudo, & natura quænam sit inter omnes testatur. Si enim in sinistro hypochondrio erectus sit tumor, aut lien, vel subiecti euri musculi patiuntur: At si in latitudinem amplam porrigitur tumor, & versus stomachū extenditur, aut si profundior est, vel durus, & sine dolore, lienem potius, quàm musculos ipsos, affectū putare debemus. Sic profectò per tabem extenuatæ partes ob diminutam magnitudinem offensæ videntur. Eadem ratione ob numerum auctum, vel deperditum, membrum ipsum affectum dignoscitur. In luxationibus autem ob malam connexionem & situm peruersum luxatæ partes deprehenduntur. Ad hoc genus referendæ pulmonis fibræ, confosso thorace, per vulnus exeuntes: ostendunt namque partes contentæ in cauitate aliqua ob sitū, quem mutant, partis continentis affectionem, satiusque est ad situm hæc referre, quam ad excretionem, vt Galenus facit: siquidem excreta pars eam ostendit læsam, à qua decisa est: cum verò per vulneratum thoracem pulmo egreditur, is non excernitur, nec aliquid patitur, sed ipse thorax. Quod etiam contingit, cum rupto peritoneo, intestina in scrotum deuoluuntur, nullo ipsorum malo, sed indicio affecti peritonei: cum autem vulnus conspicitur ex soluta vnione, vulnerata, affectaque pars agnoscitur. Sic profectò contingit, vt non solum in externis partibus, sed in internis quoque vulnus conspiciatur, quod illarum læsionis est indicium.

A proprietate capienda.

Proprietas partis signa etiam sua præbet: Si enim lapis è corpore exeat, renes, vel vesicam, aut colon intestinum affecta putamus, nimirum quod illæ inter alias proprietatem, & vim obtineant gignendi lapidem. Pari modo si vniuersum corpus intemperie calida laboret, colligimus cor esse affectum, quod ea duntaxat pars possit huiusmodi mutationis autor esse.

Cæterum à causis hoc modo signa ducuntur.

Ab esse

2 *A causis efficientibus.*

Ab efficientib. quidem læsionem hoc pacto: si quis cantharides assumpserit, in partibus ad vrinam colligendam, reddendamque destinatis, nō autem in aliis læsionem esse credimus, quod huiusmodi venena eas potissimum partes lædere sint apta: Si insolatio nocuit, affectum caput credimus, quod eam partem præ cæteris sol afficere consueuerit. Si aquæ potio obfuit, ventriculum, aut hepar, vel lienem malè habere arbitramur, quod illis partibus maximè molesta sit aqua. Vbi autem venus læsit, spirituosam substantiam, neruosasque partes malè habere credimus, propterea quod hasce corporis partes peculiariter hæc molestet. Neque verò alienum est inter ea, quæ offendunt partes corporis, morbos, illorumque partes reponere. Nam hæc quoque sedem affectam aperiunt. Sic enim vbi tertiana infestat, hepar; vbi quotidiana, ventriculum; si quartana grauis est, lienem affectum cognoscimus. Si continua febris est, internæ; si ex genere intermittentium, externæ partes, quæ habitum corporis cōstituunt, potius affectæ indicantur. Si vrget inflammatio, in carne viscerum, aut musculis affectus est, quoniam hoc genus mali circa eas partes consistere solet, vnde indicia ipsorum morborum, partis cuius est affectus, pariter sunt notæ, siquidem calculi vesicæ, aut renum signa declarant, eas partes laborare, quarum affectuum sunt indices: Iuuantes verò causæ hoc modo partem affectam declarant; si quis enim dubitet, an vitio renum, vel vesicæ vrina mutetur, vitieturque, adhibitis autem remediis renibus, ea naturam suam recipiat, renes affectos, & non vesicam laborare merito existimabimus: Sic si adhibitis, quæ renes offendant, vesicæ autem prosint, vitium augeatur, aut nullo modo minuatur, non temerè suspicari possumus, in renibus malum contineri.

3 *Ab effectib. quæ partem affectam comitantur.*

Ab effectibus autem, quæ partem læsam comitantur, signa petuntur; sequuntur enim actiones læsæ vsus, quæ excernuntur, & retinentur, qualitates mutatas, & alia corporis opera præter naturam; actiones quidem hoc modo affectam partem ostendunt; excedens vigilia, delirium, sensus, & motus abolitio cerebri læsi sunt indicia: deiecta cibi, potusque appetentia ventriculum testatur affectum; corrupta sanguificatio hepar; pulsuum mutatio, cor, & arterias; nutrimenti distributio impedita affectas venas prodit: & denique actiones læsæ vel partem ipsam, quæ functionem edit, aut aliam, vnde vis agendi emanat, nisi materiæ defectu, aut mutato vsu id contingat, affectam ostendere possunt. Hoc n. modo deperdito sensu, vel motu in cruribus, vel in ipsis, vel in spina dorsi aut cerebro malum consistere agnoscimus. Dolor prætereà, vt actio tristis, vel quod ab huiusmodi actione prouenit, eam partem, quam infestat, læsam significat ex sua natura, suisque differentiis & loco, in quo residet; veluti punctorius dolor mēbranæ affectæ est indicium, locus autem doloris, & situs, quænam membrana sit, monstrat. Si enim in thorace sentitur, membrana, quæ subtenditur costis, affecta est: si in hypochondrio dextro, ea patitur, quæ hepar ambit. Sic aliæ partes vehementes dolores patiuntur; aliæ non insigraues, & obtusos experiri solent, quo modo distinguis, an renum caro, vel tunicæ eam ambientes laborāt; nonnullas dolor secundum longitudinem extensus exercet; alias secundum latitudinem productus vrget; alias, vt semel dicam, partes alii dolores molestant, quod cum intellexeris, facilè ex dolore, quænam pars ægrotet, cognosces.

Ex partium vsu.

At vsus partium suas notas in hac re exhibent. Læsa etenim voce, partem aliquam, quæ illi quoquomodo seruit, malè habere necesse est, quæ verò sit, quæ afficitur, ex aliis indiciis deprehendere oportet.

Ex excrementis.

Porrò in excrementis substantiam eius, quod excernitur, qualitatem, quantitatem, locum, modum, excretionis tempus, & ordinem hoc loco consideramus;

Ab excrementorum substantia.

substantiam quidem, an sit de essentia ipsius partis, vt caro, pinguedo, membrana, venæ, arteriæ, nerui, vel alterius substantiæ pars; an aliquid sit familiare ipsi parti, vt cibus, qui per ventriculum excernitur; an excrementum, vt stercus, vrina, lapis: Sumuntur enim ab his omnibus propria signa. Si enim carnis portiuncula educitur, caro est, quæ afficitur; si membrana, pars membranosa; si arteriæ pars, arteria; si pinguedinis, pinguedo, aut pars, cui illa adnascitur, &, vt semel dicam, quod est de rei essentia, sui similem eiusdemq; naturæ in corpore læsam partem, aut eam, cui adnascitur, laborare ostendit, hoc pacto ab essentia sumpto indicio, vesicæ & renum vlcera distinguimus, quod per renum vlcera carunculæ, vesica verò vlcerata, veluti laminæ quædam cum vrina minguntur. Cibus, tanquam familiaris substantia ipsi ventriculo, cum per vulnus egreditur, aut per intestina descendit, aut vomitu regeritur, affectum ventriculum monstrat: si stercus per vulnus exit, intestinorum vulnus significat: si vrina, vesicæ; si vermes, vulnerata esse intestina putamus. Iam verò, qualitates eorum, quæ excernuntur, & naturales, & à natura sua mutatæ sedem affectam indicant, siue primæ, siue secundæ, aut alterius generis fuerint. Hoc enim pacto agnoscimus cor affectum, vel pulmonem, cum aer, qui expirando emittitur, calidior sentitur; & arteriam, non venam vulneratam putamus, si sanguis, qui per vulnus exit, flauior, calidior, tenuiorque appareat; pulmonem affectum arbitramur, si spumosa sunt, quæ tussiendo exeunt: si id, quod per aluum excernitur, tale sit, qualis lotura carnis sanguinolentæ, hepar ostenditur affectum: Ita ventriculus, prodeuntibus ructibus acidis, vel nidorulentis, laborat: Eodem modo hepar, aut intestina, cum excrementa duriora, vel flauiora, aut alia qualitate præter naturam affecta excernūtur, læsa putantur. Quod si per vlcera, aut vulnera abdominis pus stercus redoleat, laborare intestina id significat: pulmonem verò extremè tabidum indicat sputum, quod tussiendo reiectum grauiter olet.

A qualitate.

Quinetiam sinceræ rerū qualitates aut mixtæ ostendunt locum affectum: Hac quidem ratione vlcus putamus consistere in infimis intestinis, si sanguis, qui excernitur, non sit mixtus cum excrementis alui. Tanto verò in superioribus malum est, quanto magis inter se sanguis, ramenta, & ipsa excrementa sunt confusa. Ad hæc à renibus prodeunt nonnunquam cum vrina oblonga quædam capillorum modo extenuata pituitosa excrementa, quæ eos, & haud quaquam

tis, iudicanturque illæ partes affectæ, in quib. color præter naturam conspicitur: Nimia durities, aut mollities non solum partem, in qua hæc apparent, sed etiam fontes humorum læsos sæpe testantur. Exsiccato enim, aut præter naturam humectato hepate, duriores mollioresque reliquæ partes redduntur. Vbi vero sonitus quidam circa aures, vel in ventre inferiore sentiuntur, cerebri membranas in priore affectu, in hoc intestina laborare putemus.

4. *Ex similitudine alterâ.*

Nec desunt quidem partibus affectis significandis signa, quæ ex similitudine, & proportione sumuntur. Hac enim ratione, si homine mortuo, & dissecto nouerimus, quænam potissimum fuerit sedes affecta, colligere licebit, vbi morbus consistat in his, qui similiter, vt ille, affici putantur. At illud quidem ignorandum non est, diuersas partes easdem notas habere: veluti vlcera pulmonis, & asperæ arteriæ, quæ in collo reperiuntur, declarant sanguis, & vasorum frustula, quæ per tussim reiiciuntur: eodem modo vesicę, & renum affectorum eædem multæ sunt notæ, sed tamen ex prædictis fontib. inuenies; quæ laborantem partem potissimum ostendant, vel enim; quæ excernuntur, substantia, vel qualitatibus, aut copia, vel excretionis modo, aut dolores, vel alia accidentia euariant. Atque hæc quidem sufficiant de notis partis affectæ. Nam si quæ forte prætermissæ videbuntur, quæ sparsim apud Galenum leguntur, consulere statim fontes ipsos oportebit, ex quibus, vt arbitror, illæ deriuari intelligentur: quandoquidem non singula prosequi, sed methodum potius, & capita docere, non solum in hoc negotio, sed etiam in vniuerso opere instituimus.

Cap. XXVII.

Quæ monstrent partem affici primario; vel per consensum; proprie, vel improprie.

QVoniam vero plurimum refert intelligere, an pars primario, vel secundario siue per consensum, aut proprie, vel improprie afficiatur, siquidem curatio remediaq; potissimum illis adhibentur, vnde morbi illorumque causæ ad alias perueniunt, & partes, quæ stabiles affectiones iam cōtraxerunt, auxilia postulant, quæ vero leuiori, instabilique dispositione laborant, agente sola natura persanantur, ideo notas tradere oportet, quibus dignoscamus, quo modo singulæ partes afficiantur. Quod quidem Galenus *libro primo de Locis affectis*, vt operis institutum exigebat, se facturum est pollicitus, nunquam tamen postea id præstitit: Nam dicere partes eas per consensum affici, quæ cum aliis irritantur, quarumque affectus, illis mitigatis, vnde concitati sunt, mitescunt, verum quidem est, sed ex vno indicio haudquaquam ars constat. Habet & nescio quædam de hac re *in lib. de Constitutione artis*, sed ea nec satis expressa, nec ex aliquibus fontibus ducta. Quare præstat fontes ipsos consulere, quæ in hac re suas quoque notas liberalissime præbent. Igitur quædam sunt partes, quæ suapte natura ab aliis non ita facile patiuntur, vt ossa, quæ in seipsis affectum, quo laborant, fere continent: aliæ vero, quæ ab aliis

A prius laborantibus suas noxas facile recipiunt, easque reliquis impartiuntur: veluti caput, quod facile à ventriculo, vniuersoque corpore læditur, & easdem partes prompte offendit. Vnde ex partium natura imprimis signa sumemus.

Quænã partes sint aptæ aliis compati vel reliquis obesse, & ex quibus signis cognoscantur.

Porro quænam pars sit apta aliis compati, vel reliquis obesse, ex situ, connexione, officio, genere, temperie, raritate, duritie, mollitie, & fere omni alia partium conditione cognoscemus. Brachium etenim cum manu dolente prompte compatitur, & os carni circumpositæ vicissim sua mala communicat ob vicinitatem: Læso neruo vitium ob connexionem ad cerebrum facile ascendit: Quemadmodum sane arteriarum mala cordi; venarum autem vitia hepati nullo negotio communicantur. Publicum est cerebri,
B cordis, hepatis, testium, ventriculi officium, quapropter his fontibus læsis, reliquas partes simul affici rationi consonum est. Hinc enim laborante cerebro, sensus, & motus; hepate vero nutritio; corde autem affecto per syncopas ductas vniuersi corporis actiones labefactantur. Mammæ & thorax cum genitalibus consentiūt, mutuoq; afficiuntur, ob operis officiiq; cōmunitatem: quippe cum circa eādem materiā versentur. Neruus neruo, arteria arteriæ, neruosū neruoso, carnosum carnoso, quoniā eiusdē sunt generis, facile compatitur. Calidiores partes humores; qui alias infestant, ad se alliciunt, & ob temperiem malorum sociæ fiunt. Ventricu-
C lus ob cauitatem, & rectum situm decurrentes materias à capite prompte suscipit, difficilius hepar, lien, ossa, & aliæ partes, quæ vel cauitatem non habent, aut è directo non subiiciuntur: Vbi vero internæ partes malis humoribus sunt refertæ, cutis ob raritatem, & natiuam debilitatem eorum portionem prompte admittit, & mali particeps euadit: Pulmo ob mollitiem, & laxitatem capiti destillatione laboranti sæpe cōpatitur: Durities à fluxionibus, & inflammationibus vicinis ossa tuetur. Ac (vt semel dicam) *ex partium natura, & conditione* licebit cognoscere, quæ vel alias afficere, aut ab aliis lædi possint, & cum quibus singulæ potissimum offendantur.

Ex partium natura & conditione.

Ex iis, quæ partes lædūt.

D Cæterum inter ea, quæ partes lædunt, quædam sunt, quæ postea quam fuerunt excitata, non aliunde fouentur, aut augentur, nec ad alias partes sparguntur, sed quicquid est mali, in parte primario affecta consistit, cuiusmodi sunt tumores præter naturam, præsertim qui ex materia frigida consistunt: dolor vero, & quæ dolorem sequuntur symptomata, facile ab vna parte in aliam transferuntur. Nam ob dolorem cruris, aut digiti, vel alterius partis, communicato malo cordi, nonnunquam contingit animi defectus. Vt autē inter morbos ipsos, & symptomata quędam apta sunt alii communicari, alia vero inepta, sic etiam inter causas morborum effectrices idem contingit: Etenim humores vaporesve fa-
E cile ab vna parte in aliam migrant, ac vtramque facile lædere possunt. Eodem pacto calor, & frigus ad multas partes sparguntur; quæ vero siccant, aut humectant; & multo magis quæ vulnerant, contundunt, & frangunt, non solent ad alias partes transferri, sed in illis duntaxat, quas primo affecerunt, manent, aut si alias secum lædunt, diuersi generis affectiones illis impartiuntur: nam fractura alicuius membri alteri non

Ex iuuantibus & lædentibus.

communicatur: dolor vero, qui confractam, partem sequitur, totum nonnunquam corpus in compassionem trahit, dum febres, syncopen, aut alios huiusmodi affectus parit. At iuuantes lædentesq; causę certiora præbent indicia, siquidem duabus affectis partibus, si lædatur vna offensa alia, eam, cui lædentia adhibentur, primario affici certissimum est. Eodem pacto ea, quæ iuuatur, adhibitis alteri auxiliis, per consensum laborat: dolente namq; capite, si remedia stomacho adhibita, leuent dolorem, aut intendant nō primarius est in capite affectus, sed à ventriculo prouenire cognoscitur. A causis præterea lædentibus, quæ præcesserunt, signa sumentur. Si enim alicui caput doleat, nulla prægressa causa, quæ partem eam peculiariter affecerit, aliunde dolorem prouenire necesse est. Quod etiam ex partibus antea læsis colligere licet: nam si cui vētriculus diu laborauerit, caputq; postea dolere incipiat, non immerito coniiciemus à ventriculo ad caput transmissam esse doloris causam.

Ex effectib. & symptomatis

Ad hæc effectus, & symptomata, quæ affectas partes sequuntur, declarant, quæ primario, quæve secundario sit offensa. Primo enim morbosa symptomata in illis apparent partibus, quæ primario afficiuntur, postea vero in aliis, quæ secūdario laborant: mitescunt præterea augenturq; affectiones partis per consensum offensæ, dum crescunt, minuunturq; illæ, quæ in primario affecta consistunt. Grauiora postremo solent esse symptomata, quæ partem primario affectam sequuntur, leuiora, quando per consensum contingunt. Solent etiam sæpius intermittere mala, cum aliunde proueniunt. Quo modo videmus capitis dolorem, quem peperit febris, euanescere, dum ipsa declinat, continuos autem esse dolores in ea parte, quæ non aliunde patitur, sed in se ipsa passionis causam habet Qua ratione delirium, quod ex inflammatione cerebri nascitur, ab eo, quod per cōsensum cum aliis

A partib. contingit, discernimus, quod illud s. perpetuū sit, hoc vero non item, sed eo potissimum tempore inuadat, quo accessiones morborū augentur & vigent.

Ex similitudine.

Quid præterea obest, quo minus ex similitudine signa quædam sumantur ad id, quod quærimus, declarādū? Hoc enim pacto affici caput per consensum cum digito pedis aut manus putamus, quod s. similiter in aliis id euenire conspexerimus: veluti in his contingit, qui hoc modo comitiali morbo, affecto cerebro, laborant.

Signa partis propriè affectæ vnde sumantur.

Cæterum propriè partem affici cognoscimus ex magnitudine affectus, symptomatum consequentium, & causarum, quæ affectum intulerunt, aut mitigant vel intendunt aut penitus tollunt. B Qui enim magni sunt affectus, vt magnas impressiones indicant in partibus conceptas, sic stabiles læsiones significant, leuiores vero instabiles, & qui facile euanescant. Grauia vero continuaq; symptomata, magnæ in corporis qualitatibus, actionibus, & excrementis mutationes, proprii affectus sunt indices. Si tenuis, paucusq; est spiritus, qui partim afficit, vt leuiorem, sic instabilem adhuc læsionem ostendit, si vero sit humor in parte impactus, propriè affectā partem monstrat. Si leuiter aliquis fuerit percussus, ob leuitatem causæ lædentis colligimus stabilem non posse esse in parte percussa affectionē, quod pariter contingit, si pars dura & solida est, quæ patitur. Ac si à leuissimis remediis iuuetur, quod C laborat, ostendit se nondum pertinacius malum concepisse: contra vero accidit, si mollis est pars, quæ facile omnes impressiones admittit, si nulla remedia, aut non nisi magna, & continua prosunt, obsunt autem vel minima: Tunc enim vehementiorem, & proinde iam firmum affectum suspicari oportet. Atque hæc satis quidem de signis demonstratiuis, nunc ad alia genera accedamus.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE SIGNIS MEMORATIVIS,

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Quorum sint signa memoratiua, & quæ per illa dignoscere oporteat.

QVÆ sint signa memoratiua, quæ, & quot illorum sint genera, & differentiæ, quæ deniq; sit illorum vtilitas, ex superiore tractatione patere puto. Nunc vero illud explicandum imprimis esse duco, quorum hæc sint signa, & quæ per il- D la scire conueniat.

Galeni opinio de signis memoratiuis reiicitur.

Qua in re Galeni opinionem non recipio, qui *in quarto libro de Præsagitione ex pulsibus* scribit, signa memoratiua duntaxat causarum esse.

Quænā memoranda sint. 1.

Neque enim solum quæ causa, sed etiam quæ corporis constitutio, & quæ accidentia præcesserint, commemorare necesse est, quandoquidem curationem, conseruationem, præseruationem, remediorum denique, & victus rationem huiusmodi commemoratio (vt postea ostendemus) variat. Porro vt corpus à diuersa constitutione in eam, quæ præsens est, mutatur, sic diuersa commemoranda sunt in vnoquoque corporis præsenti statu. Si enim mor-

morbo quis laboret, imprimis quæ causa morbum intulerit, cognoscere expedit, propterea quod huiusmodi cognitio curationem mutat. Aliter namq; morbos curamus, quos vigilia, aliter
2. quos ira vel labor, aut alia causa morbosa intulit: deinde quomodo genus sit morbus, inuestigare oportet, an paulatim irrepserit, vel confertim inuaserit, an densando, vel rarefaciendo, vel vulnerãdo, aut contundendo, vel alio deniq; modo causę morbum excitauerint, ignorandum non est. vt enim diuerso modo illæ corpus afficere, sic profecto varianda est curatio, & præser-
3. uatio. Locus prætereà, per quē illæ sese insinuarunt in corpus, à Medico perdiscendus est, quando plurimum refert intelligere, an extrinsecus inuaserint, vel intrinsecus egerint: Cui enim lo-
4. cō remedia potissimum sint adhibenda, ex hac commemoratione patet. Ad hæc tempus, quo quis laborare cœpit, memoriæ subiicere necesse est, propterea quod aliter curamus, quos lōgus iam morbus afflixit, aliter, qui non multo antea laborare cæperunt. Quinetiam plurimum scire
5. refert, quæ, qualisq; sanitas præcesserit: quippe cum id ad morbi naturam, & differentias dignoscendas, quib. curatio quoq; variatur, plurimum faciat. Si quis enim probe sanus esse consueuit, vt bonos humores gignit, sic mites, & non ma-
6. lignôs morbos incurret. Porro si conualescens aliquis sit, qualis morbus antecesserit, scire necessarium est: quandoquidem id docet, qualis sit relicta in corpore dispositio à morbo pręcedente: quo postea intelligimus, quomodo renutriēdi, restaurandique sint, quia morbo resurgunt. vnde scribit Hipp. *in Aphoris. Quæ longo tempore*

Sect. 2. aphor.
7.

extenuata sunt corpora, longo tempore reficere oportet, quæ breui breuiter. Si vero sanum est cor-
7. pus, tunc ea cognoscere oportet, quæ sanitatem præcesserunt, an scilicet recenter ex morbo conualescens sanus sit factus, vel non; religiosius. n. illis viuendum, his autem liberius: atq; in singulis quæ præcesserint ex his, quæ sanitatem conseruant. somnusve, vel exercitatio, cibus, aut aliud quidpiam, cognoscendum; id enim viuendi rationem, & quid postea fieri debeat, monstrat: Quippe si somnum modo præcessisse cognouerimus, intelligemus cibo nondum esse opus; si
8. cibum, quiete, non vehementi motū: Atqui extincto homine, quis morbus mortis causa extiterit, nonnunquam quærimus. Quæ quidem omnia ex signis memoratiuis consequimur. Quo magis mirari licet horum tractationem ab omnibus fere scriptoribus hactenus fuisse contemptam, aut certe non satis illustratam. Nam vix duob. verbis eam complectitur Gal. cum *in Arte medicinali* refert, quædam esse signa demonstratiua, quędam prognostica, alia memoratiua, & nusquam postea satis memoratiuorum vsum docet, nusquam quę per ea dignoscere oporteat, nec quę, quotq; sint illorum genera, & differentiæ, nec à quibus ea sumere debeamus, explicat, hoc solo contentus, quod quædam sint memoratiua, & minor eorum sit vtilitas, quam aliorū, & ad causas morborum inuestigandas conferāt: cum tamen, qua ratione id contingat, non explicet: nimirum quod par fere sit (vt antea ostendimus) signorum omnium vtilitas, si modo omnia, quæ ab illis indicantur, sunt à Medicis percipienda, & ad alia, quam ad causas morborum, illorum vsus pertinet. Quare tanto diligētius hæc à nobis explicanda sunt, quanto magis ab aliis contempta fuerunt. Nemo tamen putet à nobis hæc negligentius explicata, quod genera, differentias, & vim horum signorum non doceamus, nam hæc prætermittimus, vel tanquam nota ex superiorum tractatione, vel quod ad illorum imitationem facile inueniri valeant.

Cap. II.

Quomodo intelligere possimus, quæ fuerit morbi causa.

AB eisdem fontibus memoratiua signa sumi, à quibus alia ducuntur, ratio dictat, sed quo modo id fiat (quod potissimum hæc tractatio promittit) nunc explicandum. Ergo quæ fuerit morbi causa, imprimis docebit natura affectus, quem causa peperit.

Signa ex natura affectus.

Nam in diaria febri ex æstu contracta cutis calidior, squalidiorq; est, quam pulsus ad febrilem dispositionem mutetur: sitis parum infestat, calor statim in primo occursu vigere, caputq; peruri maxime videtur, oculi calidiores & rubicundiores apparent cum siccitate quadā, quoties sine grauedine, & destillatione febricitant: nam quib. hęc adsunt, caput nō solū calidum, sed ēt sanguine plenum conspicitur.

Signa febris diariæ ex æstu.

Eam vero, quam vigilia commisit, cognoscit Gal. eo quod facies laborantibus sit decolorata, & subtumida, & palpebræ vix attolli valeant, oculique sint humidi, & concaui. Quod si tristitia febris causa extitit, acris potius, quam multus calor apparet, & corpus gracile conspicitur. oculi concaui, & sicci: insolita decoloratio adest, paruique pulsus eduntur. At eam, quam accendit ira, ostendit multus potius, quam acris calor, qui celeriter ex profundo corpore effertur, magnique pulsus. Si vero lassitudo febrem procreauit, cutis siccior plus, quam in alia febre sentitur, & calor acris vrget. Quæ autem ex densitate nata est diaria, calorem habet, qui primo occursu mitis apparet, postea vero acrior consurgit. Vrinæ non ruffę, nec corporis moles collapsa, nec oculi concaui, aut sicci. Ea vero, quam peperit inflammatio, maximos, veloces, frequentesq; pulsus edit, plurimo calore, sed suaui abundat, faciem rubidam, & subtumidam, vrinas vero subalbidas reddit; eadem est ratio in aliis morbis: nam calidus affectus calefacientem præcessisse causam indicat, cuius vero generis sit, genus caloris monstrat. Acrior siquidem calor sequitur calefacientes, siccantesque; mitior vero calefacientes, & humectantes causas. Eodem modo vulnus docet causam morbi fuisse, quod secandi vim haberet: Angustum vero, & profundum vulnus monstrat, ab his illatam esse plagam, quę punctim feriunt. Si quis morsus fuerit à cane, intelliget ex vulneris colore, & reliquis qualitatibus, & symptomatis, an rabidus canis fuerit, vel non. Si quis forte serpentem conculcauerit, & illi cutis à pedibus excorietur, cruraq; œdemate intumescant; vel si eundem offendere tentauerit, & interim olfactu ita afficiatur, vt omnia, quæ olfacit, prauum odorem referre putet, eum fuisse serpentem, qui drymus dicitur, agnoscimus;

Quomodo drymus serpens homini venenū sui communicet.

eodem pacto si quispiam solo visu, vel sibilo serpentis occisus, vel grauiter affectus fuit, diuinamus, Basiliscum fuisse. At si quis ab huiusmodi feris vulneratus, sanguinem per os, & na-

Quomodo Basiliscus.

Hæmorrhoides. res, vnsuersumque corpus effundat, ex symptomate proditur fuisse hæmorrhois serpens; Ardens vero febris, quæ cum inexhausta siti, & æstu vehementi infestat, eos conficit, qui à dipsade commorsi fuerunt: *Dipsas, Acontias, Ptyas.* Acontias serpens, vbi se multum extenderit, ceu iaculum quoddam insilire, & sic homines perimere creditur. Ptyas vero serpens, ceruice exporrecta, & interualli mensa longitudine, rationalis cuiusspiam animalis modo, minime aberrans, venenum corporibus inspuit: Lædunt alii serpentes alio modo, & peculiaria sua inferunt symptomata: veluti & alia omnia, quæ vim agendi in corpus habent: quæ cũ perspecta fuerint ex illatis malis, quales extiterint illorum causæ, haud dubia coniectura cõmemorabimus. Si communis sit morbus, non immerito suspicabimur ex aeris malignitate eius ortum acceptum. Si sparsi, & singulis proprii grassentur morbi, ex peculiari victu causa petitur. Ac (vt semel dicam) diuersi effectus differentes causas, & iidem easdem præcessisse commemorant: nam etsi ira, vigilia, tristitia, febres inferunt, nihilominus in febricitante corpore quædam impressiones apparẽt, quæ præsertim, dum recens est affectus, diuersitatem causarum indicare possunt. In aliquibus tamen clarius suam causam declarat, qui inueteratus est: nam ab initio vix distinguas ex vulneris qualitatibus, & aliis accidentibus, an rabidus, vel non esset canis, qui momordit: Progressu tamen temporis, quæ latebat veneni vis, fit conspicua. Vulneratæ vero partes ab initio clarius, quæ vulnus intulit causa, aperiunt, postea vero ob circumnascentem carnem primo facta impressio tegitur: Licet quoque nonnunquam efficientes ipsas morborum causas ex propria essentia deprehendere, *Ex causarũ efficientium propria essentia.* veluti si quis à spiculo vulneratus fuerit, siquidẽ adhuc illud corpori adhæret, vulneris causa eo conspecto intelligitur. Quis præterea ex contemplatione causarum efficientium morbos, quæ præcesserunt, non inueniet, quæ fuerit præsentis morbi occasio? Si enim forte præcesserit Aquilonia constitutio, & subinde sequantur pleuritides, optime in aeris ambientis iniurias morbi causam referemus. Ac etiam ex causis remotissimis, quæ alias pepererunt, coniecturam sumimus: nam si quis literarum studiosus febre sit correptus, ex vigilia eam contractam suspicari possumus: quod is amœnitate literarum captus, plurimum vigilare consueuerit. Eodem modo si laboriosus negotiosusque homo in febrem incidat, ex labore eam natã arbitrari par est, quod ob corporis negotia is plurimum laborare conetur. *Ex subiecto.* Sumuntur & indicia ex causa, quæ subiectum dicitur. Si enim mulier laboret capitis dolore, diuinare possumus ex retentis mensib. dolorem esse obortum. Si quem eruditas exercere solet, fere credere possumus, quicquid mali in eo contingit, inde ordinem duxisse. Hæmorrhoides suppressæ aut aliarum partium cohibitæ euacuationes admonent nos credere debere, quænam materia, & qualis fuerit morbi origo. Si cui adest rara textura, ex adstringentibus, extrinsecusque calefacientibus illi febres prompte contingunt. Quod item magis vna pars, quam alia afficiatur, sumptis indiciis ex materia subiecta, intelligimus, quæ causa morbum intulerit: quo modo ortam ex æstu febrem agnoscimus, cum caput præcipue vritur, afficiturque: si spiritus afficiuntur, putamus omnino causam esse passionis, quod alterandi, aut suffocandi, vel dissoluendi vim haberet, quod fere ab his duntaxat subiecta materia pati posset. Si durum est corpus, quod afficitur, rationi est consonum existimare, causam, quę peperit, magnam vim habuisse, propterea quod dura, solidaq; materia vix aliter pati queat. At causæ iuuantes, & lædentes certius id monstrant: *Ex iuuantibus & lædentibus.* Sic enim diarias ex æstu contractas Gal. dignoscit, quod balneis, fomentisq; frigidis iuuentur, delectenturque qui ea laborant. Nec alienum quidem est, ex similitudine signa capere: *Ex similitudine.* Nam si quem ex morbosa quapiam regione aduectum morbo correptum Medicus videat, facile suspicari poterit, consocios ex communi aere, & loco suorum morborum originem duxisse. Atque cum hæc quidem, quæ enumerauimus, suas differentias acceperint, differẽtes causas monstrabunt. Magni enim vel parui, benigni, vel maligni, simplices vel cõpositi affectus, huiusmodi præterea causæ, quæ præcesserunt, vel alias pepererunt, vel admittere possunt, mõstrant, talia esse, quæ morbum excitarunt, qualia ea fuerint, quæ ea ostendũt.

CAP. III.

De indicantibus modum, quo morbus genitus est.

CÆterum generationis morborũ modum, & rationem ex natura ipsarum causarum imprimis intelligere licet. *Ex natura ipsarum causarum.* Sunt enim inter illas, quæ paulatim tardeq; solum in nos agunt; quædam, quæ confertim; aliæ, quæ per accidens; nonnullæ, quæ per se morbos gignunt. Subita quidem agendi vis inest calefacientibus, refrigerantibus, vulnerantibus, contundentibus, frangentibus, & rumpentibus: contra vero siccantibus, humectantibus, erodentibus, exulcerantibus, quæ paulatim obesse possunt: Calida per se, frigida vero per accidens calidos morbos inferunt. Ac etiam in eodem genere causarum, quæ abunde excesserunt, etsi suapte natura tardæ sunt, celeritatem tamen excessu acquirunt, & quæ suapte natura celeres, defectu tardiores euadunt, ex quibus sane intelligemus, non posse morbum, qui subito emergit, ab his, quæ paulatim duntaxat eos excitant, procreari: nec eos, qui paulatim nascuntur, ab illis fieri, quę non nisi confertim affligunt. *Ex morbis ipsis.* Morbi tanquam effectus suarum causarum idem mõstrant: *Ex effectibus aliis.* nam qui paulatim gignuntur, vt vlcera, caries, sicca intemperies, scirrhi; qui subito, vt tumores ex fluxione calida nati: quæ item ab his, quæ per se solum agunt, prouenĩunt; vt contusio, vulnus, non solũ propriam suam causam, sed etiam modum, quo geniti sunt, patefaciunt. Præterea ex effectibus aliis, qui morbosas causas, morbosque ipsos sequuntur, signa pariter ducuntur: *Dolor quos morbos & quæ symptomata sequatur.* nam dolor eos tantum morbos, easque causas sequitur, quæ subito agere possunt. Sic symptomata alia, quæ statim euidenter apparent, subitã generationem morborum monstrant, quę vero paulatim, contrarium significant. *Ex symptomatibus.* Præbet & notas materia, *Ex materia quæ patitur.* quæ patitur. Si .n. spiritus afficiuntur, subitam fuisse affectus generationem agnoscimus: si partes soli-

tes solidæ, non item, cum tenuia corpora subito mutentur, solida vero agentium vim difficillime, & nõ nisi paulatim suapte natura recipiant: Qua ratione credimus diarias febres statim gigni, hecticas vero fere solum, cum solidæ partes ob vicinitatem accensi spiritus, vel humoris febrilem calorem tandem concipiunt. Eodem pacto si morbosum, & cacochymum est corpus, quod laborat, paulatim ex vitio humorum pullulasse præsentes morbos putamus: quod si nullum subest vitium, subitam fuisse morbi generationem ex solius agentis vi concitatam arbitramur. An non etiam materia, ex qua morbi procreantur, signa ad hęc dignoscenda prębet? quãdoquidem non alia ratione verrucas, & alios duros, & sine dolore tumores paulatim concreuisse existimamus, quam quod ex crassa, tenacique materia, quæ paulatim exsiccatur, aceruaturq., proueniant. At ex causis iuuantibus, & lædentibus non perinde licet certa signa sumere, propterea s. quod multi morbi reperiuntur, qui subito geniti sunt, tamen non nisi paulatim tolli possunt, vt vulnera: quidam vero, qui etsi paulatim sunt orti, subito tamen mitigari queunt; cuiusmodi sunt, qui ex humorum corruptione prouenerunt? nam hi purgato subito humore, statim mitescunt. An non etiam causæ sine quibus, & cum quibus aliquid ad id conferunt? cum eos, qui longo labore se confecerunt, paulatim suos morbos contraxisse; alios autem, qui cõuenientem victus rationem seruarunt, cõfertim fuisse læsos putemus: nimirũ quod nulla subesset morbosa dispositio, quæ morbi occasionem longius repeteret. Possumus & ex similitudine signa in hac re colligere: Si quos enim antea bene affectos nouerimus, & subinde morbo correptos, alios illis similes, aut etiam deterius habentes, eodem modo in morbos præcipitatos existimabimus, quod communis esset causa, quæ eodem modo omnes affecit.

Ex materia ex qua morbi procreantur.

Ex causis iuuantib. & lædentibus.

Ex causis sine quibus & cum quibus.

Ex similitudine.

Cap. IV.

A quibus sumantur signa, quæ docent, per quem locum causa morbos excitauerunt.

Signa ab affectus natura.

NAtura affectus id hoc modo ostendit: vulnera namq; non nisi ea, quæ extrinsecus lædunt, inferre possunt, quemadmodum contusiones, & fracturas. Internæ erosiones non nisi ab his, quæ assumuntur, aut retinentur, & denique ab his, quę intrinsecus offendunt, oriuntur. Intemperaturę vero tum ab his, quæ intus agũt, tum ab aliis, quæ extrinsecus occurrunt, pari ratione prouenire possunt, veluti febris, quam cutis densitas, externus calor, assumpta medicamenta, animiq; perturbationes concitant: docẽt & id qualitates præter naturam, quę in laborante conspiciuntur, ab antegressis causis relictæ: Si quis enim ab externo frigore febrem contraxerit, densitatem in cute adhuc ostendet: si ab insolatione, caput potissimum æstuabit: si nocuit cruditas, ventriculus præter cæteras partes male habebit: si bubo ortus in inguine febrem peperit, intelligemus per vicinas arterias, & venas calorem ad cor peruenisse. Sumuntur & à causis efficientibus signa. Si quis enim calefacientibus, siccantibusque alimentis, relicto vero victu idoneo, quo vti consueuit, in febrem incidat, ex his,

Signa à causis efficientibus.

A quæ intus assumuntur, morbũ genitum cognoscimus. Vnctiones extrinsecus duntaxat sese in corpus insinuare possunt. Aer vero intus, & foris vim suam pariter exercet. vnde ex causarum agentium in nostrum corpus natura licebit intelligere, genitis morbis, vnde eorum origo in corpus emanauerit. Confert nonnihil præterea materia subiecta ad huius rei dignotionem: nam si corpus externis iniuriis maxime est expositũ in morbis qui vtrinq; excitari possunt, originem in his potius, quæ extrinsecus, quam quæ intrinsecus agunt, quęremus. Si mulier est, quæ capitis dolore tentatur, ex vtero affectũ potissimum natum putabimus: ossa externis potius, quam internis iniuriis patent: B Interna vero viscera contra potius internis, quam externis malis sunt obnoxia. Iuuantes, lædentesq; causæ sua quoque dant indicia: Qui enim extrinsecus admotis remediis iuuantur, fere declarant, ab his, quæ extrinsecus afficiunt morbum genitum: quo modo febrem natam ab adstringentib. iudicamus, si plurimum conferant rarefacientia: ab insolatione vero, & capite primario affecto natus est morbus, si prosunt refrigerantia, quæ capiti adhibentur. Similitudo pariter docet, per quem locum morbus ad internas partes peruenerit: Sic profecto pustulas, & intemperies, aliasque passiones, quas adfert morbus Gallicus vocatus, per pudendum receptas putamus, quod alios fere omnes hac labe affectos per eum locum contaminatos nouerimus. C

Ex materia subiecta.

Ex iuuantibus & lædentibus.

Ex similitudine.

Cap. V.

Quæ doceant tempus, quo laborare cœpit, qui ægrotat.

ETsi in omnibus morbis ex propria eorum natura signa sumere non licet ad id, quod proposuimus, indicandum: siquidẽ magni, paruiq; morbi reperiuntur, qui modo incæperunt, alii vero qui iamdudum infestarunt: in aliquib. tamen, vel omnibus potius differentiis, adhibitis nonnullis distinctionibus, id facere possumus. In suo enim genere qui plurimum iam excesserunt, longius repetere originem videntur: D velut magna vlcera, quæ cum vt plurimum paulatim gignantur, monstrant se ante multos dies cœpisse. Febres autem magnæ statim prima die nasci possunt, sed enim inter magnas, quę maiorem vim acceperunt, aut acceptam deposuerũt, longius aliis sunt productæ; inflammatio recens est affectus, suppuratio antiquior, vtpote quæ antecedentem inflammationem sequatur. Præbẽt autem certiora indicia morborum affectus: Actiones namq; plurimum læsæ, corporis qualitates insigniter à naturali statu permutatæ, velut gracilitas, decoloratio, summa durities, & quę sunt huius generis, in morbis, qui extenuãdi vim habent, pręnunciant eum, qui affligit, in suo genere longius prouectum: neq; enim idẽ tempus acutis, & longis his notis constituere possumus, E quando qui mitior est affectus, nõ nisi longiori temporis spatio corpus exhaurire valet, quod breuissimo, qui vehementior est, præstat. sed satius est, si intelligamus, acutum, in quo hęc apparent signa, non longe à fine abesse, diuque (quantum morbi natura admittit) iam affligere cœpisse: Idemque esse credendum, si per leniora mala idem contingat. At excrementa in morbis.

Signa ab actionibus læsis.

Signa ab excrementis.

qui ea gignunt, & ab illis patefieri possunt, non solum in quadam latitudine tempus praemonstrant, sed etiam diem ipsum, quo laborare coepit, qui affligitur: nam in vehementi febre si manifesta coctionis signa in vrina appareant, quarto die antea inchoasse morbum declarant; In mitiore quinto, vel septimo, aut vndecimo, vel decimo quarto. Eodem pacto excretiones coniecturam iuuare possunt. Sic sane Hippo. scribebat in Aphoris. morbum regium ante septimum his conferre non posse, qui febre detenti ante septimum biliosum humorem ad cutem regerũt. Vnde si confert huiusmodi excretio, constat omnino iam elapsos esse sex dies, quo febris hominé corripit: Si sanguis vel sudor, vel alius humor effunditur per synochas febres, qui hominem liberet, aut certe morbũ insigniter minuat, certum est, quatuor, vel septẽ potius à primo morbi insultu intercedere dies: cum antea nulla vtilis excretio in huiusmodi malis fieri possit. Praeterea accidentia, quae morbus progrediendo consequitur, aut deponit, nõ obscuras exhibent huius rei notas: si enim rigor in exquisita quartana per accessiones mitis apparet, signum est, plurimum ipsam quartanam durasse, cum declinationis hoc sit signum. Si humor melancholicus est, qui nocet, & insignes in eo mutationes factas videamus, cum non nisi paulatim id fieri possit, ex materia morbi signa ducimus, credimusq; iamdudum morbos inchoasse. Eodem modo si dura solidaque est pars, quae laborat, aut mollis, & ad patiendum promptior, notae sumuntur: quãdoquidem in eo corpore, vt difficile recipiuntur passiones, nisi violenta omnino sit causa, quę morbum peperit, sic profecto colligimus, longius ab initio rem abesse, propius autem si alterius generis est, quod afficitur. Cordis vulnera (vt ex subiecta materia notae petantur) perpetuo sunt recentia, eo quod diu huiusmodi pars illa ferre nequeat. Antiquiora illa esse possunt in vesica, intestinis, & cerebro: sed non perinde vt in aliis partibus. Possumus etiam ex iuuantibus, laedentibusque causis indicia quaedam capere, sic enim adhibitis in quartana febre remediis, quae declinantem morbum iuuare possunt, si ea conferunt, vt declinationem iam adesse, sic plurimum morbum durasse, certa coniectura credimus, quod scilicet non nisi post longum tempus declinatio in huiusmodi affectibus contingere soleat. Idem ostendent quę declinãti morbo obsunt. Ac (vt breuiter dicam) quae in singulis morbis eorum tempora docent, signa pariter fiunt temporis, quo illi inuadere coeperunt. Ad hoc signorum genus pertinere videntur notę, quae ex anni temporibus petuntur, velut si quis hominem ineunte vere quartana correptum inuenerit: cum ad id tempus, in quo nõ gigni, sed dissolui huius generis febres solent, tantum plane intercedere temporis ab initio morbi putare possumus, quantum praesens anni constitutio ab autumno, vbi earum origo est, distat. Quanquam tamen non impedio, si haec signa, vel ad naturam morbi, vel ad materiam referantur: propterea quod docent anni tempora, vt corporis temperies, qualis sit morbi, & humoris redundantis natura, ex quib. colligimus, qui proprii sint morbi, & eorum causae iis aut aliis anni constitutionibus, vel corporis temperamento. An non etiam similitudo suas in hac re confert notas? quandoquidem licet cognoscere ex vno, aut pluribus, certo aliquo morbo, & tempore correptis, non amplius pullulantib. huiusmodi malis alios similiter affectos in eisdẽ temporibus pariter vt illos, suos morbos contraxisse.

Sect. 4. aphor. 70. — *Ex accidentibus.* — *Ex materia morbi.* — *Ex conditione partis affectae.* — *Ex iuuantibus & laedentibus.* — *Ex anni temporibus.* — *Ex similitudine.*

Cap. VI.

Quibus notis deprehendere per morbum liceat, qua sanitate praeditus ante fuerat, qui laborat.

ID non minus, quam alia, ex eisdem fontibus ductis signis, intelligemus: etenim affectus natura, quo quis laborat, id in primis docet. Quippe si benignus morbus fuerit, salubre optimeq; affectum corpus sua natura esse monstrat: contra vero si malignus, insalubre, & non nisi deteriore conditione pręditum, nisi forte externa causa, quae morbũ excitauit, maligna, aut benigna, vel etiã admodum exigua, aut vehemens extiterit. Nam cum ex ipso corpore morbus tũc non proueniat, agentis causae malignitate & vehementia naturalis constitutio ita vitiari potest, vt pessima, & maligna reddatur, quemadmodum in his contingit, qui ex venenis malignis suos morbos contraxerunt, quorum vt natiuus color, alioqui bonus, & reliqua corporis natura ita mutatur, vt deterrima putari possit. In iis vero, qui pessime secundum naturam sunt affecti, perinde faciles, & exigui ob leuitatem causarũ, quae morbos intulerunt, affectus aliquando nascuntur, vt ex illorum natura facile non sit commemorare, qualis esset per sanitatem corporis status. Hoc ergo, quod ex causis agentibus sumitur, reiecto, aut diligenter expenso, certa redderetur ex affectus natura huius rei cognitio; & multo magis profecto, si grauissimo affectus ex leuissimis causis, aut contra ex grauissimis leuissima mala prouenerint, intelligemus in priore casu pessimam, in alio optimam corporis conditionem subesse. Nec solum quidem morbi natura, sed etiã differentia, vt magnitudo, & paruitas cognitionem hanc confirmant. Nam si grauior, quam suapte natura esse debeat, in aliquo morbus appareat, id non in aliud referre possumus, quam quod mala compage, nempe delicatiore, molliore que, aut corrupta sit à natura donatus, & non prospera sanitate praeditus. Quin etiam naturalis ipsius corporis structura, quae per morbos adhuc conspicitur, vt causa ex subiecta materia sumpta idem significat: Si n. quadratum beneq; carnosum, & deniq; in similaribus, & instrumentariis partibus quantum licet per morbos corpus, quod laborat, probe constructum inueniamus, non temere suspicabimur, illi bonam contigisse, naturalem, sanamq; constitutionem. At causae, quae morbum procrearunt, nõ obscura etiam huius rei tradũt indicia. Nam si à leuissimis causis in morbum quis est proiectus, deteriorem in eo esse naturalem constitutionem arbitramur: contra optimam in eo, qui omnibus valide restitit, & non nisi maximis iniuriis succubuit. Ad haec iuuantes causae, & laedentes cognitionem confirmant: si quidem quae valida est natura, etiam per morbos vim suam

Signa ex affectus natura. — *Ex morbi magnitudine & paruitate.* — *Ex subiecta.* — *Ex causis efficientibus.* — *Ex iuuantibus & laedentibus.*

suam retinet, minimusque remediis adiuta sua mala vincit: Illis verò, quibus data est deterior conditio, cum morbis vexantur, vix aliqua prosunt auxilia, natiuo nimirum robore destitutis. Cæterum ex parentibus, educatione, victus ratione, anni tempore, cœliq; statu, fœlici syderum aspectu, & (vt semel dicam) omnibus, quæ vim gignendi, conseruandi, iuuandi, lædendi, & deniq; aliquo modo mutandi naturam nostram obtinent, signa ducere possumus. Quo modo eos, qui ex sanis parentibus procreati sunt, quique in aere salubri degunt, & victu vtuntur idoneo, vigentibusque optimis astris sunt concepti, & nati, bene affectos credimus: aliter verò habere, qui contraria sunt sortiti. Nec minus profectò ex effectibus, qui per morbos apparent, B certa huius rei testimonia petimus: si enim per vehementiores morbos leuiora apparent symptomata, naturalis constitutionis robur ostenditur, vtpotè quæ mitigare valeat, quæ suaptè natura grauia alioqui existunt: veluti si quis grauiore morbo correptus, actiones validas retinet, vt si bene appetit, retinet, concoquit, quæ mutatione egent, & excrementa expellit; si dormit, vigilat, facilè mouetur, bene sperat, facileque morbum fert, par est existimare, huiusmodi hominem per sanitatem bona conditione donatum. At si per mediocres morbos actionum concidit robur, & prædictis contraria apparent, malam illi inesse corporis constitutionem deprehendimus. Id quod optimè, vt alia multa, Galenus noster dicere solet, *virtutem scilicet fortem omnia contemnere, debilem verò & infirmam ab omnibus prosterni.* Præterea excrementa, quæ à corpore prodeunt, & alia, quæ in corpore fiunt, cum vrgentibus vehementioribus morbis à bona conditione non longè absunt, indicant corpus, quod afficitur, per sanitatem bene affectum. Sic sanè cum sanguinem alicui initio morbi detrahimus, & eum floridum optimumque conspicimus, corpus, quod illud procreauit, rectè constitutum iudicamus. Contrarium verò existimamus, si corruptus, putridus, aut denique mala alia qualitate præditus extiterit. Nonnihil etiam adiuuant ad hæc dignoscenda corporis qualitates: nam si quis per morbum leuiorem asperior, durior, flauior, vel nigrior, aut liuidior statim euadat, aut putridum expiret, vel sentire se putet, aut aliã quamcunque malam qualitatem, plus, quàm natura morbi postulet, repræsentet: insitam ab ea, quæ per sanitatem est constitutio, huius rei causam non à morbo leuiore prouenire existimandum est; contra si cui in maiore morbo corporis qualitates non multum euariant, optimus eius status cum valet, ostenditur: Quod si eos, qui laborant, similiter habere, vt alii, quos bene, maleque affectos per sanitatem cognouimus, iudicamus, similitudo docebit, quod in illis quærimus, ne superfluo plura exempla contestemur.

Ex aliis vim gignendi, &c. habentibus.

Ex effectib.

Ex excrementis, & aliis, quæ in corpore fiunt.

Ex corporis qualitatib.

Ex similitudine.

Cap. VII.

Quæ ostendant, quæ præcesserint in conualescentibus.

Iam verò non solum cõualescentes, & recentes à morbo sanitates, ex eisdem signorum ge- A neribus deprehendemus, sed etiam, quo, qualique morbo vexati fuerint, dignoscemus: nam quæ in partibus similaribus adhuc apparet intemperies, & vitium, quod instrumentarias partes viget: eas potissimum laborasse ostendunt, quæ (si adhuc plurimum à naturali statu huiusmodi mala absunt) testantur profectò, grauissimum extitisse morbum, qui hominem malè habuit: Si calor, siccitasque pariter immoderata adhuc appareant, notæ sunt compositi morbi præteriti: Sin verò in alterutra qualitate paritur intemperies, simplicem morbum fuisse agnoscimus. Atque eadem ratione alia genera, differentiasque morborum ex eorum reliquiis commemorare vnicuique licebit. Nec obscuriora B quidem indicia præbent prægressi morbi eorum effectus in conualescente corpore derelicti. Deprauata etenim, aut imbecillis appetentia, vel concoctio nutrimenti: excremẽtorum præterea permutatæ qualitates, tardæq; expulsiones, aut celeriores, quàm par sit; quinetiam corporis extenuatio, similares partes affectas fuisse repræsentant. instrumentarias verò qualitates, functiones, & alia opera nondum integritati restituta, quæ ab huiusmodi partibus proueniunt. An verò vniuersum corpus, vel aliquæ potissimum partes morbis molestatæ fuerint, docebunt præter essentiam ipsius morbi, quæ in vniuerso corpore, aut in aliqua duntaxat parte cõspicitur, symptomata, quæ eas sequuntur. Si e- C nim cruris actio peculiariter vitiata est, illius partis vitium fuisse intelligimus; si pulsus mutati, cor; si somnus, aut vigilia malè habent, cerebrum; si nutritio corrupta est, hepar; si appetentia cibi, & potus, ventriculus; si sensus, & motus, neruosum genus; si venus oblæsa est, genitales partes: Et denique præ cæteris illas vexatas fuisse deprehendemus, quarum opera, & officia à naturali conditione maximè recedunt. At ex morborum causis præcognitis, nonnulla etiam indicia capere possumus: si quem enim, ineunte vere, liberatum conspeximus, ferè prædicere licebit inflammationem alicuius partis, aut synocham febrem fuisse, quæ hominem infestauit: Si æstate quispiam occurrat à morbo D ereptus, aut tertiana, vel ardens febris, aut denique biliosus, calidissimusque morbus præcessit: Si verò autumno, difficilis, grauisque morbus, inordinatus, inæqualis, & siccus hominem vexauit: At si hyeme inueniatur, qui è morbo excessit, diuinare licebit stomachi dolorem, aut coli intestini, vel capitis grauitatem, vel quotidianam febrem, aut tussim, vel alium huius generis morbum antecessisse. quod scilicet huiusmodi tempora tales morbos parere soleant. Eandem præstat vim ratio victus, siquidem varia, copiosa, intempestiua, vel alia ratione vitiata nutritio, quæ sanguinem gignit copiosum, vel bilem, vel pituitam, aut alium humorem procreat, tales repræsentat morbos, quales humores ab ea nati committere possunt; si ob E vitæ conditionem præter modum exercetur, aut afficitur pars aliqua, non temere ingruentibus morbis eam infestatam suspicari poterimus: Hac enim ratione literarum studiosi capitis dolore, & cruditatibus tentari solent, & fabri ferrarii ophthalmiis, & qui chymicam artem superfluo studio exercent, ex contactu

Signa ex relictis effectib.

Ex causis.

Ex ratione victus.

apparet viui neruosis partibus vt plurimum assi-ciuntur. Ac ne singula prosequamur, ex efficientibus morborum causis quis, qualisq; molestauerit morbus, non obscura cóiectura comprehendemus. Nec minus iuuat subiecta materia huius rei cognitionem: Hoc namque pacto si validum, robustumque suapte natura est corpus, commemorare possumus, grauem omnino morbum extitisse, quandoquidem huiusmodi naturæ non nisi à maximis causis laborare solent. Quemadmodum etiam ii, qui corruptis malignisque humoribus sunt referti. Aliter verò iis contingit, qui delicatam, sed absque alio vitio naturam sunt sortiti. Nec desunt quidem in hac re signa ex iuuantibus, lædentibusq; causis sumpta: nam si pauca, & ea vix prosunt, lædunt autem plurima, facilè conualescentes, notum fit, non parui momenti fuisse morbum, qui antecessit. Contra verò si omnia statim posteaquam euasit à morbo, prosunt, aut à paucis offenditur, si quàm primum vires suas colligit, & sua opera aggredi cupit, & ea inchoata facilè exercet, à nulla re offensus, credere par est, huiusmodi hominem breui, leuiq; morbo vexatum: His verò contraria contrarium significant. An non etiam eos censebimus vehementer laborasse, si alios sibi similes, simili tempore, similique morbo correptos, pariter affectos nouimus? veluti cum grassante graui febre, aut difficultate intestinorum, eos, qui eodem morbo affecti fuerunt, vehementer vexatos, aliorum exemplo, quæ præterita sunt, prædicimus.

Ex subiecta.

Ex iuuantibus & lædentibus.

Ex similitudine.

Cap. VIII.

De notis eorum, quæ præcesserunt in sanis.

NOn aliter profectò hæc, quàm alia prædicta in memoriam reuocabimus. Si enim firma appareat corporis constitutio, validæ omnes actiones, qualitates corporis planè secundum naturam, excrementa præterea, & alia opera in nullo euarient à naturali sua conditione, parumque possint morbosæ causæ, nihil insigniter lædat, omnia vel plurima prosint, vt bene sanum, sic nullo morbo multo antea laborasse corpus indicatur. Sin verò contraria iis euenîant, vel infirmum suaptè natura corpus, vel non longè antea morbo liberatum, aut etiam imminere aduersam valetudinem cognoscimus. Sic sanè alia quoque quæ per sanitatem paulo prius facta sunt, intelligere licebit: humidius siquidem corpus, subtumida, decolorataque facies, & pigrities quædam ad actiones obeundas in his apparent, qui recenter à somno expergefacti, nondum scilicet ad externa membra producto calore; qui per somnum in visceribus internis conclusus fuerat. Quinetiam excrementa in his halituosa apparent, humectato nimirum per somnum corpore, læduntur q; ii, si statim cibum assumant, at motu iuuantur. Eodem pacto eos, quos ira afficit, deprehendimus ex toruis oculis, inflammato adhuc, rubicundoq; vultu, concitatis turbatisq; pulsibus; & respiratione, & quod similia his habeant, quos simili affectu perturbatos nouimus. Ac ne singula in hac re expendamus, si omnium vim, quæ in corpus nostrum agunt, perspectam habuerimus, si, A quid in vnoquoque fieri possit, nouerimus, si præterea, quid iuuet lædatque impressiones ab his, quæ prius egerunt, factas, & demum quid simile alteri existat, cognouerimus. etiamsi multa multis sunt communia, in singulis tamen inuenias, quid vnum ab alio distinguat, & quod quæris, ostendat.

Cap. IX.

Quomodo intelligere liceat, mortuo homine, qui morbus mortis causa extiterit.

CVm præsentes sunt morbi, nonnunquam perinde dubia sunt signa, quæ morbi ge- B nus, differentiamque monstrant, vt mors expectáda sit, quæ rem aperiet. Quoties enim, quæso, controuersiæ inter Medicos de his nascuntur, cum vnus musculorum abdominis, alius hepatis inflammationem putet morbum esse, qui affligit? vulnerato capite, existimat aliquando Medicus, abscessum in cerebro factum, id quod negat alius. An vulnus thoracis pulmonem attigerit, sæpe ignoramus, & deniq; multa alia in dubium vertuntur, viuente adhuc homine, quæ mors ipsa patefacit. Quare non inutile esse duco, vt paucis etiam, quomodo id fiat, doceamus. Itaque morbi essentia in nonnullis quis affectus mortem intulerit, docet, vbi scilicet vnicus est, & sensibus patet. Sic enim C iudicamus ex vulnere hominem periisse conspecta plaga, quæ ad vtramque thoracis partem pertingit. Clarius id licebit perspicere, si nouerimus, quid per se quilibet affectus præstare valeat, quid verò accitis aliis malis: nam cerebri vulnus, nisi statim occidat, non nisi accersita inflammatione hominem perimit. Qui vehementes dolores inferunt morbi, aut resolutis spiritibus, aut antea parta inflammatione vitam adimunt. Ipsæ autem inflammationes, quæ locum quempiam occuparunt, lethales sunt: eo quod suppurentur, putrescantque. Vnde ex propria natura morborum innotescet, quod inuestigamus: Si id scilicet nouerimus, quid vnum quodque sua vi præstare valeat, quid loci ratio- D ne acquirat, & in quæ singula mutari possint. Quod si plures affligunt morbi, qui grauior fuisse iudicatur, mortis auctor existimádus est. Præbent & suas notas ipsorum morborum causæ: etenim inter eorum effectrices, quæ grauissimæ fuerunt, morbos eos excitarunt, qui mortem intulerunt. Si pituita & atra bilis pariter morbos committunt, ductis notis à materia, ex qua morbi nascuntur, suspicari possumus, eum, qui ex melancholia natus est, vtpote qui ex deteriore causa consistit, interemisse. Si ex cordis affectu quispiam perit, non abscessum, sed aliud genus mali mortem intulisse arbitramur, quod scilicet abscessum sustinere nequit; cerebrum verò potest: vnde ex subiecta materia admone- E mur per vulnera illarum partium, quis & qualis morbus mortis auctor fuerit. Nec absurdum quidem est ex causis sine quibus, & cum quibus morbi gignuntur, & constant, indicia capere; quandoquidem probabilius est, eum morbum, qui longiore tempore vehementius & continuo infestauit, & in deterioribus locis sui originem duxit, potius, quam alium, qui aliter habet, vitam

Signa à morbi essentia.

Inflammationes locum aliquem occupantes esse lethales.

Signa ex causis.

Ex morborũ effectu. vitam homini ademisse. At morbi effectus, qui extincta vita emergunt, certius, quis, & in quo loco corporis morbus fuerit, testantur: Hoc enim pacto exanthemata, quæ morbillos vulgus vocat, nigra, aut liuida, quibus cutis mortuorũ aspergitur, non qualemcunq; febrem, sed prorsus pestilẽtem, quæ hominem iugulauit, ostendunt. Idem etiam tumores, qui in glandulis inguinum, vel axillarum extuberant, & nonnunquam erosa cute pus emittunt, peste cõfectum hominem docent: Pus, quod per nares in morbis effluit, abscessum in cerebro fuisse prodit; quod si per os emittitur, eundem affectum in ventriculo, aut parte aliqua vicina, quæ scilicet sua excrementa eo transmittere valeat, indicat: Summa corporis gracilitas tabe cõfectum fuisse hominem manifestat: Fœtidus odor, qui statim, mortuo homine, erumpit, internum abscessum disruptum (qui iam antea, cum integer esset) mortis autorẽ denunciat: Nigra cutis, aut alius in ea color, præteriti morbi signa quoque præbent: Sic enim Galenus *libro primo de victu acutorum* eos, qui pleuritide perierunt, vbi omnino refrixerint, nigrum latus affectum habere scribit. Sic etiam ex primis qualitatibus ductis *Ex primis qualitatib.*

A signis *libro primo De præsagitione ex pulsibus* distingui eos, qui ex conuulsione ab his, qui ex syncope perierunt, quod scilicet illorum corpora diutissimè permaneant calida, horum vero calor, vel etiam viuente homine, extinctus cõspiciatur. Quod si quis, experientia duce, notasset, quid singulos morbos, homine vita functo, peculiariter sequatur, certam (quantum in huiusmodi re haberi potest) cognitionem haberemus. verum cum in paucis adhuc hæc sint notata, nec quæ prædiximus, indicia, monstrare possint, quod quærimus, anatome consulenda est, & quæ similia in aliis apparuerunt. Illud verò prætermittendum non est, non solum in his, B sed etiam in aliis omnibus, quæ præterierunt indicia, quædam peculiariter sumi ex hominis, cuius statum inuestigamus, & aliorum, qui cum eo versati sunt, narratione. Hinc enim quæ, qualesque causæ morbos excitauerint, & alios corporis affectus, ex quibus notas petimus, deprehendimus. Et hæc quidem satis de memoratiuis signis, ex quibus studiosus lector iuuari poterit ad alia, si quæ desunt, excogitanda.

***

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE SIGNIS PROGNOSTICIS,

LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Quæ de futuris præcognoscenda.

QVanta sit signorum, quæ quod futurum est, prænunciant, vtilitas, antea ostendimus: quinetiam ex superiori tractatione, quæ, & quot sint illorum genera, & differentiæ, à quibusq; ea sumãtur, facilè intelligi potest. Nunc verò ad ea, quæ illis sunt propria, tempestiuum est vt properemus. Qua quidem in re illud in primis explicandum esse duco, quænam de futuris sint præcognoscenda: hinc enim postea singula commodissimè explicare licebit. Itaq; cum triplex sit nostri corporis status: aliquando siquidem sanum est corpus, aliquando ægrum, alias à morbo conua- *Quæ in genere de futuris præcognoscend.* lescit. (Placet enim hoc loco hac vti diuisione instituto nostro accõmodatissima) communia quædam omnibus in primis præcognoscenda sunt: deinde quæ singulis sunt propria. Porro in omnibus illud quærimus, an perseuerabit, qui præsens est status, an non: quod si mutabitur, in quem mutatio fiet, & quæ erit mutationis ratio, quæ causæ, quãdo, quo modo, & per quem corporis locum mutatio continget.

C Peculiaria autem, & singulis propria hæc siũt, & plura capita in quibusdam, quàm in aliis recipiunt. Si enim corpus est sanũ, necessarium est *Quæ in sanis præcognoscẽda.* præcognoscere, an, quæ præsens est sanitas, diu durabit, vel non: quandoquidem id ad præser- 1 uationem futurorum morborũ, & conseruationem præsentis status plurimum confert. Nam si quæ præsens est sanitas, proba, & inculpata fuerit, nullisq; morbosis iniuriis eam expositam cognoscamus, securi in illius conseruatione versabimur, alioqui præseruationem imminentium morborum procurabimus. Eodem modo si eos qui per sanitatem malè sunt affecti, speramus ætatis, aut alterius necessario subsecuturi reme- D dii, vt temporũ mutatione, melius habituros, aliis medicamẽtosis auxiliis minimè iuuabimus: eos verò, quos desperamus, naturæ, vel alio cõmuni beneficio melius aliquid consequi posse, artis nostræ ope restituemus: meliorem nimirum statũ procurantes, & interim futuros morbos præcauentes. Confert etiam huiusmodi co- 2 gnitio ad famam & autoritatem comparandam, & per seipsam iucunda quidem existit. Quis enim non admiretur, & extollat Medicum, qui prædicere possit, longiorẽ, aut breuiorem fore hominib. vitam, & hunc melius, alium deterius quidpiam ætatis cursu consecuturum? Deinde quibus morbis per vitam infestabitur vnusquis-

3 que, Medicum prædicere oportet: Præterea à quibus causis, quove modo illi in singulis excitabuntur, an scilicet ab externis, vel internis iniuriis, an paulatim, vel subito, & confertim, aut alio denique modo prouenient. Quæ cognitio plurimum sanè prodest ad præseruationem rectè instituendam: aliter enim victum his adhibebimus, qui ab externis causis facilè offendi possunt, aliter verò his, qui internis iniuriis maximè sunt obnoxii: illos item, qui magnis morbis sunt expositi, religiosius viuere curabimus: liberius, quos præsentimus, non nisi in leuiores morbos lapsuros: impetum præterea causarum, quæ subito, vehementerque nocere valent, per sanitatem frangemus, si omnino compescere nequiuerimus, ne paulatim etiam obsit. Ad hæc
4 tẽpus, quo mutatio continget, antea præcognoscendum est: quippe si præsenserimus, quo tempore venturus sit morbus, intelligemus etiam, quando vehementer vel segniter illi sit resistendum, eos namque, qui iam ferè cum morbo cõflictantur, venæ sectione, purgatione, vel alio generoso remedio ob instantis morbi timorem, qui inducias non præbet longiores, iuuabimus: In aliis verò, qui longè absunt à morbo, solo ferè victu paululum mutato, aut certè mitioribus remediis morborum causas abscindere, & vi-
5 tium emendare licebit. Postremo corporis locus, per quem morbosæ causæ in corpus sese insinuabunt, præsentire necesse est: Sic sanè licebit, si extrinsecus inuasuræ sint, externas partes munire; si intrinsecus continentur, adhibitis ei loco remediis, in quo resident, eas remouebimus, demum an toti corpori, vel partibus quibusdam duntaxat prospiciendũ sit, hoc modo intelligemus.

Quæ præcognoscenda in conualescentibus.

At si corpus à morbo conualescat, illud imprimis ignorandum non est, an vera sit conualescentia, vt sperare possimus, pristinam sanita-
1 tem venturam; an non, ita vt relapsurũ in mor-
2 bum hominẽ vereri debeamus: deinde si morbus sequetur, quisnam, & à quibus causis, an scilicet priori similis; an alterius naturæ, an ab his, quæ ex morbo sunt relicta, veluti ob retentionem humorum, vel nimiam effusionem: de-
3 nique à quibus morbi repullulabunt; prædice-
4 re expediet: atque illud etiam, an paulatim, vel
5 subito, vel alio modo: Ad hæc quo tempore, an citò, vel tardius hæc euenient, & cætera, quæ præcognoscenda diximus in sanis, cum morbus expectatur, hoc etiam loco notanda.

Quæ in corpore morbo iam affecto.

Iam verò in corpore morbo affecto, multa, antequam eueniant, præsentire oportet: atque
1 illud quidem in primis, an morbus solui poterit, vel non. Non soluuntur, qui nec occidunt, nec sanantur vnquam, sed hominem comitantur ad mortem: de quibus illud scire necesse est, an toto vitæ cursu eundem tenorem seruabit, quem iam accepit, vel potius mitescet, aut augebitur
2 malum. Quod si morbi eius generis fuerint, qui soluuntur, terminum solutionis prædicere cõuenit, an scilicet salus expectanda sit, vel mors
3 metuenda. Solutionis postea qualitas consideranda, an scilicet fidelis vel infida, facilis, aut difficilis, perfecta, vel imperfecta continget solu-
4 tio. Deinde quo tempore hæc euenient, latere non debet: quandoquidẽ si quid aliud, id à Medico requiritur, an breuis, vel longus morbus sit futurus, quo tempore ætatis, anni, quo mense, quo die, quave hora tandem desinet. Solutionis causa præterea à Medico cognoscenda est, an scilicet sudor, vel vrina, aut alia excretio, vel a-
liud denique remedium morbum finiet. Et nun- 6
quid morbus ex morbo nascetur antequã prior
recedat, ignorandum non est. An naturæ bene- 7
ficio, vel artis potius, aut vtriusq; opera propel-
letur, quod infestat malum. Atqui modũ, quo 8
morbi soluuntur, ignorare turpe est: quandoquidem plurimũ refert scire, an subito, vel paulatim abibit morbus: & si subito, an cum vehe-
mentia, vel absque illa dissoluetur. Quinetiam 9
cum morborum causæ non semper per eundem locum abeant, siquidem aliquando per externas partes, vt cum per sudorem finiuntur morbi, recedunt; aliquando per internas sibi viam quærunt, veluti cum per vrinam, vel alui fluxũ, aut vomitum noxii humores excernũtur; nonnunquam etiam apertis venis in naribus vel ano, aut vtero sanguis cum morbi causa reiicitur; contingit præterea, vt ab vna parte in aliam regeratur humor, qui morbum committebat, vnde abscessus, tumoresque præter naturam excitantur: quamobrem designandus est locus, per quem speremus, morbum, morbosasq; cau-
sas abituras. Postremo vbi plures sunt ægritudi- 10
nes, ordo requirit, vt intelligamus, qui omnium primus, qui deinceps soluetur. Atque hæc quidem omnia præsentibus morbis prædicenda, non solum salus, aut mors, solutionis tempus, & modus, quemadmodum Galenus *libro quarto de præsagiis ex pulsibus* refert, id quod omnibus citra aliam probationẽ, patere puto. Quarum quidem rerum cognitio non solum per se iucunda & honorifica Medico existit, sed etiam perinde necessaria, vt ea nihil vtilius existimari debeat. Nisi enim ille prænouerit, quem finem sit habiturus morbus, ignorabit profectò, quid sit agendum: si quidem morbis qui curari possunt, aut non occidunt, remedia omnia commoda sunt adhibenda: his verò, quos præuidemus, omnino fore lethales, non item, aut certè non generosa, ne suam authoritatem amittant, nec aliis postea præsidio esse possint, quos iuuare sunt nata. Si integra, fidelisq; & perfecta solutio expectatur, nihil præterea innouandum, nihil metuendum: At si aliquid in corpore relinquat morbosum, remediis aliis pugnandum erit; si infida fore credatur, recidiua timenda, repugnandumque nouis auxiliis, ne id contingat: si imperfecta, addendum erit, quod deficit; si difficilem fore præuideamus, corporis viresq; muniemus: & aliis modis, quantum fieri poterit, eam facilẽ reddere conabimur: quod si facilis expectetur, spem salutis confirmat, & securos nos reddit. In breui morbo aliter curationem, & victum instituimus, aliter verò in longo; si causam solutionis morbi perspectam habuerimus, siquidem mortem allatura sit, illi reluctabimur; si verò salus speratur, vim illius, quantum in nobis fuerit, promouebimus. At si non nisi paulatim morbus finiri debeat, intelligemus, non esse ea remedia tentanda, quæ subitas mutationes efficiunt: Sin verò subito, si modo id sine vehementia contingat, nihil innouare, nec quicquam vereri oportet: Si verò vehementia accedat, vt in crisib. contingit, aut

retunde-

retundemus impetum agentis naturæ, si modo id non prohibeat sanitatem restitui, aut saltem præsente impetuosa solutione, nihil formidabimus mali, antea præmoniti, non aliter salutem contingere posse. Cum locum perspectũ habuerimus, per quem morbus finiri debet. Si mortem venturam timebimus, viam occludemus, ne vita per eam expiret; quo modo sudores lethales, adstricta cute, compescimus, & ad internas partes effluentem humorem reuocamus: at si salutem præsenserimus, admonemur, si via commoda fuerit, ne aliam tentemus; sed eam, quantum fieri potest, faciliorem reddamus, dilatatis scilicet meatibus, & humore extenuato, qui per ea loca ferri debet, si verò incommoda agnoscitur, aliam eligemus aptiorem, ad eamque morborum causas deducemus, vt liberum exitum inueniant. Cæterum vbi plures sunt morbi, qui simul hominem infestant, plurimum refert scire, quinam primo loco, & qui deinceps abigi possit: ex hoc enim intelligimus, cui primo, maximeque sit medendum: cui verò postea resistendum. Ac profectò, cum signorũ huiusmodi variam multiplicemque naturam, & vsum perpendo, nescio, qua ratione antiqui scriptores horum explicationem omiserint: Si enim librum Hippocratis excipias, in quo salutem & mortem prædicere docet, idque in solis morbis acutis, atque Galeni *tertium librum de crisibus*, qui tractationem suam his morbis duntaxat, qui per crisim soluuntur, accommodat, nihil apud alios inuenies memoria dignũ, quod ad hanc rem faciat. Licet præterea artem (meo quidem iudicio) in omnibus desiderare. Nam Hippocratis tractatio à nullo certo initio auspicatur, multaque omittit, à quibus certa indicia sumuntur ad id, quod proponit explicandum, vtilissima. Quid verò Galenus præstiterit, omnibus constare puto: omnia enim omittit signa eorum, quæ in sanis, & conualescentibus ventura sunt: nihil docet prædicere in morbis longis, nihil in vulneribus, fracturis, luxationibus nihil in intemperaturis, quæ absque feruore humoris infestant, nihil denique, nisi ferè in paucis morbis, qui per crisim dissoluuntur, cum tamen omnium tractationem ars nostra pollicetur. Nec verò etiam in his morbis, quos explicandos suscipit, capita omnia attingit, quæ proposuimus: sæpe enim relinquit, quæ qualitatem solutionis, modum, tempus, locum, & quæ ordinem prænunciant. Sparsim præterea omnia explicat, nec à certis principiis exorditur, nec omnes signorum fontes exhaurit. Generalem præterea illorum vim non docet. Ac (vt breuiter dicam) multa nobis in hac re reliquerunt antiqui Medici, in quibus nos ingeniumq; nostrum exercere valeamus. Quod qui non agnoscit, aut eos non legit autores, aut ignorat, quid sit arte aliquid scribere, aut ne videatur negligentior fuisse, & fateri, se aliquid à nobis didicere, malignè dissimulabit, sed litigẽt illi quantum velint de aliorum placitis, tueantur suos autores, & ingratitudine nostros labores compensent, illis enim hæc nõ scribimus, nec aliud præmium à desperatis, & corruptis huiusmodi ingeniis expectauimus vnquam, verum aliorum causa, qui melius sunt affecti, reliqua prosequamur.

A

Cap. II.

De facultate prædictionum.

PRædictionum multiplex quoque, & varia vis existit, propterea quod scopos plurimos habet præsagiendi ratio, & multa sunt inter se diuersa, quæ sua signa præbẽt, ad ea, quæ futura sunt, præcognoscenda. Nam & fines diuersi, & ratio præueniendi ad finem multiplex, non solum in summis generibus, sed etiam ferè in singulis propria apparet. Non habent autem eandem facultatem ad hæc ostendenda signa omnia: cum quædam nihil vnquam in hac re monstrent, alia ad omnia vim suam effundant; quædam in vno duntaxat id faciant, eoque non omni, aut etiam in omni & solo; quædam rursus significant suapte natura; Alia huiusmodi vim alterius ratione exerunt; sunt præterea quædam mediata, alia immediata; Non desunt, quæ maximam facultatem obtineant; nonnulla, quæ minorem; & alia, quæ eadem ratione plura, at diuerso modo significent; Sunt, quæ semper idem prænuncient; alia verò maximè diuersa; inter quæ reperiuntur, quæ etiam contraria in eodem statu ostendant, & ancipitem facultatem sortiantur. Appellant porro Medici quæ nullam vim habent, aut contraria significandi, aut ancipitem, neutra: quæ verò bonum finem spectant, bona; quæ malum, mala. Atque inter illa, quæ salutem ipsam præsagiunt, salutaria: inter hæc verò, quæ mortem prænunciant, lethalia. Quæ verò qualitatem solutionis, locum, tempusq; declarant, simplici nomine non sunt donata, sed circumlocutione genus signorum, de quo agimus, exprimimus: veluti cum dicimus signa longitudinis breuitatisque morbi, vel quæ fidam vel infidam, perfectam aut imperfectam solutionem prædicunt, & quæ alui profluuium, aut sanguinis fluxum per nares, vel vrinæ copiam denunciant. Quæ verò difficultatem ostendunt in his, quæ finem spectant, mala, si sanitas finis statuitur, alioqui bona dici possunt. Nam quæ longitudinis morbi in salutari affectu sunt testimonia, mala; bona verò, quæ breuitatis sunt indicia; contra quæ proximam mortem prænunciant, mala, aut etiam pessima: quæ verò eam retardari docent, bona quidem in eo genere, sed non simpliciter, vt alia, quæ bonum finem spectant, censentur. Quinetiam quæ maximam vim habent, propriis nominibus, quibus eam agnoscamus, pronunciantur: veluti cum optima extremè bona signa dicimus esse, quæ certissimam, & proximã salutem in morbis ostendunt. Pessima verò, vel extremè lethalia, quæ instantem mortem repræsentant. Dicentur etiam bona, quæ in sanis probam sanitatem, eamque diu duraturam præmonstrant; mala verò, vel pessima, quæ futuri, maximique morbi sunt notæ. At quæ ad nulla vim suam spargunt, communia; alia vero propria, & peculiaria indicia dicuntur. Quæ autem subitam in morbis solutionem, & diem produnt, decretoria, indicatoria, & critica dicuntur. Reliquæ supra dictæ differentiæ propriis nominibus carent.

Iam verò qualis sit singularum rerũ, ex quibus signa ducuntur, vis & facultas, expendere oportet. Igitur cõstitutio ipsa nihil indicat eorum,

Prædictionũ vis varia & multiplex.

B

Varia nomina.

C

D

E

Signa decretoria. Critica.

Ipsam constitutionem nihil indicare eorū, quæ sunt futura.

quæ futura sunt: Non enim propterea, quod sanitas est, morbi sunt expectandi; aut salus, eo quod morbus; genera autem, differentiæ, & partes illius omnia ostendunt, quæ futura sunt: Nam si perspecta sanitas præsens est, morbi nullus metus; si morbus magnus, periculum de vita significatur; si paruus, expectanda sanitas; ita mors aut salus continget; si acutus morbus est, excretio est ventura & subita mutatio: si acuta febris vrget, paulatim verò soluetur vlcus, & fractura. Fidæ solutionis benignus, infidæ malignus morbus est nota. Per aluū soluetur morbus, qui cum humore intestina torquet: obstructio, quæ febrem committit, prius quam ipsa febris desinet, morbi principium in grauioribus malis nec salutem, nec mortem promittit: declinatio semper salutem expectare suadet: Incrementum, & vigor nunc vnum, nunc aliud pronunciāt. At non semper ex rei essentia notas sumere possumus ad id, quod futurum est, præsagiendum, propterea quod aliquando intus latent morbi, aut tota substantia nocent, adeò vt eorum natura minimè perspici valeat, nec semper suapte natura, cum significat, sed etiam nonnunquam subiectæ materiæ ratione futuri euentus sua exhibent indicia. Etenim apoplexia & maxima vulnera suaptè vi & natura periculum minantur, in debilioribus verò corporibus mediocres morbi, & minima etiam vulnera earum partium, quæ principatum in corpore obtinent, ob subiectam materiam mortem prænunciant. Propria autem vnicuique sunt signa, quæ ab illius essentia sumuntur, & proxima, maximæque virtutis existunt, sed nunc bonum, nunc malum pro natura affectus pollicentur: id tamen, quod ab initio ostendere cœperunt, perpetuo monstrant. Acutus siquidem morbus testatur perpetuo, breue fore malum, qualiscunque sit futurus illius exitus. Porrò diuersa significat eadem ratione, & eadem alio modo sæpe monstrat morbi natura; eo enim quod maximus sit morbus, mortem, eamque cito venturam prænunciat; quod verò calidus sit, vt febris, genus mortis significat, quod scilicet alterando temperiem dissoluat; quod verò in declinatione morbus soluatur, testatur sine crisi solutionem fore, eamq; fidam, vtpote tunc victa perfectè morbi causa. At verò causæ morborum in hac re signa præbent, non quidem simpliciter, eo quod causæ, sed quoniam huius, vel alterius generis, differentiæque existunt. Non enim eo, quod vulnerantia morbum intulerunt, salutem, aut mortem præsagiemus, sed quod vehementes, paruæ, benignæ, malignæque extiterint: Salutarem siquidem morbum credimus fore, & citò venturam sanitatem fidamque solutionem, eamq; paulatim, & non confertim, si leuiter vulnerantia, nullo infecto veneno, morbum pepererunt: Non salutaris, aut perniciosus morbus expectandus est, qui corpus infestat, sed qui præcipuas corporis partes occupat: si atra bilis morbum committit, suspectam vitam habere oportet: si ex spiritu morbus natus est, tutiora, breuioraque omnia expectare oportet: Vbi ex calido humore morbus constat, fere semper excretiones contingent. Naturæ autem robur, quæ morbos finire solet, omnia bona, & citò ventura quantum

Signa prognostica ex rei essentia.

Quæ propria signa, & vnde sumantur.

Prognostica à morbi natura.

à morborum causis.

à natura robore.

A in se est, pollicetur. Quæ iuuant causæ, indicia sunt sanitatis futuræ; quæ verò lædunt, aut mortem, aut longam ægritudinem prænunciant. Nec desunt quidem ex causis sine quibus notæ, quippe astricta cutis, vrgente febre putrida, longum fore morbum indicat: Contrarium verò ostendit, quæ rara est, & laxa. Habent autem eædem causæ vim significandi in plurimis, veluti iuuantes, & lædentes, quæ multis morbis prosunt, & obsunt, & materia, ex qua plurimi morbi procreantur, quæque multis subiicitur, & illæ sine quibus, & cum quibus plurimi morbi gignuntur, intenduntur, minuunturq;. Quæ verò ex robore, imbecillitateque sumuntur, vbi diuersus statuitur finis, diuersam vim capiunt:

B in eodem verò eandem semper retinent. Nam robur salutaribus celeritatem addit, perniciosos verò morbos tardat, idque lethalibus omnibus, & salutaribus commune. Imbecillitas contraria significat, quanquam tamen in his, quæ ad finem consequendum pertinent, similem nonnunquam in diuerso fine facultatem ostendunt. Vbi enim valida vis in corpore residet, si humor adest noxius, cum excretione vel abscessu, salus & mors contingit: at si infirmæ vires subsunt, sine his eadem euenient. Cæterum quæ gignunt causæ, qualem vim habent, talem profectò in significando præbent, communem scilicet multis, si multa gignere valeant, sicut calor, qui inflammationes, febres, destil-

C lationesque parit, ostendere potest, quid in illis omnibus sit venturum. At quæ vulnerant, contundunt, vt suapte natura vnum morbi genus committere, sic quid in eo expectare oporteat, duntaxat patefaciunt. Porrò sua signa causæ semper exhibent, & efficientes, vel suapte natura; vel materiæ patientis ratione. Nam venena per se periculum minantur, vulnerantia non nisi cum partes quasdam magni in corpore momenti percusserint. Mediata quidem sunt in his signa, quæ à causis sumuntur, quoniam enim leuem, aut grauem morbum significant, salutis aut mortis indicia fiunt; aliorum autem immediata signa esse possunt. Nam quod citò finiri debeat morbus; bilis ipsa (vtpote tenuis

D calidaque) si illius causa est, declarat. Habent certè magnam vim ad significandum causæ, sed non propterea omnes certissimam; pollicentur enim vires validæ salutem, sed non perpetuo: Nam aliquando à grauissimis morbis tandem vincuntur, nec necessarium omnino est salutarem fore morbum, quoniam aliquantulum à remediis sit alleuiatus, sed æger, cui multa valde prosunt, is prorsus sanabitur: Occidet vero ægritudo, quæ ab omnibus offenditur. Perpetuò autem bona, aut mala sunt signa, quæ à causis petuntur: bonum etenim semper est vires constare, & causas, quæ malum pepererunt, & fouent, paruas benignasque esse: Contra verò malum, si vires subsunt infirmæ, & vehe-

E mentes malignæque morbi causæ extiterint. Ostendunt præterea causæ quemadmodum ipsi affectus diuersis rationibus, idem & eisdem diuersa. Nam si vehemens est causa, quæ mortem infert, pessimum finem, eumque proximum portendit. quia vero fortè est putridus humor, qui morbum facit, alterationem, aut vacuationem significat, quæ mortem sit allatura.

à causis iuuantibus & lædentibus.

à causis gignentibus.

Causæ quam vim habeāt ad significandum.

Cæte-

Qualem effectus.

Cæterum in effectibus ipsis maior varietas conspicitur: nam actio læsa in sanis morbum indicat futurum, in morbis vero nihil prorsus, nisi accedat differentia: Id quod etiam excrementis contingit: Si enim ea mutata sint à naturali cōditione, valente adhuc homine, nisi corrigatur vitium, timēdus morbus est; at eo præsente, nec salutis aut mortis illa sunt indicia, sed quæ vel multum, aut parum à natura sua recedunt.

Qualem excrementa.

Qualem actiones.

Igitur inter actiones quædam semper malæ, vt imbecillitas, idq; etiam in omnibus: quædam vero, quæ nec bonæ, nec malæ censeri possunt, vt in febrib. cubare in dextro, aut sinistro latere nihil.n.id refert ad salutē, aut mortem prædicēdam: quædam vero partim bonæ, partim malæ, idq; vel in eodem subiecto, eodemq; tempore, vel diuersis. Sunt autem huiusmodi functiones vel deprauatæ solum, vel auctæ, vel tristes, aut cum imbecillibus coniunctæ; bonum siquidem est, & partim etiam malum, si is, cui antea omnium rerum deiecta erat appetentia, appetat, sed res absurdas: bonum etenim est eo, quod appetere incipiat; malum, quod aliena desideret; *malum est delirare, & vigilia torqueri incipiente febre, at iuxta ante crisi, malum non est*: vehemens sitis in febricitantibus periculum hyeme minatur; æstate vero salubrior, & minus periculosa res est; sicut etiam in calidioribus naturis securior censeri debet, quam in pituitosis, frigidisq; corporibus, quod scilicet in illis minorem à naturali statu euersionem, & nonnunquam proximam crisim; in his vero non nisi vehementem morbi excessum, & periculum prænunciet. Cæterum actiones nunc eodem modo plura, nunc diuerso portendunt. Nam validæ in his, qui febre ardenti vexantur, nō solum salutem, sed etiam eam proximam, & simul excretionem promittunt: Vndosus pulsus nec salutis, nec mortis, sed excretionis eius potissimum, quæ per sudorem fit, index est: respiratio vero, quę recto corpore ob difficultatem fieri cogitur; mortem, & suffocationem pariter pollicetur. Caligines autem, quæ oculis obducuntur, molestante febre acuta, coctoque noxio humore, excretiones per superiores partes præsagiunt: quod vero rubra appareant, quæ circumferuntur, sanguinis fluorem è naribus expectandum esse testantur. Non omnes actiones in omnibus signa præbere possunt: nihil enim docet expulsio, vbi nihil expellendum est, nihil motus, naturalibus instrumentis affectis, explicat, propriæ tamen cuiusque functiones efficacissima fiunt indicia ad exitum præsentis molestantisq; affectus ostendendum. Ac quæ principalium partium sunt actiones, aut ab his educuntur, quæ vniuerso corpori ministrant, salutis, aut mortis signa certissima exhibent. Sic profecto cum magna in pulsibus vitia, aut in sensationibus, aut sanguificatione, vel respiratione apparent, mors sine dubio expectanda est. Minus subest periculum, si ambulatio, aut apprehensio, vel alterius ignobilis partis actio oblæsa. Significant quædam actiones semper, quæ scilicet continuo fiunt, veluti coctiones, respiratio, & pulsus; quædam vero per interualla, quarum quidem perpetuo non est vsus, vt somnus, vigilia, motus aliarum partium corporis. Quædam rursus in ipsa natura significant, nimirum, quæ in omnib. idem monstrant, quemadmodum perpetuum delirium, quod vniuersis periculum minatur. Eandem vim in viris ostendunt pulsus, & respirationis defectus; in mulierib. vero minus sæpe subesse periculum declarant, cūm ex vteri suffocatione peculiari illis vitio, hæc nonnunquam proueniant. Mutant ergo functiones ob materiā subiectam vim suā, & mediata vt plurimum sunt, quæ ex actionibus sumuntur indicia, nam eo quod corporis cōstitutionem & causas monstrent, à quib. proueniunt, futuri euētus testimonia fiunt. Jam vero etsi maximā vim habent ad salutem & mortem, futurosq; morbos significandos actionum vitia, & perfectiones, non tamen par in omnib. est omnium momentum: siquidem in affectib. cordis pulsus, & respiratio cæteris præstant. in cerebri morbis sensationes, volūtariæ motiones, & principis facultatis officia maximā vim ostendūt, attractiones vero, coctiones, & retētiones familiaris substātiæ, & excremētorū expulsiones, vtpote cōmunes singulis partibus, in omnib. vim suā ostentant, præsertim in hepatis, ventriculi, & venarū affectibus, quæ scilicet ad vniuersi corporis vtilitatem huiusmodi functiones exercent. Cæterū quæ ab excrementis sumuntur notę, omnibus cōmunes non existunt, quippe cum in morbis, qui sine humore consistunt, nihil docere valeant, in quibus vero facultatem suam obtinent, nunc certa, nunc dubia salutis, mortis, & deniq; futuri euentus indicia præbent. Quę enim optime sunt cōcocta excrementa, aut quæ saltē euidentes coctionis notas præ se ferunt, salutem, eamq; mature pollicentur; quæ vero cruditatis impressiones referunt, aut obscure sunt concocta, incerti euentus, atq; etiam, si diu perseuerēt, longioris morbi sunt testimonia, quæ nō solum cruda, sed etiam pessimis qualitatib. sunt prædita, siquidem à præcipuis partibus proueniant, vt vrinæ, sputum, nonnunquam ēt alui excrementa mortis sunt indices, alioq; corruptionis ipsius partis, aut certe morbi longitudinis, quemadmodum in vlcerib. apparet, quæ virulentam saniem emittunt. Sunt autem mediata indicia, quæ ab excrementis sumūtur, eo.n. quod corporis functiones primum, deinde cōstitutionem significent, salutis aut mortis indicia fiunt: ostendunt præterea nunc diuersis, nunc eisdem modis diuersa; nam quod bonis qualitatib. sint affecta, salutem; quod vero copiose, facilèque, & per idoneos locos atq; etiā oportune excernantur, proximam adesse sanitatem promittūt. Concoctio, quæ in illis apparet, vtrumque eodem modo ostendit. Nam vt Hippocrates dicere solet, *coctiones securitatem, & indices celeritatem præsagiunt*. Ergo excrementa ex suis qualitatibus, quantitate, excretionis modo, tempore, loco, & ordine non solum salutem, & mortem, sed etiam omnia, quæ de futuris prænoscenda esse diximus, manifestant.

Delirium quando in febrib. sit magis vel minus malum, quando itidem sitis.

Qualem denuo excrementa.

Qualemqualitates corporis.

Jam vero qualitates corporis, quæ à naturali statu recedunt, in corporibus adhuc sanis futuri morbi sunt indicia: at in eo, quod morbo angitur, non nisi cum plurimum à naturali statu absunt, mortem minantur, salutem vero pollicentur, vbi minus distant, sed non semper prænunciant eam cito venturam: quod Hippocrates etiam in eo Aphorismo notauit, vbi scribit, *longos illis fore morbos, qui per febres haudquaquam ex-*

sect. 2. aph. 28.

tenuatur. Color inter omnes qualitates certum dat testimonium eius, quod futurum est, cum omnibus, qui morti sunt propinqui, natiuus corporis color plurimum mutetur, aliis qualitatib. vel minimum à natura sua euariatis. Ac etiam in nonnullis morbis maximi sunt momenti signa, quæ ex colore sumuntur: veluti in vulneribus, & regio morbo, vnde illud ab Hippocrate est scriptum: malū esse, si flauus corporis color per febres acutas ante septimum reddatur, salutem vero promitti, si postea id cōtingit. Quinetiam sapor sua præbet in hac re signa: nam si salsedinem referant, quæ in ore continentur, longum difficilemq; morbum significant: si vero amara sentiuntur, breuiorem nunciant. Nec illud quidem ignorari debet, non semper adesse, & sæpius variari, quę ex qualitatib. nonnullæ petuntur rei futuræ notæ. Nam contingit nonnunquam lethalem in visceribus cōtineri affectionem, nihil conferente ad illius pręcognitionem sapore, aut colore, qui etiam per animi corporisq; perturbationes remittitur intenditurque: gracilitas vero, quæ morbum sequitur, eo perseuerante durat, nec momento, vt color, variari potest. Sunt porro mediata omnia indicia, quæ ex qualitatib. sumuntur: quoniam temperamenti, structuræque corporis interuentu, quod venturum est, præsagiunt.

Sect. 4. apho. 52. & 64.

At quæ ex similitudine, & proportione ducuntur futurorū testimonia, maximi certe sunt momenti: licet. n. morbos salutem, mortē illorumque tempus modum, qualitatem, & omnia denique, quę de futuris præcognoscenda sunt, certo prædicere, si similia in similibus contigerunt. Sic profecto cū lethales grassantur dysenteriæ, eos, qui eisdem temporib. hoc malo corripiuntur, aliorum exemplo, qui perierunt, morituros prædicimus; & sudores, aut aliam excretionem decimaquarta, si ita in aliis euenerit, in febribus iisdem expectādos esse credimus. Atq; hæc quidem satis de vi prædictionum: quod si quæ prætera desiderabuntur, aut in nonnullis euariabunt, ea in singulorum tractatione patebunt: ex his. n. duntaxat tradere voluimus, quod ars ipsa omnib. pollicetur, tum sanis, tum ægris, tum conualescentib. etsi exempla fere omnia ex morbis, quod scilicet euidentiora essent, ac etiam, ne omnia recensendo superflua prolixitate lectorem offenderemus, à nobis sunt desumpta.

Qualem similitudines, & proportiones.

Cap. III.

Quæ à Medico obseruari debeant, ne præsagiendo erret.

QVi recte de salute, aut morte vel alia re futura præsagire studet, debet imprimis distinguere, & separare ea, quæ ab extrinseca causa proueniunt, ab eo, quod morbi, vel alterius rei, de qua agitur, ratione contingit, quemadmodum Hippoc. *in Prædictionibus suis* admonet, faciem, quam depingit, minus periculosam esse, si ob alui fluxum, vel vigiliam, aut alias huiusmodi E occasiones, quam si ob febrem acutumq; alium morbum accidat. Deinde cuiusq; signi vires, & natura perpendenda, eo etiam autore, vt scilicet intelligamus, quid commune, quid proprium, quid immediatū, quid perpetuo rebus signatis adsit, quid vero per interualla reperiatur, quid item suapte natura, quid materiæ ratione signifi-

Primum obseruandum.

2.

A cet; quid prætera bonum sit, quidue malū, quid reuera bonum, quid præter rationem huiusmodi appareat: Nam quædam sunt indicia specie dūtaxat bona vel mala, veluti cum alleuiationes quasdā putamus bonas esse, quæ tamen tales nō sunt, eo quod præter rationē contingāt, id quod optime Hippocr. in Aphoris. prodidit, cum scribit, non esse fidendum alleuiationib. præter rationem factis, nec pertimescenda mala, quæ temere eueniunt, atq; etiam in bonis, & malis notis, quid extreme malum, vel bonum, quid malum, vel bonum duntaxat, & mediæ inter hos naturæ, quid item semper bonum, vel malum: quid indifferentem conditionem habeat; quid nunc bonum, nunc malum reddatur, & in quiB bus corporibus, & locis huiusmodi putetur: quid finem ostendat, quid tempus, modum, qualitatem, locumque mutationis doceat. Ac (vt semel dicam) facultas omnis signorum à Medico prægnoscenda est, si modo recte præsagire velit. Iubet prætera Galen. à prædicendi arte excludi, quæ raro eueniunt: expendenda vero esse, quæ perpetuo vel saltem vt plurimum vera sunt cōperta. *volumus.n.* (inquit ille *lib. 2. Prorrh.*) *in præsagiis perpetuo, si fieri possit, scopum attingere, quo fit, vt si quis ceteri animi sententia frustretur, bis ei succedat ex voto, haud quaquā illius industria probari debeat, sed idiota abiectior & contemptibilior putandus sit.* Vnde ex signis, quę semper, vel magna ex parte, quod futurum est, ostendere conC sueuerunt, præsagitio instituenda. Omnia quoque indicia colligere, & inter se comparare, singulorumque vim expendere necesse est, si falli nolumus: nam si omnia vel malum portendant, vel aliud communi concordia denuncient, certa omnino reddetur prædictio: sin minus, videndum, quæ plura, quæque fortiora sint, siquidem bona malis fortiora & plura fuerint, de ægro bene sperandum; contra vero, si mala numero, & viribus vincant. Quod si par numerus reperiatur, quæ maiorem vim habent, prædictionem attrahunt: quod si æqualis signorum vis fuerit, maior numerus certa præbet futuri indicia, at si bona malis permixta vi & numero paria videantur, exercitato in artis operibus viro opus est, D inquit Galenus, qui ea sæpenumero sit contemplatus, latentesq; adhuc quodam modo vincentis vires, & quid in singulis morbis præualeat, prænouerit. Quamobrē illud mirari licet, quod ille scribit *secundo Prædictionum*, ei scilicet, qui liberari debet à morbo omnia bona signa adesse oportere: si vero moriendū sit, sufficere, si vnum adsit malum. Non enim necesse est, vt salutaris morbus omnia bona signa habeat, nimirū cum videamus, multos, immo omnes, qui morbo laborant, mala multa necessario obtinere. Malum profecto est, si febricitanti ab initio fluxus alui contingat; malum omnibus delirium, appetentia deiecta, actiones læsę, non tamen ob id mors sequitur. Ita nisi signum malum solum tantæ sit efficaciæ vt alia omnia bona superet, ex vno malo mortem nō prædicemus: Veluti ex pulsus defectu, vel alia quacunq; actione necessaria ad vitam abolita, hominem mori necesse est, ex vna vero aliarum minime. Quod si nec ratio, nec experientia statim discernere valet, quid præualeat, mora interponenda est: Nam quæ ab initio obscura, incertaque fuerant, tempore pere-

Sect. 2. apho. 27.

bunt

funt: sic enim per febres, cum in primo die ignoramus, an salus expectanda sit, vel mors metuenda, tertiam, quartam septimamque expectamus: quæ tandem, quod quærimus, denunciet. Hæc igitur qui diligenter expendet, non solum salutem, aut mortem, sed omnia etiam, quæ futura sunt, aut præsentia adhuc existunt, vel præterierunt (quantum ars nostra consequi potest) agnoscet, præuidebitque.

Cap. IV.

Qualis esse debeat præsagiendi ratio.

VVlgus Medicorum putat, Medicum debere, quæ futura sunt, prædicere, non certo, sed dubie: nimirum quod incertæ sint (vt aiunt) futurorum, præsertim salutis, & mortis notæ, tum etiam vt se à calumniis vulgi vindicare possit, si forte aliter contingat, quam venturũ prædixerit. Quamobrem omnia bona ægroto promittenda esse censent, aliis autem omnia dubia, aut certe tunc potissimum, cum de salute prænunciandum est, quos quidem ratio refellit; nã pollicitationum modus etiam esse debet, ne nimis fiat æger negligentior, aut parciorib. in desperationem adducatur. Ad quod spectat, quod scribit Galenus, Medicos scilicet, qui in periculosis morbis plus quam deceat ægrotos hilares, & immoderatę spei plenos reddunt, bifariam errare, vel quod in magnam peccandi licẽtiam eos coniiciant, aut morbum geminent, dum tristiores illi reddũtur, si forte in peius morbus labitur, aut vltra factam promissionem producitur. Ac nõ solum quidem in magnis morbis, sed in paruis, & deniq; corporis statu bene promittere iustum est, sed moderatius his, quos licentiores putemus: liberalius autem, quos timidiores, & omnia vereri videamus. Dubiam autem non oportere esse prędictionem certissimum est, cum alioqui imperitus suæ artis putetur Medicus, si nõ ea ita proferat futura, qualia Medicinæ ignari sæpius euenire nouerunt. An non, quæso, merito contemnetur Medicus, qui dẽ salute dubitabit in eo, qui simplici tertiana, florente ætate, laboret? Quinetiam in grauiorib. morbis, quorum euentus incertior est, Medicum ostendere oportet artis suæ vires, & certo prædicere, quæ ars ita indicat expectanda: dubie autem, in quib. indicia sunt incerta. Quid enim Medicus plus alio, qui huius facultatis omnino sit expers, cõsecutus est, si in parte omnium præstantissima quid pręter vulgarem scientiam præstare valeat, non docet? Nouerunt profecto etiam mulieres, quali nutrimento, & sæpe quib. remediis ægroto sit opus, vsu longo, & Medicorum consuetudine doctæ: at illud nunquam assequi possunt, vt salutem, aut mortem in grauiorib. morbis, & in omnib. solutionis qualitatem, modum, tempus, & cætera, quæ prædicendi ars Medicis promittit, certo præsagiant. In hoc ergo generosos Medicos alios præcellere velim, in quo ars vulgarem opinionem scientiamq. superat. An non certe Galenus in sexto crisis diem & qualitatem prænunciauit? an non idẽ in Eudemo præstitit, & inde magnam famam sibi comparauit, dum præter omnium expectationem prædixit fore, vt tribus quartanis media hyeme, & ab vna priius, quam ab aliis liberaretur? dubia ergo omnia habeant prædicendi artis ignari. qui vero vim illius tenent, semper, quod ars assequitur, præstareque potest, pollicebuntur: hinc enim artis præstantia ostenditur, fama comparatur, & ægrotis spes confirmatur, accrescitq; obedientia: quibus nil melius, optabiliusque in hac facultate nobis contingere potest. Illud præterea addit Galenus *in lib. de constitutione artis*, non absolute pronunciare debere Medicum, quę futura sunt, sed hoc adiecto, si nullus admittetur error, vel ægrotantis vel alterius rei causa, quod cum omnibus notissimum sit, superfluo etiam addi puto, neque enim medicina nostra ea, quæ temere accidunt, vereri, aut polliceri potest.

Cap. V.

De eorum, quæ sanis contingent, signis.

AN vero durabit, qui præsens est status, an mutabitur, & in quem, & à quibus, quando etiam, quomodo, & per quem locum mutatio continget, tradere tempestiuum est. Id quod (vt generatim dicam) communia communibus coaptando ostendunt signa à prædictis fontib. nempe ab essentia, causis, effectibus, & similitudine rerum ducta: quæ autem in singulis euenient, propriæ causæ, propria essentia, propriiq; effectus, & similitudines monstrant. Etenim eã, quæ præsens est, sanitatem, diu duraturam, cognoscemus ex propria illius essentia; proba siquidem temperies, quæ similarium sanitatis essentia est, proba structura totius corporis, & partiũ instrumentariarum vix dissolubilem, diutissimeque, quantum in se est, duraturam sanitatem præsagiunt. Id quod etiam ostendunt causæ, quę corpus efficiunt, constituuntque: Boni etenim humores, qui nec qualitate, aut substantia sunt vitiati, nec copia in corpore exuperant, decens cõformatio, iusta magnitudo, perfectus numerus, apta coniunctio, & vnio, partium totiusque corporis vt proximiores sanitatis causæ, idem pollicentur. Quæ vero assumuntur, retinentur, & excernuntur, quæq; à nobis fiunt, & extrinsecus adhibentur, vt remotiores causæ, sua præbent huius rei indicia. Nam si quis idoneis alimentis vtatur, moderateque, & tẽpestiue edat, & in cibationis ordine non aberrauerit, ac modum edendi seruauerit aptissimum, si prætereã in bono aere versetur, idoneisque lotionibus, & vnctionibus, quæ ad sanitatis conseruationem adhiberi solent, vtatur; si probe corpus animũq; exerceat, & excrementa, vt expedit, expurgauerit, & denique in nullo illorum delinquat, quæ morbos parere possunt, is profecto diuturna integraque sanitate fruetur, quamobrem vulgus etiã miratur, si eos viderit in morbos labi, quos per sanitatem inculpate viuere cognouit. Corporis quoque conditio, tanquam causa, in qua mutationes fiunt, hoc modo idem significat: si enim perinde constructum corpus fuerit, vt nec ab internis, nec externis iniuriis facile lædatur, ita validum, vt quæ lædendi vim habent, vel arcere, vel immutare, vtiliaq; reddere valeat, & ab his, quæ iuuant, commoda omnia capiat; vt bene sanum, sic firma, diuturnaq; sanitas prænunciatur, longioremq; vitam huic fore sperandum

Signa sanitatis diu duraturæ, ex propria illius essentia.

Ex causis.

Ab assumptis.

A conditione corporis.

A corporis habitu. est. Confert & habitus corporis ad præsentis rei præcognitionem: siquidem quadrata corpora diu durant: longa statura, & obesitas matura senectute conficitur, quemadmodum profecto sicca, frigida, calidaque natura: contra vero maxime longæua, morbosa tamen, vbi plurimum humor exuperat, putatur, quæ humida est. Ad hoc genus signorum quod à causis sumitur pertinent, quæ ex astrologia petuntur indicia: *A syderibus.* Nam ortus, occasusque, & fœlices, infœliceſq; astrorum aspectus, & eorundem progressus, regressus, & stationes, ac (vt breuiter dicam) syderum omnium natura, & vis longam aut breuem, integram aut morbosam vitam pollicentur: propterea scilicet, quod illa nostrum corpus immutent, aptumque reddant ad diuersas mutationes subeundas, quæ sigillatim prosequi, nostri non est officii, nec operis.

Ex effectib. Iam vero ex effectibus hoc modo signa capiuntur: Etenim viuidus floridusque color, integri sensus, apti validique motus, mollities corporis, certa qualitas, & copia excrementorum, quæ à singulis partibus excernuntur, atque ab vniuerso corpore expirant, validæ actiones, & deniq; quæ corporis constitutionem sequuntur tanquam effectus, cum recte habent, probam testantur fore sanitatem, quæ etiam diutissime huiusmodi perseueret. Contra vero qui male sunt constituti, quiq; intus latentes morborum causas continent, & in externas iniurias irruunt, ac ita sponte morbos quærunt, quique ab omnibus vel plurimis facile læduntur, pauca vero sentiunt sibi commoda, & aduerso cœlo sunt nati, infirmique natura sunt, & malis qualitatibus affecti, quorumque excrementa, & alia corporis opera à bona conditione euariant, ii certe morbosam ducent vitam, atque immatura morte rapientur.

A similitudine. Nec illud quidem absurdum est, eadem prædicere, quod similia in similib. contigerint, quomodo longam fore, & salubrem vitam iis prædicimus, quorum parentes incolumes vixerunt, aut alii, quos natura, & omni alia conditione, his, de quibus agimus, simillimos nouimus.

Cap. VI.

De notis morborum, qui in singulis euenient, & causarum, quæ eos pariunt.

Signa ex corporis sanitate & temperamento. Porro si corpus optima sanitate est præditum, non alios expectare oportet morbos, quam quos ætatis cursu caloris vis, depasto humore, infert. Vnde in his morbis, quos mors sequitur, siccitatis excessu ea contingit, nullis vnquam antea morbis affectis huiusmodi corporibus. Quod si deteriore conditione donatum est corpus, ex diuersa illius natura intelligimus, quosnam morbos in singulis expectare oporteat. Qui enim ita affecti sunt, vt in eorum compositione calor exuperet, in illis ardentes, tertianæque febres, calidique alii morbi, vt plurimũ prouenient. Frigidi cõtra in eo timendi, qui frigidus sit. Hinc longis morbis senectus, acutis adolescentia floridaq; ætas magis patet, quod in illis frigus, in his vero calor vincat: sic humida natura putridis morbis, destillationibus, fluxionibus, & denique iis, quos hæ, super fluitque A humor pariunt, erit obnoxia. In quibus vero siccitas superat, febres acutas, alii siccitatem, marcorem vereri oportet. Eodem plane modo si cui male figuratæ sunt partes, vel asperitas, aut læuitas adest, aut error aliquis in meatibus, cauitatibusque conspicitur, si in magnitudine, aut numero aliquo est vitium, si male collocatæ partes, aut perperam connexæ, eius generis morbi expectandi, ad quod naturalis conditio inclinat. *Signa ex causis si corpus ...* Quinetiam causæ, quæ corpus constituunt, tales venturos morbos nunciant, qualis est illarum vis, & natura: si enim humorum multitudo redundet, præsagiemus morbos, quos multitudo concitat, inflammationes scilicet, caloris extinctiones, & oppressiones, obstructiones, B febres continentes, aut longas, & si qui alii huiusmodi sunt. Quod si qualitate nocent humores, similes illi morbi contingent; calidi, si calidus; frigidi, si frigidus; benigni, maligni, si talis humor extiterit. Igitur si sanguis abundet, anginas, pleuritides, aliasque partium inflammationes, diarias, continentesque febres, sanguinis profluuia ventura prædicemus: At si bilis abundat, phrenitides, arquatus morbus, ignis sacer, herpes, ardentes, tertianæque febres, capitis dolores frequenter expectandi: Quod si atra bilis grauis est, cancros, elephantiasim, furorem, melancholiam, quartanas, errantesque febres vereri oportebit. Pituita vero exuperante prædicemus fore, vt nascantur œdemata, scirrhi, febres C quotidianæ, capitis stomachique grauitates; & aqua inter cutem, si eadem, vel aquosus humor nocet. *A causis remotioribus.* Iam vero si remotiores causas illarumque vim expendamus, licebit etiam ex illis notas aliquas capere ad futuros morbos prænunciandos: Nam si laboriosam quis vitam degat, timendi sunt morbi, quos caliditas, siccitasque gignit: Si violenter se in vita exerceat, ii, qui compositionem instrumentariarum partiũ corrumpunt. Quod si quis externis iniuriis sese libenter exponat, veluti qui in bello versantur, præsagiemus, huiusmodi homines illos morbos incursuros, qui ob vnionem vitiatam proueniunt: sicci morbi eos conficient, quos libidinosus amor augit: ac (vt breuiter dicam) in aliis omnibus D perspecta vi agentium causarum, quales morbi prouenturi sint, prædicemus. *Ab astris.* Nam & astra suos morbos inferunt, & indicant: siquidem Sol calidos morbos portendit, Luna humidos & putridos, Saturnus frigidos, Iupiter & Venus præsagiunt morbos venturos, quos sanguis parere solet, Mars siccos admodum, & calidos procreat, Mercurius autem pro varia coniunctione cum aliis astris varios morbos denunciat. Sic sydera cœlo hærentia eos morbos testantur venturos, quos gignere possunt, veluti Canis autor, & testimonium est calidorum siccorumque morborum: quæ vero stellæ in capite Arietis reperiuntur, morbos significant venturos, quos Mars, & Saturnus gignunt: At E Vergiliæ Lunæ, Martisque morbos referunt. Idem de aliis vnusquisq; docere potest, qui astrologiæ non sit ignarus, ne cogimur nos singula, quæ alterius potius sunt, quam nostræ facultatis, hoc loco superfluo labore recensere. *A causis iuuantib. & lædentibus.* Nec non etiam iuuantes, lædentesque causæ sua signa in hac re præbent: nam quæ lædunt, tales fore morbos ostendunt, qualis est illarum vis &

vis, & natura; quæ vero prosunt, contrarios sibi morbos prænunciant: sic enim prædicemus, calidos in illis morbos orituros, quibus calor obesse, frigus vero prodesse solet.

Ex materia subiecta.

Nec desunt indicia ex materia subiecta desumpta: astricta siquidem corpora morbos portendunt, qui ob cohibitam transpirationem nascuntur. Laxa, & rara eos, quos nimiũ effluuium excitat: quę vero angustos viscerum meatus sunt sortita, obstructionibus, & aliis malis, quæ ab his proueniunt, erunt obnoxia. At obesa & crassa corpora acutis morbis, vt difficultati spirandi, attonito morbo, repentinæ morti, fluxionibus, & putredini erunt exposita. Contra vero gracilia febribus ardentibus, calidisq; aliis, & siccis morbis patent. Iam vero ex qualitatib. corporis hoc modo indicia sumuntur: nam pallidos biliosis morbis, nigros melancholicis, liuidos vel cum quodam splendore nigros, aut qui æruginis colorem referunt, malignis; benignis autem morbis subiectos putamus, qui vel rubrum, vel candidum, aut subpallidum colorem obtinent; duros, & asperos nobis prædicere licet in siccos morbos sæpius lapsuros, eos vero, à quibus putridus odor expirat, veluti qui hircorum nescio quid redolent, expectant morbi magni & putridi; illos autem infestabunt mala, quæ flatus procreare solent, in quibus sonitus sentiuntur, vnde flatuosi colicis doloribus frequenter corripiuntur: si amara apparere consueuerunt, quæ gustu percipiuntur, biliosos morbos expectare oportet: si acida cum acrimonia vel acerbitate quadam, melancholicos; si vero acida, salsa, insipida, dulcia sunt, pituitosos vereri necesse est.

Cæterum actionum vitia, quinam morbi vẽturi sint, præsagiunt; nam vehemens appetentia, vbi calor natiuus infirmus est, admonet expectandos esse morbos, quos cruditas, corruptioq; humorum gignere potest: qui autem somnolẽti sunt, capitis grauitates, destillationesque in subiectas partes ob redundantem pituitam experientur: Cõtra vero plus iusto vigiles minantur deliria, furores, melancholiam, & morbos totius corporis ex crudo, vitiosoq; alimento natos: Languidi, paruique pulsus cordis morbos, eosq; frigidos expectandos esse admonent: Qui improbe concoquunt in hepate nutrimentum, expectent febres putridas, scabiem, humores varios in corpore, gracilitatem, & alia denique mala, quę male peractam sanguificationem nutritionemque sequuntur. Ac (vt breuiter dicam) actiones debiles, auctæ, deprauatæ, molestę, singulis propriæ, quęnam mala vniuersum corpus, singulasque partes affligent, docebunt.

Ab excrementis & aliis operibus.

Excrementa vero, aliaque opera, quæ in corpore fiunt, idem certiore etiam cognitione testantur: si enim minus quis excernat, quam par est, morbos ex multitudine suspectos habere debet; si plus, accident morbi ex siccitate: si biliosa, vel pituitosa redduntur excrementa, huiusmodi affectus venturos credendum est, qualia sunt ipsa excrementa: Si sanguis sæpe fluit, morbos verebimur, qui eum redundantem comitantur: si vero immoderate, hi, qui ex illius defectu proueniunt, contingent: si caro, pinguedoque plurima procreatur, obstructiones, calorisque natiui extinctiones minatur.

Ex similitudine.

Nonne vero ex similitudine notas quasdam etiam sumemus? quandoquidẽm vulgus quoque diuinare solet, eos articulari morbo, & calculo, aliisque hereditariis, vt vocant, morbis obnoxios fore, quorum parentes, & cognatos ita affectos antea nouerunt.

A quibus causis quilibet in morbũ prolabatur. Signa.

A quibus vero causis quilibet in morbum prolabetur, partim iam dictum est, partim, quod scilicet deest, summatim ab iisdem fontibus ductis signis, hoc modo explicabitur. Igitur corporis conditio, & natura, tanquam materia subiecta id inprimis significabit. Qui enim suapte natura sunt calidiores, prompte à calidis patientur: difficilius vero à frigidis. Qui rara sunt textura, ab externis iniuriis suos morbos, vt plurimum experientur, aut etiam ab internis, si ob nimiam dissolutionem mala ea proueniunt: Sic etiam graciles externo frigori, & calori maxime sunt expositi: Contra vero quos pinguedo, corporisque moles grauat, infestabunt, magis ægritudines, quas internę iniuriæ commouent: quod pariter his continget, qui adstricta, duraque sunt cute. Quibus autem infirmus est ventriculus, his cruditas omnia fere mala excitabit; si intemperatus lien fuerit, aut angustiores meatus habuerit, quis nõ putabit in huiusmodi corpore plurimos morbos ex atra bile venturos? Preterea vitæ conditio tanquam author morborum idem monstrare potest: siquidem in ociosis ex pituita morbos verebimur; ex bile in negotiosis hominibus; ex atro vero humore in iis, quos superfluæ curæ animi, corporisque labor nimius conficiunt: A vulnerantibus, extrinsecusque irruentibus, & laboriosa vita morbos suos expectent, quibus placet militaris vita, & bello indulgere. Ac vt paucis dicam, ex iis, quę assumuntur, geruntur, extrinsecus occurrunt, excernũtur, & retinentur, quæ nã erunt internæ, tum externæ, qualesque singulæ morborum futurorum causæ, tum ex propria eorum natura, & vi, tum etiam quatenus iuuant, aut lædũt, (siquidem morbi expectandi sunt, ab iis, quæ obsunt, ab aliis vero minime) quantum medicina præstare potest, intelligemus. Idem pariter testantur corporis qualitates: nam pallidus color pollicetur bilem plurimos morbos parituram; niger atram; ruber sanguinem, albus pituitam: Sic sane reliquæ qualitates, causas futurorum morborum monstrabunt; veluti excrementa ipsa, quæ à naturali conditione, substantia, qualitate, & copia euariant. Robur postremum, imbecillitasque partium nonnihil huius rei prædictionem iuuant: quippe externæ partes imbecillæ, externis iniuriis potissimum sunt obnoxiæ; internæ vero infirmæ ab assumptis, & retentis, emissisque excrementis potius læduntur. Liceret tamen adhuc ex astris & similitudine vtilia signa colligere. Admonet enim astrologia, vt quidam natationes, nauigationes, & denique aquæ adhæsum euitent, alii vero ignem fugiant, alii bellum, alii aliud, ex quibus morborum occasiones, & vitæ discrimina oritura præuidet. Nuper natos, & parentibus simillimos ab illis arcemus, quæ parentibus nocuisse didicimus.

Cap. VII.

De signis, quæ docent, quomodo gignetur morbus, & a quibus potissimum partibus in alias deriuabit.

ILlud sequitur explicandum ex iis, quæ sanis euenient, quomodo morbi in illis gignentur, & quas partes primũ afficiant. Id quod in primis, natura & vis causarũ quæ morbos parere debēt, ostendent. Quæ enim vehementem facultatem lædendi nostra corpora sunt sortitæ, veluti vulnerantia, contundentia, calor, frigus, humorum fluxiones, nunciant subitam fore morborum, qui nascentur, generationem. Contra vero quæ obtusiorem ad agendum vim obtinent, vt humectantia, exsiccantia, nonnunquam etiam exulcerans humor, qui paulatim in corpore succrescens carnem erodit, ægritudines pariunt, quæ sensim pullulant. Tarda est morborum generatio, quos atra bilis, & pituita committit. Prompta & facilis eorum, quos flaua bilis, sanguis, & spiritus concitant. Quinetiam valida, robustaque corpora, vt diutissime morbosis causis reluctantur, ita paulatim morbos contrahunt, & vix statim succumbunt. Contra plane quam infirma, & mollia, quæ statim à noxiis quibusq; rebus vincuntur, morbisque subito corripiuntur. Qualitates vero corporis, & excrementa, quæ testantur, qualis sit eius constitutio, & quæ potissimum causæ obesse possint, idem pariter prænunciant. Qua ratione etiam Astrologia, & quæ ex similitudine duci possunt notæ, idem testantur.

Signa à natura & vi causarũ morbos gignentium.

A conditione corporis.

A corporis qualitatib. & excrementis.

Ab astris & similitudine.

Iam vero ex eisdem fontib. signa hauriemus, quæ docebunt, quis nam in corpore locus morbosas causas primo excipiet, & contractos affectus fouebit, aut aliis præterea communicabit. Nam ex causis efficientibus quædam sunt, quæ externas partes inuadunt, morbosq; per eas internis membris pariant, veluti lotiones, vnctiones, vulnerantia, contundentia, frangentia: quędam vero reperiuntur, quę primo affectis internis, malum transmittunt ad reliquas, cuius generis sunt, quæ assumuntur, & egeruntur. Nec desunt, quæ vtrinq; ancipiti vi læsiones suas inferunt, vt aer ambiens, qui inspiratione intus assumitur, & extrinsecus adhæsu & contactu nocet. Alia præterea sunt, quæ vnam partem potissimum infestant, à qua reliquę læduntur, vt apricatio, quæ capite primum affecto, febrem, sparso calore ad interna viscera, cõmittit. Idem quoq; docet propria singulis viuendi ratio; nam qui piscationi incumbunt, fere cutis, neruosiq; generis partium vitio, vniuersum corpus morbi grauant. Qui vero literarum dulcedine capti se studio & cogitationibus conficiunt, viciato primum ventriculo, & labefactata coctione in reliquis partibus varios morbos experiuntur. Docet etiam Astrologia, quibusdam periclitari caput, aliis thoracem, aliis aliud membrum, quod astra nobis maxime obnoxium minātur. Quæ item facile læduntur, maleq; sunt affectæ partes: veluti quæ candiores, frigidiores, rariores, densiores, imbecilliores, aut alio modo male comparatæ, illę omnium primę morbos excipere solent, quos postea aliis impartiuntur: quod in his vsu venire videmus, qui podagra conflictari solent: qua præeunte fere succedunt reliqui omnes morbi, qui corpus male habent.

Quisnam in corpore locus morbosas causas primo excipiat & contractos affectus foueat.

Signa ex causis efficientibus.

A ratione viuendi.

Ab Astrologia.

A conditione partium.

Qualitates excrementaque corporis, & alia opera, quæ in eo fiunt, indices huius etiam cœtus euadunt, quæ quoniam fere eandem tractationem cum iis, quę partem affectam ostendunt (quandoquidem id quæritur, quænam pars primo afficietur, illic vero, quæ sit affecta, docetur) prolixius non prosequar: vtpote quæ iam cum de signis demonstratiuis ageremus, vberius à nobis sunt tradita.

A qualitatibus & excrementis corporis.

Cap. VIII.

De instantis, tardiusque venturi morbi notis.

QVando vero venturi sint morbi, ignorandum non est: quandoquidem ex hac cognitione præseruationem, victusque rationem plurimum variari (vt antea ostendimus) contingit. Id autem ostendent eadem genere indicia.

Nam constitutio corporis, quę multum a naturali statu euariat, instare morbos prænunciat. Nam quis proximam non agnoscet esse febrem, si in vniuerso corpore vehementiorem æstum insolitum percipiat? Contra vero longius absunt morbi, si minus offensa est corporis compositio.

Signa à constitutione corporis.

Idem prætere testantur causæ, quæ corpus constituunt, & regunt: In quibus enim præter modum humor exuperat, in illis morbos maxime in pueritia vereri oportet, reliquæ vero ætates salubriores succedent. Vbi autem statim in ortu præpollet calor, iuuentus morbosa expectanda est, reliquum autem vitæ tempus sine morbis trãsigetur. Si frigus superat, onusta morbis senectus adueniet, in prioribus ætatibus integra constante valetudine, id quod etiam continget vincente siccitate. At si calor, & humor vna excedunt, indies morbi expectandi sunt. Est enim putredini variisque morbis ex minimis etiam quibusque occasionibus exposita huiusmodi natura. Sic plane in aliis coniugationibus qualitatem intelligere nos oportet morbos eo tempore potissimum orituros, in quo quidem earum vis præualet: incolumem vero fore sanitatem, quando ea à contrariis exoluitur. Quod si plurimum huiusmodi causæ mediocritatem excedunt, proximi morbi iam sunt testimonia.

A temperaturæ constitutionib. & regentib.

Quinetiam Astrologia, quæ nouit, quid, quãdove aliquid pati corpus valeat, & quid lædere possit, admonet prospiciendum esse certis ætatibus, annis, diebus etiam & horis saluti corporis, quo tempore scilicet astra morbos minantur.

Ex Astrologia.

Præbet & materia, ex qua morbi gignuntur, sua in hac re indicia: hos enim æstiui morbi expectant, quib. bilis grauis esse solet: Hyeme maxime morbi contingent, si molestat pituita: Autumno, si atra bilis in corpore exuperat: vere autem male habebunt, qui sanguine redundant.

Ex materia morbi.

Nec desunt quidem notę ex subiecta materia ductæ. Nam quib. pedes sunt infirmi, veluti his, qui podagra torqueri consueuerunt, aut qui laxo, raroq; sunt corpore, illos ver, & autumnus vehementius grauiusq; afficit: Qui vero male affectum caput, & thoracē sunt sortiti, hyeme potissimum morbos vereri debent. Ad quod genus signorum pertinent, quæ scribit Hippocrates in

Ex subiecta materia.

Aphorismis, ætates scilicet singulas certis anni temporibus bene habere, in aliis autem deteriùs affici, & morbis conflictari. Nam quoniam ætates docent, qualis sit subiecta natura, ideo quo tempore morbi venturi sint, testantur. Aeris autem temperies, venti, cœli denique omnis status, præterea quæ assumuntur, retinentur, excernuntur, geruntur à nobis, & extrinsecùs afficiūt, ac reliquæ vitæ cōditio, tempus, quo morbi nascuntur, præsagiunt: vel tanquam causæ eorum effectrices, vel quod ostendant subiectam materiam aptam natamq; eo tempore pati.

Atqui iuuantes, lædentesq; causæ hoc modo quod quærimus, patefaciunt. Qui enim præter cōsuetudinem facilè à familiaribus etiam rebus offenduntur, instare morbos portendunt: Alii verò, quibus nihil obest, nullo tempore morbos verentur.

Ex effectib. qui corporis constitutionē sequuntur.

Cæterum ex effectibus, qui corporis constitutionem sequuntur, signa in hac re pariter capiuntur: Nam appetentia alimenti intenta, vel dissoluta, aut quæ non seruat consuetum tempus, aut ad absurdos cibos fertur, aut ordinem, & modum peruertit. Item coctiones, attractiones, retentiones, expulsiones, somni, vigiliæ, motus, principes functiones, nutritio, animi motus, & (vt breuiter dicam) omnes actiones, quæ à nobis obeuntur, auctæ, & debiles, deprauatæ, tristes, plus vel minus vitiatæ, iam instare, aut longius abesse morbos portendunt. Eodem pacto, quando color à naturali statu euariat, & odores absurdi percipiūtur, aut flatus, & strepitus plures, aut pauciores iis, qui secundū naturā cōtingere solent, eduntur; ad hæc salsi, vel amari, aut alterius qualitatis alieni sapores; durities item, mollities, asperitas, læuitas, & reliquæ omnes qualitates iam aduentantis morbi sunt indicia, quando plurimum à naturali conditione recedunt, alioqui longius distare morbos prædicunt: Veluti etiam excrementa, & alia corporis opera plura, pauciora, intensa, remissa, qualitatibus mutata, aut alio quocunque modo ab eo, quod est secundum naturam, aliena. Postremò idem declarant, quæ ex similitudine, & proportione eruuntur notæ.

Hac enim ratione prænunciamus venturos certis temporibus morbos, certisq; locis, quos scilic. simillimos putamus illis, in quibus eadem contingere solere prænouimus: Siquidem in adolescentia, vel iuuentute, aut alia ætate bene, vel malè habituros natos credimus, quorum parentes iisdem temporibus perinde affecti fuerunt.

Cap. IX.

De indicantibus ea, quæ in conualescentibus ventura sunt.

AN verò qui conualescit, in morbum relabatur, vel non, & si id cōtingat, in quem, quoue modo, & tempore recidat, & à quibus tandem recidiua nascetur, sigillatim tradere opportunum esse duco.

Itaque in primis morbi natura docere potest, num expectanda recidiua sit, vel non: siquidem morbi nonnulli sunt, vt errantes, malignæ, inordinatæq; febres, quæ semel ablatæ rursus redire solent, alii verò, qui fideliter soluti, nunquam reuertuntur, vt diaria, synochæ febres, & alii huius generis morbi ordinati, & benigni. Causæ præterea, quæ morbos pariunt, idem monstrant. Quippe illi, quos venena, quæq; vehementius agunt, procrearunt, repetere consueuerunt; Alii verò non item, qui scilicet à benignis, mitioribusque causis sunt nati. Atra bilis, varii, mixti, multi, crassi, viscidi, peruersiq; humores recidiuam pollicentur; Sanguis, pituita dulcis, vel insipida, pallida bilis, & qui nullam malignam qualitatem acceperunt, simplicesq; existunt, quique nec copia hominem grauarunt, nec lentore aut crassitie sunt præditi, contrarium potius indicant. Vnde ver, & hyems, primaq; æstas morbos sine metu recidiuæ pariunt. Autumnus autem vix aliquem liberauit, qui sæpius in morbum non sit relapsus. Ducuntur propria quædam signa ad id significandum ex subiecta materia, quæ patitur: Nam in bene constituto corpore morbi gigni solent, qui semel curati omnino abeunt, contrà verò in malè affectis, qualia sunt, quæ prauis humoribus, maloq; habitu sunt prædita (quæ Græcis nominibus cacochyma, & cachectica nominamus) recidiuam sæpius expectabimus. Ostendunt & hanc differentiam corporis partes, siquidem nerui, aut ossa laborant, aut occulta aliqua pars est, quæ planè per morbum tractari non potuit, metuenda recidiua est; in carne verò, & externis partibus quæ oriuntur mala, semel repulsa penitus recedunt, quantum scilicet loci natura exigit; quod in omnibus intelligi nolumus, nimirum cum in singulis quid vnumquodq; suaptè natura possit, expendamus. At causæ iuuantes, & lædentes hoc pacto id præsagiunt: Qui enim morbi à paucis remediis iuuabantur, à multis autem lædebantur, vt malignā suam naturam produnt, sic profectò timendum est, ne cum putantur curati, rursus redeant: quibus autem omnia proderant, quique commodis remediis, vel naturæ beneficio ita sunt expulsi, vt nihil morbosum in corpore sit relictum, veram conualescentiam, & futuram sanitatem pollicentur. Pari ratione qui in ipsa sunt conualescentia, & ab omnibus, vel multis adhuc læduntur, pauca autem sentiunt, quæ prosint, rursus periclitantur: eorum autem res in tuto est, quibus pauca nocent, conferunt verò plurima. Alii verò, qui nec artis, aut naturæ prouidentia curati sunt, aut certè non eo modo, vt curationis recta ratio exigit, vt plurimum reuertuntur. Sic sanè in febribus recidiuam prædicemus, si absque coctione, aut excretione illæ abierint, aut si hæc etiam contigerunt, non tamen facta sunt, quantum natura morbi exigebat: nec eo tempore, vel modo, & ordine, nec per eum locum, nec per ea remedia, vt oportebat. Quamobrem si materiæ portio, vel alterius causæ, quæ morbum committebat, aut si etiam morbi reliquiæ supersunt, aut ipsa morbosa dispositio subest, ad hæc si in die non decretorio & aduerso cœlo infaustisq; syderibus morbi expulsio facta est, suspectam conualescentiam, & salutem habere oportet. Si cui hepate phlegmone affecto profluxit sanguis ex nare sinistra, qui malū sustulit, recidiua in eo est verenda, quod per cōmodum locum non sit sanatus. Si non nisi paulatim ægritudo solui potest, adhibitis verò remediis vehementissimis nonnunquam sublata videtur, sed eo, quod in curationis modo

Ex subiecta materia.

A causis iuuantibus & lædentibus.

erratum, rursus periclitatur salus. Cum verò biliosos, vehementerque calidos per calefacientia medicamenta vacuamus, educto humore, conualescit quidē corpus, sed calorifica vis in membris ab ineptis medicamētis derelicta recidiuam portendit. Atque hæc omnia id testari videntur, quod aliquid ostendant adhuc in corpore subesse morbosum, vnde illud Hippocratis; *quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere consueuerūt.* Porrò morbi effectus hæc pariter monstrant. Si enim in conualescente corpore morbosæ qualitates, actiones morbosæ, & excrementa, aliaque opera multum à naturali statu mutata appareant, recidiuam prædicere possumus. Sic profectò iis, qui in conualescentia natiuum colorem recipere nequeunt, & diu sicciores, squalidioresq; perseuerant, qui autem vix edunt, aut plusquam oportet, vel aliena, & absurda expetunt, aut non eo tempore, modo, & ordine, quo debent, aut dormire nequeunt, vel profundis, turbulentisq; somnis, & intempestiuis corripiuntur, si malè sperant, & non satis alleuiatos se sentiunt, si ad motum pigri, & difficiles, si præterea excrementa emittunt duriora, molliora, plura, pauciora, nec per locos consuetos, & importunè, aut si male concoquitur cibus, hæc omnia recidiuam minantur: præsertim si multum ab eo, quod est secundum naturam, euarient, & nullo modo, aut parum admodum in melius proficiant, idq; multo magis adhuc, si quid deterius in dies illis contingit. Recidiuas præterea vereri necessè est in morbis publice grassantibus, si in multis, qui semel euaserant, eas iam accidisse nouimus.

A quibus verò causis reuertentur morbi, aut salus continget, eadem genera signorum docebunt: Maligni etenim morbi, malignæq; illorū causæ ab his, quæ derelicta sunt in corpore, recidiuam fore pollicentur: At benigni, benignæque causæ non nisi à malo victu, & errorib. qui post partam sanitatem commissi fuerunt, idem docent. Veluti his contingit, qui in conualescentia omne genus mali nutrimenti expetunt, & antequam vires sint confirmatæ, solita officia aggrediuntur., vel alio modo delinquunt. Quod si quid morbosum intus adhuc latet, ab vtrisq; causis morbus prouenire poterit. Si actiones & excrementa, & reliqua corporis opera iam ferè simillima sanis fuerint in eo, qui cōualescit, eos, qui repullulabunt morbi, non ab his causis, quæ priorem pepererunt, sed ab erroribus commissis venturos prædicemus: contra verò si accidētia, quæ priorem ægritudinem comitabantur, perseuerent, eo propulsato, recidiuæ causa erit, quod ex ea relictum est. At si omnes, qui similibus morbis, aut eodem tempore laborarunt, in morbos relabantur, hoc euidens testimonium erit, recidiuam futuram, non ob errores aliquos, sed ob antecedentem affectum, qui idem in similibus præstitit. Tempus autem, & modum, quo in morbum relabetur, aut sanitatem, pristinumq; robur assequotur, qui conualescit, eadem testabuntur indicia. Nam si illa, quæ recidiuam portendunt, excessus magnos ostendunt, nō longè postea, & confestim eam venturam significant: alioqui paulatim, & id quidē post multos dies: matura verò sanitas sequetur, si minus à naturali conditione corpus abest. Iam verò genus morbi futuri ex eisdem notis deprehendimus, siquidem maligni morbi, quales antea fuerunt, aut sæpè etiam deteriores redire solent, vt elephantiasis, quæ sanata putabatur, eadem repetit; benigniores autem non iidem, aut certè mitiores redeunt: quemadmodum videmus, sæpe post continuas febres, intermittentes gigni, & ex duplici intermittente vnam redire, alia penitus extincta: ex his verò rarò continuas procreari nisi malignæ fuerint, quæ paulatim etiam interna viscera pertinacius afficiant, omnesque humores corrumpant. Vlcus cum malè inducta cicatrice recrudescit, idem, qui prius morbus, reuertitur. Ex febre autem nonnunquam succedit hydrops. Causæ morborum quamdiu eædem sunt, & eisdem locis continentur, eosdem procreabunt morbos: vbi verò mutantur, diuersos omnino à prioribus gignent: quomodo eos, qui tertianis febribus diu infestati fuerunt, adustis iam humoribus, in quartanas, illis solutis, relabi nō rarò videmus. Quod si ab erroribus, maloque victu in morbum rursus cadere quis periclitatur, siquidem illi similem vim causis, quæ morbum prius excitarunt, obtinuerint, similis priori morbus expectandus est; alioqui dissimilis, & talis omnino, qualis causarum vis extiterit. Præbet & materia subiecta suas etiam notas: nam qui ob angustum, maleq; conformatum thoracem sanguinem regerunt, eo cohibito, si recidiua expectatur, eundem quoque affectum venturum præsagiemus. A iuuantibus & lædentibus causis, præterea qualitatibus corporis, excrementis, & actionibus signa sumi posse ad idem prænunciandum, clarius est, quàm vt doceri debeat. An non etiam similitudines aliquid conferunt? quandoquidem non incerta coniectura pronunciare licebit, eos, qui expectantur morbi, prioribus similes, aut dissimiles fore, si idem in similibus naturis, ætatibus, anni temporibus, contigisse didicerimus.

Cap. X.

Quæ ostendant, quem finem sit habiturus morbus.

Scribit Galenus *tertio de crisibus*, ex specie, magnitudine, & more morbi illius exitum dignosci. Verum non ab his tantum, nec immediatè, sed ab eisdem, à quibus alia vniuersa indicia, hæc etiam petuntur: cum enim salutares illi sint, qui vel à natura, vel arte vinci possunt: lethales autem, qui naturæ vires & artis præsidia superant; tertii verò generis, qui nec planè vinci, nec vincere valent, ostendet id imprimis natura morbi, quippe diaria febris, & omnes aliæ intermittentes suapte natura salutares existunt, apoplexia fortis exitialis, quemadmodū & hydrops: Periculosi omnes, qui continuo hominem exercent, qui incerti, maligni, quique recidiuas parere solent: Elephantiasis, cancer, in parte ignobili, destillationes in senibus, podagra, calculus, comitialis morbus, eius generis sunt, quod nec perimit, nec curatur vnquam, sed ad mortem vsque hominem comitatur. Atqui vulnera, vlcera, intemperaturæ, luxationes, fracturæ & reliqui morbi huiusmodi, vbi magnitudinem ingentem assumpserint, lethales eua-

dunt, alioqui salutares fiunt. Quamobrem tunc A optimè scribit Galenus 3. *de crisibus*, cum rectè iudicaturum, an morbus hominem extinguet, vel potius propelletur, qui scilic. morbi speciem, magnitudinem, & morem, atque hunc potissimum spectabit, hæc enim omnia ad morbi essentiam spectant, & inter morbi quidem differentias illæ potissimum, quæ ex magnitudine, & more sumuntur in hac re maximi sunt momenti: siquidem ex continuis, & intermittentib. ordinatis, vel ordine carentibus, & aliis ferè omnibus differentiis est inuenire quosdam morbos, qui perimant; alios, qui sine periculo hominem vrgent, qui verò maligni, ferè omnes vitam adimunt, nisi eam partium ignobilitas tueatur. Afferuntur & notæ ex morbi partibus & progressu: nam, vt Celsi verbis vtar, longus morbus, cum penitus insedit, quo ad difficultatem pertinet, acuto par est, & acutus quidem, quo vetustior est, longus autem, quo recentior, eo facilius curatur. Cæterum causæ morborum idem hoc modo ostendunt: leues siquidem, benignæq; effectrices causæ salutares morbos prænunciant; vehementes autem, & malignæ pro illarum excessu vel mortalem, vel incurabilem: ex atra bile morbi procreantur, qui vel occidũt, vt difficultas intestinorum, & malignæ febres; vel incurabiles permanent, vt elephantiasis, mania, melancholia: sanguis perpetuò, aut exitiales, aut salutares gignit morbos, quod ostendunt partium inflammationes, carbunculi, synochæ febres, quæ nunc perimunt, aliàs verò sanantur. Ex spiritu, qui cum sanguine in venis, & arteriis continetur, proueniunt morbi ferè omnes salubres. Licet ex materia subiecta notas alias ducere: Nam in corporibus pessimè affectis, & imbecillis, aut lethales, aut qui nullo modo, vel ægrè admodum curentur, morbi nascuntur. Neruis inflicta vulnera, aut occidunt, aut incurabilem affectum relinquere solent. Ac etiam in quibusdam locis iidem morbi salutares, in aliis lethales euadunt, aut nunquam curantur: veluti vlcera, quæ si pulmonem afficiant, hominem tollunt: cum verò in aliis partibus consistunt, remediis cedunt: sic cordis, & septi transuersi vulnera perpetuo occidunt; cerebri autem vt plurimum; veluti inflammatio, quæ in coxa semper sanari solet: fluxiones, quæ ad crura, & articulos ferri consueuerunt, hominem non deserunt, nec tamen extinguunt. In aliis verò partibus, qui excitantur tumores, semel curati redire haudquaquam consueuerunt: periculosiores quoque sunt morbi, qui in profundioribus corporis locis, quàm qui in superficie versantur, & qui principes partes; aut ab illis ortas, aut vniuerso corpori ministrantes, quàm alias, quæ alterius sunt conditionis, inficiant. Præterea sanantur morbi, qui remediis facilè iuuantur, quibusque suppetunt optima auxilia: perimunt vel insanabiles remanent, qui nullis vincuntur, quibusque remedia desunt ... An non etiam Astrologia, perspectis ... causis, portendit morbos quosdam certis ... certoq; vitæ tempore salutares ... lethales, aut qui semel contracti, ... postea abigi poterunt? validæ etiam aut ... corporis facultates tanquam causæ, quæ morbos dissoluunt, & abigunt, hoc idem testantur: quippe cum mors expectanda sit, si in graui affectu debiles vires subsunt: salus autem speranda, si validæ existunt: Insanabilis verò affectus, si æquale est pugnantium robur. At effectus morborum hoc modo suas dant notas: Leues enim in actionibus noxæ, & in qualitatibus excrementisque corporis permutationes salutem præsagiunt: mortem autem, vel incurabilem morbum eadem significant, cum plurimum à natura ... : nam hac ratione perpetuum delirium, insiti motus, abolita concoctio, retentio, cohibitæ expulsiones, aut superfluæ humorum euacuationes, præsertum si illi familiares homini extiterint, vt in sanguinis immoderato profluuio sæpe accidit, aut omnino B alieni fuerint, veluti si vrinæ subiugales in febribus acutis, aut oleosæ, vel nigræ, vel liuidæ, aut alia perniciosa qualitate præditæ reddantur, quæ etiamsi supprimantur, vel omnino, vel posteaquam excerni cœperunt, veluti cum sanguis in delirio per nares emanare cœpit, deinde protinus sistitur, hæc omnia mortem prænunciant, ac multo quidem magis, si in die decretorio, & in accessionis fine, ac per ineptos corporis locos emittantur. Præterea cum morbus facilè fertur, salutem pollicetur, cum verò difficilè, periculosus existit. Securior item est, qui à grauissimis morbis euasit: at ille sollicitari debet, cui vel nouum est laborare, vel leuissimos affectus antea grauiter tulit. Postremò C si quos nouimus liberatos, aut peremptos, ductis ex similitudine indiciis, prædicemus alios eiusdem naturæ, qui eisdem afficiuntur malis, eodem tempore, eodem modo, vt illos, habituros. Ac ad hæc quidem genera facile vnusquisq; referre poterit, quæ Hippocrates *in Epidemiis*, & Galenus *passim* enumerant, cum docent, à quibus signa sumantur ad salutem, aut mortẽ præsagiendam, & non solum ex hac methodo prædicere licebit salutem, aut mortem in acutis affectibus, de quibus illi ferè solum egerunt, sed etiam in aliis omnibus, si summa, quæ posuimus capita, diligenter excutiantur, & ad vltimas vsque species perducantur. Si enim quis nouerit, qualis sit cuiusque morbi natura & vis, qui D scilicet lethales, qui salutares, aut alterius generis existant, & in quibus, & quando huiusmodi potissimùm censeri debeant: deinde quæ, qualisve sit facultas causarum, quæ ægritudines gignunt, augent, & fouent; quid item iuuare, aut lædere singula valeat, quid vnumquodque sine periculo, aut cum eo pati possit: Ad hæc si nouerit quid actionum vitia, qualitates corporis, & excrementa in singulis malis portendant: Postremo quid simile aut dissimile existat illis, qui finem morborum iam sunt assecuti, is profectò (quantum homo consequi potest) exitum morbi præsagiet: certò quidem, si id ars promittit, alioqui vt fieri potest. *Non enim* (quemadmodum etiam scribit Hippocrates) *in* E *omnibus sunt certæ notæ salutis, aut mortis*, sed in aliquibus ob morbi naturam dubiæ, quin & alio modo prædictionis certitudinem in hoc variari contingit: de qua quidem re, antequam ad alia progrediamur, tempestiuum esse duco, vt pauca dicamus.

***

Ex morbi partibus & progressu.

Ex morborum causis.

Ex morbi effectibus.

Ex similitudine.

CAP. XI.

In quibus morbis salutem, aut mortem certò prædicere liceat.

GAlenus *in libro de constitutione artis* imprimis excipit morbos, qui ex humoribus temerè nulloque ordine per corpus vagantibus consistunt. Vnde in Aphorismis scribit Hippocratem in longis morbis præsagiis fidere; in acutis verò non in omnibus, sed aliquando falli præcognitionem, idque accidere ob subitam in indicatione permutationem: & quia nonnunquam humor noxius ex vno loco ad alium transfertur, excipit pariter eos *in libro de constitutione*, in quibus salus & mors ab externis causis prouenit, veluti quæ à tumultu, canum latratu, nunciis ingratis, aut iucundis, & cæteris huiusmodi committuntur. Quæ quoniam casu, & fortuna cōtingunt, arte comprehendi nequeũt, nec ea, quæ eorum ratione ventura sunt, præuidere possumus. Tradit præterea *libro secundo de natura humana*, incertam prædictionem reddi in morbis, qui paulatim gignuntur, eo, quod illi non habeant manifestam generationis suæ causam. Contra verò qui ex euidentibus occasionibus ortum obtinent repentinum, præsensionem certam admittunt: quoniam, inquit, quæ sit, & quanta in his causa, facilè cognoscitur: colligit tandem *in libro de constitutione artis* in morbis, in quibus non amplius diffluunt humores, sed locum vnum occuparunt: atque etiam in his, in quibus per vniuersum corpus vnà cum sanguine excrementa absq; immodica multitudine deferuntur, nos tuto prædicere posse, quorsum iturus sit morbus, si modò excrementi naturam nouerimus, & nihil extrinsecus adueniat, quod iudicium corrumpat: Quo quidem loco, vbi se artis totius summã tradere pollicetur, eos amplius non excipit, quos aliis locis à certa prædictione excluserat: nec etiam quod commune omnibus est, docet. Si enim in his non licet certo prædicere salutem, aut mortem, in quibus subita per crises mutatio contingit, nõ licebit profectò futura præuidere, quando per vniuersum animal excremẽta cum sanguine deferuntur, propterea quod huiusmodi morbi per crises, vt plurimum mutari finirique soleant. Si præterea ob subitam in crisibus mutationem contingit prædictionem corrumpi, non licebit, mehercule, in aliquo morbo acuto, aut paucis admodum salutem, aut mortem præsentire, nimirum quod illi omnes ferè per crisim soluantur, & periculum hoc, quod ex subita permutatione contingit, secum adferant. Omittit ad hæc eos, quos alibi excepit, morbos, qui scilicet paulatim gignuntur à causis haudquaquam euidentibus, quorum incertum euentum fore scribit. Quod si ita res habet, concedat illud quoque oportet, incertiorem in morbis longis, quam in acutis fore prædicẽdi rationem, quandoquidem ab occultis forè causis illi, hi verò à manifestis proueniunt. At si genera omnium morborum inspiciamus, inueniemus etiam, nõ omnes comprehensos, qui certa præsagia non admittunt. Nam in morbis perfidis, vt sæpe in pestilentia contingit, nec humor ab vna parte in alias decurrit, nec superflua multitudine exuperant cum sanguine excrementa, suntque firmati aliquo in loco humores, veluti cum bubonem excitant. Quinetiam à manifestis causis originem ducunt huiusmodi morbi, & multa signa bona habent, ob venenosam tamen humoris naturam præsagitio corrumpitur. Præterea in omnibus, in quibus æqualis est pugna inter morbosas causas, ob naturę remediorumq; vires, dubiam reddi prædictionem necesse est. Quoties enim, quæso, per morbos æqualia bona signa magis existunt? & interim incerti sumus, qualis sit futurus morbi exitus, donec alterius vis præualeat, & victoriæ suæ signa euidentiora præbeat. Quamobrem reiectis nonnullis morbis ex his, quos à certa prædictione excipit Galenus, additisque illis, qui ab eo prætermittuntur, in quibus Medicum falli contingit, putauerim equidem, in illis, qui ab humoribus temerè vagantibus, nullamque firmam sedem adhuc habentibus, consistunt, nihil certũ prædici posse, donec humor firmam sedem sibi parauerit, nisi forte leues sint motus, paucusq; humor: tunc enim salutem prædicere possumus, quippe cum occidere nequeat, etiam si is quamcunq; in partem feratur. Excludendi quoq; sunt maligni morbi, in quibus vel omnia, vel plurima signa bona apparent, mors tamen improuisa, & inopinata succedit, quemadmodum quosdam vidimus febricitantes, qui vrinas, & alia excrementa optime concocta reddebant, vixque febricitare putabantur, tamen ob morbi malignitatem, quæ sese in exiguo, crebroq; pulsu, & lingua arida, absque siti ostendebat, tandem extincti sunt: quos certe omnes Medici iudicassent euasuros, si bonorum signorum multitudinem, & vim spectassent. Qui verò ex his statim naturam, facultatemq; produnt, Medicum fallere nequeunt, quandoquidem occidunt, si insignis malitia fuerit, alioqui anceps iudiciũ redditur. Atqui eos excipere, in quibus salus, aut mors ob externas occasiones contingit, non videtur ad artem pertinere: quia non aliter de salute, aut morte prænunciat Medicus, quam eo expenso, quod à nobis prouenit. Quis n. quæso, Medicum aberrasse putabit, si in morbo, quem prædixit ille fore salutarẽ, ex ruina domus mors accidat? Neque etiam eos remouere à certa prædictione necesse est, qui per crises finiuntur. Nam etsi subitæ per crises mutationes fiunt, translato ab vna parte in aliam humore noxio, si quis tamen naturam superiorem esse morbosis causis, antea præuiderit, salutem certo venturam nunciabit: propterea quod validior natura per loca commoda humores noxios, quos superauit, deducit & expellit, cum verò imbecillior est, morbosis causis succumbit, etiamsi per commodissimum locum viam illis quærat. Ad hæc in morbis, qui ab internis causis, & non solum in his, qui à procatarcticis nascuntur, prædictiones certæ euadunt, præsertim vbi morbus aliquantuñ processit, vt mora causæ illius vis & natura patefiat: etsi tamen euidentiora signa sumantur à genere causarum, quæ morbos intulerunt in his, qui à procatarcticis, quàm qui ab aliis sunt nati: alia autem iudicia, quæ à morborum essentia, effectibus, & aliis causis capiuntur, æque certa in his, vt in aliis putanda sunt, vt firmam satis cognitionem futuri euentus præbere valeant. Igitur si omnes complecti voluerimus

Lib. 2. Aphor. 19.

Galenus refutatur.

In quib. morbis, salutis & mortis prædictio sit incerta

rimus morbos, in quibus prædictio variari potest, eos suspectos habebimus, *qui maligni, peruersiq; sunt; quorum præterea causæ nondum firmam sedem sunt sortitæ, vel ignotæ & in quibus dubia adhuc est victoria, plurimumq; possunt externi errores:* minus quoq; tuta prædictio est *in morbis, quos interna causa excitarunt: vel cum humorum expulsione salus paratur, aut mors sequitur: item cum interna partes laborant, vel morbus ipse magnus est:* nam qui maximus, vel minimus omnino existit, certiores habet mortis salutisq; notas. Certior quoque est in morbis intermittentibus quàm in continuis, vnde illud Hippocratis: febris quocunque modo intermittat, periculum abesse significat, tam in longis quàm in acutis: si quidem, vt ait Celsus, in illis deliberationi tempus patet.

Cap. XII.

Qua ratione solutionis qualitatem præsagire liceat.

QValitatis solutionis nomine, vt obiter antea admonuimus, intelligere volumus, an fida vel infida, facilis aut difficilis, obscura vel euidens, indicata vel absq; signis, bona vel mala, perfecta vel imperfecta futura sit solutio: quæ quidem Galenus in crisibus requirit *libro primo de diebus decretoriis.* Nos tamen, qui generalem, communemque omnibus morbis, & non his duntaxat, qui per crisim dissoluuntur, tractationem profitemur, hæc in vniuersis morborũ solutionibus notanda, & prædicenda esse operæpretium esse ducimus. Ac vt imprimis prædictorum nominum vis, & vsus innotescat, paucis id expedio. Vocat itaque Galenus Infidam solutionem, cum morbi recidiua contingit; Fidam autem, quæ sine recidiua est: Periculosam autem siue difficilem, quæ cum symptomatibus accidit; Tutam verò & facilem, quæ sine illis euenit: Obscuram, quæ citra excretionem vel euidentem abscessum prouenit; Indicatam, quæ in priore aliquo die fuit ostensa: Bonam, quæ ad sanitatẽ peruenit; contra Malam, quæ ad mortem terminatur: Absolutam & perfectam definit, quæ ex morbo nihil relinquit; Imperfectam, ex qua aliquid morbosum adhuc superest. Inter quæ profectò nonnulla sunt, quæ probare nequeo: Nam fidam cum perfecta confundere videtur, siquidem quæ perfecta est ad salutem mutatio, vt omnes morbosas causas abscindit, sic nunquam recidiuam minatur: & ea, quæ sine metu recidiuæ est, perfecta omnino existit. Quis præterea negabit, solutiones, quæ per singulas exacerbationes febrium contingunt, cocto iam humore, agenteque natura, fidas esse? cum tamen non omnes ita morbum finiant, vt nunquam postea redire possit. Adde quod hac definitione tũc solum intelligere possumus, quæ fida, infidaque sit mutatio, cum recidiua accessit, aut illius timor iam prorsus est sublatus: at multo antea Medicum id præcognoscere necesse est, vt fida parta victoria securus in sanitatis conseruatione, & restauratione versari, aut imminẽtem recidiuam arcere commodis præsidiis valeat. Quamobrem fidam appellarem solutionem, quæ naturæ, vel artis beneficio paratur: infidam verò, quæ non ab his contingit, sed morbi ratione, veluti cum natura irritata à morbo, crudo scilicet adhuc humore, excretiones tentat, quæ morbum minuere videntur, qui tamen postea violentius insurgit. Est igitur fida solutio vera, & non simulata, quæ secundum rationem contingit. Sic etiam Hippocrates in Aphorismis alleuiationes fidas vocat, quæ cum ratione, infidas verò quæ præter illam contingunt, cuiusmodi sunt (vt Galenus ipse interpretatur *libro secundo, Porrheticorum*) quæ artis vel naturæ auxilio aut absque illo faciliora lenioraque sunt reddita. quæ enim solutio à natura, vel arte fit, fidelis est; quæ verò morbi ratione, aut alio modo temerè contingit, necessario infida putanda est. De periculosa autem, siue difficili, vel tuta, & facili idem planè cum Galeno sentimus, quemadmodum de obscura, euidenti, indicata, & ea, quæ absque prioribus indiciis facta est: At malam non eam vocarem, quæ omnino ad perniciem tendit, nam potius lethalem hanc appellarem, quippe cum excretiones, mutationesque alias, quæ in morbis acutis sexto die contingunt, iudicemus malas esse; non tamen propterea omnes mortem inferant. Mala ergo sit, quæ grauiorem addit corporis statum; bona, quæ leuiorem facit: Salutaris, quæ salutem parit; perniciosa & lethalis, quæ mortem infert. Est o ea perfecta, quæ morbosum nihil relinquit, quæ ferè omnes alias in se complectitur: Nam bonam fidamque omnem perfectam solutionem esse oportet, vix autem huiusmodi est, quæ difficultatem coniunctam habet: Ac vbi dies decretorii spectari debent, & noxius est humor, euidentem indicatamque esse necesse est, quæ sit futura perfecta. Quinetiam ea requirit omnia, quæ Galenus *vigesimo Aphorismo primi libri* commemorat, vt scilicet vacuatio potius fiat, quàm excitetur abscessus, & quod noxius humor excernatur, idq; per partes idoneas, adsitq; cõcoctio, & in die decretorio mutatio contingat, quamq; postea sequatur alleuiatio, facilisq; tolerantia. Veruntamen cum perfecta, imperfectaque mutatio reperiri etiam possit, cum morbus homini vitam adimit, siquidem nonnunquam ea planè sublata videtur, veluti in vteri suffocatione cõtingit, cum tamen salus postea sequatur, perfectam huiusmodi mutationem vocabimus, quæ prorsus hominem extinguit: imperfectam autem, quæ cum aliqua adhuc spe salutis euenit.

Iam verò harum omnium solutionum prædictiones tradendæ. Igitur fidam, aut infidam fore, ostẽdet morbi natura: Sunt enim quidam morbi, qui naturæ, aut artis beneficio perpetuo soluuntur: nunquã verò ob morbi irritationem; quemadmodũ diaria, & tertiana febris, in quib. fidas, verasq; solutiones polliceri possumus: alii autem, qui magni sunt, aut maligni potius, contrariũ nunciant. Sic etiam cum morbi in declinatione abeunt, fidas ferè semper mutationes fore intelligemus, victa scil. morbosa dispositione: aliud verò timendum est, si priorib. temporibus contingat. Paruæ, benignæq; causæ fidas mutationes faciunt: infidas autem vehementes, aut malignæ, cuiusmodi esse solent, quæ in malè affectis corporibus contingunt mutationes. Illæ verò fidæ existunt, quæ proueniunt in corporib optimè à natura comparatis. Præbet quo-

Solutio fida & infida. *Sect. 2. aphor. 27.* *Solutio lethalis.* *Mala & bona.* *Salutaris & perniciosa.* *Perfecta.* *Indicata seu euidens.* *Mutatio perfecta & imperfecta.* *Prænotiones solutionis fidæ & infidæ. A morbi natura.* *A causis.*

A materia ex qua. que suas notas materia, ex qua morbi procreantur; siquidem ex sanguine nati fidelitatem pollicentur: atra verò bilis, variiq; humores contrarium potius significant. Mediam quodammodo *à iuuantib. & lædentib.* naturam habent bilis & pituita: fidas etiam eas expectabimus in morbis, qui remediis; naturæque beneficio sunt adiuti, & propulsati: infidas autem, quibus remedia non adhibentur, & nihil, aut vix aliquid prodest. Idem monstrabunt *ab effectibus.* morbi effectus; si enim in morbis, qui concoctionem desiderant, ea procedat, si qualitates, actiones, & alia, quæ in corpore obeuntur, victoriam naturæ, artiq; polliceantur, fidam quoque mutationem testabuntur. Illudq; spem no*à similitudine.*stram præterea confirmabit, si alios iisdem morbis, eodemq; modo affectos, easdem mutationes expertos cognouerimus.

Signa prognostica solutionis facilis & difficilis. Cæterum facilem solutionem promittunt parui, benignique morbi; difficilem autem magni aut maligni. Quemadmodum paruæ, benignæque causæ illud; hoc verò malignæ & vehementes nunciant. Hac quidem ratione ægritudines acutæ per crisim, id est, subitam difficilemque mutationem dissoluuntur. Diariis autem facilis solutio cõtingit: quod illa in magnis morbis & ex magnis causis, hæc verò in paruis & ex minimis proueniat. Quapropter symptomata, iuuantes, lædentesque causæ, & subiecta materia, quæ magni, parui, benigni, malignique morbi sunt indices, facilem quoque aut difficilem fore mutationem declarabunt. Addit facilitatem vis corporis valida, quæ omnia mitigare potest; difficultatẽ verò parit, quę infirma existit. Quinetiam corporis varia conditio nunc facilitatem, nunc difficultatem pollicetur: Nam si sudor expectatur, facilis adueniet solutio in raris molliori busque corporibus, difficilis in his, quæ cõtrario modo sunt affecta. Pari ratione tales solutiones, mutationesq; sperabimus in illis, quos perinde, vt alios, quibus eadem contigerunt, af*Obscura & euidentia.*fectos didicimus. At solutionem obscuram, vel euidentem ostendẽt, quæ crisim monstrant futuram cum excretione, vel abscessu, aut sine illis venturam: de qua re quoniam postea agemus, non est, quod hoc loco verba faciamus. Quo*Indicata.*niam verò indicata cognoscitur solutio ex coctionis notis, quæ in diebus oportunis apparuerunt, nec maiore artificio est opus, propterea il*Bona & mala.*lius notis prætermissis ad alias accedemus. Bonam igitur ostendunt, quæ sanitatem pollicentur, aut leuiorem corporis dispositionem reddunt: malam, quæ vel mortẽ inferunt, aut grauiores affectus efficiunt. Quare quæ salutem, aut mortem prænunciant, has quoq; mutationes, & eas, quæ sunt planè salutares, & perni*Perfecta & imperfecta.*ciosæ manifestabunt. Porrò perfectam solutionem, quæ sanitatẽ restituit, prodet natura morbi: Siquidem diaria febris, & omnes alii, qui benigni sunt, morbi; cum semel desinunt, nihil relinquunt, quod noui morbi occasio esse possit. In malignis nihil perfectum polliceri licet. Ad hæc causæ morbi idem ostendunt: Nam benignæ, paruæq; causæ, quæ morbum gignunt facilem, fidam, omnique modo perfectam solutionem repræsentant: contrarium verò, quæ malignæ existunt: proba corporis constitutio bona omnia sperari iubet, improba imperfectionem potius minatur. Qui facilè iuuantur

A morbi, verè, facilè, fideliterq; soluuntur: quibus autem nihil, aut pauca prosunt, hi cõtraria portendunt. Idem testantur ferè morbi effectus: etenim validæ corporis actiones, bonæ in humoribus coctiones, quæ in diebus iudicatoriis insignes mutationes faciunt, ipsaque etiam excrementa pauca, & bonis qualitatibus prædita. Postremò probæ corporis qualitates, & alia opera, quæ naturam morbosis causis dominari docent, id ostendent, eoq; maximè eam perfectam fore sperabimus, si statim ab initio morbi, aut non longè postea, omnia optima indicia conspiciuntur. Nec non ea, quæ in aliis similia contigerũt, sperandam esse perfectam, aut imperfectam solutionem præmonent.
B

Cap. XIII.

De signis longæ breuisq; valetudinis.

Longum morbum, vel breuem forè, scribit Galenus, dignosci ex motu ipsius morbi, & meritò quidem. Qui enim citius mouẽtur, maturius quoq; ad finem perueniunt. Longiores verò sunt, qui tardiùs progrediuntur. At illud non docet à quibus motus morbi indicia sumantur: nam cum scribit *tertio de Crisibus*, ex tempore partium accessionis eum deprehendi, & morbi magnitudinem, anni tempus calidum, regionem, & ætatem calidam incitare morbos:
C eos verò tardari à contrariis, imprimis quæ omnibus sunt communia, non docet, quippe cum in paucis morbis accessiones fiant, nos autem communem omnibus breuitatis longitudinisque rationem quæramus, præterea qui paulatim soluuntur, vel per crisim etiam ad salutem perueniunt, quanto minores extiterint, tanto celerius mouentur, vt ipse etiam testatur *libro 3. prædictionum, & 2. de crisibus*, vbi scribit breues iudicari affectus ex symptomatum paruitate, quæ quidem paruos morbos sequuntur. Placidissimos etenim morbos natura, & remedia facilè superant, alios difficilius: addit autem tarditatem difficultas, celeritatem auget facilitas, & qui occidunt morbi, quanto sunt mino-
D res, tanto profectò tardiores euadunt. Quin etiam morbi, qui natiuum calorem extinguunt, quanto minus caloris habent, tanto promptius naturam vincunt & perimunt, præsertim cum ille scribat *secundo libro prædictionum*, quosdam morbos in senibus citius, quàm in iuuenibus finiri: ad hæc si tanto breuiores putandi sunt morbi, quantò promptius curantur: id autem illi magis ex contrariis causis, quàm ex similibus assequuntur, constat calidos ab aere frigido, humidos à sicco, & denique contrarios à contrario cœli statu, & minui, & tolli. Non igitur omnibus caliditas celeritatem addit, sed aliquibus plus confert frigiditas. Quamobrem ab iisdem fontibus signa, quæ ostendant morbi motum,
E ducemus, sed diuersa ratione, pro diuerso scilicet morborum fine: qui enim occidunt, quanto maiores extiterint, tanto sanè promptius finiuntur; tanto verò tardius, quanto minores: contrarium in salutaribus fit.

Signa celeritatis & tarditatis in morbo salutari à morbi natura. Age igitur in salutari morbo primum celeritatis & tarditatis motus notas ex ipsorum natura ducamus: citius profectò intemperies sola, quam

quam quæ cum humore est, soluitur; citius intemperies, quam vlcus cauum; & hoc citius quã fractura; simplex morbus, quam compositus; intermittens, quam qui continuo affligit; ordinatus, quam ordinis expers promptius abigitur; Luxatio facilius reponitur, quam augeantur partes diminutæ; quæ vero numero excedunt, citius abscindi possunt, quam quæ desunt, regigni.

A causis.

At vero causæ, quæ morbos gignunt, sua quoque in hac re exhibent signa; nam calor, & frigus breuiores; siccitas & humor longiores morbos committunt; contundentia breuiores, quam vulnerantia, & frangentia: Ex bile, sanguine, & spiritu, & pauco, tenuique humore breues procreantur morbi; Ab atra vero bile, pituita, quemadmodum à crassis, viscidis, & multis succis longi nascuntur. Ad quæ quidem signa referenda sunt, quæ ab ætate, consuetudine, anni tempore, vitæ conditione, sexu, cœli statu, syderum ortu, & reliquis huius generis sumuntur, quæ scilicet vel tales humores gignunt, vel ostendunt, quæ eos procreant.

A subiecta materia.

Nec desunt notæ ex subiecta materia: etenim in male affectis corporibus, partibusque durioribus, frigidioribus, siccioribus, densioribus, otiosis, & neruosis, longiores ægritudines fieri conspiciuntur: breuiores contra in his, quæ temperatiora, & meliore conditione donata, quæque molliora, calidiora, rarioraque existunt; qua item ratione diariæ febres, quæ accensis spiritibus consistunt, illis, quæ in humoribus sunt accensæ; & hæ aliis, quæ solidas durasque partes occuparunt, breuiores apparent. Quin & febres longius protrahuntur in corporibus, quibus cutis est adstricta, quam quibus est laxa; & vulnera illata partibus carnosis promptius sanantur, quam quæ neruos afficiunt, quod caro calidior, molliorque, hi vero duriores, & frigidiores à natura sint comparati. Sic ergo inter partes corporis, quæ calidiores, rariores, molliores, & concauitates habent, per quas sese exonerare valent, ac in eo corporis loco sitæ sunt, vt prompte remedia admittant; item quæ principatum in corpore obtinent, & motu multo robur sibi compararunt, breuiore temporis spatio, quam quæ aliter sunt affectæ, sua mala perferunt.

A causis iuuantibus & lædentibus.

Causæ autem iuuantes, & lædentes conferunt hoc modo ad hanc cognitionem: qui enim à minimis remediis, quique diligentissime curantur, citius, quam alii finem assequuntur, quemadmodum qui à natura facile vincuntur. Contra vero, qui ab omnibus remediis facile læduntur, aut à paucis iuuantur, vel occidunt, aut non nisi longo tempore sanantur. Ad has pariter causas temperatura ægri, habitus, ætas, consuetudo, vitæ conditio, anni tempus, remediorum copia, & cætera huiusmodi, quæ iuuandi, lædendiq; morbum vim habent, redigantur: Hæc enim in singulis morbis etiam tanquam causæ iuuantes, & lædentes, ostendent, quando cito, vel tarde finem consequemur.

Ab effectibus.

Ab effectibus morbi signa petuntur ad hæc prædicẽda hoc modo: actiones læsæ quanto minus sunt offensæ, tãto breuiorem fore morbum, quantum in se est, arguunt, id quod in omnibus intelligendum esse iamdudum admonui. Parit & morbus, qui efficitur, suas accessiones, nec tamen magnopere repugno, si ad partes, morbique essentiam quis eas referat. Capimus autem ex illius magnitudine, motu, & modo, quo soluuntur, multiplices notas.

Signa morbi accessiones habentis breuis & longi.

Quod enim ad magnitudinem attinet, quanto maiores accessiones fuerint, tanto longiorem fore morbum prænunciant; breuiorem vero, quanto illæ minores extiterint. Id autem in diuersis morbis intelligendum est: nam in eodem quanto accessiones maiores redduntur, quã ab initio fuerint, tanto citius ad incrementum, vigoremq;, & remissionem deniq; venit morbus, quam qui pares eas semper habet: & qui minores perpetuo obtinet, citius finiuntur, quam cui vel pares aut maiores adsunt.

Magnitudo accessionum in quibus spectetur.

Spectamus autem magnitudinem accessionis in vehementia, anticipatione, & tempore, quo durat, longiore: etenim properare morbum ad finem, prænunciat accessio, quæ quoties redit, vehementius hominem affligit, quæque, certa seruata proportione, anteuertit, & in longius spatium protrahitur.

Signa longitudinis et breuitatis morbi ex accessionibus.

Ab accessionis motu hoc modo signa colligimus: Nã æqualis accessio breuioris morbi, inæqualis vero longioris est index. quæ item per periodum, id est, ordinatim redeunt, breuiorem morbum testantur, quam quæ sine ordine repetunt. Est præterea in die, & hora, qua exacerbantur morbi, differentia non contemnenda, siquidem quæ tertio quoque die, & circa meridiem redeunt, celerem solutionem portendunt: secũdi sunt ordinis, quæ matutino tempore exasperantur: longiorem indicant, quæ quotidie; omnium vero longissimã, quæ quarto quoq; die circa noctem insurgunt: fiunt enim eę à pituita, & humore melancholico: illæ vero à bile sola, vel vna cum sanguine mixta; & in quibus maiora spatia inter accessiones porriguntur, hos futuros longiores testatur Celsus. Quæ prompte mouentur exacerbationes, nec in eodem statu diu perseuerant, sed ad finem properant, citatiores morbos significant, vnde tertiana breuior, quod prompte paruitatem inæqualitatemq; pulsus deponat, & calor cito crescat, cõtra plane quam quotidiana, cuius accessio diu cũ frigore perseuerat, & non nisi magno negotio in ea calor accenditur, accensusque longo tempore in eodem statu perdurat. Est illud quoque breuitatis indicium, si status aliis temporibus longior extiterit: neque enim natura diu vehementem pugnam sustinere valet, quin vel succumbat, vel morbum extrudat. Atqui à modo, quo soluuntur accessiones, signa hoc pacto ducuntur: Breuiores enim illæ morbos reddunt, quæ cum aliqua insigni excretione desinunt, quam quæ alio modo: Quæ præterea cum dissolutæ sunt, putredinis, suiq; mali, aut nulla, aut certe exigua vestigia relinquunt, breuitatem testantur: longitudinem vero quæ aliter corpus afficiunt. Quomodo tertianam breuem, quotidianam vero longam fore iudicamus, quod scilicet in hac putredinis, febrilisq; caloris indicia in ipso interuallo appareant, in illa vero minime.

Ex excrementis.

Cæterum inter effectus morbi excrementa ponuntur, quæ etiam suas notas in hac re conferunt. Notamus autem hoc loco in excrementis imprimis coctiones, deinde excretionis, quantitatem, modum, qualitatem, locum, tempusque.

Ex excrementorum coctione.

Porro in coctione spectandum est tempus, quo illius notæ apparere incipiunt. Si enim cito, inchoante scilicet morbo, concoctio appareat, breuem fore morbum nunciat; si magnas mutationes facit, breuissimũ morbum expectabimus: si paruas, longiorẽ. Illud

etiam ostendet, si semper perseuerant coctiones, A hoc vero si aliquando adsunt, aliquando vero minime: si præterea in die indicante appareant, aut decretorio, breuem morbum expectandum admonent; contra vero, si in alio videantur. Quinetiam illud breuitatis signum est, si omnia emittantur concocta: citius namque sperabimus salutem in pleuritide, si sputum, & vrinæ, aluique excrementa concocta reddantur, quam si aliquid horum deest. Iam vero quantitas excretionis, & modus idem ostendunt: in quibus enim, aut nihil, aut pauca, vel paulatim excernuntur, longitudo morbi expectanda est; breuitas vero, si multa, confertim, facile, prompteq; emittuntur, & perseueret excretio: nam si posteaquam fieri cœpit, sistatur, veluti si retrocedunt sudores, si B non mors, certe longitudo morbi ostenditur. In qualitate excrementorum primas, secundas, & tertias qualitates comprehendimus: Breuiores etenim declarant futuros morbos calida, quam frigida, & humida, quam sicca excrementa: quæque vnicum habent colorem, quam quæ plures referunt, quando illa varias dispositiones ostendunt, quæ difficilius vincuntur, quod etiam Hippocrates in Aphorismis testatur, frigidos sudores, variasque deiectiones in salutari morbo mali longitudinem denunciare. Verum in aliis non par videtur ratio: quippe cum ea, quæ partim tenuia emittuntur, partim crassa, breuioris morbi sint indicia, quam quæ tenuia solum existunt, si modo ex coctione crassitudo proue- C nit, veruntamen quæ ex concretione crassa sunt facta, vel suapte natura huiusmodi existunt, longiores ægritudines ostendunt, quam qui tenues sunt, propterea quod difficilius crassum, & viscidum, quam tenue, & friabile vincitur. Longiores adhæc erunt morbi, vbi excrementa deterius olent, quoniam ea longius à naturali conditione absunt. Quin & ea, quæ cum vehementi strepitu emittuntur, veluti quæ per sputum cum tussi molesta regeruntur, cum difficultatem ostendat molestia hæc, longitudinis quoque morbi est testimonium. Veruntamen crassities, tenuitas, lentor, friabilitasque excrementorum, nihil perpetuum in omnibus morbis polliceri potest: Sunt enim quidam, qui celerius finiuntur, si crassiora D excrementa excernuntur, veluti in vlceribus contingit. Aquosa siquidem sanies longiorem morbum significat: in febribus autem sudores crassi & tenaces longioris: tenues breuioris mali sunt nuncii. At in pleuritide tenue pari modo malum est, vt crassum, & tenax. Bonum vero, & breuitatis indicium, quod mediocrem habet consistentiam. Quamobrem natura morborum consulenda est, quæ idoneas in suis excrementis has qualitates docebit: vbi tamen coctiones nullæ requiruntur, quanto tenuiora excrementa fuerint, tanto facilius expelli, & educi possunt, vnde breuiorem reddent, significabuntque morbum. At vero locus, per quem fit excretio, admonet, expe- E ctandum esse cito morbi finem, siquidem commodus excretionibus fuerit: est autem idoneus, si pars aliqua interna peculiariter sit affecta, qui per directum positus est, veluti si inflammato hepate, sanguis per dextram narem profluat, breuiorem reddet, monstrabitque morbum, quam si per sinistram emittatur. Item qui per communes vias educitur humor à parte affecta, breuio- A rem reddet morbum, quam qui per loca alia emittitur; veluti capite laborante per nares, vel palatum: ac naribus affectis, per palatum, & ipsas etiam nares expurgationi idonea via patet: breuior etiam morbus significatur, si per patentes meatus humor noxius, quam si per angustos educatur, veluti capitis affectus expurgato humore per nares, vel os citius finiuntur, quam per aures: & febres promptius soluuntur, quando per aluum, quam cum per vrinam, aut sudorem natura sese exonerat. Breuitatis quoque maioris indicium est, si extra corpus humores ferantur; longitudinis autem, si tentato abscessu in aliqua parte firmentur. Adhæc qui per plures locos vacuantur humores, vt per sudorem, vrinam, & aluum, B citius, quam qui per vnum duntaxat vacuantur, morbum finiunt. Quis commodior sit locus tum singulis partibus, tum vniuerso corpori ad emittenda excrementa præsentis non est loci docere, cum methodus nostra hæc præcognita ponat. A tempore excretionis signa hoc modo sumuntur: breuior namque morbus erit, si in die decretorio excretio fiat in morbis, in quibus iudicia accidũt: Longior, si in alio. & denique in omnibus, si suo tempore contingant, breuiorem morbum, si in alio longiorem significabunt: non est enim idem tempus excretionis in omnibus morbis, sed quidã continuo ea emittere possunt, sicut vlcera pus; cerebrum pituitam per nares & palatum; aquosi, biliosique humores per vrinam omni tempore C commode reiiciuntur: alui etiam excrementa nõ nisi peracta coctione ventriculi, & distributione nutrimenti egeruntur: sudores in accessionis febris initio intempestiue, in statu autem, & declinatione oportune effluunt: Vomitus bilis in principio, & fine accessionis commode accidit; quod autem per cutem excernitur insensibiliter, perpetuo expirare, & nunquam cohiberi debet.

Ex excrementorum qualitate.

Sect. 4. aph. 27. & 28.

Ex loco, per quem fit excretio.

Ex excretionis tempore.

At vero qualitates corporis mutatæ sua etiam præbent indicia in morbis, in quibus illæ euariant. Quanto enim minus à naturali statu recedunt, tanto fere in omnibus breuiorem morbum nunciant: sic enim grauiorem, longioremque affectum fore putamus in morbo regio, quando D corpus plurimũ pallet; & diuturnas agnoscimus esse destillationes, quando humor, qui diffluit, vehementer salsus apparet. Eodem modo magna durities, vel mollities, vt grauioris affectus, sic longioris sunt indicia: in quibusdam tamen qualitatibus, veluti crassitie, gracilitate, & maliis nonnullis, vt febribus contrarium nonnunquam euenit ob causæ scilicet morbosæ contumaciam, de quibus Hippocrates in eo Aphorismo agit, quo scribit, *si ei, qui omnino leuiter febricitat, permanet, nec extenuatur corpus, longus morbus significatur.* Idem testantur fore alia opera, quæ in corpore proueniunt: nam si ventriculo laborante alimentum perperam omnino non concoquitur, quanto minus fuerit in eo vitium, E tanto breuiorem affectum, quo pars afficitur, expectandum esse admonet. At indicia, quæ ex similitudine petuntur, certiora aliquando, quam alia exhibent signa: quandoquidem ex illis duntaxat nonnunquam admoniti, tertianas, continuasque febres, pleuritides, ac vt semel dicam, omne aliud genus morbi, quod plurimos eodem anni tempore, eodemque loco inuadit, longũ aut

Signa ex qualitatibus corporis mutatis.

Sect. 2. aph. 28.

Ex similitudine.

breue

breue prædicimus futurum, quod scilicet ita in aliis qui antea laborarunt, contigisse nouimus.

Signa celeritatis & tarditatis in morbis lethalibus.

Cæterum in morbis lethalibus quædam eodem modo se habent, vt in salutaribus, quædam diuerso, magnæ etenim excretiones, vt salutarẽ morbum breuiant, sic mortem accelerant, violentius virtutis robore dissoluto. Sic calidi morbi, qui in aëre calido; & frigidi, qui in frigido cõtrahuntur, breuiores omnes existunt, quam si in contrariis temporibus proueniunt. At vires validæ salutaribus, debiles vero lethalibus celeritatẽ addunt: quemadmodum etiã parui morbi citius curantur, quam magni, tardius vero perimunt: vulnus in osse serius hominem extinguit, quam quod carni est illatum: at hoc citius, quam illud curatur. Qui vero nullis iuuantur morbi, cito perimunt: qui vero ab aliquibus, longius producuntur: & tanto magis, quanto plura, eaq; magis prosunt, cum tamen mala, qua salubria sunt, breuissima omnium sint, quibus plurima valde conferunt: qui pessima corporis conditione sunt donati, maturiorem mortem experiuntur aliis, qui melius sunt affecti: at illi serius, hi vero citius sanantur: eodem modo actiones vehementer offensæ, & excrementa, actionesq; corporis, aliaq; opera, quanto magis à mediocritate naturali absunt, tanto celerius venturam mortem portendunt. Quid vero præstent signa ex similitudine petita, omnibus iam constare puto. Illud quoq; prætereundũ non est, quod hæc, quæ dicta sunt, signa, tum in salutaribus, tum perniciosis affectibus, vt breuiorem hũc alio significant, sic breuẽ, vel longum, & inter breues, qui nam breuiores, & inter longos, qui sunt longiores futuri, monstrabunt.

Cap. XIV.

Quæ diem, & horam solutionis in morbis ostendant.

Signa diei sumpta à morbi natura.

CÆterum cum non satis sit prædicere, quod cito vel tarde morbus finietur, sed præterea dies, & hora solutionis à Medico requiratur, paucis, quæ docere hæc possint, explicandum est. Itaque diem, quo morbus terminabitur, ostendet imprimis morbi natura; quandoquidem nonnulli sunt, qui statim dissolui possunt; veluti febres synochæ non putridæ, quæ extracto sanguine vsq; ad animi defectũ confestim iugulantur, vel omnino quarto die suapte natura abeũt: eodem pacto dolor colicus, iniecto clysteri, nõnunquam protinus abigitur: ac vt breuiter dicã, qui ex sola repletione consistunt morbi, dempta multitudine, subito euanescunt. Quinetiam luxatæ partes minimo temporis interuallo reponuntur, & quę numero excedunt, momento abscindi possunt: alii vero sunt, qui die vno soluuntur; vt diaria ad salutem, apoplexia fortis ad mortem: sunt & qui plures dies requirant, qui si per crisim desinant, licet etiam in his diẽ prædicere: si enim concoctionis signa euidentia in prima die appareant, & absq; accessione affligat morbus, adsintq; alia quæ celeleritatem malis adiiciunt; quarto die; si vero cum accessionibus molestat, tertio finietur. In aliquibus vero coniectura duntaxat die solutionis cum quadã latitudine depræhẽdi potest; sicut in vlceribus, vulnerib. fracturis,

A intemperaturis, in febribus etiam longioribus, & cæteris huius generis morbis, quibus dies certus constitui nequit, sed tamen ab effectus natura edocti, non multum à scopo aberrabimus. Vt autem morbi natura, sic illius causæ tardius, aut citius salutis, aut mortis diem venturũ prænunciant: nã quædam sunt, quæ statim abscindi possunt; veluti humoris copia; aliæ, quæ non nisi diebus imparibus; veluti bilis, quæ tertianas febres gignit: aliæ, quæ non nisi paribus, vt humor melancholicus, qui quartanam committit: aliæ præfixo die, sicut vapor, & spiritus: quædam quarto, & septimo etiam remoueri queunt, veluti sanguinis, qui anginam, continentesq; febres procreat. Caro vero, quæ deperdita est in vlceribus,

A causis.

B certum non habet præfixum diem, quo prorsus restituatur. Quinetiam optime cõstitutum corpus, vel pessime affectum, quod scilicet vel bonis aut malis humoribus est præditum, aut hoc, vel alio modo temperatum, rarum vel densum, tenue aut crassum, tam in salutaribus, quam perniciosis malis, vt celeritatem, & tarditatem, sic diẽ solutionis monstrare poterit: si enim alia adsint, quæ salutem prænunciãt, tertio die, aut septimo per sudorem eam venturam: si quidem vires validæ fuerint corpusq; gracile, & rarum, & ambiens aër calidus, certius sperare poterimus: quod si aliter contingat, longius produci morbus poterit; sic si eodem die mors ventura aliis indiciis putetur, validæ vires adstrictumq; corpus, circumstansq; aer frigidus longius protrahere eam

C poterunt. At iuuantes causæ suas etiam præbent notas: quædam enim sunt inter eas, quæ statim morbum extinguere possunt, cuiusmodi est magna euacuatio, & quæ partes superfluas exscindunt, quædam vero, quæ non nisi pluribus dieb. id faciunt; qualia putantur, quo humorum corruptioni medentur: Præterea quæ statim plurimum prosunt, aut obsunt, confestim salutem, aut mortem, aut eodem statim die portendunt. Non desunt præterea indicia huius rei ex causis, quas docet Astrologia: nam rationi consonum est, ægrotantem tunc extingui, quo tempore astra maxime aduersantur: veluti si quis in suo ortu planetas in Ariete salutares habuerit: aduer-

Ex astris.

D sos vero, & lethales in tauro, is nimirum periclitabitur, cũ Luna, vel alius inimicus planeta, taurum, vel tetragonum, vel diametrum signũ maxime in sexta domo occupabit: minus autem cũ in ariete, cancro, libra, & capricorno, idq; potissimum in septima domo, eadem vel etiam alia sydera, quæ illi sunt amica, reperiuntur. Eodẽ modo effectus morbi plus vel minus à naturali statu recedentes, vt longitudinem, & breuitatem morbi, sic diem solutionis, & horam monstrant, si modo illorum naturam, vim, diem, quo apparere incipiunt, & reliqua toties de illis prædicta diligẽter inspexerimus, perspectaq; habuerimus. Si quis enim vrinas liuidas, nigras, oleaceas, aut alio modo lethales quarta die reddat, ema-

Ex morbi affectibus.

E netq; sudor frigidus circa faciem, contingat eodẽ die delirium, plurimum præterea mutetur color, & reliquæ qualitates, quę in facie, & reliquis partibus spectantur: postremo aliæ actiones plurimum debilitentur, aut alio modo vitientur, quæ scil. pertinent ad animalem, naturalem, vitalemque facultatem, non vltra septimum diem mors differetur. Quod si hæc omnia eadẽ die, nempe

quarta euidentem mutationem ad salutem faciunt, eundem terminum expectabimus. Idem ostendet, quod ex aliorum similitudine colligemus: Nã si iidem morbi in aliis septimũ diem nõ excesserunt, idẽ expectabimus fore in his, in quibus euentum vrgentis mali præsagire volumus.

Ex similitudine.

An mors vel salus quinto vel sexto aut septimo contingat.

An vero quinto, vel sexto, aut ipso septimo continget, vel salus, vel mors, ex morbi natura, accessione, causis, quæ morbos gignunt, & sustinent, & aliis, sine quibus, aut cum quibus facilius aut difficilius finis aduenit, præterea ex similitudine, & effectibus prædicere licebit. Cui enim pessima omnia sunt, si accessio quinto futura est, eo quoque extinguetur, alioqui sexto, vel septimo. Atque eo certius diuinabimus diem solutionis aut interitus, si vniuersa signa, quæ à singulis fontibus scaturiunt, idem portendant: nam vbi aliqua repugnant, tanto sane tardius illud venturum, quod expectamus, credere necesse est, quãto plura, aut maiore vi prædita reperiuntur, quæ aliis reluctentur: quamobrem si omnia optima statim in primo die in ægro reperiuntur, non vltra quartam diem producetur salus; atq; eodem tempore mors adueniet, si pessima quæq; ab initio adsunt. In eo vero, quod magis, & minus est, accidit ad proportionem excessus, & defectus, vel in quintum, vel sextum, aut septimum, aut alium ex sequentibus morbi finem reiici.

Signa horæ solutionis in morbis salutaribus.

Ex morbi natura.

Horam autem solutionis in morbis salutaribus eam esse oportet, in qua vel natura, vel ars morbosas causas plane extinguet, quæ in quibusdam, vt dies ipse, prædici potest ex natura morbi: Diaria siquidem febris vigesima quarta hora, postquam incepit, vt plurimum desinet; & qui per crisim soluuntur morbi, cum ea fere in statu accessionis fiat, qua hora vigere solet accessio, ea finietur morbus: sic tertiana postea quã exacerbatio, in qua morbus finiri debet, inuasit, duodecima ferme hora desinet. In aliis vero, de quibus antea egimus, non nisi coniectura quadam horam salutis ex natura morbi deprahendemus. Quis enim, quæso, in vlceribus, fracturis, abscessibus, intemperaturis, certo prædicere poterit, qua hora morbus soluetur? Quinetiam causæ, quæ morbum committunt, aliquid ad id conferunt. Sincera etenim bilis, quæ exquisitam tertianam committit, duodecima ab initio accessionis hora expellitur: Spiritus accensus in corde diariæ febris causa, vigesima quarta hora expirat, morbumq; finit. Quæ vero iuuant, aut lædunt, notas etiam suas præbent his, qui illarum vim, & tempus, quod ad agendum requirunt, prænouerint: Quippe ex his, quæ morbum extirpãt, sunt, quæ postea quam in vsum venerunt, certis quibusdam horis, quam habent facultatem ad morbos tollẽdos, exerunt, quo modo videmus inter medicamenta purgantia, quædam quatuor horarum spatio, alia octo, alia plurium interuallo morborum causas secum educere, Glysteres vero, venæ sectio, vna etiam hora quædam mala depellunt: quod pariter inter lædentes causas reperiri credendum est: & inter eas, quæ morbis subiiciuntur. Nam cor minimo temporis spatio vulnus sustinere nequit, quin mors sequatur: Cerebrum diutius illud perfert; sic & aliæ partes certam quandam naturam, & facultatem obtinent, quas si perspectas haberemus, intelligere quoque possemus, qua hora, & momento expe-

Ex causis.

A ctanda esset salus, aut mors metuenda. Accelerant, tardantq; huiusmodi mutationes fœlicesq; syderum aspectus: quo enim tempore, quave hora fauent astra, eadem continget, quod expectabamus venturum. Sumuntur & ab effectibus indicia, vel certa suapte natura, vel saltem cũ prędictis coniuncta: validissimæ namq; vires, vrinæ optime concoctæ, excrementa, quæ naturæ superantis vim ostendunt, & qualitates corporis, quæ salutem prænunciant, quæq; subest materia optime affecta, confirmant, ea hora salutem venturam, quam alia præsagiunt. Quod si quædam fauent, alia vero minime, aut si hæc omnia deterius sunt affecta, salutem differre poterunt. At si speremus, per sudorem, aut aliam excretionem B morbum abiturum, qua hora in aliis accessionibus huiusmodi excretio cessauit, eo tempore futuram solutionem præsagiemus.

Ex astris.

Ab effectibus.

Signa horæ mortis.

Ex morbi natura.

Cæterum quemadmodũ in salutaribus horã salutis, sic in lethalibus mortis horam eadem genera signorũ docebunt. Cum enim ea hora mori contingat, in qua æger plane extinguitur, succumbat autem potissimum, cum magis affligitur, maximæ afflictionis tempus natura morbi imprimis monstrabit. Nam qui per accessiones affligunt quæ ad interiora mouentur, quiq; cũ materiæ multitudine, & crassitie, aut magnis, internisq. inflammationibus consistunt, in principio occident, quo tempore scilicet natiuum calorem suffocant. Sin vero eo tempore magis in- C festent accessiones, quo iam ad exteriora morbus vergit, in incremento vel statu, nimirũ quando morbus vehementissime molestat, hominẽ mori oportet. Quod si ex dissolutione mors cõtinget, ea in declinatione expectanda est: Tunc enim excretiones potissimum fiunt, atq; ita vna cum morbo expirat vitale robur. Vnde eos, quos deterius afficit prima accessionũ pars per febres, quæ cum rigore infestant, in ipso frigore mors excipit; qui autem grauius habent, cum calor nocet, in ipso incremento, aut vigore accessionis moriuntur. In quibus vero emanãt sudores perniciosi, aut per insensibilem transpirationẽ corpus digeritur, in illis mortem accidere videamus, cum calor sese remittit, & huiusmodi sequuntur D excretiones: quod si quotidie morbus exacerbatur, eo die, quo maior est accessio hominẽ perimet, & in accessionis parte, in qua antea grauius ægrum affectum per alias exacerbationes nouimus. At si morbi per accessiones nõ vrgẽt, certius nihil dici potest, nisi quod ea hora expectãda mors sit, qua æger grauius habere cõsueuit. Præterea causæ, quæ mortem inferunt, corpusq; lædunt, item effectus morborum idem in lethalibus, quod in salutaribus ostendunt: Quo enim tempore maximã vim mortis causæ consequuntur, valida corpora tollunt, debiliora vero, cum crescit adhuc eorum actio, sudor, halitusq; frigidus, languidi, deficientesq; pulsus, aut qui formicantes dicuntur, proximam mortem prænunci- E ant; sic alia corporis accidentia, quæ in morituris apparent, certo tempore, antequam mors accidat, quando ea expectanda sit, præmonebunt. Hoc quidem pacto proximam esse mortem colligit Hippocrates *in Prædictionibus*, quibus nares sunt acutę, oculi concaui, collapsa tempora, frigidæ contractæque aures, cutis circa frontem dura, intenta, & arida, & faciei color niger, aut palli-

A causis & effectibus.

Ex similitudine. pallidus, aut liuens, aut plumbeus per morbos apparet. An non etiam septima die, & duodecima hora illius diei, si ita contigerit, hominẽ moriturum prędicemus, qui perinde afficitur, vt alii, qui eo tempore antea sunt extincti?

Cap. XV.

De notis eorum, à quibus finietur morbus.

CÆterum in morbis, qui in sanitatem permutantur, vacuationis, alterationis, & aliorum operum, per quæ salus contingit, autor est nunc ipsa natura, nunc ars, nunc vero pari vi vtraque: quod etiam à Medico ignorandum non est: quippe cum huius rei cognitio admoneat Medicum, quid præstare debeat, an scilicet artis suæ vires experiri, & quatenus, an naturæ vniuersa sanitatis acquirendę prouidentia mandãda. Itaq; *Signa à morbi natura,* id imprimis docebit morbi natura: quidam enim sunt, qui à sola natura curantur, coquendo, assimilando, retinendo, & expellendo morbosas causas: cuiusmodi sunt, quę ex humorum leui vitio, atq; etiam leui putrefactione contrahuntur. Leuiores præterea intemperies, & continui diuisiones sola natura sanat, arte ipsa nihil magnũ cõferente: At hęc luxatas partes sola reponit, pręter naturam auctas minuit, numeroq; excedentes exscindit, contusa, & male figuratas partes naturali suæ conditioni restituit: ac (vt breuiter dicã) omnia fere vitia, quę organicas partes infestãt, his exceptis, quæ in solutione cõtinui consistũt, ars tollit, minimum conferente natura: grauiora vero mala, quæ in intemperie fiunt, deteriora in in humoribus vitia, natura & ars iunctis suis officiis persanant: hac enim ratione vbi vrget magna putredo, aut hominem exercet cruditas, remedia adhibemus, quæ putredinem prohibeant, concoquentisq; naturæ vires adaugeant; vbi expulsio noxii humoris expectatur, & via est occlusa, aut glutinosa, crassaq; est materia, ex qua morbi gignuntur: benignos etenim, paucosque humores sola natura vincere poterit, alios potiùs ars ipsa superabit: quinetiam partes (vt à subiecto corpore, quod morbis substernitur, notas quasdam sumamus) quæ afficiuntur, non vulgares dabunt notas, siquidem quæ natiuo calido abundant, quæque insito robore sunt donatæ, solæ possunt sua mala propulsare, aliæ vero admonent, adhibendam esse artẽ adiutricem. Nec contemnendum quidem est, quod docet similitudo; hinc enim prædicimus quasdam ægritudines nunquã solius naturæ opera abituras, quod scilicet eosdem affectus in aliis non nisi externis auxiliis propulsatos nouerimus. Postremo symptomata ipsa iuuantes lædentesq; causæ pariter ostẽdere poterunt, à quibus solutio morborum continget, quorum quidem exempla, vel mediocriter doctis deesse nequeunt.

Quæ vitia corporis natura tollat, quæ item ars, & quæ vtraque simul.

Signa à subiecto.

A similitudine.

Cap. XVI.

De indicantibus ea, per quæ solutio contingit.

POrro inter ea, quæ vel à natura, vel ab arte finiuntur, quædam vna ratione, alia pluribus finem assequũtur. Etenim vulnera simplicia per ea solum, quæ diuisas partes vnire possunt, curantur: humorum vitia euacuatione, & alteratione emẽdantur. Sunt præterea, quę eodem modo occidunt, & hominem liberãt; alia vero, quæ diuersa ratione hæc faciunt. Nam per sudorem febres tolluntur expurgatis malis humoribus, & occidunt vitali robore ob immodicam, intempestiuamq; vacuationem dissoluto. Pleuritis cũ digeritur, sanitatem homini semper restituit, at cum in putredinem vertitur, perpetuo occidit, nonnunquam tamen eroso pulmone tabes sequitur. Quamobrem arte opus est, qua cognoscamus, qua ratione singula aut finem proprium assequantur, aut nunquam desinant: Sic enim intelligemus, quando certo ventura sit salus, aut mors metuenda, vel portendatur dubius euentus. Nam si vna, & eadem est via ad salutem, & mortem, dubia redditur prędictio, cum eam iniri per morbos videmus. Quod si diuersa sit, tunc salus sperabitur, quando ea tentata fuerit solutionis ratio, quæ sanitatem restituit: mortem vero verebimur, si aliter contingat. Quæ sane cognitio non solum ad prædictionem facit, sed etiam plurimum ad curationem confert. Etenim cum nouerimus ea, quæ salutem restituere, aut mortem inferre possunt, ex hac tractatione præmoniti, intelligemus, quid compescendum, mutandum, auertendum, iuuandum, promouendumque sit. Ac quoniam quædam suapte natura semper id consequuntur, quædam vero, quod per se obtinent, loci ratione amittunt, imprimis quod res ipsa per se postulat, deinde quæ ob loci conditionem contingunt, si non exacte (propterea quod curationem hæc tractatio nonnunquam attinget) certe quantum institutum nostrum postulare videtur, trademus.

Id igitur natura vniuscuiusque imprimis ostendet: Nam morbi, qui in intemperie consistunt absque noxio humore, sola alteratione curantur, & occidunt. In quibus vero nocet humor, sola sæpe alteratio sufficiet, nonnunquam vacuatio, & mixtio requiritur; quippe si frigidior sit ex pituitoso sanguine intemperies, sola alteratio medela est: At si vna etiam adsit in humore putredo, vacuatio præterea requiritur, aut perfecta, aut saltem ea, qua morbus in alium permutatur, corporisque partes in alias sese exonerant. Vbi vero humorum corruptione morbus contractus est, præter alterationem, & vacuationem, bonæ quoque substantiæ admixtio exigitur. Qua ratione profecto omnes putridas febres alteratione, vacuatione, permutatione, & boni nutrimenti copia, si omnia illarum genera excutiamus, curari, & his etiam rationibus occidere, inueniemus; diarias vero ex spiratione spiritus calidioris, & refrigeratione; synochas vacuatione etiam sola terminari: quandoquidem sanguinis copiosi effusio huiusmodi febres nullis aliis adhibitis remediis iugulat: Hectica refrigeratione, humectationeque tollitur, calore siccitateque interimit: At si humor in aliqua parte infixus tumorem excitauerit, alteratio multiplex pro humoris natura, putredo trãslatio, vacuatio nũc sẽsibilis, alias insensibilis, suppuratio, erosio, emollitioq; morbũ finiũt; quædã ex his semper ad salutẽ, alia ad mortẽ, vel ad alicuius partis pernitiem: Siquidem aquosus fuerit, vacuatione, translationeque in alias partes de-

Signa à morbi natura, qua ratione morbus aut occidat, aut propellatur.

finit; quo modo aqua inter cutē, educto humo- A re seroso per aluum, curatur. Per abdominis vero incisionem, sæpius occidit. cum vero ad pedes humor absćedit, salutem consequitur: Si vero ad nobiles partes confluat, mortis fit causa, ꝙ temperiem dissoluat: cum autem non educitur, eo ꝙ intemperiem hepati, & aliis corporis partibus inducat, qua probe agere nequeunt, vel mortem infert, aut eam saltem accelerat. Cæterū si œdema sit, incidentia vacuantiaq; requiruntur: nonnunquā etiam ab vna parte in aliam humor secedit, quomodo quotidianas, longasq; febres decumbente humore ad pedes, finiri sæpe: & faciei tumores pituitosos, cōuerso humore ad fauces, nōnunquā strangulare videmus. Quod si durus humor subsit ex pituitoso humore, cū emollien- B tia, vacuantiaq; sanant, aut si hæc non prosint, incurabilis manet: At si ille ex humore melancholico conflatus sit, mollientibus exasperatur, & insanabilis fere relinquitur, quemadmodū & cancri non exulcerati; occidunt autem, si partem nobilem tandem afficiant. In alias autem partes non absćedit huiusmodi humor, qui duros tumores concitat. Iam vero qui ex sanguine cōstat tumor, vacuatione sensibili, & insēsibili curatur: Putredine aūt aut occidit, aut membrū corrumpit affectum: Suppuratione hominem liberat, si modo commode postea pus expurgetur, alioqui vitam adimit; qua quidem ratione suppuratis inflammationibus externarum partium, eductoq; pure, sanitas restituitur: Pulmonis vero aut mē- C branæ succingentis suppurationes, vt plurimum lethales existunt. Conuertitur ad alias partes nonnunquam humor, qui inflammationem excitabat, contingitque salus, si pars præcipua exoneretur, grauetur autem alia, quæ nullam dignitatem obtineat, aut necessariā in corpore actionem exerceat, alioqui vitā extinguit, quo pacto permutatio peripneumoniæ in pleuritidem bona, quæ vero contra fit, mala à Galeno existimatur. Occidunt præterea alteratione sola in nonnullis partibus, vt corde, cerebro, nec vnquā curari posse putatur cordis inflāmatio, cum remedia mors præueniat; cerebri aūt raro admodum, & difficillime abigitur. Erysipelata, & herpetes per vacuantia, & alterantia desinunt ac per trans- D lationem humoris in viliores partes, quas alteratione, & putredine corrumpunt: in præcipuis vero consistentia erysipelata eodem modo vitā adimunt. Cancri erosione occidunt, si ad interās partes vitium perueniat: alioqui per totam vitam incurabiles erodendo perseuerant, nisi vna cum illo, aut vniuersum membrum affectum aut saltē quod in eo vitiatum est, abscindatur. Cæterū morbos, qui in concauitate consistunt, vacuatio, extractio, consumptioq; materiæ tollūt. Sic sane obstructiones ex multis humorib. vel educimus, vel inedia cōsumimus, crassos extenuamus, viscidos incidimus, obstruētes lapides extrahim⁹, exasperatæ partes læuigantibus emendātur, at male figuratæ deducentibus ad meliorem figuram re- E stituuntur: aperti præter naturam meatus clauduntur his, quæ possunt id præstare, pro causarum, quæ apertionem excitarunt, varietate: magnitudo corrupta nunc vacuantibus emendatur, qua ratione corporis moles inedia concidit; nunc vero quæ substantiam detrahunt, euidēterq; cōsumunt, quo pacto caro, quę vlceribus supercrescit, ferro secatur, & acribus medicamētis eroditur; superfluus partium numerus nunc abscissione, vt sextus digitus, nūc extractione, vt lapis in vesica minuitur. At in quibus vitium ex solutione vnitatis contingit in aliquibus vna via sola est ad salutē per vnionem: in aliis etiam per substantiæ deperditæ generationem, vt in cauis vlceribus accidit. Occidunt autem hæc non vna ratione, quippe cum quædam sola euersione à naturali statu, in quo vitium illorum est, alia vero quod prius alios morbos excitent, id faciunt: Etenim vasorum obstructiones, eo quod calorem accendant, aut etiam suffocent, mortem inferunt, vitiata thoracis figura, quæ dilatationem pulmonis fieri impedit, respirationis vsum intercipiens, mortis fit causa: corporis moles perimit, vel quod humoris copia obruatur calor, vel quoniā obstructiones ex fluxionibus statim gignantur in præcipuis corporis visceribus, quibus affectis omnium actionum robur cadit, quomodo obesa admodum corpora syderatione extingui sæpe videmus: lapis in vesica mortis causa est, quod partis vel vitam vel necessariam actionem fieri prohibeat. Vulnera suapte natura, eo, quod diuidāt partes, in quibus vita consistit, vel quod prius putredinem adsciscant, aut sanguinis fluorem excitent, aut dolorem moueant, aut inflammationem, & febres pariant, quibus vis corporis & temperies dissoluitur, perimunt: contusiones, fracturæ, rupturæque fere occidunt, quod alios morbos prius excitent: ob cerebri etenim contusionem illius cauitates occluduntur, prohibeturq; hoc modo animalis vis ad sua instrumenta ferri, quæ ob id agere desinunt, & mortis causæ euadunt. siquidem mors est omnium actionum interitus. Quod si quis diligentius horum omnium incommoda, quibus mors infertur, spectare vellet, vnicā forte inueniret caloris natiui interitus causam, sed hæc alio loco cōmodius, satis autem nunc sit docuisse, quonā modo ex morbi natura Medicus prædicere possit, qua ratione morbus aut occidet, vel propelli poterit, aut ad mortem vsque hominem comitabitur. Id quod etiam symptomata, effectusque alii, qui hos morbos sequuntur, & causæ, quæ eos committunt, iuuant, aut lædunt, ostendere poterunt, ne singula prosequi cogamur.

Quid morbi ratione loci amittant ex eo, quod aliàs suapte natura obtinent.

Illud vero nunc tradendum est, quid loci ratione ex eo amittant morbi, quod suapte natura alioqui obtinent: quid vero multipliciter assequantur, quod vno modo illis pollicetur eorum conditio. Etenim pedis inflammatio aut œdema in alias partes migrare nequit: pulmonis vero, & succingentis membranę in multas partes sese exonerare potest: nam mutuo sese illę partes afficiunt, siquidē in superiores; & hæ in illas sua vitia regerunt. Cordis inflāmatio suppurari nequit, cum mors suppurationem anteuertat: nec qui in profundo corpore resident morbi, digerentibus tolli possunt. Cerebri quoque vitia in se mutuo permutantur, vt lethargus in phrenitidem, hæc in illam, & vna capitis pars aliam afficit. Sic profecto acutus aurium dolor cum febre continua desinit, conuersoq; in cerebri substantiā humore, qui doloris causa fuerat, mentē turbat; & cōtra quæ in cerebro ipso abundat materia ad oculos aureſque reiicitur: in partes vero subiectas se exonerat, cū per nares sanguis quo grauabatur, profluit,

profluit, aut is, vel alius humor ad fauces, pectus, pulmonem, aut aliam denique partem descēdit, qui quidem pro sui natura, & partis affectæ conditione varios morbos excitat. Illius autem inflammatio in tremorem, & lethargum nonnunquam transit: Insania vero delapso humore melancholico ad tibias, excitatisque varicibus, vel apertis venis, quæ sunt in ano, aut excitato in liene tumore, vel facta per intestina excretione sanatur. Angina in pulmonis inflammationē aliquando commutatur, sæpius tamen dissoluitur, suppuratur, aut corrumpitur: Fluxio, quæ tentat pulmonē, occidit, vel quod suffocet, vel ꝙ prius excitato vlcere sanguinem profluere faciat: curatur autem, cum per sputum regeritur: at post nimias destillationes tabes, post lateris dolores diuturnos vitia pulmonū, post hæc insania sæpius contingit. Longā alui resolutionem excipiunt tormina: ac (vt semel dicā) variæ fiunt mutationes, mutuæq; generationes, quas ex propria cuiusque morbi natura, & loci affecti conditione dignosces: Pauca etenim omnibus cōmunia tradi possunt, quippe cum non omnes easdem mutationes admittant, & prohibeat sæpe (vt diximus) loci proprietas, ne morbi assequantur, ꝙ alioqui per se obtinent. Nā quod in aliquib. permutationis morbi est indiciū, in aliis suppurationē fieri declarat: quod vacuationē perfectam in nonnullis monstrant, in aliis testatur noxios humores in aliam partem reiici: ꝙ item salutarem alterationem sæpius declarat, in aliis extincti caloris est signū: putredinis, & corruptionis eędem nonnunquam sunt notæ: proinde quid singulis sit proprium; expendere in hac re oportet, ex fontibus tamen prædictis semper quid singulis conueniat, inueniemus: quod vt cōmodius rudior lector intelligere possit, vno exemplo ad illius exercitationē rem aperiemus. Ac quoniam lateralis morbus plurimas omnino mutationes recipit, eū præ cæteris eligemus, qui id totū quod quærimus declaret. Igitur cum huiusmodi affectus *inflammatio sit membranæ, quæ subtenditur costis*, possit autem inflammatio suapte natura per vacuationem, & translationem in alias partes, indurationem, suppurationem, & putrefactionem finiri ad salutem, vel mortem, ex loci natura sumptis indiciis, tanquam ex materia subiecta intelligemus, indurationem non esse spectandam: Nemo enim vnquam pleuritidem in scirrhum mutari vidit: quamobrem relinquuntur alia, quæ enumerauimus, quib. finem suum assequitur. Ac cū per eam vacuationem, quæ quidem per resolutionem cōtingit, finitur, perpetuo sequitur sanitas: quemadmodū cū per sanguinis missionē demitur humor, aut omnino desinit, aut maiori ex parte minuitur. Cum vero per sputum noxius humor educitur illæso pulmone, salutaris quoque semper redditur, si modo vniuersa materia expurgatur: quod si pulmonis substantiam, & vasa erodat, perpetuo enecat. At si per alui fluxum vacuatur humor iam concoctus, continget salus, alioqui vel mors, vel omnino morbi longitudo, quo modo scribit Hippocrates in Aphorismis, alui profluuium pleuriticis nunc conferre, alias obesse. Quando autem suppuratur huiusmodi inflammatio, raro ex ea homo liberatur, sæpius moritur, semper autem cum in putredinem vertitur, occidit: id quod etiam illi contingit, cū malus humor in alias nobiliores partes abscedit: veluti cū in peripneumoniam cōmutatur, aut in phrenitidem, aut vniuersi corporis conuulsionē concitat, vel syncopen affecto corde, committit. Quod si in deteriores viloresque partes malum reiicitur, salus prorsus expectanda est. Ex quibus sane constat, id, quod ab initio statuimus, quosdam scilicet morbos esse, qui pluribus modis suapte natura finiuntur, sed non omnes admittat semper partis temperies, figura connexio, situs, officium, conformatio, raritas, densitas, magnitudo, numerus, durities, mollities, & reliquæ ipsius partis conditiones. Quin & illud patet, morbos per eadem, nunc salutem, nunc mortem consequi: nunc vero per illa solam salutem, alias vero solam mortem parari: nunc autem quæ signa hæc ostendant, quæ proposuimus, paucis trademus.

Pleuritis quid. Quibus finem assequatur.

Signa futuræ solutionis per vacuationem in pleuritide.

Vacuationem igitur expectare oportet, quæ morbo finem imponat, si benigna, paruaque fuerit inflammatio; si humor, qui eam faciat, tenuis, calidusque fuerit, si expultrix, alteratrixque facultas valida in corpore laborante subsit, si rarus locus affectus, & perspirabilis: Huius rei spem confirmabunt paruæ in respiratione, pulsu aliisque actionibus, & qualitatibus corporis mutationes: quæve calidū, tenuemque humorem, & paucum indicant: Si præterea facile educatur humor qui laudabiles qualitates obtineat, si vacuantibus remediis facile cedat, lędatur autem ab his, quæ vacuationem sistunt, credendum omnino est morbum ipsum per vacuationem finem suum consecuturum. An vero per sputum, vel resolutionem, aut denique per aliam partem educetur humor, non est huius loci docere, cum ea quæramus, quę morbum finiunt, non autem locum, per quem exeunt morbosæ causæ.

Signa futuræ suppurationis.

Suppurationem (inquit Galenus *libro sexto de Morbis vulgaribus*) expectare oportet, si difficilis, crudaque, maneat, nihilq; malignum obtineat inflammatio, si modo vires non subsint imbecillæ. At id non necessario eueniet, cum tarda concoctio, aut tabes etiā sequi possit: quo fit, vt nihil certum in hac re tradat: id quod in primis natura ipsius inflammationis ostendet. Cum.n. suppuratio contingat, dum conclusa est materia, quæ suppurari debet, & vis alteratrix valida est, imbecillior vero paulo debilior, necesse est solum magnas pleuritides suppurari posse: Illæ.n. à sanguine fiunt, qui propria est suppurationis materia: siquidem pus ex sanguine fit, & ob magnitudinem non facile expirat calor: vnde quæ magnam pleuritidem monstrant, nisi vacuari anticipauerit humor, suppurationem fere ostendunt. Nam ea aliquando in peripneumoniā mutatur, cum ob copiā in membrana contineri humor nequit, sed ad pulmonē effunditur; tunc tamen vis expultrix viget, quæ sese à multitudine exonerare valet. Sputum præterea non procedit in pleuritide, quæ ad suppurationē tendit, aut paucū omnino est, quod excernitur; illudq; vel sanguineū vel etiam cum portione pituitæ mixtū: augetur dolor, calor, & febris in dies: cum iam suppuratio maxime fit, accedit rigor, qui necessario suppurationes omnes internarum partium comitatur: Pulsus pręterea suppuratorū in his apparere incipiunt. Non iuuatur à vacuātib. & aliis remediis, quæ huiusmodi alterationem fieri

Propria suppurationis materia.

impediunt, prosunt autem, quæ eam efficiunt: A facta vero suppuratione dolor, & febris minuuntur.

Signa futuræ putredinis. Quod si non in pus, sed putredinem mutetur humor, quædam similia his, in quibus suppuratio expectatur; quædam vero diuersa apparent: Nam sputum in his etiam supprimitur, febres, & dolores vrgent, magna quoque sæpe inflammatio, quæ ad corruptionem tendit: At rigor non accedit, & malignus nonnunquam est humor, qui corruptionis est author, imbecillior concoctrix facultas, vt quæ vincatur, nec mutare noxias qualitates valeat: perseuerat dolor & febris, quanquam emortua fere parte nonnunquam dolor esse desinat; augentur perpetuo lethalia signa, nec minuuntur accidentia pleuritidis, B quod euenire dicebamus facta iā suppuratione; nisi forte cum iam prope mortem ventum est, quo tempore vis corporis à morbo euicta amplius non repugnat; nullis remediis iuuantur, ab omnibus offenduntur, vtpote qui ad pernitiem tendant, quibus nihil fere prodest, obsunt omnia.

Signa futuræ migrationis inflāmationis à latere in alium locum. An vero inflammatio desinet latus affligere, & in aliam partem migrabit, antequam id fiat, intelligemus ex inflammationis natura, causis, effectibusque illius. Quę enim magna est, nec potest in loco affecto contineri, aliam sibi quærit viam, præsertim si acrior humor fuerit, qui expultricem intempestiue irritet: si locus affectus rarior, vicinæ autem partes debiles extiterint, aut C laxæ, ad susceptionemque paratæ, metus est, ne abscedat in eas humor priore loco relicto. Transit autē nūc in pulmonē affectus antequā coctus sit, inflāmationemq; vt prius excitat, facta vero suppuratione, nisi stato suo tēpore expurgetur per sputū, aut facta incisione extrahatur pus, in tabem mutatur: Sic nonnunquā raptus humor ad cerebrum, neruosasque partes, conuulsiones excitat: Syncopen vero, & caloris extinctionem, si in cor materia ruat. Cum autem transitus fit, minuuntur pleuritidis signa, apparent vero partis affectæ malum suscipientis symptomata: qua ratione cum in peripneumoniam mutatur, pulsus crebriores, mollioresque fiunt, inten D ditur calor in thoracis cauitate, accedit sitis maior, genarum rubor apparere incipit, dolor latus infestare desinit, spiratio tamen difficilior, febris vehementior, & grauitas circa pectus vrget, & alia demum accedunt symptomata, quæ peripneumoniam sequuntur, ad proportionem increscentis in eo morbi, & diminutæ pleuritidis.

Signa mutatæ pleuritidis in peripneumoniam.

Ac in omnibus quidem similitudines prædictionem confirmant, aut etiam vbi alia ex aliis desunt firma indicia, eam certissimam reddunt. Nam an vacuatio, vel alteratio, vel abscessus, aut putrefactio, vel aliud expectandum sit, quod morbo finem imponat, ex eo admoniti, quod aliis eodem modo affectis contigit, certo prædicere licebit: poterit hoc exemplo adiutus lector, E quæ ars generalius tradit, in singulis inuenire, & ea prædicere, per quæ non solum morbi, sed etiam salubris constitutio ad finem suum perueniet.

* * *

Cap. XVII.

Quæ significent modum solutionis morbi.

AN paulatim, vel etiam subito cum vehementia finietur morbus, nunc tradere expedit: præsertim cum Galenus duntaxat docuerit signa eorum, qui per crisim terminantur, hoc est, cum vehementia, his contemptis, qui paulatim, vel subito absque magna mutatione desinunt: Haurientur ergo ab eisdem fontibus huius rei signa. Ac primum quidem ex mali natura: Quidam. n. morbi sunt, qui non nisi paulatim curari possunt, vt vlcera caua, fracturæ; vel occidere, veluti intemperies sicca: Alii vero, qui subito sanari, & occidere valent: Nam synocha febris & minime putrida, dempto sanguine, vsque ad animi defectum confestim abigitur, & ardentes febres cocto iam humore adueniente magna aliqua vacuatione confertim finiuntur. Quinetiam continuorum morborum fere sunt vehementes mutationes; leuiores autem eorum qui per interualla molestant, vt in continuis, & intermittentibus febribus apparet, quarum illæ aut omnes, aut certe plurimæ per crisim, hæ vero cum leuioribus mutationibus discutiuntur. *Signa ex morbi natura.*

Cæterum morborum causæ huius quoque rei indices sunt: siquidem cordis vulnera confestim occidunt, carnis vero eadem mala non nisi paulatim: Vehemens etiam in corde intemperies subitam necem inferre potest; Vt in his, qui strangulantur, nimioque calore suffocantur, contingit; cum aliarum partium huiusmodi vitia non nisi paulatim perimant. Sic profecto morbi causæ effectrices, quædam paulatim tolluntur, vt magna corruptio, quasdam vero subito auferre licet, sicut multitudinem, quæ vasa præter naturam distendit. Subitas, & magnas fore mutationes indicat copiosus, calidusque admodum humor, qui putrescit. At spiritus excalefactus, sicut in diaria accidit, leuioris agitationis est index. Quin & venenosa, pernitiosa, quæ morbos intulerunt, subitam mortem portendunt. Item quæ non nisi vehementes iuuant affectus, cum adhibentur, vehementem quoque in illis expectandam esse mutationem prænunciant: quæ vero paulatim mitigant morbos, eodem modo solutionem expectari iubent. Quin & valida virtus subitæ mutationis est author & indicium, debilis vero illi contrariæ. *Ex causis.*

Magna præterea accidētia in morbis, qui ex humore vehementer excalefacto infestant, subitas, magnasque mutationes portendunt: in aliis vero si salutares morbi fuerint, contrarium nunciant. Nam dolor magnus, qui magna vulnera, magnasque fracturas sequitur, curatione morbi paulatim minuitur, & affectus ipse, vnde ille nascitur, sensim desinit. In pernitiosis, si extremi generis est morbus, subitam mortem venturam significant, vt prohibita respiratio in apoplexia hominem confertim iugulat, alioqui paulatim exitium minatur, nisi etiam putredo mortis causa existat, in qua corruptus humor subito excretus vna secum pari modo animam trahat. Ad hæc vehemens qui in corpore sentitur, calor, faciei rubedo, & tensio, flauæ admodum aut rubræ vrinæ, biliosa alui excrementa, amaritudo, quæ in ore sentitur, putidus, qui è corpore spirat, odor, subitas magnasq; mutatio- *Ex accidentibus.*

mutationes in morbis portendunt: Cæterum rigor qui non præcedit accessiones, labri inferioris motus, delirium, capitis dolor, insolita perturbatio, & alia symptomata, quæ morbi naturam, aut accessiones non sequuntur, cum apparent, instantis iam magnæ, subitæq; mutationis sunt nuntii. Postremo colligemus ex his quæ in aliis contigerunt, quales mutationes expectare in his qui eodem modo laborant, oportet.

Ex similibus.

Cap. XVIII.

Quæ declarent, an morbus finiatur per crisim, vel non.

Svbitas, magnasque simul mutationes, quę in morbis fiunt à natura, vel morbi vi cum quadam euidenti vacuatione, aut abscessu, & in pueris (sicut nonnullis placet) per coctionem, crises .i. iudicia vocant Medici. Vnde tradere oportet notas, quæ tam in salutari, quam lethali morbo huiusmodi mutationem præsagiunt. Qua in re Gal. sumpto inditio ex morbi natura crisim expectandam esse sępe scribit, si magnus morbus fuerit. At non omnes magni morbi hoc modo terminantur, vt magna vulnera, magnæ fracturæ, nec alius vllus affectus qui ex humore non consistit, has mutationes experitur: Nec vero omnes qui ex eo fiunt, crisim habere possunt: veluti inflammationes multarum partium. At *primo ad Glauc.* febres calidas, vrentesq; per crisim solui scribit: *libro vero secundo de Crisib.* statuit, crises proprias esse febrium, quæ ex calidis humoribus accenduntur, post has vero dispositionum calidarum, faciliq; mobilium, quæ partem aliquã principem obsederunt. Verum non solum illę ita definiunt, sed etiam colicus morbus, ventriculi vehemens dolor ex frigido multoq; humore excitatus, qui cum violenter à natura per vomitum aut alui deiectionem extruditur, huiusmodi mutationes contingunt. Soli ergo illi morbi ad crisim veniunt, *qui vel ex putrescente, feruenteque humore in vniuerso corpore contento gignuntur*: quemadmodum febres synochæ & ardentes, *vel qui ab vna parte in aliam à vi expultrice reiecta materia propelli possunt*: sicut dolor capitis ex sanguinis repletione contractus, sanguinis profluuio per nares & apoplexia in neruorum resolutione, humore pituitoso ad neruos confertim transmisso, soluitur. Quod si crisis nomine magnas, subitasque simul mutationes duntaxat significamus, fit, vt in magnis, vehementibusq; morbis eas solum expectare debeamus: siquidem in paruis affectib. qui fieri possunt magnę mutationes? Quapropter Galenus *primo ad Glauc.* scribit eos, qui tertiana exquisita laborant, tenui victu esse regendos vsq; ad crisim, hoc nomine abutitur, nimirum cum huiusmodi febris magna non sit, nec ob id magnas mutationes admittat, etsi subito per vomitũ, aut sudorem, aut aliam excretionem finiri possit. Id autem cõmune est salutaribus, & exitialibus morbis, qui per crisim desinunt, vt ex humore, qui vehementius irritet facultatem expultricem, & loco facile mutare possit, excitentur. Si enim crisis subita est mutatio quę ex actione morbi & naturæ prouenit, nullas profecto facultates natura habet, quibus subito, confertimque agere possit, præter expultricem, quæ quidẽ non agit nisi irritetur & eo plane modo agit, quo irritatur. Quare vehementius illam affici oportet, si vehemẽtius agere debeat; locũ vero adesse oportet ad emittendum suscipiendumq; humorem accommodatum, quandoquidem morbus tolli nequit expulsione humorum, nisi ab eo loco, in quo illi morbum faciunt, extrudantur. Quin & validam oportet subesse facultatem expultricem, nimirum cum vehementius insurgere nequeat, si aliter fuerit affecta: vnde optime scribit Galenus *tertio de Crisibus* absque crisi eos mori, qui ob debilitatem aduersus noxios humores pugnare nequeunt. Id quod etiam in salutaribus intelligere quis posset, nisi forte existimet, victa, coctaque morbosa dispositione, tantum semper in expultrice facultate roboris reperiri, vt malos humores violentius etiam expurgare queat. Hæc ergo (vt in summa rem contrahamus) habeat oportet morbus, qui per crisim finiri debet, *vt ex humore nascatur, qui vel qualitate, vel quantitate vim expultricem vehementius irritet, facileque ob via commoditatem, & partis affectæ naturam, virtutisque robur expelli valeat.* Vnde *ex morbi natura, ex materia illius, ex subiecto in quo morbus residet, ex causis, quæ mutationem efficiunt*, indicia sumentur ad futuram huiusmodi mutationem prædicendam. Etenim continentes ardentesque febres, tanquam signa ex morbi natura accepta, expectandam crisim præmonent. Humores vero putridi, acres, mordaces, vel sua quantitate plurimum corpus infestantes, (quo modo putauerim attonitum morbum in resolutionẽ neruorum transire) idẽ pollicentur: ventriculus, qui ab humore molestatur, aut hepar inflammatum, aut humor, qui in venis vel habitu corporis continetur, sumpto indicio ex loco affecto admonent tales mutationes venturas. At validæ vires, tanquam causæ effectrices huiusmodi mutationis indices illius euadunt. Corporis vero raritas, cum sudor expectatur, aut ad vomendum aptitudo, cum per vomitum crisis continget, tanquam causæ, sine quibus, aut cum quib. vacuatio mutatioq; fieri debet, idem testantur. Aer vero ambiens, consuetudo, vitæ cõditio, victus præcedens, & causæ, quæ morbos pepererunt, id ostendunt ea ratione, quod qualis sit morbus, illiusq; materia, & corpus quod afficitur, indicent. Quamobrem cum Gal. 3. *de Crisib.* refert, crisim expectandã in morbis, ductis signis ex morbi magnitudine, motu, specie, anni tẽporibus, & aliis quæ eiusdem sunt ordinis & facultatis cum aere ambiente, nempe corporis habitu, victu antecedente, & reliquis huiusmodi notas, quæ primi sunt ordinis, cum aliis confundit: nam morbi species, illiusq; magnitudo, & motus id ostendũt sola, reliqua vero, quoniã illorũ sunt indicia, quinetiã posita magnitudine, superfluũ esse puto motum addere: siquidẽ nihil aliud est morbus magnus, quã *qui valide affligit, & paruo temporis spacio perdurat.* Iam vero iuuantes lædentesq; causæ nonnihil huius rei cognitionem adiuuant. Quæ.n. coctioni prosunt, nec tamen omnino repugnantes humorum qualitates vincere possunt, expulsionem indicant necessariam: & quæ ad hoc naturę opus conferunt, idem pollicentur: quæ vero obsunt, futuram crisim impediunt, quemadmodũ copiosa euacuatio, humore educto, qui à natura expelli debebat, crisim fieri prohibet: Præterea effectus morbi sua etiã exhi-

Qui nam morbi crisim non experiantur.

In quib. vero crisis expectanda.

Quid in morbo, qui per crisim debet finiri, requiratur.

Signa futuræ crisis vnde sumantur.

Morbus magnus quis.

bent signa, vehementiora siquidem accidentia, quæ ex mutua pugna naturæ cum humoribus proueniunt, vrinæ rufæ, vel rubræ, quæ per febres emittuntur; Vehemens corporis æstus, capitis dolor insignis, sitis, & reliqua symptomata, quæ natura morbi, qui per crisim finiri solet, sequuntur, talem mutationem præsagiunt: veluti etiam quæ in aliis euenerunt, qui eodem modo per morbos fuerunt affecti. Hac enim ratione sudores copiosissimos, aut vomitum, vel alui deiectionem his, qui febre ardente laborant, ventura prædicimus, indicio sumpto, quod alii, qui per idem tempus simili morbo laborarunt, per huiusmodi excretiones sese liberauerint.

Sunt porro hæc indicia his etiam communia, qui moriuntur: nam quod scribit Gal. 3 *de Crisib.* mortem indicari sine crisi, si vires subsunt infirmæ, & nullum adest, vel minimum coctionis signum, morbusque vrget magnus, & malignus, quiq; celeriter mouetur, verum id quidem est, sed verius adhuc id constabit, si ex omnib. prædictis fontibus notæ ducantur: quandoquidem minus quoq; in his expectanda videatur crisis, si morbus magnus non extiterit: vehementia etenim illius naturam magis irritat, & commouet, vt acrius resistat, ex quo quidem crises magis nascuntur, quam si aliter morbus ipse naturam infestet.

Signa crisis iam instantis. Instantem vero iam crisim agnosces tum ex prædictis notis, tum maxime ex symptomatibus, quæ eam paulo ante præcedere solent: de quibus quoniam passim Galenus accurate scribit, superfluum esse puto aliquid dicere.

Cap. XIX.

De signis, quæ docent, crisim fore per excretionem vel abscessum.

Quoniam vero crises aliquando per excretionem euidentem, aliquando per translationem humoris ex vna parte in aliam, siue per abscessum contingere solent, docere necesse est, quando vnum, aut alterum expectare oporteat. Qua quidem in re scribit Gal. 2. *Prædictionum*, morbos, qui concoctu sunt faciles, & simul acuti per excretionem finiri, at id solum salutaribus proprium est: sunt enim prorsus salutares, qui facile coquuntur, & vincuntur, postulat autem ars, vt quod omnibus morbis cōe est, salutaribus, inquam, & lethalibus, tradamus. *Quid ad vtramque crisim requiratur.* Est porro illud commune omnibus, qui per excretionem terminantur, vt ex tenui, calidaque materia consistant, quippe cum huiusmodi humor facile expelli possit, & vias inuenire, per quas extra corpus feratur. Adsit præterea necesse est robur naturæ, vt noxiam materiam commouere, & prosequi, donec extra corpus delata sit, valeat. Quo quidem in opere requiruntur viæ expeditæ, nimirum cum excretio fieri nequeat, si in locis obstructis conclusi sint humores. Contra vero per abscessum terminabuntur, qui plane acuti non sunt affectus, & ex materia fiunt, quæ nec vinci, nec expelli facile potest: quales sunt, qui ex multa, vel crassa, viscida, crudaq; materia consistunt, quique in corpore sunt adstricto, & infirmo. *Qui morbi* Quapropter ex eisdem fontibus signorum indicia sumentur ad id significandum, quod quærimus: nam diuturni affectus, & concoctu difficiles per abscessum, quod etiam optime tradit Gal. finiuntur: *finiuntur per abscessum.* quod quidem docent quartanæ, & quotidianæ febres, quæ reiecto ad pedes humore, vt plurimum soluuntur: quod nonnunquam etiam facit tertiana notha, & ex continuis semitertiana. *Iis qui item per excretionem.* Ardentes vero, & continentes febres, & inter intermittentes exquisitæ tertianæ, & vt semel dicam, calidi per excretionem potius desinunt: frigidiores vero, quiq; tardius mouentur, abscessum præsagiunt. Atq; hoc modo ex natura affectus signa capiuntur. *Signa futuræ crisis ex materia.* Ex materia vero ipsorum morborum hoc modo: Bilis, sanguisq; putrescens, aut vehementer excalefactus, quæ febres committunt, crisim per excretionem fore monstrant. Contra vero pituita, & humor melancholicus. Ad quod quidem genus signorum rediguntur, quæ ex anni temporibus, cœli statu, vitæ conditione proueniunt indicia: quoniam enim hæc ostendunt, quales sint humores, qui in corpore vrgent, eius quoq;, quod quærimus, notæ euadunt. *Ex subiecto.* Quinetiā subiecta materia, corporisque cōditio non vulgares huius rei præbet notas: vel per se, vel quod humores aptos ad excretionem, vel abscessum subesse monstret: siquidem crassa, obesaque corpora ad excretionem sunt inepta, tum quod crassis viscidisque succis abundent, tum quod in illis viæ sint angustæ, quæ excretioni ægre patent. Contrarium accidit in gracilibus, quorum humores tenues acresque vt plurimum esse solent, quorumque viæ latæ sunt, & liberæ humorum delationi peruiæ. Hac quidem ratione ex sexu notas ducimus, quod scilicet ostendat, qualis sit subiectæ materiæ conditio. *Ex natura.* Est porro natura excretionis, abscessusque autor. Proinde non immerito ex ea intelligemus vtrumlibet expectare oporteat: nam quoniam ad excretionem maius robur requiritur, quam ad abscessus procreandos; merito fit, vt vbi naturales vires validæ subsunt, excretionem potius, quam abscessum prædicere debeamus. Contra vero abscessum, vbi illæ infirmiores existunt. Ad quod rursus conferunt, quæ ex ætate, antecedente victu, corporis qualitatibus, anni tempore, & aliis huiusmodi ducuntur signa. Etenim quia hæc declarant, quo modo vires sint affectæ, indicia pariter fiunt excretionis, abscessusque futuri. Si cui præterea pars aliqua laborare consueuit, vt in his, qui frequenti podagra afficiuntur, fieri poterit, vt abscessus contingat in morbo, qui per excretionem alioqui finiri debebat. Nam cum à validioribus partib. in debiliores regerantur humores, rationi consonum est, vt ad eas decurrāt, quæ debilissimæ esse solent: Ex quo constat, ex causis cum quib. excretio, abscessusq; fiunt, notas etiam in hac re peti. *Ex causis et quib. [illegible] & accedentibus.* Nec desunt quidē testimonia ex iuuantibus, lædentibusq; causis. Quippe qui à frigidis læduntur morbi, per abscessum, vtpote ex frigida materia concitati finiri cōsueuerunt: In quib vero morbis ea prosunt, abscessus verebimur. Id quod simul portendūt tēperata, quib. cōferunt. At vehemēs æstus, magna, & assidua corporis inquietudo, rubræ admodū, & igneæ vrinæ, huiusmodique alui excrementa, sitis valida, pulsus præterea elati, vndosi, validi, magni, celeres, & crebri, atque reliqua sympto-

symptomata, quæ calidam admodum materiam subesse, & validas vires indicant, excretionem venturam portendunt: Abscessum autem his contraria præsagiunt; Atque eum iam tentari docent, inquit Galenus *in fine libri quarti de Præsagiis ex pulsibus*, in morbo pituitosiore pulsuum mutatio ab inæqualitate ad magnitudinem, & vehementiam. Postremo ex similitudine, & proportione prædictionem confirmabimus. Hoc enim pacto cum pestilentes febres grassantur, quæ in locis corporis glandulosis abscessus excitent, aut exanthemata efflorescant in cute: idem in aliis fore verebimur, qui eisdem morbis corripiuntur.

Ex similitudine.

Cap. XX.

Quæ ostendant, solutionem per abscessum, vel coctionem fore.

CVm morbi frigidiores, nonnullique alii per abscessum, nonnunquam autem per coctionem finiantur, operæpretium est docere, quando abscessus, vel concoctio potius sit expectanda. Qua in re scribit Galenus, venturum abscessum, si validior fuerit virtus. Per coctionem vero expectandam solutionem, quæ longiore tempore morbo finem imponat, si illa infirmior reperiatur, idque merito: siquidem maius robur naturæ vacuatio, aut translatio materiæ, quam eiusdem concoctio requirit. Sed enim cum ignoremus, quantum robur exigatur in naturæ viribus, vt abscessum potius tentet, quam concoctionem expectet, satius profecto esse duco, vt aliter ex propriis scilicet signis id definiamus. Nam si morborum omnium naturam perspectá haberemus, inueniremus, quosdam esse, quos natura semper, aut certe vt plurimum per abscessum curat: alios vero, quibus per coctionem medetur. Quod si rei naturam consulamus, licebit forte huiusmodi ægritudines inuenire, qui hoc, vel illo modo abiguntur. Itaque cum abscessus proueniunt à facultate expultrice nequeunte omnino noxium humorem extrudere: necesse quidem est facultatem expultricem irritari à materia, quæ non facile expulsioni paret, & ipsam vim debiliorem esse, quam vt valeat id, quod noxium est, prosequi, donec extra corpus reiiciatur. Contra vero vt concoctio fiat, nihil adesse oportet, quod irritet, propultricemque facultatem commoueat: si quidem retineri, quod concoqui debet, non autem expelli conuenit. Quod si ita est, quid prohibet, quo minus statuamus, expectandos abscessus in illis morbis, qui ex multa, crassaque materia, aut multa solum absque crassitie consistunt? Huiusmodi si quidem materia, haudquaquam expectata coctione expultricem vim excitat: quæ vbi debilior est, violentius insurgere nequit, nec ob id repugnantem materiam prorsus reiicere: Quare necesse est, vt abscessus nascantur: Quod si etiam ob qualitatem humoris eos nonnunquam fieri dicas, non absque ratione id facies: vbi enim salsa pituita morbum parit, cum alteratione ea corrigi nequeat, necesse est, vt natura vel expulsionem, aut abscessum tentet. Qua sane ratione videmus illis, qui à quartana euadunt, sæpius intumescere tibias, & nonnunquam etiam cutem exulcerari, eo salsa pituita, & atra bile reiecta. Quamobrem *ex natura morbi, illius materia, & effectrice coctionis abscessusque causa* signa sunt desumpta ad hæc prædicenda. Cum. n. quartanam febré, aut elephantiasim abscessum portendere dicimus, natura morbi huius rei notas præbet. Cùm vero idem præsagire affirmamus materiam crassam, copiosamque, & salsam pituitam, atramque bilem, ex materia morborum indicia mutuamus. At cum venturos abscessus credimus, si expultrix magis viget, quam concoctrix facultas, nec tamen prorsus valida est, ductis indiciis ex effectrice causa, quod futurum est, prænunciamus. Capimus præterea ex subiecto corpore non inutiles notas: quippe cum nonnulli sint, quibus scabies, furunculi, podagra, vel alterius generis huiusmodi sæpius infestare solent: in quibus, cum laborant, abscessus potius, quam concoctionem vitiosi humoris expectare necesse est. Quod si huiusmodi malis haudquaquam expositum est corpus: per coctionem morbosa materia conficietur. Iam vero qui partem aliquam insigniter debilitatam obtinent, ad eam debilitas non expectata coctione humorem allicit. Vnde causæ etiam, sine quibus, aut cum quibus abscessus excitantur, non desunt ad eos prænunciandos. Præsagiunt quoque abscessum, vel coctionem, quæ morbos finiunt, causæ iuuantes, & lædentes. Siquidem in his abscessus verebimur quibus concoquentia non prosunt. At quæ li[illegible] indicia ad hæc significanda ex ætate, sex[illegible] tempore, cœli statu, vitæ conditione, præcedenteque victu, tanquam remotiores causæ prædictarum indicatrices id faciunt. Vel enim materiæ qualitatem, & copiam, vel facultatem, robur, & imbecillitatem, aut corpus aptum ad concoquendum, vel excitandos abscessus declarant: ex quibus quidem immediata testimonia capiuntur. Cæterum morbi effectus huius quoque euentus indices euadunt. Nam dolor, qui per morbum partem aliquam diu infestauit, quod etiam Hippocr. in Aphoris. testatur, confluxuros humores innuit: quanquam tamen idē docere videtur tanquam causa: nimirum cum huiusmodi dolor partem ita affecerit, vt eam ad excrementa excipienda aptissimam reddiderit. Sic vrinę crassæ absque sedimento, quæ diu per morbos tales redduntur, indicant, naturam per coctionem nequire morbis mederi, nec satis expellere posse vitiosos humores, vnde abscessus verendus est. Id quod etiam quæ tenues existūt, in morbis acutis, declarant. Hoc enim modo cum in febribus acutis mingitur tenue, aquosumq; lotium, timendam esse phrenitidem præsagimus; quod scilicet secreta ab vrina morbosa materia, superiores partes petat. Quę vero multum & optimum sedimentum habent, per coctionem potius, quam abscessum morbum iri terminatum testantur. At vero color, qui vnam partem potius, quam aliam exercet; aut flauus, vel liuidus, aut ruber, futuri abscessus, nó min⁹, quam dolor, sunt nuncii. Sic sane Gal. *lib. 6. de Morbis vulgar.* scribit, abscessus, qui circa aures excitari debent, indicium esse faciei rubedinem. Prębent & suas notas in hac re excrementa retē ta & emissa: si. n. cohibentur humorū excretiones, aut per eas morbus solui nō anticipat, aut nō satis liberaliter natura à noxiis humorib. sese exonerat,

Abscessus vnde proueniant. *Vnde concoctio.* *Abscessus in quib. morbis expectandi.* *Signa futuri abscessus & coctionis.* *Ex morbi natura.* *Ex materia.* *Ex subiecto.* *Ex causis sine & cum quibus.* *Ex iuuantibus & lædentibus.* *Ex morbi effectu.* *Ex excrementis.*

Ex similitudine. nerat, abscessum expectare oportet. Postremo aut coctionem, vel abscessum prædicemus in illis morbis, & naturis, quæ similes sunt aliis, in quibus hæc contigerunt.

Cap. XXI.

De indicantibus, salutarem, aut lethalem fore crisim, præterea quæ monstrent illius qualitatem, tempus, quo fiet, & ipsius authorem.

ETsi hæc videntur ex superiore tractatione facile intelligi posse, tamen vt his satisfaciamus, qui vniuersam medicinæ tractationem ad eos duntaxat morbos contrahunt, qui per crisim soluuntur, alia vero solutionum genera nec etiam attingunt, paucis illa expediam. *Signa futuræ crisis salutaris & lethalis ex morbi natura.* Salutarem igitur crisim expectabimus à natura morbi præmoniti: sunt enim qui suapte natura ad sanitatem per crisim veniunt. Veluti tertiana febris, Galeno authore, & inter continuas, quæ mitiores sunt, & non admodum vehementes, lethalem vero portendunt, qui maligni existunt, vt febres pestilentes. Præterea qui vehementissimi sunt vsque adeo, vt naturæ vires excedant. *Ex causis.* Idem promittunt morborum causæ: Etenim sanguis, pituita, bilis pallida, suapte natura indicia sunt salutaris crisis: at bilis æruginosa, atra, vitellina, e[illegible]rniciosam prænunciant: Quemadmod[illegible] venenosi humores, aut alia maligna qualitate infecti, ac omnes, qui nimia copia naturæ actiones opprimunt. *Ex subiecto.* Quinetiam in corporibus bene à natura comparatis bonoque habitu præditis, salubres crises expectabimus ductis indiciis ex subiecta materia, quæ afficitur. *Ex causis efficientibus.* Vires debiles, vtpote quæ à morbosis causis facile vincuntur, quique male sperant, denunciant huiusmodi mutationem expectandam esse, quæ mortem pariat, acceptis scilicet notis ex causa, quæ crises efficit. *Ex iuuantibus & lædentibus.* Quod si prosint remedia, quæ adhibentur, eam prænunciabimus, quę sanitatem homini restituat: alioqui timenda est, quæ vitam adimat. Eadem quidem testantur, quæ ex sexu, anni temporibus, regione, cœli statu, & aliis toties prædictis rebus sumuntur, quod scilicet vnam, aut plures ex proximis causis monstrent, quæ proxima huius rei indicia præbent. *Ex excrementis.* Adde notas, quæ ducuntur ab excrementorum qualitate, quantitate, substantia, excretionis modo, tempore, loco, ordine: præterea ex corporis qualitatibus, & actionibus. Hæc enim an lethalis, vel salutaris futura sit crisis, prænunciabunt: Veluti vrinæ nigræ, liuidæ, oleosæ, continuum delirium, color à naturali statu admodum permutatus, & (vt vno verbo dicam) signa, quæ mortem in morbis portendunt, eadem in illis, qui per crisim finiuntur, eam perniciosam fore docent: *Ex similitudine.* Huic vero contrariam signa contraria significant: quod pariter testantur, quæ ex similitudine, & dissimilitudine capiunt notæ.

Signa futuræ crisis fidæ facilis & perfectæ. Cæterum crisim fidam, facilem, perfectam eadem signa monstrabunt. Benigni etenim morbi facile, tuto, perfecte per crisim soluuntur. Quin & causæ, quæ morbos gignunt, benignæ, paruæ, & quæ subiecta est materia bene affecta, & vires, quæ subsunt validæ, quæ-

A que prosunt facile remedia idem ostendunt. Nec desunt quidem, quæ ab effectibus sumuntur testimonia: siquidem excrementa, quæ concocta emittuntur, suis temporibus, per opportuna loca, quæque in diebus indicantibus insignes, & bonas mutationes in corpore fieri ostendunt, & præterea morborum causas rescindunt: veluti si in quotidiana febre pituitosum est, quod educitur, in tertiana biliosum, nihil aliud polliceri possunt, quam facilem, fidam & omni modo perfectam crisim. quemadmodum etiam corporis actiones, & qualitates non multum à naturali statu recedentes idem repræsentant, *Infida, difficilis & imperfecta.* his vero contraria, aut difficilem, aut infidam, aut imperfectam, aut certe B malam, quæ ventura est, crisim significabunt. Postremo ex his, quæ in aliis eodem modo affectis contigerunt, eadem ventura putabimus.

Signa temporis crisis futuræ. Ex morbi natura. Iam vero futuræ crisis tempus prodet morbi natura; nam acutissimi morbi, qui per accessiones affligunt, tertio die: qui vero accessione carent, veluti synochæ febres, quarto crisim expectandam esse præsagiunt. At qui mitiores sunt, in sequentes dies pares, vel impares, pro illarum scilicet natura, vehementia, accessionum tempore, subiectæ materiæ qualitate, quantitate, virium imbecillitate, & robore, crisim reiiciunt. Bilis, quæ febres committit, C in imparibus diebus crisim venturam ostendit, sanguis vero in paribus. *Ex causis.* Quæ autem causæ statim morbum minuunt, nō longe abesse crisim denunciant, siquidem salutaris morbus fuerit, alioqui eam tardant: quod pariter faciunt, quæ lædunt: nam in salutaribus crisim differunt, in perniciosis vero eam accelerant. Idem ostendunt vires validæ, & infirmæ: Nam illæ in perniciosis malis crises tardant, in aliis concitant: hæ vero celeritatem illis morbis, qui vitam adimunt, aliis autem tarditatem adiiciunt, & significant. *Ex conditione corporis.* Corporis vero bona conditio, & mala ad virium proportionem se habet. Quæ enim bona est, vt salutem, sic mutationem, quæ eam parit, cito consequitur: mortem vero, & D lethalem crisim differt. Perfectam autem crisim non ante vigorem morbi expectabimus, aliæ autem, quæ imperfectæ sunt, etiam increscente adhuc morbo contingere possunt. At quæ vitam adimunt in morbi principio, incremento, & statu accidunt, inquit Galenus: verum nos *in lib. de Temporibus morborum* docuimus, fieri posse, vt homo in morbi principio pereat. *Ex excrementis.* Cæterum quæ in excrementis apparent manifeste bona indicia, tertia, vel quarta die pro morbi s. natura crisim futuram, bonam: quod si illa perniciosa extiterint, talem quoque eam in eisdem diebus futuram monstrant.

Ex qualitatibus corporis & actionibus. Quinetiam actiones, qualitatesque corporis, & alia omnia, quæ tempus salutis, aut mortis prænunciare diximus, crisis tempus ostenE dent. Quandoquidem in ipsa crisi salus, & mors contingunt, aut certe non multo antea quam hæc eueniant, crisis ipsa incipit.

Signa horæ futuræ crisis. Licebit non solum diem, sed & horam, in qua crisis expectanda est, ex his signis prædicere. Nam quidam morbi sunt, qui in ipso incremento accessionis crises experiuntur: alii vero sunt, qui

qui vigorem expectant. Sunt autem illiu generis, qui omnino vehementissimi existunt, & ex calida admodum, acrique materia, & multa sunt procreati. Huius vero, qui mitiores sunt, & ex obtusiore, minoreque humoris copia nati. Illos enim expultrix facultas, quæ crisis est author, diutius ferre nequit: In aliis vero tempore vehementia accedit, quæ naturam irritat, & commouet. Valida preterea virtus, & exquisitus partium sensus summum morbi, & accessionum vigorem nō expectant. Addit quoque celeritatem corporis habitus, & quæ eum ad vacuationes promptissimum reddunt. Veluti iter calidissimus, iuuenilis ætas, calidior victus ratio, & alia, quæ sunt eiusdem facultatis: ex quibus profecto intelligere licebit, qua hora, & momento crisis expectanda sit. Nam si putetur ventura in ipso vigore accessionis, eo tempore continget crisis, in quo illa vigere solet: nec contemnenda quidem sunt in hac re signa, quæ ex similitudine aliorum ducuntur: quandoquidem certissima coniectura prædicere licebit, vel sudorem, aut vomitum, aut aliam insignem excretionem, & mutationem certis horis venturam, si id in aliis eodem modo affectis accidisse prænouerimus.

Signa pro præcognoscēdo crisis autore.

Illud vero, quod pertinet ad prædictionem eius, quod crisis erit author, nunc tradendum est. Nam quasdam symptomaticas, alias vero naturæ vi fieri crises dicere solemus, tanquam nunc symptomata, morbique vis, alias vero natura ipsa author esse censeatur: Id quod ostendent prædicta indicia. Si enim morbus benignus, mitisque fuerit, illiusque materia facile vinci possit, si valida adest in corpore virtus, ac via patet excretioni accommodata, & ipsa excrementa, quę emittuntur, naturæ victoriam pollicentur, idemque faciunt qualitates, actionesq; corporis, & quæ in aliis euenisse conspeximus, certo præsagiemus naturę beneficio venturam crisim: alioqui præualente vi morbi expectandam symptomaticam huiusmodi mutationem: ac vt omnes quidem bonę notæ naturam authorem fore ipsius crisis, omnia vero mala ipsum morbum, sic sane bona cum malis mixta indicia, mixtum opus ex vtrisque portendunt.

Cap. XXII.

Quæ præmonstrent locum, per quem morbus soluetur.

Locus, per quem morbus, illiusque causæ abeunt in his affectibus, in quibus nulla humorum fit excretio, docendus non est, quippe cum nulla adhibita arte cognoscantur illi in eo loco finiri, in quo consistunt. In quibus vero aliquid excernitur, licet certos locos nonnunquam assignare, veluti in vitiis vteri, quæ per pudenda expurgantur: quemadmodum vesica per canalem vrinarium sese exonerat: & denique in illis partibus, quæ vnicam viam habent, per quam excrementa emittunt, eadem est ratio, idemque locus, qui vacuationi noxiæ materiæ patet: In quibus vero plures sunt viæ, per quas euacuatio tentari potest, veluti cum humores in venis continentur, qui per sanguinis profluuium è naribus, aut venas ani, vel per sudorem, aut vrinam, aut aluum, vel vomitum excerni possint, arte est opus, quæ doceat, quomodo prædicere liceat certum locum, per quem excrementa emittentur: id quod Galenus agnosci posse scribit *libro tertio de Crisibus*, si duo hæc tantum consideraverimus, vnde scilicet naturæ motus, & in quam partem vergat. At hęc præsentibus rebus ab omnibus agnoscuntur. sed dum nondum concitari ab vno loco in alium humores videmus, res artem desiderat, quæ futurum motum præmonstret. Quin & illud dubium est, an naturæ nomine ipsius humoris naturam, aut potius expultricem facultatem intelligere debeamus. Nam bilis, & vapor suapte natura sursum potius feruntur, pituita & humor melancholicus sua grauitate & pondere ad inferiora loca repunt: facit tamen naturæ expultricis momentum, vt illa inferiores meatus, hæc vero superiores sæpius quærant. Quamobrē præstat ex prædictis fontibus, quę in nulla re nobis hactenus defuerunt, signa colligere ad id, quod quærimus, præsagiendum.

Signa loci ex morbi natura.

Nam imprimis natura morbi locum indicabit: Siquidem tertiana febris vt plurimum per sudores, vel vomitum, vel biliosam deiectionem terminatur: quotidiana per vomitum, vrinam, deiectionem & sudores abit. Synochę febres per nares emisso sanguine finiri consueuerunt. *phreniticis discutere solet sudor copiosus*, vel sanguinis profluuium è naribus, rarissime lethargus & peripneumonia profluuio sanguinis soluûtur: Ardentes febres terminat vel sanguis emanans à naribus aut sudor multus, vel vomitus, aut biliosa deiectio: pleuritis rarius, quam ardens febris, sæpius vero, quam lethargus sanguinis excretione per nares discutitur: inflammationes hepatis & lienis sanguinis quoque per eundem locum eruptio tollit: iuuat tamen omnes, quæ circa præcordia cōsistunt inflammationes, sudor bonus: at sudores febribus præsertim ardentibus proprii sunt, semitertianas illi abigunt, pituitosæ, biliosæque deiectiones & vomitus: quartanas vero cum sudoribus atræ, variæque deiectiones: lethargi in parotidas fere terminantur: Aqua inter cutem per vrinam, vel alui excretionem extruditur: Pręsbet & suas notas morbi materia: Etenim bilis flaua, vtpote calida, & leuis superiores extimasque partes vt plurimum petit, per sudoremque digeritur: Atra per aluum fere educitur: Sanguis tenuis, & calidus per nares viam quærit: crassius vero, & feruēs ad venas partium inferiorum potius delabitur: pituita nunquam per sudorem, sæpius per vomitum aut per aluum excernitur: aliquando vero in inferiorum partium articulos decumbit, vt in quotidiana, quartanaque febre, & hydrope euenire videmus.

Ex materia morbi.

Ex loco præterea, subiectoque corpore licet idem prędicere. Nam gibbę hepatis affectus per sanguinis fluxum è nare dextra, per sudores, & vrinas, præsertim si calidi fuerint, expurgari consueuerunt: Alii vero morbi frigidiores, & humidiores illic consistentes per vrinam potius abeunt, aut vomitum: Simæ vero illius partis morbi per ventrem exitum petunt: Costalis morbus per sputum vt plurimum soluitur. Cerebri affectus calidi, & humidi per nares, frigidi vero & humidi ad aures abscedunt, vel in resolutionem alicuius membri terminantur. Præterea quæ dextras partes corporis infestant, cum dextris magis consentiunt, quam cum sinistris & per illas sese exonerant: Veluti hepar per narem

Ex loco subiecto.

dextram potius, quam per sinistram lædentem humorem emittere solet: contrarium vero facit lien, vtpote qui in sinistra parte sit collocatus. Eodem modo cum dextram vteri partem vrget inflammatio, si sanguinis profluuium è naribus speretur, illud per dextram narem expectandum est, si modo naturæ vincentis beneficio vacuatio cõtingat.

Ex ægri natura & corporis conditione.

Est pręterea cõsulenda ægri natura, & corporis conditio, quæ nõ contemnẽdas notas præbebunt: nam his qui podagra infestari consueuerunt, ad articulos decumbere solent humores, qui alios morbos, & potissimum febres pariunt: nimirum cum ita comparatum sit, vt ad partes debiliores, rariores, inferiores, calidiores, & concauas excrementa ferantur. Quæ quidem signa à causis sine quibus non, & cum quibus vacuationes contingunt, ducuntur. At valida natura aptissimum quemque locum etiam distantissimum eligit. Quæ vero infirma est, propinquum quemque capere cogitur.

A causis euacuationẽ efficientibus.

Vnde ex causis efficientibus euacuationem notas capere licebit ad locum designandum, per quem expectatur euacuatio futura: Ad quod quidem genus pertinere illæ vidẽtur, quæ ex ęgri proprietate sumũtur: Sunt enim, qui per aluum, vel sudorem, aut alium peculiarẽ locum se à morbis eisdem liberare solent, conferente ad id certa quadam & occulta proprietate, quæ in aliis eodem modo affectis non reperitur.

A causis iuuantibus & lædentibus.

Ad hæc causæ iuuantes, lædentesque non leuiter conferunt: Quippe quæ iuuant, eo quod sudorẽ moueant, per externas partes solutionem morbi fore portendunt. Quæ vero sudorem arcent, admonent expectandum esse, vt natura per alias vias sese à morbosis humoribus exoneret.

Ab effectibus.

Dant & sua signa effectus morbi: etenim actio læsa peculiariter alicuius membri, ostendit aliquando, quo morbus reiicietur: quod docet vehemens continuusque in febribus synochis capitis dolor, qui sanguinis profluuium per nares prænunciat. Atque eo quidem spectat, quod ab Hippocrate scribitur in Aphorismis, abscessus scilicet in illis partibus expectandos, quæ per morbum plurimum laborarunt; tanquam tristis actio præsagiat, in quem locum abituræ sint morborum causæ, & vna cum illis ipsi morbi.

Sect. 4. aph. 32.

Ex excrementis.

Ad hæc excrementa inter affectus morborum idem hoc modo præmonstrant. Si enim alicuius partis recrementa suppressa fuerint, aut parcius emittantur, docent fore, vt per alias excretio fiat. Sicut vrina suppressa, instante crisi, sudorem, vel copiosam deiectionem, aut vomitum nunciat. Ac illud quoque est, quod alio loco in eo opere scribit Hippocrates, parcius eos mingere, quibus soluta est aluus, & contra minores fieri deiectiones, quando copiosior vrina redditur.

Sect. 4. aph. 83.

Nec solum quidem ex copia excrementorum aliarum partium, sed etiam eorundem qualitate, & loco, quem natura per morbi cursum tentauit, idem præsagiemus: nam hoc modo cum tenues, aquosæque vrinæ in febribus apparent, abscessum circa faciem expectamus: cum vero crassæ minguntur, in articulis, inquit Hippocrates, decumbent humores.

Sect. ead. aph. 74.

Nec illud quidem à ratione alienum est, existimare, per aluum, aut os, aut sudorem, vacuationem futuram, quæ morbum tollat, si antea per eas partes in accessionib. natura sese exonerauit.

Ex qualitatibus corporis.

Possũt & ex qualitatibus corporis notæ quædam sumi: quod cum omnibus constare putem, superfluum est hoc loco addere.

Ex similitudine.

Patent quoque signa, quæ ex similitudine aliorum sumuntur: quippe cum sæpius sudorem aut vomitum expectandum esse in tertianis, aut aliis febribus prænunciemus, eo quod omnes, qui in illis temporibus huiusmodi morbis laborarunt, emissis per eas partes humoribus aut liberati, aut extincti fuerint. Atque hæc quidem prædicta indicia, multo antea quam hæc fiant, Medicum præmonent.

Signa excretionis instantis, & loci per quem sit futura.

Instantes vero iam excretiones, & locum, per quem fiant (de quibus Galenus fere solum agit *in libris de Crisibus*, & *alibi*, aliarũ notis, quæ multo antea eas futuras præmonstrãt, vel omnino prætermissis, vel magna ex parte contemptis) potissimum ex symptomatibus, quæ singulas vacuationes præcedunt, præsagiemus:

Signa futuri profluuii sanguinis ex naribus.

etenim sanguinis profluuiũ per nares in febrib. ardentibus, ceruicis dolor, temporũ grauitas, & tenebræ, vel splendores, qui circa oculos obuersantur, hilaris faciei color, oculi rubicundi, vel lachrymantes, malæ & ipsæ nares rubidæ, pulsus magni ad exteriora potius quam ad interiora: anhelitus difficultas, & si quæ alia sint huius generis symptomata, instare portendunt; idque eo certius fore sperabimus, si absint indicia, quæ vel illius per alias partes eruptionem; aut alias vacuationes significare solent. Quæ vero ex anni tempore, regione, ægrotantis natura morbi conditione, eiusq; causis sumi scribit Gal. indicia, non tam instantẽ, quam aliquãdo venturam sanguinis euacuationem prænunciant. At in mulieribus, lumborum grauitas, tensio, & dolor, mensium eruptionem, in viris autem venarum ani apertionem proximam esse declarent. Si ea (inquam) symptomata morbi naturã, aut accessiones nõ sequãtur, sed indicatoria sint indicia.

Signa instantis vomitus.

Cęterum vomitum non longe abesse indicant totius capitis dolor extensus cum quadam pulsatione, & calore insigni, adiuncta simul grauitate: Stomachi prætereamorsus, & fastidium quoddam, oculorum caligines, vertigines, sputũ multum, & tenue, rigor, partium quæ infra præcordia frigiditas, labri inferioris agitatio, pulsus duri, & magni, præsertim in contractione, & inæquales, maxime si humor sit biliosus, qui ad ventriculum repit. Hæc, inquam, cum morbis accedunt, nuncii sunt iam iam instantis vomitus. Qua in re illud etiam coniecturam confirmat: si quid paulo antea ingestum fuit, nec fuerint signa, quę excretionem per ventrem testentur.

Signa futuri abscessus circa aures.

At abscessum circa aures, cuius generis tumores parotidas vocamus, admonent aduentare somnus grauis, capitis & temporũ grauitas dolorque, faciei rubor cum quadã hilaritate, surditasque statim adueniens.

Signa futuri abscessus in partibus inferioribus.

Sic profecto abscessum ad inferiora grauitates, doloresq; partium earum, in quas abscedere debet humor, præmonstrabunt.

Signa instantis excretionis per sudorem.

Iam vero per sudorem excretionem appropinquare, testantur aluus, & vrina præter rationem suppressa, & rigor, qui suppressionem huiusmodi sequitur, præsertim si vomitus signa non adsunt: delirium in aliquibus pręterea increscente accessione partes exteriores calidiores, & rubidiores; Item vapor quidam calidus, qui antea non aderat; pulsus vndosi, & insigniter molles: hæc enim fere sunt vacuationis, quæ per sudorem paulo post fieri debet, signa.

Signa futuræ excretionis per aluum.

Atqui vacuationem per aluum instare intelligemus, si præter rationem vrina supprimitur, &

aluus

aluus paulo antea liberior fuit, magnique ad sunt A pulsus, præsertim in contractione: idque eo certius intelligemus, si abfuerint vomitus, & sudoris notæ.

Signa futuræ per vrinas.

Contra vero vrinæ profluuium aduentare colligemus, si aluus suppressa est, nec multo antea copiosiorem vrinam reddere cœpit æger, & absunt reliquarum excretionum indicia. Præsentia vero sunt signa, quæ instare crisim admonent. Sic profecto ad horum imitationem prædicere vnicuique licebit alias quascunque vacuationes, & morborum dissolutiones, quæ in singulis ægrotantibus contingere possunt.

CAP. XXIII.

De signis quæ docent, vbi plures sunt morbi, qui prius, & qui post ea finiatur.

B

ILlud superest ex propositis scopis explicandũ, quando plures morbi corpus infestant, quinã primo, qui vero deinceps abibit. de qua re nihil commune omnibus morbis à Galeno scriptum inuenio: & quæ de febribus complicatis scribit *libro secundo de Differ. febrium*, non ab omnibus signorum fontibus sunt ducta, sed quosdam relinquit, à quibus optima signa hauriri liceat: cum tamen ars id postulet, & ille necessariam tractationem ostendat, cum *in libro de Præcognoscendo* referat se sibi magnam gloriam, & famam peperisse, eo quod in Eudemo philosopho tribus quartanis C laborante prædixisset, non solũ, eum media hyeme liberatum iri, sed etiam, quę nam ex illis febribus prius esset abitura. Desiderat ergo res hæc artem, sine qua nemo, quod ad id pertinet, rectè præsagire poterit: quæ quidem non aliunde, quã ex prædictis signorum fontibus petetur. Si enim morbi, qui infestant, ita cõparati sint, vt vnus alterius sit quoquo modo causa, prius soluetur, qui causa est eius, qui ab eo nascitur. Veluti obstructio, quæ febrem committit: priusquam febris ipsa necessario tollitur, cum alioqui manente obstructione febris curari nequeat. Sic mala intemperies in parte exulcerata causa est, quo minus vlcus curari possit: eodem modo sanies, quæ ab vlceribus emanat, causa putatur, sine qua vlcus curari nequit: vnde ea prius auferenda est: deinde sanandum vlcus. Quinetiam ægritudo, quæ vniuersum corpus afficit, causa existit, quę prohibeat eum curari, qui partem aliquam infestat. Veluti febris, quæ dolorẽ capitis excitat, prius abigetur, & remittetur, quam ipse dolor. In quibus quidem licebit prædicere ■ morbi natura præmoniti q; in hac re quærimus. At si neuter alterius sit causa, qui minor est in suo genere, & benignior, citius tolletur, quam qui maior, vel malignior existit. Inter eos enim, qui per crisim desinunt, aut paulatim soluuntur, minores citius semper, quam maiores abeunt. Inter eos vero, qui diuersi sunt generis, maiores nonnunquam maturius, quam minores discutiuntur, veluti febris continua, quę E per crisim soluitur, citius, quam quartana abigitur: quanquam tamen aliter contingere potest, vt tam parui scilicet sint, qui magnas mutationes nõ admittunt, sed paulatim soluuntur, vt minimo negotio recedunt. Sicut diaria, quæ eadem die finitur, & simplex vulnus exiguumq;, quod minimo tẽporis spacio glutinatur, & coalescit: id, quod

Signa ex morbi natura.

nulli contingit ex his, qui per crises mutationes capiunt. Quamobrem ita vt ea singulorum morborum consulenda est, vt intelligamus, quis alterius sit causa, & quis in suo genere, aut diuerso citius propulsari possit. Causæ præterea morborum idem etiam ostendunt: nam quæ difficilius patiuntur, vt crassi, viscidi, multique humores, ostendunt suos morbos post alios abituros, quos contrariæ causæ committunt. Hoc sane pacto, vbi quotidiana, tertianaq; hominem affligit, ductis indiciis ex materia ipsarum febrium, pronunciamus, tertianam ante quotidianã desituram, quod illam biliosus humor, tenuis, calidus, & acris, qui facile mutatur, & expellitur; hanc pituitosus, crassus, & viscidus ad patiendũ ineptus pariat. Quinetiam maiores, maligniores que causæ in salutaribus malis ostendunt, suos morbos tardius ad finem venturos his, quos minores benignioresq; efficiunt. Præbet quoq; suas notas subiecta materia. nã in parte nobili, rara, natiuo calido abundãte, sensu exquisito prædita, quę atq; meatus habet idoneos ad noxiam materiam emittendam, & in corporis loco sita est, vt facile remediorum vim admittat, qui nascuntur morbi, promptius tolluntur, quam qui alias alter affectas infestant, etsi in hoc etiam nonnunquam aliter contingit. Nam pars obtusiore sensu prædita cum vulnerata est, citius sua mala deponit, quam quæ cum exquisitiore est ferita, propterea scilicet, quod illa remedia statim admittat qualia affectus ipse postulat: hęc vero mitiora exigit, quæ longiore tempore morbis medentur. Proinde spectare hic etiam necesse est, qui nam morbi promptius in vna parte, quam alia desinant: & quæ pariter tenacius conceptas ægritudines retineant, aut deponant, id quod pariter de vniuerso corpore intelligendum esse admoneo: siquidem in cacochymis habitibus, perperamque affectis corporibus, & his præterea, quæ bene habent, quædam mala minore negotio, quam alia tolluntur & sanantur: itaque quędam in raris quædam in densis, quędam in duris, quædam in mollioribus, quædam in crassis, aliæ in gracilioribus ægritudines citius aliis recedunt. Quæ corporum differentiæ à Medico ignorandę non sunt, qui, quod ars in hac re prætermittit, assequi D studeat. Cæterum vires corporis causæ sunt cum quibus, & sine quibus non, morbi propelluntur: quæ & in hoc negotio suas conferunt notas: vnde cũ validæ subsunt facultates, quæ morbum vnum vincere debent, aliæ autem infirmæ, quæ circa alium versantur, non immerito prænunciabimus hunc, cui deest robur facultatis, longiorem fore alio, cui illud abunde suppetit, Veluti cum affligunt morbi, quorum vnus alteratione, & concoctione vincitur, alius expultricis munus desiderat, prius soluetur ille qui validiori vi subiicitur alio, cui reluctatur infirmior facultas.

Ex causis.

Ex subiecta materia.

Cur parte obtusiore sensu prædita vulnerata citius sanetur, quã alia.

Ex causis cum & sine quibus non.

Porro à causis iuuantibus & lædentibus hoc modo signa sumimus: nam morbi, quibus prosunt minima quæq; remedia, & omnia vel plurima; pauca vero obsunt antea quam alii, quibus pauca, aut non nisi maxima auxilia conferunt, multa autem nocent, recedunt.

A causis iuuantibus & lædentibus.

Faciunt præterea morbi partes ad id prædicẽdum etenim ægritudines, quæ longiores accessiones habent & eadem hora inuadentes, nõ increscentes, quæque mali sunt moris, longiores,

Ex morbi partibus.

maiores, & tertio vel quarto quoq; die repetunt, & tarde deniq; mouentur, suasq; partes difficile assequuntur, longiores aliis euadunt: vnde optime Galenus *lib. 2. de differ. febr.* ad hunc modum scribit: *vtra vero febris diuturna sit, prius ex ipsius specie, tum ex ipsius accessionis longitudine, magnitudine, more, motu, circuituum repetitione, anticipatione & tardatione coniectari oportet.* Ad hæc symptomata ipsa, quæ morbos illorumque causas sequuntur, monstrabunt idem, quod morbi ipsi & morbosæ causæ: nam actiones parum læsæ, parumque mutatæ qualitates & excrementa, quæ ab eo gignuntur, pauca, concocta & per commodissimos locos emanantia, prænunciant, huiusmodi morbum breuiorem fore aliis, quæ contrario modo se habent.

Ex symptomatibus.

Postremo absurdum non fuerit credere, vbi plura vrgent mala, promptius illud abiturū, quod in aliis eodem morbo laborantibus prius recessisse nouimus. Sic profecto in his, quos Gallicus morbus infestat, prædicimus pustulas, quæ circa faciem oriri solent, citius, quam dolores, quæ scapulas artusque torquent, abituras, quoniam scilicet in aliis ita contingere nouimus, nulla re alia persuasi, quam ex similitudine petitis indiciis.

Ex similitudine.

Atque hæc quidem de signis Medico necessariis sufficere arbitror; quæ si quis diligenter euoluat & perspiciat, quid ab aliis de hac re sit traditum, intelliges profecto, quantum à nobis sit laboratum: & si quid præterea desiderari posse videbitur, expositis principiis & rerum fontibus, ex quib. omnia ducuntur, facile vnusquisq; veritatis studiosus inuenire poterit. Nobis enim satis est, artem huius rei excogitasse, &, vt puto, inuenisse, qua studiosos ad ea, quæ supersunt, perficienda inuitaremus.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE VRINIS LIBER.

CAP. I.

De vtilitate huius operis.

TRACTATIONEM de Vrinis vtilissimam esse in dignoscendis corporis malis, non solum Medici agnoscunt, sed etiam alii omnes dignotionem, quæ ab ipsis sumitur, talem sibi esse persuaserunt, vt nullam aliā putent vtiliorem aut communiorem. Credunt ii ex vrina non solum internos, verum etiam externos affectus omnes deriuari posse, quod quam falsum sit, postea ostendemus, magnum tamen illius esse vsum nemo negare potest. Quo quidem moti omnes Medici antiqui & recentiores aliquid de vrinis scripserunt. Nam Hippocr. contempta prorsus tractatione de pulsibus, de vrinis multa sparsim scripsit: idem fecit Galenus; sed neuter eorum tentauit rem hanc methodo explicare: id quod postea Auicēna & Actuarius, & hic inter omnes maxime, conati sunt facere. Verum Auicenna, vt alia omnia, sic & illa, quæ ad vrinas pertinent, non vt auctor, sed vt Galeni interpres, collectis ex eo scriptore plurimis locis, nobis tradidit: Actuarius vero, dū fabulosa multa scribit, & Oratorum more extollit suum opus, & hanc materiam vt vtilem & magni vsus, minus probabilem reddit. Post hos multi alii Medici ex nostris Latinis eandem rem sunt aggressi; sed cum antiquiores alios ita sequuntur, vt nullius rei auctores esse velint, ideo vera principia ab illis sumi nequeunt; vnum tamen excipio Montanum Veronensem nostra hac ætate celeberrimum, qui (vt in aliis solet) ita in libello, quem de Vrinis scripsit, de suo multa affert. Sed ille dum nititur materiam hanc aliter explicare, quam alii, & in eo sibi placere, principia quædam ponit, quæ à veritate sunt aliena. Ego vero aliorum labore adiutus, eandem rem tractare aggredior, & peracto hoc opere quilibet Medicus doctus & bonus agnoscet, quantum ornamenti meo labore ei attulerim. Ac vt disputatio nostra methodo constet, primum docebimus, quid sit vrina, ex qua via gignatur, in quo loco, ex qua concoctione fiat, quæ sint partes ad illius generationem, collectionem, & emissionem natæ, & destinatæ; quem denique vsum habeant, & qualem naturam: Secundo loco vrinæ differentias omnes: Tertio causas omnium differentiarum explanabimus: Quarto, quid possit ipsa vrina, & singulæ ipsius differentiæ ostendere, trademus. Postremo, quid obseruare oporteat Medicum, vt recte de vrinis iudicet. His ita explicatis, putabo me meo officio functum. Porro vt de generatione primum agamus, videndum, quid de ea senserint auctores.

CAP. II.

De Generatione Vrinæ.

OMnes auctores vno consensu fatentur, vrinam esse excrementum: id quod manifeste apparet, nam quotidie à nostro corpore tanquā res inutilis excernitur: ideo excrementum dicitur. De natura & ortu huius excrementi, nullus post Galenum recte scripsit. Nam Actuarius ponit, vnam fieri coctionem in ventriculo, alteram in hepate, tertiam in vena caua, quartam in habitu corporis: vrinam autem esse excrementū huius coctionis, quæ fit in vena caua. Verum ille errat. Primo, quod non doceat, ex qua materia fiat hoc excrementum: deinde quod non docere possit, fieri aliquam concoctionem in vena caua; nam cum venæ eiusdem sint naturæ, cur magis in illa, quam in aliis venis fieri coctionem

Opinio Actuarii de ortu & generatione vrinæ refutatur.

nem dicemus? Essent ergo non solum quatuor coctiones, sed propemodum infinitæ. Tradit præterea Gal. *lib.* 3. *Meth.* in omni coctione alimenti resultare duo genera excrementorum, vnum crassius, alterum tenuius, & merito quidem: nam cum in rerum consistentia recipiantur solum tria, vnum, quod est mediocre, aliud tenue, aliud crassum; quod est mediocre, assimilatur naturæ, quæ vt ex contrariis ad mediocritatem peruenit, sic mediocri solum potest nutriri & conseruari; reliqua vero duo fiunt necessario inutilia. Quare duo necessario, & non plura, relinquuntur ex omni coctione excrementa, crassum vnum, tenue alterum; quod in coctione appareat, quæ fit in singulis partibus, in qua sordes fit, quæ camisias tingit, & est crassum excrementum; alterum est vapor, qui per insensibilem transpirationem transpirat, & est tenuius; cuius odore permoti canes dominos suos sequuntur, & agnoscunt, & inimicos prosequuntur, ferasque venantur. Miscetur vapor ille cum aëre, & vna cum eo per transpirationem trahitur in corporibus: & vt peculiaris cuiusq; est natura, ita differunt inter se hæc excrementa. Eodem pacto in concoctione, quæ obitur in hepate, resultat humor melancholicus, crassum excrementum, & bilis flaua, tenue: in ea vero, quæ fit in ventriculo, apparet crassum excrementum, scil. stercus, quod ad intestina descendit. Quod si dicamus, vrinam sanguinis & concoctionis, in qua sanguis gignitur, esse excrementum; tria essent illius coctionis excrementa, & vnicum eius coctionis, quæ fit in ventriculo: quod si vna sit coctio in vena caua, præter illam, quæ fit in hepate, ostendere oporteret, quidnam sit illius excrementum.

Opinio Galeni.

Quot excrementa ex qualibet coctione resultent.

Excrementa concoctionis hepatis.

Cæterum Montanus in similem aut etiam maiorem errorem incidit, tria enim solum ponit esse excrementa in corpore, & tres concoctiones: quod Gal. & his, quæ apparent in nostro corpore, repugnat, dum singulis coctionibus singulum tribuit excrementum, deinde imaginatur, coctionem sanguinis, quæ fit in hepate, habere multos gradus perfectionis inter se differentes. Incipere enim sanguinis generationem in mesaraicis, qui in summa parte hepatis postea veram formam sumit; vbi scribit duo gigni excrementa, bilem vtramque, postremo ipsum sanguinem perfectiorem gradum coctionis in gibba hepatis parte capere, & tunc gigni serosum excrementum, quod colore rubrum esse dicit, & illud expelli extra venas, & à renibus trahi concoquique, & ex parte tenui ali renes, & post nutritionem expelli meram aquositatem, quæ purum est excrementum, quod est quartum & vltimum excrementum, cum bilis flaua & melancholicus humor sint nutrimenta illa folliculi, vt vocant, fellis; hic vero lienis: quibus positis statuit, vrinam renum esse excrementum, quod est quartum & vltimum excrementum in secunda coctione sanguinis genitum. Qua quidem in re plures sunt errores, quam verba: quos facile est refellere, quia sese mutuo expellunt, nam tres tantum posuit fieri ante coctiones: nunc autem ponit aliam fieri in renibus, & huius excrementum esse vrinam, quam statuit pariter esse excrementum coctionis, quæ fit in gibba hepatis & vena caua. Erit igitur excrementum multarum coctionum. Absurdum præterea est (vt alibi ostendemus) in mesaraicis, aut aliis venis sanguinem fieri, quandoquidem partes albæ nequeunt materiam, quam tangunt, mutare in colorem rubrum. Quinetiam illud explodendum penitus, in eadem coctione fieri plura excrementa, per maiorem aut minorem conlaborationem: nam excrementa non fiunt in omni gradu actionis, sed actione iam perfecta apparet, quod est inutile & excrementum: alioqui cur non ponit fieri plura excrementa in aliis coctionibus? Sed dicat Montanus, quibus signis cognouerit serosum excrementum, quod à renibus trahitur, primo rubrum esse; an forte quod renes nequeunt nutriri sine sanguine? id quod est verum: Sed sanguis, quo illi nutriuntur, non trahitur forte per eas venas, per quas elicitur vrina, aut non eodem tempore; expelli quidem illum serosum humorem ab hepate vel venis, verum non est, sed à renibus trahitur, nec in eo renes aliquā concoctionē tentant, (fierent enim cū ea concoctione certa excrementa, quod non fit,) sed in solo sanguine, quem nutritionis gratia attrahunt, ex cuius concoctione non alia proueniunt excrementa, quam sordes & vapor. Hæc enim partium omnium excrementa sunt, cum sibi nutrimentum parant. Quæ vero diximus esse concoctionis ventriculi, & hepatis excrementa, sequūtur publicam concoctionem institutam à natura ad totius animalis alimoniam. Illud vero quis ferat, partem aliquam nutriri bile flaua, vel humore melancholico? Nam si omnes partes constent ex quatuor humoribus, constat ex vnico non posse fieri nutritionem. Ergo vrina non gignitur in hepate aut venis, nec est excrementum illarum partium vel renum, sed concoctionis, quæ fit in ventriculo: & sic non ex alia materia, quam ex potu & quæ potionis vim habent. Ad id enim pertinet, quod scribit Galenus, nos paulo minus mingere, quam bibamus: tanquam materia vrinæ sit potio: nam parum illud, quod facit vrinam pauciorem esse potu, manet cum aliis humoribus commixtum, & cum illis fertur per vniuersum corpus, vt per omnes corporis meatus possint illi transire: & id est, quod in sanguine à vena extracto supernatat: docet id color ventriculi: potus enim mutatione sui coloris, quem à ventriculo accipit, vrina fit. Testatur idem Galenus *lib.* 4. *de vsu partium*, duo, inquam, resultare in epate excrementa, humorem melancholicum, & bilem: aquam vero hanc, & aquosum humorem excrementum nutrimenti ventriculi esse dicit, & ita ab Hipp. vocari: & factum esse, vt ex ventriculo in venas, & ab illis ad hepar chylus transire possit ex cibis in ventriculo factus. Itaq; si ex ventriculo dicit illud ferri per venas & hepar, constat non in hepate aut venis gigni, sed genitum fuisse in ventriculo ex potu. Est ergo illud tenendum, *vrinam gigni in ventriculo, non tamen vrinæ nomen capere, donec à sanguine separetur à renibus*, qui ex naturali proprietate vim habent attrahendi illam, tanquam aliquid sibi familiare, quam postea per vreteres, id est, vrinarios meatus, ad vesicam transmittunt. Nam excrementa excrementi nomen non habent interim, dum sunt confusa cum aliis humoribus. Sic bilem vtramque, quæ cum sanguine & pituita est in venis, & ipsam pituitam, humores vocamus. Excrementum vero est, quod ex illis separatum est à massa sanguinis. Quæ ergo non separatur ex-

Opinio Montani.

Eius refutatio.

Excrementa quando fiant.

Serosum humorem ab epate vel venis non expelli, sed a renibus trahi.

Nullam partem nutriri bile flaua vel humore melancholico.

Vrina cuius coctionis sit excrementum.

Vrina vbi fiat, & unde incipiat vrina vocari.

crementum hoc statim post concoctionem ventriculi, sed post eam, quæ fit in hepate, ideo putarunt alii, in hepatis cócoctione gigni. Quod quidem verum non est; sed, vt diximus, fit in ventriculo, & post concoctionem sanguinis perfectam in hepate separatur: & quod prius aqua, aquosumq; excrementum dicebatur, vrinæ nomen accipit, seruatur igitur res eadem, & mutatur nomen.

Vrina cur à renibus attrahatur.

Sed antequam vlterius progrediamur, illud expendendum est, quod diximus, renes naturali quadam proprietate serosum attrahere humorem, & attractum expellere. Nam Galenus *in libro de natura ossium* probat, fieri attractionem, vt id, quod attrahitur, retineatur; idem retineri, vt concoquatur & assimiletur; facta autem concoctione & assimilatione, quod dissimile est relictum excrementum expellatur: adeo vt attractionis finis sit retentio, huius vero concoctio. Dicendum igitur erit, vrinam attrahi à renibus vt retineatur: At si retinebitur, retinebitur ne vt concoquatur & assimiletur? At si hoc fit, fateri cogimur ex seroso humore nutriri renes, quod absurdum agnoscitur. At dicendum est, ea, quæ scribit Galenus de fine illarum actionum, intelligi solum de iis rebus, quæ nutriri possunt? Aliam vero esse attractionis rationem in his, quæ attrahuntur ob solam familiaritatem qualitatum. In illis enim multa fieri attractione ob retentionem, sed naturæ prouidentia, quę attractionem instituit, vt separatio fiat rei inutilis ab vtili, & inutilis fiat expulsio, ne corpus ab ea lædatur. An dicemus etiam fieri quandam breuem retentionem & fruitionem in ea rei gratæ, cuius ratione mouebantur renes, vt attrahant? Quid prohibet etiam, quo minus dicamus, cum seroso humore attrahi etiam aliquid ex tota massa, ex quo renes ipsi nutriuntur; & illud retineri, concoqui, & sua apparere excrementa, vrinam vero ipsam nequaquam retineri, vbi enim in renibus asseruari posset? conueniens enim non est, vt quod purum iam est excrementum, diu retineatur in aliqua parte, etsi de naturæ lege quædam partes sunt institutæ ad illius attractionem, collectionem, & transmissionem. Trahi autem à renibus, pręter serosum humorem aliquid ex tota massa, ex eo constat, quod illos nutriri oportet ex quatuor humoribus, & quod vrina tingatur colore subpallido, & habeat contenta, quæ quidem bilis & pituitæ mistionem ostendunt. Nec absurdum est, aliquid humoris melancholici etiam misceri, etsi ille ob sui paucitatem euidentem nó præbet mistionis notam: minimum enim est aliorum proportione humoris melancholici in corpore, & ex eo, quod attrahitur à renibus minimum relinquitur; nimirum quod renes suapte natura crassi & duri melancholico sanguine, ex quo solo crassities conciliatur in alimento, vt Galenus testatur *septimo Meth.* egeant ad sui nutritionem: Quibus quidem ita declaratis, licebit definire: Vrinam esse *excrementum tenue & aquosum ex potu genitum in concoctione, quæ fit in ventriculo, & perfecta concoctione hepatis separatum à sanguine renum, & receptum in vesica*: nam per sudorem vacuatur etiam aquosus hic humor, nec non per aluum, & iecta vena cum sanguine ducitur, sed vrina non vocatur, quia per renes non trahitur, nec recipitur in vesicam. Vacuantur etiam per renes & in vesicam recipiuntur lapilli, arenulæ, sanguinis grumi, pili, & multa alia, quæ vrina non dicuntur, quia non sunt de natura aquosi humoris, sed in vrina dicuntur cótineri, quia cum illa exeunt.

Renum alimentum qualenam sit & quomodo ab ipsis attrahatur.

Vrina quid?

Vrinæ excretio quos habeat vsus.

Vrinæ excretio non solum habet hunc vsum, quod corpus sanguine purget, sed etiam quod indicium sit latentium in corpore morborum multorum, & quod pituitam, pus, lapillos, & alias sordes hærentes in viis & partibus, per quas illa transit, abstergat. Hæc de ipso liquore, & generatione, causis & vsu ipsius vrinæ nunc sufficiant.

CAP. III.

De Vrinarum differentiis.

VRinæ differentias quasdam dicemus esse præcipuas maxime, alias vero minus. Illas ita vocamus, quæ sumuntur ab iis, quæ in vrina apparent; has vero, quæ à causis, effectis, & mingendi modo differunt: quæ etsi immediate non conferunt ad indicandum de vrina, tamen illius naturam & patefaciunt, & vna cum illa corporis affectus produnt. Porro in vrina apparent consistentiæ, vrinæ qualitas, quantitas & contenta. In consistétia hæ inueniuntur differentiæ, q̃ vna sit crassa, alia tenuis, alia mediocris: Tenuē rursus vrinā Gal. & Actuarius ita diuidunt, quod quædam sit, quæ tenuis mingitur, & postea talis manet: alia vero, quæ tenuis mingitur, sed crassa postea euadit, idque vel statim vel longiore interposito tempore. Sic inter crassas, quasdam dicunt esse, quæ tales minguntur, & tales manent postea; alias vero, quæ crassæ minguntur, & postea attenuantur, & tum has, tum illas omnes tenues & crassas aliquid peculiare in cruditate & concoctione ostēdere. Quarū auctoritate commotus Montanus, corruptas vrinas antequam ad ignem reciperent, quam prius habebant naturam, inspicere solebat. Quod mihi sæpe cum Patauii vna cum ipso ægrotos communi opera inuiserem, risum mouit: nam quid ostendere possunt tales vrinæ corruptæ à frigore vel à calore externo? quandoquidem videmus, omnes vrinas & tenues, & crassas, & albas, & pallidas, & alias quascunque, tandem ita corrumpi, crassescere, perturbari, & confundi. Quæ crassæ sunt, cum deposita parte, ex qua fiebat crassities in liquore vrinæ tenues redduntur, ostendunt certe, quod illi authores scribunt: At tenues crassæ nunquam fiunt extra corpus, ita vt aliquid assumant materiæ crassæ, quæ aliquid de corpore possit ostendere. Id quod ostenditur, quia postquam excalefactæ fuerunt, claræ euadunt, & recipiunt eandem consistentiam, & eas qualitates, quas habebant, cum à corpore exierunt. Fiunt ergo vrinæ tenues in aëre, non crassæ re vera, sed opacæ & confusæ; & si crassæ fiunt, fiunt ob mistionem, sed ob concretionem; quæ cum puram habeat causam ab aëre ambiente, qui calorem & spiritus vrinæ extinguit frigiditate, aut calore dissoluit, (qua ratione in tempore admodū frigido vel calido facillime ita vrinæ corrumpūtur) nihil potest de dispositionib. corporis nostri significare. Quare crassities illa & cōfusio non faciet differentiā in vrinæ cōsistentia, sed in qualitatib. visibilibus, in quib. opacitas & perspicuitas.

Quæ in vrinis appareant. Differentiæ in consistentia.

Vrinas tenues in aere non fieri re vera crassas, sed opacas & confusas, in concretione vero etiam fieri crassas.

cuitas inspicitur. Et hæc de differentiis, quæ à consistentia sumuntur.

Differentiæ in qualitatibus. Cæterum differentias in vrinis ducemus in qualitatib. primis, secundis & tertiis. In primis quidem: nam aliæ sunt vrinæ admodum calidæ & fervientes, quę tales apparent non solum ęgrotis cum minguntur, sed etiam Medicis, cum tanguntur in vase vrinario: Aliæ sunt temperatæ: aliæ vero minus calidæ, quam mediocris vrina requirat. Secundæ qualitates quædam pertinent ad visum; aliæ ad gustum; aliæ ad odoratum; aliæ etiam ad tactum. Ad visum quidem pertinet, quod dicitur diaphanon, siue perspicuum, & illius oppositum opacum, & quædam sunt vrinę opacæ, quædam perspicuæ. Quæ differentiæ, vt recte docet Auicenna non solum in vrinis, sed in aliis reb. crassis & tenuibus apparent. Nam vitrũ fusum & cornu, crassa sunt & perspicua: sic albumen oui & gluten piscium. Aqua vero turbida tenuior quidem supradictis reb. sed tamen opaca. Sic inter vrinas subiugales sunt crassæ & opacæ; & quæ corruptæ sunt ab aere externo, opacæ sũt & crassæ ex concretione: & non raro repetiuntur tenues & opacæ, vt in iis, qui morti sunt propinqui; & crassæ & perspicuæ, vt in febribus ardentibus & biliosis. Quæ ducuntur differentiæ à *A coloribus.* colorib. hæ sunt: quod quædã sint vrinæ albæ, aliæ nigrę, aliæ, q̃ medios habẽt colores inter albũ & nigrum: & in his quædam etiam differentiæ ducuntur, nam quędam sunt intensæ albedinis, aliæ vero non intensæ: Albedinis intensæ sunt crystallina, aquea, & niuea, quod crystalli, niuis & aquæ colorem referant; remissæ albedinis dicuntur lactea, quæ seri lactis, glauca, quæ cornu albi; charopa, quæ pili subalbi cameli colorem ęmulantur. Nigræ vrinæ carbonis extincti colorem exprimunt, nec magnas recipiunt differentias, sed exiguas admodum magis, & minus, quas quilibet agnoscit. Sequuntur differentię sumptę ab intermediis coloribus progrediendo ab albis ad nigras vrinas. Primũ occurrit subpallida, quæ palearis dicitur, quod colorem referat paleæ tritici, quam sequitur pallida, quæ citrina dicitur, vt in cortice mali citrii apparet. Succedit deinde sub rufa, qui color est auri non puri: & talis vrina dicitur esse hominis bene sani. Rufa, quam Græci πυῤῥὸν, id est, igneam, quod ignis flammam forte repræsentet, quæ & aurea dicitur, colorem puri auri indicat. Subflaua, quæ & subcrocea, qualis fit dissolutis floribus carthami in aqua. Hanc sequitur flaua, quæ & crocea dicitur: quem colorem ostendit aqua, in qua flores croci sunt dissoluti, hanc Græci ξανθὸν vocant. Succedit deinde vrina rubra, quam Græci ἐρυθρὸν appellant, cuius multæ sunt species; nam quædam est rubra ad albedinem declinãs, vt in cerasis male maturis, & in quibusdam maturis conspicitur; alia est rosea, alia est purpurea, vt purpura vulgo scarlata dicta; & talis color est rubens vuarum; Alia est rubea obscura, quæ Veneta & bruna vocatur, ex albo & nigro æqualiter mistis facta. Vinea & passa videntur esse differentiæ purpuræ; aut purpuream sequi statim ante Venetam: est enim vinea, quæ rubei vini vel iecoris colorem ostendit. passea vero, quæ similis est in colore passæ, & sapę facta ex vuis nigris: viridis colorem brassicę exprimit aut smaragdi aut graminis: liuida, vt est color plumbi. Oleaceam vrinam scribit Gal. 7. tertii lib. Epid. vario modo ab antiquis intellectã ipse ita eam vocat, quæ colorem & consistentiã olei refert. Has vrinas claudit in alio extremo, vt diximus, nigra.

A contentis. Cæterum differentiæ, quæ à contentis sumũtur in vrina, ita diuidentur, vt quædam dicantur in suprema parte vrinæ superficiem constituere. Superficiem constituit id, quod dicitur à practicis corona siue circulus, qui capit differentias in colore, consistentia & quantitate. Supernatant pinguedo, bullæ, spuma: innatant eneorema, nubecula, & quæ pilorum & filamentorum figuram retinent. Subsident hypostasis seu sedimentum, sabulum, quæ & arena dicitur, lapis, pus, grumi, & cætera, quæ fundum petunt. Capiunt prędicta etiam differentias in quantitate, consistentia, qualitate, vt color, figura: nam nubecula, eneorema & hypostasis aliquando sunt magnæ, aliquando sunt paruæ, aliquando crassæ, tenues aliquando, aliquando diuulsæ, aliquando vnitæ, aliquando læues, asperæ, æquales, inæquales, rotundæ, oblongæ, pyramidales, alia figura præditæ, aliquando albæ vel alio colore tinctæ.

Ab odore. Cæterum à qualitatibus, quæ odore percipiuntur, sumuntur etiam vtiles differentiæ: quædam enim bene, vt vrina sanorum; quædam male olent. vt inter has diuersarum rerum male olentium quædam plus vel minus odorem repræsentant. Quod si medicus non esset vir egregius & nobilis, vt debet esse, qui hoc nomine dignus est, posset ex vario sapore, qui in vrinis est, differentias colligere, sed ea reiiciamus, ne artem nobilissimam sordidam reddamus. *Vrinam medico non esse gustandam.* Cum vero dicimus aliquando, vrinam este acrem & mordacem, & talem sentiri, cum mingitur, aliam vero sine mordacitate esse; differentias capimus à tertiis qualitatibus.

A quantitate. A quantitate vero sumimus differentias: vel enim non redditur vrina, & penitus supprimitur, aut certe minus, quam oporteat, aut mediocris est illius quantitas, aut multa adeo, vt mediocritatem & potus quantitatem excedat.

Cæterum, cum dicimus quasdam vrinas à bile, alias ab humore melancholico, alias ab alia materia mutari: quasdam præterea à somno, alias à vigilia, alias à morbis, alias ab aliis causis differentias ducimus. Iam vero cum dicimus, vrinas quasdam salutem adferrę, & significare, alias mortem, nonnullas ventriculum affectum, alias caput, hepar, cor, venas, læsas, vel sanas partes ostendere; ab eo, quod possunt facere, & quodã modo ab affectis, differentias ducimus. Ex mingendi vero modo differentias quoq; statuimus; cum dicimus, quasdam emitti facile, alias difficile, alias voluntarie; inuoluntarie, alias cum dolore aut absque dolore excerni: nam etsi proprie ad ipsam vrinam non pertinent hæ differentiæ tamen conferunt ad sedes affectas & causas affectuum dignoscendas. Sed hæc sufficiant de differentiis vrinarum.

CAP. IV.

De Vrinarum causis.

Causas vrinæ, quæ in ea appareant, sigillatim explicare oportet, quoniam diuersæ sunt causæ. Quod si vrinæ ipsius causas videamur satis explicasse, cum illius generationem & naturam explicaremus; verum quia docen-

di ratio expostulat, vt de caussis vrinæ primo agamus, in qua aliarum omnium rerum, quas in vrina esse diximus, natura posita est, ideo non pigebit easdem breuiter repetere.

Caussa materialis.

Vrinæ igitur materia est quicquid in aquosum humorem verti potest, & potissimum quidem potus: sed is non solus, quia ex iusculis aquosis & ex fructibus similib. vrina plurima etiam gignitur, nec non ex vniuersa massa fusa, attenuata & liquata exprimitur eliciturque aquosus humor & vrina.

Medicamenta diuretica quomodo prouocent vrinam.

Quo pacto diuretica medicaměta prouocare vrinā dicūtur, *quia scilicet materiam ex vniuersis humoribus veluti deprimāt, aut saltem aquosum humorem naturæ prouidentia relictum ad illorum ventriculum separent & ad renes vesicamque conuertant.*

Caussa efficiens.

Caussa vero efficiens huius aquosi humoris est concoctrix facultas ipsius ventriculi, qui potionem & alia aquosa, quæ sumuntur, emittat in album colorem, qualis est ventriculi color.

A quonam serosus humor separetur.

Locus autem, in quo gignitur, ventriculus est: à quo vero separatur aquosus hic humor, est caua vena, locus vero, in quo recipitur, vesica est: instrumenta, per quæ fit separatio, sunt renes: finis, nostri conseruatio. Separatur enim serosus hic humor ab vniuersa humorum massa, vt probe nutriri possit vniuersum corpus.

Cap. V.

De caussis consistentiæ vrinæ.

Consistentiæ vrinarum caussas generatim non tradunt auctores nostri, aut certe ita docent, vt intelligere non liceat, quæ sit immediata caussa tenuitatis, crassitudinis, mediocritatisq; illarum. Dicunt enim tenuem indicare vel priuationem coctionis, aut obstructionem in venis, aut debilitatem hepatis, aut meatuum, qui ad vrinam sunt destinati, & ob debilitatem non attrahunt, nisi quod tenue est; aut si attrahunt, nō tamen reiiciunt, nisi quod tenue est: aut multā aquę potationē, aut vehementē frigiditatē cū siccitate caussam esse dicunt: hæc Auicenna. Verum, licet adhuc dubitare; quomodo priuatio coctionis, aut obstructio, aut aliæ prædictæ caussæ consistentiam mutent; an scilicet per se id faciant, an vero per accidens alio interueniente.

Vrinas sua natura semper esse tenues & quomodo fiant crassæ.

Ego vero arbitror vrinas semper suapte natura tenues esse, fieri autem crassas aliorum humorum permixtione: nam aquosus humor, sicut & aqua, per coctionem solam inspissari crassescereque nequit, quoniam terrenam substantiam non habet, aut certe exiguam. Nam à frigido nihil in corpore nostro, aut certe non vrina concrescere & crassescere potest.

Vrinæ cur morbo adhuc crudo mingantur tenues.

Igitur quod crudo adhuc morbo aut cibo tenues mingātur, cruditas per se nō est caussa, sed *quoniā expurgationes separationesque humorum & excrementorū, non fiunt, nisi perfectis coctionibus*, ideo fit, vt cruditas dicatur esse caussa tenuitatis, concoctio vero crassitudinis.

Quæ sint aliæ vrinæ tenuis caussæ.

Eodem pacto obstructiones meatuum vrinariorum tenuitatis sunt caussa, quod prohibeant ferri cum vrina, quod crassitudinis illarum caussa est. Debilitatio vero hepatis caussa est tenuitatis, quia concoqui non possunt humores, præsertim si à frigiditate labefactetur concoctio. Eadem ratione cibi potusque immoderata copia tenues reddit vrinas, quod scilicet naturam grauet, & coctionem perfecte fieri impediat, quomodo frigidos affectus ventriculi ex vrina etiam prædicimus, quoniam si frigiditas est in ventriculo, concoctio, quæ illic elaboratur, nequaquam perfici potest. Ea vero frustrata nequit probe fieri, quæ in hepate exercetur. *Ergo constat, crassas fieri vrinas ex humorum permixtione; tenues vero emitti, quoniam nihil cum aquoso illo excremento crassioris humoris permiscetur.* Quis vero humor misceri possit, qui crassitudinem faciat, videndum est. Potest quilibet ex quatuor humoribus, ex quibus corpus constat, sanguis, bilis vtraque & pituita, nec non aliquando pus, in iis videlicet, in quibus vlcus est in aliquibus partibus ad vrinam reddendam destinatis, ac ex colore & odore quisnam sit, facile dignoscitur. Nam quatuor humores propriis coloribus distinguuntur: Pus vero à pituita odore separatur, consistentia, & aliis: de quibus vt hic agamus, non est nostri instituti. Non mirum igitur, si morbi initio tenues mingantur vrinæ: nam tunc cruda omnia sunt, nec aliquid à natura expellitur. Aut si crassæ tunc apparent, vel indicant, magnam subesse humorum copiam, quam natura nec retinere nec elaborare potest: aut humorem declarant, qui facile aliqua ex parte vinci & secerni potest, quomodo in tertianis crassæ rubræque vrinæ, primis diebus apparentes ex bile crassitudinem adeptę & in pituitosis morbis, vbi magna est pituitæ copia, crassissimæ pituitosæque redduntur vrinæ. Vbi vero hæc duo absunt, primo tenues, postea augescente morbo aliquando crassitiem acquirunt, & eam mediocrem iam in vigore, maximam in declinatione: quanto enim magis procedit concoctio, tanto magis excernuntur humores; qui cum vrina misceri debent: Iam vero tuente morbo ad finem & declinationem, & properante ad salutem, tenues fieri incipiunt, quando deficit humor, qui cum vrina miscebatur, crassitudinisque erat caussa. Eodem pacto cum cibus adhuc crudus est in ventriculo & hepate, tenues minguntur vrinæ, crassiores vero, cum perfecta est concoctio. Quod si quis insistente iam tempore edendi, rursus mingat, vacuata iam bile inspiciet vrinam attenuatam esse.

Vrinæ in morbis semper manentes tenues quid significent.

Ergo vrinæ, quæ semper tenues manent in morbis, caussam habent perpetuā cruditatem vel ratione imbecillitatis naturæ, vel ob ineptitudinem materiæ, quæ concoctionem non admittit, qua frustrata, nihil secerni potest excrementi, quod cum vrina mixtam crassitudinem faciat. Contingit etiam aliquando concoctionem quidem fieri per generationem materiæ, quæ cum vrina misceri potest; sed quia alio conuertitur, quam ad vrinæ vias, ideo tenues minguntur vrinæ, vt in iis contingit, qui pleuritide laborant, vel podagra, aut alio morbo, qui vim habet alliciendi humores ad partem affectam, & quæ minguntur tenues ob frustratam concoctionem in febribus, lethalem morbum ostendunt in febribus acutis, si diu tales perseuerent: neque enim natura tam vehementem calorem & putredinem sustinere absque dissolutione animalis potest: in febribus vero intermittentibus longitudinem morbi prænunciant. Quæ vero crassæ minguntur, & tales perseuerāt, progrediente morbo ostendunt quidem mutationem humorum, & excrementorum, sed non eorum, qui gignuntur ex materiæ morbosæ con-

coctio-

Vrinæ unde in principio morborum fiant crassæ & quid significant.

coctione. Non enim in principio morbi concoctiones fieri possunt. Quod si nullum habuerint concoctionis principium, illam nequeunt indicare. Fiunt ergo tales vrinę *expellente natura humores, à quibus grauatur, & cum perseuerant tales vrinæ, naturam ab illis opprimi: atque eodem modo in morbis, qui perimendi vim habent, mortem denunciant.* Ergo signa cruditatis in his morbis non solum morbi longitudinem, sed etiam mortem (si diu durent) significant. Quæ vero tenues ab initio minguntur, postea crassescunt, rursus attenuantur; causa est, quod ab initio omnia sunt cruda, & nihil excrementi excernatur, à quo possit crassitudo fieri: procedente autem concoctione aliquid excernitur, quod crassitudinis est causa. Absoluta autem concoctione & expulsione excrementorum, atque ita deficiente excremento, quod miscetur, iterum tenues fiunt vrinæ: vnde videmus in quartanis in principio tenues emitti vrinas, in augmento & statu paulo crassiores: iam vero declinante morbo, nigerrimas & crassissimas mingi, quo tempore expurgatur melancholicus humor cum vrina; quo quidem vacuato, & properante homine ad salutem, tenuiores & mediocres iam (vt sanitas postulat) excernuntur. Contingit tamen nonnunquam tenues reddi, postquam crassæ fuerunt delato humore crasso ad aliquam partem, vbi abscessum facit. Quę vero crassæ primum minguntur, postea extenuantur, rursusque crassæ fiunt, & postea tenues: causam habent, quod ab initio natura non posset vniuersam materiam vincere, vnde humorum excretiones fiebant ante coctionem: vacuata autem portione illius materiæ, aggreditur postea ipsam coctionem, & antequam concoxerit aliquid, tenues emittuntur vrinæ, postea vero & procedit coctio: ita crassescunt vrinæ, & postea tandem tenues redeunt, finita scilicet expurgatione. Porro contingit, vrinas ab initio crassas mingi, vt in biliosis & sanguineis febribus apparet, & crassas perseuerare vsque ad crisim vel declinationem, quod fit non quod natura vincatur à multitudine, nec possit concoquere, sed quod bilis facile concoquatur, & ab initio possit ex illa aliquid, vel etiam plurimum misceri, quod vrinas crassas reddat: quæ crassities perseuerat procedente coctione, donec plus excernatur à corpore, quã resultet ex coctione, quo tẽpore tenues fiunt. Contingit quoq; in prædictis morbis crassas & rubras primis dieb. vrinas emitti, deinde in augmẽto extenuari: quod tunc fit non solum, quod bilis facile concoquatur & ex concoctione separetur, sed etiam quod plurimũ sine coctione excernatur, quo absumpto, & eo manẽte duntaxat cum vrina, quod ex concoctione resultat, non mirum, si tenuiores in augmento, & statu, quam in principio mingantur vrinæ. Hæc sufficiant de causis tenuitatis & crassitudinis vrinæ, ex quibus mediocritatis consistentiæ causæ patent.

Cap. VI.

De causis qualitatum, quæ sunt in Vrinis.

OMnes qualitates, quæ in vrinis reperiuntur, vt causas immediatas attingamus, quas alii prætermittunt temere, interim dum toti versantur in remotis causis recensendis. Proueniunt A autem vel ab alteratione sola, vel ab humorum permixtione, aut absentia, ex omnibus istis inter se coniunctis, & ita vere esse in colore, odore sapore, & aliis qualitatibus in ipsa tractatione patebit.

Cap. VII.

De Vrinarum colore.

VRinarum colores, qui ducuntur ex cibis, potionibus, colliquatione eorum, quæ sunt in corpore, & in ætate, & in diuerso sexu, & ob animi corporisque passiones & alia huiusmodi, nihil plus docent, quam quæ vulgus nouit. Docendæ B enim sunt immediatæ causæ, quibus positis, contingit vrinarum colores mutari, & aliæ quæ dicuntur esse causæ, non alia ratione causæ sunt, quam quod aliquid conferunt ad generationem, præsentiam, vel priuationem, & absentiam illius causæ, quia cum forte eadem causa est in senibus, quæ in iis est, qui plurimũ vigilarunt, aut plurimo cibo ac potu se se ingurgitarunt, ideo decolores, & aquosæ in illis sunt omnibus vrinæ. Iam vero inter illos, qui immediatam & proximam hanc causam conati sunt inuenire, Mõtanus putat colores omnes vrinarum fieri à sola præsentia vel absentia humorum, nullum autem posse fieri à sola alteratione, cuius opinionem ita refello. Primum, quod color, qui est in contentis, non fiat C alia ratione, quam per contactum & alterationẽ partium, quomodo etiam sanguis ruber in abscessibus fit pus album? Quod si auctoritate certare vellem, scribit Galenus *in libro primo de Crisibus & alibi passim*, vrinas liuidas nigras fieri aliquando ob mixtionem nigri humoris, aliquando ob solam caliditatem, nonnunquam vero ob solam frigiditatem. Sed quia mihi persuadere non possum, tales vrinas fieri vnquam ob solam caliditatem aut frigiditatem, vt postea ostendam, ideo cum eo aliorum auctoritate pugnare nolo. Sed præter illa, quæ de contentis diximus, quid potest potionem mutare rubram in albam, & aliud excrementum aquosum, quod vrinæ liquorem esse diximus, gignere suis qualitatibus præditum, prę- D terquam ventriculi actio & concoctio? qui quidem ventriculus natus & aptus est, vt aliæ partes quæ albæ sunt, mutare ea, quæ tangit & concoquit, in sibi similem colorem. Ergo colores quidam in vrina, & in iis, quæ in vrina continentur, ex sola alteratione fiũt. Sed de aliis postea. Nunc vero de causis colorum ipsius liquoris agamus; & primum de albo, tanquam de primo extremo, à cuius recessu versus alterum extremum, nempe, nigrum, alii omnes emanant.

Cap. VIII.

De albis Vrinis & earum causis.

E INter albos colores primus occurrit aqueus, qui reuera color nõ est, sicut nec aqua colorem aliquem habet, vt scribit Aristoteles: Elementa non esse colorata: sed aqua & aer, quia plurimũ in se luminis recipiunt & diaphana sunt, ideo albedinis speciem præ se ferunt. Huiusmodi color vrinæ aqueæ fit *à sola alteratione ventriculi*: Eandem habent causam crystallina & niuea,

Elementa non esse colorata.

Aliæ vero omnes mixtione alicuius materiæ suum recipiunt colorem. Quæ vero ita sunt aquosę tales minguntur, quales sunt genitæ, si humor, qui eas solet tingere in bene aut male valentibus cum vrina non misceatur. Solet autem misceri portio bilis, & cum vrinæ subpallidæ, pallidę, flauę aut alterius coloris redduntur. Non miscetur autem talis bilis, vel quia non gignatur ob copiam materiæ, vel ob frigidas qualitates, vel ob caloris natiui & naturæ imbecillitatem, aut quia nondum concoctio perfectionem est assecuta, propterea recenter absumpto cibo & nondum concocto, vrinæ aquosæ redduntur. Sic in quartana febre & in pituitosis morbis, & in frigidis tempe raturis, ætatibus frigidis, in mulieribus, in vigilia postquam multum processit, & in aliis corporis conditionibus frigidis vrinæ decolores minguntur, quia minimum bilis gignitur, quod cum vrina possit misceri. vbi vero fertur ad alia loca idem humor, desinitque misceri cum vrina, vrinæ, quæ prius tinctæ erant, aquosæ euadunt: vnde ex huiusmodi vrinis solemus in febribus ardentibus delirium prædicere. Contingit etiam non misceri alios humores cum vrina, eo quod via sit illis occlusa, per quam vrina, quæ tenuis est, ferri potest vt solet, quo modo cum incipit calculus vigere in renibus, vrinæ tenues & aquosæ minguntur, quod scilicet tunc adeo sint renes, & meatus vt narii occlusi, vt vix aquoso & tenui humori via pateat. Fiunt ergo tres primæ species albæ vrinę; nempe aquea, niuea, & cristallina, per solam alterationem ventriculi. Glauca vero, charopa, & lactea cum habeant colorem quendam, quem nō potest tunica ipsius ventriculi inducere in potione & aquæ materia, fiunt omnino ex mistione alicuius humoris: Id quod etiam ostendit, quia istæ vrinæ maiorem quandam habeant crassitudinem, quam tres prædictæ. Est autem humor, qui miscetur, non alius, meo iudicio, quam bilis pallida, & crassa, in pauca quantitate: id quod externarum rerum mixtio ostendit: Nam si exiguam portionem pallidi aut flaui misceas cum aqua multa; glaucum, charopum, lacteum, & seri lactis reddes colorem; Pituita autem non potest esse, quæ talem colorem efficiat: nam vt ipsa pituita cum tenuitatem nullam habet & crassior res est, nec calorem aliquem habet, qui spargi possit per liquorem: ita hos, de quibus agimus, colores, qui cum tenuitate sunt commisti, nequit facere. Quod si alba sit & crassa, posset forte fieri à multo pure mixto cum vrina: à pituita vero sola crassities fieri potest, sed albedo nequaquam, in substantia ipsius liquoris: quippe cum videamus in nothis tertianis vrinas crassas, q pituitę est indicium & tamen rubras vel flauas, quoniam talis color ex bile fit, quæ cum liquore spargitur. Pituita autem innatat & contentum facit. Pus vero cum sit friabile, albedinem quoque potest facere: sed cum sit crassum, paulo postea subsidet, & colorem proprium relinquit, qualem recipit vrina ex humore, qui natus est aptus illius liquorem tingere. Propterea Montanus euidenter errat, qui glaucum colorem, quem similem esse dicit eorum albo & nostro, & charopum, id est, cœruleum clarum, & oleaginosum, in vrina, & liuidum etiam ait fieri à frigiditate maiore aut minore. Nam frigiditas sola nequit facere in nostro corpore colorem aliquem: sed solum potest ostendere, non fieri generationem ipsius humoris, qui tingere debet vrinam, vbi vero colores prosequimur, qui ex mixtione fiunt, frigiditas non debet assignari vt causa. Atque hęc satis quidem de causis albarum vrinarum.

Quare bilis interdum nō misceatur cū vrina.

Species vrinæ albæ & vnde quælibet illarū fiat.

Cap. IX.

De causis vrinæ subpallidæ, pallidæ, subflauæ, flauæ, subrufæ & rufæ.

Hos colores in vrinis credunt nonnulli fieri ex sola alteratione partiū, inter quos sunt nōnulli scriptores, & potissimū Medici Florentini: qui cum vident vrinam tinctam aliquo ex prędictis coloribus, aut etiam rubro, petunt ab ægrotis an diu in vesica retinuerint vrinam, tanquam ex huiusmodi mora prædicti colores conciliari possint: Quod quidem est absurdum: nam huiusmodi retentiones deberent id facere in omnibus, quod non apparet in sanis & ægris. Vbi enim humor miscetur cum vrina, siue parum siue multum in vesica contineatur, vrina semper eundem colorem obtinebit. Alioqui cur aqua ex ignis feruore non recipit alios colores quam habebat frigida? *Fiunt ergo prædicti colores ex mixtione alicuius humoris.* verum non constat, quisnam humor misceatur, an vnus semper vel diuersus. Montanus, & fere omnes, qui de vrinis scripserunt, tradunt, prædictos colores omnes à bile fieri flaua diuerso modo mixta cum vrina: Nam subpallidas fieri vrinas, cum minimum bilis miscetur; pallidas, cum paulo plus; subflauas, & flauas, deinde subrufas & rufas plus eiusdem coloris capere. Ego vero non hoc modo, sed partim ex diuersa bile diuersos fieri colores arbitror, partim vero mutata quantitate non cuiuscunque bilis in quocunque colore, sed in eo, qui remissior est, diminuta bile, quæ intensiorem habet colorem: nam quomodo, quæso, à pallida bile fieri vnquam potest subflauus color, flauus, subrufus, & rufus? Quod enim pallidum est, nunquam inducere potest nisi pallorem, non autem intensiores colores. *Ergo vno modo fiunt hi colores, quando miscetur bilis, quæ similem habet colorem, qualem in vrina conspicimus.* Cum vero bilis flaua in parua quantitate miscetur cum vrina, ad mixtionis portionem subpallidam & pallidam eam reddit: quoniam ratio [illegible] contonum est, intensiores colores remitti, cum non seruatur proportio cum liquore, cui miscetur; & quanto intensior est color ipsius bilis, tanto minor sufficit illius quantitas: Gradus enim bilis rufæ idem forte præstabit ad pallidum colorem inducendum, quod præstare possunt duo bilis subflauæ. Fit ergo pallida vrina non simpliciter à pauca bile, (vt alii docent) sed à bile pallida multa. vel non minus, quam in mediocri quantitate mixta, aliter subpallidum reddet, vel ex flaua aut alia, quæ intensiorem habet colorem, in parua quantitate assumpta. Subrufam & subflauam pro eodem sumit Gal. 1. *de Crisibus*, cum vtramque dicit esse sanorum vrinam, & dicit eas fieri ex parte sanguinis subtiliore ac serosa, vel bile rufa mixta sero. Verum vt vrinæ illæ diuersum habent colorem, ita temperati hominis esse nequeunt. Subrufa.n. intensiorem habet colorem, quam subflaua, nec potest aliqua ex illis ex sanguinis parte fieri

Ex diuturniore mora in vesica vrinam non tingi.

fieri: nam sanguis cum vrina non miscetur in bene valentibus: aut certe si miscetur ad renum nutritionem, non tamen cum vrina ad vesicam fertur, & illam tingit. Verum quidem est, bilem non nunquam fieri ex subtiliore parte sanguinis; sed cum adhuc est pars illa cum forma sanguinis, nequaquam tingit vrinas, sed cum ex ea iam genita est bilis; at tunc sanguis amplius non est. Fit igitur subflaua à bile rufa, in parua quantitate mixta, aut à mediocri quantitate subrufæ. vt.n. rufa bilis in nobis gignitur; eodem modo subflaua vrina à subflaua bile mediocri, non autem à multa (vt Auic. scribit) fit. Quod si rufus color ad albedinem magis vergit, quam flauus, fiet talis color vel à rufa bile, vel à minore copia flauæ. Quare errant, qui vel à flaua duntaxat, vel à rufa bile talem colorem in vrina prouenire putant: hoc enim, vt diximus, debet esse principium, *vrinas capere colorem vel à simili humore, vel ab eo qui intensiorem habet colorem, in minori quantitate admixto.* Et magis adhuc fallitur Montanus, qui subrufam vrinam ait fieri nunc ex sanguinis portione, & non ex bilis admixtione; nunc vero in ea vrina ait non misceri sanguinem, nec bilem, sed esse puram aquositatem, quæ solum tingitur à bile. Sed dicat, quæso, quomodo tingi possit à bile, si hæc cum illa non miscetur; An forte ex solo contactu, & à fricatione tinctura hęc fit, quo modo carbonarii alios inficiunt nigro colore? At res friabiles, vt bilis, sine mixione id facere non possunt. *Ergo diuersitates colorum, qui fiunt ex permixtione in vrinis, ad qualitatem, & quantitatem humorum, qui miscentur, tanquam ad immediatam causam redigere oportet.* Ex his.n. licebit colligere, quid ab aliis causis fiat, in quibus recensendis plus æquo alii scriptores versantur. Nam ideo temperati inter alias intemperaturas, subpallidas dicuntur reddere vrinas, quoniam pallidam bilem suapte natura procreant mediocrem: qui vero sunt frigidiores, candidiores; quia minus bilis procreant, & ea est aquosior, & & dulcior. Contra vero qui calidiore, & sicciore sunt temperie, pro excessu caloris & siccitatis subflauam, flauam, & rufam bilem procreant, vnde tales quoque eorum sunt vrinæ. Et quia pueritis ætas dilutam gignit bilem; ideo illius ętatis pallidæ esse non possunt vrinæ, quod adolescentibus accidit. iuuenes vero easdem reddunt subflauas, & flauas, quia huiusmodi bilem reddũt. Ad proportionem vero ætatum se habet sexus Nam virorum vrinæ coloratiores sunt quam quę redduntur à fœminis. Quies, quia frigidiorem reddit naturam, ideo eorum, qui otiosam degunt vitam, vrinę minimum tinguntur bile. aliter vero accidit iis, qui in labore viuunt, aut irascuntur, aut alio modo animi passionibus torquentur. Quamdiu.n. passiones illæ calorem accendunt in corpore, & subest humor, qui accendi potest, tamdiu bilis procreatur, & vrinæ flauæ, & igneæ redduntur; deficiente vero humore, languescente postea calore, decolores rursus reddi incipiunt. Eo modo in inedia & vigilia per initia, vrinæ color intenditur, postea vero minuitur. Sic sane in febribus accidit; nam in morbi principio antequã calor ex humoribus procreauerit bilem, vrinæ minguntur minus coloratæ, aut etiam candidæ, vt in principio accessionis tertianæ febris: postea vero vigente calore igneo, flauæ, & rufæ apparent vrinæ, demum procedente concoctione, & remissa acutie caloris. vrinæ subflauæ, & pallidæ minguntur; vt in declinatione febrium fieri apparet. Cæterum in crapula ab initio aquosæ, nec postea vnquam mediocrem calorem recipiunt vrinæ, quia calor à copia alimenti debilitatus minimum bilis gignere valet. Immoderata vero alimenti copia antequam bilis generatio ipsa sit facta, merico vrinæ fiunt candidiores: postea vero pro ratione bilis, quæ gignitur ex natura alimenti, & ipsius caloris plus vel minus acris, vrinę conspiciuntur vario colore plus vel minus. Igitur *omnes causæ, quæ dicuntur vrinam prædictis coloribus inficere, id faciunt, quia bilem hanc vel illam gignant, eam parciorem, aut copiosiorem, vel quod genitam misceant plus vel minus cum vrina.* Ideo enim ictericorum vrinæ maxime sunt tinctæ bile, quod ea portio, quæ in aliis solet ad intestina ferri, tota misceatur cum aquoso excremento. Quare facile erit intelligere, quomodo remotæ illæ causæ prædictos vrinæ colores immutent.

Sanguinem in bene valentibus vrinas non tingere.

Crapula demittitur vrinam reddit minus coloratam.

Differentia colorum in vrinis secundum ætates sexum & motus corporis & animi.

CAP. X.

De rubea & subrubea vrina, & speciebus contentis sub rubea.

RVbeam vrinam scribit Auicenna dominium sanguinis ostendere, tanquam fiat admixto sanguine: Galenus vero *libro primo de Crisibus* tradit, fieri talem colorem ex serosa sanguinis superfluitate, addita aliqua portiuncula bilis rufæ. *In libro* vero *de Morbis vulgaribus*, id dicit fieri ab ichore sanguinis, quod alii interpretantur, tenuiorem sanguinis portionem: quandoquidem vt aiunt, alius est sanguis, qui crassior est, qui nequit cum vrina misceri. Aduersus quos illud facit, quod rupta vena aliqua, quæ communitatem aliquam habeat cum renibus, plurimum sanguinis cum vrina, vel solus ipse sanguis excernitur: tanquam vrinarii meatus pateant etiam sanguini vacuando. Galeno vero respondet Actuarius, qui pugnat aduersus eos, qui à sanguine tingi vrinas & rubras fieri asserunt. Cuius argumenta videre licet *capite sexto De causis vrinarum*. Quod si ille intelligeret, nunquam rubras fieri mixtione sanguinis, erraret: quandoquidem effuso sanguine à venis & mixto cum vrina, necesse est rubras omnino vrinas fieri. De morbis ergo aliis intelligendum, in quibus vrinæ rubræ fiunt absque vasis alicuius læsione: in illis enim non possunt vrinæ rubræ fieri, nec ob tenuis, nec ob crassi sanguinis mixtionem, *cum natura nunquam adeo debilitata aut irritata sanguinem excernat per illas vias.* Fiunt ergo vrinæ rubræ in febribus ob rubeam bilem, quæ miscetur cum vrina, quæ quidẽ bilis ex sanguinis potius feruore, quam adustione procreatur; & propterea similima adhuc est, & veluti ichor quidam sanguinis, & apparet gigni in sanguinis multitudine; qui cum feruet, nec satis euentilatur, huiusmodi bilem & ichorem, qui est veluti spuma quædam, emittit: Et propterea recte dicebat Auicenna, tales vrinas dominium sanguinis ostendere. Contingit quoque vrinas fieri rubescentes, qualis est aqua, in qua caro recens mactata, lota est, quales vrinæ apparent in

hepatica dicta passione, quem colorem putarem A fieri ex sanie qua iam sanguinis tenuis, quæ nec potuit penitus fieri bilis, nec sanguis. Cæterum subruffus color ex bile subrubea, aut rubea in minori quantitate commixta, fit, species vero rubei coloris, vt roseus, purpureus, Venetus, fiunt à bile, quæ similem colorem obtinent: nam sicut à pallido in nigrum fit mutatio, vt multi sunt gradus medii coloris, sic necesse est bilem pallidam, quæ tandem transit in nigram, medios omnes colores inducere.

Cap. XI.

De colore viridi in vrina.

VIridem colorem in vrina nullus forte vidit, sed virescentem, qui quidem nequit fieri à frigore, aut calore, vt alii tradunt; neque enim solæ qualitates, vt ostendimus, possunt colorem aliquem, vt vocamus, positiuum efficere. Et quid obest, quo minus dicamus, huiusmodi colorem fieri ex mixtione bilis viridis seu porraceæ, vt vocant Medici? quam non solum in ventriculo, sed etiam in venis, Galenus procreari scribit, ex certis alimentis, qui facile in talem humorem vertuntur.

Solas qualitates nullum posse facere colorem positiuum in vrinis.

Cap. XII.

De causis liuida vrina, & nigra.

GAlenus liuidas vrinas à sola frigiditate, nigras vero à frigiditate, vel caliditate fieri memoriæ prodidit; ea similitudine vsus, quod à frigore externo partes liuescant; nigrescant vero cum vehementiore frigore & calore. Verum illius opinio refellenda est: nam vt externæ partes frigidis actu causis expositæ liuorem, & nigritiem contrahunt; ita internæ partes cum perpetuo caleant, donec viuit animal, & frigidæ dicantur, quia minus habeant caloris quam temperata natura exigit, nequeunt tantum frigoris excessum experiri, vt liuorem contrahant & nigritiem; alioquin omnes, qui moriuntur, cum ad eundem frigiditatis gradum perueniant, tales vrinas mingerent, quod cum nequaquam fiat, constat, aliam esse causam. At nulla alia potest esse, quam quæ sumitur ex mixtione humoris nigri, qualis est humor melancholicus & atra bilis: nam cum parum aliquid ex his humoribus miscetur, liuidæ fiunt vrinæ; cum multum, nigræ euadunt, id quod ostendit atramenti & aquæ mixtio, quæ pro mixtionis ratione hos pariunt colores. Contingit quoque ex rebus ingestis nigris tales fieri vrinas; quo modo videmus eos, qui cassiam assumpserunt, vrinas facere liuidas, & nigrescentes. Nostram opinionem confirmant quaternarii, qui declinante morbo, vrinas nigras emittunt, quod non potest alia ratione contingere, quam quod humor melancholicus victus à natura vna cum vrina expurgetur.

Galeni opinio refutatur.

Opinio autoris.

Cassiam facere vrinas liuidas & nigras.

Cap. XIII.

De vrinis oleaceis.

DE vrina oleacea multis in locis scribit Galenus, inter quos præcipuus est, qui habetur *in Commentario tertio libri tertii Epid. Text 73.* vbi scribit, quosdam intelligere oleosam vrinam, pinguem, quæ fit colliquata pinguedine in morbis ardentibus; alios vero intelligere oleosam, quæ colore & consistentia sit oleo similis; quam vrinam ait se sæpius vidisse, cum nullo ægri detrimento: imo etiam concocto morbo, se tamen nõ vidisse vrinam pinguem vt oleum. Iam enim quæ secundum colorem & crassitiem oleo similis est, B nequaquam pinguem esse, nimirum, cum pinguedo suapte natura supernatet. Cæterum vrinam, quæ colore, & crassitie oleo similis est, tradit non exacte vnum habere colorem & vnam consistentiam; quoniam nec oleum ita exacte hæc habet; pallidam tamen omnino esse, sed vel magis vel minus: propterea illam, quæ ad candidiorem vergit colorem, humorum denotare cruditatem; quæ vero colorem intense pallidum, vt ad flauum iam accedat, obtinet, biliosum ostendere humorem, & periculum indicari ab his vrinis, non ob febris prauitatem, sed ob vehementiam; quorum aliqui, inquit, si reliqua sunt salubria omnia, breuiter liberantur.

Opinio Galeni.

Sabinus refert quosdam intellexisse oleosam, C id est biliosam; sed eos errare, quoniam bilis frequenter exit sine offensione, nec tam perniciosa diceretur esse vrina oleosa, si esset biliosa. Alios dicit illam fieri censere ossibus, cartilaginibus & neruis colliquatis, & propterea periculum ostendere.

Sabini.

Verum contra Galeni opinionem Sabini argumento agendum est: Nam si fit à bile pallida aut flaua, quomodo potest ostendere cruditatem, præsertim si crassitiem iam habet, qualem habet oleum? Sunt enim vere crudæ, *quæ sunt aquosæ & decoloratæ:* quæ vero cum crassitie colorem habent pallidum aut flauum ostendunt, iam bilis generationem & excretionem, & propterea cruditatem insignem non ostendunt. Quod si D solam ostendunt cruditatem aut colorem biliosum; non proponerentur ab Hippocrate inter vrinas, quæ Epidemicos morbos ostendunt. Scribit idem Galenus *in libro primo de Crisibus*, colliquationis esse signum, si oleosa mingatur vrina. In quo loco non potes oleosam vrinam aliter intelligere, quam quod aliquid habet pingue quod olei instar supernatet, hanc enim *loco præcitato* & *alibi*, ex pinguedinis colliquatione, vt rationi consonum est, fieri scribit, & propterea est quidem mala, non tamen lethalis, quandoquidem in pinguibus & mollioribus corporibus, ex solis tertianis febrib. tales sæpe reddi vrinas videmus. Malæ autem sunt & perniciosæ in hecticis febribus: nam tunc tales perseuerant vrinæ, (quod nõ fit in tertianis) & magnam ostendũt esse causam, E quæ à corpore extenuato, & exsiccato oleosam substantiam adhuc exprimat.

Vrina vere cruda quæ.

Oleosæ vrinæ in quibus corporibus sint malæ & in quibus non.

Auicenna tres species facit oleosę vrinę; vnam quam dicit totam esse vnctuosam & pinguem: aliam, quæ solum est vnctuosa in fundo; aliam vero, quæ solum in superficie. Addit quartam, quæ colore oleoso apparet. Verum, vt inquit Galenus,

4. Species vrinæ oleosæ secundum Auicennam.

nus, quomodo quod pingue, & vnctuosum est, potest mediam & infimam partem petere? Scribit idem auctor, oleosam ita dictam, quod colore sit olei, fieri, quod ab illa citrina mixta cum subliuitate, quæ colori olei assimilatur, propter viscositatem, quæ est in ipso, & translucentiam cũ cum nitore adipino, & cum splendore substantiæ ad quandam spissitudinem trahit. Quæ verba intelligi non possunt; ignoro enim quid per *sublinitatem* intelligat. Videtur tamen velle, quod huiusmodi vrina fiat ex citrina bile cum aliqua materia viscosa; & mihi probabilis videtur illius opinio. Verum oleum nõ habet re vera colorem pallidum, sed *pallidum liuescentem*. Quare videtur mihi fieri ex portione bilis pallidæ & atræ color vrinę oleosæ, propterea perniciosæ solent esse tales vrinæ, eo, quod atram bilem recipiant, quæ cancrosos, & malignos morbos parit. Et quia cruditatem habent cum quadam viriditate, vt oleum, ostendunt pituitam huius esse causam quæ vehementer agitata à calore, vndiquaque cum vrina miscetur, adeo vt cum vrinæ liquore ita sit coniuncta, vt ab ea separari nequeat, quo modo etiam non separatur bilis, quæ liquorem vrinæ tingit: & propterea talis vrina aliquando difficiles & longos morbos ostendit. Tales enim solent esse, qui fiunt ex pituita, quod satis exprimit Hippocrates, cum in *loco præcitato Epid.* refert, Parium, qui oleosas vrinas mingebat, centesimo primo die post initiũ morbi periisse. Quia ergo flauitiem habet talis vrina vel palliditatem; bilis flauæ, vel pallidæ ostendit mixtionem, quia vero simul habet liuiditatem coniunctam cum splendore, pariter testatur bilis atræ portionem. Et quoniam habet crassitiem cum quadam viscíditate, quæ non separatur à liquore; agitationem magnam in pituita factam, & hanc exacte mixtam cum liquore declarat. Hæc ratio videtur dictare, adferant meliora, qui possunt, de causis harum vrinarum.

Oleum qualem habeat colorem.

Vrina coloris oleosi cur sint mala.

Cap. XIV.

De causis opacitatis & lucididatis in vrina.

VRinæ perspicuæ diaphanæ dicuntur illę, per quas visus facile penetrat; opacæ autem vocantur, per quas visus nequaquam aut difficile penetrare potest. Quæ quidem accidentia recipiuntur tum in crassis, tum in tenuibus vrinis, vt superius ex Auicenna annotauimus. Galenus tamen id non animaduertit: nam opacitatem videtur solam agnoscere in crassis vrinis, & opacas non vocat, sed turbidas, quibus non diaphanas, sed tenues, & puras opponit, *vt ex quarto Comment. secundi Prorrheticorum* apparet; vbi turbidã vocat, quæ similis est ei, quæ agitatur, & ex ea agitatione subsidentia miscetur cum liquore; vel qualis est iumentorum vrina. Tales autem vrinę sunt opacæ, sed subiugales sunt simul crassæ suapte natura. Quę vero conturbatæ sunt eo, ꝙ hypostasis cum liquore sit mixta, suapte natura necessario nõ sunt crassę. Quod autem turbidis opponat tenues, patet ex *primo de Crisibus*, vbi turbidarum vrinarum triplicem facit differentiam; Vnam in qua vrina, postquam micta est, manet turbida, vt est ab ipso corpore excreta; Aliam vero dicit paulo post residere, quod nihil aliud est quã partes crassas separare à tenuioribus & vrinæ liquorem tenuem reddi; Tertiam dicit esse, quæ pura mingitur, & postea conturbatur. Et cum dicit, vrinas quasdam tenues & puras excerni, postea conturbari, ostendit, se tenues turbatis opponere. Verum præstat oppositionem facere per proprias differentias, & illis subiicere omnes suas species. Ergo dicamus, vrinam quandã esse perspicuam, & claram; aliam vero opacã, & obscurã, inter quas, vt dixi, reperiuntur & crassæ & tenues; verum inter crassas non omnes, sed solum, quæ subiugales dicuntur, qualis est equorum vrina, vel quæ postquam subsiderunt, manu cõturbantur, & confunduntur, & quæ ab aere extrinseco densantur & conturbantur. Quę vero crassæ sunt, concocto humore, vt in declinatione febrium, & veram faciunt subsidentiam, non solent esse opacæ, sed perspicuę, nisi forte natura cum vrina, vel omnes, vel bonam partem humorum lædentium expurget. Quarum omnium causæ sunt inuestigandæ ex generali causa opacitatis & perspicuitatis, quam inuenire quam sit difficile tunc patebit, cũ ostenderimus, quid Gal. & alii scriptores docuerint de ea re.

Tres species vrinarum turbidarum secundum Galenum.

Quæ vrinæ crassæ solent esse perspicuæ.

Cap. XV.

De causis opacitatis, & lucididatis in vrinis ex Galeno, & aliis scriptoribus.

SCribit Galenus *libro primo de Crisibus*, turbidas vrinas, quæ semper manent turbidæ, ostendere quod vigeat in sanguine agitatio; quod si, postquam micta est, turbida residet, turbulentiæ inæqualis aliquid superesse; quod si extra turbetur, illam ostendere, quod debeat incipere concoctio. Atq; hanc Galeni opinionem Medici multa habita consideratione receperunt: nam vt à postrema vrina incipiam; si ea mingitur clara, & postea foris conturbatur & corrumpitur, causas habet externas suæ corruptionis, non internas: nã donec ab interna regebatur causa, tam diu clara mãsit, postea vero illa deficiẽte, & assumpta, ea, quã dedit aer ambiens, corrũpitur. Quod si ita est, quid potest de corpore ostẽdere? qualẽ quæso, causã nisi exteram? Præterea videmus, id contingere non solum in vrinis ægrotantium, sed in vrinis omnium sanorum. Si. n. in aere diu seruentur, tandem corrumpuntur; sed citius in aere frigidiore, postea in calidiore, deinde etiam in temperato; nam vrinæ calor, qui omnia, quæ sunt in vrina, diuidebat, extenuabat, & propterea luciditatis erat causa, tandem exhalat, & ita suo calore destituta refrigeratur, & ex frigore heterogenea inter se miscentur, densanturque omnia, atque ita confusio, & conturbatio oritur. Et quoniam frigidus aer vim maximã habet extinguendi calorem & spiritus vrinæ; ideo hyeme prõptissime vrinę omnes conturbantur. Calor item æstiuus, quia multum rarefacit, ideo dissipat & euocat spiritus ipsius vrinæ; quibus dissolutis vrina pari modo confunditur. Et quia aer tẽperatus minorem habet vim refrigerandi, aut dissoluendi; idcirco vrinæ in tali aere perseuerant claræ. Verum et si aer habeat vim corrumpendi vrinas, tamen *quæ crassiores sunt*, citius id patiuntur, quam tenues; hæ enim diu manent incorruptę,

Cur vrinæ in aere seruatæ tandem corrumpantur.

Quæ vrinæ citius corrumpantur.

quoniam heterogeneas multas non habent partes, quę facilioris cōfusionis sunt causæ. Errat ergo Galenus, Montanus, & alii omnes, cum ex huiusmodi conturbatis vrinis ab aere, dicunt coctiones, cruditates & corporis dispositiones ostendi. Quod si quis Montanum legat, vbi causas talis vrinæ explicat, nihil aliud, quam verborum inanem quandam volubilitatem inueniet, & corruptum quoddam iudicium, cum censet, ex corruptis extrinsecus vrinis melius agnosci posse corporis affectus, quam si igni admoueantur, & recipiant eum, quem habebant prius, cum mictæ fuerunt, colorem, consistentiam, splendorem, opacitatem & alias conditiones. Quod quia quotidiana docet experientia, pudet me diutius in tam ridicula opinione versari.

Vrinæ crassæ & confusæ mictæ postea quæ clarificatæ quid ostendant.

De crassis vero & confusis vrinis mictis, & postea extenuatis, & clarificatis, alia est ratio: hæ .n. possunt ex eo, quod extrinsecus acquirunt, corporis dispositiones ostendere, quoniam extenuationis & claritatis causam à corpore duxerunt: nam cum essent heterogeneæ partes inter se cōfusæ ob motum caloris, vbi paululum quieuerunt & refrixerunt crassę partes, si separentur, ostendunt iam aliquam factam esse concoctionem, fit enim hæc incrassando. Quod si multa adhuc sit separatio, ostendunt tamen iam aliquā fieri mixtionem partium diuersarum, quod in vrinis tenuibus aquosis, & lucidis nequaquam fit, & ob id certe Gal. *primo de Crisibus* has illis longe deteriores censet esse. Ergo vrinæ, quæ crassæ fiunt, vel potius confusæ & conturbatæ, causam non habent in corpore; & propterea nihil de corpore ostendere possunt. Quod vero dicit, vrinas, quæ semper manent turbidæ, ostendere agitationem, quæ viget in sanguine; nec id verā, nec certe immediatam causam docet: nam vbi maior vigere potest agitatio, quam in febrib. ardentib. vbi vehemens est calor & materia, qui omnium motum & agitationem ob sui tenuitatem pati potest? at non semper, imo rarissime in illis fiunt vrinæ subiugales & confusæ. Causa etiam non satis nota est, cum scribit, inæqualem ad huc manere turbulentiam, vbi vrina subiugalis mingitur, quæ postea clarescit. Quid.n. per inęqualem turbulentiam intelligendum sit, non ponit. Quod si intelligitur, animus tamen non quiescit, donec intelligat, quid eam inæqualem turbulentiam pariat: siquidem contra illud pugnandum est, si sanitas & meliores vrinæ fieri debent. Addo, quod alibi alias causas harum vrinarum, quæ turbidæ, confusæ, & subiugales dicuntur, Gal. adferat: nam *in 28. text. primi Commentaris Prorrhet.* ait, vrinas turbidas fieri ob copiam crudorum humorum vel coctorum, vel in flatū conuersorum. Est & alius locus *in Com. sexti libri Epid.* vbi Sabinum reprehendit, qui censebat, tales vrinas fieri ex colliquatione: & ait fieri ex fusione crudi vocati humoris fusi, & ex fusione ipsius, generatis multis exhalationibus: quam causam confirmat, quod tales vrinę dolorem capitis prædicere soleant. Ergo nunc ebullitionem solam, nunc crassorum, nunc coctorum humorum, nunc flatus ex humoribus crassis eleuatos, nunc crudum vocatum humorem huius turbulentiæ causam esse ponit; nec interim docet, aut aliquis intelligere potest, cur istæ causæ esse possint, nimirum, quia immediatæ causæ turbulentiæ & opacitatis nequaquam sunt ab eo ostentæ.

De vrinis turbidis manentibus opinio Galeni refutatur.

Auicenna.

Auicenna turbulentiam dicit fieri ob permixtionem partium habentium colores extraneos, vt fuscos aut aliis colorib. infectos. Sed docere debebat, id fieri in vrinis, quod non apparet in subiugalibus, nulli.n. apparent in illis vrinis varii colores.

Causa opacitatis & perspicuitatis secundum auctorem.

Ego vero opacitatis & lucidiratis siue perspicuitatis video non vnam esse causam: nam quædam fiunt opacę ob mixtionem terrenæ substantiæ; etenim terra ipsa opacissima res est: & propterea, quæ terrenam substantiam & crassam in se recipiunt, merito sunt opaca: vnde aer magis, quam aqua, perspicuus, quia tenuior & magis à terrena crassitie recedit: & ignis magis, quam aer, & sidera magis, quam ille; quia crassitiem omnē respuunt. Alia vero est opacitatis causa, materiæ impuritas; nam etsi omnes lapides ex terra sunt; qui tamen ex depuratissima terra constant, sunt perspicui, vt rubini, adamantes, saphiri, & alii vocati lapides pretiosi; sic crystallus, & vitrū etsi spissa sunt, & forte terrena; tamen quia nitidissimā & purissimā habent substantiā, nullā opacitatem sed omnē perspicuitatem obtinent, plus vel minus, prout ex sinceriore & duriore materia constāt. Non etiā alienum est à ratione, credere, aliqua fieri opaca, cum habent extraneos colores: ita.n. vitrum viride, cū recipiat alium colorem, quā proprium, opacius redditur, color.n. colori superinductus opacitatem facit. Sunt etiam lux & lumē sua præsentia & absentia luciditatis & opacitatis causa, nā etsi aer suapte natura diaphanus est, tamen in priuatione solis & luminis opacus redditur. Aliā vero esse causam luciditatis patet, vtpote calorē, & opacitatis frigus, si modo res, q̄ calefiunt & refrigerantur, cōstent ex partib. diuersis: alioquin tā calor, quā frigus maxime perspicuas res pariter reddunt. Sic.n. videmus, in vehementi solis ardore caliginem omnē & vapores, qui solent misceri cū aere, discuti, aerem purum reddi, & illum maxime diaphanum. Eodem pacto in aere frigidissimo, spirante Borea, similis quoque est aer, quia nulli vapores crassi ex terra & aqua attollūtur: & si qui assurgunt, eos repellit, nec cū aere misceri sinit: Vrinæ vero, quæ in aere frigido corrumpuntur, & calore ignis clarescūt, satis ostendunt res ex diuersis partibus constantes frigore fieri obscuras, & calore claras. Et vt externus calor, ita & internus suapte natura luciditatis est causa, si validus sit; alioquin si imbecillus extiterit, frigidi iam rationē habet, & propterea ille vrinam purificat, extenuat, aereā reddit & diaphanam, hic vero densat, omnia intermiscet, aut mixta separare nequit, nec puritatem aliquando inducere potest. Verū vt imbecillus calor in omni materia, quæ facile misceri potest, opacitatis est causa; ita validior calor non nisi in certa materia, in ea scilicet, quā potest aliquo modo miscere, sed nō prorsus: aut si miscet, eā tamē extenuare, & purificare nequit. Videtur adhuc alia esse causa opacitatis, & perspicuitatis, proprii caloris conseruatio, & extinctio in propria materia; ideo enim mortua corpora sunt opaca & obscura, quia proprium calorem, & spirituosam, aeream, inquam, & igneam substantiam amiserunt, ex qua, dum viuebant, luciditatem obtinebant. Quibus quidem ita positis, videamus.

Lapides non omnes sunt ex terra, vt alii aliis sint magis perspicui.

deamus, an vrinæ fieri possint opacæ, & perspi- A cuę ab omnibus prædictis causis; an vero ex quibusdam. Nemini quidem dubiũ est vrinas quasdam fieri opacas ob mixtionem terrenæ, & crassæ substantiæ: quandoquidem quæ iam subsidérunt, agitatione ita confunduntur, & obscuræ redduntur: nec non quæ confusæ minguntur, & postea facta subsidentia clarescunt, non enim alia ratione accidere potest, quam quod terrenæ substantiæ crassæ, & opacæ misceantur cum aquea & diaphana. At si ita statuamus, ratio reddenda est, cur ex crassis quædam sint diaphanæ, aliæ vero opacæ; aliquando vero nequeant perspicuitatem impedire. Quoniam scilicet quod miscetur crassum, in minima est quantitate, & ob id nequit facere vt transitus splendoris im- B pediatur. Ita enim bilis, quę liquorem vrinæ tingit, non impedit vrinæ perspicuitatem; etsi sua natura est crassa & opaca: pauca.n. est illius portio, quæ assumitur ad tingendum vrinæ liquorem. *Aliquando vero substantia crassa, quæ miscetur in multa quantitate, opacitatis est causa: aliquando vero luciditatem non impedit.* Videmus enim aliquando vrinas flauas, rubras, crassas, & tamen perspicuas. Aliquando vero subiugales, quæ non maiorem habẽt mixtionem terrenæ & crassæ substantiæ, & tamen opacæ conspiciuntur. *Non ergo ex quantitate substantiæ, quæ miscetur, sed ex mixtionis modo accidit. Quæ enim penitus miscentur, vel eundem habent mixtionis modum, illæ opacæ redduntur: quæ vero mediocrem modum, perspicuæ euadunt.* C Nam vbi exacta est mixtio, fit confusio aqueæ & terreæ substantiæ, & propterea vbi est illarum substantiarum proportio, res non possunt lucidæ fieri, sed turbatæ, & opacæ, plus vel minus, euadunt. Id quod apparet in vrinis purulentis, quæ turbidæ minguntur; & vbi subsiderunt, facile ex agitatione confunduntur, & turbantur, quoniam scilicet pus minimam habet viscíditatem, sed crassitiem terrenam, quæ prompte vndiquaque cum liquore vrinæ miscetur. Vbi vero, quæ miscentur crassa, nondum sũt elaborata; partes omnes habent heterogeneas, non purgatas, non sublimatas, non victas à calore: quare absunt luciditatis causæ. Et propterea vrinæ subiugales sunt opacæ, *quia fiunt in corpore* D *vbi est multa pituita cum sanguine commixta, quã calor naturalis, aut is, qui in corpore viget, solum agitare, & ex ea multos flatus gignere, & hæc cum liquore vrinæ vtcunque miscere potuit.*

Causa opacitatis & perspicuitatis vrinarum.

Cur de vrinis crassis quædam sint diaphanæ, quædam vero opacæ.

Vrinæ subiugales cur sint opacæ.

Quod si paulo postea clarescit, ostendit, vapores illos, qui eleuabant partes terrenas, paucos fuisse, & propterea naturam breui separaturam morbosas causas: vt quæ materiam habeant iam fere sublimatam & elaboratam: à tali enim materia aerei vapores puri & tenues & pauci gignuntur, qui cito exhalant, & graues, cum quibus erant commixti, descendere permittunt: vbi vero vrinæ subiugales tales manent, quales minguntur, ostendunt vigere illam agitationem, quę fit in pituita & aliis humoribus à calore, & mul- E tos gigni crassos vapores, qui ab aliis vrinæ partibus, cum quibus sunt commixti, exhalare nequeunt. Quare merito tales vrinæ superioribus deteriores censentur. *Non ergo sola agitatio humorum subiugales reddit vrinas, sed vbi adsunt humores pituitosi multi, & calor multus.* Ex his enim causis multorum vaporum generatio, & pituitæ cum vrina mixtio fieri potest, prę́sertim si pituita in venis maioribus continetur. Vnde videmus, vrinas subiugales non fieri, nisi *in febribus continuis.*

Vrina paulo post clarescens quid ostendat.

Subiugales manentes.

Vnde fiant subiugales.

Superest, vt reddamus rationem, cur vrinæ flauæ, rubræ, crassæ, perspicuæ, reddantur. An id fit, quia minus habent materiæ crassæ? quandoquidem prædicti colores, vt bilem testantur abundare, ita non potest multa pituita in corpore consistere. An etiam id fit, quia acriorem habent calorem, qui tenuiorem reddit materiam, & non solum tenuiorem, sed magis aeream & puriorẽ, & magis elaboratam? nam ibi admodum sunt vrinæ igneæ; vt in principio & augmento morbi, vrinæ non sunt admodum crassæ, sed in vigore, & declinatione, quoniam iam natura materiam multum alterauit, & concoxit, & in concoctione purificauit humores & splendorẽ in illis reliquit ex impressionibus, factis à calore. Et quia talis materia quanto magis concoquitur, tanto magis elaboratur, & assimilatur, & diuersæ partes propriam formam recipiunt; ideo, quod est crassum in illis, minimum amplius habet vaporosæ substantiæ, quę per concoctionem exhalauit, & si quæ amplius manet, non est vaporosa, sed extenuata, propterea non potest partes crassas diu sustinere, & illas mouere, miscere exacte per omnes vrinæ partes: quo fit, vt tales vrinæ quanto magis sunt concoctæ, eo citius faciant separationem contentorum à liquore, & contenta magis descendant, quod est indicium, cinerem quendam factum esse ex crasso humore, qui suapte natura non amplius subleuatus à vapore, descendere potest. Ergo, vt diximus, tales vrinæ fiunt perspicuæ, etiam si sint crassæ; *quia crassa illarum substantia non tanta est in aliis*; & quia non abundat multis & crassis vaporibus ęqualiter, & multum misceri non potest, sed mediocriter. Videamus iam, an aliæ causę opacitatis in aliis vrinis opacis inueniri possint. Potest quidem impuritas materię aliquando vrinas reddere opacas; vt in vlceribus renum & vesicæ accidit, & in mulieribus quæ adhuc expurgantur in menstruis; miscentur enim in illis corrupti & vitiosi humores impuri, qui vrinas reddunt opacas. Quod si varii humores cum vrina misceantur, ob diuersitatem colorum vrinæ quoque fiunt opacæ: verum ob lucem & lumen in nobis nihil fieri potest perspicuum, vel opacum, ob luminis, & lucis priuationem: nulla enim in nobis est lucida aut luminosa substantia, quæ humores & vrinam afficiat. Propterea ridenda est Montani opinio, qui à spiritibus lucidas fieri vrinas docet; quia, inquit, spiritus ipsi sunt lucidi: nam docuimus *in libro de somno & vigilia*, spiritus nostros nihil aliud esse, quam *vapores quosdam ex humorũ massa eleuatos actione caloris*: propterea nullam lucẽ, nullumq; lumen habere possunt; à quo enim & vbi quæso, hæc caperent? Ob calorem quidem vrinas fieri posse perspicuas, rationi est consonum: habet enim calor vim extenuandi, rarefaciendi, purificandi materiam, heterogenea separandi, ex quibus rebus res lucidæ euadunt: & spiritus quia calidi sunt, non quia lucidi, vrinas claras faciunt, si modo ipsi spirituum naturam habeant, vel sint ignei & tenues, nam crassi, terreni, & aquei, opacitatis sunt causa, non ob calorem, quem habent, sed ob crassiti-

In quibus morbis fiant.

Vrinæ vnde fiant flauæ, rubræ, crassæ & perspicuæ.

Aliæ opacitatis causæ.

Vrinas non fieri lucidas à spiritibus.

Spiritus corporum quid.

Spiritus qui & quomodo vrinas faciant claras.

em. A frigore vero fieri opacas vrinas constat ex eo, quod apparet fieri in vrinis corruptis ab aere, & in iis, qui morti sunt propinqui, sunt enim istorum vrinæ opacæ, sed diuerso modo fiunt: nam externum frigus, extincto proprio vrinæ calore densat & corrumpit, & vbi sunt heterogeneæ partes, crassas cum tenuibus miscet, cum antea essent rarefactæ & diuisę; imbecillus vero noster calor, qui frigidi rationē habet, nequit extenuare, rarefacere, diuidere, & tenues spiritus procreare, nec materiam purificare. Propterea cum eo peruenit, vt ob extremā imbecillitatem contraria efficiat, tunc opacitatis vrinæ est causa. Calor vero externus, etiam natiuum calorem vrinæ corrumpit, sed diuerso modo, quam frigus. Hoc enim contraria vi, qua repugnare suo contrario est aptum & natum, calorem extinguit: calor vero externus lucidas vrinas reddit, *quia rarefacit & extenuat, qua ratione dissipat spumosam substantiam ipsius vrinæ, in qua calor potissimum residet*: quo dissoluto & absumpto, eo modo, quo parua flamma à magna consumitur, frigidæ vrinæ & postea conturbatæ & opacæ euadunt, quæ postea igni admotæ rursus clarescunt, quia nouum calorem recipiūt. Hęc habui, quæ dicerem de vrinis opacis & perspicuis: quæ quidem veritatis studiosos iuuare potuerunt in re tam opaca, & obscura, ad meliora, si hæc non placent, inuenienda.

Calor externus quomodo vrinas reddat lucidas.

Cap. XVI.

De odore Vrinæ.

Opinio Montani.

MOntanus vrinam hominis sani nullum prorsus habere odorem malū tradit; quia, inquit, naturalis est, & bene concocta; quasi omnia, quæ sunt naturalia & bene concocta, sint bono odore prædita. Ita ergo stercora bene concocta, cuum sint naturalia, illi bene olerent. An nescit, excrementa ex impuriore rei materia elici? & propterea non posse esse sine aliquo fœtore, præsertim cum in corporibus calidis & humidis, qualia sunt animalium corpora, & præsertim nostra, fiant? Sed cum ipse postea scribit, vrinas, quę penitus carent odore, esse præter naturam, eo quod magnæ frigiditatis sint indicia, & eas, quæ bene olent, fieri à rebus comestis; debebat videre, quod sequitur, vel vrinas sanorum, quas dicit nullum malum habere odorem, esse præt. nat. aut si bonum habent, à rebus comestis fieri talem odorem. Ergo vrina sanorum aliquem habet odorem, & cum non bonum, cum sit nostri corporis excrementum: non tamen admodum malum, cum sit concocta, & concoctionem secundum naturam testetur. Videntur tamen insignes odores, qui in vrina fiunt vel boni vel mali, non solum prouenire; eo, quod vrina sit excrementum ex mixtione rerum, quæ cum illa miscentur: quod quidem testantur vrinæ admodū aquosæ in morbis frigidis & crudis, & crassæ in morbis calidioribus: illæ. n. cum nihil habeant admixtum cum suo liquore, exiguum tamen odorem habent, & minorem etiam, quam vrinæ sanorum, quæ naturalium excrementorum moderatam portionem in se continent: quæ vero crassæ sunt, ideo grauius olent, quia plura in se continent excrementa, quæ vrinas tanto grauius reddunt olentes, quanto maiorem obtinent putredinem, nam putredo graueolētiam parit. *Ex mixtione* ergo insignes odores in vrina fiunt. Porro misceri potest cum vrina vel aliquid extrinsecus in corpus assumptum, vel aliud in corpore genitum. Et quæ assumuntur, vel commouent aliquos humores & eos cum vrina miscent, vel sola fere miscentur ipsa. Quædam præterea non facile mutantur à corpore, alia facilius. Itaque, si, quæ assumuntur, difficile mutantur, & paucam materiam secum trahunt, & eam, quæ non habet vim conciliandi malum odorem, tunc vrinæ redolent odorem rei assumptæ, vt illis contingit, qui terebinthinam assumpserunt: manet. n. odor in vrina terebinthinæ, quoniam ob viscositatem difficile à natura alteratur terebinthina. Quo modo & excrementa allii assumpti odorem referunt, & integris propterea viribus cum vrina miscetur, nec habet vim insignem purgandi & trahendi humores à partibus corporis: Cassia vero, quia facile alteratur & vincitur, & multos secum humores trahit, à quibus odor ipsius obscuratur, ideo suum in vrina nequaquam seruat odorem. Carduus vero assumptus cum humores crassus commoueat, & ad vias vrinæ conuertat, ideo vrinas fœtidas dicitur reddere à Galeno. Quo quidem etiam patet, pituitosos humores inger alios fœtidiores vrinas reddere; illi. n. sunt, qui vrinas solent reddere crassas. Sed quare pituita potius, quam humor melancholicus fœtoris est causa? An quod pituita ob humiditatem putredini maxime est obnoxia? vel quod crudum quoddam sit excrementum? Cruditas autem, vt scribit Arist. *in* 10. *sect. Problem.* mali odoris est causa. Hæc ergo ratio est, cur quædam assumpta vrinas bene vel male reddant olentes: & quædam seruent suum odorem, quædam vero non. Non autem illud fit, vt Montanus credit, quod scilicet ex rebus bene odoratis assumptis graueolentes reddantur vrinæ, ex male olentibus vero fætidæ. nam allium male olet, & male olentia reddit excrementa corporib. Carduus nullum licet habeat grauem odorem, elicit tamen graueolentem vrinam: Terebinthina non nisi suauem habet odorem, & talem reddit vrinam.

Cur excrementa omnia habeant fœtorem.

Crassæ cur grauius oleant.

Vnde insignes vrinæ odores.

Cur pituitosus potius quam humor melancholicus in vrina sit fœtoris causa.

Cap. XVII.

De causis contentorum in Vrina.

COntenta in vrinis vocamus non quicquid in vrinis est: non, inquam, odorem, colorē, saporem, crassitiem, tenuitatem, luciditatem, opacitatem, & alia, quæ diuidi & separari non possunt ab ipso liquore, sed quæ separatam habent naturā vel obscurā, vel euidentem, quorum quidē non est vna & eadē ratio & materia. Propterea errat Actuarius, qui nulla facta distinctione, simpliciter pronunciat contenta prouenire ex tertia concoctione, quæ fit in venis. Nam quædam à renibus, alia à vesica, alia ab aliis reb. proueniunt. Quare seorsum de singulis tractandum, quæ diuersa natura constant: quæ vero communem habent naturam, communem quoque recipient tractationem; ita enim doctrina fiet clarior.

Cap.

Cap. XVIII.

De nubecula, enæorematis, & hypostasis causis.

DE Enæoremate, quod nostri vocant sublimamentum, & Nubecula atque hypostasi, quam sedimentum non inepte interpretamur, agemus eadem tractatione, quoniam eadem est illorum omnium natura, eædem causæ, & solo accidente inter se differunt, nam quod Nubecula est, dum morbus adhuc est crudior, fit postea enæorema: & hoc ipsum per vlteriorem concoctionem fit sedimentum. Seruatur ergo res eadem, quæ ob situm diuersum tria sortitur nomina. Ac primum illud docebimus, ex qua materia fiant; tum in quo corporis loco gignantur, & quomodo. Scribit autẽ Montanus, contenta huiusmodi esse excrementa terrea cum vrina commixta. In quo quidem à seipso discrepat, & docet, quæ sunt à ratione aliena. Nam si terrenum est excrementum, quomodo supernam & mediam vrinæ regionem occupare vnquam potest, vt ille fatetur, & experientia docet huiusmodi contentum? Quo pacto potest esse leue, & æquale & figuram pyramidalem obtinere? Nam quod terrenum est viscositate caret, vt ostendit humor melancholicus, qui sine lentore re vera est crassus & terreus. Propterea si talẽ haberent materiam, non possent deduci & continuitatem retinere, dum pendent in vrina, nec figuras tales capere, quales illis tribuimus. Galenus vero *libro de Crisibus*, melius quidem, sed non satis euidenter, contentorum materiam exprimit, cum ait, sedimentum in vrinis esse, quicquid alimenti in sanguinis generatione refugit naturæ concoctionem. Nam primum illud dubium est, quænam sint illa, quæ eo in loco refugiant coctionem: an omnia, inquam, excrementa, quæ assimilari non non possunt: sic enim bilis vtraque, quæ post sãguificationem expurgatur à massa humorum, præberet materiam his contentis. Quod fieri non potest, quandoquidem lentorem non habent, qui à contentis separari nequit. Refugit quoque concoctiones cibus ingestus totus cum ob naturæ infirmitatem, vel materiæ copiam, vel malas qualitates vinci nequit, nec fieri sanguis bonus, sed quicquid est in eo, crudius manet. At hoc totum non fit materia contentorum nam contenta fiunt in sanis, qui bene concoxerunt & sanguinem bonum procreatunt. Quare non ex toto, quod in sanguinis generatione alteratur, fit sedimentum, sed ex aliqua solum portione. Actuarius vero *libro primo de Causis vrinæ cap. 2.* scribit, contenta in vrinis esse excrementa tertiæ concoctionis. Verum docere illum oportebat, ex qua materia fierent. Præterea cum ille tertiam concoctionem intelligat eam, quæ fit in venis; iam superius habuit suæ opinionis confutationem, vbi ostendimus, in venis nullum communem toti corpori fieri coctionem, ex qua resultent duo genera excrementorum, alterum crassius, alterum tenuius, qualia in coctione ventriculi, hepatis, & singulatum partium fieri apparet. Sunt, qui dicunt, contenta hæc in vrinis nihil aliud esse, quam crudum vocatum humorem, qui in hepatis concoctione nõ potuit concoqui, concoctionem autem postea recipit in venis & solidis partibus. Sed illi errant: Crudus. n. vocatus humor subsidet perpetuo ob suam crassitiẽ, nec ex eo fieri potest nubecula & enæorema. Quod si quis diligenter horum naturam inspiciat, inueniet profecto, illa non fieri ex alia materia, quam ex *pituitoso humore*: sola enim pituita inter alios humores viscida est, & viscitatis est causa; viscida autem oportet esse huiusmodi contenta. Fiunt præterea hæc alba, qui color prius est pituitæ: docent id morbi biliosi, qui, vt maxime contrarii sunt generationi pituitæ, ita nec nubeculam, nec enæorema, nec sedimentum habent, tanquam deficiat pituita, propria ipsorum materia. Eodẽ pacto qui in inedia viuunt, aut parcius edunt, aut biliosos cibos ingerunt, vel laboriosam agunt vitam, tanto minus habent istorũ contentorum.

Verum si excrementa sunt, quæ excernuntur post concoctionem perfectam, à quanam concoctione & cuius generis crassius vel tenuius erit excrementum hæc pituita? Galenus, vt antea diximus, in generatione sanguinis sedimentum fieri dicit, & merito quidem, si pituita est: nam illa, vt alii humores solum in hepate generationẽ habet ex frigidiore & humidiore alimẽti portione. Sed non eo modo excrementum dicitur, quo modo capimus excrementum relinqui & separari absolutis concoctionibus; nam pituita non est excrementum alicuius coctionis, sed excrementum fit alia ratione. Cum. n. concoctrix facultas imbecillior est, aut à multitudine cibi & potionis grauatur, vel qualitatem cibi frigidiorem sortitur; non potest æqualiter quicquid in cibo est, mutare & assimilare, sed quod frigidius est, relinquitur, & excrementum fit, id est inutile ad nutritionem: Quo modo pituita excrementum cerebri dicitur esse, quoniam cerebrum frigida pars est, si affluat paulo plus alimenti, aut illud sit frigidius, non potest ex vniuersa massa sanguinis æqualiter nutriri, sed relinquit multum ex eo, quod pituitosum est, sic illud postea reiicitur, non tanquam excrementum, quod ex naturali coctione prouenit, sed ex ea, quæ male peragitur ex aliquo vitio. Eodem pacto in hepate cum gignitur sanguis particeps quatuor humorum, gignitur quoq; pituita ex frigidiore portione alimenti, quo fit, vt cum oneratur copia alimenti, vel frigidiori vtitur, aut hepar ipsum est frigidius; multum gignatur frigidi & pituitosi humoris, qui postea per venas vna cum sanguine fertur: ac cũ venæ nequeant æqualiter vincere eam massam, relinquunt in sua nutritione, quod pituitosum est: id quod postea vel expellitur à natura, vel, quod probabilius est, sequitur cũ vrina, cum eaq; miscetur: quo modo terra vna cum aqua fluente simul illabitur, vnde contenta hæc fiunt in vrinis. Quo fit vt *ex concoctione & nutritione propria venarum illa fiant, non quod sint excrementa coctionis, quæ illic fit, cum æqualiter nutrimentum vincitur, sed cum nequit plane vinci & assimilari ob naturæ imbecillitatem vel materiæ vitium*; venæ enim, cum sint exangues partes, imbecilliore calore sunt à natura donatæ; quare nequeunt agere nisi in imbecillius, quam temperatæ partes. Et si alimentum, quod assumitur, frigidius est aut crassius, aut copiosius, quam exigant, aut si plus genitum est in hepate, quam proportio humorum exigat, tunc plurimum necesse est relinqui huius humoris pituitosi.

Marginalia: *Nubecula, enæorema & hypostasis quomodo differant.* — *De horum contentorũ materia. Opinio Montani.* — *Galeni.* — *Actuarii.* — *Aliorum.* — *Authoris.* — *Pituitam nõ esse excremẽtum alicuius coctionis & qua ratione excrementũ fiat.* — *Vrinarum contenta cuius coctionis sint excremẽta & vbi fiant.*

Quibus ita positis de materia, loco, & causa, quæ gignit huiusmodi cótenta, sequitur vt ad alia progrediamur. Primum videamus, an in omni corporis statu contenta hæc gigni debeant; an scilicet in omnibus sanis, in omnibus ægris, vt omnes credunt Medici vulgares, qui laudant vrinam tanquam omnium optimam, quæ habet hypostasim albam, lenem, & æqualem. Ac Montanus quidem censet, optimam esse vrinam in sanis, quæ multa habet contenta: talem vero in ægris esse malam: & Hippocr. & Galenum non describere vrinam hominis optime sani, qui dicunt, illam debere habere huiusmodi hypostasim, sed ille errat: nam *passim* Gal. ostendit, se intelligere de vrina sani hominis. *In primo.n. de Crisib.* scribit, illam optimam esse vrinam, quæ simillima est vrinæ sanorum. Et si vrinam ægrotantium dicit optimam esse, quæ habet sedimentum album, lene, & æquale; quomodo hæc erit simillima vrinis sanorum, si hę non habeant, aliæ vero habeant sedimentum? Debent ergo sanorum vrinæ habere contenta, sed non omnium, eorum tantum, qui vel temperati sunt, vel temperatis frigidiores. Nam qui ita sunt affecti, temperati quidem nequeunt agere nisi temperate, quare extinguere nequeũt, & absumere penitus pituitam: frigidiores vero plurimum illius necessario relinquunt. At calidiores, præsertim si cum calore coniuncta sit siccitas, vincunt, assimilant & dissipant pituitam, quare vel nullum relinquunt contentum, aut certe perexiguũ. Idem accidit illis, qui parciore, ficciore, & calidiore vtuntur victu, aut corpus plurimum exercent. Propterea recte Gal. *lib.* 1. *de Crisib.* vrinas puerorum habere plurimum sedimenti, *quia sunt voraces, & quia etiam habent calorem multo humore obtu'um*, contrario vero modo habent iuuenes. Ad ætatem, victus, & vitæ conditionis proportionem, respódent anni tempora, & sexus; nã in æstate & viris vrinæ fiunt cum paruis aut nullis contentis.

Quorum sanorum vrina debeant habere contenta.

Quorum vero non.

Vrina puerorum cur plurimum habeat sedimenti.

Iuuenes vero pauci.

Respondent his, quæ diximus de sanorum vrinis, vrinæ ægrotantium. Qui.n. biliosis & ardentissimis morbis laborant, vel non habent sedimentum, vt inquit Galen. *lib.* 2. *Prognost.* aut omnino minimum, aut si aliquod habent, non hypostasim, sed solum sublimamentum obtinent. Eo pertinet, quod scribit *in lib. de Crisibus*, exquisitas tertianas terminari absque contentis in vrina. Sed cur, quæso, est, quod quædam vrinæ habeant solum nubeculam vel sublimamentum? aliæ vero sedimentum? cum enim pituita sit istorum omnium materia, in omnib. easdem regiones occupare debebat. Verum non ita res habet. Nam pituita etsi eiusdem substantiæ est, tamen quædam tenuior est, alia crassior, alia copiosior: & quæ tenuior & parcior gignitur, nequit deorsum labi, sed innatat & occupat superiores regiones aliarum rerum, quæ aeres & leues fiunt. At si pituita est contentum huiusmodi, cur in quotidiana & quartana, & in aliis etiam morbis, vbi pituita multa est, initio morbi non apparent contenta? An quod vniuersa massa illa humorum frigidiore crassioreque humore abundans non potest vinci & concoqui, vt excrementa appareant, quæ post concoctionem relinquuntur? nutriuntur enim, dum talis est humor, male partes illæ, & ex tenuiore duntaxat portione, vnde excrementa non resultant crassa, sed veluti congelata manet pituita: postea vero perseuerante coctione & naturæ actione; obedientior fit vniuersus humor, illoque nutritur corpus; ita tamen vt omnes humores æqualiter, qui inter se commixti sunt, assimilari nequeant à partibus exanguibus, quales sunt venæ; quo tempore contenta iam incipiunt in vrina apparere, quæ quoniam nondum plane concocta sunt, ideo eã crassitudinem quam inducit concoctio, non statim accipiunt. Propterea nubecula primo fit; postea vero procedéte coctione & aucta crassitie enęorema euadit, quod continetur: tandemq; hypostasis euadit & fit, iam properante ad finem coctione: Qua prorsus absoluta, perseuerante actione caloris, terrena portio exuberat, & iam non innatat contentum in suprema aut media regione, sed ad fundum vergit, vt res grauior. Sed quid dicemus de contentis, quę in morbis ita habent, vt primo appareat sedimentum, postea enæorema, deinde nubecula, & rursus fit enęorema, & postea sedimentum? Est autem huius rei ratio, quod natura in illis morbis onerata à multitudine crassorum humorum symptomatice expellat. Itaque tunc crassa materia suo pondere ad fundum labitur, postea vero natura exonerata à multitudine incipit fundere concretam eam materiam, quæ tenuior redditur, & magis aerea, atque ita superiora petit: finita autem fusione ad mediocrem consistentiam redigitur, quo facto concoqui incipit & rursus incrassari, vnde rursus descendit. Incipit ergo à nubecula contentum, deinde procedit ad sedimentum: quoniam scilicet natura materiam habet aptam ad concoctionem & multo spiritu adhuc plenam, cuius ratione attollitur, nec copiosa ita est, vt cogatur expellere prius quam concoquere. Aliquando vero incipit à sedimento: quod re vera sedimentum non est, sed crassamentum quoddam potius, aut si sedimentum vocare volumus, verum certe & laudabile nó est, quod.n. est laudabile, per cócoctionem fit, nec omnino hæret fundo vasis vrinarii, sed circa fundum natat. Fit autem illud, quoniam expulsione prius quam coctione natura vtitur. Verum non semper sedimentum mutatur in nubeculam, nec nubecula perpetuo fit sedimentum. Nam crassa aliquando est adeo materia, vt nulla fusione & alteratione tantam leuitatem accipere possit, vt supremam vrinæ partem petat. Sic aliquando adeo tenuis pituita est & cum bile mixta, vt nunquam tantam crassitudinem recipere valeat, vt sedimentum fiat. Quod in tertianis non exquisitis videmus, sed non admodum pituitosis: in quibus perfecta concoctio & salus contingit cum sola nubecula aut enæoremate absque sedimento. Primum igitur, quæ sit materia horum contentorum, & vbi ea gignatur primo, & vbi postea separetur, quomodo misceatur cum vrina, & in quibus sanis & ægris gignatur, quomodo præterea inter se mutentur, abunde dictum est. Sequitur, vt horum contentorum differentiarum causas explicemus.

Cur quædam vrina habeant tantum nubeculam, alia vero sedimentum.

Cur in initio morborum pituitosorũ non apparent cõtenta.

Cap. XIX.

De causis differentiarum contentorum in Vrina.

Fiunt, vt diximus, in aliis crassiora, in aliis tenuiora, in aliis copiosiora & maiora, in aliis vero mi-

vero minora. Fiunt autē crassiora ex pituita crassiore & naturæ imbecillitate, quæ nequit extenuare talē materiam. Quoniā vero ab initio tenuis est pituita & tenuia contenta, crassiora fiunt ex naturæ robore, quæ aereas & aquosas partes potest consumere & per vlteriorem coctionem crassitiem inducere. Quod si tenuia manent contenta, quæ prius talia erant, aut pariter crassa manent, quæ ab initio crassa apparuerunt, arguunt imbecillitatē naturæ, quæ nequit tenuia incrassare, & crassa concretaq; fundere & extenuare.

Contenta vrinarum talia permanentia qualia ab initio fuerit, quid ostendant.

Ergo hæc est communis ratio, quod ea contenta, quę perseuerant qualia ab initio apparuerunt, *materiam ostendant talem, nempe crassam vel tenuem, & naturæ imbecillitatē.* Vbi enim valida est, necesse est, vt agendo faciat mutationem. Quod si mutatio cōtingit, materiæ obedientiam & naturæ robur declarant. Porro multum fit contentum, quando plurima gignitur pituita, & natura valida est, quæ potest illam alterare, separare, miscere. Propterea in quartanis febribus & quotidianis veris, etsi multa est pituita, tamen quia illa frigida est admodum, deficiente scil. bile, pauca fiunt sedimenta, donec diuturnitate calor materiam vicerit, tunc enim multa fiunt. In tertianis vero nothis, quia calor ab initio est acris, etsi pituita abundat, tamen ea facile calefit, separatur, & miscetur postea cum vrina. Quod si parcior gignitur pituita ob victum moderatum, & naturæ robur; maiora, mediocria, & minora in sanis, & in morbis, quę materiam sumunt ex sanis corporibus, concoctionem & assimilationem. Etenim venarum & arteriarum tunicæ albæ sunt, quo fit, vt cum ipsa concoctio assimilatione fiat, vel assimilatio sit, merito alba reddantur, quæ ab ipsis cōcoquuntur: alios vero colores ex mixtione humorum contenta recipiunt hæc. Quod si nullus esset mixtus cum pituita humor, essent ab initio contenta alba, verum quoniam raro fit, vt bilis nō misceatur cum pituita, adeo ab initio flauescunt rubescuntq; contenta, quæ postea vincente assimilante natura, alba vt diximus redduntur.

Vrinæ vnde habeant odorem.

Odorem in contentis etsi ratio ponit prouenire bonum aut certe non fœtidum, quando cōcoctio absq; vlla putredine perfecta est: malum vero plus vel minus, quando putredo præualet, aut concoctio cum putredine: tamen sensus non agnoscit, nimirum quod misceri soleant cum liquore vrinæ, & cum eo spectentur indicenturq;.

Sunt contenta hæc, vt diximus, aliquando lenia, aliquando aspera. Lenia appellat Montanus, quæ tangenti nullam resistentiam faciunt, nec cedunt tactui, in hoc enim differt lene à molli, quæ etsi vere dicantur in his, quæ tactu diiudicātur, tamen contenta in vrinis tactu nequaquam dignoscuntur esse lenia vel aspera.

Lenia quæ.

Quare melius Galenus lenia hæc esse definit, quæ partes habēt, quæ non subsultant, id est, altiores quasdam, alias depressiores, quas qualitates visus deprehendit.

Lenitas contentorum vnde fiat, & quid ostendat.

Fiunt autem lenia contenta hæc *per integram assimilationem materiæ tunicis venarum & arteriarum.* Quæ lenes sunt, ostendunt & calorem naturalem vicisse exacte materiam, vt qui reiectis heterogeneis partib. reliquas perfecte elaborauerit, & ad lenitatē redegerit.

Contenta æqualia quæ.

Hæc porro æqualia dicuntur contenta esse, *quæ partes habent inter se similes:* & æqualitas spectatur in colore, lenitate, crassitie, tenuitate, & vnitate. Nam si diuersi colores apparent in contentis, aut si vna pars est crassa, alia tenuis, alia lenis; indicat æqualitas perfectam naturæ actionem, & propterea robur agentis facultatis & caloris mediocritatem. Vbi enim hæc ita habent, quæ patiuntur, ad certā æqualitatem rediguntur. Est autem optimum signum, quod sumitur à lenitate in contentis: secundo loco ab æqualitate; perfectiorem enim ostendit naturæ actionē lenitas, quam æqualitas, prius enim æqualia reddūtur contenta, postmodum vero lenia.

Figura pyramidalis in vrinis quid significet.

Laudant etiā Arabes in sedimēto figuram pyramidalē, & merito quidem; ostēdit enim talis figura *exactam mixtionem partis aereæ & terreæ, atq; aqueæ, & perfectā concoctionem.* Vbi enim aerea portio exacte est mixta cum aliis elementis, nequit subito tolli: & vbi nō est facta assatio, quæ partes aereas consumpserit, necesse est spiritum & aerem concludi, moderatum & paulo crassiorem factum, id non ex mixtione aliorum sequitur. Huiusmodi ergo spiritus & aerea portio ita affecta suapte natura leuiter attollitur, & secum trahit moderate partes aqueas & leuiores, atq; ita relicto, quod grauius est in fundo, & sublato, quod leuius est, tādem in acutiem desinit. Quo modo vapor ignitus ita moueri videtur, facit vt cōtenta hæc, quæ subsident, pyramidalem figuram hanc capiant, quod in nubecula & sublimamento nequaquam fit: nam in illis terrenæ non sunt tales partes, quæ deorsum vergant, nec spiritus, qui moderatum cum motū seruare possit. Illud quoq; obseruandum est, nō solum in contentis, sed & in aliis conditionibus bonæ vrinę, vt quę bona sunt postquam apparuerint, perseuerent in illis temporibus, in quib. apparere sunt apta. Nā si in vna die apparent bona contenta, postea nulla conspiciantur, aut mala; materię diuersitatem & inæqualem actionem ostendunt: Quare oportet perseuerare quæ bona sunt, & meliora fieri indies, donec perfectionem sint assecuta. Propterea videmus in ægrotis vrinas aliquando habere sublimamentum, vel nubeculam; eos tamen mori, quoniam talia contenta infimum locum non petunt, nec æqualitatem & perfectum colorem acquirunt. Nemo tamen exigat in omni morbi tempore huiusmodi perseuerantia: nam inuadente accessione febris, vel crescente aut etiam vigente, contenta nō apparent in vrinis, quæ etiam tenuiores & decoloratiores eo tempore mingūtur. Nimirum quod in illis temporibus natura nihil adhuc separare potuerit, quod istorum est causa in vrinis. Hæc dicta sunto de nubecula, enæoremate, & sedimento, quæ & bona & mala esse possunt. Sequitur, vt de illis agamus, quæ perpetuo sunt mala.

CAP. XX.

De his, quæ perpetuo mala in Vrinis apparent.

Quænam in vrinis perpetuo sint mala.

HÆc in vrinis mala sunt perpetuo, grumus, carūcula, sanguis, lapis & pus, arenulæ, vermes, dracunculi, pili, atomi, & sedimenta farinæ simillima, quæ Græci κριμνώδη vocant: alia sunt orobea, quod orobo simillima sit: aliquando furfurea sunt sedimenta, aliquando squamosa, & follicea, quorum omnium causæ docendę sunt.

Vnde fiat grumus in vrinis.

Grumus fit à sanguine, nam sanguis cum extra propria vasa emittitur, cōcrescit & grumus fit sanguinis

Grumus quid. thrombus: nil aliud est grumus, quam sanguis concretus. Effunditur autem sanguis vel aperto vel rupto vel eroso aliquo vase ad vrinam destinato aut excreto sanguine expulso ad vias vrinæ, tunc enim cum vrina miscetur, & in ea subsidet, quoniam res grauis est & crassa. *Vnde caruncula.* Carunculæ fiunt exulceratis renibus, nam à solida & crassa renum substantia non nisi frustulatim potest aliquid abradi. Subsident ergo huiusmodi carunculæ, quia graues sunt. *Sanguis vnde cum vrina misceatur.* Cęterum sanguis, qui miscetur, vel bonus est, & tunc vrinam reddit rubram, contingitque eum cum vrina misceri vel vitiatis vasis partium destinatarum ad vrinæ expurgationem, vel è conuerso naturæ motu, solet enim, etsi rarissime id fit, natura terminare morbos emisso sanguine per vias vrinæ. Aliquãdo vero sanguis, qui cum vrina miscetur, est potius sanies quædam sanguinis, aut sanguis diminute coctus, quam verus sanguis: & tunc vrina redditur similis aquæ, in qua caro recens mactata abluta est; & tunc indicatur non defectus naturæ in concoctione, vt putat Montanus, sed potius dilatatio quædam renum & venarum emulgentium: quod apparet in iis, qui calculo laborant. Illi enim vrinas, quales diximus, & nonnunquam etiam veluti fuligine aspersas mingunt è conuerso, vel humore melancholico, vel sanguine assato. *Vnde lapides.* Cæterum lapides, qui subsident in vrina, gignuntur vel in renibus, vel in vesica, ex pituita exsiccata quidem, sed nondum plane consumpto humore omni, nam si humor non adesset, non consisterent lapides, sed in sabulum dissoluerentur. *Sabulum.* Fit ergo sabulum, quod subsidet, ex terrena portione priuata suo vinculo, nẽpe humore. Non tamen lapides aut arenulæ indicant necessario calorem igneum, vt Montanus tradit; quandoquidem multi huiusmodi vrinam copiosam & lapides mingunt absq; sensu insignis alicuius caloris in renib. vel vesica, aut alterius partis comparatæ ad vrinam reddendam. Sufficit enim exiguus calor, vbi pituita est crassa, & diu in exiguis cauitatibus renum, aut etiam in meatibus vesicæ continetur, ad lapidis vel sabuli generationem. *Pus.* Fit ergo pus, supputata, & rupta aliqua inflammatione in partibus vrinæ destinatis, aut in aliis, quæ per vrinam expurgari solent, vel eisdem exulceratis partibus. Pus enim vlcera sequitur, nec semper puris generatio requirit igneum & adurentem calorem, quandoquidem absque aliquo caloris sensu in his, quidiu huiusmodi malis sunt affecti, sæpe in renibus, hepate & liene & in aliis corporis partibus per dissectiones deteguntur abscessus multo pure pleni. *Vermes.* Vermes vero exigui nonnunquam apparent in vrina, ex sordidis vlceribus, vt par est credere, vel ex corrupta materia geniti, visi quoque sunt excreti per vrinam. *Dracunculi.* Dracunculi ex tali materia, vt arbitror, etiam procreãtur. *Pili.* Pili fiunt ex pituita diu in renibus contenta & quodammodo assata, & ob angustiam viarum extenuata ad pilorum formam. Indicio est autem illud gigni in renibus & meatibus vrinariis, quod calculo laborantes, cum exit calculus, plurimos pilos huiusmodi cum vrina emittant. *Sedimenta furfuracea.* Cæterum sedimenta, quæ farinæ formam referunt, fiunt ab humore crudo vocato, qui in venis, vt Galenus asserit, aceruari solet: non autem habet causam calorẽ igneum, vt ait Montanus. *Orobea.* Orobea etiam sedimẽta itidẽ docet fieri colliquatis solidis partibus, quod mihi parum videtur probabile, cur enim non fieret perpetuo in iis, qui hectica febre & colliquantibus aliis morbis pereunt? Videntur ergo habere materiam, si nigrescunt, humorem melancholicum, & propterea malæ sunt tales vrinæ, cancrosæ enim sunt affectiones atrabilariæ. *Furfurea, squamosa & foliacea.* Furfurea sedimenta, squamosa & foliacea vesicam exulceratam sequuntur. Atque hæc sufficiant de causis contentorum in vrinis, quæ scilicet innatant aut subsident.

Cap. XXI.

De causis bullæ & spumæ.

Sequitur, vt de causis aliorum contentorum agamus, quę in superficie vrinæ apparent, inter quæ ampullas siue bullas, spumam, & pinguedinem, & coronam, enumerauimus. Ac de bullis & spuma communi agemus tractatione, quia communis est illorum materia & natura; *Spuma quid.* nam spuma nihil aliud est, quam *multæ bullæ simul aggregatæ & confractæ, & in minimas partes diuisæ.* *Vnde bullæ.* Fit autem bulla *ex humore viscido mixto cum spiritu crasso.* Vapor enim huiusmodi natura sursum attolli nititur, humor aũt tenuis & viscidus permittit quidem illius motum, sed resistit aliquantulum. Itaque deducitur à vapore humor, & tumet, atq; ita bulla fit, quæ postea dissoluitur exeunte vapore & concidente humore. Durant autem plus vel minus huiusmodi bullę, antequam dissoluantur, quia humor & vapor crassiores tenuioresq; sunt, crassities enim dissolutionem moratur, tenuitas vero accelerat. *Humor quomodo cum vapore misceatur.* Porro miscetur humor cũ vapore vel à calore vel à motu, aut ab vtroq;, motu enim spuma in mari gignitur, calore in aqua & iusculis feruentibus, in aquis vero currẽtibus ab vtroq;; vrinæ vero spumosæ, meo quidem iudicio, non fiunt à calore naturali vel præter naturam, vt Montanus censet, quod ex spuma materiæ agitationem virtutis debilitatam, & etiam mortem prædici scribit. Nam in quotidianis & tertianis nothis, vbi multa adest pituita & calor febrilis, qui talem materiam agitare potest, fierent perpetuo vrinæ cum bullis, & spuma, quod non fit. *Vrina vnde fiat spumosa, & quid significet.* Sed cum omnes ex talibus vrinis *destillationes humoris pituitosi à capite* rectè præsagiant indicium est, *solum motũ causam esse istarum rerum in vrina. Cum enim humor pituitosus, viscidus, & tenuis descendit à capite in venas, & ex motu agitatur, cõfringitur in minimas partes, & ex calore flatus interim aliquis procreatur, bulla & spuma nascuntur, quæ cum humore seroso mixta, illum sequuntur per vias vrinæ, & vrina ipsa emissa in ea supernatant.* Indicat, vt diximus, spuma maiorem causam, vnde mare primo bullas excitat, cum agitatur à vẽtis, & includi incipit aër: postea vero durante tẽpestate spumosum euadit ex continua agitatione incluso per minimas partes vento, & extenuata aqua, quæ per minima iam diuidi potest.

Cap. XXII.

De causis pinguedinis.

Pinguedo fit ex colliquatione adipis: estque grauior affectus in quibusdam, in aliis vero ... leuior.

leuior. Nam qui plurimum habent pinguedinis & illius quidem admodum humidæ, ex minima causa illis innatat pinguedo in vrina, adeo vt in tertianis & aliis prorsus salutaribus febribus huiusmodi appareant vrinæ: in aliis vero corporibus non nisi ex grauiore causa fit colliquatio, quare lethale est signum huiusmodi vrina. Spectanda præterea est forma & qualitas ipsius pinguedinis, quæ innatat. Quædam est similis pinguedinis, quæ apparet in iure pulli: alia vero est ad similitudinem oculorum boum; alia sicut tela araneæ. Leuiorem indicat affectum prima: non tamē optimum & naturalem, vt Montanus credit, qui putat vrinas sanorum talem pinguedinem habere debere. Nam præter id, quod Galenus & alii auctores hanc conditionem non ponunt in optima vrina, experientia etiam docet, vrinas sanorum optime consistere absq; tali pinguedine. Secunda autem species deterior est prima: & tertia est omnium pessima, vt quæ maiorem colliquationem ostendat. In corporibus tamen, quæ facile colliquescunt, nonnunquam apparet huiusmodi vrina, vbi nulla est causa præter naturam.

Quid significet.

CAP. XXIII.

De Corona.

CORONAM in vrina appellant circulum illum, qui est veluti linea quędam diuersicolor deducta ad circumferentiam, & videtur circulus vrinam ambiens. Huius circuli substantiam esse tradit Montanus humidum existens in solidis partibus; quod, vt inquit, est substantificum vel nutrimentale, & ob id censet, illud esse toto genere præter naturam & à calore igneo colliquari. Huiusmodi substantiam dicit assimilari pinguedini, & proxime ad illius naturam accedere, & esse aliquantulum crassam & viscidam, & eam apparere in iusculis pullorum, & esse humidum substantificum extractum ex concoctione. Occupat autem circulus hic superficiem, sed depressior est, quam ipsa superficies, quam spuma & ampullæ obtinent: nā substantia coronæ grauior est, quā substantia spumæ, & leuior est illis, quæ descendunt & innatant in vrina, depressiorem habet locum, quam spuma, & altiorem nubecula. Porro huiusmodi substantiam elici à calore igneo colliquante, & ob id, vbi apparet talis circulus in vrina, adesse febres colliquantes & hecticas, & tabem adesse aut euitari non posse. Notat etiam in ipso circulo magnitudinem & paruitatem; quod multam & paucam materiam, aut magnam & paruam colliquationem ostendit. Præterea odorem bonum aut malum, & colorem subnigrum, quem ostendere coloris assationem & viridem adustionem, & alia nonnulla de corona hac tradit, partim bona, partim mala. Nam quæ scribit de loco & situ ipsius, probabilia & vera esse puto: quod vero materia ipsius coronæ sit humidum substantificum extractum à calore prorsus igneo & præter naturam, & quod appareat solum in febribus colliquantibus, & talem ostendat præsentem vel imminentem; puto hæc omnia à ratione aliena. Nam experientia docet, in plurimis sanis & in leuioribus morbis, maxime circa Autumnum tales apparere circulos. Præterea si in iusculis pullorum, qui moderate sunt cocti, apparebit, in vrinis vbi fit assatio & alteratio à calore igneo & præter naturam? nam Aristoteles & alii Philosophi bonas concoctiones, quæ in nobis fiunt, elixationi assimulāt. Ridiculum præterea est, in his circulis odores diuersos describere, quis enim in eo, qui lineam facit & perpetuo cum vrina est, commixtum peculiarem aliquem odorem deprehendere potest? Aliter ergo de his censendum est. Primo videndum est, ex qua substantia circulus iste fiat. Ac mihi quidem videtur, quemadmodūm nubecula, sublimamentum & sedimentum fiunt ex pituita, ita quoq; coronam fieri *ex humore melancholico*, non quod totus melancholicus humor cum vrina misceatur, sed tenuior illius portio, & ichor quidam, qui ab eo elicitur; Indicio est primum, quod circulus ille vt plurimum, imo semper ad nigrum vel viridem vergat colorem, tum quod depressior sit superficie ipsius vrinæ, quod sine aliqua grauitate fieri nequit. Propterea errat Montanus, qui talem situm ei tribuit, & materiam illius statuit esse pinguedinem, quæ supernatat vel depressum locum habere potest. Ichor autem melancholicus, qui non sit ipse melancholicus humor, non habet insignem grauitatem, qua possit descendere, nec penitus ascendere potest. Quare cum sit aliquid melancholicum superficiem premit, & merito eum locum occupat, qui coronæ tribuitur. Addo, quod huiusmodi circulus non soleat apparere, aut certe sit exiguus in breuibus morbis, sed euidentissimus sit in longis & Autumnalibus: quoniā scilicet humores melancholici & atrabilarii sunt redditi, & illis abundantibus maiores siue latiores, & crassiores coronæ apparent & conspiciuntur. Vnde recte Montanus dicebat, in hecticis & tabidis febribus insignes esse coronas in vrinis: verum non ea ratione, vt ipse credit, quod scilicet pinguedo colliquata sit huius circuli materia; sed quod tales febres humores liquidiores consumant, & qui relinquitur, corpore dissoluto, melancholici sunt redditi. Qui potest his meliora docere in re tam perplexa & ab antiquioribus nequaquā animaduersa, doceat quæso, illo enim multorum labore res perficientur, & veritas elucescet.

Circulus quem locum in vrina occupet.

In quibus vrinis & quo anni tempore circulus vt plurimum apparent.

Circulus ex qua substantia fiat.

In quibus morbis apparet.

CAP. XXIV.

De causis quantitatis vrinæ.

QVantitatis vrinæ superfluæ plus, quam naturæ ratio postulet, vna est immediata causa, copiosior humor serosus, qui per renes & vesicam fertur. Duas autem oportet esse causas, vt hęc fiat. Vnam, vt gignatur talis humor; aliam, vt ad renes ducatur: nam si non gignitur, duci nō potest & copiosa fieri vrina; quod si gignitur, & in venis contineatur, aut per sudorē vacuetur; nō fit copiosa vrina, quare vtraque causa necessaria. Gignitur autē multa vrina à multa potione, tū à cibis aquosis, præterea à multo somno, aëre pluuioso, otio multo, & omnibus deniq; humectandi vim habētibus. Fit & alia ratione multa, quod scil. natura expurget se ab excremētis per renes, aut quod per medicamēta dicta diuretica ex tota

Vrina copiosa vnde.

massa eliciantur aquosi humores. Conuertitur vero ad renes, vel quod ipsi renes plurimum attrahant, aut quod natura eo suos motus conuertat, sicut in crisi fit, quæ per vrinam perficitur. Ex contrariis causis fit pauca vrina; vel enim non gignitur ex defectu causarum humidarum: aut genita absumitur, vt accidit in febribus, vel quod ad renes & vesicam non feratur. Id quod accidit, vel quod attrahant renes male affecti, aut aliud membrum sit læsum, quod susceptioni, attractioni, expulsioniq; sit destinatum. Porro supprimitur vrina à variis causis, de quibus hoc loco agendum non est: nimirum quod non actionis, sed ipsius excrementi causas reddere nostrum sit institutum.

Cap. XXV.

Quarum partium dispositiones & quos affectus vrina significare possint.

Vulgaribus Medicis assentiendum non est, qui omnes corporis affectus & omniū partium morbos ex vrina se dignoscere & diuinare posse profitentur. Quomodo enim ostendet earū partiū morbos, quæ sua excrementa per vrinam non emittunt? Præterea si vrina excremētum est, & talia excrementa in se recipit; nequaquā poterit eos morbos indicare, in quibus nulla fit cōcoctio, & propterea nulla generatio excrementi: aut si fit, vrina non est, aut cum vrina non miscetur, vel ab ea non separatur. Propterea ridendus Actuarius, qui membranatum cerebri, cordis, pulmonis, pectoris, vteri & etiam articulorum mala ex vrina dignotionem tradit. Quis luxationes, figuras vitiatas, cauitates partium corruptas, asperitates, leuitates partium præter naturam, magnitudinem, numerum, & situm, & vitia, quæ ex solutione continui accidunt in partibus externis, ex vrina deprehendere potest? Verum vt illi damnandi sunt, qui omnia ex vrinis vaticinantur, ita nec illi sunt probandi, qui duntaxat vitia venarū ex vrina cognosci volunt. Nā cum aliquæ partes se exonerent in venas, vt caput; cur non poterit vrina illarum affectus significare, à quibus excrementa decidunt? Quippe cum experientia doceat, spumosas vrinas capitis plenitudinem significare, & ab eo descensum pituitæ in subiectas partes docere. Præterea cum pituitæ generatio fiat in hepate, non solum vitio hepatis, sed etiam quando ventriculus non satis concoxit, nec præparauit alimentum hepati, poterit vtique vrina etiam significare: quod non semel docuit experientia. Vbi enim aquosæ minguntur vrinæ, raro aberrat Medicus, sed debilem ventriculi concoctionem præsagit. Ad hæc cum excrementa, quæ cum vrina misceri solent, sæpe non misceantur; eo q; ad alia loca ferantur, indicat profecto etiā illarum partium mala, ad quas huiusmodi humores reuocari solent. Quo pacto delirium pronuntiamus ex vrina, quæ in febribus tincta mingebatur, & postea alba & tenuis emittitur, nulla facta euacuatione bilis. Et quoniam crassitudo subiugalis in vrinis flatum inclusum habet, qui superiora petere solet, merito ex tali vrina capitis dolorē diuinat Hippocrates. Itaq; vrina potest ostendere earum partium affectus, in quibus gignitur, & à quibus materiam capit, ex qua gignitur, nec non ea, à quibus colorem, crassitudinem, contenta, opacitatem, perspicuitatem, odorem & reliqua, quæ in illis consideranda esse diximus, recipit, nec non partium, per quas transit, & in quibus retinetur, & per quas expellitur; nec non earum, quæ priuant eam aliquo humore, qui cum ea misceri solet. Ac vbi supprimitur, ostendit vel non gigni ipsius materiam defectu potionis & aquosi humoris, aut non attrahi à partibus destinatis ad illius attractionem, aut non expelli ab illis, quæ comparatæ sunt ad illius expulsionem à natura, aut viam illi præclusam in illis partibus, per quas permeat, aut illius materiam ad alia membra transferri.

Quænam affectus ex vrinis non possint dignosci.

Qui vero possint.

Cap. XXVI.

Quænam ex illis, quæ sunt in vrina, certiora præbeant indicia.

Diximus ex vrinæ qualitatibus, quantitate, contentis, & consistentia, indicia sumi ad partes corporis & ipsarum mala dignoscenda. Sed quoniam prædicta parem vim nequaquam obtinent, ideo singulis tribuenda est propria dignitas & facultas: qua in re tradunt omnes scriptores, de hac re leuiora esse indicia, quæ sumuntur à colore, quam quæ à consistentia; & hæc minora esse illis, quæ ducuntur à contentis; quæ vera quidem sunt. Nam exiguus sufficit humor ad colorem vrinæ mutandum, exigua præterea requiritur vis ad generationem illius humoris: ad crassitiem vero vrinæ plus requiritur humoris. Propterea vrina, quæ habet crassitudinem, ostendit humorem pati facile, & naturam validam esse, vt quæ potens sit materiam eam vincere & expurgare. Contenta vero, quæ nubeculam, sublimamentum & sedimentum faciunt, (de his enim intelligimus, cum maximam vim contentis damus) non possunt gigni & expelli, nisi constante naturæ robore; præsertim cum perseuerant & in melius procedunt. Quare merito primas obtineant in significanda salute, & breuitate ipsius morbi. Verum etsi hæc, quæ diximus, maiorem habeant vim in pluribus ad salutem aut mortem significandam, cum adsunt aut absunt, tamen ex aliis possumus melius eadem prædicere. Etenim putredinem, vlcera, & abscessus, qui per vrinam solent vacuari, fœtidus odor vrinæ euidentius prodit, quam color, consistentia & contenta. Præterea in febribus si vrina supprimitur aut opaca est, certiora erunt indicia mortis, quam si vrina sit tenuis, decolorata, sine contentis, hæc enim solam cruditatem ostendunt, quæ tempore emendari potest; illa vero causas deteriores, nullum enim seruatum vidi, cui esset suppressa vrina in continuis febribus, absque solito vitio renum aut vesicæ. Fiunt enim tales suppressiones ex maximis obstructionibus hepatis & renum repente factis, vt Anatomia docet, quæ obstructiones eo tempore omnia remedia contemnunt. Opacitas vero, vt ostendimus, proprias habet causas, cum internæ causæ sunt. Sic colores vrinæ certiora præbent indicia humoris peccantis in corpore, quam alia. Habent ergo singula aliis maiorem vim

Suppressionem vrinarum in febribus cōtinuis [illegible] significare mortem.

vim ad quædam significanda. Ad robur vero virtutis ostendendum vnde salutem prædicimus, contra maximam obtinent dignitatem. quoniam cum virtutis alteratricis debilitate nequit vinci materia & domari pituita, & ea excerni miscerique cum vrina.

Cap. XXVII.

Quæ consideranda, vt recte iudicemus de vrinis.

Si ex qualitatibus, substantia, quantitate, & contentis in vrina indicia sumi debent; danda opera est, vt ista omnia maxime talia appareant, qualia fiunt in corpore. Propterea omnia recte sunt consideranda, quæ nostrum iudicium corrumpere possunt. Quare iubet Galenus, vrinas omnes, quas reddunt ægri, separatim esse colligendas. Sic enim intelligitur, quantum illi mingant, ex quo dignoscitur, si quid natura excernat vltra portionem. Verum etsi vrina tota, quæ mingitur, inspicienda est, non tamen singulæ vrinæ eas possunt habere qualitates, vel substantiam, & contenta, quæ morbosas dispositiones declarent. Nã quæ ingesto recenter cibo aut inuadẽte accessione febris minguntur, nec colorẽ, nec crassitiẽ, nec contenta habere possunt; quoniã tunc non est facta generatio excrementorũ, quæ illa pariunt. Vt autem remouendæ sunt corporis affectiones, quæ non ostendunt eos humores, qui cum vrina misceri solent: ita videndum, ne quæ in vrina sunt, ab externis caussis sint facta. Nam absumpto liquore cassiæ, nigræ & fuliginosæ & crassæ redduntur vrinæ, & absumpto rhabarbaro, flauæ & crassæ; deuorata vero terebinthi resina, odoratæ. Hæc ergo sunt remouenda, quæ vrinas inficiunt, nec tales emitti permittunt, quales efficit interna corporis dispositio. Vult quoque Auicenna, non esse inspiciendam vrinam, ex qua iudicium ferre volumus, post sex horas, à quib. reddita est: quia corrupta iam talis est quodammodo: nec statim post mictionem inspicienda, vt separatio fieri

Quæ vrina inspicienda.

Quando inspicienda.

A possit contentorum à liquore: neque vento exponenda: nec soli aut aëri nimis frigido: hæc enim natiuas vrinæ qualitates corrumpunt. Inspicienda autem est in vmbra, nam solis & lucernæ lumen fallunt. Colligenda vero in vitro claro, aut cristallo tenui, nullo colore extraneo infecto, quod pyramidalem habeat figuram, vt locus detur cõmodus figuræ sedimenti, nec transfundenda est ex vno vase in aliud: & debet esse debita substantia inter oculum Medici conspicientis & vas vrinarium. Manum propterea admoueat Medicus in opposita parte vasis vt radii colligantur, tanquam in speculo, hæc & similia consideranda sunt. Quoniam vero nonnulli
B specie aliarum rerum, quæ similitudinem habent cum vrinis, Medicos decipere student, ideo tradendæ de hac re nonnullæ præceptiones: *In vrina semper aliquid sursum deorsumque ferri more atomorum, quod in aliis rebus non fit; Vrina item quanto maiore distantia admouentur oculis, tanto tenuiores apparent, alia vero, quæ similitudinem habent cum vrina, tanto crassiora apparent, quanto magis distant, vino excepto, quod & propinquum & remotum semper suam tenuitatem ostendit.* Ad hæc odor vrinæ proprius non sinit falli Medicum. Verum difficilius est vrinas hominum ab vrinis aliorum animalium distinguere, quanquam Auicenna conetur in quibusdam docere. Nam vrinam asini dicit esse sicut butyrum liquidum cum turbiditate & crassitie
C exteriore: equorum vero vrinas dicit esse vrinis asinorum similes, sed clariores; ita vt superior medietas sit clara, inferior turbida. Ouium vero vrinæ sunt albæ ad citrinitatem tendentes, similes vrinis hominum, sed substantiam non habent (eo nomine forte intelligens consistentiam) & earum sedimentum est, sicut oleum aut amurca; vrina crapreoli vrinis hominum & ouium similis est, sed clarior vrinis ouium, nec habet substantiam, nec sedimentum. Hæc nunc de vrinis sufficiant: quæ forte aliquando in maiore otio meliora & illustriora reddemus.

Vbi.

In quali vitro.

Quomodo.

Quomodo alia materia liquida ab vrinis discernenda.

Vrina asinorum qualis.

Equorum.

Ouium.

Capreoli.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE OFFICIIS MEDICI,

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

De vtilitate huius operis.

QVæ, & quot præsta-
re debeat Medicus, qua-
que ratione commode
in humano corpore age-
re poterit, suoq; munere
fungi, hoc loco tradere
instituimus: Quæ sane
res omnium præstantis-
simam, vtilissimamq; medicinæ partem comple-
ctitur. Neq; enim Medicus sanitatis, morborũq;
genera, differẽtias, causas, partes, effectus, signa,
remedia, & reliquæ materiæ medicæ vim, natu-
ramq; per se quærit, sed vt ad conseruationem,
curationem, & alias actiones, quas varia corpo-
ris conditio postulat, ea omnia referat. Quid e-
nim sit sanitas, inuestigat, vt eam conseruare pos-
sit, vtpote quæ secundum naturam in nobis exi-
stat. Sic illius genera, differentiasq; enumerare
studet, vt intelligat, quæ quotve sint conseruati-
onis genera, & differentiæ, & singulis, quod il-
lorum natura postulat, adhibere valeat. Causas
præterea sanitatis scire cupit, vt cum absunt, eas
arte restituere, & præsentes tueri possit. Sic pro-
fecto morborum naturam, genera, & differen-
tias expendit, vt se præparet ad eorum propulsi-
onem: nec ignoret in variis morborum generi-
bus, & differentiis varia esse præstanda. Partes
vero morborum nititur inuenire, vt earũ nume-
ro, & multiplici natura explorata, perspectum
quoque habeat, quoties, & quando varianda sint
officia, remittendaque, aut intendenda pręsidia,
quæ morbis abigendis conferunt. At qui mor-
borum causas scrutatur, distinguere nititur, quæ
actu, quęve potentia morborum sint procreatri-
ces, vt admoneatur, nunc præseruatione, nunc
curatione opus esse. Quinetiam effectus sanita-
tis, & morborum generibus separare, enumera-
req; studet, tum vt eos seruet, qui secundum na-
turam sunt, tum vt eos propellat, qui præter na-
turam affecta corpora sequuntur. Signa explicat
Medicus, vt corporis omnem statum perdiscat,
quo postea intelligat, quid seruandum, mutan-
dum, & demum quid illi agere conueniat. At
vero corporis, partiumque conditionem o-
mnem scrutatur, vt agnoscat, vbi in eisdem malis
ob subiecti corporis naturam varianda sit cura-
tio, conseruatioque. Postremo remediorum, vi-
ctusque genera, differentias, facultatesque o-
mnes notat, vt habeat idoneam materiam, &
instrumenta aptissima, quibus in omni officio
vtatur. Quamobrem nemini mirum videri
volo, si hanc medicinæ partem de Medici offi-
A ciis inscripsi. Nam etsi muneris quoque illius
est corporis compositionem, & naturam co-
gnoscere, sanitatis morborumque genera, cau-
sas, partes, effectus, & signa perspecta habe-
re, & præterea materiæ medicæ vim, & natu-
ram tenere: tamen quoniam ea per se non fa-
cit, nec scire cupit, sed quatenus ad conserua-
tionem, præseruationem, curationem, & alia,
si quæ erunt huiusmodi officia, conferunt; ideo
illa ab hoc nomine, & tractatione excludo,
quod scilicet præcipua non sint, nec vltima,
nec Medico maxime propria, quando illa supe-
riora etiam à philosophis pertractantur: hæc au-
tem sola medicina docet, in illisque versatur. Ac
multo quidem minus Medici officium hoc loco
B vocabo vti prudentia, vel quod ad eum spectet,
sui corporis, morum, vestitus, sermonis & a-
liorum huiusmodi, quibus gratia, fama, & fi-
des comparatur, curam habere, quæ quidem
Hippocrates *in libro de Officio Medici*, & *de
Morbis vulgaribus sexto, alibique passim* sub
officiis Medici complectitur: Nam vel hæc ex
aliis artibus institutus adfert, vel certe Medici
non sunt, sed personæ potius medicinam fa-
ctitantis externa quædam officia, nos autem,
quæ propria sunt artis munera, & inter ea præ-
cipua solum hoc loco quærimus. Quæ res quam
vtilis sit, & gloriosa Medico, ex hoc cognosce-
re possumus, quod ille in hac parte perpetuo
versetur, & laudem maximam apud omnes in-
C ueniat, ac etiam si quid in aliis erratum sit, hu-
ius vtilitate regatur. Nam si aliquando in sola
prædictione futurorum subsistit Medicus, velut
cum in desperatis morbis mortem præsagit, id
sane facit, quod videat, nullum curationi lo-
cum relictum. Admiratur quidem vulgus Me-
dicum, qui de generibus, & causis sanitatis, mor-
borumq; optime disserat, eum tamen sequitur,
quem in curatione, sanitatisque conseruatione
excellere putat. Diuinatorem eum iudicat esse,
qui statum omnem corporis pernouit: Si auxi-
liis commodis destituatur, sanitatemque tueri, &
morbos propellere nesciat, si spes interdum fru-
stratur, & moritur aliquis, de quo Medicus secu-
rus primo fuit, labefactatur Medicinæ fama, &
D dignitas. At si moriturum ægrum prædixerimus,
quem postea tandem curatio restituat, laudem
ex ea maximam, dissimulato prædicendi errore,
consequemur. Quid pręterea diuinius? quid me-
lius, quam sanitatem conseruare posse, sine qua
homo agere nequit, & morbos propulsare, qui
vitam mortalibus vel adimunt, aut fractis animi
corporisq; viribus ita labefactant, vt nec huma-
na, nec diuina officia exercere valeamus? Quin-
etiam ab hac parte vniuersa ars nostra nomen
accepit, siquidem *à medendo* medicina dicta. *Medicina vnde dicta.*
Quo

Quo magis eam pro viribus excolere oportet, A quanto reliquis omnibus vtilitate, dignitateque præstat, & difficultate eas superat. Etenim quid morbus sit, quid sanitas, quæ, quotve illorum genera, & differentiæ, quæ, & quot causæ, signa, effectus, & auxilia, quæ ad humani corporis salutem sunt comparata, non magno forte negotio quilibet enumerare potest: At quo modo, quave ratione seruanda sit sanitas, propellendi morbi præsentes, instantesque præcauendi, nemo recte intelligere poterit, qui disciplina, vsuq; medendi optime non sit instructus. Itaq; imprimis illud explicandũ esse duco, quæ & quot sint Medici officia. Nam hoc ostenso, reliqua postea quæ huius sunt tractationis, facillime innotescent. B

Cap. II.

Quæ, & quot sint Medici officia.

De numero officiorum Medici nihil collectum, nihilq; certum apud Galenum lego: atque etiam illud multo minus constat, quid vnicuique officio subiiciatur. Nam *passim* ille *in Methodo medendi* conseruationis, præseruationis, curationisq; mentionem facit, nec tamen interim probat, an hęc sola, an alia adhuc relinquãtur Medici munera: an pręterea hęc sint summa, vel ab aliis nata officia. Nam quod scribit *in lib. de Constitut. artis*, & in illo, cui titulum fecit, *An res tuendæ sanitatis ad Medicum pertineat*, medicinam vnum perpetuo moliri, nempe vt vitia corporis corrigat, ostendit, Medici quoq; esse, ea corrigere, & vitiatam corporis structurã restaurare. C Quinetiam nonnulla alia præstari à Medico, quæ nec præseruatio, nec conseruatio, & multo minus curatio sub se comprehendunt, intelligere licebit, si paucis docuerimus, quid illis tribuat, subiiciatque. Itaque φυλάττειν, idest, cõseruare dicitur Medicus, qui vitia emendat sanorum corporum: quemadmodum ex eo autore patet, tum alibi, tum potissimum *in Arte Medicinali*, & *in opere prætacito*, vbi quærit, an Medici sit sanitatem tueri. Etenim quoniam bene valentium corporum mala, & vitia adeo exigua sunt, vt nec sentiantur quidem, nec statim appareant, sed temporis progressu cognoscantur, vtpote quæ ætatis cursu ob insiti caloris exsiccãtis vim proueniunt: ideo cum ea emendantur, etsi afficitur, mutaturq; corpus, tamen in eodem statu conseruare illud putatur, quia scilicet parua mutatio est, & insensibilis, vt ne mutatio quidẽ appareat: veluti cum corpus edit, dormit, vigilat, ambulat, vel aliquid aliud facit, quo quidem restauratur, & id, quod in eo est deperditum, restituitur, nulla tamen interim insignis apparet mutatio, quales sunt, cum morbosa vitia propellũtur, & sanitas ex morbo paratur. Quamobrem merito correctionem malorum, quæ sanis corporib. contingunt, & omnibus communia sunt, dum bene valemus, proprio nomine conseruationem vocamus; etiamsi non solum eum, qui E præsens est status, tueri, sed etiam in melius perducere studeamus: veluti cum sani optimũ corporis habitum affectamus. Nam licet paulo maiora sint vitia eorum, qui deteriore sanitate à natura sunt donati, quam illorum, qui eam perfectissimam sunt consecuti: tamen non vsq; adeo illa euidentia sunt, vt genus actionis mutent:

Conseruare quid.

Et quando Medicus corpus conseruet.

Præseruatio quid.

quippe cum in eodem aff. ctus genere versentur, qui eorum custodiæ præsunt: siquidem qui optimam sanitatem corrigit, idem facit, quod alius, qui corporis sani vitia emendat. Nam vterq; sanitatẽ seruat, etsi alius interim melius aliquid assequi enitatur, & contrariis etiam vtatur, ita plane quemadmodum qui morbis medetur: nimirum cum ab eo, quod deterius est, ad id, quod melius, non nisi cõtrariorum vsu peruenire possimus, nihilominus, vt optime inquit Gal. quia in eodem affectus genere persistimus, nempe sanitate, paruaq; adhuc vitia sunt, quæ corriguntur, conseruationis appellationem retinemus. *Ergo conseruare dicetur Medicus, qui sanorum mala emendat*, eritque hoc vnum illius officium, quod bifariam scinditur ex duplici negotio, & scopo: vnum quidem, quod sanitatem sibi propositam in eodem statu tuetur; alterum, cum melius aliquid, vel etiam optimum sanitatis habitum comparare studet; ac prioris quidem exemplum est, si Medicus hominem natura biliosum in eo statu seruare sibi proponat, secundi vero, si eundem ad mediocrem temperiem redigere cõtendat. At perinde facile non est docere, quid ad curationem, aut præseruationem efficere spectat, quandoquidem Gal. sæpius hæc duo officia inter se confundit, & cuiq; nunc diuersa, nũc eadem subiiciat. Nam *1. & 11. Meth. medẽdi* (vt alios infinitos locos prætermittã) curationẽ morbo deberi cõtendit, cum tamẽ *in lib. de Natura humana secundo* scribat, curationem eorum etiam esse, quæ morbos efficiunt, nempe morbos tollunt, & illorum causas rescindunt. Quinetiam *1. de sanitate*, medicinæ partẽ θεραπευτικὴν, idest, curatoriam vocat, quæ corporis statũ mutat: quo quidem patet, eos curare, qui vel causas morborum remouent, vel morbos ipsos tollũt, vel symptomata leniunt, siquidem hæc omnia mutatione opus habent. Cõtra vero *12. Methodi* sentit; Vbi scribit nihil aliud esse curare, quam morbum iam factum auferre. Cæterum in nomine prophylactices, idest, præcautionis, siue præseruationis, dum nunc hos, nunc alios sequitur autores, lectorem confundit. Etenim aliquando præcauere eos statuit, qui morborum causas adimunt, aliquando non, qui omnẽ morbi causam, sed eã duntaxat tollunt, quæ nondum morbũ committit, remouent, proprie præcauere vult, improprie autem id facere, qui causam eum iam efficientẽ abigũt. At *4. Meth.* eum præcauere statuit, qui non causas morborũ duntaxat, sed quæ naturæ opus impediunt, veluti qui sordem ab vlcerib. detergunt, aufert. Adhęc *alibi* rei præsentis curationẽ, eius vero, quod futurum est, prouidẽtiam esse tradit: quo modo præsentium causarum ablatio, curatio ẽt foret, & deniq; varia hic author de his scribit prolixissime, cum alios accuset, vanasq; esse de nominib. controuersias dicat, iubeatq; statim conueniendum esse de nominibus, quib. vti debemus in rebus explicandis: Quod si saltem ex illius tractatione quod quærimus, intelligi posset, nec multæ superessent dubitationes, res tolerabilior foret. Nam illud imprimis explicandũ fuerat, quonam modo abigere morbos possit, qui curare dicitur absq; remotione causæ alicuius. Vt. n. de hectica ipsa febre agamus, cuius ablationẽ proprie curationem esse censet, nullo modo inter-

Conseruatio duplex.

Curare quid secundum Galenum.

Quid præseruare secundum eundem.

ueniente præseruatione, quonam pacto (quæso) intemperies calida adimi potest, quin ipsum calorẽ excedentem minuamus, qui intẽperaturæ causa est? Quod si ita res habet, vt nihil auferri queat, nisi ablata illius causa (siquidẽ remedia nõ ipsi intemperaturæ, sed causis excedentib. debẽtur) cõstat profecto, curationem causis ipsis pariter adhiberi. Vnde si præcauere est causas morborũ rescindere, semper præcauere diceremur, quoniã semper cõtra cãs pugnamus. Ad hęc cũ inter morborũ causas quędã sint, q̃ morbũ creãt veluti obstructio, & crassus humor, quæ febrem cõmittunt: quædã vero, quæ fouẽt, vt humoris copia, corporisq; adstrictio; Aliæ vero, quæ eũdẽ intendunt, sicut sitis, vigilia, quæ præsentes febres exasperant, grauioresq; reddunt, dubiũ est, B an omnes huiusmodi cãs pręseruationi subiciat, an quasdam potius ad aliud officiũ referat. Ac videtur quidẽ solas effectrices tradere præseruationi, cum scribit *11. Meth.* illius officiũ esse causam auferre, quæ morbum creat. Quod si ita est, cuiusnam officiũ erit reliquas summouere? alia præterea addenda sunt officia: quandoquidem quædam reperiuntur vitia, quæ nec præseruare, nec curare, nec cõseruare apte dici potest, qui ea corrigit: Veluti ea sunt, quæ in cõualescentib. & senio confectis corporibus reperiuntur. Nam vt medicinæ pars, quæ circa hæc versatur, ab aliis distinguitur, quæ cõseruationis, præseruationis, & curationis præcepta tradit, vt ex *arte medicinali*, & eo opere, in quo quærit, *An ars tuendæ va-* C *letudinis ad Medicũ pertineat*, satis patet: sic profecto diuersa huiusmodi officia ab illis esse oportet, quod etiam Gal. *in Arte medicinali* adnotauit, cum de renutritoria medicinæ parte agit, illiusq; munus expendit. Verum quædam etiam illic sunt, quæ, vt postea ostendemus, damnari possunt: & multa præterea alia excogitare liceret in re proposita, non minus necessaria, quam alia prædicta: Ac omnib. etiam illis inuentis, & ex Gal. vtcunq; collectis nihil laude dignum effectum esse putauerim, quoniam à certo initio res ipsa non exorditur: quo intelligere possimus, nõ temere hæc officia poni, & probare, nec plura, nec pauciora cõstitui debere: quod qui ignorat, perpetuo in dubio versatur, nimirum, quod sem- D per vereatur, alia ex aliis libris, vel vrgente ratione, munera addi posse. Itaq; ne superfluo labore nos in Gal. locis citandis & conciliandis conficiamus (quod iamdudum aliis reliquimus faciẽdum, qui nihil inuenire student, & aliorum iudicio viuunt) rem ipsam consulamus, quæ quod quærimus monstrare valeat.

Igitur cum nostrum corpus non solum ab externis causis, sed & ab insitis principiis perpetuo vitietur, corrumpaturq. plus vel minus, pro vehementia scilicet & magnitudine agentis causæ, necesse quidem est, artem nostram, quæ corpori humano tuendo dicata est, vnum semper agere, nempe corporis vitia corrigere, vnde & ipsa medicina correctrix ars à Gal. optime vocatur. Quã E obrem illius, Medicíq; vnicum erit primum officium, quod est corrigere, siue emẽdare, siue reparare, aut alio nomine quod res ipsa ostendit, significare velis. At cum vitia, quæ emendatione egent, inæqualia sint, ac in multiplici variaque differentia contineantur, varia quoq; correctionum genera, diuersis nominib. distincta à Me-

Medici officium in genere esse vnicũ & quodnam illud sit.

A dicis posita sunt, quibus statim intelligere liceat, quid illorũ vnumquodq; præstet, & quod præterea ex eo primo, & communi peculiaria officia nascantur. Ac quod multa sint vitiorum genera natura inter se discrepantia, aut certe eo modo, vt diuersis officiis subiiciantur, docent corporũ variæ conditiones: Aliquando etenim bene valemus, aliquando morbis vexamur, alias aduersam valetudinem imminere sentimus: adhæc est alia conditio eorum, qui à morbis cõualescunt, & alia eorum, qui senectute premũtur: quorum quidem vitia plurimum inter se differunt, diuersamque Medici tractationem requirunt. Siquidem qui sanus est, in eo statu seruari cupit: qui morbis conflictatur, eorum ablationem quærit: alii vero, qui sibi imminere morbos agnoscunt, student eos Medici consilio & officio arcere; qui autem ab illis euasit, pristinæ sanitati restitui cupit: Senes vero suam quoq; quandam curam postulant, qua vita foueatur, emendenturque incommoda, quæ mortẽ accelerant. Ac quod hæc mala inter se differant adeo, vt Medici præsidia requirant, ex eo constat, quod Medicinæ partes ob earum diuersitatem, diuersæ sint constitutæ. Nam eam, quæ sanitatis tuendæ præcepta tradit ab officio sumpto nomine, conseruatricem: quæ vero morbos propellit, curatricem: aliam, quæ prohibet, ne morbi nascantur, iam male affecto corpore, præcautricem, & præseruatricem vocant: Eam autem, quæ conualescentium curam gerit, [illegible], idest, restauratricem, & [illegible], id est, renutritoriam nuncupant: Illam autem, quæ præest senibus, ex corpore ipso subiecto mutuato nomine, [illegible], idest, senilem, appellant. Veruntamen in hoc aliquid etiam est, quod desidero. Cum enim conseruatio mutationi opponatur: cur statim vt cõseruatricem, sic mutatricẽ aliam medicinæ partem non ponimus? Præterea cum conualescentes, senes, & qui cum imminentib. morbis conflictantur, in hoc cõueniant, vt partim mutatione, partim conseruatione opus habeant (siquidẽ hi omnes sub neutro statu inter sanos, & ægros à Galeno *in libro ad Thrasybulum* comprehenduntur) cur etiam vnam partem ex duabus aliis conflatam non statuimus, quæ scilicet seruet, quod est secũdum naturam, & id, quod præter naturam est, mutet? Sic enim omnia ex certis principiis nascuntur, ac certa docendi ratione constant, præsertim quod ea alioqui sine nomine relinquatur, quæ symptomata tollit, si mutatricem vnam non constituimus, cuius officium sit omnia, quæ præter naturã reperiuntur, summouere: quippe cũ curatoria pars morborum, & non symptomatum propulsioni à Gal. præficiatur, prophylactice vero morborum causas remouere videatur. Erit ergo vna ars, quæ humani corporis vitiis emendandis præest, quam ab vna illius parte medicatricem, & medicinam vocare solemus, melius tamen correctricem (vt omnibus partibus nomen fiat commune) nuncupabimus. Cuius quidem *tres* partes statuentur, *conseruatrix, mutatrix, & tertia ex his composita*. Quod si ita est, & ex arte artifex instituitur: officiaq; sua sumit, *vnum erit*, vt diximus, *primum officium Medici, quod est corrigere vitia: & humanum corpus resarcire*: Tria vero alia ex tribus partibus ducta, nempe conseruare, mutare

Medicinæ partes.
1.
2.
Secundum alios.
3.
4.
5.

Medicinæ partes secundum autorem.

mutare, & horum vtrumq; mixto munere peragere. Iam vero etsi inter sana corpora quædam sunt suapte natura sana, & bene affecta: alia vero, quæ perfectam etiam sanitatem sunt consequuta, & hæc omnino seruare in suo statu nitimur, vtpote quæ, quod summũ est, & optimum, iam possideant; illa vero vel tueri, quĩ: lia accepimus, vel ad id, quod optimum est, redigere conamur: tamen (vt diximus) id officium Medici non variat, nimirum cum semper ille in conseruatione versetur. Quinetiam cum in omni corporis statu aliquid sit vt cõpositio ipsa, vt in bene valentibus corporibus sanitas; aliud vt compositionis causa; aliud demq; vt effectus, cuiusmodi sunt actiones, qualitates, excrementa, & opera, quæ secundum naturam in bene affectis corporibus peraguntur; conseruare dicitur, qui hæc omnia tuetur, nec aliud eũ facere putamus, cum sanitatem ipsam, illius causas, & effectus fouet, quam quod conseruet.

At in statu præter naturam, & mutatione diuersa officia constituuntur ob eorum varietatẽ, quæ in huiusmodi corporib. reperiuntur. Vt.n. verum vero consonat, & falsum à seipso et dissentit, sic quæ secundum naturam in nobis reperiũtur, omnia sibi fauent, nec vnius conseruatio alterius tutelam impedit. In contrario vero statu morborum causę remotiores prohibent aliquãdo, ne aliæ, & morbi ipsi abigantur. Veluti cum febris refrigerãtia desiderat, crassus vero humor, qui obstructionem, febremq; parit, calefacientia potius expostulat. Quin & symptomata intermitti aliquando morbi & efficientium causarum ablationem suadent. Quamobrem peculiaria, & ea quidem inter se diuersa esse oportet officia, quæ circa huiusmodi corpora versentur. Sed non satis constat adhuc, quot illa esse debeant. Neq; enim temere aut ex aliorum opinione ea ponere oportet, sed dictante aliqua ratione & principio, quod rei fidem faciat. Itaque cum in corporib. morbo laborantib. reperiantur morbi ipsi, illorum causæ, & symptomata, his quidem nulla cura, nullaq; pręsidia debentur, vtpote quę ablatis morbis eorumque causis sponte euanescant: quod Gal. optime *duodecimo Meth.* tradit: morbi vero ipsi ablatione suarum causarum abiguntur. Quapropter oẽ officium, omnesq; Medici consilium, in hoc statu *circa causas* versabitur, quæ si vnius naturæ, & eodem modo causæ forent, vni quoq; muneri subiicerentur: at cum aliter res habeat, si quidem inter causas morborum quædam eum constituunt, aliæ faciunt, alię nonnunquam augent, vel fouent, vel eius generis sunt, sine quib. propelli morbus nequit, aliæ vero, quæ in potentia quadam sunt, vt scilicet facere, augere, fouereq; possint; Sunt præterea ex his causis nonnullæ ex genere symptomatum, quæ scilicet à morbis, & aliis causis ortæ rursus morbos ipsos, suaq; causas intendunt; Veluti dolor, sitis, vigilia, immodica, quæ febres, & humores exasperant: Quibus quidem ita positis, eum præcauere dicemus, *qui causas summouet, quæ nõdum aliquid faciunt, sed potentiam habent quidpiam efficiendi*, nempe procreandi, augendi fouendiq; morbos: Eum vero curare, siue sanare statuemus, *qui ea adimit, quæ actu sunt causæ quomodocunq; ipsorum morborum.* Quod si postea aliquando morbum ipsum curationem, auxiliaq; curatiua indicare dixerimus, id faciemus, vt morbi nomine immediatam illius causam, vt calorem in febribus intelligentes, curationem à reliquis officiis separemus. Si huiusmodi causæ ex symptomatis petantur, proprio nomine hãc actionem, & officium, quod earũ ablationi studet, mitigationem nuncupabimus. Atque hæc meo quidem iudicio, non perperam statuentur, quandoquidem ratio communisq; loquendi vsus id docent, & ex Gal. etiam idem probare licet. Nam præcautionis, præuisionisque nomen, quod futurum est, spectat & indicat, vnde merito, quæ in potentia. & nõ actu existunt, ad illius officium referimus: qui vero pręsens est morbus non aliter, quam curari dicitur, cum id, quod ex eo factum est, ablatione suarum causarũ auferre nitimur: Sic profecto mitigari symptomata dicuntur & mitigatione egere, quæ morbos intẽdunt, dicere solemus. Quod vero ex Gal. id probari possit, facile est ostendere; siquidem *tertio Methodi & passim alibi*, ea, quæ præter naturam sunt, sui ablationem indicare scribit; vnde mutatio siue ablatio actio est, & operatio Medici: qua vtitur in his omnib. abigendis, quæ præter naturam existunt: *Libro* vero *quarto eiusdem operis* ad verbum ita scribit; *Rei præsentis est curatio; eius autem quod futurum est, prouidentia: Quod vero nec in præsentia lędit, nec lędere est paratum, id ab vtroque artis officio, tum eo quod curat, tũ eo, quod prouidet, excepit.* Atqui *duodecimo Meth.* vbi de symptomatũ ablatione agit, eum παύειν καὶ τέμνειν, idest, sedare, & rescindere symptomata dicere solet, qui ea auferre nititur; tanquam mitigare sedareque officium eius sit, qui circa remotionem symptomatum versatur. Tria ergo Medici sunt officia incũbentis circa id, quod est pręter naturam, *præseruare scilicet, curare, & mitigare.* Cæterum officia illius partis artis nostræ, quę neutra dicitur, nullo communi nomine continentur, propterea scilicet, quod tres illi status, qui ei subiiciuntur, diuersa requirant opera, adeo, vt nullo alio, quam generalissimo illo correctionis vel mixti officii nomine illius munera significari valeant. Etenim qui pręest corporibus, quę parata sunt in morbos ruere, ablatione causarũ, quę nõdũ agunt, sed paratæ sunt, nisi adimãtur, morbos procreare, aliud omnino facit, quã qui curã habet eorũ, qui recenter à morbo euaserunt, aut senectute vrgentur. Quamobrem illos præcauere merito dicemus, qui imminentium morborũ causas rescindunt. Eodem plane nomine, quo illorum officium significauimus, qui præsentibus morbis ea auferunt, quæ nondum sunt, sed tamen eorum causæ esse possunt. Vtrũque enim officium id, quod potentia est ad morbum, respicit. At vero qui à morbo conualescit, extenuatis viribus, & corpore, id solũ postulat, vt commoda adhibita nutritione, & alio victu, pristinam sanitatem recuperet. Quare merito vt pars medicinæ, quæ his præest corporibus, renutritoria, & refectoria dicitur; sic Medici officium circa ea versantis erit renutrire, reficereq;. Iam vero si in senectute constitutum sit corpus, illud etiam ad renutritoriã partem pertinere scribit Gal. *in Arte medicinali*, cum tamen alibi medicinæ partem γηροκομικὴν ab ἀναληπτικῇ separet, & optime quidem. Nam qui cõual scentes tractat, bona victus ratione eos ad pristinam sani-

Quæ sint officia Medici, qui circa id, quod præter naturam est, versatur.

Circa quid Medici in curatione versetur.

Qui dicatur præcauere.

Quarũ Medici officiũ.

Qui curare.

tatem reuocare studet: qui vero senib. præest, illius ætatis propriam temperiem, nimirum cum nihil melius consequi valeat, seruare nititur.

Quod si alicui alteri medicinæ parti hos subiicere oporteret, inueniremus profecto, in præseruatiua, quam in analeptica illis cõmodiorem locum concedi, cum ob siccitatis frigiditatisque excessum periclitentur ex leui quaq; occasione in tanta viriũ infirmitate in morbos cadere. Vel ergo fingamus huiusmodi officio propriam aliquam appellationem, quemadmodum medicinæ partim illis corporib. datam ab aliis partibus nomine pariter seiunximus; vel si Galen. sequuti vocabulorum inopia, eos renutrire reficereque dicamus, qui senilis vitæ curam habent, intelligamus non proprie dictam renutritionem, quæ conualescentibus duntaxat debetur, sed quæ alterius sit generis, adiectione scilicet senilis corporis, ne simplici renutritionis refectionisque nomine diuersa inter se officia confundamus. Porro in hoc duplici corporis statu idem nomẽ vsurpamus, cum causas ipsius cõstitutionis corporis emendamus, quod cum circa constitutionem ipsam agimus. Reficiemus etenim in conualescentib. lapsam ipsam constitutionem, illiusque causas; atq; etiam vniuersum corpus Medicum restaurare dicimus. Ex quibus quidem tandem constare puto, quæ, quotve sint ponenda Medici officia: sunt enim hæc (si ea omnia colligas) *corrigere, conseruare, mutare, partim mutare partim conseruare, curare, præseruare, mitigare, reficere, & senum corpora tractare*: quorum omnium commune est corrigere, conseruare proprium bene valentib. corporibus, mutare ægrotis, curare proprium eorum, quæ actu morborũ sunt causæ; præcauere omnium, quæ eorundem potentia sunt causæ; mitigare proprium illis, quę ex symptomatis capiuntur; reficere vero conualescentibus sit peculiare, quod commune senibus euadit, senilis corporis adiectione: compositum autem munus ex conseruatione, & mutatione tres eos status, quos diximus, complectitur, nempe præcauere morbos, conualescentes restituere, & senes tractare.

Ad quam partem parti[?] ...at yeyru... ...um.

Medici officia quot & qua.

Cap. III.

Quæ præcognita ponat hæc tractatio.

QVid correctio, mutatio, conseruatio, curatio, præseruatio, mitigatio, restauratioque sit, quidq; vnumquodque illorum spectet, cuique operi præsit, & subiectum corpus habeat, circa quod versatur; quæ præterea ex illis nominibus plura officia, quæ vero singula duntaxat, & peculiaria significet, abunde docuimus. Quin & illud patet, nec plura, nec pauciora, quam quæ posuimus, esse posse Medici munera. Nunc vero quænam præcognoscenda sint à Medico, qui hanc partem pro dignitate excolere velit, paucis aperiam, vt studiosos admoneam, non statim curandi, conseruandiq; rationem quærere debere, priusquam alia multa didicerint, sine quib. hæc assequi non poterunt. Quæ vero hæc, & quot sint, ex natura rei perspicere licebit. Cum enim actio omnis, omneq; officium varietur ob diuersam naturam eorum, *quæ nos ad agendum mouent, tum ob subiectæ materiæ differentiam, vel ob agentium causarum inter se discrepantiam,* necesse erit, hæc tria capita diligẽter excutere, ex

Actiones & officia Medici propter quanam potissimum variantur.

A quibus tota huius rei consideratio petetur. Itaq; inprimis, qui sint, & quot corporis status inter se diuersi præscire oportet. Ex hoc. n. postea intelligemus, quot sint officia, quę circa eos versantur: deinde natura cuiusq; status perspecta esse debet, quo cognoscamus, quid secundũ naturã, aut illi contrarium, aut mediã inter ea conditionem obtineat; Hinc sane patebit, quid duntaxat conseruandum, quid omnino immutandum, quid mixtum officiũ desideret: quinetiam quid inter ea causę rationẽ habeat, quid constitutio ipsa, vel cõstitutionis effectus si, ignorandum nõ est; siquidẽ id docet, quando præseruatione, aut curatione, vel mitigatione in ægrotis sit opus, quidve Medici operam postulet, aut non: sanita-

B tis namq; effectus cum sanitate ipsa seruantur. Symptomata vero nonnunquã adeo sunt vehementia, vt ea prius lenire opus sit, quam morbo occurramus. Horum vero omnium genera, differentiasq; perspectas habere expedit; propterea quod hæc admonent, quo genere, quave differentia actionum vtendum sit: Aliter namq; curamus morbos, qui ad intemperiem pertinent; aliter eos, qui in instrumentariis partibus consistunt; aliter magnos, quam paruos: Quin & aliis remediis causas oppugnamus, quæ vehementes sunt; aliis vero eas, quæ mitius agunt; alio modo sitim, quã dolorem mitigamus: Quæ nemo vnquã recte præstare poterit, qui ignoret, quot sint genera, & differentię status nostri corporis: Ad-

C hęc vis & natura illorum omnium perdiscenda. Plurimum. n. refert in causis, scire, quid vniuersum corpus, aut vnam partẽ dũtaxat afficere valeat; quid per se, quid per accidẽs agat, quid item tempore mitescat, aut grauius reddatur; quid foris solũ, vel intus ẽt agere queat: & deniq; vis omnium causarum, quę morbos excitant, fouent & intendunt, ita cognitu necessaria, vt absq; ea nequeas intelligere, quib. remediis, quove modo sanitatem cõparare valeas. Siquidem vbi est, quod vniuersum corpus molestat, auxilia sunt quærenda, quæ possint vndequaq; prodesse: vbi vero adest, quod vnã partem vrget, frustra præsidia quærimus, quæ plurib. conueniunt. Si ab his, quę extrinsecus lædunt, morbi sunt cõcitati,

D admonemur, maiorem quoque spem collocandam in ex externis, quã internis pręsidiis. Quod si concitata & vehemens sit causarum vis, properẽda sunt auxilia, quæ pari celeritate, & vehementia malis succurrere possunt. Iam vero in morbis ipsis plurimum refert nouisse, quisnam salutarem, aut lethalem naturam acceperit, quando in his præsagimus, quod futurum est, nec curationem generoso aliquo remedio aggredimur, illos vero omni cura abigere nitimur. Cæterũ inter symptomata eiusdẽ generis quędã repetiuntur, quæ perinde lædunt, vt mitigationẽ postulent; alia vero, quæ si lenias, hominem plurimũ offendẽs: Nerui siquidẽ dolor mitigari debet, cum vim habeat perimẽdi: At capitis dolor, qui

E instante crisi oboritur, excretionem prænũciat, qua morbus extinguetur. Ac (vt breuiter dicam) omniũ, quæ prę diximus, naturam, & vim tenere eum conuenit, qui corporis vitia emendare studeat. Quamobrem signa illi quoque necessaria sunt, quorum beneficio ea agnoscat, cum antecesserint, aut adsunt, vel futura sunt: nam præsentibus morbis curationem aggredimur; eos

vero

vero præcauemus, dum imminent: quod si iam præcesserunt, restauratione in recenti adhuc affectu, vel cõseruatione, sanitate iã parta, vtimur. Iam vero corporis subiecti partiumq; omnium natura ad hanc rem cõsequendam est perquam cognitu necessaria: Etenim huius rei contemplatio ad effectuũ naturam, illorumq; differentias cognoscendas plurimum facit, ac (&) quod nunc potissimum quærimus) Medici officia variat. Nam temperies, quæ secundum naturam est, quantum excesserit morbus, qui in ea consistit, quantoq; proinde sit opus remedio, coindicat: aliudque præterea esse agendum in parte intemperata, quam aliter affecta, monstrat. At quæ inter se diuersæ sunt tẽperaturę, diuersas B actiones exigunt: siquidem quæ sicca est pars, aliud, quam humida, rara, quam densa, & dura, quam mollis expostulat. Porro instrumẽtariarũ naturalis cõformatio, vt morbi excessum, sic remedia etiam monstrat. Quippe plurimum viciatam agnoscimus esse partem, quæ à naturali sua conformatione, vel alio, quod secundum naturam illi inest, valde recedit. Docet etiam quiddã peculiariter moliendum esse, quod nulli alteri sit cõmune; veluti & reliqua, quæ instrumentarias partes componere dicuntur, vt peculiaris, & distincta est ab aliis singulorũ natura. Genus præterea remedii, & locum patefacit conformatio: Solidas siquidem partes vehementiore remedio persanamus, in concauis vero mitiorib. auxiliis C vtimur. Sic profecto ventriculo affecto, nouimus, per os nos illi succurrere posse, quod scilicet cauitatem habeat, quæ deuorata remedia cõtinere valeat. At partis magnitudo etiã molem remediorum ostendit: intemperato siquidem hepate, vel ventriculo, intelligimus ex illorum magnitudine, quãta oporteat esse remedia, quæ foris adhibentur, aut intus quoque sumuntur. Neq; enim duos, aut tres aquæ medicamentosæ congios propinare auderemus, nisi perspectum nobis esset, tantam esse ventriculi cauitatem, vt hanc rei copiam capere possit. Ostendit autem remediorum, quæ adhibentur corpori, figuram partium figura: Sic enim cerata, quæ adhibentur ventriculo, ad scuti formam figurant Medici, & D oblonga volunt esse, quæ lieni accõmodantur. Cæterum partium numerus nonnihil et ã hanc tractationem iuuat. Vt enim multæ particulæ deperditæ, aut additę maiorem esse morbũ produnt, maioraque ob id remedia postulant; sic ea plura necessario esse adhibenda numerus partiũ manifestat: excalefactis siquidẽ renib. duob. remediis refrigerantib. opus esse intelligimus, præmoniti scilicet ex numero partium duos esse renes, qui diuiso remedio egeant: nimirum quod vnum paulo latius nõ sufficiat, verentes interim, ne spina refrigerantium vsu lædatur. Porro cõpositio partium plurimũ ad hãc rem facit: Nam ex illarum situ, vbi adhibenda & qualia oporteat esse præsidia agnoscimus: quippe quę in profun- E do sunt sitæ, remedia quę extrinsecus ei parti, cui interna subiacet, applicantur, validiora postulãt: Sic etiam cum per assumpta medicamenta morbis partium medemur, vehementiora eligimus auxilia, cum partes affectæ ab ore longe absunt: propterea quod remediorum vis ob viæ longitudinem alteratione multarum partium, & multiplici mixtione humorum partim exoluitur. A-

A liquid præterea cum propriis remediis admiscemus, quod vehiculum sit; aut aliam qualitatem in eo molimur, cuius beneficio ad distantiores partes peruenire valeant; quomodo potiones, quæ affectis renibus, & vesicæ præparantur, liquidissimas efficimus, & cantharides nonnunquam cum illis miscemus. Connexio partium suam quoq; in hac re præbet vtilitatem: quandoquidem hac ratione agnoscimus per quẽ locum affectis partibus potissimum succurrere liceat; id sane docuit, ventriculum per os, & anum vacuari posse, hepar vero per easdem vias atque ẽt per vrinam, sudorem & sanguinis profluuium exonerari, quod scilicet venas habeat, quę cum ventriculo, intestinis, & renib. coniunguntur, B quæq; in anum, nares, externasq; omnes partes desinunt. Ad hæc prænouisse oportet partium proprietatem, dignitatem, vtilitatem, officium, & actionem, quam singulę in corpore exercent: Etenim ex proprietate quadam ipsarum partium, & occulta natura, nouimus, cantharides renes ipsos, & vesicam potissimum afficere. Vnde cum huiusmodi partes laborant, ab illis nonnunquam præsidia petimus, quod temere in aliarum morbis faceremus. Principes partes, vt hepar, ventriculum, cor, cerebrum, mitiorib. remediis, paulatimq; eductis noxiis humorib. exoneramus: alias autem, quæ nullam in corpore dignitatem obtinent, vt ossa, carnem perinde vt affectus postulat, tractamus. Mitius præterea C cum illis agimus, quas vtilissimas esse cognoscimus, vel ob actionem, quam edunt, vel quod in ea exercẽda principatum teneant: quemadmodum læsa voce ob musculi, & nerui alicuius vulnus, maiore diligentia nerui, quam musculi morbum curare studemus; quod ille suapte natura dignior sit, & præcipuã vim in sentiendo, & mouendo partibus præbeat: Vesicam, renes, intestina, venas, & arterias, magna adhibita cura sanamus ob publicum officium, quod in corpore exercent. Quibus quidem præcognitis ex anatome, aliisque rationibus (neque enim hoc loco illorum cognitionem docere instituimus) rerũ omnium, quæ corpus nostrum aliquo modo afficere possunt, genera, differentiæ, natura, visq; D omnis perdiscenda est: quippe cum ob horum discrimen (vt proposuimus) Medici officia, & actiones differant. Igitur intelligere oportet imprimis, quid ad humani corporis vsum accommodari possit, quid item illud seruare, quid immutare, quid præseruare, mitigareque valeat: Quid item simplex sit, quid vero compositum, quid vehementer, facile, aut difficile; quid intus, quid foris, aut vtrinque vim suam exerceat; quęnam vniuersum corpus, & quæ vnam duntaxat, aut plures partes afficere queãt: Ad hæc quid per se, quid per accidens agat, quid paulatim, quid subito, æqualiter, vel inæqualiter, cum dolore, & voluptate aliquid præstet, & deniq; propriam, & ascititiam eorum, quæ in hominis vsum veniũt, E naturam tanquam vngues, & digitos (vt aiunt) teneat oportet Medicus: Sic enim quid cuique conueniat, facile reperiet, & singula singulis accommodabit.

Cap. IV.

Per quæ fiat conseruatio.

POsitis omnibus Medici officiis, propriaque singulorum natura explicata, ac etiam cõ ostenso, quo ille opus habet, vt in vnoquoque munere se optime gerere possit; illud hoc loco sequitur explicandum, qua materia in singulis officiis exercendis vti debeat, idq; eo præsertim à nobis pertractandum est, quod varia de hac re apud Galen. legantur, quæ lectorem facile confunderent, nisi paulo diligentius explicarentur. Nam (vt à conseruatione exordiamur) cum inter corpora quædam plane temperata sint, & in omni mediocritate, quantum humana conditio patitur, constituta: quædam vero sana quidem & ipsa, sed à summa ea mediocritate plus vel minus recedentia, illa victu temperato, & omnino similibus conseruari omnes concedunt: cum alioqui à dissimilib. mutentur, & in deterius (nimirum iam assecuto, quod est optimum) labantur; eos vero corporis status, qui à mediocritate illa exactissima recesserunt, simil b. intendi, dissimilibus autem conseruari quibusdam videtur; alii vero conseruationem semper per similiã fieri arbitrantur, vtrique certe Galeni authoritate (qui nunc vnum, nunc aliud statuit) confusi. Etenim *in arte medicinali* omnes intemperies victus qualitate, & gradu simili, & æquali conseruari scribit: id quod etiam 8. *Meth.* & *passim alibi* confirmat: atque id quidem merito: Nam quod simile est, vim mutandi non habet, quippe cum à contrario dissimili omnis contingat mutatio: quemadmodum etiam Aristoteles *in Physicis* tradit. Præterea idem in omni fere genere rerum contingere videmus: Siquidem calidiora animalia in locis calidioribus, vt leones in Africa; frigidiora in frigidioribus, sicut pisces in aqua optime degunt, & conseruantur; in contrariis aut penitus extinguuntur, aut certe plurimum à natura propria desciscunt. Quæ autem conseruationem per contraria fieri ostendunt, hæc sunt: Primo quod Galenus scribat *lib. 1. de Alimentis*, intemperies seruandas esse per contraria; deinde quod *lib. 6. de Tuenda valetudine* præcipiat idem author, in calida; & frigida temperie semper vtendum esse contrariis, siue illa seruare, siue mutare velimus, propterea quod à similib. (inquit) in morbum facillime labuntur huiusmodi temperies. Quinetiam similia similibus offendi scripsit, tum *in Arte medicinali*, tum *in Aphorismis*, cum ait, calidam temperiem æstate male habere, hyeme bene degere: frigidam vero contra æstate bene, hyeme male affici. Addit & senes, calidis & humidis vti debere, qui tamen frigidi sunt, & sicci. Videtur præterea ratio huic rei suffragari: Qui enim calidus est forte vt vnum, si vtatur victu pariter calido, putatur fieri calidus, vt duo: Vnus enim gradus additione alterius, multiplicatur. Hæc & similia argumenta tanti momenti apud Neotericos habita sunt, vt in errores inextricabiles illi inciderint, vt locos istos (vt videtur) discrepantes inter se conciliare possent: qd vero illi senserint, liceat vnicuiq; videre. Neque enim sophismata hic tractare, sed quid rei natura postulet, & quo modo interim Gal. loci sint intelligendi, breuiter aperire volumus. Ac illud in primis docendum est, quonam modo conseruatio à similibus fieri intelligatur. Neque enim id in omnibus ita intelligendum est, quasi corpus à similibus nullo modo afficiatur. Nam etsi in his, quæ actu similia sunt, verum id est, in his tamen, quæ facultate potentiaq; similia existunt, dum actio fit, corpus mutatur, veluti dum cibus concoquitur, ex reactione calorem corporis remitti necesse est: Ad hæc cum exercetur corpus, calidius redditur, quod temperatum est, cuius rei indicium est respiratio, quæ per huiusmodi, vel moderatas exercitationes in magnitudinẽ mutatur, celeritatem, & frequẽtiam, quæ quidem caloris auctionem sequuntur: Sic profecto, qui humidiore est temperamento, cum cibum appetit, & potum, siccior quodammodo est redditus, cibisq; humidioribus assumptis, qualis illius natura ponitur, humidior fieri videtur. Huiusmodi enim cibo siquidem corporis temperies irrigatur, humidiorque euadit, quam antea esset, dum appeteret, mediaq; laboraret: proinde videretur non à similib. hoc modo conseruari, sed potius mutari corpus. Ita ergo intelligendum est, quod dicitur similia similibus vsu conseruari, non quod aliqua mutatio non fiat, dum id, quod est potentia, actu simile euadit, sed quod perfecta iam actione, & eo remoto, quod rei adhibitionẽ statim ne. cessario sequitur, propria scilicet rei vi spectata id cõtingat: quod si interim, dum actio fit, corpori mutatio aliqua contingit (nam alioqui corrigi nequirent vitia, si modo correctio motus quidã est, qui ex contrario in cõtrarium abit) adeo tamen illa exigua est, quæ inter hoc modo similia reperitur actio, vt nullã mutationem euidentem recipere corpus videatur. Vt n. vniuersa medicina corrigit, mutatq; corporis statum, illius tamen quædam pars conseruatrix statuitur, quæ scilicet tam parua vitia in melius mutat, vt sensum lateat, an tueri omnino in eodẽ statu, nihil addendo, vel minuẽdo, an mutationẽ aliquam interim moliatur. Sic sane conseruantia similia intelligere oportet, quod ea, quæ inter illa est dissimilitudo, insensibilis existat. Addendũ præterea est corpus à similib. seruari, quantum illius conditio patitur: Nã perpetuo corpus exsiccatur ætatis cursu, etsi interim perpetuo humidis vtamur: quod desit apta materia, quæ id restituat, quod dissoluitur, quando iisdem nutrimur, quib. constamus: nec quod minus familiaris sit, quæ ex carne, & alio probo nutrimento reponitur substantia, quam quæ est dissoluta, sed quod tantũ adiicere, quantum absumitur, nequeamus: idq; non præter rationem, si modo caloris natiui vis, qui dissipationis restaurationisq; est autor, perpetuo humorẽ absumit, concoquere vero continuo nequit, sed hæc aliquando suo loco commodius demõstrabũtur, in eo scilicet opere, quod de nutritione, Deo fauente, aliquãdo edemus. Itaq; si his modis conseruationem fieri intelligamus, illud quoque inueniemus, in omni genere causarum conseruationem per similia perfici. In his enim, quæ alterant corpora, nullamq; interim substantiam illi adiiciunt, certissimum id est. Nam si actu illa similia sunt, cum nulla actio inter huiusmodi contingat, necesse profecto est in eodem statu corpus consistere. Quod si etiam concedamus, vtriusque qualitates coniungi, quæ scilicet nostri sunt corporis, & alterius, quod admouetur, nihilominus intentio, aut remissio qualitatum nulla fit, non magis, quam si æque alba inter se

Conseruatio an fiat per similia, an vero per contraria.

Quonam modo conseruatio à similib. fiat.

Corpus nostrum an à similib. afficiatur, & quomodo.

Quatenus corpus per similia conseruetur.

ter se misceantur, ex quibus quod resultat, non magis album est, quàm sit alterutrum: Eadem (vt arbitror) est in his ratio, quæ potentia & vitalia existunt; ad actum enim perducta, similia illis euadunt, quæ suapte natura huiusmodi reperiuntur. Cæterum in his, quæ substantiam aliquam corpori addunt, veluti in nutrimento, idem contingere puto, etsi id omnibus persuaderi nequit: putatur etenim ab imperitis biliosos cibus calidius reddere corpus biliosum, eo quod huiusmodi cibi vsu bilis augeatur, ad cuius incrementum sequitur humorum frigidorum diminutio, & corporis ad calidius mutatio. Verum non ita res habet: quippe cum biliosis cibus bilioso humori non addatur, sed solum restituat humorem & substantiam, quæ ab eo corpore est dissoluta, nec planè bilis est, quod additur, sed biliosum, eiusdemq; qualitatis cum reliquo humore, qui in corpore continetur: Satiusq; est hoc modo ex rei natura intelligere, cõseruationem fieri per similia, quàm eos sequi, qui similia intelligunt, non qualitatibus, sed effectu, quandoquidem id omnino ridiculũ est, atq; ipsi Galeno planè aduersatur, qui scribit, calidum à calido, eoq; ipso æquali in gradu seruari & foueri, & absurdum putaret, si quis intelligeret frigida calidis esse similia, quod illa horum naturam mutuo tuerentur, nimirum cum similitudo in ipsis qualitatibus, nõ earum effectu ab eo quæratur, & omnib. philosophis ponatur. Itaq; ex his patere puto, tum cibo, tum potu, exercitatione, somno, vigilia, & deniq; aliis omnibus similib. corpora conseruari, atq; adeo eam, quam habent temperiem, & structuram retinere: Nam quæ contrà adferuntur, ex conseruationis duplici significatione, & vsurpatione, cuius Gal. *in arte medicinali* meminit, facilè diluuntur: seruari enim eos dicit (quod etiam antea ostendimus) qui sani sunt, in eodem deniq; statu retinentur, vel etiam qui in melius mutantur, proinde cum senes calido & humido victu, calidos frigido, & denique omnes intemperaturas contrariis tuendas esse dicit, conseruationẽ sumit, qua ad melius sanum corpus reducitur. At cum per similia conseruationẽ fieri meminit, de ea intelligẽdus est, qua id duntaxat, quod est deperditum, corpori restituere, nec præterea melius aliquid illi cõparare studemus. Nec obstat, quod calidum & frigidũ contrariis semper egere scribat, siue seruare in eodẽ statu, siue in melius mutare huiusmodi temperiem laboremus: Par etenim est in his qualitatib. vt in aliis ratio: siquidem calidum calido, & frigidum frigido in suo statu seruatur: sed quoniam rerum quantitatem, quæ in vsum nostrum veniũt, exactè metiri nequimus, si paululum excesserimus, præsertim in qualitatibus maximè actiuis, morbi causa facile fit huiusmodi excessus. Vnde præcepit *eo loco*, nõ tam quod natura rei vult, quàm quod vsu tutius est, maximè quod scribat, se in eo opere præcepta tradere velle nõ solum Medicis, sed etiam aliis omnib. qui conseruandę sanitatis artem aliquam quærunt. Porro similia similib. offendi, iuuari a. cõtrariis, excepta temperata natura, cui similia semper conferunt, ita intelligendũ: vt similia similib. nec lædantur, nec iuuentur, si modo pari mensura similia similib. adhibẽtur: & iuuari in hoc casu idem est, quod melius aliquid cõparari: Si autem excedat, quod similis est qualitatis, si corpus, cui admouetur, est, quod excedit, iuuatur: quippe quod vehemẽtius calidum est, minus calido temperatur. Si verò id, quod admouetur, exuperat, corpus nostrũ læditur, de quo quidem Gal. intelligit, cum scribit, similia similib. offendi, iuuari autem contrariorum vsu. Quamobrem cum præcepit ille, pueris, humidisq; corporibus humectantia semper adhibenda, non id facit, quod putet, exsiccantibus huiusmodi corpora ad melioré temperiem non reuocari, si præsentem illorũ statum spectemus: (siquidem superflua humiditas siccantium vsu laudabilem mediocritatem assequitur:) Sed quoniam humor naturæ amicus ad incrementũ, vitæq; longitudinem facit, qui vel nobis inuitis, ætatis ꝓgressu, perenni actione natiui caloris dissoluitur, dissolutioni a. (quantũ fieri potest) humidiorum vsu repugnandum est. At contra senibus calida, & humida exhibet, quoniá eo peruenerunt, vt non solum tutela proprii status, sed etiam mutatione in meliorem (quantum nobis procurare licet) opus habeant: quandoquidem excessu frigidi, & sicci, morbos facillimè contrahunt, mortemq; accelerant: humidis verò & calidis bene valent, vitæq; cursum tardant.

Conseruatio- nem fieri per similia.

Conseruationis duplex significatio.

Quomodo similia similibus offendantur, contrariis verò iuuentur.

Cap. V.

Quæ & quando conseruari debeant corpora.

QVoniam verò obiter attigimus, quasdam temperaturas in eodẽ statu perpetuo conseruandas esse, alias verò contrariorũ vsu in melius mutandas; operæpretium fuerit, paulo diligentius hoc loco de hac re agere, & expendere, quænam corpora planè conseruare, quæ verò mutare, & quando oporteat. Qua in re Gal. *passim* scribit, temperatos temperatis semper egere, intemperatos verò similia postulare, siquidẽ eos seruare velimus, dissimilia autẽ, si ad meliorem conditionẽ eos reuocare studeamus. At ego puto aliter esse sentiẽdum, humidam s. temperiem humidis semper egere, nec vnquam mutationẽ requirere, mutandam a. esse temperatam etiam ipsam in eam, quæ humida est. Si n. hanc temperiem *in lib. de sanitate tuenda*, quantũ fieri potest, ille seruari iubet, & pueros quoq; nimio humore abundare fatetur, nec tamen eos exsiccari patitur, sed omni ratione alendũ esse fouendumq; eorum humorẽ censet, ea sola similia requiret. Nam etsi ea, quæ mediocris est tẽperies, suapte natura optima censetur, quoniá tamen iam mediocritatem est assecuta, nec potest diu in ea cõsistere, propterea quod caloris vi humiditas cõtinuo absumitur, eo temperata deterior est, q̃ humida, quod citius exsiccatur, & ad vitæ finem properat: quæ autem humida est, etsi deteriores actiones nonnullas, quàm quę temperatior ponitur, ab initio edit, progressu tamen temporis mediocritatem quoq; assequitur, diutiusq; in ea perseuerat, tardiusq; vitæ cursum peragit, ac, vt vno verbo dicam, omnibus aliis præstantior euadit. Quibus profectò fit, omnium optimam censendá esse temperiẽ, quæ humida est, eamq; solam seruandam, alias autẽ omnes, quæ secundum naturam sunt, ad eam reducẽdas; siquidem eas & conseruare, & interim ad id, quod optimũ est, redigere studemus. At eam, quæ præter naturam est, ad naturalem, & vnicuiq; propriam

Quæ temperies egent semper similib.

Quæ temperies omnibus aliis præstantior.

primo referre nitemur, nimirum quod laborante corpore, id solum procurãdum sit, vt illi propriam sanitatem, & nihil melius cõparare quæramus, quanquam tamen nihil prohibere video, quo minus tunc temporis contendamus assequi, quod est optimum, id quod postea fieri posse demonstrabimus.

Quænam inter temperies naturales maximè sint permutãda.

Nunc verò ex prædictis illud intelligere licet,
quænam scilicet inter naturales temperies ma-
ximè sint permutandæ. Sunt enim illæ, quæ vel
vitæ finem accelerãt, vel nimio excessu frequen-
tes grauioresque morbos pariunt. Ac in eo qui-
dem genere sicca & frigida primum locum ha-
bet, secundum sicca, tertium frigida sibi vindi-
cat, In quarto loco ponenda est calida & sicca;
Deinde calida, postea frigida & humida, sequi-
tur hanc temperata, postremo calida & humi-
da. Nam & hanc fortè etiam magis, quàm i-
psam temperatam seruandam esse credemus, si
modo vita calore & humore constat, sequitur
humida, quæ (vt ostendimus) seruanda est, &
1 minimè permutanda. Quod si ita res habet, quæ
illi contrariæ sunt, frigida, inquam, & sicca, im-
primis permutanda fuerit, tanquam naturæ, &
vitæ maximè aduersa; secundum verò locum
2 siccæ damus potius, quàm frigidæ, quod sicci-
tas natiua immedicabilis sit, & ablato humido
pabulo, quo natiuus calor gaudet, frigiditatem
etiam sibi adsciscat, hæc verò ætatis cursu melior
aliquando euadat, siquidem vigente ætate in o-
mni corpore calor mediocritatem excedit au-
3 geturque: In tertio loco frigidam collocauimus
potius, quàm calidam, aut calidam & siccam:
quoniam etsi minus humoris frigida, quàm ca-
lida absumit, tamen minus quoque reponere
potest: Quippe cum non nisi per coctionem,
& attractionem nutrimenti, quarum functio-
num calor, & non frigus author est, dissoluta
à corpore substantia restituatur reponaturque.
4 Calidam verò & siccam præcedere debere alias
sequentes, constat, quod suaptè natura calor
siccitatem pariat, idque eo promptius, si eam
5 iam annexam habeat. Quamobrem etsi frigida
& humida ad coctiones fortè ineptior est, ta-
men quoniam in hoc corporis statu humor na-
tiuus exuperat, nec est, quod eum vehementius
dissoluat, minima quæque restauratio suffice-
re potest, & minus ob id in hoc, quàm alio mu-
6 tatione est opus. Sequitur deinde calida, cum
qua mediocris est siccitas; & humiditas, hæc e-
nim mutatione eget, quoniam satis copiosum
humorem non habet: post quam merito tem-
7 peratam posuimus, propterea quod non est,
quod tantum dissipet, etsi par est in vtroque sta-
tu humiditas, quia tamen non satis natiui hu-
moris est temperato corpore, quantum requi-
ritur ad vitæ longitudinem naturalesq; functio-
nes probè obeundas, ob id eam pariter mutatio-
ne egere censemus, comparandumq. adhuc illi
esse copiosiorem humorem natiuum, quo quæ
abundat corporis conditio, perpetuo in eo sta-
tu, quantum ars nostra assequi potest, & huma-
na conditio patitur, retinenda, seruandaq; est.
8 At inter temperatam & humidam ex his, quæ
mutatione egent, calidam & humidam postre-
mo collocauimus; quia in hac adest copiosius
humor, qui in temperata mediocris est. Quod
si calor etiam vincit, qui humorem absumere

A potest, habet tamen maiorem quoque, quam temperata natura, vim ex fœlici coctione, quæ calore, & humore gaudet, eundem restituendi & reponendi. Quare non solum humida temperies, sed etiam illa, in qua calor pariter abundat, in hoc casu melior censenda est, quàm ipsa temperata: Quod etiam putarunt antiquissimi Medici, vt ex *primo libro* Galeni *De temperamentis* videre licet, qui eam, quæ optima esset in humano corpore, temperies, calidam & humidam & quæ huiusmodi foret, optimam esse censuerunt. Iam verò in eo secundo genere, quod mutationem requirere proposuimus, inter omnes reprimenda est calida & humida, quippe cum huiusmodi status putredini maxime sit obno-

Quæ reprimenda.

B xius, vbi abundè huiusmodi qualitates pariter excesserint: est enim huiusmodi natura admodum morbosa, nec leuioribus quidem, sed grauissimis passionibus subiecta. Secundum locum sibi vendicat humida cum calore cõiuncta: nam pari ratione vbi humor à calore non vincitur: morbosum oportet esse corpus. Sequitur deinde calida: siquidem exuperante calore via patet acutissimis morbis, qui cum febre coniunguntur. Post hanc succedit frigida, minus quidem quàm calida efficax: & inter simplices postrema sicca: Cum enim tardissimum motum hæc habeat, inducias longas præbet, vt cõmodo tempore correctionem tentemus, cum aliæ, quæ periculosiores sunt, etiam emendationem po-

C stulent. Ex simplicibus verò, & ex his, quæ superius sunt tradita, licebit intelligere, quo ordine collocari debeant, quæ compositæ sunt: nam post calidam & humidam, quæ calida est & sicca, deinde frigida & humida, postremo frigida & sicca promptam mutationem postulabunt. At quæ præter naturam sunt, subito omnino, quantum illorum natura exigit, & res permittit, corrigendæ; cum alioqui mora crescant, difficilioremque curam reddant. Quæ verò secundum naturam est, per morbos, & vitæ occupationes permutari non debet, inquit Galenus *in Methodo medendi*, cum studeamus, dum laborat corpus, pristinam sanitatem comparare, nec illud aliam præterea mutationem,

D qua meliorem conditionem assequatur, admittat. Quoniam præterea subitas mutationes, vehementesque natura non sustinet, liberam ab omnibus negotiis vitam esse oportet, tum ne aliis occupationibus corpus debilitetur, tum etiam, vt continuo, paulatimque mutationem prosequi valeat: inter quæ nonnulla rectè, alia verò fortè superstitiosè dicta existimo: nam quod vrgentibus morbis nihil aliud quærendum sit, quàm vt propriam valetudinem recuperemus, rectè id quidem sit dictum, quando multa præstare nequit, quod ægrotat corpus, ex his, quæ ad bonum habitum comparandum sunt necessaria, veluti sunt exercitationes, somni, & vigiliæ oportunæ, & si quæ alia sunt hu-

E iusmodi: tamen nihil obest interim, vt corpus suapte natura calidius, dum calido morbo tenetur, frigidiore victu vtatur, quo non solũ morbum propellere, sed etiam meliorem temperiem, quàm quæ sibi propria est, comparare valeat. Verum illud quid obstat, quo minus per vitæ occupationes mutationẽ proprii status aggrediamur? Nam cum causæ, quæ vitia secun-

dum

dum naturam emendant, ex conseruantium sint genere, exiguasque ob id, & minimè molestas alterationes moliantur, nihil obesse potest, si per occupationes huiusmodi mutationes tentauerimus: nam quid, quæso, oberit bilioso homini, dum negotiis incumbit, si humidis, frigidisq; cibis vtatur? Quid sicco, si humectantibus? si modo contrariorum vsu iuuatur intemperatum corpus; similibus verò eo authore, vel offenditur, vel nullo pacto melius aliquid acquirit. Commodius ergo per otium vitia omnia emendantur. Sed si interim per negotia aliquid facias, non lædes, sed plurimum iuuabis, prohibebisq; sæpius, ne morbi nascantur, quos similium vsus concitat. An non etiam illud à ratione alienum videtur, quod scribit *libro 6. De tuenda valetudine*, non esse, scilic. mutandam in aliqua natura cõsuetudinem, nisi cum iam longo tempore ea malis laborauit? Nonne satius esset, antequam morbi, vitiaq; corporis in habitum transeant eorum vim frangere, & corpori languenti prospicere? Hæc & similia de vnaquaq; re nulla adhibita ratione, aut admodum infirma, præcepta sæpe tradit Galenus noster, quæ qui sectis sunt addicti omnia tanquam optima statim recipiunt. Ac nescio profectò, cur tantopere Hipp. etiam vereatur consuetudinis mutationem, cum in multis rebus ea iucundissima sit, & sine vllo periculo tentetur: quod vel ipsi morbi docent, per quos omnia statim deserimus, quibus per sanitatem assueuimus; quod quidem tanto maiore periculo, quàm per sanitatem faceremus, si tam noxia esset, & periculosa huiusmodi mutatio, quanto sane tunc infirmiores, & ad omnia mala sustinenda ineptiores sumus.

Cap. VI.

Per quæ fiat curatio, præseruatio, & mitigatio.

Correctionem omnem, omnemq; mutationem per contraria fieri, etsi ea, quæ cõseruant corporis statum, exiguam habent repugnantiam, antea ostendimus. Qua ratione similia tum qualitatibus, tum gradu esse dicuntur, quæ minima scil. accepta mutatione huiusmodi euadunt: Ad hæc quænam conseruanda in suo statu sint, quæve mutanda, quo præterea modo oporteat similia simílib. seruari, & quid tanquã optimum in mutatione quęrere debeamus, quo item tempore in singulis ea mutatio sit tentanda, abunde demonstratum puto. Nunc verò, quanam materia vtantur alia officia, explicandũ esse duco. Ac profectò hæc omnia contraria vtuntur, quemadmodum etiam optime Gal. 11. *Methodi* probare nititur, morbos illorum causas pariter & symptomata contrariorum vsu tolli & abigi, idq; meritò: nam vt omnis motus, omnisq; actio ex contrario in contrarium abit: sic sane quæ præter naturam in nobis sunt, contrariis tolluntur. Sic enim frigidum morbum calido remedio, & hunc frigido curari videmus. Quod si quis quærat, quonam modo vehemens causarum morborũ motus nonnunquam morbos soluat: veluti cum extasis mediocrem maniam (vt Galen. prodidit) discutit, & vehementia symptomata bonas crises moliuntur. hæc etiam contrarietate fieri inueniet: Vehementia namq; symptomata, & causarum ipsorum morborum excedens vis naturam cop t, vt id, quod repletione offendebat, extrudat, aut alteratione vincat, quod alienam qualitatem obtinebat. Repletio auté vacuationi, & qualitas, quæ prius in humore erat, ei, quæ nat æ b neficio parata est, contraria putatur. Porrò contrariorum nomine opposita intelligere oportet, necnon contraria sumimus, non solum quæ qualitatibus inter se pugnant, sed etiam tota substantia sibi mutuo aduersantur: nam hoc modo morbi, qui ex venenis nascuntur, per antidota propelluntur. Cæterum vt morbi, sic illorum causæ contrariis tolluntur: quæ enim densando morbum intulit B causa, rarefacientibus remouetur; quæ replendo, per vacuantia; quæ calefaciendo, refrigerantibus. Quinetiam ipsa symptomata contrariis mitigantur; vigilia siquidem somno tollitur; Sitis illis, quæ eam extinguunt, dolor his, quæ eum auferunt, mulcetur, & denique contrariorum contraria sunt remedia, & tum curatio, tum mitigatio præseruatioq; vsu contrariorum exercetur: Præsertim si præsentibus morbis ablatione earum causarum, quæ aliquid efficere valent, præseruationi incumbamus: nam si morbi adhuc absunt, vt præter naturam plane non habet corpus, nec tamẽ omnino secundum naturam, sic profectò materiam requirit eiusmodi opus ex simili & contraria qualitate mixtam. Nec veC rò illud mouere nos debet, quod laborante corpore cibo, & potu, quæ similia corpori censentur, vt remediis illi contrariis vtamur; quandoquidem duplex est scopus Medici laborante corpore, vnus vt ea, quæ præter naturam in illo reperiuntur, abigamus idoneis adhibitis præsidiis; alter, vt id, quod est secundum naturam, commodo victu conseruemus. Fit præterea, vt similia remedia similium esse videantur; Veluti cùm dolorem sedamus auxiliis, quæ dolorem inferunt: tunc enim dolor dolore pelli videtur, at id per accidens: siquidem dolor doloris medicina non est, sed accidit, vt ea, quæ dolorificis dispositionibus medentur, veluti cum morbum coxendicis adustione curamus, dolorem quoque D pariant.

Quomodo vehementi causarum morborũ motus nonnunquã morbos [illegible].

Medici duplicem habere scopum in corpore laborante.

Quomodo dolor dolore sedatur.

Cap. VII.

Per quæ fiat restauratio conualescentium, & senum.

Galenus *in arte medicinali* bono & copiosò victu conualescentes, senes verò humido & calido reficiendos esse iubet; propterea (inquit) quod exhausta sunt illorum corpora, refrigerata pariter & exsiccata. Quo patet, per contraria, illius opinione, horum restaurationem fieri, cum antea etiam docuisset conseruationem præsentis status: reductionem verò ad id, quod melius est, vsu contrarium obiri. E Nam si exhausta sunt illorum corpora, & replere studet: si exsiccata, refrigerataque, & ea calefacere; atque humectare vult, constat profectò contraria in eo statu ab hoc authore adhiberi. Quod si ita res habet, ii eandem tractationem requirent, quam exigunt, qui præter naturam omnino sunt affecti, atque ita frustra medicinæ partem, quæ his data est corporibus,

mediam inter conseruatricem, & curatricem *in libro ad Thrasybulum* statueret, frustrà etiam *in arte medicinali* horum tractationem ab illis seiungeret. Verum res aliter habet: dum enim nutrimento, & commodo victu illorum vitia corrigit, quid habeant commune cum sanis, & quid restauratio cum ipsa conseruatione, docet. Victus siquidem cõseruatio sanorum fit, remedijs verò morbi propulsantur. At cum in nutrimento, & reliquo victu calefacientes humectantesq; qualitates requirit, ostẽdit, quid commune habeat hæc pars cum curatrice, quæ contrariis vtitur. *Egent ergo conualescentes, & senes bono nutrimento, quod bonum sanguinem, qualis illorum est, qui conseruari debent, procreet:* Copiosius tamen alimentum calidiusq;, & humidius postulant, vt id, quod præter naturam illis apparet, nempe humorum defectus, collapsaq; corporis moles, & frigidior, sicciorque senum temperies; conualescentium verò ea, quæ ex morbo relicta est, contrariorum vsu recedat.

Cap. VIII.
A quibus exerceantur hæc officia.

QVid per contraria, quid per similia, quid verò partim per similia, partim per contraria fiat, antea à nobis ostensum est: à quibus verò conseruatio, curatio, & cæteræ actiones proficiscantur, siue quæ, quotque sint, quæ similia, & contraria adhibent tanquam motus autores: & præterea quæ inter agentia primum locum obtineant, nunc docere operæpretium esse duco. Agunt itaque vt plurimum *Medicus, & natura*, quandoquidem morbos ab his curari, sanitatemque tueri, & demum quicquid in corpore nostro fit, ab illis prouenire, omnes concedimus. At nonnunquam quædam fortunâ contingunt, quorum nec natura, nec ars autores putari debent: Sic enim quosdam, qui aqua inter cutem laborant, accepto vulnere in abdomine, liberari contingit, & alios qui suppuratum tumorem habebant, cecidisse, & ob vehementem concussionem, rupta vomica, casu liberatos vidimus. Hæc ergo officia prædicta exercent *natura, ars, & fortuna.*

Sed hac prætermissa, quæ præceptis non subijcitur, paucis expendendum est, in quibusnam solius naturæ, vel artis, aut vtriusque simul officium requiratur. Qua in re scribit Galenus *primo de locis affectis*, leues morbos solius naturæ beneficio curari, & meritò quidem: Vbi enim ea sola sufficere potest, frustrà ab arte præsidia petuntur, siquidem familiariora sunt naturæ auxilia, quam quæ ars addit. Est tamen, vbi leuis infestat morbus, cui ars medelam adhibet, nequeunte natura aliquid conferre ad illius ablationem: veluti cum acrochordones, aut alio modo excedentes partes, quæ leues morbos cõmittunt, abscindimus. Itaq; illud intelligendum est paruos affectus naturæ opera emendari, qui scilicet illius officio subijciuntur, quales sunt potissimum, *qui in alteratione, expulsione, & additione alicuius substantiæ consistunt:* Hos enim natura absque artis auxilio corrigere potest. Quædam verò solus Medicus curat, nihil conferente natura, *quorum scil. vitia ars sola emendare potest*, cuius quidem generis sunt luxationes, partium

Quinã morbi curentur beneficio solius naturæ.

Quæ à solo Medico.

A superfluarum sectiones, & eorum, quæ toto genere aliena sunt, vt lapidum à vesica extractiones, diuisarum partium vniones, quæ adhibitis suturis, & vinculis peraguntur, & cætera huiusmodi, quæ sola ars præstare valet: alia verò sunt aduersus quæ natura, & ars coniuncta opera pugnant; quales sunt, qui suapte natura vtriusque officium requirunt: veluti vlcera caua quæ tum abstersione, quam ars præstat, tum carnis generatione, quod naturæ opus est, indigent. Alia verò sunt mala, quæ etsi naturæ officio subijciuntur, ob vehementiam tamen, ab arte quoq; auxilia petere coguntur. Sic enim putrescentes humores, aut admodum frigidos, aut vehementer calidos ars à natura adiuta, ex proprijs vnicuique
B humori, & concoquentibus remedijs fœliciter elaborat, & vincit.

Qui morbi & ar[illegible] & natura [illegible] requirant.

Quinetiam in præseruatione, quædam sunt solius Medici, quædam verò naturæ, alia verò vtriusque opera: nam vbi vrget magna humorum copia, quæ parata est morbos graues excitare, ex sola arte quærenda sunt auxilia, quæ confestim multitudinem exhauriant, quod natura nõ nisi paulatim præstare valet; hæc verò minorem humorum multitudinem sola vincere potest. At fluxionum occasiones Medicus reuulsione, vacuatione: natura autem retentione, concoctione, & expulsione pari negotio rescindunt.

Quando in præseruatione sola requiratur ars, quando sola natura sit sufficiens.

Et quando requiratur auxilium vtriusque.

Necnon ex symptomatis quædam Medicus mitigat, veluti dolorem ex punctura nerui excitatum, quod nequit natura facere; quædam hæc
C ipsa videtur efficere, vt cum dolentem ob refrigerationem partem, affluxu spirituum & sanguine mitigat, ac in nonnullis somnum animali conciliat, quo tempore dolor nullus percipitur: Quod si sola id nequit ipsa facere, caloris natiui interno naturaliq; motu, addit medicina soporifera remedia, quæ sensum stupefaciant, viasq; calori occludant, vnde sopor oboritur.

Quando vnius vel alterius in symptomatis mitigandis.

Postremò in conseruatione quædam sunt opera solius naturæ, sicut attractio, retentio, & concoctio alimenti, quo corpus conseruatur & reficitur: quædam solius sunt Medici, quales sunt frictiones, quas corpori ad illius tutelam adhibemus: Sunt & quæ ab vtroque prodeunt:
D vt cum genus exercitationis aptum ad sanitatem tuendam Medicus eligit; natura autem motionum est autor. Quamobrem quod scribit Gal. *lib. 6. de morbis vulgaribus*, primas partes in curatione, reliquisque officiis naturam obtinere, secundas medicinam, quæ remediorum vsum docet, tertium locum Medicum arti seruientem; quartum alias artes, instrumenta, & materiam Medico præparantes; vltimum vero artifices arte vtentes, instrumentaq; ipsa suppeditantes; de aliis id certissimum est: de natura vero, & Medico nisi in vniuersum, & vt in pluribus principatũ naturæ tribuamus, verum haudquaquam dicemus: Quandoquidem (vt postea ostendemus) eo etiam autore Medicus nõnun-
E quam sibi primas vendicat. Ex quibus quidem intelligi illud potest, quid à natura, quidve à Medico expectandum, exigendumq; sit. Nam qui prænouerit, quales, quotq; sint naturæ vires, & quantum singulæ præstare valeant: & quæ habeat vniuersa medicina præsidia, intelliget profectò, quid naturæ solius, vel artis officium, aut vtriusq; operam simul desideret.

In conseruatione.

Cap. IX.

De scopis, siue intentionibus agendi.

NVnc illud sequitur explicandum, quænam, & quot in singulo officio Medicus spectare debeat, quos scopos agendi vocare placet, quod hæc, veluti scopos quosdam, nobis proponamus, in quos actiones nostras dirigamus. Quæ res profectò vtilissimam huius libri partem complectitur: Nam quid alioqui prodesset intellexisse, quæ, & quot sint Medici officia, per quæ, & à quibus illa exerceantur, nisi postea intelligatur, quid in vnoquoque officio sit obseruandum: hinc sanè videmus, sanitatem, quæ conseruari debet, in morbos sæpe mutari, & morbos ipsos leues suapte natura grauissimos reddi, ac nonnunquam pro salute mortem ægris à Medico comparari, dum non agit, aut si aliquid in corpore molitur, non his remediis, quibus oportet, aut intempestiuè opus aggreditur, aut denique in aliquo errat, quod in agendo maximè spectandum est. Hinc etiam intelligimus, quorsum vnumquodque referatur eorum, quæ à nobis hominum causa exercentur, & quando demum actionum nostrarum finem consecuti sumus. Cum enim cognouimus, omnes scopos necessarios in actionibus obseruatos, putamus pariter nos officio nostro functos: ac si quid prætermissum aliquis calumnietur, non ignorata huius rei ratione, illud tanquam superfluum à nobis reiectum, vel in posito numero comprehensum asserimus: Quod qui ignorat, cæcorum more ducitur, qui quorsum tendant, dum per vias ignotas discurrunt, nesciunt. Quod si quis authorum testimonia in hac re per se apertissima requirat, Galenum legito, qui *passim* scopos tractandarum rerum alibi inuestigat, tum maximè *primo ad Glauconem*, vbi tradit, omnem medendi methodum qualitate, quantitate, modo & tempore remediorum constare: quod nihil aliud est, quàm methodum medendi sibi hæc quatuor proponere, tanquam scopos, quos perpetuo assequi studet. Itaque si id vtilissimum censeri debet, quo medendi methodus, atque adeo sanitatis tuendæ ratio constat, nihil vtilius existimabimus hac tractatione, quæ pollicetur, se ostensuram, quæ & quot sint, quibus ea ratio & methodus constare potest. Sic Aristoteles ipse *in Ethicis* philosophi moralis institutionem non aliter, quàm scopis quibusdam complectitur. Ac tanto quidem diligentius huic rei à nobis incumbendum est, quanto negligentius à maioribus nostris hæc tradita sunt, & in scholis à sophistis negliguntur (vt recentiores Græcos omittam, qui ne verbum quidem de his scriptum reliquerunt, sine quibus tamen alia rectè doceri nequeunt) Quantum variet in numero horum scoporum Galenus, facilè vnicuique licet videre; siquidem *in arte medicinali* salubres omnes causas duobus scopis contineri scribit, earum scilicet qualitate & quantitate, eumque optimum sanitatis custodem, & morborum profligatorem fore refert, qui materiæ medicæ qualitatem, & quantitatem obseruauerit. Totidem, sed ab his diuersos, nempe materiæ copiam, & congruum illius vsum *septimo methodi* statuit, cum ait, medendi methodum remedio-

A rum copia, & idoneo vsu constare: *Libro verò de sanitate tuenda* eum sanitatis optimum custodem futurum refert, qui victus, illiusque vsum, qui opportuno tempore, & modo constat, inuenerit. *In eo verò opere*, in quo quærit, *An ars tuendæ sanitatis ad Medicum* pertineat, quantitatem, qualitatem, & occasionē in materia medica dignoscendam esse putat: At *primo ad Glauconem*, vt antea diximus, medendi rationem auxiliorum qualitate, quantitate, vtendi modo, & tempore comparari apertè commemorat: Addit tres alios scopos *decimo tertio Methodi*, quos maximè spectare debet Medicus, vt citò scilicet, iucundè, & tuto agat. Ordinem præterea in remediorum vsu *tertio, & decimo eiusdem operis libro*, & *alibi* sæpius requirit. Quæ profectò an B conciliari possint, vel non, nostri non est instituti nunc docere, qui de placitis & aliorum opinione præsertim in re desperata non certamus; sed quid rei natura postulet, ad antiquorum imitationem tradere instituimus. In scriptore tamen alicuius artis nihil magis damnandum censeo, quàm variam de eadem re tractationem, quæ lectorem moratur, & confundit: Cum enim tantam huius rei vtilitatem esse dicat Galenus, vt vniuersa medendi, tuendæque sanitatis ratio quibusdam scopis contineatur, nonne oportebat eum semel alicubi eorum numerum apertè constituere, & aliqua ratione ostendere, nec plures, nec pauciores esse posse, & postea C perpetuo in eodem numero consistere, nec toties eum mutare, quoties de hac re illi est agendum? Tradit sanè Aristoteles *in Ethicis* scoporum numerum, quatenus ad moralem philosophum pertinet, cum docet, quid sit agendum, quantum, quo modo, quo tempore, & loco: Sed nec certum numerum nititur ille inuenire; nec planè potest ea tractatio medicinæ accommodari: Materia etenim ad agendum, obeundaque artis munera eget Medicus, & in ea quantitatem, qualitatem, cæterosque scopos, non autem in artifice, vt moralis philosophus, ponit.

At si rei naturam consulamus, quæ omnia distinguit, & neminem confundi permittit, D quidque bene, vel malè ab aliis sit traditum, docet, vt in aliis officiis, sic in nostris primum scopum constituemus, quo intelligimus, *an aliquid sit à nobis agendum vel non.* Cum enim duo sint quæ agere possint, vt paulo antea ostendimus, natura, & Medicus, cuiusnam officium sit agere, imprimis perspiciendum est: hinc fit, vt cum sæpe solius naturæ opus in ægrotis requiratur, imperiti Medici grauiter homines lædant, dum volunt videri se aliquid præstare debere, quod interim bene agentem naturam turbat. Quinetiam cum in desperatis morbis diligentius aliquid facere aggrediuntur, præsidiorum authoritatem minuunt, quod non facerent, si agnouissent, non curationi, sed prædictioni locum E relictum. Atque hoc quidem posito scopo, secundus statim emergit, qui, *quid agendum sit*, spectat. Nam cum multa, variaque præstare possit Medicus, plurimum refert intelligere, quid ab eo fieri debeat, an scilicet vacuandum, vel refrigerandum, aut aliquid aliud faciendum: quod qui ignorat, dum vnū pro alio sæpe facere aggreditur, homines vehementer lædit:

Primus scopus.

Nam pro salute ægris mortem parabimus, si fortè nutritione, & vitium restitutione opus sit: & interim vel sanguinem his demere, aut corpus purgare, vel alio modo vacuare tentemus. Contra verò si hæc necessaria sunt præsidia, hominem non leuiter offendemus, si eum liberaliore victu replere studeamus.
3 Cæterum cum ad agendum materia sit opus, & instrumentis, (siquidem medicina victu, & remediis vtitur) tertius scopus statuatur, qui genus materiæ complectitur: Nam temerè remedium pro victu vsurpatur, & vbi vacuandum est, non parum refert vnum pro alio remedium sumere: Quare optimè statuitur hic scopus, qui admonet in electione commodæ materiæ delectum esse adhibendum.
4 Sed enim cum eadem agentia diuersis qualitatibus sint prædita, nec parum intersit hac, vel illa qualitate materiæ vti, veluti inter ea, quæ bilem purgant, plurimum refert calida, aut frigida eligere, quartus scopus materiæ qualitatem spectabit.
5 Quinetiam cum naturalis status in mediocritate quadam positus sit, qui ob id immoderata quantitate vitiatur, postulatur quintus scopus, qui illius iustam mensuram præscribat: nam præsente sanitate, si excedat conseruantis temperiem qualitatis vis, morbus nascitur. hoc verò vrgente, si vincunt remedia maiore, quàm opus sit excessu, priore malo sedato, aliud inferunt: quare iusta mensura in omni materia tenenda est.
6 At quoniam quantitate rerum diuerso modo vti possumus, nec parum obsunt, quæ confertim exhibentur, si paulatim, & per vices partiri debeant, ideo sextus scopus rebus modum constituet.
7 Verum quoniam omnia prædicta inutilia sunt, nisi opportunè fiant, septimus addendus est, qui admoneat tempus ad agendum opportunum.

Sunt porrò hi scopi omnibus actionibus communes, quibus spectamus an agendum, quid agendum, quare, quali, quanta, quomodo, & quo tempore adhibere singula conueniat.

8 Peculiares verò alii adduntur, locus scilicet, & ordo: ille quidem, vbi plures sunt loci, per quos agere licet, vt in vacuationibus multum interest noxios humores per aluum, aut os, aut cutem, vel secta in aliqua parte vena, aut per alium denique locum vacuare: vel si vnicus est locus, non tamen ille satis patet, vt in remediis alterantibus, quæ foris admouentur internarum partium gratia, siquidem omnibus non constat an affectum sit hepar, aut lien, aut renes laborent, vbi applicanda sint præsidia. in his ergo arte opus est, quæ locum idoneum designet. vbi verò vnicus est locus, per quem agere possumus, & sensibus patet, vt in contritione, & vulneribus, atque etiam in externarum partium affectibus, nemo de eo solicitus esse, nec præcepta ex arte nostra postulare debet: nam ars, quæ omnibus sunt nota, non præcipit.
9 Vbi plura facienda sunt, quæ inter se serie quadam cohærent, scopum alium facit, quo docemur, quærendum esse, quid primo, quidque deinceps fieri conueniat. Ac præter hos scopos non esse alios statuendos, intelligemus, cum quid vnoquoq; contineatur, explicauerimus.

Cap. X.

Quid in vnoquoque ex prædictis scopis contineatur.

Iam verò constituto scoporum numero, & propria singulorum appellatione, sequitur, vt explicemus, quid in vnoquoque illorum contineri intelligamus. Sunt enim quidam inter eos, qui plura sub se complectuntur. Nam cum ars in summis generibus non consistat, necessarium est scire, non solum agendum esse, & quid agendum sit in vniuersum, sed etiam ad inferiores actiones descendendum, veluti, quod non solum mutandus sit corporis status scire expedit, sed quod vacuandum sit, & nō solum quod vacuandum, sed quod bilis, vel alius humor educendus: idque vel à toto corpore, vel parte aliqua; vel leuiter, aut vehementer educendus. Ac cum alia cum vtilitate tantummodo fiant, alia verò etiam cum facilitate, & leui tolerantia eius, qui refert, obeantur, quid cum vtilitate, quid etiam cum facilitate fieri conueniat, perspectum esse debet. Quædam præterea, citò, quædam tardè; sunt, quæ non nisi cum dolore, nonnulla tuto, alia sunt, quæ solum cum periculo fieri possunt. Etenim his, qui ex alto loco in terram sunt delapsi, si nullum est in humore vitium, sanguinem demimus, suadente ita affectu: Sic vrgente apoplexia, crassos, tenacesque humores, adhibita purgatione educimus: vtilis verò, facilisque est vacuatio, cum humores sunt noxii, & ad vacuationem præparati. Dysenteria cum his, quæ dolorem inferunt, curatur, & missio sanguinis cum dolore fit. Citam vacuationem postulant fluxiones, quæ in aliquam partem vehementius irruunt; tardam quartana, quotidianaque febris: calculus ex vesica non nisi cum periculo extrahitur, & tamen huiusmodi actionem postulat. Quamobrem hæ, & huiusmodi aliæ (si quæ sunt diuersæ actiones) notandæ, atque illæ sumendæ, quæ ad finem propositum commodiores putantur.

Vacuatio quando sit facilis & vtilis.

Porrò tertius scopus, qui genus materiæ complectitur, æque multiplex est vt secundus, & vires materiæ notas ponit. Non enim solum quid vacuet scire oportet, sed etiam quid bilem, aut aliud, & quid cum vtilitate, vel cum facilitate quadam materiam è corpore educat: quid prætereà à toto, quid à parte, quid leuiter, vel vehementer, quid citò, iucundè, tuto, & demum quid vnumquodque præstare in corpore possit, ponendum.

Quæ sub tertio scopo deprehendantur.

At in qualitate materiæ primas, secundas, & alias omnes qualitates siue actu, siue potentia in ea sint, siue natiuæ, vel arte paratæ, complectimur. Nam plurimum refert medicamenta, quæ assumuntur (vt hoc vno exemplo res in aliis etiam intelligatur) calida vel frigida, actu vel potentia, liquida vel solida, crassa vel tenuia, & hac aut alia figura, & qualitate prædita exhibere, siquidem vrgente febre, creduntur magis prodesse, si frigida actu, quam potentia dentur: Vbi renes, aut vesica laborant, liquidiora medicamenta solidis præferuntur: vbi caput euacuandum est, quæ dura sunt effecta, cuiusmodi sunt catapotia, mollioribus & liquidioribus vtiliora censentur.

Quæ sub quarto.

Quæ forma medicamenti cuiq; parti corporis sit magis apta.

Iam verò quantitatis nomine, mensuram, quam vulgus gradum vocat, & molem, copiamq; rei contine-

Sub quinto.

contineri volumus: Etenim remedia vsque adeo intendere oportet, donec affectus penitus adimantur, quod est gradus præsidiorũ gradib. affectuum æquales facere. Molem & copiam prętere in remediis requirimus: veluti crassa cerata, & cataplasmata, quę ad suppurationem adhibẽtur; tenuiora vero ea, à quib. refrigerationem expectamus, efficiemus. Sic vbi potiones, quæ vomitũ moueãt, propinamus, largiores eas aliis, quib. stomachi vitia emendare solemus, esse voluimus, vt rei pondere subuertatur ventriculus, atque ita infestantes humores simul reiiciat, id, quod est molem, & copiam remediorũ spectare. Considerat modum, qui spectat, an continuo agere debeat, an per vices: Quod si per vices agẽdum est, quærendum, in quot partiri debeat, in duas ne, vel tres, aut plures, & præterea an tantum vna, quantum alia, vel plus, aut minus aliquid sit exhibendum. Nec illud quidem ignoro, agendi modum aliter nonnunquam à Galeno, quam à nobis sumi, vt postea ostẽdemus, sed nobis placet ita hoc loco eum capere, sicut ille in eo Aphoris. in quo scribit Hippocrates *& quibus semel, aut bis &c.* intelligendum esse refert. Porro loci, ordinis, & temporis nomine quid significetur, omnibus notum est.

Sub sexto.

sect. 1. apho. 17.

Sub septimo.

Cæterum perfectũ esse numerum (quod hoc loco docere operæpretium esse duxi) natura ipsius rei docet, tum etiam quod alii reperiri non possint, qui in iam positis non cõtineantur. Qui enim cum illi agendum est, agit, quod debet, & materia accommodata ad id, quod efficere studet, vtitur, nec in qualitate, quantitate, modo, tẽpore, loco, & ordine errat, is profecto, quantum homini licet, semper bene aget, nec aliud præterea desiderabit, quo spectare debeat, cum vel curare, aut præseruare, aut conseruare, vel alio Medici munere fungi studet. Nam quod Galen. præcipit *lib. 1. de Morbis vulgarib.* eum, qui recte curationem morborum instituere nititur, illud obseruare debere, vt ęgroto prosit aut saltem ne quid ei noceat: atq; etiam quod scribit 8. *Meth.* dum abigimus morbos, prospiciendum esse, ne quæ secundum naturam sunt, lædamus, & si quæ alia similia sunt præcepta, diuersos scopos non faciunt. Qui enim ea præstat, quæ diximus, omnia alia cõsequetur, quæ excogitari agendo possunt, cum alioqui in infinitum huiusmodi præcepta excrescerent, nisi ad certa capita referrentur. Superfluum pręterea est addere instrumenta, quibus ad materiæ vsum vtimur; atque adeo compositionis, præparationisque remediorum rationem, quandoquidem hæc etiam in prædictis compræhenduntur: neque enim commodis locis admoueri præsidia, si desint propria instrumenta, per quæ admouentur, & immittuntur; nec idoneam qualitatem habere possunt, si composita, aut alio modo recte præparata non fuerint, quæ ad corporis vsum adhibentur. Illud vero potius vrgere videtur, quod de occasione dici solet, nempe quod illa scopũ ab aliis distinctum constituere non debeat, sed in qualitate, & quãtitate præsidiorum contineatur: de qua quidem re (ne frustra illi tertium locum dedisse videamur) operępretium esse duco, vt pauca dicamus. Ac imprimis quidem de nomine, & varia significatione agendum, nam reliqua postea facilius intelligi poterunt.

Non esse plures scopos præter dictos.

Itaque scribit Gal. *lib. de optima secta* καιρὸν, id est, occasionem duo significare, opportunum scilicet ad agendum, & morbi tempus. *In lib.* autem *de Temporibus morborum* contra Hippocr. & aliorum omnium Gręcorum autoritatem, qui potissimum pro opportuno tempore hoc verbum vsurpant, contendit, duntaxat morbi tempus significare. Cæterum occasionem diuidit aliquando in vniuersalem, & particularem, vt videre est *in lib. de Optima secta: alibi* vero semper de ea, tanquam de re simplici agit. Nos autem, contempta ea significatione, quam καιρὸν significare scribit, nempe morbi partem, de opportuno ad agendum tempore hoc loco disseremus, quod etiam Latinum nomen *occasio* exprimit. Neque enim occasionis appellatione intelligimus morbi tempora, siue partes, aut aliud quicquam, quam *commodum, & opportunum tempus ad aliquid moliendum.* At præstat quidem ita occasionem definire, quam Galeni definitionem traditam *in lib. de Optima secta* recipere. Neque enim occasio idoneum est tempus ad exhibenda remedia, vt eo loco tradit, quippe cum non minus in victu, quam in remediis occasionẽ quæramus. Qua ratione idem autor *lib. 3. de Victu acutorum* scribit, occasionem esse tempus, quo ex consuetudine aliqua re vti consueuimus, vel quo aliquid iuuare solet. Porro vniuersalem appellamus occasionem *longius quoddam tempus ad id, quod volumus, peragendum accõmodatum,* de qua quidem Hippocr. sæpius agit: Veluti cum scribit in Aphorismis, *in principio si quid videtur mouendum, moue.* Item, *in acutis passionib. raro, & in principio purgandum.* Ad id pertinet & Aphorismus ille: *concocta medicari, &c.* Constat enim morbi principium, in quo mouere possumus sępe aliquot dierum, & mensium spacio, quod vniuersum ad mouendum, euacuandumq; corpus est idoneum: Sicut & pars ea morbi, in qua noxius humor est concoctus, quæ tota pars ad purgationem est accommodata. Ac nos quoq; per sanitatem hęc cõmode fieri, vt victum exhiberi; alia per morbum, vt remediũ dari, dicimus, vbi totum tempus, quo sani sumus, vel morbo laboramus, aptum ad ea obeunda, quibus egemus, statuimus. Particularis autem occasio est *illud fere momentum temporis, quo iam re aliqua vtimur,* cuius mentionem facit Hippocr. in Aphoris. cum momentaneam occasionem vocat, & Gal. 1. *ad Glauconem*, quando eam scribit cognitu esse difficillimam, adeo vt vix etiam ab exercitatissimis Medicis cognosci valeat: nã aliam facile omnes qui vel leuiter sunt in arte nostra instructi, intelligunt. An vero occasio in quantitate, & qualitate contineatur, an potius seiunctum scopum constituat, quod ab initio proposuimus disputandum, iam tempestiuum est, vt docere aggrediamur: eoque potissimum, quod hæc res vel doctissimos etiam Medicos angere videatur: nimirum quod Gal. quo maxime autore illi suas controuersias diiudicant, sibimet ipsi consentire in hac re nequaquam videatur: nam *lib. 1. ad Glauconem* medendi methodũ (vt antea quoque retulimus) qualitate, vtendi modo, occasioneque remediorum constare scribit. & *alibi passim* hanc ab aliis seiungit, vno loco excepto, qui habetur *in Arte medicinali*, vbi contendit in qualitate, & quantitate, remediorum occasionem

Occasio quid significet.

Vniuersalis occasio quid.

sect. 2. apho. 29.

sect. 1. apho. 24.

sect. ead. aphor. 22.

Quid occasio particularis.

sect. 1. aph. 1.

Occasio an in quantitate & qualitate contineatur, an vero seiunctũ scopum constituat.

comprehendi; atq; ob id tertium quendam scopum, qui admoneat occasionem esse obseruandam, non esse ponendum. Verum enimuero vtramq; opinionem probabilem esse, meo quidem iudicio, reperiet, qui scrupulosius, & subtilius, forte, quam nostra postulet facultas, hæc perpendet. Nam quoniam corpus nostrum in perpetua quadam mutatione versatur, describi nequit certa qualitas, & quantitas rei, quæ ad illius vsum adhibetur, nisi certum tempus statuamus, in quo illud perinde afficitur. vt tali, & tanta re opus habeat: præterlabitur enim, & mutatur nonnunquam momento corporis status, vt ea quidem inutilia reddantur modo, quæ paulo antea iudicata sunt optima, siquidem absente morborum accessione, vtile censemus esse (ita forte exigente affectu) venam tundere, aut medicamentum propinare, vel clysteres iniicere, qua statim aduentante nihil horum opportune adhiberi potest. Quare nemo de qualitate, & quantitate præsidiorum deliberare potest, qui prius non constituat tempus, in quo putet huiusmodi esse corporis affectum, vt illi tale, tantumque præsidium debeatur. Ante vero quam qualitas, & quantitas inuenta sint, scopum facit distinctum occasio ad quantitatem, & qualitatem affectus corporis docendam necessarium. Sic enim quod Gal. ait *in Arte medicinali*, se ad docendã occasionem tanquam tertiũ quendam scopũ ponere, intelligere oportet, quod scilicet ad inueniendã, & docendam qualitatem & quãtitatem affectus conferat: Id quod facit, quoniam mutationem, quæ in corpore fit, ostendit. Hac sane ratione morborum tempora notamus, cum dicimus, in principio morbi acuti mouendum esse, quod nobis huiusmodi tempus

A monstret corpus perinde affectum, vt mouente remedio illi sit opus. Cõtra vero in statu nõ esse vacuandum dicimus: non quod significetur eo tempore virtus corporis infirma, quæ vacuationem ferre nequeat, quemadmodum *in libro de Optima secta* scribit Galenus (quippe cum sæpius in grauissimis etiam morbis citra vllam noxam vacuationes sustinere possit,) sed quoniam affectus eo tempore vacuationem non exigunt, sed mutationem potius, & coctionem: declinationes vero morborum aptissimas ad purgationem esse putamus. propterea, quod in ea morbi parte notauimus humorem esse concoctum, & ad vacuationem idoneum. Eodem denique modo purgationem, vel alia remedia in præsenti, vel B sequente tempore ægrotis describimus, quod credamus, tunc huiusmodi fore corporis statum, vt eo remedio opus habeat. Quæ quidem etsi recte dicuntur, tamen satius esse duco, vt *occasionè ab aliis scopis seiungamus*. Sic.n. res facilior euadet, & ratio id suadere videtur: Siquidem diuersa sunt ea, à quibus omnes hi scopi sumuntur. Atque hæc quidem de scopis necessariis in singulis actionibus peragendis, quos sane quilibet ante oculos proponere debet, vtpote ex quibus recte agendi ratio constat, perficiturque. Nam si quæ alia circumferantur ad nostri imitationem ab aliis de hac re dicta, quantum illis sit tribuendum, cognoscet studiosus lector, qui expendere velit, qua ratione illa dicantur, & singu-C la inter se comparare non grauetur. Hinc enim facillime intelliget, quænam meliore nitantur fundamento, & à melioribus principiis sint ducta: Illos enim nos docere, non refellere instituimus.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE OFFICIIS MEDICI

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De indicationibus, & aliis instrumentis, quibus scopos assequimur.

QVæ, & quot sint Medici officia, ac etiam à quib. & per quæ illorum singula exerceantur, quid præterea in vnoquoque corporis statu sit moliẽdum, & quãdo prædicta munera in vniuersũ obire, deniq; quæ. & quot in omni officio Medicus sibi proponere debeat, superiore libro, quantũ nostrũ institutum postulat, summatim cõplexi E sumus. Nunc vero illud sequitur explicandum, qua ratione, quibusq; instrumentis singulos scopos Medicus consequi valeat. Quæ quidem res quantam vtilitatem polliceatur, omnib. statim

D constare puto: quandoquidem frustrà alia omnia, nisi hæc addantur, scripta esse puto. Nouit etenim forte etiam vulgus, morborum varia esse genera, & differentias, quod varie affici ægrotantes videat, ac longo vsu signa notauit, quibus tum præsentia mala dignoscere, & futura prædicere valeat: quin & illorum causas quasdam esse putat, & agnoscit, cum alioqui ea excitari, foueri, augerique nequeunt, & varios morbos à variis, certisque causis committi didicerit: Febrem sitim parere, quod nequit stomachi cruditas facere, & alios in singulis morbis effectus, & casus recensere potest: Nec illud quidem ignaros rei medicæ latet, diuersas esse morborum partes, quod scilicet videant grauius vno tempore, quam alio hominem affici, postremo aliter sanos, quam ægros tractandos esse omnes concedunt: atque illud quidem necessarium putant, quod in omni

officio

officio scopos quosdam ponere oporteat: at quibus instrumentis scopos necessarios consequi liceat, tantum abest, vt medicinæ ignari sciant, vt etiam Medicorum vulgus id ignoret. Quot.n. (quæso) sunt Medici, a quib. si petas, cur instrumenta habeat ars nostra, quib. quid agẽdum sit, & reliquos scopos consequi valemus, ne verbũ quidem dicere poterunt, aut certe inepte respõdebunt, ne hæc ignorare videantur, nimirum quod hæc nunquam à præceptoribus didicerint, nec ea quidem, quæ de hac re scripsit Gal. (vtpote qui in nugis, & sophismatis perpetuo sint occupati) intelligere studuerint: deterius sane, quã alii omnes artifices affecti, qui statim recensere possunt, quib. instrumentis illorum ars vtatur: nihil est frequentius in scholis nostris, quam indicationis nomen, cum tamen multi ex his etiã, qui docent, ignorent, quid sit indicatio, tantum abest, vt sciant, quæ sint, & quot, quæ indicare possint, quantaq; singulorum indicantum vis; & reliqua demum, quę rationalis Medicus, tanquã vnguem, digitosq; suos tenere debet. Hi sunt profecto, qui se Galeni sectatores magno fastu vendicant, sed, nescio, qua ratione, cum id, quod præcipuum est in eo authore, vel non agnoscũt, vel contemnunt, & interim perpetuo versantur in rebus leuissimis, vt psittacorũ more antiquorum verba referre possint ad veritatẽ turbandã, aliosq; in suis disputationib. contentiosis fallendos; quæ profecto non ad hæc, sed ad Medici institutionem ab authoribus ipsis excogitata fuerant. Quod si quis forte hæc despiciat, tanquam parum vtilia, plurimum aberrat: hoc etiam potissimum rationalis Medicus à methodico, & empirico (Galeno etiam teste, cuius authoritate maxime illi mouentur) differt, quod rationalis in curatione, reliquisq; Medici officiis indicationib. vtatur, empiricus minime, methodicus vero non recte, nec à quib. oportet rebus, indicationes sumat. Ac sane vel ex hoc solo intelligere possumus, quanta sit huius rei vtilitas, quod de nulla re frequentius Galenus agat, quam de indicationibus. Quid quod ille scribit *libro 2. de Arte medendi*, eam omnem per indicationes fieri? An non etiam *lib. 11. eiusdem operis* habet, frustra eos curandi methodum tentare, qui ignorant vnum ab vno indicari? & merito quidem. Nam quid (quæso) aliud est methodus medendi, quam ille conscripsit, nisi tractatio quædam de indicationibus? Etenim morbi, de quib. illic agitur, exempla potius sunt ad vim indicationũ ostendendam, quam quod per se magni alicuius sint momenti: quo profecto Medicos omnes moueri oporteret Gal. nostri imitatione ad hæc diligentius excolenda, sine quibus nec Medici nomen tueri possumus. Mirari etiam licet, quod Paulus, Aetius, Oribasius, omnesq; alii, qui post Galen. morborum curationem, sanitatisq; conseruationem scripserunt, ne verbum quidem de hac re fecerint, tãtum abest, vt ea, quæ apud Galenum desiderare in hac re possunt, addere vnquam conati fuerint. Describunt illi quidem remedia, & viuendi rationem in singulis morbis, variaque præsidia recensent, quorum quantitatem, qualitatem, modũ, ordinem, occasionem, & alios deniq; scopos definiunt, sed nulla ratione dictante, nec aliquo ostendente recte ea doceri, quæ scribuntur. Cur enim in morbis victu sit opus, & remediis, & cur tali victu remedioque sit vtendum, & in omni materia cõstituti scopi ponendi, aliqua, mehercle, ratio est, quæ id docet; quam qui ignorat, temere nullaque arte omnia præscribit: ac meo quidem iudicio, eos deterruit difficultas, ne hanc medicinæ partem explicare aggrederentur: nam cum Hippocrates huius rei mentionem non fecerit, cogimur omnia ex Galeno colligere; qui non solum hæc sparsim tradit, verum etiam eo maxime difficultatem auget, quod nec principia illius ponat, aut positã non seruet, nec certis capitibus tractationem vniuersam complectatur, & perpetuo eadem varie doceat. Quę omnia luce clariora his fore puto, qui diligenter singula apud eum perlegerint, & nostra interim expendere non grauabuntur: nã etsi ea perfecta, & prorsus expolita non sunt; erunt tamen, vt spero, huiusmodi, vt vnusquisq; veritatis studiosus intelligere possit, non leuiter à nobis in hac re fuisse elaboratum, adeo vt via patefacta, reliqua, si quę desunt, inuenire valeat.

Indicationes aliud esse, quo Medicus rationalis à methodico & empirico potissimum differt, & cur.

Cap. II.

Quot, & quæ sint instrumenta, quibus rationalis Medicus scopos assequitur.

SCribit Galenus *lib. 2. Meth. medendi, & alibi* sæpe, omnem medendi methodum, atq; etiam conseruandæ sanitatis rationem à rationalibus Medicis per indicationes fieri. At *quinto eiusdem operis libro*, experientiam addit, cum ait, indicationem & experientiam instrumenta omnis inuentionis esse, nec aliud addendum præter hæc tertium. Verum *in lib. de Optima secta*, vbi diligentius, quam alibi vsquam de indicationibus tractat, non omnia per indicationem, sed quædam per obseruationem, alia vero per analogismum inueniri docet. At non solum per hæc, sed etiam per ratiocinationem eadem inueniri possunt. Optime etenim colligemus, frigido remedio in febribus opus esse, quod contraria mutuo se propellant: calidus autem affectus sit febris, cui ob id frigida competunt: Quod etsi ita res habeat, tamen tria prędicta ad omnia prę sidia, vniuersosq; illorum scopos inueniendos sufficiunt. Nam vel incidimus in eos affectus, quorum natura, & vis percipi potest, aut in alios, quorum ea ignota est: Ac in illis quidem indicatione vtimur, nec aliud commodius instrumentum, quam ea sit, excogitari valet; in his vero, siquidem antea experti sumus, quid illis conuenire queat, obseruatione nitimur; alioqui analogismo, quid expediat, colligimus. Quamobrem tria erunt instrumẽta, quorũ adminiculo scopos prædictos assequemur, *indicatio, obseruatio siue experientia, & analogismus*, de quibus quidem hoc libro à nobis agendum erit.

Tria esse Medici [illegible] instrumenta, quibus scopos suos assequitur.

Cæterum quoniam non solum indicationis nomine, sed etiam coindicationis, & contraindicationis, siue repugnationis appellatione vtimur, cogimurque præterea, vt coindicantia, siue correpugnantia ponere, obiter horum vocabulorum, & aliorum pręterea quorũdam, quæ quidem prædictorum nominib. apte contineri nequeunt, vsus à nobis docendus est, ne ob ignotas dictiones tractatio ipsa obscurior euadat. At

cum tria sint posita instrumenta, primo de indicationibus, postea de obseruatione, & analogismo seiunctim agemus. Sic enim profecto, quæ, quantaque sit singulorum vis, qualisque vsus, clarius patebit.

Cap. III.

Quid indicatio, coindicatio, contraindicatio, & correpugnatio.

Indicatio quid secundum Galenum.

QVid indicatio sit, docet Galen. *secundo lib. Methodi medendi*, cum definit indicationem esse sequentis, siue agendi insinuationem. At id clarius facit *in lib. de Optima secta*, vbi scribit, indicationem esse comprehensionem iuuantis vna cum comprehensione nocentis cum re indicante simul aduenientem, idque sine obseruatione, & ratiocinatione, idest, (si apertius definire velimus.) Indicatio est *cognitio iuuantis, & nocentis, qua cum re, qua iuuamento eget, cognita simul aduenit absque obseruatione & ratiocinatione, & analogismo.* Quod enim iuuat, primo cognoscendum est, & eadem ratione postea, quod nocet, deprehenditur. Atque hæc quidem non solum per indicationem, sed etiam obseruationem, ratiocinationem, & analogismum deprehendi possunt: Nam quod febricitantibus frigida conueniant, ita indicante febris natura cognoscimus: Ex quo illud quoque innotescit, calida obesse; siquidem hæc contraria existunt iis, quæ prodesse, insinuauit affectus natura. Licet (vt antea diximus) ratiocinatione aliqua idem colligere. Veluti quod contraria à contrariis propellantur, à similib. vero lædantur morbi. Ex quo quidem sequitur febres frigidis extingui, intendi autem calidis. Quinetiam intelligemus eadem prodesse, aut obesse, quod id experientia in iisdem affectibus docuerit, vel quod analogismo vtentes, illa in similibus casibus profuisse, quæ vim haberent refrigerandi; obfuisse vero, quæ calefacerent, colligamus. Vnde non solum ab obseruatione, & ratiocinatione, sed etiam ab analogismo separari debet indicatio. Porro eo maxime indicatio ab obseruatione, & analogismo differt, quod ea, quæ per indicationem cōprehendūtur, in præcedente aliquo vt optime ait Galenus, nempe in natura rei sint designata, non autem hæc. Percepta etenim natura eius, quod nos ad agendum mouet, protinus etiam vna cum eo, quid agendum sit, & quid fugiendum, ex consequenti quodam intelligimus, quasi digito ostenderetur, quod quærimus. Vnde ἔνδειξις, indicationisque nomen ductum. Vt enim qui digito quid agendum, vt qua via sit incedendum, ostendit, Sic & natura rei percepta, cuius causa ad aliquid moliendum impellimur, quid eligendum primo, quidve euitandum, ex accidenti indicat, monstratque: sic sane, vt exemplis res rudiorib. innotescat, qui, quid morbus sit, qualisque eius natura nouit, statim etiam, quid faciendum sit, nempe curandum, & non conseruandum huiusmodi corporis statum intelligit, indicante, ostendenteque ipsius morbi natura, quæ aliena est, & inimica; quod vero naturę inimicum, sui ablationem monstrat, nulla interim expressa ratiocinatione adhibita, nec obseruatione, aut analogismo. Eodem pacto,

Quid secundum autorē.

Indicationē à ratiocinatione, obseruatione & analogismo esse separandam, & quo modo ab iisdem differat.

A cum quis intellexit, sanitatem quidpiam esse secundum naturam, & nobis familiare, vna & illud protinus concipit, qua re ea iuuari possit, quidq; illi obesse valeat. Nam quæ huius naturæ sunt, tueri, conseruareque studemus, id quod similium vsu efficiemus: Quamobrem agnoscimus, cōseruatione & victu, nempe similium materia opus esse, fugiendam autem mutationem, & remedia, quæ illius autores existunt: id quod nec obseruatio, nec analogismus efficit: siquidem qui experientia nititur, rerum naturam nō expendit, sed longo rerum vsu se tuetur. Per analogismum vero quid his expediat, de quibus agimus, ex aliorum similitudine (vt diximus) colligimus.

Indicatio à ratiocinatione bifariam differre.

B Porro à ratiocinatione indicatio bifariam differre videtur: vno modo, quod ii, qui per ratiocinationem aliquid inueniūt, expressa quadam & prolata argumentatione vtantur; qui vero indicatione nituntur, vel solum rei naturam expendant, aut certe ratiocinationem apertam non contexant, sed rei natura proposita statim agnoscant, quid præstare oporteat, aut tacitam quandam & breuem argumentationem adhibeant: nam quod aliqua adferatur ratiocinatio, videtur maxime consonum. Quomodo enim alioqui percipere possumus (vt in febris exemplo persistamus) ei opitulari frigida, obesse vero calida, nisi quod ex illius natura, quæ calida est & præter naturam, statim inferimus contraria, & C haudquaquā similia esse adhibenda. Differt præterea a ratiocinatione indicatio, quod illa a rei proprietatibus, & accidentibus duci possit, hæc vero perpetuo à natura rei, quæ nos ad agendū mouet, petatur: Estq; sane indicatio ad cognoscendum id, quod conferre potest, vel nocere in his, in quibus locum habet, quod est signum ad corporis statum dignoscendum, & experientia ad vires materiæ medicæ explorandas.

Coindicans.

Cæterum coindicans illud nobis statuatur, *quod non primo, sed alio loco, siue per accidens ostēdit, quod monstrat ipsum indicans:* Quo quidem modo vires victum indicare dicuntur; temperies vero corporis, ætas, sexus, consuetudo idem coindicare, quod scilicet ostendant, qualis sit viD rium conditio, quarum interuentu nec primo, nec per se victus rationem declarant.

Contraindicans.

Contraindicans autem est, *quod primo impedit fieri, quod ab indicante suggeritur:* veluti in vacuatione, quam multitudo humoris ostendit, contraindicans erit virtus, quæ proprie, & immediate illi reluctatur, siquidem infirma fuerit, vtpote quæ magis, quam alia omnia, quæ in nobis secundum naturam existunt, à vacuantibus, prosternatur.

Correpugnantia.

Vocamus autem ea correpugnantia, *quæ secundo loco indicantibus sese opponunt;* qualia sunt in vacuatione ætas, sexus, corporis habitus, anni tempus, & cætera huius generis, quæ quoniam vires infirmas monstrant, ideo vacuationem E non admittunt, aut certe eam moderari dicuntur. Atque hæc quidem de nominibus, quibus in hac tractatione vti cogimur, illorumque vi, & vsu sufficiant, si modo admonuerimus lectorem, nos variis nominibus idem in hoc opere significaturos. Nam docere, demonstrare, ostendere, suggerere, insinuare, declarare, & si quæ alia occurrent eiusdem significationis voca-

bula,

bula, pro eo, quod est indicare, vsurpabimus, & contraindicare, retragari, repugnare, reluctari; nec non coindicare, cōmonstrare, continuare; & correpugnare, correluctari, correfragari in eodem significatu capiemus, maiore forte licentia, quam latine loquēdi ratio postulet, ne ob vocabulorum scilicet elegantiorū penuriam res longe inter se diuersæ magno errore inter se cōfundantur. Cætera vero in propria singulorum tractatione postea patebunt.

At si forte nunc quis petat, cur hæc à nobis sint hoc modo distincta, & an plura, vel pauciora, quam ea, quæ diximus, in singulis scopis exercendis reperiri possint, illi, quantum in nobis erit, satisfacere conabimur. Nam quod imprimis hæc omnia vno nomine comprehendi nequeant, ostendūt eorum naturæ diuersæ, ac antiquiorum loquendi ratio. Etenim quæ hortantur, aliquid in corpore nostro esse moliendum, quæq; operam nostram desiderant, ab his prorsus differunt, quæ quod postulatur, obiri prohibent: separant autem non solum Gal. sed etiam antiqui omnes Medici indicantia à coindicantibus, & cōtraindicantibus, id quod tum ex libris, quos *de Meth. medendi* Galen. scripsit, tum ex eo potissimum, quem inscripsit *de Optima secta*, vnicuiq; constare puto: vsurpāda vero esse in hac tractatione huiusmodi nomina, nec inter se cōfundenda, docet pariter ratio, quæ res natura distinctas propriis nominib. nuncupandas esse admonet, ac etiā antiqui Medici, inter quos præcipue Gal. noster nullum frequentius habet, quā indicationis, & contraindicationis nomen. Illud autem, an plura scilicet vel pauciora, quam quæ posuimus, inueniri valeant, quod præcipuū est, nec tamen à Gal. vel alio quopiam explicatum, nunc docere aggrediemur: quo quidem ignorato, reliqua, quæ sunt huius operis, constare nequeunt, ac propriam gratiam amittunt.

An non plura vel pauciora instrumēta præter dicta reperiantur.

Meminit quidem Galen. indicantium, coindicantium, contraindicantium, docetque pro illorum vi & ratione singulos agendi scopos inueniri, recteq; administrari. Verum non satis docet, quomodo ea inter se differant, aut si id explicat, certe illud prætermittit, quod est maximum, & præcipuum, an ea sufficere possint, vel alia præterea quærenda, ad quæ agendi ratio referatur: quod tamen qui (vt diximus) ignorat, perpetuo dubitare cogitur, nonnulla adhuc relinqui, quę huius rei partem sibi vendicent: nam quis, quæso, credere potest, genus, aut quantitatem remediorum recte adhibita esse ægrotantibus, quod in eorum inuentione indicātia, coindicantia, & contraindicantia spectauerit, illorūque vim, & naturam expenderit; nimirum quod nulla ratione sit ostensum, hęc sola sufficere, nec præter illa alia esse quærenda. Itaq; cum in omni re, quæ fieri debet, inueniantur quædam, quæ nihil ei cōferunt, alia vero, quæ faciunt ad id agendum, quod volumus; non immerito ea quoq. in obeundis Medici officiis spectanda esse statuemus, & quæ ab his nascātur vtilia, hoc modo expendemus. Nam quæ conferunt, eo id quidem faciunt, vel quod illud suadeant, sintque, vt Gal. *in libro de Optima secta* dicere solet, scopi, id est, proposita, quę primo intuemur, & nobis proponimus, tanquam ea; quæ nos ad agendum mouent: alia vero sunt, quæ dehortantur, impediuntq; fieri, quod ab aliis postulatur, & vtraque vel primo & per se, vel secūdario & per accidens id præstant. Porro quæ hortantur per se, suntq; scopi, siue proposita, indicātia; quæ vero eodem modo reluctantur, contraindicantia; quæ illud per accidens, coindicantia; quæ hoc, correpugnantia merito appellari debent; quæ autem nec suadent, nec dehortantur, ea tanquā non essent, haudquaquam considerantur: At quæ idem postulant primo, indicantium nomine pariter donari debent: Veluti etiam coindicantia, & correpugnantia omnia ea appellanda sunt, quæ indicantium, & repugnantium beneficio, quod fieri debet, ostendunt: quæ vero proprie contraindicantia, aut improprie, vel per se, aut per accidens dici debeant, suo loco ostendemus. Ex quib. quidem patere puto, non plura, quam *indicantia, contraindicantia, coindicantia, & correpugnantia*, reperiri, quæ in omni re peragenda spectari debeāt: Si quis enim omnia inuenit, quæ id postulant, quod quærimus, omnia præterea considerauit, quæ impedire quocunq; modo possunt, & singulorum vim tenet, & pro omnium ratione & natura elicit tandem, quod facto est optimū, is profecto nihil prætermisisse, quod ad recte agendum sit necessarium, putabitur. Ac vt singulorum, quæ prædiximus, natura, & res ipsa omnib. innotescat, exemplis hoc modo vtemur.

Igitur victum indicari à virib. contraindicari à morbo; coindicari autem à temperamento, ætate, sexu, & aliis, quæ, quales, & quantæ sint vires, ostendunt; illis vero correluctari, quæ morbos ipsos declarant, dicimus: nam vires nutrire nostrum est propositum, nosterq; scopus, & illæ sunt, ex quarum natura, & differētiis vniuersam nutriendi rationem quærimus, & instituimus: At quoniam præsentib. morbis non licet perpetuo facere, quod vires ad sui tutelam exigunt, eo quod nutritioni sæpe repugnent morbi, vtpote qui sui mutationem, & nō præsentis status conseruationem postulent, ideo inter contraindicantia merito hi sunt positi, non quod nutritionem desiderent, sed quod eam, quantum eorum natura patitur, impediant, quam vires requirūt. Vnde proprie indicantia nihil aliud sunt, quam *ea, quibus præsidia debentur, quæque primo suapteque natura conseruationem, aut mutationem petunt.* contraindicantia vero aliud postulant contrarium, aliudque indicant, quod ei refragatur, quod ab alio fuit indicantū, vel si improprie cōtraindicantia sunt, cum nihil postulent. quod ei repugnet, quod ab indicantib. fuit propositum, prohibent tamen, ne illud adhibere possimus, vt ab ipsis indicantib. exigitur: quoniam vero ætas, temperamentum, sexus, qua ratione sint affectę vires, ostendunt, ideo victum coindicare dicuntur, *non quod illis debeatur nutritio, sed quod interuentu virium eam præscribant.* Eadem autem & alia, quæ naturas, & recessus, aliasq; morborum differentias patefaciunt; inter correpugnantia reponuntur, non quod illa impediant nutritionem fieri, sed quoniam illud ostendunt, quod id facit. Qua ratione consentientia apte quoque vocari possunt, quod ea sequantur, consentiantque cum illis, quæ vel indicant, aut contraindicant. At si vacuandum est, & vires subsunt validæ, aut nutriendum laborante corpore, attamē morbus eius generis est, qui virib. concoquen-

Propria indicantia.

Contraindicantia propria & impropria.

Quomodo ætas, temperamentum & sexus victū coindicent.

tibus, indicantibusque nutrimentum haudquaquam repugnet, aut si per morbos aliquid præstandum, quod vires non labefactet, quę huiusmodi sunt, nec indicare, nec contraindicare, aut coindicare, aut correpugnare creduntur: quod etiam Gal. *9. Meth.* animaduertit, Vbi scribit, indicationem, quæ sumitur à viribus, aliquando nullum locum habere, contemniq; ac si penitus non esset, propterea scilicet, quod cum nec suadeat, nec dehortetur, officia non mutat. Vnde non mirum, si ea, quæ huius generis sunt, ab hac tractatione excludimus; quoniam nihil conferunt ad ea, quæ volumus, peragenda; aut si aliquem locum illis concedere velimus, admittentia, aut alio aptiore nomine, quod significet ea, quæ ferunt, permittuntque fieri, quod expedit, B haudquaquam aliorum prædictorum appellatione donabimus.

Cæterum multitudo humorum, & morbi magnitudo pariter vacuationem indicare dicũtur, eo quod horum vtrumq; huiusmodi præsidium per se desideret: quapropter inter hæc vnum alterius coindicans, aut correpugnans, aut contraindicans dici non potest: Atqui victus ratio, quæ antecessit, multitudinis humorũ procreatrix, cum nec primo, nec per se, nec alio etiam modo vacuatione opus habeat, sed duntaxat indicium sit partæ redundantiæ, eiusdem coindicatrix esse putatur. Ex quib. patere arbitror, non plura, quam quatuor reperiri posse, quæ C singulos agendi scopos præscribant, indicantia, coindicantia, contraindicantia, & repugnantia, de quibus sigillatim, vt clarior euadat tractatio, agendum esse puto.

Cap. IV.

Quæ & quot indicare dicantur, & quæ non indicent, ex Galeno.

CVm tribus potissimum capitibus hæc tractatio constet, nempe vt intelligamus, quę nequeãt aut valeãt indicare; quid item vnumquodque indicet, & demum quid vnicuiq; contraindicet, aut correpugnet, aut singula coindicet; primum illud expendemus, quænam scilicet D indicare dicantur. Nam hoc veluti fundamentum est aliorum omnium. At quoniam Galenus noster multa in singulis propositis capitib. habet, quæ non placent, ea sigillatim suo loco primum examinabimus. Sic enim, quantum illi in hac re debeamus (vt certe plurimum debemus) studiosis innotescet: ac vna etiam, quid nos præstiterimus nostro labore, & industria, dum vel omnia, vel certe plurima meliora reddere arteque tradere sumus conati, perspicuum euadet.

Opinio Galeni de iis, quæ indicant. Itaque si illius libros diligenter excutiamus, infinita propemodum inueniemus esse, quæ indicent. Nam vnam primum in curatione omnibus communem indicationem facit *contrarietatem*, morbũ vero ipsum, internasq; illius causas, E & symptomata indicare passim scribit. Quinetiam corporis temperiem, habitum, colorem, calorem, arteriarum motum, conformationem, partium connexionem, earundemque situm, actionem, vsum, dignitatem, naturam, substantiam, insitasque singulis partibus facultates; ætatem præterea, sexum, consuetudinem, vitæ conditionem, animi mores, humoresque A ipsos, qui in corpore reperiuntur, corporisque ipsius occultas proprietates. Ad hæc aerem ambientem, cœli statum, regionem, anni tempora, sensum facilẽ aut difficilem, quo prædita sunt corpora, deniq; multa, quæ sunt in nobis secundum naturam, aut illi contraria, & etiam nonnulla, quæ extra nos posita sunt, indicare statuit: Externas autẽ morborum caussas nullo modo indicare posse, *lib. 4. Meth. medendi* aduersus methodicos prolixe disputat. *Damnatur…* Quæ res primum damnanda est, quod omnia non comprahendat indicantia: nam cur inter ea, quæ secundum naturam sunt, vt figurã, connexionem, & situm partium, magnitudinem, & numerũ B earundem non enumerat? cur excrementa corporis non ponit, sicut alia, quæ illius statum demonstrant, cuius generis sunt consuetudo, ætas, & victus præcedens, quæ inter indicantia collocat? deinde ob infinitã multitudinem tractationem difficilem reddit: postremo eam cõfundit, dum indicantium, coindicantium, contraindicantium, & correpugnantium vim corrumpit, & omnia omnibus miscet. Si enim hæc omnia indicant, vbi coindicantia, contraindicantia, & correpugnantia relinquuntur? cum tamen plurimum referat, vt ipse quoque *in lib. de Optima secta* animaduertit, hæc inter se distinxisse. Nam indicantia ad id nos ducunt, quod inuestigamus; contraindicantia ab eo abducunt, & in cõtrarium trahunt; coindicantia vero, & correpu- C gnantia, nec primo, nec per se, sed per accidens id faciunt, quatenus scilicet monstrant id, quod indicat, aut contraindicat. At absurdum esset, signa dispositionum corporis inter indicantia ponere: quippe *cum signis vtamur ad corporis variũ statũ dignoscẽdum, indicationib. vero ad illius præsidia inuenienda.* *Signa & indicantia quo modo differant.* Quamobrẽ quantum pars medicinæ, quæ medendæ conseruandæq; sanitatis rationem docet, ab ea discrepat, quæ signa complectitur, tantum profecto putanda sunt indicantia à coindicantibus diuersa. Quod si contraindicantia indicantium nomine comprehendere licet, cur scribit ille *in libro de Optima secta*, vires nostri corporis, nec vacuationes, nec vlla remedia indicare? Cur tempora morborum pari- D ter negat nutritionem indicare, cum vel totum quomodo vires sint affectæ, huius indicatrices ostendant, vel impediant fieri, quod illæ postulant? Cur *eodem loco* scribit, si prohibentia indicantia facimus, fieri, vt ægri timor, voluntas parentum, quæ sæpe vacuationem prohibent, indicantia illius censeantur? quod maxime absurdum esse putat. Nam quod illis sæpius reluctentur, & ille fatetur, & omnes agnoscunt. Quare si hæc inter se confundit, tum sibi ipsi repugnat, cum alios calumniatur, qui citra discrimen huiusmodi nomina vsurpabant. Quod si de nominibus duntaxat lis esset, tolerabilior sane error foret, sed cum plurimum referat, res natura & genere inter se discrepantes, citra dis- E crimen inter se miscere, & vnica appellatione earum vim frangere, qui non agnoscit, corruptam esse tractationem, vel stupidus est, cuius imbecillitati mederi studemus, aut peruerso ingenio affectus, quem persanare ne quidem tentabimus; est. n. desperata eorum salus nõ minus profecto, quam illorum, qui grauissimum morbum sentiunt, & agnoscunt, sed cum temere

occultare

occultare cupiunt; sic certè qui sectis sunt addicti, vim rationum, & momenta percipiunt, sed quoniam, nescio qua ratione, turpe esse putant eius, cui semel se addixerunt, patrocinium deserere, reclamant, tergiuersantur, & denique mirificè se torquent, vt suos authores defendant, minimè interim soliciti, si nihil vnquam discat. Sed his omissis, ad Galenum redeamus, qui non solum, meo quidem iudicio, damnandus est, quod res inter se natura distinctas non seiungat, sed quod etiam quædam inter indicantia recenseat, quæ non indicant, nec coindicant, aut contraindicant, vel correpugnant: alia verò abiiciat ab his generibus, quæ non minus, quàm nonnulla, quæ indicare ponit, sunt recipienda. Quamobrem primo ab his reiicienda sunt, quæ cum illis consistere nequeunt, & si quæ reiiciuntur præter illius rationem, recipienda; deinde indicantia à coindicantibus & correpugnantib. seiungenda veniunt; & omnia deniq; in suo genere collocanda. Hinc sanè postea licebit reliqua explicare, quæ ad propositam tractationem pertinent.

Cap. V.

Quod contrarietas non indicet, nec indicatio sit.

Libro nono *Methodi* Galenus, vbi diligentius de indicationibus agere velle videtur, & summa genera indicantium ponere, ac ea, quæ ab illis nascuntur, inuenire studet, communem curationis indicationem *contrarietatem* constituit; tres autem ab ea prouenire, vnam scilicet, quæ à morbo; aliam, quæ ab aere ambiente; tertiam, quæ à corporis temperie naturali petitur. Ac quod morbus curationem indicet, verissimum quidem est, quod autem temperies, quæ secundum naturam existit, eandem non indicet, postea ostendemus, cùm expendemus, quid vnumquodq; eorum, quæ in corpore nostro reperiuntur, insinuare valeat. An verò aer aliquid conferat ad huiusmodi tractationem, tanquam indicans quidpiam, aut coindicans, vel aliquid aliud afficiens, quoniam ea, quæ ab illo sumi dicitur indicatio, à generali illa, quam præbet contrarietas, nascitur, ideo secundo loco de illo agemus. Nunc verò imprimis docere institui, contrarietatem ipsam nec indicare, nec indicationem aliquam esse. Si enim verum est, quod ille scribit *initio tertii libri eiusdem operis*, absurdum esse aliud constituendum, quod curationem indicet; aliud verò, quod curetur, nihil profectò indicare poterit eorum, quæ ad curationem pertinent, ipsa contrarietas, quippe cum morbus non sit, & planè ridiculum fuerit, si contrarietatem curari dicamus. Ac profectò tantum abest, vt curationem indicet contrarietas, vt nihil aliud quicquam indicare possit. Nam si indicare est inuenire quod iuuet, aut lædat, ea, quæ indicant, quid (quæso) ipsa indicare poterit contrarietas? Qua enim re opus habet, vt iuuetur, vel lædatur? An similia vel contraria exiget? An contrarietatem ipsam fouere, vel expellere volumus? Sunt ne oppositionis, siue contrarietatis, vel potius status corporis causa inuenta remedia, victusq; ratio, quibus quidem corporis status conseruatur, & mutatur? vt enim idem autor causam externam curationem indicare negat, quod illa nullius indigeat, si eadem ratione contrarietas nec conseruationem, nec curationem indicabit vnquam, quod scilicet is opus non habeat: At si non hæc, nihil profectò aliud; quandoquidè omne quod indicat, aut sui conseruationem, aut ablationem indicare eo authore necesse est. Indicatur sanè contrarietas, id est, contraria actio, & contrarium, si contrarietatis nomine id intelligamus, ab eo, quod præter naturam existit: siquidem eo opus habet ad sui ablationem. Idem autem indicans, & id quod indicatur esse non potest. Ac profectò si quis locum eum Galeni legat, inueniet aliud planè colligere, quàm ratio illius postulet. Nam quod morbus contrariis egeat, si ad naturalem statum corpus redire debeat, id quidem certissimum est, quemadmodum is statuit: ex quo quidem fit, vnum esse, quod indicetur à morbo, nempe quod contrarium illi existat, nunquam tamen propterea efficitur, vt ipsa contrarietas indicet, aut indicatio sit. Non (vt satis probauimus) ea non indicat, sed indicatur, si illius nomine id, quod morbo est contrarium, capere velimus: at nec indicatio esse potest: etenim ipsa indicatio contrarietatis contrariique est perceptio, non ipsa contrarietas. Quod si hæc indicatio est, à quo (quæso) prouenit? non à morbo, vtpote qui peculiare quidpiam indicet, generalis autem & communis sit, vt ille statuit, tum morbo, tum temperamento, & aeri ambienti indicatio contrarietas ipsa. Quamobrem si peculiaris, & propria indicatio ex propriis & singulis reb. nascitur, necesse quidem foret, cōmunem indicationem à communi quadam natura suggeri: at quænam ea esse potest natura, quæ id faciat? cum omnia dicta sint Galeno autore, aut sui conseruationem, aut ablationem, nihil autem contrarietatem indicare. Ac vt natura morbus & sanitas inter se differũt, sic profectò diuersæ sunt indicationes, quæ ab illis capiuntur, vt nihil commune, nullaq; in omnes huiusmodi affectus sparsa indicatio statui possit. Quod si ad morbos solos eam referamus, & contrarietatis nomine intelligamus, quod morbis aduersatur, quid aliud dicimus, quàm contraria à morbis indicari? At interim generalem & communem quandam, à qua aliæ nascantur, (vt ille ratiocinatur) indicationem nō ponimus, quando aliæ, quas postea ex ea nasci scribit, aut indicationes non sunt, sed coindicationes, & contraindicationes, aut certè non minus, quàm illæ generales. Postremo si contrarietas vel indicatio est, aut quidquam indicat, cur negat *in libro de optima secta* communitatem methodicorum indicare posse? Nam vt communitas ad communia, sic contrarietas ad contraria se habet, nec aliqua diuersitatis ratio inueniri potest; negat autem cōmunitatem indicare, quia non destruitur: atqui eadem ratione nec contrarietas dici potest indicare, quoniam nec ea, sed contraria ipsa pelluntur. Itaq; nec ipsa contrarietas indicat, aut indicatio est, sed si aliquem locum in hac re sibi vendicare potest, indicatur nō solum à morbo, sed etiam ab omni alio corporis statu, qui præter naturam existimatur. Quo magis mirari licet, Galenum, dum se pulchrũ, & admirabile quidpiam inuenisse putat, in huiusmodi improprietates loquendi inci-

Contrarietat. non indicare, sed indicari.

Indicare quid.

dere, aut etiam aliena à suis principiis tradere. Si enim indicatio est cognitio iuuantis & lædentis, certè contrarietas indicatio esse nequit: nimirum quod cognitio non sit aliqua: sed plura de hac re, quàm statuimus: Nam quibus hæc nó sufficient, frustrà conabimur plura ad id probandum adferre.

Cap. VI.

Quod aer ambiens non indicet.

IDem autor *eodem libro* (vt antea diximus) tres ex contrarietate oriri indicationes, vel potius tria, quæ curationem indicent, nempe morbú, naturam ægri, & aeris temperiem, memoriæ prodidit: Qua in re tempestiuum nunc est, vt expendamus, quid aeri hac in re sit tribuendum. Ac ne videamur velle temere discrepare ab ipso Galeno, quem libenter sequimur, nisi rationum momenta cogant nos aliter sentire: Ideo operæpretium esse duco, vt illius opinionem, & verba subiiciamus; Sic enim licebit perspicere, quàm bene colligat, quod sibi in hac re docendum proponit, & quid nos in eo desideremus. Itaque scribit *eo loco*, se ab aere ambiente curandi indicationem capere, quod absque illa sanitas conseruari, & morbi curari nequeant: ab eo autem, & non ab alia materia medica indicationem capere, quod alia remedia facilè tum deligi, tum euitari possint, aeris autem iniurias nequaquam effugere valeamus, vtpote qui dum ægrotamus, præsenti cœli statu vti cogamur. Quæ etsi omnia concedantur, tamen tantum abest, vt aer hoc modo sumptus curationem indicet, vt nec eam coindicare, aut contraindicare, vel correpugnare, valeat. Nam quod aeris intemperies morbos intendendi vim habeant, & ob id remediorum quantitatem coindicent, victum autem coindicantib. correpugnent, verissimum esse agnosco, quemadmodum & illud omnibus patere puto, eundem victum coindicare, cum quales subsint in corpore vires, quæque secundum naturam in nobis esse statuuntur, ostendit. At vt remedii vim subit, & ea ratione consideratur, qua morbos tollendi facultatem habet, curationem haudquaquam indicare potest, si modo ea principia, quæ *tertio libro Methodi* de hac re sunt posita, tueri velimus. Etenim eo loco scribitur, *nihil esse posse, quod curationem indicet, quod non curetur*, absurdumq; fore, si quis aliter statuat. Quamobrem cum aer non curetur, sed solus morbus, quo modo (quæso) ille curationis indicator fuerit. Nec est, quod putemus, morbum præcipuè indicare curationem, aerem autem ipsum idem facere minore quadam vi, aut (vt dicitur) secundo loco, & per accidens. Quo modo quæstionarii Medici vrgentem locum effugere nituntur. Nam si absurdum est, aliud esse, quod curationem indicet, aliud, quod curetur, necesse est, vt omnia curari dicamus, quæ curationem indicant, præcipuè autem, illorum opinione, morbum, alio verò modo aerem ipsum. Quæ planè sunt ridicula, sed apud sophistas nullum est tam validú, tamq; vrgens argumentum, quod *per se, & per accidens* non puretur soluere. Præterea cum aer eo loco sumatur vt instrumentum, & materia medica qua vtimur tum ad naturales affectus conseruandos, tum eos, qui præter naturam sunt, propellendos; quomodo (quæso) aliquid indicare poterit; siquidem materia est, quæ indicatur, & non indicat, nimirum cum indicatio comprehensio sit iuuantis, & nocentis, quæ ab eo, quod iuuari debet, oritur: alioqui si id, quod indicatur, vnquam indicare posset, idem esset morbus & remedium, sanitas & victus, & idem quod iuuat, cum eo, quod iuuatur: vt ergo nullum aliud remedium indicat, aut coindicat, vel contraindicat, aut correpugnat; Sic nec aer aliquid horum efficere potest. Nec illud quidem aliquid facit, quod scribit Galenus, ideo ab aere indicationem capi, quod sine eo morbi tolli, & retineri sanitas nequeat, quod in aliis remediis non contingit, quæ in promptu sunt, quorumq; vsum euitare vnicuiq; licet. Neque enim omnes morbi egent aere, vt remedio, quales sunt, qui partes instrumentarias affligunt, quibus nihil aer confert. Ad hæc, vt aere, sic cibo & potu, somno & vigilia, sanitas conseruatur, & morbi propulsantur: Nec minus sanè difficile est illorum noxas, quàm quæ ab aere excitantur, euitare: cum ea, quæ ab illis nascuntur mala, nulla re sæpius mitigari queant, aeris autem iniuriæ, vel loci mutatione, vel alia ratione promptè corrigantur: ac multo minus illud video esse necessarium, quod ille statuit, vt scilicet præsenti cœli códitione semper vtamur: quandoquidem per sanitatem, & leuiores morbos facilè in alium aerem migrare vnicuique liceat; in grauioribus autem malis, in quibus non licet id facere, non datur etiam prædictorum vitia fugere. Requirimus etenim ad morbos fugandos somnum & vigiliam, quæ aliquando nulla arte conciliare, aut arcere conceditur. Quin & aquæ incommoda difficilius, quàm aeris intemperies emendantur: nimirum cum tota vna regio eadem aut parum differente aqua, quoniam & eadem terra sæpe vtatur, aere autem diuerso; siquidem in eadem domo eum variari videmus, quando in locis subterraneis alias habet qualitates, quàm in altis, alias in apricis, quàm vmbrosis, alias in his, qui ad orientem, quàm qui ad occidentem spectant, & denique pro diuerso locorum situ, diuersam naturam, & qualitates assumat, eas præsertim, quas in morbis tollédis eo loco quærit, nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. Quod si illud concedamus, difficilius aeris noxas vitari, quàm aliarum rerum, quæ sanis ægrisq; corporibus adhibentur, non tamen propterea huiusmodi difficultas indicandi causa esse debet: alioqui inter alia indicarent, quæ difficilius corrigi possunt: Par ergo in omni materia medica ratio. Indicat enim corporis affectus qua re, & quali sit opus: quæ si adest, gratia illi est habéda: Sin minus, ea arte paranda, etsi interim alia aliis facilius acquiruntur, & magis vel minus iuuant, aut lædunt. Sic sanè vbi aer calidus est, & frigidum postulat corporis status, omni ratione nitimur, eum frigidum reddere. Eodem planè modo cum corporis vitia remedia alia expostulát certis qualitatibus prædita, nec ea huiusmodi spontè inueniuntur, arte nitimur illis comparare, quod ab affectu exigitur. Qua ratione vbi per febres ardentes biliosi infestant humores, qui præcipuè habe-

Aer ambiens quid ad indicationem possit.

Non omnes morbos egere aere, vt remedio.

Nihil posse indicare curationem quod non curetur.

Aerem [illegible] per accidens indicare.

rhabarbari potionem postulent, liquoribus refrigerãtibus humectantibusq; illius caliditatem retundimus, siccitatemq; diluimus. Si verò nihil obsint natiuæ illius qualitates, nihil præterea molimur: id quod omnino, vt in aere contingit, cuius qualitates recipimus, vbi non lædunt, aut etiam prosunt; mutamus autem, si curationem, causarumq; morborum ablationem impediant. Quod si ita est, illud pariter constare puto, aerem ambientem, quatenus sanitatis conseruandæ, aut profligandi, vel arcendi morbos, potestatem habet, nulla ratione inter indicantia reponi. Quare multo minus curationem indicare poterit, at nescio, quo modo Galenus in hanc quoque opinionem, repugnante rei natura, & positis antea de indicationibus principiis, inciderit.

Cap. VII.

Causas morborum externas inter indicantia ex Galeni tractatione statuendas esse.

Libro quarto Methodi medendi acerrimè inuehitur Galenus aduersus methodicos Medicos, dum probare nititur, eos hallucinari, quod à causa externa, quæ morbos peperit, indicationem sumerent, hoc argumento adductus, quod à nullo eorum, quę amplius nõ permanent, nec aliqua re egent, indicatio sumi debeat: Fatetur tamen, morbi causam ostendere, qualis sit affectus, quem ea excitauit. Quod si ita est, cur ergo ab eo scriptum est *nono eiusdem operis libro*, corporis temperamentum, quod fuit antequam homo laboraret, curationem indicare? Eadem ratione nec consuetudo, nec viuendi cõditio per morbos aliquid indicare possunt: Quippe cum assuetis per sanitatem rebus amplius non vtamur, & solita vitę munia ob vrgentem morbum omnia sint intermissa. Quamobrem si hæc ratio facit, quod ea, quæ iam abierunt, & amplius non adsunt, nec vlla re opus habent, indicare nequeant, temere hæc inter indicantia enumeramus: aut si ea admittimus, conuincimur pariter externas morborum causas recipere: quippe cum non minus illa, quàm hæc absint; nec magis rem aliquam desiderent, quæ huius sunt, quàm illius generis. Præterea si concedit, externam causam conferre ad effectus excitatos in corpore dignoscendos, concedat etiam oportet, ab ea indicationẽ capi. Quo modo ab ætate, sexu, consuetudine, viuendi cõditione, corporis habitu, aliisq; multis indicationes ducit. non alia quidẽ ratione, quàm quod ex illis signa petamus, quæ qualis sit corporis status, ostendere valent: quod & ipse *nono Methodi* apertè testatur, consuetudinem scilicet ac ætatem, temperamenti interuentu, quod nimirum monstrent, qualis sit corporis temperies, suas indicationes præbere. Itaq; si causa externa non indicat, nec ergo ea, quæ prædiximus, indicabunt, à quibus tamen ille indicationes passim sumit. Eadem mehercle, est ratio de tempore, quo quis morbo laborare cœpit, quod omnino negat, aliquid indicare posse, sed duntaxat ad affectus naturam deprehendendam facere putat: nam & illud indicabit, si consuetudo, & reliqua quæ eiusdem sunt generis, aliquid indicare posse dicuntur. An non clarè *undecimo Methodi* causam externam perinde, vt consuetudinem, ætatem, ad affectus dignotionem facere, & ob id ab omnibus illis indicationes accipi scribit? Contrarium planè, quàm fecerit *quarto libro eiusdem operis*, in quo externam causam ab indicantium numero excludit. Quod si nec consuetudinem, nec ætatem, nec causam externam verè indicare quis dicat, sed coindicare signaque præbere ad corporis statum dignoscendũ, quod apertè *lib. 5. de sanitate tuend.* memoriæ prodidit, verum quidem sentiet, sed interim cur potius vnum, quàm alterum ex his, quæ eandem vim habent, inter indicantia ponit, aliis exclusis? cur consuetudinem, aut etiam hominum ætatem curationem indicare censet, externam autem causam minimè? si ille coindicantia cum indicantibus, nescio qua licentia, confundit, cur idem aliis, quos hoc nomine ineptissimos iudicat, facere non licebit? Si illius rationes non minus excludunt consuetudinem, natiuum temperamentum per febres, victum per sanitatem cõsuetum, & infinita alia, quam euidentes morborum causas, & tempus ipsum, quo morbi sunt contracti, qua (quæso) ratione hæc reiicit ab indicantibus, illa verò indicare contendit? Hæc, nescio, quo modo non perspexerit Galenus noster (dum alios auidissimè prosequitur, & reprehendit) suis principiis repugnare, seque in eosdem errores labi, & eisdemmet telis perfodi, quibus aliorum famam, & gloriam labefactare tantopere laborauit.

Cap. VIII.

Quæ, & quot sint, quæ verè indicent.

Porrò si indicatio à natura rei, quæ aliquid in corpore nostro moliendum ostendit, sumitur (quod enim iuuat, aut nocet, corporis nostri causa quærimus) vnum profectò erit, quod indicare possit, *nempe corporis nostri conditio*: cum enim illa ab internis externisque causis continuo corrumpatur, artem, & operam nostram desiderat, quæ vitia emendet, ac quod lædere potest, fugiat. Hæc siquidem remedia excogitauit, quibus imminentes morbos arceamus, & iam infestantes propulsemus: hæc diuersam, & vnicuique propriam viuendi rationem instituit, qua ea, quæ secundum naturam in nobis sunt, tueamur, quatenus humana natura postulat: Quinetiam diuersa officia inuenit necessaria, ac in singulis actionibus scopos quosdam posuit: signa excogitauit, quibus omnem corporis statum dignoscere possemus: Causas præterea morborum omnium, & partes inuenire studuit: Ac (vt semel dicam) omnia sua ad corporis nostri vtilitatem & vsum retulit; nimirum impulsa à fragili, & corruptibili nostra conditione, quæ semper aliquid postulat, quo tum insita, tum aliunde parta vitia corrigantur emendenturque. Quod si aliquando vel aeris vitia corrigere velle videmur, aut consuetudinem mutemus, aut in alio viuendi ratione variamus, id quidem facimus, non vt ea indicent, aliquid huiusmodi esse faciendum, sed quod corporis nostri status id postulet. Nam cur (quæso) laboraremus in huiusmodi rebus, nisi speraremus, illas nobis vtiliores fore? Quo fit,

vt nihil primo & per se indicet esse faciendum, præter quam hæc nostra natura, nosterque hic corporis status, qui admonet sumenda esse, quæ sibi prodesse possint; ea verò euitanda, quæ sunt apta nataque nocere. Hæc ergo sola, & vna est, quæ inter indicantia poni debeat. Quod si illa simplex, & perpetuò eadem foret, vnum & simplex esset, quod perpetuò indicaret: At cum illa triplex sit, ex qualitate conditionis sumpta differentia (vel enim secundum naturam existit, vel naturæ contraria, aut media, quæ & neutra dicitur) tres proinde erunt ex summo genere ortæ differentiæ, tresque status, qui indicare aliquid valeant, nempe *quod secundum naturam, vel medium, aut præter naturam est.*

Tres esse differentias nostri status, quæ indicare possint.

Cæterum cum in vnoquoque statu quoddam sit vt constitutio, siue compositio ipsa; aliud vt cōstitutionis causa; tertium, quod eam sequitur, effectus scilicet compositionis, tria ex omni statu, quæ indicent, resultare necesse est. Constitutio, inquam, illius causæ, & effectus, hæc enim omnia aliquid esse agendum sui ratione, insinuant.

Tria ex omni statu indicantia resultare.

Porrò compositionem secundum naturam, vt alibi ostendimus, sanitatem vocamus; eam verò, quæ præter naturam est, morbum: Effectus autem sanitatis accidentia: morbum verò sequentia, symptomata nuncupare solemus. At causas cuiusque adiectione eius, cuius sunt causæ, exprimimus, quod quædam scilicet sint sanitatis, aliæ morbi, nonnullæ mediæ illius constitutionis. Sic etiam cum nomine simplici careamus, neutram constitutionem, neutram causam, neutrosque effectus dicimus. At cum inter causas sanitatis, morbi, mediæque constitutionis, quædam actu sunt causæ, quædam potentia, aliæ verò causæ esse desierint: aliæ præterea gignendi, aliæ iuuandi, vel lædendi vim obtineant: & quædam in nobis sint, aliæ verò extrinsecus positæ, harum omnium natura explicanda est: ac deinde docendum, an omnes, an aliquæ duntaxat inter indicantia recipi debeant. Est quidem crassus, viscidusq; humor, qui obstructionem iam committit in orificiis vasorum impactus, obstructionis causa; qui verò aut in cauitate vasis, aut in alia parte continetur, eiusdem causa est non actu, sed in potentia. Exercitatio, quæ febrem intulit; aut ira, quæ calorem accendit; & gladius, quo quis hominem vulnerauit, excitatis affectibus, causæ haudquaquam amplius vocari debent, vtpote quæ nihil amplius efficiant, aut aliquid conferant ad conseruandū, vel augendum id, quod est factum. Gignunt morbos morbosæ causæ, quæ scilic. structuram nostri corporis corrumpendi facultatem obtinent: Iuuant, quæ corporis vitia emendant; obsunt verò, quæ illa maiora reddunt vel fouent. Illud verò superfluum puto esse, dicere, quænam intus, quæ verò foris poni debeant: quandoquidem hæc omnibus patent, quin potius illud nunc ostendere oportet, an omnes prædictæ causæ inter indicantia locum inueniant.

Quæ causæ ab indicantibus excludendæ, & quæ inter ea ponendæ.

Itaque in primis excludo ab illis causas, quæ iam recesserunt: Quod enim amplius non est, vt nulla re eget, sic indicare quidpiam non valet. Nec verò recipiendæ sunt inter indicantia iuuantes, lædentesq; causæ: nam illæ indicantur (vt antea ostendimus) propterea quod indicatio iuuantis, lædentisq; est comprehensio: nihil autem indicare, & simul indicari potest. Quæ verò in nobis reperiuntur causæ, vt & alia omnino indicant: *nihil enim in nobis est, quod vel sui conseruationem, aut ablationem non ostendat: At causæ, quæ extrinsecus sunt positæ, gignendiq; in nobis dispositiones vim habent, omnes profectò, vt huiusmodi sunt causæ, aliquid ostendunt moliendum.* Nam quæ morbos vel iam pariunt, aut concitare sunt apta, summouere cupimus, indicantq; illæ sui ablationem, vt & alia, quæ nobis præter naturam sunt insita. Verum enimuerò, cum inter illas nonnullæ sint, quæ casu & fortuna temerè nos afficiunt, cuius generis existunt vulnerantia, contundentia, vel quæ alio modo extrinsecus nos impetunt: aliæ verò, quarum actio & vsus est necessarius, quas recentiores res non naturales vocant, illæ quidem, vtpote quæ artis nostræ prouidentiam excedant (id quod optimè etiam Galen. memoriæ prodidit) ab indicantium numero sunt reiiciendæ; hæ verò recipiendæ, quæ vel semper, aut certè vt plurimum vniuersa corpora immutant. Sic enim vbi veremur morbos ob aeris ambientis intemperies, aut peruersam viuendi rationem; arte nostra, sublatis morborum occasionibus, sanitatem tuemur, ac morbos præcauemus, non minus profectò, quàm cū noxios humores in corpore latentes euacuamus, vel alteratione corrigimus: atq; ita imminentium morborum generationem prohibemus. Hæc quidem sunt, quæ inter indicantia (vt arbitror) sunt ponenda: reliqua verò omnia, quæ indicare dicuntur aliquid esse faciendum, haudquaquam indicant: Veluti quæ secundo loco id faciunt; quæ quoniam ad corporis statum dignoscendum conferunt, ex quo postea intelligimus, agendum esse, & quid agere expediat, coindicare, & non indicare dicere debemus. Sic sanè consuetudinem, vitæ cōditionem, anni tempora, regionē, cœli statum, sexum ætatemq; in conseruanda sanitate, morbisque profligandis consideramus, non quidem vt causas sanitatis, aut morbi, sed tanquam signa, vnde fit, vt non indicent quid sit faciendum, sed qualis sit corporis constitutio, & causæ illius proximæ, & effectus, qui ex ea proueniunt, monstrent, ex quorum postea natura, quid agere expediat, indicatur.

Ex indicantibus quædam fieri contraindicantia & coindicantia.

Præterea ex indicantibus quædam contraindicantia, & coindicantia fiunt: etenim quæ secundum naturam sunt, his repugnant, quæ præter naturam existunt, & contra hæc illis refragantur: quæ verò secundum naturam, vel naturæ contraria, coindicant, quæ sunt sui generis. Quæ cum Galen. nonnunquam inter se distinguat, nonnunquam vero confundat, non solum variam, & difficilem reddit præsentem tractationem, sed etiam plura, quàm rei natura admittat, inter indicantia enumerat. Cum vero coindicantia indicantium sint signa, adeo excrescit numerus eorum, quæ inter indicantia ab eo ponuntur, vt nemo vnquam se omnia indicantia recensuisse credere possit: cum tamen ars ipsa id polliceatur. Quantum vero referat hæc inter se distinxisse, quilibet intelligere potest, qui nouit, quam plurimum interesse inter ea, quæ aliquid per se ab his, quæ per accidens idem præstant, & ea, quæ suadent aliquid esse faciendum, ab aliis, quæ illud impediunt, esse seiungenda.

Coindicantia esse indicantium signa.

id, quod

id, quod postea tum duce ipsius rei natura, tum Galeni ipsius testimonio clarius innotescet.

Cap. IX.

Quid vnumquodque ex supradictis indicet generatim.

CVm indicatio à natura rei sumatur, necesse est, vnumquodque ex supradictis vnum duntaxat indicare posse, siquidem vnius vna est natura, id, quod optimè Galenus *secundo libro, & nono Methodi medendi*, atque etiam *in libro de optima secta* probat: quo etiam autore constat, quod semper illud vnum indicabit pro sua natura, & id, quod indicatur, ab vno solo indicari potest, nimirum cum & illud vnam naturam habeat, quæ vni indicanti respondet. Quamobrem quæ communem habent multis naturam, commune aliquid indicabunt: & quæ indicantur communia, non nisi ab eo, quod communem naturam est sortitum, indicari poterũt. Sic sanè peculiaris cuiusque natura vnum, & peculiare quidpiam ab aliis diuersum præstandum esse ostendet, & quod peculiarem, propriamq; quandam naturam habet, non nisi ab eo, quod eiusdem sit generis, indicabitur. Itaque cum nostri corporis conditio huiusmodi sit, vt absque opera nostra perdurare nequeat, necessario actionem Medici indicabit, quæ scilicet corrigat, emendetque, quod in ea est vitiatum. Vnde non solum agendum esse, sed etiam quid agendum sit, nempe corrigendum, monstrabit. Proinde & differentes corporis status diuersas quoque actiones indicabunt: si quid enim, inquit Galenus, sine differentia sumptum aliquid indicat, si illud differentias suas acceperit, alterius quoque, nempe quod indicatur, differentias ostendet. Proinde si conditio nostri corporis agendum esse, & corrigendum indicat, diuersa eiusdem natura diuersas (vt diximus) correctiones indicabit. Est porrò naturalis constitutio suapte natura nobis familiaris & vtilis: quod autem tale est, seruare, augere, tuerique cupimus. Quare ea correctionem, quæ conseruandi augendique vim habeat, exiget; hinc enim dicimus vires sui conseruationem, auctionemque postulare, cum mediocrem, plenumque victum ab illis indicari scribit Galenus; status verò præter naturam alienus, inimicus, nobisque inutilis existit, qui ob id sui ablationem indicabit. Quod si ita est, medius status, vtpote qui mixtus ex duobus sit extremis, mediam quoque operam, & ex vtroque mixtum officium, quod scilicet partim cõseruet, partimque mutet, requiret. Sic ergo & causæ, & compositio ipsa, quæ in vnoquoque statu reperiuntur, peculiare quidpiam indicabunt: Id quod certè fieri omnes concedunt: nam morborum causas præseruationem, morbum verò ipsum curationem, vehementiora autem symptomata mitigationem postulare, ab omnibus Medicis iam est receptum. Cæterum cum naturalis status conseruatio, & eius, qui præter naturam est, ablatio, fieri nequeat, nisi idonea adsit materia, & accommodata suppetant singulis præsidia, ideo ille victum, hic verò remedia indicabit. Sic enim Galenus *initio* A *libri de Sectis*, materiam, quæ sanos conseruat, & ægros restituit, vocari iubet: diuersi ergo morbi, & diuersæ illorum causæ, & ipsi morbi diuersa à causis remedia indicabunt. At pari quidem ratione diuersum victum, quæ secundum naturam sunt diuersa, requirent: id quod etiam fieri apparet; alia enim remedia postulat intemperies calida, quàm frigida; alia humorũ corruptio, quàm multitudo, alia vitiata ipsa structura, quàm causæ, quæ eam labefactant. Quod si quædam sunt, quæ multis prosint, diuersæ naturæ, veluti quæ humorum vitio & intemperaturis partium eodem auxilio opitulantur: non tamen propterea quicquã dictis repugnat: propterea quod vel hæc, quæ adhibentur præsidia, B varia & diuersa facultate sunt prædita, vel ex accidenti quodam sequentibus conferunt, vel quod etiam, quæ diuersa existunt, in eo conueniunt, quod idem iuuamentum postulent. Nam quod purgandi, refrigerandique vim est sortitum, non mirum, si vtrumque præstare valeat, & interim noxios humores educat, & partium temperiem emẽdet: sic quæ calidam materiam, quæ corporis constitutionem labefactat, euacuant, vno negotio & auxilio vtrique malo, sed vni prius, quàm alteri medentur: ac humor calidus morbi causa, & ipsa febris refrigerantia pariter exposcunt. Quamobrem illud manet inuiolatum principium, *vnum indicare vnum, & vnum ab vno indicari*, & quod vnam aut diuer- C sam cum alio naturam obtinet, vnum aut diuersum cum illo præsidium exigere. Quæ quidem principia, vt à Galeno sunt posita, & à rei natura confirmata, ita diligenter notanda, & memoriæ mandanda: Nam ex illis postea ostendere licebit, quid Galenus in hac tractatione confundat, aut superfluo tradat, quid verò ex eo authore retinendum, quid reiiciendum, & deniq; quid bene, aut malè ab eo dicatur.

Vnum indicare vnum, & vnum itidem ab vno indicari.

Cap. X.

Quid indicent singula, quæ secundum naturam existunt.

D OMnia, quæ secundum naturam in nobis sunt, vel circa corpus nostrum tanquam causæ versantur, de quibus antea egimus, cum quærebamus, quæ, & quot indicare possent sui conseruationem, nec aliud vnquam indicare, omnibus constare puto, qui negligenter non legerint, quæ hactenus demonstrauimus, & modo posita principia non est oblitus. Nam & causæ sanitatis, & sanitas ipsa, illiusque effectus, nimirum, quod omnia sint nobis amica, & familiaria, suam tutelam desiderant; At non omnia reliquos scopos indicant: etenim quæ ipsam corporis compositionem sequuntur, materia propria non egent: quippe cum ad illius mutationem pariter mutentur: nam qui temperiem tuetur, corporis qualitates, quæ ab ea proue- E niunt, eodem negotio conseruat. Quare etsi sui conseruationem, non tamen propterea materiam aliquam peculiarem, qua conseruentur, sanitatis effectus indicant; structura autem ipsa, & structuræ causæ propriam materiam exigunt: non enim omnia, quæ temperiem partium tueri sunt apta, eadem humoribus prosunt: sed est, quando nunc eadem, nunc diuersa ef-

dem conferant, aut obsint: id quod potissimum in statu præter naturam apparet, in quo sæpe ea, quæ faciunt ad morbos, eorum causis obsunt. Veruntamen excipiendæ veniunt corporis facultates; quæ etsi structuram sequuntur similarium, & instrumentariarum partium, & ferè eisdem præsidiis, quibus illa seruantur, aliis tamen peculiariter egere videntur, nutrimento scilicet, siquidem corpus nutrimus, vt illius facultates foueantur, augeaturque. Quapropter tum Gal. tum alii omnes Medici optimè sensisse videntur: quod solæ facultates inter ea, quæ in nostro corpore reperiuntur, nutriendi rationem indicent, & moderentur; id, quos nos aliquando (Deo fauente) in opere, quod paramus de nutriendi ratione, diligentius expendemus, & euidentissimis rationibus probabimus; nunc vel hoc solo argumento omnibus constare potest, facultates; viresque corporis nutritionem vniuersam describere: quòd pro illarum robore, & imbecillitate, diuersaque alia conditione in diuersis, aut eisdem (quantum sensus deprehendere potest) temperamentis nutrimenti copiam, & naturam variemus. Nam tantum planè alimenti vnicuique exhibemus, quantum illius vires conficere valeant, siue mulier, siue vir, siue crasso, vel gracili, denso vel raro sit corpore, aut denique alio modo sit affectus, qui huiusmodi nutrimentum expostulat. Quare tria erunt, quæ sibi proprium victum in eo, quod est secundum naturam, indicare possint; primum temperies similarium partium, & recta structura organicarum: secundum illarum causæ remotiores; (nam quæ immediatæ sunt, idem planè, quod ipsa constitutio, desiderant) tertium facultates ipsæ, præsertim naturalis, quæ quidem nutritionis est indicatrix: omnia tamen, quæ secundum naturam sunt, perpetuò sui conseruationem suumq; victum pro sua natura indicabunt: nec aliquid istorum curationem, aut præseruationem, remedia, aut aliquid demum eorum, quæ ab his, quæ præter naturam sunt affecta, suggeruntur, indicare vnquam poterit, si modo à contrariis naturis contraria indicantur. At cur (quæso) Galen. alias ab illis indicationes sumit? Etenim temperiem corporis naturalem, curationem, naturam verò partis, sensum, & situm, genus remedii; posituram verò ipsam eiusdem locum, qualitatem, & vtendi modum; partis autem figuram remedii modum, substantiam illius; & vires, huius quantitatem, & vacuationem; nec non actionem, & dignitatem partium vacuantium, & aliorum remediorum, quæ vires dissoluere sunt aptæ, quantitatem, & alia denique omnia, quæ secundum naturã sunt, curationem, remediorumque scopos indicare, passim commemorat. Quid (inquam) aliud est nisi quod ille sui sæpe obliuiscitur; & raro de eadem re diuersis in locis idem tradit, nec posita principia tuetur: Cum enim *vndecimo libro Methodi medendi*, & *passim alibi* scribat, vnum semper vnum indicare, *quoniam vnaquaque res vnicam habet naturam*: & eos, qui id ignorant, refert, non posse medendi, & conseruandæ sanitatis methodum constituere: quod malis nitantur fundamentis; oportebat sanè huius principii eum memorem esse, nec vnum ad plura, diuersi generis indicanda assumere, aut alioqui

Solas facultates inter ea, quæ in corpore nostro reperiũtur, nutriendi rationem indicare & moderari.

Tria esse quæ sibi propriũ victũ in eo, quod est secundum naturam, indicare possint.

Cur vnum semper vnũ indicet.

A huiusmodi methodum non aggredi, quæ, vt ait, hoc principio neglecto, constare nequit. Sunt enim ea omnia, quæ paulo antea retulimus, secundum naturam, & propterea nobis familiaria, & amica: ex quo sequitur, ea sui conseruationem, tutelam perpetuo indicare, curationem autem aut remedia, vel illorum quantitatem, qualitatem, vel locum, vel modum, aut quempiam alium scopum, quem in illis obseruare oportet, nequaquam, si modo idem sui ablationem, & conseruationem simul expostulare nequit. Nam quod secundum naturam est, nunquam non desiderat sui conseruationem. At quo modo curationem, quæ morbis debetur, indicabit vnquam? Quo modo illa eadem, B quæ nobis sunt familiaria, indicabunt remedia, si conseruationem indicant, quæ victu peragitur, remediis autem mutatio prioris status in alium contingit? Quòd si fortè prædicta contraindicare dicamus, & contraindicantia indicantium nomine complecti velimus, grauior sanè excusatio, quam primus error reddetur. Primum quod nominibus abutimur, quorum proprietatem & vim diligenter seruandam esse, *passim* ille præcipit, & meritò quidem; nam quid ineptius, quàm res impropriis nominibus vocare, ex quorum significatione, qualis res subsit, intelligere cogimur? siquidem, vt Aristoteles scribit, mentis conceptus res ipsas, hos verò voces exprimunt: Quid, quod magis disci- C plinas confundat, & obscuret, quam impropria vocabulorum significatio? deinde si omnia indicare statuamus, vbi contraindicantia relinquuntur? Quid est præterea, quod toties medendi rationem variandam esse doceat, vbi contraindicantia adsunt? Nonne hoc pacto omnia confundimus, si hæc quæ & nominibus, & natura longè inter se discrepant, non seiungimus? At quomodo, quæso, temperies curationem indicabit, si vires nullam indicationem curatoriam, vt ille *nono libro Methodi medendi* scribit, præbere possunt? Sunt enim pariter secundum naturam tum vires, tum ipsa naturalis temperies, vt non magis hæc, quàm illæ curationem indicare queant. Ad hæc quo pacto D quantitatem remediorum vires indicabunt, si curationẽ indicare nequeunt? nihil enim materiam, quæ vni actioni seruit, insinuare potest, quin ipsam etiam actionem ostendat, siquidem absurdum fuerit, quidpiam remedium curatiuum requirere, ipsam autem curationem minimè. Cur denique ille contra methodicos *in libro de optima secta* acerrimè disputat, dum probare nititur, vires nullum remedium indicare, si eas postea vacuationem, & quantitatem aliorum indicare nusquam non statuit? Qui profectò reprehendendi non essent, si indicantium nomine contraindicantia complecti potuissent, siquidem omnibus notum est, vires aut prorsus nonnunquam remedia impedire, vt venæ E sectionem, & purgationem, aut certè illorum quantitatem moderari: At indicare aliud est, quàm prohibere, ne aliquid fiat, aut modum indicantibus imponere, vt ille tum *alibi*, tum maximè *in libro de optima secta* ostendit: nemo enim ex contraindicantium natura inueniet vnquam id, quod agere oporteat, sed quod ab indicantibus iam est inuentum, prohiberi ab

illis,

illis, vel certe moderari intelliget. Nam quis virium natura percepta concipiet vnquam, vacuatione, aut alio remedio opus esse? id quod statim agnoscet, qui de multitudine agat, quæ corpus grauet. At interim vires vacuationem, quam monstrauit faciendam esse humoris redundantia, ob infirmitatem non admittunt, aut illi modum constituunt. Retinere ergo oportet semel posita optima principia, *vnum semper vnum, nec plura indicare posse.* Quod si ita est, *singula, quæ secundum naturam esse enumerauimus* (vt antea diximus) *non aliud profectò generatim indicabunt, quam sui conseruationem; sigillatim vero propriã, certamq; materiam, quæ id præstare valeat.* Alia etenim est conseruatio temperaturæ corporis, alia conformationis, vel magnitudinis, alia est opus materia, quæ temperiem seruet, alia, quæ figuram partis tueatur, aut si eadem nõnunquam est diuersa natura, & virib. est donata, quib. multis satisfacere possit; veluti cibus calidus, quatenus nutrit, vim habet seruandi vires, facultatesque corporis; quatenus vero calidus, eiusdem temperiem custodit.

Cap. IX.

Quid indicent singula, quæ sunt præter naturam.

Corporis statum, qui præter naturam est, sui ablationem indicare, & singula, quæ huius sunt generis, certam, propriamq; remotionẽ, velut morbum curationem, causas præseruationẽ, & symptomata, quę vehementiora sunt, mitigationem postulare antea ostendimus. Nunc vero illud pariter expẽdendum esse puto, an singula, quæ pręter naturam sunt posita, certa, sibique propria remedia indicent. Qua quidem in re Galen. *lib. 3. Methodi medendi* tradit, morbum sui duntaxat ablationem, siue curationem, remedium autem nequaquam indicare, dum scilicet scribit, indicationem, quæ à morbo suggeritur, vel etiam idiotis esse notissimam: Siquidem omnes, morbis ablationem deberi, asserunt: at quib. remediis propelli morbi valeant, soli Medici cognoscere possunt: propterea, inquit, quod illorũ auxilia ex causis, & corporis natura, multisque aliis petantur, quorum scientiam sola medicina profitetur. Id quod clarius adhuc *in lib. de Optima secta* probare nititur: nam *3. libro Meth.* non plane inficiatur remedia curatoria, quæque morbis propellendis adhibentur, partim à morbo sumi, sed illud negat, magni alicuius momẽti indicationem, quam morbus præbet, cum ea veluti principium tantum sit, vnde medendi ratio exorditur: verum *in libro de Optima secta*, eo quod diuersis remediis in eisdem atque diuersis morbis vtamur, cum eadem est causa, fieri putat, vt morbus remedium nullo pacto indicet, sed ad illius causam vniuersa indicandi vis referri debeat. Addit, Medicos non ad morbos, sed ad illorum causas depellendas acciri, & auxilia non affectis, sed facientibus s. causis aduersari. In qua quidem re non morabor, vt ostendam cum pro morbis diuersis sæpe diuersa symptomata capere, vt satis patet, cum de aluo adstricta. & fusa ab eadem causa agit: sed ad id, quod in hac re præcipuum est, me conuertam, ostendereque conabor, non aliud, quam mor-

An singula quæ præter naturam sunt posita certa sibique propria remedia indicent.

bum ipsum sua remedia indicare posse, nam vt *morbus sui ablationẽ, sic & remedia, quæ id præstare valeant, omnino indicabit*, quando alioqui absurdum esset, alteri remedia curatoria adhibere, quam ei, cui curatio debetur: vt enim ille *libro 3. Meth.* absurdum indicat fore, si aliud statuamus curationem indicare, quam id, quod curari oportet, sic profectò alienum fuerit ponere, ab aliis, quam à morbo indicari remedia, quibus ad curationem vtimur. Docet & id rei natura; calidus siquidem morbus non solum sui ablationem, sed etiam præsidia, quæ refrigerandi vim habeant, indicat, nec magis profecto ex morbi causa, veluti repletione, intelligimus, qua materia sit opus ad vacuandum, quam ex intemperie calida ad refrigerandum. Quid quod ille 11. *Meth.* scribit, morbum qualitatem remedii indicare? Quid quod in febribus putridis duo genera auxiliorum indicari, vnum à causa, alterum à febre ipsa *eodem lib.* meminit? In morbis præterea, qui causam non habent, veluti in diariis, quæ manent, posteaquam causa abiuit, quæ eas peperit, remedium inuenire nõ possemus; quoniam quidem ab externa causa, eo autore, curatio non indicatur: nec alia in corpore subest causa (vt idem 9. & 10. *Meth.* refert) in veris diariis, sed simplex duntaxat morbus, qui vt sui ablationẽ, sic & propria sibi remedia requiret. id quod etiam aperte testatur *locis præcitatis*; vbi inquit, *faciendorum indicationem ab ipsa febre capiet.* An non ad diarias febres, in quibus, eo autore, solus est morbus, propulsandas Medicos vocamus? quid ergo scribit, non ad morbos, sed ad causas duntaxat illorum abigendas Medici operam requiri? *Indicat ergo morbus non solum agendum esse, suique ablationem, sed etiam quid moliendum, quave materia ad curationem sit opus.* Quod si validiora argumenta forte quis requirat, non his contentus, quæ omnibus bene affectis sufficere puto, licebit idem hoc modo facile probare: nam vel causa morbi, vel morbus ipse, vel symptómata, vel quædam ex his, vel omnia inter se coniuncta, remedia curatiua indicabunt: nihil enim eorum, quæ secundum naturam sunt, id facere potest: At non symptomata, quæ vel nihil, aut solam mitigationem, lenientiaque auxilia postulant; non causa morbi, quæ, eo autore, quod præseruandi vim habet, præsidium ostendit, alioqui non solum præseruationem, sed etiam curationem illa suggereret: & nihil relinqueretur, quod curationem monstraret. Ac multo quidem minus illa inter se coniuncta, id, quod quærimus, insinuarent. Sic enim causis efficientibus morbos, & ipsis symptomatis eos augentibus non minus, quam ipsis morbis curationem deberi ponere oporteret; nam vt nihil esse diximus, quod curationem indicet, præter id, quod curatur: Sic profectò absurdum fuerit statuere, aliquid esse, quod præsidia curatiua requirat, & tamen curatione haudquaquam opus habeat: nimirum quod præsidia escogitata sint, vt illis prosint, quæ eorum opem requirunt. Frangeretur præterea alterius principii vis, quo admonemur, id, quod genus rei, & aliquid de vno indicat, omnes postea illius differentias indicare: quo sane in aliis omnibus apparet fieri. Quod enim præseruationem sui conseruationem ostendit, remedia quoque

quæ præferendi facultatem habent, & victum, illorumque genera, qualitatem, quantitatem, & reliquos omnes scopos ostendit. *Quamobrem necessario fit, vt si morbus curationem, sic & curatoria remedia, & vniuersos illorum scopos indicet.* Quod si proximam & coniunctam cum morbis caussam, vt calorem in febribus, à morbo ipso distingueret, illud quidem verum esset, non morbos, sed eorum causas curatoria auxilia ostendere: sed cum ea inter se nequaquam seiungat, vt satis patet ex eo, quod scribit, diariam febrem simplicem esse, & absque causa affectum, fieri non potest, quin morbus eo autore, vt curationem, sic præsidia, quibus ea perficitur, indicet. Nec illud quidem magis, quam alia obstat, quod *in libro de Optima secta* scribit, eo remedia non indicari ab affectibus, quod idem affectus, vt inflammatio oculi, ventriculi, iecinoris diuersa præsidia postulet: Non enim ipse affectus est, qui idem sane perpetuo indicat, sed partes differentes, quæ non eadem remedia admittunt, siquidem inflammatio, siue ventriculum affligat, siue hepar, aut oculum, aut aliam quamcunque partem, vacuantia humorem, ex qua fit, postulat: At non eadem admittit vacuantia auxilio oculus, quæ musculosa caro: Id quod non solum inflammationibus, sed in aliis fere morbis omnibus contingit; At non propterea ex eo, quod partes contraindicent iis, quæ opitulantur, eisdem affectibus, putare debemus, hos sua remedia non indicare: Nam hac ratione haudquaquam credamus, vires sui conseruationem, & nutritionem indicare, & vniuersam nutriendi rationem præscribere, propterea quod aliter homines alimus absentibus morbis, quam præsentibus, aliter in paruis, quam magnis; continuis, quam intermittentibus: & multitudinem vacuationem non ostendere dicamus, quoniam vires nunc eam admittunt, nunc respuunt; sunt enim eædem vires, eadem multitudo, in quibus tamen ob diuersa contraindicantia diuersis vtimur præsidiis. Verum etsi ita res habet, & suapte natura morbus duntaxat inter omnia, quæ præter naturam sunt, curationis, & auxiliorum, quæ illi seruiunt, est indicator, non tamen propterea sibi peculiaria, & distincta ab his, quæ aliis prosunt, perpetuo auxilia postulat. Nam, cum morborum causæ non parem semper vim obtineant in morborum generatione, sed quædam leues adhuc impressiones fecerint, aliæ vero pertinaciores morbos iam concitauerint, qui vel his suis causis ablatis consistere possunt, ideo fit, vt vbi instabiles sunt adhuc affectus, satis sit aduersus eorum procreatrices causas pugnare, contemptis interim remediis, quæ ipsis morbis sunt peculiaria. Atque id est, quod Gal. 8. *Meth.* scribit, febrem, quæ adhuc in generatione est, ablatione causæ gignentis euanescere: Sic etiam, vbi mali humores corpus infestant, sed nondum firma est intemperies, quam illi pariunt, refrigerantibus, euacuantibus, concoquentibus, aut aliis auxiliis, quibus humorum vitia emendare solemus, quicquid est mali, persanamus, nullo peculiari ipsi intemperaturæ adhibito præsidio.

Quæ inter symptomata propria requirant remedia, & quæ non.

Cæterum symptomata ipsa nec omnia, nec semper propria remedia expostulant: Quæ enim parua sunt, ablato morbo, & aliis suis causis statim recedunt; quæ vero ob magnitudinem, & peculiarem naturam morborum curationem impediunt, veluti vigilia, quæ ex siccatione corporis febrem intendit, & dolor, qui tum hoc modo, tum aliter nocet, vt mitigationem, sic remedia, quæ eam præstare valeant, indicant. Corporis autem qualitates, quæ plurimum à naturali statu absunt, nunquam curationem interpellant, hoc solo contentæ (vt alia vniuersa symptomata, quæ minimum excedunt) quod sui ablationem petant illis remediis, quibus morbi, morborumque causæ tolluntur. *Itaque morborum causæ, siue iam morbum concitarint, siue paratæ sint facere, perpetuo sua remedia indicant: morbi vero ipsi, etiam quo affectus nec omnes, nec semper, sed inter morbos iis duntaxat, qui stabilitatem quandam sunt consecuti: symptomata vero, quæ exacuendis, intendendisque morbis, aut vires labefactando vim sunt sortita.* Has ergo indicationes & hoc modo præbent singula, quæ præter naturam sunt posita: omnia enim sui ablationem, & vnumquodque illorum certam, suamque remotionem, & nonnulla ex illis propriam, certamque materiam indicant. Quamobrem cum Gal. morbi tempora, & eorum accessiones, morbosque ipsos, illorumque caulas victum indicare scribit, rem pariter confundit, & contraindicantia cum indicantibus miscet; nam quod aliter præsentibus, aut imminentibus morbis, & in illorum vigore, quam in aliis temporibus, & dum exacuuntur morbi ipsi, alio modo sint tractandi ægri, quam cum vel prorsus sedatæ sunt accessiones, aut iam plurimum remittuntur, ac quod diuersa nutriendi ratio his conueniat, qui cruditate, quam qui ex aliis causis laborant, certissimum quidem est, & ab omnibus receptum. verum etsi hæc in victu instituendo considerantur, non tamen vt indicantia, sed vt repugnantia à nobis spectantur, quæ vt inter se genere, & natura differunt; sic tractatione seiungi, & minime inter se confundi debent. Id quod ille met ostendit, cum passim eos arguit, qui aliud, quam vires ipsas nutritionem indicare putabant. Quos quidem temere reprehenderet, si ab his, quæ sunt præter naturam, alibi postea (vt sæpe facit) indicationem in hoc negotio induceret.

C A P. XII.

De indicantibus genera, & differentias [illegible] nis, materiaque me- dica.

HActenus agendum esse, & quid, quaque materia generatim vtendum sit, per indicationes inuenimus; ac quæ sint horum indicantia, ostendimus, cum docuimus, statum nostri corporis actionem indicare, nempe correctionem; eum vero, qui secundum naturam est, conseruationem, & victum; alium, qui naturæ est contrarius, mutationem, & remedium monstrare. At quoniam obiter hæc sumus prosecuti, & præterea in omni officio, & materia, qua ad corporis præsidia vtimur, inferiora quædam genera, & differentiæ reperiuntur, præstat paulo diligentius de his agere. Ac quod huiusmodi genera, & differentiæ in his reperiantur, quæ quidem contemnenda non sunt, sic constat. Nam quædam cito, alia tarde fiunt

quædam vehemens est, alia remissior actio; quędam vtilis solum, alia etiam facilis, & iucunda; quædā vero cum dolore, aut alio modo fieri debent: Sic sane inter ea, quę agunt, quędam natura, quædam ars ipsa præstat; nonnulla vtriusq; opera feliciter obeuntur; Quinetiam inter ea, quę agendi vim in nobis obtinent, eam vehementē, aut mitiorem, vel subitam, aut cunctantem habent. Sunt quæ alterare, alia vacuare, alia dolorem inferre; alia, quæ solū conferunt; alia vero, quæ præterea facilitatem & voluptatem adiunctam habent; alia denique, quę hac vel illa ratione, quod efficere possunt, præstant. Itaq; à quonam vnumquodq; ex his indicetur, expendere oportet. verum cum quædam summa solum genera complectantur, quędam vero etiam singulis speciеb. propria, de his in peculiari singulorū tractatione, aliquando forte agemus, hic vero quod primis generibus est commune, duntaxat prosequemur. Non.n. hoc loco quid nutritionem, aut vacuationem ostendat, docebimus; sed quid genus actionis, genusq; materiæ, quod nō solum vacuationi, & nutritioni, sed etiam omnibus quæ victu, & remediis opus habent, commune existit, trademus: nā cum nutrire, vel vacuare volumus, sæpe egemus, quod expedite id faciat, nonnunquam eo, quod tardius, vel magnā, aut minorem vim obtineat, vel aliter agere sit aptum, & id quidem est illud commune, quod à nobis hoc loco quæritur. Cum præterea qualitas, quantitas, tempus, & reliqui scopi propositi in singulis officiis, & materiæ vsu requirantur, ea quoque sunt docenda, quæ hæc indicare possint. Quæ quidem Gal. vtcunq; aliquando attigit; vbi tamen de indicationib. diligentissime agere velle videtur, vt *in Meth. medendi*, aut omnino prætermisit, aut certe non satis explicauit. Cum enim docēdi ratio postulet, vt tradat, quid genus materiæ, quantitatem, qualitatem, vtendi modum, occasionem, & reliquos scopos indicet; deinde quid remedii, & victus genera, singulorumque eosdem propriosq; scopos monstret, id omittit, & solum quod peculiare est, infimis speciebus explicat. Veluti cum ostendit, quid quātitatem nutrimēti, aut vacuationis insinuet. Quæ plane intelligi nequeunt, nisi prius, quid rei quātitatem declaret, sit ostensum: nam quod commune est, singula præcedere debet. Ac cum plura auxilia habeat medicina, quam quæ nutriunt, aut corpus vacuant, temere doceret, qui aliis omnibus contemptis, horum duntaxat rationem & vsum, monstraret. Itaque nos, quod commune omnibus est, explicare paucis (vt polliciti sumus) aggrediemur, repetito eo principio, quod ad alia inuenienda antea iam sæpius vsurpauimus. Est porro principium hoc, *vnum indicare vnum, & id, quod indicat, assumptis suis differentiis, alterius, quod indicatur, similes differentias ostendere*. Quamobrem cum status nostri corporis *actionem* indicet, diuersæ illius differentiæ, vt conseruationem, & mutationem, sic alias differentes actiones mōstrabunt. Quod enim vehementer affligit, vehementem actionem, quodque vehementer agere possit, ostendit. Sic etiam in statu secundum naturam, quod cito eget actione, vt nutritione, eam, & id quod cito conseruare, nutrireq; possit, suggeret, quod vero extirpari, tollique nequit, nisi ab his, quæ dolorem inferunt, indicabit omnino id, quod agit cum dolore, suadebitq; illud præferendum alteri, quod minus agere aptum natura est. Sic sane putrefactæ partes dolorifica sæuissimaque requirunt auxilia, à quib. quod est corruptum, rescindatur. Eadem inuenietur esse ratio in aliis actionibus, & genere præsidiorum.

Status nostri corporis quid indicet.

Cæterum genus remediorum scribit Galenus à multis indicari: nam à partis dignitate, actione, natura, substantia, situ, ægri viribus, atque adeo à diuersis affectibus, illud indicari passim *in Methodo medendi, & secundo lib. ad Glauconem* commemorat; quæ omnia à positis principiis sunt aliena. Nam si remedia indicantur ab eo, quod est præter naturam, necesse est pariter genera omnia remediorum ab illius generibus indicari, nec quæ genere inter se differunt, veluti affectus præter naturam, & partium substantia, situs, & reliqua, quæ secundum naturam sunt, eādem materiam, vt remedium monstrare possunt, si modo id, quod secundum naturam est, sui conseruationem, & victum; quod vero naturæ contrarium, mutationem, & remedium exigit. Prohibent quidem nonnunquam, quæ secundum naturam sunt, ne his vtamur auxiliis, quæ morbosus affectus postulat, aliquando vero ea admittunt, non tamen propterea remedia ab illis indicantur: nam hepar, cor, & aliæ partes, quæ quoniam totius corporis sunt principia, vel munus exercent in animali publicum, magnam in corpore dignitatem præ cæteris obtinent, roburque magnum exigunt, quo reliquis seruiant, non ferunt remedia, quæ temere earum mala digerant, aut alio modo insitum robur vehementius dissoluant. Eodem pacto quæ frigidæ naturæ sunt partes, dum calido affectu laborant, auxilia desiderant, quæ validius refrigerent, cum in pari affectu longius à naturali temperie, quam quæ calidæ sunt, recedant. Sic profecto quæ sensu exquisito sunt prædita mēbra, dolorifica remedia non sustinent: qualia illarum affectus sæpe postulant, & quæ molliore, laxioreque natura, aut cauitate sunt donata, mitioribus præsidiis, quam quæ contrario modo sunt affecta, sanantur. Quæ item longius ab externa superficie in profundo corporis sunt collocata, validiora, quam affectus ipse suapte natura desideret, requirunt auxilia. Et internæ partes non admittunt, quæ erodendi, aut venenosam vim obtinent, quibus earum mala sæpe gaudent, ea autem tolerant externæ. Quæ etsi vera sunt, non tamen propterea hæc sunt, quæ diuersa remedia indicant, sed ea, quæ præter naturam inter se sunt diuersa: quod etiam à Gal. *in libro de Optima secta, & 12. Methodi* est proditum, vbi principia optima de hac re ponit, quæ postea sui immemor alibi fere semper confundit: nam principium est id, *quod est præter naturam, indicare sui ablationem; quod vero secundum naturam, sui conseruationem*: Est & principium, *remedium id esse, quod corporibus præter naturam affectis ad mutationem malorum adhibetur; victum autem, quo seruantur ea, quæ sunt secundum naturam, nobisque amica, & familiaria*: Est & illud principium, quod *vnum duntaxat vnum indicare possit, nec vnquam idem sui conseruationem, & ablationem ostendere*: & præterea *quod ea, quæ sine differentiis aliquid indicant, as-*

Genus remediorū à quib. indicatur. Galeni opinio refutatur.

1. Principia in hac tractatione perpetuo obseruanda. 2. 3. 4.

sumptis suis differentiis, eius, quod indicatur, similes differentias insinuent. Quin & illud, si quid aliud, recipiendum, *indicantia a contraindicantib. & quocunque modo repugnantibus distinguenda esse, vtpote quæ genere, & natura inter se differant:* quod abunde antea ex ipso Galen. ostendimus: cum alioqui omnes illius rationes, quas aduersus Methodicos adfert *in libro de Optima secta,* corruant, vbi nec vires remedia, nec morbi tempora nutriendi rationem indicare posse probare nititur. Quæ quidem si tueri volumus, nec omnia confundere artis præcepta, inueniemus profecto, omnia, quæ ad remedia pertinent, ab his, quæ sunt præter naturam, indicari, nequaquam autem ab his, quæ sunt secundum naturam; sed si quid in hac re hæc possunt, non tanquam indicantia, sed vt repugnantia, quam habent vim, præbent, vt satis ex his, quæ posuimus exempla, vnicuiq; patere puto. Quod pariter faciunt nonnunquam quæ præter naturam simul reperiuntur: Etenim obstructiones vehementes indicant, quod valide aperire possit, id quod ardens febris non admittit: copia malorum humorum remedium exquirit, quod multum vacuet, prohibet cruditas, aut certe quod mitius agat, exigit, quoniam s. crudus, crassusq; humor vacuantia facile sequi nequit: vnumquodque tamen suum proprium remedium indicat, veluti intemperies id, quod alterari possit; multitudo id, quod vacuet; cruditas id, quod concoquat. Cæterum in genere victus nihil etiam commune tradit Gal. Nam cum dicit, consuetudinem victus materiam, genus autem ipsum rationem indicare, de nutrimento duntaxat, & non de omni victu agit, etsi consuetudo materiam aliquã doceret, quod non facit; cum nihil indicet, ostẽdere pariter & genus ipsius, nec ratio hoc genus indicare potest, alioqui & alterius materiæ genera indicaret. Quare illa & inter indicantia fuerat collocanda: At ille *passim* separat inuentionem, quæ per indicationem fit, ab ea, quæ ratione paratur. Cum vero *passim in Aphorismis* victum tenuem, aut conseruantem (qui victus nutrimenti sunt genera) à morbo, morbique temporib. indicari scribit, contraindicantia etiam cum indicantibus confundit, & idem cum methodicis Medicis sentit, quos longa oratione *in lib. de Optima secta* refellit. Sola enim vis, quæ nostrum corpus regit, vt ille quoque docet, tum *alibi* sæpius, tum maxime *in lib. de Victu acutorum, & prædicato opere* indicatrix est nutrimenti: morbus autem, & quicquid præter naturam est, ad illius inuentionem confert, quoniam sæpius hæc impediunt eo modo nutriri corpus, vt ipsæ vires postulant; indicet ergo genus victus genus status secundum naturam, & huius differentiæ illius differentias; impediant autem, & contraindicent, quæ sunt præter naturam; ac in singulis, propriisque generibus, & differentiis nonnunquam se mutuo impediant, quæ secundum naturam in nobis reperiuntur. Veluti partium soliditas, quæ quod crassius, & durius est, ad sui conseruationem requirit, cui refragatur aliarum temperies humidior, quæ molliorem, humidioremque materiam ad propriam tutelam exposcit: sed hæc postea diligentius, vbi de contraindicationibus agemus, disputabuntur.

Consuetudinem nihil indicare.

Solam vim, quæ nostrũ corpus regit, esse nutrimẽti indicatricem.

CAP. XIII.

De indicantibus quantitatem.

SI Galenum legamus, dum passim *in Methodo medendi*, & *in opere Glauconi dicato*, ea docet, quæ quantitatem indicent, inueniemus profecto, rem mira varietate hic pariter confundi, & posita principia contemni: nam nec quod commune omni materiæ sit, explicat, & in ea, quæ vnicuique officio est propria, contraindicantia, & coindicantia, pro indicantibus fere semper tradit. Cum enim docendi ratio postulet, vt doceat, quid quantitatem materiæ generatim indicet, huius nulla facta mentione, ea duntaxat commemorare solet, quæ ostendant, quantum sit alterandum, vacuandum, & nutriendum. Quod si posteaquam aggressus fuerat id in nonnullis docere, idem in aliis omnib. sigillatim prosecutus fuisset, res forte tolerabilior esset: sed cum id non faciat, quod commune omnibus est prorsus complecti debeat, ne arte destituti, temere alia exerceremus præsidia, qualia sunt, quæ carnem, vel ossa detrahunt, vel saniem ab vlcerib. detergunt, aut diminutas partes augent, vel deperditas regignunt, vel secant, aut aliud deniq; in corpore faciunt, quorum iustam mensuram non minus, quam aliorum Medicum tenere oportet. In his autem, de quibus agit, principia non seruat: cum tradit quantitatem alterandi ab ægri natura, partium situ, conformatione: vacuationis vero quantitatem ab ætate, natura, anni temperie, regione, consuetudine, atque qualitate peccantis humoris indicari: nam hæc quidem impedire aliquando possunt, ne vtamur ea quantitate remediorum, quam ipse affectus postulat, aut ostendere sunt apta quantitatem eius, quod vere id indicat: verum inter indicantia ponenda non sunt. Etenim partis naturalis temperies docet, quãta sit morbosa, cui remedia sunt adhibẽda: quæ in profundo corpore sunt sitæ partes, vt vehementiora remedia requirunt, sic illorum quantitatem augeri oportet, si affectus, qui illic adsunt, sanari debeant: quemadmodũ sane intendenda sunt auxilia, cum solidã partem affectus occupauit, nec vires ferunt omnem vacuationem, non tamen propterea hæc (vtpote quæ secundum naturam sunt) remediorum, quæ morbosis affectibus debentur; quantitatem indicabunt, sed vel contraindicabunt, si illis sese opponant, aut coindicabunt, si eius, quod vere indicant, quantitatem monstrent. At pars postulat, vt id tradamus, cuius intuitu, consideratioueq; statim quantitatẽ apprehendamus huius rei, qua ad corporis salutem opus habemus: quæ autem impediunt, secundo loco sint consideranda; posteaquam scilicet inuenimus id, quod vere indicant, & quæ coindicant, præcedere debent scoporum inuentionem, siquidẽ præcognoscere id, cuius causa ad agendũ venimus, necesse est; deinde agẽdi rationem inquirere expedit. Quod si hæc inter se corrupta arte confundere non veremur, non solum rationem, quæ docet distinguenda esse, quæ per se, & proprie aliquid faciunt, ab his quæ per accidens idem præstant, quæq; suadent quidpiam esse moliendum, iudicat seiungenda ab his quæ, repu-

repugnant, sed etiam Galeno plane contradicimus: nam (vt antea adnotauimus) vehementissime ille inuehitur *lib. de Optima secta* in antiquiores Medicos, dum probare nititur, eos errare, propterea quod vacuationem, illiusq; quantitatem à viribus indicari putarent, cum illæ sui conseruationem, & victum indicent, remediis autem vacuantib. repugnent. Quamobrem consentientibus positis principiis, *quantitatem actionis, & materiæ quæ egeritur, à quantitate eius, quod materiam ostendit, indicari*, victus scilicet quantitatem à quantitate naturalis status, remediorum vero ab excessu eius, quod præter naturam existit, putemus. Quibus quidem contraindicat quantitas oppositi generis, & alia impropria, quæ omnia prohibent hæc obiri, quæ ab indicantibus suggeruntur: Sic etiam Galen aliquando dicere solet, solas, inquam, vires, & illarum quãtitatem victus quantitatem indicare, quam morborum vehementia impedit: magnos autem morbos, & quę præter naturam admodum excedunt, magna remedia postulare, quæ quidem vires ab illis labefactatæ haudquaquam ferunt. Cæterum cum nomine quantitatis molem, & certam rei mensuram complectamur, vtrumque indicabit moles, & mensura affectus: nam qui magnum spacium occupant morbi, molem remediorum requirunt, quæ vniuersum affectum ambiat: & qui plurimum à mediocritate recedunt, tantum intendi auxiliorum vim postulant, quantus est eorum recessus: quibus pariter refragantur, quæ secundum naturam in nobis sunt: siquidem æstuante ventriculo, septi transuersi vicinitas prohibet, ne refrigerantia toti parti affectæ admoueamus; & corpore alimenti inopia laborante, imbecillæ vires vetant, ne tantam alimenti copiam ingeramus, quantum affectus vehementia postulat. Quæ quidem si hoc pacto distinguuntur, omnis confusio tollitur.

Cap. XIV.

De indicantibus modum.

Nomen modi à Galeno & suis interpretibus confundi.

APpellationem modi non solum à Galeno, sed ab illius interpretibus sæpius confundi, certissimum est: nam agendi modum, quem τρόπον vocat, vsurpat ille aliquando pro vniuersa agendi ratione, quæ primo posito scopo, reliquos omnes amplectitur: quemadmodum dicere solet, omnes intelligere, morbum sui curationem indicare, solos autem Medicos curandi modum tenere: quod idem est, ac si dicas, alios ignorare curandi rationem, quæ solis Medicis est perspecta: Capit & modum in significatione magis adhuc impropria, pro ratione applicationis remediorum, siue instrumentis, per quę auxilia corpori adhibemus; quo significatu scribit *quinto Meth.* substantiam partis affectę genus medicamenti, formam vero & situm vtendi modum indicare, quod scilicet ex forma, & situ partium figuram, & formam instrumentorum excogitemus ad exhibenda remedia apta. Cum vero *1. ad Glauconem* medendi methodum constare qualitate, quantitate, occasione, & modo auxiliorum refert, non docet, quid per modum intelligi velit. At cum *2. ad Glauconem*, & *decimo tertio Meth.* scribit, partis situm vacuationis modum ostendere, locum pro modo capit, vt exempla satis ostendunt, cum docet ex situ, connexioneq; partium ventriculum per os, & anum repurgari: Quo pacto etiam accipit *libro quinto & septimo Methodi*; vbi ex conformatione, & figura partis vacuandi modum doceri tradit: Sunt tamen hæ omnes significationes violentæ, & impropriæ, vt omnibus constare puto. Propria vero ea est, quam habet *lib. primo Aphorismorum*, cum viuendi modum dicit spectari à Medico, dum quærit, quibus semel, aut bis, vel sæpius cibus sit exhibendus: ad eam quoque significationem pertinet, quod habet *septimo Methodi*, sensum scilicet partium vacuandi modum monstrare, eo quod paulatim vacuandæ sint partes, quæ sensu exquisito sunt præditæ; obtusiores vero subitas, & magnas vacuationes sustineant. Cæterum interpretes vno nomine Latino vertere solent, quod duob. exprimunt Græci: nam quod hi τρόπον, & τόσον dicunt, illi modum interpretantur, atque ita æquiuocatione non paruam confusionem pariunt, cum ignoremus, an de modo, an de quantitate ipsa agatur: quod perspicuum fit ex Græcis dictionibus, quarum altera, nempe τόσον, quantitatis est nomen: altera vero, scilicet τρόπος, modum significat, quæ certe plurimum inter se differunt. Cum enim cognouimus, quatenus sit agendum, quantaque debeant esse præsidia, quæ indicantur, rursus inuestigandum relinquitur, an id vniuersum, quod exigitur, semel, continuoque sit exhibendum, an per vices partiendum: quod si diuidendum est, an par debeat esse vel impar eorum, quæ adhibentur, portio: & demum in quot partes diuisio sit facienda. Hæc qui spectat, modum proprie considerat, & nos hoc loco, quid eum indicare possit, aliis contemptis appellationibus, quæ vel nullam tractationem requirunt, aut suis locis, accepto proprio nomine, docentur, paucis trademus. De qua quidem re nihil etiam Galenus docuit, quod omnibus sit commune, dum solum in eo, quod est vel vacuationi, aut nutritioni peculiare, explicando versatur, nec illud, mehercle, ex principiis, quæ huic tractationi sunt propria, probare nititur: nã quod victus modum nõ indicent morbi, eorumq; accessiones, vt ille *in Aphoris.* memoriæ prodidit, satis constare puto, siquidem, eo autore, solæ vires vniuersam victus rationem indicare ponuntur: at nec vires ipsæ victus modum duntaxat, siue nutritionem monstrant, si modo vera sunt, quæ scribit ille *lib. de Optima secta*, genus indicare genus, & differentias, ipsas differentias. Situs autem partis impedire potest, sicut etiam exquisitus sensus, ne tantum semel euacuemus, quantum noxii humoris exuperat. Ac propterea nec vacuationem, nec illius modum indicant hæc, nimirum quod sint secundum naturam, & sui duntaxat conseruationem, non autem præsidia, quæ præter naturam affectis corporibus debentur, desiderent: prohibet eadem ratione temperies similarium partium, ne confertim alterationes fiant, vt affectus postulat, aut eas nulla noxa admitti: non tamen ob id remediorum alterantiũ morbum declarat; id, quod duntaxat facit modus eius, quod indicat. Vt enim quantitas illius, & genus materiæ genus, & quãtitatem, sic & modus

Modi propria significatio.

Quis modũ proprie consideret.

A modum profecto indicabit. Si enim eo modo sit affectum, vt semel totam præscriptam materiæ quantitatẽ admittat, semel erit agendum; si continuo adsit, cõtinuo succurrendum; si per interualla, partiẽda res est in crebriores, aut rariores ces, & vna plus, quam alia dandum, in qua plus ferre potest. Est porro communis hæc ratio omnibus actionibus, eaque ex propriis principiis ducta. Sic enim quib. vires eo modo sunt auctæ, vt cibũ semel duntaxat vna die sumere possint, semel solum exhibemus: Bis vero & frequentius his, qui bis, vel frequẽtius cõcoquere valent: ac ea vice plus damus, in qua validior est virtus, quę illum conficere debet: quo pacto bene valentibus, & suæ spontis hominibus suademus, vt vesperi plus, quam mane edant; quod scilicet per B somnum concoctrix facultas, aũcto in visceribus internis calore, felicius suũ munus exerceat. Eodẽ pacto humorũ multitudinẽ, quæ confertim, impetu facto, suffocat, vna vacuatione, quãtum exuperat, educimus: Eos vero, qui non nisi paulatim affligunt, partitis euacuationib. demimus, & quo tempore maior adest copia, quæ promptę extrahi possit, eo vacuantia remedia intendimus: Qua quidem ratione declinante morbo, cõcoctoq; iam vniuerso humore, validiores purgationes, quam per initia morborum, exhibemus. Cõtinuo volumus vlcerib. adhærere extergentia medicamẽta, propterea quod sanies quoque continuo gignitur. Ac (vt breuiter dicam) C in omnib. ex modo eius, quod indicat, modum eius, quod indicatur, intelligemus: cui proprie contraindicat modus eius, quod contrariam actionem postulat: impropriè vero alia, quæ eiusdem sunt, aut diuersi generis, quæ scilicet prohibent, eo modo ea fieri, vt indicatur: vacuationi namq; propriè repugnant facultates corpus nostrum regentes, quæ sui conseruationem requirunt, hæ cum ita sunt affectę, vt magnam vacuationem simul non perferant, cogũt nos humoris copiam paulatim educere, quę suapte natura, integram aliquando vacuationem necessariam esse monstrant. At partis situs, cùm nihil offendatur à vacuantibus, prohibet tamen sæpius, ne humores noxios, qui vehementius partim aliquam affligunt, confertim exhauriamus, quod D ob loci distantiam propria remediorum vis exoluatur: Sic in aliis, ne singula prosequamur, quę suis locis sunt docenda, inueniemus, quid modum indicet, quidve illi hoc, vel illo modo repugnet.

Vacuationi quid propriè repugnet.

Cap. XV.

De indicantibus qualitatem.

Nihil etiam commune in hoc scopo tradere solet Galen. cum solum indicantia qualitatem nutrimenti, & alterantium remediorum passim prosequatur: & id quidem pari confusione, vt in aliis, dum indicantia, coindicantia, & cõ- E traindicantia nullo facto discrimine vsurpat, atque ita principiorum vim euertit. Nõn enim duntaxat, qualia debeant esse nutrimenta, & alterantia præsidia, tradere oportet: sed etiam in his, quę vacuant, aut detergunt, vel molliunt, aut indurant, vel leniunt, aut exasperant, aut deniq; aliquid detrahunt à corpore, aut illi adiiciunt, A sua certaq; qualitas requiritur, & inprimis, quid qualitatem, communi quadam ratione indicet, explicare necesse est. Cæterum cum dicit 3. *Methodi*, qualitatem medicamenti indicari à partis situ, eo quod ad vlcus, quod in profundo corporis est reconditum, sicca actu & adstringentia medicamenta peruenire nequeunt, docet quidem quod impedit qualitatem remediorum, quam vlcus ipsum expostulat: At non id, quod eam indicat: quemadmodum etiam cum 4. *eiusdem operis lib.* scribit, gulæ cõformationem crassiora, & viscida indicare remedia; quoniam tenuia, & nullo lentore prędita per cauã illius partem facile diffluunt. At vero consuetudo, regio, anni tẽpus, cœli status; quæ omnia siquidẽ temperata fuerint, similes qualitates, alioqui dissimiles indicare putat 8. *Meth.* non indicãt (vt antea ostendimus; sed inter coindicantia & repugnantia ab indicantib. exclusa merito reputãtur. Porro victus qualitas non à qualitate temperamenti & morbi, vt *primo lib. Aphorismorũ* prodidit, sed *solum a temperamenti qualitate* indicari potest, si modo vnum indicat vnum, & quæ secundum naturam sunt, sui conseruationem tantum; quæ vero præter naturam, sui ablationem mõstrant; At diligentius, & verius *vndecimo Methodi* docet, quid qualitatem remediorum indicet, cum à morbi qualitate eam petendam præcipit. Vt enim nihil curationem indicare potest, præter id, quod curatur, sic nec qualitatem remedii, quoad curatione vtimur, præterquam ipsius morbi qualitas, cuius causa huiusmodi oportet præsidia exhiberi, insinuare debet. Quæ vero morborum causis, & symptomatibus propria sunt auxilia, ab illorum qualitate pariter indicabuntur. Itaque communi omnibus ratione, & seruato principiorum consensu, putemus *qualitatem materiæ indicari à qualitate illius, cuius causa requiritur. Quamobrem remediorum qualitatem indicabit qualitas eorum, quæ sunt præter naturam, Victus aũt qualitatem eorum, quæ secundum naturã existunt, qualitates.* Quid vero qualitatẽ cibi, potionis, exercitationis, somni, vigiliæ, & deniq; aliarum rerum, quib. naturalis status cõseruatur; quid item alterantium, vacuantium, aut aliorum præsidiorum, quæ corporibus præter naturam affectis conueniunt, qualitates indicet, suis locis docebimus; quandoquidem hoc loco non indicantia peculiaris alicuius materiæ scopos, sed victus duntaxat, & remedii docere instituimus.

Quid communi qualitatem cõmuni quadam ratione indicat.

Victus qualitas à quo indicetur.

Et à quo ista qualitas medicamentorum.

Vnde qualitas materiæ.

Cæterum indicantibus qualitatem sese opponunt, *quæ alias qualitates exigunt, aut eas, quæ ab indicantib. suggeruntur, adhiberi aliqua alia ratione prohibent.* Sic profecto humida temperies, quæ secũdum naturam est, actu, & potentia humida requirit: quib. morbus humidus veluti vlcus exsiccantia postulans, refragatur. Sic febris refrigerantia; crassus vero, & frigidus humor, qui excitata obstructione, febrem committit, calefacientia petit. Quin & partium vicinarum dignitas, aut imbecillitas prohibet, ne actu frigida, qualia sæpe conueniunt affectib. aliarum, admoueamus: nec illæ, quæ in profundum corporis recesserunt, crassa, siccaque medicamenta, cuiusmodi nonnunquam illorum morbis debentur, admittunt. Quæ vero cauitatem obtinent, prompte recipiunt crassa remedia; atque

Quæ qualitatem indicantibus sese opponant.

at in solidas, & duras non nisi tenuia permeare possunt. Quæ quidem etsi ita habent, non tamen propterea inter indicantia qualitatem sunt ponenda, eo quod indicantib. repugnent: quandoquidem propositum (vt inquit Galenus *in libro de optima secta*) ex illis nunquã inueniemus, quod solum indicantia ostendunt: non enim eo, quod natiua temperies partium, quæ maximi sunt in corpore momenti, & dignitatis, actu frigida respuit, ob id inueniemus, tanquam ex indicatione, remediis calidis actu esse opus, alioqui nullo præsente affectu præter naturam, adhibenda essent actu calida secundum naturam affectis partibus. Est enim hæc indicantium natura, & vis, vt illis positis ex eorum contemplatione statim percipiamus, qua & quali re sit opus: etsi postea quædam nonnunquam cogant nos, reluctante contraria eorum vi, aliter facere. At plurimum refert, intelligere, quid nos suapte natura ad id ducat, quod quærimus, quid verò inuentam rem non admittat, aut omnino moderetur. Quæ si Galenus *in libro de optima secta* distinguere non contemnit, nec alia ratione antiquos Medicos refellit, quam quod illi indicantia cum repugnantibus miscerent, & confunderent, tanto minus profectò, dictante id maximè rei natura, idem nos facere debemus, aut ipsum Galenum sequi, vbi sui oblitus in eosdem errores, quos in aliis agnoscit, labitur.

Cap. XVI.

De indicantibus occasionem.

Galenus *in libro de optima secta* longa oratione eos refellit, qui vniuersalem occasionem ex morbi temporibus sumi putabant, pari certè reprehensione dignus, quippe cum *libro nono Methodi* idem planè, quod illi sentiat, remediorum scilicet tempus à quatuor morborum temporibus indicari. Quinetiam *libro secundo de differentiis febrium*, cibandi tempus per morbos, ex accessionis & intermissionis tempore monstrari, scribit. Qua quidem in re merito eos reprehendit, qui ita sentiebant: propterea quod morborum tempora non indicant, sed coindicant remediorum occasiones. Quoniam enim ostendunt morbos, illorumq; causas in certo quodam statu esse, in quo vel prorsus respuunt, aut admittunt certa præsidia, ideo opportunũ horum tempus coindicare putantur. At accessionum intensiones, & remissiones edendi, bibendique opportunitatem non indicant, nec coindicant; sed *correpugnant, aut admittunt nutriri corpus*. Quapropter si ille *præstatis locis* aliter sentit, & cum illis planè consentit, quos reprehensione dignos censuit, nõ magnopere laboro, vt qui, non quid dicant autores, sed quando bene sentiant, spectandum esse iudico. Est autem recipienda Galeni opinio *in lib. de optima secta*, vt scribit, vniuersalem occasionem sumi ex præsentia eorũ, quæ remedium postulant, & absentia eius, quod potest impedire, & optime id quidem. Nouit n. vnusquisque, opportunum illud esse tempus ad agẽdum, cum adest id, quod actionem postulat; & nihil interim impedire valet. In hoc tamen non placet, quod cum generali quadam ratione docere deberet, quæ occasionem in omnibus ostendant, solum de occasione remediorum agat. Præterea quod non satis explicet, quid sit, quod impedire possit. Non enim vires, vt ille scribit, solum id faciunt, nec semper, cum alia, quæ sunt secundum naturam, nonnunquam remediis sese opponant, & vires non illis omnibus, sed his tantum, à quibus dissoluuntur, vacuantibus potissimum reluctentur. Quamobrem ex diuino eo principio, quod hactenus ad omnes alios scopos inueniendos, autore ipso Galeno, vsurpauimus, occasionem indicantia inueniemus. Est autem huiusmodi principium, *ab eo, quod genus indicat, omnes differentias indicari*, cum illud suas assumpserit. Itaq; si status corporis actionem indicat, quando ille differentias ex tempore acceperit, tempus profectò ad agendum idoneum monstrabit. Dicitur autem aliquid esse, vel abesse, fuisse, vel fore. Ac cum fuit corporis status, indicauit fuisse agendũ, cum præsens est, tunc præsenti esse opus actione, cum erit, tunc agendum; adeo, vt semper cum adest, minimè autem cum abest, propria artis munia exercere oporteat. Qua quidem ratione optimè dicebat Galenus *4. Methodi*, externam causam, quæ morbo excitato abiit, non indicare, quoniam quæ absunt, nihil ostendunt eo tempore, quo absunt, esse moliendum. Nec est, quod putemus, absentibus morbis nos remedia adhibere, cum venæ sectione, aut alio remedio præcaueamus, ne eueniant. Non n. morbis ipsis absentibus, sed illorũ causis præsentib. quæ iam postulant remedia, resistimus; quarum ablatione morborũ generatio prohibetur. Proinde magnitudo morbi imminentis sanguinem demendũ esse non monstrat, sed quod præsens est humoris vitium, quod autorem huiusmodi morborum fore cõspicimus. *Præsentia ergo eius, quod indicat, tempus idoneum ad agendum monstrat, & nihil præter illud.* Est autem (vt diximus) id ipsum *corporis nostri conditio, qua & aliorum omnium est indicatrix.* Ac vt diuersus est naturalis status ab eo, qui est præter naturam; ita diuersæ affectiones temporis successu in vtrisque oriuntur, quæ cum adsunt, nunc vno, nunc alio remedio, & victu opus esse ostendunt. Siquidem malus humor, cum adest in corpore, dum putrescit, remedium indicat, quod alteret, & cõcoquat. Adest enim tunc quod alterationem exigit; non autem vacuamus, quia nondum vacuationem postulat, quod alio tempore faciet, quando scilicet iam euictus & ad expulsionem paratus fuerit. Sic nunc somno, nunc vigiliæ, aliàs exercitationi, vel quieti incumbimus, quod diuerso modo temporis interuallo, & eodem etiam tempore adsit, quod diuersa monstret esse necessaria. *Quare actionum, remediorum, & victus tempora ex præsentia naturalis, & præter naturam status indicantur*, quibus vt aliis indicantibus alia sese opponunt: de quibus, quoniam hæc communia etiam sunt his, quæ repugnant indicantibus particularem occasionem, paulo post dicemus.

Porrò particularem occasionem non solum ex præsentia illorum, quæ remedium postulant, & absentia eorũ, quæ impedire possunt, sed etiam ex remediorum sequentium cõsideratione, & ægri proprietate sumi tradit Galenus. Qua

Tempora morborum non indicare, sed coindicare, & quid.

Quid faciãt accessionum intensiones & remissiones.

Occasio vniuersalis vnde sumatur.

Quid occasionem siue tempus agendi reuera monstret.

Vnde sumatur occasio particularis secundũ Gal.

in resolum docet occasionem particularem remediorum, omissa victus occasione, vt in vniuersali fecit; nec verò quid indicans sit, an scilicet præsentia postulantium, vel absentia impedientium, monstrat. Præterea alios scopos facere, à quibus hæc sumantur, nulla ratio cogit, omnia enim ad ea duo referuntur; à quibus vniuersalem occasionem capi commemorauit. Nam ægri proprietas, & sequentia remedia vel prohibent, aut permittunt remedium exhiberi. Quinetiam non solum ægri proprietates, & sequentia remedia, sed & præcedentia, & affectus, qui antecesserunt, & subsequuntur, prohibent sæpius remedium adhiberi. Si cui enim sanguis mitti debeat, ita indicante affectu, præcesserit autem modo clyster, missionem differimus. Sic in eo, qui modo à somno fuerit excitatus, cibationem, & sanguinis missionem tardamus: ob accessionem verò venturam nutrire ægros anticipamus. Ad hæc vt ægro gratificemur, nonnunquam opportunum tempus præuertimus, vel differimus; quemadmodum ipse Gal. se aliquando frigidæ potionem, & balnei vsum vno die, antequam tempus aptum esset, ægris concessisse, vt obsequentiores redderentur, memoriæ prodidit, alios autem idem facere, vt hinc vberior quæstus proueniat. Igitur ex præsentia eorum, quæ postulant, & absentia illorum, quæ impedire valent, ab illis tanquam ex indicantibus, ab his tanquam ex contraindicantibus vt vniuersalem, sic particularem occasionem inueniri dicemus. Postulant autem affectus, & corporis conditiones: Impediunt verò nonnunquam ægri intemperantia, Medici peruersitas, animi passiones, hominis proprietates, & quæ paulò antea facta sunt, & postea fieri debent. Præterea sibi mutuo repugnant diuersæ corporis conditiones, sed non omnia in omnibus adsunt hæc impediméta. Nam in præsidiis, quæ primo adhibentur, cum nullum aliud sit factum auxilium, ab his, quæ præcesserunt, nihil sumitur, quod impedire sit aptum: nec in postremis à sequentib. aliquid capi potest, cum nihil postrema sequatur: nec omnia, quæ sese in particulari occasione opponunt, eadem in vniuersali possunt: sed solum, quæ vniuersum, longiusque quoddam tempus occupant: vt enim pars parti, sic totum toti repugnet, oportet. At verò si ex his occasio sumitur, cur est, quod Galenus vniuersalem occasionem scribi posse, particularem verò minimè tradit? scribi autem posse, intelligit ille, scopos quosdam litteris mandari, ex quibus singula ducuntur, quemadmodum locos affectos, & causas describi dicimus, quoniam scopi quidam ponuntur, ex quibus causæ, & loci affecti notitia petitur. Etenim scopos vt in vniuersali, sic in particulari occasione inuenimus, tradidimusq;. Porrò si intelligamus nullo modo scribi posse, quæ ostendant particularem occasionem, fallimur, siquidem vniuersales illius scopi explicantur, & docentur, sed ad minima vsque inuestigari nequeunt, vt vniuersalis occasionis scopi, facilè enim est, in illis id, quod remedium, & victum postulat, notare, & quod repugnat, illorumque differentias vsque ad minimas prosequi, non ita in particulari occasione euenit. Nam cum à proprietatibus hominum, & præcedentibus, sequentibusque affectibus, & remediis sumatur, propria autem hæc sint vnicuique, & infinitæ proinde hominum proprietates, variet que præterea numerus præteritorum, tum futurorum remediorum: & affectuum in singulis, nō mirum si hæc litteris tradi nequeunt, siquidem quæ peculiaria, & propria sunt vnicuique vt incerto numero, sic arte nulla comprehendi possunt. Quare optime Galenus non nisi ab exercitatis Medicis huiusmodi occasionem cognosci scribit, nimirum quod ex particularibus multis petatur, in quibus non ratio, sed experientia versatur.

Cap. XVII.

Quæ locum in corpore idoneum ad agendum monstrent.

QVæ locum indicent in corpore, cui adhibenda sunt præsidia, in paucis docet Galenus, idque non ea arte, quam res ipsa postulat. Nam vel ea solum tradit, quæ impediunt nos eum locum occupare, quem ipsa indicantia requirunt, vel nullo posito principio, huic, aut alteri corporis parti præsidia admouenda esse iubet. Explicat profectò, quæ impediant indicātia, cum *passim in Methodo medendi* scribit, connexionem partium, situm, conformationē, locum docere, per quem vacuare humores noxios oporteat, vsum vero actionesque earundem locum declarare, cui præsidia sint applicanda. Vt enim hæc secundum naturam sunt, & sui conseruationem tantummodo monstrāt, sic locum remediis aptum non indicant: nullo vero posito principio suadet fluxiones nunc ad distantissimas, nunc ad propinquissimas, alias in ignobiles partes, vel ad eas, vnde moueri cœperunt humores, ducendas esse. Cui quidem simile est, cum ventriculo, & stomacho affecto, anteriori ventris parti sub pectore, hepati dextris, lieni sinistris præcordiis admouenda esse remedia. Postulant enim hæc omnia sua indicantia, quorum beneficio nos non temere, sed arte singulis præsidiis, quibus vel ad sanitatem tuendam, vel ea, quæ præter naturam sunt, profliganda accōmodatū locum inueniamus; id quod nunquam illis prętermissis intelligemus. Quamobrem admonemur ex positis principiis, *locum indicari ab indicantis loco. Nam vbi illud fuerit, quod indicat, illic propriè auxilia sunt adhibenda*; toti nempe corpori, si totum exigat; parti, si pars: extrinsecus, si externa sit; intrinsecus, si interna pars, quæ opem flagitet: Sic profectò vniuersum corpus alimus, quia omnes partes sui nutritionem desiderant: omnes alteramus, quoniam omnes sibi propria alteratione opus habent: vbi verò collectus est aliqua in parte humor, qui eam distēdit, aut alio modo offendit, ei studemus prodesse, affecto loco remedia adhibentes: atque id quidem perpetuum in omnibus esse inuenietur. Verum vt in aliis, sic etiam in hoc scopo nō desunt, quæ sæpius prohibeant nos assequi, quod indicantia suggerunt: vbi enim noxii humores, qui vacuari debent, fortè in ventriculo cōtinentur, indicant per eam partem vacuationem esse moliendam, esserq; accommodatissimus locus, quoniam propinquissimus, qui aperto abdomine hu- Prohibitio.

ne humori viam præberet. At quoniam id facere non licet, quin naturalé structuram corrumpamus, quam conseruare oportet, ita indicante naturali statu, cogimur aliá viam inire, qua & id, quod est secundú naturam, seruemus, & noxiam materiá ab affecto loco educamus. Eodem pacto æstuante ore ventriculi, postulanteq; quod actu refrigeret extrinsecus, remedium prohibet omnino ei loco applicari septi transuersi situs, quod vt secundum naturam habet, ita non admittit sibi adiungi, quod alteri parti affectæ est accómodatum. Impediunt ergo hæc nonnunquam, ne ei loco, vbi sunt indicantia, præsidia accommodemus; at propterea non indicant. Ad eum verò locum inueniendú, qui indicantibus, quantum fieri licet, sufficiat, & contraindicantia haudquaquam offendat, conformatio, connexio, situs partium faciunt: nam quoniam non licet (vt hoc vno exemplo res in omnibus aliis patefiat) noxios humores in ventriculo contentos per propinquissimam regionem expurgare, spectamus, qualis sit ventriculi figura, qualis situs, qualis connexio cum his partibus, quæ cum ore, ano, pudendisq; colligantur; per quas tandem, maiore quidem via, quàm humor ipse exigat, sed citra naturalis constitutionis dissolutionem & corruptionem, quod molestat, trahatur. Quod sanè est quærere, non quid indicantia suadeant, sed quid fieri possit, vbi adsunt, quæ fieri vetant, quæ ab indicantibus ostenduntur.

Cap. XVIII.

Quæ indicent ordinem in agenda.

QVemadmodum vbi vnum solum fieri debet, nullus est ordo, ita nec semper is reperitur, vbi plura sunt præstanda: nam si omnia simul obiri valeant, vt nihil prius altero existit, ita nec ordo adest vllus, veluti cum corpus alteratione, vacuationeque opus habet, remedium autem exhibemus, quod simul alteret, & vacuet. At vbi plura adsunt, quæ simul fieri nequeunt, vnum præcedere, reliqua verò subsequi oportet. Inter quæ duplex quidem ordo reperitur; vnus, quem accidentarium, & non verum: alium, quem essentialem, & verum vocare placet. Dico autem ordinem accidentariú, qui nostro arbitrio, nostraque voluntate instituitur, qui & varius est, & ob id arte comprehendi nequit. Nam quod nulla ratione, nullaque cogente necessitate, sed solo arbitrio constat, nihil omnibus commune, nihilque perpetuum habere potest. Licet enim vnicuique, vbi multis vulneribus onustum est corpus, ita tamen, vt vnius cura aliis nihil prosit aut obsit, ab hoc, aut alio auspicari, nullo interim id indicante, sed sola suadente Medici, aut laborantis voluntate. Essentialem verò ordinem intelligo, qui à rerum essentia & natura sumitur, ab eaque seiungi nequit: vt enim in aliis rebus aliquid est suapte natura simplex, quod composita præcedit; alia causa, quod ad effectus; aliquid principium, quod ad ea, quæ ex principiis constant, ordinatur; aliud vniuersale, quod in doctrinis particularia antecedere debet; ita in curatione, & omni alia Medici functione, in qua plura ordine quodam sese sequétia reperiuntur,

In curatione multorú affectuum duplicem esse ordinem. 1. accidentarium, 2. essentialem.

A aliquid suapte natura aliis præferendum erit, docendumque quid inter ea poni debeat, quod huiusmodi prærogatiuam sibi vendicet. Ac de hac quidem re agit Galenus *tertio*, & *septimo Methodi*, cum de complicatis affectibus pertractat, & *primo de sanitate tuenda*, vbi docet à quonam alimento cibationem auspicari oporteat, ab humido ne & molli, vel sicco potius, & solido: iubetque ea præponenda, hæc verò subsequi debere, quæ maiorem coctionem requirunt. Est autem summa eorum, quæ in Methodo traduntur, hæc; *ab eo esse inchoandum, quod magis vrget: deinde ab eo, quod efficientis causæ rationem obtinet; postremo perueniendum ad ea, sine quibus reliqua fieri nequeunt.* Quæ B quidem in re non solum mihi deficere videtur, quod eo curationis ordine omnia contraindicantia tollat; sed etiam, quod per indicantia, vt alios scopos, nunquam ordinem inueniat. Nam si quæ maximè vrgent, primo auferamus; deinde causas; quid erit, quod vnquam ordinem turbare queat? cum tamen vt in aliis omnibus scopis, sic in hoc iustú sit ponere, quæ indicantibus reluctentur. Præterea si id, quod vrget, ad sequentia causæ rationem aliquo modo non habet, vim etiam peruertendi aliorum ordinem haudquaquam obtinebit: neq; omnium primum locum inter alia sibi arrogare poterit: siquidem ab eo, quod magis vrget, auspicamur, quod aliter reliqua præstare nequeaC mus: Habebit ergo rationem causæ sine qua non, id, quod vrget. Quare illud ab huiusmodi causa, tanquam sub ea contineri non posset, seiungere nequaquá oportebat. Nec verò perpetuo ab eo, quod magis vrget, curationem inchoare nobis licet; sed nonnunquam ab alio exordiri cogimur, sine quo illi succurrere non datur. Veluti si cui ex vase multa sorde, savieque obtecto sanguis profluat, vnde vires collabantur, admotis remediis sanguinem comprimentibus diuisum vas occludere nequimus, prius quàm saniem expurgauerimus, quę locum affectum tegit: Sic etiam non semper licet post id, quod magis vrget, efficientem aliorum causam summouere: sed ab alio, sine quo efficiens D causa auferri nequit, incipere necessarium est: Quod in febribus putridis apparet, in quibus obstructiones, & putredinem, quæ illarum effectrices causæ statuuntur, summouere nequaquam conceditur, prius quàm multitudinem, quæ in venis continetur, aut venæ sectione, vel purgatione, aut alio denique vacuante præsidio minuerimus. Cur verò in nutritione humidiora præponenda sint, per ratiocinationem, non per indicationem colligit: cum tamen rationalis secta, quam profitemur, admoneat, vt indicatione, non ratiocinatione vtamur, & vt reliquos scopos, sic etiam ordinem per illam inueniamus. Postremò non solum tradenda sunt, quæ ordinem nutrimentis, aut his, quæ præter E naturam sunt, præscribant: sed quod imprimis omnibus est commune, quodque ordinem absolutè Medico indicat, docendum est. Cæterum existimabit fortè quispiam, id, cuius causa primum ad agendum mouemur, primum locum sibi vendicare: impedire verò, quæ prohibent, ne statim ad illud perueniamus: Medicos etenim vnum præcipuè sibi agendum proponere,

A quibus in curatione multorú affectuum auspicandum, & quo ordine illi sint curandi, secundum Galen.

Non semper posse inchoari ab eo, quod magis vrget.

vt in ægrotis morbi ablationem, & in sanis sanitatis tutelam, reliqua verò vt causarum morbi remotionem, & salubrium conseruationem, non primo, nec per se, sed quoniam non licet aliter morbum expellere. Quamobrem finem, aut quæ finis in actione rationem obtinent, primum locum sibi quærere, contraindicare verò consecutionis ordinem, qui docet ea præponi, sine quibus finem consequi non liceat. verum nō ita res habere mihi videtur. Non enim quod primum statui debeat cogitatione, sed actione, hoc loco à nobis quæritur. Nec semper vnum duntaxat, sed etiam plura agenda, quæ æque præcipua sunt, nobis proponimus: veluti cum plures vnam partem infestant morbi, quos omnes pari diligētia curare studemus: inter quos tamen curationis ordo requiritur. Itaque præstat, suadente posito principio, dicere, *ordinem agendi à rerum ordine, quæ actionem postulant, & operam nostram indicari*. Ita autem res ordinari, vt id præcedere debeat, quod sequentia efficere potest. Id quod commune in omni re esse videtur. Nam frustrà symptomata remouere conamur, nisi prius ablatis morbis, qui ea pariunt, & hos temerè abigere aggrediemur, prius non remotis eos efficientibus causis. Eodem modo sanitatem nemo commode tueri poterit, qui in primis illius causas, quibus constat, seruare non contendat. At hunc indicantium ordinem, qui ab efficientibus causis exorditur, cōtraindicantia nonnunquam turbant: Etenim febris, quæ vehementius insurgit, sæpe cogit, vt à refrigerantibus auspicemur, deinde ad ea perueniamus, quæ obstructiones adimunt: Eodem pacto vbi vires ob debilitatē labuntur, antequam aduersus morborum causas, ipsosque morbos pugnare valeamus, cogimur alimentum exhibere, & corpus roborare: Quinetiam sordem ab intemperato vlcere prius detergere cogimur, quam intemperiem emendare, quæ efficit, ne caro gignatur, qua vlcus repleri, & cicatrice tegi debet. verum vt variè complicari possunt inter se affectus, nec eadem in omnib. sunt, nec idem numerus eorum, qui ordinem indicantium corrumpere sunt apta; sit etiam certa arte complecti contraindicantium numerus, & ordo nequit: id tamen omnibus commune statui potest, quod vniuersa contraindicantia causæ rationem obtineant, sine qua reliqua nequeunt obiri. Nam cum efficiente causa postposita ab effectibus, aut ab eo, quod maximè vrget, aut à materia, quæ in corpore continetur, aut ab excrementis, quæ affectis partibus adhærent, aut ab alio quocunque incipimus; id facimus, quod sine illis obire non liceat, quæ ipsa indicantia suggerunt.

Ordo agendi à quo indicetur.

Vniuersa cōtraindicantia obtinere rationē causæ, sine qua reliqua obiri nequeunt.

Cap. XIX.

De contraindicantibus.

De contraindicantibus & contraindicationibus operæpretium est nunc agere: eo enim inuento, quod ab indicantibus requiritur, succedit statim, vt circumspiciamus, si quid sit, quod illud fieri prohibeat; nam sæpe morbosus status certa postulat remedia, quæ corporis vires non admittunt, & hæ cum validiores extiterint, indicant ad sui conseruationem vberiore opus esse nutrimento, quod morbus respuit, qui vel nihil prorsus ex nouo alimento ali corpus permittit, aut certè omnem nutriendi rationem moderatur. Sic sanè in omni alio vitæ præsidio, vbi adsunt, quæ repugnant, si solis indicantibus contempta cōtraindicantium vi, seruire voluerimus, aut hominem occidemus, aut in maximū vitæ discrimen sæpe trahemus: Quæ profectò nemo rectè moderari poterit, & quid repugnantibus rebus faciendum sit, perspicere, qui pari diligentia contraindicantia, vt indicantia, non expendet. Ac quoniam antea sparsim, & obiter, cum de indicantibus ageremus, pauca de illis attigimus, quantum scilicet ad indicantium vim, & naturam perspiciendam ea conferebant: quæ quidem nec à suis principiis sunt ducta, nec sufficere possunt his, qui arte, & methodo singula perdiscere student, ideo res ipsa postulat, vt seiunctam, & integram de contraindicantibus primum, postea de aliis, quorum superius mentionem fecimus, tractationem instituamus.

Dicuntur porrò contraindicātia vniuersa generali quadam definitione, *quæ indicantibus quocunque modo refragantur*: inter quæ nonnulla re vera id faciunt, & propriè ob id contraindicantia nuncupanda censemus, qualia sunt, quæ actionem vnam indicant, quæ ei repugnat, quam indicantia monstrant: alia verò, quæ solius ferè nominis communitate contraindicantia appellari debent, quæ scilicet nihil agendum docent contrarium indicantibus, sed quod solum prohibeant ea fieri, quæ ab indicantibus requiruntur. Etenim status, qui secundum naturam est, sui conseruationem indicat, quæ propriè repugnat mutationi, quàm is, qui præter naturam est, ostendit, suntque hæc sibi mutuo re vera contraindicantia: At situs partis, figura, connexio, crassitudini naturæque præsidiorum sese nonnunquam opponunt, non quod ea, quæ ab illis indicantur, qualitatem velint ab indicantibus diuersam, sed quod certam admittant, aliam verò minimè: quippe ad situm partis conseruandum, crassities aut tenuitas eorum, quæ foris admouentur, nihil faciunt, nec quæ naturalem situm partium tuentur, vni potius, quàm alteri qualitati repugnant; prohibent tamen partes, quæ in profundo corporis sunt cōstitutæ, ne crassa eo facilè perueniant, cum tenuia nullo negotio admittant. *Sint ergo verè contraindicantia, quæ aliquid ostendunt, quod contrarium est ei, quod ab indicante monstratur*, quæ vt postea docebimus in duplici sunt differentia, quippe cum quædam per se, alia per accidens indicantibus repugnent; impropriè verò contraindicantia censenda sunt, *quæ quocunque modo impediunt fieri, quæ indicantia ipsa postulant, nec tamen aliquid contrarium indicant ei, quod ab alio ostenditur*: sumit vtroque modo Galenus contraindicantia. Nam cum *decimo tertio Methodi* contraindicantia ea vocari censet, quæ nos in contrarium trahunt, contrariumq; indicant, vt cum vires vacuationi contraindicare dicit, propriè contraindicantia sumit: impropriè autem, cum situm partis vacuationis locum indicare, pro eo, quod est impedire tradit, veruntamen id probare non possum, quod cum diuersa

Contraindicans quid.

quotuplex. 1 2

Propriè contraindicantia.

Impropriè.

diuersa sit natura, & conditio contraindicantium, omnia pariter misceat, nec vsquam quæ, & quot sint illorum genera & differentiæ, ostendat.

Cap. XX.
Quæ sint, & à quibus sumantur contraindicantia.

Contraindicantia triplicia. SVnt porrò contraindicantia eadem re, & genere cum indicantibus: nam vel secũdum naturam, vel naturæ contraria aut neutra sunt omnia, quæ contraindicant, quemadmodum & indicantia ipsa: & quædam sunt causæ compositionis, alia compositio ipsa, alia verò compositionis effectus: etenim id, quod secundum naturam est, & quod præter naturam & neutrum indicat, & contraindicat, sed nunc indicantis, nunc verò contraindicantis nomen assumit: nam quod in aliqua re peragenda primum ex illis consideratur, ex quo propositum elici debet, cuiusque ratione ad agendum impellimur, illud indicantis nomen assumit: id verò quod postea expenditur, tanquam id, quod indicatis repugnat, prohibetque, ne assequamur, quod propositum est, contraindicans censetur: ac ne longius abeas, conseruationis indicator est, vt ostendimus, status secundum naturam: contraindicator verò, qui præter naturam existit: is verò contra mutationem indicat, cui cõtraindicat id, quod est secundum naturam. At quæ impropriè contraindicantia dicta sunt esse, *Vnde ducantur impropriè dicta cõtraindicantia.* non solum ab his, quæ ad nos pertinent, suntque vel secundum naturam, vel his contraria, aut media, sed etiam ab aliis ducuntur, cuiusmodi sunt pater, dominus, cognati, amici, quæ vt Galenus *in libro de optima secta* scribit, nonnunquam prohibent, ne ea auxilia adhibeamus, quæ ipsi affectus exigunt. Præterea huius generis esse videntur, quæ præcesserunt, aut sequuntur auxilia, quæ accelerati, aut tardari, quod postulatur ab indicantibus, suadent.

Cap. XXI.
Quid vnicuique generatim contraindicet.

GAlenus ferè solum de ea contraindicatione quæ est inter vires & morbum, agit: at ars postulat, vt non tantum de ea tractemus, sed etiam quid generaliter, peculiariterve indicantibus sese opponat, expendamus. Non enim vires omnibus remediis, quæ morbis debentur, refragantur, & alia sunt interea ea, quæ secundum naturam existunt, quæ etiam id faciunt: quemadmodũ sanè, quæ sunt præter naturam, aliis repugnant, quàm viribus. Quamobrem nemo vnquam intelliget, quàm rectè agere possit, nisi perspectum habuerit, quæ & quot sint, quæ aliorum indicationes impedire valent. Igitur contraindicant eadem genera eisdem generibus, & diuersa genera diuersis generibus: nam naturalis status ei, quod à naturali indicatur, sæpe sese opponit, & is, qui præter naturam est, ei refragatur, quod ab illo, qui præter naturam existit, ostenditur; & quæ secundum naturam sunt, iis, quæ præter naturam, & contrà hæc illis, quæ sunt secundum naturam, reluctantur. Etenim partium suapte natura humidiorũ temperies humidis esse opus ad sui cõseruationem indicat, quibus repugnant siccæ, quæ siccantia requirunt: febris refrigerantia; illius causa, vt crassus humor, & frigus, qui obstructioné committit, calefacientia desiderat. Morbus illiusq; causa venæ sectionem sæpe postulant, at vires refragantur: sic illæ cibo opus esse indicant, quem morbus impedit: veruntamen inter hæc (quod dicere hoc loco oportunũ esse ducimus) quædam per se, alia per accidens contraindicare videntur. Quod enim secundum naturam est, generatim per se ei contraindicat, quod indicatur ab eo, quod est secundum naturam, & contra hæc illis per se repugnant: quæ verò eiusdem generis sunt, vel præter naturam, aut secundum naturam, non nisi per accidens se mutuo repellunt. Accidit enim, vt febris ab his exasperetur, quæ illius causam tollunt; aut cõtra noceant febri, quæ causæ prosunt, id quod patet: quandoquidem sæpe eodem præsidio nullo repugnante, iuuantur; quemadmodum, cum vena secta profluit sanguis, quo & febris causa, & ipsa etiam febris simul mitigantur: id quod nunquam his contingit, quæ propriè contraindicat. Nunquam enim quæ conseruationem indicant, ab his iuuantur; quæ mutandi vim habent.

Postulat etiam docendi ratio, vt quemadmodum vnum indicare vnum probauimus, ita vnum statuamus, quod vni propriè contraindicet, vt statim quid vnicuique per se repugnet, intelligere valeamus, cùm incerta sit eorum natura, nec arte comprehendi possit, quid singulis sese opponat. *Vnum non nisi vni contraindicare.*

Nunc verò de his, quæ potius impediunt, quàm vt aliquo modo contraindicantia vocari debeant, paucis agendũ esse censeo. Quæ quoniam non solum ab his, quæ in nobis sunt secundum aut præter naturam, aut inter hæc media, sed etiam ab his, quæ in aliis sunt posita, nec per easdem differentias singulis repugnãt, ideo certa arte, & docendi ratione comprehendi nequeunt: nam (vt antea diximus) situs, connexus, conformatio, durities, mollities, & reliqua huiusmodi, quæ in singulis partibus reperiri solent, medicamentorum transitum impediunt, nec non nutritionem probè obiri vetant, veluti cum crassa alimenta per angustos corporis meatus ad extremas partes permeare haudquaquam valent, quæ quidem impedimenta ab his ducuntur, quæ in nobis sunt posita: at voluntas parentum, cognatorum, adstantium prohibent nonnunquam, ne ægrotis sanguinem demamus, aut purgationem, vel alia remedia, aut victum necessarium adhibeamus; cuius generis ea quoque videntur esse, quæ ducuntur ab his, quæ prius sunt acta, vel postea peragenda. Nam vbi affectus venæ sectionem postulat, si fortè paulo antea per alios affectus sanguinem detraxerimus, eum rursus haudquaquam mittimus: Quod si vel inedia ferenda sit, aut aliquid aliud iniungendum, quod vim habeat exhauriendi corpus, id impedit, ne alias vacuationes tentemus: & denique quæ præcesserunt & sequi debent, siue remedia, siue alimenta, siue animi affectus, vel omnino prohibere possunt vsum aliorum, aut certè in aliud tempus reiicere: ac (vt diximus) non solum hæc impedimenta sese opponunt eadem licentia *Impedimenta.*

remediis & victui; sed etiam nulla differentia sumpta, qualitatem, quantitatem, & vniuersos alios rerum scopos peruertere possunt. Nam ægri proprietates, & animus, parentumque voluntates, nunc genus remedii, aut victus, nunc qualitatem vel quantitatem conuenientem pari rationem exhiberi recusant, non quemadmodum in vere contraindicantibus vsuuenit: quorum quantitas quantitati, & reliqui omnes scopi singulis indicantium scopis refragantur. Quapropter non mirum, si hæc inter impedimenta, & haudquaquam inter contraindicantia posuimus, & horum aliquam, illorum verò nullam artem esse putemus.

Cap. XXII.

Quæ singulis contraindicent.

VT autem inter indicantia non solum quærebamus, quæ generatim indicare possent, sed etiã quid vnumquodq; ostenderet: sic posteaquàm docuimus, quæ, & quot sint generatim contraindicantia, operæpretium esse duco, nunc arte aliqua complecti, quæ sigillatim singulis repugnent. Sic enim tractatio perfectior euadet, & in omni officio habebimus, quod bene agere doceat. Itaque postulat natura rei, vt contraindicantium genera & differentiæ generibus & differentiis indicantium reluctentur: vnde ei, quod mutandum esse indicat, repugnabit, quod conseruationem petit, & contra hæc indicantibus resistent, quæ mutationem suadent; certæ verò mutationi obstabit, quod certam conseruationem ostendit. Non enim omnia, quæ secundum naturam sunt, omnibus sese opponunt, quæ præter naturam existunt: quemadmodum nec omnia, quæ præter naturam esse ponũtur, obsunt his, quæ in nobis sunt secundũ naturam, sed certa certis obstant. Nam

Remediis alterantibus quid propriè contraindicat.

alterantibus remediis nec vires, nec aliud quicquam, quod familiare, & naturale sit, præterquam naturalis temperies resistit, quæ quidem sui conseruationem per similes qualitates, non autem mutationẽ per dissimiles desiderat. Quapropter optimè Galenus *in Methodo medendi* scribit, vnamquamq; partem, vel etiam principem remedia alterantia admittere, qualia ipse affectus requirit. vacuantib. non situs partis, nõ

Quid vacuantibus.

figura, non magnitudo, non numerus, nec vires ipsæ propriè contraindicant, cum situs, figura, magnitudo, & numerus nihil indicent vacuationi contrarium; vires autem non solis vacuantibus sese opponant, sed omnibus actionem quamcunque indicantibus, à qua labefactari possunt: veluti vrentibus, secantibus, dolorem inferentibus, nec per se, sed secundario, & per accidens illis repugnant. verum *naturalis humorum, spirituum, & eorũ denique, quæ vacuantur, mediocritas, naturalisq; constitutio*, quæ sui conseruationem amat, vacuantibus, quæ eam minuunt, contraindicant; ad horum autem immoderatam vacuationem virium sequitur dissolutio: quæ etiam ab immoderata prouenit repletione. Quare non minus replentibus, quàm vacuantibus vires sese opponunt: idque ea ratione, quod earum infirmitas, & robur ea sequantur, quæ eorum sunt autores. Nam quo-

A niam supramodum auctis, aut exhaustis vel corruptis humoribus, & spiritibus, ex quibus vires maximè consistunt, sequitur, vt ipsæ vires labantur, ideò eas inter contraindicantia vacuationẽ reponere solemus: cum tamen re vera solum repugnet *mediocritas, & naturalis status eorum, quæ vacuantur, aut augentur.* Sic profectò conformationem, magnitudinem, numerum, compositionem, & vnionem partium seruantibus aduersantur, quæ vim habent ea vitiandi: & his, quæ corrumpunt, obstant, quæ eorum conseruationem postulãt. Eodem pacto coctioni nutrimenti, *morbosæ causæ alteratio* repugnat: Hac

Quid coctioni [illegible]

enim ratione vigentibus morbis, subtrahẽdum esse alimentum dicimus, quod huius mutatio

B prohibeat morborum causas vinci, conficique. Subitæ, iucundæ, & tutæ actioni conseruanti quæ sunt secundum naturam aduersantur, quæ præter naturam vrgent, & contrarias actiones requirunt. Nam vbi syderatio, corruptioque membrum aliquod obsedit, abscindi partẽ corruptam iubet, id quod vires ipsæ, quæ sui conseruationem exposcunt, non libenter admittũt, nimirum quod huiusmodi atrocia remedia illarũ robur dissoluant. Indicat morbus, qui vehementer affligit, subito, generosoq; remedio succurrẽdum esse. At quæ secũdum naturam sunt, cum postulant subitam contrariamq; actionem, vel omnino prohibent, vel certè differri, moderatique, quod ab illo indicatur, cogunt. veluti si

C vires ex inedia laberentur, & vehemens febris hominem infestaret, quæ venæ sectionem indicaret, hoc contempto, restaurationi virium inprimis studemus. At ne singula prosequamur, quæ peculiarem tractationem requirunt, satis ex his, tanquam ex quibusdam exemplis constare puto, vt genera generibus, sic differentias contraindicantium singulis indicãtium differentiis opponi. Nam quemadmodũ ei, quod indicat nihil agendum esse, refragatur id quod fieri aliquid admonet, & conseruatio mutationi, & victus remedio, sic profectò huic actioni illa contraria actio, huic conseruationi hæc mutatio, huic remedio certus victus contraindicat: ac non solum quidem in his primis sco-

D pis, sed etiam in aliis vniuersis principii huius vis inuiolata persistit. Etenim quantitati, qualitati, modo, tempori, loco, ordini eorum, quæ ad conseruationem indicantur, repugnant remediorum quantitas, qualitas, & reliqui scopi, qui prædictis respondent. Qua quidem ratione vbi corporis naturalis status indicat plurimo opus esse nutrimento, aut nihil, aut certè parum impediente magnitudine eius, quod est præter naturam, ægrotis exhibemus, illudq; vel frigidum, aut calidum, aut alio modo pro morbosi affectus natura temperatum, quod alioqui forte temperatissimum naturalis status ad sui tutelã, absente morbo, exigere solet. Quin etiam quanto frequentius morbus inuadit, &

E minora habet interualla, tanto rarius ægrotantes alimus, & quo tempore ille vehementior est, parciorem, & leuiorem; vberiorem verò, & solidiorem cibum præbemus, quando minus infestat. Ad hæc quo tempore adest morbus, vel expectantur exacerbationes, inediam imperamus, etsi naturalis status eo tempore forte alimẽtũ appetat. Idem restaurationem primum

[illegible]

aliquando postularet, cum anteuertit, qui vrget morbosus affectus, qui sua remedia anteferri, victus autem postponi cogit. Intemperies præter naturam, quæ partem aliquam occupauit, loco affecto adhibendum esse remedium indicat, at membra secundum naturam affecta laboranti vicina, quæ locum proprium seque tueri volunt, vetant sæpe, ne id faciamus, quod morbosæ dispositionis locus desiderat. Quo pacto laborante ore ventriculi calido affectu, exigenteque frigida præsidia, quæ ad cartilaginē ensiformem adhibeantur, repugnante diaphragmatis situ, quod ab huiusmodi remediis offenditur, paulo infra secedimus, vt vtrique consulamus, ei, inquam, quod est morbosum, & alteri, quod est secundum naturam affectum. Quæ omnia declarant, singulos indicantium scopos suos habere contraindicantes ex contrario genere sumptos.

Singulos indicantium scopos suos habere contraindicantes.

Nunc vero de his agendum est, quæ vnicuiq; get accidens contraindicant. Quæ quoniam ab his ducuntur, quæ sunt eiusdem generis, in quo aliquid reperitur, quod causæ; aliud, quod constitutionis; aliud effectus rationem habet, contingit, vt vnum vni, & vnum pluribus, & hæc vni, & mutuo sibi omnia reluctentur: Nam morborum causæ morbis, & symptomatis, & hæc illis, & causæ causis, & morbi morbis, & symptomata symptomatis pari contentione sæpe sibi obsunt. Etenim humor, qui ex bile & pituita mixtus morbum parit, quatenus pituitosus est, calefacientia postulat, quibus remediis contraindicat bilis, quæ refrigerantia desiderat: Febris frigidis esse opus indicat, aqua vero inter cutem cum febre coniuncta calefacientia sibi dari suadet: sitis humectantia exigit, exsiccantia autem alui profluuium, quod cum siti affligit: Obstructioni ex crassis humoribus excitatæ calefacientia, & extenuantia debentur, quibus repugnat febris, quæ refrigerantia indicat: Sopor, qui hominem cum febre premit, calorifica adhiberi iubet, at hæc ipsa febris respuit. Atq; etiam in his genera generibus, & differentię differētiis contraindicant. Vt enim febris non admittit calefacientia, quæ forte indicantur ab eius causa, sic cum vehementior ea est, quantitati remediorum calefacientium magis repugnat: & cum vehementius confertimq; affligit, cogit paulatim obiri, quod causa suapte natura nonnunquam confertim fieri postularet. Eadem & symptomata, quæ hominem maxime vrgent, ordinem peruertunt, coguntque remedia, quæ causis debentur, postponi: Eadem ratione si anteuertant, aut ardent febrium accessiones, cogunt nos eo tempore, quo causis seruiendum erat, aduersus morbum ipsum pugnare. Quinetiam fluxiones, quæ ad inflammatam partem influunt, prohibent, ne loco inflammatione tentato digerentia remedia imponamus, & crudi, viscidiq; humores, qui in ventriculo, primisq; venis abundant, non permittunt extrinsecus adhiberi, quæ vel trahant humores in venas alias, aut digerant, vel alio modo consumant, adhibito calore, noxiam materiam, in habitu corporis contentam. Et demum in omnibus scopis contraindicatio hæc apparet, maxime vero in his, quæ præter naturam existunt: Nam in illis, quæ sunt secundum naturam, minor est repugnantia, quandoqui-

Contraindicantia per accidens.

A dem vt verum vero consonat, sic quæ secundum naturam ponuntur, ab eisdem fere iuuantur, & læduntur. Quod enim humorum mediocritatem seruat, temperiem quoque corporis, & partium singularum conformationem, magnitudinem, coniunctionem, & vniuersi structuram tuetur. Cæterum etsi ea, quæ impediunt aliquid fieri, vt antea diximus, certa arte comprehendi nequeunt, nec inuenire licet, quid vnicuique scopo possit esse obstaculó; tamen differentiam quandam in illis agnosco: Nam quædam omnibus possunt esse communia: quędam vero quibusdam duntaxat propria fiunt impedimenta: etenim voluntas ægri, & adstantium nō minus remediorum, quam victus vsum impedi-

Impedimenta quædam omnibus esse communia, quædam vero quibusdam duntaxat propria.

B unt. Situs partis nutritionem perinde vt vacuationem non offendit: facile siquidem vacuantur, quæ iuxta intestina, aut corporis superficiem sunt collocatæ partes, difficilius, quæ ab illis locis recedunt, cum tamen pari facilitate omnes nutriantur: Quædam præterea certis scopis magis, quam aliis resistunt. Nam alterantia remedia facilius omnes admittunt, quam vacuantia, & purgationem non adeo verentur medicinæ ignari, vt venæ sectionem; magna autem auxilia omnes suspecta habemus, mitiora nullo negocio concedimus: sed ne in hac generali nostra tractatione, quæ in singulis euariant, & artis cōprehensionem fugiunt, velle docere videamur, hæc prætermittemus vnicuique in singulis sco-

C pis, & officiis facile excogitanda. Nam semotis, quæ extrinsecus impedire possunt, relinquetur sola corporis conditio, & structura, quæ id faciant.

Cap. XXIII.

De vi contraindicantium, & quatenus vnicuique, vbi repugnantia adsunt, tribuendum sit.

Habendam esse contraindicantium rationem in omni officio, & scopo, vbi aliquid reperitur, quod indicantibus repugnet, omnibus notum esse puto, & paulo antea id est à no-

D bis ostensum: verū ne plus singulis concedamus, quam par sit, aut minus, quam oportet, coindicantium omnium vis inprimis à nobis docenda est; hinc enim postea facile patebit, quantum vnicuiq; sit tribuendum, & qua ratione omnia officia exercere possimus. Itaq; vis cōtraindicantium non æqualis in omnibus adest. Quædam enim ita sese opponunt indicantibus, vt prorsus impediant fieri, quod ab illis suggeritur; alia vero non omnino prohibere valēt, sed solum moderari, quod indicatur. Prohibent sane omnino, vt generatim dicam, quæ secundum naturam sunt, ea fieri, quæ indicantur ab his, quæ præter naturam existunt: quippe vires nōnunquam omnē vacuationem refugiunt, quam morbosa dispo-

Vis duplex contraindicantium.

E sitio requirit: moderantur autem, vbi illæ nec prorsus validæ sunt, vt omnem perferant, nec ita prostratę, vt quamcunq; vacuationem respuant: morbus autem nullus tātus est, qui omnino impediat obiri, quod infirmæ facultates corporis exigunt: id quod apparet, cum in febribus ardētissimis, virium infirmitati vini potione calidorumq; vsu sæpius consulamus. Quin & vrgente

accessione morborum, vbi vires ex defectu periclitantur, laborantes nonnunquam nutrimus, nequeuntes præsente morbo impedire, quod ea, quæ secundum naturam sunt, indicant. Quapropter merito iis primas in contraindicando concedimus, secundas vero ei, quod in omni statu plurimum excedit. Hac enim ratione vbi morbus vehementissimus est, cogimur remedia, quę illius causam tollunt, intermittere, vt illi soli prospiciamus; & contra si causarum vis prævalet, contra eam acriter pugnamus. Veluti cum per magnas obstructiones in febribus remedia quęrimus magnam ad secandum, extenuandum, & deniq; aperiendum vim obtinentia: Pari ratione in naturali statu, vbi intemperies labitur constante structura, aut laborant vires, aliis leuiter affectis, ei, quod plurimum excedit, succurrimus: nimirum quod illud maiorem contraindicandi vim, quam alia habeat: *vnde optima ratione præcipuam vim in contraindicando his, quæ secundum naturam sunt; deinde illis, quæ in vnoquoque statu plurimum excedunt a mediocritate, concedi diximus.* Verum etsi quædam ex contraindicantibus maiorem aliis vim sunt sortita, omnibus tamen quædam facultas data est repugnandi, quæ haudquaquam contemnenda est ab eo, qui artem docere instituat. Quamobrem illud nunc sequitur explicandum, quantum vnicuique ex contraindicantibus sit tribuendum, an omnia scilicet iis, quæ maximam vim habent; an vero etiam non contemnenda, quæ minore virtute sunt donata: idque eo potissimum à nobis expendendum esse iudico, quod Galenus, dum hæc nunc diligentius, nunc vero negligentius explicat, relinquat, in quo dubitare possimus. Etenim *libro septimo Methodi*, & *alibi*, sæpius censet, vbi contraindicantia adsunt, omnibus esse succurrendum: sed magis ei, quod plus vrget, aliis interim non contemptis: quod perpetuo, meo quidem iudicio, faciendum non est: Nam aliquando vni soli seruiendum, prorsus contemnenda reliqua; veluti cum viribus prostratis, reiectis vniuersis remediis, quæ morbis, illorumque causis competunt, nutritioni, refectionique incumbimus: id quod etiam ille testatur *nono Methodi*; vbi docet, indicationem, quæ à viribus sumitur, tantam vim nonnunquam obtinere, vt reliquas omnes aboleat, & omnem Medici curam ad se trahat. Igitur res videtur hoc pacto distinguenda, quod scilicet ea, quæ contraindicant, viribus & numero sint nonnunquam paria, & æqualia; aut quædam alia excedant, & maiorem vim habeāt. Ac in illis quidem licet aliquādo pro cuiusq; ratione omnibus prospicere: In his vero nonnulla contemnere cogimur, vt aliis prorsus incumbamus: id quod vel ob dignitatem eius, quod contraindicat, vel ob magnitudinem, & vehementiam, aut quod ordo agendi ita requirat, potissimum accidit. Nam, vt in exemplo prædicto permaneamus, prostratas vires corporis, contēptis aliis omnibus, aliquando reficere, restituereq; nitimur; vbi vero morbi causa, vel morbus ipse, aut symptoma admodum excedit, contra id, quod vehementer exuperat, omnino pugnamus: quo modo dolores soporiferis remediis, quæ morbos, illorumq; causas exasperant, rebelliores q; reddunt, lenire sæpe contendimus: Sordem ab vlceribus primo & solum

Quid primū locum in cōtraindicando teneat & quid secundum.

Quantum vnicuiq; ex contraindicantibus sit tribuendum.

A auferimus ita cogēte rerū ordine, qui interim cū id obitur, nec cauitatē repleri, nec aliud quicquā, quod vlcus postulet, fieri patitur. At vbi æqualia sunt, quæ inter se pugnant, omnibus pari prouidentia succurrendum esse ratio dictat. Verum in hoc illud maxime spectandum esse puto, vt diligenter expendamus, an re vera æqualia sint indicantia contraindicantibus, vel inæqualia reperiantur. Nam in hoc non parui errores contingere possunt, & suspectus mihi locus esse videtur, qui apud Galenum *libro octauo Methodi* habetur, vbi præsente febre ob aliorum contraindicantium vim putat ille aliquando eo perueniendum, vt ægrotis temperata exhibeamus: siquidem vrgentibus morbis vel minimus, eam indi-
B cationem, quæ ab illis sumitur, perpetuo aliis excedere putauerim. Nam quomodo alioqui febris extinguetur, nisi frigida adhibeantur? Sed hæc aliis, qui maiore otio abundant, considerada relinquo: Nos vero, quod præcipuum est in hac re, quonam modo scilicet æqualitatem, & inæqualitatem cōtraindicantium oporteat metiri, tradémus. Itaque vbi plura sunt, quæ inter se pugnant, quæ dignitate, & magnitudine præcellūnt aliis quæ numero vincunt, maioris virtutis sunt censenda: Quod si dignitate, & magnitudine sint paria; quæ numero excedunt, tanquam maioris momenti sunt aliis præferenda. Ac optime quidem hæc sciet distinguere, quan-do indicantibus, vel contraindicantibus solis sit
C attendendum, aut vtrisque, & quatenus singulis sit tribuendum, qui naturam, numerum, magnitudinem, & dignitatem indicantium, & contraindicantium omnium nouerit: Quæ quidem partim ars ipsa docet, partim vero sola prudentia, & ingenii perspicacitate cognosci possunt. Id quod etiam à Galeno nostro *lib. 8. Methodi medendi* memoriæ proditum est. Nam ars ipsa admonet maiorem esse dignitatem indicationis, quę à viribus sumitur: quam illarum, quas præbent morbus, & alia, quæ naturam contingere solent. Docet & eadem maiorem esse illius facultatem, quæ ab his ducitur, quæ quidem plurimum in suo genere excedunt. At numerum certum cōtraindicantium in omnibus nun-
D quam statuere poterit: nimirum quod in singulis fere hæc euarient, quæ sibi mutuo repugnare valent.

Quonam modo æqualitatem & inæqualitatem contraindicantium oporteat metiri.

Cap. XXIV.

De coindicantibus, & correpugnantibus.

COnfundi multis modis coindicantium, & correpugnantium appellationem & naturam à Galen. vnicuique patere puto, qui illius libros omnino negligenter non euoluerit. Nam sæpe indicantium nomine coindicantia, & contraindicantia, vt ante sæpe admonuimus, complectitur. Præterea sub coindicantium appella-
E tione indicantia, contraindicantia, & correpugnantia comprehendit, vt videre est *lib 13 Methodi*, vbi vires, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, consuetudinem, coindicare curationem, meminit. Etenim morbus curationem indicat; facultas, & natura victum, curationem vero contraindicant: Ætas vero, anni tempus, regio, consuetudo, cum ad cognitionem indicantium

cantium assumuntur, coindicantia consentur: A correpugnantia autem euadunt, quando signa fiunt repugnantium, siue contraindicantium. Atqui proprie ea coindicare (vt id quoque antea notauimus) dici debent, quæ non primo, nec per se, sed per accidens, interuentu scilicet indicantis suas præbent indicationes: Eodem modo correpugnantia vocamus, quæ per accidens, beneficio, inquam, contraindicantis his, quæ fieri debent, repugnant. Nam etsi raro coindicantis, & nunquam correpugnantis nomine vtitur Galen. nec satis docet, quonam modo velit coindicantia proprie ab indicantibus & repugnantibus differre, tamen ex eo, quod inter indicantia ponat quædam, quæ reuera aliquid non postulant, sed signa aliorum fiunt; veluti cum 9. *Meth.* B consuetudinem atq; ætatem intercedente morbo curationis rationem indicare scribit: *ideo hæc, quæ per accidens indicant, aut improprie, vel alio quocunque modo velis, a vere indicantibus discrepare agnoscuntur, coindicantium appellatione complectimur.* Quod si hæc recipimus, cogimur & correpugnantia ponere, quæ perinde se habent ad contraindicantia, vt coindicantia ipsa ad indicantia. Nec eo quidem moueri nos oportet, quod Galenus illorum mentionem non fecerit, quandoquidem omnes veritatis studiosi, non tantum, quid alii tradant, sed quid potissimum res ipsa postulet, spectare debent. De veris ergo coindicantibus, & correpugnantibus, his, quæ improprie ita dicuntur, vocabulorum abusu prætermissis, eadem tractatione agemus, quoniam eandem habent, vt diximus, correpugnantia ad contraindicantia rationem, quam coindicantia cum suis indicantibus seruant.

Quæ dicantur coindicare proprie.

Quæ correpugnare.

CAP. XXV.

Quæ, & quot sint coindicantia, & correpugnantia, a quibusq; sumantur.

SI Galenum legamus, multa, & propemodum infinita inueniemus recenseri, quæ coindicare, & correpugnare possint, veluti ætatem, sexum, vitæ conditionem, anni tempus, cœli statum, regionem, consuetudinem, colorem corporis, animi mores, & quæ eiusdem sunt virtutis; atque id quidem merito: Nam si coindicantia, & correpugnantia signa sunt indicantium, & contraindicantium, necesse profecto est, tot genera, & differentias eorum esse, quot sunt inter se discrepantia, quæ aliorum indicantia esse possunt, de qua re non est, quod hic prolixius agimus, vtpote quam abunde in eo opere, quod conscripsimus de Signis, pertractauimus. Esse autem correpugnantia, & coindicantia eadem re; ratione autem differre, vt ipsa indicantia, & contraindicantia, omnibus constare puto. Quæ enim coindicant remedium, correpugnant victui; & contra, quæ commonstrant victum, correluctantur remedio, veluti ætas docet, quomodo sint affectæ vires, quæ nutritionem præscribunt: Eadem cum vires declarat subesse infirmas, quæ remedia vehementiora ferre nequeunt, correpugnate huiusmodi præsidiis creditur.

Coindicantia & correpugnantia esse indicantium & contraindicantium signa.

Coindicantia & correpugnantia esse eadem re, & ratione differre.

CAP. XXVI.

Quid vnumquodq; coindicet, & correpugnet.

SI coindicantia, & correpugnantia signa sunt indicantium, & contraindicantium, necesse profecto est, rerum genera coindicare genera, & differentias ipsas differentias, sic genera generibus correpugnare, & differentias differentiis: Præterea quædam proprie, alia improprie: quædam rursus per se, alia per accidens correpugnare, & coindicare; quæ scilicet ostendunt, quæ proprie vel improprie, per se, vel per accidens indicant, vel contraindicant, & denique singula singulis respondere oportet. Etenim ex coindicantibus quædam sunt, quæ simpliciter id, quod indicat, ostendunt, quæ videlicet illorum sunt signa, & simpliciter sumuntur; quædam, quæ illius genera, & differētias, vt quantitatem, qualitatem, modum, præsentiam, locum, & ordinem cum aliis patefaciunt. Nam si forte, (vt vno exemplo res pateat) corporis vires ostendunt actiones ipsæ, quæ ab illis proficiscuntur, actionum quantitas, qualitas, modus, virium quantitatem, qualitatem, & modum ostendent. Eadem est & in contraindicantibus ratio, siquidem victu est opus, & adsunt, quæ nunciant præsentem esse corporis statum præter naturam, qui contraindicet, vbi de quantitate victus agitur, cogimurque expendere, quantum repugnet id, quod præter naturam existit, C adferuntur correpugnantia, quæ sua quantitate patefaciunt, quantum sit id, quod à naturali statu recedit: sed ne singula prosequamur, idem statuatur in his, quæ indicantia, vel contraindicantia alios scopos monstrant. Ex quo quidem patet, quæ posita sunt principia, miro quodam artificio non solum cum rebus ipsis, sed etiam illa inter se consentire, & singula singulis respondere.

CAP. XXVII.

De vi coindicantium, & correpugnantium.

REperitur quoq; in coindicantibus, & correpugnantibus varia quædam vis, & natura. D Etenim quædam inter illa cognoscuntur esse, quæ nunquam; alia vero, quæ aliquando indicare, & contraindicare possunt: nam sexus, ætas, nunquam indicant, aut contraindicant, sed qualis sit corporis status, perpetuo ostendunt: at temperies corporis sui conseruationem indicat, & alia coindicat, siquidem quales, quantæq; sint corporis vires testatur, quæ postea nutrimentum præscribunt: veluti cum ex calido & humido temperamento colligimus, plurimo cibo opus esse, propterea quod huiusmodi temperies vires ad concoquendum validas ostendit & ob id victum coindicare putatur: sic morbi causa qualis, quantusq; sit ipse morbus, aperit, coin- E dicatque ob id qualitatem, quantitatemque remediorum, quæ morbis debentur: interim tamen illa etiam peculiare suum remedium insinuat: temperies secundum naturam contraindicat remediis, à quibus vitiatur; Correpugnat vero his, quæ vires labefactant; nec deesse quidem possunt, quæ solum proprie contraindicantia; alia vero, quæ etiam impedimenta, & ipsa

Quæ tantū coindicant. Quæ vero simul indicēt & coindicent.

impedientia monstrent: veluti nonnulla alia sunt, quæ solum testari valent, quæ sui conseruationem indicant, nonnulla vero, quæ ea tantum monstrent, quę sui ablationem expostulant, quę scilicet vim habent illud duntaxat monstrandi, quod est vel secundum naturam, vel illi contrarium. Sunt, quæ diuersam coindicandi vim habeant, sed diuersis rationibus, sicut aer ambiens, qui, quale sit corporis naturale temperamentũ, qualis, quantusque morbus, indicio est, & propterea victum, & remedium, illorumq; qualitatem & quantitatem coindicare dicitur. Nec vero illud ignorandum est, inter coindicantia, & correpugnantia, quædam primo loco, alia secundo, alia etiam tertio coindicare, & correpugnare: etenim temperamentum primo coindicat nutrimentum, quia primo vires ostendit illius indicatrices: Sexus & consuetudo, secundo loco id faciunt, interuentu ipsius temperamenti: regio vero tertio loco idem facit, siquidem primo aeris temperiem, hæc corporis, quæ rursus vires declarat. Illis præterea maiorem vim tribuere debemus, quæ indicantia, & contraindicantia ostendunt maioris momenti, de quibus superius egimus.

Inter coindicantia & correpugnantia qui natu gradus.

Cap. XXVIII.

In quibus liceat vti indicationibus.

Si à natura rei accepta & cognita indicatio sumitur, necesse est, vt in illis tantummodo locum habeat, quorum natura, & vis certo percipi potest. Quod etiam Galenus *in libro de Optima secta* probat, & merito quidem. Etenim febrem refrigerantia indicare dicimus, quod antea nouerimus, illius naturam esse calidam, & nobis inimicam, quæ sibi contraria, & sui ablationem monstret. Quamobrem (vt generatim dicam) *in omni statu, quod iuuat, aut lædit per indicationes inueniri potest*; nam cuiuscunq; generis fuerit, quod in corpore est secundum naturam, aut illi contrarium, aut medium inter hæc, cognoscitur. At in singulis generibus reperiuntur nonnulla, quorum peculiarem naturam, & facultatem ignoramus, in quibus illud duntaxat per indicationes inuenimus, quod genus illorũ ostendit, nempe vel ablatione, vel conseruatione, vel remedio, vel victu opus esse: *Proprium autem remedium, proprium victum, proprios denique alios scopos non amplius per indicationes nobis inuenire datur, eo quod propria natura, & ea, quæ propriam materiam, & eiusmodi scopos indicare debent, percipi nequeunt*: Nam stuporem dentiũ ab acidis, & acerbis excitatum præter naturam esse agnoscimus, vtpote qui actiones illorũ obiri prohibeat, at quæ propria sit stuporis natura, illiusq; vis, ignoratur, propterea illud solum (vt alia, quæ præter naturam sunt,) sui ablationem, & remedium indicat, genus autem & naturam remedii minime. Neque enim illius conditio indicare potest portulacam commodissimum fore auxilium, quemadmodum febris refrigerantia indicat, quoniam scilicet illius natura ignoratur, febris autem cognoscitur: siquidem quod hæc calida sit, & præter naturam affectio, omnes sciunt; an vero calidus, vel frigidus, humidus, vel siccus, vel alterius qualitatis affectus sit stupor, A nemo dicere potest; nam si calidus esset, cur frigida non prosunt? Si frigidus, iuuarent calida; si adstrictus, vt fere videntur ostendere, quæ eum pariunt adstringentia omnia, cur laxantia potius, quam ipsa portulaca, quæ adstringendi quoq; vim habet, huic malo haudquaquam medentur? Eadem est ratio de febribus pestilentibus, & aliis morbis, qui in tota substantia sunt positi, quibus non succurrunt auxilia euidentibus qualitatibus prædita, sed quæ occulta quadam natura, & vniuersa, vt dicere solemus, substantia, qua sui generis malis opitulantur, sunt prædita. Quamobrem in his, in quibus indicatio locum non habet, ars nostra duo alia excogitauit instrumenta, quorum beneficio, perce-B ptione eius, quod iuuat aut lædit, mortalium incommodis opem ferre possemus, obseruationem inquam, & analogismum, de quibus pauca subiiciemus.

Semper dentium quibus sit affectus, ignoratur.

Cap. XXIX.

Quid obseruatio, quid analogismus, & in quibus illis vtamur.

Obseruatio, siue experientia definitur à Galeno *in libro de Sectis*, memoria eius, quod sæpius, & eodem modo visum est: analogismus vero *in libro de Optima secta* ab eodem dicitur esse comparatio, & perceptio causarum iuuanti-C um per similitudines: eo namque, inquit, vtentes à similibus ad similia transimus, quasi nihil aliud sit apud Medicos analogismus, quam quod vocant philosophi argumentum à simili. Porro obseruatione in omnibus vtuntur empirici: rationales vero Medici in iis duntaxat, quorum natura, & causæ ignorantur: quæ tamen quoniam eodem modo euenire nouerunt, quæ iuuant, obseruatione longa ab illis sunt comprehensa: quomodo vsu, & experientia portulacam dentium stupori mederi omnibus est compertum, & antidota opitulari venenis, nulla docente ratione, sed ipso duntaxat vsu nouimus: qua tamen in re illud animaduertendum est, quid vnicuique prodesse consueuerit. Sic enim D Empirici ipsi, à quibus hæc medendi ratio potissimum excolitur, non solum diuersos morbos, sed corporum temperies, habitum, hominum proprietates, anni tempora, cœli varium statum, sexum, consuetudinem, & denique propriam cuiusque naturam, & ea, quæ illam immutare possunt, spectanda esse iubent, vt in eisdem casibus quantum licet, eadem experiamur auxilia, cum alioqui non respondeat experientia. Non enim si terra Lemnia, vel Armeniaca febre pestilente correptos forte iuuit, aut lactucæ ardentibus febribus profuit, putare propterea debemus, eadem omnibus eo modo febricitantibus profutura, cum eadem remedia in eisdem morbis, vbi eadem patitur natura, non autem vbi plurimum E differunt affecta corpora, prodesse consueuerint.

Obseruatio seu experientia quid. Quid analogismus.

In quibus obseruatione seu experientia vtendum.

Cæterum, si natura affectus, & causa ignoratur, nihilq; sit experientia cognitum, quod conferre possit, analogismo, quod iuuat, percipitur. Nam si quis, vt Galeni exemplo vtar, à serpente Hæmorrhoo vocato demorsus fuerit, inde vero sanguis largius profluat, nos propriam causam, quæ

In quibus analogismo.

quare illud fiat, nescientes, neque experientia instructi, quibus remediis laboranti sit succurrendum, ad auxilia confugimus, quæ ad sanguinis ob incisionem profluuia facere didicimus, similitudine affectus admoniti. Sic profecto, cum hac nostra ætate grassari cœpisset morbus Gallicus, cuius naturam, & vim ob rei nouitatem ignorabamus, nec propria præsidia adhuc comperta essent, tutissimum duximus, ea experiri, quæ morbis ex humorum corruptione obortis, quibus hic simillimus esset, prodesse antea nouimus, quod genus auxilii non alia ratione, quam ex similitudine aliorum affectuum siue analogismo inuenimus.

Morbum gallicum tempore Argentorii incepisse.

Remedia contra morbum gallicum per analogismū primum fuisse inuenta.

Hæc habui, quæ de instrumentis, quibus ad agendum, ac singulos scopos consequendos, vtuntur rationales Medici, studiosis traderē. Quæ diligenter excolenda sunt, & in vsum ducenda, si modo in arte medica excellere velimus, & Galenum imitari, qui in his explicandis non in quæstiunculis, & nugis fingendis non paruam librorum suorum partem consumit. Quantum vero sit à nobis in hac re elaboratum, facile omnes intelligent, qui rei difficultatem ante oculos ponent, & expendent, quam pauca, & ea quam varie de illa antiqui scriptores memoriæ prodiderint, quiq; experti aliquando sunt, quam sit difficile, principia tractandarum rerum inuenire, eaque certo, continenteq; filo ad finem vsq; perducere, ac deniq; omnia ita explicare, vt non solum quædam principia esse cognoscantur, alia vero ab illis ducta videantur, sed etiam omnia inter se veritatis vinculo connectere, vt ea, quæ falso irrepserunt conuulsa, & repudiata, alia vero validissimis, quantum res patitur, rationibus comprobata appareant. Quid vero tanto labore

A in hoc negotio præstiterimus, aliis iudicandum relinquo. Ego certe ex hoc, & vniuerso opere me plurimum consecutum putabo, si nostras cogitationes, nostramque industriam studiosis non omnino displicuisse cognouero: existiméntque illi, nos non contendendi gratia à Galeno, quem amo & veneror, cuiusq; ingenium admiror, sed veritatis inueniendę causa, cui ad illius & antiquorum omnium imitationem perpetuo, quantum in me fuit, studui, dissentire solere. Absurdum enim & fere etiam iniquum semper putaui esse, paucos constituere Græcos homines, qui omnia melius, quam alii omnes nouissent, & ea litteris mandassent, mihiq; iamdudum persuasi, multis non defuisse par cum illis ingenium,

B sed iam multis sæculis omnibus defuisse discendi, docendiq; rationem, nimirum cum temere omnia ab illis inuenta, & optime explicata crediderimus, adeo vt nihil vnquā melius, quam illi aliorum omnium industria inueniri posset. Qua quidem in re falli possum: neque enim is sum, qui mihi plura arrogare velim, quam aliis concedam, sed interim nemo id vitio nobis vertere debet, si antiquorum licentia, quos imitandos esse tantopere contendimus, quod mihi verum persuadeo, quodque aliorum omnium libris excussis in arte nostra adhuc desiderari, aut certe non satis explicatum arbitror, tradere institui, & hoc opere scribere sum aggressus. Quod si id ab illis impetrauero, dabo posthac sedulo o-

C peram, vt tum his, quæ nunc in magnis occupationibus & negotiis edo, expolitis in maiore otio, tum aliis operibus, quæ iamdudum scribere vel sum aggressus, vel auspicari cogito, eorum studiis, quantum mihi licebit, consulam, & meipsum in honesto labore exerceam.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII MEDICI

DE SOMNO ET VIGILIA

LIBER I.

Præfatio.

SOMNI, & vigiliæ naturam, differentias, causas, vimque omnem explicare, quam sit difficile, ex eo satis patere arbitror: quod de hac re magna sit inter summos philosophos, & Medicos dubitatio, atq; dissensio. Nam Galenus, dum quærit, quid somnus, & vigilia sint, fatetur tandem se inuenire non posse, in quo genere rerum hæc reponi debeant. Aristoteles vero quas tradit de somno, & vigilia definitiones, alio loco improbat. Excussis omnium authorum libris, nemo (meo quidem iudicio) vniuersas, somni & vigiliæ differentias certa methodo numerare poterit. Alcmeon putat, somnum fieri eum sanguis in venas refluit, contrahiturq;. Empedocles credit, eum nasci, refrigeratione caloris in sanguine insiti. Eundem statuit Diogenes conciliari à sanguine, propellente ad internas corporis cauitates inditum corporibus aerem. Plato & Stoici docent, ipsum oriri spiritus remissione & laxatione quadam. Causam, quam Arist. tradit de somno, & vigilia, Galenus refellere nititur: nec ipse interim Aristotelicis philosophis satisfacit: Ille in corde, hic vero in cerebro, vtramque affectionem fieri, consistereq; arbitratur. Ex qua quidem re, inter recentiores Philosophos, & Medicos, magnę contentiones, quæ & adhuc vigent, sunt excitatæ: alii alium finem, aliamq; vim his tribuunt. Itaq; quod magnæ difficultatis est indicium, nihil est, quod in hac re nõ sit adhuc maxime dubiũ, & obscurum.

Rei difficultas.

Est porro huius rei cognitio, si qua alia scitu iucunda, & non solum quidẽ Medicis, sed etiam vniuersis bonarũ artium studiosis vtilissima: nam si iucũdum est philosophari, & res in naturæ arcanis latentes, & abstrusas inuenire, quis non magnam capiet voluptatẽ in causis cognoscendis, quibus contingit animalia dormire, vigilare; nunc longos somnos, nunc breues facere; aliquando eos difficillime captare, aliquando vero depellere non posse? Admiramur temporis momento somnum, & vigiliam conciliari, & sibi mutuo succedere, cumq; res diuersæ, vtrumq; affectum, aut eadem nunc vnum, nunc alterum, ac ipse etiam somnus vigiliam, & hęc illum parere valeat. Nocent hæc aliquando, alias vero prosunt. Nam somnus, & vigilia morbos gignunt, intendunt, abigunt, dolores leniunt, & exacuunt: morbosas vero causas potẽtius, quam alia quæcunq; remedia, sæpe rescindunt: quippe cum illorum beneficio concoctiones, nutritiones, expulsiones, denique omnia officia singularum partium fœlicissime exerceantur: nec potest quidem animal esse, aut vitam suam tueri absq; somno, & vigilia. Nulla est corporis, vel animi affectio, quę maiores habeat in corpore nostro vsus; nulla, quę efficaciores prębeat notas ad corporis mala dignoscenda, illorumq; exitum prædicẽdum. Quarum quidem rerum inuestigatio, & cognitio vtilissima est, ac nõ nisi pergrata esse potest his, qui rerum scientia oblectantur: id quod Aristoteles, princeps philosophorum, animaduertit, cum integrum librum, passimque alibi multa de somno & vigilia scripsit: necnon Hippocrates, qui plurimos Aphorismos, vt omittam prædictiones, & ea, quæ continentur in aliis libris, de vtraque affectione memoriæ prodidit. Sed vt dixi, cum omnia, aut certè plurima sint adhuc in his perplexa multisque difficultatibus inuoluta: nemo me damnare debet, si post tot tantosque viros de eadem re scribere aggredior. Id enim facio,

Iucunditas & vtilitas.

facio, non quod me illis, quos omni honore & authoritate dignos censeo, præferre velim, vt quidam male interpretantur, sed quod putem, mihi licere, quod apud maiores nostros omnibus semper fuit non solum concessum, sed etiam laudabile, & gloriosum: in honestis, inquam, studiis versari, omnique industria laborare, vt meliora inueniantur, & vt vno verbo expediam, libere dicere, quod sentio, præsertim in re, quam ex meo officio, multos annos docendo, sæpe, ac diligenter pertractare, aliisque enarrare sum coactus, & alii ex suis controuersiis maxime dubiam reliquerunt. Nec aliquis, mehercule, desperare debet, se multo labore & studio, in eo, quod alii negligentius excoluerunt, meliora inuenire posse. Nam, vt pulchre ait Cicero, *eos nequaquam probare debemus, qui ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tanquam ad saxum, adhærescunt, dicuntque omnia se credere velle ei, quem iudicant fuisse sapientem. Nos enim*, vt idem ait, *contra omnes dicere, qui scire sibi videntur, solemus, & liberiores, solutioresque esse volumus*. Sed ne magis vni, quam alteri assentiri velle videamur, scilicet vel Aristotelē, aliosque philosophos reprehendere; Galeni, aut Medicorum authoritate persuasi; aut eum reliquis omnibus præferre, philosophis plus æquo addicti, illorum sententia de hac re aperienda est, quo facilius nostra quoq; opinio interponi possit. Qua quidem in re, primum docebimus, quid somnum & vigiliam faciat. Nam ex hoc reliqua postea facilius intelligi poterunt.

Cap. I.

A quibus causis, & quo modo fiant Somnus & Vigilia, ex Aristotelis opinione.

ALiorum Philosophorum opinionē de causis, quæ somnum & vigiliam patiunt, refellere, superfluum esse arbitror: propterea quod solo iam multis seculis vigente Aristot. nulla sit amplius illorum authoritas: vel quod etiam ignoratis illorum fundamentis; inanis reddatur omnis disputatio. Quapropter Arist. sententiam inter omnes Philosophos excutiendam esse duco, quam si parum probabilem esse ostendemus, non erit profecto, vt alios, quos ipse sua virtute extinxit, refellere aggrediamur.

Putat igitur Aristot. somnum fieri à vapore, genito vi caloris in alimenti coctione, elatoque postea ad cerebrum, ibiq; couerso in humorem,

A ab ipsius cerebri frigiditate, quod tactu, vt ille ait, frigidum sentitur, eo modo, quo pluuia ex vapore, in aere frigido fieri agnoscitur, qui humor cum grauitatem patiat, deorsum pellitur, & descendens per venas, calorem repellit versus cor, illudq; refrigerat: vnde per antiperistasim vocatam, somnus, inquit, oboritur. Hunc humorem calidum esse oportere scribit: quandoquidem is, qui frigidus est, somnum procreare nequit, vt ostendunt soporosi affectus, quos ex calida materia simul & humida consistere, ait: & pueri qui eo, quod calido humore abūdant, plurimum dormiunt: Vnde somnum refrigerationem, causas vero illius calidas esse statuit. Atque hæc quidem partim *in libro de Somno & vigilia*,

Cur pueri secundum Aristotelem, plurimum dormiant.

B partim *secundo de partibus animalium*, & *in Problematibus*, tradit.

Qua quidem in re, illud primum probare nō possum, quod vnicam causam somni ponat. Parit enim, eo etiam authore, vigilia somnum: quandoquidem animalia vigilando, & exercendo sua munia, tandem cogantur quiescere, & dormire, diciturque ab illo, somnus impotentia esse, facta propter excessum vigilandi. Atqui vigilia cibus non est, nec alimenti, aut vaporis ab eo geniti ratione, somni potest esse causa. Idem facit exercitatio: Nam à labore altus suauissimusque somnus animalia occupat: idque non ob vapores à cibo eleuatos, nec ob humorem: vtpote vniuerso corpore violentius ali-

Aristoteles refutatur.

Somni causas non esse vnam tantum, sed multas.

C quando exercitato, contingere potest. Sic quæ sunt frigida solum, aut siccitate coniuncta, veluti mandragoræ cortex, in corpus assumpta, somnum conciliant; non eo profecto, quod vapores gignant, quos potius absumunt siccitate; aut genitos capiti subministrent, nimirum repugnante frigiditate, quæ densato, refrigeratoque humore, attolli prohibet; si modo, vt ille ait, vaporum generatio, & ascensus fit excalefacto humore. Nec minus, quæ extrinsecus adhibentur refrigerantia remedia, & ipsa hyems frigida, somnos excitant, & eos quidem longos, sicut Hippocrates quoque *in Aphorismis* memoriæ prodidit: quod certe non fit, quia mittantur vapores à cibo: nam illa eos repellunt

Sect. 1. aph. 25.

D à cerebro, si qui forte eo ascenderunt. Præterea, qui non nisi sicciore cibo vescuntur, à quo vaporum copia prouenire nequit, neque ex illis humor halituosus procreari aptus ad somni generationem (siquidem ex sicco vapore & humore vigilias fieri, ostendunt morbi biliosi) somno quoque corripiuntur. Quinetiam eos, qui vehementius dolore sunt vexati, sese remittente dolore, suauis altusque somnus inuadit; quod nemo ex cibo recte dicet fieri. Affert somnum etiam gaudium; quo pacto scribit Plutarchus, L. Syllam tantam voluptatem, & lætitiam sensisse, sedatis seditionibus, repurgataque ab intestinis bellis Italia, vt in profundum dulcemque somnum inciderit. Conciliant somnum can-

E tus suaues, iucundi, numerosique soni: num, quæso, ob vapores ab alimento ascendentes ad cerebrum? cum hæc extrinsecus aures afficiant, nequaquam commotis locis, vbi cibi continentur, coquunturque. Nonne etiam tenebræ, & nox mouent somnum? quippe cum lucem fugiant animalia, quando dormire volunt: sed qua ratione, quæso, illa id faciunt? An, quod

Nnnn 4

alimentum suppeditent corpori? vel cerebro vapores, quos lux ad externas partes allicit, pellunt vero vt internos caloris fontes tenebræ? Somnum blandæ frictiones, pedum lotiones, titillationes, contrectationes, quæ quidem humores, vaporesq; à cerebro deorsum reuellunt, vt omnes sciunt, pariũt. Idem facit lectio, & cogitatio, vt ille quoq; testatur *in quodam problemate.* Obrepit somnus etiam ex nauigatione, gestatione, & alia quacunq; agitatione, præsertim in qua vario & inordinato motu, aut solo circulari, corpora mouentur. Sic enim pueros sopimus in cunis, vacillatione, agitationeq;; & saltationes, quæ circulariter obeũtur, magnam habere vim ad somnum conciliandum, omnes agnoscunt. Dormimus sæpe etiam cum volumus, ita iubente voluntate, vbi magna somni necessitas nequaquam vrget: ac vbi ea adest, si placet, diu somnum arcemus. Inducit somnũ aquarum decurrẽtium per saxa, vel ex alto cadentiũ strepitus. Addo quod si somnum fieri vult ex vapore, qui attollitur, dum cibus conficitur in ventriculo, & vicinis ei partib. absoluta concoctione, atq; ita cessante vaporis generatione, nequiret vtiq; somnus fieri. Postremo cum naturales somni ab his, qui præter naturam sunt, differant, quod hi in excessu quodam, illi vero in mediocritate sint positi, & propterea easdem causas habeant, solum excessu, & mediocritate discrepantes; oportet profecto somni naturalis non vnicam esse causam, nimirum cum plures sint, quæ somnũ præter naturam afferunt. Nam illum ex cerebri vulnerib. contusionibus, obstructionibus nec nõ ex accessionibus morborum, aliisq; multis rebus fieri, nouerunt Medici; tanquam vnica non sit illa causa ex vapore, vel naturalis, vel morbosi somni. Vidit quidem Arist. argumẽtum de labore vrgere, conaturq; illud efficere, cum scribit, eos, qui defatigati sunt, colliquari, colliquamentum autem vicem habere crudi alimenti, nisi frigidum sit. Verum non omnis labor colliquationem facere in omnibus est aptus; sed ille duntaxat, qui vehemens est, atq; diuturnus, in humidioribus corporibus: qui enim leuior est, hanc vim nõ habet: & sicca corpora labore exsiccantur, digerũturq;: nequaquam vero colliquamentum, quod alicuius sit momenti, ex motu pariunt. Præterea colliquatio creditur esse grauis affectus, vtpote quę solum ardentissimis, malignisq; febribus tribuatur: adeo vt accidere nequeat sanis corporibus ex motu, & lassitudine: aut si ex motu colliquatio fit, ex qua somnus inuitatur, cur in febribus colliquantibus maxime non fiunt somni? Quo illud quoq, dici potest, colliquamentum habere vim crudi alimenti? Nam si vi, & diuturnitate motus, & caloris gignitur, deciditq; à membris, calidum esse oportet: qualia videmus esse illa, quæ natant in vrinis eorum, qui colliquantibus febribus vexantur: sunt enim illa ex pingui, oleosa, & calida substantia, & ob id non cruda, sed cocta necessario erunt. Quod si colliquamẽtum appellat pituitam, quæ ex labore commouetur à venis (vnde sternutationes, expuitiones, destillationes, & nonnullis apoplexiæ, ex labore contingunt) aliquid forte dicet, docebitq; semicrudum alimentum resultare nonnullis ex motu; verum illud calidum non erit, cuiusmodi oportere esse scribit humorem, qui somnum facit:

A Deinde communem non poterit omnibus causam constituere; Non enim solum pituitosi, sed etiam biliosi, melancholici, & alii aliter quomodocunq; affecti, post laborem somnos captant. Sed quo pacto colliquamentum erit materia pituitosa? cum ille *lib. 1. de Gen. anim. cap. 18.* colliquamentum definiat, quod ex incremẽto secernitur, per resolutionem præter naturam. Ex hoc enim patet, non fieri somnum per exercitationẽ; quandoquidem in bene valentibus, quorum est exercitatio, quod præter naturam est, nõ fit. Verum etiamsi illi concedamus, quod vult, ex labore fieri colliquamentum semicrudum, & illud quidem calidum, non tamen propterea ostendere poterit, ex eo somnum gigni: siquidem antea definiuit, somnum nõ esse omne impeditmẽtum & vinculum sensuum, sed illud duntaxat, quod euaporatio cibi committit: cibum autem intelligit, nõ quidem humorem, qui in corpore continetur ad continuam nutritionem, nempe sanguinem in venis contentum (sic enim fieret ex alimento continuo, perpetua euaporatio) sed qui recenter (vt ille ait) est ingestus, soletq; quotidie assumi, & in sua loca recipi, euaporareq; in venas, ibique mutari, ac mutatus principium adire. Ex quibus verbis satis ostendit, de quo cibo, & alimento agat. Quod si quis tergiuersari in hac re velit (vt non dubito, multos fore ex his, qui ita nati, & facti sunt, vt nunquam fateri velint, quod ei repugnat, cui se manciparunt) certe in aliis causis nihil habebit ille, quod dicere possit, aut certe in quo quiescat animus. Mirum enim si quis inueniatur, qui sibi persuadere possit, somnum fieri à vigilia, tenebris, silentio, strepitu aquarum, cantu, frictionibus, extrinsecus refrigerantibus, dolore, gaudio, voluntate nostra ob alimentũ, aut ex eo natam euaporationem. Vrget & illud Arist. opin. quod si somnum ratione materię fieri dicamus, vt pluuia fit, cum vapores sursum attolluntur, concrescunq;; nunquam somnum arcere poterimus; id enim illis contingit, quæ causam capiunt ex materia. Quod si ita se habet, cur media ipsa exercitatione, quando calor vniuersum corpus occupat, magnaq; fit colliquatio, euaporatio, descensusq, humoris à capite, nobis etiam nolentibus non fiet somnus? vt enim pluuiam nasci oportet, vbi materia adest, in ea aeris regione, vbi ea gignitur: sic necessarium est sequi somnum ex Arist. opinione, quãdo cerebro materia suppeditatur, ex cuius mutatione, & descensu, ille somnũ excitari opinatur. Atque hæc omnia satis, vt arbitror, ostendunt, vnicam non esse, quam ponit Aristot. somni autorem, effectricemque causam. Ac nec illa quidem, quam statuit, alicuius somni causa esse potest. Nam si vaporem, qui petit caput, somnum ille efficere putaret, ostenderet profecto causam eius somni, qui ex obstructione meatuum cerebri nascitur: At cum velit, vaporem ipsum primo in humorem conuerti, facit profecto ex hoc modo generationis, vt nullum somnum efficere vapor ille sit aptus. Falsum etenim, idque ex suis principiis, esse arbitror, vapores huiusmodi in humorem à cerebro mutari, eo modo, quo pluuia in media aeris regione, ex vapore paritur, fierique agnoscitur. Nam aeris illa regio frigida actu est, cerebrum vero perperam ab eo asseritur actu frigidum esse, ita vt tactu frigidum sentia-

Somnum nõ fieri ex vaporibus ad caput elatis, nec ex humoribus descendentibus ad eas.

Cerebrum non esse actu frigidum.

sentiatur. Nam, vt Gal. contra illum hac de re disputando scribit, vulnerato capite, denudatoque cerebro, cogimur in aere æstiuo ignem accendere, tanquam nequeat cerebri calor conseruari in feruentissimo aere, quem externæ partes eo tẽpore tolerare nequeunt. Quod si tetigisset aliquando viuentis hominis cerebrum, inuenisset profecto, illud non esse actu frigidum; quandoquidem in recentium cadauerum dissectione, adhuc calidam esse, deprehendere licet, sed (vt ipse dicere solet) qui in particularibus nõ sunt versati, nequeunt vniuersalia præcepta consentanea rebus tradere. Quia enim nunquam forte tetigerat cerebrum animalis viuentis, ideo secutus eam rationem, quam sibi proposuerat, cerebrum, inquam, esse factum ad cordis refrigeriũ, illud quoque actu frigidum statuit. Est quidem cerebrum frigida pars, quod temperata parte frigidius sit, (sic enim quædam partes calidæ, aliæ frigidæ sunt, & dicuntur) non quod actu sit frigidum: cum nulla pars corporis interna talis vnquam esse possit: nec quod in eo frigus exuperet: quippe cum proprio, & affluente calore gubernetur, viuatq;: viuentia autem omnia, eo autore, calida sunt, quod plus caloris habeant, quam frigoris. Itaq; si in cerebro calor exuperat, & ipsum actu calet, qui fieri potest, vt vaporem denset sua frigiditate, atque in humorem conuertat, eo modo, quo pluuiam gigni refert? Nec est, quod putemus, ex vapore gigni humorem, quia receptum sit à vulgaribus Medicis, pituitam ex vaporibus in capite procreari: non enim ex illis, sed ex nutrimento, quod vincere cerebrũ nequit, in his, quibus hoc est male affectum, ea relinquitur. Cum enim sanguis, qui vniuersas partes alit, quattuor humorum sit particeps, accidit, vt quæ calidiores sunt partes, facile vincant omnes humores: aliæ vero id, quod frigidius, humidiusque est, prorsus conficere nequeant, sed illius portio post nutritionem relinquitur, quæ postea tanquam superflua excernitur: vnde videmus, eos, qui frigidiore, imbecillioreq; cerebro sunt, plurimum pituitæ expuere, emungereque; quibus tamen maior, quam aliis vaporum copia, ad caput non attollitur, tanquam ex ipso nutrimento, vt Galenus quoq; testatur, pituita huiusmodi perueniat. Quod si videmus ex motu, febre, & cæteris rebus, quæ suo calore vaporem cerebro [illegible], humores descendere per nares, os, [illegible] vias, per quas cerebrum expurgatur, non tamen propterea existimandum est, humorem illum genitum esse ex vapore; sed qui erat pituitosus, & concretus in cerebro, à calido vapore [illegible], commouetur[illegible]. Ad hæc si similia [illegible] gignuntur, & pluuia ex vapore calido confecta, frigida & humida est, propterea quod facta est ab aere frigido; quo pacto dicere potuit Aristot. ex vapore procreari humorem frigiditate cerebri calidum, & ob id colliquamentum, quod ex vapore patitur, non frigidum, sed calidum, aptum esse ad somnum conciliandum, illud q; habere vicem crudi alimenti, & esse somni [illegible] refrigerationem, illius vero causas calidas? Nam (vt diximus) sicut necesse est, humorem, qui ex vapore gignitur in cerebro, frigidum esse; sic profecto colliquamentum, quod frigidum est, potius habebit vim crudi alimenti, quam quod est calidum: quippe cum

Quomodo sit frigidum. Nullam corporis partem internam esse actu frigidam.

Quomodo sit frigidum. Nullam corporis partem internam esse actu frigidam.

Ex vapore non gigni humorem.

A concoctio à calido mediocri fiat, in eo, quod est crudum, & frigidum. Sed quo pacto dicere possumus, somnum esse frigiditatem? qualis enim frigiditas in eo inueniri potest? dicimus ne somnum esse frigidum? Cæterum in hoc deceptus mihi videtur, quod crederet soporosos affectus consistere ex calida & humida materia. Nam vt quidam tales forte esse possint, quoniam huiusmodi materia grauare, replereq; cerebrum, apta quoq; est, tamẽ maxima ex parte à frigido & humido humore sopores nascuntur, quod apoplexia, coma, carus, atq; adeo ipse quoq; lethargus, quo ipse vtitur ad suam opinionem confirmandam, apertissime ostendunt, ex remediis, quibus iuuantur, calidis vsq; adeo, vt vrant. Nam ignitas

B galeas, & ex calore feruentes, veterno [illegible] laborantibus capiti admouemus; quod longa experientia didicerint Medici alia præsidia, quæ mitius calefaciunt, nequaquam sufficere ad frigidissimum humorem discutiẽdum. Docent idem anni tempora: etenim hyems frigida [illegible] somnos parit, quam ver calidum & humidum, æstas calida & sicca, breuissimos: Autumnus longiores. Id quoq; testantur ea, quæ capiti admouentur ægrotis ad somnum conciliandũ: quanto enim frigidiora illa fuerint, tanto efficaciora euadunt: Quæ quidem satis probant, frigiditatem, frigidumq; humorem, vim habere somnũ inducendi, nequaquam vero calidum, nisi sibi humidam qualitatem adiungat, qua grauet & re-

C pleat: quod ardentes febres, & omnes alii morbi biliosi ostendunt; fit enim in illis vigilia, quæ ægrotantes nonnunquam perimit, eo quod somnus nulla arte cõciliari possit. Illud vero, quod dicit, pueros multum dormire, causam non habet propinquam humorem calidum & humidum, sed vaporem copiosum, qui ex plurimo humore, quo illi abundãt, ad caput ascendit. Quod si calidus & humidus humor somnum facit, non tamen ratione caloris, sed humoris, illius est causa; adeo vt humor solus, vel cum frigore, aut calore, somni sit autor. At si illi dabimus, calidũ & humidum humorem ob vtramque qualitatem, somnum excitare, non tamen propterea sequitur, perpetuo talem, & nequaquam frigidum, &

D humidum esse posse, qui somnum faciat. Sed in quo, quæso, genere humoris illum ponemus, quem volumus calidum esse & humidum ex vaporeq; genitum? Cum enim nullus talis sit humor, præterquam sanguis in corpore animantium, necessarium erit fateri, ex vapore sanguinem, & ab hoc somnum gigni, quod quidem absurdum omnibus videri arbitror: Nam ex vapore si quispiam fit humor, aquosus necessario est: At qui aquosus est in corpore humor, aut in alia quacunque re, non calidus, sed frigidus est, quod ipse etiam Aristoteles testatur, cum ait *in libro de Somno, & vigilia*, pituitam & saniem ex vapore gigni: pituita autem, omnium, quæ sunt in corpore, eo etiam authore, est frigidissi-

E ma, & humidissima. Quo fit, vt hæc inter se euidenter pugnent, somnum, inquam, fieri à calido humore, & hunc ex vapore gigni, pituitam [illegible] esse. Cæterum illius opinionem id euidenter refellit, quod eo concesso, quod falsum esse ostendimus, calidum & humidum esse humorem, qui somnum affert, non tamen possit ille docere somnum fieri ex descensu illius, vel alterius cuius-

Sect. 1. aph. 15.

Pueri cur multum dormiant, secundum autorem.

cunq; humoris. Primum enim grauitas capitis, quæ vrget inclinatos ad somnum, ostendit, materiam ipso capite contineri, & nequaquam descendisse in subiectas partes: Deinde viam docere non potest, per quam humor ille decurrens, calorem ad cor repellat: Vult enim eum per venas descendere, quod sane necessarium non est, magisq; descẽdit per alias partes: Nam cum gula, palatum, nares, cerebro subiiciantur, ad illius humores, & excrementa recipienda, à natura constituta, ratio vtique conuincit, quod experientia pariter testatur, vt vniuersus humor, aut certe maxima illius pars, per vias illas patentes, & è directo subiectas cerebro, quo ipse humor suo pōdere sponte labitur, ferri debeat. Itaq; si ad ventriculum relabuntur humores, vnde prius vapores ascenderunt ex concoctione cibi, nequaquam impeditur caloris motus, nimirum cum calor non à ventriculo, sed à corde proficiscatur in vniuersum corpus per arterias & venas: Quod si pars quædam humoris dicatur per venas descendere, non tamen ob id fiet, vt calor ad cor repellatur potius, quam ad aliam partem: quoniam venæ, quæ cum capite coniunguntur, in scapulas, & thoracem, nō autem in ipsum cor, nisi per multos anfractus, & intercedentes plurimas diuisiones, terminantur. Quod si ita est, cur continuo in illis partibus tremores præter naturam, instante somno, aut iam dormientibus, venis ruptis, aut apertis eorum orificiis, sparsoq; humore per musculos, partiumq; subiectarum substantiam, haud excitantur? Hæc enim contingunt ex humorum cōfluxu, vbi via non patet, per quam illi extra ferantur, præsertim quod deorsum pelli humorem dicat, tanquam grauantem ipsum cerebrum. Vbi enim pellente natura humores mouentur, modus ita teneri non potest, vt tantum solum influat, quantum ipsa vasa continere sunt apta: sed quidquid molestat, extrudi oportet, & tunc vasa aperiri, repletique vicinas partes, atque ex ea fluxione tumores præter naturam excitari. Quod si velit recta ad cor ferri humorem hunc, anatome repugnāte, quid prohibet, quo minus aliquando tanta ruat humorum copia, vt cordis calorem penitus extinguat? Ac profecto non aliquando, sed semper oporteret, cum somnus fit, calorem in corde summergi, alioquin manente illius parte valida, sensus omnino ociari necessarium non est: siquidem ad portionem caloris natiui, actiones partium, quibus ille adest, exercentur. Nonne etiam vrget hanc opinionem Galeni ratio, quæ habetur *libro de Caussis symptomatum?* Nam si somnus fit ex humore descendente ad cor, cur pulmo humidissima pars, multisque vasis humore plenis abundans, & cor vniuersum amplectens, somnum, eumque perpetuum, non parit? aut cur opus est à cerebro humorem ducere, præsertim si eum calidum esse oportet? quippe cum pulmo huiusmodi materiam per communes venas & arterias cordi abūde suppeditare valeat. Quomodo dicere illud etiam potest, concoctionem cibi perfici, si calor humoris copia potius opprimitur, quam roboretur, cordisque calor refrigeratur? sequitur enim refrigerationem cruditas, concoctio vero calorem. At cum repelli calorem ad cor sciebat, quo pacto cibi per somnum probe conficiuntur? oportet enim ad ven-

A triculum contractionem caloris fieri, si concoctio, quæ in eo obitur, probe fieri debet. Sed demus hæc omnia Aristoteli, nempe ex vapore omnem somnum fieri, vaporemque conuerti à cerebri frigiditate in humorem, qualemcunque velit, & postea illum per venas descendere, caloremque ascendentem ad cor repellere; non tamen propterea ostendere poterit, somnum excitari. Cum enim ponat, eum fieri in corde, augeatur autem in eo per somnum natiuus calor, actiones cordis optime exerceri tunc est necesse. Vt enim concoctiones in ventriculo per hyemem, contracto calore, fœlicissime peraguntur; sic eodem contracto in corde, quod quidem sensuum fontem, & locum, in
B quo fit somnus & vigilia, statuit esse Aristot. non cessabunt sensus, sed fœlicius agent, & quicquid in corde fit, ob calidi natiui abundantiam melius exercebitur: hoc autem est vigilare in sensibus; vigilabit ergo animal, quo tempore illud dormire putabimus. At nec illud quidem credere oportet, calorem per somnum in corde refrigerari, vt ille tradit. Nam respiratio & pulsus, dormientibus augentur, & concoctio in partibus internis melior fit, quod aucti, & nequaquam diminuti caloris est indicium. Adde quod si per antiperistasim (vt ille arbitratur) calor contrahitur; necesse prorsus est, eum non refrigerari, sed validiorem, & abundantiorem reddi. Hac enim ratione scripsit Hippocrates
C *in Aphorism. ventres hyeme calidissimos esse*, quod scilicet corporis calor, propulsus ab externa frigiditate in viscera interna, colligatur, augeaturque. Quæ omnia satis probant, calorem & calidum innatum circa cor nequaquam refrigerari, sed augeri. Quod si somnus est refrigeratio, vel fit ob refrigerationem cordis, erit vtique vigilia calefactio, vel ob calefactionem cordis orietur: At modus doceri non potest, quo cor calefiat per vigiliam; quandoquidem ab eo recedit calor, qui per sōmnum erat in eodem collectus. Postremo repugnat ratio generationis, & natura somni Aristotelis opinioni: nam cum ille minimo temporis spatio accedat, & recedat, oportet vtique eiusmodi illius esse causam, quæ
D temporis momento tolli, & poni possit: Quomodo enim gigni, statimque descendere, venasque obstruere, & tunc somnum facere, vel protinus ascendere, dissoluiq; humor aliquis potest? ac ab eo liberari venæ, vt vigilia fiat? præsertim si humor faciens somnum, pituitosus est, & tantus, vt omnem calorem, clausis vniuersis vasis, quæ inibi sunt, à cerebro ad cor repellere, & in corde ipso concludere valeat. Præterea, quo modo ingesto cibo, & facta eiusmodi euaporatione, vrgēte aliquo negocio, somnos arcemus, & in ocio fere cum volumus, in nulla, aut certe minima euaporatione, cum nobis conciliamus, leuioremq; vno tempore, alio profundiorem, aliquando breuiorem, aliquando longiorem facimus?
E Nam si ea euaporatio, & materia, quæ ex cibo nascitur, sola est somni causa, & eum parit descendendo, & occupando venas, nihil poterit in hac re voluntas nostra conferre, nō, inquam, somnum aduocare, depellere, modumque illi constituere.

Calorem per somnum in corde non refrigerari.

Sect. 1. aph. 15.

Hæc videntur mihi sufficere ad refellendam Aristotelis opinionem, quod nec sola, nec ea sit, quam

quam ponit, somni causa. Nec est, quod putet aliquis, eum causam docuisse naturalis somni, eas vero causas, quas nos adduximus, alium efficere: quandoquidem non minus naturale est animali vigilare, exerceri, cogitare, gaudere, in aere viuere, quam edere, & bibere: adeo vt si somnus secundum naturam creditur esse, qui ex alimenti euaporatione nascitur, pariter arbitrandum sit, huiusmodi illum esse, quem prædictæ causæ pariunt: quod de vigilia ipsa testatur Arist. cum scribit *in libro de somno, & vigilia*: somnum esse impotentiam, quam vigiliæ excessus committit, vigiliæ autem excessum aliquando ab ægritudine, aliquando citra ægritudinem accidere, atque ita fieri, vt quemadmodum exsolutio duplex est, ita & impotentia duplex sit. Ex quibus quidem verbis constat, duplicem esse somnum, & duplicem vigiliam, *naturalem, & morbosam*, somnosque secundum naturam esse, quos naturalis vigilia parit. Sed de hac re postea diligentius agemus, cum naturalis somni causas inuestigabimus. Quod si concesserimus, eum solum docuisse causas naturalis somni, nonne in alium incidet errorem multo grauiorem? nempe quod de somno non tractauerit, vt philosophum decet. Nam cum philosophi sit, de somno generatim agere, eiusdem quoque erit, communes causas generatim docere, ex quibus postea elici possint, quæ propriæ sunt singulorum somnorum, qui à Medico, aut alio artifice considerantur. Ac vt aliquid liberius dicam, non solum causas communes somni, sed etiam naturalis, & eius, qui præter naturam est, proprias docere debet: alioqui cur corruptionis, & mortis naturalis, & præter naturam tradit? si satis est docere, quod generi conuenit.

Somnum & vigiliam esse duplicem.
Somnus naturalis quis.

Cap. II.

Quid somnum faciat, & quo modo ex Galeno.

Galenus Aristotelem reprehendit in causis efficientibus somnum: sed nec ille quidem mihi plane satisfaciat: nam nec Aristotelis mentem assecutus, aut certe eam non recte expressisse videtur: nec suam opinionem euidentiore aliqua ratione firmat, aut methodo explicat. Etenim *in libro de Causis symptomatum* scribit, Aristotelem asserere, somnum non quidem contractione caloris, sed grauatione capitis fieri, censetque eiusmodi somnum, qui à vaporibus fit, nequaquam esse naturalem, & eum solum Aristotelem nouisse: eum vero, qui naturalis sit, contractione caloris ad internas partes excitari. Verum Arist. vt satis patet *in libro de Somno & vigilia, & secundo de Partibus animalium*, non putat, grauitatem capitis per se somnum efficere, sed quatenus ob grauitatem, natam ab humore genito ex vapore, natura mouetur ad humorem grauantem expellendum, qui cum pellitur & descendit, facit, inquit, vt calor repellatur, contrahaturque ad cor. Itaq; si contractione caloris naturalē somnum fieri Galenus proponit, eum nequaquam pretermisit Aristoteles: Quod si caloris contractione ab alia causa facta ex Galeni opinione naturalis somnus excitatur, illud tamen negare non possumus, eum quoque

A naturalem esse, quem vapores ad caput ascendentes, bene valentibus animalibus pariunt, quando non aliter (vt postea ostendemus) a cibo obrepit somnus, quam quod vapores ab internis partibus attollãtur, qui caput replent. Ac quemadmodum Aristot. merito reprehenditur, quod vnicam somni causam ponat ex euaporatione; sic nec ipse Galenus (meo quidem iudicio) culpa vacat, cum ex sola contractione caloris, nata ob eiusdem dissolutionem, naturalem somnum committi putat, si modo iustum est credere (vt postea etiam docebimus) naturales omnes eos esse somnos, qui vtiles sunt dormientibus, & à naturalibus moderatisque causis nascuntur. Sed quo pacto, quæso, agnosceremus Aristotelem B errasse? cum Galenus non afferat aliquam rationem, quæ illum refellat, nec ostendat naturalem somnum contractione caloris fieri, eos vero, qui præter naturam sunt, alia ratione: erant enim hæc explicanda ab eo, qui alterius opinionem damnare & nouam inducere studet. Quinetiam illud prætermittendum non erat, quidnam sit contractionis istius causa, & ratio, quis modus: his enim ignoratis, nemo dicere potest, se somni causas tenere: Addo quod certa methodo (vt dixi) causas haud quaquam enumerat, quæ somnos ipsos, vel sopores committunt: veluti cum lactucam, vinum moderate dilutum, balneum aquæ potabilis, frictiones extremorum, capitis irrigationes, vigiliam, laborē, & C ex ætatibus pueritiam, ex anni vero temporibus hyemem, & ver, cæteraque huiusmodi, somnos naturales, & vtiles efficere, refert: eos vero, qui præter naturam sunt, à refrigerantibus, humectantibus, siccantibus, pituita, dolore, contusione cerebri, & reliquis eiusmodi causis propemodum infinitis, nulla ratione cōstantibus, nec à certis capitibus ductis, nasci commemorat. Nam vt omnes somni vnam habent naturam (ligati siquidem sunt omnes sensus in omni somno, etsi vehementius id in soporosis affectibus, quam in naturalibus somnis fit) ita vnam communem, & immediatam omnibus causam esse oportet, quæ vniuersos somnos pariat; quā si quis contemnat, frustra innumeram rerū multitudinem, quæ somnos efficiunt, ad certa capi- D ta, vt docendi methodus postulat, redigere conabitur: De qua quidem tempestiuum est, vt nos agamus, consulta ipsa rei natura postquam ex antiquis scriptoribus nobis desunt in hac re adiumenta.

Somnum naturalē ... fieri ex sola contractione caloris.
Somnus naturalis quis.
Somnos omnes vnam habere naturam, & vnā itidem causam communem, & immediatam.

Cap. III.

De somni causis Effectricibus, quæ veræ putantur.

Qvoniam per somnum animal sensuum omnium functione priuatur, est vtique necessarium, vel omnes, vel aliquas deesse causas E ex illis, quarū beneficio singula sensoria sua exercent officia, vigiliamque fieri contingit: est enim somnus *vigiliæ priuatio*, quare ex priuatione causarum, quæ vigiliam pariunt, inueniendum est, quid somni sit causa. Porro si *vigilare est sentire, & dormire est non sentire*; aut si mauis, ad vigiliam sequitur sensus; ad somnum insensibilitas, aut econtra (de qua re postea disputabimus)

Quid somnus. Quid vigilia.

causæ erunt vigiliæ, quæ faciunt, vt animal sentiat: At vero vt sentiat, necesse est sentiendi vim, & eam, quæ sensationes apprehendit; siue vna, siue vniuersæ sint facultates, recte habere: & quoniam sensus omnis exercetur in aliquo sensorio, vt visus in oculo, auditus in aure, oportet pariter sensoria bene esse affecta ad sentiendum. Ac quia facultas sensifica ab vno fonte in alias partes emanat, oportet vtique esse instrumenta quædam, per quę vis illa deducatur, & spargatur. Cæterum quia facultas eget communi instrumento corporeo, opus est corporis cauitates & loca, per quæ illud mouetur, non occlusa, sed expedita esse: desiderantur quoq; propria obiecta singulorum sensuum, & in aliquibus idonea interualla, vt sensus fiat. Porro facultas ad sensationem est idonea, quæ corrupta non est, nec occupata in alio opere, nec vehemẽter debilitata: sensoria vero vt inseruire possint, structuram secũdum naturam desiderant. Instrumenta autem duplicia requirit facultas, neruos scil. per quos ea influit, & exercet suam vim; & calidum influens, cuius motu, & præsentia, omnes animæ, & corporis functiones obeuntur. Ac quod necessaria sint hæc omnia, vt sensationes fiant, promptum est ostendere. Nam qui in certamine vulnerantur, non sentiunt plagas illatas, *quod mens, vel communis sentiendi vis vniuersa occupata sit in repugnando, lædendo*, ita vt simul non valeat apprehendere, quæ patitur corpus. Delirantes dolorem, & voluptatem, quæ fiunt in sensoriis, haudquaquam percipiunt: *quod eadem facultas corrupta sit, aut certe perinde afficiatur, vt nequeat suum munus obire.* In his vero, qui morti iam sunt propinqui, desinunt sensationes fieri, sæpe quod *sentiendi facultas ex morbo sit resoluta, & propemodum extincta:* sic in febribus pestilentibus, quia forma partium corrupta est, vnde facultates collabuntur, pulsus arteriarum, & aliæ actiones insignem noxam sentiunt. Si vero sensoria laborent, ad portionem læsionis, non fit, aut perperam fit sensus, vt videmus multos surdos, & cæcos esse propter oculorum, & aurium morbos. Quod vero paralytici non sentiant, aperte agnoscunt Medici id fieri, propterea *quod facultas nequit ob affectum neruorum peruenire ad sensoria.* Atqui apoplectici omni sensu, & motu priuantur, *quia cerebri ventriculi, & cauitates occlusæ sunt, ita vt per illas facultati, & calido natiuo, via non pateat ad neruos.* Porro in vehementi timore homo non videt, non audit, non mouetur; *quoniam in huiusmodi passionibus innatum calidum ad suam originem, nempe cor, contrahitur*, quo fit, vt sentiendi facultati adesse non possit, quod quidem argumentum est, illam absque huius præsentia non posse exerceri: vbi non adsunt colores, non videmus, nec audimus, si non sit sonus, quoniam desunt obiecta visus, & auditus: oculus nequit videre quæ tangit, aut quæ maxime distant, quia interualla male sunt comparata.

Quid facultas sensifica ad sua obeunda munera requirat.

Duplex facultatis instrumentum.

Paralytici cur non sentiant.

Apoplectici cur sensu & motu priuentur.

Hæc si vera sunt, vt agnoscuntur esse, & alibi à nobis sunt demonstrata, id est, si sensationes fiunt, vbi vniuersæ hæ causæ adsunt, sequitur, tum somnum fieri oportere, quando vel omnes, vel quædam ex illis desunt. At sensoria ipsa per somnum soporososque affectus nihil patiuntur: qualis enim, quæso, affectio est in oculis, auri-

A bus, naribus, lingua, vel alia denique corporis parte, sensu aliquo prædita, quæ dormiente animali somni causa dici possit? An intemperies, vel obstructio, vel alterius generis morbus, vel morbosa causa? quæ vt vniuersa sensoria simul afficere nequeunt, ita cito accedere, & abire non sunt apta: quo modo videmus, prompte animal excitari, & rursus dormire; quod indicio est, nihil eiusmodi constituisse in ipsis sensoriis, quod causa esset, quo minus illa sentirent.

Sensoria per somnum nihil pati.

Nec illud quidem existimare oportet, somnũ fieri, quod nerui sint impediti, adeo vt nequeant recipere sensificam facultatem, à suo fonte emanantem. Nam vt in hoc etiam casu necesse

B esset vniuersos neruos affici, nimirum cum somnus sit omnium sensuum vinculum; sic profecto, & motum pariter impediri oporteret: quippe cum vtramque facultatem, sentiendi inquam, & mouendi, recipiant in se nerui, eamque in alia membra spargant: Adde quod nullus etiam morbus, nullaque passio apta est in neruis fieri, quæ celeritate contendere valeat cum generatione somni, & vigiliæ. Ac multo quidem minus arbitrandum est, somnum fieri, quod ipsa facultas laboret, aut impedita sit in alio negocio obeundo: nam valente prorsus animali, vt nulla suspicio sit de alicuius læsione, somnus obrepit, ac cum nihil prorsus agimus, tunc maxime ad somnum inuitamur. Docent & id so-

C porosi affectus, qui illæso fonte ipsius sensus sæpe fiunt: veluti contingit nonnunquam in initio accessionis febrium, si cerebrum sensuum fontem constituamus: In hoc enim casu cerebrum nihil peculiare patitur: aut capitis vulnera, vbi cor nequaquam afficitur: si illud ex Aristotelis opinione eorum est origo: aut si aliquando ex hac ratione, vel quod cauitates necessariæ ad sensum sint impeditæ, fit somnus: non tamen primo, & per se, hæ causæ illius sunt, sed quod aliud faciant. Hanc autem nos causam quærimus primum, quæ communis, & immediata est. Nec existimare quidem oportet, somnum fieri, quod desint obiecta, quibus sensus commoueantur: Nam sæpe cogimur dormire,

D vbi musica aures exercet, & varii colores oculos afficiunt. Quamobrem *in ipsum cõmune instrumentum, quo facultas vtitur ad vniuersas animi corporisq; functiones obeundas, nempe calidum innatum*, totam huius rei causam reiicere oportet: quod puto me difficile ostendere posse his, qui ignorant, quid innatum sit calidum, qualisque illius natura, & vis: propterea nonnulla de hac re subiiciam: quæ non solum huic tractationi erunt necessaria, sed etiam (vt arbitror) vniuersis philosophis, & Medicinæ studiosis iucunda, & vtilia.

Somnum non fieri propter neruos impeditos.

Nec quod facultas laboret aut impedita sit.

Nec quia desunt obiecta.

Cap. IV.

E *Quid calidum innatum, & quot modis ex Galeno sumatur.*

QVantum referat, natiui calidi naturã vimque omnem tenere, satis ostendunt philosophi, & multo magis Medici, qui vniuersas corporis animique functiones ei tribuunt acceptas, docentque morborum generationem, curationem,

A nem, præseruationem, atque etiam ipsius sanitatis tuendæ rationem, ob illius passiones, & actiones fieri. Quod si Galeno credimus, non solum, quæ diximus, ei concedimus, sed etiam in eo animæ essentiam, philosophica licentia statuemus: quo fit, vt idem autor librum de hac re cōtra Lycum scripserit, & *sparsim alibi* multa, quib. naturam & vsum calidi innati explicare nititur, quæ si solita sua varietate, sæpius inter se non confunderet, non erat profecto, quod de hac re scribere cogitarem. Verum cum ille hæc pro dignitate nequaquā explicuerit; ex recentioribus vero quidam solum collegerint ex multis locis, quæ ille de hac re memoriæ prodidit, eaque nullo adhibito iudicio, nullo ordine, aut methodo ediderint? alii vero multa in hac re excogitauerint aliena à nostra natura, nostrisque principiis: nemo (vt arbitror) superfluum hunc nostrū laborem iudicabit: ex quo quidem (vt spero) eliciemus, & tanquam exprimemus aliquid, quod aut verum erit, aut ad id quam proxime accedet. Itaque vt tractatio clarior euadat, primū quid innati, & calidi nomine intelligendum sit, doceamus: Est autem idem innatum, quod natiuum: intelligitur autem innatum, *quod à natiuitate primisque principiis est inditum*: huic opponitur acquisititium: Sic enim Galenus dicere solet, iuuenes habere calorem acquisititium, nō natiuum, vt pueri: quod scilicet calor iuuenilis ætatis progressu sit acquisitus, non autem talis, qualis est in ipsa generatione. Opponitur etiam natiuum acri, & mordaci: veluti cum dicimus, natiuum calorem temperatum esse; eum vero, qui acrior est, natiuum non esse: Opponitur & natiuus ei, qui est præter naturam, tanquam idē sit natiuus, & secundum naturam, in qua significatione dicere solet Gal. febrem esse calorem natiuum, conuersum in igneum, & *secundo de diff. feb.* ait, ab Aristot. dictum esse, putrefactionem ab aliena caliditate fieri: intelligendam autem esse alienam, extraneam, nō natiuam nec vnicuique propriam: Adeo vt idem sit natiuum secundum naturam, & proprium: & idem alienum, extraneū præter naturā & non proprium. Verum eiusmodi significationes, à prima deriuare videntur. Quoniam enim qui insitus est, moderatus, temperatus, secundum naturam, propriusque existit: ideo qui acquiritur ætatis cursu, vel ab aliis causis, immoderatus, intemperatus, præter naturam, extraneusque esse solet.

Natiuum & innatum quid.

Quæ eius significationes.

1

2

3

Cæterum scribit Galen. *aduersus Lycum*, calidum innatum corpus esse: quod si ita est, constat calidum innatum & calorem inter se differre, Medicosque primos turpissime errare, qui cū de vno agendum est, alterius nomine abutuntur: veluti cum quærunt, an pueri habeant plus calidi innati, quam iuuenes: scribuntque calorem innatum duo significare caliditatem, inquā, ipsam, & substantiam calidam. Non enim de calido innato dubitatio est apud Galenum, sed de calore, caliditateque ipsa, cum nulli dubium sit, plus esse calidi innati in pueris, quam iuuenib. Est enim calidum innatum, vt diximus ex Galeno, corpus, siue substantia calida; calor autem qualitas est, quæ insita est eiusmodi substantiæ. Itaque constat pueros, tanto plus innatæ substātiæ habere, quanto viciniores sunt natiuitati: at non constat, an æqualis sit in pueris, & iuueni- bus caliditas, quandoquidem caloris gradus ob subiectam materiam diuersus apparet: & propterea de hac re Galenus dubitare solet: nec verum est apud eum autorem θερμασίαν, id est, calorem duo significare: cum semper qualitatem significet, sed θερμόν, id est, calidum, vt ille aperte *in libris de Temperamentis*, & *de simplicibus* testatur, nam apte dicitur caliditas, & corpus calidum esse aliquid calidum: nec quæstio quidem de nomine est, sed de re, quæ sine nomine intelligi, aut doceri nequit: nam si quis quærat, an plus sit calidi innati in pueris, quam iuuenibus, ridiculam formabit (vt diximus) quæstionem; probabilem vero, si proponat, plusne sit caloris in vno, quam in alio: Quid vero sit eiusmodi corpus, quod innatum, siue insitum dicitur, & calidum à qualitate in eo propellente, Gal. explicat, sed vario modo: etenim *in Aphorismis* ait, nihil aliud esse, quam *aeream, aqueamque substantiam*: *In libro* vero *contra Lycum*, non idem esse in omnib. statuendum calidum innatum, sed *in pueris semē, & sanguinem*; in senibus vero *sanguinem solum*. Cæterum *in libro quinto de simplicibus* scribit calidum innatum ab Hippoc. vocari *spiritum*, *posse tamen sanguinem cum spiritu intelligi*: contineri autem in omnibus animalis partibus spiritum eum, quem *primo de differentiis febr.* & *alibi* cum sanguine permistum, in arteriis & corde cōcludi, corporique vniuerso communicari, tradit: *At octauo de Placitis* habet, *caloris natiui substantiam*, quæ idem est cum ipso calido innato *ex sanguine & pituita consistere, caliditatem autem ex frigiditate contemperari*. Quoniam vero alibi dicere solet, motu calidi natiui omnes corporis actiones obiri, sanguinem, qui in nobis quotidie gignitur, innatum calidum fateatur oportet: quod aliquibus in locis aperte testatur. Nam illius motu gaudium, ira, tristitia, rigor, & aliæ corporis, & animi actiones & passiones fiunt. At quomodo hæc omnia, quę tantopere inter se differunt, possunt esse substantia vna, & illa innatū calidum? Aliud enim est sanguis, quam spiritus, aliud pituita, aliud semen, aliud sanguis & semen, aliud sanguis & spiritus, aliud sanguis & pituita; & si cor est fons calidi innati, huiusque motu omnes actiones in corpore peraguntur, quo pacto potest esse sanguis, & semen, ex quibus corpora fiunt? quomodo natiua sunt, & insita à natiuitate, illa, quorum cor est principium, & perpetuus fons? omnes enim partes ex sanguine, & semine fiunt, eo autore, nec aliqua ex illis nobis est à parentibus insita. Addo, si calidum innatum est sanguis, & semen, quo pacto erit duntaxat aerea, quæ in corporibus est, substantia? quippe cum vtrumque ex illis, ex vniuersis elemētis constat, & plus etiam in sanguine sit aqueę, quam aereæ substantiæ. Cur præterea in pueris erit calidum innatum semen, & sanguis: in senibus vero sanguis solus? Nam si innatum calidum, eo autore, est vel anima, vel præcipuum animæ instrumentum, necesse profecto est, illud idem esse in omnibus, qui eandem naturam, & animam obtinent, easdemque functiones exercent. Sed cur cum spiritum dixerit esse innatum calidum, addit, etiam posse intelligi sanguinem cum spiritu? At cum *in libro de Rigore* dicat, innati calidi substantiam esse perpetuo mobilem suapte natura, qua ratione potest esse illud vel semen, vel san-

Calidum innatum quid secundum Galenum.

Galeni opinio remittitur.

Calidum innatum esse corpus.

guis, quæ insita sint à parentibus, ex quibus reliquæ omnes partes conficiuntur? imo quomodo potest esse pituita & sanguis simul? Hæc Galenus de natura calidi innati.

Cap. V.

Quid sit calidum innatum, ex Recentiorum quorundam opinione.

A

SVnt nonnulli ex recentioribus Medicis, qui cum intelligere non possent, quid esset innatum calidum, locos omnes ex Galeno collegerunt, eosque vno capite collectos, nihil addentes, aut dementes, vel interpretantes, ediderunt: quos refellere superfluum esse duco. Quādoqui B dem his (vt antea diximus) non authores alicuius rei, sed potius librorum sint indices. Alii vero prudentiores, doctioresque viri, hac Galeni varietate forte confusi, aliam secuti sunt sententiam: quorum studium, & laborem, vehementer probo: quod nemini addicti, bonas artes suo ingenio illustrare, & perficere enitantur. Horum opinionem paucis ego expendere statui, non quod de illorum authoritate, & fama aliquid detrahere velim, sed vt antiqua docendi, scribendiq; libertate, illorum nomina illustriora reddā: & ex hac honesta contentione, qua illi etiam sūt vsi in meis reprehendendis, & mutandis, nunc vt olim, nostra hæc facultas augeatur, excolaturque. Inter hos Fernelius vir summi ingenii, & C doctrinæ, cum forte putaret, nullam huiusmodi substantiam, cui ea omnia, quæ à Galeno dicuntur, tribui possent, in nostro corpore reperiri, scribit, *innatum calidum esse diuinum, & celeste quidpiam, quod à supremis causis, non autem à nostris principiis, vt alia, nobis sit indstum:* Ait enim multa esse animalia, vt serpentes; multas plantas, vt papauer, mandragoram, frigida, viuere tamen: quod argumento est, non elementarem esse hunc calorem: quandoquidem non possunt actiones illius fieri, quod à contrario in mistione vincitur, aut, vt ipsius verbo vtar, suppar est: multa præterea esse vehementi calore igneo, & elementari prædita, vt arsenicum, sulphur, quæ tamen non viuunt, quod scilicet cœlesti illo, vita- D lique calore sint destituta: Postremo esse quidem in cadaueribus calorem elementarem, ex quo, vna cum aliis elementis, confecta est, manetq; adhuc omnium partium structura; deesse tamen vitam, quoniam extinctus est cælestis ille calor, qui vitæ est autor: ex quibus conficere ille vult, calorem calidumque innatum præstantioris (vt ait) cuiusdam esse originis, neque ignei elementi rudiorem naturam redolere: quod etiam Aristotelis autoritate se confirmare credit: Non enim eum, dum mortem definit, vitali calori frigus, sed extinctionem, quæ ipsius est priuatio, opponere, tanquam contrarium non habeat ex inferiore hoc mundo calor, qui vitæ est autor: Igitur hunc calorem aliunde transmissum E nec ex elementis insitum contendit esse, egere tamen spirituosa substantia, vel potius ætherea, cui inhæreat, & tanquam vehiculo per vniuersum corpus moueatur, ac vniuersa, quæ in eo sūt, traiiciat: esse præterea triplicem in corporibus nostris humorem; oleosum vnum, quo res omnes, quæ inflammantur, plus vel minus abundāt,

De calido innato opinio Fernelii.

Triplex corporis humor secundum Fernelium.

1

vt facilius aut difficilius flammam concipiant, atque; quandoquidem nullum credit esse corpus ad inflammationem propensum, ex quo syncerum oleum arte elici nequeat: huius enim causa, tum viuentia, tum alia conflagrare: Alium statuit esse humorem oleoso illo tenuiorem, ex alimento genitum, & in occultos, arctosq; viuentium corporum recessus (vt ait) confertum, nondum tamē mutatum in corporis substantiā: hunc humorē alimentarium vocat. Tertium ponit aqueum esse humorem, quo, tanquam visco, terrenæ corporū partes iunctæ, cohærent, quiq; rerum omnium, ex elementorū permistione cōcretarum, sit communis, cum alii duo viuentibus duntaxat tribuantur. Porro oleosum humorē, tū spiritus, tum innati caloris, fundamētum esse, & proinde primogenium vocandum, censet: quoniam in eo, tanquam in prima & communi viuentium substantia, spiritus calore perfusus, primum & per se considet. Cæterum ex tribus his humoribus, primogenium, & aquosum, propriam substantiam viuentium complere: alimentarium vero esse aduentitiū & externū, & propterea hunc exsiccari, cōsumiq; posse; alios vero, nec funditus, nec magna ex parte perire posse, re adhuc viuente. Scribit postea, corpora viuentium regi calore, qui etsi qualitas est, diuinus tamen, cœlestis, & in æthereo spiritu subsistit; eundem habere valentissimam vim, qua careret, si siccitatem coniūctam haberet. Ad hæc proponit, partes similares ex aliis quibusdam substantiis esse conditas, ex solida, stabiliq; & alia carnosa, alia spirituosa; solidam rursus meditatur constare ex terreno crassamento firmato aqueo humore, & ex oleoso illo, in quo dicit naturalem spiritum, quē æthereum statuit esse, inniti, & ab eo in carnosam partem spargi. Porro oleosam hanc substantiam ex semine ortum ducere; immo quicquid in solida partis est substantia, siue illud, inquam, sit crassamentum, siue humidum oleosum, siue spiritus, siue insitus calor. Tandem colligit, calidum innatum esse humidum oleosum, insito spiritu, & calore vndique perfusum, tribus enim istis illud contineri, improprie autem spiritum innatū, pro calido innato sumi. Cæterum hoc calidum innatum esse ipsam naturam, duobusque modis sumi; vno pro pura substantia, quam solidæ partes à semine contraxerunt; alio pro impura, facta & aucta vberioris alimenti appulsu; vel pro omni substantia, quæ moderato, & miti calore sit prædita. Esse præterea aliam calidi innati substantiam in osse, quam in neruo, aut carne, vel alia parte, hancque diuersitatem sumi, non solum ex substantiæ multitudine, sed ex primorum elementorum temperatione. Postremo, omnem substantiam calidi innati, crassam, inquam, oleosam, & spirituosam, ex sanguine, in quo hæc omnia sunt, ali, fouerique. Hæc & alia quędam, quæ postea commemorabimus, vbi de spiritibus agemus, de calore, calidoque natiuo, Fernelius proponit; quæ etsi ingeniose, & acute dicuntur; tamen nonnulla sunt, quæ forte melius doceri possent.

Nam quod arsenicum & sulphur non viuant, causa non est, quod calorem non habeant illum cœlestem, quo cur priuari debent, si omnia, quæ in hoc mundo gignuntur, à supremis causis originem suam ducunt? sed quod animā, vitalemq; illam

2

3

Fernelii opinio partim corrigitur, partim refellitur.

Omnia quæ in mundo gignuntur habere originem à supremis causis.

illam formam, quæ animalibus, & plantis duntaxat est data, nequaquam obtinuerint; ita enim ille agit, quasi calor, siue ex cælo, siue aliunde sit nihil ab anima differat, quod si differt, vt ille etiā statuit, quid animæ tribuemus; si ex calore putamus fieri, vt quædam rerum genera viuant, alia vero minime? est calor animæ instrumentum & vinculum, quo anima fungitur, corpori, & in eo suas vires exercet; vitæ autem, aut alterius facultatis, quam anima edit, nequaquam est autor. Cadauera etsi calorem habent eum, qui necessarius est, vt corpora sint composita, deest tamen amplior quidam calor influens, qui re extincta, non amplius gignitur; deest anima, quæ vitæ erat causa. Cæterum serpentes, & plantas, philosophi, & medici, aliquando dicunt esse frigida, non ea quidē ratione, quod minus sit in illis caloris, quippe cum omne viuens statuatur, agnoscaturque calidum esse; sed quod plantæ frigidiores sint animalibus; hæc vero frigida dicuntur, quod temperatis animalibus frigidiora existant: sicut aperte docet Gal. *passim in lib. de Temperamentis, & de Simplicibus medicamētis*. Quod si nobis, qui præditi sumus ampliore calore, illa videntur frigida, id non ostendit, minus inesse caloris elementaris, quam frigoris, aut cælestem aliquem inesse calorem, autorem, vel vt verius dicam, instrumentum vitę, & functionum, quæ in viuentibus obeuntur, quandoquidem videmus, concoctiones in aliis rebus, ab igneo elementari calore perfici, & nostras ab eodem iuuari: *adeo vt alius calor inducendus non sit, cui vitam & omnia, quæ in vita fiunt, tribuantur accepta, si animā rebus dederis, temperatus pro cuiusque natura ex elementis calor sufficiet ad omnia vitæ munia exercenda*: sed in hoc, vt dixi, videtur mihi ille deceptus, quod, dum calidum illud cœleste introducere studet, non videat, quid calori sit concedendum, quid vero animę relinquendum. Aristoteles dum naturalis mortis causas quærit, non instituit docere, quid natiuo calori opponatur, sed quo modo ille ætatis cursu, cōsūpto suo pabulo, expiret, mortisq; causa fiat: quod si contrarium nō habet ex inferiore hoc mundo huiusmodi calor, qui fit, vt plantę, & animalia ex vehementi aeris, aut aquæ frigore pereant? Igitur si vita definit abeunte calore; hic autem ab elementis, & qualitatibus, quæ in illis sunt, extinguitur, constat, illum in hoc mundo suam habere naturā & elementalē esse, ex quo scilicet genere sumitur id, à quo peremitur. Si præterea calidum innatū fouetur, augeturq; *à sanguine, & spiritu influente*, gignuntur autem tum humores, tum spiritus huiusmodi ex rebus constantibus ex elementis, necesse profecto est, illud *ex iisdem* constare: siquidem similia similibus nutriuntur, nec, quod est cœleste, ab elementis substantiam suam sumere potest. Præterea si ex semine est calidum innatū, quomodo diuinum? si semen ex sanguine fit, oportebit quoque hunc cælestem credere; Ita nihil in nostro corpore inuenietur quod ex elemētis conficiatur. Ad hæc proponit ille calidum innatum esse insitum membris, cum spiritu tamen permeare vniuersum corpus, quod qua ratione fieri potest? si. n. ex eo singulę partes conficiuntur, & viuunt, nō potest ab illis recedere, & cum spiritu eos motus experiri. Si calidum innatum est humidum primogenium, quomodo est cœleste? Cæterum putare oleosum esse in nostris corporibus humorem, quod illa inflammentur, non cogimur recipere. Aerea enim est in rebus substātia, quæ in flammam vertitur; nec alia quidem ratione oleum, & oleosa in ignem propte vertuntur, quam quod plurimum aeris in se contineant. Nec video, quo pacto concludere velit, omnia corpora, quæ inflammantur, ob huiusmodi oleosum humorem id pati, quandoquidem ligna siccissima, & tenuissima corpora, vt festuca, palea, omnium promptissime flammā concipiunt, in quibus tamen quis dicet oleosā plurimā esse substantiā, aut ex illis syncerum oleū elici posse? Si. n. res eo ardent, q̄ oleosam materiā in se obtineant, plurimum sane oporteret in aridissimis rebus talis humoris esse. q̄ nemo concedere potest: illud vero quis fatebitur, oleosum hunc humorem, cuius vires ardere concedit, proprium duntaxat esse viuentibus? cum bituminosa terra, & sulphur ignem facile concipiant, luculentamq; & diuturnā flammā alant. possem multa etiam afferre contra tres illos humores, oleosum, inquam, alimentarium, & aqueum, quorū nomina fingit, quorumq; materiā ab eisdem rebus duci credibilius est, quā ex diuersis. Sed qualis (quæso) erit alimentarius ille humor; postea quam in corporis substantiam mutatus erit; si eum definit esse solum, dū in occultis partiū meatibus continetur, nōdum in substantiam conuersus, nonne quoque præstabat eum humorē, quo tanquam visco terrenæ partes glutinantur, oleosum & non aqueum statuere? Hic. n. effluit, ille vero tenacius hæret, & multo aptius visco comparatur. Iam vero illud quo pacto probat, oleosum humorem, tum spiritus, tum innati caloris fundamentum esse? cur. n. is magis, quam crassamentum illud quod statuit in partibus, fundamentum huius erit caloris? Si enim quæritur aliquid, in quo ille stabilē inhærentiā habebat, non erit profecto recedendum ab eo, quod solidum, & terreum est in corpore: Calorem hunc nostrum cælestem esse, & vim habere valentissimā, qua vreret, si siccitatem haberet coniunctam, quis credere possit? Nam ideo probabat ille, serpentes, & alia animalia frigida viuere, quod cęlestem, & non elementarem calorem obtinerent, tanquam velit, ideo illum cælestem esse, quia vehemens non sit, & vnde (quæso) hanc vim vrendi sumeret huiusmodi calor? an ab igne? cui soli id conceditur. Illud quoq; reprehendi potest, q̄ cum partis similaris compositionē docere vult, multa dicat, quæ nulla ratione probat, sed legūlatorum more, ita esse statuat. Ad hæc si calidum innatum est (vt ille definit) humidum oleosum insito spiritu, & calore vndiq; perfusum, quid ad Galenum respondebimus? qui sanguinē, & semen calidum innatum esse dicit: quid ostendit, insitum quendam spiritum esse partem substantiæ huius caloris? Nec illud quidem probare possum quod scribit, calidum innatum sumi vno modo pro pura substantia, quā solidæ partes à semine acceperunt, alio modo pro impura ex alimenti fluxu genita. Cur. n. hanc impuram, aliam puram vocabimus? quandoquidem & ipsum semen, & omnia, quæ in nobis sunt, ex ea materia procreantur, ex qua alimentum suggeritur. At si calidi innati substantia pura ex semine ortum ducit, quo pacto illa erit, & substantia, & tem-

Calorem nil esse vitæ aut alterius facultatis autorem, sed animæ instrumentum.

Cadauera quem calorem habeant, & quem non. Viuens omne esse calidum.

Calidum innatum vnde foueatur, augeatur & perimatur.

Nihil in nobis esse oleosum.

pore tantopere diuersa, in neruo, carne, & singulis corporis partibus? An ex semine ab eodem genere, in eodem loco, ex eadem materia confecto potest tanta differentia reperiri? postremo si antea natiuum calorem cælestem contendit esse, nequaquam temperabitur, aut ille, aut substantia ei subiectæ ex elemētorum qualitatibus; si modo vitalis est huiusmodi calor: vita autem, eo autore, non postulat magis calorem temperato debiliorem, dummodo ille cælestis sit. Quod si omnis innati calidi substantia ex sanguine, in quo oleosa, crassa, & spirituosa substātia insit, alitur, fouetur q; nonne hoc modo cōcedimus illā ex hoc inferiore mundo ortā? illud etiam quo pacto dicere potest, calidū innatū esse humidū oleosum, insito spiritu, & calore perfusū, & simul esse naturam? eritne hæc humor aliquis, & corpus? aut si est, quo modo statui poterit ex omniū philosophorum consensu, motus, ortus & omniū rerum, quę in nostro corpore fiunt, principiū? Atque hæc quidem obiter sint dicta, ad ea, q̄ Fernelius de calido natiuo memoriæ prodidit.

Opinio Montani. Quid vero Montanus Veron. medicinę professor nostra tempestate clarissimus, de calore, calidoq; innato senserit, paucis subiicere non grauabor. Ait igitur ille *in explanationib. lib. Gal. ad Glauc. & lib. 1. Aphor.* calorē innatum apud Arist. & Gal. duob. modis sumi; vel pro nuda ipsa qualitate, vel pro substantia, huiusmodi qualitate prędita, quam dicit esse calidū corpus, mistū ex aere & aqua, præualentib. in mistione in Gal. opin. vt autem Plato sentit, ex aere, & igne. Esse præterea duplicem huiusmodi calorē innatum, vnum insitum singulis membris, aliū vero influentem à corde: illum esse formam membrorum; hunc vero actū dare, & instrumentū esse, etsi aliquādo contrariū asserit, nempe influentem esse formā, insitum vero instrumentū: & propterea illud esse animā, vel cōmune animę instrumentū, & ideo viuere, morbos pati augeri, nutriri, & febrē in eo tanquam in ipso subiecto, collocandā. Absurdū n. esse, si propria animantium instrumenta viuere dicamus, non autē ꝙ commune instrumentū est. Scribit etiam aliquando calidū innatū nō alia ratione differre à spiritu, quam ob maiorem aut minorem præparationem. Habet & multa alia similia de calore natiuo in aliis suis operibus, quæ quidem cōmemorare superfluum esse duco, quoniam ex his fontib. illa emanant. Hæc vero quā rectę dicantur, paucis si placet excutiamus. Primum. n. vt antea diximus, nunquam reperire est apud Gal. calorem innatum sumi aliquando pro qualitate, aliquando vero pro substantia: ex quo quidem errore factum est, vt ille quæstionem de calore puerorum, & iuuenum soluere non possit: dum distinctiones quasdam inducit à re alienas, vt quilibet in *Comm. Aphor.* 15. animaduertere potest. Deinde non satis est, dicere, calidum innatum esse substantiam aeream & aqueam, aut aeream & igneam, aut aeream solum: sed simul docere illum oportebat, quænam sit illa in nostro corpore substantia, an sanguis sit, vel spiritus vel sanguis cum pituita, vel aliquid aliud: quod cum illius naturam intellexerimus, augere, tuerique possimus. At si calor innatus vniuersum corpus regit, necesse est illum in omni corporis substantia, & non solum in aerea, & aqua diffusum esse. Ad hæc, erat operæpretium docere,

Eius refutatio.

Ibid. 1.

cur Galenus calidum innatum dicat nunc esse sanguinem, & semen, nunc sanguinem solum, nunc sanguinem & pituitam, aliquando spiritum. Nam vt hæc plurimum inter se differunt, sic docendi ratio postulat, vt quid de hac re sentiendum sit, explanet, qui alios docere proponit. Illud vero quis admittet; innatum calorem esse aeream, & aqueam substantiam calore perfusam, & animam? erit ne anima corpus? & quo pacto distinguentur animæ potentiæ ad diuisionem istius caloris? nonne in hoc etiam sibi euidenter repugnat: quod velit, calorem innatum animam esse, & animatum? nam si anima est, faciet vtique vt ea, quibus ille insitus est, animata reddantur: ipse vero animatus esse nequit: nam animalia animata sunt & dicuntur, anima vero ipsa nequaquam ita dici potest: & quo modo calor, vel calidum innatum anima esse potest si augetur, minuitur, & per hyemem intro fugit, per ęstatem vero dissoluitur. Mirum enim vel potius ridiculum fuerit, dicere, animam augeri, minui, & alias huiusmodi mutationes pati. Quod vero scribit, ideo calorem viuere, & animatum esse, quod sit commune animæ instrumentum, rationique non esse consonum, vt priuata corporis instrumenta animata sint, vita autem priuetur, quod commune est instrumentum, non habet parem rationem: nam manus, pes, & aliæ huiusmodi partes, alio modo instrumenta dicuntur, quam innatus calor: illæ enim partes sunt, & membra corporis, ex quibus illud immediate constituitur; calidum vero innatum, siue humor, siue spiritus, siue aerea substantia, aut aliud simile sit, materia, & elementum est corporis, quæ ob calorem sibi adiunctum vniuersis partibus ministrat, Galenum scimus dicere, natiuum calidum augeri, & nutriri, sed hoc improprie, & eo modo, quo dicimus sanguinem, & alios humores augeri & minui: non enim huiusmodi augmentum est necessario cum nutritione eius quod augetur: quandoquidem *ea duntaxat, quæ viuunt*, re vera nutriuntur; crescere autem, & minui, multa alia possunt. Postremo quis credere possit calorem innatum febres, & morbos pati? si enim spiritus est, aut aerea, & aquea, substantia, aut sanguis, erit vtique elementum corporis, at elementorū nō sunt morbi, sed eius, quod ex illis componitur. Tantum valebat Montanus facundia, vt facile inuenturi persuadere posset. Sed hæc sufficiant.

Calidum innatum non esse animam.

Animam non pati mutationes.

Calidum innatum esse materiam & elementum corporis, quo modo augeatur & nutriatur.

Quæ vere nutriantur.

Quæ item crescant.

Cap. VI.

Quid calidum innatum ex autoris opinione, in quo Galenus explicatur.

Cvm multis modis calidum innatum à Galeno sumatur, nec eos vnquam ille distinxerit, tanquam de eadem perpetuo loqueretur maximam confusionem, & difficultatem omnibus peperit. Quod si quis distinctione in hac re vtatur, & singulis tribuat eam naturam, & vim, quam oportet, intelliget, vera esse, quæ ab eo autore scribuntur, agnoscetque, non esse ad cœlestes naturas confugiendum, cum in nostris principiis inueniatur, quod totam hanc rem de calido innato ostendere valeat; quod iam docere aggredior.

Igitur cum nullum corpus vere innatum esse A possit, nisi quod nostræ generationis est principium, & nobis in ipsa generatione insitum (siquidem alia omnia ex illis fiunt, & acquiruntur) constat *solum sanguinem, & semen*, ex quibus partes primo constituuntur, vere esse innata, & insita corpora: quæ cum plus habeant caloris, quam frigoris, ab eo, quod in illis præpollet, nomen sumentes, calida innata, id est, calida corpora innata dicuntur, quod à parentibus sint insita, tanquam prima principia: aliæ vero partes, eo quod fiant, & acquirantur ex illis principiis, innata dici nequeunt corpora. *Vera ergo calida innata sunt sanguis & semen*, ex quibus partes similares, & aliæ postea constituuntur, & sequuntur. Hoc modo calidum innatum sumpsit Galenus, *in libello*, B quem scripsit *aduersus Lycum*, vbi eadem, quæ nos, de hoc calidi significatu ad verbū fere scribit, docetque, cur ea duo corpora calida sint innata, alia vero, quæ ex illis fiunt, nequaquam ita dici debeant. At cum sanguis, & semen aereæ aqueæque substantiæ plurimum in se cōtineant, non mirum, si ille aliquando calidum innatum aeream, aqueamque substantiam vocet. Cæterum cum sanguis ille, & semen desinant esse factis partibus corporis, nequeunt profecto ea amplius calida innata nominari. Quis enim dicet plurimum inesse calidi innati eo modo in pueris, cum semen & sanguis, ex quibus illorum partes sunt concretæ, non amplius sanguinis, seminisque naturam, & appellationem retineant? C quo fit, vt eam quoque substantiam calidam, quæ ex primis principiis in singulis partibus est, calidi natiui nomine donare nos oporteat: In qua significatione dictum puto, pueros, plurimum habere calidi innati, vt qui parum recedant ab ortu, minimumque consumptam habeant eam substantiam, quæ in sanguine, & semine erat copiosissima, ac ætatis cursu vi caloris perpetuo digeritur, absumiturque, propterea corpora animalium tanto molliora, humidioraque esse sentiuntur, quanto minus ab ortu suo recedunt. Quoniam vero calor, qui singulis partibus ex primis principiis est insitus, tepidus quidam calor est, & potentia potius, quam actu, nec non D substantia ea insita, prompte, citoque dissoluta periret, nisi alia ei similis, maiore tamen calore prædita afflueret, quę innatam restitueret & conseruaret, illiusque calorem excitaret, ob id spiritum, & sanguinem, quæ in nobis ex victu gignuntur, calidum natiuum vocat Galenus; non quod reuera natiuæ sint huiusmodi substantiæ, quippe cum post natiuitatem in nobis proueniant: sed ita dicuntur, quod eas conseruent, quæ vere sunt innatæ. Spiritu enim admodum calido à corde proficiscente, deductoque per arterias, ac singulis partibus distributo, insitus singulis membris calor excitatur, vegetusque euadit, & idoneus ad proprias actiones obeundas: sanguine autem potissimum ab hepate emanante, di- E gesta caloris vis, & substantia reponitur restauraturque. Quamobrem optime Gal. *in lib. de vena sectione*, ex sanguine natiuum calidum perseuerantiam habere scribit, indicans sane, influentem sanguinem non esse verum innatum calidum, sed ita dici, *quod vere innatum conseruet, & foueat*. Id quod pariter *in libro de formatione fœtus* testatur, cum ait, duplicem esse calorem innatum; vnum insitum singulis partibus, tepidum, & aeri contento in aliquo cubili similem; alterum vero à corde proficiscentem in singulas partes, illarumque calorem augentem. Quomodo. n. alioqui calorem à corde influentem, innatum vocaret? cum repugnet influere aliquid, & insitum esse: vel omni vitæ tempore gigni, & solum in ipso ortu inditum, nisi improprie innatum intelligeret, quod s. verum innatum augeat, cum quo eiusdem est naturæ. Gignuntur namque partes, augentur, & conseruantur ex sanguine. At vero cum omnes actiones natiuo calori tribuantur acceptæ, sit autem, qui insitus est (vt diximus) veluti potentia, qui vero aliunde influit, per se non agat, sed cum alteri coniungitur: nimirum cum non humorum aut spiritus, sed partium viuentium vita, & actiones sint, non immerito etiam innatum calorem, calidumque vocabimus, quod ex natiuo, & confluente resultat: quod si ita est, quid obstat, quo minus dicamus ex Gal. sententia, quatuor modis dici calidum innatum? Est enim imprimis sanguis & semen, ex quibus vniuersæ animantis partes, eo autore, fiunt: deinde calida substantia, quæ ex illis post generationem in singulis partibus relinquitur: tertia influens, quæ nihil aliud est, quam sanguis, & spiritus, qui in nobis gignuntur, & à suis fontibus, per arterias & venas, tanquam per riuulos quosdam, in omnes partes sparguntur. Verum etsi vniuersum sanguinem intelligere possumus nomine calidi innati, tamen illius portio *tenuior & purior* maxime est calidum innatum: illa enim apta est in omnes partes ocissime moueri, & vim omnem exercere, quā natiuo calido tribuimus. Quarta, quæ ex innata substantia calida, & influente coniunctis resultat: Ita ergo & calor innatus quadruplex: vnus, qui in primis principiis est implantatus: alius, qui humidæ substantiæ ex principiis derelictæ est insitus: tertius, qui influenti calido inest: quartus qui influentem, & innatam substantiam, simul iunctam sequitur. At cum inter calida corpora influentia spiritus plus momenti habere videatur, ad omnium partium insitum calorem excitandum: quandoquidem etiam ipse sanguis calorem ab eo suscipere creditur, non mirum, si aliquando solus spiritus natiuum calidum ab ipso nostro Galeno esse dicitur. Quoniam præterea calor ingenitus mitis est, sanguis autem omnium aliorum humorum particeps, acrior ex bile redditur, ex pituita mitior, plusque sanguinis gignitur vigente pituita, quam alio humore, merito aliquando dicere solet, calidi natiui substantiam ex sanguine & pituita constare: quod perinde est, ac si diceremus, sanguinem pituitosum, magis quam biliosum, aut melancholicum ad singulas partes nutriendas, restituendamque natiuam substantiam deperditam, aptam esse. Igitur qui hæc ita distinguet, facile intelliget, de quo calido natiuo agat Galenus, cum sanguinem, & semen, aut spiritum, aut aliquid aliud ex prædictis, scribit esse calidum innatum: nam pueros, & alia quæ adhuc augentur corpora, plurimum habere calidi innati, intelligimus, non quod seminis, & sanguinis, ex quibus factæ sunt partes, multum obtineant, vt Gal. sentit contra Lycum (nihil enim ex illis amplius est, conformato corpore,) sed quod in

Quæ vere in nobis sint innata.

Quadruplex calidi innati acceptio ex Galeno.

Sanguis & spiritus cur dicantur calidū innatū.

Quæ sanguinis portio maxime dici possit calidū innatum.

Calor innatus quadruplex.

Cur Galen. interdum spiritum solū vocet calidū innatum.

Cur natiui quam calidi natiui substantiam ex sanguine & pituita constare dicatur.

Quomodo pueri dicantur plurimū habere calidi innati.

illis abundet calida & humida substantia insita singulis membris, & derelicta ex ipso sanguine & semine. Habent & illa plurimum calidi innati, id est, sanguinis pituitosi, & benigni ac plurimum spiritus, quæ à corde, & hepate assidue gignuntur, mittunturque per vniuersum corpus. At hyeme, & vere ventres dicuntur natura calidissimi; *quia influente calore, & spiritu, sunt pleni.* De eodem calido intelligendum est, cum dicimus, cor esse fontem natiui calidi, & motu calidi innati fieri vniuersas corporis actiones. Sed iam ad alia accedamus.

Cap. VII.

De fontibus caloris calidique natiui.

DE fontibus caloris, calidique natiui nunc agendum esse indico, vt intelligamus, vnde natura hæc spargat in singulas partes, & Medicum petere oporteat, quando illorum vsus alicui membro est necessarius, quibusque locis potissimum sit succurrendum, dum calor patitur, labefactanturq; illius vitio actiones partiũ corporis: qua in re varius etiam esse solet Gal. Nam aliquando cor, aliquando vero non simpliciter ipsum cor, sed sinistrum eius ventriculum fontem natiui calidi ponit. *Alibi* vero, vt *sexto de Morbis vulgaribus*, duos fontes illius constituit, hepar, & cor. At *in libro de semine*, tertium addit fontem, nempe testes: quandoquidem aliter reddi ratio nequit, cur castrata animalia frigidiora, pinguiora, debilioraque reddantur: nam Aristotelis rationem alibi refellimus, qui putat, ideo debiliora illa fieri animalia, quod ablatis testibus remittatur cordis tensio. Nunc ad calidi fontes redeundo, constat illius calidi, quod vere innatum est, sanguinis scilicet, & seminis, ex quibus confectæ sunt partes corporis, nullum esse fontem: nec illius quidem, qui insitus est singulis partibus, fons aliquis statui potest: quod sane clarius est, quam vt doceri debeat. Porro influentis calidi natiui recte *cor, & in eo sinister ventriculus* fons statuitur, quoniam præcipua materia huiusmodi calidi est *spiritus*, quem in corde potissimum confici, & ab eo in corpus vniuersum spargi, nouimus. Eodem modo hepar fons alius esse dicitur, vbi sanguinem cum spiritu coniunctum, natiuum calidum nuncupamus: cum credatur sanguis in hepate gigni, qui per venas, vt spiritus per arterias, in omnia membra fertur. Quid autem à testibus influat in corpus, an spiritus quidam calidi, an vis sola calorifica, nunc docere non instituo: nec an per venas, vel arterias, vel seminalia vasa, an potius sine instrumento aliquo, veluti Solis radiis, mittatur quicquid ab eis emanat, compertum esse puto: Itaque veri & primi calidi innati, nec fons, nec locus vllus est, cum amplius non sit: alterius vero insiti, ab eo relicti, singulæ corporis partes locus sunt, fons vero nullus: Influentis vero fontes sunt cor, hepar, & testes: cor tamen præcipuus fons, quoniam spiritus præcipuam vim in calefaciendo habet.

Sententia Galeni. — *Autoris.* — *Fons calidi natiui influentis.* — *Cuius calidi natiui fons sit hepar.*

Cap. VIII.

De vi & officiis caloris natiui.

NAtiuo calori, & calido hæc tribuit Galenus, quod animal ab initio fingat, deinde augeat, & vsque ad mortem nutriat, ac nutriendo tandem perimat, roburque sit omnium facultatum & vitalis etiam essentia, primum animæ instrumentum, autorque omnium actionum, quæ in corpore fiunt, naturalium inquam, vitalium, & animalium: quandoquidem etiam arterias vi caloris natiui moueri, *lib. 3. de Morb. vulgar.* scribit. Eandem esse naturam nostram, & illam, quæ regit solida corpora, imo ipsam animæ substantiam, & facultatem esse dicere solet. Inter omnia tamen natiui caloris officia, censet idem autor illud primarium esse, quod nos alat. Hæc & similia, de caloris, calidique natiui vi, & officiis repeiuntur apud Galenum: quæ quomodo intelligenda sint, paucis expedire conabor, ne vni calido tribuamus, quod ad aliud forte est referendum.

Igitur vt nullus calor fingere, formareque animal potest, siquidem hoc formatrici facultati, eodem autore dandum est, sic illa profecto sine calore nequit formare, perficereque suum opus: nec illud quidem facile est ostendere, an natura vtatur solo calore sanguinis, & seminis, vel etiam insitæ substantiæ, & tandem quoque influentis à corde, & hepate promanantis: & quod probabile est, in primis vteri, & matris calore, eo modo, quo videmus animalia ex ouis nequaquam gigni à solo calore insito ipsi ouo, sed alio simul extrinsecus accedente. Cæterum animal ipsum auget *naturalis facultas concoctrix*, quæ plus alimenti conficit, vsque ad certum temporis spatium, quam dissoluatur, non autem alia vis, quæ augendi vim habeat: In hoc vero opere vtitur illa *insito singulis membris, & influente calore*: eademque, eodem vsa adminiculo, animal nutrit. Mortis autem est autor, *qui in singulis partibus calor*, eo quod perpetua quadam actione, sibi subiectam substantiam digerat, absumatque. Validæ quidem sunt facultates corporis, quando insita substantia, in qua ipsæ resident, plurima est, optimeque est affecta influens, quo alta fouetur, vtitur que tanquam instrumento omnis animæ, & corporis facultas. Vitalis facultatis essentia calor nullus, nullumque calidum corpus est: quandoquidem omnis facultas est animæ, & formæ, quæ ex propria, & nobis ignota essentia, diuersam à calore naturam, a summo rerum opifice acceperunt: alioqui quæ eiusdem temperamenti, æqualisque caloris censentur esse, eandem formam, & vim obtinerent. Sed hoc alibi suo loco clarius ostendimus: vbi illud quoque docuimus, nullam mitti in corpus, nec aliquam esse propriam vitalem facultatem, ex qua viuere res dicantur. Primum, & commune animæ instrumentum recte dicitur esse calidum innatum, *illud s. quod influit*: quandoquidem illius affluxu peraguntur vniuersæ animalis functiones. Arterias caloris beneficio moueri nequaquã credo, sed à facultate, quam à corde sumũt, nimirum cum illæ vinculis interceptæ desinant pulsare ea parte, qua nequit à corde vis illa, pulsationis autor, ... recipi, cum tamen tota ipsa arteria

non posse. — *augeat, &* — *Arteria ... de mouean- tur.*

arteria viuat suo calore, & alio influente, à [illegible] nis arteriis, & partibus communicato. Calo[illegible] asserere esse natiuam nostram, & illam, quæ [illegible] git solida corpora, animæque substantiam, est ignorare formas rerum distinctas esse à suis instrumentis, & quod dicere solet, totam substantiam rerum, quæ quidem illi est, quod philosophis forma: quam quidem substantiam [illegible] à calore, & calido passiuo distinguit idem autor, sic par erat illum agnoscere, aliam animæ substantiam, quam calorem, aut calidum aliquod corpus. Esse autem illud præcipuum caloris officium, *quod nos alat*, recte forte creditur, sed illud quidem primum non est. Nam vnicum, & primum illius munus est, *calefacere*, ad quod alia omnia sequuntur, concoctio, inquam, attractio, retentio, expulsio, alimenti distributio, auctio, nutritio, & denique quicquid in animali perficitur: sed (vt diximus) ex operationibus, quæ sequuntur calorem, ea, quam exercet ad nutritionem præcipua, vel quod ex nutritione resarciatur dissoluta substantia, qua restituta, & vires, & calor ipse fouentur & conseruantur, ita vt merito, præcipuum illud munus censendum sit, quod ad sui ipsius tutelam exercet. Igitur qui calidi, calorisque natiui varias significationes nouit, idem pariter intelliget quam vim singulis tribuere oporteat, quid, inquam, agat, tanquam autor actionis, quid tanquam instrumentum commune, quid per se nequeat præstare, quid ab alio capiat, aut alteri largiatur: nam vt natiuus calor nullus forte recte dicitur primo, & per se agere, (siquidem formæ, & partibus ipsis actiones tribuuntur) sic qui in ipsa re est calor vt aliquid maxime cũ forma coniunctũ, requiritur ad ea quę ab ea substantia fieri debent. Itaq; calor qui in semine est, solum ad generationem facultati generanti seruit: qui autem cum sanguine menstruo, nullius operis instrumentum est: quippe cum sanguis solum materia generationis esse censeatur: qui vero influenti substantiæ est insitus, non agit, sed solum instrumentum est, quo excitatur calor: qui in singulis membris est, & propterea commune animi, & corporis instrumentum huiusmodi calor, & ei subiecta calida substantia, esse creditur. At calor ex sanguine & semine, in humida calidaque materia relictus, per se est inualidus; vtpote qui solam potentiam ad agendum obtineat, cum influente vero mistus, omnium nostrarum actionum instrumentum euadit. *Sic enim videmus dormientes fælicıter concoquere cibos, quod tunc ad interna viscera, vbi concoctio alimenti fit, influens calor se recipiat, qui insitum illis membris calorem, impotentem alioqui per se, excitat, roborat, auget & (vt ita dicam) perficit: cessant vero eo tempore externarum partium actiones; quoniam etsi illa insitum calorem habent, influente tamen in alio opere occupato, destituuntur; quo postea prodeunte, vel exeunte potius, cessat somnus, succedit vigilia, in qua externarum partium opera optime peraguntur; intermittuntur vero, aut certe deterius fiunt, quæ intus exercentur.* Quæ quidem satis probare videntur, *insitum singulis membris calorem, absque influente non posse agere. Est porro calor immersus singulis partibus, peculiare instrumentum, quo pars illa sua munera absoluit, redditurque aptum ad agendum, cum recipit aliunde immissum calorem.* Quod vero influit à corde, & testibus, vt in omnes spargitur, actumque dat insito calori, sic commune instrumentum esse, credendum est. Calidum vero, quod ab hepate mittitur, materia sit necessaria corpori. Atque hæc sufficiant de vi, & officiis caloris, calidique natiui.

Calidum non esse animæ substantiam.

Caloris officium primũ & vnicum.

Quæ vis vnicuique calori tribuenda.

Calorem singulis membris insitum non posse agere absque influente.

CAP. IX.

Quonam modo agat calidum calorque innatus.

SCribit Galenus *in lib. de Rigore, & tremore*, natiuum calidum motu suo ad exteriora, interioraque, corporis opera vniuersa perficere, id quod de influente, non de eo, quod est insitum singulis membris (illud enim immobile est) intelligere oportet. Porro hoc calidum natiuum non ab alio quidem moueri, sed suapte natura mobilem esse substantiam putat. Ac quod calidi influentis, sanguinis, inquam, spiritus motu, fiãt omnes actiones, facile est ostendere: nam per vigiliam, cogitationes, frictiones, balnea, calidiorem aerẽ, & alia multa, videmus huiusmodi substantiam ad corporis superficiem concitari: quo tempore externæ partes tam diu recte agunt, quamdiu abundant eiusmodi calido; quo dissoluto, & recedente ad interiora, agere desinunt: per somnum vero, ocium, taciturnitatem, ad internas sedes reuocatur, illisq; locis subministrat, per exercitationes intus & foris æqualiter agitatus, vim suam toti corpori impartitur, vt alterationes, concoctiones, dissolutiones humorum, quæ in vniuerso corpore continentur, & perficiuntur, euidentissime ostendunt. Quod etiam timor, ira, tristitia, lætitia, risus, & cæteræ animi passiones patefaciunt. Nam in his affectionibus apparet calor vniuersus, vel ad externas partes erumpere, vel ad internas refugere, & in illis mẽbris fieri actiones, ad quæ calidum se recipit; alia vero ociosa relinqui, à quibus huiusmodi calidũ recessit. Itaq; constat actiones omnes, coniunctione caloris influentis perfici, illum vero coniungi motu, quo nunc intro, nũc foras æqualiter ad omnes partes fertur. At illud non ita facile est ostendere, quid sit, quod huius motus sit autor: duci enim calorem nostra opera extra per frictiones, & balnea agnoscimus: aliunde tamen eundem moueri, nihil conferente nostra opera certissimum est: veluti cum per animi, corporisque languores dissolutus, ad interna viscera se recipit, & absoluto somno ad externa euadit, nobis etiã nolentibus, & ob illius præsentiam vigilare coactis. Simile illud quoque est, quod in animi perturbationibus accidit. Quid enim (quæso) afferre licebit, quod in timore dici possit esse causa recessus calidi innati ad cor? aut in gaudio, & lætitia, illius motus ad externam superficiem? quid, quod ingesto cibo, cogat illum circa ventriculum contrahi? Galenus *in libro de Tremore* (vt diximus) scribit, innatum calidum substantiã per se, & semper mobilem esse, idque probat hoc modo: Quoniam enim calor est, necesse est eum ad exteriora superioraque suo impetu efferri: quoniam vero in substantia ex calido & frigido temperata consistit, & ipse etiam calor non igneus, sed ex aquea frigiditate, & aerea caliditate contemperatus est, eundem ad interna

Calidum innatum per se esse substantiam mobilem probat Galenus.

humoris, frigorisque vi reuocari necesse est: vnde nec intus perpetuo contineri potest, repugnante calore, qui in sublime tollitur, nec extra vehementius commoueri, aut in externis partibus perpetuo versari, retrahēte frigiditate, & humiditate. Quæ quidem etsi recte dicuntur, possunt tamen alia addi argumenta, & nouæ excogitari rationes huiusmodi motus: nam si calidum innatum commune est animæ, corporis, omniumq; partium instrumentum, necesse profecto est, illud ita comparatum esse, vt singulis membris adesse possit, cum illius opera est opus: at sine motu nequit à suis fontibus longius ferri, & ad eosdem subito reuocari, vt subitæ aliquando vrgent actiones, & passiones, quæ repentinam illius præsentiam desiderant. Quia ergo cōmune futurum erat instrumentum, id autē sine motu fieri non potuit, ideo illius substantiam per se, & semper mobilem à natura fieri oportuit. Verum Gal. rationes, & hæ efficiunt, vt calidum innatum instrumentum non sit commune vniuerso corpori: nā si per se, & semper mobile est, suæ motionis erit autor: illud autem quod instrumētum est, tunc solum opus est moueri, cum ipsum agens illud requirit, impellit, & mouet: nā alioqui frustra sæpe, aut extra, aut intro moueretur, vbi partes illic positæ illius ministerium nequaquam desiderant, vtpote quas aliquando melius sit quiescere, quam agere.

Ego vero, etsi puto, causas motus nostri caloris difficillime explicari posse: tamen conabor rē hanc meo labore inchoare, vt aliis postea facilior via reddatur, ad ea, quę relinquentur, excolenda, & perficienda. Igitur cum calidum innatum influens corpus sit, necesse est, illud vel à se ipso, vel ab alio moueri: ac cū spiritus sit, & humor, necesse quoq; est, vt moueatur ab illis causis, à quibus huiusmodi corpora moueri par est. Porro res dicitur à se ipsa moueri, quę impellitur ab intrinseco principio: ab alio vero, quæ à sibi extrinseco incitatur; Sunt autem tria potissima interna principia, motus autores, nēpe *rei forma, primæ qualitates, & voluntas.* Mouētur elemēta ad sua loca à sua forma; humores excalefacti, sursum à calore, à frigore deorsum: Animalia suos excercēt motus impellente voluntate, & appetitu. Cæterum id, quod sui motus est causa, requirit *materiam subiectam aptam ad motum*: nisi enim mobile pareat mouenti, sistetur illius vis, & motus ipse impedietur. Est autem apta materia, quæ pro ratione agentis, mediocrem molem, & qualitates suas habet aptas: vbi enim illa vel deficit, vel excedit, aut qualitates suas habet ineptas ad motū, res eo ferri nequit, quo moueri est apta. Atqui res mouentur ab alio cum trahuntur, vel geruntur, vel pelluntur. Trahit quod ad se mouet: Gerit, quod in se vehit: pellit, quod extrudit: quod si à tergo mouet, propellit: si ad se venientem reiicit, repellere dicitur: quod vero rem circumuoluit, propellere videtur. Iā vero res à sua forma, vel qualitatibus moueri appetit, vt quiescat in suo loco, vel vt vacuum spatium, quod natura vniuersi abhorret, repleat, illo modo ignis sursum, hoc deorsum fertur. Voluntate, & appetitu res mouentur ob aliquem finem, vt quiescant, agant. Ac vt ad rem nostram hæc principia ducantur, calidum innatū agnoscitur *& à se ipso, & ab alio* moueri: nā calor, qui in eo est siue igneus sit, aut aereus, su-

Quæ res à se ipsa moueantur.

Et quæ ab alio.

Tria esse principia interna motus autores.

Quid res, quæ sui motus sunt causa, requirāt.

Quæ modis res moueantur ab alio.

ra corporis membra suapte natura necessa- petet; sicut in vigilia accidere videmus. quid nim est, quod post somnum animal excitet, nisi quod calor, interno negocio solutus, sponte ad caput, & sensoria ascēdit: atq; illud est, quod scribit Gal. *in lib. de Rigore*, calidum innatum, quoniam calorem habet, ad superiora, exterioraque suo petu ferri. Postulat calor hic idoneā materiam, vt suos motus exercere possit; nam si humores & spiritus deficient, aut exuberabunt, vel crassiores, aut tenaciores, aut ob aliam qualitatē inepti redditi fuerint, nequit ille suos sequi motus, quod exemplis facile est docere, nam ex nimio labore quiescere cogitur animal, *quoniā deest spiritus, sine quo nequit calor extra ferri, & in vniuersum corpus expandi.* Vbi humorum plenitudo corpus grauat, opprimitur calor materiæ copia, quam cum regere nequeat, & impellere, impeditur quoq; ille extra ferri, & membra mouere. At si sanguis, & spiritus crassiores in corpore sunt, cogitur calor in visceribus hærere, tenuiore deficiente materia, qua nititur, suosque motus exercet. Si vero refrigerata præter modum ea est materia, affecto ipso calore, qui autor est motus, calidum innatum sistitur, nec in hanc, aut aliam partem ferri valet, veluti in his accidit, qui vel opium, aut papauer ipsum, largius assumpserunt, hi enim immobiles tanquam ligna arida apparent. *Igitur calidum innatum à seipso mouetur extra: intro vero nequaquam*: Nam quod Galenus ait, illud non posse in externis partibus perpetuo versari, quod repugnet frigiditas, & humiditas, nequaquam recipio. Si enim res prædominantis elementi motus sequuntur, nunquam suo impetu calidum innatum intro se recipiet: si modo in eo aerea, igneaque substantia præualere dicitur, qua vero ratione hos experiatur motus, postea ostendemus: nunc satis sit docuisse, *calidum innatum sursum, & extra moueri aliquando à seipso, aliquando vero ab alio*: nam cum animæ, & corporis sit instrumentum, vtique oportet illud sequi illorū motus: *trahunt ergo partes corporis calidum innatum, quando illius opera opus habent: Illud idem à se repellunt, quando quiescere volunt*: siquidem eo præsente, necesse est actiones fieri: vbi enim opus est concoctione, partes, in quibus illa perficitur, natiuum calidum ad se alliciunt: ita partes, quæ sentire, vel mouere aut cogitare, aut aliquid aliud facturæ sunt, trahunt ad se innatū calidum, & humores solos alliciunt, quando illis est opus nutritione: & non solum quidem natiuum calidum aduocant membra corporis, sed contrahunt simul, aut extra mittunt, aut absumunt, & feruorem in eo excitant: & denique eo vtūtur, vt illis est opus, & in eo moliuntur, quod postulant animę facultates, & partium actiones: vt in ira, timore, tristitia, lætitia, & aliis huiusmodi affectionibus contingere videmus, in quibus cor diuersis animæ facultatibus agitatum, calido natiuo varie vtitur, & cum eo, & in eo vim suam exercet. Igitur *anima, & animæ partes calidum attrahunt, expellunt, & pro sua vi, & natura agitant.* Allicit calidum alius calor, & pars vacua, faciunt enim hæc, vt illud sponte ad locū excalefactū, & vacuum moueatur. At per gestationem moueri quis dicet calidum innatū, *quando corporis motus sequitur*? At expellitur idē calidū a facultate animæ expultrice, & voluntate nostra, & cordis cer-

Cur animal post nimios labores cogatur quiescere.

Calidum innatum extra quidem per se moueri, intro vero nequaquam.

Quando moueatur per gestationem.

tis passionibus. Item à refrigerantibus, densantibus, aut alio modo astringētibus. Sic enim videmus expellente natura, partem dolētem humore, & spiritu repleri, & in ira ob motum facultatis irascibilis cor ipsum agitari, & sanguinem, spiritusque in ea contentos feruere, ac in vniuersum corpus exprimi, vnde singulæ partes rubent, inflammanturq; ob sanguinē feruentem eo transmissum. An animus, dum quiescere vult à cogitationibus calidum à se non repellit? externum vero frigus propellit, repellitq; ad interna viscera innatum calidum per membra sparsum. Vnde videmus hyberno tempore concoctiones in vētriculo fælicissime fieri. Sic sane astringentia remedia, quæ partibus fluxione tentatis adhibentur, humorem & spiritus eo venientes repellunt. B

Quomodo & quot modis calidum internum moueatur, & quando à suo motu impediatur.

Igitur innatum calidum a seipso, id est, a suis qualitatibus & ab alio, nempe ab anima trahente, & reiiciente, necnon à corpore gerente, & à calore alliciente, vel expultrice facultate, aut frigore, vel astringente alia re, pellentibus moueri certum est: impeditur autem à se ipso moueri, vel ob ipsius vitiū, quando scil. calor qui in eo est, à frigore minuitur, vel vitio materiæ subiectæ deficientis, aut exuperantis, aut aliena qualitate præditæ.

At cum videamus, illud moueri extra, id est, in partes externas, intro ad suos fontes, & nunc in vnam, nunc in aliam partem, ex internis vel externis, aliquādo æqualiter vniuersum corpus occupare, causæ harum motionum quærendę sunt: an scil. eædem sint, vel diuersæ in singulis motib. C Mihi certe diuersæ videntur: nam extra, & sursum (vt diximus) suapte natura ferri potest, intro vero nequaquā. Fertur extra, vel quod ab externis partibus *alliciatur*, vt in cogitationibus, & sensationibus accidit, cerebrum enim ab internis visceribus euocat calidum innatum, quando suas actiones exercere cogitur: vel quod extra *mittatur* à suo fonte, vt in gaudio fieri conspicimus, videmus enim in huiusmodi cordis affectione sanguinem, & spiritus extra commoueri, & aliquādo homines perire, quod interna viscera deserens calidum, totum expiret: in ira vero æqualiter vniuersum corpus incalescit, quoniam simul expanditur & contrahitur cor, ex quo motu sequitur intus, & foris calidum natiuum versari: D moueatur & extra calidum innatum à calore externarum partium, quo pacto sudores in balneo, & aere calido eliciuntur, dissoluunturque vires, ob nimiam calidi innati euacuationem; *fertur ergo calidum extra caloris vi, & partium externarum ad se illud trahentium facultate, & à calore externorum membrorum, & ob cordis passiones, quæ calidum à suo fonte extrudunt, aut internarum aliarum partium motu, quo incitantur vt in externa membra reiiciant, quod sibi est molestum.*

Cur feratur extra.

Nunc vero de causis motus illius ad interiora est agendum, de qua re paucis subiiciā, quid præstantissimi viri memoriæ reliquerint. Ac Montanus in explanationibus suis quas dictauit *in 3. lib. de Morbis vulgaribus*, proponit caldum innatum, ad interna viscera ob quatuor causas moueri: vnam esse dicit ex cordis passionibus; aliam ex ipsius calidi paucitate; tertiam ex eiusdem extinctione; vltimam sumi ex aliorum viscerum malis, vbi enim cor patitur, calorem eo properare, vt illi opem ferat, expellendo, quod obest. atq; hoc modo in timore fieri contractionem caloris, & E

Cur intro. Opinio Montani.

A ob id externa membra calore priuari, refrigerariq; eadem ratione si inflammatio, vel abscessus aliquis, interna viscera infestat, calorem, & spiritum contrahi, vt laboranti membro fit adiumēto, expellatq; materiam, quæ inflammationem, & abscessum committit. Sic in dolore alicuius partis, spiritus inculcari, vt subueniant, & dolorem auferant, esse enim mirabilem conspirationem in membris corporis, vt mutuo se adiuuent, & vt maxime tueantur suum principium: hanc enim dicit esse causam, quod in accessionibus febrium, calor externa membra deserat: fieri enim frigus ab humoribus, qui à venis in musculos mittuntur, retrahi autem calorem, vt cordi subueniat, quod maxime, inquit, affligitur à vaporibus putridis, eadem ratione, vbi summa est in corde putredo, veluti in febribus pestilentibus, & malignis contingit, extremas partes refrigerari: quoniam calor contrahitur, vt infestantes humores putridos à corde expellat. At vero ob sui paucitatem, calorem colligi in corporibus infirmis, quales sunt senes. In illis enim calorem nō propter aliam affectionem, quam quod ipse paucus sit, ad nobiliora membra suumque principium remeare, vt augeatur, roboreturque, vel etiam, vt vnius concoctionem perficiat. Esse enim ventriculum aliquando adeo debilem: vt cibum concoquere nequeat. Itaque tunc statim assumpto cibo, retrahi calorem natiuum ad ventriculum, vt simul totus collectus fortior reddatur, concoctionemque adiuuet. Cæterum reuocari calorem, quando extinguitur in magnis morbis; Tunc enim eum ad interiora redire. Ex quibus colligit calorem contrahi ad suum principium, & interiora viscera, vt cordi laboranti succurrat, vel quia calor paucus, aut idem est extinctus, vel vt subueniat aliis visceribus. Hæc Montanus, quæ bona tanti viri, & suorum studiosorum venia, mihi nequaquam satisfaciunt; nam quod leuius puto esse erratum, quatuor illi modi ad tres redigi debent. Si enim calor contrahitur, ad cordis, & aliorum viscerum nocumenta expellenda, vnicus certe ille modus erit, vnica causa, sed partes numero diuersæ: nam si cor ab aliis seiungitur, cur aliæ etiam, vt ventriculus, hepar, lien, renes, pulmo, inter se non distinguentur, & proprium contractionis modum non efficient? Vt igitur illæ partes internæ sunt, & viscera, vnusque finis cōtractionis caloris, nempe vt ille expellat, quod in illis nocet: ita vnus modus erit & non plures. Deinde si quærit causas, cur externæ partes frigeant, & internæ caleant, quod sane eo loco facit, docere debebat ea, à quibus fit, vt calor externa membra deserat, etiam si interim ille nequaquam contrahatur: nam vbi aer, vel aqua, vel alia refrigerantia, extrinsecus corpus afficiunt, externa quidem membra refrigerantur, cum tamen interim calor renitatur, exireque cogatur: veluti in illis accidit, qui per niuem iter faciunt: sentiunt enim illi externa membra refrigerari, pulso calore ab externo frigore at interim contractio caloris non fit, propterea quod cogatur ille prodire, vt motioni, & aliis actionibus, quæ in vigilia exercentur, seruiat: aliud ergo est partes externas refrigerari, aliud contrahi calorem ad suum fontem; aliæ causæ contractionis, aliæ refrigerationis: præterea non potest docere

A tertium modum refrigerationis, quem ab extinctione fieri dicit in morbis magnis: nam siue magnum morbum intelligat pro vehementi, siue pro eo, qui periculosus est, siue vt Gal. dicit, qui vel sua natura est magnus, aut principem partem occupat, non inueniemus, calorem extingui, nisi affectus frigidus fuerit: fit enim extinctio caloris à contrario, quæ vix in morbis reperitur, sed potius ab externa frigiditate prouenit: aut si morbi hoc faciunt, non magis hoc committunt vehementes morbi, quam qui tardi sunt, & mitiores. Quod si extinctionem vocat caloris dissolutionem, aut qualemcunque interitum, qui fit cum animal vitam agit, fiet profecto huiusmodi partium internarum refrigeratio ob ipsius calidi penuriam, non igitur ob extinctionem. Quamobrem fatemur quidem refrigerari membra extrema ob extinctionem caloris, quæ fit à causis externis refrigerantibus; sed negamus in morbis magnis fieri hanc refrigerationem, aut si fit, eam non committi ab extinctione. Nec illud quidem verum esse puto, calorem cōtrahi ob cordis passiones, vt scil. expellat, quod ei visceri obest: nam si in vno affectu, vt in timore, id fieri dicit, cur in ira, gaudio, & reliquis affectionibus cordis idem non fiet? ac multo quidem magis id fieri oporteret (quod nemo vnquam vidit) in vulneribus, aut in tremore cordis, vbi aquosus humor in eo exuberat, quā in timore, vbi quid est, quæso, quod à corde sit expellendum? quis humor, quæ materia cor afficit in timore, quæ expulsionem postulet? Quid vero illud est, quod scribit, calorem moueri vt succurrat internis membris? videtur enim ex hoc efficere, vt ille ex iudicio, & electione agat. Si diceret, internas partes calorem ad se allicere, vt eo munimento, & instrumento se tueantur, & liberent ab eo, quod nocet, aliquid forte diceret: at proponere illum sponte moueri, est absurdum. Ad hæc si calor properat, vt opem ferat afflictis partibus, non id faciet semper expellendo (vt ille statuit) quandoquidem non est semper opus expulsione ad id remouendum, quod infestat: nam sæpe sola concoctio malis medetur: quod si quædam sunt vitia, quæ expulsionem requirant, concoctio præire debet: non ergo vt solum expellat, sed etiam vt concoquat calor, interna viscera petere debet: Addo naturam esse, quæ vim habet expellendi, attrahendi, retinendi, & concoquendi: calorem vero esse naturæ instrumentum, & ipsum attrahere dixerunt aliqui, expellere vero nullus. Cæterum ad dolentem partem extruduntur quidem humores, & spiritus à vicinis membris, quæ cum mouentur ad expellendum, quod molestat, simul exprimunt materiam, quam in se cōtinent: sed interim calidum innatum sponte eo non accedit, vt opem ferat dolenti parti, quam potius noua adducta materia aggrauat. Dixit Hipp. vniuersum corpus esse conspirabile, & confluxile: id est, apertum, multisq; meatibus perforatum: at nunquam dixit, membra corporis conspirare, vt in malis mutuo se adiuuent: quoniam singula, quęrunt sua commoda ex suis facultatibus. Nec minus quidem calidi natiui accessus obest aliquando partibus, quam prosit: nam absurdum est si credimus in accessionibus febrium calorem ad interna viscera abire, vt cordi à putrido vapore affecto auxilium ferat: quandoquidem

Caloris extinctio à quo nam fiat.

eo tempore omni ratione nitimur, cum ad externa membra reuocare, tanquam obsit cordi, & vniuerso animali illius contractio. At si calor petit in principio accessionum, vt expellat vapores illos putridos, cur idem non fiet in ipso vigore accessionis, & febris? quo tempore febris calor, & qui ex eo nascuntur vapores putridi, maxime abundant. Igitur calor non mouetur ad interna viscera, vt semper expellat, aut expellendo corpori opē ferat. An vero fiat frigus inuadente febre ob humores, qui à venis in musculos transmittuntur, nolo nunc docere, id enim *in opere nostro de febribus* cōmodius explicabimus. Cæterū calorem, qui est paucus, colligi, certum est: non tamen id fit, vt ipse augeatur, roboreturque, vel vt cōcoctionem perficiat: sed cogitur retrahi ob B alias causas: & interim ipse augetur, concoctionemq; iquat: nam si calor ob debilitatem assumpto cibo contrahitur; & ob id externæ partes refrigerantur, cur id in hecticis, & tabidis maxime non fit? & magis in æstate, quam in hyeme? est enim ventriculus in illis, & eo tempore ad concoquendū admodū infirmus. Hæc obiter ad ea, quę Montanus de partiū externarū refrigeratione scribit. Ego vero in hac re dicam, quod sentio, ac primum docere conabor causas, quibus contingit eas partes refrigerari: deinde quæ caussæ faciant, vt non solum calor externa membra deserat, sed etiam ad cor, vicinaque ei viscera contrahatur.

C Refrigerant externa membra externum frigus: & quæ calidum ab illis partibus extrudunt; necnō quies, & ocium externarum partium; aut etiam actiones, quæ à se illud repellere possunt: Idem præstant actiones internarum, quæ calidū ad se aduocant, atq; etiam illarū calor: Addo defectum subiecti ipsius caloris; & internam refrigerationem, & cordis ipsius vitia, quibus propria forma, & vis, quæ calorem gignit, perimitur: quę quidem ita esse ostendo. Naturale enim est, vt contrarium suum contrarium destruat, non mirum ergo, si externum frigus externas partes refrigeret. Extrudunt calorem ea, quę humores, & spiritus, quo ille nititur, suamq; vim exercet, ab externis partibus expellunt, quod facit frigus: D nam illud non solum refrigerandi, sed etiam repellendi vim habet: necnon quæ extrinsecus astringentia: Præterea ipsæ partes externæ, cum mouētur, vt mittant in internas suos humores & spiritus, qua ratione in cholera morbo, & sanguinis profluuio per internas partes, externa mēbra refrigerari contingit. Quoniam vero natiuū calidum naturæ est instrumētum, merito fit, veremotis obiectis, quiescentibusq; externis membris, illud internas sedes petat, vbi semper fere aliquid esse solet, quod agat, ne quid ociosum in natura sit, siue ille id sponte faciat, siue potius ab internis partibus aduocetur, hoc pacto videmus in ocio, vbi nec sensus, nec motus exercentur, quiescuntq; principes animæ facultates, externa E membra refrigerari, deficiente eo, quod ad illas calorem allicit. Vt autem vniuersæ partes vim habere agnoscuntur ducendi ad se calorem, ita nōnullæ sunt, quibus scilicet ratio, & imperium est à natura concessum, quæ eundem à se repellere valent; vt enim ratio mouet, & suscitat irascibilem facultatem, & eam compescit, quando vult, sic absurdum non est, eandem posse naturæ instrumen-

Vnde externa partes refrigerentur.

Quomodo & per quæ calor intro trudatur.

Cur per ocium calor cedat intro.

Cur actiones externa illū repellant.

strumentum allicere, & repellere, quando eo opus non habet, vel vti nō vult, quomodo ostendemus, somnum fieri iubente ratione & voluntate. At vero partes internæ causæ sunt, vt calidum innatum externas deserat, vbi enim illæ calore opus habent, illū ad se adducunt, quo fit, vt externa membra abeunte calido influente frigeant. Sunt autem ex partibus internis, quæ calorem aduocant, eo, quod illo opus habeant ad sua opera peragenda, quomodo ventriculus calore vtitur, dum alimentum concoquit, aliæ vero, vt cor, certas habent passiones, certos motus, quæ peculiari quadam ratione calorem contrahunt, vt in timore, & tristitia contingit, nam *vt in ira, & gaudio cor certos edit motus, per quos calor expanditur, sic in timore, & tristitia alios facit, quos necessario sequitur caloris contractio*: Non ergo per timorem calor ad cor properat, vt expellat, quod ei obest, aut cor ipsum trahit, quod cur faceret magis, quam in ira? sed quod varias habeat facultates, quæ cum mouentur, necessario sequuntur varii caloris motus intro, extra nunc æqualiter in omnes partes. *Itaque cum dicimus interna membra, cum aliquid agere coguntur, calorem ab aliis partibus ad se conuertere, excipienda sunt illa cordis actiones, & passiones, quæ calidum extra mouent: cuius generis etiam videtur esse respiratio, & clamor*: quæ à corde, & pulmone humores & spiritus ad caput potissimum impellūt. Iam vero calorem internarū partium, externarum calorem ad se mouere, ei rationi consonum est, qua dicebamus externa membra excalefacta, internum calorem euocare: hanc ob causam vbi in partibus internis suppuratur inflāmatio, rigor externa membra occupat, quod eo opere feruente vno loco, maxima pars caloris corporis eo adducatur. Quoniam vero calor influens, absque subiecto nequit suos motus sequi, rationi consonum est, vt deficiente subiecto, nequeat ipse expandi, & prodire: quo fit, vt qui exangues sunt, aut certe minimum humoris, aut spiritus habent, aut qui moriuntur ex caloris dissolutione, externa membra frigida habeant, *quia deest materia, qua calor ipse nititur, & mouetur*: Atqui refrigeratis caloris fontibus, necesse est calorem immobilem reddi, & membra externa potissimum refrigerari: veluti his accidit, qui cicutam biberunt, aut crudis humoribus in visceribus abundant: extinguitur enim & suffocatur intus calor, vt nequeat exire, & externas partes calefacere. Cæterum in febribus pestilentibus partes externæ refrigerantur, eo *quod perimatur cordis forma, & insita vis, quæ calorem, & spiritus gignit*: qua ratione etiam pulsus & respiratio minuuntur: nam si refrigeratio externarum partium contingeret, quia calor properat ad expellendam insignem putredinem, quæ cor afficit per huiusmodi febres, cur insignis calor semper non sequitur febres pestilentes? nequit enim magna esse putredo absque magno calore. At videmus, quod Galenus etiam annotauit, vrinas in his malis sæpe mingi optimas, pulsus, vt diximus, paruos, exiguam respirationem, nec admodum concitatam: nec qui laborant, conqueruntur de vehementi æstu, qui nec tactu foris percipitur, quæ omnia profecto ostendunt, febres malignas nequāq̄ constare aut differre ab aliis, ob excellentē

Cur & quomodo internæ aduocent.

Quomodo & cur in ira & gaudio expandatur, in tristitia vero & timore contrahatur.

Calorem à calore euocari.

Cur morituri externa frigeant.

Cur item qui cicutam biberunt.

Cur in febribus pestilentibus.

Febres malignæ per quid nam ab aliis differant.

A putredinem, sed *quod præter febrem, quæ exigua sæpe est, & leuem putredinem, adsit*, quod formam & vim omnem cordis perdat, vel vt Medici aiunt, sit morbus à tota substantia: quod euidenter ostendunt medicamenta, quæ malignis, & pestilentibus febribus opitulantur, non quod calefaciant, refrigerent, humectent, siccent, vacuent, repleant, sed quod formam & substantiam habeant contrariam ei, quæ cor occidit. Hoc faciunt antidota propria singulis malis: quædam enim ex illis calida sunt, alia frigida, alia aliter in euidentibus qualitatibus affecta, omnia tamen, quæ eadem formam habent, eidem malo prosunt. Sed hæc alibi diligentius docuimus. Nunc satis sit docuisse, ob aliam B rationem in febribus malignis, quam ob insignem putredinem extrema refrigerari: liberum tamen vnicuique sit, si hæc non placent, meliora excogitare. Mouetur ergo calor ad internas partes à prædictis causis, plus, vel minus, pro vehementia, & leuitate causarum, quæ id præstant: aut consensu, vel repugnantia illarum, quæ contrarium motum efficiunt: propterea non in omni timore, nec in omni abscessu interno, sed in magno, frigus extremorum fit. Eodem pacto æstate, assumpto cibo, non frigent externa membra repugnante scilicet externo calore, hyeme autem frigent, concurrentibus duabus causis, pellente, inquam, aëre frigido, & trahente ventriculo ipsum calidum. Spectanda C præterea est vis, & multitudo, ac paucitas caloris. Nam vbi validus, multusque est calor, qui tum internis, tum externis actionibus sufficere possit, diuiditur ad proportionem actionum, quæ eo opus habent, & maiore, aut minore, vt illum ad se allicere possint: quo fit, vt ingesto cibo, vehemens cogitatio concoctionem impediat, propterea *quod ad calorem euocandum potentior ea sit pars, quæ cogitat, quam ventriculus*: leuis autem cogitatio, vbi plurimum est calidi, nequaquam concoctionem labefactat, quoniam illud vtriq; operi sufficere potest. Iam vero ex prædictis causis, qui ratiocinari nouit, & earum vim tenet, intelliget, quænam ex illis aptæ sint, non solum externa membra refrigera- D re, sed etiam reuocare ad cor, & in eo eundem colligere & contrahere, nam singula docere, & exemplis patefacere velle, superfluum, maximeque laboriosum esse puto. Sunt præterea quædam, & sola forte ira, quæ calorem intro, & foras mouent: alia, quæ etsi ab initio id faciunt, tandem tamen extrinsecus magis calefaciunt: cuius generis est corporis motus. in erubescentia fit primum caloris contractio, mox vero expansio, & effusio: ex quibus quidem patet, quænam sint causæ, quæ calidum ipsum mouent, quæ intro impellant, quæ euocent, quæ contrahant, quæ partim propellant, partim retrahant: quibus quidem causis deficientibus, ipsius E calidi motum sisti necesse est: & non solum quidem idem accidit ob illas, sed etiam alias, quæ causæ sunt, sine quibus illius motus fieri nequit; quales sunt viæ, & meatus corporis, & alia quædam, quæ in ipsa tractatione de somno patebunt.

Cur vehemens cogitatio concoctionem impediat.

CAP. X.

Quibus modis innatum calidum augeri conseruarique possit.

MEdicum, imo homines vniuersos, nulli rei magis studere oportet, quam vt innatum calidum caloremve tueantur: quandoquidem illorum beneficio perficiuntur omnes corporis actiones, tollũtur morbi, & sanitas diutissime firma, incolumisque perseuerat. Porro quod re vera innatum est calidum, vt illud amplius non est, sic nullam custodiam desiderat. Quod vero ex primo eo innato, in singulis membris relictũ est, ex seipso conseruari non potest, sed beneficio influentis calidi fouetur, augeturque, cuius in primis rationem habere oportet: Constat sane hæc ratio duobus potissimum capitibus. Nã primo procurandum est, vt plurimum boni sanguinis, & spiritus gignatur: & illi geniti, boni conseruentur; alterum, vt huiusmodi substantia opportune intro ad interna viscera, & extra ad exteriores partes, & denique per vniuersum corpus, vbi necessarius est illius vsus, ducatur. Cæterum sanguis bonus, & plurimus gignitur ex bona nutritione: spiritus vero ipse bonus ex bono sanguine; at sanguis vt nutrimento regignitur, & augetur, sic etiam conseruatur: cum alioqui veluti ignis consumptis lignis, sponte absumatur caloris insiti vi. Accipit & à spiritu vigorem, vnde natura sanguinis spiritusque vasa, quæ per corpus sparguntur, contigua fere semper esse voluit, vt ex sanguine spiritus nutrimẽtum sibi moliretur, & sanguis spiritalem vim vicinitate arteriarum, facile susciperet. Porro spiritus aëris externi consortio eget, non vt eo tanquam re simili alatur, quandoquidem id, quod ex sanguine, & vniuersis humoribus gignitur, euaporetque, nequit ex simplici aëre, aut certe exiguam mistionem aliorum elementorum recipiente, nutriri, sed vt illius beneficio contineatur in corpore, & refrigeretur, nam cũ calidum innatum suapte natura, vt ostendimus, extra feratur, aliquid extrinsecus postulat, quod illius motum coerceat, ipsumque intus contineat; Id quod præstat externus aer, quo fruimur: nam vt flamma in ardente aere dissoluitur, extinguiturque, sic nostri spiritus, calidumque innatum, prompte expiraret, si aer eius naturæ semper esset, vt illa euocare, & ad se allicere posset, quod ostendit aer laconici, qui etiam sine sudore perimit, si quis contendat diu in eo viuere, eo, quod spirituosa substantia, in illo effundatur, expiretque. Postulat ergo innatum calidum moderatam extrinsecus refrigerationem, qua intus contineatur, à maxima autem extinguitur. Iam vero cum caloris officio fuliginosa excrementa in corpore gignantur, quæ puram, benignamque spirituum naturam, necnon temperiem corporis mistione, & vehementi calore corrumpunt, ideo extra emitti illa oportuit, nimirum in id, quod ea recipere est aptum, qualis est aer ambiens, in quo viuimus. Ac quoniam (vt recte inquit Galenus) oportet cor perpetuo feruere, satis autem est reliquas partes non frigere, ob id opus fuit quoque aere, ex quo frigidiorem substantiam attrahamus, qua feruor ille temperetur, hinc respiratio, arteriarum motus, corporisque vniuersi transpiratio à natura animali sunt comparata, vt illud vndiquaque tuto posset externi aeris consortio. Nam qui in corde est spiritus & calor, respiratione, qua immittitur aer, & in illũ emittitur acre, & fuliginosũ excrementum, seruatur: qui vero in arteriis est, illarum motu, quo expelluntur eadem excrementa, & intromittitur aer, incolumis perseuerat. Vt enim inquit Galenus ignis ventilatione accenditur, ita cordis, arteriarumque motu duplici, tanquam propria, naturalique exercitatione, calor instauratur, & fouetur: qui vero in singulis animalis partibus residet calor, respiratione, cordis participatione, qua aerem sentiunt, in cor attractum ob vicinitatem, tum etiam arteriarum propriarum motu, & transpiratione seruatur, roboraturve. Ac vt certum est, calorem partium respiratione, & pulsu arteriarum regi, ita illud argumento est, transpiratione opus esse, quod constricta cute intus calor, & spiritus accendantur, & corrumpantur; ea vero nimis laxata, & aperta, eadem exhalent: tanquam opus sit moderata illa difflatione, quam per corporis externas partes fieri experimur. *Iam vero mouetur innatus calor extra (*vt diximus*) suapte natura, & à partibus externis dum agere volunt, nec non ab internis eum impellentibus, vt in ira, & gaudio fieri contingit; præterea à partium externarum calore: intro vero ducitur ob actionem internarum partium, & ocium externarum, aut earundem imperium; aut quod extrinsecus repellatur, aut quod desit subiectum; vel à cordis passionibus, vel à calore internorum viscerum: per vniuersum vero corpus æqualiter spargitur, corporis motu, aut dum vitalem animæ partem validius concitamus, vt in ira contingit: denique ab illis causis, quas paulo antea diligentius sumus prosecuti:* obruitur vero materiæ copia, inopia vero alimenti languescit: redundantibus autem in corpore excrementis nunc accenditur, nunc suffocatur, pro natura, & copia illorum. Quamobrem is optimus caloris natiui custos fuerit, qui recte nutriet corpus, & partes singulas moderate exercebit: ne nimio ocio desinat ferri ad partes quiescentes; neue nimio labore dissoluatur illius substantia. Qui enim alimentum suppeditabit idoneum, & recte calorem mouebit, simul is efficiet, vt excrementa nequaquam obesse possint.

Respirationis modus, arteriarum & transpirationis totius corporis vsus.

Cur & per quæ mouetur calor innatus extra.

Per quæ intro.

Et per quæ per vniuersum corpus æqualiter spargatur.

CAP. XI.

Quonam modo Somnus à calido natiuo fiat.

SOmnum fieri à calido natiuo influente, iam docere aggredior: id quod ostendit primum somni ipsius natura & generatio: quoniam enim per somnum ociantur omnes sensus, communem causam esse necesse est, qualis est hæc; & quoniam subito fit, subitoque soluitur, & rursus redit, & abit, minimo temporis momento, ob id constat, non nisi motu id fieri posse: nulla autem ex causis necessariis ad sensum est, imo nihil aliud in corpore est, quod aptum sit, tam celeres subire mutationes, quales somnus, & vigilia requirunt præter ipsum innatum calidum, quod suapte natura mobile existit, & vt commune instrumentum in omnibus partibus seruit, ita vt ab illis alliciatur, cum illarũ vsus postulat, & repellatur,

latur, quando eo non est opus. Deinde videmus, animi defectum, timorem, verecundiam, iram, gaudium, tristitiam, rigorem, per febres, & postea calorem, aliasque vniuersas animi corporisq; passiones, quæ celerem, & propemodum momentaneam generationem, & recessum habent, huius calidi vi, & motu fieri: vt merito quoque putandum sit, somni, & vigiliæ eandem cum illis causam esse. Addo, quod vigilantium facies, & externæ aliæ partes rubræ sunt, & secundum cuiusque naturam bene coloratæ; pallescunt vero, & liuescunt illæ in dormientibus; id quod aliter fieri non potest, nisi quod in his sanguis vniuersus, aut tenuior, spirituosiorque illius portio, ad internas partes sese recipit: in illis vero ad externas erumpit: *Fit ergo somnus & vigilia omnis ab vnica immediata, & communi causa, nempe calidi influentis a corde motu*: eo enim sensoria vniuersa simul non sentiunt, quod vim sentiendi hoc calidum ad ea non ducat: aut quod illa vis, vt nec alia corporis facultas, absque illo exerceri non possit, sensum vero tunc illa recipiunt, cum in illa influit calor huiusmodi, sic enim nunc in partib. internis, nunc vero in externis membris, affluit calor, eodem pacto, per timorem ociosa redduntur externa membra, *recedente nimirum innato calido ab illis ad interna viscera*: per iram vero externis partibus additur robur, *quoniam hoc calidum extra erumpit: facit ergo vigiliam motus calidi ad sensoria: somnum vero eiusdem pariter recessus, & absentia*: quo fit, vt Aristot. male in communem sentiendi vim, quæ in omnes sensus spargitur, causam illorum reiiciat, dicatque, illam affici, & eius defatigatione alios sensus fatigari, suaque officia deserere, non enim vis illa singulis sensibus deest primo & per se, aut per suam affectionem, sed quod ei deficiat calidum innatum, cuius motu, & præsentia, ea in singula sensoria vim suam spargit, in illisque exercet. Addo, quod, eo autore, nec anima, nec animæ facultates defatigari possunt, si modo instrumenta perstant valida ad sua officia obeunda. Nam, vt ille dicere solet, senex videret vt iuuenis, si oculum iuuenis haberet; tanquam eadem sit, & tam valida in vtroque facultas, quæ idem nequit facere, ob instrumentorum differentiam, verum etsi præsentia, & absentia influentis calidi à sensoriis, causa est vigiliæ, & somni: tamen non vnica est causa, & ratio, quæ facit, vt illud nunc præsens sit, nunc absit: Plura enim sunt, & illa quidem inter se genere discrepantia, quæ remouent, & adducunt hunc calorem, quantum ex eo necessarium est ad actionem singulorum sensuum exercendam: Non enim ita intelligendum est, calidum innatum influens externa membra prorsus deserere, cum dico, illius absentia somnum excitari; quandoquidem pulsus, & calor, qui in singulis membris percipiuntur, dormiente homine, docent, illa non esse prorsus eo calore destituta, sed non sufficit quilibet calor ad sensum, & motum: quod testatur timor, in quo extrema membra contremiscunt, vacillantque, nec vident oculi, aut aures audiunt, id quod sane accidit, nõ, quod ea membra plane priuata sint calore influente, sed quod minus, quam necessarium sit, in illis relinquatur, dum ipse calor ad cor confugere cogitur. Porro deest calidum influens sensibus, eo quod à corde, suo scilicet fonte, ad sensoria non perueniat, id quod fit, vel quia illud fit ad motum, & ascensum redditũ ineptum; vel quod alio reuocetur, vel quod illi via sit occlusa, per quam transire solet, vel quod deorsum pellatur, vel quod non alliciatur, ducaturve ad sensoria, vel quod non impellatur ab aliquo sursum. Cum enim contrariis his modis motus eius liber fiat ad sensoria, optima ratione fit, vt aliquo istorum deficiente, sistatur illius motus, atque ita sensus fieri desinant. Ac omnibus quidem his modis somnum fieri, facile est docere. Nam inepta redditur illius substantia ad motum in externas partes, & sensoria, vel quod illa concreta sit, & densata refrigerataque: siquidem densitas, & frigus immobilitatis, raritas, & calor motus, causæ sunt, vel quod diminuta, dissoluta, imbecilliorque sit reddita; adeo, vt nequeat vsque ad sensoria extendi: vel quod alio motu feratur, quam recto. Nam ex obliquo, circularique rectum illius iter ad sensoria impeditur. Ac opium, cicuta, mandragora, lactuca, aquæ potio, & alia, tum alimenta, tum medicamenta, quæ intus assumuntur, refrigerandi vi prædita, somnum & soporem inducunt, *quia spiritum, calidumque innatum refrigerando reddunt inepta ad motum*: Eodem pacto, quæ foris adhibentur refrigerantia, vt lotiones extremorum ex rebus refrigerantibus confectæ, somnos conciliant, quod per venas, arterias & neruos frigus transmittant ad cor, atque adeo in vniuersum corpus, quo quidem innatum calidum pariter inhabile ad motum redditur. Dolor vero, vigilia, labor, inedia, tristitia, ira, venæ sectio, purgatio, venus, flatus, & vt semel dicam, ea, quæ sanguinem & spiritus quocunque modo digerunt, & absumunt, somnos afficiunt, *eo quod languidius reddatur calidum innatum, adeo, vt nequeat ad sensoria ascendere*, aut certe non possit diutius illis ministrare: quo fit, vt illud in visceribus internis, suisque fontibus, nempe hepate, corde, & ventriculo quodammodo concludatur, & interim si quid in illis locis, vbi nutrimentum abundare solet, nondum plane confectum reperiat, illud in sanguinem mutet, quo refocillatum, & auctum, postea reddit ad sensationes & alias animales actiones peragendas. Vnde videmus, ex labore sequi somnum, ex somno vigiliam, & animalia validiora reddi. Hanc causam explicauit Lucretius his versibus:

Principio somnus fit, vbi est distracta per artus
Vis animæ: partimque foras eiecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum,
Dissoluuntur enim tum demum membra, fluuntque.

Propterea recipienda nõ est Aphrodisei opinio: ille enim *septuagesimo primo problemate libri secundi*, vbi quærit, cur somnum lassitudo efferre possit, reddit hanc rationem: ex lassitudine siccari corpus, siccitatem calorem abolere, quippe cum humor caloris sit nutrimentum, caloris autem abolitio frigus augeat, hoc vero somnum parere. Nam cum ille antea ob humorem & vaporem somnum creari docuerit, principia sua nequaquam seruat: nimirum somni causam hic sumens à frigiditate. Deinde plurimi sunt, qui post laborem, & lassitudinem dormiant, multo tamen humore

Somni & vigiliarum communem & immediatam causam esse motum calidi influentis à corde.

Cur per timorem externa membra reddantur ociosa, per iram vero robustiora.

Cur in timore membra contremiscant, & nec oculi videãt, nec aures audiant.

Somni varia causa.

Quando substantia calidi influentis ad motum versus externas partes reddatur inepta.

Quomodo frigida assumpta inducant somnum, cur itidem frigida exterius admota.

Quomodo sanguinem quocunque modo digerentia & absumentia.

Opinio Aphrodisei de causa somni ex lassitudine reiicitur.

adhuc pleni; adeo vt nulla euidens exficcatio adsit, quæ calorem abire cogat, frigusque augeat: hoc enim non per omnem humoris consumptionem, sed eius potissimum, qui in singulis membris est insitus, exuberare est aptum: hoc enim modo senum corpora frigida euadunt; cum defectu vero aliorum humorum, etiam acris calor consistere potest, sicut in biliosis naturis, & morbis apparet. Igitur ex labore absumitur quidem humor, at non ob siccitatem, aut frigiditatem corporis somnus accedit, sed quod spiritus, & calidum innatum influens dissolutum, vt diximus, ad suos fontes contrahatur, cuius opinionis quoque fuit Galenus.

Cur vero cogitatio, & lectio, aliquando somnum, aliquando vigiliam pariant, docere nititur Aristoteles, *septimo problemate decima octaua sectionis*, causamque sumit ex motu spirituali, & intelligentiæ: ac multa alia eo loco affert, quæ aut obscuriora sunt ipsa quæstione, aut certe non pendent ex principiis, quæ ille alibi de somno posuit, vniuersa ex vapore sumpta. Nos crassius fortasse, quam ille, sed clarius aliquid dicemus, in quo animus quiescere possit. Igitur videndum est, qualis sit lectio, cogitatio, & quomodo sit corpus affectum, quando legimus, aut cogitamus. Nam si acerrima, atque attentissima sit cogitatio, & lectio, vigilia primum fit, eo quod illæ ob vehementiam actionis, & obiecti, ad externas partes calorem commoueant, vbi mens, & sensus exercentur: At si remissæ fuerint, cum nihil habeat calor, quod illum cogat in illis partibus versari, facile contrahitur in viscera, vbi vel concoctio, vel aliud adest, quod calorem ad suos fontes retrahat. In corporibus plenis cibo, & potu cogitatio, & lectio somnum inuitant, propterea *quod vna cum calore, vapores ab infernis partibus alliciant, à quibus caput repletur, & grauatur, obstruiturque ipsi calori via, ex qua re ipse impeditur in sensoriis versari; nisi vehementia obiecta cogitationis præualeant, cogantque calorem consistere, sine quo actio nulla fieri potest:* tunc enim vigilia fit, vincente eo, quod ad externa calorem mouet. In corpore vero exsiccato, *non ob vapores, sed ob caloris debilitatem, & resolutionem* cogitatio somnum parit, præsertim si longa fuerit: breuis autem vigiliæ est autor; quia calorem ad externa membra commouet. Videndum ergo est, quid calorem moueat extra, quid intro contrahat, quid maiorem vim intus habeat, aut quid foris patiatur corpus, ex quo caloris motus concitari, aut impediri valeat, ac tunc demum intelligemus, cur desinant aliquando externæ actiones, aliquando internæ exerceri.

Cur in repletis cibo cogitatio & lectio pariant somnum.

Cur in exsiccatis.

Porro circulares motiones somnum pariunt (vt diximus) eo, *quod innatum hoc calidum distrahatur à sensoriis, quo fertur recto itinere*; sic enim experimur post saltationes, & choreas, quæ in circulum obeuntur, somnum obrepere. Idem faciunt fere motiones reliquæ, quæ multiplices, variæque sunt. Distrahunt enim minimo temporis interuallo nunc in vnam, nunc in aliã partem capitis spiritum, calidumq; innatum. Vnde sensus communi instrumento destituti, agere nequeunt, atq; ita somnus fit. Aphrodiseus vero *centesimo vigesimo problemate libri primi*, credit infantes ex motu, & vacillatione somno corripi, eo quod per huiusmodi agitationem humores commoueantur à cerebro; quod quidem mihi omnibus commune nequaquam videtur; sed iis duntaxat, qui perhumido, & pituitoso sunt cerebro. At mirum si saltationes circulares ob humorem aliquem somnum faciant; quare probabilius esse puto, in omnibus, qui ex huiusmodi motionibus sopiuntur, causam ponere *ex impedito cursu caloris, ob eius distractionem*, &, vt ita dicam, *flexuosum iter*.

Cur motus circulares pariant somnum, Cur item motiones reliquæ.

Infantes cur motionibus sopiantur.

Iam vero ob reuocationem caloris somnum fieri, ratio docet: Nam quod in vno negocio versatur, aliis simul seruire commode nequit; Vnde studiosi literarum cruditatibus laborare solent; quia calorem à ventriculo reuocant ad cogitationes. Porro calor distrahitur pari ratione à sensoriis ad concoctionem nutrimenti obeundam in vẽtriculo, & hepate: Vnde videmus fieri, vt ingesto cibo, etiã siccissimo, ex quo nulla, aut certe magna vis vaporum attolli ad caput non potest, somnum excitari; eadem ratione, vbi crassi frigidique humores internas partes infestant, vel vrget inflammatio, somnus expetitur; non ob aliam (vt arbitror) causam, quam quod calor natiuus (vt ita dicam) reuellatur, ducaturque à sensoriis, ad ea vincenda, quæ illius opera ad concoctionem opus habent. Eodem pacto frictiones, lotiones calefacientes, quæ extremis corporis partibus adhibentur, somnum efficiunt, *quod calorem deorsum trahant, & à capite, sensoriisque reuellant.*

Quomodo fiat somnus per caloris reuocationem.

Quomodo per frictiones & lotiones calidas extremarum.

Cur vero titillatio, & fricatio plantarum somnum afferant, quærit Alexander Aphrodiseus *problemate quadragesimo secundo libri secundi*, aitque, illius rei hanc esse rationem, quod cum extrema neruorum eo concurrant, & coeant, per illos ea pertrectatio leuis ad cerebrum vsq; transmissa permulceat animum, atque ad requiem, & somnum inuitet: Addit quosdam esse, qui credant, per huiusmodi titillationes & fricationes humores ad extremas eas partes delabi, & rursus eosdem remeare per neruos ad cerebrum, quod humore repletum somnum facit. At si ille antea posuit, somnum ab humore replente caput fieri, causam somni nequaquam quærere debet ex animi quiete, & (vt ita dicam) demulcentia. Docendum præterea esset, quomodo hæc animum demulceant, & ex hoc sequatur requies, & somnus. Eorum vero opinio, qui putant, deferri ad neruos à corpore, & ab illis eosdem cubi ad cerebrum, & hoc ipsum repleri eo humore, tam absurda est, vt superfluum sit eam refellere: quantam enim humorum copiam, à qua cerebrum repleri possit, sentimus commoueri ex huiusmodi titillationibus? & quo pacto potest per neruos densos, & solidos, à pedibus ad caput efferri tantus humor? quare non alia ratione arbitror ab huiusmodi titillationibus leuibus, & blãdis somnũ conciliari, quam *quod calor contrectatione partis maxime neruosæ, quæ corpus plurimũ afficere solet, dolore, voluptate, & omni alia affectione reuocetur à sensuum fonte*, ex quo fit, vt antea diximus, somnus.

Cur ex titillatione & frictione plantarum. Secundum Aphrodiseum.

Secundum autorem.

Verum non omnia, quę calorem reuocant ad internos corporis locos, somnos pariunt: sed *quæ moderate id faciunt*, vt alimentum, & reliqua, quę ob concoctionem calorem ad se aduocant:

Non omnia, quæ calorem reuocant intro, parere somnum, & quæ ex illis eundem parere possint.

cant: Nam quæ ob cordis passiones, vt timorem, syncopen, fit reuocatio, non caloris, sed insensibilitatis, & immobilitatis est causa.

Quæ calori ad sensoria ascendenti viam occludant, itaque soporem inducant.

Cæterum calido innato ascendenti, & ad sensoria properanti, via occluditur à comprimentibus, obstruentibus, densantibus, & adstringentibus: Etenim vulnerantia, contundentia capitis ossa, aut pituitosæ inflammationes, quæ cerebri portionem aliquam occupant, cuius pondere cerebri cauitates occluduntur, comprimendo, sopores inducunt: humores vero & vapores multi, crassi & viscidi easdem occupantes, obstruendo, calori, & facultati viam occludunt. Quamobrem à pituita, & vaporibus eleuatis à cibo, & receptis in cerebro, somnos fieri dicimus, non quod illi descendendo per venas, calorem ad cor repellant, sicut Aristoteli placet, sed quod cerebri, à quo sentiendi vis emanat, meatus per quos calor & facultas ad neruos spargitur, obstruant. Hac etiam ratione (vt pulchre docet Aphrodiseus *problemate octuagesimo sexto primi libri*) Sol his, qui caput habent pituita plenum, somnum parit, scilicet humore ipso fuso, ex quo postea cerebri cauitates replentur: illis vero, quorum caput huiusmodi humore vacat, aucta siccitate, vigiliam facit. Hanc caussam etiam expressit Lucretius, cum ait:

Sol quomodo & quibus pariat somnum, & quibus item vigiliam.

Deinde cibum sequitur somnus, quia quæ facit aer,
Hæc eadem cibus in venas dum diditur omneis
Efficit, & multo sopor ille grauissimus extat,
Quem satur, aut lassus capias: quia plurima tum se
Corpora conturbant magno contusa labore.

Quomodo frigida ceruici admota.

Quę vero ceruici adhibentur, & iugularibus venis, ac arteriis ascendentibus ad caput, refrigerantia, & adstringentia, densando, vel etiam comprimendo, calori aditum intercipiunt.

Iā vero calorem repellunt à capite refrigerantia, quæ et extrinsecus adhibentur: cogunt enim illa deorsum abire calidum innatum; etsi videntur alia quoque ratione somnum inducere, nimirum quod immobilem reddant illius substantiam. atque hoc modo oxyrhodinum, hyems, pluuia, & alia extrinsecus refrigerantia, somnum inducunt. At tenebræ, nox, silentium, somnos pariunt, quia externa spectacula, & obiecta sensum animant: vnde *cum desit id, quod sensoria, & sensum ad agendum monet, calidum ad internas partes*, vbi semper aliquid est, quod concoqui, elaborarique possit, *reuocatur*, ne quid ociosum in natura sit. Ad hunc sane modum commode redigi possunt aquæ decurrentis, aut ex alto ruentis strepitus, suauis cantus, & Musica: *Distrahunt enim animum ab hac cogitatione, nec sensum aliquem vehementer occupant*, præsertim vbi prolixius fiunt; quo fit, vt calor ad interiora se recipiat, externo negocio solutus: Vnde videmus à prædictis rebus non protinus somnum nasci, sed tandem obrepere, tanquam necessarium sit, dulcedine illorum primum affici, & postea colligi animum, ac calorem ad cogitationes, sensationesque exercendas, deinde in ocio quodam collocari, ob ocium externarum partium, eo quod minus illa afficiant, & moueant sensus: postremo recessum calidi à interna viscera fieri, quo tempore iam somnus obrepit. Voluntas vero, & ratio, quæ somnum aliquando imperare videtur, cum animus variis cogitationibus torquetur, vigiliæque est causa, id faciunt (mea quidem opinione) *vel quod remoueant obiecta cogitationum, & sensuum*; quę enim molesta sunt, repellimus à cogitatione, dum somnum captare volumus; *vel quod innatum calidum deorsum impellant, descendereque cogant*, tanquam mobilem substantiam, quæ omnibus facultatibus parere est apta, & nata, vt enim ratio & cogitatio illam ad se aduocant, & (vt ita dicam) imperant, vt adsit sensoriis, vbi vigilandū est, ita vbi illa somnum necessarium iudicat, cogit calidum recedere à sensibus, & in partes internas se recipere, vt somnus fiat. At per iram, gaudium, risum, & alias huiusmodi cordis, vel aliorum viscerum passiones, vigilia fit, quod calidum innatum à suis fontibus ad sensoria impellatur; vbi vero sedatæ sunt huiusmodi perturbationes, somnus obrepit, *quoniam dissoluta in huiusmodi motionibus calidi substantia, colligitur in suis fontibus, atq; ex alimento illic reperto, & confecto* (vt in aliis fieri diximus) *augetur.* Ac ex his quidem patere puto, somnū, & vigiliam defectu, & abundantia calidi influentis circa sensoria fieri.

Quomodo nox, tenebræ, silentium.

Quomodo strepitus aquarum, suauisque cantus & Musica.

Quomodo voluntas & ratio.

Cur post motus animi obrepat somnus.

An vero calidum eiusmodi solum desit sensoriis, & origini sensuum, an etiam cōtrahatur versus cor, & vicina cordi viscera; præterea, quæ sit contractionis causa, & ratio, nunc docere aggredior.

An calidum influens in somno solum desit sensoriis & origini sensuum, an vero etiam cōtrahatur versus cor & ei vicina viscera.

Docent autem calidum eiusmodi non solum deserere externa membra, sed etiam in profundum corporis contrahi, hæc: & illud primum, quod dormientes frigidiores, decoloratiores, liuidioresq; appareant: quod signum est, calidum influens reliquisse extremas externasq; partes: ostendit præterea idem concoctio, quæ in ventriculo, hepate, & internis aliis cauitatibus, per somnum fœlicius obitur, quā per vigiliam: quod quidem fieri nō posset, si aliarum partium calor, ad illas non se reciperet. Testatur hoc caloris augmentum in dormientibus etiam expiratio, quæ maior est, quam in vigilantibus, eo quod ex plurimo calore gignantur plura excrementa fuliginosa, quæ maiorem expurgationem desiderant. Igitur contrahi calidum in omni somno (quoniam hæc, quæ diximus, in omnibus dormientibus apparent) certum est. At hoc, non perinde constat, quænam sit, & an vnica sit contractionis ratio.

Quænam sit & an vnica sit contractionis caloris ratio.

Auerroes *in suo Colliget*, & *in commentario libri Aristotelis de somno, & vigilia* ait; dilatationē caloris naturalis in partibus extremis, non fieri nisi propter augmentum quantitatis ipsius: contractionem vero eiusdem, ob diminutam quantitatem, & hanc necessario fieri à frigiditate, & humiditate, illā vero à caliditate, & siccitate. Quando enim, inquit, calidum innatum frigiditatem, & humiditatem acquirit, diminuitur à sua quantitate, & ita reuertitur ad suam radicem: cuius quidem opinio recipienda non est: Nam etsi somnus aliquando fit diminuto calido innato, & contracto ad viscera interna; vigilia vero eodem aucto, & exeunte ad externas partes, tamen non semper hæ sunt harum affectionum causæ: Nam qui exsiccati sunt, propemodum consumptam habent huius calidi substantiam, tamen vigilant: contra vero dormiunt hi etiam, quibus pluri-

Auerrhois opinio reiicitur.

Quæ in omni corporis statu sint somni & vigiliarum causa.

mum inest calidi innati, qualia sunt sanguinea, & plena corpora. Pariunt vigiliam in omni corporis statu *obiecta sensuum, externaque irritamenta.* somnum vero, *tenebræ, & quies*, quæ causæ vt etiam multæ superius adductæ, ad copiam & inopiam calidi natiui nequaquã redigi possunt. Nec illud quidem verũ est, huiusmodi substantiam à frigiditate, & humiditate minui, augeri autẽ à calore & sicco. Repellitur quidem à frigido, & adiuncto humore clauditur illi via: augeri autem illam necesse est, accedente humore, qui omnia replet, & auget. Sic calor, & siccitas faciunt ad illius motum: verum non augent substantiam, quam potius digerunt, & absumunt, vt ostendũt labor, cogitationes, & reliqua, quæ calefaciendo & siccando calidum innatum absumunt. Galenus *libro tertio de causis pulsuum* scribit, naturalem somnum fieri, cum calor natiuus ex fatigatione, & nimia siccitate, ad alimentum se conuertit: somnum vero comatosum fieri, impedito motu calidi natiui, ob immodicam humiditatem: vigiliam vero naturalem, quam γρήγορσιν vocant Græci, scribit fieri, cum natiuus calor acquisita copiosa humiditate in visceribus, foras exit. Huic autem contrariam, quam ἀγρυπνίαν illi, nostri vero interpretes vigilantiam, nunc vigiliam, vt aliam, non sine errore, & magna confusione appellant, desiccato, & quasi inflammato natiuo calore, committi tradit. Qui etsi multo melius, quam Auerroes sentiat, tamen in eosdem errores incidit: neq; enim omnis somnus fit, ita cõtracto calore, vt ex nimia siccitate debilitatus, quærat in partib. internis alimentum, aut quod ob nimiam humiditatem nequeat egredi: nam cum tenebræ, musica, strepitus aquarum, circulares motus, voluntas, somnum conciliant, nemo negabit, naturalem, vtilemq; illum esse: quẽ tamen nemo agnoscere potest, nasci ob siccitatem calidi, & alimenti necessitatem. Scribit idẽ autor *multis locis*, sopores somnosq; præter naturam excitari ex contusionibus cerebri, adeo, vt vna non sit causa contractionis caloris, & somni præter naturam, quę sumitur ex humiditate, impediente caloris motum. Præterea in huiusmodi somno, docet quidem id, quod impedit caloris motum ad sensoria; at non docet, cur etiam in hoc calor non solum impediatur, sed etiam contrahatur. Verum ne longius res progrediatur, docere aggredior, quid sentiam de causa huius contractionis, quæ (meo quidem iudicio) vnica esse non potest, communis omnibus causis somnum facientibus. Nam vbi deest substantia, contractionis causa est defectus subiecti, sine quo nequit calor consistere, & vniuerso corpori communicari. Cum vero reuocatur calor ob actiones internarum partium concoctionemq; ventriculi somnusq; fit, contractionis causę sunt facultates illarum partium, quæ instrumentum, sine quo agere nequeunt, ad se aduocant. Cum autem somnus fit ab his, quæ calorem repellunt, contractionis causa nota est, à contrario pellente, & internis partibus attrahentibus, quod ab externis reiicitur, ne torpescat naturę instrumẽtum. Cum vero nascitur somnus, eo, quod calori via sit occlusa, vel desit in sensoriis, quod illum moueat, & alliciat, aut impeditur illius motus recta ferri, vt oportet ad sensoria, contractionis vna est causa, ne quid fiat ociosum in natura: Vbi enim non habet, quod agat calor, aut impeditur agere in externis membris, ille ea merito deserit, ad internasq; partes se recipit, ab illis reuocatus, vt interim cum nihil habet, quod alibi agat, non torpescat, quod à natura ad continuum motum & negocium est comparatum. Seruit ergo tunc calor internis partibus, vbi, vt antea diximus, semper aliquid esse solet, quod concoquat, & ad sui conseruationem pabuletur. At vero cum somnus fit, refrigerata, concretaq; calidi substantia, vt solus hic non est sopor, sed etiam immobilitas quædam, ita nec cõtractio vlla fieri videtur. Substantia enim quæ hoc modo afficitur, inepta est ad contractionem, & alium omnem motum, propterea videmus, eos, qui largius sumpserunt papauer, aut aliud, quod vehementer refrigeret, immobiles reddi: nec illis conferre calorem ad aliquam actionem: tanquam sic ille vbiq; redditus ineptus ad omnes functiones exercendas: quod si parcius illa sint adhibita, veluti cum ægris exuperantem vigiliam eorum auxilio compescere volumus, tunc vt somnus vtilis concilietur, sic impeditur calor extra ferri, & ob eam rationem, quod nequeat agere in externis partibus, ad internas reuocatur. *Quo fit, vt contrahatur calor in somno, vel defectu subiecti, vel quod repellatur, vel quod reuocetur ad suos fontes:* cum ille nequit agere in sensoriis, aut illi ad suas functiones communi hoc instrumento maxime opus habent.

Galeni opinio de causis somni & vigiliarum naturalium & præter naturam.

Refutatur.

Opinio autoris: Causam contractionis caloris in somno non esse vnicam omnibus somni causis communem.

Calor cur in somno contrahatur.

Cap. XII.

De definitione Somni & Vigiliæ.

QVid somnus, & vigilia sint, non facile est docere. Nam si antiquos de hac re scriptores consulamus, difficile erit inuenire, quodnam sit illorum genus. Etenim Aristoteles vt videre licet *in libro de somno, & vigilia*, varias de his tradit definitiones: nam aliquando somnum dicit esse *immobilitatem quandam, & quasi nodum, & vinculum sensus: eiusdem vero exolutionem, atque relaxationem*, vigiliam. Aliquando vero somnum & vigiliã pronunciat esse *affectiones communis sensorii, siue facultatis, quæ de singulis sensationibus iudicat*, quæque illis præest, & ad quam cæteri sensus sese conferunt: huius enim impotentiam, & lassitudinem quandam, somnum esse; si modo ea nascatur à vaporatione alimenti. Definit & ille, somnum esse *contractionem quandam caloris ad intima refugientis, & naturalem antiperistasim*, ob decursum humoris à capite versus cor, natam: habet & *eodem loco*, somnum esse *refrigerationem.*

Opinio Aristotelis.

Verum hæc ex ipso etiam autore refellere licet. Scribit enim ille *lib. sexto Topicorum*, vbi definiendi rationem docet, omnem dispositionẽ, siue affectum, in eo natum esse fieri, cuius est dispositio, & affectus: propterea eos errare, qui dicunt, somnum esse impotentiam sensus: non enim somnum hoc ipsum esse: quandoquidem somnus non inest sensui, & ob id illius impotentia esse nequeat, sed alterum efficere alterum: aut enim propter impotentiam nos dormire, aut propter somnum impotentes reddi: Ergo somnus nec impotentia, nec vinculum, nec nodus sensus dici potest esse, quia in il-

Eius refutatio.

in illis non est somnus: aut si est, perperam hoc A refellit *in Topicis*, vbi peculiariter rem hanc tractat. Facit eadem ratio aduersus eam definitionem, quæ dicit, esse contractionem caloris: nam si dispositiones sunt in eo, cuius dispositiones esse dicuntur, erit vtique somnus in calore, aut caloris contractione; quod absurdum esse, quilibet statim agnoscit. Vt enim negat ille, somnum esse insensibilitatem, eo quod ille hanc, aut hæc illum pariat; ita somnus nequit esse caloris affectio; quippe cum calor, dum contrahitur, somnum efficiat. Non erit quoque somnus antiperistasis, nec refrigeratio: nimirum quod hæc somni sint causæ. Igitur Aristoteles somnum definire nequaquam potuit; aut certe suas definitiones ipse improbat. B

Sententia Galeni.

Galenus, vt raro aggreditur docere, quid hæc sint, ita, vbi hoc tentat, fatetur, se ignorare, quodnam sit illorum genus. Nam in *libro de instrumento Odoratus* scribit, haud facile esse iudicare, an somnus naturale sit opus, vel actio, vel passio.

Auerrhois.

Auerrhoes vtitur definitionibus Aristotelis; addit tamen aliam ipse definitionem: somnum, inquam, esse reuersionem sensuū ab instrumentis propriis, ad partem internam corporis. Sed hanc definitionem eadem refellunt argumenta: *Refutatur.* Non enim somnus est in sensu, aut in recessu sensuum: præterea non sensus ipsi, aut sentiendi vis recedit à sensoriis, & contrahitur in viscera per somnum; sed (vt antea ostendimus) ipsum calidum innatum. C

Montani.

Montanus *in arte medicinali* asserit quidem, Galenum ignorasse, quid sit somnus, non tamen rectè sentit, cum ait, somnum & vigiliam passiones esse, ea ratione adductus, quod somnus liget sensus, vigilia vero eosdem exoluat: à quibus postea sequuntur (vt inquit) Actiones: non enim somnus sensus ligat, nec vigilia eosdē exoluit; sed ad sensuum ligationem, & exolutionem sequuntur somnus, & vigilia.

Autoris.

Ego vero cum horum naturam sæpius expendo, & animo reuoluo, nihil inuenio in rerum natura, quod illis subiiciatur distinctum ab actione & cessatione sensuum; sed duntaxat nomina esse sensationis, & certe quietis ipsorum D sensuum: nam qui sentit, vigilat, & qui vigilat, sentit, ac præter ipsum sensum internum, aut externum, nihil aliud mente concipere possum, in quo vigilia ponatur: eadem ratione cessationem sensuum *a certis causis* factā, somnū vocamus, dicimusq; illos dormire, qui *ob eas causas* nequaquam sentiunt; adeo, vt somnus *species quædam sit insensibilitatis, siue quietis, & priuationis ipsius sensus, vigilia vero sensatio aliqua*: quo modo vita quoque ipsa nihil aliud re vera est, quam *ipsum esse in animalibus, & in plantis, & mors non esse.* Sunt ergo hæc diuersa nomina eiusdē rei, *sentire, & vigilare; non sentire ob certas causas, & dormire.* Quod si hęc opinio non placet, & rē aliquā concipere potes distinctam à sensu, & illius priuati- E one, quæ somno & vigiliæ subiiciatur, dicas, si placet somnum esse *affectionem*, siue *dispositionem, quæ ex sensuum quiete, facta à certa contractione caloris nascitur; vigiliam vero affectionem, quæ sensationem sequitur, ex caloris motu ad sensoria.*

Somnus quid.

Quid vigilia. Quid vita & mors.

CAP. XIII.

De somni & vigiliæ naturalis causis.

PLura esse, & illa quidem diuersi generis, quæ animali somnum conciliare possunt, antea abunde satis à nobis ostensum esse puto. Verum cum inter somnos, quidam naturales sint, alii vero præter naturam, alii inter hos medii, quos & neutros, Medicorum vocabulo, vocare placet; sequitur explicandum, à quibus nam causis somnus quilibet nascatur, an scilicet ex omni genere prædictarum rerum sumi possint, quæ omnem somnum committant: an potius à certis causis fiāt ii, ab aliis vero illi. Qua quidem in re, illud primum docendum est, quid per naturalem, præter naturam, & neutrum somnum intelligere oporteat.

Definitio somni & vigiliæ naturalis ex Aristot.

Solet Aristot. eas affectiones naturales vocare, quarum insitum est nobis à natura principiū: violentas vero & præter naturam, quarum extrinsecus principium, & causa est; sic enim mortem naturalem, & præter naturam definit *in libro de Vita, & morte.* Quam quidē definitionem nequit tueri in somno, & vigilia. *Reiicitur.* Nam etsi vapor, qui ascendit à cibo ingesto ad cerebrum, somnique causa ab eo esse dicitur, *intrinseca* res est, tamen non est res *insita* eo modo, quo mortis, & vitæ causæ insitæ agnoscuntur: hæ enim à primis rerum principiis ducūtur, dum nostrum corpus ex illis conficitur: ille vero ex cibo assumpto generatur, internumque est, quod paulo ante externum fuerat. Ac multo quidem minus secundum eam definitionem existimare oporteret somnos naturales esse, quos vigilia, cogitatio, inedia, cæteræque animi, & corporis pariunt motiones, quæ ex nobis ipsis, nostrisq; principiis excitantur. Verum absurdum forte videbitur, si eos somnos, qui ab his causis fiunt, credamus semper esse secundum naturam; alios vero, qui à reliquis causis nascuntur, ab hac cōditione excludamus. Nam ex immoderatis vigiliis, cogitationibus, immoderati somni excitantur, quos secundum naturam nemo vocare poterit, qui nouerit, id, quod secundum naturam est, opponi ei, quod est violentum: huiusmodi autem necesse sit esse, quod à subitis, magnisque causis excitatur. Quis vero eos vocabit violentos, & præter naturam somnos, quos pariunt cantus, frictiones, lotiones, strepitus aquarum, nauigatio, equitatio, & reliquę eiusmodi externæ causæ, quibus natura conseruatur in suo statu, beneque habet, ac finem consequitur secundum naturam? Quis non recipit illos inter naturales, quos anni tempora, & aëris constitutio secundum naturam, pariunt? nam & si extrinseca est eiusmodi causa, tamen cum perinde necessarius sit aëris vsus animantibus, vt alimentum, ratio vtique conuincit, vt non minus naturalem hunc somnum, quam alium putare debeamus. Quapropter videtur Galenus melius somnos, & alias affectiones naturales definire, *quod scilicet in corporibus fiant sanis, & secundum naturam habentibus, quique mediocres sunt, & vtiles animantibus, à moderatis, & vtilibus causis orti*: neutros vero & medios vocat illos, *qui recedunt quidem ab his, qui secundum naturam sunt, nondum tamen morbosi sunt reputandi.* Est porro de hac re locus apud

Definitio somni & aliarum affectionum naturalium ex Galeno. Item neutrarum.

Aphor. 3.

A Galenum *in commentario Aphor. secundi libri*, in quo scribit Hippocrates, *somnus & vigilia, vtraq; si modum excesserint, malū.* vocat enim illic Galenus graues, & præter naturam somnos, qui difficilem habent expergefactionem: quosdam vero ponit excedere modum naturæ conuenientem, qui longiores sunt, quam pro cuiusq; natura conueniat: tanquam hi neutri sint, vtpote, qui nondum existant graues, & morbosi, nec secundum naturam, cum modum ei conuenientem excedant: ex quibus relinquit intelligendum, eum secundum naturam censendum esse, qui moderatus sit, pro cuiusque natura; huiusmodi autem à moderatis, oportunisq; causis excitatur, nec vnquam noxius est animali.

Et præternaturalium.

B Quibus quidem ita definitis, constat, somnū naturalem non solum fieri à vaporibus, qui ex cibo ad caput attolluntur; quippe cum non solum ab illis, sed etiam ab aliis rebus intus, & extra positis, & magis quoque congenitis nostris corporibus, naturales somni (vt ostendimus) nascantur. Quapropter recte Galenus *in libro de causis symptomatum* Aristotelem reprehendit, alias afferens causas naturalis somni; sed meo quidem iudicio, perperam in hoc, quod dicat non esse somnum naturalem, quem vapores eiusmodi excitant. Si enim vtiles, & moderati somni à cibo moderate sumpto fiunt, quis negabit illos esse naturales? Nam etsi concedimus, in ebriis fieri ab excedente vaporum copia somnos, qui naturæ modum excedunt, non tamen propterea C ex hoc probant, nunquam fieri somnos secundū naturam, ab huiusmodi vapore. Perinde enim est, ac si quis dicat, exercitationem ea parere, quę sunt præter naturam in corpore, quod scilicet labor tales faciat effectus: nam eadem causa, nunc secundum naturam est, & aliquid facit, nunc præter naturam, prout excedit & deficit, aut mediocritatem conuenientem seruat; ex quo quidem patet non recte Galenum sentire, cum ait, somnum à vaporibus factum, secundum naturā non esse. Sed iam audiamus, quam velit ipse esse causam somni huiusmodi. Scribit *in lib. de symptomatum causis* ad hunc modum; *cerebrum vbi requiescere aliquantulum ab actione vult, naturalem somnum animali conciliat: quod etiam magis* D *facit, cum nutrix in eo virtus, copiosum, quo fruatur, humorem habet*; ex quo loco videtur asserere naturalem somnum fieri imperio & voluntate, &, vt semel dicam, vi cerebri, tanquam illius sit facultatis, somnum hunc conciliare: quod si id potest, cur etiam non imperabit somnos præter naturā? & cur eo inuito apparēt nunc hi, nunc illi somni excitati? Addo, quod naturales somni sæpe fiunt, vbi nec cerebrū, nec animal ipsum sunt defatigata: veluti cum ex sola concoctione alimenti, aut euaporatione nascitur. *In libro* vero *tertio de causis pulsuum* scribit, somnum secundum naturam fieri, cum natiuus calor ex fatigatione, & nimia siccitate, ad alimentum se conuertit. E Cum enim, inquit, natiuus calor opus habet copiosa humiditate, tunc in viscera, & ventrē se recipit, & fit somnus naturalis: vigilia autem succedit naturalis, cum ipse calor naturalem qualitatem ex humiditate recuperauit: quæ si vera sunt, nunquam fiet somnus naturalis, nisi his, qui ex fatigatione, aut alia exiccante causa dormire coguntur: quod absurdum esse videtur. Nam à

Somnum ex vaporibus factum etiā esse naturalem.

Opinio Galeni de causis somni naturalis.

Eius refutatio.

cibo cogitur homo dormire altos & suaues somnos, tametsi nulla præcessit fatigatio, vel siccitas natiui calidi, aut corporis. Quis vero negabit, vt diximus, illos esse secundum naturam, qui fiunt in pueris, aut in hyeme, vel vere, aut alia aeris constitutione, quæ peculiarē vim ad somnos conciliandos habere agnoscitur? aut quos pariunt tenebræ, cantus, nauigatio, & multæ aliæ ex prædictis causis: nam si huiusmodi somni mediocres sunt, & prosunt dormientibus, nascunturque à causis moderatis, iustum est, vt illos recipiamus inter affectiones, quæ secundum naturam esse dicuntur.

Montanus *in commentariis*, quos scripsit *in primos Aphorismos secundi libri*, ait, somnum naturalem fieri à vapore humido, qui eleuatur à corpore ad primum sensiterium; fieri autem ab eo somnum, quia condensatus in primo sensiterio, ipsum postea refrigerat, esseque vaporem hunc causam materialem somni; refrigerationem vero ipsius sensiterii formalem; efficientem esse naturalem calorem, mitem, & suauem, quia igneus nequit vapores facere: Scribit etiam *in illis locis*, naturalem somnum fieri à copia humoris vtilis venientis ad cerebrum, si humori adiungatur moderata frigiditas: & humiditatem esse causam materialem, frigiditatem vero efficientem: Frigidum enim ligare sensus, cum illius proprium sit, non mouere. Vigiliam vero dicit fieri à caliditate, & siccitate: ab illa quidem tanquam efficiente, ab hac tanquā materiali causa. Quinetiam idem autor, explicans *in arte medicinali* cerebri temperaturæ signa, refert, & probare nititur ex Galeno, vniuersa medicamenta humida, vel etiam moderate sicca, parere verum somnum; frigida vero committere stuporem; & merito, inquit, quoniam verus somnus fit ab humiditate, & non à frigiditate. Addit fieri somnū, sed breuem, vbi vel calor solus vel cum humiditate temperata coniunctus, in cerebro dominatur. Proponit idem autor *in aphorismo decimoquinto libri primi*, somnum, qui æstate fit, nō esse naturalem, & verum, quoniam oritur à vaporibus adustis: fieri vero eo tempore somnum, quod ob malas digestiones, potumq; plurimum, & multas herbas frigidas, quas tunc edunt homines, à debilitate caloris plurimi attollantur vapores, qui replent cerebrum, nō autem, quod refrigeretur thorax, & cor, vt voluit Alex. concedit tamen ille, eas partes refrigerari: contra vero in hyeme somnos esse naturales, & longissimos, quia homines tunc plus comedunt, & maior fit euaporatio, suntq; ipsi vapores suaues, & benigni: tunc enim cerebrum refrigerari, somnumq; generari, vt illos vapores concoquat. Est locus alius apud illum *in fine explanationum*, quas fecit *in tertium primi de morbis vulgaribus*, vbi scribit, somnum fieri à refrigeratione primi sensorii moderata, à qua contemperatur calor: non enim re vera refrigerari ipsum sensorium, sed ipsius calorem innatum intensum temperari: calorem enim propter motus factos in vigilia, labores, curas, & cogitationes intendi, & propterea naturam somnum dedisse animalib. qui refrigeret aliquo pacto calorem intensum: quæ quidem refrigeratio potius, inquit, ab humido fit, quam à frigido. Blandam igitur, & remissam obtusionem caloris ab humido, naturalem

Opinio Montani.

lem somnum parere, ex philosophorum opinione, esseque eandem sententiã Galeni, quod quidem & *alibi* etiã testatur, eos, inquã, autores in causis efficientib. somnũ, nequaquã discrepare: sed duntaxat de primo sensorio, vbi somnus & vigilia fiunt. Hæc Montanus de causis somni & vigiliæ naturalis: quæ mihi profecto non placent.

Eius refutatio.

Primum.n. discrepat à Gal. cum dicit, somnum qui fit à vapore, naturalem esse: illudque falsum est, eum autorem cum Arist. consentire in huiusmodi causa; nam, vt antea *ex lib. de symptomatũ causis* ostendi, negat Gal. naturalem esse somnum, quem vapores pariunt, sed quem contractio caloris facit, quod aperte quoque testatur *in lib. de causis pulsuum*. Deinde à seipso Montanus discrepat; quandoquidem dicit, nunc à vapore humido, nunc vero ab humore vtili ascendente ad cerebrum, naturalem somnum gigni: Aliud enim est humor, quam vapor: aliud humor, qui ex vapore gignitur in cerebro, aliud qui aliunde ad cerebrum venit. Præterea scribit *in primum aphorismum secundi* fieri somnum ex labore, non propter vapores ascendentes, sed ob resolutionem caloris, habet etiam *aphorismo tertio eiusdem libri*, somnum præter naturam fieri ob plurimam siccitatem, non autem ob vapores: quæ quidem si vera sunt, cur assumit vaporem in communi definitione somni? atque illius causam materialem esse vaporem, & ab eo condensato refrigerari sensorium, somnumque nasci? Destruit enim, quod commune posuit, & esse debet omni somno: siquidem definitio vniuersos somnos comprehendit, etsi postea illi inter se differunt excessu, & mediocritate. Quid, quod ait, eleuari vaporem à corpore? intelligendum ne est à toto corpore? quod si ita vult, cur non semper fit somnus? si vero per corpus, nescio qua docendi licentia, intelligit partes aliquas corporis, cur illas non explicat? Illud vero, quod ait, ferri hos vapores ad primum sensiterium, & illic condensari, postulat, vt doceat, an cor sit, vel cerebrum huiusmodi sensiterium: quod ille facere contemnit, & nihil aliquando referre putat. Nam ad cor non recte dicuntur ascendere vapores, nec in eo condensari, nimirum cum supremum in corpore locum cor nequaquam occupet, vehementissimumque feruorem habeat, qui vapores concrescere non patitur. In eo vero, quod scribit refrigerationem ipsius sensiterii esse somni formalem causam, efficientem vero naturalem calorem mitem, & suauem, sibi euidenter repugnat; quippe cum alibi dicat, frigiditatem esse efficientem, & illam non committere verum somnum, sed stuporem. Ad hæc, quid opus est in somno, & vigilia distinguere hoc modo causas in materialem, & formalem, & efficientem? nam ad corporum naturalium compositionem hæc distinctio pertinet: Inepte autem dicitur somnus fieri ex materia, & formam habere: facit.n. somnum vapor, aut humor, non quod materia illius sint, ex qua componatur, sicut corpora ex materia fieri dicuntur: sed quod vim habeant committendi huiusmodi affectionem. Sunt ergo omnes huiusmodi causæ efficientes: nam calor gignit vapores, vapor autem obstruit, vel refrigerat, aut aliud facit, à quo somnus nascitur. Ac quam mala sit huiusmodi distinctio, ex eo etiam patet, quod causis vigiliæ illam nequeat aptare; duas enim solum ponit causas, nempe calorem efficientem, & vaporem materialem, tanquam formalis nulla sit, neque ab eo doceri possit: oportet tamen huius esse formalem aliquam causam, si somnus eandẽ habet. Quod vero scribit, igneum calorẽ non posse vaporem facere, ipsemet euertit *aphorismo primo secundi*, vbi habet, somnum non naturalem fieri à calore igneo, eleuante vapores. Mirum quoque est, quod nolit humorem receptum in cerebro posse somnum naturalem facere, nisi simul adsit moderata frigiditas: quasi nequeat hoc facere obstruendo. Et quo pacto, quæso, moderata hæc frigiditas, quæ potius moderata temperies caloris, est, quam re vera frigiditatem dicere possis, ita ligabit sensus, & immobiles reddet, vt videmus in somno fieri? oportet sane vehementissimum esse frigus, non moderatum, aut temperatum calorem, qui huiusmodi vim obtineat. At nescio profecto, an aliquis tam stupidus reperiatur, qui putet sensum amitti in somno, eo q frigiditas aliqua ex vapore eleuato à cibo, eum tollat. Satius quidem fuerat, Galenum in hac re imitari, quam tam euidenter in hac re hallucinari. Vult.n. ille, vaporem somnum facere, quod obstruendo cauitates cerebri, viam calori, & facultati sensificæ præcludit, non quod moderata, aut insigni frigiditate, sensus extinguat, immobilesq; reddat. Nec hoc quidem voluit Arist. docet .n. ille, humorem ex vapore genitum in cerebro descendendo per venas, calorem repellere, & in corde concludere, ita, vt nequeat calor expandi, mouerique ad sensoria, quæ sine illo sentire nequeunt. Cæterum si vniuersa medicamenta humida, vel moderate sicca pariunt verum somnũ, vt ille habet, frigida vero stuporem; nõ fiet igitur huiusmodi somnus à vapore eleuato à corpore, nec hunc habebit materialẽ causam, nec frigiditatem formalẽ: Id quod etiã ex eo patet, q cũ formalem causam somni posuerit frigiditatem, statuatq; in Epidemiis vniuersos sõnos hãc habere causam, dicat *alibi* eũ fieri, vel à solo calore, vel cũ humiditate tẽperata coniuncto. Sed quid, quæso, per humiditatẽ temperatam intelligere possumus? qualis erit ille humor, an sanguis, an pituita, aut vapor solus, aut humor ex eo genitus? in quo si exuberat frigiditas, & aquosus est, aut pituita, sicut Aristoteli placet, nequit profecto moderata temperies in eo reperiri. Quid item per humorem vtilem intelligit, cum ab illo dicit sõnum fieri? nã si aquosus est, vt debet esse, qui ex vapore gignitur, erit profecto excrementosus. Iam vero somnum, qui æstate fit, non esse naturalem, & verum quis dicet? mirum enim, si tot menses homo falsum somnum, & præter naturam, dum valet, dormiat, sentitque se iuuari, suasque operationes perficere, quas somnus semper facere consueuit: & qua ratione (quæso) fiet ille à vaporibus adustis? vt ipse tradit, si vapores ex plurimo potu aquoso, ac herbis frigidis, à debili calore eleuantur, refrigeranturque partes interiores æstiuo tempore: hæ enim causæ crudos, & frigidos vapores, nequaquam vero acres, & mordaces gignere sunt aptæ. Perperam illud quoq; dicitur, thoracem, & partes in eo cõclusas æstate refrigeratas esse: minuitur quidem substantia calidi innati, id est, sanguis, æstate, sed propterea partes illæ refrigeratæ non

Somnũ nullas habere causas præter efficientes.

dicuntur, aut imbecillum habere calorem, ex A quo nequeant vapores gignere. Nam vt humores benigni eo tempore minuũtur, ita illi redundant, qui vehementi calore sunt præditi: quod quidem ostendunt sitis vehemens, ardor intolerabilis, morbi biliosi, qui eo tempore infestant, accenduntque ac testantur, vehementissimum in toto corpore calorem abundare. Itaque errauit Montanus, & Alexander, qui arbitrantur, refrigerari thoracẽ, cor aliaque interna viscera, æstate, eo quod dissoluatur calidi natiui propria substantia: nam alia pro illa gignitur, & viget ampliore calore prædita: quo quidem præsente, quis dicet, partes ita esse refrigeratas, vt nequeant præstare, quod solet vel mediocris calor efficere? Cur vero somni sint longissimi hyeme, B tunc docebimus, quando causas differentiarum somni enarrabimus. Naturales vero tunc esse nõ probat ille, quod plurimi, & suaues vapores à plurimo cibo attollantur: nam vt acres vapores dicit æstate attolli, somnumque facere non naturalem: sic qui hyeme fiunt, humidiores, frigidiores, & copiosiores etiam quis putabit esse, quam naturalis somni conditio postulat. Aut ergo naturales non sunt somni, qui hyberno tempore accedunt; aut si tales sunt, excludendi non erunt ab hac forma, qui in aliis temporibus conciliantur. Per vigiliam, labores, cogitationes, calorem natiuum minui, & digeri, rectius forte quispiam dicet, quam euidenter intendi. Nam C etsi illa, dum vehementia, & diuturna sunt, habent quoque vim acuendi calorem: sic per solita vitæ munia hoc non faciunt, ita vt opus sit somno, ad remittendam caloris acrimoniam, nam sæpe etiam somnus oritur, vbi corpus præter modum est refrigeratum: somnus ipse (vt postea ostendemus) non semper refrigerat, sed sæpe calefacit. Quærit præterea Montanus eo loco, non quid somnus faciat in corpore, sed quid ipsum somnum efficiat: adeo vt male ad sõnum referat, quod ad eius causam pertinet. Postremo absurdum est, credere, naturalem vigiliã fieri à calore, & siccitate, vt Mõtanus arbitratur: nam (vt antea ostendimus) vigilia omnis fit, *prodeunte calore à corde ad sensoria*: exit autem calor D aliquãdo acris & mordax, aliquando halituosus, cũ plurimo humore, & humido vapore: velut in his contingit, qui perfecta alimenti cõcoctione, à somno excitantur: & hæc quidem est naturalis vigilia, quam calidum natiuũ auctũ, & roboratũ ex concoctione alimenti parit, dum sponte & sua vi externas, supernasque partes, à quibus sensus oriuntur, & exercentur, petit. Scribit quidẽ Gal. *in comm. aphor. 3. 2. libri.* ἀγρυπνίαν, i. insomniã siue vigiliã, præt. nat. fieri à calore, & siccitate, quoniam huiusmodi causa violentius mouet calorẽ ad externa mẽbra, & in illis diutius, quã par sit, eundẽ retinet; sicut in febrib. ardentib. continuas aut certe longissimas vigilias fieri videmus: at ille autor nõ dicet, omnẽ vigiliã, aut certe illã, quæ E naturalis est, ab huiusmodi causa prouenire: ex quo illud etiã apparet, somnũ omnẽ non fieri à frigiditate, & humiditate: quoniã s. vigilia omnis à caliditate, & siccitate non fit. Sed hæc sufficiat: ex quibus quilibet vel mediocriter doctus percipere potest, Montanũ principia harũ rerum firma nequaquã posuisse, & ipsum ea, quæ ponit, euertere, nec Gal. aut Arist. sequi, aut assequi.

Cor & alia interna viscera æstate nõ refrigerari.

Somnum nõ semper refrigerare, sed sæpe etiam calefacere.

Vigilia omnis vnde fiat.

Mihi autẽ videtur, ex omni genere rerũ quas somnos efficere ostendimus, sumi posse, quod somni secundum naturam sit causa: nam si somnus contractione caloris fit, ac mediocris est, qui secundum naturam, erunt profecto illius causæ, quæ moderate calorem à sensib. depellere, contrahereq; sunt aptę. Igitur cibus, potusq; *moderatus*, ad quos cõcoquendos natura calorem reuocat, somnum secundum naturam parient: idem facient, quæ calidi ipsius substantiam *mediocriter* dissoluunt, vt vigilia, cogitatio, exercitatio, vomitus, & aliæ denique animi, & corporis motiones, & quæcunque in vita secundum naturam fiunt, ea quidem vi prædita, vt digerere, minuereque possint ipsum innatum: Eosdem somnos facient ea, quę calidum *moderate* repellunt, vt moderata hyems, pluuia: vel etiam quæ extrinsecus adhibentur frigida, *in vehementi calore*, sicut lotiones aquæ frigidæ, aut capitis irrigationes: Idẽ facient, quæ calidum deorsum impellunt, vt voluntas: aut quæ obiecta sensuum & mentis tollunt; veluti tenebræ, musica, quies: item quæ *mediocriter* illius substantiam densant; vt lactuca in cibis assumpta, & aqua æstiuo tempore ad humorum refrigerium bibita: necnon illa, quæ viam calori *iusta quadam mensura* occludunt, somnos secundum naturam efficiunt: cuius generis sunt vapores boni, & moderati à cibo eleuati: nam humores, qui cerebri cauitates occupant, affectum pariunt grauiorem, quam naturæ conueniat: *hæc inquam, vniuersa, quæ mediocria sunt, & caloris motum ad sensoria moderate prohibere sunt apta, adhibenturque ad continuos fere nostros vsus, pro conditione corporum, quæ somnum requirunt, recte* (vt arbitror) *ponetur inter causas somni naturalis.* Verum etsi somni naturales ab vna duntaxat ex prædictis causis conciliari nati aptique sunt, tamen plurimæ simul frequenter conueniũt, quippe cũ raro ad somnum accedamus, nisi prius ingesto cibo, & potu, ad quos calor reuocatur, assurguntque ex illorum concoctione vapores ad caput, ac resoluta ex vigilia, solitisque officiis calidi natiui substantia: nec non transacto iam die, p noctem frigidiorẽ quiescere animal desiderat.

Somni naturalis causæ secundum naturam.

Sic profecto vigilia secundum naturam fiet, ab his, quæ oportune & moderate calidum innatum à suis fontibus ad sensoria ducunt, vt cogitatio, sensuum obiecta, externus calor mediocris, & potissimum ipsius calidi aucti ex concoctione alimenti motus, &, vt vno verbo expediam, alia vniuersa, à quibus calorem euocari antea ostendimus: quæ. n. ex illis adhibentur corpori iusta mensura, cum opus est vigilia, facient sane moderatam & secundum naturam vigiliam.

Causa vigiliæ naturalis.

CAP. XIV.

De causis Somni & Vigiliæ præt. nat.

QVid vero somnum præt. nat. parere valeat, nunc expendere oportet, de qua quidem re multis in locis Gal. scribit, nam *lib. 3. de causis pulsuum* profert, huiusmodi somnum fieri, cum natiuus calor ob immodicam humiditatem foras progredi nequit, vocatque huiusmodi somnum comatosum, & lethargicum, q. idem est, ac si dicamus præt. nat. Verum in *lib. 1. de Caus. sympt.* habet, tales somnos oriri, vel à frigiditate, vel humidi-

Sententia Galeni.

humiditate, solis, vel inter se coniunctis, quanquã statim postea statuit, sónifera medicamenta solũ habere vim humectãdi, refrigerãtia autẽ nõ somnũ, sed lethargũ, & coma inducere, tanquã velit, nõ ab humectantib. sed à refrigerantib. sónos præt. nat. nasci. Quam incõstantiã etiã ostẽdit *in lib. de locis affectis*: etenim *in lib. secundo* pronunciat, omnes sopores à causa frigida prouenire. Cum postea *libro tertio*, non solum à refrigerantibus, sed etiam ab humectantibus, eosdem nasci velit. Omitto, quod cum *illis locis* statuat, somnos vniuersos præter naturam ab his qualitatibus fieri, *eodem opere*, & *passim alibi* alias causas afferat longe diuersas ab illis: inter quas quędam etiam agnoscuntur tantam vim non habere, vt tales somnos afferre valeant. Nam contusiones, vulnera capitis, & musculorum temporalium, carum, qui soporosus est affectus, inferre testatur: quæ quidem aliter nocent, quam refrigerando & humectando. Est reperire apud illum, eundem affectum excitari ob vehementes dolores, concidente (vt ait) robore spiritus animalis: nec non coma ob virium infirmitatem nasci: quæ quidem causę non videntur æquales esse suis effectis. Nam si eo autore somnus præter naturam is duntaxat censendus est, qui difficile excitari, soluique potest, nequeunt profecto tam leues causæ, tantum parere effectum: nam à vehementi dolore, altus quidem somnus, sed suauis, quique à mediocri irritamento finiatur, hominem inuadit. Ait quoque catalepsim fieri, nunc à frigiditate & siccitate, nunc vero à sola siccitate, tanquam sola frigiditas, & humiditas, causæ non sint somni præter naturam. Erant præterea methodo aliquæ explicandæ causæ huiusmodi somnorum, & docendum, quid commune singulis sit, & probandum, cur illæ, quas affert, solæ hanc vim obtineant. Non enim constat, an frigiditas, vel humiditas, valeant hos sõnos facere: ac absurdum videtur esse, credere, frigida medicamenta non posse somnos secundum naturam facere: quandoquidem lactuca, papauerisque semen, & aqua ipsa frigida, æstiuo tempore sanis, & etiam laborantibus, suaues vtilesque somnos conciliant. Fieri somnum præter naturam, quando ob nimium humorem calor intus veluti suffocatur, impediturque prodire, certum est: vt illud quoque verum est, alia ratione ab humore huiusmodi somnos committi, velud cum calor, qui iam à suis fontibus exiuit, in cerebro occlusas ab humore cauitates inuenit. Aliud enim est intus habere, quod secum ducere nequeat, aliud foris inuenire, quod sibi viam præcludat.

Medicamenta frigida etiam facere somnos secundũ naturã.

Opinio Gal. de causis vigiliarum præter naturam.

Vigiliæ vero præter naturam causas videtur Galenus diligentius docuisse *libro tertio de causis pulsuum*, & *in fine primi libri*, necnon *in commentario tertii aphorismi secundi libri*. Ait enim *præcitato libro de pulsibus*, huiusmodi vigiliam fieri, quando natiuus calor desiccatus, & quasi inflammatus, foras immodice mouetur: quod quidem in febribus ardentibus sæpe accidere videmus. Redditur enim natiuus calor igneus, qui postea nequit non ferri sursum ad sensoria, & in illis, plus quam oportet, versari: vnde immoderata oritur vigilia: verum non solum ex ipsius interni caloris feruore huiusmodi vigilia fit, sed etiam immodicus capitis calor; quæque illud irritant, aut sensoria immodice exercent, calorem internum euocant, eumque illic consistere cogunt, pari ratione insomnia pariunt: quo pacto recte Galenus scribit *in eo libro de symptomatis* phrenitide laborantes, ob immodicum calorem, siccitatem, & succum mordentem, vigiliis torqueri. Id quod etiam experiuntur nonnunquam studiosi literarum, aut qui ex aliis cogitationibus calorem mouent ad superiores partes. Accidit.n. ex con[ti]nua illarum actione vigilias fieri, quæ nulla arte, aut difficillime certe reprimi possunt. Hæc Galenus de causis somni, & vigiliæ præter naturam.

Opinio Montani.

Scribit de eadem re etiam Montanus quę quidem paucis commemorare statui, vt suarũ rerũ studiosis locos indicem, à quibus cauere debeãt. Igitur scribit ille *primo aphor. secundi lib.* somnum nõ naturalem fieri, quando aliquę ex causis, quas dixit facere naturalem somnum, mutantur: veluti si calor igneus fuerit, & non mitis. Tunc.n. inquit, fit cataphora, & caros: quod ab Arabib. Subeth vocatur. In eo.n. affectu vigilare, & dormire ait homines: quia etsi materia adest apta ad somnum naturalem conciliandum, nempe vapores humidi, tamen quia igneus calor est, qui vapores incendit, adeo dormire nõ possunt, qui hoc malo laborant. Subdit, hunc affectum fieri, vbi plurimus sanguis in corpore abundat, & ebullit, ex qua ebullitione ignea, si calor vincit humiditatem vaporum, tunc motum illum verti ad vigiliam, at si vapor humidus vincit, & suffocat calorem igneum, tunc, inquit, fit sopor merus, qui ab Arabibus dicitur Subeth. Addit fieri somnum non naturalem etiam à calore externo, vt à sole feruido: nam calor igneus, qui est causa mali somni, tollit, inquit, somnum. vult etiam fieri huiusmodi somnum à calore febrili, & igneo, mutata scilicet causa efficiente ipsum somnum: Quin etiam mutata materia somni, nempe ex multitudine vaporum, in his, qui liberalius biberunt, huiusmodi somnum accidere putat: quem etiam fieri credit ex vapore frigidiore. Idem etiam fieri tradit, si formalis causa mutatur, idest, si primum sensiterium refrigeratur, vel ab extrinseca refrigeratione, vel ex resolutione calidi innati; quod quidem illis vsu venire arbitratur, qui importune, & præter modum se in labore exercuerint. Illos enim resoluto cordis calore, refrigerari in primo sensiterio, & ita corripi non vero somno, sed impotentia vigilandi. Ad hunc modum illud quoq; pertinere putat si quis ex papauere assumpto in soporem incidat. Id enim euenire, refrigerato calore, spiritu, & ab illis primo sensiterio, non mutata causa materiali, & efficiente naturalem somnum, sed ipso duntaxat primo sensorio. Subdit, talem somnum fieri propter cõgelationem, quam Catochum nuncupari scribit. & fieri à congelatione cordis, nõn à vapore, sed ab aliquo veneno assumpto. Tandem concludit, somnum præter naturam fieri, mutata aliqua causa, ex illis, quæ naturalem pariũt: cuius generis est calor igneus, agens in materiam igneam, vel suauem, à qua acres humores attollit. Huius somni formalem causam non iam esse moderatam frigiditatem, vt in naturali somno, sed stupefacientem: & causam finalem non esse, vt conficiatur alimentum.

& augeatur calor, sed erit, inquit, cruditas, & per- A turbatio eius, quod patitur. Hæc *primo Aphorismo secundi libri* tradit Montanus. *In tertio* vero scribit, somnum fieri, propter plurimam exiccationem, & resolutionem caloris, natam propter defectum humidi, & ex hac causa laborare, qui dormiunt oculis apertis, nec interim loquuntur, videnturque dormientes, dormire tamen nequeunt, nec excitari, atque retrahi intro, nec posse expandi, ideoque suffocari illorum calorẽ. Hæc fere ad verbum *eo loco* tradit Mõtanus, quę quidem facile est refellere: quandoquidem ille alio loco ea euertit.

Montani refutatio.

Nam *in fine suarum explicationum* quas *in tertium 1. Epid.* fecit volens cerebri affectiones percurrere, enumerans inter illas primum somnum B pronunciat eos omnes à communi causa, nempe frigiditate, prouenire, id quod sigillatim conatur docere in omni soporoso affectu: nullum n. inueniri docet, qui, siue cum febre sit, siue absque febre, non fiat à frigiditate sola, vel cum humore, aut siccitate coniuncta: in quo forte in alium errorem incidit: nam in catocho, sola agnoscitur aliquando esse siccitas, vt Gal. quoque testatur. Addo, quod humores, qui soporosos affectus committunt, id faciant, non tam frigiditate sua, quam quod multitudine, & tenacitate, cerebri cauitates obstruant, calorisq; motum impediant. nã frigiditas, quæ stupefaciat, in humore contento in corpore animalis, quo modo reperiri potest? quod si calefacientia adhibemus remedia C sopore laborantibus, id sane facimus, non tam quod illis sit opus ad tollendam frigiditatem, quam ad humorem, qui aliter discuti nequit. Igitur si vera sunt, quæ scribit ille *in Epidemiis*; falsa esse oportet, quæ dixit *in Aphor.* Et quis (quæso) tam indoctus est, qui id non agnoscat? quis. n. ferat somnum præter naturam fieri à calore igneo, cum ille vigiliã semper faciat? quod si aliquando hi, qui febre ardenti laborant, incidunt in soporem, causa vtique non est, quod calor ex causis somnum naturalem efficientibus, solus mutatus, sed quia ab eo calore, ex multa materia, humidi vapores plurimi, aut potius humores ad cerebrum eleuati obstruunt, sensumque tollunt: & quomodo, quæso, igneus calor D vapores faciet humidos, quales naturalis somnus requirit, cum antea ille dixerit, eum adurere, & acres eosdem reddere? quod illemet, vbi hanc causam tractat, fateri cogitur, cum ait, vapores illos incendi, ideo hominem dormire non posse; mutati ergo sunt vapores ipsi, qui acres redditi, irritant, sensusque excitant, & multitudine obstruunt, atque ita mistum ex sopore, & vigilia affectũ committunt, qui profecto nec cataphora, nec caros à Galeno, vel Hippocrate, nec subeth ab Arabicis dicitur, sed coma vigilans nuncupatur: subeth autem *commune est nomen apud Auicennam, omnibus soporosis affectibus.* Illud quoq; absurdum est, putare, somnos præter naturam fieri posse à solo vapore, vt Montanus credit: quod e- E uidenter docẽt, qui ex ebrietate sopiuntur. Dormiunt enim illi longiorem, & profundiorem somnum, quam naturæ conueniat, sed illorum somnus præter naturam non est, nec dici potest, quoniam difficilem non habet expergefactionem: quæ quidem somnos præter naturam ab aliis seiungit. Propterea Galenus, cum de generatione soporũ agit, ex materia aliqua confectorũ, pronunciat, sẽper eos fieri ab humore, nõ autẽ à vaporib. qui, vt diximus, multo plures, frigidiores, crassiores, & humidiores assurgunt ex larga vini potatione, quam ex igneo calore, agitãte quamcunque aliam materiam in corpore contentam. Quod si vini potatores incidunt aliquãdo in apoplexiam, & alios soporosos affectus, id non accidit ex solo vapore, sed quod pituita, quę erat in cerebro, & venis multa, & concreta, funditur, ex qua postea obstructio, & sopor nascitur. Illud quoque mirum est, quod ille velit, à calore igneo agente non solum in materiam suauẽ, sed etiam in igneam, prouenire sopores, nisi forte soporem intelligat vigiliam præter naturam, quæ prorsus contraria est ei, cuius generationẽ quærit. Quid, quod scribit, à solis calore igneo, tanquam à causa efficiente, non mutatis aliis causis, fieri soporem? Quid illa verba sibi volunt? nam calor igneus, qui est causa mali somni, tollit somnum; si enim somnum tollit, causa vtique est vigiliæ, non somni præter naturam, cuius causam ille quęrit. Præterea si somnus omnis (vt ille definit) fit à vapore, & eam habet materiam, quo pacto potest fieri sopor aliquis à sola extrinseca refrigeratione, aut ex defectu vaporum & spirituum? Cæterum ex labore accidit quidem somnus altus, & longus, sed non præter naturam, vt experientia omnes docere potest, nec enim potentia est vigilandi, sed verus somnus, qui illos occupat. Ac multo minus causa huius somni est, quod resoluatur cordis calor, & refrigeretur primum sensorium, nam resoluitur quidem calidũ innatum, & ob defectum substantiæ contrahitur ad internos fontes, atque ita deserit sensoria, & somnum facit, cor vero nequaquam refrigeratur, nimirum cum ad illud contrahatur fere quicquid in corpore caloris est. Mirum etiam illud est, si, cum ex papaueris assumptione sopor incidit, non mutetur materialis, & efficiens causa naturalis somni, sed solum formalis, id est, calor ipsius sensorii, nam siue cerebrum, siue cor statuatur esse primum sensorium, necessarium est, prius calorem, qui vaporem attollit à cibo, & ipsosmet vapores alterari, quam frigiditas ipsa ad sensorium peruenire possit. Quis vero credet, Catochum fieri ex congelatione cordis, & à veneno assumpto? hic. n. aperte concedit, cor esse primum sensorium, quod quo pacto tueri potest in aliis causis, quas dicit, somnum facere, eo quod vapores refrigerentur, & descendant? An cor, quod sẽper feruet, densabit vapores? in quã (quæso,) partem ab eo descendent illi iam concreti, vt somnus fiat? Omitto, quod symptomata omnia, remedia, Gal. & ipsemet Montanus *alibi*, hunc soporem testentur, affecto cerebro, & nõ corde consistere. Cæterum si sopor fit aliquando à calore igneo solo, qua ratione causa illius formalis potest esse stupefaciens frigiditas? si calor, qui vapores attollit, igneus aliquando est, aut non mutatur à natura sua, mutata duntaxat materiali, aut formali causa, vt ille tradit, nõ erit vtique finis somni præt. nat. cruditas subiecti humoris. At vero si sopor fit ob plurimam exiccationem, & humoris defectum, *vt tertio aphor. secundi* pronunciat, erit ergo somnus, qui non fiet à vapore. Pręterea si illi qui ex hac causa laborãt, resolutum habent calorem, qua ratione calor poterit

Vnde febres ardentes incidant in soporem.

Coma vigilans quid & vnde fiat.

Subeth quid.

Somnum ebriorum non esse præter naturam.

Vnde potatores incidant in apoplexiã & alios soporosos affectus.

rerit in illis suffocari? quid.n.eum suffocabit, si humor deficit? Ad hæc, si dormiunt oculis apertis, catocho profecto laborant, quę antea à cordis congelatione, ex veneno assumpto fieri scripsit.

Sed iam his omissis, quæ quilibet agnoscere potest, qualia sint, causas somni præt.nat. methodo docere aggrediamur. Porro methodus sumetur ex natura huius somni; qualis.n. est effectus, tales oportet illius esse causas, nec potest aliquid omnia facere, vt ab omni fieri. Itaq; si sõnus pręt. nat. tunc esse dicitur, *cũ animal difficile expergefieri potest*, vt ex Gal. antea ostẽdimus, & quilibet agnoscit, & fatetur, nequeunt profecto res omnes, quæ somnos efficiunt secundum naturã, afferre illos, qui præt. nat. sunt: quoniã quædã ex illis leniores sunt, quam ꝙ tantũ affectum committere valeant. Quare breuiter expendẽdũ est, quidnam ex reb. prædictis hanc vim obtineat.

Somnus præter naturam quis.

Quæ causæ.

Possunt id facere illa, *quæ refrigerando immobilem reddunt calidi innati substantiam*: quod ostẽdunt sopores, quos cicuta, opium, mandragora, lactucæ succus liberalius sumptus, & cætera huiusmodi vehemẽti frigiditate pręditæ excitant: est tamẽ reperire in hoc genere, q̃ sõnos mediocres, & neutros, siue medios inter extremos faciant: veluti quæ mitius refrigerant sua natura, vel ex aliis vehementioribus parcius assumuntur: nam lactuca somnũ cõciliat, & eum quidẽ moderatũ, aut paulo longiorẽ, pro quantitate ipsius, & corporũ differentia: vbi vero vigilia ægros torquet, nec mitiora sufficiunt auxilia, ex papauere, & aliis validioribus rebus ad somnũ vtilem conciliandum, subsidiũ petere cogimur. Hoc ergo genus vniuersum aptum est omnes somnos facere, naturales, inquam, præt. nat. & inter hos medios: quoniam in eo reperire est, ꝙ pro ratione corporis, moderate, & violentius agat. Quæ vero somni sunt causa, *eo quod rectum motum calidi innati impediant*, non alium mihi videntur sua natura somnum excitare posse, præterquam mediocrẽ, & qui secundum naturam sit: quod probare velle, superfluum esse duco. At illa, quæ calidi natiui motum prohibent, dissoluta, debilitataque illius substantia, vt dolor, vigilia, labor, inedia, & alia huius generis, vim habere videntur somni efficiendi, qui vel secundum naturam sit, aut neuter, i. paulo longior eo, quam naturæ conueniat: Eos vero, qui præter naturam sunt, nequeũt parere, nisi forte, quæ sensibiliter vacuant: vt sanguinis missio superflua, quę sępe soporem infert: sed hoc fit, non tam propter dissolutionem calidi, quam *quod vacuato sanguine calidiore, cum multo spiritu, refrigeretur corpus, exuberetque pituita, quæ cerebri cauitates obstruens, sensum omnem corpori adimit.*

Sanguinis immoderata euacuatio cur sæpe inferat soporem.

Idem præstare possunt densantia, & astringentia, quæ capiti aliquãdo admouẽtur, veluti cum ex phrenitide lethargum sæpe inducunt imperiti Medici, superflui cerebri refrigeratione; quæ si moderata fuerint, vtiles somnos afferunt. Habent ergo refrigerãtia medicamẽta, quę capiti admouentur, facultatem inducendi nunc hos, nunc alios somnos, pro illorum moderato, aut superfluo, nec non opportuno, vel importuno vsu. At illa, quæ vniuersum corpus refrigerant, vt lotiones aquæ frigidæ, in vehementi æstu dulcissimos somnos represso refrigeratoque calore conciliant: in aliis vero frigidioribus corporibus extincto fere calore, aut cõpulsis pituitosis humorib. ad cerebri sinus, nõ raro sopores inducunt. Cæterũ inter illa, quæ calorem reuocant ad internos suos fontes, pauca sunt, quæ videant somnos præter nat. facere. Nam si accessiones febrium, & humorum crudorum circa ventriculum, & primas venas redundantia, hos non pariunt, nescio quid aliud tantam vim habere queat. Etenim cibus, potus, frictiones, lotiones calidæ partium inferiorum debilius afficiunt, quam vt efficere possint aliquid morbosum. Iam vero quæ *viam occludunt caloris, comprimendo*, vt vulnera, contusiones, pituitosæ inflammationes cerebri non alios possunt somnos gignere, quam *eos qui sunt præter naturam*: quoniam semper magna est aliorum vis: Quæ autem obstruendo idem faciunt, siquidem à vaporibus obstructio fiat, nascetur somnus secundum naturam, aut eo quidem longior, ex maiore vaporum copia: sicut in ebriis fieri diximus, sed morbosus nequaquam fiet. At ex humoribus facta obstructio, non alium, quam morbosum somnum videtur afferre posse: difficile n. discutitur humor, grauiusq; afficit, vt ostendũt soporosi affectus, quos ex pituitoso humore nasci nouimus.

Quomodo & quem somnũ vulnera & contusiones & inflãmationes capitis faciant.

Obstructiones ex vaporib. quos pariãt somnos, quos itidem obstructiones ex humorib.

Qui vero somni obrepunt, ex quiete sensuum, & cogitationes, ex tenebris, musica, cantu, non nisi moderati esse possunt: debilis.n. est illorum vis, vt mediocritatem excedere nequeant. Itaq; tenenda est singularum rerum sõnos efficientium natura, & vis ab eo, qui velit scire, quid naturalem, aut præt. nat. vel medium inter hos, somnum committere sit aptum: idq; vel sua natura, vel ob corporis, in quo somnus excitatur, conditionem: nam quædam sunt, quæ etsi vim non habent, nisi inferendi naturales somnos, tamen ex corporis vitio contingit, vt alios quoque afferant: veluti cum in corporib. pituitosis, ex ebrietate, vel labore, apoplexia, aliique soporosi affectus sæpe nascuntur; commotis liquatisq; humorib. qui in corpore & capite redundabant, aut concreti erant. Ad quam quidem rationem spectando, ille facile inueniet, quod in hac re quærit. Nam quæ moderate, & oportune caloris motum ad sensoria ferri prohibent, naturales: quæ vero vehementius id præstant, pro suo excessu, & vehementia, nunc morbosos, nunc medios inter hos, & illos somnos efficiunt: hoc vero, quod moderatum, vel exuberãs esse dicimus, intelligi volumus, pro natura eius, quod agit, & patitur: quædam enim sunt, quę in omnibus sunt violenta; alia, quæ non nisi in sanis; alia, quæ in certis corporibus, & temporib. morbosa sunt: in aliis vero salubria & mediocria. At vero si somnus præter naturam fit ab illis rebus, quæ calidi natiui motum ad sensoria ferri violentius impediunt, fiet profecto vigilia præter naturam ab illis, quæ ipsum calidum ad sensoria vi quadam adducunt, & in illis diutissime versari cogunt: cuius generis potissimum sunt, quæ igneum calorem reddunt: ea enim illum cogunt ascendere, & suis fontibus relictis, extra ferri, vt leuissimi in eo prædominantis elementi motum sequatur: id quod recte docuit Gal. *lib. 3. de Causis pulsuum*, & *alibi passim* testatur: vigiliam fieri inflammato ipso calore, vel à siccitate, & caliditate, intelligit.n. vigiliam præt.nat. non quæ naturalis est, ob huiusmodi

Causæ vigiliarum præter naturam & aliarum.

causam fieri: quoniam immodice à calore, & siccitate innatum calidum extra mouetur. Fit ab aliis causis etiam motus hic calidi innati, nempe ab illis, quæ vim habent trahendi, euocandique ipsum calidum ad caput, cuius generis esse diximus cogitationes assiduas, calidos & siccos cerebri affectus, dolorem cuiuscunque partis, externũ calorem, quæ internum ad superficiem euocant. Hæc.n. cum diu & violenter agunt, cogunt ipsum calidum circa sensoria versari, quo præsente, necesse est vigiliam fieri: quod si vel sua natura, vel breuiore mora, mitius agant, longiorem quidem vigiliam, sed nondum præt. nat. inferent. Igitur vt in somno, sic in vigilia videndum est, qualis, quantaque sit singularum causarum vis: quid, inquam, duntaxat moderate calorẽ extra mouere valeat, quid violentissime faciat, quid vero inter hæc extrema medium locum sibi vendicet, à quo fiat quidem vigilias sed non prorsus secundum naturam, aut naturæ contraria. Ad quam quidem docendi rationem si quis respiciet, inueniet profecto quid recte, aut perperam de hac re ab aliis sit traditum. Nam vt à calore solo, vel primi sensorii, vel ipsius fontis caloris, potest huiusmodi vigilia nasci; sic ob siccitatem solam primi sensorii, ea fieri nequit, vt vulgus Medicorum credit. Etenim cerebri siccitas breuioris somni potest esse causa; at vigiliam præt. nat. inferre nequit: quoniam vim non habet ducendi ad se calorem, & eundem retinendi diu in ipso sensorio, vt postulat vigilia, quæ præter naturam esse debet: quod testantur melancholici; qui cum sicco sint cerebro, parum quidem dormiunt, non tamen præt. nat. vigilant. Vt enim somnus præter naturam dicitur esse, qui difficile abrumpi potest; sic vigilia præter naturam erit, quæ pari difficultate reprimi valet: quod non nisi illa, quæ calorem diu circa sensoria consistere faciunt, præstare possunt. Igitur ex his patet, quæ sint causæ somni, & vigiliæ præter naturam.

Ob siccitatẽ solam primi sensorii non posse fieri vigilias præter naturam.

Vigilia præternaturalis quæ.

Cap. XV.

De fine Somni & Vigiliæ.

DE fine somni duo explicanda videntur, & illud primum, an somnus ob aliquem finem, & vsum fiat: aliud deinde, an necessarium sit somnum omnem in vigiliam finiri, & quam ob causam alterum vicissim alterum excipiat.

Ac Aristoteles quidem scribit somnum datũ esse ob salutem animalis, nempe quietis, concoctionisque gratia: contra cuius opinionem hæc dici possunt. si enim somnus, vt ipse definit, priuatio est, quem finem illi statuere possumus? Nam vt idem scribit *primo de partibus animalium*, priuatio non est, nec illius aliquæ differentiæ reperiri possunt: quare neque finis erit aliquis. Deinde si ob necessitatem materiæ, ex eius opinione nascitur somnus, absurdum vtique videtur, certum aliquem finem, quem natura sibi proponat, illi constituere: nam quotiescunque animal edit, vapor assurget, fietque somnus, non ob aliquem finem, sed ita cogente necessitate. Præterea vnum oportet esse per se cuiuscunque rei finem, non duos; quare non quies, & concoctio, sed alterum duntaxat illorum, si aliquis

An somnus ob aliquem finem fiat & quis ille sit.

Opinio Aristotelis.

Eius refutatio.

A est finis somni, statuendum est. Nec forte difficile erit vtrumque finem refellere. Nam cum quiete illa solum egeant, quę ex labore sunt fatigata, si somnus omnis ex vapore nascitur (vt ille putat) contingit vtique somnum fieri, quo tempore ocio haudquaquam est opus. Nam quando ex cibo, & potu vapor suppeditabitur capiti, oportebit somnum fieri, corpore quocunque modo aliter affecto. Ad hæc cum motioni quies opponatur, si animalia, quæ mouentur, nequeunt perpetuos efficere motus, sed aliquando coguntur quiescere, non somnus erit necessarius, sed quies sufficiet, siquidem labori, & ex eo natæ lassitudini quies medetur. Quod vero concoctio finis somni non sit, refellunt nonnulla ex

B prædictis argumenta, nempe quod priuatio, & quæ ex necessitate materiæ fiunt, huiusmodi finem habere nequeunt; necnon, quæ sequuntur rationes. Vbi enim ab inedia, labore, vigilia, cerebri refrigeratione, cogitatione, vel interno frigore, somnus conciliatur, finis illius non potest esse alimenti concoctio, quoniam sæpe fit huiusmodi somnus, vbi omnis concoctio præcessit. Quod si hæc est, non ergo quies finis erit; cum hæc inter se differant, diuersusque sit finis.

Galenus vero ait, somnum datum esse ad cerebri recreationem, & quietem: vbi.n. inquit cerebrum defatigatum ex suis operationibus quiescere vult, natura somnum naturalem animali

C inducit: quem quidem vrgent nonnulla ex prædictis, & quædam alia sibi propria argumenta. Nam priuatio (vt diximus) finem sibi nequaquam proponit sed id, quod agit, siquidem agentium, & actionum fines sunt. Quod si aliquis somni finis est, communis certe ille non est, quẽ credit esse: contingit enim somnum fieri, vbi cerebrum non est defatigatum, vt antea quoque diximus: sicut in his accidit, qui cibum, & potum assumpserunt, nullo præcedente cerebri labore. Addo, quod cum cerebrum per se nequaquam defatigetur, sed quatenus spiritu caloreque natiuo priuatur, vel vt liberius, & verius fore dicam, solum dissoluantur spiritus, & calidum innatum, dum animal, aut eius pars aliquid agit,

D illiusque defectu agere desinit, satius vtique esset, spiritum, calorisque restaurationem, quam cerebri recreationem finem somni constituere, quod idem author *libro tertio de Causis pulsuum* pariter testatur, vbi habet, naturalem somnum fieri ad reparationem, & incrementum calidi innati: quod quidem non est fieri ad quietem, & recreationem cerebri: Intus enim in suis fontibus calidum & spiritus gignuntur, & augentur, nihil interim agente cerebro. Postremo aliquid dicendum erat de fine somnorum, qui præter naturam existunt: cum enim illi potissimum excessu differant ab his, qui naturæ conueniunt; cur non habebunt eundem finem, solo excessu ab alio discrepantem? erit ne ergo maior recrea-

E tio cerebri aut calidi natiui maior restauratio illorum finis? quod si non placet, qualem, quæso, licebit finẽ illis cõstituere? an salutẽ, an mortẽ? an morbi augmentum? vel aliquid aliud? contingit enim nunc hoc, nunc illud fieri, vbi somnus naturæ morbum excedit. Nam si cruditas interna viscera infestat, potest somnus præter naturam illi mederi: At si inflãmatio ea loca obsidet, dictis hu-

Opinio Galeni de fine somni reiicitur.

Somni naturales & præternaturales quomodo differant.

ctis humoribus per caloris reuocationem ad affecta membra, crescet vtique morbus, & forte etiam sequetur mors: propterea Medici ex eo periculo moniti, in huiusmodi malo somnũ omni industria depellere nituntur. Igitur si hæc non placent, paucis quid sentiam de fine somni docere aggrediar.

De fine somni opinio authoris.

Ac illud primum verum esse puto, quod antea ostendimus, *somnum priuationem quandam esse, aut illam sequi, nec ipsum aliquid facere, sed per accidens fieri: sequitur enim caloris contractionem: hic vero est, non somnus ipse, qui vim habet agendi: huic ergo, eiusque actionibus finis aliquis proponi potest: calor enim, dum externas partes, & sensuum fontem deserit, internas sedes petit: ibique contractus, causa est, vt sensus quiescant, & interim concoctiones, & alia opera intus fiant, vbi ille abundat.* Igitur natura nequaquam facit somnum vt hæc fiant, sed calor necessario à suis causis contrahitur: ad quem somnus, i. priuatio sensuum, ob caloris absentiam, & internarum partium actio, ob eiusdem præsentiam sequitur. Quod si ita est, nõ est vtiq; quærendum, an somnus ob aliquem finem datus sit: sed an contractio caloris, quæ somni causa est ob aliquem finem fiat: & illum quidem eundem semper, aut nunc hunc, nunc alium.

Somnum esse priuationem nec ipsum aliquid facere sed per accidens fieri.

Calor cur à sensoriis recedat.

Porro recedit calor à sensoriis, vt antea diximus, ob multas causas, quæ omnes nõ mouẽtur ad agendum ob aliquem finem: veluti sunt illa, quæ calorem repellunt, aut refrigerant, aut illius motum impediunt, aut substantiam digerunt: quis enim credet vnquam, hæc nos afficere, vt calor recedat à sensoriis, & somnus fiat? Verum eiusdem contractio in viscera, præsertim illa, quę fit actione partium internarum, trahentium ad se suum instrumentum, nequit fieri absque fine aliquo, sed omnino, vt illic aliquid ipse agat: ociosa enim nequeũt esse naturæ instrumenta; verum non potest vnus semper sequi finis in omni somno. Nam cum finis sequatur ex caloris actione, necessarium vtique est, diuersos esse fines, quoniam eodem modo semper non habet calor, nec materia eadem est, quæ patitur; quod ipsa quoque experientia testatur; nunc. n. sequitur alimenti, & humorum concoctio; nunc eorundem agitatio, vel consumptio; nunc calidi restauratio, aliquando eiusdem debilitatio, aliquãdo suffocatio, aliquando sequitur corporis refrigeratio, aliquando humectatio, aliquando male habent viscera, augenturq; in illis, si forte sunt, inflammationes; aliquando grauatur caput, aliquando grauitas illius discutitur, aliquando intenditur febris, aliquando abigitur, aliquando sequitur morbus, aliquando sanitas. Denique pro diuersitate corporis, quod patitur, & caloris imbecillitate, robore, vehementiore, leniore, longiore, & breuiore eiusdem contractione, diuersos fieri effectus, & propterea diuersos sequi fines, tum in his, qui recte, tum in aliis, qui male habent, est necessarium: quod paulo post, vbi sõni, & vigiliæ facultatem expendemus, diligentius docebimus. Potest tamen vniuersalis quidã finis statui, quod s. natura per somnum calorem contrahat, vt saluti animalis consulat: etsi id interim non semper assequitur, ob materiæ variam conditionem: non autem fit semper, vt fiat concoctio, & quies, sed expulsio, attractio, resolutio, retentio humorum, &, vt vno verbo dicam, quicquid illius vi necessarium est. Atque hæc cõmunia sunt omni somno, siue moderatus, & secundum naturam ille sit, siue morbosus, & naturæ contrarius. Caloris enim contractiones, quę morbosos somnos pariunt, sæpe prosunt internis affectibus, etsi interim aliis nocent. Quis enim negabit in soporosis affectibus, qui fiunt affecto capite, materiam, quæ in visceribus continetur, melius concoqui, quam per vigiliam? si modo in omni somno siue naturalis sit, siue præter naturam, calor intus colligitur, validiorque redditur.

Contractionem caloris non fieri absque fine.

In somno nõ semper sequi eundem fini.

Somni finis vniuersalis.

Propterea non videtur mihi recte sentire Mõtanus, qui semper inutilia naturæque contraria à somno præter naturam fieri arbitratur: Scribit enim ille *Aphoris. primo secundi* somnum præter naturam habere finem cruditatem, perturbationem materiæ, & naturæ debilitatem, quod (vt ostendimus) falsum esse agnoscitur: quoniã hic somnus cum eo, qui est secundum naturam, eundem sæpe calorem habet in visceribus, sed impedimenta à quibus calor moueri impeditur, ad sensoria, maiora. quod enim facit vapor in somno naturali, idem facit humor contentus in cerebri cauitatibus, in sopore: at id concoctionem, & robur aliarum partium non mutat; immo contingit aliquando meliora hæc fieri in somno præter naturam, quanto maior fit in eo calidi natiui circa viscera contractio, ex maiore impedimento, quo extra ferri prohibetur: non quod aliquando non obsit somnus, & ea non pariat, quæ illic dicit, vt in sopore accidit, qui fit inuadente febre cum rigore: sed vt hoc peculiarẽ habet nocumenti causam, ex nimia sanguinis, & spiritus contractione, in qua periclitatur calor suffocari; ita in multis aliis soporibus, qui alias habẽt causas, à quibus nec calor, nec aliud quidpiam in visceribus mutatur, contingit idem fieri in illis, quod in somno naturali accidit: ex mediocri enim materia, quæ in illis locis, in vtroque somno reperiri potest, bona concoctio sequi est apta, vt ostendunt vrinæ & excrementa, quæ in multis soporibus emittuntur simillima sanis, cõcoctionis recte peractæ euidentissima indicia. Igitur potest, qui somno præter naturam opprimitur, quædam opera naturæ obire non deterius, quam qui moderato somno detinentur.

A somno præternaturali non semper fieri inutilia & naturæ contraria.

Illud vero nunc docendum sequitur, cur animalia semper vigilare nequeant, sed tandem dormire cogantur: cur præterea finiatur somnus, nec ille quidem perpetuus esse possit. Arist. *in lib. de Somno & vigilia*, scribit, fieri non posse, vt animal semper vigilet; quoniã necesse est, quicquid functionem aliquam naturæ exercet, temporis spatio fatiscere, & tandem succumbere: quod docent, inquit, oculi & manus, quæ post diuturnam actionem cogũtur sua opera intermittere, & quiescere. Qua quidem in re, illud primum dici potest, quod non in omnib. corporis functionib. reperiatur huiusmodi lassitudo, & impotentia ad agendum: quædam. n. perpetuæ sunt, nec vnq intermittuntur, sicut cordis, & arteriarum pulsus, respiratio, cõcoctiones, distributionesq; alimenti. Deinde docendũ erat, cur nequeãt actiones semper esse in officio. Scribit ille quidem (q experimur, & omnes agnoscunt) oculum, inquã, videre, & manus apprehendere semper non pos-

Animalia cur non semper possint vigilare, sed cogantur interdũ dormire.

A se; sed caussam non explicat, cur ita fieri sit necessarium. Igitur cum actiones quædam perpetuo fiant, aliæ vero cessent, quærenda huius diuersitatis *ratio* est: quæ, meo quidem iudicio, *petitur partim ex necessitate actionis partim ex loco, vnde agendi vis emanat, aut suum munus exercet: aliquando vero ex robore, quod in actionibus requiritur: in aliis autem ex ipso agente, & materia, quæ patitur, præsentia*: eas enim operationes continue fieri oportuit, naturæ prouidentia, *sine quibus animal protinus extinguitur*, quandoquidem frustra natura studuisset animalis generationi, nisi simul prospexisset, quo pacto iam genitum, augeri, conseruatique possit: Itaque *respiratio, & pulsus perpetuo exercentur; quoniam sine illa calor, & sine hoc vita consistere nequit*: sensus vero, cogitatio, memoria, motus voluntarius, eo excepto, qui ad respirationem facit, perpetuo non fiunt, *quia illorum opus semper necessarium non est*, adeo vt naturæ illius continuitati prouidere cogatur; ac interim ob loci distantiam nequit ei parti, vnde prodeunt, aut vbi exercentur huiusmodi operationes, adesse calidum, sine quo nulla actio, vt antea ostendimus, fieri potest, cogitur enim calidum innatum aliquando sese recipere ad suos fontes, vt resolutus restauretur, augeaturque, vel vt seruiat internarum partium actionibus à quibus ille prodit; quibus sufficere non potest, si in vniuerso corpore diffunditur. Requirunt præterea sensationes, cogitationes, & motiones plurimum calidi innati; vnde videmus, eos inhabiles esse ad talia opera, quibus infirmus est calor. Itaque cum semper nequeat calidum innatum abundare in externis partibus corporis, quoniam ex sanguine, qui per interualla gignitur, intus augetur, restauraturque; ideo deficiente suo instrumento, illas quoque actiones deficere necesse est. At concoctiones, distributiones, retentionesque alimenti, in singulis partibus continuæ sunt, quoniam semper aliquid est in venis, quod retineri, attrahi, concoqui, distribuique potest, & quælibet pars insitas habet huiusmodi facultates, nec vnquam calore penitus destituitur, qui ad sui proportionem his functionibus ministret. Ventriculus vero non semper concoquit, quia materiam extrinsecus sumit, quæ priore consumpta deficit. Quia ergo continuo non suppeditatur alimentum, ideo per interualla côcoctio obitur. *Igitur sêper nequit vigilare animal, non quod vniuersæ corporis functiones tandem debilitari, & fatiscere necessarium sit*, vt Aristoteli placuit; *sed quia sensationes ipsæ perennes esse nequeunt: propterea quod nec prouidentia naturæ perpetuæ esse cogantur*: cum satis sit illas per interualla exerceri; *nec calidum innatum potest semper vsque ad cerebrum, & neruos prorumpere; aut certe non sufficiat exigua illius portio, ad assiduas sensationes, quarum partes, & origo à fontibus caloris procul distant; aut quod sæpe vniuersus calor, aut certe maxima illius pars, ad interna viscera abire cogatur.*

Actiones quæ nô fiant cõtinuo.

Quæ vero perpetuo non fiant.

Cur vero necessario vigiliam sequatur somnus, putat Aristoteles fieri, quoniam cum illa côtraria sint, necessario oportet ex contrariorum ratione alterum adesse, vbi alterum abest. Itaque cum vigilia semper fieri nequeat, somnum sequi necessarium esse. Est quidem contrariorum hæc ratio, sed non priuationis & habitus: illa enim vicissim sese excipiunt; hæc vero minime: quandoquidem ex eo authore sumpta est vulgaris ea sententia *a priuatione ad habitum non fieri reditum*: quare si somnus priuatio est sensuum, & vigiliæ, si hac finita succedit ille, sequetur quidem somnus vigiliam, sed ille nunquam finietur, vt rursus vigilia fieri possit. An dicendum est, somnum non esse proprie priuationem, sed intermissionem & cessationem quandam, quam necessario quidem fieri oportet? quoniam si vigilare est agere, aut ad sensationem sequitur vigilia, & dormire est quiescere, vel ad quietem sensuũ sequitur somnus, necesse est, somnum sequi vigiliam, quoniam motum quies sequitur; fieri autem non posse, vt semper dormiat animal, ideo B putat Aristot. quod somnus sensitiuæ partis sit affectio quędam, nempe vinculum quoddam, & immobilitas, ex quo, inquit, sequitur, quicquid dormit, sensitiuam partem habere: illud autẽ esse sensitiuum, quod actu sentire potest, quod cum per quietem fieri nequeat, accidit, nullum esse somnum, qui expergefieri non possit. Hæc Aristoteles. Sed quid dicemus de his, qui incidunt in sopores, à quibus nunquam excitantur, sed moriuntur? veluti his contingit, qui papaueris succum liberius sumpserunt, aut lethargo, vel attonito morbo sunt correpti. Nam vt naturales sõnos, qui à moderatis caussis fiunt, finiri videmus, sic alienum non est, morbosos aliquando ita inualescere ex magnitudine caussarum, quæ calo- C rem contrahunt, & contractum suffocant, aut ex validissima obstructione ei viam penitus pręcludunt, vt nunquam postea vigilia redeat: quos quidem somnos si Arist. comprehendit, vt postulat ipsius tractatio, quæ communia sectatur & se complecti ostendit, cum ait *in lib. de Somno & vigilia*, nullum esse somnum, qui expergiscibilis non sit, idque colligit ex præcedentibus, vbi somni, & vigiliæ naturalis, & morbosæ generationem, & solutionem quærit, videat ipse quam recte hæc dicit: nam, vt antea diximus, haud raro est videre per morbos somnum & vigiliam, quæ nulla arte reprimere, aut finire possumus. Satius ergo est, putare, solos somnos, *qui sunt se-* D *cundum naturam*, nequaquam perpetuos esse posse, *quoniam mediocres sunt caussæ, quas calor, & natura facile abigere valeant*. Ac nec illud forte caussam reddit finis somni, quod ait, sensitiuum illud esse, quod actu sentire potest. relinquitur enim docendum, quod hic quæritur, quid, inquam, sit, quod quiescentibus, & cessantibus per somnum sensibus, rursus eos actu sentire faciat, vigiliamque inducat. At nec illa ratio est, quam idem autor *in fine libri de Somno, & vigilia* habet: ait enim, expergisci tunc animal, quando absoluta est concoctio, & calor, qui ambientis frigoris opera collectus, contractusque euicit, atq; sanguinem feculentum à sincero discreuit. Vult igitur, somnum finiri, quãdo calor côtractus concoxit, & sanguinem crassum & impurũ E separauit à tenui, & puro: tamdiuque illum durare, quoad purus ad partes superoas, turbulentus vero ad infernas sequestratus, delegatusque sit: quo pacto, inquit, animalia ab onere cibi absoluta, excitantur. Sed enim *cum somnus* (vt antea ostendimus) *fiat, eo quod calidum innatum nequeat ferri ad fontem sensuum, & ipsa sensoria; plurimæ autem sint caussæ, quæ illum motum*

Cur necessario vigiliam sequatur somnus.

Opinio Aristotelis.

Reiicitur.

Qui somni non possint esse perpetui & cur.

propo-

Quando & cur somnus finiatur.

impediunt, oportet vtique illum tamdiu durare, donec victa fuerint illa, quæ eundem pariunt; tunc enim finietur somnus, & sequetur vigilia. Igitur si somnus fiat, eo quod calidum innatum ad concoquendum alimentum in viscera se receperit, non prius ille quidem soluetur, quam ipsa concoctio absoluta fuerit. At si ob debilitatem calidi somnus fiat, necessarium est illum tantisper durare donec illud auctum, & restauratum sit: tunc n. ipsum sponte recurrit ad sensoria, somnumque finit, & vigiliam restituit. Quod si agitatio spirituum somnum conciliauit, oportet illam vi innati caloris, & quietis prius sedari, quam soluatur somnus. Si vero somnum peperit refrigerata, densataque natiui calidi substantia, necessarium est, antequam redeat vigilia, vinci eam qualitatem, interni caloris vi, aut arte nostra, aut etiam quod illa partim sponte euanescat, vtpote quæ ab externa causa, cuius vis in hoc perpetua esse non solet, sit inuecta. Cæterum si ab his, quæ extrinsecus refrigerant, repelluntque calidum innatum, somnus est ortus, ille quidem durabit, donec sponte recesserit impressa frigiditas, aut eam discusserit externus calor, aut internus rediens à suis fontibus, ex pabulo factus iam vegetior, & validior. Sopores vero, qui à contundentibus, comprimentibusque cerebrum, nascuntur, manum Medici expectant, subleuantis ossa: alioqui perpetui erunt. Eos autem, quos vaporum copia peperit, abigit natiuus calor, cum materiam concoxit; desinunt enim concocto humore gigni vapores, & qui cerebrum iam occupauerunt, facile euanescunt, tum, quod non amplius subministretur noua exhalatio, tũ, quod auctus ex alimento calor ascendens ad caput, aut etiam qui in ipso cerebro est, ipsos digerat, & absumat. At somnos, quos humores in cerebri cauitatibus afferunt, finiunt eædem causæ, adiuncta Medici opera, qui concoctione, calore, vacuatione, & aliis præsidiis nititur materiam illam educere. Recedunt vero somni, qui fiunt remotis sensuum, & cogitationis obiectis, quando absolutum est opus, quod in visceribus contractus calor, quando nihil habebat, quod foris ageret, inchoauit, aut accedunt externa irritaměta, quę calorem exire cogunt: quod quidem etiam alios somnos finit: nam lux, clamor, vellicationes partium, & alia, quæ extrinsecus sensus mouent, somnum soluunt. Eadem est ratio in omni alio somno, ne singula prosequamur: Tantisper enim illum durare necessarium est, quamdiu manet id, quod illum conciliauit: eo enim sublato, ne quid ociosum sit in natura, oportet calorem prodire à suis fontibus, vbi nihil amplius habet, quod agat: aut si etiam aliquid relinquitur, cogitur alios motus aggredi, à maiore causa commotus. Quæ quidem si vera sunt *durationis somni causa non est sola concoctio, nec solutionis somni est causa absoluta concoctio, sed multa alia* (vt ostendimus) *quas concoctio non tollit, nec ad eam redigi possunt.* Illud quoque mirari licet, quod scribit Arist. somnum tamdiu persistere, quoad pars sanguinis purior ab impura & feculenta separetur, atque illa sursum feratur ad cerebrum, supremasque partes, quæ puriore sanguine egent, alendas. Nam somni tempore concoctio optime obitur: siquidem illa est, cuius gratia somnus fit: at concoctio in ictallatione, & vnione, eo et-

A iam autore, non segregatione fit. Ac multo quidē minus ob separationem hāc oportet, vt purior pars sursum, impura deorsum feratur. Cum enim similia similibus nutriantur, cerebrum vero pars sit frigida, & pituitosa, su purum, & pituitosum sanguinem ad sui nutritionem desiderat. Addo quod cum in superioribus partibus, vt in inferioribus, nerui, cartilagines, membanæ, ossa, caro, & reliquę partes similares, eiusdem naturæ reperiantur, necessarium sit, sanguinis massam eiusdem naturæ esse, vt ex ea quælibet pars habeat, vnde sibi familiare nutrimentum allicere valeat. Præterea cum, eo autore, calor per somnum in cor pellatur, quid erit, quod humores illos sursum moueat? Nouimus enim, caloris vi, & B motu illos moueri, sicut in ira, timore, & exercitatione apparet: quod si calor ab humorib. à cerebro descendentibus, in visceribus concluditur, non erit profecto, quod humores ad superiora corporis membra per somnum impellat, attollatque. Quid vero illud est, quod scribit, calorem à frigore ambiente in somno contrahi? nam antea, illum ab humore descendente à capite, nequaquam vero ab ambiente frigore, compelli posuit: nec potest ea ratio in omni loco, & tempore conuenire. Ex quibus quidem patet, quid de fine somni sentiendum sit, *non enim*, inquam, *ob quietem animalis, aut concoctionem alimenti, aut cerebri recreationem, vel ob aliquem alium finem, & vsum fieri, sed calidum innatum, quod somni causa* C *sa est, aliquando ob aliquem finem contrahi, nempe salutis gratia*, quam quidem assequitur, quantum in se est, dum alterat, concoquit, dissoluit materiam contentam in visceribus, ex quibus operibus sequitur animalis conseruatio, & salus, alium vero sequi finem, victa scilicet natura, vbi materia, calidi vires excedit: aliquando vero ipsum calorem contrahi, & somnum facere, non ex naturæ prouidentia intro reuocantis sua instrumenta, sed ob alias causas, quæ nullo proposito fine agunt. Illud quoque ostensum est, vigiliam non esse perpetuam, non quod vniuersas corporis functiones tandem satisfacere sit necessariũ, sed quod sensationes ipsæ deficiente necessario calore, perennes esse nequeant. Demonstratum D etiam est, somnum necessario sequi vigiliam, quoniam ille cessatio est, & quies sensuum, aut aliquid, quod ea sequitur, quod omnino fieri oportet, vbi assidua nequit esse sensuum actio. Cōstat prĕterea, non omnem somnum finiri in vigiliam, sed eum potissimum, qui naturalis sit, aut alium, cuius causæ tolli possunt. Postremo ostēsum est, durare somnum, non quamdiu fit concoctio, aut fit, vel facta sanguinis puri ab impuro segregatio, sed quamdiu manet, id quod calorem abstulit à sensibus. Ac ex his potest quilibet intelligere alia, quæ de fine vigiliæ non sunt dicta: *vt enim somnus ob aliquem finem non fit, ita nec vigilia, sed necessario sequitur caloris motum ad sensoria, & ipsas sensationes.* Ac vt contractio caloris E à natura fit, ob aliquem finem, sic eiusdem expansio frustra non accidit, sed vt externis partibus seruiat: & quemadmodum intus retineri nequit calor, ita nec foris semper consistere potest, vnde vigilia finitur, nisi tales illius causæ fuerint, quæ coerceri non valeat. Ac quemadmodum per somnum peragitur in partibus internis concoctio, ita per vigiliam, quod conco-

Somnum non fieri ob aliquē finē, sed sequi caloris contractionem.

Non omnem somnum finiri in vigiliam.

Vigiliam non fieri ob aliquem finem sed sequi caloris expansionem.

ctum in illis est, caloris prodeuntis vi, per corpus A distribuitur, & rursus in illis concoquitur, exercenturque aliæ actiones ad nutritionem necessariæ, atque ita mutua successione, & vicissitudine, accessu, & recessu calidi innati, fiunt somnus, & vigilia.

Cap. XVI.

De causis differentiarum somni & vigiliæ.

Somni vna quidem natura est, vna immediata causa. plurimæ tamen reperiuntur differentiæ, tum in eo qui secundum naturam, tum in eo qui est naturæ contrarius: quod quidem necesse est accidere, quoniam ea proxima causa, B pariter suas differentias assumit, mutaturque mutatis illis rebus, à quib. ea afficitur. Est .n. aliquãdo longus, aliquando profundus, aliquando lenis, aliquando turbulentus, insomniisq; plenus, & illis quidem vel molestis, aut iucundis, aliquãdo tranquillus absque insomniis: est aliquando continuatus, aliquando interruptus: Sunt, qui contraria affectione simul tenentur, idest, ad vigiliam, & somnum inclinant: licet aliquando videre dormientes stertere, aliquando dentibus inter se commissis, & collisis strepitum edere, alios vero loqui, clamare, alios etiam surgere, & aliquid aggredi. Docenda ergo est prædictarum differentiarum somni, & si quæ aliæ sunt, proxima causa, & quid postea idem faciat illius interuentu. C Nam ex mutatione temperaturę, habitus corporis, ætatis, temporis, victus, sexus, & aliarũ rerum quæ vim habent afficiendi animum, aut corpus, nunc breues nunc longos, aut alterius generis somnos fieri, omnibus constat. Quod quidem nõ alia ratione accidere potest, quam quod huiusmodi res proximam illam causam mutent, & diuerso modo agere cogant. Eam cum multi prætermiserint, intelligere nequaquam potuerunt, cur res diuersæ eosdem pariant somnos, credamusque nos ex illorum tractatione persuasi, eandem somni differentiam, quam diuersę causæ committere sunt aptę, ab vna semper fieri. Ac vt breuiter dicam, multa in hac re sunt ignorata, multa perperam tradita, D quod proximam causam contempserimus, aut certe non viderimus, à quibus rebus illa, aut diuersa patiantur, quod quidem iam docere aggredior.

Cap. XVII.

De causa somni longi & breuis.

Recipiunt omnes Medici, caput ei esse humidum, aut humidum & frigidum, qui multum dormit: breuem autem somnum siccitatis, aut caliditatis cerebri, necessario esse indicium: quod quidem primum aduersatur principiis, quę de somno & vigilia ab illis sunt posita. Nam si somnus omnis, præsertim qui secundam natu- E ram est, fit à vapore genito in partibus subiectis, necesse est, breuem, aut longum somnum nasci ex multo vel pauco, vel frigido, vel calido, aut crasso, vel tenui, aut alio modo affecto vapore, nihil ad id conferente capite, aut cerebro. Quod .n. causa alicuius est sine differentia assumptum, idem cum suas differentias acceperit, alterius differentias pariet. Igitur si vapor est, qui somnum constituit, & facit, idem duntaxat, cum diuersus fuerit, differentias somni affert. Demus, vni caput esse humidum, alteri siccum, & illi paucos vapores attolli, huic plurimos, crassos, & frigidos, nonne in hoc longus, in illo breuis somnus fiet? ita profecto sentiamus oportet, quoniam somni ex illorum opinione causa vniuersa mittitur à partibus subiectis: cerebrum vero vim duntaxat habet illam recipiendi, & mutandi: quod humor, aut siccitas, quæ in cerebro sunt, non faciunt, sed frigiditas, cuius est vapores condensare, & in humorem mutare. Nam vt humor qui in capite est, non parit somnum, nec siccitas parit vigiliam, sed vniuersa causa materialis (vt illi aiunt) vapori ascendenti tribuitur, & cerebri frigiditati: sic in differentiis ipsis somni ab aliis quærendæ non sunt causæ. Nequeunt ergo illi ex suis principiis docere, qua ratione parum dormiant, qui sicco; multum vero, qui humido sunt cerebro: & multo minus ostendere possunt, huiusmodi somni differentias causas sumere ex cerebri siccitate, & humiditate. Nam si somnus fit, eo, quod calor natiuus deserat sensoria, erit profecto longi somni causa *longa absentia ipsius caloris.* Atqui diuersa sunt, quæ impediunt calorem ipsum, ne cito ad sensoria redeat: si .n. somnus fit, quia calor contrahitur ad concoctionem obeundam, oportet profecto tamdiu durare sõnum quamdiu concoquitur alimentum: Erit ergo breuior somnus iis, *quibus valida est concoquendi vis, & natiuus calor plurimus:* quod experientia ipsa docet: nam corpora calida & humida, breuioribus somnis post cibum sunt contenta, quoniam illa cito concoctionem expediunt. Frigida vero temperies longiorem requirit somnum, quia illi deest calor, qui prompte concoquat: eodem pacto qui imbecillo sunt stomacho & hepate, plus dormiunt: minus verò, quibus illæ partes sunt validæ. In ieiunio, aut post leuem, aut parcum cibum, somni fiunt breues; longi vero in repletione, præsertim ex cibis multis, crassis, vel alio modo ad concoctionem ineptis: pari ratione etiam, qui cruditatibus laborant, longos somnos faciunt, quocunque modo cerebro affecto. Mulieres quoque plus dormiunt, quam viri, ob eandem causam, quod frigidius sit illarum corpus, & cibis vtantur multis, & ad concoctionem ineptis. *Ergo ob mutationem concoctionis, calorem plus vel minus immorari, somnosque longiores, breuioresque fieri, necesse est.* Sunt & aliæ causæ huius differentiæ somni: nam quæ vehementius calidi substantiam dissoluunt, longos conciliant somnos; breues vero, quæ leuius id faciunt. Vnde post longã vigiliam, aut longum, aut vehementem laborem, vel tristitiam, aut clamorem & fletum, vt infantibus accidit, sequuntur longi somni; eget enim longa mora in visceribus calor, vt post magnam consumptionem ita augeatur, vt ad sensoria prodire possit. Post cibum autem, vel potionem frigidam, multum dormimus, propterea quod tempore opus est ad discutiendam frigiditatem, quæ calidi externos motus impedit: quo fit, vt post liberalem aquæ potionem, aut lactucæ assumptionem, longus inuadat somnus. Pariunt longos somnos illa quoque, quæ viam vehementius impediunt calido innato: qualia sunt, quæ plurimos &

Quibus somnus sit breuis & quibus longior.

Causa somni longi & breuis.

mos,&crassos vapores generant,aut humore replent venarum,& cerebri cauitates: aut quæ cōprimendo,aut densando easdem claudunt. Ac liberales vini,præsertim crassi,&non admodum calidi potatores,plurimum dormiunt,nisi subsit multa pituitæ copia: tunc enim aptius est, quod calidius est:propterea non mirum, si quidam ex vini potu in morbum incidunt, alii vero vigilare coguntur: etenim generosum vinum in biliosis corporibus,acuit humores,& spiritus, atque ita calorem ad externa membra commouet: in pituitosis vero corporibus vapores plurimos, & crassos attollit:quod vero aquosum, & frigidum est vinum, in biliosis somnum mouet; in pituitosis, cum nequeat ob materiæ repugnantiam vapores gignere,nihil ad somnum facit. De hac quidem re *problema est vigesimum quartum sect.3.* apud Arist. quod mihi videtur multa habere rationi parum cōsentanea:quęrit.n.in eo,cur vinolentis somnus oriri nequeat, quod in primis est falsum: plurimos.n.vinolētos somno corripi, & eo quidem longo, & profundo, quotidię cernimus:quare proponit disputandum quod verum non est.deinde dum rationem propositæ quæstionis afferre studet,multa pronunciat, quæ, vt euidenter falsa,facile refelli possunt:ait enim, ad somnum creandum calidum adesse oportere humorem,quippe cum hic expedite concoqui possit. Si vero desit humor,aut exiguus est, vel concoctu difficilis,somnum non fieri, hac enim de causa post cibum somnolentissimos ob calorem homines reddi:melancholicos vero,& vehemēter æstuantes insomniis terreri; illos, quia humor penitus est refrigeratus:hos, quia aut nullus,aut minimus extat. Nos vero antea probauimus, *humorem, qui somnum creat, siue ille contineatur in cerebro, siue in locis, vbi concoctio alimenti perficitur, tanto maiorem vim ad somnum conciliandum obtinere: quanto frigidior extiterit:* nam pituita longos profundosque somnos inducit. Oritur & somnus huiusmodi ex materia, quæ difficile concoquitur: vt docent cibi & humores pituitosi, qui inter omnes alios maxime somnū pariunt. Quod vero post cibum,ac potum somnolentissimi euadamus, *causa quidem est calor: sed non ea ratione, quod calidius reddatur corpus,* vt ille sentire videtur: obtunditur enim calor, antequam materiam euicerit: *sed quod ille ad alimentum conficiendum contrahatur, aut vapores plurimos capiti subministret.* At melancholicos vigilia non tenet,quod illorum humor refrigeratus sit, sed (vt diximus) *quod expeditas habeant cerebri cauitates, corpusque exiccatum, in quo nihil est, quod vim obtineat ad impediendum calidi natiui motum.* Si æstuantes non dormiunt, causa non est,quia minimus extet humor (nam in corpore humido æstuante nequit humor,aut vapor deesse) sed quod ex æstu,ab internis fontibus calor prodire cogatur,id quod vigiliç causam esse diximus. Pueri quoque longis somnis corripiuntur, *quod in his ex cibo multo, & humido, mollique corpore plurimi assurgant vapores, qui viam obstruunt validius calido innato,* adeo vt non nisi difficile,& longiore tempore dissolui valeant. Eandem ob causam,qui angustas habent venas, somniculosi sunt. *quia angusta illorum vasa, prompte, & exacte obturantur:* non quod humor ægre decidat, & resluat,vt Arist. *in libro de somno* tradit: quoniam,vt antea ostendimus,non propter resluxū vaporum,aut humorum à capite ad cor, sed propter obstructionem,quam parit eiusmodi materia in cauitatibus cerebri somnus nascitur. Quod vero de Pomilionibus, & his,qui magna habent capita scribit *eodem loco*, prætereundum non est: vult enim ille magnam fieri in illis euaporationē quæ longi somni sit causa,quod mihi persuadere nequeo; fit enim euaporatio ratione partium subiectarū,&eius,quod in illis cōunctur,&conquiritur,in qua re quid magnū aut paruū caput conferat,non video:addo,quod magnū caput facilem præbeat transitum vaporibus,ita, vt multa illorū copia nequeat in humorē verti,aut insignes obstructiones excitare. Sed cur dicet ille, eos qui venas habent amplas, sōnolentos non esse, eos autem tales esse,qui caput magnū obtinent? nam in vtrisq; ratio sumitur ex latitudine cauitatū. Quod si forte Pomiliones multū dormiunt, causa non est ex magna euaporatione; quippe cū illi ita affici possint in ventriculo,& hepate, & aliis partibus ad alimenti concoctionem destinatis, vt nequeant plurimum alimenti & humoris assumere,concoquere, multosque vapores gignere,sed,vt arbitror,id fit, *quod vapores, qui excitantur, vniuersi recipiantur in capite, ob maximam vicinitatem, cum in aliis qui longiore sunt corpore, magna illorum pars absumatur, digeraturque per alias partes.* Illud vero recte ab eo scriptum puto,melancholicos breuissimis somnis contentos esse, *quia interiora viscera illorū refrigerata, & exiccata ab atra bile nequeant multum vaporem attollere: vel etiam quod illorum ob siccitatem cerebri meatus sint expediti, vt facile claudi nequeant ab exigua vaporum, quos gignunt, copia.* Habent & longos somnos, quibus est cerebrum humidum & pituitosum, propterea *quod prompte illis ab humore, aut ex vapore crasso illic genito cerebri sinus obturantur, nec facile a calore discuti potest, quod ei est impedimento.* contra vero breues somnos faciunt, quibus cerebrum est siccum: *hi enim nihil habent, quod cogat calorem, posteaquam ad caput ascendit, illic hærere, vt tollat, quod sibi viam precludit*: ob eandem causam somnolentiores solent esse, qui in locis palustribus degunt: nam humidius euadit ex huiusmodi aere corpus & caliginosi, crassique vapores gignuntur, qui difficile discuti possunt. Nam quod scribit Aristoteles *vndecimo problemate decima quinta sectionis,* huius rei causam esse corporum refrigerationē, nequaquam probare possum: sæpe. n. in locis paludosis reperire est aerem calidum, & humidum. Ait pręterea *eodem loco*, refrigerationē somnum nobis conciliare, eo quod requies quædam sit: hæc autem somnum pariat. Quo.n.modo intelligi potest, refrigeratio esse requies quædam? deinde si ille omnem somni causam alibi docuit sumi à vapore, somnumque ipsum esse refrigerationem, causas tamen calidas, nequit refrigeratio somnum conciliare, quoniam ea causa non est calida, nec ad vapores gignendos apta: ideo .n. melancholicos 24. *probl.* 3. *sect.* ineptos esse ad somnum tradit, quia in illis refrigeratus humor sit, tanquam frigiditas ex illius opinione somno conciliando obsit. At si humiditas, quæ in cerebro est, somnum parit, cur est, quod senes, quib. in omnibus partibus abundat pituita, maxime vigilare soleant? De hac re Alexander Aphrodi-

Cur post cibū & potū reddamur admodum somnolenti.

Melancholici cur plurimum vigilent.

Cur pueri somnis longis corripiantur, cur item qui angustas habent venas.

Pomiliones cur multum dormiant.

Cur melancholici breuem habeant somnū.

Cur qui humidū habent cerebrū longū, & contra breuem, qui siccum.

seus disputat *secundo problemate primi libri*, sed A meo quidē iudicio, parū fœliciter; nam *in primo problemate* docet, somnum ab humore fieri, & propterea pueros humidos, & excrementosos, necnon eos, qui vino sese inebriant, vel crebro balneo vtuntur, somniculosos esse. *In secundo* vero *problemate* fatetur, senes excrementis abundare, vigiles tamen esse, quia partibus solidis sunt sicci: si .n. humor excrementosus in pueris, si vinum in omnibus, qui inebriantur, aut certe in multis, atque adeo in senibus somnum parit, vigiliæ causa ad solidarum partium siccitatem referenda non est; satis enim est ad somnum conciliandum, si excrementosus in illis adsit humor, qui sua natura somnum procreare est aptus. Ego vero aliam puto esse huius rei causam: *nam etsi* B *senes abundant pituitoso humore, tamen ex siccitate & duritie cerebri, cauitates ampliores sunt redditæ, vt quæ non concidant, sicut in aliis ætatibus ex insito superfluo humore: quare non plus potest humor, qui eo tempore redundat, quam amplitudo cauitatum, quæ ea etiam ætate sunt expeditæ: vel forte id fit, quod humor pituitosus, qui in senibus gignitur, nequaquam in capitis sinibus maneat, sed deorsum ob grauitatem, & multitudinem pellatur; adeo vt ille nihil conferat ad somnum conciliandum:* docent autem humorem recedere à cauitatibus cerebri, continuæ destillationes, & expuitiones, quibus senes molestantur. Accedunt & aliæ causæ in senibus, quæ somnos breues reddunt: nam C *vt illi parum edunt, sic non habent, quod intus diu calorem detineat, ac cum multis cogitationibus, & curis vexentur, eundem cogunt in externis partibus versari*, ex quo maxime vigiles redduntur. Eodem pacto, quæ extrinsecus caloris motum ad sensoria impediunt, refrigerando, densando, repellendo, tanto quidem longiores illa somnos pariunt, quanto vehementius, & diutius vim suam exercent. Proinde recte dictum est ab Hippoc. hyeme fieri somnos longissimos, *quia eo tempore noctes longiores sunt, & aer frigidior, qui calorem à capite diu repellit, arcetque.* Neque enim recipienda est Montani, & aliorum interpretatio, qui aiunt, eum autorem voluisse, ideo somnos fieri longos hyeme, quod eo tempore pluri- D mum edamus: sic enim non quid anni tempus suapte natura faciat, doceret, sed quid illis contingat, qui ex aliis causis somnos captant. Nam non solum hi, qui multū comedunt hyeme, sed etiam qui parum, plus dormiunt, quam alii, qui alio tempore eandem viuendi rationem seruant. Ergo ex temporis natura, nō autem ex eo, quod aliqui in eo faciunt, somni causa petenda est: nam plurimi sunt, vt mulieres, & agricolæ, qui plus edunt æstate, quam hyeme: & quod plurimus cibus hyeme facit, idem potest larga potatio æstate præstare: cum tamen omnibus contingat, minus æstate dormire, nisi vel lassitudo, vel alia causa accedat, quæ ex alia ratione mutet, quod temporis conditio facit. Ex quo quidem patet, E *capitis, vel aliarum partium refrigerationem causam esse, vt somnus fiat, & ille quidem vel longior, vel breuior, pro ratione ipsius frigiditatis: calor vero illarum partium vigiliam, & breues somnos parit.* Vnde videmus, illos, qui æstum sentiunt in capite, aut in corpore breuissimis somnis esse cōtentos; allicit enim capitis calor ad se natiuum calidum à corde, ac internis fontibus excalectis, idem sponte prodit ad sensoria: quo fit, vt biliosis maxime conferat, ad somnum conciliandum balneum humectans, & frigerans: illis vero, qui ardorem sentiunt in capite, prodest ad longiorem somnum captandum, dormire capite nudato, vel in loco frigido: nam frigus calorē influentem à sensoriis arcet, eundem vero allicit, qui in illis est calor. Vigilant, aut certe breuissimos somnos faciunt, qui doloribus vexantur; *coguntur enim instrumenta sensus, a violentis causis agere, ad quod sequitur vigilia: Verum sese remittente dolore aut etiam perseuerante, tandem cogitur animal dormire, nimirum deficiente calido innato, sine quo nulla actio exerceri potest.* Habet voluntas nostra suam quoque vim, in longis aut breuibus somnis conciliandis: nam in magno ocio & animi securitate longissimos, & dulcissimos somnos captamus; breuissimos vero, vbi in mente manet, ob negocia surgendum, vel ob pericula somnum interrumpendum esse, tanquam animo, & voluntati deliberanti pareat (vt diximus) calidum innatum, & ab eo non solum somnus, & vigilia, sed etiam vniuersæ illorum differentiæ nascantur. Porro in locis obscuris plurimum dormimus: minus in claris, quia in his est, quod sensus moueat, in illis vero nequaquam: vnde multi experrecti in tenebris, redormiunt: adueniente vero clara luce, prorsus excitantur. *Constat ergo fieri breues, aut longos somnos, ob longam aut breuem moram calidi innati in visceribus, ob illa, quæ plus, vel minus impediunt illius motum ad sensoria, refrigerando, dissoluendo illius substantiā, vel spirit. reuocando, vel claudēdo viā, per quā ad sensoria fertur, vel remouendo obiecta, vel deorsum pellendo, vel sursum impellendo; aut rectum illius motum impediendo:* in his enim si quis singula scrutari velit, inueniet semper, quid huiusmodi somnos parere sit aptum: sicuti & alias somni differentias, de quibus pauca solum subiiciam, quoniam ex prædictis vniuersa illarum ratio facile intelligi potest.

Cur senes plurimum vigilent.

sect. 3. aph. 15.

Cur hyeme somni fiant longissimi.

Cur doloribus vexati primum vigilent, tandemque tamen dormiant.

Cap. XVIII.

De causis somni profundi & leuis.

Causam immediatam profundi somni docet Galenus *libro primo de Symptomatum causis*, vbi scribit, somnos tanto profundiores fieri, quanto minus influit facultatis sensificæ ad sensoria, & recte quidem: verum cum sensifica vis non per se, sed caloris natiui absentia, somni sit causa; dicendum est *tanto profundiores somnos conciliari, quanto magis impeditur calor ferri ad sensoria:* nam ad portionem influentis calidi actiones fieri, rationi est consonū. Igitur illa, quę vniuersum calidum, aut certe maximam illius partem prohibent ferri ad sensoria, somnos profundos excitabunt; leues vero, quę cōtrario modo habent: quod quidem exemplis docere est promptum. Nam post longum aut vehementem laborē corporis, aut animi profundi sequūtur somni. idem fit post longam vigiliam, & ięuissimos dolores, ac ob alias vniuersas causas, quæ calidum innatum vehementius digerunt, & absumunt. Pariunt eosdem somnos illa, quæ

aut va-

aut valide obstruūt cerebri cauitates, vt plurimi, A crassiq; vapores, aut humores: quo modo ebrius, & his, quibus cerebrum pituitosum est, somni profundi contingunt. Eadem ratione hyems, & alia, quę extrinsecus cerebrum refrigerant paulo violentius, somnos profundos inducunt: quoniā vniuersum calorem a sensoriis repellunt: quæ vero eundem alliciunt, aut loca expediunt, per quæ ille mouetur, leuioris somni sunt causæ. Ad quas quidem redigenda sunt, quæ Galenus *in arte medicinali*, & *alibi* de somno inter cerebri notas scribit, scilicet eos, quibus cerebrum calidum est, leuibus somnis esse contentos: quod etiam illis cōtingit, qui cerebrum siccum obtinēt: illi enim vt vigiles maxime sunt, sic cum dormiunt, leues habent somnos, contra quam illi qui vel frigido, vel B humido, vel frigido & humido simul cerebro sunt præditi. Eos autem, quibus calidum & humidum contingit, diu vigilare non posse, & ad somnum conuersos, vna cū sopore vigilare scribit: quarū quidem rerum causas, pauci, meo quidem iudicio, recte interpretantur: nam quidam, inter quos est Curtius, dicunt, eos, qui calido sunt cerebro, ideo leuiter dormire, quia leuiores patiuntur obstructiones ex vaporibus in cerebro: ex quibus quidem contingit, plus virtutis sensificæ ferri ad sensoria; quorum opinio nequaquā recipienda est. Nam etsi calor vapores eleuatos discutere potest, alia tamen ratione obest, quod eos & humores à subiectis partibus alliciat, adeo vt non minus conferat ad obstructionem pro- C creandam, & augendam, quam tollendam. Deinde hæc opinio ponit, omnem somnum fieri à vapore ascendente, & obstruente cerebri cauitates, quod antea falsum esse ostendimus: omnibus enim habētibus cerebrum calidum, ex quacunq; causa dormientibus, somnos breuiores, & leuiores contingere vult Galenus. Postremo nō sensitiuam facultatem, sed ad ipsius calidi influxum, ratio est redigenda. Acakias vero *in commentariis*, quos scripsit *in artem medicinalem* Galeni tradit, somnum fieri ab humore cerebrum replente, & grauante, nec non ob defatigationem principis facultatis, & ideo fieri somnos leues in his, qui calido sunt cerebro, quia calor humiditatem absumat: eos vero, quibus cerebrum fri- D gidum est, somniculosiores esse, propterea quod vnam habent somni causam, nempe frigiditatē, quæ minorem (inquit) vim ad procreandum somnum, quam humiditas obtinet: eos autem, qui calidum, & siccum habent cerebrum, vigilantissimos esse, quia calore concitatur, & humore nequaquam degrauatur. At illos, quibus cerebrum calidum & humidum existit, cum sopore vigilare, quoniam coniunctas habent somni profundi, & vigiliæ causas, calorem, inquam, & humorem. Cæterum humido & frigido cerebro præditos somnos profundos, & longos dormire tradit, ob copiam frigidæ humiditatis, qua cerebrū abundat. Qui quidem author in hoc hallucinatur: nam primum falsum est, somnum omnem E committi ab humore replente cerebrum, & defatigatione principis facultatis, multa enim alia sunt (vt antea ostendimus) quæ somnos faciunt, vt tenebrę, musica, externum frigus, titillationes pedum, & infinita alia, quæ ad prædictas causas redigi nequeunt. Deinde naturalis somnus, qui fit à repletione cerebri, non ab humore grauan-

Cur calidū habentes cerebrum, leniter dormiant.

Opinio Curtii reiicitur.

Acakia.

Acakia refutatur.

te cerebrum, sed à vapore, obstruente illius cauitates, nascitur. Præterea male statuit, somnum fieri ex lassitudine principis facultatis, nam (vt antea id quoque docuimus) non ex dissolutione alicuius facultatis, sed ipsius calidi innati, quando ex lassitudine, & cōsumptione nascitur, somnus contingit, aut si facultas aliqua afficitur, certe illa non est princeps (vt ille statuit) sed sensitiua. Addo, quod sua non seruet principia, cum enim posuisset, somnum fieri, vel à repletione, vel à defatigatione, postea rationem reddit sumptam ex frigiditate, quando causam reddere vult, cur, qui cerebro sunt frigido, sint somniculosi, nec docere quidem potest, quid frigiditas conferat ad somnum. Quod vero somnos leues habeant, qui calido sunt cerebro, ratio non est (vt ille arbitratur) quod illorum calor humiditatem absumat. Nam si solus calor ipsa temperie exuperat, nullus est humor superfluus, qui consumptionem requirat, alioqui deficiente humore, non solum calidum (vt ponitur à Galeno) sed calidum & siccum erit cerebrum. Præterea commune non erit hoc indicium omnibus, quibus cerebrum est calidum, nam si somnus ex defatigatione fiat, nullus erit humor absumendus, vt nec in aliis multis somni causis, cum tamen velit Galenus, somnos fieri leues omnibus, quibus cerebrum est calidum. Vnam esse somni causam frigiditatem cerebri, nequit ille dicere, qui antea posuit somnum omnem fieri, vel à repletione cerebri, vel resolutione facultatis: & illud multo quidem minus, quod frigiditas minorem vim, quam humiditas, ad procreandum somnum obtineat, asserere potest. Nam vt Gal. *in libris de locis affectis*, & *passim alibi* testatur, frigida non solum somnum, & sopores, sed etiam simul insensibilitatem afferunt: cum humor ex sua vi ignaua, & imbecilla ad aliquid agendum minimum conferre valeat. Et quoque nequit ille docere, cur siccitas ad vigiliam conferat; & humiditas, frigidi-asque cerebri profundos, longosque somnos pariant. Ego vero aliter de his puto sentiendum: nam si vigilia fit, cum calidum influens ad cerebrum, & ab eo postea ad sensoria mouetur; somnus autem, cum idem calidum eò non ascendit, merito fit, vt quædam ex illis qualitatibus, cum in cerebro fuerint, ad somnum, & cum quidem profundum vel leuem, aut alterius generis: aliæ vero ad vigiliam faciant: nam calor cerebri ideo vigiliam, aut leues somnos committit, quia internum calorem ad se allicit. Frigus vero, & somni & eius quidem profundi causa est: quia calidum non mouet, & aliunde commotum temperat, impeditque suos motus exercere: Humida qualitas cerebri somnos & illos profundos, pro sui excessu inducit: quia illa calidi, quod in eo ascendit, vim frangit, & sistit: nam calor humida qualitate retunditur, & dum in ea vincenda laborat, prohibetur vltra progredi. Addo, quod humida cerebri temperies materiā humidam procreet, quæ obstruit, grauatque cerebrum, quam prius à calore discuti necesse est, quā ille ad sensoria properare valeat. At siccitas non mouet quidem calorem, sed posteaquā ille ad cerebrum venit, liberum transitum ei concedit, vnde vigilia & leuissimi somni his, qui cerebro sunt sicco, contingunt. Ex quibus quidem facile est intelligere, quo pacto quælibet ex illis

Sententia autoris.

Calor cerebri cur faciat vigiliam. Cur frigus profundum somnum. Cur humiditas.

Et siccitas vigiliam.

qualitatibus cerebri, sola aut cum aliis coniun- A ctà, ad vigiliam, & somnum, atque eorum differentias conferant. Dormiunt profundum somnum, & qui in magnis tenebris versantur; leuissimum vero, qui in luce somnos captant. Præterea ex suauissimo cantu, aut assiduo, & vario motu, profundi sequuntur somni. Quod etiam illis contingit, qui plurimum, aut crassum alimẽtum assumpserunt, aut imbecillo sunt stomacho & hepate, aut pituitoso humore in visceribus abundant. Propterea athletæ, rustici, studiosi literarum, & mulieres plurimum, & profunde dormiunt. At soporiferis auxiliis, vel lactucæ vsu, vel frigidæ aquæ potione, refrigerato calore, somnũ profundum nobis conciliamus. Profunde dormiunt illi quoque, qui vias, per quas calor petit B sensoria, validius obturatas habent: propterea melancholici parũ, & leuiter dormiunt, quia vias habent ob siccitatem corporis expeditas. eadem sane ratione ex vini crassi, & turbulenti potione accidunt profundi somni, quoniam calidi innati substantia grauis, ad motumque inepta redditur. At ex cõtrariis causis, leues somni proueniunt, quarum quidem rerum vim si quis exploratam habet, intelliget vtique, in qua temperie, habitu corporis, sexu, ætate, victu, anni tẽpore, cœli statu, & aliis rebus, ex quibus animũ, corpusq; mutari contingit, somni leues aut profundi oriantur.

Melancholici cur parum & leuiter dormiant.

Illud vero videtur hoc loco explicandum, an breues & leues somni, longi & profundi, perpe- C tuo inter se coniungantur, an eadem causa leuẽ & breuem, longum & profundũ somnum semper committat, an vero contingat differentias has somni, & illorum causas seiungi. Galenus solet fere hæc inter se semper coniungere, vt ex aliis multis locis patet, tum maxime *ex arte medicinali*: scribit enim *eo loco*, eos, qui calido sunt cerebro, breuibus & leuibus somnis esse contentos, multum vero, & profunde dormire, qui frigido, aut humido sunt cerebro. Videntur etiam illa, quæ somnos longos concitant, eosdem profundos facere, vt docent illa, quæ sopores committunt, qui omnes longi, & profundi solent esse. Verum etsi sæpe contingit, hæc inter se coniungi; tamen est aliquando reperire, vnum sine D alio consistere, idq; duob. modis; vno cũ inter se cõmittuntur longi somni, & vigiliæ causæ: altero, cũ opera, quæ per somnum fiunt, diuturnã quidẽ natiui moram, sed non vniuersam illius vim exigunt: tunc enim contingunt somni lõgi, & leues. Priorẽ quidẽ modũ exprimunt somni, qui fiunt in illis, qui calido & humido, æqualiter exuberãtibus qualitatibus, sunt cerebro: nã plurimus humor diu impedit caloris motũ: at calor ipsius cerebri, sua vi alliciens ab internis fontib. influens calidum, illius partem ad se mouet, vnde profundi somni in hac repugnantia esse nequeunt. Idẽ accidit his, qui tardius concoctionẽ alimenti expediunt, & continuis cogitationibus, aut eo præsertim tempore, quo ad somnũ accedunt, impli- E cantur, in his enim mens caloris partẽ ad se trahens profundos somnos fieri impedit, longos tamen requirit, & facit concoctio. Qui vero crassa & dura, sed pauca; vel multa, & simul tenuia, & mollia alimenta assumunt, lõgum somnum exigunt, sed non profundum; quoniam vniuersa caloris vi in hoc opere nequaquam est opus.

Somnos breues & leues, ac longos & profundos non semper coniungi.

CAP. XIX.

De causis somni tranquilli & turbulenti.

FEre quidem accidit, vt qui profunde dormiunt, non somnient, idque merito; nam cum nequeat aliqua actio exerceri absque calido influente, rationi consonum videtur, imaginationem, & mentem circa insomnia vagari non posse, cum natiuus calor vniuersus in profundo corporis concluditur. Propterea recte Galenus *libro quarto de sanitate tuenda*, frigidos succos profundos & longiores somnos inducere; calidos vero, & mordaces, vigilias, somnosque varios imaginibus plenos, inquietos & turbatos efficere scribit: tanquam cum leuibus somnis insomnia coniungantur: quod si aliter nonnunquam accidit, causa in his, vt in aliis omnibus insomniis, ad illam facultatem, ad quam insomnia pertinent, est referenda, siue imaginatio, siue mens, aut alia sit: quam quidem absurdum non est, quiescentibus sensibus aliquid agere posse: nam vt sine corpore principes facultates consistere posse creduntur, sic in corpore illis sufficit, vel solum insitus calor, aut certe exigua influentis portio. Porro iucunda, vel molesta insomnia fiunt, vel ex rebus, quæ somniando repetuntur, quomodo somniamus ea, quæ antea cogitauimus, aut locuti fuimus, aut fecimus cum voluptate, aut molestia, vel ex corporis constitutione nascuntur; qua ratione melancholici dæmones, & tristia omnia; pituitosi pluuiam, & aquosa; sanguinei rubra; biliosi flaua, & ignea; & venerea, qui semine abundant, somniare solent; qui vero putridos, & corruptos humores habent, fœtida; qui puros, læta, & iucunda per insomnia repræsentant. Atque hæc ex corporis consortio contrahit animus; illa vero ex suis obiectis fingit, & commemorat.

Cur profunde qui dormiunt plerumque non somnient.

Mentem & imaginationem etiam quiescentib. sensibus agere posse.

Facultates princ. ipe. etiam sine corpore consistere posse.

Insomnia iucunda & molesta vnde.

CAP. XX.

De causis somni continuati, interrupti, & qui cum stertore, aut sine eo fit.

COntinuati somni duas potissimum reperio esse causas; quarum quidem vna sumitur à difficultate operis, quod a calore natiuo per somnum absoluitur: alia vero ex absentia eius, quod calorem innatum ad sensoria trahere potest: nam vbi natura laborat in aliquo opere absoluendo, cogitur continuitate actionis illius pertinaciam euincere. Qua in re natiuus calor naturæ agenti perpetuo adesse cogitur: quo fit, vt ingesto plurimo, & copioso alimento, perpetui fiant somni; in ieiunio vero, aut in leuiore cibo, somni accidunt interrupti, nimirum, quod in illo corporis statu, assidua caloris præsentia, & vis requiratur: in hoc vero satis sit illum per interualla agere: sequitur enim ille ad superiora, & sensoria suos motus, cum parte operis euicta, amplior, vegetiorque est redditus, quo tempore vigilia somnum interrumpit: sed nondum opere absoluto, rursus aduocatus ab internis partibus, somnum parit. Hanc causam tangit Aristoteles 35. *problemate decimæ sectionis*, vbi quærit, cur cum animalia minus dormiant, quam vigilent, tamen cõtinue somnum nequaquam perficiant, sed

Causa somni continuati.

Opinio Aristotelis vitiosa.

sed eum absoluant vicissim, modo vigilando, modo dormiendo: verum non videtur ille quæstioni plene respondere: ait enim, interruptionis somni causam esse, quod superflua materia tota simul non concoquatur: propterea tunc expergisci, quibus ea pars frigida est, quæ excrementum domat, & concoquit: quippe cum necessarium sit in his sæpe intermitti concoctionē, cuius cessatio, expergefactio est: nam primum in eo deficere videtur, quod vnicam causam ponat, nempe concoctionem, cuius gratia fiat, & finiatur somnus plures enim esse, antea ostendimus: deinde ponit perpetuum esse, quod non est, omnem, inquam, materiam simul non concoqui: nam si ita fieret, & hanc vult esse causam interruptionis somni, accideret vtiq;, omnes somnos suos perficere, vt ille ait, modo vigilando, modo dormiendo: at plurimi sunt, qui continue dormiunt, quantū illis est opus. Præterea vbi æqualis, & vniformis est materia, & in agente nullum est vitium, nihil est, quod concoctionem interpellet: quare continuati in illis sunt somni. Id vero, quod scribit, eos, qui partem destinatam ad concoctionem obtinent frigidam, sæpius expergisceri, nequaquam absolute recipiendum est: nam si molestiam, & grauitatem illis non patit cibus, continuati euadunt somni: propterea sunt, qui post cœnam magnam continuatos, & quietos captant somnos, alii vero, qui continue dormire nequeunt, si paulo vberius cœnauerint, nimirum quod hos offendat cibus, illos vero nequaquam. Cur vero minus dormiamus, quam vigilemus, non docet *eo loco* Aristoteles: causa autem est, *quod cum somnus vt plurimum finiatur, & fiat ob concoctionem alimenti, aut caloris ipsius restaurationem, magno non sit opus opere ad hæc perficienda. toto vero eo tempore, quo nihil habet, quod intus agat calor, eum in externis partibus versari necessarium sit. Porro vbi caput calet, aut lux aduenit, vel accedit clamor, vel dolor, vel aliud, quod calorem ad sensoria alliciat, aut ipsa sensoria & sensus ipsos irritet, & commoueat, somnos abscindi est necesse: & iterum illos redire, si nondum perfectum est, & ablatum id, cuius gratia natura calorem intro reuocat.*

Cur minus dormiamus quam vigilemus.

Causa somni cum stertore.

Cæterum stertunt dormiendo hi, quibus pituita recipitur in gutture, nec prompte dimoueri potest: nam ex spiritu, qui per eam viam respirando trahitur, & emittitur, humor funditur, spumosusque redditur, atque ita impedito spiritus motu fit stertor.

Qui nam dormientes fremant dentibus.

At nonnulli fremunt dentibus dormiendo, illi, inquam, *quibus musculi mouentes maxillas ex vapore crasso veluti leuem quandam conuulsionem patiuntur.* Cur vero quidam inclinent simul ad vigiliam & somnum, postea docebimus.

CAP. XXI.

Qua ratione contingat per somnum exerceri motum.

Quomodo sensus quiescere & motus exerceri queat.

Clamant, surgunt, aut aliquid etiam nōnunquam agere aggrediuntur, qui dormiunt: qua quidem in re pulchrum est expendere, quonam modo sensus quiescere, & motus exerceri valeat: Nam cum ab vno membro, nempe cerebro, mouendi, sentiendique facultas oriatur, sintque vtrique actioni nerui communia instrumenta & volūtas vtaq; vim agitet, rationi vtiq; consonum videtur, vt simul motus & sensus cōsistere debeant, aut certe sine sensu motus obiri nequeat. Nam sensum sine motu exerceri videmus, & Galenus *in libris de Locis affectis* rationem reddere nititur, cur læso motu sensus incolumis euadere possit, quod scilicet diuersi sint nerui, qui sensum & motum efficiunt in eodem membro, aut si idem est, qui vtrumque præstat, tantam vim seruari posse, vt ad sensum sufficit, ad motum vero minime, itaque sensum manere absque motu, hunc vero absque sensu nequaquam. Sed quid diceret ille de his, qui absque sensu aliquo, dormiendo surgunt, & alios vigilantium motus exercent? in his enim mouentur partes, quæ non sentiunt. Igitur si non in morbis, certe per somnum motus manet, quiescente sensu: crederet forte quispiam, id ea ratione fieri, qua diximus, per insomnia mētem vagari posse, interim sensibus quiescentibus; sed perperam. Nam mens minimum requirit caloris, aut aliud ex corpore; motus vero plus aliquid etiam, quam ipsi sensus. Ergo potest aliquis dormire, imaginari, & ratiocinari. Dormire vero, & simul moueri, surgere, ambulare quis potest: An id fit, quod diuersæ sint facultates? quas simul quiescere per vnius affectionem necessarium non est. itaque *cum somnus sit sensuum vinculum*, & ocium, quid prohibet motum exerceri, ad quem hęc affectio non pertinet? Verum hanc rationem id refellit, quod antea ostendimus, somnum fieri non ob ipsius sensificæ facultatis, aut sensuum particularium propriam affectionem, sed quia deest calor a corde influens cuius vim cum motus maiorem requirat, quam sensus, quo pacto posset in eadem parte, relicto vnius facultatis munere, alterius actionem obire? putaui aliquando, *non omnes partes corporis, dormiendo moueri, sed solum illas, quæ à spinali medulla neruos sumunt*, excepto septo transuerso, quod (vt antea ostendimus) ob naturæ prouidentiam suum motum seruat. Item *sentiendi vim semper ab ipso cerebro influere, mouendi vero insitā quoq; esse spinali medulla: Itaque seruari motum in partibus, quæ a spinali medulla neruos capiunt sensum vero in vniuerso corpore cessare, quoniam deest cerebro calidum influens ob distantiam partium, à quibus ille oritur:* spinalem enim medullam ad neruos motorios producendos natura comparatam esse, meritoque vim motricem insitam habere, quam exercere quidem possit, eo, quod non multum distet à corde, ita vt caloris contracti particeps facile euadat, sicut ventriculus, hepar, quę per somnum suas functiones felicissime ministrāt: tanquam calor, qui deserit cerebrum, & contrahitur, vniuersus in corde nequaquam concludatur, sed etiam in visceribus vicinis versetur, sed quoniam nulla euidenti ratione probare possum, mouendi vim insitam esse spinali medullæ & oculorum palpebræ, & aliæ quædam partes in facie, quæ neruos à cerebro suscipiunt, dormientibus mouentur, ab hac sententia recedere sum coactus: quamobrem dicam nunc, quod mihi occurrit, donec meliora inueniantur, *motum nequaquam fieri dormientibus, nisi per insomnia, quo fit, vt motiua vis ab imaginatrice aut alia facultate, quæ somniorum est causa, com-*

Motum non fieri de mētibus, nisi per insomnia.

mota, agat, vt mirum non sit sensus a nulla re incitatos octari, motum vero exercere, nimirum quem impellat vis, quae ei praeest, & calorem natiuum ad se tractum, ad solum motum efficiendum conuertere potest. Nam vt in ventriculo non semper agit expultrix facultas, etiam si adest illi influens calor, ita absurdum non est credere, quiescere posse sensus, vbi aliae facultates calorem ad se trahunt, quomodo videmus eos, qui attentius aliquid cogitant, etsi multa ob oculos versentur, tamen non videre, non audire illa, quae alioqui auditum afficere sunt apta, etsi interim in vniuerso capite abundat calidum influens, quod quidem argumento est, calorem huiusmodi non conferre, aut non sufficere ad actionem, si aliqua facultas vniuersam illius vim occupet; aut expediat aliam facultatem quiescere. Igitur quiescunt tunc sensus, & motus fit, quia caloris vis ab imaginatrice facultate, aut voluntate, aut alia, quae motrici imperat, ad motum efficiendum conuertitur, intacta interim sensitiua, quae insomniis nequaquam parere est nata: sed (vt dixi) forte meliora aliquando in hac re dabimus.

CAP. XXII.

De causis differentiarum Somni praeter naturam.

SVnt multae differentiae soporum, quae quidem ex diuersis causis nascuntur, de quibus postulante ita tractatione, quae summis generibus contenta nequaquam esse debet, sed ab illis (autore Platone) ad infimas vsque species progredi, hoc loco à nobis est agendum. Ac ne alicuius differentiae causae omittantur, operaepretium esse duco, primum paucis docere quot, & quales illae sint: praesertim quod (partim illae sint ab autoribus nostris traditae: nam cum in sopore laedantur omnes sensationes, ob commune malum, postulat vtique tractatio vt explicetur, quale vitium sit, quod tunc in sensibus committitur, an scilicet debilitentur, aut augeantur, vel deprauentur, aut aboleantur, aut cum molestia, & dolore sensationes exerceantur: his enim modis functiones corporis labefactari solere, alibi ostendimus: vt merito quoque quaerendum sit, an in ea facultate, quae somni est causa, vniuersae huiusmodi noxae, vel quaedam duntaxat reperiantur: quod quidem (vt diximus) maiores nostri, nequaquam docuerunt, dum apoplexiae, lethargi, comatis & aliorum soporosorum affectuum sigillatim mentionem faciunt: nec interim docent, an ad idem actionis vitium haec pertineant, & an ab vno, & eodem fonte, vel à diuersis singula ducantur: & illud etiam omittunt, quid illa proprium, aut commune cum aliis obtineat. Ac ego quidem puto, nullam esse tractationem in vniuersa medicina hac ipsa negligentius hactenus scriptam; quam *alibi* nos pro viribus elaborauimus, & nunc ex illis locis repetemus, quantum institutum nostrum postulet, ne in opere, quod commune omnibus philosophiae studiosis esse volumus, medicinam docere velle videamur, qua quidem in re paulo altius sumam principium, vt ex communissimis particularium ratio constet.

A Laeduntur sensus aliquando vniuersi, aliquando vnus duntaxat, vel plures; sed nō omnes particulares laesiones sensuū ostendit caecitas, surditas, stupor, paralysis, dolor, & alia symptomata, quae circa aliquem ex quinque sensibus nascuntur, de quibus suo loco est agendum. *labefactantur vero omnes sensus per soporosos affectus, laborante, aut aliquo modo affecta ea facultate, quae in sensoria omnia spargitur*: siue id ex sui ratione, siue potius ex calidi influentis defectu, suam vim recte exercere nequeant. Hanc igitur facultatem, quae somni, & vigiliae causa est, vt alias, quae singulis sensibus sunt destinatae, suas incommoda pati est necesse, vt nihil in corpore viuente, ob miseram illius conditionem sit, quod molestia sua careat. B An igitur illa suas debilitationes & praeter naturam auctiones, deprauationes, abolitiones, & dolores, vt tactus, auditus, & alii particulares sensus experitur? Mihi certe ita videtur, quanquam nemo antea id inuestigauerit, & singulis vitiis nomina nequaquam sunt imposita. Porro docent illius facultatis excessum, & defectum, immoderati, & diminuti somni, & vigiliae; vt enim haec probamus, cum mediocria sunt, ita damnamus, quando à mediocritate recedunt. Ac necessario quidem fit ob mutuam vicissitudinem, vt somno deficiente vigilia exuperet, & hac imminuta ille augeatur. Vocatur autem excedens vigilia à Graecis ἀγρυπνία, à nobis insomnia; deficiens vero vigilia, quando scilicet C quis minus vigilat, quam oportet, nomine graeco, & latino carere videtur: quemadmodum & somnus, qui minor, breuiorque est, quam naturae conueniat; exuperantem vero somnum, aut profundiorem, quam par sit, soporem nos, graeci vero coma, & cataphoram, quod postea diligentius expendemus, vocant. Patitur ergo suos excessus & defectus communis illa sentiendi facultas. Deprauatam vero functionem putarem apte dici, quando illa somnos facit inaequales, inordinatos, interruptos, vel turbulentos, insomniisque plenos. Quoniam enim natura, quando recte habet, cum quadam quiete somnos conciliat animanti, merito erroribus plenam, & deprauatam huiusmodi functionem arbitrabimur, quae ea quiete vacat. D Nec alienum quidem est, tristem quoque actionem in hac facultate reperiri: vt enim particulares sensus cum voluptate, aut molestia suam actionem edunt, veluti cum oculus gratos, vel ingratos colores inspicit, & ab illis iuuatur, ab his vero laeditur, necnon auditus, olfactus, tactus, & gustus, cum voluptate, aut molestia agunt; sic sane putauerim, communem eam sentiendi vim varie affici per somnos plenos insomniis iucundis, aut molestis. At vero cum non solum sopiri, sed etiam aboliri videntur sensus omnes, vt in apoplexia contingit, abolitam hanc communem facultatem sentiendi dicemus. Verum praetermissis illis affectionibus, quae in somno contingunt ex insomniis, & potius ad imaginationem, quam ad ipsam sentiendi vim E communem pertinet, age videamus, an vniuersa praedicta vitia praeter naturam censeri debeāt, an vero reperiri etiā possint inter alios affectus. Constat enim, vt alias corporis affectiones, sic somnos quosdam secundum naturam, & naturales esse, & dici, alios praeter naturam, alios inter hos medios, quos Medici non naturales, & neutros,

Sensationes quomodo in affectibus soporosis afficiantur.

Quando patiantur auctionem & diminutionem.

ἀγρυπνία.

Sopor. Coma. Cataphora.

Quando deprauationi.

Quando tristem actionem.

Quando abolitionem.

An vniuersa praedicta vitia censeri debeant praeter naturam.

Somni naturales qui. neutros, vt alias medias affectiones nuncupant. A Porro naturales somni dicuntur esse, si in bene affectis corporibus, secundum cuiusq; naturam à naturalibus, & moderatis causis fiãt: præter naturam vero intelliguntur esse, qui ex morbosa causa committuntur, & præter naturam afficiunt. *Qui præter naturam.* *Qui item medii.* At medii inter hos erunt, qui à causis non plane moderatis, nec prorsus præter naturam conciliantur.

Differentia somni naturalis. Cæterum qui naturalis est somnus, pro diuersa hominum natura, differentias sumere potest, in longitudine, & breuitate, & profunditate: Aliis enim longiores, & profundiores, vt pueris; aliis breuiores, & leuiores, vt senibus, secundum naturam tamen vtrisque somni fiunt; qui *Non naturalis.* non naturalis est, etiam ex longitudine, & bre- B uitate, tenuitate, & profunditate, necnon ex accidentibus cum illis coniunctis, differentias sumere potest: quibusdam enim breuiores vel longiores, quam dormientis naturæ conueniat: aliis tenuiores, & profundiores sæpius fiunt, non tamen propterea adhuc præter naturam sunt censendi: quemadmodum nec illi, qui nihil aliud habent, quam quod vel inordinati, aut interrupti, & inæquales sunt, aut cum timore vel stridore dentium, aut stertore, aut cum insolitis insomniis obeuntur. Nã vt huiusmodi somni laudandi quidem non sunt, quod à natura, & solita hominum cõditione recedant, ita morbos prædicere solent, sed nondum morbosi sunt censendi. *Quo signo naturalis à præternaturali distinguatur.* Sunt porro iam tales, & præter naturam, *qui* C *difficilem habent expergefactionem:* hac enim sola nota hos ab aliis distinguimus. *Igitur præter naturam somnus est is, a quo animal difficile expergiscitur.* Qui quidem etsi communem habet naturam, tamen differentię quædam in eo notantur, vt ex hoc discrimine agnoscere possimus, quænam causa sit, quæ singulos sopores parit. Has differentias maiores nostri à nullis fontibus duxerunt, sed sola nomina recensent, à quibus illæ significantur: cum tamen plurimum referat, capita ponere, ex quibus singularia ducantur. Ergo quãtum ex singulorum natura colligere possum, video vniuersas soporum differentias sumi *Soporum differentiæ vnde sumantur.* posse ex modo, quo partes corporis per somnum afficiuntur, *vel ex modo ipsius somni, vel ex coniun-* D *ctis cum eo symptomatis.* Igitur ad hanc rationem respicientes, dicemus, quosdam sopores fieri cũ oculis apertis, & tensis; alios eisdem clausis: vocant eos, qui oculis apertis fiunt, græco vocabulo *Κατοχὴ. κατάληψις.* catochas, & catalepses: qui vero oculis clausis fiunt, si cum febre fuerint, lethargos; si sine febre, comata, & cataphoras generali nomine appellant. *Lethargus. Coma. Cataphora. Carus. Apoplexia.* Quod si non solum sensus, sed etiam motus deest per aliquod tempus, adeo vt si quis stimulet vel feriat, non sentiat, qui laborat, carus huiusmodi sopor vocatur: at si diutius sensu, & motu quis priuetur, is apoplexia laborat, qui quidem sopores suas differentias recipiunt, de quibus in singulorũ tractatione agemus. Quod si ita res ex Galeno colligi potest: errant profe- E cto, qui coma, & cataphoram omnes soporosos affectus complecti arbitrantur: nam hoc nomine duntaxat comprehẽdimus sopores, qui fiunt oculis clausis, vt *vt ex tertio libro de Morbis vulgaribus, textu octauo secundi commentarii* patet. Tamen Galenus, vtpote qui de eadem re idem scribere in diuersis locis nequaquam consueuit,

A hæc inter se confundit: nam *decimo tertio Methodi* sub profunda cataphora, apoplexiam, carũ, & catochem comprehendit. *Vndecimo* vero *de Symplicibus* lethargum cum cataphora confundit. *Alibi* vero, vt *textu primo primi libri Prorrheticorum* lethargum generalem affectum facit multis soporosis affectibus. Ait enim, illum à pituita humectante cerebrum committi: quæ causa comatosis omnibus communis est, & non solum lethargicis propria. Est illud quoq; apud eundem autorem reperire, nonnulla ex his nominibus aliis malis accommodari: veluti cum *in libro de differentiis symptomatũ* scribit catalepsim esse imaginationis veluti resolutionem quandã, quod vt vitium earum nuncupari tradit. Horum B soporũ causas generatim antea complexi sumus, vbi somni præter naturam causas docuimus: nunc vero, quæ sint singulorum causæ, paucis expediendum est.

Cap. XXIII.

De Comate.

Galenus librum de Comate scripsit, in quo permulta habet de huius vocabuli significatione; sed quam recte sentiat videamus. Laudat ille Hippocratem, Homerum vero damnat: nec interim cur hic reprehendendus sit, aperte ostendit: scribit autem comatis nomen à verbo *κωμάζειν*, quod est crapulosa ebriari, à nonnullis C deductum: quoniam tum comatosi, tum qui in crapulis sunt inebriati, motus habent infirmos, & fallaces: quod vero vtrosque vigilare pronunciat, sed iucundius crapulosos, quam comatosos, & illos oculos habere rubicundiores, & humidiores, ostẽdit se non explicare omne coma: quandoquidem, vt postea ostendemus, non omnes comatosi vigilant. At *in Prorrheticis* scribit, coma, & cataphoram idem esse: *in libro* vero *de symptomatum differentiis* inquit, coma esse symptoma primi sensorii: postea vero definit esse imaginatricis facultatis motum quendam infirmum: Quinetiam de Comate ita scribit *textu septimo primi commentarii primi libri Epidemiam: Coma significat cataphoram,* D *id est, delationem in somnum: voco autem, inquit, delationem in somnum, quando vigilare ægri nequeunt, non habentes oculos apertos, sed conniuentes, siue profundis somnis, siue tenuibus, aut vigiliis detineantur:* ex quibus quidem arbitror, coma non à verbo *κωμάζειν*, sed *κωμαίνειν*, quod quidem proprie significat somnũ appetere, deductum esse: *Comatis etymologia.* eos enim Comatosos vocamus, qui ex quacunque occasione dormire cupiunt: etsi interim quidam frustrentur desiderio: alii vero in profundos somnos incidant. *Coma quid.* Igitur coma *non est sopor, aut somnus aliquis, sed somni desiderium quoddam præter naturam, siue cataphora, id est, inclinatio, & delatio ad somnum,* quæ aliquando inanis est, & tunc vigilans dicitur E coma: aliquando eam sequuntur somni pro- *Quæ eius differentia.* fundi, aliquando leues, vnde coma profundum, vel leue, siue leues habens somnos dicitur: sunt enim hæ comatis differentiæ. vt Galenus multis locis refert; propterea male idem sentit, cum inter vitia imaginatricis facultatis coma recenset. Nam etsi aliquando vna cum comate patitur quoque imaginatrix vis, non

tamen propterea comatis nomine illius vitium A ostenditur. Si coma est inclinatio ad somnum, errant Galeni interpretes, qui *in arte medicinali*, vbi ille de signis calidi & humidi cerebri agit, verba hæc subiecta Græca, *ὅταν τ' ἐπιτρέψαντες ἑαυτοὺς ἅμα τε κωματώδεις εἰσὶ καὶ ἄγρυπνοι*, ita vertunt, *& cum se ad somnum conuerterint, simul graui somno tentantur & vigilant*: quo pacto enim potest quis teneri somno graui, & simul vigilare? itaque dicendum est, *inclinationem habent ad somnum, & vigilãt*. nã calor cerebri vigiliã prouocat, humor vero somnum inducit: vnde ex calore & humore simul ad vigiliam & somnum inclinationem habent. Ex hoc loco etiam intelligitur, coma non semper esse præter naturam; quippe cum in eo doceat signa cerebri hominis sani, B quem dicit somnum & vigiliam simul appetere. Errat quoq; Grammaticus Tubingensis, & alii, qui putant, Comatosum simpliciter sumptum, significare eum, qui profundus est: alios vero nõ sine adiunctione dici. Nam apud Galenum (vt diximus) coma simpliciter sumptum, solam illam inclinationem ad somnũ significat, nec profundum eum significare potest, nisi id addatur, vt ex *quinquagesimo quarto textu tertii cõmẽtarii, tertii libri de Morbis vulgaribus*, & multis aliis locis patet, vbi coma *profundum* vocat, & non simpliciter *coma*, quod difficilem habet expergefactionem.

Coma non semper esse præter naturam.

Coma simpliciter sumptum non significare inclinationem ad somnum profundum.

Comatis causa quæ.

Cæterum comatis causas multas esse scribit Galenus, tum *in libro tertio de Locis affectis*, tum C *libro tertio de Morbis vulgaribus*, & *in Prorrheticis*; in quibus locis est reperire, cum fieri in principio accessionis febrium, ob refrigerationem, vel humiditatem copiosam cerebri: aliquando ob vtrumque; aliquando ob vitium infirmitatem, quas quidem causas intelligere oportet de comate profundo. Nam coma, quod tenues habeat somnos, vel vigilans dicitur, non à puro humido, & frigido humore, sed cum aliquo calore coniuncto, cuiusmodi est bilis cum pituita mista, aut putrescens pituita, fieri creditur: talis enim humor sensus excitare, & eosdem sopire est aptus. Ac non solum quidem huiusmodi causæ ponẽdæ sunt, sed quicquid potest somnum præter naturam afferre, cũ eo dormiendi desiderio, D coma profundum pariet: vigilans vero, quod cõtrariis facultatibus est præditum, sopiendi, inquam, & excitandi sensus, facit; quæ causæ, plus aliquantulum exuperante eo, quod somnum facit, tenue coma committunt. Est quoque reperire in sanis corporibus huiusmodi inclinationes à causis moderatis inter se pugnantibus, nam assurgente vapore ex alimenti concoctione somnus obrepit, quem interrumpit cogitatio, capitis calor, lux, strepitus, & alia, quæ calidum innatum euocant, vigiliamque pariunt. Reprehendendus esset non solum in causis, sed etiam in signis & curatione Aetius: nam ille pronunciat coma fieri solum in accessionis initio, nulla alia addita causa: & signa ponit, quæ nec ei co- E mati, de quo agit, competunt, aut certe non solum coma, sed etiam coniunctum cum eo delirium declarant. Remedia vero, quæ ille describit, nec omnibus comatosis competere possunt, nec sufficiunt ad aliquam illius speciem curandam: sed hoc tractare nunc non est nostri negotii.

Cap. XXIV.

De Cataphora.

Cataphora & coma idem.

Cataphoram, & coma idem esse, antea ex Hippocrate, & Galeno ostendimus, non solum, quod illi id aperte testentur, sed etiam quod in vtroque affectu easdem causas ponant. Nam apud Galenum est reperire, cataphoram committi in principio accessionis febrium, necnon ob pituitosum humorem in cerebro aceruatum, vel ob frigiditatem solam, vel ob multitudinem vtilis, vel superflui humoris, à quibus quidem causis antea diximus coma fieri, prætertim illud, quod profundos habet somnos: hoc enim potissimum intelligere ille videtur, cum cataphoræ causas tradit, non autem eam, quæ lopores omnes comprehendit, in quibus homo in somnum inclinat, & Græce significantius dicam καταφέρεται; Vsurpat idem author pro lethargo, aut specie quadam soporis, cum quo febris est cõiuncta, vt in *libro vndecimo de Simplicibus medicamentis*, vbi hæc scribit: *febris, quæ est in cataphoris, veluti tepida*: neque enim omnis cataphora cum febre est, sed soporosus affectus, qui cum febre consistit, lethargus nuncupati solet.

Cap. XXV.

De Caro.

Cari deriuatio.

Cari nomen κάρη, id est caput, quod sit capitis grauitas, vel quod capitis sit malum, vel à verbo καρόομαι, quod est aggrauor, capite sum attonitus, recte deducitur. Caron idẽ esse, quod Subeth Arabib. scribit Grammaticus Tubingensis, sed nulla ratione: Nam Subeth non minus coma, & cataphoram, quam Caron significat: *est enim commune nomen soporosis affectibus* non peculiare, vt Caron. Aetius perperam ex Possidonio Caron definit esse sensuũ, vniuersarumq; motionum priuationem, cum principum facultatum nocumento, & febre lenta: neq; enim febris omnem Caron comitatur: constat autem ex Galeno magnam fuisse apud antiquos de hoc nomine, & aliis, quibus soporosos affectus significamus, controuersiam: quo fit, vt cum nunc hos, nunc illos diuersis in locis sequitur, lectori confusionem pariat: etenim *libro tertio de Temperamentis* definit Caron esse vitium frigidum: *in libro* vero *de Differentiis symptomatum*, ait esse symptomata imaginatricis facultatis, nempe veluti quandam illius resolutionem: scribit etiam *in libris de Locis affectis*, in omni caroso affectu corpus neque sentire, neque moueri, seruari tamẽ respirationem: quod falsum esse agnoscitur, si ex vini potione aliquando nascitur, aut ex vehementi dolore. vt ille *alibi* tradit. Addo, quod *vigesimo nono textu secundi commentarii Prorrheticorum* ita ad verbum scribit; *cum cerebrum ob pituitam humectatur, refrigeraturq; per lethargicas affectiones, coma fit: quod & ipsum, si lubet, Caron appellare poteris. Sunt qui Caron vocent, vbi æger, tum motu, tum sensu tempore aliquo priuatur, etiam si vel stimules, vel ferias: qualis affectus visitur nonnunquam per magnas contusiones & vulnera musculorum temporalium; nonnunquam etiam in accessionum initio.* Ergo potissimum

Subeth quid nam significet.

affectum huiusmodi quis Caron vocauerit, difficilem vero excitatu constitutionem coma, vel cataphoram, tertium ab his somnum profundum, qualis in ebriis fit, nunquam coma, vel caros bona erunt. Hæc Galenus; ex quo loco satis constat, quod diximus, eum hæc nomina confundere, cum coma, & Caron idem aliquando esse velit, aliquando inter se discrepare, aliquando, vt *in Prorrheticis*, Caron velit comprehendere somnum non morbosum, qualis sit in ebriis, quem somnum *loco præcitato* profundum, & non Caron esse statuit.

Hanc eandem confusionem ostendit in enarratione causarum: Ait enim, Caron fieri à fortibus ictibus capitis, à frigidis causis, ab initio accessionum, item ob affectum temporalium musculorum, vel osse quopiam perforato, ventriculoq; medio cerebri attrito, necnon ob vehementes dolores, & in acutis morbis: præterea ob affectum musculorum oculi, & vini potionem, ac hyoscyami vsum, Caron nasci refert, quæ quidem causæ aut omnes, aut certe plurimæ eędem sunt cum illis, quas de comate, & cataphora tradit, aut non eundem affectum parere possunt, quandoquidem quædam leuissimæ sunt, alię vero grauissimæ, nec eum locum ostendere possunt, quem in huiusmodi malo laborare ille scribit.

Cap. XXVI.

De catoche, & catalepsi.

Κατοχὴν & κατάληψιν eundem significare affectum, author est Galen. *in libro Introductorio de pulsibus, & quarto lib. de Causis pulsuum*, ex quo quidē patet, Siluium errare, qui *in suo Gatinaria* hæc inter se vsitata, & vana quadam differentia distingu[illegible]itur: vocatur vero huiusmodi affectio à [illegible]s, vt scribit Celius Aurelianus *lib. 2. acutorum morborum*, apprehensio, vel oppressio. Sunt, qui occupationem, & detentionem, verbum ex verbo interpretentur; recentiores congelationem vocant: continentur autem homines in eo statu, quo malum eos deprehendit, eo modo, quo afficiuntur, qui à frigore cōgelantur, & concrescunt. Porro catalepsin definit Galen. *in libris de Locis affectis* soporem, in quo palpebræ manent apertæ: alibi vero scribit idem autor, nunc apertos esse, nūc vero clausos oculos eorum, qui eo modo laborant. At *in libro de Differentiis symptomatum* statuit, catalepsin esse resolutionem quandam imaginatricis actionis: quod quidem non placet. nam etsi aliquando contingit, imaginationem in hoc affectu pati; tamen hoc perpetuum non est: quare catalepsin dicemus esse *soporosum affectū, in quo oculi eum seruant habitum, & figuram, qualem habebant, quando hoc malum inuasit.*

Κατοχὴ quid significet.

Κατάληψις quid secundum Galenum.

Quid secundum autorem.

Est locus apud Galenum *in secundo commentario Prorrheticorum*, vbi legitur, catalepsin quandam esse completam, in qua homo nec moueri, nec loqui aliquid potest; aliam vero, in qua immotum & concretum corpus quidem est, exiguum tamen quippiam homo loquitur: ex quo quidem patet, in hoc affectu non solum oculos, sed etiam vniuersum corpus immobile reddi. Quod si ita est, necesse vtique est, Aetium errare, qui scribit, homines hoc malo oppressos,

Eius alia differentia.

A oculis nonnunquam nutare, aliquando intente spectare, aliquando manus capiti, aut oculis, vel naribus inferre.

Cæterum catalepsin fieri à multis causis, variis in locis scribit Galenus. Nam *in libro de Causis symptomatum* ait, hoc malum committi per consensum cum ore ventriculi; *aphorismo* vero *tertio libri secundi* statuit, causam huius esse vehementem frigiditatem cerebri cum siccitate coniunctam; cum tamen *secundo libro Prorrheticorum* vniuersam causam sumat à siccitate, nulla facta frigiditatis mentione. Aetius vero maxime reprehendendus est, qui hoc vitium nunc ab humore melāchōlico, nunc à sanguinis copia irruente in caput, nasci pronunciat, nam si me-
B lancholicus humor id parere potest, cur hi, qui melancholico morbo laborant, non fiunt omnes cataleptici? Præterea si necesse est, in hoc sopore corpus retinere suam figuram, rigidumque manere, nequit illius causa esse sanguis, ex quo humida, & flaccida redduntur corpora; & quomodo (quæso) erit catalepsis medius affectus inter lethargum, & phrenitidem, (vt ille ponit) quod scilicet frigida sit, vt in lethargo affectio, sicca vero, vt in phrenitide? nam ex sanguine non frigida & sicca, sed calida & humida passio oritur. Quapropter censendum est, *causam huius mali non ex stomacho pendere, neque semper ex humore aliquo originem trahere, vel à sola cerebri frigiditate, vel sola siccitate, aut vtraque*
C *qualitate simul coniunctis*; hæc enim causa respondet effectui, & talis esse ex curatione agnoscitur.

Causa ex Galeno.

Aetii opinio reiicitur.

Ex autore.

Cap. XXVII.

De Lethargo.

Lethargi nomen quidam deducunt ἀπὸ τῆς λήθης, καὶ ἄγρης, id est, obliuione, & captura, alii ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργίας, id est, obliuione, & inertia. Celius vero Aurelianus putat, lethargum dictum esse ἀπὸ τῆς λήθης ἢ ἀργίας, id est, obliuione, & ocio, quod scilicet, qui eo malo afficiuntur, omnia facile obliuiscantur, & inertes, ocio-
D sique decumbant. Quid vero lethargus sit, & qualis eius natura, nunc ostendendum. de qua quidem re non parua fuit apud antiquos Medicos, vt apud Celium videre est, controuersia; quinetiam Galenus varia de hac re tradere solet. Nam definit ille lethargum aliquando esse morbum, & eum periculosum, vt *libro primo de Morbis vulgaribus*: aliquando vero statuit esse deficientem, & veluti infirmum motum facultatis imaginatricis, vt *ex libro de Differentiis symptomatum* patet: quod si nomen ipsum obliuionem, & segnitiem significat, atque inter soporosos affectus lethargum reponimus, non ex imaginationis vitio, quod alios soporosos affectus comitari potest, nec ex morbo, sed ex sym-
E ptomate, definitionem illius moliri oportet. Verum & in hoc difficultates non paruæ oriuntur, quoniam ignoramus differentiam soporis, qui in lethargo contingit, & comate, aliisque soporosis affectibus; siquidem & comatosi & lethargici inexpugnabili dormiendi necessitate nonnunquam pati modo tenentur, quare constat, non solum per somnum lethargum

Lethargi Etymon.

Lethargus quid.

Secundum Galenum.

definiendum esse, sed alia esse addenda, per quæ ab aliis soporibus seiungatur. Addit autem Galenus *libro decimo tertio Methodi* febrem; scribit enim *eo loco*, soporem, qui cum febre est, lethargum vocari; verum nec hoc sufficere videtur, non enim vniuersi sopores, qui cum febre consistunt, lethargos recte appellare possumus, si modo receptum est à Medicis, soporis causam præsente lethargo in capite consistere ex pituitoso tumore: Nam per accessiones febrium pituitosarum sopores nonnunquam excitantur, quos nemo inter lethargos recensebit, nimirum quod mali radix in cerebro non sit. Præterea non videtur prætereundum memoriæ vitium, à quo nomen hoc malum sumpsit: Itaque iam apte dicere poterimus, lethargum esse *soporem præter naturam, continuum, cum febre lenta, & obliuione, ob cerebri vitium natum*: quanquam tamen Galenus *trigesimo secundo textu quinti commentarii sexti libri de morbis vulgaribus*, lethargi nomen extendere videatur ad alios soporosos affectus: nam illic scribit, somnum, qui difficilem habet expergefactionem, quique per lethargicas affectiones accidit, vocari coma, & cathaphoram: sed generalius tunc, & improprie illius nomen vsurpatur. In lethargo vero proprie dicto adest febris, & ea quidem lenta: quoniam causa eius (vt postea ostendemus) est pituita: l[illegible]rat quoque memoria, & forte etiam ratio, vt Galenus *secundo libro de Locis affectis* testatur, sed potissimum in memoria vitium est: sed quale quæso? nam scribit idem autor *eo loco* rationem, memoriam perire: quod intelligendum est, dum laborant ægroti, non quod funditus hæc pereant, adeo vt restitui nequeant: quanquam tamen quosdam vidimus lethargicos ratiocinari, & recordari, sed debiliter vtrumq; officium exercere: adeo vt rectius dicatur debilem in illis esse rationem, & memoriam, non autem abolitam esse. Addit etiam idem autor, lethargicos nec sentire, nec moueri, quod intelligendum est, ægre eos sentire, & infirmos habere motus, quod idem autor *lib. 3. de Causis symptomatum* ita interpretatur; cum scribit in lethargo motus fieri torpidos: quod etiam de aliis omnibus actionibus est intelligendum: non enim pereunt sensus & motus, alioqui esset apoplexia: respondent enim, cum interpellantur, & oculos nonnunquam aperiunt ad vociferationes, quod signum est eos sentire, suosq; motus seruare.

Quid secundum autorem.

Est porro lethargus simplex, vt Galenus *initio libri Prorrheticorum* pronunciat, qui fit ex vno humore: aliquando vero mistus, & fit affectus ex phrenitide, & lethargo compositus: quê à quibusdam typhomaniam idem autor vocari scribit. Præterea coniungitur aliquando lethargus cum conuulsione, & nonnunquam repente, aliquando vero paulatim oritur, nonnunquam incipit, aliquando vero ex phrenitide male curata, præter modum refrigerato capite, nascitur.

Quæ eius differentia.

Typhomania.

Lethargi causas negligentius, varieque explicat Galenus: etenim *libro tertio de Locis affectis* scribit, lethargum à vehementi frigore fieri. Item ob intemperiem totius substantiæ cerebri: *textu vero primo Commentar. 1. Prorrheticorum, lethargus*, inquit, *fit, cum pituita locum*,

Quæ causæ secundum Galenum.

A *in quo princeps animi pars residet, humectauerit, & diluerit*. Quinetiam *trigesimo primo tertii eiusde* ait, lethargus fit à pituitoso humore: quod si adiungatur bilis, mistam faciet affectionem ex lethargo, & vigilia, vel paraphrosynem. Scribit *primo de Causis symptomatum*, & *tertio*, eundem nasci à nimia humiditate, aut frigiditate coeuntibus inter se, vel separatis. *Aphorismo* autem *tertio secundi libri*, vehementem frigiditatem cerebri cum humiditate mistam, causam lethargi esse pronunciat. At *in libro de atra bile*, non qualemcunque humorem, sed lentum, & crassum esse vult, qui lethargum faciat: *libro* vero *decimo tertio Methodi*, humorem vult putrescere in lethargo, in aliis autem soporibus minime, & merito quidem: non enim febris
B necessario sequeretur, nisi adesset putredo in capite; quoniam ob solam obstructionem in illis locis febris non accedit. Quod si ita est, constat, nec à solo frigore, nec à sola intemperie cerebri, nec simpliciter à frigido, & humido humore, sed *ab humido, nempe pituita putrescente, quæ absolute frigida dici non potest, huiusmodi affectum committi*. Quod etiam ostendunt remedia huic malo descripta: frustra enim vacuantia, extenuantiaque adhiberentur, si sola vrgeret intemperies. Frustra sanguis demeretur, si sola pituita absque putredine molesta esset: Quare Grammaticus Tubingensis, qui illius causam esse pituitam dicit nimio frigore, & humore ce-
C rebrum imbuente, errat vna cum Paulo, à quo hæc adsumpsit. Neque enim ita separaretur à comate, & caro lethargus, si pituita simpliciter causa esset; nam alios sopores pariter committit! sed hæc nunc sufficiant de differentiis, & causis soporum.

Paraphrosyne.

Cap. XX[illegible]I.

De facultate Somni & Vigiliæ.

Methodus est Hippocratis, qua docemur, explicandum esse, quid res sit, de qua agimus: quot itê habeat species & differentias, quid præterea illa agere, aut pati valeat, quamobrem
D cum ex superioribus pateat, quid somnus sit, & vigilia, & quæ qualesque illorum differentiæ, & causæ, superest, vt doceamus, quænam sit illorû vis & facultas. Egimus quidem de hac re antea, vbi de fine somni tractauimus, sed obiter, nec quantum rei difficultas, aut quæ de ea re apud maiores nostros sunt excitatæ, & adhuc extant controuersiæ, postulat. Ac illud in primis sciendum est, hic non quæri, quid somnus & vigilia facere, sed quid per somnum & vigiliam in nobis fieri possit: nam vt antea docuimus, nec somnus, nec vigilia vim aliquam habent agendi, sed calor ipse, qui somni, & vigiliæ est causa. Quod si somni nomine aliquando vtemur, dicemusq; illum aliquid præstare, id faciemus vulgarem, &
E breuiorem docendi modum secuti, ne quis statim nos à nostris principiis dissentire calumnietur.

Igitur quidam sunt, qui credunt, semper corpus refrigerari dormiendo, alii humectari, alii exsiccari. Sunt, quid damnent breues somnos, vel longos. Scribit enim Celsus, corpus illis extenuari, impleri vero eodem pleno, & non nimis

Quid per somnum in nobis fieri possit.

mis longo. Sunt, qui modum mediocrem somno constituant: cum enim esse, qui septem horarum est, & eundem vtilem esse, noxium autem, & longum, qui hoc tempus excedit, breuiorem vero, quam expediat, & simul obesse, qui hunc terminum nequaquam assequitur: non desunt, qui profundos, aut leues somnos damnent: quandoquidem mediocritas in omnibus probari videtur. Quinetiam illud ab omnibus receptũ videtur, somnum meridianum à prandio obesse præsertim si paulo longior sit, aut non sedente, sed decumbente corpore, incatur. Aiunt quidam etiam nocere somnum nocturnũ, si statim à cibo accedat: turbulentos vero, & insomniis plenos somnos damnant vniuersi. Præcipiunt Medici dormiendum esse in latus dextrum aut sinistrum, manibus, ceruice paulum contractis: nequaquam vero supino, aut resupino corpore. Denique nunc obesse, nunc prodesse somnum, & varias fieri ab eo in corporibus affectiones, certum est, & ab autoribus nostris memoriæ proditum. Multa quoq; traduntur de vigilia: eam enim calefacere & exsiccare quidam aiunt: alii vero siccare, & refrigerare: alii concoctionem iuuare, & propterea cibi appetentiam augere: alii concoctionem quidem impedire, appetentiam tamen intendere: alii extenuare, alii tumefacere, alii ingeniosos & promptos ad omnia negocia putant esse, qui plurimum vigilant; stupidos vero & obtusos, qui multum dormiunt; hos tamen meliores, illos vero deteriores euadere. Tradit Gal. *lib. 6. de Morbis vulgaribus*, noctes, quæ insomnes traducũtur à cibo, corpus quidem vacuare, sed nullum insigne detrimentum viribus inferre. Si vero post breuem somnum reliquam noctis partem vigilemus, vires debilitari censet: tunc enim languidius reddi corpus, neque appetentiam, neque concoctionem iuuari. Hæc quidem dicuntur (vt diximus) sed forte non recte docentur, aut explicantur, quo pacto sint intelligenda: nam apud Galenum, cui omnia, quæ in nobis fiunt, curæ fuisse videntur, pauca de his leguntur, & ea, nescio, an semper recte dicta. Ac ne longius abeas, nititur ille *libr. 6. de Morbis vulgaribus* controuersias illorum componere, qui diuersa secundum primas qualitates fieri per somnum credebant; eos in primis reprehendens, qui semper refrigerari corpus arbitrantur: nam cum pituitosi, crudique humores concoquuntur, vertunturque in sanguinem, tunc (inquit) somnus corpus calefacit, calidiorẽ humorem gignendo: at cum pituitosos humores putrescentes, febremque committentes alterat, & febrilem calorem extinguit, corpus refrigerat: quod si biliosi subsint humores cum febre, aut sine febre, auctus per somnum calor eos segregat, deinde excernit, atque ita mediocrem temperiem corpori conciliat. Si vero hæc nequeat præstare, eandem temperiem seruet. Cæterum si quis ex viscerum inflammatione febricitans, initio accessionis dormiat, inflammatio, & febrilis calor augentur: quibus quidem ait ille constare, somnum nequaquam semper refrigerare, sed perpetuo humectare. Mihi vero videtur somnus non minus refrigerare, quando biliosos humores ab aliis separat, quam cum putrescentem pituitam alterat: nam in vtroque tol-

Quid secundum aliquos.

A litur, quod vehementioris caloris erat causa. Deinde vt ratione materiæ subiectæ, nunc refrigerare, nunc calefacere agnoscitur; sic cum aliquando humectare, aliquando exsiccare consonum est: humectat enim, vbi ex crassiore crudioreque materia sanguinem gignit, quo alitur irrigaturque vniuersum corpus: siccat vero, vbi intus deest humor, aut paucus subest, quem tito calor depascitur, tunc enim siccari corpus est necesse: quod si mediocrem tum quantitate, tum qualitate materiam ex cibo calori subiiciemus, sequetur semper ex somno humectatio: quoniam eo tempore concoctiones fœlicissime obeuntur, sanguisque gignitur, qui humidus est. Non ergo dicere possumus, somnum omnes humectare, vel aliud semper præstare, sed
B spectandum est tum id, quod ratione agentis per se, & per accidens fit; tum vero illud, quod subiectam materiam contingit. Aliud enim mediocris somnus facit, quam longus, vel breuis; aliud profundus, quam leuis; aliud continuus, quam interruptus; aliud quietus, quam turbulentus; aliud qui cum insomniis quidem, sed illis molestis, aut iucundis fit; aliud qui sedendo, quam cubando, idque vel in lecto molli, aut duro, frigido vel calido loco, vel depresso, vel alto capite, vel supino, aut resupino corpore, vel in latus obitur; aliud præstat nocturnus, quã diurnus; aliud matutinus, quam meridianus, aut vespertinus: denique multæ sunt somni differen-
C tiæ; quas rationi est consonum, diuersos parere effectus. Est etiam in corporibus differentia magna, cuius ratione idem à diuersis, & diuersa ab eisdem causis experiri est necesse: Aliud enim fit per somnum in corporibus temperatis, quam in intemperatis; aliud in sanguineis, quam biliosis, vel melancholicis, aut pituitosis; aliud in crassis, quam gracilibus; aliud in obesis, quam macilentis; aliud in exercitatis, quam quietis; aliud in vacuis, quam in plenis humore, vel cibo, & eo recenter, aut iam dudum assumpto; aliud fit in sanis, quam in ægris; aliud, si per morbos in stomacho, quam si in alia parte malum est; aliud, si cruditas viscera male habet, quam si inflammatio eadem vexat; aliud, si hæc incepit,
D quam si intenditur, aut viget, vel iam remittitur; aliud, si febris vrget putrida, quam si illa alterius generis fuerit. Ac ne singula prosequamur, certum est, nunc prodesse, nunc obesse, nunc vnum, nunc aliud somnum efficere, ob diuersam conditionem corporis, adeo, vt nihil perpetuum statui possit, nisi hic, vt in aliis rebus, quarum vim in medicina expendimus, constituamus tum agentia, tum patientia mediocria, aut distinctione adhibita, intelligamus, de quo somno, & corporis statu agatur. Postulat ergo methodus, vt primum doceamus, quid somnus præstare valeat suapte natura, postea quid fieri possit ab eo in corporibus moderate affectis, deinde quid ille faciat in aliis, quæ à mediocritate recedunt.
E Tertio loco videndum est, quid possit somnus, cum suas differentias assumpserit, quid, inquam, moderatus somnus, aut immoderatus in eisdem corporibus possit obire: hac enim contempta ratione Aristoteles tribuens somno, quod longiori somno duntaxat conuenit, errare videtur; ait enim ille *vigesimo septimo problemate sectionis undecimæ*, somnum tota corpora, tum membra

singula facere segniora, quod experientia falsum esse ostendit: nam post somnum moderatum pro cuiusque natura, validi, agiles, & prompti ad omnia officia surgimus: longus vero corpus grauat, segniusque reddit. Postea vero expendendum est, quid ab eodem somno in diuersis corporibus oriri sit aptum. Igitur somni facultates ad hanc rationem respiciens, expendere quilibet potest: nec tamen nos grauabimur exemplis quibusdam patefacere, quod methodus obscurius docet: singula vero prosequi nec volumus, nec possumus.

Somni & vigiliarum commoda.

Somnus ergo & vigilia omnibus conferunt, quibus à natura sunt dati, nec opus est Medico, aut alio, qui modum illis imponat, si modo corpora recte sunt affecta: qualia sunt, quæ talia à natura sunt constituta, nec postea mala educatione corrupta, aut morbis, aut alia re afflicta; nam somnus eo, quod calor ad interna viscera contrahatur, concoctiones perficit, humores gignit, quibus corpus nutritur, & calor augetur: vigilia vero concoctum alimentum caloris motu digerit per vniuersum corpus, externis partibus robur addit, causaque est, vt sensus, motus & alia vniuersa officia, quæ in externis partibus exercentur, optime peragantur: hæc enim vim, & motum calidi innati sequi necesse est, vniuersis corporibus, quibus somnus, & vigilia à natura sunt concessa. Has vero actiones aliæ sequuntur: nam somnus necessario humectat ex sui ratione, eo quod natiuus calor ad interiora viscera dormientibus reuocetur, humoresque gignat, quibus corpus humectatur: & interim dum calor ipse in partibus internis versatur, corpus vehementius non digerat. Vt igitur somnus omnes humectat, & vigilia exiccat, singulisque prosunt recte affectis, sic aliis obest, nunc somnus, nunc vigilia, raro vtrumq; obest; nocet.n.somnus, si interna viscera fluxiones humorum vrgent, aut ex rigore febrium, aut vteri suffocatione, animi defectu, aut alia causa, calor ad interna viscera compellitur, tunc enim vigilandum est; dormiendum vero, si sanguis per externas partes erumpit, aut corpus digeritur ex nimio sudore, aut alia externa euacuatione. Hoc enim intellecto, quod per somnum calor, & humores ad internas partes sese recipiant, per vigiliam vero extra erumpant, quidque sequatur ex caloris, & humorum motu, facile erit perspicere, quibus & quando somnus, & vigilia obesse possint. Nam vt obest somnus, quando inflammationes *gignuntur* in partibus internis; sic tunc prodest, quando iam sunt genitæ, illo enim tempore purgandum erat auersione, quod vigilia commode præstat; hoc vero ad concoquendum conclusum humorem, calore natiuo, & somno opus est, sed non longo, is.n. viscera tandem grauat, vigilia vero rursus est opus, vbi iam discutiendus est humor, qui inflammationem parit. Sic sane vbi incipiunt inflammationes in partibus externis, somnus est accersendus, tunc vero vigilandum, quando earum concoctioni, & dissolutioni studendum est. Porro somni differentiæ, quæ secundum naturam sunt, id est, quas natura recte affecta requirit, semper prosunt, quare non est opus docere effectus? qui à moderato somno proueniunt in corporibus bene affectis, nec modum

Somnum naturam suam necessario humectare, vigilias vero exiccare.

Somnus quando noceat, & quando prosit.

A illis constituere: nam optima natura, vt Galenus dicere solet, sibiipsi regula est, nec doctore opus habet, vt eligat, quibus eget: in aliis vero corporibus nequeunt prodesse, qui tales sunt somni, quippe cum deficientibus, aut exuperantibus effectis, suas causas respondere sit necesse. Alia enim sunt corpora, quæ caloris contractionem, & moram diuturniorem, vehementiorem, & frequentiorem postulant; alia, quæ contrarium exigunt, quo quidem fit, vt somnus, qui temperatis hominibus prodest, illis obsit; conferat vero nunc longus, nunc breuis, alias qui à prandio aduocatur, aut qui alias sibi differentias assumpsit. Porro longus somnus est, qui mediocritatem excedit, breuis, qui ab ea B deficit; mediocritatem vero præscribit, mediocris, & temperata natura, cum enim mediocrem somnum, vt alia omnia, quorum vim in medicina expendimus, mediocria vocamus, quo contenta est temperata hominis natura, & fere experientia cognitum est, ei sufficere somnum septem, aut octo horarum, vt igitur somni mediocres, in omni differentia, quique non nisi nocturno tempore, assumpto cibo, dissolutoque calore, ob animi corporisque præcedentes actiones, & loco commodo, & primum in latus sinistrum, vt ventriculo concoquenti accedat calor ex decubitu, deinde in dextrum, vt facilior reddatur in hepate alimenti concocti distributio, captati prosunt optime affectis corporibus: C sic illis, qui difficile alimentum concoquunt ob ventriculi frigiditatem, aut adurunt ob nimiam caliditatem, & siccitatem, aut vniuerso corpore sunt bilioso, aut pituita redundant in visceribus, aut plurimum edunt, vtiles sunt longi, quieti, continuati, profundi, & resupino corpore, atque etiam à prandio accersiti somni. Qui vero alimentum facile concoquunt, aut sanguino abundant, vel parum edunt, aut crasso, & obeso sunt corpore, ii breuiore somno contenti esse debent. Cæterum nocent profundi, longi, continuatique somni his, quibus caput est frigidum, aut humidum, aut quibus extremæ partes refrigeratæ sunt, hæc enim corpora non ferunt sine noxa diu caloris influentis à partibus D infirmis absentiam. Non ergo mirum, si pueri, mulieres, crapulosi, & studiosi literarum longum, & profundum somnum requirant, est enim in illis, quod diuturnam & vehementem calidi actionem in visceribus requirit. Ac non solum quidem in corporibus bene valentibus, sed etiam in ægrotis plurimum refert, hoc aut illo somno vti: etenim in continentibus febribus, quæ ex multo sanguinis feruore, aut putredine consistunt, obsunt longi, frequentesque somni. Breuibus quoque somnis contentos esse oportet, quos ex capitis vitio vexat comitialis morbus, aut capitis grauitas, aut vertigo, aut surditas, vel aurium tinnitus: quod si hæc mala ex stomacho originem habeant, non continui, & E longi, aut profundi, sed plus vel minus, pro partium affectarum ratione, breues, & per certa interualla interrupti, & leues somni adhibendi: quoniam & capiti, & stomacho, caloris actione, & opera prospicere necesse est. Illud quoque recte dicitur, somnum nimium vel breuem, vel longum corpus extenuare: nam qui longior est, internum humorem vehementius depascitur: qui

Primo in latus sinistrum esse decumbendum.

Quibus longi, profundi & continuati obsint.

qui vero breuior est, non satis concoquit humores, quantum est necessarium ad alimoniam, & incrementum: ac immoderate ob longiorem vigiliam corpus dissoluitur: vtroque ergo modo contingit corpus extenuari. Habent & suos vsus somni quieti, & tranquilli in his, qui vniuersam caloris vim requirunt in visceribus, nec vtilitate quidem carent turbulenti, insomniisque pleni: Nam *quibus commodius est leniter dormire, & calorem ipsum versari circa caput*, eorum malis medicinam præbent huiusmodi somni, quandoquidem insomnia, quæ exercentur in cerebro, nequeunt sine calore consistere, quo interim malis illic affligentibus succurritur.

Quibus prosint somni turbulenti & in somnĳs pleni.

A prandio somnum obesse vniuersis vulgo creditur, & a Medicis quoque traditum est, eo enim caput repleri, & grauari, fluxiones ad subiectas partes moueri, concoctionem ventriculi labefactari, stupidos reddi sensus aiunt, propterea longis diebus (inquit Celsus) meridiari potius ante cibum, sin minus post eum. Negare certe non possumus, eum obesse, præsertim non consuetis dormire, aut paulo longiorem somnum trahentibus, aut cubantibus. Illud quoque obseruatum est huiusmodi somnum magis obesse æstate, quam hyeme, & in locis calidis, & humidis, quam in aliis. Vnde Romæ æstate dormire à prandio pernitiosum sibi multi sentiunt: verum perinde facile non est causas istorum reddere; An ideo obest somnus à prandio, quod concoctio, quæ in ventriculo fit, calorem ad se reuocet, quem aer eo tempore ad externas partes commouet adeo, vt ex hac pugna distractus calor moueat alimentum, sed concoquere nequeat? Hanc enim causam esse, id docet, quod æstate magis, quam hyeme, & in locis calidis, & humidis magis, quam in aliis, à prandio obsit somnus, eo enim tempore, & in illis locis, calor externus maiorem vim habet alliciendi calorem ad externa membra, & cum eo attollendi plurimos vapores, quibus caput repletur, grauaturq;.

Somnus post prandium quibus potissimum & quando magis obsit.

Quæ huius rei sit causa.

Porro breuissimus somnus à prandio minus nocet, quod calorem solum colligat ab externis partibus, reuocetq; ad concoctionem alimenti obeundam, vbi cum minimo temporis momento moretur, nequit vaporibus caput replere, & interim vires recreat, prohibetque maiorem fieri euaporationem, & si quæ erat in capite, & sensibus grauitas, euanescit; recurrente enim calore ad viscera intima, simul necesse est vires recreari, & introducere humores, qui grauitatem stupiditatemque afferebant. Quod si paulo longior somnus extiterit, vires quidem reparat contractione caloris, sed multa euaporatione, capiti, & sensibus obest. At si protrahatur somnus meridianus, donec concoctio in ventriculo plane sit absoluta, minus quoque nocet, quod docent ebrii, qui huiusmodi somno omnem grauitatem discutiunt: sed interim alia ratione obest, quod nocturnum somnum, quem natura expetit, impediat, trahatque corpus in malam consuetudinem. Dormiendum ergo à prandio, si nequit somnus euitari, minimum, aut plurimum, vt solum colligatur calor, & vires recreentur, ex negotiis & vigilia dissolutæ, aut perficiatur concoctio; alius vero, qui eam inchoat, nec absoluit, illa parit incommoda, quæ meridiano somno tribuuntur. Quod vero sedente corpore

Breuissimus post prandiũ somnus cur minus obsit.

Et cur longus post prandium interdum etiam prosit, nonnunquam obsit.

A captatus huiusmodi somnus minus noceat, quã decumbente, causa videtur esse, *quod facilior præbeatur exitus vapori ascendenti, erecto corpore, quam iacente*. Hæc ergo ratio docet dicenda esse de somno, qui à prandio initur; spectandum tamen est in singulis id, quod iam fecit consuetudo; nam quæ diu longo inualuerunt, etiam si non videantur respondere corpori, tamen non nocent, aut etiam prosunt. Non solum vero nocturnus, sed etiam quilibet alius somnus, qui protinus à cibo inuadit, obest: *quoniam si ab eo petitur auxilium ad concoctionem alimenti, quæ in ventriculo perficitur, necesse est illud prius misceri, descendereq; in locum, vbi concoctio potissimum celebratur*, id quod aliquam moram, & motionem B postulat.

Somnũ post prandium, qui sedente corpore capitur, minus nocere, quam qui iacente.

Omnem somnum protinus post cibum captum obesse.

Cæterum eos expedit in molli lecto dormire, qui frigidiore, sicciore, gracilioreq; sunt habitu, contra vero in duro, qui contrario modo sunt affecti, ita enim temperantur naturæ excessus. Porro captandus somnus est, nunc erecto corpore, aut eleuato capite, vt prodesse agnoscitur, aut obesse, ob mala, quæ inferiores partes, aut superiores infestant; nihil enim perpetuum tradi potest in tanta morborum varietate, qui sibi propriam ex somno, aut ex aliis rebus medicinam postulant. Atq; hæc quidem de somni facultate.

Qui debeant dormire in lecto molli, & qui in duro.

At vigilia ab initio calefacit, quoniam vigilando animalia agunt, & mouentur, qua ratione C pariter siccat, nam caloris est exsiccare, & per vigiliam in aerem ambientem humores cõtentos in corpore digerere; quod si longius protrahitur vigilia, iam deficiente humore, sine quo nequit calor exuperare, necesse est corpus refrigerari, & exsiccari: concoctionem vero iuuare potest vigilia, vbi superfluus humor illam impedit, qua quidem ratione crassa, & humida corpora, non paruum auxilium capiunt ad cõcoctionem ex vigilia. Cæterum nisi præcesserit somnus, qui concoxerit alimentum in ventriculo, labefactatur appetentia ex vigilia, siquidem oportet præcedere prioris alimenti concoctionem, antequã nouum appetatur: si tamen illa protrahetur cõsumpto humore, exhaustoq; corpore, appetentiam quoq; intendet. D Quod vero scribit Galenus, eos, qui à cibo integras noctes insomnes peragunt, vacuari quidem, sed nullum insigne detrimentum in viribus experiri, nequaquam recipere possumus; nam vt multa alia hanc opinionem refellunt, sic id maxime, quod ii, qui in muris, aut castris excubant, vix pedibus consistere valeant, & ad pugnam infirmi reddantur: & quomodo (quæso) potest corpus vehementius digeri ex longa caloris mora, quæ fit per integras noctes in partibus externis citra virium imbecillitatem? nec illud quidem minus improbari potest, quod ait, nec appetentiam, aut concoctionẽ iuuari, & vires magis debilitari, si quis post breuem somnum reliquam noctis partem E totus peruigilet, quam si quis nocte integra nihil dormiat. Nam milites modo dormiẽdo, modo vigilando, vicissim munus suum multo melius perficiunt, quam si pars illorum perpetuo vigilet, alia vero dormiat: & quis (quæso) non sentit, ex breuissimo etiam somno roborari corpus? alacriusque reddi ad reliquam noctis partem vigiliis conterendam? quod si multi post breuem

De facultatibus vigiliarum.

Quando & in quibus vigilia concoctionem iuuet.

& leuissimum somnum à prandio melius se concoquere sentiunt, cur idem non contingit his, qui partem duntaxat noctis dormiunt? Ac mirum profecto, quod ille hæc pronunciet, tanquam legislator, nec videat rationem, & experientiam huic opinioni euidenter aduersari. Eadem faciem, & oculos, potissimum ab initio tumefacit, motis humoribus, & vaporibus ad caput, ob actiones illarum partium, quæ ad se calidum innatum alliciunt, & oculorum mollitiem, & raritatem aptam ad recipiendam materiam, aliunde aduenientem: quam cum temporis spatio postea calor dissoluat, accidit, eas partes, vt vniuersum corpus, per vigiliam extenuari, tabescereque. At ingeniosi sunt, & ad negocia prompti, non qui plurimum omnino vigilant; quandoquidem labefactata concoctione alimẽti, necesse est omnium partium actionem fatiscere. Sed cum calidi natiui beneficio omnia recte in nobis fiant, rationi consonum est, ingenii acumen, & alias actiones, quæ in cerebro exercentur, vel ab eo prodeunt, optime obiri, quando diu, quãtum fieri potest, per aliarum partium officia, circa caput calidum ipsum versatur: nam ex caloris absentia in his, qui multum dormiunt, caput nimio humore grauatur, vt qui à calore nequaquam consumatur; hinc stupiditas, & sensus, motusque obtusio nascuntur: sunt quidem stupidiores, qui plurimum vigilant: in illis enim pituitosi humores gignuntur, simplicitatis, bonitatisq; causa: in his vero biliosi primum, & atrabilarii postea succrescunt, cum quibus furores, & omne malignitatis genus exercentur: propterea Cato dicere solebat, se magis diligere adolescentes, quos somniculosos agnosceret. Hæc igitur de vi somni, & vigiliæ sufficere puto: nam singula prosequi, nostri non est instituti, & ea quilibet inuenire poterit; hoc vno intellecto, quod per somnum ad interna viscera contrahatur, per vigiliam vero expandatur calor: qui enim vires caloris perspectas habet, & quid humor ab eo pati valeat, intelliget facile, quid possint singulæ somni, & vigiliæ differẽtiæ, per quas fit, vt calor plus, vel minus, rarius, aut frequentius, hoc denique aut alio modo agat, & patiatur corpus in partibus internis, aut externis, adeo vt alio doctore non sit opus, qui alia doceat: quod si illa ignorabit, frustra quoq; cupiet alia à nobis discere.

Cap. XXIX.

De ordine, & proportione Somni & Vigiliæ.

AN primum dormiat animal, quam vigilet; curque somnus in primis ætatibus longior sit, quam in aliis, & quam ob causam plantæ somno, & vigilia priuentur, hoc loco tractandum esse arbitror.

An in prima generatione somnus præcedat vigiliam. Rationes quod ita.

Affert Arist. *in principio lib. 5. de Gener. Anim.* nonnulla argumẽta, quibus credere quis posset in prima generatione somnum præcedere; quorum primum illud est, quod progrediente ætate, animalia magis expergisci visuntur: deinde transitum de non esse in esse, vt ille ait, per medium fieri solere, somnum autem talem esse sua natura, vt viuendi & non viuendi interlimitium sit, ita vt neque omnino sit, qui dormit, neque

A non sit. Verum ex his rationibus prima nullius momenti esse videtur, aut certe non est facile intelligere, quo fundamento nitatur: non enim sequitur, somnum præcedere vigiliam in vtero matris, quia animalia postea magis vel expergiscuntur, aut vigilant. Illud vero, quod scribit, somnum esse medium quoddam viuendi, & non viuendi, hoc videri quidẽ potest vulgo, credenti vitam solum externis actionibus prodi: at qui nouit, per somnum animal intus sua munia optime obire, non minus, quam foris per vigiliam, non minus arbitrabitur animal viuere, cum dormit, quam cum vigilat.

Rationes, quod præcedant vigilia.

Cæterum rationes, quæ ostendunt, vigiliam præcedere, maioris sunt momenti, est enim hæc
B habitus, priuationis, motus, & quietis ratio, vt præcedat habitus, & motus. Itaq; si animal non est, antequam sentiat, somnus autem sensuum quies dicitur esse, oportet vtiq; primum accedere sensum, & cum eo vigiliam, deinde subsequi sensuum quietem, & somnum.

Cur animal in vtero & primis ætatibus maximam temporis partem dormiat.

Causam vero, cur animalia in vtero, & in primis ætatibus maximam temporis partem dormiant, eam dicit esse Aristoteles, quod tunc incrementum & pondus locis superioribus sit impositum scilicet tanquam ex pondere, & grauitate partium somnus fiat. Nec illud forte etiam verum est, quod proponit, quippe cum æqualiter crescere videantur animalium corpora. Dicam igitur ego quid de hac re sentiam. Nam si
C somnus fit, dum calor influens externa membra deserit, duratq; tantisper, donec ipse calor in partibus internis corporis versatur, necessarium vtiq, ex in generatione animalis, ac in primis ætatibus somnum longiorem esse vigilia, *quia cogitur calor diutius intus manere, vt materia concoquatur necessaria ad generationem, incrementum, & nutritionem corporis: progrediente vero ætate, quanto minus requiritur materia, cessante primum generatione, postea auctione, tanto minor est intus calidi natiui mora, ac breuior proinde somnus, & & longior in dies vigilia euadit. Accedunt & aliæ causæ ætatis progressu, vt cogitationes, curæ, & reliqui animi corporisque motus, qui calorem ab internis visceribus euocant, ac quietem somnumque interrumpunt.* Hanc ergo seruant somnus & vigi-
D lia proportionem, vt in ipsa generatione, & in primis ætatibus somnus necessario vigiliam excedat, in aliis vero, nonnulli ob peculiarem corporis naturam, aut victum, si non plus, saltem æqualiter dormiunt, & vigilant: quales sunt illi, quibus vel caput frigidum, & humidum contingit; aut internæ partes destinatæ ad concoctionem sunt infirmæ; vel laboriosa est vita, aut habitatio in aere frigido, & humido, aut victus copiosus, & crassus; aut aliæ deniq; adsunt causæ, quæ calorem diu intus concludere sunt aptę.

Somni & vigiliarum proportio.

Cur plantis non insit somnus.

Cæterum plantis inquit Aristot. somnum inesse impossibile est, quoniam nullus somnus inexpergiscibilis est. At hoc meo quidem iudicio ra-
E tionem non reddit eius, quod quæritur: nam vt omittam, quod antea etiam ostendi, somnos aliquando inexpergiscibiles esse, illud certe non sequitur, ideo plantas non dormire, quia somnus talis sit, sed *quia*, vt ipsi Arist. placet, *vinculum est sensuum, & affectio quædam, qua cum plantæ careant, nec somnus, nec vigilia in illis fieri possunt.* Illud quoq; silentio pertransire nolo, quod quæ-

rit Arist. *problemate quinto sexta sectionis*, cur, inquam, somnus magis accedat, cum parte dextra corporis cubamus: neque enim experientia aliquid tale docet perpetuum esse: quippe cum alii in dextrum, alii in sinistrum latus, alii in dorsum, alii in ventrem facilius dormiant: Nec illud quidem recipiendum est, quod eo loco habet, somnum priuationem esse motus, & dextrarum partium esse mouere, ideoque illas partes quiescere oportere. quarum mouere interest: necessarium enim esse, vt vigilantes, cōtra quam dormientes habeant: nam primum somnus non est A priuatio motus, sed sensus duntaxat, vt ille *passim* docet: deinde non magis dextras, quam sinistras, interest mouere: postremo etsi somnus & vigilia inter se differant, non tamen propterea necessarium est, corpora, quæ has affectiones vicissim suscipiunt, nihil habere posse idem cum dormiunt, & vigilant. Cur vero pueri rideant, cum dormiunt, non autem cum vigilant, docere conatur Aristoteles *libro quinto de Generatione animalium*, sed quam recte, nunc expendere nolo, vt aliis etiam in hac tractatione aliquid excogitandum relinquatur.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII
DE SOMNO ET VIGILIA
LIBER II.

CAP. I.

In qua parte corporis Somnus & Vigilia fiant ex Aristot. sententia.

Subiectum, in quo fiunt passiones corporis, inter causas referendum esse, alibi docuimus: ac cum vniuersas somni, & vigiliæ causas prosequi nostri sit instituti, de hac quoq; quæ subiectum, siue pars, aut locus, in quo hæc fiunt, agere conuenit: idq; eo præsertim, quod non solum vtilis sit Medicis huiusmodi consideratio, ex qua medendi soporosis affectibus, & immoderatæ vigiliæ ratio petitur: sed etiam vniuersis scitu iucunda, & cognitione perdifficilis existat. Quod quidem ostendunt graues disputationes, quas Gal. de hac re aduersus Aristotelem, & Medici alii contra recētiores philosophos haud temere excitarunt. Ac duæ quidem fuerunt antiquissimæ, quæ adhuc vigent de loco, in quo fit somnus, opiniones. Quidam enim eum in cerebro: alii vero in corde fieri arbitrantur, vtunturque omnes iisdem principiis. Aiunt enim somnum, & vigiliam affectiones esse, non singulorum sensuum, sed primi sensorii, siue partis, quæ fons est, & principium omnium sensuum, in qua scilicet residet sensus, qui cæteris præest, ad quamque illi sese referunt, recipiuntque: illius enim defatigatione somnum oriri tradunt; non autem cum sensus aliquis nequit amplius sua munera exercere: itaque eam partem, quæ principium est omnium sensuum, siue communis huius facultatis sentificæ, quæ spargitur in singula sensoria, merito ponendam esse contendunt, in qua somnus & vigilia fiant. Atque in hoc (vt dixi) omnes consentiunt. In eo vero discrepant, quod quidam illorum cor, alii vero cerebrum, huius- B modi partem esse volunt, tametsi etiam in hoc communi vtantur argumento. Recipiunt enim illam partem sensus, & motus principium esse, à qua nerui nascuntur, sparguntur que tanquam à fonte quodam in reliquas corporis partes, Ac Aristoteles quidem primum refellit illorum opinionem, qui cerebrum sensus, motus, neruorumque originem esse putabant. Deinde nititur probare harum rerum principium in corde esse: cuius quidem rationes recensere aggredior. Scribit igitur *libro secundo de Partibus animalium*, cerebrum non posse esse sentiendi principium, eo quod nullam cum partibus, quæ vim obtinent sentiendi, continuitatem habeat, vt intuitu, inquit, patet: deinde quod nullum efficiat C sensum; cum tangitur, sed prorsus illius sit expers, nō aliter, quam quoduis excrementum: præterea, posteriorem capitis partem sentire, in qua tamen non est cerebrum: postremo sentire duntaxat eas partes posse, quæ sanguinem obtinent, cerebrum autem sanguineum non esse. Itaque concludit, cerebrum non esse partem illam, quæ sit sensus, & neruorum origo, refellitque obiter illorum opinionem, qui cerebro hæc tribuebant, eo quod aliquos sensus in capite collocatos viderent, nempe auditum, & visum. Ait enim tangendi, & gustandi sensum ex corde aperte dependere: olfaciendi vero sensum medium tenere: auditum autem, & visum, in capite positos esse, propter sensoriorū naturam: etD enim visum aqueæ naturæ esse, cerebrum autem esse frigidum, & humidum; auditum vero aereum; in capite autem esse partem vacuam, id est, aere plenam, confirmatque suam opinionem, quod auditus, & olfactus in piscibus non sint in capite: reiicit etiam illorum sententiam, qui cerebrum medullæ originem esse putabant, propterea quod spinalem medullam dicerent à cerebro nasci, ait enim cerebrum esse omnium partium corporis frigidissimum, ideo non posse esse medullæ, quæ res calida est, principiū,

Opinio & rationes Aristotelis, quod sen sus motus, neruorumq. origo non sit in cerebro.

id tamen facere, vt cerebro continuari possit, & iungi spinalis medulla. Naturam enim solere semper emoliri contra cuiusuis exuperantiam, auxilium per coniunctionem rei aduersæ, vt excessum alterius altero compenset, & moderetur. Ac ne quis putaret, naturam frustra condidisse cerebrum, quandoquidem illud nec sensus, nec motus, nec spinalis medullæ principium est, hunc vsum illi ascribit, vt scilicet cordis calorem moderetur. Naturam enim ad actiones animalium obeundas calore egere plurimo, ideoque cor esse constitutum fontem huius caloris, qui momentum requirit sibi contrarium, vt mediocritatem res assequantur. Propterea aduersus cordis sedem, & calorem, naturam cerebrum molitam esse. Quem quidem vsum ostendere nititur ex omnibus rebus, quæ in cerebro reperiuntur. Illud enim carnosum non esse, aquea, & terrea substantia constare, non paucas, & magnas; sed frequentes, & tenues venas habere, quæ sanguinem non quidem copiosum, & crassum, sed tenuem, & syncerum continent; ne scilicet esset aliquid, quod frigiditatem illius minueret, atque impediret cordis refrigerationem. Addit alia frigiditatis illius inditia, quod sanguine careat, & tactu frigidum sentias: ac quod fluxiones ex capite oriantur, & animalia, quæ calidissimum habent cor, plurimum habeant cerebrum. Ideo enim hominem inter omnia animalia proportione sui corporis, & masculum, plus quam fœminam, cerebri, & plures suturas in ossibus capitis habere: quia mas calidior, & homo cor, & pulmonem calidissimos habeat, quo fit, vt solus homo inter animalia erectus sit: quibus argumentis tandem concludit, cerebrum nec excrementum esse, nec inter partes continuas enumerandum, nec aliquem habere vsum ex illis, quem alii antea prodiderunt, sed conditum esse, vt feruorem cordis moderetur, & temperet: fatetur tamen à cerebro somnum proficisci, cum in eo gignatur, & ab eo descendat humor, quo calor vna cum sanguine ad ima, id est, ad cor refugit, vbi somnus fit. Cæterum cor sensus, & motus principium esse conatur ostendere Aristoteles *libro tertio de Partibus animalium*. *Quid in corde.* vnum enim, inquit, nisi quid impediat, oportet esse principium, aptissimum autē esse omnium locorum medium: quandoquidem medium vnum est, & tale, vt vndique attingi, vel æque, vel proxime possit: merito igitur cor statuendum esse principium, eo quod in medio corpore sit collocatum, obiterque ostendit, hepar non posse esse huiusmodi principium, quia situm nequaquam habeat principalem: deinde, inquit, nec pars alia sanguinea, nec sanguis ipse vim habet sentiendi, sed quod primum sanguinem habet, & ita habet, vt eum contineat perinde ac vas, id esse quod sentit, & principium esse oportere, huiusmodi autem esse cor, dicit, non solum ratione, sed etiam sensu: quandoquidem in prima partium generatione statim cor palpitare cernitur; tanquam id, quod principium est naturæ eorum, quæ sanguinem habent. Addit, nullum animal sanguine præditum, carere corde, quod argumento esse dicit, cor principium esse sanguinis, & sensus. Sumit (vt diximus) illud argumentum, quo alii quoque vtuntur: nempe eam partem esse principium, & sensus, & mo-

A tus, à qua nascuntur nerui: illam autem esse cor, dicit ostendi ex anatome: copiam enim neruorum in corde apparere. Hæc & similia docet Aristoteles de origine sensus, motus, & aliarum facultatum, ac de loco, in quo somnus, & vigilia fiunt.

CAP. II.

Expenditur Aristotelis opinio de loco, in quo fit Somnus, & de cerebri vsu.

ITaque quod primo scribit cerebrum nullam habere coniunctionem cum partibus, quæ vim habent sentiendi, propterea non posse illud esse sentiendi principium, prorsus falsum
B est. Nam si ex eo, quod apparet, (vt ille vult) probatio huius rei petenda est: inueniemus profecto, cerebrum cum neruis continuari, & illorum beneficio cum carne, & omnibus partibus, quæ sensu sunt præditæ: quod quidem adeo clarum est ex anatome, vt superfluum sit idem velle verbis docere: feruntur enim à cerebro nerui ad oculos, aures, nares, palatum, linguam, hepar, septum transuersum, ventriculum, & cor: *Cerebrum cum neruis continuari.* enascitur etiam à cerebro spinalis medulla, à qua nerui maximi & plurimi in vniuersas partes deriuant: adeo vt sensus doceat, solum cerebrum re vera continuum esse sentientibus partibus. Refellit ergo in hac re Aristotelem visus, quo
C (inquit) probari, cerebrum non esse continuum cum partibus habentibus vim sentiendi. Quapropter recte in illum retorquet argumentum Galenus: fatetur enim & recte, quod assumit Aristoteles, nempe eam partem sensus, & motus originem esse, à qua nerui oriuntur; at negat anatome, à qua fidem vniuersam petendam ait Aristoteles, apparere huiusmodi principium esse cor, quippe cum à cerebro, & ab eo orta spinali medulla, vniuersi nerui oriri, perspicuo videantur, in corde vero nihil huiusmodi appareat; sed vt optime inquit Galenus, Aristotelem fefellit ligamentorum quorundam copia, quæ in cordis interioris partibus apparet. Ea enim putabat neruos esse, cum scribit esse co-
D piam neruorum in corde: differunt vero & vsu, & natura à neruis ligamenta omnia, atque illa præsertim, quæ sunt in corde. Debebat autem Aristoteles probare, illos esse neruos, quos dicit esse in corde: nec id quidem solum, sed illud etiam, quod à corde in vniuersas partes sentientes ferantur: hoc enim postulat principii natura, vt in eo appareant publica instrumenta, quæ ab eo nascuntur, & præterea spargantur illa in vniuersa corporis membra, quibus necessarius est illorum vsus. At doceat aliquis ex anatome in quas partes nerui à corde ferantur: inueniemus enim, aut nullum, aut certe exiguum neruum in cordis substantiam penetrare, & illum solum cum cerebro coniungi, tantoque maiorem esse, quanto cerebro propin-
E quior sit: ex hoc etiam pateat, aliorum neruorum originem, nec illum neruum, nec cor esse posse: nam partes, quæ in vniuersum corpus diuidi debent, oportet in sua origine longe crassiores esse, quam in alio quocunque loco, quod ille necessarium esse testatur, & aperte in arteriis, & venis apparet, idque merito, quando-
quidem

quidem necesse est plurimas postea fieri diuisiones, quæ ex rebus minimis duci non possunt, quapropter exiguus ille neruus, qui in corde cōspicitur, nequit aliorum esse radix & origo. At præter hęc argumenta duo alia redarguunt Aristotelis opinionem, vnum quod Auerrhoes, qui nunquā solet ab Aristotele dissentire, *in suo Colliget* plane fateatur, neruorum originem non esse cor, sed cerebrum. Alterum, quod Aristoteles sua principia in hac re non seruet, nam *libro secundo de partibus animalium* scribit, naturam solere cuiusuis rei exuperantiam, per coniunctionem rei aduersæ compensare & moderari: propterea recte iungi cerebrum frigidum cum spinali medulla calida: nam si cerebrum (vt ait) nullam habet coniunctionem & continuitatem cum partibus sentientium, quo pacto poterit, quod quidem vult esse sensuum fontem, temperare, & moderari? si enim id fit per coniunctionem, & continuitatem, vbi hæc non aderunt, nequaquam poterit illa temperies fieri: sed de hoc primo fundamento hæc satis. Illud vero, quod ait, cerebrum non posse esse principium sensuum, eo quod ipsum non sentiat, cum tangitur, nihil probat: nam vt Galenus pulchre scribit, non eo comparatum est à natura cerebrum, vt sentiat, sed vt sentiendi facultatem, aliis impartiatur, nec impedit hoc; nam vt sensus fiat, non solum vis sentiendi requiritur, sed etiam nerui, sine quibus sensus nullus fieri potest. Igitur propterea non sentit, cerebrum, *quia nerui non per illud, sed ab illo, in alias partes diuiduntur*: est tamen principium sensuum, quoniam ab illo cōmunis illa vis sensifica emanat: quod ostendunt nerui incisi, aut laqueo constricti: nam partes, quæ cerebro sunt continuæ, deprehenduntur sentire, & moueri; quæ vero sequuntur versus cor, aut aliam quamcunque partem, sensum perdunt, & motum: contra vero arteriæ pari modo vt nerui; vel interceptæ vinculo, pulsant ea parte, qua cordi coniunguntur, aliis vero nequaquam: quod quidem argumeno est, sentiendi mouendique vim, per neruos à cerebro, pulsandi vero in arterias à corde, immitti: quam quidem rationem nemo, qui sensu vtatur, negare potest, nisi velit illis repugnare, quibus cogitur ex animo assentiri. Concedimus ergo, cerebrum non sentire, & tamen esse principium sensuum: propterea facile ei quoque respondetur, quod scribit Aristoteles, posteriorem partem capitis sentire, cerebrum tamen non habere: nam etsi falsum est, occiput cerebrum non continere, tamen satis est ad sensum, si neruos habeat: ita enim agit Aristoteles, quasi necessarium sit, solum eas partes sentire, in quibus contineatur cerebrum. Nec minus quidem falsum est, quod passim dicere solet Aristoteles, solas partes carnosas, & sanguineas sentire, exangues vero nullas, & propterea carnem esse instrumentum sensus tactus. Nam si vulnus, aut vlcus neruorum passus aliquando esset, aut alios laborantes duntaxat in neruis spoliatis ab omni carne vidisset, maximis doloribus torqueri, sententiam profecto mutasset, tribuissetque neruis, quod carni, & exanguibus, quod sanguineis partibus concedit. Sunt ergo nerui instrumen-

Cerebrum cur non sentiat.

A ta omnium sensuum, & illorum beneficio non solum caro, sed etiam cutis, tunicæ, & viscera sentiunt, nec medium aliquod requiritur in sensu tactus, (vt ille putat) cum cutis sine medio sentiat; vt caro, cui detracta cutis est: ita profecto ex vno errore plurimi sunt facti; etenim ignorato sensuum fonte, & instrumentis non intellectis, necesse est prorsus corruere vniuersam tractationem de sensibus. Nec minus illud mirari possum, quod scribit, tangendi, & gustandi sensum in corde esse: olfactum vero medium tenere locum: nam si fatetur, visum in capite esse, non autem in corde, fateatur quoque eodem modo oportet gustum in eodem contineri: nam vt solis oculis videmus, ita sola B lingua, & palato, quæ partes semper in capite sunt, gustamus: nec vnquam olfactus, & auditus procul à cerebro ponūtur, etsi in capite semper forte non collocantur. Accedit, quod ille etiam sponte fatetur *in libro de Sensu, & sensili*: olfactum esse in capite; adeo vt alibi male putet illum medium obtinere locum; nam vt Galenus probat *in libro de vsu partium*, caput propter oculos factum est, nec vocari debet caput, quod arcem corporis occupat: quo fit, vt animalia, quibus necessarium non est prospicere, quæ longius distant, caput quidem non habeant, tamen habeāt cerebrum: quod quidem visus, auditus, olfactus, & gustus, perpetuo circumstant. Sed doceat ipse (quæso) quomodo gustus à corC de dependeat, præsertim in hominibus, & multis aliis animalibus, quæ gustare non possunt, si quid noxium est in lingua, quæ in capite est, affecto interim quocunque alio modo corde: tangendi vero sensus in vniuersis partibus potius reperitur, quam in corde: nullum enim aut certe exiguum dolorem cor sentit, cum vulneratur; adeo vt si neget cerebrum non esse sentiendi principium, eo quod non sentiat cum tangitur, facile docere possimus, nec tactum, nec alios sensus in corde residere, nimirum cum nullo sensu appareat cor esse præditum, præsertim si à suis inuolucris cor fuerit denudatum. Nolo nunc contendere, an visus aqueus sit, quod *in libris de Morbis* satis aperte docuiD mus: hoc certe non admitto, auditum ideo in capite collocari, quod cum aereus sit, pars posterior capitis sit vacua, aereque plena, nam posterior capitis pars, vt ex anatome apparet, cerebro est plena, & auditorū meatus ad eam non perueniunt. Quod autem pisces auditum, & olfactum non habeant in capite, hoc illi concedatur, sed hoc nihil ad cerebrum, quod (vt diximus ex Galeno) non semper in capite positum est. Porro spinalem medullam negare à cerebro nasci, eo quod à cerebro, frigidissima parte, medulla, quæ calida res est, oriri nequaquam possit, hoc in primis Auerrhoes illius sectator refellit, testatur enim ille *in suo Colliget*, non esse illam veram medullam, sed ita vulgo dictam, E quod in ossium cauitate, vt ea, quæ vere medulla est, contineatur. Quod si cerebrum terrena, & aquea substantia constare, probari vult Aristoteles, quia ex elixatione induretur, inuenisset profecto, illud etiā contingere medullæ dorsi, alias vero medullas liquefieri, tanquam diuersæ ab aliis medullis, & eiusdē cum cerebro

Cerebrum non semper esse positum in capite.

naturæ illa sit. Deinde si putat fieri non posse, vt à frigida parte calidæ nascantur, nec frigidæ à calidis oriri poterunt, male igitur statuit neruos, & venas corde prodire.

Iam vero illud expendamus, quod scribit Arist. & ab vniuersis Peripateticis postea est receptum, cerebrum esse factum à natura, vt cordis calorem moderetur; nam vt ille hoc statuit, ita modum docere non potest, quo id fiat: si enim oportuit partem aliam fieri, facto iam corde calido, quæ diuersam naturam & sedem obtineat, & hac ratione cordis calor temperatur, vrgent profecto hanc opinionem Gal. argumenta, quæ habentur *lib. 8. de vsu partium*; nam cum tactus noster calidius semper inueniat cerebrum, quam ambientem nos aerem, quo pacto poterit cor ab eo refrigerari? aut cur non sufficiet aer ipse? qui abunde suppetit cordi, per respirationem attractus, & emissus; ad hunc enim vsum respirationem comparatam testatur Aristoteles, quæ cum sufficere animalibus agnoscatur, nullo alio refrigerio cor opus habet. At si arbitratur non satis à solo aere cor refrigerari, sed indigere præterea viscere aliquo, certe cerebrum nequit hunc vsum præstare, propterea quod longe inter se distant hę partes, & propter longam distantiam, & intermedia plurima membra, densa, & solida, refrigeratio transmitti nequit: Ac non minus profecto pedibus hanc vim cōcedere oportet; illis enim refrigeratis, aut calefactis, singula membra protinus concipiunt calorem, & frigus, cerebro autem excalefacto, aut refrigerato, nequaquam pari vi, aut celeritate id contingit, adeo vt si pars aliqua ponenda sit in corpore, quæ temperet calorem cordis, id pedibus potius, quam cerebro sit concedendum, præsertim quod ab illis ad cor facile ascendere possit vapor aliquis frigidus, qui vim refrigerandi secum afferat; à cerebro vero nihil huiusmodi descendere potest: repugnante nimirum spiritus, vaporisque natura: quæ superiora petere, nequaquam vero descendere est apta. Verum si pedes dicamus factos esse ad cordis refrigerium, iam Aristoteles sua principia non seruat, vt qui statuat, *naturam partem vnam alia temperare, nec plures ad eundem vsum requiri*: quod quidem principium in eo etiam euertit, quod antea cerebrum factum esse dixerit ad spinalis medullæ temperamentum. Ad hæc si cerebrum non coniungitur cum corde, nec pars est continua, nec excrementum, sed sui generis (vt ait ille) res quædam, qua ratione (quæso) potest temperiem afferre cordi? ponit enim huiusmodi temperantiam, & moderantiam per connexionem, & continuitatem contrariam partium fieri: igitur cerebrum nec cordi, nec aliis partibus refrigerium præbere poterit; quia eo autore, nullam habet cum aliis membris connexionem: cur item, inquit Galenus, cerebrum cordi refrigerando satis esse potest, cor autem non multo magis cerebrum supra sepositum potest excalefacere, cum calor omnis feratur in sublime? aut si cor potest refrigerare, cur non multo magis sensoria ipsa, multo viciniora, & per multos, magnosque neruos coniuncta stupefaciet? An non etiam neruorum à cerebro exortus, ventriculi, & cauitates, duæ meninges, conarion, pyelus, choana, corpus psalloidis, epiphy-

Cerebrum non esse à natura factum, vt cordis calorem contemperet.

Pedes potius refrigerantes contemperare posse cordis calorem, quam cerebrum.

A sis vermiformis, communes inter se canales, conformationis varietas, productiones in spinalem medullam, neruorum exortus, non in sensuum modo instrumenta, sed etiam in fauces, ac larynga in stomachum ac ventriculum, in viscera, & intestina omnia, in omnes denique faciei partes, refellunt eluduntque Aristotelis opinionem? sic enim solius refrigerationis gratia extitisset cerebrum, illud veluti spongiam quandam informem esse oportebat, frustraque natura in illius artificiosa constructione laborasset. Nec vero ad hunc vsum cerebri facta sunt ea, quæ in capite reperiri scribit. Quædam enim illorum ob aliam vtilitatem agnoscuntur facta esse, alia vero aliter habent, quam
B agnouerit ille: nam caput ideo carnem paucam obtinet, *ne ob grauitatem difficile sustineatur à ceruice, impediaturque erigi, circumuolui, & denique variis motibus agitari*. Venas autem non habet solum frequentes, & tenues, sed etiam magnas cerebrum: quod cum nutriri debeat sibi simili alimento, & necesse est, vt cum ipsum terrenum sit, & aqueum, crassæque substantiæ, simili sanguine alatur: vt mirum quoque sit, Aristotelem dicere, tenuem, & sincerum sanguinem in venis cerebri contineri; quandoquidem præter hoc argumentum, quod sumitur ex nutritionis ratione, doceat sensus, pituitosum humorem esse, quem venæ illæ continent. Caret quidem sanguine cerebrum, frigidaque est
C pars, attamen tactu frigidum non sentitur, vt id antea quoque ostendimus. At vero si animalia, quæ plurimum habent cerebrum, cor habent calidissimum, & è contra, homini non accideret inter omnia animalia plurimum cerebri habere: quippe cum leo, & taurus, cor, & pulmones longe calidiores obtineant, vt ostendunt illorum actiones, & passiones cordis, quæ non nisi cum vehementissimo calore consistere valent. Quod si aliquis digitum immittat in cor hominis, & leonis adhuc viuentis, facile, vter calidior sit, intelligere poterit. Nec ostendere quidem potest, fœminam minus habere cerebri, quam masculum, & pauciores suturas in ossibus capitis: latiores quidem
D dem habet mas, at plures non habet, vt Anatome docet. Ac mihi quidem videtur Aristoteles hominem sua ratione, & ingenio potius constituisse, quam vidisse vnquam, qualis sit à natura factus: sequebatur enim ille caloris rationem, quæ plura excrementa in masculo gignit, quam in fœmina, & propterea suturas ossium capitis, quæ ad illorum difflationem sunt comparatæ, plures necessarium fieri oportere arbitratus est: quasi huic inæqualitate caloris, & excrementorum, natura nequeat mederi per paulo latiores vias. Cur enim ita duas vesicas ad recipiendam bilem masculis non dedit natura, vnam fœminis, cum plus bilis ille, minus hæc gignat? Illud vero mirum est, quod
E scribit, & ab omnibus Peripateticis receptum video, hominem ideo erectum incidere, quod multum caloris habeat: quasi structuræ corporis comparatæ ad rectum incessum, id totum potius tribuendum non sit, nam si id faceret caloris vis, leoni imprimis accideret rectus iste corporis habitus: sed quoniam impedit ossium structura, quam sequitur corporis vniuersi figura, ideo

Caput cur paucam carnem obtineat.

Cur incedat homo corpore erectus, cætera vero animalia prona.

ra, ideo cætera animalia prona, solus vero homo rectus incedit. Debebat profecto Aristoteles, si id ex calore pendet, ostendere aliquam differentiam inter masculum, & fœminam, vt in iuncturis capitis, & cerebri fieri tradit. Cur enim in aliquibus, in aliis vero nequaquam parit diuersos effectus, mutatq; structuram diuersus calor? Cur etiam volucres agilitatem, & aptitudinem ad volandum non dicuntur habere propter calorem? quandoquidem calor nō minus est motus causa, quam aliarum rerum, quas illi tribuimus, plus certe, quam ratio, & aliæ causæ postulent, dum enim omnia, calido, frigido, humido, & sicco, tribuimus, ignoramus, quid à formis rerum prouehiat, quid structuram singulariū partium, & vniuersi corporis sequatur, quid ob materiam fiat. Nequit ergo Aristoteles docere modum, quo cor à cerebro refrigeretur. Auerroes autem, & alii Aristotelis interpretes, rationem huius refrigerationis quærentes, aiunt, ideo cor refrigerari à cerebro, quod spiritum vitalem refrigeret, quæ opinio imprimis Aristoteli repugnat, qui per connexionem partium contrariarum temperiem huiusmodi fieri tradit. Aliud præterea est, spiritus emissos à corde refrigerari, aliud cor ipsum temperari: nam si qui sunt huiusmodi spiritus, postea quam ad cerebrum peruenerunt, & refrigerati sunt, illic manent, necessarii ad obeundas cerebri functiones, aut certe per supremam partem dissoluuntur euanescuntque: quo fit, vt cordi nullam temperiem afferre possint. Quod si credimus cor refrigerari à cerebro, qui pituitosum humorem gignat, deorsumq; mittat, erramus: nam vt Aristoteles scribit, vbi hoc fit, per antiperistasim contrahitur calor versus cor, ibiq; augetur, nequaquam vero minuitur. At si quis diligenter expendere velit, quæ Aristoteles de hac re scribit, aliud forte inueniet, quam Galenus intellexerit, aut vulgus philosophorum, & Medicorum credat. Non enim cor à cerebro refrigerari pronunciat Arist. sed *aduersus cordis calorem naturam opposuisse cerebri frigiditatem, vt ex contrariis partibus vniuersum corpus mediocrem temperiem assequatur*, id autem non est cerebrum esse factum ad cordis refrigerium, sed ad totius corporis temperiem, quæ ex cerebri frigiditate, & caliditate ex illius opinione mediocris euadit, verum etsi hæc est Arist. opinio, tamen illa vitio non caret, quod nullum alium vsum, nullasq; actiones, nullamq; aliarum rerum originem cerebro concesserit. Deinde quod natura temperiem, & mediocritatem ex hac diuersarum partium compositione, & connexione nequaquam quærat. Sic enim oportebat aduersus siccitatem, & duritiem ossium pulmonis calorem, & mollitiem, aliarumq; partium excessus, immodicas qualitates contrarias in aliis partibus moliri, quod nostra corporum constitutio minime ostendit, emendat enim natura excessus cordis aeris immissione & emissione, nec omnis quidem exuperantia requirit, quod illam temperet, si modo huiusmodi oportebat partem esse, vt suos vsus, & functiones commode exercere posset. Sed hæc obiter sint dicta de vsu, quem præstare cerebrum cordi, & corpori putat Aristoteles.

Quomodo intelligendum, quod Arist. [illegible] dicit, calorē cordis à frigiditate cerebri temperari.

A

Cap. III.

Non posse vnum constitui principium in corpore animalium, vt Aristoteles arbitratur.

ILlud vero, quod scribit Aristoteles, oportere vnum statui principium, nisi quid prohibeat, ad quod reliqua omnia referantur, admittitur quidem, sed prohibent multa, ne hoc in corpore animalium fiat; ac illud quidem primum, quod cum ab illo principio prodire necesse sit ea instrumenta, & partes, quæ vim emanantem ab eodem spargunt in vniuersum corpus, nequeat aliquid in corpore constitui, quod commodum exortum vniuersis præbeat. Cum enim
B oporteat aliam esse naturam venarum, quam arteriarum, & neruorum, quo pacto (quæso) potuisset natura partem aliquam formare adeo multiformem, vt ab illa tam diuersa, tamque varia instrumenta enascerentur? Præterea publica hæc instrumēta necesse est in suo ortu crassa esse, vt ab illis vniuersæ corporis particulæ ramos sumant sibi necessarios ad proprium vsum. At tanta non est cordis, vel alterius membri, quod principatum affectare possit, magnitudo, vt omnia valeant ab eo enasci, & aptum locum in eodem obtinere: oporteret præterea neruos à diuersis partibus oriri, & illas ita esse affectas, vt vna durior, alia mollior existat, propter-
C ea quod necesse est, neruos quosdam esse mollissimos, quales sunt, qui ad sensum duntaxat sunt comparati, vt visorii, auditorii, quique olfactus sunt instrumenta, qui adeo molles sunt, vt vix differre putentur à muco, concretaque pituita: alios vero durissimos, per quos scilicet motus partium vna cum sensu exercetur: ostendat autem Aristoteles in corde hanc substantiæ diuersitatem, diuersos hos neruos, differentesque illorum exortus, quæ quidem apparent in cerebro, & spinali medulla. Nam à cerebro molliores, à spinali vero medulla duriores enascuntur. Quod si dicat aliquis, se id posse facere, repugnante omni sensu, & ratione, illud certe, quo pacto docere poterit, neruos, qui sen-
D sum olfactui præbent, à corde oriri? Ideo enim Aristoteles cor principium potius, quam hepar esse putat, quod illius situs commodissimus sit vniuerso corpori. Verum non possunt tam molles nerui, qui speciem humoris leuiter concreti referunt, à corde vsque ad nares duci: quæ enim longius progredi debent, duriora esse necesse est: sed quid opus est alia ratione in hac re, cum sensus doceat, huiusmodi neruos nullam habere cum corde connexionem? quo fit, vt cor nec sit, nec possit esse illorum principium. Addo quod cum facultates animæ eo autore sequantur corporis naturam, & temperiem, nequeunt vtique tam diuersæ facultates ab vnica parte proficisci: quædam enim cali-
E dius, aliæ frigidius, aliæ humidius, aliæ siccius, aliæ mistum ex duabus exuperantibus qualitatibus temperamentum desiderant: nulla autem in corpore pars esse potest prædita tam diuersis temperamentis. Quapropter Aristotelis opinio de vno principio in corpore admitti non potest, quia multa impediunt. Quod si liberius aliquid in tanta superstitione dicere audeā

Cor non esse principium neruorum.

rem, crederem vtique, cum autorem multas ex suis tractationibus deteriores fecisse, quod in illis semper voluerit vnum esse, ad quod omnia, quæ scribit, referantur. Sed non est nunc locus alia tractandi. Quantum vero in re proposita de partium vsu ob huiusmodi principatum aberret, ex hoc cognoscere quilibet potest, quod multarum partium vtilitatem haudquaquam agnoscat, aut certe verius fingat, quam vt sensibus, & corporum constitutioni respondeant. Nam (vt antea ostendimus) cerebri vsus veros ignorauit, dum illud vult cordi, & corpori seruire ad refrigerium: ac cum reliqua membra ad cordis famulatum vult esse comparata, ridicula multa dicere cogitur: qualia illa certe sunt, quæ de testium vsu scribit: Ait enim illos non esse necessarios ad generationem, quoniam non adsunt omnibus animalibus, quæ generant, vt serpentibus & piscibus, sed ideo factos esse, vt reuolutionum, & anfractuum in seminalibus meatibus sint causæ, ne prompta ad crebram venerem sint animalia, quæ castiora esse oportet: pendere autem illos, ne meatus retrahantur: quo fit, vt illis exectis, nequeat animal generare, quoniam scilicet meatus retrahuntur: huncque esse vsum illorum, doceri, quod inuentus sit taurus, qui statim à castratione, nondum retractis seminalibus vasis, & coiuerit, & generauerit. Atque hæc scribit *libro primo de generatione animalium: alio vero loco*, alium præberi à testibus vsum scribit, nempe quod veluti pondera, quæ telis annectuntur, cor tendant: oportere enim illud tensum esse, vtpote quod roboris principium sit, sine tensione autem robur esse non posse: propterea castrata animalia infirma debiliaque reddi; quia desit tensio cordi, quam testes præstant. Quam quidem opinionem quis quæso probare posset, qui nolit addictus magis esse autoritati scriptorum, quam his, quæ à ratione, aut sensibus docentur? Necessarios non esse testes ad generationem (vt diximus) ideo putat, quia non omnia, quæ generant, eos habent: quod quidem his argumentis facile refelli potest: primo quod omnia, quæ generant, vel testes habeant, vel aliquid, quod proportione testibus respondeat: quod Aristoteli sufficere videtur: cum in singulis partibus satis esse putet, si aliquid huiusmodi reperiatur. Deinde etiam si concedamus, nec testes, nec aliquid, quod illorum vicem gerat, in multis reperiri, tamen ex hoc non sequitur, non esse illos necessarios ad generationem, quibus dati sunt. Hac enim ratione pulmo diceretur non esse necessarius ad vitam homini, eo quod pisces sine illo viuant. Non enim eo, quod aliqua pars in vniuerso genere animalium non reperitur, ideo quibus adest, non est necessaria: ostendere debebat Aristoteles, testes non esse necessarios ad generationem in homine, equo & aliis animalibus, quibus eos natura largita est. & quomodo quæso, id posset facere, cum testes reperiantur in dissectionibus sæpe vel semine pleni, & tumidi, aut certe nunquam prorsus sine semine? in meatibus autem, qui præcedunt testes, aut sanguis solus, aut nondum confectum semen inueniatur: in aliis autem, qui à testibus enascuntur, quæ ab anatomicis deferentia vasa nominantur, iam elaboratum semen contineatur: tanquam te-

Opinio Aristotelis de testium vsu.

Reiicitur.

Testes ad generationem omnino esse necessarios.

A stes sint à natura facti, ad semen ipsum formandum, perficiendumque. Nam ridiculum esse puto, quod scribit, inuentum esse taurum, qui statim à castratione coiuerit & generauerit: quasi dolor, qui affligit ob testes recenter auulsos, non adimat coeundi desiderium. Quod si id concedimus, ob aliam tamen rationem, quam quod nondum sint retracti meatus, factum credemus: nam dicimus, à testibus iam elaborati seminis tantum esse transmissum in vasa deferentia, vt ex illo gignere possit animal; sed hoc non ostendit, testes non esse necessarios ad generationem, illis, quibus adsunt à natura: quandoquidem repleri non poterant meatus seminegenitali, nisi testes illud prius elaborassent.

B Quod si natura dedit testes castitatis causa, videbitur vtique in multis animalibus huius rei rationem frustra habuisse. Cur enim volucres, & terrestria plurima animalia castiora esse oportet, quam serpentes, & pisces; præsertim quod passeres, & multa alia animalia testibus prædita, multo salaciora conspiciantur esse illis, quæ testibus sunt priuata. At si testes facti sunt ad tensionem seminalium meatuum, nequaquam vero ad necessitatem generationis, nisi quatenus eos meatus tendunt, fiet vtique, vt si quod meatibus appendatur pondus, æquale testibus, gignere possit animal, non minus cui testes sunt exempti, quam cui adhuc adsunt. At vero nec illud docere potest, quo pacto testes motum ex-

C crementi genitalis stabiliorem (vt ille ait) faciant, & castitati hac ratione conferant: nam si quemadmodum ea animalia, quæ intestina habent recta, voraciora, sic propensiora ad venerem sunt, quibus meatus seminales recti sunt dati, testes potius frequentem venerem excitabunt, vtpote quos dicat in plurimis animalibus ad tensionem meatuum comparatos. Cæterum testes esse factos ad cordis tensionem, & corporis, animique robur, eadem refellit ratio, quod scilicet appenso aliquo pondere æquali testibus, idem robur in castratis, & integris animalibus resideret: sed dicat (quæso) Aristoteles, an arteriarum, venarum, & neruorum, si velit, plurimæ reuolutiones, quæ fiunt in spacio in-

D tercedente inter cor & testes, non impediant eam fieri tensionem, quam ipse finxit? oporteret enim grauissimum esse pondus, quod tensionem facere aptum esset in partibus tam laxis, si ex illarum tensione tandem cor etiam ipsum tendi necesse sit: essent præterea animosiores semper, quibus testes sunt maiores: sequitur enim maior tensio ex pondere & magnitudine tendentium partium: At nihil huiusmodi docet experientia; sed cur non seruatur generandi vis, & robur in illis, quibus testes duntaxat sunt contusi, & collisi? castrantur enim & inepta redduntur ad veneris vsus multa animalia, vt boues, & arietes, eo modo, & nequaquam detractis testibus; in qua re cum seruetur tensio mea-

E tuum, cordisque, & tamen pereat robur, generandique facultas, necesse est, profecto, alium esse ipsorum vsum. Addo, quod hæc tensio nequit in omnibus reperiri, veluti in his, quibus testes intus conclusi sunt, & alicui partium annexi, quomodo enim illis fiet tensio, cum tamen in omnibus amittatur robur, ablatis testibus. Non est quidem hæc ratio infirmitatis in castratis ani-

Animalia multa castrari [illegible]

tis animalibus, quod remittatur tensio cordis, sed quia vis calorifica, & propriæ naturæ causa quædam, vt ille etiam testatur, in vniuersum corpus immittatur, quæ detractis testibus euanescit, degenerantque mares, & fœminæ à sua naturali conditione.

Opinio Aristotelis de vsu hepatis refutatur.

Atque hæc sequuntur incommoda eam opinionem de vno principio in corpore: quam etiam refellunt vsus, quos hepati, lieni, & multis aliis partib. adscribit. Nam dicere, hepar factum esse, sicut omnia alia viscera, ad venarũ diuisiones firmandas, ac vt cõcoctionem ciborum adiuuet, quid aliud est, quã præcipuum illius vsum ignorare? qui est sanguinem conficere, quemadmodum Galenus tum ex illius substantia, qui est veluti sanguis concretus, tum ex sanguinis abundantia, quæ in illo apparet, & præterea ex venarum exortu, docet. Quod si solus hos præstat vsus hepar, quos ille tradit, cur nequeũt vnquam eo carere (vt ille tradit) animalia sanguine prædita? satis enim esset ad venas pensiles firmandas, concoctionemque calore iuuandam, carnosam partem in corpore difformem pro eo cõstituere.

Idem de liene.

Lienem autem potissimum hac ratione vult esse factum, vt æquales sint sinistræ partes dextris: quoniam enim, inquit, iecur parte dextra situm est, ideo natura lienis adhibita est, vt scilicet viscerum natura bipartita sit, & simile sit dextrũ sinistro: Duos tamen alios vsus illi adscribit; vnum communem omnibus visceribus, quo firmet venas; alterum proprium, vt superfluos vapores attrahat ex ventriculo, cõcoquatque. Verum cum venæ, quæ in ipsum feruntur, in habitum corporis nequaquam progrediantur, sed ad ventriculum, & intestina redeant, ostenditur profecto aliquis esse insignis illius vsus; quod & anatome docet: expurgat enim humorem melancholicum ab hepate, & vniuerso corpore, illumq; excipit per quasdam venas, deinde eo elaborato, & ex eodem nutrito, quod superest, per alia vasa in ventriculum & intestina mittit: tanquam excrementum corporis, quod alioqui obesse solet. Hoc ipsum est, quod attrahit lien, non vapores à ventriculo, vt ille credit: atque ex illo ventres præduri, non vt ipse ait, ex vapore, lienosi fiunt: vbi enim ob aliquam affectionem suo nequit lien munere fungi, repletur, obstruiturq; humore melancholico; qui cum non amplius recte expurgetur, vna cum sanguine per vniuersum corpus delatus refrigerat læditque vniuersas partes, quæ illo nutriuntur, & præsertim hepar; quo refrigerato, sanguificatio læditur, fitque aqua inter cutem. At vero si natura in partium generatione hoc spectat, vt æqualia sint dextra sinistris, ex bipartita viscerum natura, cur duas vesicas, duos vteros, duo corda, duos ventriculos non procreauit? renes porro nulla necessitate haberi, sed vt melius sit, scribit Aristoteles, nempe vt adiumento sint vesicæ, his, quibus plus est humoris excrementitii, tanq̃ agnoscantur à natura creati, vi serosum humorem innata sibi vt alliciant à venis, transmittantque postea ad vesicam, quæ nullam aliam in hoc officio vim habet, nisi vt suscipiat, & postea effundat, quod à renibus mittitur. Cæterum vesicam datam esse à natura his duntaxat, meminit, qui pulmonem habent, hanc enim partem caloris excessu sitibunda reddere animalia, ideoque opus esse vesica, vt humidum hoc excrementum suscipiatur. Qua quidem in re natura accusari potest, quod iuxta cor pulmonem posuerit, nam si illa solet excessus emendare per connexionem contrarii, merito damnanda est, quod duas partes calidissimas inter se coniunxerit, propinquasque posuerit; aut certe debebat aliquid aduersus pulmonis calorem machinari frigidum, sicut cerebrum ait factum ad temperãdum cordis calor, sed quo pacto, quæso, ostendere potest, pulmones esse calidissimos, vt qui rari sint, & aerei, atque adeo aere ipso externo perpetuo pleni? Hæc *lib. 3. de Partibus animalium*, & multa alia in toto opere tradit, in quibus dum vult, quædam ad cordis refrigerium, alia ad eiusdem tensionem, alia ad firmandũ venas, quas ab illo oriri scribit, alia ad aliud facere, quo tueatur vnicum hunc principatum, cogitur plurima dicere aliena ab his, quæ in dissectionibus apparent, quæ omnia cum mei non sit nunc instituti prosequi, prætermittens ad alias ipsius rationes accedo, quibus probare nititur, cor sensuum esse principium. Itaque quod ait, cor ideo esse ponendum principium, quod in medio sit, expendendum est. Non enim est in medio, nimirum cum à partibus infernis multo plus distet, quam à supernis: deinde si negat, hepar non posse esse eiusmodi principium, quod situm non habeat principalem, pulmo poterit principatum affectare, vt qui dextras, sinistras, mediasque partes thoracis occupet: à quibus commode poterit suam vim in vniuersa membra facilius spargere, quam ipsum cor. Igitur si necesse est, vt pars quæ principium esse debet, omnium medium, & commodissimum locum obtineat, cor non poterit esse eiusmodi principium: quia in vmbilico non est constitutum, vbi eiusmodi locus est. Id vero, quod scribit, illud primum sentire, quod quidem primum sanguinem habet, & continet, vt vas, nec notum per se est, nec ab eodem probatur: nam sensus primum inest neruis, & per illos in carnem, & omnes alias partes spargitur, in quas ipsi nerui inseruntur: quod docent vulnera, quæ neruis dissectis, sine motu, & sensu partem carnosam sequentem diuisionem neruorum relinquunt. Quod vero in prima generatione cor palpitare cernatur, ostendat id, si velit, Aristoteles, cor principium quoddam esse animalis, nempe caloris; at non propterea motus voluntarii, vel sensus, vt ille efficere contendit, principium erit: Nam cordis motus alterius est naturæ, quam qui in reliquis membris obitur, tanquam nequeat vnus alterius esse autor; quod si diligenter spectasset ea, quæ in conceptu apparent primis diebus, inuenisset profecto, hepar, aut citius, aut eodem tempore cum corde à natura formatum, vtpote quod non minus sit necessarium ob materiam; quam illud suppeditat ad generationem, & augmentum corporis, quam calor, qui à corde emanat, id quod docet vena vmbilicalis, quæ vt in hepar postea inseri agnoscitur, sic illud primum formari ex sanguine à matre affuso, rationi est consonum. Ait, nullum animal sanguineum carere corde; ex quo efficere vult, illud esse sanguinis, & propterea sensus principium. At eo autore habet vnumquodque animal sanguineum etiam hepar; quare illud etiam erit principiũ istorum:

Cor non esse in medio corporis situm.

Vmbilicum esse in medio corpore situ.

Hepar in generatione primum formari.

sed in hoc mihi videtur esse huius opinionis precipuus scopus, quod eam partem velit esse sensus principium, quæ sit principium sanguinis, nolitque partem aliquam sentire, quæ sanguine non sit prædita: quod cum ea, quæ diximus de neruis vulneratis, manifeste refellant, non est quod amplius in hac re laboremus. Nam quod vltimo assumptum est argumentum ex Aristot. nempe cor esse principium & sensus & motus, eo quod neruorũ principium ex anatome probetur esse, antea ex eadem anatome plane refellimus. Nequit igitur Aristoteles ostendere, cerebrum non esse, & ipsum cor esse sensus, & motus principium.

Exanguia & sentire.

Cap. IV.

Auerrhois & aliorum Aristotelicorum opinio de loco, in quo fiant Somnus & Vigilia.

CVm somnus & vigilia credantur fieri in eo loco, in quo est sensus & motus principium, Aristotelici aliis rationibus probare nituntur sensitiuam, & motiuam facultatem in corde esse, & ab eo oriri, postea vero docent, quo modo somnus, & vigilia in corde fiant, quidque ad hanc rem conferat cerebrum: Aiunt ergo illi, oportere vniuersa organa ad vnum principium redigi, quemadmodũ animæ facultates ad vnam animã reducuntur. Afferunt quoq; primam virtutẽ siue facultatem animæ esse sensitiuam & motiuam; illam autem esse collocandam, vbi est primum animæ instrumentum; hoc autem ipsum esse calidum innatum, quod quidem est in corde, & ab eo tanquam à fonte in vniuersum corpus deriuat. Quin etiam illud ad hoc facere tradunt, quod in timore motus, & sensus debilitentur: cuius nulla alia causa sit, quam quod illorum actionum facultates ad cor, tanquam ad suam originem, confugiant. Ad hæc cor primum viuere, & vltimum mori, propterea que vitæ, & omnium facultatum, quæ ad vitam sunt necessariæ, esse principium. Assumunt pariter illud, quod à Medicis asseritur, animalem spiritum motus & sensus esse autorem: verum negant illum in cerebro gigni, & elaborari, quia cerebrum frigidum sit; frigus vero naturæ omne opus impediat: itaque animam totam quidem esse in toto, & totam in qualibet parte, sic etiam animæ facultates minime locis distingui, cor tamen dici principium omnium facultatum, quoniam origo est spiritus, hunc autem spiritum natum, & exeuntem à corde confuse habere omnem virtutem, eam tamen exercere non posse in singulis operationibus, nisi capiat peculiarem formam, & naturam in certis partib. corporis: quæ quidem ob id principia quoque dicuntur, sed non, vt aiunt, principalia: huiusmodi enim principium esse cor, sed secundi ordinis, & ea quidem ratione, quod cordi seruiant ad moderandum calorem huius spiritus.

Igitur cerebrum dicunt etiam principium sensus, motus, imaginationis, cogitationis, & memoriæ, ea, inquam, ratione, quod spiritum transmissum à corde reddat aptum ad huiusmodi functiones obeundas. Non enim quemlibet calorem, & spiritum aptũ esse ad eas actiones edendas, sed eum duntaxat, quem cerebrum inter alias partes elaborat, temperatque; cor vero primam, & præcipuam originem, primumque principium esse, quoniam in eo spiritus, & calor primum gignuntur, & ab eo in reliquas partes emanant. Merito igitur somnum & vigiliam in corde fieri tradunt: nam somnum esse recessum communis sensus ab instrumentis sensorus, & ingressum ad cor, vel (vt illi aiunt) introitum, qui motus (inquiunt) principium habet à cerebro, & finem ad cor: contrario modo, quam in vigilia, in qua principium motus est à corde, finis ad cerebrum.

At cum explicare volunt, quo modo sensus communis ad cor sese recipiat per somnum, deseratque externa membra, transeunt ad calidum innatum, aiuntque *somnũ fieri per recessum natiui calidi*, adeo vt ex illorum sententia *somnus dicatur fieri in corde, quoniam caloris est affectio, cuius principium est cor*: cerebrum tamen aliquid ad id conferre, quia calorem temperet, & repellat.

Secundum Aristotelicos somnum fieri in corde, & cur.

Ac, vt vno verbo dicam, non alia ratione concludere se putant, cor esse principium, à quo omnia oriantur, quæ quidem in alia membra sparguntur, & in quo somnus, vigilia, sensus, motus, tristitia, lætitia, vita, mors, & denique alia vniuersa fiant, ad quodque referantur omnia, quam quod spiritum, & calidum innatum gignat, & transmittat per corpus: cerebrum vero, & alias partes, aut non esse principia, aut si sunt, secundi generis esse, & non alia ratione, quam quod conferant aliquid ad elaborationem huiusmodi spiritus. Quæ quidem argumenta partim repugnant Aristoteli, partim rhetorica sunt magis, quam philosophica; alia vero ex falsis fundamentis constructa: quod breuiter, quantum præsens institutum postulat, docere aggredior.

Ergo quod primum afferunt argumentum, oportere vniuersa organa ad vnum principium redigi, eo modo, quo animæ facultates ad vnam animam reducuntur, probabile, & nequaquam necessarium est, ac rei natura illud refellit: tametsi etiam similitudo partim admitti potest: nam vt vniuersæ facultates animæ ad vnam animam reducuntur, ita sequitur vniuersa corporis instrumenta ad corpus, quod organum est animæ, ex vniuersis organis conflatum, redigi: retorquerique potest in illos argumentum, hoc modo; vt omnes animæ facultates ad vnam facultatem non reducuntur, ita nec vniuersa organa ad vnam partem redigi possunt; cõcedemus, si velint, omnem calorem redigi ad vnum fontem, à quo omnia instrumenta calorem suum sumãt, & ita particularis, & proprius, qui in singulas partes influit, calor redigatur ad vnũ fontem caloris: at propterea non sequitur, vniuersa organa ab vno principio nasci debere, id enim antea ostendimus fieri non posse. Il-

Prædictæ sententiæ refutatio.

Organa vniuersa non nasci ab vno principio.

lud

lud vero, quod aiunt, ibi primam virtutem animæ ponendam esse, vbi primum est animæ instrumentum, non ita dissoluendum est, vt quidam faciunt, qui dicunt, animæ virtutes plures esse, & vnamquamque habere suum instrumentum, nempe animalem habere spiritum animalem, vitalem facultatem spiritum vitalem: nam nos putamus, cõmune dũtaxat esse singulis actionibus instrumentum, i. communem spiritum, vt postea docebimus, præsertim, quod ipsi non recipiant, naturalem facultatem vti proprio spiritu: sed illud negandum est, primam virtutem animæ esse ponendam, vbi primum est animæ instrumentum: nam & Arist. *cap. 12. de partibus* sanguinis calidioris agitationem officium sentiendi impedire tradit; tanquam nequeat caloris, & sensus idem esse principium: deinde si primam virtutem animæ intelligant, quæ in ordine omnium prima est, & omnibus communis, naturalis, & vegetatiua, non autem sensitiua, & motiua, erit huiusmodi virtus. At si primam intelligant, quæ omnium est dignissima, princeps & rationalis, merito prima censebitur esse. In timore, motus & sensus quidem debilitantur; sed ex hoc non colligitur, sensitiuam, & motiuam facultatem ad cor, tanquam ad suam originem, confugere.

Caloris & sensus non idẽ esse principium.

Nam cum ad actiones requirantur plures causæ, nempe animæ facultates, instrumentum commune, & peculiare aliud singulis actionibus, vna ex illis deficiente, necesse est actionem illam labefactari. Itaq; cum cor sit fons calidi innati, sine quo nulla actio corporis exerceri potest, merito eo recedente ab externis mẽbris, pariter in illis non solũ sensus & motus, sed etiã aliæ vniuersæ actiones læduntur. Hoc ergo ostendit, à corde prodire causã vnam sensus, & motus, & ita agnoscitur esse calor, non autem probat, ipsã virtutẽ sensitiuam, & motiuam pariter ab eodẽ viscere exire. Et quomodo (quæso) poterit facultas aliqua animæ ab vna parte potius, quam ab alia proficisci, si vniuersa anima, & illius facultates ex illorũ opinione, in omnib. partib. eodem modo sunt insitæ? Cor primũ viuere, & vltimum mori, eadem ratione conceditur, quod cum viuere in his, quibus vita est data, nihil aliud sit, quam esse nequeat autem sine calore influente à corde esse animal, merito ea pars, quæ autor est caloris, quamq; vltimo calor deserit, prima, & vltima viuere dicetur: verum hoc non probat, virtutem aliquam vitalem à corde in alias partes emanare. Ac vt alibi diligentius ostendimus, cor non est alicuius facultatis in aliis partibus origo, præterquam motus arteriarum; vitalis autem facultatis principium non est: quoniam nec vlla vnquam vitalis facultas re vera poni debet: sed vita ipsa, cum nihil aliud sit, quam permanentia animæ in corpore, tria requirit, nempe animam, corpus ipsum subiectum, & calidum innatum, tanquam vinculum, & instrumentum illorum; quibus omnibus, aut aliquibus ablatis, desinunt viuere, & esse, quæ sunt & viuere dicuntur. Ac vt animam, sicut illi tradunt, nulla pars alteri dat, ita vitæ, aut vitalis facultatis nullum est principium. Cum autem cor dicitur à Galeno vitalis facultatis origo, intelligitur ita esse, quod *calorem gignat, & singulis partibus inferat, motumque det arteriis, & proprium suum habeat, quo naturalis hic calor vitæ ex vita causis cõseruatur, augeturque.* Eadẽ ratione nec hepar facultatẽ aliquam naturalem mittit in alias partes, sed solam materiam, circa quã versantur quatuor naturales facultates dictæ, attractrix, retentrix, cõcoctrix, & expultrix, quæ genito animali, solæ naturales facultates ponendæ sunt: ex illis enim auctio, nutritio, adhæsio, agglutinatio, & aliæ vniuersæ operationes, quæ in nostro corpore obeuntur, nulla peculiari ad hæc opera destinata facultate sequuntur. Sed, vt diximus, hęc alio loco commodius, & diligentius prosequemur. Iam vero illud, quod aiunt, cor ideo esse facultatum omnium animæ principium, quia fons sit, & origo caloris, & spiritus, nec Aristot. opin. nec rationi consonum esse puto. Nam Aristot. animæ facultates à calore passim distinguere solet, & merito, tanquã instrumentum à principio agente: ac temere quidem originem caloris doceret, vbi quæstionem proponit de ortu facultatum animæ; quod quidem illius argumenta euidenter ostendunt: etenim sumit ille probationem à neruorum ortu, quæ nullius quidem esset momenti, si efficere voluisset, cor initium esse sensus & motus, quoniam caloris esset autor. Nam quid ad calorem, & illius fontem conferunt nerui? sumpsisset præterea probandum, quod quilibet agnoscit, & sponte fatetur: cor, inquam, esse, in quo calor influens in vniuersa membra gignitur: sed quoniam sciebat Aristot. eadem argumenta non probare, idem esse principium caloris, quod est sensus, & motus initium, ideo argumenta sumit ex origine instrumentorum sensus, & motus, quæ quidem necessario enasci necesse est ab ea parte, quæ sensum, & motũ reliquo corpori largitur. Accedit, quod ille cor velit esse principiũ, non solum quia omnia nascantur ab illo, sed etiam omnia in illo fiant, & ad illud referantur, redeantque; quod quidem conuenire non potest cordi, si ipsum statuitur esse omniũ istorum principium ob spirituum generationem: qui. n. in secundariis principiis, vt illi volunt, gignũtur, aut elaborantur, nõ amplius ad cor redeunt, sed per vniuersum corpus disperguntur, ad proprias actiones obeundas, ad quorum famulatum sunt destinati. Sumit etiam argumenta ex sanguinea cordis substantiã, in qua dicit primum esse sensum, & ex connexione cum vniuersis partibus sentientibus, aliisq; multis superius commemoratis, quæ omnia ad initium facultatum, nequaquam vero ad originem caloris probandum, conferunt. Et quis, quæso, ridiculus non censeatur? si quæstionem de anima, & ipsius facultatum origine ad calorem transferat? quorsum enim tot controuersiæ de animæ principatu inter antiquiores philosophos, Galenum, atq; Aristot. sunt excitatæ? si Aristot. solum probare nititur, cor esse fontẽ ipsius caloris, in quo nulla vnquam dissensio fuit. Nam vt antea diximus, anima, & illius facultates, à calore, quod est illarũ instrumentum, euidenter, ratione, & natura differunt: alioqui cur per somnũ motus dormientibus non cessat in partib. externis, sicut sensus? cum tamen calor externas partes deserat: & cur dissectis neruis, aut constrictis vinculo aliquo, sensus & motus amittuntur in ea parte, quæ ad cor vergit, eosdem vero retinet ea, quæ cerebro coniungitur? cum tamen æqualem, aut maiorem

Cor quomodo primum viuat & vltimum moriatur.

Cor non esse vitalis facultatis principium. Et cur.

Vita quid requirat.

Facultatis vitalis nullum esse principium.

Cor quomodo sit facultatis vitalis origo.

Hepar quid in alias partes mittat.

calorem recipiunt nerui, qui vicini aut coniuncti sunt cordi, quam alii, qui ab eo versus cerebrum magis recedunt. Nec illud quidem agnoscitur verum esse, quod volunt Aristotelici, calorem & spiritum in corde genitum, idoneum non posse esse instrumentum sensus, & motus, nisi postea nouam quandam alterationem illis inducat cerebrum: nam vt hoc nulla euidenti ratione probare possunt, nec in hac re autorem habent Aristot. qui hunc vsum cerebro non tribuit, vt, inquam, spiritus in corde genitos alteret, sed vt vel ipsius cordis calorem temperet, vel vt vniuersum corpus moderatum, temperatumque euadat, ex contrariis partibus confectum: ita si hoc etiam concedatur, cum eundem calorem & spiritum cerebrum per venas, arterias, inaniaque dicta spatia deorsum transmittere valeat, cur sensus & motus in omnibus neruis etiam constrictis vinculo non seruantur? hoc certe accidit, non quod desit illis calor à corde, vel à cerebro, sed vis à cerebro, quæ per neruos constrictos, vt nec solis radii per nebulam, transmitti nequit. An non etiam hanc refrigerationem spirituum à cerebro hæc refellunt, quod per febres ardentes spiritus omnes sint vehementer accensi, & tamen sensus fiat? At cur cordis calor, & spiritus dicetur requirere mutationem quandam, vt sensus, & motus euadat idoneum instrumentum; aliis vero vniuersis actionibus traditur esse sua natura aptus? sed hæc postea facilius adhuc intelligentur. Verum quoniam præcipuum illorum fundamentum, de origine, & loco facultatum omnium, necnon somni, & vigiliæ sumitur ex generatione, & alteratione spirituum; operæpretium esse duco, hoc loco diligenter rem hanc pertractare, ne ex communi errore, aliena refellere, vel nostra confirmare velle videamur. Id quod non solum nostro huic operi, sed etiam vniuersæ (vt spero) medicinæ lucem maximam afferet.

Cap. V.

De spiritibus.

De spiritibus Aristot. pauca quædam scripsit *in libro de anima, & in problematis*, quæ suo loco commemorabimus: plura Stoici, Galenus, Actuarius, & vniuersi alii Medici, qui Galenum sunt secuti. Ac quoniam non extant Stoicorum libri, ex quibus elicere possimus, qualis fuerit eorum de hac re opinio, Galenum excutiemus, qui, meo quidem iudicio, illos prorsus secutus videtur, dum fabulosa quædam potius, quam rationi, & sensibus consentanea, aliter, quam consueuerit facere, passim de hac re tradit. Quod iam docere aggredior: ne quis putet, nos temere vel ab illo dissentire, aut eum sequi velle.

Solet Galenus dicere, quosdam in corpore esse spiritus, & nostram substantiam ex illis constare, sed nusquam id probat: ponit & genera quædam spirituum esse in corpore, verum quot, & quæ illa sint, nequaquam docet: tribuit etiam singulo generi spirituum certas facultates, quas ostendere nequit: illud quoque apud multos dubium est, si huiusmodi aliquis est spiritus,

A quidnam ille sit, qualis illius natura, vis & proprietas: quæ omnia ex variis libris, in quibus de hac re agit, facile ostendere possum: sed illud primum docendum, quod postulat ipsa tractatio, an spiritus aliquis in nostro corpore sit. De qua quidem scribit Galenus *multis in locis*: nam *in Aphorismo decimoquinto libri primi* statuit tria esse, quæ complent substantiam nostri corporis, spiritum, sanguinem, & seminalem humiditatem: quo etiam loco ait, spiritum, & sanguinem esse natiuum calidum, quod ad interna viscera in aere frigido se recipit: *libro* vero *quinto de simplicibus*, vbi de supputantibus medicamentis tractat, scribit, spiritus contineri in omni parte corporis, præsertim in spaciis vacuis.

An spiritus in nostro corpore sit.

Opinio Galeni.

B Refert *libro primo de differentiis febrium* locum ex Hippocra. qui dicit, corpus constare ex contentis, continentibus, & impetum facientibus, vbi impetum facientia spiritus interpretatur.

Sunt & alii similes loci, in quibus omnibus ponit, nostrum corpus partem suæ compositionis ab his spiritibus capere; sed id statuit tanquam legislator, nulla adhibita probatione, quę id suadeat. In eo etiam à seipso discrepare videtur, quod dicat, corpus nostrum, nostrasque facultates constare, nunc ex quibusdam rebus, nunc vero ex aliis: nam *duodecimo libro Methodi*, vbi de syncope tractat, scribit, virium substantiam in spiritibus, & partibus solidis consistere:
C *alibi* vero, vt ex *locis citatis* patet, addit humores. Hunc autorem secuti reliqui omnes Medici fatentur spiritus in nostro corpore esse, & eos quidem magnarum rerum authores, sed nullus nititur probare, quod nec per se notum est, nec ex Galeni libris demonstrari potest. Nam cum illo (vt postea ostendemus) censeat, omnem spiritum, qui in animalibus est, vitalem esse, vel animalem, vel naturalem; nullus autem ex his esse possit, obstat profecto ex illius opinione nullum in nobis spiritum esse posse. Nec illud quidem, vt quidam tradunt, hoc satis probat, quod animalium corpora accendi & comburi possunt: id enim ostendit aeream substantiam, ex qua flamma fit, non autem spiritum, qui peculiarem
D quandam naturam habeat, sitque animæ instrumentum, & omnium actionum, multarumque aliarum rerum, quas illi tribuimus, autor, in nobis contineri.

Refutatio.

Nos vero putamus melioribus rationibus doceri posse, esse hos spiritus: id enim imprimis docet mors, quæ educto solo spiritu per vulnera corporis, sequitur: nam vulnerato thorace moritur homo, etiam si nihil vel minimum certe alterius substãtiæ à corpore exeat, solo exhalante spiritu: nec putare quidem oportet, id fieri, quod per vulnus frigus, vel calor in corporis viscera sese insinuet; quæ ob intemperiem hominem perimant: quandoquidem licet in aere tepido, nostroque calori simillimo corpus vul-
E neratum collocare, vbi intemperies, quæ alicuius sit momenti, timeri nequaquam potest: quod si expirat vita abeunte spiritu, patet profecto, nos ex spiritu constare, siquidem ex illis constat quælibet res, in quæ dissoluitur. Docet idem expiratio, quæ spiritum emittit in corpore genitum, & inspiratio, quæ aerem immittit ad congenerem substantiam temperandam,

Rationes [illegible] quod in corpore nostro spiritus sint.

Cur homines, vulnerato thorace, moriantur.

dam, & fouendam necessarium: nec putare quidem oportet, halitum, qui à corpore exit, simplicem aerem esse: quandoquidem crassior ille est, quam aer, & ex materia gignitur ex vniuersis elementis composita: Est ergo ille spiritus, qui continetur & exit à nostro corpore. Licet hoc quoque probare ex principiis nostris: plurimum enim spirituosæ substantiæ in semine contineri, certissimum est, & ab Aristotele demonstratum. Præterea vbi humor, & calor est, necesse est exhalationes fieri; quæ cum in nostro corpore sint, oportet quoque continuo fieri spirituum generationem. Ad hæc cum calore sit opus ad omnes vitæ functiones obeundas, ille autem à fonte quodam oriatur, nequit profecto in vniuersum corpus spargi absq; subiecto. Ac cum videamus, momentaneas sæpe fieri caloris motiones, necesse vtique est, ei subiici materiam aptam ad huiusmodi motus, qualis nulla alia esse potest, quam spirituosa substantia. Nonne id quoque testatur substantia virium nostri corporis, quæ dissoluitur, & restituitur? nouimus enim per vehementes dolores, & in animi defectu labi vniuersas functiones, necnon per timorem, lætitiam, erubescentiam, febres, repente fieri caloris contractiones: quod non potest contingere, nisi afficiatur aliquid, quod subito pati potest, cuiusmodi nihil esse potest, quam spiritus, quid (quæso) per odores accedit corpori, cum vires ruunt, nisi quod spiritus restituitur ex spirituosa substantia inspirata. Hæc ergo ostendunt, in nostro corpore necessariam esse spirituosam substantiam.

Cap. VII.

Quid spiritus sit.

Sequitur, vt doceamus, quid sit, & qualis natura huiusmodi spiritus, atque id quidem tanto diligentius, quod multa sunt in hac re excogitata, & tradita fabulosa: quidam enim, inter quos est Fernelius, cum admirabiles viderent spirituum effectus, eorum substantiam non corpoream, neque ex elementis, aut alio, quod habeat inferior hic mundus, natam, sed diuinam, & cælestem esse, memoriæ prodiderunt. Vnde illi definiunt spiritum esse corpus æthereum, caloris sedem, animæ & corporis vinculum, primumque actionum instrumentum: quam quidem opinionem multorum testimonio, & aliis rationibus se comprobasse putant. Aiunt enim, Academicos tradidisse, animum cælestem, & diuinum coniungi non posse cum corpore mortali, & terreno, nisi intercedente aliquo medio, & vinculo. Propterea illum prius, quam migret in corpus, duplici veste indui, quarum vna est ex corpore quodam illustri, puro, & astro simili, quam immortalem, & inseparabilem ab ipsa anima esse volunt; aliam autem dicunt ex tenui quidem & simplici, sed impuriore, & obscuriore materia, nimirum ex ipsis elementis; non vt aliam ab ipso rerum conditore procreatam, & contextam: quibus quidem corporibus iam vestitum, & munitum animum descendere de cælo, & corpori coniungi. Idem aiunt sensisse Aristotelem *libro de generatione*, vbi scribit, in semine spiritum, in spiritu naturam contineri, quæ proportione respondet elemento stellarum. Addunt, ipsius substantiam ex arteriarum cordis, & cerebri cauitatibus demonstrari; quæ cum temere à natura nequaquam sint factæ, necesse est in illis contineri, non crassam aliquam substantiam (quippe cum nulla vnquam huiusmodi appareat) sed pertenuem auram, dum animal viuit, quæ eo mortuo nequaquam conspici potest. Huius quoque gratia aerem inspirari, non solum ad refrigerationem corporis, sed maxime ad pabulum & nutrimentum spirituosæ huius substantiæ, quam quidem ex eo etiam ostendi aiunt, quia nostra corpora inflammantur; hoc enim fieri non posse, nisi in illis tenuis, & incertus aer esset; qui materia, & pabulum est flammæ. Afferunt alii, nescio, quæ de triplici humore, oleoso, alimentoso, & aqueo, ac ex oleoso spiritum ali, sustinerique; eum.n. humorem aereum esse & ipsius spiritus, innatique caloris fundamentum, eundemque sensum omnem effugere viuentibus datum, suamque originem ex semine trahere, & tandem ipsum esse humidum primogenium siue spiritum, siue insitum calorem.

Sunt alii, vt Montanus, qui his non contenti, nescio, quid admirabilius, ne dicam fabulosius, de natura spirituum tradunt: aiunt enim ipsius substantiam esse perspicuam, lucidam resplendentemque; contra quos pauca dicere aggredior.

Montan.

Igitur qui diuinam, & cœlestem, neque ex elementis spirituum substantiam constare volunt, credere quidem id, si velint, sed nequaquam probare possunt. Nam cum illum nutriri & conseruari velint, ex qua, quæso, materia id fiet? An ex materia ætherea, & cælesti, & quo pacto quod cæleste est, nutrimento eget? perinde enim est ac si dicamus, cœlum, aut sidera cibo egere. Ac cum illi fateantur, huiusmodi substantiam aere refrigerari, nutriri, in flammam mutari & oleoso humore sustineri, quem aereum esse statuunt, necesse est, ex inferiore hoc mundo eam constare. Mirum enim si quod æthereum est, & cæleste, ignem concipiat, aut ex elementis foueatur, aut refrigerationem, vel nutrimentum capiat. Ponunt ergo illi diuinum cælestemque esse suum spiritum, quem ex tractatione postea ostendunt esse aereum, & sicut alias substantias, quæ in corpore sunt, ex elementis conflari. Nec illud quidem magnopere curo, quod afferunt ex Academicis, animum duplici spiritu, quasi duplici veste indui; vno ab ipso conditore procreato, alio ex ipsis elementis confecto: nam vt illos oportebat autores citare, quorum autoritate nituntur, ita aliena sunt à philosophia, quæ quilibet temere fingere potest. Aristotelem fatemur quidem voluisse in semine, & spiritu naturam contineri diuinam, sed quid hoc ad ipsum spiritum.

Refutatio Fernelii.

Est enim in ipso semine, & spiritu vis formatrix, quæ animal gignit eiusdem naturæ cum parentibus, quæ *plane diuina est*, *& ex elementis nequaquam constare potest*, sicut nec anima ipsa. Est in corpore viuentium aliquid diuinum

Vis formatrix in semine qualis sit.

Opinio Fernelii.

nempe anima, sed propterea non fit, vt corpus vniuersum, quod viuit, aut pars corporea, quæ in eo est, ex cælesti materia sint confecta: Aliud est ergo agere de semine, & spiritu: aliud de eo, quod in illis est; hoc diuinum, & cæleste esse potest, cum in illorum substantia, & corpus semenque ipsum, & spiritus dicantur esse corpora cõflata ex elementis, si modo in nobis gignuntur ex sanguine, & alimento, quod non aliunde paratur, quam ex aliis rebus pariter ex elementis constantibus. Addo, quod cum illi ab initio duos hos spiritus statuissent esse in viuentib. quicquid postea dicunt, illud de aerea substantia & eo spiritu, quem ex elementis confici aiunt, solum intelligi potest, tanquam temere posuerint alium spiritum cœlestem, & diuinum. Cæterum quod afferunt de cerebri, & cordis cauitatibus, non ostendit necessariam esse quandam spirituum generationem: quandoquidem ad alios vsus natura corporis partes concauas, aut solidas creat, vt docent ventriculi, vteri, vesicæ, venarum, & multarum aliarum partium sinus: aut si concedimus, cordis, & cerebri ventriculos comparatos esse, & à natura confectos, vt spiritum contineant, non tamen ob id fit (quod illi probare nituntur) vt huiusmodi spiritus sit æthereus, cœlestis, & diuinus: id enim solum docet aeream esse illius substantiam, quæ mortuo animali suapte natura in congenerem ambientem substantiam euolat, euanescitque. Absurdum vero est credere, ex aere inspirato nutriri spirituosam eam substantiam, quæ in nostris est corporibus: nam vt nihil nutritur, quod non viuit, ita cum spiritus hic ex subiectis humoribus gignatur, nequit profecto ex solo aere regigni, aut ali. Quæ vero dicuntur de triplici humore, oleoso, alimentoso, & aqueo, antea refellimus. Quod si illi volunt ex oleoso spiritum nutriri, & sustineri, non erat, quod ad eosdem vsus aerem inspirare dicerent. Refellunt etiam illi suam opinionem ex propria tractatione, dũ spiritum hunc dicunt nunc duplicem esse, postea vero de vno solo mentionem faciunt, nunc esse diuinum, nunc æthereum, nunc aereum, aliquando insitum calorem, aliquando calidum innatum, aliquando humidum illud oleosum, aliquando vero non esse hæc, sed in ipso humore spiritum hunc consistere, aliquando vero ex omnibus conflari id, quod dicitur esse calidum innatum: illi enim vt qui mala posuerunt in ea re fundamenta, postea multa dicere coguntur, quę inter se nequaquam cohærere agnoscuntur. Præterea illos docere oportebat, an vtrumque spiritum in definitione comprehenderent, aut alterum, & quem sane ex illis, qué præterea velint esse animæ, & corporis vinculum, an eum, quem dicunt ferri à corde per arterias in vniuersum corpus; an alium, quem in singulis membris ex semine natum esse volunt: nequit enim in eo, quod quotidie gignitur, animæ vinculum & sedes collocari: quod tamen instrumentum omnium actionum esse agnoscitur. At si de eo, qui in singulis membris est, intelligitur definitio, illud ei non conueniet, quod sit instrumentum omnium actionum: quandoquidem illud nequit esse vehiculum caloris, qui à corde per arterias spargitur. Nec potest quidem vterque spiritus, qui diuersos vsus habet, diuersamque originem, sedem, & materiam, ex qua gignitur, ea definitione comprehendi. Est quidem spiritus influens à corde, vt postea ostendemus, animæ instrumentum, quo illa vtitur ad suas functiones obeundas: In eo vero, qui in singulis partibus insitus est, residet anima, vt in alia cum eo mista substantia, tanquam in eo, quod pars est corporis: Non enim magis aerea, quam ignea, aut terrea, vel aquea pars, potest debet, vt vinculum sit, & sedes ipsius animæ: quandoquidem *in singulis partibus insita est anima & ex eis viuit tamdiu, quod vita est præditum, donec constat temperies, & manet concordia inter elementa, influitque calidum à suis fontibus.*

[illegible] Qui vero spiritum substantiam lucidam, & splendidam esse statuunt, videntur mihi in hanc opinionem venisse, quod cernerent, angelos, aliaque diuina numina, cum splendore quodam, & lumine à pictoribus repræsentari, eaque audiant spiritus esse, & vocari à Theologis: adeo vt postea putent, simile esse debere, quicquid in nostro corpore spirituosum est. Hæc pulchra quidem videntur, admirationemque pariunt mulieribus & pueris: sed re vera nugæ sunt, & indigna, vt proferantur, tantum abest, vt literis mandari debeant: nulla enim ratione constant, nec alio modo probari possunt. Quapropter Galenus *libro sexto de vsu partium*, non ex figmentis, & fabulis Stoicorum, nec ex eo, quod vulgus veluti per manus à maioribus accepit, sed ex eo, quod conspicuum est, spiritus definitionem tradit: dicitque esse *exhalationem quandam, quæ ex benigno sanguine assurgit*: nimirum definiens, quod in nostro corpore apparet: est enim talis substantia, quæ per expirationẽ emittitur, quæq; vulnerato corpore exhalat, ac moriente homine expirat, definitque trahi, & emitti.

Spiritus quid secundum Galenum.

Verum in hoc notandum est, Galenum non omnem spiritum definire, sed solum influentem à corde in singulas partes: est enim alius insitus membris, ex primis principiis, de quo postea: definit etiam ille bene affecti hominis spiritum, cum ait, illum esse benigni, & optimi sanguinis exhalationem: aliis tamen non deest suus spiritus, qui deterius sunt affecti, donec viuunt. Quapropter definietur communi omnibus definitione spiritus esse *vaporosa substantia, qua nostrum corpus constat, aut vtitur ad vniuersas actiones obeundas.* Sed melius postea illius substantia patebit.

Quid secundum autorem.

CAP. VII.

De generibus spirituum.

DE generibus, & numero spirituum, quæ multa, & varie sint tradita à Galeno, reliquisque Medicis, omnibus constare puto, & ego nunc facile docere possum. Nam Galenus *duodecimo Methodi* habet, duplicem esse in nobis spiritum, vnum, quem vocat animalem, alium vitalem: dubitat autem de tertio spiritu, quem naturalem vocat. Nam, inquit, si naturalis aliquis est spiritus, ille [illegible]

Quot genera spirituum secundum Galenum.

in hepate, & venis contineretur. Ex quo quidem loco quidam, inter quos est Manardus, eo sunt adducti, vt prorsus negent ex Galeni opinione aliquem esse naturalem spiritum. Quanquam tamen Gal. *alibi* tertium quendam spiritum ponat, qui cum nec vitalis, nec animalis nuncupetur, non aliter, quàm naturalis dici poterit. Nam 5. *lib. de simplicibus*, cum dicit, spiritum quendam innatum in omnibus animalis partibus cótineri, atq; eum non esse vbiq; similem, veluti nec sanguinem ipsum, esse tamen vtilem ad naturalia opera, ostendit se apertè significare naturalē spiritum. Ad hæc *secundo de placitis Platonis & Hippocratis* addit ex Hippocratis opinione præter vitalem, & animalem, tertium alium spiritum, quem materialem vocat, sicco & humido nutrimento respondentem. Addo quod 7 *libr. eiusdem operis* ponit, esse spiritum quoque in plantis, sine quo illæ generare, suosq; partus edere nequeunt. postremò ad quem alium, quæso, spiritum, præterquàm ad naturalem referri illa possunt, quæ habet *aphor. 15. primi, & passim in aliis locis?* nostrum, inquam, corpus & singulas partes constare ex spiritu, sanguine & seminali humiditate. Nam cum res constet ex his, quæ statim in ipso ortu accipit, insitaque habet, nequit profectò aliquod componi ex vitali, aut animali spiritu, qui quidem insiti nō sunt membris, sed à certis fontibus emanare, & spargi per corpus dicuntur. Itaque conuincitur Galenus ex sua tractatione ponere tria spirituum genera: nec ex vno loco, in quo solum de eo dubitat, aliquis colligere debet, nullum ex illius opinione naturalem esse spiritum. Porrò de his spiritibus multa sparsim ab eodem autore traduntur, quæ à nobis referenda sunt, vt quid de vnoquoque sentiendum sit, intelligere possimus. Scribit igitur *lib. sexto de vsu partium*, animalem spiritum in cerebri ventriculis contineri, & esse exhalationem quandam benigni sanguinis, ex quo alimentū capit: *septimo* verò *eiusdem operis lib.* ita habet: *conficitur animalis spiritus in plexu retiformi; perfectissime vero, & vltimo in cerebri ventriculis.* At *libro octauo* inquit, in duobus anterioribus ventriculis, & non solum quidem in ventriculis ipsis, sed etiam in vniuerso corpore cerebri eundem contineri. *Nono libro* eum ex vitali generari, qui per arterias sursum fertur, scribit: *libro* verò *tertio de placitis*, cum dicit esse Stoicis animæ essentiam, sibi verò primum animæ instrumentum, contínerique in cerebri ventriculis, vel forte etiam inquit aliqua ex parte gigni in venis, quæ ad ventriculos pertinent: maximum tamen & præcipuum ortum illi suppeditare arterias, quæ reticularem plexum constituunt. Ac *septimo libro eiusdem operis*, pronunciat, verisimile esse, hunc in cerebro contineri, quia id ostendit huiusmodi plexus, quem etiam *in libro de vsu partium* tradit, non alia ratione esse factum à natura, quàm quod animalem spiritum conficiat: adeo vt ex hac parte, quæ alium vsum illius opinione habere non potest, necessarium sit ponere hunc spiritum animalem. Cuius quidem temperiem *septimo de placitis* maximè aeream, postea igneā esse commemorat. *In libro de elementis* eum esse nunc exactè purum, & æthereum, aliàs humidum, & turbidum, veluti nebulam, & nunc multum, nunc paucum statuit esse. *In libro duodecimo Methodi* prouenire de animali spiritu euidentem esse demonstrationem. Cæterum *in libro secundo de locis affectis* ita habet: *spiritus, qui in ventriculis cerebri continetur, primum est cerebri instrumentum, tum in sensilibus actionibus, tum in voluntariis: continetur autem maxime in postremo ventriculo, quamuis non contemnendus sit medius ventriculus. Libro 8 de vsu partium* commemorat confici, & concoqui in plexu retiformi hunc spiritum, qui vbi confectus est, statim, inquit, in cerebri ventriculos incidit, suo impetu sursum elatus. At *decimo libro* spiritum, qui ad oculos fertur, lucidum esse dicit. *Septimo* autem *de placitis*, per vulnera cerebri sensu, & motu priuari animal scribit; quoniam scilicet animalis spiritus vacuatur: quo loco vitalem eum esse dicit, qui in arteriis continetur, animalem verò, qui in cerebro, huncque ex vitali fieri, diffundique per vniuersum cerebrum, ac illius portionem, cum ad oculum venerit, lucidam fieri, & visorium spiritum vocari: tametsi *vigesimo septimo textu quarti commentarii sexti de morbis vulgaribus* scribat, spiritum luminosum ex cerebro ad oculos plurimum deriuare, ita vt lucidus, & luminosus à cerebro mittatur: *In textu*, verò *quinto quinti commentarii eiusdem operis*, sic habet: *Aristotelis & Platonis mos est, animam vocare, qua animalia, & plantæ gubernantur: Stoicis vero naturam, qua stirpes reguntur, animam verò qua animalia: vtriusque vero substantiam innatum esse spiritum: differre tamen inter se hos spiritus qualitate, arbitrantur: nam sicciorem animæ spiritum, humidiorem esse naturæ: vtrumque autem vt permaneat, non alimento solum, sed etiam aere indigere: respiratio enim ingenitæ caliditatis moderationem seruat, cibus vero substantiam dissolutam resarcit: est*, inquit *tertio textu sexti commentarii sexti de morbis vulgaribus*, *causa generandi spiritus animales, & vitales, respiratio.* Scribit præterea *in primo de causis symptomatum*, spiritum hunc animalem, prout est purus, & veluti æthereus, aut nubilosus, aut multus, vel paucus, facere, vt quis melius, aut deterius, aut distantius, vel propius videat. Habet & *decimo libro de vsu partium*, vitalem spiritum in arteriis, & corde gigni, materiamque sumere ad sui generationem ex inspiratione & humorum exhalatione. Sunt & alii loci his similes in Galeni lib. vbi de spiritibus agit, quos quilibet videre potest, & intelligere, quid de hac re ex illius opinione sit sentiendum: & nos posteà quid conueniat de eadem arbitrari indicabimus. Nunc verò operæprecium esse duco, ea subiicere, quæ alii præcipui autores de generibus, & numero spirituum memoriæ prodiderunt, ne quid relinquatur in hac re dubium, aut intactum, quod studiosis placere possit.

Opinio Actuarii.

Scripsit Actuarius librum integrum de spiritibus, sed quàm rectè quilibet videre potest: nam non solum à Galeno, & reliquis antiquioribus dissentit, sed etiam suam opinionem nullis prorsus rationibus comprobare nititur. Quod quidem scribendi genus quis probare potest? Gal. vt antea ostendimus, duos vel ad summum tres spiritus ponit, naturalem in hepate, vitalem in corde, & arteriis, animalē in cerebro; ille verò,

alium fieri in ventriculo, alium esse lucidum, & luminosum in oculis, alium humidum in lingua, alium vaporosum in auditu, & odoratu, alium terreum in tactu, alium sensilem, alium intellectualem & deniq; in omni actione, & parte peculiarem quendam spiritum ponit.

Montani.

Ex recentioribus verò Montanus *in Auicennam capite de membris*, triplicem ponit esse spiritum in corpore, quorum vnum communissimũ esse dicit & spiritum complantatum, & ethicum hunc appellat, qui in metallis, & animalibus est: eundem dicit esse calorem cõplexionalem, qui scilicet potentia est calor, & actuatur à calore influente à corde in animalibus: alius, inquit, est spiritus, qui tantum est in animali, à corde emanans, actum dans, & vitam vnicuique membro, propterea vitalis esse dicitur: tertium statuit esse animalem omnium perfectissimum in arteriis contentum, & per illas fluentem, quemq; philosophi in corde, Medici tantum in cerebro generari scribunt. Porrò naturalem spiritum idem esse cum calore innato putat ille ex Galeni opinione, sola autem ratione inter se discrepare: tunc enim vocari calorem naturalem, quando concoquit distribuitq; alimentum, aut alias huiusmodi operationes exercet: spiritum verò tunc dici, quando palpitat, & mouet. Solet etiam hic aliter spiritus distinguere, vt videre est *in capite de elementis in primam Auicennæ*; duplicem enim ait esse spiritum, vnum, qui pro aere impellente, & expellente, necessariò ad operationes sumitur; alium qui, vt ait, pro impellente & expellente, non concernente aliam qualitatem, capitur, diciturq; esse substantia aerea, quem quidem spiritum crassiorem fieri ob aquæ partes, quas capit; humectari verò ab aere attracto, & ab humore pulmonis: eundem refrigerare cor, & calorem innatum. Addit etiam ille *eo loco* alium spiritum, quem dicit habere tanquam subiectum illum, quem propellentem, & expellentem vocauit. Cæterum spiritus propellens, vt ait, aliquando intelligitur vna cum calore naturali: qui quidem per se intellectus, non est substantia, sed qualitas cõplexionalis: hunc verò calorem naturalem, & (vt vocat) complexionalem ait valde similem esse aeri, & proportionalem calori cœlesti; quidum vnitur spiritui propellenti, tum ipsum spiritum fieri nobiliorẽ, animalem, inquam, vitalem, & naturalem, ponereque in actu calorem complexionalem, in membris existentem in potentia: eumq; vocari iam vitalem spiritum, non propellentem, aut expellentem: diciq; etiam spiritum animalem, quando in cerebro depuratus exercet animales functiones: vocari verò ethicum, & naturalem, quando seruit naturalibus actionibus: idemque esse calorem innatum, & hunc spiritum, sed solum ratione differre, quatenus scilicet mouet, & agitur, aut concoquit, vel aliud facit, quod calori, aut spiritui tribuitur. Alia tradit ille *passim in suis operibus*, toties inter se discrepantia, quoties de eadem re tractat.

Fernelii.

Fernelius (vt diximus) spiritum ponit quendam diuinum ex cœlo, diuinaq; substantia, immortalem, & sempiternum, inhærentem, inuoluentemq; animum; alium verò impuriorem, minus illustrem, & splendidum ex tenuiore elementorum permistione concretum. Porro spiritum hos dicit esse specie, & substantia diuersos in carne, osse, cartilagine, neruo, denique tantum inter se differre, quantum partes ipsæ natura, & temperie inter se dissident. Verum partes, quæ principatum in corpore obtinent, præpotentem habere spiritum, quem per certos canales in singulas partes continuo mittunt, eo aliingenitum singulis membris spiritum: vocari autem tres illos spiritus à tribus fontibus emanantes propriis nominibus, nempe vitalem, qui à corde per arterias spargitur; animalem, qui à cerebro per neruos in subiectas partes descendit; tertium ab hepate per venas influere tanquam vehiculum naturalis facultatis: permittit etiam ille, vt testes (si quis velit) addat, à quibus quartus quidam spiritus in alias partes mittatur, quasi nihil conferat ad aliarum rerum tractationem, firmare, quid de hac re sit sentiendum. Cæterum naturalem spiritum ait fieri in hepate, ex puriore, & aerea alimenti portione: ex ea enim per coniunctionem gigni sanguinem tenuiorem, qui vaporis speciem referens, vim accipit ab ingenito iecori spiritu: sitq; ita naturalis spiritus, qui postea per venam cauã in cor deductus, & accuratius elaboratus, attenuatusq; caloris vi mutatur quasi in aeris speciẽ, postea; à dextro ventriculo cordis in sinistrum per arctissimos meatus transsumptus, temperatur ab aere per pulmonem attracto, materiaq; tandem fit, cui calor & vis vitalis conceditur, spiritusque vitalis iam vocatur, ac spargitur per arterias in vniuersum corpus: huius portionem per ceruicis arterias ad cerebri basim ascendere, & in admirabili plexu mitigari, deinde in cerebri ventriculos per contextum choroidem appellatum ferri, vbi accepto fomento, & incremento ab aere attracto per nares, & vi, proprietateque à spiritu ingenito ipsi cerebro, euadit spiritus animalis planè æthereus, sicut vitalis aereus, & naturalis vaporosus esse agnoscitur.

Hæc & similia illi doctissimi quidem viri, sed (vt arbitror) inueterata opinione, & Græcorum authoritate nimis persuasi, à communi hoc errore se nequaquam liberare potuerunt: quibus tamen multum certè tribuo, quod illi nobiscum medicinam nostram liberè docere, & singula, quantum assequi possunt, ad rationem reuocare, omni studio nituntur. Sed ne videamur temerè tãtos viros damnare, quos maximi semper feci, iam iam meas rationes afferre aggredior: quibus & illi, & alii veritatis studiosi intelligere possint, quid tandem de hac re sit sentiendum, collatis inter se nostris argumentis, aut melius excogitandum, si nondum videbimur tantis laboribus veritatem assecuti.

Cap. VIII.

Expenditur eorum opinio, qui plura genera spirituum in corpore ponunt.

Refutatio opinionis Gal. de spiritu animali.

GAleni opinionem de generibus spirituum multa sunt, quæ faciunt, ne recipere possim: primum enim non probat, aliquem spiritum esse, quo corpus nostrum, sicut ex humoribus, & partibus solidis constet. Deinde si aliquis est huiusmodi spiritus, non docet rationem, quæ cogat nos illum distinguere debere

in genera

in genera quædam, & naturas diuersas. Ad hæc in numero generum, vt satis patet, non sibi consentit. Nunc enim dubitat, an tres sint spiritus, an duo duntaxat. Præterea statuit, & nulla ratione probat, eos esse, quos ponit: ait enim *duodecimo Methodi*, euidentem esse demonstrationem de spiritu animali, de vitali verò non item, sed rationi esse consonum, vt illum recipiamus. Dicat, quæso, ille, aut alius, quænam sit illa euidens demonstratio, quam dicit esse de animali spiritu. Ego enim cum omnes illius libros excutio, nullam aliam video, quàm quæ ex plexu retiformi sumitur: *quoniam enim*, inquit ille, *natura nihil frustrà facit, necesse est, vt ad aliquem vsum sit factus mirabilis ille plexus, qui ex arteriis multis variè inter se complicatis in capite hominis apparet. At nullius*, inquit, *alius potest esse vsus, quàm vt in eo spiritus animalis gignatur, & conficiatur.* Sed quis demonstrationem hanc, quæ ex falsa re procedit, probare potest? nam nullum esse huiusmodi rete mirabile, vt vulgus vocat, testantur anatomici periti, qui in brutis, bobus præsertim, obseruarunt simile aliquid esse ei, quod scribit Galenus; in homine vero nihil tale reperiri. Sunt, qui arteriam fortasse vnam, vel duas, aut venæ vel membranæ portionem ostendant in cerebro pro illo plexu Galeni. At illi interim ignorant, eum authorem rem descripsisse admodum euidentem, quando dicit, *ex arteriis propemodum infinitis, aut certè plurimis, & maximis sibi multis modis implicatis*, plexum hunc constare. Quod si homo eget tali spiritu ad actiones principis facultatis obeundas, quibus ille cæteris animalibus præstat, oportet profectò obscuriorem esse in brutis hunc plexum, vtpotè quæ tanta puritate, & elaboratione horum spirituum ad suas functiones peragendas nequaquam opus habeant. Sed demus esse hũc plexum, an propterea dicemus illis fieri spiritum aliquem, natura & vsu diuersum ab alio, qui in reliquis partibus continetur? Non enim sequitur, fieri spiritum, vbi reuolutiones vasorum à natura sunt fabricatæ; sed satis est, si dicamus, diligentius elaborari vniuersam materiam, quæ in illis continetur, eo modo, quo idem author docet, vasa spermatica circa testes mirificè circumuolui, non vt illic gignatur spiritus aliquis, qui peculiare nomen, peculiaremque formam recipiat, sed vt sanguis, qui semen fieri debet, ob loci angustiam diutius in via hæreat, & mora melius concoquatur. Vt igitur hæc implicatio vasorum non habet eum vsum, sic ille non debet plexui suo tribuere aliquid peculiare, quod in aliis nequaquam conceditur. Sed cur natura in corde quasdam reuolutiones vasorum non fabricauit ad vitalium spirituum generationem? si enim illa huiusmodi retia contexere solet, vbi procreare vult animalem spiritum, cur idem non fecit in omni alio spiritu? aut si vnum gignit absque illis plexibus, cur idem non potest in aliis præstare? An non etiam illud arguit commentum de spiritu animali? quod de materia, ex qua gignitur, & loco, in quo conficitur, author ille tantopere à seipso discrepat: nam tradit, nunc ipsum ex vitali spiritu, nunc ex aere inspirato, nunc ex sanguine gigni, cum scribit, eum esse exhalationem quandam benigni sanguinis, nunc verò ex ipso sanguine nutriri: sunt enim hæc inter se diuersa: ac mirum est, quo modo ex aere inspirato possit ille fieri, quem dicit esse igneæ & aereæ substantiæ, ex eoq; constare corpus, & illum in reticulari plexu confici: quo enim pacto aer inspiratus ad eum plexum ferri potest? quomodo constare corpus ex eo aere, qui trahitur per nares, genito iam animali, & in ipso aere viuente procreari dicitur? necesse enim est partem esse corporis id, ex quo illud constare ponitur: at pars nequit esse, quod post ortum corpori additur. Qua ratione etiam potest igneæ esse substantiæ, quod in vẽtriculis cerebri, vbi frigus exuperat ob partis frigidæ temperiem, generatur, præsertim si substantiæ suæ partem capit ab aere externo? Et quo modo intelligi potest igneæ & aereæ esse substantiæ, si ex solo aere, vt ille vult, aliquando gignitur, aliquãdo verò ex ipso sanguine? Quod si animalis spiritus est exhalatio benigni sanguinis, quid erit vitalis, & naturalis? quænam inter illos differentia ex materia sumi poterit? Quid porrò incertius eo, quod scribit de loco, vbi gignitur hic spiritus? nam aliquando eum in plexu illo suo retiformi contineri, & fieri, aliquando in ventriculis cerebri, illisq; anteriorib. duobus, nunc in medio, nunc in postremo, nunc fortè inquit etiam in venis, quæ ad ventriculos pertinent, & non solum quidem in ventriculis, sed etiam in vniuersa cerebri substantia fieri, & contineri tradit: vt enim is, qui ostendere non poterat, esse hunc spiritum animalem, ita incertus erat de loco, vbi ille consisteret. Sed dicat, quæso, qua ratione velit animalem fieri in plexu reticulari? nam cum ille plexus totus ex arteriis constet, absurdum est, vniuersum alium spiritum, qui in reliquis arteriis continetur, vitalem esse putare: eum verò solum, qui in eo plexu est, diuersæ naturæ, & animalem fieri. Sicut n. suum pulsum, omnemq; aliam vim sibi insitam vbiq; retinent arteriæ; ita quicquid in illis gignitur, eiusdem naturæ & facultatis esse oportet. Ac longè quidem adhuc absurdior videbitur illius generatio, si illum dicamus in venis pertinentib. ad ventriculos cerebri contineri: quid enim differet ille à naturali? quorsum admirabilis ille plexus erit factus? si abiq; illo, arteriarumq; actione in venis elaborari potest. Tradit & illud quoque substantiam animalis spiritus, nunc crassam, nunc tenuem, & lucidam esse; qua quidem in re concedi potest, quod crassa sit vel tenuis, ob differentiam materiæ, ex qua gignitur, & agentis vim validiorem, aut imbecilliorem, sed quod lucidus sit; quo pacto probare potest? vnde enim lumen, vnde splendorem accipit? an fortè propterea, quod in fricatione oculorum splendor quidam elicitur & circa illos obseruatur? dicemus id fieri, quia spiritus, qui ad eos veniunt, lucidi sint: id enim, vt rectè scribit Arist. *in lib. de sensu & sensibil.* ob aliam rationem accidit. At non solum id reprobat spiritus hos animales, quod eos nũc luminosos in cerebro gigni, nunc tales in oculis fieri, pronunciet: sed illud etiam, quod de illorum vi, & vsu nihil certum statuere possit. Nam eos dicit aliquando esse animæ affectum, aliquando eiusdem instrumentum. Etenim absurdum est, vt rectè docet Aristot. credere animam esse spiritum: quippe cum

Rete mirabile in capite humano nõ reperiri.

Animam nõ esse spiritũ, sed corporis formam.

anima forma sit corporis: spiritus verò forma esse nequeat. Iam verò si spiritus hic animalis est animæ instrumentum, contineturque in cerebro, cur perpetuo non fiunt sensationes, cogitationes, & aliæ principes actiones? est enim in cerebro insita semper anima agendique vis, & vbique suppetunt obiecta, quæ sensus, & alias animæ facultates mouere possunt. Quod si instrumentum non deest, nunquam profectò cessare deberent illæ actiones, ad quas in se edendas, cerebrum est comparatum. At cum videamus, hominem assidue sentire, & cogitare non posse euidens est id argumentum, non esse animalem aliquem spiritum, qui illic perpetuò resideat, aut longam, & propriam elaborationem postulet vt talis fiat: nimirum cum minimo temporis momento, sicut in somno & vigilia apparet, sensationes fiant, desinantque fieri. Quod si animales functiones ostenderent, se opus habere hoc spiritu, nec illas cum alio obiri posse, hoc sufficiens esset argumentum eius, quod in hac re statuit: sed cùm ille nusquam id ostenderit, imò *in primo libro de locis affectis, cap. vlt.* scribat, naturalibus instrumentis insitam esse suam vim, animalibus verò eam immitti, tanquam radios solis absque substantia aliqua, nihil est profectò, quod nos cogat hos spiritus animales recipere: nam si animalis spiritus autor est actionum, quæ ab animali facultate proficisci dicuntur, necessè vtique erit, vt ille vna cum facultate feratur ad partes infimas corporis, quæ mouentur, & sentiunt, nam quo pacto seruire poterit illis actionibus, si ad eas partes, à quibus nerui nascuntur, nequaquam perueniet? quod si fit, descendet igitur spiritus, leuis alioqui, in quo aeream & igneam substantiam præualere, quemque suapte natura sursum ferri ipse scribit: at si sursum natura fertur, descendet ergo violenter impulsus: sed à quo hæc violentia, & qua ratione, quod violenter fit in nobis, non sentitur? aut durare potest, vel instrumentum esse naturæ, quæ nihil huiusmodi instituit, quod ad vitam animalis sit necessarium? An fortè euidens illa demonstratio de spiritu animali sumitur, quod vno clauso oculo, alterius pupilla dilatari dicitur: quòd si verum est, nec aliter fortè id fieri potest, quam quod spirituosa substantia, quæ ad vtrumque oculum ferri solet, ad eum, qui agit, & videt, vniuersa perueniat, ne quid ociosum in natura sit: tamen ex hoc non cogimur spiritum aliquem animalem ponere: nam per arterias, non autem per neruos, vt hactenus à multis temere creditum est, ad oculum venit hic spiritus, quem propterea non magis animalem esse existimandum est, quam qui manum, aut pedem, aut venam, vel arteriam, dum agunt partes, inflat. Dicat igitur ille, quantum velit, spiritus esse animales, & eos esse animæ essentiam, aut primum animæ instrumentum, illorumque beneficio exerceri vniuersas animales actiones; certè si non afferat euidentem illam suam probationem, quæ nusquam legitur, nec esse potest, nequaquam parati sumus illius opinionem recipere, tot tantisq; rebus (vt postea etiam ostendemus, cum absurda docebimus, quæ hanc spirituum multitudinem sequuntur) prorsus repugnantibus.

Per arteriã & non per neruos spiritum ad oculos peruenire.

Cæterum de vitali quid dicemus, quem esse, fatetur probari non posse, sed rationi consonum esse, vt recipiatur: sed cui rationi est consonum? aut ex qua re argumenta sumi possunt, quibus vel sensus vel intellectus acquiescant? Quod si de vitali nihil afferre potest, quem fatetur esse, quid dicet de naturali? quem esse dubitat, aut certe nunquam apertè illius mentionem facit, sed relinquit ex violentis interpretationibus exprimendum, eliciendumque. Sed enim non solum illa, quæ hactenus sigillatim contra vnumquemque spiritum adduximus argumenta, verum alia etiam, quæ pugnant contra vniuersam illorum multitudinem refellant opinionem de triplici, aut duplici genere spirituum. Atque illud primum, quod actiones in nobis fieri non possent: nam cum calidi natiui, & vt sæpe scribit Galenus, spiritum motu fiant omnes animi, & corporis functiones, necesse est, perpetuò inter se misceri, & ex mistione corrumpi hos spiritus: quod docent affectiones, quæ in nobis fiunt: etenim in timore, animi defectu, rigoreque febrium vniuersi spiritus siqui sunt, cum sanguine deserũt externas partes, & ad cor contrahuntur: in gaudio verò, & ira iidem ad externas partes erumpunt: quo casu nonne animales descendunt de cerebro, & cum vitalibus, ac naturalibus miscentur, & rursus ii simul cum animalibus ad cerebrum ascendunt? ita profectò fateamur oportet, nisi velimus nobis ipsis, & sensibus nostris repugnare. Itaque si vitales certam formam desiderant, distinctam ab animalibus spiritibus, adeo vt nequeat aptus esse vitalis ad eas actiones exercendas, quæ animalem postulant; & econtrà, si tenuior est, & purior animalis, quàm vitales operationes requirant, quo pacto poterunt actiones partium fieri ex misto hoc spiritu? simplicem enim & proprium singulis functionibus eum esse volunt: at (vt diximus) minimo momento per animi, & corporis passiones illos misceri est necesse, nec est aliquid ostendere, quod illos segregare, & seiungere valeat: nec possunt quidem subitò regigni simplices ex eo confuso & composito spiritu, præsertim animales, qui tantos plexus, aut locos, tantam elaborationẽ, & variam materiam volunt. Idem licet probare ex modo, quo illi dicũt ab his spiritibus fieri actiones: statuunt enim naturalem vim, per spiritum naturalem delatũ per venas spargi ab hepate in vniuersum corpus; vitalem autem facultatem vna cum spiritu vitali, tanquam proprio vehiculo à corde emanare per arterias; animalem verò descẽdere à cerebro per neruos, simul cum spiritu animali: quod si fit, nonne perpetua quædam pugna inter illos orietur? aut certè ineptus reddetur quilibet illorum ad sua munera obeunda? etenim si partes, quæ sentiunt, & mouentur, viuunt ac nutriuntur, oportet sanè illas simul recipere tres eos spiritus, sine quibus facultates esse non possunt: At si hoc conceditur, qua ratione poterit ea pars aliquam ex illis operationib. edere? nam si motus, & sensus postulant tantummodo animalem spiritum, quid fiet, cum ille iam cum vitali, & naturali est confusus? quod enim cum alio permistum est, aptum esse nequit ad ea præstanda, quæ simplicem vnius naturam requirunt. Ideo enim Galenus negabat, vitalem spiritum, qui est in arteriis, quam illis, quæ iam consti-

Refutatio eiusdẽ de vitali & naturali.

constituunt suum plexum reticularē; idoneum esse animalibus functionibus, quod nondum planè exuerit suam formam, nec perfectionem eam acceperit, quam animalis spiritus exigit, lumereq; putatur in cerebri cauitatibus. At idem ne est, si postea quam eam accepit, rursus amiserit ob mistionem alterius rei, quam ineptam ad hoc officium iam esse statuimus? Temere ergo natura neruos, arterias, venas, perpetua quadam vicinitate associasset, si tot spiritus ad corporis, & animi opera sunt necessarii: præstaret enim, loca, in quibus continentur, disiuncta esse, ne facilè misceri, cōtaminariq; posset propria, quæ in illis est, materia. Repugnant igitur actiones, & illis accommodata corporis instrumenta tot istis spiritibus. Quod si vitalem, & animalem ponimus spiritum, quod scilicet actiones animales, & vitales suum peculiarem spiritum velint, cur & naturalem apertè & necessariò non addit Galenus? aut dicat ille, cur in quibusdam functionibus necessarius sit proprius spiritus, in aliis verò nequaquam. At si fortè dicat, sufficere vitalem tum vitalibus, tum naturalibus actionibus, cur idem etiam non sufficiet animalibus? Vt enim cor inter cerebrum, & hepar positum est, & vitales actiones tantum vincuntur dignitate, ac perfectione ab animalibus, quantum illæ naturales superant, sic profectò ratio docet, vitalem spiritum non minus aptum esse animalibus, quàm naturalibus operationibus. Meminit & genitalis spiritus aliquando Galenus, qui si ponitur, incertior adhuc illorum numerus est: nec enim sub naturali cōprehendi potest, nam de aliis duobus dubium non est, nimirum cum certam elaborationem postulet materia, quæ ad generationem futura est apta; adeo vt sufficere non possit spiritus ille naturalis, qui si est, in hepate necesse est, vt fiat: vt enim sanguis in hepate genitus cum semen fit in testibus formā mutat, sic profectò si aliquis mittitur ab hepate spiritus ad testes, oportet illum aliam formam illic capere, vt genitalis euadat. Itaque hæ rationes concludunt, nō minus necessarios esse quatuor, quàm tres, aut duos spiritus: nam si singulis partibus, quæ principatum in corpore obtinent, & vim aliquam mittunt in alia membra, D debetur proprius spiritus; erunt vtique hi quatuor, quia quatuor sunt ex Galeni opinione in corpore principia. Quod si tres spiritus quatuor principiis sufficere posse creduntur, cur non sufficient duo? vel vnus etiam omnibus haud satisfaciet? Est enim par ratio de vno, quæ est de duobus aut tribus. Nonne etiam hanc opinionem refellit, quod Galenus de qualitate horum spirituum memoriæ prodidit? nam animæ siue animalem spiritum sicciorem; naturæ verò, id est, naturalem humidiorem esse vult. At quomodo ille, qui in cerebro frigidissima, & humidissima parte gignitur, siccior alio esse potest? Possumus quidem in hac re aliquid fingere, aut tergiuersando respondere, sed re vera nihil afferri potest, in quo animus quiescere valeat. Sunt ergo nugæ, fabulæ, & Stoicorum cōmenta, quæ de tot spiritibus dicuntur, & literis mandata à maioribus nostris, ac à nobis postea absq; ratione suscepta, & celebrata. Id quod diligentius adhuc ostendere conabimur, vbi vnū duntaxat ponendum esse spiritum docebimus. Nam

Quid de spiritu genitali sentiendum.

Opinio Gal. de spirituum qualitatibus refellitur.

A qui probat vnum sufficere spiritum, simul conuincit plures esse superfluos.

Superest nunc, vt pauca quædam dicamus aduersus recentiores Medicos, quos retulimus de spiritibus aliquid scripsisse: quod quidem tanto facilius licebit facere, quod illi nullo authore, nullaque euidenti ratione suam proferant sententiam: nam (vt diximus) Actuarius non contentus naturali, vitali, & animali spiritu, alium statuit in ventriculo gigni, alium esse in visu, auditu, odoratu, tactu, alium esse spiritum, quo vtitur intellectus, ab eo, quo vtuntur sensus, vel mouendi facultas, quod qua ratione docere potest? quos enim vsus potest habere, quē in ventriculo procreari fingit, vbi tam multiplex materia? B vbi tot loci in cerebro? tot in ea formæ diuersæ dicuntur esse necessariæ ad tot spiritus conficiendos, & continendos.

Refutatio opinionis Actuarii, de multitudine spirituum.

Nec minus quidē reprehendendi sunt Montanus, & alii, qui in omni re spiritum quendam ponunt: nam qua ratione, quæso, in metallis, aliisque rebus vita exutis, agnoscere possumus hunc esse spiritum? est in illis proculdubio aerea quædam substantia, at illa non est calor (vt ille vocat) complexionalis, qui non minus ex igne, quam ex aere resultat, verum illa vt reliqua elementa, rei pars est. Addo, quod illi confundunt vitalem cum animali, cum vtrumq; ex philosophorum opinione in corde generari tradunt. Sed enim dicant illi, à quibusnam philo- C sophis didicerint, duos spiritus à corde prodire, & animalem esse vnum, alium vitalem, & vbi legerunt apud Galenum, naturalem spiritum idem esse vnum, alium verò vitalem. & vbi legerunt apud Galenum de naturali spiritu impellente, & repellente, deque illius materia, differentia, & subiecto: quid, quod aiunt, spiritum esse non substantiam, sed qualitatem complexionalem, & hūc esse calorem proportionatum (vt loquuntur) calori cælesti? quid est, quod somniant, calorem hunc proportionalem coniungi spiritui propellenti, & tunc fieri animalem, vitalem, & naturalem spiritum? Hæc enim videntur mihi insomnia esse, nulla ratione comprobata, aut maiorum autoritate munita: quæ D quidem longius prosequi superfluum esse duco; præsertim quod illi confusè, & variè & semper hæc doceant: tanquam nihil certum haberent, quod ea de re dicere possent.

Item Montani & aliorum.

Alii verò, qui dicunt, spiritum quendam esse diuinum, immortalem; alium verò ex tenuiore elementorum mistione concretum, excusationem merentur, quod cum fabulosa quædam se referre agnoscerent, nescio quos Academicos huius opinionis authores faciunt. Quis enim potest, non dicam probare, sed credere, animū inuolui his vestibus, & spiritibus? quis sibi persuadebit, spiritum eum in carne specie differre, ab eo, qui est in osse, aut alia parte similari, cur ita nō dicemus, specie differre elementa, & qua- E litates illorum in singulis partibus? Dicunt illi, spiritum potentiorē esse in membris, quæ principatum obtinent, sed nihil probant. Illa quoq; ostendere eos oportebat, quo authore, aut ratione agnoscat spiritus animales ferri per neruos, & à cerebro descendere, & naturales ab hepate per venas influere: & quænam illa sit naturalis facultas, quam à iecore emanare, cuiusque

Fernelii.

vehiculum huiusmodi spiritum esse volunt. Proferunt ab ingenito singulis principiis spiritu, & ex certa materia illum fieri, quem postea spargi ad alia membra, referunt: tanquam id oculis viderint, aut alio sensu perceperint. Ego certè libenter permitto, vt quilibet dicat, quod sentit; verum probare nequeo eas tractationes, quæ nullas adhibent probationes: sed vel authorum testimoniis, aut verborum inani volubilitate nituntur. Sed iam subiicio meam de numero horum spirituum opinionem, quam refelli æquissimo sanè animo feram, si quis candido animo veritatis causa, non calumniis (vt quidam malè affecti homines, facere tentarunt) sed melioribus rationibus rem aggredietur.

Cap. IX.

Vnum esse ponendum & non plures spiritus.

Hactenus docuimus, non posse plures esse spiritus specie, & natura diuersos: ex quo sequitur, aut nullum esse, aut si est (vt antea probauimus) vnum esse huiusmodi spiritum, quem aliunde emanare in vniuersum corpus agnoscimus. Licet tamen aliis propriis argumentis idem ostendere: si enim innatum calidum idem est cum spiritu, spiritosaq; substãtia (vt antea ex Galeni opinione demonstraui) necesse profectò est, vnum esse influentem spiritum, quoniam huiusmodi calidum vnum est: nec est aliquis, qui dicat, influens calidum natiuum triplex esse, naturale, inquam, vitale, & animale. Præterea, si vnus est sanguis, vna humorũ massa, quæ ad generationem, & nutritionem vniuersi corporis sufficere agnoscitur, vnus quoq; erit spiritus; vtpote qui ex sanguine, & humore per euaporationem fiat. Addo, quod necesse est, influentem spiritum eiusdem naturæ esse cum eo, qui ex primis principiis singulis membris est insitus; nã alioqui quomodo insitus ab influente augeri, conseruari, & ad actiones excitari posset? At ille ex eadem materia, ex eisdem elementis qualitatibusq; originem habet, vnus ergo est, qui influit, vnius naturæ & virtutis, vt qui alterius gratia sit comparatus. Docent idem actiones, & constitutio nostri corporis, quæ non admittunt pugnantes inter se ob vicinitatem & mutuam confusionem hos spiritus: recipiunt autem vnum, & eo sunt contenta. Nam vnum calidum, vnusq; spiritus suo motu nunc adest externis partibus, nunc internis, nunc æqualiter vim suam in omnes spargit, vt docent vigilia, somnus, & exercitatio. Ad hæc si ex aere gignitur, fouetur, & nutritur, (vt Galeno placet) tum vitalis, tum animalis spiritus, nonne ex hoc constat, vnicam esse huius spiritus formam & naturam? quippe cum vnus sit aer eiusdem naturæ & formæ, ex quo non possunt plura diuersi generis refici, nutririque. Est (vt diximus) vna materia, vnumque nutrimentum omnium partium corporis, quod ex humoribus contentis in vasis, ac inter se confusis resultat; qui sanè humores non capiunt diuersa nomina aut certè diuersas formas, ex locis diuersis, quo tendunt vel trahuntur; sed vna est natura, quæ in singulis partibus eum præstat vsum, quem præbere est apta, & humores, qui

Spiritum influentem cũ insito esse eundem.

A nunc sunt in corde, paulo post fortè ad cerebrũ ascendent, & ab eo rursus ad interna viscera redibunt: ita cogentib. actionibus, & passionibus singularum partium, quæ suam materiam, suaq; instrumenta aduocant, cum opus illis habent; sic profectò cogit ratio, vt idem de spiritu concludamus, vnum esse spiritũ, qui singulis facultatib. actionibus, & partibus seruiat, nũc ascendat, nunc descendat, & denique in omnia loca properet, vbi illius opera est opus: non quod asserere velim, nullã prorsus vnquam fieri in spiritu diuersitatem, & mutationẽ, quandoquidem nunc crassior, nunc tenuior, aut frigidior, vel calidior, purior, aut impurior, aut alio modo, pro materiæ, à qua attollitur, & agentis ratione, sicut & humor sanguisq; ipse euadit. Verũ quemB admodum ex qualitates humorum speciem, & naturam nequaquam mutant, siquidem sanguis est, & dicitur, qui crassius, tenuis, & calidior, frigidior, purior & impurior existit, nec dicimus hunc diuersos vsus habere ab alio, nisi quod vel melius, vel deterius corpori accommodatur: ita profectò de spiritu sentiendum est: nam calidior, crassior, turbulentior fortè est, qui in corde continentur, eo qui in arteriis: & hic calidior eo, qui in cerebro, & frigidis partibus iam est sparsus. Aliam habeat temperiem, & secundas qualitates spiritus, qui in corpore bilioso gignitur, ab eo, qui in pituitosis efficitur; non tamen propterea ex hac mutatione cogimur ponere plures, quàm vnum spiritum, vnamq; illius forC mam, & naturam, quæ vniuersos vsus in toto corpore præstat. Nec putare quidem oportet, diuersam hanc spirituum naturam necessariam esse, quod diuersi sint fontes, diuersæ facultates, quæ suum ac proprium spiritum requirant: nam vt illa aliquid peculiare certè volũt, quod ex propria forma & temperie partium, aut aliunde capiunt (neq; enim volo nunc de hac re disputare) ita nihil obstat, imò necessarium est, commune omnibus esse instrumentum, quo inter se coniungantur, suasq; vires exerceant, vt eas vniuerso corpori communicent. Quod si arbitramur absurdum esse, vnum spiritum seruire posse vniuersis facultatibus, cur idem non fiet in caliD do innato? Constituamus ergo vnicuiq; principio proprium calidum innatum, & vnum naturale, aliud vitale, aliud animale nuncupemus, nec putemus vnum sufficere, quod à corde duntaxat emanare omnes agnoscimus, & recipimus. Quod si quis rationibus nostris non satis persuasus, autoritatem magni alicuius viri in hac re desiderat, inueniet profectò Arist. eiusdem fuisse opinionis. Etenim *lib. 5. de generatione animalium, cap. vlt.* scribit ille, sic se habere spiritum in rebus à natura institutis, vt malleum in arte fabrili, vnum scilicet esse instrumentum, quod ad plures actiones est vtile. Quinetiam *in fine libri de communi animalium motu* habet, animalia omnia natiuum spiritum habere, eo vigeE re, illum in corde sedem tenere, quæritq; an idem semper sit, an semper diuersus efficiatur, alia nonnulla illic de eo tradit: ex quibus quilibet intelligere potest, cum autorẽ vnum duntaxat ponere spiritũ, instrumentũ ad omnes corporis functiones, etsi interim concedit, illum mutari, nec semper sibi similem esse, quoniam nec id, quod eum gignit, nec illud, ex quo gignitur, semper sibi

per sibi simile est. Hæc itaq; conuincunt, vnum esse spiritum, qué nec vitalem, nec animalē, nec naturalē recte appellare possumus, si his nominib. intelligamus, quod alii hactenus intellexerunt, quod scilicet diuersam habeat formam, & vsum, qui vitalis est, ab eo, qui naturalis vel animalis dicitur: nec possit vnus esse aptus ad alias functiones diuersas à suo nomine obeundas: id est, quod vitalis duntaxat actionibus vitalibus, sicut animalis animalibus & naturalibus instrumentum sit aptum: sed si quis vitalem eum vocare velit, quando ministrat vitalibus, & eundem animalem, cum animalibus, & naturalem, cum naturalibus famulatur operationibus, concedo illi, vt in eadem re diuersis nominibus vtatur. Verum sicut nec humores, nec calorem innatum appellamus diuersis nominibus, sumptis à diuersis facultatibus, & partibus, quibus suos præbet vsus; sic præstat hunc spiritum vno & eodem nomine perpetuo nuncupare: & apte profecto spiritum hunc innatum vocare possumus, vt vocat Aristot. sicut calidum innatum dicimus, cum quo idem ille est, qui postea, vt ipsum calidum innatum, suas recipiat distinctiones, quod vnus; inquam, sit spiritus insitus primis principiis, alius in singulis partibus à primis principiis relictus: quem verius aerem, aeream que substantiam, ex qua res, vt ex aliis elementis componitur, quam spiritum, qui vim aliquam propriam amplius habeat; dicemus esse: tertius vero influens, qui causa est omnium actionum, quę in nobis fiunt, quiq; fouet, & conseruat aeream illam insitam substantiam: quæ quo modo fiant, & reliqua, quæ sunt huius tractationis, sequitur, vt doceamus.

Cap. X.

De materia & loco, in quo spiritus gignitur & continetur.

Qui multa genera spirituum esse in nostro corpore asserunt, aiunt, quendam ex illis gigni ex cœlesti quadam substantia, alium vero ex puriore elementorum portione, alium ex alio spiritu fieri, vt vitalem ex naturali, animalem ex vitali: ipsum vero naturalem ex sanguinis tenuiore substantia: eum vero, qui congenitus est singulis partibus, ex naturali nutriri, foueri que: qui certe nequeunt hæc probare: nam si authoritate certandum est, nullum inueniemus ex antiquis scriptoribus, qui dicat, aliquem gigni spiritum ex cælesti, & immortali materia, aut congenitum spiritum ex naturali ali, & conseruari, aut ipsum naturalem ex sanguine, aut vitalem ex naturali procreari: quod si ratio aliqua esse posset, quæ id ostenderet, cur illi eam prætermiserunt? dum hæc tradunt, quasi leges essent, aut prophetarum decreta. Galenus inter illos de nutrimento, & generatione innati spiritus, vitalis, & naturalis nihil aperte scribit: animalem vero partim ex aere inspirato oriri vult. Est, quando dicit, illum esse exhalationem benigni sanguinis, quod etiam antea *ex lib. 6. de vsu partium* retulimus, eundem, inquam, gigni, & contineri in arteriis, venis, cerebri ventriculis, & substantia illius, hæc enim ex his, quæ superius dicta sunt, omnibus patere puto: quæ quidem refellere superfluum esse duco: quandoquidem frustra illorum generatio, & nutrimentum quæritur, quæ non sunt, nec esse posse ostendimus. Nos autem putamus, vaporem & spiritum aliquem in omnibus corporis partibus contineri, vt ex illa vaporem eliciat.

Verum *spiritus ille, qui immittitur aliunde, & autor est omnium operationum, & vehiculum caloris, à corde omnino nascitur, effluitque per arterias in vniuersum corpus,* id, quod ipsius cordis, & arteriarum constitutio ad gignendum, & continendam talem materiam apta, manifeste ostendit: Est enim in corde sinus sinister septus munimentis fortioribus, ex carne crassiore, & duriore, quam necessarium esset ad sanguinem solum gignendum, & continendum: feruet perpetuo, quæ continetur in eo loco substantia, spiritusq; multos emittere cernitur: Sunt porro ipsis arteriis datæ duplices tunicæ validæ & crassæ, ac quæ in illis continetur materia, vel tota, aut certe maxima ex parte, vapor est, & spiritus. Igitur spiritus huius fons, & origo est cor, & in eo maxime sinister ventriculus; per arterias autem transmittitur ille, & spargitur in omnes corporis partes; *gignitur autem in ipso corde, ex vniuersis quidem humoribus, quos sanguinis nomine nuncupamus, sed tamen plurimam sui portionem accipit ille ex aerea, aquea, & ignea materia,* nimirum q̀ ea promptius attenuari, & in spirituosam substantiam mutari, sit apta, nataque, ex aerea autem sola non fit, quoniam spiritus crassior est, quam aer; nec ex ignea duntaxat, quod mites sunt spiritus qualitates, acres autem & mordaces in igne: Nec etiam ex solo aqueo elemento fieri valet, quandoquidem plurimum habet in se caloris. Quapropter recte Galenus *septimo de placitis* scribit, substantiam spiritus maxime esse aeream, deinde igneam, tāquam aer præcipuam vim in huius generatione obtineat, deinde ignis, postremo aqua, nam aqueam & aeream esse calidi innati substantiam, quod antea idem esse cum spiritu, ex quo, quod ille scribit *in libris Aphorismorum,* ostendimus.

Locus in quo gignatur & continuatur.

Materia ex qua.

Spiritum esse crassiorem ipso aere.

Cap. XI.

De vi & actione spiritus.

Restat docendum, quænam sit vis huius spiritus, & quo pacto illā exerceat: qua quidé in re receptum est, & recte, omnes actiones, quę in corpore animalium fiunt, hoc spiritu egere: *nimirum cum ille sit calidum innatum influens,* sine quo nulla operatio exerceri potest. Nam in timore videmus externas partes ineptas reddi ad agendum, id, quod alia ratione sane non fit, nisi quod huiusmodi spiritus, abiens ad cor externa loca deserit; ex quo quidem patet, requiri hunc spiritum ad actiones obeundas, sed quid ille cōferat, & quomodo vim suam exerceat, non est perinde facile docere. Qui enim spiritus natura, & forma distinctos ponunt, volunt illos facultatum esse vehicula, prodireque vna cum illis ab ipsis principiis, & ferri per instrumenta, quæ etiam enascuntur ab illis fontibus, in vniuersas corporis partes: Itaque animalem spiritum sensus, & motus authorem esse, quando ille penetrat vna cum facultate per neruos, argumento;

Spiritum esse calidum innatum influens.

quod putent, sensu & motu priuari illas partes, quæ neruos habent obstructos, aut aliter ita affectos, vt nequeat per illos spiritus transire, & secum facultatem, quæ præbet sensum & motum, allatam immittere: quorum opinio recipienda non est, quis enim animo concipere possit, per neruos densa corpora, dura & solida, substantiam aliquam prompte subire, vndequaque penetrare, subito accedere, & recedere posse? præsertim quod hunc spiritum, nunc tenuem, nunc crassum, & nebulosum esse volunt, aiuntque suapte natura sursum ferri, adeo vt ad infimas corporis partes, quæ mouentur, & sentiunt, & quo peruenit vis ipsa, non nisi vi quadam descendere sit aptus. Non sentiri, aut moueri posse partes, quæ neruos habent vulneratos, aut obstructos vel constrictos, verissimum id quidem est, at id non probat, hæc cótingere, quod occlusa sit via spiritui, sed quod ipsi facultati allatum sit impedimentum ob instrumentum læsum: est enim illa apta, & nata exercere suam vim per instrumenta accommodata, quæ cum labefactantur, cogitur etiam illa opere frustrata otiari. Id apparet in aliis facultatibus, quæ omnes sana sua instrumenta desiderant, vt mirum quoque non sit si illa, quæ sensum, & motum præbet, postulet neruos expeditos, & liberos, per quos vis immittatur exerceaturque. Quod si motus voluntarius, & sensus prorsus desiderant spirituum immissionem in neruorum substantiam, cur non idem docent fieri in motu arteriarum? non posse, inquam, moueri arterias, nisi per tunicas, illarumq; substantiam feratur vitalis spiritus: cum tamen nihil huiusmodi tradant, sed solum in cauitatibus ipsis arteriarum eum contineri velint: At hic spiritus non author est motus, quem exercent arteriæ, sed operationum, quæ in aliis partibus obeuntur. Vt igitur arteriæ vim, quam sumunt à corde, exercent absque spiritus immissione, sic par est existimare, sine spiritu aliquo neruos vim capere à suo fonte, aliisque partibus communicare. Addo, quod si natura voluisset per neruos transire aliquod corpus, vtique cauitatem, vt venis, & arteriis illis dedisset, aptam ad suscipiendam, & continendam huiusmodi substantiam: mirum enim esset, si partem densam, & solidam illa fabricaret, quam vellet esse viam spirituum: sed cur (quæso) non fiunt in neruis frequentes conuulsiones, vbi huiusmodi spiritus ob crassitiem, & copiam hæret in illis? præterea si animalis facultas spiritu eget per neruos transmisso, quo modo fient opera principum facultatum? quas in cerebro absque neruis obiri credimus non tamen sine spiritu aliquo. Igitur si spiritus quibusdam facultatibus suam præstant vim alio modo, quam quod penetrent per solida instrumenta, cur idem in reliquis non concedimus fieri posse? Vrgent quoque hanc opinionem nonnulla argumenta, quæ superius adduximus ad refellendam spirituum multitudinem: nam si proprius spiritus requiritur in omni actione, & ille fertur per venas, arterias, & neruos, nonne ob vasorum, & instrumentorum vicinitatem miscebuntur, & confundentur inter se hi spiritus? redderturque quilibet illorum ad sua munera ob mistionem aliorum ineptus? Sunt igitur nugæ, quæ dicuntur de delatione facultatum beneficio spirituum, quandoquidem etiam Galen. (vt antea commemorauimus) aperte testatur, animalem facultatem sine substantia aliqua vniuerso corpori communicari, non secus atque solis splendorem, qui in terram demittitur, in aliaque superiora elementa spargitur absque vllo corpore, quod ille secum adueha. Quod si spiritus à corde per arterias fertur, & distribuitur per vniuersum corpus, non tamen propterea credendum est, illum esse vehiculum alicuius facultatis: quando quidem vt supra & alibi euidenter ostendimus, nulla à corde emanat vis in alias partes, præter quam in arterias pulsandi facultas: quam quidem recipi sine aliquo spiritu, paulo antea diximus, & ex eo agnoscimus, quod huiusmodi vis in substantia & corpore arteriarū sit, spiritus autem in illarum cauitate tanquam in canali quodam cótineatur. Putamus autem nos, non alia ratione conferre hunc spiritum vniuersis operationibus corporis, quam *quod suo calore excitet insitum singulis membris calorem, & ei* (vt aiunt philosophi) *actum det & perfectionem*: hunc enim suapte natura inhabilem ad agendum, & veluti potentia contineri in partibus, antea ex Galeno ostendimus.

Cur vulneratis aut obstructis neruis sensus aut motus cessant.

Spiritum non esse vehiculum alicuius facultatis.

Vim nullam emanare à corde in alias partes, præter facultatem pulsandi, quæ in arterias.

Spiritus quid & quo modo vniuersis operationib. corporis conferat.

Influente igitur calore à corde, hic, qui insitus est, excitatur, & vniuersæ facultates, tum congenitæ partibus, aut quæ aliunde immittuntur, vbi valent instrumenta propria, & adest materia, vbi ea requiritur, & aliæ adsunt causæ necessariæ in singulis actionibus, iam mouentur, & aptæ fiunt ad agendum. *Neque enim alia quærenda est agendi ratio in hoc spiritu, quam in ipso calido natiuo, cum quo idem est, aut præcipuam vim calido largitur.* At si quis quærat, cur ligatis neruis sensus & motus amittatur in illis membris, quæ post vincula ad cor accedunt, cum tamen illis calor à corde suppetat? respondemus deesse facultatem, quæ etsi absque substantia aliqua influit, tamen nequit à cerebro per neruos constrictos permeare, non secus atque solis radii, qui etsi absque vehiculo aliquo descendunt, & illuminant, tamen corpora solida & densa nequeunt peruadere. Si præterea quispiam dubitet, quo pacto spiritus tenuissima alioqui substantia sursum, deorsum, & in omnes corporis partes feratur, rationem eam reddet, quam superius docuimus, de calidi natiui motu, & hanc addet peculiarem; *quod sequatur motum subiecti: non enim solus spiritus mouetur, sed vna cum sanguine vniuerso, aut certe cum tenuiore & mobiliore illius portione*: Id quod timor, erubescentia, gaudium, risus, rigor in febribus & alia multa ostendunt, apparet enim spiritus non solus, sed vna cum humore subiecto prodire à corde, & ad illud contrahi.

Quomodo spiritus tenuissima alioqui substantia, feratur sursum, deorsum & in omnes corporis partes.

Perperam igitur asserunt Auerrhoes & alii Aristot. animam totam in qualibet parte esse: nam sensitiua vis solum in cerebro, pulsandi vero in corde duntaxat originem habent, & ab illis fontibus in certa quædam instrumenta, & per illa in certas partes mittuntur. Sunt ergo animæ partes locis distinctæ, nec vna est pars, quæ omnia præstare possit: cor vero dici principium omniū facultatum, quoniam origo sit spiritus antea ex ipso etiam Aristotele refellimus, vbi docuimus aliud esse de origine facultatum, quam de fonte

Animam totam non esse in qualibet parte, sed illius partes locis distingui.

Cor non esse principium omnium facultatum.

de fonte spirituum disserere, quia aliud est animę A facultas, aliud instrumentum, quo anima vtitur. Cæterum asserere illi quidem possunt, spiritum genitum, & exeuntem à corde habere in se confusas omnes virtutes, sed nulla ratione docere possunt: vt enim antea probauimus, spiritus nullam in se facultatem animæ continet, nec vehiculum est illarum, sed ipsius caloris, quo anima in corpore suam vim, & functiones exercet: nec ipse quidem spiritus ex eadem vi genitus, aliam formam in cerebro, aut alia parte induit, sed idem aptum, idoneumque est ob calorem, quem secum à corde ducit, vniuersis partibus illarumque actionibus instrumentum; frustra etiam illi agunt de generatione, & vi spiritus animalis, propterea, quod nullus huiusmodi spiritus est, qui in cerebro aut corde, vel alia corporis parte conficiatur, aut somni, vigiliæque aut aliquarum actionum sit author: illud tamen perperam negant, cerebrum eo, quod frigidum sit, non posse spiritum, aut aliam rem gignere, & elaborare: quasi frigidum dicatur, quia in eo frigus præualeat: aut dicant illi cur mammæ partes glandulosæ, & frigidæ gignendi lac, & testes conficiendi semen vim obtineant, si nulla pars, quæ frigida nuncupatur, aliquid facere potest. Ex quibus quidem patet, in quibus differat nostra hæc opinio ab aliorum sententia, qui hactenus de spiritibus aliquid memoriæ prodiderunt: nam cum Aristotele (vt arbitror) plane consentit: à Stoicis vero, Galeno, & reliquis, qui C eos sunt secuti, in multis discrepat; illi enim multos ponunt esse spiritus, forma, & natura distinctos, vnum ex diuinis corporibus: nos vero eo contempto, qui in singulis membris est, de quo nulla est quæstio, vtpote qui aerea sit portio, constituens vna cum aliis elementis corpus, dicimus vnicum esse influentem spiritum: ponunt illi suos spiritus non solum forma & natura, sed etiam vsu distinctos; vitalem enim vitalibus functionibus, animalem animalibus, naturalem naturalibus, ministrare, alium præterea sensificum, alium visorium, alium auditorium, alium gustatorium, alium denique proprium in singulis actionibus, mutuato nomine à facultatibus, quibus illi seruiunt, esse dicunt; nos nullum D ex his, sed vnicum ponimus, quem natiuum nuncupamus: eo modo quo calidum natiuum diuidimus: illi rursus naturalem ex sanguine, vitalem ex naturali, animalem ex vitali gigni volunt; nos eum, quem ponimus, non ex alio spiritu, sed ex sanguine vniuerso, aut ex certis illius partibus, caloris vi, vt alios vapores, attolli putamus: Illi etiam ex aere suos procreant spiritus; nos vero aerem quidem putamus conferre ad temperiem, & odores forte etiam ad illius incrementum; propriam tamen generationem, & continuam materiam *ex sanguine* suppeditari: Illi vnum in corde, alium in hepate, tertium in cerebro, & eum in variis cerebri locis procreari statuunt; hunc nostrum in corde gigni asseri- E mus: Credunt illi, suos spiritus vehiculum esse facultatum, & eum, qui à corde prodit confusas in se habere vniuersas facultates; at nos arbitramur, in spiritu nullam esse virtutem; nec alia quidem ratione conferre, nisi quod ille *calidum insitum membris augeat, facultatesque ipsas excitet, reddatque aptas, amplioris caloris beneficio, ad pro-* *pria officia exercenda:* Volunt illi suos spiritus etiam per neruos, diuersa & solida corpora ferri, nostrum arbitramur duntaxat *per arterias tanquam per proprios canales, moueri, ac per illarum tunicas, & orificia vniuerso corpori distribui, & communicari:* Tradunt illi, spiritus ob loci naturam certam formam capere, ex qua nomē quoque mutuentur; at nos eandem semper seruari formam, idemque nomen, cæterum qualitates variari pro partium temperie & materia, ex qua fiunt: Non verentur illi asserere, spiritus quosdam esse splendidos; cum nos arbitremur, id fieri non posse magis in hoc nostro spiritu, quam in alio quocunque vapore: Fabulantur illi, diuinos esse quosdam ex suis spiritibus; nos vero o- B mnes ex nostris elementis procreari agnoscimus: Credunt vnum ex suis spiritibus animæ esse vestem & propterea immortalem, sed rectius forte dicerent, animæ esse instrumentum, & illam immortalem quidem esse, vt quæ aliunde veniat, spiritum vero omnem expirare, & in aerem ambientem sibi congenerem euanescere. Atque hæc quidem sufficiant de spiritibus, ex quibus non solum illa intelligi, sed etiam alia multa melius doceri poterunt, quippe cum nulla propemodum res sit in medicina, in qua non fiat mentio de his spiritibus. Sed posteaquam Auerrhois, & aliorum opinionem de loco, in quo fiunt somnus, & vigilia, refellimus, docuimusque nullum euidens argumentum sumi in C hac re ex alicuius spiritus generatione, & vsu, si placet, Galeni opinionem excutiamus.

Spiritus nullam facultatem animæ in se continere.

Animalem spiritum nullum esse.

Vnicum esse spiritum influentem.

Spiritus hic unde habeat propriam generationem & continuam materiam.

Spiritus quid conferat.

Per quas vias moueantur, & corpori communicentur.

Spiritum esse animæ instrumentum.

CAP. XII.

Galeni opin. de loco, in quo fiunt Somnus & Vigilia.

GAlenus eo nititur principio, & fundamento, quo Aristoteles, & alii antiquiores sunt vsi, somnum, inquam, & vigiliam in ea corporis parte fieri, à qua tanquam à fonte, & communi, primoque sensorio sentiendi vis emergit, ac in vniuersum corpus mittitur. Assumit etiam illud principium, nempe eam partem D esse originem omnium sensuum, à qua enascuntur nerui. In hoc vero ab Aristot. dissentit, quod sentiendi facultatem, & neruos, à cerebro, & non à corde emanare velit, id quod validissimis rationibus probat; Aristot. opinionem de origine neruorum anatome refellens, & suam confirmans, sensuumque fontem probans multis rationibus esse cerebrum. Nam si pars illa est primum sensorium, à qua nascuntur nerui, profecto cerebrum esse illud conuincit. Deinde idem probat ex neruorum dissectionibus, & constrictionibus, in quibus partes, quæ ad cerebrum vergunt, sensum retinent, & motum, quæ vero spectant ad cor, eos amittunt. Sumit etiam argumentum, quod per soporosos affectus, E in quibus sensus afficiuntur, remedia, quæ adhibentur capiti, prosint, non autem quæ cordi admouentur, tanquam origo sensuum in cerebro sit, non autem in corde. Quod quidem argumentum, cum Portius nostri temporis philosophus eludere voluisset, suam prodidit inscitiam: nam podagram suam venæ sectione in cubito mitescere dicebat, non propterea malum

esse in illis partibus, quibus remedia adhibentur: at ille, vt multa alia, ignorabat, duplex esse remediorum genus, quoddam, quod reuellendo, fluxionesque sistendo, partibus longe distantibus succurrit, aliud vero, quod malis medetur in parte affecta conceptis, quæ ob id localia dicuntur, de quibus Galenus agit. Iam dicat ille, an cataplasmata, quæ ad dolorem pedum faciunt, prosint si cubito applicentur. Habebat ille aliud, quo posset commodius opinionem Galeni refellere, quod nempe refrigerantia auxilia, quæ cordi admouentur, somnum etiam concilient. Atque hæc sunt argumenta, quibus vti solet Galenus aduersus Aristotelem ad probandum, cerebrum esse omnium sensuum principiũ: sed ego alia afferre possum, forte non minus valida, atque illud in primis, quod si non solum sensus, sed etiam motus, & omnium facultatum fons est cor, vt Aristot. putat, & in eo somnus fit, cur ab humoribus genitis ex vaporibus, qui ascendunt à cibo, descenduntque postea ad cor, potius sensu, quam motu, aut pulsu priuatur animal? & quia motus, tum voluntarius, tum qui per pulsationes editur, seruatur in dormientibus, ratiocinatio vero & memoria, & sensationes quiescunt, cur enim non abolentur ab eadẽ caussa vniuersæ actiones, quę in corde, vt ille cẽset, fiunt? aut saltem illæ, quæ vt sensus, in cætera membra à corde spargi dicuntur? Idem docent vulnera, & contusiones cerebri, quæ sensu, & motu protinus animal priuãt, nihil interim corde patiente, quod pulsus arteriarum, & motus ipsius cordis liberi, sanique ostendunt. Mirum autem esset in tam euidenti, & communi malo, nihil pati cor euidenter, si illud harum facultatum est principium. Præterea in Apoplexia, comate, lethargo, atque adeo etiam per contusiones cerebri, sopor hominẽ subito arripit; qui cum à cibo, & vapore, ab eo eleuato nequaquam fiat, ostendit sane nihil esse ad cor delapsum, quod insensibilitatis eiusmodi sit causa: sed cum per huiusmodi mala manifeste agnoscatur cerebrum pati, per illud quoque intelligitur, in cerebro sentiendi vim inesse. Idem docent excrementa, quæ in soporosis affectibus emittuntur per nares, palatum, & alias capitis partes, quibus expurgatis vigilia restituitur, tanquam illic sit sedes sensuum, quæ antea laborabat. Adde, quod Aristoteles videtur seipsum conuincere: Nam cum ait, eos, qui soporantur, & dormiunt, nec caput erigere, nec palpebras attollere posse, manifeste ostendit, non in corde, sed in cerebro sensus, & motus originem residere. Postremo si omnes actiones in corde fiunt, aut certe illæ, quæ communes sunt, à corde deriuant, cur quemadmodum per iram, tristitiam, lætitiam, risum, percipimus cor constringi, dilatari, multifariam moueri, miroque modo affici, idem non contingit, vbi sensus, & motus in vniuerso corpore læduntur, aut cum somnus fit? Mirum enim est, si in quibusdam affectionibus, iisdemq; leuioribus percipiatur cor plurimum affici, in aliis vero grauioribus nequaquam. Sed hoc mirum non est his, qui nouerunt, illud affici in illis passionibus, quæ in eo fiunt, aut ab illo procedunt; in aliis vero, quæ aliunde originem ducunt, nihil huiusmodi fieri debere. *Fit ergo ex Galeni opinione somnus in cerebro.* Ac cum multæ reperiantur in capite, & in ipso cerebro partes, nempe ventriculi, propriaque substantia cerebri, nerui, qui ab ea nascuntur, membranæ, quæ illud ambiunt, arteriæ, venæ, sitque alia anterior, alia posterior, alia media, alia dextra, alia sinistra cerebri pars, videndum est ex Galeni opinione, an in vniuerso cerebro, & quæ illi seruiunt, an potius in aliqua eiusdem portione somnus ponendus sit, idque præsertim, quod Galenus varius in hac re esse videatur. Etenim *tertio libro de locis affectis*, vbi de soporosis affectibus agit, ita scribit; *Differunt soporosi affectus non solum mistionis varietate, aut intentione, vel remissione, sed etiã, quod ventriculi cerebri interdũ afficiuntur intemperaturis, interdũ vniuersa illius vasa, interdũ humiditas, quæ per corpus cerebri dispersa est. Cõtingit, etiã,* inquit, *ipsummet corpus cerebri intemperatũ reddi. Præterea in Caro anteriores cerebri partes magis pati, quã posteriores, in Apoplexia vero anteriores, & posteriores pariter affici; & carum etiam compressu cerebri ventriculis, maxime medio gigni tradit.* Vbi vero naturalis somnus consistat, & quarum partium affectione, non docet, hoc solo contentus, quod dicat, in capite fieri. Verum consideratio huiusmodi, vt ante dixi, tum per se iucunda est, tũ verò Medico necessaria. Nam per soporosos affectus si membranæ ipsæ, aut cerebri substantia afficiatur, proderunt magis, quæ extrinsecus capiti, quam quæ naribus admouentur, aut in ore detinentur, alioque modo corpori succurrere valent.

Quod si ventriculi laborant, facilior medicamentis datur via per nares, & os, quam per capitis suturas. Id vero docebit, quod quærimus, rei natura: si enim somnus sensuum est affectio, in anteriore autem parte cerebri sensus fere omnes positi sunt, vimque sensificam, & neruos ab ipsa suscipiunt, merito vbi soporosus duntaxat est affectus, anterior cerebri pars magis, quam posterior affici dicetur: vbi vero motus vna cũ sensu ociatur, qui per neruos duriores enatos à parte posteriore cerebri fit, necesse est vtramq; partem, anteriorem, inquam, & posteriorem pati. Quapropter optime Galenus, in Apoplexia vtramque partem anteriorem, & posteriorem laborare scribit; quoniam pari modo sensus, & motus læduntur: In cataphora autem, caro, & lethargo, quia sensus solum, aut magis quã motus offenditur, ideo anteriorem magis pati, rationi consonum est. Quoniam vero nerui sensorii à cerebri parte, quæ ventriculos constituit, fere nascuntur, spiritusque & calidum natiuum, cuius merito somnus fit, magna ex parte in illis continetur, optima ratione fit, vt magis afficiantur vẽtriculi in sopore, quam cerebri ipsius substantia: argumento, quod cerebrum affectum per vulnera, aut inflammationes, non affectis ventriculis, sopores haudquaquam sequantur: ventriculis autem clausis, & obstructis, cerebro illæso, sopiatur animal, adeo, vt vere dicere possimus, ob affectionem illorum ventriculorum, natiuum calidum impediri, & perpetuo somnos fieri, nunquam autem ob cerebri passionem, nisi quatenus illa ventriculis obest. Itaque si soporosorum affectuum, qui vere soporosi sunt, locus est *cerebri anterior pars, & maxime ventriculi*, ne-

Somnum in opinione Galeni fieri in cerebro.

Locus affectuum soporosorum.

culi, necesse est, naturalium quoq; somniorum ex Gal. opinione eundem esse locum: non quod aliquid peculiariter patiatur, vt in aliis, qui præter naturam consistunt, sed quod ea loca calido natiuo destituta, vim suam ad sensoria transmittere nequeant.

Cap. XIII.

Authoris opinio de loco, in quo fit Somnus & Vigilia.

QVoniam omnia ex suis principiis probari debent, necesseque est errare, vbi mala ponuntur fundamenta, ideo in hac quoque tractatione, vbi quærimus, in qua parte corporis fiat somnus, & vigilia, illud in primis expendendum esse duco, an Aristoteles, Galenus, & alii, qui illos sunt secuti, vera, an falsa sumpserint principia: hoc enim perspecto, illud quoque intelligetur, an omnes errauerint, vel recte senserint, vt qui eodem principio sint vsi, quidque tandem de hac re sit sentiendum, mutatis, inuentisque aliis principiis, si ita res postulare videbitur. Ponunt (vt antea diximus) illi somnum esse cõmunis sensus affectionem, & propterea in eo loco fieri, vbi hæc facultas residet: quod ego quidem probare nõ possum, si vera sunt, quæ antea docuimus, dum efficientes somni causas explicaremus: ostendimus enim in somno, & vigilia facultatem sensitiuam nihil pati, sed calidi influentis motu, & quiete, præsentia, & absentia, vtramque affectionem fieri, quod etiam ipse Aristoteles fateri cogitur, cum ait, somnum fieri, quando calor ab humoribus descendentibus ad cor repellitur: & idem Auerr. *in commentario primi libri de somno & vigilia*, nec non *in Colliget* apertissime testatur, cum scribit, somnũ nasci per recessum, & contractionem caloris ad cor. Docent idem remedia frigida, quæ somnum; calida, quæ vigiliam committunt: nec non illud, quod externæ partes per somnum refrigerentur, per vigiliam vero calidiores sentiãtur: ociatur quidem in somno facultas sensitiua, & agit in vigilia, at id non facit ob aliquam suam affectionem, sed quia nunc adest calor, nunc vero abest, cum quo agere potest, & sine quo nequit suam vim exercere. Ac quod affectiones calidi distinguantur ab affectionib. ipsarum facultatum, antea quoque docuimus: aliud enim anima & illius facultates sunt à calore, quo illæ vtuntur tanquam instrumento. Quinetiam ex hoc idem patet, quod aliud vitium agnoscamus esse, cum ventriculus nequit concoquere, eo, quod intemperatus sit redditus, laboretque ob id, quæ illi insita est concoctrix facultas; aliud vero, si idem contingit, quod calor ad cogitationes, vel aliarum partium officia obeunda reuocatus, nequeat ventriculi concoctioni seruire. Assumunt ergo illi falsum principium, somnum & vigiliam affectionem esse communis facultatis sentificæ, quippe cum non mutatione facultatis, nec passione aliqua, sed ob calorem vtrumque fiat: ex quo quidem sequitur, eos male colligere, somnum & vigiliam in ea parte fieri, in qua huiusmodi facultas principium suum habet. Nam etsi id etiam illis concedamus, scilicet ob ipsius communis sensus affectiones illas fieri;

Facultatem sensitiuam in somno nihil pati.

Somnum & vigiliam non esse affectionem communis facultatis sensitiuæ.

non tamen propterea sequetur, quod volunt, vel, inquam, in corde, vel in cerebro, aut alia denique parte fieri, à qua huiusmodi vis oriatur, spargaturque in vniuersum corpus. Nam aliud quidem est aliquid in alio fieri: aliud ab alio nasci, vimque recipere, & actionis principium sumere.

Sumunt enim omnia, quæ in hoc inferiori mundo continentur, vim suam à cælo, cum tamen nullum illorum dicatur in eo fieri, sed quædam in aere, alia in aqua, alia in terra gigni, esse fierique dicuntur. Fit prima concoctio in ventriculo, etsi calorem à corde ea pars sumit: Fit visio in oculo, auditus in aure, olfactus in naribus, gustus in lingua, etsi interim aliunde mittatur in ea sensoria sentiendi vis: Fiunt inflammationes & alii morbi in partibus laborantibus, tametsi aliunde humores, & morborum causæ veniunt. Fatetur quoque Auerrhoes, sensationes aliquas *exerceri* in cerebro, quod quid aliud est, quam *fieri*. Itaque cum hic quæramus non quid à corde, aut cerebro prouehiat, sed quid in illis fiat, non possunt hæ partes esse, in quibus fiant vigilia, & somnus, siue calor, siue facultas sensifica sit, quæ illa faciat: passiones enim eius sunt, quod illas recipit, vt ipse quoq; Aristoteles testatur, nempe motum esse in re, quæ mouetur, patitur, recipitque; non autem in eo, quod mouet, agit, mittitque in aliud suam vim. Nec mirum profecto, quandoquidem passiones sunt subiecti, dicunturque in eo esse, & fieri, non autem agentis: & ob id negat Arist. *in Topicis* somnum esse vinculum sensuum, quod in sensibus non sit. Errarunt igitur illi (meo quidem iudicio) quod quærentes locum, vbi somnus, & vigilia fiant, partem docuerunt, à qua mittitur, quod somni est causa: nam vtrumq; est totius animalis affectio, non cordis aut cerebri, non caloris, nec facultatis alicuius: si quidem animal ipsum, non vna duntaxat illius pars, vigilare, & dormire dicitur, quoniam vniuersum animal per somnum non sentit, per vigiliam autem sentit; tanquam in toto animali somnus sit, & vigilia, sintque illius hæ passiones. Quomodo enim alioqui diceretur ipsum vigilare, & dormire, si in cerebro, aut corde duntaxat somnus, & vigilia forent? quomodo diceretur sensus fieri in animali, aut non fieri, & in internis, externisq. partibus exerceri, si totus est in somno, & vigilia in vna tantum illius? nam & ipse Aristoteles somnum, & vigiliam non animæ, aut corporis propriam, sed communem, totiusq; animalis affectionem esse pronũciat, vt mirum sit, illum postea hæc constituere passiones primi sensorii, nec credere quidem oportet, ad hoc illa primo, & præcipue pertinere, animali vero secundario conuenire: nam si eo autore hæc non sint passiones sensus, eo, quod in sensu non sint, non erunt etiam illius partis passiones, vbi huiusmodi residet facultas. Si enim cerebrum aut cor considerentur vt partes, nulla facultate sensitiua prædita, ad illas non pertinebunt somnus & vigilia: si vero ponantur esse sensus fontes, huius ratione continget illis, vt locus sint somni & vigiliæ: id quod nequit alia ratione contingere, nisi quod hæc sint affectiones sensus, vt pote cuius ratione fiat, vt hæ partes sedes sint, & loci huiusmodi affectionum. At, vt diximus, Arist.

Inferiora omnia vim suam sumere à cælo.

Somnum & vigiliam non cordis aut cerebri, sed totius animalis esse affectionem, & propterea etiam in vniuerso animali.

negat somnum, & vigiliam sensus passiones esse. Addo, quod intelligi nequeat, quo modo secundario animali hæc conueniant: mirum enim est si dicamus, animal dormire, aut vigilare, eo quod primo cerebrum, vel cor vigilent, aut dormiant: quis enim est, vt diximus, tam ineptus, qui dicat, has partes vigilare, aut dormire? Ex quibus iam patere puto, somnum, & vigiliam nec communis sensus nec caloris passiones esse, etsi ab illis vtrumque fiat; *sed ipsius animalis: & propterea non in corde fieri, aut in cerebro, sed in vniuerso animali.* Atque, hæc Aristotelis & Galeni opinionem, quæ nititur eodem principio, quod est, somnum esse communis sensus, & loci, vbi hic est, & vnde oritur, passionem, refellunt.

Vt & nec cõmunis sensus nec caloris passiones.

B verum Gal. aliud etiam principium in hac re sequi videtur, dum ex remediis probare nititur, in cerebro somnum fieri; nam in ea parte, asserit, oportet somnum fieri, in qua impedimenta nascuntur, quæ prohibent ferri ad sensoria, quod vigiliam facit: Quod quidem fundamentum pariter falsum ostenditur; absurdũ enim est, in eo loco ponere sensuum quietem, & cessationem fieri, vbi agentis vis sistitur: quandoquidem, vt antea diximus, insensibilitates sunt partium, quæ non sentiunt, vt actiones, & passiones partium, quæ agunt, & patiuntur. Quod si Gal. rationem admittamus, nempe somnum fieri in ea parte, cui, cum adhibentur remedia, excitatur animal, cõtingit profectò, nõ semper in cerebro, C sed aliquando in corde, aliquando in venis, imo in ipso ventriculo illa fieri: nã quando ob ardentem calorem cordis in febribus vigilia nascitur, somnum certe conciliant potentissime remedia refrigerantia, quæ cordi adhibentur: In affectibus vero frigidis cordis, qualia sunt venena, quæ illius calorem extinguunt, multo

A magis proderunt ad soporem tollendum, restituendosque sensus, quæ cordi adhibentur calefacientia, quam quæ cerebro applicantur. Quando vero ob inediam sensus desinunt agere, oriturque somnus, cibus vigiliam pariet, non si quid aliud cerebro admoueatur, quoniam consumpta est calidi innati substantia, quæ regeneratione, & reparatione eget, si aptum fieri debet sensoriis, & reliquis partibus instrumentum: quod si vniuersæ venæ, & arteriæ, quæ in corporis sunt habitu, refrigeratæ sunt, ac caloris motu cessante, sensus pariter ociari coguntur, proderunt auxilia, quæ vniuerso corpori calorem adiiciunt: Vbi autem ex labore nascitur somnus, frustra tentabis eum discutere præsidiis, quæ alicui parti adhibeantur; quippe cum eo casu quiete opus sit, per quam calor sparsus, & dissolutus in partibus internis, colligitur, reficitur, augeturque ex materia, quæ illis in locis reperiri solet: tunc autem prosunt, quæ admouentur capiti in soporosis affectibus, *quando in cerebro est obstructio, vel compressio ventriculorum cerebri, vel frigus, quod densat, astringitque aut aliquid aliud, quod prohibet natiuum calidum ferri ad sensoria.* Ex quo quidem patet, quantum aberrent, qui in omni sopore & vigilandi, nec non dormiendi impotentia, succurrere nituntur remediis capiti admotis, quandoquidem (vt diximus) ob caloris præsentiam, & absentiam somnus & vigilia fiunt, non vna autem est ratio, non vnus locus, qui causa sit motus præsentiæ, & absentiæ huius caloris. Atque hæc quidem sufficiant de loco, in quo fit somnus, & vigilia; quantum nos assequi possumus.

Quando externa admota prosint in soporosis affectibus & quando non.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE CONSVLTANDI RATIONE

LIBER.

CAP. I.

De vtilitate huius tractationis.

COnsultandi, siue vt Vulgus vocat, collegiãdi ratio omnibus modis vtilissima est, ac digna profectò, in qua laborent ingeniosi, artisque nostræ studiosi. Nam ea nihil aptius inueniri potest in hac nostra facultate ad honorem, & fa- D mam comparandam; nimirum cum quisque in consultationib. possit ostendere, quantum in literarum studio profecerit, quidque medendi vsu sit consecutus.

Quamobrem sæpius videmus inscitiam multorum, qui pro doctis diu sunt habiti, astutiamque pro virtute, simulata eruditione, ignaris venditarunt, in consultationibus perinde detectam; vt postea famam omnem, quam immerito sibi parauerant, amiserint; aliorum vero virtutem, quæ antea suis studiis contenta, multis haudquaquam perspecta fuerat, aut fauore,

fauore, vel aliorum inuidia obruta delituerat, statim emersisse, ac dignas suas laudes recepisse: Nec mirum profectò, siquidem in consultationibus cognoscitur Medicorum doctrina, ingenium, modestia, multæque aliæ virtutes, quæ beneuolentiam hominibus comparare solent. Est præterea vtilis hæc facultas ad ingenii exercitationem, quandoquidem necesse est, Medicum, qui audientibus tot aliis doctissimis viris, In eisdemque studiis versatis, spectante etiam sæpius nobilium, eruditorumque virorum corona, de vniuersa sua arte nonnunquam dicturus est, sciat componere, & studio præmunire, vt & sua validissimis rationibus confirmare, & aliis nonnunquam firmis argumentis resistere, vel etiam illorum opiniones (si fortè à ratione alienæ fuerint) acriter refellere valeat. Ac non solum quidem Medicis, sed etiam ægrotis, aliisque omnibus, quorum causa consultationes instituuntur, magna ex hac re prouenit vtilitas: Ex bonis enim consultationibus bona resultant consilia, paranturque opportuna auxilia, spes quoque illis accrescit, acceditque obedientia, si prius non fuerat, dum vnius Medici opera regebantur, aut si hæc aderant, confirmantur, cum vident multorum consilio sibi deliberata esse vitæ præsidia, quibus contemptis, sentiunt imminere magna vitæ discrimina. Quo magis profectò mirari licet, neminem de hac re tantopere necessaria, quidquam hactenus literis mandasse, aut certè non satis expendisse, quid vniuersum hoc negotium postulet; dum breuia quædam, ac nulla arte cohærentia præcepta quidam (vt audio) de eo tradiderunt. Nec est, quod putemus, id ab illis prætermissum, quod per se quilibet, quod in hac re quærit, facilè inuenire posset. Nam cum de vniuersis medicinæ partib. sæpe sit in consultationibus tractandum; ac videamus omnes ferè Medicos de iisdem, diuersisque rebus nec eodem ordine, nec modo disserere, prorsus id ostendit, arte esse opus, sine qua nemo vnquam, quid rectè commodeve dicatur, intelliget. Quod si nihil aliud huius rei difficultatem ostēdere possit, id non obscurum est argumentum; quod doctissimi etiam homines putent hanc tractationem nulla arte posse contineri.

Tractationis difficultas.

De hac igitur re nos nonnulla trademus præcepta, quibus vel alios incitem ad meliora excogitanda; vel vt mihi materiam parem ad eadem aliquando maiore diligentia, & studio elaboranda. Ac ne temerè procedat nostra tractatio, certa capita in ea constituemus. Sic enim quilibet, quod cupit, facilius inueniet, & singula à suis fontibus ducta agnoscet.

Cap. II.

Quibus constet consultandi ratio.

Illud in hac re primum tradendum esse puto, de quibus rebus sit in consultationibus disserendum: Nam frustrà alia quæremus, nisi prius statuerimus, quæ & quot sint à nobis explicanda. Deinde cum de multis dicendum sit, Medicum perspicere oportet, à quo sit auspicandum, & in quo desinendum: Vbi enim ordo adest, omnia inter se arte certa cohærent, ac priora sequentibus lucem adferunt: Vbi verò sine ordine loquimur, omnia obscuriora redduntur, cōfunduntur q;. Dicunt quidem de iisdem rebus artis ignarus, & doctus: sed cum ille ignoret, quid primum, quidve deinceps poni debeat, corrupto ordine inscitiam suam prodit; hic verò seruata rerum serie, & omnibus suis in locis dispositis, quam habet ex arte facultatem, omnibus admirabilem ostendit. Quibus positis, duo sequuntur, *vt scilicet omnia probet certa aliqua ratione propositæ rei accommodata, & singula rectè pronunciet.* Nam si probatio rebus non adsit, aut instrumentis eius abutamur, aut denique aliter, quàm oportet, rebus probationes adhibeamus, generosum, & doctum, qualem fingimus, Medicum haudquaquam agnoscemus. Quod si in pronunciatione erratum fuerit, illa, quæ maximi alioqui sunt momenti, artificioseq; excogitata, gratiam suam amittunt. Ex quibus quidem patet, his quatuor vniuersam cōsultandi rationem constare; *materia,* inquam, *idonea, de qua dicamus; ordine, quo singula digeramus, suisq; in locis collocemus; apta probandi ratione, & elocutione.* Nam etsi alterius facultatis videtur esse præcepta tradere de elocutione, quoniam tamen artem nostram inter alias omnes præstantissimā quorundam scurrilitate hac de causa infamari video; placet id tractationis huius quartum caput constituere.

Quatuor esse, quibus vniuersa ratio consultandi constet.

Cap. III.

De quibus disserendum sit in consultationibus.

In hac re plurimos sanè Medicos hallucinari videmus, cum de alienis à medicina, aut saltem à re proposita, vel de his, quæ nullius prorsus sunt momenti, temere disputant. Quosdam enim videas, vt docti appareant, ex Astrologia, vel Philosophia naturali, aut demum arte, in qua sentiunt se versatos, quædam proponere, quibus is, cuius gratia consultamus, nihil emolumenti est vnquam accepturus; quas quæstiones Galenus noster Logicas vocare solet, quod scilicet ad exercitationem, vel ostentationem faciant; nihil autem ad id, quod quærimus, consequendū pertineant. Sic ex medicina ipsa nonnulla vi quadam in consultationes sæpe trahuntur, quæ, vt à re, de qua agitur, sunt alienæ, sic illa vtilium considerationem impediunt. Agnouimus enim quendam, qui cum de temperamento ægrotantis dicturus esset, hinc sumpta occasione, quærere solebat, an daretur temperies in homine æqualis ad pondus; alium verò, cum de crisi mentio incidisset, vt Astrologiam suam ostentaret, proposuisse disputandum, an dierum decretoriorum ratio ex cœli, astrorumq; motu, vel potius ex morborum natura sumenda esset. Denique qui huius rei artem non tenent, dum ignorant, de quibus potissimum sit dicendum, tempus in his, quæ inutilia sunt, conterunt. Quo fit, vt illi, cum de auxiliis agendum est, vel iam tacere cogantur, vtpotè omnibus molesti, ne aliis scilic. locus negetur, qui postea dicturi sunt, vel ea temerè colligant necessaria præsidia, quæ habent in vsu, minimè ad eorū inuentionem ex superflua, & inani illa sua ratiocinatione adiuti. Quod quidem nō faciet, qui intelliget, quæ sit apta consultationum materia. In

his tamen, de quibus differendum est, non equidem impedio, si quis nonnulla aliquando diligentius expendat, aut quæ adhuc sunt controuersa, explicare velit, aut etiam attingere cupiat quorundam opiniones, qui aliter de ea senserint: Hæc enim si moderatè fiant, vbi oportet, & adsunt docti auditores, qui, quod est exactum in rebus, audire cupiunt, consultationes reddunt longè doctiores, iucundioresque. Nam professoribus, qui præsentibus suis studiosis dicunt, plus aliquid, quàm aliis in hac re concedendum esse puto, censeoque plurima illis conuenire, quæ reliquis sunt fortè vitiosa. Sunt porrò ea, de quibus in consultationibus differendum est, duo in vniuersum. *finis*, inquam, *& ea, quæ ad finem consequendum referuntur*; Præter hæc alia omnia sunt superuacanea, temereq; adferuntur. Fines autem *duo*, qui in consultationibus proponuntur, *cognitio, & actio*. Nam aliquando petuntur Medici consilia, vt cognoscamus, quis, qualisve sit præsens corporis status, vel futurus euentus, aut quid præcesserit, vel aliquid aliud ad præsentia, præterita, vel futura pertinet, quod in sola cognitione positum est, nec præterea à Medicis auxilia requiruntur; quæ etsi rarò in vsum veniunt, tamen horum causa consultationes quoque instituuntur, nec à nostra tractatione reiici debent, quæ artem aliquam postulant. Quærunt enim aliquando parentes, an eorum liberi sint vitales, & salubres, vel ante iustam ætatem morituri, aut futuri morbosi: Sunt, qui scire cupiunt, qualis sit eorum natura, & temperies; alios aliud capit desiderium, aliquid de se, suisque cognoscendi. Cæterum actiones, siue officia, quæ Medicus exercet, ex generalibus medicinæ partibus ortæ sunt, vt *alibi* ostendimus, conseruatio, præseruatio, curatio, mitigatio, & restauratio. Quicquid enim molitur Medicus, id facit, vt vel tueri præsentem sanitatem, vel præcauere morbos imminentes, aut præsentibus mederi, vel symptomata lenire, aut conualescentes restaurare (sub qua parte senum tractationem comprehendo) arte aliqua commodè possit, & horum potissimum causa Medicos consulimus. *Agendum ergo de his in consultationibus, quæ faciant ad illa consequenda, quæ vt diuersa sunt, ita diuersa, nec numero eadem esse oportet, de quibus sit differendũ.* Nam de aliis agendum est cum nobis proponimus cognitionem circa opus aliquod; de aliis verò, cum præsidia expetũtur, quibus possimus conseruare, præseruare, aut aliud ex prædictis officiis exercere. Necnon peculiaria quædã etiam genere discrepantia consideráda sunt in curatione, vel conseruatione, de quibus superfluo in aliis ageretur. Quamobrẽ necesse est proponere vnumquemque finem, & media inuestigare, quæ in eum referantur.

Duo esse in vniuersum, de quibus in consultationibus sit differendum.

Quot fines in iisdem respiciendi.

Cap. IV.

De quibus differendum sit, cum ponitur finis consultationis cognitio.

DE his solum hic esse agẽdum, quæ ad scientiam, cognitionemque rei propositæ faciunt, omnibus constare puto: sed diuersa quoque hæc statuuntur pro finis differentia: Alia enim spectanda sunt, cum aliquid, quod fit secundum naturam, dignoscere volumus; aliud verò, cum petitur cognitio de eo, quod est præter naturam. Diuersa præterea est præteritorum cognitio à præsentibus, aut futuris rebus. Ac in vnoquoque pro rerum discrimine, quarum cognitio quæritur, de certis rebus pertractandum. Alia enim salutem, aut mortem præsagiunt; alia morbi longitudinem, aut breuitatem: alia rerum causas; alia effectus ostendunt. Commune tamen singulis est, quod ex signis suis vniuersa consideratio instituatur, & quibus naturam eius, de quo agimus, & denique quod quærimus, intelligemus. Est illud quoq. commune, quod omnis cognitio vel de re præterita, præsenti, vel futura proponatur. Quin & illud à nobis alibi ostensum est, vniuersa signa à quatuor fontibus duci, nempe à rei essentia, causis, effectibus, & proportione, siue cum aliis similitudine. Nec est, quod peculiarem hoc loco tractationem quispiam à nobis requirat, quando horum explicatio integrum opus postularet, quod de signis quatuor libris distinctum iamdudum edidimus: tamen rudiorum gratia obiter ostendemus exemplo, quod ars ipsa in hac re singulis promittit. Quærat ergo aliquis à Medicis, an is, qui morbo aliquo laborat, moriturus sit, vel euasurus. Dicet de hac re in consultatione Medicus, ita vt omnes signorum fontes consulat, & interim à certo principio auspicetur, quod huiusmodi esse potest. Quoniam de salute, aut morte nobis præsagiendum est: ideo breuiter de hac re dicam. Et quia morbos illos salutares fore credimus, quos vel natura, vel ars, expugnare possunt; lethales verò illos præuidemus, qui naturæ, artisque vires exuperant, ex signis colligo hominem hunc moriturum. Imprimis quod morbi genus sit febris, atque ea quidem putrida, vehemens, continua, maligna, cópósita, inordinata, inæqualis, quæque omnia tempora habeat longa, grauia, & apta, nataque sit ob certam quandam proprietatem perimere. Et si quæ aliæ à forma morbi, genere, differentiis, partibus, & proprietatibus notæ sumi possunt, in medium adferédæ. Postea verò fontem alium excutiet, qui causas continet. Erit enim lethalis, si morbus is, qui vitæ fontem, vniuersumque corpus occupauerit, penitus insederit; si ex bile æruginosa in corpore infirmo, cacochymo, & adstricto constiterit: Si validæ causæ illam pepererunt, subsunt verò infirmæ vires, quæ reluctari debent; Si nulla ab initio adhibita fuerint remedia, aut illa mala; aut si commoda, non tamen profuerunt; aut si non iuuant nisi maxima; aut si illa desunt, quæ sola prodesse possunt: Si aliæ adsunt causæ, quæ augent, fouentque morbum, vt aer ambiens, locus, animi perturbationes, & alia huiusmodi, quibus aliquando resistere nequeunt ægrotantes, nec Medici succurrere valent. Ac (vt semel dicam) ex generibus causarum signa petenda, quæ idem pariter monstrant. Quærenda postea sunt indicia, quæ ex affectibus petuntur: ex actionibus, inquam, excrementis, qualitatibus corporis, aut aliis operibus, quæ in eo peraguntur. Nam lethale est in febribus, si pulsus deficiunt, aut intercipiuntur, celerrimi, creberrimique euadunt: si continuum adest delirium, aut accedunt conuulsiones; vel languidis-

Signa morbi lethalis.

Signa lethalia in febrib.

guissimè mouentur membra, aut præter voluntatem ad pedes labitur, qui laborat, si non appetit, aut sitim non sentit; cum lingua est aspera, aut nigra, & excrementa penitus retinentur, aut præter voluntatem emittuntur, aut excernitur, quod corpori est familiare; vel plurimũ in qualitatibus sunt mutata: necnon cum frigent perpetuò extrema, interna verò vruntur, cutis liuescit, aut nigris liuidisque pustulis aspergitur, vel præter modum squallida, duraq; redditur: Hæc enim, & similia mortem præsagiunt ex febre. Postremò spectandum est, quid aliis euenerit, qui fortè eodem tempore morbo eodem laborarunt. Nam si omnes, aut plurimi perierint, consentientibus aliis notis, mortem præsagiemus venturam. Ac ex hoc vno exemplo instrui poterit rudior Medicus ad alia cognoscenda.

CAP. V.

De quibus disserendum sit, cum de actione aliqua consultamus.

QVot, & quæ sint Medici officia, alibi diligenter ostendimus: & id etiam paulo ante obiter commemorauimus. Verum quoniam multa in singulis officiis communia pertractanda sunt, ne cogamur eadem superfluo labore repetere; operæprecium esse duco, rem in vno patefacere, & singula diligenter pertractare, ex quo, quæ ad alia officia pertinent, nullo negotio intelligentur; à nobisque postea quadam veluti affinitate trahẽtur. Et quia ægrotantium beneficio potissimum Medicorum cõsilia quæruntur; in his placet expendere, de quibus sit dicendum. Nam non solum ea, quæ ad reliqua officia pertinent, hoc intellecto, facilè postea patebunt, sed etiam frequentius in vsum veniunt de ægris consultationes, habentq; hæ maiorem, quàm aliæ, difficultatem, adeo vt pleniorem artem expostulent, qua cognoscamus, quid conueniat; quidque alienum sit, doceat; etsi quæ inueterato errore sunt recepta, patefaciat. Inualuit etenim apud omnes ferè Medicos hæc consuetudo, vt cum de ægrotum salute deliberandum est, imprimis de ægri naturali temperamento, corporisq; structura, deinde de morbi natura, causis, signis, & postremò de curandi ratione dicant: idque eo (vt puto) persuasi de temperamento primum agendum esse censent, quod nemo intelligere possit, quæ obliqua sunt & naturæ contraria, nisi prius eo intellecto, quod est rectum, & secundum naturam. In qua re plurimum aberrare mihi videntur. Primum quod sæpius de temperamento temere agant. Cum enim nonnulli sint morbi, qui constante naturali temperie alia ratione affligunt, quales sunt, qui structuram dissimilarium partium, cõformationis, magnitudinis, numeri, compositionisque vitio labefactant, quid opus est (quæso) de temperamento, hic verbosius etiam, vt plerosque facere videmus, agere? Deinde si de eo agendum est, non tamen propterea primo loco dicendum; sed eo, vbi illius consideratio requiritur: Id, quod contingit, vel cum prædicere volumus, vel curationem instituere; quemadmodum optimè à Galeno est traditum: temperamentum scilicet & omne, quod est secundum naturam, conferre, vt cognoscamus, quantum à naturali statu corpus recedat. Ex quo postea, quid venturum sit, prænunciamus: Siquidem tantum periclitatur homo, quantus est hic recessus, & curationem instituimus remediorumq; quantitatem moderamur. Nam vsq; adeo intendi præsidia oportet, donec illa morbosis causis reddantur æqualia. Morbi verò, & alia, quæ sunt præter naturam, facilè sæpe cognoscuntur absque vlla explicatione status, qui secundum naturam est. Quis enim temperamenti naturalis notas requirat, vt agnoscat, febrem esse, quæ hominem tenet, cum idem per se omnibus pateat? Sic si contusa, aut luxata, vel vulnerata est pars aliqua, vel præter modum excreuit, aut in alio ex his morbis, qui proprii sunt instrumentis, vitium consistit, cognitio illius temperamenti mentionem haudquaquam desiderat. Quæ, si de seruanda sanitate similarium agatur, & necessaria, & prima fortè fuerit: si de instrumentariis partibus conseruandis sit tractandum, de structura illarum disserendum, de temperamento verò vel nunquam, vel tunc solum, quando conseruandi rationem quærimus, quæ absque tutela temperamenti fortè fieri nequit. Temere verò de naturali structura mentio fiet, cum de temperaturæ custodia deliberandum est; propterea quod ea nihil ad id confert. Quorsum enim hominis staturam, figuram, partium numerum, situm, & connexum commemorabimus, si præsidia solum expetuntur, ad conseruandam temperiem idonea? Ergo naturalium omnium consideratio nec in ægrotantibus, nec in aliis semper est necessaria, quandoquidem in sanis de temperaturæ tutela deliberare possumus absq; instrumentariis partibus. In ægris verò tunc requiritur consideratio eorum, quæ secundum naturam sunt, cum alia absque his dignosci non possunt: Sed ne statim, nec in omni re de omni agendum. Vbi enim de luxata parte restituenda in propriam sedem fortè deliberamus, ignoramusque, an ea exciderit à naturali positura, vel quale sit vitium, aut quantum, naturalis structuræ contemplatio iuuat, temperamentum verò minimè. Sic vbi membrum aliquod in magnitudinem excreuit præter modum, metimur, quantum sit vitium, contemplatione eius, quod sui generis est secundum naturam. Denique tunc solum commemorare debemus ea, quæ secundum naturam nobis insunt, quando alia absque his percipi nequeunt: Id quod nunc in rei ipsius cognitione, alias verò in quantitate, vel qualitate, aut alia ro est faciendum. Sunt enim aliquando minimæ à naturali statu euersiones, vt in lentis febribus apparet, de quibus cum dubium sit, an morbus adsit, vel non, cogimur expendere, quæ naturalia sunt sui generis; ex quo illud postea deprehenditur, quod alioqui intelligi non poterat. At si compertum sit, febrem esse, illud verò non pateat, quantus sit illius excessus; in hoc quod est obscurum, petenda est cognitio ab eo, quod secundum naturam est. Est tamen semper aliquid in ægrotis, quod sui tutelam per similia postulat; aliud verò, quod sui ablationem indicat, vtpotè naturæ contrarium. Nam vires ægrotantis in omni morbo tueri debes

Medicus; & alia omnia, in quibus vitium nõ est, vt corporis structuram, si sola febris vrget; quæ vitium est intemperaturæ, non autem instrumentariæ alicuius partis. Eodem pacto laborante vno membro, illi medelam adhibemus, reliqua verò, quæ sana sunt, similium vsu in suo statu seruare contendimus. Ex quo sequitur, de duobus omnino differendum esse, cum de ægris consultamus; nempe de eo, quod est secundum naturam, aut certè sui custodiam indicat; & de eo, quod præter naturam est, quod per contraria est abigendum. At cum illa diuersa sub se cõtineant, siquidem aliquid est in vtroque statu, quod ad constitutionem corporis pertinet, & in ea naturam suam obtinet, vt sanitas, & morbus; aliud, quod est illius causa, vt humor, obstructio, putredo, & alia huius generis: aliud demum, quod ad effectus pertinet, qui in his, qui præter naturam afficiuntur, symptomata dicuntur: De his ergo est agendum: sed (vt diximus) de eo, quod est præter naturam primo, & per se, de alio verò quatenus ad cognitionem alterius facit, aut sui custodiam postulat: quærendaque in primis est natura illorum, genus, differentiæ, & partes: sed quoniam illa sæpe latent, signa requiruntur, ex quibus, quod quæritur, dignoscamus. At cum ob causarum diuersitatem mutetur agendi ratio, tractationem suam postulant & causæ. Ipsa verò curatio, & reliqua Medici officia, quæ in restituendis ægris exercentur, rationem quandam exposcunt, ne temere quicquam fiat. Igitur (vt in vniuersum dicam) *de morbo, symptomatis insignibus, de signis illius, causis, & actionibus differere debet Medicus, cum de ægrorum salute deliberat.* Nam nonnunquam vocantur Medici ad morbum expellendum, vt febrem; nonnunquam ad dolorem mulcendum, aut somnum conciliandum vrgente vigilia: aut restituendas vires collabantes: aut ad aliud symptoma, quod vehementer infestet, leniendum. At cum dubium est, an purgandum sit, vel sanguis mittendus, aut ducenda vrina in ægris, consultationes instituuntur de abigẽdis causis. Integræ tamen consultationes fiunt, vt de omnibus deliberemus, quæ in ægrotante reperiuntur salutem impedire, & præter naturam affligunt. Nec plura habet præcipua capita hæc tractatio. Nam reliqua considerationem non habent distinctam, sed ad horum explicationem faciunt: status enim naturalis contemplatio locum habet, cum de certis signis agimus, vel alio loco, cum expendimus, quid admittant vires in propulsione eius, quod est præter naturam. Tantum enim custodiæ virium studemus, quatenus retenta vita morbosos affectus propulsare nobis licet. Agimus de victus ratione consueta, ætate, regione, cœli statu, sexu, animi moribus, & reliquis omnibus, quæ mutandi corpus nostrum vim habent; cum causas morborum illorumque excessum, & reliquas differentias quærimus. Locus affectus causæ rationem obtinet; symptomata alia signa fiunt: Scopi agendi, & indicationes ad actionem pertinent, & in eo capite locum suum inueniunt. Partium situs, connexio, figura, magnitudo, conformatio, & numerus suam habent explicationem; quando vel cognitionem instruimus eius, quod est præter

De duob. esse differendũ, quando de ægris consultamus.

A naturam, vel opus aggredimur: Diuersa siquidem præsidia ob illorum diuersitatem sunt necessaria: Sic sanè si quædam alia sunt, de quibus dicere solemus in consultationibus, prædictis capitibus ea inseruntur; ac de illis suo loco pertractabimus, docebimusq; quænam vno duntaxat loco, quæ verò in pluribus vim suam obtineant. Quæ verò de singulis capitibus propositis explicanda sint, postea docebimus, cum ostenderimus, de quo capite prius sit agendum.

Cap. VI.

Quo ordine singula sint digerenda.

B Cum de multis differendum sit in consultationibus, sequitur explicandum, de quo primum dicendum sit, quid verò alio loco deinceps pertractandum; id quod rei natura ostendet. *Nam id, cuius causa aduocantur Medici, primum locum meritò sibi vindicare debet.* Itaque si ad morbum abigendum accersimur, de eo primum dicendum erit, si ad symptomata lenienda, de illis primo loco disputabimus. Quod si de causis morborum tollendis deliberandum est, illæ primæ suam explicationem desiderabunt. At si nobis agendum sit de integra salute, & omnibus propellendis, quæ hominem vrgent, certè à morbo auspicari nos oportet; quoniam ad illum omnia alia referuntur: Siquidem C morbi signum, symptoma, causa, & curatio dicitur. Esto igitur (vt exemplo res doceatur) quod aliquis per febres laboret dolore capitis, qui lenitionem postulet, & huius causa conuocentur Medici, quid aliud (quæso) dicent, aut à quo auspicabuntur, præterquàm à dolore, cuius naturam, & vim expendent, remediaque proponent, quæ putant idonea ad eum mitigandum; temerè verò illi tentabunt de febris natura, & aliis symptomatis, aut causis, quæ reliqua mala pariunt, loqui. At si ad hominem liberandum ab omnibus malis, quibus molestatur, accesserimus; ineptè vel à dolore, aut ab humore molestante, vel ab occasionibus mali, aut à signis, vel curatione inci- D piemus; sed statim quærendus erit morbus qui infestat, & de eo disputandum, quid verò de eo dicendum sit, *sequenti capite* ostendetur. Secundo loco de symptomatis dicendum, quæ nos ad agendum mouent: nam quoniam sæpe morborum differentiæ easdem habent causas, quas huiusmodi symptomata, ne cogamur bis causas istorum repetere; præstat post morbos de symptomatis differere. Occurrunt deinde morbi causæ; cognito enim morbo, illiusque differentiis, & symptomatis, agnoscimus quoq; curatione opus esse: id quod cum fieri nequeat, nisi causæ tollantur, propterea de illis differere cogimur; quibus perfectis prædicendum est, & signa omnia colligenda, quæ euentũ morbi præ- E nunciant. Docet enim prædictio, an curandum sit, vel nihil agendum, siquidem morbos desperatos sola prædictione dignamur, aut certè nullo generoso remedio tractamus, ne ob infelicem euentum vtilia præsidia infamemus: eos autem omni ratione abigere aggredimur, qui operam nostram admittunt. Tunc enim commodè prædicere possumus, quæ futura sunt, nimirum

mirum cum ex natura morbi generibus, differentiis, symptomatis, partibus, & causis prognostica signa, vt & alia, sumantur. Hæc enim pro sua natura, magnitudine, paruitate, assiduitate, intermissione, benignitate, malignitate, simplicitate, compositione, æqualitate, ordine, & reliquis differentiis salutem, aut mortem, breuitatem, aut longitudinem morbi, solutionis modum, & omnis denique euentus rationem prænunciant. Quod si salutaris morbus dicetur, vltima pars, quæ curationem, causarumque remotionem docet, suum locum, suamque tractationem postulat. Sunt tamen nonnulla ex his capitibus, quæ mixtam & confusam cum aliis tractationem habent, eo quod ad illorum cognitionem assumantur: nam morbum dicere non possumus huius generis esse, aut ad hanc differentiam pertinere, nisi signa adferantur, quæ ostendant ita esse. Sic asserimus hanc, vel illam esse causam, ex suis signis ducta probatione, & ipsarum quoque causarum fit commemoratio, præsertim si procatarcticæ fuerint causæ: vbi ostendere volumus tum genus, tum differentias morbi. Dicet enim Medicus, hanc febrem esse putridam, quod cum rigore inuadat, quod sequatur sudores, quod eam putrefacientia commiserint: quod cum facit, causarum & symptomatum mentionem facit, quatenus hæc signa sint, & proinde non omnium signorum tractatio peculiare caput facit, sed eorum, ex quibus futura prædicimus; quippe cum reliqua duo genera toties veniant in vsum, quoties aliquid est ostendendum; causæ verò peculiarem habent explicationem; quando non vt signa, sed vt causæ constituentes, augentesque morbum considerantur, quæ postea magis patebunt ex singulorum tractatione. Verum antequàm id aggrediamur, refellenda mihi videtur quorundam opinio, qui ex inueterata consuetudine moti censent obiter omnia, quæ apparent in ægrotante, quæque ab eo gesta sunt, ex quibus morbum contraxit, ab initio esse commemoranda: Veluti si quis fortè dolorem lateris ex insolatione contraxerit, aut ex cursu, vel ex alia occasione, eam primum esse referendam iudicant. Quod ego nunquam probare possum: nam sic omnia omnibus miscetur, & sæpius coguntur eadem repeti: siquidem cum causæ postea quæruntur, occasiones quoque explicare oportet. Nonne (quæso) magis probabimus Medicum & cum maiore artificio vti putabimus, si accersitus ad hominem dolore lateris correptum, de natura illius doloris dicere incipiat, & postea proximas causas, ac deinceps occasiones doceat, quam alium, qui ab ipsis occasionibus exordiatur, atque ita causas eius, de quo nihil adhuc est dictum, inuestigare laboret? Sequamur ergo prædictam docendi rationem, quæ nihil temere ponit, & singula suis locis explicat.

Cap. VII.

De morbo quæ dicenda.

Paucos video scire, quid in hac re dicere expediat. Si enim fortè disserẽdum sit de pleuritide, ostendunt illi quidem morbum esse, sed eas omittunt differentias, quas affectus admit-

A tit, quæque curationem variant. Sunt, qui nec genus quidem affectus, de quo agunt, tentant docere, qui scilicet nihil elaboratum quærunt, sed in crassa quadam rerum cognitione consistunt: nam si hi fortè de vertigine, aut cholerica passione, vel tenesmo, aut insomniis, quæ hominem infestent, aut alio simili malo dicere debeant, solo nomine contenti, nequaquam ostendent, se vel de morbo, aut symptomate, vel morbi causa agere, quod tamen in primis ignorandum non est. Itaque si non constet, morbum esse affectum illum, de quo agimus, ob antiquorum varias de hac re sententias (veluti cum nonnulli apoplexiam morbum, alii verò symptoma scribunt esse) vt intelligatur, de quo

B genere mali agatur, rem ab initio distinguat, & ratione aliqua probet, quæ & sibi, & aliis fidem faciat. Quod si non constet, præter naturam esse affectum, vt sæpe in leuissimis, aut latentibus malis contingit, proponendum est, an illud huiusmodi sit, aut non, probandumque ex propriis indiciis, quod verius putamus. Nam accidunt nonnunquam & de his disputationes, cum vnus iam conualescere hominem, alius verò adhuc ægrotare contendit. Quo casu primum videndum, in quo statu sit corpus, quo comperto de natura illius, & loco affecto protinus agendum.

Ac vt exemplis res innotescat; Ponamus, hominem ob excedentem in corpore calorem

C decumbere. Dicet in hoc casu Medicus hominem præter naturam habere, cum nequeat solita vitæ officia exercere, & cum febre teneri, quæ cum sit aliquid præter naturam, necessariò inter morbos, vel causas morborum, vel symptomata poni debet: esse autem morbum, cum ab omnibus sit receptum, Febris nomine morbum significari; cumque Medici dicant, febribus deberi curationem, quod quidem solum morbis tribuitur, propterea eam non esse calorem præter naturam, sic enim causa morbi foret, sed ipsam intemperiem, & eam quidem calidam, non autem siccam, eo quod omnis febris ob calorem labefactat actiones: Siccitas verò etsi in omni febre, vbi materia penitus non

D repugnat, adest, non vsque adeo tamen in omnibus intenditur, vt illius ratione actiones offendi ostendere possimus. Quod cum accidit, vt in marasmo, iam non solum esse febrem, sed præterea siccum affectum, qui hominem cum febre vrget, dicimus: quemadmodum febres pestilentes non solum in febre, & temperie vitium habent, sed etiam in tota substantia, quod docent medicamenta illis accommodata, quæ non tam refrigerando, & humectando, quàm quod vniuersa substantia repugnent, illis medentur: ex quo fit vt duplex quoque in illis sit affectus, febris scilicet, & morbus in tota substantia. Est igitur febris intemperies, & ea calida solum, id est, in qua calor præter naturam exu-

E perat, natiuumque corrumpit, non quod duo calores in febricitante poni debeant, vnus secundum naturam, qui nutritionis, sensus, motus, & aliarum omnium actionum, quæ in viuente exercentur, sit causa, alter verò præter naturam, qui febrem constituat, & omnia destruat, quæ in homine fiunt, sed quod vnus sit plus, quàm naturalis status postulet,

Omnem febrem ob calorem læsas facere actiones.

Febris quid.

auctus, qui cum plurimum excedit, omnes naturæ functiones euertit, prorsusque inutilis, & præter naturam censetur; qualis est, qui gangrenas excitat in partib. & alias quascunq; putredines. Cum verò certa quadã mensura exuperat, non prorsus inutilis redditur ad coctiones peragendas, & alia obeunda munia, quæ ad hominis salutem pertinent: propterea dicitur esse mixtus in febre, & suppurationibus calor ex naturali, & eo, qui est præter naturam: non quod duo diuersi calores sint mixti, sed quod ita vnus exuperet, vt nec planè agere possit secundum naturam, sicut contingit, cum animal valet, nec prorsus præter naturam, vt in putredine accidit; Verum mixta opera efficiat, plus, vel minus vtilia animanti, prout plus, vel minus à naturali statu recedit. Est autem febris similarium partium morbus, quoniam intemperies: nec obstat, quod lædat actiones instrumentorum, quoniam non quicquid lædit functiones partis, illius morbus est; Sed quod est vitium in ipsius constitutione, & compositione. Ac ne similarium omnium, totiusque corporis, sed cordis duntaxat morbus est febris, quandoquidem per accessiones, quæ cum rigore inuadunt, & in epialis, ac lipialis, necnon etiam in ardentibus nonnullis febribus extrema frigent immodicè, Solum verò cor, & partes illi vicinæ calet. Quod si postea in plurimis febribus calor expanditur à corde in vniuersum corpus, non propterea totius corporis febris passio dici debet; sicut nec syncope, nec stupor, aut resolutio: Quorum illa cordis passio, etsi interim vniuersæ actiones corruunt; hæc verò neruorum mala sunt, & dicuntur: quanquam postea reliquæ partes, quæ vim sentiendi, & mouendi à neruis recipiunt, mali sociæ euadant. Quod si quis dicat, nec cor ipsum perpetuo calere, quando homines, qui ex febre moriuntur, frigidum expirant: & per initia accessionum pulsus parui eduntur; is planè errat: cum in his, qui frigidum expirant, dum moriuntur, amplius non sit febris, sed frigidus morbus ex caloris dissolutione natus: vel quod ob defectum spirituum transmitti nequeat calor, qui cordis substantiam occupat. Pulsus verò initio accessionum parui eduntur, non quod calor non exuperet in corde, sed *quod refrigeratæ sint arteriæ recedente calore ad interna viscera.* Atque ex hoc illud quidem sequitur eos errare, qui ponunt morbum in permanente quadam dispositione, siue (vt aiunt) in facto esse: nam cum *febris omnis substantia, partiumque similarium ipsius cordis sit passio*, si morbus omnis esset ponendus in facto esse, sola hectica febris esset; Siquidem in aliis humores, & spiritus sunt excalefacti, substantia verò cordis est in ipso calefieri. Lædit porrò febris omnes functiones, naturales (inquam) vitales, & animales, *propterea quod commune illarum instrumentum, nempe calor natiuus in omni febre læditur.* Ex quibus quidem patet, quæ ad essentiam ipsius febris pertinent: Docuimus enim morbum esse, non causam morbi, nec symptoma, cum nec actio læsa, nec excrementum, nec qualitas aliqua sit ex primis nata; Et eum quidem morbum esse similarium partium, & simplicem, solo scilicet calore excedente; & qualis sit huiusmodi calor, & cuius sit

Febrem esse morbũ partium similarium.

Non omne, quod lædit functiones partis, illius esse morbũ.

Febrem non esse passionẽ totius corporis, sed solius cordis.

Pulsus cur per initia accessionũ sint parui.

Non omnem morbum esse ponẽdum in facto esse.

Facultates omnes per febres lædi, & cur

A passio ipsa febris, quasque actiones lædat. Ex quibus omnibus potest elici huiusmodi definitio: *Febris est intemperies calida præter naturam in corde omnes actiones corporis lædens.* Poteritq; Medicus hoc vno exemplo intelligere, quo modo de essentia cuiuscunque affectus, morbi præsertim, sit disputandum, si res controuersa sit: nam vbi illa patet, frustrà laborandum non est. Ac post essentiam genera, differentiæ, & partes morborum explicandæ.

Febris quid

Porrò differentiæ enumerandæ nõ omnium morborum, sed quas præsens recipere potest, & quæ curationem mutant. Docendum enim est, si fortè de febre aliqua dicendum sit, quod morbus sit similarium partium, cum sit intempe- B ries, quod ea calida; quod diaria, vel putrida, vel hectica, quod est genera docere; quod sit continua, vel intermittens; simplex vel composita; benigna, vel maligna; magna, vel parua; acuta vel non acuta; ordinata vel inordinata; æqualis vel inæqualis, ex hac vel alia causa nata; mordax ad tactum vel mitis; & similia; quod quidem est differentias, quæ præsenti malo cõueniunt, commemorare. Neque enim eædem in omnib. locum habent, & quæ habent, haudquaquam prætermittẽdæ, quæ ad curationem, & prædictionem faciũt. De partibus verò morbi ignorandum non est, an in prima parte siue principio sit, aut in secunda potius, id est, augmento, vel in vigore: aut iam remissionem, C id est, vltimam obtineat, quando item inceperit, & quandiu durauerit. Nec omittere oportet explicationem partium temporum; videndumque, an aliquas accessiones habeat, & quales, an scilicet longas, vel breues; graues vel leues; ordinatas, vel ordine carentes; æquales vel inæquales; vno vel alio modo, aut tempore inuadentes, increscentes, vigentes, & declinantes. Quid item in omni parte fiat; quomodo in febribus incipiat, an cum horrore, vel frigore, aut vomitu, aut alio modo, quando incipiat calor emergere, quamdiu duret horror, quando incipiat sudor; an cum vigilia, vel syncope, aut alio symptomate vrgeat; quoque tempore hæc infestent, an scilicet ab initio vel incremen- D to, aut in vigore, aut declinatione accessionis, aut per vniuersam accessionem hæc perdurent; quo modo desinat accessio, an per excretionem vel coctionem, vel aliter, an ad purum interuallum perueniat; an potius aliquid semper relinquat ex priore accessione; quænam partes longiores, principiumne, an incrementum, an vigor, vel declinatio. Eadem vel similia in singulis accessionibus pro illorum natura notanda. Hæc enim omnia viam parant ad prædictionem, & curationem: quæ nisi pateant, signa adferenda, quæ persuadeant, quod asserimus. Dicet ergo Medicus, exempli causa, si fortè in semitertianam febrem inciderit, febrem hanc esse putridam, compositam, magnam, cõ- E tinuam, sed quæ exacerbationes habeat inæquales, longas, ordinatas quidem, sed confusas, graues præsertim alternis diebus, quæque cum horrore, vel etiam solo frigore, vbi scilicet notha est febris, inuadant, item quod calor illarum difficilè emergat, longumq; sit accessionis principium, & incrementum; declinatio verò sæpe sequatur cum leui sudore, grauis autem sit vigor.

Quomodo differentiæ morborum exquisitè sint enumerãdæ & quo constituendæ.

vigor. Denique vniuersam illius naturam depinget, illiusque omnes differentias percurret, quas obtinet, vt Febris huiusmodi est; & quas postea recipit, vt ab aliis semitertianis discrepat; afferetque indicia, quibus probet & eam semitertianam esse, & omnes eas differentias recipere. Cæterum de loco affecto etsi pertinet ad partem, quæ de causis agit, tractare, quando pars affecta causa quædam morbi est, tamen quoniam vix illius mentio prætermitti potest, cum morbi genera differentias percurrimus; Ideo opportunum est hic expendere, quænam sint de eo commemoranda. Quæret itaque Medicus, an vniuersum corpus, vel quædam, aut vna duntaxat pars laboret, quid primario, quid secundario, quid proprie, stabilique affectu ægrotet; quid vero leuius in corpore afficiatur, quiue morbi sit veluti focus; illudque expendet, an in parte principe, & nobili, vel saltem publicum munus in corpore obeunte, vel potius in his, quæ reguntur ab aliis nullamque dignitatem obtinent, vel etiam sibi soli seruiunt; an in externis vel internis, superioribus, vel inferioribus partibus; vbi denique morbus consistat. Ac vt maneamus in exemplo de febre, age quæramus locum, vbi humores putrescant in febribus intermittentibus, an scilicet in habitu corporis, vt vulgus Medicorum putat; an potius in venis ipsis (vt nos credimus) vel etiam in corde, vt ratio docet. Nam si aliter fieret, vrina non posset febrium intermittentium tempora docere; siquidem ea, Galeno autore, *libro quarto de Sanitate tuenda*, index est coctionis, & cruditatis humorum, qui in vasis, nequaquam vero eorum, qui in habitu corporis continentur: scribitque *in libro de Differentiis febrium* sedimentum vrinarum esse tanquam cinerem humoris ex putredine, & coctione, quæ in venis fit, derelictum. Temere præterea in his febribus adhiberemus remedia, quæ ad obstructiones internas faciunt; nec opus esset venam secare, aut locus illis daretur commodior, quando satis esset externos meatus aperire: ex quorum densitate, & constrictione calor in habitu augeretur, & putredo fieret. Ad hæc quomodo fieret vomitus incipiente accessione, aut accessionem ipsam, vniuersamque febrem non solum vomitus, sed alui fluxus, & vrinæ copia finirent? quippe cum nequeat alius humor per eas partes euacuari, quam qui in partibus internis, aut in vasis continetur. Nonne & illud quoque accideret, aut omnes, aut certe biliosas febres intermittentes, soluta prima accessione, nequaquam redire posse? Si enim ex humore contento, putrescenteque in habitu corporis febris nascitur, illeque excutitur præsertim in tertianis in prima accessione, adeo vt nihil relinquatur, quod purum interuallum ostendit, quænam relinquitur bene affectis internis partibus, nouæ accessionis causa? id quoque alia ratione confirmatur, quod id nequeat esse omnibus intermittentibus febribus commune. Nam vt bilis ob tenuitatem facile per vniuersum corporis habitum spargitur, sic certe pituita, & melancholia, vt crassi, & viscidi humores, nequeunt spargi per exigua ea spacia, carnemque ipsam, & illic putrescere, vt illi volunt. Cur & lassitudo omnes tertianas non comita-

A tur, cum ea, quæ vlcerosa dicitur, ex humore bilioso per carnem sparso fieri putetur? cur tumores à pituita illic contenta in his, qui quotidiana laborant, perpetuo non nascuntur? Sunt & multa alia argumenta, & probationes contra hanc opinionem, vt in opere nostro de febribus aliquando ostendimus: Nec Galenus, aut alius antiquus autor nostræ repugnat sententiæ. Quod vero in febribus putridis nequaquam etiam pestilentibus putrescant humores in corde, facile probare licet. Nam alioqui sequeretur nunquam posse accendi febrem putridam incipiente putredinis causa à corde. Demus enim oriri putridam ex ira, aut ab alio cordis perturbatione; quomodo, quæso, aliter [illegible] pu-

Etiam in nō pestilentibus putridis humores [illegible] *de* [illegible] *re.*

B trida hæc febris, quam quod putredo incipiat à corde? Nam quod putrida fiat à vapore putrido ab humore putrescente eleuato, & ad cor perueniente, verum quidem est in his febribus putridis, quæ ex inflammationibus nascuntur: at in aliis, quæ ex obstructionibus proueniunt, aut ex cordis affectibus oriuntur, alia excogitanda ratio est, quæ nullo modo constare potest, nisi ponamus, in humoribus corde contentis putredinem esse. Præterea cum humores sint in corde longe calidiores, quam in reliquis corporis partibus, facilius autem quod calidius est aliis, putrescat; cur reliquarum partium humores inuadet putredo, eos vero, qui in corde sunt, haudquaquam attinget? Deinde si febris C est tantummodo, cum aliquid præter naturam est calefactum in corde, erit profecto putrida, cum aliquid erit in illo putrefactum. Quomodo enim (quæso) alioqui potest esse febris putrida nulla re putrescente in corde, in quo fons, & locus est febris? Nam vt solidas partes, spiritus, & humores calefieri oportet, vt hectica, diaria, vel synocha fiat, sic sane oportet humores putrefieri in illo, vt putrida nascatur. Sunt & aliæ à nobis adductæ in eo opere rationes, quas hoc loco superfluum est adferre: nec aliquid obstat nostræ huic opinioni. Non enim propterea necesse foret omnes putridas pestilentes fieri; si putredo in corde ponitur, nimirum quod non putredo humorum in hoc, vel illo loco pestilen-

Omnes febres putridas putredinē suā habere in corde. Vnde febris pestilens.

D tem, aut alterius generis putridam, sed *diuersa putredo* faciat; quod & alibi ostendimus. Nunc vero satis sit obiter docuisse locum putredinis in febribus intermittentibus non esse in habitu corporis ponendum, sed in vasis ipsis, vbi vniuersi humores continentur. Habent tamen singulæ febres intermittentes suum focum, à quo scilicet materia suppeditatur apta ad febriū singularum generationem. Atque ex hoc patet, *vniuersum corpus per febres putridas affici, maxime tamen, & præcipue cor, internaq; vasa, & febrium singularum focos; reliquas vero partes leuius laborare, nec primario, & secundario* lædi, atq; etiam in ipso corde per huiusmodi febres humores maxime, & primo pati; solidas vero partes minus, E & per consensum. Quod exemplum regula esse poterit ad ea explicanda, quæ in singulis de loco affecto superius adnotanda esse diximus. Quæ quidem ad prædicendum euentum mali, & ad remedia idonea excogitanda viam parant, & Medicum instruunt.

Putredinem intermittentium non esse in habitu corporis, sed in vasis.

Cap. VIII.

De symptomatis quid dicere oporteat.

SYmptomata quædam sunt, quæ, quoniam morbum necessario sequuntur, nullam peculiarem tractationem in consultationibus requirunt; vtpote, quæ tanquam signa considerentur: alia vero sunt, quæ morbi vehementiã, morem, & nonnullas alias differentias comitantur; quæ cum vehementer ægrotos vrgent, Medici operam sibi peculiarem postulant, de quib. in consultationibus vel separatim, vel cum de morbis, quibus hæc sunt coniuncta, agimus, dicendum est. In quibus illud est obseruandum, quod paulo antea de morbo notandum esse diximus. Nam imprimis symptomatis, de quo agimus, natura, deinde genera explicanda, postea vero differentiæ commemorandæ, quærendæque causæ, ac postea videndum, quid præsagiant futurum: Postremo tradenda ratio est, qua leniri, abigique valeant: quæ omnia suo loco docebimus. Nunc enim ea, quæ ad naturam, genera, & differentias symptomatum pertinent, quæque de his in consultationibus dicere oportet, solum tradere institui.

Symptomatum genera quot.

Sunt porro symptomatum omnium *duo* genera; actio, inquam, læsa, & opus præter naturam. Actio quædam naturalis, alia vitalis, alia animalis. Opera, quæ inter symptomata ponuntur, quædam ad qualitates corporis, quæ secundæ vocantur, pertinent (nam primæ morbos cõstituunt.) Alia ad excremẽta; alia ad humores referuntur. Ac in vnoquoque symptomate genera mali, vt diximus, expendenda. Veluti si actio est, de qua agimus, videndum est, an sit abolita, debilis, aucta, siue corrupta, aut tristis. Id quod perspiciet, & probabit eo intellecto, quod sub vnoquoque vitio continetur: de qua re nos *in libro nostro de generibus, & differentiis symptomatum* abunde & diligentius fortasse, quam alii, qui hactenus scripserunt, egimus; vbi docuimus, debilem vocari functionem, quæ nunquam, vel longiore tempore perfectionem operis sui assequitur, vel illud ob infirmitatem intermittit, aut confusa est, aut paulatim agit ea, quæ confertim sunt obeunda, vel post iustum tempus opus aggreditur, vel segnius agit, posteaquam rem est aggressa, vel rarius facit, quod sæpius fieri oporteret. Deprauatam vero intelligimus esse, quæ ignorat an agendum sit, vel non percipit res, quales sunt, vel rem vnam pro alia facit, vel corruptam qualitatem rebus inducit, vel inordinata est, aut intercepta, vel alio modo inæqualis, quæque per partes obitur, per quas non debet, aut certe per eas exercetur, quæ suam figuram haudquaquam seruant. Pertinent ad tristem, & præter naturam iucundam actionem, dolor, & voluptas, aut certe huiusmodi operationem hæc tanquam passiones sequuntur. Cæterum ad auctam actionem contraria vitia spectant, his, quæ ad debilem pertinere sunt dicta. Iam vero abolitam functionem intelligimus, quæ vel nunquam restitui potest, aut quæ sensibus abolita apparet; omnem tamen potentiam redeundi ad naturalem statim haudquaquam amisit. Itaque si forte de soporosis affectibus dicendum sit, adfert Medicus sibi proponi symptoma actionis animalis, nempe sensitiuæ facultatis, quod quidem est in excessu quodam, & proinde in actione aucta collocandum. Ac quoniam plurimæ reperiuntur in hoc genere differentiæ, proprias explicabit, an scilicet lethargus sit, vel coma aut cathaphora, vel carus, vel catoche, siue catalepsis; inuentaque propria differentia generaliore, alias deinceps quæret, quæ in singulis affectibus reperiuntur. Veluti si coma fuerit, docendum erit, an illud sit profundum, vel vigilans, aut quod tenues somnos habet, & sic de reliquis. Quod si hæc ad genera potius referre velis, quam ad differentias, relinquentur iam differentiæ explicandæ. Notandum enim erit in sopore, an continuus sit, an potius per interualla vrgeat, an grauis, vel leuis, an solus, vel cum aliis effectib. coniunctus, an certis periodis repetat an potius temere inuadat. Quo item tempore morbi, & accessionis magis vrgeat, minuatur, vel desinat: et si quæ aliæ reperiuntur in singulis vtiles differentiæ, nequaquam illæ sunt prætermittendæ.

Quid in vnoquoque symptomate in consultationib. expendendum.

Quid de actione proferendum.

Quid de dolore.

Eodem pacto si de dolore forte agendum sit, quoniam in controuersia ponitur, an actio sit, & ea deprauata, poterit medicinæ professor discipulorum adstantium gratia quædam de hac re diligẽtius in consultationibus proferre, vt quod verissimum, & exactum in re, tandem intelligatur. Ac ne in nomine diutius hæreat, inprimis explicabit, quonam modo doloris nomen sumere velit; an scilicet pro dispositione dolorifica, an vero pro dolore ipso; prout scilicet omnes communi quodam conceptu dolorem intelligunt, errareque illos docebit, qui dolorem nunc pro actione, siue actu, quo dolemus; nunc vero pro eo, quod sequitur actionem, sumi putant, cum duæ priores illę significationes duntaxat apud Philosophos, & Medicos reperiantur: fingi quidem potest aliquid in hac re; aut similitudines quasdam adferre licet, non tamen propterea ostendere vnquam illi poterunt, dolorem sumi pro actu, quo dolemus. Non enim si aliud quidem dupliciter dicitur, ita licet ex illo efficere, doloris quoque nomen duplici eo modo sumi; quando non ex similitudine duplices significationes, sed ex vsu loquendi mutuandæ sunt. Quod si concedere velimus, alios autores eo modo dolorem vsurpasse; illud certe nunquam ex Galeni opinione ostendent, qui in *multis Commentariis Aphorismorum*, & ex doloris differẽtiis, & remediis, ac causis, aperte testatur, nõ aliter se doloris nomen intelligere, quam vel pro dispositione dolorifica, aut pro eo, quod voluptati opponitur. Quod si ita est, temere ille defenditur, cum reprehenditur, eo, quod dixerit, dolorem esse actionem læsam, cum sit passio, & molestia, quæ actionem læsam sequitur, aut quæ in ipsa actione percipitur. Atque hanc nostram opinionem tum Galenus ipse (vt in opere nostro ostendimus) sequitur, & ii, qui eum defendere volunt, comprobant, cum eũ tandẽ deserant, quẽ se defensurum erant polliciti; nostramq; amplectantur sententiã; nec possint vnquam respondere Gal. locis, vbi idem, quod nos, sentit: nec ostendere, quo modo sit actio deprauata, si quis gratia illis cõcedat esse actionem læsam.

sam. Maneat ergo illud inuiolatum, *dolorem nunquam actionẽ esse deprauatam, sed eam passionẽ & molestiã, quæ ex actione nascitur, neque ex perceptione rei molestantis.* Atque hæc sufficiant de actionibus læsis, ex quibus discet Medicus in consultationibus definire singula vitia actionum, & sua tueri, & aliena confutare, quæ certis rationibus haudquaquam sunt confirmata.

Cæterum in excretionibus quædam explicanda, quæ pertinent ad excrementa, alia vero ad excretionis rationem. In excrementis quidem ipsis primo substantiam, deinde qualitates, tertio quantitatem, vltimo ordinem spectamus. Dicet itaque Medicus, sanguinem esse, pituitam, bilem, melancholiam, serum, pus, cibum, semen, lumbricum, pinguedinem; alui excrementum, ramentum, vasis portiunculam, sabulum, lapidem, vel aliud denique, quod excerni potest; atque illud ostendet vtile esse, & naturale excrementum, vel toto genere, vel alio modo præter naturam, idque vel sincerum vel cum alio mixtum: quod est substantiam, & differentias in ea repertas docere. Deinde pronunciabit, illud calidum esse, frigidum, siccum, humidum, durum, molle, acre, mordax, viscidum, friabile, crassum, tenue, lene, asperum, inæquale, & si quæ aliæ sunt qualitates tactiles, notabit: Expendet postea colorem, an nigrum, album, rufum, pallidum, rubrum, aut alio simplici colore, aut vario sit præditum: spectabit & odorem, an grauiter oleat, & quatenus vel nequaquam olfactum offendat. Quod si ex his fuerit excrementis, quæ sapore diiudicari possunt, vt saliua, sudor, aut pituita, vel sanguis, quæ per os reiiciuntur, quæret, an salsum, vel amarum, acre, aut dulce, insipidum, acidum, austerum sit, quod excernitur: Nec omittẽdum est, si cũ vomitũ aliquo, vel absque illo aliquid emittatur. In quantitate animaduertet, an multum, vel paucum, vel mediocre, sit excrementum. Illud vero ad ordinem spectat, quid prius, quid deinceps, & quid simul exeat. Plurimum enim refert, si prius sanguis, quam pus, vel vrina per pudenda, aut si stercus, antequam pus, vel humor per vlcera intestinorum euacuentur. Iam vero ad excretionis rationem spectant modus, tempus, locus, & qualitas excretionis. Spectat enim modum, qui quærit, an paulatim, vel confertim, an sæpius, an vna vice solum, an plus vna vice, quam alia quidpiam excernatur. Tempus habet multa notanda: Nam plurimum refert scire, an continue, vel per interualla fiat excretio. Quod si per interualla, an per certas accessiones, an potius incertas, & inordinatas excretiones moueantur: an in die decretorio, vel accessionis, vel alio, an in morbi vel accessionis principio, incremento, consistentia, vel declinatione, vel alio tẽpore fiat excretio, & an ea inueterata sit, vel recenter inceperit, an perseueret vel non, posteaquam cœpit. Præterea an statum emittatur excrementum, an longe postea quam irritatio aliqua incepit; veluti in dysenteria plurimum refert, an statim post tormina excernatur sanguis vel alui excrementum, an multo postea. Denique tempus, quo incepit, quo durat, & peragitur excretio, præterire nequaquá oportet. Locum vero cõsideramus per quẽ fit excretio, an scilicet per vterum, vel intestina, vel vesicam; an per narem dexteram, vel sinistram; vel secundum rectitudinem cum læsa parte, aut sine rectitudine per cõiuncta vasa, an per venam vel arteriam, an per locum naturalem, & consuetum, an per eum, qui præter naturam est, vel per aliam denique partem sanguis vel aliud quidpiam exeat. A quo, an scilicet à toto, vel partibus, vel parte dextra, sinistra, externa, interna, superiore, inferiore, anteriore, posteriore, principe, non principe, affecta, vel nequaquam laborante, à coniuncta, vel secundum rectitudinem posita, ac (vt semel dicam) à quo materia moueatur, ignorare non oportet. Expendimus & locum, in quem tendit, quod excernitur; an scilicet extra corpus, vt in sanguinis profluuio, & alui fluxu contingit, mittatur humor; vel in corpus, idq; vel in vniuersum, an in plures, vt in arthritide fit; an in vnam dũtaxat; in qua spectamus, an nobilis sit, aut certe quæ publicum munus exerceat, an ignobilis, superior, inferior, anterior, posterior, dextra, sinistra, exterior, interior, rara, densa, mollis, dura, solida, caua, ossibus, vel carne circũdata, aut alia ratione affecta. Cęterum qualitatem excretionis in hoc spectari dicimus, si facile, difficile, cum dolore, aut sine illo, spõte, vel arte fiat. Item si iudicata, decretoria, symptomatica, fida, infida, perfecta, vel imperfecta cum signis coctionis, vel absq; illis peragatur. Ac in nonnullis excretionibus quædam sunt proprie notanda: veluti in his, quæ per os reiiciuntur, refert nouisse, an spuendo, vel screando, vel tussiendo, vel vomendo, aliquid regeratur: quæ quidem ad excretionis qualitatem potius quam ad modum referenda esse puto. Dicet ergo Medicus, si de his, quæ per aluum excernuntur, agendum sit, sanguinem esse cum multa bile (si ita forte contingat) & ob id partim toto genere, partim vero sola qualitate, præter naturam esse excrementum: quodque vtrumque sit copiosum; calidumque sentiatur in exitu, & acre, & quod sanguis crassus, niger, bilis vero flaua atq; item crassa, nonnunquam vero mixtione serosi humoris pallida conspiciatur, & quod sanguis parum commixtus cum bile exeat: quodque grauiter vtrumque excrementum oleat, prius vero excernatur sanguis, quam bilis, & hæc confertim, ille vero paulatim, crebræ tamen fiant vtriusque excretiones; inter quas illæ maiores esse soleant, quæ assumptum cibum sequuntur; nullum seruari ordinem inter excretiones, sed eas aliquando anticipare, vel tardare, nec in aliis semper similes esse præsentes præteritis. Præterea quod inceperit excretio statim ab initio nullo pręcedente morbo, quod iam inueterata sit, in eodemque tenore perseueret, quod sanguis post leues dolores statim emittatur, bilis vero longe postea; quodque ille à crassis intestinis exulceratis, bilis vero ab hepate, vniuersoq; corpore prodeat, quodque sponte fiat excretio, symptomaticaque sit, quæque nihil fidum, perfectum cum signis cruditatis habeat; quod item difficile feratur, ac cum dolore ventris, & totius corporis molestia vigeat: quod febrem post aliquot dies intulerit, nec eam quodammodo lenem leuem. Hæc & similia commemoranda, quæ ex prædictis fontibus facile trahuntur, & singulisque casibus, prout res habet, recte

accommodatur. Quibus perspectis causæ explicandæ, & occasiones omnes commemorandæ, de quibus sequenti capite agemus. A

Quid de his, quæ in corpore retinentur.

Quapropter nunc ad ea transire opportunum est, quæ in corpore retinentur. In quibus quidem substantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, locum, modum, ordinem, retentioni'q; formam, & quandam qualitatem notare debemus. Nam quid, qualeve, & quantum sit, quod retinetur; quandoque illud incæperit cohiberi, & an continua, vel per interualla fiat retentio, & an statim nullo precedente morbo, an vero post ægritudinem aliquam cœperint detineri naturalia excrementa, perspectum habere necesse est, quemadmodum nec illud ignorare oporteret, in quo corporis loco cohibeantur, aut retineri cœperint, an in vniuerso scilicet corpore, vel in aliquibus, aut vna duntaxat parte, quarum conditionem expendere oportet, vt supra fecimus, cum de excretis ageremus. Modum considerabit, qui docebit paulatim, aut confertim, vel per vices factam esse retentionem. In hoc pariter ordo quæritur, vt intelligamus, si multa excrementa detineantur, quid primum, quidque deinceps cohiberi cœperit. Cæterum ad formam illud pertinere dixerim, si facilis aut difficilis, voluntaria, aut inuoluntaria; si symptomatica, vel naturæ prouidentia, vtilis denique, aut inutilis prorsus sit huiusmodi retentio. B

Quid de qua litatibus.

Iam vero ad ea accedo, quæ ad qualitates pertinent, quæ præter naturam sunt. In quibus pariter, vt in excrementis, primum expendet, cuius generis sit qualitas, an scilicet, ex his, quæ ad visum, vel gustum, odoratum, auditum, aut tactum pertinent, eaque simplex vel composita, & an illa vel toto genere, aut aliter præter naturam sit, expendet, explicabitque deinde speciem mali, an scilicet intensa sit, vel remissa, an deprauata, vel penitus abolita qualitas, quæ sanis corporibus est propria. Postea commemorabit modum, quo genita est, an scilicet paulatim cæperit, vel confertim inuaserit, an vna, & continua vice factum sit, quicquid est mali; an potius quod semel incæpit, aliis vicibus sit auctum, præterea non contemnet tempus, quo incæpit vitium, an scilicet inueteratum illud iam sit, an recens, an in morbi principio, vel incremento, aut consistentia, vel vigore; aut declinatione emerserit, an incæperit ipsum malum, an aliis potius successerit. Ac nec illud prætermittet, quod ad tempus pertinet, quo affligit. Etenim operæpretium est scire, an continue infestet huiusmodi qualitas, an per interualla, & ea quidem certa, vel incerta redeat, & quando id fiat, in ipso ne accessionis morbi initio, vel incremento, vel statu, aut remissione, aut in ipso interuallo, an cum natura excernit aliquid vel retinet, an alio tempore, an in diebus decretoriis, aut indicatoriis vel aliis incipiat, augeatur, vigeat, remittatur, aut alia aliqua mutatio in illa contingat. C D E

Ad hæc illud quoque notandum est, an statim emergat, vel paulatim, quoties redit qualitatis vitium. Postremo locum ignorare haudquaquam oportet affectum: Siquidem expedit intelligere, an vniuersum corpus, vel partem [...] quas ex illis occupet noxia qualitas, dextrasne, vel sinistras; superiores, vel inferiores; anteriores, vel posteriores; externas, internas; principes, & publicas; an ignobiles, & priuatas, & an omnes, quas infestat, æqualiter afficiat. Item in quo corporis loco primum fuerit conspicua, & à quo veluti à fonte in alia spargatur. Ac poterit studiosus lector ex morbo regio vel ex duritie, & gracilitate corporis, aut ex elephantiasi exempla sumere, in quibus recensere poterit, quæ superius adnotauimus, & se, aliosque exercere, ne cogamur nos, tot, tantisque exemplis tractationem præter modum augere.

CAP. IX.

De causis quæ dicenda.

His, quæ superius sunt dicta de morbis, & symptomatis, statim adnectendæ sunt suæ causæ; vt via paretur ad prædictionem, actionemque. Quod quidem ne temere fiat, protinus ab initio commemoranda sunt causarum genera, quæ tum in morbis, tum symptomatis generatim spectantur: videndumque cuius generis rationem singula, quæ causæ alicuius censentur esse, subeant. Nam cum in morbis formam, efficiens, instrumentum, materiam, subiectum, & causas cum quibus & sine quibus consideremus; plurimum refert hæc inter se distinguere.

Quid de his sit imprimis profitendum.

Quapropter docendũ, qualis sit propria cuiusque morbi forma: Alia siquidẽ est intemperaturæ, alia vero structuræ forma. Quæ præterea morbum gignat, constituat, augeat, foueat, & tollat, quid, q; eũ pepererit, occasionemq; dederit: quid item sit tanquam materia morbi, quid tanquam subiectum, vel vt instrumentum, & demum quid tandem sit ex causis, cum quibus genitus antea est, & nunc augetur, perseueratque, aut minuitur morbus. Deinde in singulis causis ab immediatis progrediendum ad remotissimas, laborandumque interim, vt omnes, quæ intermediæ sunt, enumerentur. Tertio ex vniuersa causarum multitudine, quæ ad eundem affectum generatim concitandum pertinent, reiiciendæ sunt, quæ ad rem non faciunt. Quare to certa rerum genera constituere oportet, è quibus tum aliæ nonnullæ, tum maxime effectrices, materiaque sumuntur. Postremo modum, & rationem docere oportebit, qua singulæ causæ, potissimum vero effectrices, eam, quam habent vim, exerceant: an scilicet per se, vel per accidens, an sola substantia, vel qualitate, vel quantitate, vel ordine, aut agendi modo, vel tempore, & mora, aut subiecti ratione, an primario, vel per consensum, an vt propriæ, vel communes, an vt internæ, vel externæ, vel vt coniunctæ, vel remotæ: item an actu, vel potentia sint causæ, vel alio tandem modo ea præstent, quorum causæ esse dicuntur. Ac vt exemplo rudioribus fiat res clarior; ponamus hominem senem crapulæ deditum, sanguine, & pituita redundantem, podagra solitum laborare, atque in illam hyberno tempore (cum forte liberalius prandisset, & equitando Aquilonis impetum tulisset) cum febre, & calore ve[...]

De quo speculandum sit causarum indicandis.

Exemplum.

rias esse causas, tumorem, inquam, pedum morbum constituere: Vt qui magnitudinem, structuram partis, & temperiem quoque vitiet; materiam vero morbi esse sanguinem, & pituitam; ex quibus tumor erigitur: Morbum peperit Aquilo, auget vero cruditas, humorumque copia: Eundem fouet partis, & vniuersi corporis imbecillitas, aerque ambiens frigidus: subiectum est pes dexter, aut sinister, aut vterque, & in eo vna pars magis, quam alia; si forte ita contingat, digitos grauius laborare, aut talum, aut malleolos, aut aliquam aliam pedis partem: Sunt quoque imbecillitas loci, & vasa latiora reddita ex consueta fluxione, causa cum qua facile recipiuntur, qui eo decumbunt humores. Quod vero sit dolor vehemens, causa petitur ex materia, quæ sanguinis ratione partem calefacit, & ob eiusdem, tum pituitæ copiam membrum maxime sensibile tendit. Quod autem diuturnus sit affectus, in causa est materia crassa, & copiosa, subiectum infirmum, crapula, quæ materiam suppeditat, aeris ambientis frigus, quod humorem digeri prohibet, exprimitque ad locum affectum. Est autem tumor immediata, interna, communis, actu, per se, quæ quantitate, & qualitate eorum, quæ in se continet, causa. hic vero ex humore collecto in parte natus est, collectio ex fluxione, hanc peperit aer in pleno corpore per accidens densando externas partes, exprimendoque ad internas, & eas potissimum, quæ pati sunt aptæ, & solitæ superfluam materiam recipere: Ex dolore vero & partis calore, arteriæ, quæ illic consistunt, præter naturam calefiunt, conceptumque caloremque per communitatem cordi communicant; à quo postea in vniuersum corpus per omnes arterias spargitur, atque ita febris oritur. Atque ex hoc quidem exemplo patet, qualis sit forma morbi, quidque illum constituat, foueat, augeat, quid interna, externa communis, actuque sit causa, quid item occasionem morbo dederit, quid per se, & per accidens, vel sua qualitate; aut quantitate obsit; quid item primario, & secundario fiat; quid præterea materia sit, quid subiectum quid tanquam causa, cum qua prędicta consistunt. Nec non patet progressus ab immediatis ad remotissimas; quidque primo, quidve deinceps, & à quo vnumquodque sit ortum. Quod si omnes podagræ causas referre placeret, illis reiectis, quæ ad præsentem casum non faciunt, licebit alias astruere, & comprobare. Quin & illud patere omnibus potest, tum efficientes causas, tum materiam ipsam ab his, quæ vel assumuntur, vel excernuntur, retinenturque, vel geruntur, aut extrinsecus afficiunt, sumi. Jam vero ad symptomatum causas accedamus: quæ cum omnes petantur, tanquam à generibus causarum vel a facultate, quæ actionis est causa, vel à communi, vel proprio instrumento, vel agente, vel fine, aut materia, aut à causa, sine qua non, nec omnes hæ causæ in omnibus symptomatis considerentur: Age ponamus exemplum vnum in omni genere symptomatum, & expendamus, quid in singulis postulet ea methodus, quam in causis obseruandam esse diximus. Proponantur igitur inter Actiones læsas appetentiæ deficientis, aut abolitæ causæ inuestigandæ. Dicet Medicus ad hunc modum [illegible] exordiens à certo quodam principio. Si fames est sensus alimenti deficientis, vel sensum huiusmodi sequitur, duas profecto oportet primas illius esse causas, sensationem scilicet & id, quod sensum afficit, quarum læsio appetentiam labefactat. Sic enim videmus delirantes nequaquam appetere alimentum, quoniam scilicet sensationem in ventriculo factam non apprehendunt. Quod etiam his contingit, qui contusum, aut aliter cerebrum habent affectum: adeo vt sensifica vis nequeat ad ventriculum ferri: necnon illis, qui propemodum mortuum sensum habent in ventriculo. Quare sensus requiritur, si fames fieri debet. Affici quoq; oportere sensum ex hoc cōstat, quoniam repleto ventriculo & potu, appetentia desinit; ideo scilicet non adest, quod sensum afficiat: Verū etsi affici oportet sensum, non tamen omnia, quæ id possunt præstare, ad appetitum faciunt: nam si ea re grauante, vel replente, aut mordicante, vel calefaciente, refrigerante, vel vulnerante, vel denique ab omni re, præterquam à vacuantibus, afficiatur, ingerendi alimenti desiderium nullum fiet, sed expellendi potius id, quod molestat. *Sola itaque vacuantia appetitum efficiunt*, siquidem id, quod replet, appetimus. At cum vacuari possit ventriculus à digerentibus, comprimentibus, & ab attrahentibus, siue sugentibus ab eo humorem, hæc omnia semper ad appetitum excitandum idonea esse nequeunt, quippe cum videamus per febres, æstiuumque aerem vniuersum corpus vehementer digeri, minui tamen appetentiam. Quamobrem ea solum ad appetitum faciunt, quæ perinde vacuant, vt temperiem partis, in qua facultatis robur residet, simul cum humore non dissoluant, sed eam conseruent, & tueantur. Sic enim frigida, acerba, acida, salsa, eo quod cōstringendo exprimant humorem à ventriculo, appetitum conciliare dicuntur: calor vero natiuus digerendo moderate, cum naturæ sit instrumentum, & venæ corporis inanitæ sugendo eundem humorem, appetentiam pariunt. Acria vero, & amara eandem vim habent, vbi pituitoso humore ventriculus abundat, adeo vt calidiore, vehementioreque remedio opus sit ad dissoluendum, & vacuandum. Verum ex prædictis appetentiæ causis efficaces, veræque sunt, quæ à natiuo calore venarumque suctione, vtpote à propriis innatisq. instrumentis sumuntur. Vnde videmus austera, & acida, quæ ingeruntur, nimium ad appetitum conferre, propterea quod parua, inæqualisque ab illis fiat euacuatio; pueros autem omnium [illegible] plurimumque appetere, eo quod [illegible] calore illi abundant: quod etiam his [illegible] sese mediocriter exercent: siquidem [illegible] exercitatione calor crescit: à frigidis vero humoribus, vt acida pituita, humoreque melancholico contentis in tunicis ventriculi, vel plus quam oportet, intenditur appetitus, vel ad absurda ingerenda excitatur: quando scilicet talis humor corruptam simul qualitatem obtinet, hinc [illegible] & canina fames nascitur. Itaque si prædictæ causæ ad appetitum faciunt, illis contrariæ eundem minuent, perdent, & corrumpent: quod & ratio atque experientia docent: nam si sensatio læditur, ad portionem læsionis appetitus quoque labefactatur. Lædunt autem sen-

Quænam vacuantia ad appetitum faciant, & quæ non.

Fames canina vnde.

fus vel læſa facultate, quæ ſenſum ipſum ventriculo largitur; vel ea, quę ſenſationes apprehēdit, & diiudicat, vel læſo inſtrumento, per quod demittitur ipſa facultas, vel ipſo vitiato ſubiecto, in quo hæc vis exercetur. Igitur per contuſiones obſtructioneſque cerebri alimentum non appetunt animalia, *quoniam facultas non influit à fonte læſo:* delirantibus vero deeſt appetitus, *quod illi ſenſationes, & alterationes, quæ in ſenſoriis fiunt, non apprehendant, nec diiudicent.* Senibus autem minuitur, quoniam obtuſior iam illis eſt ſenſus, deeſtque calor, qui humorem conſumere debet. Eſt porro inſtrumentum ſenſus neruus, qui cum obſtruitur, aut vulneratur, aut vinculis intercipitur, aut temperies, & ſubſtantia illius diſſoluitur, vel corrumpitur, rationi conſonum eſt lædi ſenſum illarum partium, in quas inſeritur: & proinde illius vitio, qui ad ventriculum peruenit, appetitum labefactari contingit. Cæterum ipſe ventriculus, & maxime illius os ſubiectum eſt, ſiue proprium inſtrumentum, in quo exercetur appetitus, qui cum patitur, noxam, vt cauſæ aliæ appetentiæ, infert: Sic enim febres peſtilentes perdunt appetitum, corrupta ſubſtantia, & forma illius partis; vel ob malignos humores genitos in ventriculo; vel aliunde ad illum confluentes; ex quo affectu emoritur facultas, quæ non niſi in certa temperie, & forma, ſiue (vt dicere ſolemus) tota inſtrumenti ſubſtantia vigere apta nata eſt. Eodem pacto ardentes febres, & immodica ſiccitas, aut frigus ventriculi, aliæq; omnes excedentes intemperaturæ ad exceſſus portionē vel deſtruunt, aut minuunt appetitum, diſſoluto temperamento neruorum, ipſiuſque ventriculi, cum quo facultas pari modo ſimul afficitur. Iam vero ad aliud genus cauſarum, quod ſenſum afficit, appetituſque eſt cauſa, pertinent illa, quæ vacuationes impediunt fieri. Si enim ex certa vacuatione appetitus oritur, neceſſe profecto eſt eundem offendi, ſi deeſt, quod vacuet, aut aliter, quam oportet, id faciat. Sic ſane otium, & frigida, humidaque corporis temperies inepta dicuntur eſſe ad appetitum conciliandum, quoniam otio non excitatur calor natiuus diſſolutionis autor, frigiditate vero temperaturæ minuitur, humoreque obruitur, atque hac ratione ſomnus longior, eo, quod calorem diutius in partibus internis detineat, plurimumque humorem ad eas conuertat, impediatque digeri corpus, inappetentiæ cauſa eſt. Vnde neminem videmus ſtatim à ſomno paratum eſſe ad edendum, nimirum, quod poſt illum requiratur vigilia, per quam calor ad exteriores partes commotus ſecum humores trahit, & ventriculum vna cum aliis viſceribus vacuat. Cui operi ſtatim ſuccedit alacris, inſigniſque edendi appetitus; labor vero, vigilia, cogitatio nimia, febres (vt antea diximus) vehementiores, & alia huius generis, quæ violentius corpus digerunt, diſſoluuntque partis temperiem, natiuumq; calidum, non minus, quā alia appetentiā proſternunt. In quo quidem exemplo iam patere poſſunt, quæ generali ea methodo ſunt comprehenſa. Nam ſenſus, & id, quod ſenſum afficit, immediatæ, vel (vt Medici vocant) coniunctæ ſunt appetentiæ cauſæ, & illæ cauſa, ſine qua non, nimirum cum ſenſus appetentiam non faciat, ſed abſque eo fieri nequeat,

Cur per contuſiones & obſtructiones cerebri, appetitus cadat. Cur ob idem deliris & ſenibus.

Appetitus ſubiectū & proprium inſtrumentū.

Affectus appetitum deſtruentes.

Cur nemo ſtatim poſt ſomnum habeat appetitum edendi.

A cum illo vero recte fiat: quæ autem ſenſum afficiunt, effectrices ſunt appetentiæ cauſæ; ventriculus vero eſt ſubiectum, & inſtrumentum, in quo fit appetitus: neruus autem inſtrumentum, per quod facultas ſentiendi exercetur; calidum vero innatum commune eſt inſtrumentum, quo natura tum ad ſentiendum, tum ad alias omnes functiones obeundas vtitur: quatuor vero qualitates primæ, & aliæ, quæ ab illis proficiſcuntur, appetentiam efficiunt, quoniam vacuant: Inedia, ſomnus, vigilia, otium, labor, cogitatio, cibus, potus, humor bilioſus, melancholicus, pituitoſus, cauſæ ſunt, quæ illas pariunt qualitates, vacuantque corpus, quæ omnia tandem ab his, quæ aſſumuntur in corpus,

B vel foris adhibentur, aut geruntur à nobis, vel retinentur, & excernuntur, ducuntur. Ad quæ genera cum eſt peruentum, vltra progredi non datur: & interim patet progreſſus ab immediatis, proximiſque cauſis ad eas, quæ à ſuis effectibus ſunt remotiſſimæ.

Qui progreſſus etſi in aliis generibus non nullis cauſarum, vt in materia, apparet: tamen in efficientibus maxime neceſſarius eſt, vt ea inuenta, & ablata, quæ cæteras primum mouet, reliquæ ſimul vna cum morbis ſuis, & ſymptomatis auferantur: veluti in exemplo propoſito, ſi ita contingat, vt appetentia minuatur, quoniam ſenſus non afficitur, id autem fiat, quod corpus non vacuatur: Id vero accidat, quoniam

C calor non excitatur, cuius cauſa ſit otium, hoc pariat carcer: Igitur ſi quis velit appetentiam homini reſtituere, imprimis curabit, vt is liber fiat, deinde ſe exerceat; nam ad exercitationem ſequitur vacuatio, hanc ſequetur affectio ſenſus in ore ventriculi, hanc appetitus. Patet & ex hoc, quæ ſit cauſa inappetentiæ: quoniam enim otium eſt, quod ponitur cauſa, conſtat nec ob ſenſus defectum, nec ob ea, quæ violentius digerunt humorem, nec ob facultatem, vel inſtrumentum aliquod, nec ob ſubiectum; ſed quod deſint, quæ ſenſum afficere ſunt apta, appetentiam minui: atque ita per abnegationem aliarum cauſarum confirmabimus, eam eſſe cauſam huius mali, quam ex certis indiciis agnoſci-

D mus, ponendam eſſe. Eodem pacto ſi quis doloris (quem antea definiuimus) voluptatiſque cauſas quærere velit, non ex opinione multorum autorum, quorum ſententiæ tractationem reddunt obſcuram, & confuſam, ſed ex ipſa rei natura petere cupiat; id ille hoc modo commode faciet: Sumpto ſcilicet ex ipſius doloris definitione principio: Nam ſi dolor eſt moleſtia, quæ ex triſti actione, vel in illa potius oritur, (præſtat enim moleſtiam vocare, vtpote omnibus notam dictionem, quam paſſionem, cuius ſignificationes vix à Philoſophis intelliguntur) conſtat prorſus duas neceſſarias eſſe cauſas ad dolorem excitandum, actionem ſcilicet vel (vt rem contrahamus ad dolorem corporis)

E *ſenſum, & id quod ſenſum afficere poteſt.* Etenim ſenſus ſolus doloris cauſa non eſt: cum ſæpe ſentiamus abſque dolore, nec abſque ſenſu, quæ alterant, læduntque corpus noſtrum, vim aliquam habent dolorem inferendi, quod docent, quæ oſſa vulnerant, aut contundunt citra dolorem.

Cum vero ea, quæ apta nata ſunt dolorem

Appetentiæ cauſæ.

Duas cauſas eſſe neceſſarias ad dolorem excitandum.

lorem committere, sensu percipiuntur, dolor nascitur, dum illa agunt & molestant, vnde perceptio, aut cognitio læsionis, doloris non est causa immediata, cum nec causa sit (cuius enim generis causa fuerit?) sed modus est & generationis doloris. Nam (vt diximus) cum sensus percipit lædentia, oritur dolor: causæ verò sunt, & dici debent tum sensus ipse, sine quo dolor fieri nequit, & id, quod sensum afficit. modi verò agēdi actioq; ipsa & actionis ratio à causis ipsis seiunguntur. Cæterum vt sensus fiat, necesse est subiectum ipsum huiusmodi esse vt sentire possit: Nam hoc posito, frustra ponuntur aliæ conditiones, quod scilicet patibile esse debeat, calorisque haudquaquam expers: siquidem quod sentire, illud quoque pati est aptum, B & calorem aliquem habet: neque enim existimare oportet cartilagines, ossa, & ligamenta non dolere ob caloris defectum, cum id alia ratione illis contingat, nempe *quod sensu careant*, alioqui nerui frigidæ partes, non minus fortasse, quàm cartilago, & ligamenta haudquaquam dolerent. Vt autem possit pars sentire, necesse est, *vt neruos habeat, feraturque per illos à primo sensorio sentiendi facultas; tertio vt ea vis, quæ sensationes apprehendit, & diiudicat, nequaquam laboret.* Quo fit, vt in resolutionibus membra corporis non sentiant, quod scilicet sint obstructi nerui: nec delirantes dolent, aut qui vulnerantur in acri certamine: illi quidem quod mente laborent, nec apprehendant, aut diiudicent sensationes: hi verò, quod distrahant à m illis partibus natiuum calorem, omnemque sensum, dum animo, & motu potissimum victoriæ incumbunt. Porrò id, quod vim habet dolorem inferendi, duo habeat necesse est, vt scilicet magnas possit, & subitas facere mutationes: nam quod huiusmodi est, si ex genere rerum sit, quæ dolorem parere possunt, semper dolorem facit, siue ad naturalem statum malè affectam partem, siue ad eum, qui præter naturam est, beneualentem ducat. Sunt verò in vniuerso rerum genere, quæ dolorem parere posse putantur, eo quod magnam, & subitam mutationem efficiant, *alterantia, & continuum soluentia*: dico autem alterantia soluentiaque continuum, non autem ipsam alterationem solutionemque dolorem facere, nimirum cum solutio ipsa non molestet nec sentiatur, quod ostendunt vulnera iam facta, sed illa, quæ soluunt. Ac inter alterantia soli calori, & frigori huiusmodi ius concedatur: quippe cum siccum, & humidum credantur non posse subitò quidpiam afficere, & interim magnas mutationes in re moliri. At à calore & frigore dolorem nasci, nemo est, qui dubitet, docente id quotidiana experientia. Verum non perinde constat, an hæc id faciant alterando, an potius quod continuum soluant: mihi tamen probabilior videtur eorum opinio, qui alterantia, *eo, quod continuum soluant*, doloris causam esse putant: etsi interim neminem video, aliqua ratione euidenti suam opinionem hac in re probare, id quod nos efficere conabimur. Igitur cum caloris vna sit natura, & agēdi ratio, videamus autem ignem comburendo, aut exulcerando dolorem parere, mirum profectò nisi aliis calefacientibus eandem tribuerimus. Deinde si solus calor faceret dolorem, non soluendo continuum, vbi vehemens esset calor, vt in febribus ardentibus cur in omni parte excalefacta & admodum sentiente dolor non esset? His autem, qui continui solutionem immediatam causam ponunt, in promptu ratio est, quod nō omnes æquè distendi possint ex humorum ebullitione; vnde potissimum circa renes & in capite per febres dolores vrgent; quoniam etsi partes illæ minus calent, minusq; fortè sentiunt, quàm quæ circa cor, & thoracem sunt positæ, tamen plurimus vapor, & humor in illis continetur, qui membranas, & vasa tendunt, ideo dolor in illis, nequaquam verò aut certè leuior in aliis nascitur. Præterea id docet dolor, qui à calore oritur; qui semper cum quadam tensione infestat; fundit enim calor humores, ex quorum ebullitione plurimi vapores attolluntur; ex quibus tensio, & continui solutio proueniunt: quod testantur potissimū dolores capitis ex sole contracti, qui semper cum aliqua sunt tensione. Idem ostendunt manus, quæ igni admotæ tumescunt, dolentq;. Soluit igitur continuum calor, non eo tendo (sic enim in omnibus partibus vehementer excalefactis dolor fieret) sed *ob fusionem & tensionem*, quàm cum omnes partes vel ob humorum paucitatem, quos in seipsis continent, vel ipsarum laxationem, aut soliditatem pati nequeant; ideo non omnes dolent à calore, etiam si sensu exquisito sint præditæ; frigus verò eo, C *quod sine qualiter exprimendo cumulet in parte vna humorem magis, quàm in aliis, propellatq; materiam à superficie ad interiora, tensionis, solutionisque continui interuentu doloris quoque est autor.* Nec aliam quidem existimare oportet esse causam doloris, cum partes refrigeratæ ad ignem propius admouentur, quàm quæ ex fusione petitur. Nam etsi contrarius est calor frigori, non tamen propterea pellendo ille huic resistit, sed laxando potius, & euocando ad superficiem, quæ à frigore fuerant compulsa, fit itaque dolor tunc, *quia humores protrusos à frigore calor affatim fundit, & allicit, ex fusione autem continui diuisio, ex qua dolor nascitur.* Atque ita calor, & frigus tendendo continuum violant, dolorisq; sunt causæ. Secundæ verò quali- D tates idem faciunt vel comprimēdo, quomodo dura, grauia, & crassa, dolorem faciunt: vel pungendo, aut incidendo, vt vulnerātia; aut erodendo, vt acres, & mordaces humores, qui vehementissimos sæpe dolores hac ratione commouent.

Cæterum voluptatem inferunt, quæ partes male affectas subito, sed non cum vehementia ad suum statum perducunt, si ea, quæ mutationem efficiunt, alterando id faciant, alioqui etiam adiungi potest vehementia; vt apparet in vacuationibus, quæ maximos dolores statim leniunt, voluptatemq; maximam pariunt, vbi magna & subita fit vacuatio; frigus verò, aut calor vehemens pariter dolorem committunt. Quare non mirum, si ab illis dolor nascatur, E cum sanitatem vehementi & subito illorum vsu restituere nitimur. Pari & voluptatem in malè affectis corporibus leuis quoq; mutatio, quod docent frictiones, quæ laborantem sensum per lassitudines recreant, & delectant. Nascitur autem & voluptas in sensoriis bene habentib. ab his, quæ perficiunt organum, & sensum;

suntque hæc similia, & conseruantia. Etenim boni odores olfactum, musica auditum, & grati sapores palatum mira voluptate afficiunt. Atque hæc sufficiant de doloris, & voluptatis causis: ex quibus licebit intelligere quæ, & quot sint proximæ doloris causæ, quæ verò remotiores, quoq; modo ab ipsis causis proueniat; quid item rationem causæ cum qua, & sine qua, aut efficientis obtineat, quid præterea sit tanquam instrumentum, & subiectum, quid tanquam facultas. Nam materia, & finis, & forma in hoc genere symptomatum nullam vim habent: siquidem forma in symptomatis solum consideratur, cum vnum genus ab alio seiungimus. Materia habet suam vim maximè in coctione, & nonnullis aliis naturalibus functionibus. Vsus potissimum in pulsibus, & respiratione locum habet. Quare si de causis aliarum actionum disserendum sit, sumere oportebit ex vniuersis generibus causarum, quæ instituto conueniunt. Nos enim omniũ exempla in breui hac tractatione prosequi haudquaquam debemus. Nec tamen volumus deesse rudioribus, qui ex vno genere exempli minimè possint colligere, quæ ad alia symptomata pertinent.

Exemplum de excretis & retentis. Et primum siccioris alui. Quæ illius causæ.

Quapropter cum iam satis de actionibus, & his, quæ in actione fiunt, sit à nobis disputatum, superest, vt exemplum ponamus de excretis, & retentis, & qualitatibus corporis. Ponantur igitur inuestigandæ causæ primum alui siccioris, deinde humidioris. Dicet in hoc casu Medicus, sumpto initio ab immediata causa, & à certo quodam principio; Siccior aluus, siccioraque illius excrementa redduntur, eo quod illis minus adsit humoris, quàm opus sit. Id autem contingit, vel quod pauciora sumantur alimenta, vel sicciora, quàm conueniat, vel quod satis quidem assumatur, sed absumatur, postea quàm ingestum fuit alimentum. Non assumitur autem nutrimentum, vel quod desit materia, vel vitio facultatis appetitricis; vel instrumentorum, vt gulæ, ventriculi, dentium, & aliarum partium, quæ ad ingerendum alimentum sunt necessariæ. Cur autem deficiat materia, aut non nisi siccior suppetat, non est Medici quærere, quandoquidem ars hæc non hominum inopiæ succurrere, sed illis mederi, quibus suppetunt præsidia, est nata. Ipsa verò facultas læditur læsa partis tẽperie ab omni insigni qualitate, potissimum tamen ab excedente calore, vel humore. Cæterum assumptus humor absumitur; vel quod ebibatur, vel digeratur in halitum, vel quod aliò transferatur: Sic enim exsiccantia & acerba alimenta ventrem constringunt, & duriora, pauciora que illius excrementa reddunt, quod scilicet humorem eorum ebibant, & consumant. Calor verò intestinorum, & ventriculi idem facit, quoniam eundem humorem digerit, in vaporemque vertit. Quæ verò distributionis humoris in alias partes sunt causæ, in duplici sunt genere: Quædam enim ipsum humorem attrahunt, idque vel primo, & immediatè, vel secundariò, nempe quod immediatam causam excitent; alia verò non trahunt quidem humorem, sed causæ sunt, sine quibus attractio fieri non posset, & cum quibus commodissime peragitur: Etenim musculi ani refrigeratio siccioris alui causa dicitur: propterea quod musculus ex refrigeratione constrictus diutius excrementa in aluo retinet, ex qua retentione fit, vt hepar magis ad se attrahere possit humorem, qui cum excrementis miscetur, dum illa secundum naturam habent. Pertinet & ad hoc genus causæ bilis parcior, quæ ad intestina fertur, quæ cum nequeat expultricem vim satis irritare, facit, vt diutius in ventre morentur excrementa. Est & in hoc genere causæ retentiuæ facultatis robur, & propulticis infirmitas. Hæc enim longioris retentionis causa sunt; longior autem retentio maioris distributionis; hæc autem humorem absumit, qui immediata causa est exsiccationis alui. Quin etiam venarum latitudo, per quas permeat humor, causa est, cum qua distributio facilior fiat. Cæterum attrahit ad se humorem plus, quàm oporteat à ventriculo, & intestinis hepar, vel ob naturalem aliquem affectum, vel præter naturam; vel quod impellatur ab aliis causis, cum ipsum interim non laboret. Est autem naturalis affectus magnitudo hepatis, & calidior, sicciorque secundum naturam temperies: nam magnum hepar copioso cibo opus habet. Quo fit, vt si illius magnitudini nõ respondeat ventriculus in cibo assumendo, & conficiendo, excrementa sicciora reddantur: tum scilicet hepar illorum humorem ad sui nutritionem auidius rapit. Sic quibus hepar calidius, sicciusque est, ferè fit, vt illis aluus adstringatur, quoniam attrahitur cõtinuè humor ad hepatis humectationem, refrigerationemque. Cæterum inflammationes eiusdem visceris; erysipelata, & cæteri affectus calidi, & sicci præter naturam, eadem ratione aluum exsiccant. Iam vero aquilonia constitutio, febres, vrinæ profluuium, sudores copiosi, aliæque excretiones naturæ modum excedentes, reliquarumq; partium, quæ post hepar in corpore sunt collocatæ, affectus calidi, & sicci, aluum exsiccare putantur, quod cum plurimum humoris ab illis cõsumatur, cogatur hepar successione quadam ventriculum, & intestina exsugere.

Cæterum humidioris alui causa est copiosior humor cum excrementis mixtus, hic autem humor adest, vel quod aliunde adueniat, vel quod non satis absumatur, quod moderatum est: Suppeditatur sanè aliunde, vel quod assumatur, quomodo cibi humidiores, aut copiosiores, aut varii; sic & potus aluum humidiorem reddit; vel quod aliunde influat: qua ratione excrementa à superius partibus ad ventrem delata aluum humectant. Sic enim febres colliquantes, quæ humores fundunt, capitisq; intemperies, quæ fluxiones ad inferiores partes excitant, ventris excrementa præter modum humectare, copiosioraque reddere creduntur, vel quod immittantur; ad quod genus austrinæ constitutiones, & pluuiosæ pertinent, quæ quoniam extrinsecus immittũt superfluum humorem, aluos humefacere à Medicis dicuntur. Cæterum nõ satis absumitur humor assumptus, vel quod partes, in quibus continetur, frigidiores, humidioresque sint, quo modo frigidæ, humidæq; ventriculi, & intestinorũ intemperies excrementa alui reddunt humidiora: vel quod nõ satis per corpus digeratur; id quod contingit, vel quod hepar non attrahat, quantum oporteret; vel

vel quod

quod ventriculus, & intestina nō satis retineant, aut quod viæ sint obstructæ, per quas humor ad hepar, reliquasque partes ferri debet. Atqui hepar deficit in attractione, vel quod non stimuletur ad eam obeundam, vel quod nequeat stimulatum attrahere, id quod euenit propter imbecillitatem natam ob debilitatum calorem, vel ob aliam insignem admodum intemperiem. Illud verò contingit, quando extremæ partes corporis, quæ hepar exhauriunt, non admodum digeruntur, vel propter otium, aut externum frigus, aut ob alias causas, quæ externam superficiem densant, vel humorem haudquaquam extenuare, in vaporemque vertere nequeunt. Iam verò non satis retinet ventriculus, vel quod retentrix facultas sit imbecilla ob intemperiem humidam; vel ob aliam, quæ plurimum à mediocritate excesserit; vel quod ipsa expultrix ante tempus excitetur. Id quod fit, cum importunè stipulatur à multitudine materiæ, vel qualitate vellicante; vnde ob bilem copiosiorem, quæ ad ventrem, & intestina mittitur, aluum humidam reddi credimus, aut cum retentrix potentia suum opus ante tempus deserit ob debilitatem ex intemperie natam, tunc enim cogitur expultrix insurgere, & protrudere, quæ amplius retineri & elaborari nō possunt.

Atque ex his exemplis intelligere poterit studiosus lector, quomodo inuestigandæ sint causæ aliorum omnium, quæ ad excreta, & retenta pertinere diximus. Quod si quis exemplum aliquod in vitiatis qualitatib. pariter requirat, breuiter illis satisfacere conabimur. *Exemplum vitiatarum qualitatum.* Ponamus igitur aliquem flauo colore præter naturam præditum, huius profectò vna erit immediata, coniunctaque causa humor biliosus, qui cuti subiicitur plusquam expediat copiosius; cuius rei causa est, vel quod huiusmodi humor plurimus gignatur, aut quod à sanguine non expurgetur, sed vna cum illo per corpus distribuatur, & feratur; vel quod ipsa bilis à sanguine secreta in eas partes moueatur. *Causæ superabundantis flauæ bilis.* Porro plurima gignitur bilis, aut vitio materiæ, quæ assumitur, aut efficientis causæ: materiæ quidem calidæ & siccæ, aut parcioris, aut quæ suapte natura in eum humorem degenerare sit apta. Efficiunt verò bilem quædam in prima generatione, vt hepar, & venæ præter modum excalefactæ, & exsiccatæ; alia verò eandem gignunt, posteaquam boni humores sunt procreati; idque vel in vniuerso corpore, quod faciunt omnia, quæ insigniter calefaciunt, siccantque: tum illa, quæ ob certā proprietatem sanguinem vitiant, atque in bilem degenerare cogunt, cuius generis venena nonnulla esse dicuntur, quæ propterea regium morbum committere sunt comperta. Alia verò ex vniuersa massa bilem sibi moliuntur, cum excalefacta proprium nutrimentum corrumpunt. Sic igitur partes, quæ sunt in habitu corporis, cutisque ipsa male affecta procreando biliosum humorem, ex affluente nutrimento flauum colorem sibi conciliant. Atqui non expurgatur sanguis à bile, vel vitio facultatis nequeuntis allicere ad se bilem, familiarem humorem, aut expultricis exolutæ, quæ huiusmodi materiam, tanquam noxiam animanti, ad intestina, & vesicam, dum valet extrudere solet; vel quoniam instrumenta, & viæ, per quas ferri consueuit,

A sunt obturatæ, vel à comprimentibus, vel obstruentibus: Nam reliqua, quæ claudendi meatus vim habent, vt adstringentia, densantia, conglutinantia, quæque subsidere faciunt concauitates, contractis vasorū tunicis locum haudquaquam habēt in meatib. internis ad bilis expurgationem destinatis; vel etiam quod materia aliquando sit crassior, aut copiosior, quàm attrahi expurgarique possit, idem accidit. Iam verò secernitur mouetur que bilis ad cutem *vi expultricis facultatis per morbos importunè, aut etiam tempestiuè irritata.* *Quomodo bilis moueatur ad cutem.* Qua ratione regius morbus ante septimum, & in ipso septimo, & post illum etiam in febribus contingit. Quorum omnium causæ ab aliis nascuntur, & illæ rursus ab aliis, B donec peruentum sit ad quatuor rerum genera, quæ omnes in corpore nostro mutationes moliuntur; ad ea (inquam) quæ assumuntur, extrinsecus afficiunt, excernuntur, & retinentur, vel à nobis solis, aut cum aliis geruntur. Quem quidem progressum cum vnusquisque admonitus ex superioribus exemplis facere possit, atque in hoc, & prædictis exemplis singula animaduertere præcepta, quæ superius sunt comprehensa; nihil aliud in hac re superesse video, quàm vt ad ea, quæ sequuntur, transeamus.

Cap. X.

De signis & prædictione quid dicere oporteat.

C Signorum quædam esse, quæ præterita, alia, quæ præsentia; alia verò, quæ futura monstrent, ab omnibus Medicis est receptum. Qua quidem in re illud imprimis videndum est, an de omni genere in consultationibus disserendum, & quo loco de singulis dicendum. Constat profectò, omnia ea signa in vsum venire, quandoquidem oportet, quæ præsentia sunt, dignoscere, & futura prædicere, & sæpe quæ præterita sunt commemorare. Sic enim diariam esse febrem, quæ hominem vrget, & nequaquam putridam agnoscimus, si præteritæ vigiliæ, vel alterius causæ euidentis, à qua sit nata, D notæ in corpore appareant. *De quib. signis, & quo loco de singulis in consultationib. sit agendum.* Pari ratione malignum vlcus & periculosum censemus esse, quod feræ intulerunt: quin & ex vlceris natura, & qualitatibus quid præcesserit, deprehendimus. Verum demonstratiua, & memoratiua signa peculiarem & seiunctam in consultationibus tractationem (vt antea quoque ostendimus) haudquaquam obtinent, sed cum rebus præsentibus, quarum cognitionem quærimus, semper coniunctam. Neque enim asserere possumus, aliquid esse in corpore secundum naturam, aut illi contrarium, & hoc vel morbum esse, vel illius causam, aut symptoma: nec istorum genera, aut differentias dignoscere possumus; nisi signa statim adferantur, quæ ostendant ita esse. E Sic sanè dicimus (si fortè contingat de eo deliberare) hominem febre laborare, quoniam signa statim adferuntur, quæ rem eo modo habere declarant, illam quoq; putridam, simplicem tertianam, benignam, aut deniq; alterius generis, vel differētiæ esse, quoniā protinus id testantur illorū notæ, quæ partim ex prægressis causis, partim ex his, quæ adsunt, petuntur.

Quare demonstratiua, & memoratiua indicia statim ab initio, & alibi toties, quoties ostendendum est, aliquid esse, veniunt in vsum. At prædictiones tunc solum locum habent, & cum quidem separatum ab omni tractatione, & proprium, cum iam de natura, generibus, differentiis affectuum, causarum, & symptomatum disputatum est. Ex illis enim omnibus colligere nitimur, quid sit futurum. Ex quo illud pariter innotescit, quid sit agendum, naturæ ne vniuersum negotium committendum, aut etiam tentanda artis præsidia, aut nihil moliendum in rebus prorsus desperatis. Sic sanè Medicos omnes facere videmus, vt postea quàm prædicta omnia explicauerint, dicant sibi agendum esse de eo, quod ad prognostica attinet, tanquam id propriam, & seiunctam tractationem obtineat: alia verò signa obiter sint commemoranda, cum genera, differentias affectuũ, causarum, & symptomatum, quæ corpus infestant, recensemus.

Iam verò cum illud pateat, de quibus signis sit agendum in consultationibus, & quo loco singula sint excutienda, sequitur, vt doceamus, quænã oporteat per suas notas ostendere. Quod cum iam pateat in rebus præsentibus, & præteritis; siquidem omnia illa, quæ cognitu necessaria hactenus diximus, sua postulant indicia, relinquitur, vt ea solum percurramus, quæ ad futura pertinent. Inter quæ illud primum locum sibi vendicat, vt explicemus, quem finem res sit habitura, de qua agimus, quando nec solutionis modum, nec tempus; nec aliud quidquam, quod ad futura pertineat, hoc ignorato, intelligi potest: Quo posito, mutationis tempus prædicere oportet, an citò scilicet, vel tardè, quo die, quave hora, denique quo tempore accidet, quod futurum prædiximus. Tertio modum præsagire necesse est ipsius mutationis, quod scilicet vel paulatim, vel confestim ea continget; quodque ea vel magna, vel parua futura sit. Quartò præsagiendum erit, cuiusnam beneficio, naturæ ne, vel artis potius, aut vtriusq; opera, vel aliis id continget, quod prænunciamus venturum. Quinto succedit mutationis qualitas, an scilicet facilis erit vel difficilis, fida, vel infida, perfecta, vel imperfecta. Sextò; per quæ mutatio fiet, ignorare non oportet, an excretio, vel alteratio, aut concoctio, aut nutritio, vel aliud quidpiam sequetur, quod finem imponat, mutationisque sit causa quædam. Septimo locũ præsagire expedit, per quem mutatio continget, an scilicet per externas partes, vel internas, & hanc vel illam, vt per vrinam, aluum, vomitum, vterum, narium venas, vel per alium denique locum corporis fiet, quod fore præsagimus. Quod si plures sint affectus, ordo quoque requiritur, vt intelligamus, quid primum, quid verò deinceps succedet.

Ac vt res in omni corporis statu rudioribus pateat; proponet Medicus, si de sanis agat, prædicendum esse, an is, qui præsens est status, durabit, aut mutabitur: quod si id contingat, in quod mutatio fiet, an scilicet in sanitatem deteriorem aut meliorem, vel etiam in morbum; & quod hæc citò contingent, aut tardè, vt in iuuentute, aut declinante ætate; quod vere, autumno, hyeme, æstate; quod in plenilunio, vel

A decrescente ipsa Luna; quod circa noctem, vel meridiem, vel alio tempore ea sint expectanda, quodque confertim, vel paulatim id fiet: quod vehemens, aut parua erit mutatio in suo genere à naturali conditione, quod paruus sit futurus morbus, in quem labetur, qui iam valet: quod ea, quæ extrinsecus corpori obsunt, aut excrementa, vel retenta, vel quæ geruntur à nobis, vel assumuntur, mutationem efficient; quod item facilis, aut difficilis erit mutatio: Nam fidam, infidam, perfectam, vel imperfectam in hoc statu corporis nõ aptè quærimus, quæ quidem propria sunt iis, qui ægrotant. Item quod illa, quæ sanitatem labefactabunt, id facient alterando, vel continuum soluendo, aut corporis

B structuram vitiando: quod affecto capite, vel hepate, vel alia parte in alias malum transibit: quod primum temperies corporis mutabitur, ex qua reliqua mala (si fortè plura prædixerimus futura) prouenient.

Sic sanè in conualescentibus prædicemus, quosdam ad sanitatem veram properare, alios verò relapsuros in morbum similem præterito, aut alium quempiam; idque vel citò, vel tardè (vt spes est) fore præsagiemus. Item, quod paulatim succrescentibus morborum causis recidiuam patietur, aut ablatis reliquiis prioris mali sanitatem assequetur; quod naturæ beneficio, nihil moliente arte; aut huius etiam auxilio parabitur sanitas; aut morbus accidet ab his, quæ

C sunt relicta ex antecedente malo, vel ex corrupta viuendi ratione, aut alia quacunque noua occasione. Præterea quod facilè, aut difficile ad sanitatem perueniet; quod ex cruditate, aut retentione, vel nimia effusione excrementorum morbos sibi pariet; vel ex coctione; quæ fœliciter obitur, pristinam conciliabit: quod morbũ excitabunt alui excrementa: quod prius restituetur vnus, quàm alius affectus, qui in conualescente ex morbo sunt relicti.

Cæterum in his, qui iam ægrotant, dicet Medicus, si fortè ita speret, salutarem fore, aut lethalem, aut eius generis, qui nunquam sanatur, nec occidit, vt elephantiasis, quod liberabitur, aut morietur, qui laborat in adolescentia,

D quod morbo comitiali laborantibus contingit: quod in vere, quod ferè accidit quartana correptis, quod intra quadraginta dies, si morbus ex acutorum genere fuerit: quod decimo quarto, aut intra hunc diem, vndecimo, vel septimo, vel quarto, vel primo: quod vigesima quarta hora, quod circa noctem; in accessionis principio, medio, vel fine continget mutatio. Item quod cum crisi, aut sine illa, vel cum magna mutatione, sed non subita, aut cum hac, sed absque magnitudine salus parabitur: naturamque ipsam fore huius mutationis authorem, aut etiam artem: quod facilis, vel difficilis, fida, vel infida, perfecta, vel imperfecta erit mutatio: quod per coctionem, & alterationem, vel ex-

E cretionem, vel mixtionem sanitas continget: quod per sudorem discutietur morbosus humor, vel per vrinam, aut aliam corporis partem: quod tertiana prius, quàm quartana recedet; & inflammatio, quàm febris: & intemperies, vitiatusque color, qui vlcera ambit, emendabuntur prius, quàm cauitas carne repleatur. Quibus quidem positis, ignorare non debet

Quo ordine de futuris tractandũ.

Quid in sanis prædicendum.

Quid in conualescentibus.

Quid his qui iam ægrotant.

debet Medicus, à quibus signa vniuersa sint petenda: & quæ sint in vnaquaque re dignoscenda ex signis enumeranda, quoque ordine in illis sit progrediendum. De quibus rebus in opere nostro abundè egimus: & summatim hic quantum postulat nostrum institutum percurremus.

A quibus signa vniuersa sint petenda.

Sumuntur porrò vniuersa signa (vt in opere nostro ostendimus) ex quatuor fontibus à rei scilicet essentia, causis, effectibus, & similitudine cum aliis. Comprehendimus autem essentię nomine ipsius naturam, genera, differentias, partes, & proprietates: Causarum verò nomine formam, materiam, subiectum, efficiens, quod scilicet gignit, auget, conseruat, iuuat, vel lædit, instrumentum, finem, & causam cum qua, & sine qua.

Cæterum effectuum appellatio nobis ostendit, quicquid ab alio prouenit, quæ pro rerum natura in singulis euariant: Alii enim effectus sunt morborum, alii causarum, alii verò symptomatum, quæ alia post se pariunt: sed morborum affectus certo numero sunt cōprehensi, nimirum cum ea, quæ à morbis proueniunt, vel actiones sint læsæ, vel excrementa, aut opera corporis mutata, vel qualitates præter naturam, quæ tactu, gustu, odoratu, visu, & auditu percipiuntur: à quibus tamen excipiuntur primæ qualitates, quæ morbos similarium partium constituunt, & propterea à symptomatis excluduntur. At signa ex similitudine duci statuimus, quæ quomodocunque ex proportione cum aliis rebus capiuntur. Ab his ergo fontibus omnes notas trahet Medicus ad præsentia, præterita, & futura omnia dignoscenda. Verum cum infinita propemodum indicia ex iis fontibus resultent, ab eo genere auspicandum, quod euidentiores præbet notas; & si res per quædam solum signa ostendi possit, immediata solum, & propria ponenda: Nam superfluum fuerit & propemodum ridiculum in re nota efficaciore probatione & omnium enumeratione contendere; quod multos ex imperitis Medicis facere videmus: Vbi verò obscurior res est, lucem adhibere oportet, omniaque genera percurrenda; eo tamen obseruato, vt vniuersum genus, à quo auspicati fuerimus, excutiamus, deinde ad reliqua transeamus, & quæ in singulo genere sunt, eodem ordine recenseamus, ne aliquot enumeratis, & multis omissis, cogamur, posteaquàm alia interposuerimus genera, ad priora illa redire, quæ non satis fuerunt excussa. Ac ne longius abeas, cum ab effectibus morborum notas fortè capere cæpimus, veluti ab actionibus læsis, excutiendum est vniuersum genus actionum, quod nobis lucem aliquam adferre potest; postea percurrendæ sunt qualitates; postremo excrementa, & alia opera, quæ in corpore peraguntur: atque ita ab omnibus effectibus signa petenda: Transeundum deinde vel ad ea, quæ sunt secundum essentiam, aut ad causas, & pariter depromenda ex eo genere indicia, quæ ad rem propositam facere possunt. Qua quidem in re temerè vagari multos videmus, vtpote qui nullo seruato ordine nunc in vnum genus, nunc in aliud mutua quadam confusione prosiliant: notandaque interim sunt, quæ propria in singulo genere rei indicia existunt, quæ

Quo ordine in signis sit progrediendum.

communia, inseparabilia, quæ suapte natura vel materiæ, vel loci, aut alterius rei ratione suas notas præbent. Ex istis enim certa cognitio nascitur, percipimusque, qualem vim singula obtineant. Ac quoniam signa omnia (vt diximus) à rei essentia, causis, effectibus, & similitudine ducuntur; contingit vt à temperamento, ætate, consuetudine, viuendi conditione, anni tempore, regione, cœli statu, sexu, habitu corporis, ab adstantibus, remediis, Medico, & (vt semel dicam) ab externis, internisque rebus omnibus, quæ quomodocunque causæ sunt eorum, de quibus agimus, quæque in nostro corpore obeuntur, indicia sumamus: Contingit & illud quoque, vt de partium robore, imbecillitate, dignitate, de colore, mollitie, duritie, sonis, odoribus, asperitate, lenitate, crassitie, tenuitate, & cæteris corporis qualitatibus agamus. Item de pulsibus, ira, tristitia, metu, gaudio, de vigiliis, somno, insomniis, motu animi & corporis, mentis constantia, & perturbatione, imaginatione, cogitatione, memoria, & respiratione. Prætetea de appetentia, attractione, retentione, coctione, expulsione, assimilatione, nutritione, concupiscentia, venere, aliisque vniuersis animi, & corporis functionibus pertractādum. Quinetiam de excrementorum substantia, quantitate, qualitatibus; & reliquis omnibus mentionem faciamus. Necnon ab excretionis modo, tempore, loco, ordine, qualitate, notas capimus. Sic etiam à morbi natura, generibus, differentiis, temporibus, partium conformatione, magnitudine, numero, coniunctione, signa sumimus; expendimusque quid simile, aut dissimile his, de quibus agimus, cum aliis sit, omnia enim, cum vel secundum essentiam rebus insint, quas explicamus, vel tanquam effectus illas sequantur, aut præcedāt, spectenturq; vt causæ, aut similitudinem doceant, sua præbēt indicia singulis rebus, cōmunia, immediata, remota, inseparabilia, ac (vt breuiter dicam) omnia genera, & differentiæ signorum ab illis nostris vberrimis fontibus emanant, nec vnquam deesse poterit in illis, quod necessarium sit ad id significandum, quod quærimus.

Nec illud quidem prætereundum est, cum aliquid prædicere volumus, caput quoddam, siue scopum esse quærendum, ad quem vniuersa indicia, prædicendique ratio referatur. Nam omnia, quæ salutem aut mortem ostendunt hoc vno nomine id significant, quod maximum vel minorem recessum à naturali statu monstrent. Habent & eundem scopum, quæ breuitatem, & longitudinem morbi prænunciant. Siquidem in certo quodam genere quanto minores extiterint morbi, vt in vulneribus apparet, tanto breuiores eos fore præsagiunt; in alio verò magnitudo celeritatem morbis adiicit; quod in lethalibus apparet, qui quanto grauiores fuerint, tanto celerius perimunt. Erit & in modo solutionis, qualitate, ordine, & in aliis, quæ ad prædictionem pertinere diximus, aliquid commune, quod ingeniosi facilè inuenient, ac eo quidem proposito facillimè prædictio instituetur, quæ alioqui à nullo certo principio auspicatur. Quomodo enim (quæso) ab essentia, causis, effectibus, & similitu-

dine morborum prædicemus salutem, aut mortem venturam, eo contempto, cuius interuentu prædicti fontes suas notas præbent? At eo posito statim animus quiescit, vtpote qui sentiat se à certis principiis ad reliqua duci; dicet ergo Medicus, si fortè de morte, aut salute præsagire instituerit, proposito eo scopo, quo omnia signa ad id necessaria diriguntur ad hunc modum. *Quoniam mors contingit, cum tantus est à naturali statu recessus, vt nullo pacto ad mediocritatem redigi possit, mortem portendunt omnia indicia, quoniam hunc maximum excessum ostendunt.* Eodem pacto si breuitatem, aut longitudinem præsagire velit, eodem proposito scopo, suam proferet sententiam. *Quoniam* (inquam) *breues sunt morbi, qui parum distrahunt hominem à naturali sua conditione; sit autem huiusmodi qui hominem infestat, vt propria illius essentia, causa, effectus, & similitudines ostendunt, pronuncio cito venturam salutem.* Esto autem prædictio dubia, si par sit vis contrariorum signorum, alioqui certa, vt in hac re imperitos Medicos vincamus, qui dubia omnia pollicentur.

Exemplum, in quo differitur, an febris hominem infestans sit tertiana exquisita vel non.

Ac vt ea, quæ in hac parte certis præceptis sumus complexi, rudioribus vno exemplo innotescant, proponatur differendũ, an febris, quæ hominem infestet, sit tertiana exquisita, vel nõ. Consulet itaque Medicus imprimis essentiam ipsius febris, nempe calorem, qui si acris, mordaxque sit, statimque feriat tactum, tanquam ex communi indicio in coniecturam veniet exquisitæ tertianæ: Quæret postea partes, quod scilicet continua non habeat tempora, sed per interualla distincta: Quod si tertio quoque die inuadat accessio, & ea vehemens, & breuis, iam aliquid habet certius ex partibus morbi: Consulet postea causas, an ea, quæ febrem pepererunt, magnam habuerint calefaciendi, siccandique corpus vim, & facultatem procreandi sinceram bilem flauam, & putrefaciendi, quæ omnes ab his, quæ assumuntur, geruntur, excernuntur, vel retinentur, aut extrinsecus occurrant, capiuntur: Si corpus subiectum est biliosum, si à remediis iuuatur, quæ ad huiusmodi febres faciunt; & alia obsunt; Si hepar biliosum huic inest natura, & illud pati, esseque iam veluti focus morbi agnoscitur; Si adest, quod tales febres conseruat, & fouet; Si causæ non desunt, cum quibus huiusmodi febris excitari potuit: Denique ex causis, quæ possunt huic rei aliquo modo conferre, signa duces: à quibus transeundum est ad affectus, quos vel in omnibus, aut certè in multis huiusmodi tertiana parit, quales sunt dolor capitis, vigilia, sitis, deiecta cibi appetentia, rigor vehemens accessionis initio, respiratio, pulsu.q; velocissimi, & creberrimi, quo tempore accessio crescit, & viget; frequens mingendi desiderium, inquietudo; hæc enim actiones sunt vitiatæ, & effectus exquisitarum tertianarum partim proprii, partim etiam aliis morbis communes; quæ tamen cognitionem de re proposita confirmant. Succedunt postea signa ab excrementis desumpta: Nam si initio accessionis bilis flaua, aut pallida per vomitum reiicitur, eaque declinante sequitur sudor copiosus, & biliosus, aut deiecta pallida, vel flaua, acris, & mordax; non viscida aut crassa, sed liquidior, & pauca potius, quàm multa, si præterea sanguis, qui extrahitur secta vena biliosus valde conspicitur, vrinæque flauæ, vel admodum pallidæ, acres, & mordaces minguntur; ex his sanè excrementis, & operibus, quæ in corpore geruntur, notas exquisitæ tertianæ colligimus. Quod si cutis flauescit, vel pallescit, & asperitatem quandam, aut duritiem contraxit, si amarum quidpiam in ore sentitur, aridaque est, & flaua lingua, vel aliæ apparent qualitates, quas febris huiusmodi in corpore parere solet, non verebèris iam pronunciare exquisitam hanc fore tertianam, quæ septem scilicet accessionibus ad summam terminabitur: augebitque huius rei co[illegible] omnes, qui febribus eodem tempore [illegible] sunt, exquisitis tertianis laborarunt. Iam vero si tibi proponas prædicendum, an huiusmodi febris perimere possit, vel non; ex iisdem fontibus ductis notis, id facile assequeris: Nam si morbi illi duntaxat homines extinguere sunt apti, qui maximè vnumquemque distrahunt à sua natura, constat, huiusmodi febrem neminem perimere posse, vtpote, quæ ad tantos excessus nunquam perueniat: Id quod testatur non quidem genus morbi, febris, inquam, quæ occidere est nata, sed illius differentia: quoniam enim febris est ex his, quæ intermittunt, periculum omne abesse significat. Docent idem & differentiæ febris, vt tertiana febris est: nam inter tertianas, quæ exquisita est, minus, quàm alia periculosa est. Idem ostendunt & partes morbi, quæ breues sunt, nec adeo molestæ ob longum interuallum, vt magnum agnoscamus in hoc morbo recessum. Idem testantur causæ, quæ hanc febrem pepererunt, alias leuiores, quæ lethales morbos excitant: item materia, quæ tenuis est, calida, non maligna, nec vsque adeò copiosa, aut alio vitio infecta, vt vinci nequeat naturæ, artisque præsidiis. Quinetiam partes affectæ, quæ in habitu corporis potius sunt, quàm in visceribus internis, salutem pollicentur, quemadmodum & validæ vires, quæ his febribus subiici solent. Idem pollicentur causæ, cum quibus facilè reiiciuntur morbosæ causæ: Adest enim in his febribus cutis raritas, patentque aliæ corporis viæ, per quas noxii humores facilè educi possunt. Præterea Medicus optimus, optimique ministri, & alia omnia extrinseca optima tanquam causæ iuuantes promittunt salutem. Id quod etiam faciunt actiones corporis, excrementa, & qualitates, quæ quidem, vt ostendunt leues recessus à naturali statu per huiusmodi febres, sic certam salutem promittunt. Postremo additur hoc ex similitudine indicium, quod neminem vnquam exquisita tertiana iugulauerit, nisi prius ob aliquem errorem ex ea sit ortum aliquod lethale morbi genus. Hoc facili exemplo assuescent iuniores Medici, quibus hæc contribuuntur, reliqua dignoscere, futuraque omnia in morbis prædicere.

Signa tertianæ exquisitæ.

[illegible] tione an h[illegible] po[illegible], an non.

Cap. XI.

De ratione agendi.

Absolutis his, quæ ad prædictionem pertinent, statim sequitur, vt de agendi ratione consul-

Rationem agendi duob. constare. Scopi quot.

consultemus, quæ duobus potissimum constat; A nempe *scopis quibusdam, & instrumentis, quibus scopos assequimur.* Porro scopos hos ostendimus *in nostro opere*, quod *de Officio Medici* conscripsimus, generatim nouem esse: siquidem spectamus imprimis an agendum sit, deinde quid agendum, postea, quæ præsidia sint adhibenda ad id præstandum, quod facere oportet; requiritur quarto loco quantitas præsidiorum; quinto modus; sexto qualitas; septimo tempus; & vbi locus variari potest, octauus additur, qui ex multis commodiorē eligit; ac vbi plura facienda sūt, additur ordo, vt intelligamus, quid primo, quidue deinceps fieri debeat. Quos quidem scopos si semper assequatur Medicus, semper bene aget, quantum ars nostra polliceri potest. Ac hic qui- B dem illud obseruandum est, vt eos solum proponamus, quos res proposita exigit. Vbi enim agendum esse constat, primus locum non habet; nec iidem sunt scopi vacuandi, & nutriendi, nec simplicium, vt compositorum affectuum; præcedant tamen tum enumeratione, tum inuestigatione, qui suapte natura, vel cogente tractatione primi existunt, à quibusque reliqui nascūtur. Vbi enim non constat esse agendum, primum est, quod quæritur, an agendum sit; deinde quæ, & quot agenda. Quod si plura occurrunt, quæritur statim ordo, si modo illa simul obiri nequeunt: Succedit postea, quid in vnoquoque agere oporteat, & reliqui deinceps scopi sequuntur, vt superius enumerauimus. Ac quantum C quidem necessaria sit horum scoporum consideratio, tum in opere nostro abunde ostendimus, tum ex hoc maxime patet, quod Medicorum consultationes, & libri, qui de medicina practica (vt aiunt) sunt scripti, contempto, quem à principio posuimus, secundo scopo, incerti redduntur, omnique arte careant. Nam posteaquam abunde de generibus, differentiis, causisque morborum in illis disputatum est, aggrediuntur omnes docere quali aere sit opus, quod genus alimenti conueniat, & nescio, quæ de somno, & vigilia excretis, retentis, animique perturbationibus præcipiunt; quæ nec omnibus affectibus, & causis, quæ præsidia sua postulant, nec iisdem malis ab initio vsque ad finem D competunt; quæ quidem (vt omnibus pateant) operæpretium esse duco, exempla quædam adferre ex illis consultationibus, & libris excerpta.

Medicos in secundo scopo sæpe errare.

Quomodo soleant medici consultare. Exemplum de phrenitide.

Igitur si quis illorum forte phrenitidis curationem instituat, dicet vnus quinque intentionibus eam absolui, victus scilicet ratione tenui, & adstringente, auertentibus, repellentibus, intemperiem calidam capitis corrigentibus, & materiam digerentibus. Addet alius aliam ex aere; alius vero alias ex aliis; nec vnquam inuenire est duos practicos, aut consultantes de eodem affectu, qui in his suis intentionibus consentiant. Verum hoc grauius est malum, quod non doceant, cur his præsidiis sit opus, sed de eorum nu- E mero statuant legumlatorum more. Quod si etiam demus, illa esse necessaria, non tamen propterea sępe sūt adhibenda. Quare præscribendum esset, quādiu, & quatenus illis sit vtendum. Si enim forte fluxio auertentia postulat, ea cohibita, desistendum erit ab his auxiliis, quæ contra illam faciunt, & ad alia properandum, quæ succurrant aliis malis, quæ adhuc in corpore consistunt. Quod si aliqua sunt quæ per vniuersum morbum in vsum veniunt, non tamen propterea illa eiusdem naturę perpetuo esse debent. Nā aerem frigidum in phrenitide ab initio imperamus, vt repellatur humor à capite, refrigereturque, atque ita ad fluxionem ineptior reddatur: Verum cum restitit iam fluxio, & id, quod impactum est in cerebro, digerere discutereq; oportet, vt ab aliis repellentibus recedimus ad digerentia; sic aerem calidum, aut certe non frigidum tunc eligere oportet, mutandaque erit somni, vigiliæ, cibi, potionis, & aliorum omniū ratio, adeo vt temere illi vnam viuendi rationem, per vniuersum morbi cursum ægrotātibus iniungāt. Quæ quidem incommoda nemo vnquam aut scribendo, aut consultando, aut ipse solus medēdo fugere poterit, nisi proponat, qui nam, & quot sint affectus, contra quos sit pugnandum. Nam eo inuento non solum multo plura licebit excogitare auxilia, quam illi faciant, sed etiam illud intelligemus, quando sit ab vno genere iam recedendum, & transeundum ad reliqua; quandoque varianda, quæ in continuo sunt vsu, & demum quiescet certo numero rerum inuento: Ac vt in exemplo proposito versemur, colliget Medicus ex his, quæ antea de essentia, generibus, differentiis, causisq; malorum infestantium corpus docuimus, in eo, qui phrenitide laborat, duo esse inprimis, quæ nostram operam postulent, *vires*, inquam, quæ sui conseruationem indicant, *& id quod est præter naturam*, quod sui ablationem monstrat; quinque vero potissimum esse præter naturam, *fluxionem, causas fluxionis, id quod influxit; febrem, illiusque causas*; incipiendum vero esse ab eo, quod est præter naturam, quoniam magis vrget, quam id, quod secundum naturam est. His autem, quæ sunt præter naturā vel omnibus statim, vel ei certe, quod maxime infestat, succurrendum esse. Rursus in vnoquoque ex prædictis quæret, quæ & quot præstare oporteat. Etenim fluxio nunc reuulsionem, nunc deriuationem, nunc vtrumq; exigit, fluxionis vero causæ requirunt quoque propriam, certamque ablationem: id autem, quod influxit, in hoc casu solam digestionem; febris autem refrigerātia; Illius vero causæ quædam aperientia & hæc incisionem, extenuationem, aliæ cōcoctionem, aliæ vero euacuationem eorum, quæ iam sunt corrupta vel apta ad corruptionem. Ex quibus, quæ, & quot præstare generatim, speciatimque oporteat, cognoscitur.

Duo esse in primis quæ in phrenitide nostram operam requirant.

Et quinque esse in ea, quæ præter naturam.

Idem igitur in aliis affectibus faciendum, nec aliqua ratione committendum, vt secundus hic scopus prætermittatur absque diligenti hac consideratione. Ex illa enim postea certus numerus certaque ratio præsidiorum, quæ in tertio scopo continentur, resultant: de quo iam agendum, præsertim, quod etiam in hoc probare nequeam quod à multis Medicis obseruari video. Solent enim illi in consultationibus præsidia primum petere à sex rebus (vt vocant) non naturalibus; postea vero à medicamentis. Qua quidem in re illud inprimis reprehendere licet, quod in grauissimis affectibus à leuissimis auxiliis exoriantur. Veluti si quis in præsenti morbo statim dicere conaretur, quali aere sit opus, & de luce disputaret, cum de venæ sectione, purgatione, aut aliis

Errari etiam in scopo tertio & quid in eo fatiendum.

generosis remediis ab initio differendum esset. A Deinde est, quod damnem hoc institutum alia ratione, quod scilicet illa sex non naturalia non semel sint percurrenda, sed toties, quoties aliquid molitur volumus eorum, quæ in secundo scopo sunt comprehensa: Veluti cum fluxionum remedia quærimus, ab aere, reliquisque rebus non naturalibus auxilia petenda, docendumque quali aere, qualive cibo, & quanto, & aliis eiusdem generis sit opus. Idem tamen faciendum cum causas fluxionum rescindere studemus; itē quando discutere volumus id, quod in parte insedit, aut cum febrem curare, illiusque causas abigere cupimus. Illi vero (vt satis apparet) non sine magno errore de aere, cibo, potu, & aliis suis rebus non naturalibus semel duntaxat deliberant, B quasi eadem vniuersis affectibus, qui in ægrotante reperiuntur, diuersi generis, & naturæ; aut eisdem per vniuersum morbi cursum conuenirent. Præterea, enumeratis sex illis rebus, ignoramus postea, à quibus fontibus, generibusque rerum tum medicamenta, tum vniuersa alia præsidia sumuntur, cum tamen ars certū numerū polliceatur, nimirū cum eo contempto nequeat animus quiescere. Quamobrem ponenda statim ab initio vniuersa rerum genera, à quibus auxilia omnia emanant, siue res non naturales, siue medicamenta, vel alimenta postea vocare velis. Porro ea genera, ostendimus iam antea ex Galeno, quatuor esse, vnum, inquam, quod ea continet, quæ in corpus quomodocumque assumuntur; C aliud, quod ea comprehendit, quæ extrinsecus adhibentur: tertium ea habet, quæ à nobis geruntur, vel partim à nobis, partim ab aliis: in postremo vero fonte ea sunt posita, quæ aliquid educunt à corpore; aut in eo retinent. & horum omnium species. Ab his igitur fontibus exhauries omnia præsidia, nec vnquam deerit, quod opitulari possit, quantumadmittit, nostra hæc facultas. Si quis ergo exempli causa fluxionis remedia quærat; sciatque vehementes fluxiones reuulsione solum, alias vero etiam deriuatione sisti, consulet primum genus eorum, quæ extrinsecus agunt, & inspiciet, an reperiri aliquid possit inter ea, quę impulsu agūt, vel nos ambiunt, vel admouentur, vel appendun- D tur, aut circumligantur partibus, (hæc enim sub illo genere continentur) quod reuellendi, deriuandique vim habeat; atque illud in medium proferet: hinc postea perget ad alium fontem, spectabitque an aliqua corporis actio, vt ambulatio fluentę humore ad caput, & cogitatio eodem irruente ad pedes, fluxionem reuocare sit apta. Quo loco quietem, exercitationes omnis generis, vitæ conditionem, denique animi, corporisque omnes actiones expendet, traheteq; ad suum vsum singula, quæ fluxionibus reuellendo, aut deriuando succurrere valent. Tertius postea succedet fons, qui continet alimenta, & medicamenta, quæ in corpus sumuntur, per quā cumque illius partem, & quocunque modo. Nā E quędam immittuntur, alia deuorantur, alia manduntur, alia bibuntur, alia inspirantur, quædam lambuntur, alia paulatim destillant, aliqua suguntur, alia aliter forte in corpus sumuntur, quorum vim perspectam habere oportet, & ea capere, quæ ad idem faciunt. Quartus demum sequitur fons, in quo continentur, quæ aliquid è corpore euacuant sensibiliter, vel insensibiliter, æqualiter, vel inæqualiter; idque vel ab vniuerso, vel à quibusdam duntaxat partibus; quod cum educitur, vel retinetur, fluxionibus medetur.

Ex quibus fontib. omnia auxilia sint haurienda.

Exemplum.

Quibus quidem fontibus exhaustis protinus acquiescit animus, tanquam nullum remediorum genus omiserit, quod nostra exhibeat medicina, & in his victus, medicamentorum, aeris, cibi, potus, somni, vigiliæ, inanitionis, repletionis, animi, corporisque motus (vt aliorum omnium) mentio fit, & multo sane felicius, quam si vsitatam illā consultandi, scribendique rationem; vel (vt verius dicam) corruptionem sequamur; velimque id diligenter studiosos spectare, in vsumque reuocare, quod nos in hac re tradidimus; etsi videam præstantissimos etiam Medicos aliter facere; ac tritam eam, & vulgarem sex rerum non naturalium enumerationem, discussionemq; sequi, quæ profecto alio consilio à Galeno *in Arte medicinali* sit, quam vt à nobis ad consultationes, vel ad scribendum trahi debeat, aut possit. Ille enim *eo loco* quærit, quid necessario omnes immutet, quidq; præcipi possit in sanitate cōseruanda: at in consultationibus, singulisque affectibus quærimus non solum hæc, sed quæ sunt propria, singulosque à suo statu dimouere sunt apta. Quę omnia à quatuor illis fontibus, quos ille ponit *quinto de Sanitate tuenda*, emanant, adeo vt hoc nomine etiam illi damnandi sint, quod ab eo autore nescientes recedant. In reliquis vero scopis nihil est notandum præter id, quod statim ex ipso nomine omnibus patet, à nobisq; est comprehensum *libro primo de Officiis Medici*, vbi quid in vnoquoque scopo sit animaduertendū intelligendumq; diligentius ostendimus. Quapropter nunc ad secundum, quod proposuimus, accedendum est, docendumque quibus instrumentis scopos singulos assequi liceat: De qua re eodem in opere abunde egimus: ac diligentius (ni fallor) quam maiores nostri, docuimusque *tria illa esse instrumenta*, quibus rationales Medici vtuntur. Nam *indicationem* adhibent in his, quorum natura cognosci potest, *obseruationem* vero, si sola experientia præsidia constent; *analogismo* autem vtuntur, si nec ratione nec experientia quidpiam, quod conferat, comprobatum habuerimus, tunc enim transitu ad similia colligimus, quid expediat. Quod si indicatione (vt iam fere in omnibus) vti liceat, statuenda inprimis sunt, quæ, & quot sint indicantia, eaque proponenda. Deinde inuestiganda contraindicantia, quæque singulis repugnet, ponderanda. Nam coindicantia, & correpugnantia iam sunt comprehensa, siquidem signa sunt hæc indicantium, & contraindicantium. Nec prætermittenda sunt, quæ admittunt sine repugnantia aliqua fieri, quod ab indicantibus suggeritur. Atq; hæc omnia diligenter notanda, distinguenda, in vsumque perducenda, ne, quod vulgus Medicorum facit, ista inter se magno errore confundamus, vel temere colligamus necessaria singulis affectibus præsidia. Audies.n. quosdam qui si forte disputaturi sint, an venæ sectio alicui competat, dicent eam indicari à morbo, humore, ętate, viribus, regione, cæli statu, corporis habitu, anni tempore, vitę conditione, & ab aliis huiusmodi infinitis; cum tamen ex Galeni doctrina vnicum duntaxat sit, quod vnum indicat; reli-

Quot & quibus instrumentis scopos singulos liceat assequi.

qua

qua vero omnia vel coindicare, quod est, ostendere id, quod indicat, vel impedire primo, quod est contraindicare, vel secundario, quod est correpugnare, dicantur: alia vero sunt, quæ quoniam nullam huiusmodi habent vim, permittunt exhiberi, quod quartimus. Quin & ille communis multis error est, quod victum, vel remedia describant, aut decernant ægrotis nullo proposito indicante. Dicet enim forte quispiam esse opus adstringentibus, calefacientibus, auertentibus, aut vino, vel aqua, aut alio denique præsidio; Item morbos singulos certo numero auxiliorum abigi. nec tamen interim aliquid proponet ille, aut colliget ex his, quæ prius in collegio dixerat, quod suadeat id esse faciendum, quod quidem fit eo, quod indicationum vis & visus ignoretur, sine quibus nulla agendi ratio in medicina constare, nec aliquod Medici officium, Galeno etiam autore, exerceri potest. Igitur Medicus, antequam ad consultationes veniat, prænouisse debet, *quæ, & quot sint, quæ indicent, quid præterea vnũquodque admittat*; vt quid indicet conseruationem, quid ablationem, præseruationem, restaurationem, quid victum, quid remedium, quid alimentum, quid cibum, potum, alterantia, vacuantia, & quid in singulis generibus singula ostendat: Vt in vacuatione, quid sensibilem, quid insensibilem, quid sanguinis detractionem, vel purgationem, aut aliud denique, quod vacuet, insinuet. Postea vero quid his repugnare valeat, tenendum est, vt & alia quæ coindicant, & admittunt: Ex horum enim consideratione inueniemus, an agendum, quid, qua materia, quali quantaque sit opus, quo item modo, quove ordine, & tempore, & in quo corporis loco ea vti possimus. Hæc quidem generali quadam tractatione in illo nostro opere sumus complexi, & alia; quæ singulis sunt propria forte aliquando prosequemur, ea inquam, quæ ad vacuationẽ, nutritionem, aliaque vitæ præsidia spectant. Verum ne interim desit nostra industria rudioribus, vno exẽplo, quæ diximus de indicationibus, patefacere instituimus. Statuamus ergo hominem esse satis infirmis viribus, declinantis ætatis, hirsuto, nigroque colore, gracili habitu, in quo amplæ venæ, & tumidæ apparent, qui media æstate quartana febre cum duritie, & tumore lienis vna etiam cum vlceribus profundis, depascentibus, nigricantibus in cruribus sit correptus; quorum quidem affectuum natura, genera, differentiæ, causæ, euentusque per signa in consultatione iam sint inuenta, adeo, vt nihil supersit, nisi, vt quæramus agendi rationem. Dicet profecto in hac re Medicus ad hunc fere modum: *Cum medendi omnis ratio perficiatur certis quibusdam scopis, & his, quorum beneficio scopos illos assequimur, constat, quo ad scopos attinet, eos vniuersos proponendos esse tanquam necessarios; videndum enim imprimis, an agendum sit: Deinde quæ, & quot præstanda, tertio quid ex multis primo loco faciendum, & sic deinceps referet.* Nam quoniam natura affectuum, de quibus agimus, huiusmodi est, vt nec hi desperati sint, nec tamẽ adeo leues, vt solius naturæ beneficio abigi valeant, indicant plane aliquid à Medico agendum esse. Quid vero, & quot præstanda, ex differentia, & numero malorum indicatur. Nam quoniam illa sunt præter naturam, indicabunt

Quid Medicus antequã ad consultationes veniat debeat prænouisse.

Exemplum de vsurpandis indicationibus.

A sui ablationem. Sunt autem quatuor potissimum affectus, qui peculiarem actionem, propriaque remedia indicant, tumor, inquam, & durities lienis, febris quartana, vlcera, & horum causæ. Quapropter ex numero affectuũ generatim indicãtur necessaria esse quatuor auxilia, quę quatuor malis succurrant. Ex quo patet, numerũ indicantiũ numerũ remediorũ ostẽdere, & quid præterea vnicuiq; conueniat. Nã tumor indicat, quæ illum auferant; qui quoniam durus est, mollientia ostendit necessaria, febris, quæ refrigerent; Vlcera, quæ carne repleant, vniantque diuersas partes; Causæ vero cuiusque mali sua quoque indicabunt peculiaria auxilia, multitudo, inquam, quod vacuet; cruditas, quod concoquat
B humoris acrimonia, quod eam retundat; Partium intemperies, quæ noxiam materiam procreat, quod illam auferat; & denique causæ, quæ inuentæ sunt, & positæ, sua indicabunt remedia. Cui vero prius succurrendum sit, cuique deinceps ordo malorum ostendet, siquidem illud præcedere debet, sine quo reliqua fieri nequeunt. At nec febris, nec vlcera, nec obstructiones, nec tumor, nec intemperies tolli possunt, nisi prius venæ, quæ plenæ sunt, exinaniantur: A vacuatione ergo incipienda curatio, ita indicante causa, quæ sibi primum locum vendicat. Ac cum vacuantium plura sint genera, & differentiæ; constat æquali, ac sensibili vtendum esse vacuatione, & propterea adhibenda esse, quæ id præ-
C stare possint: Nam cum sanguis abundet in corpore, qui paratus est affectus augere, sanguinem demendum esse intelligimus, atq; cum quidem copiosum, quia multum abundat, indicante scilicet copia humoris quantitatem sui præsidii: Verum quoniam crassus est sanguis, latam sectionem postulat; sic enim indicabit qualitatem remedii qualitas humoris: A vena autem extrahẽdus, quoniam in venis abundat, secandaq; vena interna sinistri cubiti, vt à toto corpore, maxime tamen à liene, fomite malorum, humor educatur: Hoc enim modo locus indicantium locum indicabit remediorum. Eo vero tempore sui vacuationem postulat sanguis, quo facile, &
D commode exire potest: Quod si vereamur, ne confertim irruat in partes affectas, confertim facta euacuatione demendus erit; Adeo, vt hoc præcipuum sit præceptum, id quod aliquid indicat, idem per suas differentias sumptas in genere, in qualitate, quantitate, tempore, loco, ordine, modo, scopos indicare, qui respondent prædictis differentiis; ex quibus patent indicantia, & quomodo illis sit vtendum.

Postea vero quærenda sunt contraindicantia, quæ scilicet singulis scopis sese opponunt. Statuamus autem vires esse, quæ venæ sectionẽ impedire dicantur: Itaque cum illæ positæ sint infirmæ, sed non prostratæ, nequaquam prohibebunt sanguinem prorsus detrahi, sed admittent; Verum pro imbecillitatis quantitate, &
E aliis conditionibus repugnabunt quantitati vacuationis, modo, tempori, loco, qualitati: Magnas enim vacuationes nec confertim factas, nec magnas incisiones venarum, per quas spirituosa substantia exhalat, dissoluiturque robur, non ferunt infirmæ vires: nec quo tempore admodum laborant, eo admittunt, detractionem fieri, sed prius sui restaurationem postulant:

De contraindicantibus.

Sic igitur contraindicantia ad rem ducenda sunt, ac in omni auxilio singulisque illius scopis spectandum, quid per se repugnet, quid per accidens, quid vero admittat vnumquodque. Habitus vero corporis, color, venarum tumor, ætas, anni tempus ostendunt, quomodo sint vires affectæ, docentque sanguinem abundare, & illius qualitatem, quocunque in loco redundet, & reliqua, quæ postea scopos indicant, & propterea illa tanquam conindicantia, & correpugnantia cõmemorantur. Sed hęc sigillatim prosequi non esset methodum consultandi, sed medendi potius velle conscribere. Sunt enim illa omnia prænoscenda, antequam ad consultationes veniamus, quando hic non de singulis rebus præcepta tradere debemus. Sed illud duntaxat docere, qua ratione illa, quæ ars docet, commode ad consultationes trahi possint. Quamobrem posteaquam ea expediuimus, quæ præter naturam sunt, superesse video, vt pauca quædam subiiciamus de victu, eaque parte, quæ in tutela eius, quod secundum naturam est, versantur. Nam antea duo potissimum præstanda esse à Medico (dum ægrotis medetur) commemorauimus; quorum alterum, & primum est, vt studeat abigere, quæ præter naturam sunt: alterum vero, vt ea tueatur, quæ sui custodiam indicant. Quid autem postulet, quod est præter naturam; quidque de eo sit dicendum, (vt diximus) iam omnibus patere puto; nec est, quod in alio multum laboremus, quando illud solum satis est obseruasse, vt interim dum abigimus, quæ naturæ sunt aduersa, commodo victu vires foueamus. ne scilicet vel eas in leuissimis affectibus exquisitiore victu demoliamur, vel vulgari quadam, & negligentiore nutriendi ratione eas oneremus, adeo vt nequeant morbosas causas in alio negotio plus iusto occupatæ conficere, discutereque. Illud quoque cauendum est, ne validissimis præsidiis in leuioribus malis vtentes viribus iniuriam inferamus, aut in grauissimis tentemus leuissima quæque, præter modum de virium robore soliciti. Tantum enim per morbos viribus tribuendum est, tantumque recedendum à solita viuendi ratione, quantum permittit cura eius, quod præter naturam est. Quod qui assequi poterit (assequetur autem, qui indicantium, & contraindicantium vim, dignitatem, & naturam expendet) is profecto recte semper vires conseruabit, aletque ægrotos, nec interim omittet quicquam, quod faciat ad ea abigenda, quæ molestant. Quapropter ei, qui intellexit, quid sit, quod victum indicat, quibusque, & quot scopis viuendi nutriendique ratio constet, nihil amplius deesse potest. Eum vero, qui hęc non prænouerit, hortari oportet, vt prius illa discat, quam ad hanc nostram tractationem, quæ his duntaxat, qui artis præcepta tenent, potest prodesse, accedat.

CAP. XII.

De probandi, pronunciandique ratione in consultationibus.

Inuentis reb. in vnaquaq; parte consultationis necessariis per resolutionem, diuisionem, & alia propria singulis, instrumentum & modus in probationibus adhibendus est, & hæc ratio tenenda, vt singula ex propriis instrumentis probentur; ratione quidem, si ex ea probationes ducendæ sunt; experientia vero addenda est, si quid illa præstare valeat; At autoritate maiorum ea solum comprobanda, in quibus nec ratio, nec experientia rei propositæ lucem adferre possunt. Adhibendæ vero ita sunt rebus probationes, ne in obscuris desint, nec in euidentibus redundẽt. Qua quidem in re non solum damnandum est, sed etiam deplorandum multorum ingenium, & institutum, qui in suis consultationibus nihil aliud habent in ore quam vel Galeni, aut Auicennæ, vel Pauli, aut alterius denique authoris nomen. Nec interim spectant, quid authoritate, & verbis scriptorum, quid vero ratione, aut experientia probari debeat. Videbis & alios, qui in rebus notissimis lippis etiam (vt aiunt) & tonsoribus citabunt nunc hunc nunc alium scriptorem; qui certe deterius, quam alii omnes artifices sunt affecti, quando ignorant, quænam sint obscura, quæ lucida, & suapte natura perspicua. *Probentur ergo, quæ fidem aliunde requirunt, ex propriis principiis; authoritateque scriptorum vtamur, vbi ratio, & nostra experientia nullam ad probandum vim habent; atque id quidem moderate.* Nam & illud ridiculum est, ex infinitis locis authorum testimonia petere, aut in medicina philosophos aduocare testes, quod sciolos quosdam, & ineptos homines facere videmus, qui nequeunt perspicere, quid deceat, quidque rebus conueniat. Corruptam vero eam probandi rationem Sophistis relinquamus, qui sub aliorum nomine, & authoritate tecti suam produnt inscitiam. *Cæterum pronuncianda sunt omnia non ad apparatum, nec ad ostentationem, vel ad victoriam, quæ a nobis dicuntur in consultationibus,* quemadmodum multos ambitiosos, vel etiam peruersos Medicos facere videmus, qui hæc diligenter obseruant, vt ab adstantibus gratiam captent. *sed ad decorum, vtilitatemque ægri cum summa modestia, & humanitate, non tremula voce, non stridenti, aut elata, qua vel ignorantiam, docendi imperitiam, aut superbiam, ostendamus, sed firma, & moderata cum quadam grauitate:* ex quibus rebus medicæ artis antiqua fama, & authoritas apud omnes retinentur. Hæc habui studiosi iuuenes, quæ de consultandi ratione in tantis aliis rebus, & grauioribus studiis occupatus breuiter vobis traderem, & conscriberem. Quæ vtinam vobis prodesse, vestrisque studiis, (vt opto) ornamento esse possint. Quod vt commodius fiat, pateatque vniuersa consultandi ratio, exemplum subiiciam, in quo omnes illius partes certo quodam dicendi stilo coniunctæ apparebunt, facileque ad alia trahi poterunt ab his qui non oscitanter ea, quæ hactenus tradidimus, & hæc, quæ sequuntur, simul legerit.

Quæ & quomodo probanda.

Quomodo pronunciandum.

Exemplum sumptum ex pleuritide.

Dubitaui aliquandiu, quo exemplo vti deberem in hoc instituto. Nam si aliquis poneretur aliquo morbo, vel symptomate ex certis causis correptus, non videretur res posse doceri in eo, quod forte nulli alteri vnquam accideret; nec poterant methodo tractari, quæ ad propositũ exemplum pertinerent, vt quæ ex suo genere,

genere, & communi sua tractatione nequaquam ducerentur. Veluti si quis fingeret hominem adolescentem, gracilem, & biliosum, media hyeme tertiana notha correptum; haberet certe, quod diceret in hoc casu. Verũ deesset, quod ad omnes tertianas, omnesque ætates habitusq; corporis & anni tempora trahi posset. Nec in hoc exemplo causæ, signa, symptomata, remedia victusque ratio posset intelligi, propterea quod hæc ex generali ratione, & natura tertianæ nascuntur, quibus non explicatis, hæc quoque ignorari necesse, est. Quod si affectus aliquis communis proponeretur, vt febris putrida, non videbatur id ad nostrum institutum pertinere, in quo lectorem exerc[illegible] volumus particulatim, B quæ generatim ars ipsa hactenus docuit. Non enim quid febris putrida postulet, aut quas habeat causas vel signa, aut differentias, aut qualis illius sit natura, quæri in consultationibus dicet quispiam; sed quid habeat huius, aut alterius febris, quidque singulis conueniat à Medicis peti, adeo vt de singulis exempla poni debeant; quod cum fieri nequeat, nec etiam probari possit aliorum institutum, qui in explicatione eius, quod commune est, duntaxat versari volunt, satius esse duximus, vtrique satisfacere, atque imprimis affectum vnum proponere, de quo generatim dicamus, ex eoque postea particularia exempla nonnulla elicere. Nam & aliquando de eo, quod est commune, cõsultationes institu[illegible]ntur; adeo vt perfecta nequeat esse tractatio, si eo C prætermisso rem ad singularia contrahamus; siquidẽ grassante aliquo morbo ab incolis petitur ratio, qua imminens malum præcaueri, aut iam pręsens abigi valeat. Ex qua quidem ratione quid singulis expediat, qui medicinam illis in locis factitant, colligunt. Petuntur ergo Medicorum consilia frequentissime de eo, quod singulare est; nonnunquam tamen de eo, quod est commune, ab illis deliberandum. Itaque quærenti mihi quonam exemplo in hac re vti possem, nullum est visum aptius, accommodatiusque ipsa pleuritide; *tum quod frequentissimus sit, & insignis hic affectus, tum quod multas differentias, causas, & symptomata obtinet; prædicendique rationem difficilem ostendit, & denique plurima postulat præ-* D *sidia.* Ex quarum rerum explicatione attingere poterimus omnia capita superius posita. Sic enim Hippocrates *in libro de Ratione victus* cum sibi potissimum proponit affectum, in quo omnium acutorum morborum victum, curationemque doceat: Sic Galenus *in libro de Constitutione artis,* inter omnes morbos pleuritidem pro exemplo sumit, in quo monstret, quonam pacto morbi, & pars affecta cognosci, & curari possint.

Cur exemplum sumpserit à pleuritide.

Hunc ergo affectum nobis proponamus; atque ita exordiatur oratio: Quoniam huc conuenimus, vt pleuritidem curemus, nec id facere licet nisi prius intelligatur illius natura, differentię, causæ, & symptomata; Ideo de his à nobis agendum erit, & quia ea dignoscere non datur, E nisi per sua signa, propterea de his quoque dicemus. Nam in consultationibus huiusmodi signa propriam tractationem obtinent. Præterea, cũ Medicus desperatos affectus abigere haudquaquam aggrediatur, varieturque in salutaribus medendi ratio, ob ea, quæ futura sunt in singulis malis; ideo prædicemus quid sit futurum. Quod

A si sperabimus hominem iuuari posse nostris præsidiis, tandem inuestigabimus, quæ, & quot sint à nobis præstanda, quaque ratione singulã auxilia exerceri poterũt. Ac vt à primo exordiamur quod ad essentiam pertinet; cum pleuritis sit aliquid præter naturam, sint autem omnia huiusmodi vel morbi, vel symptomata, vel causæ morborum, dico pleuritidẽ causam morbi esse; siquidem inflammatio est, quæ cum tumor sit præter naturam, vitiat structuram partis: Vitium autem ipsius structuræ, non autem id, quod illud committit, morbus est. Non tamen impedio, si quis morbum vocare velit Galeni authoritate, aut à communi consuetudine persuasus. Qui tamen id, quod est exactum, quærunt; nostram B probabunt sententiam. Est autem pleuritis lateris affectus, vt nomen ipsum ostendit: verum quoniam multæ sunt in thorace partes, *affectus primarius est membrana succingentis costas, secundario vero intercostalium musculorum,* vt symptomata docent. Sunt porro duæ membranæ circa costas; vna, quæ peculiariter singulas ambit, quæ exterior à Galeno dicitur: alia, quæ internam superficiem thoracis constituit, quæ potissimum in pleuritide laborat. Eo enim, quod illa primo, & maxime afficiatur, exquisita, veraque pleuritis censetur esse. Nam inter aliam membranam, & ossa non videtur colligi posse sanguis, & fieri inflammatio primario affectu. Quod si musculi ipsi primo inflammati ipsam membranã C afficiant, pleuritis fit, quæ non exquisita, nec legitima dicitur, sed spuria. Parit autem inflammatio (vt de genere morbi dicamus) *morbum in intemperie, & solutione continui, non autem semper morbum in magnitudine,* vt multi putant, qui triplex genus morbi in ea necessario inueniri contendunt. Neque enim semper magnitudo loci affecti perinde augetur, vt pars instrumentaria ob illam cogatur deserere suas functiones: Accedit autem semper intemperies ob calorem humoris, quę naturales actiones labefactat: & solutio continui ex tensione, vnde respiratio læditur.

Pleuritis an sit morbus vel morbi causa.

Cuius partis sit affectus.

Qualem pleuritis pariat morbum.

Cæterum differentias quasdam habet pleuritis, vt morbus est; alias vero, vt pleuritis: est. n. morbus magnus, acutus, continuus, periculosus, D compositus, ordinatus, & inter os qui paulatim soluuntur, & nunc legitimus, nunc spurius: sic inter hyemales, aliquando inter vernales collocatur. Propriæ vero illius differentiæ ab essentia illius, causis, & effectibus ducuntur: Ad essentiam enim illæ pertinent, cum dicimus, quandam esse veram, inflammationem, scilicet veram intelligentes; aliam non veram, quales sunt tumores ex flatu, aut pituita eos locos infestantes. Item cum dicimus, quandam esse in principio, vel incremento, statu, vel declinatione, hæc enim cum à partibus ducatur, in essentia poni debet, sicut illa, quæ à proprietate dicitur, quod scilicet quædam benigna, alia vero maligna existat. A causis vero efficientibus ducimus eas differentias, cum dicimus, quandam à calore, aliam à frigore, vel dolore, vel ab aliis huiusmodi occasionibus excitatam: Et quoniam efficientes requirunt modum in agendo, variaque est natura efficientium, siquidem nonnullæ gignentes, alię iuuantes, & lædentes, aliæ augentes, vel conseruantes dicuntur, ob id nonnullæ ab illis fontibus resultant differentiæ; Veluti illa est, quod

Pleuritidis differentiæ duplices.

quædam per compreſſionem, alia vero per fuſionem, vel expulſionẽ ſit nata; docet enim hæc A generationis modũ; gignit autẽ calor, frigus, & alia huiuſmodi, de quib. in cauſis agemus, quæ & augent, fouentq; affectum; à quibus differentiæ quoque peti poſſunt: Quædam enim augentur fouentur, læduntúrque à frigore; hæ ſcilicet, quæ à frigidis ſunt excitatæ, aliæ vero à calidis, nimirum illæ, quas calor peperit. Sunt & inter iuuantes, quæ morbum ſoluunt, differentiaſque capiunt à diuerſitate eorum, quæ opitulantur, ſolutioniſque modo: Nam inter illa, quæ ſoluunt, quædam alterantia ſunt, alia vacuantia, alia alterius generis, quæ quidem conferunt, vel quod digerant materiam, aut concoquant, aut per alui fluxum, aut ſudorem, aut B alio modo eam vacuent, vel quod ad abſceſſum perducant, vel aliter conferant. Proueniunt & à cauſa materiali differentiæ, qualis ea eſt, cum dicimus, pleuritidem quandam eſſe, quæ fit à ſanguine puro, aliam vero ex mixto cum aliquo humore. Præbet & ſuas differentias cauſa, quæ ſubiectum vocatur; ſic enim dicimus, quandam eſſe pleuritidem, quæ membranam ipſam primario; aliam, quæ ſecundario; aliam, quæ ſuperiores, aut medias, vel infimas, vel dextram, aut ſiniſtram, aut omnes partes pariter occupat. Finem ſpectamus, cum dicimus, quandam eſſe lethalem pleuritidem, aliam ſalutarem: cuius generis illa quoque putari poteſt, quando dicimus, C quandam breuem eſſe, aliam longiorem; quæ ſcilicet breui temporis ſpacio, aut longiore ad finem properat. Cum vero dicimus, quandam eſſe, quæ vehementes dolores, vel mitiores, vel delirium, aut ſitim, aut ſyncopen; aliam, quæ neruorum conuulſionem, vel aliud malum adfert, ab effectibus differentias ſumimus. Atque hæc quidem de differentiis ſufficiant; ex quibus reliqua eiuſdem generis facile intelligi poterunt. Nunc accedo ad cauſas pleuritidis, & differentiarum illius.

Pleuritidis cauſa immediata materialis.

Itaque ſi pleuritis inflammatio eſt, hęc autem tumor eſt, qui ex materia in parte collecta naſcitur, cauſam vnam immediatam habebit; *materiam ſcilicet in parte laborante redundantem.* Eſt D autem materia inflammationum ſanguis vel ſolus, ſi ea exquiſita eſt; vel cum alio humore mixtus, veluti pituita, bile vtraque, & ſeroſo humore. Vt plurimum tamen à ſanguine bilioſo fieri ſolet: hic enim facilius membranam afficere, & coniunctam cum coſtis ſeparare ob ſuam tenuitatem, & caliditatem poteſt: Ex ſyncero autem alio humore fieri nequit, ſi modo inflammatio omnis materiam habet ſanguinem. Eſt porro *ſanguis* materia, ex qua pleuritis fit, & efficiens conſtituenſque cauſa: Nam ex illo inflammationem fieri, & ſanguinem inflãmationes facere, & conſtituere dicimus.

Efficiens.

Cauſa collectionis humorum.

Cæterum collectionis humorum in aliqua parte cauſa vel congeſtio eſt, quæ paulatim fit; ex qua frigidi, & duri tumores procreantur; vel fluxio, ex qua calidi, & E laxi tumores frigidi naſcuntur. Erit ergo *fluxio* cauſa ipſius inflammationis aceruans ſcilicet humorem, ex quo illa conſtat. At cum fluxio motus quidam ſit, aut ſine motu non fiat, neceſſe erit eſſe, quod moueatur, vnde incipiat motus, in quem finiatur & per quem fiat; aliud præterea, quod mobile moueat, aliud vero, quod mouentem ad agendum impellat. Eſt autem id, quod mouetur, humor, qui cum tenuis eſt, calidus, multus, & nequaquam viſcidus, facillime mouetur, contrarius vero difficile. Atque huius quidem cauſæ ratione fit, vt pleuritis gignatur, aut peripneumonia. Ex calido enim & tenui illa fere fit; ex craſſo, viſcido, frigido, multo, pulmo laxus facile repletur, inflammaturque. Pars vero, vnde mouetur materia, non ſolum fluxionis eſt cauſa, ſed etiam facit, vt vna pars potius, quam alia inflammatione teneatur: Nam quæ valida eſt, rara, quæque cauitates habet, per quas effluere materia poteſt, facile in alia reiicit, quod moleſtat: ſic quæ in ſuperiore loco eſt poſita, cauſa eſt vt inferiores laborent, & dextra, vt dextræ; coniuncta, & vicina, vt vicinæ afficiantur. Sic igitur caput dicimus eſſe pleuritidis cauſam; quod ab illo moueatur materia deſcendatque ad coſtas: Sic & vniuerſum corpus cauſa putatur eſſe, quando ſeſe exonerat in caput primum, deinde in latus. At pars, quæ recipit, terminus eſt, in quem finitur, qui etiam cauſa eſt inflammationis. Nam quod illa ſit rara, mobilis, debilis, in inferiore loco poſita, aut à directo ei, à quo incipit motus, aut coniuncta, aut quod effluxus non habeat, per quos poſſit reiicere, quod infeſtat, vel quod doleat, aut caleat, aut vacua ſit, & caua, prompte fluentem humorem recipit. In pleuritide vero recipitur humor non ob iſtas omnes cauſas, ſed potiſſimum, quod inferior ſit pars, quæ laborat & coniuncta cum capite per venas: nec habeat vaſa, per quæ reiicere poſſit quæ aliunde accepit. Adde quod & debilior ſit ob frigiditatem, & caloris inopiam. Cæterum venæ, arteriæ, inaniaq; ſpacia, & aliæ corporis viæ, cauſæ ſunt fluxionum, quod per illas humor feratur. Nam quæ ab vno loco in alium terminantur cauitates, viam præbent promptam currenti materiæ. Porro mouent, quę attrahunt, vel impellunt, at ob attractionem nulla ſit fluxio. Impellit autem vel propria rei forma; vnde vapor ſurſum fertur ſua leuitate, & humor deorſum ob grauitatem labitur; vel id, quod expellit; quod quidem duplex eſt, vel ipſa (inquam) facultas expultrix, aut quod conſtringendi, exprimendique humores à partibus vim habet. Atque illo quidem modo dolor, copia vel acrimonia humoris fluxiones commouent, quod ſcilicet irritent expultricem vim, quæ poſtea quod in parte eſt contentum, ac vicinum extrudit; hoc vero externũ frigus, & aſtringentia medicamenta extrinſecus adhibita fluxiones pariunt. Quæ autem liquant funduntq; humores, fluxionum cauſæ eſſe videntur, quod concretam, adhęrentemque partibus materiam liberẽt, quæ poſtea ſponte pro ſua natura ſurſum, vel deorſum fertur. Qua quidem in re apparet, quid ſit tanquam efficiens, quidque illud impellat, quid augeat, foueat, conſtituatque malum, quid materia, finis, ſubiectum, & cauſa cum qua. Nam ſanguis materia eſt inflammationis, & fluxionis, conſtituitque idem tumorem: ſubiectum inflammationis pars eſt affecta; termini vero motus, & via, per quem decurrit humor, cauſæ ſine qua fluxio, & inflammatio fieri nequeunt, rationem habent; forma vero, quæ mouet, & expultrix facultas, quæ materiam expellit, ſunt tanquam efficientes proximæ cauſæ fluxionis.

paulo

paulo vero remotiores ipsius inflammationis. Ipsa vero materia, & dolor impellunt mouētem, expultricem, inquam, facultatem. Desiderium vero expellendi, quod molestat, finis est, cuius causa est vis ipsa propultrix excitatur. Hæc vero aut omnia, aut plurima cum augentur, mali sunt auctrices causæ, cum vero manent in eodē statu, conseruatrices; quæ vero eas tollunt, iuuantes; quæ illis fauent, lædentes nuncupantur. Ac ex his quidem causis plurimę ad quatuor rerum genera, quæ mutandi corpus vim habent, nempe ad ea, quæ foris agunt, vel in corpus sumuntur, & retinentur, aut geruntur à corpore & animo, reducuntur. Nam ciborum potionumq; multitudo, acrimonia, otiū, cohibitæ excretiones, tēperies apta ad sanguinis generationem, dysenteria, hæmorrhoides, & varices intempestiue retētę pleuritidem inferre dicuntur, quod materiam suppeditent, qua illæ constituuntur, & fluxiones commouentur. Aër vero ambiens frigidus, balnea, vnctiones, potiones calidæ, eadem pariunt, quod materiā mouent. At frigidæ potio æstuante corpore eiusdem est causa, propterea *quod densat meatus, & liberum transitum humorū impedit.* Quæ vero excernuntur, & nimio effluxu debilitant partes corporis, faciunt, vt facile recipiatur materia quæ fluit, atq; ita erigantur tumores, & inflammationes. Patet & progressus in singulis causis, veluti in materia tumor ex sanguinis multitudine, hæc ex repletione, hæc rursus ex cibis, qui sanguinem plurimū procreare sunt apti, nascitur. Eodem pacto in efficientibus, si ita forte contingat, fluxus ex cōpressione, hæc ex adstringentibus, adstrictio ex refrigerantib. hæc ab aere Aquilonio commouentur. Excitatur ergo ab his causis inflāmatio in membrana, quæ costis subtenditur, atque illa est, quæ primario laborat, secundario vero musculi vicini, & costæ afficiūtur, cor vero tertio loco; Vltimo vniuersum corpus ob cordis affectum, nempe febrem, ægrotat. Est autem pars, quæ primario afficitur, non quidem princeps, aut nobilis, sed tamen publico munere donata; vtpote quæ respirationis sit instrumentum; estq; proprium in latere malum, quod nullum alium habet fomitem. Atque hæc quidem sufficiant de causis pleuritidis: Nam causas differentiarum quilibet ex his, quæ prædiximus, inuenire poterit, quid scilic. magnæ, acutæ, benignæ, malignæ, veræ, non veræ, simplicis, compositæ, salutaris, lethalis, aut alterius differentiæ causa quomodocumque esse possit.

Quare ad signa transeo, inter quæ illa primū tradenda sunt, quæ ipsam pleuritidem monstrāt; deinde quæ illius causas; tertio, quæ differentias ostendant; postremo, quæ prænuncient quid sit futurum. Accum signa vniuersa sumātur à quatuor fontibus, à rei (inquam) essentia, causis, effectis, & similitudine, excutiendi sunt singuli fontes, & quid possit ab illis deriuare, videndum. Est autē pleuritidis essentia, inflammatio, tumorq; præter naturā membranæ ambientis costas, quæ si cernere possemus, ostēderent profecto quod quærimus. Verum cum internus sit affectus, internaq; pars, ex tumore nō licet signa aliqua colligere. Iam vero affectus ipsi plurimas exhibent notas: Sunt autem inter effectus quidam, qui sequuntur affectum ipsum solum; alii, qui causas; alii, qui partem affectā; alii, qui differentias pleuritidis; alii, vero, qui à duobus, vel pluribus ex illis nascuntur; quæ quidem inter se distinguere plurimum refert; quando non licet aliter perspicere, quę communia, & inseparabilia sint omnibus pleuriticis indicia, quæ vero quibusdā duntaxat propria, quæ item immediata, vel longe ab affectu remota statui debeant. Sequuntur etenim pleuriticos dolor punctorius late fusus, qui nunc ad claniculā, nunc ad septum transuersum, vel ad vtramque partem aut neutram, nunc etiam ad manus extenditur. Tussis aliquando cum sputo cruento, aliquādo vero sine sputo aliquo; febris vehemens, & acuta, pulsus celer, frequens, durus, & inæqualis ea inæqualitate, in qua serosus apparet. Spirandi præterea difficultas, delirium, rigor, calor in parte, decubitus nunc in latus affectum, nunc in oppositum facilior. Ad hęc sitis, vigilia, deiecta appetentia, & similia ab autorib. nostris traduntur, de quibus sigillatim agendum est, vt quid cuique conueniat, agnoscamus: nam *dolor in primis signum non est inseparabile, vbi enim vel delirat, qui laborat, vel maligna est materia, quæ partis sensum necat, aut iam declinat inflammatio*, dolor non sit. & qui adest, semper punctorius non est, sed is duntaxat, *qui à sanguine puro aut bilioso committitur.* Nec perpetuo late funditur dolor, sed cum magna est inflammatio; adeo vt pleuritidem non sequatur late fusus dolor, sed magnitudinem, differentiamque ipsius. Cum vero dolor vrget in omni pleuritide tensiuus est, & fixus; ac vbi magna est inflammatio, sentitur & pulsus quidam. Quod vero communicetur manibus dolor, non pleuritidem, sed membranam circa primum, & secundum interuallum costarum laborare id testatur. Dolor vero maior in vno latere, quam in alio aut æqualis, dum decumbunt laborantes, non sequitur necessario pleuritidem, sed illius differentias, & locum affectum. Id enim contingit, dum vna membrana aut alia magis afficitur, aut cum inflammatio ingens vtramque pariter lædit. Extenditur autem ad claniculam, vel septum transuersum, vel mediam duntaxat membranæ partem occupat; id quod testatur magnitudinem inflammationis aut locum affectum sequitur. At tussis necessario pleuritidem comitatur, vel quod aliquid in huiusmodi affectu per membranam continuo effluit, quod in pulmonem, aspe rasque arterias receptum ad expulsionem irritat vel ob dolorem lateris partis scilicet respirationi destinatæ, quo modo à sola refrigeratione thoracis eam accidere docet experientia, non tamen proprium est pleuriticis hoc indicium, quando aliis multis affectibus commune existit. Quod vero aliquid expuatur, aut non, id potius morbi tempora, & materiæ qualitates, quam morbum ipsum significat. Cum autem excernitur sanguis purus aut cum pituita, vel alio humore mixtus, & hoc, aut alio colore, crassitie, visciditate infectus, monstrat diuersum humorem, non autem pleuritidē ipsam necessario ostendit. Quinetiam crudum, aut coctum sputū index est temporum ipsius morbi: Sic sane illius quātitas materiæ quantitatem, & qualitatem, vel loci differentiam, vel morbi tempora docet. Nam multum reiici solet, vbi multa, nec rebellis est materia, locusque rarus, declinatque iam inflammatio. Cæterum febris necessario pleuriticos

Aqua frigida potio æstuante corpore quomodo fiat pleuritidis causa.

Quæ partes pleuritide afficiantur, & quo ordine illæ fiant participes.

Signa pleuritidem ipsam demonstrantia.

Quando in pleuritide nullus sentitur dolor.

Et quando adsit punctorius.

Tussim pleuritidem necessario comitari, & cur.

Ita etiam febrim. & quando ea sit vehemens & acuta.

arguit, quia locus affectus parum distat à corde, affectusq; ipse calidus est, non tamē ea perpetuo vehemens & acuta adest, sed duntaxat cum sanguis purus aut cum bile mixtus pleuritidē facit. Nec semper simplicior est hæc, quā aliæ febres, nec tertianæ modo in omnib. exacuitur: Si enim ex sanguine melancholico fiat, malignitate non caret, & ea sola tertianæ accessionem seruat, quæ ex bilioso sanguine, putrescente iam bile, nascitur. At pulsus necessario in pleuritide mutantur ad magnitudinē, & celeritatem, & frequentiam ob affectus caliditatem: durus vero & serosus non fit, nisi vbi multum tenditur membrana ex magnitudine inflammationis; in minoribus vero, aut pituitosis vel durities nulla adest, aut certe non tanta, vt serosus pulsus euadat. Iam vero respiratio inseparabile. id est, commune, & perpetuū est omnibus pleuriticis symptoma; idque non solum, quod pars læsa respirationi seruiat, quando refrigeratio illarum partium difficilem haudquaquā respirationem reddit, sed quod affectus in ea parte sit, qui motū liberum fieri impedit. Quare hoc indicium est, & partis affectæ, & ipsius affectus; propriū vero nequaquā pleuriticis; siquidem multis aliis conuenit. Delirium, & coma pleuritidem necessario nō indicant, sed vehementiam, malignitatem, & vigorem inflāmationis, sicut & conuulsio; at rigor vix aliquid potest in pleuritide ostendere, sed potius quæ cōtingunt pleuriticis ex febre indicat. Idē quoq; sentiendum de siti, deiecta appetentia cibi, quæ biliosam febrem, & iam consistentē monstrant. Calor etsi videtur sequi affectum ipsum; tamen vix videas aliquem laborantem eo morbo conqueri de calore in parte affecta. Capitis vero dolor paruas, & crudas, frigidasq; inflammationes non sequitur, sed duntaxat magnas, calidas, & vigentes. Ex quibus facile patet, quænam sint symptomata, quæ nunquam possunt à pleuritide seiungi: quæ vero ob loci diuersitatem vel materiā, aut tempora diuersa, vel cōplicatos affectus aut suas differentias illi contingant, quæ item communia sint illi cum aliis; & demum quæ propria, & illi peculiaria sint statuenda. Nam pleuriticos omnes hæc sequuntur, *spirandi difficultas, tussis, febris, idq; per vniuersum morbi cursum: vt plurimum vero etiam accedit dolor, & is punctorius, & fixus & sputum cruentum. febris vehemens, durus, & tensi pulsus, & alia illius differentiæ, quas febris parit*; nullum tamen si quis spectet, proprium est pleuriticorum indicium, quādo singula symptomata prædicta multos alios morbos comitantur; fiunt tamen nonnulla ex illis propria, si ad affectus reliquos thoracis comparētur: Nam punctorium dolorē nulla alia pars, aut affectus, quam pleuritis in thorace committit. Igitur ab affectibus hoc modo pleuritidis notæ sumūtur; Augent cōiecturam signa, quæ sumuntur à caussis, & similitudine. Nam si præcesserunt illa, quę solent pleuritides parere, aut iuuant vel lædunt laborantes, quæ solent prodesse, aut obesse huiusmodi malo, si præterea nonnullos alios, qui eo tempore morbis fuerunt correpti: pleuritide laborasse, idem erit de eo sentiendum, cuius affectus notas quærimus.

Quænam symptomata omnes pleuriticos sequantur, quæ vero eos vt plurimum.

Signa pleuritidi propria.

Signa pleuritidis exquisitæ.

Porro exquisitam pleuritidem, in qua scilicet membrana interior primario laborat, ostendunt notę, quę partem illam affectam potissimum sequuntur; maior, inquam, dolor magis extentus ad vtramq; partem: lateq; fusus, punctorius magis, maior tensio, interior illius sensus, febris vehementior, duriores pulsus, crebriores, & minores; sic respiratio crebrior, difficilior, minorq; euadit; tussis quoque magis irritat, & aliquid plus expuitur, faciliorq; est decubitus in latus affectū, difficilior vero in aliud. Quod si suprema mēbranæ pars laborat, situs doloris maxime id ostēdit, & iuuantes caussæ. Magis enim (inquit Hipp.) hi, quā alii iuuantur venę sectione. Quod si musculi inflāmationem patiūtur, vel cū illis etiā exterior membrana, tactu, & nonnunquā visu deprehēditur inflammatio siue tussi, aut cū exigua afficitur æger vrgetq; dolor, & tēsiuus, & pulsatorius, qui si spirādo magis sentitur, internos musculos; si vero expirando, externos grauius laborare ostēdit; respiratio minus læditur, pulsus haudquaq̄ durus, minor febris, in latus affectū decubitus difficilis, ac manus tota moueri sępe impeditur.

Signa loci affecti.

Signa pleuritidis malignæ.

Malignam vero pleuritidem ostendunt doloris carentia, aut maior vehementia, quam testetur febris, minor sc. aut in internis partib. latens; sitis maior, aut minor, quā pro febris natura. Aliquando delirium, syncope, linguæ ariditas absq; siti, pulsus inordinati, intercepti: multū sputū q̄ hominem nō alleuiet, vel paucum, illudq; vel æruginosum, vel liuidum, vel nigrum, aut impermixtum, aut cū difficultate excretum. Quinetiā vrinæ suppressæ, aut quæ emittuntur nigræ, liuidę, aquosę. Item color in corpore, vel parte affecta, ad liuiditatem, vel nigritiem vergens; ac reliquæ qualitates, malignā dispositionē sequuntur, hæc, inquā, vt pessimam febrem, & malignā, sic inflammationem, à qua illa nascitur, ostendunt. Præterea nullis remediis iuuantur, aut certe paucissimis, qui maligna pleuritide laborant. Ad hæc corporis habitus, qui malignos humores gignit; necnon caussæ, quæ morbū intulerunt, malignæ, idem testantur: quemadmodum & illud indiciū, quod à similitudine sumitur: Nā si malignę pleuritides grassentur, non immerito putabimus, & illa, de qua agimus, eiusdem generis esse. Contraria vero indicia benignam ostendent.

Magnæ.

At magnam pleuritidem monstrāt signa, quæ ipsam pleuritidem ostendunt auctā. Magnus n. dolor quiq; se ad omnes membranæ partes, aut saltem à medio ad iugulum, vel septum trāsuersum extenditur: Pulsus vehemēs, durus, frequēs; creberrima, difficillisq; admodū respiratio, vehemens febris, & quę eā sequuntur accidentia, sputum præterea rubrum, & multum, necnon caussæ, quæ illā pepererunt, magnę, multusq; humor in corpore redundans, idem testantur. Est quoque illa magna, quæ non nisi à magnis remediis iuuatur, à contrariis autem facile læditur. Parua autem est, quæ contrarias habet notas.

Signa pleuritidis ex sanguine.

Iam vero materiam pleuritidis ostēdunt propria singulis humoribus indicia. Igitur à sanguine eam fieri ostendent dolor vehemens, febris simplicior, vehemēs tamen, & quæ nullas accessiones habeat: Item sputū rubrum, rubræq; vrinæ, cita maturatio, & expurgatio; ruber in corpore color, venæ tumidæ: Præterea habitus corporis, victusq; præcedens, qui sanguinem plurimum procreandi vim habuit. Qua ratione ætas, & anni tempus idem monstrant. Necnon iuuātes, lædentesq; caussæ, & similitudines idem docebunt.

Biliosa. cebunt. Biliosam vero pleuritidem declarant dolor admodum pungens, sed non perinde distendens, pulsus duri, crebri, febris vehemens admodum, tertiana modo infestans, creberrima respiratio, sputũ & vrinæ flauæ, nõnunquam deliriũ. Ad hæc habitus corporis, ætas, victus præcedens biliosus, iuuantes, lædentesq; causæ, & similitudines idem ostendẽt. *Pituitosa.* At pituitosam sequitur remissior, & humidior febris, quæ quotidie exacuitur; dolor non admodum pungens, sed potius cum quadam grauitate hominem vrgens; pulsus molliores, tardioresq;; Sputũ spumosum, viscidum, cãdidum, & quod non admodũ tarde procedit; & nonnunquã sopor, & reliqua huiusmodi symptomata, quæ indicia sunt pituitæ redundantis: Ad hæc causæ, quæ pituitam gignunt, iuuant aut lædunt: & similitudines præbebunt sua indicia. *Melancholica.* Iam melancholicum testantur febris remissa, sed maligna, accidentiaq; maligna, & magna in pulsu, somno, vigilia, & reliquis corporis animiq; actionibus. Expuunt & hi parũ, & difficile, illudq; vel nigrum, vel liuescens. Dabunt & in hac pleuritide suas notas causæ, & similitudines, vt in aliis. *Signa, à qua causa humores sint commoti.* A qua vero causa humores sint cõmoti, partim ex his, quę præcesserunt, partim etiã ex impressionibus in corpore factis intelligemus. Si quis in aëre frigido hoc morbo fuit correptus, colligemus, ex cõpressione fluxionẽ, & inflãmationem excitatam fuisse. Adstricta præterea, & densata quodammodo cutis sepultaque magis ab initio febris in his apparet, qui ob frigus externum laborãt. Eodem pacto cognosces an à calore partis affectę, vel alterius, an ex fusione, vel expulsione vel dolore, vel ex alia tandem occasione sit ortum malum. Qui enim nouerit, quid singulæ occasiones præstare possint, is facile ꝙ in hac re quærit, inueniet. *Signa temporum ipsius morbi.* In qua vero parte, siue tempore pleuritis sit, nunc tradendum est. docebunt autem id eadẽ genera signorum: tunc enim principium adest, quãdo pars fluxione repletur, dolorq; fieri incipit, & febris, tussis, nihilq; adhuc expuitur, & reliqua symptomata, quæ superius recensuimus, adsunt quidem, sed nequaquam euidenter augentur: tunc enim incrementum incipit, quod tam diu durat, donec paria omnia videãtur, quo tempore iam viget morbus, quẽ postea declinare ostendunt ea symptomata, cum iam remittuntur. Prębent nonnulla indicia in hac re causæ iuuantes, & lædentes. Quæ enim iuuant præsidia, aut lædunt morbum, potissimũ dum in principio est, aut in augmento, vel in alio tempore, docent præsens esse, quod quærimus. Atq; hæc quidem consentiunt suis principiis, à quibus plurimum recedunt, qui pleuritidem tũc vigere tradunt, quando multa, & cuncta expuuntur, tunc enim minui materiã, symptomataq; omnia necesse est, quod declinationem ostendit, sed hæc diligẽtius alibi prosecuti sumus. Qua propter ad ea properandum est, quæ quod futurum est in pleuriticis, præsagiunt.

Signa præsagientia. Qua quidem in re primum trademus, quem finem sit habitura pleuritis, deinceps notas trademus, quæ præsagient tempus solutionis, modũ, authorẽ, qualitatem, media, locũ, ordinem; hæc enim ad prædicendi rationẽ pertinent. Itaq; cum perimant morbi, qui adeo à naturali statu hominẽ distrahunt, vt nullis remediis coerceri possint; huiusmodi recessum, aut minorẽ ostẽdẽt signa à superioribus fontibus ducta. *Futura mors.* Nam magna inflammatio, febris admodũ vehemens, pulsus frequentissimi, durissimi, difficilis admodũ respiratio, deliriũ continuũ, animi defectus, adhæc cohibitum sputũ, aut paucũ, quod cum difficultate reiicitur, & illud viride, vel nigrũ, rotundũ, viscosum admodum, tenue, vel crassum impermixtũ; sic & vrinæ, vel suppressæ, aut quæ emittũtur nigræ, oleaceæ, liuidæ, cõfusę, tenues, vel crassę admodũ, sudor præterea, aluiq; fluxus ab initio, pręsertim si deiiciantur liquida, aquosa, grauiter olentia, mortẽ præsagiunt. Eodẽ pacto color corporis, & aliæ qualitates plurimũ à naturali statu mutatæ, mortis sunt indices; necnon causæ, quæ morbum intulerunt, si magnæ aut malignæ fuerint, quæ aũt resistere, iuuareq; debent, infirmæ, corporisq; habitus durior, ad transpirationemq; ineptus. Si pręterea mult⁹ humor, aut malignus, aut varius pleuritidem facit, si pars affecta densa, crassa, infirma, si itẽ nulla prosunt auxilia nec etiã maxima, de vita admodũ verendũ est, augebitq; timorem, si forte lethales grassentur pleuritides. *Futura salus.* Contraria autem his indicia salutem pollicẽtur. *Dubius euentus.* Quod si paria fuerint, aut certe non admodũ inæqualia bona malis signa dubiũ portẽdũt euẽtũ.

Temporis solutionis. Cæterum tempus solutionis eadem signa docebunt; quæ enim parua est benignaq; pleuritis, quamq; pepererunt leues causæ, iuuant vero vel leuissima remedia, pauca vero obsunt, quę nocere sunt nata: si præterea subsunt vires validæ, nec desũt cõmoda præsidia, salus propinqua est. Sed certiora præbent in hac re indicia effectus, quã essẽtia ipsa & causæ. Nam si facile & ab initio incipit expuere, qui laborat, & ea, quæ expuuntur, qualitatibus, & quantitate respondeant, maxime si perpetuo cocta excernantur, quarta, vel septima die salutẽ, aut declinationẽ morbi euidentẽ expectare oportet. In lethali vero cõtraria ratio contrarium euentũ ostendet. Verum quoniã ratione febris aliquando moritur æger, aliquando vero ipsius pleuritidis, nõnunquã aũt ob vtrinsq; causam; id deprehendes ex eisdẽ fontibus signorum. Nam si pleuritidis accidentia minuuntur, augentur autem, quæ febrem sequuntur, quod contingit, cũ benigna erat materia, & pauca, quę pleuritidẽ excitauit, multa autẽ, & maligna, quæ febrẽ ipsam peperit, huius profecto, neqnaquã vero pleuritidis ratione homo extinguetur. At si febris non admodum molestat, crescant autem pleuritidis symptomata, ex hac homo suffocabitur. Par autem habebunt illa momentũ ad mortem inferendum, si æqualiter hominem infestant. Licebit & à causis & ab essentia cuiusq;, & à similitudine hic quoque notas petere.

Mutationis modi. Cęterũ modũ ipsius mutationis docebit natura ipsius affectus: finitur enim paulatim pleuritis, quoniam necesse est humorem concoqui, deinde paulatim per sputum educi. Quod si per digerentia, vel ea, quæ sensibiliter vacuant, solutio contingat, confestim etiam fieri poterit mutatio. Quod si in peripneumoniam transit, nonnunquam subito id fit, cum scilicet humor facilis est ad motum, & pulmo ad susceptionem aptissimus, nonnunquam vero paulatim id contingit; quando scilicet contraria adsunt. At si suppuretur, non nisi paulatim pus repurgari, & affectus solui potest. Idem monstrabunt causę, effectus, & similitudines.

Signa futuri mutationis.

An vero artis, vel naturæ beneficio, vel vtriusque opera finietur, quod est authores mutationis præsagire, nunc doceamus. Itaque cum leuissimos affectus sola natura vincere soleat, alios vero non nisi adiuta à nostris præsidiis, non immerito id ostendēt, ꝙ quærimus, indicia, quæ magnitudinē, moremq; affectus testantur. Nam benignas, paruasq; inflāmationes sola vincet natura, alias vero, quę lethales non sunt, communi opera naturæ & artis abigi posse sperabimus.

Solutionis qualitate.

Cæterum an facilis, vel difficilis, fida vel infida, perfecta, an imperfecta sit futura mutatio (quod est solutionis qualitatem explicare) hoc modo cognoscemus. Quæ enim benigna, paruaque est inflammatio in corpore bene affecto, & valido, quamque pepererunt benignæ leuesque causæ, & sequuntur leuia symptomata, iuuant vero lenissima quæque præsidia; eoque tempore infestat, quo aliæ omnes sine difficultate, & molestia sunt solutæ, facilem mutationem promittit. Fidam vero solutionē expectandā esse admonēt differentiæ nonnullæ ipsius affectus; quæ enim malignæ sunt, intermittunt sæpe dolores, remittuntq; alia accidentia: Sed postea valentiores insurgunt, nihilq; fidū pollicentur, quemadmodū & illæ, quæ per cōmoda, propriaq; remedia nequaquā sunt alleuiatæ: solent enim hæ redire, ꝙ & portēdunt infirmæ vires, infirmusq; corporis habitus multis, malignisq; humorib. refertus. Ac multo quidem magis illud verebimur, si aliis per eadem tempora in eisdē locis pleuritide affectis idem acciderit. Eadē vero prænunciant perfectā solutionē, aut imperfectā. Nā paruæ, benignæq; inflāmationes, quas huiusmodi causę excitarunt, quibusq; non defuerunt, contuleruntq; optima auxilia, ac optime affectum, validumque corpus subiicitur, perfecta omnia expectanda esse admonent. Porro inflammationes finiri solent cum educitur humor, vel suppuratur, aut induratur, aut in alias partes transfertur: id quod est media docere, per quæ illa ad finem suum properat. At pleuritidis natura ostendit duritiem nequaquam contingere posse. Educitur autem humor à parte affecta resoluentibus, repellentibus sputo, alui fluxu, sudore. Pollicentur autem imprimis vacuationem differentiæ ipsius pleuritidis: Nam benigna, paruaque inflammatio, quæq; à tenui, calido, pauco, & benigno humore orta est in corpore raro, valido, non aliud quam vacuationem expectandam esse testatur. Augebitur coniectura, si illa vacuantibus remediis facile cedat, & reliquæ per vacuationem abierint. At per resolutionem finietur, quæ ex tenui, exiguoque humore potissimum vergente ad exteriora consistit, cuique prosunt discutientia remedia laboranti adhibita. Idem fere sentiendum est de illa, in qua expectatur sudor. Vix autem pleuritis vnquam solis repellentibus finitur, & raro per alui fluxum, sæpius autem per sputum abigitur; quoniam via per aluum difficilis est, prompta autem patet ad pulmonem, & os. Quapropter superfluum est eius, quod nunquam vel rarissime fit, vel omnibus fere contingit, notas tradere. An vero suppurationem expectare oporteat, ex his signis intelligemus: Cū enim suppuratio contingat, dum conclusa est materia, quę suppurari est apta, & vis alteratrix valida est, necesse est, solum magnas pleuritides suppurari posse: illæ enim à sanguine fiunt, propria suppurationis materia, siquidem pus ex sanguine fit; ob magnitudinem vero non facile expirat calor: Vnde quæ magnam pleuritidem monstrant, nisi prēueniat vacuatio, eadem suppurationē fere prænuntiant; quanquam id quoq; illis commune est, quæ in peripneumoniā mutantur. Cū enim nequeat cōtineri humor præ copia in mēbrana, ad pulmonem confertim effunditur. Itaque alia signa id clarius ostendent: Si enim dolor fixus in loco manet, vel etiam intenditur vna cum febre, non paruum indicium est futuræ suppurationis; sputum præterea non procedit in pleuritide, quæ suppurari debet, aut paucum omnino est, quod excernitur, illudque maxime sanguineum, nequaquam vero malignum: Manet quoque difficilis & cruda inflammatio plus iusto, nec iuuatur à vacuantibus, & aliis remediis, quæ suppurationem impediunt. Cum vero iam fit suppuratio, certa adsunt indicia ex rigore qui necessario omnes internarum partium suppurationes comitatur. Pulsus præterea suppuratorū in his apparere incipiunt, qui prorsus conspicui sunt, dum facta suppuratio est, quā monstrant & dolor, qui minuitur, & febris, & respiratio, & virtus.

Medicorum, per quæ pleuritis ad finem suum properat.

Quæ vacuationem pollicentur.

Quæ resolutionem.

Quæ sudorem.

Suppurationem.

Quæ suppurationis suppurationem.

Futuræ putredinis.

Quod si non in pus, sed putredinem mutetur, augentur lethalia signa, abeunt vero, quæ salutem aliquam promittebant; apparetq; latus liuidum, aut nigricans, aut virescens.

Futuræ mutationis in peripneumoniam.

Solet autem conuerti pleuritis nonnunquā in hepatis inflammationem, aut ad neruosas partes ferri; frequentius tamen in peripneumoniā mutatur, ob loci vicinitatē, pulmonis mollitiem, & raritatē. Testantur autē id pulsus plus solito crebriores, & molliores, calorq; vehementior in cauitate thoracis sentitur. Acceditq; sitis, & genarū rubor incipit; desinitq; dolor latus infestare, spiratio tamē difficilior & febris vehemētior redditur. Quod si multa, pituitosaq; materia est, quæ pleuritidem cōmittit, nec vires validæ subsunt ad expurgationē noxii humoris; si præterea grassātur huiusmodi pleuritides, quæ in peripneumoniā vertuntur, non obscura habebis ex his rebus mutationis huius indicia.

In tabem.

Tabem ex pleuritide, dum incipit, non est facile diuinare; nimirum cum necesse sit, prius inflammationem suppurari, deinde pus ad pulmonem ferri, ipsumque pulmonem, & illius venas erodi: progrediente tamen morbo, etiam suppurata pleuritide, ex sputo certę notę sumuntur: *Si enim*, inquit Hippocr. *post suppurationem, & eruptione puris quadragesima dieb. non repurgentur, qui laborant, in tabem transeunt.* At locum, per quem discutietur humor eadem fere ostendunt, quæ media prænunciant, per quæ ad finem peruenitur. Quæ enim parua est, & à tenui calidoq; humore inflammatio, vt à digerentibus, sic per exteriores partes discutitur; quæ superiores partes infestat, extractione sanguinis in cubito potissimū abigitur. Quod si infimas thoracis partes occupet, per inferiores meatus exitum quærere solet. Sic materia pleuritidis diuersos locos affectat, & diuersa accidentia testantur, quo vergat morbi, naturæq; motus. Illud vero, quod ad ordinē solutionis pertinet; an scilicet febris citius, quā pleuritis; an hæc, q̄ illa, vel vtraq; simul eodē cursu abibunt, nunc tradere superest. Nam et si sequi-

Sect. 5. aph. 15.

Signa loci per quem humor discutitur.

Signa ordinis solutionis.

sequitur febris pleuritidem, contingit tamen ob diuersitatem materiæ, quæ in corpore reperitur, solui pleuritidem manente febre; id quod ostendet propria essentia febris, propriaque illius symptomata, quæ perseuerant, grauius affligere, declinante iam inflammatione. Quod si idem fuerit humor, qui vtrumque malum committit, nec aliæ superuenerint causæ, quæ febrem peculiariter intendant, minuanturque, & augeantur pariter vtriusque affectus symptomata, nec peculiare quidpiam vni potius, quam alteri malo ex corporis conditione, & remediis accedat, eodem tempore integram salutem expectabimus: quod & similitudines, & ex omnibus fontibus ducta indicia ostendent; vt & alia vniuersa, quæ in hoc casu ad prædictionem vnquam pertinere posse putabuntur, ne cogamur in vno exemplo integrum volumen conscribere.

Itaque explicatis his, quæ ad essentiam, genera, differentias, symptomata, causas, tempora, & signa pleuritidis pertinent, iam ad illud accedendum est, cuius causa hæc sunt à nobis elaborata: Id autem est, quod ad actionem pertinet, quæ cum recte institui nequeat, nisi certis scopis propositis, in quos omnia referantur, certaque adhibeamus instrumenta, quorum beneficio singulos scopos assequi liceat: Sint autem illa indicatio, obseruatio, & analogismus, in hoc potissimum casu indicationibus vtemur. Sunt porro scopi in hac re considerandi octo; placet tamen & primum addere, vt omnes ad vsum ducantur.

Scopi in hoc casu obseruandi.

Igitur cum grauis sit casus, de quo egimus, nec solius naturæ opera tolli possit, nec tamen perpetuo desperatus, aliquid profecto à nobis agendum esse indicat. At quoniam aliquid est in corpore laborante pleuritide secundum naturam, quod sui conseruationem postulat; aliud vero preter naturam, quod sui ablationem indicat necessariã, duo profecto imprimis à nobis agenda, mutandum, inquam, & cõseruandum, relinquitur. Verum cum magis vrgeat, quod præter naturam est, (ita .n. statuitur) ab hoc auspicabimur, quidque & quot ipsum postulet expendemus: Id quod indicabit numerus & natura eorum, cõtra quæ pugnandum est. Sunt autem hæc non semper numero æqualia. Nam incipiente & crescente adhuc inflammatione, plura adsunt, quã cum viget illa, aut remittitur. Sunt & plura præstanda, vbi corpus multis, aut malis humoribus redundat, quam si hæc abfuerint. Quapropter separatim hæc tradenda sunt. Ergo si inflammatio viget, aut declinat, tria potissimum erunt obeunda, vt liberetur, qui laborat, contra ipsam inflammationem, febrem, causasque illorum, quæ actu sunt, pugnandum. Quod si incipiat aut augeatur adhuc affectus, adduntur duo necessaria, vnum scilicet, quod pugnet aduersus fluxionem, alterum aduersus causas. At si amplius augeri nequeat inflammatio, adsit tamen aliquod in humore vitium; erit pariter cum pleuritide, & febre, & causis illarum certandum cum humore. Sed demus, quod fere contingit, & omnia mala in se complectitur, incipere, augerique adhuc inflammationem, erunt (vt diximus) in hoc casu exercenda officia contra fluxionem, inflammationem, febrem, & causas istorum omnium. Nam symptomata, quæ causæ rationem non subeunt, nullam operam, nullamque medicinam postulant, vtpote quæ aliis ablatis, à quibus nascuntur, sponte euanescant: Ex quo constat, curandum, præseruandum, & mitigandum. Nam qui fluxionibus, & causis fluxionum medetur, præseruare dicitur, quod scilicet prohibeat morbum augeri, qui vero humorem contentum in parte affecta educit, abigitque reliquas causas, quæ actu ad inflammationem & febrem constituendam faciunt, is curare putatur; nisi contra illas pugnet, quæ in genere symptomatum continentur, is enim mitigare dicitur, qui eas abigit. Hæc igitur à Medico præstanda. At cum natura affectus vehemens sit, quæ inducias non præbet, indicat properandum esse, vehementerque omnibus malis resistendum. Quod si pariter omnia vrgeant, pari opera illis succurrendum erit, alioqui prius illi, quod magis infestat. Est autem id in principio & incremento inflammationum ipsa fluxio, fluxionisque causæ: Cum vero viget malum, id, quod iã influxit inflammationẽq; constituit. Demus autem vrgere fluxionem illiusque causas, & quæramus, quid agere oporteat: Id autem indicabit natura cuiusque. Cum enim fluxio motus quidam sit humoris tendentis ab vno loco in alium, qui eam sistere velit, is pro illius natura, & differentiis diuersos motus instituet. Sunt autem huiusmodi motus, qui fiunt ad contraria, aut vicina loca; atque illum vocant reuulsionem, hunc vero deriuationem. Porro reuulsione vtimur, quando confertim irruunt humores, & recens est fluxio, vel dolorem facit; aut quiescunt adhuc humores, sed tamen iamdudum aliquam partem infestare cõsueuerunt. Reuellitur (vt diximus) humor, cum ad remotas partes reuocatur, quanquam tamen reuellere quoque dicitur, qui ad partem, à qua commotus est humor, fluxionem retrahit, quod potissimum faciendum est, cum originem fluxionis perspectam habemus, & ignobiles sunt partes, quę mittunt, nobiles vero, quæ recipiunt. Sic enim in morbo comitiali orto ex pede parti affectæ calefacientia, & alia adhibemus, quæ vim habeant reuocandi ascendentem humorem ad caput. Quod si nobilis est, vel magni alicuius momenti, quæ mittit, ignobilis vero quę recipit, nequaquam fluxionem ad originem mali reuocabimus, quo fit, vt in peste iam prodeuntibus maculis, & pustulis ad cutem, temerarium iudicetur, si quis vel sanguinis detractione, vel purgatione noxiam materiã ad interna viscera reuellat.

Prodeuntibus maculis & pustulis in peste non esse purgandum nec sanguinem mittendum.

Alia autem reuulsione, quæ ad distantissima loca fit, vtimur, cum ortum ignoramus, vel etiã si origo fluxionis sit cognita, vbi vehementer irruunt humores, dolorq; ingens ex fluxione nascitur, cum enim tunc ob dolorem vehementemq; impetum vniuersum corpus concitetur, necesse profecto est omnibus partibus succurrere, illarumq; impetum frangere; quod tunc potissimũ fit, cum ad remotissimas partes humores ducimus. Cæterum deriuationis vsus est maxime in leuioribus & inueteratis fluxionibus, quæq; sine dolore, aut certe cũ paruo infestant, quanquam tamẽ & in his satius est prius reuulsiones tentare. Quod si hæc vera sunt, vt certe sunt, errãt illi profecto, qui nunq̃ in eo, qui pleuritide laborat, venæ sectionẽ admittunt fieri in parte distãtissima: nã vbi vehementer fluxio vrget, quo pacto eam

In pleuritide etiam distantissimas venas esse secandas.

sistere poteris, nisi ad distantissima reuellat? quod est proprium huiusmodi fluxionum remedium. Sic enim Galenus *vndecimo Methodi* scribit, incipientibus inflammationibus reuulsione esse vtendum, ad quam maxime remotissimas partes. Itaque si inchoante pleuritide in parte distantissima à costis venam secare oportet, non ergo in cubito recte secabis. Quod si scribit Galenus pleuriticos cubiti vena secta in eodem latere iuuari, recte quidem id præcipit; quoniam spectat, quid postulet inflammatio ipsa, & humor, qui in venis partis affectæ continetur; nec aptius educi potest, quam per propinquas venas. At hoc non est fluxionum remedium; quibus via per distantissima loca parãda est: alioqui frustra tradita sunt ea præcepta de reuulsione ad distantissimas partes *iam inchoãtibus* inflammationibus, si illis nunquam vtimur. Dicant & illi, qui hanc tuentur opinionem, cur Galenus *ad Glauconem* fluxiones irruentes ad genua, excitantesque inflammationes coerceri iubeat sanguinis missione à cubito? quandoquidem receptum est, eodem authore, laborante vno crure, in alio tundendam esse venam. Sunt ergo distincta remedia fluxionum, & ipsarum inflammationum: nec semper vel soli inflammationi, aut vtrique pari auxilio succurrendum: sed aliquando soli fluxioni, cum illa scilicet vehementer vrget, reluctandum, aliquando vero ipsi soli inflammationi, cum iam restitit impetus fluxionis: nonnunquam vero vtrique malo pariter medendum, nimirum cum vtrumq; æqualiter infestat. Quo casu nec propinquissima, nec distantissima vena quærenda est; sed quæ ob mediocrem distantiam, & propinquitatem mediocriter reuellere, & affectæ parti succurrere possit. Quæ præcepta qui non intelligunt, monstra in hac re pariunt, mirificeque se torquent, vt suam de venæ sectione in pleuritide opinionem sophisticis cauillamentis, & authorum testimoniis nequaquã intellectis tueantur.

Quid postulent fluxionis causæ.

Illud vero iam expendamus, quid postulent fluxionis causæ: Postulant sane quælibet aliquid, quod repugnet. Etenim materia, quæ fluxionis causa est, ob copiam requirit, quod vacuet; quæ vero calida est, quod refrigeret; quæ tenuis, quod incrasset; acris, & mordax, quod acrimoniam, & mordacitatem retundat; quæ cacochymiam parit, quod purget: Sic pars, vnde humor commouetur, vel vbi gignitur, suam medelam postulat propriam singulis affectibus, quorum causa illa fluxionum est author.

Quid pars mandans.

Si enim ob intemperiem plurimum humorem, vel calidum, aut tenuem procreat, medendum erit intemperaturæ, hoc enim modo sanguinis profluuia inhibemus, & capitis dolores mulcemus, refrigerato hepate, testibus, & corde, à quibus calor, calidaque materia ascendit. Sic igitur caput refrigerabimus, si ex æstu; & idem calefaciemus, si ex externo frigore excitata fuerit illius vitio fluxio, & inflammatio naturalis.

Quid suscipiens.

Quod si pars affecta ob raritatem, vel calorem, vel dolorem, aut inanitionem, vel debilitatem, aut ob aliam causam fluxiones admittat, erit ab illa remouendum, quod mali causa est.

Quid viæ, per quas humor fertur.

Postulant quoque sua remedia viæ, per quas fertur humor: nam cum illæ adstringuntur, contrahunturque, aditum fluxioni vel præcludunt, aut certe minus liberum concedunt. Ex quibus

A quidem patet, contra quas causas pugnandum sit. Sunt enim illæ materia, & id, quod illam gignit, & commouet, vel agentem irritat, vel quod recipit, & viam præbet: nam aliæ, quæ prædictæ sunt, his remotis, causæ esse desinunt, nec amplius vim aliquã obtinere possunt ad fluxiones ciendas, quanquam in causarum inuestigatione illæ non minus suum locum, quam hæ obtineant: quibus medendo reluctari satis est.

Iam vero quærenda est materia medica, cuius beneficio liceat præstare, quod ostendimus indicari à fluxione, illiusq; causis; nã reuellentibus, deriuantibus, vacuantibus, incrassantibus, refrigerantibus; repellẽtibus, calefacientibus, doloré sedantibus, adstringẽtibus, ei opus esse diximus,
B qui fluxiones cohibere, & illarũ causas rescindere velit. Quare tertius scopus sequitur, qui materiam aptam, & idonea remedia doceat. *Sumuntur porro vniuersa auxilia a quatuor rerum generibus* (quod etiam antea commemorauimus) *ab his, inquam, quæ assumuntur, geruntur, admouentur, excernuntur, retinenturque:* A quibus omnibus, vbi licet, & res exigit, opem petere necesse est. Itaque si reuellere velis, singulos fontes excuties, & ex vnoquoque trahes, quod eam vim habeat, quam quæris. Ac inter illa, quæ extrinsecus adhibentur, non deerunt auxilia reuellentia: nam cum humores ad eam partem confluant, in qua dolor, vel calor excitatur, vel quæ vacuatur, aut in suo munere obeundo exercetur, aut ad quam
C materia trahitur ex his, quæ ambiunt aer calidus, lotionesque calidæ, ex his vero, quæ applicantur, vnctiones, emplastra, fométa, linimenta, cataplasmata, calefaciendo, vacuandoque fluxionibus reuellendo medentur. Ex his autem, quæ impulsu agunt, vulnerantia, contundentia, pungentia, oppositas partes illi, quæ afficitur, optimas reuulsiones faciunt, sicut inter illa, quæ circumligantur, vincula arctiora, eo quod dolorem cõmoueant, fluxiones reuellunt. His enim præsidiis vtimur in cruribus, cum fluxiones superiores partes infestant; & in brachiis, cum illæ ad crura decumbunt. At inter illa, quæ assumuntur, non deerit, quod reuellere possit; hoc enim modo purgantia remedia irruentes fluxiones ad
D pectus reuellunt, eo quod humorem ad intestina insita sua facultate trahant. Dabit & sua auxilia reuellentia fons eorum, quæ geruntur actiones, inquam, animi, & corporis. Cum enim ad partem, quæ exercetur, confluat calidum innatum, sanguis (inquam) & spiritus; fit vtique, vt minus infestentur à fluxionibus affectæ partes, quando illis contrariæ sua munera obeunt. Qua ratione ambulatio ascendentes humores cohibet; & cogitatio, superiorumque aliarum partium exercitatio descendentes sistunt. Ea vero, quæ excernuntur, mederi fluxionibus certissimum est, quando non aliter clysteres acriores, sanguinisque detractio illis opitulantur. Idem faciunt, quæ humores retinent, quocunq; mo-
E do retentio fiat. Etsi hoc genus auxilii nõ solum reuellit, fluxionemque spectat, sed etiam materiam ipsius. Sic igitur, cum deriuandum erit, ex omni fonte quærendum erit, quid illud possit facere. Idem quoque obseruandum in omni alia actione, ne cogamur in singulis omnia excutere longiore, quam in hac re expediat, tractatione: Illud tamen obseruandum, vt ex omni genere

suma-

sumamus, quæ rei propositę sunt accommodata, quęq; contra indicantia adhiberi haudquaquam impediunt. Nō enim si ambulatio, aut cogitatio reuellendi facultatem habent, propterea illa adhibenda sunt, cum fluxio pleuriticū vrget, quando repugnant vires, corporisq; status, ne illa fiāt. Ac cum quædam maiorem vim aliis habeant, in vnoquoq;, quod conuenit, quærendum, ita tamen, ne alia contemnantur, quæ minore vi sunt prædita, si priora illa sufficere nequeāt. Veluti in pręsenti casu quædā sunt, quę reuellūt duntaxat, vt illa, quę dolorem excitant: alia vero, quę simul vacuāt, atq; vno negotio & fluxioni ipsi, & causæ, nempe materiæ succurrunt. Quæ certe præferenda veniunt ac primum ad opus producenda, cum præceps sit affectus, qui vehementia, & subita quæque auxilia postulat.

Quamobrem, cum vacuandum esse diximus, vt fluxiones sistantur (vt iam remedia causarum attingamus) sint autem inter vacuantia quędam quæ sensibiliter, alia, quæ insensibiliter, alia quæ æqualiter, alia quę inæqualiter vacuant, vsus singulorum quærendus est, & videndū, quo genere vacuationum hic sit vtendum. Docebit autem id genus affectus. Si enim plurimū vrget fluxio, ab eo genere primū, & præcipuum auxilium petēdum est, quod sensibiliter vacuat; siquidem quæ insensibiliter id faciunt, tardius, quam expediat, succurrunt. Quod si sola multitudo obest, ęqualis, & sensibilis vacuatio præstabit, quod quærimus. At si cū multitudine est in humore ex qualitate vitium, purgationē pariter adhibere oportebit. Si vero multitudo nulla adest, sed duntaxat cacochymia, distinctione vtendum est: Nam si vehementissime fluxio infestat, nec hic quidē sanguinis detractionem prætermittere oportet, vt quę sola promptissime humorum vitio occurrere sit apta, alioqui sola purgatio sufficiet. Si vero nec in copia, nec in qualitate euidens aliquod est vitium, leuissimusq; est in latere dolor, absq; venæ sectione, & purgatione, vsu duntaxat illorum, quę insensibiliter corpus exhauriunt, pleuriticorum fluxionibus licebit mederi, quæ tamē adhibenda quoq; sunt, cum à vehementia fluxionis vrgemur; Sic enim ratio suadet esse faciendum. Sed demus, humores tum copia, tum qualitate obesse, nonne ex hoc indicabitur tum sanguinis detractio, tum purgatio ab initio necessaria? Ac in primis quidem de sanguinis detractione agamus expendamusq;, quid in ea obseruare oporteat: sanguinem mittunt non omnia rerum genera, sed ea duntaxat, quæ impulsu agunt: vt vulnerantia, pungentia, & mordentia. Sic sane nouacula incisa cute, & cultello diuisa vena, vel admotis hirudinibus venarum orificiis, aut ipsi etiam cuti sanguinem elicimus.

Sicut.

Quo genere vacuationis sit vtendum.

Quid in sanguinis detractione obseruandum.

Porro demendus illis sanguis est per venam, quos vehemens fluxio, vehemensq; dolor vrgēt, valideq; interim subsunt vires. Per hirudines vero vasorum orificiis inhærētes, si crassus, melancholicusq; est sanguis, nec admodum vires constant. At vulnerata cute admotis cucurbitulis, aut etiam hirudinibus educitur, si sanguis tenuis, leuiorq; est affectus, & corpus prorsus infirmū. Nec vero aliqua est ætas, vel corporis habitus, aut cruditas, vel aëris ambientis constitutio vlla, quæ, vbi aliqua spes est de salute, sanguinis detractionem impedire possint. Nam hæc moderari quidem possunt copiam detractionis; at omnino prohibere, ne aliquid detrahatur, nequaquam. Siquidem plus potest vehementissimus affectus indicando persuadere, quam illa contraindicando remedium arcere. *Quis enim* (quæso) puero sanguinem non mittat, quem videat *sanguine abundare, & vehementer pleuritide teneri?* Digeritur (inquies) facile puerorum substātia; quapropter alia euacuatione, quę sanguinis detractione sit, ante decimum quartum annum opus nō habet. At quæ digerendo, insensibiliterq; vacuant, paulatim id faciunt, nec celeritate cum causis huius morbi contendere possunt: Sæpeque fiet, vt interim dum expectamus, vt per cutim expiret corporis moles, fluxionis, dolorisq; impetu puer perimatur. Requirit & ea vacuatio, quæ per insensibilem transpirationem perficitur, inediam, quam cum puerilis ætas ferre nequeat, præstat statim multitudinem sanguinis illius detractione moliri, atque ita sublato, vel mitigato morbo, puerum liberius nutrire, quam longiori inedia emaciare, nihilque interim vel minimum certe prodesse. Quod si 14. annus omnibus vna meta esse debet, plane etiam in hoc aberramus, cum diuersitas corporum ostendat, quosdam in decimo ferre posse, quod illi forte in 15. nequeunt sustinere. *Parcius ergo pueris, grandis, & aliis omnibus quos maiores nostri excipiunt, (si modo vires dissolutæ non sunt) sanguinem demes; sed tamen vbi casus vrget, neminem ex illis excipies, cui vena inueniri possit; alioqui scarificatis partibus carnosis, aut admotione hirudinum, vacuationem molieris.* Est autem mittendus sanguis (vt antea diximus) cum fluxioni maxime succurrere volumus, ex parte distantissima, quæ secundum latitudinem, siue lōgitudinem corporis est cum ea, quæ laborat. Sic enim manu vna laborante, in crure secanda vena est, & crure affecto in manu; propterea quod per rectum feruntur humores, vtpote qui dominantis elementi motum sequantur. Vbi vero iam succurrere laboranti lateri studemus; aperienda in cubito eiusdem lateris vena est, non semper in dextro cubito vt censent, qui venas spectant, per quas costæ fere omnes nutriuntur. Nam longissima ea via est, breuissima autem, quæ in latere affecto, in quo cum secatur vena in cubito, educitur humor, qui in musculis circumstantibus pleuritidem continetur, ob venarum communitatem, siquidem ab eodem latere illi suas venas capiunt, atque ita exhaustis venis illis remittitur tensio, & dolor lateris affecti. Atque hæc est ratio, cur Galenus iusserit venam secari, quæ directo laboranti parti respondet. Tantum vero detrahendum est sanguinis, quantum postulat vehementia affectus, & copia humoris redundantis. Nam detractio vsque ad animi defectum, cum febris putrida sit, requiraturque postea robur motricis facultatis, vt per sputum violento thoracis motu conceptus in affecta parte humor regeratur, nequaquam tentanda est. Nec vero expectare oportet in omnibus sanguinis mutationem: Siquidem vbi leuior est affectus, superfluum est, & periculosum vehementissima tentare præsidia. Tempus vero detractionis nec cibus, nec cruditas aliqua, vbi admodum vrget malum, differre possunt. Estque confertim tunc demendus; alioqui nihil prohibet in mitiore malo vacuationem partiri, atque

Etiam pueris pleuritide laborantibus venam esse secandam. Et quibus.

Quantum sanguinis detrahendum.

Quo tempore vena secanda.

hoc modo viribus totius consulere. Quod si solus sanguis nocet, nisi forte prius sit clysteri lenienda aluus, statim mittendus sanguis est. At si alius humor cũ sanguine plurimũ exuperat, præsertim si in primis venis vitium est, primo leuiter purgandum, postea sanguis detrahendus. Verũ si abundat sanguis, & cum eo noxius aliquis humor, operæpretium est à venæ sectione vacuationem auspicari; Deinde sequenti die, aut *eadem* in vehementiore malo purgationẽ aggredi; quæ adhibenda est, siue dolor descendat, siue ascendat, propterea quod non tam lateri affecto, quã fluxioni purgatione succurrere studemus; nec vero metuenda est purgatio ab initio in huiusmodi malis, eo quod coniunctio in humoribus nõdum adsit. Nam in hoc, vt in calido omni humore, & vehementi febre semper natura turget, mobilesq; sunt humores, vt facile sequi possint; nec vitiatur concoctio, aut turbatur corpus à leuissimis, temperatisq; nostris medicamẽtis purgantibus, quę recentiorum industria sunt inuenta post antiquiorum Græcorum secula. Quod si Hippocrates peplion, helleborum, & colocynthidem nõ veritus est exhibere, nemo profecto, qui plane superstitiosus non sit, & parum in medicina factitanda versatus, formidabit cassiam, mannam, syrupum rosaceum, & alia huius generis medicamenta nostra, quibus in hoc casu vtendum esse censemus.

Quid circa purgationes notandum.

Iam vero explicatis his, quæ ad vacuationem materiæ, quæ causa est fluxionis, pertinent, sequitur, vt ad alias causas accedamus. Excitat (vt diximus) fluxionẽ dolor, quẽ lenire oportet ablatis illius causis. Sunt autem (vt diximus) tres in vniuersũ doloris causæ, vna *sensus partis*, secunda *facultas, quæ sensationes apprehendit, & diiudicat*, tertia *id, quod sensum sensibileq; corpus violentius molestat continuũ soluendo*. Quibus si quis succurrat, dolores mulcebit. Id autem faciunt, quæ stupefaciunt minusque sensibilem partem reddunt, immoderate refrigerando, quæq; mentem distrahunt ad alia negotia & ea auferunt, quæ vnionem partium dirimunt; vacuando, si plenitudo solutionis causa est, aut refrigerando, vel calefaciendo, si solę qualitates nocent; aut extrahendo quod pungit, aut vulnerat, aut alio modo dolorem in latere parit. Vocari autem debent reuera anodyna, *quæ stupefaciendo doloribus medentur*, non autem, quæ rarefaciunt cum partium tenuitate: nam si ea censenda sunt anodyna, quæ causis efficientibus dolorem nequaquam repugnant, nemo profecto ea, quæ eo modo calida, & tenuia sunt, crederet vnquam vere anodyna vocanda, vtpote quæ non aliter dolores mulceant, quã humorem vaporemque digerendo, qui dolorem committebant. Adde, quod communis nequit esse ea anodynorum ratio, & vis omnibus doloribus: Neque enim huiusmodi medicamenta dolorem, quem pariunt vulneraria, pungentia, mitigare sunt apta: Stupefacientium vero natura huiusmodi est, vt relictis causis efficientibus, vniuersis doloribus opitulentur. Quapropter hęc, & non illa vere anodyna sunt, & vocari debent. Est porro in pleuritide certandum omnibus generibus remediorum contra vniuersas dolorum causas: nam & mentem alio reuocare expedit, & sensum partis nonnunquam stupefacere, vbi scilicet doloris vehementia vires

Doloris causas in vniuersum esse tres.

Dolorum lenimenta.

Anodyna vera quæ.

A demolitur, nec profuerunt alia præsidia, præsertim quæ facere creduntur ad euaporationem, dissolutionemque humoris tendentis locum affectum, in quibus præcipua spes ponenda est, qualia sunt fomenta, vnctiones, cataplasmata, & reliqua huiusmodi, quæ partibus dolentibus adhiberi solent, quorum materiam non est nostri instituti nunc docere, vt qui capita rerum duntaxat sectamur.

Erat & causa fluxionis calor, frigus, raritasq; partis, quibus occurrendum quoq; est, sumendo ex omni genere remediorum, quod calefaciat, & refrigeret; quæ vero densandi vim habent, non nisi ab his, quæ extrinsecus occurrunt, sumi possunt. Admittit autem latus inflammatum ad arcendas fluxiones adstringentia, sed mitiora, ne B violenta humorẽ in pulmonẽ exprimant; suntq; illa admouenda supra locum affectum, vt constrictis venis partis, & vacuis spaciis cursus humoris intercipiatur. Cõferunt & illa ceruici imposita, in qua vasa sunt, per quæ à capite materia noxia ad affectum latus descendit; Ac vt breuiter dicam, sectandum est, quicquid est in materia, vel in loco, in quem decumbunt humores, vel à quo commouentur, vel per quẽ feruntur, illudq; remouendum, quod fluxionis susceptionisq; labentis humoris est causa, si modo id fieri possit. Siquidem partis situs, connexioq; remedia non admittunt, vtpote quæ secundum naturam ita nobis sint insita, vt mutari nequeant.

Quæ fluxionem arceant.

C Iam vero videndum, quid postulent febris, & illius causæ. Indicat profecto illa refrigerantia, & humectantia; non quod morbus sit calidus, & siccus, nimirum cum siccitatis ratione actiones perpetuo non vitiet; sed quod excedens ille calor siccitatem quãdam inuehat, cui nisi succurratur, morbosa tandem euadit. Cæterum cum febris, quæ pleuriticos sequitur, putrida sit, duo indicantur necessaria præsidia, & duæ sunt causæ, quæ ad putredinem faciunt procreandam, materia (inquam,) & id, quod eam putrefacit. Porro materia duplex: Quædam enim iam corrupta est, siquidem putrefactio corruptio est quædam, cui debetur vacuatio; alia vero, quæ in via est ad putredinem, cuius vitium non nisi coD ctione emendare licet. Hæc enim humores, qui caloris excessu dissimiles sunt redditi, alterat; & quantum licet per materiam, concoquentibus partibus assimilat. Est autem id, quod materiam putrefacit, & corrumpit, calor ipse febrilis, qui refrigerationem indicat, nec tolli potest solis refrigerantibus, nisi ablatis eodem negotio causis, à quibus est auctus. Causa vero in huiusmodi febre non est obstructio, sed inflammatio lateris, quam remouere oportet per commoda auxilia, & contemnenda ea, quæ ad obstructiones faciunt, quorum nullus in huiusmodi febribus potest esse vsus. Atqui vacuatur materia putrefacta purgatione potissimum, quæ victo iam morE bo, & concocta materia, est instituenda per idonea pharmaca, quo tempore, & sudore, & balneo, & insensibili transpiratione educitur. Concoquunt autẽ pro diuersitate materiæ nunc tẽperata, nunc frigida, nunc calida, sicca, humida, extenuantia, incrassantia, & incidentia; tum illa, quæ vacuant, si forte humor præ copia concoquentis naturæ vires excedit.

Quid postulet febris & eiusque causa.

Quib. vero remediis inflãmatio ipsa curari possit

Quid inflammatio.

nunc

nunc tradendum est, hoc enim ex prima diuisione eorum, quæ præter naturam in hoc casu esse diximus, quibus medendum sit, superesse video: id quod ostendet natura ipsius affectus, qui cum ex repletione humoris consistat, indicat adferêda esse auxilia, quæ eum celeriter euacuare possint: Quod si id assequi nequiuerimus, suppuratio procuranda; quæ etsi fugienda est, quantum licet, tamen vbi alia nō prosunt, præstat eam admittere, quàm corruptionem, & certam mortē expectare: nam post suppurationem adhuc spes aliqua de salute remanet; post corruptionem vero, & putrefactionē nulla. At induratio, & translatio humoris in pulmonem, quibus modis inflammationes lateris nonnunquā solui diximus, nequaquam tentandæ.

Quid ad vacuationem sumendum.

Quid autem sumi possit ad vacuationem, natura humoris, & loci affecti conditio ostendent: nam mitioribus remediis sanguis purus & biliosus, quam pituitosus, vel melancholicus discutitur. Patitur quidem membrana succingens costas, interim tamen, vt in omni alia inflammatione, venæ circumstantes humore distenduntur, estq; membrana rara, vt exsudare per illam possit humor, constituitq; superficiem internā thoracis, in cuius cauitate est pulmo, in quem facile ob mollitiem recipitur humor, qui exsudat, & per tussim expuitur. nec distat eadem à cute, adeo vt portio humoris adhibitis remediis lateri vacuari queat. Est & hæc pars in loco calido, vbi caloris insiti vi aliquid dissoluitur. Propterea tria erunt à nobis præstanda; vacuandus inquam humor per digerentia extrinsecus admota (nam quæ sensibiliter vacuant, inflammatio ante suppurationem non admittit) & per ea, quæ sputum prouocant: & propterea iuuandus calor, ac digerentia, internusque calor non solum consumunt materiam, quæ sub membrana continetur, sed eam etiam, quæ in venis est: At per sputum ea educitur duntaxat, quæ à venis intra mēbranam excidit, alia enim non expuitur; cui etiā præter digerentia venæ sectio, & purgatio ab initio contulit. Sunt autem digerentia ex vno genere rerum sumenda, nempe ex illo, quod extrinseca omnia præsidia exhibet. Atque illa quidem (vt diximus) pro differentia humorum calida, humida, sicca, vel ex his composita sunt eligenda; adhibendaq; in vnguenti, vel emplastri, vel fomenti, aut alterius compositionis forma, prout magis expedire videbitur: nam vbi materia admodum calida est, fomenta, & vnctiones tutius admouentur: emplastra vero, & cataplasmata suum maxime habent vsum in frigidiore humore, qui ampliorem calorem ex crassitie medicamenti requirit. Possunt & ad hunc vsum admoueri cucurbitulæ in rebelli admodum affectu: hæ enim validissime humorem euocant, præsertim si scarificatio addatur. Cæterum calor internus discutit quidem, absumitq; noxium humorem, sed non tutum est, præsente febre, eum augere; nec commodum iniungere animi, corporisque motus, aut quæ ingeruntur remedia calida, quæ id faciant. Quare maior spes in ea vacuatione, quæ per sputum perficitur collocanda est, quæ sua quoque postulat auxilia: nam cum ad expulsionem humorum necesse sit thoracem ipsum dilatari, comprimi, variæ denique agitari, requiratur præterea huiusmodi materia, quæ ne vel nimia tenuitate diffluat, dum ab aëre expirato sursum attollitur, aut ob nimiam crassitiem dimoueri nequeat, neve etiam ob viscipitatem tenacissime inhæreat, duo hæc nos spectare oportebit, cum sputum elicere studemus, vt scilicet thoracem ad motum aptum, & materiam ipsam mediocriter crassam reddamus. Porro thorax habilis ad motum redditur, si valida subsit virtus, à qua mouetur; et si interim ipse emollitus, & nequaquam tensus sequax ad constrictionem, & dilatationem euadat. Sunt autem, quæ thoracem aptum ad motum efficere possunt, quæ pinguia, oleosaque sunt, & chalastica à Medicis vocantur. Virtutem roborant, quæ temperiem corpori conciliant; tum illa, quæ innatum calidum augent, quod potissimum nutrimentum præstat. At humor promptus ad expuitionem paratur, cum ad mediocrem crassitiem, & visciditatem perducitur. Quare si plus iusto crassus ille fuerit, attenuantibus; si tenuis, incrassantibus; si glutinosus, incidentibus, si nequaquam tenax, viscidis vtendum erit; id quod duntaxat præstare possunt, quæ assumuntur alimenta, medicamenta solidiora, vel liquidiora, ea forma confecta, vt paulatim descendendo, & veluti destillando per asperam arteriam in pulmonem recipiantur.

Quæ formæ extrinsecorum remediorum eligendæ.

Thoracem ad motum aptum reddentia.

Illud vero superest, vt doceamus, quod scilicet pertinet ad conseruationem eius, quod in ægrotante corpore sui tutelam requirit. Sunt autem vires, quas tueri oportet, & victus dicitur, quod id facit; in quo facile est errare, si antiquos scriptores sequamur: nam Galenus *libro primo Acutorum morborum* satis nutriri putat pleuriticos, si vires constant vsque ad septimum, vsu melicrati, aquæ, & oxymelitis; quod genus victus tenuissimum est. At *eodem libro* postea prisanam illis concedit, & pro ea pisces saxatiles. Quinetiam 11. *Meth.* statuit, nequaquam esse opus tenuissimo victu in thoracis inflammatione, vt in phlegmone ventriculi, aut iocinoris. Periculum enim esse ait, in his partibus ne alimentum male coquatur, & ex eo phlegmone augeatur, ad pectus vero tantum nutrimenti iam concocti peruenire, quanto ipsa pars opus habet. Quod etsi verum est, tamen fluxio, vehemensq; dolor sisti nequeunt, nec humor concoqui, qui febrem, & inflāmationem committit, nisi tenuius alantur ægri pro affectuum vehementia; siquidem tantum est viribus concedendum, quātum salua vita status præter naturam permittit. Itaque ab extremo victu (vt inquit Hippocrat.) tantum recedendum, quantum morbus ab extremis morbis recedit. Quapropter cum vehemens incipit, augetur, vigetq; inflammatio, constante virtute, parcissime hominem nutriemus. Vberius autem in mitiore affectu ales, & tunc potissimum, quando iam procedit sputum, declinatque morbus, tunc enim, vt ille permittit, sic postulat virtus, quę ad expurgationem humoris per tussim robore eget maiore. Atq; hæc satis de generali hoc exēplo esse puto, in quo studiosus lector plurima pręcepta, quæ superius tradidimus, obseruata esse, inueniet. Neq; enim in vno affectu possunt omnia contineri, quę ad multos naturaq; differentes spectant. Verum enim vero ne aliis desit nostra diligentia, qui exempla quærunt in singularibus casibus, pauca de hac

Quomodo id, quod in corpore ægrotante sui tutelam requirit, sit conseruandum.

re subiiciam, ex quibus reliqua facile adhibita imitatione trahi poterunt.

Exemplum particulare ex superiore tractum.

Homo triginta annos natus, boni habitus, venis amplis, & plenis, colore nigricante, thorace lato, hirsuto, cui hæmorrhoides fluere consuetæ à paucis mensibus suppressæ fuerunt; quique consueuit nutriri cibis, potionibusque crassis, & in labore viuere; ineunte vere ad solem, in quo boreas vehementer spirabat, corripitur dolore lateris sinistri, pungente, tendente, pulsante, minimoque temporis spatio iugulum, & præcordia simul inuadente; adest illi tussis, sed sine sputo, vrgetque febris non parua, capitisque dolor, pulsus habet validos, magnos, frequentes, duros admodum, & serrosos; respicat præterea frequenter, & difficulter, ac decumbit in latus vtrumq; difficile, vrinas vero rubras, & crassas emittit, nec aliquid à duobus diebus aluus deiicit. Sentit & in ore amaritudinem cum salsedine quadam; grassantur eodem tempore graues pleuritides, sed vt plurimum salutares. Aduocat is eadem die, eademque hora, Medicos, sentit se morbo correptum, quibus narrat, quid sentiat, exponitque mali occasionem, & omnia prædicta refert, quibus addit, se nequaquam antea valetudinarium fuisse, vtpote qui semel tantum graui febre laborauerit in adolescentia, interim vero præsentibus Medicis conqueritur, quod lateris dolor, & vniuersa alia symptomata reddantur intensiora, petitque, vt sibi quamprimum succurratur. Dicet in hoc casu is, qui nostra præcepta obseruare velit, hominem pleuritide affici, id est, inflammatione lateris, quæ morbus duos parit, vnum ex intemperie in similaribus, alium ex solutione continui in partibus instrumentariis, esse autem eam inflãmationem magnam, vehementẽ, nec prorsus exquisitam, nec sine malignitate, idque ostendere propria cuiusque indicia: nam dolor lateris punctorius cum febre, tussi, pulsu duro, & frequenti, pleuritidem testatur: Magnam vero & vehementem ostendunt causæ, quæ illam pepererunt, vehementes, vehemensque dolor ad vtramque thoracis partem protensus, difficilis admodum respiratio, durissimusque pulsus, & aliæ actiones læsæ plurimum à naturali statu recedentes: non esse autem exquisitam, solum declarant dolor pulsatorius, & decubitus in vtrumque latus difficilis, hæc enim musculos intercostales, externamque membranam simul affici indicant. Malignitatis indicia sunt, etsi illa nondum appareant, hæmorrhoides suppressæ, quæ melancholicum humorem abundare in corpore significant; Ex quo malignæ inflammationes, vt alii morbi nascuntur. Est præterea morbus in incremento, quod ostendunt symptomata omnia, quæ plurimum augentur. Porro inflammatio ex multo humore constat, in quo sanguis non purus, sed pituita, & vtraque bile infectus exuperat. Nam vehemens dolor & pulsatorius, qui ad vtrumque extremum thoracis extenditur, magnam humoris calidi collectionem testatur: Id quod etiam significant venæ amplæ, & tumidæ, thoraxque latus, & hispidus & causæ validæ, quæ magnæ fluxioni occasionem dedere, sanguinem inter reliquos humores plurimum exuperare, tum ingẽs inflammatio, tum dolor pulsatorius, durissimusque pulsus monstrant; ad hæc corporis habitus, temperiesque calida, anni tempus, & venæ tensæ, quæ non nisi sanguine abundante tales esse possunt. Sic pituitæ exuperantis testimonia sunt victus, annique tempus præcedens, & salsedo, quæ in ore percipitur. At bilem plus iusto in corpore redundare, oris amaritudo, iuuenilisque ætas significant. Habet ergo hæc inflammatio sanguinem copiosum cum excessu aliquo reliquorum humorum causam coniunctam, ex qua materiam sumit, fit, & constituitur. Subiectum vero illius, siue locus affectus, est vtraque membrana vna cum musculis intercostalibus; præcipue tamen interna patitur, quod dolor punctorius, & tensio ad superiores, inferioresque thoracis partes monstrant. Cæterum huiusmodi humor ex fluxione in affecta parte est collectus, quod subita generatio ostendit. Fluxionis autem materialis causa sanguis est multus cum reliquis humoribus permixtus: terminus vero, à quo commotus est humor, est caput, vt naturalis societas cum parte laborante, & occasio mali docent: quanquam tamen nunc vniuersum corpus grauatum à multitudine in dolentem locum sese exonerat. Est autem terminus, in quem decumbit humor, thorax, & in eo sinistra pars, & (vt diximus) vtraque membrana, potissimum tamen interior. Via, per quam humor descendit, sunt venæ, & arteriæ, quæ in sinistra corporis sunt parte, quibus coniungitur thorax cum capite. At humorem commouerunt Sol & Aquilo, ille fundendo, hic exprimendo, & nunc etiam dolor lateris, qui expultricem irritat. Quæ omnia ancipitem euentum testantur: nam magnitudo, malignitasque inflammationis, magnaque omnia accidentia, magnæ causæ, vt magna fluxio, varius, & copiosus humor, multi magnique morbi, qui corpus prima die vehementer vrgent, periculum portendunt. At validæ vires, bonus corporis habitus, vernum tempus, felixque victoria cum præterito malo, spem salutis non adimunt. Cui rei illud quoque fauet, quod pauci ex simili morbo eo tempore perierint. Licebit tamen certius prædicere progrediente aliquantum morbo, qui ad huc crescit ex sputo, vrina aliisque excrementis & naturæ operibus sumptis indiciis. Quin etiam ex adhibitis opportunis auxiliis indicia capientur. Nam si illis cedat malum, certam salutem pollicetur, sin minus, mortem expectandam esse præmonet. Erit autem breuis morbus, quoniam summa omnia habet, quæ naturam ad celerrimam pugnam inuitant. Reliqua vero, quæ ad prædictionem futurorum pertinẽt; veluti est solutionis modus, ordo, locus, & reliqua prædicta, non datur, donec accedant ex aliis fontibus reliqua indicia, prædicere. Quare ad ea properandum est, quæ succurrere laboranti sint apta. Itaque cum in eo reperiantur hæc mala, quibus opitulari nos oportet; fluxio (inquam) fluxionis causæ, inflammatio, febris illiusque causæ, fluxioni inprimis repugnandum esse, indicat illius vehementia, quæ adhuc non sistitur. verum quoniam plurimum etiam vrget inflammatio,

matio, vt quæ ad insignem magnitudinem iam A
peruenerit, causaque fluxionis, sanguis, in-
quam, humorumque copia, cogimur tentare
præsidia, quæ vtrique malo pari fere auxilio suc-
currant. Id, quod imprimis præstant, quæ sen-
sibiliter & æqualiter à locis non admodum pro-
pinquis vel distantibus à loco laborante euacu-
ant. Mittetur ergo (iniecto prius clysteri quem
indicant præmittendum excrementa alui iam
per tres dies retenta) sanguis ex cubiti vena in-
terna sinistri brachii; detrahetur que & multum
& confertim, quia vehementia & magnitudo
fluxionis & inflammationis ita postulant. Se-
quenti vero die purgationem moliemur, per ea,
quæ leuiter tres humores cum sanguine redun-
dátes educát; id enim indicant noxii illi succi, qui B
fluxionem fouent & dolorem intendunt. Inte-
rim dolor mitigandus, qui fluxionis est alia cau-
sa, & capiti adhibenda, quæ partim calefaciunt,
partim refrigerant, quoniam duplex occasio flu-
xionis, ex aëre docuit duplicem relictam in eo
membro impressionem & dispositionem. Nec
oberunt, si quæ adhibeantur collo ad venarum
constrictionem, per quas humor decurrit: nam
& hæc causa fluxionis quædam est. Deinceps se-
data fluxione instituenda sunt, quæ ad resolutio-
nem inflammationis & sputum faciunt pro na-
tura & copia materiæ. Tum etiam coctioni in-
cumbendum humoris, qui febrem committit.
Victus autem eodem tempore instituendus te-
nuissimus, postulante ita affectus vehementia,
& permittentibus viribus, quas validas esse sta-
tuimus. Postremo purgandum erit corpus co-
cto iam humore & declinante febre, si ad salu-
tem inclinauerit morbus per eam partem, ad
quam verget natura, nisi illa sese ab omnibus
malis perfecte vindicauerit.

Atque hæc sunt, quæ breuiter in hoc casu
dicenda putaui, vt studiosi discant rem contra-
here, vbi opus est, & ex vno vniuersali casu sin-
gulares elicere. Nam licebit ex illo vniuersali
acceptis certis differentiis certisque causis nunc
eiusdem naturę nunc diuersis infinitos casus fin-
gere, vel consultationes instituere, quales res
locusque postulant. Neque enim vbi præceps
est malum, omnia prolixe explicanda sunt, sed
statim curandum est, vt laboranti nostro consi-
lio succurramus.

Verum ne quis miretur, nos historiam quan-
dam narrasse & casum proposuisse, de quo nul-
lam in præceptis de consultandi ratione men-
tionem fecimus. Paucis id satis faciendum esse
duximus, vt omnia intelligantur certa arte con-
stare & à suis principiis duci. Nam ideo histori-
am huiusmodi inter consultationis partes haud-
quaquam posui, quod illa vel ab ægrotante nar-
retur, vel ab astantibus, aut ab eo duntaxat Me-
dico, qui primo loco dicit, quique nondum ac-
cersitus aliis Medicis laborantis salutem procu-
rabat. Quare merito prætermittuntur in præ-
ceptis nostris, quę vel Medicis propria non sunt,
aut certe non omnibus accommodata,
& tanquam nota po-
nuntur.

F I N I S.

IOAN. ARGENTERII CASTELLONOVENSIS PEDEMONTII

Philosophi ac Medici præstantissimi,

DE FEBRIBVS LIBER.

PROOEMIVM.

LIBERATVS tandem à continuo studio, quod superioribus annis, in Opere, quod nunc in vestrum potissimum, & omnium postea studiosorum huius artis nostræ, nostrique instituti vtilitatem edo, expoliendo perficiendoque impendebam, nunc totus ad vos redeo, Iuuenes studiosissimi, meique amantissimi, vt omni adhibita mea opera, studio & diligentia, vestris commodis, vestroque honori, & institutioni seruiam: vt si aduersiore fortuna à nobis excitatam Methodum tot aliis repugnantibus, secuti estis, nunc ea mutata, & secundiore facta, vna mecũ illius fructus, & quos parit honores, colligatis, & alios inuitetis huius nostri instituti æmulos ad ea sequenda, quæ antiqui omnes optimi Scriptores ostenderunt optima esse, dum eadem Methodo, qua nos, vsus est Aristoteles, Theophrastus, & eam commendauit Plato, & miris laudibus passim extollit Galenus. Itaque in primis de vtilitate huius tractationis de Febribus, quæ expectanda à nobis hoc anno est, pauca dicemus, vt scilicet ea perspecta, alacriores ad eam perdiscendam euadatis: Siquidem, ob bonum omnes ad agendum mouentur, cuius generis est vtile, iucundum, & honestum. Deinde difficultatem docebimus, non vt ea vos deterream, quos noui imperterritos, sed vt solum admoneam, non negligenter a vobis hæc esse audienda, & pertractanda. Tertio loco proponam, quæ, & quot capita huiusmodi habeat tractatio, vt possitis intelligere, quando demum assecuti fueritis, quod à me hoc anno exigitis: etsi id forte melius secundo loco dicetur: quandoquidem difficultas ostendi non potest, nisi propositis rebus, de quibus agere necesse est. Quarto loco ordinem explicabimus, & inuenire conabimur, vt percipere possitis, à quo potissimum sit auspicandum, quod sequentibus lucem adferat. Postremo nitemur ostendere, eos errare, & superfluo labore se, auditoresque conficere, qui vel Auicẽnam, vel Galeni aliquem librum enarrandum in hac re suscipiunt, cum nullus apud eos liber sufficiat huic instituto; & quidam etiam ex illis non sine periculo imbuendæ corruptæ doctrinæ iunioribus proponatur.

Capita in hoc tractatu obseruanda.

Itaque vt ab vtilitate, & dignitate huius tractationis exordiamur, nihil in tota medicina vtilius, digniusque doceri puto: Nam si Galeno authore vtilitatem metimur signorum, & aliorũ, quæ in arte nostra docentur, ex eo, quod Medici, & ægroti ipsi colligunt, certe nullus grauior est, nullus, qui frequẽtius homines infestet, nullus fere, qui facilius perimat, quam ipsa febris; fit, vt nihil vtilius, nihilque melius sibi putent ægroti, quam si ex febre liberentur, idque merito; siquidem alia vitia vnius partis fere sunt, & pauca reperiuntur, quæ impediant omnes functiones: Nam vulnerato pede, aut intemperato hepate, aut alia parte laborante, integræ manent aliarum functiones. At vrgente febre, vniuersum corpus afficitur, concidunt omnes actiones, decumbereq; cogimur, & omnia vitę munia intermittere. Quid vero Medico vtilius? Etenim alios morbos, aut contemnunt homines, aut non nisi cum grauissimi sunt facti, Medicum accersunt; atq; cum qualemcunq;, siquidem quæ ex vulneribus, fracturis, vlceribus, luxationibus, & multis aliis malis prouenit vtilitas, ea nobis

Tractationis vtilitas & dignitas.

nobis adempta est, nimirum, cum *vilissimi quique tonsores* illorum morborum scientiam profiteantur, & vtilitatem iam dudum sibi vendicauerint. Quin & vetulæ mulierculæ, & idiota quilibet stomacho dolenti remedia audet adhibere ex absynthio, melle, & aliis parabilibus remediis. At febrium curationes nobis reliquerunt omnes, nec aliquis est tam audax, alterius ordinis, quam nostri homo, qui illius scientiam sibi vendicare audeat; & cum interim aliis laborantibus dicunt se remedia habere, quæ febribus prosint, nihilominus cum ipsi eodem morbo vexantur, suis remediis non fidunt, sed ex nobis opem quęrunt. Itaque vtilissimam huius rei explicationem existimabimus; si modo ea est, quę præ cæteris tantorum laborum, quos discendi causa impenditis, nobis vberrimos fructus promittit. Quid vero dignius, quam posse hominem febre laborantem curare? Si enim medicinæ dignitas in eo potissimum posita est, quod hominum languores propulsare potest, seipsum in eo vincet, cum circa eum, qui maximus, frequentissimusque est, versatur.

Difficultas.

Illud vero, quod ad difficultatem pertinet, breuiter accipite. Nullus est morbus, qui plura genera, plures differentias, plures causas, quam febris habeat, & etiam in illius natura non parua (vt postea patebit) est difficultas. In signis præterea alia oritur; quum perinde aliquando illa confundantur, vt vnam pro alia febre sæpius sumant Medici. vt cum quotidianã recepto, & inueterato apud omnes nationes errore, duplicem tertianam vocant; aut hoc etiam nomine semitertianas complectuntur. Hinc factum profecto est, vt nulla amplius quotidiana, aut semitertiana febris inueniatur: cum tamen res aliter se habeat, & hoc anno etiam ostenderim, grauiter eos hallucinari, qui semitertianas febres, quarum magnus fuit hic numerus, non agnouerunt: cum tamen Galen. scribat *in libro de Typis*, eam Romæ esse familiarissimam: & proinde huic nostrę Ciuitati, quæ eodem aere, quo Roma vtitur. Nec minor quidem est in prædictione difficultas: cum multa capita habeat hæc tractatio, & ea omnia difficillima: nam & salutem, aut mortem prædicere, difficillimum est: cum sæpe bona multa signa salutem polliceantur, & nihilo minus mors sequatur. Quod & hoc anno & alias etiam vidimus, cum optimis coctionis signis, (quod negat Galenus fieri posse) homines mortuos. Difficile quoque est diem, & horam, solutionis modum, & alia (de quibus suo loco in prædicendi parte dicemus,) præsagire. At omnium difficillimum est, curationem recte instituere; idque non solum ob errores, qui ab ipsis ægrotis, & nimia mulierum, & adstantium licentia, committuntur: sed etiam ob varias causarum, & Symptomatum complicationes: nam dubium aliquando est, an febri, vel humori eam committenti prospiciendum sit, dubium, an sitis compescenda vrgente accessione, an expectanda declinatio; & tanto magis profecto curatio difficilis nobis relinquitur, quod Galenus, & Hippocrates, ignoratis mitioribus nostris medicamentis, raro purgatione in febribus sint vsi, & negligentius earum remedia, & victum explicauerint. Nam, si venæ sectionem, aquæ potum, & ptisanæ exhibitionem à Galeno demas, vix aliud continentium febrium remedium inuenies. Multarum præterea febrium mentionem facit, vt semitertianæ, epialæ, lipialæ, pestilentis; quarum curationem non docet; atque ita eorum negligentia factum est, vt cum hactenus ad illorum imitationem studia sua Medici instituerint, nec expressum inueniant, quod quęrunt, variæ controuersiæ inter Medicos sint excitatæ: cum vnus neget, purgationem ab initio conuenire; alius contra asserat; alius pepones concedat, alius inutiles omnino putet; nec adhuc constat inter illos, quæ infundenda sint per clysteres, an acria, vel mollia, an aliquid exhibendum ad aluum liberius subducendam cum excrementa illius vtcunque exeunt. Ac denique variæ in omni re sunt opiniones, quæ rem, quam aggredimur, difficillimam esse ostendunt.

Capita huius tractationis præcipua quot.

Habet vero hæc tractatio sex maxima præcipuaque capita, quibus continetur: nam quid febris sit, quot, quæve sint illius genera, differentię, partes prętereа, causæ, signa, & ablatio illarum, intelligere necessarium est: quib. quidem intellectis, nihil amplius relinquatur, quod desiderare possitis.

Verum, inter hæc, quæ docenda sunt, ordo aliquis requiritur, vt intelligamus, quid primo loco, quid deinceps expli-

candidè nam vbi ordo deest, confusa redditur doctrina; nimirum cum ignoremus, quid preponi debeat, quod lucem sequentibus adferat: quid vero postponendum, quod eam à præcedentibus sumat. A

Itaque constat in primis de natura, & definitione febris agendum esse, sine qua nec signa, nec genera docere, nec curationem instituere possumus. Quomodo enim, quæso, diuidere, ostendere, aut aliud facere de eo poterimus, cuius naturam ignoramus? Sequitur postea, B vt quæ, quotve sint febres, siue prima illorum genera, & capita, ex quibus aliæ omnes nascuntur, doceamus: quo explicato, succedit tractatio de illarum differentiis, siquidem inuentis ipsis febribus, inuestigandum est, qua ratione, quotve modis inter se illæ differre possint. At frustra illarum genera & differentias, & partes poneremus, si notas non haberemus, quibus eas dignoscere, & inter se distinguere possemus: Nam cum variet curatio ob varias illarum differentias, & genera, & partes, ne vni, C quod alteri conuenit, demus, ideo signa explicanda, quæ vniuersam multitudinem declarent. Requirimus præterea signa ad euentum illarum perdiscendum; ne in desperato malo remedia adhibere tentemus, quæ seruanda sunt his, quibus prodesse possunt. Postremo autem, illarum curatio, & causarum, quæ eas pariunt, & symptomatum illas consequentium remotio procuranda est. Quod vero ad authorem pertinet nullum esse puto, quem legere, interpretarique possimus: nam D Galenus nullo Opere integram huius rei tractationem est complexus: siquidem *in Libris de Differentiis febrium*, curationem non attingit, nec prædictionem, nec quod grauius est, & minus in eo tolerabile, omnes differentias, omniaque genera complectitur; Causonis nullam mentionem facit; nec docet differentias pestilentis febris; nec à certo initio auspicatur, quo omnes differentias comprehensas intelligere valeamus, quin potius genera, quam differentias ipsarum febrium, contempto, quod inscriptio promittit, docet, vt E postea ostendemus, cum differentias inuenire tentabimus. *In libris* vero *Methodi medendi*, de sola curatione agit, aliis capitibus contemptis: nec de

[illegible]

ea quidem, quæ pertineat ad omnes febres, sed solum, quæ propria sit Synochis dictis febribus. *In Libro* vero *ad Glauconem* inscripto, pauca sunt elaborata, multa omissa, & quædam etiam perperam tradita: nam nec genera, nec differentias inuenire studet, nec curationem omnium docet, quandoquidem pestilentes omittit, & multas alias. In aliis vero Operibus nihil collectum, sed omnia sparsa, quæ ad hanc rem spectant, tradit. Quare, nec omnes illius libri legendi, quod fieri in scholis nequit, cum vnus omnia posita capita non contineat; aut alius author proponendus, qui id præstet, quod quærimus, quod quidem Auicenna facere tentauit, siquidem ea omnia attigit ille author, sed vt alia reliqua, satis infeliciter; etenim multa male ex Galeno transtulit, imperitia linguæ Græcæ, malis versionibus Arabicis, (vt omnes putant) vsus. Vel etiam forte, quod plura nesciuerit, aut inchoatum opus expolire, absoluereque nequiuerit. Quam ob rem, satius esse puto, vt interim dum alii in Auicenna referendo plurimum laborant, tempusque conterunt, cum omittamus: & vt superiori anno fecimus, de vnoquoque capite, nullo suscepto interpretando authore, agamus. Ordinem tamen ipsius Auicennæ sequemur, qui ea capita, eo ordine, quem nos proposuimus, explicat. Interim tamen, quicquid Galenus, & alii boni authores sparsim de vnoquoque capite prodiderunt, illud adferre in vestram vtilitatem curabo: & quæ desunt apud illos, vel non sunt prolata, aut perperam asserta, quantum in nobis erit, solita, qua hactenus vsi sumus, & antiqua licentia, adferemus, idque tanto liberius faciemus, quod videamus paulatim sectas deseri, & omnes ad veri contemplationem excitari.

Qui pro dignitate vult hæc explicare aut discere studet, debet inprimis corporis naturam perspectam habere: Nam alioqui cum mentio fit de diuerso febrium subiecto, vt cum dicimus febres quasdam in humoribus, alias in spiritibus, alias in partibus solidis consistere, si eorum naturam ignorauerit, genera febrium percipere non poterit, & multo minus illarum differentias; quæ vel ex ma-

[illegible]

ex materiæ subiectæ diuersitate, vel loci A conditione, & demum ex aliis causis nascuntur. Præterea, ob corporis conditionem generatio, naturaque febrium variatur: siquidem in bene affectis corporibus labor diariam, in aliis vero putridam excitat. Oportet præterea tenere vim omnium, quæ calorem omnis generis intendere, remittereque possunt. Hinc enim febrium generatio cognoscitur, & curatio recte instituitur. Vnde remediorum, victusque vires plane exploratas habere oportet. Quid item possint, B quæ extrinsecus occurrunt, vel intus sumuntur, aut exeunt à nostro corpore, vel geruntur à nobis. Hæc ergo adferat oportet, qui ex hac tractatione aliquem fructum quærit.

CAP. I.

DE FEBRIS DEFINITIONE.

IN febris definitione ob Galeni varietatem, & authorum inter se discrepantium sententiam, magnos labyrinthos excogitarunt Neoterici. C Nam nec in genere ipsius febris videtur Galenus sibi consentire, & ex definiendi modo, definitionumque verbis relinquit, in quo dubitare liceat. Nam cum febris aliquid sit præter naturam, sit autem omne, quod hoc nomine continetur, vel morbus, vel causa morbi aut symptoma; aliquando ita definit febrem, vt illius genus constituat causam morbi, aliquando vero morbum. Cum enim *primo Aphor. 14.* & *in primo de victu acutorum, Comm. 43.* & *alibi passim*, dicit esse calorem præter naturam, idem sentit Aetius & alii multi, causam morbi esse dicit: siquidem omnis morbus, vel intemperies est, vel ipsa structura vitiata. At calor intemperies ipsa non est, sed intemperiem facit, causaque illius est. Cum D vero 8. & 9. *Methodi* definit eam esse intemperiem calidam, genus illius statuit morbum, nempe intemperiem, idque melius, omnes enim febres morbos vocant, similariumque partium eos esse putant. Quare per intemperiem definiri debet. Calor vero merito additur tanquam differentia, quoniam cum multæ sint intemperies, quædam s. calidæ, aliæ frigidæ, aliæ alterius naturæ, ad aliarum differentiam *calida* additur. At quoniam intemperies quædam in latitudine sanitatis continentur, aliæ vero neutræ sunt, aliæ morbosæ, merito addi debet aliquid, quod eam significet, in qua continetur: id autem fiet, si dixerimus, esse *intemperiem calidam præter naturā*, vel *admodum excedentem*, vel *morbosam*, vel E *quæ impediat consuetas operationes*. Hæc enim mutuo conuertuntur, & se sequuntur: quandoquidem id, quod præter naturam est, plurimum excedit, & illudmet insigniter actiones labefactat, & econtra, qui euidenter habent offensas actiones, præter naturam sunt affecti, & plurimum illorum constitutio à mediocritate recedit. Cæterum, quoniam intemperies calida potest esse

Febris quid.

vnius partis, vel totius, & inter partes, huius, vel alterius, iam docendum est ad perfectam constituendam definitionem, cuiusnam intemperies sit. Qua in re varius etiam est Galenus, & alii authores. Etenim Galenus *septimo Methodi* Cordis passionem febrem statuit esse, cum ait, *vbi intemperies calida ad cor peruenit, tunc est febris. Alibi* vero statuit, intemperiem esse totius corporis; & sic omnes recipimus, cum dicimus febrem esse *vniuersalem* morbum, quod s. ad vniuersum corpus pertineat. Verum, satius esse puto, vt ipsius cordis passio esse dicatur, siquidem sæpe adest febris, cum reliquum corpus friget, vt per accessiones ipsarum febrium apparet, in quibus extrema frigent, at cor semper calet, & qui tunc algent in extremis, intus tamen circa cor ardorem sentiunt. Præterea calor ille, qui febris est author, primo ad cor pertinet. & in eo residet: illius autem opera vniuersum corpus postea incalescit: Vnde *per accidens, & secundario febris est calor totius corporis, primo autem, & per se ipsius cordis.* Quare si definitiones ex eo, quod per se, non per accidens rebus inest, fieri debent, constat dicendum esse, quod febris sit ipsius cordis, non totius passio. Sic enim in aliis affectibus facimus, vt cum stuporem dicimus esse neruorum passionem, non autem omnium partium, quæ torporis fiunt participes: quoniam scil. per neruos illis passio communicatur: sic syncopen cordis dicimus affectum, etsi aliæ partes postea compatiuntur. Quod si ita est, cur potius febrem totius corporis, quam syncopen dicemus esse. Idem patet in vulneribus cordis & aliis morbis, quos nemo negauerit proprios esse ipsius cordis, etsi postea illorum vis ob principatum, & dignitatem ipsius partis in vniuersum corpus spargitur. Præter illa autem, quæ de accessionibus diximus, quod s. in principio illarum frigus sentiatur in vniuerso corpore, corde excepto, & quod pulsus sint tardi, & rari, quod signum est frigiditatis, non aucti caloris. Vrget id etiam, quod qui febre pereunt, paulo antequam moriantur, resolutis spiritibus halitum emittunt frigidum, quod docet experientia, & etiam Hippocrates testatur *tertio prædictionum*, quo quidem ostendit, non solum calorem non esse auctum, sed etiam diminutum magis, quam in sanis. Confirmat id præterea Galenus, qui dicit *in libris de morbis vulgaribus*, non necesse esse in febre, vt vniuersum corpus caleat, sed satis esse, si id fiat in corde, & partibus illi proximis, tanquam s. cordis propria sit passio, aliarum autem non semper, nec per se, sed per accidens, communicato s. ad eas cordis affectu. Quare in febris definitione materia, locusque affectus (*Cor* poni debet, non autem vniuersum corpus.

Quæ sit pars affecta.

Confirmant nostram opinionem aliorum responsiones in hac re absurdæ: Nam quidam dicunt omnes quidem febricitātes calore extraneo affici, sed *non necesse esse, vt calidiores sentiantur, & calorem ipsi sentiant.* Nam quomodo, quæso, erit febris, si non intemperies calida? Quomodo potest esse calor extraneus, & frigus sentiri? An, quæso, morbi in re insensibili poni debent, cum sensibiliter lædant actiones, an in contrariarum qualitatum sensu. Cur ergo frigidam non dicemus intemperiem, quando calor sentitur extraneus, sicut volunt isti, qui calidam

Ita etiam febrim, & quando ea sit vehemens & acuta.

arguit, quia locus affectus parum distat à corde, affectusq; ipse calidus est, non tamé ea perpetuo vehemens & acuta adest, sed duntaxat cum sanguis purus aut cum bile mixtus pleuritidé facit. Nec semper simplicior est hæc, quã aliæ febres, nec tertianæ modo in omnib. exacuitur: Si enim ex sanguine melancholico fiat, malignitate non caret, & ea sola tertianæ accessionem seruat, quæ ex bilioso sanguine, putrescente iam bile, nascitur. At pulsus necessario in pleuritide mutantur ad magnitudiné, & celeritatem, & frequentiam ob affectus caliditatem: durus vero & serosus non fit, nisi vbi multum tenditur membrana ex magnitudine inflammationis; in minoribus vero, aut pituitosis vel durities nulla adest, aut certe non tanta, vt serosus pulsus euadat. Iam vero respiratio inseparabile. id est, commune, & perpetuũ est omnibus pleuriticis symptoma; idque non solum, quod pars læsa respirationi seruiat, quando refrigeratio illarum partium difficilem haudquaquã respirationem reddit, sed quod affectus in ea parte sit, qui motũ liberum fieri impedit. Quare hoc indicium est, & partis affectæ, & ipsius affectus; propriũ vero nequaquã pleuriticis; siquidem multis aliis conuenit. Delirium, & coma pleuritidem necessario nõ indicant, sed vehementiam, malignitatem, & vigorem inflãmationis, sicut & conuulsio; at rigor vix aliquid potest in pleuritide ostendere, sed potius quæ cõtingunt pleuriticis ex febre indicat. Idé quoq; sentiendum de siti, deiecta appetentia cibi, quæ biliosam febrem, & iam consistenté monstrant. Calor etsi videtur sequi affectum ipsum, tamen vix videas aliquem laborantem eo morbo conqueri de calore in parte affecta. Capitis vero dolor paruas, & crudas, frigidasq; inflammationes non sequitur, sed duntaxat magnas, calidas, & vigentes. Ex quibus facile patet, quænam sint symptomata, quæ nunquam possunt à pleuritide seiungi: quæ vero ob loci diuersitatem vel materiã, aut tempora diuersa, vel cõplicatos affectus aut suas differentias illi contingant, quæ item communia sint illi cum aliis; & demum quæ propria, & illi peculiaria sint statuenda. Nam pleuriticos omnes hæc sequuntur, *spirandi difficultas, tussis, febris, idq; per vniuersum morbi cursum: vt plurimum vero etiam accedit dolor, & is punctorius, & fixus & sputum cruentum, febris vehemens, duri, & tensi pulsus, & aliæ illius differentiæ, quas febris parit*; nullum tamen si quis spectet, proprium est pleuriticorum indicium, quãdo singula symptomata prædicta multos alios morbos comitantur; fiunt tamen nonnulla ex illis propria, si ad affectus reliquos thoracis comparétur: Nam punctorium doloré nulla alia pars, aut affectus, quam pleuritis in thorace committit. Igitur ab affectibus hoc modo pleuritidis notæ sumũtur; Augent cõiecturam signa, quæ sumuntur à causis, & similitudine. Nam si præcesserunt illa, quę solent pleuritides parere, aut iuuant vel lædunt laborantes, quæ solent prodesse, aut obesse huiusmodi malo, si præterea nouimus alios, qui eo tempore morbis fuerunt correpti: pleuritide laborasse, idem erit de eo sentiendum, cuius affectus notas quærimus.

Quænam symptomata omnes pleuriticos sequantur, quæ vero eos vt plurimum.

Signa pleuritidi propria.

Signa pleuritidis exquisitæ.

Porro exquisitam pleuritidem, in qua scilicet membrana interior primario laborat, ostendunt notę, quę partem illam affectam potissimum sequuntur; maior, inquam, dolor magis extensus ad vtramq; partem: lateq; fusus, punctorius magis, maior tensio, interior illius sensus, febris vehementior, duriores pulsus, crebriores, & minores; sic respiratio crebrior, difficilior, minorq; euadit; tussis quoque magis irritat, & aliquid plus expuitur, faciliorq; est decubitus in latus affectũ, difficilior vero in aliud. Quod si suprema mébranæ pars laborat, situs doloris maxime id ostédit, & iuuantes causæ. Magis enim (inquit Hipp.) hi quã alii iuuantur venę sectione. Quod si musculi inflãmationem patiũtur, vel cũ illis etiã exterior membrana; tactu, & nonnunquã visu deprehéditur inflammatio sine tussi, aut cũ exigua afficitur æger vrgetq; dolor, & tẽsiuus, & pulsatorius, qui si spirãdo magis sentitur, internos musculos; si vero expirando, externos grauius laborare ostédit; respiratio minus læditur, pulsus haudquaq̃ durus, minor febris, in latus affectũ decubitus difficilis, ac manus tota moueri sępe impeditur.

Signa [illegible] affectio.

Signa pleuritidis malignæ.

Malignam vero pleuritidem ostendunt doloris carentia, aut maior vehementia, quam testetur febris, minor sc. aut in internis partib. latens; sitis maior, aut minor, quã pro febris natura. Aliquando delirium, syncope, linguæ ariditas absq; siti, pulsus formicantes, intercepti: multũ sputũ q̃ hominem nõ alleuiet, vel paucum, illudq; vel æruginosum, vel liuidum, vel nigrum, aut impermixtum, aut cũ difficultate excretum. Quinetiã vrinæ suppressæ, aut quæ emittuntur nigræ, liuidę, aquosę. Item color in corpore, vel parte affecta, ad liuiditatem, vel nigritiem vergens; ac reliquæ qualitates, malignã dispositioné sequuntur, hæc, inquã, vt pessimam febrem, & malignã, sic inflammationem, à qua illa nascitur, ostendunt. Præterea nullis remediis iuuantur, aut certe paucissimis, qui maligna pleuritide laborant. Ad hæc corporis habitus, qui malignos humores gignit; necnon causæ, quæ morbũ intulerunt, malignæ, idem testantur: quemadmodum & illud indiciũ, quod à similitudine sumitur: Nã si malignę pleuritides grassentur, non immerito putabimus, & illa, de qua agimus, eiusdem generis esse. Contraria vero indicia benignam ostendent.

Magnæ.

At magnam pleuritidem monstrãt signa, quæ ipsam pleuritidem ostendunt auctã. Magnus n. dolor quiq; se ad omnes membranæ partes, aut saltem à medio ad iugulum, vel septum trãsuersum extenditur: Pulsus vehemés, durus, frequés, creberrima, difficillisq; admodũ respiratio, vehemens febris, & quę eã sequuntur accidentia, sputum præterea rubrum, & multum, necnon causæ, quæ illã pepererunt, magnę, multusq; humor in corpore redundans, idem testantur. Est quoque illa magna, quæ non nisi à magnis remediis iuuatur, à contrariis autem facile læditur. Parua autem est, quæ contrarias habet notas.

Signa pleuritidis ex sanguine.

Iam vero materiam pleuritidis ostédunt propria singulis humoribus indicia. Igitur à sanguine eam fieri ostendent dolor vehemens, febris simplicior, vehemés tamen, & quæ nullas accessiones habeat: Item sputũ rubrum, rubræq; vrinæ, cita maturatio, & expurgatio; ruber in corpore color, venæ tumidæ: Præterea habitus corporis, victusq; præcedens, qui sanguinem plurimum procreandi vim habuit. Qua ratione ætas, & anni tempus idem monstrant. Necnon iuuãtes, lædentesq; causæ, & similitudines idem docebunt.

Biliosa. cebunt. Biliosam vero pleuritidem declarant dolor admodum pungens, sed non perinde distendens, pulsus duri, crebri, febris vehemens admodum, tertiana modo infestans, creberrima respiratio, sputũ & vrinæ flauæ, nõnunquam deliriũ. Ad hæc habitus corporis, ætas, victus præcedens biliosus, iuuantes, lædentesq; causæ, & similitudines idem ostendẽt. *Pituitosa.* At pituitosam sequitur remissior, & humidior febris, quæ quotidie exacuitur; dolor non admodum pungens, sed potius cum quadam grauitate hominem vrgens; pulsus molliores, tardioresq;; Sputũ spumosum, viscidum, cãdidum, & quod non admodũ tarde procedit; & nonnunquã sopor, & reliqua huiusmodi symptomata, quæ indicia sunt pituitæ redundantis: Ad hæc causæ, quæ pituitam gignunt, iuuant aut lædunt: & similitudines præbebunt sua indicia. *Melancholica.* Iam melancholicum testantur febris remissa, sed maligna, accidentiaq; maligna, & magna in pulsu, somno, vigilia, & reliquis corporis animiq; actionibus. Expuunt & hi parũ, & difficile, illudq; vel nigrum, vel liuescens. Dabunt & in hac pleuritide suas notas causæ, & similitudines, vt in aliis. *Signa, à qua causa humores sint commoti.* A qua vero causa humores sint cõmoti, partim ex his, quę præcesserũt, partim etiã ex impressionibus in corpore factis intelligemus. Si quis in aëre frigido hoc morbo fuit correptus, colligemus, ex cõpressione fluxionẽ, & inflãmationem excitatam fuisse. Adstricta præterea, & densata quodammodo cutis sepultaque magis ab initio febris in his apparet, qui ob frigus externum laborãt. Eodem pacto cognosces an à calore partis affectę, vel alterius, an ex fusione, vel expulsione vel dolore, vel ex alia tandem occasione sit ortum malum. Qui enim nouerit, quid singulæ occasiones præstare possint; is facile q; in hac re quærit, inueniet. *Signa temporum ipsius morbi.* In qua vero parte, siue temporẽ pleuritis sit, nunc tradendum est. docebunt autem id eadẽ genera signorum: tunc enim principium adest, quãdo pars fluxione repletur, dolorq; fieri incipit, & febris, tussis, nihilq; adhuc expuitur, & reliqua symptomata, quæ superius recensuimus, adsunt quidem, sed nequaquam euidenter augentur: tunc enim incrementum incipit, quod tam diu durat, donec paria omnia videãtur, quo tempore iam viget morbus, quẽ postea declinare ostendunt ea symptomata, cum iam remittuntur. Prębent nonnulla indicia in hac re causæ iuuantes, & lædentes. Quæ enim iuuant præsidia, aut lædunt morbum, potissimũ dum in principio est, aut in augmento, vel in alio tempore, docent præsens esse, quod quærimus. Atq; hæc quidem consentiunt suis principiis, à quibus plurimum recedunt, qui pleuritidem tũc vigere tradunt, quando multa, & cuncta expuuntur, tunc enim minui materiã, symptomataq; omnia necesse est, quod declinationem ostendit, sed hæc diligẽtius alibi prosecuti sumus. Quapropter ad ea properandum est, quæ quod futurum est in pleuriticis, præsagiunt.

Signa prognostica. Qua quidem in re primum trademus, quem finem sit habitura pleuritis, deinceps notas trademus, quæ præsagient tempus solutionis, modũ, authorẽ, qualitatem, media, locũ, ordinem; hæc enim ad prædicendi rationẽ pertinent. Itaq; cum perimant morbi, qui adeo à naturali statu hominẽ distrahunt, vt nullis remediis coerceri possint, huiusmodi recessum, aut minorẽ ostendẽt signa à superioribus fontibus ducta. *Futura mortis.* Nam magna inflammatio, febris admodũ vehemens, pulsus frequentissimi, durissimi, difficilis admodũ respiratio, deliriũ continuũ, animi defectus, adhæc cohibitum sputũ, aut paucũ, quod cum difficultate reiicitur, & illud viride, vel nigrũ, rotundũ, viscosum admodum, tenue, vel crassum impermixtũ; sic & vrinæ, vel suppressæ, aut quæ emittũtur nigræ, oleaceæ, liuidæ, cõfusę, tenues, vel crassę admodũ, sudor præterea, aluiq; fluxus ab initio, pręsertim si deiiciantur liquida, aquosa, grauiter olentia, mortẽ præsagiunt. Eodẽ pacto color corporis, & aliæ qualitates plurimũ à naturali statu mutatæ, mortis sunt indices; necnon causæ, quæ morbum intulerunt, si magnæ aut malignæ fuerint, quæ aũt resistere, iuuareq; debent, infirmæ, corporisq; habitus durior, ad transpirationemq; ineptus. Si pręterea mult⁹ humor, aut malignus, aut varius pleuritidem facit, si pars affecta densa, crassa, infirma, si itẽ nulla prosunt auxilia nec etiã maxima, de vita admodũ verendũ est, augebitq; timorem, si forte lethales grassentur pleuritides. *Futura salutis.* Contraria autem his indicia salutem pollicẽtur. *Dubii euentus.* Quod si paria fuerint, aut certe non admodũ inæqualia bona malis signa dubiũ portẽdũt euẽtũ.

Temporis solutionis. Cæterum tempus solutionis eadem signa docebunt; quæ enim parua est benignaq; pleuritis, quamq; pepererunt leues causæ, iuuant vero vel leuissima remedia, pauca vero obsunt, quę nocere sunt nata: si præterea subsunt vires validæ, nec desũt cõmoda præsidia, salus propinqua est. Sed certiora præbent in hac re indicia effectus, quã essẽtia ipsa & causæ. Nam si facile & ab initio incipit expuere, qui laborat, & ea, quæ expuuntur, qualitatibus, & quantitate respondeant, maxime si perpetuo cocta excernantur, quarta, vel septima die salutẽ, aut declinationẽ morbi euidentẽ expectare oportet. In lethali vero cõtraria ratio contrarium euentũ ostendet. Verum quoniã ratione febris aliquando moritur æger, aliquando vero ipsius pleuritidis, nõnunquã aũt ob vtriusq; causam; id deprehendes ex eisdẽ fontibus signorum. Nam si pleuritidis accidentia minuuntur, augentur autem, quæ febrem sequuntur, quod contingit, cũ benigna erat materia, & pauca, quę pleuritidẽ excitauit, multa autẽ, & maligna, quæ febrẽ ipsam peperit, huius profecto, neqnaquã vero pleuritidis ratione homo extinguetur. At si febris non admodum molestat, crescant autem pleuritidis symptomata, ex hac homo suffocabitur. Par autem habebunt illa momentũ ad mortem inferendum, si æqualiter hominem infestant. Licebit & à causis & ab essentia cuiusq;, & à similitudine hic quoque notas petere.

Mutationis modi. Cęterũ modũ ipsius mutationis docebit natura ipsius affectus: finitur enim paulatim pleuritis, quoniam necesse est humorem concoqui, deinde paulatim per sputum educi. Quod si per digerentia, vel ea, quæ sensibiliter vacuant, solutio contingat, confertim etiam fieri poterit mutatio. Quod si in peripneumoniam transit, nonnunquam subito id fit, cum scilicet humor facilis est ad motum, & pulmo ad susceptionem aptissimus, nonnunquam vero paulatim id contingit; quando scilicet contraria adsunt. At si suppuretur, non nisi paulatim pus repurgari, & affectus solui potest. Idem monstrabunt causę, effectus, & similitudines.

Signa autoris mutationis. An vero artis, vel naturæ beneficio, vel vtriusque opera finietur, quod est authores mutationis præsagire, nunc doceamus. Itaque cum leuissimos affectus sola natura vincere soleat, alios vero non nisi adiuta à nostris præsidiis, non immerito id ostendēt, quæ diximus, indicia, quæ magnitudinē, moremq; affectus testantur. Nam benignas, paruasq; inflāmationes sola vincet natura, alias vero, quę lethales non sunt, communi opera naturæ & artis abigi posse sperabimus.

Solutionis qualitatis. Cæterum an facilis, vel difficilis, fida vel infida, perfecta, an imperfecta sit futura mutatio (quod est solutionis qualitatem explicare) hoc modo cognoscemus. Quæ enim benigna, paruaque est inflammatio in corpore bene affecto, & valido, quamque pepererunt benignæ leuesque causæ, B & sequuntur leuia symptomata, iuuant vero leuissima quæque præsidia; eoque tempore infestat, quo aliæ omnes sine difficultate, & molestia sunt solutæ, facilem mutationem promittit. Fidam vero solutionē expectandā esse admonēt differentiæ nonnullæ ipsius affectus; quæ enim malignæ sunt, intermittunt sæpe dolores, remittuntq; alia accidentia: Sed postea valentiores insurgunt, nihilq; fidū pollicentur, quemadmodū & illæ, quæ per cōmoda, propriaq; remedia nequaquā sunt alleuiatæ: solent enim hæ redire, quæ & portēdunt infirmæ vires, infirmusq; corporis habitus multis, malignisq; humorib. refertus. Ac multo quidem magis illud verebimur, si aliis per eadem tempora in eisdē locis pleuritide affectis idem acciderit. Eadē vero prænunciant perfectā solutionē, aut imperfectā. Nā paruæ, benignæq; inflāmationes, quas huiusmodi causę excitarunt, quibusq; non defuerunt, contuleruntq; optima auxilia, ac optime affectum, validumque corpus subiicitur, perfecta omnia expectanda esse admonent. Porro inflammationes finiri solent cum educitur humor, vel suppuratur, aut induratur, aut in alias partes transfertur: id quod est media docere, per quæ illa ad finem suum properat. At pleuritidis natura ostendit duritiem nequaquam contingere posse.

Mediorum, per quæ pleuritis ad finem suum properat. Educitur autem humor à parte affecta resoluentibus, repellentibus sputo, alui fluxu, sudore. Pollicentur autem imprimis vacuationem differentiæ ipsius D pleuritidis: Nam benigna, paruaque inflammatio, quæq; à tenui, calido, pauco, & benigno humore orta est in corpore raro, valido, non aliud quam vacuationem expectandam esse testatur.

Quæ vacuationem pollicentur. Augebitur coniectura, si illa vacuantibus remediis facile cedat, & reliquæ per vacuationem abierint.

Quæ resolutionem. At per resolutionem finietur, quæ ex tenui, exiguoque humore potissimum vergente ad exteriora consistit, cuique profuerunt discutientia remedia laboranti adhibita.

Quæ sudorem. Idem fere sentiendum est de illa, in qua expectatur sudor. Vix autem pleuritis vnquam solis repellentibus finitur, & raro per alui fluxum, sæpius autem per sputum abigitur; quoniam via per aluum difficilis est, prompta autem patet ad pulmonem, & E os. Quapropter superfluum est eius, quod nunquam vel rarissime fit, vel omnibus fere contingit, notas tradere.

Suppurationem. An vero suppurationem expectare oporteat, ex his signis intelligemus: Cū enim suppuratio contingat, dum conclusa est materia, quę suppurari est apta, & vis alteratrix valida est, necesse est, solum magnas pleuritides suppurari posse: illæ enim à sanguine fiunt, propria A suppurationis materia, siquidem pus ex sanguine fit, ob magnitudinem vero non facile expirat calor: Vnde quæ magnam pleuritidem monstrant, nisi præueniat vacuatio, eadem suppurationē fore prænunciant; quanquam id quoq; illis commune est, quæ in peripneumoniā mutantur. Cū enim nequeat cōtineri humor præ copia in mēbrana, ad pulmonem confertim effunditur. Itaque alia signa id clarius ostendent: Si enim dolor fixus in loco manet, vel etiam intenditur vna cum febre, non paruum indicium est futuræ suppurationis; sputum præterea non procedit in pleuritide, quæ suppurari debet, aut paucum omnino est, quod excernitur, illudque maxime sanguineum, nequaquam vero malignum: Manet quoque difficilis & cruda inflammatio plus iusto, nec iuuatur à vacuantibus, & aliis remediis, quæ suppurationem impediunt. Cum vero iam fit suppuratio, certa adsunt indicia ex rigore qui necessario omnes internarum partium suppurationes comitatur. Pulsus præterea suppuratorū in his apparere incipiunt, qui prorsus conspicui sunt, dum facta suppuratio est, quā monstrant & dolor, qui minuitur, & febris, & respiratio, & virtus.

Futuræ putredinis. Quod si non in pus, sed putredinem mutetur, augentur lethalia signa, abeunt vero, quæ salutem aliquam promittebant; apparetq; latus liuidum, aut nigricans, aut virescens.

C Solet autem conuerti pleuritis nonnunquā in hepatis inflammationem, aut ad neruosas partes ferri; frequentius tamen in peripneumoniā mutatur, ob loci vicinitatē, pulmonis mollitiem, & raritatē. *Futuræ mutationis in peripneumoniam.* Testantur autē id pulsus plus solito crebriores, & molliores, calorq; vehementior in cauitate thoracis sentitur. Acceditq; sitis, & genarū rubor incipit; desinitq; dolor latus infestare, spiratio tamē difficilior & febris vehemētior redditur. Quod si multa, pituitosaq; materia est, quæ pleuritidem cōmittit, nec vires validæ subsunt ad expurgationē noxii humoris; si pręterea grassātur huiusmodi pleuritides, quæ in peripneumoniā vertuntur, non obscura habebis ex his rebus mutationis huius indicia.

In tabem. Tabem ex pleuritide, dum incipit, non est facile diuinare; nimirum cum necesse sit, prius inflammationem suppurari, deinde pus ad pulmonem ferri, ipsumque pulmonem, & illius venas erodi: progrediente tamen morbo, etiam suppurata pleuritide, ex sputo certę notę sumuntur: *Si enim*, inquit Hippocr. *post suppurationem, & eruptionem puris quadraginta dieb. non repurgentur, qui laborant, in tabem transeunt.* *Sect. 5. aph. 15.* At locum, per quem discutietur humor eadem fere ostendunt, quæ media prænunciant, per quæ ad finem peruenitur. *Signa loci, per quem humor discutietur.* Quæ enim parua est, & à tenui calidoq; humore inflammatio, vt à digerentibus, sic per exteriores partes discutitur; quæ superiores partes infestat, extractione sanguinis in cubito potissimū abigitur. Quod si infimas thoracis partes occupet, per inferiores meatus exitum quærere solet. Sic materia pleuritidis diuersos locos affectat, & diuersa accidentia testantur, quo vergat morbi, naturæq; motus. *Signa ordinis solutionis.* Illud vero, quod ad ordinē solutionis pertinet; an scilicet febris citius, quā pleuritis; an hæc, quā illa, vel vtraq; simul eodē cursu abibunt, nunc tradere superest. Nam etsi sequi-

A sequitur febris pleuritidem, contingit tamen ob diuersitatem materiæ, quæ in corpore reperitur, solui pleuritidem manente febre; id quod ostendet propria essentia febris, propriaque illius symptomata, quæ perseuerant, grauius affligere, declinante iam inflammatione. Quod si idem fuerit humor, qui vtrumque malum committit, nec aliæ superuenerint causæ, quæ febrem peculiariter intendant, minuanturque, & augeantur pariter vtriusque affectus symptomata, nec peculiare quidpiam vni potius, quam alteri malo ex corporis conditione, & remediis accedat, eodem tempore integram salutem expectabimus: quod & similitudines, & ex omnibus fontibus ducta indicia ostendent; vt & alia vniuersa, quæ in hoc casu ad prædictionem vnquam pertinere B posse putabuntur, ne cogamur in vno exemplo integrum volumen conscribere.

Itaque explicatis his, quæ ad essentiam, genera, differentias, symptomata, causas, tempora, & signa pleuritidis pertinent, iam ad illud accedendum est, cuius causa hæc sunt à nobis elaborata: Id autem est, quod ad actionem pertinet, quæ cum recte institui nequeat, nisi certis scopis propositis, in quos omnia referantur, certaque adhibeamus instrumenta, quorum beneficio singulos scopos assequi liceat: Sint autem illa indicatio, obseruatio, & analogismus, in hoc potissimum casu indicationibus vtemur. Sunt porro scopi in hac re considerandi octo; placet tamen & primum addere, vt omnes ad vsum ducantur. C Igitur cum grauis sit casus, de quo egimus, nec solius naturæ opera tolli possit, nec tamen perpetuo desperatus, aliquid profecto à nobis agendum esse indicat. At quoniam aliquid est in corpore laborante pleuritide secundum naturam, quod sui conseruationem postulat; aliud vero præter naturam, quod sui ablationem indicat necessariá, duo profecto imprimis à nobis agenda, mutandum, inquam, & cõseruandum, relinquitur. Verum cum magis vrgeat, quod præter naturam est, (ita n. statuitur) ab hoc auspicabimur, quidque & quot ipsum postulet expendemus: Id quod indicabit numerus & natura eorum, cõtra quæ pugnandum est. Sunt autem hæc non semper numero æqualia. Nam incipiente & cre- D scente adhuc inflammatione, plura adsunt, quã cum viget illa, aut remittitur. Sunt & plura præstanda, vbi corpus multis, aut malis humoribus redundat, quam si hæc abfuerint. Quapropter separatim hæc tradenda sunt. Ergo si inflammatio viget, aut declinat, tria potissimum erunt obeunda, vt liberetur, qui laborat, contra ipsam inflammationem, febrem, causasque illorum, quæ actu sunt, pugnandum. Quod si incipiat aut augeatur adhuc affectus, adduntur duo necessaria, vnum scilicet, quod pugnet aduersus fluxionem, alterum aduersus causas. At si amplius augeri nequeat inflammatio, adsit tamen aliquod in humore vitium; erit pariter cum pleuritide, & febre, & causis illarum certandum E cum humore. Sed demus, quod fere contingit, & omnia mala in se complectitur, incipere, augerique adhuc inflammationem, erunt (vt diximus) in hoc casu, exercenda officia contra fluxionem, inflammationem, febrem, & causas istorum omnium. Nam symptomata, quæ causæ rationem non subeunt, nullam operam, nullamque medicinam postulant, vtpote quæ aliis ablatis, à quibus nascuntur, sponte euanescant: Ex quo constat, curandum, præseruandum, & mitigandum. Nam qui fluxionibus, & causis fluxionum medetur, præseruare dicitur, quod scilicet prohibeat morbum augeri, qui vero humorem contentum in parte affecta educit, abigitque reliquas causas, quæ actu ad inflammationem & febrem constituendam faciunt, is curare putatur; nisi contra illas pugnet, quæ in genere symptomatum continentur; is enim mitigare dicitur, qui eas abigit. Hæc igitur à Medico præstanda. At cum natura affectus vehemens sit, quæ inducias non præbet, indicat properandum esse, vehementerque omnibus malis resistendum. Quod si pariter omnia vrgeant, pari opera illis succurrendum erit, alioqui prius illi, quod magis infestat. Est autem id in principio & incremento inflammationum ipsa fluxio, fluxionisque causæ: Cum vero viget malum, id, quod iã influxit inflammationemq; constituit. Demus autem vrgere fluxionem illiusque causas, & quæramus, quid agere oporteat: Id autem indicabit natura cuiusque. Cum enim fluxio motus quidam sit humoris tendentis ab vno loco in alium, qui eam sistere velit, is pro illius natura, & differentiis diuersos motus instituet. Sunt autem huiusmodi motus, qui fiunt ad contraria, aut vicina loca; atque illum vocant reuulsionem, hunc vero deriuationem. Porro reuulsione vtimur, quando confertim irruunt humores, & recens est fluxio, vel dolorem facit; aut quiescunt adhuc humores, sed tamen iamdudum aliquam partem infestare cõsueuerunt. Reuellitur (vt diximus) humor, cum ad remotas partes reuocatur, quanquam tamen reuellere quoque dicitur, qui ad partem, à qua commotus est humor, fluxionem retrahit, quod potissimum faciendum est, cum originem fluxionis perspectam habemus, & ignobiles sunt partes, quę mittunt, nobiles vero, quæ recipiunt. Sic enim in morbo comitiali orto ex pede parti affectæ calefacientia, & alia adhibemus, quæ vim habeant reuocandi ascendentem humorem ad caput. Quod si nobilis est, vel magni alicuius momenti, quæ mittit, ignobilis vero quę recipit, nequaquam fluxionem ad originem mali reuocabimus, quo fit, vt in peste iam prodeuntibus maculis, & pustulis ad cutem, temerarium iudicetur, si quis vel sanguinis detractione, vel purgatione noxiam materiã ad interna viscera reuellat. Alia autem reuulsione, quæ ad distantissima loca fit, vtimur, cum ortum ignoramus, vel etiã si origo fluxionis sit cognita, vbi vehementer irruũt humores, dolorq; ingens ex fluxione nascitur, cum enim tunc ob dolorem vehementemq; impetum vniuersum corpus concitetur, necesse profecto est omnibus partibus succurrere, illarumq; impetum frangere; quod tunc potissimũ fit, cum ad remotissimas partes humores ducimus. Cæterum deriuationis vsus est maxime in leuioribus & inueteratis fluxionibus, quæq; sine dolore, aut certe cũ paruo infestant, quamquam tamẽ & in his satius est prius reuulsiones tẽtare. Quod si hæc vera sunt, vt certe sunt, errãt illi, profecto, qui nunq̃ in eo, qui pleuritide laborat, venæ sectionẽ admittunt fieri in parte distãtissima: nã vbi vehementer fluxio vrget, quo pacto eam

[illegible] in hoc [illegible] obser- [illegible]

Prodeuntibus maculis & pustulis in peste non esse purgandum nec sanguinem mittendum.

In pleuritide etiam distantissimas venas esse secandas.

sistere poteris, nisi ad distantissima reuellat? quod est proprium huiusmodi fluxionum remedium. Sic enim Galenus *vndecimo Methodi* scribit, incipientibus inflammationibus reuulsione esse vtendum, ad quam maxime remotissimas partes. Itaque si inchoante pleuritide in parte distantissima à costis venam secare oportet, non ergo in cubito recte secabis. Quod si scribit Galenus pleuriticos cubiti vena secta in eodem latere iuuari, recte quidem id præcipit; quoniam spectat, quid postulet inflammatio ipsa, & humor, qui in venis partis affectæ continetur; nec aptius educi potest, quam per propinquas venas. At hoc non est fluxionum remedium; quibus via per distantissima loca parāda est: alioqui frustra tradita sunt ea præcepta de reuulsione ad distantissimas partes *iam inchoātibus* inflammationibus, si illis nunquam vtimur. Dicant & illi, qui hanc tuentur opinionem, cur Galenus *ad Glauconem* fluxiones irruentes ad genua, excitantesque inflammationes coerceri iubeat sanguinis missione à cubito? quandoquidem receptum est, eodem authore, laborante vno crure, in alio tundendam esse venam. Sunt ergo distincta remedia fluxionum, & ipsarum inflammationum: nec semper vel soli inflammationi, aut vtrique pari auxilio succurrendum: sed aliquando soli fluxioni, cum illa scilicet vehementer vrget, reluctandum, aliquando vero ipsi soli inflammationi, cum iam restitit impetus fluxionis: nonnunquam vero vtrique malo pariter medendum, nimirum cum vtrumq; æqualiter infestat. Quo casu nec propinquissima, nec distantissima vena quærenda est; sed quæ ob mediocrem distantiam, & propinquitatem mediocriter reuellere, & affectæ parti succurrere possit. Quæ præcepta qui non intelligunt, monstra in hac re pariunt, mirificeque se torquent, vt suam de venæ sectione in pleuritide opinionem sophisticis cauillamentis, & authorum testimoniis nequaquā intellectis tueantur. Illud vero iam expendamus, quid postulent fluxionis causæ: Postulant sane quælibet aliquid, quod repugnet. Etenim materia, quæ fluxionis causa est, ob copiam requirit, quod vacuet; quæ vero calida est, quod refrigeret; quæ tenuis, quod incrasset; acris, & mordax, quod acrimoniam, & mordacitatem retundat; quæ cacochymiam parit, quod purget: Sic pars, vnde humor commouetur, vel vbi gignitur, suam medelam postulat propriam singulis affectibus, quorum causa illa fluxionum est author. Si enim ob intemperiem plurimum humorem, vel calidum, aut tenuem procreat, medendum erit intemperaturæ, hoc enim modo sanguinis profluuia inhibemus, & capitis dolores mulcemus, refrigerato hepate, testibus, & corde, à quibus calor, calidaque materia ascendit. Sic igitur caput refrigerabimus, si ex æstu; & idem calefaciemus, si ex externo frigore excitata fuerit illius vitio fluxio, & inflammatio naturalis. Quod si pars affecta ob raritatem, vel calorem, vel dolorem, aut manitionem, vel debilitatem, aut ob aliam causam fluxiones admittat, erit ab illa remouendum, quod mali causa est. Postulant quoque sua remedia viæ, per quas fertur humor: nam cum illæ adstringuntur, contrahunturque, aditum fluxioni vel præcludunt, aut certe minus liberum concedunt. Ex quibus quidem patet, contra quas causas pugnandum sit. Sunt enim illæ materia, & id, quod illam gignit, & commouet, vel agentem irritat, vel quod recipit, & viam præbet: nam aliæ, quæ prædictæ sunt, his remotis, causæ esse desinunt, nec amplius vim aliquā obtinere possunt ad fluxiones ciendas, quanquam in causarum inuestigatione illæ non minus suum locum, quam hæ obtineant: quibus medendo reluctari satis est.

Quid postulent fluxionis causa.

Quid pars mandans.

Quid suscipiens.

Quid via, per quas humor fertur.

Iam vero quærenda est materia medica, cuius beneficio liceat præstare, quod ostendimus indicari à fluxione, illiusq; causis; nā reuellentibus, deriuantibus, vacuantibus, incrassantibus, refrigerantibus; repellētibus, calefacientibus, dolorē sedantibus, adstringētibus, ei opus esse diximus, qui fluxiones cohibere, & illarū causas rescindere velit. Quare tertius scopus sequitur, qui materiam aptam, & idonea remedia doceat. *Sumuntur porro vniuersa auxilia a quatuor rerum generibus* (quod etiam antea commemorauimus) *ab his, inquam, quæ assumuntur, geruntur, admonentur, excernuntur, retinenturque:* A quibus omnibus, vbi licet, & res exigit, opem petere necesse est. Itaque si reuellere velis, singulos fontes excuties, & ex vnoquoque trahes, quod eam vim habeat, quam quæris. Ac inter illa, quæ extrinsecus adhibentur, non deerunt auxilia reuellentia: nam cum humores ad eam partem confluant, in qua dolor, vel calor excitatur, vel quæ vacuatur, aut in suo munere obeundo exercetur, aut ad quam materia trahitur ex his, quæ ambiunt aer calidus, lotionesque calidæ, ex his vero, quæ applicantur, vnctiones, emplastra, fomēta, linimenta, cataplasmata, calefaciendo, vacuandoque fluxionibus reuellendo medentur. Ex his autem, quæ impulsu agunt, vulnerantia, contundentia, pungentia, oppositas partes illi, quæ afficitur, optimas reuulsiones faciunt, sicut inter illa, quæ circumligantur, vincula arctiora, eo quod dolorem cōmoueant, fluxiones reuellunt. His enim præsidiis vtimur in cruribus, cum fluxiones superiores partes infestant; & in brachiis, cum illæ ad crura decumbunt. At inter illa, quæ assumuntur, non deerit, quod reuellere possit; hoc enim modo purgantia remedia irruentes fluxiones ad pectus reuellunt, eo quod humorem ad intestina insita sua facultate trahant. Dabit & sua auxilia reuellentia fons eorum, quæ geruntur, actiones, inquam, animi, & corporis. Cum enim ad partem, quæ exercetur, confluat calidum innatum, sanguis (inquam) & spiritus; fit vtique, vt minus infestentur à fluxionibus affectæ partes, quando illis contrariæ sua munera obeunt. Qua ratione ambulatio ascendentes humores cohibet; & cogitatio, superiorumque aliarum partium exercitatio descendentes sistunt. Ea vero, quæ excernuntur, mederi fluxionibus certissimum est, quando non aliter clysteres acriores, sanguinisque detractio illis opitulantur. Idem faciunt, quæ humores retinent, quocunq; modo retentio fiat. Etsi hoc genus auxilii nō solum reuellit, fluxionemque spectat, sed etiam materiam ipsius. Sic igitur, cum deriuandum erit, ex omni fonte quærendum erit, quid illud possit facere. Idem quoque obseruandum in omni alia actione, ne cogamur in singulis omnia excutere longiore, quam in hac re expediat, tractatione. Illud tamen obseruandum, vt ex omni genere suma-

Quatuor auxilia adhibenda unde [illegible]

sumamus, quæ rei propositę sunt accommodata, A quęq; contra indicantia adaiberi haudquaquam impediunt. Nō enim si ambulatio, aut cogitatio reuellendi facultatem habent, propterea illa adhibenda sunt, cum fluxio pleuriticū vrget, quando repugnant vires, corporisq; status, ne illa fiāt. Ac cum quædam maiorem vim aliis habeant, in vnoquoq;, quod conueniat, quærendum, ita tamen, ne alia contemnantur, quæ minore vi sunt prædita, si priora illa sufficere nequeāt. Veluti in pręsenti casu quędā sunt, quę reuellūt duntaxat, vt illa, quę dolorem excitant: alia vero, quę simul vacuāt, atq; vno negotio & fluxioni ipsi, & causæ, nempe materiæ succurrunt. Quæ certe præferenda veniunt ac primum ad opus producenda, cum præceps sit affectus, qui vehementia, & B subita quæque auxilia postulat.

Quamobrem, cum vacuandum esse diximus, vt fluxiones sistantur (vt iam remedia causarum attingamus) sint autem inter vacuantia quędam quæ sensibiliter, alia, quæ insensibiliter, alia quæ æqualiter, alia quę inæqualiter vacuant, vsus singulorum quærendus est, & videndū, quo genere vacuationum hic sit vtendum. Docebit autem id genus affectus. Si enim plurimū vrget fluxio, ab eo genere primū, & præcipuum auxilium petēdum est, quod sensibiliter vacuat; siquidem quæ insensibiliter id faciunt, tardius, quam expediat, succurrunt. Quod si sola multitudo obest, ęqualis, & sensibilis vacuatio præstabit, quod quærimus. At si cū multitudine est in humore ex qua- C litate vitium, purgationē pariter adhibere oportebit. Si vero multitudo nulla adest, sed duntaxat cacochymia, distinctione vtendum est: Nam si vehementissime fluxio infestat, nec hic quidē sanguinis detractionem prætermittere oportet, vt quę sola promptissime humorum vitio occurrere sit apta, alioqui sola purgatio sufficiet. Si vero nec in copia, nec in qualitate euidens aliquod est vitium, leuissimusq; est in latere dolor, absq; venæ sectione, & purgatione, vsu duntaxat illorum, quę insensibiliter corpus exhauriunt, pleuriticorum fluxionibus licebit mederi, quæ tamē adhibenda quoq; sunt, cum à vehementia fluxionis vrgemur; Sic enim ratio suadet esse faciendum. Sed demus, humores tum copia, tum qua- D litate obesse, nonne ex hoc indicabitur tum sanguinis detractio, tum purgatio ab initio necessaria? Ac in primis quidem de sanguinis detractione agamus expendamusq;, quid in ea obseruare oporteat: sanguinem mittunt non omnia rerum genera, sed ea duntaxat, quæ impulsu agunt: vt vulnerantia, pungentia, & mordentia. Sic sane nouacula incisa cute, & cultello diuisa vena, vel admotis hirudinibus venarum orificiis, aut ipsi etiam cuti sanguinem elicimus.

Porro demendus illis sanguis est per venam, quos vehemens fluxio, vehemensq; dolor vrgēt, validęq; interim subsunt vires. Per hirudines vero vasorum orificiis inhærētes, si crassus, melancholicusq; est sanguis, nec admodum vires con- E stant. At vulnerata cute admotis cucurbitulis, aut etiam hirudinibus educitur, si sanguis tenuis, leuiorq; est affectus, & corpus prorsus infirmū. Nec vero aliqua est ætas, vel corporis habitus, aut cruditas, vel aëris ambientis constitutio vlla, quæ, vbi aliqua spes est de salute, sanguinis detractionem impedire possint. Nam hæc moderari

Quo genere vacuationis sit vtendum.

Quid in sanguinis detractione obseruandum.

quid in possunt copiam detractionis; at omnino prohibere, ne aliquid detrahatur, nequaquam. Sicuti tem plus potest vehementissimus affectus indicando persuadere, quam illa contraindicando remedium arcere. *Quis enim* (quæso) puero sanguinem non mittat, quem videat *sanguine abundare, & vehementer pleuritide teneri?* Digeritur (inquies) facile puerorum substātia; quapropter alia euacuatione, quę sanguinis detractione fit, ante decimum quartum annum opus nō habet. At quæ digerendo, insensibiliterq; vacuant, paulatim id faciunt, nec celeritate cum causis huius morbi contendere possunt: Sæpeque fiet, vt interim dum expectamus, vt per cutim expiret corporis moles, fluxionis, dolorisq; impetu puer perimatur. Requirit & ea vacuatio, quæ per insensibilem transpirationem perficitur, inediam, quam cum puerilis ætas ferre nequeat, præstat statim multitudinem sanguinis illius detractione moliri, atque ita sublato, vel mitigato morbo, puerum liberius nutrire, quam longiori inedia emaciare, nihilque interim vel minimum certe prodesse. Quod si 14. annus omnibus vna meta esse debet, plane etiam in hoc aberramus, cum diuersitas corporum ostendat, quosdam in decimo ferre posse, quod alii forte in 15. nequeunt sustinere. *Parcius ergo pueris, grauidis, & aliis omnibus quos maiores nostri excipiunt, (si modo vires dissolutæ non sunt) sanguinem demes; sed tamen vbi casus vrget, neminem ex illis excipies, cui vena inueniri possit; alioqui scarificatu partibus carnosis, aut admotione hirudinum, vacuationem molieris.* Est autem mittendus sanguis (vt antea diximus) cum fluxioni maxime succurrere volumus, ex parte distantissima, quæ secundum latitudinem, siue lōgitudinem corporis est cum ea, quæ laborat. Sic enim manu vna laborante, in crure secanda vena est, & crure affecto in manu; propterea quod per rectum feruntur humores, vtpote qui dominantis elementi motum sequantur. Vbi vero iam succurrere laboranti lateri studemus; aperienda in cubito eiusdem lateris vena est, non semper in dextro cubito vt censent, qui venas spectant, per quas costæ fere omnes nutriuntur. Nam longissima ea via est, breuissima autem, quæ in latere affecto, in quo cum secatur vena in cubito, educitur humor, qui in musculis circumstantibus pleuritidem continetur, ob venarum communitatem, siquidem ab eodem latere illi suas venas capiunt, atque ita exhaustis venis illis remittitur tensio, & dolor lateris affecti. Atque hæc est ratio, cur Galenus iusserit venam secari, quæ directo laboranti parti respondet. Tantum vero detrahendum est sanguinis, quantum postulat vehementia affectus, & copia humoris redundantis. Nam detractio vsque ad animi defectum, cum febris putrida sit, requiraturque postea robur motricis facultatis, vt per sputum violento thoracis motu conceptus in affecta parte humor regeratur, nequaquam tentanda est. Nec vero expectare oportet in omnibus sanguinis mutationem: Siquidem vbi leuior est affectus, superfluum est, & periculosum vehementissima tentare præsidia. Tempus vero detractionis nec cibus, nec cruditas aliqua, vbi admodum vrget malum, differre possunt. Estque confertim tunc demendus; alioqui nihil prohibet in mitiore malo vacuationem partiri, atque

Etiam pueris pleuritide laborantibus venam esse secandam. Et quibus.

Quantum sanguinis detrahendum.

Quo tempore vena secanda.

nunc tradendum est, hoc enim ex prima diuisione eorum, quæ præter naturam in hoc casu esse diximus, quibus medendum sit, superesse video: id quod ostendet natura ipsius affectus, qui cum ex repletione humoris consistat, indicat adferenda esse auxilia, quæ eum celeriter euacuare possint. Quod si id assequi nequiuerimus, suppuratio procuranda; quæ etsi fugienda est, quantum licet, tamen vbi alia nō prosunt, præstat eam admittere, quàm corruptionem, & certam mortē expectare: nam post suppurationem adhuc spes aliqua de salute remanet; post corruptionem vero, & putrefactionē nulla. At induratio, & translatio humoris in pulmonem, quibus modis inflammationes lateris nonnunquā solui diximus, nequaquam tentandæ.

Quid ad vacuationem sumendum.

Quid autem sumi possit ad vacuationem, natura humoris, & loci affecti conditio ostendent: nam mitioribus remediis sanguis putus & biliosus, quam pituitosus, vel melancholicus discutitur. Patitur quidem membrana succingens costas, interim tamen, vt in omni alia inflammatione, venæ circumstantes humore distenduntur, estq; membrana rara, vt exsudare per illam possit humor, constituitq; superficiem internā thoracis, in cuius cauitate est pulmo, in quem facile ob mollitiem recipitur humor, qui exsudat, & per tussim expuitur. nec distat eadem à cute, adeo vt portio humoris adhibitis remediis lateri vacuari queat. Est & hæc pars in loco calido, vbi caloris insiti vi aliquid dissoluitur. Propterea tria erunt à nobis præstanda; vacuandus inquam humor per digerentia extrinsecus admota (nam quæ sensibiliter vacuant, inflammatio ante suppurationem non admittit) & per ea, quæ sputum prouocant: & propterea iuuandus calor, ac digerentia, internusque calor non solum consumunt materiam, quæ sub membrana continetur, sed eam etiam, quæ in venis est: At per sputum ea educitur duntaxat, quæ à venis intra mēbranam excidit, alia enim non expuitur; cui etiā præter digerentia venæ sectio, & purgatio ab initio contulit. Sunt autem digerentia ex vno genere rerum sumenda, nempe ex illo, quod extrinseca omnia præsidia exhibet. Atque illa quidem (vt diximus) pro differentia humorum calida, humida, sicca, vel ex his composita sunt eligenda; adhibendaq; in vnguenti, vel emplastri, vel fomenti, aut alterius compositionis forma, prout magis expedire videbitur: nam vbi materia admodum calida est, fomenta, & vnctiones tutius admouentur: emplastra vero, & cataplasmata suum maxime habent vsum in frigidiore humore, qui ampliorem calorem ex crassitie medicamenti requirit. Possunt & ad hunc vsum admoueri cucurbitulæ in rebelli admodum affectu: hæ enim validissime humorem euocant, præsertim si scarificatio addatur. Cæterum calor internus discutit quidem, absumitq; noxium humorem, sed non tutum est, præsente febre, eum augere; nec commodum iniungere animi, corporisque motus, aut quæ ingeruntur remedia calida, quæ id faciant. Quare maior spes in ea vacuatione, quæ per sputum perficitur collocanda est, quæ sua quoque postulat auxilia: nam cum ad expuitionem humorum necesse sit thoracem ipsum dilatari, comprimi, variæ denique agitari, requiratur præterea huiusmodi materia, quæ ne vel nimia tenuitate diffluat, dum ab aëre expirato sursum attollitur, aut ob nimiam crassitiem dimoueri nequeat, neve etiam ob viscidtatem tenacissime inhæreat, duo hæc nos spectare oportebit, cum sputum elicere studemus, vt scilicet thoracem ad motum aptum, & materiam ipsam mediocriter crassam reddamus.

Quæ forma extrinsecorū remediorum eligenda.

Porro thorax habilis ad motum redditur, si valida subsit virtus, à qua mouetur; etsi interim ipse emollitus, & nequaquam tensus sequax ad constrictionem, & dilatationem euadat. Sunt autem, quæ thoracem aptum ad motum efficere possunt, quæ pinguia, oleosáque sunt, & chalastica à Medicis vocantur. Virtutem roborant, quæ temperiem corpori conciliant; tum illa, quæ innatum calidum augent, quod potissimum nutrimentum præstat. At humor promptus ad expuitionem paratur, cum ad mediocrem crassitiem, & viscidtatem perducitur. Quare si plus iusto crassus ille fuerit, attenuantibus; si tenuis, incrassantibus; si glutinosus, incidentibus, si nequaquam tenax, viscidis vtendum erit; id quod duntaxat præstare possunt, quæ assumuntur alimenta, medicamenta solidiora, vel liquidiora, ea forma confecta, vt paulatim descendendo, & veluti destillando per asperam arteriam in pulmonem recipiantur.

Thoracem ad motum aptum reddentia.

Illud vero superest, vt doceamus, quod scilicet pertinet ad conseruationem eius, quod in ægrotante corpore sui tutelam requirit. Sunt autem vires, quas tueri oportet, & victus dicitur, quod id facit; in quo facile est errare, si antiquos scriptores sequamur: nam Galenus *libro primo Acutorum morborum* satis nutriri putat pleuriticos, si vires constant vsque ad septimum, vsu melicrati, aquæ, & oxymelitis; quod genus victus tenuissimum est. At *eodem libro* postea prisanam illis concedit, & pro ea pisces saxatiles. Quinetiam 11. *Meth.* statuit, nequaquam esse opus tenuissimo victu in thoracis inflammatione, vt in phlegmone ventriculi, aut iocinoris. Periculum enim esse ait, in his partibus ne alimentum male coquatur, & ex eo phlegmone augeatur, ad pectus vero tantum nutrimenti iam concocti peruenire, quanto ipsa pars opus habet. Quod etsi verum est, tamen fluxio, vehemensq; dolor sisti nequeunt, nec humor concoqui, qui febrem, & inflāmationem committit, nisi tenuius alantur ægri pro affectuum vehementia; siquidem tantum est viribus concedendum, quātum salua vita status præter naturam permittit. Itaque ab extremo victu (vt inquit Hippocrat.) tantum recedendum, quantum morbus ab extremis morbis recedit. Quapropter cum vehemens incipit, augetur, vigetq; inflammatio, constante virtute, parcissime hominem nutriemus. Vberius autem in mitiore affectu ales, & tunc potissimum, quando iam procedit sputum, declinatque morbus, tunc enim, vt ille permittit, sic postulat virtus, quę ad expurgationem humoris per tussim robore eget maiore. Atq; hæc satis de generali hoc exēplo esse puto, In quo studiosus lector plurima pręcepta, q̄ superius tradidimus, obseruata esse, inueniet. Neq; enim in vno affectu possunt omnia contineri, quę ad multos naturaq; differentes spectant. Verum enim vero ne aliis desit nostra diligentia, qui exempla quærunt in singularibus casibus, pauca de hac

Quomodo id, quod in corpore ægrotante sui tutelam requirit, sit conseruandum.

re subiiciam, ex quibus reliqua facile adhibita imitatione trahi poterunt.

Exemplum particulare ex superiore tractatu.

HOmo triginta annos natus, boni habitus, venis amplis, & plenis, colore nigricante, thorace lato, hirsuto, cui hæmorrhoides fluere consuetæ à paucis mensibus suppressæ fuerunt; quique consueuit nutriri cibis, potionibusque crassis, & in labore viuere; ineunte vere ad solem, in quo boreas vehementer spirabat, corripitur doloro lateris sinistri, pungente, tendente, pulsante, minimoque temporis spatio iugulum, & præcordia simul inuadente; adest illi tussis, sed sine sputo, vrgetque febris non parua. capitisque dolor, pulsus habet validos, magnos, frequentes, duros admodum, & serrosos; respirat præterea frequenter, & difficulter, ac decumbit in latus vtrumq; difficile, vrinas vero rubras, & crassas emittit, nec aliquid à duobus diebus aluus deiicit. Sentit & in ore amaritudinem cum salsedine quadam; grassantur eodem tempore graues pleuritides, sed vt plurimum salutares. Aduocat is eadem die, eademque hora, Medicos, sentit se morbo correptum, quibus narrat, quid sentiat, exponitque mali occasionem, & omnia prædicta refert, quibus addit, se nequaquam antea valetudinarium fuisse, vtpote qui semel tantum graui febre laborauerit in adolescentia, interim vero presentibus Medicis conqueritur, quod lateris dolor, & vniuersa alia symptomata reddantur intensiora, petitque, vt sibi quamprimum succurratur. Dicet in hoc casu is, qui nostra præcepta obseruare velit, hominem pleuritide affici, id est, inflammatione lateris, quæ morbus duos parit, vnum ex intemperie in similaribus, alium ex solutione continui in partibus instrumentariis, esse autem eam inflāmationem magnam, vehementē, nec prorsus exquisitam, nec sine malignitate, idque ostendere propria cuiusque indicia: nam dolor lateris punctorius cum febre, tussi, pulsu duro, & frequenti, pleuritidem testatur: Magnam vero & vehementem ostendunt causæ, quæ illam pepererunt, vehementes, vehemensque dolor ad vtramque thoracis partem protensus, difficilis admodum respiratio, durissimusque pulsus, & aliæ actiones læsæ plurimum à naturali statu recedentes: non esse autem exquisitam, solum declarant dolor pulsatorius, & decubitus in vtrumque latus difficilis, hæc enim musculos intercostales, externamque membranam simul affici indicant. Malignitatis indicia sunt, etsi illa nondum apparent, hæmorrhoides suppressæ, quæ melancholicum humorem abundare in corpore significant; Ex quo malignæ inflammationes, vt alii morbi nascuntur. Est præterea morbus in incremento, quod ostendunt symptomata omnia, quæ plurimum augentur. Porro inflammatio ex multo humore constat, in quo sanguis non purus, sed pituita, & vtraque bile infectus exuperat. Nam vehemens dolor & pulsatorius, qui ad vtrumque extremum thoracis extenditur, magnam humoris calidi collectionem testatur: Id quod etiam significant venæ amplæ, & tumidæ, thoraxque latus, & hispidus & causæ validæ, quæ magnæ fluxioni occasionem dedere, sanguinem inter reliquos humores plurimum exuperare, tum ingēs inflammatio, tum dolor pulsatorius, durissimusque pulsus monstrant; ad hæc corporis habitus, temperiesque calida, anni tempus, & venæ tensæ, quæ non nisi sanguine abundante tales esse possunt. Sic pituitæ exuperantis testimonia sunt victus, annique tempus præcedens, & salsedo, quæ in ore percipitur. At bilem plus iusto in corpore redundare, oris amaritudo, iuuenilisque ætas significant. Habet ergo hæc inflammatio sanguinem copiosum cum excessu aliquo reliquorum humorum causam coniunctam, ex qua materiam sumit, fit, & constituitur. Subiectum vero illius, siue locus affectus, est vtraque membrana vna cum musculis intercostalibus; præcipue tamen interna patitur, quod dolor punctorius, & tensio ad superiores, inferioresque thoracis partes monstrant. Cæterum huiusmodi humor ex fluxione in affecta parto est collectus, quod subita generatio ostendit. Fluxionis autem materialis causa sanguis est multus cum reliquis humoribus permixtus: terminus vero, à quo commotus est humor, est caput, vt naturalis societas cum parte laborante, & occasio mali docent: quanquam tamen nunc vniuersum corpus grauatum à multitudine in dolentem locum sese exonerat. Est autem terminus, in quem decumbit humor, thorax, & in eo sinistra pars, & (vt diximus) vtraque membrana, potissimum tamen interior. Via, per quam humor descendit, sunt venæ, & arteriæ, quæ in sinistra corporis sunt parte, quibus coniungitur thorax cum capite. At humorem commouerunt Sol & Aquilo, ille fundendo, hic exprimendo, & nunc etiam dolor lateris, qui expultricem irritat. Quæ omnia ancipitem euentum testantur: nam magnitudo, malignitasque inflammationis, magnaque omnia accidentia, magnæ causæ, vt magna fluxio, varius, & copiosus humor, multi magnique morbi, qui corpus prima die vehementer vrgent, periculum portendunt. At validæ vires, bonus corporis habitus, vernum tempus, felixque victoria cum præterito malo, spem salutis non adimunt. Cui rei illud quoque fauet, quod pauci ex simili morbo eo tempore perierint. Licebit tamen certius prædicere progrediente aliquantum morbo, qui ad huc crescit ex sputo, vrina aliisque excrementis & naturæ operibus sumptis indiciis. Quin etiam ex adhibitis opportunis auxiliis indicia capientur. Nam si illis cedat malum, certam salutem pollicetur, sin minus, mortem expectandam esse præmonet. Erit autem breuis morbus, quoniam summa omnia habet, quæ naturam ad celerrimam pugnam inuitant. Reliqua vero, quæ ad prædictionem futurorum pertinēt; veluti est solutionis modus, ordo, locus, & reliqua prædicta, non datur, donec accedant ex aliis fontibus reliqua indicia, prædicere. Quare ad ea properandum est, quæ succurrere laboranti sint apta. Itaque cum in eo reperiantur hæc mala, quibus opitulari nos oportet; fluxio (inquam) fluxionis causæ, inflammatio, febris illiusque causæ, fluxioni inprimis repugnandum esse, indicat illius vehementia, quæ adhuc non sistitur. verum quoniam plurimum etiam viget inflammatio,

matio, vt quæ ad insignem magnitudinem iam A peruenerit, causaque fluxionis, sanguis, inquam, humorumque copia, cogimur tentare præsidia, quæ vtrique malo pari fere auxilio succurrant. Id, quod imprimis præstant, quæ sensibiliter & æqualiter à locis non admodum propinquis vel distantibus à loco laborante euacuant. Mittetur ergo (iniecto prius clysteri quem indicant præmittendum excrementa alui iam per tres dies retenta) sanguis ex cubiti vena interna sinistri brachii; detraheturque & multum & confertim, quia vehementia & magnitudo fluxionis & inflammationis ita postulant. Sequenti vero die purgationem moliemur, per ea, quæ leuiter tres humores cum sanguine redundátes educãt; id enim indicant noxii illi succi, qui B fluxionem fouent & dolorem intendunt. Interim dolor mitigandus, qui fluxionis est alia causa, & capiti adhibenda, quæ partim calefaciunt, partim refrigerant, quoniam duplex occasio fluxionis, ex aëre docuit duplicem relictam in eo membro impressionem & dispositionem. Nec oberunt, si quæ adhibeantur collo ad venarum constrictionem, per quas humor decurrit: nam & hæc causa fluxionis quædam est. Deinceps sedata fluxione instituenda sunt, quæ ad resolutionem inflammationis & sputum faciunt pro natura & copia materiæ. Tum etiam coctioni incumbendum humoris, qui febrem committit. Victus autem eodem tempore instituendus tenuissimus, postulante ita affectus vehementia, & permittentibus viribus, quas validas esse statuimus. Postremo purgandum erit corpus cocto iam humore & declinante febre, si ad salutem inclinauerit morbus per eam partem, ad quam verget natura, nisi illa sese ab omnibus malis perfecte vindicauerit.

Atque hæc sunt, quæ breuiter in hoc casu dicenda putaui, vt studiosi discant rem contrahere, vbi opus est, & ex vno vniuersali casu singulares elicere. Nam licebit ex illo vniuersali acceptis certis differentiis certisque causis nunc eiusdem naturę nunc diuersis infinitos casus fingere, vel consultationes instituere, quales res locusque postulant. Neque enim vbi præceps est malum, omnia prolixe explicanda sunt, sed statim curandum est, vt laboranti nostro consilio succurramus.

Verum ne quis miretur, nos historiam quandam narrasse & casum proposuisse, de quo nullam in præceptis de consultandi ratione mentionem fecimus. Paucis id satis faciendum esse duximus, vt omnia intelligantur certa arte constare & à suis principiis duci. Nam ideo historiam huiusmodi inter consultationis partes haudquaquam posui, quod illa vel ab ægrotante narretur, vel ab astantibus, aut ab eo duntaxat Medico, qui primo loco dicit, quique nondum accersitus aliis Medicis laborantis salutem procurabat. Quare merito prætermittuntur in præceptis nostris, quę vel Medicis propria non sunt, aut certe non omnibus accommodata, & tanquam nota ponuntur.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII
CASTELLONOVENSIS PEDEMONTII
Philosophi ac Medici præstantissimi,
DE FEBRIBVS LIBER.
PROOEMIVM.

LIBERATVS tandem à continuo studio, quod superioribus annis, in Opere, quod nunc in vestrum potissimum, & omnium postea studiosorum huius artis nostræ, nostrique instituti vtilitatem edo, expoliendo perficiendoque impendebam, nunc totus ad vos redeo, Iuuenes studiosissimi, meique amantissimi, vt omni adhibita mea opera, studio & diligentia, vestris commodis, vestroque honori, & institutioni seruiam: vt si aduersiore fortuna à nobis excitatam Methodum tot aliis repugnantibus, secuti estis, nunc ea mutata, & secundiore facta, vna mecũ illius fructus, & quos parit honores, colligatis, & alios inuitetis huius nostri instituti æmulos ad ea sequenda, quæ antiqui omnes optimi Scriptores ostenderunt optima esse, dum eadem Methodo, qua nos, vsus est Aristoteles, Theophrastus, & eam commendauit Plato, & miris laudibus passim extollit Galenus. Itaque in primis de vtilitate huius tractationis de Febribus, quæ expectanda à nobis hoc anno est, pauca dicemus, vt scilicet ea perspecta, alacriores ad eam perdiscendam euadatis: Siquidem, ob bonum omnes ad agendum mouentur, cuius generis est vtile, iucundum, & honestum. Deinde difficultatem docebimus, non vt ea vos deterream, quos noui imperterritos, sed vt solum admoneam, non negligenter à vobis hæc esse audienda, & pertractanda. Tertio loco proponam, quæ, & quot capita huiusmodi habeat tractatio, vt possitis intelligere, quando demum assecuti fueritis, quod à me hoc anno exigitis: etsi id forte melius secundo loco dicetur: quandoquidem difficultas ostendi non potest, nisi propositis rebus, de quibus agere necesse est. Quarto loco ordinem explicabimus, & inuenire conabimur, vt percipere possitis, à quo potissimum sit auspicandum, quod sequentibus lucem adferat. Postremo nitemur ostendere, eos errare, & superfluo labore se, auditoresque conficere, qui vel Auicẽnam, vel Galeni aliquem librum enarrandum in hac re suscipiunt, cum nullus apud eos liber sufficiat huic institutiõ; & quidam etiam ex illis non sine periculo imbuendæ corruptæ doctrinæ iunioribus proponatur.

Capita in hoc tractatu obseruanda.

Tractationis vtilitas & dignitas.

Itaque vt ab vtilitate, & dignitate huius tractationis exordiamur, nihil in tota medicina vtilius, digniusque doceri puto: Nam si Galeno authore vtilitatem metimur signorum, & aliorũ, quæ in arte nostra docentur, ex eo, quod Medici, & ęgroti ipsi colligunt, certe nullus grauior est, nullus, qui frequẽtius homines infestet, nullus fere, qui facilius perimat, quam ipsa febris; fit, vt nihil vtilius, nihilque melius sibi putent ægroti, quam si ex febre liberentur, idque merito; siquidem alia vitia vnius partis fere sunt, & pauca reperiuntur, quæ impediant omnes functiones: Nam vulnerato pede, aut intemperato hepate, aut alia parte laborante, integræ manent aliarum functiones. At vrgente febre, vniuersum corpus afficitur, concidunt omnes actiones, decumbereq; cogimur, & omnia vitę munia intermittere. Quid vero Medico vtilius? Etenim alios morbos, aut contemnunt homines, aut non nisi cum grauissimi sunt facti, Medicum accersunt; atq; cum qualemcunq; siquidem quæ ex vulneribus, fracturis, vlceribus, luxationibus, & multis aliis malis prouenit vtilitas, ea nobis

nobis adempta est, nimirum, cum *vilissimi quique tonsores* illorum morborum scientiam profiteantur, & vtilitatem iam dudum sibi vendicauerint. Quin & vetulæ mulierculæ, & idiota quilibet stomacho dolenti remedia audet adhibere ex absynthio, melle, & aliis parabilibus remediis. At febrium curationes nobis reliquerunt omnes, nec aliquis est, tam audax, alterius ordinis, quam nostri homo, qui illius scientiam sibi vendicare audeat; & cum interim aliis laborantibus dicunt se remedia habere, quæ febribus prosint, nihilominus cum ipsi eodem morbo vexantur, suis remediis non fidunt, sed ex nobis opem quęrunt. Itaque vtilissimam huius rei explicationem existimabimus; si modo ea est, quę præ cæteris tantorum laborum, quos discendi causa impenditis, nobis vberrimos fructus promittit. Quid vero dignius, quam posse hominem febre laborantem curare? Si enim medicinæ dignitas in eo potissimum posita est, quod hominum languores propulsare potest, seipsum in eo vincet, cum circa eum, qui maximus, frequentissimusque est, versatur.

Difficultas.

Illud vero, quod ad difficultatem pertinet, breuiter accipite. Nullus est morbus, qui plura genera, plures differentias, plures causas, quam febris habeat, & etiam in illius natura non parua (vt postea patebit) est difficultas. In signis præterea alia oritur; quum perinde aliquando illa confundantur, vt vnam pro alia febre sæpius sumant Medici, vt cum quotidianã recepto, & inueterato apud omnes nationes errore, duplicem tertianam vocant; aut hoc etiam nomine semitertianas complectuntur. Hinc factum profecto est, vt nulla amplius quotidiana, aut semitertiana febris inueniatur: cum tamen res aliter se habeat, & hoc anno etiam ostenderim, grauiter eos hallucinari, qui semitertianas febres, quarum magnus fuit hic numerus, non agnouerunt: cum tamen Galen. scribat *in libro de Typis*, eam Romæ esse familiarissimam: & proinde huic nostrę Ciuitati, quæ eodem aere, quo Roma vtitur. Nec minor quidem est in prædictione difficultas: cum multa capita habeat hæc tractatio, & ea omnia difficillima: nam & salutem, aut mortem prædicere, difficillimum est: cum sæpe bona multa signa salutem polliceantur, & nihilo minus mors sequatur. Quod & hoc anno & alias etiam vidimus, cum optimis coctionis signis, (quod negat Galenus fieri posse) homines mortuos. Difficile quoque est diem, & horam, solutionis modum, & alia (de quibus suo loco in prædicendi parte dicemus,) præsagire. At omnium difficillimum est, curationem recte instituere; idque non solum ob errores, qui ab ipsis ægrotis, & nimia mulierum, & adstantium licentia, committuntur: sed etiam ob varias causarum, & Symptomatum complicationes: nam dubium aliquando est, an febri, vel humori eam committenti prospiciendum sit, dubium, an sitis compescenda vrgente accessione, an expectanda declinatio; & tanto magis profecto curatio difficilis nobis relinquitur, quod Galenus, & Hippocrates, ignoratis mitioribus nostris medicamentis, raro purgatione in febribus sint vsi, & negligentius earum remedia, & victum explicauerint. Nam, si venæ sectionem, aquæ potum, & ptisanæ exhibitionem à Galeno demas, vix aliud continentium febrium remedium inuenies. Multarum præterea febrium mentionem facit, vt semitertianæ, epialæ, lipialæ, pestilentis; quarum curationem non docet; atque ita eorum negligentia factum est, vt cum hactenus ad illorum imitationem studia sua Medici instituerint, nec expressum inueniant, quod quęrunt, variæ controuersiæ inter Medicos sint excitatæ: cum vnus neget, purgationem ab initio conuenire; alius contra asserat; alius pepones concedat, alius inutiles omnino putet; nec adhuc constat inter illos, quæ infundenda sint per clysteres, an acria, vel mollia, an aliquid exhibendum ad aluum liberius subducendam cum excrementa illius vtcunque exeunt. Ac denique variæ in omni re sunt opiniones, quæ rem, quam aggredimur, difficillimam esse ostendunt.

Capita huius tractationis præcipua sex.

Habet vero hæc tractatio sex maxima præcipuaque capita, quibus continetur: nam quid febris sit, quot, quæve sint illius genera, differentię, partes prętęrea, causæ, signa, & ablatio illarum, intelligere necessarium est: quib. quidem intellectis, nihil amplius relinquatur, quod desiderare possitis.

Verum, inter hæc, quæ docenda sunt, ordo aliquis requiritur, vt intelligamus, quid primo loco, quid deinceps expli-

eandē: nam vbi ordo deest, confusa redditur doctrina; nimirum cum ignoremus, quid pręponi debeat, quod lucem sequentibus adferat: quid vero postponendum, quod eam à præcedentibus sumat.

Itaque constat in primis de natura, & definitione febris agendum esse, sine qua nec signa, nec genera docere, nec curationem instituere possumus. Quomodo enim, quæso, diuidere, ostendere, aut aliud facere de eo poterimus, cuius naturam ignoramus? Sequitur postea, vt quæ, quotve sint febres, siue prima illorum genera, & capita, ex quibus aliæ omnes nascuntur, doceamus: quo explicato, succedit tractatio de illarum differentiis, siquidem inuentis ipsis febribus, inuestigandum est, qua ratione, quotve modis inter se illæ differre possint. At frustra illarum genera & differentias, & partes poneremus, si notas non haberemus, quibus eas dignoscere, & inter se distinguere possemus: Nam cum variet curatio ob varias illarum differentias, & genera, & partes, ne vni, quod alteri conuenit, demus, ideo signa explicanda, quæ vniuersam multitudinem declarent. Requirimus præterea signa ad euentum illarum perdiscendum; ne in desperato malo remedia adhibere tentemus, quæ seruanda sunt his, quibus prodesse possunt. Postremo autem, illarum curatio, & causarum, quæ eas pariunt, & symptomatum illas consequentium remotio procuranda est. Quod vero ad authorem pertinet nullum esse puto, quem legere, interpretarique possimus: nam Galenus nullo Opere integram huius rei tractationem est complexus: siquidem *in Libris de Differentiis febrium*, curationem non attingit, nec prædictionem, nec quod grauius est, & minus in eo tolerabile, omnes differentias, omniaque genera complectitur; Causonis nullam mentionem facit; nec docet differentias pestilentis febris; nec à certo initio auspicatur, quo omnes differentias comprehensas intelligere valeamus, quin potius genera, quam differentias ipsarum febrium, contempto, quod inscriptio promittit, docet, vt postea ostendemus, cum differentias inuenire tentabimus. *In libris* vero *Methodi medendi*, de sola curatione agit, aliis capitibus contemptis: nec de ea quidem, quæ pertineat ad omnes febres, sed solum, quæ propria sit Synochis dictis febribus. *In Libro* vero *ad Glauconem* inscripto, pauca sunt elaborata, multa omissa, & quædam etiam perperam tradita: nam nec genera, nec differentias inuenire studet, nec curationem omnium docet, quandoquidem pestilentes omittit, & multas alias. In aliis vero Operibus nihil collectum, sed omnia sparsa, quæ ad hanc rem spectant, tradit. Quare, nec omnes illius libri legendi, quod fieri in scholis nequit, cum vnus omnia posita capita non contineat; aut alius author proponendus, qui id præstet, quod quęrimus, quod quidem Auicenna facere tentauit, siquidem ea omnia attigit ille author, sed vt alia reliqua, satis infeliciter; etenim multa male ex Galeno transtulit, imperitia linguæ Græcæ, malis versionibus Arabicis, (vt omnes putant) vsus. Vel etiam forte, quod plura nesciuerit, aut inchoatum opus expolire, absoluereque nequiuerit. Quam ob rem, satius esse puto, vt interim dum alii in Auicenna referendo plurimum laborant, tempusque conterunt, eum omittamus: & vt superiori anno fecimus, de vnoquoque capite, nullo suscepto interpretando authore, agamus. Ordinem tamen ipsius Auicennæ sequemur, qui ea capita, eo ordine, quem nos proposuimus, explicat. Interim tamen, quicquid Galenus, & alii boni authores sparsim de vnoquoque capite prodiderunt, illud adferre in vestram vtilitatem curabo: & quæ desunt àpud illos, vel non sunt prolata, aut perperam asserta, quantum in nobis erit, solita, qua hactenus vsi sumus, & antiqua licentia, adferemus, idque tanto liberius faciemus, quod videamus paulatim sectas deseri, & omnes ad veri contemplationem excitari.

Qui pro dignitate vult hæc explicare aut discere studet, debet inprimis corporis naturam perspectam habere: Nam alioqui cum mentio fit de diuerso febrium subiecto, vt cum dicimus febres quasdam in humoribus, alias in spiritibus, alias in partibus solidis consistere, si eorum naturam ignorauerit, genera febrium percipere non poterit, & multo minus illarum differentias; quæ vel

ex materiæ ſubiectæ diuerſitate, vel loci conditione, & demum ex aliis cauſis naſcuntur. Præterea, ob corporis conditionem generatio, naturaque febrium variatur: ſiquidem in bene affectis corporibus labor diariam, in aliis vero putridam excitat. Oportet præterea tenere vim omnium, quæ calorem omnis generis intendere, remittereque poſſunt. Hinc enim febrium generatio cognoſcitur, & curatio recte inſtituitur. Vnde remediorum, victusque vires plane exploratas habere oportet. Quid item poſſint, quæ extrinſecus occurrunt, vel intus ſumuntur, aut exeunt à noſtro corpore, vel geruntur à nobis. Hæc ergo adferat oportet, qui ex hac tractatione aliquem fructum quærit.

CAP. I.

DE FEBRIS DEFINITIONE.

IN febris definitione ob Galeni varietatem, & authorum inter ſe diſcrepantium ſententiam, magnos labyrinthos excogitarunt Neoterici. Nam nec in genere ipſius febris videtur Galenus ſibi conſentire, & ex definiendi modo, definitionumque verbis relinquit; in quo dubitare liceat. Nam cum febris aliquid ſit præter naturam, ſit autem omne, quod hoc nomine continetur, vel morbus, vel cauſa morbi aut ſymptoma; aliquando ita definit febrem, vt illius genus conſtituat cauſam morbi, aliquando vero morbum. Cum enim *primo Aphor. 14. & in primo de victu acutorum, Comm. 43. & alibi paſſim*, dicit eſſe calorem præter naturam, idem ſentit Aetius & alii multi, cauſam morbi eſſe dicit: ſiquidem omnis morbus, vel intemperies eſt, vel ipſa ſtructura vitiata. At calor intemperies ipſa non eſt, ſed intemperiem facit, cauſaque illius eſt. Cum vero 8. & 9. *Methodi* definit eam eſſe intemperiem calidam, genus illius ſtatuit morbum, nempe intemperiem, idque melius, omnes enim febres morbos vocant, ſimilariumque partium eos eſſe putant. Quare per intemperiem definiri debet. Calor vero merito additur tanquam differentia, quoniam cum multæ ſint intemperies, quædam ſ. calidæ, aliæ frigidæ, aliæ alterius naturæ, ad aliarum differentiam *calida* additur. At quoniam intemperies quædam in latitudine ſanitatis continentur, aliæ vero neutræ ſunt, aliæ morboſæ, merito addi debet aliquid, quod eam ſignificet, in qua continetur: id autem fiet, ſi dixerimus, eſſe *intemperiem calidam præter naturã*, vel *admodum excedentem*, vel *morboſam*, vel *quia impediat conſuetas operationes*. Hæc enim mutuo conuertuntur, & ſe ſequuntur: quandoquidem id, quod præter naturam eſt, plurimum excedit, & illudmet inſigniter actiones labefactat, & econtra, qui euidenter habent offenſas actiones, præter naturam ſunt affecti, & plurimum illorum conſtitutio à mediocritate recedit. Cæterum, quoniam intemperies calida poteſt eſſe

Febris quid.

vnius partis, vel totius, & inter partes, huius, vel alterius, iam docendum eſt ad perfectam conſtituendam definitionem, cuiuſnam intemperies ſit. Qua in re varius etiam eſt Galenus, & alii authores. Etenim Galenus *ſeptimo Methodi* Cordis paſſionem febrem ſtatuit eſſe, cum ait, *vbi intemperies calida ad cor peruenit, tunc eſt febris. Alibi* vero ſtatuit, intemperiem eſſe totius corporis; & ſic omnes recipimus, cum dicimus febrem eſſe *vniuerſalem* morbum, quod ſ. ad vniuerſum corpus pertineat. Verum, ſatius eſſe puto, vt ipſius cordis paſſio eſſe dicatur, ſiquidem ſæpe adeſt febris, cum reliquum corpus friget, vt per acceſſiones ipſarum febrium apparet, in quibus extrema frigent, at cor ſemper calet, & qui tunc algent in extremis, intus tamen circa cor ardorem ſentiunt. Præterea calor ille, qui febris eſt author, primo ad cor pertinet. & in eo reſidet: illius autem opera vniuerſum corpus poſtea incaleſcit: Vnde *per accidens, & ſecundario febris eſt calor totius corporis, primo autem, & per ſe ipſius cordis.* Quare ſi definitiones ex eo, quod per ſe, non per accidens rebus ineſt, fieri debent, conſtat dicendum eſſe, quod febris ſit ipſius cordis, non totius paſſio. Sic enim in aliis affectibus facimus, vt cum ſtuporem dicimus eſſe neruorum paſſionem, non autem omnium partium, quæ corporis fiunt participes: quoniam ſcil. per neruos illis paſſio communicatur: ſic ſyncopen cordis dicimus affectum, etſi aliæ partes poſtea compatiuntur. Quod ſi ita eſt, cur potius febrem totius corporis, quam ſyncopen dicemus eſſe. Idem patet in vulneribus cordis & aliis morbis, quos nemo negauerit proprios eſſe ipſius cordis, etſi poſtea illorum vis ob principatum, & dignitatem ipſius partis in vniuerſum corpus ſpargitur. Præter illa autem, quæ de acceſſionibus diximus, quod ſ. in principio illarum frigus ſentiatur in vniuerſo corpore, corde excepto, & quod pulſus ſint tardi, & rari, quod ſignum eſt frigiditatis, non aucti caloris. Vrget id etiam, quod qui febre pereunt, paulo antequam moriantur, reſolutis ſpiritibus halitum emittunt frigidum, quod docet experientia, & etiam Hippocrates teſtatur *tertio prædictionum*, quo quidem oſtendit, non ſolum calorem non eſſe auctum, ſed etiam diminutum magis, quam in ſanis. Confirmat id præterea Galenus, qui dicit *in libris de morbis vulgaribus*, non neceſſe eſſe in febre, vt vniuerſum corpus caleat, ſed ſatis eſſe, ſi id fiat in corde, & partibus illi proximis, tanquam ſ. cordis propria ſit paſſio, aliarum autem non ſemper, nec per ſe, ſed per accidens, communicato ſ. ad eas cordis affectu. Quare in febris definitione materia, locuſque affectus *Cor* poni debet, non autem vniuerſum corpus.

Quæ ſit pars affecta.

Confirmant noſtram opinionem aliorum reſponſiones in hac re abſurdæ: Nam quidam dicunt omnes quidem febricitãtes calore extraneo affici, ſed *non neceſſe eſſe, vt calidiores ſentiantur, & calorem ipſi ſentiant.* Nam quomodo, quæſo, erit febris, ſi non intemperies calida? Quomodo poteſt eſſe calor extraneus, & frigus ſentiri? An, quæſo, morbi in re inſenſibili poni debent, cum ſenſibiliter lædant actiones, an in contrariarum qualitatum ſenſu. Cur ergo frigidam non dicemus intemperiem, quando calor ſentitur extraneus, ſicut volunt iſti, qui calidam

ponunt intemperiem, vbi frigus percipitur? cur ergo non ponemus sanitatem esse, vbi morbus adest, & è contra? Alii vero dicunt, quod in principio accessionum febris non sit, sed gignatur. At quomodo febris non est, si pars est febris; siquidem tempora particularia vniuersaliū sunt partes, & hæ totius? Quomodo præterea gignitur febris à frigido per accessiones? Quod si frigida tunc est intemperies, à quo genita est, quando habebit incrementum, statum, & declinationem. Quod vero alii dicunt, in principio accessionum auctum esse in corde, & quod augebitur in toto, nisi impediatur. & quod in principio impeditur propter obstructiones, quæ impediunt illius delationem, ex hoc roborant nostrā opinionem quod s. non sit totius, sed semper cordis calor, & passio. Nam ex hoc impedimento calor in ipso corde, & frigus in aliis partibus exuperat, veluti in his, qui suffocantur, accidit; in quibus calor ob prohibitam respirationem in corde augetur, aliis interim partibus caloris delatione prohibita, refrigeratis. Sed quid opus est verbis, cum Galenus, vt diximus, *lib. 6. Epidem. Comm. 1. 28. textu* scribat ad verbum, satis esse in febre, si præcipuæ partes intus contentæ, nempe cor, & vicinæ incalescant; Quod si aliquando totius corporis morbum scribit esse ipsam febrem, non id, quod re vera est, & in definitione recipiendum, sed quod per accidens, vt plurimum fit, explicat. Idem testatur aperte Aetius, cum definit, febrem esse calorem præter naturam ipsius cordis.

An sit calida solum vel etiam sicca intemperies.

Posita ea definitione ipsius febris, quæ omnium optima mihi videtur, quod s. sit *intemperies morbosa calida ipsius cordis*, sequitur, vt eam à calumniis vindicemus, & singulas partes bene positas ostendamus, & eas refellamus, quæ superfluo adduntur. Interpretanda præterea sunt nonnulla, quæ Neotericis magnam difficultatem pariunt. Qua in re prius docendum, an bene assignauerimus genus, & differentiam: Nam quædam videntur esse febres, quæ in ipsa tota substantia, non in manifestis qualitatibus poni debeant; quales sunt pestilentes febres, quæ non tam caloris abundantia, quam maligna quadam natura infestant, & perimunt. Ad quod respondeo, febrem tunc esse, sed non simplicem, verum cum alio morbo coniunctam, quæ substantiam ipsam afficit. Adest enim febris, quia calor præter naturam, sed ob malignam materiam, quæ calorem concepit, vniuersa quoque substantia labefactata est. Illud præterea vrget, quod nos calidam solum temperiem definiimus esse febrem, cum tamen calida, & sicca putari possit. Nam primo si igneus est calor, qui febrilis est, vt nomen monstrat Græcum; πυρετὸς enim ab igne deductum est, & febris à feruore deriuatur. Vnde si ignis calidus est, & siccus, febris quoque huiusmodi naturæ fuerit. Secundo scribit Galenus *primo Aphorismorum 16. febris affectio est calida, & sicca*: Vnde humidis eget. Idem testatur *octauo & nono Methodi*, eam s. suapte natura calidam esse, & siccam passionem. Tertio id docet natura hecticarum, quæ calida est, & sicca, vt *primo de differentiis febrium* testatur. Contra vero facit idemmet author, qui *primo de Differentiis morborum*, inter simplices intemperaturas febrem nominat. Deinde, quod semper per calorem eam definiat. Item hectica febris sæpe sine siccitate consistit *cap. 12. lib. 1 de febribus.* Ita quidem solet perpetuo de eadem re hic author diuersa tradere.

Febrim hecticam sæpe etiam sine siccitate consistere.

Respondendum, quod *suapte natura febris semper associet sibi siccitatem.* Nam vehemens calor esse nō potest, quin humorem consumat, *sed non propterea siccitas semper adest morbosa, sed calor:* vt enim morbosa sit qualitas, tantus excessus in ea requiritur, vt lædi possint actiones: quod non semper contingit in febribus, vt apparet in Quotidianis, Synochis, & aliis denique, in quibus copiosus, vel etiam superfluus subest humor, qui exsiccatione adhuc eget. Quod si in hectica febre adest etiam siccitas, quæ non minus functionibus obest, quam ipse calor, non tamen propterea in omnibus, nec statim id fit, & in quibus siccitas adest huiusmodi, non solum febris adest, sed alius præterea morbus additus est ex siccitate: estq; tunc temperies calida, & sicca, febris scilicet, & intemperies sicca. *Concedimus ergo siccitatem coniungi, sed non semper siccum esse morbum, quoniam nec siccitas semper vehemens, & morbosa.* Concedimus præterea victu humido opus esse, vt scilicet siccitas ea, quæ morbosa alioqui tandem euaderet, caloremque intenderet, abigatur. Quod si putamus, non semper adiungi siccitatem, quoniam pituitosa corpora humore superfluo redundant; Respondemus, id fieri materiæ subiectæ ratione, quæ febrilem calorem opprimit, prohibetque, ne euidens fiat siccitas. Cum autem quod rei natura postulat, spectamus, id quod materiæ ratione contingit, ab eo separamus. Vnde in corpore mediocriter affecto semper febris cum siccitate quadam reperietur. Satiusque ita esse puto sentire, quam illos imitari, qui dicunt, semper esse siccitatem superfluam in ea materia, in qua febris residet: verbi gratia, exsiccatos esse spiritus, vel humores, si in illis calor est accensus. Nam, vt diximus, tanta, aliquando est humidi humoris copia, vt nulla agnoscatur in eo siccitas.

Calor febrilis an vnus vel plures, & cuius sit naturæ.

Opinio quorundam est, duplicem in febricitantibus calorem esse, naturalem vnum, alium præter naturam, idque probant variis rationibus.

Argumenta eorum qui statuunt duos.

Primum ob officio caloris sumunt argumenta: Nam natiui caloris officium est concoquere alimentum, & humores attrahere, excrementa segregare, & expellere. Eius vero, qui præter naturam est, officium est contraria efficere, & naturæ opera impedire. Quare cum fiant coctiones, oportet natiuum esse calorem, & cum illæ operationes non fiant tales, quales cum habemus secundum naturam, constat alium esse calorem, ne natiuus assequatur sui operis perfectionem impedientem. Duo ergo calores natiuus, & præter naturam.

Secundo si vnus esset calor febrilis, non posset fieri sanatio, quoniam sanitas à sanitate fit. Quare cum febris occupet vniuersum corpus; si ponatur vnicus calor in omnibus, nullæ erunt sanæ, quæ possint sanitatem facere, & id, quod est præter naturam, vincere. Duo ergo calores, naturalis vnus, alius præter naturam.

Tertio

Tertio constat, adesse calorem præter naturam, cum febris per eum definiatur. At quod naturalis etiam subsit, quo animal viuat, quod absque natiuo calore fieri nequit. Vel cum adest, vel non, si non adest, nec vita adest. Si adest, duo ergo calores.

Quarto fit pugna in febricitante à calore innato, quod ostendit sanatio, quæ non nisi ex ea nascitur. At cum nihil in seipsum agat, necesse est, vt nec in frigus, vel excedentem calorem, aut diminutum agat, qui natiuus est. At non in frigus, cum illud non noceat, ergo in calorem, non diminutum, quia febris est auctus calor, in auctum ergo, & alium. Duo igitur calores.

Quinto id probatur ex remediis medicis, quę diuersa sunt, siquidem in febribus, calorem extraneum extinguere, & natiuum roborare conamur. Duo ergo calores, quia duo remedia diuersa.

Sexto Galenus cum de temporibus anni agit *in Aphorismis* scribit natiuum calorem esse exiguum, asciticium plurimum in æstate, contrarium in hyeme fit, quare cum asciticius, & natiuus duo sint, & ambo in corpore, nihil prohibet adesse quoque duos calores, præter naturam scilicet, & naturalem, vnde dicere solemus etiam, quod in febre exuperat, & viget calor præter naturam, languet vero, & diminutus est naturalis.

Septimo authoritas Galeni clara est 47. *Aphoris. secundi*, vbi scribit, pus fieri à mixto calore naturali & præter naturam; Idemque testatur *vltimo textu primi prorrheticorum*, & merito quidem. Nam pus fieri non potest sine calore putrido, quia vbi est solus calor natiuus author mutationis, fit concoctio, perfecta assimilatio, adest quoque &, calor natiuus in puris generatione, alioqui esset putredo. Quare si in generatione puris duo adsunt calores, siquidem mixtio non fit nisi ex duobus, duo quoque fuerint in febricitante, vbi alteratio, quæ fit, nec simpliciter con coctio est nec putredo, sed suppurationi respondens. vnde dicebat Galen. generationem sedimenti in vrinis proportione respondere generationi puris. Addunt, & Auerrhois authoritatem qui definit febrem esse calorem compositum ex naturali, & præter naturam. Addunt & alias rationes, sed supradictæ præcipui sunt momenti.

Pro solutione horum argumentorum quædam supponenda sunt, quod scilicet aliud sit calidum natiuum, aliud calor natiuus: Nam calor ipsa est qualitas, quæ in calido natiuo est. Calidum vero ipsum natiuum corpus est, quod calori subiicitur. Estque illud vt ostendimus *in libello nostro de calido natiuo* triplex, vnum, & vere innatum sanguis, & semen principia generationis, ex quibus alia omnia fiunt. Secundum humida ea substantia, & calida, quæ in singulis partibus relicta est ex semine, & sanguine. Tertium, quod re vera natiuum non est, sed ita dictum, quod ea seruet, & foueat, quæ vere natiua sunt, & illud est sanguis, & spiritus. Tres proinde sunt natiui calores, vt tria subiecta. Item explicandum est, quo modo natiuum oporteat intelligere calorem, quod scilicet mitis sit, & halituosus, qualis est, qui in natiuis principiis sanguine, & semine reperitur; extraneum autem, & præter naturam vocemus, qui ob incrementum, & acrimoniam est inutilis ad actiones corporis secundum naturam obeundas. Quibus positis, & hoc etiam præterea, quod calor per febres non æqualiter augeatur in omni substantia corporis, sed aliquando humores magis, quam spiritus, & partes solidæ, & è contra; quod significare volunt, qui dicunt, quandam substantiam esse in calefieri, aliam in calefacto esse. Ad argumenta respondemus.

Ad primum cum dicitur, quod officium caloris natiui sit concoquere, alterius vero destruere coctionem, conceditur: nam moderatus est calor, qui bonas coctiones facit: vnde, cum intensus sit per febres, coctionem vitiat plus vel minus pro incrementi ratione: vnde fiunt quidem coctiones, sed non bonæ, quia calor illius author nimis auctus est, vnde non sequitur, duos esse calores, sed intensum esse, qui prius aderat, cum plane secundum naturam habemus.

Ad secundum, cum dicitur, non posse fieri sanationem, si vnus esset calor. Respondent nonnulli, quod partes quædam magis, aliæ minus afficiantur, vt in Putrida humores, in Diaria spiritus, in Hectica partes solidæ; vnde, quæ minus afficiuntur, aliarum respectu sanas esse, & ab illis sanitatem fieri. Quorum opinio non placet: nam etsi quædam forte melius habent, omnes tamen ægrotant, nec quod est in alia corruptum emendare possunt. Deinde sequeretur, quod vbi simul adest Hectica cum Diaria, & Putrida, hominem non posse liberari, cum omnes substantiæ tunc sint in calefacto esse, & eodem modo affectæ, vt vnius calor alterius malis mederi nequeat.

Respondendum ergo, quod sanitas proueniat ratione remediorum, quæ habent vim sanandi: nunquam enim liberaretur Hecticus naturæ beneficio; sed frigidis remediis sanatur. Quod si quis dicat, quosdam, qui febricitant, febre liberari vsu calidissimorum remediorum, veluti contingit in his, qui in exercitio, aut ex potu vini meracioris febre liberantur; Respondeo, quod hæc sunt etiam remedia quædam scilicet ipsius materiæ, & causæ febris, quæ extenuatur, & dissoluitur; qua dissoluta, febris etiam euanescit; id quod solum in Diaria, aut Putrida fieri potest, in quibus pabulum calori demitur, quo ablato, calor pariter expirat. At, si quis dicat, multos liberari non vi remediorum, vt apparet in pauperibus, qui temere viuunt, nec remediis aliquibus vtuntur, tamen tandem naturæ beneficio liberantur. Negabo eos nullo remedio vti, cum & aquam potent, & pane eloto, & aliis vtantur, quæ aduersus febrem, aut illius materiam faciunt: tamen, si etiam concessero, naturæ, & caloris natiui beneficio abigi posse huiusmodi febres, non errabo, cum materia, quæ semel est accensa, tandem in cinerem per putredinem redigatur: vnde calor extinguitur, veluti ignis consumpto humore lignorum sponte euanescit. At si quis dicat, rursus non esse parem rationem de igne, & calore, qui est in materia febrili, quod scilicet ignis nullo alio quidpiam conferente consumpto humore extinguatur: Materia autem febris coctione egeat, quæ à

calore natiuo fit. Præterea, remedia ipſa, præſertim quæ ſunt potentia, egeāt actione caloris natiui, vt reducantur ad actum, & conferre poſſint; non poſſe autem conferre quidpiam calorem, vbi adſunt tres febres, eo quod omnis ſubſtantiæ calor ſit extraneus & præter naturam; Reſpondeo, quod cum ſalus contingit, & ſi calor eſt præter naturam, non tamen ita alienus eſt, vt non poſſit vtiles aliquas alterationes facere, quæ ſufficiant ad reſcindendas morborũ cauſas, quod in generatione puris maxime apparet, vbi etſi calor eſt alienus à natura, id eſt, non ſimilis naturali, ſed excedens, tamen ſanguinem deducit in certam quandam materiam, nempe pus, quæ cum excernitur, pars ſuppurata ſanatur: nam ſi omnino ſecundum naturam eſt calor, id eſt, mitis, & benignus, pro cuiuſque natura ex ſanguine nutrimentum corpori molitur, aſſimilatione perfecta qualitatum, & ſubſtantiæ. Si vero vſque adeo excedat, & omnino igneus ſit, vt nihil vtile efficere valeāt, putredinem procreat, & ſubſtantia, & qualitatibus corpori inimicam, & exitioſam. At ſi mediam quandam naturam habeat, vt plane naturali non ſit ſimilis, nec tantus exceſſus, vt alienus omnino ſit, mediam quandam mutationem in materia efficiet, pro exceſſus ratione plus, vel minus naturæ familiarem, vnde pus in inflammatione gignitur, quod quidem aſſimilatur per qualitates corpori, ſubſtantiam autem habet alienam, vtpote quæ referat huiuſmodi caloris actionem: nam quod qualitates ſint aſſimilatæ, vnde album, lene, & æquale dicitur, oſtendit, non omnino alienum fuiſſe calorem, qui pro pure virus quoddam varium, & diſſimile parit. Quod vero ſubſtantia relicta ſit diſſimilis, neque enim ex pure nutritur animal, argumento eſt, non omnino ſecundum naturam fuiſſe ipſum calorem, ſi quidem ab hoc opus, quod fit, omnino ſecundum naturam perficitur, & hæc eſt opinio Galeni *in eo Aphoriſmo ſecundi libri: Dum opus conficitur.*

Sic ergo in febribus contingit. Vbi enim calor plurimum exuperat, putredo fit in venis, quæ hominem occidit, aut ſi calor eſt in partibus ſolidis extraneus admodum, vt in hectica tertiæ ſpeciei, inutiles fiunt alimenti coctiones, & mors ſequitur; Quod ſi ſecundum naturam eſt calor, id eſt, mitis, & vnicuique ætati proprius, nutritio fit optima; At ſi mediam naturam habet, medias quaſdam actiones facit, quæ putredinem ceſſare faciunt, & remedia alterat, & adiuuat, concoquitque cibum, qui ſi non perfectam coctionem aſſequitur, vim tamen eam, quam habet, exercere poteſt. Non ergo (vt nos colligamus) ſequitur, non poſſe ſanationem fieri, ſi vnicus eſſet calor, quia remediorum vi contingit ſanatio; etſi huiuſmodi calor præter naturam dicitur, eſt tamen adhuc vtilis, vbi ſalus contingere poteſt, vt ſeruire valeat, tum remediis, tum aliis naturæ operibus, quibus ſanitas paratur.

Tertii.

Ad tertium, quod probabat, duplicem eſſe calorem eo, quod per febres viueret, concoqueretque & alias naturæ operationes obiret Animal, quæ non niſi à calore naturali proueniunt, & ex eo, quod febris calor eſſet vitæ inimicus; eadem adfertur ſolutio, quod ſ. calor huiuſmodi non omnino eſt inutilis ad huiuſmodi actiones obeundas, cum quibus vita conſiſtit. Vnde tunc viuit, etſi male. Viuit enim, quod non omnino is extraneus, & inutilis, quod cum fit, iam mors ſequitur; male autem degit, & conſumitur, vigilat, dolet, & aliis malis torquetur per febres, quoniam excedit naturæ limites; Quæ profecto oſtendunt, non duplicem eſſe ponendum calorem, ſed vnum eſſe, qui naturæ mediocritatem excedit.

Nam quod quidam dicunt calorem naturalem eſſe in ſpiritu, vbi putrida eſt, & non diaria, & illum bene concoquere; etſi interim hic corrumpat, duoſque tunc poni calores, naturalem vnum, alium præter naturam, falſum eſt. Nam concoctio, & alia naturæ opera, ſemper fiunt à partibus ſolidis, & cum febris occupet vniuerſa, quæ ſunt in corpore, omnia quoque oportet calore præter naturam abundare, etſi magis quædam, quam alia.

Quarti.

Ad quartum Argumentum, quod probabat duos eſſe calores, quia pugna eſt, quæ non niſi inter contraria, & repugnantia reperitur: Vnde cum calor vel aduerſus frigus, aut calorem excedentem, vel diminutum, ſolum pugnare poſſit, non autem aduerſus frigus, ſed calorem ipſum pugnet; ob id ſequatur, duos eſſe calores: ſiquidem vnus aduerſus ſeipſum non agit. Reſpondemus, pugnam huiuſmodi non ſemper adeſſe; quod apparet in hectica febre vbi nulla adeſt pugna, ſed æqualiter perpetuo afficitur corpus. Quod ſi grauius videntur habere hectici poſt cibum, non eſt id ob pugnam, ſed quoniam calor qui erat in ſicco ſubiecto, affluxu humoris excitatur: vbi vero adeſt, oritur pugna, eo quod partes minus ægræ cõtra alias agant, vt in putrida cõtingit, in qua partes ſolidæ, quæ nõ ſunt adeo excalefactę, vt humores, mitiore calore retundere nituntur eum, qui humore magis exuperat. Verum quid dicemus de putrida, & hectica ſimul, vbi par, & æquale eſt malum in vtraque ſubſtantia, & tamen pugna oritur? Vnde videmus ſudores naſci, & concoqui vrinas & humores, ebullitioneſque in illis; præterea, acceſſiones fieri, quæ pugnæ ſunt indicia. In hoc dicere poſſumus, quod etſi æqualiter afficiantur humores, & partes ſolidæ, nihilo minus partes ipſæ ex quibus alterationes omnes naſcuntur, agere adhuc poſſint in humores ipſos: ſiquidem & in cibum agunt: Vnde, cum repugnent humores aſſimilationi, & expulſioni, pugna naſcatur, alioqui ad argumentum reſponderi non poſſet: Quia quod alii dicunt, partes minus ægras, vt ſolidas agere in humores, id ſolum locum habet, vbi putrida vrget, & non hectica, quæ cũ ſimul infeſtent, non minus partes ſolidæ, quam humores afficiuntur.

Quinti.

Ad quintum, quo dicebatur, Medicum vti duplici remedio, vno roborante natiuum calorem, qualia ſunt concoquentia; alio extinguente alium, cuius generis ſunt refrigerantia. Reſpondetur, quod Medicus videns natiuum calorem, id eſt, mediocrem, conſiſtere in materia quadam calida, humida, & ſpirituoſa, concoquentia adhibet, quæ huiuſmodi materiam augent in corpore, vt ſunt concoquentia dicta remedia; Vnde hæc non ſunt duo genera remediorum, quæ oſtendant duos calores diuerſos, ſed tum refrigerantia, tum concoquentia id vnum ſpe-

ſta

ctant, vt mediocritas compareretur subtrata vitiosiore materia per concoquentia, & remisso per refrigerantia eo, quod exuperat.

Ad textum, quo dicebatur, Galenum ponere natiuum calorem, & ascititium diuersum, cum dicebat, hunc plurimum esse æstate, illum vero, paucum, & proinde duos esse etiam natiuum, & præter naturam: dicimus de calido natiuo intelligi Galenum, id est, de substantia, in qua calor ipse fundatur, nempe, de sanguine, & spiritu, qui paucus est æstate, acris vero, & biliosus, illi contrarius plurimus.

Ad septimum, quo dicitur, Galenum ponere mixtum calorem ex naturali, & præter naturam, cum agit de generatione puris; respondetur, ita intelligendum esse mixtum hunc calorem, quod mixtas vires habeat, aliquid scilicet efficiendi secundum naturam, aliquid vero non. Nam quod ex sanguine, qui inflammationem committit, gignat aliquid album, & simile; id ostendit aliquid esse secundum naturam: Quod vero substantia assimilari non possit, ostendit intensiorem esse calorem, quam conueniat; Vel dicendum, quod respectu diuersorum mixtum minus dicatur: Nam partes solidæ, quantum in se est, bene concoquunt, sed materia ipsa conclusa, & excalefacta plusquam oportet, perfectam assimilationem non admittit.

Confirmatur id præterea, quod si essent duo calores specie, & natura distincti, plures essent tangibiles qualitates, quam quatuor. Deinde non bene demonstraretur numerus Elementorum, per numerum qualitatum.

Concludimus ergo, vnum esse calorem, qui nunc natiuus, nunc præter naturam pro intensione, & remissione dicitur. Vnumque esse in febricitante, qui præter naturam dicitur, eo quod naturæ limites longe excedat; alioqui non esset morbus; sed febris, qui tamen non *omnino* est ineptus ad concoctiones, expulsiones, & alias naturæ operationes, eo quod vel non æqualiter sit accensus in omni substantia corporis: Veluti cum putrida adest, & non hectica: aut si æqualiter est accensus, non tamen perpetuo ita est auctus, vt omnino sit inutilis, sicut cum hectica, & putrida simul vrgent, nutritur tamen animal etsi infeliciter: Accidere tamen, vt tantum excreuerit, & iam omnino ineptus sit, quemadmodũ contingit in putrefactione, in qua quicquid gignitur, omni modo inutile est animanti.

Iam cum febris non sit calor sed intemperies calida, & vna sit intemperies, quæ aucto calore prouenit, quæritur an id totum, quod ex calore mediocri, & aucto prouenit, an ex hoc solo intemperies febrilis fiat; si ex aggregato, constaret ergo morbus ex eo, in quo est sanitas; si ex hoc solum, posset non esse febris. Nam duo gradus caloris, qui adduntur forte ei, qui est medioctis, non essent superflui. Dicimus ex aggregato fieri, nec fit ex sanitate, sed totum morbus est, qui fit ex calore addito naturali. Qui vero dicunt, febrem esse calorem, soluere non possunt argumenta: Nam si febris est calor vterque, vt volunt, sit autem febris præter naturam, id autem auferendum, oporteret omnino calorem extinguere. Quod autem dicunt: si esset solum calor, qui additur febri, sequi similiter intensas fieri febres in senibus, vt iuuenibus, quia duo gradus ex suppositione positi, idem faciunt; in vtroque falsum est, quia iam intensior est naturalis calor in iuuenibus, quia additione duorum graduum maximus est.

An in omni febre dicatur esse calor auctus.

Posteaquam ostendimus, vnum esse calorem in febricitante corpore, illud sequitur explicandum, an recte febrem definierimus per intemperiem, in qua *calor* est *auctus*. Si enim id est de illius definitione, & natura, nunquam ab ea separari potest. At multa sunt, quæ contrarium ostendere videntur.

Primo, quod in principiis accessionum, quæ cum rigore inuadunt, corpus vehementer friget, & tamen adest febris: est enim principium morbi, ideo prima pars morbi, in qua tunc morbus est. Cui argumento respondent nonnulli, quod auctus est in corde; & postea augebitur in toto, nisi impediatur; At illi non vident, interim se negare febrem non esse. Cum enim non calet corpus nec febris, siquidem morbus esse non potest in aliquo in eo tempore, quo abest: Alii respondent, quod tunc nondum sit febris, sed potius generatio febris: sed male, cum affectus longo non egeant tempore, vt gignantur; & in ipsa generatione similis sint naturæ, vt postea: sicut docet Galenus *primo de locis affectis*. Nos autem, qui ponimus, febrem esse affectum cordis, non patimur hanc difficultatem: nam & in principio calet cor. Quod si quis dicat, id non esse verum; quia tunc pulsus sunt minores, & tardiores: Respondemus, id fieri *non ob refrigerium cordis, sed ipsarum arteriarum, à quibus calor recedit versus cor, inuadente ipsa accessione.*

Pulsus cur in principio cordis sint tardiores & minores.

Secundo, in Epiala febre, & ardentibus febribus, non est calor accensus in vniuerso: nam in Epiala frigent simul, & calent; In ardentibus illis, vel in quibus adest inflammatio interna, externa frigent.

Ad id respondere non possunt, qui dicunt, febrem esse affectum totius corporis, sed coguntur ad locum redire præcitatum *ex libro sexto de morbis vulgaribus*, vbi scribit Galenus, satis esse in febre, si cor, & præcipua viscera caleant. At semper auctus est in corde per huiusmodi febres.

Tertio, cum homines moriuntur ex febre, expirationem emittunt frigidam, vt 3. *Prognosticorum*: vnde hi minus sunt calidi, quam sani, & tamen ex febre pereunt, siquidem, in febris declinatione mori dicuntur, qui resolutis spiritibus per febres pereunt. Concederem tunc amplius febrem non esse, sed intemperiem frigidam. Quod si quis dicat, pulsus esse frequentissimos, id quoque concedam, id tamen non ostendit auctum calorem, cum tantum sit diminuta magnitudo ob debilitatem virium, vt frequentia maxima requiratur ad eum calorem, qui superest, conseruandum, vel potius, quod substantia cordis sit calidior, sed *ob spirituum paucitatem non possit transmitti per vniuersum corpus: vnde anhelitus frigidus.* Nam quod morbus non frigidus, & non moriantur ex frigiditate, constat: quia non est tanta frigi-

Cur qui per febres moriuntur respirationem emittant frigidam.

ditas, quæ possit mortem inferre. Vel dic, quod A *moriatur defectu instrumenti communis, nempe spiritus resoluti.*

Concludimus ergo, *vbi febris est, auctum esse calorem, sed auctum esse in illis partibus, quarum passio est febris, nempe in corde.* Intelligimus vero auctum præter naturam, quod scilicet, ita recedat à naturali mediocritate, vt ineptus sit ad naturæ functiones *probe*, vel etiam *mediocriter* peragendas, vt neutrum statum excludamus, qui medius est inter febricitantes & sanos.

Quo modo vero accendatur calor in corde, an pluribus modis, vel vno, & qua ratione spargatur per vniuersum corpus, non est præsentis loci docere, sed eius, in quo causas tractabimus: nam causis positis, sequetur explicandum, quo- B nam modo illæ agant, & morbi ipsi in alias partes deriuent.

Quænam actiones à febre lædantur. Cum febris morbus dicatur esse calidus, & cordis affectus, cum quo tandem compatitur vniuersum corpus, lædat autem morbus operationes, quærendum, quænam poni debeant lædi, an omnes scilicet, vel quædam? Ac quod omnes lædi debeant, ostenditur;

Primo, quia cor fons est calidi natiui, quod quidem est commune omnium actionum instrumentum, quo quidem læso, nempe intenso, omnes actiones, quæ illius beneficio fiunt, lædi oportet. Quod etiam Auerrhoi placuit, & Galeno 5. *de locis affectis, in principio*, vbi dicit, quod vitiato corde omnia membra lædantur. C

Secundo, videmus eos, qui febricitant, male appetere, concoquere, retinere, & expellere excrementa, deterius nutriri, moueri, sensus etiam læduntur, & denique, omnes operationes; vnde concludimus, *omnes offendi functiones febricitantium.* Tamen aliqui aliter putant, qui volunt solum impediri solita exercitia, cum (vt aiunt) sensationes aliquando meliores fiant, exsiccata humiditate cerebri: sed isti errant, quia etsi acutius videntur sentire, tamen id illis est præter naturam, nec possunt diu, vt solebant, sensationes obire; quod apparet cum nec diu legere, aut aliquid aliud intueri possint, aut longos sermones non ferant, qui febre laborant; Quod vero non sit intelligendum in definitio- D ne morbi & febris per actiones, quæ læduntur, vitæ munera & officia, certum est, cũ per multos morbos aliæ etiam operationes impediantur, & continuentur opera nonnunquam, morbo interim affecto aliquo membro.

Quo tandem calor per corpus expandatur. Etsi id in tractatione de causis polliciti simus, nos explicaturos, tamen ne aliquid desideret Lector, quod in definitione consueuit ab aliis explicari, breuiter id expediemus. Qua in re Auicenna dicit, à corde spargi calorem per vniuersum corpus, idque mediante spiritu, & sanguine; contra quod dubium est, an à corde per vniuersum corpus semper spargatur: Deinde, si à corde, an non etiam ab hepate, & aliis partibus; Tertio, an mediante spiritu, & sanguine calor il- E le spargatur.

An semper à corde per totum corpus. Circa primum, quod non semper à corde, facere videtur, quod à Bubone & loco inflammato id fieri possit. Sed id verum non est: nam etsi calefieri possint aliquæ partes, transmisso ab inflammatione calore ad illas, tamen in vniuersum non potest fieri vt diffundatur, nisi omnium communis fons patiatur. A Bubone ergo ad cor calor mittitur: ab eo vero statim in corpus vniuersum.

An non etiam ab hepate & aliis partib. Ad secundum, quo dicimus oportere calorem à fonte emitti in vniuersum corpus, cum hepar sit fons quidam caloris, vt *in libello nostro* ostendimus ex Galeni opinione, de calore natiuo, cur ab ipso non potest etiam excitari calor, & duci per totum? Respondeo, esse hepar quendam fontem, sed *qui egeat adhuc cordis calore.* *Hepar qualis sit fons.* Igitur *à corde solum transmitti potest calor, qui vniuersum corpus occupet.* Quod si aliquando dicimus, à cerebro (vt per insolationem, excalefacto capite) febrem cœpisse, id facimus spectantes longius originem ipsius febris; nam cordi à capite calor communicatur, sed nondum febris est, donec cor inuaserit.

An mediante spiritu & sanguine spargatur. An vero per spiritum & sanguinem transmittatur, dubium est; quo modo enim Hectica incipere potest, si per spiritum, & sanguinem à corde excalefacto singulas partes calefieri necesse est? Sed quoniam hæc plane intelligi non possunt, nisi intellecto, quid sit Hectica, quidve Diaria febris, & alia illius genera; ideo postea id commodius patebit. Hæc & similia in definitione febris dubitari solent; si quæ vero alia sunt, vel nullius sunt momenti, aut certe ex prædictis patebunt.

CAP. II.

DE GENERIBVS FEBRIUM.

OMnes Authores & interpretes post definitionem febris aggrediuntur differentias explicare, contemptis, aut confusis cum generibus ipsis differentiis; cum tamen plurimum referat hæc inter se distinxisse; vt plurimum certe refert de Animali agere, aut de sensibili: est enim animal genus quoddam corporis, sensibile vero, & insensibile, differentiæ: quemadmodum sane etiam plurimum refert, agere de homine, leone, asino, vel de rationali, rugibili, rudibili; quippe cum genera quædam, siue species sint animalis, homo, leo, asinus: risibile vero, rugibile, rudibile, differentiæ. Vnde si quis quæreret, quot essẽt animalia, respondere oporteret enumeratis omnibus speciebus, vt homine, leone, equo; perperam autem respõderet, duo esse rationale, & irrationale; cum non differentias, sed species quæramus. Ponitur & hoc discrimen à Galeno *lib. 3. Methodi medendi*, vbi disputat contra Methodicos, qui male Veterum differentias capiebant, cum dicebat, vlcus quoddam esse cum intemperie, aliud cum temperie; cum intemperies differentia non possit esse alterius, eo quod per se consistere potest, & morbi genus est quoddam, illud autem debeat esse differentia, quæ per se nequit subsistere; veluti animal per se subsistit, & genus est, & species: sensibile autem, vt pote quod nequit per se stare, sed in animali est, illius differentia putatur. Quæremus ergo genera febrium, cum quæremus, quot possint esse febres forma, & specie

specie diuersæ; veluti cum dicimus omnem febrem vel Diariam esse, vel Hecticam, aut Putridam. De differentiis vero agemus, cum de continua, intermittente, ordinata, inordinata; tertiana, quotidiana, & cæteris huiusmodi tractabimus. nam hæ differentiæ per ea genera sparguntur: vt enim rationale & irrationale animalia differre facit, sic inter putridas exempli causa, quædam ordinatæ sunt, aliæ ordine carent, quædam continuæ, aliæ intermittentes. Ergo de generibus primum agemus, quæremusque in primis, quæ, & quot febrium genera inter se diuersa ponere oporteat: nam reliqua facilius postea intelligentur.

Quot & quæ sint febrium genera.

Receptum est ab omnibus tum Antiquis, tum Neotericis Medicis, tria esse febrium genera, vnum Diariarum, aliud Putridarum, tertium Hecticarum. Atque hunc quidem numerum sumunt ex triplici genere substantiæ, quæ in corpore nostro reperiri creditur, nempe ex Spiritu, Humore, & partibus solidis. Cum enim calor accendatur in illis, diuersaque remedia postulet, siquidem alia Diariis, alia Putridis, alia Hecticis auxilia conueniunt; hinc triplex genus febrium constituẽdum esse censent, nec alia ratione mouentur, quam ex triplici hac substantia; quod licet videre ex 1. *de Differentiis febrium*, *non longe ab initio*, vbi Hippocratis dictum exponit, qui scribit continentia, contenta, & impetum facientia; tum etiam *paulo antea*, cum de differentia agit, quæ ex materia sumitur, in qua febris accenditur, vt omittam *secundum de Crisibus*, & alios infinitos locos, vbi tria ista genera ponit ex materia distincta. Verum duo potissimum sunt, quæ faciunt, vt hæc genera non recipiamus, & duo tantum faciamus; *vnum in humoribus, alterum in partibus solidis*: quorum primum est, quod probare non possumus, aliquem esse huiusmodi spiritum in corpore, in quo febris diuersa ab alia accendi debeat. Secundum quod omnes febres saluari possunt, etiamsi nullum spiritum ponamus ex solis humoribus, & partibus solidis.

Nullam febrem accendi in spiritibus.

Quod vero ad primum attinet, necesse est in primis referre, quæ Galenus de istis spiritibus variis in locis refert: sic enim intelligetis, quid probet de illis, & quatenus illis sit credendum.

Primo ergo, 12. *Methodi*, vbi de Syncope agit, scribit, virium substantiam in spiritibus & partibus solidis consistere. *alibi* vero addit humores. Postea vero statuit, Animalis spiritus fontem esse cerebrum, eumque partim inspirando, partim ex eo, quod reticulari plexu continetur, irrigari, & ali. De Vitali vero spiritu ita scribit: *Vitalis spiritus non æque euidens demonstratio est, sed tamen in corde eum, & arteriis contineri existimare, à ratione alienum non est; eundemque nutritum maxime ex inspiratione: sed etiam ex sanguine.* Postea de Naturali ita scribit; *si Naturalis aliquis est spiritus, is in iecinore, & venis continebitur.* Ex quibus locis iam apparet, quod volumus.

Nam si febris passio est cordis, & non cerebri, necesse est Vitales esse spiritus; qui accendantur, & patiantur in febre: At si dicit non esse euidentem illius demonstrationem, nec certa aliqua ratione probare possumus eum esse, quomodo ponere possumus in eo, de quo dubitamus, an sit, nec probare possumus esse genus aliquod febrium certum, & distinctum ab aliis. Nec solum in eo loco, sed etiam in aliis omnibus, in quibus de eo agit, probationes nullas adfert, quæ probent eum esse, sed potius statuit legumlatorum more, eum recipiendum: veluti cum *septimo de Placitis Platonis, & Hippocratis* refert, eum in arteriis, & corde gigni, & materiam ad generationem sumere ex inspiratione, & humorum exhalatione; Nec aliud inuenio, quod adferat ad probationem huius spiritus; imo etiam de Animali, de quo omnes videntur cõsentire, nullas euidentes probationes adfert: nam *libro 2. & 3. de locis affectis*; de eo agit, dicitque esse primum cerebri instrumentum: quo scilicet cerebrum ad sensibiles, principes, & voluntarias actiones vtitur: sed quomodo id fiat, non docet, imo cum de motu agit, *in fine 2. de locis affectis*, nulla spirituum facta mentione, vim mouendi, & sentiendi, à cerebro dicit ad partes demitti, quemadmodum Sol suo splendore omnia illuminat nulla transmissa substantia. Dicit præterea, eum contineri maxime in postremo ventriculo cerebri, *libro 2. de locis affectis*: in duobus autem primis ventriculis dubitat, an contineatur. Abbi, vt *7. de vsu partium*, scribit, maxime eum contineri, & confici in plexu retiformi: *Octauo* vero *eiusdem Operis*, dicit confici in duobus ventriculis anterioribus, & eum non solum in ventriculis, sed etiam in toto corpore cerebri contineri. *Vndecimo* vero dicit, spiritum in sublime ferri suo impetu: *Quinto* vero *de simplicibus*, meminit cuiusdam spiritus innati, quem ex Stoicorum opinione dicit esse Animæ essentiam; ex sua autem esse primum animæ instrumentum, & eum in omnibus animalis partibus contineri: qui tamen non vndequaque sibi est similis, sed variat pro sanguinis differentia, huncque dicit esse vtilissimom ad naturalia opera obeunda: de quo etiam videtur mentionem facere *libro 2. de Placitis*, vbi scribit, præter Vitalem, & Animalem, tertium quendam esse spiritum, ex Hippocrate, qui materialem eum vocat, & respondere dicit sicco, & humido nutrimento proportione quadam, de quo Hippocrates (vt inquit) mentionem facit, qui scribit principium alimenii spiritalis est os, nares, guttur, pulmo & reliqua spiracula. Ex quibus sane constat, dubium etiam esse, an Animalis sit aliquis spiritus, præsertim, quod ponat eum generari in plexu retiformi ex Vitali: non probet autem esse Vitalem, & Anatome eum plexum retiformem non agnoscat, & commentitiam rem in homine esse putet. Quod si nec materia probari potest, & deest locus generationi; nec præterea ostendere potest aliquid cõferre ad animales actiones, cum sine substantia aliqua illæ dicantur exerceri sola vi demissa à cerebro, constat profecto nec Animalem spiritum recipiendum esse.

Deinde, si naturalis nullus ponitur, sed vitalis sufficere dicitur ad naturales operationes obeundas, cur etiam non poterit sufficere ille ad Animales? Nec dicere oportet, quod lucrasior, quam vt tam dignis actionibus (quales

potissimum sunt principes facultates) seruire A possit: nam eadem ratione tenuior esset, quam materialis, qui vt ita dicam naturalibus functionibus seruire posset. Praeterea, ex locis praeallegatis 5. *de simpl.* 2. *de Placitis*, cogeremur Naturalem quendam ponere, de quo nulla probatio haberi potest. Quod si non ponatur, cum sine instrumento proprio Naturales actiones obiri nequeant, non magis quam Vitales, & Animales absque proprio instrumento, desinent ea opera fieri. At cum dicantur fieri posse etiam sine spiritu aliquo, cur etiam idem de aliis non dicemus, quod scilicet ex propria singularum partium vi, quae ex temperamento & forma resultat, omnes functiones proueniant? Qua in re B mirum est, quo modo tota medicina plena sit his spiritibus, & tamen nihil vnquam probauerit esse certum. Quemadmodum multa alia aliorum placita, & vulgi potius inueteratas opiniones secutus est Galenus: sic in hac re de spiritibus Stoicorum placita potissimum est secutus.

Sed hoc cōcesso, quod spiritus sint omnis etiam generis, non cogimur aliquod genus febrium in illis ponere; cum omnia poni possint in partibus solidis, & humoribus, idque tum ratione duce, tum etiam Galeni authoritate: nam diariae, synochae non putridae, & putridae omnes in humoribus ponuntur. Cum enim vniuersa corporis massa leuius calefit, quicquid est vehementius excalefactum, vnius diei tempore ex- C spirat, & calor extinguitur; vnde Diaria constituitur. Quod si plus duret, fit Synocha non putrida; quae ad plures dies extenditur, quoniam maior facta est impressio, & vehementior conceptus calor; qui non nisi longiore spacio extingui potest. Quod si perseueret calor, & totam massam aequaliter afficiat, putrida iam euadit febris Synocha. Quod si vel bilis, vel pituita, aut humor melācholicus peculiariter afficiatur, & putrescat, alterius generis putrida febris gignitur; ardens scilicet tertiana, quartana, & sic de reliquis; Nec aliquod est inconueniens, si ita dicamus, nec variat curationem, nec viuendi rationem, nisi per magis, aut minus, quod scilicet minore remedio opus sit, vbi leuius est ac- D census calor, nec venae sectione, vt in Diaria, nec alio generosiore remedio sit opus, sed satis est quoquo modo refrigerare. Quod vero Galeni sit haec etiam opinio, etsi aliquando alios secutus aliter statuit, ex eo constat, quod scribit 9. *Methodi*, Diarias scilicet, & Synochas eiusdem esse naturae, nomen autem diuersum, quod scilicet Diariae nomen febrem ostendat, quae vno die finitur, Synochae autem ostendant febrem, quae per aliquot dies perseuerat continua absque accessione. Quare si synochae omnes tam putridae, quam non putridae, vtpote oppositae in eadem materia versantur, nempe in humore, & omnes dicimus propriam illarum materiam esse non spiritum, sed sanguinem; idem E pariter de Diaria dicendum, vtpote quam eiusdem omnino naturae esse saepius eo loco dicit. Sequeretur praeterea, nunquam posse esse Hecticam, aut Putridam sine Diaria, cum solidiora corpora non possint concipere pertinacem calorem, quinetiam spiritus eodem modo afficiantur.

Quod vero Synochae ex sanguine fiant, testatur eo loco, vbi dicit, eas solum in his gigni, qui multo sanguine abundant, tum quod praecipuum remedium sit venae sectio copiosa. Item c. 12. 2. *de febr.*

Quod vero Diariae ipsae ex sanguine fiant, idest in sanguine accendantur, testatur aperte *cap.* 12. 2. *de Differentiis febr.* vbi scribit; *Diaria febris fit non ob sanguinem putrescentem, sed eo duntaxat excalefacto.*

Duo ergo genera febrium ex duplici materia: *Vnum, quod hecticum, alterum quod in humore positum dicetur*, cum nomine alio careamus simplici, quo illud exprimamus: neque enim Putrida febris vocari potest, quemadmodum faciunt Medici, qui distinguunt in Diarias, Hecticas, & Putridas, cum etiam positis Diariis in spiritibus ex illorum opinione relinquantur Synochae non putridae, quae in humore, nempe sanguine accenduntur. Porro, Hecticum dicitur genus illud, quod ἕξιν, id est, habitum corporis, & solidas partes occupet; vel quod difficillime tollatur; quemadmodum quae habitum contraxerunt, de quo postea diligentius, cum de Hectica febre agemus. *Duo tantum modo esse febrium genera.*

Nunc vero, quid per solidas partes intelligamus explicandum, praesertim, cum Galenus varia de hac re tradat: Nam solidi nomen capit aliquando pro partibus, quas neruosas vocat, vt *vndecimo Methodi*, & 59. *cap. Artis Medicinalis*, vbi dicit, eas restitui non posse, cum perierint. Capit vero solidas partes latius, aliquando solidas omnes intelligens partes, quidquid humore, & spiritu solidius est, quo nomine carnem, pinguedinem etiam, & id denique, quod vulgo corporis partes vocamus, vt ex 2. *Aphorismorum* 7. & 1. *de Differentiis febr.* 7. & 12. *Metho.* vbi corpus ait constare ex partibus solidis, humoribus, & spiritibus. Qua ratione, Hippocrates continentia has partes vocat, quod soli, & humores, & spiritus continent: Hoc nomine intelligimus febres accendi in solidis partibus, capiendo solidas in generali significatu. *Quid per solidas partes intelligendum.*

Ergo accenduntur febres, vel in partibus solidis, vel humoribus; Et ea, quae in partibus solidis fit, Hectica vocatur; quae vero in humoribus, varia nomina capit: vel enim putrida est, vel non putrida: Si non putrida, vel Diaria, vel Synocha non putrida dicta: Si putrida, vel synocha putrida, quae scilicet ex sanguine fit, vel alio nomine vocatur, pro genere scilicet humoris putrescentis: nam ex bile, si continua est, ardens vocatur; si intermittens, tertiana; In pituita, si intermittens est, quotidiana; si continua, quotidiana cōtinua; In atra bile intermittēs quartana continua nomen etiā non habet, sed quartana continua dicitur: sed haec diligentius, cum de differentiis agemus: Nunc vero satis sit ostendisse, nec genera ipsa distincta fuisse propriis nominibus, nec species ipsas sub generibus contentas, nominatas fuisse.

An vero plura, quam duo prima genera, nostra opinione, vel tria aliorum iudicio, ponenda sint, postea expendemus. Nunc vero docendum, quomodo intelligamus febrem accendi nunc in humore; nunc in partibus solidis, cum omnes partes corporis, praesertim cordis, sunt *Quomodo febrem accēdi nunc in humore, nunc in partib. solidis dicamus.*

cum omnes partes corporis præsertim cordis sint accensæ.

sint accensæ, & calorem habeant præter naturam: neque enim humor, qui in corde est, calidus esse potest, quin etiam substantia ipsa caloris sit particeps, aut è contra. Ita autem res debet intelligi, quod *subiectum illud, in quo dicitur febris accendi, sit in calefacto esse, reliqua autem in ipso calefieri*: vt verbi gratia, si humoralis est febris, humores ipsi sunt excalefacti, partes vero solidæ in calefieri: Contra vero si hectica febris est, partes sunt excalefactæ, humores in ipso calefieri. Debemus autem intelligere, illud esse excalefactum, quod adeo fixum calorem concepit, vt etiam remota agente causa, maneat tamen in eo calor: illud autem dicatur esse in calefieri, cuius agente causa ablata persistere nequit, sed simul cum causa euanescat; quomodo cum manus igni admouemus; sentitur quidem ignea vis, & calor, sed nisi diuturna mora vehementior calor conceptus sit, abit statim. A B

Quid in calefacto esse & quid in calefieri.

Quomodo vero id fieri possit, quod accendatur in vno, deinde communicetur alteri calor, exemplo commodissimo docet Auicenna, ex balneo scilicet desumpto, vbi adsunt parietes, aqua, & aër. Si enim parietes ipsi prius excalefacti aquam vicinam calefaciant, & aërem, hectices est exemplum; quod si aqua prius excalefacta, parietes excalefaciat, & aërem, exemplum est humoralis; quod si aër ipse prius excalefactus aquam, & parietes accendat, Diariam illorum opinione monstrat.

An in corde vel alia parte id, quod dicitur excalefactum, poni debeat.

Cum ostenderimus, febrem esse intemperiem calidam, calore scilicet exuperante, & eum à corde per vniuersum corpus transmitti; Præterea, nunc accensum esse in humoribus, nunc in partibus solidis, & aliorum opinione etiam in spiritibus; Quinetiam, cum dixerimus, putridam excitari ex humorum putredine; continenturque tum humores in corde, & spiritus ipsi, tum etiam, cum cor sit corpus solidum, videndum est, an id, quod ponitur in calefacto esse, & aliter affectum, vtpote putrefactum, in corde poni debeat, vel non. Quod vero in corde hæc ponantur, probatur.

Rationes, quod in corde.

1. Primo authoritate Gal. *cap. 1. de differentiis febr.* vbi scribit; *differentiæ sumptæ à materia, in qua calor accenditur, maxime propriæ sunt, siue ipsum corpus cordis prehenderit calor, siue humores conditos in ipsius ventriculis.* D

2. Secundo, id ostendit ratio: si enim calor spargi debet à corde in reliquas partes, oportet profecto illic poni fontem eius, quod est accensum.

Quod non.

1. Quod vero contrarium ostendere videtur, est, quod febris putrida non videatur fieri ex humore putrescente in corde: nam sic omnes febres putridæ essent pestilentes, vt *3. libro de Præcognitione ex pulsibus cap. 3.* scribit Galenus; pestilentes scilicet febres fieri ex humoribus putrescentibus in corde.

2. Secundo, quod multæ febres putridæ focum habent extra vasa, quo modo dicimus focum Quotidianæ esse ventriculum, Tertianæ Hepar, Quartanæ vero Lienem. E

Quomodo putrida febris gignatur in corde. Responsio Galeni refutatur.

At, si quis quærat, quo modo putrida febris ex corde gignatur? Respondet Galenus *cap. 5. primi de differentiis febrium*, putridam fieri, cum putridus vapor ab humore putrescente eleuatus ad cor peruenit; sed id non placet:

Primo, quod dicitur, omnes febres fore pestilentes, si humores putrescant in corde; Dico, non esse necessarium: nec probari potest ex huiusmodi putredine pestilentes accendi: sed potius ex malignitate humorum, aut ex putredine *maligna*. Sunt enim pestilentes morbi maligni, vnde ex maligna causa nascuntur.

Secundo, sequeretur nunquam posse accendi febrem putridam putredinis causa incipiente à corde: nam quod dicitur ab inflammatione, in qua putrescunt humores, attolli vapores putridos, qui ad cor transmissi, eius humores calefaciunt; postea vero ab eodem corde rursus in alias partes transmittuntur, in quibus humores putrefaciunt, id solum locum habet, vbi ab inflammatis partibus incipit calor: at si cor ipsum prius incalescat, vt per iram, tristitiam, & cæteras huiusmodi passiones, quæ propriæ sunt ipsi cordi, & in quibus cor ipsum primo affectum, alias partes afficit; Demus enim accendi Diariam ex ira, si nolis concedere statim putridam fieri; quid tamen, vbi corpus est præparatum, fieri potest? sequatur deinde putrida; quæro: quo modo putrida, & à quo genita sit? à corde certe, per vapores transmissos ab illo ad reliquas partes.

Ergo per vapores putridos, cum alioqui is, qui putridus non est, putridam nequeat parere, sed solum vel Synocham, aut Diariam; At, C si putridi, ergo ex humore putrescente eleuati: nam vapor naturam referre debet subiecti humoris, à quo attollitur. Ergo humores putridi in corde, ab eo enim attolluntur huiusmodi vapores.

Tertio, quod putridi esse debeant, qui à corde ita eleuantur, ex hoc patet, quod humores illi sint in calefacto esse; nec ratio aliqua sit, qua potius dicantur habere vim putrefaciendi humores contentos in aliis partibus, quam quod ipsi sint putridi: nam cum humores sint pariter, qui in corde continentur vt alii, cur magis in vno, quam in alio putredo accendetur, præsertim cum cor ipsum ferueat semper? vt de vsu pulsuum scribit Galenus, facilius autem putrescere possint, quæ iam calidiora sunt, quam reliqua.

Quarto, si humores, qui sunt in corde, ponantur solum excalefacti, & non putridi, erit ergo febris Diaria, ex loco præallegato de differentiis febrium, quod ex sanguine excalefacto fiat Diaria; ex quo putrido fit putrida. Vnde semper erit Diaria; cum putrida, & sanguis semper putrefactus, & calefactus simul; quod fieri non potest, vt postea ostendemus.

Quinto confirmatur: si febris tantummodo est, cum aliquid est calefactum in corde: ergo putrida erit, cum aliquid erit putrefactum; vt enim genus effectus ad genus causæ, sic species effectus ad speciem causæ se habet. Quomodo .n. quæso, potest esse febris putrida, nulla re putrescente in corde, in quo fons est febris? Vt enim necesse est solidas partes, & spiritus aut humores excalefieri, si debeat Hectica, Diaria, aut Synocha fieri, sic oportet humores putrefieri, si putrida fieri debeat.

Sexto, aut putredo in humore leuis est, & in fieri, aut in facto esse; si leuis, necesse est, vt aliunde

vim capiat, vt perfecta fiat; si in facto esse, id A non potest esse, nec illud etiam, nisi cor habeat aliquid in putrido esse, quod aliorum membrorum putredinem foueat.

In omni febre putrida humores putrescere in corde.

Concludimus ergo, *in putrida omni febre humores putrescere in corde, & ex maligna putredine pestilentes febres, ex benigniore autem benigniores excitari*, cum alioqui principia non seruentur. Putridum enim à putrido fieri oportet, vt hecticum ab hectico, & excalefactum ab excalefacto.

An simul esse possint huiusmodi febres.

Quæri solet, an perpetuo inter se distinguantur hæ febres, an potius inter se omnes coniungantur; aut si non perpetuo, quænam se inuicem compatiantur, quæ vero cum aliis consistere nequeant. Ac quod seiungantur, ex hoc con- B stat, quod Diarias videamus solas consistere nulla putredine in humore facta. Dicuntur quoq; Hecticæ per se esse posse, quod tamen defendere nequeunt, qui in spiritibus febres quasdam ponunt: nam qui fieri potest, vt partes solidæ pertinacem calorem concipiant; quin etiam eodem modo spiritus afficiantur? Idem tamen vrget nos pariter, qui ponimus diariam in humore accendi. Neque enim solidæ partes calefieri eo modo possunt non calefactis ipsis humoribus; nec par quidem est ratio, nec omnino quadrat exemplũ q̃ de balnei parietibus, aqua, & aëre afferebamus ad ostendendam harum febrium separatam generationem: nam seiuncta sunt ea corpora inter se in balneo, & vt inanimata capere pos- C sunt motus initium ab arte in quocunque corpore ex tribus substantiis positis. In corpore vero nostro cum omnia sint commixta, & omnia simul calefiant, & solidæ partes ab ipsis humoribus, quod maximum est argumentum, necesse profecto fuerit, vbi hectica est, semper aliquam aliam febrem esse coniunctam, nempe, vel diariam, aut putridam, illam, inquam, si humores solũ calefiant: hanc vero si etiam putrescant; non tamen necessario putrida est febris cum hectica, cum videamus sæpe vrinas optimas reddi, aut leuiter certe mutatas; quod fieri non posset, si adesset putredo. Cur ergo remedia non adhibemus, vbi putrida non adest cum hectica, quę diariis accommodari solent? nam si diariam necesse est D adesse, cur illi pariter non medemur, vt ipsi hecticæ, & putridæ? Hæc ratio est: quoniam extincto calore, qui solidas partes obsedit, ille pariter euanescat, qui humores tantum excalefacit: Non ita vero accidit, vbi putridus subest humor, qui propria præsidia exigit; non mirum ergo esse debet, si antiqui huius complicationis, quæ est hecticæ cum diaria, mentionem non fecerunt, quandoquidem id Medici officia non variat, & quatenus ad curationem attinet, perinde est ac si non esset huiusmodi complicatio. Ergo hectica semper cum aliqua alia est febre. Diaria non necessario cum Hectica, cum Putrida vero nunquam consistere potest, etsi aliis aliter videatur: nam humores putrescere non possunt, & simul E non putrescere, quod necessarium esset, si Diaria cum Putrida consistere valeret. Si enim ex solo humore excalefacto Diaria, & Synocha non putrida consistunt, putrida autem ex illis putrescentibus nascitur, impossibile est has vnquam inter se coniungi, vt est impossibile idem putrescere, & non putrescere.

Hecticam semper cũ aliqua alia febre esse coniunctam. Diariam nunquam posse esse cũ putrida.

Secundo, etiam si concedamus, spiritus quosdam esse, & in illis Diarias accendi, tamen redditur hæc complicatio nihilo minus impossibilis: nam cum spiritus sint vapores quidam, qui ex humore subiecto attolluntur, necesse quidem est, illos esse putridos, siquidem ex putrido humore attolli nequit, quod non sit etiam putridum: Vnde ex illis febris quæ fieret, aut Diaria esset, aut Putrida; at ex putrido non fit Diaria, sed solum ex calefacto: vnde tantum abest, vt alii conuincere studeant huiusmodi complicationes, Putridæ, inquam, & Diariæ semper simul inueniri, eo quod nequeat fieri, vt humores sint putridi, quinetiam sint excalefacti spiritus, vt id nullo modo fieri queat, sed potius contrarium asserendum sit.

Tertio, si diaria est cum putrida coniuncta, sequeretur, post vnum diem eam solui, & vnam postea relinqui febrem, putridam scilicet. Quod si plus duret, Synocha erit. ergo in spiritibus accendetur Synocha: deinde sequeretur, tandem illam fieri quoq; putridam, nam Diariæ nisi soluantur, in putridas authore (Galeno) transeunt, quod si factum fuerit, nullus amplius relinquetur generationis locus ipsi Diariæ. Ex quo enim, quæso, gignetur alia? Præterea, ex hoc conuincimur, putridas in spiritu accendi; nam si Diaria ponitur in spiritu, & dicamus eas transire in putridas, nisi soluantur, putrida autem iam sit, in qua nam, quæso, alia materia putredo excitabitur?

Hæc & similia absurda habet opinio eorum, qui aliter sentiunt. Quare statuendum, *Diariam cum hectica, & putridam cum Hectica simul esse, hanc vero cum Diaria consistere non posse*, quod Gale. aperte testatur *cap. 9. 1. de differentiis Febr.* vbi scribit ad hunc modum: *Vbi excrementa per Diariam febrem plus æquo calefacta fuerint, deinde initium putredinis inde susceperint, alterum febrium genus accendunt priore sedato.*

Cap. III.

DE FEBRIVM DIFFERENTIIS.

Expeditis febrium generibus, & ostenso, quot sint genera inter se diuersa, & in qua materia singula genera poni debeant; quæ præterea genera sola consistere valeant; alia vero, quæ semper aliorum admixtione gaudent: & demum, quæ se inuicem compatiantur, & quæ non. Sequitur, vt de Differentiis agamus. Quæ quidem sparguntur in omnia, & singula genera: Nam quædam habet communia Diaria cum Hectica, & Putrida, in quibusdam vero differt; siquidem illud commune est, quod continua sit, vt hectica, & nonnullæ ex putridis; commune vero cum putridis habet, quod in humore accendatur. Differt autem, quod illius calor sit mitis, & suauis, quod cito terminetur, quod leuiter hominem afficiat, quæ putridis non conueniunt. Differunt præterea Diariæ inter se, & putridæ à putridis, & hecticæ ab hecticis, ex quibus quidem curationes variantur, & inter se differunt. Inuenies præterea apud Galenum, & alios authores, quasdam esse febres acres, alias suaues; quas-

quasdam continuas, alias intermittentes; nonnullas ordinatas, æquales, inæquales, magnas, paruas, pestilentes; alias nocturnas, diurnas, & mille alias huiusmodi differentias, quibus remedia præscribuntur, tanto sane ab aliis differentia, quantum ipse febres inter se differunt. Quam ob rem hæc tractatio diligenter à Medico, si quæ alia, excolenda est, & eo potissimum, quod hactenus aut contempta, aut certe nulla arte ab illis explicata videatur: Nam qui alios reprehendunt, interim maxime culpandi videntur.

Ac ne longius abeas, Galenus *lib.* 1. de *Differentiis febrium*, antiquos Medicos reprehendit, quod male febres diuiserint, eosque in his potissimum taxat, quod præcipuas, & proprias differentias omittant; vel quod si eas non prætermittunt, miscent tamen alienas quasdam, & inutiles differentias. Ex quibus contenditur, eum, qui recte hæc tradere velit, debere omnes differentias cognoscere, tũ vtiles, & inutiles; postea autem ostendere, quæ vtiles sint, & quæ inutiles relinquantur. Deinde omnes prosequi debet, quæ vtiles sunt, & nihil prætermittere, atque à certo initio auspicari, ex quo intelligamus, summa capita in primis diuisionibus esse comprehensa, ex quibus reliquæ differentiæ commode duci possunt. At interim cum alios reprehendit Galenus, & Hippocratem vnum celebrare nititur; non agnoscit, se alios quidem bene reprehendere, sed interim nulla laude Hippocratem in hac re esse dignum, cum illius diuisio, quam tantopere laudat, eadem omnino habeat vitia, quæ in aliis adnotat: quod veritatis causa profero, vt agnoscatis, sectarum studio, & patrocinio, quod vbique reprehendit, nonnunquam addictum fuisse Galenum nostrum, præsertim, cum Hippocratem aliis omnibus præferre studet. Est autem diuisio, qua vtitur Hippocrates *in Epidemiis libro sexto* huiusmodi: *Febres quadam manu mordaces, quadam mites, alia non statim mordaces, sed increscentes; nonnulla acuta, sed ab ipsa manu deuicta, quadam statim ardentes, quadam semper debiles, sicca, quadam salsa, alia inflata, aspectu graues; quadam humida, rubicunda, alia vel prapallida, vel liuida*; hæc est illa diuisio, quam tantopere Galenus laudat, eo quod à rei substantia differentias sumat, nempe à caloris essentia: Rursus admonet, caloris differentias sumi à tribus, ex magis, & minus, ex materia subiecta, & ex ipsius caloris motu; quæ quidem recte dicta sunt: sed tamen relinquunt, in quo dubitemus.

Diuisio febrium ex Hippocrate.

Primo enim non constat, an plures, an pauciores differentię sumi possint, cum à nullo principio rem exordiatur, quo id probetur, quod scribit.

Reprehenditur.

Secundo, constat plures esse differentias, quales sunt, cum dicimus, quasdam esse tertianas, quartanas, quotidianas, semitertianas, continuas, & intermittentes; quæ differentiæ cum fere solæ tractentur ab ipsomet Galeno, vt cum illarum signa, causas, generationem, & curationem docet, sic profecto illas contemnere non oportebat in ipsa diuisione: Nam frustra illorum explicationem tentamus, quæ à generali diuisione sunt exclusa.

Tertio, sicut à materia caloris differentias

A quasdam sumit, quod quædam scilicet in spiritibus, quędam in humoribus, aliæ in partibus solidis sint accensæ; cur à subiecta materia alias differentias non facit, quales sunt illæ, quod quę dam in duris corporibus; alia in mollioribus, crassis, tenuibus, aut aliis corporum differentiis sint concitatæ? quippe; cum huiusmodi differentiæ curationem varient, non minus, quam aliæ prædictæ: nam sicut alia præsidia adhibemus, vbi spiritus incalescunt; alia cum partes solidæ, aut humores laborant: sic profecto varianda sunt remedia pro corporum varietate, etiamsi idem hũmor, aut spiritus, aut alia materia afficiatur.

Quarto, si ex materia sumit, in qua calor B accenditur, tanquam scilicet ex causa in qua; cur alias non ducet ex aliis causis, nempe ex efficiente, fine, & causis, sine quibus non? quales sunt illæ, quod quædam nascantur ab ira; quædam ab insolatione; alia ex obstructione, ductis scilicet differentiis ex efficientibus febrium causis; vel quod quædam sint salutares; aliæ lethales, ex causa finali, & fine ipso sumptis differentiis: sic ex aliis causis (vt postea ostendemus) differentiæ capiuntur non inutiles.

Quinto, cum partes rei de ipsius essentia esse dicantur, cur quasdam non sumet ex temporibus, siue partibus ipsius febris, quales essent illæ si diceremus, nonnullas esse, quæ quatuor tempora C habent, veluti quæ paulatim sine Crisi soluuntur; aliæ vero, quæ pauciora, sicut sunt, quæ per Crisim, aut alio modo in principio vel incremento tolluntur.

Sexto cur nonnullas differentias non ducemus à febrium effectibus, quales sunt, quod quædam delirium inferant, quædam soporem, aliæ Syncopen, vel alia denique accidentia, cum tamen illarum mentionem faciat Galenus, cum docet 12. *Methodi medendi*, & 1. *ad Glauconem*, febrium curationem, quæ cum Symptomatibus sunt coniunctæ. Ex quibus patere puto, Hippocratem omnes differentias *proprias*, & *principales* (ita enim vocare debemus, quæ cura-D tionem variant) non enumerasse. Nunc vero ostendendum, inutiles multas differentias cum vtilibus eum miscuisse: nam quænam potest longius à substantia rei duci differentia, quam illa, cum dicit, quasdam esse inflatas, aspectu graues, rubicundas, pallidas, salsas alias? quæ omnia impropriissime de febre dicuntur, cum hæ coloris, saporisque sint differentiæ, non ipsarum febrium. Quod si eas admittamus tanquam vtiles; cur non etiam admittet Galenus *libro secundo de locis affectis* diuisionem & differentiam doloris, qua Archigenes vtebatur, quod scilicet quidam dolores essent dulces, quidam austeri? Cur enim, quæso, & qua maiore licentia febrim dicemus salsam, quam dolorem dulcem? E sed hæc (vt diximus) Galenus tunc damnare solet, cum in aduersarios inuehitur, omnia autem probare, quæ vel ridicula sunt, cum Hippocratem vnum omnibus præferre studet, & omnia illius dicta tanquam oracula tueri nititur. Quam ob rem, cum non constet ex huiusmodi differentiis quæ, & quot

possint esse; cum praeterea multae sint praetermissae, quarum alibi mentionem fecit, nonnullae adiunctae spuriae, & alienae differentiae, praestat methodum consulere, quae perfectum numerum semper assequitur, & vtilia ab inutilibus seiungere solet: ea autem petenda est ex libro, quem edidimus *de morborum Differentiis:* nam qui morborum differentias tenet, tenebit pariter differentias febrium: illic autem docuimus, differentias morborum Medico necessarias (quas *essentiales* vocamus) sumi vel ab essentia, vel à causis, vel ab effectibus. Ab his ergo fontibus, & illis, omnes febrium differentias sumemus.

Essentia febrium quae. Differentia febrium ab illarum essentia desumpta. Est porro febris essentia calor, siquidem per illum definitur. Sunt pariter de essentia illius, partes, siue tempora febrium; quare quae à calore, & temporibus febrium resultabunt differentiae, maxime propriae, & essentiales putabuntur; adde, quae sumuntur à proprietatibus. Porro, caloris differentiae ex intensione, & remissione, siue quantitate ipsius caloris, tum ex qualitate, tum etiam ex motu ipsius sumuntur. Ex copia quidem & intensione capitur ea differentia, cum dicimus, alias esse magnas febres, & alias paruas, in quibus scilicet vehemens, & multus, aut paucus, & mitis calor apparet; tanquam idem sit magna febris, & ea, in qua multus calor exuperat. Ex qualitate caloris ea capitur, cum dicimus, quasdam febres mordaces esse, alias mites; quasdam ad manum humidas, alias siccas sentiri: sunt enim hae qualitates diuersi occursus ipsius caloris. At ex motu ipsius caloris eae capiuntur differentiae vt si dicamus, quasdam non statim mordaces, sed post longam manus applicationem tales apparere: alias vero statim tales sentiri; vel humidas vel siccas, aut magnas, vel paruas: nam haec differentia in alias spargitur supradictas. Sumuntur etiam à motu eae, cum dicimus, quasdam acutas, alias non acutas esse; eo enim quod cito moueatur calor, & finem suum assequatur, differentia haec nascitur. Sunt quoque huius generis, cum dicimus, quandam continuam esse, aliam intermittentem, quod scilicet continuo calor moueatur, aut per interualla: Quae vero postea differentiae nascantur; ex diuisione continuae, & intermittentis postea trademus.

A partibus, & temporibus febrium ducuntur hae differentiae, quod quaedam tria tempora, alia quatuor, & ea vel aequalia, vel inaequalia contineant; quod quaedā sint in principio, aliae in fine.

A proprietate capiuntur quędam differentiae. Est enim proprium febrium, quod quaedam benignae, aliae malignae existant, quae alio nomine à more febrium capi dicuntur.

Differentiae à causis. Ex materia, in qua febres accenduntur, hae nascuntur differentiae, quod quaedam in humoribus, quaedam in partibus solidis, quaedam in spiritibus aliorum opinione nascantur: & inter humores, quaedam in sanguine, quaedam in bile flaua vel atra, aut pituita proueniant: vnde biliosae, sanguineae, pituitosae.

A subiecto corpore, quod quaedam in crassis, vel gracilioribus, duris, asperis, mollioribus, viris, foeminis, senibus, iunioribus, aut alio modo affectis corporibus consistunt. Sumuntur, & à subiecto eae, cum dicimus, quasdam fomitem habere, & focum in ventriculo, alias in liene, hepate, vel aliis partibus.

Ab efficientibus vero causis multiplices proueniunt differentiae: veluti cum dicimus, quasdam ab euidentibus causis oriri, vt diarias; quasdam à contrariis, vt putridas; nonnullas ex obstructione, alias ex ira, vel insolatione. Sunt huius quoque generis, si dicamus, quasdam hyemales; alias autumnales, vt quartanam hyemalem, & autumnalem dicebat Hippocr. quam hyems, vel autumnus peperit.

A fine sumuntur hae differentiae, cum dicimus quasdam esse salutares, alias lethales; quod ad salutem, vel mortem terminantur.

A Causis iuuantibus, laedentibus, & soluentibus febres, ducitur haec differentia, cum dicimus quasdam per venae sectionem solui, quales sunt Synochae non putridae; alias vero per purgationem, vt putridas; quasdam sola refrigeratione extingui, vt diarias.

A Causis vero, sine quibus non duci dico differentias, quae ex generationis, solutionisq; modo, loco, in quo proueniunt, ordine generationis, & solutionis capiuntur: veluti, cum dicimus, quasdam primogeneas esse, vt diarias; alias secundarias, vt hecticas; quasdam paulatim gigni, & solui, vt hecticas, alias confertim, veluti quae ex calida, & adurente materia nascuntur: Item quasdam publice grassantes, alias sparsim quosdam inuadentes; huius generis est & illa differentia, cum dicimus, quasdam nouas febres, alias inueteratas esse.

Quoniam vero inter causas potissimum efficientes quaedam simplices sunt, quaedam compositae, hinc differentia ea oritur, quod quaedam simplices, quaedam compositae, & inter has complicatae nonnullae, vel confusae dicantur: & quaedam exquisitae, & legitimae, aliae spuriae; quanquam tamen non impedit, si quis has differentias vltimas à proprietate febris dicat. Ea autem differentia, qua dicimus quasdam esse symptomaticas; alias vero his contrarias, à generationis ratione, quis sumi dicet, quae enim alios morbos sequuntur, symptomaticae, quod scilicet cum symptomatis in his conueniant, quod alios affectus sequantur, vt symptomata ipsos morbos.

Sunt effectus febrium, vt aliorum morborum, actiones laesae, qualitates corporis mutatae, & excrementa pręter naturam reddita. Vnde hę differentiae, cum dicimus, quasdam febres delirium inferre, aut soporem, vel sitim, aut pallidas esse, vel inflatas, aut salsas (vt Hippocrates vocat,) sumuntur ab effectibus, quos inferunt febres. Huius quoque generis est, cum dicimus, febres quasdam esse cum symptomatis coniunctas, quod scilicet symptomata appareant insignia, quę peculiarem Medici operam desiderant; *Ab effectis.* hae ergo, & si quae aliae reperiantur horum generum, differentiae febrium constituendae; nam ex his generibus aliae quaedam differentiae resultant, de quibus suo loco; nam continuae, & intermittentes multifariam diuiduntur, & diariae, & putridae, & hecticae, quasdam differentias capiunt, quas explicare eius est loci, in quo peculiaris de singulis generibus tractatio instituetur.

Cap. IV.

CAP. IV.

DE FEBRIVM CAVSIS.

Explicatis febrium generibus, & differentiis; sequitur, vt illorum causas, & signa explicemus. Ac primum quidem de causis agendum, quoniam hæ postea signa sua præbent ad febrium dignotionem. Præterea, cum nemo notas illius rei quærere tentet, quas esse dubitet: ea autem re vera esse cognoscamus, quæ causas aliquas habent, siquidem eius, quod non est, causa nulla est, ideo de causis prius agendum, quam de signis; tum etiam, quod res suapte natura sit dignior. Ac tanto quidé diligentius de hac re à nobis agendum, quanto negligentius hæc à maioribus nostris sunt tradita: nam cum tractatio huiusmodi inprimis requirat, vt ponamus, quot sint causæ, & quæ consideranda in febribus, non inuenias, qui hæc doceat. Ac cum in primis quod commune omnibus est febribus, doceri debeat, quod inquam, febris causa esse possit, inuenies id contemptum ab illis, qui statim diariæ aut hecticæ, aut putridæ causas explicare aggrediuntur. Quinetiam illud damnandum, quod omnium differentiarum, quas ponunt, causas non prosequantur: nam vix reperias, quid magnam, aut paruam febrem, quid ordinatam, aut inordinatam, breuem, aut longam pariat. Inueniemus præterea, authores agere de corporibus aptioribus ad febres concipiendas, vt statim Auicenna post differentias febrium de hac re agit. Inuenias & eos agere de foco, & loco qui veluti fomes est ipsius febris; sed cum hæc non tractent sub ratione alicuius causæ, ignoramus, ad quam partem pertineant, cum tamen plurimum referat id scire, quantum Sinterest, omnia ex suis capitibus, ducere, & ad ea reuocare, ab eo, quod est sparsim, & temere de vnaquaque re agere. Ad hæc plurimum refert scire, à quibus causæ omnes efficientes sumantur, quæ, & qualis sit illarum vis, & vsus; quonam modo præterea in illarum enumeratione progrediendum; quæ primo ponendæ, quæ deinceps, quæ omnia vel contemserunt antiqui Scriptores, vel certe negligentius explicarunt.

Cur de causis prius sit agendum, quam de signis.

Inuenias Scriptores de causis febrium perpetuo fere versari in efficientibus causis, cum scilicet docent, quid diariam, aut putridam, aut hecticam committere valeat: sed interim alia causarum genera non sunt contemnenda: nam materia, & subiectum, in quo febris accenditur, spectari debet, quod facimus, cum docemus, vniuersas febres nostra opinione in humoribus, vel partibus solidis accendi; & spectamus præterea, quales in vnaquaque materia accendantur: quales Sin sanguine, pituita, bile, humore melancholico, & reliquis corporis materiis, quæ etsi proprie subiecta quædam sunt, cum febres non dicantur ex tali materia fieri, vt inflammatio ex sanguine; tamen ad differentiam alterius subiecti, in quo consideramus, an in calidis, frigidis, humidis, siccis, gracilibus, crassis corporibus, & cæteris corporis differentiis accendantur, nomine materiæ donabimus. Consideramus ergo iam tria genera, efficiens, materiam, & subiectum. Consideramus præterea locum, in quo

Quæ & quot sint ponendæ in febribus causæ.

A febres, vel consistunt, aut fomitem habent: Hæc enim causa est, quare in eadem materia nunc continuæ, nunc intermittentes, & quartanæ, aut tertianæ gignantur. Spectamus iuuantes, lædentesque causas, & quæ ex corporis raritate, densitate, & aliis causis, sine quibus febres gigni, conseruari, augeri, tollique nequeunt. Postremo, quod inprimis erat dicendum, formas diuersas: alia enim forma est putridæ, quam diariæ aut hecticæ, & continuæ, quam intermittentis.

Auicenna non docet, quæ possint febres parere, sed statim diariæ, postea putridæ, & demum hecticæ febris causas quærit: idque temere: B nam in primis ratio dictat, docendum esse, quæ possint febres accendere: Deinde hoc, vel aliud febris genus. Præterea cum ex diuersis causis concludamus diariam, & non putridam esse febrem: veluti, cum ex vigilia ea nata est, putridam autem putamus, si obstructio eam peperit; nemo inter se hæc distinguere poterit, qui prius vim eorum, quæ febres parere possunt, perspectam non habuerit. Vnde Gal. *c. 4. lib. 1. de Differentiis febrium* enumerare nititur, quæ sint effectrices illarum causę, cum docet ex lassitudine, ira, mærore, coctione, frigore, insomniis, cruditate, temulentia, satietate, aere pestilenti, & conuersatione eorum, qui febre tenentur; quinetiam ex otio, plethora, prauis cibis, medicamen- C tis, aere calido, & ex aliis similibus febres concitari: qua quidé in re laudandus est, quod nitatur earum causas inuenire: Sed cum nullo principio posito, nec ex quibusdam fontibus eas ducat, probari omnino nequit illius tractatio: nam ex ea nemo vnquam intelligere potest, an plures, vel pauciores his, quas enumerat, causæ reperiri valeant. Quod qui ignorat, certe huius rei scientiam non tenet: siquidem ea quærit, quæ, & quot sint febrium effectrices causæ: quod nunquam inueniet ex particularium huiusmodi enumeratione, sed omnino genera, & capita rerum sunt excutienda, ex quibus omnia particularia, quæ enumerata sunt, & alia multa, quæ prætermittuntur, emanare cognoscuntur. D Atqui non vnum esse genus eorum, quæ febres pariunt, certissimum est; quippe differt temulentia ab ira, & frigore; hæc ab obstructione; obstructio ab inedia, & lassitudine. Quare videndum, quot omnino possint esse genera eorum, quæ febres parere sunt apta.

Quæ causæ febres parere possint.

Itaque cum docuerimus *libro primo de causis morborum cap. 10.* quatuor esse rerum genera, quæ morbos gignunt, nempe quæ assumuntur, extrinsecus adhibentur, vel à nobis geruntur, aut excernuntur, vel retinentur; excutienda singula sunt genera, & sumenda ex omni genere quæ febres committendi vim habeant.

Igitur in genere eorum, quæ assumuntur, est nimia copia, inopia, & vitiosæ rerum substantiæ E & qualitates, quæ quidem omnia febres parere possunt. Etenim copia alimenti multos humores gignit, crassos etiam & viscidos, qui venas, & arterias obstruentes, prohibita transpiratione febrem accendunt; inopia vero corpus exsiccatur, calorque accenditur: vnde ex satietate, temulentia, & inedia, & cruditate, febres nascuntur, sumptis ab his, quæ assumuntur in

Assumpta.

corpus, causis. Quinetiam cibi, aut medicamenta calidiora, qualia sunt acria, & amara, calorem intendunt, & febrem pariunt. Sunt praeterea toto genere, & maligna quadam natura inimica, quae cum assumuntur, vel per os, aut anum, vel aliam quamcunque partem, febrium sunt authores: cuiusmodi sunt venena toto genere apta ad febres procreandas. An non etiam ex modo, tempore, & ordine assumptionis febres proueniunt, in quibus nec substantia, nec copia, nec qualitas damnari potest: veluti, cum ex lactis post alios cibos assumptione, peruerso ordine febres nascuntur, aut cum incalescente adhuc corpore, & aestuante, frigidam bibimus; vel statim à somno expergefacti cibum intempestiue ingerimus, aut cum vniuersam cibi copiam, quam partiri oportebat, affatim assumimus; vel saepius in plures vices eam partimur; quibus quidem de causis febres indies nascuntur. Haec quidem monstrant, febres ab illis nasci, sed non primo, nec per se, sed quoniam vel qualitatem, aut quantitatem, vel substantiam alimenti permutant: etenim hoc praepostero ordine assumptum febris est author, quod scilicet cruditatem pariat, & corruptionem, ex qua putredo, & febris oritur. Cum vero nondum exercitato corpore, & excitato calore, cibus ingeritur, perperam concoquitur, atque hinc obstructiones, & corruptiones proueniunt: Aestuante vero corpore, patefactis immoderate venis, aquae potio sese intro insinuat, & parta densitate prohibet caloris difflationem, vnde febris nascitur: vbi vero confertim ingeritur alimentum, veluti obruto calore, cruditates pituitosae nascuntur; quae obturatis vasorum cauitatibus excitant febres. Quare haec ad tria praedicta rediguntur, non tamen impedio, si quis omnia inter se seiungere velit.

Retenta & excreta. Iam vero inter ea, quae retinentur, & excernuntur, non desunt febrium causae: siquidem bilis, quae quotidie excerni consueuit, si forte retineatur, proportione cum aliis humoribus viciata febres aucto calore intendit; pituita vero alio modo, quod scilicet sua viscididate cauitates occupet, prohibeatque effluuium caloris excitatis scilicet obstructionibus. Eodem modo, si cui excerni consueuit humorum copia, veluti mulieribus accidit, quae singulis mensibus sese à superfluo humore exonerant, retenta copia obstructiones pariter facit, vnde febris oritur. Hac quidem ratione, otium febris causa esse dicitur: quod scilicet languescat per ocium calor, qui nec probe concoquit alimentum, nec excrementa expurgat. Cum vero frigidiora excrementa reiiciuntur, necesse est calidos humores, qui in corpore relinquuntur, exuperare, atque ita calorem intendi. Hoc modo ergo ex retentis, & excretis febres ipsae nascuntur.

Extrinsecus nocentia. Caeterum quo modo, & à quibus nascantur febres inter ea, quae extrinsecus nocent, videndum est: varium etenim est illorum genus, quae extrinsecus adueniunt, *vt capite, & libro praeallegatis* ostendimus: siquidem quaedam impulsu agunt, cuiusmodi sunt vulnerantia, contundentia, frangentia; quaedam vero nos circumdando offendunt, vt aër, natationes, lotiones; item quae corpori applicantur, vt vnctiones, cerata, vel appenduntur collo, vel aliis partibus, aut circumligantur, vt vincula, quae partibus iniiciuntur, quorum omnium natura perpendenda est, & videndum, an ex omni genere reperiri possint, quae febres excitent.

Corpus ambientia. Igitur inter ea, quae ambiunt corpus, non desunt, quae febres pariant: siquidem aër calidus, vt aestiuus, apricatio, & frigidus pariter; veluti in his accidit, qui post validiorem concitatiorem que exercitationē, in locis frigidis versantur. Quin & lotiones in aqua aluminosa, vel sulphurea, & natationes in aqua frigida febres saepius accenderunt, sed diuerso modo nonnulla ex his, alia vero eodem id faciunt: siquidem quę calida sunt, absq; adstrictione febris sunt causae: eoq; vehementiore calore sese in corpus insinuante nostrum intendant, & augeant, frigida vero, atque etiam calida, sed cum adstrictione coniuncta, eo quod densent externam superficiem, prohibeantque fieri efflationem, & transpirationem fuliginosi excrementi; quod continuo euaporat. Duobus ergo modis quae nos circundant, febres gignunt, immissione scilicet vehementioris caloris, aut prohibitione euaporationis.

Applicata. At quae applicantur, & adiunguntur corpori, siquidem vniuerso admoueantur, eadem vi, eodemq; modo, vt praedicta, febres faciunt: nam vnctiones adstringentes, aut calefacientes, febres pariunt; illae quidem cohibito excremento, quod exhalare debet; haec vero transmissa per cutē ad cor calorifica vi. Si vero vni parti duntaxat adhibeantur, vix possunt febrem committere, nisi princeps sit pars, quae facile conceptum calorem in alios transmittere valeat. Alio praeterea modo, tum haec, tum praedicta, febres creant, eo scilicet quod humores commoueant ab ima parte in venas, & arterias, qui obstructione excitata, putredinē, & calorem intendunt: veluti cum vernalis calor, aut hybernus, humores à capite emanare faciunt, ille quidem liquando, hic vero exprimendo.

Impetu extrinsecus nocentia. Iam vero quae impetu extrinsecus nocent, febrem committendi vim habent, quod ostendunt vulnera, morsus ferarum, contusiones, & fracturae, quae febres asciscunt, sed non eodem modo omnia id faciunt: Etenim ferarum morsus id videntur efficere, quod feruorem quendam ad cor transmittant: reliqua vero eo, quod dolore excitato fluxiones adducant, quae vel obstructiones pariant, aut nimia partis repletione putrescunt, atque hoc modo ex putredine febres pariunt.

Motus corporis & animi. Superest quartum genus, quod ea continet, quae à nobis geruntur, continetque hoc genus animi, corporisque motiones, inter quae nonnulla sunt, quae calorem augent, eo excitato vehementius, qui insitus est; cuius generis sunt exercitationes violentae, & concitatae: siquidem nimio motu calor in partibus, quae ad motiones obeundas sunt demandatae, plus iusto intenditur; ab illis postea vsq; ad cor transmittitur calor, qui caloris ipsius visceris auctionis pariter est causa: quaedam vero veluti per ebullitionem quandam calorem augent, vt ira, per quam sanguis in corde feruet. Alia vero videntur calorem ex siccitate parere, vt tristitia, in qua corpus nutriri desinit, & oborta siccitate calor intenditur, qui dum vsu humore abundat, mediocris

cris esse solet, vel etiam, quod in eo affectu cor patiatur, & vehementius exerceatur. Quomodo vero per gaudium immoderatum, vigiliam, & somnum febres commoueantur, non docet Galenus: videtur tamen per gaudium id fieri, quod passio quædam sit ipsius cordis, quæ vehementius ipsum cor exercet: Per vigilias vero cruditates nascuntur, vel exsiccatur corpus: Vnde ex cruditate putredines, & obstructiones; ex siccitate vero calor intenditur: sic vitæ studia, & cogitationes, calorem exercent, & intendunt, cum vehementius in opere peragendo versantur.

An vero quæ appenduntur, vim huiusmodi habere possint, vt febres gignant, vobis relinquo expendendum: nam quod quædam per inspirationem putridi calidique vaporis id facere valeant, omnibus compertum esse puto: An vero quædam occulta quadam natura facultatem obtineant febres pariendi, sicut quædam inueniuntur, quæ fœtus perimunt, aut partus iuuant coxis alligatos, de quibus Dioscorides sæpius, & Galenus nonnunquam mentionem faciunt, cõpertum non habeo. Satis autem sit, genera inuenisse eorum omnium, quę febres efficere possunt; id quod, vt ostendimus, nulla methodo hactenus est ab alio quopiam factum.

Non satis est inuenisse febrium causas, sed præterea modus, & ratio inuenienda, qua febris gignitur: quod etiam à Galeno quæsitum videmus *in libro de Differentiis febrium* 1. *cap.* 4. vbi docet Medicos plerosque nihil plus scire, quam vulgus nouerit: nam ex ira, lassitudine, crapula, & reliquis prædictis occasionibus, nasci febres, vulgus etiam nouit. At, quo modo, & an vno, vel diuerso, ea omnia id faciant, non conantur explicare, cum tamen res ipsa summopere sit necessaria ad curationem instituendam; propterea quod non externis causis, sed internis remedia adhibemus, & secundum diuersum modum diuersa remedia excogitamus. Vbi enim quædam adstringendo febres concitant, remedium est aperire; vbi vero excrementa sunt retenta, auxilium est petendum à vacuantibus: vbi ebullitio excitatur, excogitanda, quæ feruorem remittant: vnde sæpe duabus causis inter se diuersis vno remedio succurrimus. Prodest enim exercitatio, vbi externum frigus, aut otium nocuit, & quæ intro assumuntur frigida febres pepererunt: vnde merito modus, & ratio, quam seruant causæ agentes, explicanda est. De qua quidem re, etsi obiter iam egerimus, cum docebamus, quonam modo causæ omnes ex prædictis generibus ductæ febres facerent; tamen non constat ex ea tractatione, quot, qualesve modi esse possint; quod imprimis est explicandum. Præterea non constat, an eodem modo, & per eadem cor accendat in aliis partibus calorem, vel non, & an idem sit gignendi modus in hectica, qui est in putrida.

Modi, quibus febres accenduntur, secundum Galenum.

Itaque vt de primo agamus, Galenus omnes modos, quibus febres accenduntur, quinque esse contendit; motum, inquam, putrefactionem, conuersationem, siue viciniam rei calidæ, permixtionem calidæ substantiæ, & suppressionem calidi excrementi. At solis æstum, ignem, medicamenta, & alia omnia, quæ extrinsecus cuti appropinquant ob vicinitatem febrium, causas esse censet, transmisso scilicet ad cor ipso calore. Verum excipienda sunt vulnerantia, quæ per putredinem potius, aut probibitam euaporationem elatam ab humore coarctato, febrem pariunt. Quæ vero extrinsecus refrigerando occurrunt, & quæ intrinsecus coarctant meatus, vel densando, vel obstruendo, vt potiones frigidæ, humorum copia, crassities, viscidiras, & quæ hæc pariunt alimenta, prohibitione calidi effluuii febrium causæ censentur. Iram vero, tristitiam, lassitudinem, ratione motus febrium (inquit) sunt causæ. De his vero, quæ ob permixtionem calidæ substantiæ febres pariunt, exempla non ponit *in libro de Differentiis febrium*, quod tamen facit *in libro de causis morborum*; siquidem alimenta, & medicamenta calidiora, vno modo febres faciunt, quod illa humoribus permixta calorem augeant; alio vero, quod obstructiones pariant sua copia, crassitie, & viscidirate: alio, quod grauatis viribus putrescant; ex putredine autem febris. Verum his modis non continentur omnes causæ: nam quod inedia febres gignat, idem author est *passim*: at id nec per constipationem, nec vicinitatem, nec putrefactionem, nec suppressionem, aut mixtionem calidæ substantiæ fit; Nec vigilia, quæ tamen diarias committit, ad eos redigi posse videtur: quare adderem sextum modum, qui ex humoris defectu calorem intendit: quo modo inedia febrium est causa, quod scilicet copiosum humorem non suppeditet, quo calor irrigetur: vigilia vero ducto calore ad externas partes, vel cruditates parit, aut humorem secum euocat, dissoluitque.

Secundum authorem.

Quomodo vero à corde gignantur febres, docendum: nam qua ratione ad illud ab aliis partibus calor transmittatur, antea ostendimus. Itaque opinio omnium est, calorem *mediante spiritu* à corde in vniuersas partes mitti. Quod si ita est, quomodo ergo vnquam potest Hectica incipere? si enim necesse est, partes solidas calorem concipere à spiritibus & sanguine, necesse erit ipsos spiritus antea semper esse excalefactos: vnde Diaria semper præcedit. Et certe argumentum hoc est maximi momenti, præsertim his, qui ponunt febrem esse affectum totius corporis: nam quomodo, quæso, in singulas partes calor perueniet primo, si iam spiritus sunt excalefacti in corde? At si quis ponat, febrem esse affectum solius cordis, respondere posset, partes solidas ipsius cordis esse excalefactas, & ab illis postea calefieri spiritus & sanguinem, qui tandem similiter vt cor ipsum partes reliquas afficiat. Verum, absurdum videtur esse, existimare, vnquam cordis substantiam calefieri primo posse; à quonam, & quo modo? Cum enim quæ alterant ipsum cor, vel statim incipiant in ipso corde, veluti est ira, tristitia, & aliæ illius passiones; vel aliunde per arterias calorem ad illud immittant; necesse profecto est, æqualiter calefieri, & simul accendi omnia, quæ in eo sunt: vnde cum semper id, quod tenuius est, promptius patiatur, quam quod crassius, & durius, necesse fuerit sanguinem, & spiritus, si qui sint, prius perpetuo accendi. Vnde illud quoque sequitur,

Quomodo calor in febribus à corde in reliquas partes transmittatur.

Hecticam febrem nunquam incipere posse.

A nunquam hecticam incipere posse; quod etiam Galenus aperte testatur *2. de Crisibus*, etsi aliter alibi sentiat. Sed hæc postea suo loco cõmodius: nunc satis sit statuisse, quod febris gignatur in corde à causis prædictis, & quod *semper prius humores & spiritus calorem vehementiorẽ concipiant; quam partes solidæ; non tamen necesse est putridas febres excitari, antequam excitetur hectica*; quoniam etsi solidæ partes contactu humorum incalescant: tamen ita affectæ illæ esse possunt, vt ante quam humor putrescat, solidæ partes sint in calefacto esse.

Iam vero alii modi sunt explicandi, quibus prædictę causæ febres cõmittant: non enim illud solum oportet scire, quod quædam putrefaciendo, alia motu, alia ob vicinitatem, alia ob mixti- B onem, & cæteros prædictos modos febres pariant, sed etiam, quod quædam per se, quędam per accidens; quod quædam maiore, aut minore vi id faciant; & quid in vno plus quam in alio possit: hęc enim curationem, & prædictionem variant: siquidem aliis præsidiis est opus, cum ea, quæ nocent, per se id faciunt; aliis, cum per accidens: nam si frigus externum febrem peperit, calefacientia sunt adhibenda; si ira nocuit, sola refrigeratio necessaria est. Magis periclitantur, qui ex aëre pestilenti inspirato, quam qui ex ira, aut cutis densitate laborant. In maiore periculo versantur frigida corpora, quam calida, si pari febre laborent: vnde non solum quæ, & quot sint, quæ febres faciant, sed quo modo, & qua vi singula C id præstent, perspectum esse oportet.

Quæ requirantur, vt prædictæ causæ febrium fiant.

Galenus *cap. 6. primi de differentiis febrium*, posteaquam enumerauit, à quibus rebus, & quibus modis febres committantur, docet, oportere corpora esse præparata ad ipsas febres, si modo illæ gigni debeant; idque exemplo docet; quod scilicet hæc ratio sit, cur aliqua corpora in aëre pestilenti peste corripiantur, alia vero non: nam cum eadem sit efficiens causa, non idem tamen sequatur, non aliunde potest peti ratio, quam ex subiecta materia, quæ diuerso modo est affecta. Verum non docet author ille quid per *corporis præparationem* intelligat, & quænam putet esse præparata magis, quam alia: nam exemplum, quod ponit, scriptum est dun- D taxat de præparatis ad pestilentes febres, non ad omnes. Præterea cum *libro de causis morborum*, requirat alia præter corporis præparationem ad morborum generationem, siquidem tempus, magnitudinem, approximationem, & vicinitatem rei requirit in causis agentibus; Idem profecto in febrium generatione prætereundum non est. Quare, vt ab hoc incipiamus, requirunt causæ, quæ febres parere debent, substantiam, qualitatem, quantitatem, modum, tempus, & ordinem agendi; præterea vicinitatem, & corporis præparationem, vt exemplis res patefieri nullo negocio potest: nam non omnia, sed solum quæ calorem accendere possunt, febres committunt, & calida non E omnia, sed solum, quæ vehementia sunt, & quæ confertim agunt; non omni tempore, sed potissimum à cibo exercitatio febrem inducit: Lac post alios cibos corrupto ordine eundem morbum parit: Sol eos non afficit, quos non attingit, nec eos præcipitat in febrem, qui difficile patiuntur.

Febrium subiecta secundum Auicennam.

At de corporibus præparatis ad febrem, Auicenna agit; idem facit Galenus 8. *Methodi meden.* sed diuersa tractatione vtuntur illi: etenim Auicenna paratiora putat ea corpora esse ad febres excipiendas, quæ quidem calida sunt, & humida, & maxime si humiditas caliditatem superet: Secundum locum concedit calidis & siccis; deinde sequuntur calida, tum humida, postea temperata; Inepta sunt frigida & humida: longissime vero absunt frigida, & sicca.

Ex Galen.

At Galenus primum locum tribuit calidis, & siccis, secundum calidis, & humidis, tertium calidis, quartum siccis, quintum temperatis, in quatuor vero reliquis ordinem non ponit. Differunt ergo in hac re, quod calidis, & humidis primas tribuat Auicenna; Galenus vero calidis, & siccis, & certe nescio vter melius in hac re sentiat: nam etsi febris igneæ est naturæ, qui facilius in sicco corpore, & calido accenditur, tamen ex minima quaque occasione vbi humor exuperat, obstructiones, putredinesque præsertim vigente calore nascuntur. Quam ob rem cum febris, quæ gignitur, vel hectica, vel diaria, aut putrida sit, dicerem ad hecticas & diarias, calida & sicca maxime esse exposita: calida vero & humida ad putridas. De aliis vero dubium non est: nam quod dubitari posset, corpora calida tantum aptiora esse, quam calida & humida, eo quod vicinior hæc sit calidæ, & siccæ, quæ omnium prima ex Galeno constituta est, ratione caret: siquidem occasionem excitandæ febris maiorem accipit calor ab humore, quam cum ille mediocris est cum siccitate pari mensura coniunctus.

Spectanda præterea est causarum efficientium vis: nam humida & calida ab humectantibus, & calefacientibus promptius afficiuntur, quam à calefacientibus, & exsiccantibus: sic calida & sicca à calidis & siccis, & similia denique à similibus maiore facilitate afficiuntur. Nec oportet duntaxat differentias huiusmodi ex primis qualitatibus in corporibus notare, sed etiam alias; veluti eam, quæ sumitur ex raritate, & densitate, crassitie, & tenuitate, robore, & imbecillitate: etenim quæ infirma sunt corpora, ab omnibus causis facilius patiuntur, quam quæ valida existunt. At in aliis differentiis non est eadem ratio: siquidem densa corpora externus calor minus offendit, quam rara: contrarium vero in frigore se habet: crassa corpora putredini maxime obnoxia, minus tenuia; quinetiam in his, qui tenues, & angustos venarum meatus habẽt, cibi crassi, & viscidi, vel multi promptius accendunt febres, quam in aliis, qui latiores eos habẽt; qui vero calefaciunt cibi, aut medicamenta, potius eos incendunt, qui latioribus meatibus constant. Quam ob rem, ne singula prosequamur, qui velit inuenire, quænam corpora paratiora sint, vt febribus corripiantur, spectare debet eã relationem quam habent corpora ad diuersas efficientes causas, diuersasque febres; tum demum id intelliget, quod quærit.

Febrium materia.

Expedita consideratione causarum efficientium, & subiecti febrium; superest, vt pauca de materia dicamus; quam duplicẽ esse diximus; humorem scilicet, & partes solidas. Ac in humore quidem vniuerso, id est, tota mãssa, quæ

sangui-

sanguinis nomen sibi vindicauit, accendi Diarias, & Synochas vtrasque; putridas, inquam, & non putridas; in reliquo vero omni humore putridæ solum excitantur, nunc continuæ, nunc intermittentes, nunc simplices, nunc compositæ, aut alterius differentiæ, de quibus postea agemus. Nunc vero docendi ratio postulat, vt doceamus, quænam materia aptior sit ad febrilem calorem concipiendum. Vt enim id in subiecto quæsiuimus, sic etiam rationi est consonum, vt idem in diuersa materia, quæ febribus subiicitur, doceamus. id quod etiam vtrunque à Galeno tactum fuit, *secundo capite de Differentiis febrium*, vbi docet, facilius spiritus, quam humores, & hos promptius, quam partes solidas accendi, quod scilicet tenuius facilius, quam crassum afficiatur. Quod si ita est, ratio exigit, vt hi, quibus tenuiores sunt spiritus, tenuioresque humores, facilius aliis febre corripiantur, & in ipsis humoribus, qui tenuiores sunt, promptius calorem recipiant; vnde ardentes, tertianæque febres promptius, quam Synochæ, & hæ, quam pituitosæ, & hæ rursus, quam melancholicæ proueniant. At, de multo, & pauco humore non eadem forte est ratio, paratiores siquidem videntur esse ad febres illi, in quibus multi redundant humores, quam quibus pauci adsunt: præsertim, si ab internis causis, & obstructione febris nascatur: nam multitudo paratior est ad obstructiones committendas.

Quæ materia sit aptior ad febrilem calorem concipiendum.

At, ita forte, & exercitatio, & maxime tristitia promptius in illis calorem auget, qui minorem humorum copiam in se continent: quippe cum vt pauca aqua ab igne promptius incalescit, quam quæ multa est; sic de humoribus credendum sit. Quoniam vero corrupti nonnunquam, & mali vigent humores, in aliis vero aliter affecti, constat profecto in eo, quod est corruptum, expeditius calorem accendi, quam in alio, quod sanum est, illud enim infirmo, hoc valido corpori respondet. si quæ autem reperientur in materia subiecta differentiæ, ad imitationem eorum, quæ hactenus prodidimus, facile intelligere poterimus, quæ aptiora, vel ineptiora sint ad febrilem calorem cócipiendum.

Meminit Galenus *vndecimo Methodi*, foci febrium, nec tamen docet, quid per eum intelligat; nec alio loco illius mentionem facit; tamen ex exemplis, quibus vtitur, & leui quadam explicatione, nihil aliud videtur intelligere, quam partem illam, quæ febris principium in se continet; ita enim habet *vndecimo Methodi: Oportet autem per principium febris intelligere non partem, in qua febris accenditur, cuiusque passio febris dicitur esse; siquidem, hoc modo vnicus esset focus ipsum cor; nimirum, cum illius passio sit febris, sed qua materiam gignit, suppeditatque ipsi febri.* Quo modo *primo ad Glauconem* scribit idem author; in Quotidiana Ventriculi, in Tertiana Hepatis, In Quartana Lienis maximam curam esse habendam: nam Ventriculus Pituitæ sedes, Hepar Bilis, Lien Humoris Melancholici esse putatur, ex qui-

De focis siue locis, in quibus febres fomantur.

A bus humoribus prædictæ febres gignuntur; Non ergo locum oportet intelligere per focum eum, in quo febris accenditur, aut in quo putrescit humor, quandoquidem, eo modo cor vnicus esset focus, cum tamen plures esse dicantur. Hoc vero non habitus corporis, in quo putrescere putantur humores, qui intermittentes febres pariunt; quanquam tamen contingit, vt idem aliquando sit locus, in quo putrescunt, gignuntur, & continentur humores, velut in Synocha febre, cuius focus alius esse non potest, quam magna vasa; quæ humores continent, huiusmodi febris authores; In Diaria erit quoque focus quidam, magna scilicet vasa, in quibus sanguis calefit vniuer-
B sus.

Est porro de focis febrium habenda ratio, vtpote, cum causæ sint, sine quibus febres ipsæ extirpari nequeunt. Agimus ergo de illis sub nomine Causæ, quam vltimam posuimus inter eas, quæ ad hanc tractationem pertinent.

Locus enim inter causas, sine quibus non, à nobis in opere de Causis positus est. Sunt tamen & aliæ ponendæ causæ, sine quibus, in febribus, vt *Concoctio, Expulsio, Cutis raritas, & densitas, internorum meatuũ apertio, robur & imbecillitas partium*, cum quibus, & sine quibus febres nec augeri, nec tolli, nec minui possunt: Le-
C gendus tamen locus est *in fine duodecimi Methodi*, vbi ita habet: *Quippe particula, quam obstructio, aut putredo, aut phlegmone obsedit, febris ipsius veluti focus est.*

Causæ sine quibus non

Cætera, quæ pertinent ad propulsionem febrium, illarumque causarum remotionem, & Symptomatum mitigationem, desiderantur, & ex *libris nostris de officiis Medici* elicienda.

His explicatis, quæ communia præfari sumus esse omnibus generibus febrium, tempestiuum esse duco, vt ea, quæ peculiaria sunt singulis generibus, & propriis singulorum generum differentiis expendamus: neque enim generalissimorum cognitio sufficit, nisi ad infe-
D riores species sit peruentum, idque in omni disciplina, & maxime in nostra Medicina, quæ vt Galenus optime scribit *libro primo ad Glauconem*, non hominem, non febrem, sed hunc hominem, & hanc febrem curat. Agendum ergo est de febre, quæ in humoribus, & partibus solidis consistit, duo enim erant hæc genera.

Ac quoniam fere ab humoribus febres incipere solent, deinde ab illis in partes solidas transire consueuerunt, & curatu præterea sunt faciliores, & sæpius inuadunt, Medicique operam magis requirunt; propterea ab illis merito auspicabimur. At quoniam quædam contrahuntur febres in humoribus absque illarum
E putredine; aliæ vero cum putredine, de his posteriore loco, quoniam aliæ simpliciores existunt, & generatione præcedere solent, faciliusque abiguntur, agemus. Verum, quia in humoribus non putrefactis leuissimæ, breuissimæque quædam febres concitantur, quæ Diariæ dicuntur, aliæ vero grauiores, & longiores;

quæ quoniam perpetuum quendam tenorem seruant, ideo Synochæ, id est, continentes dicuntur, quæ etsi cum Diariis eiusdem sint naturæ, vt aperte Galenus *nono Methodi* scribit, siquidem eadem est materia, quæ calorem concepit, tota, inquam, massa, idem locus, eædem causæ effectrices, vt postea ostendemus, tamen quia ob vehementię inæqualitatem præsidia variantur: ideo seiunctim de vtroq; genere agendum erit.

Qua in re eum ordinem sequemur, quem in generali tractatione obseruauimus: nam primum, quid sit Diaria febris, ostendemus; deinde quot, & quæ illius Differentiæ; tertio quæ Causæ; quarto quæ Signa, quæ eam declarent, & præmonstrent quid futurum, aut causas effectrices commemorent; Vltimo loco curationem aggrediemur.

Nec contemnere quidem hæc oportet, vt fieri video, quod scilicet raro ad Diarias Medici accersantur; nimirum cum prius solutæ sint, aut in alias migrauerint, quam Medicus vocetur. Quod etsi ita est, tamen nonnunquam etiam primo die ad huiusmodi febres aduocantur Medici, qui nisi rectam curandi illarum rationem tenuerint, nec eas præsentes agnouerint, prohibere non poterunt, quo minus succedant aliæ grauiores, quæ ab illis enascuntur.

Hac ergo potissimum ratione Diariarum tractatio necessaria; tum etiam, vt agnoscamus, quæ sint præsidia leuiora, quæ in propellendis febribus adhiberi possunt: nam fere, quæ huiusmodi sunt, requirunt Diariæ, vtpote quæ leuissimæ, mitissima quoque exigant præsidia.

CAP. V.

DE FEBRE DIARIA.

Diaria Etymologia. Diaria febris, siue Ephemera, vt Græci vocant, nomen sumpsit, à tempore, & spacio, quo affligere solet: nam quoniam vno die finitur, ideo Diaria nuncupatur, explodendaq; est barbarorum opinio, qui Ephemeram dictam putant à quodam pisce Ephemeron (vt aiunt) vocato, qui vnico die viuit.

Obiectio ex Galeno. Verum contra id facere videtur, quod habet Galenus *octauo Methodi*, vbi scribit, febres Diarias esse posse, quæ vsque ad quartum etiam diem extenduntur, cum dicat, se solum agere velle de Diariis *in eodem libro*, & interim curationem earum doceat, quæ ad supradictum terminum producuntur. Quinetiam *libro nono Methodi*, Synochas febres in Diariarum genere contineri scribit, cum tamen ad multos dies Synochæ extendantur. Addo, quod *libro primo ad Glauconem* aliter diarias definiat, cum dicit Ephemeras febres vocari, quæ ex lassitudine, & ebrietate, & aliis causis procatarcticis nascuntur: *Responsio.* Qua quidem in re non dubito nomina, & res inter se in hoc ab eo authore confundi: nam etsi eadem materia est Diariarum, & Synocharum, tamen quæ Diariæ sunt, nunquam Synochæ esse possunt, aut Synochæ Diariæ,

A cum nomen ostendat, Diariam solum esse eam, quæ vno die finitur, & de nomine ipso quæstio sit, cuius proprietas retinenda, quam etsi tertiana simplex, & composita, & etiam intermittentes, & continua in eadem materia accenduntur, tamen male has illius nomine, aut ècontra illam horum appellatione donaremus. Ex causis vero gignentibus describere febrem Diariam, non videtur rationi consonum, quoniam & hecticæ, & putridæ ab eisdem causis sæpe proueniunt.

Quare diarias docemus proprie, & solum eas esse, *quæ vnico die affligunt ægrotantes*. Verum *Diaria quæ.* cum dixerimus, diariam, vel in spiritibus aliorum opinione, vel in humoribus; vt nostra fert
B opinio, sed non putrefactis, excitari, fortasse non videbimur has ab aliis separare, quæ ex putredine humorum, vel partibus solidis excalefactis per vnum diem durant: verum non ita res se habet: quoniam nulla est, quæ tam cito finiatur ea excepta, quæ absque humorum putredine nascitur; quando nequit humor putrescere, concoqui, & expelli vna die, nec partes solidæ concipere febrilem calorem, & eodem spacio disponere.

Perfecta ergo est ex durationis tempore diariæ descriptio, quandoquidem si diceremus, eam esse, quæ nascitur ex humorum calefactione absq; putredine, non eam separaremus à synochis; ex
C quibus constat, quid sit diaria febris; & quod Galenus, & Auicenna confundant Synocham cum diaria; cum diariam dicunt vsq; ad tres dies extendi.

Differentiæ febrium diariarum, quæ contemnendæ non sunt, sumuntur ab essentia, causisque illarum; Quædam enim acriores aliis existunt, veluti quæ ex tristitia, & vigilia sunt excitatæ: abundantior vero calor est in febribus, quas peperit ira; parcior in his, quæ sunt natæ ex tristitia; mitior apparet ab initio calor in illis, qui ex densitate laborant: vnde licet ex qualitate caloris; quantitate, siue copia, & motionis modo, quod scilicet acris, vel suauis, paucus, vel multus, statim, vel paulo post attollatur, huiusmodique appareat, differentias capere. Por-*Diariarum differentiæ.*
D ro à causis sumitur ea differentia, quam habet Galen. *initio octaui Methodi*, & repetit *nono eiusdem Operis libro*, vbi scribit, quasdam esse, quæ causam non habent amplius, quæ gignat, augeatq; febres: veluti sunt illæ, quæ ex ira, tristitia, labore sunt natæ, & ablatis sedatisq; huiusmodi causis, perseuerant.

Addit alias *initio decimi*, quæ ex dolore, vigilia, cura, vstione, & bubone procreatæ sunt; aliæ vero, quæ ex constipatione externa ab aere frigido, vel etiam ab vstione, vt *eodem libro* scribit; aut à balneis aluminosis, vel alio modo adstringentibus, vel etiam à leui obstructione, à cibis glutinosis, & crassis, vel multi succi: nam ab his
E etiam causis diariæ febres oriuntur, si Medicum, (vt inquit Galenus) sint nactæ, qui prohibere sciat recisis causis, ne in putridas transitus fiat.

Notandæ sunt huiusmodi differentiæ, propterea quod curationem euariant: Alia siquidem præsidia debentur his, quæ acriores; alia his,

his, quæ mitiores; alia illis, quæ ira, vel lassitudo commisere. Possem alias sumi ex symptomatis, siue effectibus differentiæ, quod scilicet quædam pulsus edant elatiores, veluti quæ ab ira essent natæ; aliæ vero depressiores, sicut sunt, quæ ex tristitia proueniunt: sic aliæ vrinæ seduntur in hac, aut illa differentia, & vario modo cutis, reliquumque corpus afficitur à diuersis febribus; sed quoniam hæ differentiæ curationem non variant, nisi quatenus febrium varias differentias significant, aut varias causas; ideo aut alienas, aut certe non præcipuas existimabimus.

Causæ efficientes.

Galenus variis in locis Diariæ causas recenset: nam *libro primo ad Glauconem* ob lassitudinem, ebrietatem, iram, furorem, mœrorem, animi curas, ex inguinum inflammatione nata ex vlcere manifesto: præterea ex vigilia, externo frigore, & vstione oriri Diarias febres ponit. *Secundum Galenum.* At *decimo Methodi*, dolorem addit, & constipationem externæ cutis, & obstructionem etiam meatuum internorum, si modo leuis fuerit. Addit cruditatem *libro octauo*, & *nono Methodi*, sicut etiam obstructionem internam. Addit & *lib. 1. de Differentiis febr.* temulentiam, & satietatem.

Verum probari non potest huiusmodi tractatio, quoniam primum à nullo capite certo exorditur, quo intelligere possimus, nec plures, nec pauciores esse posse.

Secundo, quod non omnes comprehendat causas, quæ huiusmodi febres committere valent: nam sicut tristitia, sic profecto & lætitia huiusmodi febrium causa esse potest; nec alienum est sicut ex nimia satietate, sic etiam ex retentione excrementi biliosi huiusmodi febres prouenire: Sicut etiam ex cibis, potionibusque calidioribus & ex medicamentis, vt vnctionibus extrinsecus admotis.

Præterea, cur huiusmodi causæ Diarias solas excitare dicantur, & non aliæ causæ; veluti grauiores obstructiones, non satis constat; propterea scilicet, quod ex natura rei non exorditur causarum inuestigatio, oportet enim, cum causas alicuius rei quærimus, ante oculos ponere illius essentiam; & ita excussis singulis partibus, à quibus causæ morborum petūtur, spectare quid possit, aut nequeat illius esse causa.

Secundum autorem.

Itaque si Diaria febris fit ex sanguine duntaxat excalefacto, non autem ex putredine humorum, & leuiores oportet esse causas, quæ Diarias pariant.

Quæ enim vel putrefaciendi, vel solidas accendendi vim sunt sortita, maiore quadam facultate sunt donata: nec illorum impetus vnius diei tempore compesci potest. Qua ratione si singulos fontes causarum febrium excutiamus, facile inueniemus, quæ poni debeant huiusmodi febrium causæ, quæ vero reiiciendæ, & si quæ forte aliæ temere sunt enumeratæ, falsæ deprehendentur.

Ergo inter ea, quæ geruntur, siue fiunt, optime dictum est animi passiones veluti iram, tristitiam, curas, febrium huiusmodi causas esse, quoniam suapte natura excalefacere, non autem putrefacere sunt apta, eo quod leuem calorem in corpore excitent. A

Corporis.

Sic inter corporis motiones violentæ exercitationes, quæ lassitudinem accersunt, vt cursus, palęstra, concertatio, violenta equitatio, clamores, & si quæ sunt huiusmodi motiones, quæ vel vniuersum corpus, vel cor statim excalefacere possunt, tales febres procreant.

Quomodo & in quibus motus animi & corporis huiusmodi febres possint excitare.

Quomodo vero, & in quibus possint hæc febres concitare, paucis tradendum: nam etsi ira suapte natura febris est author; non tamen pari vi omnes accendit: sicut nec tristitia, vel lassitudo, aut alia denique causa pariter afficit. Modus præterea ignorandus non est, quo febres nascuntur, propterea quod curatio B variatur ob diuersum modum: Etenim diuersa præsidia Diariis excitatis ab ira adhibemus his, quæ ex tristitia, vel alia causa sunt natæ: Quoniam etsi omnes huiusmodi causæ febrium sunt causæ, non tamen eodem modo, atque id quidem est quod Galen. *1. de febr.* magnopere requirit in Medico, vt scilicet modos vniuersos agnoscat, quibus febres à suis causis proueniunt. quando vulgus etiam nouit causas ipsas, modos autem ipsos minime.

Quomodo hæc febris excitetur ex ira.

Ergo, vt ab his, quæ geruntur, auspicemur, & ab animi perturbationibus, ira *ob motum vehementiorem irascibilis facultatis*, in ipso corpore cordis residentis febres concitat: nouimus enim motum vim habere calefaciendi; C at quomodo febrem dicimus nasci ob motum facultatis irascibilis Galeno authore, cum testetur Aristoteles, nihil aliud esse iram, quam sanguinis ebullitionem circa cor, quod quidem verissimum est: verum ebullitio sanguinis nascitur ob motum vehementiorem ipsius facultatis, quæ sanguinem agitat, & commouet.

Potest autem plurimum ira in calidis, & siccis corporibus, & densis, quibusque vitale robur est infirmum: nam calida, & sicca motu, & ebullitione, vt ligna arida ab igne facile succenduntur, & à densis corporibus fuliginosa ex ebullitione excitata excrementa non facile D expirant, sed intus retentæ calorem exasperant.

Quomodo ex tristitia.

Tristitia (inquit Galenus) non ob ebullitionem, sed ob motum duntaxat, causa est febris. Verum quo modo ob motum id faciat, non docet, An forte id fit, quod moueatur calidum natiuum ad cor, & illic veluti suffocetur ob nimiam copiam? vel potius, quod facultas, quæ tristitiæ est author, vehementius exerceatur? An forte etiam, quoniam ob tristitiam corpus infeliciter nutritur: vnde ob siccitatem calor exasperatur.

Per gaudium.

Per gaudium accendi febres non est alienum à ratione, nec alia ratione id fieri videtur, E quam quod vehementer commoueatur facultas, quæ huius passionis est causa. Ea autem postea contenta in corpore humores agitat, & accendit.

Ex timore.

Ex timore febres quoque nascuntur, propterea quod vniuersus sanguis ab externis partibus cō-

trahitur ad cor, qui cum libere difflari nequeat, succenditur.

Quomodo ex motionibus corporis. At vero quæ fiunt à corpore, *omnia motu, & attritu*, siue à nobis, siue aliunde proueniant, febres committunt: sic enim lassitudo attritu articulorum eas parit. Idem fit per vociferationem, violentius commoto thorace, & partibus in eo contentis, & equitationem, remigationem, gestationem, & alias deniq; corporis motiones.

Quomodo ex assumptis. Cæterum, quæ assumuntur, vel quod calida sint actu, vel potentia, & mixta cum substantia nostri corporis, eam calefaciant, vel quod meatus obturent, visciditate, crassitie, vel copia, atq; ita prohibita transpiratione, calorem accendant, vel quod ex parsimonia siccitas, & proinde calor intendatur.

Quomodo ex retentis & excretis. Ea vero, quæ retinentur, & excernuntur, febrium sunt causæ: retenta quidem, si calida, & acria fuerint, eo quod misceantur cum reliqua substantia: frigidiora vero & crassiora, eo quod obstructiones pariant. Licet idem ostendere in his, quę extrinsecus adhibentur, repetita methodo ex generali tractatione de causis febris. Quare ad signa transeundum est.

Diariarum signa. Signa Diariæ iam à nobis explicanda veniūt: ac imprimis quæ Diariam ipsam ostendunt; deinde singulas illius differentias, veluti eam, quæ ab ira vel tristitia, vel cutis densitate, aut alia deniq; causa est orta.

De qua re Galenus *octauo capite primi de Differentiis febrium*, & *primo ad Glauconem*, & *secundo de Crisibus*, sed nulla methodo agit, cum à nullo certo fonte exordiatur, sed sparsim, & nullo ordine ex diuersis fontibus indicia sumat: Attingit tamen fere omnes fontes, & in primis eum, qui ab essentia ipsius febris, nempe à calore sumitur.

A febris essentia. *Est enim* (inquit) *primo de febribus, proprium, & inseparabile diariarum, quod calor sit suauis*; intelligit autem proprium, quod soli; inseparabile, quod omni inest. Nam etsi omnium febricitantium acris est, vtpote præter naturam, tamen si comparemus diarias cum putridis, & hecticis, suauis, & mitis videbitur diariarum calor, etsi interim inter ipsas diarias quædam acriores sint aliis. Intelligere ergo oportet suauem esse calorem, non absolute, sed *respectu aliarum febrium*.

In calore præterea notamus incrementum, quod scilicet libere ascendat calor, etsi id (vt inquit Galenus) non est proprium diariis, quoniam Putridæ etiam, quæ ex calida, & acri materia fiunt, libere ascendunt, sicut & hecticæ.

Cur sit suauis. Est autem ratio, cur sit calor suauis in diariis, *quoniam est in subiecto miti, nempe, sanguine humido, & halituoso*, libere autem ascendit, quoniam non fit contractio, vt per eas contingit, quę cum horrore, aut frigore inuadunt, & quod non fiat à materia diuersi generis.

A febris partibus. Sumimus & à partibus febris inditia, quod scilicet & status sit clemens, & cito crescat, ad statumq; perueniat, citoque remittatur, & quod in interuallo perfecte appareat integritas, & quod in declinatione sudor, aut mador, aut vapor omnino aliquis suauis exhalet.

A *A causis.* Secundus fons à causis sumitur, efficiente in primis, iuuante, & lædente, & subiecta materia: nam diariam oportet omnino incipere ab aliqua causa procatarctica, id est, recenti, & euidenti, quoniam aliæ quæ ex latente causa nascūtur, putredinis sunt indices; & hoc signum est quidem inseparabile, sed non proprium diariis, quoniam (vt inquit Galenus) aliæ nonnullæ veluti Putridæ, & hecticæ aliquando incipiunt ab eisdem causis.

A iuuantibus vero, & lædentibus sumit signa Galenus *primo ad Glauconem*: quod scilicet facile tolerent febres, qui laborant, & quod dum lauantur, horrore insolito non corripiuntur, neque molestia alia afficiuntur. Adderem, quod facile ab omnibus iuuentur ob
B caloris suauitatem.

Cæterum à causa materiali siue subiecto, signa non capit Galenus, etsi tamen id liceat commode facere: nam corpora, quæ nec nimia humorum copia, nec multa abundant, nec admodum sunt exsiccata, nec densa, diariis sunt oportuniora; alia vero vel putridis, aut [illegible] exposita.

Ab effectibus. Jam vero ab effectibus, nempe vrinis, pulsu, alui excrementis, qualitatibus corporis, & aliis denique symptomatis, signa licet sumere.

Ab vrinis. Vrinæ igitur (inquit Galenus) *primo de febri-*
C *bus*, statim in primo die concoctæ apparent in diariis. Addit *ad Glauconem*, quod debeant esse aut omnino similes his, quæ sunt secundum naturam; vel quod non multum à naturali statu recedant: idq; merito, cum febris ipsa vnico die terminari debeat, & ob id exiguam mutationem acceperint tam paruo tempore, & calore tam miti, & concoctæ omnino appareant vrinæ soluto morbo.

A pulsibus. Pulsus magni, & celeres, & frequentes, præsertimque frequentes in exteriore quiete: nam magnos, & celeres pulsus oportet esse ob caloris augmentum: in dilatatione vero in externa quiete, frequentior debet esse, tardior vero contractio, quoniam dilatatio fit ad aerem frigi-
D diorem attrahendum, quo eget calor auctus; contractio vero ad fuliginosa, & putrida excrementa est instituta, quæ in Diariis ob mitem calorem non abundant.

Inæquales præterea (inquit Galenus *ad Glauconem*) pulsus esse non debent, præsertim in vna pulsatione, quoniam id signum est putredinis. & intelligi debet ratione ipsius febris: nam ratione causæ inæqualitas contingere potest, veluti, cum fit febris ex inflammatione, quæ arterias tendit.

A respiratione. Sic etiam respiratio ad pulsuum proportionem se habet, & (vt inquit Galenus *ad Glaucon.*) accubitus calorem, & excrementa, & actiones
E alias corporis addere oportet: nam hæc parum mutantur à naturali statu in his, qui Diaria laborant.

A solutionis modo. Quinetiam ex solutionis modo inditia sumūtur, quod scilicet arteriæ ad naturalem statum sedata accessione reuertantur, & vrinæ quoque, & quod capitis dolor, si aliquis adest, & alia denique

niqueaccidentia plane sunt sedata ablata ipsa febre.

Similitudines. Adde & signa ex similitudine, quod scilicet eodem tempore grassentur Diariæ in simili natura, tempore, viuendi conditione, & aliis huiusmodi, quæ similitudinem certiorem reddunt.

Indicia, quæ febres diarias ostendunt & inter se distinguunt. Signa diaria ex tristitia. Diariam ex tristitia ostendit acrimonia caloris potius, quam abundantia; præterea, oculi concaui, & sicci, & insueta decoloratio.

Hæc Galenus *1. ad Glauc.* Nec alienum est, vrinas igneas esse, & acres, ob siccitatem, & pulsus in contractione celeriores, eo, quod fuliginosa excrementa ob siccitatem in his acetuentur, quę contractione expelli debent, paucus autē est calor, qui dilatatione non perinde eget; Et (vt optime Galenus *ad Glauconem* scribit) durantibus adhuc animi affectibus, ex pulsibus cognitio euidens est, qui ostendunt, quænam causa præcesserit.

Ex furore & ira. Ex furore vero, & ira, febrem ostendunt vrinæ rufæ, oculi vero ostendunt adhuc rubedine sua præcedentem affectum, calor multus, & ex imo corpore celeriter prorumpens, pulsus magni, & celeres.

Ex vigilia. Febrem ex vigilia ostendit facies subtumens, & oculi, qui vix palpebras attollunt, & humiditas, quæ in ipsis oculis apparet.

Ex lassitudine. *Febrem ex lassitudine ostendit cutis siccior, quam in alia febre Ephemera. In declinatione vero ipsius febris, vapor calidus, aut etiam humor ex intimo corpore effertur, nisi supra modum fuerint defatigati, aut cum labore a sole perusti; in his enim etiam pulsus sunt parui, in aliis vero magni.* Hæc *ad Glauconem* Galenus.

Ex æstu. Febrem ob æstum ostendit cutis calidior, & squalidior, quam pulsus ad febrilem dispositionem mutati: calor statim in occursu manus vigere videtur; caput vero peruri, sitis minus infestat, quam vbi æqualiter calet corpus, gaudent, & iuuantur frigidis fomentis, oculi calidiores, & rubicundiores videntur cum siccitate, si modo sine grauedine, & defluxione febricitant. Quod si hæc accedant, non solum caput calet, sed etiam plenum est sanguine, ita, vt omnes venæ circa oculos, frontem, & faciem tensæ appareant.

Ex densitate. Febrem ex densitate cognosces ex tactu, nam & densitas ipsa tactum exercitatum fugere non potest; calor præterea paulatim augetur, cum primo manus iniecta mitis appareat, acrior vero postea si perduraueris. Vrinæ non rufæ, nec corporis moles collapsa, nec oculi concaui, & sicci, sed quibusdam etiam humidiores, & prominentiores, quam secundum naturam, pulsus nō minores, quam in cura, tristitia, & vigiliis, aut immoderatis exercitiis.

Ex bubone. *Febrem Diariam ex bubone ostendunt pulsus maximi, veloces, & frequentes plurimus calor, & in ipso statu quadam emergens humiditas calida, sed mitis, & minime acris, facies vt plurimum rubicunda, & magis tumens, vrinaq; subalbida.* Hæc Galenus *ad Glauconem.*

Hæc sufficiant de signis Diariarum: nam a-

A liæ differentiæ ex his, quæ dicta sunt, facile distingui, cognoscique poterunt. Illud solum addendum est, quod ad prædictionem pertinet: nam etsi Diariæ suapte natura semper salutares sunt, tamen ignorandum non est, quandonam in alias febres transeant, nempe in putridas, aut hecticas. *Signa diariæ transitura in putridam.* Ostendunt autem transitum Diariæ in Putridam, si declinat sine sudore, aut vapore, & longa est declinatio, nec à sudore finiatur, nec pulsus relinquuntur liberi, aut contrahuntur, vel minores redduntur, acceditque, vel horror, vel frigus, calor vero mordax, & siccus apparet, & symptomata augentur, vrinæ aliquando concoctæ manent ex priore alteratione, aliquando vero incrudescunt.

B Transitum in hecticam ostendunt arteriæ calidiores, febris fixa, & sibi similis, pulsus duri, & parui, calor, qui augetur post cibationem, & denique signa Diariæ minuuntur, emergunt vero alterius, quæ incipit, indicia: licet etiam eadem ratione præcognoscere, an succedat Synocha vel non. *In hecticam.*

Diariarum curatio. Contemnenda non est Diariarum curatio, quod vulgus facit, eo, quod putet in paucis Medici operam requiri, & non nisi soluta febre Medicos accersiri. verum res aliter se habet: nam nobiles potentesque viri, quorum causa medicina fere instituta est, Medicos desiderant in huiusmodi febribus, & interim quoniam illis remedia describimus, vna intelligimus, quo C modo dispositiones ab ira, tristitia, & cæt. auferantur.

Quibus, quibus & cur balnea prosint. Curationem Diariarum generali ratione complectitur Galenus, *primo ad Glauconem*, quod scilicet omnes laborantes confestim ad balneum sint perducendi, excipiendæ tamen sunt, quæ ex obstructione consistunt, aut ex fluxione à capite, præsertim frigida (his enim nocet balneum) idque merito. Cum enim omnes consistant ex sanguine excalefacto e mittente vapores, balneum, vtpote quod educendi vim habeat, huiusmodi vapores, & potentia refrigerandi omnibus confert. Ex quo constat balnea intelligenda esse aquæ dulcis, non au- D tem sponte nascentis, quæ Galeno authore caliditate habent omnia admixta, quanquam tamen id docuit in nonnullis experientia falsum: siquidem balnea huic Ciuitati satis vicina, vtpote quæ quindecim milliaribus distent, dicta balnea aquæ refrigerandi, humectandique vi sint prædita, verum quoniam sunt balnea non solum ex aqua confecta, sed etiam aere, omnes diarias aqua dulci egere scribit, aere autem minime, exceptis his, quæ ex cutis densitate, aut ex inflammatione inguinum sunt contractæ; has enim *ad Glauconem* aere balnei non lædi vult Galenus; idque merito, quoniam scilicet febres ex densitate egent exsiccatione potius, & maiore caliditate, quod aer præstat feli- E cius, quam aqua.

Sic etiam ex inflammatione obortæ febres reuulsione maiore egent, & discussione, minoreque humectatione; nimirum, cum affectus ipse (inflammatio scilicet) calidus sit, & humidus. Moræ autem in balneo nullum modum constituit Galenus, nisi quod *eodem loco* scribit,

permittendum esse, vt diutius in eo, si velint, immorentur. Est tamen mensura adhibenda, vt corpus refrigeretur, humecteturque, quatenus oportet, ne vires longiore mora dissoluantur; Qualem vero oporteat esse balnei aquam, præter dulcem, *eo loco* non docet; forte quod non omnibus eadem possit conuenire qualitas.

Calidiorem etenim postulant, qui ex densitate, quam qui ex ira, vel tristitia laborant, propterea illius qualitas in singulis varianda est pro illarum natura, & causarum, quæ febres pepererunt.

Post balneum vnctiones, & perfrictiones ex oleo tepido, & multo adhiberi vult, quæ per manus molles administrentur. Atque hæc quidem communia sunt præsidia, quæ Diariis adhibentur, quæ vel intenduntur, vel remittuntur, pro causarum, & subiecti corporis varietate: aliaque præterea sunt excogitanda, quæ resistere possint causis ipsis, aut dispositionibus à causis derelictis.

Quin & illud probare nõ possum, quod cum varia sint præsidiorum genera, aliis fere contemptis totam vim in his, quæ extrinsecus adhibentur, ponat Galenus; quare sigillatim de vnaquaqua febre pro diuersitate causarum breuiter agendum.

Curatio Diariæ ex densitate cutis.

Febris ex densitate cutis non in his fit corporibus, in quibus, quod transpirat, halituosum est, sed est mordax, & acre, & fumo fuliginique simillimum, quemadmodum Galenus *octauo Methodi* scribit, nam vbi halituosus est vapor, ex densitate cutis non febris, sed plethorica oritur dispositio, sicuti idem tradit *in libro de causis morborum*. *Confert huiusmodi febribus ex aqua dulci, & tẽperata lauatio, tum frictio, quæ rarefaciat, exercitatio mediocris, & victus, qui dulces efficiat succos; aduersissima est lauatio frigida, aluminosæ lauationis abstinentia, exercitatio acuta, frictiones nullæ, vel dura, & victus mali succi, vigilia, tristitia, cura, fatigatio, vstio in sole.* Hæc 8. *Methodi*, quod non possum probare, si intelligat exercitationes adhiberi his corporibus per febres; cum eo tempore decumbendum sit: Cuius vero naturæ debeat esse balneum, docet *eodem loco*, cum dicit, sinendum esse, vt vel sæpius lauentur, quod scilicet ex aqua fieri debeat.

Verum *ad Glauconem* has potissimum febres inter alias aere etiam iuuari scribit. Balneum autem tunc exhiberi debet, quando primum incipit declinare febris, vt *octauo Methodi*, incipiendumque à balneo aeris, quia magis rarefacit, vt scribit *ad Glauconem*; deinde descendendum in balneum aquæ, modusque vtriusque esse debet, vt minus in aere immorentur, qui laborant, ne exsiccentur præter modum, in aqua immorari possunt, quantum velint, (inquit Galenus,) & non solum semel, aut bis, sed crebro lauari. Post balnei calidi ex aqua vsum videtur frictiones adhibere velle *octauo Methodi*, cum scribit, *temperata lauatio, tum frictio*; Verum, *paulo post* rem apertius declarat, cum scribit, se in balneum perduxisse, qui hoc modo laborabat, & tepente oleo largissime perfusum, A & blandissime perfrictum permisisse vt plurimum in aqua solii calidi versaretur; mox egresso frigidam ex consuetudine aspersisse, deinde syndone hominem cooperuisse, & præcepisse vt paululum consideret ad vires recreandas: postea rursus in balneum perduxisse, & similiter vnxisse, & perfricuisse, & calida immersisse, deinde frigida, & postea detersisse.

Cibi.

Nunc, quo cibo sint alenda huiusmodi corpora febricitantia, & quando, & quo modo, docendum. Qua de re scribit Galenus *octauo Methodi*, & se statim huiusmodi corpora, postea quam bis à balneo rediissent, nutriuisse, & inprimis aquam forte (vt colligeret in visceribus calorem dispersum per corpus à balneo) deinde B prisanæ cremorem, & postea paruo interuallo lactucam, ad extremum post illam ex simplici albo iure asellum aut alium saxatilem piscem exhibuisse.

Intelligere autem oportet, *paulo post hæc exhiberi*, non quod horarum spatium forte interponatur; sic enim læderetur concoctio prius assumpti alimenti, sed parua interposita mora, ne confertim vniuersum cibi genus ingeratur. Confert & his alica, cum modico aceti cocta, & caro perdicum, & auium montanarum, pullorum gallinaceorum, phasiani, iuuenis columbæ. At mirari forte possis, quod tenuem victum conuenire dicat his, qui ex densitate laborant, *primo ad Glauconem*, 8. vero *Methodi* C carnem, pisces, & prædicta concedat, quæ longe absunt à tenuiore victu.

Verum suapte natura febris ex densitate tenuiorem victum postulat, quoniam retenta est substantia, quam dissoluere oportet: vbi tamen huiusmodi febres inciderint in corpora biliosa, de quibus agit 8. *Methodi*, ratione subiecti corporis pleniorem victum, quo humectentur, postulant, vt etiam admonet 8. *Methodi*, vtendum scilicet esse minus nutriente cibo, vbi ex frigiditate febris est contracta.

Potus.

De potu nihil clarum scribit 8. *Methodi*. At *primo ad Glauconem* ita præcipit. *Vbi febris est ex cutis adstrictione, vel refrigeratione, si lenis sit huiusmodi affectus, nec plenum corpus, a vini potu* D *non sunt arcendi; pleniora vero corpora, aut multum refrigerata, inutile sentiant vinum, quoniam scilicet vapores multos excitat in corpore pleno, & vbi densitas maior est, grauior febris ostenditur, & periculum est, ne in putridam abeat. Conueniet ergo his tutius aqua hordei.*

Somnus & vigilia.

Vigilandum vero his ratione febris, & densitatis, potius, quam dormiendum, quoniam digerunt vigiliæ, & calorem ad externa ducunt, cuius beneficio cutis rarescit.

Verum si in corpora inciderit biliosa, & sicca, subiectæ materiæ ratione somno indulgendum magis, quam vigiliæ, quoniam sic corpus humectatur, & febrium Putridarum, & Hecticarum, quæ sequi solent in his Diarias, occasiones præ- E scinduntur.

Prospiciendum præterea vt aluus deiiciat, adhibitis mollioribus clysteribus, quod miror à Galeno prætermissum.

Homines, qui laborant Diaria ex ira, tristitia, vigilia & curis, lauandi sunt, & fricandi, sed nec nimiis lauationibus, nec multis frictioni-

bus

Curatio diariarum ex ira, tristitia, vigilia & curis.

bus egent; quoniam forte per huiusmodi affectus corpora sunt extenuata, & ob id facile mora balnei, & multis frictionibus digeruntur. Frictionibus autem vtendum affuso oleo tepido, & copioso, minimeque adstringente. *Cibo postea humido & boni succi, posteaquam balneaueris, vtendum est*, inquit Galenus, *primo ad Glauconem*.

Vinum vero his potissimum, quos affecit vigilia, exhibendum, nisi doleat caput, aut temporum venæ pulsent; quoniam somnum conciliat, dolorem vero exasperat: At vbi mœror, & ira febrem fecerunt, vinum quoque propinandum; alijs vero, qui furore sunt perciti, non nisi cum omnino ab affectu quieuerunt. Adhibenda quoque sunt præsidia, quæ causis efficientibus repugnent; non cogitandum, si cogitatio læsit. Musica quoq;, grati nuncii, & quæ mulcere animum, & curas pellere valeant.

Vbi ira febrem commisit, vtendum cibo boni succi, & simul refrigerante, humectanteque. Quod si ex vigilia, tristitia, & nimia cura sunt affecti, nutrimentum eligendum boni succi, & pariter humectans, somnumque concilians. 8. *Methodi*.

Diaria ex insolatione.

Febricitantes ex vstione, protinus refrigerationem ab initio desiderant, inquit Galenus *octauo Methodi*, tum crebriorem lauationem, sed non oleum largum, aut crebram frictionem; oleum sit refrigerans, Rosaceum, & Omphacinum, & nequaquam salsum, quod quidem refrigerari potest suspenso vase, in quo continetur oleum in puteo, vt aquam tangat; aut si in decurrentem aquam vas immittatur, aut niue circumdetur, illudq; sincipiti infundendum sublata in altum manu, idque vsque ad declinationem faciendum, postea in balneum ducendus, qui laborat.

Quod si adsit etiam destillatio, aut grauedo, non obest balneum, cum vstio febrem commisit. Cibo vtendum boni succi, & simul refrigerante, & humectante, inquit Galenus 8. *Methodi*.

Ad destillationes & grauedinem.

Si ex vstione, siue insolatione destillatio, aut grauedo nata est, in declinatione febris confert etiam balneum, inquit Galenus.

At si ex frigiditate, non nisi concocta destillatione lauandus æger, post lauacrum his, quibus antea, madefacienda ægrorum capita, refrigerantibus in his, qui ex vstione; calefacientibus, qui ex frigore laborant, vt est vinum, & nardinum vnguentum.

De lassitudine.

Eos, qui ex labore febricitant, ab aere balnei arcebis, in aqua vero diu morari sines, ac oleo tepido, & multo, & manibus mollibus perfricabis quamplurimum, sæpiusq; lauabis, cibumque assumant sæpe, eumq; concoctu facilem, & qui plurimum nutriat, vt 8. *Meth* cruditatemque eunt: vinum tantum illis concedendum, quantum concoquere possunt. Hæc *ad Glauconem*.

Vbi leuis est obstructio, & corpus bene affectum, Diaria fieri potest. At si validior sit in huiusmodi naturis, Synocha alioqui putrida Diariam excipit, intelligemusque transitum fieri in has, si inclinatio protrahatur, nec diminuatur post summum vigorem, nec succedunt sudores,

A aut vapores, aut si succedant, non tamen febrem tollunt manentq; in pulsu febris vestigia, aut etiam emergunt putredinis signa.

Signa diariæ transeuntis in Synocham, In putridam.

Quod si in Synocham fiat permutatio, inflammatur facies, & calor augetur. Quod si in Putridam fiat transitus, accedit horror, pulsus inæqualis, & contractus, calor mordens, & vehementiora accidentia redduntur: in vrina aliquando tamen manet concoctio in prioribus diebus, in alijs vero minime. Curatur autem venæ sectione huiusmodi febris primum, deinde detergentibus assumptis, nempe oxymelite, ptisana, mulsa, apomelite, sacharo.

Curatio diariæ ex obstructione.

Quod si tertio die minimum febris relictum sit, nec putredinis nota in pulsu aliqua subsit, nec B vrina cruda, & suspecta hora, qua primo die febris occupauit extra meridiem sit, audacter, & quam ocyssime hominem lauabis, satisque est si inter balneum, accessionisque tempus, interponantur tres horæ. In balneo vero corpus vngatur, & moderatissime fricetur, mox detergat[illegible] intrinsecus, & abluatur.

Adhiberi autem possunt ad detersionem erui, vel hordei, aut fabarum farina, vel mulsa aquosa, vel si maiorem quæris detersionem, iridis, vel panacis radix, & Aristolochia, & mulsa meracior: maxime autem deterget spuma nitri, tum nitrum ipsum, vel aphronitrum, vel sapo. Post balneum & vnctionem, detersionemque, propinanda aqua, in qua sit parum a-C pii incoctum, cibandus postea est æger ptisanæ cremore.

Ex cruditate nidorosa.

Si diaria fiat ex cruditate nidorosa, & aluus lubrica sit, cum huiusmodi cruditate, & febre, minus malum; si adstringitur, grauius. Igitur si ea tantum, quæ corrupta fuere, vacuata videbuntur, ventriculo prius roborato, lauandum nutriendumque in febris remissione. quod si maior facta est inanitio, aut adhuc durat, roborato ore ventriculi ex fomento adhibito ex oleo, & Absynthio, omissa lauatione, hominem cibabis.

Quod si morsus aut dolor in ventriculo adhuc supersit, post fomentum, penicillus intingi debebit, qui vel calidus sit, & siccus, vel ex oleo, D in quo Absynthium incoctum madens, ac plurimum expressus, vel in nardino vnguento penicillum immergendum, & penicilli loco purpura marina, vel optima thyria admouenda.

Quod si imbecillum sit os ventriculi, Chiam, masticem in Nardino tusam, ad sordium crassitudinem miscebis, & in eo purpuram madefactam impones, calidam tamen, ne tepida ventriculi robur dissoluat. At si fluat adhuc aluus, recente, optimoq; Melino simili modo, quo Nardino vtendum, vel Masticino, vel Spicato, vel Foliato. Quod si cinctum non patitur, qui laborat, Ceratum conficiendum ex cera Tyrrhenica in vnguento Nardino liquato, cui postquam refrigeratū est, Aloes & Mastices partem octauam, E vel aliquid plus addes, ceræ autem, & Nardi partes æquales sunto. At si ventriculus vri intus videtur, vtilius est Ceratum, quod ex Melino vnguento conficitur, vel alia ex Oenanthe, Hypocistide, Balaustiis: & Palmulatum carne confecta, vtilia sunt.

Cibus autem fluente adhuc aluo ex polenta,

& pane, quem Græci ἐξυλαστῶ vocant, præbendus ſpargendaque polenta, vel aqua calida, vel mali punici, vel pyrorum, aut cotoneorum ſucco.

Quod ſi venter amplius non fluit, alica ptiſanæ modo, id eſt, cum modico aceti, tum ſine aceto ſorbitio detur. Præterea, Gallinaceorum teſticuli, ſaxatiles piſces ex albo iure, fructus aliquis adſtringens, vel ſolus, vel cum pane offeratur.

Quod ſi appetitus laborat, Confert cochlearia duo confectionis ex ſucco cotoneorum accipere, vel carnem ipſam cotoneorum, ſi ſuccus non adſit.

Si vero venter adſtringitur, ſi dolor in gracili inteſtino fuerit, & morſus, Diatrion pipereon ſimpliciſſimum exhibendum; deinde præcordia, & venter perfundenda.

Quod ſi repat corruptio ad inferiora, Clyſter ſubiiciendus; Si morſus fuerit, ex oleo ſabino, in quo Anſerinum ſeuum, vel illius inopia, gallinaceum, vel caprinum ſit liquefactum, vel his non præſentibus, parum ceræ elotæ in oleo iniiciendum.

Quod ſi flatus vrgent, in oleo ruta, ſemen apii, cumini, marathri, & ſinononis, & quæ huius ſunt generis, concoquenda, & Clyſter ex eo conficiendus, poſtea nutriendus æger, & ſi plane deſit febris, lauandus ſequenti die, qui laborat.

Ex Bubone. Febricitantes ex Bubone primum egent remediis, quæ vlceri; deinde quæ buboni; poſtremo quæ febri conueniunt; in remiſſioneq; acceſſionis lauandi ſunt, inquit *8. Methodi*. At *1. ad Glauconem* eos nequaquam lædi ſcribit, ſi in aere balnei immorentur. Multo præterea oleo, & tepido perfricandi molliter. Victus his adhibendus tenuis à potu vini arcendi, donec inflammatio ſoluatur.

CAP. VI.

DE FEBRI SYNOCHA NON PVTRIDA.

EXpeditis febribus, quæ ex ſanguine excalefacto conſiſtunt, in leui quadam alteratione, ita vt vno dierum ſpacio finiantur: ad alias tranſeundum eſt, in quibus ſanguis vehementius excalefactus à grauioribus, pertinacioribusq; cauſis non niſi longiore mora tolli poſſit, quas ob id Synochas vocamus: quæ quoniam in duplici genere conſtituuntur, vel putridæ, aut non putridæ, de his tanquam ſimplicioribus inprimis agendum, poſtea de aliis.

Synochæ non putridæ duplex generatio. Eſt autem duplex harum generatio, vel enim ex Diariis male curatis ob Medicorum ignorantiam; vel ægrorum intemperantiam, vel adſtantium proueniunt, vel ſtatim ab initio à ſuis cauſis.

Cauſæ. Sunt autem cauſæ, quæ huiuſmodi febres excitare poſſunt, non omnes; vt bene Galenus admonet *nono Methodi*; Etenim *ex aduſtione, cruditate, laſſitudine, vigilia, animi perturbatione, vel bubone, nunquam febris gigni poteſt, quæ ad tertium vſque diem progrediatur, niſi*, inquit, *citra*

A *tumor ſit, vel etiam* (vt ego puto) *ſubiectum corpus ſit in cauſa*. At ob ſtipationem cutis fieri huiuſmodi poteſt febris, ſiue obſtructi exiles ſint meatus, ſiue conniueant, ſiue denſati ſint à frigore, vel balneo, vel pharmacis, vel ſiccantibus, vel indurantibus, vt dura frictione.

Huiuſmodi enim cauſæ impreſſiones faciunt, quæ vno die tolli nequeunt, ſed cum febres excitant plurium dierum. Accenditur autem febris ab huiuſmodi cauſa, quoniam non tranſpirant humores, qui cauſæ ſunt remiſſionis, & ſolutionis acceſſionum. Itaque vbi nulla ſubeſt in huiuſmodi febre occaſio, quæ alterius acceſſionis principium excitet, non mirum, ſi fiat febris plurium dierum vna acceſſione con-
B tenta.

Intelligere autem oportet, vapores, qui attolluntur à feruentibus humoribus, non expirare, non quod omnino cohibeantur, ſed quod non ſatis expirent, plurimum enim attollitur, & minimum diſſoluitur, qui quoniam manet, & proxima adurit, febrem ſeruat: vnde tres Synocharum febrium differentiæ neceſſario reſultant: *Differentia.* nam cum gignatur febris ex vaporibus retentis, continuoque attolluntur, neceſſe eſt, vel tantum diſſipari, quantum gignitur; vel plus, vel minus: vnde *Homotena*, quæ eundem perpetuo ſeruat tenorem, vel *Acmaſtica*, quæ perpetuo creſcit, & *Paragmaſtica*, quæ ſtatim à primo inſultu minuitur. Atq; hæ quidem ſunt effi-
C cientes harum febrium cauſæ, hicq; modus, quo illæ à ſuis cauſis procreantur.

Subiectum. De ſubiecto propinquo non eſt, quod dicamus; eſt enim (vt diximus) vniuerſa humorum maſſa, quæ ſanguis dicitur; remotiora vero ſubiecta ſunt (vt inquit Galenus *9. Methodi*) harum febrium, non gracilia & frigida corpora, ſed quæ plurimo ſanguine abundant, & corpulenta ſunt, quoniam obſtructio citra putredinem febrem nequit excitare; niſi id, quod tranſpirat, copioſum ſit, & calidum, nec humorum putredo in omnes, quæ inter inguina & alas inter ſunt, venas æquabiliter, ac cito porrigi in frigido habitu poteſt.

Quæ natura, ætati, & anni tempora his febribus maxime ſint obnoxia. Quare in ætate, & natura calida, & præcipue
D carnoſa, bono, & multo ſanguine affluente, & denſo corpore, & calidis excrementis referto huiuſmodi gignitur febris. Quare conſtat & illud, proprias eſſe has febres Veris totius, maxime ineuntis, aut in medio conſiſtentis: tunc enim & ſanguis abundat, & facile denſari poſſunt corpora. Locus autem nullus peculiaris eſt affectus, ſed humores in venis, & arteriis omnibus, & potiſſimum in maximis, & calidiſſimis excalefacti ſunt, vt *cap. vlt. ſecundi de febribus* ſcribit Galenus; videturq; hæc eſſe ratio: Quod ſi in alio loco contineretur humor, vt in minoribus venis, aut habitu corporis, tranſmiſſione nouæ materiæ à maioribus venis facta, remiſſiones ſierent, & intenſiones.

E At contra id, quod diximus, huiuſmodi febrem fieri perpetuo à ſanguine, facit, quod ſcribit *ſecundo de Criſibus* Galenus, quod ſcilicet biliosa ſit, ardens, & peracuta. Item *2. capite primo de Differentiis febrium* ad hunc modum ſcribit; *Continuarum, quæ ex flaua bile conſiſtunt, duo eſſe genera: vnum Synocharum, alterum, quæ*

contı-

continua dicuntur. Præterea, 12 *cap. eiusdem*, scribit, Synocham proportionem seruare cum tertianæ circuitu, cum antea dixerimus ex 9. *Meth.* vnicam esse illius accessionem, & ex infinitis locis ex sanguine fieri.

Synochas omnes fieri ex sanguine sed ex putridis tenuiorem partem sanguinis verti in bilem.

An intelligendum est ex bile fieri Synochas non omnes, nec cum Synochæ sunt, sed eas, quæ ex Synochis putridis nascuntur? Omnes enim Synochæ ex sanguine fiunt, sed quæ putridæ sunt, facta putrefactione, vt postea ostendemus, tenuior pars in bilem, crassior in atram secedit; & rursus, bile flaua putrescente, tunc accessiones fiunt ad modum tertianæ febris.

Synocha unde sint continua, & vnde Synocha.

Hæc ergo febris, quod continua sit, causam capit ex loco, quod scilicet in magnis vasis humor contineatur, in quo calor accenditur. Quod vero sit Synocha, id est, continens, causam sumit ex materia, ex sanguine scilicet, qui cum non aliam habeat materiam, ex qua alia regigni priore consumpta possit, ideo accessiones facere non potest, vt alii humores, qui ex massa sibi familiarem capiant humorem, ex quo noua putredo, & accessio noua oritur. quod vero perpetuo crescat, aut decrescat Synocha, aut seruet eundem tenorem, id habet ex inæqualitate causæ agentis, quæ scilicet plus vel minus cutem constrinxit, vt æqualis, vel inæqualis possit fieri vacuatio ei quod succenditur.

Signa.

Signa Synochæ febris docet Galenus *nono Methodi*, suntque hæc; pulsus maximus, æqualis, vehemens, nec durus, nec mollis, celer tamen, & frequens. Addit Auicenna rubedinem faciei, & oculorum, & inflationem venarum, & temporum, & aliquando pruritum in naso, & collo, difficilem anhelitum, & somnum profundum, difficultatem sermonis, vbi grauis est affectus, & inflammationes amygdalarum, & faucium, lachrymarum cursum, calorem plurimum. Vrinæ vero secundum Galenum 9. *Methodi* in consistentia, & calore non multum à naturali habitu variant. Vrinæ vero rubræ, tenues vero & crassæ, prout sanguis tenuis est, & crassus.

Verum absque methodo hæc traduntur, quoniam à nullo certo capite exordiuntur. Præterea, omittunt iuuantes, lædentesque causas, & gignentes, quod scilicet præcesserint, quæ constipant.

Adhæc, quæ ex materia subiecta sumuntur, quod scilicet corpus, quod afficitur, sanguine multo sit refertum, & carnoso, densoq; corpore, & quæ ab anni tempore, cœlique statu, tanquam à causis sanguinem plurimum gignentibus sumuntur.

Symptomata vero prædicta sequuntur magnam sanguinis ebullitionem, & elatos à sanguine vapores, viriumque robur: nam quoniam plurimus est calor, qui refrigeratione eget, ideo magni pulsus, veloces, & frequentes fiunt, accedente robore virium in huiusmodi corporibus; Inæqualitas autem non adest, nec durities, quoniam nec putredo, nec siccitas: & sic difficilis respiratio, nempe magna, velox, & crebra, ad pulsuum proportionem accidit ob caloris mul-

A titudinem circa præcordia, calor autem multus, sed non acris, quia multa euaporatio ex ebullitione & sanguinis copia, quæ cum humida sit, suauis propterea est, & minime acris; aliorum vero symptomatum rationem facile est reddere, ne diutius in his moremur.

Prognostica.

Prognostica autem ex magnitudine febris, & causarum, & accidentium, & similitudine cum aliis, si qui forte eodem tempore fuerint affecti, sumuntur.

Curatio.

Si aluus suppressa est, exhibito clysteri molliore etiam ab initio mali sanguis mittendus: neque enim probare possum Galeni consilium, qui tres dies expectauit antequam sanguinem mitteret in eo, de quo agit 9. *Methodi*, cum statim cognita febris sua remedia postulet: nam
B alioqui ex mora periculum accedit, ne in putridam transeat: sanguinis autem auferendum tantum est, inquit Galen. quo ad homo animo linquatur, si vires subsunt validæ, quoniam animi defectu corpus refrigeratur, & alui deiectio, nonnunquam vomitus sequitur, & statim madores, sudoresve sequuntur: vnde febris extinguitur & iugulatur.

Vena sectio.

Verum quoniam id tutum nõ est, etsi optimũ forte remedium, tantum sanguinis demendum est, quantum exuperare videtur, & febris magnitudo requirere: plus enim detrahendum, vbi magna est sanguinis copia, & febris vehemens; minus autem in leuiore affectu; quare vna omnibus regula esse non potest animi defectus, sed quod ex ipso indicante sumitur, nempe
C humoris copia, quæ huiusmodi præsidium pro sui quantitate & mali vehementia, quod excitat, requirit.

Somnus.

Postquam vero sanguinem detraxeris, duas horas Galeni imitatione nutrimentum dabis, ac quiescere ægrum, dormireque iubebis; constat enim tum ex 8 *Methodi*, tum *ex nono*, Galenum concedere somnum à prandio ægrotis, cum dicit, se inuenisse eum dormientem altum somnum, cui imperauerit à cibo quietem; conceditque longiores etiam somnos, vt satis patet ex eodem met ægroto, qui plus, quam septem horas dormiuit; verum somni modus esse de-
D bet: nam huiusmodi corpora ob nimiam euaporationem nonnunquam solent sopore corripi.

Cibus.

Cibus autem exhibendus est ex ptisanæ cremore, bisque in die nutriebat huiusmodi ægrotantes Galenus. Soluta vero febre, æger in balneum ducẽdus, & lauandus. Quod si febris post venæ sectionem perduret, apparentibus signis coctionis, aquæ frigidæ potionem exhibebis, de qua postea, cum de putridis agemus. Hæc sunt Galeni remedia, quæ Synochis adhibet, *libro 9. Methodi*. Confert tamen in potu exhibere cibationis tempore hordei aquã, vel solam, vel cum sacharo, aut iulepo rosaceo, vel violaceo, & vino granatorum: Nam quæ incidunt, & extenuant,
E vt syrupus acetosus, qui cum aqua misceri solet, non ita necessarius in isto, cum non sit obstructio interna, & potius sit opus refrigeratione ad extinguendam caloris abundantiam.

Confert & syrupos exhibere mane, de endiuia, de cichoreo, cum decoctione endiuiæ, cichorei, lactucæ, acetosæ, tamarindorum.

Quinetiam pro ptisana, panis coctus in aqua, ptuna Iberica, in aqua cum sacharo concocta.

Cibandi tempus. Cibandi vero tempus esse debet, quando leuius habet æger, cum hic accessionum remissiones expectari non possint; quod si puer sit, qui laborat, nec possit venæ sectionem sustinere, cucurbitulæ cum scarificatione admouendæ. *Cucurbitula.*

Nec absurdum fuerit concocto humore, aut etiam sequenti die post venæ sectionem, si primæ venæ sunt expeditæ, aut antea si aliter habent, cassiam exhibere; improbanda tamen est Auicennæ opinio, quam omnes sequuntur Hispani Medici, qui lentes exhibent decoctas in huiusmodi febre, si humores tenuiores fuerint: licet enim commodiore, quam melancholico cibo, & ad coctionem inepto vitium huiusmodi, si aliquod sit, emendare. Nec alienum est leues frictiones adhibere peractis vacuationibus, vt corpus constrictum rarefiat, & libere expirare possit vapor. Atque hæc de Synocha non putrida; De putrida vero postea agemus cum intelligi nequeat, nisi pertractata putredinis natura, quare ad putridas accedendum.

Cap. VII.

DE FEBRIBVS PVTRIDIS.

POsteaquam egimus de febribus, quæ ex humorum excalefactione consistunt, tempestiuum est, vt ad alterum genus transeamus, quod scilicet ex eorundem putredine consistit; quæ res cum tota pendeat ex putredine ipsa, cogit tractatio, vt de ea diligentius agamus, & tanto certe diligentius, quanto negligentius videntur ab antiquis explicata: nam cum tractatio hæc postulet, vt inprimis doceamus, quid sit putredo, cuius passio, & quot genera differentiæque putredinis reperiantur, quæ causæ, efficientes, quæ materia ad putredinem apta, in quem finem tandem tendant, quæ putrescant, quidque sequatur ipsam putredinem; & ostendat Aristoteles, qui hæc *primo capite quarti Meteororum* suscipit explicanda, nonnulla ex his omittit, alia vero, vel obscurius explicat, aut certe non vt nostra exigit medicina. Tamen tum illius, tum Galeni opera adiuti, quod verius putabimus, docere conabimur.

Ac inprimis quidem de nomine agendum est, constat enim, non vno modo vsurpari putrefacientia, & putredinem; quod satis constat ex *decimotertio capit. quinti de Simplicibus*, vbi medicamenta, quæ caustica sunt, sed non vehementer, & simul essentiæ tenuioris, putrefacientia vocari scribit, sed non proprie. Quæ vero simul calefaciunt, & humectant, vere putrefacientia medicamenta esse dicuntur: vnde & putrefactio quędam vera, alia vero non vera ad putrefacientium remediorum duplicem significationem dici debent. *Putrefactio duplex.*

Quid vero proprie putredo sit, nunc videndum. Ac inprimis genus quærendum, in quo A omnes antiqui authores conueniunt, quod scilicet corruptio quædam sit. Quinetiam *libro 1. de febribus, capit. 7.* putredinem quandam veram esse dicit, in qua nihil mutatur ad benignum putrescens excrementum; aliam vero, quæ proprie suppuratio dicitur, in qua calor natiuus alium exuperat. Etenim Aristoteles *primo capite quarti Meteororum* generationi maxime contrariam esse putrefactionem scribit, tanquam putrefactio corruptio sit quædam: sic Galen. *vndecimo Methodi* inquit: *putredo corruptio est*. Idem *secundo de Differentiis febrium*. Sic etiam sanguinem putrefactum corruptum esse.

Verum cum multa corrumpi possint, & à B multis, & vario modo; siquidem contrarium à contrario, vt frigidum à calido, & simili excedente, vt calidum mediocre ab immoderato; & sicca, & humida, & frigida corrumpi valent, idq; paulatim, vel subito, perpendendum est, quænam ex his conueniant corruptioni, quæ putredinis nomine donari debet. Siccitatis corruptionem non appellamus putrefactionem, quocunque modo fiat: sicut nec frigoris, nec caloris, sed ipsius humoris.

Humorem enim corrumpi dicimus, & putrefieri, vt sanguinem, bilem; lapidem autem non item, tanquam *humoris* sit passio ipsa putrefactio. Verum, cum quædam actu humida sint, vt omnes humores, & quæ alieno termi- *Putrefactio cuius sit passio.* C no facile ambiuntur; alia vero, quæ potentia humida dicuntur, veluti bilis, quæ potestatem habet siccandi, de his, quæ humorem habent, quacunque facultate præditum, intelligenda res est: quando & bilis vtraque putrescere dicitur; siue terminabilem, siue alio modo mixtam humiditatem obtineant: nam & ligna, & ossa putrescunt ob humorem, quem in se continent, sicut aqua, & bilis, quæ aspectu humida existunt. *Bilem vtramque etiam putrescere.*

Vnde optime dicebat Aristoteles *loco praecitato*, putrefactionem esse *corruptionem caliditatis, quæ est in vnoquoque humido.* Verum, cum humidum ipsum pati possit à sicco, possit & calor, qui est in humido corpore, & frigida qua- *Putrefactio quid secundum Aristotelem.* D litas pati, videndum, quid proprie in eo patiatur: certum autem est, non appellari putrefactionem, cum humor exsiccatur à sicco, fit enim corruptio quædam humoris, sed non putrefactio. Idem contingit, cum frigida qualitas à calido, aut hoc à frigido extinguitur, quod docent affectus corporis præter naturam: neq; enim appellamus humores putrefieri, cum refrigerantur, aut frigidi calefiunt: sed cum calor, qui in rebus humidis est, secundum naturam augetur, præter naturamque euadit: vnde optime dicebat Aristoteles, *putrefactionem esse corruptionem caloris naturalis, qui in vnoquoque est corpore.*

At cum corrumpi possit calor, tum ab inter- E nis causis quæ mediocrem, & secundum naturam calorem intendere possunt, veluti obstructione; tum ab externo, vt aere ambiente vehementer calido, Aristoteles *loco præcitato*, alienam caliditatem interpretatur ambientis aeris, non quod sola ea sit, sed forte frequentior, & communior omnibus rebus; nam (vt diximus)

mus) putrescunt humores inflammatione, & propter obstructiones; & alias multas causas, quæ ad aerem ambientem referri nequeunt; Vnde Galenus 11. *Methodi*, & *passim alibi*, scribit putredinem fieri à calore præter naturam, siue ab his, quæ calorem præter naturam reddere possunt, siue externa, siue intrinseca sint, siue per se, siue per accidens calefaciant: veluti aer frigidus, qui constipando prohibet difflari calorem, & excrementa calida, quæ à rebus exhalant.

Atque ita melius, quam ipsemet author Aristotelis verba interpretatur: nam cum Aristoteles dixisset, putrefactionem esse corruptionem caloris secundum naturam, quæ sit facta ab aliena caliditate, interpretatur postea statim alienam, id est, ambientis aeris; Sed melius Galenus, qui interpretatur alienam pro excedente, & præter naturam. Verum, in hoc etiam Aristoteles damnari forte potest, quod cum dixisset, putrefactionem esse corruptionem proprii caloris ab ambiente calore factam, statim vero postea tum calorem, tum frigus ambientes, causas ponat putrefactionis: nam etsi in aere externo frigido putrescant etiam corpora, & externum frigus putredines in nobis excitet, id tamen non facit per se, sed per accidens, quatenus scilicet occlusa via externa fuliginosa (vt diximus) excrementa exhalari prohibet, quæ paulatim coaceruata, calorem augent.

Putredinem fieri à solo calore.

Vnde constat, à solo calore putredinem fieri, & si quæ per se id faciunt, in nonnullis forte expeditius, quam quæ per accidens id præstent, vt videmus hyeme carnes diutissime asseruari, æstate autem confestim putrescere.

Humor qui dicatur putridus.

Dicitur ergo humor putridus, *quando præter naturam vehementius est excalefactus* pro natura vniuscuiusque rei: non enim quantuscunque calor putredinis causa esse potest; id quod ostendunt Synochæ, & Diariæ febres sine putredine, quæ tandem transeunt in putridas, durante scilicet calore: sic pituita, & atra bilis, tam vehementem calorem putrefacta non repræsentant, vt ipsa bilis, & sanguis, & longe minus calefacientia, tenuiores, calidioresque suapte natura humores, quam crassiores, & frigidiores putrefacere possunt: quoniam facilius ea corpora, hæc difficilius afficiuntur. Sed postea de his, quæ putrescunt nonnulla subiiciemus, quib. intelligemus; quænã facilius, aut difficilius id patiantur: sicut etiam vniuersas causas putredinis expendemus. Nunc vero quod ad definitionem attinet perpendendum; an scilicet perfecta sit definitio, vel non.

Qui humores facilius putrescant.

Diximus enim putrefactionem *corruptionem esse caloris, qui est in humido à calore extraneo*. At Galenus addit *quarto de simplicibus*, quod non omnis corruptio sit putrefactio, sed. quæ cum fœtore accidit, certe particula non mihi videtur prætermittenda, vtpote quæ corruptionis naturam maxime ostendat, quippe cum sæpe augeatur calor in humore, qui tamen putridus non dicitur, veluti cum bilis longe acrior est, quam esse debeat, nec tamen propterea putrida dicitur, quoniam nondum graue olet; præterA tim, cum omnia putrefacta plus, vel minus grauiter olere videamus.

Præterea, cum dicat *eodem capite*, putrefacientia medicamenta tum vera, tum non vera, sine doloris sensu corrumpere; videtur innuere, cum de putrefactione eorum, quæ sentire possunt, agimus, addendum esse, quod sine dolore fiat corruptio à calido, id quod certe accidit; vti enim præter naturam effectus omnino est calor, vt omnino inutile sit membrum ad actiones obeundas, vt in Sphacelo accidit, & gangrena, tunc nullus amplius dolor sentitur, & putrefactum ipsum redditur: antea vero cum dolor sentiretur, nondum erat putrefactio, sed potius suppuratio: tanquam præter naturam B omnino sit calor, qui putredinis est author. Quã obrem, si iam colligere definitionem putrefactionis voluerimus, hæc erit.

Putrefactio quid.

Putrefactio est corruptio naturalis caloris in humido à calore præter naturam, quæ cum fœtore accidit. Nunc vero differentiæ putredinis si quæ sunt, explicandæ; deinde causæ sigillatim, postea ad febres res contrahenda.

Putredinis differentia.

Putredinis differentias nemo pertractat, forte quod non multum referret ad illorum institutum; non inutile tamen est Medico eas adnotare, quod scilicet quædam ex ipsa natura putredinis, alia à causis, alia ab effectibus sumantur: nam quædam plane putrefacta sunt, sicut inflammationes, quæ in Sphacelum iam C degenerarunt; alia vero semiputrida, sicut sunt suppurata: nam vt Galenus admonet *in Aphor.* Dum pus conficitur, habet pus semiputridam naturam, partim scilicet à calore naturali, partim ab eo, qui est præter naturam.

Variat autem curationem hæc diifferentia, quoniam putrida omnino rescindenda, si sint membra: si vero humores fuerint, vacuandi; quemadmodum Galenus *11. Methodi*, scribit de humoribus, & Chirurgia docet in mẽbris Sphacelo corruptis. Sunt præterea quædam, quæ malignam putredinem cõcipiunt, quemadmodum humores, qui pestilentes febres faciunt; alia vero, quæ simpliciorem obtinent, sicut illi, qui faciunt alias febres.

D A causis vero sumuntur differentiæ, cum quædam dicimus à calido, alia à frigido, alia propter obstructionem, alia à medicamentis, alia vero ab alimentis, quędam per consensum, quędam à propriis causis putrescere. Ab effectibus vero, quod quædam membrum corrumpant, alia aliud faciant, & si quæ aliæ similes sunt differentiæ notandæ.

Etsi quodammodo cum ageremus de Definitione putredinis, causas necessarias attigimus, tamen quoniam non satis id factum est, cogit tractatio, vt pauca addamus. Itaque materia putredinis humor est, non siccitas; quoniam graueolentia non oritur corrupto calore, qui est in E parte sicca rei. Vnde optime dicebat Aristoteles, *quarto Meteororum*, ignem putrescere non posse, quod scilicet nihil in se humidi recipere possit ignis, vt alia Elementa. Quoniam vero quæ putrescunt, vel crassa, vel tenuia, vel multa, vel pauca, vel in motu aut quiete esse possunt, quærendum est; quænam facilius

Materia.

Ignis cur nõ possit putrescere.

putrescere valeant. De qua re etiam Aristoteles agit, & nos *hoc loco* agendum putamus, quoniam hęc ad materiam pertinent. Igitur quę motu cientur, minus, quam quieta putrescere scribit Aristoteles, quoniam, inquit, motus ille, qui ab aeris calore prouenit, imbecillior eo efficitur, qui in re ipsa etiam antea inerat, id est, vt ego intelligo, quoniam minores fiunt impressiones ab externo calore in re, quæ mouetur; quam in quiescente; Adderem tamen aliam rationem, quod scilicet res, quæ mouentur, exercentur, & calore excitato expurgantur magis ab excrementis, quæ putredinis possunt esse authores.

Cur quæ mouentur, minus putrescant, quam quæ quiescãt.

Arist. multum minus, quam paucum.

Multum vero minus, quam paucum putrescere posse scribit Arist. *quoniam, inquit, in re maiore maior est caliditas propria, atque frigiditas, quam vt potentiæ, quæ in circumfuso aere sunt, euincant:* vnde subdit, mare, & alias aquas magnas, non putrescere; paucas vero, & in parte distractas sic. Quod quidem verum est in his, quæ ab extrinseco calore putrescunt, & corrumpuntur; alia vero, quæ ab internis causis, quanto crassiora, & plura fuerint, tanto promptius putrescunt: quod ostendunt horrea frumenti, quæ quanto ampliora fuerint, & minus sparsa semina, quæ continentur, tanto promptius putredinem sentiunt; sic & vestes multæ inter se cumulatæ promptius id patiuntur, quam quæ sparsæ sunt, & tenuiores, quoniam scilicet promptius transpirat quod paucum, rarum, tenueque est, contrario modo affecto. Hinc est, quod crassa corpora putredini magis, quam gracilia exposita scribere solet Galenus, quia facilius transpirant illa, hæc difficilius. Vnde satis constat, Aristotelem non omnes effectrices causas (vt postea ostendemus) nouisse.

Concreta an vel putrescãt.

Concreta (inquit Aristoteles) non putrescunt, quoniam magis sunt frigida, quam sit aer calidus, propterea vinci non posse ab aeris calore: Hæc etiam ratio solum locum habet in his, quæ ab externis causis corrumpi possunt: nam caro gelu concreta tandem putrescit, aucto intus calore ob fuliginosa excrementa, quæ prohibita transpiratione ob externum frigus intus sunt coaceruata: nam hac ratione sequeretur, ab externo frigore putridas febres non excitari. Est enim aer externus frigidus concretionis author. Illud quoque prætermittendum non est, aptissima esse ad putredinem, quæ non qualemcunque, sed excrementitium continent humorem, id, quod ostendunt olera & fructus, vt pepones, cucurbitæ, quæ minimo tempore putrilaginem admittunt: vt item, quæ substantiam habent dissolutam, & minime compactam, qualia sunt ligna laxiora, quæ facilius, quam solida, & dura, putrescunt, quoniam scilicet plus humoris habent, & externum calorem admittunt; Et hæc sumpta sunt ex *undecimo de simplicibus*, vbi scribit Galenus, *quæ putrescunt, excrementitium continent humorem, aut substantiam dissolutam, & minime compactam:* quæ vero aut nullam prorsus superfluam habent humiditatẽ, vt mel optimum, & corpora solida, & cõpacta, vt lapides, ea putrescere nequeunt, id est difficilius omnino patiuntur; ita enim intelligendum est.

Quæ facile vel difficilius putrescant.

A

Putredinis causa efficiens.

Putredinem fieri à calore corrumpente calorem naturalem, qui in humida est substantia, antea ostensum est. Verum in hoc non placet Aristoteles, quod calorem putrefactionis authorem solum ponat in aere ambiente, cum hoc posito, reddere non possit rationem, cur etiam à frigido aere nascatur putredo. Item, cur multum aliquando facilius, quam paucum putrescat. Item quomodo febres putridæ ex densitate cutis, & obstructione nascantur. Et quod hæc fuerit ipsius Aristotelis opinio, satis ex eo constat, tum quod explicet alienum calorem eum, qui est in aere; tum, omnes causas cur quædam promptius, aut difficilius putrescant, in eum referat. Quare probanda potius est Galeni opinio, qui vbique putredinem à calore extraneo, id est, *præter naturam*, siue ab externo aere, siue ab aliis rebus excitetur, & huiusmodi reddatur, fieri dicit: & medicamenta quædam putrefacientia ponit *libro quinto de Simplicibus & in libro de causis morborum*, putrefactionem à medicamentis, tum excrementis, quæ in animalibus oriuntur, tum à prohibita transpiratione fieri scribit, & denique *ab omnibus, quæ in vnaquaque re calorem præter naturam accendere possunt*, putredinem fieri, ponere oportet.

B

C

Finis.

Finem aliquem assequuntur, quæ putrescunt, sed non tanquam causam, cuius gratia moueantur, quæ putredinem efficiunt. De qua quidem re agit Aristoteles cum scribit, ea, quæ putrefiunt, sicciora reddi omnia, & tandem in fimum, & terram abire: quod ostendunt cadauera, quæ tandem in puluerem dissoluuntur; redditque hanc rationem Aristoteles quoniam abeunte calore proprio, naturalis humiditas cum illo difflatur, & euaporat; tum etiam, quod calor proprius trahit ad se humorem, & adducit, qui cum non amplius adsit, siccitatem sequi necesse est. Verum cur abeat calor, non docet, & videtur potius contrarium sequi, quam ille dicat: vult enim quod abeat primo calor, deinde humor cum calore: at humor primo abit, deinde calor extinguitur: nam calor humido gaudet, eoque fouetur, & alitur. Quam ob rem, cum per putredinem auctus sit in humore calor, violentius absumitur, & dissoluitur humor: quo dissoluto, vna & calor ipse, materia destitutus idonea, expirat. Sicca ergo redduntur, quæ putrescunt, *quoniam auctus calor humorem depascitur, & absumit.* Nec contemnendæ quidem sunt causæ, sine quibus putredo facilius, aut difficilius nascitur: veluti locus, tempus, agendi modus; sic enim dicimus, quædam esse magis exposita putredini, quoniam in loco huiusmodi contineantur, sicut scribit Galen. Quæ in locis calidis continentur excrementa, promptius, quam in frigidis putrescere: & quæ longiore mora caloris præter naturam vim sentiunt, putrescere; alia vero minime; sicut accidit in humoribus, quæ putridas febres excitant, ob vehementiorem, quem conceperunt, calorem; alii vero aut Diarias, aut Synochas

D

Cur quæ putrescunt siccantur.

E

ochas non putridas pariunt, cum à leniori causa sunt excalefacti. Sed hæc sufficiant de putredine: quibus explicatis, ad febres putridas, quarum causa hæc sunt pertractata, accedamus, eundem ordinem sequentes, quem in aliis obseruauimus: Primo enim, quid sit febris putrida, deinde quæ, & quot illius differentiæ, postea illarum omnium causas, & signa explicabimus, generatim primo; deinde speciatim per singulas differentias, postremo curationem aggrediemur. Ac tanto profecto diligentius hæc erunt à nobis pertractanda, quanto difficiliora sunt aliis, quæ hactenus explicauimus, & quanto maior prouentus, & gloria Medicis ex his febribus, quam ex aliis accedit: nam plurimæ sunt harum febrium differentiæ, & frequentissime eueniunt, & fere ad eas propulsandas Medici accersuntur.

Putrefactio cur dicatur corruptio & qualis sit.

Vt ergo summam rei colligamus, dicimus putrefactionem esse corruptionem, quoniam putrefacta nunquam ad naturam pristinam redire possunt, eamque non omnem, sed quæ paulatim fit, vt scilicet corruptionem, sed quæ fit ab igne, quam seiungimus à putrefactione, esseque præterea cum fœtore, quod ostendunt omnia, quæ putrefacta sunt, & in his, quæ sentiunt esse sine dolore, vt ostendunt sphacelatæ partes, quæ putrefactæ sunt, & non sentiunt, & merito, quando putrefactio à solo calore præter naturam fit, quo solo vigente, nulla resistentia amplius, proinde nec dolor nascitur. Esse autem putrefactionem non caloris, vt Aristotelis sentire videtur, cum dicit esse corruptionem caloris naturalis, sed humoris potius, ex eo constat, quod nemo dicat calorem putrefactum, sed humorem, & quod officium sit caloris putrefacere, non autem putrefactum esse; siquidem putrefactio passio quædam est, quæ passiuis qualitatibus, non actiuis, quarum est agere, debetur.

Cuius sit corruptio.

Res quælibet quomodo dicatur putrefacta.

Humoris ergo passio est putrefactio, & res tota non secundum se totam, & ea, ex quibus constat, sed propter humorem suum corruptum, putrefacta dicitur, vt manus putrefacta, quia illius humor primo putrefactus fuit. Humorem autẽ intelligere oportet, siue actu sit in rebus, vt aqua, & sanguis, siue potẽtia, vt humor carnis, ligni, ossis; omnia.n. hęc putrescunt, quãdo humor illorum corrumpitur: at cũ corruptio humoris fieri possit à contrario, sicco, scilicet tũ, cum non regitur à calore humoris, corruptionem dicimus putrefactionem esse, quando calor eum non regit; necesse enim est rem dissolui, quando non parent alii, quæ obedire sunt nata; aut quæ regunt, excedunt à sua mediocritate; Regit autem humorem cuiuscunque rei certus, & proprius rei calor, qui cum refrigeratur, & extinguitur, mors, & corruptio sequuntur, sed non putrefactio dicitur huiusmodi corruptio: quoniam sine fœtore est, sed quando calor ille intenditur præter modum, non solum ab aeris ambientis calore, (vt Aristoteli placuit) sed ab alia quacunque causa, vt obstructione, meatuum constrictione, vt ostendunt humores, qui per febres putridas putrescunt.

Febris putrida quid.

Putridam vocari febrem, *quæ ex humore putrescente consistit*, clarius est quam vt doceri debeat: Quin, & illud patet, putrescentem intelligi humorem, cuius calor præter naturam ita redditus est, vt iam speciem, & formam humor non retineat: nam bilis, si solum excalefacta fuerit, erit quidẽ bilis; at putrefacta non bilis amplius simpliciter vocabitur, non minus, quam res corrupta, quæ non amplius pristinam appellationem retinet.

Eius differentiæ.

Vt autem dicimus febrem putridam vocari, quæ ex putrescente humore oritur; sic differentias ipsius febris putridæ ex diuersa materia quæ putrescit, hoc modo sumimus, cum dicimus, quasdam esse ex sanguine putrefacto, alias ex pituita, alias ex bile, alias ex humore melancholico.

An vero quædam ex seroso humore putrescente gignatur, & an eadem sit, quæ ex bile pallida, vitellina, flaua, æruginosa, & an eadem, quæ ex humore melancholico, & atra bile consistit, postea expendemus. Sumuntur & differentiæ non inutiles ex subiecta materia: quomodo dicimus, quasdam esse in corporibus adstrictis, alias in raris, alias in crassis, vel gracilibus, alias pueros infestare, alias ætates alias: Variant enim hæ omnes differentiæ curationem: aut certe remedia intendunt, aut remittunt, vt omnibus constare puto: Nam adstricta corpora sanguinem demendum esse copiosius admonent, ferunt quæ magis mediam, quam alia, quæ sunt rara, & laxa. Sic crassa, & obesa, vt quæ angustiores habeant meatus, remedia postulant aperientia vehementiora. An vero pueris sanguis mittendus sit vigente febre, dubium apud aliquos est, & plane negatur ab antiquis Medicis: in aliis vero ætatibus nisi vrgente senectute vires labantur, sanguinem mitti in febribus putridis, tritum est apud omnes. Quare hæ & similes differentiæ non sunt contemnendæ.

Ducuntur aliæ à causis efficientibus febres, quod scilicet quædam à densitate externa, aliæ propter obstructionem, aliæ ab aliis causis capiantur, quæ etiam curationem mutant; siquidem vbi externa superficies densata est, externa præsidia, quæ adhibentur ad cutem rarefaciendam, maximi sunt momenti: vbi vero obstructa sunt vasa, euacuantia, & aperientia medicamenta aliis præferenda sunt.

Sumuntur & differentiæ ex loco corporis, quomodo dicimus, quasdam esse, quæ focum habent in Venis, alias, quæ in Hepate, Liene, vel in parte inflammata, vel in Ventriculo: facit enim plurimum hæc differentia: hinc enim admonemur, cui parti potissimum sit succurrendum, nimirum, quod febris nullo pacto abigi possit, nisi ablato illius fomite, & exhausto fonte, vnde materia ipsi febri suppeditatur.

Capiuntur ab ipsius febris essentia differentiæ non inutiles, veluti sunt illæ, cum dicimus, quasdam esse admodum acres, & mordaces, quasdam malignas, vt Pestilentes; benignas, vt Synochas putridas, quanquam magnæ, & paruæ ab excessu essentiæ febris; benignæ vero, & malignæ à proprietate potius duci videantur.

Capimus & alias à generationis modo, quod

scilicet quædam paulatim, aliæ confertim. Sic & inuasionis modo, quod quædam inuadant cum horrore, vel rigore, vel frigore. Item à solutionis modo, quod quædam per Crisim, alia alio modo desinant. A tempore solutionis, quod aliæ breues, aliæ longæ, quædam acutæ, aliæ tardæ sint.

Sumimus & à partibus febrium differentias alias, quod quædam duo, tria, aut quatuor tempora consequantur. Quinetiam ab effectibus, quod quædam scilicet sitim, vel dolorem capitis, vel Syncopen, aut alia accidentia inferant, de qua differentia Galenus meminit *libro primo ad Glauconem*, cum dicit, continuas quasdam esse cum Symptomatibus coniunctas; alias sine illis infestare. Pertinet ad hoc genus ea differentia, cum dicimus, quasdam continuo infestare, alias vero per interualla; de qua primum agendum esse puto, quoniam hæc vtilissima est differentia, & in omnia genera, omnesque differentias febrium spargitur: nam omnes pituitosæ, biliosæ, & ex quacunque causa genitæ, vel continuæ sunt, vel intermittentes. Sed id postea, cum febrium putridarum causas, & signa, & curationem generatim docuerimus: quoniam scilicet primo quid febrem putridam parere possit, & significare, & propulsare valeat, quam quod idem in Continua, aut intermittente faciat, explicandum esse, docendi ratio postulat.

Materia. In febribus putridis causas potissimum spectamus, quæ ex materia, efficiente, & causis sine quibus, ducuntur. Ac quod ex pituita, bile, & humore melancholico putridæ febres nasci possint, omnibus notum est. Auicen. vero aduersus Galenum nititur probare, ex sanguine putrefacto etiam posse fieri putridam febrem, quod negari dicit à Galeno: & certe in hac re varius est Galenus: sed suo loco, cum de febre ex sanguine putrefacto agemus, siue de Synocha putrida, diligenter id ipsum tractabimus. An vero ex seroso humore putrescente, aliqua possit fieri febris putrida; & an eadem sit, quæ ex bile flaua, & aliis speciebus, quæ sub bile comprehenduntur, veluti vitellina, & æruginosa, & quæ ex humore melancholico prouenit, eadem sit cum ea, quæ ex atra bile nascitur, aut diuersa genera sint constituenda, nemo quod sciam docere tentauit.

Etiam ex humore seroso putrescente fieri febrem peculiarem. Et qualis ea sit. Ac mihi quidem non videtur alienum, vt ex seroso humore febris aliqua fiat: nam si putrescere potest serosus humor, vt potest, (est enim humor, & suum calorem habet, vt & alii,) quam ob rem, quid obstat, quo minus id accidat? Docet & id sanatio: multas enim febres desinere videmus educto humore seroso magis, quam alio quocunque; tum etiam misso sanguine licet aliquando contemplari plurimum serosum humorem supernatantem, & nullum alium peccare, in quo febris poni debeat, consistere. Ponamus ergo genus quoddam febrium putridarum in seroso humore, quod quidem continuam constituet febrem, propterea quod in venis vna cum sanguine huiusmodi humor continetur, sitque eius generis continua febris, quæ nullas accessiones habeat; quoniam probari

non potest, aliter rem habere. Ex bile autem pallida flaua & vitellina idem genus febris fit (quod ostendit purgatio, quæ nunc pallidam, nunc flauam, nunc vitellinam bilem euacuat in tertianis febribus, quasi ab omni huiusmodi humore fieri possit) hoc solo discrepans, quod mitiores sint, & minus malignæ, quæ ex pallida, quam ex flaua, & ex hac, quam ex vitellina fiunt, prout humores inter se adustionis modo differunt, & magis aut minus ad atræ bilis naturam accedunt. *Qualis ex bile pallida & vitellina.*

Sic accessiones, quæ fiunt, plus aut minus tardare in biliosis febribus apparent, omnes tamen tertio quoque die infestare: quasi idem sit febrium genus, quoniam idem [illegible] melancholicus, & atra bilis, idem genus febrium faciunt; sed malignius est, quod ex adusta ipsa atra bile & putrefacta, quam quod ex humore melancholico putrefacto nascitur. Atque hæc quidem de materiali causa febrium sint dicta: nam aliæ causæ, quæ sub materia, vel subiecto contineri dicimus, facile innotescunt. Nunc vero ad efficientes transeundum.

Causa efficientes. Febres putridas excitari scribit Galenus 4. *cap. primi de differentiis febrium*, à cibis, qui suapte natura mali sunt, aut boni: sed ob repositionem malam, vel temporis longitudine, aut alio modo vitiati sunt, & ad putridam dispositionem perducti. Quam sententiam interpretatus Auicen. hoc modo ampliorem reddit, quod scilicet febres putridæ nascantur ob cibos, qui ex sua substantia, & natura facile putrescant; aut quod facile corrumpantur, vt lac, aut quia sunt aquosi, vt fructus horei dicti, aut non conuertuntur in bonum sanguinem: veluti sunt Cucumeres, & Citrulli, aut quia male sunt præparati, aut intempestiue assumpti, aut peruerso ordine.

Alia est causa, vt Auic. & Gal. putant, obstructio, prohibitaq. transpiratio.

Quinetiam Galenus *lib. 3. tertii Epid. textu 1.* putredinem excitari à calore, augeri autem à quiete, scribit. Verum quonam modo hæc causæ sint putridæ febris, non satis patet, nec distinguitur ab illis, cum tamen alio modo cibi aquosi sint causæ febris putridæ, quam obstructio, nimirum, quod illi materiam suppeditent putrescibilem, hæc vero eam accendat: Vnde (vt diximus) causæ ita distinguendæ sunt, vt quædam illarum ad materiam, aliæ ad efficiens, aliæ ad illas, quæ dicuntur sine quibus, reducantur. Sed hæc leuiora sunt, quam quæ ad efficientem causam pertinere dicantur: nam cum varia sint, quæ possunt febres accendere, sola obstruentia solet ponere Galenus, quæ putridas committendi vim habeant, possuntque varii loci ex eo adferri ad id probandum. Ac primum quod scribit *capit. 5. primi de febribus: si meatus*, inquit, *obstruantur, putridæ febres nascuntur*. Item *in eodem libro, capit. 7.* dicit, corpora à putredine præseruari posse, si libere transpirent, quasi prohibita transpiratio sola sit huiusmodi febris causa. Est & alius locus *vndecimo Methodi*, vbi curandi rationem in febribus putridis exorsus à natura ipsius febris per resolutionem inuenit: Quia enim, inquit, *febris huiusmodi ex prohibita transpira-*

spiratione, hac vero ex obstructione nascitur, primum remedium esse debet circa obstructionem, & eam committentia. Quæ ratio nulla esset, & male vnicam curandi rationem institueret, si plures & aliæ ab obstructione diuersæ causæ reperirentur, quæ huiusmodi febres committere possent. Verum, quod id falsum sit, quod s. sola obstructio sit causa febris putridæ, ex hoc patet.

Non omnes febres putridas oriri ex obstructione.

Primum, quod putridæ sæpe sequantur Diarias ex ira, vigilia, tristitia, lassitudine; in quibus nulla obstructio reperitur; aut si adesset, oportet Galenum perpetuo exhibere in huiusmodi Diariis, quæ obstructiones adimerent: quod nunquam facit. Quinetiam, Hecticas sequuntur putridæ sine aliqua obstructionis suspicione.

Secundum *libro primo de febribus capite sexto,* vbi loquitur de febribus pestilentibus, scribit, eas aliquando nasci ex inspiratione aeris pestilentis, quas febres nemo negabit esse putridas, & nulla ratione propter obstructiones fieri putabit, nisi velit temeraria quadam audacia, vt placita sua tueatur, ita sentire. Eo pertinet etiam, quod scribit 3. *de præcognitione ex pulsibus*, vbi habet, putrescere humores cordis ob ambientem aerem.

Tertio docet id natura rei: nam si putredo oritur ex calore præter naturam, quid obstat, quo minus alia, quæ possunt calorem intendere, huiusmodi febres procreent?

Quarto per inflammationes, & tumores partium, cum fiunt putridæ, & cótinuæ, vt in angina, & pleuritide, nulla oritur obstructio in magnis vasis, vt dicere solet Galen. nec reuera aliqua est obstructio etiam in parte ipsa, quoniam venarum, & arteriarum obstructiones dicuntur, non substantiæ partis, per quam sparsus est est humor tumorem excitans. Nec res hæc tam leuiter explicari debet, vt alii faciunt, quoniam plurimum valet ad curationem recte instituendam; plurimum enim refert, si debeamus in omni febre putrida aperientia adhibere, an alia præsidia tentare: illi enim, qui refugium in hac re Galeno quærunt, ita respondent argumentis, quod nó possit incipere putrida ab alia causa, quam ab obstructione, possit tamen sequi Diariam, aut Hecticam sine obstructione.

Quorum opinio repugnat plane Galeno, qui (vt diximus) ab aere inspirato pestilentes gigni scribit: & naturæ rei simul aduersatur, quæ docet, corpora excrementosa, & putredini exposita, ab alia quacunque causa paulo vehementius calefaciente, putridis febribus corripi. Quid ergo dicendum? *concludendum prorsus, non omnem putridam fieri ex obstructione, sed præcipuam esse & frequentiorem causam obstructionem,* quoniam calorem excitat, qui diutius perseuerare potest, quoniam statim obstruentia auferre non licet. Ex huiusmodi autem calore putredo nascitur, aliæ autem causæ, vel leuiorem calorem excitant, aut in his solum putridas febres gignere valent, qui humores habent ad putredinem paratos; obstructio vero in omnibus etiam corporibus id facere potest.

Locus autem, in quo putrescunt humores putridam gignentes, vt scribit Galenus 8. *cap. de febribus, vel putrescunt in aliquo viscere, aut in canis, & maximis vasis, aut in bubone.* Quod si quis quærat, quomodo differat febris Diaria ex bubone, à putrida ab eadem causa? respondet Galen. quod ex bubone, vel calor solum, & non putrida fuligo ad cor distribuitur, cum Diaria fit: vbi vero fit putrida, fuligo veluti fumus ex putrescentibus humoribus ad ipsos cordis sinus peruenit, quæ quidem vbi Diaria fit, manet circumscripta in bubonis loco. Verum cur potius in vno bubone maneat fuligo, in alio autem transmittatur ad cor, nulla ratio esse videtur, cum idem sit locus affectus, eædem viæ in vtroque affectu. Quare aliam putarem esse rationem, quod scilicet fuligo illa non gignatur in bubone, qui facit Diariam, sed solum vapores calidi, & non putridi, cum non putrescat huiusmodi bubo, sed solum accendatur calor in sanguine, quo modo in venis fit Diaria ipsa ex sanguinis calefactione. Non mirum ergo, si ab eo bubone Diaria, ab alio vero putrida procreetur, quoniam putridum putridum gignit, calefacit autem quod calefaciendi vim obtinet.

In quibus locis humores putridam gignentes putrescant.

Signa febris putridæ aggreditur explicare Galenus *capite nono primi de febribus.* Ac primum indicia capit à causis: *Est enim (inquit) proprium, sed non inseparabile putridis febribus, quod non incipiant à causa procatarctica: nam quoties febris incipit affligere absque causa procatarctica, omnino putrida erit*; quoniam diariæ omnes ex procatarcticis nascuntur; Hectica vero cum absque causa procatarctica gignitur, nunquam à principio apprehendit. Non est autem inseparabile hoc signum omnibus putridis: quoniam aliquando ita corpus est affectum, vt ex minima quaque causa externa in putredinem labatur, & statim putridis corripiatur.

Putridarum signa.

A causis.

Adderem ego, quod oporteat causam procatarcticam non parui esse momenti, cum putrida gignitur, nisi corpus prorsus sit male affectum, siquidem calor, qui putrefaciendi vim habet, amplior esse debet, & à vehementioribus causis excitari.

Licet & progrediente morbo à causis iuuantibus & lædentibus notas capere; requirunt enim præsidia putridæ febres, quæ putredinem sistant, & extinguant, quod aliis non conueniunt. Læduntur magis à quibusdam remediis, vt cutis adstrictione, & balneis, etiam ante coctionem humorum adhibitis.

At ex alio fonte, qui ab essentia ducitur, ipsius febris signa sumemus. Est enim putridarum febrium calor mordax ad tactum, veluti fumus, qui oculos, & nares mordicat, apparetque maxime huiusmodi calor mordax, & perpungens, nihilque suaue habens per incrementa accessionum, atque vigores febrium: nam per initia accessionum non statim emicat, vt manu statim dignosci possit, sed tamen diutius immorantibus, prædictum caloris genus de profondo emergit: id quod fit, quoniam in principio accessionis, dum adhuc succenduntur intus excrementa, calor suffocatur; Verum id solum

A febris essentia.

locum habet in febribus, quæ per accessiones infestant. Quo magis mirari licet, Galenum, dum pollicetur simpliciter, se daturum signa febrium putridarum, ea solum describat, quæ per accessiones infestant: certum enim est, synochas putridas hoc inditio non deprehendi. Mordacitatis autem caloris causa putatur esse à nonnullis ratione subiectæ materiæ siccioris in hac febre. Verum, cur in diaria ex inedia, aut vigilia, vbi corpus magis est exsiccatum, quam in pituitosa putrida, huiusmodi calor non apparet? An potius ergo id fit, quoniam ab humore putrescente substantia calida, & putrefacta consurgit, quæ calorem acriorem secum aduehit? At quomodo dici potest esse calida magis, quam in aliis febribus si ex frigidiore oritur materia? Dicendum ergo potius, *quod vniuersum genus putridarum aliis generibus comparatum, huiusmodi calorem habeat*, etsi in aliis generibus quædam reperiri possint, in quibus calor acrior sit, quam in quibusdam putridis.

Ab effectib. Porro, ex tertio fonte, qui ab effectibus sumitur, plurima resultant inditia, quorum quædam in ipsa inuasione febris, alia in aliis temporibus, vel etiam per vniuersum morbi decursum sunt notanda. Est autem illud primum, quod cum rigore incipiat suapte natura, idest, remotis causis, quæ huiusmodi symptoma inuehere solent, cuiusmodi est iter per niuem factum, aut aliæ causæ vehementius refrigerantes; sed non est inseparabile hoc inditium: nam nulla est febris, quæ incipiat cum horrore, vel rigore, absque causa manifesta, excepta putrida, omnibus tamen non conuenit, quales sunt synochæ putridæ, aut ardentes, & fere solum illis competit, quæ vel intermittentes sunt, aut continuæ cum intermittentibus commixtæ.

A pulsibus. Sumitur & aliud genus signorum ex pulsibus, sunt enim (inquit Galenus) pulsus putridarum febrium per initia accessionum, & etiam per incrementa, inæquales. Atque hoc est proprium signum, sed non inseparabile. Quomodo autem inæquales intelligi debeant per initia, & incrementa accessionum, non satis docet Galenus *de Differentiis Febrium*, intelligi autem debet inæquales inæqualitate systematica: quod scilicet vna pulsatio maior sit alia, id, quod euenit, tum ob imbecillitatem facultatis grauatæ, tum viscerum obstructiones ob confluxum humorum ad interna vasa, quæ eo tempore accidit; nam inæquales etiam intelligi possunt, comparando diuersas differentias pulsus inter se: nam in initio parui sunt pulsus grauata facultate, & obstructis vasis, & tamen veloces. Præterea, contractio velocior est, quam sit diastole, quoniam fuliginosa excrementa sunt, quæ expulsionem maiorem desiderant, calor autem obrutus, qui parua dilatatione, & attractione aeris frigidioris egeat: non tamen inseparabile est febribus putridis hoc indicium, quoniam his duntaxat conuenit, quæ per accessiones infestant, quanquam tamen pulsus arctiores in contractione, & inæquales sequantur etiam collectiones mordacis humoris, vel frigidi in ore ventriculi.

Vnde proprium est febrium putridarum huiusmodi pulsus, nisi ventriculus eo modo afficiatur. In ipso autem vigore, magni, & veloces redduntur pulsus, & frequentiores per exteriorem quietem, magis quam in diariis, & hecticis; quoniam calor vehemens est, & fuliginosa abundant excrementa. Duri autem pulsus nec proprii, nec inseparabiles sunt cuipiam generi febrium; illis autem putridis conueniunt, quando inflammatio in aliquo viscere fatigat, vel scirrhus, vel aliquod est symptoma coniunctum, vt neruosa aliqua tensio, & siccitas.

A modo solutionis. Aliud signum est sumptum à modo solutionis, quod scilicet minime desinant ad integritatem, indicat enim id (inquit Galenus) si diaria præcessit, subsequi putridam, sin minus, statim ab initio hanc incæpisse. Verum hoc inditium ostendere solum potest continuas putridas: siquidem intermittentes ad integritatem deueniunt cum sudore, vel vomitu, aut alio modo.

Ex propriis symptomatibus. Aliud signum additur sumptum ex propriis symptomatis, quæ singulas putridas sequuntur: si enim adsint, vel ardentis febris, vel tertianæ, aut quartanæ, vel alterius putridæ febris signa, non solum putridam esse, sed etiam qualis sit, intelligemus.

Ex vrinis & aliis excrementis. Aliud sumitur inditium ex vrinis, & excrementis corporis. Vrinæ enim in his febribus prima die, aut, vt dicit Gal. *de differentiis febr.* primæ vrinæ, vel penitus crudæ, vel obscure concoctæ existunt, nisi à diariis in has fiat transitus: Tunc enim vrinæ, quæ primum emittuntur, inuadente putrida coctæ apparent, quoniam separatæ sunt ab humore concocto, & leuiter alterato per diarias febres. Sunt autem vrinæ concoctæ, quæ simillimæ sunt sanis, à quibus bifariam fit recessus ad cruditatem: nam concoctio mediocris quædam est alteratio: vnde, quæ vel nullam, aut certe minimam alterationem receperunt, quales sunt vrinæ albæ, tenues simul, & aquosæ, vel etiam crassæ, vno modo crudæ dicuntur; alio vero quæ igneum aut rubrum referunt colorem, cum tenuitate, vel crassitie absque aliquo, quod in ipso liquore innatet.

Est autem proprium, & inseparabile harum febrium hoc inditium, quoniam diariæ ex leui excalefactione humorum consistunt, adeo, vt paululum recesserit à naturali suo statu, & proinde concocta eorum excrementa reddantur: In Hecticis vero exiguus est calor, & vitium non in humoribus, sed partibus solidis: vnde vrinæ quoque concoctæ laudabiles redduntur, quantum scilicet infestante corpore fieri possunt. Febres autem omnes putridæ non leue in humoribus vitium habent: Vnde necesse est natiuum calorem suas alterationes efficere non posse bonas, & laudabiles. Quapropter, vel tenues, & aquosæ redduntur vrinæ, quando scilicet materia frigida est, & crassa, adeo vt difficillime patiatur, nec ad mediocritatem redigi possit: vel etiam albæ, &

bæ, & crassæ; quando pituita minus viscosa est, & meatus magis patent ob leues obstructiones: tunc enim peccantis humoris portio vna cum lotio educitur, quo ipsum lotium crassius redditur: At si humor acris sit, tenuis, & biliosus, qui putrescat, calor vehemens viget, qui assat ipsos humores, & tales reddit vrinas, quales ipsi humores existunt, igneas scilicet, & flauas. Rubræ vero & crassæ redduntur ex sanguinis ebullitione, & putredine, aut ex putrescente bile in corpore multo sanguine prædito.

Illud tamen ignorandum non est, cum dicimus, vrinas crudas, aut minimum coctas excerni per huiusmodi febres, spectandam esse singularum febrium naturam, magnitudinem, paruitatemque. Minus enim crudæ redduntur per febres paruas, quam vehementiores, eadem posita materia subiecta, & quæ ex tenuiore humore consistunt & calidiore, magis concoctas vrinas efficiunt, quam reliquæ. Hæc ergo sunt indicia febrium putridarum, quæ à Galeno referuntur *passim*, præsertim *libro primo de differentiis febrium*. Addi tamen possunt alia ex respiratione, quæ similiter in his, vt pulsus mutatur.

Quinetiam vel dolor aliquis infestans aliquam partem inflammationis, quæ putridam excitat, est inditium, vel sitis vehementior vrget, quam in aliis, aut sopor, & color corruptum, vel alio modo malum humorem subesse ostendit, qui putredinis sedes ostenditur. Adhæc, excrementa alui, vt plurimum cohiberi solent per huiusmodi febres, & cruda deiici, & grauiter olentia.

Quod si placet exercitationis causa signa colligere, & ad opus perducere, in primis sciscitabitur Medicus, quomodo febris apprehenderit, an cum rigore, vel non; & si cum rigore, an ab externo frigore, vel ex destillatione occasionem acceperit: Deinde si cum rigore; qui post illum sit secutum, an vomitus, qualis calor, qualisque illius motus, an paulatim scilicet ascenderit, vel non; an acris, & mordax, qualis item respiratio, an in expiratione maius sentiat iuuamentum, quam in inspiratione, si inæqualis fuerit. Quod si accessio sedata fuerit; quonam modo id factum sit, an cum sudore, vel alia excretione, an potius perseueret, quæ primum inuasit febris, an post accessionem finitam liber, & sine aliquo accidente morboso fuerit æger.

Postea vero quæret Medicus, an præcesserit aliqua causa externa: nam si non, suspitio est febris putridæ; an præterea male antea fuerit affectus, quæ plenitudinem, aut crassitiem, aut viscidítatem humorum testantur, quales sunt somni longi, & profundi præter solitum; capitis, & totius grauitates, tensiones hypochondriorum, deiecta appetentia, & huiusmodi alia symptomata, quæ malos succos, aut multos in corpore abundare significant; ex quibus obstructiones, corruptiones, & putredines nascuntur.

Quærendum præterea de vita anteacta, otio, motu, retentis excrementis, animi curis, cibis assumptis, & aliis huiusmodi causis, quæ ostendunt, corpus fuisse ad putredinem paratum, vel non. Spectare præterea debet Medicus corporis habitum, colorem, anni tempus, regionem, cœli statum, & ab illis omnibus signa colligere ad corporis statum dignoscendum: nam si corpus subflauo, aut liuido est colore, aut alium refert ex sobole malorum humorum prouenientem, indicium est, subesse malos succos putredinis authores: sic febres, quæ Autumno oriuntur, quo tempore corrupti sunt humores, testantur putredinem subesse; Diariæ, aut Synochæ non putridæ, quæ tamen citius oriuntur, ineunte, & durante vere; quoniam corpus eo tempore bono sanguine abundat, qui non facile putrescit.

Adhibita vero hac diligentia, & inquisitione, accedet Medicus ad tangendum pulsum, quem si inuenerit inæqualem, aut contractum adhuc, aut velociorem in contractione, quam dilatatione, vel cum duritie quadam, si modo de hectica nulla sit suspicio, intelliget putridam esse febrem, id quod magis confirmabit caloris qualitas, manu admota præcordiis, si scilicet calor acris, & mordax sentiatur.

Accedet postea Medicus ad vrinæ inspectionem, spectabitque, an cruda, vel concocta appareat, & ex ea signa sumet, vt antea diximus. Hoc modo ergo putridam febrem cognoscemus; Licetque ex hoc intelligere, plura signa excogitari posse, quam à maioribus nostris sint tradita. Si enim putredinem in humoribus ponamus; & quæramus, qualē calorem, quosque effectus parere possit; tum in actionibus, quæ à locis præsertim affectis nascuntur, veluti corde, tum in excrementis, & qualitatibus corporis; spectauerimus præterea causas quæ ex subiecto corpore, & humore putrescibili, tum eas, quæ huiusmodi humores procrearunt; aut obstructiones excitare potuerunt, aut alio modo calorem augere, qui putrefacere possit, facile intelligemus, quæ, & quot possint esse febris putridæ inditia Id quod generatim in omnibus, quorum notas quærimus *lib. 1. de Signis cap. 7. nostri Operis* abunde docuimus.

A similitudine. Licet tamen ex similitudine alia indicia capere: nam si febres, quæ grassantur, putridas esse nouerimus, licebit prædicere eam, cuius notas quærimus, eiusdem generis esse. Atque hæc satis de signis demonstratiuis putridarum febrium. Nunc paucis de Prognosticis est agendum.

Prognostica. Vniuersa, quæ ad Prædictionem pertinent indicia, à quatuor prædictis fontibus, nempe ab essentia rei, de qua agitur, a causis, effectibus & similitudine cum aliis, ducimus. Igitur si putredo maligna est, aut magna; si calor vehemens admodū, & continuus, si magna sunt symptomata, quę putridam febrem sequuntur: si magni in vrinis, & aliis excremētis recessus à naturali statu, veluti, si vrinę supprimantur, aut minima quantitate reddantur, si liuidæ, nigræ, turbulentæ admodum, igneæ, vel aquosæ, crassissimæ; si pulsus admodum inæquales, celeres, & maximi; vitiatus est præterea color corporis; ipsum vero corpus male affectū: & vires sublint infirmæ. præcesseruntque causæ, vel malignæ, vel maximæ; si non iuuantur remedijs, læduntur autem à iuuā-

mis quibusq; causis; si alii, qui laborarunt per ea tẽpora, perierunt, mortem prænunciabis venturam, alioqui salutem exspectabis. Sic ex eisdem fontib. tempus, quo febris ipsa finietur, solutionisq; modũ, & alia, quæ prædiximus *in nostro Opere lib. 4. de Sig.* in singulis morbis pręcognoscẽda, facile prædicere poteris. Nunc vero superest, vt eas, q̃ curari possunt, febres sanare aggrediamur.

Curatio.

Si vniuersos scriptores de re medica legamus, inueniemus multa adhuc superesse in curatione febrium putridarum, quæ ab illis excogitari debent, qui non temere aliquid facere aggrediuntur, & methodo omnia pertractare cupiunt: nemo enim indicatione vtitur ad vniuersa præsidia inuenienda, quæ putridis febribus competere dicuntur: statim enim sunt, qui dicant (vt Paulus, & Galenus etiam) omni febri putridæ conuenire venæ sectionem; sed id per indicationes non inueniunt.

Hinc est, quod alii negent id perpetuum esse in omnibus putridis. De quo problemate postea agemus. Quæ controuersiæ nunquam nascerentur, si per indicationes remedia inuenirentur. Deinde de numero remediorum inter eos non conuenit, cum vnus plura, quam alius ponat. Vnde perpetuo dubitare licet, cuinam authori sit potius credendum: & an relinquantur aliqua præsidia omnibus etiam collectis, quæ ab omnibus traduntur. Ad hæc prętermittunt nũc quantitatem, nunc qualitatẽ, aut modum, vel tempus, aut ordinem præsidiorum; quoniã de scopis agendi nõ considerarunt.

Quin & illud maxime damnandum est, quod à nonnullis fieri videmus, à Paulo præsertim, & Aetio, qui remedia conuenientia duntaxat vni generi putridarum ad vniuersas putridas extendunt: nam Clysteres ex aqua mulsa imbecilliores sunt in nonnullis febribus, quam expediat, quando quæ ex pituita constant; aut atra bile, præsertim si ex genere intermittentium existant, acriora postulent præsidia. Vnde, quod Paulus scribit, eligenda esse præsidia assumpta per os, quæ citra vehementem calorem & siccitatem vacuare, aperiteque possint, ex vno loco, nempe *11. Methodi*, in quo Galenus continuarum, earumque calidiorum febrium curationem docet, sunt desumpta; nec ad vniuersum febrium putridarum genus, vt ille facit, referri debent: siquidem quotidianæ, (teste Galeno *ad Glauconem*) piperis, asari, origani, hyssopi, thymiq;, & aliorũ præsidiorum, quæ excellenti calore sunt prædita, vsum requirunt.

Verum inter tot discrepantes authores, totque huius rei difficultates, Galen. *11. libro Methodi* rationem docet, qua possimus rectè huiusmodi febres propulsare. Sumitur autem ab eo hæc ratio ex natura rei: cum enim febris putrida ex putredine humorum nascatur, necesse est vt putredini remedia adhibeamus. At quoniam putredo tolli nequit, nisi ablatis illius causis, tria necessario oriuntur, circa quæ Medicus pugnare debet, febris, putridus humor, & putredinis causæ. Quod si dicas, vnicum esse, quod Medicus præstare debet, vt antea probauimus, contra causas scilicet agere, cum calor ignite, humor putridus, & putredinis causæ sint febris causæ, certum quidem dicemus, sed quoniam immediatam febris causam febris nomine donare solet Galen. vt consueta retineantur nomina, præstat priorem sequi diuisionem; vel, si velis ad exactum rem rescindere, suadente nostra Methodo, dicemus resistendum esse febri, remotione causarum illius, quarum quædam sunt actu causæ, aliæ potentia, quædam vero ex Symptomatis ductæ: vnde curatione, præseruatione & mitigatione nonnunquã opus esse; ex quo constabit, aduersus febrem, putrediné, putredinis causas & symptomata, pugnandum esse.

Hæc enim, vt generatim dicam, in corporibus febre putrida laborantibus reperiri solent. Nonnũquam tamen considerandæ sunt vires, quæ impediunt libere exequi, quod ea postulant: quæ sunt præter naturam. Quid vero, & quæ agenda sint, docent naturæ singulorum prædictorum: nam febris, cuius natura in calore est posita, refrigerationem (vt omnib. constat) postulat; quid vero humor putridus, putredineque affectus exigat, non forte ita constat: id tamen optimę à Galeno 11. *Methodi* docetur, consulta rei natura: *nam quoniam* (inquit) *putredo est mutatio totius substantiæ putrescentis corporis ad corruptelam, necesse est duo requiri præsidia, vnum, quod separet quantum iam est putrefactum, alterum, quod alteret reliquum, & putrescere prohibeat*; & id docet argumento sumpto ab externis rebus: *nam*, inquit, *corpora, quæ non viuunt, & putrescunt, cum illorum putredinem sanare volumus, seiungimus in primis, quod computruit a reliquo, id vero, quod superest, in frigidum aerem attollimus, vt perspirare refrigerarique possit, & conceptum calorem deponere. Vnde vacuatio putrefacti humoris molienda erit, & eius, qui iam sentiebat noxam, & properabat ad putredinem, refrigeratio tentanda.*

Quid vero postulent putredinis causæ, nunc videndum. De qua re Galenus ita agit, vt fere solum spectet effectrices putredinis causas, & eas quidem non omnes, sed solum eas, quæ occlusis corporis meatibus, intus accendunt putredinis authorem. Verum aliæ interim contemnendæ non sunt, veluti quæ sumuntur ex materia, subiectoque corpore, & loco, in quo gignitur aut fouetur, veluti in quodam foco, putredo, putredinisque materia: nam vniuersa remedia aduersus cutis densitatem, & obstructionem internorum meatuum dirigit, cum tamen (vt antea ostendimus) sæpe oriatur huiusmodi febris citra eiusmodi causas; tamen rectè dictum esse puto, procurandam esse transpirationem vniuersi corporis, vt scilicet putridus humor vndiquaque expirare, & frigus captare possit.

Quinetiam, vbi materia est copiosa, aut male elaborata, corruptionique exposita, aduersus illam pugnandum est, etiam si nondum putrescat, eo quod interim naturam, quam occupari oportet in alteratione putrescentis humoris, distrahat. Quod si hepar, aut Lien, aut alia corporis pars, vel vniuersum corpus putredinem foueat, illi potissimum loco succurrendum est, qui mali est author.

Alia præterea ratione nonnunquam aduersus multitudinem contenti humoris pugnamus, quod scilicet vbi ex obstructione putredo consistit, & cum in omni febre putrida transpiratio procuranda sit, impediat huiusmodi humor, nisi aperientia, rarefacientiaque præsidia adhibeamus. Aduersus symptomata vero renitendum

est pro cuiusque natura; contra sitim, si ea vrget; contra dolorem, si ille grauis est, aut vigiliam, si ea hominem infestat; aut somnū si is hominem afficit; & denique aduersus ea symptomata, quæ malum intendendi, viresque prosternendi vim habent, dirigenda sunt medicinæ auxilia. Vnde, multiplici remediorum genere pro varietate infestantium malorum, & vario victu prout vires labantis exigunt, ex nostra medicina petenda.

Verum, quoniam ab illis inchoandum est, quorum natura prima remedia sibi postulat (sunt autem illa causæ effectrices, nisi alia impediant, quæ ex subiecto corpore sumuntur) propterea videndum, à quo inchoandum sit. Itaque quoniam nec febrem, nec putredinem auferre licet, nisi ablatis illorum causis, effectrices autem causas absque vacuatione demere non possumus, quando nec putrefactos iam humores expurgare, aut per insensibilem transpirationem euacuare cōceditur: ideo à vacuatione incipiendum, & ab ea quidem, quæ communis esse dicitur; nam hæc aliam præcedere solet.

Sunt autem potissimum duæ, venæ sectio, & purgatio, quæ his febribus conuenire dicuntur, quoniam, & multitudo, & corruptio adest. Ac imprimis de venæ sectione agendum esse puto, cum hoc præstantissimum sit remedium, & primum adferri soleat, & in controuersia etiam positum; Vnde primum quærendum erit, an omni febri putridæ conueniat venæ sectio, vel non.

Vena sectio an omni febri putridæ conueniat, vel non.

Galenus *libro vndecimo Methodi medendi*, ita ad verbum scribit, *Saluberrimum est in febribus venam incidere, non continuis modo, verum etiam aliis omnibus, quas putrescens humor concitat, vbi nec ætas, nec vires prohibent.* Ex quo loco ortæ sunt non paruæ controuersiæ inter recentiores Medicos, quorum quidam idem planè adstruunt, quod *hoc loco* Galenus, contenduntque in omni putrida febre sanguinem demendum esse. Alii verò rem moderantur, authore etiam ipso Galeno, qui *libro primo ad Glauconem*, nec tertianam febrem exquisitam, nec quotidianam venæ sectionem tractat. De tertiana verò notha ita scribit: *Si sanguinem mittere oporteat, nec hoc quidem omittendum*; quod frustra scriberet, si conferret omnibus putridis sanguinem auferre. Sic etiam de quartana scribit; *si vena secta flauus, aut tenuis sanguis emanat, statim supprimendus sanguis est.* Addunt, quod nec etiam in omni continua, vbi scilicet regio est admodum frigida, aut calida, *eodem libro*, sanguinem non suadeat mitti.

Expendunt præterea, & meritò, rationem Galeni, quam adfert *vndecimo Methodi*: nam illic sanguinem eo extrahendum esse scribit, quod exoneretur ex illius vacuatione, tanquam ex sarcina, qua premitur corpus, vnde postea quod reliquum est, & concoqui potest, concoquit felicius, & quod expelli debet, promptius extrudit. Quam ob rem, si febris consistat absque multitudine sanguinis, & potius illius additionem postulet, quàm ablationem, hanc rationem non valere. Addunt & aliud argumentum, quod scilicet sanguinis missionem postulent duntaxat morbi magni,

A non esse autem omnes febres putridas huiusmodi, cum tertianam indicet Galenus mitissimam, & tutissimam. Quod si ex frigido humore consistat febris, vt quotidiana, nec venæ sint repletæ sanguine, nonne etiam plurimum corpus lædemus, euacuato calido spirituoso humore, quo natura ad coctionem tum cibi, tum noxii humoris, & ad probam corporis nutritionem vtitur? Quod si quis dicat, febrē ipsam, vtpote, quæ refrigerationem indicet, postulare venæ sectionem, sed repugnare aliquando causam ipsam, quæ frigida non admittat; respondendum, venæ sectionem adhiberi non febri ipsi per se, sed per accidens duntaxat: id enim, quod vacuatur per venæ sectionem, est, quod illam indicat. *Quare, si causa ipsa, & nullus humor subest, qui id postulet remedium, temere illud adhibebimus*, alioqui cur in diaria, & hectica, quæ refrigerationem postulat, sanguinem non auferimus? nimirum, quod etsi venæ sectio refrigerat, non tamen conueniat, quoniam non quicquid refrigerat, omni refrigeratione egenti conuenit.

B

Quòd si licet in omni putrida sanguinem auferre ad corporis refrigerationem, cur idem in diaria non facimus? in qua corpus sæpe plenum est humoribus, & alleuiata natura facilius reliquum vincit. At si obstat morbi clementia, quæ huiusmodi remedium non postulat, cur in mitioribus putridis sanguinem detrahemus? *Quamobrem illorum opinionem magis probo, qui negant, omnibus putridis huiusmodi remedium competere*, quàm eos, qui ex vno Galeni loco inconsideratè scripto, omnibus aliis, & quod magis est, natura rei reclamante, id asserunt. Verum cum in aliquibus liceat vti hoc remedio, in aliis verò minimè, expendendum, quænam sint, quæ requirant hoc præsidium, quæ verò respuant.

C

Qua in re excipiunt nonnulli febres ex bile plurimum exusta obortas, eo quod (inquiunt) Galenus *libro quarto de sanitate tuenda* iubeat caueri sanguinis detractionem, vbi humor plusculum recedit à sanguinis natura; vel infra subsistit. In quo mihi malè sentire videntur: nam par ratio non est, quoniam sanorum vitia, quæ ex humoribus nascuntur, vehementia non sunt, vt subitum postulent remedium; nec ea mala, de quibus agit *eo loco* Galenus, vehementem habent calorem adiunctum; quo modo febres ex bilioso humore natæ, quæ refrigerationem, & eam subitam postulant, quod consequi nullo alio præsidio æque commodè possumus, vt sanguinis detractione.

D

Nec verò illud obstat, quod scribit Auicenna, verendum esse, ne ob sanguinis detractionem humores biliosi, qui sanguine retunduntur veluti freno, magis efferuescant, & pituitosi magis refrigerentur: nam pituitosos refrigerari vacuato calido humore, & spiritu, certissimum est; bilem autem accendi eodem adhibito remedio, concedi non potest, cum experientia doceat, biliosissima etiam corpora, extracto sanguine refrigerari; tum, quod generationi ipsius bilis materia subducatur (fit enim bilis ex sanguine plusculum exarso, tum quod ipsius bilis portio vnà cum sanguine ex-

E

eat, & ſpiritus feruentis magna copia, quibus quidem fit, vt vniuerſum corpus refrigeretur.

Quibus febribus vena ſectio conueniat.

Ergo in calidis febribus ſanguinem auferre expedit, præſertim ſi continua fuerint; vbi verò intermittentes ſunt febres, non, niſi vbi ſanguinis copia ſubeſt, qui in bilem verti facilè poteſt, & continuam pro intermittente excitare; tum, quod vt plurimum aperientibus, purgantibus, & refrigerantibus medicamentis per os aſſumptis, egeant, tum etiam rarefacientibus extrinſecus opus habeant: quæ præſidia, vel nullo modo, vel certè commodius extracto ſanguine adhibentur, ſed parcius quidem id facies, vbi admodum bilioſus eſt ſanguis, quam vbi eſt bonus, & laudabilis, quoniam redundante bile, purgatio potiſſimum eſt remedium; aut quæ B vim habent propriam refrigerandi. *Sanguinem autem demimus refrigerationis quidem gratia, ſed magis, vt aliis præſidiis aptior locus detur.* Vnde Galenus in Synochis febribus plurimum omnino ſanguinis detrahebat; in bilioſis verò minus.

At ſi ex humore pituitoſo vel melancholico conſiſtat febris, niſi vnà etiam adſit ſanguinis copia in venis, ſuperfluum eſſe puto venam ſecare, quando tunc plurimum obeſſet debilitato calore, quo egemus ad coctionem, & expulſionem noxii humoris: nulla verò ratione vel minimum prodeſſe poteſt huiuſmodi ſanguinis detractio, niſi fortè abundante pituita, aut humore melancholico, vna etiam C abundet vel bilis, aut ſanguis, quæ huiuſmodi præſidium poſtulent. *aut morbi adſit magnitudo*, cui debeatur huiuſmodi præſidium, ſic enim in Tertiana notha vigente bile, & pituita, vel humore melancholico, & in Semitertiana vrgente morbi magnitudine, ſanguinem demimus.

Quando vena ſectio habeat locum, & quando eius loco ſcarificatio cum cucurbitulis.

At vt ad opus rem perducamus, *ſi adſit vehemens ardor, & æſtus in corpore, aut infeſtent vehementiora aliqua Symptomata, quæ indicia ſunt morbi magnitudinis, aut vrinæ ſint rubeæ, quæ ſanguinem abundare oſtendant; ſanguinem ſine timore in his mittes conſtante virtute, alioqui ſcarificanda cutis eſt, & cucurbitula admouenda.* Quoniam verò & ſecta vena in bra- D chio, & ſumma manu, & pedibus, & ſub poplite, vel admotis hirudinibus, aut alio modo apertis venis ani, ſanguinem demere licet, nec omnia corpora admittunt huiuſmodi remedium: hæc duo nunc expendenda veniunt, quando ſcilicet ab vna vena, aut alia ſanguinem mittere expediat; & quænam corpora ferant ſanguinis detractionem, alia verò inhabilia cenſeantur eſſe.

Quæ vena ſecanda.

Sanguinem ergo ex maioribus vaſis, qualia ſunt, quæ in cubiti flexura reperiuntur, educes, quando plurima adeſt copia, & craſſior eſt, citaque refrigeratione, & vacuatione corpus opus habet. Accedit, quod cum huiuſmodi venæ propinquiores ſint fontibus caloris, & partibus principibus, vbi vehemen- E tiora Symptomata vigere ſolent, promptiſſimè ſectis huiuſmodi venis; omnibus ſuccurritur.

At ſi vires infirmiores ſint, quæ ex multa ſpirituum diſſolutione facilè diſſolui poſſunt, A aut ſi fortè iam multum proceſſit morbus, præſtat, vt ex minoribus venis, quæ circa digitos apparent in manibus, ſi vir laboret, alioqui in pedibus, ſi mulier afficitur, ſanguinem extrahes, & id præſertim in muliere facies, ſi fortè aut omnino ſuppreſſi menſes, aut non ſatis purgantur per ſolitas purgationes vteri. Ex venis autem ani ſanguinem potiſſimum detrahes, cum iam ſemel extracto ab aliis venis, morbus non tollitur, ſed vel recrudeſcit, aut craſſior feculentuſque magis eſt ſanguis ex humoris bilioſi admixtione, aut ſopor, vel dolor capitis diuturnior hominem per febrem inuaſit, præſertim ſi conſueuerunt huiuſmodi venæ per ſanitatem ſanguinem effundere, & ex aliqua occ- B aſione fuerunt ſuppreſſæ.

In quib. cutis ſcarificanda.

Eundem verò ſcarificata cute extrahes in mollioribus rariſque corporibus, vbi magnam vacuationem affectus poſtulat, aut ſi poſtulat corporis conditio, ob debilitatem verò, vel raritatem non admittit, idque præſertim, ſi ſanguis tenuior extiterit. Quod ſi caput laborat plerumque conſpicitur poſt extractionem ſanguinis ex vena cubiti, licet è naribus ſanguinem elicere, vel ex venis temporum, admotis hirudinibus, aut etiam vena ſecta in ipſis temporibus, vel fronte.

Arcet Galenus imprimis pueros, qui (vt ſcribit *in Methodo medendi libro vndecimo*) ante decimum quartum annum venæ ſectionem C non admittunt; eſtque illius ratio hæc, quod ob mollitiem corporis ſatis euacuentur per inſenſibilem tranſpirationem; adeò, vt vltrò ex corporis natura id præſtetur, quod ex inciſione venæ moliri oporteret. Quod ſi quartum decimum annum excedat puer, & ſanguine abundet, & dura, ſpiſſaque ſit corporis conditione, mittendum eſſe in eo ſanguinem: in eo ve[illegible], qui contrario modo ſit affectus, nequaq[illegible]m.

Opinio Gal. de non mittendo ſanguine in pueris refellitur.

Negat præterea, illis conuenire huiuſmodi remedium, qui vel triginta annos etiam ſunt nati, ſed laxa, molli, pingui, & alba corporis natura ſunt prædiri, graciletque ſimul habent venas, ſi laborent æſtiuo tempore, & in D regione æſtuoſa, cœlique ſtatu calido, & ſicco: in alia verò aeris temperie in huiuſmodi naturis aliquid detrahi poſſe ſanguinis, ſcribit. Quæ profectò omnino probare non poſſum: Nam quod minus in pueris mittendum ſit, quàm in aliis, quanto magis eorum corpora digeruntur, & copioſiore ſanguine ad nutrimentum opus habent, certum quidem eſt, verum quod nullo modo extrahi debeat ſanguis in aliquo affectu, abſurdum eſt: nam cum ea vacuatio, quæ fit per diſſolutionem, paulatim fiat requiratque inediam, contingunt ſæpe nonnulli morbi adeò vehementes, vt pleuritis, angina, & febres etiam ipſæ, vt ſubita medela per ſanguinis miſſionem ſit opus, multo quidem plus conferes, ſi ſtatim multitudinem, E quantum exigit affectus, exhaurias; vel ſublato, vel mitigato morbo puerum liberius nutrias, quàm ſi longiore inedia, & naturali ea euacuatione eum vacuare tentes.

Quod ſi decimus quartus annus omnibus vna meta eſſe debet, planè etiam in hoc aberramus,

erramus, cum diuersitas corporum ostendat, quosdam id duodecimo ferre posse, quod alij fortè decimo sexto nequeunt sustinere. Quod si authoritate certandum esset, non desunt Arabes Medici, qui concedant huiusmodi præsidium in longe teneriore ætate, veluti Haliabas, qui pleuritico filio trium annorum venam secuit, & plurimum contulit: idemque nostra testatur experientia; & Celsus ipse, qui antiquorum de hac re præcepta refellit, vbi scribit, creditum fuisse ab antiquis Medicis, obesse venæ sectionem tum grauidis mulieribus, tum pueris; sed postea visum ostendisse, nihil nocumenti adferri ex huiusmodi præsidio, si corporis mala illud postulent, & iusta mensura adhibeatur. *Parcius ergo in pueris, quàm alius sanguinem mittemus; sed tamen vbi casus vrget, neminem excipiemus, cui vena inueniri possit, vel alioqui per scarificationem à partibus carnosis, & sanguinolentis sanguis extrahendus.* Quod si id in pueris audemus, multo minus excipiemus aliqua alia corpora, in quocunque cœli statu laborent, ab huiusmodi præsidio, etsi parcius tamen vacuandi sint per sanguinis missionem, qui vel non eo abundandant, aut ab aliis causis exhauriuntur.

Venæ sectionem prohibentia.

Nec tamen illud concedere velim, nullam aliam vacuationem prohibere posse venæ sectionem, quando vel *alui fluxus copiosus, vel largi sudores, aut vomitus multus, aut sanguinis ipsius per alia loca euacuatio, vt per hæmorrhoidas, vel ani venas, id efficere possunt*; sed aliæ euacuationes, quæ per insensibilem transpirationem obeuntur, quales sunt, quæ ab aere ambiente præstantur, de quibus agit Galenus, nullo modo, vbi res exigit, ob vehementiam affectus huiusmodi præsidium penitus auferre possunt, id quod etiam ex aliis locis ipsius Galeni patet; quandoquidem ille aut cruditatem, aut aliud quidpiam inhibere venæ sectionem posse scribit, si modo morbi adsit multitudo, & vires constent.

Nec existimare oportet, vires non constare in calido cœli statu, & ob id non ratione affectus postulantis, sed virtutis imbecillioris prohibentis vetare Galenum, quo minus sanguinem auferamus per eam aeris constitutionem: nam *virium robur non tantum requiritur ad venæ sectionem, vt vulgus credit*, cum satis sit pulsum constare, & nullam aliam ex actionibus penitus deperditam esse; quanquam tamen etiam motu deperdito, & sensu, vt in Apoplexia contingit, valida existente adhuc vitali facultate, sanguinem auferre non veremur, tanquam solus pulsus, qui mediocriter tactui resistit, hoc enim est sufficientis roboris indicium, vires ostendat tantas esse, vt huiusmodi præsidium sustinere ægri valeant. Quod si in magno æstu, & solis ardore non veremur purgationem in biliosis ardentissimisque febribus propinare, quæ, meo quidem iudicio, longè magis vires deiiciunt, quàm ipsa venæ sectio, aut certè pati incommodo, non timebimus quoque vigente affectu, sanguinem demere aliquo modo, omnino vel secta vena maiore, vel minore, aut hirudinibus admotis, vel cute incisa per scarificationes.

Quantum robur ad venæ sectionem requiratur.

A Cruditas impedire quoque dicitur venæ sectionem; sed cum alia sit humorum, alia ciborum cruditas, quæ humorum est infra mediocritatem caloris subsistentium, nisi adsit (vt diximus) vnà cum illa sanguinis multitudo, per febres non admittit venæ sectionem: in vehementioribus verò morbis, quæ subitam vacuationem postulant, qualis est pleuritis, admittitur huiusmodi remedium. Ciborum verò cruditas admonet tantisper differendam esse sanguinis extractionem, donec alimentum in ventriculo sit concoctum, & in hepar attractum; quod quatuor aut quinque horarum spacio in omnibus ferè perficitur.

Quæ cruditas venæ sectionem impediat, & in quibus morbis, in quibus verò non.

B Atque hæc quidem satis de his, qui postulant, aut admittunt, aut contraindicant penitus venæ sectionem. Nunc verò quantum extrahendum sit in vnoquoque corpore, ostendendum: id autem inueniemus per indicationem sumptam ab eo, quod huiusmodi præsidium indicauit in febribus necessarium: id enim *in Opere nostro de Officiis Medici* ex Galeno ostendimus; id quod genus rei indicat sine differentia, idem cum suis differentiis indicati differentias monstrare.

Quantitas sanguinis in vnoquoque corpore sit extrahenda.

Quam ob rem si multitudo humoris, quæ naturam grauabat, impediebatque, ne obstructiones auferri, & quod putridum est, expurgari posset: & præterea refrigeratio ipsius corporis huiusmodi præsidium postulat, vt diximus, constat illud esse intendendum, quanto C magis ea intenduntur, quæ illud postulant, multitudo, inquam, obstructiones, putredo, calorque. Quod si sola subesset multitudo, & calor, liceret vnum terminum constituere animi defectum, quemadmodum *nono Methodi* facit Galenus in Synochis febribus. Sed quoniam (vt ille inquit *eiusdem Operis libro*) non licet prædicta vitia solius venæ sectione auferre, cogimur tantum sanguinis relinquere, quantum sufficere possit ad curationis spacium, ne intempestiuè nutrire ob aliquam necessitatem cogamur: *vnde non licet alio modo sanguinis quantitatem definire, quàm generali ea ratione, quod scilicet tantum demendum sit, quan-* D *tum exuperat.*

At exuperantiæ hoc potissimum statuo esse indicium, vrinæ rubedinem, & crassitudinem; tantum enim censeo esse extrahendum, donec pro rubris flauæ, aut pallidæ, & pro crassis mediocri consistentia reddantur vrinæ: *donec enim crassities, & rubedo manent, ostenditur plus esse sanguinis, & multitudinis humoris, quàm natura vincere possit*; illis verò qualitatibus remissis, constat naturam iam dominari posse ei, quod relictum est post vacuationem; idque faciendum, si modo vires ferant, quod rudiorum gratia adiicio: nam vbi quærimus, quid affectus ipse postulat, semper E alia supponi debent, quæ admittant huiusmodi auxilium.

Modus extractionis talis esse debet, vt nulla præsente putredine confertim extrahamus quantum videtur necessarium: sic enim facilius corpus refrigeratur; in putrida verò præstat

Quomodo sanguis extrahendus.

certam quandam quantitatem extrahere, deinde exspectare in sequentem diem, quo vrinæ conspiciantur, quæ ostendant, an plus aliquid adhuc sit auferendum, idque præsertim per vices faciendum, si morbus iam processit, & vires infirmiores extiterint, subitæ etenim confertæque vacuationes valde affectas vires prosternunt.

Quo tempore. Quod verò redditis prius excrementis, & ante assumptionem alimenti, declinanteque accessione, si continua sit, per accessionesque affligit, alioqui si nulla adest accessio, eo tempore, quo melius fortè habet, in ipsis verò intermittentibus per interualla mittendus sit, omnibus constare puto; quando sic natura validior, remedium facilius ferre potest, & commodius nutriri corpus parua interposita mora, si fortè labantur vires, aut paulo maiore, vnius fortè horæ spacio, donec sistatur motus humorum, qui ad externas partes sunt commoti, valeat. Quod si post somnum mittitur, vna saltem hora (etsi duas ad id exigat Galenus aliquando) interponatur, vt per vigiliam duci ad externa humores queant, quò eos trahere volumus antea per somnum in internis sedibus conclusos.

Per quem mittendus. Per quem verò locum mittendus sit sanguis, antea est expositum. Quod si vnicum hoc præsidium est necessarium, nec ordo aliquis requiritur. At si aluus subducenda est, & sanguis pariter mittendus, siquidem per clysteres aluus duci debeat, nulli dubium est, præcedere eos debere venæ sectionem; si verò purgatio requiritur, præcedere volunt venæ sectionem, subsequi verò purgationem ferè omnes Medici, præsertim antiquiores, vt ex multis Galeni locis constat, vbi agit de aliis affectibus, non in ipsis febribus, vt satis constat ex *vndecimo Methodi*, vbi scribit, *in putridis febribus inchoandum à vena sectione*, quoniam aliter non licet obstructiones auferre, & putrida excrementa per aluum vel vrinam expurgare.

Quando venæ sectio sit præponenda purgationi, quando verò purgatio venæ sectioni. Verum, meo quidem iudicio, distinctio habenda est: nam si humores noxios abundare putamus circa ventriculum, & venas mesaraicas, satius esse puto auspicari à leui purgatione, quæ venas illas expediat: nam sicut crudo adhuc alimento in ventriculo, aut contentis excrementis in aluo, non prius sanguinem demi volumus, quàm consumptæ sint, & euacuatæ huiusmodi materiæ, nocentes scilicet; ne venæ inanitæ per sanguinis missionem, attripiant, trahantque huiusmodi materiam: sic profectò timere debemus, ne idem contingat, vbi corrupti, vel crudi humores, circa eas partes versantur, quo casu (vt diximus) purgatio præponenda ex cassia, vel alio medicamento, de quo postea agemus. Quòd si antiquiores Medici habuissent medicamenta leuiter purgantia, quibus nostra ætas abundat, eadem fortè, quæ nos, præcepissent, suadente ita ratione: sed quoniam ferè solum habebant vehementissima, quæ vniuersos humores commouent, & obstructiones augent, nisi prius vniuersa massa humorum sit di-

A minuta, ideo venæ sectionem purgationi præferendam censuerunt.

An purgatio adhiberi debeat in principio febrium, & in quibus, per quæ remedia, & denique vniuersa illius ratio hoc loco à nobis tradenda est.

Si Galenum legamus *libro primo ad Glauconem*, vbi de continuis febribus, & illarum curatione agit, inueniemus, eum purgationis nullam mentionem facere, sed duntaxat earum curationem tentare per venæ sectionem, aquæ potionem, si ardentes sint, & commodo victu. In quotidiana verò & intermittentibus, purgationem non exhibet ante coctionem; id, quod etiam suadet faciendum in quar- *Purgatio.*
B tana, tum per anum, tum per vrinam, & vomitum vacuatione tentata. In tertianis tum nothis, tum exquisitis, non aliter aggredi videtur purgationem, quàm cocto iam humore; etsi in exquisita, antequam de coctionis notis agat, mentionem faciat eorum, quæ per vrinas, vomitum, & aluum corpus expurgant. At in *alio loco*, cum putridæ febris remedia inquirit, id, quod putridum est, vacuandum per easdem vias, aluum scilicet, vrinam, vomitum, & sudorem, præcipit; sed an purgatio initio morbi instituenda sit, non docet; & ex his remediis, quæ illic scribit, satis ostendit, se vel non solitum vti purgantibus per aluum, sed per alias partes potius, aut certè non ea
C medicamenta, qualia nos exhiberemus, leuissima enim sunt, quibus ille ad aluum mouendam in acutis præsertim febribus vtebatur, qualis est mulsa, ptisana, absynthii decoctum, & similia.

Quòd si ea spectemus, quæ idem author scribit *in eo Aphorismo*, in quo scribit Hippocrates: *In acutis passionibus rarò, & in principiis medicamentis vti oportet*, &c. inueniemus illum abhorruisse purgationem ab initio: quare natura rei consulenda est, quæ quod quærimus in hac re docere possit. Ergo si licet per purgationem naturam exonerare, & iam facientem febrem materiam educere, aut certè eam, quæ naturam grauat, impeditque ne pos- *sect. 1. aphor. 24.*
D sit lædentem humorem concoquere, aut etiam si licet humorem, qui paratus est corrumpi, euacuare, nullaque vel minima noxa, quid obstat, quo minus purgationem tentemus per febres, in quibus hæc adsunt. Igitur cum humores quidam sint sanguinei, siue, vt clarius dicam, sanguis ipse bonus, & laudabilis; alii vero sint tenues, & calidi, vt bilis, serosusque humor; alii vero frigidi, crassi, viscidi, vt pituita, humorque melancholicus. Cum prætetea grauetur corpus, nunc vero non exuperent humores, quinetiam, cum in primis venis, quæ circa ventriculum & intestina consistunt, redundent humores, alias vero illæ viæ sint expeditæ, & in magnis vasis, aut in parte
E aliqua, vt in inflammatione humor contineatur, aut in paruis venis, habituque corporis consistat, non licet perpetuo purgare ab initio, nec tamen expedit in omnibus expectare coctionem, antequam purgationem adhibeamus. Quare expendendum est, in quibus conueniat, aut non, id facere. At, meo quidem iudicio

In quib. febribus côueniat ab initio purgare.

iudicio, si tenuis, serosus, vel biliosus humor sit, qui peccat, vt in acutis febribus apparet, semper proderit, purgationem ab initio tentare, idque præsertim, si amaritudo sentitur in ore, aut alia adsint indicia, quæ ostendant humorem circa ventriculum, & primas venas redundare.

In quib. verò non.

At si pituosus est humor, qui abundat, vel melancholichus, non ita expedit purgationem aggredi, quoniam crassus, & viscidus humor non nisi magna violentia, quæ vitanda est per febres, educi potest. Quare id solum faciendum, si vna etiam adest bilis, quæ adiuuet. *Erit autem testimonium purgationis adhibendæ vrina, vel flaua, vel rubra cum crassitie, aut certè non admodum tenuis, licet enim, vbi huiusmodi apparet vrina, corpus purgare; quod si tenuis, aquosa, & alba sit, abstinendum à purgatione est*, quoniam huiusmodi vrina crassam, frigidam, & denique rebellem materiam ostendit; illa verò calidam, quæ facilè medicamenti abstractionem sequi potest.

Lib. 1. aphor. 22.

Quod si quis opponat Aphorismum: *Concocta medicari*, &c. dico, coctionem esse spectandam, vbi requiritur, & vbi absque illa humor commodè vacuari nequit, veluti sunt humores, qui infra mediocritatem subsistunt: nam cum concocta dicantur, quæ mediocritatem caloris sunt assecuta; & cruda propterea vocentur, quæ vel frigidiora sunt, vt pituita, vel in quibus calor plurimum excedit, sicut est bilis, tamen præcipuè cruditas de his intelligitur, quæ à mediocritate deficiunt, quod videre licet, cum Galenus crudum humorem vocat, qui pituiosus est, & remedia describit ad cruditatem stomachi, quæ ob frigiditatem est contracta, & crudas vrinas vocat maximè aquosas, & albas; intelligendum esse Aphorismum de hac cruditate, quæ infra mediocritatem posita est, cum præcipit Hippocrates, cruda non esse medicanda, quod satis patet ex Galeno, qui *in libro de his, quos purgare oportet*, scribit, *tenues humores ab initio non exspectata coctione vacuandos esse*; sunt autem tenues potissimum quos vacuandos esse diximus, biliosi, & serosi; Atque eo quidem minus formidanda est purgatio à nobis, quanto mitiora medicamenta habemus, quàm antiqui: timebant enim illi purgationem, & meritò, quod non nisi vehementissima haberent remedia purgantia, quod satis ostendit Hippocrates, qui *libro secundo de victu acutorum*, peplion, scammonium, & coloquintidem in laterali morbo exhibebat, quibus nos nec concocto quidem humore in longissimis morbis vti audemus, tantum abest, vt in calidissimis, & acutis, (cuius generis pleuritis est) ea propinare audeamus. Tamen si ille, dum dolor vehementissimè vrget, quod est signum crudæ inflammationis, præcipit exhibenda talia remedia; dubitabimus ne nos nostra exhibere, quæ nullis vnquam obfuisse est compertum? Quod si experientia res decernendæ sunt, quæ dubiè à ratione iudicantur, neque enim ignoro vtrinque rationes, & testimonia authorum afferri posse, bona fide id testari possum me in calidis, vehementibusque febribus, vbi etiam

Qui humores tenues ante coctionem purgandi.

aliqua esset inflammatio cum magno successu perpetuò purgationem adhibuisse, sed per leniora præsidia, quæ nulla violentia materiæ portionem educerent; de quibus iam agendum est, hoc enim intellecto, quod purgandum sit, & in quibus purgatio conueniat, sequitur vt doceamus, quænam tuto ad purgationē adhiberi possint. Sint ergo ea, cassia, manna, syrupus rosaceus, dictus solutiuus, vel ex infusionibus nouem rosarum, diaphœnicon, electuarium rosatum Mesue, diaprunum solutiuum, & non solutiuum, tamarindi, hæc enim omnia trahunt facilè, nec requirunt omnino expeditas venas, quoniam à longinquis partibus non commouent humores, nec ad eas feruntur, quod facit rhabarbarum, quod per vrinas noxium humorem trahere solet, non minus, quàm per aluum, & agaricum, quod à capite, & in remotioribus partibus elicit pituitam; Quæ certè nemo, me suadente, initio febrium exhibebit, præsertim quod id experientia sæpius me docuerit. Vbi ergo torrida bilis vrget, & febrilis calor, nulli alteri remediorum cassiam postponemus; vel solam ad vnciam vnam, vel drachmas decem per horam ante cibum assumptam cum sacharo inuolutam, vel, vt aiunt, in hostiis Sacerdotum, aut cum iulepo aliquo, vt facilius laba[illegible] guttur: nam quod quidam faciunt, qui timentes tormina ventris perpetuò eam inuoluunt in semine anisi contusum, vel feniculi, non probo, vbi vehemens est calor, qui se facilè & ventriculum à flatibus tuetur.

Qualia purgatia principio eligenda.

Quæ verò vitanda.

Vbi autem pituita multa in ventriculo redundat, aut crassiores sunt humores, prodest ita facere, quod in aliis obest, qui puram, & humidiorem cassiæ qualitatem ad acrimoniam humoris retundendam requirunt. Prodest, inquam, vel solam cassiam exhibere, aut cum aliis miscere, vt cum syrupo rosaceo, & diaphœnicone, si partim pituitosus sit humor, vel cum electuario diaprunis solutiuo, aut rosato Mesue, quorum satis est drachmas duas ad summum exhibere cum cassiæ drachmis sex, & rosati syrupi vncia vna. Quod si cassiam fastidiat æger, syrupi rosacei vncias quatuor, cum aqua hordei idem præstabunt, vel duæ cum drachmis duabus prædicti alicuius electuarii, aut vnciis duabus mannæ adiectis.

Purgationem verò huiusmodi prodest aliquando exhibere ante venæ sectionem, aliquando verò misso iam sanguine sequenti die aut eo interposito tertio. Præponi autem suadet, si ventriculus & venæ primæ grauius affligantur, vt sæpe contingit per febres stomachum dolore tentari, & vomitu bilioso, & aliis symptomatis, quæ huiusmodi humorem circa ea loca redundare monstrant; quæ facilè euacuari possunt, non turbatis aliarum partium officiis. Quod si nihil huiusmodi adsit, præstat venas sanguinis detractione exhaurire; deinde purgationem adhibere, vt dixi, sequenti die, si accessio nulla adsit, quæ impediat; vel tertio à venæ sectione. Postea verò cocto iam humore, & interim clysteribus, vel acriorib. vel molliotibus, prout febris ex calidiore, vel frigidiore humore consistit, grauiora tentabis

Quando sola purgatio sit adhibenda ante venæ sectionem, & quando post.

remedia vacuantia, aut certè quæ possint longius ferri, & vniuersum corpus euacuare, vt agaricum, rhabarbarum, hieram, confectionem hamech, electuarium Indum, maius, aut minus, diacatholicum dictum, vel pilulas, si abhorreat potiones æger, de quibus sigillatim in vnaquaque febre postea agemus, vsumque varium illorum docebimus. At si quis vereatur purgatione vti incipientibus febribus, non satis persuasus ex his, quæ prius diximus, & perterritus authoritate maiorum, & recentiorum ferè omnium, qui Galenum se sequi dicunt, pleniorem illorum causa probationem instituam, qua vnusquisque intelligere possit, antiquos magis fortè nobis, quàm illis suffragari, & duce et natura nihil aliud esse, quàm quod statuimus moliendum.

Argumenta, quod ab initio febrium non sit purgandum.

Ac in primis illorum argumenta proponam, qui contra nos sentiunt; deinde illis respondere conabimur, & nostram postremò opinionem tum authoritate antiquorum, tum ratione adstruere nitemur.

1 Illud ergo primum est illorum argumentum, quod Hippocrates scribat, *concocta medicari, & mouere non cruda, nisi turgeant, pauca verò turgere*: & quod non nisi in acutis morbis purgationem admittat in principio, idque rarò, vt ostendit *in eo Aphorismo: In acutis passionibus rarò*, &c. Nos verò non solum in acutis, sed in aliis etiam febribus ab initio purgationes tentare, quod est contra Hippocratem facere, qui non nisi in acutis, & non semper, sed cum peccans turget materia eorum, admittat.

sect.1. aphor. 22.

aph.24. sect. eiusdem.

2 Secundum sumitur ex natura purgantium, quod scilicet calida sint omnia, & febrem exasperent, propterea non esse illis vtendum, nisi speremus, vniuersum humorem vacuari posse, ex quo sequatur maius commodum vacuato humore, quàm incommodum ex calore. Hoc enim casu concedi purgationem à Galeno *in Commentario præcitati Aphorismi: In acutis passionibus*, &c. Quod cum rarò admodum fieri possit, vt crudo scilicet adhuc humore, integras vacuationes moliri possimus, nec extingui possit febris, quod satis docet experientia, siquidem purgatione adhibita ab initio, febres adhuc perseuerant, & sæpe augentur, quod signum est, non esse euacuatum vniuersum humorem, proinde exasperari febrem, & frustrari suo effectu purgationem ab initio.

3 Tertium sumunt ab authoritate Hippocratis, qui iubet oportere corpora reddi fluida, cum quis purgare voluerit, quod est humores extenuari, & meatus aperiri, quod non licet ab initio facere, quin prius augeatur morbus, aut etiam ad vigorem perueniat, quibus temporibus non amplius licet corpus purgare. Non posse autē reddi corpus fluidum tam breui temporis spacio, nempe, secundo, aut tertio die, in quo purgationem adhibere volumus, satis constare putant, quod scilicet extenuantia, vt & alia omnia præsidia alterantia, non paruum tempus requirant, præsertim quæ conuenire possunt in febribus, mitiora scilicet quando alia calidiora sunt, quàm admitti possint.

sect.2. aph.9.

4 Adferunt quod cum febre multa sæpe adsit cruditas ex pituita crassa circa primas venas, tensio item, & inflatio præcordiorum, quibus præsentibus, temere quis purgationem adhibeat.

Addunt & illud, nonnullas esse febres cum inflammatione partium, quo casu temeraria putatur esse purgatio, vt quæ vtrumque affectum irritet. 5

Est præterea sententia Hippocratis, *quarto libro de Morbis acutis*, purgandum non esse cum vrinæ sunt tenues; at tum morbum esse in principio, cum tenues sunt. 6

Est & alia ratio, quam ducunt ex similitudine: sicut enim (inquit Hippocrates) à parte phlegmone tentata, nihil educi potest interitia, quia crudus est adhuc morbus, vt ille scribit: sic profectò putant nihil educi posse initio febrium, quod conferat, cruda adhuc materia. 7

Præterea, dictum est Hippocratis, & Galeni, excretiones ante coctionem omnes malas esse, & symptomaticas, quare nihil tentandum quod humorum excretionem promoueat. 8

Adferunt, & purgationem vires deiicere, quibus egemus ad coctionem, expulsionemque nouæ materiæ, appetentiam labefactare, tormina excitare, nonnunquam dysenteriam, coctiones vitiare, crises impedire. 9

Adhæc, Medicum naturæ debere esse ministrum, quæ cum rarò per aluum febres finire soleat, idem quoque Medicum facere debere, vt naturam quantum per ipsum fieri potest, imitetur. 10

Postremò, purgantia *omnia* venenosam aliquam habere qualitatem, quæ naturæ inimica est, idque ratione odoris, saporis, & aliarum denique qualitatum, totiusque etiam naturæ; Hæc autem fugienda esse incommoda, & non nisi cocto iam humore, & corpore bene præparato victisque morbosis causis, sedataque, aut multum remissa febre, tentanda. 11

Responsio ad argumenta. Ad primum. Quando sit coctio expectanda.

Quibus sic breuiter respondemus: ac in primis dicitur, *concoctionem esse spectandam, quando humor ita crudus est, vt citra coctionem commodè expurgari nequeat*, quales sunt frigidi, crassi, viscidi, & demum qui infra mediocritatem subsistunt; in aliis verò, qui sunt assati, calidi, tenues, & mobiles, non item; quoniam illi turgent, id est, apti sunt ad motum, quocunque eos ducere velis; id enim est *turgere*. Atque illud etiam in hoc addo, non semper per febres incrudari humores, veluti in his accidit, in quibus leuis est obstructio, leuisque calor, materia verò multa, & etiam crassior, quo modo videmus sæpe in crassis corporibus per leuiores febres vrinas similes ferè his, quas reddunt per sanitatem, emitti, nimirum, quod in his febrilis calor exiguus non valeat corrumpere, putrefacereque insigniter materiam, coctionesque turbare, adeo vt vrinæ crudæ fieri debeant, id quod nonnunquam contemplati sumus in ægrotis, quorum febres manifestè declinabant, & interim vrina similis ei, quæ ab initio emittebatur, perstabat: quod, qua ratione contingeret, pauci intelligere poterant, nec alia, meo quidem iudicio, reperiri potest ratio. Hippocratis verò Aphorismum nō intelligunt, qui di-

qui dicunt eum præcipere, vt fiant raro purgationes in principio: nam vt nos ostendimus *in nostris Commentariis*, verbum, *raro*, ad passiones acutas, non ad principium refertur, ita, vt talis sit sensus: *In acutis passionibus raro, & in principiis purgandum.*

Ad secundū. Medicamenta purgantia non esse omnia potentia calida, satis constat ex Cassia, Manna, & Syrupo rosaceo, quæ vel frigida sunt, aut certe temperatum habent calorem, adeo, vt si non veretur Galenus *in Commentario Aphorismi In acutis passionibus*, etc. exhibere Thymum, Serpillum, Origanum, ad præparandos humores, multo minus nocere possunt nostra purgantia, etsi id concesserim de his, quæ erant in vsu Hippocratis, Galenique tempore, nondum compertis nostris mitioribus. Paratos autem humores asserimus in febribus, quibus competere purgationem dicimus: nam biliosus humor & serosus semper tenuiores sunt, quam atra bilis quomodocunque concocta, & extenuata: quod etsi concedimus, melius adhuc parari posse, tamen præstat exonerare naturam vacuatione humoris, qui eductioni non repugnat, quam exspectare cum periculo tantam præparationem.

Purgantia non omnino esse potentia calida.

Ad tertium. Nec metiri quidem oportet vtilitatem purgationis (vt Galenus facit) vacuatione vniuersi humoris molestantis, quando satis est exonerare naturam, vt facilius, & tutius reliquum vincere possit: sic enim venæ sectionem vtilissimam putamus, etiam si non abscindat omnino, sed solum minuat morbosas causas crassos humores, tensiones hypochondriorum coniungi nonnunquam cum febre, concedimus, id quod contra nos non facit, quoniam non semper purgationem admittimus; deinde indicamus spectandum esse, quod affectus ipse, de quo agimus, postulet, non quid impediat alius, qui adesse potest. Inflammationes non prohibent purgationem, vt satis ostendit Hippocrates, qui initio Pleuritidi purgationem necessariam censet, si dolor descendat, non quod inflammationem soluere velit, sed fluentem humorem reuellere, & naturam exonerare. Quod vero adsit nonnunquam cruditas, & inflatio præcordiorum, & tensio, concedimus, sed id contra nos non facit, qui expendimus, qd febris suapte natura postulet, & humor, qui eã excitat, aut augere potest, non auté quid soleat impedire, quidque postulet contrarius affectus: sic enim diceremus, acutum morbum venæ sectionem non postulare suapte natura, quoniam aliquando vires subsunt infirmæ, quæ prohibent, ne eam tentemus. At inflammationes impedire nequeunt purgationem ab initio, *nisi forte in Ventriculo, aut Intestinis, vel caua parte Hepatis consistant*; alioqui damnandus esset Hippocrates, qui Pleuriticos purgat ab initio, vt & Angina laborantes. Non esse purgandum, quãdo vrinæ sunt tenues, recte dictum est ab Hippocrate. Nec tamen id contra nos facit, qui non contendimus purgationem perpetuo esse necessariam initio febris, sed quærimus, an aliquando adhiberi posset, quod illi negant. At illi audire deberent id quod subiungit *eodem loco* Hippocrates, cum ait, *Si vrinæ sunt crassæ, tunc purgabis*. Nec vero

Ad quartū. *Ad quintū.* *Responsio secunda ad quartum.* *Inflammatio quando impediat purgationē ab initio fieri.* *Ad sextum.*

A recipienda est illorum interpretatio, qui censent morbum tunc esse in incremento, quando vrinæ sunt crassæ; Primo, quod huiusmodi vrinæ debilis coctionis sunt inditia. Secundò, quod non de principio totius morbi, sed de primis diebus agimus, an scilicet in primis diebus febricitantes purgare liceat, non expectata morbi declinatione. Postremò, si intelligatur tunc morbus esse in incremento, erramus, cum scribat Galenus *in eo Aphorismo, Concocta medicari, &c.* purgandū esse in principio: cum verò morbus iam progreditur, nullo modo, donec cõcoctio sit absoluta. Illud vero, quod dicunt, à cruda inflammatione nihil educi posse, conceditur, quoniam humor est imbutus in substantia partis, non ita vero est in febribus, in quibus humor continetur in Ventriculo, Intestinis, Venis, & aliis cauitatibus, qui facile educi potest. Esse vero medicamenta purgãtia venenosa omnia, negamus, præsertim de nostris: quid enim, quæso, venenosum habet Syrupus rosaceus ex infusionibus, quid Manna? quid Cassia? quod si odore, sapore, & aliis qualitatibus sunt ingrata, id illorum vsum abolere non debet, quando nullū est præsidium, authore etiam Galeno, quod ita prodesse possit, quod aliqua in re non noceat, & tantum abest, vt tollat, vires deiiciat, & febrem exasperet purgatio, & coctiones turbet, & Crises impediat, vt multo magis hæc felicius exerceat, dū naturam magna ex parte exonerat ab humorū noxiorum sarcina qua premebatur. At vero, excretiones ante coctionem omnes malas, & Symptomaticas esse, fatemur quidem, *si natura excernat*, propterea quod excernere non potest recte, nisi separet bonos humores à malis, separare vero nequit, nisi prius vicerit, id autem est concoquere; quare *vacuationes, quas tentat natura, coctiones antecedere volunt: id vero non est necessarium cum Medicus purgationem tentat per sua remedia, quoniam purgantia medicamenta ab vniuersa humorum massa, vniuersoque corpore sibi familiarem noxiumque humorem alliciunt*, relictis illis, qui vtiles, & familiares sunt homini. Hæc ergo sunt, quæ purgationem impedire videntur à principio, quoniam in cruda materia fiunt magnæ proritationes, & vacuãtur sæpe, quæ non debent, quando nondum paratus est, qui est vacuandus, & natura temere agit irritata; medicamentum vero non potens trahere proprium humorem, trahit quem potest. Item, quod purgatio noceat coctioni, vt *4. de vict. in acutor. 44.* & *4. de sanit. tuen.* Item, quod permiscetur malignum cum bono, quando mouetur & non vacuatur humor.

Ad septimū. *Ad 8.* *Purgantia non esse venenosa.* *Ad 9.* *Ad 10.*

Quibus quidem refutatis, iam accedo ad ea, quæ purgationem fieri hortantur. Ac in primis ex natura ipsius rei argumenta petemus; deinde exempla & præcepta ex antiquis scriptoribus, quibus alii se etiam tuentur, adferamus.

Argumenta quod purgatio in initio sit necessaria.

Primum ergo argumentum sumetur ex modo, quo purgatio ipsa feliciter fieri potest; fit autem purgatio; cum medicamentum allicit ad se humorem familiarem sibi, id quod facit attrahendo: vnde sequitur, attractionem, purgationemque commodissime fieri, si humor tenuis fuerit, siquidem, vt demonstrat Galenus *3. de*

naturalibus facultatibus, quæ attrahuntur ob familiaritatem, quanto tenuiora extiterint, tanto promptius trahuntur: verum quoniam purgantia medicamenta potentia, & non actu huiusmodi sunt, naturæ actionem requirunt, quæ scilicet talia euadant caloris alterantis beneficio, nec aliud præterea requiri puto: nam quod quidam putant, naturam segregare expellereque noxios humores in purgationibus, ita intelligendum esse puto, quod *posteaquam à venis, & singulis partibus, in quibus illi redundant, in intestina sunt attracti, requirant musculorum actionem, qua natura vtitur ad comprimenda intestina, & deorsum propellenda, quæ in illis continẽtur; Verum nihil, aut minimum conferre puto facultates insitas singulis membris ad expurgationem humorum, qui in illis continentur, cum vniuersum hoc opus proueniat ab attrahente facultate ipsius medicamenti*, posteaquam eam, quam habet facultatem, ad actum perduxerit. Quare duo hæc solum requiruntur ad purgationem, *vt humor sit tenuis, viaque expedita, & calor, qui possit alterare, deducereque medicamentum ad ea loca, quæ sunt expurganda.*

Quo modo natura noxios humores in purgationib. expellat.

Quot in vnaquaque purgatione requirantur.

Quod si tria facias, non impedio, ita vt dicas, requiri humoris tenuitatem, viarum expeditionem, quæ antea sub vno comprehendimus, & caloris actionem deducentis potentiam medicamenti ad actum. Quod si ita est, quid obest, quo minus in primis dieb. qb. febres infestant, purgationem tentemus, si humor sit calidus, acris, biliosus? sunt enim hi tenues satis omnes humores, & viæ satis patent, quas expurgare volumus, Venæ scilicet mesaraicæ, Ventriculus, Intestina, & Hepatis etiam venæ; istæ enim omnes partes per febres haudquaquam obruuntur: siquidem febres, vel in magnis vasis, aut in habitu corporis materiam habere dicuntur. Præterea, cum initio morborum omnia sint leuiora, & calor minimum alienatus à natura sua, & occupatus in materiæ coctione, quæ in incremento, & vigore morbi maxime perficitur, facile potest alterare, iuuareque medicamentum purgans, præsertim quod minimam, & breuem alterationem requirat, quam in omnibus febribus, maxime tamen in intermittentibus, natura adhibere potest.

Secundum argumentum sumo ex aliis, qui purgantur sine febre; si enim in aliquo redundet tenuis humor, qui vacuatione egeat, nemo dubitabit purgatione vti, quando & id Galenus scribit simpliciter in omnibus, *in libro de his, quos purgare oportet*, tenues scilicet humores in morbi initio purgandos esse, nulla expectata coctione. Quod si licet id in aliis morbis, cur idem non licebit in febribus? Quid enim est affectus humor, qui vno die antea aptus erat ad purgationem per aduenientem febrem sequenti die? cruditatem dicunt statim illi, at quid est huiusmodi cruditas, ne solo nomine deterreamur, nisi alteratio quædam eiusdem, & aliorum humorum à naturali statu? Verum cur illa impedire potest purgationem, si tenuis est humor, & calor non admodum occupatus in alio negotio, nec medicamenta adeo vehementia, vt eam exasperare possint? quid acquisiuit vnius diei, vel etiam horæ spacio, vt paulo antea aptus esset, nunc vero omnino ineptus putetur? ita enim illi sentiunt, qui negant purgationem ab initio in febribus, licere scilicet purgare, si talis subsit humor, non licere autem, si febris iam hominem infestare cœperit, nihilque aliud habent in ore, quo se tueantur, quam quod præcipiat Hippocrates, concocta esse medicanda, & non cruda, sed interim non explicant, qualis sit huiusmodi cruditas, quæ impedire possit purgationem, & cur id facere possit, vt cur minimo temporis spatio aptus, & ineptus ad vacuationem humor reddatur. Quod si quis dicat, id fieri, quoniam præsente febre, accedit calor, qui à purgantibus exasperatur, iam illi satisfactum est, quod, id in antiquorum medicamentis acriorib. locum habeat, in nostris vero nequaquam. Si vero putet, id fieri non posse, quod natura non possit separare, quod nondum concoxit, respondemus, non requiri illius opus in hoc negotio, *cum attractione medicamenti vniuersum perficiatur, attrahentis scilicet, quod est noxium ex vniuersa massa, minimum conferente expultrice segregatriceque insita singulis membris.*

At si forte putet naturam, & illius calorem occupatã esse in coctione, antea huic argumento occurrimus, quod minimum laboret in coctione humorum ab initio, præsertim si intermittentes sint febres, & leuiores, & vt alimentum concoquit, sic etiam medicamenti vim alteratione iuuare potest. Præterea, si licet turgente humore nulla expectata coctione purgare, vt omnes concedunt, licebit profecto in his febribus, de quibus agimus, quę scilicet ex bilioso magna ex parte, tenuique humore consistunt, purgationem perpetuo adhibere. Turgent enim humores in his febribus, siquidem, *turgere non est semper humorem esse in motu, & ab vno loco in alium ferri, multiplici, frequentique quadã agitatione, sed habilem esse ad motum, & non firmatum esse in aliqua parte*, sicut contingit in inflammationibus, in quibus humor est imbibitus in parte affecta, quod non ita fit in febribus, in quibus humores continentur in cauitatibus liberis, à quib. facile trahi possunt, & quocunq; placuerit duci. At quod hoc modo interpretari debeat turgens humor, tum ex variis locis, tum potissimum ex 9. *textu* 2. *Comment.* 6. *Epid.* colligere licet.

Turgere quid.

Possunt præterea ex coctione ipsa duci argumenta: nam si coctionem desiderat humor, licebit quoque purgare, cum talis est humor, qui facit febrem; qui enim biliosus est, facile mutatur, & portionem habet, quæ iam talem alterationem suscepit, vt concoctus vocari possit.

Præterea, idem possum per Inductionem probare: si enim adsit febris cum catarrho salso ad pulmonem, nulla expectata coctione, purgamus, & id etiam Galenus facit *in Methodo medendi*, per vehementia remedia, ex pilulis nimirum confectis ex Colocintide, Aloe: nec aliquid interim veremur ex cruditate humoris, tanto magis profecto id formidare non debemus à nostris medicamentis mitissimis. Quod si quis dicat, ideo nos, & Galenum in hoc casu purgare, quod videatur imminere erosio venæ, & vitæ periculum. Verum quidem dicet, sed interim

terim concedit, vanos esse timores, quos imaginamur ex purgatione prouenire ante coctionem. Quod si vbi imminet periculum, purgandū est, non minus profecto præsente ardente febre id debemus facere, quoniam etsi non erosio venæ pari periculo immineat, imminet tamen Phrenitis ex bilioso humore aut Angina, vel mors, ex nimio ardore. Præterea, si cruditas verenda est, multo magis profecto ea timeri debet, in qua humores sunt frigidi, crassi, tenaces, vt in Apoplexia, Conuulsione, Colico dolore, Nephritide, in quibus tamen purgatione vtimur: est enim huiusmodi humor longe rebellior, quam sit biliosus, longeque crudior, quando hic proprie crudus; biliosus vero improprie dicatur, & nihil est, quod adferri possit tanquam impediens, præter ipsum calorem, qui exasperari dicitur à purgantibus medicamentis, quod frustra timetur in nostris, quæ (vt ostendimus) longe frigidiora sunt, quam multa alia, quę tuto adhiberi putat Galenus.

Authoritates quod ab initio sit purgandum. At si authoritate certandum sit, non desunt nobis ex antiquis scriptoribus magis, quam aliis testimonia ad nostram opinionem adstruendam: nam vt supra diximus 4. *libro de Victu acutor. textu* 22. cum vrinæ sunt crassæ, purgandum esse, scribit Hippocrates. *Sect. 2. aph. 29.* Eo etiam pertinet, quod scribit; *Cum morbi incohoant, si quid videtur mouendum, moue.* At in huiusmodi febribus est in principio, quod purgationem requirit, purgandum ergo. Item 10. *Aphorismo libri* 4. *In valde acutis eadem si fieri possit die medicandum.* Item *Aphoris. 22. primi: In acutis passionibus raro, & in principiis purgandum.* Item 2. *de Ratione victus*, nulla expectata coctione, si dolor descendit, purgationem adhibendam, scribit. Item *libro 4. eiusdem* purgationem in Angina adhibet. Galenus vero etsi aliquando dubius est, nec ita libere, vt Hippocrates, purgationem admittit, & aliquando ab eo dissentit, vt apparet ex 29. & 31. 2. *Com. de fracturis*, vbi Hippo. purgationem in febre non vehementi, vel intermittente, ex Helleboro admittit, quam ipse negat, tamen locus est apertissimus *in libro inscripto de his, quos purgare oportet*, vbi ita habet, *Inter initia tenues; & aquosos vacuabis humores, crassos, & tenaces post coctionem.* Item 4. *Meth.* vbi vlcus adest malignum, statim purgandum esse refert, nulla coctionis facta mentione. Præterea, si morbus sit magnus; & non liceat venam secare, vel adsit Cacochymia, à nullo alio licet præsidium capere, præterquam à purgatione. Oribasius vero in peracutis item concedit absque distinctione. Item Aetius *cap. de purgatione*, in acutis morbis asserit in principio purgandum.

Idem probatur experientia. Quod si experientia certandum est, non desunt nobis omnes Medici Arabes, & alii omnes, qui Medicinam factitarunt, postea quam benigniora hæc remedia sunt inuenta, qui idem suadeant esse faciendum; & id quoque nos testari possumus, neminem vnquam offensum ex huiusmodi purgatione, & omnes adiutos, citiusq; à febribus liberatos, & minore molestia, recisa magna ex parte humoribus, quos non nisi longiore tempore, & maiore periculo natura vincere potuisset. Ergo vbi flauæ, vel rubræ, vel etiam crassiores sunt vrinæ, in febrium initio, purga-

A tionem tentabimus, præsertim, si copia humorum subsit, quæ naturam grauet.

At posteaquam ostendimus, quibus debeatur purgatio, illud esset docendum, per quæ, & quo modo, & qua hora tentanda sit, & quo ordine; sed quoniam id ex superioribus patet, ad alia accedam quæ supersunt. Ac quoniam inter vacuantia adest inedia, frictiones, balnea, & quæ per vrinam, & vomitum humorem trahunt absque purgatione tamen, pauca de his subiicienda sunt. De purgatione vero, vt aiunt, eradicatiua, quoniam ab initio ea fieri non debet, sed concocto morbo, ideo postquam de coctione egerimus, tractabimus.

Illud solum admonendum, non esse purgan-
B tia adhibenda in accessione, ne distrahamus naturam occupatam in caussis morborum, & ne illam magis debilitemus iam afflictam, tamen etiam, ne illam impediamus aliam viam tentantem, aut plusquam oportet vacuemus, si eandem sequamur; vbi tamen continuę sunt febres, in declinatione exhibenda est purgatio, quia nullum tempus commodius.

Inediam requirimus in morbis, tanquam id, quod iuuet coctionem, aliquando vero tāquam vacuans præsidium: cum enim natura occupatur in vincendis concoquendisque humoribus; tunc inediam imperamus, ne illi laborandum sit eodem negotio aduersus alimentum, & infestantes humores. Vacuantis vero remedii na- *Vacuatio, quæ fit per inediam.*
C turam subit, quando eam imperamus, vt natura per insensibilem transpirationem discutere possit humorum abundantiam, à qua grauatur, & premitur. Quoniam enim corpus continuo digeritur, dissoluta humida substantia, & in vaporem conuersa, natiui caloris beneficio, si nihil reponatur in locum eius, quod est dissolutum, corpus exhauriri necesse est; tum etiam inedia facit ad concoquendos crudiores humores, qui in corpore sunt relicti: nam externo pabulo destituta natura, frigidiorem materiam alterat, & sibi assimilat, qua corpus nutritur, & reficitur. Ex his vero operibus sequitur fluxiones compesci, dolores mitigari, febres minui, & nonnunquam inedia exasperari: nam interim cum discutiuntur, & assimilantur, humores, qui fluunt, au-
D gereque possunt, fluxiones ipsæ sistuntur. Interim vero cum fluxiones sistuntur, & dissoluitur humor, qui partem sua copia distendit aut acrimonia erodit, mitescunt dolores; minuuntur autem febres, dissoluto, concoctoq; humore, dum corpus in inedia seruatur. Quod si nulla sit in corpore redundantia, abundentque humores biliosi, exacuuntur febres per inediam, destitutæ humidiore substantia; quæ per alimentum suppeditari solet. Hinc est, quod Galenus scribit, nunc inediam concoctiones iuuare, nunc impedire, nunc aliquibus conferre ad vacuandum, aliis vero obesse, qui humectatione potius egēt, vt apparet 8. *Methodi*; & 11. vt scribit, Diatri-
E tarios Medicos (hi autem erant, qui inediam triduo imperabant omnibus ægrotis) prodesse aliquando, quandoque vero obesse. Prodest enim humidis, frigidisque corporibus; obest vero biliosis, & siccis: per quæ profecto variam confusamque doctrinam efficiunt, quoniam nūquam propriæ inediæ facultates, & effectus ab eo traduntur, ex quibus postea intelligantur prouenī- *Medici diatritarii.*

re peculiaria opera, quę in corporibus peraguntur: quomodo enim coctionem iuuare possit, aut impedire, quo modo fluxiones sistere, multitudinem exhaurire, dolores mulcere, cruditates emendare, abortum prouocare, & alia infinita huiusmodi efficere, nemo vnquam intelliget, qui prius perspectum non habuerit, quid primum inedia efficere possit, quo intellecto, multo plura etiam, quã tradantur, inueniri possunt. Itaque cum inedia per se nihil agat, per accidens enim dicitur euacuare, & alia omnia efficere, videndum, quid per accidens pręstare possit: id autem vnum est, quod cum nihil addat corpori, *calorem acuat*, qui in nobis est, qui humidi defectu acuitur, acriorque redditur; illius vero abundantia obtunditur, mitiorque euadit, vnde

Inediam per se nihil facere, sed omnia per accidens. & quã nam ea sint.

B calor, pro varietate corporum varia præstat, & nunc prodest, nunc obest: nam si multitudo subest humoris, eam facilius concoquit, dissoluit, absumitque; si vero humorum penuria laborat corpus, intenditur admodum hic calor, solidioresque partes depascitur, vnde febres exasperantur, vires deiiciuntur, & alia nascuntur symptomata, quæ caloris incrementum, humorisq; defectum, & labantes vires comitantur. In priore autem statu concoquuntur superflui humores, & digeruntur, & quæ ex multitudine nascuntur mala, emendantur omnia, veluti obstructiones & fluxiones, quibus sublatis, febres, & alia mala inde prouenientia rescinduntur; Ex quibus constat, *febribus ipsis inediam non conuenire, sed*

C *causis illarum; atque in illis quidem non omnibus, sed in illis, in quibus adest frigidus, multusque humor, qui molestat*: id quod etiam à Galeno traditur, qui biliosis inimicam esse dicit, amicam vero humidioribus corporibus inediam. At quo tempore illius maior sit vsus, nunc ostendendum est: est enim id tritum apud Hippocratem, vigentibus scilicet febribus, minuendum esse victum, & ad inediam properandum, in principiis vero morborum vberius alendos esse ægrotantes, quod meo quidem iudicio perpetuum esse non debet; nam si inedia comparata est ad vacuationem abundantis humoris, non minus quam ad coctionem, vrgere aliquando plus potest vacuatio, quam in principio præstare

Quo tempore morborũ inedia sit maior & minor vsus.

D solemus, quam ipsa concoctio, cuius causa vigente morbo inediam adhibemus; esto enim, si placet, aliquem febricitare febre lędiore cum humorum frigidiorum abundantia, an (quæso) huic inediam imperabimus maiorem vigente, quam incipiente morbo? haudquaquam profecto, cum coctionis minor requiratur in statu necessitas, nec magna pugna excitetur in huiusmodi humore, quam vacuationis in ipso principio, in quo si inedia non vtamur, minui non poterit huiusmodi humorum redũdãtia, tardabiturque hoc modo incrementum, vigor, declinatioque morbi, aut etiam mors ipsa accelerabitur: hac vero copia magna ex parte in initio febris ob inediam diminuta, licebit postea facilius,

E quod reliquum est, concoquere auctiore adhibito nutrimento. Quare quòd dicitur in principio plenius esse nutriendum, in statu vero minus, ratione ipsius morbi, qui minus impedit in principio, vtpote mitior, non autem causæ, quæ vt vacuationem postulat maiorem ab initio, sic quoque inediam maiorem desiderat.

A Frictionum vsum docet Galenus *libro* 1. & 3. *de sanitate tuenda*, sed non commune, qui conueniat sanis, & ægris, sed proprium duntaxat sanis corporibus: neque id ex principiis ex natura rei petitis. Itaque cum frictio simpliciter id faciat, quod motu calorem excitet, illius vsum requiremus potissimum, vbi calorem auctiorem desideramus, id, quod continget potissimum, vbi adstrictam superficiem laxare, & subiectos humores euocare necessarium fuerit, id enim facit calor auctior in externis partibus; rarefacit siquidem, extenuat, & incidit subiectos humores. Dura autem, mollis, recta, obliqua, multa, pauca, crebraque frictio, varios effectus efficit pro subiecti corporis ratione, & illarum

Vacuatio per frictiones.

B natura. Quod si ita est, frictiones aliquando ab initio morbi, aliquando vero postea adhibebimus: vbi enim corpus est adstrictum, veluti in febribus, quæ ex cutis densitate sunt contractæ, prodest frictiones in principio adhibere; in fine vero morbi, vt exhalet putridus vapor, qui alioqui expirare non poterat, corrugata cute ob siccitatem, lentis, crassisque redditis humoribus, & debilitato calore. At increscente, vigenteque febre, præstat à frictione abstinere, quoniam caloris incremento non egemus, propterea non mirum, si Galenus diuerso modo illis vtatur: nam in diaria, aut putrida febre ex adstrictione statim ab initio laudat frictiones, vtpote quæ densitatem emendent; in aliis vero, cum

Quando purgandæ, & quando intermittendæ.

C morbus ipse, illiusque accessiones remittuntur, nonnunquam tamen ad reuulsionem frictionibus vtimur, veluti in syncope accidit, aut in sopore, aut alui, vel sanguinis fluxu ad reuocandum scilicet calorem, & humores, ad partem, quam fricamus.

Vomitu vtimur in febribus non amplius ad purgandos humores, quemadmodum Hippocr. iubet esse faciendum, qui biliosos per superiora, pituitosos vero per inferiora purgandos esse censet: melius enim, tutiusque esse docuit longa experientia, vt quoscunq; humores per inferiores partes trahamus, quæ ignobiliores sunt, & minore sensu præditæ, & ob id minus offenduntur ab humoribus transeuntibus. Quare,

Vacuatio per vomitũ.

D tunc solum vomitum requirimus, cum natura per eum sese exonerare cupit; id quod potissimum accidit in febribus, qui per accessiones infestant, quales sunt tertianæ & quotidianæ, in quibus Medicus naturam iuuare debet lenioribus præsidiis, vt facilius sese exonerare possit à viscosis crassisque humoribus, de quibus medicamentis postea suo loco agemus. Superesset de balneis agere, sed quoniam maior illorum est vsus in hecticis febribus quam in aliis, ideo eo loco de differentiis illorum, vsuque multiplici, & vi differemus. Nunc vero ad alia properandum est.

DE Concoctione.

Ostendimus, in febribus putridis opus esse vacuatione, idque per varia remedia, quorum alia spectent putrefactum iam humorem, alia

E vera materiam aptam ad putredinem: nam vacuantia, quæ hactenus adhibuimus, omnia non spectant putridam materiam, sed quæ putrescere est apta: Itaque cum antea ostenderimus, pugnandum esse aduersus putridam materiam, & aduersus illius causas, nunc diligentius expendendum est, quid causæ putredinis postulent: nam putridus humor, vtpote corru-

re corruptus, vacuationem solum postulat, etsi per attemperationem, & mixtionem emendari potest, sed maiore negotio, & non proprio remedio.

Causæ putredinis.

Sunt porro causæ putredinis materia apta ad putredinem, & calor extraneus, & causæ, quę calorem excitant, & fouent, quorum singula, quid postulent, videndum est. Ac imprimis de materia agendum, quæ cum sit alienata à naturali sua conditione, restitutionē postulat, qua redigatur ad pristinum statum.

Putredinis materia quid postulet.

Sanguis enim aut alius humor præter naturam excalefactus per febres, vtpote præter naturam affectus, naturalem suum statum indicat: id autem esse coctionem dicunt: nam febres omnes putridas coctione egere, omnib. est compertum. At cur non sufficiet refrigeratio, si vitium est natum ex calore? Cur enim non licet refrigerare corpus, & humores, atque ita emendare eorum vitia, nec aliquam coctionem adhibere, id quod à nemine hactenus dubitatum esse video; Est autem meo quidem iudicio hæc ratio, cur non sufficiat alteratio, quod scilicet humor per calorem excedentem, non solum sit excalefactus, sed etiam dissimilis redditus in odore, sapore, colore, & aliis omnibus qualitatibus, quæ non possunt corrigi, nisi similes rursus reddantur; id quod facit concoctrix facultas. Requiritur ergo concoctio in humore, & de ea propterea est agendum; docendumque quid concoctio, quotuplex sit, quæ causæ efficientes, quæ materia, & quis finis, quoque modo fiat.

Febres omnes putridas egere coctione.

Concoctionis definitio ex Auicenna improbatur.

Definitur autem concoctio *præparatio humoris ad expulsionem* sumpta ab Auicenna Definitione, qui dicit coctionem esse *adæquationem substantiæ, quæ facit vacuationi obediat.* Quæ definitio improbanda est.

Primo, quod duos Aphoris. inter se confundat, *nonum secundæ sectionis* cum isto: illic.n dicit, *fluida esse facienda corpora, cum quis purgare voluerit*; Quare si concoctio esset præparatio, frustra adderet aliam præparationem: est enim præparare corpus ad purgationem, vt ex *Com.* Gale. *in Aphoris. 24. sect.* patet, extenuare humores, & obstructiones auferre, id quod efficere, non est concoquere.

Secundo; parati dicuntur humores ad expulsionem, qui tenues sunt & calidi, vt 23. 3. *Prognosticor.* & natura purgantis medicamenti ostendit, quæ attrahendo suum opus exercet. Huiusmodi autem humor, qui tenuis est, & calidus, crudus censetur, vt bilis acrior cruda dicitur. Præterea, concoctio omnia incrassat, quare aliud est concoctio, quam præparatio ad expulsionem, cum alioqui contraria videatur actio, nam *præparatio est extenuatio, concoctio vero incrassatio*, vel certe absque incrassatione non fit.

Concoctionem non esse præparationem ad expulsionem.

Tertio concoctio omnia assimilat, quantum fieri potest, quę similiora tanto auidius retinentur, quæ vero auidius retinentur, ad expulsionem ineptiora sunt: similitudo enim attractionis, concoctionis; dissimilitudo vero expulsionis causa est. Quare non ad expulsionem, sed ad retentionem concoctio potius terminatur.

Quarto, nonnulli morbi sunt, qui per solam coctionem [...]antur, vt testatur Galenus 3. *de Crisibus*, frustra ergo præpararet natura ad expulsionem humores, quos postea expellere non debet. non enim quiescęret in coctione, si hæc præparatio est ad expulsionem, sed etiam expulsionem tentaret.

Quinto, liceret in morbis acutissimis semper purgare, sunt enim humores, qui eos morbos committunt cum febre, calidi, & tenues, quos paratissimos ad expulsionem authore Galeno iam diximus; propterea, si per coctionem præparationem moliri volumus, cum præparati sint etiam in statu, quoniam tenues, licebit commode eo etiam tempore purgare; quod non facimus, tanquam aliud sit concoctio, & præparatio. Quod vero dicimus, coctionem incrassare, crassitiem autem expulsioni obesse, distinguūt Sophistæ, quod ad vacuationem, quæ fit à Medico, inepta sit crassities, ad eam vero, quæ fit à natura, apta. At nos hic inprimis de purgatione agimus, quæ à Medico fit; deinde, falsum est, crassos humores facilius à natura expelli, quoniam facilius patitur tenue, quam crassum, & per corporis meatus facilius fertur, excepta sola vacuatione, quæ fit per sputum, quæ ab aere impellente perficitur, mediocrem calorem desiderat; ridiculaque sane est illorum ratio, quoniam enim, inquiunt, natura assimilando agit, & propterea incrassando, ideo facilius incrassata expellet: agit etenim natura multipliciter incrassando, quando alterat, non autem, quando expellit melius, quam cum tenuia essent, id non fit ratione incrassationis, sed quoniam cum tenuia essent, forte etiam cruda extant, quæ per coctionem reddita sunt crassiora, & peracta coctione separari potuerunt multo commodius, quam antea.

Quod si natura melius expellit crassos humores, eos ergo crassos reddere studeamus, cum per vrinam vel sudorem, aut aluum, aut aliam partem sese expurgat: nos vero, qui dicimus, tenuitatem causam esse facilioris expulsionis, id facile concedimus, tanto facilius expelli humores, quanto tenuiores fuerint redditi; quid si dicamus, post coctionem commode fieri purgationes, tanquam concoctio præparatio quædam sit, siquidem recte fieri nequit purgatio, si humor paratus non sit; respondemus, recte quidem tunc fieri purgationem, cum humor est concoctus; *non quod per concoctionem præparationem, & aptitudinem acceperit humor; quando humori crassities, quæ per coctionem necessario acquiritur, obest. sed quod cum naturam requiramus adiutricem medicamenti, sedato iam feruore, & parta coctione, commodissime tunc seruire possit natura purgationi.*

Cur purgatio commodius fiat, cū humor est cōcoctus.

Dicimus ergo, non præparari humorem per coctionē, aut certe non magis aptum, quam inde ptum reddi. in hoc.n confert concoctio, quod caliditatem, & frigiditatem, in quibus vincendis natura, natiuusque calor occupantur, vicerit; ex quo sequitur, naturam expeditam esse, & seruire posse purgationi, in alio vero obest, quod crassam materiam reddat.

Concoctionem non esse separationem boni à malo.

Coctionem alii definiunt esse separationem boni à malo, forte quod viderent vigente morbo, vbi concoctio maxime perficitur per Cri-

ses, naturam à noxiis humoribus exonerari: qui tamen non minus, quam alii errant: nam etsi in vigore morbi vigeat concoctio, non tamen ea est separatio, *sed hæc coctionem sequitur: coctio siquidem humore vniuerso, quod plane assimilari nequiuit natura, secretrice facultate vsa noxios humores ab aliis secernit, & protrudit.* Deinde, finis coctionis (vt postea ostendemus) est assimilatio: qui autem separat, res dissimiles facit. Est præterea concoctio perfectio quædam, vt Aristot. *libro 4. Meteorologicorum* scribit, quod autem diuidit, rem corrumpit, qui autem assimilat, gignit, ita, vt perfectio esse non possit, si separatio sit.

Ad hæc, externæ res coctæ, & maturæ dicuntur, quando siccæ partes humidis caloris beneficio miscentur, cum autem separatæ sunt, crudæ vocantur, necnon etiam, quæ elixantur, & coquuntur, vnde coctionis nomen in humoribus ductum, suas substantias, & qualitates inter se miscet, caloris ignei beneficio; Adde, quod concoctio omnis incrassando fit, quæ vero incrassantur, vnam formam recipiunt, crassitudinem s. non ergo diuersas, & separatas. Postremo, separationem boni à malo tribuit expultrici facultati Galenus 3. *de facultatibus*, & non co-ctrici.

Opinio Manardi de definitione coctionis refutatur.

Manardus vero, & alii fere omnes recentiores, coctionem generali definitione definiri non posse putant, sed triplicem faciunt ex triplici s. natura eorum, quæ coquuntur, alimento s. putrido humore, vel alio, primamque definiunt esse omnimodam assimilationem; Secundam alterationem, quæ putredinem cessare faciat; Tertiam quadamtenus assimilationem, in quo errant: nam si ex diuersa materia naturæ actiones distinguendæ sunt, non solum tres, sed plures fient coctiones: ita tres attractiones, retentiones, & expulsiones. Dicemus ergo, vnam esse expultricem facultatem, quæ excrementa cibi; aliam, quæ putridos humores; aliam, quæ alterius generis materiam extrudat. Secundo vna est causa omnium coctionum efficiens, calor, nisi malis instrumentum vocare; vna est facultas insita singulis membris concoctrix vocata; ab vno vero, quantum in se est, idem semper fit, etsi materia diuersa aliquantulum actiones variet, vt vnum gladium dicemus esse, qui panem, vel lignum secat. Præterea cum sit concoctio vna actio, vnum etiam habebit finem; vna præterea est materia, quæ concoquitur; vnus concoquendi modus, ab eisdem cognoscuntur, iuuanturque coctiones omnes; vna ergo definitio, & vna omnium natura, etsi certo modo euarient, sic enim elixa & assata, concocta dicimus, quoniam aliquid commune acceperunt, cuius beneficio cocta vocantur, etsi aliter sint affecta assata hæc, quam illa; Reliqua vide *in Commentario Aphoris. 22. sect. 1.*

Esse pugnandum aduersus humorem aptum ad putredinem ob æstum caloris, non solum refrigeratione, sed etiam concoctione, abunde ostensum esse puto. Quinetiam ostendimus, cuius officium sit concoquere, & quibus auxiliis concoctio iuuetur. Verum quoniam requirit concoctio mediocritatem caloris, quæ comparari nequit, nisi ablatis causis, quæ extraneum calorem augent, & fouent, propterea remedia quoque quærenda sunt, quæ illis repugnent. Est porro causa accessionis caloris frequentis prohibita transpiratio, quæ cum nascatur ex occlusione meatuum corporis, qui vel sunt in externa superficie, vel in internis cauitatibus, nempe venis, & arteriis, loco vniuersa Medici præsidia eo ferri debent, vt meatus eos aperiat; id quod faciet, perspectis occlusionis causis, neque enim ab eisdem occludi possunt externæ, internæque viæ; Etenim externos cutis meatus refrigerantia, exsiccantia, leuiterque austera, aut alio modo adstringentia occludere possunt, quemadmodum Galenus *initio noni Methodi* refert, à conniuentibus s. densantibus, exsiccantibus, & indurantibus. Densant quidem frigida; conniuentiam vero pariunt, quæ adstringunt, vt aquæ aluminosæ, & medicamenta; indurant vero sicca; obstructio vero ob glutinosos, vel crassos, vel copiosos succos incidit; ac tum obstructiones, tum externorum meatuum occlusiones nunc validæ sunt, nunc leuiores, vt etiam de his causis agit 11. *Methodi.* Propria remedia singulæ causæ exigunt.

De obstructione & aliis præsidiis, quibus vtimur aduersus constipationem.

Postulat autem densitas, quæ rarefaciant; constrictio, ea, quæ fundant; siccitas, quæ humectent; abundantia, quæ vacuent; crassitudo, quæ dissecent, & lentor, quæ detergant: ita censet Galenus 11. *Methodi.* Tamen aptius dices, si crassa extenuationem postulare, lenta vero incidentia, & detergentia: quæ enim crassa sunt, extenuationem exigunt, non dissectionem, quæ vero viscosa, incisionem, qua cōtinuitas dissoluatur, & abstersionem, vt ea, quæ tenacissime hærent corporibus auferantur. Si ergo frigus nocuit, satis sit pannis calidis *leniter* fricare corpus, ne febris exasperetur validiore frictione; aut etiam oleo chamomelino, aut liliaceo, vel anathino inungere fricareque corpus; quod si ex densitate, vt ex balneis aluminosis, cutis sit cōstricta, non oberunt balnea aquæ dulcis, cuius vsu sese explicare possint partes siccitate constrictæ: At si sordes, vel internus aliquis humor impactus sit meatibus cutis, proderit mulsa abluere fricareque corpus; sic etiam præcipiendum, vt in tepore corpus contineatur, qualiscunque fuerit causa, quæ externam superficiem occluserit.

At si interni meatus ob multitudinem sunt obstructi, vacuatio remedium est, præsertim per venæ sectionem, de qua iam agimus. Quod si adest visciditas, quærenda sunt, quæ (vt diximus) dissecent, & abstergant, qualia sunt aptissima, quæ ex aceto, & melle componuntur, siquidem acetum dissecat, mel autem detergit, quo in genere oxymel varie paramus, simplex, compositum, squilliticum, prout maiorem aut minorem dissectionem quærimus. Quod si crassities obturat, magna prouidentia adhibēda est, ne febres exasperemus, quemadmodū etiam Gal. prodidit 11. *Meth.* propterea s. quod fere omnia insigniter sunt calida, q̄ extenuare possunt. Quam obrem catalogū aperientiū proponam, ex quo

ex quo possimus leuiora, si febris vehementior est, vehementiora vero, vbi est mitior & humor rebellior, eligere.

Ac inprimis quidem generalem illorum facultatem, in qua omnia conueniunt, proponam, vt postea liceat alia inuenire, quæ prætermittentur ob infinitam particularium eiusdem generis multitudinem. Itaque Gal. scribit 5. *de Simplicibus, c. de his, quæ abstergunt, & meatus aperiunt*, ea, quæ externos meatus aperiunt, rarefacientia vocari; quod si sordem detergunt, ab illis vocari detergentia; esse vero rarefacientia modicè calida, & tenuium partium; abstergentia vero nitrosa, & amara, absque aliqua adstrictione; quæ vero intus sumuntur ad internos meatus expediendos, & aperiendos, etiamsi habuerint aliquam adstrictionem, tantum abest, vt obsint, vt etiam magis prosint, eo, quod vasa corroborent, & adstrictoria vi præeuntem apertoriam facultatem propellant, & veluti protrudant, propterea absynthium intus purgare potest, foris autem nequit.

Deobstruentia vehementer.

Ampeloprasum, abrotanum, absynthium, seriphium, radix capparis, tamaricis, & scyllæ, phu, radix gentianæ, dracuntium, osyris, polium, prassium, sison, scandix, scordion, chamedrys, chamelisti flos, chelidonium maius, asphodelus, vrticæ semen, anemonæ omnes, chamepitis, pulegium, thymum, calamentum, omnia hæc vehementer deobstruunt.

Mediocriter.

Mediocriter vero folia anchusæ, oneclœ, amarantus, stœchas, amygdalæ amaræ, radix ari, asparagus, semen altheæ, helxine, cicera, oroba, Eritrodani radix, eupatorium, siue agrimonia, betonica, vmbilicus veneris, mel, origanum, petroselinum, apium, olusatrum, feniculum, cetrach, & hyssopus.

Leuiter.

Et tandem leuiter Adiantum, radix acanthi, cichorium, & cichoreacea omnia, endiuia. Hæc & similia eligi possunt, & decoqui, vel sola, vel addito sacharo, aut melle, plus vel minus pro febris ratione, & etiam aceto, si adsit vna cum crassitie viscidit as, & propinari; vel possunt misceri cum Syrupis confectis, quibus vtimur, & propinari. Sunt autem syrupi, quibus vtimur in calidioribus febribus, Syrupus de endiuia, de cichoreo, violatus, acetosus simplex, oxysachara simplex, syrupus capilli veneris, vbi paulo mitior est febris: item syrupus de betonica, oxymel simplex, syrupus acetosus compositus, Syr. de fumoterræ, vbi vero rebellior est humor, Syrup. de hyssopo, oxymel, scylliticum & compositum, Syrup. de byzantiis, de agrimonia, siue eupatorio.

De purgatione euacuatione.

Porro iis vtendum est, donec vacuandi necessitas alia insurgat, concocto iam planè humore, & diminuta, aut omnino ablata febre, cum natura non perfectè, aut nullo modo morbi causas reiicit, tunc enim ex medicina auxilia sunt petenda. Verum quoniam nunc per ea, quæ vrinas mouent, aut sudorem, nunc verò per ea, quæ ciunt vomitum, aut aluum subducunt, vacuationes molimur, videndum est, quando per aluum oporteat purgare: id autem meo quidem iudicio faciendum, si copia adest humorum, quos per aliamviam ducere non est tutum, aut certè longum; aut si maligni sunt, vt periculum sit, ne alias offendant partes, quæ nobiliores sunt, nec consueuerunt huiusmodi humorum consuetudinem ferre, sicut intestina, quæ omnium excrementorum delationem ferre didicerunt; vel etiam, si natura alias vacuationes non est aggressa, veluti per vrinam, & sudores; aut siquidem est aggressa, sed per illas non satis liberè sese expurgat, veluti cum sudorem, aut vrinam mouet, nec tamen interim liberatur æger; tunc enim non dubitauerim, concessis naturæ iam aliquot diebus, purgationem tentare per aluum, idque maximè faciendum, si in illis locis humor contineatur, ex quibus commode per aliam viam duci non potest, qualis est, qui circa intestina, & simam hepatis continetur; nam quod scribit Hippocrates, biliosos, aut æstiuos morbos per superiora potius vacuandos, quod eas partes petat bilis, nisi eo vehementius incitetur natura, non probauerim, quando satius est (vt dixi) huiusmodi succos acres & mordaces, à quibus imminet periculum erosionis stomachi, & syncopes, deorsum trahere.

Igitur quantum fieri potest, quæramus deductionem humorum ad infernas partes per aluum; qua in re genus medicamenti inprimis eligendum pro natura humoris redundantis, & quantitate, & qualitate: nam si bilis abundat, quærenda sunt præsidia, quæ illam euacuant, non autem alios, qui haudquaquam nocent; si magna est illius copia, aut crassior, eligenda sunt vehementiora remedia, cum alioqui mitissima non sufficiant: nam manna, aut syrupus rosaceus solutiuus in his sufficiet; in aliis verò erit quoque necessarium rhabarbarum, & alia, quæ vehementius humorem eum trahant. Itaque cum inter ea, quæ aluum subducunt, quædam sint solum mollientia, vt mulsa, iuscula ex oleo, sale, succo ptisanæ, oleo simplici, vel amygdalino dulci, aut amaro, caricæ pingues, pruna; alia vero, quæ proritant, vt oliuæ, cappares; alia autem, quæ fundunt concretos humores, qui posteà sponte descendunt, vt oxymel: his non vtemur, tanquam inefficacibus ad extrahendum humorem lædentem; alia vero sint purgantia eaque vel simplicia, vel composita, idque vel leuiter, vel validius, horum catalogum scire oportet, præsertim eorum, quibus vtimur in febribus.

Purgantia leuiter.

Purgantia leuiter sunt, manna, cassia, syrupus rosaceus, aloe, diacatholicon, diaprunum non solutiuum, hiera, thymum, sena. Inter quæ hæc pituitosos, salsosque humores, & melancholicos educit; thymum vero melancholicos, diacatholicon omnes; manna biliosos, & pituitosos elicit: Cassia bilem torridam cum pituita; aloe biliosos, & serosos, sicut etiam syrup. rosaceus.

Validius.

Paulo validius purgant rhabarbarum, agaricum, diaphœnicon minus, diaprunum solutiuum; validius vero adhuc electuarium de succo rosarum, de psyllio, diaphœnicon

maius, confectio hamech, electuarium Indum maius, & minus. Pilularum catalogus. Vtimur autem confectione hamech in atra bile, & pituita educendis, sicut electuario Indo. Et pituita vero, & bile diaphænico, agarico, rhabarbaro, hoc tamen magis, vbi bilis abundat, sicut diapruno solutiuo, & de succo rosatum, & rosato Mesues; Hiera autem vtimur raro in febribus, quoniam vehementius excalefacit; sicut etiam nec pilulis, nisi admodum rebelles sint humores, & febris remissa, & potissimum si adsit dolor aliquis in distantioribus partibus, vt capite, iuncturis, sicut hiera, vbi stomachus afficitur à multitudine humoris.

Quomodo & cum quibus purgantia in febribus sint miscenda.

Hæc sunt, quibus potissimum vti solemus, quibus raro vtimur solis, quoniam mixtione melius perficitur vacuatio, & contraindicantibus commodius satisfacimus: nam etsi rhabarbarum bilem, & pituitam educat, tamen sicciores habet qualitates, & calidiores, quàm acrioribus febribus conueniat, propterea, vel cassiam, vel syrupum rosaceum, aut mannam cum eo miscere solemus: sic etiam odorifera adiungimus ad ingratum odorem emendandum, & dulcia ad absurdos sapores corrigendos, vt dulces syrupos cum amaris medicamentis miscemus, & cinamomum, quod est odoratum, necnon aliquando quædam admiscemus ad iuuandas qualitates tardiores medicamentorum, vt spicam rhabarbaro; quædam vero ad inhibenda eorum vitia, vt cotonei succum cum scammonio, gingiber cum agarico, qui aliter vomitum prouocat, & stomachum offendit. Denique si non adsint qualitates insitæ medicamentis, quæ possunt satisfacere instituto nostro, minima quantum fieri potest aliorum læsione, arte eas moliri nitimur mixtione, coctione, varia figura, & alia quacunque præparatione, & compositione: Quoniam vero solida, vel liquida exhiberi possunt medicamenta, præstat in febribus liquidiora exhibere; sic enim facilius permeant per angustos meatus, si tamen rebellis sit humor, & in distantibus partibus positus, mitiorque febris, prosunt tunc magis solida, vt pilulæ, & boli dicti, quoniam maior inest illis attrahendi vis.

Quæ forma purgantium in febribus exhibenda.

Quæ dosis.

Dosis pro natura, qualitate, quantitate humoris & viribus, & facilitate, vel difficultate ægri in purgando facienda est. Crassus etenim humor, vt melancholicus, & pituitosus intendi vult purgantia, sicut & humor copiosus, & validæ vires, & durior ad purgationes ægri natura: Vsu tamen didicimus, cassiæ drachmas decem sufficere, mannæ vncias quatuor, rhabarbari drachmas duas, si solidum sumatur, non reiecta crassiore parte per expressiones dictas; confectionis hamech quatuor ad summum dantur drachmę, diaphœniconis vero etiam sex. Pilularum dosis est à drac. 1. ad drac. 2. Quoniam vero nō solum dosis, sed moles etiam ipsius medicamenti spectatur, vbi plenius euacuare volumus, aut partes vniuersas præsertim distantiores, intendere oportet molem, quando alioqui in via consumitur medicamentum, quod paucum copia est. Vbi vero stomachum purgare, & tenuiores humores educere consilium est, minor copia sufficit.

Quantum humoris educendum.

Quantum verò humoris educendum, coniectura inprimis assequeris ex his, quæ quantitatem humoris redundantis ostendunt, præcipuè tamen docebit morbi solutio; tamdiu enim vacuandum, donec perfecta solutio morbi sequatur; quæ enim relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.

Teste Hip. sect. 2. aph. 12.

Quomodo purgandum.

Modum verò purgandi ex motu morbi, & qualitate, & viribus sumes: nam si morbi motus sit celer, & validæ subsint vires, nec caliditas obsit, quæ exasperari solet à magna purgatione, semel totum purgandum, quod abundat, alioqui satius est purgationem partiri, quoniam tutior est.

Quando.

Propinandum autem medicamentum est, si nulla adest accessio, quæ impediat, aut calor diei mane ieiuno stomacho, alioqui etiam vesperi, etsi tamen omni ratione quærendum est, vt mane exhibeatur, ne somnus turbetur nocturnus, dum sæpius surgere cogitur, qui purgatur. Assumpto vero medicamento, prodest superbibere vel aquam hordei, vel ptisanam, si vehementius sit medicamentum, vt abluatur, si quid illius circa orificium stomachi hæreat, alioqui expectandum est, donec medicamentum ventriculum sit egressum, & magna ex parte opus suum perfecerit; quapropter, paulo ante cibum iuscula cum sacharo propinare solemus ad stomachi ablutionem, & vt reliquiæ medicamenti deorsum protrudantur, atque ita ventriculus aptior ad appetendum, retinendum, concoquendumque cibum reddatur. Prodest quoque superdormire aliquantulum, præsertim, si validius sit ingestum medicamentum, & vomitum concitare sit aptum, vel infirma sit hominis, aut ventriculi natura: omnia enim hæc incommoda ex somno emendantur breuiore, ex longiore verò vincitur medicamenti vis, aut impeditur ferri in distantiores partes, aut fortè oborto sudore vna cum humore in habitum corporis rapitur, quod magni mali fit causa. Quoniam vero assumptum medicamentum aliquando non educit, aut plus, quam oportet, euacuat; si non educat, motione aliqua tentanda inprimis res est, alioqui prodest aliquid superiniicere, quod vim purgandi habeat, vt syrupum rosaceum solutiuum, aut mannam cum iusculo. Prodest & clysteri, & balano postea rem iuuare, sed id non ante quàm res sit desperata de purgatione; Tardius enim in aliquibus, & non nisi post aliquot horas; citius vero in aliis procedit purgatio. Quod si vehementius deiiciat, quiete, somno, reuulsione per ligaturas, & vomitu ex aqua calida, sistitur impetus. Quod si fortè animo linquatur, odorata ventri, & naribus admonebit. Vinum propinabis odoratum, tenue. At si ad os recurrat medicamentum, quod deiiciendi causa dedimus, prodest adstringentia assumere, vt cotonei mali succum, frigida os colluere, vel etiam illius aliquid ingerere, cubitum, & manum

Quid post sumptam purgationem faciendum.

Quomodo tarda purgatio promouenda.

Superpurgatio quomodo sistenda.

Quomodo deliquio succurrendum.

Quomodo ad os recurrens sumpta purgatio deprimenda.

manum aqua calida fouere, inferiores partes fricari, cucurbitulas admouere ventri super vmbilicum, in tenebris degere, & quiete; Animum alienare à cogitatione medicamenti assumpti, & faciem aspergere aqua violentius iniecta. Hæc sunt, quæ de purgatione per aluum necessaria mihi sunt visa, donec experientia longa vos docere possit alia.

Nunc vero de his, quæ vrinas, sudoresque mouent, agendum, quoniam his præsidiis nonnunquam etiam corpus expurgamus.

Vrinas mouentium nonnunquam in febribus magnus est vsus, cũ scilicet humor adest, qui commodius per vesicam, & renes, quam per aliam educi potest, aut natura per eas partes sese exonerare cupit.

Qua in re expendendum, quis humor commodè per vrinas ducatur, & quæ remedia ad id præstandum sint apta, & demum, quo tempore morbi hæc præsidia tentare oporteat; hæc enim potissimum capita in hac re quærere oportet.

Quis humor commodè per vrinas ducatur.

Est autem materia, quæ per vrinas trahi potest, aptissima, quæ tenuis est, & serosa; Nonnunquam etiam quæ crassior, vt pituitosam, & melancholicam commodè per quotidianas, quartanasque febres euacuari videmus: nam etsi materia ipsa crassa est, & ob id inepta ad delationem per angustos eos meatus, nihilominus, cum extenuatur, & aquoso humore diluitur, nulla repugnantia per eas trahitur. Verum etsi huiusmodi humor per vrinas elici potest, obstat tamen magna quantitas, & locus; qui enim copiosus est humor, tuto non educitur per angustos eos anfractus, si crassus quoque fuerit. Propterea scribebat Galenus *in Methodo medendi*, satius esse copiosum humorem ad aluum trahere, quam ad renes, & vesicam ducere, idque magis verendum, si illæ partes vel vlcere, aut calculo, aut obstructione, vel imbecillitate vexari consueuerunt: Periculosum siquidem fuerit, ita affectas partes excrementis onerare. Sunt præterea inepti vniuersi humores ad huiusmodi vacuationem, qui in habitu corporis, aut primis venis, vel in aliquo alio membro, præterquam in magnis venis, & arteriis continentur: alii enim, qui alibi sunt, nullo modo per vrinam purgantur, nisi natura sese ad eas partes conuertat.

Quænam medicamenta vrinam prouocent.

1. Vrinam verò prouocantia à Galeno dicuntur esse extenuantia, & calefacientia, quæ ideo dicuntur id facere, quod sanguinem calefaciendo & extenuãdo, fundant, ex qua fusione sequitur (inquit Galen.) separatio serosæ partis ab alia, vel potius (vt mea fert opinio)
2. fit, vt facilius trahatur à renibus. Idem quoque faciunt, quæ multa aquositate abundant, hæc enim fundunt, & liquant, dum se permiscent aliis humoribus, quo modo iuscula vrinas
3. prouocare dicuntur, & vinum album. Tertii generis sunt, quæ incidunt, vt oxymel, fundendo enim, & incidendo crassos humores
4. idem quoque facit. Est & quartum genus, quod ex proprietate id facere putatur, non aliter, quam ea, quæ purgant, veluti est capillus Veneris, halicacabus, siue alchekengi dictum, item rubia, erinacei carnes, & passerculi, quæ ostendunt, se non fusione, & calore, cum sint frigida, nec aquositate, cum nonnulla sint crassæ substantiæ, neque acrimonia, qua penitus caret halicacabi fructus, sed à proprietate omnino id facere videantur, sicut etiam radicem cionæ nuper repertam facere nouimus: sic etiam Rhabarbarum, & Cassia per vrinas humores trahunt, & hæc propriè dici deberent vrinatiua, etsi Galen. horum non meminerit *in libris de Simplicibus*, vbi solum facultates methodo inuentas, non autem à proprietate agentes, tradere instituit; ex accidenti enim vrinas ducunt, quæ liquant, fundunt, humectant, & stimulant.

Quo quando tempore & in vnoquoque morbo eligenda.

Porrò, eligere oportet nunc ex vno genere, nunc alio, quod vrinas ducat: nam vbi febris vehementior est, & copiosa est materia, leuiora sunt eligenda præsidia, quæ absque calore opus suum perficiant, quando etiam copia humoris nisi prius per ampliores vias corpus fuerit expurgatum, ab huiusmodi remediis vehementius agitata, & ad angustos meatus perducta, eos obstruere occludereque solet: Leuiora quoque sufficiunt, si natura iam eò inclinet. Quod si febris non impediat, crassiorque sit humor, validiora sunt eligenda, cum nihil impediat, & rebellis humor non aliter eo impelli possit.

Quo tempore.

Tempus autem exhibendi vrinatiua medicamenta, erit, cum corpus alia via est iam exoneratum, & declinat morbus, siquidem (vt diximus) vbi magna est humorum copia, tutus non est eorum vsus, & cum noxios humores expellere debeat, naturæ victoria expectanda est, post quam licet malos humores à bonis separare, nec tamen impedio, quin ab initio ea tentemus, si modo leuiora fuerint, quemadmodum Galen. 1. *ad Glauconem cap. de Tertiana* facit, qui etiam in quotidiana valentiora experitur. Quod si quis catalogum eorum, quæ vrinas mouent, apud Galenum habere velit, copiosum inueniet.

Simplicia medicamenta vrinam mouentia.

Mouet enim graminis semen, item acorum, amni, brioniæ germina, androsaces, anisi semen, absynthium, bdellium Arabicum, sabina, semen dauci, licet maximè arietinum, serpillum, erithrodani radix, calamus aromaticus, fumus terræ, cortex radicis capparis, caucalis, carpesium, phu, costus, vmbilicus Veneris, semen crocodili, & alterius cyclaminis, cumini semen, ligustici, cari, petroselini, radix ciperi, libisticum, radix lonchitidiæ, marathrum, & hippomarathrum, radix meu, nardi radix, & Celtica magis, fructus xyridis, radix ononidis, periclimeni fructus: sed vehementius, ruta, polium, selinum, seseli, cucumis, sison, syon, sisari radix, scandix, scolini radix, scordium, smirnion, pastinachæ agrestis radix, schenantos, terebinthi fructus, trifilon, solani fructus, halicacabi, item solani somniferi semen, chamedrys, chamepytis, lumbrici terræ cum mulsa poti, item cantharides, cum aliis medicamentis minima quanti-

Vehementia.

Diuretica. Composita in quibus casibus vsurpanda.

tate mixtæ, pepones, semen lini, item melopepon, iuniperi fructus, smyrnion, asparagi omnes species, mel despumatum, vina tenuia. Composita medicamenta, quæ describuntur ad vrinas mouendas, vtiliora potius sunt, cum vesicæ, aut renum affectu vrina supprimitur, quam in febribus, quare satis est simplicibus vti prædictis incoctis in aqua, & melle, aut mixtis syrupis cum decoctione illorum; quæ in sola aqua sit facta, cuiusmodi sunt syrupi de duabus, aut quinque radicibus, item de fumoterræ, nec exigua debet esse potio, quoniam per longos anfractus ad distantissimas vias ferri debet illorum vis, quæ facilè dissoluitur, si copia liquoris non iuuetur.

B Inprimis illud videndum est, quisnam humor per sudorem vacuari postulet; est porrò is, *qui tenuis est, & in exiguis venis in habituque corporis potissimum continetur*: vt enim tenuis humor, qualis est serosus & biliosus, facilè per angustos cutis meatus, & carnem permeat, sic ille, qui in magnis venis, aut profundo corpore continetur, nisi à natura eo impellatur, difficilè ad cutim trahitur; vnde videmus, quotidianas febres per sudorem non finiri, quod humor sit crassus & viscidus; contra vero, tertianas omnes, quanto exquisitiores fuerint, & ex acri tenuique bile confectæ, tanto promptius per sudorem discuti. Continuas vero non nisi, & vix vnquam per crisim sudores tentare vtiles, quoniam in profundo corpore continetur illarum humor. Quarè, in illis Medicus solum prouocare debet sudorem, quando natura eum tentauit per Crises, sed tamen absoluere non potest.

Quis humor postulet vacuari per sudorem.

Quænam febres finiri possint per sudorem, quæ vero non.

Sudorem mouentia.

1\. Porrò, sudorem mouentia sunt (inquit *Galen. 4. de simpl.*) acria, quæ tenuium sunt partium; hæc enim humores extenuant, & per angustos meatus facilè permeare possunt, & eos aperire, si fuerint obstructi, idque videntur per accidens facere, eo quod materiam præparent; verùm quædam sunt ignota antiquis, quæ propria vi, & tota (vt aiunt) natura sudores commouent, vt est lignum Indum, siue Guaiacum dictum, & radix chinæ, quæ minore acrimonia tenuitate partium est prædita, quàm alia multa, quæ tamen longè inefficacius, quàm illa radix, sudores eliciunt; Quinimò radix hæc austerum quid habet, & subacerbum, contrarium omninò, quàm illa, quæ à Galeno sudorifica perhibentur.

2\. Prætereà, non solum acria, sed etiam liquidiora, & modicè calida sudorem prouocant, sic enim aquam hordei, & iuscula cum sacharo, & chamomeli decoctum, idem faciunt per febres, nimirum, quod fundant mediocri calore, & humore copioso crassos humores diluant, qui facilè posteà ad cutim repunt, tanquàm superiorem partem corporis.

3\. Prætereà, non contemnenda sunt præsidia, quæ extrinsecus adhibentur ad sudores eliciendos; nam cum non solum requiratur materia apta, sed etiam viæ aptitudo, meritò addenda sunt, quæ extrinsecus rarefaciant, & calefaciant, vt vnctiones, frictiones, balnea, quæ abundè sudores mouere videmus.

Sudorifica varia.

A Porrò, inter ea, quæ intrinsecus sumpta sudores eliciunt, numerantur à Galeno Calaminta cum melicrato pota, vel sola etiam ingesta. Item radix cyclaminis ad drachmas tres cum melicrato, aut passo ebibita, sed hæc vehementiora sunt, quàm conueniant febribus calidioribus, licebit tamen, & in quartana, & nothis tertianis, & quotidianis his vti, in illis verò sufficiet chamomeli decoctum. Extrinsecus verò frictiones, vnctiones rarefacientes ex oleo chamomelino, anethino, vel liliaceo, & balneum, declinante iam febre. Laudat quoque Galenus obnobricem cum oleo inunctam, de quibus postea præsidiis suo loco commodius agemus, cum illorum vsum in B singulis febribus requiremus; nunc vero ad victum, quo vti debemus in febribus, accedendum.

Ratio nutriendi in febribus.

Cum in nutriendi ratione spectemus inprimis, quo genere nutrimenti sit vtendum; deinde quales debeat qualitates habere; post quantum dandum; quomodo præterea, quo item tempore, & ordine singula exhibenda; De genere merito primo disputabimus.

Tria esse in vniuersum alimentorum genera.

Itaque cum infinita sint propemodum alimentorum genera, & facultates, si sigillatim singula expendamus, tamen Medici tribus summis generibus vniuersa alimentorum genera sunt complexi: etenim omnia alimenta suapte natura, vel apta sunt ita alere, vt corporis vires C illorum vsu augeantur; alia verò, vt solum cõseruentur, alia vt minuantur: nam si quis herbis solũ vtatur, aut Melicrato, necesse est illius vires minui, quantumcunq; illorum assumatur. Plus autẽ sumi non potest, quàm concoqui valeat; succo ptisanæ fortè conseruari possunt vires corporis; at carne animalium & ouis augeri sunt aptæ: videturq; hæc esse ratio, quòd cũ vires consistunt in spirituosa, humorali, solidaq; substantia, quæ continuò dissoluuntur, non possunt omnia reponere, quod à singulis demitur, quandoquidem quæ laxant, humidamq; substantiam sunt sortita, solidam nostram substantiam, duram, & crassam reponere nequeunt; Vocant autem D Medici nutritionem, quæ minuit vires, tenuem; eam vero, quæ conseruat, conseruantem; alium vero augentem, & alio nomine plenum victum, sicut conseruantem mediocrem, tenuem vero diminuentem; de quibus cum agit Medicus, *vt in Aphorismo 4. primi* Hippocrates, & Galen. genus victus, & nutritionis, non autem quantitatem docent: siquidem genere inuento, relinquitur quærendum, quantum sit de vnoquoq; exhibendum: qui enim nouit ptisana esse vtendum, non propterea nouit, quantum sit de ea dandum.

Quam ob rem mirari licet omnes Hippocratis interpretes vniuersos eos Aphorismos, in E quibus agit de tenui, pleno victu, & conseruante, putare, quod de quantitate nutrimenti agat, de qua postea agit 13. & 14. *vsque ad 16. Aphorism.* Igitur, cum tria genera sint alimenti; vnum, quod conseruare; alterum, quod augere; tertium, quod minuere vires & corporis molem est aptum, videndum

dum est, quæ huius, vel alterius sint generis; A qua in re Galenus *Aphor. 4. primi*, victum, qui fit per oua, alicam, & pisces, plenum esse dicit: eum verò, qui fit per ptisanam hordeaceam, tenuem, sed non exquisitè; conseruantis verò exempla non ponit; nec certè in singulis potest huiusmodi materia definiri, quod enim plenè nutrit imbecillos, non potest idem facere in fossoribus, validioribusque corporibus, quæ plurimum solidæ substantiæ dissipant, vnde illos optime suilla carne alere dicitur, item oryza, & ex farina pulmentis confectis, quę omnia alios plurimum lædunt, qui aliter sunt affecti; Peti tamen videtur ratio tota à consistentia ipsius alimenti: nam quæ mediocriter crassa sunt, temperatos, vtpote mediocriter affectos, conseruare sunt apta; quæ verò minorem habent crassitiem, illos, qui minus dissoluuntur; crassa verò & viscida, eos seruabunt, aut etiam augebunt, qui validiore sunt natura, magisq; dissoluuntur, quales sunt Athletæ, & fossores. Nunc verò expendendum, quo genere vti liceat in febribus putridis: in qua re, si Galeno, & rationi credimus, inueniemus Medicos maximè errare, qui in acutis febribus, oua sorbilia præsertim in hac regione exhibent, cum huiusmodi morbi tenuem exigant victum, is vero, qui per oua instituitur crassus, & plenus censeatur à Galeno; sic etiam in longioribus morbis errant, cum ptisana sola vtuntur, quæ tenuem præbet victum, exigant autem huiusmodi morbi, aut certè permittant conseruantem: non enim morbi ratione, sed virium, & dissolutionis corporis alimus; permittunt tamen morbi plus vel minus, vt id faciamus.

Quo genere alimenti sit vtendum in febribus putridis.

At, si quis quærat, cur non liceat oua, & carnes in acutis febribus exhibere? *ratio non est, quod hæc calefaciant*, (vt nonnulli putant.) *sed quod corpus vacuari non permittant, & coctionem turbent*, quam occupari oportet in vincendis humoribus, *vel etiam quod non satis refrigerent*, quando alimentum non purum, sed medicamentosum in morbis requirimus, vt possit vtrumque præstare, vires, inquam, sustinere, & morborum causis repugnare.

Cur in febribus acutis non liceat oua & carnes exhibere.

Nunc verò posteaquam ostendimus, quale genus nutrimenti postulet febris putrida, spectando scilicet eam differentiam nutrimenti, quæ propria illi est, quatenus vires spectat, nunc videndum cuius generis esse debeat in aliis: sunt enim quædam alimenta boni succi, alia mali; quædam quæ facilè; alia, quæ difficilè concoquuntur; Certum est, quod boni succi esse debent, vt malos emendent, & concoctu facilia, ne concoctrix occupetur facultas, ad quod maximè conferent qualitates tum insitæ, tum arte paratæ in alimentis, de quibus iam agendum.

Quo victu vtendum in aliis febrib.

Alimenta quædam habent qualitatem adstringentem in se, quædam crassam, quædam acidam, quædam amaram, vel salsam, vel dulcem, vel aliam quamcunque ex primis, & secundis; sic quædam arte elixantur, quædam torrentur, quædam liquidiora, alia crassiora exhibētur, quas omnes expendere oportet, & ostendere, quænam recipiendæ, quæ verò reijciendæ sint.

Igitur crassam qualitatem in putridis atque etiam viscosam perpetuò fugiemus, febris, & causæ ratione: quoniam transpirationem prohibent, obstructionesque augent; sic etiam adstringentia inutilia sunt, nisi hæc, & prædicta ob aliquod Symptoma requirantur, vt ad sudores inutiles compescendos, qui in febribus vires dissoluunt; aut cohibendam aluum per diarrhœas, aut lienterias, de quibus non est, quod hoc loco dicamus, in quo solas febres, & illarum causas propulsare studemus.

Quæ qualitates ciborum in putridis fugienda & quæ eadem eligenda.

Acida verò an conueniant in febribus, disputatur in scholis, eo quod Galenus *libro primo de Victu acutorum* 18. inter acida solum oxymel permittat venire in vsum, propterea mala B arantia dicta, limones, mala granata, detestantur illi, quod scilicet adstringant.

Acida an in febribus conueniant.

Verùm si Galenum legamus 4. *de Simplicibus & penultimo* 5. vbi de acido sapore agit, inueniemus, huiusmodi saporem aperiendi, incidendique facultatem habere, idque sine calore, propterea miror, quonam modo illi adstringere dicant. Quod si prædicta dicant non solo sapore acido esse prædita, sed etiam austeritatem aliquam habere adiunctam, vt negari potest, quando mala granata plura reperiuntur purè acida, tamen si id etiam concedatur, tantum abest, vt obsit ea leuis adstrictio, vt etiam plurimum prosit ad obstructiones tollendas, vt Galen. est author *lib. 5. de* C *Simplic. cap.* 11. quoniam adstrictoria ea vis roborat internos meatus, & propellit acidam aperientemque facultatem, quod ostendit etiam vsus: nam limones dicti tantam habent incidendi, aperiendique vim, vt etiam calculos renum frangere dicantur, & ipsos renes obstructos aperiendi; Quare non oberit acidorum vsus, in febribus præsertim calidis, quibus non obest acidorum frigiditas: nam vti crassi, viscidique sunt humores requirimus aperientia, quæ vna etiam calefaciant; in biliosis verò, & acutis febribus, nihil commodius inuenias acidis.

Dulcia prohibentur etiam à nonnullis in D febribus, quod Galenus scribat, ea facilè in bilem verti: verum id ad omnes frebres trahi non potest, vt illi faciunt: nam pituitosæ, frigidæque febres, id non habent periculum, quoniam quæ temperata sunt, minus etiam sunt calida, quàm expediat pro natura humoris; quare in biliosis duntaxat, & æstuantibus febribus, dulcia oportet habere suspecta, in aliis verò prosunt: sicut etiam amara, & salsa, vt patet ex Galeno, qui in quartana salsamenta conferre scribit *ad Glauconem*, ad frigidos scilicet humores incidendos, extenuandos, & concoquendos.

An dulcia.

Tosta damnantur quoq;, præferunturq; E elixa, vt carnes elixatæ, quod scilicet hæc humidiora sint, & frigidiora, illa autem calidiora & sicciora, quæ febribus aduersantur: verùm de his, vt de superioribus eadem est ratio: Vbi enim indicatio febris plus quam causæ, vrget, optima ratione elixa præferenda, alioqui eligenda sunt tosta, vt quæ superfluam

humiditatem, & frigiditatem emendare sint A aptiora.

Liquidiores sorbitiones etsi facilius coquantur, quod tenuiores sint, tamen vbi superfluus, & aquosus redundat humor, præstat crassiores efficere, siccitatem enim sequitur crassities: oportet tamen huiusmodi esse crassitiem, vt sufficere possit humori consumendo, & interim obstructiones non intendat.

Cibi an calidi vel frigidi concedendi. Calida ne an frigida, aut extenuantia, vel alia demum qualitate prædita, actu, vel potentia, exhibere oporteat alimenta, expendendum; qua in re licet damnare vulgares Medicos, qui in ardentissimis febribus calidas potiones, calidosque cibos exhibent, & qui in o- B mnibus hordeaceo, vel pane cocto vtuntur: neque enim vehementes febres postulant actu, vel potentia calida, sed omni modo frigida. Pituitosæ febres piper cum cibis, & alia huiusmodi postulant, vt videre est apud Galenum *primo ad Glauconem*, in quotidiana, & quartana. Quare, ita statuendum, *quod perpetuò febri, & causæ resistendum, vbi non leuis est affectus, & pro illorum ratione qualitates eligendæ, quæ nunc febri, nunc vtrique pariter succurrant.* Quod si leuior sit affectus, consuetæ qualitates in cibis eligendæ, quoniam facilius coquuntur insuetis.

Consumata an vitanda. Consumata (vt vocant) nonnulli censent omnino vitari debere, quoniam ab igne sicco C qualitatem nitrosam, & salsam nimia coctura acceperunt; sic etiam destillata (vulgo sic vocata) fugienda esse putant, nisi coquantur in vase duplici, siue in balneo Mariæ, qui certè vt superiores, reprehendendi, quando scilicet causæ febrium nonnunquam magis vrgent, quàm ipsæ febres, frigiditate, & crassitie humorum, quibus igneæ, siccæque qualitates magis, quàm aqueæ competunt. Hæc ergo de genere, & qualitatibus nutrimenti, quo in febribus vtimur, sint dicta.

Quæ quantitas ciborũ eligenda. Quantitatem verò certa mensura definire non licet, sed potius coniectura quadam, vt aliarum omnium rerum quantitatem; is tamen esse scopus debet, ne vires plus, quàm o- D portet debilitentur, neve naturam perinde oneremus alimenti multitudine, vt non possit concoquere morborum causas, & putredo ex mala alimenti coctione augeatur.

Quis modus. Modus autem eligi debet pro virium modo, & morbi: nam vbi vires debiles sunt, partiri debet in plures vices, nisi morbus impediat, qui sæpius scilicet repetat, & crebras cibationes prohibeat.

Ordo. Ordo verò id spectare debet, vt proba fiat cibi concoctio, & si quis alius vsus requiritur, hunc acquiramus, veluti est aluum mollire, aut retinere: nam hoc casu dura, in alio humidiora præcedere debent.

Tempus cibandi. Tempus cibationis accommodatum esse dicitur, quando vires exigunt, & nihil impedit, aut minus quàm in alio tempore.

Impediunt verò febres sua magnitudine, aut motu, quo enim tempore vehementer vrgent, tunc vires feliciter concoquere nequeunt quas oportet aduersus causas morborum pugnare: cum verò per rigores, accessionesque febrium calor ad interna vocatur, periculum est, ne calor artius ex noua reuocatione à cibo facta, ita in angustum contrahatur, vt suffocetur; vel si hoc non accidit periculum certè serius finitur accessio, eo quod calor impeditur expandi, diutius in internis visceribus detentus; in fine verò & declinatione accessionis, nocet etiam citius, quoniam humores & calores, qui ad externas partes retrahit. Quapropter videndum est, quo tempore minus noxium sit cibum exhibere in febribus, id quod diuisione facta, quæ omnes febres comprehendant, hoc modo intelligetur.

Itaque cum omnis febris vel continua sit, vel intermittens, si continua fuerit, & absque accessione infestet, spectandum est, si aliquo tempore leuius, quàm alio habeat æger, & in eo, in quo minus afficitur, cibus offerendus: si verò pariter laborat in omni tempore, ea hora cibus exhibendus, qua æger edere consueuit, tunc enim sperandum est, melius posse cibum confici, tanquam natura aptior sit ad sua munera obeunda, eo tempore, quo consueuit, quàm alio.

Quod si accessionem habeat, iubet Hippocrates *in libro de victu acutorum*, nutriendum esse, quando calor ad pedes descendit, quia tunc declinat accessio. Verum si nulla expectetur per aliquot horas noua accessio, præstat etiam expectare donec calor, qui ad pedes descendit, sit dissolutus, vt etiam declinantis accessionis calorem effugiamus. At si intermittit febris, interuallum est expectandum, aut certè vltima declinationis pars, si plus non liceat morari, ob aduentantis accessionis principium, aut alia ratione.

Igitur cum in intermittentibus, tum etiam continuis, aliquando ita longa sit accessio, vt bis in nonnullis, vt pueris, aut certè semel, antequam desinat, sit nutriendum; aut si superueniat alterius accessionis principium, antequam prior desierit, ita vt declinatio expectari non possit, vel interuallum, perpendendum, quo tempore tutius nutrire liceat; qua in re recentiores nonnulli augmentum accessionis aptius tempus esse dicunt, quàm principium, aut vigorem, magis quàm si in ipso principio, vel vigore alas: nam statum maximè omnium fugiendum esse credunt omnes: satius verò esse, in incremento, quàm principio alendum ægrum.

Ex hoc patere putant, quod noxa, quæ ex tali nutritione oritur, ea sola vigori communicatur; Si verò in principio nutrias, communis ea quoque fit noxa incremento, & vigori, contra quos pugnant veteres: nam *primo acutorum quadragesimo sexto capite*, pari in- E commodo prohibet Hippocrates in principio & incremento accessionis cibum dari; quo loco, etiam in principiis, si vires labuntur, cibum dari scribit, & *decimo Methodi* in statu dat, augmenti verò non meminit. Sicut nec etiam *vndecimo Methodi*: nam si ratio spectanda est, principium augmenti principio accessionis dicitur simile, finis verò

vero vigoris; At natura rei consulenda est. Igitur si erratum sit, & non liceat expectare declinationem, vtpote quæ longius distet, statim cibum dabis quacunque hora, vt Galenus 11. *Methodi* in biliosis; Si vero non est erratum in cibatione, sed cogaris bis cibare ob vires afflictas, & declinationis longitudinem, semel ante accessionem, post in declinatione cibabis, leuius tamen in illa, quam in hac. Quod si tantum spacii non detur, considerabis, an difficilius habeat in principio, vel augmento, vel statu, & quo tempore facilius habet, nutries; in statu, si febris leuior est, & copia humorum vrget, & somnus nocet & frigus vehemens sit, aut inflammatio interna viget, tunc enim nocet cibus in principio, & augmento plus, quam in statu, contra vero in principio ales potius, quam in statu, si contraria adsint.

De potu in febribus. Sequitur, vt de potu in febribus agamus. Ac cum potiones quædam sumantur solius medicamenti vsu, vt syrupi, & aqua, qua vtimur in febribus ardentibus affatim sumpta; quædam tanquam alimenta ad vires reficiendas; quædam vero quæ partim nutritionis gratia, aut coctionis vel distributionis, partim vero morbi, Symptomatum, & causæ morborum gratia; de his, quæ solius medicamenti causa propinantur, agere non instituimus, nec de his, quæ solis viribus prosunt ad alimentum morbo contempto, & aliis morbosis affectibus, sed de his duntaxat, quæ commode per febres exhibentur cibationis tempore, aut ad sitim extinguendam in ipsis accessionibus febrium.

Sunt potiones huiusmodi, quibus antiqui sunt vsi, mulsa, oxymel, apomel, vinum, aqua hordei, aqua sola.

Verum non solum has, sed multo plures nostra ætas inuenit ex varia rerum compositione confectas: cuiusmodi est apud Britannos, & Flandros cereuisia, & nos aquam cum sacharo vel in qua decoctum sit cinamomum, vel anisum, vel coriandrum, vel aliquid huiusmodi, propinare solemus; quinetiam, aquas stillatas & stillata etiam ipsa (vt vocant) & consummata. Exhibemus præterea aquam putam, vel hordeaceam mixtam cum lulepis dictis, rosaceo, inquam, violaceo, acetoso syrupo, vel de limonibus, aut acetositate citri, vel alio quocunque ex syrupis vsitatis. Vtimur & vino, sicut & antiqui, de quo antea dictum est, cum de coctione ageremus, & iam postea agemus. Itaque operæ pretium est, vt omnium prædictarum potionum & vini vsum ostendamus.

Quibus febribus conueniat mulsa. Mulsa conueniet, vbi febris ex pituitoso, frigidoque humore consistit, periculumque subest ne ob multitudinem ex potione vini commoueantur fluxiones, quæ maxime verendæ sunt in omni statu, vbi adest multitudo, tum maxime in his, qui vel podagra, aut calculo, aut capitis dolore, vel alio quocunque malo, cuius causa est fluxio, tentari solent.

Quibus oxymel. Oxymelite vtimur potius vt medicamento, quam alimentosa potione, quod etiam testatur Galenus *in Methodo medendi*, quoniam stomachum subuertit, coctionesque, & retentiones alimenti recte obiri prohibet: nihil tamen prohibet, quemadmodum acetoso syrupo vtimur, sic etiam oxymelite vti possimus, præsertim in quotidianis febribus, vbi adest plurimus humor vicidus, qui incisione eget. atque eo commodius est oxymel acetoso syrupo, quod mel sacharo sit calidius.

Apomel ex quo conficiatur. Apomel, ex fauis apum maceratis in aqua conficitur. hoc nunc non vtimur, quoniam sacharum cum aqua idem præstare potest; permitto tamen illius vsum, vbi calidior subest materia, quoniam est veluti mulsa aquosa.

Vinum quibus, & quando. Vinum ante signa coctionis in febribus vix permittunt exhiberi Græci Medici, atque eo tempore quo apparent inditia coctionis, etiam in acutis febribus eo vtuntur, qui mihi certe non placent: nam vbi febris contracta est ex frigidiori materia, quid prohibet, quo minus ab initio illud propinemus, sicut alia quæ suo calore coctionem in his iuuare creduntur? præsertim quod liceat reperire vina minimo calore prædita, vt etiam Galenus 12. *Methodi* de albis vinis prodidit.

Vbi vero acutæ sunt febres, & ardentes, nec etiam declinante morbo, aut certe vbi euidentia coctionis inditia apparêt, conuenire putauerim, quoniam præsente calidissimo affectu, à frigidioribus præsidia sunt petenda.

Aqua hordei. Aqua hordei perinde vtuntur nostræ ætatis Medici, vt in omnibus fere febribus omnibusque morbis ea iam in vsum venerit. Verum vt in calidis admodum febribus nihil ea vtilius, sic in frigidioribus temere datur; vitari quoque debet, ne flatum excitet; id quod fieri docet Hippocr. si vsque adeo coquatur hordeum, vt tabescat: potest tamen & alio modo id fieri, hoc inprimis non contempto, incocto simul coriandro, vel alio semine sicco, aut sacharo adiecto, cum bibendum est.

Aqua simplex. Aqua sola vix amplius vtimur, quin sacharum vel aliquid aliud cum ea misceamus; Verum vbi ardentissimę sunt febres, nihil ea commodius inueniri potest, quando ea simul refrigerat, & humectat, & aliorum admixtione calorem, vel siccitatem acquirit: nam quantum sachari accipit, tantum periclitatur in bilem verti. Sũt, qui coquant aquam, id quod fieri non debet, vbi refrigerationem, humectationemque summam desideramus, propterea, quod igneum quid coctione huiusmodi acquirit. Damnandi quoque sunt, qui aquam decoqui volunt, quam cum vino miscere volunt: nam si vini caliditatem verentur, præstat puram aquam eligere; si vero propria aquæ incommoda, quæ omnia teste Hippocr. *in lib. de Victu acutorum*, ex frigiditate nascuntur, vinum illis medetur, & interim ingrata non redditur potio ex indicibili, & iniucunda quadam qualitate, quam aqua per coctionem acquirit. Nec verendum est, dum sola, & cruda sumitur, vt in præcordiis hæreat, quoniam in vehementioribus febribus, in quibus conuenit, calor facile eam ad se rapit.

Cereuisia. Cereuisiam, quam Zithum, & Crumi vocare videntur Dioscorides, & Plinius, non ea incommoda parit, quæ ab illis huiusmodi potioni tribuuntur, quoniam non eo modo credo paratur hodie, vt olim, docetque id experientia: nam si humores corrumperet, vt antiqui volunt, certe non conspicerentur tam candido elegantique

colore, & forma illarum regionum incolæ, qui A illa perpetuo vtuntur.

Aqua cum seminibus & aromatibus cocta. Aqua, in qua incocta sint semina, aut aromata calefacientia, flatumque discutientia, vtimur potissimum in febribus, vbi vinum suspectum habemus ob fluxiones, & aquam ob flatus, ob id his maxime febribus conuenit, quæ cum podagra, aut chiragra, vel capitis dolore consistunt.

Aqua destillata. Aquæ vero stillatæ, bibi solent accessionis tempore, ad sitim extinguendam, vel solæ, vel cum sacharo, etsi magis probauerim eo tempore hordaceam aquam, quoniam fumosum nescio quid, & ingratum olent, & ex plumbo inimicas corpori qualitates acceperunt.

Consumata. Consumata in vsum potissimum veniunt, B cum simul labantes vires in accessionibus reficere, & simul refrigerare studemus, quo tempore etiam stillato vti solemus, iisque vel solis, vel cum aqua hordei simul mixtis vtimur.

Aqua pura vel hordeacea. Aqua vero pura, vel hordeacea, aut per destillationem ex herbis elicita, vtimur cum Iulepis, & syrupis tempore quoq; accessionum, vbi & morbosæ causæ, quæ incisionem extenuationemque postulent, & siti pariter succurrere volumus.

Atque hæc quidem de potionibus consuetis, ad quorum imitationem aliæ excogitari possunt pro febrium, & causarum lædentium & complicatorum affectuum natura.

Potionum qualitas. Qualitas vero pro supra dictorum ratione, & C qualitate eligenda; nam sicut ea expetimus, quæ sua facultate sint calidiora vel frigidiora, sic etiam actu frigida, aut calida propinare oportet, prout vehementia ipsius febris, & causæ postulant, & stomachi infirmitas; propterea scribit Hippocr. æstate frigidum, hyeme calidum bibendum.

Quantitas. Quantitatem potionis quidam definire volunt, ne tanta sit, vt cibus innatet, & fluctuet, quod Galeni authoritate *septimo Methodi* confirmare videntur. Verum vix id euitari potest in febribus, in quibus ægrotantes parum edunt, plus autem bibere coguntur.

Quare præstat aliter quantitatem definire, quod scilicet tantum bibendum sit, quantum ad D coctionem conferat, & sitim extinguendam, non tamen morborum causas augendas; in quo quidem maximi errores fiunt à Medicis, qui vel parca potione siti ægrotantes enecant; quod etiam Galenus damnauit *in libris de morbis vulgaribus*, in Medicis sui temporis. aut nimia humiditate corpus grauant, morbosósque humores accumulant.

Quo tempore bibendum. Quo vero tempore bibendum sit cibationis tempore non est docendum, quando natura, & vsus docuit prius aliquid esse edendum, bibendum deinde. Cum vero in ipsis febribus sola potio exigitur, Galenus 1. *de Crisibus* tempus aptissimum esse scribit in ipsius accessionis statu. Verum aliquid etiam præcipiendum erat de his fe- E bribus, quæ continuo infestant, citra vllam accessionem. Quinetiam, vbi accessiones infestant, præstat nonnunquam in ipso incremento bibere: veluti in febribus admodum biliosis, quæ paulo post principium vehementem æstum inferunt, qui refrigerationem expostulat. Atque hæc satis de potionis vsu.

De febricitantium somno. Requirimus in febribus somnum, & vigiliam sicuti cibum, & potionem, ad vires animales recreandas, tum etiam ad coctionem iuuandam; sed non omni tempore expetendus somnus, & nonnunquam etiam pertimescendus, nocet enim maxime in accessionum principiis, præsertim, si cũ horrore, vel frigore infestent, vt *primo Aphor.* 2. Prodest vero in declinatione: in mediis temporibus plus vel minus nocet, aut prodest, quanto magis appropinquat principio, & declinationi: nam in principio nocet, quia retractionem caloris adauget, vnde impeditur ille exire, sæpius obruitur, & viscera grauantur, & fluxiones, si aliqua in illis est phlegmone, augentur; Eadem, sed minora fiunt in augmento incommoda; in statu semper non est tutus: nam cum multa, & crassa est materia, fit rursus concursus in viscera, vnde caput grauatur, & alia accidentia intenduntur; in declinatione vero semper prodest suapte natura, reuocato, & roborato calore, qui antea dissolutus erat, & sparsus, qui postea validior fit ad expellendum. A prandio concedit etiam longiorem somnum Gal. 8. *Methodi*.

Cap. VIII.

DE FEBRIBVS CONTI-*nuis*.

Expeditis his, quæ communia sunt febribus putridis, necesse est ad illarum differentias, & species descendere, vt singula singulis accommodari possint; alia etenim præsidia debentur continuis, quam intermittentibus febribus; alia vehementibus, quam mitioribus ordinatis, & inordinatis; alia pituitosis, alia melancholicis: sed quoniam non licet omnes differentias prosequi, & facile possunt nonnullæ ex aliis intelligi, propterea quæ præcipuæ sunt, in considerationem veniunt, cuiusmodi est ea differentia, qua dicimus, quasdam esse continuas, quasdam esse intermittentes. Qua in re, non docebo, quid continuæ intermittentisque nomen significet, cum id ex nostro Opere, vbi agitur de continuo intermittenteque morbo facile intelligi possit; sed quod præcipuum est in hac re aggrediar, nempe cur fiat, vt quædam continuæ sint, aliæ intermittentes, idque eo potissimum expendendum, quod non satis adhuc id explicatum in scholis putem: creditum enim hactenus est, continuas ideo fieri febres, quod humor putrescat in venis; intermittentes vero, cum extra venas: nec tamen aliquis illorũ est, qui ita sentiunt, qui vel minimam probationẽ adhibeat, sed omnes Galeni authoritate nituntur, qui (vt ostẽdemus) nõ satis rẽ explicat, nec ab illis recte intelligitur, quod citatis locis, quibus illi vtuntur, patere, ostendam. Primum igitur Galenus *lib.* 2. *de Crisibus*, vbi incipit agere de continuis febribus; Item, vbi agit de prænotione subitarum mutationum, quæ in morbis contingunt, *non longe a fine libri* ita scribit *priore loco*: *Exquisita febris ardens differt à Tertiana, quod in ardente bilis, quæ putrescit, maneat adhuc intra vasa, in Tertiana vero feratur per vniuersum corpus*; sic omnes intermittentes à continuis non humoris ratione, sed

Autoritates ex Galeno pro iis, qui volunt quod continuæ fiant quando humor putrescit in venis, intermittentes vero quando extra.

ne, sed loci differre duntaxat scribit, quod in A continuis putrescens humor maneat in venis, in intermittentibus vero per habitum corporis feratur. Secundo vero loco ita scribit ad verbum: *Manentibus igitur in venis humoribus, continua ex ipsis febres generantur, si vero mouentur, aut per totum corpus ferantur, hæ fiunt, quæ cum horrore incipiunt, id est, intermittentes.*

Secunda authoritas legitur 2. *Commentario primi de Morbis vulgaribus, textu* 10. vbi ita scribit: *Ardentes febres fiunt, si in venis abundat (præsertim iecinoris, & ventris) bilis, Tertiana vero, cum totius corporis carnes affluunt bile flaua: nam impeditis spiraculis eorum, qui natura sunt biliosa, quantum bilis in carnoso genere congestum antea expurgabatur, illud retinetur, tertianasque gignit.*

Tertia est authoritas *in fine primi capitis* 2. *de differentiis febrium*, vbi ita scribit: *Intermittentes voco, quæ ad integritatem sensibilem desinunt ex humore moto, ac in omnem corporis partem delato, efficiente febrem; Continua vero fiunt ex eodem humore condito, & contento in venis.* Sic postea cum de Tertiana, Quotidiana, & Quartana agit, non aliter eas fieri scribit, quam ex humore delato per corpora sentientia, & addit *Cap.* 4. de febre pituitosa, pelli pituitam à natura per membra sentientia.

Legantur passim similes loci, & authoritates apud Galenum, quibus recentiores fieri putant, vt humores committentes Continuas, contineantur, & putrescant in venis: Intermittentes vero nasci ab eisdem humoribus putrescentibus extra venas, quod certe probare non possum ex ipso Galeno, cuius doctrina, & infiniti alii loci corrumperentur, si ita in illis sentiret, vt ipsi putant, & natura rei huic placito repugnat.

Refutatio. Primo, quod hæc verba non ostendant, putrescere humores extra venas, patet, cum scribat in illis humores *deferri* per habitum corporis, cum excitant Intermittentem: non *deferri* ve- D ro, sed *manere* conclusos in venis, quando Continuas faciant, id, quod nos concedimus, *moueri scilicet humores extra venas* per intermittentes febres, in Continuis vero minime; putrescere tamen tum in Continuis, tum Intermittentibus in venis. Quare, ex prædictis authoritatibus putredinis diuersum locum non concludunt, sed motum duntaxat extra venas in Intermittentibus, quietem vero in venis in Continuis. Quod vero repugnet hæc opinio aliis Galeni locis, patet ex *nono Methodi*, vbi ita scribit: *Vbi in omnibus venis, & præcipue magnis continentur humores febrim facientes, Continua fit febris: vbi vero in vnica animalis parte, accessiones, quæ certo ambitu repetunt,* per vnicam vero partem intelligere non possumus habitum totius corporis, vt omnibus constare puto, cum etiam ex manifesto loco Galeni 10. *Meth.* vbi ita scribit *Possunt humores putrescere vel in phlegmone, vel sine hac, in ipsis vasis, idque aut in vna animalis particula, in finibus ipsorum impactis, aut etiam in totis eorum capacitatibus, quæ inter bubones, & alas sunt comprehensi.* Vbi satis ostendit, per vnam particulam non intelligere habitum corporis, in quo infinitæ continentur; & humores intermittentem febrem committentes impacti esse non possunt in habitu corporis, si modo dicuntur per illum ferri.

Præterea est clara authoritas 11. *Methodi*, vbi ita scribit: *Quoniam putredo vel æqualiter in omnibus subsistit vasis; vel in maximis maximeque principalibus, (ea porro sunt inter alas, & inguina) vel vna quapiam particula, quæ vel phlegmonem in se habet, vel etiam citra phlegmonem, veluti in foco quodam principium febris in se continet.* Ex quo illud patet, per partem illam intelligere Galenum non aliam quæ ab illo dicitur esse focus febrium.

B Quam ob rem, cum focus Tertianæ dicatur esse Hepar, Quartanæ Lien, Quotidianæ Ventriculus, satis constat oportere intelligere in ea parte putrescere humores per singulas febres intermittentes: alioquisi ponamus etiam in habitu corporis putrescere, sequeretur in duobus locis fieri putredinem in foco febris, & in habitu corporis, vt in Tertiana in Hepate, & habitu corporis, quod esset omnino absurdum. Præterea, cum Galenus *præcitato loco* 11. *Methodi, non longe à principio*, quod commune est omnibus putridis febribus, tradat, dicat autem vel in magnis vasis, aut in phlegmone, aut foco febris humores putrescere, nulla autem facta C mentione habitus corporis, constat temere id poni ab aliis ex Galeni opinione, qui illis manifeste repugnat: qui cum *eodem libro* postea scribat, Synochas febres fieri à putredine, quæ totum corpus occupauit, satis ostendit, se nolle ponere intermittentes ex humore putrescente in totius corporis habitu, quando sic continuæ ab intermittentibus non differrent: nec oportet putare, continuas ex internis obstructionibus, intermittentes vero, ex cutis adstrictione nasci, quando scribit *eodem libro*, sisti transpirationem, & continuas excitari, vel stipatis finibus vasorum, vel tota cute. Quare ex Galeno probari non potest, putrescere humores extra venas in habitu corporis, cum intermittens affligit febris, sed potius contrarium.

Docet id quoque rei natura: nam si humor huiusmodi putrescit extra venas in habitu corporis, vel id fit, cum mouetur, & rigorem vel horrorem excitat, vel antea: non antea, quia cum febris nascatur ex putredine, oportet antea inuadere febrem, quam incipere rigor, id quod non fit, & multo minus putrescit, cum iam mouetur, & per singulas partes cutem versus propellitur, quoniam in instanti non fit putrefactio, siue minimo temporis spacio, sicut nascitur subito huiusmodi motus. Quinimo, motus huiusmodi euentilationis est causa, non putredinis, quæ oritur, cum humores quiescunt, & E transpiratione prohibentur, sicut apparet in aquis, & aliis rebus, quæ motu sese tuentur à putredine, quiete vero eam asciscunt.

Præterea, sequeretur nullam febrem intermittentem sæpius infestare posse per accessiones, sed omnes in prima accessione finiri; quoniam si ex humore illic contento, & putrescente febris nascitur, & per singulas accessiones præsertim in tertianis vniuersus humor extendatur, quænam potest esse nouæ accessionis causa?

nam si bene affecti sint fontes humorum, & foci febrium, nulla erit nouæ accessionis causa, propterea quod deest materia, quæ à fontibus suppeditatur. Quare, si vniuersam huius rei causam ponimus esse putredinem extra vasa, sequitur, quod diximus, nempe in vna accessione febrem omnem intermittentem penitus dissolui debere. Idem quoque licet alia ratione probare: nam cum putredo nascatur ex prohibita transpiratione, necesse est adstrictam esse cutem; si sub ea humores putrescere debent, ex quo sequitur primum inconueniens, quod nulla febris intermittens ex internis obstructionibus nasci possit; Quid enim conferret interna obstructio ad generationem huiusmodi febris, si humor extra venas putrescit? Cur ergo sanguinem mittimus, & aperientia propinamus, si in venis non est obstructio? oporteret enim solis rarefacientibus, quod noxium est, educere, quod si concedamus, vniuersam curandi rationem excogitatam ab antiquis, & vsu confirmatam euertimus.

Secundum incommodum est, quod cum per sudores superuenientes in fine accessionum discutiatur vniuersus humor, qui accessionem committebat, necesse sit iam cute aperta, & rarefacta, nullam aliam subesse nouæ accessionis gignendæ causam.

Ad hæc communis ratio esse debet, & causa, omnibus intermittentibus, quæ certe nullo modo, quotidianis, & quartanis conuenire potest: nam vt forte quis eam causam conuenire putabit tertianis, quæ ex humore bilioso, & tenui, & ob id facili ad dissipationem per vniuersum corporis habitum consistunt, sic certe pituita, & humor melancholicus, crassi & viscidi humores, ita disseminati non possunt per inania ea spacia, carnemque ipsam, & illic putrescere, vt illi volunt. Ex quibus patere puto, falsam esse illorum opinionem, qui febres intermittentes fieri dicunt ex humoribus putrescentibus in meatibus, qui per totam carnem intermedii apparent, siue in spaciis inanibus, qui inter musculos conspiciuntur, & ideo illic eos humores putrescere, quod cutis sit adstricta, & propterea non diffientur. Quare natura rei consulenda est, quæ aperiat, quod quærimus. Igitur, cum omnes morbi, qui ex humore nascuntur, sint, vt ostendimus *in Opere nostro*, vel continui, eo quod vniuersus humor nunquam expellatur, donec ad perfectam solutionem sit peruentum; intermittentes vero fiant, quando expelli potest, qui priorem accessionem fecit, & alius postea regigni, qui aliam excitet. Dico continuas fieri febres, *quando humor in venis putrescit, nec excerni potest quicquid est putrefactum, idque vel ob copiam, aut crassitiem humoris, vel ob vias occlusas contingit*: quomodo Synochæ febres siue putridæ, siue non, & diariæ sunt continuæ, quod ex sanguine fiant; quem natura tanquam familiarem, & copiosum extrudere nequit; ardentes vero febres, vel quod nimia sit bilis copia, vel meatus occlusi, continuæ quoque sunt.

Quando febres fiant continuæ.

Intermittentes vero fiunt, *cum humor in venis putrescit, maxime in minoribus, & postea quam putrefactus est, natura insurgit ad eum expellendum; vel per sudorem, vt in tertiana, aut vomitum, vt in quotidiana, aut per aliam quamcunque viam, vt per vrinam aliquando, aut per insensibilem transpirationem.*

Quando intermittentes.

Postea vero ex foco febrium transmittuntur noui humores male affecti, & ad putredinem expositi ab hepate in tertiana, à ventriculo in quotidiana, à liene in quartana, qui similiter vt priores in venis putrefacti, deinde ob acrimoniam, ex putredine partam, aut ob alienam substantiam, quæ ex corruptione nascitur, irritant expultricem, quæ partim in habitum corporis, partim in alias partes eos extrudit; atque id est, quod dicebat Galenus, tum in *locis præcitatis*, tum *in fine 2 libri de differentiis febrium*, continuas scilicet febres nullo loco peculiariter affecto nasci, sed ex humoribus, qui in magnis venis continentur, & tamdiu febres pariunt, donec vel concocti, vel consumpti, aut expulsi tandem apertis meatibus febres finiant, alias vero, quæ intermittentes sunt, nasci, eo quod transmittatur humor extra vasa, & expellatur postea, deinde affluat noua materia, quæ idem, vt prior efficiat. Quæ opinio multo est probabilior, quam aliorum, & consentit cum ipsa curatione, & generatione istarum febrium, & Galeni authoritate.

Verum, illud prætermittendum non est, continuas febres duplicem generationem habere: vel enim nullo loco affecto consistunt, veluti est causon, aut Synocha febris, de quibus intelligendus est Galenus fere semper, cum de continuis febribus loquitur, & eas absque alicuius loci passione fieri scribit, quoniam vt ille *primo ad Glauconem* refert, has proprie vocarunt febres antiquiores. Sunt vero aliæ, quæ ex membris inflammatis originem ducunt, quales sunt febres Pleuriticorum, & Peripneumonicorum, aut angina, vel phrenitide, aut hepatis, vel renum, aut denique aliarum partium inflammatione laborantium, qui affectus, quoniam continuo calorem cordi suppeditant, ideo continuas febres pariunt.

Febres continuas duplicem habere generationem.

Cap. IX.

DE FEBRIBVS SYNOCHIS ET ALIIS CONTINVIS, QVÆ *per accessiones infestant.*

QVæ sint continuarum febrium causæ, & intermittentium, ostensum esse puto: at cum inter continuas quædam eum tenorem, quem ab initio acceperunt, perpetuo seruent, aliæ vero certis temporibus intendantur, & remittantur, huius quoque rei causa quærenda est. Qua in re Galenus videtur ponere causam synocharum febrium ex loco, non autem ex diuersa materia, vt ex multis illius libris probare licet.

Primum enim clara est illius authoritas, *vltimo cap. 2. de Differentiis febrium, in fine*, vbi ita scribit: *Quæ sine circuitione fatigant, in iis nullus locus peculiaris est affectus, sed humores in venis, & arteriis omnibus, maxime quæ in maximis & calidis*

An causa Synocharum sit ascribenda loco, an vero diuersæ materiæ.

Authoritates ex Galeno quod loco.

lidissimis sunt, accenduntur. Quam authoritatem si quis putet, non de synochis solum, sed de omnibus continuis scriptam, non desunt aliunde aliæ authoritates, vt ex *nono Methodi*, vbi scribit de synocha putrida: *vbi in omnibus vasis succi putrescunt, putrida fit synocha.* Et paulo antea: *Ad hoc, vt sit synocha, id solum spectare videtur, vt humor transpirare non possit, aut æqualiter vel inæqualiter pro differentiis synocharũ transpiret.* Itẽ 11. *eiusdẽ Operis* ita habet ad verbũ: *Ac primũ eam tractandam proponemus, quæ vel in maximis vasis, vel simul omnibus consistit; quæ igitur ex tali affectu oritur febris, plane necesse est synochon esse.*

Item *alio loco eiusdem: Putredo, quæ totum corpus occupat, febres synochas facit.* Quæ satis probant, eum spectare magis locum, quam humoris diuersitatem; Si enim huiusmodi febris fit, cum in magnis vasis humores aut sunt excalefacti, vel putrescunt, contineantur vero illic tum sanguis, tum bilis vtraque, pituita, & serosus humor, quorum vnusquisque febrem accendere potest, constat, eum non spectare, quid humor suapte natura efficere possit, sed locus ipse: vt enim intermittentes euadunt omnes febres, cum extra venas reiiciuntur humores, sic profecto synochæ fieri videntur, cum iidem intus conclusi sunt. Quod vero idem sit, & non ex vno humore synochæ fiant, sed ex pluribus fieri possint, dummodo locus idem sit, ex aliis Galeni locis ostendi potest; etenim *2. cap. 2. de Differentiis febrium* ita scribit: *Continuas, quæ ex flaua bile consistunt, duo genera habere, vnum Synocharum, alterum earum, quæ generali nomine continuæ dicuntur.* Ex quo loco patet, eũ velle, ex bile etiam fieri synochã. Item, 2. *de Crisibus* ita scribit: *Synocha est ex genere ardentium, acutis vero ab illis differt; Est autem biliosa hæc febris, & in prima septimana iudicatur.*

Quod materia.

Quod fiat ex sanguine.

Quod vero ex sanguine fiat, patet in primis, quod scribat 9, & 11. *Methodi*, huiusmodi febrem propriam esse iis, qui boni sunt habitus, & multo sanguine abundant, quoniam (inquit) non potest porrigi calor & putredo in omnes venas æquabiliter in frigido habitu; vnde concludit, quod neque in frigidis, nec gracilibus, nec raris corporibus, sed in calidis, carnosis & sanguineis, densisque corporibus procreetur. At biliosi graciles sunt, vt plurimum, nec multo sanguine abundare possunt, vtpote, qui calidi sunt & sicci. Secundum argumentum sumitur ex curatione, vult enim mitti sanguinem in synochis vsque ad animi defectum, quod non faceret, si sanguis non esset, qui peccaret. Tertio si scribit *nono Methodi*, Synochas non putridas, & diarias eiusdem esse naturæ; at diariæ ex sanguine excalefacto, vt 12. *cap. 2. de febribus* docet, fiunt. Quare & synochæ ex sanguine nascentur. Item 2. *textu primi Commentarii 9. Epid. Synocha* (inquit) *accenditur ex sanguine putrido.* Docet præterea id natura rei: nam in illis debent poni putridæ humoribus, in quibus ponuntur non putridæ: at non putridæ in sanguine omnes collocantur, quare & putridæ. Præterea si ex alio humore, quam sanguine fierent, non essent synochæ, sed per accessiones infestarent: nam biliosi morbi tertio quoque die vt Galen. habet *in Aphorism. 12. primi* exacerbantur, pituitosi quotidie, melãcholici quarto quoque die, vbicunque putrescant huiusmodi humores, vt ostendunt febres ardentes, & continuæ tertianæ, quę ex humoribus putrescentibus in venis magnis consistit, quoniam tamen bilis est, quæ putrescit, tertio quoque die per accessiones infestant. Cum ergo variet in hac re Galenus, & synocharum causam nunc ponat in materia, quod scilicet sanguis sit, qui perpetuum tenorem facit, nunc in loco, quod scilicet in magnis vasis humor putrescat, qualiscunque fuerit, videndum est vtra opinio sit verior.

Opinio auctoris.

Ac mihi quidem verior putatur esse, quæ ex materia causam ponit, quam ea, quæ ex loco. Primo, quod iam antea diximus, quod synocha non esset, si ex alio humore putrescente in magnis vasis febris accenderetur: quoniam biliosi morbi ex bile putrescente semper consueuerunt tertio quoque die exasperari, nouasque accessiones facere. Quare cum synocha nullas habeat accessiones, sed perpetuum seruet tenorem quẽ ab initio accepit, constat non ex bile, aut alio humore præterquam ex sanguine fieri posse. *Ex materia ergo causa petenda, non ex loco*, qui cum idem sit, ob diuersam tamen materiam nunc facit, aut non facit accessiones. At si quis dicat, morbos ex sanguine quotidie circa primam diei partem, qua sanguis viget, exasperari, vt circa meridiem biliosos, & vesperam melancholicos, pituitosos vero circa noctem, verum quidem dicet, sed huiusmodi exacerbationes leuioris sunt momenti, quam vt inter accessiones computari debeant: sic enim tertianam febrem duntaxat tertio quoque die accessiones habere dicimus, eo contempto, quod certis horis singulis diebus accidit.

Synocham fieri ex sanguine.

Verum contra id, quod dicimus, synocham putridam ex sanguine fieri, oritur in primis dubitatio, quo nomine sanguinem capere oporteat, an pro tota massa, an pro quarto humore, qui proprie sanguis dicitur. Deinde, quod negare videatur Galen. sanguinem putrescere posse, quin transeat illius portio tenuior in bilem, crassior vero in melancholiam. Itaque quod ad primum attinet, satis constat sanguinem intelligi vniuersam humorum massam, quoniam ea tota patitur nec secretus ab aliis humoribus sanguis apparet, & per remedia vniuersæ massæ adhibita, synocha tollitur febris, imaginariumque potius sit, quam aliqua ratione probari possit, quartum humorem sanguinis nomine donatum, putrescere.

Quid per sanguinem hic intelligendum.

An vero vniuersa sanguinis massa putrescere possit, & quodnam febrium genus ea putrescente accendatur, nunc expendendum. Qua in re Galen. 12. *cap. 2. de Differentiis febr.* concedit quidem, sanguinem ipsum putrefieri posse, nimirum cum ab aliena caliditate corrumpi, quod est putrefieri, possit; quod ostendunt & inflammationes, & omnes alii affectus, in quibus sanguis non difflatur, & ob id putrescit; & de hoc non est dubium.

An sanguinis vniuersa massa possit putrescere.

Cuius generis vero febris nascatur ex sanguine putrescente, Galenus non satis explicare videtur, aut certe non intelligi, quod ab eo scribi-

Qualis ex putrescente sanguine oriatur febris.

tur, etsi forte illis occasionem dedit deprauatæ intellectionis confusio, quæ ab eo nascitur: etenim *capite præallegato 2. de febribus*, febres natas ex putredine sanguinis accessiones habere, quæ proportione tertianis respondeant, scribit; eo quod sanguis dum putrescit, partem vnam habeat tenuem, quæ in bilem flauam transit, aliam crassam, quæ in atram vertitur. Qua in re multa sunt expendenda, & illud inprimis, quomodo Synocham velit esse, quæ bilis accessiones inferat. Si enim Synocha nullam habet accessionem & ex sanguine fit, vt ex superioribus locis ostendimus, temere dicetur eam seruare proportionem tertianæ: siquidem repugnat, febrem infestare sine accessione, & cum accessione, id est, Synocham esse & non Synocham. Deinde cum tenuior pars, quæ est in sanguine, in bilem transeat, crassior in atram, sit etiam aliquid pituitæ, cur per calorem dicat partem in bilem, aliam in atram verti, & nihil in pituitam, & cur perpetuo bilis flauæ, & non atræ accessiones fieri debeant, docendum id quidem fuerat, etsi fortasse responderi potest, quod scilicet calor extraneus generationi pituitæ repugnet: quare merito ob assationem bilem vtramque & non pituitam ex sanguine fieri scribit; Ad tertianæ vero modum, & non quartanæ fieri accessiones febrium, quæ ex sanguine putrescente nascuntur, id non est perpetuum, sed vt plurimum: vnde dicebat Galenus *potissimum* fieri, non autem semper, quoniam nonnunquam etiam ad quartanæ formam fiant febres, quando scilicet exuperat in sanguine humor melancholicus, crassaque pars, & terrena: *quoniam* tamen *biliosa plus abundare solet, faciliusque accenditur*, ideo vt plurimum accessiones, quæ fiunt ex sanguine putrescente, tertianæ naturam referunt.

Cur accessiones quæ fiunt ex sanguine putrescente tertianæ naturam referant.

At illud perpetuum non est ex sanguine putrescente excitari huiusmodi febres, quæ tertianæ modo infestent, quando (vt diximus) Synocha non posset esse, quæ ita affligeret, quod cum animaduertissent recentiores, huiusmodi febrem, quæ scilicet ex sanguine putrescente nascitur, quodammodo biliosam, & non biliosam, quod scilicet mitior esset, quam quæ ex bile nascitur, & nonnulli etiam non putridam simpliciter, sed mediam inter diariam & putridam putant; in qua quidem rerecte sentiunt, quod mitior sit febris, quæ ex bile & sanguine procreata est, quam quæ ex sola aut flaua aut vitellina gignitur; id tamen perperam sentiunt, non esse vere putridam, cum Galenus 9. & 11. *Methodi* Synochas in putridas, & non putridas aperte distinguat, & de non putridis fortasse dubitatio oriri possit, an vere diariæ sint, vel non, putridam veram nemo vnquam in alio genere, quam in putridis ponet.

Verum illam quonam modo dicere possumus quodammodo esse biliosam, & quodammodo non, quæ ex sanguine nascitur? Si enim biliosa est, Synocha esse nequit, si Synocha, nullas accessiones habebit, quare nec tertianæ modo repetet. Cur ergo Galenus Synocham ponit putridam 11. *Methodi* sine accessione ex sanguine natam? *libro* vero 2. *de febribus* ex sanguine putrescente fieri febrem scribit, quæ tertianæ modo repetat: siquidem intelligamus febres ex sanguine putrescente natas perpetuo ita infestare, negamus Synochas esse, & naturæ rei repugnamus, tum prædictis Galeni locis, licetque contra illum agere illis fortissimis argumentis, quibus Auicenna illius opinionem impugnat: quorum est primum.

Primum si sanguis putrescens fit cholera, & fit febris ex bile, non amplius est febris ex sanguine, sed ex bile, causon ergo, vel tertiana.

Secundum etsi concedatur, post putredinem sanguinis tenuiorem portionem in bilem transire, non tamen id propterea negat, febrem fieri ex sanguine, cum ipse putrescit, aliud enim est loqui, cum fit putredo, aliud de eo, quod putredinem sequitur, sicut ille scribit; & aliud est loqui de ligno, quod comburitur, aliud de eo, quod combustionem sequitur, fit enim combustio ligni, & sequitur cinis, nec dispositiones, quæ in cinere nascuntur, tribui debent ipsi ligno, dum comburitur.

Tertium: Etsi ex calore sanguinis gignitur bilis, cum scilicet sanguis putrescit, non tamen propterea fiet febris, quæ tertianæ modo infestet, quoniam non solum oportet bilem gigni, sed etiam eam putrescere, quod enim à putrido (inquit) fit, non necessario putrescit, aut putridum dici debet. Quare non solum necessarium est gigni bilem, sed etiam eam putrescere, quod non est semper necessarium; sicut videmus in aliis humorum generationibus fieri, quando scilicet ex nimio motu, aut vigilia, aut alia causa calefaciente bilis gignitur, & tamen biliosa febris non fit, quoniam scilicet bilis non putrescit.

Quartum: Generatio bilis ex sanguine putrescente non fit in instanti, nec illius putredo, quare cum interim sanguis putrescat, necesse est aliquam fieri febrem putridam, quæ certe ex sanguine fit putrescente, quæ nec potest habere accessionem tertianæ, quoniam ex bile non fit. Quare sequerentur hæc omnia incommoda, si ex sanguine putrescente biliosam tertianæque modo infestantem febrem gigni diceremus. Quid ergo dicemus ad Galenum, qui nunc Synochas ex sanguine putrescente, nunc tertianæ accessionem referentes febres gigni scribit? Certe aliud dicendum, quam qui partim biliosas partim non simul huiusmodi febres esse dicunt, cum repugnet prorsus synocham esse, aut non esse febrem, sed dicemus, quod Galenus intelligendus sit, *febrem ex sanguine putrescente Synocham esse ab initio, & per aliquot dies talem perseuerare, tandem vero tenuē illius portionem durante calore transire in bilem, quæ postea tandem etiam putrescit, & excitat tertianæ modo febres tertio quoque die infestantes.* Quæ interpretatio Galenum tuetur ab vrgentibus alioqui Auicennæ argumentis, & expressa contrarietate, tum etiam naturam rei defendit.

Quod synocha tandem degenerat in febrem tertianæ modo infestantem.

Causas huius febris explicat Galenus *nono Methodi & vndecimo*, quod scilicet nec in corporibus gracilibus, nec frigidis, sed in calidis, & multo sanguine & bono, vel calidis excrementis refertis, non in pituitosis, & melancholicis fiat, tum etiam in his, qui multa, densaque carne abundant, & denique in plethoricis corporibus. Redditque huius rei rationem, quod cum oporteat putredinem celeriter per maxima vasa ferri, id fieri non possit, nisi sub sint humo-

Causa febris synochæ.

tes calidi, & quæ possint obstructiones stipationesque facere, quæ in abundantia humorum, & corporis adstrictione promptissime fiunt. Verum genera causarum hæc tractatio non distinguit; ita vt intelligere liceat, quid materiæ, quid efficientis, quid vero loci, siue causæ sine qua non, rationem obtineat.

Materia. *Forma.* *Subiectum.* Igitur dicemus, materiam huius febris *sanguinem* esse; formam *putredinem*, vnde putrida dicitur; subiectum esse *corpus densum, & sanguine, carneq; plenum*.

Efficiens. Quid vero sit occasio, & efficiens causa ipsius putredinis nunc docendum. Qua in re scribit Galenus *locis præcitatis*, huiusmodi febres nasci vel ex cutis constrictione, vel ex finibus vasorum stipatis. Verum cum cutis constringi possit, & illius meatus occludi, vel à densantibus solum, vel ex obstructione, fiat vero densatio vel à refrigerantibus, vel adstringentibus extrinsecus adhibitis, quorum cito vitia emendari possunt, nequeunt hæc Synocham efficere, quæ plures dies durat, vt Galenus *nono Methodi*, sed Diariam potius; obstructio vero cum fit vel à copia, vel lentore, aut crassitie humorum, non immerito potest parere huiusmodi febres. Verum cum humores, qui obstructiones pariunt, non sponte ad cutim ferantur, necesse est causam aliquam præcedere, quæ eos commoueat: atque id est, quod Galenus *vndecimo Methodi* scribit, contingere, scilicet vt humores ruant confertim ad cutem, ex violentis, aut superfluis exercitiis, vel ex ira, aut balneo intempestiue adhibito, aut externo calore, aut alia denique huiusmodi occasione; id quod nos vsu venire videmus: nam qui pleni sunt sanguine, & ociosi, cum multum se exercent, aut in lassitudinem phlegmonosam, aut statim etiam in febrem incidunt Synocham. Oriuntur & ab his occasionibus cum leuiores fuerint intrinsecus obstructiones: nam causa, quæ non potuit foras euocare humores, potuit colliquare, veluti concretos humores, qui ad orificia vasorum internorum delabentes, obstructiones concitant.

Cur in Synochis fiat vna solum accessio & non periodus. Cur vero vna fiat solum accessio, & non periodus, causam volunt esse nonnulli, magnam stipationem, ob quam vt plurimum transpirare nequeat, sed semper tantus seruetur fumidus vapor, vt febrilem calorem seruare possit; tum, quod materia subsit multa, vt deficere non possit, sicut in aliis, quæ per circuitum repetunt: suppeditatur enim putredini materia ex copia humorum, vt deficere nunquam possit. Verum potius ex materia ipsa ratio petenda, quod scilicet sanguis sit, qui putrescit, quem ostendimus esse febris Synochæ causam, fit enim maior nonnunquam stipatio, aut certe æqualis per biliosas febres, & tamen accessio fit, quia bilis putrescit, & in pituitosis, crassisque non deest materia, & tamen per accessiones vrgent febres tanquam non copia, sed natura humoris continentis febris sit causa. Quod vero vel semper crescant, aut decrescant, aut eundem tenorem seruent Synochæ febres, antea ostendimus, cum de non putridis ageremus? Estque ratio etiam communis his, quæ putridæ sunt,

A quod scilicet plus aut æqualiter, vel minus expiret vaporis, quam attollatur, vt Galenus etiam author est; Sed cur fuerit hæc æqualitas, vel inæqualitas, non docet; videtur vero ratio peti ex magnitudine obstructionis, & copiæ: nam in ea, quæ semper crescit, & ob id Agmastica dicitur, maior est obstructio, & copia, vnde plus putrescit, quā dissolui possit; in paragmastica vero minor obstructio, & copia; in alia vero æqualis, quæ ob id æquales faciunt accensiones, & dissolutiones.

Quomodo suæ tempora habeant febres quæ semper vel crescunt, aut vigent, vel decrescunt. At si quæras, quonam modo tempora sua habeant huiusmodi febres, quæ semper vel crescunt, aut vigent, vel decrescunt? inuenies Galenum B varia de hac re sentientem, cum *in libr. de optima secta* neget, huiusmodi febres habere omnia tempora, id vero contendat *in libro de Temporibus morborum*: cuius opinio *eo loco* probabilior est: nam etsi vigere semper dicatur, aut crescere, aut decrescere, non tamen ita est, sed quæ vigere dicitur, principium, incrementum, & declinationem momentanea habet, vigorem autem longissimum, vt putetur ob id ab imperitis solum vigere; sic de alia, quæ semper crescere, aut decrescere putatur.

Ex quo constat, coctionis, & Symptomatum indicia non simul perpetuo coincidere: cum enim declinat febris, vix adhuc exigua coctionis indicia obtinet vrina: cum adhuc viget, aut cre- C scit, alias coctionis notas repræsentant vrinæ, quales in aliis febribus per illarum declinationes apparent.

Signa. Non sunt propria huius febris indicia, vt satis patet ex *9. lib. Methodi* apud Galenum, vbi refert, se expectasse sequentem diem, antequam sanguinem mitteret, vt certius cognosceret cuius generis febris esset. Nec mirum, cum ex genere sint Diariarum, & quædam non statim putredinis notas habeant.

Verum non inutilis cōiectura sumi potest ex humoris copia, corpore subiecto, & causis efficientibus: vbi enim subest magna sanguinis copia, & corpus admodum densum, & carne reD fertum, & quæ obstructiones pepererunt causæ validæ, Synocham suspicabimur esse, & eam putridam, si adsint in vrina, & in pulsibus putredinis signa.

Quin & illud explicandum est, quæ sint Signa, quæ ostendat continuam febrem in genere; De qua re scribit *Gal. 1. ad Glauconem*, quod scilicet cum rigore non inuadant continuæ, quanquam tamen postea id explicet, quod scilicet, oporteat rigorem intelligere vehementiorem, quoniam cum leui rigore potest esse Semitertiana, aut alia ex genere Continuarum. Verum cur ita fiat non satis ostendit. Est autem ratio, cur continuæ inuadant sine rigore, *quod scilicet humores putrescentes in venis illic contineanE tur, nec extra propellantur, vt in febribus intermittentibus. Quare merito continuas indicamus, quæ sine rigore incipiunt, qualiscunque ille fuerit:* nam rigor Semitertianam quidem sequitur, sed non Continuam febrem monstrat, sed potius intermittentem, quæ est coniuncta cum continua.

Febres continuæ cur inuadant sine rigore.

Sect. 4. Aph. 58.

Quare illud perpetuum est, rigorem ostendere intermittentem si vna cum febre inuadat rigor, & non præcedat instantem Crisim, sicut dicebat Hippocr. *in Aphorism. A Causone superhabito, rigor superueniens, febrem soluit.*

Quod si aliquando cum rigore inuadit febris, quæ postea continua apparet, vt sæpius nonnullos videmus in primo febris insultu rigere, postea vero nunquam, sed continua febre laborare, id fit, vel quod rigor ab externa causa, vt frigore externo, sit contractus, vel quod primo incæperit intermittens, quæ tandem in continuam degenerauit, putrefacto in venis humore, qui postea extra effundi non potuit. At ex vno indicio vniuersum genus continuæ febris dignoscere velle, artificiosum non est, mirorque, eum authorem nusquam plenam tradidisse doctrinam, qua continuæ febres dignoscantur, & ab intermittentibus distinguantur. Quare consultis fontibus Signorum, rem ipsam aperiamus.

Signa continuarum à febris essentia.

Quantum ergo attinet ad essentiam febris, *calor ipse* (vt diximus) *statim inuadit absque frigore aut rigore, & vehementior est, quam sit in intermittente sui generis, quæ ab eadem materia fit,* & ardentem eiusdem cum tertiana generis voco: nam quoniam putrida manet in venis materia, necesse est vehementiorem nasci in corpore calorem in continuis, corde scilicet & aliis fontibus caloris magis offensis: acrior vero, aut suauior calor non distinguit has febres, cum id ex materia subiecta proueniat, quæ eadem continuis, & intermittentibus subiicitur.

Ex ipsius febris partibus.

At ex partibus ipsius febris indicia sumuntur: cum enim intermittentes accessiones habeant, quæ ad summum viginti quatuor horarum spacio finiuntur, principium, incrementum, statum, & declinationem breui obtinent; Quare cito crescunt intermittentes, continuæ vero per plures etiam dies sine incremento perseuerant in initio, habentque longiora sequentia tempora. *Quare, si viderimus per aliquot horas febrem non augeri, constabit esse continuam*: ex tempore vero solutionis expectare indicia, artificiosum non est; vt autem sine rigore, sic etiam sine vomitu, & alui deiectione suapte natura inuadunt continuæ: nam quæ cum his Symptomatis incipiunt, ea non habent tanquam propria, & inseparabilia, sed contingit vna cum illis misceri, vt inter se componuntur affectus diuersi generis.

A causis.

Sumuntur & à causis notæ, à validioribus enim causis, & ab internis potissimum nascuntur continuæ, ab aliis vero intermittentes potius.

A subiecto.

In densis præterea corporibus, in sanguineis; in crassis, potissimum nascuntur continuæ, quoniam suppetit materia earum generationi aptissima. Quod si adsit affectus aliquis, qui continuam necessario pariat, vt Pleuritis, Peripneumonia, aut alterius partis inflammatio, quam febris sequatur, merito eam continuam existimabimus.

Ex causis iuuantibus & lædentibus.

Quin & ex causis iuuantibus, & lædentibus indicia quædam sumi possunt: iuuantur enim quibusdam continuæ, à quibus læduntur inter-

A mittentes, vt sudore, vomitu, & aliis excretionibus, quæ in primis diebus fiunt. Quod si fuerint alicuius continuæ febris indicia, vt Synochæ, ex specie, quod quærimus in genere, facile innotescet.

Ex Symptomatis.

At Symptomata vel propria ipsis continuis, vt calor sine rigore, aut quæ sequuntur aliquam ex continuis, vt pulsus, animique defectus, sopores, & deliria diuturna, quæque ampliorem calorem comitantur, præbent quoque notas continuæ febris: veluti & vrinæ, aliaque excrementa, quæ plurimum à naturali statu recedunt, in suo genere continuitatis sunt notæ, veluti si subiugales, vel decoloratæ, aut admodum rubræ emittantur; vel si supprimantur, aut pessimo odore infectæ, emittantur; aut denique, si quid huiusmodi in substantia, qualitatibus, & contentis in illis appareat, quod magnam à naturali statu euersionem ostendat, illa profecto erunt continuitatis indicia.

Excrementis.

B Nec contemnere quidem oportet ea, quæ ex similitudine, & proportione ducuntur: eas enim putabimus continuas, si alias, quæ grassantur iisdem temporibus, tales esse cognouerimus.

Ex similitudine.

Atque hæc sint indicia febrium continuarum; ex quibus prædictiones elicere quoque poterimus: eas etenim salutares prædicemus, quæ mitiores sunt, aut certe nihil malignum obtinent, quæque ex minoribus causis sunt ortæ, & in pauciore, melioreque materia procreantur, & in optimis temporibus, aeris statu, & in corporibus melius affectis, quæque Symptomata inferunt leuiora; augebitque coniecturam genus signorum, quod à similitudine dicitur: merito etenim prædicemus non solum salutem, aut mortem, sed genus, modum, tempus solutionis, & reliqua, quæ in arte prædicendi sumus complexi, si similia in similiter affectis contigerint.

Prognosis.

C

Continuarum febrium curatio.

Vt communem naturam, & communia signa, & causas continuæ febris, sic communem curationem instituere oportet, antequam singulas illius differentias aggrediamur: hoc enim contempto, quid Acutis, quidque Ardentibus, quid Synochis conueniat, intelligere arte aliqua

D non licet, propterea quod frustra commendarentur in illis præsidia, quæ prius in vniuerso genere commendata non fuissent. De qua quidem re agit Galenus *lib. 1. ad Glauconem cap. 13.* estque summa curationis, quam eo loco instituit, quod scilicet in primis spectare oporteat, an febris sine aliquo vehementi Symptomate vrgeat, vel non; quod si non vrget, victum esse instituendum tenuem, & exquisitum; si non vltra septimam diem desitura sit febris, & vires fuerint validæ, alioqui solidiore cibo vtendum; prope vero statum tenuiore; tenuissimo autem in ipso statu. Victum vero debere esse humidum, conuenireque ptisanæ succum his, quibus non acescit, melicratum, quibus non bilescit, sorbitio-

E nes item ex alica, & panem ex aqua: sanguinem vero mittendum & ob morbi magnitudinem, & his, quibus rubor maior, quam naturæ conueniat, adest, & vniuersum corpus plus solito tumet, aut venæ sunt eminentes & distentæ, nisi aliquid impediat.

Quod si febris admodum calida sit, cum primum

mum apparuerint signa coctionis, exhibendam frigidã, cuius modus seruandus est ex vehementia morbi, anni tempore, regione, ætate, natura, & consuetudine sumpta coniectura; quæ in primis excutienda sunt antequam ad alias accedamus, quæ cum Symptomatis sunt complicatæ.

Illud ergo, quod de tenui victu vsque ad septimum scribitur, recipiendum non est, tanquam commune omnibus: nam vbi febris est mitior, aut admodum ardens, & biliosa, temere hanc victus rationem obseruabimus, quoniam vbi mitior est, temere emaciabimus ægrotantem, quem seruatis viribus, & meliore nutritione adhibita, commodius liberare possumus, alioqui eadem præsidia maximis minimisque morbis adhibenda forent: nam si omnibus continuis tenuis victus debetur vsque ad septimum, quid facias maximis, quæ ad eum vsque terminum perueniunt? biliosæ vero febres, quales fere omnes sunt, exceptis Synochis, quæ eo termino iudicantur, in hecticas, aut colliquantes huiusmodi victus ratione præcipitantur.

In quibus seruanda sit.

Quare, vel solis pituitosis continuis, aut etiam Synochis adhibeatur hæc exquisita tenuisque viuendi ratio: non esse vero perpetuo alendum tenuius in statu, quam in principio morborum, antea ostendimus, veluti in febribus, quæ ex copiosa crassaq; materia infestant, quam ab initio parciore victu consumere satius est. Vt enim alia vacuantia præsidia ab initio requirimus, sic profecto in his per inediam multitudinem auferre expedit.

Victum humidum in febribus non semper habere locum.

Victum vero humidum febri conuenire certum est; At causa sæpe repugnat: veluti, cum ex multo humore, eoque aquoso, febris consistit, tunc enim causæ magis, quam febri reluctandum; miror que quod Galenus passim huiusmodi victus qualitatem febricitantibus præscribat sola spectata febre, & non causis illius; Nec est, quod putemus, eum solum indicationes prosequi, quæ à febre sumuntur; sic enim frustra sanguinem demendum præciperet; nimirum, cum hoc sit causarum, & non ipsius febris remedium.

Omittit præterea modum, ordinem, & tempus cibationis, ac etiam (vt antea ostendimus) non seruat sua præcepta: nam si febris continua, quæ septimo die finiri debet, tenuem victum expostulat, cur *in methodo medendi* Synocha febre laborantes, bis, & ter etiam in die alebat?

Sanguinem non esse mittendum in omnibus cõtinuis, satis constat, quoniam si ob morbi magnitudinem demendus est, constat non omnes magnas esse, quæ sunt continuæ, quoniam non omnes vehementes, quare nec omnes hoc præsidio egere.

Præterea, quæ frigido, pituitosoque humore, aut aquoso consistunt, huiusmodi præsidium non exigunt, sed potius ab eo offenduntur, quoniam nec vehementes sunt, nec sanguis abundat. Ex hoc tamen loco notandum, quod non solum ob morbi magnitudinem, sed etiam ob sanguinis multitudinem venam secari dicat.

A De potu vero aquæ frigidæ egimus superius, quatenus requiritur per cibationes, & in alio tempore ad sitim extinguendam. Nunc vero de ea agendum, prout exigitur tanquam remedium ad febres, causasque illarum propellendas: antiqui enim optimum censebant esse præsidium in febribus aquæ potionem, vbi conuenienter exhiberetur. Et certe optarem, Medicos nostri temporis frequentiores esse, & audaciores in hoc remedio. Cum enim vereantur incommoda, quæ adferre potest huiusmodi aqua, vniuersum illius vsum temere contemnunt, cum tamen & ratio, & antiquiorum recensque experientia doceant, tutissimum esse præsidium, si obseruauerimus, quæ eam indicare, aut contraindicare possunt. Indicat autem
B huiusmodi remedium non ardens febris, vel acuta, quemadmodum nonnunquam sentire videtur Galenus, quando Causon à pituita fieri quoq; dicitur, cui certe humori conuenire non potest aqua tam copiose ingesta, ex qua rebellis redditur pituitosus humor ad coctionem, & expurgationem.

Quare præstat definire id *ex vehementia febris*, vt Galenus *nono Methodi*. *Quando enim* (inquit) *febris fuerit maxima*, quales certe sunt, quæ vel ex sanguine, aut ex bile nascuntur: nam ex pituita ardens febris non fit, aut certe vehemens non est, & maxima: nam quoniam ex maxima caliditate huiusmodi febres consistunt,
C maximum oportet esse remedium, quod refrigeret, inter quæ hoc vnum est & præcipuum; aliæ vero febres, quæ mitiores sunt, minoribus quoque auxiliis opus habent; id quod etiam natura docet: nemo enim est, qui tantam aquæ copiam appetat, quin vehementi febre laboret.

Magnam ardentem febrim non fieri ex pituita.

Quo vero tempore morbi exhibenda sit, docet Galenus *nono Methodi, capit. quinto*, quod scilicet opportunum sit tempus, *cum euidenter cernuntur coctionis notæ in vrinis. capite tertio* vero *vndecimi* tandem esse, quando iam succi concoquuntur, & crassitudo eorum extenuata est; *capite* vero 16. exhibendam tunc esse ait,
D *quando humores mediocriter concocti fuerint*. Euidenter vero, aut mediocriter concoctas vrinas intelliges, quæ febris vigorem præsentem, aut propinquum ostendunt: *nam & in ipso febris incremento, vt Crises fiunt laudabiles, sic expulsionem malorum humorum per aquæ potionem opportune tentare possumus. præstat tamen si res patiatur, vigorem expectare*; sed quoniam nonnulli ob vehementiam febris, caliditatem, tenuitatemque humorum, perinde afficiuntur, vt alii in vigore, præstat hac vna nota definire tempus opportunum, *quando scilicet æger inexhausta siti non accessionis, sed morbi totius ratione premitur, & lingua nigricat, & alia adsunt symptomata, quæ summum calorem in materia conceptum ostendunt: tunc enim maxime fit con-*
E *coctio, & potissimum expetitur tam egregium auxilium.*

Quo morbi tempore aqua frigida sit exhibenda.

Quid vero impedire possit, nunc videndum est. De qua re scribit Galenus *quinto capite nono Methodi*, fugiendam scilicet esse, si lenti crassique sint humores, qui vel obstructiones,

Quid potionem frigidæ possit impedire.

vel putredinem, vel phlegmonem, aut erysipelas, vel scirrhum, aut œdema, in viscere aliquo interno committunt: nam etsi febris extingui videatur, quoniam tamen manet causa rebellis, quæ rebellior adhuc redditur ob densitatem à frigida factam, rursus febres ipsas accendi, validioresque fieri necesse est. A

Quare exhibenda non est, si obstructio adest quæ eximi non possit, & putridus infestat humor nondũ coctus, aut tumor aliquis phlegmonodes, aut œdematodes, aut scirrhosus principem aliquam partem infestat: In Erysipelate vero exquisito, etiam ante coctionis sui notas, permittit exhiberi. Quod si phlegmonodes sit, id quoque faciendum, sed expectatis concoctionis notis. His quoque exhibenda non est, B quibus imbecillæ sunt partes ex naturali intemperie, aut vitio ascititio, sicut videmus quosdam gulam, alios ventriculum, aut iecur, aut colon, aut pulmonem, aut septum transuersum, aut renes, vel vesicam infirmam habere, qui vel difficultate respirandi, aut conuulsione, & tremore corripiuntur, aut toto genere neruoso læduntur, à frigida offensi. id tamen cognoscemus ex consuetudine: nam si per sanitatem aquam potare consueuerit citra noxam, indicio est, viscera facile tolerare posse eius occursum, præsertim cum nutrimento accedat ipsa caloris copia. coniecturam tamen sumere possumus, si desint ex consuetudine inditia ex corporis habitu: qui enim carnosi sunt, & bono colore præditi, quique frigiditatem, aut frigidos morbos haudquaquã sunt soliti pati, hi certe minime offendentur, si aquam potauerint. Quare in his solum C spectandum erit, vt mediocriter sint concocti, febris vehemens, & nullus subsit tumor in visceribus internis. Quantum vero exhibendum sit, nunc videndum.

Quantum aqua frigida sit exhibendum.

Scribit ergo Auicenna, aliquando tantum esse propinandum, donec vehementer infrigidetur corpus eius, & color eius fiat, sicut color corporis multum infrigidati; vel vt alia habet lectio, fiat viridis, tremantque membra. Describit postea mensuram certam, quæ id facere possit, heminam, scilicet vnam, & dimidam. Verum D temerarium esse puto expectare huiusmodi colorem, qui portendit caloris natiui extinctionem, nec certa mensura ex pondere omnibus statui potest: erit enim quibusdam forte superflua ea mensura, aliis vero parua. Quare præstat definire terminum, qui morboso affectui satisfaciat, & interim periculum nullum inferat ægrotanti. *Erit vero huiusmodi, si tantum bibat vnusquisque, quantum appetit, & sentit sitim plane extinctam*, id enim ostendit plane victum esse febrilem calorem. Pota vero aqua frigida, & ea mensura, idque confertim, imperandum ægro, vt quiescat, & operiatur, ne effluentes sudores ob cutis refrigerationem tardent, & arceant: nam hæc solet commoda adferre huiusmodi aqua. E quod roborata natura consurgit ad noxias, & euictas causas expellendas, vel per vomitum, aut alui deiectionem, vel sudorem, aut vrinam, aut per hæc omnia pro humoris, & naturæ ægroti dispositione, & inclinatione ad hanc vel aliam excretionem.

Quomodo æger post vsũ aquæ frigidæ regendus.

Debent & alia præsidia, quæ febribus debentur, præstantiora, exquisitiora maioraque esse in continuis febrib. quam in intermittentibus, quoniam grauior est affectus. Habent vero omnes communia præsidia cum febribus putridis, quod scilicet oporteat obstructiones auferre, coctiones procurare, purgationes adhibere, & reliqua præsidia, de quibus antea egimus: maior tamen spes in internis, quam externis præsidiis ponenda, quoniam in venis humor continetur: quare & purgationes per aluum, & vomitiones cocto humore commode mouentur, etiam si natura non tentet huiusmodi viam: sudores vero nequaquam eliciemus, nisi eo repant humores, quod in intermittentibus commodissime faciemus.

Sudores nunquam in huiusmodi febribus esse mouendos nisi humores eo repant.

Cap. X.

DE FEBRIBVS CONiunctis.

SEquuntur febres singulas propria symptomata generationis illarum testimonia, alia vero magnitudinis, aut malignitatis illarum sunt indicia. Ac priora quidem sponte euanescunt ablatis propriis morborum causis, hæc vero sæpius propriam quandam curam exigunt, quoniam & causæ fiunt, quibus morbi, & illorum causæ augentur, aut vires perduntur, quas tueri vna cum vita necesse est.

Sunt vero istorum differentiæ primæ duæ, quemadmodum Galen. *lib.* 12. *Methodi* notauit; aut enim in actionum læsione consistunt, aut in retentorum vacuatorumve immodico excessu: nam quæ in corporum ipsorum affectu consistunt symptomata, sponte euanescunt, nec vnquam morborum ablationem, aut causarum aliarum remotionem impediunt.

Duplicia symptomata.

Prædicta vero duo genera in vna ratione dicuntur à Galeno *eodem loco* curationem interpellare, quod scilicet vires offendant, quanquam tamen nonnulla sunt, quæ etiam morbos augent, vt vigilia, quæ corpus exsiccat, & calefacit febre iam correptum.

At cum actiones triplices sint genere, videndum, quæ nam symptomata in vnoquoque genere proueniant, quæ mitigationem postulant, quod miror à Galeno prætermissum, tum 12. *Methodi*, tum 1. *ad Glauconem*, quibus in locis quædam duntaxat enumerat, & illis remedia describit, cum interim docendi ratio postulet, vt omnia huiusmodi symptomata inueniantur, sicut prima genera ille excogitauit.

Igitur cum actiones animales quædam sint sensificæ, aliæ principes, aliæ motiuæ, contingunt circa sensitiuam virtutem vigilia, somnus, dolor capitis; circa motiuam, rigores, conuulsiones, difficultas deglutiendi, sternutatio, tussis; circa vero principes facultates, delirium. Ad facultatẽ vero naturalẽ pertinet sitis appetitus destructio, *Anorexia*; ad vitalẽ aũt animi defectus, & syncope; ad qualitates mutatas, nigredo linguæ,

guæ, & asperitas; ad excreta, & retenta; vomitus A superfluus, superflua ventris deiectio, immoderatum è naribus sanguinis profluuium, sudor. Hæc fere sunt symptomata, quę à febribus proueniūt, & curam regularem turbare possunt. Aduersus quæ pugnare nos oportet: nam alia mala quæ cum febribus sæpe infestant, vt inflammationes, cruditates, humorum copia, inopia, & corruptio, sunt potius causæ ipsarum febrium, quam illarum symptomata. Quare temere de his affectibus, quæ potius sunt mala coniuncta cum febribus, quam illarum vel causarum febrium symptomata, agit Galen. 1. *ad Glauconem.*

Symptomata facultatum animalium. Itaque cum somnus fiat eo, quod calor natiuus ad sensoria ferri nequeat, vel ob illius im- B becillitatem, vel quod alio reuocetur, aut quod ob frigidiorem qualitatem sit coarctatus, quæ sursum ferri nequeat, vel ob viarum cerebri occlusionem: vigilia vero accidit, cum calor ad sensoria extenditur, superflua autem redditur in febribus, cum calor acris est, & mordax, & sursum attollitur per febres, diutiusque illic moratur, tum ob illius vim, tum quod foueatur ab ebullitione acrium, calidorumque humorum.

Remedia aduersus immoderatas vigilias. Quare somnum conciliabimus in febribus tum retractione caloris, tum refrigeratione humorum, & præterea his, quæ deorsum calorem propellunt à cerebro, illique vias occludunt. C Retrahent ergo frictiones tibiarum & pedum leues tamen, ne exasperetur calor. Ad idem prosunt lotiones ex rebus refrigerantibus, actu tamen calidis, vt reuellant, vt frigidam qualitatem immittant vi sua. Sunt vero res frigidæ, quæ in aqua decoqui possunt, hyoscyamus, papauer, lactucæ folia, cortex mandragoræ, violæ, rosæ, nymphea, chamomelum, hæc enim decoqui possunt cum aqua, & ex ea pedes, & crura vsque ad genua, & etiam brachia vsque ad cubitum ablui. *Commendatur & inunctio plantarum pedis ex pinguedine gruis; item cum vnguento populeo, & succo hyoscyami,* confestim etenim transmittitur frigiditas à pedis ea parte neruosa in vniuersum corpus, maxime autem ad caput ob D connexionem illarum partium per neruos factam. Ad calorem vero corporis mitigandum & feruentes humores retundendos, intus assumitur commune præsidium vnc. vna vel vnc. vna & semis syrup. de papauere cum decoctione nymphææ, vel lactucæ; datur & semen papaueris, aut emulsio illius cum cibo, veluti hordeaceo. Prodest & aerem infrigidare, aspersione aquæ frigidę cū aceto, itē admissione auræ, & madefactione linteorum, quæ lectum ambiunt; confert & herbas, & flores & ramos arborum frigidarum spargere per cubiculum, & muros vestire, quales sunt salicis folia, quercus, castaneæ, lactuca, nymphea, rosæ, violæ; quinetiam, fontes aquarum machinandi sunt varii, E & multiplices, à quibus aqua ex alto cadat in æneа vasa, cuius qualitate aer refrigeratur, & impulsu, vel allicitur somnus reuocatione, caloris ad aures, sicut ex dulci musica, aut veluti confunduntur spiritus, sicut ex motu circulari, quo sopitur, qui agitatur: *proderit & testibus petias intinctas in aqua frigida, aut rosacea, aut lactuca, vel alia re refrigerante admouere: nam quoniam fons vnus caloris sunt testes, mirum est quantum vniuersum corpus ex illorum refrigeratione afficiatur:* valent & Epithemata, cordi, aut hepati admota, quæ ex aquis stillatitiis, aceto & puluetibus aromaticis, & refrigerantibus cōponuntur: cōmendatur autem aqua endiuiæ, lactucæ, rosarū, cichorei, cicerbitæ, violarum, buglossæ, nenupharis, acetum rosaceum; species item electuarii triasandali, item puluis rosarum, sandalorum, camphoræ, & in hac regione confectæ sunt species dictæ pro Epithematibus hepatis, & cordis, frigidæ, calidæ, & temperatæ prout vrget necessitas. *Testes etiam esse fontem caloris.*

Addimus quoque in Epithematibus cordis aliquid vini Maluatici; quinetiam licet per nares vim refrigerandi immittere, vt inunctionem pinnarum narium, cum oleo rosaceo, & modico opii; vel iubebis attrahi per nares aquam ex decoctione vel destillatione lactucæ, aut nenupharis. Ad calorem vero repellendum, & simul infrigidandum fronti, & temporibus admouetur vnguentum populeum, & inunctio ex oleo rosaceo cum grano vno opii, aut intingi possunt petiæ in aqua aliqua vel decoctione ex prædictis addito etiam modico opii, & fronti, temporibusque similiter apponi; laudatur & succus hyoscyami & menthæ fronti simul illitus.

Quod si adsit capitis repletio ex sanguine calido, & feruente, tutum non est hæc sumere refrigerantia, & temporibus admouere, quoniam soporem inducunt, sed expedit prius caput vacuare, admotis cucurbitulis scapulis, & naribus, hirudinibus ano etiam, *commendantque aliqui hirudines admotas angulis oculorum, vbi res desperata fit de somno, vt in phrenitide sæpe contingit, quibus remotis in vulneratis locis opium admouere iubent;* conferunt & Embrocationes sincipiti irrigatæ, de quibus agemus, cum delirii remedia trademus.

Repellit quodammodo etiam oculorum clausio, & cessatio spontanea animalium omnium actionum. Quoniam enim voluntaria est huiusmodi actio, plurimum sane confert ad hanc actionem voluntatem ipsam, & dormiendi desiderium existimandum est. Digerit autem, & dissoluit illius substantiam oculorum apertio, sermones fabulosi, & grati, musica, splendor, alia huiusmodi, quæ animalem facultatē fatigant, sicut ostendunt motus validi, & vehementes, quos altus sopor hominem corripit dissolutis scilicet spiritibus, quibus animalis facultas ad suas actiones obeundas vtitur.

Quæ quidem prædicta si quis spectauerit, agnoscet, qua ratione diuersi generis remedia, veluti lux, tenebræ, vox tumultuosa, & silentium, oculorum apertio, & conniuentia, motus, & quies, & cætera omnia somnum prouocare valeant.

Remedia ad uersus soporem.

Vt vigilia, sic profundus sopor febricitantes sæpe opprimit, cui symptomati pariter succurrendum est contrariis remediis adhibitis soporis causis, neque enim symptomata auferri possunt, nisi ablatis propriis illorum causis, quas cum non considerassent antiquiores, recentioresq; Medici, vt Auicenna, Paulus, & Practici omnes, pro vigilia sæpe mortem inducunt, cum omnibus somno oppressis ligaturas, cucurbitulas, corpori, & capiti exsiccantia, incidentia, calefacientiaque remedia adhibent; sæpe enim ex debilitate accidit sopor, vt in his, qui morti sunt propinqui, quos occides, si vacuare studeas. Cum ergo somnus nascatur eo, quod sensoria exerceri nequeant, idque caloris natiui defectu, deficiat vero, vel quod alio reuocetur, vt in accessionibus febrium, & cibo sumpto, vel quod deorsum propellatur, vt in aere frigidiore, & humidiore, vel quod viæ sint obstructæ in cerebro, sicut in Apoplexia contingit; aut quod ob debilitatem, & dissolutionem vsque ad sensoria extendi non possit, vt in his, qui morti sunt propinqui, aut ex labore dissoluti, varia profecto oportet esse remedia, quibus homines oppressos excitemus.

Si sopor fiat ex copia vaporum & frigido humore.

Itaque si ex vaporum copia elata à calore febrili, & copioso, frigidoque humore, somnus hominem premit, in remediis cum vacuatione adhibitis precipuum auxilium poni debet, quare optimum est, dolorem excitare adhibitis violentis vinculis extremis partibus, prosunt eadem ratione frictiones adhibitæ cum pannis asperis vniuerso corpori; præterea clysteres fortes, cum hiera, agarico, & suppositoria ex hiera eadem simplici, vel ex colocyntide, agarico, sale gemma & melle confecta; quod si vna etiam sanguis abundare videatur, id, quod cognoscis ex corporis crassitie, & bono habitu, proderunt hyrudines ano adhibitæ; conferret quoque sensus excitare, vt eo ferri possit calor natiuus, id quod faciemus sermone tum iucundo, tum etiam, qui iram mouere possit; curandum præterea est, vt noxia materia, quæ cerebri meatus obstruit, post reuulsionem tollatur, id quod odoramentis, sternutamentis, embrocisque faciendum; qua in re confert panem infusum in aceto fortissimo naribus admouere, & peucedanum, serpillum, mentham, nardi spicam, melanthion, & reliqua huiusmodi, quæ exsiccandi, digerendique vim habent; sternutamentum mouere posset irritatio cum penna immissa naribus, aut helleborum odoratum, aut piper tritum, & immissum naribus, aut aliquid huiusmodi, quod vim acrem habeat; capitis vero commissuræ, quæ in syncipite est, sacculi adhiberi possunt confecti ex chamomeli floribus, cinnamomo trito, ex floribus stœchados, garyophillis, origano, serpillo, & reliquis huiusmodi calefacientibus, & exsiccantibus omnibus simul mixtis tritisque prius grosso modo & frictis, aut alio modo excalefactis: embrocationes vero non perinde commendo, etiamsi ex calefacientibus rebus conficiantur, quoniam tandem refrigeratur immissus humor, & alium iam illic contentum auget, & fouet.

Si ex copioso sanguine.

Si ob debilitatem caloris & animalis virtutis.

At si ob debilitatem caloris, & animalis virtutis somnus nascatur, cibo, & potu spirituoso, & ad coctionem facili hominem restitues, quo casu vina generosa, odoramenta grata ex vino præsertim, & aromatibus conuenientibus pro causa, quæ debilitationem intulit, proderunt; nocent autem caloris reuocationes per frictiones, sermones, & alia, quæ possunt calorem digerere, & illius substantiam cosumere.

Si ob retractionem caloris.

Quod si ob retractionem illius caloris, vt in accessionibus contingit, sopor nascatur, calorifica remedia præsertim superioribus partibus admota, splendor, sermones, & alia, quæ calorem ad sensoria externasque partes euocare possunt, symptomatis huius sunt remedia. Ex quibus patet, quantum differat doctrina methodo instituta, ab alia, quæ temere ex aliorum libris omnia mutuatur. Scribunt enim authores varia remedia, quæ si in omnibus exerceas citra discrimen, homines perimes, aut certe soporem augebis, quem auferre studes.

Occurrunt, & dolori capitis oborto in febribus Scriptores de arte nostra temere cum remedia scribant diuersi generis, & cur id faciant, non doceant; est enim diuersum præsidium, quod sumitur à ligaturis membrorum, ab eo, quod præbent embrocationes.

Causæ doloris capitis in febribus.

Præterea, in hoc damnandi, quod omnia, quæ capiti adhibent, fere frigida sint virtute, quasi dolor perpetuo à calida causa nascatur. Quare, doloris causæ explorandæ sunt prius, quam remedia adhibeas: Sunt vero duæ, vna quæ ex sensu sumitur, alia ex his, quæ sensum violenter lædunt. Quam ob rem, duo genera præsidiorum necessaria sunt, quæ contra dolorem agant: vnum, quod sensum stupefacit; alterum, quod causam adimit dolorem efficientem. Ac primo quidem genere non vtimur, nisi, vbi ob magnitudinem dolor est intolerabilis, & alterius generis non profuerunt remedia: tutior tamen est illius vsus, si calida est efficiens causa, quam si frigida, quoniam *maxima refrigerandi vis stupefacientibus inest.*

Quid de stupefacientibus sentiam.

Curatio.

Oriuntur itaq; dolores in febribus, eo quod vel calor solus vrgeat sensibiles circa cerebrum partes; vel quod humores, aut vapores calidos, vel frigidiores, eosque paucos, vel multos ad caput euehat, qui vel inter membranas contenti, & vasis tensionem cum intemperie solum committunt, aut etiam tumorem gignunt inflammatorium, aut alterius generis pro materiæ peccantis ratione; quæ causæ communia quædam habent præsidia, quoniam ex communi quadam causa, nempe per consensum cum reliquo corpore sint orta; quare reuulsione in omnibus est opus, maxime ad inferiores partes, per frictiones, ligaturas, cucurbitulas, hyrudines, clysteres acriores, & vocata suppositoria, & lotiones tibiarum, sed omnia oportet mitiora esse, cum calida est materia, quam, cum frigida; cum calor nocet, quam cum frigus, quoniam facilius reuellitur calida materia, & calor exasperatur nimiis frictionibus & ligaturis. Est quoque illud commune præsidium, quod capiti imponantur, quæ repercutiant, repel-

repellantq; ascendentem materiam; sed vbi frigida illa est, tutum non est solis repellentib. pugnare, sed, quæ simul calefaciant, admiscere oportet, vt simul etiam crassa materia iam concepta in membro affecto dissoluatur; Quod si inflammatio aut humorum copia dolorem committit, reuellentia, & deriuantia cum vacuatione, vt cucurbitulas cum scarificatione adhibere oportet. Nec obest aliquando venam secare, & necessarium est hirudines tum ano, tum venis temporum, & narib. admouere, cum in aliis sufficiant, quæ duntaxat reuellant citra sensibilem vacuationem. Igitur, si dolor ex calore solo, aut etiam vapore calido, aut humore bilioso vrget, conferunt vnctiones, & embrocationes ex oleo crudo, & rosaceo, vel solo, vel mixto aceto, aut etiam aqua rosacea, ex quibus oxyrrhodinum conficitur ab antiquis ex rosaceo, & aceto, à nobis vero addita etiam rosacea aqua, quorum omnium mensura esse solet, vt tres rosaceæ aquæ partes, duæ olei, vna aceti addatur. Confert & hepati, cordi, ventriculo, spinę dorsi, refrigerantia admouere, vt vnguentum Gal. dictum, vel vnguentum rosaceum, aut epithemata refrigerantia. Prodest ascendentes humores, & vapores per refrigerantia collo admota, vbi venæ sunt, quæ ad caput feruntur, intercipere, viasq; occludere quantum licet. Quinetiã decoctiones rosarum, violarum, nymphеæ, foliorum salicis, papauere, & aliis hoc modo refrigerantibus embrocationes, & quæ collo, & reliquis partibus admouenda esse diximus, conficere; vbi tamen soporifera hęc apponuntur, aliquid cum illis misceri debet, quod emendet, retundatque vehementiorem illorum qualitatem, veluti chamamelum, serpillum, stœchas, origanum, mentha; laudantur quoq; coriãdri folia, aut psyllion cum polenta, vel polenta cum poligonio, pane, rosis, myrto, & serpillo cataplasmatis modo adhibita. At si frigida est materia, repellendum quidem est, sed parcius, & leuius; quare calidiora cum frigidioribus largius miscenda, vt cum rosaceo chamomelinum, cum rosis serpillum, & reliqua huius generis. Quod si arteriæ pulsent ex nimio calore, aut vapore distentæ, non oberit, si eas constringas fascia circumiecta capiti, & adstringentia superimponas: Veluti esset coriandrum cum aloe, & polenta, & rosaceo. Quod si frigida est dispositio, & flatuosa ex ruta illiusque semine, serpillo, spica quoque in vino, aut chamamelino & cum farina hordeacea, aut seminis lini, vel fænigræci, admixto melle, & stercore columbino, cataplasmã conficies, quod dolenti loco impones.

Oxyrrhodinum.

Sunt autem hęc plane frigida admouenda, in vehementi febre, & calido plane affectu, pręsertim si sit æstas: Jn frigida vero causa calidiora, in mixta materia, moderate calida, vel tepida admouenda. Horum vero vsum Paulus esse vult declinante iam accessione febris, sed perperam, quando dolor per incrementa, & vigores accessionum maxime infestat, tuncq; illi succurrendũ sit. Porro his remediis delirantibus, & inflammatione laborantibus succurrimus, quo minus peculiarem tractationem illa amplius requirũt. Quare ad alia symptomata, quæ circa animales functiones consistunt, accedendum.

A Cum rigor accidat in febribus aliquando in principio accessionum, aliquando vero progrediente morbo, instante Crisi, hic remedio non eget, cum instantis salutis sit indicium, ille vero perinde aliquando corpus concutit, vt præter solita, validiora postulet pręsidia; sic frigus, quod cum rigore coniungitur, suam curam postulat; ac de vtroque simul agendum, quoniam eadem sunt vtriusque præsidia.

Itaque quoniam rigor accidit ob delationem acris humoris per carnem, & musculos, frigus vero ob caloris retractionem, conandum erit, vt humor prompte exire possit; & calor ad externas produci; id quod maxime faciemus per B ea, quæ extrinsecus adhibentur, & quæ intrinsecus assumuntur. Conuenit ergo inprimis aerem calefacere accenso luculento igne, & clausis vniuersis perspiraculis loci, in quo decumbit æger, idque non solum præsente rigore, sed etiam antequã ille veniat, suffumigia quoque cõferunt ad aerem calefaciendum ex myrrha, thure, ladano, storace, caryophyllis, omnib. tritis, & super carbones impositis. Prodest autem huiusmodi aer non solum ad cutim excalefaciendam extrinsecus, sed quod etiam inspiratus calorem augeat. Prosunt & frictiones ante rigorem, & vnctiones ex calidis rebus, vt oleo chamomelino, liliaceo, rutaceo, oleo de costo, aut de euphorbio cum gingibere, pyrethro, eu- C phorbio castoreo, myrrha, pipere, calamento, pulegio, hyssopo, abrotano, & similibus calefacientibus. Habenda tamen ratio est peccantis humoris, & febris: nam mitiora eligenda sunt in calidioribus humoribus, & febrib. vt in tertianis, fortiora vero in quotidianis, & quartanis. Vnctiones autem adhibendæ sunt pręsertim spinæ, & cruribus, vbi scilicet partes sunt neruosæ, & exangues, & propterea magis affectæ in rigore, & frigore huiusmodi. Conferunt tamen maxime plantis pedum adhibitæ, quoniam vt frigus, sic calor à pedibus in vniuersum corpus facile transmittuntur; quibus peractis, iubebis lectum ex pluma diligenter calefieri & exsiccari, & suffiri cum prædicto suffitu, quo ad aerem D excalefaciendum fumus vsi. Deinde ingredi iubebis lectum antequam adueniat febris, vt rarefactum, & excalefactum corpus inueniatur. Deinde pedibus, testibus, spinæ dorsi, & ceruici lintea calida, & puluinos impones. Adhibentur & lateres igniti, & vino aspersi inuoluti pannis maxime pedibus; item vas stanneum oblongum, & latum vino; vel aqua calida plenum.

Rigor in febribus vnde oriatur. vnde etiam frigus.

Qua vtriusque curatio.

Præterea, lamina ferrea accensa, & in vagina lignea immissa & applicata pedibus. Intus vero sumuntur, quæ materiam minuant, clysteres calidiores, tum quæ eandem extenuent, & calefaciant, si frigidior fuerit: nam in biliosa tutum, non est vehementer calida exhibere; E & fere rigor, & frigus harum febrium remedia non postulant. Commendatur autem theriaca antiqua cũ vino generoso ante accessionem; item potus aquæ vitæ ad vnc vnam cum scrupulo semis caryophyllorum. Datur autem Theriacæ, aut Mithridatii drachma vna, vel diacyminum, vel diacinamomum, vel diacalamentum.

humiditatem, & frigiditatem emendare sint A aptiora.

Liquidiores sorbitiones etsi facilius coquantur, quod tenuiores sint, tamen vbi superfluus, & aquosus redundat humor, præstat crassiores efficere, siccitatem enim sequitur crassities: oportet tamen huiusmodi esse crassitiem, vt sufficere possit humori consumendo, & interim obstructiones non intendat.

Cibi an calidi vel frigidi concedendi. Calida ne an frigida, aut extenuantia, vel alia denum qualitate prædita, actu, vel potentia, exhibere oporteat alimenta, expendendum; qua in re licet damnare vulgares Medicos, qui in ardentissimis febribus calidas potiones, calidosque cibos exhibent, & qui in omnibus hordeaceo, vel pane cocto vtuntur: neque enim vehementes febres postulant actu, vel potentia calida, sed omni modo frigida. Pituitosæ febres piper cum cibis, & alia huiusmodi postulant, vt videre est apud Galenum *primo ad Glauconem*, in quotidiana, & quartana. Quare, ita statuendum, *quod perpetuò febri, & causæ resistendum, vbi non leuis est affectus, & pro illorum ratione qualitates eligenda, quæ nunc febri, nunc vtrique pariter succurrant.* Quod si leuior sit affectus, consuetæ qualitates in cibis eligendæ, quoniam facilius coquuntur insuetis.

Consumata an vitanda. Consumata (vt vocant) nonnulli censent omnino vitari debere, quoniam ab igne sicco qualitatem nitrosam, & salsam nimia coctura acceperunt; sic etiam destillata (vulgo sic vocata) fugienda esse putant, nisi coquantur in vase duplici, siue in balneo Mariæ, qui certè vt superiores, reprehendendi, quando scilicet causæ febrium nonnunquam magis vrgent, quàm ipsæ febres, frigiditate, & crassitie humorum, quibus igneæ, siccæque qualitates magis, quàm aqueæ competunt. Hæc ergo de genere, & qualitatibus nutrimenti, quo in febribus vtimur, sint dicta.

Qua quantitas ciborũ eligenda. Quantitatem verò certa mensura definire non licet, sed potius coniectura quadam, vt aliarum omnium rerum quantitatem; is tamen esse scopus debet, ne vires plus, quàm oportet debilitentur, neve naturam perinde oneremus alimenti multitudine, vt non possit concoquere morborum causas, & putredo ex mala alimenti coctione augeatur.

Quis modus. Modus autem eligi debet pro virium modo, & morbi: nam vbi vires debiles sunt, partiri debet in plures vices, nisi morbus impediat, qui sæpius scilicet repetat, & crebras cibationes prohibeat.

Ordo. Ordo verò id spectare debet, vt probè fiat cibi concoctio, & si quis alius vsus requiritur, hunc acquiramus, veluti est aluum mollire, aut retinere: nam hoc casu dura, in alio humidiora præcedere debent.

Tempus cibandi. Tempus cibationis accommodatum esse dicitur, quando vires exigunt, & nihil impedit, aut minus quàm in alio tempore.

Impediunt verò febres sua magnitudine, aut motu, quo enim tempore vehementer vrgent, tunc vires feliciter concoquere nequeunt quas oportet aduersus causas morborum pugnare: cum verò per rigores, accessionesque febrium calor ad interna vocatur, periculum est, ne calor natiuus ex noua reuocatione à cibo facta, ita in angustum contrahatur, vt suffocetur; vel si hoc non accidit periculum certè serius finitur accessio, eo quod calor impeditur expandi, diutius in internis visceribus detentus; in fine verò & declinatione accessionis, nocet etiam citius, quoniam humores & calores, qui ad externas partes retrahit. Quapropter videndum est, quo tempore minus noxium sit cibum exhibere in febribus, id quod diuisione facta, quæ omnes febres comprehendant, hoc modo intelligetur.

B Itaque cum omnis febris vel continua sit, vel intermittens, si continua fuerit, & absque accessione infestet, spectandum est, si aliquo tempore leuius, quàm alio habeat æger, & in eo, in quo minus afficitur, cibus offerendus? si verò pariter laborat in omni tempore, ea hora cibus exhibendus, qua æger edere consueuit, tunc enim sperandum est, melius posse cibum confici, tanquam natura aptior sit ad sua munera obeunda, eo tempore, quo consueuit, quàm alio.

Quod si accessionem habeat, iubet Hippocrates *in libro de victu acutorum*, nutriendum esse, quando calor ad pedes descendit, quia tunc declinat accessio. Verum si nulla expectetur per aliquot horas noua accessio, C præstat etiam expectare donec calor, qui ad pedes descendit, sit dissolutus, vt etiam declinantis accessionis calorem effugiamus. At si intermittit febris, interuallum est expectandum, aut certè vltima declinationis pars, si plus non liceat morari, ob aduentantis accessionis principium, aut alia ratione.

Igitur cum in intermittentibus, tum etiam continuis, aliquando ita longa sit accessio, vt bis in nonnullis, vt pueris, aut certè semel, antequam desinat, sit nutriendum; aut si superueniat alterius accessionis principium, antequam prior desierit, ita vt declinatio expectari non possit, vel interuallum, perpendendum, quo tempore tutius nutrire liceat; qua D in re recentiores nonnulli augmentum accessionis aptius tempus esse dicunt, quàm principium, aut vigorem, magis quàm si in ipso principio, vel vigore alas: nam statum maximè omnium fugiendum esse credunt omnes: satius verò esse, in incremento, quàm principio alendum ægrum.

Ex hoc patere putant, quod noxa, quæ ex tali nutritione oritur, ea sola vigori communicatur; Si verò in principio nutrias, communis ea quoque fit noxa incremento, & vigori, contra quos pugnant veteres: nam *primo acutorum quadragesimo sexto capite*, pari in-E commodo prohibet Hippocrates in principio & incremento accessionis cibum dari; quo loco, etiam in principiis, si vires labuntur, cibum dari scribit, & *decimo Methodi* in statu dat, augmenti verò non meminit. Sicut nec etiam *vndecimo Methodi*: nam si ratio spectanda est, principium augmenti principio accessionis dicitur simile, finis verò

vero vigoris; At natura rei consulenda est. Igi- A tur si erratum sit, & non liceat expectare declinationem, vtpote quæ longius distet, statim cibum dabis quacunque hora, vt Galenus 11. *Methodi* in biliosis; Si vero non est erratum in cibatione, sed cogaris bis cibare ob vires afflictas, & declinationis longitudinem, semel ante accessionem, post in declinatione cibabis, leuius tamen in illa, quam in hac. Quod si tantum spacii non detur, considerabis, an difficilius habeat in principio, vel augmento, vel statu, & quo tempore facilius habet, nutries; in statu, si febris leuior est, & copia humorum vrget, & somnus nocet & frigus vehemens sit, aut inflammatio interna vrget, tunc enim nocet cibus in principio, & augmento plus, quam in statu, contra vero in principio ales potius, quam in statu, si contraria adsint.

De potu in febribus. Sequitur, vt de potu in febribus agamus. Ac cum potiones quædam sumantur solius medicamenti vsu, vt syrupi, & aqua, qua vtimur in febribus ardentibus affatim sumpta; quædam tanquam alimenta ad vires reficiendas; quædam vero quæ partim nutritionis gratia, aut coctionis vel distributionis, partim vero morbi, Symptomatum, & causæ morborum gratia; de his, quæ solius medicamenti causa propinantur, agere non instituimus, nec de his, quæ solis viribus prosunt ad alimentum morbo contempto, & aliis morbosis affectibus, sed de his duntaxat, quæ commode per febres exhibentur cibationis tempore, aut ad sitim extinguendam in ipsis accessionibus febrium.

Sunt potiones huiusmodi, quibus antiqui sunt vsi, mulsa, oxymel, apomel, vinum, aqua hordei, aqua sola.

Verum non solum has, sed multo plures nostra ætas inuenit ex varia rerum compositione confectas: cuiusmodi est apud Britannos, & Flandros cereuisia, & nos aquam cum sacharo vel in qua decoctum sit cinamomum, vel anisum, vel coriandrum, vel aliquid huiusmodi, D propinare solemus; quinetiam, aquas stillatas & stillata etiam ipsa (vt vocant) & consummata. Exhibemus præterea aquam puram, vel hordeaceam mixtam cum iulepis dictis, rosaceo, inquam, violaceo, acetoso syrupo, vel de limonibus, aut acetositate citri, vel alio quocunque ex syrupis vsitatis. Vtimur & vino, sicut & antiqui, de quo antea dictum est, cum de coctione ageremus, & iam postea agemus. Itaque operæ pretium est, vt omnium prædictarum potionum & vini vsum ostendamus.

Quibus febribus conveniat mulsa. Mulsa conueniet, vbi febris ex pituitoso, frigidoque humore consistit, periculumque subest ne ob multitudinem ex potione vini commoueantur fluxiones, quæ maxime verendæ sunt in omni statu, vbi adest multitudo, tum maxime in his, qui vel podagra, aut calculo, aut capitis dolore, vel alio quocunq; malo, cuius causa est fluxio, tentari solent.

Quibus oxymel. Oxymelite vtimur potius vt medicamento, quam alimentosa potione, quod etiam testatur Galenus *in Methodo medendi*, quoniam stomachum subuertit, coctionesque, & retentiones alimenti recte obiri prohibet: nihil tamen prohibet, quemadmodum acetoso syrupo vtimur, sic etiam oxymelite vti possimus, præsertim in quotidianis febribus, vbi adest plurimus humor viscidus, qui incisione eget. atque eo commodius est oxymel acetoso syrupo, quod mel sacharo sit calidius.

Apomel ex quo conficiatur. Apomel, ex fauis apum maceratis in aqua conficitur. hoc nunc non vtimur, quoniam saccharum cum aqua idem præstare potest; permitto tamen illius vsum, vbi calidior subest materia, quoniam est veluti mulsa aquosa.

Vinum quibus, & quando. Vinum ante signa coctionis in febribus vix permittunt exhiberi Græci Medici, atque eo tempore quo apparent inditia coctionis, etiam in acutis febribus eo vtuntur, qui mihi certe B non placent: nam vbi febris contracta est ex frigidiori materia, quid prohibet, quo minus ab initio illud propinemus, sicut alia quæ suo calore coctionem in his iuuare creduntur? præsertim quod liceat reperire vina minimo calore prædita, vt etiam Galenus 12. *Methodi* de albis vinis prodidit.

Vbi vero acutæ sunt febres, & ardentes, nec etiam declinante morbo, aut certe vbi euidentia coctionis inditia apparêt, conuenire putauerim, quoniam præsente calidissimo affectu, à frigidioribus præsidia sunt petenda.

Aqua hordei. Aqua hordei perinde vtuntur nostræ ætatis Medici, vt in omnibus fere febribus omnibusque morbis ea iam in vsum venerit. Verum vt in C calidis admodum febribus nihil ea vtilius, sic in frigidioribus temere datur; vitari quoque debet, ne flatum exciter; id quod fieri docet Hippocr. si vsque adeo coquatur hordeum, vt tabescat: potest tamen & alio modo id fieri, hoc in primis non contempto, incocto simul coriandro, vel alio semine sicco, aut sacharo adiecto, cum bibendum est.

Aqua simplex. Aqua sola vix amplius vtimur, quin sacharum vel aliquid aliud cum ea misceamus; Verum vbi ardentissimæ sunt febres, nihil ea commodius inueniri potest, quando ea simul refrigerat, & humectat, & aliorum admixtione calorem, vel siccitatem acquirit: nam quantum sachari accipit, tantum periclitatur in bilem verti. Sũt, qui coquant aquam, id quod fieri non debet, vbi refrigerationem, humectationemque summam desideramus, propterea, quod igneum quid coctione huiusmodi acquirit. Damnandi quoque sunt, qui aquam decoqui volunt, quam cum vino miscere volunt: nam si vini caliditatem verentur, præstat puram aquam eligere; si vero propria aquæ incommoda, quæ omnia teste Hippocr *in lib. de Victu acutorum*, ex frigiditate nascuntur, vinum illis medetur, & interim ingrata non redditur potio ex indicibili, & iniucunda quadam qualitate, quam aqua per coctionem acquirit. Nec verendum est, dum sola, E & cruda sumitur, vt in præcordiis hæreat, quoniam in vehementioribus febribus, in quibus conuenit, calor facile eam ad se rapit.

Cereuisia. Cereuisiam, quam Zithum, & Crumi vocare videntur Dioscorides, & Plinius, non ea incommoda parit, quæ ab illis huiusmodi potioni tribuuntur, quoniam non eo modo credo paratur hodie, vt olim, docetque id experientia: nam si humores corrumperet, vt antiqui volunt, certe non conspicerentur tam candido elegantique

colore, & forma illarum regionum incolæ, qui illa perpetuo vtuntur.

Aqua cum seminibus & aromatibus cocta. Aqua, in qua incocta sint semina, aut aromata calefacientia, flatumque discutientia, vtimur potissimum in febribus, vbi vinum suspectum habemus ob fluxiones, & aquam ob flatus, ob id his maxime febribus conuenit, quæ cum podagra, aut chiragra, vel capitis dolore consistunt.

Aquæ destillatæ. Aquæ vero stillatæ, bibi solent accessionis tempore, ad sitim extinguendam, vel solæ, vel cum sacharo, etsi magis probauerim eo tempore hordaceam aquam, quoniam fumosum nescio quid, & ingratum olent, & ex plumbo inimicas corpori qualitates acceperunt.

Consumata. Consumata in vsum potissimum veniunt, B cum simul labantes vires in accessionibus reficere, & simul refrigerare studemus, quo tempore etiam stillato vti solemus, iisque vel solis, vel cum aqua hordei simul mixtis vtimur.

Aqua pura vel hordeacea. Aqua vero pura, vel hordeacea, aut per destillationem ex herbis elicita, vtimur cum Iulepis, & syrupis tempore quoq; accessionum, vbi & morbosæ causæ, quæ incisionem extenuationemque postulent, & siti pariter succurrere volumus.

Atque hæc quidem de potionibus consuetis, ad quorum imitationem aliæ excogitari possunt pro febrium, & causarum lædentium & complicatorum affectuum natura.

Potionum qualitas. Qualitas vero pro supra dictorum ratione, & C qualitate eligenda; nam sicut ea expetimus, quæ sua facultate sint calidiora vel frigidiora, sic etiam actu frigida, aut calida propinare oportet, prout vehementia ipsius febris, & causæ postulant, & stomachi infirmitas; propterea scribit Hippocr. æstate frigidum, hyeme calidum bibendum.

Quantitas. Quantitatem potionis quidam definire volunt, ne tanta sit, vt cibus innatet, & fluctuet, quod Galeni authoritate *septimo Methodi* confirmare videntur. Verum vix id euitari potest in febribus, in quibus ægrotantes parum edunt, plus autem bibere coguntur.

Quare præstat aliter quantitatem definire, quod scilicet tantum bibendum sit, quantum ad D coctionem conferat, & sitim extinguendam, non tamen morborum causas augendas; in quo quidem maximi errores fiunt à Medicis, qui vel parca potione siti ægrotantes enecant; quod etiam Galenus damnauit *in libris de morbis vulgaribus*, in Medicis sui temporis, aut nimia humiditate corpus grauant, morbososque humores accumulant.

Quo tempore bibendum. Quo vero tempore bibendum sit cibationis tempore non est docendum, quando natura, & vsus docuit prius aliquid esse edendum, bibendum deinde. Cum vero in ipsis febribus sola potio exigitur, Galenus 2. *de Crisibus* tempus aptissimum esse scribit in ipsius accessionis statu. Verum aliquid etiam præcipiendum erat de his fe- E bribus, quæ continuo infestant, citra vllam accessionem. Quinetiam, vbi accessiones infestant, præstat nonnunquam in ipso incremento bibere: veluti in febribus admodum biliosis, quæ paulo post principium vehementem æstum inferunt, qui refrigerationem expostulat. Atque hæc satis de potionis vsu.

A Requirimus in febribus somnum, & vigiliam sicut cibum, & potionem, ad vires animales recreandas, tum etiam ad coctionem iuuandam; sed non omni tempore expetendus somnus, & nonnunquam etiam pertimescendus, nocet enim maxime in accessionum principiis, præsertim, si cú horrore, vel frigore infestent, vt *primo Aphor.* 2. Prodest vero in declinatione: in mediis temporibus plus vel minus nocet, aut prodest, quanto magis appropinquat principio, & declinationi: nam in principio nocet, quia retractionem caloris adauget, vnde impeditur ille exire, sæpius obruitur, & viscera grauantur, & fluxiones, si aliqua in illis est phlegmone, augentur; Eadem, sed minora fiunt in augmento incommoda; in statu semper non est tutus: nam cum multa, & crassa est materia, fit cursus concursus in viscera, vnde caput grauatur, & alia accidentia intenduntur; in declinatione vero semper prodest suapte natura, reuocato, & roborato calore, qui antea dissolutus erat, & sparsus, qui postea validior fit ad expellendum. A prandio concedit etiam longiorem somnum Gal. 8. *Methodi*. *De somno, & vigilia.*

Cap. VIII.

DE FEBRIBVS CONTINUIS.

Expeditis his, quæ communia sunt febribus putridis, necesse est ad illarum differentias, & species descendere, vt singula singulis accommodari possint; alia etenim præsidia debentur continuis, quam intermittentibus febribus; alia vehementibus, quam mitioribus ordinatis, & inordinatis; alia pituitosis, alia melancholicis: sed quoniam non licet omnes differentias prosequi, & facile possunt nonnullæ ex aliis intelligi, propterea quæ præcipuæ sunt, in considerationem veniunt, cuiusmodi est ea differentia, qua dicimus, quasdam esse continuas, quasdam esse intermittentes. Qua in re, non docebo, quid continuæ intermittentisque nomen significet, cum id ex nostro Opere, vbi agitur de continuo intermittenteque morbo facile intelligi possit; sed quod præcipuum est in hac re aggrediar, nempe cur fiat, vt quædam continuæ sint, aliæ intermittentes, idque eo potissimum expendendum, quod non satis adhuc id explicatum in scholis putem: creditum enim hactenus est, continuas ideo fieri febres, quod humor putrescat in venis; intermittentes vero, cum extra venas: nec tamen aliquis illorũ est, qui ita sentiunt, qui vel minimam probationẽ adhibeat, sed omnes Galeni authoritate nituntur, qui (vt ostẽdemus) nó satis rẽ explicat, nec ab illis recte intelligitur, quod citatis locis, quibus illi vtuntur, patere, ostendam. Primum igitur Galenus *lib. 2. de Crisibus*, vbi incipit agere de continuis febribus; Item, vbi agit de prænotione subitarum mutationum, quæ in morbis contingunt, *non longe a fine libri* ita scribit *priore loco*: *Exquisita febris ardens differt à Tertiana, quod in ardente bilis, quæ putrescit, maneat adhuc intra vasa, in Tertiana vero feratur per vniuersum corpus*; sic omnes intermittentes à continuis non humoris ratione, sed

Authoritates ex Galeno pro iis, qui volunt quod continuæ fiant quando humor putrescit in venis, intermittentes vero quando extra.

ne, ſed loci differre duntaxat ſcribit, quod in continuis putreſcens humor maneat in venis, in intermittentibus vero per habitum corporis feratur. Secundo vero loco ita ſcribit ad verbum: *Manentibus igitur in venis humoribus, continuæ ex ipſis febres generantur, ſi vero mouantur, aut per totum corpus ferantur, hæ fiunt, quæ cum horrore incipiunt, id eſt, intermittentes.*

Secunda authoritas legitur 2. *Commentario primi de Morbis vulgaribus, textu* 10. vbi ita ſcribit: *Ardentes febres fiunt, ſi in venis abundat (præſertim iecinoris, & ventris) bilis, Tertiana vero, cum totius corporis carnes affluunt bile flaua: nam impeditis ſpiraculis eorum, quæ natura ſunt biliosa, quantum bilis in carnoſo genere congeſtum antea expurgabatur, illud retinetur, tertianaſque gignit.*

Tertia eſt authoritas *in fine primi capitis* 2. *de differentiis febrium*, vbi ita ſcribit: *Intermittentes vero, quæ ad integritatem ſenſibilem deſinunt ex humore moto, ac in omnem corporis partem delato, efficiente febrem; Continua vero fiunt ex eodem humore condito, & contento in venis.* Sic poſtea cum de Tertiana, Quotidiana, & Quartana agit, non aliter eas fieri ſcribit, quam ex humore delato per corpora ſentientia, & addit *Cap.* 4. de febre pituitoſa, pelli pituitam à natura per membra ſentientia.

Legantur paſſim ſimiles loci, & authoritates apud Galenum, quibus recentiores fieri putant, vt humores committentes Continuas, contineantur, & putreſcant in venis: Intermittentes vero naſci ab eiſdem humoribus putreſcentibus extra venas, quod certe probare non poſſum ex ipſo Galeno, cuius doctrina, & infiniti alii loci corrumperentur, ſi ita in illis ſentiret, vt ipſi putant, & natura rei huic placito repugnat.

Refutatio. Primo, quod hæc verba non oſtendant, putreſcere humores extra venas, patet, cum ſcribat in illis humores *deferri* per habitum corporis, cum excitant Intermittentem: non *deferri* vero, ſed *manere* concluſos in venis, quando Continuas faciant, id, quod nos concedimus, *moueri ſcilicet humores extra venas* per intermittentes febres, in Continuis vero minime; putreſcere tamen tum in Continuis, tum Intermittentibus in venis. Quare, ex prædictis authoritatibus putredinis diuerſum locum non concludunt, ſed motum duntaxat extra venas in Intermittentibus, quietem vero in venis in Continuis. Quod vero repugnet hæc opinio aliis Galeni locis, patet ex *nono Methodi*, vbi ita ſcribit: *Vbi in omnibus venis, & præcipue magnis continentur humores febrem facientes, Continua fit febris: vbi vero in vnica animalis parte, acceſſiones, quæ certo ambitu repetunt*, per vnicam vero partem intelligere non poſſumus habitum totius corporis, vt omnibus conſtare puto, tum etiam ex manifeſto loco Galeni 10. *Meth.* vbi ita ſcribit *Poſſunt humores putreſcere vel in phlegmone, vel ſine hac, in ipſis vaſis, idque aut in vna animalis particula, in finibus ipſorum impactis, aut etiam in totis eorum capacitatibus, quæ inter bubones, & alas ſunt comprehenſi.* Vbi ſatis oſtendit, per vnam particulam non intelligere

A habitum corporis, in quo infinitæ continentur; & humores intermittentem febrem committentes impacti eſſe non poſſunt in habitu corporis, ſi modo dicuntur per illum ferri.

Præterea eſt clara authoritas 11. *Methodi*, vbi ita ſcribit: *Quoniam putredo vel æqualiter in omnibus ſubſiſtit vaſis; vel in maximis maximeque principalibus, (ea porro ſunt inter alas, & inguina) vel vna quapiam particula, quæ vel phlegmonem in ſe habet, vel etiam citra phlegmonem, veluti in foco quodam principium febris in ſe continet.* Ex quo illud patet, per partem illam intelligere Galenum non aliam quæ ab illo dicitur eſſe focus febrium.

B Quam ob rem, cum focus Tertianæ dicatur eſſe Hepar, Quartanæ Lien, Quotidianæ Ventriculus, ſatis conſtat oportere intelligere in ea parte putreſcere humores per ſingulas febres intermittentes: alioqui ſi ponamus etiam in habitu corporis putreſcere, ſequeretur in duobus locis fieri putredinem in foco febris, & in habitu corporis, vt in Tertiana in Hepate, & habitu corporis, quod eſſet omnino abſurdum. Præterea, cum Galenus *præcitato loco* 11. *Methodi, non longe à principio*, quod commune eſt omnibus putridis febribus, tradat, dicat autem vel in magnis vaſis, aut in phlegmone, aut foco febris humores putreſcere, nulla autem facta C mentione habitus corporis, conſtat temere id poni ab aliis ex Galeni opinione, qui illis manifeſte repugnat: qui cum *eodem libro* poſtea ſcribat, Synochas febres fieri à putredine, quæ totum corpus occupauit, ſatis oſtendit, ſe nolle ponere intermittentes ex humore putreſcente in totius corporis habitu, quando ſic continuæ ab intermittentibus non differrent: nec oportet putare, continuas ex internis obſtructionibus, intermittentes vero, ex cutis adſtrictione naſci, quando ſcribit *eodem libro*, ſiſti tranſpirationem, & continuas excitari, vel ſtipatis finibus vaſorum, vel tota cute. Quare ex Galeno probari non poteſt, putreſcere humores extra D venas in habitu corporis, cum intermittens affligit febris, ſed potius contrarium.

Docet id quoque rei natura: nam ſi humor huiuſmodi putreſcit extra venas in habitu corporis, vel id fit, cum mouetur, & rigorem vel horrorem excitat, vel antea: non antea, quia cum febris naſcatur ex putredine, oportet antea inuadere febrem, quam incipere rigor, id quod non fit, & multo minus putreſcit, cum iam mouetur, & per ſingulas partes cutem verſus propellitur, quoniam in inſtanti non fit putrefactio, ſiue minimo temporis ſpacio, ſicut naſcitur ſubito huiuſmodi motus. Quinimo, motus huiuſmodi euentilationis eſt cauſa, non putredinis, quæ oritur, cum humores quieſcunt, & E tranſpiratione prohibentur, ſicut apparet in aquis, & aliis rebus, quæ motu ſeſe tuentur à putredine, quiete vero eam aſciſcunt.

Præterea, ſequeretur nullam febrem intermittentem ſæpius infeſtare poſſe per acceſſiones, ſed omnes in prima acceſſione finiri; quoniam ſi ex humore illic contento, & putreſcente febris naſcitur, & per ſingulas acceſſiones præſertim in tertianis vniuerſus humor extendatur, quænam poteſt eſſe nouæ acceſſionis cauſa?

nam si bene affecti sint fontes humorum, & foci febrium, nulla erit nouæ accessionis causa, propterea quod deest materia, quæ à fontibus suppeditatur. Quare, si vniuersam huius rei causam ponimus esse putredinem extra vasa, sequitur, quod diximus, nempe in vna accessione febrem omnem intermittentem penitus dissolui debere. Idem quoque licet alia ratione probare: nam cum putredo nascatur ex prohibita transpiratione, necesse est adstrictam esse cutem; si sub ea humores putrescere debent, ex quo sequitur primum inconueniens, quod nulla febris intermittens ex internis obstructionibus nasci possit; Quid enim conferret interna obstructio ad generationem huiusmodi febris, si humor extra venas putrescit? Cur ergo sanguinem mittimus, & aperientia propinamus, si in venis non est obstructio? opotteret enim solis rarefacientibus, quod noxium est, educere, quod si concedamus, vniuersam curandi rationem excogitatam ab antiquis, & vsu confirmatam euertimus.

Secundum incommodum est, quod cum per sudores superuenientes in fine accessionum discutiatur vniuersus humor, qui accessionem committebat, necesse sit iam cute aperta, & rarefacta, nullam aliam subesse nouæ accessionis gignendæ causam.

Adhæc communis ratio esse debet, & causa, omnibus intermittentibus, quæ certe nullo modo, quotidianis, & quartanis conuenire potest: nam vt forte quis eam causam conuenire putabit tertianis, quæ ex humore biliosо, & tenui, & ob id facili ad dissipationem per vniuersum corporis habitum consistunt, sic certe pituita, & humor melancholicus, crassi & viscidi humores, ita disseminari non possunt per inania ea spacia, carnemque ipsam, & illic putrescere, vt illi volunt. Ex quibus patere puto, falsam esse illorum opinionem, qui febres intermittentes fieri dicunt ex humoribus putrescentibus in meatibus, qui per totam carnem intermedii apparent, siue in spaciis inanibus, qui inter musculos conspiciuntur, & ideo illic eos humores putrescere, quod cutis sit adstricta, & propterea non difflentur. Quare natura rei consulenda est, quæ aperiat, quod quærimus. Igitur, cum omnes morbi, qui ex humore nascuntur, sint, vt ostendimus *in Opere nostro*, vel continui, eo quod vniuersus humor nunquam expellatur, donec ad perfectam solutionem sit peruentum; intermittentes vero fiant, quando expelli potest, qui priorem accessionem fecit, & alius postea regigni, qui aliam excitet. Dico continuas fieri febres, *quando humor in venis putrescit, nec excerni potest quicquid est putrefactum, idque vel ob copiam, aut crassitiem humoris, vel ob vias occlusas contingit*: quomodo Synochæ febres siue putridæ, siue non, & diariæ sunt continuæ, quod ex sanguine fiant; quem natura tanquam familiarem, & copiosum extrudere nequit; ardentes vero febres, vel quod nimia sit bilis copia, vel meatus occlusi, continuæ quoque sunt.

Quando febres fiant continuæ.

Intermittentes vero fiunt, *cum humor in venis putrescit, maxime in minoribus, & postea quam putrefactus est, natura insurgit ad eum expellendum; vel per sudorem, vt in tertiana, aut vomitum, vt in quotidiana, aut per aliam quamcunque viam, vt per vrinam aliquando, aut per insensibilem transpirationem.*

Quando intermittentes.

Postea vero ex foco febrium transmittuntur noui humores male affecti, & ad putredinem expositi ab hepate in tertiana, à ventriculo in quotidiana, à liene in quartana, qui similiter vt priores in venis putrefacti, deinde ob acrimoniam, ex putredine partam, aut ob alienam substantiam, quæ ex corruptione nascitur, irritant expultricem, quæ partim in habitum corporis, partim in alias partes eos extrudit; atque id est, quod dicebat Galenus, tum in *locis præcitatis*, tum *in fine 2 libri de differentiis febrium*, continuas scilicet febres nullo loco peculiariter affecto nasci, sed ex humoribus, qui in magnis venis continentur, & tamdiu febres pariunt, donec vel concocti, vel consumpti, aut expulsi tandem apertis meatibus febres finiant, alias vero, quæ intermittentes sunt, nasci, eo quod transmittatur humor extra vasa, & expellatur post, deinde affluat noua materia, quæ idem, vt prior efficiat. Quæ opinio multo est probabilior, quam aliorum, & consentit cum ipsa curatione, & generatione istarum febrium, & Galeni authoritate.

Verum, illud prætermittendum non est, continuas febres duplicem generationem habere: vel enim nullo loco affecto consistunt, veluti est causon, aut Synocha febris, de quibus intelligendus est Galenus fere semper, cum de continuis febribus loquitur, & eas absque alicuius loci passione fieri scribit, quoniam vt ille *primo ad Glauconem* refert, has proprie vocarunt febres antiquiores. Sunt vero aliæ, quæ ex membris inflammatis originem ducunt, quales sunt febres Pleuriticorum, & Peripneumonicorum, aut angina, vel phrenitide, aut hepatis, vel renum, aut denique aliarum partium inflammatione laborantium, qui affectus, quoniam continuo calorem cordi suppeditant, ideo continuas febres pariunt.

Febres continuas duplicem habere generationem.

CAP. IX.

DE FEBRIBVS SYNOCHIS ET ALIIS CONTINVIS, QVÆ per accessiones infestant.

QVæ sint continuarum febrium causæ, & intermittentium, ostensum esse puto: at cum inter continuas quædam eum tenorem, quem ab initio acceperunt, perpetuo seruent, aliæ vero certis temporibus intendantur; & remittantur, huius quoque rei causa quærenda est. Qua in re Galenus videtur ponere causam synocharum febrium ex loco, non autem ex diuersa materia, vt ex multis illius libris probare licet.

Primum enim clara est illius authoritas, *vltimo cap. 2. de Differentiis febrium, in fine*, vbi ita scribit: *Quæ sine circuitione fatigant, in iis nullus locus peculiaris est affectus, sed humores in venis, & arteriis omnibus, maxime quæ in maximis & calidis*

An causa Synocharum sit attribuenda loco, an vero diuersæ materiæ.

Authoritates ex Galeno quod loco.

lidissimis sunt, accenduntur. Quam authoritatem si quis putet, non de synochis solum, sed de omnibus continuis scriptam, non desunt aliunde aliæ authoritates, vt ex *nono Methodi*, vbi scribit de synocha putrida: *vbi in omnibus vasis succi putrescunt, putrida fit synocha.* Et paulo antea: *Ad hoc, vt sit synocha, id solum spectare videtur, vt humor transpirare non possit, aut æqualiter vel inæqualiter pro differẽtiis synocharũ transpiret.* Itẽ 11. eiusdẽ Operis ita habet ad verbũ: *Ac primũ eam tractandam proponemus, quæ vel in maximis vasis, vel simul omnibus consistit; quæ igitur ex tali affectu oritur febris, plane necesse est synochon esse.*

Item *alio loco eiusdem: Putredo, quæ totum corpus occupat, febres synochas facit.* Quæ satis probant, eum spectare magis locum, quam humoris diuersitatem; Si enim huiusmodi febris fit, cum in magnis vasis humores aut sunt excalefacti, vel putrescunt, contineantur vero illic tum sanguis, tum bilis vtraque, pituita, & serosus humor, quorum vnusquisque febrem accendere potest, constat, eum non spectare, quid humor suapte natura efficere possit, sed locus ipse: vt enim intermittentes euadunt omnes febres, cum extra venas reiiciuntur humores, sic profecto synochæ fieri videntur, cum iidem intus conclusi sunt. Quod vero idem sit, & non ex vno humore synochæ fiant, sed ex pluribus fieri possint dummodo locus idem sit, ex aliis Galeni locis ostendi potest; etenim *2. cap. 2. de Differentiis febrium* ita scribit: *Continuas, quæ ex flaua bile consistunt, duo genera habere, vnum Synocharum, alterum earum, quæ generali nomine continuæ dicuntur.* Ex quo loco patet, eũ velle, ex bile etiam fieri synochã. Item, 2. *de Crisibus* ita scribit: *synocha est ex genere ardentium, acutis vero ab illis differt; Est autem biliosa hac febris, & in prima septimana iudicatur.*

Quod materia.

Quod fiat ex sanguine.

Quod vero ex sanguine fiat, patet in primis, quod scribat 9. & 11. *Methodi*, huiusmodi febrem propriam esse iis, qui boni sunt habitus, & multo sanguine abundant, quoniam (inquit) non potest porrigi calor & putredo in omnes venas æquabiliter in frigido habitu; vnde concludit, quod neque in frigidis, nec gracilibus, nec raris corporibus, sed in calidis, carnosis & sanguineis, densisque corporibus procreetur. At biliosi graciles sunt, vt plurimum, nec multo sanguine abundare possunt, vtpote, qui calidi sunt & sicci. Secundum argumentum sumitur ex curatione, vult enim mitti sanguinem in synochis vsque ad animi defectum, quod non faceret, si sanguis non esset, qui peccaret. Tertio si scribit *nono Methodi*, Synochas non putridas, & diarias eiusdem esse naturæ; at diariæ ex sanguine excalefacto, vt 12. *cap. 2. de febribus* docet, fiunt. Quare & synochæ ex sanguine nascentur. Item 2. *textu primi Commentarii 9. Epid. Synocha* (*inquit*) *accenditur ex sanguine putrido.* Docet præterea id natura rei: nam in illis debent poni putridæ humoribus, in quibus ponuntur non putridæ: at non putridæ in sanguine omnes collocantur, quare & putridæ. Præterea si ex alio humore, quam sanguine fierent, non essent synochæ, sed per accessiones infestarent: nam biliosi morbi tertio quoque die vt Galen. habet *in Aphoris. 12. primi* exacerbantur, pituitosi quotidie, melãcholici quarto quoque die, vbicunque putrescant huiusmodi humores, vt ostendunt febres ardentes, & continuæ tertianæ, quę ex humoribus putrescentibus in venis magnis consistit, quoniam tamen bilis est, quæ putrescit, tertio quoque die per accessiones infestant. Cum ergo variet in hac re Galenus, & synocharum causam nunc ponat in materia, quod scilicet sanguis sit, qui perpetuum tenorem facit, nunc in loco, quod scilicet in magnis vasis humor putrescat, qualiscunque fuerit, videndum est vtra opinio sit verior.

Opinio authoris.

At mihi quidem verior putatur esse, quæ ex materia causam ponit, quam ea, quæ ex loco. Primo, quod iam antea diximus, quod synocha non esset, si ex alio humore putrescente in magnis vasis febris accenderetur: quoniam biliosi morbi ex bile putrescente semper consueuerunt tertio quoque die exasperari, nouasque accessiones facere. Quare cum synocha nullas habeat accessiones, sed perpetuum seruet tenorem quẽ ab initio accepit, constat non ex bile, aut alio humore præterquam ex sanguine fieri posse. *Ex materia ergo causa petenda, non ex loco*, qui cum idem sit, ob diuersam tamen materiam nunc facit, aut non facit accessiones. At si quis dicat, morbos ex sanguine quotidie circa primam diei partem, qua sanguis viget, exasperari, vt circa meridiem biliosos, & vesperam melancholicos, pituitosos vero circa noctem, verum quidem dicet, sed huiusmodi exacerbationes leuioris sunt momenti, quam vt inter accessiones computari debeant: sic enim tertianam febrem duntaxat tertio quoque die accessiones habere dicimus, eo contempto, quod certis horis singulis diebus accidit.

Synocham fieri ex sanguine.

Verum contra id, quod dicimus, synocham putridam ex sanguine fieri, oritur in primis dubitatio, quo nomine sanguinem capere oporteat, an pro tota massa, an pro quarto humore, qui proprie sanguis dicitur. Deinde, quod negare videatur Galen. sanguinem putrescere posse, quin transeat illius portio tenuior in bilem, crassior vero in melancholiam. Itaque quod ad primum attinet, satis constat sanguinem intelligi vniuersam humorum massam, quoniam ea tota patitur nec secretus ab aliis humoribus sanguis apparet, & per remedia vniuersæ massæ adhibita, synocha tollitur febris, imaginariumque potius sit, quam aliqua ratione probari possit, quartum humorem sanguinis nomine donatum, putrescere.

Quid per sanguinem hic intelligendum.

An vero vniuersa sanguinis massa putrescere possit, & quodnam febrium genus ea putrescente accendatur, nunc expendendum. Qua in re Galen. 12. *cap. 2. de Differentiis febr.* concedit quidem, sanguinem ipsum putrefieri posse, nimirum cum ab aliena caliditate corrumpi, quod est putrefieri, possit; quod ostendunt & inflammationes, & omnes alii affectus, in quibus sanguis non difflatur, & ob id putrescit; & de hoc non est dubium.

An sanguinis vniuersa massa possit putrescere.

Cuius generis vero febris nascatur ex sanguine putrescente, Galenus non satis explicare videtur, aut certe non intelligi, quod ab eo scribi

Qualis ex putrescente sanguine oriatur febris.

tur, etsi forte illis occasionem dedit deprauatæ A intellectionis confusio, quæ ab eo nascitur: etenim *cap. te præallegato 2. de febribus*, febres natas ex putredine sanguinis accessiones habere, quæ proportione tertianis respondeant, scribit; eo quod sanguis dum putrescit, partem vnam habeat tenuem, quæ in bilem flauam transit, aliam crassam, quæ in atram vertitur. Qua in re multa sunt expendenda, & illud inprimis, quomodo Synocham velit esse, quæ bilis accessiones infestat. Si enim Synocha nullam habet accessionem & ex sanguine fit, vt ex superioribus locis ostendimus, temere dicetur eam seruare proportionem tertianæ: siquidem repugnat, febrem infestare sine accessione, & cum accessione, id est, Synocham esse & non Synocham. Deinde cum B tenuior pars, quæ est in sanguine, in bilem transeat, crassior in atram, sit etiam aliquid pituitæ, cur per calorem dicat partem in bilem, aliam in atram verti, & nihil in pituitam, & cur perpetuo bilis flauæ, & non atræ accessiones fieri debeant, docendum id quidem fuerat, etsi fortasse respondere potest, quod scilicet calor extraneus generationi pituitæ repugnet: quare merito ob adustionem bilem vtramque & non pituitam ex sanguine fieri scribit; Ad tertianæ vero modum, & non quartanæ fieri accessiones febrium, quæ ex sanguine putrescente nascuntur, id non est perpetuum, sed vt plurimum: vnde dicebat Galenus *potissimum* fieri, non autem semper, C quoniam nonnunquam etiam ad quartanæ formam fiant febres, quando scilicet exuperat in sanguine humor melancholicus, crassaque pars, & terrena: *quoniam tamen biliosa plus abundare solet, faciliusque accenditur*, ideo vt plurimum accessiones, quæ fiunt ex sanguine putrescente, tertianæ naturam referunt.

Cur accessiones quæ fiunt ex sanguine putrescente tertianæ naturam referant.

At illud perpetuum non est ex sanguine putrescente excitari huiusmodi febres, quæ tertianæ modo infestent, quando (vt diximus) Synocha non posset esse, quæ ita affligeret, quod cum animaduertissent recentiores, huiusmodi febrem, quæ scilicet ex sanguine putrescente nascitur, quodammodo biliosam, & non biliosam, quod scilicet mitior esset, quam quæ ex bile nascitur, & nonnulli etiam non putridam simpliciter, D sed mediam inter diariam & putridam putarunt; in qua quidem recte sentiunt, quod mitior sit febris, quæ ex bile & sanguine procreata est, quam quæ ex sola aut flaua aut vitellina gignitur; id tamen perperam sentiunt, non esse vere putridam, cum Galenus 9. & 11. *Methodi* Synochas in putridas, & non putridas aperte distinguat, & de non putridis fortasse dubitatio oriri possit, an vere diariæ sint, vel non, putridam veram nemo vnquam in alio genere, quam in putridis poneret.

Verum illam quonam modo dicere possumus quodammodo esse biliosam, & quodammodo non, quæ ex sanguine nascitur? Si enim biliosa est, Synocha esse nequit, si Synocha, nul- E las accessiones habebit, quare nec tertianæ modo repetet. Cur ergo Galenus Synocham ponit putridam 11. *Methodi* sine accessione ex sanguine natam? *libro* vero 2. *de febribus* ex sanguine putrescente fieri febrem scribit, quæ tertianæ modo repetat: siquidem intelligamus febres ex sanguine putrescente natas perpetuo ita infestare, negamus Synochas esse, & naturæ rei repugnamus, tum prædictis Galeni locis, licetque contra illum agere illis fortissimis argumentis, quibus Auicenna illius opinionem impugnat: quorum est primum.

Primum si sanguis putrescens fit cholera, & fit febris ex bile, non amplius est febris ex sanguine, sed ex bile, causon ergo, vel tertiana.

Secundum etsi concedatur, post putredinem sanguinis tenuiorem portionem in bilem transire, non tamen id propterea negat, febrem fieri ex sanguine, cum ipse putrescit, aliud enim est loqui, cum fit putredo, aliud de eo, quod putredinem sequitur, sicut ille scribit; & aliud est loqui de ligno, quod comburitur, aliud de eo, quod combustionem sequitur, fit enim combustio ligni, & sequitur cinis, nec dispositiones, quæ in cinere nascuntur, tribui debent ipsi ligno, dum comburitur.

Tertium: Etsi ex calore sanguinis gignitur bilis, cum scilicet sanguis putrescit, non tamen propterea fiet febris, quæ tertianæ modo infestet, quoniam non solum oportet bilem gigni, sed etiam eam putrescere, quod enim à putrido (inquit) fit, non necessario putrescit, aut putridum dici debet. Quare non solum necessarium est gigni bilem, sed etiam eam putrescere, quod non est semper necessarium; sicut videmus in aliis humorum generationibus fieri, quando scilicet ex nimio motu, aut vigilia, aut alia causa calefaciente bilis gignitur, & tamen biliosa febris non fit, quoniam scilicet bilis non putrescit.

Quartum: Generatio bilis ex sanguine putrescente non fit in instanti, nec illius putredo, quare cum interim sanguis putrescat, necesse est aliquam fieri febrem putridam, quæ certe ex sanguine fit putrescente, quæ nec potest habere accessionem tertianæ, quoniam ex bile non fit. Quare sequerentur hæc omnia incommoda, si ex sanguine putrescente biliosam tertianaque modo infestantem febrem gigni diceremus.

Quid ergo dicemus ad Galenum, qui nunc Synochas ex sanguine putrescente, nunc tertianæ accessionem referentes febres gigni scribit? Certe aliud dicendum, quam qui partim biliosas partim non simul huiusmodi febres esse dicunt, cum repugnet prorsus synocham esse, aut non esse febrem, sed dicemus, quod Galenus intelligendus sit, *febrem ex sanguine putrescente Synocham esse ab initio, & per aliquot dies talem perseuerare, tandem vero tenuẽ illius portionem durante calore transire in bilem, quæ postea tandem etiam putrescit, & excitat tertianæ modo febres tertio quoque die infestantes.* Quæ interpretatio Galenum tuetur ab vrgentibus alioqui Auicennæ argumentis, & expressa contrarietate, tum etiam naturam rei defendit.

Quod synocha tandem degeneret in febrem tertianæ modo infestantem.

Causas huius febris explicat Galenus *nono Methodi* & *vndecimo*, quod scilicet nec in corporibus gracilibus, nec frigidis, sed in calidis, & multo sanguine, & bono, vel calidis excrementis refertis, non in pituitosis, & melancholicis fiat, tum etiam in his, qui multa, densaque carne abundant, & denique in plethoricis corporibus. Redditque huius rei rationem, quod cum oporteat putredinem celeriter per maxima vasa ferri, id fieri non possit, nisi subsint humo-

Causa febris synochæ.

tes calidi, & quæ possint obstructiones stipationesque facere, quæ in abundantia humorum, & corporis adstrictione promptissime fiunt. Verum genera causarum hæc tractatio non distinguit; ita vt intelligere liceat, quid materiæ, quid efficientis, quid vero loci, siue causæ sine qua non, rationem obtineat.

Materia. Forma. Subiectum. Igitur dicemus, materiam huius febris *sanguinem* esse; formam *putredinem*, vnde putrida dicitur; subiectum esse *corpus densum, & sanguine, carneq; plenum*.

Efficiens. Quid vero sit occasio, & efficiens causa ipsius putredinis nunc docendum. Qua in re scribit Galenus *locis prænotatis*, huiusmodi febres nasci vel ex cutis constrictione, vel ex finibus vasorum stipatis. Verum cum cutis constringi possit, & illius meatus occludi, vel à densantibus solum, vel ex obstructione, fiat vero densatio vel à refrigerantibus, vel adstringentibus extrinsecus adhibitis, quorum cito vitia emendari possunt, nequeunt hæc Synocham efficere, quæ plures dies durat, vt Galenus *nono Methodi*, sed Diariam potius; obstructio vero cum fiat vel à copia, vel lentore, aut crassitie humorum, non immerito potest parere huiusmodi febres. Verum cum humores, qui obstructiones pariunt, non sponte ad cutim ferantur, necesse est causam aliquam præcedere, quæ eos commoueat: atque id est, quod Galenus *vndecimo Methodi* scribit, contingere, scilicet vt humores ruant confertim ad cutem, ex violentis, aut superfluis exercitijs, vel ex ira, aut balneo intempestiue adhibito, aut externo calore, aut alia denique huiusmodi occasione; id quod nos vsu venire videmus: nam qui plenti sunt sanguine, & ociosi, cum multum se exercent, aut in lassitudinem phlegmonosam, aut statim etiam in febrem incidunt Synocham. Oriuntur & ab his occasionibus cum leuiores fuerint intrinsecus obstructiones: nam causa, quæ non potuit foras euocare humores, potuit colliquare, veluti concretos humores, qui ad orificia vasorum internorum delabentes, obstructiones cócitant.

Cur in Synocho fiat vnus solum accessio & non periodus. Cur vero vna fiat solum accessio, & non periodus, causam volunt esse nonnulli, magnam stipationem, ob quam vt plurimum transpirare nequeat, sed semper tantus seruetur fumidus vapor, vt febrilem calorem seruare possit; tum, quod materia subsit multa, vt deficere non possit, sicut in aliis, quæ per circuitum repetunt: suppeditatur enim putredini materia ex copia humorum, vt deficere nunquam possit. Verum potius ex materia ipsa ratio petenda, quod scilicet sanguis sit, qui putrescit, quem ostendimus esse febris Synochæ causam, fit enim maior nonnunquam stipatio, aut certe æqualis per biliosas febres, & tamen accessio fit, quia bilis putrescit, & in pituitosis, crassisque non deest materia, & tamen per accessiones vrgent febres tanquam non copia, sed natura humoris continentis febris sit causa. Quod vero vel semper crescant, aut decrescant, aut eundem tenorem seruent Synochæ febres, antea ostendimus, cum de non putridis ageremus? Estque ratio etiam communis his, quæ putridæ sunt,

A quod scilicet plus aut æqualiter, vel minus expiret vaporis, quam attollatur, vt Galenus etiam author est; Sed cur fuerit hæc æqualitas, vel inæqualitas, non docet; videtur vero ratio peti ex magnitudine obstructionis, & copiæ: nam in ea, quæ semper crescit, & ob id Agmastica dicitur, maior est obstructio, & copia, vnde plus putrescit, quá dissolui possit; in paragmastica vero minor obstructio, & copia; in alia vero æqualis, quæ ob id æquales faciunt accensiones, & dissolutiones.

At si quæras, quonam modo tempora sua habeant huiusmodi febres, quæ semper vel crescunt, aut vigent, vel decrescunt? inuenies Galenum varia de hac re sentientem, cum *in libr. de optima secta* neget, huiusmodi febres habere omnia tempora, id vero contendat *in libro de Temporibus morborum*: cuius opinio *eo loco* probabilior est: nam etsi vigere semper dicatur, aut crescere, aut decrescere, non tamen ita est, sed quæ vigere dicitur, principium, incrementum, & declinationem momentanea habet, vigorem autem longissimum, vt putetur ob id ab imperitis solum vigere; sic de alia, quæ semper crescere, aut decrescere putatur. *Quonam modo sua tempora habeant febres quæ semper vel crescunt, aut vigent, vel decrescunt.*

B

Ex quo constat, coctionis, & Symptomatum indicia non simul perpetuo concidere: cum enim declinat febris, vix adhuc exigua coctionis indicia obtinet vrina: cum adhuc viget, aut crescit, alias coctionis notas repræsentant vrinæ, quales in aliis febribus per illarum declinationes apparent.

C

Non sunt propria huius febris indicia, vt satis patet ex *9. lib. Methodi* apud Galenum, vbi refert, se expectasse sequentem diem, antequam sanguinem mitteret, vt certius cognosceret cuius generis febris esset. Nec mirum, cum ex genere sint Diariarum, & quædam non statim putredinis notas habeant. *Signa.*

Verum non inutilis cóiectura sumi potest ex humoris copia, corpore subiecto, & causis efficientibus: vbi enim subest magna sanguinis copia, & corpus admodum densum, & carne refertum, & quæ obstructiones pepererunt causæ validæ, Synocham suspicabimur esse, & eam putridam, si adsint in vrina, & in pulsibus putredinis signa.

D

Quin & illud explicandum est, quæ sint Signa, quæ ostendat continuam febrem in genere; De qua re scribit Gal. 1. *ad Glauconem*, quod scilicet cum rigore non inuadant continuæ, quanquam tamen postea id explicet, quod scilicet, oporteat rigorem intelligere vehementiorem, quoniam cum leui rigore potest esse Semitertiana, aut alia ex genere Continuarum. Verum cur ita fiat, non satis ostendit. Est autem ratio, cur continuæ inuadant sine rigore, *quod scilicet humores putrescentes in venis illic contineantur, nec extra propellantur, vt in febribus intermittentibus. Quare merito continuas indicamus, quæ sine rigore incipiunt, qualiscunque ille fuerit:* nam rigor Semitertianam quidem sequitur, sed non Continuam febrem monstrat, sed potius intermittentem, quæ est coniuncta cum continua. *Febres continuæ cur inuadant sine rigore.*

E

Quare illud perpetuum est, rigorem ostendere intermittentem si vna cum febre inuadat rigor, & non praecedat instantem Crisim, sicut dicebat Hippocr. *in Aphorism. A Causone superhabito, rigor superueniens, febrem soluit.*

Sect. 4. Aph. 58.

Quod si aliquando cum rigore inuadit febris, quæ postea continua apparet, vt sæpius nonnullos videmus in primo febris insultu rigere, postea vero nunquam, sed continua febre laborare, id fit, vel quod rigor ab externa causa, vt frigore externo, sit contractus, vel quod primo incæperit intermittens, quæ tandem in continuam degenerauit, putrefacto in venis humore, qui postea extra effundi non potuit. At ex vno indicio vniuersum genus continuæ febris dignoscere velle, artificiosum non est, mirorque, eum authorem nusquam plenam tradidisse doctrinam, qua continuæ febres dignoscantur, & ab intermittentibus distinguantur. Quare consultis fontibus Signorum, rem ipsam aperiamus.

Signa continuarum à febris essentia.

Quantum ergo attinet ad essentiam febris, *calor ipse* (vt diximus) *statim inuadit absque frigore aut rigore, & vehementior est, quam sit in intermittente sui generis, quæ ab eadem materia fit*, & ardentem eiusdem cum tertiana generis voco: nam quoniam putrida manet in venis materia, necesse est vehementiorem nasci in corpore calorem in continuis, corde scilicet & aliis fontibus caloris magis offensis: acrior vero, aut suauior calor non distinguit has febres, cum id ex materia subiecta proueniat, quæ eadem continuis, & intermittentibus subiicitur.

Ex ipsius febris partibus.

At ex partibus ipsius febris indicia sumuntur: cum enim intermittentes accessiones habeant, quæ ad summum viginti quatuor horarum spacio finiuntur, principium, incrementum, statum, & declinationem breui obtinent; Quare cito crescunt intermittentes, continuæ vero per plures etiam dies sine incremento perseuerant in initio, habentque longiora sequentia tempora. *Quare, si viderimus per aliquot horas febrem non augeri, constabit esse continuam*: ex tempore vero solutionis expectare indicia, artificiosum non est; vt autem sine rigore, sic etiam sine vomitu, & alui deiectione suapte natura inuadunt continuæ: nam quæ cum his Symptomatis incipiunt, ea non habent tanquam propria, & inseparabilia, sed contingit vna cum illis misceri, vt inter se componuntur affectus diuersi generis.

A causis.

Sumuntur & à causis notæ, à validioribus enim causis, & ab internis potissimum nascuntur continuæ, ab aliis vero intermittentes potius.

A subiecto.

In densis praeterea corporibus, in sanguineis, in crassis, potissimum nascuntur continuæ, quoniam suppetit materia earum generationi aptissima. Quod si adsit affectus aliquis, qui continuam necessario pariat, vt Pleuritis, Peripneumonia, aut alterius partis inflammatio, quam febris sequatur, merito eam continuam existimabimus.

Ex causis iuuantibus & lædentibus.

Quin & ex causis iuuantibus, & lædentibus indicia quædam sumi possunt: iuuantur enim quibusdam continuæ, à quibus læduntur intermittentes, vt sudore, vomitu, & aliis excretionibus, quæ in primis diebus fiunt. Quod si fuerint alicuius continuæ febris indicia, vt Synochæ, ex specie, quod quærimus in genere, facile innotescet.

Ex Symptomatis.

At Symptomata vel propria ipsis continuis, vt calor sine rigore, aut quæ sequuntur aliquam ex continuis, vt pulsus, animique defectus, sopores, & deliria diuturna, quæque ampliorem calorem comitantur, præbent quoque notas continuæ febris: veluti & vrinæ, aliaque excrementa, quæ plurimum à naturali statu recedunt, in suo genere continuitatis sunt notæ, veluti si subiugales, vel decoloratæ, aut admodum rubræ emittantur; vel si supprimantur, aut pessimo odore infectæ, emittantur; aut denique, si quid huiusmodi in substantia, qualitatibus, & contentis in illis appareat, quod magnam à naturali statu euersionem ostendat, illa profecto erunt continuitatis indicia. Nec contemnere quidem oportet ea, quæ ex similitudine, & proportione ducuntur: eas enim putabimus continuas, si alias, quæ grassantur iisdem temporibus, tales esse cognouerimus.

Excrementis.

Ex similitudine.

Atque hæc sint indicia febrium continuarum; ex quibus prædictiones elicere quoque poterimus: eas etenim salutares prædicemus, quæ mitiores sunt, aut certe nihil malignum obtinent, quæque ex minoribus causis sunt ortæ, & in pauciore, melioreque materia procreantur, & in optimis temporibus, aeris statu, & in corporibus melius affectis, quæque Symptomata inferunt leuiora; augebitq; coniecturam genus signorum, quod à similitudine dicitur: merito etenim prædicemus non solum salutem, aut mortem, sed genus, modum, tempus solutionis, & reliqua, quæ in arte prædicendi sumus complexi, si similia in similiter affectis contigerint.

Prognosis.

Vt communem naturam, & communia signa, & causas continuæ febris, sic communem curationem instituere oportet, antequam singulas illius differentias aggrediamur: hoc enim contempto, quid Acutis, quidque Ardentibus, quid Synochis conueniat, intelligere arte aliqua non licet, propterea quod frustra commendarentur in illis præsidia, quæ prius in vniuerso genere commendata non fuissent. De qua quidem re agit Galenus *lib. 1. ad Glauconem cap. 13.* estque summa curationis, quam eo loco instituit, quod scilicet in primis spectare oporteat, an febris sine aliquo vehementi Symptomate vrgeat, vel non; quod si non vrget, victum esse instituendum tenuem, & exquisitum; si non vltra septimam diem desitura sit febris, & vires fuerint validæ, alioqui solidiore cibo vtendum; prope vero statum tenuiore; tenuissimo autem in ipso statu. Victum vero debere esse humidum, conuenireque prisanæ succum his, quibus non acescit, melicratum, quibus non bilescit, sorbitiones item ex alica, & panem ex aqua: sanguinem vero mittendum & ob morbi magnitudinem, & his, quibus rubor maior, quam naturæ conueniat, adest, & vniuersum corpus plus solito tumet, aut venæ sunt eminentes & distentæ, nisi aliquid impediat.

Continuarum febrium curatio.

Quod si febris admodum calida sit, cum primum

mum apparuerint signa coctionis, exhibendam frigidã, cuius modus seruandus est ex vehementia morbi, anni tempore, regione, ætate, natura, & consuetudine sumpta coniectura; quæ in primis excutienda sunt antequam ad alias accedamus, quæ cum Symptomatis sunt complicatæ.

Illud ergo, quod de tenui victu vsque ad septimum scribitur, recipiendum non est, tanquam commune omnibus: nam vbi febris est mitior, aut admodum ardens, & biliosa, temere hanc victus rationem obseruabimus, quoniam vbi mitior est, temere emaciabimus ægrotantem, quem seruatis viribus, & meliore nutritione adhibita, commodius liberare possumus, alioqui eadem præsidia maximis minimisque morbis adhibenda forent: nam si omnibus continuis tenuis victus debetur vsque ad septimum, quid facias maximis, quæ ad eum vsque terminum perueniunt? biliosæ vero febres, quales fere omnes sunt, exceptis Synochis, quæ eo termino iudicantur, in hecticas, aut colliquantes huiusmodi victus ratione præcipitantur.

In quibus seruanda sit.

Quare, vel solis pituitosis continuis, aut etiam Synochis adhibeatur hæc exquisita tenuisque viuendi ratio: non esse vero perpetuo alendum tenuius in statu, quam in principio morborum, antea ostendimus, veluti in febribus, quæ ex copiosa crassaq; materia infestant, quam ab initio parciore victu consumere satius est. Vt enim alia vacuantia præsidia ab initio requirimus, sic profecto in his per inediam multitudinem auferre expedit.

Victum humidum in febribus non semper habere locum.

Victum vero humidum febri conuenire certum est; At causa sæpe repugnat: veluti, cum ex multo humore, eoque aquoso, febris consistit, tunc enim causæ magis, quam febri reluctandum; mirorque quod Galenus passim huiusmodi victus qualitatem febricitantibus præscribat sola spectata febre, & non causis illius; Nec est, quod putemus, eum solum indicationes prosequi, quæ à febre sumuntur; sic enim frustra sanguinem demendum præciperet; nimirum, cum hoc sit causarum, & non ipsius febris remedium.

Omittit præterea modum, ordinem, & tempus cibationis, ac etiam (vt antea ostendimus) non seruat sua præcepta: nam si febris continua, quæ septimo die finiri debet, tenuem victum expostulat, cur *in methodo medendi* Synocha febre laborantes, bis, & ter etiam in die alebat?

Sanguinem non esse mittendum in omnibus cõtinuis, satis constat, quoniam si ob morbi magnitudinem demendus est, constat non omnes magnas esse, quæ sunt continuæ, quoniam non omnes vehementes, quare nec omnes hoc præsidio egere.

Præterea, quæ frigido, pituitosoque humore, aut aquoso consistunt, huiusmodi præsidium non exigunt, sed potius ab eo offenduntur, quoniam nec vehementes sunt, nec sanguis abundat. Ex hoc tamen loco notandum, quod non solum ob morbi magnitudinem, sed etiam ob sanguinis multitudinem venam secari dicat.

A De potu vero aquæ frigidæ egimus superius, quatenus requiritur per cibationes, & in alio tempore ad sitim extinguendam. Nunc vero de ea agendum, prout exigitur tanquam remedium ad febres, causasque illarum propellendas: antiqui enim optimum censebant esse præsidium in febribus aquæ potionem, vbi conuenienter exhiberetur. Et certe optarem, Medicos nostri temporis frequentiores esse, & audaciores in hoc remedio. Cum enim vereantur incommoda, quæ adferre potest huiusmodi aqua, vniuersum illius vsum temere contemnunt, cum tamen & ratio, & antiquiorum recensque experientia doceant, tutissimum esse præsidium, si obseruauerimus, quæ eam indicare,

B aut contraindicare possunt. Indicat autem huiusmodi remedium non ardens febris, vel acuta, quemadmodum nonnunquam sentire videtur Galenus, quando Causon à pituita fieri quoq; dicitur, cui certe humori conuenire non potest aqua tam copiose ingesta, ex qua rebellis redditur pituitosus humor ad coctionem, & expurgationem.

Quare præstat definire id *ex vehementia febris*, vt Galenus *nono Methodi*. *Quando enim* (inquit) *febris fuerit maxima*, quales certe sunt, quæ vel ex sanguine, aut ex bile nascuntur: nam ex pituita ardens febris non fit, aut certe vehemens non est, & maxima: nam quoniam ex maxima caliditate huiusmodi febres consistunt,

Magnam ardentem febrem non fieri ex pituita.

C maximum oportet esse remedium, quod refrigeret, inter quæ hoc vnum est & præcipuum; aliæ vero febres, quæ mitiores sunt, minoribus quoque auxiliis opus habent; id quod etiam natura docet: nemo enim est, qui tantam aquæ copiam appetat, quin vehementi febre laboret.

Quo vero tempore morbi exhibenda sit, docet Galenus *nono Methodi, capit. quinto*, quod scilicet opportunum sit tempus, *cum euidenter cernuntur coctionis notæ in vrinis. capite tertio* vero *vndecimo* tandem esse, quando iam succi concoquuntur, & crassitudo eorum extenuata est; *capite* vero 16. exhibendam tunc esse ait,

Quo morbi tempore aqua frigida sit exhibenda.

D *quando humores mediocriter concocti fuerint*. Euidenter vero, aut mediocriter concoctas vrinas intelliges, quæ febris vigorem præsentem, aut propinquum ostendunt: *nam & in ipso febris incremento, vt Crisis fiunt laudabiles, sic expulsionem malorum humorum per aquæ potionem opportune tentare possumus*: *præstat tamen si res patiatur, vigorem expectare*; sed quoniam nonnulli ob vehementiam febris, caliditatem, tenuitatemque humorum, perinde afficiuntur, vt alii in vigore, præstat hac vna nota definire tempus opportunum, *quando scilicet æger inexhausta sitis non accessionis, sed morbi totius ratione premitur, & lingua nigricat, & alia adsunt symptomata, quæ summum calorem in materia conceptum ostendunt: tunc enim maxime fit concoctio,*

E *& potissimum expetitur tam egregium auxilium.*

Quid vero impedire possit, nunc videndum est. De qua re scribit Galenus *quinto capite nono Methodi*, fugiendam scilicet esse, si lenti crassique sint humores, qui vel obstructiones,

Quid potionem frigidæ possit impedire.

A vel putredinem, vel phlegmonem, aut erysipelas, vel scirrhum, aut œdema, in viscere aliquo interno committunt: nam etsi febris extingui videatur, quoniam tamen manet causa rebellis, quæ rebellior adhuc redditur ob densitatem à frigida factam, rursus febres ipsas accendi, validioresque fieri necesse est.

Quare exhibenda non est, si obstructio adest quæ eximi non possit, & putridus infestat humor nondũ coctus, aut tumor aliquis phlegmonodes, aut œdematodes, aut scirrhosus principem aliquam partem infestat: In Erysipelate vero exquisito, etiam ante coctionis sui notas, permittit exhiberi. Quod si phlegmonodes sit, id quoque faciendum, sed expectatis concoctionis notis. His quoque exhibenda non est, B quibus imbecillæ sunt partes ex naturali intemperie, aut vitio ascititio, sicut videmus quosdam gulam, alios ventriculum, aut iecur, aut colon, aut pulmonem, aut septum transuersum, aut renes, vel vesicam infirmam habere, qui vel difficultate respirandi, aut conuulsione, & tremore corripiuntur, aut toto genere neruoso læduntur, à frigida offensi. id tamen cognoscemus ex consuetudine: nam si per sanitatem aquam potare consueuerit citra noxam, indicio est, viscera facile tolerare posse eius occursum, præsertim cum nutrimento accedat ipsa caloris copia. coniecturam tamen sumere possumus, si desint ex consuetudine inditia ex corporis habitu: qui enim carnosi sunt, & bono colore præditi, C quique frigiditatem, aut frigidos morbos haudquaquã sunt soliti pati, hi certe minime offendentur, si aquam potauerint. Quare in his solum spectandum erit, vt mediocriter sint concocti, febris vehemens, & nullus subsit tumor in visceribus internis. Quantum vero exhibendum sit, nunc videndum.

Quantum aquæ frigidæ sit exhibendum.

Scribit ergo Auicenna, aliquando tantum esse propinandum, donec vehementer infrigidetur corpus eius, & color eius fiat, sicut color corporis multum infrigidati; vel vt alia habet lectio, fiat viridis, tremantque membra. Describit postea mensuram certam, quæ id facere possit, heminam, scilicet vnam, & dimidam. Verum D temerarium esse puto expectare huiusmodi colorem, qui portendit caloris natiui extinctionem, nec certa mensura ex pondere omnibus statui potest: erit enim quibusdam forte superflua ea mensura, aliis vero parua. Quare præstat definire terminum, qui morboso affectui satisfaciat, & interim periculum nullum inferat ægrotanti. *Erit vero huiusmodi, si tantum bibat vnusquisque, quantum appetit, & sentit sitim plane extinctam*, id enim ostendit plane victum esse febrilem calorem. Pota vero aqua frigida, & ea mensura, idque confertim, imperandum ægro, vt quiescat, & operiatur, ne effluentes sudores ob cutis refrigerationem tardent, & arceant: E nam hæc solet commoda adferre huiusmodi aqua. quod roborata natura consurgit ad noxias, & euictas causas expellendas, vel per vomitum, aut alui deiectionem, vel sudorem, aut vrinam, aut per hæc omnia pro humoris, & naturæ ægroti dispositione, & inclinatione ad hanc vel aliam excretionem.

Quomodo æger post vinũ aquæ frigidæ regendus.

Debent & alia præsidia, quæ febribus debentur, præstantiora, exquisitiora maioraque esse in continuis febrib. quam in intermittentibus, quoniam grauior est affectus. Habent vero omnes communia præsidia cum febribus putridis, quod scilicet oporteat obstructiones auferre, coctiones procurare, purgationes adhibere, & reliqua præsidia, de quibus antea egimus: maior tamen spes in internis, quam externis præsidiis ponenda, quoniam in venis humor continetur: quare & purgationes per aluum, & vomitiones cocto humore commode mouentur, etiam si natura non tentet huiusmodi viam: sudores vero nequaquam eliciemus, nisi eo repant humores, quod in intermittentibus commodissime faciemus.

Sudores nunquam in huiusmodi febribus esse mouendos nisi humores eo repant.

Cap. X.

DE FEBRIBVS CONtinctis.

SEquuntur febres singulas propria symptomata generationis illarum testimonia, alia vero magnitudinis, aut malignitatis illarum sunt indicia. At priora quidem sponte euanescunt ablatis propriis morborum causis, hæc vero sæpius propriam quandam curam exigunt, quoniam & causæ fiunt, quibus morbi, & illorum causæ augentur, aut vires perduntur, quas tueri vna cum vita necesse est.

Sunt vero istorum differentiæ primæ duæ, quemadmodum Galen. *lib.* 12. *Methodi* notauit; aut enim in actionum læsione consistunt, aut in retentorum vacuatorumve immodico excessu: nam quæ in corporum ipsorum affectu consistunt symptomata, sponte euanescunt, nec vnquam morborum ablationem, aut causarum aliarum remotionem impediunt.

Duplicia symptomata.

Prædicta vero duo genera in vna ratione dicuntur à Galeno *eodem loco* curationem interpellare, quod scilicet vires offendant, quanquam tamen nonnulla sunt, quæ etiam morbos augent, vt vigiliæ, quæ corpus exsiccat, & calefacit febre iam correptum.

At cum actiones triplices sint genere, videndum, quæ nam symptomata in vnoquoque genere proueniant, quæ mitigationem postulant, quod miror à Galeno prætermissum, tum 12. *Methodi*, tum 1. *ad Glauconem*, quibus in locis quædam duntaxat enumerat, & illis remedia describit, cum interim docendi ratio postulet, vt omnia huiusmodi symptomata inueniantur, sicut prima genera ille excogitauit.

Igitur cum actiones animales quædam sint sensificæ, aliæ principes, aliæ motiuæ, contingunt circa sensitiuam virtutem vigilia, somnus, dolor capitis; circa motiuam, rigores, conuulsiones, difficultas deglutiendi, sternutatio, tussis; circa vero principes facultates, delirium. Ad facultatẽ vero naturalẽ pertinet sitis appetit' destructio, βουλιμία; ad vitalẽ aũt animi defectus, & syncope; ad qualitates mutatas, nigredo linguæ,

guæ, & asperitas, ad extera, & retenta; vomitus A superfluus, superflua ventris deiectio, immoderatum è naribus sanguis profluuium, sudor. Hæc fere sunt symptomata, quę à febribus proueniūt, & curam regularem turbare possunt. Aduersus quæ pugnare nos oportet: nam alia mala quæ cum febribus sæpe infestant, vt inflammationes, cruditates, humorum copia, inopia, & corruptio, sunt potius causæ ipsarum febrium, quam illarum symptomata. Quare temere de his affectibus, quæ potius sunt mala coniuncta cum febribus, quam illarum vel causarum febrium symptomata, agit Galen. 1. *ad Glauconem.*

Symptomata facultatum animalium.

Itaque cum somnus fiat eo, quod calor natiuus ad sensoria ferri nequeat, B vel ob illius imbecillitatem, vel quod alio reuocetur, aut quod ob frigidiorem qualitatem sit coarctatus, quæ sursum ferri nequeat, vel ob viarum cerebri occlusionem: vigilia vero accidit, cum calor ad sensoria extenditur, superflua autem redditur in febribus, cum calor acris est, & mordax, & sursum attollitur per febres, diutiusque illic moratur, tum ob illius vim, tum quod foueatur ab ebullitione acrium, calidorumque humorum.

Remedia aduersus immoderatas vigilias.

Quare somnum conciliabimus in febribus tum retractione caloris, tum refrigeratione humorum, & præterea his, quæ deorsum calorem propellunt à cerebro, C illique vias occludunt. Retrahent ergo frictiones tibiarum & pedum leues tamen, ne exasperetur calor. Ad idem prosunt lotiones ex rebus refrigerantibus, actu tamen calidis, vt reuellant, vt frigidam qualitatem immittant vi sua. Sunt vero res frigidæ, quæ in aqua decoqui possunt, hyoscyamus, papauer, lactucæ folia, cortex mandragoræ, violæ, rosæ, nymphea, chamomelum, hæc enim decoqui possunt cum aqua, & ex ea pedes, & crura vsque ad genua, & etiam brachia vsque ad cubitum ablui. *Commendatur & inunctio plantarum pedis ex pinguedine gruis; item cum vnguento populeo, & succo hyoscyami*, confestim etenim transmittitur frigiditas à pedis ea parte neruosa in vniuersum corpus, D maxime autem ad caput ob connexionem illarum partium per neruos factam. Ad calorem vero corporis mitigandum & feruentes humores retundendos, intus assumitur commune præsidium vnc. vna vel vnc. vna & semis syrup. de papauere cum decoctione nymphææ, vel lactucæ; datur & semen papaueris, aut emulsio illius cum cibo, veluti hordeaceo. Prodest & aerem infrigidare, aspersione aquæ frigidę cū aceto, itē admissione auræ, & madefactione linteorum, quæ lectum ambiunt; confert & herbas, & flores & ramos arborum frigidarum spargere per cubiculum, & muros vestire, quales sunt salicis folia, quercus, castaneæ, lactuca, nymphea, rosæ, violæ; quinetiam, fontes aquarum machinandi sunt varii, E & multiplices, à quibus aqua ex alto cadat in ænea vasa, cuius qualitate aer refrigeratur, & impulsu, vel allicitur somnus reuocatione, caloris ad aures, sicut ex dulci musica, aut veluti confunduntur spiritus, sicut ex motu circulari, quo sopitur, qui agitatur: *proderit & testibus pectas intinctas in aqua frigida, aut rosacea, aut lactuca, vel alia re refrigerante admouere: nam quoniam fons vnus caloris sunt testes, mirum est quantum vniuersum corpus ex illorum refrigeratione afficiatur*: valent & Epithemata, cordi, aut hepati admota, quæ ex aquis stillatitiis, aceto & puluerbus aromaticis, & refrigerantibus cōponuntur: cōmendatur autem aqua endiuiæ, lactucæ, rosarū, cichorei, cicerbitæ, violarum, buglossæ, nenupharis, acetum rosaceum; species item electuarii triasandali, item puluis rosarum, sandalorum, camphoræ, & in hac regione confectæ sunt species dictæ pro Epithematibus hepatis, & cordis, frigidæ, calidæ, & temperatæ prout vrget necessitas.

Testes etiam esse fontem caloris.

Addimus quoque in Epithematibus cordis aliquid vini Maluatici; quinetiam licet per nares vim refrigerandi immittere, vt inunctionem pinnarum narium, cum oleo rosaceo, & modico opii; vel iubebis attrahi per nares aquam ex decoctione vel destillatione lactucæ, aut nenupharis. Ad calorem vero repellendum, & simul infrigidandum fronti, & temporibus admouetur vnguentum populeum, & inunctio ex oleo rosaceo cum grano vno opii, aut intingi possunt petiæ in aqua aliqua vel decoctione ex prædictis addito etiam modico opii, & fronti, temporibusque similiter apponi; laudatur & succus hyoscyami & menthæ fronti simul illitus.

Quod si adsit capitis repletio ex sanguine calido, & feruente, tutum non est hæc sumere refrigerantia, & temporibus admouere, quoniam soporem inducunt, sed expedit prius caput vacuare, admotis cucurbitulis scapulis, & naribus, hirudinibus ano etiam, *commendantque aliqui hirudines admotas angulis oculorum, vbi res desperata sit de somno, vt in phrenitide sæpe contingit, quibus remotis in vulneratis locis opium admoueri iubent*; conferunt & Embrocationes sincipiti irrigatæ, de quibus agemus, cum delirii remedia tradermus.

Repellit quodammodo etiam oculorum clausio, & cessatio spontanea animalium omnium actionum. Quoniam enim voluntaria est huiusmodi actio, plurimum sane conferre ad hanc actionem voluntatem ipsam, & dormiendi desiderium existimandum est. Digerit autem, & dissoluit illius substantiam oculorum apertio, sermones fabulosi, & grati, musica, splendor, alia huiusmodi, quæ animalem facultatē fatigant, sicut ostendunt motus validi, & vehementes, quos altus sopor hominem corripit dissolutis scilicet spiritibus, quibus animalis facultas ad suas actiones obeundas vtitur.

Quæ quidem prædicta si quis spectauerit, agnoscet, qua ratione diuersi generis remedia, veluti lux, tenebræ, vox tumultuosa, & silentium, oculorum apertio, & conniuentia, motus, & quies, & cætera omnia somnum prouocare valeant.

Remedia aduersus soporem.

Vt vigilia, sic profundus sopor febricitantes A sæpe opprimit, cui symptomati pariter succurrendum est contrariis remediis adhibitis soporis causis, neque enim symptomata auferri possunt, nisi ablatis propriis illorum causis, quas cum non considerassent antiquiores, recentioresq; Medici, vt Auicenna, Paulus, & Practici omnes, pro vigilia sæpe mortem inducunt, cum omnibus somno oppressis ligaturas, cucurbitulas, corpori, & capiti exsiccantia, incidentia, calefacientiaque remedia adhibent; sæpe enim ex debilitate accidit sopor, vt in his, qui morti sunt propinqui, quos occides, si vacuare studeas. Cum ergo somnus nascatur eo, quod sensoria exerceri nequeant, idque caloris natiui defectu, deficiat vero, vel quod alio reuocetur, vt in acces B sionibus febrium, & cibo sumpto, vel quod deorsum propellatur, vt in aere frigidiore, & humidiore, vel quod viæ sint obstructæ in cerebro, sicut in Apoplexia contingit; aut quod ob debilitatem, & dissolutionem vsque ad sensoria extendi non possit, vt in his, qui morti sunt propinqui, aut ex labore dissoluti, varia profecto oportet esse remedia, quibus homines oppressos excitemus.

Si sopor fiat ex copia vaporum & frigido humore.

Itaque si ex vaporum copia elata à calore febrili, & copioso, frigidoque humore, somnus hominem premit, in remediis cum vacuatione adhibitis præcipuum auxilium poni debet; quare optimum est, dolorem excitare adhibitis violentis vinculis extremis partibus, prosunt eadem C ratione frictiones adhibitæ cum pannis asperis vniuerso corpori; præterea clysteres fortes, cum hiera, agarico, & suppositoria ex hiera eadem simplici, vel ex colocyntide, agarico, sale gemma & melle confecta; quod si vna etiam sanguis abundare videatur, id; quod cognoscis ex corporis crassitie, & bono habitu, proderunt hyrudines ano adhibitæ; conferret quoque sensus excitare, vt eo ferri possit calor natiuus, id quod faciemus sermone tum iucundo, tum etiam, qui iram mouere possit; curandum præterea est, vt noxia materia, quæ cerebri meatus obstruit, post reuulsionem tollatur, id quod odoramentis, sternutamentis, embrocisque faciendum; qua in re confert panem infusum in aceto for D tissimo naribus admouere, & peucedanum, serpillum, mentham, nardi spicam, melanthion, & reliqua huiusmodi, quæ exsiccandi, digerendique vim habent; sternutamentum mouere posset irritatio cum penna immissa naribus, aut helleborum odoratum, aut piper tritum, & immissum naribus, aut aliquid huiusmodi, quod vim acrem habeat; capitis vero commissuræ, quæ in syncipite est, sacculi adhiberi possunt confecti ex chamomeli floribus, cinnamomo trito, ex floribus stœchados, garyophillis, origano, serpillo, & reliquis huiusmodi calefacientibus, & exsiccantibus omnibus simul mixtis tritisque prius grosso modo & frictis, aut alio modo excalefactis: embrocatio E nes vero non perinde commendo, etiamsi ex calefacientibus rebus conficiantur, quoniam tandem refrigeratur immissus humor, & alium iam illic contentum auget, & fouet.

Si ex copioso sanguine.

Si ob debilitatem caloris & animalis virtutis.

At si ob debilitatem caloris, & animalis virtutis somnus nascatur, cibo, & potu spirituoso, & ad coctionem facili hominem restitues, quo casu vina generosa, odoramenta grata ex vino præsertim, & aromatibus conuenientibus pro causa, quæ debilitationem intulit, proderunt; nocent autem caloris reuocationes per frictiones, sermones, & alia, quæ possunt calorem digerere, & illius substantiam cosumere.

Si ob retractionem caloris.

Quod si ob retractionem illius caloris, vt in accessionibus contingit, sopor nascatur, calorifica remedia præsertim superioribus partibus admota, splendor, sermones, & alia, quæ calorem ad sensoria externasque partes euocare possunt, symptomatis huius sunt remedia. Ex quibus patet, quantum differat doctrina methodo instituta, ab alia, quæ temere ex aliorum libris omnia mutuatur. Scribunt enim authores varia remedia, quæ si in omnibus exerceas citra discrimen, homines perimes, aut certe soporem augebis, quem auferre studes.

Occurrunt, & dolori capitis oborto in febribus Scriptores de arte nostra temere cum remedia scribant diuersi generis, & cur id faciant, non doceant; est enim diuersum præsidium, quod sumitur à ligaturis membrorum, ab eo, quod præbent embrocationes.

Causa doloris capitis in febribus.

Præterea, in hoc damnandi, quod omnia, quæ capiti adhibent, fere frigida sint virtute, quasi dolor perpetuo à calida causa nascatur. Quare, doloris causæ explorandæ sunt prius, quam remedia adhibeas: Sunt vero duæ, vna quæ ex sensu sumitur, alia ex his, quæ sensum violenter lædunt. Quam ob rem, duo genera præsidiorum necessaria sunt, quæ contra dolorem agant: vnum, quod sensum stupefacit; alterum, quod causam adimit dolorem efficientem. Ac primo quidem genere non vtimur, nisi, vbi ob magnitudinem dolor est intolerabilis, & alterius generis non profuerunt remedia: tutior tamen est illius vsus, si calida est efficiens causa, quam si frigida, quoniam *maxima refrigerandi vis stupefacientibus inest.*

Quando stupefacientibus utendum.

Curatio.

Oriuntur itaq; dolores in febribus, eo quod vel calor solus vrgeat sensibiles circa cerebrum partes; vel quod humores, aut vapores calidos, vel frigidiores, eosque paucos, vel multos ad caput euehat, qui vel inter membranas contenti, & vasis tensionem cum intemperie solum committunt, aut etiam tumorem gignunt inflammatorium, aut alterius generis pro materiæ peccantis ratione; quæ causæ communia quædam habent præsidia, quoniam ex communi quadam causa, nempe per consensum cum reliquo corpore sint orta; quare reuulsione in omnibus est opus, maxime ad inferiores partes, per frictiones, ligaturas, cucurbitulas, hyrudines, clysteres acriores, & vocata suppositoria, & lotiones tibiarum, sed omnia oportet mitiora esse, cum calida est materia, quam, cum frigida; cum calor nocet, quam cum frigus, quoniam facilius reuellitur calida materia, & calor exasperatur nimiis frictionibus & ligaturis. Est quoque illud commune præsidium, quod capiti imponantur, quæ repercutiant, repel-

repellantq; ascendentem materiam: sed vbi frigida illa est, tutum non est solis repellentib. pugnare, sed, quæ simul calefaciant, admiscere oportet, vt simul etiam crassa materia iam concepta in membro affecto dissoluatur; Quod si inflammatio aut humorum copia dolorem committit, reuellentia, & deriuantia cum vacuatione, vt cucurbitulas cum scarificatione adhibere oportet. Nec obest aliquando venam secare, & necessarium est hirudines tum ano, tum venis temporum, & narib. admouere, cum in aliis sufficiunt, quæ duntaxat reuellant citra sensibilem vacuationem. Igitur, si dolor ex calore solo, aut etiam vapore calido, aut humore bilioso vrget, conferunt vnctiones, & embrocationes ex oleo crudo, & rosaceo, vel solo, vel mixto aceto, aut etiam aqua rosacea, ex quibus oxyrrhodinum conficitur ab antiquis ex rosaceo, & aceto, à nobis vero addita etiam rosacea aqua; quorum omnium mensura esse solet, vt tres rosaceæ aquæ partes, duæ olei, vna aceti addatur. Confert & hepati, cordi, ventriculo, spinę dorsi, refrigerantia admouere, vt vnguentum Gal. dictum, vel vnguentum rosaceum, aut epithemata refrigerantia. Prodest ascendentes humores, & vapores per refrigerantia collo admota, vbi venæ sunt, quæ ad caput feruntur, intercipere, viasq; occludere quantum licet. Quinetiá decoctiones rosarum, violarum, nymphææ, foliorum salicis, papauere, & aliis hoc modo refrigerantibus embrocationes, & quæ collo; & reliquis partibus admouenda esse diximus, conficere; vbi tamen soporifera hęc apponuntur, aliquid cum illis misceri debet, quod emendet, retundatque vehementiorem illorum qualitatem, veluti chamamelum, serpillum, stœchas, origanum, mentha; laudantur quoq; coriádri folia, aut psyllion cum polenta, vel polenta cum poligonio, pane, rosis, myrto, & serpillo cataplasmatis modo adhibita. At si frigida est materia, repellendum quidem est, sed parcius, & leuius; quare calidiora cum frigidioribus largius miscenda, vt cum rosaceo chamomelinum; cum rosis serpillum, & reliqua huius generis. Quod si arteriæ pulsent ex nimio calore, aut vapore distentæ, non oberit, si eas constringas fascia circumiecta capiti, & adstringentia superimponas: Veluti esset coriandrum cum aloe, & polenta, & rosaceo. Quod si frigida est dispositio, & flatuosa ex ruta illiusque semine, serpillo, spica quoque in vino, aut chamamelino & cum farina hordeacea, aut seminis lini, vel fænigræci, admixto melle, & stercore columbino, cataplasma conficies, quod dolenti loco impones.

Oxyrrhodinum.

Sunt autem hęc plane frigida admouenda, in vehementi febre, & calido plane affectu, præsertim si sit æstas: In frigida vero causa calidiora, in mixta materia, moderate calida, vel tepida admouenda. Horum vero vsum Paulus esse vult declinante iam accessione febris, sed perperam, quando dolor per incrementa, & vigores accessionum maxime infestat, tuncq; illi succurrendũ sit. Porro his remediis delirantibus, & inflammatione laborantibus succurrimus, quo minus peculiarem tractationem illa amplius requirũt. Quare ad alia symptomata, quæ circa animales functiones consistunt, accedendum.

A Cum rigor accidat in febribus aliquando in principio accessionum, aliquando vero progrediente morbo, instante Crisi, hic remedio non eget, cum instantis salutis sit indicium, ille vero perinde aliquando corpus concutit, vt præter solita, validiora postulet pręsidia; sic frigus, quod cum rigore coniungitur, suam curam postulat; ac de vtroque simul agendum, quoniam eadem sunt vtriusque præsidia.

Itaque quoniam rigor accidit ob delationem acris humoris per carnem, & musculos, frigus vero ob caloris retractionem, conandum erit, vt humor prompte exire possit; & calor ad externas produci; id quod maxime faciemus per
B ea, quæ extrinsecus adhibentur, & quæ intrinsecus assumuntur. Conuenit ergo inprimis aerem calefacere accenso luculento igne, & clausis vniuersis perspiraculis loci, in quo decumbit æger, idque non solum præsente rigore, sed etiam antequá ille veniat, suffumigia quoque cõferunt ad aerem calefaciendum ex myrrha, thure, ladano, storace, caryophyllis, omnib. tritis, & super carbones impositis. Prodest autem huiusmodi aer non solum ad cutim excalefaciendam extrinsecus, sed quod etiam inspiratus calorem augeat. Prosunt & frictiones ante rigorem, & vnctiones ex calidis rebus, vt oleo chamomelino, liliaceo, rutaceo, oleo de costo, aut de euphorbio cum gingibere, pyrethro, eu-
C phorbio castoreo, myrrha, pipere, calamento, pulegio, hyssopo, abrotano, & similibus calefacientibus. Habenda tamen ratio est peccantis humoris, & febris: nam mitiora eligenda sunt in calidioribus humoribus, & febrib. vt in tertianis, fortiora vero in quotidianis, & quartanis. Vnctiones autem adhibendæ sunt pręsertim spinæ, & cruribus, vbi scilicet partes sunt neruosæ, & exangues, & propterea magis affectæ in rigore, & frigore huiusmodi. Conferunt tamen maxime plantis pedum adhibitæ, quoniam vt frigus, sic calor à pedibus in vniuersum corpus facile transmittuntur; quibus peractis, iubebis lectum ex pluma diligenter calefieri & exsiccari, & suffiri cum prædicto suffitu, quo ad aerem
D excalefaciendum sumus vsi. Deinde ingredi iubebis lectum antequam adueniat febris, vt rarefactum, & excalefactum corpus inueniatur. Deinde pedibus, testibus, spinæ dorsi, & ceruici lintea calida, & puluinos impones. Adhibentur & lateres igniti, & vino aspersi inuoluti pannis maxime pedibus; item vas stanneum oblongum, & latum vino, vel aqua calida plenum.

Rigor in febribus vnde oriatur, vnde etiam frigus.

Qua vtriusque curatio.

Præterea, lamina ferrea accensa, & in vaginа lignea immissa & applicata pedibus. Intus vero sumuntur, quæ materiam minuant, clysteres calidiores, tum quæ eandem extenuent, & calefaciant, si frigidior fuerit: nam in biliosa tutum, non est vehementer calida exhibere;
E & fere rigor, & frigus harum febrium remedia non postulant. Commendatur autem theriaca antiqua cũ vino generoso ante accessionem; item potus aquæ vitæ ad vnc vnam cum scrupulo semis caryophyllorum. Datur autem Theriacæ, aut Mithridatii drachma vna, vel diacyminum, vel diacinamomum, vel diacalamentum.

Datur quoque mulsa, in qua piper, & ruta sint incocta; Datur & Myrrhæ drac. vna cum pipere, & aqua; Item confectio Anacardina ad scrup. duos. Cauendus est somnus, cibi aut potionis ingestio, quo tempore rigor vrget, ne ad interna viscera calor reuocetur, augeaturque foris frigus. Atque hæc satis de symptomatis pertinentibus ad animalem facultatem: nam delirium, vt vigilia tollitur, & conuulsio, sicut sopor & rigor. Tussis vero prompta habet remedia ex diadraganto, sacharo candido, mucilagine, psyllii, syrupo iuiubino, diacodion, pilulis bechicis paulatim deglutitis. Conferunt præterea quæ per nares trahuntur ad pituitam eliciendam, & deriuandam. Conferunt & lotiones oris adstringentes ad defluxum prohibendum.

Curatio delirii & conuulsionis. Remedia tussis.

Symptomata facultatis vitalis.

Res hæc diligentiorem postularet tractationem, quoniam multæ sunt occasiones, quæ animi defectum pariunt, vt in particulari tractatione de morbis superiore anno est expositum; hoc tamen sit Medici consilium, in animi defectu spiritum, & calorem ad externa reuocare, frictionibus, ligaturis, & aliis irritamentis naribus, auribus, & reliquis partibus adhibitis. Prodest & faciem aspergere aqua frigida, vinum, & acetum naribus admouere, & in oculos instillare: quin & vinum generosum assumptum, & Epithemata, & vnctiones cordi, & ventriculo adhibere expedit; quod si ex inanitione superflua animus deficit, externam superficiem adstringere oportet, & denique causas oppugnare, quæ symptomatis sunt causæ; pulsuum vero interceptiones si accidunt in febribus, non tamen propterea remedia diuersa à causis ipsarum febrium adhibenda.

Curatio deliqui animi.

Interceptio pulsuum.

Symptomata facultatis naturalis.

Remedia ad uersus sitim.

Etsi sitis ad sensitiuam facultatem pertinere videatur, tamen, quoniam quædam etiam naturalis est, inter naturalia symptomata eam reponemus; quæ quoniam fit à caliditate, & siccitate, refrigerantia, & humectantia remedia sunt necessaria. Ac quoniam per consensum fit sitis in febribus, eo scilicet, quod propter ebullitionem acres vapores sursum attollantur, ideo sitis alterum genus remedii erit, calorem repellere à supremis partibus. Humectant ergo, & refrigerant inter assumpta aer frigidus inspiratus, præsertim si à pulmone sitis nascatur; item aqua in ore retenta pleno ore, & eiusdem gargarizatio, & frequens ablutio; Galenus hæc remedia tradit, aquam potabilem, vinum cum aqua magis quam aquam solam: Acetum vbi calor causa est, vel humor & calor; Acetum cum aqua, pyra comesta, succum radicis dulcis, lactucam, symphitum, polentam aqua conspersam & potam duabus horis ante balneum.

Cibi pauci debent esse in pituitosis, & vbi bonus sanguis abundat. Oris adsit clausio, taciturnitas, aeris frigidi inspiratio, vigilia cum à calore stomachi cibum coquentis prouenit. Somnus, Prisana, sed distinctione est opus.

Si sitis oriatur ex ventriculo.

Si sitis ortum habeat in ventriculo, cibi sint cucurbita, beta, lactuca, hordeaceum, acetosum lac, serum lactis, pepones, aqua cum iulepo multo, vel cum decoctione seminum frigidorum, vinum granatorum, syrup. de limonibus, aqua endiuiæ, cucurbitæ, granata, ipsa comesta.

Amouenda, facienda, excernenda sunt clara, vt omphacium, portulaca cum aqua hordei mixta, folia vitis irrorata aqua rosacea.

Si ex vitio oris.

Si ex oris vitio mucilago seminũ cõmunium, sacharum candum in ore retentum, sacculus ex semine psyllii, & cidoniorum, portulaca in aqua madefacta & in ore retenta, hordeacea palea madefacta aqua frigida retenta in ore, frusta pyri, aut pomi eodem modo, nuclei prunorum, instillatio aquæ frigidæ, crystalli frustulum ore retentum, aer frigidus inspiratus, & humidus, id quod etiam prouenienti à pulmone faciendum.

Si à toto corpore.

Si vero à toto fiat corpore, Balnea extrinsecus, aer frigidus, aqua cum aceto bibita, somnus, &c.

Hæc de symptomatis, quæ febres continuas sequi solent; nam si quæ alia sunt, rarius ea contingunt, vt animi defectus, conuulsio, βουλιμίας, propterea hoc loco illorum tractatio à nobis contemnitur, præsertim quod Auicenna, Paulus, Aetius, vt Galenus etiam de illis abunde tractent. Quare superest, vt ad singulas febres accedamus, illarumque curationem peculiarem doceamus, id quod breuissime fiet, cum communia omnia præsidia sint explicata.

Cap. XI.

DE CVRATIONE FEBRIS SYnocha putrida.

FEbrem Synocham omnem ex sanguine fieri, & putridam ex eo putrescente, ostendimus; quare, præstantissimum remedium erit sanguinem mittere, cum vehemens sit febris, & sanguis ipse morbi materia. Verum de quantitate ipsius sanguinis controuersia esse potest: etenim Gal. *9. Meth.* tum in eo, qui Synocha non putrida, tum in alio, qui putrida laborabat, sanguinē misit vsq; ad animi defectũ; *Libro* vero *11. eiusdẽ Operis cap. 14.* detrahi tantum sanguinis vult in febre putrida, ne cogamur intempestiue nutrire; quo satis ostendit, non esse vacuandum vsque ad animi defectum: quandoquidem necessaria omnino nutritio est, vbi vires huiusmodi violentiam ex vacuatione sunt perpessæ. Quæ sane controuersia non est parui momenti, quãdo etiam non solum in synochis, sed etiam in ardentissimis febribus nihil commodius esse scribit, quam si sanguinem demamus, donec animus deficiat. Ego vero distinctione opus esse putarim: nam *si nondum multum processit putrefactio, & sanguis est qui abundat, & putrescit, prodest sanguinis detractio, quæ inferat huiusmodi deliquium: at si bilis est, quæ putrescit, vel alius humor, magnaque adsunt obstructiones, ex crassis viscidisque humoribus, & tam magna facta est putredo, temerarium fuerit, tam insignem moliri sanguinis vacuationem, ex qua crassior frigidiorque redditur humor, qui obstructiones facit, nec sistitur ob id putredo, nec humor corruptus educitur.* In prædictis vero extractio ea sanguinis materiam ademit morbo, & calorem extinxit, & hominem plane liberauit, aut certe minimum reliquit, quod natura breui temporis spacio conficere potest. Prodest & in his febribus Cassiam exhibere, & leuiores purgationes, quæ vtramque bilem, in quam sanguis est conuersus ob calorem febrilem, expurgent. Prosunt & aperientia, & victus tenuis, vel etiam tenuissimus, pro ratione febris, & virium.

Vena sectio.

Quantum sanguinis est trahendum.

DE

CAP. XII.

DE FEBRIBVS ACVTIS.

Acutæ febres quæ.

ACutas febres vocari à Galeno nonnunquam eas, quæ breuissimo temporis spacio finiuntur, siue magnitudinem, siue prauitatem habeant adnexam, cum tertianas inter acutas nominet; nonnunquam vero & proprie magis eas dici acutas, quæ magnitudinem habent, & cito finiuntur, ostendimus *in Opere nostro*, vbi de acuto morbo agimus. Ex quo constat, plures febrium differentias sub acutis contineri: nam & synocharum duo genera, & ardentes, & quædam etiam pestilentes, sub acutis comprehenduntur. Itaque si proprie acutæ sunt, *quæ magnitudinem cum celeritate habent*, constat omnes acutas venæ sectione opus habere, non omnes tamen aquæ potionem admittunt confertim bibitam; siquidem nonnullæ sunt, quæ ex inflammatione interna consistunt, vt febris, quæ pleuriticos, & peripneumonicos, aut hepatis, vel lienis, aut septi transuersi, aut ventriculi inflammationem consequitur; quibus omnibus frigida obsunt; quare de his agendum non est hoc loco, vbi solius febris, & non complicatæ cum aliis morbis curationem profitemur.

Curatio.

CAP. XIII.

DE CAVSONE.

Quid Causon sit secundum Galen.

CIrca febrem, quæ Causon, idest, ardens nominatur, non paruæ sunt difficultates: nam & in ipsius definitione, & essentia, & in differentiis, causis & signis illius, non semel discrepat Galenus: etenim *libro 2. de Crisibus* ardentem febrem à tertiana exquisita hoc solum differre scribit, quod in tertiana bilis feratur per vniuersum corpus; in ardente vero in vasis maneat; quod etiam aperte 29. *Aphorismorum tertis* testatur; ardentes, & tertianas esse biliosissimas, quemadmodum & 58. *Aphorism. 4.* adeo, vt nihil aliud esse videatur ardens febris, quam quæ ex pura bili putrescente, & manente in venis nascitur. At *libro 4. de Morbis acutis*, Causonem tum à pituita, tum à bile fieri tradit: quare ex materia non licet facile Causonem definire; quando etiam 9. *Methodi*, Synocham febrem vocat Galenus ardentissimam, quæ tamen ex sanguine fit. Præterea quomodo Causon à tertiana continua distinguetur, cum eadem sit materia? Nec ex loco affecto facilius est intelligere, quid sit Causon, & quomodo ab aliis differat: Nam *loco præcitato de Crisi.* fieri Causonem scribit; cum bilis putrescens manet in venis; id quod etiam contingit in continuis tertianis; alibi vero scribit, ardentem febrem nasci ex humorib. non vbicunque putrescentibus, sed potissimum circa ventriculum, ieiunum intestinum, mesenterium, & pulmonem. Ex quo patet, cum de loco dissentire, tum etiam ab eo, quod alibi dixit, in magnis vasis putrescere humores, in continuis febribus, vbi nulla est pars inflammata citra focum aliquem ipsius febris, qui in intermittentibus ponitur. Quod si ex Symptomatis Causonem definire velimus, quemadmodum Galenus *tex. 24. 3. Comment. 3. Epidemion*, quod scilicet ea sit ardens, quæ sitim, & calorem habet; quod si ita est, constabit & Synochas febres sæpe inter ardentes ponendas esse, quando hæc duo Symptomata sæpe comitantur Synochas, & nihil certius est, quam quod etiam in continuis tertianis huiusmodi Symptomata reperiantur. Verum etsi ita est, tamen intensione, & remissione differunt sitis & calor Causonis ab aliarum febrium, quoniam perpetua est sitis, & inextinguibilis, etiam si multum bibant in Causone, vt Gal. *24. 3. Comment. 3. Epid.* & quod per vniuersum morbum duret, & quod calor mordax, ardens, & fastidiosus sit, aliarum vero febrium non perpetuo ita se habeat. Quare placuit antiquis, Causonem vocare *continuam febrem, quæ sitim & calorem huiusmodi annexam haberet*. Quare errant, qui dicunt Causonis nomen etiam Synochis conuenire, quod scilicet sitim etiam adferat, & talem calorem habere quidem potest, sed non talem, qualem diximus. Habet præterea Causon remissiones quasdam, & intentiones indicantes; aliam esse materiam, quam in Synocha. At quid dicemus de tertiana continua, quæ ex bile fit, & continua est febris, an hæc Causon non erit? certe negandum non est, causonem esse ex genere continuæ tertianæ, non tamen omnis continua tertiana est Causon, qualis est notha, sed quæ ex syncera bile nascitur, & certis in locis peculiariter putrescit; de qua re postea.

Quomodo à Synocha differat.

Quid secundum antiquos.

Non omnem tertianam continuam esse causonem.

Differentias Causonis tradit Galenus 4. *tex. libri 4. Acutorum*, vbi scribit, duo esse genera Causonis, vnum legitimum & exquisitum, quod siti, & caliditate definitum est, alterum spurium, in quo nonnulla adsunt symptomata legitimi; alia non; est tamen apud eum reperire Causonem malignum, vt 45. 2. *Comment. 3. Epid.* Item lethalem, vt 7. 1 *Com. 1. Prorrhetic.* Item quod quendam sequatur conuulsio, vt 20. *Aphoris. 2.* & quod quidam æstate, alii vero hyeme gignantur; & denique ex causis, effectibus, & essentia propria differentias eius sumere licet. Nunc vero ad causas accedendum.

Causonis differentia.

Causas Causonis varias tradit Galenus. Etenim *lib. 2. de Crisibus* eandem esse materiam tertianæ, & Causonis scribit; quare si ita est, constat ex bile fieri Causonem, quod & 21. *Aphorism. 3.* & 29. & 30. & 2. 4. at *lib. 4. acutorum* ex salsa pituita eam nasci tradit; *textu* vero 7. 1. *Com. Prorrhet.* 7 ad hunc modum scribit; *Febris Causodes, tum ob alias causas, tum ob cerebri inflammationẽ fit.* Quin etiam *textu 61. 3. Acutorum* scribit: *Febris ardens, quæ sine tumore, vel phlegmone vel erysipelate, nec ex pituita salsa putrefacta, sed à bile per totum corpus feruente fit, balneo iuuatur, &c.* ex quo constat, varias esse causas, variosque humores, siquidem inflammatio, Erysipelas, bilis, & pituita eam facere possunt. Verum cum non explicet, cuius partis inflammatio possit author esse Causonis, constetque, non omnes inflammationes id posse, quando pleuritis inter præcipuas inflammationes id nequit facere, & multo minus profecto phrenitis, quæ à partibus, in quibus nos oritur longe abest, id poterit. Quare forte ventriculi inflammatio id faceret, verum nec ea, quando inflammatio ex sanguine fit, quare qui huiusmodi sitim inferre: pituita

Causæ

vero salsa dicitur facere Causonem, sed non legitimum, & merito, cum nunquam vehemens calor in pituita excitari possit, & verius fortasse, si nec Causonem quidem diceremus esse, quem committit huiusmodi humor; quomodo enim Causon fuerit, qui ardorem non habet? Tamen id iamdudum antiquis concessimus, vt illis liceat, & nominibus abuti, & res inter se confundere: eos ergo secuti, dicamus, *verum & proprium Causonem ex bile fieri; alium vero, qui improprius est, & cum aliis febribus coincidit, ex alio* (vt volunt) *humore*. Quare nunc explicandum, quo in loco putrescant humores, qui Causonē faciunt, & quæ sit generationis illius ratio.

In quo loco humores putrescant, qui causonem faciunt.

Non enim putatur fieri Causon ab humore in quocunque corporis loco putrescente, sed in illis potissimum, in quibus vehementem sitim inferre potest, cuiusmodi sunt ventriculus, & præcipue illius os; item ieiunum intestinum, iecur, mesenterium, & pulmo, inter quas partes quædam primario, quæ scilicet immediate sitim inferre possunt; aliæ vero per consensum id faciunt. Quod si citra tumorem putrescant humores in aliqua ex prædictis partibus, simpliciter nomen Causi sortitur febris. Quod si tumorem præter naturam faciat, peculiare nomen capit, vt Lipiara, Typhodes, quæ nomen sumunt ab accidente aliquo, quod scilicet extrema frigeant, media vero vrantur. Hæc quidem tradit Galenus *libro 4. de victu acut. textu quarto*. verum *libro 1. de Crisibus*, vt antea diximus, fieri Causonem *a bilioso humore contento, & putrescente in venis*, scribit, & certe ita sentiendum est: nam quomodo putrescere potest humor in ieiuno intestino citra phlegmonem, aut in pulmone, aut ventriculo, & febrem facere ardentem, quæ ex genere continuæ est? Sic etiam ipse *lib. 4. de victu acutorum*, dicit sitim non inferre Causonem, qui ex inflammatione illarum partium nascitur.

Lipiara. Typhodes.

Qui febri ardenti potissimum sunt obnoxii.

Sunt vero ardenti febri, & simpliciter dictæ obnoxii præcipue iuuenes, vel natura biliosi, & æstas, vigilia, parciorque victus has procreare solet, vt & reliquæ causæ calefacientes, & siccantes: ei vero, quæ ex salsa pituita nascitur, senes, & qui salsis alimentis plurimum vtuntur, ei autem, quæ ex inflammatione alicuius partis nascitur, qui eas partes imbecillas habent, & suscipiendis fluxionibus opportunas.

Causonis signa.

Signa Causonis confundit Paulus, & sæpe Galenus: Paulus quidem, cum dicit, sequi hæc Symptomata, aridam linguam, crassam, & nigram; ventriculi erosionem, deiectiones pallidas, sitim vehementem, vigiliam, & nonnunquam etiam delirium. Galenus vero *1. de locis affectis*, ardentis febris inditium esse scribit linguam nigram, & in illius vigore delirium. Item *46. tex. 3. Comment. 3. Epid.* Causonem dicit habere accessionem diebus imparibus, etsi in pestilenti constitutione aliter aliquando fiat. Quin & *76. eiusdem*, vt plurimum sequi, scribit, vomitum æruginosum; & *textu 1. 3. Prorrheticorum* in febribus valde ardentibus frumosas, inquit, fieri deiectiones; alibi vero siti, & calore eius naturam agnosci scribit: & denique varia semper tradit, & interim non Causonis omnis, sed vel simpliciter dicti, aut nothi, aut vtriusque simul notas tradit.

Dicamus ergo, simplicem & exquisitum cognosci ex calore, & siti perpetua, quæ sequuntur, siccitas, & exustio partium oris, & habities, durities que linguæ, & nigredo. Hæc enim calorem magnum comitantur. Alia vero signa locum potius affectum ostendunt, quam ipsum Causonem: nam morsus ventris, deiectiones liquidæ, vérticuli, hepatisque inflammationem comitantur; Delirium vero Causonem ex affectu pulmonis arguit. Licet & à causis, & essentia ipsius caloris verum a spurio distinguere.

Signa loci affecti.

Causon vel salutem, aut mortem, idque primo transeundo in hecticam aut marasmum, inferre solet. Quare signa sumes ad exitum dignoscendum ab illius essentia, causis, & Symptomatis; aliam enim finem consequitur, qui ardentissimus est, quam qui mitior, aliam, quem peperit bilis, ab eo, quem peperit pituita, vel Erysipelas, vel phlegmone alicuius partis: aliud iuuenibus, quam in aliis ætatibus, & in æstate aliud, quam hyeme expectandum.

Prognosis.

De Curatione iam agendum est, qua in re inprimis videndum, an venæ sectio huic febri conueniat; est enim magna de hac re controuersia: nam Paulus & Aetius huius præsidii mentionem non faciunt: Auicen. vero negat sanguinem mittendum, subditque rationem, quod bilis sanguinis extractione efferuescat, vtpote humido humore, quo temperatur, priuata. Licebit forte & idem ex Galeno probare: Si enim in tertianis exquisitis sanguinem non mittit, sed solis refrigerantibus, & purgantib. vtitur, cur idem non faciemus in Causone, qui eandem materiam habet, modo exquisitus fuerit: At 1. *Aphoris. primi* ita scribit: *In ardentissimis febribus, si vires validæ sunt, nullum melius est remedium, quam vsque ad animi defectum sanguinem mittere, quoniam vniuersum corpus refrigeratur ita misso sanguine.* In ictericis præterea Galenus *libro de atra bile* scribit obesse venæ sectionem, verum cum natura sæpe soluat Causonem sanguinis profluuio, cur verebimur eum mittere? Dicendum ergo, quod in Causone vel bilis sola abundet, & sanguis paucus sit, vel vna etiam cum bile venæ sint sanguine repletæ, quod indicabunt vrinæ; quæ enim rubræ sunt, & crassæ, sanguinis sunt indicia, sicut & corporis habitus carnosus, & venæ amplæ, rubeusq; color: Contra vero quæ pallidæ sunt, & tenues, corporisque habitus gracilis, & color perpallidus, bilis solius redundantis est indicium, in quibus sanguinem non mittes, nō quod vires repugnent, quæ aliquando subesse possunt satis validæ, sed quoniam causa morbi purgatione, & refrigeratione tutius, feliciusque demitur. Nec video, quare non sit par ratio in ictericis, & Causone, præsertim, cum non minus liceat cum nostris medicamentis in vno, quam in alio purgare. Dentur ergo purgantia, quæ citra calorem educant bilem, vt cassia, tamarindi, syrup. ex infusionibus rosarum, cum decoctione herbarum, & seminum frigidorum. Postea vero, & aperientibus, refrigerantib. tum cibis, tum medicamentis, & aquæ potione conabimur tum febrem, tum peccantem humorem educere. Solis vero potionib. regendi non sunt, vt Hippocr. scribit, quia biliosi

Curatio.

An venæ sectio conueniat.

biliosi facile exolhiuntur inedia. Nec oberit balneum aquæ frigidæ post signa coctionis, vt Hippocra. in *Aphoris.* tradit, præsertim si exquisitus sit.

Cap. XIV.

DE FEBRIBVS MALIGNIS *& pestilentibus.*

TRactatio, quam nunc instituimus, omnium futura est difficillima, quando res ipsa per se ardua est, & ab antiquis Scriptoribus negligentius conscripta, à recentioribus vero nec aucta, nec elaborata. Etenim inuenias antiquos Medicos malignæ, pestilentisque febris mentionem facere, nec tamen interim docere, an vna & & eadem sit illarum natura, & quæ sit propria singulis.

Præterea, non satis docent, an vnum sit illorum genus, vel plura: Signa præterea tradunt, quæ nunquam vni adsunt soli; In causis prætereà discrepant, & curationem vix attigerunt. Nouit, & nostra ætas febres pestilentes, quæ bubonem comitem habebant in locis glandulosis; nouit & alias Britannia, & Occidentalis regio, quæ breuissimo temporis spatio plurimos sustulit oborto in corpore sudore. Quid vero præstiterint sigillatim recentiores Scriptores, postea docebimus. Nunc vero Galeni opinionem de hac re inprimis excutiamus. Ac inprimis eo authore malignas à pestilentibus differre ostendamus; id quod docent inprimis definitiones diuersæ. Pestis enim communis est morbus, malignæ autem esse possunt, & quæ priuatim singulos infestant.

Opinio Galeni de febrib. pestilentibus & malignis.

Sunt & causæ diuersæ: nam pestilentes omnino ex aere ambiente nasci vult Galenus, *libro primo de differentiis febrium*, & ob excedentem putredinem ab aliis differre *text. 29. 1. Comment. 6. Epid.* nec in peculiari aliquo humore pestilentes ponit; malignas vero nusquam dixit omnes nasci ex aere, & *21. 2. Comment. Prorrheticorum* eas ex phlegmone hepatis, ventriculi, & septi transuersi nonnunquam nasci scribit. Quinetiam, *libro de Euchymia, & Cacochymia*, easdem ex tenui humore nasci refert.

In Signis quoque differunt, vt ex *25. text. primi Comment. primi Epid. & 25. secundi eiusdem*, & *77. eiusdem*, vbi signa malignarum febrium tradit, quæ non conueniunt cum his, quæ *29. 1. Com. 6. Epid.* tradidit.

Pestilentes & malignæ quomodo differant.

Verum etsi ipse non doceat, quænam sit differentia, videtur tamen mihi ea esse, quod malignæ sint genus ad pestilentes, adeo vt *omnes pestilentes sint malignæ, non tamen econtra.* Ex quo exploditur Fracastorii opinio, qui pestilentes vocat, quæ vt plurimum occidūt; malignas vero, quæ multos solum: omnes tamen vocari dicit pestilentes: nam malignæ non necessario occidunt multos, nec pestilentes sunt.

At cum malignum morbum definierimus, qui grauiora symptomata infert, quam essentia illius ostendat, nonne videbuntur quædam esse pestilentes, quæ malignæ non sint, quando videmus febres pestilentes nonnunquam vehementes esse, vt accidentia, quæ inferuntur, vehementiæ ipsius caloris respondere videantur? concesserim id quidem, sed dixerim, non pure malignam esse huiusmodi febrem; sed cum malignitate adiunctam quoque esse vehementiam. Quod si ita est, malignarum omnium febrium causa, *non in qualitatibus manifestis, sed in malignis sine in tota substantia ponere oportebit*, quæ pro magnitudine causæ & subiecti corporis varia inferunt symptomata, neque eadem in omnibus reperire est, quæ Galenus illis tribuit: veluti cum scribit *34. 3. Comment 3. Epid.* malignarum febrium symptoma esse colliquationem corporis, & excrementa syncere biliosa, & colliquata, & quod scribit *1. Comment. 1. Epid. 25. textu*, malignarum febrium accidentia esse sudorem continuum, sed non in vniuerso corpore, & frigus multum extremorum, & quod *25. & 77. 2. 1. Epid.* Febrium malignarum proprium esse, vt in diebus decretoriis deteriores euadant, & quod eas sequantur ab initio acuta febris cum paruo rigore, insomnia, angores, sitis fastidium, sudor paruus circa frontem, & clauiculas, delirium multum, timor, mœstitia, extremorum frigiditas, accessiones paribus diebus, sudores diutissime frigidi, extremarum partium liuiditas, sitis priuatio, vrinæ nigræ, tenues, paucæ, aluus dura, stillicidium sanguinis ex naribus, & mors sexta die. Quæ certe omnia in omnibus nunquam contingunt, docuitque id experientia; vt enim in omni genere febrium quædam simplices, aliæ compositæ, quædam nothæ, aliæ legitimæ, & quædam minorem, aut maiorem habent causam, sic profecto in malignis has differentias reperiri existimare oportet, quæ non eadem symptomata ob corporum etiam varietatem inferre possunt.

Malignarum causa in quo sit posita.

Cognoscemus autem (vt diximus) potissimū ex symptomatis, quę maiora sunt, & plura, quam calor ipse febrilis ostendat; tum etiam ex causis: nam qui in aere maligno versantur, aut corruptis cibis vescuntur, aut laboriosam admodum vitam agunt, ex qua humores aduruntur, & varias, corruptasque formas acquirunt, quique vel atrabilarii sunt, aut æruginosam bilem gignunt, & colore produnt, hi profecto, vt malignis febribus sint obnoxii; sic coniecturam cōfirmabunt, si calor mitior appareat, aut symptomata adsint longe plura, & maiora, quam pro febris ratione, licebitque ex remediis, quæ solent iuuare alias febres, vt venæ sectione, purgatione, & reliquis præsidiis malignas febres patefacere, si ea non prosunt, aut etiam obsunt; iuuant vero, quæ ab occultis qualitatibus, & vniuersa rerum substantia sumuntur. *Oportet vero suspectam habere salutem, vbi malignæ vrgent febres, quoniam non satis adhuc compertum est, quibus remediis singulæ gaudeant: nam si aliquid forte est repertum, quod pestilentes iuuet, non statim existimare oportet, omnes iuuare posse, quæ malignæ sunt. Quare, nihil aliud dicere possum de Curatione, quam quod spes vniuersa ponatur in his, quæ a tota substantia agunt; interim tamen non contemptis præsidiis, quæ dictat ratio*: nam si sanguis abundare videbitur, etsi sæpe etiam obest, cum mittitur, aut si mali abundant humores, etiam si nocet nonnunquam purgatio, tamen quoniam ratio iudicat, hæc præsidia esse necessaria, teme-

re illa omittentur, nisi ex aliorum similitudine colligamus hæc esse omittenda, quæ experientia iam ostenderit obesse. Prodest & partes præcipuas tueri, vt cor, hepar, cerebrum, & alias, quæ vel principatum obtinent, aut præ cæteris grauius forte afficiuntur. Quæ quoniam eadem essent repetenda in pestilentibus febribus, hoc loco omittuntur.

Porro, si pestilens febris est, *quæ eodem habitationis loco grassatur, & occidit, aut omnes, aut certe plurimos, quos inuaserit*, Causas illius inuestigare oportet, quonam modo scilicet ab aliis differant, quæque peculiaris sit harum forma, quid eas efficere possit, quid potissimum pati, & cur contagiosæ sint.

Quomodo ab aliis differant.

Itaque differre pestiferas febres ab aliis putant nonnulli, inprimis ratione loci, quod scilicet in pestilentibus putrescat vel substantia cordis, vel contenta; in aliis vero nulla sit illic putredo, sed solum excalefactio ex putridis vaporibus à loco putredinis ad cor eleuatis.

Secundum alios.

Item differre volunt, quod pestilens omnis sit hectica, cum fieri alioqui nequeat, vt facta putrefactione in corde, aut contentis, febris non sit iam confirmata, atque id ostendi, quoniam febres huiusmodi, nec pulsus magnos, nec citatos edunt, nec sentiunt ægroti se febricitare, vt in hectica contingit: Itaque, pestilentes tum hecticas, tum putridas esse, putredinem vero ipsam differre ab aliarum putredine, quod gradus putrefactionis largior sit in pestilentibus, quam aliis, id, quod Galeni authoritate *textu 29. 1. Comment. 6 Epid.* probant, & 23. 3. *Comment. 3. Epid* vbi inquit; *Malignitas in humore fit ob magnitudinem putredinis*. Quod vero putredo vel sit in humoribus, vel substantia cordis, confirmant eiusdem authoris verbis *cap. 3. 3 lib. de præsag ex pulsibus*, ex quo colligunt, formam, & definitionem febris pestilentis nihil aliud esse, quam *excellentem putredinem, & stabilem*, quæ cor ipsum occupauit.

Quomodo harum febrium putredo differat à putredine aliarum. Secundum alios.

Cur vero putrefactio in pestilente cor apprehendat, in aliis vero non, causam esse dicunt, quod ingens sit putrefactio, quæ potest cor afficere, id quod nequeunt aliæ facere, ob minorem putrefactionem: fieri autem in illis excellentem hanc putredinem dicunt, ob peculiarem excellentiam humiditatis, vel intrinsecus cumulatam, vel extrinsecus adductam.

Refutatio.

Quæ opinio multas patitur difficultates: nam quod 1. dicunt, in pestilente esse putrefactionem in humoribus, vel substantia cordis, in aliis vero non, nulla ratione probare possum: si enim febris omnis affectus est cordis, vt omnes hecticæ, & diariæ ponuntur in corde affecto, sic & putrida aliquo putrefacto in corde poni debet: nam sicut ex calore cordis habet, quod sit febris, ita ex putrefacto aliquo in corde habet, quod sit putrida. Deinde sequeretur nunquam putridam fieri posse, quæ originem ducat à corde, vt enim volunt ex inflammatione attolli vapores putridos ad cor, ex quo febris putrida nascatur, sic si ex ira, aut alio affectu cordis, vel diaria, vel putrida statim, aut post diariam nascatur, quæro, quomodo putrida, & à quo genita sit? à corde certe per vapores transmissos ab illo ad reliquas partes, ergo per vapores putridos, cum alioqui is, qui putridus non est, nequeat putridam parere, sed vel Synocham, aut diariam solum; At si putridi, ergo ex humore putrescente eleuati, qui cum à corde primo affecto attollantur, constat & humores illic esse putrefactos. Præterea, cum vapores illi, qui ita à corde eleuantur, attollantur ex humore posito in calefacto esse, & cor sit calidissimum, calidissimosque habeat humores, illi autem putrescibiles magis, quam alii, cur putrescere non poterunt, aut à calore statim concepto, aut à vaporibus illis elatis ad cor ipsum? Ad hæc, si solum humores essent excalefacti, & non putridi in corde, per alias febres putridas, esset rebus diaria, quoniam ex sanguine excalefacto dicitur fieri diaria, ex putrido vero putrida, & semper putrida cum diaria, & sanguis semper putrefactus, & calefactus simul.

Postremo, cum putredo ex obstructione nascatur, & humorem habeat cor putrescibilem non minus, quam aliæ partes, vtpote calidiorem, cur non poterit etiam putrescere humor in corde? Hæc, & alia argumenta ex nostris lectionibus, quæ factæ sunt *in principio huius libri*, vbi quæritur, an in corde putridi poni debeant humores, adferri possunt.

Quo loco etiam absurda omnia euitamus: nam, etsi concedimus, omnes putridas fieri ex humorum putredine in corde, non tamen propterea concedimus, omnes pestilentes esse, quoniã non eadem putredo; *siquidem in pestilentibus maligna est, in aliis vero simplex putredo*. Quod vero dicunt, febrem pestilentem esse hecticam, errant; Hectica enim nascitur *à vehementi calore*, qualem illi negant esse in pestilentibus febribus, præterea in corporibus exiccatis, illi vero copiam humiditatis ponunt esse causam excellentis huius putredinis. Mirum præterea est, statim hecticam fieri cum putrida, in omni pestilenti. Cur enim idem non sequitur in aliis putridis, quæ largiorem habent calorem, quæ partes solidas depasci possunt, & præter naturam excalefacere, cuiusmodi sunt ardentes? Præterea, si hectica esset in omni pestilenti iam confirmata, nullus vnquam euaderet, quod absurdum est.

Hectica vnde fiat.

At si dicas, cur est, quod non sentiunt dolorem aut calorem? Respondeo, id non fieri, quod sit hectica, sed quoniam exiguus est calor, qui etiam in putridis febribus, quæ lentæ sunt, non sentitur. Quomodo præterea vbi ponitur magna humiditas in corde, statim potest hectica incipere? Quare temere pestilentem statuunt esse & putridam, & hecticam, cum putrida solũ sit. Nec illud est necessarium, si putrefactio sit in corde, vt statim sit hectica, quoniam *hectica putrefactionem non sequitur, sed calorem*, qui cum leuis sit (vt ostendemus) in pestilentibus, hecticam facere non potest, alioqui cur hectica continuo non fieret per ardentes febres? vbi etsi illorum opinione, humores in corde non putrescunt, est tamẽ amplissimus calor, qui humorem solidarum depascere, & ipsas vehementius excalefacere potest. Quod vero dicũt, putrefactionem pestilentium differre ab aliarum febrium putredine, ob excellentem putredinem, errant, etiamsi Galenus id dicat: nam si putredo sequitur calorem, oporteret vtique excellentem esse calorem, vbi excellens esset putredo; quomodo enim effectus excellens à cau-

sa non excellente prouenire potest? Si præ-
A terea non sentitur huiusmodi putredo ob insignem calorem: nam vt calor ipse ingens ingentem putredinem, sic huiusmodi putredo calorem ingentem aduehit. Nec verum quoq; est, in omni pestilente calorem adeo esse paruum, vt ostendit Galenus 4. *cap.* 5. *de Præsag. ex pulsibus*, vbi scribit, calorem eorum, qui peste laborant, esse erysipelatorum: Erysipelas autem affectus est calidissimus, vtpote ex bile calidissimo humore procreatus. Illud vero, quod dicunt, malignitatem nasci in pestilentibus ob magnitudinem putredinis, cur non idem in ardentissimis febribus contingit, vt omnes scilicet sint pestilentes, cum illic sit humor aptissimus ad putredinem, bilis flaua, aut
B sanguis, & calor intensissimus putredinis author? Ex quo etiam illud refellitur, quod dicunt, putrefactionem in pestilente cor apprehendere; in aliis vero non; quod maior sit in illis putrefactio; idem enim in ardente fieri deberet. At, quod volunt ob excellentem humiditatem fieri excellentem hanc putredinem, id non tam humiditatem sequitur, quam calorem excedentem. Præterea videmus, non solum humidos, sed & siccos pari facilitate peste corripi ex solo contactu, vel conuersatione cum peste correptis; aut solius pestiferi aëris inspiratione, in quo sæpè nec excedens humiditas, nec caliditas conspicitur.

C *Opinio aliorum, qui differentiam sumunt ex causis efficientibus.*

Alii vero differentiam sumunt ex causis efficientibus, quod scilicet pestilentium causa sit aër, aliarum vero obstruentia, aut alio modo calorem intendentia. Deinde, quod in aliis humores sint vel qualitate, vel quantitate peccantes, in peste vero cum omni mediocritate humorum morbus nascatur. Præterea, quòd non omnes putrefactiones, & aëris corruptiones, sed certæ duntaxat pestilentes inferant febres, & quæ magis calidæ sunt, minorem vim ad illarum generationem obtineant, maiorem vero in aliis. Sed de istis Causis non est dubium, verùm de formali ipsa, quam illi dicunt esse in pestilentibus putrefactionem profundam, & sordidam, in aliis vero leuem duntaxat,
D & (vt aiunt) superficialem; Profundam autem interpretantur, quæ infimas rei, quæ putrescit, partes attingat, quod dicunt contingere, quia seminaria magnam habent ad agendum vim, cum non sint simplices vapores, nec simplicem habeant mixtionem, sed fortem. Qua ratione, nec facilè alterantur, sed perstant, & actionem continuant.

Prætereà, eos vapores esse lentos, & propter lentorem agglutinari, & adhærere, ac non solum profundam, sed & latam esse putredinem, quoniam seminaria sunt sparsa, & alia ex aliis
E generantur. Ex quibus colligunt, *febrem pestilentem esse febrem sordidæ, & profundæ putrefactionis, includentem seminaria acutissima contagionis per se, propter quod est lethalis, est contagiosa, & ad alium lethalis.* Qui profectò multa dicunt, sed non satis probant, quod volunt. Nam primò, quod dicunt esse putredinem profundam, & latam in his, probare non possunt: si enim putredo

[illegible]

A à calore nascitur, profundam oportet esse, & latam, quæ à vehementi calore prouenit.

Nec probare possunt indicio aliquo, huiusmodi esse putredinem; quibus enim indiciis id facient; cur enim profundior erit, & sordidior in his febribus, quam in Synocha, vbi plurimus est calor, plurimus sanguis, & humiditas, vnde sordities nascitur? & cur vapores illi non simplicem habent ad agendum vim, sed validiorem, cum nullam insignem qualitatem obtineant, calorem, inquam, vel frigus, quibus robur conceditur? nam in aere nullo calore, aut frigore infecto, sæpè nascuntur pestes, vt circa Autumnũ, & Ver; Vapores vero illos esse lentos, & crassos,
B minus probare possunt: nam id non esset malum commune, quando non omnia corpora lentam eam substantiam habere possunt; vnde præterea deliria, pustulæ, & maculæ, & sudores copiosi nonnunquam per huiusmodi febres, si lentorem haberet huius pestis materia, vel causa aliqua? Quare nos quæramus pestis definitionem, si non euidentioribus rationibus, saltem magis accommodatis arti nostræ.

Cum itaque videamus, pestilentibus febribus conuenire, quæ contrariæ sunt facultatis, si primas qualitates spectemus, & alias à primis ortas, siquidem quæ lentorem habent, & crassitiem, vt bolus Armenus, terra Lemnia,
C tum quæ incidunt, & extenuant, vt dictamus, tum quæ nullam habent manifestam qualitatem, sed Antidota sunt, & tota substantia repugnant, illis opitulantur, vt Smaragdus, theriaca; constant profectò, febres pestilentes duplicem habere formam, & naturam, vnam in calore, qua febres sunt, aliam in tota substantia, qua sunt pestilentes; sunt autem putridæ, vt ostendunt remissiones, & accessiones ipsarum febrium. Quare nihil aliud mihi videtur esse febris pestilens, quam *morbus in tota substantia, & febris ex maligna quadam putredine oborta*: quandam addidi malignitatem, vt alias seiungerem malignas, quæ pestilentes non sunt; Oportet autem malignitatem illam, quæ
D in pestilentibus est, talem esse, vt contagiosa fieri possit, id quod fieri videtur, quoniam spiritus in his peculiariter afficiuntur vna cum humore, qui à corpore exhalans alios inficit, qui sunt eiusdem generis, vt bos bouem, homo hominem.

Febris pestilens quid.

Nunc vero de causis agendum est, quas iuxta Medicorum placita & immediatas & mediatas asserere licet: ad immediatas referri solent ipsæ putrefactiones, & hæ quidem insignes, & in summo qualitatis gradu constitutæ; non defuere etiam excellentes in re
E medica viri, qui præter vehementem illam putrefactionem & occultam quandam qualitatem, inter immediatas febrium pestilentialium causas non iniuria (vt ego arbitror) retulere, moti non contemnenda profectò ratione, desumpta à miris effectibus, & remediis, quæ occulta quadam proprietate ipsa docuit experientia febrili huic pestiferæ malignitati obsistere. Mediatæ etiam causæ bi-

Eius causæ immediatæ.

Interna. fariæ sunt; cum aliæ internæ, aliæ externæ dicantur; internæ quadruplici numero continentur, corporis scilicet temperatura, habitu, ætate & sexu, quæ omnia sic attestantibus Hippocr. *in lib. 1. de flatibus*, Galeno 1. *lib. de diff. febr.* Alexandro 1. *Problem.* 18. sub nomine dispositionis corporum comprehenduntur. *Externa.* Externas etiam causas multiplices medicinæ scriptores retulerunt; Qui pietatis nomine commendari assolent, quibus & Arabs ille Auenzoar iure merito connumerari potest, inter externas causas Deum immortalem posuere: & certe inficias ire non possumus, sic sacris attestantibus literis, quin sæpè Deus peccatis hominum ita promerentibus pestilentes morbos ipsamque adeo luem pestiferam mundo immittat. Astrologorum opinione, cui etiam aliquando Princeps Mauritanus adhæsit, influxus cælestes febres causare pestilentiales literis traditum non ignoramus, erroneè licet, vt doctè non minus, quam eleganter doctissimus ille Picus Comes Mirandulanus in sua contra Astrologos edita tradidit Apologia, qua illorum argumenta euertit, & ridicula prorsus esse viuis rationibus ostendit. Verius Medici omnes, & præcipuè Galenus aeri inter externas causas, principem locum concessere; præter aerem regiones Austrinæ causis externis adnumerantur, vt & cibi & potus inordinati, & malis qualitatibus affecti: alias quamplures causas vos priuata lectio variorum in medica facultate authorum edocebit, nos Laconicè rem ipsam tractare aggressi, nunc ad harum febrium Curationem pestilentialium properamus, quæ vt exquisita methodo ad artis præcepta & doctrinæ normam à nobis iampridem obseruati solitam, instituatur, meminisse vos *Differentia.* oportet, alias esse febres pestiferas veras, alias non veras, quarum omnium curatio non multum discrepare vna ab altera videtur, nisi quod cum pestiferas veras venenatus aer peperit, exquisitam magis & diligentiorem requirunt solicitudinem vrgenti vt veneno obsisti possit.

Curatio. *Sumitur autem tota febrium pestilentium curatio ab huius febris natura*, quæ quidem constat ex materia & forma. Intemperies calida & sicca formam huius febris repræsentat, vnde emergit indicatio, vt refrigerandi, ita & humectandi. Humor autem summè putridus huiusmodi febris est materia, in hac febre quadruplex emergit curandi scopus, *refrigerandi vnus & humectandi*; *alter euacuandi putrefactam materiam*; *tertius materiam, quæ putrescit comprimendi & corrigendi*; *quartus, & postremus resistendi prauitati putredinis*. *Quatuor scopi curationis.* Scopi hi vt adimpleri possint, res non naturales accuratè & considerandæ & administrandæ sunt. *Correctio aeris.* Aer eligendus frigidus, siccus, & odoratus, idque putredinis & nobilissimi visceris cordis, & spirituum tutelæ ratione; itaque ad huiusmodi aerem procurandum artis beneficio conuenit irrorationes administrare, aceti rosacei, aquarum rosarum & acetosæ, & in patientis cubiculum iniiciendæ erunt herbæ refrigerantes ac odoratæ; quales sunt nymphea, borrago, rosa; & his similes, implendique sunt thalami malis citriis, camphora, sandalis, ita vt omni ingenio & arte quantum fieri licebit huiusmodi aeris odorati qualitas inducatur.

Somnus & vigilia. Somnum æquè ac vigiliam volumus esse moderata.

Motus corporis & animi. Motus omnes fugiendi, & animi præcipuè, hinc curandum omnino, vt hominum frequens salutatio aut congressus vitetur, illique solum admittantur, qui patienti ægro gratissimi sunt & acceptissimi. *Repletio & inanitio.* Repletiones inanitionesque nimiæ esse non debent; venter lubricus & mollis seruandus, quod frequenti iniecto enæmate, aut crebro suppositoriorum vsu procurandum est.

Cibus. Cibus à nonnullis multus, ab aliis paucus offerri assolet, & vtraque pars vt suis rationibus ita & authoritatibus haud destituta, opinionem conceptam obstinate tutatur: ego hac in controuersia ne iusto sim præter morem longior, ad authores, qui de febribus scripsere, vos relegatos volo, hoc addito solum, cibum mea sententia nec parua quantitate, nec nimia exhibendum, & is quidem his conditionibus, vt polleat necesse est, scilicet optimi vt sit succi, concoctu facilis, & paucus pro vice, sed pluribus interim vicibus ægris ab assistentibus offeratur, optimi namque succi, & facilis concoctionis cibum esse conuenit, vt vires conseruentur, spiritusque reficiantur; qui quidem ex boni succi cibis id citra controuersiam omnem indubiè assequuntur: debet etiam facilis esse concoctionis, quia innatus calor eneruatus, & debilis valdè vi affectus præter naturam vehementis & maligni redditus, magnam ægro oblatam cibi quantitatem concoquere nequit; debet etiam paucus esse pro vice, pluribusque pariter vicibus offerri, quia si multus vna vice exhibeatur, non coquitur, sicque crudo remanente alimento, putredini fomitem præstat excrementum maximo sanè cum periculo, & certissima haud dubie cum pernicie decumbentis.

Potus. Vini vsus, quod ad potum attinet, plane interdicendus, quamuis viribus valde labefactatis nonnulli vinum esse concedendum autumarint, contra ipsius etiam Galeni doctrinam 9. *de Simplici medicina*. quo loci Bolum Armenam in huiusmodi affectu vino commixtam ægro offerre metuebat.

Debita victus ratione præscripta, intentiones curatiuæ penitus adimplendæ sunt, quæ in euacuatione partim materiæ infestantis putridæ, partim in eiusdem, quæ putrescit, correctione consistunt. *Euacuatio.* Putridam itaque materiam expurgari debere omnes concordi sententia Medici decreuerunt, controuersia tamen de euacuationis tempore non leuis passim suborta est, vt & de euacuandi modo, an nimirum pharmaco purgante euacuanda peccans materia, an sanguinis missione vtendum; pharmacorum vsus fluido iam facto humore noxio, & *An & quando purgantia admittenda.* iam per concoctionem attenuato adhibendus: quamuis hoc loco disceptetur à multis in re medica non parum etiam exercitatis, an humorum concoctio expectanda sit, an verò à princi-

An & quando vena sectio.

principio euacuanda materia putrida, quam in alium discutiendam locum disputationem reiicimus. Venæ autem sectio vtrum conueniat, & quonam tempore, à multis ambigitur, multosque olim torsit archiatros hæc quæstio, & in præsens adhuc torquet, rationes vtriusque partis apud alios vobis, vbi otium suppetit, legere licebit, nos, ne temporis iacturam faciamus, bonasque horas malè collocemus, solito insistentes compendio quid sentiamus, breuiter accipiatis. *Principio pestilentium febrium semper vena est secanda, viribus tamen integris, & nihil sanguinis missionem impediente*; est namque ipso in principio magnus morbus, & vires nondum effectæ debiles, quia nondum cor ipsum venenata qualitate affectum, idcirco non improbanda venæ incisio, *imo adhibenda omninò. Si verò Medicus non aduocetur ab ægrotante in ipso morbi principio, nunquam phlebotomia sanguis extrahendus est, sed ea adhibenda remedia, vrgente præsertim plenitudine, quæ sectionis venæ vicaria appellantur, qualia sunt cucurbitulæ cum scarificatione dorso & spatulis vel cruribus etiam adhibitæ*; post exhibenda Bolus Armena vino commixta, quæ in omni pestifera febre oblata prodest, semperque propinanda est. Theriacæ vsus proprietate quadam commendatur in huiusmodi affectibus, vt & lapidis bezoar vocati ex vino potatio; nec contemnendæ vtilitatis est syrupus de scordio dictus, *cum maximè aduersetur scordium omnibus putrefacientibus* Galeni authoritate *primo de Antidotis*. Commendatur etiam à nonnullis cornu vnicornis, quod tamen alii reprobant; Asini Indici cornu laudat Ælianus celebris historicus, quo scribit pro poculo vsos Reges Indicos veteres, quod eius vsu arbitrarentur se immunes fore à Comitiali morbo, & venenis. Et hæc de pestilentialibus febribus à nobis in præsens dicta sufficiant, latius de iis, Deo auspice acturi in Commentario, quem in Galeni librum de Febribus ad Glauconem conscripsimus, quem propediem vobis me daturum polliceor.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII CASTELLONOVENSIS PEDEMONTII

PHILOSOPHI, AC MEDICI PRAESTANTISSIMI COMMENT.

In libr. Gal. de Febribus ad Glauconem.

PROOEMIVM.

NON possum, iuuenes studiosissimi, amplius sequi institutum à maioribus nostris inuentum interpretandi scilicet Auicennæ Fen primam, libri quarti, in qua author tractat de febribus: nam cum id fecerim tertio abhinc anno, me sæpe pœnituit mei instituti, propterea quod in eo authore omnia prolixe tractantur, multa confuse, alia etiam falso docentur, plurima non intelliguntur ob malas illius in Latinum sermonem conuersiones, in quibus interpretes sæpe contraria de eadem re dicunt; relinquuntur etiam in codicibus Latinis plurima verba Arabica, quæ cum à nobis non intelligantur, faciunt vt tota sententia non percipiatur. Quæ res cum mihi maximam molestiam adferrent, faciebant quoque vt ego parum doctus vobis viderer, & minimũ vestris studiis prodesse, itaq; tentaui hoc anno pariter interpretationem quartæ Fen primi libri, in qua easdem difficultates inueni, & ob id omnino decreui relegare eum

authorem à nostris scholis, operamque A nostram collocare in meliore opere; verum, & in hoc sunt etiam tuæ angustiæ: nam nullum habemus authorem, qui tractationem de febribus totam sit complexus vno volumine, & breui compendio, nam Galenus in vno libro agit de diff. & causis febrium; *in Meth.* vero *medendi*, atque etiam in aliis plerisque libris curationem solum febrium diariarum, synocharum, putridarum, & hecticarum in genere est complexus, atque ita facile, vt non sit opus accuratiore interpretatione, qualis fieri solet in scholis Italicis, sparsim multa tradit de febribus *in Commentariis*, quos scripsit *in Hippocratis libros*; postulat autem institutum nostrum, vt in vnico Opere contineantur omnia breuiter, & cum methodo scripta. Propterea nec Paulus, nec Aëtius, nec alii Græci Medicinæ Scriptores, aptam ad id docendum in scholis tractationem de febribus fecerunt; illi enim nulla principia ponunt, nihil probant, raro diuidunt, ieiuni sunt in medicamentis, & ea, quæ tradunt, nostris temporibus vix accommodari possunt, vel potius omittenda sunt, quandoquidem multo meliora & mitiora illis inuenit posteritas, & nostra industria; ac multa dedit nouus orbis antiquis ignota. Itaque decreueram, integram instituere tractationem absq; interpretatione alicuius Operis, explicando scilicet primo, quæ ad definitionem, & naturam ipsius febris pertinent; deinde febris ipsius differentias, postea causas, quarto signa, postremo generalem curãdi rationem, & eandem obseruare docendi rationem in singulis generibus febriũ, nempe in diariis, humoralibus, & hecticis. Verum, vt hæc doctrina prouectioribus esset admodum accommodata, ita rudioribus forte non esset facilis; itaq; suscepi vobis interpretandum Galeni primum librum ad Glauconem, qui etsi non omnia continet, quæ desiderat integra tractatio de febribus (nihil enim illic tractat de febribus Synochis, nihil de hecticis, nihil de pestilentibus, nec de semitertianis, & de multis aliis,) tamen nos sumemus occasionem ex eo Opere docendi, quod & doctis, & rudioribus sit futurum vtile & facile, ac simul integram perficiam tractationem.

Est porro hæc Tractatio de febribus inter alias omnes, quæ habet nostra Medicina, vtilissima, pulcherrima, & difficillima: si enim vtile est philosophari, & pulchrum in rebus difficillimis ingeniũ exercere, nulla profecto reperietur in arte nostra tractatio, quæ cum hac conferri possit. Quis enim non admiretur Medicum, qui certis rationibus docere possit, vbi febris consistat, & in qua parte foueatur, ex qua materia quælibet illarum accendatur, & à quibus causis gignatur? cur præterea quædam continuo infestent, aliæ vero aliquan- B do quiescant, & postea redeant per certa, vel incerta temporis interualla, & ea quidem longiora, vel breuiora. *Tractationis laudes.*

Nonne etiam pulchrum est, posse prædicere salutem, mortem, & tempora, in quibus hæc fiunt? In curatione tanta est scientia, vt merito Medicum tanquam Deum quendam mirari debeamus, qui febres sciat certe persanare. Ad hæc, si vtilitatem metiri volumus, tũ ægrotantibus tum nostro com- C modo hæc tractatio alias omnes longe superat; Nullus enim hominibus grauior est morbus, nullus, qui frequentius infestet, nullus, qui vniuersum corpus citius deiiciat, aut sæpius perimat, quam ipsa febris. Prouenit quoq; nobis ex curatione solius febris plus commodi & honoris, quam ex aliis omnibus morbis: eos enim aut contemnunt homines, aut ad eos propulsandos tunc solum accersunt Medicum, cum illi grauissimi sunt facti, & cum qualemcũq; quando- D quidem & vetulæ mulierculæ, & idiota quilibet dolenti stomacho, aut capiti affecto remedia audent adhibere: at febrium curationem nobis reliquerunt omnes, nec aliquis est homo alterius ordinis, quam nostri, tam audax, qui illius scientiam sibi vendicare audeat: At cum nonnulli dicunt, se remedia habere, quæ febribus prosint, tamen cum ipsi eo morbo vexantur, suis auxiliis non fidunt, sed à nobis opem quærunt.

E Est quidem vtilissimum vulneribus, fracturis, vlceribus, luxationibus mederi, quandoquidem his malis nobiliores homines maxime sunt obnoxii, sed eum quæstum, qui paratur Chirurgia, *vilissimi* tonsores nostra negligentia, & indulgentia nobis iamdudum eripuerunt. Itaque vtilissimam huius rei explicatio-

plicationem existimabimus, si modo ea est, quæ præ cæteris tantorum laborum, quos discendi causa suscipimus, nobis vberrimos fructus promittit.

Difficultas. Quod si rerum cognitio per se, & quia difficilis, homine digna censetur, quænam, quæso, est pars in Medicina hæc ipsa difficilior, iucundiorq; ? Quid vero hoc etiam dignius, quam posse hominem febre laborantem curare, si enim Medicum laudamus, qui vni parti affectæ succurrere nouit, certe hanc partem reliquis omnibus præferemus, vtpote, quæ non vnius membri, sed vniuersi corporis Medelam pollicetur.

. Cæterum, de difficultate huius Operis commodius agemus, enumeratis his, quibus vniuersa tractatio constat: nam in vnaquaque parte licebit ostendere, plurima esse difficilia, nonnulla adhuc non inuenta, quę tamen summopere sunt necessaria; alia vero ab aliis, vel dissimulata, vel pro dignitate nequaquam explicata.

Diuisio sine ordo. Constat autem (vt breuiter dicam) vniuersa hæc tractatio septem partibus, quarum Prima de essentia, & de definitione ipsius febris aget; Secunda de ipsius generibus: Tertia de differentiis; Quarta de causis; Quinta de temporibus, siue partibus febris pertractabit; Sexta de signis; Vltima erit de curatione; Quæ quidem capita ea esse, & tot, quot ponere oportet, ex hoc patere puto, quod hæc particularia omnia, quæ de febribus dici possunt, in se complectuntur, & illis cognitis nihil relinquatur, quod Medicus in officio suo obeundo in hac parte desiderare possit. *Ordinis probatio.* Eo vero, quo diximus, ordine esse illa collocanda, facile patere potest ei, qui nouit quid sit Methodo docere: nam ignorata essentia, & definitione ipsius rei, frustra alia tentabis docere. Quare primum locum definitionis explicatio merito sibi vendicat: qua cognita statim sequitur explicandum, an res simplex sit, an composita, in quo quærimus febris species primas, ex quibus omnes aliæ nascuntur, quo explicato, statim videndum est, qua ratione quotue modis illæ inter se differre possint. Cognitis vero differentiis, inuestigandæ sunt causæ, quæ ad illarum generationem, auctionem, & conseruationem faciunt, contra quas in curatio-

A ne, & præseruatione pugnandum est. Quoniam vero remedia varianda sunt, cum febres mutantur, ideo tempora siue partes ipsius febris explicandæ veniunt: At n[illegible] febrem, nec illius genera, differētia[illegible] causas & partes dignoscere possum[illegible] nisi doceantur harum rerum not[illegible] & signa: atque his omnibus cognitis in promptu sunt ea, quæ ad curationem febricitantium sunt necessaria. Quare de curatione, mitigatione, & aliis officiis, quæ exercemus in sanandis ægris, merito postremo loco a-B gendum erit. Hæc, quibus constat ipsa tractatio de febribus, & eo ordine, quo ipsa enarrauimus, singula sunt explicanda, sed quoniam nos Galenum sequimur authorem, occasionem sumemus ex eo explicandi prædicta omnia, & si quædam ex illis omittat, nos ea addemus, vt perlecto vniuerso hoc illius libro, integre inueniatur nostra opera facta de febribus tractatio.

Sed ne illotis (vt aiunt) manibus accedatis ad harum rerum intelligentiam, necesse est, ut multa præcogno-C scatis, nam inprimis corporis natura, & constitutio tenenda est, cum in genere febrium distinguantur penes triplicem substantiam nostra corpora, spiritum, humorem, & solidas partes, quis intelligere poterit generum distinctionem, qui non antea illarum rerum naturas, & vsum in corpore perspectum habuerit? Sumuntur etiam differentiæ à materia subiecta, variantur que prædictio, & curatio ob subiecti, & materiæ diuersitatem. Non est quoque ignoranda D corporis temperies atque structura, & quæ in affectionibus corporis nascitur differentia; siquidem generatio naturaque febrium, necnon prædictio, curatioque ob illa mutantur; etenim in corporibus bene temperatis bonisque humoribus abundantibus, optimeque transpirantibus labor diariam febrem, in aliis vero putridam excitat, atque in his periculosa omnia redduntur, in illis vero vix ex grauissi-E mis febribus aliquod imminet periculum, facilisque est curatio; oportet præterea tenere, quæ, & quot sint partium actiones, quidq; singula efficiant, & quomodo, quove tempore suum officiū exerceant; sic enim intelligemus, quid natura præstare possit, quid etiam nobis relinquat; nec ignorare oportet

omnium vim, quæ corpus nostrum immutare possunt, quid scilicet illud calefaciendi, refrigerandi, siccandi, humectandi, replendi, vacuandi, densandi, rarefaciendi, obstruendi, aperiendi, roborandi, nutriendi potentiam obtineat, & deniq; scire oportet, quicquid nostrum corpus quocunq; modo afficere potest: sic enim intelligemus omnium febrium causas, & illarum remedia; necnon scire necesse est, quicquid significare potest febrem, illiusq; differentias, causas, & partes, & quæ in febribus sequuntur, vt salutem & mortem. Deniq; qui vult esse huius tractationis idoneus auditor, debet accedere benè instructus in aliis omnibus Medicinæ partibus. Sed iam ad ipsum Gal. accedamus.

ΓΑΛΗΝΟΥ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΓΛΑΥΚΩνα θεραπευτικῶν.

Galeni de arte curatiua ad Glauconem.

IN Opere hoc explicando, Primo agendum est de inscriptione illius; Secundo, de scopo authoris; Tertio de diuisione Operis; Quarto, de doctrinæ modo, quo author vtitur in explicatione eorum, quæ in Opere traduntur; Postremo de Vtilitate, quam sperare possumus ex operis huius certa intelligentia.

Quæ libri inscriptio. Rectè igitur Montanus eos arguit, qui inscribunt opus hoc de febribus ad Glauconem, nam titulus iste solum comprehendit, quæ continentur *in primo libro.* verùm ipse pariter aberrat, cum titulum facit parua Methodus Therapeutica, quia in Græco codice non est parua Methodus, sed solum legitur *de curatione ad Glauconem*; nam Methodus non est parua, aut magna, sed bona aut mala, quæ potius Methodus à quibusdam Compendium, siue compendiosa docendi ratio verti solet, vt apud Quintil. legitur.

Scopus Galeni in hoc libro quis. Scopus autem Galeni est, vt ipse *paulo post* docet, velle in gratiam Glauconis docere, & scriptis mandare vniuersalem quandam Methodum per compendium; est enim hic Glauco ille, de quo mentionem facit *in libro quinto de locis affect.* *Glauco quis fuerit.* Philosophus Platonicus, Galeni ipsius amantissimus, & admirator, vt ipse *in eo quinto libro* scribit. Porrò, Methodi huius vniuersalis vim, & vsum docet non in curationibus singulorum morborum, sed in quibusdam duntaxat, ex quibus reliquorum curatio intelligi potest: nam qui nouit vniuersale, & illud applicuit aliquibus particularibus, facilè ad alia transferri potest.

Operis diuisio. Diuiditur autem opus in duos libros, ac in primo tractat de curatione febrium, in secundo verò de curatione tumorum præter naturam, adiungit tamen etiam illorum morborum signa, & causas, non ex proprio quidem instituto, sed vt curandi ratio, quæ sumitur ex natura, & causis morborum facilius innotesceret.

Modus doctrinæ. Cæterum, quod attinet ad docendi modum, Montanus, nescio, quo modo scribit, Methodum esse diuisiuam, & resolutiuam, & ordinem docendi esse compositiuum, sed vt *in Commentariis nostris in Artem Medicinalem* ostendimus, Doctor iste malè passim diuisiuam, & resolutiuam Methodum pro eadem vsurpat. Præterea Methodum, & ordinem docendi nescio, quo modo distinguat, & dicat diuisiuam, & resolutiuam esse Methodum, ordinem vero esse compositiuum. Dicamus ergo, Methodum, siue ordinem, quem obseruat, esse compositiuum, quandoquidem incipit à simplicioribus intemperaturis, & morbis, & procedit ad magis compositos.

Vtilitas. Vtilitas autem magna est huius Operis, primum ex modo scribendi per Methodum breuissimis verbis explicatam; secundo, quod in hoc opere ad particularia descendat remedia, præsertim in febribus curandis, quod nusquam alibi fecit, ex quo intelligimus modum medendi antiquorum, præsertim in febribus, quem alioqui non erat facilè ex aliis operibus percipere, atque ita intelligemus, (vt arbitror) quam feliciores nos simus ipsis; sed hæc in progressu (vt spero) demonstrabimus.

CAP. I.

Ὅτι μὲν οὐ τὴν κοινὴν μόνον ἁπάντων ἀνθρώπων φύσιν ὦ Γλαύκων ἐπίστασθαι χρὴ τὸν ἰατρὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἰδίαν ἑκάστου, πάλαι τε πρῶτος Ἱπποκράτης ὀρθῶς εἴρηται, καὶ ἡμῖν δ' ἐπ' αὐτῶν, ὡς οἷόν τε, τῶν ἔργων τῆς τέχνης ἱκανῶς ἐσπουδάσθαι.

Quod non solum communem omnium hominum naturam ô Glauco, sed & cuiusque propriam nosse Medicus debeat, ab Hippocrate olim traditum est, & à nobis in ipsis artis operibus, vt nosti, studiosè obseruatum.

PRIMVM hoc caput non videtur certo ordine scriptum ab authore, multa enim dicit, quæ inter se non cohærent, & cum vnum scopum sibi proponat, qui est, velle scribere in gratiam Glauconis Methodum medendi, postea multa dicit, quæ non cohærent cum eo scopo, sed cum alio, de quo paulo postea agit, cum dicit se etiam velle Glauconi in eo obtemperare, vt doceat causam, quam ob rem fiat vt multi Medici in curatione aberrent. Quare, si ex illis duobus vnus fiat scopus, clara hæc omnia redduntur, vt talis sit sensus; *postulasti à me, vt tibi vniuersalem medendi Methodum conscriberem, & simul indicarem causam, cur Medici multi fallantur, hæc in tui gratiam scribere aggredior.* Reliqua vero dicam in ipso principio, & postea cum partem sui instituti proposuit, reddit rationem nunc vnius partis instituti, nunc alterius.

alterius. Supponit autem vnum statim ab initio, ex quo postea ostendit, se methodum quidem promissam scripturum, ita tamen, vt credere nõ debeat Glauco, ex ea se optimum Medicum futurum; Id autem, quod supponit, est, Medicum non solum communem hominum naturam, sed etiam cuiuscunque hominis propriam cognoscere debere. Quod cum non sit per se notum, dicit illi adhibendam esse fidem ex Hippocratis sententia, & ex eo, quod ipse id ostenderit sæpe, ipsi Glauconi medendo. Nõ memini quidẽ me legisse expresse hoc ab Hippocrate esse traditũ, medendo vero id omnes experiuntur verum esse, nam Medicus (vt alibi scribit Galenus) non hominem curat, sed Socratem, Platonem, & singulos vult ad suam propriam naturam, non communem reducere; id, quod fieri non potest, nisi eam propriam naturã præcognouerit, quod clarius postea adhuc patebit.

Natura multiplex significatio.

Porro naturæ nomen late patet: nam natura *materiam* significat & *formam cuiuscunq; rei*: apud philosophos sumitur & natura pro *structura corporis*, quomodo dicebat Hippocrat. moriebantur illi, quorum natura ad tabem vergebat.

1.
2.

3. Sumitur & pro *temperie corporis*, quam Galenus semper putauit esse formam, nam supra temperiem aliam non nouit formam Galenus.

4. Aliquando pro *naturali facultate* sumitur natura, vt cum dicit, plantas à natura generari, animalia vero ab anima, id est, animali facultate.

5. Aliquando sumitur natura *pro eo, quod est moderatum vel proprium singulis*, etiam in excessu, vt cum dicimus, sanitatem esse secundum naturam, & gibbosos etiam ita esse à natura, id est, gibbositatem illam sibi esse naturalem.

6. Sumere possumus etiam naturam *pro proprietate corporis*, vt cum dicimus, quosdam talem habere naturam, vt male, aut bene se habeant ad res quasdam agendas & ferendas, pro eo, quod est, talem habent proprietatem. Hæ sunt præcipuæ naturæ significationes. Addit alias Montanus, quod scilicet sumatur aliquando pro quatuor humoribus & Elementis; aliquando pro toto composito; aliquando pro accidentibus consequentibus formam corporis; cuius opinionem nunc in hoc examinare nolo, in hoc tamen illum puto male sentire, quod putet in omni significatione Galenum naturæ nomen hic intelligere: nam in communi natura illa omnia reuera sunt cognoscenda, in particulari vero nequaquam omnia faciunt differentiam, sed id, quod particulare est: nam forma, & materia communis, non mutant curationem in particularibus, quippe cum eadem hæc sint in omnibus; nec etiam recipio eorum opinionem, vt Acakiæ, qui naturam sumi volunt pro temperatura; nam medendi Methodus, & exercitatio in particularibus præcepta debent habere, quæ conueniant omnibus morbis, & non solum illis, qui sunt positi in ipsa temperatura. Quare per communem naturam intelligemus ea, quæ omnibus nominibus sunt communia; per particularem vero intelligemus, non solum id, quod est insitum à primis principiis, sed etiam id, quod est acquisitum ratione ætatis, vel victus, aut etiam casu, siue illud sanum sit & moderatum, siue

Alia significationes ex Montano.

Quid per cõmunem naturam hic intelligendũ. Et quid per particularẽ.

A etiam morbosum effectum, ita tamen, vt amplius immutari non possit, adeo vt in naturam transierit, quilibet enim ad id, quod est illi insitum, siue à natura, siue casu, in curatione reduci debet: claudus enim & gibbosus si quid in illis vitiis est innouatũ, nõ ad rectam figuram, sed ad eam, quæ præerat gibbositatem & claudicationem reuocandum est. Propriam ergo temperiem, propriam structuram, propriam, vt ita dicam, proprietatem, propria accidentia, & deniq; id, quod est proprium singulis, debet præscire Medicus, vt recte possit curare; idem ergo est hoc loco propria cuiusq; natura, quod est iam secundum illorum naturam siue proprium singulis hominibus, omnes enim ad suam naturam & B ad id, secundum naturam & proprium ipsis est, cum à morbo ad sanitatem perducentur, redigi debent.

Οὐ μὴν γράφειν γε δυνατὸν ὥσπερ τὴν κοινὴν οὕτω καὶ τὴν ἰδίαν ἑκάστου.

Non tamen propriam singulorum naturam, vt communem scribere possumus.

POsteaquam dixit author, naturam hominũ quandam esse communem, aliam esse propriã, & vtranq; cognoscendã esse à Medico; docet nunc, quomodo illæ naturæ inter se differant; & dicit, hanc differentiam esse, quod vniC uersalis natura scribi possit, particularis autem non possit. Deinde, quod particularis natura veniat ad opus, vniuersalis autem nequaquam, sed solum maneat in scriptis, homo enim in vniuersali non curatur, sed indiuiduus quilibet homo, de vniuersali tamen homine præcepta traduntur, non de particulari: *est enim ars & scientia vniuersalium, operatio vero, & sensus particularium*. Quod vero, inquit, propriam cuiusq; naturam scribi non posse, duplicem habet intellectum, scilicet, quod omnium particularium natura scribi non possit, vel quod vnius hominis natura non possit scribi, alii interpretes intelligunt in prima significatione, ego vero in vtraq; nam omnium particularium hominum natura, D quæ in singulis euariat, nequit literis mandari, nec cognitione comprehendi, habet tamen etiam suas difficultates particularis vnius natura, sed non in enumeratione singularũ affectionũ, possumus enim illius temperiẽ, humores, qualitates, omnes, quæ in eo sunt, excrementa, mores, actiones, & deniq; quicquid in eo reperitur, recensere, hæc enim non sunt infinita, nec etiam multa.

Quid ergo est, quod non potest in ea natura scribi? Quantitas profecto singularum affectionum, ea enim ignoratur, & propterea scribi non potest, nemo enim est, qui possit certos gradus constituere in eo, quod in singulis est moderatum, vel immoderatum. Quis enim est, qui E possit cognoscere, & re vera asserere, aliquem hominem exquisitissime esse temperatum, vel ab eo, quod est exquisitissimum, recedere per integrum gradum, vel plus, vel minus in calore, frigore, animi affectionibus, & denique in alia quacunque affectione? Scribi etiam non possunt mutationes, quæ quotidie fiunt in vno corpore, quia minimo quoque momento per ani-

Etiam vnius hominis naturã non posse describi.

mi passiones, cibum, potum, somnum, vigiliam excrementorum retentionem, & emissionem, aeris contactum mutantur nostra corpora, quæ nisi Medicus perpetuo adhæreat vni homini, non potest eas mutationes deprehendere; *ob quantitatem ergo actionum, & subitas in singulis mutationes, propria hominum natura intelligi, & scribi no potest*; Ac quod vera sit hæc interpretatio, ostendit postea Galenus, cum dicit, circa quantitatem, & occasionem remediorum plurimos Medicos aberrare, & hæc in singulis euariare, quoniam ea, à quibus quantitas remediorum, & occasio sumuntur, sunt, quæ faciunt, vt propria hominum natura scribi non possit.

Et cur.

Ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἐναντίως ἔχει τὰ γράμματα πρὸς τὰς πράξεις, ἄλλοθί τε πολλαχόθι, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐν τοῖς νῦν ὑπ᾽ ἐμοῦ προειρημένοις.

Sed opposito se habent modo scripta & opera, tum in aliis plurimis, & maxime in prædictis.

HAnc sententiam ita interpretatur Acakias, vt dicat ordinem diuersum esse inter ea, quæ scribuntur, & ea, quæ fiunt in medicina, scribi enim vniuersalia, circa particularia vero fieri curationem. Verum author hic non agit de ordine, & in eo, quod dicit, nulla est oppositio in ordine, nec illa inter se hoc modo comparat, sed in hoc, quod vniuersalia scribi possint, particularia vero nequaquam; propterea dicit ὑπ᾽ ἐναντίως, id est, *contraria*, siue cōtrario modo illa se habere, & nō contrario *ordine*: nam quod ad ordinem attinet, cum sequimur ordinem in curatione, quem docuimus scribendo, vel loquendo: siquidem, vniuersalis Methodus docet, à causis remotioribus, siue antecedentibus esse incipiendum; deinde perueniēdum ad propinquiores; & tandem ad coniunctas: Idem obseruamus in medēdo, & curando singulos morbos, vnde nescio, quomodo velit, id primum esse in medendo, quod inuentum est vltimum in docendo: nam id solum verum est in resolutione, quod scilicet incipiendum sit ab eo, quod vltimo est inuentum per resolutionem; sed hoc commune est, tum vniuersali tractationi, tum operationi: differunt solum, quod in vniuersali tractatione resoluantur vniuersalia, & eadem postea tractentur: in operatione vero resoluantur particularia, & eadem postea veniāt in opus; qui enim docet (vt exemplis res patefiat) dicet febrem putridam nasci ex putredine, hanc vero ex prohibita transpiratione, hanc rursus ex obstructione internorum meatuum, vel densitate exteriorum. De densitate ergo & obstructione aget primum, & docebit, quibus remediis tolli possint, postea de prohibita transpiratione, tertio loco, de putredine, vltimo remedia docebit ipsius febris, vt putrida est. Sic Medicus, qui operatur, febrem putridam, qua laborat Socrates, resoluet in propriam putredinem, & eam in suam prohibitam transpirationem, & hanc rursus in obstructionem, & densitatem, & causas, quæ has pariunt, demum curationem auspicabitur ab iis, quæ vltimo loco sunt inuenta. Vbi

A ergo vtimur resolutione, idem obseruat rationalis Medicus in particularibus, quod facit, cū docet in vniuersalibus. Sic si à compositione ordiatur, id est, sequatur ordinem compositiuum, semper exordietur, & docendo, & medendo à simplicioribus, & remotioribus; Quid ergo iste bonus vir dicit, nos contrario ordine curare morbos, quam doceamus illorum curationes? Quod si illius exempla sequamur, oporteret à particularibus venire ad vniuersalia medendo, si modo docendo ab vniuersalibus accedimus ad particularia, isti enim sunt ordines oppositi, at nullus in particularibus operationibus incipit à particulari, & vadit ad vniuersale, sed semper versatur circa particularia, & particulares causas.

B Maneat ergo nostra interpretatio, quod contrario, id est, opposito *modo* se habeant scripta, & opera. eo quod scribamus vniuersalia, & ea scribi possint, opera vero ipsa, & quæ tractantur in operatione, non possint scribi: qui enim docet, præceptum certum præcipit, quod remedia debeant exhiberi æqualia morbis, & illorum causis; & quod ex magnitudine recessus à naturali statu cognoscatur quantitas morbi, & causarum morbi; sed qui medetur, istum recessum, & istam quantitatem certam non potest dignoscere, quare nequit certam etiam quantitatem remediorum accommodare ægrotis: accidit enim in hac diuersitate, vt vniuersalis propositio, qua vtitur, qui docet, sit vera, particularis vero sem-

C per dubia, vt patet in hoc Syllogismo; *Omnis excessus per æqualia remedia est curandus; at hic excessus est æqualis huic remedio; ergo per hoc remedium curandus*; vbi apparet vniuersalis maior propositio certissima, & verissima; minor vero incerta est, & dubia, nec probari potest. Quis enim asserere potest, febrem ardentem, qua laborat Socrates, recedere per certissimum gradum à naturali statu?

Ἠξίωσες μὲν γὰρ ἡμᾶς ἰαμάτων τινά σοι καθόλου μέθοδον ὑποτυπώσασθαι.

D *Postulasti enim à nobis, vt tibi remediorum quandam vniuersalem Methodum designarem.*

POsteaquam docuit author noster, quæ sint præcognoscenda ab eo, qui velit vel docere, vel exercere curandi rationem, & quomodo differat operatio circa particularia à doctrina vniuersalium, accedit ad suum institutum, & illud proponit, quod est, velle Methodum medendi in gratiam Glauconis designare, siue circumscribere; id enim verbum ὑποτυπώσασθαι significat.

Methodi nomen (vt alibi ostendimus) frequenter vsurpatur Galeno, & interim non docetur ab eo quid significet, & quanta sit illius vis, quā tātopere vbiq, laudat; de qua re nos egimus

E abunde *in Commentario primo in Artem Medicinalem*, vbi docuimus, nihil aliud esse Methodum, quam viam certam, siue rationem aliquid tractandi, vt docendi, discendi. Quæ propterea compendium à quibusdam dicitur: quæ enim tractantur cum ratione, sunt compēdiosa, quippe cum ratio omnia superflua conferet, & nihil necessarium omittat; docet autem cum Methodo secun-

Methodus quid.

do secundum Galenum, qui primum nomina explicat, de quibus est acturus, deinde definit singula, postea diuidit si multas habet partes, postremo vniuscuiusque partis proprietatem explicat. Sed nos illic etiam ostendimus, eum qui recte docet, non solum hæc debere obseruare, sed etiam causas rerum explicare, & effectus docere. Videndum præterea est, quid sit probandum, quid vero non, quibus preterea instrumentis vtendum sit ad singula probanda, & non solum diuidere, sed resoluere, componere, inducere, syllogizare, & aliis instrumentis vti debeamus; aliquando disputandum contra alios, aliquando ab ipsa tractatione auspicandum, denique qui Methodo docere vult, Arist. imitetur optimum docendi magistrum.

Qui nam methodo docere.

Περαίνεται δ' αὕτη διά τε ποιότητος καὶ ποσότητος ἑκάστου τῶν βοηθημάτων καὶ τοῦ τρόπου τῆς χρήσεως αὐτῶν, καὶ τοῦ πάντων τούτων χαλεπωτάτου διαγνωσθῆναι καιροῦ.

Perficitur autem ea qualitate, quantitate vniuscuiusque remedii, & modo vsus illorum & omnium istorum difficillima cognita occasione.

PRoposuit suum institutum, quod est, velle Methodum medendi describere; nunc vero docet, quibus constet ea Methodus, & dicit eam constare quatuor, nempe, qualitate, quantitate, vtendi modo, ac occasione remediorum. Tenebit ergo eam Methodum, qui sciet in singulis affectibus morbosis inuenire qualitatem, quantitatem, modum remediorum, & simul intelliget, quo tempore illa sint exhibenda. Quod an verum sit, & sufficiens, postea expendemus: nunc autem obiter admoneo, Acakiam non interpretari locum Galeni, hic enim dicit Methodum constare ex quatuor prædictis, ille vero dicit, eam docere debere, quid primum, quid secundum, quid deinceps, quid cum quo, quid sine quo fieri debeat. Sed vt ad Galenum redeamus, Methodus medendi non solum debet comprehendere illa quatuor in medicamentorum vsu, sed plura alia, vt alibi etiam docuimus: primum enim debet Medicus, qui Methodum
1. curandi tenet, scire, *an illi aliquid sit agendum circa corpus ægrotum*, sola enim natura aliquando morbis medetur, aliquando etiam opera Medici requiritur, non semper, sed tunc solum, cum natura ab opere quiescit, aut illa debiliter agit, vt Hippocr. in eo Aphorismo significauit: *Quæ iudicantur & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare oportet.* Vbi vero nouit Medicus
2. aliquid ipsi esse agendum, quærere debet *quid agendum sit*, an scilicet nutriendum, vel euacuandum, vel refrigerandum, aut aliquid aliud faciendum; Tertio loco insurgit intentio de quan-
3. titate actionis, *quantum scilicet illi agendum sit*, multum ne an parum agendum sit. Sunt etiam in operatione qualitates quædam operandi, qua-
4. les sunt, *an cito vel tarde, cum dolore vel voluptate, cum securitate vel periculo, leniter vel cum asperitate agendum sit.* Et quidem male Montanus dicit, per qualitatem intelligi, quid agendum,

Scopi in actionibus obseruandi.

sect. 1. aph. 20.

A longe enim differt secundus scopus ab hoc. Mo-
dum postea obseruare debemus, qui scilicet 5.
comprehendit (vt alibi ostendimus) *an confertim, & simul agendum sit, vel per vires, & eas quidem, vel æquales, vel inæquales.* Succedit sco-
pus, qui tempus & occasionem agendi præscri- 6.
bit, *quo scilicet tempore sit agendum.* Alius est
scopus, qui locum corpore ad agendum accom- 7.
modatum notat, *in quo scilicet loco agere oporteat*, vel in vniuerso corpore, vel in pluribus partibus, vel in vna, & in quibus, & in qua, nec hic scopus continetur in modo agendi, sunt enim natura inter se distincti contra Montanum. At vbi plura sunt facienda, necesse est ordinem
constituere, vt sciamus, *quid primo loco, quid se-* 8.
cundo, & quid deinceps facere oporteat; quare ordo vnum est ex his, quibus perficitur Methodus, non autem est id, ex quo alia nascuntur, vt Acakias tradit; non enim vniuersalis, & omnis Methodus debet proponere, quid primũ, & quid secundum, & quid deinceps fieri oporteat: nam vbi vnum solum est agendum, frustra quærimus ordinem in reliquis.

Cæterum, vt in actionibus ipsis hi scopi sunt necessarii, ita in ipsis remediis & reliqua materia medica scopi quidam sunt obseruandi: nam videndum est, *an* vtendum sit medicamento, vel
victu, & si medicamento vtendum sit, inuesti- 1.
gandum est, *quo* sit vtendum, an vacuante, vel 2.
alterante, vel alio, quod sit alterius generis: Inuento genere remedii, *qualitas* quærenda in eo 3.
est, an scilicet illud debeat esse calidum, vel frigidum actu, vel potentia, durum vel molle, solidum vel liquidum, viscosum, vel friabile, dulce vel amarum; & denique videndum est, *quænam qualitates aptiores sint* in medicamento, quo vti debemus: Qualitatibus vero inuentis, spectandum est, *quantum* ab eo medicamento sit exhi-
bendum, id est, in quanta mole, & in quot gra- 4.
dibus, vt si potio sit exhibenda confecta ex rhabarbaro, expendere oportet, quot drachmæ ex eo propinandæ, & quanta debeat esse potio. Sequitur deinceps vt videamus, *an debeat totum il-*
lud exhiberi vna vice, vel in plures diuidi, quod 5.
est modum notare in quantitate; vbi vero in loco possumus errare, ob locorum diuersitatem, designare debemus *locum*, cui remedia sunt ap-
plicanda, plurimum enim refert in vsu phlebo- 6.
tomiæ, an sanguinem mittas ex brachio, vel ex pede, aut ex vna vel alia vena brachii, vel pedis; Sic intelligere oportet, *in quo tempore* medica-
mentum purgans, vel alterans, vel aliud faciens 7.
sit exhibendum: vt etiam notare oportet, vbi
plura auxilia sunt necessaria, *quæ primo loco, quæ* 8.
& quid postea adhibendum sit.

Scopi in ipsis remediis obseruandi.

Hæc omnia & non solum illa quatuor sunt tenenda & distinguenda ab eo, qui medendi methodum scribere vult, viaque præterea e[illegible] dicanda & ratio, qua duce possimus omnes scopos consequi: si quid enim prætermittatur, maximi fient in medendo errores, vt satis quilibet intelligere potest. Sed hæc paulo postea commodiore loco prosequemur.

περὶ ὃν ὀξεῖαν ἰσχυρῶς ὄντα, καθάπερ τι καὶ τὸν φησὶν ὁ πάντων ἡμῖν τῶν καλῶν ἡγεμὼν Ἱπποκράτης σφαλλομένους πολλάκις ὁρᾷς, οὐ τοὺς τυχόντας μόνον, ἀλλὰ δὴ καὶ τοὺς ἀρίστους ἰατρούς.

Et occasione horum omnium cognitu difficillima, circa quam, vt pote admodum præcipitem (quemadmodum & hoc docet omnium nostrorũ bonorum author Hippocrates) falli sæpe vides non solum vulgares, sed etiam optimos Medicos.

Postulat locus hic, vt doceamus, quid sit Occasio, quotuplex, à quibus indicetur, permittatur, contraindicetur, an omnis prætcrea occasio sit difficilis cognitu, an quædam solum, & cur talis sit, & an idem sit occasionem esse difficilem cognitu, & difficilis apprehensionis, siue quod sit momentanea, & quæ scribi possit, & quæ non, & quæ hoc habeat incommodum, & quam ob causam.

Occasio quid. Quotuplex. Est porro occasio nihil aliud, quam *tempus aptum ad aliquid agendum*, vt Galenus *in libro de optima secta* scribit: quo loco etiam docet duplicem esse occasionem, vniuersalem vnam, quæ longum quoddam tempus totum aptum ad agendum continet; particularem aliam, quæ momentum illud temporis, in quo iam aliquid agimus, significat. De illa scripti sunt Aphorismi, *Concocta medicari* &c. & ille, *In acutis passionibus raro, & in principiis purgandum.* Item, *in principiis si quid videtur mouendum, moue.* *[sect. 1. aph. 22. aph. 24. sect. 2. aph. 29.]* Qui Aphorismi longum temporis spacium proponunt aptum ad mouendum & euacuandum; & ea quidem occasio non est momentanea & præceps vt particularis. Indicat autem occasionem præsentia eius, quod postulat esse agendum, & absentia eius quod impedire potest: quare remediorum occasionem indicabit præsentia morborum & causarum ipsorum, ac vbi vires nihil patiuntur à remediis, vt in alteratione, tunc est tempus aptum ad vsum remediorum, semper cum adest morbus, aut causę illius, quę proprium exigunt remedium. In remediis vero euacuantibus, si vires debiles non sunt, tunc est tempus euacuationi aptum, quando plenitudo nocet, non enim vires ipsæ validæ indicant euacuationem (vt male sentit Acakias) qui dicit, ideo nos euacuare in principio, & declinatione, quod tunc vires sint validæ, in statu autem minime, quia tunc vires sunt debiles: nam vt Galenus *in libro de optima secta* argumentatur, si ex robore virium sumeretur indicatio euacuandi, sani potius quam ægri euacuandi essent, vt qui semper validiores sint, non autem euacuantur, quia non adest id, quod euacuationem postulat. Quod euacuatio non fit in statu, ratio est, quod non adsit tunc plenitudo, quæ requirat aliquam euacuationem, si omnia recte sunt facta in prioribus temporibus morbi, nam plenitudo æqualis per sanguinis missionem iam est sublata, plenitudo vero, quæ postulat purgationem, non adest in statu, aut si adest, contraindicat cruditas: nondum enim est absoluta, quam requirit purgatio; non ergo tunc abstinemus à purgatione, quod vires sint debiles, nam in longis morbis & in quartana facile ferre possunt purgationem; quia igitur non adest, aut si adest, est cum contraindicante, id quod purgationem indicat, propterea tunc non purgamus.

Scribi occasionem posse (De hoc nunc agam à quo alia fere omnia pendent) inquit Galenus scopos quosdam posse assignari, à quibus sumatur, & eos posse vsque ad minimas species prosequi docendo, non posse autem scribi, est non posse scopos eos prosequi vsque ad vltimas differentias; potest enim morborum genera, differentias, & etiam causarum illarum genera, & differentias omnium virium, à quibus, sumitur occasio vniuersalis, quispiam enarrare, & propterea vniuersalis occasio scribi & cognosci potest. *[Quæ occasio possit scribi.]* Cum vero particularis occasio sumatur ab illis quidem, quæ eam indicant, sed multa concurrant, quę illam tardare vel anticipare possunt, & denique locum ipsi commodum præbent, vt sunt præsentes, præteriti, & futuri, siue instantes affectus, necnon remedia præterita & mox exhibenda; hæc reddunt cognitu difficilem occasionem, quoniam hæc in singulis casibus euariant, & propterea de illis non possunt tradi præcepta, & sine præceptis non fit cognitio discursiua, vt hæc clariora fiant esto, quod aliquis laboret semitertiana febre, in qua febris est continua & in vno die accessio tertianæ, & quotidianæ, in alio vero accessio tertianæ solum, pariat hæc febris syncopem, adueniente quo accessione soporem, postea superueniant sudores, & instet interim noua accessio, aluus sit astricta, sit sanguinis multitudo, æger habeat hãc proprietatem, quod non possit ferre sanguinis missionem, nisi prius cibetur, in hoc casu variis est opus remediis, clysteri, sanguinis missione, abstersione sudoris, cibo, potu, extrinsecus & intrinsecus roborantibus, con quis non videt considerandos esse præsentes, præteritos, & futuros affectus, proprietatem ægri, remedia prius exhibita, & post exhibenda, vt cõmodus detur locus ei auxilio, quod vis in tempore oportuno adhibere? & in his casibus acutis & complicatis ancipites redduntur sæpe Medici, in quo tempore singula fieri possint, in aliis vero facilioribus, & simplicioribus morbis, nec particularis ipsa occasio præceps est, aut cognitu difficilis, propterea etiam Galenus *in lib. de sanit. tuenda* scribit, occasionem non esse momentaneam *in sanis*, & ego addo, *nec in morbis longis, nec in omnibus acutis, sed solum in acutissimis, & complicatis*, & id non pendet, vel nascitur, vt ille scribit *in Commentario primo Aphoris.* ob subiecti facilem transmutationem, quia vnum, & idem est subiectum sanitatis & morbi, in quo semper occasio non est præceps: sed hoc fit ob causas, quæ subiectum ipsum afficiunt, quę enim magnas, & subitas in illo faciunt mutationes, illæ subiectum ita afficiunt, vt in singulis fere momentis mutanda sint auxilia, quia mutatur corporis status, non est autem in omnibus idem difficile cognitu, & difficile apprehensione: nam quantitas est difficilis cognitionis, & non apprehensionis, occasio vero vtramq; habet difficultatem: nam difficile cognosci potest, quoniã in singulis euariat (vt diximus) ob diuersas proprietates, diuersũ numerũ remediorũ, & affectionum

In quibus sit difficilis cognitionis, & cur sit. nam. Quare difficilis est cognitionis non solum A in omnibus particularibus, sed etiam sæpe in vno solo, quæ prædictæ, quæ indicant, & contraindicant occasionem alicuius remedii, in vno quotidie etiam sæpe euariant; Difficilis ergo est cognitu, quia non possunt præcepta de ea tradi certa, difficilis vero est apprehensionis, *Cur difficilis apprehensione.* ob magnas, multas, & subitas mutationes, quæ in nobis fiunt. Sed hæc satis de occasione, quædam enim adhuc postea cogemur de ea dicere.

Καὶ μὴν δὴ καὶ ὅτι μέγα τὸ ποσὸν εὐστόχως συναρμοσθὲν εἰς δύναμιν, ὁ αὐτὸς καὶ ἔγραψε. B

Quinetiam, quod difficile sit quantitatem exacte accommodare viribus, idem scripsit.

DOcuit difficile esse cognoscere, & apprehendere occasionem remediorum; nunc vero docet difficultatem, quæ nascitur in adhibenda quantitate remediorum, & dicit difficile esse illam exacte accommodare facultatibus, siue viribus nostri corporis, nec interim docet, vnde nascatur hæc difficultas: nam alibi scribit quantitatem remediorum certam esse, quandoquidem per gradus distincta sunt medicamenta C alterantia, & per certa pondera certasque mensuras purgantia, & alia quæcunque. Præterea, certum hoc est præceptum, tantum debere intendi medicamentorum vim & quantitatem, quantus est affectus ipsius lapsus, & recessus à naturali statu. Quam ob rem per se quantitas auxiliorum non est, nec incerta, nec dubia, sed ratione quantitatis affectionum, à qua ea sumitur: nemo .n. est, qui possit asserere, certos esse *Quid faciat quantitatem auxiliorum incertam.* gradus recessus morborum, & causarum ipsorum; hoc solum possumus dicere, quod magnus aut paruus sit huiusmodi recessus, sed in eo paruo, & magno plurimæ sunt differentiæ, quas sola coniectura possumus assequi, & quia coniecturalis est talis excessus, redditur quoque con- D iecturalis ipsa quantitas auxiliorũ, quæ inde sumitur; nam quod scribit Galenus, quantitatem remediorum accommodandam esse pro ratione quantitatis virium, non ita intelligendum est, quasi virium quantitas indicet remediorum quantitatem: sic enim (vt ipse scribit *in libro de optima secta*) sanis conuenirent medicamenta, & illa quidem validiora, quam ægris, vtpote qui vires obtineant validiores: sed vires veniunt in considerationem in vsu medicamentorum, vt contraindicantia, vel permittentia; vbi enim illæ validæ subsunt, permittunt intendi remedia, quantum ipse affectus desiderat, vbi vero debiles sunt, pro ratione debilitatis moderantur quantitatem remediorum, aut prorsus eam im- E pediunt.

Ὅταν οὖν εἰς μὲν τὸ καλῶς ἰᾶσθαι μέγα συντελεῖν φαίνοιτο, ὅ τε καιρὸς, καὶ ἡ ποσότης τῶν βοηθημάτων, ἴδια δὲ ταῦτα καθ' ἕκαστον τῶν νοσούντων εὑρήσεις, καὶ μηδὲν ἴδιον ἑρμηνεύεσθαι δυνα- A *τὸν τῷ λόγῳ, τὸ κοινὸν οὕτως ἀναγκαζόμεθα γράφειν, καὶ τῇ χρείᾳ δεύτερον ᾖ.*

Cum igitur ad rectam curationem plurimum conferre tum occasionem, tum quantitatem remediorum constet, sint autem hæc singulis ægrotis propria, nihil vero, quod proprium sit, verbis explicari possit, hac ratione, quod commune est, scribere cogimur, tametsi id vsu sit secundum.

COncludit, quid possit præstare in gratiam Glauconis, qui quærebat à Galeno meden- B di rationem. Conclusio autem hæc est; quod non possit scribere, nisi, quod est commune, ex quo quidem poterit iuuari ad recte medendum, quantum homo humanis viribus potest consequi, non tamen fieri potest, vt ex hoc omnia consequatur, quæ ad recte medendum conferunt: nam medicina stat quidem in vniuersalibus, sed Medicus necessario descendit ad particularia, quæ (vt inquit) non possunt verbis explicari: Quod autem veniendum sit ad particularia, certum est, quia Medicus, (vt inquit Aristoteles, & ipse Galenus) non curat hominem in vniuersali, sed Socratem, Platonem: particularia autem sunt in singulis propria, & quod proprium est, non potest verbis explicari. Hæc sententia multa habet difficilia, quæ sigillatim sunt explicanda.

Illud autem facile est intelligere, quod plurimum conferat ad curationem occasio, & quantitas remediorum: nam ex illis, vt antea docuit, partim constat Methodus medendi. Quod autem hæc sint singulis propria, difficilius est intelligere: illud tamen ex hoc patet, quod nunquam sit reperire plures homines eodem tempore laborantes, vel diuersis, vel eodem morbo, vel eundemmet hominem affectum in diuersis temporibus, qui æqualiter laboret, semper enim in eo, quod est magis & minus, differentia aliqua reperietur, propterea semper erit differentia pro magis, & minus in quantitate remediorum. Fit ergo propria semper singulis remediorum quantitas, ob hanc rationem.

Occasio quoque cum sumatur à præsentia eius, quod postulat remedium, & absentia eius, quod illud potest impedire, vel tardare, aut anticipare, varietur autem, quod postulat auxilium in morbis acutis (in quibus potissimum dicitur occasio præceps, & difficilis) singulis fere momentis, quæ vero possunt tempus illud accommodatum, quod requirit præsentia affectionum, impedire, vel tardare aut anticipare, sint remedia quæ præcesserunt & futura, necnon præteriti, & futuri effectus, necnon proprietates ægrotantium, quæ cogunt tardari, vel antici- *Occasionem singulis etiã esse propriã.* pari auxilia; variant autem hæc in singulis ægrotis, & in vno & eodem ægrotante semper in diuersis, & similibus morbis, ratio conuincit ipsam quoque occasionem singulis esse propriam; Cæterum, illud difficilius est intelligere, quod dicit, nihil proprium posse verbis explicari: nam primum difficile est intelligere, quid intelligat per *proprium*, an scilicet intelligendum sit de proprio in vna specie, vel in omnibus indiuiduis il-

lius speciei, vel proprium in vnoquoque indiuiduo: nam proprium in vna specie scribi potest, cum idem sit in omnibus, vt risibile in homine, quod cum non intendatur, nec remittatur, nec, vt dixi, aliquam habeat differentiam, facile explicari potest, vt verbi gratia, quod risibile sit proprium hominis, proprium vero in omnibus indiuiduis vnius speciei, non potest scribi, quia infinita sunt indiuidua, quæ habent singula aliquid proprium, imo multa, quibus inter se differunt: propriũ vero in vnoquoq; indiuiduo, de quo maxime intelligendus est locus Galeni, non potest pariter scribi, non quod numero incerto contineatur, possunt enim, & facile notari & scribi proprietates omnes, quæ in vno, & eodem sunt homine; sed quia omnes affectiones, quæ in vno sunt, fiunt propriæ illi propter quantitatem earum, quæ non potest exacte cognosci, quare nec scribi; exactissima autem cognitio est quæ per gradus certos cognosci, & exprimi potest: nam si quis est iracundus, vel simo naso, calidæ tẽperaturæ, vel aliquid aliud habet sibi proprium, illud non potest cognosci, quantũ exacte excedat, quare nec etiam exacte scribi potest: propterea errat Acakias, qui qualitatem etiam remediorum singulis propriam esse dicit, nam qualitas ea sumitur à qualitate affectus, quo laborat æger, ea autem communis est multis, vt febris calidus affectus, sic & frigidum remedium commune multis est, & non proprium vni; quod vero facit proprietatem sani, est ipsa quantitas affectionis, & remediorum, quæ in vno etiam solo non potest explicari: *ergo propter quantitatẽ affectionum fit propriũ in singulis*, forte aliquid habet in hoc etiam mobilitas affectionum, & aliarum rerum, à quibus diximus sumi occasionem, nam ob illas etiam videtur fieri proprium. Dixit autem nihil proprium posse explicari, quod intelligendum est, *exacte*, ita, vt omnis differentia, quæ est in quantitate, possit explicari. Videndum autem est, an etiam quod difficile potest explicari, idem difficile possit apprehendi, & vtrumque difficile cognoscatur. Certe *difficilis explicatio nascitur, quia difficilis est cognitio*: nam verba, & conceptus non desunt hominibus in rebus, quarum natura patet, cognoscique potest, non est autem idem, difficile posse cognosci, & difficile posse apprehendi: nam quantitas affectionum, & remediorum difficile quidem potest cognosci, non tamen difficile apprehenditur; occasio vero vtramque habet difficultatem, nam difficile cognoscitur, quia non possunt præcepta dari omnibus communia, quoniam in singulis particularibus, in omnibus morbis, diebus, & horis fere variant, quę limitãt occasionẽ; difficile vero apprehenditur ob magnas, & frequẽtes mutationes, q̃ fiũt in nobis, & illæ faciunt, vt nimio momento mutetur corporis status, mutetur que ob id eodem modo occasio. Porro, in hac difficultate, quam nobis pariunt, quæ in singulis sunt propria, ne penitus ad medendum ignarus sit Medicus, & fiat similis empirico, qui diuersis eadem remedia semper admonet, in iisdem generibus morborum, cogimur contemplari, quod commune est, ex eo enim deueniemus, quantum fieri potest, in cognitionem omnium, & singulorum particularium: est autem vsu secundum commune, quod scribitur, quoniam non ipsum est commune, quod venit in vsum, id est, ad opus, sed quod est proprium, & singulare; vel quod vtilitas in medendo respiciat particularia, illorum enim causa quærimus medendi rationem.

Quomodo nihil proprium possit explicari.

Occasionem difficile etiã cognosci & difficile etiã apprehendi & cur vtrũque fiat.

Καὶ γὰρ οὖν καὶ ἐπισκεπτόμεθά τινας ἀρρώστους πολλάκις, οἷς ἔμπροσθεν ὑγιαίνουσιν οὐκ ἐνετύχομεν. οὔκουν ἴσμεν ὅπως εἶχον χροιᾶς ἢ σχέσεως, ἢ τῆς κατὰ φύσιν θερμασίας, ἢ τῆς τῶν ἀρτηριῶν κινήσεως γινώσκοντες, ἢ εἰδότες ἱκανῶς κρῖναι δυναίμεθ᾽ ἄν ποτε νοσημάτων τὸ μέγεθος· εἰς ὅσον γὰρ ἐξίσταται τῆς φύσεως ἕκαστον, εἰς τοσοῦτον καὶ μεγέθους. τὸ δ᾽ ὅσον ἐξίσταται, γνῶναι δυνατὸν, τῷ κατὰ φύσιν ἀκριβῶς ἐπισταμένῳ· τοῦτ᾽ οὖν ἀγνοοῦντες ἐπ᾽ αὐτῶν, ἵνα μὴ παντάπασιν ἀπορῶμεν, ἐπὶ τὸ κοινὸν ἀφικνούμεθα.

Plerumque enim ægrotos quosdam inuisimus, quibus cum antea, dum sani essent, versati non fuimus, proinde quem colorem, quam corporis habitudinem, quem natiuum calorem, arteriarumque motum ante habuerint, ignoramus, quæ si ante perspecta nobis fuissent, morbi vtique magnitudinem probe indicare potuissemus, cuiusque enim morbi magnitudo tanta est, quantum à naturali statu recedit, quantum vero recedat, solus is nouit, qui naturalem habitum tenuerit ad amussim: Quod cum in illis ipsis ignoremus, ne omnino hæsitemus, ad id, quod commune est, confugimus.

Reddit rationem, cur vniuersalia sint scribenda, quam ipse satis declarat, quoniam enim mederi non possumus, nisi particularibus, & illorum propriam naturam non possumus cognoscere exacte, etiamsi perpetuo versemur cum vno homine, & multo minus eam possimus assequi, cogimur in tota hominum multitudine, quam non nouimus profecto primo contemplari, quod est vniuersale, & in omnibus commune secundum naturam, ex quo postea veniemus in cognitionem particularis cuiuscunque naturæ; nam quod commune est, spargitur in omnia singularia, quæ sub vniuersali continentur, vt enim humanitas, idest, forma hominis, relucet in singulis hominibus, sic figuræ corporis, calores, tẽperaturæ, magnitudines; animi affectiones eædem, & denique quicquid est secundum naturam, spargitur in multos, & sexus masculinus ad omnes mares pertinet, fœmininus ad fœminas, atque eo communi intellecto per sanitatem, & naturalem constitutionem iam laborante homine intelligimus, quantum quilibet à sua natura communi recedat; particularem vero naturam, de qua hic non agit, intelligimus partim quoque hac ratione, sed multo magis ex præcognitione ipsius. Quod vero scribit, nos posse probe iudicare de morbi magnitudine, si ante perspecta nobis fuissent, quę naturalia

Affectuum quãtitatem à nemine exacte sciri posse.

ralia in nobis sunt, non est ita intelligendum, quasi exactum sit hoc iudicium, quippe, cum, (vt antea ostendimus) nemo exacte tenere possit affectuum quantitatem, siue illi secundum naturam, aut præter naturam fuerint, sed satis est, si hoc fiat, (vt ipse inquit) ἱκανῶς, id est, sufficienter; Docet autem rationem, cur hoc fiat sufficiens indicium, quoniam, inquit, tanta est morbi magnitudo, quantus est recessus à naturali statu; ex quo apparet, eam proprietatem, quam dicit non posse scribi, & parere tantas difficultates in medendo, quæque facit, vt vniuersalia sint scribenda, totam nasci non ex occasione, nec ex aliis scopis, sed solum ex quantitate, quandoquidem in toto filo orationis semper agit de quantitate, aliis omnibus prætermissis. Cæterum, morbi magnitudo, de qua hic agit, comprehendit omnes alias magnitudines, quarum alibi mentionẽ facit: nam morbi, qui dicuntur magni, eo, quod in genere morborum tales sint, quales sunt, qui dicuntur vehementes siue acuti, necnon qui magni dicuntur, eo quod inuadant partes nobiles; vel quod sint maligni, habent hanc communem naturam, quod inter alios morbos distrahant plurimum laborantem à suo naturali statu, adeo, vt idem etiam sit, morbum esse magnum in hac significatione, cum eo, qui periculosus dicitur: periculum enim nascitur in morbis ex recessu à naturali statu. Quod vero rursus scribit, eum solum indicare posse, quantum recedat quispiam à naturali statu, qui naturalem habitum, qui sanitatis tempore fuerit, ad amussim præcognouerit, ita quoque intelligendum est, non quod possit ad amussim & perfecte naturalis ille status præsciri, sed quod id fiat, quantum humanum ingenium concipere potest.

Periculum in morbis vnde nascatur.

Πλέον δὲ τι καὶ τούτου τῶν ἀτέχνων ὁ τεχνίτης ἔχει· καί τι τὸ πλέον: Ἱπποκράτης μὲν καὶ τοῦτο πρῶτος ἁπάντων, ὧν ἴσμεν, γέγραφεν. ὑπεμνήσαντο δ' ἐπὶ πλεῖον τῶν μετ' αὐτόν, ὅσοι τῶν ἐκείνου συνῆκαν γραμμάτων, ὧν εἷς ἦν καὶ Μνησίθεος ὁ Ἀθηναῖος, ἀνὴρ τά τ' ἄλλα ἱκανὸς πάντα τὰ τῆς τέχνης, καὶ εἰς ὅσον χρὴ μεθόδῳ τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἀσκεῖν, οὐδενὸς ἐπιγνῶναι δεύτερος.

Atque in hoc artis peritus imperito plus non nihil habet, atq; hoc ipsum plus Hippocrates quidem omniũ, quos nouimus, primus, litteris mandauit, qui autẽ post hunc fuerunt eiusque scripta intellexerunt, fusius sunt interpretati, inter quos fuit Mnesitheus Atheniensis, vir cum in omnibus alius, quæ ad artem pertinent, non mediocriter eruditus, tum in exercenda arte, quantum methodo consequi possumus, nulli peritia secundus.

CVm dixisset, necessario esse scribenda communia, quando alioqui ignoramus particulares naturas, ex quibus particularia remedia sumuntur, docet nunc vsum huius communis

A naturæ, si scribatur & intelligatur; facit autem hæc cognitio differre Medicum, qui artem habet, ab eo, qui non habet: nam qui artem habet, discurrere potest, ex vniuersali nempe elicere particularia, & in illorum cognitionem venire: Empiricus vero & imperitus Medicus, cum ignoret vniuersale, nequit differentiã, quæ est in particularibus, cognoscere: & propterea vt videmus, huiusmodi Medici eadẽ remedia in eadem quantitate exhibent omnibus, qui eodem morbo laborant, magno mortalium omnium malo, quandoquidem idem morbus non est æqualis in omnibus, quare nec æqualia debent esse auxilia. Habet ergo artifex non aliquid solum plus, vt Galenus scribit, sed multũ sane, & totum, quippe B cum vniuersalis cognitio scientiam in nobis pariat, quæ nos tandem deducit in cognitionem particularium; primus igitur Hippoc. cœpit disputare *in lib. de Natura humana*, de communi ea natura, & *alibi passim* per diuisiones eam accommodauit particularibus; hunc postea Plato, Aristoteles & Theophrastus, & alii plurimi excellentissimi Philosophi sunt secuti, & inter Medicos hic etiam Mnesitheus Atheniensis, quem tantopere hic laudat Galenus.

Οὗτος ὁ Μνησίθεος ἀπὸ τῶν πρώτων καὶ ἀνωτάτω γενῶν ἀρξάμενος ἀξιοῖ τέμνειν αὐτὰ καὶ εἰς εἴδη τε, καὶ γένη, καὶ διαφοράς. εἶτ' αὖθις τὰ τεμνόμενα C τέμνειν ὁμοίως. κἀκεῖνα πάλιν ὡσαύτως ἕως ἂν ἐπί τι τοιοῦτον εἶδος ἀφικώμεθα. μεθ' ὃ τέμνοντες, ἄχρις οὗ τὸ τεμνόμενον εἰς ἓν τῷ ἀριθμῷ, καὶ ἄτμητον ἤδη τελευτήσωμεν. ταῦτ' ἀρκεῖ μοι πρός γε σὲ διὰ βραχέων ἃ βούλομαι δεδηλωκέναι. καὶ γὰρ ἂν εἴην γελοῖος, εἰ σὲ διδάσκοιμι τὰ σά, ὥσπερ οὐχὶ παρὰ Πλάτωνος αὐτὰ πάλαι μεμαθηκότα. οὐδὲ γὰρ ὥστε διδάξαι σέ τι πῶς περὶ τῆς κατὰ τὴν τοιαύτην διαίρεσιν μεθόδου τὴν ὑπόμνησιν ἐποιησάμην. ἀλλ' ὅτι μοι πρὸς τὸν ἐφεξῆς λόγον, ἅπαντα χρήσιμον αὐτὴν ἔσεσθαι νομίζω. καὶ τὴν αἰτίαν ὧν ἑκάστοτε σφαλλομένους ὁρᾷς κατὰ πλείστους τῶν ἰατρῶν D ἀξιοῦν τι συμμαθεῖν, οὐκ ἐν ἄλλοις ἐνδείξασθαι. καὶ γὰρ καὶ τὰ κατὰ τὰς αἱρέσεις σφάλματα, καὶ ὅσα νῦν ἐπὶ τῶν νοσούντων οἱ πολλοὶ τῶν ἰατρῶν ἁμαρτάνουσι, πρώτην καὶ μεγίστην αἰτίαν ἔχει, τὸ μοχθηρὸν τῆς διαιρέσεως. οἱ μὲν τὸ ἐπὶ τῶν πρώτων καὶ ἀνωτάτω γενῶν μένουσι, ἀρκούμενοι τῶν ἀπὸ τούτων ἐνδείξεσιν. οἱ δὲ μέχρι μὲν τινὸς ἔτεμον, οὐ μὴν πρός γε τὸ τέλος ἐξίκοντο, πολλοὶ δὲ καὶ μοχθηραῖς ἐχρήσαντο διαιρέσεσιν.

Hic Mnesitheus à primis summisque generibus auspicatus, ea in alia item genera, species, & differentias secanda esse censuit: E *hæc denuo in alia similiter: quæ rursus eodem modo distribuerentur, dum ad aliquam talem descenderemus speciem, quæ diuisa in vnum numero ac indiuiduum desineret. Mihi vero satis est tibi sen-*

tentiam meam breuibus explicuisse: nam ridiculus forem, si te tua docerem, tanquam ea pridem ex Platone non didiceris. De hac re igitur meminimus, non vt te diuidendi rationem doceremus, sed quod ad ea, quæ post dicentur, omnia, non inutilem fore speraremus, quodque aliter tibi causas, ob quas Medicorum plurimos passim errare contigit, efflagitanti non alia via melius indicare possemus: etenim quicquid tum in aliis sectis, tum à multis Medicis in morborum curationibus delinquitur, primam id maximamque causam habet vitiosam diuisionem. Quidam enim in primis summisque generibus statim subsistunt, solis indicationibus, quæ ab illis desumuntur, contenti; quidam quadamtenus diuidendo processerunt, sed ad diuisionis metam non peruenerunt; multi autem perperam diuiserunt.

CVm consideratio vniuersalium plurimum conferat ad rectè medendum, docet nunc quomodo hoc fiat ex Mnesithei authoritate & præceptis, qui docet primum esse summa genera affectionum, de quibus agimus, siue illæ secundum naturam, siue pręter naturam sint, diligenter cognoscenda; deinde illa diuidenda esse per differentias in suas species, donec perueniamus ad vltimas species, & commodas. Præterea, sumendas esse differentias, id est, oppositas, & proprias; ex hac enim diuidendi optima ratione, & consideratione singularum specierum, quæ per diuisionem fuerunt inuentæ, tandem perueniri in cognitionem communis & particularis naturæ, & euitari magnos errores, qui in medicina fiunt & naicuntur, potissimum ex malis diuisionibus. Docet autem obiter, tribus modis fieri malas diuisiones: Primus autem modus est, quando diuiduntur solum summa genera, & non attingimus aliquas illorũ species; vt, si quis diceret; rerum aliæ sunt substantiæ, aliæ sunt accidentia; vel affectuum nostri corporis quidam sunt secundum naturam, alii præter naturam.

Quot modis malæ fiant diuisiones.

1\. (see above)

2\. Secundus errandi modus est, qui fit cum attingimus aliquot species, nõ tamen peruenimus ad infimas; vt, si quis diuideret affectus præter naturam in morbos, causas morborum, & Symptomata, & postea nullas alias, aut certe non omnes faceret diuisiones morborum, causarum, & ipsorum Symptomatum.

3\. Tertio modo committitur error, inquit, si perperam fiunt diuisiones, nõ tamen docet, qua ratione hoc fiat perperam, fit autem hoc, si differentiæ sumantur impropriæ, vel non oppositæ. Impropriæ sunt differentiæ, si quis dicat, febres quædam salsæ, aliæ dulces, non sunt oppositæ, si quis dicat febres quædam continuæ, aliæ vehementes. Hæc ex Logicis sunt petenda, quare ad ea, quæ sunt nostræ facultati propria, accedendum.

A Ὅστις δὲ τὰ κατὰ φύσιν ἅπαντα καὶ τὰ παρὰ φύσιν εἰς τὴν τοιαύτην ἀνάγειν μέθοδον, ἐξ ἁπάντων τούτων τῶν κατὰ τὴν διαίρεσιν αὖ ἐνδεῆ λαμβάνει τὴν ἔνδειξιν, μόνος ἂν οὗτος εἰς ἀνθρωπίνην δύναμιν ἀναμάρτητος εἴη περὶ τὰς ἰάσεις· καὶ τοὺς τε γινωσκομένους ἄμεινον τῶν ἄλλων ἰῷτο, καὶ τοὺς ἀγνοουμένους εἰς ὅσον οἷόν τε καὶ τούτους ἐγγυτάτω τῶν γινωσκομένων.

At quisquis omnia, quæ secundum, & præter naturam sunt, ad hanc viam, & rationem reuocauerit, & ex omnibus iis, quæ B *per diuisionem inuenta sunt, integras desumpserit indicationes: solus is, quantum per humanas vires licet, medendo non errauerit, notos quidem aliis melius, ignotos vero quam fieri poterit maxime secundum illos curauerit.*

DOcuit, vniuersalia esse consideranda, & illa accommodari particularibus, descendendo per aptas diuisiones, vsq; ad infimas species. Nunc docet, non sufficere has diuisiones, sed ab iis, quæ sunt diuisa, sumendas esse indicationes veras, quæ (inquit) faciunt, vt quantum humanæ vires patiantur, nunquam C medendo errare possimus; non tamen docet, quid per istas indicationes consequamur; dico autem, nos assequi scopos illos suos, & eos, quos nos addidimus, ex quibus constat Methodus medendi: nam mederi Methodo, nihil aliud profectò est, quam intelligere cum certa aliqua ratione, an agendum, quid, quantum, quomodo, qualiter, quo tempore, in quo loco, quo ordine, & reliqua, quæ superius annotauimus, considerãda esse in operationibus nostris. Tangit ergo hic instrumenta per quæ possumus scopos prædictos assequi, adeo, vt Methodus medendi re vera nihil aliud cõtineat, quam duo, scoporum enumerationẽ, & ea, per quæ scopos illos assequimur. Dicit autem illa instrumenta D esse & vocari indicationes, de qua re diligentius agendum est, si modo hæc tractatio illa est, quæ nos facit non errare, sed rectè mederi, quantum homo assequi potest; tum etiam, quod confusa sit hæc doctrina sæpe à Galeno, qui illius author fuit, & optima posuit principia, quæ postea non obseruauit.

Mederi methodo quid.

Nos de hac re diligenter (vt arbitror) egimus *in libro de Officiis Medici*, quare ipsorum capita recensebo, quæ sunt necessaria ad ea, quæ hic scribit, & in toto hoc Opere authoris consequenda.

Indicatio quid.

Est porro indicatio insinuatio siue perceptio iuuantis & lædentis, quæ simul aduenit cum E perceptione naturæ illius rei, cui debetur iuuamẽtum; & hæc perceptio siue cognitio, fit absq; ratiocinatione & obseruatione vel Analogismo, ex quo cõcludimus, nos nõ posse semper scopos prædictos inuenire per indicationes, sed alia instrumenta esse necessaria: nam si indicatio nascitur à natura rei, quæ iuuari debet, sequitur nos solum

lum posse vti indicationibus in illis affectibus, quorum natura percipi potest, intelligo percipi ita, vt ex ipsa cognosci & explicari valeat. Cuius generis sunt omnes morbi, qui affligunt per qualitates similares partes, & qui consistunt in partibus organicis. Calidi enim natura (vt hoc exemplo vtar) cognoscitur, & cum morbosus est calor, indicat sui ablationem & refrigerationem esse necessariam; vt morbus, qui est in tota substantia, non potest cognosci, nec exprimi illius forma & natura, quomodo differat ab aliis morbis, qui etiam dicuntur esse à tota substantia, vt possumus docere naturam calidi differre a natura frigidi; propterea nemo per indicationes potest inuenire remedia, quæ conueniant in morbis, qui consistunt in tota ea substantia, siue in occulta forma. Quis enim intelliget per indicationes, quid possit conuenire in morsu Scorpionis, vel Viperæ, aut aliarum ferarum, cum ignoremus, qualis sit natura morborum, qui ab illis in nobis gignuntur? In his igitur morbis vtimur vel obseruatione, id est, remediis inuentis per experientiam; aut Analogismo, id est, transitu à simili ad simile, si nihil adhuc habemus expertum. Possumus etiam per ratiocinationem eadem inuenire, velut, si quis dicat, *quicquid est naturæ inimicum, auferendum est; morbus inimicus naturæ est; igitur auferendus; vt omnis mutatio fit per cōtraria; morbi ablatio mutatio est; ergo morbo conueniunt contraria*; quare idem per indicationem & syllogismum inuenimus.

Sed ne prolixa reddatur tractatio, per vsum syllogismorum, vtimur indicatione, in qua potentia syllogismus continetur; *est enim Indicatio tacita quædam argumentatio ducta ex natura ipsius rei indicantis*; quia non omnis syllogismus, qui aliquid confert ad inuentionem remediorum, exprimit indicationem, sed ille solus, qui sumitur ex natura rei, siue propositiones contineat, quæ ex necessariis constant, & concludunt. sed aliis instrumentis prætermissis, agamus de indicationibus, quæ suum habent vsum, maxime in febribus, quarum natura cognoscitur, & de quibus agere instituimus.

Sunt porro inter indicantia quædam, quæ proprie & vere indicant; alia quæ contraindicant; alia, quæ permittunt; alia quæ coindicant; alia quæ correpugnant.

Indicantia.

Indicantia sunt (vt diximus) *quæ primo & per se, ac proprie ostendunt, quid sit agendum.*

Contraindicantia.

Contraindicans vero est, *quod proprie & per se impedit fieri* id, quod ab indicante ostenditur esse faciendum.

Permittens.

Permittens voco, *quod non læditur ab iis, quæ ostenduntur ab indicantibus, nec se illis opponit.*

Coindicans.

Coindicans est, *quod interuentu indicantis ostendit aliquid esse faciendum.*

Correpugnans.

Sic Correpugnans erit, *quod secundo loco siue Contraindicantium interuentu opponit se indicantibus.* Exempla horum sunt facilia: repletio indicat euacuationem; vires debiles illam contraindicant; victus plenus, & otium illam coindicant, quia repletionem ostendunt; senilis

A ætas ei correpugnat; figura, cauitatesque corporis eam fieri permittunt, hæc ita sunt distinguenda, & nunquam confundenda, vt facit Galenus, qui sæpe hæc omnia indicantia dicit esse, cum tamen alibi demonstret, plurimum referre hæc inter se separare, quandoquidem vnum solum debet vnum indicare, & non plura vnum, cum vnum habeat vnam naturam, & vnum habeat vnum oppositum, à quo expelli potest, vel vnum simile, à quo potest conseruari. Principium etiam est retinendum in hac tractatione, *genus indicare genus, & differentiam indicantis indicare differentiam indicati, & econtra*; exempli gratia; si morbus in genere indicat remedium, species morbi indicabunt species

B sibi oppositas remediorum. Quibus quidem principiis ita positis, videamus, quo modo per indicantia inuenire possimus remedii qualitatem, quantitatem, vtendi modum, & occasionem, quibus, inquit Galenus, constat Methodus medendi, & nos, qui putamus veram Methodum plures scopos comprehendere, idem etiam in aliis scopis ostendamus. Volo ergo scire per indicationes, an agendum sit, considero in hoc naturam ipsius affectus, cuius causa vocatus sum ad ægrotum, inuenio morbum esse acutum & grauem, quem cum natura sola vincere non possit, indicat mihi Medico aliquid esse agendum, tunc enim Medicus agere debet, quando affectus non possunt à sola natu-

Exemplum considerationis indicantium.

C ra vinci: iam ergo per indicans inueni, agendum esse, & per differentiam indicantis inueniam differentiam actionis, quam ego exercere debeo: nam cum affectus sit præter naturam, indicat esse agendum per mutationem, & non per conseruationem; differentia ergo affectionis indicat differentem actionem, mutandum scilicet esse corpus in alium statum; Qualitatem autem actionis, ex qualitate ipsius affectus per indicationes intelligam: quoniam enim affectus est acutus & velox, & dolorificus, ostendit indicatque cito succurrendum esse, & leuiter, ne dolor augeatur, si agamus cum asperitate; Sic quantitatem remedii indicabit quantitas affectus; magnus enim affectus, indicat magno o-

D pus esse sibi contrario auxilio, minor vero minore. Modus affectus, modum remediorum indicat: qui enim per interualla & diuisim infestat, indicat opus esse remedio, quod etiam per interualla succurrere possit, vt materia heterogenea, quæ consequitur, non totam simul, sed partem post partem indicat sæpius purgandam esse, & paulatim, & maiore tunc opus esse auxilio, quando magis infestat affectus; Sic eo tempore succurrendum est, quo tempore adest id, quod remedium postulat; et vbi plures sunt affectiones, ei primum succurrendum est, quæ aliarum est quomodocunque causa. Denique ei loco applicanda sunt remedia, in quo adest id, quod remedium illud indicat. Sic ergo ex his

E exemplis patet per indicationem omnes scopos in actionibus & remediis inueniri; quibus inuentis, iam surgit Contraindicantium consideratio, quæ scilicet sese opponunt indicantibus, siue iis, quæ ab indicantibus ostenduntur, esse facienda, exemplum sit hoc: Repletio magna, quæ indicabat opus esse magna euacuatio-

ne, contraindicans habet vires prostratas, illæ enim sese opponunt omni euacuationi, & præsertim magnæ, & quæ subito cadunt, subitis euacuationibus reluctantur, & eo tempore, quo sunt ita infirmæ, se opponunt ei tempori, in quo adest indicans euacuationem, & in ea parte prohibent euacuationem, in qua magna est virium resolutio, si inter vires vna cum debilitatur, alias trahit in ruinam, illa primum sese opponit euacuationi. Sufficiant hæc exempla de Contraindicantibus. Coindicantia vero & correpugnantia non seruant eam per differentiam in omnibus scopis rationem, cum solum signa sint indicantium, & contraindicantium, vt ætas senilis indicare solum potest virium imbecillitatem magnam, ordinem autem & quosdam alios scopos nequaquam; eodem pacto quæ ostendunt repletionem, indicantem euacuationem, non necessario ostendunt omnes differentias, quæ considerantur in omnibus scopis euacuationis: si quis tamen subtilius & diligentius hæc pertractaret, forte etiam inueniet eandem esse in omnibus rationem; sed nos contenti esse debemus, si nunc intelligamus, in ipsis indicantibus & contraindicantibus seruari per omnes differentias & scopos sibi correspondentem oppositionem; ergo qualitatem, quantitatem, & alios scopos remediorum inueniemus per proprium indicans primum, deinde per contraindicans, his enim inter se diligenter comparatis, intelliget Medicus, vtrum agere, quid, qualiter, quantum, quomodo, quo tempore, quo loco, quove ordine possit, & quo vti possit remedio, quali, quanto, quomodo, quo tempore, in quo corporis loco, & quo ordine.

Εἰ γὰρ διορίσαιτό τις πρῶτον μὲν τὴν κατὰ τὰς ἡλικίας διαφοράν, ἐφεξῆς δὲ τὴν κατὰ τὰς κράσεις καὶ τὰς δυνάμεις, καὶ τἆλλα τὰ τοῖς ἀνθρώποις ὑπάρχοντα, χροιὰς λέγω, καὶ θερμασίας καὶ ἕξεις καὶ σφυγμῶν κινήσεις, καὶ ἔθη καὶ ἐπιτηδεύματα, καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη, προσθείη δὲ τούτοις, καὶ τὴν ὡς ἄρρενος πρὸς θῆλυ διαφοράν, ὅσα τε κατὰ τὰς χώρας καὶ τὰς ὥρας, τοὺς ἔτους καὶ τὰς ἄλλας τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος καταστάσεις ὡς χρὴ διορίσασθαι, πλησίον ἂν ἥκοι τῆς ἰδίας τοῦ κάμνοντος φύσεως. ἀλλὰ πάντων τούτων τὰ μὲν ἐν τοῖς περὶ σφυγμῶν. τὰ δ' ἐν τοῖς περὶ κράσεων διώρισται ὥσπερ γε καὶ τῶν παρὰ φύσιν ἁπάντων ὅσαι κατ' εἴδη τε καὶ γένη διαφοραὶ τυγχάνουσιν οὖσαι, πάσας ἐν τῷ περὶ παθῶν διοριζόμεθα λόγῳ.

Si quis enim probe distinxerit primum ætatem, deinde temperaturarum differentias, & vires, multaque id genus, quæ homini insunt, cuiusmodi est color, calor, corporis habitudo, arteriarum motus, consuetudo, studia, & animi mores, quibus addiderit maris & fœminæ discrimen, & quæ ad regiones, anni tempora, & alias nos ambientis aeris constitutiones, ad propriam ægrotantis naturam prope accedet. Verum alia quidem horum omnium in libris de pulsibus; alia vero in libris de temperamentis disputata sunt; quemadmodum & quæ præter naturam sunt vniuersa, vt inter se formis & generibus differant, in libris de affectibus à nobis definita sunt.

HÆc, quæ hic enumerat, sunt quidem necessaria Medico, sed non ab omnibus istis indicationes sunt sumendæ, indicant enim ea solum remedia, quæ ab ipsis remediis iuuantur, & victum indicant eodem modo ea duntaxat, quæ relationem habent ad ipsum victum. Quare, ætas, color, corporis habitus, arteriarum motus, consuetudo, studia, animi mores, sexus, regio, anni tempora, aeris constitutiones (vt alibi ostendimus) nihil indicant, nec contraindicant, sed vel coindicant, vel correpugnant, id est, considerantur, vt faciunt ad cognitionem indicantium & contraindicantium: quinetiam inter illa, quæ sunt de essentia nostri corporis, & propterea sola indicantia, indicant solum causæ constitutionis ipsius corporis, quatuor, inquam, qualitates & humores, quæ temperiem & sanitatem pariunt, nam ipsa sanitas sequitur ad temperiem, vt hæc etiam sequitur qualitatum mediocritatem, non igitur ipsa sanitas, & accidentia, quæ ipsam sequuntur, indicare possunt, nisi fortasse sui conseruationem, eadem ratione morbus ipse non indicat remedium aliquod, sic enim indicaret sanitatem, cum nihil aliud morbo sit contrarium præter sanitatem: at quis assumit sanitatem in curatione morborum? adhibemus autem id, quod calefacit, refrigerat, humectat, siccat, vt excessus qualitatum retundamus, & ita mediocris temperies comparetur, ad quod sequitur per accidens morbi profligatio, & ipsa sanitas. *Causa ergo sanitatis & morbi* (vt vno verbo dicam) *indicant remedia & omnes remediorum scopos*; intelligimus autem, quomodo illæ causæ sint in corpore secundum naturam ex accidentibus secundum naturam, vt ex ætatibus, nam quædam est ætas index excedentis caloris & humoris, vt pueritia; alia æqualitatis qualitatum, vt adolescentia; alia caloris & siccitatis, vt iuuentus; alia frigiditatis & siccitatis, vt declinatio & senectus: eadem est ratio de colore corporis, motu arteriarum, somno & vigilia, & aliis accidentibus corporis; consuetudo vero, regio, anni tempora, victus, & alia, quæ habent vim mutandi corpus, idem demonstrãt, tanquam causæ, quæ solent efficere in nobis tales humores & qualitates, qualem ipsæ vim habent. Ex his igitur cognoscemus communem naturam, ex qua particularem intelligemus: qui enim in eo, quod commune est, communicant, vt in eadem ætate, eodem sexu, eodem colore, habitu corporis, motu arteriarum, eãdem temperiem, & æquales in ea recessus obtinebunt, & ita ad propriam ægrotantis naturam prope accedemus, & ex ea recessus morborum & causarum illorum intelligemus.

Νυνὶ δὲ ὁ μὲν λόγος ἡμῖν ἅπας, ἔσται περὶ τῶν τοιούτων ἀρρώστων ὧν τὴν φύσιν ἀκριβῶς ἐπιστάμεθα πρὸ τῆς νόσου. συνεπινοηθήσονται δ᾽ αὐτοῖς καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ὧν ἠγνοοῦμεν. οὐδὲν γὰρ ἦν χαλεπὸν ἀπὸ τοῦ τελέως διωρισμένου καὶ τὸ μὴ τοιοῦτον ἐξευρίσκειν.

Nunc vero omnis nostra disputatio de iis ægrotis erit, quos exacte, antequam morbum contraherent, noueramus, cum quibus tamen & reliquos omnes, quorum nobis nō erat perspecta natura, intelligemus. Siquidem difficile non fuerit, ex eo, quod perfecte distinctum est, id etiam, quod tale non sit, inuenire.

DOcuit, ad recte medendum necessarium esse, præcognoscere, antequam morbus nascatur, naturam propriam ægrotātis, id, quod maxime fit consuetudine Medici cum particularibus hominibus; eorum vero, cum quibus non sumus conuersati, naturam assequemur ex contemplatione communis naturæ, quæ in multos spargitur. Nunc autem supponit, vnum se velle, solum, inquam, tractare curationē morborum in illis, quorum naturam perspectam habemus per sanitatem. Qua quidem suppositione nunquam postea vtitur in tractatione. Itaq; videtur frustra hic polliceri, de ea re agere velle; Quin etiam illud magis admirari subit, quod scribit, facile posse cognosci reliquorum omnium propriam naturam; nam cum non possimus cognoscere, nisi paucorum particularium naturam, & ex particularibus non colligatur aliorum particularium ignotorum natura, sed ex consideratione vniuersalis naturæ, non video, quomodo velit ex paucis notis infinitam multitudinem ignotorum intelligi; Addo, quod perfecta non potest esse distinctio, & exacta cognitio particularis alicuius naturæ, vt hic scribit, quippe cum antea, eodem authore, ostenderimus, nihil proprium exacte cognosci vel scribi posse. Sed his omissis, accedamus ad febrium tractationem.

CAP. II.

DE FEBRIB. EPHEMERIS.

Ἀρξώμεθα οὖν ἀπὸ τῶν πυρετῶν, ἐπειδὴ καὶ σὺ τῆς τούτων ἰάσεως μάλιστα ἠξίωσας τὴν μέθοδον λεχθῆναι.

Igitur à febribus, quoniam harum curandarum rationem habere cupiebas, auspicemur.

QVoniam nostrum institutum & officium est hoc anno tractare de febribus, & ob id, cum Auicenna, qui in scholis legi solet, confusus, & ob linguæ Arabicæ ignorantiam obscurissimus esset, suscepimus Galeni hunc librum interpretandum, in quo idem author agit de febribus, cogimur profecto ita rem hanc tractare, vt non solum, quæ ipse obiter tradit explicemus,

A sed etiam, quæ omittit, vt perfecta reddatur de febribus tractatio. Vniuersa itaq; cum superius ostenderimus, primum quod venit explicandū, esse definitionem febris, diximus: de ea nunc agere aggredior.

Et quoniam in omni definitione primum stabiliendum est genus definiti, de eo quæramus, quidnam sit. Constat autem febrem aliquid esse eorum, quæ sunt in nobis præter naturam, ac cum inter ea aliquid habeat rationem causæ morbi, aliud ipsius morbi, aliud accidentis morbi, siue symptomatis, non constat adhuc, ex quo genus febris sit sumendum; nam tametsi omnes velint febrem esse morbum, pauci tamen sciunt ipsi genus assignare inter morbos, quippe, B cum causam morbi pro morbo substituant, & pro genere febris differentiam assumant: quod nunc ostendo, omnes enim dicunt febrem esse calorem (vt videre est multis in locis apud Galenum & apud Auicennam) est autem calor non morbus, sed causa morbi: nam morbus vitium est corporis, vt sanitas est perfectio, & vterque est affectus siue dispositio corporis. at calor nullus est vitium, vel perfectio, vel affectus; dicitur enim febris esse morbus in intemperie: at calor non est intemperies, sed intemperiem facit, quomodo etiam lapis in vesica non est morbus, sed morbi causa: quinetiam si febris est calor & morbus, sanitas contraria febri, erit frigus, vel calor secundum naturam; C qui ergo definiunt febrem per calorem, fatentur esse causam morbi, & tueri non possunt eam esse morbum. Definit aliquando etiam Galenus febrem per intemperiem, & inter morbos vniuersales, qui consistunt in intemperie calida, ponit febrem, vt 9. *Methodi*, vbi scribit, intemperiem, quæ in calido consistit, vbi in totum diffusa est corpus, febrem nominari: at sic etiam febris non esset morbus, sed causa morbi: nam vt sanitas non est temperies, sed affectus, qui bonam temperiem sequitur, sic nec morbus intemperies est, sed affectus & vitium, quod ab intemperie prouenit, vt pulchre docet Aristot. 7. *Methaphysices*. *Quoniam*, inquit, D *sanitas est tale quid necesse est si sanum futurum sit, vt hoc adsit*, nempe æqualitas, & si hoc caliditas, & si hæc adesse debet, opus est frictione. Est ergo aliud morbus, quam intemperiei inæqualis caliditas, & id, quod caliditatem parit, nempe vitium siue affectus, qui nascitur ab intemperie, vt hæc nascitur ab inæqualitate qualitatum, vt puta caloris.

Febrem non esse calorem.

Nec intemperiem.

At vero non desunt, qui febrem ponunt quādam inter morbos, aliam vero inter symptomata, vt Auicenna *statim ab initio* dicit, febrem quandam esse morbum, aliam vero accidens, siue symptoma, vt Galenus etiam *in quodam Aphoris. 7. libri* paulo post, vbi dicit Medicos consueuisse vocare febres symptomata, quæ se- E quuntur inflammationes. Verum propria nulla febris symptoma est, cum non sit actio læsa, vel excrementum præter naturam, vel qualitas secunda mutata, sed appellantur febres illæ symptomata *per quandam conuenientiam*, quam habent cum symptomatibus: est enim natura symptomatis, quod sequatur morbos, ita febres, quæ nascuntur ab aliis morbis, appellantur sym-

authorem à nostris scholis, operamque nostram collocare in meliore opere; verum, & in hoc sunt etiam suæ angustiæ: nam nullum habemus authorem, qui tractationem de febribus totam sit complexus vno volumine, & breui compendio, nam Galenus in vno libro agit de diff. & causis febrium; *in Meth.* vero *medendi*, atque etiam in aliis plerisque libris curationem solum febrium diariarum, synocharum, putridarum, & hecticarum in genere est complexus, atque ita facile, vt non sit opus accuratiore interpretatione, qualis fieri solet in scholis Italicis, sparsim multa tradit de febribus *in Commentariis*, quos scripsit *in Hippocratis libros*; postulat autem institutum nostrum, vt in vnico Opere contineantur omnia breuiter, & cum methodo scripta. Propterea nec Paulus, nec Aëtius, nec alii Græci Medicinæ Scriptores, aptam ad id docendum in scholis tractationem de febribus fecerunt; illi enim nulla principia ponunt, nihil probant, raro diuidunt, ieiuni sunt in medicamentis, & ea, quæ tradunt, nostris temporibus vix accommodari possunt, vel potius omittenda sunt, quandoquidem multo meliora & mitiora illis inuenit posteritas, & nostra industria; ac multa dedit nouus orbis antiquis ignota. Itaque decreueram, integram instituere tractationem absq; interpretatione alicuius Operis, explicando scilicet primo, quæ ad definitionem, & naturam ipsius febris pertinent; deinde febris ipsius differentias, postea causas, quarto signa, postremo generalem curãdi rationem, & eandem obseruare docendi rationem in singulis generibus febriũ, nempe in diariis, humoralibus, & hecticis. Verum, vt hæc doctrina prouectioribus esset admodum accommodata, ita rudioribus forte non esset facilis; itaq; suscepi vobis interpretandum Galeni primum librum ad Glauconem, qui etsi non omnia continet, quæ desiderat integra tractatio de febribus (nihil enim illic tractat de febribus Synochis, nihil de hecticis, nihil de pestilentibus, nec de semitertianis, & de multis aliis,) tamen nos sumemus occasionem ex eo Opere docendi, quod & doctis, & rudioribus sit futurum vtile & facile, ac simul integram perficiam tractationem.

Est porro hæc Tractatio de febribus inter alias omnes, quæ habet nostra Medicina, vtilissima, pulcherrima, & difficillima: si enim vtile est philosophari, & pulchrum in rebus difficillimis ingeniũ exercere, nulla profecto reperietur in arte nostra tractatio, quæ cum hac conferri possit. Quis enim non admiretur Medicum, qui certis rationibus docere possit, vbi febris consistat, & in qua parte foueatur, ex qua materia quælibet illarum accendatur, & à quibus causis gignatur? cur præterea quædam continuo infestent, aliæ vero aliquando quiescant, & postea redeant per certa, vel incerta temporis interualla, & ea quidem longiora, vel breuiora.

Tractationis vtilitas.

Nonne etiam pulchrum est, posse prædicere salutem, mortem, & tempora, in quibus hæc fiunt? In curatione tanta est scientia, vt merito Medicum tanquam Deum quendam mirari debeamus, qui febres sciat certe persanare. Ad hæc, si vtilitatem metiri volumus, tũ ægrotantibus tum nostro commodo hæc tractatio alias omnes longe superat; Nullus enim hominibus grauior est morbus, nullus, qui frequentius infestet, nullus, qui vniuersum corpus citius deiiciat, aut sæpius perimat, quam ipsa febris. Prouenit quoq; nobis ex curatione solius febris plus commodi & honoris, quam ex aliis omnibus morbis: eos enim aut contemnunt homines, aut ad eos propulsandos tunc solum accersunt Medicum, cum illi grauissimi sunt facti, & cum qualemcũq; quando quidem & vetulæ mulierculæ, & idiotæ quilibet dolenti stomacho, aut capiti affecto remedia audent adhibere: at febrium curationem nobis reliquerunt omnes, nec aliquis est homo alterius ordinis, quam nostri, tam audax, qui illius scientiam sibi vendicare audeat: At cum nonnulli dicunt, se remedia habere, quæ febribus prosint, tamen cum ipsi eo morbo vexantur, suis auxiliis non fidunt, sed à nobis opem quærunt.

Est quidem vtilissimum vulneribus, fracturis, vlceribus, luxationibus mederi, quandoquidem his malis nobiliores homines maxime sunt obnoxii, sed eum quæstum, qui paratur Chirurgia, *vilissimi* tonsores nostra negligentia, & indulgentia nobis iamdudum eripuerunt. Itaque vtilissimam huius rei explicatio-

plicationem existimabimus, si modo ea est, quæ præ cæteris tantorum laborum, quos discendi causa suscipimus, nobis vberrimos fructus promittit.

Difficultas. Quod si rerum cognitio per se, & quia difficilis, homine digna censetur, quænam, quæso, est pars in Medicina hac ipsa difficilior, iucundiorq;? Quid vero hoc etiam dignius, quam posse hominem febre laborantem curare, si enim Medicum laudamus, qui vni parti affectæ succurrere nouit, certe hanc partem reliquis omnibus præferemus, vtpote, quæ non vnius membri, sed vniuersi corporis Medelam pollicetur.

Cæterum, de difficultate huius Operis commodius agemus, enumeratis his, quibus vniuersa tractatio constat: nam in vnaquaque parte licebit ostendere, plurima esse difficilia, nonnulla adhuc non inuenta, quę tamen summopere sunt necessaria; alia vero ab aliis, vel dissimulata, vel pro dignitate nequaquam explicata.

Diuisio siue ordo. Constat autem (vt breuiter dicam) vniuersa hæc tractatio septem partibus, quarum Prima de essentia, & de definitione ipsius febris aget; Secunda de ipsius generibus: Tertia de differentiis; Quarta de causis; Quinta de temporibus, siue partibus febris pertractabit; Sexta de signis; Vltima erit de curatione; Quæ quidem capita ea esse, & tot, quot ponere oportet, ex hoc patere puto, quod hæc particularia omnia, quæ de febribus dici possunt, in se complectuntur, & illis cognitis nihil relinquatur, quod Medicus in officio suo obeundo in hac parte desiderare possit. *Ordinis probatio.* Eo vero, quo diximus, ordine esse illa collocanda, facile patere potest ei, qui nouit quid sit Methodo docere: nam ignorata essentia, & definitione ipsius rei, frustra alia tentabis docere. Quare primum locum definitionis explicatio merito sibi vendicat: qua cognita statim sequitur explicandum, an res simplex sit, an composita, in quo quærimus febris species primas, ex quibus omnes aliæ nascuntur, quo explicato, statim videndum est, qua ratione quotue modis illæ inter se differre possint. Cognitis vero differentiis, inuestigandæ sunt causæ, quæ ad illarum generationem, auctionem, & conseruationem faciunt, contra quas in curatione, & præseruatione pugnandum est. Quoniam vero remedia varianda sunt, cum febres mutantur, ideo tempora siue partes ipsius febris explicandæ veniunt: At n[illegible] febrem, nec illius genera, differētia[illegible] [c]ausas & partes dignoscere possun[t] [illegible] nisi doceantur harum rerum not[æ] & signa: atque his omnibus cognitis in promptu sunt ea, quæ ad curationem febricitantium sunt necessaria. Quare de curatione, mitigatione, & aliis officiis, quæ exercemus in sanandis ægris, merito postremo loco agendum erit. Hæc, quibus constat ipsa tractatio de febribus, & eo ordine, quo ipsa enarrauimus, singula sunt explicanda, sed quoniam nos Galenum sequimur authorem, occasionem sumemus ex eo explicandi prædicta omnia, & si quædam ex illis omittat, nos ea addemus, vt perlecto vniuerso hoc illius libro, integre inueniatur nostra opera facta de febribus tractatio.

Sed ne illotis (vt aiunt) manibus accedatis ad harum rerum intelligentiam, necesse est, ut multa præcognoscatis, nam inprimis corporis natura, & constitutio tenenda est, cum in genere febrium distinguantur penes triplicem substantiam nostra corpora, spiritum, humorem, & solidas partes, quis intelligere poterit generum distinctionem, qui non antea illarum rerum naturas, & vsum in corpore perspectum habuerit? Sumuntur etiam differentiæ à materia subiecta, varianturque prædictio, & curatio ob subiecti, & materiæ diuersitatem. Non est quoque ignoranda corporis temperies atque structura, & quæ in affectionibus corporis nascitur differentia; siquidem generatio naturaque febrium, necnon prædictio, curatioque ob illa mutantur: etenim in corporibus bene temperatis bonisque humoribus abundantibus, optimeque transpirantibus labor diariam febrem, in aliis vero putridam excitat, atque in his periculosa omnia redduntur, in illis vero vix ex grauissimis febribus aliquod imminet periculum, facilisque est curatio; oportet præterea tenere, quæ, & quot sint partium actiones, quidq; singula efficiant, & quomodo, quoue tempore suum officiū exerceant; sic enim intelligemus, quid natura præstare possit, quid etiam nobis relinquat; nec ignorare oportet

omnium vim, quæ corpus nostrum immutare possunt, quid scilicet illud calefaciendi, refrigerandi, siccandi, humectandi, replendi, vacuandi, densandi, rarefaciendi, obstruendi, aperiendi, roborandi, nutriendi potentiam obtineat, & deniq; scire oportet, quicquid nostrum corpus quocunq; modo afficere potest: sic enim intelligemus omnium febrium causas, & illarum remedia; necnon scire necesse est, quicquid significare potest febrem, illiusq; differentias, causas, & partes, & quæ in febribus sequuntur, vt salutem & mortem. Deniq; qui vult esse huius tractationis idoneus auditor, debet accedere benè instructus in aliis omnibus Medicinæ partibus. Sed iam ad ipsum Gal. accedamus.

ΓΑΛΗΝΟΥ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΓΛΑΥΚΩνα θεραπευτικῶν.

Galeni de arte curatiua ad Glauconem.

IN Opere hoc explicando, Primo agendum est de inscriptione illius; Secundo, de scopo authoris; Tertio de diuisione Operis; Quarto, de doctrinæ modo, quo author vtitur in explicatione eorum, quæ in Opere traduntur; Postremo de Vtilitate, quam sperare possumus ex operis huius certa intelligentia.

Quæ libri inscriptio. Rectè igitur Montanus eos arguit, qui inscribunt opus hoc de febribus ad Glauconem, nam titulus iste solum comprehendit, quæ continentur *in primo libro.* verum ipse pariter aberrat, cum titulum facit parua Methodus Therapeutica, quia in Græco codice non est parua Methodus, sed solum legitur *de curatione ad Glauconem*; nam Methodus non est parua, aut magna, sed bona aut mala, quæ potius Methodus à quibusdam Compendium, siue compendiosa docendi ratio verti solet, vt apud Quintil. legitur.

Scopus Galeni in hoc libro quis. Scopus autem Galeni est, vt ipse *paulo post* docet, velle in gratiam Glauconis docere, & scriptis mandare vniuersalem quandam Methodum per compendium; est enim hic Glauco ille, de quo mentionem facit *in libro quinto de locis affect.* *Glauco quis fuerit.* Philosophus Platonicus, Galeni ipsius amantissimus, & admirator, vt ipse *in eo quinto libro* scribit. Porrò, Methodi huius vniuersalis vim, & vsum docet non in curationibus singulorum morborum, sed in quibusdam duntaxat, ex quibus reliquorum curatio intelligi potest: nam qui nouit vniuersale, & illud applicuit aliquibus particularibus, facilè ad alia transferri potest.

Operis diuisio. Diuiditur autem opus in duos libros, ac in primo tractat de curatione febrium, in secundo verò de curatione tumorum præter naturam, adiungit tamen etiam illorum morborum signa, & causas, non ex proprio quidem instituto, sed vt curandi ratio, quæ sumitur ex natura, & causis morborum facilius innotesceret.

A

Modus doctrinæ. Cæterum, quod attinet ad docendi modum, Montanus, nescio, quo modo scribit, Methodum esse diuisiuam, & resolutiuam, & ordinem docendi esse compositiuum, sed vt *in Commentariis nostris in Artem Medicinalem* ostendimus, Doctor iste malè passim diuisiuam, & resolutiuam Methodum pro eadem vsurpat. Præterea Methodum, & ordinem docendi nescio, quo modo distinguat, & dicat diuisiuam, & resolutiuam esse Methodum, ordinem vero esse compositiuum. Dicamus ergo, Methodum, siue ordinem, quem obseruat, esse compositiuum, quandoquidem incipit à simplicioribus intemperaturis, & morbis, & procedit ad magis compositos.

B

Vtilitas. Vtilitas autem magna est huius Operis, primum ex modo scribendi per Methodum breuissimis verbis explicatam; secundo, quod in hoc opere ad particularia descendat remedia, præsertim in febribus curandis, quod nusquam alibi fecit, ex quo intelligimus modum medendi antiquorum, præsertim in febribus, quem alioqui non erat facilè ex aliis operibus percipere, atque ita intelligemus, (vt arbitror) quam feliciores nos simus ipsis; sed hæc in progressu (vt spero) demonstrabimus.

C

CAP. I.

Ὅτι μὲν οὐ τὴν κοινὴν μόνον ἁπάντων ἀνθρώπων φύσιν ὦ Γλαύκων ἐπίστασθαι χρὴ τὸν ἰατρὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἰδίαν ἑκάστου πάλαι τε πρὸς Ἱπποκράτους ὀρθῶς εἴρηται, καὶ ἡμῖν δ' ἐπ' αὐτῶν, ὡς οἷόν τε, τῶν ἔργων τῆς τέχνης ἱκανῶς ἐσπούδασται.

Quod non solum communem omnium hominum naturam ô Glauco, sed & cuiusque propriam nosse Medicus debeat, ab Hippocrate olim traditum est, & à nobis in ipsis artis operibus, vt nosti, studiosè obseruatum.

D

PRIMVM hoc caput non videtur certo ordine scriptum ab authore, multa enim dicit, quæ inter se non cohærent, & cum vnum scopum sibi proponat, qui est, velle scribere in gratiam Glauconis Methodum medendi, postea multa dicit, quæ non cohærent cum eo scopo, sed cum alio, de quo paulo postea agit, cum dicit se etiam velle Glauconi in eo obtemperare, vt doceat causam, quam ob rem fiat vt multi Medici in curatione aberrent. Quare, si ex illis duobus vnus fiat scopus, clara hæc omnia redduntur, vt talis sit sensus; *postulasti à me, vt tibi vniuersalem medendi Methodum conscriberem, & simul indicarem causam, cur Medici multi fallantur, hæc in tui gratiam scribere aggredior.* Reliqua vero dicam in ipso principio, & postea cum partem sui instituti proposuit, reddit rationem nunc vnius partis instituti, nunc alterius.

E

alterius. Supponit autem vnum statim ab initio, ex quo postea ostendit, se methodum quidem promissam scripturum, ita tamen, vt credere nõ debeat Glauco, ex ea se optimum Medicum futurum; Id autem, quod supponit, est, Medicum non solum communem hominum naturam, sed etiam cuiuscunque hominis propriam cognoscere debere. Quod cum non sit per se notum, dicit illi adhibendam esse fidem ex Hippocratis sententia, & ex eo, quod ipse id ostenderit sæpe, ipsi Glauconi medendo. Nõ memini quidẽ, me legisse expresse hoc ab Hippocrate esse traditũ, medendo vero id omnes experiuntur verum esse, nam Medicus (vt alibi scribit Galenus) non hominem curat, sed Socratem, Platonem, & singulos vult ad suam propriam naturam, non communem reducere; id, quod fieri non potest, nisi eam propriam naturã præcognouerit, quod clarius postea adhuc patebit.

Natura multiplex significatio.

Porro naturæ nomen late patet: nam natura *materiam* significat & *formam cuiuscunq; rei*: a-
1. pud philosophos sumitur & natura pro *structu-*
2. *ra corporis*, quomodo dicebat Hippocrat. moriebantur illi, quorum natura ad tabem vergebat.

3. Sumitur & pro *temperie corporis*, quam Galenus semper putauit esse formam, nam supra temperiem aliam non nouit formam Galenus.

4. Aliquando pro *naturali facultate* sumitur natura, vt cum dicit, plantas à natura generari, animalia vero ab anima, id est, animali facultate.

5. Aliquando sumitur natura *pro eo, quod est moderatum vel proprium singulis*, etiam in excessu, vt cum dicimus, sanitatem esse secundum naturam, & gibbosos etiam ita esse à natura, id est, gibbositatem illam sibi esse naturalem.

6. Sumere possumus etiam naturam *pro proprietate corporis*, vt cum dicimus, quosdam talem habere naturam, vt male, aut bene se habeant ad res quasdam agendas & ferendas, pro eo, quod est, talem habent proprietatem. Hæ sunt præcipuæ naturæ significationes. Addit alias Montanus, quod scilicet sumatur aliquando pro quatuor humoribus & Elementis; aliquando pro toto composito; aliquando pro accidentibus consequentibus formam corporis; cuius opinionem nunc in hoc examinare nolo, in hoc tamen illum puto male sentire, quod putet in omni significatione Galenum naturæ nomen hic intelligere: nam in communi natura illa omnia reuera sunt cognoscenda, in particulari vero nequaquam omnia faciunt differentiam, sed id, quod particulare est: nam forma, & materia communis, non mutant curationem in particularibus, quippe cum eadem hæc sint in omnibus; nec etiam recipio eorum opinionem, vt Acakiæ, qui naturam sumi volunt pro temperatura; nam medendi Methodus, & exercitatio in particularibus præcepta debent habere, quæ conueniant omnibus morbis, & non solum illis, qui sunt positi in ipsa temperatura. Quare per communem naturam intelligemus ea, quæ omnibus hominibus sunt communia; per particularem vero intelligemus, non solum id, quod est insitum à primis principiis, sed etiam id, quod est acquisitum ratione ætatis, vel victus, aut etiam casu, siue illud sanum sit & moderatum, siue

Alia significationes ex Montano.

Quid per cõmunem naturam hic intelligendũ. Et quid per particularẽ.

A etiam morbosum effectum, ita tamen, vt amplius immutari non possit, adeo vt in naturam transierit, quilibet enim ad id, quod est illi insitum, siue à natura, siue casu, in curatione reduci debet: claudus enim & gibbosus si quid in illis vitiis est innouatũ, nõ ad rectam figuram, sed ad eam, quæ præerat gibbositatem & claudicationem reuocandum est. Propriam ergo temperiem, propriam structuram, propriam, vt ita dicam, proprietatem, propria accidentia, & deniq; id, quod est proprium singulis, debet præscire Medicus, vt recte possit curare; idem ergo est hoc loco propria cuiusq; natura, quod est iam secundum illorum naturam siue proprium singulis hominibus, omnes enim ad suam naturam & B ad id, secundum naturam & proprium ipsis est, cum à morbo ad sanitatem perducentur, redigi debent.

Οὐ μὲν γράφειν γὲ δυνατὸν ὥσπερ τὴν κοινὴν οὕτω καὶ τὴν ἰδίαν ἑκάστου.

Non tamen propriam singulorum naturam, vt communem scribere possumus.

POsteaquam dixit author, naturam hominũ quandam esse communem, aliam esse propriã, & vtranq; cognoscendã esse à Medico; docet nunc, quomodo illæ naturæ inter se differant; & dicit, hanc differentiam esse, quod vni- C uersalis natura scribi possit, particularis autem non possit. Deinde, quod particularis natura veniat ad opus, vniuersalis autem nequaquam, sed solum maneat in scriptis, homo enim in vniuersali non curatur, sed indiuiduus quilibet homo, de vniuersali tamen homine præcepta traduntur, non de particulari: *est enim ars & scientia vniuersalium, operatio vero, & sensus particularium*. Quod vero, inquit, propriam cuiusq; naturam scribi non posse, duplicem habet intellectum, scilicet, quod omnium particularium natura scribi non possit, vel quod vnius hominis natura non possit scribi, alii interpretes intelligunt in prima significatione, ego vero in vtraq;: nam omnium particularium hominum natura, D quæ in singulis euariat, nequit literis mandari, nec cognitione comprehendi, habet tamen etiam suas difficultates particularis vnius natura, sed non in enumeratione singularũ affectionũ, possumus enim illius temperiẽ, humores, qualitates, omnes, quæ in eo sunt, excrementa, mores, actiones, & deniq; quicquid in eo reperitur, recensere, hæc enim non sunt infinita, nec etiam multa.

Quid ergo est, quod non potest in ea natura scribi? Quantitas profecto singularum affectionum, ea enim ignoratur, & propterea scribi non potest, nemo enim est, qui possit certos gradus constituere in eo, quod in singulis est moderatum, vel immoderatum. Quis enim est, qui E possit cognoscere, & re vera asserere, aliquem hominem exquisitissime esse temperatum, vel ab eo, quod est exquisitissimum, recedere per integrum gradum, vel plus, vel minus in calore, frigore, animi affectionibus, & denique in alia quacunque affectione? Scribi etiam non possunt mutationes, quæ quotidie fiunt in vno corpore, quia minimo quoque momento per ani-

Etiam vnius hominis naturã non posse describi.

mi passiones, cibum, potum, somnum, vigiliam excrementorum retentionem, & emissionem, aeris contactum mutantur nostra corpora, quæ nisi Medicus perpetuo adhæreat vni homini, non potest eas mutationes deprehendere; *ob quantitatem ergo actionum, & subitas in singulis mutationes, propria hominum natura intelligi, & scribi no potest*; Ac quod vera sit hæc interpretatio, ostendit postea Galenus, cum dicit, circa quantitatem, & occasionem remediorum plurimos Medicos aberrare, & hæc in singulis euariare, quoniam ea, à quibus quantitas remediorum, & occasio sumuntur, sunt, quæ faciunt, vt propria hominum natura scribi non possit.

Et cur.

Ἀλλ' ὑπεναντίως ἔχει τὰ γράμματα πρὸς τὰς πράξεις, ἄλλοθί τε πολλαχόθι, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐν τοῖς νῦν ὑφ' ἡμῶν ἑρμηνευθεῖσι.

Sed opposito se habent modo scripta & opera, tum in aliis plurimis, & maxime in prædictis.

HAnc sententiam ita interpretatur Acakias, vt dicat ordinem diuersum esse inter ea, quæ scribuntur, & ea, quæ fiunt in medicina, scribi enim vniuersalia, circa particularia vero fieri curationem. Verum author hic non agit de ordine, & in eo, quod dicit, nulla est oppositio in ordine, nec illa inter se hoc modo comparat, sed in hoc, quod vniuersalia scribi possint, particularia vero nequaquam; propterea dicit ὑπεναντίως, id est, *contraria*, siue cõtrario modo illa se habere, & nõ contrario *ordine*: nam quod ad ordinem attinet, eum sequimur ordinem in curatione, quem docuimus scribendo, vel loquendo: siquidem, vniuersalis Methodus docet, à causis remotioribus, siue antecedentibus esse incipiendum; deinde perueniẽdum ad propinquiores; & tandem ad coniunctas: Idem obseruamus in medẽdo, & curando singulos morbos, vnde nescio, quomodo velit, id primum esse in medendo, quod inuentum est vltimum in docendo: nam id solum verum est in resolutione, quod scilicet incipiendum sit ab eo, quod vltimo est inuentum per resolutionem; sed hoc commune est, tum vniuersali tractationi, tum operationi: differunt solum, quod in vniuersali tractatione resoluantur vniuersalia, & eadem postea tractentur: in operatione vero resoluantur particularia, & eadem postea veniãt in opus; qui enim docet (vt exemplis res patefiat) dicet febrem putridam nasci ex putredine, hanc vero ex prohibita transpiratione, hanc rursus ex obstructione internorum meatuum, vel densitate exteriorum. De densitate ergo & obstructione aget primum, & docebit, quibus remediis tolli possint, postea de prohibita transpiratione, tertio loco, de putredine, vltimo remedia docebit ipsius febris, vt putrida est. Sic Medicus, qui operatur, febrem putridam, qua laborat Socrates, resoluet in propriam putredinem, & eam in suam prohibitam transpirationem, & hanc rursus in obstructionem, & densitatem, & causas, quæ has pariunt, demum curationem auspicabitur ab iis, quæ vltimo loco sunt inuenta. Vbi

A ergo vtimur resolutione, idem obseruat rationalis Medicus in particularibus, quod facit, cũ docet in vniuersalibus. Sic si à compositione ordiatur, id est, sequatur ordinem compositiuum, semper exordietur, & docendo, & medendo à simplicioribus, & remotioribus; Quid ergo iste bonus vir dicit, nos contrario ordine curare morbos, quam doceamus illorum curationes? Quod si illius exempla sequamur, oporteret à particularibus venire ad vniuersalia medendo, si modo docendo ab vniuersalibus accedimus ad particularia, isti enim sunt ordines oppositi, at nullus in particularibus operationibus incipit à particulari, & vadit ad vniuersale, sed semper versatur circa particularia, & particulares causas.

B Maneat ergo nostra interpretatio, quod contrario, id est, opposito *modo* se habeant scripta, & opera, eo quod scribamus vniuersalia, & ea scribi possint, opera vero ipsa, & quæ tractantur in operatione, non possint scribi: qui enim docet, præceptum certum præcipit, quod remedia debeant exhiberi æqualia morbis, & illorum causis; & quod ex magnitudine recessus à naturali statu cognoscatur quantitas morbi, & causarum morbi; sed qui medetur, istum recessum, & istam quantitatem certam non potest dignoscere, quare nequit certam etiam quantitatem remediorum accommodare ægrotis: accidit enim in hac diuersitate, vt vniuersalis propositio, qua vtitur, qui docet, sit vera, particularis vero sem-

C per dubia, vt patet in hoc Syllogismo; *Omnis excessus per æqualia remedia est curandus; at hic excessus est æqualis huic remedio; ergo per hoc remedium curandus*; vbi apparet vniuersalis maior propositio certissima, & verissima; minor vero incerta est, & dubia, nec probari potest. Quis enim asserere potest, febrem ardentem, qua laborat Socrates, recedere per certissimum gradum à naturali statu?

Ἠξίωσας μὲν γὰρ ἡμᾶς ἰαμάτων τινά σοι καθόλου μέθοδον ὑποτυπώσασθαι.

D *Postulasti enim à nobis, vt tibi remediorum quandam vniuersalem Methodum designarem.*

POsteaquam docuit author noster, quæ sint præcognoscenda ab eo, qui velit vel docere, vel exercere curandi rationem, & quomodo differat operatio circa particularia à doctrina vniuersalium, accedit ad suum institutum, & illud proponit, quod est, velle Methodum medendi in gratiam Glauconis designare, siue circumscribere; id enim verbum ὑποτυπώσασθαι significat.

Methodi nomen (vt alibi ostendimus) frequenter vsurpatur Galeno, & interim non docetur ab eo quid significet, & quanta sit illius vis, quã tãtopere vbiq; laudat; de qua re nos egimus

E abunde *in Commentario primo in Artem Medicinalem*, vbi docuimus, nihil aliud esse Methodum, quam viam certam, siue rationem aliquid tractandi, vt docendi, discendi. Quæ propterea compendium à quibusdam dicitur: quæ enim tractantur cum ratione, sunt compẽdiosa, quippe cum ratio omnia superflua conferet, & nihil necessarium omittat; docet autem cum Methodo secun-

Methodus quid.

do secundum Galenum, qui primum nomina
explicat, de quibus est acturus, deinde definit
singula, postea diuidit si multas habet partes,
Qui nam methodo dicantur docere. postremo vniuscuiusque partis proprietatem ex-
plicat. Sed nos illic etiam ostendimus, eum qui
recte docet, non solum hæc debere obseruare,
sed etiam causas rerum explicare, & effectus do-
cere. Videndum præterea est, quid sit proban-
dum, quid vero non, quibus præterea instrumen
tis vtendum sit ad singula probanda, & non so-
lum diuidere, sed resoluere, componere, induce-
re, syllogizare, & aliis instrumentis vti debea-
mus; aliquando disputandum contra alios, ali-
quando ab ipsa tractatione auspicandum, deni-
que qui Methodo docere vult, Arist. imitetur
optimum docendi magistrum. B

Περαίνεται δ᾽ αὕτη διά τε ποιότητος καὶ ποσότητος ἑκάστου τῶν βοηθημάτων καὶ τοῦ τρόπου τῆς χρήσεως αὐτῶν, καὶ τοῦ πάντων τούτων χαλεπωτάτου διαγνωσθῆναι καιροῦ.

Perficitur autem ea qualitate, quantitate vniuscuiusque remedii, & modo vsus illorum & omnium istorum difficillima cognita occasione.

PRoposuit suum institutum, quod est, velle
Methodum medendi describere; nunc vero C
docet, quibus constet ea Methodus, & dicit eam
constare quatuor, nempe, qualitate, quantitate,
vtendi modo, ac occasione remediorum. Te-
nebit ergo eam Methodum, qui sciet in singulis
affectibus morbosis inuenire qualitatem, quan-
titatem, modum remediorum, & simul intelli-
get, quo tempore illa sint exhibenda. Quod an
verum sit, & sufficiens, postea expendemus:
nunc autem obiter admoneo, Acakiam non in-
terpretari locum Galeni, hic enim dicit Metho-
dum constare ex quatuor prædictis, ille vero
dicit, eam docere debere, quid primum, quid se-
cundum, quid deinceps, quid cum quo, quid si-
ne quo fieri debeat. Sed vt ad Galenum redea-
mus, Methodus medendi non solum debet com D
prehendere illa quatuor in medicamentorum
vsu, sed plura alia, vt alibi etiam docuimus: pri-
1. mum enim debet Medicus, qui Methodum cu-
Scopi in actionibus obseruandi. randi tenet, scire, *an illi aliquid sit agendum circa*
corpus ægrotum, sola enim natura aliquando mor
bis medetur, aliquando etiam opera Medici re-
quiritur, non semper, sed tunc solum, cum natu-
ra ab opere quiescit, aut illa debiliter agit, vt
Hippocr. in eo Aphorismo significauit: *Quæ iu-*
sect. 1. aph. 20. *dicantur & iudicata sunt integre, neque mouere,*
neque nouare oportet. Vbi vero nouit Medicus
2. aliquid ipsi esse agendum, quærere debet *quid*
agendum sit, an scilicet nutriendum, vel euacu-
andum, vel refrigerandum, aut aliquid aliud fa-
ciendum; Tertio loco insurgit intentio de quan- E
3. titate actionis, *quantum scilicet illi agendum sit*,
multum ne an parum agendum sit. Sunt etiam
in operatione qualitates quædam operandi, qua
4. les sunt, *an cito vel tarde, cum dolore vel volupta-*
te, cum securitate vel periculo, leniter vel cum aspe-
ritate agendum sit. Et quidem male Montanus
dicit, per qualitatem intelligi, quid agendum,

A longe enim differt secundus scopus ab hoc. Mo-
dum postea obseruare debemus, qui scilicet 5.
comprehendit (vt alibi ostendimus) *an con-*
fertim, & simul agendum sit, vel per vices, & eas
quidem, vel æquales, vel inæquales. Succedit sco- 6.
pus, qui tempus & occasionem agendi præscri-
bit, *quo scilicet tempore sit agendum.* Alius est
scopus, qui locum corpore ad agendum accom- 7.
modatum notat, *an quo scilicet loco agere oporteat,*
vel in vniuerso corpore, vel in pluribus parti-
bus, vel in vna, & in quibus, & in qua, nec hic
scopus continetur in modo agendi, sunt enim
natura inter se distincti contra Montanum.
At vbi plura sunt facienda, necesse est ordinem 8.
constituere, vt sciamus, *quid primo loco, quid se-*
cundo, & quid deinceps facere oporteat; quare or-
do vnum est ex his, quibus perficitur Methodus,
non autem est id, ex quo alia nascuntur, vt Aca-
kias tradit; non enim vniuersalis, & omnis Me-
thodus debet proponere, quid primũ, & quid se-
cundum, & quid deinceps fieri oporteat: nam
vbi vnum solum est agendum, frustra quæri-
mus ordinem in reliquis.
Cæterum, vt in actionibus ipsis hi scopi sunt *Scopi in ipsis remediis obseruandi.*
necessarii, ita in ipsis remediis & reliqua mate-
ria medica scopi quidam sunt obseruandi: nam
videndum est, *an* vtendum sit medicamento, vel
victu, & si medicamento vtendum sit, inuesti- 1.
gandum est, *quo* sit vtendum, an vacuante, vel 2.
alterante, vel alio, quod sit alterius generis: In-
uento genere remedii, *qualitas* quærenda in eo 3.
est, an scilicet illud debeat esse calidum, vel fri-
gidum actu, vel potentia, durum vel molle, so-
lidum vel liquidum, viscosum, vel friabile, dulce
vel amarum; & denique videndum est, *quænam*
qualitates aptiores sint in medicamento, quo vti
debemus: Qualitatibus vero inuentis, spectan-
dum est, *quantum* ab eo medicamento sit exhi- 4.
bendum, id est, in quanta mole, & in quot gra-
dibus, vt si potio sit exhibenda confecta ex rha-
barbaro, expendere oportet, quot drachmæ ex
eo propinandæ, & quanta debeat esse potio. Se-
quitur deinceps vt videamus, *an debeat totum il-* 5.
lud exhiberi vna vice, vel in plures diuidi, quod
est modum notare in quantitate; vbi vero in lo-
co possumus errare, ob locorum diuersitatem,
designare debemus *locum*, cui remedia sunt ap- 6.
plicanda, plurimum enim refert in vsu phlebo-
tomiæ, an sanguinem mittas ex brachio, vel ex
pede, aut ex vna vel alia vena brachii, vel pedis;
Sic intelligere oportet, *in quo tempore* medica-
mentum purgans, vel alterans, vel aliud faciens 7.
sit exhibendum: vt etiam notare oportet, vbi
plura auxilia sunt necessaria, *quæ primo loco, quæ* 8.
& quid postea adhibendum sit.
Hæc omnia & non solum illa quatuor sunt
tenenda & distinguenda ab eo, qui medendi
methodum scribere vult, viaque præterea e[illegible]
dicanda & ratio, qua duce possimus omnes
scopos consequi: si quid enim prætermittatur,
maximi fient in medendo errores, vt
satis quilibet intelligere potest. Sed
hæc paulo postea commodio-
re loco prosequi-
mur.

Περὶ δὲ ὃν ὀξεῖαν ἱκανῶς οὖσαν, καθάπερ τι καὶ τὸ φησὶν ὁ πάντων ἡμῖν τῶν καλῶν ἡγεμὼν Ἱπποκράτης σφαλλομένους πολλάκις ὁρᾷς, οὐ τοὺς τυχόντας μόνον, ἀλλὰ δὴ καὶ τοὺς ἀρίστους ἰατρούς.

Et occasione horum omnium cognitu difficillima, circa quam, vt pote admodum praecipitem (quemadmodum & hoc docet omnium nostrorū bonorum author Hippocrates) falli sæpe vides non solum vulgares, sed etiam optimos Medicos.

POstulat locus hic, vt doceamus, quid sit Occasio, quotuplex, à quibus indicetur, permittatur, contraindicetur, an omnis præterea occasio sit difficilis cognitu, an quædam solum, & cur talis sit, & an idem sit occasionem esse difficilem cognitu, & difficilis apprehensionis, siue quod sit momentanea, & quæ scribi possit, & quæ non, & quæ hoc habeat incommodum, & quam ob causam.

Occasio quid. Quotuplex. Est porro occasio nihil aliud, quam *tempus aptum ad aliquid agendum*, vt Galenus *in libro de optima secta* scribit: quo loco etiam docet duplicem esse occasionem, vniuersalem vnam, quæ longum quoddam tempus totum aptum ad agendum continet; particularem aliam, quæ momentum illud temporis, in quo iam aliquid agimus, significat. De illa scripti sunt Aphorismi, *Concocta medicari* &c. & ille, *In acutis passionibus raro, & in principiis purgandum.* Item, *in principiis si quid videtur mouendum, moue.* *sect. 1 aph. 22. aph. 24. sect. 1. aph. 29.* Qui Aphorismi longum temporis spacium proponunt aptum ad mouendum & euacuandum; & ea quidem occasio non est momentanea & præceps vt particularis. Indicat autem occasionem præsentia eius, quod postulat esse agendum, & absentia eius quod impedire potest: quare remediorum occasionem indicabit præsentia morborum & causarum ipsorum, ac vbi vires nihil patiuntur à remediis, vt in alteratione, tunc est tempus aptum ad vsum remediorum, semper cum adest morbus, aut causę illius, quę proprium exigunt remedium. In remediis vero euacuantibus, si vires debiles non sunt, tunc est tempus euacuationi aptum, quando plenitudo nocet, non enim vires ipsæ validæ indicant euacuationem (vt male sentit Acakias) qui dicit, ideo nos euacuare in principio, & declinatione, quod tunc vires sint validæ, in statu autem minime, quia tunc vires sunt debiles: nam vt Galenus *in libro de optima secta* argumentatur, si ex robore virium sumeretur indicatio euacuandi, sani potius quam ægri euacuandi essent, vt qui semper valentiores sint, non autem euacuantur, quia non adest id, quod euacuationem postulat. Quod euacuatio non fit in statu, ratio est, quod non adsit tunc plenitudo, quæ requirat aliquam euacuationem, si omnia recte sunt facta in prioribus temporibus morbi, nam plenitudo æqualis per sanguinis missionem iam est sublata, plenitudo vero, quæ postulat purgationem, non adest in statu, aut si adest, contraindicat cruditas: nondum enim est absoluta, quam requirit purgatio; non ergo tunc abstinemus à purgatione, quod vires sint debiles, nam in longis morbis & in quartana facile ferre possunt purgationem; quia igitur non adest, aut si adest, est cum contraindicante, id quod purgationem indicat, propterea tunc non purgamus.

Scribi occasionem posse (De hoc nunc agam à quo alia fere omnia pendent) inquit Galenus scopos quosdam posse assignari, à quibus sumatur, & eos posse vsque ad minimas species prosequi docendo, non posse autem scribi, est non posse scopos eos prosequi vsque ad vltimas differentias; potest enim morborum genera, differentias, & etiam causarum illarum genera, & differentias omnium virium, à quibus, sumitur occasio vniuersalis, quispiam enarrare, & propterea vniuersalis occasio scribi & cognosci potest. *Quae occasio possit scribi.* Cum vero particularis occasio sumatur ab illis quidem, quæ eam indicant, sed multa concurrant, quę illam tardare vel anticipare possunt, & denique locum ipsi commodum præbent, vt sunt præsentes, præteriti, & futuri, siue instantes affectus, necnon remedia præterita & mox exhibenda; hæc reddunt cognitu difficilem occasionem, quoniam hæc in singulis casibus euariant, & propterea de illis non possunt tradi præcepta, & sine præceptis non fit cognitio discursiua, vt hæc clariora fiant esto, quod aliquis laboret semitertiana febre, in qua febris est continua & in vno die accessio tertianæ, & quotidianæ, in alio vero accessio tertianæ solum, pariat hæc febris syncopem, adueniente quo accessione soporem, postea superueniant sudores, & instet interim noua accessio, aluus sit astricta, sit sanguinis multitudo, æger habeat hāc proprietatem, quod non possit ferre sanguinis missionem, nisi prius cibetur, in hoc casu variis est opus remediis, clysteri, sanguinis missione, abstersione sudoris, cibo, potu, extrinsecus & intrinsecus roborantibus con; quis non videt considerandos esse præsentes, præteritos, & futuros affectus, proprietatem ægri, remedia prius exhibita, & post exhibenda, vt cōmodus detur locus ei auxilio, quod vis in tempore oportuno adhibere? & in his casibus acutis & complicatis ancipites redduntur sæpe Medici, in quo tempore singula fieri possint, in aliis vero facilioribus, & simplicioribus morbis, nec particularis ipsa occasio præceps est, aut cognitu difficilis, propterea etiam Galenus *in lib. de sanis tuenda* scribit, occasionem non esse momentaneam *in sanis*, & ego addo, *nec in morbis longis, nec in omnibus acutis, sed solum in acutissimis, & complicatis*, & id non pendet, vel nascitur, vt ille scribit *in Commentario primo Aphoris.* ob subiecti facilem transmutationem, quia vnum, & idem est subiectum sanitatis & morbi, in quo semper occasio non est præceps: sed hoc fit ob causas, quæ subiectum ipsum afficiunt, quę enim magnas, & subitas in illo faciunt mutationes, illæ subiectum ita afficiunt, vt in singulis fere momentis mutanda sint auxilia, quia mutatur corporis status, non est autem in omnibus idem difficile cognitu, & difficile apprehensione: nam quantitas est difficilis cognitionis, & non apprehensionis, occasio vero vtramq; habet difficultatem: nam difficile cognosci potest, quoniā in singulis euariat (vt diximus) ob diuersas proprietates, diuersū numerū remediorū, & affectionum

In quibus sit difficilis cognitionis, & cur sit.

nam. Quare difficilis est cognitionis non solum in omnibus particularibus, sed etiam sępe in vno solo, cum prædictæ, quæ indicant, & contraindicant occasionem alicuius remedii, in vno quotidie etiam sæpe euariant; Difficilis ergo est cognitu, quia non possunt præcepta de ea tradi certa, difficilis vero est apprehensionis, ob magnas, multas, & subitas mutationes, quæ in nobis fiunt. Sed hæc satis de occasione, quædam enim adhuc postea cogemur de ea dicere.

Cur difficilis apprehensionis.

Καὶ μὴν δὴ καὶ ὅτι μέγα τὸ ποσὸν ἀκριβῶς συναρμοσθῆν εἰς δύναμιν, ὁ αὐτὸς αἰεὶ ἔγραψε.

Quinetiam, quod difficile sit quantitatem exacte accommodare viribus, idem scripsit.

DOcuit difficile esse cognoscere, & apprehendere occasionem remediorum; nunc vero docet difficultatem, quæ nascitur in adhibenda quantitate remediorum, & dicit difficile esse illam exacte accommodare facultatibus, siue viribus nostri corporis, nec interim docet, vnde nascatur hæc difficultas: nam alibi scribit quantitatem remediorum certam esse, quandoquidem per gradus distincta sunt medicamenta alterantia, & per certa pondera certasque mensuras purgantia, & alia quæcunque. Præterea, certum hoc est præceptum, tantum debere intendi medicamentorum vim & quantitatem, quantus est affectus ipsius lapsus, & recessus à naturali statu. Quam obrem per se quantitas auxiliorum non est, nec incerta, nec dubia, sed ratione quantitatis affectionum, à qua ea sumitur: nemo .n. est, qui possit asserere, certos esse gradus recessus morborum, & causarum ipsorum; hoc solum possumus dicere, quod magnus aut paruus sit huiusmodi recessus, sed in eo paruo, & magno plurimæ sunt differentiæ, quas sola coniectura possumus assequi, & quia coniecturalis est talis excessus, redditur quoque coniecturalis ipsa quantitas auxiliorũ, quæ inde sumitur; nam quod scribit Galenus, quantitatem remediorum accommodandam esse pro ratione quantitatis virium, non ita intelligendum est, quasi virium quantitas indicet remediorum quantitatem: sic enim (vt ipse scribit *in libro de optima secta*) sanis conuenirent medicamenta, & illa quidem validiora, quam, ægris, vtpote qui vires obtineant validiores: sed vires veniunt in considerationem in vsu medicamentorum, vt contraindicantia, vel permittentia; vbi enim illæ validæ subsunt, permittunt intendi remedia, quantum ipse affectus desiderat, vbi vero debiles sunt, pro ratione debilitatis moderantur quantitatem remediorum, aut prorsus eam impediunt.

Quid faciat quantitatē auxiliorum incertam.

Ὅταν οὖν εἰς μὲν τὸ καλῶς ἰᾶσθαι μέγα συντελεῖν φαίνοιτο, ὅ τε καιρὸς, καὶ ἡ ποσότης τῶν βοηθημάτων, ἴδια δὲ ταῦτα καθ᾽ ἕκαστον τῶν νοσούντων εὑρήσεις, καὶ μηδὲν ἴδιον ἑρμηνεύεσθαι δυνατὸν τῷ λόγῳ, τὸ κοινὸν οὕτως ἀναγκαζόμεθα γράφειν, καίτοι τῇ χρείᾳ δεύτερον ὄν.

Cum igitur ad rectam curationem plurimum conferre tum occasionem, tum quantitatem remediorum constet, sint autem hæc singulis ægrotis propria, nihil vero, quod proprium sit, verbis explicari possit, hac ratione, quod commune est, scribere cogimur, tametsi id vsu sit secundum.

COncludit, quid possit præstare in gratiam Glauconis, qui quærebat à Galeno medendi rationem. Conclusio autem hæc est; quod non possit scribere, nisi, quod est commune, ex quo quidem poterit iuuari ad recte medendum, quantum homo humanis viribus potest consequi, non tamen fieri potest, vt ex hoc omnia consequatur, quæ ad recte medendum conferunt: nam medicina stat quidem in vniuersalibus, sed Medicus necessario descendit ad particularia, quæ (vt inquit) non possunt verbis explicari: Quod autem veniendum sit ad particularia, certum est, quia Medicus, (vt inquit Aristoteles, & ipse Galenus) non curat hominem in vniuersali, sed Socratem, Platonem: particularia autem sunt in singulis propria, & quod proprium est, non potest verbis explicari. Hæc sententia multa habet difficilia, quæ sigillatim sunt explicanda.

Illud autem facile est intelligere, quod plurimum conferat ad curationem occasio, & quantitas remediorum: nam ex illis, vt antea docuit, partim constat Methodus medendi. Quod autem hæc sint singulis propria, difficilius est intelligere: illud tamen ex hoc patet, quod nunquam sit reperire plures homines eodem tempore laborantes, vel diuersis, vel eodem morbo, vel eundemmet hominem affectum in diuersis temporibus, qui æqualiter laboret, semper enim in eo, quod est magis & minus, differentia aliqua reperietur, propterea semper erit differentia pro magis, & minus in quantitate remediorum. Fit ergo propria semper singulis remediorum quantitas, ob hanc rationem.

Occasio quoque cum sumatur à præsentia eius, quod postulat remedium, & absentia eius, quod illud potest impedire, vel tardare, aut anticipare, varietur autem, quod postulat auxilium in morbis acutis (in quibus potissimum dicitur occasio præceps, & difficilis) singulis fere momentis, quæ vero possunt tempus illud accommodatum, quod requirit præsentia affectionum, impedire, vel tardare aut anticipare, sint remedia quæ præcesserunt & futura, necnon præteriti, & futuri effectus, necnon proprietates ægrotantium, quæ cogunt tardari, vel anticipari auxilia; variant autem hæc in singulis ægrotis, & in vno & eodem ægrotante semper in diuersis, & similibus morbis, ratio conuincit ipsam quoque occasionem singulis esse propriam; Cæterum, illud difficilius est intelligere, quod dicit, nihil proprium posse verbis explicari: nam primum difficile est intelligere, quid intelligat per *proprium*, an scilicet intelligendum sit de proprio in vna specie, vel in omnibus indiuiduis il-

Occasionem singulis etiā esse propriā.

A lius speciei, vel proprium in vnoquoque indiuiduo: nam proprium in vna specie scribi potest, cum idem sit in omnibus, vt risibile in homine, quod cum non intendatur, nec remittatur, nec, vt dixi, aliquam habeat differentiam, facile explicari potest, vt verbi gratia, quod risibile sit proprium hominis, proprium vero in omnibus indiuiduis vnius speciei, non potest scribi, quia infinita sunt indiuidua, quæ habent singula aliquid proprium, imo multa, quibus inter se differunt: propriũ vero in vnoquoq; indiuiduo, de quo maxime intelligendus est locus Galeni, non potest pariter scribi, non quod numero incerto contineatur, possunt enim, & facile notari & scribi proprietates omnes, quæ in vno, & eodem B sunt homine; sed quia omnes affectiones, quæ in vno sunt, fiunt propriæ illi propter quantitatem earum, quæ non potest exacte cognosci, quare nec scribi; exactissima autem cognitio est quæ per gradus certos cognosci, & exprimi potest: nam si quis est iracundus, vel simo naso, calidæ tẽperaturæ, vel aliquid aliud habet sibi proprium, illud non potest cognosci, quantũ exacte excedat, quare nec etiam exacte scribi potest: propterea errat Acakias, qui qualitatem etiam remediorum singulis propriam esse dicit, nam qualitas ea sumitur à qualitate affectus, quo laborat æger, ea autem communis est multis, vt febris calidus affectus, sic & frigidum remedium commune multis est, & non proprium vni; quod C vero facit proprietatem sani, est ipsa quantitas affectionis, & remediorum, quæ in vno etiam solo non potest explicari: *ergo propter quantitatẽ affectionum fit propriũ in singulis*, forte aliquid habet in hoc etiam mobilitas affectionum, & aliarum rerum, à quibus diximus sumi occasionem, nam ob illas etiam videtur fieri proprium. Dixit autem nihil proprium posse explicari, quod intelligendum est, *exacte*, ita, vt omnis differentia, quæ est in quantitate, possit explicari. Videndum autem est, an etiam quod difficile potest explicari, idem difficile possit apprehendi, & vtrumque difficile cognoscatur. Certe *difficilis explicatio nascitur, quia difficilis est cognitio*: D nam verba, & conceptus non desunt hominibus in rebus, quarum natura patet, cognoscique potest, non est autem idem, difficile posse cognosci, & difficile posse apprehendi: nam quantitas affectionum, & remediorum difficile quidem potest cognosci, non tamen difficile apprehenditur; occasio vero vtramque habet difficultatem, nam difficile cognoscitur, quia non possunt præcepta dari omnibus communia, quoniam in singulis particularibus, in omnibus morbis, diebus, & horis fere variant, quę limitãt occasionẽ; difficile vero apprehenditur ob magnas, & frequẽtes mutationes, q̃ fiũt in nobis, & illæ faciunt, vt nimio momento mutetur corporis status, mutetúrque ob id eodem modo occasio. Porro, in hac difficultate, quam nobis pariunt, quæ in singulis sunt propria, ne penitus ad medendum ignarus sit Medicus, & fiat similis empirico, qui diuersis eadem remedia semper admouet, in iisdem generibus morborum, cogimur contemplari, quod commune est, ex eo enim deueniemus, quantum fieri potest, in cognitionem omnium, & singulorum particularium: est autem vsu secundum commune, quod scribitur, quoniam non ipsum est commune, quod venit in vsum, id est, ad opus, sed quod est proprium, & singulare; vel quod vtilitas in medendo respiciat particularia, illorum enim causa quærimus medendi rationem.

Quomodo nihil proprium possit explicari.

Occasionem difficile etiã cognosci & difficile etiã apprehendi & cur vtrũque fiat.

Καὶ γὰρ ἂν καὶ ἐπισκεπτόμεθά τινας ἀρρώστους πολλάκις, οἷς ἔμπροσθεν ὑγιαίνουσιν, οὐκ ἐντετυχήκαμεν. οὔκουν οὐδ᾽ ὅπως εἶχον χροιᾶς ἢ σχέσεως, ἢ τῆς κατὰ φύσιν θερμασίας, ἢ τῆς τῶν ἀρτηριῶν κινήσεως γινώσκοντες, ἢ οὐδ᾽ ὅπως ἱκανοὶ καλῶς γνοίημεν ἄν ποτε νοσημάτων τὸ μέγεθος· εἰς ὅσον γὰρ ἐξίσταται τῆς φύσεως ἕκαστον, εἰς τοσοῦτον καὶ μεγέθους. τὸ δ᾽ ὅσον ἐξίσταται, γνῶναι δυνατὸν, τῷ τὴν κατὰ φύσιν ἀκριβῶς ἐπισταμένῳ· τοῦτ᾽ οὖν ἀγνοοῦντες ἐπ᾽ αὐτῶν, ἵνα μὴ παντάπασιν ἀπορῶμεν, ἐπὶ τὸ κοινὸν ἀφικνούμεθα.

Plerumque enim ægrotos quosdam inuisimus, quibus cum antea, dum sani essent, versati non fuimus, proinde quem colorem, quam corporis habitudinem, quem natiuum calorem, arteriarumque motum ante habuerint, ignoramus, quasi ante perspecta nobis fuissent, morbi vtique magnitudinem probe indicare potuissemus, cuiusque enim morbi magnitudo tanta est, quantum à naturali statu recedit, quantum vero recedat, solus is nouit, qui naturalem habitum tenuerit ad amussim: Quod cum in illis ipsis ignoremus, ne omnino hæsitemus, ad id, quod commune est, confugimus.

REddit rationem, cur vniuersalia sint scribenda, quam ipse satis declarat, quoniam enim mederi non possumus, nisi particularibus, & illorum propriam naturam non possumus cognoscere exacte, etiamsi perpetuo versemur cum vno homine, & multo minus eam possimus assequi, cogimur in tota hominum multitudine, quam non nouimus profecto primo contemplari, quod est vniuersale, & in omnibus commune secundum naturam, ex quo postea veniemus in cognitionem particularis cuiuscunque naturæ; nam quod commune est, spargitur in omnia singularia, quæ sub vniuersali continentur, vt enim humanitas, idest, forma hominis, relucet in singulis hominibus, sic figuræ corporis, calores, tẽperaturæ, magnitudines, animi affectiones eædem, & denique quicquid est secundum naturam, spargitur in multos, & sexus masculinus ad omnes mares pertinet, fœmininus ad fœminas, atque eo communi intellecto per E sanitatem, & naturalem constitutionem iam laborante homine intelligimus, quantum quilibet à sua natura communi recedat: particularem vero naturam, de qua hic non agit, intelligimus partim quoque hac ratione, sed multo magis ex præcognitione ipsius. Quod vero scribit, nos posse probe iudicare de morbi magnitudine, si ante perspecta nobis fuissent, quę naturalia

ralia in nobis sunt, non est ita intelligendum, quasi exactum sit hoc iudicium, quippe, cum, (vt antea ostendimus) nemo exacte tenere possit affectuum quantitatem, siue illi secundum naturam, aut præter naturam fuerint, sed satis est, si hoc fiat, (vt ipse inquit) ἱκανῶς, id est, sufficienter; Docet autem rationem, cur hoc fiat sufficiens iudicium, quoniam, inquit, tanta est morbi magnitudo, quantus est recessus à naturali statu; ex quo apparet, eam proprietatem, quam dicit non posse scribi, & parere tantas difficultates in medendo, quæque facit, vt vniuersalia sint scribenda, totam nasci non ex occasione, nec ex aliis scopis, sed solum ex quantitate, quandoquidem in toto filo orationis semper agit de quantitate, aliis omnibus prætermissis. Cæterum, morbi magnitudo, de qua hic agit, comprehendit omnes alias magnitudines, quarum alibi mentionē facit: nam morbi, qui dicuntur magni, eo, quod in genere morborum tales sint, quales sunt, qui dicuntur vehementes siue acuti, necnon qui magni dicuntur, eo quod inuadant partes nobiles; vel quod sint maligni, habent hanc communem naturam, quod inter alios morbos distrahant plurimum laborantem à suo naturali statu, adeo, vt idem etiam sit, morbum esse magnum in hac significatione, cum eo, qui periculosus dicitur: periculum enim nascitur in morbis ex recessu à naturali statu. Quod vero rursus scribit, eum solum iudicare posse, quantum recedat quispiam à naturali statu, qui naturalem habitum, qui sanitatis tempore fuerit, ad amussim præcognouerit, ita quoque intelligendum est, non quod possit ad amussim & perfecte naturalis ille status præsciri, sed quod id fiat, quantum humanum ingenium concipere potest.

Affectuum qualitatem à nemine exacte sciri posse.

Periculum in morbis vnde nascatur.

Πλέον δέ τι καὶ τούτου τῶν ἀτέχνων ὁ τεχνίτης ἔχει καί τι τὸ πλέον· Ἱπποκράτης μὲν καὶ τοῦτο πρῶτος ἁπάντων, ὧν ἴσμεν, γέγραφεν. ὑπεμνήσαντο δ' ἐπὶ πλέον τῶν μετ' αὐτὸν, ὅσοι τῶν ἐκείνου συνῆκαν γραμμάτων, ὧν εἷς ἦν καὶ Μνησίθεος ὁ Ἀθηναῖος, ἀνὴρ τά τ' ἄλλα ἱκανὸς πάντα τὰ τῆς τέχνης, καὶ εἰς ὅσον χρὴ μεθόδῳ τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἀσκεῖν, οὐδενὸς ἐπιγνῶναι δεύτερος.

Atque in hoc artis peritus imperito plus non nihil habet, atq; hoc ipsum plus Hippocrates quidem omniū, quos nouimus, primus, litteris mandauit, qui autē post hunc fuerunt eiusque scripta intellexerunt, fusius sunt interpretati, inter quos fuit Mnesitheus Atheniensis, vir cum in omnibus aliis, quæ ad artem pertinent, non mediocriter eruditus, tum in exercenda arte, quantum methodo consequi possumus, nulli peritia secundus.

CVm dixisset, necessario esse scribenda communia, quando alioqui ignoramus particulares naturas, ex quibus particularia remedia sumuntur, docet nunc vsum huius communis

A naturæ, si scribatur & intelligatur; facit autem hæc cognitio differre Medicum, qui artem habet, ab eo, qui non habet: nam qui artem habet, discurrere potest, ex vniuersali nempe elicere particularia, & in illorum cognitionem venire: Empiricus vero & imperitus Medicus, cum ignoret vniuersale, nequit differentiā, quæ est in particularibus, cognoscere: & propterea vt videmus, huiusmodi Medici eadē remedia in eadem quantitate exhibent omnibus, qui eodem morbo laborant, magno mortalium omnium malo, quandoquidem idem morbus non est æqualis in omnibus, quare nec æqualia debent esse auxilia. Habet ergo artifex non aliquid solum plus, vt Galenus scribit, sed multū sane, & totum, quippe
B cum vniuersalis cognitio scientiam in nobis pariat, quæ nos tandem deducit in cognitionem particularium; primus igitur Hippoc. cœpit disputare *in lib. de Natura humana*, de communi ea natura, *& alibi passim* per diuisiones eam accommodauit particularibus; hunc postea Plato, Aristoteles & Theophrastus, & alii plurimi excellentissimi Philosophi sunt secuti, & inter Medicos hic etiam Mnesitheus Atheniensis, quem tantopere hic laudat Galenus.

Οὗτος ὁ Μνησίθεος ἀπὸ τῶν πρώτων καὶ ἀνωτάτω γενῶν ἀρξάμενος ἀξιοῖ τέμνειν αὐτὰ καθ' εἴδη τε καὶ γένη καὶ διαφοράς. εἶτ' αὖθις τὰ τεμνόμενα
C τέμνειν ὁμοίως. κἀκεῖνα πάλιν ὡσαύτως ἕως ἂν ἐπί τι τοιοῦτον εἶδος ἀφικώμεθα. μεθ' ὃ τέμνοντες, ἄχρις οὗ τὸ τεμνόμενον εἰς ἓν τῷ ἀριθμῷ, καὶ ἄτομον ἤδη τελευτήσωμεν. ταῦτ' ἀρκεῖ μοι πρός γε σὲ διὰ βραχέων ἃ βούλομαι δεδηλῶσθαι. καὶ γὰρ ἂν εἴην γελοῖος, εἰ σὲ διδάσκοιμί τι ὧν, ὥσπερ οὐχὶ παρὰ Πλάτωνος αὐτὰ πάλαι μεμαθηκότα. οὐδὲ γὰρ ὥστε διδάξαι σέ τι πῶς περὶ τῆς κατὰ τὴν τοιαύτην διαίρεσιν μεθόδου τὴν ὑπόμνησιν ἐποιησάμην. ἀλλ' εἰς μοι πρὸς τὸν ἐφεξῆς λόγον, ἅπαντα χρήσιμον αὐτὴν ἔσεσθαι νομίζω. καὶ τὴν αἰτίαν ὧν ἑκάστοτε σφαλλομένους ὁρᾷς κατὰ πλείστους τῶν ἰατρῶν
D ἀξιοῦν τι συμμαθεῖν, οὐκ ἐνταῦθα ἄλλως ἐνδείξασθαι. καὶ γὰρ καὶ τὰ κατὰ τὰς αἱρέσεις σφάλματα, καὶ ὅσα νῦν ἐπὶ τῶν νοσούντων οἱ πολλοὶ τῶν ἰατρῶν ἁμαρτάνουσι, πρώτην καὶ μεγίστην αἰτίαν ἔχει, τὸ μοχθηρὸν τῆς διαιρέσεως. οἱ μὲν τὸ ἐπὶ τῶν πρώτων καὶ ἀνωτάτω γενῶν μένουσι, ἀρκούμενοι τῶν ἀπὸ τούτων ἐνδείξεων. οἱ δὲ μέχρι μὲν ἱκανὸς ἔτεμον, οὐ μὴν πρός γε τὸ τέλος ἐξίκοντο, πολλοὶ δὲ καὶ μοχθηραῖς ἐχρήσαντο διαιρέσεσιν.

Hic Mnesitheus à primis summisque generibus auspicatus, ea in alia item genera, species,
E *& differentias secanda esse censuit: hæc denuo in alia similiter: quæ rursus eodem modo distribuerentur, dum ad aliquam talem descenderemus speciem, quæ diuisa in vnum numero ac indiuiduum desineret.* Mihi vero satis est tibi sen-

lum posse vti indicationibus in illis affectibus, quorum natura percipi potest, intelligo percipi ita, vt exacte cognosci & explicari valeat. Cuius generis sunt omnes morbi, qui affligunt per qualitates similares partes, & qui consistunt in partibus organicis. Calidi enim natura (vt hoc exemplo vtar) cognoscitur, & cum morbosus est calor, indicat sui ablationem & refrigerationem esse necessariam; vt morbus, qui est in tota substantia, non potest cognosci, nec exprimi illius forma & natura, quomodo differat ab aliis morbis, qui etiam dicuntur esse à tota substantia, vt possumus docere naturam calidi differre a natura frigidi; propterea nemo per indicationes potest inuenire remedia, quæ conueniant in morbis, qui consistunt in tota ea substantia, siue in occulta forma. Quis enim intelliget per indicationes, quid possit conuenire in morsu Scorpionis, vel Viperæ, aut aliarum ferarum, cum ignoremus, qualis sit natura morborum, qui ab illis in nobis gignuntur? In his igitur morbis vtimur vel obseruatione, id est, remediis inuentis per experientiam; aut Analogismo, id est, transitu à simili ad simile, si nihil adhuc habemus expertum. Possumus etiam per ratiocinationem eadem inuenire, veluti, si quis dicat, *quicquid est naturæ inimicum, auferendum est; morbus inimicus naturæ est, igitur auferendus; vt omnis mutatio fit per contraria; morbi ablatio mutatio est; ergo morbo conueniunt contraria*; quare idem per indicationem & syllogismum inuenimus.

Sed ne prolixa reddatur tractatio, per vsum syllogismorum, vtimur indicatione, in qua potentia syllogismus continetur; *est enim Indicatio tacita quædam argumentatio ducta ex natura ipsius rei indicantis*, quia non omnis syllogismus, qui aliquid confert ad inuentionem remediorum, exprimit indicationem, sed ille solus, qui sumitur ex natura rei, siue propositiones contineat, quæ ex necessariis constant, & concludunt. Sed aliis instrumentis prætermissis, agamus de indicationibus, quæ suum habent vsum, maxime in febribus, quarum natura cognoscitur, & de quibus agere instituimus.

Sunt porro inter indicantia quædam, quæ proprie & vere indicant; alia quæ contraindicant; alia, quæ permittunt; alia quæ coindicant; alia quæ correpugnant.

Indicantia. Indicantia sunt (vt diximus) *quæ primo & per se, ac proprie ostendunt, quid sit agendum.*

Contraindicantia. Contraindicans vero est, *quod proprie & per se impedit fieri* id, quod ab indicante ostenditur esse faciendum.

Permittens. Permittens voco, *quod non læditur ab iis, quæ ostenduntur ab indicantibus, nec se illis opponit.*

Coindicans. Coindicans est, *quod interuentu indicantis ostendit aliquid esse faciendum.*

Correpugnans. Sic Correpugnans erit, *quod secundo loco sine Contraindicantium interuentu opponit se indicantibus.* Exempla horum sunt facilia: repletio indicat euacuationem; vires debiles illam contraindicant; victus plenus, & otium illam coindicant, quia repletionem ostendunt, senilis A ætas ei correpugnat; figura, cauitatesque corporis eam fieri permittunt; hæc ita sunt distinguenda, & nunquam confundenda, vt facit Galenus, qui sæpe hæc omnia indicantia dicit esse, cum tamen alibi demonstret, plurimum referre hæc inter se separare, quandoquidem vnum solum debet vnum indicare, & non plura vnum, cum vnum habeat vnam naturam, & vnum habeat vnum oppositum, à quo expelli potest, vel vnum simile, à quo potest conseruari. Principium etiam est retinendum in hac tractatione, *genus indicare genus, & differentiam indicantis indicare differentiam indicati, & econtra*; exempli gratia; si morbus in genere indicat remedium, species morbi indicabunt spe-

B cies sibi oppositas remediorum. Quibus quidem principiis ita positis, videamus, quo modo per indicantia inuenire possimus remedii qualitatem, quantitatem, vtendi modum, & occasionem, quibus, inquit Galenus, constat Methodus medendi; & nos, qui putamus veram Methodum plures scopos comprehendere, idem etiam in aliis scopis ostendamus. Volo ergo scire per indicationes, an agendum sit, considero in hoc naturam ipsius affectus, cuius causa vocatus sum ad ægrotum, inuenio morbum esse acutum & grauem, quem cum natura sola vincere non possit, indicat mihi Medico aliquid esse agendum, tunc enim Medicus agere debet, quando affectus non possunt à sola natu-

Exemplum considerationis indicantium.

C ra vinci: iam ergo per indicans inueni, agendum esse, & per differentiam indicantis inueniam differentiam actionis, quam ergo exercere debeo: nam cum affectus sit præter naturam, indicat esse agendum per mutationem, & non per conseruationem; differentia ergo affectionis indicat differentem actionem, mutandum scilicet esse corpus in alium statum; Qualitatem autem actionis, ex qualitate ipsius affectus per indicationes intelligam: quoniam enim affectus est acutus & velox, & dolorificus, ostendit indicatque cito succurrendum esse, & leuiter, ne dolor augeatur, si agamus cum asperitate; Sic quantitatem remedii indicabit quantitas affectus; magnus enim affectus, indicat magno o-

D pus esse sibi contrario auxilio, minor vero minore. Modus affectus, modum remediorum indicat: qui enim per interualla & diuisim infestat, indicat opus esse remedio, quod etiam per interualla succurrere possit, vt materia heterogenea, quæ consequitur, non totam simul, sed partem post partem indicat sæpius purgandam esse, & paulatim, & maiore tunc opus esse auxilio, quando magis infestat affectus; Sic eo tempore succurrendum est, quo tempore adest id, quod remedium postulat; at vbi plures sunt affectiones, ei primum succurrendum est, quæ aliarum est quomodocunque causa. Denique eo loco applicanda sunt remedia, in quo adest id, quod remedium illud indicat. Sic ergo ex his

E exemplis patet per indicationem omnes scopos in actionibus & remediis inueniri; quibus inuentis, iam surgit Contraindicantium consideratio, quæ scilicet sese opponunt indicantibus, siue iis, quæ ab indicantibus ostenduntur, esse facienda, exemplum sit hoc: Repletio magna, quæ indicabat opus esse magna euacuatio-

ne. contraindicans habet vires prostratas, illæ enim sese opponunt omni euacuationi, & præsertim magnæ, & quæ subito cadunt, subitis euacuationibus reluctantur, & eo tempore, quo sunt ita infirmæ, se opponunt ei tempori, in quo adest indicans euacuationem, & in ea parte prohibent euacuationem, in qua magna est virium resolutio, si inter vires vna cum debilitatur, alias trahit in ruinam, illa primum sese opponit euacuationi. Sufficiant hæc exempla de Contraindicantibus. Coindicantia vero & correpugnantia non seruant eam per differentiam in omnibus scopis rationem, cum solum signa sint indicantium, & contraindicantium, vt ætas senilis indicare solum potest virium imbecillitatem magnam, ordinem autem & quosdam alios scopos nequaquam; eodem pacto quæ ostendunt repletionem, indicantem euacuationem, non necessario ostendunt omnes differentias, quæ considerantur in omnibus scopis euacuationis: si quis tamen subtilius & diligentius hæc pertractaret, forte etiam inueniet eandem esse in omnibus rationem; sed nos contenti esse debemus, si nunc intelligamus, in ipsis indicantibus & contraindicantibus seruari per omnes differentias & scopos sibi correspondentem oppositionem; ergo qualitatem, quantitatem, & alios scopos remediorum inueniemus per proprium indicans primum, deinde per contraindicans, his enim inter se diligenter comparatis, intelliget Medicus, vtrum agere, quid, qualiter, quantum, quomodo, quo tempore, quo loco, quove ordine possit, & quo vti possit remedio, quali, quanto, quomodo, quo tempore, in quo corporis loco, & quo ordine.

Εἰ γὰρ διορίσαιτό τις πρῶτον μὲν τὴν κατὰ τὰς ἡλικίας διαφοράν, ἐφεξῆς δὲ τὴν κατὰ τὰς κράσεις καὶ τὰς δυνάμεις, καὶ τ᾽ ἄλλα τὰ τοῖς ἀνθρώποις ὑπάρχοντα, χροιὰς λέγω, καὶ θερμασίας καὶ σχέσεις καὶ σφυγμῶν κινήσεις, καὶ ἔθη καὶ ἐπιτηδεύματα, καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη προσθείη δὲ τούτοις, καὶ τὴν ὡς ἄρρενος πρὸς θῆλυ διαφοράν, ὅσα τε κατὰ τὰς χώρας καὶ τὰς ὥρας, τοὺς ἔτους καὶ τὰς ἄλλας τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος καταστάσεις ὡς χρὴ διορίσασθαι, πλησίον ἂν ἥκοι τῆς ἰδίας τοῦ κάμνοντος φύσεως, ἀλλὰ πάντων τούτων τὰ μὲν ἐν τοῖς περὶ σφυγμῶν. τὰ δ᾽ ἐν τοῖς περὶ κράσεων διῄρηται ὥσπερ γε καὶ τῶν παρὰ φύσιν ἁπάντων ὅσαι κατ᾽ εἴδη τε καὶ γένη διαφοραὶ τυγχάνουσιν οὖσαι, πάσας ἐν τῷ περὶ παθῶν διοριζόμεθα λόγῳ.

Si quis enim probe distinxerit primum ætatem, deinde temperaturarum differentias, & vires, multaque id genus, quæ homini insunt, cuiusmodi est color, calor, corporis habitudo, arteriarum motus, consuetudo, studia, & animi mores, quibus addiderit maris & fœminæ discrimen, & quæ ad regiones, anni tempora, & alias nos ambientis aeris constitutiones, ad propriam ægrotantis naturam prope accedet. Verum alia quidem horum omnium in libris de pulsibus; alia vero in libris de temperamentis disputata sunt; quemadmodum & quæ præter naturam sunt vniuersa, vt inter se formis & generibus differant, in libris de affectibus à nobis definita sunt.

HÆc, quæ hic enumerat, sunt quidem necessaria Medico, sed non ab omnibus istis indicationes sunt sumendæ, indicant enim ea solum remedia, quæ ab ipsis remediis iuuantur, & victum indicant eodem modo ea duntaxat, quæ relationem habent ad ipsum victum. Quare, ætas, color, corporis habitus, arteriarum motus, consuetudo, studia, animi mores, sexus, regio, anni tempora, aeris constitutiones (vt alibi ostendimus) nihil indicant, nec contraindicant, sed vel coindicant, vel correpugnant, id est, considerantur, vt faciunt ad cognitionem indicantium & contraindicantium: quinetiam inter illa, quæ sunt de essentia nostri corporis, & propterea sola indicantia, indicant solum causæ constitutionis ipsius corporis, quatuor, inquam, qualitates & humores, quæ temperiem & sanitatem pariunt, nam ipsa sanitas sequitur ad temperiem, vt hæc etiam sequitur qualitatum mediocritatem, non igitur ipsa sanitas, & accidentia, quæ ipsam sequuntur, indicare possunt, nisi fortasse sui conseruationem, eadem ratione morbus ipse non indicat remedium aliquod, sic enim indicaret sanitatem, cum nihil aliud morbo sit contrarium præter sanitatem: at quis assumit sanitatem in curatione morborum? adhibemus autem id, quod calefacit, refrigerat, humectat, siccat, vt excessus qualitatum retundamus, & ita mediocris temperies comparetur, ad quod sequitur per accidens morbi profligatio, & ipsa sanitas. *Causa ergo sanitatis & morbi* (vt vno verbo dicam) *indicant remedia & omnes remediorum scopos*; intelligimus autem, quomodo illæ causæ sint in corpore secundum naturam ex accidentibus secundum naturam, vt ex ætatibus, nam quædam est ætas index excedentis caloris & humoris, vt pueritia; alia æqualitatis qualitatum, vt adolescentia; alia caloris & siccitatis, vt iuuentus; alia frigiditatis & siccitatis, vt declinatio & senectus: eadem est ratio de colore corporis, motu arteriarum, somno & vigilia, & aliis accidentibus corporis; consuetudo vero, regio, anni tempora, victus, & alia, quæ habent vim mutandi corpus, idem demonstrat, tanquam causæ, quæ solent efficere in nobis tales humores & qualitates, qualem ipsæ vim habent. Ex his igitur cognoscemus communem naturam, ex qua particularem intelligemus: qui enim in eo, quod commune est, communicant, vt in eadem ætate, eodem sexu, eodem colore, habitu corporis, motu arteriarum, eadem temperiem, & æquales in ea recessus obtinebunt, & ita ad propriam ægrotantis naturam prope accedemus. & ex ea recessus morborum & causarum illorum intelligemus.

Νυνὶ δ' ὁ μὲν λόγος ἡμῖν ἅπας, ἔσαι περὶ τ' τούτων ἀῤῥώτων ὧν τὴν φύσιν ἀκριβῶς ἐπιςάμεθα πρὸς τῆς νόσου. συνεπινοηθήσονται δ' αὐτοῖς καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ὧν ἠγνοοῦμεν. οὐδεν γὰρ ἦν χαλεπὸν ἐςὶ τ' τέλεως διωρισμένε καὶ τὸ μὴ τοιοῦτον ἐξευρίσκειν.

Nunc vero omnis nostra disputatio de iis ægrotis erit, quos exacte, antequam morbum contraherent, nôueramus, cum quibus tamen & reliquos omnes, quorum nobis nõ erat perspecta natura, intelligemus. Siquidem difficile non fuerit, ex eo, quod perfecte distinctum est, id etiam, quod tale non sit, inuenire.

DOcuit, ad recte medendũm necessarium esse, præcognoscere, antequam morbus nascatur, naturam propriam ægrotãtis, id, quod maxime fit consuetudine Medici cum particularibus hominibus; eorum vero, cum quibus non sumus conuersati, naturam assequemur ex contemplatione communis naturæ, quæ in multos spargitur. Nũnc autem supponit, vnum se velle, solum, inquam, tractare curationẽ morborum in illis, quorum naturam perspectam habemus per sanitatem. Qua quidem suppositione nunquam postea vtitur in tractatione. Itaq; videtur frustra hic polliceri, de ea re agere velle; Quin etiam illud magis admirari subit, quod scribit, facile posse cognosci reliquorum omnium propriam naturam; nam cum non possimus cognoscere, nisi paucorum particularium naturam, & ex particularibus non colligatur aliorum particularium ignotorum natura, sed ex consideratione vniuersalis naturæ, non video, quomodo velit ex paucis notis infinitam multitudinem ignotorum intelligi; Addo, quod perfecta non potest esse distinctio, & exacta cognitio particularis alicuius naturæ, vt hic scribit, quippe cum antea, eodem authore, ostenderimus, nihil proprium exacte cognosci vel scribi posse. Sed his omissis, accedamus ad febrium tractationem.

CAP. II.

DE FEBRIB. EPHEMERIS.

Ἀρξώμεθα οὖν ἀπὸ τ' πυρετῶν, ἐπειδὴ καὶ σὺ τῆς τούτων ἰάσεως μάλιςα ἔχειν τὴν μέθοδον λαβεῖν ἐδεήθης.

Igitur à febribus, quoniam harum curandarum rationem habere cupiebas, auspicemur.

QVoniam nostrum institutum & officium est hoc anno tractare de febribus, & ob id, cum Auicenna, qui in scholis legi solet, confusus, & ob linguæ Arabicæ ignorantiam obscurissimus esset, susceperimus Galeni hunc librum interpretandum, in quo idem author agit de febribus, cogimur profecto ita rem hanc tractare, vt non solum, quæ ipse obiter tradit explicemus,

A sed etiam, quæ omittit, vt perfecta reddatur de febribus tractatio. Vniuersa itaq; cum superius ostenderimus, primum quod venit explicandũ, esse definitionem febris, diximus: de ea nunc agere aggredior.

Et quoniam in omni definitione primum stabiliendum est genus definiti, de eo quæramus, quidnam sit. Constat autem febrem aliquid esse eorum, quæ sunt in nobis præter naturam, ac cum inter ea aliquid habeat rationem causæ morbi, aliud ipsius morbi, aliud accidentis morbi, siue symptomatis, non constat adhuc, ex quo genus febris sit sumendum; nam tametsi omnes velint febrem esse morbum, pauci tamen sciunt ipsi genus assignare inter morbos, quippe, B cum causam morbi pro morbo substituant, & pro genere febris differentiam assumant: quod nunc ostendo, omnes enim dicunt febrem esse calorem (vt videre est multis in locis apud Galenum & apud Auicennam) est autem calor non morbus, sed causa morbi: nam morbus vitium est corporis, vt sanitas est perfectio, & vterque est affectus siue dispositio corporis. at calor nullus est vitium, vel perfectio, vel affectus; dicitur enim febris esse morbus in intemperie: at calor non est intemperies, sed intemperiem facit, quomodo etiam lapis in vesica non est morbus, sed morbi causa: quinetiam si febris est calor & morbus, sanitas contraria febri, erit frigus, vel calor secundum naturam; C qui ergo definiunt febrem per calorem, fatentur esse causam morbi, & tueri non possunt eam esse morbum. Definit aliquando etiam Galenus febrem per intemperiem, & inter morbos vniuersales, qui consistunt in intemperie calida, ponit febrem, vt 9. *Methodi*, vbi scribit, intemperiem, quæ in calido consistit, vbi in totum diffusa est corpus, febrem nominari: at sic etiam febris non esset morbus, sed causa morbi: nam vt sanitas non est temperies, sed affectus, qui bonam temperiem sequitur, sic nec morbus intemperies est, sed affectus & vitium, quod ab intemperie prouenit, vt pulchre docet Aristot. 7. *Methaphysices*. *Quoniam*, inquit, *sanitas est tale quid necesse est si sanum futurum sit, vt hoc adsit*, nempe æqualitas, & si hoc caliditas, & si hæc adesse debet, opus est frictione. D Est ergo aliud morbus, quam intemperiei inæqualis caliditas, & id, quod caliditatem parit, nempe vitium siue affectus, qui nascitur ab intemperie, vt hæc nascitur ab inæqualitate qualitatum, vt puta caloris.

Febrem non esse calorem.

Nec intemperiem.

At vero non desunt, qui febrem ponunt quãdam inter morbos, aliam vero inter symptomata, vt Auicenna *statim ab initio* dicit, febrem quandam esse morbum, aliam vero accidens, siue symptoma, vt Galenus etiam *in quodam Aphorism. 7. libri* paulo post, vbi dicit Medicos consueuisse vocare febres symptomata, quæ se- E quuntur inflammationes. Verum propria nulla febris symptoma est, cum non sit actio læsa, vel excrementum præter naturam, vel qualitas secunda mutata, sed appellantur febres illæ symptomata *per quandam conuenientiam*, quam habent cum symptomatibus: est enim natura symptomatis, quod sequatur morbos, ita febres, quæ nascuntur ab aliis morbis, appellantur sym-

Febres omnes esse morbos. ptomata; quæ vero nascuntur ab aliis causis, quę non sunt morbi, vt ab ira, & exercitatione, dicũtur morbi: *omnes tamen reuera morbi sunt.* Dicuntur etiam aliquando febres symptomaticæ, quod scilicet sint cum grauibus symptomatibus coniunctæ.

Si ergo febris morbus est, & species quædam est morbi, non aliud potest habere genus, quam vel morbum ipsum, vel eum morbum, qui omnibus morbis, qui nascuntur ex intemperatura, est communis; nam morbi diuiduntur in eos, qui ex intemperie, vel mala structura partium oriuntur, sed nomen non habent proprium, quo exprimi possint species illæ subalternæ morborum.

Est vero (ne diutius in hoc laboremus) *febris morbus*; sed quoniam morbi multi sunt, differentiæ sunt addendæ; differunt autem morbi inter se, quod quidam consistant ex intemperie qualitatum, alii vero ex mala structura partium organicarum; at febris cum sit morbus partium similarium, erit morbus ex intemperie factus. Rursus quoniam intemperies differunt penes qualitates, quæ illam efficiunt, & omnes ponũt, febrem habere essentiam à calore, addemus *calorem* in definitione.

Verum cum intemperies multæ sint calidæ, differentes à febre ob diuersitatem subiecti, subiectum ipsius febris assumendum in definitione, atque ita ex omnibus iis talis fiet febris definitio: *Febris est morbus cordis ex intemperie facta à calore.* vel breuius. *Febris est morbus calidus cordis.* *Febris quid.*

Perfecta autem est hæc definitio, nec addere oportet, quod facit Auicenna, quod lædat actiones, nam si febris morbus est, necessario sequitur, quod lædat actiones, nec illud etiam addendum, quod à corde calor spargatur in vniuersum corpus, mediante spiritu per arterias, nam qui nouit antequam ad tractationem de febribus veniat, ex primis partibus Medicinæ cor esse principium caloris & spiritus, vimque suam & calorem per arterias immittere in reliquas partes, hoc quoque nouit sequi, quod posito affectu calido in ipso corde, vniuersum corpus breui temporis spacio particeps fiet eiusdem mali.

Est ergo calor non genus ipsius febris, sed vna ex differentiis, quæ separat febrem ab aliis intemperaturis, quæ non sunt calidæ, & cum aliis constituit essentiam febris, tanquam formalis causa, vt rationale est forma hominis; vel si exactius loqui volumus, intemperies est causa formalis, huius vero calor causa etiam remotior: nam morbus vitium est, quod ex intemperie, & hæc ex inæqualitate, hæc ex caloris excessu nascitur: tantum ergo abest, quod febris sit calor, si est morbus, vt per multos gradus recedat calor à genere morbi.

Potest ergo esse differentia ipsius febris, quia differentiam facit in ipsa intemperatura.

Obiectiones contra definitionem febris. Verum contra hanc definitionem, & alias omnes, quæ calorem assumunt, difficultates nonnullæ oriuntur, & illa prima, quod in principiis accessionum frigus maximum, & nequaquam calor in corpore sentiatur.

Deinde, illi, qui moriuntur ex febre, expirent frigidum, vt 3. *Prædictionum* tradit Hippocrates.

A Ad hæc, pulsus fiunt parui, & rari in principio accessionum, quid frigiditatis est inditium; scribit & Galenus 29. *quarti Commentarii sexti Epidem.* cum iam moritur homo, frigida intemperie illum affectum esse.

Postremo, in febre pestilenti sæpe apparet calor moderatus ad tactum. Quibus quidem rationibus quidam conantur respondere, quod scilicet in principiis accessionum febris nondum sit, sed gignatur; quorum opinio recipi non potest: nam vt Galenus scribit *in primo de locis affectis*, non est eadem ratio de affectibus similarium rerum, & dissimilarium: qualitates enim domus non sunt antequam domus omnes suas partes acceperit, morbi vero in ipsa generatione

B sunt, & dicuntur esse, nec expectant omnes suas partes vt esse dicantur, vt contingit in tempore, cuius etsi habeamus solum instans, tamen dicuntur res fieri in tempore; est autem tunc febris, cum est in principio, non minus, quam cum est in augmento, vel statu, aut declinatione.

Porro, principium esse ipsius febris cum rigent homines in principio accessionum, vt passim testatur Galenus, certum est, quandoquidem tempora particularia sunt partes vniuersalium, & in vnaquaque particula morbus est id, quod est. Præterea, non vident signa, & curationem earum febrium, quæ cum rigore inuadunt, mutari in ipso rigoris tempore; vrget ergo hoc *Responsio.*

C argumentum eos, qui ponunt febrem esse affectum totius, nõ autem eos, qui dicunt esse morbum cordis primo, & per se, per accidens vero totius, vt postea ostendemus. Calet autem semper cor, & in ipso tempore rigoris, quod ostendit sitis, spiratio frequentior, & calor circa thoracem auctus, pulsus præterea fiunt minores, sed non tardiores, vt experientia docet; quod si etiam tales fierent, non ob id dicemus, in corde non esse calorem præter naturam; *nam ex arteriarum refrigeratione mutantur pulsus, etiam si in corde calor est auctus*: nam quod præstat respiratio cordi, id præstant pulsus arteriarum reliquis partibus. Satis ergo est mutari respirationem, quæ ostendat calorem auctum in corde.

D Quod vero expirent frigidum, qui moriuntur ex febre, concedendum est, id tamen non ostendit calorem non esse auctum in corde, *quia enim spiritus sunt pauci, ideo in via refrigerantur, & cum ab ore exeant, non possunt ostendere calorem auctum in corde*; Vel est dicendum, *quod mors, quæ contingit ex febribus, non nascatur immediate ex natura febris, sic enim morerentur omnes ob excessum caloris, sed hoc non fit, verum ob resolutionem spirituum factam à calore*: aliud autem est hominem mori ob resolutionem, aliud mori ex febre, aliud item cor morientis esse priuatum spiritu, & calore, aliud, quod moriatur ex intemperie frigida, nulla enim causa præcessit, quæ frigiditatem induxerit in corde. *Cur, qui febre moriuntur, expirent frigidum.*

E Quare verum non est, omnes, qui moriuntur, frigida intemperie cordis laborare; Sic etiam in febribus pestilentibus, & si nõ vniuersum corpus, certe cor, & partes ei vicinæ febre & calore laborant, vt ostendit linguæ nigredo, pulsus frequentes, anxietas illa, quæ maxime circa cor sentitur.

Est igitur in omni febre calor morbosus, quẽ vocat

vocat Auicenna extraneum, & dicit esse talem, A vt inflammatus, & vltimatus lædere possit operationes.

Quæ verba se addere scribit, ad differentiam caloris ex ira, aut labore concepti, qui febris non est, quoniam scilicet huiusmodi calor non est stabilis nec potest euidenter actiones labefactare. Verum felicius multo, & vno verbo Galenus hæc omnia separat, cũ dicit, esse calorem præter naturam, aut morbosum, vel igneum, vel extraneum: Quod enim præter naturam est, sequitur necessario, vt illud actiones lædat, calor autem iræ præter naturam non est, nec plane secundum naturam, sed neuter, & medius inter hos; & quoniam id quod secundum, & præter naturam dicitur, non solum huic loco, sed B etiam multis sequentibus parit difficultatem, ideo clarius, quid hæc significent, docere institui.

Quid sit re vera secundum naturam.

Est porro id secundum naturam re vera, quod est secundum naturam materiæ, & formę, id est, quod conuenit rebus secundum materiam, vel formam suam; & illud est prorsus secundum naturam, quod conuenit secundum vtramque naturam; qua ratione dicentur illa prorsus, siue toto genere (vt vocat Galenus) præter naturam, quæ à forma & materia rerum, de quibus agimus, recedunt; cuius generis sunt lapides, & vermes, qui in nobis gignuntur, quorum materia, & forma à nostra penitus recedunt; quæ vero in materia conueniunt; discrepant vero in forma, aut è contra, vel differentiam quandam habent in vtroque pro ratione minoris discrepantiæ plus vel minus secundum, & præter naturam esse dicuntur, vt monstra, & molæ mulierum ostendunt.

Quid item omnino præter naturã.

Sic proprie quod secundum, & præter naturam est, accipere oportet: Medici autem & præsertim Galenus, quod secundum, & præter naturam est, aliter vsurpant, vocat enim Galenus illas esse affectiones secundum naturam, quæ sunt mediocres, conuenientes, vtiles nobis; præter naturam vero, quæ moderatæ non sunt, & propterea inutiles, & non conuenientes, adeo, vt id, quod secundum naturam est, differat D ab eo, quod est præter naturam, potissimum moderantia, vtilitate, & conuenientia, vt aperte docet *capite 14. lib. 14. Methodi*, qua ratione dicimus sanitatem, & calorem sanorum esse secundum naturam, morbum vero & omnia morbosa, & calorem febrilem, esse præter naturam; adeo, vt hęc non differant inter se, nec forma, nec specie, sed gradu potissimum, duo enim gradus caloris, forte affectionem efficiunt sanam; tres vero morbosam.

Quod si affectiones plane sunt vtiles, & conuenientes animali; illæ dicuntur secundum naturam, quæ vero prorsus sunt inutiles, illæ prorsus sunt præter naturam, vt putredo dicitur prorsus esse præter naturam, & à calore prorsus esse E præter naturam, quoniam illa nihil habet amicum naturæ, & a calore fit prorsus inutili; concoctio vero alimenti in sanis, est prorsus secundum naturam, & à tali præterea calore dicitur fieri, pus vero, & illud generans calor, dicuntur esse partim secundum, partim præter naturam, quia in pure substantia manet vtilis, vt in putredine, & non potest assimilari, vt fit in concoctione alimenti; concoquitur autem secundum qualitates, & in hac mixta operatione datur magis & minus in eo, quod est secundum, & præter naturam; calor ergo (vt ad rem redeam) febrilis dicitur esse præter naturam plus, vel minus, prout magis aut minus vile, aut inutile sit naturæ instrumentum; id quod fit, vel quod in gradu & quantitate naturalem mensuram exuperet, quomodo in febribus ardentibus, & plurimis aliis, calor præter naturam esse intelligitur; vel quod à mediocritate deficiat, vt accidit in cruditate alimenti, vel quod qualitatem habeat præter naturam, vt putredinosam, malignam, acrem, aut aliam qualitatem contrariam illi, quæ debebatur calori secundum naturam eius: qui laborat: sic enim pestilentes febres, & quotidianæ fortasse aliquando calorem non habent ampliorem, quam sit secundum naturam: sed quod qualitates habeat non aptas ad obeunda officia secundum naturam, ideo præter naturam censebitur esse calor, ex quo sequitur, non esse dicendum calorem febrilem esse vel igneum, vel auctum, cum hæc communia non sint in omnibus febribus, sed dicendum est, quod sit *calor præter naturam*, & id postea diuidendum, quod *vel quantitate, vel qualitate* præter naturam sit; Qua ratione superioribus argumentis alio modo satisfacere possumus: nam quod dicebamus C eos, qui moriuntur ex febre non habere calorem præter naturam, negari potest, quoniam etsi non habeant præter naturam auctum, certe habent præter naturam in qualitate.

Qualis calor sit ... febricitantis.

Quibus quidem ita positis, doctis patere puto, non solum vanam, sed maxime erroneam esse illorum opinionem, qui duos calores faciunt esse in febricitantibus, vnum secundum naturam, alium præter naturam, eosque inter se diuersos, non solum qualitate, sed forma, & substantia, & vtrumque esse in eodem subiecto, sed illum tanquam formam, hunc tanquam accidens, quoniam ille sit natura, anima, vel præcipuum animæ instrumentum, vitatque, nutriatur, & augeatur, hic vero omnia habeat contraria; Addunt etiam illi, officium caloris natiui esse, concoquere alimenta, & humores, alterius vero concoctionem impedire, vt & reliqua naturæ opera, quæ per sanitatem fieri solent: nihil enim esse, quod ea turbet præter alium calorem natiuo contrarium, non enim id impedimentum nasci à frigido, superesse igitur, vt impedimentum hoc à contrario calore proueniat.

Obiectio quod duo in febricitantibus sint calores.

Deinde si vnus esset calor tantum in febricitante, non posset, inquiunt, fieri sanatio; nam cum sanitas à sano fiat, occupet autem febris vniuersum corpus, si ponatur vnicus calor in omnibus, in eo nullæ erunt partes sanæ, quæ possint sanitatem facere. Docet præterea idem definitio febris, quæ est calor natiuus versus in igneum, & continet natiuum calorem, per quem viuit adhuc animal, & igneum, per quem laborat; Præterea pugna, quæ fit in febricitantibus, & ostenditur ex concoctione humorum, & dolore, idem demonstrat: cum enim nihil in seipsum agat, necesse est, vt natiuus calor agat vel in frigus, vel in excedentem calorem, aut diminutum; at non in frigus, nec calorem diminu-

tum, in auctum ergo, & alium. Addunt etiam, remedia nostra alia esse, quæ in febribus calorem extraneum extinguunt, & natiuũ roborant. Duo igitur genere discrepantes calores, si duplex est genus remediorum.

Nec desunt quidem ex Galeno & aliis Medicis loci, qui idem comprobare videntur, scribit enim ille *in primo libro Aphorismorum*, natiuum calorem esse exiguum, ascititium vero plurimum in æstate, contrarium vero fieri in in hyeme. Quid quod scribit 47. *Aphor. secundi* & *vltimo textu primi Prorrheticorum*, & *quinto de Simplicibus*, pus fieri à misto calore, naturali scilicet, & præter naturam: nam si solus esset natiuus calor, fieret nutritio ex sanguine, & non pus; si ille pariter non adesset, fieret putredo, & non pus. Scribit idem author *in libro de difficili respiratione*, duplex genere esse calidum, innatum & spurium.

Postremo, addunt Auerrhois authoritatem, qui definit febrem esse calorem compositum ex naturali & præter naturam, aliosque citant authores idem asserentes, contra quos omnes pugnat natura rei; nam si plures essent calores genere & natura distincti, plures etiam essent primæ qualitates, quam quatuor; deinde, non bene demonstraretur numerus Elementorum ex numero quatuor qualitatũ; postremo, duæ darentur frigiditates genere discrepantes, propterea quod vna nequit duabus caliditatibus genere discrepantibus repugnare; & cur etiam non ponetur siccitas vna secundum naturam, alia præter naturam, & duæ itidem humiditates inter se hoc modo discrepantes? Porro his rationibus nemo, vel leuiter in philosophia versatus, repugnare potest; & supradictis argumentis facile est respondere ex his, quæ superius supposuimus, principiis, de eo, quod secundum & præter naturam, & ex his, quæ nos *in libro de somno & vigilia*, de calore, & calido natiuo demonstrauimus ex Galeno, & ipsius rei natura, nempe, aliud esse calorem & calidum, eum enim esse ipsam caliditatem, & qualitatem, hoc vero esse corpus calidum, natiua vero esse corpora calida duo, prima & vera, sanguinem, & semen, nostræ generationis principia, & ex illis natiuam aliam esse substantiam insitam nostris membris, propriam viuentibus, natiui insitique caloris subiecti, qui calor veluti potentia est in singulis membris; aliam vero esse substantiam calidam, siue corpus calidum, sanguinem, inquam, & spiritum, qui in corde continuo gignuntur & seruant, actumque dant calori insito substantiæ ipsius cordis, & delati per arterias; idem facit in singulis membris hoc ipsum calidum corpus, quod est commune animæ instrumentum.

Responsio.

Quod vero est insitum singulis membris, illud est, quod anima nonnunquam à Galeno dicitur esse, eo quod ab eo proueniant omnes actiones tanquam à præcipuo agente. Verum philosophi supra illud calidum agnoscunt animam, quæ vtitur eo tanquam instrumento proprio singulis partibus, & alio calido spirituoso, tanquam communi instrumento. Cæterum calor quisquis est in nobis, dum sani sumus, natiuus est, secundum cuiusque ætatem & temperiem, sed tamen qui similimus est ei, qui nobis est insitus à nostris principiis, ille simpliciter natiuus censetur esse, estque ille in subiecto halituoso & spirituoso, & quantum plus recedit calor noster ab ea suauitate & benigna qualitate, tanto minus vtilis & aptus est ad naturæ opera perficienda, danturque gradus permulti & in incremento & diminutione, & qualitate huius caloris, ac ob id plus vel minus naturalis & præter naturam est, & esse dicitur, donec plane inutilis fit redditus: tunc enim prorsus præter naturam censetur esse. His ita positis, facile est diluere illorum argumenta, qui non intellecta huius rei tractatione, absurdissimam statuerunt de duplici calore opinionem, id enim solum efficiunt, vt calor non sit semper sibi similis, nec in eodem gradu & perfectione; propterea pueri dicuntur habere natiuum calorem, quia eum habent simillimum illi qui est in nostris principiis; iuuenes vero acquisititium, quod calorem acrem & mordacem acquisiuerint ætatis progressu, & quia natiuus calor ex principiis nostris ductus, est mitis, & suauis, opponitur ei, qui est acris, qui quidem calor acris, si comparetur ad febrilem, natiuus ille, febrilis vero præter naturam dicitur esse: & sic etiam cum adhuc seruit naturæ, dicitur esse partim naturalis, partim præter naturam, & tum prorsus præter naturam cum penitus est inutilis factus.

Cum ergo dicunt natiui caloris officium esse concoquere, alterius autem destruere, & in febricitantibus fieri malas concoctiones, & id, quod concoctum est, naturali calori esse attribuendum, quod vero malum est, calori præter naturam, id non probat esse duos calores, sed vnum vitiatum, qui tamen vtrumque potest adhuc facere; Sanatio autem fit in febricitante non vt alii sentiunt, qui dicunt, in febribus non omnes substantias nostri corporis æqualiter esse affectas, sed quasdam esse excalefactas, alias vero calefieri, & has aliarum respectu sanas vocari; nam etsi minus ægrotent hæ, quam aliæ, tamen præter naturam afficiuntur: deinde vbi est putrida cum hectica, non posset fieri sanatio, quippe cum ex eorum opinione, tunc pariter solidæ & humores afficiantur: respondent alii, & forte non inepte, quod sanitas proueniat ratione remediorum, quæ vim habent sanandi; nunquam enim liberaretur hecticus naturæ beneficio, sed sũt frigida remedia, quæ sanant.

Quod si quis dicat, quosdam qui febricitant, febre liberari vsu calidissimorum remediorum, veluti cõtingit iis, qui exercitatione aut potu vini meracioris febres discutiunt. Respondeo, quod hæc sunt etiam remedia quædam scilicet ipsius materiæ, & causæ febris, quæ extenuatur & dissoluitur, vt ex illius dissolutione simul euanescat febris, id quod solum in diaria aut putrida fieri potest, in quibus pabulum calori demitur, & cum eo expirat calor. At si quis instet rursus, multos liberari non vi remediorum, quales sunt pauperes, aut alii, qui temere viuunt, nec vllis vtuntur auxiliis, quæ nostra præbet medicina, negabo in primis id quod dicunt, cum illi, qui ægrotant ex febre, aut aquam potant aut panem edunt elotum, vel in aqua coctum, dormiant, vigilent, & agant, quæ aduersus febrem, & illius causas faciunt.

Pauperes febricitantes quomodo, etiam absque medicamentis sæpe curentur.

Deinde si illud concessero, naturæ, & caloris natiui beneficio abigi posse huiusmodi febres, non

cera-

errabo, cum materia, quæ semel est accensa, tandem in cinerem redigatur, vnde calor extinguitur, veluti ignis consumpto humore lignorum, sponte euanescit. At si quis dicat, non esse parem rationem de igne & calore, qui est in materia febrili, quod scilicet ignis nullo alio egeat, vt extinguatur, quam consumptione subiecti humoris, materia autem febris coctionem requirat, quæ à calore præter naturam non fit. Præterea, remedia ipsa, præsertim quæ sunt potentia, egeant actione caloris natiui, vt reducantur ad actum, & conferre possint, non posse autem præstare hæc calorem, vbi adsunt simul hæ febres in homine, eo quod omnis calor sit extraneus, & præter naturam. Respondeo, quod cum salus contingit, etsi calor est præter naturam, non tamen ita alienus est, vt nequeat vtiles aliquas facere alterationes, quæ sufficiant ad vitam, & rescindendas morborum causas, quod apparet in hectica, in qua, etsi partes solidæ sint excalefactæ præter naturam, tamen concoquunt adhuc alimentum, & tamdiu nutriuntur, donec humoris defectu reddatur prorsus inutilis, & tūc mors sequitur; *viuit igitur animal & sanatur agentibus solidis partibus in hectica febre & adiuuat ad sanitatem calor ille febrilis, prout nondum omnino præter naturam est, & inutilis.* Probat igitur illorum argumentum, si viuit animal, & sanatio fieri debeat, non oportere prorsus alienum fore calorem.

Ad id vero, quod dicunt, duos probari calores, quia pugna fit in febribus, respondendum quod pugna aliquando fit inter contraria, aliquando vero ex resistentia materiæ, vt in hoc casu; crudi enim & repugnantes humores interim cum vincantur aut se vinci non patiuntur, molestiam in nobis pariunt. Cæterum vtimur duplici genere remediorum aliquando in febribus, roborantibus scilicet naturalem calorem, & extinguentibus, quod est præter naturam: sed hoc non probat, duos esse calores sed hæc, & alia auxilia vnum spectant, vt mediocritas calori comparetur: nam cum Medicus sciat, natiuum, idest, mediocrem calorem in materia quadam humida & spiritosa consistere, concoquentia adhibet & emplastica, quod huiusmodi materiam augent in corpore, refrigerantia autem ipsum calorem, vt quæ vim ipsius caloris diminuant, & obtundant. Quod vero Galenus dicit, esse in æstate natiuum calorem paucum, ascititium vero multum; non intelligendus est locus ille Galeni de calore ipso, sed de calido, est enim innatum calidum, (idest, sanguis & spiritus) æstate paucum, biliosus vero & acris humor eo tempore exuperat. Quod si de qualitate ipsa etiam velis intelligere, dicere possumus, calorem natiuum, idest, mitem & suauem, deficere æstate, & ascititium, idest, acrem & mordacem esse redditum. Nec vero illud, quod de puris generatione dicitur, probat duos esse calores; ita enim intelligere oportet mixtum esse calorem, non quod duo calores sint, sed vnus, qui eo, quod extremorum sit particeps, mixtum munus efficiat, viresque mixtas habeat; efficit enim aliquid secundum naturam, aliquid quoque præter naturam: nam quod ex sanguine, qui inflammationē committit, gignatur aliquid albū, lene, & æquale, & denique simile in qualitatibus, id ostendit,

Pus quomodo fiat à calore mixto.

A calorem partis non adeo alienum esse, vt nil possit efficere secundum naturam.

Quod vero substantiæ assimilari non potuerit, ostendit, intensiorem fuisse calorem, quam par sit. nam id calori, & non materiæ (vt Galenus dicit) tribuendum quoque est: siquidem bonus est sanguis, ex quo inflammationes, & pus fiunt, *vt ergo a calore, qui mitis est, & proprius pro cuiusquam natura sanguis in alimentum mutatur ita ab illo qui excedit, & inutilis prorsus est, ex eadem materia putredo fit*, ita vt in illa mutatione, & substātiæ, & qualitates assimilentur partibus concoquentibus, & in hac omnia dissimilia maneant; sic in puris generatione cum nec plane vtilis, nec plane inutilis, sed medius inter B duo hæc extrema calor existat, mediam facit operationem; tanquam ergo particeps de extremis hic calor, in quorum vno is, qui secundum naturam est calor, in alio alius, qui præter naturam est, intelligendus est mixtus ex calore secundum naturam, & calore præter naturam; Eodem pacto in febribus, vbi calor plurimum exuperat, & ad naturæ functiones plane inutilis factus est, putredo fit: aut si huiusmodi calor in partibus solidis non amplius concoquit alimentum, mors sequitur: vbi vero euadit homo, fiunt coctiones in humoribus, quæ salutem pollicentur, & relinquitur ex illis, quod sedimentum in vrinis dicitur, proportione respondens laudabili puri; ex quibus quidem, ne singula pro-C sequamur, quæ facile ex prædictis patere possūt, concludimus, vnum esse calorem, qui nunc natiuus, siue secundum naturam, nunc vero igneus vel extraneus, aut præter naturam dicitur, & hic aliquando prorsus, siue toto genere, vt Galenus notat, præter naturam, cum penitus destruit actiones animantis, aliquando vero, vt quod ad certum gradum, non scilicet tantum excedit, vt interim viuere possit animal, & sua officia vtcunque exercere; & sic vnum in febricitante esse ponimus, qui præter naturam dicitur, eo quod naturæ limites longe excedat, alioqui non esset morbus febris, sed status quidam neuter, qui tamen calor non prorsus est ineptus ad coctiones, & alias naturæ functiones ad vitam D necessarias, & vitam recuperandā, obeundas; id quod contingit, vel quod non æqualiter sit accensus in omni substantia cordis, sicut accidit cum putrida adest, & non hectica, aut si æqualiter est accensus, non tamen perpetuo ita auctus est, vt destruat omnia, quæ natura requirit, quomodo in hectica, & putrida simul nutritur animal; etsi infeliciter; accidere tamen, vt prorsus reddatur inhabilis, & inutilis, & tunc mors sequitur.

Cæterum ex Galeni dictis, eo quod rei natura suadet, ambigere facile quis posset, an febris sit duntaxat intemperies calida; sunt enim, quæ id ostendant; sunt & alia, quæ non solum vnius genus morbi, sed duo addenda esse in aliquibus E probent: nam si febris igneus est calor, vt nomen monstrat Græcum; πυρετὸς enim ab igne deducitur, & febris à feruore deriuatur, videtur necessarium, vt calida & sicca sit passio, siquidem ignis calidus & siccus est. Est præterea authoritas clara apud Galenum 16 *Aphor. primi*, & *octauo & nono Methodi*, vbi scribit, febrem suapte natura esse calidam & siccam passionem.

Febris an sit tantum intemperies calida an vero etiam simul sicca.

lius fontibus: sic profecto statuendum est de febre, quod scilicet cordis proprium sit malum, à quo per vniuersum corpus postea spargitur, nisi quid impediat. Quod si quis authorum testimonia aperta in hoc requirat, locus est clarus *lib. 6. de Morbis vulgaribus commentario primo textu vigesimo octauo,* vbi scribit, satis esse in febre si præcipuę partes intus contentæ, nempe cor, & vicinæ incalescant: Quod si aliquando totius morbum eam esse scribit, non id, quod reuera est, vt in definitione recipiendum, sed quod per accidens, quodque vulgo notum est, vt plurimumque fit, explicat. Idem testantur loci superius adducti, & Aetius, si aliqua est illius authoritas: is enim definit febrem esse calorem præter naturam ipsius cordis. Postremo confirmant B nostram opinionem aliorum responsiones in hac re absurdæ: nam dicunt, omnes febricitantes calore extraneo affici; sed non necessarium esse vt calidiores à nobis sentiantur, vt ipsi calorem sentiant; nam quomodo, quæso, erit febris, si non intemperies calida? Quo pacto potest esse calor, & frigus sentiri? An morbi in re insensibili poni debent, qui sensibiliter lędunt actiones? an in contrariarum qualitatum sensu? Quod si ponitur, cur ergo frigidam non dicemus intemperiem, quando calor sentitur præter naturam, sicut volunt isti, qui calidam ponunt intemperiem, vbi frigus percipitur? Cur ergo eadem ratione non ponemus sanitatem esse, vbi morbus adest; & hunc, vbi sanitas? Alii vero dicunt C in principio accessionum febrem non esse in vniuerso corpore, sed gigni. At quomodo febris non est, vt antea quoq; diximus, dum quærebamus, an calida semper esset passio, si pars est febris? siquidem tempora particularia vniuersalium sunt partes, & hæ totius.

Ad hæc quomodo gignetur febris à frigido per accessiones? quod si frigida tunc est intemperies, à quonam genita est, quando habebit incrementum, statum, & declinationem? Quod vero alii sentiunt, in principio accessionum auctum esse in corde calorem, qui postea augebitur in vniuerso corpore, nisi impediatur (id quod contingit in principio propter obstructiones, quæ prohibent illius delationem) ex hoc roborant D nostram opinionem, quod scilicet non sit totius, sed semper cordis calor, & passio; nam ex hoc impedimento calor in ipso corde & frigus in aliis partibus exuperat, veluti in iis accidit, qui suffocantur: si quidem in illis calor ob prohibitam respirationem in corde augetur: aliis interim partibus, caloris cursu prohibito, refrigeratis. Hæc itaque aperte probant, febrem in corde tanquam in proprio subiecto ponendam esse.

Verum si recipimus cordis morbum esse febrem, sequentur profecto nonnulla, quæ vniuersi Medici tanquam absurda reiicent, quod sint à Galeni placitis, & ea opinione, quam hactenus omnes receperunt, aliena: nam si febris essentia E in corde ponitur, vtique in eodem ponenda quoque esset essentia cuiusq; febris, id est, quod est, & dicitur esse: at si hæc conceduntur, illud quoque sequetur, in omni febre putrida humorem in corde putrescere: Dicitur enim febris putrida à putredine humorum, qui necessario in corde putrescant oportet, si huius visceris febris passio est, sed de hac re agemus, cum tractabimus putridis febribus.

Quomodo calor & febris à corde in alias partes mittatur.

Febrem caloremque febrilem, cordis esse passiones proprias, non autem totius corporis, abunde ostensum esse puto; verum etsi non primo, tamen secundario in omnibus fere febribus cor eo modo, quo laborat, reliquas partes simul afficit, & mali participes facit. qua quidem in re illud docendum sequitur, *quo pacto calor huiusmodi in vniuersum corpus à corde transmittatur.* Est porro recepta opinio, *mediante spiritu, & sanguine* hunc mitti calorem, quod & Auicenna in febris definitione expressit; & merito quidem: nam sicut cum valemus, non aliter influit calor in singulas partes à corde, quam per spiritum, sanguinemque, qui ab eo per arterias influunt; ita profecto, cum calor in corde præter naturam & febrilis est redditus, sanguinem, & spiritum pariter calere necesse est, atque præter modũ vniuersum corpus calefacere: siquidem eum calorem, quem habent, reliquis membris necessario impartiuntur; Nec mirari debemus, vno momento sæpe vniuersum corpus cum corde calefieri, adeo vt simul partes laborare videatur, nam *adeo mobilis est huiusmodi substantia, quæ à corde influit, vt nihil cum illa in celeritate contendere posse videatur,* id quod docent timores, pudores, animi deliquia, ira, gaudium, & calidæ cordis passiones, quæ sanguinis, & spiritus motu fiunt. Quibus quidem quid velocius obiri potest? verum, si necesse est solidas corporis partes semper calorem concipere à spiritibus, & sanguine qui à corde emanant, quomodo poterit vnquã hectica incipere? oportet enim ipsos spiritus antea semper esse excalefactos, vnde diaria semper præcedet: vrget quidem hoc argumentum eos qui ponunt febrem esse affectum totius corporis; nam quomodo in singulas partes calor perueniet primo, si iam spiritus sunt excalefacti in corde; & si quis ponat (vt nos facimus) febrem esse affectum solius cordis, respondere poterit, partes solidas cordis esse excalefactas, & ab illis postea calefieri spiritus, & sanguinem, quibus tandem similiter & cor ipsum reliquas partes afficiat. Verum hæc melius intelligẽtur postea, cum de generibus febrium egerimus.

Hactenus ostendimus, febrem esse calidũ affectum solum, & vnum esse calorem, atque omnem febrem cordis esse passionem, & in eo ponendam esse essentiam cuiuscunque febris; non tamen in solo corde semper consistere calorem, sed per arterias, & venas eundem spargi in vniuersum corpus: ex quibus perfectam puto colligi posse febris definitionem, quæ hæc sit: *Febris est affectus præter naturam calidus cordis:* hæc enim definitio nihil habet superfluum, nihil diminutum, & nihil assumit eorum, quæ per accidens sunt, separatque omnes alios affectus à febre. nam cum dicimus esse *affectum*, intelligimus esse morbum, & non causam morbi, vel symptoma. Quod vero dicitur esse *præter naturam*, separatur febris ab aliis affectibus, qui vel secundum naturam sunt in latitudine sanitatis contenti, aut certe nondum pręter naturam: Verbum, *calidus*, separat febrem ab aliis affectibus, qui in excessu aliarum qualitatum consistunt. Quod vero additur, *cordis*, seiungit febrem ab aliis intempera-

Febris perfecta definitio.

turis calidis præter naturam, quæ aliis partibus A accidunt. Nec vero addere oportet, *quod actiones lædat*: hoc enim necessario sequitur prædicta; si enim morbus est, illud quoque sequitur, vt aliquam actionem labefactet.

Quod si quis quærat, quasnam actiones lædat febris, non id forte facile ab aliis intelligere poterit: sunt enim, qui putant, per operationes intelligi solita vitæ exercitia, & munera, quæ quilibet exercere solet: neque enim sensationes, appetitum alimenti, & alias nonnullas functiones semper lædi in febricitantibus, quin potius aliquando perfici: Quod in iis apparet, qui hectica febre affecti, exsiccato capite, acutius vident, & audiunt; & quartanarii optime quoque appetere putantur. Solita vero officia in omnibus B deterius obiri: neque enim fodere potest agricola, vrgente febre, vt solebat, aut Medicus suos ægrotos inuisere, aut curare, aut Doctor literis incumbere, & alios docere. Quorum quidem opinionem nequaquam recipio: nam cor est fons calidi natiui, quod quidem est commune omnium actionum instrumentum, quoque læso, nempe intenso, omnes actiones, quæ illius beneficio fiunt, lædi oportet. Quod etiam Galeno placuit, *quinto de locis affectis*, vbi scribit, vitiato corde, omnia membra deterius suas edere functiones, lædique. Nec Auerr. in febris definitione id subticuit, scilicet omnes actiones à febre lædi. Testatur id quoque experientia; nam qui C febricitant, deterius concoquunt, retinent, expellunt, mouentur, nutriuntur, &, vt semel dicam, *in omnibus functionibus patiuntur, etsi non omnimodo labefactentur*. Illi acutiùs quidem sentiunt, qui hectica laborant, vt illud est præter naturam, nec huiusmodi sensus probandus est: quod si in eo neges contentiosius offendi sensum, in hoc certe agnoscas, illos in hoc etiam opere offendi, quod diu, vt solebant, sensationes exercere nequeunt: cuius rei argumentum est, quod nec diu legere, aut aliud intueri, nec longos sermones ferre queunt, qui hac febre laborant. Sic sane appetentia, quam illi negant offendi, in iis vitiatur, vel quod plura, aut intempestiue, aut absurda, & inimica appetant, aut in D alio prorsus error quispiam conspiciatur. Auicenna naturales dixit vitiari functiones: quo nomine intelligere non oportet naturales, prout illæ distinguuntur à vitalibus, & animalibus; sed quod secundum naturam sint: lædit enim febris omnes actiones, quæ sunt secundum naturam. Verum, vt illa primo est affectus cordis; sic primo vitales labefactat, deinde alias.

Actiones omnes à febre lædi.

Quæ inter omnes lædantur prima.

Omnes, qui de febribus scripserunt, aut hanc medicinæ partem sunt interpretati, post definitionem febris, aggrediuntur differentias explicare, contemptis generibus, aut certe confusis cum ipsis differentiis; cum tamen plurimum referat, hæc inter se distinguere, vt plurimum refert agere de animali, aut de sensibili: est enim E animal genus quoddam corporis, sensibile vero & insensibile differentiæ: non eadem est tractatio, quæ agit de homine, & bruto, cum ea, quæ de rationali, & irrationali differit: quippe cum homo & brutum species sint animalis; rationale vero, & irrationale illorum differentiæ. Vnde, si quis quæreret, quot essent animalium species, apte quidem responderet, qui diceret, duas esse,

De generib. febrium.

hominem & brutum; perperam autem diceret, esse rationale & irrationale, nimirum cum non differentias, sed species quæramus.

Est & locus de hac re apud Galenum *tertio Methodi medendi*, vbi contra Methodicos disputat, qui vlceris differentiam dicebant esse intemperiem, inflammationem, & alia quædam huiusmodi, quæ cum per se consistere possint, genera sunt, nequaquam differentiæ alicuius esse possunt. Quo fit, vt hoc discrimine doceat distinguere genera & species à differentiis, quod scilicet illa per se subsistat, hæ vero nequeant per se id facere; veluti animal genus esse agnoscitur, & non differentia, quod per se subsistat; sensibile vero differentia est animalis, cum sine animali esse non possit. Confundit hæc nonnunquam Galenus: sed docendi ratio postulat, vt inter se distinguantur: nam vbi eædem sunt differentiæ, diuersa autem sunt genera, vtimur diuersa curatione: siquidem febris hectica cum nonnullis putridis multas habet differentias communes, quod scilicet vtraq; continua sit, quodque sine accessione infestent; postulant tamen diuersa remedia, quoniam genere, aut certe forma differunt. Quæremus ergo genera febrium, cum inuestigabimus, quot possint esse febres genere diuersæ, veluti cum dicimus omnem febrem esse vel diariam, vel hecticá, aut putridá, quod idẽ est, ac si dicas, tria esse genera febriũ, vnũ diariarum, alterum putridarũ, tertium hecticarum.

De differentiis vero agemus, cum de continua intermittẽte, ordinata, inordinata, tertiana, quotidiana; & cæteris huiusmodi tractabimus: nam hæ differentiæ per illa genera sparguntur: & quemadmodum rationale, & irrationale animalia differre faciunt; sic genera illa inter se differunt; quod quædam ex febribus continuæ sint, aliæ intermittentes, quædam simplices, & benignæ, aliæ vero malignæ, aliæ vero aliud habent, quo à reliquis differunt generibus. Ac primum quidem de generibus, mox de differentiis agemus, ita postulante docendi ratione.

Itaque receptum est ab omnibus tum antiquis, tum neotericis Medicis, tria esse febrium genera: vnum diariarũ, aliud putridarum, tertium hecticarum. Atque hunc quidem numerum sumunt ex triplici genere substantiæ, quæ in corpore nostro reperiri dicitur, nempe ex spiritu, humore, & partibus solidis: cum enim calor accendatur in illis, diuersaque remedia, pro illorum natura necessaria sint, (siquidem alia diariis, alia putridis, alia hecticis febribus auxilia cõueniunt) hinc triplex genus febriũ constituẽdũ esse cẽsent: nec alia ratione mouentur, quam quæ ex triplici hac substãtia sumitur: quod licet videre apud Gal. *lib. 1. de differ. febr. c. 2.* vbi Hipp. dictum exponit, quo ille scribit cõtinentia, contenta, & impetũ facientia: idem dicit *paulo antea* cũ de differẽtiis agit, quæ ex materia sumitur, in qua febris accẽditur. vt omittã *secundũ de Crisib.* & alios infinitos locos, vbi ista tria genera ponit ex materia distincta. Ac quoniã fieri non posse vident, vt quæ in eodẽ loco sunt, seseq; tangũt, ita viuentur, vt vnum ex illis calefiat, alio etiã nõ calefacto, concedunt quidẽ spiritus, humores, & partẽ solidã cordis calorẽ habere præter naturã; sed negant omnia æqualiter calefacta: quædã n. dicunt calefacta esse, alia vero calefieri: vel alio modo

modo dicunt, quædã habere calorẽ in facto esse, alia in fieri, & in illo, quod calefactum est, febrem poni, in aliis vero nequaquam.

Cui quidem opinioni non assentior. Ac primum quidem ad id facit, quod Galenus *in nono Methodi* dicat, diarias & Synochas eiusdem esse naturæ; nomine autem, & duratione duntaxat differre. Quare si synochæ omnes tam putridæ, quam non putridæ in eadem materia versantur, nempe in humore, sanguine, inquam, vt *in eodem libro* testatur, & *in vltimo capite secundi libri de Differentiis febrium*, erunt quoq; diariæ ponendæ in humoribus, & non in spiritibus. Quod pariter testatur *cap. 12 secundi de Differ. febrium*, vbi scribit, diarias febres non fieri ob sanguinem putrescentem, sed eo duntaxat excalefacto. Idem ostendunt diariç ex ira, tristitia, & mœrore, atque aliis passionibus cordis natæ: illæ enim ex feruore, & motu sanguinis nascuntur, non ex spiritu, qui non primo calefit, sed ex humorum motu, & calore attollitur, & accenditur.

Dubium præterea est, in quo spiritu velit Galenus febrem accendi, an in vitali solum, vel etiam naturali, & animali? si in vitali, non læderentur actiones hepatis, & cerebri, quæ separatum, vt ille vult, habent spiritum.

Si vero in omnibus spiritibus febris ponitur, non erit febris passio potius cordis, quam hepatis, & cerebri, hæc sequuntur absurda Galeni opinionem de tribus spiritibus nostri corporis; quæ diligentius expendimus *in libro de somno, & vigilia*, vbi ostendimus, naturam, & structuram nostri corporis non admittere, nisi vnum spiritum, qui fit ex ebullitione sanguinis in corde, & arteriis, & vna cum sanguine ab eodem viscere magis elaborato mittitur per arterias in vniuersum corpus, vt vniuersis actionibus, quæ in nobis exercentur, sit commune instrumentum, vt omnibus partibus sunt communes humores. Quem quidem spiritum si vitalem vocare velis, cum seruit actionibus cordis; naturalem, cum instrumentum est hepatis, & nutritioni corporis; animalem vero, cum ministrat functionibus cerebri, non laboro, modo nõ credamus ob leuem eam alterationem, quam recipit hic spiritus in diuersis partibus, naturam ita mutare, vt ille, qui in vna parte est aptum instrumentum omnium actionum, quæ ab ea parte proficiscuntur, fiat ineptum ad opera aliarum.

Verum, hoc vno posito spiritu, aut pluribus, ex aliorum opinione, non propterea constat ponendum esse triplex genus febrium, quandoquidem nec in humore, nec in ipso spiritu aliqua febris reuera poni potest: nã si febris omnis morbus est, & ille quidem in intemperie, ratio conuincit, vt duntaxat partis solidæ affectus sit: etenim intemperies partis similaris, non autem alterius substantiæ siue partis, quæ in corpore sit, morbus est, humores autem & spiritus, partes non sunt corporis, sed elementa, & principia, ex quibus partes componuntur: sola autem pars solida, vt hic capitur, similaris est: quapropter in ea tantummodo febris debet esse. Ex quo sequitur, vnicum esse genus febrium.

Porro febrem esse morbum, non est, quod probemus, nec quod morbus sit in intemperie, quãdo tam hæc sunt ostensa; omnem vero morbum, qui in intemperie ponitur, esse passionem

A partis similaris, & in ea esse ponendum, docuit Galenus *in libro de Differentiis morborum* & nos in eo, quem inscripsimus *de generibus morborum*, aperte demonstrauimus: nam humorum multitudinem, aut corruptiones, vel intemperiem, aut aliud vitium causas morborum, vno consensu omnes receperunt esse; ab illis enim febres, obstructiones, continui solutiones, & alii multi morbi nascuntur, & qui pugnat aduersus illos contra causas morborum, non autem aduersus morbos ipsos pugnare dicitur; quoniam scilicet similares partes, aut organicæ non sunt, morbus autem omnis aut similaris, aut instrumentariæ partis est.

Humores & spiritus non esse partes similares, sed elementa corporis.

Ac quod nec humores, nec spiritus similares B sint partes, vt à Medicis sumuntur similares, præter illa, quæ diximus, ex quib. probabamus, illorum vitia inter causam morborũ reponi, quod non fieret, si partes similares, aut dissimilares essent, nimirum cum illarum affectus morbi sint, quando vitiatur propria earum constitutio; licet id docere ex ipso Galeno, scribit enim ille *1. & 2. lib. de Elementis*, partes similares constare ex humoribus tanquam ex elementis corporis. Est & locus de hac re apertus *in lib. de Differen. morborum*, vbi scribit tres esse in nostro corpore compositiones, vnam similarium partium, quæ fit ex elementis; secundam instrumentalium, ex similaribus; tertiam totius, ex instrumentis, sunt autẽ elementa, vt ipse passim tradit, corporis no- C stri quatuor humores præter elementa Mundi.

Ad hæc in enumeratione similarium partium *primo, & secundo de temperamẽtis*, & *alibi passim*, recenset ossa, cartilagines, ligamenta, carnem, membranas, nunquam autem ponit humores, aut spiritus. Præterea partes organicæ ex similaribus dicuntur componi: at inter ea, quæ componunt organicas, vt manum, caput, brachium, nemo spiritus & humores numerabit, nec immerito: nam singula instrumẽta ex iis, quæ propria, & stabilia sunt, suam compositionem sortiri debent, non autem ex his, quæ omnib. sunt cõmunia, & eadem cõtinuoq; regignuntur, & cõsumũtur. Postremo omnis pars similaris dicitur viuere, & quatuor naturales facultates, attra- D ctricem, retentricem, coctricẽ, & expultricem à natura obtinere. At nec humor, nec spiritus viuit, aut attrahit, vel retinet, aut cõcoquit, aut expellit, etsi conferunt ad hæc officia tanquam instrumenta: imo humor est, qui attrahitur, retinetur, cõcoquitur & expellitur. Ex quibus omnibus luce clarius esse puto, à partibus similaribus (nam de organicis nõ est dubium) humores & spiritus excludi. Quo quidem concesso, prorsus sequitur *in solis similaribus partibus cordis ponendum esse morbũ, & proinde febrẽ omnem*; quod si omnis febris in parte similari, & solida ponitur, nullũ genus in humore aut spiritu poni potest: nam si nulla febris in illis est, nec profecto vllum erit febriũ genus. Nec aliquis est, qui possit huic E opinioni reclamare, nisi qui velit vniuersa principia, quæ extant de morbis, & illarum causis, prorsus euertere: miror que, neminem vnquam de hac re cogitasse, aut certe non docuisse, quam male sint hæc genera à maioribus nostri. recepta, & posteris tradita. Quod si quis paulo rudior, & pertinacior aliam adhuc probationem requirat, inspiciat ille alias intemperies, & forte doctior euadet, & deinceps paratior ad agno-

Non esse itaque tria genera febrium.

ſcendos antiquorum errores non ſecus, atque illorum virtutes laudandas. Dicemus ne(quæſo) in affectibus frigidis cordis tria eſſe genera intemperaturæ frigidæ in corde, vnum ſcilicet in ſubſtantia, aliud in humore, tertium in ſpiritu? aut tria genera ſiccitatis, aut humiditatis, aut alterius intemperaturæ? Et quis vocabit morbum frigidum, aut humidum, aut ſiccum, quando illæ qualitates conſiderantur in humore aut ſpiritu? Ridiculus eſſet profecto, qui ita ſentiret: quandoquidem ſola ea intemperies, quæ in ſubſtantia cordis eſt, morbus cenſeri debet, nec genus aliquod morbi in eo debet poni, quod morbum nullo pacto pati poteſt. Adde, quod ſi etiam concederemus, quod facere non poſſumus, humorum, & ſpirituum intemperiem, morbum parter eſſe; non tamen propterea recte concluderemus, eſſe tria genera morborum. Etenim *genera rerum non conſtituuntur ob genera ſubiecti, in quo illa reſident; ſed ob diuerſas formas genere diſcrepantes:* ſi quidem intemperies calida cum alia, quæ calida quoque ſit præter naturam, eiuſdem ſemper eſt generis, ſiue vna in carne, alia in oſſe, alia vero in alia quacunque parte ſimilari ſit poſita; nec differt genere intemperies, aut calor, qui præter naturam eſt in humore, & ſpiritu, ab eo, qui eſt in parte ſolida. Illud quoque facile reprehendi poteſt, quod dicunt, quandam ſemper ex tribus ſubſtantiis eſſe in calefieri, aliam in calefacto eſſe: nam primum dubium eſt, quod intelligatur eſſe calefactum, & quid calefieri. Etenim Auicenna id, in quo primum calor concipitur, nulla alia adhibita conſideratione, febrem ponendam eſſe ſcribit. Quod & Galenus ſentire videtur *primo capite primi de Differentiis febrium*, vbi ſcribit, calorem hunc febrilem nunc ab vna, nunc ab alia ex iis ſubſtantiis incipere. Quanquam videtur illud calefactũ vocare, quod iam poteſt reliqua calefacere: alibi vocat ea eſſe in fieri, quæ tamdiu ſunt, quandiu fiunt, vt actiones: Eſt, vbi vocet ea eſſe in fieri, quæ ablato eo, à quo illud acceperunt, per quod dicuntur eſſe, amplius non ſunt. ergo reprehendendus eſt Galenus, quod mentem ſuam non declarauerit, quonam modo intelligendum ſit ſubſtantiam illam eſſe calefactam, in qua ponitur febris, præſertim, quod nulla ex prædictis ſignificationibus, huic rei accommodari poſſit: nam ſi illud dicitur calefactum, à quo incipit calor, ſola erit, & ſemper diaria, quando ſpiritus ſemper prius calefit, vt poſtea oſtendemus, aliis ſubſtantiis.

Quæ ſecundum Galenum ſint in fieri.

Si vero putat, illud eſſe calefactum quod poteſt alia calefacere, idem plane ſequitur, ſi ſpiritus eſt, & humor, qui ſolidas partes calefaciunt; nunquam autem hæc à ſolidis calorem capiunt. Non capi autem calefieri, prout dicuntur actiones eſſe in fieri, certiſſimũ eſt. At ſi illa dicamus calefieri, quæ nequeunt conſiſtere ablatis ſuis cauſis, doceant, quæſo, quomodo vna ſubſtantia potius, quam alia exuat ſuum calorem. Deinde oſtendant, quo pacto ſtatim poſſint ponere aliquid in calefacto eſſe, cum momento temporis febris inuadat hominem, & dicatur eſſe: quocunq; enim modo calefactum ſumatur, illi oſtẽdere volunt, eam ſubſtantiam iam prorſus occupatam eſſe à calore.

At quo pacto id poteſt momento fieri: Dicunt quidem illi multa, & legumlatorum more hæc ſanciunt; verum etſi hoc illis concedatur, quod inæqualem habeant calorem ſubſtantiæ prædictæ, hoc certe docendum erat, cur in eo, quod eſt plus calefactum, febris poni debeat: nam vt vulgata eſt Logicorum ſententia, magis aut minus naturam, & ſpeciem non variat. Itaq; cum illorum opinione, in omni febre triplex ea ſubſtantia calorem habeat præter naturam, cur eodem malo non afficietur vna pariter, vt alia? quod enim vna prorſus ſit calefacta, alia vero adhuc calefiat, id oſtendit illam grauius, hanc vero vero leuius affici; vtramq; tamen eodem genere mali laborare. An negabimus partem ſolidam febrem habere, eo, quod forte minorem habeat calorem, quam humor & ſpiritus: vbi eſt morbi definitio: quæ docet omnes eos exceſſus qualitatum, qui actiones labefactare iam poſſunt, morbos in illis excitare; alioqui in inæquali intẽperie nullus eſſet morbus, ſed ſolũ in æquali: ſi quidem illa in fieri eſt; hæc vero in facto. Quod ſi in febribus hæc diſtinctio valet, recipienda illa quoq; erit in aliis intemperaturis, frigidis, humidis, ſiccis.

Verum quis dicet, ſubſtantiam cordis eſſe refrigeratam, humores vero & ſpiritus refrigerari, aut econtra his refrigeratis, illam refrigerari? At ſi id etiam concedatur, quis in eo, quod duntaxat refrigeratum eſt, ponat morbum? ſequuntur hæc, & infinita alia abſurda ex principiis male poſitis, eo enim, quod recepimus febrium genera poſſe poni nõ ſolum in parte ſolida cordis, ſed etiam in ipſo humore, & ſpiritu, omnia hæc ſequuntur, & multa alia, ſi quis vrgere vellet, incommoda. Quam ob rem, & ſine omni ratione tria hæc febrium genera ex triplici ſubſtãtia, quæ calorem concipit in corde, hactenus recepimus. *Vnum ergo genus ſtatuendum eſt febrium, & illud vniuerſum in eo, cuius eſt febris, & morbus, nempe in parte ſimilari cordis collocandum.* Nec aliquid repugnat opinioni: nam & diaria & humoralis tum putrida, tum non putrida, in eadem ſubſtãtia recte conſtituuntur. Pono enim humores, & ſpiritus cauſas eſſe, à quibus calor ſolidæ parti communicatur: quo fit, vt cum ſpiritus calorem conceperit & cum impartitur ſubſtantię cordis, ſinatur febris vnius diei ſpacio, & propterea diaria vocatur; *non quod febris ſit in ſpiritu, ſed quod ab eo naſcatur:* qui cum diu nequeat calorem, quem concipit, retinere, & compertum ſit illius feruorem vnius diei ſpacio ſedari, necesse quoque eſt, vt calor, & febris ipſa euaneſcat, deficiente ſcilicet eo, quod calorem excitauit, & fouebat. Cum vero vniuerſa maſſa calefit, ſynochus accenditur: quod in tali materia diutius & ſibi ſimilis calor, & proinde febris perſeuerare ſit apta.

Vnum tantum eſſe genus febrium & illud vniuerſum in parte ſimilari cordis.

Vnde diaria.

Synochus.

At ſi eadem maſſa humorum, aut aliquis peculiaris humor putreſcat, calorẽ putredinoſum cordis ſubſtantiæ communicat, & hinc naſcitur & dicitur febris putrida. Quæ quidem febres omnes eo, quod facile remoueri poſſint, dicuntur eſſe in fieri. Si vero calor, qui in ſubſtantia receptus eſt, iã æqualiter occupauit vniuerſam ſubſtantiam, vt nulla amplius ſit repugnantia, nec inæqualis intemperies, huiuſmodi febris dicetur eſſe hectica (veluti illæ, quæ habitum contraxerunt) vel quod habitum corporis, id eſt, ſolidas

Putrida.

partes

partes plane occupauerit; hectica dicetur hæc febris: non quod aliæ solidam ipsam partem nõ afficiant, si modo omnes in ea ponuntur; sed quia illæ non æqualiter mutarunt temperiem partis, nec plane vicerunt: ideo illa, quæ id est assecuta, merito dicetur hectica, quod habitũ occupauerit, vel in habitu sit. Sunt ergo humores & spiritus febrium causæ, quod illi suo calore vicinam substantiam cordis calefaciant, & intemperiem, febremq; excitent, quæ non genere, sed per magis, & minus differt. *Ita enim hectica, humoralis, & diaria eiusdem generis ponentur, cum omnes intemperatura sint calida, & differentes intensione, remissione, duratione, & causis efficiẽtibus;* quæ quidem non faciunt morbos genere discrepãtes: Etenim intẽperies frigida parua cum magna, quæque parum durat cum illa, quæ longius protrahitur, eiusdem est generis, & morbus, qui ab intrinsecis causis nascitur, frigidus, aut calidus eiusdem generis censetur cum illo, qui ab externis ortum habet.

Quomodo humores & spiritus sint febriũ causa.

Diaria, humoralis & hectica, quomodo differant.

At frigidus morbus à calido morbo iam discrepat. Idem ergo de febre, quæ quidem est intemperies calida, sentiendum: *quod scilicet febres omnes eiusdem generis sint, quia omnes intemperies calidæ:* illarum vero causæ generibus dissentiunt; siquidem humor alterius generis est, quam spiritus, adeo vt Antiqui docuerint, non febrium inter se diuersa, sed genera causarum, & rerum, quæ calorem febremq; ipsam patiunt.

Quomodo febres omnes sint eiusdem generis.

Cęterum, cum dicimus, calorem febrilem febremq; ipsam ponendam esse non in spiritu, aut humore cordis, *non ita res intelligenda est, quod non accendatur in aliquo humore: quandoquidem calor nequit in alia materia accendi, & consistere,* quod docet ignis, qui consumpto humore lignorum extinguitur: *Sed dicimus, accendi in parte solida, quasi intelligendum sit in humore partis solidæ: simpliciter enim eos vocamus humores, qui in vasis partium continentur; Alios vero, quibus constant partes similares, aut in illis sparsim reperiuntur, non comprehendimus nomine humoris simpliciter dicti, eo quod formam quatuor humorum amplius non habeant.* Sed hæc, cum de hecticis febribus agemus, diligentius prosequemur. Nunc vero satis sit docuisse, febrem omnem in parte solida consistere, & in illius humore accendi; ergo postulat rei natura, vt de generibus febrium ita sentiamus; distinguemus tamen hanc tractationẽ in solida capita, in diarias nempe, humorales, & hecticas febres: non quod putet aliquis, nos tunc genera febrium prosequi: sed quia causæ sunt diuersæ propinquæ febris: quæ quidem signa, partes, symptomata & præseruandi, curandi, restaurandique rationem mutant.

Ostendimus, vnum esse genus febrium, & illud passionem morbumque partium similarium solidæque substantiæ ipsius cordis, quod quidem constituitur à calore præter naturam exuperante intemperiemq; in ea excitante. Porro hunc calorem nũc ab humoribus, nunc à spiritibus accẽdi, antea obiter commemorauimus: est & hoc hactenus creditum, eundem ab ipsa parte solida inchoare posse: vnde quæri solet, an possint singulæ febres, quæ ab illis ponuntur, separatim incipere; An vero id de diariis, & humoralibus concedi possit; de hectica vero dubi-

A quonam incipere possit calor, an à spiritibus semper, vel ab humoribus aliquando, vel ab ipsa parte solida.

A tandum sit, an vnquam possit primo inuadere: si quidem videtur illa alias febres semper sequi. De qua quidẽ re nos hic pauca subiiciemus, ex quibus studiosi intelligent, quam male sint posita principia huius tractationis. Cum enim in hoc à seipsis dissentiant, nec possint vti probatione aliqua euidẽti, nec tueri valeant propria principia, constat, illa vera non esse: nam quę ex veris principiis nascuntur, facile intelliguntur, nec inter se, nec cum illis pugnant. Statuunt igitur illi hunc calorem nunc à partibus solidis inchoare, & tunc hecticam febrim esse, & incipere; nunc vero ab humore incipere, & esse putridam febrem; alias vero à spiritibus, & sic primum incipere diariam, aiuntque, si diutius perduret

B calor in ea substantia, quam primo inuasit, reliquas tandem pariter afficere, coniungique inter se genera febrium. hæc sunt fere verba, aut certe sententia est Galeni *libro primo de Differentiis febrium ab initio*, quem Auicenna, & alii postea omnes sunt secuti. Sed audite, quæso, qua ratione probent, nunc vnum, nunc aliud febris genus incipere: adferunt enim exemplum ex balneo, finguntque primo excalefactos esse nunc parietes, & ab illis postea aquam, & aerem frigidum immitti, atque ita calefieri vtrumque; vel aerem primo calefactum ponunt, & ab illo parietes, & humorem calefieri; aut hunc volunt prius calefactum, deinceps illa ab eo calefieri: Ad cuius quidem rei exemplum

C referunt tria illa sua genera febrium. Inquiunt enim, si primo cordis substantia sit excalefacta, constituitur febris hectica, & illa primo incipere dicetur; si vero idem ponatur fieri in spiritu, primo incipiet diaria; at si humor primo sit calefactus, fiet febris, quæ consistit in humoribus. Est sane egregia hæc probatio & recipienda ab omnibus nemine hactenus reclamante: non enim eo commoueor, quod omnium infirmissimo genere probationũ, nempe quod ab exemplis sumitur, vtantur; sed hoc me mouet, veritatis studiosos eo exemplo vti, quod cordi, & huic rei accommodari minime potest: nam possunt quidem parietes balnei, aut lebes calefieri prius, quam humor aliquis immittatur, sicut & hic ca-

D lidus aliunde in balneum importari potest: sic & aer, si quis accendat ignem in balneo, primo calefiet, quam humor illic contentus, aut parietes.

Verum in corpore nostro cum hæ tres substantiæ simul semper reperiantur in corde, & id, quod calefacit illas, simul semper inueniatur, fieri nequit, vt quod solidum est, prius incalescat alio. quod & ipse Galenus testatur *in libro de Differentiis febrium*. Oportebat præterea illos docere, à quibusnam causis primo possit calefieri solida cordis substantia: nam si illas excutiamus, à quibus dicit Galenus *libro primo de Differentiis febrium capite octauo*, hecticam febrem primo excitari, imo & alias omnes cau-

E sas, quæ calorem in corde accendere possunt, inueniemus profecto, ab illis semper prius calefieri spiritus, & humores, quam solidam cordis partem. Sunt porro causæ, quas dicit ille statim ab initio hecticam parere, tristitia, ira, lassitudo, cum solis ardore: etenim ira definitur esse feruor quidam sanguinis circa cor. per tristitiam sentitur quoq; motus quidam; lassitudo vero ca-

Ira quid.

ta solet auctor hic de eadem re contraria scribere.

Quid ergo dicendum? Rationem suadere, quod cum hectica, & putrida semper coniungatur diaria; verum huiusmodi complicatio contemnitur; & contemnitur diaria, ac si non esset: nam extincto calore, qui est in humoribus, & partibus solidis, simul euanescit calor, qui afficiebat spiritus. Sed dicet forte quispiam: cur non videmus singulis diebus fieri in ea complicatione solutionem diariæ, quæ fieri solet cum leui madore & sudore? an hoc fit in hecticis, vbi adhuc plurimum est sanguinis pinguis & aerei? & quod dicitur de huiusmodi solutione diariarum, intelligendum est fieri, cum illæ solæ sunt à suis causis natæ in corporibus aptis ad eas patiendas, tunc enim ros ille colligitur circa cutem ex benignis vaporibus à corpore eleuatis. Vbi vero simul adest putredo, aut deest benignus humor, manent spiritus accensi perpetuo, vt ipsi humores & partes solidæ sine ea solutione, quæ propria est diariis, id est, cum soli spiritus ab initio patiuntur.

Καὶ πρῶτον εἴπωμεν περὶ τῶν ἁπλουστάτων, οὓς Ἱπποκράτης ἐφημέρους καλεῖ.

Et primum quidem de his agemus quæ simplicissimæ sunt, quas Hippocr. Ephemeras, id est, diarias appellat.

HIs explicatis, quæ communia sunt omnibus febribus (nam si quædam alia adhuc supersunt, vbi se offeret occasio, illa docebimus, ne quid desit ad perfectam tractationem) tempestiuum est, vt ea, quæ propria sunt singulis generibus, aggrediamur: neque enim generalissimorum cognitio sufficit in aliqua tractatione, & maxime in nostra Medicina, quæ quantum fieri potest, debet ad particularia descendere. Itaque cum diuiserimus, vt melior fiat tractatio, febres in diarias, humorales, & hecticas, primum de diariis est agendum; quoniam illæ sunt simplicissimæ, & curatu facilimæ, primoque inuadere solent, reliquas parere. Ac in hoc quidem sequi non oportet eos, qui harum febrium tractationem contemnunt, ea ratione commoti, quod Medici raro ad eas propulsandas aduocentur, mirum quod sæpius prius sint solutæ, aut in alias migrauerint, quam ad Medicum sit peruentum. Quod etsi in nonnullis egenis & negligentioribus vsu venit, tamen aliter in aliis fit, qui suæ salutis maiorem curam & rationem habent, ac intelligunt, quot quantaq; mala sequantur, nisi recte curentur; hinc enim putridæ, & hecticæ, quę euitari poterant, sæpe oriuntur. Diximus præterea, quæ sint præsidia leuiora, quæ in propellendis febribus adhiberi possunt, & quam curationem postulet sola febris à fouentibus causis separata, intelligimusq; pariter sanare affectus, quos ira, tristitia, lassitudo, & aliæ causæ procatarcticæ, quæ has febres accendunt, committere solent.

Porro, vt hæc tractatio vtilis est & necessaria, sic laudare non possum Galeni & Auicennæ nimiam prolixitatem, qua vtuntur in his febribus explicandis, vsque ad minimas diuisiones: nam

A in re tam facili superflua est tam accurata disputatio. Nos vero cum ordinem sequemur, quem in generali tractatione obseruauimus, nam primum, quid diaria sit, ostendemus; deinde quot, & quæ sint illius differentiæ; tertiò, quæ causæ; quartò, quæ signa eam febrem declarent præsentem, & monstrent, quid in ea sit futurum, & causas commemorant, quæ tales febres pepererunt; postremo quibus præsidiis, quave ratione illæ abigi poterunt. In qua quidem re si prolixior fuero, id non fiet ob ipsam diariarum tractationem; sed quia in ea nonnulla, aut forte omnia, quæ pertinent ad communem tractationem, enarrabimus.

Diaria febris, siue ephemera, vt Græci vocāt, *Quid febris diaria sit & quas febres sub diariis oporteat comprehendere.*
B nomen sumpsit à tempore, quo durat: nam quę vno die finiuntur febres, ephemeræ dicuntur. Vnde ephemerides appellantur, quæ continent illa, quæ singulis diebus fiunt, & eadem ratione Aristot. ephemerum quoddam animal esse dicit, quod in vno & eodem die nascatur, & moriatur. Verum contra naturam febris diariæ facere videtur, quod habet Galenus *in octauo Methodi*, vbi scribit, febres diarias esse posse, quę etiam vsque ad quartum diem extenduntur. Præterea *in libro nono Methodi*, Synochas febres eiusdem generis cum diariis esse statuit, quod si Synochæ in genere acutarum febrium cōtinentur, vt ipse *in eodem libro*, & *alibi* docet, multo lōgiorem terminum, quam vnius diei illis statue-
C re oportebit. Quod cum nomini repugnare videret Galenus, febrem scilicet, quæ multos dies duret, diariam vocare, & sua principia euerti, vbi posuit omnes febres esse, vel diarias, vel putridas, vel hecticas, nisi Synochas sub diariis comprehenderet, ideo nomen diariæ contemnendū esse dicit, quod scilicet impositum sit non ex rei natura, sed conuenire debeat vniuersis febribus, quæ eiusdem sunt formæ. Itaque diarias vocatas esse, quæ solent vno die finiri, non tamen excludendas esse ab ea natura, quæ ad plures dies extenduntur.

Qua quidem in re eum errare puto, & male principia posuisse, quæ vt saluari non possunt, ita faciunt, vt antiquam appellationem corrumpe-
D re cogatur, & sub hoc genere aliud comprehendere velit, quod ab illo est alienum. nam febres diuidere in diarias, putridas, & hecticas absurdum est; sed debet fieri diuisio in diarias, siue eas, quæ in spiritibus accenduntur; & eas, quæ in humoribus, & eas, quæ in parte solida. Humorales rursus subdiuidendæ in eas, quæ fiunt solum ex humoribus excalefactis vniuersis, & eas, quæ fiunt ex humoribus putrefactis. & illę synochę, non putridæ vocantur, quas falso è genere diariarum esse tradit: quippe cum diariæ ex spiritibus excalefacti, Synochæ vero ex humoribus accendantur. Adde, quod & ipse *in initio libri noni Methodi* scribit, diarias ex sua natura non vltra vnam diem progredi; sed id accidere vel per
E Medicorum ignorantiam, aut ægrorum intemperantiam, vel ministrantium errorem. Quod si ita est, Synochi, quæ suapte natura diem vnum excedunt, à natura, & genere diariarum excludendæ veniunt. Ad hæc Synochi non putridæ in eadem materia ponendæ, in qua putridæ ponuntur: at hæ in humore, ergo & illæ: non igitur sunt diariæ, quia in spiritu ponerentur *Diaria quomodo à synochis differant.*

tur. Differunt & remediis: nemo enim in [illegible] ria, si acerca, quæ fit ex spiritu solo accenso, sanguinem mittit: [illegible] ad animi defectum

Postremo paulo postea, *in eodem lib. 9.* habet, Synochas febres nec plane esse diarias, nec putridas, aut hecticas; sed quoddam esse genus medium inter diarias & putridas. Quemadmodum enim, inquit, in cæteris rebus vniuersis, quæ vno genere comprehenduntur, societatem in naturis habent, ac propterea mutuo in se transire valent, tertia quædam formula in transitu ipsarum existit, quæ neutrius extremorum formam plane exhibet, ita in diariarum febrium trãsitu imaginari licet, alterum quoddam genus exoriri, quod neutri extremitati sit idem. Est autem hoc medium genus, vt postea intelligitur, Synocharum febrium.

Ex quibus verbis patet, illum synochas à diariis non minus seiungere, quam à putridis, & hecticis: siquidem diariæ sunt termini à quibus, putridæ vero, & hecticæ termini, in quos illæ secedunt. Quanquam & in hoc falso vtitur exemplo: non enim quicquid in alterum transit, per mediam quandam naturam transit, ita vt medium quoddam genus constituendum sit: nam putridæ in putridas, vt tertianæ in quartanas non mutato genere febrium putridarum, & putridæ abeant in hecticas. Quid ergo dicendum? Recte diariæ nomen impositum esse: quandoquidem *omnis febris, quæ vnum duntaxat diem durat, diaria est, & quæ talis est, non potest vltra vnum diem extendi, sic sane, quæ accenditur in spiritibus, sola eo termino finitur, & quæ finitur vno die, non aliter, quam in spiritibus consistere potest.* Nulla enim vel humoralis, vel hectica apta est gigni, & solui tam breui temporis spacio ob materiæ crassioris substantiam. Cur vero aptæ nataeque sint febres, quæ consistunt in spiritibus, non vltra vnum diem progredi, nulla potest esse ratio, sicut nulla est certa, cur biliosæ febres tertio quoq; die repetant.

Quod omnis diaria fiat in spiritib. probatur.

Quod vero diaria omnis fiat in spiritibus, patet: Primo quod cito, & a leuissimis causis accendatur, augeaturque & cito finietur: Secundo, quod mitissimæ sint, tanquam in aerea & halituosa materia accensæ: Tertio, quod per madorem, & leuem sudorem finiantur, qui sudor fit densato spiritu, siue vapore circa membranosam cutem. Quare recte diaria vocatur, quæ intra viginti quatuor horas finitur, non autem dicendum est, illas esse diarias, vt hic videtur innuere Galenus, quæ ex lassitudine, vel ebrietate, & aliis causis [illegible] nascantur: nam ab eisdem causis [illegible] & hecticæ, & putridæ quoq; prouenniunt, vt postea idem author docebit. Cæterum vocat Galenus diariam febrem simplicem, eo quod inter omnes febres sit mitissima & maxime benigna, & quod præsentem non habeat causam, à qua est nata; his enim modis omnibus, simplices vocare possumus diarias.

Οὗτοι δ' εἰσὶν ὅσοι διὰ κόπους γενόμεναι καὶ μέθας, καὶ ὀργὰς, καὶ λύπας, καὶ θυμοὺς, καὶ τὰς ἄλλας φροντίδας τῆς ψυχῆς τὰς συντόνους.

Hæ autem sunt, quæ ex lassitudine nascuntur, temulentia, ira, mærore, excandescentia, furore, aliisque vehementibus animi curis.

TAngit hoc loco nonnullas causas febris diariæ; ex quibus nos occasionem sumemus tractandi de causis febrium in genere: ex qua quidem tractatione licebit postea sumere, quid conueniat diariis, humoralibus, & hecticis febribus: eo enim, quod commune est, contempto, necesse est omnes particularium tractationes fieri obscuras. & hanc quidem communem explicationem causarum nos prætermittere non possumus, qui non solum breuem quandam huius operis interpretationem instituimus; sed integram de febribus explicationẽ molimur, sumpta occasione ab hoc auctore. Igitur, vt breuiter dicam, in febribus consideramus in primis formam febrium: alia enim est forma febris putridæ, alia diariæ, alia hecticæ, alia continuæ, alia intermittentis. Deinde consideramus causas efficientes: videndum enim est, quid ex omni genere rerum quæ nos afficere possunt, sit aptum febrẽ facere, fouere, augere, minuere, & abigere, ac pro diuersitate efficientium diuersa sunt adhibẽda remedia. Nec contemnere quidem oportet commune instrumẽtum, nempe calidum innatum, per quod febrilis calor in vniuersum corpus mittitur facilius, aut difficilius pro ipsius diuersitate, materiam merito quis dicet in [illegible] locum non habere, eo quod ex aliqua illæ [illegible] ant, sed in aliquo consistunt: quia tamen multiplex est subiectum febris, propinquum scilicet, & remotius, & in his multa veniunt consideranda, ideo quædam ex subiectis nomine materiæ donabimus, quo tractatio distinctior euadat. Dicemus ergo, spiritus, humores, & solidam substantiam cordis, esse materias febris; subiecta vero esse febris, cum dicimus, febres quasdam in corporibus densis, mollibus, crassis, bonos humores habentibus, temperatis, in viris, iuuene, alias vero fieri in his contrariis corporibus, nempe raris, duris, tenuibus, cacochymis, intemperatis, fœmina, sene. Habent quoq; hic suũ vsum causæ, cum quibus, & sine quib non, cuius generis est locus, & focus febris; quomodo dicimus, causam febris continuæ, & intermittentis locum esse hunc, vel alium locum, in quo putrescunt humores; nec non illa omnia, sine quibus febres nec gigni, nec augeri, nec conseruari, aut minui possunt, cum alterius generis causarum non fuerint, ad causas, sine quibus non, referre oportet. Finem vero non consideramus in morbis, tanquam causam, sed tãquam terminum, in quẽ desinit ipsa febris. Verum etsi plura genera causarum in febribus consideranda veniunt, non tamen propterea de singulis tractatio instituenda est: nam quædam explicari exacte non possunt, vt formæ febrium.

Commune etiam instrumentum generalem tractationem in hac re non habet, sed proprium; siquidem ad gignendas febres plus potest nunc imbecillus calor, vt in putridarum generatione, nunc qui validior est & acrior, vt in procreandis hecticis; ad febres vero tollẽdas, qui temperatus est, vt plurimum aptior; tamen ratione materiæ præualet aliquando, qui acrior existit, vt qui rebellem materiam aptius conficere, & discutere potest. Quapropter vniuersa tractatio in efficienti-

cientibus causis, materia, subiecto, & aliquibus A causis, sine quibus, vertabitur.

Porro Galenus *capite quarto lib. primi de differentiis febrium* enumerare nititur, quæ, & quot sint causæ efficientes febrem; sed cum à nullo principio nec ex aliquibus fontibus eas ducat, probari non potest ipsius tractatio, quæ solum continet particularia quædam, in quib. nonquã animus quiescere potest, tanquam omnia sint comprehensa: quod ex eo loco patet, vbi omittit ea, quæ contundendo, vulnerando, frangendo, tendendo, dolorem excitando febres pariũt. Vt igitur quæstio vniuersalis est, qua quærimus, quid febrem efficere sit aptum, sic generatim respondendum, nec singula afferenda, quæ & incerta sunt, & à methodo aliena; porro docuimus B *libro primo de causis morborum capite decimo*, quatuor esse rerum genera, quæ morbos gignunt, nempe q assumuntur in corpus, quæ extrinsecus corpori occurrunt, quæ à morbis relinquuntur, vel excernuntur à nobis, vel in nobis retinentur: Ab his ergo rebus febrium causæ effectrices sumendæ. Assumuntur quidem in corpus quæcunque vel per os, aut nares, aut intestina, vel pudenda, aut alias corporis partes intro recipiuntur, siue alimenta, siue medicamenta; aut venena fuerint. Extrinsecus vero agunt, quę impulsu agunt, vt vulnerantia, contundentia, frangentia, item quæ ambiunt, cuius generis sunt aer, lotiones, natationes, item quæ corpori applicantur, vt vnctiones, cataplasmata, cerata, & C huius generis alia, necnon quæ appenduntur partibus, aut circumligantur, vt vincula, quæ partibus iniiciuntur. Nomine eorum, quæ geruntur, intelligimus corporis, animique motum & quietem, vt otium, exercitationes, vitæ conditionem, iram, tristitiam, cogitationem, gaudiũ, & his similia; quorum quædam à nobis duntaxat geruntur, vt vitæ conditio, animi perturbationes, & reliqua, quorum principium in nobis est, à nobisque excitatur; alia vero ab aliis in nobis fiunt, cuiusmodi est nauigatio, gestatio; alia autem partim à nobis, partim ab extrinseco geruntur, vt equitatio, remigatio, & alia huius generis. At ea, quæ excernuntur, & retinentur, comprehendunt ea, quæ quocunque modo a D corpore exeunt, siue per hanc, aut aliam partem id fiat, siue humor, vel vapor, vel sordes, aut pus, aut lapis, aut lumbricus, aut semen, aut aliud denique sit, quod vel in corpore retinetur, aut ab illo educitur. Porro accendi febrem ab his rebus, nouerunt omnes, sed doceri id non potest arte, & methodo, nisi modos vniuersos compertos habuerimus, quibus calor accenditur in nostro corpore.

Febriũ causæ efficientes vnde sumendæ.

Quapropter, ne ex incertis procedat tractatio, ac ne cogamur tum in causis ipsis, tum in modis eadem docere, operæpretium esse duco docere, qui nam, & quot sint modi ii, ad quos pôstea singulas causas redigemus. Quod diximus, à Galeno quæsitum videmus *libro primo de dif-* E *ferentiis febrium cap. quarto*, vbi docet, medicos plerosque nihil plus scire, quam vulgus nouerit: nam quod ex ira, lassitudine, crapula, & aliis occasionibus prædictis nascuntur febres, vulgus quidem nouit: at quo modo, & an vna, vel diuersa ratione ea omnia id faciant, non conantur explicare, nec possunt, nimirum quod philosophum requirat hæc explicatio, ac tantum habet vtilitatem in medicina huius rei enarratio, vt ea contempta inutilis reddatur efficientium causarum explicatio, non enim iræ, aut vulneranti rei, quæ febre iam parta, abierunt, sed ei, quod ab illis in corpore est factum, medemur: quæ quidem modos hoc loco appellamus, cum tamen internæ quædam causæ sint, & propinquæ; quarum beneficio reliqua febrem committendi vim habent. Ac secundum diuersos hos modos, diuersa remedia excogitare oportet, in eodem generibus rerum, & in diuersis generibus, vbi idem est modus, vna instituitur medendi ratio: nam, etsi otium, & labor ab iis petuntur, quæ à nobis geruntur; quoniam tamen diuerso modo febres ab illis nascuntur, differre necesse est prçsidia; quibus ad febres propulsandas vtimur: otium, externum frigus, cibi copia à diuersis generibus rerum sumuntur; quibus tamen calefacientia pariter prosunt; quia vnus modus est, quo ab illis febris nascitur. itaque de his agendum hoc loco, qua in re Galen. omnes modos, quibus febres accenduntur, quinque esse concedit, motum, putrefactionem, conuersationem siue viciniam rei calidæ, permistionem calidæ substantiæ, & suppressionem calidi excrementi.

Quot modis febres accenduntur.

Verum his modis non continentur omnes causæ prædictæ: nam quod inedia febres gignat, idem autor est passim, testante quoque experientia. At id nec per constipationem, nec viciniatem, nec suppressionem, nec mistionem calidæ substantiæ fieri apparet. Separat præterea *in lib. de differentiis febrium* motum ab ebullitione, per quam ira febris causa censetur esse. Videtur quoq; vigilia vno modo aliquando febres parere, qui inter illos quinque contineri non videtur. Quapropter, si motum ab ebullitione distinguamus, & hanc ab illo, quo pacto ille febrem ab ira dicit procreari ob motum, & feruorem simul, à tristitia vero ob solum motum?

Duos addam modos, siccitatem, & ebullitionem: ac per siccitatem, inedia, cibi potusque parsimonia febres dicetur efficere, nimirum, quod humoris defectu calor acrior primum, & febrilis reddatur, vt qui non nisi cum mediocri humore mediocrem temperiem seruare sit aptus. Ex ebullitione vero, ira ipsa, & forte etiam gaudium, vno modo aliquando febres excitare comperientur.

Ad hos igitur modos si omnes causas prædictas reuocare velimus, inueniem' profecto, qua ratione illæ febres faciant. Nam, vt ab his exordiamur, quæ in corpus assumuntur, inopia alimenti (vt diximus) ratione siccitatis febris est causa; nimia vero copia ob suppressionem calidi excrementi; à superfluo enim alimento replentur vasa corporis nimio humore, aut etiam viscido, & crasso, vbi plane vinci non potest, & cõcoqui multitudo: Ex obstructione vero prohibetur efflare corpus, & excrementa, quæ continuo exhalant, atque ita ex illorum retentione febris accenditur, vel etiam ex putredine: Ad hunc modum satietas, temulentia, cruditates pituitosæ alimenti rediguntur. Quæ vero assumuntur, & ob qualitates febres excitant, non vno modo omnia id faciunt: nam cibi, & medica-

Quomodo assumpta excitent febrem.

menta actu, aut potentia calida id faciunt vel propter permistionem calidæ substantiæ, quando scilicet nulla alia subest materia, quæ commoueri possit ab assumptorum calore: quæ si fuerit, ob prohibitam transpirationem idem quoque contingere potest: nam calor, liquando humores multos, vel pituitosos, obstructiones parit, ex quibus prohibetur transpiratio in aliquibus partibus: vnde calor accenditur, & febris: qua ratione videmus, aliquos potione moderata vini generosi, aut alterius rei acrioris, quæ suapte natura alioqui nullam huiusmodi haberent vim ob corporis, & humorum subiectorum ad patiendum aptitudinem febribus corripi. Quæ vero actu frigida non sunt, sed duntaxat potentia, pituitam, crassosque humores paulatim aceruando obstructionis prohibitæque transpirationis ratione tandem febris causa fiunt. Quod si actu frigida fuerint in corporibus non æstuantibus, eodem modo febres excitabunt: at si ob immodicum calorem corporis interni meatus pateant, febris quoque fit, ob prohibitam transpirationem; sed ea non nascitur ex generatione humorum, sed ex ipsorum meatuum densitate: Qua ratione videmus, periculosum esse bibere, quæ actu frigida sunt, post cursum aut alium motum, dum adhuc feruet corpus, patentque plus æquo rarefacti à calore meatus: tunc enim prompte sese insinuans frigidæ rei vis illos constringit, occluditque. Jam vero, quæ assumantur humidiora plus iusto, eo, quod repleant superfluo humore corporis meatus, illosque obstruant, tandem febres excitant prohibita efflatione, sicca vero si quam habent vim ad febres committendas, id faciunt quod illorum vsu corpus exsiccetur, atque ita ob siccitatem calor intendatur. Porro quæ crassa, aut viscida assumuntur, infarctis cauitatibus vasorum, impediunt pariter efflationem, & febris sunt causæ: Quæ vero tenuium sunt partium aut nil possunt in hac re, aut solum in corporib. plenis, & pituitosis, in quibus humores commoueri illorum vsu possunt, qui vel obstruendo, aut incidentes in aliquam partem, & illic prohibita transpiratione putrescentes, ratione putredinis, febris sunt auctores.

At quæ vel toto genere sunt inimica, vel maligna, aut substantiam habent aptam, vel qualitatem ad corruptionem, siue id illis accidat, vel ob propriam naturam, vel quod male sint reposita, aut perperam confecta, vel condita, aut peruerso ordine, vel modo, vel intempestiuo tempore assumpta, hęc putrescunt, corrumpunturq; in nobis, ac ob putredinem febres committunt: nec possunt deesse exempla medicinæ peritioribus, qui philosophari cupiunt.

Quomodo quæ retinentur & excernuntur. Iam vero inter ea, quæ retinentur, & excernuntur, pro illorum natura, copia, & qualitatib. febres pariunt vno vel alio modo. Etenim excrementa calida, vt bilis, quæ quotidie excerni consueuit, si forte retineatur, proportione cum aliis humoribus vitiata, mixtione aucto calore, febres gignit: Pituita vero alio modo, quod scilicet sua visciditate & crassitie cauitates occupet, prohibeatque excitatis obstructionibus, calorem effluere. Eodem modo humor melancholicus, & serosus quoque, ille crassitie, hic multitudine, possunt febres excitare: sicut etiam multitudo alterius humoris: Verum illa non solum ob impeditam transpirationem, sed etiam ob putredinem, quando scilicet vinci gubernarique nequit à natura, febris est causa. Vapores vero retenti, qui exhalare consueuerant, siquidem benigni, & halituosi fuerint, Galeni opinione febrem nequeunt parere; quod si acres, & mordaces extiterint, ob permixtionem cum reliqua substantia aptissime id facient.

Cæterum, quæ exeunt à nostro corpore, siquidem calidiora fuerint, vt in his accidit, qui ex sanguinis aut alui profluuio diuturno tandem in febres cadunt, id accidit, quoniam, excretis calidis humoribus, frigidiores necesse est in corpore exuperare, qui obstructiones pariant, vel putrescant, debilitato natiuo calore, qui nequit eos amplius concoquere, & regere. Quod si frigidiora reneciantur excrementa, accidit calidam exuperare in corpore materiam, cuius mixtione cum alia calor intenditur, & febres nascitur. His ergo rationibus ab his, quæ excernuntur, aut retinentur in corpore, febres fiunt.

Porro quomodo febres nascantur ab his quæ extrinsecus nocent, nunc perpendere oportet; quoniam multiplex est illorum genus, nec eodem modo febris sunt causæ. Quæ enim calida sunt, notque vel ambiunt, vel nobis applicantur, aut alio modo afficiunt, febres pariunt vicinitate, quod scilicet ob illorum contactum ad vniuersas partes, & corpus ipsum calor perueniat, vel quod in corporibus plenis liquefaciant humores & obstructionum prohibitæque transpirationis sint authores. Frigida vero sicut & adstringentia, vt aluminosa balnea, vel densando externam superficiem, prohibendoque id, quod effluit, vel exprimendo in plenis corporibus humores, & obstruendo, eodem modo febres excitant. At humida, vt aer humidus, & nebulosus obstruendo eosdem meatus idem facit. Sicca vero, vt aer siccissimus, & frictiones duræ, & asperæ, videntur etiam consumpto humore, qui circa cutim versatur, contractionis, densitatisque esse causa. *Quomodo extrinsecus nocentia.*

His ergo modis, quæ ambiunt, vel admouentur, vel applicãtur corporib. pro diuersa illorũ qualitate, vt diximus ante, febrium sunt causæ.

Cæterum, quæ impetu extrinsecus nocent, febrem committendi vim habent; verum non eodem modo omnia. Etenim ferarum morsus videntur id facere, quod feruorem quendam cum saliua, vel alia substantia venenosa in corpus immittant. Quæ vero vulnerant, vel ictis, apertisque vasis collectionis humoris sunt causa, qui cum nequeat ob copiam exhalare, & satis refrigerari, putrescit, ac ex putredine febris oritur: Quod si ex vulnere, aut re alia cõtundente, vel rumpente, non affectis vasis, insigni aliquo malo, febris nascatur, id fit, quod excitato dolore, fluxiones aduocentur, quæ obstructiones pariunt, atque ita putrescunt tandem, aut ante putredinem, prohibita transpiratione, præter modum incalescunt, atque ita ob vicinitatem & coniunctionem cum parte affecta reliquæ partes, & tandem corpus ipsum præter naturam calorem concipiunt. An vero, quæ appenduntur, vim huiusmodi habere possint, vt febres gignãt, reliquis discutiendũ relinquo: nã quod quidam *Quomodo impetu extrinsecus nocentia.* *An quæ appenduntur possint excitare febrem, & quomodo.*

dam per inspirationē putridi, calidiq; vaporis ex A
re appensa eleuati, id facere sint apta mixtionis ratione omnibus compertum esse puto. Verum, an quædam occulta quadam natura vim habeant gignendi febres, sicut quædam inueniuntur, quæ fœtus perimunt, aut partus iuuant coxis alligata, vel alios morbos pariunt, aut tollunt appensa certis partibus corporis, vt vulgus credit, & authoribus Dioscoride, & Galeno, nos recepimus, compertum non habeo: quare nec modum docere possum, quo illa febres parere valeant.

Quomodo motus animi.

Superest quartum genus, quod ea continet, quæ geruntur, quæ quidem non vno modo calorem, febremque pariunt: nam, vt ab Animi B
motibus exordiamur, in tristitia cor videtur cōtrahi; in gaudio expandi; in ira concuti, & vibrari cum quadam ebullitione, & feruore: idem fieri videtur motus, in timore qui in tristitia; sed repentina & maior contractio in illo, in hac vero paulatim contrahitur cor, consumiturque illius robur.

Ac quod in gaudio fiat cordis quædam expansio, id indicio est, quod in nimio risu sentiamus cor veluti exilire à corpore, remediumque est huius immoderati motus manus admotio circa regionem cordis, vt quæ scilicet repellat impediatque immoderatas fieri huiusmodi dilatationes. In tristitia vero, & timore percipitur manifesto talis contractio, & ob contractio- C
nem ad exiguam molem cor redactum sentitur. Omnes igitur hæ cordis motiones, violentæque operationes cor immoderate exercent: ex motu autem calor, vt in aliis rebus docet experientia, excitatur.

Habent tamen prædictæ causæ peculiarem etiam quędam alium modum: nam tristitia corpus exsiccat, vel diuturna caloris depascentis actione, vel quod alimentum non assumat, cuius defectu exsiccatur. Contingit quoque ob animi continuas curas calorem natiuum non recte concoquere, vt qui ab instrumentis coctionis distrahatur: ex coctione vero male peracta, cruditates, & ex illis obstructiones, & prohibita transpiratio, & demum putredo, & febris na- D
scuntur. In timore vero cum subita fiat caloris contractio ad suos fontes, accidit pariter fluxiones excitari, vel quod motu caloris creantur humores, vel quod pituitosi, frigidiq; in cerebro, & aliis partibus relinquantur humores, qui vt apoplexiam nonnunquam pariunt, quando s. magna est in capite plenitudo; sic in aliis visceribus obstructiones, & febres excitare possunt in corporibus excrementosis. Idem gaudium, & ira immoderato motu, calorisque violenta accensione, fluxiones, & ex illis tumores, & nonnunquam obstructiones, & febres excitare sunt apta. Vt autem cordis motus, siue irascibilis facultatis immoderatæ actiones his modis febriū sunt causæ: sic animalis virtutis, vt imaginatio- E
nis, cogitationis, recordationisq; excessus idem efficiunt: nam dum animus attentius diutiusque in his versatur, distrahit ab vniuerso corpore natiuum calidum, digeriturque; atque ita, exsiccato corpore, calor febrilis accenditur, vel si difficile corpus exsiccatur, gignuntur cruditates in visceribus ex alimento male elaborato, vnde obstructiones, putredines, & febres sequuntur. Iisdem plane modis ex vigilia febris prouenit, exsiccato corpore, aut suppresso effluuio calido ex obstructione, aut cruditate.

Quomodo motus corporis.

Vt autem animi motiones, sic corporis exercitia nunc vno modo, nunc alio, pro illorum intensione, & remissione, & diuersa corporis, quod patitur, conditione, febres pariunt: nam mediocris motus febrem non parit, nisi in corporibus excrementosis, in quibus obstructiones ex liquatione humorū facile procreari possunt; immoderatus vero in omnibus calorem intendere suapte natura aptus est, qui in gracilioribus, biliosisque corporibus non solum motus ratione, sed etiam eo, quod siccitatem induxerit, cum qua calor intenditur, febres conciliat, trāsmisso scilicet calore à partibus, quæ primo exercentur, per arterias, & venas, & adhærentes alias partes ad cor ipsum; à quo rursus per easdem, & vniuersalia vasa in totum corpus subito transmittitur: his ergo modis, quæ à nobis geruntur febrium sunt causæ. Otium vero superfluum, tanquam id, quod priuatione opponitur illis, quæ fiunt à nobis, & propterea eodem rerum genere continetur, febres gignit: quod s. languescat per otium calor, qui nec probe concoquit alimentum, nec excrementa expurgat, nec meatus aperit, per quos educuntur, quæ obesse solent; ex quibus obstructiones, putredines, & febres tandem oriuntur. Eodem plane modo, si quam habet somnus ad febres excitandas vim, hoc facit: nam per somnum superfluo humore grauantur interna viscera, nec satis digeritur corpus; ex quibus tandem obstructiones quoque oriuntur. Hæc si vera sunt, & putamus esse, ita dictitante ratione, & experientia, reprehendendus venit Galenus *lib.* 1. *de Differentiis febrium*, non quod solum omiserit necessarium quendam modum ex siccitate: sed quod putauerit vnico modo commemoratas causas febres procreare; veluti cum scribit, iram ob solum feruorem, tristitiam ob solum motum, densitatem cutis ob solam retentionem mordacis excrementi, aerem calidum, ob solam inspirationem, vel vicinitatem, & contactum febrium esse causas; quandoquidem, vt diximus, ab eadem causa, quæ plus, vel minus intenditur, in diuersis corporibus, diuersis modis febrem faciat. Quare, si medicina promittit vniuersis suam opem, res distinguenda erat, & tradenda, quæ generatim euariant; alioqui necesse est maximos errores, tum in prædictione, tum in curatione à Medicis fieri.

Quomodo otium.

Quomodo somnum.

Pone enim aliquem ex apricatione vel solis feruore incidisse in febrem, cumq; esse crassum, & pituitosum; an dices hunc ob solam vicinitatem, & immissionem caloris externi febricitare, an potius ex putredine, aut prohibita transpiratione nata ex liquatione humorum? sic sane. Quapropter modi omnes docendi, tenendique sunt, quibus singulæ causæ febres in singulis corporibus excitare sunt natæ, ne ex vna, quæ ex causæ ratione sumitur, simplici, & absoluta consideratione, contemptis aliis, quæ in eadem sunt, considerationibus, & effectibus, qui ob diuersitatem corporis patientis nascuntur, inutilem multis medicinam nostram reddamus. Sunt porro prædicti modi tenendi à Medico, non ta-

men ignorandi etiam quidam alii; est enim operæpretium, nouisse, quædam esse, quæ per se, quædam quæ per accidens; alia maiore vi, alia minore hoc vel illud efficere posse: aliæ vt vniuersales, aliæ vt particulares causæ, aliæ vt procatarcticæ, aliæ vt antecedentes, aliæ vt immediatæ, & coniunctæ, aliæ vt priores, aliæ vt posteriores; vel alio denique modo suam exerant facultatem: ex his enim generationis, prædictionis, curationisque febrium ratio partim petitur.

Quæ requiruntur, vt prædicta causa febrium sint.

Non satis quidem est intellexisse, febres nasci posse ab iis, quę in corpus assumuntur, vel extrinsecus illi adhibentur, vel ab eo geruntur, vel exeunt; vel in eo retinentur, nec quod omnes causæ certis quibusdam modis, & rationibus calorem & febrem in corpore pariant; sed ne vereamur omnia, quæ assumuntur, vel admouētur, vel retinentur, & excernuntur, aut geruntur, tanquam omnia vim habeant procreandi hoc genus morbi, aut plus æquo soliciti, & meticulosi simus in his euitandis, quæ obesse nequeunt, ratio explicanda est, qua intelligamus, quando ab illis causis febres sint expectandæ, de qua re Galenus *libro primo de differentiis febrium* agit, vbi docet, causas non posse febres suas procreare nisi corpora, quæ pati debent, sint præparata ad hoc malum suscipiendum; est enim, inquit, hæc ratio, cur non omnes in aere pestilenti corripiantur peste, quoniam, scilicet, non eodem modo sunt affecta corpora. Verum non docet auctor ille, quid per corporis præparationem intelligat, & quænam putet esse præparata magis, quam alia: nam exemplum, quod ponit, scriptum est duntaxat de præparatis ad febres pestilentes, non ad alias omnes; præterea cum *libro de causis morborum* requirat alia præter corporis præparationem ad morborum generationem, nempe tempus, magnitudinem, approximationem & vicinitatem causæ agentis; idem profecto in febrium generatione prætereundum ab eo non est. Postremo quæ de corporum præparatione dicuntur, tanquam causæ seorsim consideranda sunt, non minus sane efficientes ipsæ causæ, etenim magna est in subiectis corporibus differentia, & ea quidem necessaria ad febrium generationem non minus sane, quam ea differentia, quæ in rebus reperitur, à quibus febres oriuntur. Siquidem vt sol non habet parem vim in aliquibus, quam habet crapula, ad febres gignendas; ita dura corpora promptius à quibusdam causis pręcipitātur in febres, quam mollia, quam tenuia, rara quam astricta; adeo vt diligentiorem postulet hæc res tractationem, si quis recte docere velit.

Ponit præterea quandam in materia febris differentiam, quædam rerum genera, in quibus febris accenditur, nempe humorem, spiritum, & partes solidas cordis; quæ cum multis modis afficiantur, causæque sint, vt nunc vna, nunc alia febris ab eadem causa nascatur, ratio pariter exigit, vt de materia febris instituatur tractatio. Itaque nunc, quid postulent res prædictæ, vt possint febres excitare, explicare aggrediar, deinceps vero reliqua. Qua quidem in re paulo ante diximus à Galeno, requiri, vt causæ efficientes morborum, & febrium dici possint, *tempus, magnitudo, vicinitatem rei agentis*: nam æstus eos, quos non

Quid requiratur, vt causa morborum & febrium dici efficientes possitus.

A attingit, & cum quibus minimo temporis spatio conuersatur, nec quilibet calor, qui à sole demittitur, sed qui certum habet excessum, iustamque magnitudinem, febres possunt hominibus inferre. Verum is non comprehendit omnia, quæ in rebus requiruntur, vt causæ effectrices alicuius operis dici possint: nam quæ substantiam habent amicam nostro corpori, ea non obsunt, sed quæ inimicam illam sunt sortita; quare *ob substantiam causæ* nūc effectrices sunt morborum, alias vero minime. Exigitur præterea *qualitas idonea*: non enim, si ea, quæ calida sunt actu vel facultate, possunt febrem excitare, idem facient potestate frigida, & sicca; aut certe minore vi id præstabunt. *Certa* quoque requiritur B *quantitas*: siquidem etsi sol potest febrem inferre, non tamen omnis, sed qui certum habet excessum. Postulant & causæ *agendi modum*: quippe cum ingesto cibo, exercitatio lenta, & tarda nequeant febrem facere, quod faciet illa, quæ confertim obitur.

Mora, vt ostendimus, *iustumque tempus* necessarium est, quemadmodum & *ipsa occasio, siue tempus aptum*: nam exercitatio ante cibum inita prodest; repleto vero corpore, febrium non raro est causa. Sunt & quædam, quæ *solo ordine* febres excitent, vt lac, & alia, quæ facile corrumpuntur, si secunda mensa ingerantur. *Itaque hæ causæ, quæ febres pariunt, id faciunt ob substantiam, temperiem, qualitates, ob quantitatem, vel* C *modum, vel vicinitatem, moram, tempus, ineptum ordinem, quem in agendo seruant.*

His quidem ita explicatis de causis febrium, ex quibus in tractatione eliciemus, quæ propria sunt causis singularum febrium; iam videamus, quid hic scribat Galenus de causis febris diariæ; enumerat quidem particulares quasdam causas, sed non omnes: addit enim *in decimo Meth.* dolorem, constipationem externę cutis, obstructionem internorum meatuū, si modo ea leuis fuerit, id quod etiam *octauo & nono libro eiusdem operis* testatur: tamen *in lib. de differ. febrium, capite tertio*, scribit ex densitate externorum meatuum diariam committi; ex obstructione vero D putridam, addit cruditatem *in libro octauo Methodi*, & *alibi* alias nonnullas causas sparsim, vt solet. Verum probari non potest huiusmodi tractatio: primo quod à nullo certo capite exordiatur, è quo intelligere possumus, nec plures, nec pauciores causas esse posse: secundo quod ex omnibus illis locis non colligantur omnes particulares causæ: nam sicut tristitia, sic profecto & lætitia; & quemadmodum nimia satietas & inedia, sic cibi, & medicamenta calidiora, quæ intus sumuntur, aut extrinsecus admouentur, calefacientia, & retentio excrementi biliosi, aut vaporis, febres diarias committere posse docet experientia, & ratio admittit. Postremo damnanda est hæc tractatio, quod non E constet, cur prædictæ causæ solæ diarias excitare dicantur, & non aliæ, veluti grauiores obstructiones; nam quoniam ex rei natura non exorditur causarum inuestigationem, ideo hæc nascuntur absurda: oportet enim cum causas alicuius rei quęrimus, ante oculos ponere effectus illius, essentiam, & naturam: & ita excutere

cutere singulos fontes: quo facto intelligetur, quid possit, aut nequeat unus esse causa. Itaque si diaria febris fit ex spiritu duntaxat excalefacto, leuiores omnes oportet esse causas, quæ diarias pariant, quæ enim vel calefaciendi, aut putrefaciendi humores, aut accendendi hecticum calorem in partibus solidis vim sunt sortita, maiore quadam facultate sunt donata, quam vt illorum impetus vnius diei spacio compesci possit, qua ratione si singulos fontes causarum febrium excutiemus, facile inueniemus, quæ poni debeant huiusmodi febrium causæ, quæve reiiciendæ, & si quæ omissæ sunt, facile addi poterunt, et si quæ forte temere sunt enumeratæ, falsæ deprehenduntur.

Omnia, quæ geruntur, esse magis diariarum, quam aliarum febrium causas.

Ergo inter ea, quæ geruntur, omnia, quæ in eo genere ponuntur, propriè diariarum febrium causæ magis, quam aliarum suapte natura esse cognoscuntur. Sunt autem in eo genere, vt antea ostendimus, omnes animi, corporisque motiones, vt ira, tristitia, curæ, gaudium, cogitatio, vigilia, labor, lassitudo, cursus, palæstra, concertatio, violenta equitatio, & si quæ aliæ sunt huiusmodi motiones, quæ vel vniuersum corpus vel partes aliquas primo, deinde corpus aut ipsum cor statim accendunt, vel suapte natura ex solo motu calorem excitando vel destillationes, & cruditates, quæ leues obstructiones excitent, mouendo, vel corpus exsiccando; quædam enim ex prædictis vno modo, alia vero aliis calorem & febrem concitant, pro diuersitate corporum, quæ non idem ab eisdem patiuntur: etenim ita non pari facilitate calorem mouet in humidis, & frigidis corporibus, & quibus vitale robur firmum est, motu suo, vt in calidis, & siccis, & infirma facultate: at ob destillationem forte promptius in illis, quam in his febrem gignit.

Quæ inter assumpta harum vel illarum febrium sint causa.

Cæterum quæ assumuntur actu, vel potentia calida vel frigida actu calorem intendunt, illa mixtione; frigida vero actu suppressione febrem efficiunt: & hæc suapte natura solas diarias faciũt; sicut multas, & tenuis substantiæ, vt crapula, & ebrietas: at multa & crassa, & viscida suapte natura putridas pariũt; diarias vero non, nisi quando leuis est in illis excessus. Qua in re probanda est magis Galeni sententia, quæ habetur *nono Methodi*, quod scilicet ex obstructione possit fieri diaria, quam quæ habetur *primo de differentiis febrium*, vbi habetur, ex obstructione nõ diariam, sed putridam nasci. Pariunt etiam hæc, quæ assumuntur, nonnunquam febrem, eo, quod liquent humores, à quibus excitantur obstructiones.

Quod vero ea, quæ retinentur, excrementa possint has febres parere, docent exhibita alia excrementa præter consuetudinem, vel ob vrgentia negotia, vel ob alias causas, quæ sæpe visa sunt in certis naturis, & corporibus febrium esse authores, igitur calida excrementa retenta, mixtione; frigida vero, obstructione calorem mouent.

Jam vero inter illa, quæ extrinsecus adhibentur, aguntque vel impetunt, vel ambiunt, vel admouentur, vel partibus corporis iniiciuntur, vel appenduntur, non desunt causæ febrium diariarum, vt docent vulnera, & alia, quæ dolorem mouent. potentem spiritus quidem accendere, alias vero substantias minime, vt aer frigidus, & calidus, & lotiones, balnea, vnctiones, & reliqua refrigerantia, astringentia, calefacientia, & alia denique, vel quæ suppressione calidæ substantiæ, vel siccitate, vel viscositate, aut alio denique modo antedicto, leuem calorem accendere sunt apta.

Ex quibus constat, cum quærimus causas febris diariæ, nisi statim ab ipso ægrotante afferantur, excutienda esse illa rerum genera, à quibus diximus, non solum febres; sed etiam vniuersorum morborum causas peti. Jnuenietur enim in illis, quid nequeat calorem accendere, aut possit, & cum quidem leuem, aut maiorem, & qua substantia, & in quibus corporibus: quo facto, inuenietur, qua fuerit causa febris, de qua agitur, & interim quiescet animus omnium rerum cõsideratione, quæ in hac re vim aliquam habent; quod nequit fieri ex sparsa & tumultuaria aliorum auctorum enumeratione.

Quomodo diaria fiat ex lassitudine motiua.

Jgitur non mirum, si ex lassitudine motiua (de hac enim intelligendum est) Diariæ febres nascuntur: præcedit enim motus lassitudinem, qui aptus natusque est calorem accendere primum in partibus destinatis ad motum, vt sunt musculi, nerui, ligamenta, articuli: qui calor si fuerit iam immodicus, & præter naturam, non sedatur quiete, sed cordi communicatus febrem accendit. Mot⁹ ergo, & exercitatio corporis suapte natura ita potest parere febrem, nonnunquam vero interueniente post motum lassitudine vlcerosa, vel inflammatoria, in quibus humores colliguntur calidi, qui calorem suum postea cordi communicant: nam tensiua lassitudo, quæ siccitatem sequitur contractam ex nimio motu, & calore, vix potest febrem parere, nec forte humores, qui proprie pariunt lassitudinẽ sine putredine febrẽ aliquam excitant, quod & experientia docet, & Galenus testari videtur *in libro de Causis morborum*, vbi scribit ad hunc modum: *Cum quis iam immoderata exercitatione vsus fuerit, lassitudinem sustinet corpus, hoc est, caliditatẽ immodicã in musculis, & articulis, quæ si non vltra progrediatur, sola fit lassitudo; si vero in totũ extenditur corpus, tũc febris dicitur.* Ex quib. verbis patet nullã lassitudinem proprie dictam febrem excitare, sed calorem solum ex motu contractum: quod etiam notat *in 1. de differ. febr. cap. 3.*

Nullam lassitudinem proprie dictam parere febrem.

Temulentia quomodo pariat febrem.

Porro temulentia diarias parit, inquit Galenus *hoc in loco*, sed modum non docet; *in libro vero primo de differentiis febrium*, non aliam videtur agnoscere causam, quam obstructionem, quam cruditas, & repletio alimenti parit: quod si ita est, non diaria, sed putrida fiet. Dicendum tamen est, ebrietatem, præsertim quæ fit à vino meraciore, diariam posse parere, ratione mixtionis substantiæ calidæ, qui est vnus modus accensionis caloris. Idem efficient, & cibi calidiores, præsertim in calidioribus corporibus: in pituitosis vero huiusmodi cibi, & ebrietas remedium aliquando afferunt adactus cruditatem discussis, & calefactis frigidis humoribus; aliquando vero ex colliquatione eorum fiunt fluxiones, quæ pro diuersitate partium diuersos morbos, & febres ipsas generant.

Quomodo ex calidis cibis.

Quomodo ira.

Ira vero ad ebullitionem, siue feruorem excitat calorem in corde; mouetur enim in ira facultas irascibilis in corde sita, & ex vehementi cordis motu calor accenditur, & ex eo feruor, & ebullitio in sanguine, & spiritibus. Mœror fuerit

Mœror.

stitia febre quoq; parere potest, non quod spiritus reuocati ad suam originem sese accendant, vt Acakias tradit: quæ enim est causa suæ accensionis ex seipsis? necesse enim est aliunde eam venire, propterea rectius Galenus *in libro primo de differentiis febrium* scribit, cor in tristitia moueri, & violentius contrahi: ex quo motu sine ebullitione febris succenditur. Excandescentia vero, & furor cum passiones sint excedêtes quædam febrem generant: ita eodem modo, per ebullitionem febris causa est.

Excandescentia.

Cæterum animi curæ, & cogitationes febres quoq; possunt commouere, non quod spiritus in cerebrum delati accendantur, & postea cordi calorem suggerant, vt idem Acakias arbitratur. Quis enim vnquam vidit hanc febris generandæ rationem ex solis spiritibus delatis à cerebro ad cor? & quid eos accendere potest in cerebro? si fieret inflammatio, vt in phrenitide, esset manifesta hæc generatio: sed hæc sola cogitatione fieri non potest. Pariunt igitur, meo quidem iudicio, animi curæ, & cogitationes febrem diariam ratione siccitatis, quæ contingit ex resolutione spirituum, & sanguinis: ex siccitate autem, vt nos docuimus non mirum est, calorem accendi posse: in aliquibus vero ratione cruditatis cogitationes febres pariunt; sed eas vt plurimum putridas, excitato calore ex putredine, & obstructione.

Cogitationes & curæ.

Καὶ οἱ ἐπὶ βουβῶσι ἢ πυρετοὶ τούτου τοῦ γένους εἰσί, πλὴν εἰ μὴ χωρὶς ἕλκους φανεροῦ γίνονται. Τηνικαῦτα ἢ ὕποπτοί τι εἰσὶ καὶ οὐδαμῶς ἐπιεικεῖς.

In hoc genere continentur, & quæ à bubone originem ducunt, exceptis his, quæ sine manifesto fiunt vlcere; hæ enim suspicione non vacant, minimeque mites sunt.

Tangit aliam causam febris diariæ, scilicet bubones; sunt autem bubones inflammationes glandularum, quas natura ad diuisiones magnas venarum, & arteriarum firmandas excogitauit, vt apparet in inguine, axillis, & collo. Fiunt autem huiusmodi bubones ex fluxionibus sanguinis contenti in venis: & fluxiones ipsæ mouentur vel à causis manifestis, vt vlcere, vulnere, calore, frigore partis communctæ cum ipsis glandulis: vnde ex dolore pedis intumescit inguen. Aliquando vero fluxiones fiunt ab internis causis, nempe ab excretione naturæ, quæ mouetur ad plenitudinem, vel malignitatem humorum excernendam: qui vt aliquando ad aurem, vel pedes, aut caput, vel aliam partem; sic nonnunquam in ipsas glandulas teguntur humores: ac bubones, qui fiunt à causis occultis, & internis, diarias non pariunt febres, quoniam causæ illorum maiores sunt, quam vt breui temporis spatio finiri possint: propterea rectè inquit, febres illas suspicione non vacare, quod scilicet non sint diariæ, & mites: inter illas vero, quæ fiunt à causis euidentibus, excipio etiam illas, quæ nascuntur ex vlceribus pudendi natis ex contagione venerea; vt enim maligna est causa, sic bubones, & febres malignæ, aut certe non diariæ nascuntur. Quomodo vero à bubone nunc excitetur diaria, nunc vero putrida, paulo diligentius examinandum est. Scribit enim Galenus *in libro primo de Differentiis febrium capite tertio*, partes quæ inflammationem patiuntur, ratione putredinis febres accendere, putrescere enim humores, cum non bene difflantur. & *in capite quinto eiusdem operis* docet, diuersam esse rationem generationis harum febrium ex putredine bubonis; *nam in bubone, quæ diariam facit*, inquit, *putredo, & putridus fumus manet in loco inguinis circumscripta, nec ad cor peruenit, sed solus calor per continuationem partium in corde calorem auget: quando vero febres putridæ nascuntur ex bubonibus, non solum calor, sed etiam fumus putridus ex putrescentibus humoribus ad cordis ventriculos tendit.* Verum pace tanti viri dixerim, hæc differentia, & ratio non est naturę rei consona; nam si putredo esset in omni bubone, qui febrem excitat, cur in vno maneret circumscripta ea putredo, in alio vero accederet ad cor? cum enim eadem sit distantia, eadem vasa, eædemque partes, nihil impedire potest, quominus idem fiat in corde: quid enim, quæso, coercere potest eam putredinem, & putridos vapores in loco putrescente, vel illis viam præpedire, per quam prompte ad cor properare possit? Ego aliter quidem sentio: ideo enim à quibusdam bubonibus diarias fieri febres, & non putridas, quia in illis nulla sit putredo; & ideo illa cordi non communicatur: quod experientia docet; nam matres bubones filiorum natos in inguine ex pedis dolore sanare solent stupis imbutis vrina: quod non fieret, si suppuratio adesset; esset enim incisione opus, nec tam prompte sequeretur sanatio: Alii vero bubones cum habeant maiores causas, & deteriores, vix vnquam per resolutionem sanantur, sed sequitur putredo, & suppuratio, ex qua putridus vapor febrilisque putrida gignuntur.

Bubones quid.

Vnde fiant.

Sententia, autoris.

Καὶ ἀγρυπνία ἢ πολλάκις ἤνεγκεν ἁπλοῦν πυρετόν, ὥσπερ καὶ ψύξις ἔστι καὶ ἔγκαυσις.

Sed & vigilia simplicem febrem sæpe attulit, quemadmodum & algor, nonnunquam & ardor.

Alias ponit causas febris diariæ, sed non ita facile est docere, quomodo vigilia diariam committat: forte difficile est ostendere aliquos his febribus fuisse correptos ab hac causa; nam qui diu vigilant, insomnesque multas noctes ducunt, resoluuntur quidem & natiuum calorem, & robur amittunt; sed in febres non solent incidere; aut certe non in diarias, sed ob cruditatem & obstructionem in putridas, quod si aliqui forte diariis corripiuntur, causa non est, vt Acakias putat, quod spiritus à sensibus eliciantur, & postea accendantur: nam eliciuntur quidem, cum sint instrumenta, quæ agentibus partibus parere debent; sed accensionis quæ iam potest esse ratio? mihi videtur id contingere ratione siccitatis.

Cur & quomodo vigilia inducat diariam.

Cæterum

Quomodo frigus.

Cæterum frigus potest diariam committere ob densitatem cutis cohibentis efflùxum vaporum fuliginosorum; nam, vt recte scribit Galenus *cap. 3 primi de differentiis febrium*, ex densitate cutis in corporibus abundantibus humidis, & benignis humorib. plethorica fit dispositio absque febre; in aliis vero, qui abundant humoribus mordacibus, febres mouentur, si tamen potentiores fuerint causæ, etiam diariæ & synochæ accendi solent, vt *in nono Methodi* Galenus docet.

Quomodo calor æstiuus.

Jam ardor, id est, calor æstiuus, febres quoque potest generare ex calidæ rei adhæsione siue inmissione calidæ substantiæ, vt Galenus docet *cap. 2. libri primi de differentiis febrium*. Atque hæc quidem de causis diariæ febris sufficiant hoc loco.

Οὗτοι πάντες οἱ πυρετοὶ ῥᾷστοι λυθῆναι δύνανται· χρὴ δ' ἐπί τι λουτρὸν ταχέως ἄγειν αὐτοὺς, καὶ τὴν ἄλλην τὴν συνήθη δίαιταν· ὡς οἵ γε τὴν πολυθρύλλητον διάτριτον ἐπὶ πάντων τῶν τοιούτων ἐκδεχόμενοι, ζημιωτέρους πολλάκις εἰργάσαντο τοὺς πυρετοὺς, καί τοι καὶ ἄλλο προσεξαμαρτάνοντες, ὥσπερ οὖν ὁρῶ τινας πολλοὺς αὐτῶν καθ' ἑκάστης τοσοῦτον ἁμαρτάνοντας, ὡς καὶ χερσὶ σιπαίοντας ἐργάσασθαι νοσήματα.

Omnes hæ febres solui facillime possunt: si quidem ad balnea, aliamque vsitatam viuendi rationem ægrum statim ducere oportet. Itaque qui multorum sermone celebratam illam diatriton, idest, triduariam inediam in omnibus his admittunt, febres reddunt sæpe acriores, tametsi etiam alioqui delinquant; quemadmodum ex ipsis videre est non paucos, qui quoties ægrotos inuisunt, ita aberrant, vt certe manu factas inducant.

POstulabat docendi ratio, vt antequam curationem aggrederetur febrium diariarũ signa earum doceret, quibus cognoscere possemus, eas febres diarias esse; & eas, quæ diariæ sunt, inter se differre, vt propria adhiberi possit singulis curatio: sed nescio, quomodo volens comparare curationem cum dignotione, prius proponit curationem communem omnibus, postea vero propriam singulis prosequetur. Verum probare non possum id, quod nunc scribit, & quod etiam Auicenna docet de generali hac curatione istarum febrium: nam neuter illorum docet, quid præstandum sit, sed vterque ad remedia properat; hic enim omnibus diariis Balneum esse adhibendum suadet; Auicenna vero de idoneo alimento ab initio disputat, quod scilicet cibo egeant omnes, qui facile concoqui possit. docendum enim est primum, quæ sint, & quot, quæ aliquid indicent esse faciendum; deinde quærendum est, quæ materia medica sit accommodata ad id faciendum, quod indicatur.

Non omnib. diaria laborantib. competere balneum.

Deinde in eo etiam, quod præcipiunt, videntur aberrare; neque enim balneum omnibus competit diaria laborantibus, veris, qui ex fluxione à capite, præsertim frigida, aut ex obstructione, vel cruditate vel ebrietate laborant; necessaria enim est illis concoctio, qui in stomacho vitium habent, non balneum, quod crudam materiam rapit in venas, & habitum corporis, & idem remedium fluxiones commouet, non sedat. Quod vero de cibo, & consueta viuendi ratione præcipiunt, pariter habet suas difficultates: nam non crediderim eos velle ita febricitantes alere, præsente ipsa febre, imo vero illa iam ablata, non statim ad omnem victum consuetum redire debent, vt ad vini meracioris potionem, si forte alicui sit consueta, aut ad omnis generis cibos consuetos; tutius enim est, per duos aut tres dies iam liberatos continere in humidiore, frigidiore, parcioreque victu, aut etiam calidiore acrioreque, si ita causæ postulauerint, vt præcedens crapula, & ebrietas, quæ forte adhuc aliquid habent, quod plane non est ablatum, sedata ipsa febre.

Nec omnib. eundem victum.

Quia ergo nec eædem sunt causæ, nec eadem subiecta, ideo non potest vnus, & idem victus omnibus imperari. Præterea, non docent, quid in ipsa febre sit faciendum, an vigilandum, dormiendum, bibendum & denique aliud faciendum, quod remedio esse possit ad febres has propulsandas. Addo, quod quædam auxilia imperant, quæ non sunt ipsius febris, sed potius hominis liberati à febre; cuius generis est, quod scribit Galenus de exercitatione adhibenda his, qui ex densitate laborant. Accedit, quod balnea nostris temporibus paucis accommodari possunt, & omnibus sunt insueta.

Itaque cum tot difficultatibus plena sit curatio, quam maiores nostri instituerunt, videamus, an meliore methodo à nobis tractari possit. Primum ergo vt arbitror, videndum est, an sola ipsa adsit febris, vel cum illa præsens sit causa, quæ illam peperit, vt ira, tristitia; an abierit quidem ipsa causa, maneant tamen adhuc impressiones ab ipsa natæ, vt densitas, quæ post moram in aere frigido, aut balneo astringenti prohibet caloris difflationem; & an symptoma aliquod sit cum febre coniunctum. Spectandum præterea est, in quo subiecto febris consistat, an in eo, in quo ob probitatem sui habitus, nihil vereri debeamus; vel in alio suspectum habere possimus trãsitum in synocham febrem, vel putridam, vel hecticam. Nam si sola adest febris simplex, sufficit refrigeratio per ea quæ extrinsecus adhibẽtur, quæque assumuntur in corpus, vel geruntur à nobis, aut excernuntur à corpore, vel in eo retinentur.

At si causæ, vel impressiones ab illis natæ cum febre coniunguntur, ab illis primum inchoanda est curatio, aut simul illis, & febri reluctandum, maiore, aut minore auxilio, pro diuersitate causarum, & subiectorum quo, casu sanguis etiam mittendus, præsertim si post viginti: quatuor, aut triginta horas nõ sequuntur sudores, nec quiescit febris; tunc enim suspicio est de transitu in alias febres: Aliquando vero purgandum, aliquando tenui victu vtendum, aliquando liberius edendum, & in ipsa etiam febre aliquid assumendum, vt in his, quæ ex inedia, aut exiccantibus aliis causis his febribus sunt correpti, ita quidem de curatione diariarum generatim dicendum esse puto.

A ταραχῇ τῆς ὑγιείας, τῆς πυκνῆς παντὸς προσχήσεσ. Τὰ δὲ τῆς διαγνώσεως ἀκριβείας πλείονος δεῖται, καὶ οὐδεὶς πρὸ γε ἡμῶν ἐγράψατο αὐτὰ εἰς ὅσον ἐχρῆν· ὥστ' οὐδὲν θαυμαστὸν εἰς τοσοῦτον ἁμαρτάνειν τοὺς πολλοὺς ἐν ταῖς ἰάσεσιν, εἰς ὅσον γε ταῖς διαγνώσεσι σφάλλονται.

Harum igitur febrium prompta est curatio, sed diligentiam exigit maiorem dignotio, de qua ante nos nullus, quantum res poscebat, conscripsit: itaque mirum non est, multos tantum curando hallucinari, quantum à cognitione aberrant.

B VNiuersalis tractatio de febribus pollicetur communem quandam explicationem de fontibus signorum, ex quibus ducantur omnia signa ad ea cognoscẽda, quæ sunt præsentia, præterita, & futura in hoc opere necessaria: Quam quidem antea non potuimus commode describere, tum quia occasio nobis nulla data est, tum ꝙ prolixę aliæ tractationes admonuerunt, eã esse differendam, de ea igitur hoc loco agemus breuiter: nam integram huius rei explicationem fecimus *in lib. 1 nostri operis de sign. s.* vbi docuimus, omnes signorum fontes quatuor esse, quorum primus continet signa, quæ sumuntur ab essentia rei, de qua agimus, secundus causas, tertius effectus, quartus similitudines, & propositiones rerum. Sunt porro de rei essentia, forma, genera, C differentiæ, partes & proprietates rei: fons alius cõtinet causas efficientes, materiales, subiectum, instrumentum, causas sine quibus non, & iuuantes & lædentes, & finem, in quibus hic causæ rationem habet: effectus in morbis sunt actiones læsæ, qualitates mutatę, excreta, & retẽta præter naturam: in quarto fonte colligimus signa à similitudine, quam habeat res, de quibus agimus, cum aliis quas iam nouimus: ab his fontibus ducuntur omnia signa necessaria ad aliquid cognoscendum, & ad hanc Methodum particularia omnia indicia sparsim tradita ab auctoribus nostris rediguntur, vt in ipsa tractatione apparebit.

D Πολλάκις γὰρ ἤρξαντό τινες νοσημάτων χαλεπῶν κατὰ τινὰ συντυχίαν, ἤτοι οἰνωθέντες ἢ ἐγκαυθέντες ἢ ψυχθέντες, ἢ κοπωθέντες, ἢ ἀγρυπνήσαντες, ἢ θυμωθέντες, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως αἰτίᾳ τινὶ συσχεθέντες τῶν κατὰ αὐτὸ βλάπτειν πεφυκότων, εἶτα οἰηθέντες τὸ πᾶν διὰ τὸ προηγησάμενον αἴτιον, οὐδ' ἄλλην τινὰ γεγονέναι διάθεσιν, ἐφυλακτικῆς [illegible] διαιτηθέντες, εἶλόν τε ἑαυτοῖς εἰς ἀνίατον ἢ καὶ δεινῶς δυσίατον ἐμβαλόντες νόσημα. Ταῦτ' οὖν χρὴ περὶ παντὸς πεποιῆσθαι, καθότι καὶ Ἱπποκράτης [illegible] γινώσκειν, οὐ τὰ μέλλοντα μόνον ἀλλὰ καὶ τὰ προγεγονότα καὶ τὰ παρόντα. καὶ γὰρ οὖν καὶ τὸ νῦν προκείμενον ἐκείνου [illegible] μέρος τῆς τέχνης E ἐστί. ὃ ἡμεῖς αὐτὸ χαθόσον οἷόν τε σαφῶς γράψομεν. οὐ σμικρὰ γὰρ ἡ διαφορὰ λούειν ἢ μὴ τὸν κάμνοντα καὶ θαρρεῖν καὶ λούειν ἢ διὰ πάσης φυλακῆς τε καὶ ἀσφαλείας ἄγειν.

Nonnulli enim casu quodam in graues sæpe morbos inciderunt, veluti temulenti, vel sole exusti, vel refrigerati, vel labore fatigati, vel vigilias passi, vel furore concitati, aut alia quauis occasione, quæ ex se lædere idonea sit, affecti; deinde omnia ob causam, quæ antecessit, accidere, neque aliam subesse affectionem arbitrati, negligentius victus rationem instituẽtes non intellexerunt, sese in incurabilem, aut ægre quidem sanabilem morbum ruere. Ob id igitur adhibenda omnino diligentia est, quemadmodum Hippoc. admonet, vt non solum futura præsentiamus, sed & præterita & præsentia cognoscamus: etenim quod nunc proponimus, ad eam artis partem attinet, quod & nos, quam dilucide poterimus, explicabimus: neque paruum refert, an ægrotum iam lauare, confidereque, an sibi cauere, ac se tueri iusseris.

CVm dixisset, cognitionem diariarũ esse difficilem, nunc difficultatem ostendit. Cum enim præcipua indicia sumantur à causis procatarcticis generantib. diarias, fit, inquit, vt sæpius ob subiecti corporis cõditionem alterum genus febris ab illis causis excitetur; vnde hæc regula ignaros fallit, qui nesciunt disti[n]guere, quid fiat ratione ipsius causæ, & quid ratione subiecti: cũ enim dicitur, diariam illam esse febrem, quam euidentes causæ pepererunt, id intelligendum est in corporib. bene affectis, & non excrementosis: in his enim illæ causæ non diarias, sed putridas, aut hecticas, pro differẽtia subiectorũ febres generant; in aliis vero, qui bene sunt affecti, fieri solum potest illud genus febris, quod ponere possunt causæ eam generantes. Quare cum euidentes causæ suapte natura sint paruæ, non mirum, si ab illis sumpta signa diariam esse declarant: cætera, quæ continentur in dictione auctoris, per se patent.

Εἰσελθόντας οὖν χρὴ πρὸς τὸν ἀσθενοῦντα πρῶτον μὲν ἀπὸ τῶν μεγίστων σκέπτεσθαι τῶν κατ' αὐτόν. ἔπειτα δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων, μηδ' εἰ ὅτι [illegible] τῶν ἐλαχίστων παραλείποντας. τὸ γὰρ μᾶλλον ἢ ἧττον [illegible] τῶν μεγίστων [illegible] πίστιν, ἐκ τῆς τῶν ἄλλων προσθήκης γίνεται.

Accedentes igitur ad ægrotum in primis, quæ in ipso sunt præcipua, deinde vero alia contemplari oportet, ne minimum quidem, si fieri omnino possit, omittentes: siquidem vt indicationi, quæ à maximis sumitur, magis aut minus credamus, ex aliorum accessione efficitur.

CVm dixerit, nos falli posse in cognitione diariarum, nisi adhibeatur diligentia in omnium consideratione, quæ certam reddere possunt cognitionem, docet nunc à quibus sit incipiendum ab illis, inquam, quę in ægrotis sunt præcipua, deinde ad alia esse accedendum, quæ etsi præcipui non sunt momenti, faciunt tamen, vt iis quæ præcipua sunt, magis credamus aut minus, magis quidem si omnia cum præcipuis signis consentiant, minus vero, si quędã ab illis discrepent.

Μεγι-

Μέγιστα μὲν δὴ τοῖς πυρέσσουσιν ἅπασιν ἔν τε τοῖς σφυγμοῖς ἐστὶ καὶ τοῖς οὔροις γνωρίσματα. προσιθέναι δὲ χρὴ τούτοις, καὶ τἆλλα σύμπαντα τά τε περὶ τὸ πρόσωπον παρ' Ἱπποκράτους εἰρημένα, καὶ τὰ τῶν κατακλίσεών τε καὶ τὰ τῆς ἀναπνοῆς καὶ ὅσα κάτω τε καὶ ἄνω κενοῦται. καὶ μὲν δὴ καὶ εἴ τι σύμπτωμα περὶ ὁτιοῦν μόριον τοῦ σώματος ἢ ἐνέργειαν αὐτοῦ συνιστάμενον βλέποις, οἷα δὴ μυρία ἐπὶ μυρίοις ἐκεῖνος ἔγραψε, μηδὲ τούτων ῥαθύμως μηδὲν παρέρχεσθαι. ταῦτα μὲν δὴ ἐπὶ πάντων κοινὰ τῶν πυρετῶν. ὥστε κἀν τοῖς ἁπλουστάτοις ὑπὲρ ὧν ὁ ἐνεστηκὼς λόγος, οὐδὲν οὐδὲ τούτων χρὴ παραλιπεῖν.

B

Maxima vero signa in febricitantib. omnibus ex pulsibus, & vrinis petuntur, quib. alia omnia, quæ in facie esse docet Hippocrates, & quæ ab accubatione, & respiratione, quæque ab excrementis tum superiorum, tum inferiorum partium sumuntur, atque etiã, si quod apparet accidens in quacunq; corporis parte, aut eius actione, qualia ille multis in locis scripsit, addenda sunt, neque ex his vllum oscitanter prætereundũ est: hæc quidem febrium omnium cõmunia sunt; itaque in his etiam simplicissimis, de quibus præsens est disputatio, nullum harum relinquendum est.

Dixit, in cognitione morborum esse auspicandum ab illis, quæ sunt in ægrotis præcipua; deinde ad alia esse accedendum, quæ minoris dignitatis indicia præbent; nunc vero docet, vnde sumantur præcipua illa signa in febribus, & ait, esse pulsus, & vrinas: habent quidem pulsus, & vrinæ magnam in ea re vim, sed non parem in omnib. declarandis, quæ scire volumus: nam ad salutem, & mortem prædicendam pulsus maiorem habent vim; vrinæ vero ad materiam febris declarandam præualent pulsibus: vehementiam autem febrium pulsus semper ostendunt sua magnitudine, velocitate, & frequentia; vrinæ vero non semper, vt cum tenues, & albæ minguntur in febribus acutis malignitatem potius ostendunt, pulsus frequentes, & crebri & parui, quam vrinæ, quæ sæpe in his febrib. simillimæ primis sanorum minguntur: tempora febrium pulsus non docent, sed cruditates, & concoctiones quæ apparent in vrinis.

Quare, ne singula prosequar, quę nequeunt, nisi longa tractatione doceri, statuendũ est quid significare velimus, an scilicet febrem esse, aut cuius generis sit, vel ad quarum differentiam spectet, qualis sit illius materia, & cæteræ causæ, in quo tempore sit febris: præterea, an lethalis, vel salutaris sit futura, quo tempore, & quo modo finietur: & in singulis inueniet nunc pulsus euidentiores præbere notas ipsis vrinis, aliquando contra fiat, & nonnunquam indicia, quæ sumuntur ab essentia ipsius febris, nempe à caloris diuerso occursu efficaciora erunt illis, quæ ducuntur à pulsibus, & vrinis. Addit alia multa,

A quæ minoris sunt momenti in harum rerum cognitione; sed numerum illorum inuenire non potest, sed quodammodo infinita esse putat, vt qui nũquam omnes fontes signorum docuerit: illis enim cognitis, facile esset particularia omnia enumerare, quod nos paulo antea fecimus. Illud vero vnum, quod hic dicit de pulsibus, & vrinis, sine probatione aliqua docere instituit. Merito quidem pulsus, & vrinæ præbent præcipua indicia in febribus; pulsus quidem; quia febris cordis est passio, à quo arterię nascuntur, & per illas febrilis calor spargitur per vniuersum corpus: non mirum igitur si pulsus ostendunt vitia, quæ fiunt in caloris fonte, & passiones, quæ in eodem accidunt ob diuersitatem ipsius caloris: vrinę vero etiam ostendunt caloris ipsius differentias, per quas ille agitur, materiam febrilem concoquit, vel concoquere non potest: quia ergo, & pulsus, & vrinæ ostendunt affectiones caloris, cuius cor sedes est & fons, merito præcipuas præbent notas in febribus. Sed respiratio eiusdem est dignitatis, & virtutis cum ipsis pulsibus, vt forte etiam maioris; nam respiratio immediate ostendit affectiones cordis, præsertim caloris, qui in ipso est, nec fallere potest hoc indicium; pulsus vero variari possunt absq; cordis passione ob ipsarum arteriarum affectiones. Quare forte ita dicendum erat: *maxima indicia sumuntur in febribus ex respiratione, pulsibus, & vrinis.*

Pulsus & v... præcipua indicia præb. in febribus

Cur vrina.

An & cur respiratio.

C

Ἀλλ' ἐπειδὰν σοι τά τε τῶν σφυγμῶν καὶ τὰ τῶν οὔρων ἐνδείξηται τὸ ἦθος τοῦ πυρετοῦ, τῶν μὲν σφυγμῶν μήτε τι τῆς φλεγμονῆς σημεῖον ἐχόντων, μήθ' ὅλως τὸ κατὰ μίαν προσβολὴν τῆς ἀρτηρίας ἀνώμαλον. εἰ δὲ καὶ ἔχοιεν τὸ μετὰ παντάπασιν ἀμυδρὸν ἐχόντων, τῶν οὔρων δὲ, ἢ πάντη τοῖς κατὰ φύσιν ἐοικότων ἢ μὴ πολὺ τῆς φύσεως ἐξισταμένων.

Perspectis autem tum ex pulsibus, tum vrinis febris moribus, pulsibus quidem nullam inflammationis notam, nullamq; omnino in vno arteriæ percussu inæqualitatem habentibus, aut si habeant prorsus exilem; vrinis vero, vel eas, quæ secũdum naturam habent omnino, imitantibus, vel à naturali statu parum deflectentibus.

D

Cvm dixerit, ex pulsibus & vrinis præcipua sumi indicia in dignotione febrium; docet nunc, quales pulsus, & vrinæ ostendant febres esse diarias. qua in re præcognoscenda est tractatio de pulsibus, & vrinis: neque enim omnia passim sunt docenda; breuiter tamen hic commemoro, tres esse causas, quæ pulsus mutãt, vsus siue necessitas, propter quã pulsus à natura sunt facti; instrumentum, nempe arteria, quę illos edit (est. n. pulsus nihil aliud, quam arteriarum motus) tertia causa est facultas, quæ arterias mouet. Porro facti sunt pulsus à natura, vt calor singularum partium contemperetur; at respiratio facta est ad contemperamentum caloris

E

Tres esse causas quæ pulsum mutant.

Pulsuũ vsus. Respirationis vsus.

ipsius cordis; Quod quidem temperamentum contingit ex purgatione fuliginosi excrementi geniti in ebullitione sanguinis, quæ fit in corde; Quæ quidem excrementa partim per expirationem exeunt à corde, partim vero in arterias recipiuntur, & per systolen, siue compressionem illarum excutiuntur: fit alia ratione hoc temperamentum attractione aeris externi per inspirationem, & dilatationem arteriarum, & quoniam continuò fit ea ebullitio & generatio eorum excrementorum, sic necessaria est continua expurgatio illorum, & immissio aeris frigidioris; & cum necessitas augetur, ob copiosiorem generationem eorum excrementorum, aut alias causas augentes in corde calorem, necesse est, motus respirationis & arteriarum mutari, primum in magnitudinem, postea in velocitatem, & demum in maxima necessitate in frequentiam; atque hæ sunt differentiæ, quæ nascuntur ex mutatione ipsius necessitatis caloris. Cæterum, cum arteriæ corpus rectè est affectum, fiunt pulsus æquales, ordinati; eo vero indurato, vel obstructo, arteria sequi non potest liberos motus: Quare secundum diuersitatem affectionum æqualitas & ordo motionum corrumpitur. Iam vero ob diuersitatem facultatis motricis necesse quoque est, pulsus mutari: nam robur virtutis sequitur magnitudo, vehementia, & velocitas pulsus; paruitas vero & crebritas & languor, imbecillitatis virtutis sunt effectus. Merito igitur pulsus in diariis febribus nullam habebunt inflammationis notam, quæ ex duritie deprehenditur: non enim diariæ, sed putridæ fiunt ex inflammationibus, quæ possunt mutare pulsus: nã bubones eam vim non habent, aut certè exiguam: & ob illas febres videtur dixisse, *aut, si habeant, prorsus exilem.* Inequalitas autem pulsus, quæ est in vna pulsatione, sequitur affectiones arteriç, quç æqualiter non tenditur aut repletur; quæ vero est in diuersis pulsationibus, potius sequitur mutationem necessitatis, quæ momento aliquando immutatur. Sed mirum est, quod nõ doceat, quales debeant pulsus esse, sed quales nõ fiunt: sunt autem *illi magni, & veloces, cum leni frequentia,* nam aucta necessitate, & obediente instrumento, ac virtute existente forti (vt necesse est eam esse in tam leui, & recenti affectu) tales edi pulsus oportet: respondet quoque dilatatio constrictioni arteriarum, cum respondeat excrementorum generatio incremento caloris, contra, quàm in febribus putridis, in quibus generatio fuliginosi vaporis solet magis mouere contractionem arteriarum, quàm faciat incrementum caloris ipsam dilatationem; aliquando tamen contingit hæc paria esse.

Pulsus diariarum.

Vrina cur in diariis sint similes sanis aut parum ab iis desistentes.

Cæterum quod dicit de vrinis, verum esse docet experientia; sed rationem nec ipse, nec alii docent: cur enim aucto calore præternaturam non debent excrementa mutari & præsertim vrinæ, quarum materia continetur in venis, vbi fit agitatio & ebullitio humorum, vt videmus actiones omnes mutari? rationi siquidem consonum est, cum excrementa fiant ab actionibus, vt illis mutatis pariter mutentur vrinæ, & alia excrementa. An dicendum est, vitia, quæ contingunt in diariis febribus ob solam accensionem spirituum, non habere vim vitiandi concoctionem? nam vitiatur concoctio in febribus, cum accedit cruditas in humoribus; hæc vero non fit, nisi ex putredine humorum; quod vitium cum non sit in humoribus, necesse est concoctionem eorũ incolumem seruari: erunt ergo vrinæ similimæ sanis, etsi aliqua est in illis mutatio, erit fortasse in colore, ex mixtione minimæ portionis bilis auctæ, & genitæ à calore febrili, quæ cũ vrinis mixta illas leuiter tinget: sed forte postea diligentius de vrinis, & pulsibus agemus.

Τόδ' ἥκειν χρὴ καὶ ἐπὶ τἄλλα σύμπαντα τὰ πρόσθεν εἰρημένα. κἀπειδὰν ὥσπερ χορὸς συμφώνως ἅπαντα φθέγγηται, θαρρεῖν τε ἤδη B *χρή, καὶ εἰ βούλοιο προσανέρεσθαι, μή τι προηγήσατο φανερὸν αἴτιον. εἰ γάρ τι καὶ τοιοῦτον ὁμολογήσει ὁ νοσῶν ἀναμείνας τὴν πρώτην λύσιν τοῦ πυρετοῦ λούειν αὐτίκα, πιστοτέρας σοι τῆς διαγνώσεως καὶ κατ' αὐτὸ τὸ τῆς λύσεως εἶδος γινομένης, ἡ γὰρ τῶν ἀρτηριῶν κίνησις ἐν τῷδε κατὰ πᾶν ἐξομοιοῦται τῇ τῶν ὑγιαινόντων οὐδενὸς τῶν ἄλλων πυρετῶν εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπανιόντος οὐδ' εἰ πάμπολυς ὁ μεταξὺ χρόνος, τῆς δὲ προτελευτῆς καὶ τῆς δευτέρας ἀρχῆς εἴη. καθάπερ ἐν τριταίοις τε καὶ τεταρταίοις. ἐν ἐκείνοις μὲν ἀεὶ παραμένει τι τοῦ πυρετοῦ σημεῖον. ἐν δὲ* C *τοῖς ἐφημεροις συνεξαλείφεται πᾶν, τοῦ παροξυσμοῦ παυομένου. τοῖς πλείστοις δ' αὐτῶν καὶ νοτίδες ἐστὶ δὲ οἷς καὶ ἱδρῶτες ἐπιφαίνονται χρηστοί. ἢ πάντως γε λεῖον ἀτμὸς τὶς πολὺς ἐκ τοῦ βάθους ἀναφέρεται. ἀλλὰ καὶ τὰ οὖρα πολὺ βελτίονα νῦν, ἢ κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ πυρετοῦ φαίνεταί σοι. καὶ εἰ κεφαλῆς ἤ τινος ἄλλου μέρους ἄλγημα συνεισέβαλεν, οὐκ ἔτι τοῦτ' ἂν ἔτι μένοι. καὶ ἡ τοῦ κάμνοντος εὐφορία μέγιστον τὸ καὶ αὐτὴ σημεῖον ἔσται καθάπερ τὶς σφραγὶς ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἐνδείξεταί σοι τὴν ἐπιείκειαν τοῦ πυρετοῦ.*

Ad alia, quæ ante cõmemorauimus, omnia veniendum est: cumque omnia velut con- D *centu quodam consonant, iam fidendum est, quærendumque, si lubet, ab ægroto, num quæ causa euidens præcesserit. Quod si fateatur æger, expectata prima febris solutione, protinus lauandus est, scilicet eius specie exsolutionis modo certius cognita: nã tunc arteriarum motus huic omnino, qui in sanis sentitur, respondet; cum is in nulla alia febre ad naturalem statum redeat, etiam si temporis spatium inter prioris accessionis finem, & sequen-* E *tis initium longum sit, velut in tertianis, & quartanis, in quibus semper febris vestigiũ relinquitur: in diariis vero, cessante accessione omnia simul signa abolētur; harũ tamē plurimæ in madores soluũtur, nõnullæ in leues sudores, aut omnino velut vapor aliquis copiosus ex imo corpore exhalat: sed*

sed & vrina eo tempore longe, quam per A *initia, meliores tibi apparebunt, neque vero si quis cum febre caput, aut aliam partem dolor occupauerit, is amplius manet: si vero & æger facile morbum ferat, certissimum est indicium, quod veluti impressum quoddam sigillum omnium maxime febris mansuetudinem exprimet.*

ETsi maxima sunt indicia, quæ ex pulsibus & vrinis sumuntur; tamen, quia in febribus Synochis non putridis, & etiam in hecticis, si fortè illæ incipiant, eadem sunt signa, admonet, præter vrinas, & pulsus alia esse considetanda, quæ superius commemorauit: quæ cum non sint exactè expressa, intelligamus, quæ & quot sint, consultis quatuor illis fontibus signorum, à quibus diximus omnia sumi signa: nam si ea, quæ sumuntur ab essentia ipsius febris, & à causis, atque effectis, & similitudine, ostendent solum accensos esse spiritus, audacter asserere possumus, febrem esse diariam; vbi vero discrepantia quædam est inter signa, tunc dubia redditur cognitio. Illud autem verum non esse puto, quod scribit in solis diariis post solutionem pulsus edi tales, quales prius fiebant per sanitatem; nam in quartanis, & tertianis nullam differentiam inueni, quæ ostendat (vt ipse scribit) febris aliquod vestigium, præsertim accessiones finitæ sunt cum magis sudoribus, aut alia insigni excretione: Quid enim, quæso, tunc relinquitur, quod pulsus possit mutare? Cæterum, quod scribit de solutione diariarum per madores, vel sudores, probo, quandoquidem febres illæ fiunt ex spiritibus & vaporibus accensis, qui ad cutem elati circa illius membranam sistuntur, densanturque, & in sudores conuertuntur. verum, vt leues hi sudores diarias ostendunt; ita, qui sunt copiosiores suspicionem præbent, quod sint vel tertianæ, aut alterius generis febres. Rectè autem, & illud admonuit, plurimas diarias, & non omnes eo modo solui. nam quæ ex tristitia, vigilia, inedia, & aliis causis exsiccantibus excitantur febres, magnas euaporationes non commouent à corpore tempore febris; quare nec sudores sequi solent. Porro vrinæ non videntur meliores esse in declinatione febris, quam per initia; nam, si semper vrinæ sunt similimæ vrinis sanorum, non possunt longè meliores esse in vno tempore, quam in alio: nam si nulla vnquam facta est cruditas, quid facere in illis potest tam magnas in vno tempore, quam in alio differentias? Iam vero, vt in aliis omnibus febribus capitis dolor, sedata febre euanescere solet; sic fortè in ea, quæ nascitur ex insolatione, aut ebrietate, non mirũ esse debet, si adhuc aliquid relinquitur, quod E postea paulatim tollitur. Quod vero scribit de facili tolerantia fortè potest commune esse & tertianis, & aliis in prima accessione, constantibus tunc maximè viribus.

Καὶ εἰ λουομένοις δ' αὐτοῖς μήτε φρίκη ἀήθης διοχλοίη μήτ' ἄλλη τις ἀηδία καὶ οἱ μετὰ τὸ λουτρὸν. ἐφεξῆς ἐν εὐφορίᾳ μένοι, θαῤῥῶν ἤδη τρέφοις ἂν αὐτὸν καὶ οἶνον παρέχοις ἀδεῶς πίνειν ὅσον τοῖς παροῦσι μέτριον.

Quod si, dum lauantur, insolitum frigoris horrorem, aliamque molestiam non sentiant, ac denique post lauationem facile tolerent, ac bene ferant, cibus offerendus, vinumque potui dandum est sine formidine; quantum res præsens efflagitat.

COncludit tandem perfectam cognitionem diariarum ex cumulatione multorum signorum, & paulatim ad curationem per victus rationem, & alia remedia accedit. Remedium B autem est, quod omnibus commune esse vult, balneum aquæ tepidæ, victus vero, cibus, & potus. Balneo vero vtitur tanquam remedio, & vt indicio confirmante cognitionem febris diariæ: cur vero velit, balneum conuenire omnibus diariis, non docet: fortè ea est ratio, quod febris omnia calefaciat, & siccet, fuliginosa excrementa procreet; quare balneum huiusmodi, quod habet vim refrigerandi, & humectandi potentia, & actu leuiter calefacit, & ob id rarefacit, euocatque eos vapores sub cute, & carne hærentes, merito adhibendum, & maximè, vbi præcesserunt causæ calefacientes, & exsiccantes, vt labor, ira, tristitia, vigilia, vel quæ excrementa huiusmodi supprimunt, vt externa re- C frigeratio; Vbi vero ex destillatione, & leui obstructione diariæ nascuntur, fortè vtilius est à balneo abstinere. Cæterum, quomodo horror fieri possit ex balneo, postea docebimus, vbi communes, & particulares omnes horroris, rigoris, & frigoris, quod fit in febribus, causas diligentius prosequi instituimus. Iam vero, quod scribit de vino audacter exhibendo, soluta diaria, non est difficile intelligere: nam si homo exactè liberatus est à febre, & suæ sanitati est restitutus, nutriendus profectò est ex cibis, & potionibus consuetis per sanitatem; nam, vt rectè Celsus scribit, cauendum, ne in secunda valetudine aduersæ præsidia consumantur. Sed difficilius est, intelligere, quomodo vinum sit exhi- D bendum in febribus putridis, & hecticis, de qua re etiam postea agemus.

Quibus diariis balneum conueniat, & quibus non.

Ἡμεῖς δ' ὡς οἶσθα, πειρώμεθα λέγειν αὐτοῖς τὸ προηγησάμενον αἴτιον οὐ περιμένοντες ἐρέσθαι τὸν κάμνοντα. καὶ ἔστι μέγιστον σημεῖον εἰς τὸ μηδὲν σφάλλεσθαι, τὸ τοιαύτην τινὰ περιεῖσθαι δύναμιν.

Nos vero, vt nosti, ab ægroto sciscitari non sustinentes, causam, quæ præcesserit, dicere solemus, quod maximum est argumentum, eum non errare, qui talem sit adeptus facultatem.

DIxit signa diariarum sumi à causis euidentibus, nunc vero docet, quomodo in cognitionem istarũ causarum peruenire possimus; & dicit, duplicem esse modum, vnum, qui fit ex relatione ipsius ęgroti, alterũ ex scientia ipsius Medici, qui ex impressionibus relictis à causis, quæ

cum à certis, & non ab aliis nascantur, non mirum, si proprii effectus proprias causas ostendant. In hac tamen re habenda est maximè ratio etiam ipsius subiecti: nam ab iisdem causis quidam incidũt in diarias, alii in putridas, vel hecticas, vt idem sol ceram liquat, & lutum indurat. Propterea, qui ex labore incidunt in febres verno tempore, cum sanguis, & spiritus sunt integri & aerei, diariis laborare solent; Autumno vero contra vix aliquis ab illis causis incidit in alias febres, quam in putridas: tantum potest corporis præparatio ad morbos generandos.

Εἰ μὲν τοι μενόντων ἔτι τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν ἡ ἐπίσκεψις γίγνοιτο διὰ τῶν σφυγμῶν μάλιστα πειρᾶσθαι διαγινώσκειν ὡς ἐν τοῖς περὶ σφυγμῶν γέγραπται. Μετὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸ ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀπάγειν διάγνωσιν.

Si vero manentibus adhuc animi motibus, ægrum contempleris, maxime ex pulsibus, vt in libris de pulsibus declaratum est, deinde ex aliis dignotio petenda est.

MAgnam vim habent ad diarias significandas causæ euidentes, quæ in aliquibus diaria correptis recesserunt, in aliis vero manent adhuc, vt nonnunquam accidit, cum febres nascũtur ex animi motibus, vt ira, tristitia, curis, cogitatione, tunc, inquit, ad has causas dignoscendas sumemus indicia maximè ex pulsibus. Possunt quidem pulsus bona præbere indicia ad multa dignoscenda, sed plura profectò his tribuit Galenus, quam præstare possint: neque enim quælibet in sanguine, & corde ebullitio, aut illius cum spiritibus versus illud cõtractio, aut in corpus expansio, aut aliud denique quod fit per animi motus, in nobis vsum caloris, vel facultatem motiuam cordis, & arteriarum, aut hæc ipsa instrumenta mutant, ita, vt pulsus variari possint, quare potius diuinatio est, quam vera scientia hæc, quæ pollicetur, se animi passiones qualscunque patefacere posse.

Εἰ δ' αὐτὰ μὲν εἴη πεπαυμένα, μένοι δὲ ἡ διάθεσις, ἀμυδρὸν μὲν τι καὶ κατὰ τοὺς σφυγμοὺς εὑρήσεις γνώρισμα τῶν κινησάντων τὸ πυρετὸν παθῶν, ἀπὸ χρήσει δὲ σοι καὶ χωρὶς τῶν σφυγμῶν τὰ λοιπά. κοινῶς μὲν γὰρ ἅπασι τὰ οὖρα πυῤῥά.

Quod si hi sedati fuerint, affectum vero reliquerint; ex pulsibus quidem perturbationum, quæ febrem attulerunt, indicium obscurum habebis; sed reliqua sine pulsibus tibi sufficient, in omnibus enim vt plurimum vrinæ rufæ apparent.

REctè quidem admonet, non posse ex pulsibus dignosci perturbationes animi, quæ febrem intulerunt, si modo illæ iam sedatæ sunt; sed forte etiam exiguum est indicium, quod vrinæ præbent; nam, vt diximus, in diariis omnibus febribus, vrinæ nihil, vel minimum recedunt ab vrinis sanorum. Quare in eo, quod minimum est, nulla potest sensibilis poni differentia quæ distinguere possit differentiam harũ causarum, multa quidem in multis fingit ratio, quæ ipsa experientia eludit.

Πρόσεστι δὲ τοῖς μὲν διὰ λύπην δριμύτης μᾶλλον ἢ πλῆθος θερμασίας. ὡς τοῖς γε διὰ θυμὸν ἔμπαλιν.

His vero, qui ex mœrore laborant, acrimonia potius, quam caloris abundantia inest, quemadmodum contra iis qui ex furore.

HOc signum sumitur ab essentia ipsius febris, nempe à caloris diuersitate, estque rationi consonum, vt in affectionibus diuersis, diuersus occurrat tactui calor: quare non mirum, si in tristitia, quæ habet vim exsiccandi, acrior appareat calor in febricitantibus, quã in furore, qui solum parit in sanguine ebullitionem, & feruorem, qui si perseueraret, haberet quoque vim exsiccandi; sed non potest ira & furor diu perseuerare, sicut tristitia, vt experientia docet.

Ἀλλὰ καὶ ἰσχνότης τοῦ σώματος ἐπιδηλοτέρα τοῖς λυπηθεῖσιν ἢ φροντίσασι καὶ ἡ τῶν ὀφθαλμῶν κοιλότης. καὶ τις ἀηθὴς ἀχροια. ταῦτα μὲν δὴ καὶ τῶν ἄλλως ὁπωσοῦν φροντισάντων κοινά.

Sed & corporis macies in his, quos mæror quam quos cura confecit, manifestior conspicitur, oculorumque cauitas, & insueta quædam decoloratio, quæ quidem & aliorum, qui quomodocunque cogitationem exercuerunt, communia sunt.

DIstinguit nunc febres, quæ fiunt à mœrore, ab iis, quæ sunt natæ ex curis. nam (inquit) macies euidentior sequitur mœrorem, quam curam, siue cogitationem; quoniam forte in tristitia patitur caloris fons, qui cum malè habet, concoctiones vitiat, vnde macies: in cogitatione vero dissoluitur solum substantia spirituosa, subiectum ipsius caloris, quæ, illæso fonte, facilè potest restaurari. Sed forte etiam hæc sunt figmenta, quæ non nituntur experientia; oculorum vero cauitas sequitur consumptionem aereæ & aqueæ substantiæ, & pinguedinis, quæ cauitatem oculi replet, & decoloratio nascitur; sanguine spirituoso ab eisdem causis resoluto, & consumpto.

Μάλιστα δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς διορίζειν χρή. Ἔνεστι γὰρ ἐκ τούτων τεκμαίρεσθαι κἂν τοῖς ὑγιαίνουσι μὲν τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος καὶ νοσούντων δὲ σαφέστερα τὰ σημεῖα τῷ γε δυναμένῳ συνορᾷν ἀκριβῶς. οὕτω μὲν οὖν τοὺς διὰ μαθήματα καὶ θεωρίας τινὰ φροντίσαντας τῶν λυπηθέντων διακρίνειν προσήκει.

Verum ex oculis maxime discernere licet, ex quibus & in sanis quoque animi mores conijcere possis. At in ægrotis perspicua magis tibi signa erunt; si accurate conspicere

spicere queas. Sic illi quidem ab affectis mœrore distinguendi sunt, qui in disciplinis, & speculationibus mentem exercuerunt.

CErtum quidem est, ita docente experientia, ex oculis maximè patefieri animi passiones, corporis imbecillitatem, & vigorem: cuius rei causa non est (meo quidem iudicio) quod oculi coniungantur cum cerebro, corde, & hepate (id.n. omnibus aliis partibus contingit) sed *quia peculiarem quandam à natura constitutionem acceperunt*, qua attolluntur, deprimuntur, in latera mouentur, circumuoluuntur, qui motus cum pareant animæ, meritò ostendunt passiones, quæ in ea nascuntur. Constant præterea oculi ex purissimis partibus, quæ faciè inficiuntur, vt apparet in mulierum purgationibus, &, vt antea diximus, pinguis, & aerea est substantia multa, quæ cauitatem oculi replet, & ea facilè repletur, & dissoluitur: vnde cum adsunt, aut præcesserunt causæ, quæ vim habent mutandi hanc oculorum constitutionem, facilè ex illis ostenditur, quid & in animo, & in corpore lateat.

Τὺς δὲ ἐπ' ἀγρυπνίαις διορίζει μὲν καὶ τὸ τῆς ἀχροίας εἶδος. ὑπόοιδες γὰρ ἐστὶν αὐτοῖς τὸ πρόσωπον, καὶ ἡ τῶν ὀφθαλμῶν δὲ κίνησις δήλη. μόλις γὰρ ἐπαίρουσι τὰ βλέφαρα, καὶ ἡ ὑγρότης δὲ ἐν τοῖς βλεφάροις, ξηροὶ γὰρ γίνονται λυπηθεῖσιν, ἢ φροντίσασιν.

Eos vero, qui ex peruigiliis febricitant, tum decolorationis differentia ab aliis discriminat, (ipsis enim subtumida facies est) tum manifestus oculorum motus: vix enim palpebras attollunt, iisque inest humiditas; nam mœrore, & cura affectis, inarescunt.

PErgit distinguere diarias penes causas, quæ illas pepererunt: scribit ergo diariam, quæ nata est ex vigilia, suæ causæ notas ostendere in facie, & in oculis; nam facies subtumida apparet, multis euocatis vaporibus ab internis partibus, cum calore natiuo ad sensoria, & illis quidem frigidioribus, nimirum dissoluta substantia calidi natiui; qui vapores cum sint multi, & crassi, libere per cutem ipsius faciei exhalare non possunt, quare illic sistuntur; & cutem tumidiorem reddunt. Est quoque facies ipsa decolorata, quoniam sanguinis spirituosi substantia dissoluta est, & ex vaporibus illis frigidis, veluti pituitosis, decoloratio contingit. In oculis quoque manifeste se prodit vigilia, vix enim palpebras attollere possunt, qui diu vigilarunt: est enim motus causa calidi natiui substantia aerea, & spirituosa, quæ continuo à corde suggeritur, & immittitur in singulas partes: quare non mirum est, si ob absentiam diuturnam caloris natiui à corde, ea substantia deficit, & tollit eam viuacitatem, quæ est causa mobilitatis. Innatant quoque in oculis humiditates, pariter, debilitato eo

Cur facies in nimia vigilia fit subtumida.

Cur decolorata.

A calore, qui est causa in singulis partibus probæ concoctionis: contra vero in tristitia, & cogitatione arescunt potius oculi; nam in tristitia calor, spiritus, & humores circa cor maxime versantur, deseruntque exteriores partes, quæ ob id arescunt. In cogitatione longa fit quidem resolutio spiritus, & sanguinis, & quia sola mens exercetur, non attrahitur tantum spiritus, & vaporis, sicut in vigilia, in qua omnes sensus laborant. Sed debebat Galenus istarum rerum rationem reddere: facile enim est dicere, id in vno fieri, illud in alio, sed perinde non est facile causam istorum reddere.

B Ἡ κοιλότης ἐστὶ κοινὸν ἁπάντων σύμπτωμα λύπης, ἀγρυπνίας, φροντίδος, οὐ μὴν ἤδη γε καὶ θυμοῦ. τούτων γὰρ ἔστι καὶ κοιλότητες τῶν ὀφθαλμῶν, ἔτι τὰ τῆς ἀχροίας ἐπίδηλα.

Cæterum cauitas commune omnium accidens est, nempe tristitiæ, vigiliarum, cogitationis, & studii; non tamen furoris, in quo nec oculorum cauitas, nec decoloratio manifesta conspicitur.

FOrte cauitas oculorum erit accidens commune tristitiæ, cogitationis, & curæ, non tamé vigiliæ; quandoquidem totam faciem subtumidam esse dixit, quod fieri non potest oculis C existentibus concauis. Cæterum in furore concitantur humores, & spiritus ex ebullitione cordis in vniuersum corpus. Quare facies admodum inflammata conspicitur, nec resolutio fit, quæ siccitatem, & decolorationem adferat, vt in tristitia; aut tumorem adferat; vt in vigilia, quia breue est furoris tempus.

Καὶ ἡ θερμασία πλείων τε καὶ ὠκέως ἐκ τοῦ βάθους ἀναφερομένη καὶ τὸ μέγεθος τῶν σφυγμῶν οὐ καθαιρεῖται, καθάπερ ἐπ' ἀγρυπνίας τε καὶ λύπης καὶ φροντίδος. ὥστε θυμοῦ μὲν καὶ πάνυ σαφῶς αὐτὰ διορίζει, ἀλλήλων δ' ἐκεῖνα D καθόλου ἀκριβέστερον.

Calor quoque vberior est, ex altoque corpore celeriter erumpit: nec pulsus magnitudo perit, quemadmodum in vigiliis, mæstitia, & cogitationibus. A furore itaque euidentissime hæc distinguuntur: illa vero inter se, quemadmodum ante diximus.

EX calore & pulsu distinguit quoque diarias ex ira, à præcedentibus; est enim calor coE piosior in his, qui febricitant ex ira, quia in corde facta est magna ebullitio, & spiritus generatio; & pulsus magni eduntur, ob auctam necessitatem, & conseruatum robur, vel potius auctum in vniuersis actionibus. Vnde fortiores ad certandum redduntur, qui ira sunt perciti, & quia huiusmodi passio diu durare non potest, ob

vehementiam actionis, ideo non dissoluitur ro- A bur, vt in aliis, qui ex vigilia, cogitatione, & mœrore febricitant.

Τῶν δ' ἐπὶ κόποις πυρετῶν τὸ δέρμα ξηρότερον ἤπερ ἄλλου τινὸς τῶν ἐφημέρων πυρετῶν. Ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἅπασι τοῖς ἐπὶ κόπῳ πυρέξασι κοινόν, ἔν γε τῷ μέχρι τῆς ἀκμῆς τοῦ παροξυσμοῦ χρόνῳ. τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε τοῖς πλείστοις μὲν ὅσοι γε μὴ ὑπερεπόνησαν ἰκμάδες τινές, ἢ ἀτμὸς θερμὸς ἐκ τοῦ βάθους ἀναφέρεται. εἰσὶ δὲ καὶ οἷς μετὰ τὴν ἀκμὴν χρόνοις ἡ ξηρότης παραμένει. Γίνεται δὲ τοῦτο μάλιστα τοῖς ὑπερπονήσασιν, ἢ ψυχθεῖσιν, ἢ ἐγκαυθεῖσιν ἅμα τῷ κόπῳ. καὶ μὲν δὴ B καὶ τὰ τῶν σφυγμῶν οὐχ ὡσαύτως ἐν ἀμφοτέροις ἔχει. μικροὶ μὲν γὰρ τοῖς ὑπερπονήσασι. μεγάλοι δ' εἰσὶ τοῖς ἄλλοις.

Quibus autem lassitudo febrem intulit, aridior, quam in alia quacunque diaria, cutis redditur: Quod omnium quidem ex lassitudine febricitantium, ad accessionis vsque vigorem est commune: à quo tempore plurimis, qui quidem immoderate non laborarint, humor, aut vapor calidus ex intimo corpore erumpit. Quibusdam vero post vigorem siccitas perseuerat, præcipueque labore vexatis supra C *modum, aut refrigeratis, aut exustis vna cum defatigatione. Nec etiam modo eodem habent pulsus in vtrisque: siquidem immodice defatigati paruos; alii vero magnos obtinent.*

MErito cutis in hac febre aridior, quam in aliis diariis apparet, propterea quod caro musculi cuti subiecti per lassitudinem maxime calefiunt, & exsiccantur, quæ affectiones cuti facile communicantur: Vult tamen hanc siccitatem non perseuerare per vniuersam febris accessionem, sed solum vsque ad vi- D gorem. Sed dicat, qua ratione id fiat, & cur etiam humor ille, aut vapor calidus ex intimo corpore erumpat: an hoc fit, quod quiescente iam corpore, calor, qui erat per vniuersum corpus dissipatus, in visceribus colligatur, & restauratus, sponte postea recurrat ad cutem, & secum humorem trahat, qui vel exit, aut prius in vaporem mutatur? *siccitas autem*, inquit, *perseuerat in his, qui violentius se exercuerunt*, consumptis scilicet intrinsecus, & extrinsecus humoribus, quibus in aliis calor reficitur. Idem dicit esse commune his, qui se exercuerunt in aere frigido, aut in solis ardore: in his prompta est ratio, in illis nulla apparet: quid enim potest esse in eo casu siccitatis causa? reliqua patent. E

Οἱ δ' ἐπὶ πυκνώσει τοῦ δέρματος γινόμενοι πυρετοί, πυκνοῦται δὲ τοῦτο ἢ ψυχόμενον, ἢ ποιότητος αὐτῷ στρυφνῆς ἀθρόας προσπεσούσης, οἷον τι καὶ τῷ λουσαμένῳ ἐν ὕδατι τῷ στυπτη- A ριώδει ἐγένετο. οὗτοι μόνοι πάντων τῶν πυρετῶν, στεγνόν εἰσι πάθος. ἔνεστι δὲ αὐτῶν τῇ ἁφῇ διαγινώσκειν, ὥσπερ καὶ τοὺς αὐχμώδεις τῶν πυρετῶν καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς κόποις, καὶ τοὺς ἐκ ἐγκαύσεων. οὐδὲ γὰρ ἂν ἡ τούτων πύκνωσις ἁφὴν γεγυμνασμένην διαλάθοι. αὐτὰρ οὖν καὶ ἡ τῆς θερμασίας κίνησις ἐπαναδιδοῦσα πῶς ἐστὶ πραεῖα μὲν κατὰ τὴν πρώτην ἐπιβολὴν τῆς χειρὸς φαινομένη. δριμεῖα δὲ ἐν χρονιωτέρᾳ ἐπιπλέον γιγνομένη. οὐ μὴν οὐδὲ τὰ οὖρα πυρρὰ τοῖς τοιούτοις, οὐδὲ ὁ τοῦ σώματος ὄγκος συμπέπτωκεν. οὐκ οὖν οὐδ' B ὀφθαλμοὶ κοῖλοι καὶ ξηροὶ γίνονται, ἀλλ' ἔστιν οἷς ὑγρότεροί τι καὶ προπετέστεροι δοκοῦσιν εἶναι τῶν κατὰ φύσιν. οὐδ' οἱ σφυγμοὶ μικρότεροι καθάπερ ἐπὶ λύπης ἢ φροντίδος, ἢ ἀγρυπνίαις καὶ τῆς ἄγαν ἀμέτροις γυμνασίοις χρωμένοις.

Febres vero, quæ ex cutis densitate nascuntur (hæc autem densatur, aut frigore, aut qualitate affatim stringente, velut in eo, qui se aluminosa lauerit aqua) omnium sole astricta sunt affectio; Has vero tactu deprehendere licet, quemadmodum & squalidas, & quæ ex lassitudine, & solis C *ardore contrahuntur: neque enim earum densitas exercitatum tactum fallere potest. Cæterum caloris motus exprimitur, quem quidem primo occursu mitem, deinde acriorem, si diutius tangendo immoretur, manus sentiet. Vrina tamen rufa non apparent: neque corporis moles concidit: proinde neque oculi caui sunt, neque aridi: verum in quibusdam humidiores ac prominentiores, quam pro naturali constitutione visuntur, sed nec pulsus, vt in mærore, cura, vigiliis, aut* D *immodicis exercitationibus, minores sunt.*

FEbres huiusmodi nascuntur retentis fuliginosis vaporibus, qui ab initio calorem solum augeat, progressu vero temporis, perseuerante astrictione, & prohibita transpiratione, pro diaria synocha non putrida; postea vero vel synocha putrida, vel alterius generis putrida, pro diuersitate corporum, oritur. In iis cutis contracta apparet, & calor, qui exit, mitis quidem apparet primo occursu, quia paucus vapor ob astrictam cutem aspirat; si tamen diutius quis tangat, actior calor sentitur, quoniam vapor ille fuliginosus mora acrimoniam concipit maiorem. Vrinæ vero non redduntur rufæ, idest, biliosiores: nam ex quantitate bilis minore, aut maiore fiunt vrinæ primum pallidæ, postea rufæ, deinde flauæ: deest enim causa, quæ bilem procreet in his, qui ex cutis astrictione in diarias inciderunt. cætera quoque patent.

Cap. III.

DE FEBRIBVS, QVÆ FIunt ex inflammationibus Glandularum.

τοῖς δ' ἐπὶ βουβῶσι πυρετοῖς ἐφημέροις, οἱ σφυγμοὶ μέγιστοι γίνονται, καὶ ὠκεῖς, καὶ πυκνοί. καὶ ἡ θερμασία πολλή, καὶ μετὰ τὴν ἀκμὴν εὐθὺς ἐκ τοῦ βάθους ἀναφέρεταί τις ἰκμάς. θερμὴ μὲν, ἀλλ' ἡδεῖα. τὸ γὰρ δριμὺ καὶ δάκνον ἥκιστα πυρετῶν πάντων τοῖς τοιούτοις ὑπάρχει, καὶ τὸ πρόσωπον ἐρυθρὸν αὐτοῖς γίγνεται τοῦ πρόσθεν, καὶ ἐν ὄγκῳ μείζονι, καὶ τὰ οὖρα ὑπόλευκα. κοινὸν δὲ τοῖς τοιούτοις ἅπασι πυρετοῖς τοῖς ἐφημέροις ἡ ὁμαλότης τοῦ σφυγμοῦ. πάνυ ὀλίγοι γὰρ ἐξ αὐτῶν ὀλίγοι τὴν κατὰ μίαν πληγὴν ἀνωμαλίαν ἐμφαίνουσιν. ἀλλ' οὐδ' οὗτοι πάνυ σαφῶς, οὐδὲ ἐναργῶς. τοιαῦτα μὲν αὐτῶν τὰ γνωρίσματα.

In diariis vero, quæ ex bubone contrahuntur, pulsus sunt maximi, celeres, ac crebri, calorque multus, & à vigore statim humor quidam ex alto corpore ad cutem fertur calidus, sed tamen suauis, eius modi enim febres, omnium minime acres, mordacesque sunt. In his facies omnino rubicunda, ac tumidiuscula, subalbidaque vrinæ apparent. Communis autem omnibus his inest pulsus æqualitas; in harum enim paucis admodum inæqualitas in vno arteriæ percussu conspicitur; sed nec ipsa quidem omnino euidens, neque manifesta. Hactenus de diariarum notis.

HÆc sunt signa non cuiuscunque febris diariæ ex bubone natæ, sed eius potissimum, quæ fit in corporibus multo, & benigno sanguine præditis; in quibus adest quoque bubo in signis; in aliis vero non est necesse tantam fieri ex bubone exhalationem, & ebullitionem, quæ pariat tales pulsus differentes ab aliis febribus, vel qui tumidam faciem reddant. Quod vero scribit calorem harum febrium minime acrem esse, & mordacem, id quoque intelligendum est in corporibus optimo sanguine plenis; Quod si principia sua tueri velit, nempe putredinem quoque esse in bubonibus, qui diarias pariunt, sequitur necessario calorem fore acrem, & mordacem, siue calor ipse solus, vt vult, per continuitatem feratur ad cor, siue calor ipse cum vapore, vt probabilius est: neque enim calor sine subiecto aut esse, vel moueri potest, quicquid enim fiat, necesse est, vt id, quod à re putrescente attollitur, acrimoniam, & mordacitatem habeat coniunctam: ex quo etiam sequitur, pulsus fore inæquales in vna pulsatione: nam putredo auget contractionem arteriæ, vt fuliginosa excrementa expellantur; sed interim Galenus supra alios voluit ostentare se non errare posse in commemorandis causis, quæ febres diarias pepererunt, prolixiorem instituit tractationem, & potius ratione finxit, quæ debeant sequi symptomata singulas causas, quam vt experientia notauerit, ea esse vera indicia, quæ proponit.

θεραπεύειν δὲ χρὴ λουτρῷ μὲν ἅπαντας. ἀλλὰ τοὺς ἐπὶ πυκνώσει τοῦ δέρματος, ἢ ἐπὶ βουβῶσιν, οὐδ' εἰ ἐν τῷ ἀέρι τοῦ βαλανείου χρονίσαι κελεύσειας, οὐδὲν βλάψεις. τοὺς δὲ ἄλλους ἅπαντας, ὅτι τάχιστα τοῦ ἀέρος ἀπάγειν. ἐν δὲ τῷ ὕδατι καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἐθέλουσι διατρίβειν ἐπιτρέπειν.

Omnes quidem balneo curandæ sunt, quod si ex cutis densitate, aut bubonibus febricitantes in balnei aere immorari iusseris, haudquaquam lædes. Reliqui vero omnes ab aere abducendi quam citissime sunt: Si vero diutius in aqua immorari voluerint, permittere.

EXplicatis notis quarundam febrium diariarum, ex quibus Methodus intelligi potest, qua dignoscantur aliæ, quæ ex aliis causis originem habent, transit ad curationem, & primo repetit, quod omnibus commune esse dicit remedium, deinde propriam singulis curationem, pro diuersitate causarum, explicat: Illud tamen peculiare habet curatio diariarum, quam Galenus instituit, quod remedia nulla exhibeat præsente ipso morbo, sed cum homo iam à febre est liberatus; balneum enim, quod commune omnibus vult esse auxilium; non vult adhiberi, nisi soluta iam febre: oportebat autem docere, quid in ipsa febre faciendum sit; deinde addendum, si quid præterea fieri oporteat, & docendum, quid conferant hæc auxilia homini iam à febre liberato. Porro, vt antea docuimus, præsente febre, si nulla amplius superest causa, quæ febrem peperit, aduersus ipsam febrem solum pugnandum per quatuor genera rerum, à quibus vniuersa auxilia sumenda esse ostendimus, aut certe ea eligenda, quæ commode à febricitantibus præstari possint. Quod si causa adhuc perseuerat, contra eam pugnandum præcipue, febre interim non neglecta, aut pari auxilio, si pariter vtrumque vrget. Sublata vero causa & febre ipsa, nihil aliud moliendum, nisi impressio aliqua sit relicta, quæ videatur auxilium aliquod desiderare; quod raro contingere potest in tam leui, & breui affectu. Propterea cur est, quod omnibus imperemus balneum, quasi plurimi non redeant ad perfectam sanitatem facile absque vsu balnei? Neque enim Montani, & aliorum quorundam opinionem probo, qui balneum ea ratione adhiberi volũt, vt procurata facili transpiratione, prohibeatur accendi putrida febris: nam si diaria vera est, omnino hoc

vacat periculo, & id, quod proprium est febribus, quæ ex leui obstructione, vel maiore constrictione cutis consistunt, trahi non debet ad alias omnes diarias, quæ sine hoc metu soluuntur.

Cæterum, vt aer balnei conuenire potest his, qui ex densitate cutis in diarias inciderunt; sic periculosus est illis, qui ex bubone diariis sunt correpti: nam perseuerante adhuc bubone, aut etiam soluto, tutum non est, nulla præcedente euacuatione, tentare remedium, quod facile potest liquare humores, & nouas fluxiones commouere. An vero per reliquos intelligit solum eos febricitantes diaria, quorum causas, & signa docuit? sic videtur: nam qui ex cruditate correpti sunt diaria, vel ex destillatione, fortasse non debent diu in aqua balnei detineri.

Ἐλαίῳ δὲ χλιαρῷ καὶ πολλῷ καὶ μαλακαῖς χερσὶν ἀνατρίβειν ἐπιπλέον. μάλιστα μὲν τοὺς κοπωθέντας. ἐφεξῆς δ' αὐτῶν, τοὺς στεγνωθέντας, καὶ τρίτους τοὺς ἐπὶ βουβῶσι πυρέξαντας. καὶ λούειν δὲ πολλάκις εἰς ὅσον ἐγχωρεῖ τοὺς τοιούτους.

Cæterum, amplius fricandi cum oleo sunt tepente, ac largo mollibus manibus, maximeque qui ex fatigatione; post hos, qui ex astricta cute; deinde vero, qui ex bubone febricitant; hi autem quam fieri posit, creberrime lauandi sunt.

Post balneum solebant maiores nostri vti frictionibus, id quod nunc etiam obseruat Galenus post solutionem diariæ, quæ frictiones vt reuera conferunt his, qui sunt defatigati ad molliendos articulos, & musculos, ita iis, qui ex vigiliæ, vel tristitia, aut curis, vel aliis exsiccantibus causis afficiuntur, liberaliores frictiones, quales hic vult adhiberi, nescio an prodesse possint: potius dicendum esset, parum, & leuiter eos esse fricandos, & liberalius vngendos. Vnctio etiam, quæ ex oleo fit puro, emplastica est, & propterea forte non prodest cuti astrictæ. Bubone vero laborantibus, nisi fiant frictiones in partibus oppositis ad reuellendum, plus forte oberunt, quam prosint, quemadmodum sane creberrimæ istæ suæ lauationes.

Ἐσθίειν δὲ, τοὺς μὲν ἐπὶ τοῖς κόποις ἐνδέχεται πολλάκις. οὐ μὴν ἔτι τοὺς στεγνωθέντας, οὔτε τοὺς ἐπὶ βουβῶσι πυρέξαντας: ἀλλὰ τούτους ἀμφοτέροις ἡ λεπτὴ δίαιτα χρηστή.

Cibandi verò sæpe, qui ex lassitudine laborant: sed non qui ex cutis astrictione, aut bubone; horum autem vtrique tenuem efflagitant victum.

Posteaquam remedia docuit ex medicamentis sumpta, victum instituit conuenientem in diariis, pro diuersitate causarum: qua in re videtur mihi superflua prosequi in hac re multa: nam si homo liberatus est à tam leui malo, quid opus est medicina, quæ superstitiosam viuendi rationem singulis præscribat? Præstaret dicere, quod antea fecit, omnes statim ducendos esse, soluta febre, ad solitum victum: natura enim præscribet singulis ex naturali appetentia quid, quantum, quoties, & quo tempore edendum. Sed cur, quæso; tenuem victum in illis, qui ex cutis astrictione, vel bubone, aut alia denique causa inciderunt in diariam, & ab ea iam sunt liberati, adhibet, quem proprium solum esse dicit in Aphorismis acuto morbo laborantibus, illis vero, qui morbis longis laborant, & multo magis sanis, periculosum? Rectius fortasse dixisset, moderatius alioquin esse edendum per paucos dies sequentes, quam antea per sanitatem.

Τοὺς δ' ἐπὶ τοῖς κόποις ὅσα καλῶς πέψαι δύνανται κελεύειν ἐσθίειν ἀπεψίας μόνον φυλαττομένους, ἀλλὰ καὶ οἴνου πίνειν εἰς ὅσον ἂν καὶ τοῦτο κρατεῖν δύνωνται.

Fatigatis vero ea comesse, quæ probe conficiant, imperare oportet, euitata sola cruditate, quin etiam vini tantum bibere, quantum concoquere possint.

Fatigati egent restauratione per bonos, & multos cibos, pro quantitate dissolutionis, sed euitari debet cruditas, quod sine præcepto etiam intelligitur: nam semper obest cruditas. Cæterum præceptum, quod tradit tantum esse bibendum quantum concoqui potest, tendit ad ebrietatem; vinum enim facillime concoquitur, & etiam tandem ab ebriis, nemo tamen dicet esse bibendum vsque ad ebrietatem. An melius iuberet esse bibendum, quantum appetitus iam sanus requirit?

Σκοπεῖν δ' ἂν εἴη τοῦ μέτρου, ὥσπερ δὴ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ἥ τε δύναμις καὶ ἡ ἡλικία τοῦ νοσοῦντος καὶ ἡ φυσικὴ κρᾶσις, ἔθη τε καὶ ὧραι καὶ χῶραι καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα.

Horum autem modum, vti & aliorum omnium, ex viribus, ætate, natura, temperie, & cōsuetudine ægrotantis, anni tempore, regione, & id genus aliis metiri conuenit.

Cum dixisset tantum esse bibendum vini, tantumque edendum, quantum concoqui potest, nec constaret, quantum possit concoqui, docet nunc, ex quibus possimus coniectura assequi debitam hanc quantitatem; & dicit eam deprehendi ex viribus, æta-

te, na-

te, natura, temperie, consuetudine ægrotan- A tis, anni tempore, regione, & aliis, quæ hic non commemorat. Sed, cum leuissimus sit affe-ctus diaria febris, & in cibatione, & potione soluta febre, cautius adhuc sit agendum, hæc, quæ hic enumerat, non magnas præbent indi-cationes: nam quæ ex viribus sumitur indica-tio, vt idem in Methodo medendi docet, tan-quam non sit, contemnitur, vbi illæ nullam o-stendunt imbecillitatem, an forte etiam vult, eos, qui consueuerunt inebriari, tantum bibe-re debere, remota febre, aut ea præsente, quan-tum habebant in consuetudine? Satius ergo est, imperare; eos, qui liberati sunt à diaria, moderate viuere debere per aliquot dies, ita vt nec crapula obesse possit, nec parcior victus B detrahere corpori. quod necessarium est ad probam nutritionem, & vires conseruan-das.

Τοὺς δ' ἐπὶ βουβῶσι πυρέξαντας, εἴργειν οἴνου, πρὶν τοὺς βουβῶνας λυθῆναι. τῶν δὲ στεγνωθέντων ἢ ψυχθέντων, τοὺς μὲν ἐπ' ὀλίγον τοῦτο παθόντας, ἥκιστά τε πληθωρικούς, οὐ χρὴ κωλύειν οἶνον προσφέρεσθαι, τοὺς δ' ἐπὶ πλέον ψυχθέντας ἢ πληθωρικοὺς κωλύειν συμφέρει.

A vino vero, qui ex bubone febrem con- C *ceperunt, donec is solutus sit, arcendi sunt: at astricti, vel refrigerati, siquidem affectus leuis sit, ac humorum plenitudo minime adsit, prohiberi à vino non de-bent, quod si vehementius refrigerati sint, aut humorum plenitudine laborent, vini abstinentia confert.*

MErito, qui ex bubone correpti sunt dia-ria, debent à vino abstinere, donec bu-bo vel plane solutus sit, vel certe iam val- D de declinet: mouet enim vinum fluxiones ad partem affectam. Sic profecto, vbi adest ple-nitudo humorum, vinum nocet, præsertim si plenitudo est ex bono sanguine; quod si est ex pituitoso, iam soluta febre, magis forte pro-derit, quam aquæ potio. Illud vero non vide-tur rationi consonum, vt qui vehementer sint refrigerati, à vino abstineant; quid enim his magis prodesse potest, quam vinum? quod fa-cit ad penetrationem, & apertionem omnium meatuum.

Τοὺς δ' ἐπὶ ἀγρυπνίαις ἢ τινὶ πάθει ψυχῆς πυρέξαντας, ἐπειδὰν λύσῃς, ὑγραινούσῃ τε καὶ εὐχύμῳ τροφῇ διαιτᾶν. οἶνον δὲ μάλιστα μὲν τοῖς ἀγρυπνήσασιν ἀδεῶς διδόναι πᾶ-σι, πλὴν εἰ μὴ κεφαλὴν ἀλγοῖεν ἢ οἱ κρό- E ταφοι σφύζοιεν. ὃ δηλονότι καὶ ἐν τοῖς ἄλ-λοις φυλακτέον. ἀλλὰ καὶ τοῖς ὀργισθεῖ-σιν, ἢ λυπηθεῖσιν, ἢ φροντίσασιν, οἶνον δι-δόναι. τοῖς θυμωθεῖσι δὲ ἡνίκα ἔξω παν-τελῶς τοῦ πάθους ὦσι, πρότερον δ' οὐκ ἀσφα-λὲς οἴνῳ χρῆσθαι.

Qui vero ex vigiliis, aut aliquo animi af-fectu in febrem inciderunt, vbi se laue-rint, humido & boni succi victu refi-ciendi sunt. vinum autem maxime qui-dem omnibus iis, qui peruigilauerint, in-trepide dandum est; præterquam qui-bus caput dolore afficitur, aut tempora pulsant: quod & in omnibus aliis obser-uandum est. Sed & ira, & tristitia, & cura affectis, vinum adhibendum est: excandescentia vero febricitantibus non, antequam ab eo affectu omnino conqui-euerint: nam prius vino tuto vti non pos-sunt.

QVoniam prædictæ causæ corpus exsiccant; humidus victus prodest; & quia substan-tiam nostri corporis absumunt, renu-tritio ex bonis alimentis adhibenda est. Vi-num pariter & iis, qui ob vigiliam laborarunt, vel ob alios animi affectus, præterquam ob iram, conuenit; propterea quod ab illis cau-sis spiritus sunt dissoluti, qui vini moderati potione prompte restaurantur. In excande-scentia vero feruor excitatus est, qui vini po-tione augetur, nisi plane cum quieuerit, & spirituum non est facta magna resolutio, quæ postulet sui reparationem. Sic si caput dolo-re tentatur, à vino abstinendum, quoniam vinum commouet humores, & vapores trahit ad caput.

Πειρᾶσθαι δὲ καὶ τὸ ἐναντίον ἀντεισάγειν ἀεὶ τῷ λυπήσαντι. κόπῳ μὲν ἀνάπαυσιν. ἀ-γρυπνίᾳ δὲ ὕπνον. ὀργῇ δὲ καὶ λύπῃ καὶ θυ-μῷ, τὴν ἐν λόγοις τε καὶ πράξεσι καὶ θεά-μασι διηγήμασι θυμηδίαν. οὕτω δὲ καὶ ὁ φροντίσας ἐπ' αὐτῷ τελέως ἀναπαυσάτω τὸν λογισμόν. καὶ ὁ διὰ βουβῶνα πυ-ρέξας, αὐτόν τε τοῦτον ἐξιάσθω καὶ πολὺ πρότερον αὐτοῦ τοῦ ἕλκους ἐφ' ᾧ συνέστη. ταῦτά σοι πυρετῶν ἐφημέρων ἔστω γνωρίσμα-τά τε ἱκανὰ καὶ ἰάματα.

Perpetuo autem infestanti causæ contra-ria opponenda sunt remedia: labori qui-dem quies; vigiliis somnus; ira, tristi-tiæ, & excandescentiæ, sermones, a-ctiones, spectacula, & rerum narratio-nes, quæ animo voluptatem afferunt, sic & qui cogitatione laborat, ab hac omni-no cesset. Et qui ex bubone febrem con-traxit, hunc ipsum curet; atque in pri-mis vlcus, ex quo ortum bubo habuit.

Hæc quidem de diariarum signis, tum remediis abunde dicta sint.

HÆc omnia patent omnibus, nam nihil in medicina certius est, quam quod repugnandum sit causis morbos facientibus, cum adhuc illæ sunt præsentes, quærendumque quid singulis causis repugnare possit.

DE FEBRIBVS, QVÆ EX *humoribus consistunt.*

EXpeditis febribus, quæ à spiritibus, vel vt alii volunt, in spiritibus consistunt, sequitur, vt de illis agamus, quæ ab humoribus, vel in humoribus oriri dicuntur; qua in re illud primum excutiendum venit, an aliqua huiusmodi febris sit? nam, vt antea probauimus, à spiritibus quasdam prouenire febres, ita hoc loco idem faciendum est de his, quæ in humoribus statuuntur à nostris scriptoribus; non enim id per se notum est: quapropter recipi non potest tanquam principium, sed probationem suam desiderat, ne ex ignotis procedat tractatio.

Porro febres quasdam ab humoribus nasci, indicat inprimis sanatio: nam cum multæ febres haudquaquam soluantur, nisi expulsione humorum, constat illas ab humoribus nasci. Docent idem causæ, quæ nostrum corpus non aliter afficiunt, quam quod humores vitient, quales sunt, quæ putrefaciendi vim habent; *est enim putrefactio proxima aut prima humorum passio.* Quod si illa, quæ putrefaciendo obsunt, febres accendunt, constat vtique vitio humorum nasci quasdam febres. Est præterea reperire febres in corporibus plenis plurium dierum spacio affligentes, quas cum nemo hecticas dixerit, aut in spiritibus ponere possit, restat, vt illarum origo tribuatur humoribus; fiunt igitur in humoribus febres.

Sed quales illas oporteat esse; non est facile ei, qui sequitur hactenus receptam ab omnibus medicinam, intelligere: nam cum Galenus *initio noni libri Methodi*, ac *passim alibi* diuidere soleat febres in diarias, putridas, & hecticas; diariæ autem omnes in solo spiritu (vt tradit *circa finem secundi de Crisibus* & multis aliis in locis) ponantur, hecticæ vero in solida cordis substantia sedem habeant; constat, illius opinione, omnem humoralem febrem esse putridam; si modo ea diuisio vera est, quam vt verissimam omnes, qui post illum vixerunt, receperunt: nam Auicenna, & alii vniuersi Arabes, ac recentiores nostri, nullas alias humorales febres ab initio ponunt, quam putridas, sequentes nimirum Galeni, & Græcorum diuisionem. Id licet videre apud Auicennam, qui post diarias febres, protinus de putridis agit: est & locus de hac re *ca-*A *pite quinto primi de Differentiis febrium*, vbi Galenus quærit, an omnis febris ex putredine humorum nascatur, quod dicit Athenei sectatoribus placuisse: quo loco diarias excipit; *& capite secundo eiusdem Operis* concludit triplex illud suum genus febrium, vnum diariarum, alterum putridarum, tertium hecticarum: quo fit, vt ex illius, & aliorum principiis nulla febris in humore sit, quæ etiam non sit putrida; & si postea ex ipsa tractatione conuincuntur, febrem ponere in humoribus haudquaquam putrescentibus: nam Auicenna, *capite de febre sanguinis*, ponit febrem in humore non putrescente. Sunt & loci de hac re apud Galenum non pauci, nam *libro no-*B*no Methodi* synochos non putridas in corporibus sanguine abundantibus fieri scribit, tanquam materia illarum sanguis sit; quod & remedia ostendunt: nam si sanguine educto, soluitur huiusmodi febris, constat profecto, causam fuisse humorem. Adde, quod ipse scribit huiusmodi febres iugulari, ac penitus abigi sola sanguinis detractione; quod non solum confirmat in humore hanc locari febrem, sed etiam nullam subesse putredinem: quippe, cum eo auctore *vndecimo Methodi*, nequeant abigi putridæ febres, sola sanguinis missione.

Quid clarius eo, quod habet tum *in eodem* C *libro*, tum *passim alibi*, synochos quasdam esse putridas, alias vero non putridas? quod si ita est, cum vtraque synochus in eadem materia debeat poni, ex qua habent, vt synochi sint, putridæ vero non nisi in humore poni possint, sequitur vtique, & alias, quæ putridæ non sunt, in alia materia non esse statuendas: in qua enim, quæso, alia poni possent? si enim in spiritu, diariæ erunt, & vno die finientur. Nec recipienda est illorum opinio, qui synochos non putridas, diarias plurium dierum vocant: quomodo enim diariæ fuerint, si illæ in humore, omnes vero diariæ in spiritu residere dicuntur? quomodo diariæ, si diem vnum excedunt, repugnante vocabulo, D dici poterunt? nam synochi huiusmodi ad quartum etiam diem extenduntur ex sua natura.

Quod si Galenus, vt antea admonuimus, synochos sub diariis aliquando comprehendere voluit, id fecit, vt diuisionem tueretur febrium male excogitatam, erant enim diuidendæ febres in eas, quæ in spiritibus, & eas, quæ in humoribus, & alias, quæ in partibus solidis ponuntur; & humorales rursus diuidendæ in putridas, & non putridas: atque ita non incidisset in has difficultates, vt ad diarias redigeret febres, quæ alterius sunt generis, nec ex ipsa tractatione coactus fuisset agnoscere quasdam febres nasci nequaquam putrefactis E humoribus. Itaque cum febres, quæ in humoribus ponuntur, nonnullæ sint ex sola humorum calefactione, aliæ vero ex eorundem putredine, primum de illis, tanquam de simplicioribus, & ad curationem facilioribus agemus.

Qua in re illud primum considerandum venit, an

A nit, an omnis humor possit esse subiectum harum febrium? quod si non omnis, quis aptus esse possit, quis vero ineptus? & qua ratione fiat, vt in vno humore tum putrida, tum non putrida, in alio vero semper putrida febris nascatur. Sunt porro in corpore humores, pituita, bilis vtraque, serosus humor, sanguis, qui quartus humor dicitur, & qui ex his vniuersis humoribus conflatur, qui sanguinis nomine pariter nuncupatur; imo simplici nomine non alium intelligimus sanguinem, quam hunc, veluti cum dicimus, sanguinem mitti secta vena, aut fluere à corpore, aut inflammationes ex sanguine fieri; alium vero sanguinem non simplici appellatione, sed addito humore nuncupare solemus, veluti cum dicimus sanguinem quartum humorem.

Febris humoralis non putrida in quo humore accendatur.

Porro humoralem febrem, quæ sine putredine est, accendi non in peculiari aliquo humore, sed in tota massa, ipsoque sanguine, ex hoc constat, quod desinunt huiusmodi febres, venis exhaustis, euacuatoque ipso sanguine. quod si aliquis ex aliis humoribus peculiariter afficeretur, esset profecto opus peculiari aliquo remedio, quemadmodum videmus fieri, quando febris nascitur putrida ex vitio pituitæ, aut bilis, aut alterius humoris, nec desinit febris post sanguinis detractionem, nisi purgatione, aut alia ratione educatur noxia materia. C *Est ergo materia harum febrium vniuersa humorum massa*, quæ putrescere quoque potest, vt & alii humores.

Cur sanguis ex solo calore atque etiam ex putredine febrem accendat, alii vero humores non nisi cum putrescunt.

Verum, cur est, quod sanguis ex solo calore atque etiam ex putredine febrem accendit; alii vero humores non nisi cum putrescunt? nemo enim ex bile, aut pituita excalefacta, sed semper putrescente, febres enasci nouit: quod ostendit curatio, quæ fieri nequit, nisi educatur materia corrupta, quæ ex putredine est nata: siquidem putredo corruptio quædam est; huius rei rationem nullus attigit ex nostris scriptoribus, & difficile vtique est veram inuenire; quod si satis est probabili ratione vti in rebus difficillimis, & obscurissimis, putarem ideo sanguinem calefieri posse præter naturam absque putredine, D *quod ob suam copiam non facile corrumpi à calore possit, sed aliquandiu solum calorem sustineat*: nam quod multum est, diuisioni, & corruptioni magis repugnat, quam quod paucum, præsertim cum non ex re ipsa, sed aliunde nascitur calor putredinis causa, quo fit, vt cum alii humores exiguam habeant molem, & substantiæ copiam, simul putrescant, corrumpanturque, & calorem præter naturam concipiant. Adde potius, quod *aliorum humorum temperies, aut substantia, putredini magis est exposita, quam ipsi sanguinis*: E nam bilis, & pituita corruptam, & excrementosam substantiam iam obtinent; quod fœtor illorum ostendit, iam putredinis quodammodo particeps; sanguis vero quartus humor, cum habeat temperiem calidam, & humidam, facile pateretur à putredine, quæ ab iis causis nascitur; nisi obstaret pura illius natura aerea, quæ facile transpirat: putredo autem fieri non potest, vt postea ostendemus, nisi impediatur transpiratio. At vniuersa humorum massa ex contrariis humoribus conflata optimam substantiam, optimamque temperiem sortita, difficilius quoque corruptionem, ac putredinem admittit.

DE FEBRE SYNocha non putrida.

Febris sine putredine, sanguinea ... qualis sit.

B CVius vero naturæ sit huiusmodi febris, quæ citra putredinem in sanguine nascitur, nunc explicandum est. Est autem synocha febris, nec alterius generis esse potest, quod intelligetur, explicata essentia, & causis febris synochæ, de qua tempestiuum est, vt iam agamus. Synochas febres eas vocant Græci, quæ tales perseuerant vsque ad finem, quales inceperunt sine accessionibus infestantes. Propterea maiores nostri putauerunt, illas esse ex genere diariarum; quanquam Galenus *duodecimo capite secundi, de Differentiis febrium* scribit synochas proportionem seruare cum tertianis, nunquam idem de vna re duobus locis scribens. Verum quidem est, synochas putridas tandem accessiones habere tertianæ modo, quando scilicet ex sanguinis putredine bilis vtraque gignitur, febrisque ex illarum putredine nascitur, at quamdiu synocha febris est, nunquam accessiones infestant.

Synocha febres quæ ...

Earum differentia.

Cuius differentiæ tres esse traduntur: vel enim semper crescit à principio vsque ad finem, vel semper minuitur, aut eundem vigorem, eandemque magnitudinem retinet: & merito quidem tres istæ differentiæ statuuntur: tum quod experientia eas agnoscat, tum quod ratione probentur esse posse: non enim potest vniformis reperiri alteratio, aut motus, qui non recidat in aliquam ex prædictis differentiis.

Intelligere autem oportet semper crescere, aut minui, aut eandem magnitudinem retinere febrem hanc, non quod ea, quæ dicitur perpetuo augeri, non habuerit principium, incrementum, & statum, sicut illa, quæ æqualis magnitudinis ponitur esse, non habuerit suum principium, incrementum & statum: quandoquidem ad medium aut ad extremum motus nunquam peruenitur absque iis, quæ præcedunt, motionibus: sed quod momentaneæ sint aliæ, ideo tanquam non sint, non dicuntur esse: habet enim quæ semper crescere ponitur, principium, incrementum, & statum suum, & quæ eiusdem est tenoris, principium, augmentum, & declinationem, quemadmodum quæ declinare perpetuo dicitur, initium, augmentum, & statum; verum, vt dixi, momento transeunt hæ partes; ea vero, à qua denomina-

tionem sumunt, longa est, curationemque mutat & propterea ea duntaxat in considerationem venit.

Cognoscuntur ; & inter synochas febres quædam esse sine putredine, aliæ vero cum putredine coniunctæ, idque ex remediis, quæ putredini medentur ; & aliis, quæ febres extinguunt, cum interim putredini haudquaquam repugnent ; Has, quæ putridæ non sunt, falso putauit, vt antea ostendimus, Galenus esse ex genere diariarum ; quando nec materia, ex qua genera febrium ille distinguit ; nec eadem remedia iis conueniunt, quæ diariis. addo, quod si synocha non putrida est ex genere diariæ ; erit pariter & putrida ; nam genera febrium ex materia eadem posita sunt eadem esse ; quapropter si vna ex synochis inter diarias ponitur, alia ponetur quoque, quippe cum ex eadem materia (vt postea ostendemus) habeant, vt synochæ sint.

Vnde fiat, vt quædam febres sint synochæ, aliæ vero non.

Cur vero fiat, vt quædam febres sint synochæ, aliæ vero non, & cur inter synochas quædam semper crescant, aliæ minuantur, aliæ vigeant, expendere nunc oportet. Qua in re Galenus causam, cur synochæ sint, referre videtur ad causas, quæ febres pariunt, caloremque in corpore accendunt; *nam*, inquit ille, *ex adustione, cruditate, lassitudine, vigilia, animi perturbatione, vel bubone, nunquam febris gigni potest, quæ ad tertium vsque diem progrediatur, nisi*, inquit, *in curatione erratum sit : at ob stipationem cutis fieri huiusmodi potest febris ; siue obstructi exiles sint meatus, siue conniueant, siue densati sint a frigore, vel balneo, vel pharmacis, vel siccantibus, vel indurantibus : accenditur enim* (inquit) *febris ab huiusmodi causa, quoniam non transpirant humores, qui causa sunt remissionis, & solutionis accessionum.* Itaque, vbi nulla subest in huiusmodi febre occasio, quæ alterius accessionis principium excitet, nō mirum, si fiat febris plurium dierum vna accessione contenta. Ex quibus verbis colligitur, *non ob materiam subiectam, sed ob causas, quæ calorem excitant, transpirationemque vaporum prohibent, fieri synochas febres.*

Opinio Galeni.

Refutatio.

Verum aliter sentiendum est ; nam si prohibita hæc transpiratio causa est, qua fit synocha febris, cur in omni corpore non fieret, vbi cutis densatur? quod ipse negat fieri posse : nam huiusmodi febrem non in frigidis ; nec gracilibus, aut malis humoribus redundantibus ; sed in iis, qui plurimo sanguine, & calidis simul excrementis abundant, corpulentique sunt, nasci commemorat *eodem libro* : quod superfluum esset scribere, si sola constipatio causa esset : in quocunque enim corpore eandem excitaret febrem, etsi minorem, aut maiorem in vno, quam in alio. Docere præterea debebat ; cur nulla subsit occasio, quæ nouæ accessionis causa esse possit : hoc enim dicit plurium dierum fore febrem, si vehemens sit stipatio ; & eandem fore synocham, si nulla subest occasio, quæ alterius accessionis principium excitet : sed non probat hoc, cur synocha fit : facit quidem stipatio vehemens, quæ breui tempore tolli non potest, vt multos dies duret : at hoc non docet,

cur synocha sit futura, nisi explicetur, cur in aliquibus subsit causa nouæ accessionis ; in aliis vero nequaquam. Alibi vero causam synochæ febris non ad causas, quæ calorem pariunt corpori, sed ad locum, in quo continentur humores reuocat, vt *capite secundo de Differentiis febrium* ; vbi habet, febres, quæ affligunt sine circuitione, fieri ex humoribus in venis, & arteriis omnibus ; maxime in maximis ; id quod *vndecimo Methodi* confirmat : *Necessarium*, inquit, *est eam synocham esse, in qua humores in omnibus vasis, vel in maximis putrescunt, quod si in vna parte putrescant, febris fit per accessionem infestans.*

Adde, quod habet, *secundo capite, secundi de febribus*, synochas etiam ex bile fieri : verum ex hoc peti causa non potest : nam continuitatis causa ex loco quidem ducenda est : at quod synocha sit, non item ; propterea quod nouimus bilem flauam tertio, atram quarto quoque die, pituitam vero quotidie exacerbationes suas habere, quocunque in loco corporis contineatur. Quod vero ipse dicat synochas ex bile fieri, errat, nisi intelligat, ex synochis putridis tandem fieri biliosas, quod postea cum de synochis putridis agemus, diligentius explicabimus : continetur quidem in omnibus vasis materia, quæ synocham facit, sed non eo, quod in illis sit, ideo synocha est, sed eo, quod materia ea sit, quæ non nisi synochas parere est apta, esset semper nouæ accessionis causa si ex quolibet humore fieret.

Sententia auctoris.

Ego vero non ad causas, quæ calorem excitant & febrem in corpore, nec ad locum, sed ad subiectam materiam huius rei rationem reuocandam esse puto : quicquid enim sanguinem præter naturam accendere potens est, illud synochas febres efficit ; facit autem id non solum constipatio cutis, sed etiam internæ obstructiones, & in aliquib. qui facile accenduntur, etiam labor, vt aliæ Diariarum causæ, præsertim si vehementiam assumpserint. Hanc confirmant opinionem primum illa, quæ ipse scribit *loco præcitato*, quod scilicet synochæ febres in solis sanguineis corporibus gignantur : deinde quod rarissime, nisi Vere, in quo sanguis abundat, huiusmodi febres proueniant. Idem testantur remedia, quæ illis peculiariter medentur. Est enim etiam Galeni opinione harum vnicum præsidium sanguinis larga detractio, nulla mentione facta eorum, quæ rarefaciunt cutem, aut alio modo impeditæ transpirationi succurrunt.

Adde, quod ille scribit *nono Methodi capite 3.* putridam synocham fieri, vbi in omnibus vasis æquabiliter succi putrescunt : intelligit autem succorum æquabiliter putrescentium nomine, non nisi sanguinem : cum enim ille, qui omnes humores in se continet, putrescit, tunc synocha putrida fit.

Idem testatur *secundo textu primi Commentarii sexti Epid.* vbi inquit : *Accenditur ex sanguine putrescente synocha.* Quod si synocha ex sanguine putrido fit, erit quoque non putrida causa

dæ causa petenda à sanguine. Ac præter illa, quæ dicta sunt, ostendit id, solum sanguinem posse esse causam huius febris; quod s. ea causa posita, nulla subsit occasio gignendæ nouæ accessionis: quod cum in putrida demonstrauero, intelligetur eadem esse causa cum eius, quæ non putrida est. Igitur cum accessionis causa petatur ex noua materia & humore putrescente, alii quidem humores materiam habent in massa, quæ putrescere de nouo potest & nouæ accessionis esse causa, non enim vniuersa bilis aut pituita, quæ in corpore est, in vna accessione putrescit, sed ea duntaxat portio, quæ iam ad putredinem est paratior, aut si vniuersam, quæ reperitur genita in corpore, putrescere putamus, manet certe dispositio, quæ nouam materiam suppeditare potest, quo pacto videmus fieri in tertianis, in quibus hepar peculiariter affici, & febris focum esse dicimus, non alia ratione, quam quod bilem materiam tertianæ febris suppeditet. Idem de ventriculo dicitur in quotidiana, & de liene in quartana, at in sanguine nihil huiusmodi esse potest: ex quo enim noua materia sumi poterit, & nouus sanguis? aut quæ dispositio morbosa in corpore esse poterit, quæ sanguinem gignat, qui nouam putredinem experiatur? totus enim corruptionem sentit plus vel minus, quæ tamdiu durat, donec vel sequatur mors ex immedicabili vitio, aut remedia inueniat. Est ergo hæc causa, mea opinione, cur quædam febres sint Synochæ, aliæ vero non: nam omnibus Synochis, putridis, inquam, & non putridis, communis causa est eadem, vt communis materia.

Cur inter synochas quædam semper crescat, alia vero minuatur, alia autem eundem tenorem seruet.

Cur vero inter synochas quædam semper crescat, alia vero minuatur, alia autem eundem tenorem seruet, Galenus *nono Method.* docet: fit enim, inquit, id ex æqualitate & inæqualitate eius, quod accenditur, & discutitur: nam cum ex vaporum transpiratione contingat, vt ille putat, accessionis remissio, contingit quoque vt tantum dissoluatur, quantum gignitur vaporis, aut plus vel minus gignatur, quam discutiatur; Quod si æquale est, quod discutitur, ei, quod gignitur, synocha fit, quæ æqualem seruat magnitudinem; at si plus gignatur, quam expiret, illa fiet, quæ perpetuo augeri dicitur: illa vero nascetur, quæ semper decrescit, si plus discutitur, quam gignatur vaporis; contingit porro, quod plus gignatur, quam dissoluatur, vbi multa subest materia, & causæ calefacientes sunt validæ; cutis vero & habitus corporis, per quas partes expirat vapor, sunt crassæ & densæ, astrictæque vel naturali constitutione, vel ob causas, quæ densando febrem excitarunt. Addi etiam potest alia difficultas ad dissolutionem ex materia subiecta crassiore, quæ difficile cutis meatus permeat: ex quibus æqualitatis & alterius inæqualitatis causa facile intelligi potest. Patet & illud, causas æqualis aut inæqualis magnitudinis sumi partim ab agente excitanteque calorem, partim vero à materia subiecta, & causa, sine qua non dissipatio fieri potest.

Quod vero synocha sit febris, vniuersa causa, A vt diximus, capitur à materia ipsius febris, nempe humore, à quo calor accenditur. At si quis quærat, quo modo febris, quæ semper augetur, aut eundem tenorem seruat, finiri ad salutem possit, cum necesse est declinare morbus, si salus sequi debet: respondendum, has febres habere quoque suam declinationem, sed breuem, & quod interim concrescant vel vigeant, ideo fit, quod natura alteret, & vincat subiectam materiam, qua victa, & expulsa vaporis materia demitur.

Febris synochæ signa.

Signa synochæ febris non putridæ docet Galenus *nono Method.* suntque hæc; pulsus maximus, æqualis, vehemens, nec durus, nec mollis, celer tamen & frequens; Addit Auicenna B rubedinem faciei, & oculorum, venarum, & temporum inflationem, & tensionem, vnde ab eo, & recentioribus Medicis inflatiua febris vocatur. Est & aliquando pruritus in naso & collo, difficilis anhelitus, somnus profundus, difficultas sermonis, vbi grauis est affectus, necnon inflammationes amygdalarum, & faucium, lachrymarum cursus, vrinæ rubræ, tenues vero & crassæ, prout sanguis tenuis est, vel crassus.

Verum absque Methodo hæc ab illis traduntur, cum à nullo certe capite exordiantur. Præterea, omittunt iuuantes lædentesque causas, & gignentes eas, scilicet, quæ præcesserunt, vimque habuerunt accendendi sanguinem, & C nequaquam putrefaciendi; prætermittunt & inditia, quæ ex subiecto sumuntur, quod scilicet corpus quod afficitur, sanguine multo & bono sit refertum, atque ipsum carnosum & densum, postremo prædicta ab illis symptomata omnia, necessario non sunt signa synochæ febris, sed quædam magnam duntaxat sequuntur; nam plurimum calorem ostendunt maximi pulsus, veloces simul & frequentes: vehementia indicat robur virium, quod in iis corporibus, in quibus synocha potest accendi, subesse solet. æquales sunt pulsus, quia nulla subest putredo, nec in instrumentis siccitas, quæ motus æquales prohibeat fieri; duri quidem non sunt, quia abest siccitas: est tamen D tensio aliqua ob repletionem vasorum ex sanguinis vaporumque abundantia. Respiratio vero difficilis, nempe magna, velox & crebra ad pulsus proportionem; accidit autem talis respiratio ob caloris multitudinem circa præcordia; ipse vero calor multus ob multam euaporationem & ebullitionem; at non acris, quia subest benigna & suauis materia. licebit ex iis aliorum symptomatum rationes & causas assignare. Quod si quis Methodo huius rei signa tradere velit, debet expendere, quænam causæ possint caloris feruorem, & in illo febrem excitare absque putredine, & quid possit talem febrem pati, iuuare & lædere, & qualis, quantusque calor in tali affectu emittatur, qui quales- E que effectus & casus sequi sint apti, & tunc ex hac arte intelliget, quænam signa sequantur omnes synocha laborantes. Quæ vero illos duntaxat, qui grauius, aut leuius laborant, ac etiam ex ea ratione intelligetur, quid futurum sit, an in putridam transibit, ac perimet, vel aliud quidpiam accidet.

Curatio.

Si ex indicantibus & contraindicantibus intelligimus, quaenam & quot praestare oporteat, & reliqua, quae ad curationem pertinent, constat in hoc casu vnum indicari, refrigerationem scilicet, quae ablatis causis, in quibus calor est accensus, potissimum perficitur. Est porro causa, vt diximus, haec sanguinis abundantia, in illius ergo euacuatione praecipuum remedium collocandum. Sic Galenus *nono Methodi* se febrem iugulasse scribit venae sectione, tanquam vel nullum, vel minimum negotium relinquatur post sanguinis detractionem. Est porro detrahendus adultis vena secta, pueris vero tenuioribus vel admotis hirudinibus, vel cucurbitulis cum incisione, variis in locis, praesertim partibus carnosis & sanguineis applicatis. Quod si venter forte astrictus est, soluendus est, priusquam sanguis mittatur, molliori clystere. Quo vero die mittendus sit, & quantum, & quomodo, nunc docendum. [*Quando sanguis mittendus.*] Scribit autem Galenus *nono Methodi*, se in eo seruo, qui laborabat hac febre, non nisi post tres dies, aut ipsa tertii diei vltima parte sanguinem eduxisse, vt interim intelligeretur genus febris, & satisfieret repugnantibus Medicis; quod mihi non videtur homine dignum, qui gloriari solet se consueuisse statim febriū genera dignoscere. Quapropter si ex corporis habitu & aliis causis & inditiis videat Medicus Synocham esse febrem, aut eam fieri posse eamet hora, qua vocabitur, nisi recenter ingestum sit alimentum, & astricta sit aluus, sanguinem educet. Caeterum scriptum est à Galeno, *eodem libro*, & ab aliis vniuersis Medicis receptum, sanguinem esse mittendum iis, qui laborant hac febre, vsque ad animi defectum; [*An vsque ad animi defectum.*] hancque adferunt rationem, quod animi defectu corpus refrigeretur, deiiciat aluus, sequaturque vomitus nonnunquam & protinus sudores; madoresve accidunt, quibus quidem febris extinguitur & iugulatur; quod remedium, etsi periculosum sit, tamen non est praetermittendum, vbi res postulat. Verum cum omnes, qui synocha laborant, non eodem modo afficiantur, quidam enim grauius, alii leuius, vt in aliis febribus accidit, laborant; quare ad vnum extremum remedium omnes non sunt adigendi: leuius enim tractandi, qui leuius laborant, ne vis naturae inferatur in minore malo. Quare praestat de hac re statuere, vt tantum detrahatur, quantum necessarium videtur ad calorem extinguendum recuperandamque sanitatem, quantumque admittunt vires.

[*An vna vel pluribus vicibus.*] Est porro detrahendus sanguis ita indicante affectu confertim: sic enim calor promptius extinguitur, at si veremur viribus vim inferre, quam sustinere nequeant, partiri oportet detractionem. Sanguine vero detracto, interposito duarum horarum spacio, imitatione Galeni, ita quoque suadente ratione, nutrimentum dabis, ac postea aegrum quiescere dormireque videbis; [*Quid post sectam venam faciendum.*] patetque tum ex 8. & 9. *Methodi* Galenum concedere aegrotis etiam à prandio longiorem somnum, verum somni modus in hoc affectu esse debet: nam huiusmodi corpora ob nimiam euaporationem nonnunquam solent sopore corripi; cibus autem exhibendus ex ptisanae cremore, bisque dandus, si Galenum imitari velimus, ducendusque, eo authore, aeger, soluta febre, in balneum, & lauandus; potus erit ex hordei decocto, vel ex pura & cruda aqua sola, vel cum sacharo, aut iulepo rosaceo, vel violaceo, aut vino granatorum. Quae vero incidunt & extenuant, cum nulla sit hic interna obstructio, & sola refrigeratio requiratur, non perinde sunt necessaria; quin etiam, pro ptisana, panis coctus in aqua & lactuca, vel cocta, vel etiam cruda cum aceto, & pauco olei & salis, acetum, pruna Iberica, vel Damascenica nostra; cum sacharo & aqua cocta, donec intabescant exhibenda; conueniunt & limones, mala aurea, siue arantia, & dulcia & omnis alterius saporis; probare vero non possum Auicennam, & Hispanorum Medicorum institutum, qui lenticulas ipsas, earumque decoctum hic competere putant, [*Lenticularum vsus improbatur.*] quando, scilicet tenuior (vt aiunt) est sanguis: nulla enim humoris tanta potest esse tenuitas in hoc casu, vt postulet incrassantia, aut certe melioribus alimentis licebit id facere: est enim dura lens, tardeque coquitur, ac melancholicum succum procreat: nec oberit, donec plane soluta sit febris, syrupum exhibere singulis diebus mane ad refrigerandum, id quod commode praestabunt syrupus de endiuia, rosaceus, de succo acetosae, tamarindorum, hordei, prunorum, & reliqui huiusmodi, de quibus vberius postea. Nec alienum est leues frictiones adhibere vacuato sanguine, si corpus fuerit constrictum, pugnandumque aduersus causas, quae febrem excitarunt, si forte adsunt, aut aduersus relictas impressiones, si quae supersunt, ablatis causis. Purgatio his nequaquam est necessaria, quippe, cum nihil putrefactum nihilque corruptum sit. [*Purgationem in Synocha sine putredine non requiri.*] At si praetermissa est, vel metu aegri, vel Medici ignorantia, aut negligentia sanguinis missio, aqua frigida quantum vno haustu bibi potest, exhibenda.

Τῶν δ' ἄλλων πυρετῶν, οἱ μὲν, ἐπὶ φλεγμοναῖς, οἱ δὲ ἐπὶ χυμοῖς ἀνάπτονται.

Aliae vero febres aut ex inflammatione, aut humoribus accenduntur.

Posteaquam egimus de febribus, quae ex humorum excalefactione nascuntur, sequitur, vt ad alterum genus transeamus, quod scilicet ex eorundem putredine oritur, quae res cum tota fere pendeat ex putredinis tractatione, cogimur vtique hic breuiter commemorare, quae in *Commentariis nostris in Artem medicinalem* diligentius enarrauimus, vt ex notis principiis procedat haec nostra disputatio, praesertim, quod nos in ea re in nonnullis dissentiamus ab Aristotele, & aliis maioribus nostris, ita, vt nisi quid sentiamus, intelligatur, necesse sit, obscuriorem reddi ipsam de febribus putridis tractationem. Igitur à putredinis varia significatione primum incipiendum est

[*Putredinis varia significatio.*] Putredinis nomen apud Medicos multis

modis

modis sumitur: nam medicamenta caustica non vehementer, & simul tenuia, putrefacientia vocant, sed improprie; proprie vero, quæ calefaciunt & humectant, quin etiam *capite septimo primi de Differentiis febrium*, suppurationes, in quibus natura vicit qualitates humorum, & manet vitiata eorum substantia, putredines vocat, exquisita tamen est putredo ea, in qua nec qualitates, nec substantia assimilatur partibus concoquentibus, vt in gangrænis apparet, & in febribus, in quibus vrinæ nullam coctionem recipiunt, adeo, vt ea alteratio, in qua & substantia, & qualitates assimilantur, simpliciter concoctio dicatur: ea vero, in qua nulla fit assimilatio, simpliciter sit putredo; ea vero, in qua fit mutatio per qualitates, substantia vero manet dissimilis, nunc concoctio, nunc putredo dicatur, vt pus dicitur esse res putrida, & res concocta; est enim putredo corruptio, & quæ corruptionem acceperunt, non possunt corrigi, sed ab aliis separanda sunt & abiicienda, sicut contingit puri, quod post omnem, quam accepit, concoctionem, vitiatum adhuc manet, & inutile animali.

Putredo exquisita quæ.

Est autem putredo non qualiscunque corruptio, sed eorum, quæ simplicem habent generationem ex solis elementis, vel ipsa sunt elementa; omnia enim (vt inquit Aristoteles, *capite primo libri quarti Meteororum*) excepto igne putrescunt; & ea quidem corruptio aliquando est secundum naturam, aliquando præter naturam, prout incipit ab intrinseco, vel extrinseco principio, & propterea dicebamus Aristotelem non recte statuisse, putredinem esse corruptionem secundum naturam, vt quæ sit naturali generationi opposita, & eandem fieri à calore ambientis, & externo. Præterea, putredo non est corruptio caloris, qui est in rebus singulis, vt Aristoteles posuit, quippe, cum caloris sit & frigoris corrumpere; humidi autem, & sicci corrumpi, & corruptio non est simplicis qualitatis, sed compositi; vt ipsa generatio; nec non putrescunt nonnulla, quæ nullum habent proprium calorem, vt aqua, non est igitur corruptio caloris, qui est in humido, vt voluit Aristoteles, nec totius substantiæ, vt Galenus tradit: sed sicut generatio est vnio ex humido, & sicco, agente calore, vel frigore; sic putrefactio, *est corruptio, & separatio humidi a sicco facta a calore rei indito, vel a natura, vel ab extrinseco.* Primo ergo & per se est corruptio, & separatio humidi à sicco, per accidens vero caloris, vt qui ad consumptionem humidi pereat: igitur (vt breuiter dicam) putredo est *corruptio substantiæ & compositi ex humido & sicco, facta a calore vitiato, agente postea in humidum, & agendo separante ipsum à siccitate.*

Putredo quorum sit corruptio.

Putrefactio quid.

Putredo quid.

Est porro efficiens causa putredinis non solum aer ambiens (vt censuit Aristoteles) calidus, sed etiam internus rei ipsius calor, cum supra modum patitur ab humido, quando quidem in ipsa hyeme, & in omnibus locis frigidissimis res tandem putrescunt ex interna sua compositione, cum enim calor ob humoris copiam libere transpirare nequit, vim quodammodo patitur primo, sed paulo postea ex vaporibus retentis maior accenditur, & augetur, & auctus cum i-

Eius causa efficiens.

A gneæ sit naturæ, diuque non possit pati dominium, humorem postea vehementius agitat, euocat, secumque trahit, vnde quæ putrescunt, in superficie humida apparent, tandem vero dissoluto ipso humido, relinquitur ex putredine cinis. Vere igitur mista ex quatuor elementis hoc modo aucto calore interno rei, ob humidi dominium, quod prohibet calorem libere exhalare, putrescunt, & ex ea prohibitione sequitur illius augmentum, & ad illud humoris consumptio, & cinis, & inde perfecta putredo.

Cur putrefacta in superficie appareant humida.

Alia vero, quæ non habent perfectam mistionem, suo modo putrescunt, ignis quidem nullo pacto, quia humorem in se non includit, qui putredinis prima est causa; aer vero cum humidior redditur, prohibeturque suo modo difflari, situm contrahit, & putredinem, vt apparet, cum ille in cauernis includitur; sic aqua recipiens vapores calidos ab aere ambiente, & prohibens postea illos exhalare; Et eodem modo terra putrescit; reliqua autem, quæ ad putredinem pertinent, alibi diligenter explicata hoc in loco omittuntur. Nunc ad putridam febrem reuersi, primum diligentius explicemus, quid febris putrida sit, deinde quæ, & quot sint illius differentiæ, postea illarum causas, post quas, signa, postremo curationem aggrediemur, ac tanto profecto diligentius erunt hæc à nobis pertractanda, quanto difficiliora sunt aliis, quæ hactenus explicauimus, quantoque maiorem ex iis, quam ex reliquis gloriam, & vtilitatem Medici sibi comparant: nam fere ad has solas propulsandas accersuntur Medici.

Ignis tantum non putrescit.

Putridam itaque constat vocari febrem, quæ solum ex humore putrescente consistit: nam etsi vapor & spiritus, qui in nobis est, forte etiam putrescit in febribus, tamen ex eo non dicitur febris putrida: Quid ergo fit ex spiritu putrescente? non diaria quidem, non hectica, non putrida; an contemnitur ea putredo, vt quæ non fiat nisi putrescentibus simul humoribus? in quibus cum est sanata putredo, nulla præterea requirimus auxilia aduersus spirituum putredinem; an forte fiunt ex illis febres *syncopales dictæ, & malignæ*? corruptis enim spiritibus, id est, subiecto calidi natiui, communis instrumenti omnium actionum, necesse est syncopes, & alia pessima accidentia oriri, atque hoc genus febrium maxime apparet, cum febres occidunt cū signis coctionis, & obsunt euacuationes omnes, tunc enim in humoribus nullum est vitium, quod per cruditatem, & coctionem ostenditur, nec hectica est febris, quæ non potest statim inuadere, præsertim corpora plena, quæ non minus, quam alia malignis iis febribus sunt obnoxia: superest ergo, vt in spiritibus sit corruptio, & putredo quædam, & non simplex alteratio, quæ cum in omnibus febribus adsit, non tamen patit huiusmodi accidentia, sit ergo febris putrida, quæ vt plurimum ex humoribus, nonnunquam vero ex spiritibus putrescentibus consistit.

Putrida febris quæ.

Quonam oriuntur febres ex putridis spiritibus.

Sed quid dicemus ad Galenum, qui non solum ex humoribus putrescentibus, sed etiam ex inflammationibus putridas febres hic fieri dicit, vt experientia quoque testatur? nam putrescentibus partibus, vt in gangræna, &

humoribus facientibus inflammationem, vt in pleuritide, fiunt febres putridæ: an inflammationes, & gangrænæ putredinẽ in se habent, habent quidem, sed illa non est proximus humor febris putridæ, à qua putrida dicitur; ille enim in vasis continetur, vt ostendunt vrinæ, inditia febrium putridarum, quæ certè non ostendunt putredinem, quæ sit in aliquo membro, sed eam, quæ fit in vasis, cuius cinerem dicit Galenus esse sedimentum, quod in vrinis apparet; Præterea, nullus, qui laborat febre putrida, curatur sine concoctione humorum, qui in vasis continentur, & iis concoctis & eductis, febris euanescit.

Sunt ergo putredines, quæ fiunt in inflammationibus, causæ, quæ primò calefaciunt cor, & putridos vapores cordi communicant, cor vero ipsam putredinem postea communicat vasis, & eam etiam in se recipit, vt postea ostendemus, & tunc dicitur febris putrida, cum humores putrescunt in corde, & in locis, in quibus natura liter humores continentur; At cum humor putrescere possit, vel prorsus secundum substantiam solum, quod est suppurari, aut simile aliquid suppurationi fieri, contingit vtique in febribus vtrumque: nam vrinæ aliquando tales sunt, vt ostendant naturam nihil assimilare, quales sunt virides, liuidæ, aquosæ, oleosæ, nigræ, & tunc perfecta est humorum putredo, quam sequitur mors. Aliquando vero est videre vrinas pallidas, vel flauas, cum bonis contentis, quæ ostendunt corruptam quidem esse substãtiam, sed assimilatas qualitates ipsius humoris. Sed diligentius de materia febrium putridarum agamus. Est porro materia illa febris ponenda, qua educta & victa, febris soluitur; Ac quod ex pituita, bile, & humore melancholico putridæ febres nasci possint, omnibus notum est. Auicenna vero aduersus Galenum nititur probare, ex sanguine putrefacto etiam posse fieri putridam febrem: quod negari dicit à Galeno; qui certè in hac re varius est, vt postea ostendemus, cum de synocha putrida diligentius tractabimus.

An verò ex seroso humore putrescente aliqua possit fieri febris putrida; & an eadem sit, quæ ex bile flaua, cum aliis speciebus, quæ sub bile comprehenduntur, veluti vitellina, & æruginosa, & an quæ ex humore melancholico prouenit, eadem sit cum ea, quæ ex atra bile nascitur, aut diuersa genera sint constituenda, nemo quod sciam, docere tentauit.

Etiam ex humore seroso putrescente fieri febrẽ.

Ac mihi quidem non videtur alienum, vt ex seroso humore febris aliqua fiat: nam si putrescere potest serosus humor, vt potest (siquidem omnia propter ignem putrescunt) quid obstat, quo minus id accidat? docet & id sanatio, multas enim febres desinere videmus educto humore seroso magis, quam alio quocunque; tum etiam misso sanguine licet aliquando contemplari plurimum serosum humorem supranatantem, & nullum alium peccare, in quo febris poni debeat, consistere: temere enim in eo, qui non redundat, eam ponemus, cum videamus, ideo grassari tertianam Aestate, quia eo tempore bilis exuperat: Autumno vero quartanas, quia humor melancholicus eo tempore viget. Idem de quotidiana dicendum & synochis febribus, quæ ex sanguine fiunt: nam si Galenus ideo synochas ex sanguine fieri scribit *nono Methodi*, quod non nisi in corporibus sanguine abundantibus reperiantur consistere, merito putabimus ex redundante aquoso, serosoque humore, febres quasdam oriri; quod potissimum testantur febres hydropicorum, & lentæ quædam febres, quæ in nebulosis pluuiosisque temporibus nascuntur: Ex quo enim, quæso, alio humore fiet febris hydropicorum, cum ex seroso humore reliqua omnia mala, quæ in illis reperiuntur, originem habeant? At cuius generis febris erit hæc? dicet quispiam, non tertiana, quæ ex bile fit; non quartana, quæ ex humore melancholico; non quotidiana, quæ ex pituita oritur. Quod si quis putet aquosum hunc morem sub pituita contineri, errat profecto, quippe, cum calidus & siccus sit, vtpote salsus, serosus humor, pituita vero frigida & humida. Fit præterea hæc ex cibis, ille ex potu; seiunguntur præterea tanquam natura & specie diuersa, ab omnibus authoribus, qui præter quatuor humores, ex quibus constare corpora dicunt, addunt serosum hunc humorem. Itaque, cum nec quotidiana, nec quartana, nec tertiana possit fieri febris ab huiusmodi humore, relinquitur, vt *synocha sit febris*; id quod testantur nõnulla, ac illud in primis, quod appareant quædam synochæ extracto sanguine aquoso cum facie parum rubra, nec cum pulsibus adeo magnis, nec cum calore adeo vehementi, quæ testantur suam originem non esse ex sanguine. Deinde, quod eadem causa in hoc humore reperiatur, quæ in sanguine: ideo enim dicebamus ex sanguine synochas fieri, & non ex alio humore, quod nulla subsit materia, ex qua nouus sanguis elici possit nouæ accessionis causa. In aliis vero humoribus subsit, quod nouam materiam suppeditat. Quam ob rem cum serosus humor ex alio humore non gignatur per adustionem, vt bilis flaua & atra, nec pars sit in corpore, quæ illius sit focus, & veluti quædam officina, quæ suggerat similem humorem ei, qui primo est putrefactus, necessario fit, vt synocha sit febris q̃ parit serosus humor, idq; docent hydropicorum febres, quæ eundem semper seruant tenorem. Quod si aliquando quidã eo morbo affecti sentiunt febrẽ cum frigore, accidit tunc, vt non pura sit febris ex seroso humore, sed admixto cum pituita, quid, quod sæpius in tempore pluuioso, longas, & synochas huiusmodi febres conspeximus? Igitur in seroso humore putrescente febris ponenda est, & ea synocha.

Qualis illa febris sit.

An ex diuersis generibus bilis diuersæ an verò eadem fiant febres.

Cæterum cum bilis quædam pallida sit, alia flaua, alia vitellina, alia porracea, alia æruginosa. Præterea, cum niger humor quidam dicatur humor melancholicus, alius atra bilis, videndum est, an idem genus febrium, an diuersum ab illis fiat; fit porro idem, quod ostendit purgatio, quod nunc pallidam, nunc flauam, nunc vitellinam, aliquando æruginosam bilem vacuat in tertianis, sic in quartanis aliquando atra bilis, aliquando humor melancholicus educitur; & merito quidem *idem fit fe-*

sit febrium genus, quoniam eadem temperies, eadem ferina, omnis enim bilis calida & sicca, omnis niger humor frigidus & siccus, etsi quod uidetur latitudo in eo, quod plus vel minus calidus vel frigidus est, qui in eo est genere: *differunt tamen aliquo modo huiusmodi febres: nam etsi idem accessionis non mutent, horam certe mutant, & in longitudine, magnitudine, benignitate, & malignitate euariant*: nam febris tertiana, quæ ex pallida bile nascitur, tempestiuius inuadit, quam quæ ex flaua, estque minor illius accessio, & etiam ipsa febris simplicior. Idem habet, quæ ex flaua fit, si conferatur cum ea, quæ fit ex vitellina; idem hæc, si comparetur ad illam, quæ nascitur ex æruginosa, quanto enim crassior est; & ad nigredinem magis accedit bilis, tanto maiorem adustionem ostendit, victoiorque fit atræ bili maligno humori, qui declinante die suas facit exacerbationes, tuosque parit insultus: Eodem pacto febris ex atra bile malignior illa censenda est, quæ ex humore melancholico prouenit. Igitur ex superioribus patet, materiam febrium putridarum esse singulos humores, qui in vasis continentur, & totam ipsam massam nec non spiritus ipsos.

Quæ sint aptiora ad febres putridas concipiendas.

Postulat nunc institutum, vt pauca hic subiiciam, quæ sint aptiora ad putridas febres concipiendas.

Est porro (vt simpliciter dicam) inter temperies corporis calida & humida ad febres putridas concipiendas aptissima, est enim in illa tum calor, tum humor, putredinis causæ. Quod si æqualiter misceantur, minus opportuna fit temperies, quam si humor calorem vincat, aut humorem calor, mutuo enim sibi resistunt, vbi æqualiter exuperant: in excessu vero inæquali maior datur putredini occasio, siquidem excedente eo, quod parere debet putredinem, eam fieri antea ostendimus. Secundum locum obtinet humida temperies, tertium calida, quartū frigida & humida, quintum calida, & sicca, sextum temperata, septimum frigida, vltimum sicca. hoc enim sequitur si primum locum in generatione putredinis in nobis humori, secundum vero calori tribuimus; Ad putridam vero, quæ ex sanguine fit, sanguinea temperies: ad eam, quæ fit ex bile, biliosa: ad pituitosas febres, pituitosa: ad melancholicas, melancholica temperies aptior censenda est. an vero densa promptius, quam rara, & mollia, quam dura, aut crassa, quam gracilia, & venis latis prædita, quam quæ angustas habent corpora, promptius febre putrida corripiantur, responderi non potest, nisi genus causæ, genusque febris constituatur: promptius enim densa corpora ab internis causis putridis febribus corripiuntur, quam rara; hæc vero promptius ab externis patiuntur; sic crassa corpora pituitosis febribus synochis sunt magis exposita; gracilia vero biliosis aut melancholicis. Itaque videndum, de quo genere febris agimus, & ad quam causam, quæ febres putridas parit, comparentur corpora: sic enim falli non poterit; qui respondet quæstioni, & quilibet quod quærit, sine errore inueniet.

Febrium putridarum causa efficiens.

Sequitur vt de causis efficientibus has febres putridas agamus. De qua re scribit Galenus *in 4. capite primi de differentiis febrium*, vbi habet, eas fieri à cibis, qui sua, te natura [illegible] bonum quidem, sed ob malam [illegible] vel temporis longitudinem, [illegible] vitium, & [illegible] est. Quam sententiam [illegible] Au[illegible] hoc modo amplierem [illegible], quod scilicet febres putridæ nascuntur à cibis, qui ex sua substantia & natura sua de [illegible], aut quod facile corrumpuntur, vt lac; aut quod sint aquosi, vt fructus horei dicti; aut non conuertuntur in bonum sanguinem, vt cucumeres & citruli; aut quia male sint præparati, aut intempestiue assumpti; aut peruerso ordine ingesti. Quod si vterque illorum velit ex cibi vitio omnes causas prosequi, addendum erat, quod pariant etiam cibi ob immoderatam copiam, aut quod assumpti sint non seruato eo modo, qui conuenit in diuisione alimenti. Præterea vt aquosi, sic crassi & viscidi cibi idem faciunt. Alia est causa febris putridæ, quam vterque illorum ponit, prohibita scilicet transpiratio propter obstructiones.

Quin etiam Galenus *textu primo libri tertii Comm. 3. Epid.* putredinem excitari à calore, augeri autem a quiete scribit: ex quibus patet, illos causas efficientes cum materia confundere: nam quæ de cibis dicta sunt febrium sunt causæ, quæ materiam putrescibilem suppeditent: obstructio vero causa est efficiens. De hac igitur nunc agendum, & videndum, an sola obstructio ponenda sit causa efficiens putridæ febris, vt ille pluribus in locis sentire videtur. Ac primum illud facit, quod scribit *cap. 5. primi de differentiis febrium*, vbi inquit: *si meatus obstruantur, putridæ febres nascuntur; si vero densetur cutis, diaria fit*; item *in eodem lib. cap. 7.* dicit, corpora a putredine præseruari posse, si libere transpirent, quasi prohibita transpiratio sola sit huiusmodi febris causa. Est & alius locus 11. *Methodi*, vbi curandi rationem febrium putridarum exoriri (vt ait) à rei natura per resolutionem: *quia enim*, inquit, *febris huiusmodi ex prohibita transpiratione, hæc vero ex obstructione nascitur, primi in remediū esse debet circa obstructionem, & eam committentia.* Quæ ratio nulla esset, maleque vnicam curandi rationem doceret, si plures & aliæ ab obstructione reperirentur diuersæ causæ, quæ huiusmodi febres committere possint. Verum ego aliter sentio, authore etiam eodem Galeno, qui omnia de omnibus dicere solet, nec spectat, quid sibi repugnet, aut quid alio loco sit scriptum: primum enim, putridæ sæpe sequuntur diarias ex ira, vigilia, tristitia, lassitudine, in quibus nulla obstructio reperitur; at si illa adesset, oporteret illum perpetuo exhibere in huiusmodi febribus, quæ obstructiones admerent; quod nunquam facit. Deinde sequuntur putridæ hecticas, sine aliqua obstructionis suspicione.

An sola obstructio sit causa efficiens putridarum.

Tertio scribit ille, ex plenitudine ad vires fieri febres putridas; at id nō potest fieri ratione obstructionis, quę sequi solet plenitudinem ad vasa. Quin etiam scribit *in libro primo capite sexto de differ. febrium*, febres pestilentes vt plurimum nasci ex aeris pestilentis inspiratione, & ex conuersatione, & vicinitate eorum, qui iam peste la-

borant, has febres ponit ille fieri ex insigni putredine humorum in corde, has febres nemo dicet fieri ex obstructione humorū, si causa est aer inspiratus. Amplius, per inflāmationes & tumores alios partium, vt in angina & pleuritide, fiunt febres putridæ sine obstructione venarum: imo, nec in ipsa parte affecta obstructio est, quoniā venarum & arteriarum obstructiones dicuntur nō substantiæ partis, per quam sparsus est humor tumorē excitans. Quod si quis contentiosius tueri velit, obstructionē in parte esse, quid ad rem? erit illa quidē causa putredinis humorū, qui in parte continentur, at illi non conferunt, quę assumuntur aperientia, ad febres putridas tollendas commendata. Sunt, qui refugium in hac re Gal. quærentes, respondent, nō posse incipere putridā ab alia causa, quam ab obstructione, posse tamen sine hac sequi diariā aut hecticam, quorum patrocinium repugnat ipsi Gal. qui (vt diximus) ab aere inspirato, pestilentes fieri scribit, asseritq; corpora excrementosa à causis procatarcticis, putridis febrib. corripi, cum alia ab eisdem occasionib. non nisi diariis afficiantur. Quod ergo dicendum, febres putridas non excitari, nisi ex prohibita transpiratione fuliginosorum excrementorum: ita n. fiat oportet, si putredo nulla sit, vt antea ostendimus, absq; hac cohibita transpiratione. Verū non sola obstructio causa est huius prohibitionis, sed ēt cutis densitas, vel quod plures excitentur vapores, quā vt possint exhalare; quomodo ex diariis & synochis nō putridis fiunt tandem putridæ: ex corpore. n. sanguine pleno accensa febris plurimos vapores attollit, qui cū non possint per cutis meatus libere exhalare, cohibentur in vasis internis, & humores putrefaciunt, nulla existente obstructione ex multitudine vel crassitie aut viscididitate humorum. Quod si vaporum est multitudo, non tamen ea recipit curationē per deobstruentia dicta medicamentá, quæ non nisi contra humorum vitia pugnare sunt apta; ita ergo res non putridæ, interueniente prohibita transpiratione putridas febres pariunt: vbi vero causa agens iam est putrida, vt cibus putridus, aer putridus, vel gāgrena, vel inflāmatio in aliqua parte, tunc non ex prohibita transpiratione fit febris, sed quia putrida causa apta est putrefacere, quod est vicinum & ad remotiora putridos vapores transmittere, q in corpore nostro tandem ad cor delati, illud afficiunt, à quo postea vniuersum corpus eiusdē mali fit particeps.

Cæterum, id quod leuiter superius attigimus & ad causas, sine quib. non, pertinet, de quibus agēdum esse etiam proposuimus, ne huic tractationi aliquid desit, nunc in hoc loco diligenter explicandū venit, in qua scilicet parte corporis putrescant humores, qui febrem pariūt putridam: nam de hoc multę extant inter se discrepantes sententiæ, & quę verior putatur, fortasse inter alias omnes minus probabilis, si diligenter examinatur, inuenietur. Scribit itaq; Gal. *in lib. 1. de diff. febr. cap. 5.* putridas febres fieri vel ex humorib. in aliquo viscere, aut in maximis & cauis vasis, aut in inguinum tumorib. vel alia parte putrescentib. Quod si quis quærat, quomodo differat febris diaria, q excitatur ex bubone à putrida, quæ ēt a bubone fit? respondet ille (vt etiā superius annotauimus,) quod ex bubone calor solū & non putrida fuligo ad cor distribuatur, ascendatq; cum diaria fit, ipsa

In qua parte corporis putrescant humores, qui febrem putridam pariūt.

Opinio Gal.

vero putredo maneat circumscripta in bubonis loco: vbi vero fit putrida febris, vna cū calore ipsa fuligo putrida ex putrescētib. humorib. ad ipsum cor ascendat. At 7. *cap. 11 Meth.* fieri putrid. ponit, vel q, putredo diffusa sit per totū animal, aut eius aliquam partem; vel quod phlegmonem excitat. Quin etiā 4. *cap. eiusdem lib.* scribet, putredinem vel ęqualiter in omnib. vasis vel in maximis, maximeq; principalib. quæ sunt inter alas & inguina, vel in vna quapiam particula, quę phlegmonē habet, vel etiam citra phlegmonē, veluti in loco quodam, principium febris in se continet. Quid vero sit febris focus, explicat *cap. 10. eiusdem. Est,* inquit, *particula, quam obstructio aut putredo aut phlegmone obsedit.* Ad hæc scribit ipse, Cautonem fieri ex putredine humorū facta circa venas cordis, aut pulmone, aut ventriculo, aut ieiuno intestino affecto. Est & tertia opinio ab omnib. recepta cōtinuas fieri febres putrescēntib. humorib. in venis, intermittentes vero extra venas. Qua quidem in re, illud primū probare nō possum, quod hæc tradant authores nostræ facultatis tanquam legislatores: statuunt. n. ita esse, quod scribūt, nulla prorsus adhibita probatione, quasi hæc principia sint per se nota, & ex inconstantia sententiæ ū non prodatur leuitas huius opinionis: nunc. n. in viscere aliquo & eo quidē inflammato, nunc solū obstructo, nunc vero putrescente in eo humore, vult fieri febres putridas: nunc vero in toto corpore, nūc in venis, & illis quidē magnis, vel omnibus, nunc in illis, quæ sunt circa cor, nunc extra venas, & in habitu corporis, nuc in pulmone, vel ventriculo, aut ieiuno intestino, vel in glandularū tumorib. quasi non referat in vno, vel in alio loco istā putredinem ponere: nam si in parte aliqua inflammata putrescant humores illi, non sunt proxima materia febris putridæ, quę per cruditatem, & coctionem vrinarum ostenditur, nec vrinæ ostēdere possunt putredinem, quæ fit in habitu corporis, aut in partib. obstructis; deniq. vt ille *in lib. de sanitate tuenda* testatur, vrinæ solū ostendere possunt coctionem, & cruditatē, quæ fit in venis.

Cur tá mentionō fit de corde in generatione, & constitutione febris putridæ, vt præcipue fieri debet. si modo febris omnis, vt antea ostēdimus, cordis est passio? Agit de hac re Gal. *in lib. 1. de præcognitione ex pu sib. cap. 4.* vbi scribit, solas eas putridas, quæ pestilentes sunt, humorem habere in corde putrescentem, alias autē putridas, vt idem docet *in lib. 1. de diff. febr. cap. 5.* gigni, & constitui ex vapore putrido eleuato ab humore alibi putrescente in corpore, & adeo ascendente, tanquā sufficiat vapor putridus in corde, & nequaquā requiratur in eo humor putrescēs, vt febris dicatur putrida. Hanc confirmant opinionē ex partis natura, quæ cum nobilissima sit, & vitæ fons atq; origo, nequeat humorū putredinē sustinere, quod cum fit, pestilentem, & plane lethalem fere huiusmodi febrem.

Verum non solum posita principia, sed & multa alia quę dicētur, hoc omnes refellunt, qui ita sentiunt, atq; illud primū, quod sequeretur, non posse accendi febrem putridā incipiente putredinis causa à corde: nam quod dicitur à bubone, & aliis inflammationibus, in quib. putrescunt humores, attolli vapores putridos, qui ad cor elati, eius humores calefaciunt, postea vero ab eodē corde in alias partes, quæ illarū humores putrefaciant, id solum

locum

locum habet, vbi ab inflãmatis partib. calor, & vapor incipit; At si cor ipsum prius incalescat, vt per iram, tristitiã, & cęteras huiusmodi passiones, quę propriç sunt ipsi cordi, & per quas cor ipsũ primo affectum alias partes afficit; demus. n. accendi ex ira diariam, si nolis concedere, statim putridã fieri, quod fieri potest, si corpus sit ad putredinẽ paratum, sequatur deinde hanc putrida, quęro, quo modo sequi possit, & à quo sit genita? credo dices putredinẽ sparsam esse per venas, & corpus a corde, mediante vapore putrido: nam qui putridi nõ sunt, diariam efficiũt; at si putridus est vapor, necesse est eum attolli ab humore putrescente: ergo humores putridi in corde; quid. n. excogitari potest, aut quis locus in corpore cõstituetur, vbi putrescat humor pri' quam in corde, siquidẽ febris ab ipso nata est tãquam à fonte, & parte, quæ primo, & sola ab ira est affecta? quid etiam dicemus, cum ab aere externo inspirato fit febris putrida? vbi. n. ponemus putredinem prius esse, quam in corde? deinde si humores, qui sunt in corde, ponantur solũ excalefacti, & non putridi, erit vtique febris diaria; vel synocha non putrida, imo aliquando erit synocha putrida, & non putrida simul: nam cum calor cordis humores occupauit, nec eos putrefacit, nemo ex illis dicet, hanc febrem esse aliam, quam diariam, aut synocham non putridã, quippe cum ab humore putrescente putrida definiatur.

Quod si vapor putridus (vt hęc alia opinio vult) in corde facit putridam esse, erit prorsus, quod diximus, semper putrida, cum alia non putrida cõiuncta. Addo, quod si febres putridas statuimus fieri posse, cum nõ putrescit humor in corde, sed solum vapor putridus aliundè ad ipsum transmittitur, fiet vtiq;, vt ex alia re, quam ex humore putrescente febris nascatur putrida; nã ex aliis excrementis diu retentis, nec non ex corruptione alimenti in ventriculo, fiet febris putrida, quod est absurdum: *propinqua. n. materia febrium putridarũ est humor, cuius cruditas, & concoctio per vrinas ostendi potest.* Accedit, quod si febris tantũmodo est, cum aliquid est excalefactum pręter naturam in corde, putrida necessario erit, cum aliquid erit in eodẽ putrefactum: debet. n. in corde ipso poni id peculiare, & proprium, quod singula genera febrium cõstituit. Amplius, cum febris putrida augeatur vigeatq;, necesse profectò est, vt id, quod putridum esse dicimus, & causam febris putridæ, putrescat; ad putredinis enim incrementum febris putrida intenditur.

Verum dic, erit ne vapor ille, quem putridũ dicimus, ad cor elatũ, qui magis putrescat? quandoquidem absurdum est, in tali materia ponere putredinẽ incipere, augeri, vigere, & minui, siquidẽ qui primo ad cor missus est vapor, non diu potest consistere ob tenuitatem & qui cõtinuo assurgit, qualitates illius mutat, sistitur minuiturq; putredo, dum res putrescens concoquitur separaturq; quod est corruptũ à reliquo, at quis dicet, vaporẽ illum concoqui; aut quid separari ab eo potest, & à quo hæc separatio fiet? videmus. n. cum purgatione finiri putridas febres. Quid autẽ dabimus ad spiritus purgãdos? sed quid obstat, quo minus putrescere possint in corde humores per omnes febres putridas: si quidẽ Aristot. teste omnia pręter ignẽ putrescunt; est quidem cor nobilis pars, at id non facit, quin possit putredinẽ suorum humorũ ferre, quandoquidẽ alia multa hoc ipso grauiora sustinet. Quod vero dicunt necessario fieri pestilentẽ febrem, si humores ponantur in corde putrescere, ego nõ recipio, quandoquidem non ex simplici putredine, sed *ex maligna* pestilentes febres constituunt; quo fit, vt cũ omnes febres nõ habeant talem putredinem, non omnes quoque sint pestilentes. Quod si quis testimonium in hac re quærat, pertinet ad hanc rem Gal. locus *cap. 1. lib. 1. de diff. feb.* vbi scribit differẽtias sumptas a materia, in qua calor accenditur, maxime proprias esse, siue ipsum corpus cordis apprehẽderit calor, siue humores cõditos in ipsius ventriculis, quod quid aliud est, quam omnium febriũ humorem ponere subiectũ & causam, adeo vt eo excalefacto, consistant febres illæ, quę solũ illius calorem postulant, ex eodem vero putrescente proueniãt putridæ febres. Quam ob rem concludamus, ita suadere rei natura, & principiis positis in hac tractatione, nullaq; re repugnante, *omnem febrem, & id, quod dat esse singulis febribus, in corde ponendum esse.*

Ex quanam putredine febres pestilentes fiant.

CAP. IV.

DE FEBRIBVS PVTRIDIS.

Καὶ τινὲς οἱ μὲν ἐπὶ ταῖς φλεγμοναῖς, οἷον συμπτώματα ἐνίων τῶν φλεγμαινόντων μορίων. καὶ τοὔνομά γε τοῦ νοσήματος παρώνυμον ἐκ τοῦ πάσχοντος ἔσχηκεν, φρενῖτις ἢ περιπνευμονία, ἢ πλευρῖτις, ἤ τι τοιοῦτον ἄλλο περὶ ὧν ὕστερον ἐροῦμεν.

οἱ δὲ ἐπὶ χυμοῖς ἀνάπτονται πυρετοὶ καλοῦνται, τ᾽ αὐτὸ τοῦ πυρετοῦ, καὶ εἰσὶν οὐ συμπτώματα νοσημάτων, ἀλλ᾽ αὐτὰ νοσήματα, τούτων δὲ τινὲς μὲν ἄνευ συμπτωμάτων, ὥσπερ δὴ καὶ ἠπιώτατοι εἰσί· τινὲς δ᾽ ἅμα συμπτώμασιν ἐνοχλοῦσι.

Et quæ ex inflammatione ortum habent, inflammatarum partiũ veluti symptomata quædam sunt, morbusq; ab affecta parte denominationem accipit, vt phrenitis peripneumonia, pleuritis, & alia id genus, de quibus postea dicemus.

Quæ vero ex humorib. accenduntur, & eo ipso nomine febres vocantur, & sunt; non autem morborum accidentia, sed ipsi morbi: quarum aliæ accidentibus carent, mansuetissimæq; sunt: aliæ vero vna cum accidentibus negotium exhibent.

CVm dixisset, febres quasdam accendi ex inflammatione partium, alias vero consistere ex putredine ipsorum humorum, qui propinqua sunt materia ipsius febris, docet nunc, quid propriũ illæ habeant, habent autem id peculiare, inquit, quod febres natæ ex inflãmatione sint tanquam symptomata, & præterea denominationẽ capiunt à parte inflammata, vt pleuritis: huius. n. nomine intelligimus inflãmationem lateris, quæ parit febrem putridam; *febres vero, quæ statim accenduntur in ipsis humoribus, sunt,* inquit *& vocantur febres, non autem morborum symptomata.* Quæ sententia sano modo est intelligenda, omnis. n. febris quomodocunque fiat, & qualemcunq; habeat originem, semper morbus est, de hac enim re non disputo, quæ luce est clarior, sed *per quandam similitudinem* appellantur symptomata, eo, quod sequantur inflãmationem, nec habeant ex se primaria generationẽ, sicut propriè dicta symptomata, quæ semper sequuntur morbos, vt vmbra sequitur corpus, cõtingit tamen aliquando, vt soluta inflammatione, maneat febris, quia humorem putridam, quãdo scilicet locus est inflamma-

tio aut humores, qui illam pepererunt, benigniores erant; qui vero erant in venis, corrupti & maligni, tunc enim febris nata est in humoribus, accepta potius occasione ab inflammatione, quam causa. Cæterum, dicuntur febres symptomaticæ, nõ solum, quæ sequuntur alios morbos, sed quæ cum grauissimis symptomatis sunt coniunctæ, ita vt causæ rationem habeant. contra quam pugnandum est: cuiusmodi est dolor, vigilia, sopor, syncope, sitis, & alia huiusmodi: contra quæ mala sæpe pugnandum est non minus, quam contra causas primarias effectrices ipsius febris.

Quæ dicantur symptomaticæ.

Εἰρήσεται δ᾽ ἡμῖν περὶ προτέρων τῶν ἄνευ συμπτωμάτων πυρετῶν, ἐν οἷς μάλιστα μὲν εἰ οἷόν τε κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν διαγνωστέον, οἷός τις ἐστὶν ὁ πυρετός, ἆρά γε χρόνιος, ἢ ὀξύς. καὶ πότερον τῶν διαλειπόντων καλουμένων, ἢ τῶν συνεχῶν.

B

De prioribus quidem, quæ accidentibus carẽt, nostra erit disputatio, in quibus maximè fieri possit, primo statim die febris, qualis nam sit, cõgnoscenda est, diuturna ne, an acuta, intermittens, an continens.

CVm duæ sint differentiæ febrium, quæ ex humorum putredine nascuntur, merito de illis primo agendum est, quæ grauia non habent symptomata: præcedunt enim in docendo simpliciora, & faciliora. Quid vero de illis sit tractãdum, explicat; cognoscendum scilicet esse, qualis nam sit; & cum sub hoc verbo multæ differentiæ intelligi possint; duas solum proponit, quæ sunt præcipuæ, an scilicet sit futura diuturna, an acuta, intermittens, vel continua: istæ enim differentiæ mutant curam, & prædictionem, & ex illis intellectis aliæ postea multæ intelliguntur, aliter enim ab initio nutrimus, quos breui tempore credimus sanari posse, quam quos longus morbus vexabit; aliter curandi, qui continuis febribus, quam qui intermittentibus laborant; in morbo breui, & intermittente omnia tuta, in longis, & continuis periculum est.

C

Cæterum, opponit hic diuturnis morbis acutos, quod alibi negat esse faciendum: nam longis opponuntur breues: acuti verò præter breuitatem, habent etiam magnitudinem adiunctam: diariæ vero breues sunt sine magnitudine; propterea inter acutos morbos non recẽsentur. Sũt vero longi omnes morbi, qui vel in ipso quadragesimo die finiuntur, aut eum ipsum excedunt. Qui vero ante quadragesimum finiuntur, breues omnes censentur; causæ vero, cur morbi quidam sint breues, alii sint lõgi, & cur quidam sint acuti, alii vero nõ, à nobis docentur *in lib.* quem scripsimus *de causis differentiarum morbi*, vbi docuimus, diuersam esse rationem longitudinis, & breuitatis in salutarib. & lethalibus morbis; quæ res quoniam breuiter hic explicari non potest, eam requirent ex illo Opere lectores, & illud quoque, cur inter morbos quidam sint intermittentes, alii vero cõtinui: illud vero, quod proprium est huic tractationi, docere aggredior, in quo loco scilicet putrescant humores, qui febres continuas, & intermittentes pariunt; præsertim, quod de ea re dissentire cogar ab antiquorum opinione, crediderunt.n. illi, ideo fieri continuas

D

Morbi longi qui.

Qui breues.

E

In quo loco putrescant humores, qui febres intermittentes & continuas faciunt.

A febres, quod humor putrescat in venis maximis, aliquando dicunt hoc fieri in omnibus.

Scribit Galenus, Causonem fieri ex putredine humorum circa venas cordis; cum vero humores putrescunt extra venas, fiunt febres intermittentes. quod si putrescat humor in venis alicuius partis, tũc fiunt febres proportionales dictæ, idest, continuæ, quę proportionem seruant in proportionib. cum intermittentibus. Sed hæc clarioribus locis sunt confirmanda. Scribit igitur Gal. in lib. 2 de Crisib. ad hunc modum: *Ex quibus febris ardens differt a tertiana, quod in ardente bilis, quæ putrescit, maneat adhuc intra vasa. intertiana vero feratur per vniuersum corpus.* Et in eodem libro circa finem ita habet: *Manentib. igitur in venis humoribus, continuæ ex ijs febres generãtur, si vero moueantur, aut per totum corpus ferantur, hæ fiunt, quæ cum horrore incipiunt* idest, intermittentes. Quinetiam *in secundo Commentario primi de morbis vulgarib. tex. 20.* habet: *Si in venis abundat bilis, præsertim iecinoris, & ventris, ardentes; tertianæ vero fiunt, cum totius corporis carnes affluunt bile flaua: nam impeditis spiraculis eorum, qui naturâ sunt biliosi, quantum bilis in carnoso genere congestum anteà expurgabatur, illud retinetur, tertianásque gignit.* Similis est sententia *in fine primi cap. 2. de diff. febrium*, vbi scribit: *Intermittentes voco, quæ ad integritatem sensibilem desinunt ex humore moto, ac in omnem corporis partem delato, efficiente febrem. Continuæ vero fiunt ex eodem humore condito & contento in venis.* Sic postea, cum de tertiana, quotidiana, & quartana agit, non aliter eas fieri scribit, quam ex humore delato per corpora sententia: addo, quod scribit *in 9. Meth.* fieri cõtinuas febres, vbi in omnib. venis & pręcipue magnis cõtinentur humores febrẽ facientes; vbi vero in vnica animalis parte, accessiones fieri, quæ certo ambitu repetũt. Accedit, quod scribit *in 10. Meth.* posse humores putrescere vel in phlegmone, vel sine hac in ipsis vasis, idq; aut in vna animalis particula in finib. ipsorũ impacti, aut ẽt in totis eorum capacitatib. quæ inter bubones & alas sunt cõprehensæ. Postremo scribit *in 11. Meth.* putredinẽ subsistere vel ęqualiter in omnib. vasis, vel in maximis maximeque principalib. Ea porro sunt inter alas & inguina, vel vna quapiã particula, quæ vel phlegmonẽ in se habet, vel ẽt citra phlegmonem, veluti in foco quoddã principiũ febris in se cõtinet. Hæc scribit Gal. de loco, in quo putrescũt humores in febribus; quib. nihil instabilius vel incertius excogitari potest. Toties.n. mutat sententiã, quoties de eadem re agit, & quod mirũ est, nullam adhibet rationem, nullã vel leuem probationem. Quamobrẽ alia ineunda est via; & primo refellenda ea opinio est, quæ ponit in febrib. intermittentib. putrescere humores extra venas in habitu corporis, idest per carnẽ & musculos; deinde confirmãda est nostra sententia, quę est, in omni febre putrida in corde & venis humores putrescere. Vtrumq; ex propositis vno negotio præstabimus. Igitur si putredo fieret in habitu corporis in febrib. intermittentibus, calor inciperet inuadẽte accessione ex partib. externis, siquidẽ non ex alia, quã ea ipsa putredine calor accenditur per febres putridas; at cõtrariũ accidit: nã internæ partes calent, & externę tũ frigent; imo sequeretur, eas solas partes calorẽ habere cũ illic solũ sit putredo:

Opinio Gal.

Refutatio.

tredo: nam si ab illis dicas calorem putridum cō-A municari internis, cur ille nō habebit pariter vim putrescendi inter nos humores? sed quid? An non docet experientia contrariũ huic opinioni: internæ.n. non solum in principio, sed vsq; ad declinationem accessionis maxime feruent, tanquã intus sit putredinis locus, non extra, ad quem locũ tunc calor fertur, cũ intus absoluta est putredo. & ipse calor subiecto suo destitut⁹ expirare cogitur. Præterea si humor ille extra venas putrescit, necesse est, vt id fiat post rigorem: nam illum expelli oportet primo à venis, & moueri per carnem, sic n. volunt rigorem fieri & postea putrescere: at cũ ipso rigore, vt antea ostendimus, incipit calor febrilis. quod indicat, cum anteriorẽ habere originem suam, quam post illam expulsionem ad externa mẽbra. Addo, quod motus ille si modo fieret putredinem impediret: nam tunc res maxime putrescunt, quando quiescunt & transpirare prohibentur. Deinde, cum putredo nascatur ex prohibita transpiratione, necesse est adstrictam esse cutẽ, si sub ea humores putrescere debent; ex quo sequitur primũ inconueniens. quod nulla febris intermittens ex internis obstructionib. nasci possit; quid.n. conferret interna obstructio ad generationem huiusmodi febris, si humor extra venas putrescit? cur ergo aperientia propinamus, si in venis nō est obstructio? prodessent.n. solum rarefacientia. Adhæc, communis ratio esse debet & causa omnib. intermittentibus, quæ certe nullo modo quotidianis & quartanis cōuenire potest: C nam vt forte quis eã causam conuenire tertianis putabit, quæ ex humore bilioso & tenui, & ob id facili ad dissipationẽ per vniuersum corporis habitũ consistunt, sic certe pituita & humor melancholic⁹, crassi & viscidi humores ita spargi nō possunt per inania ea spacia, carnemq; ipsam & illic putrescere, vt illi volunt, cur præterea non oritur lassitudo vlcerosa in huiusmodi febribus, cum humor biliosus per carnem spargitur? & cur non fiunt tumores ex pituita, dum fit quotidiana? postremo, quod est Achilles, sequeretur vrinam nō posse ostendere tempora febriũ intermittentiũ, quia vrina non docet, quomodo se habeant humores contenti in habitu corporis, sed illos solũ, qui cōtinentur in venoso genere, vt Gal. *in lib. 4. de sanitate tuenda* aperte scribit, & rei natura do- D cet. Nec dicere oportet, quod nonnulli sentiunt, vrinas ostendere, quid fiat in febrib. intermittentibus, quia docent materiã antecedentem, quę in venis cōtinetur, & per singulas accessiones in habitum effunditur; nam sedimentũ fit ex reliquiis putredinis, & est tanquam cinis putri respondens, vt *in 1. de diff. febr.* tradit Galenus. Quare, cum sedimentum appareat in vrinis in febrib. omnib. putridis, ostendet profecto locum putredinis vnde illud excernitur: igitur in venis fit putredo, & cōcoctio humorũ, quam vrinæ & quæ in illis continentur, ostendunt. *Sententia auctoris.* Igitur vt disputationem contrahamus, concludimus, *tam in continuis, quam in intermittentib. febrib. putridis, humores putrescere* E *in corde, & in venis.* *Obiectio.* Sed dices, cur igitur non fiũt omnes pariter vel cōtinuæ vel intermittentes? ratio est, quoniã in continuis materia tota, quæ febrem facit, simul accenditur, & putrescit, nec expellitur ante crisim, aut post perfectam cōcoctionẽ per purgationem: ea vero, quæ parit intermittentes, putrescit pars post partem, vt Galen. recte A docet *in lib. 1. de differ. febr.* vbi agit de putredine stercoris columbini, in quo pars, quæ primo erat disposita ad putredinem, putrescit, pars vero ei vicina interim disponitur ad putredinem: Sic fit in putredine humorũ facientium intermittentes, quę tamdiu durant, quãdiu suppeditatur illis materia à foco ipsius febris, & dispositio manet in partib. quæ materiam eam gignunt, & disponunt ad putredinem. & quoniam in febrib. continuis non est ille focus internus, qui materiam suppeditet post illam, quæ primo est accensa, ideo soluta febris, non amplius eadẽ redire potest; quod si bona pars humorũ ab initio putrescat, quæ cōtinuitatẽ seruare possit, postea adhuc aliqua portio putrescat per certa interualla, vt in intermit- B tentib. fit, fiet continua proportionata dicta siue continua cum intermittente, finietur q; intermittẽs expulsione paucillius humoris, quem natura per singulas accessiones extrudit; in solis autem continuis fiunt leues quædam exacerbationes in certis horis diei, vt putrescente sanguine, mane; circa nonã diei horam, putrescente bile; circa vesperam, putrescente melancholia; circa noctem, pituita, quia intenditur tũc putrida ex natura humoris, qui ita pati est aptus.

Εἰ δὲ μὴ οἷόν τε εἴη τὴν ἡμέραν τὴν πρώτην, ἀλλὰ τῇ δευτέρᾳ γε πειρατέον ἐξευρεῖν τὴν ἰδέαν τοῦ πυρετοῦ. μηδενὸς δὲ μηδ᾽ ἐν ταύτῃ βεβαίως διαγνωσθέντος, ἐν γοῦν τῇ τρίτῃ, πάντως φανεῖταί σοι σαφέστερόν τι. παντελῶς γὰρ ὀλίγοι πυρετοὶ τῆς τετάρτης ἡμέρας δέονται πρὸς ἀκριβῆ διά- C γνωσιν.

Quod si die primo id assequi non possis, secundo saltẽ eius speciem inuenire tẽtabis. At si nec eo quidem die certi quicquam habueris, tertius certe omnino tibi manifestius quidpiam afferet. Nam paucæ ad exactam sui cognitionem quartum diem desiderant.

GLoriari solet Gale. se statim ex forma febris non expectatis pluribus accessionib. dignoscere, qualis febris sit, continua ne, an intermittens, & ex intermittentibus an sit tertiana, vel quartana, vel alterius generis: nũc vero cum aliis fatetur, nõ semper se assequi posse in primis dieb. huiusmodi dignotionem; & merito quidem, nam D cum febres omnes intermittentes, & nonnullæ ex continuis inuadere soleant cum rigore, horrore, vel frigore, contingit ob complicatos inter se humores, & corporum diuersitates, similia fieri accidentia in diuersis febrib. vt horror fit in quartanis exquisitis, & tertianis, & quotidianis nothis atq; etiam in semitertianis, in quib. est febris continua, quotidiana, aut tertiana intermittẽs, fit pariter in febribus diuersis, sitis, vigilia, calor capitis, & alia accidentia. Quare in hac confusione expectãdæ sunt repetitiones accessionum, quæ fiunt in diuersis diebus in diuersis febribus. Et quia tandem quarto die omnis differentia deprehenditur, quia quatuor solum sunt humores, ideo recte dicit, intra quartum diem deprehendi naturam singularum febrium.

E Ἐρῶ δέ σοι καθόσον οἷόν τε διὰ βραχέων· σημεῖα δι᾽ ὧν ἐστι γνῶναι τὴν ἰδέαν τοῦ πυρετοῦ, μακρότερον δὲ καὶ σαφέστερον ἐν ἑτέροις ἅπαντα διείλεκται.

Quibus vero notis febris species deprehendi possit, quam breuissime fieri poterit, tibi explicabo: nam de iis omnibus alibi fusius atque manifestius disputatum est.

EGit Galenus de signis, quib. possimus febres singulas dignoscere, & inter se separare *in lib. de diff. febr. 2. de Crisib. & alibi passim*, sed cum omnia legerimus, ignorabimᵘ adhuc, quæ, & quot possint esse propria, & communia signa singularũ febrium, propterea quod fontes non proponit, à quibus vniuersa signa deriuantur: particularia. n. quæq; enumerat, quæ propemodũ infinita sunt, & cum plura ex illis ponat in vna febre, in alia vero pauciora signa, facit, vt lectoris animus nunquam quiescere possit.

Quam ob rem tenendum est, quod superius demonstrauimus, omnia signa sumi vel ab essentia ipsius rei, vel à causis, vel effectis, vel à similitudine, & in omni re, quã dignoscere volumus per sua signa, consulendos esse hos fontes. Vel enim in vno inuenies, quod quæris, aut in duobus, aut certe omnib. apertis fontibus, nihil desiderabis, quod ad id, quod quæris, sit necessariũ, siue præsens aliquid cognoscere, siue præteritum commemorare, aut futurum prædicere velis. Quæ quoniam *superius* vtcunque, & *in libris nostris de Signis* exacte prosecuti sumus, finem de iis dicendi faciam.

Verum priusquam accedamus ad notas febris continuæ, vel intermittentis, docendæ sunt notæ febris putridę; quod enim ad genus pertinet, precedere debet tractationẽ specierum; de qua quidem re agit Gal. *cap. 7. lib. 1. de differ. febr.* capitq; signa à causis, quæ illas febres gignunt; à calore præterea & rigore, pulsibus, vrinis, & fine accessionis, quod scilicet non desinentes ab integritate putridæ sint.

Postremo, à symptomatis, quæ singulas febres sequuntur. Quam quidem docendi rationẽ probare non possum; primum, quod non ab omnibus fontib. signa capiat: nam nec à subiecto corpore, nec à causis iuuantibus, & lædentibus, nec ab effectib. multis, vt respiratione, vomitu, qualitatibus mutatis, signa ducit; omittit etiam indicia capta à similitudine, præterea, sine methodo illa tradit, cum à nullo certo principio rem exordiatur, quo intelligere liceat, hæc esse, quæ tradũtur, huiusmodi febris inditia, nec plura, nec pauciora illis inueniri posse: nam Auicenna plura, quam Gal. ponit: sed quoniam ille etiam à rei natura non exorditur, probari nõ potest, quod docet. Quare naturam rei consulamus, & expendamus, quæ possint esse harum febrium notæ. *Signa febris putrida ab essentia.* Itaque, si febris putrida sit, ex humoribus putrescentibus in corde & venis, quæcunq; ostendent cor pati febrem & putredinem humorum in eo esse, ea sane erunt inditia huiusmodi febris; sequitur porro hanc putredinem calor acris & mordax, nõ quod subiecta materia siccior sit in hac febre, quam in multis aliis; nam in diaria ex inedia, vigilia, lassitudine, corpus est magis exsiccatum, quã in pituitosa putrida. An potius ergo id fit, quod ab humore putrescente substantia calida & putrefacta consurgat, quę calorem acriorem secum aduehat? at quomodo dici potest huiusmodi substantia calida magis, quam in aliis febribus, si ex frigidiore materia, vt pituita nascitur? dicendum ergo potius, vniuersum genus putridarum aliis generibus comparatum huiusmodi calorem habere: etsi in aliis generibus quædam reperiri possint, in quib. calor acrior fit, quam in quibusdam putridis; apparet autem huiusmodi calor

A mordax & perpungens, veluti fumus, qui oculos, & nares mordicat per incrementa atque vigores accessionum febrium; nam vt inquit Galen. per initia accessionum non statim emicat calor, vtpote qui tunc veluti suffocetur à multitudine excrementorum, verum id solum locum habet, quod dicit, in febribus putridis, quę per accessiones infestant. Quo magis mirari licet Galen. dum pollicetur simpliciter se daturum signa febrium putridarum, eas solum ostendat, quæ per accessiones affligunt, certum enim est, Synochas putridas hoc indicio non deprehendi. Præterea diaria ex densitate hoc etiam habet, nempe, quod calor non statim ad superficiem perueniat. maior tamen difficultas in putrida, quam in diaria

B apparet in ascensu caloris. *Ostendet ergo calor acris & & mordax putridas omnes*, & illam putridam esse agnoscemus, tanquam speciem quandam putridæ, in qua per initia accessionum calor intus cõcluditur: atque ita à qualitate & motu caloris signa sumemus in febribus putridis; à quantitate vero minime, cum quantitas nõ putredinem, sed materiæ subiectæ quantitatem sequatur. Habenda tamẽ est ratio subiecti & causę efficientis, cum acrimoniam caloris putridam ostẽdere dicimus: *A causis.* nam diaria ab inedia aut labore excitata, in corpore bilioso acriorem forte calorem habebit, quam putrida: putabimus quoq; illam putridam esse, si causæ, quæ illam gignunt, adsint, illa enim

C putrida erit, quæ ab occultis causis & magnis est orta, vel à procatarcticis & minoribus nata est, si corpus subiectum ad putredinem continendam ex quacunque occasione est aptum. Quin etiam iuuantes & lædentes causæ cum adhibentur, has detegunt febres; requirũt enim illa præsidia, quæ putredinem sistant, vacuent, concoquant, quæ aliis non conueniunt, læduntur que magis, quam aliæ, à quibusdã remediis, vt cutis adstrictione, & balneis ante coctionem humorum adhibitis; capiet etiã notas à subiecto corpore: nam si corpus, vel multis aut malis humoribus abundat, vix aliis febribus, quam putridis corripitur, *quemadmodum calida, & humida & densa & astricta*, propterea anni tempora, ratio victus, viuendi condi-

D tio, quæ ostendunt, hos subesse humores, easdem febres testantur: putabimus enim putridam esse, quæ autũno nascitur, vbi corrupti vigent humores: necnon si homo malis cibis in vita otiosa aut nimium laboriosa est vsus: Quod si vel inflammatio, vel alius humor excitatus à causis adultis, aut ab euidentibus quidem, sed in visceribus internis, putabimus prorsus ab illis natam febrem putridam esse, licebit à partibus febris notas quoq; colligere: nam si cum rigore vel frigore, vel horrore incepit febris, absque causa manifesta, credere debemus, hanc putridam esse, item inæqualitatis tempus in his solis est febribus, illasq; solas testatur. Porro à tertio fonte, nempe ab effectib. *Ab effectib.* febris putridæ signa capientur, ac primum quidẽ ab actionib. læsis: nam si cum rigore vel incepit,

E aut postea quã incepit, cum eo vel horror, aut frigus infestat, præsertim si hæc à manifestis causis non sunt facta, aut si diutius durant, & sæpius veniunt, vt in semitertiana contingit, testantur profecto, putridas vrgere febres. Sunt quoq; deliria, animi defectus, vigiliæ, sopores, inquietudines, spontaneæ lassitudines, dolores vehementes in partibus, fere harum febrium inditia, vt & reliqua

qua animalis facultatis insignia vitia: nam si in synochis non putridis nonnullæ ex his, vt dolor capitis, & sitis, vrgent, tamen aliarum partium, dolores, vt pectoris, stomachi, & Syncope, non nisi has febres comitantur. Præbent & sua indicia respiratio & pulsus: fiunt enim pulsus in his febrib. inæquales, tum quod celeritas contractionis maior sit, quam dilatationis, id enim fit, quando fuliginosa excrementa magis vrgeant, quam caloris magnitudo: ac vbi accessiones fiunt cum caloris contractione, inæqualis fit pulsus in diuersis pulsationib. minores enim fiunt in principio, & inæqualiores, quam in augmento & statu. Sunt vero proprii pulsus celeriores in cótractione in his febribus, nisi affectum sit os ventriculi à mordacib. vel frigidis humoribus; Duri autem pulsus nec proprii, nec inseparabiles sunt cuipiam generi febrium: illis autem putridis conueniunt, quando inflammatio in aliquo viscere fatigat, vel scirrhus, vel aliquod est symptoma coniunctum, aut neruosa aliqua tensio, & siccitas. Hæc Galenus: ego tamen puto, *duorum pulsum, nisi suspicio sit de hectica, putridam necessario monstrare.* Quare incipiéte febre erit certa febris putridæ nota. Ad proportionem æqualitatis, magnitudinis & velocitatis pulsus, variantur quoq; respiratio. Naturalium quoq; facultatum vitia has testantur febres, vt coctiones vitiatæ, vt attractio, retentio & expulsio labefactata, sed potissimum concoctio his læditur, cum humorum sit vitium huiusmodi febris, quam ex corporis excrementis, potissimum ex vrina, quæ humorum contentorum in venis alterationes, & corruptiones ostendit, id deprehendemus, quod indicium, quia ad excreta quoq; referri potest, postea explicabitur peculiari quadam tractatione, vt nobis in hac re pro temporis angustia satisfaciam. Quare ad qualitates mutatas accedo, quę non exigui momenti notas in hac re præbent: nam si quis liuido, aut flauo, aut nigro, aut alio colore, qui malos subesse humores testetur, prædit⁹, febre laboret, nó immerito suspicabimur illú putrida laborare: sic profecto, si putridum expiret, aut illa, quę olfacit, corruptá qualitatem repræsentent, aut si amarú vel salsum vel acidum appareat, quod gustat, hęc omnia vt vitiosos & aptos ad putredinem humores monstrant, sic putridam arguunt febrem. Excrementa vero præbent & suas notas: si quis enim inuadente febre vomat biliosa, aut deiciat fœtida, aut sudare incipiat, vel sudorem fœtidum alio tempore emittat, aut si vrina supprimitur febris ratione, merito arbitraberis, putridá infestare febrem. Quod si symptomata peculiaria alicui putridæ, vt quartanæ, tertianæ, ardentes vrgeant, signa præbent vt similitudo: nam si grassantur putridæ, merito credemus, illum, de quo agimus, putrida laborare: ex specie genus vniuersum putridarum inferimus.

Pulsum duorum necessario monstrare putridam, nisi adsit suspicio de hectica.

Ex qualitatibus mutatis.

A similitudine.

Cap. V.

DE SIGNIS FEBRIVM INTERMITTENTIUM.

Τοὺς μὲν οὖν μετὰ ῥίγους εἰσβάλλοντας, οὐκ ἂν ἀπὸ τρόπου τῶν κατὰ περίοδον ὀχλούντων ὑπολάβοις εἶναι. Τριταῖοι γὰρ καὶ τεταρταῖοι μετὰ ῥίγους τὰ πολλὰ παροξύνονται. ἀλλ' οἱ μὲν τριταῖοι εὐθὺς ἐν τῇ πρώτῃ καταβολῇ πολλάκις μετὰ σφοδροῦ τοῦ ῥίγους ὑπήρξαντο. τεταρταῖον δ' οὐκ οὐδαμοῦ μετὰ σφοδροῦ ῥίγους ἀρξάμενον· ἀλλ' ἐν τῷ χρόνῳ τὸ μέγεθος αὐτῷ προσγίνεται.

Quæ igitur cum rigore inuadunt, non ab re ex earum numero esse, quæ circuitu quodam repetunt, duxeris: tertianæ enim atq; quartanæ omnino cum rigore lædunt. Sed tertianæ sæpe cum vehementi rigore primo statim impetu incipiunt, quartanam vero nunquam cum vehementi rigore incipere vidimus: sed temporis progressu rigoris vehementiam accedere.

DE frigore, horrore & rigore, quæ in nobis fiunt ab internis vel externis causis, disputatio mihi semper perobscura & difficilis visa est: nam quid sint, & à quibus causis, quomodoque fiant, non constat inter antiquos Scriptores, vt Galenus passim, & præterea *in libro de rigore & horrore* conscripto, ostendit. Recentiores vero Medici Galenum omnes sequuntur vno excepto Fernelio, qui opinioné induxit de causis, in quibus maior est difficultas, antiquioribus partim contrariam, partim similem. Ego vero, qui in multis in hac tractatione ab omnibus dissentio, institui de hac re, quæ magnos habet in Medicina vsus, diligentius agere. Ac primum dicam, quid hæc sint, & quomodo inter se differant; deinde, quę sint illorum causę, tertio loco, quomodo ea fiant ab agentib. & patientibus causis; Postremo, quæ sint illorum proprietates, enarrabo; & interim sententias multas a nostris authoribus de his affectionibus traditas, ostendemus sponte sequi nostram opinionem; ab aliorum vero sententia recedere.

Porro frigus, de quo agere volumus, non illud est, quod quomodocunque repetitur in corporibus male affectis, sed quod est cum dolore & molestia, adeo, vt nihil aliud sit huiusmodi frigiditas, quam *molestus tristisque sensus frigiditatis*, qualis apparet in sanis in vehementi frigore aeris, aut aquæ in laborantibus febre per initia accessionum; in Apoplexia vero & Paralysi etsi frigida adest dispositio, causa tamen, quia ea dolorifica non est, à nostra tractatione excluditur.

Frigus febrile ... quid.

Quid vero sit rigor, si Galenum sequamur, difficilius est intelligere, quam si sensum ipsum consulamus, & ea, quæ sunt euidentia in ægris & sanis: contendit enim ille, rigorem non esse tremorem, cum causæ rigoris & tremoris differant, & inuoluntarius rigor sit, & totius corporis motus, tremor vero vnius partis, aut certe non totius passio. & ea quidem non fiat nobis quiescentibus & nolentibus; quare eum per concussionem, agitationem, vibrationemque definit. Verum cum tremoris nomen & motus omnibus sit notissima, illi vero nomina obscuriora; similisque omnino sit motus in trementibus & rigentibus, etsi causæ & alia differant, præstat profecto motum, qui fit in rigore, per tremorem

Rigor quid.

Secundum Galenum.

definire. Verum præter hunc motum in rigore, A adest refrigeratio vehemens & dolorifica; quare rigor nihil aliud est, quam *totius corporis inuoluntarius tremor cum refrigeratione vehementi & dolorifica.* Et hæc definitio communis est rigori omnium, & non solum proprius ei, qui fit in morbis, vt Gal. putat *in lib. de rigore*, cum, qui fit in sanis, rigorem, definiens sine tremore esse solam refrigerationem dolorificam; neq; enim sanos in aere frigido refrigeratos, dicimus rigere, nisi concutiantur, siue tremant, nec etiam probare possum, quod scribit, horrorem in ægris esse solius cutis commotionem cum refrigeratione dolorifica, ita, vt in cute id fiat in horrore, quod in vniuerso corpore fit in rigore: nam si verum est, quod alibi scribit, horrorem fieri in quartana febre, rigorem B vero in tertiana exquisita, & has affectiones solũ differre per magis & minus, constat pariter, in vtroq; affectu vniuersum corpus concuti, alioqui non per magis & minus in illis esset differẽtia, sed in diuersis locis in corpore: omnium ergo leuissimus affect⁹ inter hos est frigus, vt apparet in quotidianis, vehementior est horror, vt in quartanis exquisitis, & tertianis nothis apparet; grauissimus est rigor, qui fit in tertianis exquisitis; & vt frigus solum existit sine tremore, & concussione, ita horror & rigor sine frigore esse non possunt.

Secundum autorem.

Frigus, horror & rigor quomodo differant.

Rigoris causa secundum Galenum.

Porro horum effectuum particulares causas multas tradit Gal. *in lib. 2. de causis Symptom.* docet rigorem fieri ab externo frigore, acribus medica- C mentis extrinsecus adhibitis, necnon ab horrendis spectaculis & aliis omnibus, quæ vehemẽtem timorem afferunt, idem committit subita aquæ feruentis aspersio, aut ignis scintillæ per cutem dispersæ; quinetiam, ex internis causis tradit rigorem fieri, vt ex flatu ex crassis humorib. ex crapula genitis, & hunc febrem non sequi. Idem accidere, cum magnæ inflammationes in profundis partib. suppurantur; fieri etiam ex biliosis, acribusq; humoribus expulsis ab internis partibus, & motis per carnem & musculos violenter, qui cum pungant, stimulent, diuidant, & vulnerent rigorem excitant. Hunc autem rigorem, qui fit ab his humoribus, necessario sequi febrem. At vero D *in lib. 2. de diff. febr. cap. 6.* ita scribit: *Pituita salsa superueniente accessione, non rigorem, sed tantũ horrorem excitat: Acida vero si per sentientes corporis partes deferatur, sine febre rigorem generat; quod si modica aliqua in ipsis fiat putrefactio, febrem hepialam inducit; quod si vehementius putrescat, rigor quidem antecedit, febris autẽ subsequitur, superata frigiditate a multitudine caliditatis, adeo, vt dum febris inualescit, atque consistit, minime sentiatur; pituita vero dulci putrescente, rigor minime febre antecedit. Quispiam vero fortasse arbitrabitur, non a simplici causa rigorem, & febrem fieri ex pituita; nam ex parte pituitæ putrescente fit febris, ex ea vero, quæ non putrescit, rigor: in tertiana vero bilis eadem rigorem, & febrem facit.* Hæ sunt causæ particulares, quas *passim* commemorat Galenus.

Verum, qui has tenet non est doctior quocunque vulgari homine: nam quilibet videt, ex vehe- E menti frigore externo horrorem rigoremq; fieri & eadem mala excitari ab horrendis spectaculis, & acribus medicamentis extrinsecus appositis: sed soli docti Medici, & Philosophi sciunt, quid hæ & aliæ causæ particulares in corpore faciant, cuius ratione hæc symptomata sequuntur. De coniuncta ergo causa quæstio est, qua inuenta, animus quiescit, & simul intelligit, an singulares hæ causæ aptæ sint facere, quod illis tribuitur. Age igitur, ac primum excutiamus Gal. de hac re opinionem, qui si suam sententiam confirmare posset validis argumẽtis, vt facile alios refellit, qui de proprietate nominum istorum symptomatũ disputarunt, nõ esset profecto, quod nos in eadẽ re laboraremus; sed cũ multa in eo desiderari possint, alia vero tradat rationi minime consona, locum vtiq; nobis reliquit ad cogitandũ & scribendũ de re hac tantopere difficili, & necessaria. Primum ergo, quod in eo requiro, est, quod cũ multas particulares causas enumerauit, nullas ex illis non redigat ad immediatam coniunctamq; causam, quam quærimus: non. n. docet, cur acria medicamenta, & horrenda spectacula, aquæ feruentis aspersio, ignis scintillæ, & crapula, pariant horrorẽ, rigoremque. fere. n. solum qua fit eam causam immediatã in humoribus, qui cũ his malis febrem pariter generant, & id forte ẽt non recte, quod quilibet intelligere poterit, cũ illius opinionẽ intellexerit. Vult ergo hic author, vt patet *ex lib. de causis sympto.* rigorem fieri à biliosis, & acrib. humorib. expulsis ab internis partibus, & motis violenter per carnẽ & musculos, qui cum eos (inquit) pungũt, stimulant, diuidunt, & vulnerant, rigorẽ excitant; frigus vero, quod cũ ipsa cõcussione est coniunctũ, scribit fieri ob subitam, & vehementẽ cõtractionem sanguinis in partes internas, & maxime circa cor, quod est caloris nostri præcipuus fons: ipsum autẽ rigorem, qui fit ab his humoribus, necessario sequi febrem; Et quoniã ab iisdem humorib. statuit diuersa mala in habitu corporis fieri, docet in illis differentias, quæ aptæ natæ sunt proprios suos affectus parere: nã, inquit, si humor ille tenuis, salsus immotusq; fuerit, pruritũ excitat; paucus vero, tenuis, mordẽs & immotus, vlcerosum sensum parit; paruus, tenuis, & mordax cũ exiguo motu horrorẽ. qui vero humor vehemẽtius mouetur, copiosior, mordaciorve est, rigorẽ infert, & eum quidẽ maximũ, si humor plurimus est, mordacissimus, vehementissimeq; mouetur. Vult ẽt in quartanis, & quotidianis nothis horrorẽ fieri ab eo humore, qui has febres parit, expulso à venis, & per corpora sensibilia commoto, & dolorẽ puncturamq; sua frigiditate inferente. Cur vero post rigorẽ sequatur calor, & febris, scribit idem accidere trib. de causis; q[uia] scilicet calor pluries cõcussus, nec transpirare potens, multiplicatus est in profundo, & quia vehemẽter extra est expãsus; tertio, quod in cõcursibus & violẽtis motib. accrescere nata est caliditas.

Gal. sententia de rigoris particulari causa 1.

Cæterum, sudores sequi rigorẽ, eo, quod calor è profundo exiens, quasi feruẽs copiosam humiditatẽ, quam sudorẽ dicimus, effundat; Qua ratione ẽt accidere, vt post rigorẽ fiant crises, & febriũ solutiones; idem n. calor feruens, & exiens cũ sudore, noxios humores secũ rapit: ad quod spectãs Hippoc. scripsit. *A’ardente febre habitus, rigore superueniente soluitur.* Hęc de modo, quo fiunt ab humorib. tremor, siue concussio, frigus & febris, scribit Galen. quæ refellere aggredior, reliqua. n. postea facile intelligẽtur. Ac primo ãdfero, quod in principiis accessionum, in quib. fit rigor, & pariter febris, non fiat separatio aliqua humorũ qui sunt in venis simul confusi omnis enim expulsio, & separatio vtilis sequitur cõcoctionem, quæ solum

Sect. 4. Aph. 58.

Galenus refutatur.

lum apparet in statu & declinatione, in quib. tem porib. sudores laudabiles sunt, pessimi autem in principio accessionis: eandem. n. seruat proportionẽ principium accessionis ad illius statum, & declinationem quam seruat principiũ totius morbi ad illius statum, & declinationẽ; quare omnes excretiones, quę fiũt in principio accessionis in febrib. omnibus per habitum corporis, sunt malæ: quæ vero per vomitũ fiunt, aut per aluum, vtiles sunt, vt in tertianis apparet: excernitur. n. per eas partes non materia putrescens quę pręsentẽ facit accessionem, sed quę derelicta est ex priore accessione; aut materia est antecedẽs, quã natura, cum calor cõtrahitur incipiẽte accessione, extrudit, vt exonerata melius concoquere possit putrescentẽ humorem, humor vero, qui per sudorẽ emittitur, ille est qui præsentem accessionem facit; *In continuis vero nulla excretio prodest in principio*, quia humor, febris causa, simul totus putrescit, nec statim cõcoqui potest, quare nec expelli. Expectatur ergo cõcoctio, & expulsio progrediente morbo. Cum igitur non possit fieri separatio bilis à tota massa humorũ in principio, quando fit rigor, non fiet ergo illius delatio, & expulsio per carnes: vel ergo nulla fit expulsio, aut fit omniũ humorũ per cutẽ, quod sensib. repugnat: nemo. n. sanguinem per eas partes excerni vidit, vt fit per nares. At melius dicimus, nullã fieri expulsionẽ humorum per cutem, dum fit rigor: nam si vniuersa humorum massa, id est, sanguis ipse cõpositus ex vniuersis humoribus, contrahitur in partes internas, & versus cor (vt Gal. & alii omnes sentiunt) & frigus externarum partium, & liuiditas, atq; etiam somnus ostendunt, quomodo, quæso, potest in eodẽ temporis momento simul fieri vehemẽs alius motus ad partes exteriores (contraria. n. simul esse, & fieri nequeunt) Quare non potest moueri cõfertim tota humorũ massa in partes internas, & simul biliosus humor ab ea separari, & in partes externas extrudi. Quomodo. n. absq. calore, & spiritu, qui contracti sunt in partib. internis, caro musculorũ aut venarũ potest expellere, aut aliquid aliud agere? Qua quidẽ in re miror profecto, Gal. non vidisse repugnantiam, quę sequitur hanc opinionẽ, quæ ponit, partes externas frigere in rigore ob recessum sanguinis, & caloris, & simul vult bilẽ confertim expelli in partes externas, à quib. recessit omnis calor influẽs & humor, quasi calor hic, qui vnus & idem est, & vnicum naturæ instrumentũ, possit simul maxime contrarios motus subire, intro scilicet & extra. Quod si hæc fieri possent, cur simul semper nõ fiunt somnus & vigilia, timor & audacia, gaudiũ & tristitia? Amplius nullo indicio deprehendere possumus, biliosos eos humores, qui tertianam cõmittunt, extrudi à venis in principiis accessionũ, cum fit rigor in musculos, cur. n. vsq; ad cutim non perueniunt? quod si hoc fit, vt nihil obstat fieri? cur non fit cutis flaua semper in singulis accessionib. vt in morbo regio, in quo nõ syncera bilis, qualis dicitur esse causa tertianæ exquisitæ, & rigoris, qui in ea fit, sed mixta cũ sanguine, & aliis humorib. ad cutẽ effunditur? Prætérea, quis sentit in rigore, & horrore eas morsiones, eas diuisiones, ea vulnera musculorũ in toto corpore ab his humorib. facta, vt illi fingũt fieri? oportet. n. eos loq. de insigni morsione ex solutione cõtinui, si modo omnes partes & vniuersũ corpus tãta mala patitur, sentim' quidẽ insignẽ frigiditatis sensũ, & eam molestiam, quæ sequi potest talẽ affectionem, vulnera vero & morsiones nemo dicet se sentire, alioqui cur ẽt non fit in horrore, qui nascitur ex timore, qui similẽ omnino habet sensum, & omnia similia, vt qui constet ex concussione & frigoris sensu? At quid in eo erit, quod in eo vim habeat corrodendi & vulnerandi carnẽ & musculos? Adde quod si fierent rigores ex humorib. expulsis à venis in habitũ corporis, cur semper in omni accessione aut saltem post multas, post quas non sequitur euidens aliqua expulsio, vt in tertianis nothis, & quartanis. nõ fiũt tumores, scabies, lassitudines, erysipelata, herpetes, & multa alia mala, quę oriri solent ex humorib. sparsis & tandẽ firmatis in carne & cute? nec hæc quidem mala euitari possunt ex ea distinctione, quã facit de humore, qui ob diuersã suã quantitatẽ & differentes qualitates, motũ & quietem, diuersa, quę enumerauimus, Symptomata parit: nam vt ea statuit fieri tanquã legislator, nullam adhibens probationem, sic & (etiam dato quod vult) numne humor acris multus, & vehementer motus rigorẽ (vt ille putat) faciens, tandẽ quiescit in incremento & statu accessionis, antequã fiat aliquis sudor, aut alia euacuatio, per quam dicere possumus, illum esse excretum? quid, quæso, ille faciet in corpore, finito rigore? & cur non sentitur aliquid facere, si tantus tamq; acris sit ille humor biliosus, separatus ab aliis humoribus, à quib. in venis temperatur: non n. laterent mala, quæ talem tantumq; humorẽ sequũtur, præsertim (vt diximus) in illis febribus, in quib. non expurgatur per singulas accessiones. Itaq; cum nullo sensu deprehendatur cõtineri huiusmodi materia in musculis & carne, constat, nullam fieri illius motionem ad partes externas, quę rigoris sit causa; quod & alia argumenta ex ipsius rigoris natura sumpta docent: nã omnes particulæ vel minimæ concutiũtur & frigent, in quas omnes est impossibile ferri humores illos; quid. n. æqualiter diuidere in venis posset eos humores, & in omnes partes eosdẽ æqualiter spargere, vt ęqualis est rigor in vno membro, vel etiã in plurib. præsertim vbi humor est melancholicus, vel pituitosus? talis. n. nec ab aliis separari, nec extra venas expelli, nec per omnes partes ęqualiter spargi potest eo temporis spatio, quo durat rigor & frigus, præsertim incipiente morbo longo, & existente materia cruda, quæ ob id difficile mouetur, alioqui semper daretur turgentia (vt dicitur) humorum, quam Hippocr. & ipsemet Galenus dicunt non contingere, nisi raro in morbis acutis.

Addo, quod sibi in materia rigoris non constet: Nam cum posuisset *in lib. de Symptom. causis*, eum humorem, qui aptus est ad rigorẽ cõmittendum, necessario vehementer moueri, & copiosum esse mordacemve; eũ vero, qui horrorem efficit, paucum, tenuẽ, & mordacem, cũ exiguo motu, postea horrorẽ tribuit quartanis, & tertianis nothis, in quib. copiosus & crassus & minimum mordax est humor; Et *in lib. 2. de diff. febr.* rigorem ipsum non solum ex ipsa bile syncera, sed ex ipsa etiam pituita arida ac vitrea delata per partes sentientes committi scribit sine febre: pituita vero eadẽ modice putrescens febrẽ epialam inducit; quod si vehementius putrescat, rigor quidẽ, inquit, antecedit, febris vero sequitur, probatq; illorum sententiã, qui dicunt, eas febres fieri ex parte pituitæ putrescente, ex ea vero, quæ non putrescit, rigorem fieri,

Cur omnes excretiones per habitum corporis in principio accessionis febrium sint malæ, reliquæ vero, quæ per aluum, aut vomitum, bonæ.

fieri, quę omnia vanitaté huius opinionis ostendunt: nam si rigor requirit humores per omnes partes sentientes subito spargi, & eas diuidere, mordere, vulnerareq;, nulla pituita hæc omnia potest facere, & omnium minime vitrea, quæ tenacissimè inhæret ei parti, cui adhæret. Præterea, cum statuisset, ab vno & eodem humore fieri rigorem & febrem, cur inquit & ponit aliter fieri in febribus pituitosis, quam biliosis? & vbi, quæso, vidit rigorem antecedere febrem, cum rigor sit pars accessionis febrilis? item si rigor fit ob mordicationem horum humorum, vtique rigebunt frigebuntque prius musculi propinquiores venis internis, à quibus ille humor effunditur; at prius nares, aures, & extremi digiti frigent inuadente accessione, quas partes humor ille vltimo attingit. Cur etiam non fit rigor, cum per crises biliosa materia per sudores excutitur? ea enim per carnẽ & musculos pariter venis effunditur; nec credere quidem oportet, tunc non fieri rigores, quod humores concocti acrimoniam exuerint: nam crises fiunt in maximo feruore morbi, & in mora; rationiq; est consonum, bilem flauam concoctam acriorem esse humore melancholico adhuc crudo, qui tamen rigorem & horrorem (vt ille tradit) committit. Cur etiam non excitatur rigor, cum syncera bilis à venis refcitur in ventriculum & intestina, partes non minus sentientes, quam caro? si enim morsiones partium excitant hanc affectionem; in dysenteria, vbi maximus sæpè est dolor ex acrimonia bilis, cõiuncti essent perpetuo rigores, saltem in partibus internis, imo & in vniuerso corpore, vt videmus rigores fieri vniuersales, vbi acria medicamenta vnam solum partem mordent & erodunt. ex quo etiam patet, non requiri in generatione eam in omnes partes humorũ sparsioné. Amplius, vnũ & idem remediũ calefaciens, hominem liberat à cõcussione & frigore, tanquam vnica sit causa vtriusq; symptomatis; ac acribus humoribus sparsis per carnem, calida auxilia cuti admota nõ possent prodesse, si cõtrariorum cõtraria sunt remedia. oportet præterea vnam esse & immediatam causam rigoris ad quã particulares omnes redigantur; at ad humorum illam delationem redigi non possunt, quæ ob timorem vel frigidæ aspersionem, vel internam suppurationem, rigorem mouent. Sed cur magis in his laboro? eo enim concesso, quod ille vult, non sequitur, rigorem fieri debere & frigus ob delationem illorum humorum per carnem, & musculos, oportet enim ex ea mordicatione aliud fieri, aliudq; moueri, quod sit causa & frigoris & concussionis; De qua quidem re Galenus agit duobus in locis, diuerso plane modo, vt qui nihil inuenire potuerit, in quo illius animus quiesceret. locus vnus est *in libro secundo de symptomatum causis, capite quinto*, vbi quęrens causam, cur à frigidis & calidis humoribus rigor excitari possit, docet facultatem expultricem pariter molestari ab his cõtrariis humoribus eo, quod vterq; vim habeat molestandi ipsam facultatem, & propterea, cum ea in omnibus partibus affectis ex delatione horum humorum mouetur, necesse esse musculos omnes vibrari, & cum illis articulos, & cum his vniuersum corpus, quæ affectio nihil aliud est, quam rigor. igitur, ex eo loco facultas expultrix, vel potius omnes partes, in quibus ea residet, causa sunt rigoris, cum mouentur omnes ad expulsionem; Egregiam profecto chimeram, quę expultricem facultatem agere facit cum motu, & facultate animali; *non enim naturales actiones fiunt cum mutatione situs partium*, vt ille etiam alibi testatur, & recte; siquidem musculus cum expellit, non expellit, vt musculus, idest, instrumentum motus ex similaribus partibus compositum, sed vt pars similaris, vel vt propriè dicam partes similares, quæ in eo sunt, expellunt. ac similarium partium actiones nullum requirunt motum localem, qui in omnibus voluntarius est, & animalis facultatis, & deniq; musculi actio, vel quæ contractione, expansione, concussione, & omnibus aliis modis, quibus cõtingit locum mutari, à partibus corporis peraguntur, & *in ipsis libris de symptomatis*, horroris, rigoris, concussionis, ponit esse symptomata animalis facultatis. Vrgent præterea eam opinionem alia, & illud primum, cur semper non fiunt rigores in morbo regio, in herpete, in tertianis exquisitis, & omni crisi morborum acutorum, quæ per sudorem fit; Præterea cur internæ partes, vt ventriculus, & intestina non etiam concutiuntur, & vibrantur, & rigores excitantur, cum mordicantur ab acribus humoribus, & eos deorsum expellunt? Cur etiam musculi illi habitus corporis semper expellunt extra, & non repellunt rursus in venas? quod si illi prosequuntur humoris motum quem inchoarunt venæ ad externas partes, quomodo potest in eodem tempore fieri sanguinis, idest, humorum omnium, delatio in partes internas? id enim fiat oportet, si frigus rigoris pars simul fieri debet: nam & ex hoc probatur huius causę vanitas; quę dum tota versatur in expulsione humorum, ex qua dicit fieri agitationem, & tremorem, nullam mentionem facit de causa frigoris, quod est alia pars rigoris: quod si putat rigorem fieri ab expultrice facultate similarium partium, quæ tandem commoueat, agitet, contrahat, relaxetque musculos, articulos, & cum his tandem vniuersum corpus, cur *in libro de rigore* aliam affert causam commentitiam ex motu calidi natiui, cuius nullam mentionem fecit, *in libris de symptomatis*: quid aliud dicendum est, quàm quòd author hic, vt alii Asiatici (vt Cicero ait) loquax, omnia effundat.

Galenus [illegible] *effundere.*

Sed, quæso, videamus, quomodo etiam rationi sit consona ea causa, quam sumit a calido naturali influente, ponit in eo opere calidi innati essentiam esse per se mobilem, & seipsam mouentem, intro enim moueri, quia frigiditatis est particeps, & id fieri, vt alatur, & augeatur: extra vero exire, & efferri, quia illius essentia calida est: Itaque huiusmodi calidum perpetuo motu intro, & extra ferri, quia ex calida, & frigida natura constat: repugnante enim calore, illud non potest perpetuo intra versari, renitente vero frigiditate, pariter nequit in externis partibus perpetuo versari, nec dissolui, quæ quidem vera sunt; sed fortè veriora, si diceret, substantiam calidi innati constare quidem ex quatuor Elementis, vt alias omnes, quæ sunt in nostro corpore, sed in ea præpollere aeream, & aqueam substantiam, deinde igneam, minimum vero esse terrenæ substantiæ; id enim postulat natura spiritus, & puri sanguinis, ex quibus ea cali-

Calidi innati substantia.

di

di innati substantia (vt tradit *alibi* ille) constat. quia ergo aerea est, & aquea, motus non potest habere extremos, quare nec penitus extra efferri, nec intro in angustum spatium tanquam in centrum contrudi potest; quia vero igneæ quoque naturæ est particeps, magnam vim habet ad agendum, & propterea est commune animæ, & corporis instrumentum, sine quo nulla actio fieri potest. Quia vero terrenum aliquid habet, contrahi potest etiam in cor tanquam in centrum, & in fontem, à quo deriuatur. Merito igitur quod talem habet naturam, eos habet motus, quos illi attribuit Galenus, spõte enim extra mouetur, id enim requirit aerea, & ignea substantia, & quoq; fit, cum externæ partes illius ministerium requirunt; intro vero contrahitur, cum ab internis partibus pariter reuocatur, aut ipsum debilitatum foras exire & expandi per vniuersa membra nequit, tunc enim illud contrahi necesse est, vt ex concoctione crudioris sanguinis, qui in primis venis abundare solet, puriorem sanguinem, & spiritus sibi generet, quo facto, rursus ad externas partes prorũpit, nam (vt rectè inquit Gal.) substantiæ perse mobili quies est mors, & quia id requirit structura corporis, quæ ex partibus internis & externis constat, quarũ actiones & officia continua quadam successione exerceri debent, vt otiosa nõ sit hominum vita. His itaq; suppositis, definit Gal. rigorem esse repentinam & violentam innati calidi refrigerationem; sed rectius postea scribit, rigorem fieri naturalis caloris motu violenter impedito, nõ enim propriè dicitur calor refrigerari cũ intrò cõtrahitur, aut extra expanditur; quare nec etiã rigor est affectus vel passio ipsius caloris, sed ex passione illius nascitur. Sed iã videamus, quomodo rigor fiat, ex Gal. opinione, ex passione ipsius caloris, quidq; ipsum calidum patiatur, & à quibus causis, hoc enim si pro dignitate enarrabimus, profecto rem per se dignam & arti nostræ vtilissimã explicabimus: nam ex hoc multi profecto errores detegentur. Scribit igitur Gal. *in libro de rigore*, hunc fieri ex caloris impedito motu ad exteriora, quædam enim impedimenta in externis partibus ponit, quæ ipsum calidum intro repellant, & ad sua principia redire cogunt, vbi cum persistere nequeat, (vt quod ex substantia semper mobili constet) acerbatur & quasi in se coarctatus vehementiori impetu quasi solutus vinculis, egreditur, & progrediens resistit his, quæ illius cursum impediũt, eaq; propellit, meatusq; aperit, illis rursus repugnantibus rursus repellitur & ad principium reuertitur, & hæc pugna tamdiu durat, quoad ea repugnantia perseuerat: ex qua pugna totum corpus concutitur, quasi verberibus cæsum, & inæqualibus his motibus fatigatum, vocaturq; huiusmodi affectus dolorificus rigor factus ob impeditum cursum caloris ad exteriores partes, & eiusdem contractionem & repercussionem ad interiora; propterea, inquit corpus post rigorem incalescit & sudores etiam effunduntur, cũ enim per multos insultus noxia liberè propulerit, & perfectè respirauerit, tribus de causis corpus incalescere necesse est; primũ, quòd frequenter calor à perspiratu exteriori repressus in alto colligitur; deinde, quòd multoties foras vehementer expansus est; postremo, quod caliditas intuitu, ictu, violẽto q; motu accendi soleat, subinde accidit etiam in huiusmodi ex alto reditu calorem seu feruidum aliquid humorum confertim effundere, quem sane sudorem appellamus. Quibus ita positis, varias ponit causas rigoris, humorem scilicet calidum, vel frigidũ, certa qualitate & quãtitate præditum, & violenter motum; præterea, à medicamentis acribus, & alia nonnulla addit. Verum cum causam petit ab humoribus motis per partes sentientes, dicit dolorem ab illis fieri, & ex eo duo sequi, nempe contractionem sanguinis in profundum corporis, & propterea exteriora refrigerari ex particulis autem ipsis corporis, in quibus humor consistit, vnamquamq; eum à se expellere ad vicinam, donec ab omnibus partibus expulsus, per sudores, aut vomitus, aut etiam per aluum fuerit excretus. Hæc & similia tradit *in eo libro*, quæ non respondent his, quæ *superius* adduximus *ex libro de symptomatũ causis*, nec etiam inter se cohærent priora cum posterioribus: nam *in libro de causis symptomatum*, concussionẽ siue tremorem totius corporis, quo constat rigor, dicit fieri à sola mordicatione humorum acrium, nulla caloris natiui passione concurrente, eam enim mordicationem mouere expultricem facultatem omnium partium, quæ sunt in habitu corporis, & ex illarum omniũ motu, ossa, articulos & denique vniuersum corpus cum illis concuti, vibrari, tremereq; hic vero vniuersam causam petit ex calidi natiui impulsu, & repulsu: plurimum autem refert, si dicas, rigorem fieri ex passione calidi innati, aut ab expultrice vi, quæ in insita est singulis partibus; *In libro* vero *de rigore*, cum diu in eo esset versatus, vt ostenderet, solius caloris contractione & expansione rigorem fieri, & illius motu violento ad exteriora extrudi molestantia, & vias tandem aperiri & sudores fieri, postea (vt ex superioribus patet) molestantium humorum per sudores expulsionem, & omnem illorum motum, tribuit expellentib. partibus: non igitur sibi constat. Sed singula iam excutiamus, quæ *ex libro de rigore* sunt collecta. primum enim impedimentum, quod ponit aduersus motum caloris ad externas partes, non est commune omnibus causis efficientibus rigorem, vt timori, suppurationibus internis, frigiditati externæ, in his enim calor natiuus nullũ habet in carne & musculis impedimentum, quod illius cursum impediat, & tantam pugnã ex successiuis suis motibus intro & extra toties factis excitet; quomodo ergo communem causam omnis rigoris ponere potest ex refrigeratione, vel ex alia passione ipsius calidi innati, si modũ docere non potest communem omnibus causis rigorem committentibus? Deinde, cum in principijs accessionum febrium rigor inter omnia accidentia primum emergat, quæ nam fuit, quæso, causa, quæ collocauerit in musculis eos humores, qui caloris motum erant remoraturi? si enim ante accessionem illi aderant immoti, vt qui nondum rigorem facerent, quid eos postea mouere potuit? non calor quidem ipse, qui impeditos habet motus; quid ergo aliud, facultasne expultrix? cuius nullus motus potest fieri ad exteriora, si sanguis vna cum calore violenter in viscera contrahitur. quod si illi humores mouentur à venis inuadente accessione, potius impeditur motus caloris ubi in ipsis venis

Quomodo rigor fiat ex passione caloris secundum Galenum, quidq; precipuum calidum patiatur.

in ea agitatione & concursu humorum, quam in ipsa carne, ad quam cum peruenerint calor, non multum impediri potest, quin libere exeat, si modo illa, quæ scabiem, lassitudines, & cæteram aliam mala pariunt, id efficere non possent: laxa enim tunc est via spiritui, qui est materia caloris innati, præsertim si cutis extrinsecus non astricta est. Addo, quod ille rigorem vult fieri ob mordicationem humorum diuellentium & vulnerantium partes, & non ex obstructione eorum, quæ caloris cursum impediunt; fingit ergo in carne & musculis, aut in aliis, nescio quibus, locis, eas obstructiones, aut obices, vel alia impedimenta aduersus motum caloris, & hunc plurimum laborare, vt ea extrudat, & vias expediat; quæ si aliquæ sunt, certe sunt in venis, & arteriis in profundo corporis. illic enim contractus est calor, ibique ea difficultas, quæ est in expansione caloris, conspicitur, alioqui liberè moueretur calor vsque ad carnem & musculos, in quibus ea impedimenta & illi humores ponuntur esse, quod cum non fiat, aliam oportet esse caussam huius contractionis, quam eos humores sparsos per carnem. Deinde concludere non potest, ex successiuis illis motibus ad externas & internas partes vniuersum corpus concuti quasi verberibus cæsum, & his motibus fatigatum; nam concussio & tremor ille non requirit tantos totque motus, quandoquidem ex vnico aut altero statim fit huiusmodi concussio, veluti cum statim ex timore rigor contingit. Addo quod paulo post non amplius vult concussionem istam fieri ex caussis repugnantibus motioni ipsius caloris, sed ob dolorem. Plurimum autem refert, vnum pro alio promere, vt vnicuique patere puto. At verò quid magis repugnat suis principiis, quàm dicere, ex morsione humorum facta in partibus extrinsecis fieri dolorem, & ad hunc duo sequi, nempè contractionem sanguinis in profundum corporis, & expulsionem, & concussionem omnium illarum partium, & totius corporis? nam docuit ipse *in lib. 13. Methodi medendi*, & *passim alibi*, ad partes dolentes sanguinem cum aliis humoribus; & calorem confugere, vnde fiunt inflammationes; cur ergo, vbi dolor fit in partibus externis, illa dolorem fugient, & ad internas partes contrahentur? an fortè, quod timeant hostem, vt Montanus sentit, ideo fieri rigorem, quod calor intro se contrahat, vt fugiat contrarium? At quæ potest esse contrarietas inter humorem, vel dolorem, & ipsum calorem nostrum, cum humor caloris sit vehiculũ, & ad ipsum dolorem concurrent humores, & calor? Concussionem vero etiam sequi dolorem, & morsionem, probare non potest, quoniam omnes, vel minimæ particulæ, quæ sunt in habitu corporis, tam violentos, & validos motus efficere non possunt, cum priuantur sanguine, & calore influente, qui est, vt antea ostendimus, commune instrumentum omnibus actionibus & partibus, quo vel leuiter sublato [illegible] ociosæ manent externæ partes, vt [illegible] generatio, & ob alias rationes, quas [illegible] adduximus. Quod vero dicit, [illegible] ex contrariis motibus caloris tam [illegible], de [illegible] materia, quæ impedit externum motum, [illegible] latur per sudores; vel aluum, aut vomitum, repugnat experientiæ: nam sæpè nulli succedũt sudores in febribus, quæ cum rigore inuadunt. Nec sufficit insensibilis transpiratio ad tantum humorem, quantum requiri dicunt ad rigorem generandum, & tam crassam atque glutinosum, qualis est, qui rigorem quartanæ & tertianæ notæ committit. Præterea, rigor finitur post principium accessionis, aut certè in principio augmenti maximè remittitur; Nulla autem euidens excretio sequi potest tam exiguo temporis momento, quo rigor finitur; nec sudor vnquam fit, nisi cum instat declinatio, est enim sudor declinationis caussa; per vomitum vero aut aluum credere fieri expulsionem humorum, qui sparsi sunt, & violenter impulsi per carnem, & musculos, absurdum est, & Galeni principiis repugnás, qui credit, humores, qui semel excedunt a venis, non amplius in ea redire posse: quod si non fit, non poterit fieri euacuatio per vomitum, aut per aluum laxientibus illis humoribus. Quod vero scribit, augeri calorem tribus illis suis caussis post rigorem, animo concipere non possum: nam calor tantus, qui sequi solet in febribus post rigorem; non potest accendi ex ea colluctatione in profundo corporis, & quod vehementer expandatur, vel quod violenter moueatur: nam in ira, & exitu cum timore hæc omnia fiunt multo violentius, nunquam tamen accenditur calor, qualis esse possit et, qui in tertianis exquisitis, aut etiam in leuioribus conspicitur. Illud vero mirari quilibet potest, quod, posteaquam posuit caussam, & modum, quo fit rigor ex caloris impulsu, & repulsu, caussas particulares ponat, vt acria medicamenta, suppurationes internas, externum frigus, & alia, quæ non possunt redigi ad sua principia. Sed hæc sufficiunt aduersus generales communctasque caussas, quas ponit Galen. de rigore; nam alia quædam postea expendemus, cum nostram opinionem proponemus.

Cæterum inter recentiores Fernelius partim consentit cum veteri opinione, partim vero ab ea dissentit: nam frigus, horrorem, & rigorem fieri scribit à vehementi incursione caloris, frigoris, rei pungentis, aut quouis alio modo molestæ in corporis sentientes partes confertim facta; sed cum hæc symptomata fiant in febribus, caussam esse putat humorum acrium concursum ad præcordia, & partes omnes, quæ illa circumstant: ea enim membra exquisito sensu esse prædita, connexaque cum principalibus & externis partibus, propterea merito fieri, vt morsiones, quæ in illis excitantur (vt & alia vitia) reliquis partibus communicentur, argumento, quod hæc mala mitigant fomentis calidis & humidis, præcordiis applicitis, tanquam fomes illorum illic consistat; & quod sudores per febres maximè a præcordiis moueantur. Aliam addit caussam, quod ab hac materia circum præcordia hærente vapor fœtidus & putridus, & in omne corpus effundatur, & cor primum per occultos meatus afficiat, ab illoque postea per arterias in corpus spargatur, & cerebrum impleat & grauet, omnesque artus obtundat, & statim cum ipsum cor petere [illegible], ipsum offendens pulsum contrahat, & obscuret: tandem vero sparsus in corpus, inquit, idé vapor [illegible]

Opinio Fernelii de modo frigoris, horroris & rigoris in febribus.

mea-

incalescit, & inflammatur, ac tum febris ardorem, eiusque symptomata mouet.

Opinio Fernelii refutatio.

Hæc Fernelius de causis frigoris, horroris & rigoris tradit *in tractatione sua de febribus*. Sed ille causas veras inuenire non potuit: nam nulla ratio docere potest, ex acrimonia, & punctura humorum circa præcordia versantium, horrorem, & rigorem committi in vniuersis corporis partibus? Nam etsi connexus, & consensus est inter omnia membra per venas, neruos & arterias, tamen separati sunt morbi, & dolores, nec quod vnam partem afficit, statim alias omnes eodem modo percutit, alioqui cur in vehementi dysenteria, aut ventriculi, aut intestinorum dolore, non fiunt rigores & horrores, aut eorundem dolorum non fiunt participes aliæ omnes partes, sicut rigoris? etiam cutis ipsa? Videmus præterea, vomitus fieri in crisibus, & in cholerica passione ex purissima bile circa præcordia mota, & ipsa vehementer pungente, absque prædictis symptomatis. Addo, quod tales puncturæ concussionem & tremorem, qui est rigoris pars, forte probabilius excitare possent ob eam societatem, & connexionem membrorum, frigus vero nullo pacto: nam quod est acre & calidum, non habet vim refrigerandi internas aut externas partes, nec contrahendi calorem, ob eam morsionem, alioqui cur in vomitu bilioso non interuenit semper frigus externarum partium? C Cæterum, fomenta calefacientia circa præcordia admota, mitigãt quidem horrorem & rigorem; & propterea ostendunt istorum causam in partibus internis contineri, & non in habitu corporis, sed non ostendunt hæc mala contingere ex morsione, & motu humorum per partes sentientes, quippe cum à calidis remediis calidi, & acres humores exasperentur. Ac cum eadem remedia externis partibus adhibita, rigores quoque mitigent, nihil habet Fernelius ex illis, quod ad suam opinionem firmandam conferat. At, multo minus probabilis est alia causa rigoris, vel frigoris, quod in rigore fit, quam ipse affert ex putrido vapore, eleuato à præcordiis, & postea ad vniuersas partes corporis: nam illud primum D non constat quomodo vapor ille pulsus contrahere, & minuere possit in principio accessionis, non enim eo, quod cor afficit, ideo pulsus hoc modo mutari debet, alioqui cur idem non fit in statu accessionis, in quo plures vapores gignuntur ab humoribus putrescentibus, à quibus magis afficitur cor? vt ostendũt maiores, velociores, & crebriores pulsus, respiratioque ipsa eodem modo mutata. Postremo, non docet, vnde vapores qui primum sunt ad cor elati, & postea ab ipso in vniuersum corpus delati, calorem assumant, ex quo febris in vniuerso corpore accenditur: non enim eo, quod à corde sparguntur, inflammantur, & febris ardorem mouent; Causam ergo indicare debebat huius caloris, nec vapor ille, quem fœtidum esse dicit & putridum, cerebrum implet & grauat, omnesq; actus obtundit, vt ille putat: nam vt hæc non contingunt in omni febre, quæ cum rigore infestat ita grauitas illa contingit potius ex recessu caloris ad interna viscera, ex quo contingit pituitam, quæ in cerebro est, calore, quo regitur, priuatam, cerebrum grauare. Alia ergo causa malorum quærenda est, & ex notis quibusdam principiis, quibus positis A & confirmatis, docebimus, omnes particulares causas ad illa reuocari: hoc enim est maximum veritatis indicium, cum particularia omnia ad vniuersalia rediguntur.

Opinio auct... in quib. ... tur princ... ia.

Itaque hoc primum sit principium: *In omni actione corporis requiri animæ vim, quæ agentis rationem obtinet: deinde partes corporis tum similares, tum organicas, pro diuersitate actionum, quæ fiunt, & ipsum vniuersum corpus diuersas habere vires, & facultates*, sunt enim hæc omnia propria instrumenta animæ, cum quibus proprias exercet operationes: Tertium, *calidum influens a corde quod a Medicis dicitur, & reuera est commune animæ & corporis omniumque actionum instrumentum, suo accessu insitum singulis membris calo-* B *rem excitat, & de potentia ad actum ducit, tamque reddit aptum ad agendum, cum vero ille recedit, omnes partes, a quibus fit recessus, otiosæ manent*, vt contingit in externis partibus, dum fit somnus contracto calore ad internas, in quibus tunc fit ob illius præsentiam & abundantiam perfecta alimenti concoctio: Aliud principiũ est, *huius calidi innati substantiam esse per se mobilem, facileque moueri posse in omnes partes:* tale enim oportet esse, vt antea ostendimus, quod ex aerea igneaque portione maxime constat, & aqueum 4. terrenumque aliquid habet, quodque commune debet esse omnium actionum instrumentum. Habet ergo suos motus extra & intro ex C hac sua substantia, vt ostendunt, quæ in nobis fiunt: nam vbi dissoluta est illius substantia, maxime aerea & ignea, per labores & vigilias, sponte se contrahit in viscera, vt ex nutrimento reficiatur & augeatur; postea vero auctum hoc calidum corpus, & spirituosum redditum ex generatione sanguinis; sponte pariter in externas partes effertur, ne cum nihil habet amplius, quod agat intus, desit externis partibus, quæ antea ipsius caloris absentia otiosæ fuerunt. paret idem calor, & quæ ei subiecta est substantia, spiritus & sanguis purior, prompte animæ, cuius est instrumentum, vt animi passiones ostendunt, & cogitatio, quæ cogit calorem etiã dissolutũ, & sponte appetentem motum interiorem, circa D caput, vbi sensus & ipsa cogitatio exercentur, versari; sic vbi concoctione est opus in partibus internis, calorem cum natura reuocat ab aliis partibus, & colligit, plus vel minus, pro ratione facilioris aut difficilioris cõcoctionis. Eodem pacto in Syncope, quia maxima vis cordi infertur, vniuersus calor alias vniuersas partes penitus deserit, vt suæ origini & fonti subueniat. Igitur; quod aliud principium esse volo, *ad portionem operis, quod a calore perfici debet, natura ipsa calorem euocat, ad se allicit, retinet conclusum, aut expandi permittit.* Aliud præterea principium pono; *effectus causis suis respondere debere.* Quibus 6. quidem ita positis, dico, rigorem, horrorem, & frigus, quæ fiunt in febribus, non posse fieri ab E alia causa quam *a motu ipsius calidi natiui influentis a corde*, hoc enim solum inter ea, quæ actiones nostras perficiunt, aut corrumpunt, momentaneas subit mutationes, quare non ad animi vitia aut partium similarium, aut organicarum ea mala referri possunt. calidi vero subitas mutationes ostendunt timor, erubescentia, ira, gaudium, somnus, vigilia, syncope, quæ non fi-

Rigor, horror & frigus in febrib. vnde fiant secundum auctorem.

unt, nisi ob motus & passiones natiui huius calidi. Idem docet frigus externarum partium rigoris pars, quod non nisi recessu huius caloris contingit, & concussio ipsa, quæ tum demum cessat, quando calor libere iam in partibus externis versatur. Sic igitur dico, *tũ frigus, tũ concussionem rigorem que ipsum, qui ex his constat, fieri motu huius caloris ad externas internasque partes*: & hoc recte dixit Galenus. Quod vero ipse docere non potuit, & præcipuum est, nunc docere aggredior, quid scilicet sit, quod calorem contrahat, illumque successiuis motibus expandat, & quid requirat ipsum frigus & ipsa concussio; postulat quidem concussio hæc & vibratio, vtrumque motum caloris; frigus vero duntaxat ipsius calidi contractionem; nam sola absentia caloris ab externis partibus, in illis parit frigus. vt quilibet facile concipere potest, & ostendunt causæ omnes, quæ extrinsecus refrigerando calorem intro repellunt; concussionem vero ipsam duos requirere motus, cum non ita pateat, postea docebimus.

Quid calorẽ in rigore contrahat.

Porro, contractionis causa rigoris, qui fit in febribus, de quo potissimum his est, non acrimonia humorum pungentium partes externas facit, quid enim illi aduersus calorem efficere possunt? aut quam vim contrahendi calorem habent? si forte tunc illi sparguntur per carnem, & musculos, quod diximus fieri non posse, & repugnare tum naturæ ordini, tum humoribus multis, qui momento spargi non possunt per eas partes, vt subita generatio rigoris requirit; nec ea contractio fit, quod calor ab aliquo extrinsecus frigido intro repellatur; quid enim in febribus aliud refrigerat externam superficiem, quam ipsius caloris recessus? nec, vt alii volunt, id accidit, quod ipsum calidum innatum in pugna contra ea, quæ in carne continentur, debilitatum, robur intus sibi quærat, vt postea validius prodire in pugnam valeat: nam vt id forte probabile esset in ægrotis rigentibus post longas febres, ita in his, qui validis viribus in prima febrium accessione rigent, in primis ictibus caloris pugnantis (si quæ pugna, vt illi volunt, fit) adinueni non potest. Quid ergo est, quod calorem tunc contrahat? Et quid aliud esse potest, quam *ipsa putredo*, quæ naturam cogit calorem ad se reuocare? vt manifeste docent magnæ inflammationes, quæ in profundioribus partibus factæ cum suppurantur, vehementem excitant rigorem ex sola ipsa interna putredine, & in eo casu nemo vnquam existimauit, fieri aliquam commotionem humorum acrium per carnem & cutem, aut caloris pugnam aduersus ea commentitia impedimenta. Est igitur in illis inflammationibus materia, quæ suppuratur, rigoris causa, quæ si inæqualis est, & ob id tota simul putrescere, & suppurare non potest, toties fiunt rigores, quoties noua fit ex parte humoris suppuratio, vt sæpe visum est. Nostram etiam hanc opinionem confirmat experientia, refert enim Fernelius, se in anatome inuenisse abscessum factum conuentum sub infima parte iecinoris vergente ad lumbos, quo, qui laborauerat, dum viueret, frequenti rigore corripiebatur. Ego vero Lugduni vidi fratrem Angeli Bitoli Florentini, qui laborabat inflammatione recti intestini, subito horrore correptum, quem postea aperta vomica, iudicauimus

A eo tempore excitatum fuisse, quo suppuratio maxime à natura tentabatur. Taurini vero cum laboraret Bartholomæus Viottus Medicus non vulgaris, dolore profundo per totum fere abdomen, & cum vomitu atque febre, feruentique & inordinato rigore, contenderentque alii Medici eum laborare colico dolore, ego contra iudicaui intestina inflammata, itaque eo mortuo, & dissecto, inuenimus id, quod prædixeram, & quod erat inordinati, & frequentis rigoris causa plurimas portiones intestinorum separatas diuerso modo affectas, quædam enim erant suppuratæ, aliæ inflammatæ, alias etiam gangræna occupauerat. Similia multa contingunt, quæ ignorantur, quia morborum & mortis causas

B non discimus ex dissectione mortuorum, sed ex nostra antiquorumque ratiocinatione, quæ multa fingit, quæ experientia ipsa eludit.

Sic ergo in principio accessionis febrium intermittentium, cum humor incipit putrefieri, & ob putredinem febrem accendere, natura in sui fidum calorem colligit, vt resistat putredini, quæ magnus est affectus, naturæque maxime contrarius, quippe, cum sit corruptio eius substantiæ, quam inuadit; Interim igitur cum ipsa putredo sola consistit (id, quod fit in principio accessionis) *calor ad eam properat à natura reuocatus, & concoquendo cogit illam vitium remittere, quod cum natura est assecuta, calorem paulatim relaxat, & tunc frigus extrinsecus remittit eo exeunte. In ipso vero statu, &*

C *magis in declinatione, iã accẽsa, & mutata materia in beniguiores qualitates, calor vniuersum corpus æqualiter occupat, & externas partes potius, quam internas, & interim cum exeuntibus vaporibus ipse calor quoque expirat, & partem materiæ secum rapit, vnde sudores, vel magnæ euaporationes sequuntur, quæ accessione finiunt: manet tamen in venis crassior pars, & veluti cinis, quæ purgationem expectat.*

Igitur frigus, quod fit in horrore, & rigore, *causam habet contractionem caloris*, & hanc facit natura, vt putredini resistat, & non (vt alii volunt) magnus fit in re putrescente calor, qui alium ad se trahit. nam calor, qui nascitur ex putredine, auget calorem in aliis partibus, vt docet inflammationes, quæ febrem accendunt in toto corpore; *Trahitur igitur a natura calor ad con-*

Frigus in horrore & rigore vnde fiat.

D *coctionem efficiendam in humore putrescente, non ab ipso calore, qui est in humore*, concussio vero illa, siue tremor altera pars rigoris, oritur *partim ex contractione, partim ex pansione ipsius caloris*. nam si intus semper concluderetur calor, externæ partes non concuterentur, sed immobiles manerent, vt fit in Syncope; si vero libera esset caloris motio in partes externas, non vtique fieret motus ille deprauatus, in quo cadunt, & eriguntur membra sursumque & deorsum mouentur. vt in simplici tremore accidit; hoc ergo

Vnde concussio siue tremor.

E ostendit calorem per minima interualla, imo eodem temporis momento adesse, & abesse à partibus externis, quæ concutiuntur, & id fit in putredine humorum, & non in Syncope, quia in hac, ob magnitudinem affectus, totius caloris contractio, & conclusio requiritur: in ea vero ob leuius malum, nequaquam. Ergo partes externæ, quæ rigent, quoniam aliquid habent caloris influentis, non penitus iacent immobiles.

les; Quia vero tantum non habent, quantum A requiritur, & singulis momentis ille contrahatur ob putredinem, & recurrit; quia sua natura natus aptusque est extra ferri, vt qui in subiecto sit igneo, & aereo, ideo motus efficit tremulos, sicuti simplex tremor accidit senibus, eo, *quod non habeant tantum præsentis caloris & roboris, quantum necessariũ est ad partes regendas.* Sed dicet aliquis, & merito, cur, si putredo rigoris est causa, in continuis febribus putridis rigores etiam non fiunt, & illi quidem maiores, quã in intermittentibus, vt maior est ex maiore copia humorum putredo? an ideo non fit contractio caloris, & cum ea rigor, quia putredo in continuis non solum cor, & internam aliquam partem intermittentium focum, sed vniuersas etiam venas occupat? B nequit igitur contractio fieri caloris ad peculiarem locum putredinis internum, si ea vniuersa vasa occupat, fit ergo rigor solum in intermittentibus, aut in continuis cum intermittentibus coniunctis, vt in semitertianis, quia locus & focus putredinis internam etiam habet sedem, quæ materiam gignit in accessionibus singulis, & in proximas venas transmittit eam nouæ putredinis & accessionis causam; huiusmodi focus in tertiana est hepar, in quotidiana ventriculus, in quartana lien.

Senes vnde habeant tremorem.

Cur rigores etiam non fiant in putridis continuis.

Quia ergo totius febris materia in intermittentibus, vt in continuis, simul non putrescit, sed pars post partẽ, ideo in intermittentib. toties fit rigor, quoties noua putredo incipit, C ad quam vincendam natura calorem reuocat & colligit in profundis corporis partibus, id quod solum accidit in continuis, cum in centro corporis fit aliqua suppuratio, aut cum in ardente febre instante crisi, eadem separare vult iam concoctos humores ab aliis, & hanc actionem inchoat in partibus internis, & postea prosequitur, donec materia per sudorem fit discussa: nam in aliis euacuationibus non solent rigores fieri, quod illæ fiant per latiores meatus, vnde natura minus laborat; in ea vero, quę fit per sudores, difficilior redditur separatio humorum & expulsio; itaque mirum non est, si non solum in suppuratione interna, sed etiam in separatione & expulsione vehementiori natura aliquando calorem contrahit D rigoresque mouet. Quæ quidem si vera sunt, (vt arbitramur esse) contraria est ratio de loco, in quo putrescunt humores in febribus continuis & intermittentibus, opinioni maiorum nostrorum, nam ex nostris argumentis sequitur, in febribus continuis materiam putrescere *in venis totius corporis, nullamque esse sedem interiorem, quæ materiam suppeditet ipsi febri*, aut in qua illa putrescat, putredinemque accendat in corde & venis, vt in febribus intermittentibus accidit.

Putredinis locus in putridis continuis quis.

Illi etiam statuunt humorem inuadente accessione spargi per musculos & carnem, & ita liberari ab humoribus putrescentibus venas, & internas partes, id quod necessarium est sequi, si E humores, qui sunt sparsi, sunt illi, qui putrescunt: nos vero contrarium asserimus, nullum scilicet fieri motum humorum tunc in partes externas, sed in internas, ex quo sequitur frigus externarum partium, & vomitus, aluique deiectio, quæ solet fieri in principio accessionum.

Illi rursus calorem, qui postea expanditur, putant excitari ex pugna humoris, nos vero omissa hac pugna, (cuius nullum est indicium,) dicimus, putredinem esse causam contractionis caloris, & eam febrem simul cum rigore, & non post illum parere, vt experientia docet, etsi febrilis calor ob coniunctum frigus, non vbique habeat suas euidentes notas, sentitur tamen intus, propterea cum ita friget & calet corpus, pars & tempus febris ab ipso etiam Gal. dicitur. Ridiculum profecto est, existimare, febres fieri putridas, quæ tanti sunt momenti & periculi, ex tam leui causa, nempe, ex motu naturæ calorisque, & pugna aduersus noxios humores, caloremque ipsum, ob hæc sequi rigorem, cur potius non dicitur, hoc fieri ob putredinem, & ob hanc excitari vapores, qui cum libere transpirare non possint, calorem augent à putredine inchoatum? Illud vero, quod scribit Hippocrates, à rigore obmutescere, nec rursus calefieri hominem, causam non habet, quod victa fit in certamine aduersus noxios humores sparsa per cutem caliditas, sed quod magnam intus putredinem ostendat, quæ totum calorem ad se reuocat, & illic contine, vt vincat, si potest, vnde externæ partes calore priuatæ agere desinunt, & propterea lingua etiam obmutescit non redit autem caliditates ad partes externas, quia natura illius beneficio studet magnam putredinem vincere, etsi interim frustra facit, propterea cum egeat continuo actione ipsius caloris, illum non relaxat, vt exire possit.

Non mirum quoque, si post laboriosam febrem rigor superueniens sit perniciosus, id enim indicat nouam esse excitatam putredinem, aut naturam ad humores putridos separandos & expellendos calorem reuocasse. Virtute igitur debilitata à potenti febre, & existente valida intus causa, quæ rigorem mouet, merito periculum timendum est; quæ ratio etiam explicat, quod scribit Hippocrates. *Rigor in non intermittente febre, virtute iam inualida, lethalis.*

Cur rigor post laboriosam febrem eueniens sit periculosus.

Sect. 4. aph. 46.

Quod vero in tertiana quanto acrior est bilis, tanto fiat rigor vehementior, & in tertianis maior, quam in quartanis, ratio non est, quod in illis humor, qui nocet, vehementius moueatur & mordeat externas partes, sed *quia in humore calidissimo vehementior putredo excitetur, ad quam compescendam maior caloris contractio requiritur.* Est quoque rigor tertianarum in primis accessionibus maior, contrarium vero fit in quartanis, & quotidianis. Acris enim humor cito mitescit & vincitur ob tenuitatem, crassus vero & obtusus difficile putrescit, quare putredo progrediendo augetur, in primis vero accessionibus leuior est, in hoc ergo tempore leuis fit caloris motus, in illo vero maior. Præterea, rigor tertianarum est cum punctura quadam & mordicatione; in quartana vero cum membrorum confractione, id quod fit, non ob diuersos humores sparsos per carnem & cutem, sed propter diuersos vapores, qui à putrescentibus humoribus consurgunt. Quare nõ mirum si vapor, qui nascitur ex bile flaua, acris, tenuis, & igneus, pungit velut acus, & scintillæ ignis; qui vero ex humore melancholico, aut bile cum pituita mixta eleuatur vapor, crassus est, & obtusus vt fumus, qui ex combustione lignorum viridium

Cur item in primis accessionibus tertianarum sit maior, in primis vero quartanarũ & quotidianarũ minor.

nascitur, quare grauat potius, quam pungit A memoriam, aut certe minus moratur.

An vero sine putredine & febre fieri possit rigor dubitat Galenus, id quod intelligendum de causis internis: nam nihil certius est plurimas esse causas externas, quæ eum efficiunt, vt timor, horrenda spectacula, externum frigus, quæ omnia ob eam causam, quam nos ponimus, hoc malum pariunt: calorem enim externum frigus intro repellit, vnde frigus illic nascitur ob caloris absentiam: In timore vero & horrendis spectaculis, quæ timorem incutiunt, cor timoris sedes calorem ad se reuocat, & cum calor sponte extra feratur, ex ipsius vero motu, & eo, quem faciunt extrinsecus repellentia, nascitur concussio, & tremor, altera rigoris pars. Medicamenta vero B erodentia, aqua feruens, ignis scintillæ, si cum timore nos attingunt, eodem modo nos rigore afficiunt, alioqui dolorem quidem excitant, at sine rigore, vel certe non in toto corpore, sed in membro dolente, in quo ob dolorem fit contractio caloris versus cor, timoris, & doloris sedem, & ipsius caloris motum ad partem affectam externam, ad quam sponte ille recurrit.

Cur ex vsu medi. amentorum erodentium, aqua feruente & ignis scintilla.

Galeni opinio de causis internis rigoris refutatur.

Quod vero ad internas causas attinet, tradit Hippocrates, rigorem non posse sine febre fieri, & recte, Galenus vero dicit hoc non contigisse eo tempore, ob parcam viuendi rationem, postea vero se sæpius vidisse tales rigores, affertque multas causas, nempe flatum, cruditatem, vitio- C sos humores sparsos per carnem & cutem, bilem scilicet ipsam vtramque, pituitamque acidam & vitream: quas ego causas non recipio: nam à flatu non potest rigor fieri, fiet quidem inæqualitas, punctura mordicatio, pandiculatio, & veluti confractio membrorum, pro diuersitate vaporum, qui non libere transpirant, at frigus & concussio membrorum nequaquam fieri potest: postulant enim hæc mala caloris contractionem, & expansionem vicissim temporis momento factam, id quod nequit efficere vaporis, aut flatus motus ad externas partes: nec etiam eadem materia in profundioribus locis contenta, apta est rigorem committere, argumento, quod Colica passio, sine rigore ægros ex- D cruciet; Cæterum, ex cruditatibus rigores fieri sine febre Galenus quidem tradit, sed nulla ratione id probat fieri, & ego nunquam vidi, nec ante illum Hippocrates, & antiquiores Medici putant id fieri posse, & merito: non enim cruditas, quæ est sine putredine, tantum est malum, vt vniuersum calorem ad se reuocare debeat, aut si est, ob eam non solet natura rigorem excitare, sed calor potius suffocatur, impedito illius cursu ad externas partes, obstructis venis & arteriis, vt in Syncope contingit; At balneum aquæ tepidæ vel calentis, in corporibus plenis malis humoribus, pandiculationes parit, si materia subiecta cruda est & frigida, ex qua crassi vapores attollantur, qui libere transpirare non possunt; E quod si humores subiecti sunt acres & mordaces, mordicationes excitantur ex eorum commotione per cutim & carnem, sed sine rigore: Ex quib. quidem patet, omnes causas, quæ rigorem mouent, id facere eo, quod calorem ad interna viscera contrahunt, ita vt penitus ipsi illic consistere non cogatur; vt in Syncope, nec

Nec balneũ.

A leuiter quoque contrahatur, vt in erubescentia, & leuiore timore, vel frigore, sed maiore quadam violentia, & necessitate, cum qua tamen calor ipse adhuc potest in externas partes leuiter moueri, atque ita ex ipsius contractione, & recursu versus externas partes, fiunt tremuli motus & inconstantes, ex inconstantia caloris, & frigus fit extrinsecus quia nunquam calor durante ea pugna, potest attingere externas partes; interna vero calent ob caloris præsentiam, quæ fit ob illius contractionem: ex vtroque vero motu momento temporis facto, tremuli motus fiunt erigentibus se, & concidentibus pariter omnibus membris temporis momento. Hæc habuimus, quæ de re tãtopere difficili traderemus, quæ B si non sint exacta, certe talia sunt vt aliis materiam præbere possint ad eadem elaboranda, & perficienda.

Σὺν τῷ μὴ δ' εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς τὰ πολλὰ τ πυρετὸν τοῦτον εἰσβάλλειν ἀλλ' ἑτέρων προηγησαμένων συμπίπτει. [illegible] πλανητοὶ καὶ πλανῆτας ὀνομάζουσι πυρετούς.

Adde, quod plerunque ab initio statim hæc febris non ingruit, sed aliis antegressis, nimirum erraticis, & vagis febribus succedit. Quartana itaque eas quæ errabundæ aut erraticæ dicuntur, insequitur.

A Generationis modo, quæ est causa, sine qua non, sumit indicia ad febrem quartanam dignoscendam: ait enim illam non solere ab initio inuadere, sed succedere plerunque febribus erraticis & recte dixit *plerunque*: nam aliquando etiam inuadit ab initio; & ratio huius diuersitatis est, quod febres quartanæ aliquando fiant ex humore melancholico naturali putrescente, aliquando vero ex melancholia genita per adustionem aliorum humorum, nempe ipsius humoris melancholici, vel sanguinis, aut bilis flauæ.

Febres quartanæ quæ à principio inuadunt, fiunt ab humore melãcholico naturali, aliæ vero ex melancholia putrescente: necesse enim est, vt præcedant febres aliæ, quæ vim habent adurendi humores quemodo videmus, ex continuis febribus fieri plerunque tertianas, & illis succedere quartanas. Sequuntur quoque quartanæ non solum alias febres, sed etiam alia quæ vim habent adurendi humores, vt longas curas, vigilias, laboriosam vitam.

Quomodo fiant febres quartanæ.

Cæterum, appellantur febres erraticæ, quæ non seruant ordinem accessionum, id est, veniunt in temporibus, & horis, in quibus non expectantur, id enim ostendit fieri mutationem per adustionem ab vno humore in alium, quæ mutatio tandem degenerat in atram bilem, ad E quam cum est peruentum, tunc facta est materia febris quartanæ, quæ accedente occasione aliqua putredinis quæ in his, qui aliis febribus recenter laborarunt, prompta est, statim emergit quartana.

Febres erraticæ quæ. Cur quartana plerunque succedit erraticis.

Ὁ δ' ἀμφημερινὸς οὐδὲ χωρὶς τοῦ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς πεπονθέναι, τὰ πολλὰ συνίσταται, καθάπερ ὁ τεταρταῖος ἐπὶ σπληνὶ κακοπραγοῦντι· ὁ δὲ τριταῖος ἐπὶ ἥπατι. A

Vix autem circa oris ventriculi iniuriam fit quotidiana, quemadmodum nec sine lienis vitio quartana: nec tertiana absque iecoris offensione.

Aliud sumit indicium ab alia causa, sine qua non, nempe, à foco febris, ita autem appellant Medici partem eam, in qua putrescit humor, aut vnde putredo cordi subministratur, aut materia suppeditatur antecedens, quæ postea fit coniuncta, cum ad eum locum peruenit, vbi putrescere debet. B Porro, *quotidiana non fit*, inquit, *citra oris ventriculi iniuriam*; vel potius dicendum est, *citra ipsius ventriculi totius iniuriam*, non enim ob vitiatam appetentiam, quæ residet in ore ventriculi, sed ob imbecillam concoctionem, ex qua generatur pituita, contingit quotidianam fieri: ea autem concoctio potius in aliis partibus ventriculi, quam in ipsius ore perficitur.

Confert igitur ventriculus ad generationem quotidianæ, non quod in eo humor putrescat, sed quod in eo plurimus gignatur, si forte imbecillus fuerit, atque ita chylo pituitoso reddito, necesse est sanguificationem quoque lædi: sanguine autem pituitoso abundante in corpore, materia parata est ad quotidianæ generationem. C

Quomodo ventriculus conferat ad generationē quotidianarum.

Lien vero confert quidem ratione materiæ ad generationem quartanæ, non quod melancholicum humorem gignat, is enim cum aliis humoribus in hepate gignitur, sed quod genitum, vel nō expurget, & ab aliis attrahat in se, vel quod detractum non transmittat in intestina: illud contingit, vel ex imbecillitate ipsius, vel ex obstructione vasorum, per quæ fit attractio: hoc vero accidit potissimum ob ipsam obstructionem. Quare videmus quosdam ex quartanariis sine duritie, & humore lienis, alios vero cum his malis vexari: illos sola imbecillitas, hos vero obstructio, vt rationi est consonum, molestat. D

Quomodo lien ad quartanarum.

Iecur vero confert ad tertianas gignendas; quia cum supra modum est excalefactum, copiosam bilem gignit tertianæ febris materiam. Nec forte quidem absurdum est credere, sæpe fieri has omnes febres vitio solius hepatis: nam vt illud supra modum excalefactum bilem copiosam procreat, ita refrigeratum, & humectatum pituitam exsiccatum vero & refrigeratum, humorem melancholicum, & cum in eo perseuerat calor & siccitas, causa quoque fit generationis atræ bilis.

Iecur ad tertianarum.

E

Τὸν μὲν δὴ μετὰ σφοδροῦ τοῦ ῥίγους ἀρξάμενον, εἰκὸς μᾶλλον τριταῖον, ἢ τῶν ἄλλων τινὰ εἶναι πυρετῶν· εἰ δὲ καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἐφεξῆς εἰρησόμενα μαρτυροίη, τοῦτον μὲν αὐτὸν ἐναργῶς εὐθὺς ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἡμερῶν διαγινώσκεις εἶναι τριταῖον. εἰ δὲ μετὰ βραχέος ἄρξαιτο ῥίγους, τότε δεῖ καὶ μᾶλλον τοῖς ἄλλοις γνωρίσμασι τὸν νοῦν προσέχειν, ὡς οὐκ ἀμφημερινοῦ, καὶ τεταρταίου μόνον ἀλλὰ καὶ ἡμιτριταίου, καὶ ἄλλου τινὸς τῶν συνεχῶν εἶναι δυναμένου.

Quinetiam si à vehementi rigore febris initium ceperit, tertianam magis, quam aliquam aliam esse iure fateberis. Quod si & alia, quæ deinceps dicentur, consentiant, hanc quidem statim primo die tertianam esse, certo scies; sin cum leui rigore inceperit, tum alia nota potius consideranda sunt, cum non quotidiana solum, aut quartana, sed & semitertiana, aut alia ex continuarum genere aliqua esse possit.

Prosequitur cognitionem tertianæ febris, & sumit nunc signa ab actionibus læsis non pe à rigore *si enim*, inquit, *febris cum vehementi rigore inceperit, existimare debes tertianam esse febrem, & eam quidem exquisitam*, nam quæ spuria est, etiam habet leues rigores, sicut quartana, & semitertiana, quæ constat ex quotidiana continua, & tertiana intermittente.

Causam autem huius vehementis rigoris referunt alii in acrimoniam insignem puri humoris biliosi, à quo fit exquisita tertiana, talem enim humorem cum mouetur per habitum corporis, mordicare, & irritare, & ex huiusmodi malis fieri rigorem. Nos autem ad insignem putredinem, quam concipit bilis præter alios humores, excellentis huius rigoris causam referimus, vt antea ostendimus. Sed dicant illi, quomodo pituita viscosa, crassa, insipida, vel dulcis, à qua fit quotidiana, rigorem vel horrorem aliquem committere possit? neque enim talis humor effundi potest extra venas cum ea facilitate, quam postulat subitus ortus rigoris, nec spargi per omnes minimas particulas, quæ omnes rigent; nec mordicare, cum nullas mordicationis causas in se contineat. Quare tanto probabilior apparet nostra opinio, quanto plura in omni tractatione ex alia emergunt absurda. Cæterum quotidiana exquisita non cum rigore sed cum solo frigore inuadit ob obscuram putredinem; quæ vero est spuria ex mixtione biliosi humoris, horrorem habet. Quod vero scribit, non solum semitertianas, sed etiam alias continuas cum rigore inuadere, intelligendum est non de puris continuis, sed de continuis mixtis cum intermittentibus; qualis est tertiana continua.

Rigor cur in tertiana sit vehementior.

Quotidiana exquisita cur sine rigore inuadat.

Τὰ δ' ἄλλα γνωρίσματα, τό τε τῆς θερμασίας ἴδιον καὶ ποιὸν, καὶ ἡ τῶν ἀρτηριῶν κίνησις, αὐτό τε τοῦ ῥίγους τὸ εἶδος αἰσθανομένου. ὥρα τε καὶ χώρα καὶ κατάστασις, καὶ ἡ φύσις τοῦ νοσοῦντος, καὶ ἡ ἡλικία καὶ τὰ προηγησάμενα, καὶ τὰ παρακολουθοῦντα. τὴν μὲν γὰρ θερμασίαν πολλὴν, καὶ δριμεῖαν εἶναι χρή. τοὺς δὲ σφυγμοὺς μεγάλους καὶ θερμοὺς καὶ σφοδροὺς καὶ ταχεῖς, καὶ πυκνοὺς καὶ χωρὶς πάσης ἀνωμαλίας πλὴν τῆς πυρετικῆς. τὸ δὲ ῥῖγος εἰ δὴ νύττοιεν οἱ κάμνοντες, ὡς ὑπό τινος ὀξέος μᾶλλον ἢ ψυχροῦ τοῦ ἐντυγχ- E

ταίοις τε καὶ ἀμφημερινοῖς ψυχροῦ τοῦ ῥίγους αἰσθανομένων. τὴν δ' ὥραν θερινήν. ὥσπερ γε καὶ τὸ χωρίον, θερμόν, καὶ τήν γε παροῦσαν κατάστασιν. ἔστω δὲ καὶ ἡ φύσις τοῦ κάμνοντος θερμοτέρα τε καὶ χολωδεστέρα, καὶ ἡ ἡλικία νεανίσκος, καὶ γυμνάσια μᾶλλον, ἢ ἀργία προηγείσθω. καὶ ἐγκαύσεις μᾶλλον, ἢ ψύξεις, καὶ ἔνδεια μᾶλλον, ἢ πλησμονή, καὶ ἀγρυπνίαι δὲ καὶ λῦπαι καὶ κόποι. καὶ σύντονοι φροντίδες εἰς τοῦτο συντελοῦσιν.

Alia vero indicia ex caloris tum qualitate, tum quantitate, arteriarumq; motu & ex rigoris sensus specie, anni tempore, regione, aeris conditione, ægrotantis natura ac ætate, atq; ex iis, quæ præcesserunt ac sequũtur, petenda sunt: nam calor quidem multus acrisq; esse debet, pulsus vero magni & calidi, vehementes, celeres, ac frequentes, omnis inæqualitatis præterquam febrilis, expertes. Rigor vero velut cum corpus ab aliquo acuto magis, quam frigido pungitur; cum in quartanis, & quotidianis frigidus rigor sentiatur. Anni vero tempus æstiuum sit, quemadmodum & regio calida, & præsens aeris conditio. Laborantis quoque natura calidior ac biliosior sit, ætas adolescentia, præcesseritque exercitatio magis, quam otium; æstus, quam refrigeratio; victus parcus, quam largus, vigiliæ quoque, & mærores, & lassitudines, pertinacesque curæ ad id magnum habent momentum.

QVia ex rigore leui, qui communis est multis febribus asserere non possumus tertianam esse febrem, quam dignoscere volumus, addenda sunt alia: illa autem sumuntur ex qualitate, & quantitate caloris, qui sequitur bilem, tanquam ab essentia ipsius febris sumptis indiciis, necnon ex pulsibus & rigoris specie, tanquam ex actionibus læsis, & effectis, quos parit bilis putrescens: anni vero tempus calidum, regio calida, aer calidus, ægrotantis natura, ætas calida, vitæ conditio, animi mores & passiones, tanquam causæ gignentes bilem, præbent in hac re sua indicia: quæ enim conferunt ad generationem bilis, videntur polliceri febrem, quæ genita est ex eo humore, qui abundat, procreatam esse: ille enim minus regi potest à natura, difficilius transpirare, & facilius putredinem concipere. Omnia vero, quæ proposuit Galenus, explicat, & per se satis patent, paucis exceptis: nam quod scribit, omnem inæqualitatem, præterquam febrilem abesse à pulsibus tertiana laborantium, intelligere debemus inæqualitatem febrilem: ea autem est in febre putrida, eo quod contractio velocior sit, quam dilatatio, id enim postulat expulsio fuliginosi excrementi, quod ex putredine prouenit: Rigor vero etsi fiat ex contractione & dilatatione caloris, tamen ex putredine bilis vapores cõsurgunt acres & mordaces, qui eum sensum, quem proponit, forte

A adferre possunt. Ætas vero ad generandas tertianas apta potius est iuuentus, quam adolescentia, hæc enim temperatissima censetur esse. Curæ vero pertinaces & longæ, potius atram bilem, quam flauam procreant, vnde ex huiusmodi curis insaniæ nasci solent.

Εἰ δὲ καὶ πολλοῖς ἄλλοις τῶν νοσούντων ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ τερταίοις ἁλῶναι συμβαίη, καὶ τοῦτ' ἂν εἴη πρὸς τοῖς εἰρημένοις μέγιστον γνώρισμα.

Quod si eo tempore multis tertianis corripi contigerit, maximum eius febris vna cum
B *iam declaratis, argumentum erit.*

HOc genus signi sumitur, vt in opere nostro ostendimus, à similitudine siue proportione: cum enim morbi aliqui grassantur aliis consentientibus indiciis, existimare debemus, eos, qui post alios nascuntur, similes illis esse debere.

Εἰ δὲ τούτων ἁπάντων ὑπαρχόντων, ἢ τῶν μεγίστων τε καὶ ἐπικαιροτάτων δίψος τε αὐτοὺς ἔχει σφοδρόν, ἔμετός τε χολῆς, ἢ ἱδρὼς ἐπιγίνηται, ἢ ἀμφότερα, νῦν μὲν ἂν καὶ σαφῶς εἴη δῆλος.

C

Hæc autem omnia si adfuerint, aut eorum maxima & accommodatissima, vehemensq; sitis, vomitus item biliosus, vel sudor, vel vtrumq; superueniat, tam tum febris perspicue apparebit.

ALia addit signa, quæ partim ex actionibus læsis, partim vero ex excretis sumuntur; solet enim sequi vehemens sitis ardorem ex putredine bilis natum, & biliosus vomitus in tempore inæqualitatis; nam in principio accessionis, ob caloris contractionem, confugiunt humores ad internas sedes, & simul bilis, quæ in his abun- *Vehemens sitis ardor in tertianis vnde sit.*
D dat, quæ vomitum non excitat eo tempore, quoniam intus calor conclusus est, nihil vero extra mitti potest, nisi etiam extra moueatur calor. Quare, cum iam is exire incipit, natura insurgit ad id expellendum, quod stomachum molestat, cur vero sudor sequatur tertianas & alias nonnullas febres, alias vero non; & denique de tota natura & ratione sudoris, agere hoc loco institui, vt sequentibus nota ponantur principia. Primum ergo quid sudor sit, proponemus; deinde ipsius causas; tertio, quis motus generationis eius sit.

Sudorem facile est definire, est enim *humor aquosus per cutem diffluens.* Sed alia sunt difficiliora, nam quæ sit illius materia in corpore, du- *Sudor quid sit.*
E bium est, etenim Galenus dicere solet, sudoris & vrinæ eandem esse materiam, nempe aquosum humorem, qui ex potu gignitur. Verum forte melius esset dicere, esse aquosum humorem, qui ex quacunq; causa in nobis procreatur: nam non solum potus, sed cibi aquosi, & fructus, necnon aeris constitutiones humidæ plurimum illius humoris in nobis pariunt, aliquando ve- *Sudoris materia quæ.*

do vero non plus gignitur ob rectam rationem viuendi, & moderatas alias causas, quam conueniat, sed non expurgatur ob renum vitium, aut quod effundatur in alias partes, vt contingit in hydrope, ventrem ex copioso eo humore tumescere. At vero illud maius dubium inducit, an ipse aquosus humor propinqua sit sudoris materia, ita, vt ipse, qui in venis & internis partibus continetur, effundatur, an potius ex vapore gignatur, conuerso scilicet ipso humore in vaporem. Quod si hoc fit, alia non parua oritur difficultas, an ex solo humore aquoso fiant illi vapores, an potius ex aliis quoque humoribus. Præterea, cum bilis quoque euacuetur per sudores, (alioqui cur sudor copiosus ardentes & tertianas febres muaret?) an ponenda quoque sit bilis sudoris materia. Quod si hoc fit, cur etiam alii humores materiam pariter non præstabunt, si quidem sudores non solum biliosas febres, sed etiam melancholicas & pituitosas, atque adeo ipsas synochas iuuant & soluunt.

Quod vero propinqua materia sudoris non sit aquosus humor, patet, primum, quod sudores fiant in corporibus purgatis exacte aquosis humoribus, & in rusticis, atque in aliis omnibus; semper enim cum volumus, ex labore sudores eliciuntur, quod signum est, materiam non esse ipsum aquosum humorem, nam labor vim non habet separandi eum humorem à reliquis, sed hoc facit segregatrix, expultrixque facultas, cuius vi nemo dicit elici sudores, cum labor eos mouet. Præterea, labor non ipsum aquosum humorem trahit, sed vniuersam massam humorũ calefacit, sicut reliquas partes corporis; Ad calorem sequitur vaporum generatio, hanc vero ipsorum vaporum aliquando euaporatio solum, aliquando vero etiam sudor. Addo, quod sæpe abundant aquosi humores in corpore, nec tamẽ sudor moueri potest tepore & calore cutis, vt in hydropicis apparet, qui ægerrime sudãt, alii plurimi diffluunt in sudores, in quibus nullis indiciis deprehendimus aquosos humores intus redundare. Est ergo, si hæc vera sunt, sudoris materia, non humor, qui à corpore exit, sed *vapor, qui ab eo consurgit, & circa membranam cutis densatur, in aquosumque humorem vertitur.* Verum alia cogunt nos fateri, sudores etiam fieri ex ipso aquoso humore ab internis partibus euacuato: nam si fierent omnes sudores ex ea euaporatione, cur non semper fierent in febribus omnibus? Deinde, cur quidam essent vtiles & decretorii, alii vero inutiles & symptomatici? euaporatio enim non separat bonum à malo, quippe cum consurgat ab vniuersa massa excalefacta, & non magis, qui inutiles sunt quam qui vtiles, idem assequerentur; cogunt ergo hæc vt fiat separatio eius, quod est inutile, ab vtili, si sudores boni esse debent; at separatio fieri non potest, nisi sudoris materia sit humor, qui ab aliis secerni potest; hæc itaque probant *sudores quosdam fieri ex vapore, alios vero ex ipso seroso humore*, & illos quidem fieri à causis euaporantibus, & ad cutem attrahentibus, vel ad illam commouentibus humores, cuius generis sunt, exercitatio, motusque violenti, ira, Syncope; etenim labor musculos, cutem, & tandem internas partes agitat, & calefacit: Ad hæc vero sequitur euaporatio. Ita autem interna vi-

A scera primum calefaciendo, euaporationis quoque causa est, quæ sponte postea ad cutem, tanquam ad supremam & externam corporis partem, ascendit. In syncope subito contrahuntur spiritus, & quicquid est vaporosum in nobis, vna cũ sanguine in viscera internasq; partes rapitur, qui postea redeuntes confertim ad cutem, refrigerati ab eo malo, facile densantur. & in madores conuertuntur. Cæterum, aquosum eum humorem sudoris materiam, nonnulli putant à sola carne & solidis partibus educi, eum enim, qui in venis continetur, per vrinas expurgari, sed illi aberrant, nam ita fieret, vt nunquam sudores iuuare & finire possent febres, & alios morbos, qui in venis suam habent generationem. *Quicquid ergo aquosum est, tum in habitu corporis, tum in venis, illud materia est sudoris*, propterea, lassitudines, dolores, musculorum, & (vt dixi) venarum affectiones, pariter adiuuant sudores. Sed cur est, quod sudores prosint biliosis & melancholicis atque etiam sanguineis febribus, si illorum materia est aquosus humor longe diuersus à materia illarum febrium? an id fit quod vna cum sudore simul extruditur ea materia? sed quomodo, quæso, id fit? cur enim expellitur aquosus humor, si ille non obest? An id fit, quod sine aquoso eo humore alii expelli non possint per cutim? sunt enim alii humores ita inter se commixti, & cum seroso humore, vt separari non possint, nisi subsit ipse serosus humor; vnde C videmus, etiam per aluum & vesicam, nec bilem nec alios noxios humores excerni absque seroso humore, & cogitur natura id facere in sudore, quod præstat in profluuio sanguinis è naribus; nocet enim feruor sanguinis & ebullitio, ex qua vapores multi consurgunt, quibus cum natura exitum quærat, orificia venarum aperire cogitur, per quæ non solus vapor mali causa, sed simul sanguis exit, aut biliosus humor mordicans vna cum sanguine, qui mali causa non est. Cogitur ergo natura expellere nonnunquam id, quod nõ obest: quia nequit eiici, quod malum est, sine eo, cum quo est coniunctum.

Cur tractu sequatur sudor.

Cur syncopen.

Materia locus.

Cur sudor prosit biliosis & melancholicis & sanguineis etiã febrib. si illius materia est humor aquosus.

Nunc, quæ sit causa efficiens sudoris, explicandum est; & ea vna certe non est, si materia D aliquando est vapor, aliquando vero aquosus humor: nam cum vapor materiam dat sudoris, eum procreant, quæ calefaciunt corpus, & maxime externas partes, habitum scilicet corporis & cutem, cuiusmodi est exercitatio, aer calidus, balneum, aquæ calidæ. quæ si vera sunt, constat ea, quæ calefaciunt & humectant extrinsecus, maximam vim habere ad sudores promouendos, addunt enim corpori aquosum humorem & simul eum auocant, propterea (dicebat Hippocrates *in Aphorismis*) *plurimos sudores esse aspectandos in febribus in eo tempore quod erit verisimile?* At sudores, qui fiunt exeunte ipso humore aquoso à corpore, fiunt per expulsionem, quam præstat facultas expultrix, illius enim officium E est, segregare humores, & extrudere in hanc vel aliam partem, pro situ humoris & loci conuenientia, & ipsius naturæ imperiu. Ac cum natura ipsa tempestiue mouetur, id quod fit in morbis, concoctis humoribus, tunc vtiles fiunt sudores, vt & aliæ excretiones; alioqui symptomatici, & inutiles. Sed cur fiunt sudores in his qui morti sunt propinqui, & à qua causa? non e-

Sudoris causa efficiens.

sect. 4. aphor. 6.

Sudores cur fiant in morituris.

num fiunt vi expultricis facultatis, vtpote propemodum extinctæ; & minus probabilis est eorum ratio, qui eos fieri dicunt ob imbecillitatem retentricis facultatis, quæ sinit aquosum humorem effluere; cur enim eum potius humorem, quam alios efflueret sineret? fiunt ergo (vt arbitror) tales sudores, *ob euaporationem, quæ refrigeratur circa cutem iam propemodum emortuam.* Hæc quidem de materia & efficientibus caussis sudoris.

Caussæ sudoris sine quibus non fiunt, & qui fiunt copiosius aut parcius effluunt.

Concurrunt vero aliæ caussæ, sine quibus sudores non fiunt, & qui fiunt, copiosius aut parcius effluunt, cuius generis sunt cutis meatus, & habitus corporis, quibus enim densa est cutis, & corporis habitus, sudores non fiunt, aut certe difficiles, etiam si materia subsit, & caussæ efficientes adsint, quæ illam moueant; quomodo videmus, in téporibus frigidis, nec in sanis, nec in ægris sudores moueri, non tamen propterea nimia raritas confert ad sudorem; per eam enim vapores facilius transpirant, quam sudoris generatio postulet, necesse enim est, vbi sudor fit ex euaporatione, vapores sisti circa membranam cutis, & ex leui refrigeratione, aut certe non ex vehementi calore fieri illorum conuersionem in aquam, quomodo aquæ stillatitiæ fiunt, cum vapores à subiecta materia eleuati sistuntur in concauitate vasis vitrei aut plumbei supereminentis: quod si vas illud perforatum esset, aut ex materia non densa confectum, non vtiq; vapor concrescere posset. Sic igitur in generatione sudoris ex vapore, necesse est cutem non admodum esse densam, nec plus iusto raram, illo enim modo (vt dixi) non fiunt sudores in temporibus frigidis; hoc vero, qui hypocaustis seruiunt ob diuturnam in loco admodum calido moram non amplius sudant, fit enim illorum cutis ita vaporibus peruia, vt facillime transpirent nó expectata mutatione in aqueum humorem. Eodem modo messores & alii, qui se vehementius exercent, & posteaquam diu sudarunt, tandem sudare desinunt, & si non desit euaporatio, nimirum quod cutis idem patiatur, vt in aliis dictum est. Forte diuersa ratio est in sudoribus, qui fiunt expellente natura per cutim aquosum humorem: nam in eo casu, quo cutis rarior fuerit, tanto aptior videtur ad sudores transmittendos, propterea in æstibus largissimi emanant sudores in temporibus admodum calidis, & in longis morbis nullus videtur aliquando sudandi finis adueniente Vere, & æstate, quo tempore natura aquosos humores genitos & retentos in hyeme per sudores expurgat. Cæterum ad hác tractationem redigi facile possunt, quæ scribit Arist. *in Problematis* de sudore & Hippocr. atque Galenus *passim in suis Operibus.* Solent autem sequi sudores tertianas febres, maxime exquisitas, quia illæ fiút in æstate, quo tempore cutis ad sudores est accommodatissima, & natura bilem putrescentem in venis suapte natura leuem propellit versus cutem, & cum illa serosos humores. Vomitus vero biliosus non solet fieri in tertianas, vt qui fiat in tempore inæqualis accessionis: vtrumque ergo fit, sed vomitus circa initia materiam antecedentem euacuans, sudor vero coniunctam.

Sudor cur maxime sequatur febres tertianas exquisitas.

A Εἰ δὲ καὶ παύσαιτο μὲν πυρετὸς ἐπὶ τοῖσδε ὁ ἄνθρωπος, τοῦτον δὴ τὸν φανερὸν ἅπασι καὶ ἐκ κινήσεως πυρετὸν, ὑπολείποιτο δ᾽ αὐτῷ κατὰ τὴν τῶν ἀρτηριῶν κίνησιν, ἡ ἴδιος ἀνωμαλία τῶν πυρετῶν, βεβαίως ἂν οὕτως ἀποφαίνοις τριταῖον ὑπάρχειν αὐτὸν, ὡς εἰ καὶ διὰ τρίτης ἤδη παροξυνόμενον ἑώρας.

Quod si post hac à febre conquieuerit æger, hac, inquam, febre, quæ ex suo motu omnib. est cognita; relinquatur vero propria febrium in arteriarum motu inæqualitas, atque pro certo hanc esse tertianam pronunciare possis, ac si tertio iam die accessionem videas rediisse.

B EX his, quæ sequuntur sudores & vomitus, nempe ex quiete & intermissione febris, tanquam ex parte motoi, prænunciat, tertianam esse febrem. Addit etiam indicium ex pulsibus, quod scilicet maneat ea inæqualitas, quæ propria est febribus, non omnibus, sed putridis. Eam autem putat esse inæqualitatem, in qua constrictio arteriæ velocior est, quam sit dilatatio, vt expellantur vapores ex putredine geniti; sed ego puto hanc inæqualitatem verius fingi posse, quam sensibus deprehendi. quandoquidem experientia docet, nihil in pulsibus relinqui finita C accessione tertianæ, ex qua possimus illam deprehendere.

Cap. VI.

DE SIGNIS QVARtana.

Ὁ δὲ τεταρταῖος, χρὴ γὰρ τούτου τὰ γνωρίσματα γράψαι, τὸ μὲν ἐναργέστατον ἑαυτοῦ τεκμήριον ἐνδείκνυται κατὰ τὴν ἀρχὴν τῶν παροξυσμῶν, ἡνίκα ῥιγοῦσιν ἔτι οἱ νοσοῦντες. ἱκανῶς γὰρ ἀραιοὶ καὶ βραδεῖς αὐτῶν οἱ σφυγμοὶ γίγνονται. κατὰ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἢ καὶ αὐξανομένων ἔτι, D ταχεῖς μὲν ἀνάγκη, καὶ πυκνοὺς εἶναι. σώζεται δ᾽ ὅμως καὶ τότε ἡ ἴδιος αὐτῶν βραδύτης τε καὶ ἀραιότης, εἰ γὰρ προσέχοις τάχους, ἢ τῆς πυκνότητος τῶν παροξυσμῶν λογίσαιο. καὶ γὰρ ἂν καὶ εἰ παραβάλοις τὴν ἀκμὴν τοῦ τεταρταίου πυρετοῦ τῇ τοῦ τριταίου ἀκμῇ, πολλῷ ἴσοι σοι δόξουσι βραδύτεροί τι, ἢ πυκνότεροι ἐν τοῖς τριταίοις αἱ ἀρτηρίαι σφύζειν. καὶ αὐτῆς δὲ τῆς μιᾶς κινήσεως, ἐν τῷ τεταρταίῳ πυρετῷ τὸ ἀνώμαλον ἐνδείκνυται τὴν ἰδέαν αὐτοῦ. τὴν γὰρ κοινὴν ἁπάντων τῶν πυρετῶν ἐν μιᾷ προσβολῇ τῆς ἀρτηρίας, ἀνωμαλίαν ἐναργεστάτην ἐστὶν εὑρεῖν ἐν τούτῳ. E πολλῷ γὰρ ἔστι τὴν τε ἀρχὴν τῆς κινήσεως καὶ τὸ πλεῖστον ὠκύτερον εὑρήσεις τῶν μέσων. οὐ μὴν ἐπὶ τριταίου ὧδ᾽ ἔχει. βραχεῖα γὰρ ἐν αὐτοῖς ἡ ὑπεροχὴ τοῦ τάχους ἐστὶ, καὶ μάλιστα κατὰ τὰς ἀκμάς.

Quar-

Quartana vero (nam & huius notas tibi commemorare oportet) euidentissimũ quidem sui indiciũ præbet initio statim accessionis, quando ipsi adhuc ægroti rigent. pulsus enim admodũ raros ac tardos obtinet: sed necessario dum ad rigorem peruenit, vel adhuc etiam increscit, celeres ac crebros: seruatur tamen & tunc natiua corũ tarditas ac raritas, si celeritatem & frequentiam adiectam accessioni consideres. Etenim si quartanæ vigorem cum tertianæ vigore compares, multo celerius ac frequentius in hac arteria tibi micare videbuntur: atq; vnius motus in quartana inæqualitas, eius speciem commonstrat: quæ cum omnium communis sit, & in hac tamen euidentissime deprehenditur, multo enim concitatius principium motus & finem, quam medium inuenies, quod in tertianis non ita habet: in his enim celeritatis excessus, maximeque in vigore, breuis est.

CVm vniuersa signa sumantur vel ab essentia rei, de qua agimus, vel à causis, vel effectis, vel similitudine cum aliis: ab iis vniuersis signa sumit Galenus ad dignoscendam quartanam febrem.

Quartanarum pulsus.

Et primum quidem ab effectis, nempe à pulsibus: ait enim, pulsus eorum, qui quartana laborant, esse in principio accessionis, cum rigent adhuc ægroti, raros & tardos, quod intelligendum est, si comparentur cum pulsibus tertianæ: nam aucto præter naturam calore in corde, pulsus augeri vel in magnitudine vel velocitate, aut frequentia necesse est; at cum magnitudo tunc non adsit ob virtutis & caloris contractionem & veluti oppressionem, & crebritas sola, maximæ imbecillitatis sit indicium, quæ etiam abest in salutari affectu, oportet profecto velocitatem & crebritatem coniungi, vt vsus expleatur, vt quod experientia docet: nullos enim inueniet pulsus in quartana sua sponte natura admodum raros & tardos, sed veloces, & frequentes, verum ea frequentia, & celeritas minor est, quam postulet accessio aliarum febrium, maxime tertianæ, cui videtur comparare hos pulsus: difficile enim accenditur humor melancholicus, propterea calor ab initio accessionis est exiguus, qui pulsus veloces, & crebros edere non potest, quales fiunt in tertiana. Quod si comparentur cum pulsibus quotidianæ, aliter fortasse iudicandum erit. Quod vero scribit, inæqualitatem, quæ est in vna pulsatione, maxime ostendere esse quartanam, difficile est intelligere; ea enim est inæqualitas, quam dixit iam communem esse omnibus febribus, & nunc eam exprimit: est enim propterea inæqualis pulsus, quia principium motus, & finis celerius fit, quam medium, cuius rei causa, & talem inæqualitatem veteres fingunt interpretes, & ipse Galenus, quam vt actu dignosci possit, aut vera ratione deprehendi, de qua re poterit quilibet, si velit videre, eundem sentiat Galenus *in libro 2. de caus. puls. cap. 4 & 5.*

Ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς θερμασίας γνωρίσματα διαφέροντα αὐταῖς ἐστι. τὸ γὰρ πυρῶδες, καὶ τὸ διακαὲς, καὶ τὸ οἷον ζέον τῶν τριταίων πυρετῶν οὐκ ἂν εὕροις ἐν τεταρταίοις.

Quinetiam caliditatis notis hæ febres distinguuntur: tertianarum enim calorem, & ardorem, ac tanquam feruorem in quartanis haudquaquam reperies.

Signum à caloris qualitate.

SVmit signum ab essentia ipsius febris, nempe à caloris qualitate, qui talis in quartana apparet, quoniam enim materia quartanam efficiens frigida est, & sicca, & crassa, calorem, & ardorem magnum non concipit, vt fit in tertiana, ex ardore bilis calidissimi, & siccissimi, & tenuis humoris.

Ταῦτα μὲν οὖν τὰ μέγιστα σημεῖα. τὰ δ' ἄλλα τὰ ἔξωθεν οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ταῦτα παραλιπεῖν, ἀλλὰ τήν τε φύσιν ἐπισκέπτεσθαι τοῦ νοσοῦντος, εἰ μελαγχολικωτέρα, καὶ τὴν ὥραν τοῦ ἔτους, εἰ φθινοπωρινή, καὶ τὴν κατάστασιν εἰ ἀνώμαλος.

Hæc quidem maxima signa sunt: reliqua vero externa, neq; hæc sunt omittenda, quia ægrotantis natura consideranda est, num ad atram bilem magis declinet, & an tempus anni autumnus sit, præsensq; aeris constitutio inæqualis.

APpellat externa signa, quæ à duobus aliis fontibus sumuntur, à causis & similitudine, sunt enim potius coniecturæ, quam vera & propria indicia, addita tamen propriis, cognitionem confirmant. Ægrotantis ergo natura suas præbet notas, & ea quidem non est simplex; quoniam non simplex est materia, quæ quartanam efficit, fit enim aliquando ab humore melancholico naturali, aliquãdo ex atra bile, genita per adustionem melancholici ipsius humoris vel sanguinis; aut bilis flauæ, ac ad humorem melancholicum gignendum natura, & temperatura est apta, quæ frigida est & sicca, illa enim plus humoris melancholici efficit ex nutrimento in sanguinis generatione, quam alia quæcunq; Atram vero bilem gignit, quæ calida est & sicca: tenuiorem enim portionem in bilem vertit, crassiorem in atram, & ipsam etiam bilem flauam tandem adurit, & in atram mutat, quomodo videmus in æstate primum fieri tertianas, postea vero quartanas, & tandem multos iam, & quartana facillime corripi. Autumnus vero quartanas gignit, quia siccus est, & in calore & frigore inæqualis, ex qua inæqualitate tandem degeneratio fit humorum in atram bilem; propterea non omnis aeris inæqualitas, sed ea, quæ est similis Autumno, apta est ad quartanas faciendas, & signi. indas.

Ab ægrotantis natura.

A constitutione temporis.

Autumnus concitatis signis quartanas.

A Οὕτω δὲ καὶ τῶν χωρέων τὴν φύσιν καὶ τῶν ἐπιδημεόντων νοσημάτων.

Sic vero loci, & morborum tum ingruentium natura inspicienda.

SVnt quædam loca apta ad quartanas generandas, & illa tanquam causæ præbent suas notas. Quod si quartanæ grassentur, non temere ex similitudine colligemus, eam esse quartanam, de qua dubitamus.

Καὶ εἰ σπλὴν μέγας εἴη.

Et num lien intumuerit.

HOc indicium etiam sumitur à causa, est enim Lien aliquando causa quartanæ, eo quod vel non attrahat humorem melancholicum ob suam imbecillitatem, vel attractum non transmittat propter illius obstructiones; Videmus tamen multos quartanarios absq; tumore Lienis, quod signum est ob hepatis vitium eas fieri, cum scilicet plus humoris melancholici, aut atræ bilis in generatione sanguinis gignit, quam Lien attrahere possit, fertur enim tunc cum sanguine talis humor, qui postea putrescit, vt alii humores, qui abundant, facilius accepta occasione putredinis, vt in aliis fieri solet.

Καὶ ἄτακτοι πυρετοὶ προηγήσαιντο.

Febresq; inordinatæ præcesserint.

ET hoc quoq; indicium sumitur à causa, nam inordinatę febres varietatem humorum ostendunt, quorum pars tandem in atram bilem degenerat.

Καὶ ἡ ἡλικίη τῆς ἀκμῆς ἐπέκεινα.

Et ætas vigorem excesserit.

Ætati nullam febribus quartanis esse propriam.

QVartanas videmus fieri in adolescentia & iuuentute, perinde, atque in declinante ætate, quare nulla ætas propria est his febribus, quoniam diuersi sunt humores, & singuli proprii suis ætatibus: nam cum fiunt in pueritia, & adolescentia, causa est (meo quidem iudicio) fęx sanguinis menstrui, quæ expurgatur à natura in ætate, in qua calor eam materiam commouere potest, biliosa enim pars, & pituitosa illius sanguinis, in variolas (vt vulgo dici solet) in infantia expurgatur. Melancholica vero portio in nonnullis quartanam efficit in adolescentia, cum vero fiunt quartanæ in iuuentute, per adustionem gignitur atra bilis; in declinante vero ætate fit humor melancholicus ob frigiditatem, & siccitatem temperamenti, & quoniam non vna est species humoris, quæ quartanam efficit, ideo magnas videmus fieri in illis differentias, siquidem quædam mitiores, aliæ vehementiores, aliæ etiam maligna afferunt accidentia.

Καὶ εἰ μεθ' ἱδρῶτος παύσηται.

Febrisque in sudores desierit.

HOc inditium nec proprium est, nec inseparabile, nec perpetuum, multis enim aliis febribus hoc accidit, nec omnibus quartanis conuenit, nec in vno semper: nam in quibusdam laborantibus quartana non fiunt sudores ante rigorem, aut declinationem morbi, in quibus autem fiunt sudores, coaceruari solet multus aquosus humor, forte ex pituitosa aquosa, quæ ob debilitatem caloris in his cōgeritur, vel quod serum sanguinis non bene expurgetur propter B obstructiones venarum, vel quod à calore impellatur in minores venas & habitum corporis.

Χολῆς δὲ ξανθῆς ἔμετον ἐν τούτοις τοῖς πυρετοῖς μὴ προσδέχεσθαι, ὥσπερ οὐδ' ἐν τοῖς ἀμφημερινοῖς, ἴδιον γὰρ τῶν τριταίων τοῦτο.

In hac vero vomitus bilis expectandus non est: quemadmodum nec in quotidianis, cum id tertianarum proprium sit.

Signum ab excretis & retentis.

AB excretis, & retentis tanquam ab effectis signa sumit, quod scilicet in his non fiant C vomitus biliosi, sicut nec in quotidianis, quippe, cum huiusmodi vomitus proprius sit tertianis. At dicet quispiam, si tertianis proprius est vomitus biliosus, cur in quartanis non fiet melancholicus, & in quotidianis pituitosus? Ratio est, quod melancholia suapte natura grauis repat ad partes inferiores, non autem ad orificium ventriculi, ex cuius affectione vomitus mouentur; Propterea dicebat Hippocrates melancholicos per inferiora, biliosos vero per superiora euacuandos esse; in quotidiana vero fiunt sæpe pituitosi vomitus, sed difficiles, ob pituitæ visciditatem, quæ tunicis ventriculo inhæret. Quod si bilis cum pituita iungatur, vomitus fieri solet, & in tertiana notha, sed difficilis, cum bi- D lis motus ad superiora tardetur à tenacitate pituitæ.

Cur in quartanis non fiat vomitus melancholicus, & in quotidiana pituitosus sæpe difficilis.

Sect. 4. aph. 6. & 9.

Παυσαμένου δὲ τοῦ πυρετοῦ, εἰ τὸ τοῦ πυρετοῦ σημεῖον ἔτι παραμένοι, καὶ οἱ σφυγμοὶ τῶν κατὰ φύσιν ἀραιότεροί τι καὶ βραδύτεροι γίνοιντο, τεταρταῖος ἂν εἴη σαφῶς ὁ τοιοῦτος πυρετός.

Quod si pacata febre, eius signum adhuc permaneat, & pulsus naturali sit rarior ac tardior, palam est, ipsam quartanam esse.

QVæ sint signa, quæ finita accessione, ostendere possint, quartanam esse febrem, non E docet: nonnulli vero interpretes dicunt esse acidum, vel insipidum saporem, qui in ore percipitur, quorum neutrum firmum est: nam insipidus sapor nō sequitur humorem melancholicū; acidus vero indicat non minus pituitam, quam atram bilem; quare difficile est diuinare, quæ sint ista accidentia, quæ relinquuntur post accessionem, nisi sit lassitudo, & velut contractio membrorum

Signa accessione finita remanentia.

brorum, vt experientia docet, nec non vrinæ tenues, & aquosæ, quæ in aliis febribus solent esse tinctæ.

CAP. VII.

DE SIGNIS QVOTIDIANÆ intermittentis.

Ἀμφημερινὸν δὲ πυρετὸν τοῖς δὲ αὖ μάλιστα γνωρίσεις ὑγροτέραν εἶναι χρὴ τὴν θερμασίαν αὐτοῦ μετ᾽ ἴσως δριμύτητος, οὐ κατὰ τὴν πρώτην ἐπιβολὴν εὐθὺς ἀπαντῶσης, ἀλλ᾽ ἐγχρονιζούσης τῆς χειρός. καπνώδη γὰρ τινὰ θερμασίαν ἀτμῷ πολλῷ συμμιγῆ δόξεις αἰσθέσθαι καθάπερ πυρὸς ὑπὸ ὕλης ὑγροτέρας πνιγομένου μᾶλλον ἢ αὐτοῦ τῆς ὕλης κρατοῦντος.

B

Quotidianam autem his maximè notis deprehendes; calor necessario humentior est, cum quadam acrimonia, quam non protinus admota manus, sed permanens sentit, caliditatem enim quandam fumosam cum largo vapore commixtam exire putabis: scilicet igni in multa humiditate potius suffocato, quam ipso materiam euincente.

QVotidianam primum patefacit ex qualitate caloris: cum enim cõsistat ex pituita putrescente, meritò calor est cum quadam humiditate, ob naturam pituitæ, & acris ob putredinem, nec protinus sentitur, ob eam causam, quã ipse addit ex comparatione ignis accensi lignis admodum viridibus. C

Ἀλλὰ καὶ οἱ σφυγμοὶ τούτοις μικρότεροι τῶν ἐν τοῖς τεταρταίοις εἰσὶ τοσοῦτον, ὅσον ἐκεῖνοι τῶν ἐν τοῖς τριταίοις. ἀραιότεροι δ᾽ αὖ πάλιν οἱ ἐκ τοῖς ἀμφημερινοῖς τῶν ἐν τριταίοις τοσοῦτον, ὅσον τούτων οἱ ἐν τοῖς τεταρταίοις. βραδύτητος δὲ ὡσαύτως ἐν ἀμφοῖν ἔχουσιν.

Sed & harum pulsus minores sunt quartanarum pulsibus, quam quartanarum pulsus sint tertianarum. Rursus, quotidianarum pulsus tanto sunt tertianarum pulsibus rariores, quanto harum sunt quartanarum pulsus. At in vtrisq. eadem est tarditas. D

EX cõsideratione causarum, quæ has tres febres pariunt, tertianam scilicet, quartanam, & quotidianam, facile reddi potest ratio diuersorum horum pulsuum: nam bilis flaua putrescens pulsus edit maiores, velociores, & crebriores quam sint pulsus, qui sequuntur putredinem pituitæ, & humoris melancholici; quotidianæ vero pulsus rariores sunt pulsibus tertianarum, quoniam minor est necessitas refrigerationis. Rursus, pulsus quartanarum rariores sunt pulsibus quotidianæ, quia humor melancholicus frigidus, siccus, & terrenus, minorem excitat calorem, cum putrescit, quam faciat pituita. Quod vero dicit, parem esse tarditatem in quartana & quotidiana, nõ probat, nec facile reddi ratio huius potest, quia nec experientia docere potest hanc æqualitatem: nam quod alii dicunt, ideo fieri pulsus tardos in quotidiana, quia virtus est debilis, recipiendum non est, etenim, in primis accessionibus nulla adest causa tantæ imbecillitatis, quæ nequeat edere pulsus veloces. A

Ἧττον δὲ διψώδης ὁ πυρετὸς οὗτος. λείπεται οὖν τεταρταίου τοσοῦτον, ὅσον ἐκεῖνος τριταίου. καὶ ἡ γλῶσσα καὶ τὸ σύμπαν σῶμα ξηρότατον μὲν ἐν τριταίοις, ὑγρότατον δὲ ἐν τούτοις ἐστὶ τοῖς πυρετοῖς. καὶ οἱ ἔμετοι φλεγματώδεις. καὶ ὅσα διὰ γαστρὸς ἐκκρίνεται, ψυχρότερα, καὶ ὑγρότερα καὶ ὠμότερα, καὶ ὑδατωδέστερα, καὶ φλεγματωδέστερα, καὶ τὸ σύμπαν ἀπέπτων χυμῶν ἀνάπλεων ἐν τούτοις τοῖς πυρετοῖς εὑρήσεις τὸ σῶμα. καὶ γὰρ οὖν, καὶ ἡλικίαις καὶ φύσεσι, καὶ ὥραις ἔτους καὶ κράσεσιν ὑγροτέραις συμπίπτουσι. νεανίσκον μὲν γε χολώδη καὶ ξηρὸν τὴν κρᾶσιν οὐκ εἶδον οὐδέ πώποτε ἁλόντα τούτῳ τῷ πυρετῷ. παῖδες δὲ καὶ μάλιστα οἱ μικρότεροι, καὶ ὅσοι τῶν τελείων φλεγματικώτεροι τε εἰσὶ καὶ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος παχεῖς, καὶ ἀργὸν τὸν βίον ἔχοντες, ἐν πλησμοναῖς καὶ μέθαις καὶ λουτροῖς συνεχέσι καὶ μάλιστα τοῖς ἐπὶ τροφῇ ἐφημερινοῖς ἐνάλωσαν. ἀτὰρ οὖν καὶ χωρία τὰ ὑγρότερα, καὶ τῶν ὡρῶν τοῦ ἔτους ὁ χειμὼν, καὶ τῶν καταστάσεων αἱ ὑγρότεραι μάλιστα φέρουσι τὸν πυρετὸν τοῦτον. εἰ δὲ καὶ ἐπιδημοίη τηνικαῦτα, καὶ τοῦτο συνεργεῖ τῇ διαγνώσει ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις. οὐ μὴν κρίσεσι ἱδρωτικαῖς, ὥσπερ ἐν τριταίοις καὶ τεταρταίοις, ὅθεν οὐδὲ εἰς ἀπυρεξίαν ἔρχονται σαφῆ, πλὴν ὀλίγων δή τινων.

Verum hæc febris minorem adfert sitim: hanc itaq. quartana tantum excedit, quantum quartanam tertiana, atq. in tertianis quidem lingua totumq. corpus aridissimũ est, in his vero humidissimum, vomitionesq. pituitosæ, & quicquid per ventrem excernitur, frigidius, humidius, crudius & pituitosius est; & in hisce febribus vniuersum corpus crudis humoribus scatet: siquidem hæ ætatibus, naturis, anni temporibus, & temperaturis humidioribus accidunt: nunquam enim adolescentẽ biliosum ac natura siccum hac febre correptũ vidimus: pueri vero præsertim natu minores, & ex grandioribus, qui pituitosi magis ac corporis habitudine crassa sunt, vitamq. agunt otiosam, gulæ indulgentes, & ebrietati dediti, crebro balneis, maximeq. à cibo vtẽtes, quotidianis facile corripiuntur: sed & locus humidior, & tempus hybernum, aerisq. constitutio humidior, hanc maximè febrem inuehunt; quæ si tunc etiam grassetur præter antedicta, maximam adferet cognitionem. Verum harũ febrium declinationes vti tertianarũ & quartanarum, sudoribus non finiuntur, vnde neq. ad manifestam febris remissionem paucis quibusdam exceptis perueniunt. E

HÆc omnia per se satis patent indicia, & illorum causæ: nam ex pituita putrescente febresque accendente hæc omnia symptomata proueniunt. Quod vero scribit adolescentes biliosos & siccos non solere his febribus corripi, ita intelligendum est, si conuenientem victus rationẽ seruauerint, alioqui ex crapula, otio, & aliis causis enumeratis, pituitam cumulare possunt, & illius putredine quotidianam febrem accendere. Sudores quoque in illis non fiunt, quoniam qui pituitosi sunt, cute sunt densa & frigidiore; & quoniam pituita, quæ quotidianas committit, non est aquosa, sed crassa, & viscida, quæ difficile fit materia sudoris; & quoniam non fit sudor & debilis euaporatio, propterea non solent huiusmodi febres venire ad perfectam remissionem, nisi sint nothæ ex permistione bilis, tunc enim sudores fiunt, & dilucida interualla.

Cur quotidianæ non soluantur sudore.

Τὰ δ' οὖρα τὰ μὲν ἐπὶ προήκουσιν αὐτοῖς γιγνόμενα, τοὺς καιροὺς τῆς ὅλης νόσου διδάσκει. τὰ δ' ἐν ἀρχαῖς, ἐνδείξεταί σοι καὶ αὐτὸ τὸ εἶδος τοῦ πυρετοῦ. τοῖς μὲν γὰρ ἀμφημερινοῖς ἢ λευκὰ, ἢ λεπτὰ, ἢ παχέα καὶ θολερὰ, ἢ ἐρυθρά. τοῖς δὲ τριταίοις ἢ πυρρὰ, ἢ ὑπόπυρρα. τοῖς δὲ τεταρταίοις πολυειδῆ μὲν, ἀλλ' ἄπεπτα πάντα. καὶ ταῦτα μὲν τῶν διαλειπόντων πυρετῶν ἐστὶ γνωρίσματα.

Vrinæ autem procedente febre totius morbi tempora docent, initio vero eius speciem ostẽdunt in quotidianis enim aut albæ, vel tenues, vel crassæ & turbulentæ, aut rubræ appareant; in tertianis rufæ, vel subrufæ; in quartanis vero variæ sed crudæ omnes; Atque hæ quidem sunt febrium intermittentium notæ.

DE Vrinis malebam tacere, quam pauca dicere: est enim tractatio & longa, & difficilis, adeo, vt explicari pro dignitate non possit à nobis hoc anno, in quo illa, quæ sunt propria tractationi de febribus ex nostro officio docere instituimus. Verum quoniam video, vos hanc materiam à me expetere, vt vobis satisfaciã, aggrediar quidem illam, nõ vt expectetis integram tractationem, sed vt principia habeatis & veluti fontes, ad quos possitis vestro labore particularia omnia redigere.

Constat ergo (vt breuiter dicam) tractatio de vrinis aliquot partibus: nã in primis, quid vrina sit scire oportet; Deinde, quæ, quotve sint illius differentiæ; Tertio loco, quæ causæ; Quarto, quid possit ipsa vrina, & singulæ illius differentiæ ostendere de corpore, illiusq. affectibus; postremo, quod obseruare oporteat Medicum, vt recte iudicet de vrinis. Quam quidem tractationem vtilissimam esse omnes agnoscunt, qui vident, sæpe ex sola vrina Medicos internos affectus multos, quos nec pulsus, nec alia indicia declarare possunt, patefacere, & nunc mortem, nunc salutem ex illius consideratione prædicere. Quo magis mirari licet, Galenum non fuisse complexum hanc tractationem certa aliqua methodo: omnia enim apud illum sunt de hac re sparsa, nulla principia posita, nihil denique vel inceptum aut absolutum apud illum reperire licet; quod quidem Actuarius facere tentauit, ac in Methodo quidem non errauit, verum fabulosa multa tradidit, & oratorum more extollere suum opus studuit, de quibus suo loco.

Tractationis de vrinis vtilitas.

Itaque definiunt nonnulli vrinam esse sanguinis excrementum in caua vena, per renes & vrinarios meatus in vesicam delatum: In quo mea sententia errant: non enim excrementum est, quod fiat in sanguinis generatione, sed quod fit in concoctione, quæ in ventriculo peragitur; id quod, tum ratione, tum authoritate Galeni probo: Est enim hoc principium, *in omni coctione, quæ in corpore fit, duo resultare excrementa, vnum crassius, alterum tenuius*, & merito quidem: nam cum in consistentia rerum reperiantur solum tria, vnum quod mediocre est, aliud tenue, aliud crassum, quod mediocre est, assimilatur naturæ, quæ vt ex contrariis ad mediocritatem peruenit, sic mediocri solum potest ali & conseruari; quare necessario duo & non plura relinquuntur ex omni coctione excrementa, crassius vnum, alterum tenuius; Id in concoctione apparet, quæ in singulis partibus fit in habitu corporis, in qua sordes fiunt, quæ camisias tingunt, vt est crassum excrementum. Alterum est vapor, qui per insensibilem vacuationem transpirat ob tenuitatem, cuius odore permoti canes, dominos suos agnoscunt, & inimicos odio prosequuntur, & feras venantur, & tandem inueniunt, & capiunt. Eodem pacto in coctione, quę obitur in hepate, resultat humor melancholicus, crassum excremẽtum, & bilis flaua, tenue: In ea vero, quæ peragitur in ventriculo, crassum apparet excrementũ, stercus scilicet, quod ad intestina descendit. Quod si vrinam dicamus sanguinis & coctionis, in qua sanguis gignitur, tria essent istius coctionis excrementa, & vnicum eius, quę in vẽtriculo fit, coctionis Quare vrina est tenue excrementum, quod resultat ex coctione ventriculi: docet id color illius suapte natura albus, qualis est color ventriculi. deinde materia illius, ex qua gignitur, nempe potus, qui sola mutatione coloris in colorem ventriculi fit. Testatur idem Galenus *lib. 4. cap. 5. de vsu partium*, vbi scribit *fere circa initium libri*, duo resultare excrementa ex coctione hepatis, humorẽ melancholicum, & bilem, aquam vero & aquosum humorem, vt excrementum, quod nutrimenti vehiculum vocari scribit ab Hippocr. & ipse *lib. 5. eiusdem* vrinam vocat, hoc, inquam, excrementum tenue & aquosum, dicit factum esse, vt ex ventriculo in venas, & ab illis ad hepar ex cibis factus facile transire possit. Itaque si ex ventriculo dicit illud ferri per venas & hepar, constat, non in hepate aut venis gigni, sed genitum fuisse in ventriculo ex potu: nam ex qua materia in hepate gigneretur? & quomodo hepar rubrum posset in aquam, & album colorem mutare? Est præterea potus materia tenuis, quæ nulla alia expectata elaboratione, statim potest in ventriculo eam mutationem, quæ vertitur in aquosum humorẽ, capere. Est ergo illud tenendum, gigni vrinam in ventriculo, non tamen nomen vrinæ capere, donec

Vrina definitio.

Cur in omni coctione in corpore non plura fiant excrementa quam duo.

Vbi vrina gignatur & quando vrinæ nomen accipiat.

donec per vreteres, idest, vrinarios meatus, & à renibus separetur à sanguine, perfecta coctione hepatis. nam excrementa nomen non habent excrementi, interim dum sunt confusa cũ aliis humorib.; sic bilem vtráq;, quæ cũ sanguine est in venis, humores vocamus: excrementa vero quod ex illis separatũ est à massa sanguinis. Quia ergo nõ separatur hoc excrementũ, statim post coctioné ventriculi, sed post coctioné quæ fit in hepate, ideo putarunt alii in coctione hepatis gigni, quod verum nõ est: nã (vt diximus) in ventriculo gignitur, & post coctioné perfectã in hepate, separatur, & quod prius aqua, aquosumq; excrementũ dicebatur, vrinæ nomen accipit, eadé re seruata, & nomine mutato; in quo apparet error Actuarii, qui *capite 4. & 5 primi libri*, scribit, quatuor fieri coctiones, Primã in ventriculo, cuius excrementa sunt, quæ per ventré descẽdunt, & quæ per os emittuntur; Secundã in vena porta & caua hepatis, cuius excrementa sunt humores alterius speciei, idest, bilis flaua & atra; Tertiã dicit fieri in gibba hepatis & venis aliis, cuius excrementũ dicit esse vrinam, & quæ in vrina subsident, etsi primo de causis vrinarũ dicat illã esse secundæ concoctionis excrementũ; tertiæ vero, illa, quę in vrina cõtinétur, & sudores & sensibilé transpirationé; Quartam dicit perfici in singulis partibus, cuius excrementa sunt, quæ per insensibilem trãspirationé expirant. & quæ cuti adhærent, crassiora excrementa. Errat enim ille, quod quatuor coctiones ponat: tot.n. sunt ponendæ, quot reperiũtur patere duo genera excrementorũ; Quare, nec in ore (vt Auicenna putauit) fit aliqua concoctio; nec ostẽdere potest duplex excrementũ ex coctione vẽtriculi, si vrina vnum non sit ex illis; nec in hepate fit nisi vna, nã duo duntaxat excrementa ex ea eliciuntur; nec illa, quæ in venis fit, separanda est ab ea, quę fit in ipso viscere. Adde quod Gal. nunquam posuit nisi tres, quas antea recensuimus.

Nullam fieri coctionem in ore.

Vrina quid.

Quod si placet iam definitioné vrinæ colligere, dicemus, eam esse *aquosum excrementũ, quod in coctione, quæ fit in ventriculo gignitur ex potu, & perfecta coctione hepatis separatur a sanguine a renib. in vesicamq; recipitur:* nam per sudorem vacuatur etiam aquosus hic humor, qui propterea nõ dicitur vrina, quia nec à renibus trahitur, nec in vesicam recipitur. Educitur pari ratione aliquando per intestina, vt in alui fluxu, & vna cum sanguine vena secta educitur, vocaturq; humor aquosus, sed non vrina. Vacuantur per renes, & in vesicã recipiuntur lapilli, arenulæ, sanguinis grumi, pili & multa alia, quæ vrina non dicuntur, quia nõ sũt de natura aquosi humoris, sed in vrina dicuntur contineri, quando cũ illa exeunt.

Vrinarum differentiæ.

Vrinæ differentias sumemus primas, & præcipuas ab his, quę in illa apparent, alias vero à causis & effectibus suis. Apparẽt quidé in vrina, substantia siue consistentia, qualitates, quantitas, & cõtenta. In substantia sumũtur hæ differẽtię; quędã.n. crassa, alia tenuis, alia mediocris. Porro tenuis vrinæ tres perhibẽtur esse differẽtiæ, quædã.n. tenuis mingitur, & postea talis manet; alia vero tenuis quidé mingitur, sed postea conturbatur, idq; vel statim, aut longiore interposito tẽpore; sic crassę, quędã crassã mingitur, & paulo postea extenuatur; alia vero talis manet, qualis mingitur, crassã. Has quidé differẽtias tribuũt Actuarius & Gal. crassis vrinis: verum confusis potius

A substantia.

tribuẽdæ sunt & perspicuis: Aliud.n. est confusio & turbulentia in vrinis, aliud crassities: nã tenuissimæ etiã vrinæ tandẽ corrumpuntur, & turbulentæ crassæq; euadunt; sed reuera crassities non est vrinæ reputanda, quod ex corruptione & externis causis illã acquirit. Cæterũ, qualitates quædã ad tactum siue ad primas qualitates; aliæ ad secũdas, vt ad visum; aliæ ad odoratum, aliæ ad gustum pertinent, à quibus vrinarum differentiæ sumi possunt: in qualitatibus primis aliæ & calidæ, & acres sentiuntur, cum minguntur, alię non item; in visili autem consideramus perspicuitatem, & illi contrariam opacitatem, cuius turbulentia species quædam est: quædam enim perspicuæ aliæ vero opacæ, aliæ etiam turbulentæ conspiciuntur, potestq; tenuis esse vrina & tamen opaca, sic crassa, & tamen perspicua. Quapropter, recte claritatem & turbulentiam Auicenna distinxit à substantia, in qua consideramus crassitiem & tenuitatem, datque exemplũ: nam, inquit, albumen oui, & gluten piscium & vitrum liquatum, crassa sunt, & tamen clara & perspicua; aqua vero turbida tenuior quidem albumine oui est, & aliis supradictis, & tamen turbulenta est, & opaca. Aliud ergo est tenue à claro & perspicuo, aliud opacum, confusum turbulentum à crasso, vt non in minimo errore (vt diximus antea) Actuarius *capite nono de differentiis vrinarum* hæc confundat.

A qualitatibus.

Pertinent ad visiles qualitates (vt diximus) colores, per quos differunt quoque vrinæ: alia enim est alba, alia pallida, alia rufa, alia flaua, alia rubra, alia nigra: alii enim sunt præcipui, & simplices colores; alii vero ex horum mixtione fiũt. Verùm inter albas, alia crystallyna, alia niuea, alia aquea, quod colorem crystalli, niuis, & aquæ repræsentent, dicuntur: & hæ sunt intensæ albedinis; aliæ remissioris, vt lactea, glauca, charopa; lactea dicitur, quæ refert colorem lactis; glauca vero, quæ refert colorem cornu albi; charopa similis est subalbidis pilis cameli; pallida est, quæ pallidum colorem repræsentat, quæ citrina alio nomine dicitur, quod colorem, qui in cortice citri mali est, repræsentet; media est inter pallidam & albam, subpallida, quæ ab Auicenna rectè palearis vocatur, quod paleæ tritici colorem referat; post pallidam, rufam ponit Actuarius & Auicenna flauam; Rufam autem auri puri colorem imitari dicunt, vocant Græci πυρρὸν, idest, igneum, quod ignitos carbones forte repræsentet, aut potius ignis flammam: media est inter pallidam & rufam subrufa, quam in homine sano & temperato reperiri dicunt, flaua, quam ξανθὸν vocant, crocea à nostris dicitur, quod repræsentet colorem croci, cum flores eius fuerint in aqua dissoluti; media est inter flauam, & rufam subflaua qualis est color, qui in floribus cartami apparet; Rubea vrina est, quam ἐρυθρὸν appellant Græci, cuius multæ sunt species: nam quędam est rubea ad albedinem declinans, qualis apparet in cerasis male maturis, & in quibusdam maturis; alia rosea, vt in rosis apparet, alia rubea, purpurea, seu rubea viuax, vt in purpura apparet, alia rubea obscura. Has ponit differentias Auicenna, quibus respondent hæc nomina cum dicimus, vrinam vineam, palleam, veneram; Est enim vinea, quæ nigri rubei vini, quod habet colorem iecoris ostendit; pallea vero, quæ est simi-

A variis vrinarũ coloribus.

lis passo facto ex vua nigra, aut cerasis nigris; veneta est, quæ ex puro albo, & nigro æqualiter mixtis resultat: mihi videtur esse color, quem tanetum vocamus; nigra est vrina, quæ habet colorem carbonis extincti. Inter rubram & nigram viridis, oleacea, & liuida reperiuntur; Viridis, quę colorem brassicæ aut graminis, aut smaragdi monstrat; liuida, quæ plumbi colorem refert; oleacea vero, quæ olei colorem imitatur. Videte Galenum 73. 1. *Epidemion. Comment.* 3. vbi de oleosa vrina disputat, & docet, quosdam intellexisse oleosam, pinguem vt oleum; alios vero eam, quæ colore, & consistentia sit similis oleo; quam opinionem ipse sequitur; adeo, vt oleosa vrina non solum à colore, sed etiam à substantia dicatur, sicut etiam aquea, quæ talis dicitur, q in colore, & cõsistentia similis sit aquæ.

Ab odore. Cæterum, à qualitatibus, quæ odore percipiuntur, sumuntur etiam vtiles differentiæ: quædã enim bene, vt vrina potest olere, alia male, & inter has diuersarum rerum male olentium, quædam plus, vel minus odorem repręsentant.

Quod si Medicus non esset vir egregius, & plane nobilis (vt debet esse qui hoc nomine dignus est) posset ex vario sapore qui in vrinis est differentias colligere; sed eas reiiciamus, ne artem nobilissimam, sordidissimam reddamus.

A quantitate. A quantitate vero sumimus differentias: vel enim non redditur vrina, & penitus supprimitur; aut certe minus quá oporteat; aut mediocris est illius quantitas; aut multa, adeo, vt mediocritatem, & potus debitam quantitatem excedat.

A contentis. Cæterum, à contentis differentiæ sumuntur: non.n. eadẽ continentur semper in omnib. vrinis: in vniuersũ tamen continentur quædã, quæ supernatant, alia vero innatant, alia subsidẽt; supernatant quidẽ pinguedo, bullę, spuma; innatãt vero nubecula, enæorema, filamenta, pili, & si quid aliud simile est, q fundũ vasis non petit: subsidet hypostasis, sabulũ, lapis, pus, grumus, arenulæ, & cætera, quę fundũ petunt. Quod vero non vocauerim omnia, quæ in suprema parte innatant, nubeculas, & in medio enæoremata, & quę in fundo continentur, hypostasim, vt nonnulli, & fere omnes Scriptores faciũt, in causa est, q nubeculæ, enæoremata, sedimẽta, humores sint pituitosi, reliqua vero prædicta, vel humores nõ sint, aut alterius generis, quam pituita. Quod vero humores pituitosi sint nubecula, enęorema, & sedimentũ, ex hoc constat, q continuitatẽ suã seruent, & viscosa sint, deinde, q in albũ colorẽ mutentur, qualis pituita est; postremo, q in morbis biliosissimis, aut in sanis, qui sobrie viuunt, aut illa nõ gignãtur, aut certe vix sensibilia, deficiente nimirũ idonea materia, pituita scilicet: miror q; nec Gal. nec Actuarium definire illorũ essentiã & substantiã. Intelligere autẽ oportet, hypostasim esse humorẽ pituitosũ, qui in fundo cõtinetur, non q necessario fundũ tangere debeat, sed quod ad fundum repat. Diuiso .n. vase in tres partes æquales, quod supremã obtinet, nubeculã; q mediã occupat, enæorema; q infimam possidet, sedimentũ vocamus. Capiũt vero hæc contenta differentias & à qualitatibus, & quantitate, & substantia: Est enim sedimentũ nunc crassum, nunc tenue, nunc mediocre, nunc albũ, nunc nigrum, nunc alterius coloris; nunc asperũ, nunc lene, nunc æquale, nunc inæquale; nunc figuram habet pyramidalẽ, nunc alterius rei, & nunc exiguum est, nũc multũ, nũc purũ, nunc cũ alia re mixtũ. Ac in nubeculis & sublimamẽtis similes differentiæ reperiuntur.

A causis. Sumuntur à causis aliæ vrinarũ differentiæ; quædã .n. à bile, aliæ ab humore melancholico, aliæ ab alia materia mutantur: quædã à somno, aliæ à vigilia; quædam à morbis, aliæ à sanitate diuersaque temperie, & denique, à diuersis causis efficientibus differentias capere licet.

Ab effectib. Ab effectibus differentię hæ sumuntur, cum dicimus, quasdam salutem, alias mortem prænuntiare; nonnullas ventriculum affectum, alias caput, alias venas & hepar læsa ostendere. Atque hæc satis de differentiis vrinarum, quantum postulat institutum nostrum, dicta sint.

De vrinarum causis. Vrinarum causas distinguere oportet, quoniã non omnia, quę in illis cõsiderantur, & insunt, ab eadẽ causa proueniunt. Itaq; primũ quid possit esse causa, vt vrina fiat, vt materia, vt efficiens, & locus, tradendũ: Deinde, quid sit causa substantiæ, siue consistentiæ ipsius. Tertio qualitatum: Quarto, quantitatis: Postremo, contentorũ, & omniũ, q̃ in prædictis notãda esse admonuimus.

Materia. Vrinæ materia est, quicquid in aquosum humorem verti potest, potissimum quidem potus, sed is non solus, quandoquidem ex iusculis aquosis, & fructibus similibus vrina plurima etiam gignitur; nec non ex vniuersa massa fusa, attenuata & liquata, exprimitur eliciturque aquosus humor, & vrina; quo pacto diuretica medicamenta prouocare vrinam dicuntur, quod scilicet materiam ex humoribus vniuersis moliantur, & ad renes vesicamque conuertant.

Causa efficiens. Causa vero efficiens huius aquosi humoris (vt diximus) est concoctrix facultas ipsius ventriculi, quæ in aquosum humorẽ & album, qualis est color ventriculi, mutat, vt & reliqua, quæ quidem alterat & concoquit.

Locus in quo vrina gignitur, à quo separatur, in quo recipitur. Locus autem, in quo gignitur, ventriculus est, à quo vero separatur aquosus hic humor, est vena caua; locus vero in quo recipitur, vesica est; instrumenta, per quæ separatio fit, sunt renes; finis, naturæ conseruatio; separatur enim serosus hic humor ab vniuersa humorum massa, vt probe nutriri possit vniuersum corpus.

Causa consistentiæ vrinæ. Consistentiæ vrinarum causas generatim non tradunt authores nostri, aut certe ita docẽt, vt intelligere non liceat, quæ sit immediata causa tenuitatis, crassitudinis, mediocritatisque illarum: dicunt enim tenuem indicare vel priuationem coctionis, aut obstructionem in venis aut debilitatem hepatis, aut meatuum, qui ad vrinam sunt destinati, & ob debilitatem non attrahunt nisi quod tenue est; aut si attrahunt, non tamen eiiciunt nisi quod tenue est; aut multam aquæ potionem, aut vehementem frigiditatem cum siccitate, causam esse dicunt. Hæc tradit Auicenna. Verum licet adhuc dubitare, quomodo priuatio coctionis, aut obstructio, aut aliæ prædictæ causæ, consistentiam mutent, an s. per se id faciant, an vero per accidens, alioque interueniente. Ego vero arbitror, vrinas semper ex sua natura tenues esse, fieri autem crassas aliorum humorum mixtione: nam aquosus humor, sicut & aqua, per solam coctionem inspissari, crassescereque nequit, quoniam terrenã substantiam vel non habet, aut certe exi-

guam.

guam. Quod vero crudo adhuc morbo, aut cibo A tenues mingantur, cruditas per se non est causa, sed quoniam expurgationes separationesque humorum & excrementorum non fiunt, nisi peractis coctionibus, ideo fit, vt cruditas dicatur esse causa tenuitatis, concoctio vero crassitudinis. Eodem pacto obstructiones meatuum vrinariorum, tenuitatis sunt causæ, quod prohibeant ferri cum vrina, quod crassitudinis illarum est causa. Debilitas vero hepatis, caussa est tenuitatis, quia concoquere non potest humores, præsertim si à frigiditate labefactetur concoctio. Eadem ratione cibi, potionisque immoderata copia, tenues reddit vrinas, quod scilicet, naturam grauet & coctionem perfici impediat; quomodo frigidos affectus ventriculi ex vrina etiam B prædicimus, quoniam vbi frigiditas in ventriculo est, concoctio, quæ illic elaboratur, nequaquã perfici potest, ea vero frustrata, nequit probe fieri, quæ in hepate exercetur. *Itaque constat crassas fieri vrinas ex humorum permixtione; tenues vero emitti, quãdo nihil cum aquoso illo excremento crassioris humoris permiscetur.* Quis vero humor misceri possit, qui crassitudinem faciat, nunc videndum. Potest quilibet ex quatuor humoribus, ex quibus corpus constat, sanguis, bilis vtraque, pituita, necnon aliquando pus, in his videlicet, in quibus vlcus est in aliquibus partibus ad vrinam reddendam destinatis. Ac ex colore & odore, quisnam sit, facile dignoscitur: nam quatuor humores proprii colores distin- C guunt; pus vero à pituita odor separat & consistentia, & alia, de quibus vt hoc loco agamus, non est nostri instituti. Non mirum igitur si morbi initio tenues mingantur vrinæ: nam eo tempore cruda omnia sunt, nec aliquid expellitur à natura; aut si crassæ tunc apparent, vel indicant magnam tunc subesse humorum copiam, quam natura nec retinere aut elaborare potest, aut humorem declarant, qui facile aliqua ex parte vinci & secerni potest, quomodo in tertianis crassæ rubræque vrinæ primis diebus apparent, ex bile crassitudinẽ adeptæ, & in pituitosis morbis, vbi magna est pituitæ copia, crassissimæ pituitosæque redduntur vrinæ, vbi vero hæc duo absunt, primo tenues, postea augescente morbo, aliquã D crassitiem acquirunt, & eam maiorem iam in vigore, maximam autem in declinatione, quanto enim magis procedit concoctio, tanto magis excernuntur humores, qui cum vrina admisceri debent; iam vero, ruente morbo ad finem declinationis, & properante ad salutem, tenues fieri incipiunt, quoniam iam deficit humor, qui cum vrina miscebatur, crassitudinisque erat causa. Eodem pacto, cum cibus adhuc est crudus in ventriculo & hepate, tenues exeunt vrinæ, crassiores vero cum perfecta est concoctio: quod si quis iam instante tempore edendi, rursus mingat, vacuata plane bile, conspiciet vrinam attenuatam esse; Igitur vrinæ, quæ semper tenues E manent in morbis, causam habent perpetuam cruditatẽ, vel ratione imbecillitatis naturę, vel ob ineptitudinem materiæ, quæ coctionem non admittit, qua frustrata, nihil secerni potest excrementi, quod cum vrina mixtum crassitudinem faciat. Quæ vero perpetuo crassæ minguntur, ab eadem caussa proueniunt, nempe à cruditate; vbi enim est maxima humorum copia, quę naturam vincit, sine coctione expulsiones fiunt, atque ita crassæ redduntur vrinæ per vniuersum morbi cursum, & mors tandem sequitur tum in hoc, tum in præcedente casu: nam perpetuo virtus debilitatur à morbosis causis, donec penitus succumbat; quo fit, vt signa cruditatis, non solum longitudinem morbi, sed etiam mortem significent, si diu durent, & morbus eius generis sit, qui perimere possit. Quæ vero tenues minguntur ab initio, postea crassescunt, & rursus attenuantur, causa est, quod ab initio omnia sint cruda, & nihil excrementi excernatur, à quo possit crassitudo fieri, procedente autem coctione aliquid excernitur, quod crassitudinis est causa, absoluta autem tandem coctione & expulsione excrementorum, atque ita deficiente excremento, quod miscetur, tenues incipiunt esse vrinæ, vnde videmus, in quartanis in principio tenuissimas emitti vrinas, in augmẽto & statu paulo crassiores. Iam verò declinante morbo, nigerrimas & crassissimas mingi, quo tempore expurgatur melancholicus humor cum vrina, quo quidem vacuato, & properante homine ad salutem, tenuiores & mediocres iam, vt sanitas postulat, excernuntur. Quæ vero crassæ primum minguntur, postea extenuantur & rursus crassæ fiunt, & postea tenues, causam habent, quod scilicet ab initio natura non posset vincere vniuersam materiam, vnde excretiones humorum fiebant ante coctionem; vacuata autem portione illius materiæ, aggreditur postea ipsam coctionem, & antequam concoxerit aliquid, tenues emittuntur vrinæ, postea vero vt procedit concoctio, ita crassescunt vrinæ, & postea tandem tenues redeunt, finita scilicet expurgatione. Porro contingit vt has ab initio crassas mingi, vt in biliosis & sanguineis febribus apparet, & crassas perseuerare vsque ad crisim, vel declinationem morbi, quod fit, non quod natura vincatur à multitudine, nec possit concoquere, sed quod bilis facile concoquatur, & ab initio possit ex illa aliquid, vel etiam plurimum misceri, quod vrinas crassas reddat, quæ crassities perseuerat procedente coctione, donec plus excernatur à corpore, quam resultet ex coctione, quo tempore tenues fiunt. Contingit quoque in prædictis morbis crassas & rubras primis diebus emitti vrinas, deinde in augmento extenuari, quod tunc fit, non solum, quod bilis facile coquatur, & ex coctione separetur, sed etiam, quod plurimum sine coctione excernatur, quo absumpto, & eo manente duntaxat cum vrina, quod ex coctione resultat, non mirum, si tenuiores in augmento & statu, quam in principio mingantur vrinæ. Hæc sufficiant de causis tenuitatis & crassitudinis vrinæ.

Omnes qualitates, quæ in vrinis reperiuntur, proueniunt vel ab alteratione, aut ab humorum permixtione, aut absentia; id quod, tum in colore, odore, tum sapore, & aliis denique qualitatibus ex tractatione patebit. An vero colores in vrinis ab his duabus causis fiant, videndum est. Putant enim nonnulli, à sola præsentia & absentia humorum eos fieri, à quibus ego dissentio: nam hypostasis, quæ fit ex rubea, alba non alia ratione fieri potest, nisi assimilante coctrice facultate, quæ sicut in abscessibus sanguinem in pus vertit, sic colorem album inducit facultas

De causis qualitatum quæ sunt in vrinis & primum de colore.

concoctrix, quæ insita est venis, in his, quæ continentur in vrina. Idem docet vrina ipsa, quæ vigente morbo ex rubra fit pallida, & subflaua; id quod non potest prouenire ex mixtione alicuius humoris, sed quod colorem remittat concoctio. *Igitur, quod remittatur mutetur que color, qui prius erat in vrina, non ex mutatione humoru semper, sed etiam ex alteratione, certum esse puto.* An vero color, qui primo in vrina apparet, possit à coctione fieri absque humore, videndum est. Quod si Actuario & Galeno *primo de Crisibus* credendum est, quæstio iam dissoluta est: nam venetas, liuidas & nigras vrinas fieri scribit, vel ob mixtioné nigri humoris, vel ob caliditaté, vel ob frigiditaté: Gal. vero liuidas à sola frigiditate, B nigritiem à caliditate vel frigiditate; quod certe mihi suspectum est: nam si ob calorem fiunt tales vrinæ, cur in ardentissimis febribus ob calorem tales perpetuo non fiunt? quod si ob frigiditatem putamus eos quoque fieri colores; cur qui morti sunt propinqui, & propemodum extincti, tales non reddunt vrinas? nec valet similitudo Galeni, quod externæ partes à frigore nigrescunt; sic & vrinæ à frigore fiunt: nam prius extinguitur homo, quam internæ partes tantum frigus sentiant. Sed me vrgent prædicta argumenta, ne facile admittam illorum opinionem: quod perspicuæ fiant aut opacæ à sola alteratione, postea ostendemus. Verum *colores omnes, qui primo in vrinis fiunt, meo iudicio, fiunt omnes ob mixtionem humoris alicuius*, id, quod in- C ductione probare licebit. Quare ridendi sunt Medici, qui cum rubram vident vrinam, putant aliquando id fieri, quod diu fuerit in vesica retenta: nam huiusmodi retentiones deberent idem facere in omnibus, quod non apparet in sanis, nec in ęgris fieri, si cum vrina non misceantur humores. Quibus quidem positis principiis, reddamus iam causas singulorű colorű superius enumeratorum; illud tamen inprimis notãdum est, alios authores tradere colores fieri ex permixtione humorum variato colore ob quantitatem maiorem aut minorem humoris, qui permiscetur, non facta mentione qualitatis eorundem humorum: nam flauas, subflauas, pallidas, subpallidas, rufas, subrufas, dicunt illi fieri eo, D quod plus vel minus bilis vna recipiet, quam alia. Ego vero aliter puto fieri, non solum scilicet ob quantitatem, sed etiam ob ipsos species humorum diuerso colore præditas, diuersos fieri colores. Quod si ponitur principium, euanescunt multæ dubitationes, quæ alioqui maxime vrgent: quomodo enim rufa, aut rubra, aut viridis, potest fieri à bile pallida mixta plus vel minus cum vrina? nam quod pallidum est, nunquam potest inducere nisi pallorem, & quod flauum est, non nisi flauitiem. Igitur, diuersitatem colorum in vrinis, ad qualitatem & quantitaté humorum, qui miscentur, tanquam ad immediatam causam redigere oportet; postulatq; docendi ratio, vt hanc causã quæramus, & ponamus E cuius ratione omnes aliæ causæ dicuntur vrinarũ coloré variare, in quib. cum occupantur authores lectoré confundunt: nã vrinæ coloré dicunt mutari ab ętate, morbis, sexu, motu, quiete, dolore, inedia, crapula, somno, vigilia, coctione, cruditate, animi curis, & infinitis aliis, quæ non per se id faciant, sed quod humorum, qui miscentur cum vrina, qualitatem & quantitaté mutent.

A Vrina alba cum nihil aliud in se contineat quã aquosum humoré, non potest alia ratione fieri nisi quod non misceatur alius humor, qui album habeat colorem: miscetur igitur vel albus humor, vt pituita, qui nihil immutat colorem propriũ serosi humoris, aut non miscetur alius, qui aliũ coloré habeat: Solet autem misceri in his, qui recte habét, & vt plurimũ in aliis, bilis aliqua ex his, quæ flauæ & pallidæ, & simpliciter biles dicuntur; non miscetur auté talis bilis, *vel quod non gignatur*, vt in morbis frigidis & pituitosis, & intemperaturis, quæ infra mediocritaté consistunt: vnde dicitur talis vrina fieri & ostendere cruditaté, quoniã scilicet, vbi crudus & frigidus est morbus, non gignitur bilis, quę cũ vrina misceri possit; aut quòd crudo existente morbo, si aliquid gignitur, non separetur, nimirũ, cũ separatio excrementorũ nõ fiat, nisi iã facta aliqua coctione. Porro nõ miscetur alia ratione bilis cũ vrina, eo *quod ad alia loca feratur*, quo pacto vrinę adueniente delirio in febrib. albæ redduntur, propterea scilicet, quod ad caput feratur, delirij; misceri cũ vrina bilis ipsa. Tertio modo non miscetur, eo *quod via illius sit occlusa, per quã vrina fertur*, quomodo, cũ incipit calculus vrgere in renibus, vrinæ tenues & aquosæ minguntur, quod scilicet adeo sint renes & meatus vrinarii occlusi, vt vix aquoso & tenui humori viã præbeãt. Fit ergo vrina alba eo modo, quo diximus. Ac cũ multę sint species albi coloris, scilicet glaucus, charopus, lacteus, miror, alios scriptores nõ reddere causã istorũ colorũ; fit auté lacteus color (meo iudicio) à pituita aquosa varie cõmixta cũ ipsa vrina; aliæ vero species ex minima portione pallidę bilis cõmixtę: nã vrinæ nã si quid pallidi aut flaui misceas cũ multa aqua, glaucũ & charopũ efficies coloré.

Pallidam vrinã à pauca bile fieri testantur omnes; at nihil prohibet ã nulla fieri, si modo pallida fuerit, adeo, vt ex pauca flaua bile aut ex mediocri etiã copia pallidæ, reddatur vrina pallida. Subpallida vero illorũ opinione fit ex pauca bile admixta; intelligendũ auté est, paucã pallidam, aut minimam flauam vel rufam, vtroque enim modo contingit subpallidam.

Subrufam, & subflauã, pro eadé sumit Gal. 1. *de Crisib.* cũ dicit vtranq; esse sanorũ vrinã. Dicit autẽ eas fieri ex parte sanguinis subtiliore ac serosa, vel bile rufa mixta sero. Verum à sanguine tingi huiusmodi vrinas nõ puto, vt etiã Actuarius scribit *cap. 6. 1 de causis vrin.* Fiet igitur vel à bile rufa in pauca quantitate mixta, aut à subrufa in mediocri quantitate: vt. n. rufa, sic subrufa bilis gignitur in nobis: flaua auté à bile flaua reddetur. Quare non recte Auicenna subflauã à multa flaua fieri dicit. Quod si rufus color ad albedinẽ magis vergit, quã flauus, fiet talis color vel à rufa bile, vel à minore copia flauæ. Quare errant, qui vel à flaua duntaxat, vel à rufa bile, talé coloré in vrina prouenire putãt: hoc. n. debet esse principiũ, vrinas cape coloré vel à simili humore, vel ab eo, qui eum colore habet in minore quãtitate admixto.

Rubeam vrinam scribit Auicenna dominium sanguinis ostendere, tanquam à sanguine admixto fiat. Galenus vero *primo de Crisibus*, scribit fieri talem colorem ex serosa sanguinis superfluitate, addita aliqua portiuncula bilis rufæ. Scribit *in libris de morbis vulgaribus*, ab ichore sanguinis eam rubram fieri: quod alii interpretantur tenuiorem sanguinis portioné quan-

Causa vrinæ albæ.

Bilis cur interdum non misceatur cum vrinis.

Causa vrinæ pallidæ & subpallidæ.

Causa subflauæ & subrufæ & rufæ.

Rubea.

doquidem (vt aiunt) alius sanguis, qui crassior est, nequit misceri cum vrina. Aduersus quos illud facit, quod rupta vena aliqua, quæ communitatem habeat cum renibus, plurimum sanguinis vel cum vrina, vel solum excernitur tanquam vrinarii meatus pateant etiam sanguini euacuando; Galeno vero respondet Actuarius, qui probat aduersus eos, qui à sanguine tingi vrinas & rubras fieri asserunt; cuius argumenta videre potestis *capite sexto de causis vrinarum*. Quod si ille intelligeret, nunquam rubras fieri mixtione sanguinis, erraret, quandoquidem effuso sanguine à venis, & mixto cum vrina, necesse est rubras omnino vrinas fieri.

De morbis ergo aliis intelligendum, in quibus vrinæ rubræ fiunt absque vasis alicuius læsione, in illis enim non possunt vrinæ rubræ fieri nec ob tenuis, nec ob crassi sanguinis mixtioné, cum natura nunquam adeo debilitata, aut irritata, sanguinem excernat per illas vias; fiunt ergo vrinæ in febribus, ob bilem rubeam, quæ miscetur cum vrina, quæ quidem bilis, ex sanguinis adustione est procreata. Nec alienum est, ab ichore quodam sanguinis vrinas rubras fieri, qui ichor à multitudine ipsius sanguinis resudat, quando non euentilatur, sed coarctatur in venis & interim feruet. Contingit quoque vrinas fieri rubescentes, qualis est aqua, in qua lota est caro recens mactata, quales vrinæ apparent in hepatica dicta passione, quem colorem dicerem fieri ex sanie quadam sanguinis tenuis, quæ cum vrina miscetur, nec potuit penitus bilis fieri, nec sanguis. *Subrubea.* Subrubeus vero color ex eadem causa, sed diminuta nascitur: species vero rubei coloris, vt roseus, purpureus, venetus, fiunt à bile similis coloris, nam cum à pallido in nigrum colorem mutatio fit, multi fiunt gradus medii coloris, qui causæ sunt colorum, qui in vrina apparent.

Viridis. Viridem vrinam nunc à frigore, nunc à calore fieri dicunt. Ego vero *ex bile viridi, & porracea dicta*, non autem à solis qualitatibus: neque enim ostendere id illi possunt, alioqui vbi esset vehemens calor, aut frigus (vt aiunt) mortificans, semper essent tales vrinæ.

Liuida. Liuida vero fit à pauco humore nigro admixto.

Oleacea. Vrinam oleaceam putant fieri ex mixtione pinguedinis cum seroso humore, quod mihi verum non videtur: supernatat enim pinguedo, sed fit *à nigro humore* oleaceus is color, & substantia: talis enim est oleacea vrina; si quis enim atramentum plus, vel minus misceat cum aqua, videbit, & liuidum, & oleaceum colorem fieri.

Nigra. Niger color quidam est cum splendore, alius vero sine splendore, vt antea ostendimus; fit ille à bile atra, quę resplendet: hic vero ab humore melancholico; superius autem eos refellimus, qui hunc etiam colorem à frigido, & calido fieri dicebant.

Perspicuitatis & opacitatis. Vrinæ perspicuæ, & diaphanæ dicuntur, per quas facile visus penetrat: opacæ autem contrariæ sunt: & huius generis sunt subiugales, & quæ mictæ turbantur, corrumpunturque. Reperitur huiusmodi opacitas etiam in tenuibus vrinis, & in crassis, quarum causa reddenda est. Scribit Galenus, turbidas subiugales fieri propter ebullitionem, quæ flatus multos attolit, à quibus turbulentia nascitur. At si propter ebullitionem talis fit vrina, cur in ardente febre, vbi maxima est ebullitio, non semper sunt vrinæ subiugales? Auicenna vero turbulentiam dicit fieri ob permixtionem partium habentium colores extraneos, vt fuscos, & aliis coloribus infectos. At hæc ratio nec communis omnibus est, nec aliquid notum ponit. Videtur autem mihi non vna esse ratio, quare fiant subiugales, & corruptæ, & sine corruptione fuscæ vrinæ: *Vnde fiant subiugales.* nam subiugales videntur fieri, *vbi est multa materia pituitosa, quæ à calore agitatur, & miscetur cum vrina*: propterea illa multos flatus parit, qui miscent pituitam cum sero, & propterea vincere naturam ostendit vrina talis, quæ paulo post subsidet: alia vero longius distare tempus victoriæ ostendit, si post longum tempus subsidet, aut si nunquam subsidet, declarant ancipitem victoriam, quoniam nec præsentem, nec imminentem coctionem monstrant. *Vnde corrupta.* Quæ vero corrupta est, fit à frigido: nam expirante calore insito in vrina, qui omnia, quæ in vrina sunt, diuidit, illa inter se confunduntur: frigidi enim est heterogenea condensare. *Quæ vrinæ magis & citius corrumpantur & quando.* Corrumpuntur autem vrinæ citius crassæ, quam tenues, & in aere frigido potius, quam in calido: in calidissimo tamen non minus forte, quam in frigido, cum hic euocandi natiuum calorem vim habeat, quo pacto vrina crassescit. Ex quibus rationibus Actuario respóderi potest, qui tales vrinas negat ab aere crassescere. Quę vero tenues sunt, & tamen opacę vrinæ, fiunt certe etiam eadem ratione, deficiente scilicet calore natiuo in humoribus, qui splendoris, & luciditatis causa est: quo fit, vt tales vrinæ maxime appareant circa mortē in ægrotis. Quibus vero non placuerint hæ rationes, meliores quærant.

Vnde vrinarum odor. Cum odor non possit fieri absque caliditate, sequetur, eas, quę non habent eum odorem malum, quo præditæ sunt vrinæ secundum naturam, frigiditatem habere causam, aut potius priuationem humoris calidi & putrefacti: nam odor mihi non videtur fieri etiam sine mixtione humoris: quod ostendunt vrinæ tenues & aquosæ, quæ nullum habent fœtidum odorem, etiam si febris vehementissima sit. Itaque pessimus odor à putrida materia, quæ miscetur cum vrina; quæ vero non habet hunc odorem, à carentia talis materiæ hoc habet. Et quoniam putredinis varii sunt gradus & formæ, ideo multiplices sunt odores mali, qui in vrinis reperiuntur? *Vnde sapores.* Sapores vero omnes ex mixtione humorum nascuntur.

Vnde quantitas superflua. Quantitatis vrinæ superfluæ plus quam naturæ ratio postulet, vna est immediata causa copiosior serosus humor, qui per renes & vesicam fertur. Duas autem oportet esse causas, vt hoc fiat, vnam, vt gignatur talis humor; aliam, vt ad renes ducatur: nam si non gignitur, duci non potest, & copiosa fieri vrina; quod si gignitur, & in venis contineatur, aut per sudorem vacuetur, non fiet copiosa vrina; quare vtraque causa necessaria. Gignitur autem multa vrina tum à multa potione, tum à cibis aquosis. Præterea, à multo somno, aere pluuioso, otio multo, & omnibus denique, quæ humectandi vim habent; fit & alia ratione multa, quod scilicet natura expurget se ab excrementis per renes, aut quod per medicamenta dicta diuretica ex tota massa eliciantur

aquosi humores. Conuertitur vero ad renes, vel A quod ipsi renes plurimũ attrahãt, aut quod natura eo cõuertat suos motus, sicut in crisi fit, quæ per vrinã perficitur. Ex contrariis causis fit pauca vrina: vel enim non gignitur, defectu causarum humidarum, aut genita absumitur, vt accidit in febribus: vel quod ad renes, & vesicam non feratur, id quod accidit, vel quod non attrahant renes male affecti, aut aliud membrum sit læsum, quod susceptioni, attractioni, aut expulsioni sit destinatum. Porro, supprimitur vrina à variis causis, de quibus hoc loco agendum non est, nimirum, quod non actionis, sed ipsius excrementi causas reddere nostrum sit institutum.

Vnde diminuta.

Cum multa sint, quæ continentur in vrinis, miror, Actuarium scribere, contenta prouenire B ex tertia coctione quæ in venis fit: non enim omnia, quæ in vrina continentur, à venis proueniunt, sed quædam à renibus, vesica, & etiam partibus solidis, quæ in habitu corporis continentur. Quare, cum non sit omnium eadem natura, nec idem locus in quo generantur, seorsum de singulis tractandum, quæ communi natura continentur? Et primum de nubecula, enæoremate & hypostasi, agemus, quoniam communem habent materiam & naturam, solo accidente quodam diuersam: nam quod nubecula est, dum morbus adhuc crudior est, fit postea enæorema, & hoc post vlteriorem coctionem, sedimentum. Agemus ergo de his communi tractatione, & in primis docebimus, ex qua materia C illa fiant; deinde, quo loco in corpore gignantur.

Ex qua materia vrinarum contenta fiant.

Scribit itaque Galenus, *libro primo de Crisibus* quicquid alimenti in sanguinis generatione refugit naturæ coctionem, sedimentum esse in vrinis: quod absolute intelligere non potest; nam ex bile aut humore melancholico nubecula, & bonum sedimentum nec enæorema fieri possunt: nam hæc sunt alba, viscida, continua, quod non conuenit illis humoribus, miror que Actuarium *capite secundo libri primi de causis vrinarum* dicere, contenta in vrinis esse excrementa tertiæ coctionis, nec tamen docere, ex qua materia sit hoc excrementum.

Sunt, qui dicunt contentum in vrina esse hu- D morem crudum, & crassum, qui in coctione hepatis non potuit concoqui, coctionem autem recipit postea in solidis partibus, & venis, qui etiam errant: Crudus enim vocatus humor subsidet perpetuo ob suam crassitiem, nec nubecula aut enæorema ex eo fieri potest. Docent autem qualitates istorum, & nonnulla alia, nihil aliud esse huiusmodi contenta, quam *humorem pituitosum*: dilatantur enim hæc per corpus vrinæ, quod sine visciditate fieri non potest: inter humores vero sola pituita viscida est: fiunt postea alba. Hunc autem colorem, qui per coctionem, fit sola pituita recipit: sola enim alba est: Docent præterea morbi: qui enim biliosissimi sunt, vt qui maxime contrarii sint generationi E pituitæ, nec nubeculam, nec enæorema, nec sedimentum habent, tanquam deficiat pituita, ex qua illa gignuntur. Eodem pacto, qui in inedia viuunt, quanto parcius edunt, aut cibos ingerunt biliosiores, tanto minus habent istorum contentorum: quæ satis probant pituitam materiam esse horum contentorum.

Contentum quid.

Verum si excrementa sunt, quæ excernuntur post coctionem perfectam, à quanam coctione, & cuius generis? crassius ne vel tenuius erit excrementum hoc pituita? Galenus (vt antea diximus) in generatione sanguinis sedimentum fieri dicit, quando scilicet non potest concoqui id quod sedimẽtum postea fit: Actuarius in coctione, quæ fit in venis, dicit illud fieri excrementum, qui aberrat; nulla enim in venis distincta fit concoctio communis toti corpori, vt in ventriculo & hepate, sed præparatio quædam, *ergo in hepate prima huius materiæ generatio*; Sed non eo modo excrementum dicitur, quo modo capimus excrementum relinqui, & separari absolutis coctionibus: nam *pituita non est excrementum alicuius coctionis*, sed excrementum fit alia ratione: cum enim concoctrix facultas imbecillior est, aut à multitudine cibi, & potionis grauatur, vel qualitatem cibi frigidiorem sortitur, non potest æqualiter, quicquid in cibo est, mutare, & assimilare, sed quod frigidius est, relinquitur, excrementumque fit; id est, inutile ad nutritionem, quomodo pituita excrementum cerebri dicitur esse, quoniam enim cerebrum frigida pars est, si influat paulo plus alimẽti, aut illud sit frigidius, non potest ex vniuersa massa sanguinis æqualiter nutriri, sed relinquit multũ ex eo, quod pituitosum est, & illud postea reiicitur, non tanquam excrementum, quod ex naturali coctione prouenit, sed ex ea, quæ male peragitur ex aliquo vitio. Eodem pacto in hepate cum gignitur sanguis particeps quatuor humorum, gignitur quoque pituita ex frigidiore portione alimenti, quo fit, vt cum oneratur copia alimenti, vel frigidiore vtitur, aut hepar ipsum est frigidius, multum gignatur huiusmodi frigidi, & pituitosi humoris, qui postea per venas vna cum sanguine fertur: ac cum venæ nequeãt æqualiter vincere vniuersã illam massam, relinquunt in sua nutritione, quod pituitosum est, id, quod postea vel expellitur à natura, vel sequitur cum vrina, cum illaque miscetur: vnde illa contenta fiunt; quo fit, vt ex coctione, & nutritione propria venarum, fiant hæc contenta, non quod sint excrementa coctionis, quę illic fit secundum naturam, sed eius, quæ male peragitur ex aliquo vitio materiæ, aut agentis: erat enim alioqui futurum nutrimentum huiusmodi pituita, si nullum insidisset vitium, si scilicet plus non esset genitum, quam vera nutritio exigat, si non esset frigidior, quam par sit, vel crassior, aut viscidior, si venæ non essent præter naturam affectæ, illarumque concoctio, & calor, & facultas, quæ concoctioni seruiunt, male non haberent; quod illis, quæ reuera sunt excrementa coctionis, nunquam contingere potest. At si pituita est contentum huiusmodi, cur in quotidiana, & quartana, & in aliis etiam morbis, vbi pituita plurima est, initio morbi non apparent contenta? An quod vniuersa illa massa humorũ frigidiore crassioreq; humore abũdans nõ statim potest vinci & concoqui, vt excremẽta appareãt, quæ post coctionem relinquũtur? nutriũtur enim dũ talis est humor, male partes illę, & ex tenuiore duntaxat portione: Vnde excremẽta non resultant crassa, sed veluti congelata manet pituita, postea vero perseuerãte coctione & naturæ actione, obedientior fit vniuersus humor,

In quibus corporis [illegible] contenta fiant.

Contenta vrinarum vnde fiant.

mor, ex illoq; nutriri incipit corpus, ita tamen, vt æqualiter omnes humores, qui inter se commixti sunt, assimilari nequeant à partibus exanguibus, quales sunt venæ, quo tempore contenta iam incipiunt in vrina apparere, quæ quoniam nondum plane concocta sunt, ideo eam crassitudinem, quam inducit concoctio, non statim accipiunt, propterea nubecula primo fit, postea vero procedente coctione, & aucta crassitie, enæorema euadit, quod continetur, postea vero hypostasis fit, iam properante ad finem coctione: qua prorsus absoluta, perseuerante actione caloris, terrena portio exuperat, & iam non innatat contentum, sed fundum omnino petit cineris modo. Sed quid dicemus de contentis, in quibus primo in morbis apparet sedimentum, postea enæorema, deinde nubecula, & rursus enæorema fit & sedimentum? Est autem huius rei ratio, quod natura in illis morbis onerata à multitudine symptomatice expellat, id est, ante coctionem: itaq; tunc crassa materia suo pondere ad fundum labitur, postea vero exonerata natura à multitudine, incipit fundere concretam eam materiam, quæ tenuior redditur, & magis aerea, atq; ita superiora petit, finita autem fusione, ad propriam, & mediocrem consistentiam redacta est: quo facto, concoqui incipit, & rursus incrassari, vnde rursus descendit; incipit ergo aliquãdo nubecula, deinde procedit ad sedimentum ipsum contentum, quando scilicet natura materiã habet aptam ad coctionẽ & illam prius tentat, quam expulsionem. Aliquando vero incipit à sedimento, quod reuera sedimentum non est, huiusmodi crassamentum, quando scilicet expulsione priusquam coctione vtitur. Verum non semper sedimentũ mutatur in nubeculam, nec nubecula perpetuo sedimentum fit: nam crassa aliquando adeo est materia, vt nulla fusione & alteratione tantam leuitatem accipere possit, vt supremam vrinæ partem petat. sic aliquando adeo tenuis est pituita, vt & cum bile mixta, vt nunquam tantam crassitudinem recipere valeat, vt sedimentum fiat; quod in tertianis videmus non exquisitis, sed non admodum pituitosis, in quibus perfecta concoctio & salus contingit, cum sola nubecula, aut enæoremate absque sedimento. Dictum igitur est, quid sit contentum in vrina, quod scilicet sit materia pituitosa, genita quidem in hepate, in generatione omnium humorum facta, & à coctione venarum separata & contentum facta, quando cum vrina miscetur. Dictum quoque est, quomodo ostendat coctionem huiusmodi contentum, quod scilicet, post coctionem, & nutritionem expellatur: ex quo etiam patet, cur meliora sint signa ex contentis, quam ex colore, vel consistentia, quoniam cõtenta ex crassiore materia fiant; quo fit, vt validior ostendatur naturæ robur, vbi iam potest talem materiam alterare & expellere; Et cur morbi quidam habeant contenta, alii vero non; & cur quidam nunquam habeant sedimentum, alii vero nunquam nubeculam. Patet & illud, cur in aliquibus contenta sint crassiora, in aliis tenuiora, in aliis minora: multitudo enim & crassities pituitæ, & naturæ robur & imbecillitas causæ sunt. Ex multa enim pituita, multum contentum; ex pauca paucum; ex crassa crassum; ex tenui tenue fit; & cum natura va-

Contentum quid.

A lida est, potestque vniuersam massam mutare & vincere perfecte, paucum sedimentum est: Est quoque paucum, quando est imbecilla, nec potest assimilare, & excrementa gignere, & separare. Cum vero ita afficitur, vt nequeat penitus vincere & vincit tamen, quantum materia permittit, tunc multum fit sedimentum, si multa est materia, & extenuat plus vel minus pro robore suo & materiæ dispositione. Fiunt autem contenta alba per coctionem, & assimilationem; venarum enim & arteriarum tunicæ albæ sunt, quo fit, vt cum ipsa concoctio assimilatione fiat, merito alba redduntur, quæ concoquuntur; alios vero colores ex mixtione humoris recipiunt. Odor vero malus ex putredine & mixtione B putridorum humorum oritur. Laudatur & in contentis æqualitas, quod vna pars similis sit alteri, quod scilicet ostendat naturam validam esse, vt quæ possit materiam æquabilem reddere. Oportet quoque lenia esse illa, si perfecta esse debent, id est, partes habere, quæ non subsultent, id est, altiores depressioresque sint aliis, vt in exasperatis rebus fieri solet, id, quod ostendit materiam esse assimilatam partibus venarum, quæ lenes sunt, tum calorem ad lenitatem, quæ supersunt, redegisse, reiectis heterogeneis partibus, estq. optimum signum leuitas in contentis, secundo loco æqualitas, leuius vero signum color; odor proprie in contentis solis non animaduertitur, sed in vniuersa vrina. Hæc C ergo sufficiant de nubecula, enæoremate, & sedimento.

Quando sedimentum fiat paucum.

Vnde contenta fiant alba.

Quid ostendat contentorũ æqualitas.

Bullæ, & spuma fiunt *ex pituita viscida mixta cum flatu*: cum enim ille euolare cupiat in congenerem aerem, resistat autem pituita, quæ deduci potest, bullæ fiunt, & spuma: illæ quidem ex flatu, & pituita, per maiores partes commixtis; hæc vero per minores. Vnde mare primo bullas excitat, cum agitatur à ventis & includi incipit aer, postea vero durante tempestate, spumosum euadit ex continua agitatione incluso per minimas partes vento, & extenuata aqua, quæ per minima iam diuidi potest.

Causa bullarum & spumæ.

Pinguedo fit ex colliquatione adipis; estque grauior affectus in quibusdam, in aliis vero leuior: D nam qui plurimum habent pinguedinis, illius quidem admodum humidæ, ex minima causa illis innatat pinguedo in vrina, adeo, vt in tertianis, & aliis prorsus salutaribus febribus, huiusmodi appareant vrinæ; in aliis vero corporibus non nisi ex grauiore causa colliquatio fit, quare lethale signum est huiusmodi vrina.

Pinguedinis.

Pili fiunt ex pituita diu contenta in renibus, & assata & ob angustiam viarum extenuata pilorum modo.

Pilorum.

Squamæ fiunt exulcerata vesica; sunt enim huiusmodi squamæ latiores tunicarum partes, quales à vesicæ tunicis decidi possunt.

Squamarũ.

Carunculæ ostẽdunt renes exulceratos: nam E à solida & crassa renum substantia non nisi frustulatim aliquid potest abradi.

Carunculãrum.

Atomi fiunt ex tenui pituita & bile commixtis, & assatis: resultat enim ex huiusmodi mixtione & ex alteratione lenissimus tenuissimusque puluis, qui per vrinam atomorum more fertur.

Atomorum.

Sabulum vero fit exactè adustis humoribus:

Sabuli.

nam consumpta humiditate, terrena portio vinculo priuata dissoluitur.

Lapidum. Lapides vero ex pituita exsiccata, sed nondum plane consumpto omni humore: nam alioqui non consisterent, si omnem humorem exuissent.

Grumorum. Grumus fit à sanguine cum vrina mixto, viciato aliquo vase; sanguis enim extra vasa positus, in grumum concrescit. Hæc de contentis.

Vrina quarum partiū affectus ostendant, & quarū non. Vulgaribus Medicis assentiendum non est, qui omnes corporis affectus ex vrina se diuinare posse profitentur: quomodo enim ostendet earum partium morbos, quæ sua excrementa per vrinam non emittunt? propterea ridendus est Actuarius, qui membranarum cerebri, cordis, pulmonis, pectoris, intestinorum, vteri, artuum mala, ex vrina dignotionem profitetur. Nec tamen illi probandi sunt, qui venarum duntaxat vitia cognosci volunt ex vrina: nam cum multæ partes se exonerent in venas, vt caput, cur non poterit vrina morbos illarum significare, à quibus excrementa deciduntur? quando experientia docet, spumosas vrinas capitis plenitudinem significare.

Cum præterea pituitæ generatio in hepate fiat, non solum vitio hepatis, sed etiam quando ventriculus non satis concoxit, nec præparauit alimentum hepati, poterit vtique vrina etiam significare frigiditatem & cruditatem ventriculi, quod non semel docuit experientia. Præterea, cum excrementa, quæ solent misceri cum vrina, sæpe non misceantur, eo quod ad alia loca ferantur, indicabunt profecto etiam illarum partium affectus, ad quas huiusmodi humores reuocari solent, quo pacto delirium prænunciant vrinæ, quæ in febribus tinctæ mingebantur, & postea albæ & tenues minguntur: crassitudo subiugalis in vrinis cum flatum inclusum habeat, soleat autem flatus superiora loca petere, prænunciabit capitis dolorem. Itaque, vrina potest ostendere earum partium affectus, in quibus gignitur, & à quibus materiam capit, ex qua ipsa gignitur, aut ea, à quibus calorem, crassitudinem, contenta, & reliqua consideranda in ea recipit, nec non partium, per quas transit, in quibus retinetur, & per quas expellitur, & præterea illarum partium, quæ priuant illam aliquo humore, qui immisceri solet; ac vbi omnia simul reperiri possunt, minus potest color in significando, quam consistentia, & hæc, quam contenta, quæ quidem sigillatim explicare non est nostri instituti, qui obiter hæc attigimus. Quare duo verba solum explicabo de vltimo capite ex propositis.

Quæ consideranda, vt recte iudicetur de vrina. Vrinæ omnes quas reddit æger, seorsum colligendæ, vt quantum mingatur, intelligatur; hinc enim cognoscitur, si quid natura excernat vltra potionem; quæ tamen peracta coctione inspiciuntur, certiores præbent notas: summopere quoque sunt cauenda, quæ iudicium impedire possunt; nam in diuerso victu, aut medicamenti assumptione, mutatur & color & alia, quæ in vrinis adsunt: fallunt enim hæc, & opinionem præbent interni morbi. Vult quoq; Auicenna, non esse inspiciendam vrinam, ex qua decoctione iudicium ferre volumus, post sex horas, quibus reddita est, quia corrupta iam talis est; nec statim post mictionem inspiciendam, vt separatio

A fieri possit; neque vento exponatur, nec soli; in vmbra inspiciatur, quia solis vel lucernæ lumen fallunt, colligenda vero est in vitro claro, aut crystallo, nec transfundēda ex vno vase in aliud, pyramidalis debent esse figuræ vasa vrinaria. Et hæc sufficiant de vrinis.

CAP. VIII.

DE INDICIIS FEBRIVM continuarum.

Τοὺς συνεχεῖς δ' ἂν γνωρίζοις μάλιστα μὲν ἐκ τοῦ μηδὲν αὐτοῖς παρεῖναι σημεῖον ὧν εἴπομεν ὑπάρχειν χρῆναι τοῖς διαλείπουσι· καὶ εἰ μὴ
B
παύοιτο δὲ τῶν τεττάρων καὶ εἴκοσιν ὡρῶν ἐντὸς ὁ πυρετός.

Febres autem assiduas ex eo quidem maxime cognosces, quod nullum ex iis signum habeant, quæ debere inesse intermittentibus docuimus, & si intra quatuor & viginti horas non desinant.

NVllum signum adesse in continuis ex iis, quæ sunt intermittentibus, sano modo intelligendum est: nam quædam sunt symptomata, quæ omnes febres necessario sequuntur, vt
C
pulsus & respirationis mutatio, caloris incrementum in partibus internis, & tandem in externis, & multa alia, quæ necessario qualemcunque febrem sequuntur; sed hoc intelligendum est potissimum de signis, quæ statim apparent inuadente accessione febris, cuiusmodi sunt, horror, rigor, frigus. hæc enim si absint in febribus, necessario ostendunt, illas esse continuas; cum autem adsunt, vt in semitertianis alia sunt quærenda indicia: nam ex iis, quæ in principio apparent, distinctio fieri non potest. Est autem vnum signum, quod sit continua, si non finitur, postea quam inuasit, spacio viginti quatuor horarum, nulla enim est febris intermittens, quæ illud spacium excedat: cuius rei ratio reddi non potest,
D
sed experientia ita esse cognoscitur.

Εἰ δὲ καὶ ἀνώμαλον ποιοῖντο τὴν αὔξησιν, οὗτος μὲν γε καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις γνωρίσμασι καὶ χρόνον ἀποσημαίνει πλείονα.

Quæ si inæquale habuerint incrementum, præter alias notas maiorem temporis diuturnitatem prænunciant.

INæquale incrementum interpretantur nonnulli, cum corpus modo calidius, modo frigidius sentitur; aiuntq;, fieri hanc inæqualitatem, stomacho, vel alia sensibili parte affecta; quæ interpretatio mihi probari non potest: nam hoc
E
magis proprium esset intermittentibus febribus; siquidem in quotidiana stomachus, & etiam in tertiana ob bilis confluxum vomitum mouentem hoc accidit; melius ergo est intelligere incrementum inæquale, cum ita calor afficitur, vt nunc maior, nunc minor appareat, hoc enim indicat, materiam difformē esse, & æqua-

liter

licet vinci non posse. At hoc videtur etiam commune esse febribus intermittentibus, quæ ex diuersis humoribus consistunt, vt tertianis, quartanis, & quotidianis nothis. An forte melius est intelligere inæquale incrementum, quod non respódet principio? nam in intermittétib. principium accessionis seruat proportioné cum incremento in longitudine, & status cum ipso incremento, & hic cum declinatione; & propterea cum cito hæc tempora transeunt, intermittentem iudicamus fore febrem; cótra vero cum videmus principium breue fuisse, incrementum vero perseuerare, cum iam propinqui sumus viginti quatuor horis, iam prędicere possumus, febrem fore continuam, & id eo, quod incrementum caloris nó seruet proportionem cum principio. Quare merito dicit huiusmodi inæquale incrementum ostendere maioré temporis diuturnitatem, quam conueniat febribus intermittentibus, quæ minore spacio, quam viginti quatuor horarum finiuntur.

Καὶ μὲν δὴ καὶ εἰ τὸ ἴδιον τῶν πυρετῶν σημεῖον ἐν τοῖς σφυγμοῖς ἐναργὲς ἔχοιεν, εἰ δὲ καὶ ἀταξία τις ἢ ἀνωμαλία προσείη αὐτοῖς, ἢ ἀρρυθμία καὶ τοῦτ' αὐτὸ σημεῖον τοῦ μεγέθους ἅμα καὶ ὡς οὐκ εἰσὶ τῶν διαλειπόντων.

Atq; adeo, si & quod propriũ est febrium, euidens in pulsibus signum obtineant; at si neque ordinem, neq; qualitatem, neq; numerum seruẽt, argumentum erit tum earum magnitudinis, tum quod ex genere intermittentium non sint.

Signa, quæ ostendunt morbos esse magnos, ostendunt quoque, illos esse continuos. Artificiose ergo concludit, febrem esse continuam, si adsint indicia, quæ ostendunt eam esse magnam; id, quod faciunt pulsus, qui insignem habent inæqualitatem, & multo magis, qui ordinem & numeros non seruant, præter inæqualitatem. Postularet hæc sententia longam disputationem de pulsibus, quam prætermitto tanquam ex Galeni libris diligenter explicatam, vt ad alia properare possimus, quæ ab eo facile intelligi non possunt.

Εἰ δὲ τοιοῦτοι μείναντες ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν μείζονα τὸν παροξυσμὸν ἐνδείξαιντο, ἢ εἰ καὶ τὰ διαχωρήματα καὶ τὰ οὖρα παντάπασιν ἄπεπτα φαίνοιτο, τοὺς τοιούτους πυρετοὺς οὐκ ἐνδέχεται περὶ τὴν ἑβδόμην κριθῆναι. εἰ δὲ καὶ ἡ τετάρτη τῶν ἡμερῶν ὁμοία φαίνοιτο τῇ τρίτῃ καὶ ὁ πυρετὸς οἱονεὶ σμυχόμενος εἰ καὶ τὸ πρόσωπον, ἥ τε πᾶσα ἕξις τοῦ σώματος ἀσύμπτωτος, ὁ τοιοῦτος εἰς πλείονα χρόνον ἐκτείνεσθαι φιλεῖ. Τοιαῦται μὲν εἰσὶν αἱ διαφοραὶ τῶν ἄνευ συμπτωμάτων πυρετῶν.

Quod si tales permaneant, & tertio die accessio maior, aluique excrementa, & vrinæ omnino crudæ appareant, non possunt septimo eiusmodi febres iudicari: si vero dies quartus tertio similis videatur, & febris velut langueat, nec facies, nec vniuersa corporis habitudo concidat, in longũ tempus hoc febris genus protrahi solet. Atq; hæ quidem sunt febrium differentiæ, quæ accidentibus carent.

HÆc pertinent non amplius ad cognitionem febris cótinuæ, sed ad prædictionem, an scilicet ea, quæ continua est, futura sit breuis vel longa, nec hæc communia sunt omnibus continuis, sed illis, quæ accessiones habent, & eas quidem tertio quoque die, quales sunt continuæ tertianæ, quare minus probari potest authoris sententia, qui præter institutum attingat nunc prædictionem, & eam propriam solum vni generi febrium, vt negligenter quoq; hoc facit: nam multo plura huius rei sunt indicia, si quis singulos signorum fontes consulere velit. Sed his omissis, explicemus, quæ ille scribit. igitur si febris manet magna, cum pulsibus prædictis, & accessio superueniat tertio die maior, quam primo, & vrinæ crudæ appareant admodum rubræ, siue cótentis, vel albæ (nam alia excrementa potius assata apparent in febribus cótinuis) nó poterit febris septimo iudicari. Quod si dies quartus tertio fuerit similis in vehementia, & vrinæ etiam tales fuerint, quales apparuerunt in tertio, ostendit febrem nó properare ad statum. Quod si facies & corporis habitus non minuitur pro ratione febris, hoc indicat materiã contumacem esse ad concoctionem & resolutionem; hæc autem omnia longitudinem febris portendunt.

Ἡ θεραπεία δὲ καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἐφεξῆς γεγράψεται· πρῶτον μὲν τῶν διαλειπόντων. δεύτερον δὲ τῶν συνεχῶν λεγομένων. ἐπὶ μὲν οὖν τοῖς διαλείπουσιν, ὀξύτατος ἅμα καὶ ἐπιεικέστατος ὁ τριταῖός ἐστι· μακρότατος δὲ καὶ ἀκίνδυνος ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ ὁ τεταρταῖος. ὁ δὲ ἀμφημερινὸς μακρὸς καὶ οὐκ ἀκίνδυνος. ὥστε καὶ τὴν διαιτῶντας αὐτοὺς ἐξ ἀρχῆς καθίστασθαι προσήκει πρὸς τὸν ξύμπαντα χρόνον τοῦ νοσήματος ἀποβλέποντα. τὰ μὲν γὰρ ὀξέα καὶ ταχέως ἀκμάζοντα, κἂν εἰ πάνυ λεπτῶς θέλοι τις διαιτᾶν, οὐκ ἂν τι μέγα βλάψῃ. ἔσται δὲ χρόνια ταῦτ' εἰ μὴ κατ' ἀρχὰς ἁδρότερον διαιτήσαις, ἢ συναιρήσεις τῷ νοσήματι τὸν ἄνθρωπον, κοὐκ ἐν καιρῷ τὴν δίαιταν ὑπαλλάξεις. οὐ γὰρ χρὴ πρὸ τῆς ἀκμῆς ἁδρότερον, ἢ πρόσθεν διαιτᾶν, ἀλλὰ τοὐναντίον τῆς ὅλης τοῦ πάθους διαίτης τὸ λεπτότατον, εἰς τὴν ἀκμὴν ἀποτίθεσθαι χρή. ταῦτα μὲν οὖν κοινὸν ἁπάντων.

Deinceps vero singularum curatio tradetur; ac primum quidem intermittẽtium, deinde continentium, vt vocant, febrium, ex intermittẽtibus quidem breuissima simul & mansuetissima tertiana est; longissima vero, sed tuta quantum in se est, quartana: Quotidiana vero longa est, & periculo nõ

vacat. Itaque victus rationem si statim ab initio instituemus, vniuersum morbi tempus considerantes: nam in acutis, & qui ad statum celeriter perueniunt, si tenuiter omnino cibare velis, haud magnopere lædes. In longioribus vero, nisi per initia liberalius cibaueris, aut vna cum morbo hominē necabis, aut intēpestiue victus ratio mutanda erit: neq; enim accedente statu vberior victus, quam prius, sed contra, omnium, qui per morbum exhiberi debent, tenuissimus in id tempus reseruandus est; hoc quidem omnium commune est.

COgnitionem morborum & caussarum ipsorum sequitur curatio, quæ duobus perficitur, victu & remediis: nam cum in ægrotantibus aliqua sint secundum naturam, alia vero præter naturam, illa conseruanda per victum, id est, simile materiam, hęc mutāda per remedia, id est, contraria, postularetque docendi ratio, vt prius ageret author de remediis, quam de victu, quandoquidem Medicus sibi proponit ab initio, posteaquam ægrum est contemplatus, eorum, quæ præter naturam sunt, remotionem, & ex ipsis remediis adhibitis deprehendit, quomodo vires, & alia, quæ consideranda sunt in victu instituēdo, se habeant in corpore; extracto enim sanguine, (vt de hoc remedio inter alia agamus) deprehendimus, an humores in venis boni vel mali, & an virtus facile aut difficile patiatur euacuationem & dissolutionem corporis; quæ omnia ad victum instituendum plurimum faciunt. Agemus tamen primum de victu, quia Galeni hic interpretes sumus, qui in hac tractatione prędicit longitudinem & breuitatem, periculum & securitatem, quæ sunt in febribus: longitudinem quidem & breuitatē, quoniam ad status præcognitionem hæc faciūt, quæ ad victum instituendum pertinent; benignitatem vero, securitatem & periculum, forte sine ratione commemorat, quia victum ob illa non mutat, de quo in præsentia agit; merito tamen incipit à curatione intermittentium, eo, quod illę sint faciliores; melius tamen, si docuisset ante omnia, quid febris putrida in curatione exigat: nam hoc cōtempto, nemo intelligere potest, an recte fiat curatio specierum, quæ sub eo genere cōtinentur. Quam ob rem ne aliquid desit nostræ tractationi, rem hanc aggrediamur, sed prius paucis expediamus, quæ hic adfert de prædictione & periculo ac securitate febrium.

Cur tertiana exquisita sit omnium breuissima.

Tertiana exquisita, de qua hic agit, inter omnes intermittentes est quidem breuissima, ex calidissimo & tenuissimo humore, nempe bile flaua, & in corpore gracili, temporeque calido genita; mansuetissimam vero eam esse, nescio quomodo dicere possit, quandoquidem est vehementissima, ad Causonis naturam accedens, & ob id ab eodem authore inter acutos morbos recensetur: melius forte, si dixisset tutissimam esse: ita enim alias omnes expendit, quæ sequūtur: nam, inquit, quartana longissima est, sed tuta, & quotidiana longa & periculosa, solius periculi & longitudinis tanquam de sola breuitate & securitate tertianæ antea egerit, cui has comparat.

Cur quartana longissima.

A Est porro quartana lōgissima, quia ex humore terreno constat, qui omnium difficillime cōcoquitur & expellitur, siquidem concoctio calido & humido perficitur. Tutam dixit esse quātum in se est, id est, si sola sit, sine insigni vitio hepatis vel lienis, quod parere solet hydropē præcipue in valde senibus, in quibus concoctio est infirma, sine cuius robore tam rebellis humor vinci non potest; quando hæc mala absunt, tuta solet esse, propter longa, quæ habet, interualla, & quia breues solent esse accessiones. Cęterum, quotidiana longa est, sed non perinde vt quartana, hæc enim annos integros, illa vero vix integram hyemem durare solet.

Verum cur dicere potest eam periculo nō vacare, B si in Aphorismis cum Hippocrate docuit, febres omnes quandocunq; intermittentes periculo carere? an forte penitus non intermittit quotidiana? sed cur ipse inter intermittētes eam hic censet: Sed his omissis, aggrediamur tractationem de victu, in qua maior est & vtilitas, & difficultas; qua quidem in re repetēda sunt breuiter, quæ *in Comment. nostris in primos Aphorismos* scripsimus, quæ erunt hoc loco tanquam principia; quorum primum illud est: *Victum indicari a nullo alio, præterquam a concoctrice facultate, quæ ostenditur ex caloris natiui qualitate & quantitate*; ad eum enim respiciens Hippoc scribebat pueros, athletas & omnes hyeme & vere plurimo egere nutrimēto, & pueros egere victu C humido, & ob diuersitatē, substātiam, in qua calor hic residet, nempe ob spiritus, humores, partes solidas, triplici nutrimento est opus, spiritu, inquam, siue aere, potu & cibo. Deniq; ex differentiis, quæ sumi possunt in calido natiuo, & cōcoctrice facultate, inueniemus indicari omnes scopos victus.

Ratio victus.

Sect. 1. aph. 13.

Nec obest, quod vitalem facultatem in nutritione ægrotantiū maxime spectemus, quoniam tunc nutritionem non quærimus liberam, qualem postulant indicantia, sed quid pati possit æger violentiæ, ex impedita nutritione, dum pugnamus aduersus affectus præter naturam, per illorum remedia. quāto enim pulsus est validior, eo minus nutrimur: id quod non fieret, si vitalis D facultas nutritionem indicaret: nam indicantium quantitas, quantitati eorum, quæ indicantur, & è contra, respondere debet; indicat ergo concoctio victum, id est, nutritionem: eam vero contraindicant, authore Galeno, solū distantia status morbi, & morborum accessiones, in qua re cogor plane ab eo dissentire: nam id facit imprimis morborum natura, in qua consideramus morbum vnum alio esse vehementiorem, ea enim efficit, vt tenuiore victu vtamur in febre ardente, quam in tertiana exquisita, id quod non fieret, si solum distantia status (quæ æqualis solet esse in his febribus) suam præberet indicationē; de qua quidem contraindicatione agit Hippoc. cum scribit; *Extremis morbis exquisitissimam ex E rationem victumq; tenuissimum conuenire*; & eam prosequitur vsq; ad Aphorismum in quo scribit: *Cum morbus in vigore fuerit, tunc tenuissimo victu vtendum est*; illic enim incipit agere de statu & aliis temporibus morborum, non antea. vt Galenus putat. Sumimus quoq; aliam contraindicationem à causis morborum, ad quam respiciens Hippoc. scribit: *Impura enim corpora quanto magis* 10.

Sect. 1. aph. 6.

Aph. 8. S. 1. consil.

Sect. 2. aph.

Sect. 1. aph. 16. *magis nutries, tanto magis lædes. Et vbi fauces ægrotant, vel tubercula in corpore nascuntur, excretiones inspicere oportet, quæ si fuerint similes sanis, tutum est corpus nutrire.* Hanc quoque spectauit Galenus in enarratione *17. Aphorismi libri primi*, vbi docet, propter abundantiam, defectum, aut corruptionem humorum, mutandam nutritionem. Quæ quidem si vera sunt, sequitur quidem ratione temporum morborum tenuius alendum esse in statu, quam in aliis temporibus: quoniam in eo tempore morbus, & causa coniuncta morbi maior vehementiorq; est, & propterea naturam tunc maxime occupat: tunc enim maxime fit concoctio, à qua non oportet, quantum permittit virium debilitas, naturam reuocare, sed hoc verum non potest esse perpetuo, cum nonnunquam in principio morborum debeamus tenuius alere, quã in statu, ob causas antecedentes, quæ tunc magis vrgent, quam cõiũcta in statu, vt in quotidianis, quartanis, & nõnullis etiam continuis vsu venit: si enim magna sit in ventriculo, & primis venis pituitosi humoris abundantia, quæ ventriculum grauet, & lipothymias, nauseam, capitis grauitatem, & alia huiusmodi accidẽtia adferat, in principio quotidianæ, vel quartanæ febris ratio iudicat, tũc tenuissime alendos esse ægrotos, quippe, cum ex pleniore victu hæc omnia mala augeri necessarium sit; in statu vero, cum iam homo liberatus est ab hac sarcina, remanet sola materia cõiuncta, circa quam natura pugnare potest per interualla febris, nõ multum impedita nutritione. In alia vero causa cõtinuam oportebat esse naturæ actionem & pugnam, propterea tanto in principio tenuior adhibẽdus est victus, quanto causa, quæ tunc vrget naturam, maior est, continuoq; magis naturam occupat, quam illa, quæ in statu nutritionem impedit. Non ergo solum statum distantem aut præsentem spectare debemus in victu instituendo, sed vt diximus, vehementiam morbi, & causas morborum, quæ facultatem concoctricem plus vel minus impedire possunt. Quod si liberius aliquid dicendũ est, dicam profecto, habendam maxime esse rationẽ futuri vigoris morbi, in victu instituendo ab initio in acutis morbis, qui continuo infestant; in febribus vero intermittentibus, maxime spectandum esse, quid vrgeat in quocunq; tempore, ac pro illius ratione victum adhibẽdum, vt & alia remedia adhibentur; non enim præsente magno dolore sanguinem mittimus, aut purgamus, plus, vel minus ad statum futurum respicientes, sed ad doloris causam, quæ pro sui magnitudine quantitatem remediorum moderatur. Nutriat ergo Medicus suos ægrotos maxime in febribus intermittentibus, prout ostendent morbi vehementia, & causę ipsius, quibus victis, experietur, non esse vitiatum victum, qui vigori conueniens esse debet: interualla enim febrium admittunt fieri concoctiones alimenti & nutritionem; in morbis vero continuis & acutis, nec contẽnendũ est, si quid inter initia morbi inediã, aut certe tenuem victum exigat ob metum futuri status: cuius tamen ratio habenda est, si nihil tale est in principio. In longis vero febribus continuis, quę omnes ex crassis multisq; humoribus nascuntur, non errabis (meo quidem iudicio) si tenuius alas

A inchoante morbo, quam vigente: consumpta enim multitudine humorum, quæ vniuersum corpus grauat, humor, quem putredo inuasit, postea facilius vincitur. Cæterum, illud quoque docuimus *in nostris Commentariis*, tenuem, conseruantem, & plenum victum non esse differentias quantitatis victus, sed generis victus, appellarique tenuem, qui vires minuit, nec conseruare potest: conseruantem vero, qui, quantum morbi permittunt, vires tuetur, & in suo robore conseruat: plenum siue crassum, qui eas auget.

Ad hæc autem præstanda sumi posse tum genus nutrimenti, tum quantitatem: vires enim minui permittet prisanæ succus, quantum con-
B coqui potest assumptus. & ouum vnum, vel carnis minima portio, non tamen pro prisana hæc dabit Medicus ægrotis, qui tenuiter sunt alendi: quidquid enim suapte natura crassius est, nutrit, siue crassum, siue plenum victum exhibet, in se continet plus solidæ substantiæ, quæ difficilius coquitur, quam exigat nutritio ægrotantium. Eligenda igitur & danda sunt ea genera alimenti, quæ sua natura sinunt aliquo modo debilitari vires, eo quod solidam substantiam paucam in se habeant, aptam ad nostram restituendam, fitque vt interim, cum debilitatur æger ex hac nutritione, morbus, & illius causæ moriantur ex continua, & maiore concoctione, & actione naturæ.

C

Πρὸς αὐτοῖς δὲ δεῖ καὶ τὰ ἴδια τῶν διαλειπόντων ἐπισκέπτεσθαι. αὐτίκα εὐθὺς ἐν τοῖς τριταίοις, οὐδὲν γὰρ χεῖρον ἐντεῦθεν ἄρξασθαι, διορίζεσθαι σε κατ' ἀρχὰς εἰ ἀκριβής ἐστι, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι γνήσιος, ἢ οὐκ ἀκριβής, ἀλλ' αὐτίκα νόθος τις. ὁ μὲν γὰρ ἀκριβὴς τριταῖος, τὸ μακρότατον ἐν ἑπτὰ περιόδοις κρίνεται, πρὸς τῷ καὶ ἀκινδυνότατος εἶναι. τὸν ἕτερον δὲ τὸν οὐκ ἀκριβῆ, οὐδέποτε φθινοπώρου μὲν ἀρξάμενον, ἦρος δὲ παυσάμενον. εἶτα οἷα εἰκὸς ἐν τοσούτῳ χρόνῳ, τὸ μέν τι καὶ αὐτοῦ τοῦ νοσοῦντος οὐ πάνυ τι πειθομένου τοῖς τῶν ἰατρῶν προστάγμασιν, ἀλλὰ καὶ ἁμαρτάνοντος ἔστιν ἃ. τὸ δέ τι καὶ
D ὑπὸ τῆς αἰτίας, τοῦ χειμῶνος βλαπτομένου, σπλὴν τε μέγιστος ἐξήρθη, καὶ ὑποχόνδρια διεφυσᾶτο, καὶ τις ἤδη καὶ ὕπωχρος τὴν ἄχροια περί τε τὸ πρόσωπον, καὶ οὐχ ἥκιστα τοῖς σκέλεσιν ὥστε δεῖσαί τε ἡμᾶς ἀμφὶ τῷ μειρακίῳ καὶ δεηθῆναι μειζόνων βοηθημάτων, οὕτως οὐδὲν ὅμοιον ἔχει ὁ τοιοῦτος τριταῖος τῷ ἀκριβεῖ. Διὰ τοῦτο οὖν φημι χρῆναι κατὰ τὰς ἀρχὰς αὐτοὺς διορίζειν. εἰς ὅσον γὰρ τῇ φύσει διαφέρουσιν, εἰς τοσοῦτον εὔλογον ἐστι καὶ τοῦτον τῆς διαίτης τρόπον ὑπαλλάττεσθαι. πῶς οὖν ἄριστα διορίσειεν, ἀρκεῖ μοι τὰ τῷ μειρακίῳ συμπεσόντα γράψαι. παράδειγμά τι ἅμα τῶν οὐκ
E ἀκριβῶν τριταίων καὶ ὑπομνήματά σοι γενησόμενα. ἦν μὲν δὴ τοῦ ἔτους τὸ μεταξὺ πλειάδων τε δύσεως, καὶ τῆς προσγεγενημένης ἰσημερίας. ἤρξατο δὲ μετὰ φρίκης ὁ πυρετὸς τῷ μειρακίῳ περὶ αὐτὴν σχεδὸν τὴν ἕω. ὡς-

τι μήτε τῇ θερμασίᾳ τριταίῳ τι δόξαι ἐοικέναι, μήτε τοῖς σφυγμοῖς. ἀλλ' οὐδὲ χολῆς ἔμετος ἠκολούθησεν, οὔτε ἱδρὼς ἱκανός. Ἀλλὰ μόνον ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἡμερῶν ὥρᾳ που τρίτῃ βραχεῖαι νοτίδες ἐγίγνοντο, ἐφ' αἷς διεπνεῖτο μὲν ὁ πυρετός, ἀτρέμα οὕτως, ὥστε περὶ τὴν ἑσπέραν μόγις ἀπύρετον δοκεῖν. ἔμενε δὲ δηλαδὴ κατὰ τοὺς σφυγμοὺς τὸ τοῦ πυρετοῦ σημεῖον αὐτῷ σαφὲς ἱκανῶς. Ἀλλὰ τ' ἄλλα γε καὶ πάνυ εὐφόρως εἶχε κατὰ τὴν ἑσπέραν, καὶ δι' ὅλης τῆς νυκτός. αὖθις δὲ περὶ τὴν ἕω τῆς τρίτης ἡμέρας δευτέρα καταβολὴ γίνεται τὰ πάντα τῇ πρώτῃ παραπλησία, πλὴν τοῦ χρόνου. τῆς δ' ἐπιούσης νυκτὸς ὀλίγον πρὸ τῆς ἡμέρας, νοτίδες ἐγίγνοντο, καὶ ὁ πυρετὸς ἐπαύετο περὶ τὴν ἕω τῆς τετάρτης ἡμέρας. καὶ τοῦ λοιποῦ δὲ παντὸς φθινοπώρου καὶ χειμῶνος ἐν ᾧ διενόσησε τά τ' ἄλλα πάντα καὶ χρόνος τῆς μεταβολῆς καὶ τῆς λύσεως τοῦ πυρετοῦ κατὰ ταὐτὰ διέμενον. ἦν δὲ τὸ μειράκιον ἡλικίᾳ μὲν ἀμφὶ τὰ ὀκτὼ καὶ δέκα ἔτη, λευκὸν δ' ἰδέαν καὶ πῖον, ἀργότερον τῷ βίῳ. καὶ πολλάκις ἐμπεπλησμένον ἐν μέθαις τε καὶ λουτροῖς συνεχέσι καὶ πλησμοναῖς γεγυμνασμένων. ὡς οὐδὲ χρηστῶς ἔπεττε τὰ σιτία. συνεισέβαλε δ' αὐτῷ καὶ σκληρὸς σφυγμός. Ἐν μὲν τῇ πρώτῃ καὶ δευτέρᾳ τῶν ἡμερῶν μετρίως, ἐν δὲ τῇ τρίτῃ τε καὶ τετάρτῃ καὶ ταῖς ἐφεξῆς μέχρι τῆς ἑβδόμης εἰς τοσοῦτον ἧκε σκληρότητος, ὡς αὐτίκα δόξαι τῷ σφυγμῷ μόνῳ πιστεύσαντα πολλῶν εἶναι τὸ νόσημα μηνῶν, καὶ τοιοῦτος παρέμεινεν, ἄχρι τῆς κατὰ τὸ ἔαρ ἰσημερίας, ἐν ᾗ πρῶτον ἤρξατο μαλάττεσθαι καὶ αὖθις ὕστερον ἡμέρᾳ τεσσαρακοστῇ τελέως ἀπαλλάττεται τοῦ τριταίου κατὰ βραχὺ τούτου σφυγμοῦ μαλαχθέντος καὶ τοῦ παροξυσμοῦ μικροτέρου γιγνομένου, καὶ τῶν οὔρων ὑπόστασιν χρηστὴν ἐχόντων. καίτοι γ' οὖν, καὶ ταῦτα, καὶ τὸ πρόσθεν χρόνῳ, πάντα δεινῶς ἦν ἄπεπτα. τοιοῦτος μὲν δὴ ὁ ἐναντιώτατος τῷ ἀκριβεῖ τριταίῳ.

Adhæc vero, quæ intermittentibus propria sint, considerare oportet: velut statim in tertianis (neq; enim male ab his auspicabimur) distinguendum inprimis est num exquisita, & vt ita dicam, generosa, ac minime exquisita, sed velut spuria sit: tertiana enim exquisita, septem cum tardissime circuitibus iudicetur, minime periculosa est; alteram autem non exquisitam aliquando vidi Autumno incipere, & Vere desinere: postea vt par erat, tanto tempore, tum quod ægrotus imperanti Medico nō magnopere pareret, nonnihil etiam delinqueret, tum vero hyemis iniuria male afficeretur, maxime Lien intumuit, & hypochondria flatu distenta sunt: tumor quidem decolor cum in facie, tum maxime in cruribus apparuit, adeo, vt adolescenti timuerimus, & maioribus vti remediis necessum fuerit. Itaq; hæc febris nihil exquisitæ tertianæ simile habet; quare ab initio distingui oportere dico: nam quantum natura inter se differunt, tantum victus rationem variari æquum est. Vt autē has optime distinguas, satis mihi fuerit ea recēsere, quæ adolescenti acciderunt, quæ exemplū documētaq; tibi futura sint febrium non exquisitè tertianarum. Medium erat anni tēpus inter Vergiliarum occasum, & quod hunc antecesserat, æquinoctiū, in quo adolescentē circa ferè ipsam auroram febris cum horrore corripuerat, quæ neq; in calore, neq; in pulsibus tertianæ similis esse videbatur; imo nec vomitus biliosus sequutus est, nec multus sudor; postridie vero ad horam circiter tertiam, paucus exiit mador, cum quo & febris euanuit, sed adeo sensim, vt circa vesperā vix febris expers æger videretur; nimirum relicto tunc in pulsibus euidente admodum febris signo: Verum reliqua circa idē tempus, ac per totam noctē facile omnino æger ferebat. Rursus vero circa tertii diei auroram secunda accessio priori in omnibus, præter quam tēpore similis rediit, sequente .n. nocte paulo ante lucem exhalato vapore febris decessit. Circa quarti diei auroram, & reliquo toto Autumno, & Hyeme, quo tempore ægrotauit, tum reliqua omnia, tum accessionis, & solutionis febris tempus, eadem permanserunt. Adolescens vero annos plus minus octodecim natus erat, aspectu albus, & pinguis, vitæ deditus otiosiori, primoq; crebris tum crapulis tum lauationibus vsus, ac satietatibus; proinde cibos improbè concoquebat. Accessit vero & huic pulsus durities, mediocris quidem in primo, & secundo die; in tertio vero, & quarto, & sequentibus vsq; ad septimum, ad tantam peruenit duritiem, vt si quis soli pulsui credidisset, multorum esse mēsium ægritudinē putasset, at talis permansit vsq; ad Vernum æquinoctium, in quo primum mollescere cœpit; postea rursus quadragesimo die ab hac tertiana prorsus liberatus est, paulatim pulsu emollescēte, & accessione decrescente, vrinaq; probum, quod desidet, habentibus, quæ prius vehementer crudæ omnes erant. Hæc quidem certe maximè contraria est exquisitæ tertianæ.

BReuitatem longitudinemq; morborum cōsiderandam esse in victu instituendo proposuit Galenus, ac cum morbi breuiores longioresq; dignoscantur esse ex certis differentiis, quæ

quæ in ipsis ponuntur, nescio quo modo in illas incidit, quas tanquam notas, vt & omnia, quę pertinent ad historiam, & dignotionem febriũ, erant ponenda ab eo, qui iam curationem est aggressus; sequemur tamen authorem, cuius sumus interpretes.

Dicit ergo tertianas quasdam esse legitimas, & exquisitas, alias vero esse spurias, & illas septem ad summum paroxysmis iudicari; has vero longissimas esse suapte natura, & ob errores, qui committi solent potissimum ab ægrotis, & nonnunquam etiam ab imperitis Medicis, & assidentibus. Sed meo quidem iudicio, non ex tempore durationis legitimæ, aut spuriæ febres diiudicandæ sunt: id enim nihil conferret ad victum instituendum, sed ex eo, quod ostendere potest, talem fore febrem, id autem faciunt causæ ipsarum febrium. Legitima enim est tertiana, & exquisita, quæ ex syncera bile in corporibus biliosis, in tempore calidissimo gignitur: ea autem necessario erit breuissima, neque excedet septem accessiones; cuiˀ rei ratio si quæ est, sumitur ex causis dierum criticorum: vt enim morbi acuti quatuordecim diebus ad summum terminantur, ita intermittentes febres biliosæ septem paroxysmis concluduntur. Reliqua, quæ pertinent ad propositam historiam, per se patent.

Τοὺς δ' ἄλλους τοὺς μεταξὺ παμπόλλους ὄντας ἐκ τῶν ἄκρων ἀφωρισμένων οὐ χαλεπῶς ἂν εὑρήσεις. ἃ γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου τριταίων πυρετῶν ἔγραψα γνωρίσματα, ταῦτα σύμπαντα εἰ παρείη τὸν ἀκριβῆ τριταῖον, ἐργάζεται, οὗ πάντως καὶ ὁ τοῦ παροξυσμοῦ χρόνος βραχὺς ὡρῶν τεττάρων, ἢ πέντε, ἢ ἕξ, ἢ τὸ μήκιστον, ἕνδεκα που ἢ δώδεκα. Καὶ μὲν δὴ καὶ τὰ οὖρα τῶν τοιούτων ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν, ἢ πάντως γε τῇ τετάρτῃ. φέρει τι σημεῖον πέψεως. οὕτω μὲν οὖν ἀκριβῆ τε καὶ οὐκ ἀκριβῆ γνωρίζεις τριταῖον. ἀνάλογον δὲ καὶ τεταρταῖον καὶ ἀμφημερινόν. ᾧ μὲν γὰρ ὑπάρχει πάνθ' ὅσα πρόσθεν ἔγραψα τεταρταίων πυρετῶν γνωρίσματα, γνήσιός τε καὶ ἀκριβὴς τεταρταῖος. ᾧ δὲ μή, νόθος τις, ἐκεῖνος καὶ οὐκ ἀκριβής. καὶ ἀμφημερινῶν δέ, ὅτῳ μὲν πάνθ' ὅσα γέγραπται πάρεστιν ἀκριβής. ᾧ δὲ μή, ὁ τοιοῦτος οὐκ ἀκριβής. οὐκ οὖν οὐδὲ χρόνιοι ὁμοίως τεταρταίῳ καὶ ἀμφημερινῷ οἱ οὐκ ἀκριβεῖς. ἀλλ' ὥσπερ τριταῖος ὀξὺς οὕτω τεταρταῖός τε καὶ ἀμφημερινὸς χρόνιοι. ταῦτα μὲν ἐν τοῖς κατὰ περίοδον πυρέττουσι σκοπεῖσθαι.

Reliquas vero omnes intermedias, quæ permulta sunt, ex definitis extremis haud difficile inuenies. Si enim quæ initio commentationis scripsimus, tertianarum signa omnia adfuerint, exquisitam tertianam esse testabuntur, cuius accessionis tempus breuissimum quidem omnino quattuor aut quinque aut sex horarum est, longissimum vero vndecim, aut duodecim, atque etiam harum vrinæ tertio, aut omnino quarto die concoctionis inditium ostendunt. His igitur notis absoluta tertiana, & spuria dignoscuntur. Ad hunc vero modum quartana & quotidiana distinguuntur: cui enim omnia insunt signa quæ prius in febribus quartanis scripsimus, germana exactaque quartana est, sin omnis spuria, minimeque exquisita, & ex quotidianis legitima quidem est, cui omnia, quæ diximus, insunt; quæ si non adsint, exquisita non est. Itaque febres spuriæ non tam longæ sunt, quam quartana, & quotidiana, sed quemadmodum tertiana præceps est, sic quartana & quotidiana diuturnæ. Hæc quidem in his quæ circuitu repetunt consideranda sunt.

COgnitis duabus extremis febribus tertianis, nempe exquisita & spuria, facile erit dignoscere intermedias, quæ scilicet ab extremis recedunt. Eadem est ratio, & de aliis febribus intermittentibus, etiam continuis: in omnibus enim aliqua est species legitima & exquisita, alia vero spuria, & non exquisita; aliæ vero, quæ plus vel minus ad alterum extremorum accedunt. Quod vero dicere solet, de concoctionis inditiis apparentibus in febribus, hoc loco explicare institui, quid scilicet intelligendum sit, cum scribit hoc esse dandum, aliudque faciendum, cum apparent signa concoctionis. Videtur meo quidem iudicio, nil aliud intelligere, quam tempus illud morbi, quod incrementum dicitur, in eo enim manifesta apparet concoctio: siquidem principium terminatur signis cruditatis, in statu perficitur concoctio, in declinatione perfecta est. Hanc opinionem confirmat, quod nunc scribit, vrinas in tertianis exquisitis tertio, aut quarto die ostendere inditium coctionis: nam cum septimo paroxysmo finiri soleant: aut etiam quinto, iudicari oportet ex concoctione finem morbi tertio vel quarto die; sunt enim, quæ fiunt in incremento, inditia Crisis futuræ in vigore morbi.

Τῶν δ' ἄλλων πυρεττόντων οὖρά τε καὶ διαχωρήματα καὶ τὴν ὅλην ἕξιν τοῦ σώματος ὁρᾶν. καὶ τὴν θερμασίαν καὶ τὴν τῶν ἀρτηριῶν κίνησιν ὅσα τε ἄλλα πρὸς τούτοις ὁ Ἱπποκράτης λέγει καὶ ἡ μακρὰ πεῖρα κελεύει σκοπεῖσθαι χώρας τε ὥρας καὶ καταστάσεις καὶ ἡλικίας καὶ κράσεις σωμάτων, ἔθη τε καὶ τὰ προηγησάμενα τῶν αἰτίων, καὶ τὰ συνεισβάλλοντα τοῖς νοσήμασι καὶ ὅσα μεταξὺ ἐπιφαίνεται.

In aliis vero febribus vrinas, alui excrementa, & vniuersam corporis habitudinem inspicere oportet: calorem quoque, & arteriarum motum. Ad hæc alia, quæcunque Hippocrates longaque experientia contemplanda esse iubent, nempe regiones, anni tempora, aeris constitutiones, æ-

tates & temperaturas corporum, consuetu- A *dines, & antecedentes causas, quaque una cum morbis inuadunt, quaque medio tempore apparent.*

NOn solum in aliis febribus, sed in diuersis hæc consideranda sunt, & alia omnia inditia, quæ à quatuor fontibus prædictis sumuntur, quos cum nunquam sibi ante oculos proponat, ideo semper & passim infinitam rerum multitudinem enumerat, quam cum videt adhuc multa prætermittere, putat arte comprehendi non posse, sed sola constare experientia, & ad Hippocratem omnium rerum magistrum rem esse relegandam. At qui Methodo docet, capita proponit, ex quibus singula elicit inditia, quibus B vtitur in omni re significanda siue febris sit huius, vel alterius generis, siue alius affectus, cuius notas quærimus. De qua re quoniam iam sæpius egimus, transeamus ad reliqua.

Παρῄνηται μὲν οὖν ὡς ἄν τινι δόξῃ τὸ πᾶν, οὐ μὴν πρός γε τὴν ἀλήθειαν ὡς δ' ἔχει. τὸ γὰρ τοι μέγιστον μὲν ἁπάντων τούτων, ῥηθῆναι δὲ μικρότατον οὐδέπω γέγραπται, τὸ δ' ἐστὶ τοῦ ποσότης νοσήματος καὶ δυνάμεως. πρᾶγμα πρὸς μὲν τὴν δήλωσιν ἑνὸς ὀνόματος δεόμενον, εἰς δὲ τὴν χρείαν μέγιστον. οὐδὲ γὰρ οἷόν τε προγνῶναι καλῶς, ἄνευ τοῦ τὸ ποσὸν ἑκάστου τῶν εἰρημένων ἀκριβῶς ἐκλογίσασθαι. C καὶ γὰρ εἴτ' ὀλέθριόν ἐστι τὸ νόσημα, εἴτε μὴ· καὶ ὁπηνίκα μᾶλλον δυνατὸν ἢ τεθνήξεσθαι τὸν ἄνθρωπον, ἢ ἀπαλλαγήσεσθαι τοῦ πάθους, εἰ μὴ πάντων τῶν εἰρημένων τὸ ποσὸν ἀκριβῶς διασκεψάμενος ἀνάγοις εἰς δύο κεφάλαια, τήν τε νόσον αὐτὴν καὶ τοῦ νοσοῦντος τὴν δύναμιν, οὐκ ἂν οἷός τ' εἴης προγνῶναι καλῶς· τῆς μὲν γὰρ δυνάμεως οὕτως ἰσχυρᾶς οὔσης ὡς περιγίγνεσθαι τοῦ νοσήματος ἀνάγκη σωθῆναι τὸν ἄνθρωπον. εἰ δὲ τοὔμπαλιν εἴη, πάντως τεθνήξεται. μὴ τοίνυν D ὁποῖόν τι τὴν ἰδέαν ἐστὶ τὸ νόσημα σκόπει μόνον, ἀλλὰ καὶ πηλίκον. οὐ μικρᾶς δὲ τοῦτό γε δεῖται τριβῆς, τάτ' ἄλλα καὶ τῷ μήτε γραφῆναι, μήθ' ὅλως διδαχθῆναι λόγῳ δύνασθαι τὸ ποσὸν ἑκάστου. καὶ εἴ τι ἄρα τὸ ἡμέτερόν ἐστιν, οὐκ ὑπ' ἄλλου τινὸς εἰς τοσοῦτον ἀκριβείας ἥκει, ἢ ἐκ τοῦ μάλιστα ἠσκῆσθαι περὶ τὸν τῆς ποσότητος στοχασμόν. τοῦτο μὲν δὴ καὶ ἐπ' αὐτῶν ἔργων καὶ μαθεῖν καὶ διδάξαι δυνατόν· ὅσα δ' ἐν τῇ ποιότητι τὴν διαφορὰν ἔχει ταῦτα γράψομεν ἀκριβῶς τε καὶ σαφῶς εἰς ὅσον ἐγχωρεῖ διὰ βραχέων.

Omnia quidem, vt cuipiam videri possit monita sunt, sed reuera haud ita res habet, quando quod maximum horum omnium E *est, dictu autem breuissimum, nondum explicatum est. Quid vero hoc est? morbi & virium quantitas: res quidem, quæ verbo vno explicari potest, ad vsum maxima est: neque enim bene prænoscere poteris, nisi horum cuiusque quantitate diligenter explorata, nonenim, an morbus lethalis sit, nec ne, nec quando vel mori, vel à morbo vindicari, potius homo debeat, nisi omnium, quæ diximus, quantitatem diligentius contemplatus in duo redegeris capita, nimirum in morbum ipsum, & laborantis vires, præscire recte poteris: nam si vires adeo validæ sint, vt morbum vincant, necessario sanitati homo restituetur; sin contra, omnino morietur; non igitur solum cuiusnam sit generis morbus, sed & quantus ipse sit inspiciendū est, hoc autem non parua eget meditatione, atque peritia, cum propter alia, tum quod nec scribi, nec verbis explicari vllo modo eorum cuiusque quantitas potest. Si quid igitur nostrū est, id non tam ex alia re vlla, quam ex crebra coniicienda quantitatis exercitatione percipitur, quod ex operibus, & discere, & docere possis. Quæ vero qualitate distinguuntur, diligenter simul, ac dilucide, quam breuissime fieri poterit, scribemus.*

C QVoniam aliter tractandi sunt morbi longi, quam breues, & salutares quam lethales, ideo author, antequam curationem febrium aggrediatur, docere vult rationem, qua possit Medicus hæc prædicere. Constat autem hæc methodus & ratio ex cognitione quantitatis morbi, & virium ægrotantis: nam, vt inquit, si vires morbum vincant, morbus erit salutaris: si vero vincātur, futurus est lethalis; ac tanto quidem breuior erit salutaris morbus, quanto maius dominium vires obtinent. Contra vero morbus mortalis tanto breuior erit, quanto ille magis vires exuperat. Porro cognoscemus (vt docuimus *in opere nostro de signis prognosticis*) D morbum magnum esse ex sua natura & differentiis, necnon ex suis causis, effectis, & similitudine: nam pestilentes morbi continui, vehementes & vniuersales, erratici, magni, & inter alios lethales esse solent; alii vero minores & salutares. Sunt quoque pernitiosi & breues, qui ex malignis humoribus multis, & calidis nascuntur, & ex illorum magna & maligna putredine, necnon qui à magnis & violentis causis excitantur in partibus nobilibus; qualia sunt vulnera cerebri, cordis hepatis, & in corporibus pessime affectis, quique similes sunt iis, qui alios occiderunt, & symptomata magna, maligna & continua inferunt; cuiusmodi est delirium, Syncope, pulsuum debilitates, & inæqualitates. Cæterum vires validas cognoscemus ex suis actionibus; vt animales ex integris sensibus, motibus, imaginatione recta, cogitatione & memoria; E Naturales vero ex bonis concoctionibus, attractione, retentione, expulsione, atque felici nutritione; Vitales, ex animi constantia bonisque pulsibus: quin etiā qualitates & excrementa, quæ à nobis exeunt, idem ostendent: Idem quoq; facient natiua & acquisititia tēperamenta, habitus corporis, ætas, ratio victus, qui præcessit, regio, & alia

& alia huiusmodi, quæ tanquam causæ ostendunt, subesse vires validas aut infirmas. Ex his, inquam, fontibus percipiet Medicus vitium & morbi magnitudinē & ex illis inter se collatis, & quātū nostra natura pertulerit, rectus erit iudex magnitudinis & excessus morbi supra vires, aut vitium supra morbum: ex quibus pendet prædictio ad salutem vel mortem; idque cito vel tarde.

Cap. IX.

DE CVRA FEBRIS TERTIANA.

Τὸν μὲν οὖν ἀκριβῆ τριταῖον ὡς ἂν ὑπὸ τῆς ξανθῆς χολῆς κινουμένης δυναστευόμενον, ὑγραίνειν τε καὶ ψύχειν εἰς τοσοῦτον, εἰς ὅσον ἂν οἷόν τε μάλιστα· τὰ γὰρ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματά ἐστι κολάζοντα μὲν τὸ ὑπερβάλλον, ἀναπληροῦντα δὲ τὸ λεῖπον.

Exquisitam autem tertianam, ut in qua concitata bilis flaua dominetur, quoad fieri maxime potest, humectare ac refrigerare oportet: nam contrariorum contraria sunt remedia, quæ quod superat, reprimant, quod autem deest, sarciant.

SI vniuersos scriptores de re medica legamus, inueniemus adhuc multa superesse in curatione febrium putridarum, quæ ab illis excogitari debent, qui non temere aliquid facere aggrediuntur, methodoque omnia pertractare cupiunt. dicent enim qui practicam medicinam profitentur, mittendum esse sanguinem, propinandos esse syrupos, medicamenta purgantia exhibenda, tum ab initio, tum concocto humore; adhibebunt & vnguenta & epithemata; & cibi & potionis & multarum aliarum rerum mentionem facient; & interim non docebunt, cur hæc exhiberi debeant; nec quæ & quot præstare oporteat in curatione febrium putridarum, ad quæ referenda sint particularia hæc auxilia. Hinc controuersiæ multæ nascuntur inter Medicos, quandoquidem nonnulli vniuersis putridis sanguinis missionem competere scribunt, vt Paulus & Galenus *in vndecimo Methodi*; alii vero hoc remedium non commune vniuersis, sed peculiare quibusdam putridis esse autumant, vt Galenus *hoc Opere*, in quo, vt videre est, in tertiana exquisita, nullam mentionem facit de sanguinis missione; in notha vero relinquit hoc remedium in arbitrio Medici, quasi ipsius febris natura necessitatem non imponat ad venam secandam; in quartana quoque aliquando mittit sanguinem, aliquando non. Quare nihil perpetuum & stabile in vsu huius remedii ponitur ab hoc authore in curandis putridis febribus; alii deinde pauciora remedia describūt, alii plura; Vnde, qui authorib. sese emanciparunt confunduntur, cum ignorent, cui nam assentiendum sit, & perpetuo coguntur dubitare, an relinquantur adhuc aliqua præsidia omnibus collectis, quæ ab omnibus traduntur scriptoribus. Docendi vero ratio postulat vt tradamus, quæ

A sint necessaria auxilia omnibus putridis, vt putridæ sunt; quid vero postea singulis accedat ob peculiarem suam rationem, damnandi præterea sunt, quod in singulo remedio prætermittunt nunc quantitatem, nunc qualitatem, aut modum, vel tempus, aut ordinem præsidiorum, quoniam de scopis agendi nunquam considerarunt. Quin etiam illud maxime reprehendendum est, quod à Paulo & Aetio & aliis recentioribus Græcis fieri videmus, qui remedia conuenientia vni duntaxat generi, ad vniuersas putridas extendunt: nam clysteres ex aqua mulsa, quos communes faciunt omnibus, imbecilliores sunt in multis febribus, quam expediat; ac cum Paulus scribit, eligenda esse, quæ per os

B assumuntur, non admodum calida ad euacuandum & aperiendum. Hæc ex *vndecimo Methodi* sunt sumpta, in quo Galenus continuatarum & vehementer calidarum febrium curationem docet: propterea non sunt illa referenda ad vniuersum febrium genus: nam quotidianæ & tertianæ nothæ, teste Galeno, requirunt piperis, origani, hyssopi, thymi, & aliorum præsidiorum, quæ excellenti calore sunt prædita, vsum. Nec probare quidem possumus Galeni tractationem *in hoc Opere*, qui cōtempto eo, quod est commune, aggreditur curationem singularum febrium putridarum: nec forte recte docet *in vndecimo Methodi*, communem omnibus curationem; sed proponamus ea, quæ illo loco

C habet; scribit igitur, primo tradenda esse communia auxilia: deinde quæ singulis sunt propria. Dicit autem ea esse propria, quod quædam sint febres, quæ præsentes habent putredinis causas, aliæ vero nequaquam; aliæ præterea, quæ putredinem habēt diffusam per totum corpus, aliæ vero in vna duntaxat parte, & ea quidem sine inflammatione; aut cum inflammatione; Sunt & alia peculiaria: nam aliæ ex alia materia fiunt: quid vero illud sit commune, quod omnes putridæ postulant; ex natura rei quærit; est enim in primis, inquit, humorum putredo, quæ duo postulat; vnum, vt separemus eum humorem, qui corruptus est, & putrefactus, à corpore, id quod facit euacuatio per vri-

D nam, deiectiones, vomitum, & sudores: Alterum est, vt refrigeremus reliquos humores, à quibus, qui putrefacti erant, sunt seiuncti, præstat autem refrigerationem transpiratio corporis & moderati, inquit, motus; Hæc sunt, quæ Galenus dicit indicari in omni putrida, purgandum scilicet, aut alio modo primo euacuandum, quod putrefactum iam est, & refrigerandum reliquum.

Verum si quis diligenter hanc medendi rationem expendet, inueniet, illam non esse penitus absolutam & perfectam: nam etsi in externis rebus putredines sanantur primo separatione facta partis rei putridæ, à relicto, quod putridum non est, id tamen in nobis, cum putrescunt hu-

E mores, fieri non potest: nam necesse est primo præcedere coctionem, deinde separationem; etenim, putredo humorum, qui faciunt febrem, non est exacta putredo, sed generationi puris proportione respondens, vt ille *in primo libro de Differentiis febrium* tradit, proinde vt non potest euacuari humor in abscessibus, nisi prius facto pure, ita necesse est putrescentem humorem, qui

crudus est, & dissimilis factus naturæ, prius concoqui & quantum fieri potest, assimilari, postea vero cum victus iam est, & tamen inutilis remanet, ob dissimilem substantiam educi; quare rectius scribit *in tertio Artis Medicinalis*, putredinem, quæ febres facit, exigere primo alterationem per concoctionem, quæ facit cessare putredinem, & euacuationem concocti illius humoris.

Præterea refrigeratio debetur non solum humoribus, qui relinquuntur post separationē putridorum, sed maxime ipsis putrescentibus, & vniuerso corpori, quod feruet ex febre & putredine. Præterea refrigeratio per moderatos motus non fit in febrib. vt in rebus externis putrescenti bus, quæ ex motu ventilantur & transpirant; quos enim motus adhibere potest Medicus decumbenti & ardenti corpori? siquidem motus omnis nos calefacit: quinetiam transpiratio facit quidem ad refrigerium, verum & ea quæ per os assumuntur, & alia multa præsidia ad refrigerandum sunt necessaria febricitantibus.

Tria in omnib. febribus putridis curandis esse necessaria.

Quid ergo dicendum & stabiliendum tanquam commune omnibus febribus putridis? tria profecto sunt necessaria, *concoctio, refrigeratio, & euacuatio putridi & concocti humoris*: nam febris ipsa refrigerationem indicat necessariam, putredo vero humoris concoctionem & sui euacuationem expostulat. Quod si alia adsint præter febrem & humorem, qui putrescere cœpit, alia sunt præsidia addenda. Coniungi autem possunt cum his multa, & inprimis putredinis febrisque causæ, inter quas quædam sunt efficientes, aliæ materiales, aliæ causæ sine quibus non; porro efficientes sunt non solum obstructiones internæ, ob cutis astrictionem, de quibus solis mentionem facit Galenus *undecimo Methodi*, sed etiam inflammationes partium quæ calorem & vapores putridos mittentes ad cor, putredinem humorum in eo, & in venis generant, quæ putredo cum immediatam causam habeat prohibitam transpirationem, necesse est, vt aperta vena densa & solida veluti per caminū expirent vapores illi retenti, qui gignuntur ex humore putrescente, & retinentur occlusis meatibus, vel quod plures ex ebullitione & putredine consurgant, quam transmittere possit cutis, & meatus alii corporis naturaliter etiam affecti, quomodo fumus in cubiculo colligitur, vbi ex luculento igne copiosior ille ascendit, quam transmittere possint foramina camini facti solum ad emittendum fumum, qui à mediocri igni generatur. Cæterum materiæ vitia, quæ putredinem efficiunt, vel fouent, vel augent, pertinent ad illius quantitatem, & qualitates; vbi enim in corpore exuperant humores, suppeditatur materia ad nouam putredinem, & eam, quæ accensa est, oppresso calore natiuo, augēt, & fouent, impeditq; concoctionem & euacuationē putrescentis humoris, atq; ipsam refrigerationē impedito transitu remediorum, vbi crassi sunt humores & viscidi, occluditur via aduersus transpirationem liberam, ex qua putredo augetur; inter causas, sine quibus non, sunt foci & loci in corpore, quæ materiam gignunt, & suppeditant venis, vbi fit putredo, vt est hepar in tertiana, ventriculus in quotidiana, lien in quartana, qua-

A rum partium vitia corrigenda sunt, alioqui nunquam febres sanari poterunt.

Sunt & alia, contra quæ pugnandum est nonnunquam in febribus putridis, nempe symptomata, quæ causæ rationem habere possunt, intendendi scilicet, fouendique febrem, aut putredinem, aut sine quibus nequeunt hæc tolli, qualia sunt virium debilitas, sopor, vigilia, dolor, delirium, sitis, linguæ asperitas, & in mulieribus vteri suffocatio, deiecta appetentia, & cætera huiusmodi, quæ ægrotos perinde vexant, vt cogamur nonnunquam aliis causis relictis succurrere: quo fit, vt non semper eadem sint adhibenda laborantibus iis febribus auxilia, quoniam
B non semper eadem mala in iis reperiuntur, sed nunc plura, nunc pauciora, nunc ea sola, cum quibus putrida febris necessario consistit, ac vbi hæc inter se coniunguntur, accidunt sæpe angustiæ, nimirum repugnante vno aut pluribus ei, quod ab aliis exigitur; ac vbi multa adsunt inter se coniuncta, ab euacuatione exordiendum, sine qua reliqua fieri nequeunt, modo virtus permittat, de qua paulo postea præcepta trademus: nunc vero tempestiuum est, vt ad authoris dictionem interpretandam accedamus. Igitur quod scribit, tertianam febrem exquisitam egere humectatione & refrigeratione, non comprehendit omnes scopos necessarios in curatione huius febris, nam si ea putrida est, necessario
C indicabit concoctionem putrescentis humoris, & postea euacuationē, & interim cum hæc fiunt, etiam refrigerationem. Quod si subsint aliæ causæ, quæ possint aliam materiam suppeditare, & transpirationem prohibere, ex qua noua putredo fiat, vt semper adsunt hæ causæ, si modo nulla febris tertiana est, quæ vnico paroxysmo finiri possit, necessario quoque aperienda erit vena, vt multitudo tollatur: aut si ea non adsit, vt transpirent putridi vapores in venis & arteriis conclusi, quare cum dixit, esse refrigerandum, tacere non debebat præcipuū remedium ad refrigerationem necessarium, scilicet venæ sectionem; nec ea verenda quidem est, quod bilis huius febris sit causa, & graciles vt plurimum sint
D cum pauco sanguine, & eo quidem bilioso, qui hac tertiana laborant: nam (vt postea ostendemus) non ad sanguinis euacuationē semper vena secatur, sed ob ipsam transpirationem, quæ aliter nequit commode & citò fieri.

Venæ sectio in tertia putrida necessaria.

Quod vero scribit humectandum esse, dubitationem habet: nam si putrescit bilis vel alius humor, exsiccationem potius postulare videtur, siquidem putredo humectantibus augeri dicitur, siccantibus vero curari; Respondendum est, veram putredinem & absolutam exsiccationem exigere, humorum vero putredinem, in qua fit suppuratio in abscessibus, aut in venis alterationem suppurationi similem, non nisi per concoctionem emendari, concoctio vero hu-
E mectantia maxime in materia sicca, vt in alia omni, contraria requirit.

An in tertiana sit humectandum.

Ὁ δὲ τῆς ξανθῆς χολῆς χυμὸς ἁπάντων τῶν ἐν τῷ σώματι χυμῶν θερμότατός καὶ ξηρότατός ἐστι. προτρέπειν οὖν χρὴ τὸν μὲν εἰς τὴν γαστέρα συρρέοντα, κενοῦσθαι διεμέτων. τὸν δὲ κάτω

τοῦ ὑπιόντος, ὠφελοῦντας διὰ τῆς κάτω ἐκκρίσεως. τοῦτο μὲν δὴ καὶ αὐτόματον ἐν ταῖς ἀκριβέσι γίνεται τριταίοις.

Flaua autem bilis humor omnium, qui in corpore sunt humorum calidissimus & siccissimus est: itaque exinaniendus est, vomitu quidem, si ad ventrem repit; pari modo per aluum, si deorsum fertur, quod & sponte iustis tertianis accidit.

QVem velit humorem biliosum euacuare, non exprimit, an scilicet eum, qui in principio accessionis solet moueri ad stomachum, an eum, qui finita accessione, factis sudoribus, aut sine illis in corpore remanet tanquam cinis factæ putredinis; an vero illum, qui concoctus remanet finitis omnibus accessionibus: an illum potius, qui sub materia antecedente continetur. Constat profecto, eum, qui repit ad orificium ventris, vomitu esse ducendum in ipsa accessione; id quod si natura facile præstare non potest, commode fiet exhibito leui vomitorio ex aqua hordei cum syrupo acetoso, vel oxymelite; quod si ad ventrem repat, nihil exhiberi potest ad naturæ auxilium, nisi finita accessione; tunc enim molli clysteri solicitari potest aluus, & naturæ motus iuuari. Qui vero post accessiones remanet in venis, non est educendus, antequam declinet febris, tunc enim aperti erunt meatus liberati ab obstructionibus, & facta concoctione, post quam fieri potest separatio & expulsio; vacuandus est ergo, qui materia est antecedens; & successiue mouetur, in singulisque accessionibus humorem suppeditat ad nouam putredinem nouæ accessionis causam; is humor euacuatus per minoratiua dicta medicaméta, quæ re vera hos humores educūt, qui crudi nó sunt, vt qui nullam senserint putredinem, sæpe rescindunt omnes futuras accessiones; quod si debiliter id faciunt, solum eas minuunt, aut certe eas augeri non permittunt, cuius generis sunt cassia, manna, syrupus rosaceus solutiuus, quibus admisceri possunt, si corpora sunt duriora, drachma vna aut duæ electuarii rosati Mesuæ, vel de succo rosarum; nec Montanus audiendus est, qui in hac febre syrupum rosaceum solutiuum & rhabarbarum ob illorum astrictionem damnat, & scamoniata omnia ob vehementiam actionis. singulare est remedium, cum multi integre sunt liberati post primam accessionem drachma vna vel scrupulis duobus pro natura ægri radicis asari puluerizati, & exhibiti & epoti cum iusculo pulli, vel aqua hordei, id enim per vomitum & aluum mirifice corpus expurgat, præsertim in his febribus tertianis exquisitis, & etiam nothis.

Καὶ τοῖς οὔροις δὲ καὶ τοῖς ἱδρῶσι προσηγεῖν. ἀγαθὴ δὲ καὶ ἡ διὰ τῶν κάτω τῆς χολῆς κάθαρσις.

A *Per vrinas quoque & sudores exigere oportet: sed commode per inferna repurgatur.*

SVdores sponte sequuntur finem accessionis exquisitæ tertianæ, nec opus est ad auxilium vehementi remedio, sufficiet igitur aqua hordei cum sacharo tepide bibita, quo tempore natura mouere incipit, aut in motu tardat inchoato; purgatio vero, quæ fit per vrinas, parum in hoc morbo potest, est enim vrinæ materia aquosus vel pituitosus humor, non bilis, at si bilis, vt scribit Hippocrates *in Aphorismis*, per vomitum expurganda est, quam B quærit hic commodiorem per inferna purgationem, in hoc quidem Galeno magis credendum est: nam nisi eum humorem natura tentet per vomitum educere, satius est enim per intestina deiicere, si quidem orificium stomachi toto ferre non potest tam acris & mordentis humoris contactum. *Bilem potius per inferna quam per vomitum esse ducendam & cur.*

Ἀλλὰ τὴν μὲν γαστέρα μαλακοῖς κλύσμασι κινεῖν. τὰ οὖρα δὲ, προστρίπτειν σελίνου δὲ καὶ ἀνήθου τοῖς πόμασιν ἐναποβρέχοντα.

C *At mollibus clysteribus venter subducendus est: vrina vero, potionibus iis, in quibus maduerit apium & anethum, prouocanda.*

SVnt nonnulli Medici adeo superstitiosi, vt vereantur in febribus clysteres imperare qui vim habeant noxios humores purgare, existimantes turbari concoctionem, si aliud excernatur præter cibi excrementa. Verum experientia & ratio eam opinionem eludit: nam multos tertianarios delicatiores solis clysteribus liberaui, confectis ex rebus emollientibus, & cassia, melle communi, adiecta etiam hiera picra, vbi humores erant rebelliores, & durior natura ægrotantis. Quid D enim commodius fieri potest ad extrahendos noxios humores, qui potissimum venas mesaraicas occupant? quibus euacuatis, per consequentiam quandam expurgantur quoque hepar, & quæ post ipsum sunt venæ. Cæterum præstat vrinam prouocare frigidioribus remediis, quam apio & anetho in affectu tam ardente, cuius generis sunt semina communia, à recentioribus Medicis dicta frigida maiora & minora, sed cum diuretica hæc, non nisi longiore tempore vacuent, leuem etiam portionem humoris peccantis, præstat per aluum purgationem moliri.

E

Κἂν ἤν συνπέψεως σημεῖα προφαίνηται, θαῤῥῶν ἤδη καὶ τοῦ ἀψινθίου διδόναι. τοῦτο μὲν δὴ καὶ ἄλλως μέγιστον ἴαμα τοῦ στομάχου διὰ χολῆς δήξιν; καὶ μᾶλλον εἰ τῆς κόμης αὐτοῦ

λαμβάνων ὅσον αὐταρκὲς ἐναποβρέξεις μελικράτῳ. A

Et si concoctionis notæ apparuerint, iam cum fiducia absynthium dabis; quod alioquin stomacho, quem erodens bilis infestat, summum remedium est; præsertim si eius comas, quantum usus flagiat, in aqua mulsa maceraris.

HÆc est purgatio, quam Galenus adhibere solet in his & aliis nonnullis febribus, ex qua, nescio, an aliquis vnquam liberatus fuerit; prodest B quidem ea ad stomachum leuiter expurgandum, vel potius abstergendum, quod in eo est biliosum, sed id putridos humores contentos in venis non attingit, & multo minus si (vt ille vult) humores putrescunt in habitu corporis, quare præferenda est curandi ratio, quam nostra secula inuexerunt, inuentis ex nouo orbe mitioribus purgantibus medicamentis, antiquioribus Medicis incognitis.

Est autem hæc curandi à nobis ob- C seruata ratio: primo enim si orificium stomachi laborat, exhibemus vel vnciam cassiæ, vel vncias tres mannæ, aut totidem syrupi rosacei solutiui, alioqui prius sanguis mittitur; Deinde leue hoc medicamentum adhibetur, ad antecedentem materiam educendam; postea ad concoctionem eius, quæ putrescit, & refrigerationem alterius & vniuersi corporis syrupos exhibent conuenientes, quales sunt syrupi de endiuia, acetosus simplex, cum D decoctionibus herbarum refrigerantium; postea vero declinante morbo, iam concocto humore, datur rhabarbari infusio, cum syrupo rosaceo, cassia, vel diacatholicon, & reliquis huiusmodi, quibus felicissima fit purgatio, & integra sequitur sanitas.

Rhabarbarum inter initia febriū usu vitandum.

Cauendum tamen est inter initia febrium rhabarbarum, propterea quod per vrinas bonam humoris partem elicit, transitus autem per eas partes facilis fieri non potest, ante- E quam solutæ sint obstructiones; quam ob rem ego non vereor potius exhibere crudo adhuc morbo minoratiua, quæ recipiunt cum lenitiuis electuaria solutiua. Quod vero scribit Galen. absynthium esse exhibendum cum mulsa, repugnat ei, quod alio loco scribere solet, mulsam in biliosis facile in bilem mutari, quare præstat absynthium incoquere in aqua cum sacharo & herbis frigidioribus.

Λουτρὰ δὲ θερμὰ δι' ὕδατος πότιμου, τὸ μὲν ἔτι κενοῖ τῆς χολῆς ἀνάγοντα. τὸ δὲ ἔτι καὶ τῇ ποιότητι μεγάλως ὀνίνησιν. ὑγραίνει γὰρ καὶ ψύχει κατὰ δύναμιν ἴσα τὰ τοιαῦτα λουτρά. τὰ δὲ θαλάττια καὶ ἁλμώδη καὶ νιτρώδη καὶ θειώδη πλεῖον μὲν ἀπάγει τῆς χολῆς. πολὺ δ' ἧττον ὠφελεῖ τῶν ποτίμων. ἄμεινον δ' εἰπεῖν οὐδ' ὠφελεῖν αὐτὰ μειζόνως βλάπτοντα ταῖς ποιότησιν ἢ βοηθοῦντα ταῖς κενώσεσιν. ἀτὰρ οὖν καὶ οἶδά τινα κιβδήλῳ λογισμῷ τοιούτοις δὲ χρήσασθαι λουτροῖς ἀναπεισθέντα, εἶτα ξηρανθέντα τὴν ἕξιν τοῦ σώματος εἰς τοσοῦτον δὲ διαφθαρέντα ὥστε μαρανθεὶς ἀπέθανεν. ἐπέπινε δὲ αὐτῷ καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα δίαιτα πρὸς τὴν κένωσιν τῆς χολῆς. ἀεὶ δὲ χρὴ ποιότητας ἐναντίας τῇ κρατούσῃ παρὰ φύσιν ἀντεισάγειν. καὶ ὡς πολὺ τὸ βέλτιον τοῦτο τοῦ κενοῦν ἐπαινοῦν. ὅπερ οὐδ' αὐτὸς ἐγίνωσκεν, οὐδ' ἑτέρων ἐμάνθανε λεγόντων ἕν τι οὖν τοῖς λουτροῖς, οὗτος ὁ σκοπὸς γεγονέθω, διαβρέξαι τε καὶ ὑγρᾶναι τὸ σῶμα. καὶ διὰ τοῦτο μήτε νίτρου, μήτε ἁλῶν, μήτε νάπυος προσαπτέσθων, οἷα δὴ τοὺς πλείστους ἐστὶν ἰδεῖν, λυμαινομένους τοὺς ἀρρώστους. ἀλλ' ὅτι μάλιστα θερμὸν ἔλαιον περιχέοντες, ἐμβιβάζειν τε τῷ ὕδατι καὶ διαβρέχεσθαι καὶ εἴ γ' ἐθέλοιεν νήχεσθαι ἐν αὐτῷ συγχωρεῖν, αὐτοῖς εἰς ὅσον δύναιντο. τοὺς δὲ φιλολουτροῦντας οὐδ' εἰ δὶς τῆς ἡμέρας λούειν ἐθέλοις ἁμαρτάνεις. ἀλλ' ἐν καιρῷ μάλιστά σοι τοῦτο μνημονευέσθω. εἰ δὲ καὶ πέψεως τῆς νόσου σημεῖα φαίνοιτο, κἂν εἰ πλεονάκις λούοις, οὐκ ἂν ἁμαρτάνοις.

Sed & balnea calida ex aqua potabili prosunt, tum quod bilis aliquid educunt, tum quod sua qualitate mirifice iuuant: ea enim huiusmodi omnia humectant, & facultate refrigerant. Marina vero salsa, nitrosa, & sulphurosa, plus quidem bilis exigunt; verum minus, quam ex aqua dulci vtilia sunt; præstat vero nec ea vtilia dicere, quando plus sua qualitate lædunt, quam vacuando prosunt:

sunt; equidem noui quendam, qui falso adductus indicio, hisce balneis vsus est, ac deinde resiccato corporis habitu, eo venit exitii, vt tabe interierit. Reliqua autem victus ratio illi bilis vacuationem adaugebat; at contraria qualitas qualitati præter naturam excedenti perpetuo obiicienda est, tanquam id longe commodius sit, quam quouis modo vacuare. Verum ipse nec hoc nouerat, neque ex aliis desiderat. In balneis igitur hoc præcipue consideretur, vt corpus abluatur ac humescat; proinde neque nitrum, neque sal, neque sinapis inspargenda sunt, id quod factitare plurimos videre licet, ægrotos enecantes. Vbi autem calente oleo plurimum perfuderis, in aquam ducere, ac proluere oportet: etsi in ea natare velint, his quantum possunt permittendum est; qui vero balneis delectantur, neque si bis die lauare velis, peccabis, sed præcipue in memoria habeto, vt id opportune fiat: nam si coctionis morbi signis apparentibus frequentius laueris, non erraueris.

PROSEQVITVR alia remedia febrium tertianarum exquisitarum, quę scilicet sumuntur ab his, quæ extrinsecus nos afficiunt, vt est lauacrum ex aqua: & quoniam aqua potest esse dulcis siue potabilis, vel marina, aut ex mineralibus alterata; præterea, quæ potabilis est, potest adhiberi calida, vel frigida, vel tepida actu, & ea quidem simplex, vel in qua sunt decoctæ aliquot herbæ, vel semina, vel radices aut fructus arborum, aut aliquid aliud, quod mutat illius natiuam vim, laudat hic solum potabilem aquam, & eam calidam, & solum damnat marinam, salsam, nitrosam & sulphuream; & potabilem quidem calidam iudicat accommodatam, tum quod bilis aliquid educat, tum quod humectet, & facultate refrigeret. Marinam vero, salsam, nitrosam & sulphuream, damnat, quod etsi euacuet, relinquit tamen qualitatem præter naturam calidam & siccam, inimicam febri, & aptam ad generationem bilis.

Cæterum, potabilem & dulcem tunc vult adhiberi, vbi apparuerint signa concoctionis morbi frequentius, & bis etiam in die, permittitque in ea natationes. In quibus quidem præceptis censura nostra adhibenda est. Recte ergo non solum marinam, salsam, & sulphuream, sed etiam aluminosam relinquere debemus in his febribus, quoniam ipsam intemperiem febrilem auget, natiuam corrumpit, ex qua sequitur maior bilis generatio.

Quare nullo modo prosunt huiusmodi aquæ, siquidem bilis minimum euacuant, multum vero benignioris humoris, qui in venis cum bile continetur. Damnasset vtique vno verbo omnes minerales aquas, vt qui alibi tradiderit & semper existimauerit, eas omnes potentia calefacere & exsiccare, propterea quod raro aliter visum est; tamen in agro Lucensi aqua balnei villæ dictæ, quæ bibitur ad omnes internos calidos & siccos affectus emendandos, & in agro Pisano, balneum aquæ, quod extrinsecus infinitis malis succurrit, miram habent refrigerandi & humectandi vim, vt sæpe vidimus, cum Medicinam Pisis sub Cosino Florentiæ Duce annos tredecim doceremus.

Quod vero hic admonet in vsu medicamentorum euacuantium semper adhibendam esse contrariam qualitatem humori peccanti, & lædenti intemperaturæ, diligenter obseruandum est.

Et hoc ipsum est, quod eos refellit Medicos, qui in dysenteria vtuntur rhabarbaro, vel myrabalanis: satius enim illis esset propinare ægrotis Cassiam, mannam, syrupum rosaceum solutiuum, quæ euacuant temperantque acres humores, atque eos gigni prohibent.

Nec illorum medicamentorum vsum tuetur, quod illi putent vacuandum esse cum astrictione & exsiccatione, quæ qualitates in rhabarbaro & mirabalanis sunt euidentes: nam fluxiones acrium humorum, quæ per intestina affluunt, non sanantur cum ea repugnantia, sed cum purgatione acrium humorum, & simul refrigeratione & humectatione, & mixtione frigidorum humidorumque medicamentorum.

Iam vero, vt inquit, aqua potabilis prodest, sed calida, meo iudicio, exhibenda non est, sed tepida, si modo verum est, quod antea scripsit, obiiciendam perpetuo esse contrariam qualitatem medicamenti, qualitati excedenti.

Quod si, vt paulo post supra dicta verba scribit, præcipue considerandum est in balneis, vt corpus abluatur & humescat; vtique calida aqua admouenda non est, nec tamen frigida, ne vapores fuliginosi intus cohibeantur; sit ergo tepida, quæ eos difflari permittit, nec interim molestam aliquam caliditatem inducit, & ex natura aquæ perpetuo humectat. Nec tamen damnarem admodum exsiccatis corporibus, si quis incoqueret in aqua balnei folia maluæ, violarum, vitis, salicis, cucurbitæ, ad maiorem quandam humectationem & refrigerationem. Nec admodum quidem probo vnctiones ex oleo calente ante ingressum balnei in biliosis febribus

Balneum nec calidum nec frigidum sed tepidum conuenire.

quid enim calor olei & id ipsummet oleum boni potest in hac re præstare? impedit enim suo lentore, ne humiditas aquæ possit intro penetrare,& ne vapores facile transpirent. Natationem quoque, qui febre laborat, appetere non potest,& quilibet etiam leuissimus motus excalefactis & exsiccatis obest. Quiescant ergo illi in balneo, ne ex motu aliquid caloris & siccitatis illis accedat, sufficitque vna lauatio in die quietis: nam post exacerbationem febris,corpus exhaustum & exsiccatum, ad restaurationem & humectationem cibum requirit; deinde somnum: Ante vero accessionem nemo balneum consulet,ne crudi humores, qui in ipsa accessione intus concoquendi sunt,crudi à balneo extra-

Quando conueniat. moueantur. Cæterum, quod scribit frequentius lauari posse ægrotos, si concoctionis signa apparuerint, non reddit certam auctoris sententiam,quam tuto sequi possimus. Vult ne forte crudo omnino morbo lauare nos posse ęgrotos, eo quod dicat, sæpius eos posse vti balneo, cum iam apparent signa concoctionis? id vero minime præstarem, neque aliis consulerem, vt facerent: *nam vbi integra est cruditas putrescentis humoris, fugere debemus omnem commotionem, præsertim eam, quæ humores reuellit ab internis partibus*, vbi concoctio viget & ducit spargitque per habitum corporis. propterea dicebat Hippocrates, *cruda non esse mouenda*; Nec forte etiam tuto potest adhiberi balneum, vbi cœperint apparere signa concoctionis, in qua nulla potest adhuc fieri vtilis agitatio ab externis remediis, præsertim quod febres tunc augentur, omniaque vehementiora euadunt, *& concoctioni maior locus paratur, ea enim quanto magis ad statum properamus, tanto magis naturam occupat.*

Et quando non.

Quare vt breuiter dicam, quod sentio, *Balneorũ in his febribus præcipuus debet esse vsus declinante iam febre; in aliis vero temporibus ab illis abstinendum*, nisi forte iam in summo vigore ac ardore & siccitate, quæ solet relinqui post accessionem febris, requiratur illorum vsus.

Οἴνου δὲ πρὶν μὲν πέπτεσθαι τὸ νόσημα παντάπασιν εἴργειν, ἀρξαμένου δὲ πέπτεσθαι, λεπτὸν καὶ ὑδαρῆ καὶ ὀλίγον τὴν πρώτην διδόναι. πλησίον δ' ἤδη τοῦ λύεσθαι γινομένου πλείονα.

A vino vero, antequam morbus concoquatur, prorsus arcendi sunt; vbi autem coctionis initium habuerit, paucum, tenue, & dilutum initio dandum est: liberalius vero, vbi in propinquo morbi solutio est.

POstulat hic locus, vt diligenter expendamus potiones, quæ exhibentur febricitantibus cibationis tempore, aut ad sitim extinguendam in ipsis accessionibus febrium. Sunt porro potiones huiusmodi, quibus antiqui sunt vsi, mulsa, oxymel, vinum, aqua hordei, aqua so-

A la, quibus nostra ætas addidit alias confectas ex sacharo mixto cum ipsa aqua sola, vel addito cinamomo, vel aniso, vel coriandro, vel aliquid huiusmodi, quinetiam aquas stillatas, & vt vocant, ipsa etiam stillata, & consummata propinare solemus, & pro sacharo miscemus iulepos vocatos, necnon syrupos, acetosum de limonibus, de acetositate citri, vel alium alterius generis, pro voluntate ægrotantium, & affectionum diuersitate. Vtuntur quoque Britanni, & Flandri cereuisia, & biera ab eis vocata. Itaque primum docebimus, in quibus febribus dari possit vinum, in quibus vero minime, & in quo tempore morbi exhibendum sit, quibus conce-

B di potest, sed non perpetuo, quibus vero perpetuo sit exhibendum, quale præterea vinum, an vnum & idem, vel diuersum sit propinandum; quæ postremo sit vera ratio, quare vinum non concedatur in omnibus febribus, & in aliquibus non nisi in certis temporibus.

Sunt, qui putant se optimos Medicos, aut certe omnem infamiam euitare posse, si in omnibus febribus statim circumcidant vinum, & panem, vt vocant, coctum in aqua cum aqua hordei imperare sciant, tanquam hæc sint sola, & præcipua febrium inter se discrepantium causis & natura, auxilia. Quos Galenus, & omnes

C veteres Medici refellunt, qui in quartanis, & quotidianis, vinum in toto morbi decursu imperant.

Alii vero nimium suauitati vini indulgentes, illud nõ verentur exhibere in acutis etiam morbis; quos ratio & saniores Medici reprobant: nam si opponenda est qualitas remediorum qualitati affectionum, calidissimorum humorum procreatis sæpe in æstate, non potest prodesse potio aliqua, quæ calorem, vel intendere possit, aut certe non refrigerare, quantum necessarium est. Quare in acutis febribus, nec in ipsa declinatione febris, conuenire potest vini potio, tantum abest, vt illud sit exhibendum, v- *In quib. febrib. vinum concedi non possit.*

D bi concoctionis indicia solum apparere incipiunt. Nam si Galenus *octauo Methodi* scribit, homines sanos biliosos melius concoquere, cum frigidam bibunt, quid debemus existimare fieri in ardentibus febribus ex vini potu? lædet profecto ille concoctionem, & non iuuabit, vt maiores nostri tradiderunt. qui, vt ex hoc loco & aliis patet, ad concoctionem vinum exhibent; præsente enim, vt diximus, calidissimo affectu, à frigidioribus præsidia sunt petenda, tum ad concoctionem, tum vero ad curationem. Vt vero in prædictis febribus continuis, & ardentibus, aut etiam exquisitis tertianis vinum non est concedendum, antequam vel soluta plane sit febris, vel certe multum declina-

E uerit, ita vt periculum nullum sit incrementi caloris, & vires videantur ex morbo defatigatæ, spirituum generationem postulare, id quod maxime vinum præstat. Sic profecto, in febrib. natis ex frigidissimis, & crassissimis humoribus, vinum in omni tempore morbi concedendum. Id quod fit in quartanis legitimis, in quibus vrinæ *In quib. vero possit.*

sunt

sunt aquosæ in his enim non solum aquosum vinum, vel dilutum, sed etiam generosius, vt puto, exhiberi potest ad calefactionem extenuationemque, & concoctionem humorum, atque etiam ad rigores mitigandos. In nothis vero quartanis, quæ sunt cum vrinis igneis, & rubris, & in quotidianis, præsertim nothis, vinum non est dandum ante concoctionis nothas; postea vero concedi potest plus, vel minus dilutum pro qualitate, & quantitate materiæ peccantis, & febris vehementia. Sed cur est, quod in his febribus requiratur concoctio ante vini exhibitionem, in illis vero minime? id profecto non fit ob vini caliditatem, quippe cum medicamenta longe calidiora vino a maioribus nostris concedantur; cuius generis sunt medicamenta ex tribus piperibus confecta, & aqua mulsa, in qua incocta sint hysopus, thymus, & aliæ herbæ, & aromata longe calidiora, quam possit esse vinum suapte natura aquosum, & multa aqua dilutum, quo contenti essent ægrotantes.

Vini incommoda in febrib. vnde nascantur.

Igitur vini incommoda in febribus non nascuntur ex ipsius calore, sed ex illius substantia familiarissima nostris corporibus. Ex qua fit, vt ab omnibus partibus rapiatur, & deducatur per arterias, & venas, vbi humores noxii continentur, qui ex eo vini motu liquantur & agitantur, ad quæ sequitur concoctionis turbatio, quæ quiete maxime perficitur, & fluxiones humorum, vt ostendunt pleuritides, quæ vini, vel exigui potione lethales euadunt, & podagra, quæ eadem quoque ratione crudescit: subleuantur pariter vapores ad caput, à quibus dolor ingrauescit, aut nouus excitatur. Hæc incommoda quartanæ febres puræ, & simplices non sentiunt, vt quæ fiant ex terreno humore, qui omnem motum, & agitationem respuit; quare merito illi datur vinum per totum febris decursum. Quotidianæ ex pituitosa materia natæ, leuius ferunt hanc agitationem: facilius enim liquatur, & agitatur pituita, vt ostendunt frequentes fluxiones pituitosæ, ex leui calore, vel frigore, vel ira, aut alia quacunque leui occasione, excitatæ.

Quare quartana laborantib. per totum febris cursum vinum sit concedendum.

Cur itidem in quotidianis.

In calidissimis humoribus omne contingit ex vino periculum: non enim solum humores agitat, sed etiam ipsos calefacit. In mixtis iudicio maiore opus est, ne nimia seueritate, nimia abstinentia stomachum refrigeres, & humores reddas rebelliores ad concoctionem, aut liberaliore vini potione humores commoueas, & concoctionem pariter lædas. Quare iudicio & prudentia opus est, ne quid præter rationem fiat; Vbi autem vinum tuto exhiberi non potest, aqua vtendum est, vel pura, aut cum aliis mixta: pura & sola, in biliosis & ardentibus febribus, præsertim in adolescentibus, qui nullam in stomacho, aut hepate, vel liene imbecillitatem continent, ex vsu erit.

Quæ & quibus febricitantib. aqua sit concedenda & cum quibus eadem incoquenda.

Quod si aliquid tale veremur malum, vel ob natiuam infirmitatem, vel ætatem, aut etiam ad voluptatem, aquæ frigiditatem, & insuauitatem quibus sola iucunda non est, mitigamus, primum coctione, deinde mixtione: in quo casu miscemus saccharum purissimum, vel iulepos vocatos, rosaceum ad maius robur stomachi, vel violacium, ad efficaciorem refrigerationem, & syrupum de granatis, vel vinum granatorum, vel syrupum de limonibus, vel succum ipsum limonis, vel citrii mali, vbi haberi potest, cum sacchari. Quin etiam syrupus vocatus de acetositate citri, miram habet vim tum ad refrigerandum, tum ad reprimendam putredinem, & malignitatem humorum. Atque hæ potiones vtiles, & iucundæ sunt, vt diximus, in calidis admodum febribus, pro varietate ægrotantium, qui dulcia, vel acida, vel insipida appetunt. Nec vereri debemus, quod temere nonnulli faciunt, acidorum vsum, & dulcium, credentes acida obstructiones augere, dulcia vero facile in bilem verti: nam acida, vt Galenus docet *quarto de Simplic. medic.* vim habent incidendi, & penetrandi; quod si cum aciditate coniunctum sit aliquid etiam austeritatis, non propterea hoc habet eodem authore, vim obstruendi, vt ostendit absynthium, quod insignem habet astrictionem, leuem autem amaritudinem, quo Galenus in febribus vtitur: nam videtur ille scribere, quod astrictio omnes cutis meatus occludit, ita si coniuncta sit cum apertione, intus assumpta feliciorem reddit appertionem, protrudendo vini ipsam aperituam, & roborando vasa, vt ipse docet *in libro quinto de Simplicibus.* Dulcia vero, mollia, vt ita dicam, quæ sunt calida & sicca, ea sunt, quæ in bilem facile vertuntur, sed saccharina hoc vitio prorsus carent. Est enim saccharum calidum leuiter, & insigniter humidum, humiditate aerea & aquea, quæ sitim extinguit, & biliosos humores mitigat. Iam vero si humores plane biliosi non fuerint, & febres non prorsus ardentes, sed mitiores, quales sunt nothæ tertianæ, & aliæ, quæ ex mistione calidorum, & frigidorum humorum constant, tum aquæ aliquid incoquendum est, quod plus vel minus calefaciat, & aquæ vitia emendet. Ac inter leuiora est hordeum, cum quo fit aqua hordei, & vbi veremur flatuum generationem, hordeũ coquendum est, donec rumpatur, ac misceatur cum ipsa aqua, quod in eo est succorum, in aliis vero leuior etiam coctura sufficit. Incoqui etiam possunt pruna exsiccata, & liquiritiæ frustula, vel momentum cinamomi, aut coriandri semina. Ego autem iocundissimam præparo potionem, ex septem libris aquæ, media vncia coriandrorum præparatorum, drachma semis cinamomi, & vnciis duabus sachari. In frigidioribus vero humoribus, & illis, qui dulcibus delectantur, impono scrupulos duos cinamomi, & vncias tres sachari, & hæc erat potio Julii Pontificis de Monte, qua ille non solum in suis febribus, sed etiam in podagra vtebatur.

Acida in febrib. non esse vitanda.

Dulcia quænam in bilem vertantur, & quæ itidem non.

Aqua cocta Iulii pontificis.

DE FEBRE EX SANGVINE putrescente & synocha putrida.

EX varia tractatione Galeni de febre, quæ fit ex sanguine putrescẽte, orta est magna quæstio inter Medicos, quam primum Auicennas contra ipsum Galenum excitauit, deinde Auer. auxit, postea vero inter recentiores Medicos magna est facta pugna, cum illorum quidam certarent pro Galeno, alii pro Auicen-

na & Auerroe, alii vero conati sunt omnes inter se conciliare. Quid vero sentiendum sit de hac re, tunc melius intelligetis, cum Galeni sententiam proposuerimus, ex qua hæc controuersia est nata. *Sententia Galeni.* Scribit igitur Galenus in *nono Methodi*, & *vndecimo*, fieri febrem ex sanguine putrescente, & illam esse synocham, quod etiam confirmat *in secundo textu primi Comment. sexti Epid.* idem docent remedia, nẽpe sanguinis missio, quæ has febres (vt Galenus inquit) iugulat, quod non fieret, si alius humor à sanguine putresceret: nulla enim alia febris putrida sola sanguinis detractione extinguitur. *In libro* vero 2. *de Differentiis febrium, capite duodecimo*, statuit idem, febres quasdam fieri ex sanguine putrescente, at eas non vult esse synochas, sed accessiones habere, quæ proportione tertianis respondeant, idque ex eo fieri scribit, quod in sanguine sit pars vna tenuis, alia crassa, & per putredinem fiat, vt tenuis transeat in bilem flauam, crassa vero in atram mutetur.

Argumenta Auicennæ contra Gal. Hanc secundam Galeni sententiam, alia prætermissa, impugnat Auicennas his argumentis, & Primum; *Si sanguis putrescens fit colera, & fit* 1. *febris ex bile, non amplius est febris ex sanguine, sed ex bile, Causon ergo, vel tertiana.*

2. Secundo. *Etsi concedatur, post putredinem sanguinis tenuiorem portionem transire in bilem, non tamen id propterea negat, febrem fieri ex sanguine, cum ipse putrescit*; Aliud enim est loqui, cum fit putredo, aliud de eo, quod putredinem sequitur, sicut ille scribit; Aliud est loqui de ligno, quod comburitur, aliud de eo, quod combustionem sequitur: fit enim combustio ligni, & sequitur cinis, nec dispositiones, quæ in cinere nascuntur tribui debent ipsi ligno, dum comburitur.

3. Tertio. *Etsi ex calore sanguinis gignitur bilis, cum scilicet sanguis putrescit, non tamen propterea fiet febris, quæ tertianæ modo infestet, quoniam non solum oportet bilem gigni, sed etiam eam putrescere*: quod enim à putrido (inquit) fit, non necessario putrescit, aut putridum dici debet. Quare, non solum necessarium est gigni bilem, sed etiam eam putrescere, quod non est semper necessarium: sicut videmus in aliis humorum generationibus fieri, quando scilicet ex nimio motu, aut vigilia, aut alia causa calefaciente, bilis gignitur, & tamen biliosa febris non fit, quoniam scilicet bilis non putrescit.

4. Quarto. *Generatio bilis ex sanguine putrescente non fit in instanti, nec illius putredo: quare cum interim sanguis putrescat, necesse est aliquam fieri febrem putridam, quæ certe ex sanguine fit putrescente, quæ non potest habere accessionem tertianæ.*

Defensio Galeni ex Fernelio. Galeni variam sententiam tuetur Fernelius, duplici inuenta putredine: sanguinem enim bifariam putrescere vno generali modo, cum vi caloris præter naturam segregantur, quæ in eo sunt substantiæ dissimiles, & bilis flaua ac tenuis ab atra, quæ crassa terrenaque est secernitur; quam degenerationem verius corruptionem, quam putredinem vocari censet, ex hacque putredine accendi febrem, & eam non esse synocham, sed vel biliosam, vel melancholicam; alio vero modo putrescere sanguinem, cum citra substantiarum diremptum & secretionem totus corrumpitur magno fætore & graueolentia; atque ex hac sanguinis corruptione fieri synochũ, & non biliosam vel melancholicam.

Refutatio Fernelii ex autore. In qua quidem opinione multi sunt errores, primum enim male putat, putredinem separari à corruptione sanguinis, quippe cum putredo omnis teste Aristotele corruptio sit, & corruptio, quæ easdem habet causas, quas putredo, *Omnem putredinē esse corruptionē.* non possit alia esse quam putredo, sanguis enim, qui putrescit in quocunque loco, id patitur extincto calore ex prohibita transpiratione, quæ cum leuior est, leuiorem quoque facit putredinem; cum maior, maiorem; perfectam autem & maximam facit, cum maxima est: & hæc in gangræna & sphacelo apparet, vbi omnia sunt facta penitus dissimilia, ita, vt in nulla re similia fieri possint per *concoctionem*, quæ, vt antea ostendimus, ex Galeno, putredini est remedium: *Putredinis remedium.* vbi vero leuis est facta dissimilitudo, non requiritur generatio puris, sed leuis per concoctionem alteratio; quare tunc etiam sanguis, qui putrescit in venis, non suppuratur, vt qui in locis latioribus & non penitus conclusis continetur; fit autem pus, cum inculcatus sanguis locum constipat, & in eo non est spacium ad separandas res diuersas, atque ita difflatio prohibetur, vt penitus non sit ineptus ad concoctionem, tunc enim fieret integra putredo; nec ita tamen leuiter afficitur, vt solum leues dissimilitudines emendare debeat, quare tunc fit pus, quod multum habet veræ putredinis, & multum concoctionis, & propterea in ea mutatione non fit separatio partium heterogenearum, sed vt in veris putridis humidi consumptio per expirationem relicta portione terrestri: nam pus ipsum est veluti cinis derelictus ex putredine facta dissolutione partis aereæ, igneæ, & maxima parte aqueæ, quæ erant in massa sanguinis; seruatur autem cum terrena portio aliqua aqueæ materiæ miscetur sine qua non poterat fieri concoctio.

Igitur vbi leuis est putredo, & locus amplus, fit segregatio quædam humorum, qui sunt in tota massa commixti, & interim fit dissimilitudo aliqua; vnde cum extrahitur sanguis, & ipse sanguis quartus humor & alii humores ostendunt in colore mutationem & fætorem aliquem; omnia tamen hæc per magis & minus, & per certos gradus putredinis dicuntur esse corrupta; propterea recte Galenus *in Comment. Aphoris. secundi libri*, putredines, quæ fiunt in humoribus, ita distinguit, vt quædam possint redire ad suam naturam, aliæ vero minime; Intelligere autem oportet *ad suam naturam* non prorsus (sicut acida vina, quibus vtitur pro exemplo, ex putredine facta, nunquam pristinam bonitatem per alterationem recipiunt) sed quod non veniant ad integram putredinem, aut ad suppurationem; & ea alteratio, quæ fit in leui ea corruptione, per continuas bonas nutritiones tandem emendetur, vt vina ea acida emendantur cum feruent, & coquuntur cum vuis, aut cum bono vino miscentur. Hæc satis ostendunt, quare in quadam putredine fiat segregatio diuersorum humorum, qui inter se sunt confu-

confusi, & cur aliquando fiat pus, aliquando perfecta putredo; Sed grauiores sunt errores, quos committit Fernelius in hac re: nam segregatio, quæ fit bilis flauæ ab atra, non facit febrem esse biliosam, aut melancholicam, quia, vt vt recte scribit Auicennas, necesse est, cum humorem putrescere, qui febrem parere debet sibi respondentem. Præterea, absurdum est credere, ex ea putredine, quæ est cum tanto fætore & graueolentia, & in qua totus sanguis corrumpitur, fieri synochum putridam, tantum enim malum, tam breui temporis spatio, quod requiritur ad generationem synochæ generari non potest, nec tam breui temporis spatio solui per solam sanguinis missionem, vel aquę potionem, aut sudores. Adde, quod sensus omnes non agnoscunt, tantam fieri deprauationem in sanguine per istas febres, vt non possit iterum illius vitium emendari per concoctionem, nec deprehendunt tantam graueolentiam, nec omnes ipsius febres ex putredine consumptàs; certe hic homo in omni sua tractatione semper affectat, quæ terribilia sunt, & in magno excessu posita; verius dixisset, synochas putridas ex leui sanguinis corruptione & putredine nasci, ob subitam generationem & solutionem harum febrium, & ea, quæ in ipsis ægrotis apparent.

Refutatio Altomari.

Alii vero, inter quos est Altomarus, putant rem hanc se composuisse, cum dicunt, ex sanguine putrescente generari febres, quæ quodammodo sunt biliosæ, & non biliosæ, eo quod bilis, quæ ex putredine sanguinis elicitur, mitior sit alia; verum debebant illi videre, Galenum statuere illas febres nunc synochas esse, nunc vero tertianæ modo affligere per accessiones; repugnat autem febrem esse synocham, idest, esse sine accessionibus, & accessiones habere, ego vero non puto rem definiri posse, nisi prius quædam tractemus, inter quæ illud primum occurrit, quid nomine sanguinis intelligendum sit, deinde quid faciat putredo in sanguine, quomodo ille putrescat.

Quid sanguinis nomine intelligendum.

Porro, sanguinis nomen significat nobis aliquando totam massam humorum, confusam, & compositam ex quatuor humoribus; aliquando vero quartum ipsum humorem proprie dictum sanguinem; Vtrumque sanguinem putrescere posse, ratio iudicat, si modo omnia putrescere possunt præter ignem. Nostri vero maiores non videntur agnoscere putredinem in sanguine quarto humore, vt patet ex Galeno, cum scribit, per putredinem sanguinis tenuem illius portionem transire in bilem flauam, crassam vero in atram: nam hoc solum intelligi potest de tota massa, in qua continentur confusi hi duo humores cum reliquis, & per actionem caloris separantur, vt res diuersæ naturæ, purissimus vero ipse sanguis, vt qui aereus sit, non habet tantum terrenæ, aut igneæ substantiæ, vt possint duo humores tantopere differentes à sua natura elici; Sunt etiam, qui putent, sanguinem eum nunquam putrescere, eo quod à natura defendatur, tanquam illius thesaurus, id, quod est ridiculũ, non per vim agit natura ex cõsilio, & vbi agentia sunt, & patientia, necesse est actiones fieri. *Ego vero credo, in eo fieri putredinem, sed difficile admodum, & non ob hanc rationem, sed quia aerea est substantia, quæ facile transpirat, & quia illius est pura materia, & nõ excrementosa, ex purissima parte alimenti genita*; quare necesse est omnes alios humores putrescere prius à sanguinea substantia, quod cum contingit, mors sequitur, non ea expectata putredine, aut si primum putredo sanguinem inuadit, vt forte fit in malignis, & pestilentibus febribus, nullum tunc salutis est remedium. Ergo putredo, quæ fit in sanguine, ex qua generantur febres, simpliciter putrida fit in tota massa sanguinea.

An sanguis seu quartus humor possit putrescere.

Putredo quãdo sanguinem inuadat.

Cæterum calor, qui probibita transpiratione accenditur, & vitiatur, totam eam massam primo calefacit, & ex ipso calore necesse est mutari alias qualitates totius massæ, & singulorum humorum, qui in ea sunt confusi, ad huius humoris proportionem, perseuerante vero calore, incipit fieri separatio humorum inter se, & alteratio perseuerat in tota ea materia, & in hoc opere tempore opus est maiore aut minore, prout exactior est hæc proportio, & mixtio: Vbi enim proportio seruatur, & exacta mixtio est, difficilior est segregatio, facilior vero, vbi contrarium accidit: vnde partium similarium, & cadaueris putredo separat mixta per solam euaporationem, ob exactam & solidam mixtionem, humores vero ipsi, qui continuo ex alimento gignuntur, & leuiter miscentur, actione caloris alterantur, & separantur, & separati rursus putrescunt, & per euaporationem ob exactam elementorum mixtionem pariter fit separatio, & resolutio vsque ad terrenum elementum; Facta vero separatione, quod est magis expositum ad putredinem, eam concipit; accidit autem hoc in eo humore, qui qualitates habet, & substantiam aptiores ad corruptionem suapte natura; vt bilis flaua citius, & frequentius putrescit atra & nigra, vel qui ex corrupto alimento genitus est, ex ea, inquam, portione alimenti, quæ est apta verti in sibi similem humorem, vel forte etiam facilius patitur putredinem, quod in massa exuperat; id enim, quod difficilius miscetur, ob suum excessum facilius separatur, & actu iam factum, quod prius erat potentia, iam promptius pati potest omnes alterationes, & ipsam putredinem. His quidem positis, vera agnoscitur Galeni opinio de febre synocha, & biliosa ex putredine sanguinis; *quamdiu enim tota massa solum præter naturam calefit, fit febris synocha non putrida; vbi vero incipit fieri corruptio, & separatio diuersorum humorum, qui sunt inter se confusi, tunc fit putredo ipsius sanguinis, & synocha febris; facta vero ipsa separatione, & cum putrescit aliquis humor ex separatis, tunc synocha desinit esse, & assumit accessionem, & formam febris, quæ nascitur ex putredine talis humoris*, contingit autem primũ vt plurimum putrescere bilem ob rationes dictas; vnde dicit Galenus, ex sanguine putrescente fieri febres tertianæ modo affligentes, aliquãdo vero quartanæ modo infestantes, quia tardius, & difficilius atra bilis putrescit, quod experientia quidem docet: nam in vere solent fieri in bonis habitibus primum synochæ non putridæ, quæ non cognitæ, & male curatæ transeunt in synochas putridas, ex illis rursus fiunt biliosæ

& tertianæ, quę si diu perdurent, consumpto humore bilioso, inuadente putredine atram bilem, succedunt quartanæ.

Cur ex putredine sanguinis non fiant etiam febres quotidianæ.

Cur vero non dixit etiam ex putredine sanguinis fieri pituitosas, cum pituita etiam misceatur cum aliis in confectione totius massæ humorum? an hoc fieri non potest, quia exuperante ab initio pituita febris, quæ inuadit, synocha esse non potest? vt quæ in corporibus bono sanguine abundantibus generari solet; perseuerante vero calore, & putredine in ipsa massa, deficit ipsa pituita, bilis vero vtraque augetur per adustionem, in eo vero, quod superat, putredo facilius fit.

An in febre synocha putrescat tota massa sanguinis.

Supereſt vt videamus, an tota massa sanguinis putrescat in synocha febre, an duntaxat illius pars, & in quo loco, & quomodo pars, quæ putrescit, corrigi possit.

An tota massa aequaliter.

Putrescere totam massam in synocha putrida, rationi est consonum, quandoquidem omnis pars corporis eadem febre laborat, non tamen æqualiter tota massa putrescit; id quod docet sanguinis missio, per quam sanguis, qui effluit, inæqualem hanc putredinem ostendit: nam aliquando is, qui primum exit, aliquando vero, qui paulo postea, aliquando vero is qui in fine emanat, maiorem ostendit putredinem, id quod cōtingit vel ratione ipsius sanguinis geniti ex diuersis alimentis, & diuersa concoctione, & in ipsis venis reseruati; aliquando vero ratione ipsarum partium diuerso modo affectarum. Quibusdam enim hepar, aliis venosum genus, aliis carnosum, & quæ in ipso sunt vasa, vt in lepra, & scabie male affecta, sanguinem ad se venientem corrumpunt; aliquando vero differentia hæc putredinis nascitur ob diuersam constipationem vel externam, aut internam; vbi enim ea maior fuerit, maiorem fieri putredinem in his, quæ putrescunt, necesse est. Igitur tota massa plus vel minus in synocha febre putredinem sentit.

In quo loco sanguis putrescat.

Opinio Altomari refutatur.

Ridiculum vero est quod scribit Altomarus, febrem fieri synocham ex sanguine putrescente in omnibus, vel maiorib. vasis; cōtinuam vero cum accessionibus, si in paruis quibusdam aut particularibus putrescat, tunc enim fieri accessiones modo inuadant: non enim eadem est ratio de putredine sanguinis, & aliorum humorum; sanguis enim nisi inflammationem excitet, semper in venis continetur, nec imaginari possumus, aliquando in paruis, aliquando in magnis vasis fieri illius putredinem, nec habet materiam antecedentem sanguis, vt bilis & alii humores, qui per singulas accessiones à venis maioribus in paruas, & habitum corporis transmittatur, vt Galenus vult fieri in febrib. accessiones: neque enim satis est, sanguinem in paruis venis contineri, si tertianæ modo ex eo debet fieri accessio; At quib. indiciis, & qua ratione agnoscere possumus sanguinem extra venas effundi? cur igitur non fiūt in toto habitu inflammationes? multa alia absurda sequuntur hanc stultam opinionem, à Galeni sententia penitus alienam, ille enim, cum dicit ex sanguine putrescente fieri febrem tertianæ modo inuadentem, voluit hoc fieri, eo, quod per alterationem, & putredinem tenuior portio sanguinis transitet in bilem, & non, quod ipse sanguis contineretur in paruis venis, quod si *in fine secundi de differentiis febrium*, scribit ex sanguine putrescente in inflammationib. fieri simpliciorem febrem, quæ tamen habeat accessionem tertianæ, id intelligendum est, post eaquam facta est generatio bilis ex putredine sanguinis, quod etiam contingit, cum sanguis putrescit in venis.

Quomodo putredo sanguinis possit corrigi.

Jam vero docendum, quomodo corrigi possit putredo, quæ est in sanguine: si enim tota massa sanguinis putredinem sentit, putridum vero omne corruptum est plus vel minus pro ratione putredinis, id autem nunquam ad suam naturam redire potest, quænam erit salutis spes, & per quæ remedia? Galenus *in 11 Methodi*, quod corruptum est, dicit esse separandum. Tota ne igitur massa extrahenda erit à corpore? *In Commentario* vero *Aphorismi 17. libri secundi* scribit, in sanguine fieri aliquando leuem corruptionem, aliquando perfectam, & hanc emendari non posse, illam vero posse; & id fieri separatione primum eius, quod superest, idem enim contingere in humoribus, sicut in venis, quæ cum prorsus sunt facta acida, non redeunt rursus ad vini naturam: quæ vero habent leuem aciditatem, nōdum tamen sunt acetum, ad pristinam naturam redire. Verum experientia docet, & in fructibus, & in aliis, id, quod vel leuissimam sensit putredinem, nunquam per concoctionem redire ad pristinam naturam; nec vnquam acidum vinum vel mutatione ex vno vase in aliud extracta fece per solam actionem caloris, qui in vino est, redibit ad pristinam bonitatem; emendabitur tamen, si misceatur & concoquatur cum multis vuis, aut cum vino generoso, & nouo adhuc musto plurimo; sic profecto, cum sanguis corrumpitur, sedatis causis corrumpentibus, & facta concoctione, & purgatis humoribus, qui à medicamentis trahi possunt, reliquum, quod superest, & præsertim sanguis quartus humor, nullum aliud habet remedium, quam generationem noui sanguinis, & omnium humorum ex bonis alimentis, & concoctionem; id quod apparet in conualescentibus extenuatis & consumptis ex febre putrida, quorum sanguis bonus esse non potest, vt qui putredinem senserit, sed paulatim bonus redditur per bonas nutritiones. *Requiruntur ergo ad emendationem sanguinis, in quo facta est putredo, concoctio, separatio, & mixtio bonæ substantiæ.* Ex his igitur patet, ex sanguine putrescente fieri synocham febrem, vt antea ostendimus ex Galeno, etsi nondum ratio est inuenta; putrescente vero postea alio humore separato à putredine sanguinis, fieri tertianam aut quartanam, id quod docet experientia.

An febres synochæ etiā possint fieri ex alio humore, quam ex sanguine.

An vero possint etiam febres synochæ fieri ex alio humore, quam ex sanguine, considerandum est; & quoniam alias tradit causas Galenus synochæ febris, præstat hoc loco integram de hac re disputationem instituere post ea, quæ iam diximus de causis febris synochæ non putridæ, vbi etiam quædam docuimus, quæ cōmunia sunt omnibus synochis. Diximus autem Gal. aliquando referre causam synochæ febris in efficientes causas febriū, scilicet in ea, quę vehementer constipant cutē, quæ cum leuiora sunt diarias patiūt solum: aliquando vero causam petit à diuersitate subiectorum; ea enim, quæ sunt corpulenta,

Causa synochæ cui sit tribuenda.

pluri-

plurimoque sanguine abundant, & excrementis calidis, ait subiecta esse talium febrium, non autem frigida, nec gracilia, nec malis humoribus redundantia tanquam causa huius febris à subiecto ducatur; nonnunquam vero vult causam esse huius febris diuersam materiam, nempe sanguinem, ex eo enim excalefacto fieri synocham nō putridam, ex eo vero putrescente, putridam: Alibi vero vult, id fieri ob diuersum locum corporis in quo continentur humores, vt *capite 2. secundi de differentiis febrium*, vbi habet, febres quæ affligunt sine circuitione, fieri ex humoribus in venis & arteriis omnibus, maxime in maximis contētis, id, quod & *9. undecimoq; Methodi* confirmat: *necessarium*, inquit, *est, eam synocham esse, in qua humores in omnibus vasis, vel in maximis putrescunt; quod si in vna parte putrescant, febris fit per accessiones infestans*; scribit autem *secundo capite secundi de febribus*, synochas etiam ex bile fieri; ex quibus patet, magnam esse in hac re difficultatem, in qua tantus author nequit inuenire, in quo quiescat. Verum, vt dicam, quod sentio, ratio huius rei peti non potest à causis efficientibus, & vehementer constipantibus: nam ex tali constipatione non solum synochæ, sed etiam ardentes & tertianæ sæpe fiunt, pro diuersitate corporum & humoris subiecti. Nec etiam diuersus locus causam reddit: nam si verum est, quod nos superius probauimus, in omnibus febribus putridis humores putrescere in corde, & in venis omnibus, non fiunt synochæ potius, quam aliæ febres, eo quod humores dicantur putrescere in magnis vasis, hoc enim omnibus est commune. Nec etiam ratio peti potest ex diuersitate corporum: nam in sanguineis, plenisque hominibus, non semper fiunt synochæ, sed etiam tertianæ, quartanæ, & aliæ febres. Videtur igitur superesse, vt causa petatur *ex certa & propria materia febris synochæ*: sed quænam, quæso, erit illa? quippe, cum Galenus plerumque scribat, ex sanguine excalefacto vel putrescente synochas consistere, tamen locus est clarus *in secundo de differentiis febrium* etiam ex bile putrescente tales fieri febres, nulla ergo propria illis assignari potest materia; si iam duo sunt humores causa huius mali, cur etiam idem non poterit facere melancholia & pituita quod bilis flaua? Itaque, vt proferam, quod probabilius mihi videtur, *ratio huius continentis & vniformis tenoris febris, videtur sumi ex modo putredinis materiæ putrescentis*: nam si humor, in quo accenditur putredo, & febris, totus simul putredinem concipit, ratio vult, eam febrem esse synocham, si vero pars post partem putrescit, fit febris vel intermittens, vel quæ cum certis accessionibus afficit: nam si exiguum est, quod putrescit, paruo temporis spatio illud concoquitur, & concoctum expellitur, fitque hoc modo febris intermittens, si subest causa generationis nouæ materiæ; si vero insignis est portio materiæ, quę primum putrescere incipit, ex ea portione quæ non potest nisi per multos dies concoqui & expelli, continua fit febris: quod si materia antecedens adhuc disposita est ad putredinem, sed inæqualiter, vel aliunde ea suppeditatur, ex portione, quæ per certa interualla putrescit, accedunt nouæ exacerbationes, nouæque febres.

Causa continentis & vniformis tenoris in synochis.

A Quare Altomari opinio, quæ ponit ex paruo excessu particularis cuiuscunque humoris accendi synocham reprobanda est: nam ex pauca materia putrescente non continua; sed intermittens fit febris, maxime si ex illius opinione necesse est putredinem spargi cito per omnia vasa, [illegible].n. in pauca materia accensa & putrescente fieri non potest. *Igitur ex quocunque humore ob modū putredinis febres fieri possunt continuæ & intermittentes, & ex cōtinuis synochæ & quæ exacerbationes habent.* Sed cur est, quod Galenus *passim* scribit, synochas fieri ex sanguine? quoniam frequentius hoc accidit, propterea quod plurima materia ex sanguine suppeditatur putredini, & ex eo, quod postea relinquitur sine putredine,

B non fit noua putredo, quę faciat nouam exacerbationem, sed solum leue incrementum caloris, in his solum febribus, quæ semper augentur. Sic bilis, quia copiosa est, tenuis & acris, & ob id ad putredinem suscipiendam apta, & post sanguinem multa in corpore, sępe continuas parit febres, & aliquando etiam synochas, *cum totum id, quod ex ea ad putredinem est aptum, est vniforme & æqualiter præparatum, vt simul putrescat*; cum vero inæqualitas in ea est, nec ab hepate, aut alio membro in venas mittitur alia bilis, variatur modus putredinis, vel noua materia suppeditatur venis, continua fit per accessiones infestans: pituita vero etsi copiosa est in corpore, tamen difficile putrescit tota, vel magna illius pars, sed

Bilis cur sæpe febres excitet continuas & cur nonnunquam etiam synochas.

C pars post partem, ex quo febres pituitosæ vt plurimum intermittentes fiunt, quod si continuæ quoque fiunt, id contingit ob causam prædictā: Atra vero bilis quia pauca est, vix suppeditare potest materiam ad continuam febrem generandam; ob id raro reperiuntur melancholicæ febres continuæ nunquam continentes, aliquando forte continuę cum accessionibus, cum multa scilicet materia simul putrescit, & ex residuo pars post partem putredinem concipit. Serosus vero humor (meo quidem iudicio) sæpe parit synochas febres, quippe cum copiosa sit illius materia, & vniformis, atq; ob id simul facile putrescere potest; tales febres circa Autumnum spirante austro in locis humidis, vt pisis, sæpe conspiciuntur, vt ostendit sanatio, quæ contingit maxi-

Cur ex humore seroso sæpe synochæ.

D me eductis serosis humoribus; Quod si leues aliquando fiunt in illis exacerbationes, id contingit vel ex portione bilis, aut pituitę simul putrescentis potius, quā ex alio seroso humore. Quod si quis dicat, signa & curationem synocharum à maioribus nostris traditam, non conuenire synochis ex pituita, humore melancholico, & serosis humoribus, sed maxime sanguineis, & post illas biliosis, intelliget ille, id factum esse, eo quod illi tradant, quod plerumque contingit, non autem quod rarius euenit.

DE PESTE ET PESTILENTIBUS *febribus.*

E

HActenus egimus cum Galeno de febribus, quæ faciliorem habent tractationem, eas vero, quæ difficillimam habent naturam, & cognitionem, omnem *in hoc opere* author ille penitus omisit. Quod etiam facit *in Methodo medendi*, nusquam enim in his operibus febrium curationem docet; & forte hæc est ratio, quod

in Methodo medendi, & in hoc opere, curationem instituat eorum morborum, qui per indicationes sanantur: nam Methodos omnis medendi (vt ille *in secundo libro illius operis* tradit) fit per indicationes; eę autem sumuntur à natura morborum & causarum, quæ exacte cognosci & explicari potest; natura autem febrium pestilentiū vel ignoratur, vel certe exacte explicari non potest, vt postea ostendemus. *In aliis* vero *operibus*, sparsa quædam & ille & Hippocrates tradit, quæ profecto non sufficiunt pro re tanta enarranda. Cæterum, ex recentioribus Græcis, qui omnes fuerunt simię Galeni, & potius Grammatici, quā Medici, vt qui de nulla re probationes adferant, sed omnia pronuntient, tanquam leges ex aliis transcriptas, nihil, inquam, ab illis sumere possumus, quod nos iuuare possit in re tam difficili enarranda. Ex recentioribus Medicis Fracastorius, Montanus, Altomarus, & nonnulli alii, conati sunt hanc Medicinæ partem excolere, & quantum profecerint, suis locis docebimus. Nihil etiam hic tractat de febribus hecticis, nihil de synochis non putridis, & putridis, nec de colliquātibus febribus, nec de erraticis, nec de lipyria, hepiala. Causas etiam circuitus febrium & longitudinis & breuitatis ipsarum non attingit; Omittit etiam tractationem de febribus inconstantibus & implacidis, & de recidiua febricitantium, quæ omnia maximam habent difficultatem, & vtilitatem. Nunc vero nos Dei Implorato auxilio, rem aggrediamur, & primum febres pestilentes, quæ tractationem habent omnium, quæ in arte nostra sunt, difficillimam, tum suapte naturarum quod raro fiant huiusmodi morbi; quare deest nobis experientia, ex qua vniuersale colligitur. Primum igitur, quod occurrit explicandum, est, an idem sit pestis & pestilens febris; deinde genera istorum malorum & communes propriæque ipsorum differentiæ, ex quibus constituuntur & definiuntur, erunt explicanda, & ex illis elicienda erit definitio. Tertio loco, an vnum sit genus, vel plures species pestilentium febrium, explicandum erit, & interim enumerandæ omnes differentiæ, quæ in illis reperiri poterunt. Querto causas omnes istorum malorum perscrutabimur. Quinto signa inuestigabimus vniuersa. Postremo, curationem & prædictionem prosequemur.

An idem sit pestis & febris pestilēs.

Pestem pestilentialemque febrem idem esse credere quis posset, quod omnes authores vnam & eandem tractationem faciant de vtroq; malo. Deinde, *quod non videatur aliquis morbus pestilens, qui sit sine febre*. Verum huic opinioni repugnat Galenus quidem in 3. *Comment. in* 3. *Epidemion tex.* 57. Febrium, quæ proprie pestilentiales vocantur, inseparabile symptoma excrementa colliquantia affirmans, *cum pestis citra febrem mortales etiam corripiat*. Vult enim ibi fieri morbos pestilentes sine febre: Item *tex. 20. tertii Commen. 3. Epid.* scribit pestilentialem morbum non esse certi morbi nomen, quippe, cum pestis sit morbus, qui multos perimit, quomodocunque inuadit. Verum si (vt postea docebimus,) pestis contagiosus est morbus, & qui contagiosus est & lethalis, putredinem aliquam habet, vix statuere possumus, pestem aliquam esse sine febre; possunt quidem grassari morbi, qui multos occidant more pestis, sed propterea non habent omnes conditiones, quæ circumscribunt pestis naturam, de quibus iam agere tempestiuum est.

Pestem non esse sine febre, probatur.

Receptum ab omnibus est, pestem esse communem morbum, siue vniuersalem, & eum esse malignum, & contagiosum, atque multos occidere. Quæ definitio multas habet difficultates, propter illa, quæ ipsam ingrediuntur; quare de ipsis sigillatim agendum, sed prius docendum, hæc omnia de peste dici. Scribit igitur Galenus *initio lib. Epidemion*, Hippocrati pestem esse morbum Epidemicùm, tum esse vniuersalem, & *tex. nono primi Acutorum* pestem esse Epidemium morbum perniciosum, & *lib. 1. Epidemion in principio*, pestem esse morbum Epidemicum malignissimum. Ex quibus quidem patet, hæc omnia, quæ diximus, prædicari de peste: nūc vero doceamus singulorum naturam & vsum, vt postea clariora reddantur, quæ de peste dicentur. Igitur cum pestis sit ex communibus & vniuersalibus morbis, videndum est, an recte vtroque nomine nuncupetur. Rectius quidem communis, quam vniuersalis dicitur: nam vniuersalis est, qui vniuersum corpus infestat: communis vero, qui plures homines inuadit, etsi vniuersum corpus non afficiat. Docet item oppositum communis morbi differentiam hanc: nam communi morbo opponitur sporadicus, id est, sparsus, qui non opponitur vniuersali, & particularis vniuersali quidem opponitur, sed nō communi. Est igitur pestis communis morbus, sed non proprie vniuersalis.

Pestis quomodam definitio traditur.

Morbi communes & vniuersales quomodo differant.

Porro inter communes morbos quidam ἐπίδημοι, alii ἔνδημοι nuncupantur; illos vertunt nostri interpretes publice grassantes, vel vulgares; hos vero publicos, sed parum feliciter: nam si quis vocabuli etymologiam sequatur, epidemii significent morbos, qui supra populos sparguntur, quasi extrinsecus veniant: ἔνδημοι vero, qui in ipso populo nascuntur, tanquam illi proprii ex propriis causis, quæ solum communes sunt ei populo vel regioni, in qua nascuntur ex aere, vel aqua aut victu communi, quo habitantes in eo loco omnes vti consueuerunt. Latina lingua propria non habet simplicia nomina, si tamen mihi liceret ea fingere, epidemicos vocarem extraneos vel peregrinos, aut alienos. Endemios vero populares vel regionales. Febrem vero benignam aut malignam non aliter definire oportet, quam benignum aut malignum morbum. At hunc definire non facile est, si antiquos nostros auhores sequamur. Etenim Galenus *lib. 1. prorrhet.* definit malignum, morbum eum esse qui cum periculum vitæ minetur, spem tamen salutis non adimat. Verum hoc etiam magnis morbis conuenit, vt magnis febribus, magnis vulneribus, & inflammationibus. *In 4.* vero *Methodi*, maligna vlcera censet esse, quæ omnibus rite factis, non tamen sanantur: At hoc etiam magnis conuenit, & non ex euentu, sed propria eorum natura Medicus statim ab initio tales morbos dignoscere debet. Quinetiam *in lib. 1. de Medicamentis per genera*, indicat vlcera illa esse maligna, quæ dispositionem habent, quæ corrumpit boni sanguinis ad partem influentis naturam: tametsi *lib. 4. eiusdem Operis*, maligna admodum vlcera vocari vult, quæ vel in parte male affecta consistunt, aut quæ ex prauo succo pro-

Morbi epidemii. Endemii.

Opinio Gal. de definitione morbi maligni.

co proueniunt. Hæc variè scribit Gal. de morbo maligno. *Fracastorii.* Fracastorius vero nullo sibi authore proposito, nec vsu, statuit malignas febres esse quæ pestilentes sunt non simpliciter, & eas esse quæ aliquando occidunt, aliquãdo vero salubres sunt: veras autē pestilentes vt plurimū occidere. Verū vt omnes maligni morbi nō sunt pestilētes, ita nec febres malignæ omnes pestilētes sunt, essent enim omnes malignæ contagiosæ & communes à communi causa natæ. *Authoris.* Quare malignos morbos, malignasque febres vocemus, vt res alias, quæ scilicet effectus edunt deteriores, quam ipsorum essentia & natura ostendat. Si enim vocamus malignum hominem, qui aspectu personæ præ se fert bonitatis & virtutis indicia, interim tamen insigne aliquod malum edit: eadem ratione febres illas, quæ exiguum habent calorem, talem vitalem virtutem, vt pulsus perdunt, & linguam nigram reddunt absque siti, malignas appellamus: non enim respondent effectus, & symptomata essentiæ caloris & febris. Huiusmodi morbi & febres etiamsi omnia rectè fiant, tarò sanantur, quoniam à malignis & occultis nobis causis proueniunt. *Causa malignitatis vnde sint.* Tales autem causæ vel sumuntur ab ipsis efficientibus, vt à maligno aere, malignis humoribus, quales sunt atra, æruginosa & porracea, bilis, vel ratione partis vel corporis affecti, quomodo videmus in certis corporibus ob natiuam temperiem & compositionem omne fere genus causarum lædentium malignos morbos inferre. Sic in neruis & articulis fiunt maligni morbi ob earum partium temperiem, compositionem, vel aliam indicabilem dispositionem, quæ formam habet statim ab ipsa natura factam, vt morsus serpentum & aspectus basilisci; vel per alterationem acquiritur; vt fit in generatione bilis atræ, æruginosæ ex flaua vitellina; putredo etiam certa facit malignas, solis agentibus & patientibus primis qualitatibus. Ita ergo de morbis & febribus malignis censendum est: nam differentiæ certæ tradi non possunt; quoniam (vt postea ostendemus) essentia talium morborum & causarum ipsorum, plane cognosci & explicari non potest: accidentia vero quæ in ipsis nascuntur, variant pro causarum efficientium natura, & diuersitate subiectorum. Præterea, atra bilis alia mala infert, quam porracea & æruginosa, alia huiusmodi humores, quam aer pestilens & malignus, aut venenata animalia, vel venena maligna, quæ nos inficiunt. Idem aer malignus in diuersis corporibus diuersa symptomata affert. Iam vero de contagiosis morbis & febribus agendum est: & primum dicemus, quid sit contagio; deinde, quæ & quot sint illius differentiæ; quæ causæ, generationis & contagionis modus.

Contagio quid. Nihil autem aliud videtur esse contagio (vt nomen ostendit) quam *infectio, quæ ab vno in alium transit*: nam virtutes & perfectiones animi & corporis, quæ ab vno aliis communicantur, non dicuntur per contagionem communicari; igitur vitium esse morbosum, quod per contagionem transit in aliud. Quinetiam animi vitia non videntur per contagionem, sed potius per malam disciplinam & consuetudinem malorum comparari. Sunt ergo corporis vitia, quæ sunt contagiosa; verum si in vno corpore vel humor aliquis alios inficiat, vel malum alicuius

A partis in alias serpat, non dicitur hoc fieri per contagionem: tales enim affectiones serpunt vel communicantur & per communicationem dicuntur aliis communicari, tanquam in contagione duo requirantur distincta corpora. *Propriè ergo contagio est infectio, quæ ab vno indiuiduo in aliud transit.* Præterea, cum omnis actio & passio fiat vel circa substantiam, aut circa accidentia, contagio non stat in accidentibus, sed in substantia: si quis enim ab alio febriente calefiat, aut ab igne, non dicitur per contagionem excalefactus, sed qui in ipsa substantia passus est. Verum nec omnis substantiæ passio ab alia re facta contagio est: neque enim cum domus tota vel illius partes à vicina ardente domo

B comburitur, dicitur per contagionem affici; sed contagio ipsa minimas & insensibiles partes, quæ primas compositiones ingrediuntur, inuadit. Sic enim videmus in febribus contagiosis affici humores & spiritus, qui in nobis sunt, vel nos ipsos componunt. At vero cum res omnes corrumpantur, vel à suis contrariis, vt calidum à frigido; vel quod passiuæ qualitates dominentur super actiuas, vt Aristot. *in libro quarto Meteorologicorum* docet, ex quo putredo fit, corruptio, quæ fit à contrariis, non est contagium, nec per contagionem fieri dicitur. Quare illa dicuntur per contagionem affici, *quæ patiuntur in ipsa mistione, & forte solum ex ipsa putredine*: nam vix forte aliquid inuenietur afficere per contagio- *Quæ per contagium dicuntur affici.*

C nem, quod simul putrefactionē aliquā in nobis nō inducat, vt ostendūt, scabies, lepra, phthisis, pestilentes febres, quæ omnes, vel euidentem, vel obscuram putredinem habent; quæ si plane iam essent probata per inductionem omniū affectionum contagiosarum, facile ea esset definire contagionem, quod scilicet esset *putredo, quæ ab vno in alium transit.* Sed quoniam hæc nondum satis patent, definiamus contagionem esse *corruptionem factam in particulis insensibilibus primo ab vno in aliud communicatam.*

Porro contagionum differentiæ tres esse agnoscuntur: quædam enim solo contactu fit; alia vero fit ad distantiam, alia vero per fomitem contagiosa redduntur. *Contagionis differentia.*

D Contactu contagionem communicant, quæ cum ipsa infecta sint, eam, quam patiuntur infectionem, aliis impartiuntur, vt si quis peste affectus aut scabie, alios, quos attingit inficiat. *Contagio per contactum.*

Per fomitem fit contagio, quando seminaria contagionis in rebus seruantur, & aliis communicantur, sicut contingit, cum pestis datur hominibus à vestibus derelictis ab his, qui peste laborarunt. *Per fomitē.*

Ad distantiam vero fit contagio, vt accidit in lippitudine, & variolis puerorum, quæ circumstantes pueros etiam sine contactu inuadunt. Iam vero contagionis causas aggrediamur, & quantum fieri potest maximam rei difficultatem enarremus. *Ad distantiam.*

E Constat profecto, contagionem nullam fieri vbi non fit putredo: nam infiniti sunt morbi sine febre, qui contagiosi non sunt, & qui contagiosi sunt, omnino putredinem aliquam habent, vt apparet in fructibus putridis, qui per contagionem alios inficiunt; non tamen omnia, quæ putredinem habent, sunt contagiosa: nam *Contagionis causa. Contagium nullum fieri vbi non fit putredo.*

Si ita esset, non esset tutum Medicis conuersari cum ægrotis, tertiana, vel quartana, vel alia febre putrida laborantibus: oportet ergo putredinem esse *sordidam & purulentam*, si cõtagiosa esse debet; id, quod docet scabies, tabes, pestilentes febres, quæ sunt cum bubonibus, & in febribus sordidis.

Causa contagionis per contactum.

Iam vero ad hæc principia referamus causas omnium differentiarum contagionis; & primo eius quæ fit per contactum; deinde aliarum. Huiusmodi contagio maxime apparet (vt diximus) in fructibus, vt vuis, pomis, quorum si aliquid iam vitiatum sit, alia, quæ tangit simul inficit. Et recte quidem Fracastorius principium huius contagionis dicit esse putrefactionem: quod enim primo putrefactum est, alia putrefacit. Sed male causam tradit eius, quod primo putrefit, quia male de putrefactione disserit. Vult enim putrefactionem esse dissolutionem mistionis, quæ fit calido natiuo euaporante, & humido, & principium huius euaporationis esse alienam caliditatem, siue ea sit in aere, siue in circumfuso humido: nam vt ostendimus *in Comment. in Artem medicinalem*, putrefactio non est dissolutio mistionis, sed corruptio, ad quam postea sequitur dissolutio. Præterea non est dissolutio, & euaporatio caloris: nam si calor libere euaporaret, fieret marasmus, & non putredo, sed est prohibita transpiratio, quamdiu enim illa durat, putredo durat, & non omnis putrefactio fit euaporante innato calore, vt aquæ & terræ putrefactio, quæ nullum habent innatum calorem; nec semper aliena caliditas principium est putrefactionis: nam putrefactionis, & corruptionis principium, inquit Arist. sunt passiuæ qualitates, quæ non parent actiuis, nempe humiditas, quę cum prohibet calorem transpirare, illum auget, ille vero auctus humorem violentius dissipat, & tandem consumit, & sequitur ipsius à sicco separatio, & tandem etiam ipsius caloris consumptio, qui nequit in compositis sine humido consistere.

Putrefactio quid.

Igitur cum calor regit humidum subiectum, libera fit transpiratio, & id, quod transpirat vaporosum à corpore, non est corruptum, vel putrefactũ, propterea non potest alia, quæ attingit, putrefacere, & in contagionem trahere; Vbi vero prohibetur ea transpiratio, non dominatur calor, quare nascitur corruptio ipsius humoris, & mistionis: sic enim corruptiones rerum fiunt, quando non obedit id, quod parere natum est.

Causa contagionis per fomitem.

Igitur humor putridus vaporem putridum emittit, qui in vicinum penetrat, & in similem contagionem res analogas trahit; interim enim cum est in fomite, & rem primo afficit, contagio non est, vt aer non dicitur putridus per contagionem putrefacere, cum pestem affert hominibus, sed cum homo iam hominem inficit. Cæterum mirum esse non debet, ea, quæ per fomitem contagionem spargunt, idem facere ob communicationem illius vaporis putridi, qui exhalauit à corpore putrefacto, & in fomite reseruatus est, sic enim vestes derelictæ, ab his, qui peste perierunt alios inficiunt. Quod autem diu seruari possint huiusmodi vapores in fomite, putat causam esse Fracastorius subtilitatem vaporum, mistionemque fortem & constantem: facit enim, inquit, subtilitas, vt facile penetrent, & in

A rei meatibus condantur; propter autem validam mistionem, durare diu possunt; Mistio autem hæc fit, vel ob duritiem rei, vel ob lentorem. Et hæc est contagionis causa, quandoquidem, inquit, omnia, quæcunque per fomitem afficiunt, lenta, & glutinosa sunt: Reliqua recte quidem dicuntur, sed hoc vltimum minime: aer enim inclusus in pannis pestiferis, absque hoc lentore penetrat per cutis meatus, atque in venas & arterias, & cor ipsum penetrat, & putrefacit. Male etiam existimat, ea solum esse apta, vt fomes fiant contagionum, quæ rara sunt & calida, aut parum frigida, propterea ferrum & lapides non posse esse fomites contagionis, lanam vero & pannos maxime: nam etsi difficilius recipiunt B dura vapores putridos, & eos pauciores, tamen experientia docet, tutum non esse contrectare aliquid, quod fuerit tactum ab his, qui peste perierunt, lenta ergo vel rara, aut quæ cumulo in se includunt vapores, vt pluma, maxime conseruant vapores pestiferos, alia vero difficilius quidem, sed interim tamen tuta non sunt, propterea argentum & aurum non recipiunt prudentiores à pestiferis, nisi illa prius fuerint aeri exposita, & postea aceto abluta. Aiunt quoque nonnulli corpora mortua ex peste tractari posse absque periculo contagionis; eo, quod, inquiunt, mortuo homine non amplius expirant vapores putridi; quasi non relinquatur adhuc in mistione C partium calor elementaris, qui per putredinem dissoluit cadauer; Præterea, vapores qui exhalarunt viuente adhuc homine, cur partim conseruari non possunt in ipsa superficie cutis rugosæ & pilosæ, sicut seruatur in pannis, in quibus vapor ille est receptus.

Dura & solida etiam esse apta, vt contagionis fomites sunt.

Causa contagionis ad distantiam.

Cæterum, contagio, quæ fit ad distantiam, non aliam habet causam, quam vapores putridos, qui à corpore infecto expirant, & in aere recipiuntur, qui si pauci sunt, & conclusi manent in aere, eos solum afficiunt, qui eos vapores cum aere recipiunt in corpus, per insensibilem transpirationem, & cutis meatus, & per inspirationem; quod si multi fuerint, & per leuiores ventos atque humidiores spargantur in vicinos, & D non dissipentur, contagionem pariunt, quæ per successionem tandem distantes regiones inficiunt. Melius autem puto ita dici, quam sequi Fracastorium, qui vult, hanc contagionem fieri per species quasdam spirituales. Cum enim posuisset, ex rerum generibus nihil agere præter substantiam, & qualitatem, & substantiam dicat solum efficere motum localem, & rarefactionem, atque densationem, reliquas vero actiones à qualitatibus prouenire, qualitates vero quasdam esse materiales; vt calidum, frigidum, humidum, siccum, lux, odor, sapor, & sonus, alias spirituales, quæ sunt species, & simulachra materialia, ex quibus concludit, per manifestas qualitates fieri hanc conta- E gionem.

Quomodo febris pestilens differat à maligna.

Vulgus Medicorum credit, malignas, contagiosas, & epidemias, & pestilentes febres nihil inter se differre: cum enim vident aliquem laborare febre, quæ malam habet naturam, & remediis non cedit ob suam malignitatem, eam febrem vocant malignam, pestilentem, & contagiosos morbos pestilentes etiam nominant. Verum hæc multum inter se differunt: nam non

omnis

omnis maligna febris est pestilens, nec omnis epidemius morbus pestis est, nec omnis contagiosus est pestilens, aut malignus: nam pestem vult quidem Galenus esse communem morbum epidemium: at maligni possunt esse, qui priuatim singulos infestant. Sunt & causæ diuersæ: nam pestilentes vult Galenus *in lib. primo de differ. febrium*, omnino nasci ex aere ambiente, scribitq; *in tex. 29 primi Comment. sexti Epidemion*, & *in lib. tertio de præsagiis ex pulsibus*, illam differre ab aliis excedentem putredinem, malignas vero nusquam dixit omnes nasci ex aere, quandoquidem *textu 22. secundi Commen. Prorrheticorum*, eas ex phlegmone hepatis, ventriculi, septi transuersi, fieri tradit; quin etiam, *in lib. de euchymia, & cacochymia*, easdem ex tenui humore nasci refert. In signis quoque differunt, vt *ex 25. textu 1. Comment. 1. Epidemion*, & *25. secundi. & 77. eiusdem*, vbi signa malignarum febrium tradit, quæ non conueniunt cum his, quæ *29. primi Comment. sexti Epid.* enumerat. Verum etsi ipse non docet, quæ sit differentia, videtur tamen mihi ea esse, quod malignæ sint tanquam genus ad pestilentes, omnes enim pestilentes sunt malignæ, non econtra; omnes enim pestilentes febres malignas vocant, & eas egere antidotis, quibus cedunt, quod malignarum febrium est proprium. Quæ si ita se habent, reiicienda est Fracastorii opinio, qui pestilentes vocat, quæ vt plurimum occidunt, malignas vero quæ multos solum, omnes tamen vocari pestilentes. Sic pestilentes à contagiosis differunt, *sunt enim omnes pestilentes contagiosæ, sed non econtra*: nam scabies, lepra, tabes, & alii multi morbi, contagiosi sunt, non tamen pestilentes esse dicuntur. Malignæ vero à contagiosis differunt, eo quod non omnes malignæ sunt contagiosæ, nec omnes contagiosæ sunt malignę; scabies enim contagiosus morbus est, non tamen malignus; & febres vlceraq; nonnulla maligna sunt, non tamen contagiosa. His vero ita positis, iam videamus, quæ sint, quæ constituant & definiant proprie naturam pestis.

Opinio Montani de definitione pestis.

Qua quidem in re, Montanus Veronensis, *in Comment. suis ad Glauconem*, statuit, quodlibet genus morbi sæuum, magnum, potens interficere hominem, pestem esse, & dici: nec necessario pestem includere, quod sit vniuersalis & epidemius morbus, dummodo sit malignus, quandoquidem, inquit, pestilentes quædam febres nascuntur ab intrinsecis & propriis causis, vt ab intrinseco humore taliter putrido, vt venenum fit factum; vel à cibo, vel alia re venenosa sumpta, & non solum ab aere extrinseco. Affert etiam ex Galeni *lib. de bonis & malis succis*, ex fame ortam esse pestem; & *in lib. primo de diff. febrium capite 4.* vbi ait, fieri aliquando pestem ob eos, qui sunt in corpore, humores ad putrescendum paratos, cum leuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente acceperit animal. Cuius opinio repugnat omnino ipsi Galeno & cæteris omnibus Medicis antiquioribus, atque ei etiam, quod communis vsus tenet: nam pestis non potest esse, nisi communis, & epidemius sit morbus, vt passim Galenus tradit. Propterea absurdum est, existimare, omnes morbos malignos esse pestilentes, vt antea ostendimus. Nec obsunt, quæ affert de malis humoribus & malis cibis: nam Galenus *in illis locis* nihil aliud docet, quam quod ad omnes morbos & pestem etiam ipsam plurimum conferat mala dispositio corporis, etsi ex ea sola non gignatur pestis, nisi in aere ipso sint semina pestilentiæ, quæ cum etiam parua sunt, nihilominus afficiunt male affecta corpora; oportet autem aerem admodum esse corruptum vbi sana corpora peste corripiuntur. Præterea, nullam facit mentionem contagionis in definitione pestis, cum tamen sit vna ex præcipuis differentiis. Male ergo aliam ponit causam, quam aerem ambientem: ex quo fit, vt morbus sit epidemius.

Opinio Altimari.

Videamus iam, quid ille Altomarus senserit de definitione pestis. Dicit enim ille, duo esse genera morborum: & illud quod commune omnibus est, pestem dici, quasi omnes communes morbi sint pestilentes: quomodo ergo differet pestis ab epidemiis, qui omnium sunt communissimi; quasi Galenus non dicat, solum illos esse pestilentes ex epidemiis, qui multos occidunt, & non dixit *omnes*, vt iste bene doctus vir, qui vult pestem omnibus esse communem morbum, quasi nullus vnquam aperte euadat intactus. Præterea, à seipso dissentit, cum postea definit pestilentem febrem esse prauam ac pernitiosam & communem ac vulgarem febrem, ex pestilenti aeris statu proficiscentem. Etsi in hac etiam, quam putat esse perfectissimam definitionem, ostendat se parum aptum ad res definiendas; quid enim intendit per prauum morbum? cur non dicebat malignũ, vocabulo magis proprio ad rem hanc significandam? nam omnes morbi sunt praui, si prauus idem est ac malus, non omnes tamen maligni. satis etiam erat dicere, vulgarem morbum siue epidemium & non communem: nam in definitione propinquum, & non remotum genus sumendum. Præterea, omittit, quod sit contagiosa febris.

Rondeletii.

Rondeletius interim cum reprehẽdit alios Medicos, quod male definierint febrẽ pestilentialem, pariter ipse errat: putat. n. ipse esse tertium genus Causonis, factum ex sanguine melancholico, propterea definit febrem pestilentem, esse morbum epidemium perniciosum & contagiosum ex sanguine atro putrescente & ebulliente factum cum carbunculo externo, & cum inflammatione interna referente carbunculum. Verum non omnes febres pestilentes fiunt cum carbunculo externo, sed cum vlceribus multis malignis, vt docet Galenus ex Thucydide in magna illa peste Græcorum, vbi nullam facit mentionem de carbunculis, sed solum de putridis vlceribus; nec constat, an sit carbunculus, quod extrinsecus exit in tumorem eleuatum, an aliud genus inflammationis, quandoquidem per suppurationem sæpe sanatur. Præterea, cum pestis omnes aut plurimos certe inuadat diuerso victu vtentes, spargaturque ab vna regione in aliam, credendum non est, omnes, quos corripit, atro sanguine abundasse. Cæterum, vt obiter diximus, Fracastorius vocat omnes pestilentes, quæ vel plurimos, vel multos solum perdunt, & has proprie vocari malignas; illas vero proprie pestilentes. Verum, vt diximus, male vocat malignas omnes pestilentes. Præterea hic omittit præcipuas differentias; quare ne omnes authores prosequamur de ea re loquentes, definiamus ex Galeni *locis superius citatis*, & in vnum collectis, pestem siue pestilentialem febrem, esse mor-

Pestis seu febris pestilentialis quid.

tum epidemien, malignum, & contagiosum : Cætera videntur in his contineri: nam si epidemius est, fit ab aere ambiente; si malignus, vt plurimũ occidit. Si contagiosus est, ex cõmuni præsertim causa, multos inuadit & spargitur per multos.

Nunc vero differentiæ ipsius pestis & febris pestilentialis quantum fieri poterit, sunt enarrãdæ, neq; enim exacte illæ explicari possunt, quoniã diuersas illius formas nec diuersas causas plane tenemus, & symptomata diuersa fere in omni peste fiunt, tum ob diuersitatem causarum corrumpentium aerem, & diuersitatem subiectorũ. Quare præstat causas prius enarrare, deinde differentias explicare.

Pestis seu pestilentialis febris formalis causa.

Primum igitur videamus, quænam sit forma formalisque causa ipsius febris pestilentis, per B quam ipsa est id, quod est, & ab aliis differt. Constat autem pestilentem omnem febrem esse cum putredine, quoniam sola alterantia non emendant hoc malum, sed necessario sequitur aliquis abscessus vel aliqua excretio, & vt plurimum vrinæ conturbantur, crudæque redduntur, quod nõ nisi ex putredine humorũ fieri potest. Quod si quis obiiciat Galeni authoritatem & experientiam, quod in nonnullis pestilentibus febribus vrinæ mingantur simillimæ sanis; respondendum est, tunc putredinem non esse in humoribus, sed in spiritibus, cum quibus vrina nihil habet commune, vel potius quod illæ non sint vere pestilentes, vt quæ non sint contagiosæ, sed C malignæ tantum; ridendaque est illorum opinio qui putant hoc fieri timiditate naturæ; quæ non audeat contra venenosam materiam pugnare, pugnamque aggredi: nam natura non agit ex consilio, & calor naturalis ipsius instrumentum non potest non agere, qui si non ageret in ipsa etiam venena, non sequeretur mors, quoniam non reducerentur de potentia ad actum. Docent præterea alia, pestilentem omnem febrem esse putridam, nempe, causa, ex qua illa nascitur, aer ipse, qui non nisi cum putredinem concepit, tales febres parere potest. Idem confirmat Gal. *cap. 5. 1. de different. febrium* cum scribit, omnes pestilentes à putredine ortum habere. Sed iam D videamus, quonam modo differat putredo, quę pestilentem febrem committit, ab alia, quæ reliquas putridas facit.

Quomodo differat putredo quæ pestilentem febrem cõmittit, ab alia, quæ reliquas putridas facit.

Quidam putant has putredines differre loco, quod scilicet, in pestilenti febre humores putrescant in corde, in aliis vero putridis nihil putrescat in corde, sed solus vapor putridus eleuetur ab humoribus alibi putrescentibus, & ad cor feratur misceaturque cum his, qui sunt in corde, & eos solum calefaciat, non autem putrefaciat. Quæ opinio nata est à Galeno, *in lib. tertiò de præsag. ex pulsibus*; & *quinto capite primi de differentiis febrium*, quam opinionem nos alibi refellimus his argumentis; primum, quod non posset vnquam accendi putrida incipiente putre E dinis causa à corde, quomodo ergo fieret febris putrida, quę sequitur diariã factam ex ira, tristitia, & cæteris cordis passionibus, per quas cor ipsum primo afficitur, & ab illo deinde aliæ partes afficiuntur putrida febre? Vnde, quæso, potuit vapor aliquis putridus eleuari præterquã à corde mali principio? Putredo ergo in corde; authoritas autem Galeni solum locum habet, quando putredo incipit in aliis partibus, & ea com-A municatur per vapores putridos cordi, sed hoc modo non fiunt omnes putridæ, si modo diarias putridæ sequuntur. Secundo si solum humores & spiritus aut partes solidæ sunt excalefactæ, & nullam habent putredinem in corde, erit semper diaria vel hectica, aut synocha non putrida, cum putrida; Tertio sequeretur ex alia re putrida, quam ex humoribus putridas febres fieri posse: nam si sufficit vapor putridus, ille ab excrementis alui ad cor eleuari potest. Quarto si cor est subiectum omnium febrium, & putridæ dicuntur ex putredine humorum, necesse profecto est eam putredinem esse in corde. Quid præterea obest, quo minus humor possit putrescere in corde, quod abscessus, & alia maiora mala pati-B tur; Postremo, idem probare licet ex Galeno, qui *in primo capite primi de differentiis febrium* scribit, differentias sumptas à materia, in qua calor accenditur, maxime proprias esse, siue ipsum corpus cordis prehenderit calor, siue humores conditos in ipsius ventriculis; quod quidem quid aliud est, quam omnium febrium humoralium humorem ponere subiectum, adeo, vt eo excalefacto consistant febres, quæ solum ipsius calorem expostulant? Ex eodem vero putrescẽte proueniant putridæ febres. Ergo putridas febres à pestilentibus non debemus distinguere diuersitate loci, in quo fit putredo. Scribit etiam idem author, pestilentes ab aliis differre ob dif-C ferentiam putredinis: excellentem enim esse putredinem, & non qualemcunque, quæ pestilentem efficiat. Quæ opinio etiam recipi non potest, primum, quod ingentes putredines fieri non possunt nisi ab ingentibus causis: At cum omnia subiecta, tam calida, quam frigida, humida & sicca, gracilia & crassa, senes & iuuenes pestis corripiat, non potest in hac diuersitate corporum fieri vna, & eadem putredo, quæ sit ingens, & excellens. Deinde ingentem putredinem sequitur ingens calor, & hanc difficilis spiratio, & pulsus illæ differentiæ, quę ingentem calorẽ ostendunt. At eo authore fiunt febres pestilentes nonnunquã cum exiguo calore, & exigua mutatione pulsuũ, & respirationis. Addo, quod D pestilentes febres dicuntur esse multo mitiores, quã sint Causones, & cur causones omnes non essent pestilentes? cur præterea non sentitur huiusmodi calor tã vehemens? nec dicendũ est, eum non sentiri, quod sit hectica febris; nam statim ab initio hectica non potest fieri, imo forte nunquam; cum spatio quatuor aut septem dierum soleant perimere pestilentes febres; Deinde si hectica esset confirmata in omni pestilente, nullus vnquam euaderet. Non ergo differunt pestilentes febres ab aliis putridis forma caloris, vt Montanus putat, quod scilicet calor pestilentis assurgit ex humore putrescente in corde; in aliis vero putridis assurgat ab humoribus alibi putrescentibus, & misceatur cum calore natiuo cor-E dis; nec differt ob excellentem putredinẽ, quandoquidem in omni pestilente ea non cognoscitur, & putridæ multæ sunt nõ pestilentes, quæ in hac excellentia non cedunt pestilentibus. Alii vero sunt, qui dicunt, causam pestilentium febriũ esse malignam, & venenatam qualitatem, siue morbum in tota substantia, & non posse illarum causam redigi ad qualitates & causas manifestas; quam opinionem conantur nonnulli ita refel-

refellere, præsertim Fracastorius, supponendo A quod actiua principia tantum sunt substantiæ & qualitas, & substantiam per se nihil aliud facere, nisi locales motus, & rarefactionem, atque densationem, reliquas vero actiones à qualitatibus prouenire, quæ, vt inquit, sunt, vel materiales, vt calidum, frigidum, humidum & siccum, lux, odor, sapor, & sonus; aliæ spirituales vocantur, quæ species sunt & simulachra materialium, & materiales quidem, inquit, omnia generare, si primæ sint qualitates, & alterare, alias vero inter se non agere, sed sensus mouere mediantibus spiritualibus. Quibus positis, argumentatur, & dicit, non esse opus occultas illas proprietates inducere, quia si fit à substantia & forma, debebant dicere, hoc fieri à forma; si fit à qualitati- B bus, illæ sunt notæ, & non occultæ. Verum, inquit, non possunt fieri à forma, cum ea non possit facere, nisi locales motus. Verum in hoc sistendum est, primum enim supponit falsum, scilicet substantias, & formas rerum non facere aliud, quam locales motus, & rarefactionem atque densationem, & esse ipsas qualitates primas, quæ omnia generent: nam peto ab illo, cum homo generat hominem, si solæ qualitates primæ agunt, & non ipsius hominis forma, alioqui cur ab homine non gignitur asinus, vel alia species, quæ habet similes qualitates? quod si differentia aliqua est in temperamento, illa tamen non potest esse causa generationis diuersæ speciei; C & certe miror, quod homo philosophus, neget formas rerum esse causas generationis. Scio Aristot. *in quarto Meteororum* ponere primas quatuor qualitates esse causas generationis, & corruptionis, quod verum est, si intelligamus, quod ille facit, simplicem generationem, quæ scilicet fit ex solis elemētis: at ille propterea non tollit actiones animæ, & formarum aliarum rerum.

Hoc igitur conuulso principio suo, corruit tota illius opinio, & confirmatur ea, quæ ponit occultas proprietates; nam cum formæ rerum essentia ignoretur, explicarique non possit, dicunt nonnulli, id quod fit à forma, fieri ab occulta proprietate, & Galenus à tota substantia; quare, idem est dicere, aliquid fieri à forma, ab occulta proprietate, & tota substantia, siue & in D hoc casu, à maligna qualitate, siue maligna putredine, nam maligni morbi putridi malignam quandam habent putredinem, cuius naturā nec agnoscere, nec aliter exprimere possumus. quare neque remedia illorum possunt ratione cognosci, sed sola experientia. Et dicuntur illa à proprietate, & tota substantia iuuare. Quæ quoniā omnibus sunt nota, non amplius laborabo in re hac confirmanda. Eā opinionem crassus ille Altomarus etiam vult confirmare: ait enim pestem non fieri ob venenatam, vel occultam qualitatem, vel abditas causas, cum ad manifestas qualitates istæ causæ redigi possint, nempe ad putredinem prauam, & malignam, sed dicat ille (quæso) quomodo fiat illa manifesta qualitas, quam E dicit esse malignam, & in quo illa malignitas cōsistat, quæ differentiam facit inter hanc putredinem, & alias, quæ alias febres non pestilentes pariunt? reuertimur igitur ad occultam proprietatem, & formam quandam diuersam. Quid ergo dicendum in re tam difficili & ardua? Cum enim febris pestilens sit contagiosa, occidatque vt plurimum, & antidotis, si aliqua alla re curetur, oportet profecto talem esse illius causam, quæ possit tria hæc parere; Dicam breuiter, quod sentio: *putredinem, quæ facit pestilentes febres, differre ab aliis, quod maligna primum sit putredo, cū antidotis egeat, vt quæ malignus sit morbus; deinde quod sordida sit putredo, lenta, & glutinosa; id, quod in primis docent, quod pestis sit contagiosa, & vlcera & abscessus, qui fieri solent in huiusmodi febribus, nec nō fœtor maximus, qui emittitur per habitum laborantium, & conturbata vrina, atque excrementa fœtida.*

Deinde causæ efficientes idem ostendunt, nempè aer Austrinus, nebulosus, & vt plurimum ex putridis, & sordidis vaporibus coinquinatus; Deinde videmus, variolas puerorum & tabes ex purulenta, & sordida huiusmodi putredine consistere. & ob lentorem adhærere, contagiosaq; esse huiusmodi mala: nec non suppuratio idem ostendit: nam exsiccantia maximè iuuant, & sudores copiosi, qui ostendunt materiam putredinis maximè esse impuram, & sordidam. Sed quid dicemus de febribus pestilentibus, quæ nihil videntur tale habere? quales sunt, quæ exiguum admodum habent calorem, vrinas bonas & laudabiles, nullum fœtorem referentes? Ego dicam profecto, quod sentio, nostros authores male posuisse has febres inter pestilentes: quando quidem tales multas videmus esse febres, quæ priuatim singulos afficiunt à propriis causis natas, & minime contagiosas. Quare, recte quidem illæ malignæ dici possunt, sed non pestilentes: malignæ quidem, quod occultam habeant causam, vt putredinem spirituum, cum qua non potest esse vehemens calor, & ea malignitas nascitur, vel ex malignis cibis assumptis, vel tandem per adustionem humorum, qui tandem degenerant in bilem æruginosam, vel atram, & ea corpora, in quib. reperiuntur tales humores, ex leui etiam putredine assurgunt vapores maligni, qui spiritus cordis perdunt; Vnde vitalis virtus statim destruitur, & cum bonis vrinis ac sine fœtore, & contagione pereunt laborantes, sine vitio humorum, quod concoctionem illorum turbare potuerit. Siue ergo sordidam & purulentā putredinem & malignam venenosamque dixeris esse formam, quæ constituit pestilentes febres, non magnopere laborabo.

Febres tolnas sanis similes habentes non esse pestilentes.

Nunc sequitur, vt de causis efficientibus febres pestilentes disseramus, an vna & eadem sit scilicet, vel plures, & cum has causas quærimus, illud inuestigamus, quod eam sordidam putredinem vel malignam, quæ constituit naturam febris pestilentis, inferre possit. Qua quidem in re duplex opinio nata est: quidam enim volunt, causas posse esse tum extrinsecas, tum intrinsecas: extrinsecas quidem aerem vel cibum, vel aliam rem venenosam, quæ nos extrinsecus afficit: intrinsecam volunt esse humores, qui talem putredinem acceperunt, vt venenū sint facti. Alii vero volunt, solum pestilentes febres fieri posse ab aere ambiente. Prioris opinionis sūt Montanus & Fracastorius; posterioris Altomarus & ego ipse; prioris opinionis authores se tuentur primum probabili ratione, deinde authoritate: nihil enim obesse putant, si statuant in nobis ex plenitudine, obstructionibus, humorum malitia, sordidas fieri putredines, quæ pe-

Causæ efficientes febrium pestilentium.

stilentem febrem in alio pariant, qualem primo excitarunt in eo, qui primo fuit affectus. Galeni autem authoritate nituntur, potissimum *ex initio libri de cibis boni & mali succi*, vbi refert, ex malo victu multos incidisse in febres cum vlceribus, carbunculis, fœtidis deiectionibus & vrinis; deniq; talia habuisse accidentia, qualia omnes authores commemorant in his accidere solere, qui pestilenti febre laborant. Afferunt etiã, quæ ille habet *in 1. de Differ febr. cap. 3.* vbi refert multos ob potum aquæ fæculentæ, vel lutulentæ, alios vero ex superfluis laboribus & vigiliis, aut cogitationibus, aut frequenti assumptione medicamentorum acrium, vel ciborum assumptione, qui suapte natura sunt mali, vel tales sunt redditi ob malam repositionem, vel longiorem conseruationem, periisse ex putridis & pestiferis febribus. Verum opinio, quæ tenet, febres omnes pestilentes nasci ab aere ambiente præferenda est. Primum quod pestis omnis Epidemicus est morbus; qui vero Epidemicus est, causam omnino habet aerem ambientem. Deinde etsi ex malo victu aliqui in lethales febres incidunt, & malignas, nõ tamen in cõtagiosas; quod si cõtagiosæ quædam sunt, vt febres puerorum, quæ sunt cum variolis, illæ certe non sunt lethales; etsi quædam sunt contagiosæ & lethales, vt tabes, certe istæ vere pestilentes non sunt, quia cum difficultate sunt contagiosæ; eos enim solum trahunt in contagionem, qui diutius conuersantur cum ægrotis; veræ autem pestilentes nullis aut paucissimis parcunt, qui vel leuissime attigerint peste laborantes, aut vestes ab ipsis contactas, aut aerem ab ipsis emissum inspirauerint.

Omnes febres pestilentes fieri ex aere ambiente.

Nec obstant, quæ ex Gal. afferũtur; nam quæ habet *in libro de cibis boni aut mali succi*, docent generationem multorum morborum, quę multa habent communia cum peste, sed tamen propterea pestilentes non sunt febres; quæ vero adducunt *ex 1. de differentiis febrium*, de malis cibis, & potione malarum aquarum, solum ostendũt generationem malorum humorum plurimum cõferre ad generationem omnium morborum & ipsius etiam pestis, non tamen ex ipsis solis humoribus posse pestilentes febres procreari, nisi accedat aeris ea corruptio, quæ apta nata est generare pestilentes febres, quod ex discursu ipsius Galeni patet, & maxime ex ea sententia, in qua ita scribit; *In pestilenti vero aeris statu, inspiratio vt plurimum est causa, fit enim hac aliquando & ob eos, qui sunt in corpore, humores ad putrescendum paratos, cum leuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente acceperit animal.* Ex quibus quidem patet, *solum ipsum aerem inspiratum per se posse pestilentem febrem generare: ipsos vero malos humores, qui sunt in corpore, reddere quidem corpus expositum ad pestem suscipiendam, sed ipsos per se non posse eam generare, nisi accedat illis pestilens aeris constitutio,* quæ, vt ipse credit, facillime operatur in corporibus excrementosis, difficillime vero in aliis. Igitur hoc tanquam certum ponatur, *febrem omnem pestilentem ex aere vitiato nasci, cum morbus sit epidemicus, & contagiosus*, qui fit non solum ex contactu, sed etiam ad distantia; neque enim contagio ea communicari potest nisi per aerem: aqua enim communis multis, potest

A communes morbos, id est, eiusdem generis parere in multis, sed contagiosos non potest, quia medium nõ est, per quod ab vno in alium transire possit malum. Sed iam videamus, qualis sit ille aer, qui pestilens esse potest, & quam affectionem in se recipiat, qui talis est. Sunt, qui putent aerem proprium alicui loco pestilentem esse non posse, *proprium* interpretantur ratione situs, vel temporum anni seruantis suam naturalem temperiem, & oportere aerem pestilentem fieri ex propria aliqua, & non solita cœli constitutione, vel ex anni temporibus non seruantibus suam naturam; & magnam & diuturnam oportet esse eam alterationem in aere, quæ possit eum reddere pestilentem. Qui quidem suam o-

Qualis sit ille aer, qui pestilens dici potest.

B pinionem tuentur ex hoc solum, quod ea loca, in quibus aer vel perpetuo, vel in certis anni temporibus pestilens est, breui temporis spatio omnes occidat.

Sunt tamen quidam loci ita male positi in locis paludosis, & expositi Australibus ventis, in quibus pauci diu viuere possint, quales nos nouimus loca maritima ditionis Pisanæ & Senarũ, tamen morbi non fiunt in illis contagiosi: Merito ergo oportet nouã esse causam in aere, quæ illum reddat pestilentem, de qua iam agendum est. Dubium non est, oportere aerem, qui pestilens sit, putredinem in se continere, & non sufficere aliam quamcunq; in eo alterationem, quæ apta quidem est alios parere morbos, pestem ve-

C ro minime, talem autẽ oportet esse putredinem in eo, quæ sit maligna & contagiosa: nec ratio aut experientia ostendere possunt, qualemcunque in hoc putredinem sufficere ad generationem harum febrium.

Vnde vero sibi hanc putredinem asciscat aer, dubium est. Quidem enim (vt Altomarus) volunt, id solum fieri per mistionem vaporum, & putant sufficere tales vapores, qui sint nebulosi, & caliginosi, quod falsum est: nos enim hic Taurini essemus tertia fere anni parte circa Autumnum, & hyemem in continua peste, cum aer sit maxime nebulosus, & caliginosus. Alii volunt vapores istos esse putridos, quales sunt, qui ex locis paludosis & stagnantibus consurgunt: ve-

Vnde aer malignam sibi putredinem asciscat.

D rum experientia hanc opinionem refellit: sic enim loci maritimi Pisani, & multi alii, essent in perpetua peste. Cogimur ergo fateri, cum aer redditur pestilens ex vaporibus putridis, oportere illam putredinem esse admodum sordidam & malignam, qualis est natura pestis; propterea recte scribit Galen. *lib. 1. de Differ. febr.* tales vapores eleuari ex multitudine cadauerum non crematorum, vel ex lacubus, & paludibus æstatis tempore, cõcurrentibus scilicet tunc duabus potentibus causis ex ipsis locis & anni tempore, ad sordidam putredinem excitandam. Sed ea opinio, quæ ponit, aerem solum putrescere posse per mixtionem vaporum putridorum, reuellitur ex Galeni *libro 1. de febr.* vbi posteaquam at-

E tulit causam putredinis aeris ex vaporibus; *continget*, inquit, *quandoque præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, qua Athenienses inuasit, vt Thucydides inquit: sed in tuguriis suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant.* Præterea, si putredo fit à calido & humido, cur Austrinæ constitutiones diuturnæ non poterunt absque

absque mixtione vaporum per se afferre contagionem & putredinem in aere? Quinetiam aliquando visum est, aerem esse admodum purum aut certe magis, quam in aliis constitutionibus non pestilentibus, vigente peste, nec etiam accessisse tempora admodum humida & calida, quam pestem Astrologi tribuunt syderibus, quę vim habent corrumpendi aerem non facta in eo magna aliqua mutatione secundum manifestas qualitates. Dicunt autem tunc portendi pestem, cum plures planetæ in vnum coeunt præsertim sub insignibus aliquibus stellis fixis. Nec mirum esse debet, quod diximus, absque euidenti mutatione in aere ad putredinem putredines & pestilentes febres procreari: nam occulta quædam est & maligna illius putredinis causa, vt putatur, in his, qui à rabido cane sunt morsi, quem morsum sequitur putrida & ardens febris. Eandem causam habent febres, quæ sequuntur morsiones Viperarum, & aliorum animalium venenatorum. Quid dicemus de Khatableræ animalis aspectu, qui homines in febres lethales inducit? Quid de morbo, vocato Gallico, qui vlcera & pustulas putridas excitat? an huiusmodi putredines excitantur à caussis, in quibus sensus deprehendat tantam esse humiditatem, & caliditatem, quæ respondeant magnitudini putredinis, & malorum, quæ putredinem sequuntur? Potest & aer ipse pestilens fieri propter expirationem, quæ fit ab ægrotantium putridis, & sordidis febribus, ea enim concepta in aere, alios postea inficit eo vtétes. Quare ex hoc etiam constat, non prius fieri pestem quam aer sit illius causa; quod si id, quod expiratur è corporibus illis, non est pestilens, in aere tamen receptum tale fit. Desinant ergo illi authores contendere, omnem pestem nasci à manifestis causis in aere positis, & eas esse solum euaporationem, & caliginem qualemcunque cũ aere mixtam, ex qua aer redditur calidus & humidus. Sic ergo de causis efficientibus febres pestilentes sentiendum esse puto.

Khatableræ animal.

Pestilentium febrium materia subiecta.

Nunc vero de materia agendum est; Qua quidem in re putant Montanus, & Fracastorius, & forte etiam Galenus, pestilentes febres fieri posse in omni materia, in qua alia omnia genera febrium constituuntur, nempe in spiritibus, humoribus omnibus, & partibus solidis; Vnde, nominant diarias, humorales, & hecticas pestilentes; A quorum ego opinione longe absum, nam *in veris pestilentibus, quæ contagiosæ sunt, & non fiunt sine carbunculis, & abscessibus circa loca glandulosa, vel sine vlceribus, & putredine magna partium corporis*, vt in peste scripta à Thucydide, *dubium non est, putredinem semper esse in humoribus, nec in singulis quidem, sed vel in tota massa sanguinis, vel maxime in sanguine ipso quarto humore*: nam inflammationes, & carbunculi talem habent materiam, & pro ratione diuersorum symptomatum, quæ contingunt, requiritur diuersa materia: nam abscessus & inflammationes postulant vniuersam sanguinis massam, & ipsum sanguinem laudabilem; carbunculi vero sanguinem magis adustum, & melancholicum; idem ostendunt maculæ cutis rubentes; & grauitas, & sopor, virium maxima debilitas. Hæc ergo est vera materia febrium vere pestilentium, quæ fiunt cum magna putredine, & fœto-

Veræ febres pestilentes.

A re, & corruptione, & contagione: sordida enim putredo nequit absque tali materia fieri; & id est, quod Galenus scribit *in primo de differentiis febrium*, in pestilentibus febribus humores putrescere in corde, per humores sane intelligens vniuersam humorum massam. Et *in 3. de præsag. ex pulsibus, quando*, inquit, *hic calor fit putridus ad humores contentos in cordis sinibus vniuersim deflexit, multi horum fuerunt superstites*; Quod vero scribit, eos periisse omnes, quibus corpus cordis fuit calore eo putrido affectum, & pestilentes non paucas inde vsque ab initio hecticas extitisse, dubium apud me est, nam scribit ille *passim alibi* nullas hecticas ab initio incipere; deinde mirum est, quomodo pestilentes febres, quæ

B paucis diebus occidunt, hecticæ possint esse: nã hecticæ solent succedere aliis febribus magnis, & longis. si causam habẽt statim suæ generationis, eam habent ex magna caliditate, & siccitate, nõ autem ex caliditate & humiditate, qualis est aer pestilens, nec pulsus illi apparent, & scribuntur vnquam, nisi in pestilenti febre. Præterea, ostendere non possunt modum putredinis solidę substantię cordis: nam Altomarus credit sufficere ad pestilentem hecticam generandam, si cordis substantia solida inficiatur, & coinquinetur (vt ait) ab aere pestilenti: nam ista infectio non putrefacit eam substantiam. Si vero intelligant vere putrescere solidam substantiã, debebant docuisse ex dissectionibus, non ratione fingere. Sunt,

C qui velint (quod tamen ex Galeno probari non potest) etiam diarias fieri pestilentes, sed illi rectius dicerent, posse fieri pestilentes, putrefactis spiritibus; nam reuera diariæ dici non possunt, quandoquidem *diariæ omnes salutares, & in sola calefactione spirituum consistunt.* Tamen reuera ratio & experientia docent, malignas febres, quales sunt illæ, quæ occidunt cum bonis vrinis, & pulsu paruo & frequenti, nec sunt contagiosę, propterea non esse pestilentes, sed tantum malignas: nam fieri nisi ex putredine spirituum non possunt. Corrupto enim calido natiuo communi instrumento, maxime vitalis facultatis & aliarum, mirum nõ est statim corruere omne robur corporis, & præsertim ipsos pulsus: humo-

D ribus vero non putrefactis, aut leuiter, cõcoctio humorum nõ turbatur, propterea vrinę mittuntur simillimæ vrinis sanorum. Confundunt ergo illi malignas cum pestilentibus, cum dicunt, pestilentes fieri non solum in putredine humorum sed etiam partium solidarum, & spirituum: nulla enim ratio cogit, ponere pestilentem febrem in partibus solidis, vel spiritibus; & malignæ omnes cum non sunt contagiosæ, cum bonis vrinis, sunt in spiritibus: alia vero, quæ sunt cum vrinis malis & conturbatis sunt profecto in humorib. sed causam non habent putredinem ex aere ambiente, sed ex corpore ipso; & in malignis humoribus quales sunt bilis atra, ærugınosa, porracea & isatodes, propterea lenticulæ, quæ appa-

E rent in cute, suo colore referũt nunc vnum, nũc alium ex his humoribus. Ridendum vero est, quod scribit Altomarus, spiritus per se, & sua natura putrescere non posse, sed solum per mixtionem aeris pestilentis crassescere, & putredinem admittere, quasi spiritus nostri sint ignis ipse; qui solus putrescere nequit, & non aerei & vaporosi, qui facile admittere possint putredi-

Spiritus nostri posse putrescere.

nem, etiam si non crassescant magis ex mixtione aeris, quasi ipsi semper crassiores non sint aere, & sola crassities rei sit causa putredinis.

Cur in his febribus nūc putrescant spiritus, nūc humores.

Cur vero nunc humores, nūc spiritus ipsi putrescant in his febribus, nulla alia potest assignari ratio, nisi analogia, quam habent res agentes cum patientibus: hac.n.ratione, qui ophthalmia laborant, non inficiunt omnes partes eorū, quos intuentur, sed solum oculos; & qui tabe laborāt, solos pulmones corrumpunt; sunt & alia infinita exempla huius analogiæ ab aliis relata.

Quomodo aer pestilens generet in nobis febres pestilentes.

Quomodo vero aer pestilens generet in nobis febres pestilentes, breuiter doceo, quandoquidem Galenus scribit *primo de differentiis febrium*, hoc fieri per inspirationem maxime, tum etiam per transpirationem attracto illo modo aere in pulmones, & in cor, hoc vero per cutis meatus in ipsas arterias, dum dilatantur; & hoc modo contrectando vestes peste laborantium, nascitur pestis, illo vero ex ipso aere pestifero inspirato.

Quæ ad pestem suscipiendam sint apta.

Nunc vero sequitur, vt de subiectis magis expositis, & paratis ad pestem suscipiendam, agamus. De qua quidem rescribit Galenus, *cap. 4. lib. 1. de Differentiis febrium*, esse maxime apta ad pestem suscipiendam, quæ sunt excrementosa, variisq; excrementis plena: Præterea, in multis partibus obstructa, & plethorica, otiosaq; & crapulæ, reiq; Venereæ dedita, cruditatibusque plena; alia vero corpora ægrius affici apta; summa enim hæc est, quod corpus maxime careat excrementis, & optime transpiret, vt à peste sit liberum magis. Sequitur Galenus *eo loco*, quod rationi videtur consonum, verum experientia aliter fieri sæpe docuit: est enim rationi consonum, vt corpora excrementosa, & quæ sunt calida & humida, magis sint exposita putredini. Verum pestes aliquando senes, debiles, cacochymos non attingunt, eos vero, qui maxime sani, & optimo habitu præditi creduntur, maxime inuadit, & perimit. Aliquando aliter accidit, propter diuersitatem putredinis in aere conceptæ, quæ vt simplex non est putredo, sed maligna, & huius malignitatis multæ sunt formæ, ideo analogia fit diuersa ad corpora patientia; præterea quod scribit de corporis transpiratione, dubitationem habet: nam si pestis nascitur ab aere, qui nos extrinsecus afficit, & id potentius videtur facere posse, cum plures illi viæ sunt apertæ, sufficere videtur via, quæ est per inspirationem, quam prohibere non possumus. In cutis vero meatibus raritas non potest prodesse; Quare videtur mihi ita sentiendum esse, vt corpus non sit plus æquo vel astrictum, vel rarefactum; illud enim prohibet transpirationem semper necessariam ad sanitatem conseruandam, hoc vero nimia facilitate externum hostem nos ambientem, admittit, & recipit in viscera.

Quomodo febris pestilens à putridis aliis differat.

His ita declaratis, iā licet colligere, quomodo differant pestilentes febres ab aliis putridis. Qua quidem in re, Altomarus in multis ponit differentiam; Primo, quod pestilentes semper ab aere nascantur, aliæ vero ab aliis causis, nempe internis, nunquam vero ab externis; quod diligenter est excutiendum: nam (vt antea diximus) *Ex nobis nasci possunt malignæ febres, & etiam cōtagiosæ, sed quæ simul sint malignæ, contagiosæ, & le-*

A *thales, non nisi ab aere ambiente fieri possunt*. Deinde (vt verum est) *vere pestilentes primam habere originem ab aere*, ita aliæ omnes, quæ ab vno in alium transeunt, non semper habent causam aerem ipsum, nisi velimus vapores, qui exhalant à corporibus laborantium, vel conclusi sunt in vestibus illorum, ad aerem redigere, quod videtur mihi nimiam habere subtilitatem.

Falsum etiam est, quod scribit nunquam fieri alias putridas à causis externis, quandoquidem in dies docet experientia, externum frigus & calorem sæpe afferre pleuritides, anginas, quę sunt cum febribus putridis, & ipsas etiam putridas solas absq; inflammationibus.

B Secundam ponit differētiam, quod pestilentes fiant ab excellenti putredine, aliæ vero non, & id habet (vt diximus) ex Galeno; verum si vterque vult illas febres esse pestilentes, cum quibus vrinæ minguntur simillimę vrinis sanorum, non potest illa excellens putredo esse in omnibus pestilentibus; præterea, in Causone videtur fieri putredo, quæ non cedit putredini pestis in excellentia & magnitudine putredinis; rectius itaq; dixisset differre pestilentes ab aliis putridis, quod simplex sit in aliis putredo, in pestilentibus vero maligna & sordida.

Tertiam ponit differentiam cum Montano, quod in pestilenti putrescat in corde aliqua illius substantia, humor, inquam, vel spiritus, vel solida substantia: in aliis vero putridis, solum perueniat ad cor calor, & vapor putridus. Verum (vt antea ostendimus) *in omni putrida putrescunt humores in corde, siue pestilens sit, siue non.* Deinde, in illa pestilenti putrescit solida substantia, nō spiritus, & cum hi putrescunt, fit quidem maligna febris, sed non pestilens, quæ non potest fieri sordida & plena carbunculis, & vlceribus absque humoris putredine. *Propria ergo differentia in hoc consistit, quod pestilentes febres fiunt a putredine aeris maligna ex putredine totius massæ maligna & sordida.*

Signa à nobis tradenda sunt, quę futuram pestem præsagiunt, quæ præsentem monstrant, & salutem vel mortem portendunt in his, qui ea
D laborant.

Pestis signa prognostica.

Sumuntur autem signa omnia prognostica, indicantia futuram pestem, à causis ipsius efficientibus, & efficientes ipsas declarantibus, & ab ipsa corporum dispositione, siue à causis patientibus. Porro efficientes sumuntur à cœlo, aere, aqua, terra, & his quæ in ipsis fiunt. Dicunt enim astrologi tunc portendi pestem, cum plures Planetæ in vna parte reperiuntur, ita, vt plures fiant vel Septentrionales vel Australes. Item, cum inuicem coniunguntur; tunc enim primum fiunt plurimæ humiditates in aere, sublatis multis vaporibus ex terra & aqua; deinde sequuntur siccitates, & putrefactiones multæ; quod si Planetæ plures in vnum coniungantur sub fixis stellis,
E tunc subsequitur contagium.

1. Ex astrologia.

Præterea, sunt quidam aspectus Planetarum, qui eadem etiam portendunt incommoda. 2.

Ex aere.

In aere vero hæc signa præsagiunt pestem. Primum, crebræ incēsiones, quæ fiunt in suprema ipsius regione, cadentia sydera, cometæ, trabes, capræ, & reliqua huiusmodi: Hæc enim ostēdunt putrefactionem fieri circa terram, quoniam

niam huiusmodi incensiones fiunt ex materia vn-
ctuosa & lenta. propterea monstrant tales quo-
que vapores esse, qui ex terra attolluntur, hinc
putredines nasci oportet. Idem præsagiunt, quæ
3. in inferiore aeris regione apparent, Austri diu-
turni, & caligines. quę regionē aliquandiu occu-
pant, etsi sol obfuscatur ab aere fusco & pulue-
rulento. & si venti aliqui veniant ex regione pe-
stilēti. Quod vero Montanus & Altomarus scri-
bunt, pestem quoq. præsagiri, cum aer turbidus
& crassus redditur ex vaporibus crassis. terrenis,
& turbulentis, adeo, vt per illos solis radii vix pe-
netrare possint, caret ratione & experiētia, id e-
nim cōtingit in aere ex sola nebula; Quare, nos
qui Taurini habitamus, vbi ▪ durat singulis an-
nis per totum fere Autumnum, essemus in per-
4. petua peste; oportet ergo vapores, qui ex terra
attolluntur, non esse solum crassos, sed malignos
& sordidæ putredinis sobolem, quales sunt, qui
ex locis stagnantibus, & strage cadauerum, ex
multo fimo & infectionibus, & multis excre-
mentis relictis à stationibus magnorū exercituū
5. emergunt. Item pestem maxime præsagiūt, cum
ea quæ aeri exponuntur, cōtrahunt facile situm
6. & putredinem. Terra quoq; sua præbet indicia,
cum plurima dissecta animalia profert, vt mu-
res, ranas muscas, papiliones, pulices, cimices, &
exigua quædam animalia per aerem volitantia,
vt ego vidi in solo meo natiuo, Castronouo A-
stensi, anno 1519. videbantur enim in aere corru-
pto ab Hispanorū exercitu, volitare magnæ tur-
mæ paruarum muscarum, quales sunt, quæ circa
vina generosa generantur, moscigliones nos vo-
camus.

Idem prænunciant locustæ, quæ & putrefa-
ctionem factam ostendunt, & illam rursus pari-
7. unt, cum in terra moriuntur & putrescunt. Item,
terræ motus, qui emittunt vapores putridos, &
serpentes, & alia animalia, quæ in terra latere so-
8. lent, si exeant, fugientes vapores intus putrefa-
9. ctos. Item, si animalia volatilia relinquant suas
sedes, & deserant oua, indicia sunt aeris iam cor-
10. rupti. Aqua quoque dat sua indicia, cum loca vel
iam sunt paludosa, vel talia sunt facta ex inunda-
11. tione fluminum diu restagnantium. Item, cum
mare pisces plurimos mortuos reiicit ad littora,
& animalia multa, quæ in superficie aquæ gene-
12. rantur, & apparēt. Item, habitationes dant quo-
que sua signa; nam si parietes præter solitum hu-
mescunt & fœtent, si cloacæ plus solito malum
13. spirant odorem, timendum est; quinetiam pe-
nuriæ, & fames, cogunt homines vesci herbis &
aliis cibis malis, ex quibus putridi humores in
nobis fiunt, & ex multis laborantibus aer infici-
14. tur, qui postea multos afficit. Item, crapula, &
15. cruditates, idem fere faciunt. Iam vero & corpo-
ra ipsa, quæ patiuntur, solent hoc malum præ-
nunciare; Timere enim debent homines, quā-
do magna fit strages in aliis animalibus, quæ no-
biscum cōuersantur, vt sunt boues, oues, & syl-
16. uestria animalia multa inueniūtur mortua. Item
cum arbores fructus suos non edunt solitos, aut
eos corruptos, & cum circa folia ipsorum appa-
17. ret color vitiatus, vel puluis inspersus. Item, vbi
corpora nostra male colorata, & ad motum pi-
gra sunt reddita, & præter euidentem caussam
tristantur. Hæc omnia & similia, pestes præsagi-
unt futuras.

A Præsentem vero pestem declarāt ex aliorum *Signa pestis præsentis.*
authorum opinione multa, quæ propria nō sunt
& inseparabilia febribus pestilentibus, ac illa va-
ria sunt, nec sibi constantia, quæ tradunt: aiunt
enim, calorem magnum videri ob insignem pu-
tredinem, aliquando vero esse similem calori sa-
norum: quoniam (inquit Montanus) deficit sub-
stantia calidi innati, sed quantum ea deficit, tan-
tum, inquit, crescit qualitas, & ex his duobus fit
caliditas in toto, similis naturali: & quia deficit
(inquit) substantia calidi innati, extrema frigent.
Scribit & Altomarus, calorem huius febris dif- *Refutatio opinionis Altomari, de calore.*
ferre à calore aliarum per excellentiam putredi-
nis; quare (inquit) nec calidi, nec peturentes vi-
debuntur, quamuis intus ardeant; quæ paucis
B sunt refellenda, antequam ad alia signa accedā-
mus. Igitur si excellens est putredo, quomo-
do potest calor esse similis calori sanorum? Aut
quo pacto possunt extrema frigere ex hac causa?
quomodo etiam sequitur, calorem esse secun-
dum naturam si deficit substantia & augetur
qualitas?

Si præterea excellens est putredo, quomodo
calidi non apparebunt intus & foris, sicut cōtin-
git in aliis febribus putridis? Dicēdum igitur est,
si febris pestilens est semper in humoribus, ma-
xime in tota massa, vel in ipso sanguine, calorem
esse insignem & copiosum cum magna euapora-
tione, sed non acrem. Quod si aliquando extre-
ma frigēt, necnon est proprium indicium febris
C pestilentis, sed internæ inflammationis coniun-
ctæ cum tali febre, vt cum aliis etiam sæpe con-
iungitur. Quod si calor aliquando est exiguus,
qualis in sanis, hoc non contingit in febribus ve-
re pestilentibus, sed in malignis, quæ sine insigni
putredine & sæpe non facta in humoribus, sed
ex maligna in spiritibus consistunt. Hæc ergo de
calore febris pestilentis sint dicta.

In vrinis quoq; eadem est discrepantia & va-
rietas: nunc enim dicunt eas esse secundum na-
turam, aliquando vero tenues, idq; contingere,
quod natura debilis nequeat excrementa cum v-
rina miscere; & quæ similes sunt sanis, dicunt es-
se pessimas, aliquando dicunt esse turbatas, quia
totus sanguis putrescit & ebullit; aliquando di-
D cunt esse nigras, aliquando oleosas, aliquādo ha-
bere subsidentias malas, & eas esse tales, quæ in
medio vasis pendent. Quæ omnia egent animad-
aduersione: nam *si pestis sit ex sordida putredine* *Vrina febris vere pestilentium.*
sanguinis, necesse profecto est, illas esse crassas subiu-
gales, pessime olentes, & hoc debet esse commune
omnibus vere pestilentibus. Quod vero ali-
quando postea sint nigræ, vel flauæ, vel oleosæ
simul, hoc contingit ratione diuersorum subie-
ctorum, in quibus diuersi humores abundant.
Falsum vero est, quod ponūt, vrinas fieri tenues
ob debilitatem naturæ expultricis; nam si con-
coctio generasset excrementa, robur non requi-
ritur ad eorum expulsionem per vrinam; pessi-
mas autem esse illas vrinas, quæ simillimæ sunt *Vrinas sanis similes non fieri in febribus pestilentibus, sed quibusdam malignis.*
E vrinis sanorum, & tales fieri in his febribus, ab-
surdum est: nam in malignis febribus, nō pesti-
lentibus, tales possunt fieri vrinæ, quia leuis est
in illis putredo, & sæpe in solis spiritibus, quo-
rum vitia non mutant humores. Bonæ autem
vrinæ semper sunt bonæ, nec pessimæ esse pos-
sunt, vt Hippocrates satis docet *in prædiction.* sed
ex bonis illis vrinis in malignis febribus colligi-

mus, vitium non esse in humoribus, & illud non posse tolli per euacuationẽ, & alia remedia, quæ pugnant aduersus notas causas; quare, per abnegationem & non habitum, & suam naturam, tales vrinæ sunt malæ.

Pulsus. In pulsibus vero sunt quoq; sui errores: volunt enim illi, pulsus aliquando nõ excedere naturalem statum, & fere similes esse naturalibus; aliquando dicunt esse celeres, frequentes, & sæpius imbecillos. Ratio autẽ vult, nunquam posse pulsus esse in his febribus bonos, & similes naturali, siquidem putredo maligna in corde necessario destruit visceris robur: *Erunt ergo pulsus parui, debiles, frequentes.*

Respiratio. *Respiratio vero erit magna & difficilis, atq; velox*, ob vehementiam putredinis & caloris, seruato robore animalis facultatis mouentis thoracem, quæ necessario non destruitur labefactata vitali. *Est quoq; respiratio cum graueolentia.* *Facies.* Tradunt quoq; illi, oculos esse igneos, & in ore colorem, qualis conspicitur in erysipelate, vel herpete, & eos cibum respuere, sitire præter modum, frigidam postulare, delirare, sopores, conuulsiones, vlcera praua, & syncopes pati, vocem vitiari, stomachum morderi, cor palpitare, maximam esse inquietudinẽ, euomi bilem, deiici biliosa, tenuia, flatuosa, graueolentia, colliquata, & pinguia, quæ omnia sunt vel ratione subiectorum, aut diuersarum causarum, quæ cum ipsa peste coniunguntur. Proprium autem ipsius est, quod in primis diebus carbunculi vel abscessus fiant in locis glandulosis. At vero illi cum plurimum laborant in signis colligendis, & symptomatis, omittunt interim præcipua indicia, quæ sumuntur à causis ipsius pestis, & proportione atq; similitudine: vbi enim aer est pestilens, ex hoc solo signo intelligere possumus, febres, quæ tunc nascuntur, pestilentes esse, etsi aliqui iam fuerunt correpti febre pestilenti, merito eos, qui talia habent symptomata, qualia apparuerunt in illis, pariter eodem morbo correptos iudicare debemus.

Signa futuræ salutis aut mortis. Cæterum, præsagiemus salutem aut mortem maxime ex signis suapte natura lethalibus, vel salutaribus in omnibus, & ex his, quæ in primo affectis visa sunt ostendere salutem, vel mortem.

Præseruatio à peste. Sequitur nunc, vt primum doceamus præseruationem à peste; Deinde illius curationem. De quibus alii tractant sine principiis, & cum generalibus scopis. Constat autem præseruatio omnis in hoc vno, vt causæ, quæ vim habent nocendi, eam amittant; id quod fit duobus modis; quorum Primus est, vt frangamus vim, quæ est in ipsis in causis efficientibus; Secundus est, vt subiectum, in quo agit, reddamus ineptum ad patiendum. Igitur, cum pestis omnis nascatur ex aeris ambientis corruptione, danda opera est, vt ipsum aerẽ atq; illius iniurias fugiamus; id quod fit multis modis, pro diuersitate causarum, quæ *Correctio aeris.* ipsum afficiũt. Ergo duo erunt modi, vnus vt in aerem salubrem nos conferamus, idq; *Cito*; quia in mora periculum est. *Longe*, quia spargitur aer in vicina loca. *Tarde* quoq; redeundum est in loca, vbi pestis grassata est, quoniam diu perdurant seminaria aeris corrupti, & difficile est illa in omni loco, vbi habitamus, absumere; quod si facultas non datur recedendi, mutatio in aere tentanda est, non solum, vt alii faciunt, per pri-

A mas qualitates, existimantes refrigerantia & exsiccantia, vt quæ resistant putredini maximam vim in hac re habere: nam præter putredinem, quæ est in aere cõcepta, ea adest malignitas, quæ non cedit illis remediis.

Quare solus ignis potest omnibus malis, quæ sunt in aere succurrere: ille enim, vt recte inquit Aristot. omnia absumit, quia omnia habet pro materia: accendantur ergo ignes luculentissimi per omnia loca peste afflicta, & in singulis domibus ex lignis & herbis odoriferis, & resinatis, qualia sunt pinus, pica, terebinthus, lentiscus, rosmarinum, thymus, serpillus, saluia, quercus, nuces spineæ, & alia huiusmodi odorata, calidæ & siccæ facultatis, quæ purissimum ignem

B concipiunt, & alunt. Proderunt etiam suffumigia ex caryophyllis, nuce muscata, mastice, *Suffumigia.* thure, myrrha, ammoniaco, storace, granis iuniperi, inter se mixtis, & cum terebinthina redactis in globulos, qui postea super carbones impositi, igneum vaporem emittunt. Quod si vehemens calor viget, purgato aere prius per supra dicta, proderunt flores & fructus, frondes, & alia refrigerantia, & exsiccantia, ad aeris eas iniurias corrigendas; spargãtur ergo rosæ, nymphea, violæ, flores salicis, & quercus. Item aqua rosacea cum aceto mixta & sandalis & camphora. Præterea, teneantur in cubiculis citria mala, limones, poma citonia, & alia, quæ sunt odorata. Arcendus præterea est aer pestilens,

C clausis fenestris, quæ respiciunt aerem, qui venit ex locis infectis; quod si nullus talis locus est, sed in eo, in quo habitamus, vitium consistit, si quando aperiendæ sunt fenestræ, illæ sunt aperiendæ, quæ spectant ad Aquilonem. Atque hæc sunt, & similia, quæ aerem pestiferum corrigunt.

Iam vero corpora ipsa reddemus inepta ad aerem eum recipiendum, & pestem admittendam, non purgatione, aut sanguinis missione, vel inedia, aut reliquis remediis exsiccantibus nostra corpora, vt Galeno visum est *libro primo de differentiis febrium*, qui hæc præcipit, eo, quod crederet, pestilentes febres formam suam habere duntaxat in excellenti putredine, & illam ma- *Corpus ineptum ad pestem recipiendam reddendum.*

D xime constare humiditate: nam vt hæc fortasse antequam aer sit pestifer, prodessent, ita iam præsente peste, nihil magis periculosum, quam agitare humores, & rarefacere corpus, viresque debilitare; id quod docuit sæpe experientia, tutiores esse senes, quam iuuenes; cacochymos, euchymis; debiles quam fortes: eo quod cum his pestis analogiam habeat, cum illis vero minime. Maneant ergo corpora in eo statu, in quo erant antequam inuaderet pestis; Et vt non laudo tenuem victum, sic crapulam damno: si tamen aliqua euacuatio admitti potest, concedantur pillulæ Ruffi, quæ recipiunt aloes partes duas, myrrhæ, croci, ana partem vnam, vel vt *Pilulæ Ruf.* alii volunt, aloes & ammoniaci, ana partes duas,

E myrrhæ partem vnam, & sumatur drachma vna bis, vt alii volunt, vel vt nos, semel in hebdomada. Ridiculum vero est, quod Altomarus scribit, extenuanda esse corpora, sic enim minus aeris attrahi; nulla enim ratio est, quæ suadeat, talia corpora, quæ biliosa sunt reddita, & rariora, minore aere egere aliis: Munienda ergo sunt illa alia ratione: erit autem ea accommodatissima, si

ma, si aer, qui expirat, vim habeat frangendi venenum, quod est in aere extrinseco, id quod facit allii vsus: vnde, merito dicitur Theriaca rusticorum. *…lium.* Proderunt etiam Iuniperi grana in ore retenta & mastica[?], & gentianæ radix, & galanga, & cinamomum, caryophylli, & alia aromata & semen Citri, hæc enim nos muniunt, ne extrinsecus aer facile lædat, eo quod per expirationem eum corrigunt, & ipsum, qui immittitur, frangunt. Idem præstant odoramenta naribus admota qualia sunt aqua rosarum cum aceto, caryophyllis, sandalis, & camphora simul mixtis. *…lli.* Decumbant tunc homines non in lectis ex pluma vel lana confectis, sed ex frondibus, rosis, myrtho, scordio, & aliis huiusmodi; sic etiam induant corpora, *…stimenta.* non ex pluma, non ex pellibus & pannis ex lana confectis, sed ex serico non villoso, cuius generis sunt, quæ vulgo vocantur damascum ormesinum, rasum, siue satinum, & quæ sunt huius generis, hæc enim aerem & puluerem externum non facile admittunt. Nec etiam laudare possum eos, qui gaudium & lætitiam omnibus remediis præferunt in illius mali præseruatione: *…tus ani…* nam vt tristitia & omnes immoderati affectus animi obsunt, sic gaudium eo, quod corpus & cutis in eo rarescit, & peruium redditur aeri corrupto.

Qualitas alimentorum. Hæc de præseruatione, nisi addere velis qualitatem alimentorum, quæ aliis præstare videntur. Qua in re laudant omnes acetum & acida omnia, vt quæ frigida sint & siccantia, & propterea repugnent putredini; sed rectius laudanda essent austera & acerba, quæ insignem habent frigiditatem & siccitatem: nam præter acetum, quod habet acerbitatem admixtam, quæ pure sunt acida, frigida sunt & humida, vt Galenus docet *in libro 4. de simplicibus medicamentis*, præstat adhiberi in vsum ea alimenta, quæ sint temperata, & boni succi, pro natura hominum, & temporum anni, & aeris constitutione. sic enim firmabitur corpus bonis humoribus instauratum.

Febrium pestilentium curatio. In nullo genere morbi maior controuersia est inter Medicos, quam in curatione febris pestilentis; quandoquidem non est reperire duos, qui in vno & eodem remedio conueniant; Sunt enim, qui tradunt, nihil præsente peste moliendum, antequam natura viam aliquam monstret: nam si sanguinem, inquiunt, mittas, & sequatur abscessus, & carbunculi, error videbitur factus, eo, quod naturæ motus sit tardatus aut quod ex parte sit missus, quæ non seruat rectitudinem cum ea, in quam decubuit fluxio Ita in purgatione, & in victu, & reliquis omnibus auxiliis controuersiæ extant, eo quod sæpe viderunt prodesse in vna peste, quod in alia obfuit. Et quoniam ignoratur propria forma ipsius pestis, præsertim ea, quæ ex malignitate sumitur, ideo non possumus contraria auxilia excogitare per indicationes fallit quoque sæpe experientia, nec sufficit de simili ad simile transitus per analogismum; cogimur tamen in re tam ancipiti omnia tentare, & primum, quæ ratio iudicat meliora esse: deinde quæ experientia comprobauit aliorum, qui euaserunt felici successu, & notauit fugienda esse quæ aliorum periculo & malo cognita sunt obesse. Cum igitur ostensum sit, pestem fieri ex putredine sordida, & malignitate nata ab aere am-

A biente corrupto, vtroque modo, per putredinem, inquam & malignitatem, sequitur, tria requiri præsidia in his, qui in aere pestilenti viuunt, quorum primum est, prohibere, ne aer, qui iam malum peperit, illud augeat, & foueat. Secundũ, vt contra eam sordidam putredinem pugnemus. Tertio, vt contra malignitatem remedia quoque adhibeamus. Quod si interim in corpore sit superfluum, quod augere possit has affectiones, vel symptomata afferre diuersa his, quæ ab ipsa peste nascuntur, & ipsius causis, vnde sæpe æqua le periculum imminet, illis pariter succurrẽdum. Atque hæc sunt indicantia. Videndum postea est, quomodo vires se habeant, an tales sint, vt penitus contraindicent esse faciẽdum, quod postulant indicantia, aut solum moderẽtur auxiliorum vsus. B Porro aeris iniurias, vt diximus, euitabimus illius mutatione, quæ cito fiat, longe, & tarde: aut si mutari non possit ob vrgens malum vel quia non adest facultas, deficientibus ministris, qui ægrum nolint contrectare, aut quod nolint eum recipere, qui fruuntur aere adhuc salubri contagionem timentes, corrigendus erit non solum per refrigerantia, & exsiccantia, vt alii, qui febris maiorem rationem habent, quam conueniat putredini, & malignitati in aere receptæ, sed maxime & primum per ignem, qui aerem purgat, & omnia in eo recepta seminaria cõtagionis absumit. Fiant ergo suffumigia odorata & ipse ignis in medio cubiculi accendatur, atque C ita purgato aere, si febris postea videtur exigere refrigerationem, adhibeantur, quæ eam inducãt in aerem, per aspersionem aquæ rosaceæ, aceti cum sandalis, camphora, & aliis mixtis, & cum suffumigiis confectis ex ipsis rosis, mastichæ, ladano, & prædictis. Ipsa vero putredo non postulat ea remedia, quæ alii maxime commendãt, deobstruentia scilicet, extenuantia, & incidẽtia, quæ maximi sunt vsus, cum putredines ex internis causis nascuntur, vbi vero aer in causa est putridus, qui per contactum & mixtionem putrefacit, quoscunque inuadit, quid possunt prodesse huiusmodi auxilia? Essent ex vsu, si natura medicinæ dedisset ea, quæ separare possunt aerem intus receptum à reliqua substantia nostri corporis, D vna cum his, quæ ab ipso iam sunt corruptæ, sed cum nihil tale habeamus, cogimur tentare euacuationem humorum, cum quibus ea contagio est implicata, quæ, etsi non sunt propria remedia, sæpe tamen prodesse cernuntur. Videndũ ergo primum an sanguis mittendus sit, ex qua vena, & quantus, & quomodo, & quo tẽpore, & per quem corporis locum.

Quam re sunt, qui putent, omnem sanguinis extractionem obesse, propterea quod vires debilitet, quas iã venenosus morbus afflixit, & seruare oportet tantum, quantum fieri potest ad concoctionem, & expulsionem tam venenosæ materiæ. *An sanguis in curatione pestis mittẽdus.* Alii (vt Fracastorius) damnant sangui- E nis missionem secta vena, vt quæ venenum extrinsecus adueniens trahat in viscera; laudant autẽ admotionem cucurbitularum cum scarificatione, eo quod putent fieri veneni extractionem. Contra vero Montanus, hanc extrinsecam euacuationẽ per cucurbitulas vituperat, eo quod (inquit) tenuem solum sanguinem ad cutem commoueat scarificatam, cutẽ refrigeret obstru atque. Ego vero nec hos, nec illos probo: nam

si, vt illi volunt, pestilens febris fit ex insigni putredine, necessaria vtique semper erit sanguinis missio ad transpirationem, quæ putredinem in omnibus putrescentibus excitat, qua ratione venæ sectio quoq; prodest: quia efficacius, quam alia, quæ sanguinem extrahunt, interna viscera refrigerat, & vapores in venis, & arteriis contentos educit. Vena ergo secanda, si vires ferunt, ratione ipsius putredinis, & multo magis, si adiungitur multitudo, aut vrgent aliqua symptomata, quæ validam reuulsionem suadeāt, vt sopor, delirium, nec ea quidem omittenda est, etiam si lenticulares maculæ per cutem sint sparsæ, nisi id contingat concocto morbo: nam vbi symptomatice & circa initia morbi fiunt tam debiles expulsiones, tardari non debent magna auxilia, quæ cum omittuntur, in maxima discrimina in tam præcipiti occasione ægrotos præcipitant: sic enim in pleuritide, angina, podagra, & omnibus aliis fluxionibus, & morbosis expulsionibus, sanguinem non veremur mittere; at vbi apparere incipiunt bubones, aliter faciendum censeo: prætermittenda enim tunc est omnis euacuatio, quæ cursum impedire potest magnæ fluxionis ad locum ignobilem, per quem facta suppuratione, quicquid intus continebatur veneni, emitti potest.

Quare, tunc cucurbitulæ loco tumenti adhibendæ, vel galbanum, vel diachylon magnum, vel aliquid huiusmodi, quod fluxionem alliciat, locum calefaciat, vt fiat citius ebullitio, & suppuratio noxii humoris, ad quod multa conferunt pro diuersitate tumoris plus, vel minus calidi, & dolentis: sed in hoc casu præter cætera visitata auxilia, experientia comprobatur in vno ex meis fratribus, Iurisconsulto, qui septuagenarius adhuc sanus viuit; cum enim ille peste laboraret cum bubone sub axillis, admotum fuit medicamentum confectum ex axungia veteri porci masculi, mixta cum costis foliorum ramicis, inuolutis cum petia madida, & coctis in furno, mirum est, quantum hoc remedium contulerit ad velocem suppurationem promouendam. Adhiberi possunt ad eundem vsum, cataplasmata ex foliis, & radicibus maluæ, altheæ, capitibus liliorum, semine fenugræci, lini cum farina tritici, axungia porci, butyro, & oleo. Quod si carbunculus vrget, pariter omittenda est sanguinis missio; & candenti ferro locus inurendus. Vena igitur aperienda, & directa ipsi cordi potissimum, ex vena interna cubiti brachii sinistri. Quod si vires iam labuntur, aut sopor vel delirium vrgeat ægrotum, venæ ani per admotionem hirudinum aperiendæ sunt. Quod si hoc etiam fieri non potest, tunc cucurbitulæ paruæ, & frequentes cum scarificatione cuti affigendæ: quod si post hæc auxilia caput vel delirio, vel sopore, vel dolore tentatur, vena aperienda est incisione vel per hirudines sub auribus, vel in fronte, aut in naribus, aut in occipite.

Quæ vena secanda.

Quantum sanguinis mittendum.

Cæterum, sanguis, si vires constent, affatim mittendus, & non per vices (omnis enim mora in hoc malo lethalis est) tantum vero detrahendum, quantum vrget plenitudo, putredo, & symptomata, quæ suadent sanguinem esse mittendum. Atque hæc quidem de sanguinis missione dicta sint.

Porro, in purgatione sunt quoque suæ difficultates: nam sunt, qui existiment, purgationem non esse tentandam in morbo hoc, cum quo perpetuo coniunctus est alui fluor. Alii vero, quod tardius natura præstat, & irritata potius, quam salubriter agens per medicamenta accelerandum esse iudicant, & in eandem mitioribus remediis; Alii vero etiam validioribus faciendum esse iudicant. Ego vero, vt arbitror, inseparabilem non esse alui fluxum ita eo absente censeo, non omittendam esse purgationem, & in ipso etiam fluore, qui non fiat pro quantitate morbi, aliquid exhiberi potest, quod leuiter venenosam materiam propellat: vbi vero aluus adstricta est, tentanda est primum purgatio per mitiora remedia, alioqui etiam fortiora tentanda, omnia enim in vsum ducenda sunt in tam graui affectu: nam, vt inquit Celsus, *sæpe eos sanat temeritas, quos ratio sanare non potuit.* Igitur inter leuiora purgantia, sunt, qui præferant omnibus rhabarbarum, propterea quod exsiccat; & ob id damnant cassiam, vt quæ ob suam humiditatem putredinem augeat. Ac vt semel dicam, non solum in purgatione, sed etiam in præparatione humorum, & victu damnant omnia, quæ vim habent humectandi, probant autem maxime frigida & sicca, tanquam maxime contraria putredini, quæ maxime excellit in febribus pestilentibus; à quorum quidem opinione ego longe absum, nixus non solum ratione, sed etiam maiorum nostrorum authoritate. Nam primum illud affero, quod antea probaui, nullam tam excellentem putredinem reperiri in his magis, quā in aliis: Deinde, hoc etiam concesso, non sequitur, necessariam esse siccitatem ad putredinem vincendam, quæ consistit in humoribus putridas febres committentibus: nam, vt Galenus scribit *in 3. Artis Medicinalis*, remedium huius putredinis est concoctio, quæ putredinem finit manente adhuc substantia, ad differentiam illorum, quæ perfectissime concoquuntur, vt sunt alimenta, quæ assimilantur, & concoquuntur per substantiam & qualitates, & post concoctionem transit in nutritionem. In generatione vero puris & humoris putrescentis in febre, qualitates assimilantur, substantia vero inutilis relinquitur. Quare recte dicit, manere post concoctionem substantiam, quæ eget euacuatione. Si igitur per concoctionem putredo corrigitur, nō erunt exsiccantia præcipua & sola remedia: si enim materia mediocris est calida, & humida, vt quæ similia sint nostræ naturæ coctionem iuuabunt: si vero calidior erit humor, & siccus, frigida & humida erunt remedia concoctionis. quomodo Galen. scribit *in 8. Methodi* frigidæ potionem biliosis esse ex vsu ad concoctionem; At si materia, quæ putrescit, fuerit pituitosa, à calidis & siccis concoquentia erunt sumenda, quo modo Gale. diatriū pipereon in quotidianis & quartanis exhibet. puto quidem eos scriptores, inter quos fuit Montanus & alii omnes recentiores, eandem esse rationem existimasse de putredine humorum, quæ est de putredine partium, quæ fit in gangrenis, & sphacelo, sed longe diuersa est ratio: nam in gangrenis perfecta est putredo, quæ non nisi exsiccantibus aut causticis sisti potest humores vero putrescentes, in quibus speratur concoctio, mixtam habent naturam inter ea, quæ perfecte sunt putrida, prorsusque dissimilia,

An purg... ne venæ...

Remedium huius putredinis.

milia, & illa, quæ perfecte concoquuntur & penitus similia euadunt; vnde tales humores nunc putridi, nunc concocti dicuntur, vt pus: ob qualitates similes concoctum dicitur, ob substātiam dissimilem & corruptam pus & putridum, à putredine enim pus deriuatur. Quod si humores illi, qui febrem faciunt putridam, non concoquuntur, tunc sequitur mors, & aliquid fit in illis gangrænæ simile. Sed huic malo nequeunt etiam siccantia succurrere, nimirum quod humorum putredo sisti non potest, nisi per concoctionem; quod etiam contingit in non perfectis gāgrænis; tunc enim ad sanitatem paratur via, cum pro virulētia sordida & fœtida, pus gigni incipit, quod ostēdit in aliqua qualitate assimilationem, & tandem perfecte assimilatum euadit. Quod vero perfecte est putridum, nec per exsiccantia sanatur, sed vt dicitur, ense rescindendum est, ne pars syncera trahatur: siccantia vero prosunt solum ad prohibendam putredinem, ne serpat: sed quicquid sit, ratio iudicat per concoctionē finiri putredinem humorum, & non conferre semper exsiccantia. Ad id. n. pertinet, quod scribit Hipp. Febricitantibus omnibus conuenire victum humidum; & quod habet Gal. *in lib. ad Glauc.* & *passim alibi*, exquisitas tertianas remedia postulare refrigerantia, & humectantia, quoniam quidem putredo in aliqua febre, ob putredinem postularet exsiccantia. dentur ergo medicamenta purgantia & alterantia, quæ possint retundere qualitates in humoribus excedentes, & ob excessus naturæ dissimiles. Proderit ergo in aliquibus Cassia, vt in maxime biliosis & pituitosis, & manna; in serosis vero syrupus rosaceus solutiuus, rhabarbarum vero in nullo humore vnquam adhiberetur, me authore in principiis febrium, nō quod sit violentum remedium, sed quia materiam bene coctam exigit, & vias expeditas, cū non solum per aluum, sed etiam per vrinam corpus purget: In crudis vero humoribus agitationem facit, calefacit, exsiccat, & denique omnia turbat. Præstat igitur ab eo abstinere; & aliis vti, quæ carent his malis. In morbi vero declinatione, nihil rhabarbaro melius ad cineres ex putredine derelictos euacuādos. Facta autem leui purgatione ab initio, reliquum, quod superest materiæ, præparandum ad concoctionē, id quod fiet per syrupos in peste commendatos, & herbas atque semina, & alia, ex quibus liquores fiunt, miscendi cum supradictis syrupis; eligi tamen debēt ex tota hac materia, quæ respōdeant naturę humoris peccantis, & quæ potissimū roborēt. Syrupi laudantur in his febribus de limonibus, de succo acetosæ, acetosus simplex, & compositus, oxysachara, syr. de granatis, vel de acetositate citri, qui omnib. est pręferēdus, de corticib. citri, vbi febris non est vehemens, & cordis imbecillitati est succurrendum. Prodest etiam syrupus de buglossa, & de melissa in mitiore febre.

sect. 1. aph. 16.

Syrupi præparantes.

Liquores autē fiunt ex cichorio, acetosa, tormentilla, scabiosa, carduo benedicto, scordio, valeriana, dictamno albo, corticibus, & seminibus citri, seminibus communibus frigidis, floribus cordialibus, prunis, tamarindis, buglossa, boragine, decoctis vel destillatis, & admixtis etiam nō solum cum syrupis, sed etiam cum antidotis cōmendatis in hoc malo & aliis venenosis affectibus, de quib. paulo postea agemus. Porro, si malum mitescat, & concoquatur illius materia, in declinatione reiteranda erit purgatio per commoda præsidia, quippe, quæ præter rhabarbarū, agaricum, diacatholicon, syrupum rosaceum solutiuum & compositum nostrum, commendatur triphera Persica.

Aqua destillata.

Purgantia in declinatione vsurpanda.

Hæc ergo præsidia conferunt pestilenti febri, quatenus habet sordidam putredinem, quatenus vero constat quoque malignitate, ab antidotis auxilia sunt petenda, inter quæ Gal. laudat *in libris de simplicibus* Bolum Armenam, ita, vt dicat, eos solos fuisse adiutos in peste sui temporis, quos hæc terra seruauit. Verum nos non agnoscimus tantam esse in eo remedio vim in peste, quæ solet Italiam inuadere, id quod forte cōtingit ob diuersam huius mali formam: etenim pestis, quam describunt & Gal. & Thucydides, erat cum magnis vlceribus & putredine membrorum; Bubonum vero nulla ab illis fit mentio. In nostris autem pestilentiis nec vlcera, nec putredines partium conspiciuntur, sed soli bubones cum maculis lenticularibus quas Itali (Pedochios) vocant, quod forte sint similes iis, quæ ex morsu pediculorum excitantur; Quare non mirum, si putredo maxima in illa peste auxilium inuenit à terra frigida & sicca? nostræ autem, quæ diuersam habent formam, insigne iuuamentum non capiunt à re, quę minimam contrarietatem cum causis huius mali habet: Attamen in tam pestifero veneno omnia probanda, quæ inuenit Medicorum omnium industria, & casus atq; fortuna; vnde etsi terra Lemnia non commendetur à maioribus nostris, vt Bolus Armena, tamē nec illa quoque prætermittenda, vt quæ apta nataq; sit venenis, venenosisq; malis succurrere. Dantur hæc cum oxycrato præsente vehementi febre, vel cum vino albo multa aqua temperato. Laudant & Theriacam, Mithridatium, quæ ob febrem misceri debent cum sacharo rosaceo, vel conserua de floribus citri, vel syrupo de acesitotatu citri, cum vnicornu, cornu cerui vel cum his omnibus, minimum de vnoquoq; sumendo. Cōmendantur pariter trocisci de rosis, de absynthio præterea, electuarium de gemmis, de tribus sandalis, diamargariton frigidum.

Medicamenta cōtra malignitatem.

Laudant hanc potionem (quæ fit ex *libra vna succi limonum, vnciis quatuor aceti, vncia vna Boli Armeni simul mixtis & destillatis*) ad quatuor vncias propinatam; Adderem ego Theriacæ aliquid, & vnicornu, cornu cerui, cortices citri, & sacharum rosatum. Alia plurima sunt huiusmodi antidota apud Scriptores de re Medica; sed quod ego noui experientia in fratre meo Iacobo Iurisconsulto, & in multis postea aliis profuisse ante quadraginta quinque annos, id tradā à Matthiolo postea descriptum. Recipit cepam ex candidioribus excauatam in parte capillosa & in cauitate plenam Theriaca, deinde tectam suo operimento ablato eo, quod intrinsecus cauitatem faciebat, obruitur deinde cinere calido cepa theriaca plena, deinde cocta exprimitur & succus ad quatuor vel quinque vncias, qui emanat. propinatus. addit Matthiolus succum citri, qui vt in paucis locis reperiri potest, ita si desit, compositionem non vitiat, quod sæpius comprobatum est; Aegrotos enim sopore iā correptos excitat, corroborat, & à veneno defendit, noxiumque humorem propellit in glandu-

Potio.

Oleum scorpionis à quo sit inuentũ.

las,& denique verius de eo auxilio forte dici potest, quod G lenus de bolo Armena tradit, nullam scilicet esse ponendã spem, cui hoc non profuit remedium; cui tamen addo vnctiones olei de scorpionibus, à Medico Papæ Leonis decimi inuenti, & ob id Romæ oleum Papæ Leonis dicitur. id sibi vendicauit Matthiolus, & iam oleum Matthioli nuncupatur ex eo actu frigido vngi debent cordis regio, loca glandulosa, & præsertim sub axillis loci omnes, in quibus arteriæ sentiuntur. Atq; hæc quidem de remediis aduersus pestem sufficiant: nam in ratione victus nihil peculiare tradendum esse censeo, præter id, quod vires, caloris qualitas, & vehementia humorum vitia, & symptomata suadent, quę cum varia sint, fere in omnibus ob corporum diuersitatem nihil perpetuum habere possum. Quare, hæc iudicio & prudentiæ Medici remittenda.

DE FEBRIBVS MALIGNIS
& non contagiosis.

Cur hæ febres sint malignæ.

FEbres malignæ non contagiosæ causam habent, quod malignæ sint, formam occultam, siue quod sint (vt Galenus vocat) ex causa, quę sumitur à tota substantia, siue à maligna qualitate; id, quod nobis ignotum est his nominibus, sicut rerum formæ nobis ex propria sua natura sunt incognitæ, & tantum cognitæ ex suis effectis appellantes. Quod vero huiusmodi febres non sint contagiosæ, causa est, quod non constãt ex sordida putredine; quæ fit in humoribus: in his enim febribus aut nulla est in humorib. putredo, aut aliquando leuis; nulla quidem est, cũ vrinæ penitus sunt vrinis sanorum similes: est autem in humoribus exigua, cum vrinæ paruam aliquam mutationem ostendunt vel in colore, aut contentis, aut substantia, aut in his omnibus. Porro cum vrinę laudabiles sunt, vitium non est in partibus solidis, vt tradiderunt maiores nostri qui tunc putant esse hecticam febrem, sed est in spiritib. corruptio & putredo: nam consumptionis partium solidarum, & generationis hecticæ nullum est indiciũ, quippe cũ homines & ægrotent & moriantur ex his febrib. corpore integro & inuadãt statim ab initio nulla pręcedente causa, quæ vehementem calorem aut siccitatem, & ex his consumptionẽ afferre potuerit; nec pulsus quidem duri, etsi parui sunt & frequentes. At vitium spirituum ostendunt subita generatio harũ febrium, absque insigni causa euidenti, & quod

Signa vitii in spiritibus.

actiones viresq; corporis, præsertim vitales, subito collabantur; Pulsus .n. (vt diximus) minimi, & frequentissimi, animi defectus, deliria, extremorum frigiditas & liuiditas, quæ omnia ostendunt, spirituosam substantiam, quæ in corde gignitur & per vniuersum corpus spargitur, vt instrumentum commune sit omnium actionum, corruptam esse indicibili malignaque quadam putredine, quam maligni humores subiecti, vt porracea, vitellina, æruginosa, atraque bilis, excitant ex vaporibus, quos emittunt per arterias ad cor. Vel huiusmodi vitium nascitur in spiritib. ex aere maligno inspirato, vt fere quotãnis vidi cõtingere Pisis in Autũno; Moriebantur, cũ adhuc regio illa esset paludosa ob stagnantes aquas in eo tempre aliqui in ciuibus, professorib. & scholaribus, vt in prouerbium iam abiret, singulis annis decimari Academiam ab his malignis morbis quibus nullum remedium proderat: nam vacuãtia non erant ex vsu in spiritib. corruptis; nec alterantia, quæ non sunt apta emendare, quod est corruptum: antidota vero tunc solum prosunt, cum sunt analoga causis malignis. Hanc vero analogiam casus & fortuna potius, quam ratio agnoscit; at cum diuersa variaque auxilia experamus, ignoramus, si forte salus contingat, quid ex illis contulerit. Quid ergo agendum in tam ancipiti casu? Consulo in primis videndum, quid fiat à causis euidentibus, & quid ex illis euidens fiat & illis repugnandum per propria auxilia, quę ratio iudicat prodesse. Febris igitur, quæ adest, refrigerantia postulat, debilitas alimenta, quæ spirituosam substantiã possunt restituere, inter quę sorbitiones ex optimis carnibus hordeo & seminib. cõmunibus maxime probandæ; ita sanguis in minima tamen quantitate mittendus, ad leuẽ euaporationem, & sistendam putredinem febris causam. Deinde tentanda sunt Antidota superius descripta in febre pestilenti, & alia omnia. vt ex omnibus tandem inueniatur, quod possit prodesse. Sed meo quidem iudicio nihil inueniri potest, quod vino odorato tenui, leui, id est, vinoso, pręferri possit, huiusmodi enim vinum discutit seminaria malignitatis, spirituosam substãtiam restituit in vasis, corq; ipsum afflictum statim penetrat, nec leui calore obesse potest febri quæ exigua est, quæq; facile tollitur, sublato eo veneno q ipsius febris & mortis causa euadit.

DE FEBRIBVS HECTICIS.

CVm tria febrium genera ponant Maiores nostri, diarias, humorales & hecticas, superest, vt de his agamus. Qua quidem in re, Primum docebimus, quid sit febris hectica; Deinde, quot sint & quæ illius species & differentiæ; Tertio loco, quæ sint illarum causæ & quis generationis modus: Quarto, quæ sint signa, quæ ostendant febrẽ esse hecticam, & species illius inter se distingui: Postremo agemus de curatione.

Hecticæ febres quæ.

Porro hecticas febres nominant duab. rationibus & modis, vno, quod illarum dispositio difficile remoueatur, sicut aliæ omnes, quæ sunt in habitu; alio vero modo, quod habitum corporis occupent; oportet autem habitum corporis intelligere non proprie, sicut sumit Gal. *in 2. Artis Medicinalis* secludens à nomine habitus viscera omnia, sed similares solidasque partes corporis; præcipua tamen ratio sumitur ex eo, quod difficile remoueantur, sicut ea, quæ habitum contraxerunt: nam ideo morbi, qui in partibus solidis consistunt, dicuntur esse hectici, quod difficile remoueantur; quo modo etiam putridæ febres nonnullæ, vt quartanæ, dici possunt hecticæ ea ratione, quod difficile persanentur; Totum tamen hoc nomen præcipue sibi vendicarunt febres, de quibus agimus; illæ enim eo, quod in partibus corporis omnium solidissimis & durissimis, similaribus dictis, consistant, non autem in humoribus, aut spiritibus, vt aliæ, propterea hecticæ factæ sunt, & tales dicuntur esse.

Sed contra hæc dubitare quis posset: nam si omnis morbus, qui est in intemperie, passio est similarium partium (vt alibi docuimus) cur nõ dicemus, omnes febres esse hecticas? Ratio est, quod diuerso modo patiantur partes similares calorem

calorem in febrib. diariis putridis & hecticis: A nam in diariis & putridis calor febrilis conceptus est in parte similari cordis, & totius corporis; non in habitu, sed in dispositione; in habitu vero siue in facto esse, in ipsis humoribus & spiritibus ita vt his ablatis calor persistere non possit, in ipsa cordis substantia; in febribus vero hecticis, calor in ipsis partibus solidis non est amplius in dispositione, sed in habitu, qui non amplius pendet à calore spirituum vel humorum. Igitur hecticæ vt definiamus illorum essentiam, sunt, non quæ quocunque modo calorem habent in habitu corporis, sed eum habent in facto esse, siue in habitu, *quæ calorem habēt in facto esse in partibus solidis ipsius cordis, non autem in humoribus, nec spiritibus*; quod non ita est intelligendum, B quasi calor febrilis accendi possit in alia re, quam in humore: nam vbi humor deest calori nostro, cogitur ipse marcescere & expirare, vt flamma candelæ, quæ humido destituta, pariter marcescit: sed ita intelligendum est, calorem hecticæ febris non habere subiectum eos, qui proprie dicuntur humores in venis commixtos & contentos, sanguinem, inquam, vtramque bilem, & pituitam: nam humores, qui reperiuntur in partibus similaribus, non simpliciter humores dicuntur, sed cum adiunctione; de quibus iam agemus; ex illorum enim diuersitate, species vel differentias febrium hecticarum distinguunt maiores nostri, quæ res magnam profecto difficultatem hactenus habuit; Primum, quod Gal. & Auicenna inter se de natura & numero istorum humorum non consentiant; deinde, quod Galenus ipse etiam à seipso dissentiat; tertio, quod nullus eorum probet, nec plures nec pauciores esse his humoribus quos ipsi ponunt, nec etiam recte de ipsorum natura & vi disputent; postremo, quod nec ipse, nec Auicenna, aut alii, qui eum sequuntur, probabilem ostendere possint suam opinionem, quam ponunt de generatione & distinctione istarum febrium, quæ omnia iam docere aggredior. Itaque, Galenus *in septimo Methodi, capite quinto* relictis humoribus, qui in venis continentur sub forma sanguinis & cum sanguine confusi, quatuor ponit siccitates, D ex quatuor humorum inter se diuersorum consumptione; ac Primam dicit contineri in propriis cuiusque particulæ exilibus arteriis venisq;; Aliam vero, quæ nascitur ex consumptione humoris, ex quo partes nutriuntur, & eum contineri in omnibus animalis partibus, & per eas eum esse sparsum roris modo; Tertia est siccitas, quæ nascitur, cum ea, quæ constant ex humore concreto, sicut caro & adeps, sunt liquata; Quarta est siccitas, quæ nascitur, vbi humor consumptus est, quo constat solida similarium partium substantia: Interpretatur autem *in fine decimi libri* solidam similarium partium substantiam, id, quod est in singulis partibus fibrosum, membranosum, duriusque.

Opinio Gal. de numero humorum.

Opinio Auicennæ.

Ceterum Auicenna ponit etiam quatuor humores, eum scilicet, qui continetur in foraminibus extremitatum paruorum vasorum, & secundum, qui roris modo sparsus est per membra; Quartum ponit, quem dicit esse insitum ex primis principiis, cuius beneficio partes continuæ fiunt, & elementa inter se agglutinantur, vnde Gluten ab eo nominatur; In tertio vero humo- A re discrepat à Galeno, hic enim dicit, eum esse, ex quo partes carnosæ & pingues constant, Auicenna vero omnibus dicit eum esse communem, nec ex eo partes aliquas fieri, sed esse illum iam concretum, & aptum vt nutrire possit & reponi in locum humoris dissipati ex nostra substantia à calore, & propterea vocari cambium, quod iam (vt ita dicam nostra lingua) cambiari & mutari possit in locum substantiæ à nobis dissolutæ. Hæc de humoribus, qui reperiuntur in nostro corpore, tradiderunt Maiores nostri, & qui eos postea sunt secuti. Nunc vero videamus, qui morbi fiant ex eorum consumptione. Scribit de hac re Galenus *libro septimo Methodi* quatuor fieri siccitates distinctas, sed cum agit de he- B cticis febribus, ea omissa humiditate, quæ est in extremitatibus paruarum venarum, ponit, hecticas fieri tres in tribus aliis humoribus, nec tamen aperte explicat, quid humores illi patiantur in generatione cuiuscunque febris hecticæ; scribit enim *in lib. primo de differentiis febrium capite 8, & 9.* Primam speciem hecticæ fieri, & esse, cum naturalis cordis temperies primum euerti incipit, neque natiua humiditas protinus aboletur, neque virtus plurimum laborat, sed primo fit velut quædam efferuescentia humiditatis: Tertiam speciem, quæ dicitur febris marasmodes, fieri inquit, cum tale aliquid cor patitur, quale lucerna fomes, cum fuerit plurimum exustus, nam qui ita torrefactus est frangitur atque dis- C soluitur, atque ex ariditate continuitatem amittit, adeo, vt neque si magnam olei copiam superinfundas, flamma abundantior possit accendi: semper enim parua & debilis in ipsa palpitat flamma ac cōtinue fit minor, donec ex toto extinguatur, non enim differt hæc febris à tabe, quæ ætatis cursu accidit, in vtroque enim affectu calor extinguitur ob humiditatis defectum: incipit autem (inquit *alio loco*) tabes quando natiuus humor, qui sparsus est per spatia inania corporis partium, ex quo illæ nutriuntur, & iam cordis substantia aboleri periclitatur, donec enim pars aliqua huius humoris reseruatur, solum febris hectica existit, nondum etiam tabida; cum vero iā res eo peruenit, vt nihil ex tali humiditate super- D sit, tunc exquisita tabes existit. Media est inter has febris hectica, quæ fit, cum efferuescentiam illius humoris consumptio sequitur, qua in longum iam protracta, ipsæ similares particulæ, quæ sunt veluti cordis elementa, sicciores reddantur, atque inopia alimenti tenuiores, ac tantum virtus laborat, quantum siccitas atque caliditas in ipso corde inualuerit. Est vero in his latitudo multa per magis & minus distincta: nam quædam ad tabem magis accedunt, aliæ vero ad eam quæ facile curatur. Scribit postea *eodem libro* propriam esse febri tabidæ siccitatem, cum sæpius alioqui hecticæ febres sint sine illa & non transmutentur ad tabem. *In libro* vero *decimo Metho-* E *di capite vltimo*, ita scribit; *Hectica febris primum propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur, depascit, hinc vero ad carnosum genus transit, quod circa tum fibrosas tum membranosas partes solidorum corporum hæret; deinde ipsas solidas populatur*: appellat autem solidas partes id, quod fibrosum & membranosum est in illis: carnosum vero genus carnem, quæ contegit fibras; membranosas, quæ sunt in ipsis partibus solidis. Lo-

Qui morbi fiant ex horum humorum consumptione secundum Galen.

cus alius est *in libro secundo Artis Medicinalis*, vbi agit de his humiditatibus, vbi scribit: *Ipsæ solidæ corporis partes, quæ vere solidæ sunt, ac primæ, nullo modo possunt effici humidiores, at satis est, si quis eas celerius exsiccari prohibeat; intercepta autem in illis spatia hac vel illa humiditate complere possibile; hæc vero est proprium partium similarium alimentum, quod ex appositione fit, & non per vasa trahitur.*

Distinctio hecticarũ secundum Altomarum.

Porro ex his locis nonnulli (Inter quos est Altomarus) aggrediuntur diligentius hecticas febres inter se distinguere: nam ponunt primã speciem, siue (vt vocant) primum gradum febris hecticæ in rorido eo humore, quem ponunt sparsum per spatia inania, & vocari natiuam humiditatem, vel innatum spiritum, vel propriũ partibus similaribus, illas enim ex eo nutriri; hunc humorem dicunt pati in hac prima febre hectica, idque vario modo: nam aliquando dicunt illum consumi, aliquando vero dicunt eum solum calefieri, & tunc esse hecticam sine siccitate; cum vero incipit consumi, tunc incipere marasmũ, aliquando vero dicunt illam humiditatẽ protinus non aboleri post efferuescentiam, & tunc partes similares, quæ sunt veluti cordis elementa, sicciores reddi, & alimenti inopia tenuiores, virtutemq; laborare, & tunc esse incrementũ febris hecticæ; eam vero consistere, quando humor ille & carnosa pinguisq; pars fuerint consũpta, & siccitas etiam peruenit ad partem fibrosã, & carnosam, & tunc omnino est rabida; scribuntque eam incipere, quando humiditas rorida fuerit consumpta, & carnosæ & adiposæ partes solũ patiuntur quendam feruorem; incrementum vero Marasmi esse, quando illæ colliquantur; vigere autem tunc Marasmum & simul eam primam hecticam, quando fibrosa & membranosa substantia cordis consumitur, tunc enim illa tale aliquid compatitur, quale lucernæ lychnium plurimum exustum frangitur dissoluiturque. & ex ariditate continuitatem amittit, quę nec affusione alicuius humoris nec alia ratione restitui potest: Itaq; vnum hecticarum febriũ genus, & tria constitui posse statuunt; Vnum quidem, quod comprehendit omnes febres, quæ substantiam solidam cordis occupant; tria vero, prout tres sunt substantiæ, quæ cordis substantiam constituunt, rorida, carnosa, & vere solida.

Opinio Fernelii.

Fernelius hecticam febrem dicit esse auctum calorem elementarem cordis, non autem diuinum, hunc tamen alterius vi tandem etiam exhauriri vna cum omni substantia, quæ in corde est similaris; eam enim constare ex solida, humida, & spirituosa substantia alia: rursus humidã triplicem esse, carnosam, quæ nihil est aliud, quã concretus humor alimentarius; secunda humiditas est, inquit, primigenia, quæ propria est innati calidi substantia, in qua & spiritus & calor innatus primum consistit; tertia est aquea seu elementaris, qua tanquam glutino solida substantia cohæret & persistit. Igitur reperit ille Primum febris gradum siue primam speciem esse in carnosa substantia, cum ea scilicet incenditur & efferuescit, nihil tamen de ea aut exiguum consumptum est; Secundũ vero gradum constituit cum perseuerans calor aut plurimam, aut totam carnosam hanc substantiam absumpsit; Tertius vero gradus est, cum absumpta iam carnosa hac substantia, calor febrilis primigenium humidum manifesto depopulatur, & tunc vera febris cum marcore, per quam insitus spiritus & calor qui eo humido innititur, omnisque hinc prodiens facultas, marcescunt, & languent, caduntque omnes functiones, nimirum, cum hoc humidum ex semine sit contractum, & propterea resarciri nunquam possit, quod ex eo est consumptum. Hæc sunt quæ maiores recentioresque Medici de natura, subiecto, & speciebus febris hecticæ memoriæ prodiderunt; quæ quanto diligentius perpendo, tanto clarius video, illos verius Chimeram construxisse, quam aliquid docuisse, quod agnoscatur esse verum, aut alicuius sit momenti in curandis ægris hac febre correptis. nã hoc primum est maximum veritatis indicium, quod nec ipsi authores inter se de natura & differentiis humorum, quos pati dicunt in his febribus, consentiant. & quilibet illorum fere à seipso dissentiat. nam Galenus *in 7. Methodi* (vt diximus) quatuor ponit siccitates ex consumptione quatuor humorum inter se discrepantium, *Alibi* vero nunquam ponit distinctionem aliquam humorum, quæ eadem sit cum hac: nam *in decimo Methodi*, tres solũ ponit humiditates. Vnam, ex qua nutriuntur partes; Secũdam, qua constat carnosum genus; Tertiam, qua constant fibrosæ, & membranosæ partes, siue vere solidæ. *In secundo* vero *artis Medicinalis* alterius humoris mentionem facit contenti in spatiis inanibus, quæ alibi dicit, esse vacuitates eas, quæ conspiciuntur in singulis membris ob propriam circumscriptionem singularum particularum, & eum humorem illic dicit esse proprium partium similarium alimentum, qui quidem humor (vt satis constat) differt ab eo, quo constant solidæ vere partes, & alio, quo constat carnosum genus, & illo, qui continetur in extremitatib. vasorũ: quod vero etiam differat à rorido humore patet; nam etsi ex vtroq; dicit partes nutriri, tamen roridum statuit contineri in omnib. animalis partibus, & per eas esse sparsum roris modo, illum vero dicit solum contineri in spatiis illis inanib. & nõ roris modo sparsum. Addo, quod ipse *in tertio de naturalib. facultatibus* docet, ex nutrimento humorũ quendam esse, qui primo attrahitur, deinde apponitur siue adiungitur, postea agglutinatur, demum assimilatur, cur ergo, sicut in eo adiungitur roris modo, dicit; fieri febrem vnã, sic in aliis nõ alias ponit hecticas? ille ergo qui dux est & magister aliorum, non sibi consentit in numero istorum humorum.

Galenus in hoc à seipso dissentit.

Ab eodem vero discrepat Auicenna, vt antea ostendimus; nam humorem eum quo dicit Galenus partes pingues & carnosas constare, Auicenna omnib. dicit esse communem, nec aliquid ex eo constare, sed esse concretum quendam humorem etiam aptum omnibus partibus ad illarum nutritionem.

Fernelius vero solum ponit tres humores, quos nominibus primum, deinde natura differre facit ab iis, quos Galenus introduxit: nam cõcretum quendam facit esse humorem, & eum alimentarium vocat; Alium vero dicit esse primigenium, qui sit propria innati calidi substantia, in qua calor & spiritus innatus primũ consistunt; Tertium vero humorem ponit, quẽ aqueum & elementarem appellat, quo solida substantia agglutina-

glutinatur. Et hæc de numero incerto istorum humorum. Discrepant etiam ipsi de natura, vsu & passione istorum humorum; & somnia verius sunt multa, quam ea, quæ ratione aut sensu deprehendi possunt; nam vt primum de rorido humore agamus, quomodo asserere possunt, ex eo partes aliquas constare, si ex eo illæ nutriuntur? hoc enim indicat illum continuo regigni & consumi, ex tali autem materia non potest solidũ aliquid componi, nec etiã morbus aliquis in eo poni potest, continua enim illius additio & consumptio nullum ponit subiectum, quod stabiles passiones & diuturnas recipiat; postremo, morbi sunt viuētium & nō nutrimenti passiones. De eo vero humore, quo dicit constare carnem, & adipem, maior est difficultas: nam primum male statuit, vnum, & eundem esse humorem, quo adeps, & carnosa pars cōstant: nam materia adipis tota liquatur, & cōsumitur per morbos, caro vero ipsa siue musculosa sit, siue ea, quã dicit reperiri in omni viscere, & omni parte solida, per nullos morbos absumi vnquam omnino potest; Præterea, docere debebat, qualis esset ille humor, & ex qua materia esset confectus, & quomodo differat ab eo, quo solidas partes constitui proponit: nam & in his maior adhuc subesse vanitas cōspicitur: vult enim venã, & arteriam habere in se duplicem substantiam, carnosam vnã, fibrosam & membranosam aliam, quam vere solidam dicit esse, & has nullo modo fieri posse humidiores, nec posse pati colliquationem, & propterea si illæ exsiccentur, hominem sanari non posse; eam igitur semper manere parē in his, qui adhuc augentur numero duntaxat; in his vero, qui absoluti iam sunt, etiam magnitudine; carnosæ vero substantiæ magnitudinem in omni ætate variari tradit *10. & 11. Methodi*, idque accidere, quoniam fibrosa, & solida huiusmodi materia ex semine ortum habet, carnosa vero ex sanguine, quare hanc restitui posse, nimirum, cui materia suppetat ex sanguine, illã vero minime, cum desit ex semine materia. Contra hanc opinionem hæc dici possunt; primum, quod in venis, arteriis, stomacho, intestinis, & aliis partibus, quas spermaticas vocat, non appareat fibrosa vna substantia, alia vero carnosa: nam si quis illarũ compositionem in minimas particulas dilacerare velit, inueniet, quicquid in illis est, in fibras dissolui. Præterea, oporteret etiam in ossibus, quæ inter omnes partes solidas sunt solidissimæ, & si quæ aliæ maxime spermaticæ, duplicem talem substantiam ponere, si modo communis debet esse compositionis materia, & ratio, quę quidem in illis nullis sensibus distingui possunt. Deinde, absurdum est credere, in vena aliquid esse fibrosum, quod ferre non possit siccitatem, nec decrementum, in eadem vero esse carnem, quę omnia sit apta pati: nam si contemplari velimus in dissectionibus eorum, qui tabe, vel ætatis cursu perierunt, inueniemus profecto quicquid est in vena, eodē modo exsiccatũ & affectum; Quod vero scribit, fas non esse, vt fibræ singularum partium liquentur, sicut carnes, ratione caret, aut certe eam ipse debebat afferre: nam si tota vena constat ex solo semine, cur tota iisdem passionibus non subiicietur substantia, quę in ea reperitur? nonne tota nutritur, & augetur vsq; ad certum tempus? nonne *ex lib. 1. de Differentiis*

A *febrium superius* ex eo authore adduximus, particulas, quæ sunt veluti cordis elementa, sicciores reddi & inopia alimenti tenuiores? Quod euidentius ostendit, cum per marasmum perfectum statuit lychnii modo defectu humoris dissolui continuitatem solidæ illius substantiæ. Ex quibus quidem constat, fibrosam eam suam substantiam pati posse colliquationem, & consumptionem humidi, vanumque est ponere vnicam compositionē, vt ille facit in corporibus nostris ex elementis, & statuere postea aliquid in ea nihil posse pati, aliud vero omnibus passionibus subiici. Hæc nolo diligentiore disputatione prosequi, quod feci *in Comment. in Artem Medicinalem*, quare ad illud transeo, quod est proprium

B præsenti tractationi, quid scilicet patiantur hi sui humores in singulis febribus hecticis, nam & in hoc non minor est inconstantia, quam in præcedentibus.

Ponit igitur primam speciem hecticæ, (vt ex locis superius adductis patet) cum naturalis cordis temperies euerti incipit, neq; tamen natiua humiditas protinus aboletur, neq; virtus plurimum laborat, sed primo fit veluti quædã efferuescentia, primum.n. naturalis cordis temperies euertitur, non solũ per febres hecticas, sed per alias omnes, siquidem morbus affectus est præter naturam, & is affectus naturalē corrumpit constitutionem. Præter natiuam eam humiditatem intelligit roridã, quæ in ipsa efferuescētia neces-

C sario absumitur, vt quæ cōstet ex aerea aqueaq;, & ob id tenuissima substantia, alioqui male rorida diceretur esse; id vero, quod dicit plurimũ nō laborare virtutē, non potest distinguere vnã speciem ab alia: nã quod vni videtur plurimũ, alteri videtur parũ. Amplius, cum roridus ille humor continuo regignatur, & absumatur, quomodo potest esse alicuius febris subiectũ? id enim, quod ex eo parit hodiernã febrē, vel ab ipsa febre consumitur, aut dabit nutrimētum cordi, quod vero recēter affunditur ex noua nutritione, nō statim aptum esse potest, vt sit febris subiectum. Hæc enim vt continuo affligit, ita subiectum in ipso corde habere debet, in quo hærere possit. Cur præterea *in 7. Methodi* scribit, difficillime curari

D hanc siccitatem, quæ nascitur ex consumptione huius humoris? nam si ex eo nutritur cor, necesse est illum fuisse à venis transmissum, quid ergo obest, quominus idem facile fiat, si ventriculi, & aliarum partium virtus nullam adhuc insignem labem senserunt? Ac vero, maiora sunt absurda, quæ dicuntur de generatione Marasmi: nam (vt diximus) non vult Galenus in adultis substantiam fibrosam, aut certe humorem, ex quo constat id, quod vere solidum est, vel minimum consumi posse, sed æqualem magnitudine perseuerare, augeri tamen, donec animal crescit, quod quidem sano modo intelligendum est: nam si viuũt, vt aliæ partes similares, necesse est, vt subiiciantur illis passionibus, quibus obnoxia sunt

An substantia fibrosa in adultis possit consumi aut diminui.

E omnia viuentia, nutritioni, inquam, incremento, & decremento, & mirum est, si dicamus, illas augeri, & negemus postea minui: sed non possunt omnino minui, quia duplici cōstant substãtia, vt postea ostendemus, quarum vna nihil pati potest à causis, quæ in nobis sunt viuentibus; alia vero patitur, & ob eam accidit diminutio; Est autem substantia, quæ non potest consumi, hu-

mor, ex quo constant glutinanturque partes, vt ex elemētis constāt; ea enim nec per febres, nec cursu ætatis, aut per alios morbos separari potest ab aliis, cum quibus coniungitur; sola enim putredo eam compositionem dissoluit, & humorem separat à terrena substantia, quam cum aliis elementis glutinabat, vt experientia docet; humor vero viuentibus proprius patitur à calore proprio viuentibus; quare per morbos, & ætatis decursum, quę calorem afficiunt, ex ipsius actione humor ille euaporat, & eo penitus deficiēte, simul perit calor, qui in eo tanquam in proprio subiecto residebat, & illo tanquam pabulo vtebatur. Sed dicet quispiam, quomodo humor elementaris non proprius viuentibus, sed communis etiā cadaueri, augeri possit, nutriri, & cessante incremento non amplius minuitur, an augetur, & nutritur cum humore proprio viuētibus, quod in nutrimento potentia contineatur substantia vtroq; humori similis, sed posteaquam ad summum incremētum partes, & vterq; humor, peruenerunt, perseuerat nutritio vtriusque substantiæ, sed dissolutio substantiæ factæ ex elementis fieri non potest, quia cum corruptio nascatur dominantibus passiuis, humor, qui glutinat partes, non habet vim dominandi, cum animal vtroq; calore regitur, humor vero viuentibus proprius relationem nō habet ad eum calorem elementarem, sed ad eum, qui proprius est viuentibus. Quare recte dictum est à Galeno, substantiam eam vere solidam non posse minui, si sola sit: minui autem videtur ob consumptionem humiditatis propriæ viuentibus, quæ cum alia est confusa; Quomodo igitur Galenus ponit, humorem, ex quo cōstant solidæ partes, nec ipsas partes minui posse, & interim asserit, hēcticas marasmodes fieri cōsumpta ea solida substantia, ita vt frangatur & ex ariditate continuitatem amittat? si enim ea substantia hoc patitur, nonsolum minuetur, sed etiam penitus corrumpetur; & vbi, quæso, & quando vnquam vidit in aliqua tabe tales cineres? Præterea, Galeni opinio de distinctione horum humorū, & febrium hecticarum, frenum & leges imponit febri, quomodo enim illa, quæ est apta, & nata omnē substantiam, quæ à calore febrili potest pati, consumere, nō statim aggreditur humorem roridum, & eum quo constat pinguedo, siue cambium, vt vocat Auicenna, non enim tantum crassitie, duritie, vel aliis qualitatibus inter se differunt, vt vnum prorsus consumere debeat, alio nondum intacto, vt illi volunt; quod si omnes inuadit humores, & consumit plus, vel minus (vt rationi est consonum) erunt statim omnes febres hecticæ simul, nec vna alteri succedet. Amplius, quomodo vno penitus pereunte ex illis humoribus, vita per aliquot dies, imo menses, durare potest, vt illi statuunt marasmum tunc incipere, cum roridus humor penitus est consumptus? nam si ex eo rore nutriuntur partes, eo penitus absumpto necesse est animal perire, nisi alius in locum consumpti restituatur; quod si alius restituitur per continuam nutritionem, nihil mirum dicunt, quandoquidem id contingit in omni nutritione, vt scilicet semper in locum deperditæ substantiæ alia reponatur; quod si ros ille penitus deficit, cum incipit tabes, ex quo fiet cambiū, & hoc deficiente, quomodo nutrietur vere solida pars? omnia ergo, quæ in nobis sunt [illegible] to tēporis concident, cum tabes non solū diuersos progressus, sed cum primū incipit penitus consumpto pro rorido humore, hoc enim absumpto reliqui, qui ab eo materiam suam sumunt ad nutritionē, & omnia opera, quæ nutritionem sequuntur, & proinde vitam ipsam perdi necesse est. Addo, quod marasmus nō esset passio omnium partiū corporis, si in illo patitur, quod solidum est, & id est fibrosum, & membranosum, quæ substantia, vel nō est, vel exigua in cerebro, corde, pulmone, carne musculosa. Amplius *in libro de differentiis febrium*, nulla facta mentione de carnosa parte, ponit omnes febres hecticas in rorido humore, & in parte solida; *in decimo vero Methodi* vnam ponit in rorido humore, aliam in carnosa substantia, tertiam in solida. Plura contra istam opinionem dici possent: nam quod nulla ratione, nec principiis nititur, infinitas propemodum confutationes patitur; sed hæc sufficiant, ne diutius meam opinionem de hoc re [illegible], quæ hoc principio potissimum nititur, demonstrato *in nostris Comment. in Artem Medicinalem, duos solum in nobis esse humores, quibus constamus*; vnum, quo elementa inter se glutinantur, qui communis est partibus viuentibus & mortuis, quicquid enim constat ex quatuor elementis, humorem habet aqueum, cuius beneficio terra cohæret, & in compositionem cum aliis assumitur, qui humor pati non potest per morbos aliquos, sed solum per veram putredinem, vt videmus cadauera ex se ipsis dissolui, & in cineres redigi consumpto eo humore, qui terram colligabat, & glutinabat. Morbi autem sunt viuentium corporum, & propterea nasci non possunt, nisi à principiis viuentium; sunt autem viuentium principia duo, anima & corpus, & corpus quidem non omne, sed quod humorē in se continet viuētibus proprium, oleosum & pinguem, & præterea calorem proprium etiam viuentibus, qui eum humorem habet tanquam subiectum & pabulum, qui humor, (vt etiam illic ostendimus) à calore nostro plus vel minus, pro incremento ipsius caloris sui consumptionem, & dissolutionē patitur, ac pro ipsius diminutione minuitur robur, vita, & quicquid boni in viuentibus est, eoque penitus consumpto, calor suo pabulo destitutus, simul expirat, extinguiturque. Igitur in hectica febre calor, qui iam partibus solidis est in facto esse, nec amplius dependet ex alio humore contento in venis, eum, inquam, humorem consumere incipit, & tunc incipit hectica febris, postea vero prosequitur eam consumptionē, donec penitus eum dissipauerit, atque in ea consumptione vnica duntaxat febris ponenda est, quæ habeat suum principium, & incrementum, & suo modo vigorem, & declinationem lethalem, non autem tres febres poni debent, alioqui cur nō ponuntur tres febres diariæ in spiritibus, aut tres humorales, quarum vna nascatur solū ex calefactione, alia vero ex ebullitione, & alia tandem ex consumptione materiæ subiectæ ipsi calori? sicut volunt illi ex calefactione, ebullitione, & consumptione maiore, vel minore humoris roridi, tres febres hecticas originem suam sumere. Hæc nostra opinio habet sua principia, sua indicia, suas causas, & curationem possibilem, & denique rationi, & experien-

Humores in nobis quot sint.

Viuentium principia quae & quot.

perientiæ quadrat; sequatur tamen quilibet eos au hores, quos velit, & inuentis frugibus iucundissimis, glande, antiquissimo hominum cibo, vescatur, si modo putat, ab antiquis nunquam recedendum.

Febris hecticæ causa & generatio.

Quæ pariunt febrem hecticam, particulatim tradit Galenus multis in locis, in quibus legitur, ardentes febres male curatas, inflammationes ventriculi vel hepatis, necnon pulmonis vel thoracis affectibus & præsertim ex suppurationibus & tabe dysenteriam, lienteriam, diarrhœam, & deniq; alios affectus, qui pariunt febrem diuturnam, hecticam febrem generare. Quin etiam easdem primo incipere, vt diarias, ex ira, tristitia, lassitudine, in corporib. calidis & siccis, & nunquam eas ab initio inuadere, si non excitentur à causis procatarcticis, *in lib. 2. de Crisibus* memoriæ prodidit; Addit tamen *in lib. 1. de Differentiis febrium*, corpora humidiora non posse ab initio eas pati, sed solum sicciora, & maxime si cum siccitate cōiungatur caliditas, & adiungantur vita laboriosa, vigiliæ, curæ, parcus victus, tempus anni calidum & siccum, & regio pariter calida & sicca. Tradit etiam *in eodem libro*, tabidam febrem aliquando fuisse natam ex diuturna inflammatione coli intestini & stomachi, vesicæ, & renum. Eandem quoq; sequi, cum in dysenteria nascitur inflammatio, aut ex læuitate intestinorum, & alui longo profluuio nata est primum febricula. Amplius scribit *8. cap. 10. Methodi*, pulmonem, vtpote humidum & laxum, non esse opportunum ad generandas febres hecticas, aliquando tamen eas fieri cum pulmo sicco & calido est temperamento, necnon eas incidere ex pectoris & mesenterii, ieiuni, & coli intestini, & vteri & renum affectibus; in septo vero transuerso marasmum se non vidisse, hecticam vero semel se vidisse absolutam: sæpe vero citius interimentem, quam plane esset completa. Quæ quidem paulo diligentius sunt expendenda: nam quod hectica febris facile sequatur ardentes febres, ratio dictat & experientia, ea enim potentissima causa est ad calorem stabilem inducendum in humorem viuentibus propriū, & ad eum absumendum; idem efficere possunt longæ febres, præsertim si biliosæ fuerint: nam pituitosæ, & melancholicæ, (vt quæ non alant vehementiorem calorem) eam non habent vim.

Quibus affectus facile vel difficile pariant hecticam.

Cæterum inflammationes ventriculi, intestinorum, mesenterii, hepatis, vteri, non videntur parere hecticas, eo quod præueniat mors, si vehemens est inflammatio; in leuiore autem malo leuicula febris nascitur; quæ vim non habet consumendi humorem insitum solidis partibus. Sic etiam suppurationes & inflammationes pectoris si non liberantur; antequam hectica fiat, occidunt; lienteria & diarrhœa si sine febre infestant, cōsumere quidem possunt substantiam nostram, sed hecticam non habent coniunctam, si nec febrem ipsam habent; dysenteria si cum febre fit, potenter & facile potest inducere hecticam, quoniā & sanguis ipse euacuatur per aluum, & per febrem dissoluitur insitus humor. Iam vero pulmonis inflammationes omnium maxime hecticam pariunt, quod docent vlcera pulmonis, quibus superueniunt febres, quæ vel statim hecticæ fiunt, aut certe non multo postea

A quam incepit putrida; omnes enim, qui ex febribus malis ex sputo sanguinis cum erosione moriuntur, cum tabida febre pereunt; quinetiam absq; vlcere sæpe vidi ob contaminatū ex putredine vel callosis tuberculis pulmonē, statim hectica febre fuisse correptos, quod ostendebant vrinæ simillimæ vrinis sanorum per vniuersum morbi decursum; & merito huius visceris affectionem huiusmodi hecticas febres pariunt, ob maximam vicinitatem cordis. Sed quomodo potest statim hectica febris gigni ex vlcere & leui inflammatione pulmonis, quæ huiusmodi vlcera comitari solent, cum febres ardentes non nisi post longum tempus vim habeant generandi hos affectus? an fortasse id accidit, quod exulce-

Cur affectus pulmonum maxime pariant hecticam.

B rato pulmone solida pars pati incipit, & humor viuentibus proprius consumi, & via aperitur per partem exulceratam calori, qui veluti per continuitatem penetrat in substantiam cordis, atq; ita illius humorem insitum statim afficit, & depopulatur? Itaq; quod ille tradit alio loco, hecticas febres non incipere posse ab aliis causis, quam à procatarcticis, experientia reprobat, quæ docet, ex vlceribus & putredine substantiæ pulmonis primam habere suam generationem, coniungitur tamen ab initio simul putrida sæpe leuissima, quæ non turbat concoctionem, sed proditur ex accessionibus; A causis vero procatarcticis, inquam, hecticā nō natam vidi nisi contaminatus esset pulmo, aut intrinseca alia radix præter in-

C temperiem calidam & siccam, quam ipse solam putat esse causam primariā huius generationis. Quam ob rem *in causis hecticæ febris, habenda maior est ratio aptitudinis subiecti, quam efficientium causarum*, eæ enim absq; illa nequeunt ab initio hecticam parere; vbi vero corpus aptum est, leuissima etiam occasio easdem generat, vt diarias & putridas.

Hecticæ febris signa.

Signa hecticæ febris, vt & aliorum morborū, non oportet enumerare ex aliis scriptoribus collecta, sed ex ipsa rei natura sunt elicienda; cum enim quatuor sint signorum fontes, eos consulere oportet, ita, vt cuiusq; rei in fontibus inuentæ naturam consideremus & vim, sic enim facile inueniemus, quod quærimus. Igitur, cum dica-

D mus hecticas non fieri, nisi à calore depascente iam proprium & insitum humorem similarium partium viuentium, certum est, calorē non posse esse vehementem, magna enim ebullitio fieri nō potest in humore, qui excidit à vasis, & iam solidior est; est igitur paruus, æqualis, & semper sibi similis: nulla enim est causa inæqualitatis, & dissimilitudinis, vbi non est putredo in æquali & simili materia; acris tamen est, ob materiæ siccitatem, sed non statim talis sentitur, sed cum diu tangitur corpus, quia ex profundo attollitur cū pauco vapore.

Calor febris hecticarum qualis sit.

Quales pulsus.

Pulsus parui quidem sunt, consumptis iam spiritibus, & humoribus, qui in venis sunt, & etiam ipsis solidis partibus; additur frequentia

E propter auctum vsum; fiunt quoque velociores assumpto cibo, & paulo maiores roborato natiuo calore, & restaurato vtcunque humore viuentibus proprio: sic etiam calor paulo post assumptum cibum augetur & accenditur, præsertim, vbi iam multum progressus est morbus; accidit enim, vt recte scribit Galenus, calorē augeri, sicut fit ex calce affusa aqua, ea enim humo-

remalit, cum quo calor vehementior consurgit. Quod si iam magna est consumptio illius humoris, sequitur siccitas, & ex ea durities in pulsibus. Quia vero febris hæc essentiam stabilem, & firmam habet in corde, necesse est in ea regione thoracis, cui cor subiicitur, sentiri calorem acriorem, & eos cordis motus, quales diximus apparere in arteriis, quæ quoniam immediate nascuntur ex substantia cordis, ideo calidiores, quam aliæ partes, pariter vt ipsum cor, tanguntur.

Siccitas. Siccitas quoque variat penes gradus ipsius febris: nam in principio, siue in prima specie ipsius febris, nulla apparet siccitas: propterea Galenus dicere solet, quasdam febres hecticas esse sine siccitate. Est autem ea euidentissima in tertia specie, vnde ea dicitur tabes, qua qui detinentur, tempora habent collapsa, oculos concauos, nares acutas, & vt semel dicam, vniuersum illorum corpus est velut sceleton cute contectam, & tunc mors propinqua est; & si quis eos post mortem dissecare velit, inueniet. quod sæpius sum expertus, illos nihil amplius sanguinis in vasis continere, & pulmonem rugosum & durum instar corii caprini exsiccati. In media autem specie iam aliqua apparet siccitas.

Respiratio. Porro in respiratione non apparet aliquod euidens vitium, facile enim spirant ac si febre non laborarent, quoniam exiguus est calor, nec magna inspiratione, nec expiratione egent, ob paucos vapores fuliginosos, illi enim abundare solet, vbi adest putredo in humoribus.

Actiones animales. Quod vero ad alias actiones animales attinet, tradit Montanus, nullum esse in sensibus, vel imaginatione, vel ratiocinatione aut memoria vitium, quandoquidem, inquit, acutius, qui ita laborant, has actiones exercent. Verum non videt acutiem illam præter naturam esse, vt quæ nascatur à siccitate morbosa: propterea ex eo solum vitio deprehendimus iam præsentem esse febrem hecticam, aut instare; cum ægri acutius audiunt, vel præter solitum sententiose loquuntur; vnde Medici prudentes iubent, vt astantes submissa voce & clam loquantur de ægroto, scientes illos omnia diligenter obseruare & intelligere. Ridendum etiam est, quod scribit, spiritus in ipsis fieri frigidiores, & propterea omnia cruda circa cor, & pituitam propterea abundare: fiunt quidem spiritus pauciores deficiente subiecto humore & sanguine, sed non frigidiores, hoc enim repugnat naturæ febris & caloris, qui non posset in cute sentiri, nisi cum spiritibus exeat à corde; Spiritus ergo calidi, pituita vero in prima specie, nec etiam in secunda abundat, vt ostendunt excrementa alui simillima excrementis sanorum; sed hoc accidit solum in tertia specie, vbi & calor & spiritus deficiunt, sicut etiam fit in senibus.

Appetitus. Ait etiam Montanus, hecticos male appetere cibos, potum autem frequenter, quod experientiæ repugnat: nam vt hi, qui cōsumpti sunt, perinde vt decrepiti inediam ferre non possunt, nec exiguus ille calor deiicit appetentiam, nec sitim affert, hæc enim mala nascuntur ex magno feruore & ebullitione humorum; propterea videA mus, eos, qui quartana simplici laborant, nec cibum auersari, nec potum præter modum expetere, in quibus tamen vehementior, quam in hecticis calor est.

Excrementa alui. Excrementa vero alui, inquit Montanus, sunt dura, aliquando liquida, & illa quidem fiunt, quando hectica nascitur vitio inflammationis hepatis, vel intestini gracilis, vel renum; tunc enim inquit, attrahitur quicquid humoris est in chylo; Liquida vero fiunt vitio stomachi. Potius dicendum est, inflammationes illarum partium, vt quæ obstruant meatus, liquida reddere excrementa, & vt raro, vel nunquam fiunt hecticæ cum istis inflammationibus, ita rectius dicitur, tunc liquida reddi excrementa in B hecticis, cum illi iam tabidi sunt facti, tunc enim deficiente calido, & spiritu influente, & insito singulis membris humore, necesse est alimentum male concoqui, hinc cruditates, & aquositates.

Vrina. Quantum vero attinet ad vrinas, male ille quoque docet, vrinas nunc esse crudas & albas, nunc crassas, rubeas, orobaceas, farinaceas, sanguinolentas: nam cruditas, & concoctio (vt alibi ostendimus) in vrinis, fit solum in febribus putridis; aliæ vero vrinæ, quas tradit, non sunt signa hecticarum febrium, sed dispositionum, quę separatam habent naturam. Vrinæ ergo in hecticis non mutantur, vt sæpe experientia docuit. C Hæc sufficiant de signis febrium hecticarum: nam prædictiones, quæ prænūciant salutem aut mortem venturam, ex iisdem fontib. eliciemus, sicut etiam illa, quæ ostendunt, putridam transire in hecticam, aut cum illa coniungi.

Curatio. In curatione febrium hecticarum primum illud vidēdum est, an ipsa febris sola sit, ita vt causam amplius nullam habeat, à qua foueatur, quales solent esse illæ, quæ nascuntur à causis procatarcticis; an vero subsit aliquis adhuc affectus, qui illam generauit, vel fouet, cuius generis est putredo, vlcera, inflammationes pulmonis, & aliarum partium commemorati affectus. Si adsunt huiusmodi causæ, pugnandum est & contra eas, & contra febrilem dispositionem ab illis in- D ductam. At si sola & simplex est febris, illud perpendendum est, an adhuc sit in principio siue in prima specie, vel in secunda, aut tertia: nam si in tertia est, res prorsus desperata est, quoniam calor defectu sui humoris prorsus est factus inutilis ad concoctionem, & distributionem alimenti, propterea nec humidum ipsum amplius affundi potest ad consumpti restaurationem, nec calor ipse excitari, & diu conseruari, quare mors prædicenda est, & nulla generosa remedia in illis tentanda sunt. Quod si febris adhuc est in prima specie, id est, potius cum ebullitione humoris proprii viuentibus, quam cum consumptione, facilis est curatio, sola enim refrigeratione morbi solutio fit: in media vero specie, siue in E cursu huius mali, iam simplex non est febris ex solo calore aucto, sed coniuncta cum siccitate; quare non solum refrigeratione, sed etiam humectatione opus est, per omnia opportuna auxilia, quæ assumuntur in corpus, vel extrinsecus admouentur, vel fiunt à nobis, vel educuntur, aut retinentur, de quibus sigillatim dicere aggredior.

Porro

Porro inter ea, quæ assumuntur dubium est, quæ nam conuenire possint: nam vt omnia, quæ febribus competunt, à nutritione conueniunt in prima specie hecticæ, ita dubium est, quæ sint idonea alimenta in secunda & tertia, vbi non spirituosa, non humoralis, sed solida substantia consumptionem patitur.

Ratio victus. Solidam enim oportet esse materiam, quæ id efficiat, at ea est crassa & viscida, propterea Galenus *in septimo Methodi*, auriculas porcorum, & extremitates illorum, & aliorum animalium commendat in his, qui admodum sunt exsiccati & consumpti. Et recentiores Medici etiam extollũt testudines, cancros fluuiatiles, & alia, quæ constant dura, & solida substantia. At vero, quæ talia sunt, difficillime concoquuntur in omnibus, qui non sunt optimo habitu prędititi; in hecticis vero huius materiæ concoctio omnino est impossibilis.

Cibi. Quid ergo agendum? eligenda quidem sunt alimenta, quæ in se habeant vim nutriendi cum humorem, & tamen omnino difficile non concoquũtur, qualia sunt, qui boni sunt nutrimenti, & ex præparatione faciliorem reddunt concoctionem; quæ enim liquida exhibentur, etiamsi suapte natura difficilem habent concoctionem, tamen vincuntur in nostris corporibus etiam debilitatis, & consumptis, cuius generis sunt, caro pullorum gallinaceorum, caponis, perdicis, phasiani, contusa, & cum iusculo eiusdem animalis mixta, & ita præparata, vt bibi possit, cum qua etiam ptisanæ succus, & lac amygdalinum misceri possunt, est enim in huiusmodi alimento, quod refrigerat, humectat, nutrit, & fugit difficilem concoctionem, quin etiam oua A sorbilia sunt admodum vtilia, & vuæ passæ, & dulces amygdalæ, & pistacia, saccharum ipsum cum idoneis ferculis admixtum. Fiunt etiam, & consumata, vt vocamus, & distillata ex prędictis carnibus, & ex carne testudinis, & cancrorum fluuiatilium, & ex extremitatibus animalium, elicitur enim vi ignis humor tenacior, qui in illis insitus est, qui aptus esse potest ad illorum nutritionem, & interim, quod est terreum & durum, relinquitur.

Vinum vero illis confert, sed non generosum, *Potus.* quod vim habet calefaciendi & exsiccandi, nec omnino aquosum, quod nullam habet vim nutriendi, sed quod mediocrem habet naturam, tenuitatem & leuem dulcedinem, quod enim B tale est, facile rapitur in omnes partes corporis, & nutrit. Cuius generis est Trebianum Florentinorum, & Varianum Lucensium.

Quantum vero pertinet ad ea, quæ extrinsecus adhibentur inter omnia alia præsidia maxime commendantur balnea aquæ dulcis tepida *Extrinsecus admota.* primum, deinde etiam frigida: nam etsi aqua humorem insitum non emendet, vt quæ sit excrementosa, tamen qualitatem exsiccantem retundit, ex quo calor febrilis remittitur. Iuuat etiam vapor aquæ ad apertionem, & distributionem alimenti, frigiditas vero ipsa densata superficie prohibet ipsius dissolutionem, & interim mitigat acrimoniam caloris febrilis. Et hæc de febribus dicta sufficiant. Reliquum est, vt C de vi purgantium medicamentorum, vt pollicitis fidem faciam, tractem, quod auspice Deo futura lectione proxima præstabo.

FINIS.

IOAN. ARGENTERII DE VI PVRGANTIVM MEDICAMENTORVM TRACTATIO.

Antiqua & adhuc non satis explicata quæstio de vi & facultate purgantium medicamentorum, quomodo scilicet humores nozii ab aliis separentur, & extra corpus euacuentur: est enim ab omnibus receptum, medicamenta purgantia id facere per attractionem, & ad hanc ipsam illa moueri per similitudinem, quam habent medicamenta ipsa cum humore, qui educitur. Porro hanc similitudinem interpretatur Gal. aliquando per qualitates, aliquando per totam substantiam, qualis, inquit, apparet esse in magnete & ferro; similitudinem autem per qualitates ostendit esse in cnidio & cnico, nam, inquit, similitudo vtriusq; substantiæ & qualitatum, sunt enim illa alba, vt pituita tactu visuq; cognoscitur, & ex eo etiã quod vtrumq; pituitam detrahat; similitudinem etiam aliquando interpretatur familiaritatem. Quod vero ferrum non attrahat ferrum, sed magnes ferrum, ratio, inquit, est, quod oporteat ea, quæ attrahunt similia & non eadem esse. Quod vero magnes lapis ferrum trahat, cnicus pituitam, & non econtra ferrum magnetem, & pituita cnicum, ratio, inquit, est, quod magnes fortior sit ferro, & cnicus pituita, quippe cum cnidium calidius sit pituita, iuuat autem ad attractionem calor. Cæterum inter purgantia medicamenta tradit idem author, quædam habere venenosam qualitatem, & ea, si non purgant, corrumpere, & tanquam in venenum verti. Alia vero, quæ non habent permixtam vim venenosam, non propterea nocere, si non purgant, sed concoqui, & talem generare humorem, qualem trahere nata erant: Quæ quidem multis difficultatibus sunt implicata: nam in primis dubium est, an separatio & euacuatio humorum fiat per attractionem medicamenti: nam motus quidam fiunt attrahente quidem alio id, quod mouetur; alii vero alio eodem impellente; alii vero, quod res ipsa, quæ mouetur, ab interno suo principio impellatur, vt ignis sursum, terra deorsum: posset q; quispiam dicere, facultatem esse expultricem, quæ in nobis est, & solet, quod noxium est, expellere, cum sentit auxilium à medicamento contento in corpore, tunc enim aggredi noxium humorem & illum excludere, quem antea aggredi non audebat. Vel dicere possemus, quod probabilius esset, ipsos humores sponte properare ad ipsum medicamentum, quomodo fiunt alii motus inter res duas; nam non semper is, qui amat, trahit ad se amata, sed etiam qui amatur, properat ad suum amantem, quemadmodum etiam flores el-

Sententia Galeni de medicamentis purgantibus, quonam vi agant.

Autoris.

A chorei sponte vertuntur, & sequuntur solis motum: in qua re non est credendũ, solem esse, qui attrahat & moueat ipsos flores; quæ enim potest esse similitudo superiorum ad inferiora, vt illa debeant trahere hæc? Rationi enim est consonum, vt hæc sequantur illa; sic etiam magnes lapis, semper conuertitur ad nostrum polum & propterea dirigit cursus errãtium nauigantium. Præstat tamen dicere, quod fiat attractio: nam alioqui cur humores non semper purgarentur, cum medicamenta exhibentur non satis valida? nam humores si sponte mouerentur ad medicamentum, non deberẽt tardare suum motum ob debilitatem medicamenti, cum sit etiam in debilibus ea vis, qualiscunq; ea sit, quæ medicamenta

B mouere dicitur, vel quæ est causa, vt humores ipsos moueant. Iam vero excutiendum est, quod dicitur, attractionem fieri per similitudinẽ qualitatum vel substantiæ: nam si intelligant similitudinem ipsam attrahere, ridiculum est, sunt enim res ipsæ, quæ attrahunt, non ipsa similitudo, & ita certe intelligendum est; sed videndum an res ipsæ trahant, quia similes sunt rebus attractis per qualitates, vel per substantiam; primũ enim nõ potest esse causa attractionis similitudo, quæ est per qualitatem: nam vel qualitates sunt actu in rebus, vel potentia similes, non est autem intelligendum de similitudine actu, quia cassia nigerrima trahit pituitam albam, & bilem flauam; & agaricus albus trahit etiam bilem flauam, &

C pituitam; rhabarbarum vero flauum purgat etiam hos humores. Quare accidit, quod aliquando medicamenta habeant secundas qualitates humoribus similes, primas vero nunquam habent, cum medicamenta purgantia potentia calida vel frigida sint, secundæ autem qualitates non sunt actionis causæ, sed primæ: quare Gal. non debebat ostendere, esse similitudinem inter pituitam, & cnicum in colore, qui nihil agit, sed in primis qualitatibus; at pituita frigida, cnicus vero calidus. Non igitur de similitudine qualitatum in actu res potest intelligi, nec vero adest similitudo qualitatum in potentia: nam cassia calida est & humida, manna temperata, rhabarbarum, & agaricum calidum & siccum, hæc ta-

D men omnia vacuant bilem calidam & siccam, & pituitam frigidam, & humidam. Præterea humores eodem modo dicit attrahi à medicamentis, quo modo alimentum trahitur à partibus; at hoc trahitur, non quod sit simile in qualitatibus, sed in substantia, quandoquidem quædam sunt medicamẽta alterantia magis similia nostræ naturæ per qualitates, quam nonnulla alimenta, quæ intẽperatiora sunt temperatis medicamentis, hæc tamen non trahuntur, sed illa, quare mo-

rito

rito dicebat Mesue, *medicamentum purgans trahit, non quia calidum, vel frigidum, sed quia tale*; tanquam similitudo, aut vis purgandi non sit per qualitates. Sed iam excutiamus similitudinem eam, quæ dicitur esse per substantiam; est auté, quidquid est, substantia, vel materia, vel forma, vel compositum ex his; quod autem non fiat attractio per similitudinem formæ, patet: nam alimenta nulla formam habent similem actu, vel potentia rebus, quæ nutriantur, vt satis patet in rebus, quibus nutriuntur plantæ, alia animalia, & nos ipsi; mutantur enim alimenta in materiam nostram, quæ substernitur formæ, non autem in formam, & animam nostram, cum qua nullam habét similitudinem, nec proprietatem; at similitudo, quæ est per materiam, non est causa attractionis, vel alterius motus, quippe cum principium omnis motus sit à forma; præterea medicamenta etiam ipsa purgantia, quam habere possunt similitudinem cum humoribus, aut inter se ipsa, quæ vt plurimum differunt secundum primas & secundas qualitates, ita secundũ ipsas formas, quæ qualitates præcedunt, ipsa differre oportet; non ergo similitudo in formis medicamentorum, & humorum temnenda est, nec etiam similitudo reperitur in compositis ipsis, nam ipsum compositum agit mediante forma, quæ est in materia; potius igitur dicendum est, illa attrahere *propter familiaritatem quãdam, quæ est inter medicamentum & humores*, ita enim videmus, & ob eandem familiaritatem trahi alimentum, & alia omnia, quæ grata sunt, à rebus allici, & cum sequitur nutritio, eadem retineri, & concoqui: in purgatione vero post attractionem sequitur expulsio, cum medicamentum nõ habeat virtutem retinendi. Quod vero scribit, simile attrahere simile, & non attrahi, quæ sunt eiusdem naturæ, refellit Auicennæ argumentum, qui miratur, cur ferrum non attrahat ferrum, si similitudo attractionis est causa, nam vt inquit Galenus ferrum est ferro idem & non simile, idem autem seipsum non appetit, nec in se ipsum agit. Verum vt in hoc recte scribit Galen. ita leuissimam adfert rationem, cur reciproca nõ sit attractio inter ferrum, & magnetem, humores, & medicamenta, id enim tribuit fortitudini maiori, quæ est in re attrahente; sed dicat, quæso, quæ maior fortitudo esse possit in magnete lapide, quam in ferro ipso longe duriore: cnicus, inquit, trahit pituitam, & non trahitur ab illa, quia calidior, ex calore autem maius robur acquiritur.

Medicamenta purgantia quomodo attrahãt.

Cur idem nõ trahat idẽ, vt ferrum ferrum.

Verum hæc ratio non respondet in multis aliis, est enim bilis flaua longe calidior cassia, manna, syrupo rosaceo, tamarindis, & multis aliis, quæ bilem purgant; est igitur alia ratio: nempe, quod quæ attrahuntur, non habeant potentiam attrahendi, sed vt solum attrahantur, est enim ea potentia attrahendi solum in rebus, quæ recedunt à natura elementorum, quod maxime apparet in plantis, & illarum partibus, ab illis enim fere omnis materia purgantium medicamentorum sumitur; non mirum igitur, si ea, quæ sumuntur à rebus animatis, tanquam à suis partibus, attrahunt, quæ vero sunt elementa corporis nostri, hac vi non sunt prædita; Magnes autem lapis, vt & metalla ipsa, etsi animata nõ sint, sunt tamen plus, quam illa, quæ penitus inanimata esse cognoscuntur, quippe cum crescant, & venas suas habeant, propterea à nonnullis recte ponuntur media inter animata, & inanimata. Ex his igitur patet, nihil probabilius reperiri posse de attractione purgantium medicamẽtorum, quam *quod illa donata sint a natura, forma, per quam illa agunt, & apta sunt familiares sibi humores allicere, aut si istam familiaritatem auferre velis* (quandoquidem inter magnetem & polum nostrum, & inter flores cichorei & solẽ, cuius motum illi sequuntur, & propterea à nostris *virasole* dicitur, nulla huiusmodi familiaritas excogitari potest) *dicemus breuiter cum Mesue, medicamentum attrahit, non quia calidum, vel graue, vel contrarium, vel simile, sed quia tale factum est a virtute cœlesti medicamenti mistionem regulante, & supra ipsam operãte*: & vt vno verbo dicam, inquit, *hoc prouenit a propria forma rerum attrahentium, quæ, quomodo agat ignoramus*. Quod vero scribit, Galenus inter purgantia quædam habere vim venenosam, & illa si non purgant, corrumpere, & tanquam in venenum verti: Alia vero concoqui, & mutari in humorem eum, quem attrahere solent, atq; ita nutrire, expendendum est: nam purgantia nulla agnoscuntur habere vim venenosam; quomodo enim eam habere possunt, si, vt ille inquit, tota substantia nobis sunt similia? quod si illa nocent, id faciunt, vel ob vehementem vim purgandi, vel ob caliditatem, & acrimoniam, quibus natura resistere non potest. Alia vero, quę mitiora sunt, & si non nocent, hoc tamen non referendum est in id, quod concoquantur, & in nutrimẽtum vertantur, sed quod misceantur cum humoribus, & per mistionem retundatur, & vincatur illorum malitia: longe enim distat natura purgantium medicamentorum à nostra substantia, ita vt nihil familiare habere possit, cuius beneficio nutriatur nostrum corpus.

Purgantia nullam habere vim venenosam. Cur quædã purgantia noceant.

F I N I S.

IOAN. ARGENTERII CASTELLONOVENSIS PEDEMONTII

PHILOSOPHI, AC MEDICI PRÆSTANTISSIMI,

TRACTATIO

De calidi significationibus, & calido natiuo.

Præfatio.

TEMPERATI, calidi, frigidi, humidi, & sicci, nomine in medicina nostra nihil est frequentius: nam nec temperiē nostri corporis, nec alimentorum, medicamentorumque vim, nec aliud fere quicquam eorum, de quibus agimus, absq; his nominibus exprimere possumus. Cuius rei vtilitate adductus, vt omittam Theophrastum, qui de calidi significationibus libellum scripsisse dicitur, Galenus noster integros fere libros *passim in suis operibus* de significatione varioque harum vocum vsu conscripsit: si quis enim (vt alios infinitos locos prætermittam,) libros de temperamētis, & tres priores de simplicibus medicamentis excutiat, nihil aliud fere, quam harum dictionum varias significationes in illis explicari inueniet. Quantum vero referat natiui calidi naturam, vimque omnem tenere, satis ostendunt Philosophi, & præsertim Medici, qui vniuersas corporis, animique actiones ei tribuunt acceptas, necnon morborum generationem, curationem, & præseruationem, sanitatisque etiam tuendæ rationem fieri illius merito ostendunt: quod si Galeno credamus, non solum quæ diximus ei concedemus, sed etiam in eo animæ essentiam philosophica licentia statuemus: vnde etiam de hac A re Author ille librum contra Lycum conscripsit, & infinitis aliis locis illius naturam, & vsum, quem corpori præstat, explicare nititur; quæ si solida sua varietate sæpius inter se non confudisset, si vincendi causa sui sæpe non obliuisceretur, & Methodo essent hæc pertractata, quæ sparsim, nulloque proposito principio docentur, non erat profecto, quod de eadem re scribere cogitaremus. Verùm cum sæpius ex illius libris integram certamque horum explicationem colligere laborassem, sed interim vanā omnia ob miram potissimum scribendi varietatem me moB liri conspicerem, nisi adhiberetur docendi Methodus, qua vtilia à superfluis seiuncta, certo ordine connecterentur, cœpi diligentius de hac re, tum legendo, tum alios docendo, mecum agere; Ac cum post multos labores viderer mihi in hoc negocio aliquid consecutus, quod eorum consilio, quorum maxime hortatu ad hæc scribenda primum me contuleram, atti nostræ fore vtile sperare possem, id aliis antea à me ad editionem conscriptis libris adnectendum esse duxi: præsertim quod viderem nonnulla de natiuo calido circumferri, parum meo quidem C iudicio elaborata, & quæ rudioribus facile imponere possent; tum etiam, quod Commentaria nostra in Aphorismos Hippocratis, quæ breui, vt speramus, in paulo maiore otio expolita, in publicam vtili-

vtilitatem euulgabimus, plane aliquibus A in locis intelligi non possent absque eorum diligentiore quadam explicatione, quam expositoris officium in aliorum authorū enarratione nō admittit. Quid vero in Galeni tractatione desiderari possit, vnicuique constare puto, qui aliorum opinione non ducitur, sed spectat, quid præstare debeat, qui se ad aliquid scribendum confert: nam nec capita docet, quibus totius rei summa contineatur, & de eadem re varia semper tradit, quod apparet, cum *primo de Temperamentis libro*, hominem singulasque animalis B species calidas dici asserat, eo, quod medio illo, quod in singulorum specie statuitur, sint calidiores, cum *initio eiusdem operis*, & *2. de Simplic.* calida vocari animalia censeat, propterea, quod plus caloris in compositione, quam frigoris sunt sortita. Postea vero cum de temperamento vermis agit, minus in eo caloris, quā frigoris inesse si propriam illius compositionem spectemus; Hominem præterea in toto genere substantiæ medium constituit: nūc vero cutem internam manus C & alia denique multa aut varietate confundit, aut certe dum arte non vtitur, negligentius explicat, quod suo loco ostendemus.

Cap. I.

De quibus calidi, aliorumque prædictorum nomina in medicina dicantur.

ILlud operæpretium in hac tractatione esse duco, vt inprimis veluti ante oculos ponamus, de quibus prædicta nomina efferuntur: nam ex rerum diuersarum natura, licebit etiam aliquid D capere ad varias vocum significationes, quibus illæ exprimuntur, intelligendas: quandoquidem fere ex diuerso modo, quo illæ qualitates corporibus insunt, diuersę significationes sunt excogitatæ, ne longa fastidiosaque percontatione, & distinctione quæreremus, quod intellecta propria vniuscuiusque significatione statim innotesceret: Propterea enim quod alio modo calidum inest primis elementis, quam in nostris corporibus, ideo varium calidi nominis vsum excogitarunt maiores nostri: qui artes conscripserunt, vt simplici calidi appellatione perciperent lectores, quonam modo singula corpora, quæ calorem in se continerent, calida intelligen- E rentur; Qua in re si quis omnia enumerare velit generatim, de quibus calidum, aliaque prædicta nomina, quę solius calidi explicatione (ne superflua reddatur tractatio eorum, quæ eandem rationem subeunt, comprehendemus) dicantur: inueniemus sane, vel Elementa esse, vel humores, partes corporis, totum ipsum corpus, medicamenta, alimenta, aerem ambientem, & proinde regionem, Cæli statum, & anni tempus, & ætates: hæc enim omnia, vel temperata, vel calida, frigida, humida, & sicca nuncupamus; nec de aliis hæc nomina in arte nostra efferri memini, aut si quæ alia forte reperientur, alicuius istorum significandi rationem omnino accipient.

Cap. II.

Calidum quid significet, & quot modis absolute dicatur.

ARistoteles calidum solam ipsam qualitatem, nempe caliditatem significare *in Logicis* tradit: At Medicis non solum id, sed etiam substantiam, siue corpus, quod ea qualitate est præditum, significat, & optime quidem: nam percontanti, quid sit caliditas, corpusve, quod eam habet, apte respondemus aliquid esse calidum, vt albedo est quidpiam album, necnon etiam corpus, quod dealbatum est. Non solum corpus calidum dicitur, quod caliditatem habet, sed etiam pro eo, quod est calidius, calidum vsurpatur: dicitur autem multis modis aliquid calidius Aristotele teste *lib. 2. de partibus animalium*. Nam calidius primo dicitur, quod vehementius tactum calefacit; Item quod magis liquefacere liquabilia, & cremare, quæ cremari possunt. Præterea quod plus caloris in se continet, calidius vocatur eo, quod minus habet; Item quod lente frigescit, calidius alio est, quod cito, & quod calefit citius eo, quod lentius, calidius censetur. Verum non solum his modis, sed aliis duobus præterea aliquid alio calidius dicitur: Nam calidius est, quod plus habet substantiæ calidæ, vbi par est caliditas. Item calidius vocamus, quod alteri collatum huiusmodi apparet Gal. authore *lib. 1. de Temperamentis*, & *in comment. illius aphorismi. Qui crescunt plurimum habent, &c.*

Quot modis aliquid dicatur calidius.

sect. 1. aph. 14.

Porro calidum, cum de corpore dicitur, vel absolute, vel non absolute intelligitur, inquit Galenus. Verum cum absoluti nominis vario vsu tractationem confundat, vtile inprimis esse duco, vt homonymiam hanc ostendamus, & propriam instituto nostro significationem sumamus: igitur ἁπλῶς, i. absolute, siue absoluto sermone, apud eum vno modo dicitur pro eo,
quod est prorsus, siue extreme, quomodo i- 1.
gnem absolute, absolutoque sermone calidum pro eo, quod est summe calidum, dici scribit: su-
mit item absolute pro eo, quod est sine collatio- 2.
ne ad aliquam rem priuatam, sed propriæ temperaturæ ratione huiusmodi est, in qua calidum exuperat; quo pacto sanguinem calidum esse statuit absolute, temperaturæ suæ ratione, in qua calor frigus exuperat. Item absolute i-
dem est, quod sine additione illius, cuius res est; 3.
vt si quæratur, cuius temperamenti sit os, non adiecto Leonis, aut alterius animantis, id absolute quæri dicitur: Alio modo absolute idem est
quod exacte; vt temperies animalis absolute o- 4.
ptima non dicitur nec media, id est, omnino optima; nec exacte media est, cum æqualem mixtionem ex contrariis exquisitam non habeat:
Capitur & absolute calidum pro eo, quod est 5.
extreme calidum, quemadmodum ignem absolute, i. extreme calidum esse statuit. Præterea,

absolute vsurpat pro eo, quod est sine distinctione, vt absolute non esse respondendum ait, vbi quæritur an aliquid sit frigidum, vel calidum. Postremo absolute calidum idem est, ac si dicas collatione ad sui generis medium, quo pacto vermis absolute loquendo, siccus, vel humidus intelligitur, quod talis statuatur ad medium comparatum, quod inter vermes constituitur, quomodo etiam magnum, & maius *in libris de Pulsibus* differre scribit, quod magnum absoluto sermone dicatur, maius autem minime: nam magnum, non sine collatione dicitur, non minus profecto, quam maius, sed id, ad quod magnum dicitur, non additur, cum ad medium sui generis respectu dici intelligatur: additur autem id, ad quod dicitur maius. B Tot fere, aut pluribus etiam modis absolute aliquid dici apud Galen. cum ex aliis locis, tum *ex primo illius libro de Temperamentis*, intelligit vnusquisque, qui diligentius eum authorem perlegat; qua sane varietate nusquam expressa, dum videtur eodem modo absoluti nomen vsurpare, tractationem longe obscuriorem reddit. Nos autem ne rudiores confundamus, absolute calidum sumemus pro eo, *quod est sine collatione, & suapte natura ab exuperante caliditate calidum euadit*: non absolute autem idem sit, *ac si per collationem dicamus.*

Calidum absolute & non absolute quid.

C A P. III.

Quæ absolute, & quæ collatione, quove modo elementa, humores, anni tempora calida dicantur.

INter ea, quæ calida dici superius posuimus, elementa, humores, anni tempora, absolute, proprieque mixtionis ratione calida, temperataque dici statuit Galen. hoc solo discrimine, quod in elementis calidi, frigidique nomen summam indicet in his qualitatem, in aliis vero contrariam excedentem: Dicitur enim ignis calidus, quod suapte natura summum habeat calorem; ita siccus, quod summam siccitatem obtineat: sanguis autem calidus, quod illius caliditas frigiditatem vincat: sic hyems frigida, quod in ea exuperet frigiditas; ex quo intelligere vnusquisque potest summam vtramq; qualitatem à Galeno elementis tribui; si enim calidum, humidũ, frigidum, & siccum, summam indicant qualitatem, necesse est, vt tum ignis siccus, aqua humida, terra frigida, aer calidus dicatur; summas, extremasque has etiam qualitates illis inesse putemus: quod etiam in *libro de elementis* aperte testatur, vbi terram frigidissimam, siccissimamq; aquam nunc frigidissimam, nunc humidissimam vocat. Sed vtcunque res sese habeat, (non enim nostri est instituti, veterem de hac re quæstionem hoc loco tractare, Galeno authore) integra manet proposita de his nominibus cum elementis accommodantur, significatio: summam intelligentes in illis esse, à qua denominantur, qualitatem. Illud vero potius explicandum hoc loco censeo, quonam modo ex anni temporibus liceat Ver appellare, an calidum scilicet, vel temperatum. nam magna de hac re apud antiquos Medicos, nec satis adhuc meo quidem iudicio explicata fuit controuersia, vt ex Galeni A *libro secundo de Temperamentis* videre licet: nec alio commodiore loco à nobis ea tractari potest. Proinde paucis, vtra verior sit opinio, expendemus.

C A P. IV.

An temperatum, vel calidum & humidum Ver dici debeat.

ANtiquissimorum Medicorum opinio fuit, Ver calidum & humidum dici debere, quæ tametsi multis rationibus comprobata videri potest, tamen Galeno non placet, qui illis confutatis temperatum omnimodo esse cõtendit. Verum B cum mihi aliorum argumenta tum validissimis rationibus, tum maiorum etiam authoritate confirmata, integra post Galeni confutationes esse videantur, honestum esse duxi illis patrocinari, quos verius sensisse credimus, & præiudicata opinione eius, quem colimus potius, quã rationum momentis victos nobis persuademus. Ac quoniam multæ adferuntur vtrinque rationes, & confutationes, operæpretium esse puto, sigillatim singulas excutere, vt ex propinquo pugna cernatur, quæ primum enumeratione rationum alterius opinionis, & adhibitis postea confutationibus non perinde conspicitur.

Argumentum quod ver sit calidum & humidum.

Primum itaque illud statuatur eorum argumentum, quod ab Hippocratis authoritate du C cunt, qui ver calidum, & humidum vbique statuit, id quod Galenus, ne tantum testem habeant authorem, violenta satis, & parum suis principiis consona interpretatione, factum esse putat, quod Ver cum Autumno contulerit Hippocrates, qua collatione calidum & humidum esse apparet: nam si verum est, quod *libro primo de Temperamentis* ponit, tanquam principium ad temperiem anni temporum inueniendam, quod scilicet ea non ex mutua collatione, sed ex propria natura æstimari oporteat: fecit ergo Hippocrates, quod facere non debuit, cum Veris temperiem ex collatione cum Autumno colligit: Deinde cum ex anni temporibus exuperantium humorum generationem, & morbo- D rum curationem probet, necesse profecto est, vt singulorum temperiem ex propriis qualitatibus, non ex hac collatione, quæ nihil ad hæc confert, metiatur: non enim propterea, quod ver calidius sit Autumno, morbos frigidos, & siccos tollit, & sanguinem copiosum, calidos, humidosque morbos gignit: siquidem frigidum esse potest, quod frigidiori collatum calidum dicitur, quod calidos effectus nunquam pariet, quales Veri tribuit Hippocrates. Quinetiam cum statuat Galenus Autumnum in calido, & frigido medium, sed inæqualem, & Ver itidem temperatum, quomodo calidius Ver Autumno ab Hippocrate dici potest? Nec illud etiam obest, quod adfert, ab eo saluberrimum dici; quod E esse non posset, si calidum & humidum statueretur, propterea, quod huiusmodi Temperies omnium pessima existat, argumento quod Hippocrates calidam, & humidam tempestatem, quam in Cranone viguisse scribit, omnium pessimam censuerit: etenim maximum caloris humorisque excessum damnat Author, vt satis ostendit tempestatis descriptio, vbi largas crebras-

que pluuias æstumque vehementem contigisse commemorat; propterea non fit, vt si valde calida humidaque temperies morbosa sit, idem omnis excessus illarum qualitatum efficiat; quippe omnes insignes intemperies damnamus: quasi iam tamen paululum à mediocritate recedentes commendamus. Adferunt deinde illi, vitam calido & humido foueri, optimamque ob id eam temperiem esse, quæ vitæ sit conseruatrix: At Galenus pessimam eo loco huiusmodi temperiem esse contendit, quam tamen aliis locis, potissimum *libro de sanitate tuenda* eam nobis natiuam esse, vtpote ex semine & sanguine, vtroque calido & humido confectam tradat, & quantum maxime fieri potest, diu humectantium calefacientiumque via seruari iubet; Quod si aliquando alibi, vt *libro sexto eiusdem operis*, huiusmodi temperiem damnat, non eam certe, quæ paruos habet excessus, sed quæ abunde in vtraq; qualitate exuperat, reprehendit. Colligunt præterea illi philosophorum authoritate, qui Animalia calida & humida esse statuerunt, optimam huiusmodi temperiem esse: vtpote quæ animalibus aliis omnibus meliore conditione donatis propria existat; Qua in re Galenus scribit calida & humida animalia à Philosophis dicta non propter mixtionis rationem, cum quædam frigida, & sicca hoc modo reperiri possint, sed collatione facta cum seipsis mortuis, aut plantis: in quo primum sibi repugnare videtur, quippe cum scribat *initio primi de Temperamentis*, animalia calida & humida dici, quod hæ qualitates in illis contrarias vincant. Ridicula præterea esset hæc Philosophorum opinio: Cum enim illi de natura ipsius rei disputent, & qualis vnaquæque res sit, ex propriis principiis inuestigent, nunquam id inuenient, si ex huiusmodi collatione quærant. At quos, quæso, profert Philosophos, qui ita senserint? oportebat mehercle nomina illorum non subticeri, quorum authoritate seruari studet. Nec plantarum etiam respectu animalia calida & humida dici possunt, cum multæ plantæ animalibus sint longe calidiores, quandoquidem ex illis assumptis, aut admotis animalia ipsa perinde incalescunt, vt etiam ignea earum vi adurantur: & quid sane obstat, quominus calida & humida animalia ab illis sint dicta proprii temperamenti ratione quemadmodum Aristoteli *in libro de longitudine, & breuitate vitæ & passim alibi* placuisse videmus: quando etiam operationes, quæ in illis fiunt, ita esse conuincunt: Si enim in omni animali alimenta coquuntur, eo etiam authore fiat concoctio calido & humido vincente, necesse profecto fuerit in omni animali calidum & humidum præpollere. Nec mihi profecto firmiore aliqua ratione videtur ille propriam opinionem astruere: eo enim solo colligit, temperatum esse, quod tale videatur; at quo modo appareat, non docet: non enim eo, quod non sit perinde calidum vt æstas, & humidum vt hyems, propterea temperatum esse dicemus, vt ipse colligere videtur; quia in rerum excessu magna est latitudo: fierique potest, vt Ver non ita quidem calidum sit, vt Æstas, nec humidum, vt Hyems, & tamen calidius, humidiusque temperato (quod illi probare nituntur) reperiatur. Præterea, cum temperamentum puerorum tale esse dicat, quale est Veris temperamentum, alibi autem pubescentes temperatos: si Ver temperatum statuat, idem esse temperamentum in pueris, & pubescentibus concedat, oportet, & cum pueros calidos & humidos dicat esse, Ver calidum pariter, & humidum ponat, necesse est. Ostendunt præter alia prædicta, Ver calidum & humidum sanguinis generatio, qui eo tempore plurimum augetur, etsi Galenus, vt positam sententiam tueatur, non veretur sanguinem eo loco temperatum vocare: quem alibi vbique calidum & humidum statuit, & corruat alioqui totius compositionis nostri corporis ex Elementis ratio, & in morborum generatione sibi aduersetur: nam cum nostrum corpus ex humoribus, hi autem ex Elementis constent, quorum qualitates, & naturam retinet, quid, quæso, respondebit aeri, si sanguinem negemus calidum & humidum? quomodo præterea tueri poterit, inflammationem esse intemperiem ex calido & humido conflatam, siquidem sanguinem, ex quo fit, calidum & humidum non ponamus? Nec illud dicendum est ab eo intelligi sanguinem, qui vnus est ex quatuor humoribus, cum calidam & humidam temperiem ei tribuit, non autem totam humorum massam, quæ sanguine exuperante nomen sibi vindicauit, fit enim inflammatio ex tota ipsa humorum massa, nec possunt omnes humores vere exuperare, nisi peculiariter quartus ille humor, qui calidus & humidus dicitur, excrescat; quomodo, quæso, etiam ostendet, calidos & humidos morbos vere gigni, frigidos autem & siccos tolli, si illud calidum & humidum non ita esset? Quid præterea humiditatem ab hyeme derelictam consumpsit? quid caliditas ex longitudine dierum facit, si aer eo tempore calidior non redditur? Statuamus ergo Ver calidum & humidum, & tamen saluberrimum vocemus, cum magni non sint, etiam morbosi in eo harum qualitatum excessus, sed parui, quod intelligere non potuit Galenus, siquidem omnis excessus plane in medio illud esse contendit; huiusmodi vero optima nobis est temperies, vtpote quæ ad naturales omnes actiones obeundas maxime sit idonea, alioqui pueritiam damnemus calidam & humidam, & sanguinem omnium humorum optimum, & naturæ familiarissimum; item cibos calidos & humidos, qui optime nos alunt; & denique animalium naturam, vitamque nostram, quæ calido fouetur, & regitur, Hippocratemq; ipsum accusemus, qui Ver calidū & humidum, saluberrimum tamen vocat. Sed hæc satis de hac re, ne videamur contentiosus pro veritate aduersus Medicorum Principem agere, qui certe hæc non ignorauit, sed vincendi causa, vt existimo dissimulauit; redeamusque tandem ad alia, quæ in proposito negocio relinquuntur.

Cap. V.

Quonam modo alimenta, medicamentaque calida dicantur.

Porro cum medicamenta, & alimenta ad vsum animalium referamus, merito fit, vt collatione facta ad ea, quorum sunt medicamenta, vel alimenta, calida vel temperata, aut alterius

qualitatis dicatur : ſic ſane illud vocamus homini medicamentum, quod eum mutandi vim habet; alimentum, quod nutrire poteſt; eaque calida, frigida, humida, ſicca dicimus, quæ hominem calefaciunt, refrigerant, humectant, & ſiccant: temperata vero quæ illius temperiem in eodem ſtatu conſeruant.

Cap. VI.

Totum & pars, cuius temperamentum quærimus, quot modis conſideretur, & quibus illorum ſingula conferri poſſint.

TOtum & pars, de cuius temperamento agimus, vel vt genus, vel vt ſpecies, vel indiuiduum, vel vt medium generis, aut ſpeciei ſumi poteſt: licet enim de Socrate petere, cuius temperamenti ſit, vt animal eſt, vt Socrates eſt, vel vt medium in ſuo genere, vel in ſua ſpecie; at cum genus omne temperatum non ſit, ſed ſolũ quod in ſubſtantia continetur, ideo nihil, quod in quantitate, vel qualitate, vel cæteris prædicamentis ponitur, temperatum, vel intemperatum dicetur, niſi quatenus ſubſtantiam ſignificant: ſed nec etiam ſubſtantia, nec corpus: non enim omne corpus, nec omnis ſubſtantia ex quatuor qualitatibus conflatur; Quare nec quærere poſſumus, cuius temperamenti ſit ſubſtantia, aut corpus, cum nullam hæc temperiem actu habeant. Primum ergo, de quo quærere poſſumus, eſt corpus compoſitum & animatum, vel compoſitum & non animatum, vel etiam ſimplex & Elementare, vt corpus, verbi gratia, quod ignis dicitur; apte enim ſciſcitabimur, cuius temperamenti illud ſit, quemadmodum etiam, qualem habeat temperiem animatum, vel non animatum corpus. Deinde, de omnibus ſpeciebus, tum animati, tum inanimati quærere poſſumus, vt de animali, plantis, lapidibus, & omnibus ſuis ſpeciebus, & indiuiduis; De medio autem, quod in genere ſubſtantiæ corporeæ ex Elementis compoſitæ ſtatuitur: nam inter ipſa Elementa nullum medium ponitur, ad quod alia referantur, niſi etiam forte quis inter illa meliori conditione, & qualitatibus melioribus præditum credat, tum ad omnia genera inferiora, ſpecies, & indiuidua facta collatione, quærere poſſumus; Eſt autem medium illud temperatum ex æquali portione omnium Elementorum, iudicaturque optima illa temperies inter omnia corpora temperata, quæ exactam omnino, & æqualem elementorum portionem recipit. Petere ergo poſſumus, cuius temperamenti ſit huiuſmodi compoſitum abſolute, id eſt ſolum expendendo propriam illius temperiem, inueniemuſque, illud temperatiſſimum eſſe. Sic etiam ad omnia genera, ſpecies, & indiuidua collatum, tale iudicatur: ſemper enim temperatum dicetur, cum exactiſſimam temperiem obtineat.

Non omne corpus nec omnem ſubſtantiam conſtare ex quatuor qualitatibus.

Ergo genus, quod temperatum eſſe incipit, ad reliqua conferri non poteſt, cum nullam temperiem actu habeat, medium autem illius omnibus aptiſſime confertur: inepte ſiquidem peteret, cuius temperamenti ſit corpus, quod ex elementis conflatur, at aptiſſime quæret, qualem temperiem habeat, quod parem ex elementis mixtionem accepit. Genus autem proximum primo, & ſpecies ſequentes medio primi generis, & oppoſito generi, illiuſque medio, quinetiam ſpeciebus, & omnibus illius indiuiduis conferri poteſt, propriis autem ſpeciebus, & indiuiduis minime; medium autem illius omnibus ex Elementis compoſitis, vt ſi quis, verbi gratia, quærat, cuius temperamenti ſit animal, vt corpus eſt compoſitum ex elementis, id quod ſciſcitari idem eſt, ac ſi quæras, quale tẽperamentum obtineat collatum ad medium, quod ſtatuitur inter corpora compoſita, quod cum ex æquali Elementorum mixtione conſtare dictum ſit, ad illud collatum animal calidum & humidum dicetur: & qui ad illud facta collatione quærit de animalis temperamento, etſi collationem faciat, perinde tamen eſt, ac ſi abſolute quærere aliquis dicatur, propterea ex pari elementorum mixtione, medium illud conſtare ſtatuitur: nam perinde eſt quærere, quo modo, & qua proportione Elementa mixta ſint in animali, & quomodo ſe habeat temperies animalis ad corporis compoſiti medium, quod cum excedat in caliditate & humiditate, calidum ob id & humidum dicitur: Ergo animal ad medium ſummi generis hoc modo relatum dicitur: ad medium autem animatorum corporum confertur quidem, ſed cũ ipſummet medium ſit, contingit, vt idem ad ſemetipſum referatur: inter animata enim animal optimi temperamenti cenſetur, quod illius officia, & actiones præcellant ea, quæ ab inanimatis proueniunt: vt autem animal ad mediũ ſummi, & ſui generis, ita ad oppoſitas ſpecies, illarumque media, & indiuidua ſub ſpeciebus contenta referri poteſt, ſuis autem ſpeciebus, & indiuiduis, eadem ratione, quam de ſummo genere adduximus: apte enim quis petet, cuius temperamenti ſit animal reſpectu inanimatorum, & medii, quod inter inanimata ponitur, & ſpecierum illorum, vt lapidis, & indiuiduorum, vt huius, vel alterius lapidis: cuius vero temperamenti ſit, vel hominis, vel Socratis, inepte quis ſciſcitabitur, vel calidum, aut frigidum eſſe dicet: quippe cum nullam temperiem illorum reſpectu actu habeat. Cæterum, oppoſita genera, & ſummo generi, & medio illius, & oppoſito genere, quod medium, eiuſque ſpeciebus, & indiuiduis optime confertur, vt brutum animal genus quoddam eſt animalis, de cuius temperie quærere poſſumus, quatenus animatum, animal, vel hominis, vel Socratis reſpectu. Eodem modo ſpecies cum generibus ſuis mediis generum ſpeciebus oppoſitis, & indiuiduis illarum conferuntur, cum ſuis vero indiuiduis ob prædictam rationem non item. Porro, indiuidua omnia omnium ſpecierum ad omnia referri poſſunt, genera inquam, omnia, ſpecies, media omnium generum, omniumque ſpecierum, & etiam ad eorum indiuidua: optime enim ſciſcitabimur, cuius temperamenti ſit Socrates, vt corpus eſt compoſitum ex Elementis, vt animatum, vt animal, vt homo; Item reſpectu medii, quod in genere corporum compoſitorum ex Elementis animati, inanimati, animalis, plantæ, hominis, bruti, Socratis, vel alterius indiuidui reſpectu. Nec illud

illud ignorandum est, omnia prædicta sibiipsis mutatis conferri posse, vt animal viuum cum mortuo, viuum & sanum cum viuo, & ægroto, & sic de reliquis. Ex quibus sane licet intelligere, quæ possint, & quot modis singula aliis conferri, quod à Galeno nulla arte fuit comprehensum, cum solum quibusdam exemplis ostendat, quædam quibusdam conferri posse, nec id in omnibus, nec certa aliqua Methodo, qua quid vnicuique conferri valeat, intelligamus, quod inprimis meo quidem iudicio erat faciendum.

Cap. VII.

Ad quæ ex prædictis collatio fieri debeat cum de temperie singulorum agimus.

IAm vero cum omnia prædicta dicantur temperata, calida, frigida, humida, & sicca ex collatione, multis autem modis singula, vt ostendimus, conferri possint, illud explicandum occurrit, cuius respectu de singulorum temperie pronunciemus. Qua de re Galenus *primo de temperamentis* ad hunc modum scribit; *Si quis interrogetur, quomodo calidum aliquid dicatur, si apte respondere velit, & non decipi, necesse est, eum omnia calidi significata, & ea ad quæ collatio fieri potest, ennumerare, & postea sciscitari, quo modo & ad quid collatione facta, calidum illud vocare velit.* Verum hæc regula mihi parum artificiosa, & minime necessaria videtur: nam non solum laboriosa esset huiusmodi enumeratio, præsertim, quod ille (vt diximus) artem non doceat, qua inuenire ea liceat, ad quæ collatio fieri potest, sed etiam facit, vt nihil in arte nostra de his rebus certo affirmare possimus: nunquam enim temperamenti calidi signa, causas, aut quicquam aliud de quouis temperamento pronunciari posset, nisi semper repetita hac multiplici, & varia significatione; id quod cum nos non faciamus, nec ille etiam, aut alius de Medicina scriptor obseruet, constet iam positum esse id, ad quod referamus, quod calidum, vel temperatum pronunciamus; quid autem illud sit, iam expendamus.

Porro ex interrogationis modo intelligimus sæpe ad quid statim sit respiciendum: age enim si quis de Socrate ad hunc modum petat; cuius temperaturæ est hoc corpus, quis non videt, statim respiciendum esse ad medium, quod inter corpora statuitur, quod cum ex pari portione Elementorum conflatum statuatur, calidum & humidum pronunciandum est de quo agitur: cum in eo qualitates hæ præualeant. Si quis autem de eadem petat cuius temperaturę sit hoc corpus animatum, ad medium eadem ratione, quod inter corpora animata ponitur, respiciens qui respondet, pronunciabit: ac cum sit perfecta species medium, nempè animal, vt postea ostendemus cum de medio agimus, inter corpora animata optimę temperaturæ censebitur, quoniam ipsum est medium. Sic sane si quæratur cuius temperaturæ sit hoc animal, cum inter animalia homo sit mediũ, Socrates autem homo, optime etiam temperatum dicetur. At,

A si quis interroget, cuius temperamenti sit hic homo: protinus ad medium, quod in humana specie constituitur, spectandum est, temperatusque iudicabitur, si idem sit cum medio; intemperatus autem, si diuersus, & calidus, vel frigidus, ab excessu scilicet illius qualitatis, quam ex suis signis exuperare agnoscit, appellabitur; Quod si ille petat, cuius temperamenti sit Socrates, vt Socrates est, cum nihil aliud sit Socrates, quam homo quidam, idemque quærat cum alio, qui petebat, cuius temperamenti esset quatenus Socrates homo erat, idem quoque respiciendum & respondendum illi erit. At vero si quis quærat, quale habeat temperamentum respectu contrarii generis, contrariarum specierum, &

B indiuiduorum, vt inanimati corporis, bruti, Leonis, & huius vel alterius, optimi temperamenti semper censebitur, quoniam semper medium est; respectu vero alterius indiuidui eiusdem speciei, vt Platonis, vel suimet mutati, talem pronunciabimus esse, qualem excessus varietatque naturæ ostendit, calidum, verbi gratia, si caliditatis signa maiora appareant, quam in alio, vt iuuenem Socratem calidiorem seipso puero, quod sensus, & alia signa id ostendant. De aliquo leone vero si quis petat, cuius temperamẽti sit, vt corpus est compositum ex Elementis, eodem modo calidum & humidum dicetur: Si vero postulet, cuius temperamenti sit hoc corpus animatum, admonemur esse respondendũ,

C quod sit temperatum, quoniam hoc animal: Si vero interrogemus de eo, cuius temperamenti sit hoc animal, calidum & siccum pronunciandũ, quoniam homine calidior & siccior est Leo; At si postulemus, qualẽ habeat temperiem hic Leo, calidus vel frigidus, aut temperatus, prout cum temperie Leonis temperati medii in sua specie consentit, vel discrepat. Si quis præterea quærat, cuius temperaturæ sit hic Leo respectu alterius Leonis, vel suiipsius mutati, pari modo ab excessu nuncupabitur. Quod si cum alio animante conferatur, siquidem cum specie, quæ media est totius generis, nempe homine, idem respondendum, quemadmodum diximus esse faciendum, cum quærebatur, qualis esset illius

D temperies, vt animal: nam eadem est diuersis nominibus explicata interrogatio, cum in vtraque quæratur, qualis sit respectu medii, quod statuitur in genere animalium, sitque illud homo, inuenieturque malæ temperaturæ semper esse, & calidioris, & siccioris. Si vero cum aliis animalibus collatio fiat, aut melioris temperaturæ, aut deterioris, & calidioris, vel frigidioris inuenietur, siquidem animal animali alio perfectiorem habet temperiem, & calidiorem, aut frigidiorem, id quod ex medio, quod statuitur in vnaquaque specie, intelligitur: nam *quæ medium habent perfectius, ea quoque perfectiore temperie donata censentur.* Sumitur autem medium, vt postea ostendemus, in vnaquaque specie, ex

E *propriis actionibus*, vnde meliorem temperiem ea species habere dicitur, quam alia, quæ meliores edit actiones.

Quænã sint perfectiore temperie donata.

Vnde medium in vnaquaque specie sumatur.

Cæterum, quod de animali dictum est, idem de plantis dicendum est, & partibus illarum: ac ne eadem sæpius repetere cogamur, cum eadem sit plane ratio in plantis, quæ est in animalibus, sufficiet in partibus docuisse, eandem

etiam esse rationem. Igitur si quis os tibiæ Socratis statuat, & quærat, cuius temperamenti sit hoc corpus, frigidi & sicci dicetur esse, quod plus frigidi & sicci habeat, quam calidi & humidi, vel vt medium, quod in genere corporum temperatorum ex æquali elementorum portione mixtum statuitur: At si quis petat, cuius sit temperamenti hoc corpus animatum, vel pars animalis optimi, vt enim totum animal medium erat, sic & illius partes cum aliorum partibus collatæ, eodem modo, vt hominis pars est, optimi temperamenti fuerit: vt vero os, & tibiæ os, & hominis tibiæ, ad medium, quod etiam statuitur inter ossa, & tibiæ, & hominis tibiæ ossa collatio facienda est: vt pars vero cuiusdam hominis facta interrogatione, respondendum est facta collatione ad medium, quod est inter hominis partes: est autem, vt postea ostendemus in hac re non cutis, sed alia pars: At vero cum simpliciter & non indicato ex interrogationis modo eo, quod spectare debemus: vt si quis petat, cuius temperamenti sit Socrates, aut animal, aut si etiam sine interrogatione pronunciet de temperie alicuius rei, quemadmodum cum describimus signa animalis, vel hominis, vel Socratis temperati, non ita constat, ad quid respiciendum sit, cum nihil de hac re Galenus tradat, quod omnibus sit commune: Mihi autem videtur, cum de genere aliquo agitur, spectari medium summi generis, quod ex æquali mixtione Elementorum temperatum ponitur; cum de specie, medium proximi generis; cum de contentis sub specie, medium speciei: sic enim animal omnes scribimus esse calidum, quod in eo calor exuperet, qui pari portione in medio summi generis compositi coit; Leonem vero calidum & siccum, hominis, siue medii generis animalium collatione; biliosos homines calidos, pituitosos frigidos: sic Socratem, & Platonem, quod bene temperato homine calidiores frigidioresque sint: sic sane in partibus genus aliquod partis vt os frigidum & siccum appellamus, quod æqualem mixtionem non habeat, vt medium summi generis, sed in eo frigiditas siccitasque præpolleat: Os Leonis calidum, & siccum, quod in eo humanũ os vincat; huius, vel alterius Leonis os frigidum, vel calidum, si frigidius, vel calidius, sit quam conueniat ossi temperati Leonis, ad quæ etiam respicientes bonæ vel malæ temperaturæ eadem esse dicuntur: atque hæc satis quidem de his, ad quę collatio fieri potest, & quæ cum aliis conferuntur.

Cap. VIII.

De medio, ad quod fit collatio.

Conferri genera generibus, & species speciebus, & indiuidua indiuiduis, & hæc omnia medio cuidam, & denique varias fieri posse collationes, superius ostendimus: Qua in re nõ est, quod explicemus, quid per genus, quid per speciem, aut indiuiduum intelligamus; quandoquidem id etiam rudioribus per se constat: quid autem illud sit medium, qualisve naturæ, ad quod spectamus, & an vnum, vel plura statui debeant huiusmodi media, & qua ratione media esse cognoscantur, non statim omnibus patet. Quam ob rem paucis hæc à nobis sunt percurrenda. *Itaq; illud esse medium in hac re statuimus, quod optimam respectu aliorum temperiem obtinet.* nam cum debeat illorum esse regula, necesse quoque est, vt optima conditione illud sit donatum; si quidem rectum oportet esse, quod sit sui index & obliqui; Quod si ita est; plura profecto media ponere oportet: alia enim temperies optima censebitur esse in animali, vt animal est; alia vt est corpus ex Elementis compositum, quippe, cum nihil in corpore huiusmodi præter eam temperiem, qua corpus optime temperatũ est, censeatur; sic autem ea, quæ ex æquali elemẽtorũ portione conflatur: Ideo merito fit, vt medium, quod inter corpora composita, siue (vt Galenus inquit) in toto genere substantiæ ponitur, statuatur æquali pondere elementorum, siue æquali portione conflari; & proinde aptissime vocari medium ad pondus; At in animali huiusmodi temperies, quatenus animal est, optima censeri non potest: nam cum animal factum sit ad actiones quasdam edendas, necesse est, optimam illius temperiem iudicari, quæ ad perfectissimas actiones est aptissima, vnde in eo calorem & humorem præpollere oportet, si modo gigni, augeri, nutririque debet. Verum cum varia sint animalium genera, illud quod perfectissimas inter omnia edit actiones, optima temperie præditum merito creditur, quod & aliorum regula, & medium, ad quod reliqua conferantur, statuendum est. Ac de his quidem duobus mediis egit Galenus, statuitque medium in tota substantia, siue corporibus compositis esse cutem internam manus hominis temperati: medium vero inter animalia esse hominem. Verum docendi ratio postulat, vt modum doceat inueniendi medium, illudque statuendi in omnibus; & vt etiam plura media, quam duo ponamus: non enim solum, quid medium sit inter animalia, sed etiam inter animata & bruta & inanimata, docendum est. Est autẽ (vt breuiter dicam) in vnoquoque genere *species ea, quæ perfectior est*: in speciebus autẽ ipsis id, *quod in ea præstantissimum reperitur*: sic profecto in genere corporum compositorum animatum corpus, vtpote quod perfectius sit inanimato, medium huiusmodi statuitur, & animal inter animata, quoniam ex speciebus animati corporis animal plantis est perfectius, & homo inter Animalia eadem ratione, & temperatus homo inter homines: Inter bruta vero ponenda ea species medium, quæ ob præstantiores actiones edendas melius est comparata, sitque, si velis leo. Inter plantas, non ita facile est aliquam inuenire, quæ reliquis præstet: Illud tamen inuiolatum manet, eam constituendam mediam, quæ inter alias plantas actione præcedit.

Medium inter corpora composita.

Inter animalia.

Inter bruta.

Inter plantas.

Medium vero, quod ad pondus statuitur, putatur esse *cutis interna manus* (vt diximus:) quæ etsi exactam omnino parem Elementorum portionem non est sortita, siquidem præpollere in omni corpore, quod nutritur, calorem oportet, tamẽ quantum sensus deprehendere potest (quod Medico sufficit) vere est medium. Porro nõ sufficere ea duo media, quæ ponit Galen. cutem scilicet internam manus, & hominem temperatum, ex hoc constat, quod nullum sit mediũ ad iustitiam, cui conferri possint hominis, & alio-

Medium ad pondus.

tum

by Google

rum animalium partes, cum vt partes considerantur, non autem vt corpora, nam cutis medium est omnium corporum, quatenus ex Elementis constituuntur; Quinetiam cogit necessitas, quemadmodum homo totus reliquorum animantium medium censetur, quod talem habeat temperiem, quæ ad perfectissimas actiones sit aptissima: sic etiam partem aliquam statuere, quæ omnium partium hominis medium sit ad *Medium ad iustitiam.* iustitiam: quæ etiam ob perfectissimas suas actiones, optima temperie constare credatur; Cũ enim partem aliquam temperatiorem, melioreque conditione, quam aliam, esse dicimus, vt cor meliorem obtinuisse temperiem, quarũ os, profecto cutem non spectamus: cum pari forte recessu vtraq; pars à cute absit, nullamque actionem, sed solum vsum corpori præstet, sed partẽ aliquam, quæ præstantissimarum actionum sit author, omnino ponere oportet, à cuius temperamento quæ deflectunt, vt deteriores edũt actiones, sic & temperatura, & conditione omni peiore, vt partes sunt, præditas iudicamus; estq; si velis cerebrum, vel cor, aut alia denique, quam existimemus, optimas actiones edere.

Cap. IX.

Quonam modo ætates calidæ dicantur.

QVæ quotve sint ætates, quando vnaquæque illarũ incipiat, & desinat, qui humores in singulis procreentur, hoc loco tradere superfluum esse duco, quæ commodiore loco alibi sumus prosecuti. Quod vero ad rem præsentem facit, quonam modo scilicet calidum, frigidum, temperatum intelligatur, cum de ætatibus dicitur, & quæ ex his nascatur controuersia, breuiter explicabimus.

Scribit itaque Galenus, ætates calidas, frigidasque intelligi collatione facta ad eam ætatem; *Quænam ætas omnium temperatissima.* quæ omnium optima, temperatissimaque censetur; est autem ea *adolescentia*, quam ideo temperatissimam statuimus quod ad corporis, animique actiones edendas omnium sit aptissima; ad quam sane spectantes, pueritiam calidam & *Vniuscuiusque ætatis temperatura.* humidam, iuuentutem calidam & siccam; consistentem, siue declinantem ætatem remittente iam sese omnium actionum robore, quæ caloris vigore perficiuntur, frigidam & siccam, sed non magno excessu iudicamus; senes vero omnes eodem temperamento, maiore tamen qualitatum excessu statuimus: inter quos, eos, qui in vltimis senectutis partibus consistunt, tum frigidos, & siccos, tũ frigidos & humidos reputamus, quod frigiditatis vehementi excessu male cibus elaboretur, plurimaq; ob id in illis generetur pituita, quæ superfluo humore, & frigore solidas partes irrigat, corporisque omnes actiones labefactat, vt iam non minus in humiditate, quã siccitate emendanda versari Medicũ oporteat; Qua ratione commotus Gal. *lib. 8. de Decretis Hipp. & Platonis*, cum *alibi* vel frigidos & siccos, vel frigidos & humidos simul senes pronunciasset, decrepitos similem hyemi temperiem obtinere scribit, quod scilicet desperata iam correctione siccitatis solidarum partium satis assequi putetur Medicus, si pituitosa, mucosaque excrementa, quæ non minus quã ipsarum partium solidarum vitia obsunt, emendare valeat.

Cap. X.

De calore pueri, & iuuenis.

A PVeritiam iuuentutemque calidas dici, quod in illis ætatibus calor mediocritatem excedat, apud omnes constat; In qua vero ætate plus sit caloris, non sine contentione ab antiquis Medicis disputatum fuit, cum nonnulli pueros, alii vero iuuenes calidiores censendos iudicarent; alii vero (vt Galenus) vtrosque hallucinari putent, quod æqualis in diuersis ætatibus sit caliditas. De qua quidem re, operæpretium esse duco, vt paulo diligentius agamus, præsertim, quod recentiores multi Galenum intelligere non videantur, vt Galenus etiam ipse quæstionem (vt mea fert opinio) non diluat, & nonnunquam in hac re sibi euidentissime repugnet.

Quod autem recentiores Galeni quæstionem non percipiant, satis constat; cum enim ille proponat disquirendum, vtri calidiores sint, iuuenes, nescio an pueri, putant illi ab eo quæri, an plus natiui caloris habeat puer, quam iuuenis, de quo controuersia non est, cum omnes agnoscant, plus esse in pueris, quam in aliis calidæ innatæ substantiæ: sed de quo dubitatur, est, sitne calidior vnus, quam alius, id est, an plures caloris gradus sint in vno, pauciores, vel minores in alio; quod etiam ex *primo de sanitate tuenda* patet, vbi C scribit, puerum eodem gradu calidum, vt iuuenem, humidiorem tamen illum. Cæterum, quã bene Galenus aliorum opiniones de hac re refellat, & propriam adstruat, tunc potissimum intelligemus, cum aliorum rationes, & mutuas confutationes cognouerimus.

Itaque, qui pueros calidiores iuuenibus esse *An pueri sint calidiores iuuenibus.* contendunt, his vtuntur rationibus, quod illi abundent humore natura calidissimo, nempe sanguine, quod maxime augeantur, quod plura appetant, & plura, feliciusque concoquant. Quibus alii, qui pro iuuenibus certant, respondent, ita tamen, vt quædam admittant, quæ falsa sunt, quædam vero negent, quæ concedi debent. Quod enim calidissimo natura humore abun- D dant pueri, verum quidem est, sed non propterea calidiores esse probãtur, quod alii concedunt. Sanguine autem iuuenes magis, quam pueros abũdare, quod sanguinis profluuio crebrius tententur iuuenes, perperam credunt: neque enim frequentius iuuenibus sanguis fluit, nec etiam si id contingeret, propterea eos sanguine magis abundare ostendunt; siquidem sanguinis profluuia non tantum ob illius abundantiam, sed etiam ob feruorem & acrimoniam contingunt; quia enim in iuuenibus sanguis feruet, & sursum à calore incitatus nimio impetu effertur, venas ob id aperit, veluti vina ebullientia vasa ebullitione magis, quam copia rumpunt. Illud autem optime negant, pueros non esse ca- E lidiores, eo quod maxime crescant, mediocris enim caliditas, vbi humida subest materia, quæ distendi facile potest, augmenti est author: necnon etiam recte inficiantur, calidiores pueros censendos, propterea quod plura appetant; quandoquidem appetentia mediocrem, & non vehementiorem calorem sequitur; fieri autem appetentiam à frigido, non a calido, male pu- *Appetentia vnde fiat.* tant; cum ab vtroque, & melior etiam à nati-

uo calore, quam frigiditate proueniat. Quod autem dicunt, pueros plura appetere, non solum ad nutritionem, sed etiam corporis incrementum, si concedant appetentiam à calido vehementiore excitari, necessario etiam concedent, eos, qui plura appetunt, calidiores, siue nutritio, siue augmentum finis statuatur. Quinetiam temere putant, eos censendos calidiores, qui melius concoquunt: bona etenim concoctio à mediocri, halituosoque calore in mediocri materia perficitur, meliusque ob id pueri concoquunt, & si quæ duriora sunt, facilius vincunt iuuenes, vtpote qui acriore, vehementioreque calore sunt præditi.

Male præterea ex vomitibus & deiectionibus humidis colligunt in pueris coctiones deterius obiri, nihil enim tam validum est, quod aucta supra modum materiæ multitudine grauari non possit. Itaque, cum pueri nullum edendi finem faciant, vim coctricem, quam ex calidi natiui abundantia validissimam obtinent, ciborum multitudine opprimunt.

Qui vero pro iuuenibus pugnant, pueros frigidiores esse inprimis probare nituntur; deinde, aliis rationibus contendunt iuuenes calidiores esse, eo enim quod plurimum dormiant pueri, minus autem iuuenes, frigidiores illos, hos calidiores putant, nimirum quod illorum opinione fiat somnus deuicto calido ab humido, vel frigido, idque perperam, cum genus quoddam somni, quale in ebriis, & soporosis affectibus apparet, hoc modo solum fiat: naturalis enim recursu calidi natiui ad interiora potissimum fit, vel illius mediocri dissolutione, vt etiam mediocri cerebri meatuum ab humore vel vapore, occlusione, quemadmodum *in Opere nostro*, quod *de Somno* conscripsimus, ostendimus.

Colligunt tamen optime, pueros nec simpliciter, nec vehementer calidos, cum huiusmodi caliditas longiores somnos non admittat. Iuuenes autem calidiores esse partim firmissimis argumentis, partim leuioribus probant: nam quod bile inter omnes humores calidissimo abundent, efficiunt, quod volunt, cum calor ex humoribus subiectis resultet, calidioresque humores vehementior sequatur calor, & ex calidiore temperie calidiores procreentur humores: viget autē in iuuenibus humor, & tēperies aliis simpliciter calidior; Quapropter & illi inter omnes ętates merito calidissimi extiterint. Quod vero dicunt, in perfecto corpore, quale iuuenum est, perfectum elementum, ignem scilicet, dominari debere, id solum probabile est, quemadmodum & illud, quod ad motiones, sensationesque & cogitationes aptiores, validioresque conspiciantur: motus enim non tam ob caloris vehementiam, quam instrumenti robur, quod ex siccitate accidit, prouenit, quemadmodum sane cogitationes sequuntur magis siccitatem, quam vehementem calorem, quemadmodum senes prudentes, & ad cogitationes aptissimi censentur, qui tamen frigidi sunt, & sicci. Ex vitalibus autem facultatibus melius, quod volunt, concludent, caloris enim vehementiam illorum vehementia potissimum sequitur. Cæterum ex naturalibus quædam in pueris, vt concoctrix; quædam vero in iuuenibus, vt retentrix, & expultrix quæ robur instrumentorum requirunt, felicius peraguntur.

A Atque hæ quidem sunt rationes quæ vtrinque adferuntur, quas Galenus non admittit, hoc solo argumento, quod ex posterioribus, & effectibus priora colligant, quod leuissimum sane, in Medicina præsertim nostra, est peccatum, quandoquidem non aliis fere argumentis vtuntur Medici; quod etiam ipse facit, cum ex operibus actiones, facultatesque inuestiget, & temperamenta, morbosque ex suis effectibus distinguat, & medicamentorum naturam, vimque omnem ex eo, quod in corpore præstant, doceat; Quod si modum diluendæ quæstionis, quem tradit, probare possemus, facilius adduceremur, vt crederemus, alios merito ab eo reprehendi: sed cum illi assentiri nequeamus, facit vt aliorum

B rationes probabiliores esse putemus: vult enim ille totam controuersiam remota omni ratione, solis sensibus committi; quandoquidem de sensibilibus rebus agitur; quarum iudex est sensus: iudicari autem à tactu æqualem, paremque omnino iuuenibus & pueris caliditatem inesse, nec hos, aut illos simpliciter calidiores censendos, etsi diuersus occursus in vtroque sit, ita vt acrior, & mordacior in iuuene, in puero vero halituosior caliditas appareat: atqui diuersus hic occursus, si soli tactui rem committamus, nec rationem adhibeamus, quæ distinguat, quod ob subiectæ materiæ diuersitatem contingit, faciet, vt vnum alio calidiorem putemus: etenim

C tactus ea calidiora semper iudicabit, à quibus vehementius incalescit, quæ autem acrior est caliditas, etsi par cum alia sit, vehementius tamen tactum afficit, nosque ea calidiora simpliciter vocamus, quæ tactum amplius calefaciunt, vt Aristoteles etiam *libro secundo de partibus animalium* tradit *cap.* 2. statuamus enim verbi gratia, in ferro tres caliditatis gradus esse, totidem in aqua excalefacta, & iudicium tactui soli committamus, vtrum quæso, ex his duobus calidius iudicabit? ferrum profecto: ita etiam vapores, qui à corpore febricitantium assurgunt, multo calidiores his, qui ab aqua multo calidiore, quam sint humores febricitantis, attolluntur, propterea quod illi cum siccita-

D te quadam sunt coniuncti, cum qua calor vehementius tactum offendit. Itaque si ignoremus, parem esse in vtroque corpore calorem, & sensibus id definire velimus, incertissimam profecto omnium regulam quæremus; nisi ratio adiungatur, quæ errantem tactum ob materiæ subiectæ diuersitatem corrigat: colliget autem ratio ab effectibus, & causis caloris, eum æqualem esse, aut inæqualem in diuersis corporibus, in quibus similes, aut dissimiles causæ & effectus ratione caloris proueniunt: optime etenim iuuenes calidiores pueris iudicabimus, eo potissimum, quod calidiore humore redundent: Bilis siquidem ab ampliore, quam sanguis, calore, eo etiam authore *2. de facultatib. na-*

Vnde iuuenes sint calidiores pueris.

E *turalibus*, gignitur, tum quod ad iram sint procliuiores, pultusque maiores edant, & quæ duriora sunt alimenta, facilius vincant. Cur etiam *libro primo de sanitate tuenda* scribit, pueros, & iuuenes perinde calidos esse, eos autem, qui ab initio temperie sunt frigidiore, & humidiore, calidiores euadere, cum par sit in vtrisque ratio? vt enim in frigidis, & humidis, ætatis progressu victa humiditate calor amplior redditur,

idem

idem profecto in pueris fieri existimandum est. Quod si authoritate, testimonioque authorum hac in re certandum sit, scribit ipsemet Galenus *lib. 6. de morbis vulgaribus*, iuuenes simpliciter calidiores esse, pueros autem ipsos non simpliciter, sed natiuo calido præpollere; quibus sane verbis fatetur omnino, quod in quæstione fuit positum, & *2. de Temperamentis*, nimia contendendi auiditate in antiquos Medicos commotus, aperte negat, dum contendit omnes errare, qui vel iuuenes, aut pueros simpliciter calidiores existimant: scio equidem, Sophistas didicisse etiam contradictoria simul vera tueri; quorum iudicium non moror, illis enim hæc non scribo, sed his, qui non sectarum, nec antiquiorum scriptorum defensionem suorum studiorum finem statuunt.

Cap. XI.

Quid calidum innatum, & quot modis sumatur, quidve significet innati nomen.

DOcet Galenus *in libello*, quem scripsit *aduersus Lycum*, calidum innatum corpus esse: quod si ita est, constat calidum & calorem innatum inter se differre, Medicosque errare, qui cum de vno agendum est, alterius nomine abutuntur: est enim (vt diximus) calidum innatum corpus, siue substantia calida, calor autem qualitas ipsa quæ illi substantiæ est insita. Quid vero sit huiusmodi corpus, quod innatum dicitur calidum, Galenus indicat, sed vario modo, siquidem *in Aphorismis* definit, nihil aliud esse, quam aeream, aqueamque substantiam; *in lib.* vero *contra Lycum* non idem esse in omnibus statuendum, sed in pueris semen, & sanguinem, in senibus vero sanguinem solum. Cæterum *libro quinto de simplicibus* scribit, calidum innatum ab Hippocrate vocari spiritum, posse tamen sanguinem cum spiritu intelligi, contineri autem in omnis animalis partibus spiritum eum, quem alibi, scilicet *primo de diff. febr.* cum sanguine permixtum in arteriis, & corde concludi, corporique vniuerso communicari tradit. *At octauo de Placitis Hippocr. & Platonis* caloris natiui substantiam, quæ idem est cum ipso calido innato, ex sanguine, & pituita consistere, caliditatem autem ex frigiditate contemperari. Quoniam vero *alibi* motu caloris natiui omnes corporis actiones perfici statuit, calor autem absque suo subiecto non moueatur, sed sanguinis motu, nunc ad internas, nunc ad externas partes delatus, omnes corporis actiones exerceat, sanguinem profecto, qui in nobis gignitur, innatum calidum fateatur oportet, id, quod sponte sæpius facit. At, quomodo innatum dici potest, quod ex alimentis longe post natiuitatem in nobis gignitur? quæ cum varie dicantur ab hoc authore & plane confundantur, distinctione est opus, & naturam rei consulere oportet, quæ, quod verius est in hac re, doceat. Itaq; cum nullum corpus vere innatum esse possit, nisi quod nostræ generationis est principium, & nobis insitum, siquidem alia omnia ex illis fiunt, & acquiruntur, vnde innata dici nequeunt; quod etiam optime Galenus *contra Lycum* docet; constat sanguinem, & semen, ex quibus partes primo constituuntur, nec alia præter hæc calida esse innata: quæ cum aereæ, aqueæque substantię plurimum in se contineant, non mirum, si aliquando calidum innatum aeream, aqueamque substantiam vocet; At, cum sanguis ille, & semen desinant esse factis partibus corporis, nequeunt profecto illa amplius innata calida nominari. Quis enim dicet plurimum inesse calidi innati eo modo in pueris, cum semen, & sanguis, ex quibus illius partes sunt concretæ, non amplius sanguinis, seminisque naturam, & appellationem retineant, quo fit, vt etiam substantiam eam calidam quæ ex primis principiis in singulis partibus residet, calidi natiui nomine donare nos oporteat. Quoniam vero calor, qui singulis partibus ex primis principiis est insitus, tepidus quidam calor est, & veluti potentia, substantiaque, ea insita facillime, citoque dissoluta periret, nisi alia ei similis, maiore tamen calore prædita afflueret, quæ vere insitam restitueret & conseruaret, illiusque calorem excitaret, ob id spiritum, & sanguinem, qui in nobis ex victu gignuntur, calidum natiuum vocat Galenus, non quod vere naturæ sint huiusmodi substantiæ, quippe cum post natiuitatem in nobis proueniant, sed ob id ita dictæ, quod eas conseruent, quæ vere sunt innatæ; spiritu enim à corde proficiscente admodum calido, deductoque per arterias, & singulis partibus distributo, insitus in singulis membris calor excitatur, vegetusque euadit ad proprias actiones moliendas; sanguine autem potissimum ab hepate emanante digesta caloris vi substantia reponitur, restauraturq;. Quam ob rem optime Galenus *in libro de Venæ sectione*, ex sanguine natiuum calidum perseuerantiam habere scribit, indicans sane, influentem sanguinem non esse verum innatum calidum, sed ita dici, quod vere innatum conseruet, & foueat, id quod *in libro de formatione fœtus* testatur, cum ait duplicem esse calorem innatum, vnum, insitum singulis partibus, tepidum, & aeri contento in aliquo cubiculo similem: alterum vero à corde proficiscentem in singulas partes, illarūque calorem augentem: quomodo enim alioqui calorem à corde influentem innatum vocaret, cum repugnet, influere aliquid, & insitum esse, nisi impropriè innatum intelligeret, quod scilicet vere innatum augeat, cum quo eiusdem est naturæ: gignuntur namque partes, augentur, & conseruantur ex sanguine: At vero, cum omnes actiones natiuo calori tribuantur acceptæ, sit autem, qui insitus est (vt diximus) veluti potentia, qui vero aliunde influit, per se non agat, sed cum alteri coniungitur, non immerito etiam innatum calorem, calidumque vocabimus, quod ex natiuo, & confluente resultat. Quod si ita est, quid obstat, quo minus ex Galeni sententia quadruplicem substantiam reperiri credamus, quæ innati calidi nomine ab eo authore donetur? est enim inprimis sanguis, & semen, ex quibus vniuersæ animantis partes finguntur: Deinde calida substantia, quæ ex illis post generationem in singulis partibus relinquitur. Tertia influens, quæ nihil aliud est, quam sanguis & spiritus, qui in nobis gignuntur, & à suis fontibus per arterias, & venas tanquam per riuulos quosdam in singulas partes sparguntur;

Quid calidū innatum secundum Galenum.

Vere calida innata quæ.

Calidum innatum quot modis sumatur.

Quarta, quæ ex innata substantia calida, & influente constatur.

Calor innatus quatruplex.

Ita ergo & calor innatus quadruplex, qui primis scilicet principiis est implantatus, & is, qui humiditati ex principiis derelictæ est insitus; Tertius influenti calido inest; Quartus qui influentem, & innatam substantiam sequitur, qui omnium actionum author censetur. At cum inter calida corpora influentia spiritus plus momenti habere videatur ad omnium partium insitum calorem excitandum, cum etiam sanguis calorē ab eo suscipiat, non mirum, si aliquando solus spiritus natiuum calidum à Galeno esse dicatur. Quoniam præterea calor ingenitus mitis est, sanguis autem omnium aliorum humorum particeps, acrior ex bile redditur, ex pituita remissior, plus illius vigente etiam pituita, quam bilis in corpore gignatur, non mirum, si aliquando calidi natiui substantiam ex sanguine & pituita constare tradat, quod perinde est, ac si sanguinem pituitosum magis, quam biliosum, aut melancholicum ad singulas partes nutriendas, illarumque calorem conseruandum, aptiorem diceremus: non tamen propterea Galeni tractationem probare possumus, qui cum de diuerso calido innato agat, nulla distinctione facta, lectorem confundat, dum nunc de vno, nūc de alio eadem scribit. Hinc inter Medicos illæ controuersiæ de natiui calidi natura, quam nonnulli in spiritu, alii in sanguine, alii in sanguine, & semine, aut in sanguine, & pituita, vel sanguine, spiritu, aut in his omnibus ponunt, quasi eadem sit res, idemque calidum, de quo Galenus agit; quæ omnia facta superiore distinctione facillime doctis innotescent.

Nomen caloris natiui innatiq; cui proprie opponatur.

Cæterū natiui, innatique nomen proprie acquisititio opponitur, quomodo iuuenis calorē ætate, acquisititium, non natiuum esse dicimus. Opponitur etiam ei, qui est acrior & mordacior, vt cum dicimus natiuum calorem temperatum esse, eum vero, qui acrior est, natiuum non esse. Opponitur & natiuus ei, qui est præter naturam, tanquam idem sit natiuus & secundum naturam, quomodo febrem definimus esse calorem natiuum, versum in igneum, quanquam omnes huiusmodi significationes à prima deflecti videntur: quoniam enim qui insitus est, moderatus, temperatusque existit, qui vero acquiritur ætatis cursu, vel à morbosis causis nascitur, acris est, vel etiam præter naturam, ob id non natiuos huiusmodi calores censemus.

Cap. XII.

De fontibus caloris, calidique natiui.

DE fontibus caloris, calidiq; natiui nūc agendum esse iudico, vt intelligamus, vnde in singulas partes calorem deducere oporteat, quibusque locis potissimum sit succurrendum, dum vis caloris dissoluitur, pereūtque illius vitio partium corporis actiones. Qua in re varius etiam solet esse Galenus, cum nunc cor, alias nō simpliciter cor ipsum, sed sinistrum eius ventriculum fontem natiui caloris ponat, alibi vero, vt *6. de morbis vulgaribus*, duos fontes illius constituat, hepar, & cor; at *in libro de semine*, tertium addit fontem, nempe testes, cum alioqui reddi ratio nequeat, cur castrata animalia frigidiora, pinguiora debilioraque reddantur.

Vere natiui calidi nullum in nobis esse fontem.

Verum si calidum illud intelligamus, quod vere natiuum est, nullus illius fons statui potest; quis enim sanguinis, aut seminis eius, quo constamus fontem aliquem esse dicet, quando vnaquæque pars ex semine semel in vterum eiaculato, & menstruo sanguine conformetur: influentis autem alterius calidi natiui, vt spiritus præcipua est materia, ita cor, præsertim illius sinus sinister, fons recte statuitur. Eodem modo, & hepar, vbi sanguinem vna cum spiritu coniunctum natiuum nuncupamus calidum, secundum fontem ponere oportet, cum illic sanguis gignatur qui per venas vt spiritus per arterias in singulas partes spargitur. Quid autem à testibus influat in corpus, an spiritus quidam calidi, an vis sola calorifica, certo affirmare nequeo; illud tamē constat, singulas partes ab illis calorem quendam suscipere. Itaque veri calidi innati locus sunt singulæ partes corporis: alterius autem insiti cor, hepar, & testes, cor tamen præcipuus fons, quoniā & spiritus præcipuam vim in calefaciendo habet. Cæterum riuuli, qui à fontibus deducti per vniuersum corpus, quam accipiunt à fonte vim, spargunt, sunt arteriæ & venæ. An vero etiam seminalia vasa ponere debeamus, per quæ calorem testes impartiantur corpori, an potius sine instrumento aliquo, veluti solis radii, ad omnes perueniant, aliis quærendum relinquo, qui subtilius, & scrupulosius hæc quærere solent.

Cap. XIII.

De vi, & officiis caloris natiui.

VIs & actiones calori natiuo hæ tribuuntur, quod animal ab initio fingat, deinde augeat, & vsque ad mortem nutriat, quod robur sit omnium facultatum, & vitalis etiam essentia, primum animæ instrumentum, authorque omnium actionum, quæ in corpore fiunt; Naturalium, inquam, Vitalium, & Animalium, cum & arterias vi caloris natiui moueri, *libro tertio de morbis vulgaribus* scribat Galenus; ac inter tot natiui caloris officia *sexto eiusdem Operis libro*, censet idem author, primarium illud esse, quod nos alat. At nō omnis natiuus calor id facit, q enim cum semine est, generationis solius est author, qui cum sanguine menstruo nullius rei, cū materia solum generationis sit sanguis; Qui vero influenti substantiæ est insitus, nisi quatenus excitat eum, qui in singulis membris est, non agit; qui vero ex sanguine, & semine in humida, calidaque materia relictus est, per se est inualidus, vtpote, qui solam fere potentiam ad agendum habeat; cum influente vero mixtus, omnium nostrarum actionum author censendus est: sic sane videmus dormientibus feliciter concoqui cibos, sese tunc recipiente sanguine, & spiritu ad interna viscera, illarum partium calorem excitat, externarum vero partium actiones cessare, quod etsi insitum calorem habent, influente tamen in alio opere occupato, destituuntur, quo recurrente cessat somnus, succedit vigilia, in qua exteriorum partium actiones felicissime peraguntur. Esse autem illud præcipuum caloris officium

cium quod nos alat, non recte creditur: nam cum nutritio requiratur, vt, quod dissolutú est, resarciatur, calorque ipse, & vires, quæ ab eo proficiscuntur, in singulis partibus conseruentur, merito illud dicetur primum esse illius munus, quod scilicet ad propriam conseruationem exercet; quod vero alimentum in minimas partes comminuat, & seruiat ad illius deductionem per vniuersum corpus, attractione, retentione, & cæteris actionibus nutritioni destinatis, hæc facit per accidens, ob nutritionem scilicet; ita, cum plus concoquit, quam ad solam nutritionem absumi possit, in augmentum corporis abit, quod relinquitur. Sic sane somni, & vigiliæ, & motionum corporis author est, vt spiritus, sanguinisque affluxu excitetur, reparetur, roboreturvè, quod à singulis partibus dissolutum fuerat. Cæterum hæc à calore fiunt, non quidem tanquam à præcipuo agente (siquidem agendi vis ex proprio singularum partium temperamento prouenit) sed quod tanquam commune instrumentum quod vniuerso corpori seruit, existat. Vnde merito etiam primú animæ instrumentú à Philosophis, & Medicis est appellatum, & nonnunquam commune totius corporis, quod de eo potissimum intelligendum puto, quod à fontibus suis ad singulas partes emanat: quippe cum peculiare sit, quod est singulis insitum, ad proprias vniuscuiusque actiones destinatum; Quod vero influit innatum calidum, dum nunc ad interna se recipit, nunc ad externa recurrit, cómune omnibus instrumentum ad agendum euadit. Vitalis autem facultatis potius, quam aliarum essentia statuitur, quod ea vitæ author censeatur caloris beneficio, cuius fons potissimum ponitur. Animæ autem substantiam in calore ponere, ars Medica maiore quadam licentia permittit, vtpotè quę nihil aliud agnoscat in corpore præstantius eo, quod videt actionum omnium authorem, & vitæ tutorem, quo demum dissoluto, homo esse desinit.

Præcipuum munus calidi innati.

Cap. XIV.

Quonam modo agat calor innatus.

Scribit Galen. *in libro de Rigore, & tremore,* natiuum calidum motu ad exteriora interioraque sua munera obire; id quod de influente, non de eo, quod est insitum singulis membris, quod immobile est, intelligere oportet: Sanguis autem, & spiritus, dum nunc ad exteriores partes prorumpunt, nunc vero ad internas sedes reuocantur, aut vniuersum corpus æqualiter occupant, omnes actiones perficiunt: nam per vigiliam, cogitationes, frictiones, balnea, calidioremque aerem, aut ab aliis denique auxiliis ad corporis superficiem concitati, omnibus actionibus quæ illic obeuntur seruiunt, dum innatum calorem singularum externarum partium excitant, & faciunt. Per somnum, otium, taciturnitatem, dum in internis sedibus continentur, pariter quoque illi subministrant; per exercitationes intus, & foris æqualiter vim suam impartiuntur, cum vniuersum corpus illorum particeps euadat. Quæ vero sit huius motionis, A perpetuæque successionis causa, nunc tradendum est. Qua in re experientiæ quotidianæ fides concedatur, nostra scilicet opera nunc extra duci, quod frictiones & balnea ostendunt; nunc ad interiora contrahi per timorem, cibi exhibitionem; per corporis verò exercitia, vt equitationem, nauigationem, gestationem, æqualiter vniuersum corpus occupat; At sponte etiam nihil interim conferente nostra opera eum moueri certissimum est, cum per animi corporisq; languores dissolutus, ad interna Viscera se recipit, & perfecto somno ab internis partibus ad externas exeritur, nobis etiam nolentibus, & vigilare coactis. Quamobrem optime Galenus *in libro de Tremore*, innatum calidum substantiam per se, & semper mobilem esse statuit, & B merito quidem: cum enim calor sit, necesse est eú ad superiora, exterioraq; suo impetu efferri; quoniá vero in substantia est ex calido & frigido temperata, & ipse etiam calor non igneus, sed ex aquea frigiditate, & aerea caliditate contemperatus, ad interna humoris, frigorisq; vi reuocatur: vnde nec intus perpetuo contineri repugnante calore, qui in sublime attollitur, nec extra vehementius concitari, aut illic perpetuo versari, retrahente frigiditate, & humiditate, potest; quod ostendit alimenti copia, & inopia: nam ingesto alimento auctoque humore, atque ita eo præualente, cogitur ad interiora viscera se recipere, qua ratione potissimum ingesto cibo so- C mnus obrepit deserente calore externas corporis partes, quo confecto, euictoque humore, proprio motu iam impulsus, emicat, & veluti extra euolat, vbi tamdiu versatur, donec illi suggeritur ab internis fontibus humor copiosus, qué secum ille trahit, quo dissipato, & dissoluto, præ imbecillitate nequit amplius in remotissimis à fontibus locis consistere: vnde rursus cogitur ad intimas corporis sedes se recipere, non pabuli causa, sic enim intellectu eum præditum crederemus, sed quod (vt diximus) in sanguine, & spiritu consistat, quibus dissolutis deficientibusque, in externis partibus vna cum illis cogatur se contrahere, id quod maxime ostendunt timores, per quos recurrente sanguine cum spiri- D tu, vna etiam & ipse calor cum illis eo fertur, externasque partes exangues & pallescentes relinquit.

Cap. XV.

Quibus modis innatus calor conseruari, augerique possit.

Medicum nihil magis studere oportet, quam vt innatum calidum, caloremve tueatur, quandoquidem illorum beneficio perficiuntur omnes corporis actiones, tolluntur morbi, sanitasque diutissime firma, & incolumis perseuerat; At si beneficio influentis calidi, E quod est insitum, & vere natiuum conseruatur, augeturve, illius inprimis rationem habere oportet, quæ duob. sine constat, vt scilicet procuremus sanguinis spiritusque boni, & plurimi generationem, & conseruationem, tum etiam, vt genitos oportune nunc intro ad interna viscera, nunc extra ad exteriores partes, & per vni-

uerſum denique corpus ducantur. Gignitur ſanguis bonus, & plurimus ex bono proboque nutrimento; ſpiritus tum ex ſanguine, tum etiam, ſi Galeno credamus, ex aere inſpirato; At ſanguis vt nutrimento regignitur, & augetur, ſic etiam conſeruatur, cum alioqui veluti ignis conſumptus lignis ſponte abſumatur caloris inſiti vi. Accipit & à ſpiritu vigorem, vnde natura ſanguinis, ſpiritusque vaſa, quæ per corpus ſparguntur, contigua fere ſemper eſſe voluit, vt ex ſanguine ſpiritus nutrimentum ſibi moliretur, & ſanguis ſpiritalem vim vicinitate arteriarum facile ſuſciperet. Porro ſpiritus aeris externi conſortio eget, non ſolum vt re ſimili, ſed etiam vt illius beneficio refrigerari, contemperarique poſſit: cum enim caloris officio fuliginoſa excrementa in corpore gignantur, quæ puram, benignamque ſpirituum naturam vehementi ſuo calore corrumpunt, ideo extra emitti illa oportuit in aerem ambientem, & ex eo frigidiorem ſubſtantiam attrahere, qua feruor ille conceptus ex continua ebullitione & excrementorum mixtione temperaretur; Hinc reſpiratio, arteriarum motus, corporisque vniuerſi tranſpiratio à natura animali comparata ſunt, vt vndiquaque illud frui poſſet externi aeris conſortio: nam qui in corde eſt ſpiritus, & calor, reſpiratione; qui in arteriis, illorum motu ſeruatur:

A qui vero in ſingulis animalis partibus reſidet, tũ reſpiratione, cordis participatione, cũ arteriarum propriarum motu, tum etiam tranſpiratione ſeruatur roboraturve, argumento, quod cõſtricta cute, & ſic prohibita tranſpiratione, intus calor, & ſpiritus accendantur, & corrumpantur: & quemadmodum ignis ventilatione accenditur, ita cordis, arteriarumq; motu duplici, tanquam propria naturalique exercitatione calor inſtauratur, & temperatus conſeruatur. Agitatur, mouetur que varie innatus calor, innatumque calidum ab his, quæ afficiendi corpus vim habent: nã aſſumpto cibo, & potu, ad interna viſcera reuocatur, vt otio, & quiete, extra vero ducitur, vt etiam per animi cogitationes, &
B quæ cuti admota euocandi vim habent; per vniuerſum vero corpus æqualiter ſpargitur, cum corpus varie exercemus, aut vitalem animæ partem paulo validius concitamus, per iram, gaudium, concertationes; obruitur materiæ copia, redundantibusque in corpore excrementis, inopia alimenti elangueſcit. Quamobrem is optimus caloris natiui cuſtos fuerit, qui ſalubrem viuendi rationem non ignorauerit: ſic enim agnoſcet, quando illi materia ſit opus, quando motu, & in omnibus denique agendi ſcopis optime ſe geret.

FINIS.

INDEX

AO1 1461063

Digitized by Google

INDEX

RERVM AC VERBORVM

IN OPERE HOCCE MEDICO ARGENteriano contentorum copiosissimus ac locupletissimus.

Numerus paginam: Litera paragraphum indicat.

A.

Ablatio in quibus affectibus requiratur. 720.b
Abundantia pinguedinis unde. 436
Abscessus quibus aperiendi sint remediis. 692.c
Accessio an ad quantitatem victus aut ad modum faciat. 1006
Acetum quomodo fiat. 455.b
Acida an in febribus concedenda. 990.b *acidorum frigiditas in quibus febribus obsit.* ib.d
Accidentia & symptomata quomodo differant. 174.c
Actio depravata quas sub se contineat. 245.c
Actionis, quae non fit, differentia. ib.
Actio abolita quae. ib.
Actionis diminutae differentia. 246.a
Actionis auctae differentia. ib.
Actio tristis. ibid.
Actio voluptuosa. ib.b
Actio & resistentia unde proveniant. 192.c
Actionem bonam non Medicinae, sed aegri esse finem. 78.c
Actiones activae. 305.b
Actiones obtinentes principatum. ib.
Actiones naturales. ibid.c
Actiones an ob regiones diversas mutentur. 349.c
Actiones à morbis profectae quomodo ab iis, quae à male sanis fiunt, differant. 227.b
Actiones & officia Medici propter quae potissimum varientur. 1879.c
Actiones naturales an in bene constituto corpore sint perfectiores, quam in aliis aliter affectis. 215.d. *Et unde proveniant.* 216.c
Actiones partium similarium quae. 214.c
Actiones partium similarium an veniant solum ex temperamento. 208.c. 216.b
Actiones naturales quomodo dignoscantur affectae. 326.b
Actiones partium unde laedantur & perficiantur. 211.a
Actiones partium esse duplices. 214.d
Actiones partium similariũ quot & quae. 215.d
Actiones principes an proveniant à solo principio. 317.b
Actiones rebus quomodo conveniant. 590.d
Actiones symptomaticas fieri etiam ratione materiae & non solum à morbis aut facultatibus vitiatis. 237.b
Actionis perfectio in quo sit posita. 216.a
Actionum cerebri laesiones quaenam ostendant cerebrum pati & quae non. 476.a
Actionum differentiae in eodem individuo, vel etiam in eadem specie unde proveniant. 257.d
Actionum nostri corporis praeter temperiem quae causa. 316.d
Actionum omnium autorem in viventibus esse animam. 206.c
Actiones viventium non solum temperamentum, sed alia insuper multa requirere. ib.d
Actionum praecipua causa. 216.c
Actionum instrumentum. ib.
Adenes quid. 285.c
Adeps an sit corporis pars, & cuius sit. 176.c
Adeps ex qua materia existat. 433.a *cur solũ circa membranas concrescat.* ibid.c
Adultis cur ducantur ratione. 264.a
Aegri qui. 240.b
Aer ambiens quid ad indicationem possit. 1911,c
Aerem neque per accidens indicare. ibid. d.e
Aer calidus quomodo nos afficiat. 517.d
Aer an in nos agat tota substantia. 524.c
Aer quis facilius aut difficilius putrescat. 609.c
Aer qui cum aliquo est excessu, an temperatus dicendus. 527.c
Aer quibus modis nos afficiat. 508.c
Aere calidiore utentes cur moriantur. ibidem. c
Aeris actiones, passiones, vires. 187.c *quaenam in aere fiant.* ib. 188.c
Aeris vires. 193.b
Aer ad quid conferat. ib.c
Aesculapium in Deorum numerum fuisse receptum. 47.b *& cur.* ib.
Aeger an cum victu perdurare sufficiat. 918.b
Aegri finem, non Medici, esse bonam actionem. 78.c
Aegrotabile. 134.c.d. *non significare idem cum aegrotativo & insalubri.* ibid.
Aegrotativum. 134.d. *non significare idem cum aegrotabili & insalubri.* ib.
Aegroti non solum egent curatione sed & conservatione. 575.d
Aethiopes unde pilos suos nigros habeant. 340.d
Affectus calidi unde potissimum suam habeant originem. 399.c
Affectus corporis unde fiant. 1278.c
Affectus & aliorum praesentium & absentium quantitatem exacte cognosci à nemine posse. 71,d
Affectus in aegris praeternaturales quem victum admittant. 987.d
Affectus hepatis qui per urinam & alvum expurgari debeant. 683.e
Affectus omnes in quibus atra bilis excernitur esse lethales. 1323.a
Affectus naturalis quid. 31.c
Affectus pulmonum cur difficillime sanentur. 687.b
Affectus renum per quas partes expurgentur. 989.b
Agentia extrinsecus quomodo certa signa praebeant. 326.d
Akachiae & Curtii opinio damnatur. 351.c
Alleviationes per artem factae secundum & praeter rationem quae. 1210.a
Alleviationes quando praeter rationem fiant, secundum Galenum. 1206.d. *Quando secundum autorem.* ibidem.
Alleviationes quae praeter rationem & quae secundum. 1208.b
Alienum apud methodicos quid & quotuplex. 51.d
Alimenta per se an considerari possint. 940.c
Alimenta secundum qualitates secundas quae morbis & febribus conveniant. 990.a
Alimenta quomodo nos afficiant. 529.b
Alimentorum varietas potius quam eorundem simplicitas probanda. 53.b *quantum edendum.* ibid.d. *quando edendum.* 533.c
Aloen praegnantibus non convenire & cur. 1304.d
Alteratio à tota substantia quid. 517.b
Alteratio ubi fiat. 819.d
Alterationes diversae tres in humoribus. 583.e

Alterationes emendantes humores qualitate vitiatos 728.c
Aluum siccam humida non esse meliorem. 1297.d
Aluus quid contineat. 1351.a
Analogismus quid. 1951.c
An aliquis possit mori cum signis concoctionis. 498.c
Anchinia quid. 318.b
Anginam non omnem esse periculosam. 1564.d
Anginæ species. ibid.
Anima animalis quomodo existat. 785.c
Anima an patiatur mutationes. 1966
Anima cum una sit, indiuisibilis & eiusdem substantiæ, cur in toto corpore non sit sensitiua, motiua, imaginatiua & memoratiua. & denique non habeat omnes facultates. 264.c
Anima & eius facultas an defatigetur. 973.c
Animam esse viuentium formam & omnium actionum auctorem. 256 c
Animam esse indiuisibilem. 157.a nec habere partes. ib.
Anima rationalis per creationem, à solo Deo producta. 786.c
Anima rationalis vnde sit. 7[illegible]8.a
Animaduersiones in certis signorum fontibus adhibendæ. 850.d
Animalem appetentiam solius esse oris ventriculi. 536.c
Animalis facultas quas sub se contineat ex Galeno. 261 d
Animalis facultas vnde dicta & quæ sub se contineat. ib.c
Animam esse vnam & candem indiuisibilem secundum speciem. 263.c
Animam vnico vti instrumento. 1271.a
Animal quomodo externum nutrimentum appetat cum vena adhuc sit plena. 858.a
Animalia aliqua absque semine fieri. 201.a
Animalia castrata cur ex materia seminis non lædantur. 544.d
cur pinguescant. ib c
Animalia castrata cur aliam assumant naturam. 281 a
Animalia castrata cur natiuum robur amittant. 404.a
Animalia cur rarius, quam nos ægrotent. 2[illegible]5.b
Animalia cur post coitum rugosa, debilia ac mœsta fiant. 409.b
Animalia prudentiora & sensibus nobiliora quænam. 321.c
[illegible] 403 c
[illegible] formam. 196.a
Animalium corpora ex quibus constent. 238.c
Animæ essentiam ignorari. 258.d
Animæ quale corpus & quid in eo ad obeundas operas suas requirat. ibidem.c
Animæ in corpore residentis officia. 116.c
Animæ facultates esse à calore distinctas. 269.c
Animæ in nobis non esse tria genera vt putat Fernelius. 261.b
Animæ fundamentum quod. 296.b
Animæ instrumentum. 216 c
Animi affectus mutatione caloris nos afficere 510 b
maximam habere vim inducendi contrarium corporis statum. 226 b
Animi affectus quid facere vel efficere valeant, 555.c
Appetentia quomodo munus suum feliciter obeant. 990.c
Appetentia immodica vel diminuta vnde fiat 480.d
Appetentia vera alimenti quomodo fiat, & à quibus causis. 5[illegible]5.c
Appetentia vera & naturalis in optime constitutis corporibus vnde 556.a
Appetentia siue fames canina quid & vnde fiat. 1166.c
Appetentiæ causæ primaria & proxima quot. 949.c
Appetitum quæ excitent & quæ eidem minuant. ib.c
digerentia vehementius calefacientia cur appetitum arceant. 950.a
Quinam à ieiunio appetant, & lædantur. 951 b
qui lædantur & non appetant & qui eidem nec appetant nec lædantur. ibidem c
Appetitus quomodo à vera pituita impediatur. ib.c
Appetitus animalis quis 449.c
Appetitus ciborum vnde. 455.c
cur in ætate languescat. 456.a
Appetitus circa initia conualescentiæ cur non laudandus. 1228.b
Appetitus naturalis vnde 457.b
Applicatio stabilis & firma quomodo fiat. 655.c
Apollinis successores clari qui 48 c
Apoplectici cur sensu & motu priuentur 1967 d
Apoplexia quid. 1253 d
Apoplexia quotuplex. 1254.a
Apoplexiam omnem esse periculosam & difficilem. 1258.c
Apoplexia causæ. 1254 d
Apophthegmata quid. 769.c
Aphorismi an sint theoremata vel enunciationes. 769.c
an ænigmata ib.d.
an apophthegmata ib.c
an leges vel prouerbia ib.
Aphorismi an vniuersam medicinam complectantur 770.c
quidam c Aphorismos legendum 772.b
totius Aphorismi Contextus an tendat in vnum scopum an in diuersos. 77[illegible]
Aphorismi essentia in quo sit posita 76[illegible]
b
Aphorismi omnes an rei, de qua agunt, proprietates explicent. ib[illegible]
an sint oraculum ib.d
an decreta c. quid sint & vnde sic dicti ibid.
Aqua an concoqui possit. 10[illegible]
Aqua quid per motum acquirat 18[illegible] d.c
Aquam motu non mutare qualitatem, sed concipere aerem. 184.d
Aqua quomodo putrescat 589.[illegible]
Aquæ decurrentes quomodo somnum inducant. 97[illegible]
Aquæ elementi vis & vsus. 195.b
ad quid conferat. ib.[illegible]
Aquæ elementi situs. 18[illegible]
Aquæ magnitudo [illegible]
Aqua cur post aerem collocetur. ibidem.b
Aqua an sit maior terra. [illegible]
Aquæ putrefactæ signa. 61[illegible]
Area quomodo fiat. 188.a
Argumenta quod ab initio febrium non sit purgandum. 1255. b. c.d.e. ad eadem responsio. 1256. d.c. & 1257.a b c.d.e. & 1258.a b.c.d
Argumentum quod Ver sit calidum & humidum. 257[illegible]
Aristoteles refutatur. 4[illegible]
Aristotelis error & eiusdem refutatio. 778.d
Aristotelis de coloribus pilorum opinio. 340.c
Aristotelis de loco vbi fiat semen & à quo decidatur, opinio. 4[illegible]
Aristotelis lausin docendo. 16.[illegible]
Aristotelis sententia de oculorum coloribus. 37[illegible]
Ars cur dicatur longa. 79[illegible]
Ars & scientia quomodo differant. 5[illegible]
Ars quid sit. 60.c. 6[illegible]
Ars medica quibus constet. 80[illegible] 81.b
Ars Medicorum methodicorum quid [illegible] b. quot morbos. ibidem. curatio. ibidem.
Artem consistere in consideratione vniuersalium, nec vnquam ad opus descendere. 9[illegible]
Artem curatiuam Galeni ad Glauconem esse compendium methodi medendi. [illegible]
Artem esse vniuersalium. 247[illegible]
Artem esse vniuersalium non particularium. 55[illegible]
Arteriæ quomodo seruiant cordi. 28[illegible]
Arterias omnes fieri ex semine ante alias omnes partes. [illegible]
Arterias vim pulsandi habere à corde. 276.d
Arteriarum qualis vsus. 37[illegible]
Artes subalternatæ quæ. 71[illegible]
Artes quomodo versentur circa suum subiectum. 71[illegible]

Artes quomodo à scientiis differant. ibid. d
Artes omnes à metaphysica oriri. 80. a
Artes quotuplices sint. 58. d
Artificem nullum facere suum finem 66. c.
Artis finem potentia esse vniuersam artem. 23. d.
Artu medica vniuersalia. 1. c.
Artus nomine quid intelligatur 792
Artium omnium non eundem esse finem 76. c.
Ascitis causa. 1329. e.
Asperitatis & Leuitatis caussa. 694. c.
Asperum vnde proueniat. 212. b.
Astra non esse causas dierum decretoriorum. 1188. e.
Athenaus Attaleus quis fuerit. 27. e.
Athletarum omnium habitus bonus non est periculosus. 854. b.
Athleta cur incidant in Apoplexiam 1256. d.
Athletica. 83. c.
Athletica olim in magno precio habita 852 c.
ab Euripide damnata & cur. ibid.
Athletarum sanitas cur res lubrica. ibidem. d.
Athletis vnde calidum innatum augeatur. 978. c.
Atra bilis an possit facere talem famem & quomodo. 1168. c.
Atra bilis duplex & qua inter illas pessima. 1348. a.
Atra bilis quid & quomodo ab humore melancholico differat. 1346. d.
Qua illius materia. ibi. e.
Atra bilis quid requirat & vt fiat perniciosa. 1248. a.
Atra bilis in quibus abundet. 242. c.
Attractio an requirat dolorem 1032.
Auditus vnde suos neruos capiat 315. c.
Auerrhoes refutatus 272. a.
Aues ex quanam parte oui procreentur, & ex qua itidem nutriantur 204. a
Auicenna opinio reiicitur 1043 c.
Aura leuis. 188 d.
Axilla & pudenda cur nunquam amittant pilos 348. a.
Axiomata quid 34 e
Axungia quid 432 c

B

Balnei Montiscatini laus 684
Balneorum, frictionum & vnctionum vsus 531 c
Balneorum laus in curatione calculi renum 684 b
Bellum quid requirat 761 a
Bibendi seu potionis ratio 533 d
Bilem flauam esse atra efficaciorem sed nō deteriorem 1347
Bilem nunquam commode purgari per superiora, nisi ad reuulsionem. 1316 a
Biliosi cur Sanguineis citius intereant 291 c
Biliosi quomodo Cerebrum expurgent. 357 a
Biliosos omnes esse graciles 1320 b
Biliosus cibus an corpora biliosa calidiora reddat 983 e
Bilis an degenerare possit in pituitam 678 a
Bilis atra an omnis sit acida 393 c qua sit acida ibid.
Bilis flaua & atra naturam suam seruans an sit concoquenda 632 b
Bilis flaua quomodo gignatur 398 a
atra itidem quomodo in declinante abundet ibid.
Bilis flaua qualitas 197 a
Bilis & calefacientia quomodo delirium faciant 119 b
Bilis per quas vias ex suo folliculo veniat in ventriculum 471 e
Bilis porreacea an etiam gignatur in hepate 472 c
Bilis quomodo dicatur leuis 1315 a
Bilis vtraq; an possit concoqui 626
Breue vnde proueniat 212 c
Breuitas facilitati & perspicuitati repugnat 776 b
Bubones cur nūc diariam nunc vero alias febres accendant 1389 c
Bucca ferreus reprehenditur 589 d
Butyrum etiam habere aliquid terrenum 193 d

C

Cadauer simplicem habet generationem & ob id per putredinem corrumpitur 587 c
Cadauera quem habeant calorem & quē non b
Cadaueris materiam & temperiem esse a materia corporis viuentis diuersam 290 a b
Cadaueris corruptio quid ibid. c
Cadaueris materia vnde sumatur ibidem c
Cadaueris materia & temperies quid & a quibus possit pati 291 a
Cadaueris materia ex elementis quem vsum prabeat viuentibus 292 d
Calculosi vnde frequentes gignant lapides 1248 a
Calculus quomodo sit morbus 238 b
Calida & humida cur alijs facilius putrescant 614 a
Calida & humida cur senibus adhibenda 984 e
Caliditas cur ad agendum sit efficacissima ad resistendum vero maxime imbecillis 192 c
Caliditatis gradus an per omnes atates aquales 263 e
Calidi cerebro cur leuem somnum habeant 355 a
Calidi innati natura & significatio an sit simplex vel varia 788 b
Calidius quot modis dicatur 327 e
Calidum absolute & non absolute quid 2577 b
Calidum duo significat 589 e
Calidum innatum esse spiritum 274 a
Calidum innatum quot modis à Galeno sumatur 956 b
de quo calido innato author loquatur ibid. c
Calidissimum natura quid 961 a
Calidum quid significet 327 d
Calor an per somnum in corde refrigeretur 1964 b
Calor an sit vita aut alterius facultatis autor 1975 a
Calor cœlestis quomodo ab Elementari differat 184 c
Calor cur in corporibus demortuis non possit amplius regere humidam & eidem dominari 607 e
Calor cur nequeat aqua humidam & aeream substantiam procreare 790
Calor & humor quomodo dolorem pariat 1128 e
Calor febrilis quis concoctionem adiuuare possit 1055 e
Calor internus quomodo ab externo corrumpatur 600 d
Calorem à seipso corrumpi quomodo intelligendum ibid.
Calor natiuus in autumno cur exiguus & squalidus 1003
Calor quando augeatur 605 a
quando diminuatur & quando eiusdē qualitas vincitur ibid.
Calor innatus quotuplex 1978 c
Calor insitus singulis membris quomodo possit augeri & vitiari 663 c
Calor naturalis & praternaturalis quomodo differant 1174 d
Calor naturalis quomodo medeatur morbis calidis 1174 d
Calorem & generationis & corruptionis esse autorem 196 a
Calorem natiuum non esse primum sed cōmune instrumentum 268 e
Caloris Elementaris vis in generatione compositi 192 b
Caloris influentis vis & vsus 293 d
Caloris natiui officium 977 a
Caloris nomine quid intelligendum 589 d
Caloris quot fontes 398 e
Calui Senes cur incurabiles 348 b
Caluities quid 345 e
quomodo fiat ex sententia ac opinione Aristotelis 346 a
causa caluitiei ibid. d 347 a
Callus ex qua materia 663 b
que partes perfecti calli generationem impediant 663 e
motus in generatione calli quis obseruandus 664 b
in eiusdem generatione quo vtendum victu ibid. e
Canicula effectus 1318 a
Canis maioris & minoris ortus 1318 d
Canities cur per longiores morbos contra-

batur. 364.a
Canities naturalis exinde fiat. 340.c
Cantharidum vsus ad promouendam vrinam an salubris. 997.b
Cassiam in dysenteria omnibus medicamentis esse praeferendam, & syrupum ros. 1350.d
Capilli cur aetate declinante nigrescant. 343.a
Capilli cur in nuper natis nonnunquam appareant nigriores, robusti iidem & crispi. 353.d
Caput magnum & paruum quomodo intelligatur. 307.
Caput paruum cur semper malum. ibidem.b.c
quomodo malum. 308.a
cur ab Aristotele laudetur. ib.d
Capita magna cur nonnunquam mala. 308.
Caput magnum quodnam bonum. 309.a
Capitis mala figura quid ostendat. ib.b
Capitis figura quot & quae 310.e
Capitis optima figura quae & cur talis. 311.b
Caro & animalium mortuorum partes vnde putrescant. 588.c
Caro in nobis an diminuatur & augeatur. 1130.c
Caro noua quomodo gignatur. 652.d
Caro simplex viscerum 283.c
Carnis copia an sequatur aliquā temperiem. 430.a
Carnosi cur plurimo alimento egeāt quam sicci & graciles. 964.e
Carnosi mediocriter ad omnes purgationes esse aptos. 1321.b
Cartilago quid. 283.b.
Cauitates in corpore laesa vnde oriantur & curentur 681.c
Cauitates quid. 566.c
Causa apoplexiae immediata. 1256.b
Causa celeris & confertim factae nutritionis 1155.a
Causa manifesta quispiam exoluatur. 1252.d
Causa materialis apoplexiae. 555.b
Causa salubris 1..1.c
Causa simpliciter salubris. 113.e
Causarum consideratio cur necessaria. 92.e
Causa strangulationis repentina. 1364.e
Causa ad committendum dolorem quot necessaria. 1129.b
Causa coloris pilorum ex Galeno expenduntur. 342.d
Causa conuulsionis & materia 625.c
Causae conseruātes sanitatem ab efficientibus quomodo differant. 501.d
Causa de quibus Galenus agit quid fiat. 499.c
Causa generationis vniuersales ...
fiunt externae. 588.
Causa mutationis opinionis plurima. 313.d.
Causa particularium differentiarum. 1151.d
Causa picae siue malatiae. 1168.a
Causa quid postulent inquirendum. 168.b
Causa salubres ad quid genus causarum referantur. 96.c
Causa salubres cum quandoque omittuntur quid tum faciendum. 527.d
Caecitas cur praeter naturam, & quando naturalis. 250.c
Celeriter nutriens quid: quid item tarde. 1154.c
Quid paulatim & sensim. ib.
Ceruus barbari vis & vsus. 658.
Cerebellum quid 313.c
Cerebri excrementa quando sese moderate habeant. 318.d
per quas vias eadem expurgari debeant. 338.e
Cerebri excrementum praecipuum. 336.d
Cerebri vulnerati siue contusi signa. 476.d
Cerebri patientis signa. 475.c
Cerebrum cur non sentiat & tamen aliis partibus vim sentiendi largiatur. 265.b
Cerebrum esse sentiendi & neruorum principium. ib.d
Cerebrum inter partes ad iustitiam quam maxime temperatum. 335.c
Cerebrum omnes partes dignitate antecellit. 714.b
Cerebrum partium tenuium quomodo possit intelligi 318.d
male à Montano & Akachia interpretatur. 319.b
quomodo suscipiat rerum imagines 310.d.
Cerebrum stabile quid ex opinione authoris. 322.
Cerebrum quarum facultatum sit principium. 275.a
Cerebrum quomodo dicatur ess. frigidum. 971.c
Cerebrum quomodo sit frigidum 269.b
Cerebrum quarum facultatum sit principium, 275.a
Cerebrum sanorum quomodo purgetur. 338.e
Castitas quid secundum Aristotelem. 371.e
Chiron centaurus primus creditur fuisse herbarum cultor. 48.c
Chirurgiam esse medicinae partem omnium antiquissimam. 68.d
Cibi ac potus actu calidi an omnibus febricitantibus conueniant. 991.c
Cibi ad restaurandos conualescentes quales requirantur 753.d
qui facile & plurimum nutriant ibidem.e
Cibi an vim irritandi habeant. 1017.b
Cibi qualis sanis & aegris ...
... 809.b
Cibi qui facile dicantur corrumpi 41...
Cicero neminem parum in logicis & philosophia fuisse exercitatum. 43...
Claudi cur quandoque similes aliquando vero dissimiles filios generent. ...c
Clysteres febrium putridarum ...
Clysteriorum vsus vnde. ...
Cocta cur diutius seruentur quam cruda 613.d
Coctiones cur perfectissimae vere & hyeme vigeant.d
Caeli forma. 179...
Caelum ex qua materia constet. 78...d
Cogitatio & sensatio vnde in animalibus. 96...b
Color bonus in cute quomodo deprehendatur. 349...
Color flauus vnde existat. 34...
Color in homine temperato qualis esse debeat. 4...
Color oculorum an eorumdem temperamentum prodat. 37...
Color optime constituti corporis qualis esse debeat ...
Color vnde in corpore oriatur ...
Color an sequatur semper temperamentum ibid.c
Colores vnde pendeant ...
Coloris puritatem, nitorem & vinaciatem non sequi temperamentum eundem.e
Colores quomodo distinguantur. ...
Coloris causa communis, ...
Coloris liberorum causa proxima, 78...e
Colli peruersionis causa. 136...
Coma quid ...
Coma quid significet. 364...
Cometa vnde fiant. ...
Commemorare quid. ...
Communitas crurum vnde. ...
Compendia quaenam dicantur tradi...d
Compositiua doctrina quid. ...
Quis eius ordo. ib...
Compositionis & resolutionis vim esse eandem. 24...
Compositiuae doctrinae cum aliis doctrinis comparatio. 39...
Compressio & concidentia partium a quibus fiat. 682...
Contractio a quibus fiat. ...
Concocta cur medicanda. 6...
Concoctio an in purgandis semper in morbi principio requiratur 1043...
Concoctio quid. ib.b
... sit separatio boni a malo. 104...d
Concoctio cur in senibus fiat melior, in vigilis vero imbecillior. 655.c

Concoctio & nutritio quomodo secundum Galenum differant 1049 d
Concoctionem esse vnam. ib.
in nostris corporibus elixationi esse similem ib. c
eiusdem materia. ib. e
calor quomodo concoquat 1052 b
Concoctio cur in pure quaratur. ib. d
Concoctionis causa efficiens 1055 c
cur in vigiliis fiat imbecillior concoctio, quam in somno 1054 c
Concoctionis calores quales esse oporteat. ib. d
ad concoctionem etiam facere calorem febrilem 1055 b
Concoctionis finis 1056 b
eius species 1057 a
Concoctio qua incrasset & qua non. 1058 d
qua vitia emendet 1059 c
cur, cum purgare volumus, expectanda 1062 e
qualis sit alteratio 1067 b
in quibus putrescentibus expectanda humoribus 1071 b
concoctionem non omnem melius obiri quiete quam motu 509 d
Concoctio qualis alteratio 630 c. cum sit actio 632 e
Concoctio qualia humorum vitia emendare queat 729 a
Concoctio quid requirat. 819 d
Concoctio quomodo ad concoctionem conferat & quomodo vicissim obsit a
Concoctio quomodo possit sistere putredinem 619 a.
ante purgationem humoris putridi cur sit necessaria ib. e.
an sit praeparatio humoris ad expulsionem 621 c
an sit separatio boni a malo ibid. e
Concoctio, suppuratio, & putredo quomodo differant 1274 b
Concoctionem admittentia qua 627 c
Concoctiones cur fiant meliores in alimentosis 1244 a
Concoctiones nostri corporis quot 819 d
Concoctionis & Appetentia Instrumentum 536 d
Concoctio an sit somni finis ib. e
Concoctionis finis 634 c
eiusdem quot species ib. d
differentia 635 a
Concoctionem semper incrassare ib. c
Concoctionis qua causa efficiens 622
eiusdem vera definitio 624 d
Conglutinatio & vera vnio cur in diuisione Instrumentorum fieri nequeat 653 d
Coniectura artificiosa ex quibus fiat 472 d
Coniectura ex quibus sit sumenda, 914 d
Coniectura quid. 70. a
Conseruans & curans quomodo differant. 99 a
& conueniant. ib. b. c.
quomodo differat a praseruante. ibidem
Conseruare quid 67 a
Conseruatio an fiat per similia an vero per contraria 981 c
quomodo fiat a similibus 982 d
eiusdem significatio quotuplex 984. a
Conseruatio cur non etiam dicatur curatio 560. c
Conseruatio quid 1873. d
quotuplex eadem 1874 b.
an fiat per similia, an vero per contraria 1883. c.
Conseruationi qua subiiciantur 724 a
qua itidem praseruationi ib. b.
Constare mente quid significet. 1229. b.
constituere quid 29
Constitutio aeris qualis temperatis conueniat 528.
Constitutio corporis quid 23 e
Constitutio & Habitus quomodo differant 855. d. c.
Constitutionem optimam vel non dari, vel breui durare. 173
Consuetudini quantum sit tribuendum & in quibus affectibus. 558 d.
Eiusdem quanta vis in sanitate. ib.
Consuetudinem in omnibus negotiis non parem habere vim. 559 b.
Consuetudo an aliquid indicet. 1927 c.
Consuetudo in excretionibus quantum valeat. 1452.
Consuetudo quomodo mutanda. 101. c.
Consuetudo in quibus magnam habeat vim, & in quibus nullam, vel minimam. 1186 b
Consuetudo quid possit in alimentis 1284
Contenta etiam sine morbis actionibus obesse. 244. a
Continua qua dicantur 652. a.
quomodo fiant ib.
Contractiones caloris qua somnum faciunt an omnes propter finem agant. 518. b.
Contra naturam quid 230 d
contra naturam existens quomodo a praternaturali differat. 230. d.
Contrarietatis nomine in curatione peragenda quid intelligendum 578. d
Contrariorum genus vnum 516. d.
Controuersia de nomine partis solida. 443. c
Controuersia de temperamento senectutis. 947 e
Contusionis effectus quotuplex 679.
contusum non putrescere ib. c.
Conualescentes cur appetitum seruent contricem vero facultatum debiliorem obtineant. 1226. e
Conualescentium sanitas qualis 143. b. 1402. d
Conuulsio cur fiat a solutione continui. 1200 d
Conuulsio cur in acutis febribus lethalis 1402. d
Conuulsiones morbosas vix fieri posse somno durante 404. b
Conuulsio quid secundum Auicenam & Galenum. 1197. c.
Conuulsionis differentia 1198. e.
Emprosthotonos Episthotonos Tettanos. ibid. d
Conuulsionis causa 1198. e.
Conuulsionem nullam fieri ab inanitione. 1199. c
Conuulsio quomodo fiat & a motu voluntario differat. 1203 b
Conuulsiones febribus ardentibus superuenientes cur lethales 1392. a
Conuulsiones in febribus vnde fiant 1403 d
conuulsionis causa. 1391 d
cor an vel minimum dolorem sentiat. 477. c.
cor anne etiam facultatem aliquam de se mittat 275. e
cor quid corpori impertiatur 276. b
cor dare arteriis vim pulsandi. ib. c
cor cuius sit principium ib. d
cor a cerebro non refrigerari. 266. a
cor non esse omnium facultatum principium 367. a
cor non dare vitam nec omnia vita necessaria, sed solum calorem. 270 c
cor cur vltimo moriatur cum tamen primo non viuat ibi. d
an a corde vitalis aliqua facultas prodeat 275 e
cor quid corpori impertiatur 376 b
cor non prius formari hepate 268 c
cor cuius sit principium ibi. d
cordis passiones qua ibi. e
cor esse omnium facultatum principium secundum Aristotelem 265 a
cor & hepar calidi innati fontes 956 d
cor solum quomodo dicatur fons calidi innati ibi.
cor cur vltimo moriatur cum tamen primo non viuat 270 d
cordis Affectiones & passiones 376
quomodo in corde gignantur ibidem c
cordis patientis signa 476 e
cor quomodo calefaciat 381 e

Cordis frigidi signa 382 c an arteriarum sit principium 386 c
Cor non dare vitam nec omnia vitæ necessaria sed solum calorem 270 c
quomodo sit principium arteriarum 254 d
Cor quomodo primum viuat & vltimo moriatur 1076 d
an sit vitalis facultatis principium. ibi.
quomodo sit origo facultatis vitalis 2070 a
Correctiones quomodo fiant. 67 a
Corrigere quid 104 a
Cornelium Celsum nec vniuersam scripsisse medicinam, nec vllum certum ordinem in scriptis suis obseruasse. 43 d
Cornua an sint corporis pars & cuius sint 177 a
Corpora an ex solo sanguine an etiam ex aliis humoribus fiant 197 c
Corpora ex motu calefacta & mox refrigerata cur corripiantur febribus 613 a
Corpora ægrotantia quomodo cognoscantur 473 c
Corpora deterius constituta cur perfectiores nonnunquã edant actiones 217 d
Corpora moderata cur rarius, quam alia, quæ sunt male constituta, in morbos incidant. 225 a
Corpora nostra non constare ex Elemento vno 190 c
Corpora salubria, insalubria & neutra necessario esse actu sana 226 b
Corpora salubria, insalubria & neutra quomodo vere inter se possint distingui 248
Corpora salubria, insalubria & neutra omnia contineri in latitudine sanitatis ibid. c
Corpora animalium ex quibus constent 238 c
Corporis crassitiem & tenuitatem non sequi temperamentum 214 a
Corporis diuisio 1237 d
Corporis forma quid 240 b
Corporis materia 240 b
Corporis moles quot & quibus constet. 868 c
Corporis viuentis materiam & temperiẽ esse à materia cadaueris diuersam 290 a
Corpora viuentia qualem requirant materiam 290 c e 291 c
Corporum viuentium materia temperies qualis 292 c
Corporum viuentium materiam propriã vicissim augeri & minui ibi. d
quomodo augeatur 293
viuentium materia propria insita singulis partibus vsus 293 c
Corporum viuentium temperiem propriã quomodo mutetur 294 e
Corporum viuentium temperiem propriam mutari ob mutationem calidi influentis 294 d
Corporum compositorum quoddam medium 2186 b
Corporum ægrotantium signa 494 d
Corpus cum purgandum est an omnes humores qui euacuandi sunt concoctionem postulent 627 d
Corpus æquale ad pondus & re vera tum nullum esse 247 c
Corpus ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ salubre 110 c
Corpus ὡς ἐν τῷ νῦν salubre ibi.
Corpus ἰνδιάνιον quomodo intelligendũ 98 d
Corpus salubre simpliciter 98 d
Corpus insalubre 98 e
Corpus neutrum 98 e
Curans & conseruans quomodo differant 592
& conueniant ibid. bc
Corpus & eiusdem partes quid significent 426 c
Corpus impurum ab alio quod corruptis humoribus scatet quomodo differat 996 c
Corpus magnum quod 1299 e
Corpus neutrum an detur 144 d
Corpus non omne nec substantia ex quatuor constat qualitatibus 2181 c
Corpus salubre 91 d
Corpus simpliciter salubre 123 e
Corpus totum quando operationes suas cogatur intermittere 494 a
Corpus validum & robustum 91 c
Corpus vt optime sit sanum quid requiratur 124 a
Corpus vnde fiat tenue 441 e
vnde glabrum ibi.
Corpus quoties in die exercendum 530 c
Corruptio caloris quid 601 b
Corruptio caloris quæ fit per extinctionem 602 c
Corruptio in febribus putridis vnde 509 a
Corruptio per marasmum 602 a
Corruptio per putredinem cur non sit præter naturam 608 d
Corruptio secundum Galenum quid 455 a
Corruptionem viuentium non esse putredinem 586
Crapula quando vtilis 535 b
Crassitur citra interitum 1263 d
Mediocres inter crassos & graciles diutissime viuere 2264 c
Crassitiem corporis non sequi temperamentum 214 a
Crassities sanguinis vnde 366 b
Crassum vnde proueniat 2122
Crises ad quos potissimum morbos pertineant 1180 a
In quibus sint perspicuæ, in quibus occultæ ibid.
Crisis re vera quid 1180 b
Crisis perfecta 1180 c
Crisis prima vsurpatio 1180 d
Crises etiam in diebus paribus fieri bonas 1167 d
Crassi multiplex significatio 2262 e
Crises nostro tempore fieri leniores & faciliores quam olim 1092 b
Crises non [illegible] 1187 a
Crises quando in quorum morbis fiant 1369 b
Crises quorum morborum sint propriæ 631 c
Crisis quid [illegible]
eius nomen vnde ortum 1011 [illegible]
Crisis perfecta bona quomodo cognoscatur 1013 [illegible]
Crises quando fiant in diebus decretoriis 1015 c
Cruditas humorum vnde 631 [illegible]
Cruditas in humoribus vnde nascatur 1068 c
Crudum cur non sit medicandum 1064 d
Cucurbitularum vsus in febribus putridis 641 [illegible]
itidem Hirudinum ibi.
Curare & præseruare qui dicantur 577 b
Curatio quid & per quæ fiat ibid.
an semper fiat per opposita 578 c an fiat per immoderata 580 [illegible]
Curare & præseruare quid secundum Galenum 1574 c d
Curare & præseruare quomodo differant 723 [illegible]
Curare quid 104 [illegible]
Curatio calculi renum Neotericorum opinio 684 [illegible]
Curatio febris putridæ 614 [illegible]
febres in quibus putrescunt omnes humores, omnino sunt lethales 615 a
Curatio febrium putridarum [illegible] symptomatis 617
Curatio inflammationis Galeni accipiatur 686 [illegible]
Curatio nerui prorsus non concisi 669 a
qualis debeatur neruo vulnerato & vnde ibi.
Curatio per quæ fiat [illegible]7 a
Curatio puncti in neruo 66[illegible]
diuisiones neruorum an sanentur per conglutinationem vel collig[illegible] 667 a
qualia medicamenta conueniant quæ punctis neruis adhibentur ad exsiccandum & secundum alias qualitates ibi. c d
Curationem nihil indicat nisi quod curatur 2011 [illegible]
Curatio carnis [illegible] 661 a
Cur corpora curuentur ad anteriora, & non ad posteriora 1502 a
Cur ex mixtione aëris substantiæ cum humore fiat spuma 1260 [illegible]

Cur nunc fiant bulla nunc spuma 1261.a
Cur in his qui strangulantur fiat spuma circa os. 1261.c
Cur equi currentes in ore habeant spumam. 1261.d
Cur qui strangulantur viuere amplius non possint si spuma circa os appareat. 1261.d
Cur ex plurimo cibo per somnum copiosi fiant humores. 1376.a
Qua purgatio his conueniat ib.b
Cur febres intermittentes omni periculo vacent, & quando fiant periculosæ 1378.b
Cur in aqua feruenti non generentur spumæ. 1259.d
Cur in quartanariis imperetur vomitus 1323.d
Cur in initio febrium intermittentium vomitus sit vtilis, aluï fluxus vero non item. 1309.e
Cur in materia turgente commota requiratur purgatio 1104.d
Cur mutationes ostendant morbi longitudinem. 1374.b
Cur saltationes & alii motus in primis & vltimis mensibus periculosiores 1307.d
Cur senes non frequentius ægrotent quam iuuenes. 1245.a
Cur synocha putrida interdum sint breuiores tertianis. 1196.d
Curtius vbi refellatur 746.e
Cuticula cur regignatur, cutis autem non 202.c
Cutis ad pilorum generationem dispositа quæ. 286.b
Cutis cur inter omnes partes obtineat calorem temperatissimum. 299.b
Cutis quomodo sit index temperaturæ. ib. 296.d

D.

Debilitas ex superflua venere vnde contingat. 543.b
De causis præseruatiuis. 722.d
De causis salubribus, insalubribus & neutris. 499.a
De coloribus oculorum 369 c. eorumdem glaucedine ac nigredine ibidem.d.
De cordis temperaturis. 374.c
De curatione solutionis continui in parte carnosa. 650.c
Decrepiti cur non possint ferre inediam cum tamen pauco alimento sint contenti 953.d
Definitiones Medicinales refutantur. 1047.c
Defectus humorum hepatis quot modis morbum significet. 419.a
Definitiones quotuplices sint. 19.e
Definitio optima quæ. ibidem 40.a
Definitio essentialis quæ ib.
Differentia definitionum vnde sumantur ab quæ subiiciantur. ib.b
Definitiua doctrina quid. 25. e. quæ 26. b. quibus nominibus appelletur 26.c
Definitiua doctrina in quibus vincat resolutiuam. 37.b
Definitiuam doctrinam resolutiua esse breuiorem sua natura. 38.b
Definitiua doctrina & resolutiua comparatio. 31.b
De fontibus signorum à quibus prædictiones sumuntur. 487.a
De hepate. 469.b
De homine vomente bilem. 470.d
Deiectiones nigræ quæ & quot. 1343.d
Deiectiones omnes esse malas, sed non pessimas. 1345.c
Deiectiones nigræ quæ sint malæ, & quæ itidem bonæ 1344.b
Deiectiones nigræ malæ sine & cum febre pessimæ quæ. 1344.c
Deiectiones sorditatem soluentes quæ. 1317.b
Delineationis & figuræ membrorum causa 787.d
Delirantes cur se dolere negent. 1122.a
Deliria vnde fiant. 471.e
Deliriis cur quandoque sequatur moderatam sanguinis missionem aut alium euacuationem. 1108.d
Delirium in qua cerebri parte habitet. 1109.a
Delirium non solum prouenire ex affectibus cerebri & vnde præter illos oriatur. 1129.d.
Delirium siue paraphrosyne quid. 1104.c
Delirii differentia 1105.b
Delirii causa 1108.a
De materia & colore pilorum opinio authoris. 340.c
Demonstratio quod contraria contrariis curentur. 1170.d
Demonstrationis & scientiæ subiectum esse idem. 74.b
De morbo secundum situm. 720.e
De morbo secundum numerum. 716.c
Morbos in magnitudine non esse cum morbis in numero eosdem. 719.a
Morbus in magnitudine quando fiat. 720.a
Densitatem non semper sequi temperamentum. 213.d
Dentes cur inter ossa soli regignantur 569. a cur regigni nequeant. ib.b.
Dentes amissi cur regenerentur. 202.b
Dentes & partes aliæ cur aliquando non regignantur. 203.c.
Dentes quomodo sentiant 283.c
De oculis. 365.d
De eorumdem magnitudine 307.c paruitate 368.b
De operationibus obtusioribus principatum. 316.c
De proportione huius operis ad alia 773.a
De punctura nerui & chordæ 666.b
De qualitate exercitationis. 529.c
Deriuatio an vbique fieri possit. 1037.e
Deriuatio cui humori conueniat, 1018.c.
Deriuatio & Reuulsio an fiant per easdem venas. 747.b
Reuelli & deriuari an simul possint. ibid.d
a Galeno quandoque confunduntur. ibid.
Deriuatio an conueniat humori occupanti membrum 746.
Deriuationis & reuulsionis vsus. 644.b
De signis bonæ temperaturæ cerebri 327.c
De signis cordis calidi 377.b
De signis frigidæ & siccæ temperaturæ testiculorum 424.a
De signis frigidi cerebri 355.c
De signis itidem sicci 356.e
humidi 357.c
calidi ac sicci. ib.e
calidi & humidi 358.c
frigidi ac sicci 361.c
Pituita quomodo exuperare possit in sola frigiditate cerebri 355.e
De solutione continui, vt ita in esse. 660
De signis hepatis calidi & humidi 400.a
De speciebus morborum secundum formationem 680.c
Destillata & consumata an in febribus damnanda sint. 991.b
Detersio quid 817.d
De totius corporis habitu 424.c
De ventriculo. 468.d
De vesica. 468.e
De voce leni, aspera & acuta. 461.c
De vsu affectionum animi 541.d
De vsu somni & vigiliæ. 537.c. Opinio Galeni de eodem vsu confutatur 538.a
Diem primum & secundum etiam esse decretorios. 1182.a
Dierum criticorum non posse reddi certas rationes & causas. 1193.b
Dies criticus quid 1178.a b. secundum Galenum & autorem ib. Quid Crisis nomine intelligendum. 1178.c
Dies decretorius quis 1180.d
Dierum decretoriorum differentia. ibidem.
Decretorii, indices seu contemplabiles, intercidentes seu intercalares ibid.
Differentia & similitudo inter generationem hominis & animalium reliquorum 787.a
Differentia humorum euacuandorum. 1020.d
humorum itidem qui mouentur 1021.a

Differentia Gymnasticorum quotuplex 853 c

Differentia in modo fluxionis 1021. in fluxionis tempore ib. b. in materia fluente ib.c

Differentia morborum quæ. 883. a. d.

Differentia morborum simpliciter acutorum & peracutorum 881.d.

Differentia dysenteriæ ab vlceris affectionibus 1354.e.

Differentiæ pulsus quæ diminuta necessitate primum perduntur. 385.a.

Digerentia vehementius calefacientia cur appetitum arceant. 950.a.

Diminutio in quibus affectibus sola requiratur. 770.c

Dissensio de arte mechanica 68.d.

Dysenteria quid. 1349. d. eius differentia. ib.

Dysenteriam suapte natura esse insanabilem. & cur. 1350.a.

Dysenteriæ variæ curationes. 1350.b.

Dysenteriæ causa 1351.a

Dissipatum an nutritionem indicet 875.c

Dissolui quid propriè dicatur 26.d

Disputatio an conseruatio fiat per similia 556.d

Disputatio an ea, quæ sunt secundum naturam similia, quæ vero præter naturam, appetant. 450.e

Disputatio an illi qui ventriculo sunt frigido plus aliis appetant 457.a

Disputatio carnem diuisam vere vniri & quomodo fiat vnio. 652

Disputatio de Adipe & pinguedine. 431.d.

Disputatio de causa coniuncta. 576. b.

Disputatio de definitione concoctionis 621.

Disputatio de excrementis quæ in vlceribus proueniunt 665.b.

Disputatio de filiorum ad matrem similitudine 410.e

Disputatio de generatione maris & fœminæ. 419.a

Disputatio de genere putredinis. 584

Disputatio de medicamentis conuenientibus in generatione carnis 676. a.

Disputatio de putredine cuius nimirum res sit corruptio. 589.b

Disputatio de regeneratione partium. 567.

Disputatio de scopis agendi contra Galenum. 521.e

Disputatio quæ partes in nobis possint humectari & e contra. 447.b

Distensionis finis 1153.b

Diuisio in salubre, insalubre & neutrum qualis sit 98

Diuisio medicinæ. 79.80 81 82.83.

Diuisio quid requirat. 23.e

Diuisiuam doctrinam esse inter doctrinas quartam. 42.a quomodo à resolutiua differat, ib.c

Doctrina compositiua quid. 24 b eius ordo. ib.d

Doctrina ex quibus fiat. 24. e

Doctrina definitiua quid. 25. e quæ 26.b. Quibus nominibus appelletur. 26.c. Quinam hanc doctrinam tentauerint. 27.b.

Doctrina definitiua in quibus vincat resolutiuam. 37 b

Doctrinam diuisiuam esse inter doctrinas quartam. 42. a. quomodo à resolutiua differat. ib.c

Doctrina per diexodon fiens quid. 41. a

Doctrina resolutiua. 21.a

Doctrina resolutiua cur sit præstantior definitiua. 35.c

Doctrina resolutiua vnde habeat nomen 30. b.

Doctrinam definitiuam esse resolutiua breuiorem sua natura. 38 b

Doctrinam resolutiuam perfectam requirere notionem finis. 32 c

Doctrinæ resolutiuæ & definitiuæ comparatio. 43.b

Doctrinæ compositiuæ cum aliis comparatio. 59. a b

Doctrinæ nomen quid significet. 16. e

Doctrina quid, & quibus modis fiat 17. c

Doctrinæ quot. ib.d

Doctrinarum differerentia vnde sumantur. ib. inhærentiæ. 18.c

Doctrinæ proprium quid 35.c

Doctrinæ resolutiuæ vis. 28. d. 29.e Duplex progressus 30 a

Doctrinam resolutiuam artem quamlibet posse docere. 30 d

Doctrinæ resolutiuæ exemplum. 31.b. 32.c

Doctrinam resolutiuam non semper vti resolutione. 30.a

Docendi instrumenta quot. 14 c. 15. a. d

Docendi modi quot. 11 d

Docendi ratio quid postulet. 13.d

Docendi ratio quomodo fiat. 2.a

Dolor an attrahat vel potius repellat. 739 b

Dolor quid. 246 d

Dolorem non esse actionem ib.

Doloris nomen duo significare ib. b.

Dolor quomodo dolorem tollat. 579. b

Dolor quomodo dolorem soluat. 1174.e

Dolor solus à soluentibus sit continuus. 483.a

Dolor stupidus quid & quæ eius causa. 1634.c

Doloris pulsatorii causa. 1634.d. Pungentes 1635. a. Mordaces b. vehementissimi. ibid. Exasperantis c. Fixi. ib. contundentis, Retrahentis & detrahentis. d. Maligni. e. Emicantis. 1636.a

Dolorum qui repente aut paulatim oriuntur aut incrementum suscipiunt. ibid.

Rari. b. continui. ibid. infixi. ib. profundi. c. Late fusi ib. angusti. ibid. Recentes. Inueterati. d

Dolor quos morbos & quæ symptomata sequatur. 1760.c

Dolor secundum Aristotelem quid 1583.d

Dolor secundum autorem quid 1585. a

Dolorem non esse actionem, sed sequi actionem vel in ipsa actione fieri 1581.b.

Dolorem non esse sensationem ibid. c.

Non esse aliquam communem actionem omnium sensuum. ibid.

Non esse actionem depranatam ibid. d.

Dolorem non habere vim attrahendi 1531.c

Dolores capitis an sint signa læsi cerebri. 476.d

Dolori etiam capitis per consensum inesse morbum. 241.d

Doloris generatio quid requirat. 1270. e

Doloris nomen quot significet. 1124.c

Dolor an sit actio vel sensatio. ibidem. d. e

Doloris differentia à molestia qualitate. 1125.d. à causis & subiecto. ibidem. e. à partis substantia. 1126.a. à quantitate partis dolentis & causis cõmittentibus. ibid.

à causis sine quibus non & à modo generationis. ibid.b.

à modo quo dolores ferantur & sustineantur. ib.c

Dolorum causa immediata. ib.d

Dolor cur non semper sentiatur vbi sit solutio continui. 1128.d

Dolorem non esse rei contrariæ sensum sed passionem. ibid.

Doloris nomen duo significare. 1581.b

Doloris vnam esse causam, sensum. 1622.d

Doloris immediata causa quæ. 1622.e

Dulcia quæ in febribus vertantur in bilem. 990.e

an in omnibus febribus obsint. 991. a

Duo ordines dierum decretoriorum. 1183.c

Duri nomen quomodo sumatur. 366

Durum in corporibus nostris vnde. 436 cuius sit passio. 437 d

Durum vnde proueniat. 212.a

Ebrii

E.

Ebrii cur reddant vrinam albam. 1410.b
Ecnephia 118.e
Edaces qui maxime. 394.a
Ætas quæ omnium temperatissima 2587.d
Ætates ad victum instituendum quomodo conferant. 940.c.e.
Ætatis nomen vnde ducatur & variatio eiusdem nominis vsurpatio. 941.a
Eiusdem, secundum Auicennam, diuisio.ib.c. discrepantia authorum de diuisione ætatum vnde orta.942.d
quænis ætati cui planeta assignetur 944.c
quodnam in singulis ætatibus assignetur temperamentum 946.e
de temperamento ætatis consistentis controuersia 947.a
Effectus lunæ secundum Galen. 1184.e
Effectus quietis quid. 519.a
Effectus solis secundum Galenum 1184.d
Efflatio quid. 463.b
Elementa & metalla cur nequeant habere omnes proprietates putredinis. 610.e
Elementa quo pacto dicantur calida frigida, humida sicca. 329.a
Elementa rerum omnium communia 196.d.
Elementa communia animalibus sanguine præditis. ib.
Elementa communia animalibus sanguine non præditis ib.
Elementa singulis animantibus propria. ib.
Elementa hominibus propria an & quomodo sint partes similares. ibidem e
Elementa quomodo nobis insint. 197.b
Elementorum motus, quis sit motu cœli qualis sit. 190.b
Elementum quid. 179.a b.c.191.c
Elementum omne obtinere rationem materiæ 179.b
Elementorum genera 179.c
Elementa mundi ib.d.
Elementorum compositio. ib.
Elementorum materia ib.e.
forma. ib.181.e,185.d
Elementorum forma à quo sint indita 181.e
Elementi vniuscuiusque qualitas vtraque an sit summa, an vero vna tantummodo sit summa, altera vero remissa. 183.a
Elementum quomodo à principio differat. 188.e
Elementorum numerus 181.c
Elementa esse quatuor & cur. 185.a
Elementorum contrarietates in quo consistant. 185.d
Elementa vnde possint vicissim generari, & corrumpi. ib.
Multa fieri in Elementis & ex Elementis casu. 185.d.
Elementa quomodo componant mundum. ibid e
Elementa à quonam moueantur 186.a b.
Elementa quæ & vbi leuia & grauia sint. ib.b
Elementa media cur humida. ib.c
Elementa quid ad suum motum requirant. ib.
Elementa cur quo in to magis suo appropinquant, tanto moueantur velocius ib.c d
Elementa quomodo ingrediantur nostrã compositionem. 190.d
Elementa quomodo componant nostra corpora 191.a
Elementorum forma an maneat in mixto. ib.b.c
Elementa inuicem frangi ex mutua actione & passione. ib.d
Elementorum proportio in compositione mixtorum. 194.b
Quid ex elementis misceatur ibid. c.195.b.c
Elementa sensibilia. 196.b
Elementa hominis propria quæ 196.b
Elementa animalium sanguine carentium. ibid.
Ellebori & Antimonii vsum esse admodum periculosum . 1211.e
Ellebori variæ præparationes 1333.a
Elleborus quibus morbis conueniat & quibus temporibus. 1331.e
Eliquatio & extenuatio quos morbos maxime sequantur. 1238.a
Quos imbecillitas ibid.
Elixa in quibus febribus eligenda 991.a
Emictio quid. 817.d
Empirica secta 49. d. autores. 53.
Empiricorum remedia 50.b
Empiricorum medicinam non esse artem 60.e
Enunciatio ex quibus constet. 25.a
Epicicloi & syderum situs nullam habere vim accelerandi & tardandi crises 1181.d
Epilepsia & Apoplexia quomodo differant secundum Galenum 1267.e.
Epilepsia quid secundum Galenum. 1265.d
Epilepsiam nec à sanguine nec à bile fieri posse: 1266.d
Epilepsiam non fieri à sola intemperie. 1265.e
Epilepsiæ differentiæ 1266.b
Causæ. ib.c
Epilepsiæ variæ nomina 1265.c
eorumque deriuationes ib.d.
Equitatio & ambulatio quid præstent. 551.
Erasistratus quis fuerit. 27.e
Errorem paruum in principio maximum esse in fine. 181.d
Essentia partis quomodo ab operationibus differat. 211.b
Essentia partis vnde sumatur. 209.e.
Essentiam rerum non sumi à materia, sed à forma, quæ in materia est. 210.d.
Euacuatio à parte quid 1040.a
Vacuatio simpliciter dicta quæ ibidem.d
Euacuatio totius corporis quæ. 1041.b
Euacuationem partis non esse eandem cum euacuatione a parte: nec eadem est euacuatio totius cum euacuatione à toto. ib.c
quando non liceat vacuare à parte nisi præcesserit vacuatio totius. ibidem.d
Euacuatio à quibus indicetur per se & per accidens 819.d
Vnde agnoscatur ib.
quid indicet Euacuationis species & differentias 830.c
localia præsidia euacuantia 832.b
præter euacuantia ib.
quid euacuationem impedire aut indicare possit. ib.e
quæ facultas euacuationem potissimum contraindicet. 835.a
quæ euacuationes magnum requirant robur, quæ item paruum aut nullum ib.b
quæ euacuationem per accidens impediant. ib.c
Euacuatio immoderata quomodo à Galeno intelligatur 686.a
Euacuatio in principio morbi quando sit laudabilis 945. b. quales debeant esse humores vbi euacuationes ex medicina exspectantur ib.d
Euacuatio omnis aliquid boni demit a corpore 825.e
Euacuationem quid indicet 826.b
in sanguinis & aliorum humorum profluxio, nec non in vulneratis & contusis cur vacuemus 828.a
Euacuatio quæ vtilis. 815.a sensibilem omnem euacuationem cum malo humore etiam multum boni educere ib.
Qui euacuationem facile ferat. ibidem. b
Euacuationis vsurpatio multiplex 817.a
Euacuatio quid sit & de quibus dicatur ibid.c
Euacuationum differentia vnde sumatur 818.a. earundem necessitas 819.b
Euacuatio sanguinis quæ sit per vterum, qualis sit & quando conferat 842.a
Euacuatio sensibilis & insensibilis quid 702
Euacuantia insensibiliter an necessario calefaciant. 705.b
Euacuatio & reuulsio in generatione inflammationum quando simul adhibeatur. 706.b.
Euacuationem extremam in omnibus simpliciter periculosa. 854.d

Euacuationes quæ ad extremum deducunt periculosæ. 864.d. cur sint malæ 865.a
Euacuationis qualitates & differentiæ quæ. 806.b.
Euacuationis quantitatis communis nota. 1183.b
Euacuationum vniuersales differentiæ: 639.c. Earumdem vsus per se & per accidens. 640.b
Euaporatio quid 817.d
Euclidis laus in docendo. 16.b
ἐνεργεῖν. 85.b
Euidenter efficere quid. 521.a
Eunuchi cur caluescant. 347.c
Exempla magnæ proceritatis 1300.c
Ex bile adusta quid fiat. 1347.b
Excrementa aluis ex alimento resultantia qualia esse debeant. 1081.d
Excrementa alui & vesicæ cur ante Exercitationem eiicienda. 510
Excrementa alui vnde suum habeant fœtorem & quidem vrina grauiorem 605.c
Excrementa coctionum & cuiuslibet partis priuatæ præcipue, quotnam 337.a
Excrementa ex omni intemperie, ex frigida tamen etiam non vehementi vt plurimum aceruari. 1536.c
Excrementa omnia cur habeant fœtorem. 1855.d
Excrementa qualem vim habeant ad significandum. 1777.a.1778.b
Excrementa quarum partium vitia monstrent. 1708.c
Excrementa quæ fiunt in concoctione nutrimenti cur medicamenta purgantia non postulent. 634
Excrementa quæ perpetuo & quæ stato tempore excernantur 820.c quid in excrementis obseruandum 851.b
Excrementa quorumnam indicia esse possint. 1693.d
Excrementa quot ex qualibet coctione resultent. 1813.a
Excrementa coctionis in hepate 1833. b
Excrementa quando fiant. 1834.a
Excrementa retenta quot nam potissimum offendant. 1522.c
Excessus sanorum an primum gradum excedat 311.e
Excrementa tribus modis esse præter naturam. 1592.c
Excrementum toto genere præter naturam quod 159.a
Excrementa vitio facultatum mutari 1653. d. mutari etiam ratione calidi natiui. 1654.a
Propriorum quin etiam instrumentorum vitio. ib. b. vitio materiæ.c. Ratione finis. ib.
Excrementa plura & pauciora cur fiant. 540 b
Eadem alui quomodo esse debeant. ibid.
De eorundem quantitate. ib.
de modo excernendi ib.c
Excrementa quid possint ostendere. 479.c
Excrementa vnde indurentur 480 c
Excrementi ratio in quo consistat 395.a
Excrementum duplex in qua concoctione fiat & in qua non. 675.a
Excrementum quid. 1592.c
Excrementum vnde dicatur. 514b
Excrementa quæ assidue & quæ per interualla reiicienda ib.b.
Excrementa alui quomodo nos afficiant. ib.d
Excreta præter naturam quomodo intemperiem gignant. 1522.b
Excreta quomodo præbeant indicia 1718 b
Excretorum & excrementorum genera 484.a
Excretionem esse triplicem secundum triplicem materiam quæ excernenda est. 1523.c
Excretio naturalis 24..b
Excretio symptomatica. ib.
Excretiones quando sint præter naturam. 1209.c
Exercitationis verus terminus. 529. d
Eiusdem vsus. 130.c
Ex flaua bile non fieri aliam 1347.c
Exiccato aut repleto neruo cur sensio potius fiat ad originem nerui quam ad finem. 1203d
Exsiccantia proprie & reuera quæ sic dicta 676
Exolutio quid. 1148.c
Exolutio quomodo ab animi defectu & syncope differat. 1249.a
Exolutionis differentia. ib.c
Exolutionis causa ib.d
Exolutionis locus. 1250.d
Exolutiones quomodo fiant ob alterationem. 1251.d
Experientia quid & quotuplex 299. a
Experientia seu obseruatio quid 1952. b
Experimentum cur fallax & incertum 799.c
Experimentum exercitatorium. 50 c
Explicatio eius quod Galenus dicit in Com. non solum quartanas sed etiam omnes alios morbos æstiuos autumnalibus & hyemalibus esse breuiores. 1194.c
Expultricem facultatem nunquam moueri ad agendum, nisi ab aliqua re irritetur. 242.d
Extenuationis causa secundum Galenum. 1212.d
Secundum autorem. 1213.a
efficientes. d. Materiales 1214 a
Extenuatio quot modis fiat in humoribus. 635.d
Extenuans quid. 870.b
Exteriora quid denotent. 804.b
Extractio quid & de quibus proprie dicatur 817.d
Extremorum frictiones cur somnum promoueant 354d

F.

FAcies cur in nimia vigilia sit subtumida & decolorata. 2403.d
Facultas quid. 155.a.259.b
Facultatem nullam aboleri, & cur omnes non perpetuo exerceantur. 256.a
Facultatem duobus modis sumi à Galeno ib.b
Facultatem corporis & eius formam essedem. 257.a
Facultatum siue animæ essentiam ignorari. 258.d
Facultas plantatiua aut vegetatiua vnde dicatur. 260.c.262.a
Facultas animalis quas sub se contineat ex Galeno. 261d
Facultas animalis vnde dicta & quæ sub se contineat. 261.c
Facultatis vitalis varia nomina ex Galeno. 261.c
Facultas naturalis vnde dicta. Et quasnam sub se contineat. 261.a
Facultas vegetabilis. 262.a
Facultas concupiscibilis. 262.a
Facultas auctrix. 262.b
Facultas generatrix quasnam sub se contineat. 262.b
Facultatis nutricis famulæ facultates 262.c
Facultates multas poni, quæ reuera non sunt. 263.a
Facultatem esse solummodo vnam scil. naturæ. 263.e
Et quomodo in diuersis partibus diuersas perficiat actiones. 264. a
Facultates principes an etiam sine corpore possint consistere. 2011.c
Facultates animæ a calore esse distinctas. 269.c
Facultates veræ quæ & an aliquis sit illarum fons. 277.a
Facultatem nullam prodire ab opere. ibidem.b
Facultates non esse omnes insitas. 281.c
Facultates influentes quomodo influant. ibid.d
Facultatum nullum fieri influxum. 281.d
Facultatum vsus. ibid.e
Facultates quando in nobis sint vigentes aut imbecillæ. 28..c

Facul-

facultates principes in cerebro quem locū obtineant 324,a
facultates principes quot & quæ 475,d
facultates principes cur in decrepitis debilitentur 317,c. quæ & quot sint ib.d
facultates subalternatæ quæ 71,e
facul. art. medicæ dignitas 67,c. utilitas 68,a
facultatum fontes & principia esse plura & quænam a singulis principiis prodeant 274,c
fames canina quæ 2122,e
famis & sitis usus necessitas 450,a
febres an semper morbis acutis interſint 901,b
febres ardentes an omnes sint putridæ 1081,a. in febribus ardētibus ubi vena usq; ad animi deliquiū secanda ib.d
in febribus ardentibus & inflammationibus maximis an venæ sectio conferat 1084
febres ardentes unde in soporem incidant 2011,e
febres continuas esse periculosas ut intermittentes omni periculo vacant 1377,c
febres continuæ cur sint breviores intermittentibus 1360,a. erraticas esse difficilis solutionis 1360,a. brevissima quæ 1360,b. ex bile non omnes habere accessiones 1367,c. pestilentes & malignæ quomodo differant 2213,e.
febres putridæ & hectica unde quandoq; suam trahant originem 604,d
febres quando requirant propria remedia 579,b
febres quartanæ cur plerumque tempore autumni gignantur 2468,e
febres quomodo in senibus non sint æque acutæ ut in iunioribus 960,a. quæ acutæ in senibus non facile fiant ib.b
febricitantes cur ab eorum esu arceantur 414
febris an sit passio totius corporis an solius cordis 2111,c
febrilis calor an unus vel plures & cuius sit naturæ 2180,d
febris hectica sæpè etiam sine siccitate consistit 2179,c. hecticam numquam incipere posse 2207,a
febris in corde putrida quomodo gignatur 2193,c. diariam numquam posse cum putrida esse coniunctam ib.c. febrium ex Hippocrate divisio 2197,c. febriū quæ essentia & differentiæ desumptæ ab illarum essentia 2199,b. in febribus quæ & quot sint ponendæ causæ 2201,d. febrium secundū Avicennam subiecta 2208,a. ad febrium calorem concipiendū quæ materia sit aptior 2209,b. febris diaria etymologia 2211,d. diariarum differentiæ 2212,c. modi diversimodi quibus diaria nos occupet 2213, 2214. 2215, 2216. 2217. diaria transitura in putridam signa 2218,a. eiusdē ex accidentiæ curatio 2219,c. diariæ transeuntis in hecticam signa 2222,a
febrium hecticarum nova distinctio 447,c
febrium hecticarum secundum Avicennam distinctio 2557,a
febrium quæ & quot sint genera 2189,b
Fernelii opinio de causis frigoris horroris & rigoris in febribus 2450,c
fervescentia cur secundum Aristotelem non putrescant 612,c. Aristotelis ista opinio damnatur ibid.
fibrarū genus quotuplex 426,c. materia 445,b. fibræ musculorū unde ib.
fieri aliquid quid propriè dicatur 66,e
figura corporis ob regiones an varientur 339,b
figuræ membrorū causa præcipua 788,a
filamentorum in visceribus usus 445,b
filii cur fiant similes patribus 410,d
filii cur quandoque maiores ac cognatos referant & non parentes 406,e
finis quid revera sit 76,c 77,e
finis & officii differentia ibid.d
finem in omnibus artibus non esse eundem ibid.e
finis & scopus quomodo differant 77,
finis Medicinæ proprius quis 77,a
finem Medici & personæ medicinam exercentis esse diversum ibid.c
finis Medicinæ an sola sit sanitas ib.d
finis notio quid significet 21,b
finis partis 1274,c
flaccidum unde proveniat 212,b
flamma magna cur extinguat minorem 600,e
fluctuatio unde 450,e
fluxiones quando sint revocandæ ad suam originem 1035,d. quorsum in derivatione ducantur 1037,a
fluxiones quæ extra corpus fiunt quando revulsione & derivatione egeat 1027,d
fluxiones unde oriantur & quomodo curentur 699,a. in partem influxū quomodo curetur ibid.c
fontes calidi unde fiant 189,d
forma cœli 179,e
forma corporis quid 240,b
forma hominis rationalis an ex virtute seminali producatur 786,
forma quid 198,e
forma viventium & omnium actionum autorem esse animam 206,c
forma quid 204,d
forma partis unde sumatur 209,e
forma rei quomodo existat 785,c
forma animalia & alia mista unde nanciscantur 196,a
formosi & pulchri quomodo differant 217,b
forma essentialis viventium quæ 259,c
fractura an sit in osse solutio 660,c. quid sit propriè ibid.
frictiones & media ad concoctionem conferunt 1072,d
frictionum in febribus usus 641,a
frigidi affectus qui retento semine fiunt quam habeant causam 544,a
frigidis pituitosis & biliosis qualis debeatur exercitatio 530,d
frigidum an sola cruditatis causa 634,b
frigidum quid conferat ad generationem 192,e
frigidum quomodo faciat ad naturæ opera ibid.d
frigus febricitantium quid & quale sit 2440,d
frigus in rigore & horrore unde fiat 2554,d
frigus quomodo nos afficiat 517,d
frigus vehemens quomodo dolorem pariat 1128,e
fructus horræi & olera cur facilè putrescant 613,d
fulgura 188,e
fungus quid 1165,e

G

Galeni de quātitate evacuationis indicium 860,c
Galeni error 339,a
Galeni Medici quot nam fuerint 3,b
Galeni opinio de caussis vigiliarum præter naturam 2009,d
Galeni opinio de colore pilorum 340,e
Galeni opinio de qualitatibus spirituum refellitur 2085,d
Galeni opinio de medicamētis purgantibus, quâ videlicet vi agant 2569,a.b
Galeni opinio de similitudine filiorum ad parentes 414,e
Galeni patria 3,b. parentes ib. vita ib.d præceptores ib. morbi ib. c. peregrinationes 4,a. cognitio in anatomicis ibid. liberum ingenium ib.c studium veritatis ib.d. contemptus gloriæ propriæq; laudis 5,a. felicitas ib.b. vita ibid.c
Galeni sententia de facultatibus principibus locis distinctis 324
Galeni sententia de substantia solida expenditur 444,d
Galenum homines non fecisse 27,e
Galenus arguitur negligentiæ 249,e
Galenus cur tres tantū posuerit doctrinas, definitivam scil. compositivam & resolutivam 45,c
Galenus dum docet, quomodo respondendum sit de temperamento rerum, notatur 332
Galenus in adhibendis purgationibus fuit meticulosus 1069,d
Galenus loquax omnia effundit 2446,d
Galenus multa inconsideratè tradidit 48,c
Galenus, Scaliger, Fernelius, Ludovicus Vives in quibus refutētur 779,a.b.c.d
Galenus qua ratione libros suos ordinaverit 19,e
Galenus reprehenditur 910,c
Galenus ubi corrigatur 752,b.d
Galenus ubi reprehendatur 396,d
Gallica lues ex quibus humoribus fiat 116,d
gaudere cibis quid 450,d
gemma unde suum habeant colorē 213,e
genera causarū cōservantiū quot 506,d
genera nutrimenti in universum quot 868,c
genera remediorum ad committendum dolorem quot necessaria 1129,a
generatio Animaliū an composita 587,e

generatio cutis & carnis cuius sit opus 672,c
generatio monstri cur potius unius quam alterius animalis formam repraesentet 417,d
generatio nostra unde fiat 381,c
generatio quid simpliciter 590,d
generationis & Reiectionis excrementorũ necessitas 513,d
generum oppositorum collatio ad quae fieri possit 331,b. individuorum itidem ib.
genita omnia & quae adhuc in mundo gignantur unde suam trahant originem 1972,c
genitalia viri quomodo à genitalibus feminae differant 419,b
genus remediorum à quibus indicetur 1926,a
Γεωργικὰ 84,c
Γεωμετρικὰ ad quam partem pertineat 1879,a
gibba per quas vias euacuetur 712,b
gibbosi cur halitũ habeant faetidũ 605,b
gymnastica 83,c
gymnasticorum differentia quotuplex 853,e
glandulae in inguine quomodo vulnerato pede inflammentur 1362,d
glaucedo oculorum unde 372,b
gluten quo carnosae partes uniuntur quid sit. 652,c
graciles & sicci cur plurimo alimento abundent quam carnosi 964,c
gracilitas unde 436,b
gradus affectionis praeter naturã in omni morbo quot sint 1172,e
gradus caliditatis an per omnes aetates aequales 963,c
gradus in bono, malo & medio 123,d
gradus quot esse possint in temperie sanorum cùm qualitates excedunt 351,c
grammatica in quo genere artium sit reponenda 65,c
grando 188,d
gratum ori, etiam utile ventriculo 454,b
graue & leue non esse formas elementorum 180,a
graue & periculosum quomodo differant 890,c
gutta quid 1253,d

H

HAbitum bonum an debeat medicus procurare 78,b
habitus corporis quid 426,c
habitus & constitutio quomodo differant 855,c
habitus significatio multiplex 852,c. eiusdem significatio propria 853,b
hectica & diaria humoralis quomodo differant 2309,b
hecticarum secundum Altomarum distinctio 2257,a
hectica primae speciei cur facilè sanetur, aliae vero non item 447,c
helleboro quinam egeant 1332,b
haemorrhagiam narium in adolescentibus ut signum & causam esse bona 1352,c
hepar an in generatione primũ formetur 2066,d. quid in alias partes mittat 2070,a
hepar an principium venarum 713,e. ex eiusdem inflammatione paucos euadere 714,c
hepar primum viuere 270,c
hepar quomodo nutritoriae facultatis sit principium 278,c
hepar non esse alterius rei principiũ quàm sanguinis 280,b
hepatis passiones quae ib.
hepar magnum habentes esse voraces ib.c
hepar frigidum quomodo reddat urinam aqueam 1410,d
hepar in temperie corporis mutanda plus confert quam cor 395,c
hepar qualis sit fons 2188,a. quomodo calori cordis obstare possit 379,d
hepar quomodo sit principiũ venarũ 254,c
hepatis frigidi signa 394,b. eius frigiditas quomodo conferat ad generationem pituitae ib.c
Heraclides Erythraeus quisnã fuerit 27,c
Heraclides Tarentinus quis 27,c
Herophilus quisnam fuerit 27,b
hiatus in nubibus unde fiat 188,b
hiera cui morbo propriè conueniat 1170,a
hierae laus in lienteria 1332,a
historia cuiusdam icterici 1398,c
historia cuiusdam vulnerati memorabilis 1352,d
hist. mulieris hydropicae ex utero 1328,c
Alia 1328,e
hydropem non omnẽ fieri à frigiditate hepatis 1327,d
hydrops an refrigerato hepate fiat communis 480,a
Hippocratem nullius sectae fuisse autorem 47,c. 54,a
Hippocrates unde oriundus 763,b. eiusdẽ parentes, praeceptores, tẽpus natiuitatis, peregrinationes, filii, Nepotes &c. ib. c. d. e. an in rei veritate ullius sectae fuerit 765,a
Hippocrati quinã in medicina successerint 47,d
Hippocratis laus 48,d
homines quinam facilè irascantur 376,c
homines qui sint proni ad pinguedinem 434,b
hominis materia duplex 290,c
hominis corruptio quid ib.
hominum pinguium natura 432,e
homo cur inter reliqua animalia debeat esse capite paruo 508,c
homo cur post somnum non statim appetitum ad edendum habeat 2123,e
homo cur solus incedat corpore erecto, reliqua vero animalia prono 2060,e
homo dum semẽ in se gignit, an gignat hominem 410,b
homo quomodo sit causa hominis eiusdẽve mortis 787,b
homo quam maximè temperatus ad iustitiam 334,e
horror & rigor cuius sint affectus & quomodo differant 527,c
horror, rigor ac frigus quomodo differant 2441,b
humiditas quid conferat ad generation[illegible] 192,e
humidum quid secundum philosophos & medicos [illegible]
humidum siccum, calidum & frigidũ de quibus rebus in medicina dici soleat 328,a
humor ab aliis separatus an alius dicatur humor vel potius excrementũ 808,d
humor ad sanguinis missionem quis idoneus 846,a. ad purgationẽ quis aptus ib.c. quis commode euacuari possit 848
humor aereus 197,a
humorem aereum esse sanguinem ib.
humor cur viuentibus proprius non conseruetur 448,a
humor Chrystallinus praecipuum visionis instrumentum 370,b
humor in corporibus nostris quotuplex 789,b. quis per naturalem mortem consumatur ib.
humor in febribus putridis quibus modis euacuetur 640,e
humor in nobis quotuplex 447,c
humor melancholicus quotuplex 1322,d
humor melancholicus cur ad inferendam conuulsionem sit ineptus 1202,a
humor qui excernitur qualis esse debeat 1082, qui reuellendus & deriuandus est quando sit idem 1037,d
humor solus putrefactus cur post concoctionẽ requirat nostras purgationes. c
humores cur calidi, frigidi, humidi & sicci dicantur 329,b
humores dummodo sint crudi an omnes possint concoqui 627,e
humores in corporibus etiã in non pestilentibus putridis, putrescere 2114,a
humores in quo loco putrescant qui causonem faciunt 2311,b
humores non esse elementa, & cur 198
humores cur appellentur elementa ibid.
humores quomodo compositionem nostrã faciant ibid.
humorum quatuor massa cur vocetur sanguis ib.b
humores illi quatuor cuius principii habeant rationẽ in nostra generatione ib.d
humores non nisi mutata temperie corporis mutantur 725,b. pestilentes qui dicantur 726,b
humores oculorum an & cuius corporis pars sint 177,a
humores oculorum an temperamentum oculorum mutare possint 373,b. an viuant & animati sint ib.c
humores omnes esse graues 1315,a
humores noxii quibus modis debellentur 825,d
humores pituitosi, acidi aut melancholici quomodo ad appetitum conferant 457,d
humores pleuritidem facientes, per quas venas ferantur 1,274
humor putridus quomodo extra corpus promoueatur 1069,c
humores quãdo laedere possint actiones cerebri 1493. qui euacuentur & qui purgentur

gentur 807,d. humorũ serosi vtilitas 808,c
humores synceri an concoquantur 1051,e
humores turgentes qui 1077,d
humoris exuperantis signa & qui alteratione vinci possit & è contra 848,e
humorũ causæ quando certas causas præbeant vel non præbeant 851,c
humorũ euacuandorũ differentia 1020,c
humorum responsio, ad temperaturam cerebri proportione quid sit 350,b

I

Iatraliptice quid & quis eius inventor 47,c
icterus duplex 1396,c. vtriusque causa ib.
icterus in febribus unde fiat 1399,b
idem non posse esse symptoma & morbum 243,d
igne feruentia cur non putrescant 604
ignis elementaris cur nec vrat, nec luceat 184,c
ignis qualitas & materia 186,d
ignis elementaris quomodo luceat ibid.
ignis elementaris vis ibid e
ignis sphæra magnitudo & puritas ib.
ignis motus 187,a
ignis superioris portio quomodo descendat 184,d
ignis quomodo fit autor elixationis & assationis 1054,a
imaginatio & mens etiam quiescentibus sensib. an aliquid possint agere 2032,b
imaginatio matris an possit esse causa similitudinis filiorum 417,b
imbecillitatem senibus prodesse & cur 1245,b
immodica crassitiei incommoda 1263,a
immodicum & repentinum frigidum cur periculosum 1294,a
incidentia foris quæ dicantur 305,d
sensatio quomodo fiat 305, b. quid requirat ib.c
in curatione multorum affectuum ordo quotuplex 1937,c. in curatione eorumdem a quibus auspicandum, & quo ordine iis secundum Galenum sint curandi 1938,b
in deriuatione an eadem sit seruanda rectitudo quæ in reuulsione 1039,c. communitas venarum in eadem necessaria ib.e
indicatio quid secundum Galenũ & autorem 1903, b. quomodo à ratiocinatione, obseruatione & analogismo sit separanda & quomodo vicissim ab iisdē differat ib. c. d. a ratiocinatione quotuplicitér differat 1904, b. propriè indicãtia 1906,d. cõtra indicãtia propriè & impropriè ib. d. indicantia & signa quomodo differant 1908, c. indicare quid 1909, d. indicatio unde sumatur 1914, c. tria ex omni statu indicantia requirere 1915, a. ab indicantibus quenam causa excludēda & quæ inter ea ponenda ib. e. ex indicatibus quedam fieri contra indicantia & coindicantia 1916, d. a coindicantia esse indicantiũ signa 1916, e. vnum indicare vnum & vnum itidem ab vno indicari 1918, c. cur vnum semper vnum indicet, 1919, e. contraindicãs quid 1940, d. propriè & impropriè contra indicantia quæ ib. d. contra indicantia quotuplicia 1941, a. impropriè contra indicantia dicta vnde ducantur ib. c. singulos indicantium scopos suos habere contra indicãtes 1945, b. cõtra indicantium vis duplex 1946, d. propriè coindicare quæ dicantur 1946, a. coindicantia & correpugnantia esse eadem re, & ratione tantum differre ib. d. quæ tantum coindicent & quæ simul indicent 1950, d. inter coindicantia & correpugnantia quinam gradus 1951,a
indiuiduorum consideratio an pertineat ad artem 117,e
inedia an ab extremis remediis excludatur 898. an & quomodo vacuet 771.d quomodo exsiccare dicatur & quid faciat 555,a
in euacuationibus à natura rectè susceptis duo requiri 1310,b
Infantes cur motionibus sopiãtur 1096, a
in febrib. putridis cur sanguinis profluuiũ in principio morbi minus obsit, quàm purgatio 1310,c
infiniti nullam esse scientiam 114.d
inflammatio qualis sit affectus 1398.b
inflammatio quando fiat 688,a
inflammationis quod principium 744.d. in generatione inflãmationis quid fluxionis nomine intelligendum ib.e
influxionibus quid agendum 677, a. fluxionum causa ibid.
in gangrænis cur substantia membri affectis corrumpatur 509,a
Ingeniosi qui dicantur 318 c. cur præ cæteris, magis doleant 1127.b
in omnibus febribus humores putrescere in vasis 1378,d
in persona medici quid requiratur 801, b
in principio morborum an à tenui humore purgare liceat 1094, b. in morbis acutis materia sẽper turget ib. c. in quib. potissimũm partibus abscessus in febribus fiant 1361, c.
in reuulsione quæ secãda vena 1035, b
insalubre, ægrotabile & ægrotatiuum non significare idem 134, d. 140, b.
insalubre simpliciter vt nũc 140, b. 141, b
insalubris triplex significatio 92,b
Insanis quæ prædicenda 486, b. & quæ vicissim in ægrotis ibid.
instrumenta corporis communia 210,d
instrumenta docendi quot 14, c. 15, a. d
instrumentum animæ 216,c
insularum generatio 190,a
in synocha an tota massa sanguinis putrescat 2521.b
intemperatis qualis exercitatio conueniat 130:d
intẽperies an ad temperatã naturã vel potius ad humidã sint educenda 553, a. an per æqualia in gradu emendetur 557, e
an solum nascatur ab humoribus 656
intentiones & remissiones accessionum quid faciant 1933,d
intestinorum tenuium & crassorum officia 1331,b
ira an sine calore fieri possit 385, a. an vide calore cessante perseueret ib.
iris quomodo fiat 188,a
iudex sani, ægri & neutrius quis 148 b
iudicii quotuplicia genera 800,b
iudicium Galeni de quãtitate euacuationis 860,c
Iulius del, hinus, Montanus & abs notantur 499,b

L

Laborantes malignis febribus an etiã cum perfectis concoctionis signis moriantur 498,d
lapides pretiosi vnde suum habeant colorem 213,e
lapis in vesica quos morbos cieat 683, c. an frangi possit per remedia ore assumpta ib. d. de eiusdem à vesica extractione ib.e
lapis quomodo sit morbus 238,b
lapidum generatio 190,a
lassitudo quid 1117, b. quotuplex sit ib. d. lassitudinis causa 1118, a. lassitudines vlcerosæ quæ 1118, b. c. lassitudines quomodo à cruditatibus recentibus infestari possint 1119, e. lassitudinis tensiuæ causæ 1120, e. eiusdem signa 1121, e. lassitudo spontanea qua ratione morbos prænunciare possit 1123, a. lassitudinũ quæ mitior aut peior, quaque mitiores aut peiores morbos denunciat ib. d. lassitudines motoriæ cur morbos non denunciant ib.
latitudo sanitatis 226, b
latus sinistrum an cum dextro per venas communitatẽ quandam habeat 738,d
leo inter bruta ad Iustitiam temperatissimus 335,b
leucophlegmatia quid: Eius causa 1327,e
leue & graue non esse formas Elementorum 180,a
lesionis sensibilis duplex intellectus 217 a
liberatio ab epilepsiã in pubertate vnde fiat, vnde in iuuentute 1268, e
liberorum similitudo in quibus consistat 787,d
libri Spurij Galenicis inserti eiu ascribantur 3,b
lienteria quid 1330,e
lienteria causa 1331,c
lienteria curatio 1331,d
ligamenta cartilagines & ossa cur non doleant 2125,b
ligamentum quid 283,b
limonum facultas 990,d
linea quid 193,e
lipiara vnde 2311,b
λιπαρὸς, ταπεινὸς quid 1105,b
locus affectus lienteria 1331,a
logica in quo genere facultatum possit re-

poni 65,e
longitudo corporis cur sit utilis & decora iuuenibus, indecora verò & inutilis senibus. 1300,d
longitudo hominum quæ 1300.b
longum unde proueniat 212,c
loquela quid 463,a
ludus pilæ paruus & venatio quid præstent 151,a
lumbi ipsi ex quibus causis possint dolere 1342,c
lunam nihil facere ad statū tempus menstruorum 1186,d
lunam non facere accessiones epilepticorum, nec febrium aut aliorum morborum 1186,c
lunæ oppositiones, coniunctiones & mutationes alias, nō esse autores crisiū 1187,d

M

MAgna crassitiei incommoda 1238,c
mediocris commoda ibid.
magnitudo partium unde habeat originē 465,a
magnitudo thoracis an sequatur cordis temperiem 381,b
magnum unde proueniat 212,c
mala præter rationem euenientia, quæ secundum Gal. 1211,a
mala secundùm & præter rationem iuxta autorem ibidem.
mala quæ proueniāt ex retentione humoris melancholici 515,a. quæ itidem ex sorde & vapore retento ib.b. quæ ex malis excretionibus denique &c. ibid.
mala rosea eorumdemue usus in febri tertiana 892,b
mandragora & opium somnum quomodo inducant 974,b
mania quid 1105,b
mare cur nequaquam putrescat, cùm tamen illius aqua in partes diuisa facilimè putredini sit obnoxia 612,b
mares an fiāt ex semine testis dextri 419,c. an ex caliditate vteri ib.e
mas & fœmina quo tempore inuicem generent 415,b
masculus quomodo & cur dicatur calidus 330,a
materia an formam appetat 783,d. fragilitas materiæ nostræ unde fiat 784,c
materia capillorum per quas vias ad cutem capitis perueniat 341,e
materia corporis 240,b
materia ex elementis quomodo augeatur in viuentibus 293,c
materia ex qua petuntur argumenta & probationes 15,e
materia proxima nostræ generationis 198,a
materia pinguedinis quid sit 432,c
materiæ putrescens qualis sit in febrium principio, qualis in statu & declinatione 1222,b
materiam primam reuera non esse elemētum, & quomodo ab elementis differat 179,b
materiam vnam esse viuentibus propriè, aliam verò propriam cadaueri 289,e
materia & subiecti significationes esse easdem 74,c
materia nostra vitia non posse emendari 211,a
meatus quid 566,c
mederi quid 104,b
media inter ea, quæ secundum & præter naturam 229,a. præter naturam toto genere quæ 229,a. secundum & præter naturam quanā dici possint 229 b
media per quæ pleuritis ad finem suum properat. 2155,c
medicamenta calida quomodo vrinam moueant 690,b. quomodo itidem frigida ibidem.
medicamenta composita in quibus casibus vsurpanda 2275,a
medicamenta frigida an somnum faciant 2009,c
medicamenta purgantia quomodo attrahant 2571,c
medicamentā simplicia vrinam mouentia 2274 d
medicamenta omnia quâ vi operentur 691,a
medicamenta vnde reddantur periculosa 799,c
medicamenti forma quæ cuique corpori sit apta 1896,e
medicamentorū facultates quomodo dignoscenda 581,d
medicamentorum electio in quibus consistat 643,b. in quantitate purgantium quæ spectanda ib. in qualitate medicamentorum quæ consideranda ib.c
medici à quā parte philosophiæ sumant initium 59,c
medici diatritarij quales olim extiterint 890,c
medici duo crura 97,c
medici & personæ medicinam exercentis finem esse diuersum 77,c
medici in corpore laborante scopus duplex 1890,c
medici officium in genere quodnā 1875,e
medici quomodo cōsultare soleant 2137,d
medici rationalis quot instrumēta quibus scopos suos assequitur 1902,d
medicæ artis vniuersalia 1,c
medicina pars antiquorū curatiua 502,d
medicina clinice vocata quid 47 b
medicina cur non sit ars 62,c
medicina cur non possit ex solis operationibus, vt aliæ artes comparari ib.a
medicinæ præcepta cur non possint certo numero comprehendi ib.b
medicinam non constare præceptis ib.c
medicinam nec scientiam nec reuera artē esse nec præterea partim scientiā, partim vero artem 63,b.
medicina an tota sit sciētia, & tota ars ibidem.c
medicina cur propriè non sit scientia nec reuera ars 64,b. Quid ergo sit ib.c
medicina in quo genere artium consistat. 64,d. Esse partim artem ibid.e
medicina sit ne solum resarcitoria & optimum aciat nouam 65,e
medicinam vnum semper facere 66,e
medicinæ aliqua pars quomodo possit dici conseruatrix ib.c
medicinæ dignitas 67,c. vtilitas 68,a
medicina an sit ars mechanica vel liberalis 68,c
medicina an sit coniecturalis 70,a
medicinam non habere de omni re certa præcepta 70,e
medicinā non esse coniecturalē ob quantitatem remediorum nec ob finem 71,a
medicinæ finem esse vniuersalem ib.b
medicina vnde potissim. sit cōiecturalis ib.
medicina an & quomodo sit subalternata philosophiæ ib.e
medicina & philosophia quomodo differant 72,a
medicinæ subiectum ib. & 73. finis 72,c
medicinā versari circa vniuersalia 71,b
medicinæ subiectum non esse sanum 73,c
medicinam non esse scientiam 55,e. medicinam demonstrare, non tamen esse scientiam 56,a
medicinam nō habere principia vt scientia 56,c. medicinæ principia cur non possint certo numero comprehendi, vt principia Geometriæ ib.c. medicinam non habere passiones, quas requirit scientia, nec & subiectum, vt scientia vera 57,a. medicina an sit ars ib.c. medicinam perinde vt philosophiam esse scientiam 58,b. medicinam esse partem philosophiæ aut certè communem illis esse multarum rerum tractationem 59,a. medicinæ quid proprium, quid cum philosophia cōmune & quid ab eadē diuersum 60,a. medicina quomodo sit scientia 60,d. medicinam secundum omnes sapientiores esse artē ib.c. medicinam Empiricorum non esse artem ib. medicinam non posse esse artem 61,d
medicinam quinam posuerint esse artem 54,c. Et qui scientiam ib. qui artem & scientiam 55,a
medicinæ diuisio 47,d
medicorum sectæ vnde ortæ 48, Et in qua medicinæ parte 47,d
medicinæ initium vnde 47,c.
medicinæ cuius inuentum 48,a
medicinæ nomen vnde deriuetur 46,b. medicina quid ib.c. eius origo ib.d. occasio ib.e
medicus quid 46,c
medicinæ nomen quid comprehendat 791
medicinæ pars quæ de victu agit omnium vtilissima 865,e. pars conseruatiua à curatiua quomodo differat 450,c. subiectum ex Aristotele & Galeno 74,c
medicina vniuersalis & particularis 75,a
medicina veterinaria ibid.
medicinæ nomē de qua facultate propriè intelligatur ibid. b
medicinæ finis 75,c. 76, 77
medicina an nullum habeat finem præter sanitatem 77,d
medicinæ partes 79
medicinæ diuisio 79, 80. 81, 82. 84

medicina quibus constet 82,b
medicinæ pars antiquissima quæ 83,a
medicinam scientiam esse qualium 115,b
medicina an non sit particularium 117, c. & cur non ib.d
medicina quid 104,a
medicos nostri tẽporis esse tanquã architectonicos 69,a
medicos Galeni tempore nostris viliores fuisse ib.
medici quomodo à chirurgis Galeni tempore fuerint distincti ib.b
medicorũ discordia vnde nascatur 62,c
medicorũ secta vnde reuera sint orta ib.b
medicorum methodicorũ ars quid 51,b. quot apud illos morbi, ib. curatio ib.c
medicorum Romanorum mores tempore Galeni 4,b
medicorum secta quot 49,c
medicum incipere, vbi desinit philosophus quomodo intelligendum 59,a.b
medicus antequã ad consultationem veniat, quid pransisse debeat 2141.b
medicus cur necessariò sit philosophus 803,a
medicus corpus quomodo cõseruet 1873,c
medicus cur victum viribus obstantem prabere debeat, quas tamen omnira tione tueri debebat 872,d e
medicus num debeat habitum bonum & pulchritudinem procurare 78,b
medicus quomodo exerceat curationem, quomodo itidem prædictionem & dignotionem 104,b
medicus quomodo intelligatur esse artifex sensitiuus 247,b
medicus vnde habeat nomen 104,b
medium in vnaquaq; specie vnde sumatur 2584,c
medulla quid 432,c
melancholia an sit delirium 1105.b
melancholici humoris qualitas 197,a
melancholici cur ingeniosi 357
melãcholici cur plurimis vigilent 2025,d
melancholici quomodo purgandi 1323,e
membra cur in timore contremiscant, nec oculi videant, nec aures audiãt 1993,e
membrana quid 283,b
membrũ principalissimum quod 270, e
memoria quid 321, d. ad eandem quale aptũ cerebrum vel quod obliuiosũ ib.e
memoriæ quæ ab humido frigido vel sicco obsitent 323,a
memoria quid 10, c. quomodo conseruetur ibid.
mens & imaginatio etiam quiescentibus sẽsibus, an aliquid possint agere 2032,b
menses ad purgationem prægnantium apti qui 1305,a
cur in primis & vltimis mensibus, in prægnantibus prohibeatur purgatio, in medijs vero admittatur 1306,c
mensis 4 species secundũ Galenum 1189,c
menstrua vnde feminis accidant 412,c
meditatio quid 10.c
metaphysicã non esse verã scientiã 56, b
metaphysices subiectum 73.c
methodus à quibus 51,a. autores 53,d
methodicorum medicorũ ars quid sit 51, b. quot apud illos morbi ib. qualis curatio ibid. c.
methodus cognoscendi corpora ægrotantia 474,b
methodus cognoscendi mala singularium partium 477.c
methodus curandi fracturas 664, d. fasciæ quæ in iisdem aptæ ib. c. duæ fasciæ vbi necessariæ 665, a. longitudo & latitudo fasciarum ib.b
methodus quid 12, d. eius necessitas ib.b. quibus constet & comparetur 13,a
methodus resolutiua quomodo ab ordine resolutiuo differat 22,d
methodus respondendi de temperamento cuiuscunque rei 332, c. de temperamẽto totius ibid.
Michaelis Villanouani cognomẽ & interitus 1074,d
mistionis causa 195,d
mitiora & validiora vomitoria 1333.c
moderati duplex significatio 151,d
modi docendi quot 11,d
modi sanationis solutionis continui quot sint 660.e
modus exercitationis quis 530, c. modus quiescendi quis 531,b
modus mingendi quis 937.d
modus purgationis à quibus sumendus 645,d
modus respõdendi & statuendi de temperie rerum secundus 333,c
mola vnde oriantur 417,c
monstra cur generentur 417,
monstra esse quodammodo secundum naturam 229,c
monstra quomodo fiant 174, c. pars quid 175, e. 176. c 177
montani atque Akakiæ lapsus à Galeno notatur 318.d
Montanus confutatur 346.e
Montanus reprehenditur 326,b
montium ergo 189,c
montinum vsus ibid.
montes esse terræ ossa ibid.d.
morbi acuti qui 1480,d
morbi ex decidentia 1482,b
morbi continentes 1482,c
morbi propriè inter mittentes 1483, a. Continui ibid.
morbus inordinatus; ordinatus, Errans, Erraticus 1483, c
morbi ad formam referendi qui 1435,b
morbi à tota substantia apud Galenũ qui 239,e
morbi an finalem causam habeant 500, a cur dicantur præter naturam ibid. b. eorum finis quis ib.c
morbi atrabilarij, sanguinei; pituitosi 1737, d
morbi autumnales & hyemales cur ægrè tollantur 1738,d
morbi aliqui sola concoctione curantur 1025
morbi breues 1475, b. longi, ibid. producti siue extensi ibid.
morbi compositi partium similarium & dissimilarium qui 1460,a
morbi confusi & temperati 1478,b
morbi continui cur à sanguine tantum oriantur 1562,b
morbi continui causa 1556.d
morbi desperati quid requirant 77,e
morbi dubij inter salutares & lethales 1474.b
morbi epidemii & endemii quomodo differant 2526,c
morbi ex acutis profecti 883,c
morbi ex intemperie an semper tollantur euacuatione humorum 650,e
morbi humidi causa 1530, c
morbi implicati siue implexi 1478,d
morbi improprii 1474,a
morbi in magnitudine quot 1449,a
morbi malæ coniunctionis quot 1449,c
morbi in situ, morbi in connexione ibid.
morbi in quo gradu sint lethales & cur 580, a
morbi lethales qui 1173,a
morbi longi ac breues qui dicãtur 2432,d
morbi longitudo necessariò significetur, vbi præsente febre non admodum leni corpus manet in suo statu 1214,b
morbi magni propriè dicti causæ efficiẽtes 1552, a. materiales d. instrumẽtales c
morbi magni pro periculoso sumpti causæ 1552,d
morbi à siccitate cur sint grauiores & periculosiores, quam quos calor aut frigus committit 1552,e
morbi æstiui ex quo humore nascuntur 1553,b
morbi biliosi & pituitosi causæ 1553,c
morbi magni in suo genere qui 1469,b
morbi magni quot modis iuxta Galenum iudicentur 835,c
morbi nomen quid significet, & de quibus morbis Hippocrates hic loquatur 1231,b
morbi non magni 1469,d
morbi omnes an omninò, vt remedio, aere indigeant 1912, b. morbum solum indicare remedia quibus expelli possit 1922,a
morbi omnes in hyeme nascentes cur sint breuiores autumnalibus 1193,b
morbi omnes quomodo præter naturam 229,e
morbi partiũ instrumentariarum in quo sint positi 1946,c
morbi partium instrumentariarum proprii & simplices quot 1446,c
morbi per crisin perfectam finientes quot habeant tempora 1663, d. Quot quæ per imperfectam finiuntur ib. Quot qui per paulatinam concoctionem aut euacuationem 1664,a
morbi primarij 1485,c
morbi proprii 1473,d
morbi quale genus 906, c. quot eius tempora ib.e
morbi qui à victu iuuentur 996,b
morbi qui finiantur per abscessum 1820, a. Et qui item per excretionem ibid.
morbi qui per crisim finiantur 1015,e
morbi qui perpetuo tenere sint molesti 1740,d

morbi quod cum symptomatibus causis & effectis habeant 227, c
secundum naturam qui 228, c 229 a
morbi quomodo fiant 174 c
morbi recidiuam facientes 1484 c
morbi salutares quando sint breues & quando longi 1567 c
morbi sicci causa 1528 c
morbi sparsi 1472 d
morbi sporadici 1473
morbi ventriculi, cur morbis splenicis sint breuiores 1568 e
morbi unde fiant longi 1376 c
morbis extremis qua remedia optima 896, c. quid per morbos extremos intelligendum 897 b
morbis Singulis quis cibus Conueniat 889 b
morborum acutorum causa efficientes 1555 b
morborum acutorum causa ex materia 1555 d
morborum Causa, qui nec sanantur nec occidunt, & qui huiusmodi morbi sint 1570 d
morborum continuorum duplex natura 1557 d. Qua utriusque materia ib.
morbi cur perpetuò crescant aut eandem magnitudinem seruent 1558 c
morborum finem quomodo spectet Medicus 1502 c. formam 1503 à Causam efficientem b. Instrumentum ib. Materiam c. Subiectum ib. Causam sine quâ non d
morborum Causa procatarctica 1504 c &c.
Cur Galenus eas Causas vocet Procatarcticas, qua sunt externa Causa procatarctica, quomodo à pracedentibus differant 1506 b
morborum genera per qua distinguantur 1733 d
morborum genera 1432 a. differentia ib.
morborum genera sunt duo ut duo etiam sanitatis 1432 c
morborum genera in conformatione quot 1447 a
morborum in habitu duplex usurpatio 1473 b
morborum in tota substantia explicationē esse difficilem 1441 c
morborum magnorum vim magnam habentium signa unde sumantur 1736 a
morborum declinationem esse duplicem 1664 c
morborum lethaliū tempora quot 1664 d
morborum differentia qua 883 a
morborum partes maiores esse quatuor 1657 b. Minores v. plures c
morbus quot modis dicatur esse in principio 1657 e
morbus quando dicatur suum habere principium 1659 e
morbos qui per Crisim soluuntur, non semper pati declinatione 1662 c
morbos salutares habere plura tempora quam lethales 1663 c
morborum magnorū signa 915 b. in quibus morbis robur & quale requiratur ib. d
morbosa dispositio in statu qua sit melior 1222 d
morbos benignos & malignos, esse duplices 1573 c. Horum morborum causa ib. d
morbos calidos etiā excitare possunt quadam collo appensa 1525 b
morbi frigidi causa 1526 b
morbos magnos nonnunquam fieri periculosos 1468 c
morbos periculosos non omnes esse magnos 1469 a
morbos non esse vitia materia, sed forma partis 210 d
morbos partium organicarum non mutare excrementa 1595 a
morbos partium similarium non omnes esse referendos ad primas qualitates 1434 d
morbum & sanitatem non semper esse affectus 232 c
morbum & sanitatem vitia compositionis esse & non materia 239 a
morbum esse passionem viuentis 240 c
morbum magnum cum vehementi esse eundem 1469 b. Cum acuto ib. c
morbum magnum & paruum non uno modo dici à Galeno 1468 b
morbum morbo superuenire quid 1204 d
morbum non esse definiendum ex actione 1425 c
morbum non semper esse affectū, sed nonnunquam etiam passionem 1424 b
morbum omnē partium similarium pertinere ad intemperiem 1432 c
morbus acutus quis 1176 b
morbus acutus quis 880 b. qualis nutritioni repugnet 881 b
morbus à quo Apoplexia fiat 1255 c
morbus attonitus quid 1253 d
morbus & sanitas quo modo differant 230 a
morbus & sanitas an vim agendi habeat 578 c
morbus fiens siue in fieri quis 1171 a
morbus gallicus cur iam mitescat 517 d
morbus gallicus cur in India minus periculosus 236 e
morbus gallicus ex quibus humoribus fiat & unde eius materia cognoscatur 116 d
morbus gallicus quo tēpore cæperit 1953 a
morbus in corruptione vel defectu humorū quam victus rationē requirat 7
morbus malignus quis secundum Galenū 1475 d
morbus in parte Organicarum an sit lapis vel alia materia praternaturalis 564 c
morbus propriè exquisitus 1479 c
morbus proprius quis 1572 b. Qua eius causa ib.
morbus quid 239 d
morbus quid postulat inquirendum 168 b
morbus quilibet quotnam partes uniuersales & particulares habeat 907 c
morbus reuera quid 1428 c
morbus vehemens quis 1469 c
morbus uniuersalis propriè quis 1473 b
Communis ib. c
mordentia non parere conuulsionem euacuando 1201 a
mores Medicorum Romanorum tempore Galeni 4 b
mores Tyrannici quales 387 a
mori quid sit 270 a
morientes a febribus cur respirationem emittant frigidam 286 d
morti vicini cur se dolere negent 1127 a
morti vicini cur non doleant 1624 b
mortis causa 270 b eiusdem signa ib.
mortis causa prima & immediata qua 788 c
mors naturalis & violenta quanam 788 c
mors qua sit secundum & qua prater naturam 229 e
motus ac quietis usus & Necessitas 512 c
motus Circulares cur somnum pariant 1995 d
motus corporis quas pariat affectiones 1277 d
motus differentia 1278 b
motus Elementorum, qui sit motus orb. qualis sit 250 b
motus incommodè qui 1279 c
motus tutissimi periculosissimi 1279 c
motus quando ad concoctionem faciat 1072 c
motus quando solum calefaciat, humectet & exsiccet 542 e
motus simplices quot 180 e
motus rectus quotuplex 180 a
motus proprium principium ib. b.
motum non posse fieri in vacuo ib. c
motum in omnibus vomitoriis conuenire 1334 d
motus in purgationibus per inferiora an & quando conueniant, & qui 1334 d
motus singularum partium proprij unde fiant & quales sint 215 b
motus quomodo intelligatur fieri agendo & sensus patiendo 314 b
motus quot ad appetentiam requirantur 857 c
motus voluntarius cuius sit actio 366 c
motus unde fiat 215 a
unde eius species ib.
motus uteri quomodo fiat 467 b
mulieres cur ex leuioribus causis, pra aliis doleant 1127 b
mulieres cur venerea
mulieres qua calidiores 422 a
mulierum non coeuntium symptomata 203 c
mulieres rufa & crassa cur inter alias magis fateant 607 d
mulsa quibus febribus conueniat 2281 c
multum & paulum utrum horum facilius putrescat 611 c. multi nomē quorsum pertineat ib.
multum & subitò agentia non parem habere vim 1294 b
musculi unde constent 215 a
musculorum compositio quid 420 d

mutatio opinionis cur caliditatem arguat 323 c
mutationes quæ fiunt in nostro corpore, cui similes 1057
mutatio quomodo fiat per cōtraria æqualia in gradu 558 a

N

Ati cur maioribus suis similes 416 b
natura cur alui excrementa & vrinam singulis diebus expellat 843 e
cur in principio febrium nequeat euacuare sanguinem 844 d. quando commode euacuare possit 845 b
natura finem assequitur, non tamen aliquem sibi proponit 1052 b
natura optima an satis alimenti assumserit, quomodo cognoscatur 535
natura temporis vniuscuiusq; quæ 907 a
naturam contineri in semine & spiritu 272 d
naturam esse vnam eiusq; vnicam tantū facultatem 265 e
naturam mediam habentia inter viuentia & non viuentia 288 c
naturam non semper requirere media in coniunctione extremorum 184 c
naturam subitas mutationes non ferre, in quibus sit intelligendum 559 e
naturalis cōstitutio humorum nostri corporis in quo persistat 808 d
naturalis facultas vnde dicta & quas alias sub se contineat 262 a
naturæ significatio multiplex 2329
negotium quid requirat 761 a
nemo moritur absque morbi incremento in principio 908, c
nerui quomodo seruiant cerebro 282 e
nerui sensorii vnde fiant motorii 214 d
vnde oriantur & vnde iidem motorii ib.
neruis constrictis aut obstructis cur non fiat sensus nec motus 274 d
neruorum officium & compositio 215 b
neruos visorios non esse cauos 281 a
neruus quomodo sit instrumentum tactus 215 c
neutrius significatio triplex 92 b
neutrum corpus an detur 144 d
neutrum quid 145 c
neutrum inter salubre & insalubre 145 e
neutrum quid re vera sit 112 d. quomodo alii definiant ib. Quot modis dicatur secundum Galenum ib. c. 113 d
neutri significationes quæ magis propriæ ib. artificiosior diuisio ib.
neutrum simpliciter 137 c
neutrum cur ponatur à Galeno, ab Aristotele vero non 148 d
neuter status vnde fiat 149 d 160 a
neutrum inter sanum & ægrum quibus Galenus statuat aliquando dari, aliquando non 150 c
neutrum corpus inter sanum & ægrum 152 c
neutrum priuis modi 153 c
neutrum simpliciter, vt nunc, prorsus vt multum 155 e 159
neutrum secundæ significationis quid 159
neutrum tertiæ significationis 162 neutrius actiones 152 d
nigredo oculorum vnde 172 a
nimia & subita calefactio cur sit periculosa 1294 a
nix 188 d
non omnes motus naturæ medico esse sequendos 1315 a
non posse constitui vltimum terminum febrium in certo dierū numero 1368 c
nox & oculorum conniuentia cur somnū promoueat 354 e
nunc duo significare 159 c. 160 b
nutrimenta quomodo à morbosis affectibus indicentur 879 b. nutritionem quæ impediant 280 a
nutrimenti, in vniuersum, quot genera 868 c. quæ, quot & vnde sumantur, eiusdem differentia ib. d
nutrimentum cur dicatur fomes 954 c
nutrimentum multum quod modis dicatur 458 b. plurimum nutrientia quæ ib. c
nutrimentum quomodo corrigat & mutet. 502
nutrientia plurimum cur in morbis, qui recipiunt victum tenuem, non admittenda 873 c
nutrimentum quotuplex 818 e
nutritio plurima quomodo concoquatur 753 e
nutritionem non fieri ex eadem materia actu, ex qua constamus, sed potentia 202 d
nutritiones post extremas euacuationes malæ & periculosæ 865 b
nutritionis & concoctionis differentia 624 e
nutritionis modus ac qualitas b
nutritionis necessitas 818 e
nutritionis quot scopi 868, a. materia. ib. c

O

Obiectio, motum nulla inferre commoda 1280 a
obiectionis contra febris definitionem 2353 c. ad easdem responsio 1354 b
obliuionis causæ diuersimodæ 322 c
obseruatio seu experientia quid 1952 b
obstructionem solummodò pertinere ad partes organicas 238 a
obstructio, an febrium putridarū sit causa efficiens 2428 c
obstructiones ex vaporibus quos somnos pariant 2014 e
obstructiones hepatis vnde maxime oriantur 470 a
obstructiones veræ vnde oriantur 686 b
obstructionum remedia 571 b
occasio in medicina cur dicatur praeceps 798 c. occasionis vis & efficacia ib. qua ratione liceat occasiones agendi assequi 797 a. an omnis occasio sit momentanea, & si non omnis an, quæ est talis, sit in omnibus corporis statibus & medici operationibus 798 c. quæ occasio sit momentanea ib. c
occasio quid 1898 b. quid item vniuersalis & particularis ib. c d. an in quantitate & qualitate contineatur, an verò scopum seiunctum constituat ib. e. occasio vniuersalis vnde sumatur 1933, e
quid occasionem siue tempus agendi reuera monstret 1934 c. occasio particularis secundum Galenum vnde sumatur ib. e
occasio quomodo in qualitate & quantitate contineatur 523 c. occasionem distinctam ponendam esse à qualitate & quantitate ib. d
occasionem etiam singulis esse propriam 2338, c. eandem difficile posse cognosci ac apprehendi, & cur id fiat 2338 d e
oculi cur etiam malis internis sint facilè obnoxii 367 c. qui optimi 368 e
oculi quot neruos habeant 370 e
oculorum humores an & cuius corporis pars sint 177 a
oculorum vis mouendi vnde existat 366 c
oculis paruus & concinnus cur non æquè vt caput paruum vituperandus 368 c
oedemata etiam fieri per fluxiones 1532 a
oedematis curatio 680 b
officia medici, qui circa id quod præter naturam est versatur, officia c
officium caloris natiui 977 a
officium quodlibet quæ & quot potissimū requirat 1. a
officij & finis differentiæ 76 d
olera an omnibus morbis acutis noceant 892 a
oleum cur neruis punctis instillatur 668, a. cur aliarum partium vulneribus obsit & punctis neruis prosit 668 b. an vulnerum remedium vel duntaxat praeseruatiuum sit aduersus imminentia symptomata ib. b.
oleum Scorpionis à quo inuentum 2553 a
oleum qualem habeat colorem 1849 a
omnia cum seipsis mutatis an comparari possint 331 c
opera contrario modo se habere scriptis 118 d
operationes Naturales quæ secundum Galenum 326 c. a quibus lædi possint ib.
operum diuersitas vnde fiat 263 c
operationes partium quomodo ab earum essentia differant 211 b
operationes sensitiuæ quæ 305 a
ophiasin & alopeciam esse symptomata 1448 b
opinio Aphrodisei de causa somni an probetur 1994 d
opinio Aristotelis de excremento aurium an probetur 338 b.
opinio Buccaferrei, cur ignis non putrescat 609 a
opinio Fernelij de causis frigoris, horroris & rigoris in febribus 2450 c
opinio Galeni de colore maximè liuido an procedat 435
opinio Galeni de sudoris frigidi causis refutatur 1370 d
opinio Manardi de definitione coctionis improbatur 2267 c
opinio Montani de conseruatione per si-

milia improbatur 557,a
opinio Montani ridicula 378,a
opinionis ortus sive origo 318,e
opium mandragora & reliqua frigida soporem quomodo inducant 974,a
oppositio quid comprehendat 738,e
oracula unde sic dicta 768
ordo cibationis quis observandus 533,d
ordo dierum decretoriorum secundum Galenum 1181,b
ordo quid 18,a
ordinis vis ib. b differentia ib.
ordo in curatione multorum affectuum quotuplex 1937,c. ordo agendi à quo indicetur 1939,b
ordo resolutivus quomodo à methodo resolutiva differat 22,d
organicæ partis sanitas ex quibus constet 31,c
orificia quid 566,c
orta a cerebro quæ sint 309,c
ossa capitis fracta non posse coaptari, sed requirere extractionem 1574,d
ossa cur non dicantur revera uniri b
ossa demortuorum graciliora cur fiunt, quam in corporibus viventibus aut recenter extinctis 1130,d
ossa quid 283,b
ossa quo humore sustententur 661,b. fracta, cur non ut caro divisa conglutinentur ib. in pueris an per unionem sanentur ib.c cum ex eadem materia cum aliis partibus nutriantur, cur ab illis diversam formam habeant ibid.e
ossium magnitudo a quibus caussis & unde itidem gracilitas 436,a
ova cur non exhibenda febricitantibus 454,d
oxyrrhodinum unde conficiatur 2305,b

P

Palpitatio à crasso vapore 1601,a
paralysin non fieri occupante humore solitam originem nervorum 1202,e
paralysis & convulsio quomodo differant 1203,a
paralytici cur non sentiant 1967,d
παραφροσύνη quid 1105,c
paraphrosine sive delirium quid 1104,c
pars antiquissima quæ 83,a
pars corporis quot modis dici possit principium 251,c
partium genus secundum 252,a
partium genus tertium ibid. d. quartum ib.e
partes ministrantes non omnes uno modo ministrare ib.
partium divisio aliis melior 253,d
pars medicinæ, quæ de victu agit, omnium utilissima 865,c
pars nulla in corpore vivente actu frigida 971,b
pars similaris quid secundum Aristotelem 1436,b
partes corporis quæ nutriantur sanguine 820,b
partes cur non omnes à calore doleant 2126,c. partes refrigeratæ igni propius admotæ cur doleant ibid.
partes extremæ unde refrigerentur 1988,a
partes ex similari substantiâ constantes, duplices pati morbos 1458,d
partes per venas verè & propriè communicantes quæ 1033,b
partes similares cur dicantur simplices, cur primæ, cur ultimæ, & cur etiam Elementa sensibilia 177,b
partes similares esse dissimilarium materias 239,b
partes similares cur dicantur Elementa hominis propria 196,e
partes similares esse dissimilarium materiam 1446,c
partes solidæ an & quomodo diminuantur 1130,d
partes omnes generari ex eadem materia diverso modo ab agente alterata 204,a
partium similarium forma 204,d. sitne temperamentum 205,e
partes omnes similares easdem habere actiones, & quæ illæ sint 214,e
partium similarium materia propinqua, & propria 209,c
partium similarium an veniant solum à temperamento 208,c. 216,b
pars organica quid revera sit 209,b
partes organicas non semper esse compositas & dissimilares 208,c. quidnam in simplicibus faciat instrumentum 209,a
partium organicarum varii ordines ib.b
partium organicarum materia ibid.c forma ib.d. unde ib.d
partes organicæ quomodo fiant ex similaribus ib.c. quæ illarum materia remota ib. quæ propria ib.d
partium organicarum actiones ex quibus lædantur 210,a
partes organicæ quid requirant ib.
partes quæ dicantur esse principia 282,d quæ ab aliis habere originem ib. quæ nec gubernentur, neque gubernent ib. Quæ insitas & aliunde eminentes habeant. ib. e. Quæ principiis subministrare ibid. d
partes fiant ne omnes ex sanguine, an quædam ex semine 199,a
partes solidæ an exiccari, humectari, augeri vel diminui possint 445,d
partes carnosæ divisæ quomodo novam carnem gignant 652,d. quomodo regeneratione novæ carnis glutinentur 653,a
partes omnes unde existant 407,b
partes spongiosæ humore plenæ an validiora remedia resolventia exigant, quam contrario modo se habentia 710,c
partes viventes cur non omnes pari robore sint præditæ 299,c
partes vulneratæ cur fiant graciliores 672,d
partes a fonte caloris distantes, cur sint frigidiores 298,c
partes densæ, crassæ aut graciles cur frigidiores 299,a.b
partes corporis cur à natura sint factæ 208,b
unde habeant essentiam, ib. partis essentia quomodo ab operationibus differat 211,b
partis forma & essentia à quibus sumatur 209,e
partes nostri corporis amissæ cur aliquando non regignantur 202,c
partes spermaticas non nutriri ex semine 202,d
partes singulæ à similibus quomodo lædantur 367,c
partes eiusdem temperamenti cur quædam interdum afficiantur; quædam vero non 225,c
partis unius affectus facilius curari, quam totius corporis æqualia mala 226,a
partes cur aliquando sint potius similes matri quam patri 415,b
partes quomodo coalescant 682,c
partes unde habeant, quod sint similares, & unde quod agant 216,c
partes quæ hepatis intemperiem sequi dicantur 391,b
partibus similarib. & dissimilaribus morbum nullum esse communem 1453,c
particularia nec doceri nec scribi posse 56,a
particularia quid significent 117,c
partium actiones unde lædantur & perficiantur 211,a
partium actiones esse triplices 214,d
partis essentia quomodo ab operationibus differat 211,b
partis organicæ sanitas ex quibus constet 31,c
partis ratio in quo potissimum consistat 260,e
partium similarium actiones quot & quæ 215,d
partium quædam amissæ cur regignantur quædam vero non 202,a
partium singularium motus proprii unde 467,b
partium singularium motus proprius unde fiat 215,b
partium singularum motus proprii quales sint 215,b
partium situs qui ad evacuationem faciat 862,c
partium superfluarum ablatio quot modis fieri possit 570
partium unde proveniat 212,c
passio & affectus quomodo differant 575,a
passio & affectus quomodo secundum alium differant 1175,b
passio quid 232,c
passiones animi quomodo nos afficiant 515,b. Earumdem usus & necessitas ibid.d
passiones cordis an præter temperiem etiam alias habeant caussas 391,c
passiones sensibus propriæ, quomodo eos deinterpiciant 24[illegible],d
paucos morbos peracutos esse sine febre & qui illi sint 1324,e
pedes refrigerati cur potius iuxta cerebrum cordis calore contemperent 2039,c
penuria nutrimenti an & quos mores frigidos arceat 1527,e
perfectionem & virtutem esse idem 214,c
periculosum & grave quomodo differant 899,e

periculosum

periculum in morbis unde 1233 d
Peritonaeum soliditatem & robur quomodo amittat 722,a
per quam viam stagatur humor ille aquosus in illud spatium inter intestina & peritonaeum 1329.d
per tubercula quid intelligendum 1379.b
pestes an propriè fiat alicuius temperature 726,b
pestes & febres cur plurimùm autumno & spirante austro grassentur 609,c
pestis a quo aere fiat 517,c
pestis signa prognostica 2542,d
philotes sententia repudiatur 1042,c
philosophia quomodo a medicina differat 72,a
philosophia vbi desinat 59.b
philosophorum tractationes quomodo distinguendae 59,b
philosophiae limites secundùm Aristotelem 59,d
philosophiae quid proprium, quid cum medicina commune, & quid diuersum 60,a
philosophiam medico omnino esse necessariam 60,b
philosophiam non habere subiectum proprium in scientiis 58,a
philosophiam non habere principia scientiae ibid.b
philosophiam non posse constare praeceptis 62,d. & quomodo ibid.
philosophi cur alii aliis praestantiores 62,d. & quomodo ibid.
philosophiam non esse scientiam verā 56,b
philosophorum antiquorum de origine animae sententia 784
phlegmone propriè cuius partis sit affectus 688,a
pili an sint corporis pars, & cuius 177,a
pili crassi & robusti unde 353,d
pili cur in infantia subruffescant 343,c
pili plani & recti a quib. causis fiāt 545,c
cur in fine sint diuisi vel vniti ibid.d
pili qualem & quam partium temperiem ostendant 419,d
pilorum materia & causae colorum 343,a
pilorum materia quomodo deficiat 347,c
pilorum tractatio quibus constet 284,a
pilorum materia ibid.c
pili cur etiam in mortuis gignātur 285,d
pili cur plurimùm gignantur in melancholicis, otiosis & captiuis ibid.
pilorum causa efficiens 286,a
pilorum causa sine qua non 286,a
pilorum generatio, qualem cutem, & quae praeterea requirat ibid.3
pilorum finis & vsus ibid.
pilos habere mediam naturam inter viuentia & non viuentia 288,c
pilorum generationis motus ibid.c
pilorum differentia 287,a
pilos non nutriri 1448,c
pilus quid & quae eius temperies 284,b
pilos pertinere inter partes corp.
pilulae Ruffi contra pestem vsurpandae 2546,c
pinguedo an à calore vel frigore fiat 433.
quod fiat à frigore opinio Galeni ibid. opinio ista an procedat, ib. ad pinguedinis generationem quid requiratur 434.a
pinguedo quid 431,c. Eiusdem species 432.a
pinguedinis in corpore nostro vsus & incommoda 434. cur viris ad generationem obsit ibid.e
pisces qualem victum praebeant 892,c
pituita an cerebri excrementum praecipuum 336.d
pituita an per aliquam concoctionem possit mutari in sanguinem 629,a. extra venas existens ante euacuationem an sit concoquenda ibid.c
pituita vera vbi gignatur 401
pituita simplex an nutriat 951,d quae per vlteriorem concoctionem mutetur in sanguinem & postea nutriat ibid.d
pituita senum qualis ibid. c. qualis decrepitorum 952,a
pituita quae emungitur an fiat ex vapore refrigerato in cerebro 337.d
pituita gignitur in hepate & simul in vētriculo 394,d in venis & cerebro non gignitur ibid.d. quae vera, & humor dici queat ibid.e
pituita per nares & oculos exiens an sit excremētum cerebri proprium 337.c
pituita, quae resolutionis neruorum & cōuulsionis dicitur, cur nunc vnum, nunc aliud ex his malis inferat. 202,b
pituita vbi & quomodo rursus concoquatur 1066,c
pituita quando adhuc potest alterari an sit plenitudo 827,d
pituitam, antequam euacuetur, nō egere concoctione 1064,e
pituitam non esse excrementum alicuius coctionis, & quâ ratione excrementum fiat 1858,c
pituitae euacuationem per vomitum esse contra naturā & reuulsoriam 1316,a
pituitae qualitas 197,a
pituitam nunquam in sanguinem mutari 198,c
pituitae significatio & nomen quotuplex 394,c
pituitosi cur magis sint proni ad vomitum quàm biliosi 1314,d
plantas multas, sponte & absque semine nasci 201,a
planta vnde habeant materiam ibid.
plantatiua facultas 261,a
plenitudo sanguinis quae missionem, & per quae loca indicet 838,c
plenitudinis significatio quotuplex 827,a
pleuritis an sit morbus vel morbi causa 2146,a. Eiusdem differentiae quotuplices ibid.d. pleuritidis causa immediata materialis 2147,d. In pleuritide etiam distantissima vena secanda 2158,c
pleuritidis in Peripneumoniam mutata signa 1815,d
pleuritis quid 1813,c. Quibus suum finem assequatur ibid.
plexum retiformem esse in hominibus aut plane nullum, aut non euidentem 273,c
plures colores praui in deiectionibus cur mali 1345,c
plures colores secundùm naturam in deiectionibus, cur meliores 1345,c
plurima & repentina repletio cur sit periculosa 1293,e
pluuia & eius causa 188,c
pneumatici 27.e
podagra vnde 1248,b
pomiliones cur multum dormiāt 2026,b
pori quid 1539,c
potatores vnde in apoplexiam & alios affectus soporosos incidant 2012,a
potentia existens an vim agendi habeat 417,b
potionis & vrinae proportio 540,c
porcos simillimum habere homini temperamentum 259,a
praecepta de potione à cibo 533,c
praeceptum Galeni quo praecipit, exercitationem vsque ad auctam respirationem esse adhibendam, quomodo sit intelligendum 519,b
praedicere quid 171
praefatione quando & in quibus casibus vtendum 16,c
praefationum conditiones quae 16,c
praenotiones solutionis fida & infida 1798,d
praeseruans quomodo differat à conseruante 99,c & primo praestet. ibid.
praeseruatio contra quam causam pugnet 576,a. cur causas procatarcticas omittat 576.ibid.b
praeseruationes à peste diuersimoda 2545,d
praeseruatiua pars an solùm versetur circa humores 724,c. an ad praeseruatiuam vel curatiuam partem vitia deceat corrigere 725,d
praeter naturam existens quomodo ab eo quod est contra naturā, differat 230,d
principiis latam in medicina debere esse significationem 254,a
principiis breuitatis & longitudinis causa 1666,b
principii multiplex significatio 1216,e
principium proprium motus 186.b
principium quomodo ab elemento differat 180,e
principium quid & eiusdem significatio 907.a
priscianum parum in logicis & philosophia fuisse exercitatum 43,d
procella 188,e
proemii conditiones quae 16.c
proemiis quomodo & in quibus casibus vtendum 16.d
proemium an omnibus libris Hippocratis an solùm huic operi commune sit 775.e
prognostica 169
prognostica à morbi naturâ 1775.c. à morborū causis d. à naturae robore e. à causis

causis iuuantibus & ledentibus 1776, a. à causis gignentibus b
promptitudo & iuuamentum ad Venerem vnde proueniant 423,a
proprietates à rebus, quibus insunt, non posse seiungi 255,c
proprietatem nullam causa subire rationem ibid.d
pruina 188,d
ptisana quibus morbis sit infesta 871,e
pudenda virilia quâ de causâ erigantur 418,d
pueri an calidiores iuuenibus 961,a
pueri cur multo alimēto indigeant 952,a
pueri viuaciores cur minus ferant ieiunium ibid.c
pueri cur plurimùm dormiant 971,c. cur iisdem & aliis corporibus humidis humectantia semper adhibenda 984,c
pueri cur ducantur voluptatibus 264,a
pueri cur memoriâ valeant 323,b
pueri cur ad discendum faciles, senes verò inepti 320,e
pueri cur primò habeant oculos casios & postmodùm nigros 372
pueri & liberaliter cibo ac potu vtentes cur circa somni horas primas non somnient 360,c
pueri quomodo calidiores sint iuuenibus 963,c. quomodo habeant caliditatem aequalem ibid.d
pueris pleuritide laborantibus vena secanda 2162,a
pulchri & formosi quomodo differant 217,b
pulchritudinem an debeat medicus procurare 78,b
pulchritudinem non solùm sequi structuram partium organicarum 217,a
pulchritudinem esse duplicem ibid.
pulchritudo vera in quo consistat ibid.
pulchritudo quid 216,e
pulli gallinacei ex qua parte oui procreentur, & ex qua iidem nutriantur 204,a
pulmo cordi quid tribuat ac conferat 375,b
pulmonis officium 449,b
pulsus cur in principio cordis sint tardiores & minores 2186
pulsus per initia accessionem parui, & cur 2111,d
pulsus quid & quibus constet, vsusq; illius 389,b
purgantia in febribus quomodo & cum quibus miscenda 2271,b. quæ formæ purgantium in febribus eligenda ib.c quomodo purgandum 2272,b. sumpta purgatione quid faciēdum ib. b.c. Tarda purgatio quomodo promouenda, ibid. d. deliquio purgationis quomodo succurrendum ibid.e
purgantia non irritare naturam ad expulsionem 1093,c
purgatio cuius sit euacuatio 806
purgatio ad animi deliquium non tentāda 1086,c. purgantia an omnia petētia calida 1089,a. rationes aliorum quod in principio morborum acutorū & aliorum qui ab humoribus tenuioribus proueniūt, liceat purgare 1091, d. purgationes an expulsionem natura requirant 1093,c
purgatio an sit remedium aduersus omnes malas qualitates, quæ fiunt in humoribus 810,d. qualis sit euacuatio ibid.
purgatio in vigore febris quid sæpè iuuet 637,a. minoratiua in febribus biliosis necessaria ibid.b
purgatio in plethora quando instituenda 693,d
purgatio inaequalis quid 817,d
purgationem per se & per accidens contra indicantia 1317,a
purgationes pragnantibus & fœtus etiam in primis mensibus esse tutiores, & cur 1307,c
puris calor efficiens quis 1274,a
puris causa efficiens 1273,c
pus quid sit 1271,c
pus in quo sit comparādum cineri 1271,d
puris differentia 1271,d
pus non posse esse prorsus sine fœtore, & cur 1272,a
in quibus affectibus pus gignatur ibid.
pus esse proprium excrementum concoctionis in partibus vulneratis 1452,a
pus quando sit concoctum 843,c
pus quomodo fiat à calore mixto 2357,e
pus & humores putrescentes quando dicantur concocti 625,d
pus solum & vnicum excrementum in concoctione inflammationum 666,e
pus in regeneratione carnis cuius sit excrementum 675,b. quare necessariò malè oleat ibid.d
pustulis & maculis in peste, prodeuntibus non purgandum, nec sanguis mittēdus 2158,d
putredo aeris & aquæ non nisi exiguum calorem exigunt 606,e
putredo quid secundùm Galenum 591,b quid in composito putrescat ibid. an sit affectio interna frigiditatis 593,a. putredinis causas non esse sumendas à rebus nos ambientibus calidis aut frigidis, sed ab interno principio 596,d
putredo quomodo sit propria frigiditatis passio 607,d. a naturali mortis affectione quomodo differat 608,d
putredo quas res potissimum tentet 612,d
putredo quid & quomodo fiat 430,e
putredo quomodo sit causa cruditatis 631,d
putredo perfecta quando fiat 1063,e
putredo quomodo ostēdatur esse corruptio 586,a. cui generationi opponatur ib.b.
putredo quando sit secundùm naturam quando verò idem præter natura 588 e
putredo quomodo secundùm & præter naturam dicatur esse 230,b
putredo qualis sit corruptio 187,c
putredo Terræ & Metallorum quomodo fiat 610,d
putredo omnis vnde fiat 455,c
putredinis causa immediata 613,b
putredinis leues corruptiones 455,d
putredinis nomen quid significet 583,c
putredinem simpliciter dictam nihil recipere concoctionis ib.d. Galenus cur putredinē alterationē esse dixerit 584,e
putredinis causæ 1544,a
putredinis futura signa 1805,a
putrescendi modus, an vnus idemq; sit in rebus omnibus 606,a
putrefacientium duplex esse genus apud Medicos 1543,c
putrefactio cuius sit passio 2228. b. quid sit secundùm Aristotelem ibid. c.d. cur quæ putrescunt fiunt sicciora 2232, d. putrefactio cur dicatur corruptio & qualis sit 2233,b

Q.

QVales morbi senes comitentur ad mortem 1245,d
quale genus medicamenti in pragnantibus sit eligendum 1304,a
qualia medicamēta purgantia in principiis morborū acutorū vsurpāda 1326,a
qualitas remediorum à quo indicetur 1932,b
qualitas ficta cur in nobis continuò augeatur 790,c
qualitates ciborū in febribus putridis quæ fugiendæ & quæ iidē eligendæ 2278,a
qualitates corporis qualem vim habeant ad significandum 1778,e
qualitates præter naturam, non dici insignia Symptomata, & cur 1598,d
qualitates secundæ an proueniant semper à primis 212,a
qualitates secundæ an ob regiones varientur 349,e
qualitates secundæ quomodo sint causæ doloris 2126,d
qualitatum vitia nō esse morbos, sed symptomata 210,c
quantitas affectuum an à quoquam exactè possit sciri vel cognosci 2341,a
quartanas non esse proprias æstati 1191,e
quartanæ cur rarò bis eundē inuadant ib.
quartanæ febres cur plerumq; succedant erraticis 2458,e
quarum causarum sublatio faciat alleuiationem 1208,a
quotidianæ febres cur non finiantur sudore 2473,a
quæ in Vrinis appareant 1836,b
quænam in Vrinis perpetuò sint mala 1862,e
quæ Vrina inspiciēda 1869,b. quando inspicienda, c. vbi 1870,a. quomodo ib.
quies quam lassitudinem possit auferre & prohibere 1280,d
quies quando ad concoctionem faciat 1072,e
quiete peractâ quid agendum 531,a
quibus téporibus purgationes secundum Medicos faciles 1319,a
quibus temporibus difficiles sint purgationes 1316,e
quidam quomodo multos per annos sine cibo & potu viuere potuerint 5[illegible],d
quid per [illegible]tiones intelligendum 1[illegible],a

qui

qui facilius per vomitum purgetur 1320,c
quid Hippocrates per motum corporis intelligat 1277,b
quid Hippocrates per laborare intelligat 1277,c
quid spectandum in omni re praestanda 524,d
quinam calor sit putredinis autor 1274,a
quomodo duo dolores in uno possint fieri loco 1269,c
quomodo fiat hydrops ex collectione humoris aquosi ob schirrhosam hepatis substantiam 1329,c

R.

Ratio docendi quid postulet 13,d
ratio docendi quomodo fiat 2,a
raritatem non semper sequi temperamentum 213,d
rationalis secta 52,a. autores. rationalem sectam inter omnes esse optimam 54,c
rhabarbarum quando applicandum & per quas vias purget 642,e
rhabarbarum cur sub febrium initiis vitandum 2509,e
recidiua quando & quomodo expectanda 1791,d
recidiuarum vera causa 1565,d
rectitudo de quo intelligenda 740,d
refectio quibus debeatur 720,a
regeneratio substantiae in quibus affectibus requiratur 720,b
regio temperata quomodo intelligatur 348,d. temperatissima sub quo sit Climate ibid.e
rhetorica in quo facultatum genere sit reponenda 65,c
remedia Analeptica quae 750,c
remedia aduersus immoderatas in febricitantibus vigilias 2301,c
remedia aduersus sitim 2307,c
remedia contra humorem, inflammationem efficientem, quae usurpanda 679,a
remedia concoctionem iuuantia qualia esse debeant 636,d
remedia cur dicantur materia 1495,c
reminiscentia quomodo fiat 11,a
renum alimentum qualenam sit, & quomodo ab ipsis attrahatur 1835,e
repugnantia euidens notatur 461,a
res cuiuscunque virtus circa quid versetur 36,c
rerum essentiam non sumi a materia, sed a forma quae in materia est 210,d
res omnes quotuplici virtute donatae 691,a
res quae a seipsis moueantur 1983,c. quot modis ab alio moueantur ibid.d
resistentia & actio unde proueniat 192,c
respiratio quomodo mutari possit 3?7,d
resolutiua doctrina cur sit praestantior definitiua 35,c
resolutiua doctrina quid. & quid resoluatur 25,c. resolutiua methodus quomodo ab ordine resolutiuo differat 22,d
resolutionem non esse idem cum diuisione 23,d
resolutiuae doctrinae vis 28,d. 29,e. duplex progressus 30,a. exemplum 31,b. 32 c
resolutiuam doctrinam artem quamlibet posse docere 30,d
resolutiuam doctrinam non semper uti resolutione 30,b. unde dicatur ibid.
resolutio quid 21,c. quotuplex 22. ibid. quae & quot a resolutione nomen acceperint & quomodo inter sese differant 22,b
resolutionis & compositionis viam esse eandem 24,a
resolutiuam doctrinam perfectam requirere notionem finis 32,c
resolutiuae doctrinae & definitiuae comparatio 33,b
resoluere qui possit; posse etiam componere, non e contra 39,b
reuulsio ad partes nobiles & ignobiles 742
reuulsio & deriuatio cuius sint auxilia 731,b. in reuulsione spectandam esse originem fluxionum, magisque oppositionem partium 732,c. in eadem quorsum sit trahendum 733,c. reuulsio quotuplex 734,a. cuius sit remedium 735,c
reuulsio qualis debeatur fluxionibus phlegmonem generantibus 688,e
rigor cur post laboriosam febrem sit periculosus 2456,c
rigor & frigus in febribus unde oriantur 2306,a. utriusque curatio ibid.b
rigor quid significet 527,d. ab affectu quomodo differat ibid.e
ros & eius causa 188,c
rubigo Metallorum unde e.
rugosum unde proueniat 212,b

S.

Sachari in febribus vis & qualitas 990,c
saccharum quomodo a melle facultate & temperie differat 991,a
sagina quid 432 c
salacitas in hominibus quomodo excitetur 418,b
salsa dysenteria non obesse 1351,d
salubre semper 132,b
salubre ut plurimum 132,b
salubria prorsus & fere saluberrima 132,d
salubre simpliciter, semper, ut multum quomodo a Galeno sumatur 108,c
salubre simpliciter quid 87,b
salubre semper ibid.
salubre ut multum ut nunc ibid.
salubrium signa ibid.c
salubrium causa 88,b
salubre ut nunc 108,a
salubre ut nunc male definiri a Galeno 226,c
salubre ut nunc quomodo a salubri simpliciter differat 127,c
salubre ut nunc quid sit 128,e
salubria & insalubria quomodo differant 129,c
salubritas unde fiat 132,a
salubres causae ad quod genus causarum referantur 99,c
salubria simpliciter quomodo cognoscantur, & quomodo salubria ut nunc 248,d
salubris triplex significatio 92,b
sanguinem in bene valentibus vrinas non tingere 1845,a
sanguinem menstruum nec per attractionem, nec per spontaneum accursum, sed per expulsionem ad uterum fluere 1560,c
sanguinem non esse excrementum 1592,d
sanguinis temperamentum quale, 976,d. qualitas 19?,a
sanguis quomodo sit calidus & humidus, quomodo temperatus ibid. an ex solo sanguine vel etiam ex aliis humoribus corpora fieri dicantur ibid.c
sanguini nullam inesse vim efficiendi 200,e
sanguinis excretiones per os, quae & quando sint malae 1353,a
historia euomentis sanguinem. 1353,b
sanguinis profluuium cur in feminis minus periculosum 1236,d
sanguis an in curatione pestis mittendus 2548,c
sanguinis excretiones omnes in morbis esse praeter naturam 241,d
sanguinis excretiones per inferiora raro esse bonas 1354,b
sanguinis resectiones quomodo semper malae, & quando bonae 1354,c
sanguinis missio quomodo delirium faciat 1109,d.
sanguinis missio ab initio & postea iterata quomodo ad concoctionem conferat 636
sanguinis crassities an sequatur siccitatem hepatis 395,e
sanguinem missionem per accidens indicantia 839. quae sanguinis missionem impedire siue contraindicare possint, 840,c. ad sanguinis missionem quid requiratur ibid.c. sanguis an grauidis mittendus ibid.e. cur commodius mittamus sanguinem febre incipiente quam crescente 846,b
sanguinis profluuium cur in principio morborum obsit, in aliis temporibus prosit 1310,b
sanguinis mutationis ortus & origo 341,a
sanguinis immoderata euacuatio cur saepe soporem adferat 2013,d
sanguinis detractionem quid indicet 833,d
sanguis inflammationem faciens cur aliam concoctionem exigat 626,d
sanguis an attractione effluat 1032,c
sanguis in inflammationibus quo usque mittendus 1086,a
sanguis quomodo degenerare possit in pituitam 977,e
sanguis & spiritus cur dicantur calidum innatum 1977,e
sanguis & spiritus quomodo tempore hyemis in profundo corpore abundent 968 in vere quomodo augeantur 969,a
sanguis quarum sit partium & econtra 858,a
sanguis purus pro quarto humore an reperiatur 628,b
sanguis cur in febribus ardentibus mutetur 828

sanguis senum qualis 751,e
sanguis purus & syncerus an vspiam reperiatur 1064,d
sanguis & alii humores quando continuos morbos procreent 1557,a
sanguis an sit corporis pars & cuiusnam sit 176,c
sani cur ex purgationibus exoluantur 1240,a
sani cur in purgationibus sentiant vertiginem 1241,a
sanies & pus in vlceribus unde fiant 1276,b
sanitas similarium partium 1430,a
sanitas quid 1172,c
sanitas propria qua 126,b
sanitas in habitu 150,d
sanitas in habitudine 150,d. 151,e. 152,a
sanitatem & morbum esse vitia compositionis & non materiae 239,a
sanitas & morbus quomodo differant 230,a
sanitas & morbus an sint proxima vel etiam remotae actionis causa 577,a
sanitas partis organicae ex quibus constet 31,c
sanitas perfecta amissa, an possit recuperari 132,a
sanitas senum qualis, qualis itidem conualescentium 143,b
sanitas quid, & quomodo compositio secundum naturam 1429,a
sanitatis latitudo 226,b
sanitatem & morbum non semper esse affectus 232,c
sanitatem non esse subiectum Medicinae 74,a.c
sanitatis & signorũ eiusdẽ diuisio 1681,c
sapores non discerni tactu 1648,c
scientia quid & quae eius conditiones & proprietates 55,c. scientiae quotuplices 54,c. scientia requisita 55,d. Finis ib.
scientia & ars quomodo differant 57,d
scientiã esse de ingenerabilibus & incorruptibilibus quomodo intelligendũ 58
scientia quotuplex 60,d
scientiarum subiectum 74,a
scientias non dici scientias causarum, sed signorum & affectuum 101,c
scientias omnes a metaphysica oriri 80,a
scientiae duplex acceptio 96,c
scientiae diuisio 97,a
scientiae nomen cur etiam accommodetur artibus ibid.
scientiae & demonstrationis subiectum esse idem 74,a
scientiae finis 63,c
scientia quomodo ab arte differat 75,d
scirrhi in vulnere quomodo curentur 679,e
scirrhus hepatis, cur sanari nõ possit 680,a
scripta contrario modo se habere operibus 118,d
scopus & finis quomodo differant 77,d
scopus librorũ Aristotelis de anima 74,c
secta post Hippocratem exorta 765,b
secta Medicorum unde orta 48. & in qua medicinae parte 47,d
sectae Medicorum quot sint 49,c
secta empirica ibid.d
secta methodica 51,a
secta rationalis siue methodica analogistica 52,a
sectae quid habeant inter se commune 53
sectae vnius cuiusq; autoris ibid.b
sectae empiricae autores ibid.
sectae methodicae autoris ibid.d
sectae rationalis siue dogmaticae autores 54
sectam rationalem inter omnes esse optimam 54,c
sectionis utilitas in pleuresi & in quibus sit tentanda 692,d
secundum quid & vt nunc non esse idem 107,d
secundum quid apud Aristotelem 107,a. quot modis dicatur ibid.
sedimentum vrinarum unde fiat 1272,b
semẽ quid sit, ex qua materia & quomodo fiat 404,c. eiusdem materia unde 405,b. semen quomodo fiat excrementum ibid.c. an fiat in singulis partibus ibid.d. argumenta quod fiat in singulis partibus ibid.e. eorundem refutatio. 406,a.b
semen muliebre ad generationem non requiri 202,e
semen muliebre quid ad generationem praestet 203,c
semen virile à muliebri non nutriri 203,b
semen esse vt coagulum 204,c. ex semine nullam partem fieri ibid.
semen à natura tantùm vsurpari ad formam & cur 204,c
semen hominis cur album 542,c. quomodo sit excrementum ibid. retentum non habet vim venenum nec corrumpitur 541,b
semen foemineũ respectu virilis esse quasi potentiam 414,b
semen an à partibus solidis decidatur 407,b
seminis masculi & foeminei differentia 412,c
semen an vltimae concoctionis nutrimentum 407,d. gignitur in testibus 409,a
semen muliebre an materiae vel efficientis rationem habeat 412,d
semen an solius opificis rationem habeat 415,d
semen qua ratione animam in se contineat 786,a
senectus & Mors quomodo contingant 553,b
senectus quomodo sit via ad putredinem 587,d
senes cur fiant rugosi & extenuati 293,b
senes cur iuuenibus sint prudentiores 1615,c
senes cur ferè soli senescant 364,a
senes unde habeant tremorem 2435,a
senes cur fugiant conuiuia 959,b. cur in senibus febres non sint adeo acutae vt in iunioribus 960,a
senes cur delirent 475,e
senibus cur calida & humida offerenda 984,e
senum sanitas qualis 143,b
sensatio quid 246,c
sensationem, quam sequitur dolor, non esse deprauatam 1590,b
sensum exquisitum & obtusum non nasci ex temperie 1434,a
sensum propter rationem relinquere esse stultum 247,b
sensuum & motionum differentias non solius cerebri affectiones ostendere 315,e
sensus cur in somno otietur 281,d
sensus unde fiat 215,a
sensum non esse actionem partis similaris 215,c
sententia Galeni de pilorum figurâ 344,d. & Auctoris de eadem figurâ pilorum vt & de Crispis 345,a
sententia Galeni diuersimoda de definitione concoctionis 623
serosum humorem ab Epate vel Venis non expelli, sed a renibus trahi 1834,b
serus à Galeno vocatus qui 4,d
seuum & Adeps quomodo inter se differant 432,a. in animalibus vbi reperiatur 432,b
sextum diem inter dies non criticos esse pessimum 1358,a
sicca cur in febribus quandoque praestantur 991,e
siccantia dysentericis nõ conuenire 1550,e. neque adstringentia 1351,a
siccitas an etiam ad masculorum generationem faciat 422,a
siccitas quid conferat ad generationem 193,a
signa ab Essentia 1686,c. à causis d. ab Effectu 1687,a
signa a facili repugnantia contra morbosas causas 218,b
signa ab humoribus ibid. d, à causis iuuantibus & laedentibus ibid. ab excrementis ibid. a causis efficientibus constitutionem ibid. ex similitudine ibid. e
signorum fontes ab autore positi 219,a. quid obseruandum vt ex signis certa fiat cognitio ibid.
signa certiora à quibus sumantur ibid. c.d.
signorum genus ferè nullum esse immutabile 220,b
signa humoris exuperantis & qui alteratione vinci possit aut non 848,e. signa humorum cognoscendorum unde sumantur 849 b.c. & 850,a.b.c. animaduersiones in certis signorum fontibus adhibenda ibid.d
signa temperaturarum 1719,b
signa Temporum particularium & eorum dignotio 1674,a
signa Temporum praeteritorum 1674,c

signa

Signa sanitatis diu duratura ex propria illius essentia. 1782. c. ex causis. ib. Ab actionibus. d. à conditione corporis & corporis habitu. 1783. a. à syderib. ib. ex effectibus. b. à similitudine. c
Signa ex corporis sanitate & temperamento 1783. d
Signa ex causis corpus constituentibus. 1784. a
Signa à natura & vi causarum morbos gignentium. 1787. a
Signa temperatura sicca. 436. a
Signa ex humorum causis. 1721. c
Signa ex materia, ex qua humores gignũtur. 1722. b
Signa humorum ex materia qualitate, quantitate, ordine & assumptionis tempore. 1722. c
Signa ex subiecto corpore. 1722. d. ex natiuo calore. ibid. ex causis sine quibus non. c. ex causis iuuantibus & ladentibus. 1723. a
Signa ex similitudine. 1723. b
Signa quæ ex prædictis sint certa & quæ certiora. 1723. c
Signa abundantium humorum ex animi moribus. 1724. b
Signa ex iis, quæ humores in corporibus pariant. 1724. c
Signa humorum bonorum. 1725. d. Malorum. ib.
Signa distinguentia bilem à sanguine. 1724. e
Signa multitudinis ad vires. 1730. a
Signa grauata facultatis naturalis nullibi reperiri. 1731. a
Signa vitalis facultatis multitudine grauata. 1731. b
Signa itidem animalis. ib.
Signa multitudinis ad vasa. 1731
Signa morborum unde sumantur. 1732. d
Signa causarum & symptomatum. 1733. a
Signa ostendentia, in quo loco humores redundent. 1726. a
Signa abundantis bilis in toto corpore. 1726. b
Signa variorum humorum inæqualiter corpus afficientium. 1726. c
Signa qualitatum in humoribus. ib. e
Signa Abscessus futuri in partibus inferioribus. 1828. d
Signa instantis excretionis per sudorem. 1828. d
Signa futura excretionis per aluum. 1828. e
Signa futura excretionis per vrinas. 1829. a
Signa longitudinis & breuitatis morbi ex accessionibus. 1802. b
Signa ex qualitatibus corporis mutatis. 1804. c
Signa celeritatis & tarditatis in morbis lethalibus. 1805. a
Signa diei sumpta à morbi natura 1805. b
Signa futura Crisis salutaris & lethalis. 1823. b
Signa futura Crisis fida, facilis & perfecta 1823. e. Infida, difficilis & imperfecta. 1824. a
Signa temporis Crisis futura. ib. b
Signa hora futura Crisis. ib. c
Signa pathognomonica. 168. d
Signa assidentia. ibid.
Significare quid. 167. e
Signa cruditatis & coctionis. 168. d
Signa critica. ib. e
Signa neutra. ibid.
Signa demonstratiua. 169
Signa prognostica. ib.
Signa decretoria. ib.
Signa Prognostica solutionis facilis & difficilis. 1799. b. obscura & euidentis. c. Indicata. d. Bona & mala. ibid. perfecta & imperfecta. ib.
Signa celeritatis & tarditatis in morbo salutari, &c. 1800. e
Signa morbi accessiones habentis breuis & longi. 1802. a
Signa Pathognomonica. 1681. d
Signa critica. 1682. b
Signorum differentia à rebus significatis. 1682. e
Signa partis affecta ex quibus sumantur. 1747. & seqq.
Signa memoratiua. 1755. d
Signa à constitutione corporis. 1788. b
A causis corpus constituentibus & regentibus. ibid.
Signa futura recidiua ex morbi natura. 1789. e
Signa à quibus causis reuertantur morbi, aut salus contingat. 1791. c
Signa quid 105. e
Signa omnia esse vere indicatiua & demonstratiua esse. 99. d
Signa prognostica & memoratiua. ibidem. e
Signa sanitatis partium similarium. 1714. c. Et dissimilarium. ibid. d
Signa à morbi natura, qua ratione morbus aut occidat aut propellatur. 1810. c
Signa maximam vim habentia, & itidem minimam. 1691. b
Signa habentia dubiam & certam vim. ibid.
Signa decretoria, critica. 1774. e
Signa prognostica ex rei essentia. 1775. b
Signa propria quæ, & vnde sumantur. ibid. c
Signa hora solutionis in morbis salutaribus. 1807. b
Signa hora mortis. 1808. b
Signa à morbi natura. 1809. b
Signa futuri profluuii sanguinis ex naribus. 1818. b
Signa ex passionibus corporis. 1721. b
Signa quæ sumuntur à qualitate & quãtitate carnis nullius momenti. 419. e
Signa calida & humida temperatura testiculorum. 423. c
Signa cordis sicci. 384. c. calidi & humidi. 387. d. frigidi & humidi 389. e frigidi & sicci. 390. d
Signa humidi hepatis. 396. e
Signa cordis calidioris. 430. e
Signa calidi hepatis. 392. b
Signa vniuersa à quibus sint petenda. 2133. a.
Signa tertiana exquisita. 2135. d
Signa quæ in febribus lethalia. 2105. a
Signa ventriculi frigidi. 436. d
Signa pleuritidem ipsam demonstrantia. 2149. d
Signa temporum præsentium & futurorum. 909. b
Signa calida & sicca temperatura testium 422. b
Signa morbi longi & breuis. 915
Signa itidem roboris & virium imbecillitatis. ibid. e
Signa temperatura frigida. 431. d
Signa vitii in spiritibus. 2553. d
Signa pestis prognostica. 1542. d
Signa inseparabilia & propria quæ nam. 377. d
Signa temperatura moderata. 428. d
Signa à qua causa humores sunt commoti. 2153. b
Signa continuarum febrium, ab essentia febris. 2295
Signa putredinis cordis vnde sumantur. 477. c
Signa futura solutionis per vacuationem in plenitudine. 1814. b
Signa futura suppurationis. 1814. c
Signa ex vniuscuiusque natura. 1711. a
Signa ex natura affectus. 1758. b
Signa febris diaria ex æstu. 1758. b
Signa ex causis efficientibus. 1707. a
Signa dysenteria lethalis. 1355. b
Signa mitioris. ibid.
Signa alleuiationis secundum naturam. 1269. b
Signa morborum magnorum alio modo lata dictorum. 1736. c
Signa à morbi natura. 1792. d
Significatio plenitudinis quotuplex. 827. a
Significationes subiecti & materia esse easdem. 74
Signorum tractationis vtilitas & necessitas. 167. e
Signum quid. ib. e
Quæ per signa cognoscere oporteat. 168. a
Signorum diuisio. ibid. c. Genera & differentia. ib.
Signorum vis, 169
Signa quot nam in vnaquaque re esse possint. 169
Signa quâ ratione inquirantur. ib.
Signa salubria, insalubria & neutra aliter dici à Galeno, quam corpora. 169
Signa indicantia sanitatem præsentem, & futuram. 170
Signa commemorantia sanitatem præteritam. ib.
Signa morbi præsentis, futuri & præteriti, ibid.
Signa simpliciter salubria, insalubria & neutra. 172
Signa vt nunc talia. ib.
Signorum fontes. 174
Signorum genus quod ex causis sumitur, quod ostendat. 1692. d. Quid quod

effectibus. 1693.c
Signorum diuisiones. 1679.& seq.
Signorum differentia ex rebus quæ significant. 1681.a
Signorum fontes in vniuersum esse quatuor 1704.d
Signorum genus ab essentia rei sumptum quid possit demonstrare 1692.b
Signorum necessitas. 52.d.
Signorum Prognosticorum memoratiuorum vtilitas. 1704.b
Signorum propriarum differentia 1690.e
Signum salubre quid. 99.c
Signum simpliciter salubre. 123.e
Sima pars Epatis 712.b. *per quas vias euacuetur.* ib.
Similarium partium duplex consideratio. 1435.c
Similia quomodo similibus offendantur & contrariis iuuentur. 984.c
Similia quomodo similibus offendantur, contrariis vero iuuentur 1885.c
Similitudo & discrimen inter generationem hominis & reliquorum animalium. 787.a
Similitudo inter parentes & filios quomodo ab Auctore seruetur. 410.a
Simplicia medicamenta vrinam mouentia. 2274.d
Simpliciter apud Aristotelem. 85.107.a
Simpliciter quot modis aliquid dicatur. 328.
Simpliciter quot modis sumendum 109.b
Quomodo in lib. artis medicinal. Gal. sit sumendum. ib.d
Sitis quarum rerum sit passio 460.d
eiusdem sitis origo quomodo cognoscatur. ib.
Siti vehementi quomodo occurrendum. 456.c
Syderatio quid. 1253.d
Symptoma summum quid 903.a
Symptomata vt symptomata nec impedire nec moderari victum nec indicare curationem 903.d
Symptoma quid. 1577.b
Symptomatis deriuatio. 1578.b
Symptoma & accidens quomodo differant. 1578.b
Symptomata nõ omnia prouenire a morbis, sed etiam a morborum rerumque naturalium causis. 1580.a
Symptomata quot secundum Galenum & authorem. 1581.d.e
Symptomata & accidentia quomodo differant. 174.c
Symptomata quid postulent inquirendum 168.b.
Symptomata quædam esse naturalia, quædam præter naturam. 241.d
Symptomata quædam sequi causas, alia locos affectos & alia morbos: ib.e
Symptomaticum aliquid esse quomodo intelligendum. 242.c
Symptomata etiam lædere actiones corporis & animi. 243.e
Symptoma etiam posse esse in contentis 244.a
Symptoma quomodo non possit esse morbi causa ib.
Symptoma multis modis sumi secundum Galenum. ib.b
Symptoma proprie quid. ib.d
Symptomatum genera. ib.e
Symptomata omnia vnde in vniuersum proueniant. 1603.c
Symptomata cognata, Affinia συνεδρεύοντα. 1597.c
Symptomata inflammationis gracilium intestinorum. 1695.b
Symptomata vtilia secundum Galenum. 1598.d
Symptomata non omnia prouenire à morbis. 1601.d
Symptomata insignia quæ 1598.c
Symptomata ostendentia difficiles fieri purgationes. 1240.e
Symptomata quæ quælibet conuulsio afferat. 1204.b
Symptomata an omnia à morbis oriantur. 1123.b
Symptomata quæ pleuriticos sequantur & vice versa. 2151
Symptomata facultatis vitalis. 2307.b
Symptomatum quot genera 2115.c
Symptomatum numerum ratione actionum in singulis partibus variare, & quomodo id fiat 1895.b
In quibus partibus plura fiant Symptomata. 1595.d
Symptomatum differentia vnde sumantur. 1596.c
Sinciput cur prompte, tempora autem difficile calfescant. 347.d
Singultus & nausea cuius sint symptomata. 480.e
Syncope quid & quomodo ab animi defectu differat. 1183.d
Syncopen non fieri per se ex humoribus putridis, vt nec apoplexia ex crassis. 1618.b
Syncopes causa. 1618.c
Syncopen etiam fieri à suffocatione, vt & exolutionem. 1251.c
Synocha quomodo à causone differat. 2310.a
Synocharum febrium causa an sit ascribenda loco, an vero diuersa materia. 2188.e
Synochas fieri ex sanguine. 2290.b
Synochæ cur sæpe ex humore seroso oriantur. 2524.c
Synocha febris non putrida generatio, 2223.
Synochæ vnde sint continuæ & vnde Synocha dicta. 2225.b. *eiusdem signa* ib.c
eiusdem curatio 2226.b
Syrupi an ad concoctionem referri possint 636.a
Syrupi contra pestem quales ordinari debeant. 2551.d
Syrupi digestiui an ad humores concoquendos sint vsurpandi. 1060.b
Sol quibus somnum, quibus itidem pariat vigiliam. 1997.b
Solem ad nostram generationem nihil præstare vt & syderum concursum. 1186.b
Solis vis in generandis & soluendis morbis. 1186.c
Solutio fida & infida. 1797.e
Solutio lethalis. 1798. b. *Mala & bona* ib. *Salutaris & perniciosa.* ib. *perfecta.* ib. *indicata seu euidens.* c
Solutio continui an fieri possit manente sanitate partis diuisæ. 573.a
Solutionis & continuitatis differentia vnde 671.a
Somnia quotuplicia. 360.d
Somni naturales & præternaturales quomodo differant. 2016.d. *à somno præternaturali non semper fieri inutilia & naturæ contraria* 2018.b. *cur necessario sequatur vigiliam* 2019.e. *qui somni non possint esse perpetui & cur.* 2020 d. *somnum non fieri ob aliquem finem sed sequi contractionem caloris* 2022.c
Somnus an finiatur in vigilia ib.d. *quibus sit breuis & quibus itidem longior* 2024.c. *cur post cibum & potum reddamur somnolenti* 2025.d. *somnos breues & leues, vt & longos & profundos non semper coniungi* 2031.d. *Somni causa continuata* 2032. d. *dormientes qui nam frement dentibus* 2033.d.
Somnus naturalis quo signo à præternaturali differat. 2027.c. *per somnũ quid in nobis fieri possit.* 2044.e. *Somni & vigiliarum commoda* 2047.b.
Somnum ex ratione sui necessario humectare ib.c. *somnus quando noceat & quando prosit.* ib. *somni turbulenti & insomniis pleni quibus prosint* 2049.b *somnus post prandium quibus obsit & quibus minus noceat.* ib. b.c. d. *Somni & vigiliarum proportio* 2052.d. *Somnus an secundum Aristotelem fiat in corde* 2068. b. *somnus an secundum Galeni opinionem fiat in cerebro* 2095. e. *Somnum & vigiliam non esse affectionem communis facultatis sensitiuæ.* 2097. e. *Somnum & vigiliam non cerebri aut cordis, sed totius animalis esse affectionem, & propterea etiam in vniuerso animali.* 2098.c
Somni causa multa. 1958.b. *Somnus an fiat ex vaporibus ad caput elatis vel ex humoribus ad cor descendentibus.* 1960 d. *Somnus & vigilia duplex.* 1965.b
Somni cur in hyeme fiant longissimi. 975.c
Somni vsus & Necessitas. 512.a
Somni, secundum autorem causa naturalis. 2008.a
Somni & Vigiliæ definitio Aristotelis. 2002.b
Somnum quid prouocet. 354.d
Somnolenti qui habendi. 356.c
Somnus cuius sit reputatio. 538.a. *nullam habere vim agendi nec ob id finem aliquem assequi.* 56.b. *in corporibus temperatis quando fiat.* ib.c. *quot horarum sit.* 539. a. *quando surgendum.* ibid. c

Somnus

Somnus ipse an in morbis quid prestet. 1101.a. somni differentia secundum effectus 1101.b. Somnus quando in morbis noceat. ib.d. quando iuuet. ib. an in omnibus morbis in quibus somnus nocet, mors necessario prædicenda 1102. d
Somnus quid. 970, c. naturalis quid fiat secundum Aristotelem ib. d. Somni an vna vel plures causæ sint. ib. c. eiusdem an præternaturales. 971.a. somni & vigiliarum vera causa. 973.
Somnus & vigilia quid possint agere 519.d
Sōnus ebriorū an sit præter naturā 2011.c
Somnus præter naturam quis 2013.a
Somnus ex vaporibus factus an sit naturalis 2003.c. somnum nullas habere causas præter efficientes 2005.c. sæpe calefacere 2007.c.
Somnus quomodo fiat per reuocationem caloris. 1996.ab
Somnus quomodo sedare possit delirium. 1110.d
Somnus naturæ modum excedens quis. 1111.a
Somnus & quies cur purgationes sistant. 1335 c
Sopor & vigilantia vnde 1585.c
Soporum differentia vnde sumantur. 2037.d
Sordem in vlceribus non esse naturale excrementum 1276.a
Sordes an in generatione carnis sint excrementum proprium. 666.
Sordes biliosa quæ per aures extrahitur quid. 338.b
Sordidum excrementum in vlceribus nō esse pus. 1275.d
Species melioris temperamenti quæ dicatur 333.d
Specus in nubibus vnde fiat. 188.b
Spinam dorsi esse omnium ossium veluti radicem. 309.c
Spinalem medullam non esse reuera medullā & cur medulla nominetur. 265.e
Spinalis medulla quomodo seruiat cerebro 282.e
Spinalis medullæ exortus vnde. 314.c
Spiratio difficilis quid possit. 481.
Spiritus an sit ipso aere crassior 2090.c an sit vehiculum alicuius facultatis 2091.a. quid sit & quomodo vniuersis operationibus corporis conferat. 2091.b
quomodo Spiritus tenuissima alioqui substantia feratur sursum deorsum & in omnes partes corporis ib.d
Spiritum nullam animæ facultatem in se continere 2093.a. Vnicum esse spiritum influentem ib.c
Spiritus sitne aliquis in corpore 271
Spiritus quid. 272.c
Spiritus quomodo facultatibus seruiant. 271.a
Spirituum genera. 273.a
Spiritum vnum influentem & non plures esse ponendos. 274.a
Spiritum esse innatum calidum ib.
Spiritus ille vnicus vnde diuersa habeat nomina. ib.c
Spiritus quomodo seruiant corpori. 274.d.e
Spiritum non ferri per instrumenta & per illa ducere facultates. 274.d
Spiritus quomodo ferantur ad pupillam 282.b
Spiritum nullum gigni in cerebro. 275.b
Spiritus visiuus an sit lucidus. 371.a
Spiritus & sanguis cur dicantur calidum innatum. 1977.
Spiritus & humores an sint partes similares an tantū elementa corporis 2368.b
Spiritus & sanguis tempore hyemis in profundo corpore quomodo abundent 968.d
Spirituum corruptio & nonnulla venena quomodo delirium faciant. 1109.a
Splendida non omnia esse subtiliū partiū. 1652.a
Spuma quid. 1864.b. vnde bulla ibid.
Spuma quid 1259.b
Spumæ & bullarum materia 1259.b
Spumæ causa efficiens. 1260.b
Quomodo calor. ib.
Quomodo frigidi venti ib.c
Spurii quomodo marito reddantur similes. 417.b
Statum quale denotet tempus. 819.d
Status in morbis, quid significet. 902.c.
Status morbi quomodo partes priores dissoluat 1175.b
Stellæ cadentes vbi & quomodo fiant. 187 b. 188.b
Stellæ currentes vnde & quomodo fiant. 187.b. 188. a.b
Strangulatio quid 164.e
Stupiditatis causæ 321. a. cur dociles simus aut stupidi. ibid.d
Stupor dentium an sciatur, qualis sit affectus 1952.
Suauia & deteriora cur faciant ad curationem. 1244.b
Suauitatem cibi plurimum facere ad cōctionem. 1243.a
Subeth quid. 2011.b
Subiecti & materiæ significationes esse easdem 74 c
Subiecti significationes quot. ibid.
Subiecti consideratio quotuplex, 74.d
Subiectum librorum Aristotelis de anima. 74 e
Subiectum libri Galenici de arte medicinali. ib.
Subiectum certum quid apud Aristotelem. 75.b
Subiecti nomen esse æquiuocum. ib.d
Subiectum scientiarum & artium quod 74.a
Subiectum in omni scientia & arte esse vnum. 71.a
Subiecti vera ratio quæ ib b
Subiectum metaphysices. 73.c
Subiectum scientiæ & demonstrationis esse idem. 74.a
Substantia fibrosa in adultis an possit consumi vel diminui 1560 d
Substantia in corpore quot modis dicatur multa. 1727.e
Substantia ignea in nobis quomodo restituatur. 509.d
Substantia tertia animalibus propria influens à fontibus caloris 294.b
Substantiam solidam dissoluentia. 536.e
Substantia prima quid significent & quid iisdem Secunda 117.a
Sudor & horror quomodo fiant. 528.
Sudor quid. 817.d
Sudor corporibus naturaliter se habentibus an fiat. 490.e
Sudores cur in initio continuarum & principio accessionum sint pessimi, in statu vero & declinatione boni. 1310.a
Sudores frigidi in febribus acutis vnde fiant. & vnde iidem in longis 1371.d
Sudores frigidi cur in acutis febribus mortem, in longis vero morbi longitudinem. 1371.e
Sudores diaphoretici quid & vnde fiant eosque semper esse periculosos 1372.a
Sudores frigidi vnde fiant. 1370.c
Sudoris materia duplex 1370.d
Sudores in quibus febribus in principio, mali & in quibus boni 919.b d
Sudoris materia 1375.d
Causa efficiens. ibid. Causa sine qua non.c
Sudores multi calidi quo modo significent morbos longos. 1377.a
Sudores cur in febribus intermittentibus etiam in prima die sint boni. 1391.a
Suffocatio cui calore accidat & cui non. 603 c
Suffumigia tempore pestis vsurpanda. 2540.b
Suffusionum curam quis primo docuerit. 47.a
Suppressionem vrinarum in febribus cōtinuis semper significare mortem. 1868 e
Suppuratio in neruis contusis cur fugienda. 679.b
Suppurationis propria materia. 1814.d
Surditas an à bile fieri possit dubitatur, 1357.a
Susceptionis causa facilis. 320.c

T.

TAbem fieri etiā sine sanguinis expuitione, & cur 1414.c
Tabidi cur reddantur calui 346.c
Tabidi reuera qui. 1322.a
Tabidis cur vomitus noceat 1322.b
Tactum non posse semper esse indicem calidi & frigidi. 297.e
Tactus autorem esse Neruum 1604.d
Tagantius in quo reprehendatur 6 8.e
Temperamenti causa princeps 787.d
Temperamentum non esse solum actionum causam; 259.d
Temperies quæ & quomodo sit forma 259 d
Substantiam totam esse propriam rei formam. 259.d.
Temperamentum quid. 204.e. 205 d

Temperamentum non esse proportionem & harmoniam. 205.b

Temperamentum sit ne forma similarium. ib.e

Temperamentum non esse omnium rerum formam. 206.d

Temperies quarum rerum sit forma & in quibus præter ullam temperiem aliam ponere formam oporteat. 207.d

Temperies quarum rerum qualitatum secundarum causa sit & quarum forma ipsa ib.e

Temperies quarum actionum sit causa. ib. e. & quid ad actiones viuentium præstet. 208.a

Temperamentum habere quidem vim alterandi & immutandi, non tamen edendi nouas actiones natura diuersas 259.a

Temperaturæ frigidioris signa. 421.d

Temperatura vniuscuiusq; ætatis. 2587.d

Temperatura calidæ Signum. 419.a

Temperatum quot modis dicatur. 331.d

Temperatum ad iustitiam 300.e

Temperatum ad pondus an dari possit 301.302.c

Temperamentum inæquale quot modis fiat. 303.a

Temperiem vnam esse viuentibus propriam, aliam vero propriam cadaueri. 280.

Temperiem ex elementis nihil pati nec agere in nobis posse 293.c

Temperies calidæ substantiæ influentis tertiæ in animalibus 294.d

Temperamentum ad pondus quam compositionem propriè respiciat. 295.c

Temperies quænam sit animæ essentia & omnium actionum author. 296.ab

Temperies quanam sit indicanda tactu 296.b

Temperies quanam vicissitudine ætatum mutetur. ib.c

Temperatura index quomodo sit cutis. ibid.d

Temperies singularum partium quomodo sequuntur temperaturã cordis hepatis. ib.d.

Temperies firma quæ, & quæ itidem singulis momentis mutetur. 297.a

Temperiem ad pondus pertinere solum ad compositionem primam ex elementis & tactu dignosci posse ib.d

Temperies ad pondum cuius sit propria. ib.e

Temperies ad iustitiam. 298.a

Temperies propria viuentibus quomodo mutari possit in singul. partibus ib.d

Temperaturarum differentia. 299.d. 303.

Temperies calida an cum humida, aut frigida cum sicca consistere possit. 300.a

Temperies anni temporum quomodo æstimanda. 966.b

Temperies quando conseruanda, quæ vero mutanda. 985.b

Temperies humida cur conseruanda & cur temperata mutanda in humidam ib.b

Temperies quæ omnium optima. ib c naturalis quæ maxime mutanda. ibidem.d

Temperata cur mutatione egeat, 986.b quæ inter intemperies primo & maxime mutanda ib. d. cur intemperies præternaturales subito mutãde. 986 e

Temperies quæ egeat similibus. 1886 d quæ temperies aliis præstantior ib. quæ inter tẽperies naturales maxime sint permutanda. 1887.a. quæ reprimenda 1888.a

Temperies veris calida & humida simul quæ saluberrima. 968.a

Temperies ventriculi frigida quomodo ad appetitum conferat. 458.a

Temperies cordis & hepatis in mutua repugnantia quid in corpore possit præstare. 99.a

Temperies totius corporis partiumque singularium & præsertim cerebri an ex pilis dignosci queat. 341.b

Temperies bona an magis quam alia venenis resistat. 339.d.e

Temperies quarum actionum sit causa & quarum itidem structura. 316.c

Temperies ætatum. 329.

Temperies bona quid 238.d

Tempora Morborum quæ nec sanari nec occidere possunt, quot 1664.e

Tempora morborum non indicant sed coindicant. quid. 1933.d

Temporis vniuscuiusque natura quæ. 907.a

Temporum præsentium & futurorum signa 909.b

Temporum signa ex quibus fontibus ducantur. 1669.b

Tempus ad edendum aptum, 533.c

Tempus sub & ante canem correpugnare. 1317.b

Tempus per accidens esse remedium morbi, qui in eo gignitur. 1236.b

Tempus ad exercitationem aptum 529. d

Tempus ad edendum aptum. 1006.

Tenue quid. 8-0. b. non omne tenue esse tenuium partium, sicut nec omne crassum crassarum. ib.c

Tenue vnde proueniat. 212,a

Tenuitatem corporis non sequi temperamentum. 214.a

Terminus morborum peracutorum. 1177 a

Terebinthina quomodo prosit calculis. 684.a

Terra situs. 189.a. magnitudo ibid.

Terra cur dicatur occupare centrũ cũ tamen portio eius emineat aqua. 189.b

Terra an sit minor aqua. ib.c

Terram esse omnium mixtorũ matrẽ ib.d

Terræ motus generatio. 190.a

Terræ vis & vsus. 193.b

Terra quid & cur in medio posita. ib.d

Tertiana febris exquisita cur omnium sit breuissima. 2493.d.a

Testes an semen conficiant & ad generationem sint necessarii. 404.b

Testes contusi vim generandi quomodo amittant. 403.d

Testes cur facti sint 402.b

Testes quomodo materiam aptam ad generationem seminis attrahant. 409.b

Testes quarum facultatum sint principium. 280.c

Testium vasa. ib.d

Testes quomodo voluntatis sequantur imperium 418.e

Testium in mutanda totius corporis temperie & efficacia. 399.e

Testium vsus. 268.a

Testiculorum temperaturæ frigidæ & humidæ signa. 254.a

Tetanus quomodo curetur aqua frigida. 179.a

Theophrasti laus in docendo. 15.b

Theorema quid. 769.c

Thorax quid 379. thorax hirsutus cur calidi cordis hominibus insit. 379.c

Timor cur deprauet rationem, imaginationem & memoriam. 317.c

Timor cur sensum & motum debilitet. 189.b

Timor quid. 1631.a

Timores post somnum cur mali & vnde fiant. 1403.

Typhomania quid. 1106.d

Tympanites 1329.e

Tympanitis causa. 1330 a

Tympanites quid. 1327.c

Thorexis etymologia.

Tonitrua. 188.e

Tormina vnde fiant. 1327.a

Totum & partes quomodo dicantur calida. 330.b

Totum multipliciter sumi. 116.d

Tosta in quibus febribus eligenda, 991.a

Tradere quid. 29.d

Transpiratio prohibita ad putredinem excitandam plus momenti habet quã incrementum. 605.a

Transpirationem quæ impediant. 616.

Transitus quot modis fieri possit. 1296.c

Tremor & concussio vnde fiant. 2554.d

Tremores vnde decrepitis. 1620.b

Tremores in timore vnde fiant, 1620.e

Tria in omnibus putridis febribus curandis necessaria 2505.c

Tristitia cur in aliquibus febrem gignat, alios vero sine calore vehementius exiccet. 1519.e

Tumores non oriri omnes ex fluxione humorum, qui illi sint & quomodo ab aliis dignoscantur. 1531.c

Tumorum causam materialem esse duplicem. 1534.d

Tumorum differentia 482.a

Turgere quid. 1325.c

Tussis an fieri possit in affectibus hepatis 479.d

Tussis comes pleuritidis necessarius. 2150.d

Tussis quam vim habeat in thoracis morbis indicandis: 481.c

V.

VAcuatio à parte quid. 770.
Vacuatio multa & plurima cur sit periculosa. 1293.c
Vacuatio per sanguinis fluxũ cur in morbi principio sit bona 1014 e
Vacuatio quando sit facilis & vtilis. 1896.c
Vacuationi quid proprie repugnet 1931.c
Vapor halituosus quid 337.b
Vapores multi a concoctione cur somnum adferant 354.d
Vapores an sint necessario eiusdem coloris cum re à qua attolluntur 363.c
Varietatem ciborum non esse damnandum, & cur 1243.d
Vasa seminaria quomodo seruiant testibus 283.b
Vasa spermatica an vim habeant generandi 404.a
Vegetabilis facultas 162.a
Vena cur in inflammationibus vbi sanguis est sparsus per musculos & substantiam secetur 838.c. cur in febribus ardentibus vna tantum secetur vena. 839.a
Vena lateris affecti, in pleuritide, cur secanda 741.c quæ ad reuellendum secatur an oporteat esse magna ib.
Vena qualis in reuulsione secanda 1035 c an in bubonibus gallicis secanda 1036 b
Vena quid 177.d
Venarum communicantia quæ propria 740 à
Venarum latitudo vnde 398 d vnde similiter earumdem durities ib.d
Venas mesaraicas eiidem non habere vim sanguificandi 278 b
Venas non habere vim sanguificandi 277 c
Venena nonnulla & corruptio spirituum quomodo delirium faciant 1109 a
Venæ sectio an in affectibus cutaneis obsit 1036
Vena in principio inflammationum quãdo & quæ in parte affecta secanda b In pleuritide cur vena in cubito & non in cruribus secanda 737 c
Venæ sectio omnibus putridis vtilis 616. sectio in vena qualis esse debeat 916 c
Venæ sectio in omnibus febribus putridis necessaria 1085 b
Venæ sectionem dysentericis esse proficuam 1351
Venæ sectiones magis reuellunt quam cucurbitulæ 1027 d
Venæ ad tantam repletionem, vt disrumpãtur quomodo peruenire possint. 858 d
Venæ cur rumpantur ex repletione, ventriculus vero non item 1153 c
Venter an tantum repleri possit, vt rumpatur? 1153 a
Venti aeris qualitates quomodo imprimãt 318 a
Venti vnde fiant & quomodo frigidi 185 a 188 d
Ventres in quibus hominibus hyeme & vere sint calidissimi 969 b
Ventriculi debilioris signa superflue concoctionis 333 a
Ventriculi officium. 449 c
Ventriculo existente frigido & hepate calido quæ sint adhibenda remedia 562 b
Ventriculum nutriri chylo 336 b
Ventriculus & Hepar partes ad publicam concoctionem destinatæ 336 c
Vetriculus quomodo dicatur frigidus 457
Ventriculus per quas vias commode purgetur 644 b
Vetriculus quomodo dicatur calidus 535 c
Ventriculus frigidus quos cibos melius cõcoquat 458 b
Ventriculus ex quo nutriatur 820 a
Ventriculus & venter quid 812 d. tres in nobis esse ventres ib. e. inferioris ventris diuisio ib.
Venerei cur minore voluptate adficiantur 406 c
Venerei cur reddantur calui 347 e
Veneris immodica accidentia 407 b
Venus ad quod genus causæ salubris redigi debeat 542 c. quid in vsu Veneris excernatur ib. Veneris vsus & vis 543 c Intermissa mala ib.
Venus an post cœnam ante somnum exercenda 549 a. Vere aptissima ib. e mulieribus nullo tempore obest ibid. an ante aut post somnum exercenda indicium mulierum 550 b
Venus quibus possit prodesse 545 e. quibus itidem obsit ib. qua ætate inchoari debeat. 546 a. semel in die exercenda ib. moderata prodest ib. Immoderata quantum noceat, podagricis Epilepticis & Nephriticis cur obsit ib. Melãcholicis quomodo prosit & obsit ib. cur isti sint salaces 5 d. c. quibus pituitosis prosit 547. a. cur viris æstate mulieribus hyeme vtilior ib. c corporibus plenis vt & vacuis cur noceat 548 d. excalefactis & refrigeratis cur obsit ib. e Veneri & rei Venereæ Nuditas pedum cur obsit ib.
Ver an sit calidum & humidum an temperatum 966 c
Vespertis materia 1272 b
Vertiginem esse symptoma, non tamen nasci ex morbo. 1241 a
Veri decretorii qui indices intercidentes 1181 b
Vesalii opinio de sectione venæ in cubito dextro quouis latere an probetur 741 a
Via lactea vnde fiat 187 c
Victus qua ratione dicatur tenuis & extenuans 871 a
Victus mali incommoda 866. b. Victus varia significatio 867 b. victus an nutrimentum an viuendi ratio ib. e
Victus tenuissimus cur in laboribus extremis vtendus 903 d
Victus in extremo tenuissimus quis 904 eiusdem genera per quæ definienda ib.
Victus an a morbo indicetur 993 c
Victus exquisitus & tenuis quomodo à vulgari & crasso differat 873 e
Victus quis singulis morbis acutis conueniat 887 c quis singulis inter sanos conueniat 889 b
Victus tenuis & tenuissimus cur grauis & periculosus 890 e
Victus omnis humidus an omnibus febricitantibus conueniat 989 b
Victus qualitas à quo indicetur 1932 b
Vigilia quando & in quibus concoctionem iuuet 2050 d
Vigilia quomodo delirium faciat 1109 b
Vigilias non fieri ob aliquem finem, sed caloris expansionem sequi 2022 e
Vigiliarum & somni causa 354 c. vigilia quando fiat 355 a
Vigiliarum diuersarum diuersi effectus. 519 c. somni itidem ib.
Vigiliæ causa naturalis 2008 d
Vini potio copiosa cur pariat Apoplexiam 1257 a
Vinum ad restaurandos conualescentes quale esse debeat 754 c
Vinum niue refrigeratum quibus vtile 833 e
Vinum in quibus febribus semper possit exhiberi & econtra 637 b
Vinum in quibus febribus prosit 1061
Virtutes in ægro quales requirantur 803 c
Vires an euacuationem indicent 861 a. quomodo in euacuationibus considerãdæ 861 c
Vires an nutritionem indicent 876 e. quæ id præstant 877 a vires vitales an nutritionem indicent 879 b
Vires in sanis & ægrotis quem victum postulent 886. quomodo vnquam sine nutrimento augeri possint ib. b
Virga aeris quid & quomodo fiat 178. 188
Vinum maluaticum & alia generosa quibus prosint, & quibus itidem obsint. 1165 a
Virium essentia in quibus sit posita 981.d
Virtutem & perfectionem esse idem. 214 c
Virtutem fortem omnia contemnere. 215.c
Virtus cuiuscunque rei circa quid versetur 30 c
Virtus quando reuera sit imbecillis 158 d
Vis agendi quibus qualitatibus sit concessa 212 a
Vis appetendi vbi suam habeat residentiam 449 c
Viscerum simplex caro 283 c
Vis conditiones cœli 787 e
Vis in semine formatrix qualis 2074 c
Visionem non esse actionem humoris crystallini, sed totius oculi 215 d
Vita carentia non nutriri 203 b
Vita Medici quomodo debeat esse comparata 802 a
Vita qua ratione dici possit breuis 791 c
Vitam nullam esse actionem 260 b
Vita nomen quid significet 777. e. vita quid sit proprie 778 a. an sit longa vel breuis 780. d. cur nequeat esse perpetua. ib.
Vitia qualitatum non esse morbos, sed symptomata. 210.c

Vitia latentia internarum partium ex quibus cognoscantur. Ex quibus morbi externarum 1753.a
Vitia quæ corporis natura tollat, quæ item ars, & quæ vtraque simul. 1809.c
Vitia spiritus vnde. 1251.a
Vitium in qualitatibus corporis tribus modis contingere. 1594.b
Vitiati in generatione an semper vitiatos generent. 407.
Vitia omnia quæ in humorum massa fiunt solum in qualitate malum inducunt. 810.e
Vitia, quæ in ipsa substantia & materia sunt, non esse morbos. 239.a
Vitia lædentia actiones non omnia posse emendari. 211.a
Viuentia quomodo naturaliter corrumpantur. 587.d
Viuentium forma essentialis. 359.c
Viuentium formam & omnium actionũ autorem esse animam. 206.c
Vmbilicus cur in medio corpore situs sit. 2066.c
Vnde ascites. 1329.b. *cur sit incurabilis.* ibid.
Vngues an sint corporis pars & cuius sint. 176.e
Vngues esse inter partes constituentes corpus numerandos. 289.e
Vnguium materia. 287.d.288.b
Vngues non nutriri. 280.a
Vngues quomodo crescant & gignantur. ibid.
Vngues nec sentire, nec viuere. ib.
Vngues habere mediam naturam inter viuentia & non viuentia. ib.c
Vlcera dysepulota. 1476.a
Vlcera cacoethe. ibid.
Vlcera in renibus & vesica sæpe etiam sine sanguinis effusione consistere. 1414.c
Vlcus pudendorum à mulieribus impuris contractum non esse gonorrhaeam. 1414.d
Vlcerum, cum aqua, curatio cur probetur 676
Vnio & vnitas quid. 651.e
Vniuersalium cognitionem esse æternam, firmam & certam. 70.b
Vniuersim aut confertim nutrire quid sit. 1154.c
Vnum vnum indicat. 825 a. *quod euacuationem indicet.* ibid.
Vocis claræ & sonoræ causa. 465.c
Voluptas & dolor in quibus fiant. 1638.d
Voluptas in coitu vnde. 407 a
Voluptates aliquas esse sine cupiditate. 1584.b
Voluntaria lachryma vnde. 1387.a
Vomitus an naturalis sit, an præternaturalis. 813.d. *quando itidem sit naturalis quandove præternaturalis.* ibid. *quomodo nullus sit naturalis.* 814.b
Vomitus in accessionibus febrium à qua facultate fiant. 1560.d
Vomitus instantis signa. 1828.c
Vomitus melancholicus cur non fiat in quartanis, cum tamen in quotidiana fiat pituitosus qui sæpissime difficilis. 2470.c
Vomitus quid. 817.d
Vomitus quibus conueniat. 1337.c
Vomitus quomodo vomitum & alui fluxus aluis fluxum. ib.
Vox quomodo à sono & loquela differat. 463.a *Eiusdem materia.* ib. *differentiæ* ibid.
Vrina asinorum qualis. 1870. b. *Equorum, Ouium, Capreoli.* ib.c
Vrina copiosa vnde. 1866.e
Vrina cuius coctionis sit excrementum. 1834.c
Vrina vbi fiat, & quando incipiat vrina vocari. ib.d
Vrina cur à renibus attrahatur. 1835.a
Vrina vbi gignatur & ex quo. 1406 b
Vrina vnde fiat opaca. 938.b
Vrinæ breuem morbum quæ ostendant. ibid. d
Vrinarum differentiæ diuersimodè. 2475. d
Vrinas non fieri lucidas à spiritibus. 1854 d
Vrinas tenues in aere non fieri reuera crassas, sed opacas & confusas: ex concretione vero etiam fieri crassas. 1836.e
Vrinarum differentiæ in qualitatibus. 1837.a
Vrinam medico non esse gustandam. 1838.c
Vrinæ cur morbo adhuc crudo mingantur tenues. 1839.d
Vrinæ in morbis semper manentes tenues quid significent. 1840 d
Vrinæ vnde in principio morborum fiant crassæ, & quid significent. 1841.a
Vrinæ coloris oleosi cur sint malæ. 1849.b
Vrinæ crassæ & confusæ mictæ postea quam clarificatæ quid ostendant. 185[illegible].b
Vrinæ in aere seruatæ cur tãdem corrumpantur. 1850.d
Vrinæ vnde fiant flauæ, rubræ, crassæ & perspicuæ. 1854.a
Vrinæ puerorum cur plurimum habeant sedimenti. 1859.c. *iuuenes vero pauci.* ib.
Vrinæ quædam cur tantum habeant nubeculam, aliæ vero sedimentum. 1859. d
Vrinæ vnde habeant odorem. 1861.d
Vrinæ vere crudæ quæ. 1848.c
Vrinæ oleosæ in quibus corporibus sint malæ & in quibus non. 1848.d
Vrinæ oleosæ species. ib.c
Vrinæ cur in diariis sint similes sanis aut parum ab iis deflectentes. 2397.e
Vrinæ subinglles cur sint opacæ. 1853.d
Vterum muliebrem non habere cornua, qualia Galenus fingit. 2[illegible]3.a
Vterus muliebris an sit in locos certos distinctus. 420.b
Vt nunc & secundum quid non esse idem. 107.d
Vt nunc dupliciter sumi à Galeno. 108.d
Vt nunc quid sit. 110.a
Vulnera caua quomodo sanentur. 671.d *in senibus quomodo reperiantur.* 672.c
Vulnera cur citius occidant quam intemperies & fracturæ. 1569. a
Vulnera & quæ sub iis comprehendantur. 1456.b
Vulnera quædam cur non pariant dolorem. 1584
Vulnerantia quæ. 1547.b
Vulnerati in certamine cur se dolere negent. 1127.a
Vulnerati quomodo in Calidos Morbos incidant. 1525.a
Vulneris contusi curatio. 679.b
Vulneris simplicis differentia. 659.c

ΤΕΛΟΣ.

-11161063

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

H.43.

Digitized by Google

Digitized by Google